Pauli Zacchiæ Romani, totius status ecclesiastici proto-medici generalis, Quæstionum medico-legalium tomus primus.[-tertius.].

Contributors

Zacchia, Paolo, 1584-1659.
Horst, Johann Daniel, 1616-1685.

Publication/Creation

Lugduni : Sumptibus Anisson & Joannis Posuel, 1701.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vgp83b97

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

[illegible]

56336/D

C xvi
17/2

£ 21: 8

PAULI

ZACCHIÆ

QUÆSTIONES MEDICO-LEGALES

PAULI

ZACCHIÆ

QUÆSTIONES MEDICO-LEGALES,

IN TRES TOMOS DIVISÆ.

PAULI

ZACCHIÆ

QUÆSTIONES

MEDICO-LEGALES,

IN TRES TOMOS DIVISÆ.

PAULI

ZACCHIÆ

ROMANI,

TOTIUS STATUS ECCLESIASTICI

PROTO-MEDICI GENERALIS,

QUÆSTIONUM

MEDICO-LEGALIUM

TOMUS PRIMUS.

Editio Nova, à variis mendis purgata, paſsimque interpolata, & novis recentiorum Authorum Inventis ac Obſervationibus aucta.

Curâ JOANNIS DANIELIS HORSTII, diverſorum S.R.I. Principum Archiatri, & Collegij Medici Mœno-Francofurtani Senioris.

Opus omnibus Medicinæ & Juris utriuſque peritis, necnon Tribunalium (Eccleſiaſtici, & Civilis) Aſſeſſoribus maximè neceſſarium.

Præter Indicem Librorum, Titulorum & Quæſtionum, annexus eſt Index Rerum Notabilium locupletiſſimus.

Coll. Placent. Soc.



Jesu. Biblioth. Ex Leg.ne P.P. Cost.

LUGDUNI,

Sumptibus ANISSON & JOANNIS POSUEL.

M. DCCI.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.



WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

JOANNES DANIEL
HORSTIVS
L. S. P. P.

ANTE *annos* viginti & novem, *furente adhuc Bellonâ, in Professorem Medicinæ* Marpurgensis Academiæ *delectus, suasu Cancellarii Dn.* Neseni, *studiosæ Juventuti* PAULI ZACCHIÆ *Quæstiones Medico-Legales*, legendo & disputando *tum exposui, & successu quidem satis felici! Non enim tantùm docendo ego multum didici, nactus nempè amplum auditorium, sed re penitiùs considerata, quidam exinde ad* Studium Medicum *capessendum incitati sunt, numerúsque* Philiatrorum *magno meo gaudio, ut plus haberem quod agerem, auctus est. Cùm verò Dominus* Schonvvetterus, *Vir de Republica literaria satis benè meritus, præteritis Nundinis Autumnalibus animo conciperet, prædictas* Pauli Zacchiæ *Quæstiones Medico-Legales, cum annexis* consiliis & decretis Rotæ Romanæ *ob defectum exemplarium* Romanorum, Lipsiensium, Lugdunensium, Amstelrodamensium, *denuò, & hìc quidem, typis tradere, ad ipsius petitionem, & proximi commodum, notas quasdam, olim* Marpurgi *conceptas, ipsi communicavi. Tomum* Primum *quidem &* Secundum *passim à pluribus mendis purgavi, & variis rebus* Physicis & Medicis *è Veterum & Recentiorum Philosophorum & Medicorum scriptis desumptis, &* [] *hoc signo inclusis, auxi*; Juridica *autem &* Theologica, *atque Tomum* Tertium *integrum planè intactum reliqui, relinquens unicuique circa has res liberum Judicium, liberámque Mentem. Boni itaque consule,* Amice Lector, *qualescunque hos conatus nostros, & Opere hoc elegantissimo atque utilissimo ad Votum tuum feliciter utere. Francofurti Kal. Martii M. DC. LXVI.*

LECTORI MEDICO.

PAUCIS tecum seorsim agere, Lector Medicinæ studiosissime, desidero: sunt enim quædam in hisce Quæstionibus, quorum ego te peculiariter admonere, vel de his ipsis me breviter apud te excusare debui, multis tamen brevitatis studio omissis, paucula hæc, tuâ bonâ veniâ, subdam. Etenim quòd hìc quædam sicco, ut aiunt, pede transegerim, quæ tamen à me audire, ut qui à communi doctorum hominum opinione in plerisque dissentiam, desiderasses, tibi fortasse minus probabitur; mancúmque in hac parte me fuisse judicabis: si tamen ad Operis institutum temetipsum convertas, me nullo modo deliquisse fateberis.

Erunt præterea ex Medicis quidam adeò religiosè Præceptorum verba & dogmata observantes, ac recolentes, ut in hæc incidentes, quæ aliquandò contra Præceptorum sententias prolata sunt, nefas hoc non solùm remittere mihi recusabunt, sed condigna pœna tale piaculum esse plectendum seriò affirmabunt; quasi Philosopho viro non nisi alieno ingenio liceat philosophari, aut quasi humano generi id primum profit, quod Plato, aut Aristoteles locuti sint, quod veritatem autem, aut falsitatem adstruerint, nihil. Num tantum posse debet personarum acceptio, ut magis attendendum ducatur, quod quisquis sit loquatur, quàm quid loquatur? Te verò valere talis farinæ homines jubere existimo, qui quasi œstro perciti in arma, & ignem se conjiciunt, cùm quid contra Præceptorum suorum auctoritatem aliquem protulisse audierint. Ego Præceptore summo honore afficiendo esse sentio, cæterùm quemlibet philosophari, etiam contra eorum dogmata, non solùm non improbandum, sed laudandum, nec modò non negligendum, sed optandum, neque enim aliter indies magis magisque veritas elucescit, etiam ex his, quæ contra ipsam veritatem pronuncian-tur.

Quod ergo hìc me tantoperè in multis Medicinæ ac Philosophiæ Præceptoribus primariis contrariari comperias, scito, Deum hominésque testor, non nisi rerum veritatem indagandi avidum id me patrasse: & licèt potuerit vana veritatis species me decipere, tamen non ob id accusandum me erroris existimes, quisquis es, qui veritatem præ omnibus amandam, ac recolendam censes. Si quæ verò alia sunt, quæ à Medicorum stylo abhorrere tibi videantur, nauseámque tibi facilè excitent, præter rem ita me hæc dispositisse ne putes: cum Jurisperitis enim agentem, non aliter scribere oportuit; sed tu quæ tua sunt, æquo accipias animo velim; quæ verò ad te minùs pertinere videbuntur, valere finito, ac tũ quoque vale.

LECTO

LECTORI LEGUMPERITO.

VEREBAR, cùm ad hæc exarandà jamjam me ipsum accinxissem, ne illud Plauti mihi objiceretur in Pœnul. act. 4. Scen. 2.

M. Omnem operam perdis. S. Quid jam? M. Quia doctum doces.

Inanis enim, ac flocci pendenda opera videri cuiquam poterat in iis ipsis Doctorem Legumperitis se præbere, quæ jam ipsi in suis monimentis rata ac sancita habent, & quæ ipsi poterant vice versa, quemlibet doctum Virum, non me ipsum modò edocere. Cùm tamen animum advertissem, ac humanissimos, & æquissimos rerum arbitros comperissem, unicuique in Arte sua plurimum tribuere. l. septimo mense, ff. de stat. hom. l. 1. ff. de ventr. inspic. *& ibi Bart.* num. 3. *ac præsertim Medicis in iis, quæ ad Artem Medicam spectant, standum esse, illos sanxisse, Guid. Papa* sing. 780. *Mascard.* de Probat. Concl. 1034. num. 2. Vol. 2. *Rota* in noviss. decis. 620. num. 1. par. 1. *Et facit ex nostris Hippocrates* in lib. de vet. Med. in prin. *inanem illum timorem abjeci, ac provinciam hanc licèt supra vires mihi laboriosam, libentissimè suscepi. Neque enim extra Artis propriæ limites progredientem, tanquam vilem sutorem ultra crepidam judicium ferentem, naso, quisquis sit, mè suspendere adunco jure poterit. Bona igitur spe stimulatus ad operis finem propositum assequendum totis nervis contendi, qui talis fuit, ut Jurisperitis primò, ac dehinc etiam Medicis ipsis scriberem, ac utriusque, quoad fieri poterat, satisfacerem: quod quanto labore præstiterim, nullus unquam judicare poterit, nisi is, qui singulas per se hujusce Operis partes diligenti examine perscrutabitur.*

Neque enim ut Jurisperitis rem gratam facerem sat habui, eas materias, quæ ad propositum argumentum pertinebant, nostro, Medico nimirum more, pertractare, sed omninò me in Jurisperitum transformare tentavi, ac in omnibus, & per omnia legaliter agere: quod an mihi laboriosum fuerit, ipse, Legumperite optime, veritatis Judex perpendito; cùm namque, ut excogitatum scopum assequerer, plures doctorum hominum auctoritates congerere mihi necesse fuerit, solas Medicorum non sufficere apertissimè videbam, sed unà ipsarum Legum sanctionibus, ac Jurisconsultorum testimoniis omnia quæcunque dicerentur munire, non minus Lectori Legumperito jucundum, aut utile, quàm omni ex parte mihi necessarium esse duxi. Ergo Legum, earum Interpretum, cæterorúmque Doctorum volumina revolvere jamjam destinans, ad operam, licèt inexpertus, me accinxi, neque enim alicujus operâ in ea re uti aut animus suadebat, aut scribendi occasio permittebat. Industrio denique labore, quod mihi proposueram, si non integrè, saltem aliqua ex parte assecutum me esse, etiam ipsorum non infimæ conditionis Jurisconsultorum testimonium promittebat: tamen omnia tuta pertimescens, adhuc anceps, & hæsitandus hac in lucem exire vix assensus sum, ut qui satis superque perspectum habeam, me quoad hanc hujusce Operis partem, pedem in alienum chorum intulisse; unde facilè dubito, ne imprudens extra chorum exiliverim. Fortasse etenim oò Legalis scientiæ imperitiam, & non sanum intellectum facilè evenisse potuit, ut textus, ac Doctorum auctoritates aliquas ad rem minimè adduxerim, & è contra, quæ ipsis Jurisperitis protrita, mihi tamen ignota, commodè, atque aptè ad rem adduci poterant, nihilo secius adduxerim.

Pluribus etiam auctoritatibus dicta quædam peculiaria munire cum Jurisperitis agentem oportebat, qui sine lege loqui erubescunt (quod apud illos protritum est, & testantur ex nostris Roderic. à Castr. in Med. Polit. lib. 1. cap. 12. *& Obicius* de Nobil. Med. dial. 1.) *quod tamen ob scribendi modum à nostro alienum prætermissum est. Potuit & illud factum esse, ut multa longioribus fortè fortuna pertractaverim, quam materia, & Modernorum desiderium summa, ac perspicua brevitate gaudendum, Gloss* in l. 1. ff. de eo quod met. caus. *requireret, quinimò etiam, ut pleraque obscuriori verborum serie à Legali facilitate abhorrente discusserim, quæ tamen omnia gratis condonare mihi jure poteris, humanissime Legumperite, eáque aut tantisper laudare, aut non omninò vituperare, si modò æqua lance cuncta librabis. Vale.*

OMNI

OMNISCIO ET POLITISSIMO

JURIS-PERITIÆ MEDICINÆQUE

anteſignano Viro clariſſimo,

D. PAULO ZACCHIÆ

MEDICO ROMANO.



Rbis terrarum univerſus in te admirabundus oculos mentémque ſuſtollit, ob inſignia virtutum tuarum germina, quibus Rempublicam literariam perpetuò, æternúmque duraturis maximis monumentis, ab injuriis temporis vindicatis condecoratam exornas; Ad te enim omnium gentium Typographi veluti Cervi ſitientes, per Epiſtolas ad fontem limpidiſſimum doctrinarum, aquarúmque ſcientificarum indeficiens flumen ſitim expleturi, facto agmine accurrunt; Cùm intelligant, te non otio præoccupatum; ſed licèt aſſiduis curis irretitum, ſemper Vigilantiſſimum, tuis Quæſtionibus Medico-Legalibus augendis & præditandis ſedulò incumbere, quo factum fuit ut Avenionenſis Typographi efflagitationibus, & amicis ſtimulis ſollicitatus, eidem Opus auctum (jam verò Lugdunenſi prælo longè præſtantius, & altero Volumine ditatum) tradere decreveris.

Gaudeo & gratulor, ſtudioſiſſime & amiciſſime Vir, ſubter tuos labores Jure merito, torcularia gemere, iterum, atque iterum facere, ut famam literariam librorum Paraſiti poſſint exſatiare. Enim verò Theologiam ego cum Medecina maximè prælucere oſtendi, cùm animo & corpore homo conſtituatur, quibus quidem illæ præſident; & ut partes neceſſariò connexas regunt & gubernant. Tu verò Medicinam cum Legumperitia, ad currum humanæ vitæ pertrahendum, quaſi Ibim & Ciconias & Grues ſimul, & genio & ingenio diſcrepantes, conjunxiſti, & ſacro fœdere copulaſti, ut quænam harum major & excellentior ſit, non dignoſcatur: quæcunque enim Comparatio odioſa, à te utriuſque congrua dilucidatione de medio tollitur, & debacchatur. Quare non iniquum alicui videatur, ſi tuo genio meum ingenium junctum facies ex mea proluſione quam Piſis habui antequam ad Ariſtotelem & Platonem explicandos accederem, aliqua ſuperaddam.

Nam Legum Sacro-ſanctam majeſtatem, quis eſt tam projectus, ut non revereatur, tam perditus & flagitioſus ut non pertimeſcat? non humano conſilio latæ ſunt Leges, neque hominum authoritate ſancitæ, ſed æternæ divinæque mentis Conſilio ac poteſtate, propterea qui Legibus ſervit, hunc Diis ſervire mortalium ſapientiſſimus ac ſapientum quaſi mens Divinus Plato nuncupavit. Legibus univerſa conſiſtunt, nec quidquam ſine Legibus ſtabile ac diuturnum eſſe poteſt. Lacedæmon, aliæque complures Urbes diù floruerunt, quamvis mœnibus & omni munimentorum genere carerent: Illas enim invicti Civium animi, & durata perpetuis laboribus corpora, ſatis tutabantur: At ſine Legum præſidio non domus ulla, non civitas, non hominum inter ſe ſocietas, non ipſa denique rerum univerſitas ſtare, nedum vigere ac florere ad punctum temporis unquam poteſt. Habent ſuas leges Elementa, habent cœleſtium ſphærarum converſiones, habent ſydera ſtatis temporibus naſcentia, atque denaſcentia, habent ſolaria Phænomena ſubinde genita, & corrupta: habent annuæ tempeſtatum viciſſitudines, ipſi ludi, & quod incredibilius eſt, ipſa legibus infeſta latrocinia legibus ſtabiliuntur & conſtant: videlicet legibus ſublatis, nuſquam locorum tuti, aut ſalvi eſſe poſſemus: Nam illicò infeſtabuntur maria Piratis, graſſatoribus itinera, fori ac viæ ſicariis: publica ac privata omnia occupabunt rapinæ, ſacrilegia, cædes, inſidiæ, ſtupra, crudelitas, furor, ſola enim vis & improbitas, ſola libido & audacia, ſola amentia, & potentiorum impotentia ubique debacchabitur: Quare merito quidem, ſed tamen nimis modeſtè ii, quibus Legum ſcientia & auctoritas eſt, ſeſe Juriſperitos ac Sacerdotes, vetuſtiſſimo cognomento appellant; eos enim nos magnificentius, ac juſtius Patriæ, Parentes, Togæ Ornamenta, Columina Reipublicæ, Orbis Oracula, Cortinam æquitatis juſtorum Reſponſorum Tripodem, veras Sibyllas, ex abditis Sacroſanctarum Legum arcanis veritatem hominibus pandentes, Bonorum Portum, Aram Innocentium, communis ſalutis tranquillitatiſque Cuſtodes, ac Præſides appellabimus, quorum vigiliæ omnium ſomno & quieti excubant; quorum negotium Civitatis otium ſuſtentat, quorum labor & induſtria noſtris deliciis deſudat; quorum denique occupatio, omnium vacationi glorioſiſſimè famulatur: horum maxima copia Romana Urbs, Orbis compendium præfulget, cùm præſertim cujuſque exteræ Nationis majores Viri ad ſuam doctrinam oſtentandam genio indulgentes advocentur: qui quidem Minervam, Mercurium, & Appollinem præſides habent, non ficta antiquitatis monſtra, ſed Sacro-ſanctæ Eccleſiæ vera propugnacula.

Quid autem de Medicorum clariſſima ac penè divina Arte dicam, cujus nobilitatem utilitatémque divinæ inventioni conſecravit Antiquitas? Et verò quid in hac vita ſalutarius hac Arte reperies, quæ vitam ſalutemque omnium regit ac tuetur? Quid tam admirabile, quàm unum hominem cũ infinitis morborum exercitibus in noſtræ mortalitatis campo conflictari, atque ita confligere, ut eos in ſuo regno, in ſuis caſtris, ſuis ipſorum armis profliget atque debellet? Quid divinius quàm (quod vix ſemel de

Hercule

Hercule mentiri ausæ sunt fabulæ) verissimè tamen Medicum in dies atque horas cum morte luctari, nec solum colluctari, sed captivas etiam animas, prope de Orci faucibus ereptas, iterum in desperata, derelicta, & quasi deposita corpora ad hujus usuram lucis sæpè ac sæpiùs revocare ? Mihi quidem istis vitæ mortalium Imperatoribus (sic enim Medicos appellare licet cum sapientissimo Viro, quibus illi ipsi ultrò parent, qui cæteris imperant) nulla unquam videntur satis ampla præmia honoresque debiti, à gratis Civibus decerni posse: ut enim homini nihil vita carius, nihil valetudine jucundius sine qua voluptates ipsæ nihil habent voluptatis, ita nulla Ars huic Arti de hominum communitate benemeritæ videtur anteponenda : quippe quod sactatissimæ auxiliatricis Dei manus dignoscit nomine condecoranda.

His excellentissimis vitæ humanæ Restauratoribus, maximè abundat Romana Civitas, & præ-lucet Panathæneum sapientissimum, inter quos tuo Genio faventes, valde conspicui sunt Professores eximii, Illustris in primis Gabriel Fonseca, Sanctissimi Pontificis Innocentii X. Medicus intimus, D. D. Joannes Benedictus Sinibaldus & Jul. Cæsar. Benedictus, sapientiâ inclyti, & evulgatis libris famigerabiles, cum aliis quampluribus doctissimis quorum catalogum si attexere vellem, longum nimis esset : & eorum nomina tantum mihi visum necessarium fuit recensere qui tua Opera mecum singulariter admirantur, & ut cedro & cœlo digna oppidò venerantur.

Medici namque Æsculapii de sanguine concreti & coagmentati, ac benigna suavique venerandi Senis aura affiati, ignéque acutissimi facundissimique Medicorum Principi accensi, sese cum his veluti Castores, & Polluces in hujus vitæ tempestatibus nobis præostentant, quorum in debitas laudes si excurreret Oratio, neque os, neque lingua, neque pectus has vero officio posset unquam sustinere. Sed proh dolor ! adeò excrucior, ut jam sicut dum in Pisano Lycæo præludebam, & iniquam patœmiam de medio tollere conabar, quæ sic sonat,

Povera è nuda vay Filosofia.

Jam in Medicinam ipsam, quod maximè illacrymandum, & detestandum est, possit jure merito retorqueri præ Medicorum ignorantia litantium magna caterva, quæ Artem nobilissimam fœdat & deturpat, quia nimirum probi & docti non eliguntur, ideóque ut Ars vilis habetur : quia scilicet quocunque sordido ministerio servorum proprio, ab aliquibus auro tantùm inhiantibus, & avaritiæ deditis exercetur : quo fit ut verè dici possit,

Sei sua compagna Medicina mia.

Sed si olim jam vulgare decantabatur Elogium de utraque Scientia, de qua tu es Coriphæus singularis, & benemeritus Primipilus,

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores.
Falsa est pro doctis utraque norma Viris.

Addo ego Pentametrum carmen, ut distichum compleatur ad nostrorum temporum calamitates, & miseras conditiones deplorandas : nam vice versa, etiam nunc dici potest de aliquibus Viris insignioribus,

Justinianus opes, & dat Galenus honores.

Sed propter necessitatem ab invidis & detractoribus sinistro & iniquo sensu acceptam ejus à Sapientum verè Sapientissimo facta digna exornatione : Nam aliqui in Medicinam nimis injurii & calumniatores, sic sensus sapientissimos malè contra distinguunt, & interpretantur, & Legumperitiam & Medicinam debacchantes dictum à Joan. Botero relatum, malè suo malo trisulcis serpentum malignis linguis evibrant, sed cum veræ Medicinæ Impostoribus parum in mea Iatrichymia, omnibus numeris absolutissima, obtruserim, & offis veluti cerbereis fœtida ora occluserim, satis superque sit dictum. Vive diù fœlix & incolumis, & aliis prælo dignis tuis partibus elambendis ne parcas, ut Respubl. literaria possit illis perfrui & præditari. Osculor enim inter singularia Opera tuum de morbis Hypochondriacis jam tertiam impressionem expertum, ob sedulam & meditatissimam diligentiam in hujusce compaginatione, & elucidatione, à nemine occupatam, cui ego singulares meas animadversiones & observationes pro prima impressione veluti encaustum variè coloratum anulo tuo pretiosissimo paro condecorando, & magis conspicuo reddendo. Vale & iterum vale, mi Amantissime Medice Romanæ Catholicæ ; ex meo Musæo Kalend. Decembris 1651.

Tibi deditissimus & obsequentissimus
HIERONYMUS BARDY,
D. S. Iatrophiloeuchymicus.

AD CLARISSIMUM VIRUM

PAULUM ZACCHIAM,

Rerum Legalium, quæ ſub Medicum cadunt, abſolutiſſimum Opus ab eo conſcriptum commendat

LÆLIUS GUIDICCIONVS.

EXegiſti monumentum ære perennius. Ad Septenarium deveniſti Opus, qui ſacratiſſimus eſt Numerus in arcanis Oraculorum. Mirandus es ſemper, quantò magis in his, quæ portenta ſunt? eò ſanè mirabiliora, quòd tua digna erant, ad quæ auri pretio unuſquiſque cordatus accederet; nunc & ſine pretio, & cum gratia viſuntur. At tu prodigioſus es, mi Paule, in tractandis monſtris: mira doces, qui Generi humano prodes mirificè, vel in noxiis, quæ declinari nec poſſunt. Non Hercules tantum præſtitit, domitor ille monſtrorum. Tibi verò nequaquam ulteriùs procedendum immortalitatis gratia; nam ſinguli tui labores cæteros vincunt, poſtremus te ipſum. Nonne ſummus ipſe naturæ Conditor die ſeptimo ob operibus requievit? Bonum omen; Tibi naturæ abdita promenti benè requieſcendum fuit à labore jam ſeptimo. Ecquid amplius negotii faceſſat tuæ Arti natura efœta, quæ ſpumat noxia, & in Monſtra degenerat. Tu autem Obſtetricis more, ac Nutricis charitatem omnem explentis, artem profers multiplicem, ſcientiam omnigenum in Monſtris omnigenis exhibendis. Cætero in publico bono tu naſceris, dignus qui publico honore non excidas. Nam univerſo iſto tuo laudatiſſimo, ac longè latéque extra Italiam circumacto ſeptem Voluminum complexu, quaſi compacta eruditionis Sphæra, duobus veluti inſiſtis polis, omnem humanæ vitæ rationem omninò regentibus. Homines quippe, & animo conſtamus, & corpore. Corpus Medicæ Artis beneficio ſervamus, animum Juris imbutum prudentia, rebus arduis & cenſendis, & peragendis reddimus. Tu circa utrumque verſatus, Scientiam conflas Medico-Legalem, & perficis. Quid univerſorum beneficio aptius, quid ſalubrius à viro & Hippocratem, & Juſtinianum prodigio velut bicorpore contrahente, poterat expectari? omnia ſinguli debemus tibi, cui debemus quod bono Regi, & Medico optimo deberi uſquam poteſt. Nec ſane ita diſſonum à re Medica regnum dixerim, ut fidem negem ſapientiſſimo omnium Regi, qui virum populis ineptum medendis, eam unam ob cauſam, regnandi facit exortem. Age, mi Paule, ceſſandum eſt; & tute in oſtenta deſiſti, qui poſtrema hac fœtura ſanè monſtroſa, & nobilem te, & geminum facis. Vives geminata ſorte immortalitatis. Volitabis per ora virûm gemina ſublimis pluma. Non tanti fuêre Medico-Reges veſtri illi Avicenna cum reliquis, quorum nomine Arabia ſuperbit, ſeipſa fœlicior. Neque tu, ſi ipſa Phœnicis pluma nitaris, altiore volatu, ac perenniore inſurgas. Nam calamus iſte tuus, & inde ſublimis, quia ſcitè hæret terreſtribus, ſive conſtat, tutò & cum dignitate procedit vel in humilioribus; non præpeditus indagine, non varietate diſtractus. Cætera ſileo; id aſſero mirum de te: Plerique docti in agenda re una, multiplicatè delinquunt, variabiles ſunt. Tu quicquid varietatum amplecteris, quæſtionem tuam ſemper reddis unam; & quocunque in eadem divertas, quantumcunque deflectas, & quidem ultrò, licèt multùm in alieno progredi videaris, continenter tuam cauſam agis (tua porrò cauſa noſtra eſt) unus ſemper idem legenti, fixus in te ipſo conſiſtens, à viâ declinans, ſed non aberrans à negotii conſtantia. Quod autem tuum ſit negotium, ſatis mihi dictum volo. Iſtud addo; quoniam gratulatio, & gratiarum actio ex uno grati animi fonte procedunt, te in utroque haberi à me luculenter; & quod tuum publicè eſt meritum, quod privatum officium, meæ te obſervantiæ nomine non fraudari. Vale, per quem cæteri valent, VIII. Kal. Octobris CIↃ IↃC XXXIV.

Ad eundem Idem.

Juncta ſimul diverſa, unum dant ſurgere Monſtrum,
Jungit Monſtra liber, prodigioſus erit.
Tu Sophiæ in te uno jungis miracula; dignus
Monſtra canens, inter prodigia ipſe cani.

EX LEONIS ALLATII APUM URBANARUM RECENSIONE.

PAULUS ZACCHIAS Medicus Romanus edidit,

1. *Quæſtionum Medico-Legalium* lib. I. Romæ apud Jacobum Maſcardum 1621. in 4. Continet, I. *De ætatibus.* II. *De partu legitimo, & vitali.* III. *De prægnantia, ſuperfœtatione, & mola.* IV. *De morte cauſa partus.* V. *De ſimilitudine, & diſſimilitudine Naturum.* Quid in his Zacchias præſtiterit, ex hoc vel ſolo Tractatu, non Juris tantùm, ſed aliarum etiam ſcientiarum conſultiſſimus Clemens Merlinus, Romanæ Rotæ Auditor, in Romana Dotis, ſeu Filiationis ſub die 11. Decemb. 1624. teſtatum fecit. Scribit enim; *Eruditè, ac luculenter docet D. Paulus Zacchias Quæſt. Medico-Legal. to. 1. tr. 5. quæſt. 4. per totum; ubi monet ſimilitudinem naturum non eſſe levem, ut aliqui ex Juris-Conſultis autumarunt, ſed immò urgentiſſimam conjecturam: quia hujuſmodi ſimilitudo non à ſimplici imaginatione, ſed magis ab inſiti temperamenti convenientia regulariter proficiſcitur, quod Philoſophicis rationibus oſtendit.* Et noviſſimè S. Rota illum appellavit Ævi noſtri alterum Hippocratem, in Bononien. Fideicomm. de Buccaferreis 24. Maii 1655. coram Reverendiſſ. Zarate.

2. *Quæſtionum Medico-Legalium* lib. II. Romæ apud Facciottum 1625. in 4. Tract. I. *De Dementia.* II. *De venenis.* III. *In Leges aliquot ff. de ædil. edicto.*

3. *Quæſtionum Medico-Legalium* lib. 3. apud eundem 1628. in 4. Tract. I. *De impotentia coëundi, & generandi.* II. *De morborum ſimulatione.* III. *De peſte, & contagio.*

4. *Quæſtionum Medico-Legalium* lib. 4. ibid. apud eundem 1628. in 4. Tract. I. *De Miraculis.* II. *De Virginitate, & Stupro.*

5. *Quæſtionum Medico-Legalium* lib. 5. apud eundem 1630. in 4. tract. I. *De Jejunio, & Quadrageſima.* II. *De vulneribus.* III. *De Membris, eorúmque mutilatione.* IV. *De Aëre, Aquis & Locis.* Quæ editæ ſunt etiam Francofurti in 8. & Lipſiæ apud Eliam Rehefeldium 1630. in 4.

6. *Quæſtionum Medico-Legalium* lib 6. in 4. tract. I. *De Medicorum erroribus à Lege punibilibus.* II. *De Tormentis, & Pœnis.* III. *De præcedentia inter Medicum, & Juriſperitum.* Romæ apud hæredes Facciotti, 1634. in 4.

7. *Quæſtion. Medico-Legalium* lib. 7. in 4. tr. I. *De debito conjugali.* II. *De Stigmatibus Magorum.* Ibid. apud Manelphum Manelphium 1635. in 4.

Italicè

Italicè verò,

8 *La tradizione della Fenice di Lattancio Firmiano in ottava rima*, Romæ apud Carolum Vulliettum 1608. in 4. Editurus aliquando,

Miſcellanea.

In Cardani librum, de malo medendi uſu Antipracticas Animadverſiones.

Reſponſorum Juridicorum, & Conſultationum Medicarum, Volumen in duos libros diviſum.

De ſubitis & inſperatis mortis eventibus, eorumque præcognitione, & præcautione, librum unicum.

De maculis in utero à fœtu contractis quæ vulgò dicuntur le Voglie.

De quiete ſervanda in curandis morbis, lib. III.

De affectione hypochondriaca. Hoc opus jam tertiò impreſſum eſt Italico Sermone.

De ſacra Scriptura miraculis ad phyſicam conſiderationem ſpectantibus, lib. I V.

Italicè item.

Delle paſſioni dell' animo è de i mali, que da eſſe procedono, della lor cura tanto fiſica, quanto morale, lib.

Della Birra, ò Cervoſa, Diſcurſum Medicum.

Del Contagio, ove ſi prova il Contagio eſſer men da temerſi di quello che ſi teme, Diſcurſum.

Del viver Quareſimale, cio è modo come ſenza nocumento della ſanita ſi poſſa obſervar la Quareſima. Roma. Apud Petrum Antonium Facciottum 1636.

Del Bacio. Diſcurſum.

Del Riſo, e del Pianto, lib. I I. Ejus cum laude meminerunt Gondiſalvus Durandus in Revelationes S. Brigittæ, Melchior Lotherius de re beneficiaria, Carranza de Partu naturali, & legitimo, Auguſtinus Barboſa de Officio & Poteſtate Epiſcopi, Vincentius Alſarius Crucius in Hiſtoria fœtus, Joannes Faber de Animalibus Indicis, Daniel Sennertus Pract. lib. 4. & Hypomnem. Phyſ. Franciſcus Antonius Sgambatus in Inſtit. Petrus Caſtellus in Epiſtolis, Epiſt. IV. illi inſcribit, vocatque *Medendi præſtantiſſimum*, Marcus Aurelius Severinus de recondita abſceſſuum natura lib. 4. *Medicorum, & Jureconſultorum Mercurium* appellat, lib. 6. cap. 4. *Sed de hac omni re cumulatiſſimè, ac perquam exquiſitè diſputat inter omnes Paulus Zacchias, Medicorum & Juriſperitorum Hermes Italicus.* Stephanus Rodericus Caſtrenſis in lib. Hippocratis de Alimento, *Soli inter omnia animalia mulieri eſſe incertum pariendi tempus: quam tamen ſententiam eruditiſſimus Paulus Zacchias doctiſſimè infringit, ſpero fore doctos homines, qui apud illum hanc controverſiam legerint, ab antiqua hæreſi libenter diſceſſuros.* Qui eum Carminibus quoque cum tali Elogio cohoneſtavit. *D. Paulo Zacchiæ Viro præſtantiſſimo, Quæſtionum Medico-Leg. Auctori celeberrimo, in alma Urbe Archiatro laudatiſſimo, omni litterarum genere ornatiſſimo, cujus fama nomenque longè, latéque, communi Jureconſultorum, Medicorúmque applauſu pervagatum.*

Paulus erat quondam, Medica qui florvit arte;
Legifer inſignis Paulus & alter erat.
Mira loquor. Paulum ſuperat nunc Paulus utrumque.
Seu Medicas artes, ſeu ſacra Jura colat.

Aliud.

Extulerat magnam Juris prudentia Celſum;
Alter erat Medica Celſus in arte potens.
Dat nunc Roma Virum, non Celſum nomine, ſed re;
Ille autem duplici nomine Celſus erit.

Aliud.

Gaudent Jura ſibi Medicas connectere Leges:
Qui queat hoc, Medicus Jure peritus erit.
Jure tibi duplex debetur, Paule, corona;
Non tamen ex facili eſt utraque tecta jugo.

Celebrium quoque Poëtarum Italicorum, Antonii Bruni, Franciſci Balducci, Thomæ Stiliavi; Jacobi Philippi Camolæ, Joannis Baptiſtæ Caroli, Philippi Tomacelli; & aliorum præconio laudatus. En, Lector, ad eundem optimam optimi Senis Septalii Epiſtolam.

Paulo Zacchiæ Medico præſtantiſſimo, Ludovicus Septalius S. *Serius, quàm par eſſet, litteras tuas, & librum accepi: quæ enim III. Idus Aprilis data ſunt, Id. Septembris ſunt allatæ, moram igitur meatum ne accuſes: neque enim, quòd tardiùs reſcripſerim, quod ceſſaverim arguendus ſum; ſed voluit fortaſſe ſiniſtrum aliquod numen inter ingenii tui celeres impetus, tarditatem aliquam commiſcere, tantam ſortem deſignans: Verùm feliciori mixtura propitia ſydera vegetos illos mentis tuæ ſpiritus maturiori, & tardiori prudentia temperarunt: undè emergit robuſtus ingenii vigor ſcripturarum, imò conſiliorum omnium argumentum. Laudo igitur in libris tuis duo hæc, in indagrandis controverſiis ſolertiam; in enodandis maturitatem. Quin illud dignius eſt, & non vulgares expoſcit laudes, quòd præſtantiſſimas duas facultates; à quibus gubernantur, & ſervantur homines, nempè Juriſprudentiam, & Medicinam, olim inter ſe de principatu concertantes, amico, & certiſſimo fœdere, quaſi ſoreres inter ſe unieris, ut & leges ſtatuat Medicina, & Juriſprudentia medeatur. Jamque Judex & morborum peccata, liteſque concertantium humorum cognoſcet, & remedia præcipiet: & ex adverſo, foro, & tribunali donaſti Medicinam: nec immeritò quidem, quoniam & Lex ipſa eſt animorum medela, ac Medicina verè dixeris corporum legem. Ita & medentur utraque, & leges amba conſtituunt, & judicant. At verò & littera tua quamvis omni ex parte mihi gratiſſima, ea etiam ratione gratiores fuerunt, quòd te hominem jam anteà ex editis voluminibus notum, etiam hac, quæ abſentibus conceditur ratione, ſcilicet per Epiſtolam cognoverim. Laudes verò, quibus me, ut amicus potius, quàm ut ſeverus rerum æſtimator ornare voluiſti, ſi mihi non gratiſſimas fuiſſe aſſererem, non ſenſibus meis non aſſentirem, ſed me etiam à communi hominum ratione ſejungerem: quibus omnibus placet apprimè ſuaviſſimum hoc melos: cùm à laudatis provenit viris, tunc demum omnem ſecum affert jucunditatem, cui neſcio an aliam parem habeat quantus eſt orbis. Tertii hujus voluminis aliquam partem jam legi, tibique gratulor, quod licèt in jam editis poſſes celebris eſſe, hoc tamen tibi gloriæ acceſſerit cumulus major. Proſequere igitur, Vir præſtantiſſime, quo amplexus es litteras ſtudio. Licèt enim hucuſque multùm creverit Medicina, ſuas tamen abs te etiam recipit acceſſiones. Interim me ama, & Vale.*

Mediolani X. Kal. Octob. M. DC. XXVIII.

Nos quoque tanti Viri abſolutæ doctrinæ, ac perfectæ eruditioni ita ſcripſimus.

Χρωτὶ νόῳ τε θεὸς φυσικῶς ξυνώσατο φῶτα,
Ὡς θαμὰ ἠράνιον, καὶ χθόνιον μετίχοι.
Ἀλλά μιν ἔχθρῳ ἄασε πέρι τ' ἀπὸ πάμαυρα φῶμα,
Χρῶτα νόου, βλάψας, ἀφραδίῃσι νόον.
Καὶ θεὸς αὖθις ἄεξεν Ἰαπετίδαο, Νομικλῆί τε,
Νόῳ ἀλκὴν λύων, ἀπραδίας δὲ πέμεν.
Ἐν δ' οἱ μὲν θέμιτος, παιδὸς ὑπείριον υἷας
Ἀλλεῖ. ἡ γὰρ ἐπὶ τοῦτ' ἄνα συμφορέσαι.
Παῦλος Ἀκεσορίδᾳ, καὶ ἐννόμιον ἴχνια θεμίζων.
Εὐφροσυναίοις κόσμοις ἐν Ἐπταβίοιο
Χρωτὸς ὅπη θέμιστα νέων, καὶ ἀκεύμασι παῦσαι
Πῆμα νόσου τέχνῃ ἀλλοπρόσαλλος ἰχώ.
Ἦρα νόμους ἰθέας φαιδὴ ψυχαίσιν ἀείσω,
Ἰᾶται δὲ νόσους λαοδίκης μελίων.

Et ita Latinè reddidit Jacobus Philippus Camola.

Mentem homini, corpúsque dedit Deus optimus olim,
Æthetis, ac Terræ civis ut ille foret.
Dira lues corpus, simul imprudentia mentem
Polluit: atque homini sic malus hostis obest.
Ergo dedit Medicam Deus artem, Juris & artem.
Consulit hæc menti; corpus at illa juvat.
Scitatum hi Themidis natos, Peanis at illi
Pergebant: unus omnia scire nequit.
PAULUS at absolvit septem cum laude libellis
Artis opus Medicæ, Juris & egit opus.
Lex ubi corporibus, reddit Medicina salutem
Mentibus, & varias Ars obit una vices.
Mentibus an Leges Medicus non pangit? an ultrò
Læsa pari Judex non ope membra juvat?

Retulit mihi charissimus Naudeus, Parisiensem Advocatum cognomento Fuzelletum in linguam Gallicam Quæstionum Medico-Legalium versionem conficere.

EIDEM
GABRIEL NAUDÆUS
S. P. D.

STatim atque à Viro integerrimo, & utriusque nostrûm amantissimo Baldo, literas tuas unà cum exemplo libri septimi, & postremi tuarum Quæstionum accepi, Paule Zacchia, Medicorum consultissime, eodem atramento, quod in calamo meo reliquum erat, ex ingenti illo & laborioso opere de studio militari, quo nunc, Diis, ut spero, benè faventibus, defungor, has ad te literas exarare mihi visum est; quibus hoc unum etiam, quod jam diu præ manibus habebas, gratuler tibi, tam præclarè, feliciterque absolutum, ut præsenti tuæ gloriæ vivus interfis, & futuræ etiam conscius nihil ultrà mereri possis, vel optare. Paucorum est, meo quidem judicio, tam rara, & inusitata fœlicitas: multos enim, quos ingenium comitatur, deserit materia; & quibus illa favet, parum ipsum propitium est; aut, si utrumque consentit ad laudem, aliquid tamen aliud officit ad æternitatem: tuæ verò Quæstiones cum subjecto sint variæ, fine nobiles, usu ipso necessariæ, tantùm insuper illis ornamenti ab ingenio, tantum soliditatis à judicio, tantúmque ab improbo labore eruditionis conciliasti, ut superbiam, meritis tuis quæsitam, haud injuria sumere possis, & ita de te ipso sentire & loqui, quasi *monumentum* exegeris *ære perennius*

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Quandiù enim divinæ & civilis prudentiæ Leges ad Hippocratis auctoritatem provocabunt, & Imperatorum juxta ac summorum Pontificum sanctiones Medicorum Consilia, tam libenter audiêt, quàm honestum semper erit, & utile, ut illis multùm concedant: tandiù, Paule Zacchia, nomen tuum in immêsæ gloriæ fudo conquiescet tandiù, quod nunquam alteri contigit, Arbiter eris eorũ, quibus de reliquis arbitria facere concessum est.

Atque erit in triplici par tibi nemo foro.

Et sanè, cùm hujus tui laboris, quo nullum censeo vel Reipubl. à gravissimis difficultatibus explicandæc onvenientiorem, vel illustrandis Legum ac Medicinæ studiis, quæ plurimùm jam provecta sunt, aliorum industria majorem; aut meliorem afferri potuisse, tales Encomiastas nactus sis quibus præstantiores non in Urbe, nec Orbe invenias; miror profectò majorem in modum vestram omnium fortunam qui ita simul conveniistis, ut quòd tu omnium optimus Opus exarasti, illi omnium optimi non probarent modò, sed laudarent. Ecquis enim in pangendis versibus fœlicior Lælio Guidicciono, accuratior & tersior in oratione Gasparo de Simeonibus, fœcundior in utrisque Bartholomæo Tortoletto, & uberrimis, ac scientiis ornatior Leone Allatio? Dispeream, mi Paule, si quidquam à magnis illis animabus venit, quod statim Melpomene non respiciat, quod Venus quinta parte sui nectaris non imbuat, quod Charites suis amœnitatibus non exornent, quod apes ipsæ non perfundant melle, non intexát floribus, non compleant omni suavitate. Sed nolo hic Viris suffragari, quorum fama extra judicium aleâ constituta, suis, & aliorum laboribus pretium addit, & commendationem; nec virtutes tuas tibi prædicare; quarum cùm invidiam feras, illas profectò ignorare non potes. Miror potiùs, quosdam homines esse tam fatuo palato, ut parciùs laudatum velint illud opus tuum præclarum, & immortale, quod ejusmodi tamen Quadrumviris rei literariæ probatũ est, quod Gallos in sui amorem, & admirationem pellexit, quod à Germanis semel, atque iterum erutum est, & quod omnibus, tanquam si Phidiæ simulacrum esset, simul aspectum fuit, & probatum. Sed non ista mihi res videtur quam gravi, & iniquo animo ferre debeas, multis enim displicent rosæ, & balsama, quosdã sol offendit, alios vita ipsa; quibusdam etiam pluvium, atque sudum æquè molesta sunt; quid igitur ad te, si in quosdam Timones, & Zoilos incideris, qui non eodem sensu tuos labores excipiãt, quo boni omnes, & eruditi, quorum vera est & constans opinio, omnia in his tibi ita pulchrè, & ex voto, ac merito cecidisse, ut nec malevolorum invidia, nec quidquam aliud intervenire possit, quod tantam felicitatem interturbet. Cæterùm, dabis veniam incultæ dictioni, quam festinans exaro, ne eadem animi promptitudine gratias tibi retulisse non videar, qua & librum hunc ad me transmisisti: quo munere nescio, an aliud unquam fuerit mihi gratius, aut jucundius. Vale. Dabam Reate, x. Kal. Jan. M. DC. XXXV.

EIDEM

Summo Medicinæ Antistiti.

MIraberis fortasse, Eruditissime Zacchia, quod ad te ignotus scripserim, & præsertim tanti nominis Virum. Verùm, si ad hujus calcem Epistolæ perveneris, invenies profectò, si ignotum, saltem tui amantissimum, & acerrimum tuarum laudum propugnatorem. Cum videndi Quæstiones tuas Medico-Legales jam diù desiderio exardescerem, quarum mirificam doctrinam omnis Medicorum chorus unanimiter suspicit, & veneratur, ecce convenio Bibliopolam, qui, cùm me doctorum librorum helluonem agnoscit, in manus meas obtulit statim opera tua, quatuor in Libros partita, Lipsiæ in octavo excusa. Ea omnia, vidi, legi, obstupui: nec enim putabam in nostræ professionis hominibus tot diversarum facultatum dotes eximias posse cumulari: arbitrabar enim, quod de te constantissimè concipiunt omnes, & scientissimus Stephanus Rodericus Castrensis, Pisana Academia primarius Professor pleno ore prædicant, me non minus

eorum

eorum multijugalectione, quàm multiplici eruditione delectatum iri. Verùm superavit præsentia famam: inveni siquidem non sellulariam, ac trivialem in eis doctrinam, sed qualem Hippocratis, aut Ulpiani, Græcæve antiquitatis fuisse memorant: nam in his scientiis adusque miraculum cæteros excellis; cùm sis, mirum dictu, in Auctorum lectione versatissimus, quoniam graviter dissertas, subtilissimè objicis, & ardua, atque hactenus non tentata dubia, omnium primus in argumento novo patefacis, aperis, emedullas. Reliquum est, ut quintum Librum, quem te scripturum polliceris, in quo de Monstris, ut audio, agis eximiè, pro liberalitate, & tua in doctos humanitate, mihi remittas: nam erit senectutis meæ solatium: nec enim per Venetias, aut Pisas tibi deerit occasio. Pro honorifica verò illa mei nominis mentione, quam ingenuè nimis Operi tuo postremo inseruisti, gratulor tibi, & summas gratias ago, hoc ego facere speciatim conor in quadam meæ supellectilis fœtura, nempe lib. de medic. Princip. Histor. 3. qui jam sub prælo gemit (nam secundus ejusdem instituti propediem lucis usura fruetur,) in qua tuam prædico scribendi facundiam, tuum mirisque laudibus ingenium extollo ingennum, tuam eximiam, & rarum doctrinam variis præconiorum titulis collaudo, & tua auctoritate Librum præsertim tertium exorno. Cùm videris secundum, qui citissimè prodibit in lucem, sicut tertium, & alios, alterius argumenti Libros, & praxim admirandam, quæ applausu in tota Europa fuit excepta, præsertim Venetiis, Pisis, & ubique ne despicias: nam inter geneatas dapes vilis quandoque juvat, atque appetitur oliva. De cætero enixè precor, ut festinanter rescribas, rogans thesauros residuos, quos domi te habere omnes norunt, expandas tuos, quibus universa Medicorum Tribus fœcundetur. Vale ergo, Amantissime Vir, & Zacutum tuum amare ex animo perge, nam & ego te, ob præclara tua animi, & corporis insignia, ex toto corde redamo. Vale iterùm, Æsculapius ipse meus, & Medicinæ decus. Amstelodami, 10. die Novembr. 1635.

Tuas manus Illustres non semel exosculatur

ZACUTUS LUSITANUS,
M. D.

EIDEM

Viro Omniscio.

VUlgare est, Vir Clarissime, ut, qui paulò seriùs ad Amicorum literas respondeant, nimias suas occupationes excusent. Ego verò, quò minùs maturè ad te scripserim, non tam culpam confero in occupationes, quanquam ne ipsæ, quidem mihi studiorum negotiis occupatissimo defuerunt, quàm in loci distantiam, & tabellariorũ negligentiam, ac penuriam: sed relictis his, accedo ad negotium. Valeo, vivo. Dei misericordiâ: & licèt senex sim, animo tamen consto alacri, ad subeundos labores promptissimo. Et, cùm vivat post funera virtus, in publicandis aliis operibus meis incessanter insudo. Sex libri Historiam, ad umbilicum perducti, applausu sunt excepti in orbe toto; cùm eorum doctrina incompta sit, inermis, rudis, & nullam mereatur laudem. Prostant Venetiis, Parisiis, sed præsertim Lugduni Gallorum, quo loco Praxis Medica admiranda, ex secunda impressione, lucis jam fruitur usura, & ad omnes Italiæ Academias accessisse, admonitus sum. In iis omnibus tuarum laudum, ut videbis, sum vocalissimus præco, at, ut vereor, inconcinnus: nam cùm Quæstiones tuas (earum enim quatuor solùm Libros habeo, alios enixè expeto, non invenio,) varia & plusquam medica eruditione refertos lego, obstupesco, contremisco: tu enim in illis delineandis cæteros nostræ Artis Antistites ita excellis, velut inter ignes Luna minores. Ob hanc causam auctor fui plurimis Jurisconsultis, Theologis, & Medicis, ut tam gratiosa doctrina, utili, necessaria affabrè conscripta potirentur: famà enim es magnus, scriptis certè major. Quod si illis ad plenum mihi frui liceret, vel supervenienti fortunæ medium unguem porrigerem. Quod reliquum est, ut, si me amas, & te à me amari desideras, cætera tua opera mihi devehenda cures, in illis enim revidendis hærebo dies noctesque. Ego enim, in illustrandis historiis licèt totus sim, hæc omnia post erga rejiciam, cùm præ oculis sit unus Zacchias, Æsculapius ipse meus, & qui mihi est mille instar omnium. Historiæ meæ exornantur praxi, quam tribus tomis graphicè expolire intendo. Sicut enim domus sine tecto absoluta non est, sic illud Opus sine praxi, mutilum erat futurum, ac prorsus nullum: quare in septimo libro, qui jam sub prælo gemit, de curatione morborum capitis disceptо. Cùm tuus de Morbis Hypochondriacis liber sit integer, quæso per Venetias illum mihi communicare ne graveris: illicò enim Praxim Historiarum tibi remittam. Misit ad me D. Josias Florietus, Vir Doctissimus, & utriusque nostrum amicissimus, Epistolam hanc, ad te scriptam. Videbis hominis eruditissimi ingenium excultum, & mores candidos. Ego nil habeo, quod ad te mittam, nisi memetipsum. Idcircò in nostræ amicitiæ firmissimum testimonium effigiem meam ad solertissimi ingenii tui aras appono: grandem honorem merebitur, si in Musæo tuo sit appensa. Liber Octavus Praxeos Historiarum, qui de Curatione Morborum differit, qui partes vitales, naturales, genitales, & inferiores infestant, citò excudetur. Rem mihi gratissimam feceris, si Epistola tua in limine libri apponenda hunc Tomum illustres: nam septimum exornat alia à D. percelebri Parisiensi Renato Morello conscripta; ut sciant omnes, te, studiosos Viros redamare ex corde. Vale ergo, Chori Medici fulgentissimum Jubar. Rogo, ut te ipsum ames: si hoc feceris, me quoque amabis, ita enim vulgaris noster amor exigit. Ex musæolo nostro, Amstelodami 1. Septembris 1639.

Tuus, per saxa, per ignes,

ZACUTUS LUSITANUS.

INDEX LIBRORUM, TITULORUM, ET *Quæstionum Medico-Legalium Tomi primi.*

LIBRI PRIMI

TITULUS I.
De Ætatibus.

QUÆSTIONES.

I. Quid sit Ætas. pag. 1
II. De divisione ac numero ætatum. 2
III. De infantia. 3
IV. De Pueritia. 4
V. Qui dicuntur Pubertati proximi. 8
VI. De Pubertate. 9
VII. De Juventute 14
VIII. De Virilitate. 16
IX. De Senectute. 18
X. De Senio, seu decrepitate. 22

TITULUS II.
De Partu legitimo, & vitali.

QUÆSTIONES.

I. De termino nascendi à Natura homini constituto, & an ea re à cæteris animalibus differat. pag. 24
II. De Partu ante septimum mensem. 31
III. De partu septimestri. 35
IV. De octimestri partu. 39
V. De partu nonimestri & decimestri 43
VI. De partu supra decimum mensem. 45
VII. De signis non vitalis fœtus. 48
VIII. Quot fœtus uno partu nasci possint vitales. 49
IX. Quot dierum spatio animetur conceptus. 51
X. Quinam partus propriè mereatur nomen abortus. 53

TITULUS III.
De Prægnantia, Superfœtatione, & Mola.

QUÆSTIONES.

I. An Prægnantia ex certis quibusdam signis possit infallibiliter cognosci. pag. 55.
II. De signis ex quibus prægnantiæ conjectura depromi potest. 58
III. An detur superfœtatio, quomodo, & quanto tempore post priorem conceptionem fieri possit. 63
IV. Quid sit superfœtatio, quomodo, & quanto tempore post priorem conceptionem fieri possit. 66
V. Quid sit Mola. 68
VI. Utrùm Mola absque viri concubitu generari possit. 70
VII. An molam gerens mulier ad quosdam effectus prægnans dici debeat. 74

TITULUS IV.
De morte causa partûs.

QUÆSTIONES.

I. De causa Exceptionis mortis violentæ, & mortis ex partu, & causa partus, quæ fieri solet in contractibus societatum. pag. 74
II. Quandonam mors ex partu, aut prægnantia eveniens debeat censeri excepta. 77
III. Declarantur ea verba in instrumento apposita, excepta morte partus, & causa partus & prægnantiæ. 80
IV. Particulares casus, ac regulæ exceptioni locum facientes. 82
V. Casus pro lucro facientes. 87
VI. Partus, & prægnantia in casibus exceptionis quomodo debeat esse causa mortis. 90.
VII. Casus aliqui dubii proponuntur, ac solvuntur. 92
VIII. Argumenta in contrarium objecta proponuntur ac resolvuntur. 94
IX. Eorum omnium, quæ in universo hoc titulo continentur Epilogus. 98

TITULUS V.
De similitudine & dissimilitudine Natorum.

QUÆSTIONES.

I. De causis similitudinis Natorum, variæ Auctorum sententiæ. p. 100.
II. De differentiis similitudinum, earumque causis. 103
III. Quid sit simile, quid dissimile, ac de vera & adæquata similitudinis causa. 104
IV. Similitudo an debeat facere conjecturam filiationis. 107
V. Filius mulieris, quæ ab obitu prioris mariti illicò alteri nupsit, cujusnâ censendus. 100.

LIBRI SECUNDI

TITULUS I.
De Dementia, & Rationis læsione, & morbis omnibus, qui Rationem lædunt.

QUÆSTIONES.

I. De multiplici Dementia, & hujusmodi nominum acceptione. pag. 112
II. De pluribus amentiæ differentiis. 114
III. De signis non sanæ mentis. ibid.
IV Quænam animi facultates, ac qua ratione, in quibusque dementiis lædantur. 118
V. De rationis diminutione ex defectu ætatis & sexus. 121
VI. De rationis læsione ex animi passionibus, & ex pravitate morum. 123
VII. De ignorantibus, fatuis, stolidis, obliviosis, & memoriâ orbatis. 127
VIII. De Mutis & Surdis. 130
IX. De Melancholicis. 131
X. De Amantibus. 134.
XI. De Ebriis. 137
XII. De Dormientibus, & Noctambulis. 140
XIII. De Lethargicis, Comatosis, Caroticis, omnisque generis Somniculosis. 142
XIV. De Apoplecticis, Epilepticis, Lunaticis, & hujusmodi. 143
XV. De Ictis à fulmine, Attonitis, Congelatis, & Catalepticis. 145
XVI. De Phreneticis, Maniacis, Furiosis, Ecstaticis, Lycanthropicis, Cinâthropicis, &c. 146
XVII. De Hydrophobis, seu Rabiosis, ex assumpto veneno delirantibus, &c. 148
XVIII. De Dæmoniacis, Fanaticis, Lymphaticis, Præstigiatis, Enthusiasticis, Engastrimythis, & similibus. 151
XIX. De Syncopizantibus, sensu defectis, Agonizantibus, & in articulo mortis positis. 155
XX. De mente alienatis ex morbis longis, seu vehementibus, ut peste & similibus. 155
XXI. De Paraphreniticis, Hypochondriacis, & omnibus dilucida intervalla habentibus. 156
XXII. De suffocatis ex utero, & ex utero furentibus. 158
XXIII. In quibusnam Dementibus locum habeant eæ conclusiones, nimirum: *Semel furiosus semper præsumitur furiosus*; & illa *Demens*

de

Index Lib. Tit. & Quæst.

de præterito præsumitur etiam demens de præsenti.

TITULUS II.

De Venenis, & Veneficiis, & aliis ad ea pertinentibus.

QUÆSTIONES.

I. De veneni nomine,& appellatione. pag. 160
II. De venenorum divisione,& de variis venenorum effectibus. 161
III. De venenorum divisione juxta eorum effectus. 165
IV. De qualitate & quantitate veneni. 167
V. An venenum sic propriè dictum possit in nostro corpore generari. 170
VI. An dentur certa signa assumpti veneni. 172
VII. De signis propinati veneni,& de fallacia,& validitate eorum signorum. 174
VIII. De veneni ingeniti certitudine,& de signis distinctivis inter unum & aliud nonnulla reiterantur. 179
IX. An venenum veneno resistat. 181
X. An detur venenum ad tempus. 183
XI. Venenandi,qui modi possibiles,qui non. 184
XII. Quorum præcipuè venenorum commercium sit interdicendum. 187
XIII. De Veneficiis, Incantamentis, & Fascino. 188

TITULUS III.

In Leges aliquot, ff. de Ædilitio edicto.

QUÆSTIONES.

I. De edicti Ædilitii causa,& de morbi conditionibus, qui locum redhibitioni facere debeant. 190
II. De morbi, ac vitii appellatione, & de differentia inter morbum & vitium. 192
III. De animi vitiis. 193
IV. De morbi gravitate,& levitate,& de morbo sontico. 194
V. De Melancholicis, & Fatuis. 196
VI. De Impetigine, Prurigine, & Scabie. 197
VII. De Spadonibus, & Eunuchis. 199
VIII. De lingua abscissa, & Mutitate. 204
IX. De cæteris loquelæ vitiis. 206
X. De vitiis sensûs Visûs. 209
XI. De oris fœditate, edentulis, gutturosis, & antiadas habentibus. 212
XI. De Varis, & Vatiis,& Claudis,& Varicosis. 214
XIII. De Prægnante, & Puerpera, de Pariente mortuos: de Sterili,& Arcta: de ea quæ bis in mense purgatur. 215
XIV. Sanatus quis dicatur? de Convalescentibus, de Recidivantibus, & de morbis circuitus habentibus. 216
XV. De Hydropico,Clavum habente,Polyposo, Scæva,& manco,& de urinam faciente. 218

LIBRI TERTII

TITULUS I.

De Impotentia Coëundi & Generandi.

QUÆSTIONES.

I. DE causis impotentiæ tam coëundi,quàm generandi. pag. 220
II. De Impotentia ex defectu ætatis. 223
III. De Impotentia ex defectu naturali. 225
IV. De Impotentia ex morbis. 226
V. De Frigidis, & Maleficiatis. 229
VI. De Impotentia *Respectiva* dicta. 234
VII. De Sterilitate fœminarum, & de Imperforatis. 236
VIII. Mulier an ex semine virili concipere possit absque ejus conjunctione, & sine totali membrorum applicatione. 239
IX. De Hermaphroditis, Spadonibus, & Eunuchis. 241

TITULUS II.

De Morborum simulatione.

QUÆSTIONES.

I. Qui morbi ut plurimum simulari soleant, qui item faciliùs, qui difficiliùs simulari possunt. p. 243
II. Qua ratione deprehendantur qui morbum simulant. 244
III. De simulata Febre,effictisque ulceribus. 246
IV. De simulato Dolore. 248
V. De simulata Insania. 251
VI. De simulato morbo cum defectu animi, & sensus amissione, ut Syncope, Apoplexia, Epilepsia, Ecstasi, & aliis. 253
VII. De simulata Virginitate. 254
VIII. De simulata Prægnantia, & de partu supposito. *ibid.*
IX. Mulierem peperisse, aut abortum fecisse, ex quibus conjici possit. 258
X. De morbos dissimulantibus. 260

TITULUS III.

De Peste, & Contagio.

QUÆSTIONES.

I. Pestis quid sit, quid item Epidemia,& quæ sit inter eas differentia. 261
II. Quas conditiones habere oporteat morbum Epidemicum, ut Pestis dicatur,& ad hoc,ut Pestis privilegiis locus detur. 264
III. De signis futuræ, aut præsentis Pestis. 272
IV. De cura præservativa à Peste. 275
V. Quid sit Contagium, quid & quotuplex contagiosus morbus. 276
VI. Jurisconsultorum assertiones nonnullæ circa Contagium,& contagiosos morbos, quibus in casibus locum habeant. 278

LIBRI QUARTI

TITULUS I.

De Miraculis.

QUÆSTIONES.

I. QUid sit Miraculum. 281
II. De variis Miraculorum generibus. 283
III. De conditionibus effectûs miraculosi. 284
IV. Vera miracula cùm rarò fiant, multa tamen, & frequenter facta celebrantur. 286
V. De Prophetia, seu rerum futurarum prædictione, occultarum cognitione. 288
VI. De Ecstasi, & Raptu. 295
VII. De longo jejunio. 298
VIII. De miraculosa infirmorum sanatione. 306
IX. De morte miraculosa,& de morbis divinitùs immissis. 316
X. De cadaverum incorruptibilitate, & aliis nonnullis ad ea pertinentibus. 317
XI. De Mortuorum resurrectione. 325

TITULUS II.

De Virginitate, & Stupro.

QUÆSTIONES.

I. Virginitas propriè quid sit, & an ex certis signis cognosci possit. 332
II. De minus fallacibus notis, ac conjecturis Virginitatis. 335
III. De signis violatæ Virginitatis. 337
IV. De tempore nubendi in Virginibus. 339
V. Constuprati pueri signa. 340

LIBRI

Index Lib. Tit. & Quæst.

LIBRI QUINTI

TITULUS I.

De jejunio, & Quadrageſima.

QUÆSTIONES.

I. QUid ſit Jejunium, & quotuplex, ad quem finem ab Eccleſia inſtitutum, & quot conditiones ad illius obſervantiam requirantur. 342
II. An Jejunium, & præcipuè Quadrageſimale, corporeæ ſaluti ſit noxium. 346
III. Quibus ex cauſis à Jejunii obſervantia homines excuſentur, ac primò de cauſa reſpectu Ætatis. 351
IV. De impedimento jejunandi ex cauſa laboris, & paupertatis. 355
V. De impedimento jejunandi ex cauſa morbi. 357
VI. De potu in Jejunio extra refectionem. 362
VII. De Jejunio impoſito cum pane, & aqua, & aliis ſimilibus. 364
VIII. Diſpenſatus à jejunio quoad qualitatem ciborum, & præcipuè quoad carnes, an ab omni alia obligatione jejunii ſolutus cenſeatur. 366
IX. De Jentaculo, ſeu collatione, vel refectiuncula, aut Cœnula tam veſpere, quàm mane, in jejunio ſumpta. 367

TITULUS II.

De Vulneribus.

QUÆSTIONES.

I. Quid ſit Vulnus, quid Ulcus, & quæ ſit inter ea differentia. 371
II. De Vulnerum differentia, de eorúmque periculo, & ſecuritate. 373
III. Vulnus ex ſua natura non lethale, an incuriâ, vel ex alia occaſione fieri poſſit lethale. 376
IV. Vulnera quæ uſum Membri adimere, aut aliquod perpetuum impedimentum, vel deformitatem afferre poſſint. 378
V. De conjecturis, ex quibus vulnus lethale, vel non lethale fuiſſe judicatur, & primò de conjectura deſumpta à tempore intermedio inter vulnus, & mortem. 380
VI. Examinantur aliæ conjecturæ, ex quibus probatur vulnus fuiſſe, aut non fuiſſe lethale. 382
VII. De vulneribus venenatis, eorúmque ſignis. 385
VIII. De ſanguine manante ab Occiſo coram Occiſore, de ejus veritate, ac de præſumptione inde deducta contra homicidii reum. 387
IX. De particularium membrorum vulneribus. 391
X. De percuſſionibus ſine ſanguine, Pugnis, Ictibus, Alapis, Flagellationibus, Sacellationibus, & aliis læſionibus hujuſmodi. 392
XI. Vulnera vivóne, an mortuo inflicta fuerint. In flumen, aut Mare demerſus, vivuſne an mortuus fuerit demerſus. Item vivuſne an mortuus quis fuerit ſuſpenſus. Fulminéne ictus, an per aliquam externam vim quis perierit. 394
XII. Pluribus ſimul, eodémque caſu extinctis, quis citiùs, quis poſteriùs expiraverit. 396

TITULUS III.

De Membris, eorúmque mutilatione, & debilitate.

QUÆSTIONES.

I. Membrum quid ſit, & quænam propriè membra ſint in corpore. 406
II. De mutilatione, impedimento, & debilitate membrorum. 408
III. Mutilata membra an reparari poſſint. 409
IV. De Naſo, Auribus, & Labiis. 410
V. De Oculis, Barba, Dentibus, & Lingua. 413
VI. De Manibus, Pedibus, & Digitis. 415
VII. De Pene, Teſtibus, & Mammillis. 417

TITULUS IV.

De Aëre, Aquis, & Locis.

QUÆSTIONES.

I. De boni, ac mali aëris conditionibus, & ſignis. 419
II. De Aquis, earúmque bonitate, & vitio. 423
III. Quæ ſervitutes Aquis impoſitæ ipſarum Aquarum bonitati præjudicare poſſint. 431
IV. De locorum ſalubritate, & inſalubritate. 433
V. Quænam, & quo tempore tuta Aëris, & Locorum mutatio, & quæ verò non tuta. 436
VI. Quæ incommoda ſanitatis ex importunis ædificiis vicinis habitantibus immineant. 438
VII. De Cloacis, Aquæductibus, Canalibus, Horreis, Hortis, Pomariis, Furno, Fornacibus, Sterquiliniis, Latrinis, Stabulis, & de Artibus immundis. 441

PAULI ZACCHIÆ
QUÆSTIONUM MEDICO-LEGALIUM,
LIBRI PRIMI
TITULUS PRIMUS,
DE ÆTATIBUS,
Continens Quæstiones decem.

I. Quid sit ætas.
II. De divisione & numero ætatum.
III. De Infantia.
IV. De Puertia.
V. Qui dicantur Pubertati proximi.
VI. De Pubertate.
VII. De Juventute.
VIII. De Virilitate.
IX. De Senectute.
X. De Senio, seu Decrepitate.

SUMMARIUM.

1 *Ad Medicum pertinet de ætatibus disserere, ac determinare.*
2 *Quid sit ætas secundum Iurisperitos refellitur num. seq.*
4 *Ætatis nomen sumitur aliquando pro tempore.*
5 *Ætatis definitio ex Medicis, & num. 7.*
6 *Qualibet ætas in particulari esse constituitur permutationum constitutionis corporis.*
8 *Infans quando quis dicatur.*
9 *Infans non intelligit quid agat.*
10 *In pubertate positus quando quis dicatur.*
11 *Puberes qui dicantur.*

QVÆSTIO I.

Quid sit Ætas.

EA, quæ de ætatibus disputatio instituitur, *Medica* quidem est, sed quæ non minùs ad *Iurisperitos* pertinere videatur, cùm multa circa ætates discutienda veniant, quorum cognitio ipsis Iurisperitis non modò utilis, sed apprimè est necessaria. [Et *Theologi* quoque de ætatibus agunt, unde in gratiam Græcorum eleganter scripsit *Leo Allatius* de *ætatibus & interstitiis.*]

At verò de ætatibus differere, ac decernere, earumque terminos præscribere (cùm si certi in universum assignari non possint, Gal teste *de sani. tuend. cap. 5. in princ. operum suorum class. secunda*) solius Medici munus est : cùm enim ætates pro temperamentorum ratione mutationem, ac proprium terminum sortiantur, Fernel. *Physiolog. lib. 3. cap. 10.* ac temperamentorum mutationes Medico præ cæteris nota sint, & ad eum de illis agere pertineat, Gal. *de temperam. lib. 2. c. 2. class. 1.* patet quòd & de ætatibus dijudicare ad Medicum solummodò spectet.

Videndum ergo primò, quidnam sit ætas quam primo loco definiunt Legum- periti esse quandam temporis mensuram à nativitate usque ad obitum decurrentem. Mascard. *de probat. concl. 1054. n. 58.* [consentit *Sanctacrucius* in Fen. *l. 1.*] sed nomen ætatis in hac definitione aliter accipitur, quàm ad nostram faciat, quippè cùm genericè acceptum esse pateat ex hoc quòd per illam non assignetur ætatis cujusdam particularis natura, sed tantummodò dicatur, ætatē esse tempus illud, quo homo, vel animal vivit, cùm tamē hoc non quæramus: hoc enim pacto ætatis nomine accepto, nihil aliud significatur, quàm tempus, ut accipi contingit interdum, quemdmodùm apud Lucret. *lib. 3. de Rer. nat.*

In quo sit mortalibus omnis 4
Ætas post mortem quæ restat cumque manenda.

Et similiter in communi modo loquendi ætatis nomen, ut dixi, pro tēpore ponitur. Cum igitur Iurisperitorum definitio non integrè rei naturam assecuta fuisse videatur, alia, ac magis propria & peculiaris ætatis definitio quærēda est. [Quomodò verò excusari possint IC. exhibet Bravo *resolut. p. 60.*] 5

Medici optimè definiverunt, *ætatem esse id vitæ curriculum, quo luculenter corporis constitutio per se, suoque nutu mutatur*, ita Fernel. *loco supra citato*, nam per mutationem constitutionis ipsius corporis ætas particulariter constituitur in esse individuo, ita ut magis sit hæc, quàm illa ætas. 6 7

Vel dicamus, *quòd ætas certum vitæ spatium sit, in quo pro temperamenti mutatione corporis, & animi peculiares vigent actiones*; tunc enim aliquem in una ætate constitutū dicimus, cùm functiones exercentur constitutioni sui temperamenti convenientes; quamobrē in infantia positum quem dicimus, cùm fari ac ordinatè loqui nō potest, *ut §. Pupillus, vers. Quod diximus, instit. de inutil. stip.* & cùm non intelligit, quid agat, ut ibidem habetur, & cùm nullius rationis est particeps, ut Plat. *de Republic. lib. 4.* quem refert Gal. *de Plac. Hipp. & Plat. lib. 5. cap. 7. class. 1.* In pubertate verò positum dicimus aliquem, cùm evidenter corpus augescit, pili in locis consuetis apparere incipiunt, & ad coitum aptus homo est : puberes etenim dicuntur, qui ex habitu corporis concipere, & generare possunt, *c. Puberes, de desponsi. Impub.* & *ibi* Abb. *num. 2* eodem quoque pacto, & in reliquis ætatibus considerandum. Licèt ergo Iurisperiti velint, ætatem esse difficilis probationis, Rota *in Clement. Canonicatus 1631. coram Ghisterio, num. 9.* tamen ex functionum celebratione ætatis convenientium aliqua probatio desumi potest. Alias præterea ætatis definitiones affert Epiphan. Ferdin. *Theorem lib. 2. Theor. 19.* quas vide apud ipsum. [Confert etiam hanc ad rem Gasp. Bravo *resolut. Med. pag. 6.*] 8 9 10 11

SVMMARRIVM.

1 *Ætatum divisio, ac numerus varius.*
2 *Ætates sex ex nonnullis Iurisperitis.*
3 *Ætates septem ex aliis.*

4 *Ætates quatuor ex aliis.*
5 *Ætates quinque ex aliis.*
6 *Ætates duæ tantum ex aliis, & num. 12.*
7 *Ætates duodecim numerari poſſunt.*
8 *Ætates quinque ex Fernelio*
9 *Ætates ſeptem ex aliis Medicis.*
10 *Ætates novem ex aliis.*
11 *Ætates tres ex Ariſt. & ex aliis, ibid.*
13 *Ætates ex communi opinione quatuor.*
14 *Ætatq; quatuor ex aliis, & num. ſeq.*
16 *Compoſita temperamenta quatuor.*
17 *Multiplex Ætatum diviſio Iuriſperitis magis conſona.*

QUÆSTIO II.

De diviſione ac numero Ætatum.

1 VAria ac multiplex apud multos eſt Ætatum diviſio, ac numerus, ita ut ſeriò dixerit, ac benè Valleſ. *Controverſ. Philoſoph. ac Medic. lib. 1. cap. 8.* Ætatum tot eſſe partitiones, quot Scriptores: nam & apud Jureconſultos, & apud Philoſophos, & apud ipſos etiam Medicos varia omninò eſt ætatum diſtinctio: prudenter tamen præ cæteris locutus mihi videtur Cardanus *comm. 1. Aph. 13.* dum dicebat, Ætatum tot eſſe diviſiones, quot cauſæ dividendi offeruntur paratæ, & idcirco apud ipſos
2 Juriſperitos multipliciter diviſas docet, unde iidem Juriſconſulti aliquando in ſex partes dividunt, Infantiam nempè ad ſeptimum uſque annum protrahentes, pueritiam ad duodecimum, vel decimumquartum, adoleſcentiam ad vigeſimumquintum, juventutem, ſeu virilem ætatem ad quinquageſimum, ſenectutem ad ſeptuageſimum, decrepitatem, vel ſenium ad vitæ terminum, ita *in c. ut inter divinum, de Sacroſ. Eccleſ.* Gloſſ. *in proœm. 6. §. ſanè*, Alberic. *in diction. in verbo Ætas*, Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2.*
3 *cent. 1. caſ. 57. num. 1.* Alias autem ſeptem enumerant, addentes pupillarem poſt Infantiam, Pueritiam dehinc, Pubertatem, Juventutem, ſeu Virilitatem, Senectutem, & Decrepitatem, hoc pacto eas enumerat Gloſſ. *in §. minor nat. inſtit. de adopt.* Port. *ibid.*
4 Interdum verò quatuor tantùm recenſent impubertatem ſcilicet, vel pueritiam ad decimumquartum annum extendentes, adoleſcentiam ad vigeſimumquintum, juventutem ad ſeptuageſimum, Senium ad vitæ finem, *in l. Hared. comp. ff. ad l. Falcid.* ſed apud nonnullos etiam quinque enu-
5 merari reperi, hoc eſt, infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, & ſenectutem, cuilibet ſuis aſſignatis terminis, Bellon. *in §. is quoque in inſtit. parte 1. num. 24.*
6 Quinimò (tanta eſt opinionum, atque una rerum agendarum varietas) duas tantummodò ætates aliqui enumerant, juventutem, & ſenectutem, Leonell. *de homin. præced. quæſt. 5. art. 3.*

Non minorem differentiam reperies inter Philoſophos, ac Medicos, qui prout majorem, aut exquiſitiorem temperamentorum mutationem, vel nativi caloris ſtatus varietatem conſiderarunt, in plures, aut pauciores partes ipſas ætates dividendas eſſe cenſuerunt. Atque ea de re ætates duodecim
7 conſtituere licet, aut etiam plures, ſi eas per ſeptimanas dividamus, quemadmodum fieri poſſe tradit Gal. *comm. Aphor. 1. Aphor. 30. & comm. Aphor. 5. Aphor. 7. extr. ord. claſſ.* reſpiciebat enim Gal. apparentem aliquam temperamenti mutationem, quam ſingulis ſeptennis annis illuceſcere aſſerebat ipſe Hipp. *in lib. de ſeptim. par. in fin.* quem hoc pacto ætates diviſiſſe teſtatur Coſtæus *in diſquiſ. Phyſiol. lib. 3. c. 3.* licet Oribaſ. *comm. Aphor. 3. Aphor 38.* Hippocratem plurimum ætates in ſex partes diviſiſſe affirmet, & quidem Græcos minutiorem hanc ætatum partitionem ita ſecutos eſſe conſtat ex Cœlio *lib. 19. c. 22.* ut etiam duodenum numerum tranſgreſſi videantur. Solon tamen ex Philone Judæo adducente Franc. Piccolomin. *in lib. de rerum definit.* in decem partitus eſt, ut in carminibus ibi allatis videre licet, quæ habes etiam in libello Carminum, vel ſententiarum Theognidis, & aliorum Græcorum Poëtarum *Carm. 142.* Macrobius quoque inter Latinos decem ætates enumeravit *in lib. 1. de ſomn. Scipion. c. 6. verſ. fin.* ac hominis vitam decem ſeptenariis abſolvi tradidit ex ſententia etiam Phyſicorum. Poſſunt ergò ætates per ſeptennium uſque ad duodenum numerum hoc pacto numerari Infantia, Pueritia, Pubertas, Adoleſcentia, Juventus, Virilitas, Ætas conſiſtens, Ætas media, Senectus, Ætas declinans, ſeu ingraveſcens, Senium, & Decrepitas, quas varia nomina ſortiri, & plurimum inter ſe confundi, diverſoſque à diverſis terminos habere, ſuo loco, & tempore palam fiet. Hanc diligentem, adeóque exquiſitam ætatum partitionem videtur primus obſervaſſe Hipp. *Aph. lib. 3. Aph. 24. ad plures ſeqq.* in quibus morbos enumerat, quibus ſingulæ ætates obnoxiæ eſſe conſueverunt, ex cujus ſententia, licèt ex Juriſperitis Menoch. *ubi ſupra*, dixerit ætates eſſe ſeptem, diligenter tamen intuenti minutiorem partitionem ipſum feciſſe conſtabit.

Fernelius *Phyſiol. lib. 3. cap. 10.* ætates in quinque 8
partes diviſit, ſed adoleſcentiam, quam primam conſtituit, quadripartitus eſt in Infantiam, Pueritiam, Pubertatem, & Adoleſcentiam propriè dictam: ab his recenſens juventutem, poſt hanc conſtantem, ac maturam ætatem, ab hac ingraveſcentem, poſtremo loco decrepitam. Ex his conſtantem temperatam facit, cæterarum unicuique ſuum temperamentum aſſignavit: & ratio hujus partitionis ipſa temperamentorum ratio eſt, eo modo, quo ipſemet declarat, ut apud ipſum videri poteſt. Quin etiam hanc partitionem ætatum non ſolum ſecutus eſt Valleſ. *loco ſup. citato*, ſed eam ex Hipp. & Gal. ſententia ſe ipſum admiſiſſe firmavit. Et ex Juriſperitis ſunt qui ex ejuſdem Hippocr. ſententia ſeptem enumerant. Ant. Fum. *de ſubſtitut. n. 34. inſt. in l. minorum, n. 4. inſtit. de adopt.*

Non deſunt etiam ex Medicis, qui ſeptem enu- 9
merent, Hippocratem fortaſſe ſecuti *loco proximè allegato*, ubi præcipuæ ætatum partitiones ſeptem videntur eſſe, licèt & aliæ nonnullæ adeſſe deprehendantur: ſed *in lib. de ſeptiman.* qui ad nos non pervenit, manifeſtè illum ſeptem ætates conſtituiſſe, teſtatur Cenſorin. *in lib de die natali*, ejuſque opinionis illum fuiſſe tradit Picolomin. *ubi ſupra in verb. ætas.* Jul. Poll. *Onomaſt. lib. 2. cap. 1.* ſequitur & hanc diſtinctionem Gordon. Med. ſuo tempore doctiſſimus *in Lil. partic. 2. cap. 6.* ſeptem quoque numerabat Conciliator *diff. 26.* juxta ſeptem Planetas, unam quamque enim ab uno Planeta regi volebat, ut apud ipſum videre eſt. Quod etiam Nancel. præſtitit *in Analogia Microc. ad Macroc. lib. 1. in proœmio.* Quin etiam Joël Medicus inter 10
recentiores ac noviſſimos in *comp Med. lib. 1. ſect. 3. petit. 13.* Ætates novem eſſe aſſeruit etiam ex ipſius Gal. ſententia, ſed ejus partitionis nulla ratio aſſignatur.

Ariſt. *in lib. de juvent. & ſenect. &c. cap. 14.* cujuſ- 11
cunque animalis, itidémque cum his, ipſius hominis ætates in tres partes diviſit, in Juventutem Vigorem, & Senectutem, & ratio ejus diviſionis. eſt ipſius naturalis caloris vitæ fontis conſtitutio, cujus reſpectu ætates ejus pro ejus incremẽto, ſtatu,

aut

aut decremento, mutationes accipere maximè neceſſe eſt, atque hac ratione in tres tantum partes patitur dividi vitæ ſpatiũ, quæ tamen ſubdividi etiã poſſunt, prout magis, vel minus ad principium, ſeu finem incrementi, ſtatus aut decrementi accedunt. Conſentire huic diviſioni viſus eſt Servius Tullus, referente Aulo Gell. *Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 28. & hanc eſſe ſufficientum ætatum partitionem contendunt Cœlius Rhod. *lect. antiq. lib.* 19. *cap.* 22. Cardan. *Contrad. Medic. lib.* 2. *contrad.* 10. Vid. *de curat. generat. lib.* 12. *cap.* 7. Epiphan. Ferdin. *Theorem. Med. lib.* 1. *Theor.* 19. qui non ſolum hanc eſſe ſufficientem aſſerit, ſed quamcunque aliam ſuperfluam.

12 Denique Coſtæus *in diſquiſit. Phyſiolog. lib.* 3. *c.* 3. hominis, & animalis cujuſque ætatem propriè duas tantum habere partitiones voluit, pro caloris fortaſſe nativi augmento, & decremento, forte fortuna non admittens dari poſſe ſtatum, in quo calor prædictus nec proficiat, nec deficiat.

Communiſſima opinio, & in quam plures Me-
13 dici, & alii viri doctiſſimi conſpirare videntur eſt, ætates quatuor tantum eſſe conſtituendas. Tot enumerat, & non plures Hippoc. 1. *de Diæt* non longè à fine, ſuis quaſque temperamentis inſignitas, tot etiã enumerabat Pythagoras, & quatuor anni temporibus ipſas comparabat, & tot realiter eſſe elicitur ex Platone *in dialogo de Regno*. Quatuor etiam conſtituerunt Servius Tullus, itidemque Terentius Varro, parumque diverſos terminos illis aſſignarunt, ut recitat Pierius Valerian. *de Hieroglyph. lib* 27 *trans med.* Cum his quoque conſentiunt Cic. *in lib. de ſenect.* & Poætæ ipſi Horat. *in art. Potæ.* Ouid. *Metamorph. lib.* 15.

Sed & plurimi Medicorum quatuor recenſent,
14 Gal. 5. *de decret. Hipp. & Plat. cap.* 6. *& lib. Finit. Medic. propè princ. & lib. de ſalubr. diæt. text.* 7. *claſſ.* 2. qui & Hippocratẽ quadrifariam partitum eſſe ætates teſtatur in libello, cui titulus: *Brevis donat. dogmat. Hippocr.* & manifeſtè ita Hippocratem egiſſe
15 conſtat ex *Aph.* 13. *lib. Aph.* 1. ubi de ætatibus quæ facilè, aut difficilè jejunium ferunt, mentionem habet: acceptant & hanc partionem Avic. 1. *doctr.* 3. *cap.* 3. Alzaar. *Theor. tract. cap.* 2. Alb. Mag. *de juvent. & ſenect. tract.* 1. *cap.* 2. & ante hos Soran. Epheſ. *in Iſag. cap.* 5. & ex recentioribus Valeriol. *loc. comm. lib.* 1. *cap.* 10. Fontan. *Aphor. ſect.* 1. *Aphor.* 13.
16 Baccanell. *Conſenſ. Medic. lib.* 1. *cap. de Ætat. temperam.* & alii quamplurimi. Neque abſque firma ratione hoc faciunt, quia quemadmodum compoſita, ac præcipua temperamenta quatuor tantùm numero ſunt, juxta quæ quatuor etiam humores in animalium corporibus diminuuntur, & augeſcunt, pro quorum diminutione, & augmento, ſtatus etiam, & conditio vitæ mutatur, ſic etiam jure optimo quatuor ætates conſtituendæ. Cùm igitur ætas pro temperamenti mutatione, & peculiaris humoris abundantia, ipſa quoque mutationem accipiat, tranſiens in alterius ætatis naturam, non poteſt, niſi quadrupliciter partiri, ut ſentit etiam ipſe Gal. *in loco ſupra allegato de Sal. Diæt.* & licèt doctiſſimus Fernel. *loco ſupra ſæpe citato*, hanc rationem veluti falſam, & nullius valoris confutare tentaverit ex eo, quod nullus abſolutè tale temperamenium habeat, quale ætati, in qua permanet, conveniret, nobis tamen ſatis eſt, quod quiſque reſpectu ſui ipſius omnes prædictas temperamentorum mutationes experiatur, modo ad debitum vitæ terminum pervenire illi fata concedant. Detur verò, an non detur ætas illa temperata, quam dari vult idem Fernel. in qua animal nec proficiat, nec deficiat, non eſt præſentis loci inquirere, illud ſatis ſit adnotaſſe, multos ex Philoſophis apertè negaſſe, dari poſſe ſimile aliquod vitæ tempus rationibus, de quibus per eos *in lib. de juvent. & ſenect. de long. & brevit. vita.*

Cæterum quoad ætatum numerum, quia legibus 17
& iis, qui leges moderantur, ob rerum agendarum varietatem multiplex ætatum diviſio magis conſona eſt, poſthabita pro nunc hac rationabiliori partitione, ætates eſſe ſeptem conſtituamus cum jam citata Gloſſ. *in* §. *minor nat. ff. de adopt.* quas enumeramus hoc modo, Infantiam, Pueritiam, Pubertatem, Juventutem, Virilitatem, Senectutem, & Decrepitatem, de quibus ſigillatim diſſeremus, ea tantummodò pertractantes, quæ ad ipſos Juriſperitos, ex noſtra Medica officina, vel ſcitu neceſſaria, vel auditu non injucunda fore exiſtimabimus, ab ipſa Infantia originem ſumentes. [Pro quinque ætatibus inter alios pugnat Martinez. *l.* 1. *ſect.* 3. *q.* 1.]

SVMMARIUM.

1 *Infantia quid ex Avicenna.*
2 *Infantia propriè quanam ætas ſit.*
3 *Infans quis dicatur.*
4 *Balbutire eſt infantia proprium.*
5 *Ætas numeratur à die nativitatis, non autem à die conceptionis.*
6 *Natus nocturno tempore an antecedenti, vel ſubſequenti die natus dicatur.*
7 *Dies incipit à media nocte, & durat uſque ad mediam noctem.*
8 *Dies noctis filius.*
9 *Dies aliquando ſumitur pro eo tantum ſpatio, quo Sol lucet ſuper terram.*
10 *Infans vocatur etiam exiſtens in utero.*
11 *Ætas eſt vitæ ſpatium.*
12 *Quod in utero eſt, animal dici non poteſt.*
13 *Infans dicitur minor ſeptennio.*
14 *Septennes pueri expeditiùs loqui incipiunt.*
15 *Infantia dicitur ætas prima.*
16 *Infantes utrum ſint alicujus intellectus capaces.*
17 *Infantia proximus habet aliqualem intellectum. Contrarium num. ſeq. Amplia ut num* 19.
20 *Impubes judicio caret. Amplia ut n.* 25.
21 *Impubes dicitur uſque ad* 14. *annos.*
22 *Infans furioſo æquiparatur, & n.* 26.
23 *Furioſus caſu agit quod agit, & ſic infans.*
24 *Actus ab infante, & furioſo facto non tenent. Amplia ut num. ſeq. Declara ut n.* 27
28 *Infans non habet dilucida intervalla.*
29 *Imperfectio intellectus in infante eſt à natura, & ideirco non intermittit, contra de furioſo, n. ſeq.*

QUÆSTIO III.

De Infantia.

INfans ab Hippocrate, ut ex Zeuxidis verbis pro- 1
tulit Gal. *in lib. de morb. vulg. comm.* 1. *text.* 5. appellatur puer uſque ad pubertatis annum, licèt non ita ſentiat ipſe Gal. quia *loco citato*, aliter ſentire ſe dicit, *& in comm.* 2. *lib.* 3. *ejuſd. lib. de morb. vulg.* voluit Hippocratem appellaſſe infantes parvos fœtus. Sed quicquid ſit de his, Avicenna *p.* 1. *doctr.* 3. *cap.* 3. dixit, infantiam eſſe ætatem, in qua membra pueri nondum ad motiones, & ad ambulandũ ſunt apta, nos tamen juxta communiorem opinionem dicamus, Infantiam eſſe ætatem primam à die nativita- 2
tis uſquequo expeditè homo loqui incipiat: cum 3
enim Infans dicatur is qui fari non poteſt, *l. Mulier, ff. de verb. oblig.* §. *Pupillus, verſ. quod diximus, inſtit. de inutil. ſtipul. l. fin. ff. rem. pupill. ſal. for.* Bald. *in l. donat. C. de acquir poſſeſſ.* Alberic. *in diction. in verb. infans.* Pedemont. *deciſ.* 89. *num.* 2. & ex Medicis Joſtrerius *in Aphoriſmis infantibus pertinent. ſect.* 1. *Aphor.* 1. quod & ipſa nominis etymologia indicare poteſt, totum illud tempus dici debet

infantia,in quo homo expeditè , ac ordinatè loqui non poteſt , à die nativitatis computando.Ex Medicis tamen Heurn. *in ſuis annotationibus ad Hipp. Aphor. ſect* 3. *Aphor.* 24. *n.*1. Infantiam totum illud tempus vocari voluit, quod à nativitate uſquequo aſperiorem vocem reddant pueri intercedit, quod non niſi cùm puberes fiunt, vel ſaltem pubertati approximantur, accidere ſolet: licet tripliciter infantiam partiatur,primam ipſius partem à natali die ad perfectam dentitionem, ſecundam ad ſeptimum annum,tertiam quouſque aſperioremvocem edunt. Tadæus infantiam tripliciter etiam accipi tradit. 1. Pro primâ ætate uſquequo puer ambulare poſſit,& ſic ſtricto modo accipitur. 2.Largius ſumitur,cum aſcenditur uſque ad pubertatem.3.Largiſſimè,cum applicatur etiam ejus nomen toti adoleſcentiæ.Sed hæc Tadæi,& Heurnii partitio,pace tantorum virorum dictum velim, mihi non probatur, cùm, tranſacto ſeptimo anno nulli convenire poſſit infantis nomen, omnes enim tunc temporis non ſolum loqui,ſed expeditè loqui ſolent.Eſt autem adeo proprium, ac naturale hujus ætatis balbutire, & non expeditè loqui ,ut ſapienter admodum Plato illud protulerit in Gorgia,vel de Rhetorica , *Quum enim puerum video , cui adhuc convenit ita loqui , balbutientem , & ludentem gaudeo , & gratioſum mihi videtur , & liberale , & quod pueri ætatem deceat : ubi verò puerum audio clare loquentem , amarulenta res eſſe mihi videtur , & offendit mihi aures , & ſervile quid eſſe mihi videtur.*Ex ſui ergo natura infantes expeditè non loquuntur,& ideo inter miracula quæ univerſale judicium præcedent,quæ recenſet Eſdr. *lib.* 4. *cap.* 6. illud etiam reperies , *Et anniculi infantes loquentur vocibus ſuis* : itemque pro miraculo habitum eſt,quod nonnulli ſtatim atque in lucem venerunt, locuti ſint,teſte Ariſt.*probl.lib.* 1. *problem.* 27. & infantem ſemeſtrem triumphũ proclamaſſe pro miraculo narratur à Val.Max.*lib.* 1.*cap.*6. Cæterùm ſi rationem quæris cur pueri infantes minimè expeditè loquantur , pete ab Ariſt. *ubi ſuprà probl.* 30.

Dixi verò à Nativitatis, non à conceptionis[uti alias contendit Bravo *pag.*62. *reſolut.Med.*]die computandum eſſe in ætatis enumeratione, ſic ſentiente etiam D. Covarr. *in Relect de ſponſ. & matrim. par.*2.*cap.* 8.*n.* 3. Atque hic nota id , quod ab Aulo Gellio *Noct. Attic. lib.* 3. *cap.* 7. & à Macrobio *Saturnaliorum lib.* 1. *cap.* 3. & ex his à Polyd. Ripa *in tract. de Noct. temp.*152. diſcutitur,unde ſcilicet enumerandus dies ſit in eo,qui natus ſit nocturno tempore,an nimirum dicatur natus in die præcedenti, vel ſubſequenti:ex Varrone verò concludunt,quod ſi ante mediam noctem natus ſit , ejus natalis numeretur à die præcedenti,ſin autem poſt,à die ſubſequenti:ratio eſt,quia dies incipit à media nocte , durat autem uſque ad mediam noctem, *l. More Romano , ff. de feriis* . Guid. Pap.*ſing-q.*63. cujus moris cauſam reddit Plutarc.*in problem.*unde ab antiquis, diem ex nocte prognatum eſſe dicebatur , Heſiod. *in Theogonia.*

Nocte porro tam Æther , quam dies prognati ſunt. Qua de re dies integer , ſpatium ſcilicet horarum 24.noctem,& diem comprehendens, Gal.teſte plurib̃ in locis,præcipuè verò *q.Method. cap.* 2. *&* 19. *Ejuſd. cap. claſſ.* 7. *&* 1. *de Criſ. cap.* 16. *claſſ.* 4. Nyctimeron, hoc eſt Noctidialis ab aliquibus ex antiquis appellabatur,ut idem Gal.teſtatur *in lib.ad eos qui de Typ. ſcrip. cap.* 7. *claſſ.* 3. *& in libello de ſeptim. par.claſſ.*1.licèt aliquãdo dies pro eo tantum ſpatio accipiatur,quo Sol lucet ſuper terram, ut notat ex Jureconſult.Polyd. Ripa *de noct.temp.cap.*3. *num.* 27. & ſic diſtinguitur à nocte, comprehenditque horas duodecim.quæ tamen non omni tempore æquales, ſed modò breviores , modò longiores ſunt. Alciat. *in l. urbis appellatio , ff. de verb. ſigni.* 8. accipies apud Homer. *in Apoll. Hymno* :

Latona autem novem dies quidem , & novem noctes inſpiratis ,
Partus doloribus torquebatur.

Et apud Theocryt. *Idill.* 2.

Decubui verò in lecto dies decem , & noctes decem.

Horatius *Epod.*

Urget diem nox , & dies noctem.

Porrò licet infantia quæ prima ætas eſt,à die nativitatis enumerari incipiat, non verò à die conceptionis , ut ſuprà dixi,tamen infans dicetur etiam fœtus in utero exiſtens,in ſacris litteris,citante Menoch. *de arbitr. jud.lib.* 2.*cent.*1.*caſ.* 17. *num.* 8. quin etiam & apud ipſos Medicos fœtus jam in utero perfectus , & omnibus membris abſolutus infans vocatur , ut patet apud Hipp. qui 3. *de morb. vulg. ægr.*10.bimeſtrem aut trimeſtrem conceptum infantem appellavit,ut teſtatur inibi Gal. *in comm.& repetit.* 1. *de ſem. cap.* 9. *claſſ.* 1.

Illud tamen & in communiſſimo hominum uſu , & apud omnes DD.patet, tempus geſtationis non computari cum ætatibus, quæ à die nativitatis ſolummodò enumerant. Hoſtien. *in ſum. de deſp. Impub.n.*3.*lib.*4.Garzius *de Benef par.*7.*c.*4. *num.*84. nam cum ætas ſit vitæ ſpatium, vix vivere videtur is , qui in utero exiſtit,& idcirco animal dici non poteſt nec homo,*l.falcid.ff.ad l falcid.*Tiraq.*de Retract. lignag.§.*1.*Gloſ.*9.*n.*78.Imo conceptum in utero nihil eſſe , & in rerum natura non haberi probat idem Tiraq. *in l. ſi unquam , C. de revoc. donat. Gloſſ. ſuſcept. lib. n.* 149 Hoc tamen intelligendum reſpectu eorum quæ pertinent ad actus civiles,aliàs enim non modo animal,& homo eſt infans in utero,ſed ipſum etiam ſemen ſecundum aliquos homo eſt , cum ſe habeat in potentia ad tale eſſe , unde Martia. *in Ponticum Maſtupratorem :*

Hoc quod tu digitis , Pontice, perdis , homo eſt.

Quamobrem contra illam ſententiam ſtrenuè admodum pugnat Gal.*in lib. cui tit. an animal ſit , &c.* ubi non ſolum animal eſſe fœtum in utero, ſed etiã animæ rationalis participem contendit,nobis tamẽ ſatis eſto, quod ad rem noſtram facere videtur, nimirum nullam haberi rationem in ætatis computatione temporis illius, quo fœtus in utero permanet,ſed ætatẽ,ut jam nõ ſemel dictũ eſt,à die nativitatis numerari,&hunc eſſe primũ infãtiæterminũ.

Secundum deſinentis ſcilicet,infantiæ terminum aſſignatum leges ac legum periti dicentes , infantem dici minorem ſeptennio , *l. ſi infanti , C. de jure delib.*Gloſ.*in l.qui habent tutorem,§.ſi pupillus,pupillave, verb. infanti.ff. de tutelis , in l. pupillus , qui teſt.fac.*ãn *l. donat. C.de acquir. & retin.poſſ.* Zabar. *de homic. vol. & caſual.c ſi furioſus,n.*7. Felin.*conſ.*15.*n.*20. Menoch. *de arbitr. ubi ſupra num.* 9. & ultimo loco Farinac. *pract. crimin.par* 2.*lib.*3.*quæſt.*42. *n.* 3. *tomo primo.*

Talis autem terminus prudenter admodum ab illis huic ætati videtur aſſignatus , ſecundum plurimum enim,ſeptennes pueri jam expeditius,ac magis ad rem fari incipiunt,licèt nonnulli,ut de cæteris etiam rebus evenire ſolet,aut citiùs,aut tardiùs hoc ipſum perficiant.

Quemadmodum verò ab effectu hæc ætas infantia dicta eſt,ſic etiam ab ordine ætatũ dicta eſt ætas prima,& aliquando etiam ætas puerilis,Alberic. *in diction. in verb. ætas prima , & in verbo ætas juſta* , ex

noſtris

noſtris Celſ. *ſuæ Med. lib.* 2. *cap.* 9. licet *puerilis* nomen ad ſubſequentes etiam ætates ſeſe extendat.

16 Illud autem circa hanc ætatem controverti poſſe videtur, utrum, nempè infantes, ſint alicujus intellectus capaces: nam Gloſ. *in* §. *pupill. inſt. de inutil. ſtipulat. in verb. non multum* & Jaſon. *in l. Pupill. ſi fur. ff. de acquir. hared. n.* 4. dixerunt infantiæ proximũ, hoc eſt, qui jam ex infantia ad pueritiam properat,

17 eſſe alicujus intellectus participem. Dicendum puerum infantiæ proximum, vel melius, infantem proximum pueritiæ, reſpectu quidem jam prægreſſæ

18 ætatis, habere quoquo pacto aliqualem intelle-

19 ctum, abſolutè verò ipſum nullius cognitionis eſſe

20 capacem, quæ ſibi, aut alteri utilis eſſe poſſit: non enim intelligit quid agit, *ut ex prædicto* §. *pupillus*, habetur, imo ipſum impuberem judicio carere, & habere tantummodò ſemiplenum judicium firmant ipſi DD. Archid. *de elect. cap. ex eo, num.* 2. Peleus *quæſt. jurid.* 13. Quod multo magis locum habet in infante, quia impubes dicitur quis uſque ad 14. an-

21 nos, Jaſ. *in l. impuberibus, n.* 2 *ff. de acquirenda hæred.* quinimò etiam ſi infans, aut impubes ad propoſitum loquantur, & aliquos actus prudentes faciant, tamen judicio carere dicuntur, Rota *in noviſſ. deciſ.* 128. *n.* 8. *&* 9. *parte* 2.

22 Unde eſt, quod infans, & impubes apud leges, & earum interpretes furioſo æquiparantur, Caſtr. *in l. pupillus, ff. de acq. hæred.* Maſcard. *de probation. concl.* 3340. *n.* 32. *vol.* 1. quia quemadmodum furioſus caſu quicquid agit, *l. ultima in fin. ff. de adminiſtr. tutor.*

23 Menoch. *conſ.* 82. *n.* 107. *vol.* 1. ſic etiam & infans, &

24 idcirco actus ab ipſo facti non tenent, quamobrem neque teſtamentum condere ei licet. Dec. *in l. ſi frat. C. qui teſtam. fac poſſ. n.* 3. Quod ampliat, ut procedat,

25 26 etiamſi, ut dixi, intellectum, & judicium habeat ſuprà quam ferat ætas: nam tales nullam habent prudentiam, etiamſi ex actibus habere videantur, undè Lucret. *lib.* 3. *de rer. nat.* hoc maximè quærebat, cur nullus puer eſſet prudens? quin etiam puerorum ſapientiam non ſolum flocci pendebant antiquiores, ſed odio quoque habebant ex paræmia illa; *Pueros odi præcoci ſapientia*, ad quod etiam facit Platonis auctoritas *in hujus quæſt. prin.* allata: res enim videtur hujuſmodi ætatis prudentia neque ſibi, neque alteri ulla ex parte utilis, *Auctor. in Adag.*

Non mirum ergo eſt, ſi multoties apud Homerũ infantis nomen pro inſipienti accipitur, ut *Iliad.* 2.

Certè jam pueris ſimiles loquimini infantibus.

Ex texto *ejuſdem*:

Filium in ſinu geſtans, infantem animo, infantem item corpore.

Et *Odyſſ.* 16. *in fin.* ſub perſona Penelopes loquens inquit:

Filius autem meus, quouſque quidem fuit infans & demens.

Et ipſe Telemachus Penelopes filius de ſe ipſo loquens *Odyſſ.* 2.

Iam enim intelligo, & ſcio ſingula, bonaque, & pejora,
Antea autem infans eram.

Infert enim ex hoc quòd erat infans, quòd nihil boni, aut mali cognoſcebat, veluti nunc cognoſcit: prudenter ergo, ut ſupra dicebam, æquiparantur infans, & impubes furioſo à Legum peritis, imo vi-

27 detur, quod id ipſum ampliandum ſit in infante, eo quòd carentia intellectus in ipſo quantum eſt de præſenti, ſit minus reparabilis quàm in furioſo, & idcirco actus prudens furioſi, & quem quilibet ſanæ mentis faceret, valet. Grammat. *deciſ.* 73. *num.* 38.

28 & ratio eſſe poteſt, quia præſumitur, vel præſumere licet, ipſum habuiſſe dilucida intervalla in eo actu celebrando; at in infante non eo modo ſe res habet, nam non poteſt dici illum hæc dilucida intervalla habuiſſe, imperfectio enim ſui intellectus à natura

29 eſt, *l. infanti, in prin. de jur. deliber.* quæ imperfectio nunquã intermittit, ſed durat uſque ad certũ tẽpus procedẽte ætate, ut Lucr. *lib. de rer. nat.* canebat:

Nam velut infirmo puero, teneroque vagantur
Corpore, ſic animi tenuis ſententia ſurgit;
Inde ubi robuſtis adolevit viribus ætas,
Conſilium quoque majus, & auctior eſt animi vis.

At in furioſo intellectus imperfectio cùm ſit ab accidenti, & à morbo, facilè quidem poteſt intermittere, etiam ſi denuo revertatur: Quouſque igitur hæc imperfectio in puero durat, quicquid agit, etiamſi prudenter agat, aut videatur agere, *l. ſin. ff. rem pupill. ſalu. for.* nulla enim prudentia poteſt eſſe illius, qui non cognoſcit quales ſint actiones, quas patrare ſolet, ut ſe cognoſcere dicebat Telemachus Vlyſſis filius *ubi ſuprà apud Homerum.*

SUMMARIUM.

1 *Pueritia nomen latè patet, & quatuor ſub ſe comprehendit ætates.*
2 *Adoleſcentia extendit ſe ad annum* 25.
3 *Puer dicitur quis durante pubertate.*
4 *Pubertas in omnibus ad* 25. *annum extenditur præter quam matrimonialibus.*
5 *Minores dicuntur ante* 25. *annum.*
6 *Pueri nomen convenit etiam infanti.*
7 *Pueritia, quanam propriè ætas ſit, & num. ſeq.*
9 *Puer propriè loquendo dicitur minor* 14 *annis.*
10 *Pueritia termini varii.*
11 *Pueritia quando incipiat, & quando deſinat.*
12 *Pueritia dicitur ætas pupillaris.*
13 *Infrà* 14. *annum in mare, &* 12 *in fœmina, ætas pueritia pupillaris dicitur.*
14 *Pueri intellectu carent, diſtingue. ut num. ſeq.*
16 *Pueri infantia proximi quando dicantur.*
17 *Proverbium, puero etiam notum.*
18 *Pueri pubertati proximi alicujus intellectus ſunt participes.*
19 *Pubertati proximi doli capaces.*
20 *In proximos pubertati omne delictum cadit præter adulterium, & num* 27.
21 *Impubes judicio caret. Declara ut num.* 24.
22 *Infans, & impubes quicquid vident, ignorant. Intellige ut num. ſeq.*
25 *Minores fragile habent conſilium.*
26 *Pueri quæ corporis ſunt functionis optimè exercent, quæ verò animi non, ſed proxima ætate.*
28 *Novennes, & decennes pueri generarunt.*
26 *Puer neque ad coëundum, neque ad generandum aptus.*
30 *Puer ſemen non poteſt emittere.*
31 *Univerſalis natura in pluribus, & ex pluribus regulatur.*
32 *Qui coire, & generare poteſt puer non eſt dicendus.*
33 *Pubes dicitur, qui concipere & generare poteſt & n.* 36.
34 *Non attenditur annorum numerus, ſed malitia.*
35 *Alex. reprobatur, Bart. defenditur.*
37 *Impubes non præſumitur potens ad coëundum.*
38 *Alex. quomodo defendi poſſit.*
39 *Impuberes ſunt ſteriles.*
40 *Ætates juventutem præcedentes aut ſemen non effundunt, aut infœcundum.*
41 *Pubertati proximi habent appetitum coëundi, & coëuntes aliquam percipiunt voluptatem, etſiamſi ſemen non emittant.*
42 *Hircire quid ſit*
43 *Potentia coëundi anticipat pubertatem.*
44 *Pubertas in matrimonialibus reſpicitur quando quis generare poteſt.*

QUÆSTIO IV.

De Pueritia.

PUeritiæ, ac pueri nomen latè patet; Pueritia enim quatuor ſub ſe ætates comprehendit, infantiam nimirum, pueritiam, pubertatem, & adoleſcentiam, Tadæus Florent. *comment.* 1. *Aphoriſm.* 13. *verſu, nota ergo*, & licèt Fernel. loco jam ſæpiùs citato 1

citato has quatuor ætates maluerit adoleſcentiæ nomine inſignire, & merito, quia in his omnibus
2 ætatibus homo adoleſcit, tamen etiam Pueritiæ nomen ſibi vendicarunt: nam quemadmodum Adoleſcentia extendit ſe ad vigeſimumquintum annum, Gal. *comment. Aphor.* 5. *Aphor.* 9. & Fer-
3 nel. *loco citato*, ſic etiam & Pueritia, cùm puer intelligatur quis donec durat pubertas, Bart. *in l. Mela,*
4 *num.* 4. *ff. de alim. leg.* pubertas autem in omnibus præterquàm in matrimonialibus ad 25. annum extenditur, Abb. *in c. tua, num.* 2. *de deſponſ. imp.* Aret.
5 *in §. Minor. num.* 11. *inſtit. de adoptionib.* & idcircò ante 25. annum pueri minores vocantur, *cap. in præſentia, §. Quare de probationibus*, Fatin. *præſt. crim. lib.* 3. *par.* 1. *tom.* 1. *q.* 42. *n.* 21.

6 Nec ſolùm adoleſcenti, ac puberi pueri nomen convenit, ſed etiam infanti: paſſim enim in ſacris litteris pueri nomine vocantur infantes, & de Chriſto Domino recenter nato, Lucæ *cap.* 2. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de de puero hoc, & ibid. cap.* 1. de Joan Baptiſta, *quis putas puer iſte erit?* & ubique alias, quin etiam Hipp. *in lib. de Nat. puer.* poſt completam fœtûs formationem puerum ipſum vocitare conſuevit.

7 Sed propriùs ſumentes pueritiæ nomen, dicendum eſt, eam eſſe ætatem intermediam inter infantiam, & pubertatem, vel melius, eſſe totum illud
8 ſpatium vitæ, quod intervenit incipiendo ab eo, in quo primum infantes expedirè loqui incipiunt, uſquequo pubeſcant & idcircò Puer dicitur, propriè
9 loquendo minor 14. annis, Gloſſ. *in l. ſancimus, C. quæ ſit bon. poſſ.* Gloſſ. *in c. ex ratione, de Ætat. & qual. & in præf. tit.* 14. *verb.* Pueris, *& in cap. ſuper inordinata, de præbend. & dignit. verb puer. tit.* 5. *& in c. referente de delict. puer.* Bart. *in l. ſervis. ff. de legat.* 3. licèt idem Bart. *in l.* 1. §. *initium, n.* 1. *ff. de poſtul.* pueritiam ad 17. annum extendi voluerit, aliis
10 ad 15. ut Terentio Varrone, aliis ad 16. ut Servio Tullo illam prorogantibus, aliis verè etiam ad 18. ut
11 Gloſſ. *in cap. in veteri, diſt.* 77. cum Menochio tamen dicamus puerum dici à ſeptimo anno, uſque ad 14. annum verò perdurare cum jam citatis Doctoribus pueritiæ ætatem concludamus, Fatinac. *prax. crim. part.* 2. *tom.* 1. *lib.* 3. *quæſt.* 42. *n.* 6.

12 Quæ ætas pupillaris quoque dicitur, & in ea conſtituti pupilli, Gloſ. *in c. ex ea, de elect. & electi. pot.* Gloſ. *in jam ſæpius cit. §. minor. natu.* Bart. *ibid.* quanquam pupillaris nomen etiam ſuperiorem ætatem,
13 hoc eſt infantiam comprehendit, ut patet ex citata Gloſ. *in d. c. ex ea.* Quæri autem poteſt de pueris id, quod ſuprà de infantibus quæſitum eſt circa intellectûs perfectionem, utrum ſcilicet & in iis talis ſit, quæ impediat, quo minus propria, & civilia negotia obire poſſint, & dicendum videtur, quòd licèt progrediente ætate ſemper intellectus in homine, proficiat, ita ut, quò major natu homo eſt, eò majorem ac perfectiorem intellectum habere præſumatur, quantum eſt ex hoc, ſimpliciter tamen pueros
14 intellectûs, & rationis minimè eſſe particeps: hac igitur ratione, licèt puer proximus pubertati, vel ut Juriſperitorum nonnullorum modo loquar, poſt decimum annum cum dimidio (tales enim magis pubertati proximi dicuntur, Gloſſ. *in l. pupill. inſtit. de*
15 *inut. ſtipul.*) majori intellectu dotari videatur, quàm
16 proximus infantiæ, hoc eſt antè prædictum terminum, ut Gloſſ. *ibid. in verb. infantiæ proximus*, tamen ſimpliciter loquendo, utrumque eſſe rationis expertem dicendum eſt: de his enim dicebat Ariſt. 8. *de hiſt. anim. cap.* 1. eorum animam non differre ab anima belluæ; quòd intelligendum venit quoad rationis uſum: & idipſum firmavit Gal. *in lib.* 3. *de Plac. Hipp. & Plat. cap.* 7. *claſſ.* inquiens, *Pueri ratione minimum utuntur, & ira, & cupiditatibus ut beſtiæ ſerviunt*, quòd *& lib.* 5. *c. ult.* in his verbis repetit, *Adulti ratione iracundiam refrænant, pueri autem nihil tale efficiunt quemadmodum neque beſtiæ*, & antè illum firmavit eandem ſententiam Plato, 4. *de rep. verſ. fin.* Ne verò putes, Galenum pueros fortaſſe vocare infantulos ſeptennes, vel natu minores, ipſe ſe ipſum declarat, *comm.* 3. *Aphor.* 24. ubi pueros ſe appellare infantes uſque ad pubeſtatem, & infrà teſtatur.

17 Hoc ipſum etiam ex communi hominum ſententia patere poteſt, cùm enim quid ſignificare volumus undequaque, ac hominum cuicumque notum dicimus, puero etiam notum eſſe, ut qui parum, imò nihil cognoſcere præſumatur, quo proverbio uſus eſt Homer. *Odyſſ.* 6.

Facilè autem nota ſunt etiam ſi puer prærret infant.

Et Plat. *in convivio*, idemque Plat. *in lib. de nat. hum. verſ. med.* per puerum rudem, ac ineptum hominem ſignificabat, inquiens, *Puerum in omnibus hujuſmodi te ipſum putabis, & in Protagora Pverſ. fin. tta ut is* (de quo loquebatur) *puero nihilo melior appareat*, quaſi dicat rudis, & inſipiens. Alias verò millies. Idem Plato, pueros & intelligentia carere, & rationis eſſe expertes teſtatus eſt, præcipuè verò 6. *de leg.* Puerum omnibus beſtiis magis intractabilem, & inſidioſam, acrem, ac procaciſſimam beſtiam vocabat. Ecquid nam multis opus eſt in re vel pueris ipſis notiſſima? ſatis ſit ex Sacris adduxiſſe, puerum pro inſipienti accipi, ut eſt Eccleſiaſt *cap.* 10. *verſ.* 16. *Væ tibi terra, cujus rex puer eſt*, & Eſaiæ *c.* 3. *verſ.* 3. *Et dabo pueros principes eorum*, jure merito ergo hæc ætas improvida dicebatur à Lucret. *lib.* 1. & 4. *de rer. nat.*

Ut puerorum ætas improvida ludificetur.

Dubitatur tamen de pueris pubertati proximis, 18
ſeu qui decimum jam annum peregerunt, hos enim aliqualem habere intellectum ex Ariſt. ſententia dicebat Malvaſ. in terminis minoris, *conſ.* 65. *num.* 15. 19
vol. 1. idcireo fortaſſe tunc temporis dicuntur doli capaces, *l. Pupillum, ff. de reg. jur.* Zabar. *de homic. vol. & caſ. in c. ſi furioſus, n.* 7. Imo cum tunc quis ſit perfecti intellectus, cum eſt doli capax. Jaſ. *in l.* 1. *ff. de acquir. hær. §. Adipiſcimur, num.* 18. quia in tales omne delictum cadit præter adulterium, *c.* 1. *de del. puer.* Summ. Hoſt. *lib.* 4. *de frig. & maleſic. num.* 3. ſequitur hinc, quod pueri decennes, aut paulò majores perfecti ſint intellectus. 20

His tamen ex ſuperioribus patet reſponſio, reſpectivè enim ad peractam ætatem illi locuti ſunt, nam ſimpliciter impuberem judicio carere apertiſſimè dixerunt DD. Archid. *in c. ex eo, num.* 2. *de elect.* ipſumque ignorare omnia quæ videt. *l.* 1. §. *impuberes, C. de fal. mon.* licèt dubium non ſit, quod in his, 22
qui jam pubertati accedunt, manifeſtum intellectus 23
rudimentum appareat: unde benè Peleus *quæſt. jur.* 13. tales ſemiplenum habere judicium dixit, 24
quòd etiam ipſæ leges firmare videntur, cum minores fragile habere conſilium firmant, *l.* 1. *ff. de minor.* Boër. *conſ.* 39. *num.* 1. ex cujus conſilij fragilitate mirum non eſt eos, ut Terentius *in Hecyra act.* 5. *ſc.* 1. dicebat eſſe levi ſententia, unde Gal. *in lib. de fœtuum form. cap.* 3. *in fin. claſſ.* 3. pueros dicebat, 25
quoad rationalem animam, imperfectos eſſe, & alibi eos, quæ corporis ſunt, functiones optimè exercere dicebat, quæ verò animi, non ita, ſed proxima potius ætate. 26

Secundò videndum hìc de potentia coëundi, an 27
ſcilicet

ſcilicet in hac ætate poſiti apti ſint ad Venerẽ exercendam; licèt enim, ut ſuprà dixi, *ex cap. 1. de delict. puer.* in impuberem omne delictum cadere poſſit, præter adulterium, & impubes non præſumatur apud Juriſtas potens ad coëundum, Boſ. *in pract. crim. tit. de delict. n.* 18. Surd. *conſ.* 364. *n.* 33. *tom.* 3. Unde ob defectum naturalis vigoris ad coïtum non poteſt contrahere matrimonium. Rot. *in Hipporegien. pretenſi matrimonii*, 1. *Decembris* 1589. *coram Comitulo.*

28 Tamen non deeſt dubitandi locus, cùm multi caſus enarrentur puerorum, qui novennes, aut decennes non tantùm coïverint, verùm etiam filios generaverint; & inter alios vulgatus eſt caſus etiam inter ipſos Juriſconſultos teſtimonio Divi Hieronymi, ſive ut alii malunt, Divi Gregorii confirmatus, quem refert Gloſſ. *in ſum.* 20. *q.* 1. & plures hujuſmodi hiſtorias recolligit Schenck. *obſerv. Medic. rar. lib.* 4. *tit de Conceptione*, quin etiam ipſe ſimilem his hiſtoriam hìc ſubnectere poſſem, quam tamen omittam. De fœminis item ſimiliter eadem, quæ de maſculis circa eam rem enarrantur, & Solit. *de cit. orb. cap.* 63. (ut hoc obiter dicamus) meminit quarundam mulierum Indarum, quæ quinquennes generant, octennes tamen conſeneſcunt, ac pereunt, ſed quod magis movere nos poteſt, Jauber. *lib.* 2. *Error. popul. cap.* 2. multis probat, pueros novennes, ac decennes, & præſertim puellas concipere aliquando poſſe, & plures etiam concepturas ante pubertatem ſi vivas uterentur. Hæc tamen nihil ad nos, ſed ex his, quæ ab aliis relatæ ſunt, & quod ad noſtras regiones pertinet, videbatur deduci poſſe, pueros impuberes, & ad coëundum, & ad generandum aptos eſſe poſſe.

29 Contrarium tamen veritatem habere dicendum,
30 nunquàm enim puer aptus erit ad coëundum, & multò minùs ad generandum, quia ſemen non poteſt emittere: licèt enim aliqui infrà tempus pubertati conſtitutum & coïverint, ac ſemen emiſerint,
31 & filios procreaverint, hoc non ex univerſalis Naturæ, ſed ex particularis inſtituto factum: univerſalis enim ſua opera in pluribus commonſtrat, & per ea plura individua regulantur, non vero per particularem aliquam naturam. Veruntamen & ij ipſi, qui infrà præſcriptos terminos coïverunt, & generarunt, pueri ampliùs dicendi non erant, etiamſi ſep-
32 tennio minores generaſſent; ſed puberes vocandi, cùm pubes dicatur is apud Juriſconſultos præcipuè,
33 qui poteſt concipere, & generare, *cap. Puberes de deſponſ. impub.* quamobrem rectè Summa Hoſtienſ-
34 *lib.* 4. *de ſponſ. impub. n.* 5. & 7. dicebat, non attendi numerum annorum, ſed puberem dici etiam minorem 14. aut 12. annis, ſi modò malitia ſuppleat ætatem, hoc eſt, ſi coïre poteſt: unde eſt, quod Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 1 *caſ.* 57. *n.* 32. rectè ſenſiſſe dicendus ſit, cum inquit: *Si puer decem annorum ad coëundum potens eſt, uxorem ducere poteſt.*

35 Et ex his apparet male pronuntiatum eſſe ab Alex. *in l. Amiſi ff. de vulg. & pupill. n.* 14. Impuperem poſſe contrahere matrimonium, & habere filios, quando malitia ſuppleat ætatem, & malè quidem contrariatus ex Bart. contrarium tenenti *in l. in pupill. de vulg. & pupill. n.* 6. ut idem Alex. refert. 5 nam eo ipſo
36 quod hic, quem impuberem vocat Alex. aptus erit ad generandum, jam non erit amplius impubes, ſed pubes, cùm præcipuè per hoc, ut dixi, quis dicatur pubes, quando ſcilicet potens eſt ad coëundum; hoc enim inter alia pubertatis ſigna evidentiſſimum, ac infallibile dicunt Juriſperiti. Summa Hoſtienſ. *ubi ſuprà, n.* 4. & 5. Abb. *ibid. n.* 2. quippe cum quatenus quis impubes eſt, non præſumatur po- 37
tens ad coëundum, ut dictum jam ſuperiùs eſt, Alex. autem nimis ſe reſtrinxit annorum quantitati, cum dixerit, impuberem poſſe habere filios; id enim ſibi voluit ille, quod impubes, hoc eſt, qui, ad annos à lege pubertatis præſcriptos adhuc non pervenit, potis ſit ad generandum, quando malitia ſupplet ætatem, attendens potius nomini, quàm naturæ rei.

Ex hoc quidem pacto Alex. opinio veritatem ha- 38
bebit, ſecus autem ſi impuberis nomen in propria, ac germana ſignificatione accipiatur: nam nomen Impuberis dicit ineptitudinem ad generandum, cum iſtud ipſum nomen apud Ariſt. 7. *de hiſt. Anim. c.* 12 pro ſterili accipiatur; *Prodeunt*, inquit, *nonnulli jam inde à primo ortu naturæ impuberes, infœcundique*, & paulò infrà: *Mulieres etiam ſimili modo impuberes à Natura creari poſſunt*: nec abs re doctiſſimus Fernel. *Pathol. lib.* 6. *cap.* 17. *in principio*, Impuberes ſte- 39
riles eſſe abſolutè dicebat, quia quatenus impuberes habent repugnantiam quandam, & naturalem ineptitudinem ad generandum tam ex parte potentiæ ad coëundum, quàm ex parte emittendi ſemen quàm etiam ex parte ſeminis, quod tamen vel non emittunt, vel dato quod emitterent, fœcundum non eſt, quod non ſolum de Impuberibus, ſed etiam de ipſis puberibus affirmabat Gal. *lib.* 2. *de ſan. tuend. cap.* 2. *claſſ.* 2. dicens: *Quæ enim hanc* (juventutem) 40
vel præcedunt ætates, vel ſequuntur, aut planè ſemen non effundunt, aut certè infœcundum, aut malè fœcundum effundunt. Etiamſi verò in Impuberibus, qui 41
jam pubertati accedunt, non ſolùm reperiatur coëundi appetitus, ſed etiam aliquando potentia, ac coëuntes aliquam percipiant voluptatem, etiam ſemen non emittentes, Ariſtot. teſte, *Problem. ſect.* 30. *Problem.* 1. quam coëundi voluntatem, ac Veneris pruritum *hircire* apud Hipp. vocati teſtatur Gal. *in.* 7. 42
de morb. vulg. comm. 3. *text.* 25. *claſſ.* 3. Licèt apud Ariſtot. *lib.* 1. *de gen. animal. c.* 18. hircire dicantur, quæ nimia alimenti copia luxuriant, & ideircò minus ſeminis habent: ſed apud Galenum *hircire*, id eſt quod in canibus *catulire*, dixit Varro 2. *de re Ruſtic. c.* 16. atque ea de re benè firmaverit Abb. *in c. à nobis, de deſponſ. Impub. n.* 3. potentiam coëundi an- 43
ticipare tempus pubertatis; tamen quia impuberes nec ſemen verè aut emittunt, aut emittere poſſunt, conſequenter generare, ideirco, durante hac generandi impotentia, impuberes vocandi ſunt, ac eadem impotentia terminata, ſemen emittentes, & generantes, etiam eum annorum numerum, ut dixi, non complentes, in quo plerumque cæteri pubeſcere ſolent puberes, & non ultrà impuberes dicendi, & ideircò idem Abb. *in c. Quon. freq. Ut lit. non conteſt. n.* 18. dicebat, & benè, quòd licèt pubertas in pluribus accidere ſoleat 14. anno, tamen reſpectu matrimonii reſpicimus, quando quis generare poteſt. 44

SUMMARIUM.

1 *Puerilia dicitur Impubertas, & Impuberes in ea ætate conſtituti.*
2 *Impubes accipitur aliquando pro minore 25. annorum.*
3 *Puerilia incipit à ſeptimo anno, deſinit verò 14. ſic & Impuberies.*
4 *Puerilia nomen ad alias extenditur ætates.*
5 *Impubertas propriè quæ ætas dicatur.*
6 *Præpoſitio In, poſita in principio nominis importat negationem.*
7 *Impubes quis ſit.*
8 *Impuberis nomen ſimile eſt nomini inteſtati.*
9 *Inteſtatus quis dicatur.*
10 *Impubertas in duas partes diviſa.*
11 *Ætas Infantia proxima qua,*

12 *Pubertati proxima ætas quæ ſit ſecundùm aliquos, & ſecundùm alios quæ. n.* 14. *Reprobatur utraque ſententia, num.* 13. *&* 15.
16 *Eatenus quis dicitur pubertati proximus, quatenus aliqua rudimenta pubertatis habet, & n.* 22.
17 *Proximi pubertati qui dici debeant juxta Galeni ſententiam declaratur, n* 19
18 *Non eſt unus omnium certiſſimus pubeſcendi terminus.*
20 *Inter Juriſperitorum opiniones quænam ſit Galeno magis conſona, & qua minus, n. ſeq.*
23 *Tempus apud leges conſideratur aliquando de momento ad momentum.*
24 *Menochii opinio approbatur.*
25 *Tempus pubeſcendi, & ſe pubertati approximandi diverſificatur pro temperamentorum diverſitate*
26 *Iudex debet cognoſcere temperaturam ejus, cujus ferre judicium debet, an proximus pubertati dici illi conveniat.*
27 *Temperamentorum cognitio ad Medicum ſpectat.*
28 *Multa pubeſcentiam ipſam, & conſequenter ætatem pubertati proximã & retardare, & accelerare poſſunt.*
29 *Ipſa natura intrinſeca eſt prima, & adæquata cauſa celerioris, aut tardioris pubeſcentiæ.*
30 *Iudex deberet adhibere Medicos in definitione ejus quæſtionis, an quis pubertati proximus ſit*

QUÆSTIO V.

Qui dicantur pubertati proximi.

1 ÆTas pueritiæ dicitur etiam Impubertas, & qui in ea conſtituti ſunt Impuberes, Gloſ. *in l. hæred. computatio, ff. ad l. Falc.* nam impubes dicitur minor 14. annis, & uſque ad 14. annos. *l. non ſolùm. § ſi*
2 *libertus ff. de excuſ. tut.* Jaſ. *in l. impub. ff. de acq. hæred. n.* 2. Alber. *in diction. in verb. impubes*, licèt, ut habetur ex *eadem l. non ſolùm*, impubes aliquando accipiatur
3 pro minore 25. annis, ſed impropriè, & largo modo.

Quemadmodùm autem pueritia à 7. anno incipit, definit verò in 14. ex ſuprà citatis, ſic & impubertas, Hoſt. *in ſum. lib. 4. de deſponſ. impub. n.* 3. Farin. *ubi ſuprà*, n. 8. ſed pueritiæ nomen ad alias quoque
4 ætates extenditur, ut ex ſuperiori quæſt. patet; im-
5 puberras autem non ita; nam propriè loquendo ea
6 ſolummodò ætas dicitur impubertas, quæ inter pubertatem, & infantiam media eſt: quanquàm enim illa præpoſito *In*, cùm in principio nominis ponitur, negationem ſignificat, Gloſſ. *in l. ſacrilegi, ff. ad l. Iul. pec.* & patet in pleriſque nominibus, ne dicam omnibus, ut impotens, ignarus, inutilis, inobediens, infirmus, impiger, imprudens, irrationalis, infrequens, innatus, & hujuſmodi, itaut *impubes* idem importet, ac ſi dicas, *non pubes*; tamen videtur cum
7 negatione in hoc nomine notari proxima aptitudo ad pubeſcendum, tanquàm ſi diceres, Impubes is eſt, qui adhuc pubes non eſt, ſed pubertati proximus, vel in ætate pubertati proxima: ſecùs enim dicendo, non minùs hoc *impuberis* nomen cæteris ætatibus convenire poſſet, quæ extrà pubertatem ſunt,
8 quàm huic, quæ propriè *Impubertas* à nobis dicitur.

Similem nominis ſignificationem reperies in nonnullis aliis vocibus cum hac negatione compoſitis, quæ cum negatione proximam, ut dixi, impor-
9 tant aptitudinem ad eam ipſam rem, quam negant, ut eſt, exempli gratiâ, nomen *inteſtati*, neque enim quilibet, qui teſtamentum non conficit inteſtatus decedere dicitur, ſed is tantum, qui cùm poſſet condere teſtamentum, non condidit, *l. Inteſtati, ff. de ſuis, & legit. hæredibus.* Unde Juven.. *Sat.* 1.

Hinc ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.

nempè quia ſenes maximè teſtamentum condere
10 poſſunt, ac debent.

Hæc igitur ætas à Juriſperitis in duas partes dividitur, quarum unam vocant ætatem Infantiæ proximam, alteram verò ætatem proximam Pubertati, ut in ſuperiore quæſtione jam meminimus, utraque verò ſub pueritia continetur. Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 1. caſ. 57. num.* 19. 11

Incipit porrò ætas, quæ Infantiæ proxima dicitur ab anno ſeptimo, Menoch. *ubi ſupr. n.* 12. vel jam perfecta infantia ac durat ſecundum Juriſperitorum ſententiam, & terminum ab iis aſſignatum in maribus uſque ad decimum annum, & undecimi dimidium, in fœminis ad novem uſque, & dimidium decimi, ita ſæpiùs jam citata Gloſſ. *in §. Pupillus omne, verb. Infantiæ proximus, Inſt. de inut. ſtipul.*

A quo tempore ſuprà uſque ad annum 14. enu- 12
meratur ætas, vel ætatis pars illa, quæ pubertati proxima dicitur ſecundùm communiorem Juriſperitorum ſententiam, Gloſſ. *ubi ſup. & in l. Pupillam, ff. de reg. Jur.* Gloſſ. fin. *in l. 1. ff. de nov.* Jaſ. *in l. properandum, §. Et ſiquidem, n.* 2 *C. de Iud. & in Auth. Sacramenta, n.* 6. Caſtr. *ibid. n.* 2. *& conſ.* 384. *n.* 2. Zabar. *de homic. vol. & caſ. cap. ſi furioſus, num.* 7. Dec. *in l. Pupillum, de reg. jur. in princ.* Alberic. *in Diction. in verb. ætas, inf.* Roland. *conſ.* 57. *num.* 25. Cephal. *quæſt.* 291. *in prin.* Surd. *conſ.* 364. *num.* 4. *&* 31. *Tom.* 3. Bellam. *conſ.* 48. *num* 44. Covar. *relect. tom.* 1. *part.* 2 *caſ.* 5. *n.* 5. & alios citat Menoch. *ubi ſup. num.* 21.

Sed hanc ſententiam reprobat, & confutat ipſe 13
Menoch. ibid. ſin ú que aliam eorum adducit opi- 14
nionem, qui proximos pubertati eos dici volunt, qui per ſex tantùm menſes à pubertate diſtant, & præter hanc alias etiam opiniones refert, quas omnes benè refellit, ut apud ipſum videre eſt. 15

Neque abs re videtur Menochius omnes prædi- 16
ctas ſententias reprobare, ac convellere, nam eatenùs quis pubertati proximus dicendus videtur, quatenus in eo aliqua pubertatis rudimenta apparent; at non il icò poſt aſſignatos terminos hæc rudimenta pullulant, ſed cùm pueri à pubertate parùm diſtant, unde Gal. *comm. Aphor.* 3. *Aphor.* 27. 17
extr. ord. claſſ. proximi pubertati dici inquit, illi poſſunt, qui duodecimum, decimum tertium, aut quartum ſuprà decimum annum agunt; quia, cum (ut ipſe addit) nõ ſit unus omnũ certiſſimus puber- 18
tatis terminus propter caliditatis, & frigiditatis temperaturam; idcircò prout citiùs, aut tardiùs quis pubeſcit; ſic citiùs, aut tardiùs pubertati fieri proximus dicendus: ea etenim de re varios ille appoſuit terminos, cùm de proximis pubertati decernere voluit, neque unico tantùm ſeſe reſtrinxit. Ea ergò videtur fuiſſe Galeni mens, ut proxi- 19
mi pubertati dicendi ſint in anno pubertatem præcedenti.

Cæterùm Galen. opinioni inter Juriſperitorum 20
ſententias magis conſona videtur eorum opinio, qui per ſex tantùm menſes à pubertate diſtantes dici pubertati proximos voluerunt, cujus opinionis fuit ſuperiùs cit. Gloſſ. *in l. Pupillum, ff. de reg. jur.* & alios huic ſententiæ faventes refert ipſe Menoch. *ubi ſuprà, num.* 28. Rota *in citata Hipporeg. prætenſi matrim. num.* 4.

Minùs probabilis inter omnes eorum opinio eſt 21
qui voluerunt, eum dici pubertati proximum, qui 22
per tres tantùm dies à pubertate diſtat, quam refert idem Menoch. *ubi ſuprà, n.* 32. quia, ut jam dixi, in tantum quis dici poteſt proximus pubertati, in quantum rudimentum aliquod pubertatis habet, quod tamen rudimentum non poteſt de die in diem apparere, quia Natura, & calor ipſi nativus, cujus opus illud eſt, non poteſt in tam modico tempore tam apparentem mutationem in corpore excitare, neque poteſt hìc, ut aliàs apud Leges uſu venire ſcio, tempus de momento ad momentum conſiderari, *l. denique, §. Minorem* 23. *ff. de minor.* quia

calor

calor ordinatè, ac congruo tempore procedit alterando, & agendo in radicale humidum, non autem de repente.

24 Verum enim verò inter omnes opiniones magis arridet ipſius Menochii opinio, *ubi ſup. n.* 44. quam magis receptam hodie dicit, & in quam conſpirant Auctores ab eo citati, quibus adde Vigl. *in tit. de teſtam. ordin. n.* 11. ſcilicet, relinqui Judicis arbitrio, an quis dicatur proximus pubertati. Quas omness opiniones recitat Farin. *quæſt. crim. lib.* 3. *q.* 91. *n.* 4. *ad plures ſeqq. part.* 2. *tom.* 2. & Sanch. *de matrim. lib.* 7. *diſput.* 104. *n.* 37. *& ſeqq.* qui *n.* 40. *& ſeq.* Menochii opinioni adhæret.

25 Cùm autem præcipuè ob temperaturæ, caliditatis nempè, & frigiditatis varietatem, hoc tempus in partibus diverſificetur, malè videtur judicari poſſe,
26 an quis ſit proximus pubertati, niſi ſimul & temperaturam ejus is, qui judicabat, cognoſcat.

27 Quæ cognitio cùm ad Medicum ſolummodò pertineat, ipſe prout quis magis, at minùs naturâ calidus, aut frigidus exiſtet, ſic aut eſſe, aut non eſſe pubertati proximum judicare poterit; licet & regionem, & mores, & victûs rationem, & inſtitutionem à puero in judicando reſpicere etiam debeat: nam & hæc omnia ſimul, & unumquodque per ſe
28 pubeſcentiam & retardant, & accelerant, quanquam
29 ipſa natura temperamenti intrinſeca, ac prima cauſa ſit celetioris, aut tardioris pubeſcentiæ: benè igitur in hac parte cautum fore per Iudicem exiſtimaverim, ſi Medicum pro definitione hujus quæſtionis
30 unà adhibeat ad judicandum.

SUMMARIUM.

1 *Pubertas dicitur à pube.*
2 *Pubes quid, & num. ſeq.*
4 *Os pubis.*
5 *Pubertas quid.*
6 *Proprium pubertatis eſt pilos in diverſis partibus corporis generare.*
7 *Barbam ab ulnis puerorum vellere: Proverbium.*
8 *Homero poſtridie ab ortu pili in inguinibus nati.*
9 *Pubertas, & Adoleſcentia, idem.*
10 *Adoleſcentia ad ſuperiores ætates ſeſe extendit.*
11 *Pubertati propriè convenit Adoleſcentiæ nomen.*
12 *Adoleſcentia à 18. ad 25. annum enumeratur.*
13 *Ætas diſcretionis quæ.*
14 *Puberibus conceditur, ut teſtamentum condere poſſint.*
15 *Ætas tenera.*
16 *Florida nomen pubertati aptari deberet.*
17 *Pubeſcentia in homine reſpondet, quod in ſtirpibus eſt florere.*
18 *Ætate florentes qui: & ætatis flos, num. ſeq.*
20 *Ætas grata.*
21 *Ætas nubilis.*
22 *Mulier propriè nubilis dicitur, non vir.*
23 *Nubere uxori, Proverbium.*
24 *Ephebi qui.*
25 *Quando incipiat pubertas ex aliquorum ſententia, & ex ſententia Fernelii, num. ſeq.*
27 *Quartusdecimus annus nimis præcox pro incipiente pubertate, & num.* 47.
28 *Terminus* 14. *annorum eſt in maſculis, in fœminis autem duodecim.*
29 *Terminus annorum* 12. *in fœminis eſt præcox, & n.* 37.
30 *Infallibile pubertatis ſignum eſt concipere, & generare poſſe, & num.* 78.
31 *Mas ante ſeminis emiſſionem generare non poteſt, neque fœmina ante menſtrua.*
32 *Quando debeat dici mas, aut fœmina pubeſcere.*
33 *Virginibus menſes non prodeunt ante pubertatem.*
34 *Ex fœminis vix duodecima pars in anno ætatis duodecimo menſtruatur.*
35 *Jus adaptatur his, quæ ſecundùm plurimum veniunt.*
36 *Pubertas in fœmina quando incipiat, & num.* 38. 41. 43. 44. 45 *&* 46.
39 *Heſiodi auctoritas magna.*
40 *Nubendi tempus.*
42 *Tutela in fœminis cur celeriùs abſolvatur.*
48 *Fœmina citiùs pubeſcit, quàm vir, & cauſam ex Hoſtiæ num. ſeq. confutatur n.* 51. *veras ejus rationes, vide num.* 52.
50 *Fœmina calidior viro. Contrarium n. ſeq.*
53 *Fœmina eſt viro imperfectior.*
54 *Tempora perfectionis, & imperfectionis reſpondere ſibi debent.*
55 *Ratio imperfectionis ipſius fœminæ.*
56 *Perfectius tardiùs augeſcit imperfectiori.*
57 *Ante perficitur corpus, quàm animus.*
58 *Fœmina ratione humidioris temperaturæ augeſcit citius quàm mas.*
59 *Humiditatis cauſa corpora facilius creſcunt.*
60 *Ratio tardioris augmenti ipſius fœminæ dum in materno utero commoratur.*
61 *Mas in utero citius augeſcit, quàm fœmina.*
62 *In fœmina maxima dominatur humiditas.*
63 *Humiditas caloris actionem infringit.*
64 *Pubertas quo anno abſolvatur.*
65 *Plena pubertas quando ſit, & n.* 67. 69. 70.
66 *Triplex pubertas.*
68 *Non eſt unus omnium pubeſcendi terminus, & n.* 75.
71 *Ex quibus ſignis deprehendatur pubertas.*
72 *Corporis inſpectio honeſtatis cauſâ exploſa.*
73 *Tria pubertatis ſigna rejiciuntur, n. ſeqq.*
76 *Pilorum eruptio non facit ætatis differentiam.*
77 *Coëundi potentiam non eſſe pubertatis ſignum.*
79 *Qui in pube non ſunt, coire poſſunt, non generare.*
80 *Potentia coëundi præcedit pubertatem.*
81 *Certiſſimum pubertatis ſignum.*
82 *In pubertate magnæ ſiunt corporis mutationes.*
83 *In pubertate dignoſcenda corporis temperamentum conſiderandum eſt.*
84 *Abb. fruſtrà quærit indicia demonſtrantia in pubere coëundi potentiam.*
85 *Puberes an integrum rationis uſum habeant.*
86 *Lex non permittit puberibus, omnia ſuo arbitrio agere.*
87 *Puberes habent rationes uſum, ſed adhuc rudem.*
88 *Puberes imprudenter ſe gerunt.*
89 *Puberes a paſſionibus nimis vincuntur.*

QUÆSTIO VI.

De pubertate.

PUbertas à Pube dicitur, eſt autem Pubes lanugo, 1
quæ maribus ut plurimum 14. anno, aut 15. Fœ- 2
minis 12. aut tardius circa pudenda oriri ſolet. Cagnol. *in* §. *Impuberibus, ff. de reg. jur.* Calep. *in dictio. in verbo Pubes*, Auſonius *in Roſa.*

Collige Virgo roſas dum flos novus, & nova pubes.

Idem etiam apud Hippocratem ſignificare reperies, *in lib. de artic. verſ. med.* cùm inquit, *Pubes autem, & barba ſenior, & varior increſcit,* & alibi ſæpè Celſ. *lib.* 2. *cap.* 1. *ſuæ Med. Incipiente verò jam pube.* Unde Pubes pro ipſis adoleſcentibus accipitur. Horat. *lib.* 2. *Carm. od.* 8.

Pubes tibi creſcit omnis.

Dicitur præterea Pubes etiam pars ipſa, in qua 3
pili emergunt in infima ventris regione poſita, & ſub qua veſica ſuam poſituram habet. Ruſſ. Epheſ. *de part. corp. hum. appellat. lib.* 1. *cap.* 11. Hipp. *in lib. de nat. puer. verſ. med. At ſimul ac menſibus genitura via patet, tum puero, ac virgini extrema cuticula rareſcente, pilus in pube naſcitur, & in lib. de carnib. Ac fortaſſis mirum aliquem ſubeat, cur in axillis, & pube, & reliquo corpore pili multi ſuccreſcunt;* ſic & 4
Gal. *in prim. Prorh. comm.* 2. *text.* 37. unde os illud 5
huic parti ſubſtratum dicitur os pubis, ut apud Anatomicos videri poteſt; quorum auctoritatem in re nullius momenti minimè neceſſe eſt adducere. Cæterùm pubertas id vitæ ſpatium dici poteſt, in quo primùm pube in pudendis, aliiſque corporis partibus erumpente, primum ad generandum aptus homo fit: patet ex Hippocr. *loco proximè adducto in* 6
lib. de nat. puer. Videtur enim hujus proprium pilos in prædictis partibus procreare, quibus omninò deſtituta reperitur ſuperior ætas; quæ de re

cum

cùm inanem, ac futilem operam ſignificare vole-
7 bant Antiqui, illud jactabant, Barbam ab ulnis puerorum velli, ut recitat auctor in Adagiis, quaſi improprium, ac alienum quid ab ea ætate; proprium verò ſubſequentis ſit pilos in ulnis progignere, cujus rei rationem reddit Hippocr. *ubi ſupr.* unde pro mi-
8 raculo narratum eſt ab Heliod. *hiſt. Æthiop. lib.* 3. *trans med.* quòd Homero poſtridie ab ortu pili in inguinibus nati ſunt, ex quo caſu cognominatus ſit Homerus, cùm antè Maleſigenes vocaretur, licet ſciam communem opinionem eſſe, cognomen Homeri illum à cæcitate reportaſſe, quemadmodùm teſtatur Herod. *in vita Homeri*; ſed hæc obiter.

Plato *in dialogo de Regno*, cum ex contrario ſuperiorum ſphætarum motu omnia retrocedere dixiſſet, homines etiam, quaſi retrogrado, augeſcendi, imò decreſcendi modo, ad peractas jam ætates remeare narrabat, ex quo inquit, *Pubeſcentium autem corpora glabreſcentia, & ſingulis diebus, ac noctibus decreſcentia in recens nati pueri naturam abeunt.* Ubi glabreſcere, hoc eſt, depilari dixit pubeſcentes, eo, quia à pubertate ad pueritiam remeabant, cum in naturali motu à pueritia ad pubertatem accedentes, pilos primum progignere conſueſcant, & Avic. 1. 1. *doct.* 3. *c.* 3. definiens hanc ætatem, dicebat eſſe ætatem illam, in qua homo barbeſcit, vocavitque illam patrio vocabulo *Angulamie*, & *Alreach*, hoc eſt ætatem pollutionis, quia tunc primum animal ſemen emittere ſolet.

9 Vocatur porrò hæc ipſa ætas adoleſcentia ab adolendo; quia tunc maximè temporis corpus ad ſuum incrementum properat; licet, ſi ad nominis etymologiam reſpiciendum ſit, non hæc ſola ætas dicen-
10 da ſit Adoleſcentia, ſed totum illud ſpatium, quod eſt à prima naſcendi die uſque ad completum incrementum, perfici ſolitum ut plurimum 24 anno; univerſo enim hoc tempore homo adoleſcit, & incrementum ſuſcipit, ut in ſuperioribus quæſtionibus ex Fernelio annuebam, & fatetur ipſe Hippocr. *in lib. de carnib. ante finem.*

11 Quanquam autem realiter ita ſe res habet, tamen hæc ætas pubertatis propriè Adoleſcentia dicitur, quia manifeſtius, ac multò magis, quàm in aliis præcedentibus, aut etiam ſubſequentibus ætatibus, ac evidentiùs homo adoleſcit; & propriè hanc eſſe ætatem adoleſcentium ipſe Galen. dixit, *comm. Aphor.* 5. *Aphor.* 9. licet à 18. anno initium ſumpſerit, tamen & adoleſcentiam, & pubertatem uno eodémque anno terminari ex ipſo patet, ut infrà videbimus.

12 Neque ob id, quòd Galen. *ubi proximè*, ut dixi, & Fernel. *loco citato Phyſiologiæ, lib.* 3. *cap.* 10. & ex Juriſperitis Gloſſ. *in §. minor. nat. Inſt. de adopt.* & Port. *ibid.* dixerint, adoleſcentiam à 18. anno ad vigeſimum quintum enumerari; idcircò dubites, non unam, eandémque eſſe cum pubertate, quia ſi quod inde dubium inſurgit, ex infrà dicendis facilè
13 diluere poteris.

Dicitur etiam hæc ipſa pubertatis ætas, ætas diſcretionis, Alberic. *in diction. in verb. ætas diſcret.* & rectè, cum tum primum pueri alicujus rationis videantur fieri participes; atque ea de re Plato *in Convivio*, hanc ætatem primùm mentem habere affirmabat, ſub perſona Pauſaniæ dicens: *Non enim amant pueros priuſquam inceperint jam mentem habere: hoc autem tempus vicinum eſt illi, quo pubeſ-*
14 *centes barbam producere incipiunt.* Meritò ergò, & admodum prudenter jam huic ætati per leges conceditur facultas condendi teſtamentum, *l. qua ætate,*
15 *ff. de teſtam. & qui teſtam. fac. poſſ.* Miror autem quòd hæc ætas dicatur tenera, ut teſtatur Alberic. *in diction. in verb. tenera ætas*, & videtur etiam Celſ. *ſuæ med. lib.* 2. *cap.* 7. teneras ætates vocaſſe juventutem præcedentes, & tamen hoc nomen, ſeu cognomen magis ſuperioribus ætatibus convenire poſſet, licet etiam huic aptari poſſe contendamus, ſed hæc levis momenti ſunt.

Videbatur quoque debere dici hæc ætas florida, 16
ſeu florens, cùm pubeſcentiæ in homine reſpondere 17
dixerit Ariſt. 7. *de hiſt. anim. cap.* 1. *in princ.* quod in ſtirpibus florere dicimus ex Alcmeonis Crotoniatæ ſententia. Quanquam Gal. 2. *de ſanit. tuend. cap.* 2. *claſſ.* 1. & 2. *de temper. c.* 2. *claſſ* 1. & alibi millies, & Paul. *ſuæ med. lib.* 1. *cap.* 14. & Fern. *loco ſæpius citato*, ætate florentes appellitant juvenes à vigeſimo anno ſuprà. Tamen, ſi quid nomini attendendum eſt, 18
Florentis nomen huic ætati magis convenire dixerim, præſertim cùm animadverterim Hipp. 2. *prad. propè fin.* hanc ipſam ætatem, ætatis florem appellaſſe, ut ex ſequentibus ejus verbis patere poteſt: 19
Contingunt autem, inquit, *& juvenibus, & virginibus in ætatis flore, potiſſimumque circa menſtruorum exitum*: tametſi *in* 1. *de Diæta*, florentis ætatis nomine omnes comprehenderint, quæ ſenectutem præcedunt; in communi tamen loquendi modo in ætatis flore conſtitutos dicimus in hac ætate poſitos. Terent. *in Eunuch. Act.* 2. *Scen.* 3.

P. Anni? C. Anni? ſexdecim, flos ipſe.

Nec mirum eſt hanc ætatem gratam appellaſſe 10
Homerum *Odyſſ. lib.* 10. *& lib. ultim.* quia flori ſimiles eſt, unde inquit:

Juveni viro ſimilis
Primùm pubeſcentis cujus gratiſſima eſt ætas.

Quem locum refert Plato *in Protagora in princip.* Sed 21
Ter. *in Andr. Act.* 1. *Scen.* 1. hanc ætatem vocavit integram:

egregia forma, & ætate integra.

Denique hæc ætas appellatur nubilis, *c. Puberes, de deſp. impub.* Lud. Ro. *ſing.* 237. *num.* 3. Covar. *relect. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. Surd. *conſ.* 363. *n.* 8. *tom.* 3. Sanazar *de matrim. art.* 4. *num.* 7. Dicitur autem virgo, ſeu fœmina nubilis, non verò puer nubi- 22
lis, niſi impropriè, quia propriè fœmina nubit, non vir. Calepin. in verbo, *Nubo*, Unde Ovid. *Metamoph. lib....*

Pronuba quid Juno, quid ad hæc Hymenæe venitis
Sacra, quibus, qui ducat abeſt, ubi nubimus amba?

Quamobrem cum virum uxori ſubiici ſignificare 23
volumus, illum uxori nupſiſſe dicimus, quaſi is uxori ſerviat, licet Juvenal. *Sat.* 2. dixerit:

Nubit amicus,
Nec multos adhibet.

Proprium tamen, ut dixi, fœminæ nubere eſt, non aliter enim bonos Autores eo verbo fuiſſe uſos reperies, Plaut. *in Ciſtell. act.* 1. *Scen.* 1.

LE. heia!
Hæc quidem Ecaſtor quotidie viro nubit, nupſitque hodie,
Nubet mox noctu.

Sed de hoc verbo plura vide apud Tiraq. *in leg. connub. gloſſ* 1. *part.* 5. *num.* 4.

Cæterùm qui in pube ſunt, & ad annos pubertatis 24
venerunt, dicuntur Ephebi. Cagnol. *§. in impuberibus, ff. de reg. jur. num.* 1. Calep. *in dict. in verbo* Ephebus.

Incipit verò pubertas in pluribus, & ut plurimum, 25
ut communis fert opinio à 14. anno, *c. in qui de reg. & tranſ. ad Relig. § pubertatem inſt. quib. mod. tut. finit.* Summa Hoſtienſ. *lib.* 4. *de deſp. impub. num.* 3. Abb. *in c. puberes, de deſp. impub. num.* 2. Aret. *in §. minor, n.* 11.

Inſtit.

Inſtit. de adopt. Jaſ. *in l. impuberibus, n. 2. ff. de acquir. hæred.* Facit pro Medicis Hipp. locus *in Coacis Prænotion. ſent. vel text.* 512. Gal. *Aphor. comment. 1. Aphor. 27. & comment. 4. Aphor. 7. extr. ord. claſſ. & 6. de ſanit. tuend. cap. 2.*

Sed Fernel. *loco ſupius cit. Phyſiol. 3. cap. 10.* pu-
26 bertatem à decimo anno initiari voluit, cum tamen pro comperto ſit, decimum quartum annum à Juriſperitis, ab aliis Medicis, cæteriſque quibuſvis aſſignatum præcociorem terminum eſſe, quàm par ſit;
27 habet enim locum in calidis regionibus, & temperaturis, at in univerſum non ita; quamobrem Gal. præcociorem terminum non adduxit decimo quarto anno, neque ad illum ſe reſtrinxit; quinimò loco jam citato *de ſanit. tuend.* nonnullos tardiùs, quàm decimo quinto anno pubeſcere affirmavit, quin & alios in 14. anno pubertati ſolùm proximos
28 fieri dicebat. At terminus hic quatuordecim annorum locum habet in maſculis, ſecundùm Legum peritos: nam in fœminis aliud procedere voluerunt, ſcilicèt, quod hæ in 12. ad pubertatem perveniant, ut ex ſupradictis auctoritatibus habetur, quibus addi poteſt Gloſſ. *lib. 2. de his qui veniam æt. imp.* Dec. *in c. pub. de deſponſ. impub.*

29 Miror tamen, quo pacto hunc terminum adeò præcocem in fœminis aſſignaverint; cùm ſi evidens, ac infallibile in iis pubertatis ſignum eſt concipere, & generare poſſe ex millies citato *cap. puberes*, & ex Abb. *ibid. n. 2.* & Hoſtienſ. *ibid. 4. num. 4.* & ob eam rem hæc ætas Venereæ poteſtati ſubiici-
30 tur, ut ex Procli ſententia tradit Cœl. Rhodig. *lect. antiq. lib. 19. cap. 22.* & Epiph. Ferdin. *Theor. lib. 1. Theor. 19.* & ob eam ipſam cauſam tunc virgo viti-
31 potens dicitur, §. 1. *Inſt. quib. mod. tut. fin.* Mas quidem
32 generare non poteſt priuſquam ſemen emittat, nec mulier priuſquam menſtrua patiatur, ut probat abundè Gentil. *quæſt. med. 39. verſ. ſciend. 2.* etgò tunc pubeſcere dicendum putavetim marem, cùm primùm ſemen emittit, fœminam, cùm primum men-
33 ſtrua experitur: favet huic ipſe Hippocr. *in lib. de genit. in principio*, qui virginibus menſes non prodire dixit intrà, hoc eſt ante pubertatis tempus, ita ut non niſi menſtruis prodeuntibus virgines puberes fiant; & manifeſtè tunc animalia in pubertate eſſe, cùm ſemen emittunt, tradit Ariſt. 5. *de hiſtor. anim. cap. 14. & probl. ſect. 4. probl. 4.* Alb. Magn. *de animal. lib. 5. tract. 2. cap. 2.*

34 Veruntamen ſi experientiæ credendum eſt, ex fœminis vix duodecimam partem duodecimo anno purgari compertum eſt, imò & multas ex iis, quibus etiam calidius temperamentum à natura inditum eſt, vix in ipſo decimo quarto in hiſce noſtris regionibus purgari diligenti adhibita cura cognovi, licèt nonnullas, ſed numero pauciſſimas, duodecimo anno, aut etiam citiùs purgari compererim, inter alias verò puellam carnoſam, ac boni habitus, quæ novem annis minor, rectè, ordinatè, multum, & aſſiduè purgabatur: ſimiles verò hiſtorias, quæ tamen ordinem naturæ non pervertunt, præcocioris purgationis in puellulis, & de puellula recenter nata menſtruis obnoxia recolligit Schenck. *lib. 4. obſerv. Med. Rar. tit. de Menſt. purg.*

35 At ſi jus adaptari debet his, quæ ſecundùm plurimùm eveniunt, non verò iis, quæ rarò contingunt, ut habetur per *l. ex his, & per l. ſeq. ff. de leg. & Sen.*
36 *Conſ. & per l. neque Leges, ibid.* ſi pubertatem tunc eſſe præſentem dicendum ſit, cùm Fœmina purgari per menſtrua incipit; tunc enim, & non ante generare poteſt, terminum duodecim annorum à Juriſ-
37 peritis aſſignatum præcociorem eſſe, quàm par ſit, concludendum. Neque me à mea opinione removere debet quod firmat Rota *in Toletana nullitatis matrimonii* 1639. *coram Coccino n. 2.* neque pubertatem in muliere requirere ætatem annorum duodecim: quia loquitur ſecundùm canonizatam Doctorum opinionem; vel voluit pubertatem non poſſe in minori ætate adeſſe, quàm duodecim annorum, & jure, ob menſtruorum apparentiam tunc, & non antè. Faciunt ad meam ſententiam roborandam 38
multa Doctorum hominum teſtimonia, ac omnium primum Heſiod. *in lib. 2. oper. & dier.* apertiſſimè mihi faventis in hæc verba:

Junge tibi uxorem dum firmus adhuc vigor adſit,
Annos cum numeras ter denos, pluſvè, minuſve
Aptum eſt conjugium, decimo ſed fœmina quarto
Anno pubeſcit, nubat mox deinde ſequenti.

Neque parvi facienda eſt Heſiodi auctoritas, ut 39
quæ à magnis viris, & ſcientia eminentiſſimis ad ſuas rationes, & aſſertiones roborandos ſæpè ſæpius adducta fuerit, ut à Plat. 5. *de Rep.* ubi illum Sapientem appellat, (quod etiam nomen reportat ab Ariſt. *in lib. de Xenoph. Zen. & Gorg. in princ.*) & 8. *ejuſdem de Rep. in princ. & in Charmide, ſive de Temperantia propè principium, & 3. quoque de Legibus. & alibi*, & ab Ariſt. *Probl. ſect. 4. probl. 16.* nec non etiam à Gal. *de cujuſque anim. peccat. not. atq. med. cap. 4.*

Quod tamen de tempore nubendi Heſiod. tradidit, (& hoc obiter dicamus) contrarium eſt ſententiæ Plat. 5. *de Rep. & 4. & 6. de Leg. in fin.* qui fœminas non niſi vigeſimo anno nubere voluit, licèt 40
in præcit. ſexto de leg. etiam in 18. admittat, cui conſentit Ariſt. *Polit. 7.* de viris autem omnes conſentiunt, quòd in trigeſimo uxorem ducant: de ætate autem ad matrimonium apta tam in viro, quàm in fœmina, copioſiſſimè ex quamplurimis auctoritatibus Tiraq. *Gloſſ. 1. part. 6. l. 6. per tot. in leg. conn.* & poſt hunc Covarr. *de ſponſ. & matrim. part. 2. cap. 5. num. 1.*

Sed ad rem redeuntes, non deſunt etiam aliæ quamplurimæ auctoritates ad demonſtrandum duodecimum annum non eſſe verum pubeſcendi tempus, aut frequentius in fœminis, ſed potiùs decimum quartum; inter quas eſt Macrobii locus *n. 1.* 41
de ſomn. Scip. cap. 6. verſ. fin. qui, *Poſt annos*, inquit, *bis ſeptem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit, tunc enim moveri incipit generativa in maſculis, & purgatio fœminarum*, quanquàm teſtatur propter vororum feſtinationem, hoc eſt, ut Juriſperitorum modo loquamur, propter doli capacitatem, tutelam maturius biennio abſolvi legibus, & licèt *Saturnal. lib. 7. cap. 7.* dixerit fœminam duodecimo anno pu- 42
bertatis ætatem attingere, loquitur tamen eo loci ſecundùm juris diſpoſitionem, non ſecundum rei naturam.

Addantur his plurimorum Medicorum auctori- 43
tates, inter quas primum obtinet locum Hippocr. jam ſuprà addocta. Paul. *ſua Med. lib. 3. cap. 60. Mulierum*, inquit, *plurimis menſes 14. anno fluere incipiunt, pancis verò ante 13. aut 12. pleriſque autem* 44
poſt 14. cui aſſentitur Aëtius *lib. 16. cap. 51.* & Tretula, (quem ex aliquorum ſententia fœminam fuiſſe tradit Mercurial. *de morb. mul. lib. 1. cap. 4.* Gentil. *quæſt. 39. verſ. ſciend. 1.* & alii penè omnes, inter noviſſimos autem ſatis ſit adduxiſſe Mercurium 45
in lib. cui tit. la Commiare, lib. 1. cap. 16. & Laurentium *Anatom. lib. 8. quæſtion. 7.* ubi ejus rationem habet. Non conticenda verò Ariſtot. *aſſertio 1. de Gen. Anim. cap. 20. & 7. ejuſdem cap. 1.* quibus in locis eodem tempore fœminis profluere menſtrua firmavit, quo maribus ſemen; patet autem, non

ante

46 ante decimum quartum mares, ut plurimum ſemen emittere, non ante decimum quartũ: ergo, ex ejus ſententia, fœminæ pubeſcunt, quia non ante menſtrua patiuntur, & ita ſe rem habere firmat Alex. *probl. lib. 2. probl.* 38. & Alb. Magn. *de anim. tract. 1. cap. 1.*

Licèt ergo cauſam à Gellio adductam, votorum nimirum in fœminis feſtinationem, libens admittam, moviſſe Leg ſlatores, ut in illis tutela maturius biennio abſolvatur, tamen quoad pubertatem ſi ejus terminus in fœmina pro rei natura eſt conſtituendus, decimus quartus potius, quàm duodecimus conſtituendus eſt, veluti etiam in maſculo, in quo tamen ſerior conſtitui poſſet: pauci enim in
47 decimoquarto pubeſcunt, & ii quidem, qui natura calidiores ſunt, plures & decimoquinto, aut etiam decimoſexto, ut ex ſuprà citatis Galen. auctoritatibus clarè patet.

Negari namque nullo pacto poteſt, fœminam ſemper citiùs impubeſcere, facta cõparatione in-
48 ter calidam fœminam: & marem æqualiter calidũ; ſemper enim fœmina matem per anni dimidium, aut etiam integrum annum in pubeſcendo antecedet, quod & ipſe Hipp. teſtatus eſt *in lib. de ſeptim. par. ver. fin & 6. de morb. vulg. ſect. 2. text.* 35. & cum eo alii omnes.

Cujus rei rationem, cùm reddere niteretur Hoſt.
49 *lib. 4. tit de deſp. impub. n. 1.* neſcio quanam auctoritate fultus, aut qua ſcientia munitus, quáve edoctus experientia dixerit, fœminam citiùs ob id pubeſcere, quod & calidior, & ingenioſior ſit viro. Nec deſunt Hoſt. & auctoritates, & rationes ad illud firmandum, quas tametſi profectò ille non adduxerit, tamen adducamus nos in ejus ſententiæ favo-
50 rem. Ratio ergo in promptu eſt, quia fœmina multò magis, quàm mas ſanguine referta conſpicitur, ergo calidior cenſenda eſt, ſanguinis enim multitudo non niſi ex calore provenit. Accedit Hippoc. auctoritas *in 1. de morb. mul.* ubi hæc reperies, *Calidiorem enim ſanguinem mulier habet, ideoque viro calidior eſt*, cujus opinionis fuit etiam Parmenides, teſtante Ariſtot. 2. *de partibus Anim. c. 2. in princip.* Alias inſuper rationes adducunt, qui eam quæſtionem ex profeſſo diſcutiunt, quos infrà citabimus

51 Veruntamen cùm realiter fœmina viro ſit frigidior, & humidior, ut omnes cæteri Philoſophi, ac Medici conſentiunt, Hipp. *in lib. de Nat. Puer. & 1. de Vict. rat. non longè à fine.* Ariſt. *ubi proxime, c. 3. & cap. de Gen. Anim. c. 20.* Gal. 2. *de ſem. c. 4. claſſ. 1. & comm. Aphor. 3. Aphor. 11. extr. ord. claſſ.* Avic. 1. 1. *doctr. 2. cap.* latè Macrob. *Saturn. lib. 7. c. 7.* latiſſimè potrò Conciliat. *differ. 28. per tot.* Valleſ. *controv. Philoſ. ad Med. lib. 1. cap. 9.* Coſtræus *in diſquiſ. Phyſiol. lib 3. c. 3.* Epiphan. Ferd. *Theor lib. 1. Theor. 25.* Rozar. *Contrad. Med. Hipp. contrad.* 38. Andr. Lauren. *Anatom. lib. 8. quæſt. 2. per tot.* & noviſſimus Nancel. *in Analog. Microcoſ. ad Macroc. lib. 7. part. 3. probl. 2.* & alii omnes, nullius valoris remanet Hoſtienſ. ratio, quæ ab ipſo Ariſtot. ubi ſuprà tanquam falſa reprobatur, rationibus autem vel adductis, vel quæ adduci poſſent, reſpondent prædicti omnes, Hippocratis verò auctoritas pro ipſo adducta quomodo intelligenda ſit, non eſt præſentis loci inquirere, ſatis pro nunc ſit, ſimpliciter acceptam, veritatem non habere, licèt ſatis aptam ejus rei declarationem afferat Rotarius *ubi ſuprà*; ſunt tamen qui textum illum Hipp. germanum non eſſe, ſed adjectitium voluerunt, quos citat, & ſequitur idem Laurent. *ubi ſuprà verſ. fin.* [Vide Zacutum *hiſt. Med. P. p.* 130.]

Duplici ergo ex cauſa, ſi veram ejus rei rationem 52
quæramus, fœmina citiùs mare pubeſcit, ob naturalem nimirum ejus imperfectionem, & ob innatam ſui intemperamenti humiditatem: imperfectior 53
enim eſt fœmina mare, ut cum Ariſt. ſentit Gal. *lib. 14. de uſu par. corp. hum. c. 5. claſſ. 1.* quatenus igitur fœmina reſpectu maris imperfectior eſt, minus ſpatium requirit, ut ſuam integram perfectionem aſſequatur, quam requirat vir, cujus perfectio major abſque dubio eſt: tempora enim perfectionis, & imperfectionis, hoc eſt augmenti & decrementi, reſpondere ſibi debent, Ariſt. *in lib. de mor. & vit.* patet autem, in fœmina multò citiùs advenire in- 54
crementum, citiùs enim generare deſinit, citiuſque 55
feneſcit, quàm vir: imperfectio verò ipſius debiliore emanat calore, & ideircò, licèt citiùs feneſcat, citiùs etiam incrementum in ea abſolvitur, Galen. *in 6. de morb. vulg. comment. 2. text. 45. claſſ. 3.* Hanc autem rationem in medium primus adduxiſſe videtur Hipp. *in lib. de ſept. par. in fin. & in lib. de nat. Puer.* dicens, propter corporis imbecillitatem id evenire puellis, ut citiùs quàm mares pubeſcant, ſapiant, & feneſcant, cui aſſentitur Ariſtot. 4. *de Gener. Anim. cap. 6.* Hac ipſa quoque ratione uſus videtur Macrob. *loc. citato*, comparando fœminas exilibus pomis, quæ multo celeriùs quàm robuſtiora matureſcunt.

Ac profectò in quovis rerum genere illud ipſum 56
evenire apparet, ut ſemper perfectius tardiùs quàm id quòd imperfectius eſt, augeſcat & abſolvatur; pro exemplo ad hominem ipſum confuge, in quo 57
primum ea, quæ ad corpus ipſum pertinent, perficiuntur, dehinc ea quæ ad animum, quia animus corpore multò perfectior eſt,

Sed non ſolum, ut dixi, ratione ſuæ imperfectio- 58
nis, ſed etiam ratione humiditatis ſuæ temperaturæ 59
& corporis ipſius mollitiei, fœmina citiùs, quàm mas concreſcit; ob id enim corpora in omnes dimenſiones faciliùs & citiùs ſeſe extendunt, teſte Galen. *in loco proximè allegato de morb. vulg.*

Poteſt tamen hic obiici, cur nam hæc ipſa fœ- 60
minæ imperfectio, ac temperatura, quæ ipſam extra uterum multò celeriùs, quàm marem concreſcere facit, non idem etiam, & cum illa in utero eſt, efficere valeat: nam & experientia, & omnium magnorum virorum authoritate conſtat, marem in utero citiùs abſolvi, & ad debitam perfectionem pervenire, quàm fœmina faciat, Hipp. *in lib. de* 61
nat. Puer. & 1. de Diæt. & de Morb. vulg. ſect. 2. text. 35. Ariſt. 4. *de gener. anim. cap. 6.* & ibi Aver. Gal. 2. *de ſem. cap. 5. claſſ. 1.* Avic. 21. 3. *tract 1. cap. 2.*

Pro hujus dubitationis reſponſione ad Ariſtotel. eo loci lectorem remitterem, ſed ut præſentaneam 62
habeat reſponſionem dico, quod in fœmina tanta dominatur humiditas in ſuo primo exortu (omne enim animal humidiſſimum, cum exortui vicinum eſt, Hipp. *lib. 1. de Diæt. non longè à fin.*) ut calorem nativum obruat, ac ejus actionem ita impediat, ut illam materiam ſuo libitu vegetare non permittat, humiditas enim caloris actionem 63
infringit. Conciliator (Petr. Aponenſis) *differ. 12.* Facit huic rationi ipſius Hipp. authoritas *in lib. de nat. puer. non longè à fin.* extra uterum verò, quia & primigenia illa humiditas ſenſim deperditur, & calor in dies invaleſcit, facilius in debitam molem, quàm primum libuerit, poteſt motliora ipſius fœminæ membra attollere, cùm ipſe nunc humido dominetur, nec ab eo, ut anteà, obruatur.

Sed

Sed cùm hæc ad Juriſperitos minus forraſſe pertinere videantur, ad rem redeuntibus dicendum jam eſt, quo anno pubertas finiatur : ac profectò non unum, ſed multiplicem apud leges, & earum
64 interpretes videtur terminum ſortita fuiſſe, nam leges *in ſæpius cit. §. minor natu, inſtit. de adopt.* & ibi Port. *num.* 4. *& l. arrogato, ff. de adoption. & emancip. & l. Carboniani, C. de Carbonian. edic.* Summ. Hoſtienſ. *lib.* 4. *de deſp. impub. num.* 3. *& lib. eod. de frig. & maleſ. num.* 13. Zabatell. *de Ætat.*
65 *& qualit. c. generalem, num* 4. Farin. *in pract. crimin. lib* 3. *part.*2. *tom.*1. *quæſt.* 42. *num.* 10. plenam
66 pubertatem conſtituunt in decimooctavo anno.

Sed Gloſſ. *in citat. l. arrogato*, triplicem facit pubertatem, plenam in decimoquarto, pleniorem in 17. pleniſſiam in 18. quam imitatus Nicaſ. *in §. minorem nat. num.* 4. *lib.* 1. *de adoption. tit* 11. addidit, ali-
67 quando etiam plenam dici pubertatem anno 15. Abb. verò *in c. tua, num.* 2. *de deſponſ. impub.* & Hoſtienſ. *ubi ſuprà num.* 3. Aret. *in d. §. minor. nat. de adoption.* & alii pubertatem ad 25. annum protendi voluerunt, quibus favet ex noſtris Gal. *in locis ſupra citatis*, etiam ex ipſius Hipp. auctoritate, ut jam ſuprà retuli.

68 Dicendum videtur, quod quemadmodum non eſt unus, idemque terminus omnibus pubeſcendi, ſic neque pubertatem finiendi, Gal. *Aph. comm.* 3.
69 *Aphor.* 27. ut plurimum tamen eam ad 25. annum extendi, ſi ad animi corporiſque conſtitutionem reſpicias, tam corpus enim, quàm animus uſque ad hunc terminum ſemper proficere videntur, ita ut tam hic, quàm illud hoc tempore perfici videan-
70 tur : at ſi ad generandi virtutem reſpiciamus, rectè in vigeſimo pubertatem dici poſſe abſolutam ; hoc namque ætatis ſpatio aptiſſimus jam ad generandum homo videtur eſſe, Alb. Magn. 5. *de anim. tract.* 2.
71 *cap.* 1.

Sed illud apprimè Juriſperitos defatigavit, ex quibus nimirum ſignis pubertas cognoſci poſſit, nam corporis inſpectio, qua antiquitùs utebantur : &
72 quam etiam admiſit Plat. 11. *de leg. trans princ.* à Juſtiniano honeſtatis cauſâ exploſa fuit, ut habetur *in §. pubertatem, inſtit. quib. mod. tut. fin.* unde Abb. *in cap. puberes, de deſponſ. impub.* Summ. Hoſtienſ.
73 *lib.* 4. *de deſponſ. impub. num.* 4. *&* 5. tria ſigna pubertatis aſſignârunt, hoc eſt ætatem quatuordecim annorum, pilos in pudendis, & coëundi potentiam.

74 Sed & hæc ipſa ſigna fallacia eſſe cuilibet patere poteſt, quia quantum ad primum, ſupra jam ex Gal.
75 probavi non eſſe unum omnium certiſſimum pubeſcendi terminum, & alios citiùs, alios etiam ſeriùs decimoquatto anno pubeſcere, ita ut ſi ad individua te conferas, & de illis judicare oporteat, fallax omninò ſignum habiturus ſis ex annorum quantitate.

76 Quoad ſecundum, bene dicebat Fernel. *in toties citato cap.* 10. *lib.* 3. *Phyſiolog.* ætatum differentiam non facere pilorum eruptionem, & hujuſmodi quidpiam, ſed converſionem temperamento ex intrinſeca cauſa accidentem, unde etiam pullulante pube, poteſt quis ſecundum hanc ſententiam adhuc eſſe impubes, præterquam quod, ut hujuſce ſigni certiores efficeremur, jam ad corporis inſpectionem devenire nos oporteret à Legibus nuper repudiatã, & in eundem lapidem impingeremus.

77 Quoad tertium, ſi honeſtatis cauſâ rejecta eſt corporis inſpectio, multo magis ejuſdem honeſtatis cauſâ hoc ipſum ſignum reiiciendum ; nam vel ad inſpectionem ipſam, vel ad ejus evidentiam ad actum devenire oportebit, non ſoldm enim honeſtatis detrimento, ſed etiam non abſque peccato fier. 78
Adde quod & hoc ipſum ſignum fallax eſt, propriè enim non potentia coëundi, ſed potentia generandi eſt certum, ac infallibile pubertatis ſignum ; nam & 79
hi, qui in pube non ſunt, coire aliquando poſſunt, 80
generare tamen nequaquam, quia ſemen non emittunt ; neque enim ſemen ante pubertatem, ſed in pubertate prodit, ut alias ex Ariſt. & Alb. Mag. dixi : quamobrem potentia coëundi præcedit pubertatem, ut idemmet Abb. fatetur *in c. à nobis, de deſponſ. impub. num.* 3.

Cum ergo ab iis meliora non adducantur, & ſi- 81
gna adducta fallacia ſint ad probandam præſentem 82
pubertatem, alia veniunt proponenda. Ac profectò nullum magis certum, ac minus fallax poteſt proponi ſignum, quàm inſignis, ac cita, & quaſi ſubitanea corporis mutatio ; magnas enim fieri in pubertate in corporibus mutationes, non ſolum ex Gal. imò & Hipp. auctoritate, *Aphor. lib.* 3. *Aphor.* 18. Alex. *probl.* 1. *probl.* 125. Fernel. *Phyſiol. lib.* 7. *cap.* 7. patet, ſed ex ipſa rerum experientia palam fit : nam corpus in multo minori ſpatio, quàm aliàs par eſſe videretur, in proceritatem attollitur, membra etiam in latus diſtenduntur, mores immutantur ita, ut neſcio quid ſincerioris, ac magis ſanæ mentis præ ſe ferant, vox ex tenui, & exili craſſior & fortior apparet, quod pro præcipuo pubertatis ſigno ponit Alb. Magn. *ubi ſuprà*. In fœminis autem pectus, & mammæ præ cæteris partibus amplificantur, ac intumeſcunt, aliæque ſanitatis, & morborum mutationes ſe produnt, ut Hipp. docuit *in lib. de octim. par. in fin. & cit. Aphor.* 27. *lib.* 3.

Cùm his præterea corporis inſpiciendum eſt 83
temperamentum, quo cognito, & de aliqua inſigni corporis mutatione certior factus judex, æta is quantitate, aliiſque adminiculis ſimul junctis, facile declarare poterit, an hic de quo judicium ferre debet, pubes jam factus ſit, nec ne.

Jam verò ſuprà declaravi fallaciam ejus conjectu- 84
ræ, quæ ex coëundi potentia deſumitur, quamobrem fruſtrà Abb *in c. de illis, el.* 2. *de deſponſ. impub. n.* 4. venari ſtudet, quibus indiciis in cognitionem venire poſſimus, an puer ad coëundum potens ſit, nam iis etiam indiciis inveſtigatis, ac repertis, immo de ipſa coëundi potentia certiores facti, adhuc non erit manifeſtum, adeſſe pubertatem, ex ſupradictis.

Denique videamus an pubetes integrum rationis 85
uſum habeant, & conſequenter apti ſint ad quæcunque civilia negotia indifferenter gerenda : & leges 86
quidem non permittunt his omnia ſuo arbitrio gerere, ſed eos curatoris tutelâ muniri voluerunt.

Dicendum videtur, quod puberes habeant qui- 87
dem rationis integrum penè uſum, adhuc tamen rudem, ac imperfectum, & ubi ratiocinatione opus 88
eſt, eo minimum valere, quamobrem omnia abſque prud[illegible] agunt, & rect. Homer. *Odyſſ.* 7.

Sic non ſperares juniorem obviantem facere.
Semper enim juniores imprudenter agunt.

Jure merito igitur à negotiis gerendis à legibus eliminantur, & ad ſua propria gubernanda Curator datur illis, *§. maſculi, inſtit. de curat.* nimis etenim à 89
paſſionibus vincuntur, & in voluptuoſa impetu quodam irrationali feruntur, ita ut vix ab iis ulla ratione deterreri poſſint, teſte Plat. & Gal. *in locis jam ſupra adductis*, immo ipſa commonſtrante experientia [Sed advertendum hæc de prima pubertate intelligi, hoc eſt de ætate quatuordecim annorum] cum verò hæc ſupra quam res patiatur nota ſint, Jam huic quæſtioni finem imponamus.

SUMMARIUM.

1 *Adoleſcentia, & pubertas ſunt una eademque ætas.*
2 *Juventus quæ ætas ſit, num. 28.*
3 *Juventus ex Ariſt. eſt prima refrigerativæ particulæ augmentatio.*
4 *Adoleſcentia quæ ætas ſit.*
5 *Juvenis dicitur quis poſt adoleſcentiam.*
6 *Poſt 25. annum completur virilis vigor.*
7 *Quando quis dicatur juvenis.*
8 *Juventus dicitur ætas robuſta, firma, integra.*
9 *Ætas perfecta quæ.*
10 *Animal tunc perfectum eſt, cum totale ſibi debitum incrementum adeptum eſt.*
11 *Perfecta ætas ex urbis ſtatuto eſt in vigeſimo anno.*
12 *In Romano aëre homines citius perficiuntur.*
13 *Perfecta mas ex Macrobio quæ.*
14 *Legum cum Macrobio conciliatio.*
15 *Ætas legitima quæ.*
16 *Ætas legitima completa eſt 25. anno.*
17 *Completa i. initiata.*
18 *Perfecta ætas non dicitur ante 30. annum.*
19 *Ætas plena.*
20 *Juventus in 25. anno an incipiat.*
21 *Juvenis quis dicatur ex l. Non aliter.*
22 *Seniores dicuntur in ſeptuageſimo anno. Contrarium num. ſeq.*
24 *Senior multipliciter dicitur.*
25 *Iuventutis terminus ex Abb. & aliis.*
26 *Iuventutis terminus ex Medicis.*
27 *Medicorum opinio approbata.*
29 *Declinatio in homine quando appareat.*
30 *Iuventutem à virilitate non diſtinguunt Legumperiti.*
31 *An in terminis aliarum ætatum conſtitutis poſſit homo ſenescere.*
32 *Senectus quid.*
33 *Senibus cur multa concedantur.*
34 *Dupliciter ante tempus quis poteſt ſenescere, & n. 38.*
35 *Naturarum nonnullæ citius, aliæ tardius ſenescunt.*
36 *Vita ex calido innato humido procedit.*
37 *Ex morbo in ſenectutem quomodo quis cadere poſſit.*
39 *Ea, quæ ſeni concedantur à legibus ob corporis imbecillitatem an præcedant in aliis, qui ante tempus ſenescunt.*
40 *Ea quæ in ſene ob rerum experientiam locum habent, an præcedant in iis qui ante tempus ſenescunt.*
41 *Experientiam ex annorum multitudine ſenes habent.*
42 *Juvenis non poteſt eſſe ſapiens.*

QUÆSTIO VII.

De Juventute.

DE *Adoleſcentia* pluribus agere ſupervacaneum omninò eſſe mihi videtur, cũ una eadẽque ætas 1
ſit cum pubertate, ac ſit potius genericum quoddam nomen pluribus ætatibus conveniens, ut jam ſuprà dixi, ad *Juventutem* ergo nobis tranſeundum.

Primùm ergo breviter videamus, quænam ætas ſit 2
propriè juventus, ac dicamus, juventutem eſſe eam ætatẽ quæ ſuccedit poſt totale corporis incrementum, præcedit autem caloris nativi primam declinationem: nam omittam pro nunc Ariſt. definitionem *in lib. de juvent. c.* 14. hoc eſt, *juventus, eſt prima refrigerativæ particula augmentatio*, ut quæ longa explanatione indigeret: [& hinc juvenis temperatior 3
puero, *Concil.* apud Horſtium text. 1. p. 9.]

Sed noſtræ definitionis ratio talis eſt. Adoleſcen- 4
tia ex Fernel. loco millies citato, eſt ætas, in qua homo, vel animal quodcunque ſuũ ſuſcipit incrementum, cui incremento ætas juventutis ſuſcedit, & ſic poſt adoleſcentiam omnes immediatè enumerant 5
juventutem: unde juvenem dici quem poſt adoleſcentiam tradunt ipſi Legumperiti, Dec. *in l. ſi pecuniã, n. 6. ff. ſi cert.* & ex Med. Gal. *Aph. comm. 5. Aph. 9.* Avic. 1. 1. *doctr.* 3. *cap.* 3. & ideirco poſt ætatem 25. annorum, ad quos ſe extendit adoleſcentia, compleri 6
dixerunt virilem vigorem, Mant. *de conject. ult. vol. lib. 5. tit.* 12. *num.* 26. completur ergo, dum virilis iſte vigor, qui non niſi poſtquam corpus ſuum debitum incrementum acceperit, completur, tunc ætas illa juventutis ætas eſt: nam poſtquam nativus calor 7
membra vegetando in debitam molem ſuſtulit, tunc in ſemetipſum recollectus major evadit, ac vigoratur, atque hac ratione non ſolum corporis, ſed & animi vires tunc temporis mirum in modum adauget, quapropter non ab re hæc ætas dicta eſt ætas 8
robuſta, *l. ſi maritus, §. lex Julia, ff. ad l. Juliam de adult. & ſtupr.* Albericus *in diction. in verbo ætas robuſta*, Maſcard. *de probat. concluſ.* 666. *num* 11. *vol.* 2. & merito, cum tunc maximè viribus polleat animal, unde Neſtor apud Homer. *Iliad.* 4.

Haſtas autem tractabunt juvenes, qui me
Minores natu ſunt confiduntque viribus.

Cœlio verò Rhodigino *lect. antiq. lib.* 26. 20. ætas hæc dicitur firma, & integra, ſed fortaſſe hæc nomina in ejus ſententia communia ſunt etiam conſiſtenti ætati; Celſus verò *ſuæ Med. lib.* 1. *c.* 22. firmiſſimam ætatem vocavit à 12. ad 35. annum. Ob eandem ipſam cauſam, complementi ſcilicet virilis vigoris, vocata eſt hæc ætas Perfecta *l. cum de indebito, §.* 1. *de* 9
probat. Gloſſ. *in §. Ita tamen, inſtit. de fid. tut.* Aret. *in §. eſt & alia, n.* 4. *ibid.* Nicaſ. *ibid. n. eod. tit.* 19. Mant. *de conject. ult. vol. lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 16. quia tunc maximè animal perfectum videtur, cum totale incrementum 10
à natura ſibi debitum, eſt aſſecutum.

Quanquam *urbis ſtatutum* perfectam ætatem conſtituerit in 20. anno, ut teſtatur Gratian. *diſcep.* 11
ſtat. for. cap. 555. *n.* 3. & *cap.* 488. *num.* 4. & 5. *tom.* 3. qui terminus longè præcedit terminum aliàs adoleſcentiæ aſſignatum, ut ex ſuperioribus patet, & ex infrà dicendis patebit: ſtatutum tamen urbis non abs re fortaſſe voluit, perfectam hanc ætatem multò celeriùs locum habere in ſuo proprio cœlo, quam alibi: notum enim eſt (& notant nonnulli Juriſperiti, quo- 12
rum ad præſens non memini) in hoc Romano aëre homines & corpore, & animo multo celerius perfici ut plurimum, quàm alibi locorum.

Macrobius tamen *in Somn. Scipion. lib.* 1. *cap.* 6. 13
circa finem, perfectam ætatem tunc præſentem eſſe dixit, cum numerus ſeptenarius ſe ipſũ multiplicat, hoc eſt in anno 49. ejus autem verba hæc ſunt, *Notandum verò, quod cum numerus ſeptem ſe ipſum multiplicat, facit ætatem quæ propriè perfecta & habetur, & dicitur, adeo ut illius ætatis homo*, utpotè qui jam perfectionem & attigerit, & necdum præterierit, *& conſilio aptus ſit, nec ab exercitio virium alienus habeatur.* Ex quibus videtur Macrobius longè aliter 14
deciſum: ſed dicendum, leges magis reſpexiſſe, ſeu primò reſpexiſſe ad perfectionem corporis quàm animi; Macrobium primò ad perfectionem animi, deinde ac conſequenter ad perfectionem corporis, unde eſt quod utraque ſententia vera ſit reſpectivè ad id quod ipſæ reſpexerunt.

Sed hanc ipſam ætatem Leges appellarunt Legiti- 15
mam, *l. fin. C. de his qui ven. Æt. impetr.* Cagnol. *in l. 1. de pact. num.* 158. *tom.* 2. Nicaſ. *in §. minor. nat. inſt. de adoption. lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 4. Marant. *in ſpecul. aur. par.* 6. *num.* 80. Maſcard. *de probat. concl.* 665. *num* 8. *vol.* 2. & *concluſ. ſeq. num.* 46. quanquam *in cit. l. fin.* legitimam, & perfectam ætatem completam eſſe di- 16
ctum eſt in 25. anno; ego tamen, niſi verbum illud 17
completam, interpreter initiatam, neſcio quomodò à repugnantia poſſit hic textus defendi; quomodò enim antecedens ætas legitima nec perfecta dici poteſt, ſi adhuc & quoad corporis incrementum, & quoad animum imperfectus homo eſt? non mirum ergo, ſi aliàs *in cap. Epiſcopus diſt.* 83. perfectam ætatem non dici ante trigeſimum annum, traditum ſit. 18

Præterea

Prætereà hæc ipſa ætas plena dicta eſt, *l. fin. §. ſancimus, C. de bon. quæ lib.* & *ibi* Gloſſ. Maſcar. *in ſuprà cit. concl. 665. num. 11.* & jure, cum plena omnia tunc eſſe videantur tam quoad corpus, quàm quoad animum, corpore debitum jam incrementum aſſecuto, & animo integro conſilio jam dotato; qua de re ex corporis incremento etiam animi incrementum ſe adeptum jactat Telemachus apud Homer. *Odyſſ. 2.* dicens:

Nunc autem quando jam magnus ſum, & aliorum verbum
Audiens, ſapio, & jam mihi augetur intus animus.

Simile etiam eſt illud Hor. *ſerm. lib. 1. Sat. 4.*

Simul ac duraverit ætas,
Membra animumque tuum, nobis ſine cortice.

Cùm ergo, ex ſuperioribus jam pubertatem, & adoleſcentiam, inſimulque corporis augmentum uſque
20 ad 25. annum perducare apertum ſit, ab inde juventus enumeranda venit, ita ut in hoc anno ut plurimum habeat ſuum primum terminum: qui autem pro ſecundo atque altero termino poni debeat, magna controverſia eſt, diſſentientibus inter ſe Juriſperitis, qui neque cum Medicis in ea re magnoperè conveniunt. Nec mirum, quia juvenis non ſemper uno modo quis dicitur, ſed ad varios eſſectus idem homo eodem tempore juvenis, & ſenex dici poteſt, ut exempli gratiâ, ſi diſponat teſtator, ut ad ſuam hæreditatem admittatur juvenis, hæres quandiu eſt in ætate habili ad generandum, poterit dici juvenis, cum teſtator eo fine juvenè voluerit eſſe hæredem. Rota *in Bonon. fideicom. de Ramvadinis 1636. num. 7. coram Dunozetto.* Unde bene additur, *ibidem, n. 9.* Juvenem, vel Senem aliquem dicendum judicis arbitrio ſecundum ſubjectam materiam.

21 Nam *l. non aliter, §. ultim. ff. de leg. 3.* annorum numerum juventuti non adſcripſit, atque eo pacto rem dubiam reliquit, juvenem enim dici poſſe, inquit, quenquam, cum exceſſit adoleſcentiam, quouſque inter ſeniores connumerari incipiat, ſed cum & de ſenioribus dubitari contingat, quinam eo nomine ſint inſigniendi, nec ipſa lex hoc deciſum reliquerit, videtur ignotum per ignotius ſignificaſſe.

22 Licèt Gloſſ. *ibi* & aliàs *in l. hæred. comput. ff. adl. Falcidiam*, ejus textus verba expoſuerit. Quod ſeniores dicantur in ſeptuageſimo anno conſtituti; quod
23 tamen non ſemper habere veritatem ex ipſa Gloſſ. patet, nam ſeniores multipliciter dicuntur pro rerum agendarum diverſitate, ut inferiùs patebit.

24 Abb. *in c. Quon. freq. ut lit. non conteſt. num 18.* &
25 Gramm. *deciſ. 34. num. 4.* & alij dixerunt, juventutẽ à 25. anno initiari, terminari verò ad quinquageſimũ, & idem videtur inferri poſſe *ex c. ut inter divin. de Sacroſ. Eccleſ.* ex Gloſſ. *in proœm. 6. decret.* & ex gloſſ. *in §. minor. nat. inſtit. de adopt.* longiorem multo terminum conſtituit Gloſſ. *in l. hæred. comp. ff. ad l. falc.*
26 quam nuper adduxi, quæ ad ſeptuageſimum etiam protrahit. Medici multò brevioré terminum conſtituunt juventuti, volunt etenim ad ſummam ad quadrageſimum ſeſe extendere, ut plurimum tamen trigeſimum quintum non tranſcendere, Gal. *Aphor. comm. 3. Abb. 30. & com. 5. Aph. 9. extr. ord. claſſ.* Avic. *prima primi doctr. 3 cap. 3.* Fernel. *Phyſiol. lib. 3. cap. 10.* Halyabbas, quem ante nominare decebat, *Theor. lib. 4. cap. 2.* Cardan. *contr. med. lib. 2. tract. 5. contrad. 10.*

28 Medicorum opinionem vero magis ſimilẽ, & rei naturæ eſſe magis conſonam, demonſtrare poteſt allata definitio: ſi enim juventus ea ætas eſt, quæ ab ultimo corporis augmẽto uſque ad nativi caloris primã declinationẽ intercedit, patet, quod illud augmẽ-
29 tum in 25. ut plurimũ appareat; hæc autem declinatio in 35. aut ſummum quadrageſimo. Tamen Juriſperiti, cùm dixerunt juventutem ad quinquageſimũ extendi, illam cum conſiſtenti ætate unam eandemque fecerunt, neque enim in rebus agendis quicquam videtur procedere in juvene, quod ſimul non procedat in vito in ætate conſiſtente poſito, unde non 30
erant illis hæ ætates dividendæ.

Licèt autem à Juriſperitis nunquam dubitatum repererim de eo, quod nunc dicere paro, tamen, quia caſus dati poteſt facillimè, in quo illi de ea re dubitent, ita ut Medicorũ ſententiam, ac judicium expoſcant, dubium libenter proponã, quod eſt hujuſmodi. An nimirum homo ante annos ſenectuti dicatos, vel potiùs in ipſis annis juventutis poſſit in eam vitæ, & corporis declinationem venire, quam ſenectutem vocamus; eſt enim ſenectus, ut infrà habetur, vitæ
ipſius declinatio à ſiccitate frigiditati juncta eve- 32
niens. Ariſt. 6. *de Gen. Anim. c. 4. Gal. in lib. de Marc. c. 1. claſſ. 3.* Dubitatur ergo, an in juventutis, vel cujuſcunque alterius ætatis termino poſſit quis ex hac 33
intemperie in corpore introducta, in vitæ decremẽtum venire, videtur autẽ multum Juriſperitorum intereſſe, illud notũ habere, ut ind definire illis liceat, an ea omnia, quæ procedunt in ſenibus, poſſint etiã, ac debeant procedere in juvene, qui in affectũ ſenectuti ſimilẽ vel ex morbo, vel ex ſui ipſius tempera- 33
menti proprietate lapſus ſit. Senibus enim ob ætatis conditionem, imbecillitatem ac gravedinem multa privilegia conceduntur, & ob eorum etiam rerũ experientiã in magna æſtimatione habentur, ut infrà, cũ de ſenectute verba faciã, Deo dante, uberiùs dicã.

Duplici ergo ratione non in juventute ſolum, ſed etiam in teneriori ætate conſiſtens homo poteſt im- 34
matura ſenectute præoccupari, vel enim illud ipſi accidere poteſt ex intrinſeco temperamento, vel etiã ex morbo, ut ſuprà annuimus. Quoad primum verò Hipp. *de vict. rat.* in aliquibus naturis tardiùs, in aliis autem citiùs advenire ſenectutem aſſeverabat, cui conſentit Gal. *6. de ſaint. tuend. c. 3. claſſ. 2.* qui in ſiccis naturis citò provene ſenilbem ſiccitatem fatebatur, 35
citò ergo ſeneſcunirit od, quod citius eorum calor ad ſummum perveniinet rementum, ac de ſimilibus quidem naturis dicebat Hipp. *in lib. de Aër. aq. & loci.* Proinde ejuſmodi naturæ longæ eſſe vitæ nequeunt, ſed ante tempus ſeneſcunt. Et ratio eſt, quia cum vita ex calido innato humido radicali juncto procedat, Ariſt. *de long. & brev. vit. cap. 3. & ibi* Averr. *in paraphr.* patet, quod in iis, in quibus humidũ ma- 36
jus ac magis calori proportionatum reperietur, vita etiã longiori tempore protrahetur, ac ſimul ipſius caloris declinatio, unde etiã & ſenectus tardius adveniet, contra verò, ubi illud minus proportionatũ, & quantitate paucũ fuerit, citius conſumetur, & animal celerius in eam ſiccitatẽ devenier, quæ ſenectus dicitur, atque hoc pacto multo ante, quàm pro annorũ ratione conveniret, animal ſeneſcet, ut puta in quadrageſimo, aut trigeſimo anno, vel etiã multo citius, & in quolibet etiã incipiẽtis vitæ ſpatio, ac termino. Ergo tunc morietur homo, exẽpli gratia, in trigeſimo anno, imo etiã in ipſa pueritia in ſumma ſenectute, ac decrepitate, & erit quidẽ hæc propriiſſimè, ſi quæ alia, naturalis mors ſcilicet, quæ ab humidi cõſũptione, & calidi extinctione eveniẽt, talis enim mors dici tur maximè naturalis, ut ex Plat. & Gal. aliàs dicetur.

Sed etiam ex accidenti, ac morbo aliquando Senecta ante tempus adventare poteſt, immò de ipſis 37
pueris firmabat Gal. *1. de differ. Febr. c. 8. claſſ. 3.* quod aliquandò ex morbo in ſenectutem incidunt, & de aliis etiam teſtatus eſt Ariſt. *loco ſuprà cit.* & idem Gal. pluries. Maximè autem intenſæ animi paſſiones

seneſcere homines citò faciunt, debua senectute Homer. *Odyſſ.* 19. cum dicebat :

Statim enim in malo homines seneſcunt.

Et Heſiodus *libro* 1. *Op. & Dier.*

Mox enim in afflictione homines conſeneſcunt.

Et ante hos clarius, ac magis ad rem noſtram Sacra Pagina Eccleſiaſt. *c.* 30. *Zelus, & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducit cogitatus.*

& Theocritus *Idyll.* 12.

—— *Qui vero deſiderio conficiuntur, uno die fiunt Senes.*

38 Non eſt ergo dubium ex ſuprà dictis, quod tam naturaliter quàm accidentaliter homo, & quodcunque etiam animal multo ante terminum senectuti in pluribus dicatum poteſt seneſcere: nunc igitur dubium eſſe poteſt, an ea, quæ in Sene propriè dicto procedunt, debeant procedere etiã in eo, qui ante tempus vel à natura, vel à morbo lapſus eſt in senectutem.

Videtur dicendum, quod reſpectu eorum, quæ 39 Seni, ob corporis infirmitatem, & ipſius senectutis incommoda à legibus conceduntur, etiam hic, qui vel exmorbo, vel ex ſui natura ante tempus seneſcit, debeat dici senex, & senum privilegiis gaudere, cùm & eandem corporis, virium que imbecillitatem, & eandem inconſtantis valetudinis incommoda patiatur hic, veluti quicunque senex ſic propriè dictus.

Quoad ea verò, quæ ſenibus ob rerum experien- 40 tiam, notitiam, ac prudentiam tribuuntur, hunc minimè senum privilegiis frui debere ſentio. Et ratio hujus aſſertionis eſt, quia prudentiam & experien- 41 tiam ex annorum multitudine Senes habent. Ariſt. 6. *Ethic.* Cagnol. *in l. cum quidam, ff. ſi cert. pet. num.* 38. & habes in Sacris teſtimonium Iob. *cap.* 12. *verſ.* 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Nec ab re Ulyſſes ſe prudentiorem Achille jactat, cum inquit *Iliad.* 19.

Præſtantior ego me, & fortior non parum quidem
Haſta, ego autem te prudentia ſuperaverim
Plurimum, quoniam prior natus ſum, & plura novi.

42 Hac igitur de re, ob defectum temporis nolebat Ariſt. *loco cit.* Juvenem poſſe eſſe ſapientem, quia inquit, *Prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore.* Et cum ob eandem prudentiam, ac rerum experientiam Senes honoribus afficiantur, non erit hic ut senex honorandus, quia ab ea prudentia ob annorum defectum neceſſe eſt omninò illũ deficere.

SUMMARIUM.

1 *Lex non diſtinguit inter juventutem, & virilitatem, & cur. ibi.*
2 *Nihil eſt apud Jureconſultos, quod juventuti cum virilitate commune non ſit.*
3 *Virilitatis ætas non datur. Contrarium, num* 5.
4 *Virilitas quid, & num.* 7.
6 *Juventutis, & virilitatis temperamenta diverſa.*
8 *Cur virilitas dicatur ætas conſiſtens.*
9 *Conſiſtentes quoad calorem declinare incipiunt, & num.* 14.
10 *Juventus æſtati, conſiſtens, ſeu virilis ætas Autumno comparatur.*
11 *Virilitas unde dicatur, & num.* 13.
12 *Virilis ætas propriè perfecta dici debet.*
14 *Virilitas dicitur ætas conſiſtens.*
15 *Avicenna vocavit juventutem nomine conſiſtentis ætatis.*
16 *Illa ætas conſiſtens dici debere videtur, in qua calor in ſuo vigore conſiſtit.*
17 *Virilitas dicitur ætas conſtans.*
18 *Virilitas appellatur ætas media & cur. num. ſeq.*
20 *Fuchſius notatur.*
21 *Ad quem uſque terminum extendatur virilis ætas, & num ſeq.*
23 *Ad omnia, quæ ad corporis robur ſpectant, procedant in hac ætate non minus quàm in juventute? decidit ut num.* 25.

QUÆSTIO VIII.

De Virilitate.

QUanquam vix quicquam eſt in hac quæſtione quod pro Juriſperitis facere videatur, tamen ab ea retractanda, ne ordinẽ jam inceptum intercipiam, non deſiſtam, neque enim omninò extra rem fuerit. Juventuti ergo ſuccedit ætas, quæ viri- 1 litas dicitur, ſed leges non diſtinguunt inter unam, & aliam, ſed utramque confundunt, atque pro una eademque ætate eas accipiunt, *c. ut inter divinum, de ſacroſ. Eccl.* Gloſſ. *in proœm. 6. decret. §. ſanè*, Gloſſ. millies citata *in §. minor nat. inſtit. de adopt.* Nec mi- 2 rum, ab illis in ea re ita procedi, cùm nihil, aut vix aliquid ſit, quod non in utraque ætate locum habeat reſpectu eorum, quæ in rebus agendis discernuntur. 3 Sed & Philoſophi nonnulli non ſolùm hanc ætatem inter alias numerare non conſueverunt, ſed ipſam dari apertiſſimè negarunt: cùm enim ætas hæc ab iis, qui eam inter alias connumerandam eſſe contendunt, dicatur, eſſe quoddam vitæ ſpatium, in quo animal nec proficit, nec deficit, unde idcircò dicta ſit ætas conſiſtentiæ, hoc tempus ſaltem notabile dari nolunt. Ita Javell *in tract. de juvent. & ſenect. cap.* 3. & alij *ibi*, Coſtæus *in diſquiſit. Phyſiol. lib.* 3 *cap.* 3. & alij antiquiorum, quos adducit Epiphan. Ferdin. *Theor. Med. lib.* 1. *Theor.* 19. Tamen dari hanc ætatem manifeſtè elicitur ex Gal. *comm. Aph.* 1. *Aphor.* 13. & probant abundè Alb. Magn. *in lib. de juvent. & ſen. tract.* 1. *cap.* 3. Ugo Senen. in quæſt. propria ad hanc rem dicata, quæ ponitur poſt *commentarium in primam quarti canonis*, Cardan. *contrad. Medic. lib.* 1. *tract.* 5. *controv.* 10. & idem Ferdin. *ubi proximè.*

Cum enim diverſum ſortiatur temperamentum 6 Virilitas, non ſolum à cæteris ætatibus, ſed à juvẽtute præſertim, ſiquidem juventus calidiſſima eſt, & calidiſſimi ſunt ipſi juvenes, Gal. *comm. 2. de morb. vulg. 1. text.* 78. Avic. *prima primi doct.* 3. *cap.* 3. Conſiſtentium autem calor minor eſt, Gal. *Aphor. comm.* 1. *Aph.* 14. Philotheus *Aphor ſect.* 1. *Aphor.* 13. non ſecundum rei naturam videtur eſſe, ut hæ ætates confundantur, & una pro alia accipiatur. Eſt autem virilitas 7 8 ætas ſuccedens ſummo animalis vigori, neque enim ideò conſiſtens dicitur, quia calor in eodem ſtatu, in quo erat in juventute, permaneat, ſed quia ſenſim paulatimque deficiens, vix deficere videatur, ita ut homo & in priore pulchritudine, ac in prioribus corporis vitibus adhuc conſiſtere videatur: quoad 9 calorem autem conſiſtentes jam declinare incipiunt. 10 Gal. *Aphor. com. tertio, Aphor.* 30. ubi juventutem æſtati, utpote calidam ætatem calidiori anni tempeſtati, & conſiſtentem ætatem Autumno comparabat, ex iis manifeſtè commonſtrans, conſiſtentes caloris minus habere quàm juvenes, quemadmodum Autumnus æſtate minus calidus eſt: quod & Ovidius *Metamorph. lib.* 15. ſignificabat his carnibus:

Excipit Autumnus, poſito fervore juventa,
Maturus, mitiſque, inter juvenemque ſenẽmque
Temperie medius, ſparſus quoque tempora canis.

Denominatur porro virilitas à viribus, ſi Calepi- 11 no credimus in *Diction. in verbo vir*, quia tunc vires in animali vigent, cùm jam adeptum eſt ſuam totalem perfectionem, tam eam quæ ad corpus, quàm quæ ad animũ ſpectat: quamobrẽ hæc ætas propriè 12 deberet dici perfecta, ut ſuperiori quæſt. ex Macrob. quem citavi, cùm in hac ætate conſtitutus homo, & animo & corpore perfectus & abſolutus videatur.

Vel dicitur virilitas à virtute, & fortaſſe magis 13 aptè. Alb. *in diction. in verb. vir.* Tiraq. *de leg connub. par.* 1. *gloſ.* 1. *num.* 55. cùm propriè vir dicatur homo virtute

virtute tam animi quàm corporis præſtans, ad utrumque enim refertur, & quoad corpus paſſim in Sacris litteris *vir* pro *forti* accipitur, & ſimiliter quoad animum; quamobrem ſemiviri dicuntur molles & puſillanimes, quaſi viri nomine indigni. Unde Turnus *Æneid. lib.* 12. per contemptum appellat Æneam ſemivirum.

da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulſam
Semiviri Phrygis, &c.

Tiraq. *in leg. connub. par.* 1. *gloſſ.* 1. *num.* 40.

14 Cæterum virilitas ab Hipp. *Aphor.* 1. *Aphor.* 13.
15 & à Gal. *ibid. in comm.* vocatur ætas conſiſtens, ſed Avic. *prima primi doctr.* 3. *cr3.* conſiſtentem ætatem vocavit ipſam juventutem, quod neſcio an potuerit Interpretis incuriâ accidere; ſi tamen ita ſentire Avic. velimus, dicendum quod illa ætas debeat dici
16 conſiſtens, in qua calor in ſummo fervore, ac vigore conſiſtit, quod quidem in juventute evenire non dubitandum, cùm in ætate virili jam illum manifeſtè penè declinare ſuprà demonſtraverim.

17 Appellatur & hæc ipſa ætas conſtans, ut Cic. *in lib. de ſenect.* dicenti, Gravitas propria jam conſtantis ætatis: & hoc ad differentiam ipſius juventutis, quæ communiter inconſtans ſolet appellari, ut Homer. *Iliad. lib.* 3.

Semper verò juniorum virorum animi inſtabiles ſunt, quod ob fervidam naturam, ut teſtabatur Plato 2. & 7. *de leg.* illis accidit ut quietem agere non poſſint, quamobrem Horat. *in art. Poet. de juvente verba faciens*:

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.

De viro autem contra:

Converſis ſtudiis ætas, animuſque virilis,
Quærit opes, & amicitias, inſervit honori,
18 *Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.*

Præterea (cùm de hac ætate nihil occurrat diſcutiendum præter nomina) appellatur hæc ætas Media; dicitur enim ætas media circa quinquageſimum annum, ut traditum eſt in *auth. quom. oportet, Epiſc. §. quanta igitur.* Et videtur idem ſentire Gal. *comm.* 1. *Aph.* 13. inquiens, *Appellat autem ætatem habentes conſiſtentem, qui mediam ætatem habent inter juvenes, & ſenes*, quin & idem nomen ſortiri videtur apud Cic. *in lib. de ſen.* dicentem, *Num ea jam conſtans requirit ætas, quæ media dicitur?* Sic & apud
19 Celſ. *ſua med. lib.* 2. *cap.* 1. Neque abs re dicitur ætas hæc media (apud Juriſperitos præcipuè, apud quos nullo alio nomine inſignitur) quia participat tam ætatem increſcentium quàm decreſcentium, & inter utraſque media habetur. Ex quibus notandus videtur Fuchſius *comm. Aph. primo Aph.* 13. qui mediam
20 ætatem non conſiſtentem, ſed declinãtem eſſe dixit, meritò igitur notatur à Valleſ. *lib.* 1. *loc. com. cap.* 10. cum tamen ipſe Valleſ. *ibid. cap.* 1. Mediam ætatem, & juventutem unam eandemque ætatem facere videatur: tamen Fuchſius poteſt ſuam aſſertionem defendere, ſi ita declaret ſuam ſententiam, ut reſpectu nativi caloris hæc ætas declinans dici poſſit.

Ad quem autem annorum numerum in pluribus ſeſe extendat hæc ætas, Juriſperiti non definiunt, ob id, quod dixi, ipſos non diſtinguere inter hanc ætatem, & juventutem, quamobrem juventutem,
21 ſeu virilitatẽ, ut ipſi dicunt, ad quinquageſimum annum extendi voluerunt; cum tamen ex Galeno, ac cæteris Medicis, quos ſuprà adduxi, pateat juventutem multo citiùs finiri. Sed idẽ Gal. *cit. com.* 3. *Aph.* 30. Virilitatem, ſeu conſiſtentem ætatem dicebat à tri-

geſimoquinto anno, in quo terminatur juventus, ad duos ſequentes ſeptenarios perdurare, ita ut coinci- 22
dat cum Juriſperitorum opinione, eam ſcilicet quinquageſimo anno ſuum terminum ultimum ſortiri.

Sed ne omnem operam luſiſſe in hac quæſtione 23
videamur, quæramus pro Legumperitis, num ea omnia, quæ in juvene, quoad corporis ſpectabat robur & firmitudinem, locùm habent, debeant etiam procedere in conſiſtenti ætate: Et ratio dubitandi eſt, 24
quia, ut ſuprà diximus, conſiſtentes jam declinare incipiunt, ita ut vires corporis in ipſis deperdi conſequens ſit, nam & ſanguine, & ſpiritibus minus, quàm juvenes abundant, Gal. *cit. Aphor.* 30. *ſect.* 3. quamobrem jure de ea re ambigitur.

His tamen non obſtantibus, dicendum videtur, 25
homines in conſiſtenti ætate, non minus quàm in juvenili poſſe & corporis, & multo magis animi virtute uti: nam & priſtinum robur quoad corpus adhuc retinent, & animo etiam majore præditi ſunt, ita ut ob hoc ipſum multo magis, quàm juvenes etiam ad corporeas actiones apti videantur: faciunt quæ adduxit Epiphan. Ferdin. *ubi ſuprà*, apud quem, quæ ad hanc rem aptari poſſunt, legito.

SUMMARIUM.

1 *Senectuti multum tribuunt Leges.*
2 *Senectutis miſeratio habetur.*
3 *Senes torqueri non debent.*
4 *Senes levius in delictis puniuntur.*
5 *Senectus quid & num. ſequenti. Vide num.* 8. *& num.* 11. *& num.* 13.
7 *Animal in ætate conſiſtenti declinare incipit.*
9 *Manifeſta animalis declinatio apparet in ſenectute.*
10 *In Senectute animal tranſit ad frigidam, & ſiccam temperaturam.*
11 *Senectus eſt via in corruptionem.*
14 *Omne animal reſpectu ſui ipſius, calido & humido eſt temperamento à nativitate.*
15 *Ortui proxima calidiſſima, & humidiſſima.*
16 *Termini Senectutis plurimum variant.*
17 *Nihil cateras ætates præter pubertatem accelerat, aut retardat.*
18 *Senectus ex multis cauſis retardari, itemque accelerari poteſt.*
19 *Senex quis dicatur.*
20 *Gloſſa nimis protrahens juventutem, nimis ſimul ſenectutem diſtulit.*
21 *Senectus in tres partes diviſa.*
22 *Prima Senectutis pars.*
23 *Secunda Senectutis pars.*
24 *Senectutis tertia pars.*
25 *Senectutis termini qui?*
26 *Senectus bipartita.*
27 *Prima Senectutis pars, & ad quem annum extendatur, num. ſeq.*
29 *Secunda Senectutis pars.*
30 *Senex quis dicatur, judicis arbitrio relinquitur.*
31 *Præcipuum Senectutis adminiculum eſt virium defectus.*
32 *Senex dici non poteſt, qui vires habet integras.*
33 *Senes nulli robur habent.*
34 *Juvenis dicitur, qui ſenex non eſt.*
35 *Primum, quod in ſene conſiderari debet, eſt an viret habeat, nec ne.*
36 *Juvenis in juventutis termino poteſt ſeneſcere.*
37 *Idem homo uno eodemque tempore & ſenex, & juvenis dici poteſt.*
38 *Senex quando quis dicatur, & num. ſeq. & 40.*
41 *In prima ſenectute conſtituti civilia negotia obire poſſunt.*
42 *Senex ad effectum ut quis à publicis muneribus vacet, quando dicatur, & num.* 43. *Declara ut num.* 44. *& n.* 47. *Vide etiam num.* 48
45 *Ad quoſdam peculiares affectus non relinquitur arbitrio judicis, quis dicatur Senex.*
46 *Supra* 60. *annum omnibus convenit, ut Senes dicantur.*
49 *Quibus muneribus vacare permittantur Senes.*
50 *Terminus generationis quis ſit, & num.* 51. 52. 53. *& num.* 58.
54 *Viri centum annorum generarunt.*

55 *Supra ſeptuageſimum nullus generat maſculum.*
56 *In fœminis citius deficit generandi facultas.*
57 *Fœmina quandiu menſtrua patitur, generare poteſt.*
59 *Codronchius non habet pro monſtroſa, ut lex partum ſuprà quinquageſimum factum.*
60 *Nulla regula ex his ſumitur, quæ de rarò contingunt.*
61 *An Senectus debeat dici morbus, affirmativè numero ſeq. Contrarium, num. 63.*
64 *Senes Juvenibus ægrotant minus. Declara ut num. 70. & 71.*
65 *Senectus ægra vocatur.*
66 *Senum ſanitas non abſolutè ſanitas.*
67 *Senectutem eſſe morbum, & num. 68. 69 & 72 Contrarium, num. 73.*
74 *Infirmitas eſt habitus cujuſcumque corporis præter naturam.*
75 *Morbus quid ſit.*
76 *Status ſenum, quicunque ſit naturalis eſt.*
77 *Aliqui affectus, qui in aliis ætatibus præter naturam dicerentur, in ſenibus ſunt naturales.*
78 *Senectus quomodo ab Ariſt. vocata ſit morbus.*
79 *Senectus ſi aliquo modo dici debeat morbus, naturalis morbus eſt dicenda.*
80 *Senum ſanitatem non eſſe abſolutè ſanitatem, quomodo intellexerint Gal. & Avic.*
81 *Senes non ſe habent præter naturam.*
82 *Senectus debet accipi, prout diviſa eſt à Gal in tres partes, cum decidi debet, an dici aliquo modo poſſit infirmitas.*
81 *Infirmi nomen Seni in quantum Seni non convenit.*

QUÆSTIO IX.

De Senectute.

1 SEd jam tempus videtur, ut de Senectute diſſeramus, cui multum tribuêre Leges, patet ex iis quæ adducit Maſcard. *de probat. concluſ.* 1295. *num.* 1. *vol.* 3.
2 nam multis gaudet privilegiis, ejuſque peculiaris miſeratio habetur, Gloſſ. *in l. auxilium, §. ſed ut ff. de minor.* quamobrem nec torqueri, nec ullo tormentorum genere affici poſſunt ſenes, Maſcard. *ubi ſupra, num.* 6. quinimò levius in delictis puniuntur, Gloſſ. *in l. Acre, ff. de reg. jur.* Farin. *in pract. crim. lib.* 3. *tom.* 1. *part.* 2. *quæſt.* 42. *num* 23. In dignitatibus
4 etiam conferendis ſenior præfertur, eamque conciliationem maximè attendendam eſſe volunt Jureconſulti, ut dicit Rota *in Calaguritana Beneficij, della caſa della Reina, 4. Julij* 1646. *coram Veroſpio.*

Multum intereſt ergo Jureconſultorum, ſcire quinam propriè ſenes dici debeant, & quænam ætas propriè Senectus dicatur. Ac profectò ſenectus, ut habetur in *lib. de finit. Medic.* Gal. *adſcripto*
5 *in lib. Iſag.* eſt ætas, in qua diminuitur animal; cui definitioni non diſſimilis affertur *in lib. definitionum* Plat. *adſcripto*, hoc eſt, ſenectus eſt imminutio ani-
6 malis à tempore contingens.

7 Cum tamen, ut in ſuperiori quæſt. jam diximus, animal in conſiſtenti ætate declinare, ac diminui incipiat, non ab re in allatis definitionibus adverbium illud *manifeſtè*, vel adjectivum illud *manifeſta*,
8 addendum videbatur: non tametſi in conſiſtenti ætate animal declinet, tamen manifeſta declinatio non apparet, niſi adveniente ſenectute, ut teſtatur Plato *in Tymeo trans med.* tunc enim fit tranſitus ad
9 frigidam & ſiccam temperiem, ut elicitur ex *pluri-*
10 *bus* Gal. *locis*, & confirmat Ugo Senen. *in art. par.*
11 *Gal. lib.* 2. *par.* 20. ob hunc enim tranſitum ad temperiam vitæ ipſi contrariam rectè Ariſt. *Polit.* 2. ſenescere dicebat, viam eſſe in corruptionem, cum qua ſententia convenit Gal. *de temp.* 2. *cap.* 2. *claſſ. prima.* Quam ſapienter ergo Alexis ille Menandri comici patruus jam ſenectute confectus interroganti cuidã
12 quid ageret, reſpondit, Paulatim morior. Sed Ariſt. *in lib. de juvent. & ſenect. cap.* 14. ſenectutem hoc pacto definivit, Senectus eſt primæ refrigerativæ particulæ decrementum, hoc eſt caloris naturalis defectus: nam id pro prima refrigerativa particula ipſum intellexiſſe, pro nunc ſupponamus, neque enim vacat eam definitionem longioribus enodare, nec aptus hic locus ad eam rem eſſet.

Apertiùs *Senectutem* definivit Gal. *5. de ſanit.* 13
tuend. cap. 9. *claſſ.* 2. dicens, Senectus eſt frigidum, & ſiccum corporis temperamentum, annorum multitudinis ratione proveniens: nam tametſi animal à ſuo primordio frigidum, & ſiccum temperamentum ſortitum ſit, tamen non potetit dici ſempet in ſenectute fuiſſe, niſi cum ex annorum multitudine 14
tale temperamentum habebit: omne enim animal reſpectu ipſius à nativitate calido, & humido eſt 15
temperamento (cùm quæ ortui proxima ſunt, humidiſſima, & calidiſſima exiſtant, Hipp. *in* 1. *de vict. rat. prope finem*) licet comparatione temperati animalis, frigidum & ſiccum exiſtat, temperamentum ergo ſenectutis reſpectu ſui ipſius conſiderati debet ita, ut in frigidum & ſiccum lapſum videatur animal, cùm antea reſpectu ſui ipſius calido, & humido dotatum fuerit.

Termini porrò huic ætati conſtituti præ cæteris 16
variare videntur, quippe cum & ipſe hujus ætatis adventus plurimum, quam acceſſus aliarum ætatum ovariet, & manifeſtius etiam, quàm aliarum ſe prodat, ſiquidem alias ætates, una excepta pubertate, 17
neque accelerare, neque retardare evidenter quicquam poſſe videtur, ſed quæque, prout intrinſecum animalis ferat temperamentum, præſcripto tempore mutationes proprias ſortitur: at ſenectus & à mor- 18
bis, & à curis, & à victus ratione, & à laboribus evidentiſſimè & acceleratur, & retardatur. Videtur ergo difficilius eſſe, quam in aliis ætatibus, huic ſuos terminos præſcribere, ejus tamen rei plures opiniones refert Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 59. *per totum*, quas apud ipſum videre cuicunque licet.

Generaliter tamen dici ſenex, inquit ipſe *ibid.* 19
num. 1. ab anno quinquageſimo, ita Abb. *in c. quon frequent. num.* 18. *ut lit. non conteſt. & in c. ſi qui teſt. n.* 7. *de teſt. & atteſtat.* quem & ipſe adducit Grammat. *de. ciſ.* 34. *num.* 4. Apud Sinenſes etiam (qui maximè politicæ ſtudere ſe profitentur) transacto quinquageſimo anno viri inter ſenes connumerantur, teſte Trigantio *lib.* 1. *de Chriſtian. expedit. apud Sinas, c.* 7. Et fortaſſe maturè nimium, aliàs enim longæ ætatis ſunt, & robuſti, cum ea uſque ad 70. viridi non deſtituantur, teſte eodem *ibid. cap. eod.* Sed Jurisperitorum alii voluerunt, ſenem dici tantum eum, qui 60. annos agit, Caputaq. *deciſ.* 311. *par.* 1. Menoch. *de arbitr. caſu* 54. *per totum*, Rota *in Sabin. alluvionis* 15. *Novemb.* 1611. *coram Pirovano.* Sed Gloſſ. *in l. hared. comp ff. ad l. falc.* & Felin. *in citato c. ſi qui teſt. n.* 6. nimis protraxiſſe videntur juventutem, ſenectutẽ verò 20
nimiũ diſtuliſſe: cũ juventutis deſinentis, & incipientis ſenectutis terminũ ſeptuageſimũ annũ poſuerint.

Gal. 5. *de ſan. tuend. cap. ult. in f. claſſ.* 2. quem etiam 21
ex alio authore citat Menoch. *ubi ſup.* in tres partes diviſit ſenectutem, majorem, & minorem corporis imbecillitatem, virium que diminutionem præ oculis habens: primam autem ejus partem crudam, & 22
viridem ſenectutem vocavit, de qua fortaſſe etiam Homer. intelligebat *Iliad. lib.* 23. *verſ. f.* dicens:

Cruda ſenectæ autem ipſum aiunt eſſe.

Et Virgil. 4. *Æneid.*

—— *ſed cruda Deo, viridiſque ſenectus.*

De qua etiam Juvenal. *Satyr.* 2.

Dum nova canities, dum prima & recta ſenectus.

Et de hac ipſa ſenectutis parte mentionem habet 23
ipſe Gal. *comm.* 2. *in prognoſt. Hipp. text.* 69. Secundam propriè ſenectutis nomen habere voluit, in ea enim

jam

24 jam manifeſtiſſimè vires dejectæ, ac corpus declinatum cõſpicitur: Tertiam, quæ ultima eſt, Pempleon Græco vocabulo dici narrat, ſcilicet, ut ipſe addit, ab eo, quod eſt in pompam mittere, quæ ad manes ducit; & ideircò facetè amicus ille Plautinus ſeni interroganti in *Mercatore Act. 2. Sc. 2.*

DE. Quid tibi ergo ætatis videor? LY. Aberuncius
Senex, vetus, decrepitus,

reſpondit: & hæc decrepita, & præcipitata ætas eſt, vel ſenium. Hanc ultimam ſenectutem ætatem grandem facetè appellavit Euclio ille Plautinus in *Aulularia, act. 1. ſcen. 4.* diviti cuidam, qui ſuam ſibi filiam in matrimonium dari expoſcebat, reſpondens:

ME. Ætatem meam ſcis? EU. ſcio eſſe grandem, itidem ut pecuniam.

25 His tamen ſenectutis partibus licèt nullum terminum aſſignaverit Gal. neſcio ex cujus opinione aſſignaverit Menoch. *ubi ſub.* & primam à quinquageſimo anno ad 60. ſecundam ad 70. tertiam à 70. ad vitæ finem extendi dixerit.

26 Verùm nonnulli ſenectutẽ in duas tantùm par-
27 tes diviſerunt; quemadmodum aliàs fecit idem Gal. *comm. Aphor. 1. Aphor. 13.* ac primam ejus partem (quæ Avicennæ *prima primi doctr. 1. c. 3. in pr.* dicitur ætas declinans cum remanentia virtutis) à quadrageſimo anno incipere, & ad ſexageſimum terminari, ut ipſe etiam Avic. tradidit. Fernel. verò, qui
28 hanc ipſam ætatis partem cum Cic. *in lib. de ſenect.* ingraveſcentẽ vocat *loc. ſæpiùs cit. Phyſiol. lib. 3. c. 10.*
29 libentiùs cum Juriſperitis convenire videtur, eamq; à quinquageſimo ad ſexageſimum quintum protrahit: ſecundam verò partem, quam decrepitatem, & Senium nominant, & Avic. *ib.* ætatem declinationis cum manifeſta virtutis deperditione, à ſexageſimo, vel quinto ſupra ſexageſimum ad ultimum vitæ ſuam conſtituunt habere periodum.

30 Ex his ergo facilè innoteſcere poteſt Juriſperitis pro rerum agendarum diverſitate, quinam mereantur dici ſenes: licèt enim hoc judicis relinquatur arbitrio, Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. caſ. 59. num. 3.*
31 Maſcard. *de Probat. concl. 1295. num. 1. vol. 3.* Gaill. *ſing. obſerv. lib. 1. obſerv. 92. num 7.* Scaccia *de Judic. lib. 2. cap. 8. num 249. & ſeqq.* Joſeph. Ludovic. *deciſ. Lucen. 13. num. 55.* Requer. *deciſ. 57. num. 11.* Rota *in Bononien. bonorum de Mulertis 26. Junij 1602. coram claræ mem. Card. Pamphilio*, & *in alia Bononien. fideicommiſſi de Ramundinis 15. Febr. 1636.* coram Dunozerto; tamen ſciendum, quòd præcipuũ ſenectutis adminiculum eſt virium defectus, & ideircò
32 Gal. 11. *Method. med. cap. 9. claſſ. 7.* Senem dici non
33 poſſe, affirmabat, qui vires habet integras, & *lib. de*
34 *cur. rat. per ſang. miſſ. c. 9. claſſ. 6.* ſenes nullos robur habere dixit; & hoc fortaſſe ſibi voluit *text. cit. l. Non aliter. ff. de leg. & fid. 3.* cum inquit, juvenis dicitur, qui ſenex non eſt, hoc eſt, qui virium defectu adhuc ob annorum multitudinem non laborat.

35 Hoc igitur præcipuè venit inſpiciendũ judici in eo, cujus ferre ſententiam debet, utrum ſenex ſit, nec ne, vel pro ſene habendus, quoad ea, quæ ad corporis ſpectant imbecillitatem, ſcilicet, an viribus, & corporis decenti robore dotetur: quòd ſi vires adſint, & corporis robur, etiãſi major ſit ſexaginta annis, tamen juvenem, vel nõ ſenem judicabit; ſin minùs, etiamſi minor eſſet quinquaginta, tamen pro ſene illum acceptabit: nam etiam juvenem, non tranſactis annis juventuti dicatis, ſeneſcere poſſe, patet
36 ex iis, quæ adduxi *ſuperiori q. n. 31. & ſeqq.* Sed ex aſpectu quoque homines ſenes judicati certum eſt, & notat Rota *in Elnen. Canonicatus 6. Junij 1631. coram Reverend. Tarracouen. & in Calagurritana beneficij della caſa della Reina 4. Julij 1646. coram Verospio.* Apud Legumperitos autem pro rerum agendarum diverſitate idem homo uno eodemque tem- 37
pore in una eademque ætate, & ſenex, & non ſenex judicatur: unde eſt, quod aliquando non niſi poſt ſeptuageſimum annum hominem ſenem appellitet, Gl. *in l. ſi pater fam. ff. de adopt. & emancip.* 38
in verb. ſexaginta, & in l. inviti, ff. de teſt. aliquando verò poſt quintum ſupra quinquageſimum, ead. Gloſſ. *ubi ſuprà*, & aliquando illicò poſt quinqua- 39
geſimum annum quis ſenex dici poſſit. Gloſſ. *in Proœm. 6. Decret. verb. perfectum*, Rota *in Bononien. bonorum de Mulettis 26. Junij 1602. coram Cardin. Pamphilio.* Illud autem ſilentio non prætereundum 40
ex Gal. *loco ſuprà citato de ſanit. tuen. lib. 5. c. ultim.* 41
in fin. quòd ii, qui in prima ſenectute conſtituti ſunt, adhuc civilibus negotiis vacare poſſunt, quapropter non omnino ab re Abb. *in cap. cit. Quon. freq. num. 18. ut lit. non conteſt.* & Felin. *in c. ſi qui teſt. n. 6. de teſt.* non ante: quàm quis major exiſtat ſeptua- 42
ginta annis, volunt eum ad hunc effectum dici ſenem, ut à publicis muneribus excuſetur, & videtur de mente Platon. *in 6. de Leg. verſ. princ.* qui viros uſque ad ſeptuageſimum annum magiſtratum gerere cogit, non ſuprà, licet non infrà quinquageſimum quem ad eum gerendum admittat: tamen Gl. *ſuprà* citata *in l. inviti, de teſt.* & Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 1. caſ. 19 num. 5.* voluerunt ſenem ad hunc effectum, ut à publicis muneribus vacet, dici in quinquageſimoquinto anno; *in l. verò, item major.* 43
Juſtit. de exuſat. tut. non excuſatur quis à tutela, 44
niſi ſit major annis ſeptuaginta: ſatius tamen eſt ob individuorum varietatem hoc cum prædicta cautela Judicis arbitrio definiendum relinquere, tametſi maximè approbanda videatur Abb. opinio, qui in *eodem c. Quon. freq. num. eod.* ad quoſdam peculiares effectus non relinquit Judicis arbitrio hoc dijudicandum ſupra annum ſexageſimum, cum 45
evidenter pateat, omnes in illa ætate ſenes dici debere, & benè, nam, ut Card. Contrad. *Med. lib. 2. contr. 10. tract. 5.* dicebat, ſuprà prædictum annum in omnibus convenit, ut ætas pro deplorata habeatur.

Sed ad effectum vacandi à publicis muneribus 46
Macrobius *in ſomn. Scipion. lib. 1. c. 6.* non minus ac Plato, ut ſuprà dixi, ſeptuageſimum annũ deſiderat his verbis, *Cum vero decas, qui & ipſe perfectiſſimus numerus eſt, perfecto numero, id eſt, ter ſeptadi jungitur,* 47
ut aut decies ſeptem, aut ſepties deni computentur anni, hæc à Phyſicis creditur meta vivendi: & hoc vitæ humanæ perfectum ſpatium terminatur, quod quiſquis exceſſerit, ab omni officio vacuus ſoli exercitio ſapientiæ vacat, & omnem uſum ſui in ſuadendo habet, aliorum munerum vacatione reverendus. Sed idem Plato *7. de Repub. in fin.* quinquageſimo anno transacto, ſuos cives à laboribus belli, & aliarum rerum; ad con- 48
templationem abſtrahit, non tamen à Reipublicæ negotiis illos omninò eliminat; & ratio nõ alia eſt, 49
quã quæ adducitur à Cic. *in lib. de ſenect.* ſub Catonis perſona de ſenibus loquente in his verbis, *Ergo & legibus, & inſtitutis, vacat ætas noſtra muneribus iis, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri.*

Cæterùm circa hanc ætatem quæruntur à Medicis Juriſperitis primò, ad quod uſque ſenectutis ſpatiũ ſenes tam mares, quàm fœminæ generare poſſint; diverſus enim utriuſque terminus conſtituitur. Et Leges quidem id, quod ut plurimum fit, reſpicientes, virum in ſexageſimo anno ad generandum impotentem eſſe voluerunt, *l. ſi pater. §. ultim. ff. de adopt.* 50
quam cum aliis citat Menoch. *de arbit. lib. 2. cent. 1.* 51

caſ.89.num. 58.Rota *in Romana filiationis*,22 .Iunij, 1657. *coram Verospio,n.* 3. & videtur de mente Ariſtot. 7.*de hiſt .anim. c.6. in princip. quem etiam ipſe* Menoch. adducit:licet idem Ariſt.5. *ejuſdem, c.*14. plurimos in65.generare prodiderit:immò &priori ſupta citato loco ſeptimi, etiam ſeptuaginta ános natos generaſſe affirmat,& quod magis movere nos poteſt,tanquam omnibus communiſſimũ eſſe tradit,in ſeptuageſimo generare, ſi ſexageſimũ generantes exceſſerint, conſentit autem & Alb. Magn.5.*de Anim.tract.*2 *c.*1.

53 Videtur tamẽ ſexaginta annorũ terminus convenienter admodum à Legibus conſtitutus;nam in pluribus,& ſecundum plurimũ ita uſu venire aſſoleat,quod ab ipſis Legibus,vt aliàs dixi,inſpicitur, minimi faciẽtibus aliquos caſus rariores,in quibus ſenes in ſeptuageſimo,& octogeſimo áno generarunt,& id quod Avenz. *ſui Theiz.ar. lib.*2.*tr.* 3.*c.*1. narrat,hoc eſt,viros nõnullos centum annis majores non tantùm generaſſe,verum etiam generaſſe maſculos: Licet, inquit ipſe,voluerit Ariſt.ſupra ſeptuageſimũ nullum poſſe maſculum generare. Contra quã Ariſt.ſententiam pluribus agit Iouber. *lib.* 2.*error. Popul.c.*10.probans ſenem 70. annis majorem non ſolũ generare poſſe, ſed etiã generare poſſe maſculum,ut Auenz.dicebat:veritas tamen eſt,ſenes ſuprà ſexageſimũ quintum;aut ad ſummum ſupra ſeptuageſimũ non generare, deficientibus ſpiritibus, & nativo calore refrigeſcente,unde & ad coitum etiam tunc minus potentes, cùm ſemen ferant fluidum ,aquoſum, ac generationi omnino ineptũ,quod ita in omnibus verificatur, vt admirationi ſit tanquam quid à Naturæ ordine alienum,ſi quis ſupra dictã ætatẽ generare comperiatur; quæ quidem ſecundũ plurimum procedunt, quæ tantum attendenda, ut in hoc propoſito dixit Rota *in ſuprà cita a Rom.filiationis.*

56 In fœminis autem eam generãdi virtutẽ multo maturius finiri patet,in áno ſcilicet quinto ſupra quadrageſimum,aut ad ſummũ quinquageſimo.

57 Notum enim eſt, fœminam eo tantũmodò tempore generare poſſe,quo menſtrua experitur, vel experiri naturaliter deberet, & idcirco neq; ante pubertatem, neque poſt quinquageſimũ annũ generare poteſt , quia naturaliter ultra prædictũ terminum,& áte pubertatẽ nulla eſt mẽſtruis obnoxia;quamobrem,vt oſtenderetur in ſacris Literis Gen.*c.*18.*verſ.*11.Saram ex miraculo concepturam,dicebatur, *Erant autem ambo ſenes,provectæque ætatis,& deſierant Saræ fieri muliebria*;ex naturæ enim inſtituto non poterat ob eã cauſam Sara concipere,ut probat Valleſ. *in lib.de fac.Philoſ.c.*10.

58 Lex ergo virtuti concipiendi in mulieribus hunc terminũ quinquaginta ánorum præſcripſit & conceptum ſupra hunc terminum factum pro monſtroſo habet ,& inter raro contingentia, *l.ſi. mater , C.de hared. inſtituend. l.ſi major ,C. de leg. hared.* & *ibi* Gloſſ. *& in l. paterfamil. §.in Arrogat. ff.de adopt.in verb. procreationi , & in l. ſi. ſterilis, ff. de contr. empt.& vend.* Tiraq. *in l.ſi unquam ,C. de revoc. donat.in præfat. num.*3.Maſcard.*de probat.concluſ.*1147.*num.*5. *&* 8.*tom.*3. Gratian.*diſcept. foren. cap.*313.*n.*14. *vol.*2.

59 Codronchius tamen Medicus Imolen.*in libello Meth. teſtif. cap.* 16. hujuſmodi legum ſanctioni ſtare ſe nolle demõſtrat;neque enim habere ſe pro ita monſtroſo partum ſupra quinquageſimũ annũ factũ confitetur,ut Leges habent;ſed ſententiam ſuam ex quibuſdã raris exemplis roborare videtur,quæ non adoptãtur in jure:Nam &nobis quoque notum eſt, in fœminis , ſicuti & in viris aliquando terminum à jure aſſignatũ fallere,& ſatis trita ſunt adducta à Plinio exempla.*6.nat. hiſt.cap.*14. de Cornelia è Scipionum familia,quæ poſt 62,annos Voluſium Saturninum peperit, & alia permulta, quæ qui videre volet , legat Schench. *obſerv.Med.rar.lib.*4.*tit.de Concept.*ſed ex his,quia rara ſunt,nulla regula depromi poteſt, dum tempus generandi homini à natura conſtitutũ requirimus, hoc enim ex iis,quæ in pluribus,&ſecundum plurimum apparent, venit decernendum , vt dixi.Itaque non modò concludendum , terminum generandi in fœminis eſſe annum quinquageſimum ,ſed immò eſſe quinquageſimum nimis protractum , & quadrageſimum quintum eſſe frequentiorem, quippe cum poſt hunc terminum quibuſcunque deſinant fluere muliebria , & idcircò generationi tunc temporis ineptæ omninò redduntur : ſed de hac re vide alia nonnulla : *lib.* 3.*harum quæſt. tit.* 1.*q.*2. *& lib. eodem tit.*2.*q* 8. 60 61

Secundò quæritur àMedicis per Legum Interpretes,*an ſenectus ſit,& debeat dici infirmitas*, & cõſequenter ſenes inter infirmos & valetudinarios veniant cõnumerandi:in ea enim re ipſi Legumperiti inter ſe diſcordes eſſe videntur.Nam Abb. *in c.quamvis,n.*2.*de ſent.excom.& in cap.Magnæ, num.* 8.*de vot.&re,& c.*1.*§ ſin autem Epiſt.de cler.ægr.in* 6. *& in c.quon. freq.§.*1.*ut lit.non conteſt.num.*19.dixit, ſenectutem poſſe dici infirmitatem , & ſenes infirmos,& valetudinarios.Sed contra Menoch.*de arbitr. Jud. lib.* 2 *caſ.* 60.*cent.*1. *num.* 8. Senes non ſolùm non poſſe vocari infirmos,ſed neque valetudinarios aſſeverat,quam Menochij opinionem roborare videturHippocratis decretum *Aphor.lib.* 2.*Aphor.*39.nimirum,ſenes minùs juvenibus ægrotare,quod etiam Cicero *in lib.de ſenect.*firmabat. 62 63 64

Videntur tamen contra Menochium quãplurimaDoctorum hominum teſtimonia militare;patet enim apud quoſcunque doctos viros,ſenectutem ægram,infirmam,queribundam,tremulã,inertem,ærumnoſam,infelicem,miſeram vocari,ac ſimilibus multis epithetis inſigniri,quin & ipſius ſenectutis incommoda, ærumnæ , ægritudines , ac miſeriæ nominatim enarrãtur, de quibus Juvẽalis *Sat.*10.in qua inter alia multa hæc habẽtur, 65

Præterea minimus gelido jam corpore ſanguis
Febre caret ſola , circumſilit agmine facto
Morborum omne genus , quorum ſi nomina quæris ,
Promptius expediam , quot amavrit Hippia mœchos,

Cætera verò apud ipſum perlege,& illud Plautĩ in *Menæchm.act.*5. *ſcen.* 1.

—— ut ætas mala , merx mala eſt tergo,
Nam res plurimas peſſimas , cum advenit , affert :
Quas ſi autumem omneis, nimis longus ſermo ſit.

ita ut nõ ab re ſenes,teſtãte Cicerone uo iproximè adeo gravem experiãtur ſenectutem ut onus ſe Ætna gravius ſuſtinere affirment: quod ſuprà commemoratus ſenex Plautinus etam affirmabat *ibid.* dicens :

—— confitus ſum
Senectute, onuſtum gero corpus ; vires
Reliquêre.

& alia vetula apud eundem in *Mercat. act.*4.*ſc.*1.

Do. *—— quin is ocyus*
Sy. *Nequo Mecaſtor , tantùm hoc oneris eſt , quod fero.*
Do. *Quid oneris ?* Sy.*annos octoginta, & quatuor.*

Sed,quod multo magis,quã prædicta urgere videtur Gal.6.*de ſanit. tuenda,c.*2.& Avic 2.*primi doctr. prima,c.*2. ſenum ſanitatem non abſolutè ſanitatẽ eſſe dicunt;ergo ſi ſenes abſolutè ſani non ſunt,

ſaltem

ſaltem aliqua ex parte ſunt morboſi; ſed & Ariſt. 5.
67 *de generat. anim. cap.* 4. ſenectutem apertiſſimè morbum eſſe pronuntiavit, quod etiam ex ſæpiſſimè, ac paſſim citata Terentij auctoritate *in Phorm. act.* 4. *ſcen.* 1. patet.

Chr. *Pol, me detinuit morbus.* Dem. *Unde, aut qui?*
Chr. *Rogas?*
Senectus ipſe eſt morbus.

Quod & idem Cic. ſenectutis optimus propugnator *ubi ſuprà* negare nō auſus eſt, cum inter cauſas,
68 ex quibus ſenectus miſera ſit, hanc præcipuè agnoſcat, quòd corpus infirmum, ac imbecillum faciat.
69 Nec tantummodò morbus dicta eſt ſenectus à ſapientioribus, ſed à Senec. *Epiſt.* 109. dicta eſt morbus inſanabilis; neque enim humanæ ſapientiæ datum eſt, ut corporis morbum hunc, quibuſvis miniſtratis remediis, depellere aliquo modo poſſit. Itaque prudenter illud protulit Antiphanes:

Eſt noſtra vino vita quàm ſimillima.
Aceſcit, eſt cum reliqua parva portio.

Quemadmodùm igitur vinum in acetum degenerans non amplius in vinum redire poteſt, ſic etiam homo, cum ſenectutis morbo detinetur, non amplius ex eo convaleſcere poteſt.

70 Et licèt Hipp. *in ſup. cit. Aph.* 39 *ſect.* 2. ſenes minus juvenibus ægrotare dixerit, tamē id illis non ex ſua natura provenit, ita ut benè Gal. *in ejus Aphor. comm.* ſtimaverit, illum non habere locum communiter in omnibus ſenibus, ſed in iis tantū, qui minus in ratione vivendi peccare ſolent: aliàs enim idem, morbis maximè omnium obnoxios eſſe ſenes dixit;
71 & ex ſua quidem natura ita eſt, per accidens autem eo, quia in vivendo minus peccant, minus etiam à morbis infeſtātur, ſed eos naturaliter maximè ægrotare, ac multo facilius, quàm Juvenes, latè probat Alex. Petron. *in dialog. de re Med. dial.* 7. *per totum.* Facit ad hæc ſacrarum litterarū teſtimoniū, in quibus Eccleſiaſt. *cap. ult.* ſenectus tempus afflictionis
72 vocatur, & ſenectutis miſeriæ abundè per ænigmata quædam enarrantur: qui textus à Valleſio *in ſua ſacra Philoſophia, cap.* 66. elegantiſſimè, ac peroptimè explicatus eſt, & poſt Valleſium non minori doctrina, & elegantia à Franciſc. Ranchino *de morb. ſenum, part.* 2. *ſect.* 1. Ex quibus videbatur, jure merito ſenes inter infirmos connumerandos eſſe, & infirmorum privilegiis frui debere, cùm non ſolum morbus ſit ſenectus, ſed, ut apparet ex adductis auctoritatibus, ſit ſentina, & confluxus morborum omnium, unde Antiphanes ille Caryſtius comicus prudentiſſimè dicebat:

Mala ad ſenectutem, officinam ceu ſuam
Humana tandem congregantur omnia.

His tamen & ſimilibus, quæ in contrarium adduci poſſent, non obſtantibus, quæ tamen conſultò prætermiſi, cum DD. *in l. ſenium, C. qui teſt. fac. poſſ. n.* 5.
73 & Alciat. *de præſumpt. lib.* 1. *præſumptione* 53. *ſub n.* 2.
74 & Menochio, *ubi ſuprà.* (Et hanc eſſe reliquorum I. V. D. ſententiam teſtatur Aëtius *de inf. cap.* 14. *num.* 3.) dicendum, ſenes inter infirmos non eſſe connumerandos; infirmitas enim eſt habitus cujuſcunque corporis præter naturam, *l.* 1. §. *ſed ſecundum ff. de Ædil. edict.* ex qua repetit Aul. Gell. *Noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 2. Summa Hoſtien. *lib.* 3. *de Cler. Ægrot. num.* 1. quæ definitio eadem penè eſt cum Gal. definitione, allata *in libro de ſymptom. diffe-*
75 *ren. cap.* 1. *claſſ.* 3. quæ talis eſt, Morbus mutatio naturalis eſt ſtatus, & morbus eſt ſtatus naturalis mutatus actiones lædens, *ibid. in fin.* quæ poſtrema verba ſc. *actiones lædens*, veluti commentata lex allatæ definitioni ſubdidit, *qui uſum ejus ad id facit deteriorem; cujus cauſa naturæ nobis ejus cor-*

poris ſanitatē dedit: Status ergo ſenū, quicunque ſit, 76
naturalis eſt, non ergo poteſt eſſe morboſus; illicò enim contra naturam eſſe dici deberet; quinimo aliqui affectus qui in aliis ætatibus præter naturam dicerentur, in ſenibus naturales efficiuntur, ut de copia pituitæ, quā maximè in ſenibus vigere, 77
dicebat Gal. *comm.* 3. *Aph.* 30. quæ tamen, ut doctiſſimus Joubert. *in libell. de quart. febr. cap.* 12. dicebat, in ſene morboſa non eſt, quia ætati convenit; ſic etiam, & dentibus eſſe debilibus, vel eis omninò carere, quod in juvene morboſum eſſet, in ſene morboſum non eſt, neque ob eam cauſam non ſanus dici
debet, *l. Cui dens, ff. de Ædil. edict.* quam refert Gel- 78
lius *ubi ſupr.* Non aliam igitur ob cauſam putandum eſt Ariſt. *in loco ſuprà* pro contraria opinione *allegato*, non abſolutè vocaſſe ſenectutem morbum, ſed naturalem morbum: quia nimirum, licèt ſenectus ea incommoda ſecum afferre videatur, quæ aliàs morbus afferre ſolet, tamen, quia hæc incommoda ſenectuti connaturalia ſunt, non poteſt exinde ſenectus ita morbus dici, ut pro ſtatu non natu-
rali illud morbi nomen intelligendum ſit, ſed ſi 79
modò morbus aliquo pacto vocanda ſit, naturalis morbus rectius dicenda venit.

Et in hoc etiam ſenſu accipiendæ ſunt Galeni, & 80
Avicennæ ſuprà citatæ auctoritates, firmantes, ſenum ſanitatem non eſſe abſolutè ſanitatem, ob id fortaſſe, quia naturaliter ab ipſa ætate multa incommoda patiuntur; præterquam quod facillimè à morbis conflictantur, ita ut habeant quandam proximam diſpoſitionem ad morbos cōcipiendos; non tamen ideircò morboſi ſunt dicendi, quem admodum apertiſſimè declarat Gal. 1. *de ſanit. tuen. cap.* 5. *verſ.* 5. *med. claſſ.* 2. his verbis, *Omnis ſiquidem morbus præter naturam eſt: bi* (de quibus loquitur) *præter naturam ſe planè non habent, ſicuti nec ſenes;*
qui verò plura circa hanc rem deſiderat, videat Au- 81
rel. Anſel. *in ſua Georocomia, lib.* 1. *c.* 8. Verum enim 82
vero ſatius, ex mea ſententia, hac in re conſultum 83
fore judico, ſi ſenectutem in eas partes diviſam accipiamus, in quas partitus eſt Gal. ut ſuprà dixi, ſecundùm quam diviſionem dici poteſt, quod infirmi nomen, licet nulli ſeni in quantum ſeni conveniat, tamen ſi alicui ſeni aptari debeat, non dubium eſt maximè convenire iis, qui in ultimo, ac præcipitato ſenio conſtituuntur, tales enim ob caloris nativi depauperationem morbificis cauſis occurſantibus, etiam minimis vix, ac ne vix quidem reſiſtere valent, minùs verò infirmi nomen aptabatur his, quibus propriè convenire ſenis nomen ſuprà docui, hoc eſt qui in ſecunda ſenectutis parte verſantur: omnium denique minimè cæteris, qui in prima, ac cruda ſenectute ætatem degunt, ut quiadhuc & aliquatenus prioribus vitibus detentur, neque iis incommodis obnoxij adeo ſint, quibus in dies obnoxiores fiunt in ætate procedentes. Sed de hac quæſtione vide quæ affert ſupradict. Franc. Ranchinus, *ubi ſupr. c.* 1.

SUMMARIUM.

1 *Decrepitas eſt ſenectutis pars, & à ſenectute non diſtincta Contrarium, n.* 5.
2 *Decrepitas non mutat, ſed magis intendit corporis temperamentum*
3 *Decrepiti, ex Hippocratis ſententia, à ſenibus non diſtinguuntur.*
4 *Senectuti nulla ætas ſuccedit.*
6 *Cur Hippocrates de decrepitate non meminerit, n.* 7. 8 & 9.
10 *Nonnulla in Decrepito procedere poſſunt, quæ locum non habent in ſene.*
11 *Decrepitas quid, & num. ſeq.*

13 *Cujuſlibet ætatis curſu ad interitum properamus.*
14 *Quando incipiat decrepitas, & num. 15. & 16.*
17 *Judicis arbitrio relinqui poteſt, quando quis debeat dici Decrepitus.*
18 *Sexageſimus annus eſt terminus nimis præcox pro Decrepitate, magiſque conveniti terminus annorum 65.*
19 *Quid peculiare habeat Decrepitas, quod illi commune non ſit cum ſenectute.*
20 *Senes licèt corporis viribus careant, valent tamen intellectu.*
21 *In Decrepitis deficit memoria.*
22 *Senes minus diſcere, quàm currere poſſe.*
23 *Annus quinquageſimus quintus in viro, & quadrageſimus in fœmina eſt corporis & animi vigor.*
24 *Decrepiti rationis uſum penè amittunt.*
25 *Quæ in ſene reſpectu imbecillitatis corporis procedunt, multò magis procedere debent in Decrepito.*
26 *Senes à tormentis, ex aliquorum opinione, non debent ſervari immunes, ſed Decrepiti.*
27 *Quæ ad animi prudentiam ſpectant, non habens locum in Decrepito.*
28 *Decrepiti ut ſenes honorandi.*

QUÆSTIO X. & ULTIMA.

De Senio, ſeu Decrepitate.

1 DEcrepitatem, quæ & Senium dicitur, cùm nonnulli voluerint eſſe ſenectutis partem, inter unam & alteram ætatem nullam fecerunt diſtinctionem, & fortaſſe non abs re; cum Decrepitas
2 non mutare, ſed intendere tantum corporis frigidum & ſiccum temperamentum videatur, jam à prima ſenectute contractum, quouſque illo exſuperante calidum, & humidum, vitæ principia ſuccumbunt.

3 Quamobrem Gal. *comm. Aphor. 3. Aphor. ultimo*, dicebat, aliquos diſtinguère Decrepitos à ſenibus, præter tamen Hipporatis mentem; cùm namque inibi Hipp. præcedentibus Aphoriſmis morbos enumeraſſet, quibus ſingulæ ætates ſolent plerumque eſſe obnoxiæ, ultimo loco de morbis ſenectuti familiaribus mentionem habuit, de iis autem, qui decrepitatis ſunt moleſti, ne verbum quidem, ita ut ex his colligat Gal. Hippocratis mentem eam fuiſſe, ut nulla ſit differentia inter unam, & alteram ætatem, aut eſſe hanc ſenectutis partem, non autem
4 ætatem per ſe, nam ſenectuti nulla ætas ſuccedit, veluti Cic. *in lib. de ſenectute* aſſerebat.

5 Qui tamen magis exquiſitæ ætatum diviſioni ſtudent, ipſam Decrepitatem à ſenectute prorſus ſecernunt, ita manifeſtè fecit ipſe Gal. *Aphor. comm. primo, Aphor. 13* Raſ. 30. *Contin. tract. 1. cap. 1.* Avic. *prima primi doctrin. 3. cap. 3. in fin. & prima quarti tract. 2. c. 8. & in cant. tract. 1. partic. 35. & tract. 2. part. 104.* Fernel. *Phyſiol. lib. 3. cap. 10.*

6 Quod verò Hippocrates, *ubi ſuprà*, de Decrepitate non meminerit, plures aſſignari poſſunt rationes. Prima quia Decrepiti iiſdem morbis ſunt obnoxii, quibus & ſenes, niſi quod & facilius eos incur-
7 runt, & magis ab illis moleſtantur. Secunda, quia ſi quos morbos incurrunt, difficillimè, aut nullo modo ex illis ſanantur, quamobrem Hippocrati ſupervacaneum videbatur de iis mentionem habere. Tertia quia pauci admodum ſunt, qui non ante, quam decrepitatem attingant, vita fungantur: iis ergo ex cauſis Hippocrates de decrepitate mentionem nullam fecit, non autem quod non putavérit fortaſſe inter ſenectutem, & decrepitatem aliquid intereſſe.
Sed quomodocunque ſeſe res habeat, neceſſarium
10 videtur, ut apud Jureconſultos hæ duæ ætates invicem ſecernantur, cum nonnulla in ſene procedere poſſint, quæ locum non habebunt in decrepito, & vice verſa, ut inferiùs dicetur.

Eſt igitur decrepitas vel ſi malis ſenium dicere, poſtrema vitæ ætas, in qua radicale humidum ad totalem ſui abſumptionem, & innatum calidum ad totalem ſui extinctionem properant: ea enim de re Gal. 2. *de Temperam. cap. 2. claſſ. 1.* dixit, ſenium eſſe viam ad interitum: nam licèt *prim. de ſanitate tuen. cap. 4.* affirmaſſet cujuſlibet ætatis curſu nos ad interitum tendere, tamen quia decrepita ætas vitam concludit ac terminat, viſum illi eſt, huic magis convenire eam definitionem, quàm cuilibet alteri, quaſi ad ipſum interitum certiori, imo certiſſimo tramite hæc multò promptiùs, quàm cæteræ ætates omnes ducat. 11 12 13

Incipientis decrepitatis terminum Juriſperiti annum ſeptuageſimum conſtituerunt, Abb. *in cap. ſi qui teſt. num. 7.* & Gram. *deciſ. 4. n. 4.* Farin. *var. quæſt. crimin. & opin. comm. quæſt. 41. num. 25.* nam ad hunc uſque annum perdurare ſenectutem volebant. Sed idem Abb. *in ſæpius alleg. cap. Quoniam freq. num. 18. verſ. ego puto*, & ex Medicis Avic. *prima primi doct. 3. cap. 3.* decrepitatem poſt ſexageſimum annum habere principium firmarunt, & videtur conſentire Cardan. *contrad. med. lib. 2. contrad. 10. tract. 5.* ſed Fern. loco ſæpius citato, quinque addidit annos ſenectuti, ita ut decrepitatem in ſexageſimo quinto incipere ſtatuerit. 14 15 16

Cùm tamen hi termini plurimum in individuis evarient, judicis arbitrio, ut de ſenectute, relinquendum videtur, cum de individuis judicium ferri oporteat, univerſaliter tamen ſexageſimum annum præcocius aſſignari, quàm rei naturæ conveniat, exiſtimaverim, magiſque conſonum eſſe terminum à Fernelio conſtitutum annorum 65. Et hoc multo magis conſonum, terminum annotum ſeptuaginta, quem admittit etiam Rota *in Elnen. Canonicatus 1631. coram Ghiſterio, num. 8.* 17 18

Sed interrogabis, quidnam peculiare habeat decrepitas à ſenectute? Reſpondeo, quod in ſenectute corpùs ſolummodò decrementum pati videtur: unde, licèt ſenes corporis viribus orbati exiſtant, animi tamen conſilio pollent, & prudentia maximè prævalent; at in decrepitate corpus multo magis, & evidentius pro annorum ratione deficit, & ipſe etiam animus ſuum vigorem amittit: ita Lucret. 3. *lib. de rer. nat.* 19 20

Poſt ubi jam validis quaſſatum eſt viribus ævi
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguáque, ménique.

Ejus verò rei indicium evidens eſto primum in decrepitis memoriam deficere, quod & Gal. firmabat 2. *de ſympt. cauſ. cap. ult. claſſ. 1.* Quamobrem Plat. 8. *de Republ. verſ. fin.* contra Solonis ſententiam, Senes minus diſcere, quam currere poſſe aſſeverabat, ſed quod majoris momenti eſt, & magis ad rem noſtram aptari poteſt, idem Plato 5. *Ejuſd.* dicebat, quinquageſimumquintum annum in viro, & quadrageſimum in fœmina eſſe & corporis, & ſapientiæ vigorem, quaſi ab inde utrumque deficere incipiat. Veruntamen hæc multo evidentius quotidianæ experientiæ teſtimonio firmantur, ubi enim ad hanc ætatem pervenerunt Senes, non ſolum memoriam, ſed & cujuſvis rationis uſum amiſiſſe videtur, Quamobrem Senes ad pueritiam remeare reſpectu vigoris mentis, ex vulgata parœmia patet, immò Aſtrologi, poſtquam ultima ætas ad debitum pervenit terminum, quem decrepitatem nominant, ruſus denò infantiam numerant. Vidi (qui pro exemplo ſit, & placet de eo mentionem hìc habere) aurifabrum centum annis majorem, qui cum pro ætatis ratione corpore optimè haberet, tamen adeo utramque ratiocinatricis 21 22 23 24

natricis partem læſam in illo conſpiciebas, ut ſi quando propriæ habitationis limen non niſi altero tranſgreſſus pede fuiſſet, jam illum intro per ſe revocare neſciebat, ita ut aliquando per integrum diem ſeſe per urbem huc, atque illuc errabundus convolveret, tandemque non niſi manu ductus propriam domum repeteret. Neque dicas plures eſſe, qui ad tantam, immo nec etiam huic ſimilem fatuitatem non deveniunt; nam omnibus illud eſſe commune vitium teſtatur, ac confitetur Plato *in Gorgia, ſeu de Rhetorica*, & de ſenum fatuitate Juvenal. *ſat.* 10. *ſuperius citat.* ita habet:

——— *Sed omni*
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina ſervorum, nec vultum agnoſcit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte, nec illos,
Quos genuit, quos eduxit. . . . . .

25 His ergo ſic ſe habentibus, dubium non eſt, quod ea, quæ in ſene reſpectu imbecillitatis & infirmitatis corporis locum habent, multò magis procedere debeant in decrepito: Immò nonnulli, quos citat & ſequitur Gram. *Deciſ.* 34. *num.* 5. negarunt, ſenes debere ſervari à tormentis immunes, & voluerunt hoc 26
eſſe tantummodò decrepitorum privilegium; & hujus opinionis etiam eſt Farinac. *in ſuprà cit. quæſt. num. eodem*, quod ampliat *num.* 29. ut non ſolum non torqueri, ſed neque leviter torqueri poſſint, immò nec terreri. Ea verò, quæ in ſene quoad animi conſilium, & prudentiam locum habent, vix procedere 27
poſſunt in decrepitis, niſi dicas procedere reſpectu anteactæ ætatis, & tamen decrepiti veluti ſenes honore proſequendi ſunt, ac in omnibus ob ætatis con- 28
ditionem cæteris ſunt præferendi. Ariſtot. *Moral. Nicomach. lib.* 4. *cap.* 2.

Denique de iis, de quibus in ſuperiori quæſtione diſceptatio intererat, nimirum de generandi potentia, & hujuſmodi, nullam hìc intercedere dubitationem poſſe, ex iis quæ inibi adduximus, patet. [Confer. *Sinibald. F. Bonavent. & Caranza.*] Et de ætatibus quibus, & iis, de quibus circa eas à Juriſperitis dubitari contingit, hæc dicta ſunto.

LIBRI PRIMI

TITULUS SECUNDUS;

DE PARTV LEGITIMO, ET VITALI;

Continens Quæſtiones decem.

I. De termino naſcendi à natura homini conſtituto, & an in re à cæteris animalibus differat.
II De Partu ante ſeptimum menſem.
III. De Partu ſeptimeſtri.
IV. De octimeſtri Partu.
V. De Partu nonimeſtri, & decimeſtri.
VI. De Partu ſupra decimum menſem.
VII. De ſignis non vitalis fœtus.
VIII. Quot fœtus uno partu naſci poſſint vitales.
IX. Quot dierum ſpatio animetur conceptus.
X. Quinam partus proprìè mereatur nomen abortus.

SUMMARIUM.

1 *Homo in termino naſcendi à cæteris animalibus differt.*
2 *Septimeſtris pro ratione natus eſt.*
3 *Naſcendi tempus in homine varium.*
4 *Septimeſtris legitimus eſt.*
5 *Tredecim menſium fœtus pro legitimo admiſſus.*
6 *Prima ratio, cur homo non habeat ſtatutum naſcendi terminum, ut cætera animalia.*
7 *Calidi citiùs, frigidi ſeriùs naſcuntur.*
8 *Mares fœminis celeriùs naſcuntur.*
9 *Secunda ratio.*
10 *Tertia ratio.*
11 *Quarta ratio.*
12 *Quinta ratio.*
13 *Prioris rationis confutatio.*
14 *In quovis animalium genere tot diverſa ſunt temperamenta, quot individua.*
15 *Individua conſtituuntur in eſſe per ſibi peculiare temperamentum.*
16 *Temperamentum brutis eſt pro interna forma.*
17 *Forma, & natura idem.*
18 *Forma dat eſſe rei.*
19 *Forma eſt cauſa, quod omnis res ſit una.*
20 *Forma eſt, à qua res eſt id, quod eſt.*
21 *Impoſſibile eſt, duo individua habere eandem formam.*
22 *Homo habet formam immaterialem.*
23 *Cætera animalia inter ſe temperamento ſimilia.*
24 *Cætera animalia forma inter ſe diſſimilia. Amplia in vegetabilibus, num. ſeq.*
26 *A temperamentorum varietate diverſitas in animalibus.*
27 *Cætera animalia ſaltem per quatuor inſigniora temperamenta inter ſe differunt.*
28 *Diſſimilitudo temperamentorum in hominibus à natura non eſt.*
29 *Bruta inter ſe cur magis ſimilia.*
30 *Ab eo, quod per accidens eſt, non poteſt dependere id, quod à natura præſumitur eſſe.*
31 *Cùm temperamentorum latitudo ſit infinita, debet eſſe infinita latitudo termini naſcendi.*
32 *Qui frigido ſunt temperamento, non ſuperant numero eos, qui temperamento, non ſunt calido.*
33 *Si Hiſpanus, quia calidus, naſcitur nono, Gallus, quia frigidus, deberet naſci decimo.*
34 *Species brutorum, quæ calido eſt temperamento, deberet ſua individua celeriùs parere, quàm quæ frigido.*
35 *Secunda rationis confutatio.*
36 *Uterorum angußia reſpectu univerſalis naturæ eſt quid per accidens.*
37 *Uteri angußia debiles fœtus gignit.*
38 *Tertia rationis confutatio.*
39 *Fœmina etiam reſpectu ſui ipſius aliquando modicum, interdum multum ſanguinem fœtus ſubminiſtrant.*
40 *Juvenculæ cur ſemper deberent generare nonimeſtres, vel decimeſtres.*
41 *Ex alimenti copia longiorem moram in utero fœtum trahere voluit Hipp.*
42 *Averrois rationis confutatio.*
43 *Hominis natura eſt media inter pauciparam, & multiparam.*
44 *Per id quod ut plurimum fit, regulatur natura.*
45 *Natura per univerſalia regulatur, non autem per individua.*
46 *In omnibus animalibus variantur aliquando numeri fœtuum.*
47 *Partûs geminationem in homine contra naturæ legem fieri ex Ariſt.*
48 *Homo abſolutè animal uniparum eſt.*
49 *Poſtrema rationis confutatio.*
50 *Multa animalia incerto tempore cœunt.*
51 *Pregnantia eſt ex majoribus cauſis impedientibus cœitum in brutis.*
52 *Alia rationes pro præcipua concluſiones facientes.*
53 *Homo in concipiendo plures committit errores.*
54 *Ex his, quæ contra naturæ inſtitutum fiunt, nihil quod*

quod contra naturæ inſtitutum non ſit, ſuccedere poteſt.

55 *Homo, quoad naſcendi, ſeu pariendi tempus, nihil peculiare habet a cæteris animantibus, & num.* 105. *& num* 108.

56 *Ab Ariſtotele non diſcedendum abſque firmis rationibus in contrarium.*

57 *Prima ratio pro noſtra concluſione firmanda.*

58 *Homo ſemper deberet eſſe vitalis, in quocumque aſſignatorum terminorum naſceretur, ſi id naturaliter fieret.*

59 *Quod a natura eſt ut plurimum, & ſecundum plurimum, eodem modo ſit.*

60 *Septimeſtres, & octimeſtres ut plurimum non vivunt.*

61 *Septimeſtre, & octimeſtre ſpatium non eſt à natura pro termino naſcendi in homine conſtitutum.*

62 *Secunda ratio.*

63 *Quæ ſine carent, caſu ſunt.*

64 *Hominem non habere determinatum nascendi tempus, nullum habuit finem, & cur, num. ſeq.*

67 *Natura agit propter finem.*

68 *Tertia ratio.*

69 *Ubi deeſt perfectio, deeſt finis.*

70 *Nullum perfectum ſine caret.*

71 *In terminis naſcendi unus dari debet perfectior alio.*

72 *Perfectum deficere eſt impoſſibile.*

73 *Supra perfectum nihil eſt extra accipere.*

74 *Perfectum in unoquoque genere eſt maximum.*

75 *Fœtus à perfectione deficientes, à natura non ſunt quoad naſcendi terminum.*

76 *Natura ſemper intendit quod perfectius eſt.*

77 *Quarta ratio.*

78 *Si ſeptimus menſis ſufficiens terminus eſt ad perfectionem acquirendam, commorari fœtum in utero ultra ſeptimum, ſupervacaneum eſt, & fruſtra à natura paratum.*

79 *Non magis ſecundum naturam eſt naſci ante tempus, quàm ante tempus ex morbo ſeneſcere.*

80 *Naſci ſupra, vel infra nonum, aut decimum, ab accidenti eſt, & non à natura, ſed à morbo, & num.* 93. *& 96.*

81 *Tam ſeptimeſtres, & octimeſtres, quàm recentiores fœtus extra naturæ ordinem quoad tempus naſcuntur, & qua præcipua differentia inter ipſos exiſtat.*

82 *A ſeptimo, & octavo menſe quid acquirant fœtus.*

83 *Septimeſtres, & octimeſtres imbecilli.*

84 *Bruta ante tempus ſibi debitum nata adoleſcere non eſt impoſſibile.*

85 *Septimeſtres, & octimeſtres non abſoluti naſcuntur.*

86 *Septimeſtrium Hiſtoria, & num. ſeq.*

88 *Supra decimum naſci naturale non eſt.*

89 *Homo habet magis præfixum naſcendi terminum, quam qui exiſtimatur.*

90 *Antiqui Romani ſeptimeſtrem, & octimeſtrem non acceptarunt.*

91 *Septimeſtris Homero immaturus dictus.*

92 *Septimeſtris non habet cum vita omnimodam repugnantiam.*

94 *Contradicere experientiæ, hominis eſt abſque ſenſu.*

95 *Hominem ſeptimeſtrem, & octimeſtrem naſci patet: cauſam vide num.* 97.

98 *Homo præ cæteris fœminis in partu laborat.*

99 *Bruta rarò, & non niſi in conceptionis principio abortiunt.*

100 *Reſpectu fœtus naſci ante ſeptimum magis contra naturam eſt, quàm in ſeptimo, aut poſt.*

101 *Naſci dici non poteſt, qui à præternaturali cauſa in lucem exire cogitur.*

102 *Homo propriè loquendo, naſcitur nono, aut decimo.*

103 *Abortus propriè quando dicatur.*

104 *Natus ante nonum ſemper aliquo modo dici poteſt abortivus.*

106 *Bruta non habent naſcendi terminum ita præſcriptum, ut nunquam evarient.*

109 *Cur anticipare nonum in naſcendo homo non poſſit, retardare autem maximè.*

110 *Neceſſe eſt dari terminum naſcendi omnium breviſſimum, & quid ſit, num. ſeq.*

112 *Nonus menſis pro calidioribus naturis conſtitutus.*

113 *Decimus longiſſimus naſcendi terminus in homine.*

114 *Cur plures ante nonum, quàm poſt decimum naſcantur.*

115 *Impoſſibile eſt, ut matris ſanguis ſupra decem menſes ſufficere poſſit fœtui.*

116 *Natus ſupra ſeptem quadragenarios non vitalis.*

QUÆSTIO I.

De termino naſcendi à Natura homini conſtituto, & an in ea re à cæteris animalibus differat.

STatueram, ſed ſupra quàm credi poſſit, perturbato, ac non lubenti animo, cũ adhæc exarandæ me accinxiſſem, communi hominũ ſententiæ in iis, quæ jam ſcribere paro, adhærere, & obſecundanti univerſalis opinionis fluentæ me aſportandũ committere, reclamante ſemper, ac dejerante in me ipſo neſcio quo veritatis ſenſu. Cùm melioti genio fortaſſe ductus, calculum reduxi, atque alacri, ac prompto animo pro veritate ſolus etiam contrà quam plurimos fortiſſimos, ac invincibilis potentiæ propugnatores demicare decrevi, licet victum tanoem à pugnantium me fortitudine, ac numéro non modò non dubitem, ſed certo certius ſciam, pugnaſſe tamen gloriæ partem fore exiſtimo.

Invaluit apud cunctos non doctos homines ſolùm, ſed & apud viles tonſores hujuſmodi opinio, quòd homo non ut cætera animalia præfixum quendam terminum naſcendi à Natura habeat, ſed vatium, ac multiplicem, ita ut & ſeptimo, & octavo, & nono, & decimo, & undecimo menſe oriatur, cæteris non niſi aſſignato menſe naſcentibus. (Vide Sennert. *de morb. mul.* p. 392.) 15

Ejus concluſionis primus auctor Ariſt. fuiſſe videtur, qui cùm vidiſſet Hipp. & ſeptimeſtrem fœtum pro ratione natum eſſe aſſeveraſſe, & octimeſtrem, & nonimeſtrẽ, & decimeſtrem, & undecimeſtrem parrum admiſiſſe, non cõtentus ea ipſa recenſere, quæ ab ipſo Hipp. didicerat, eã firmavit cõcluſionem, Homini à Natura nullum conſtitutum eſſe naſcendi, ſeu pariendi tempus, veluti cæteris animantibus illa conſtituit, ita ille habet 4. *de Gener. Anim. cap.* 6. *& problem. ſect.* 10. *Probl.* 30. ex qua concluſione eò deventum eſt, ut juſtitiam miniſtrantes ex hoc etiam partum decimotertio menſe natum pro legitimo ad hæreditatem admiſerint; ita enim Papirium feciſſe teſtatur Plin. *nat. hiſt. lib.* 7. *cap.* 5. ubi & Ariſt. pro more in ea ſententia adhæret, & ejus rei alia exempla narrat. 2

Non tamen aliquos ita moviſſet Ariſt. & Plin. auctoritates, niſi & ipſum Hipp. ante illos ejus fuiſſe ſententiæ auctorem noviſſent, non ſolùm quod tot fœtus vario tempore editos tanquam naturaliter natos admittere videretur, ſed quòd apertiſſimè *in prin. de Diæta*, varium omninò eſſe naſcendi tempus aſſeveraſſet, alioſque ſeriùs, quoſdam autem maturiùs naſci tradidiſſet. 3

Hominum ergò nullus debebat tantorum virorum aſſertioni reclamare, ita ut omnes cõſenſerint, etiam Legiſlatores. Plato 5. *de rep. verſ. med.* ubi ſeptimeſtrem pro legitimo admittit, & noſtræ ipſæ Leges in *l. ſeptimo, ff. de ſtatu hom.* quæ, ut dixi, huic concluſioni innixæ tredecim menſium fœtum aliquando pro legitimo admiſerunt, teſte eod. Plin. referente Aul. Gell. *Noct. Att. lib.* 3. *cap.* 16. 4 5

Jam ergò ea concluſio omnibus undequaque acceptiſſima, ab omnibus quaſi pro indemonſtrabili, & axiomate quodam habetur, & à quibuſcunque doctis viris ad ſuas aſſertiones roborandas, ad problemata enodanda, ad dubitationes declarandas pro fundamento reali, id præcipuæ conſiderationis adducitur, & ne omnium nomina hùc congeram, ſatis ſit recentiores aliquos adduxiſſe. Amat. Luſit. *Cent.* 1. *curat.* 27. Joubert. *lib.* 3. *Error. popul. c.* 2. Mercur. *de morb. Mul. lib.* 2. *c.* 1. *in prin.* Andr. Laur. *Anatom.*

Anaton. lib. 8. *cap.* 30. Mercur. *in lib.* della Commare. *lib.* 1. *cap* 70. Codronc. *in Method. teſtif. c.* 14. Roderic. à Caſtr. *de Nat. Mul. lib.* 4. *cap.* 1. p eniſſimè Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. lib.* 7. *part.* 4. ſed omnium prædictorum luculentiſſimè eam ſententiam & exponit, & tuetur Horat. Augen. *in lib. ad hanc ipſam rem dicato*, nimirum, quod homini non ſit certum naſcendi tempus, qui ſuccedit *ad ſecundum ſuarum Epiſt. & Conſ. Med. Tom.* Pro Jureconſultis ſatis ſit auctoritas Rotæ *in Auximana alimentorum* 1. *Junij* 1620. *Coram Pirovano, num.* 7. Hi omnes, inquam, cum aliis penè infinitis, quos nominare non intereſt, & eam concluſionem firmant, & plures rationes in ejus favorem adducunt, quarum potiores apud ipſos ſequentes habentur.

6 Prima ratio. Cùm hominum temperamenta plurimùm, ac multò inſigniùs, quàm cæterorum animantium inter ſe evarient, conſentaneum videtur, ut diverſa etiam à Natura ſortiantur naſcendi tempora:
7 nam is, qui calido temperamento eſt, cùm citiùs multò perficiatur, quàm qui eſt frigido, non debet eam moram in utero contrahere, quam contrahere cogitur is qui eſt frigidus: patet exemplo maris, & fœmellæ; mas enim, qui citiùs perficitur, ex eo quòd
8 calidior ſit, citiùs etiam naſcitur, ut deinceps dicetur, & notat Gloſſ. *in l. Idem erit, ff. de Statu hom. in n. Quæſt.* 1.

9 Secunda ratio. Dubium non eſt, quòd ob multiplicem prædictam temperamentorum varietatem in homine, plurimùm etiam in eo diverſificentur corporum partes in individuis, ita ut hoc individuum utero ſit amplo, illud verò anguſto; hinc eſt, quòd cùm anguſtus unius individui uterus non poſſit toto decem menſium ſpatio augeſcenti fœtui locum præbere, teſtante Hipp. provida Natura diverſa naſcendi tempora homini præſcripſit, ne is, qui aliàs toto eo ſpatio, quod illa præſcripſiſſet, in utero ob locorum anguſtiam commorari non poterat, ex eadem cauſa ſuffocaretur, quod neceſſariò contigiſſet; ſatiùs idcircò fuit, ut hic ſeptimo, aut octavo naſci poſſet, & ex naturæ præſcripto vivere.

10 Tertia ratio. Ex primo ſuppoſito, nimirum ex multiplici in homine temperamentorum varietate fit, ut unum individuum multo ſanguine abundet, aliud verò modico: conſentaneum verò eſt, ut ubi multum ſanguinem fœtus exugere poteſt, celeriùs abſolvatur; ubi verò modicum, ſerius: ſagax ergò, ac optima parens Natura prudenter illud operata eſt, ne uno omnes termino naſcerentur, prior enim inceſſum moram in utero traheret, ſi poſtquam abſolutus eſt, naſci non debuiſſet; poſterior imperfectus exiret, niſi tantam moram traheret, quantâ ille indigebat.

11 Quarta ratio, & eſt Averr. *in Paraph.* 4. *de Gen. anim. cap.* 7. quam elicit ex Ariſt. Hominis, inquit, Natura eſt particeps harum duarum ſpecierum, multiparæ quippe, & pauciparæ; ideò diſſident tempora conceptus ejus; ob eam enim diverſitatem in numero fœtuum, quæ elucet magis in partu humano, quàm in belluino, conſentaneum Naturæ viſum eſt, ut in naſcendo etiam varios terminos haberet, ab aliiſque animantibus in hoc differret.

12 Quinta ratio. Homo quovis tempore ac quavis hora, nocte diuque, Juvenis, Senex, per Hyemem, per Æſtatem, Vere, Autumno, ſemper pro ſuo arbitrio coitu utitur, neque habet à Natura ſibi conſtitutum tempus, quo mas cum fœmina ad ſpeciem propagandam conjungatur, veluti cætera habent animantia; unde Hipp. *in Epiſt. ad Damagetum* in perſona Democriti loquens, *Anniverſariorum*, inquit, *temporum ordo brutis, quidem animantibus coitus finem affert, homo verò inſano libidinis ſtimulo continenter agitatur.* Ea igitur de re provida Natura præſtitit, ut incerto tempore parere poſſet animal, quod non certo tempore concipiebat. Alias denique his non diſſimiles rationes adducit Augen. *lib.* 1. *ſupr. cit. de Part. hum. cap.* 14.

Jam igitur eam concluſionem, & rationes pro ea 13
firmanda adductas examinemus, & quid in illa improbandum tanquam falſum, quidve in his refellendum à nobis ſit, proponamus. Præcipua ergò Ariſt. concluſio duo continet, quorum utrumque falſum eſſe non multò poſthac patebit; nam homini ampliorem quàm ſit, cæteris animalibus anguſtiorem naſcendi terminum eſſe vult. Primum igitur non ita ſe habere, jam demonſtrandum, ſi modò ante propoſitis rationibus ſatisfaciamus.

Prima ergo ratio proponit nobis temperamento- 14
rum varietatem in homine, quam deſiderari in cæteris animantibus ſupponit; miror tamen ipſe, quomodo in aliis quoque animantibus eam temperamentorum differentiam negare illis ſuadeat animus, cùm non in ſpecie humana ſolùm, ſed & in inſectorum ſpeciebus tot reperiantur diverſa temperamenta, quot individua: neque enim per aliud conſtituun- 15
tur in eſſe individuali omnia quæcumque vivunt quàm per proprium temperamentum, homine ex- 16
cepto; illud enim eſt illis pro interna forma: Gal. *comm.* 3. *Aphor.* 2. Temperamentum enim eſt ipſa 17
Natura; at forma, & Natura idem ſunt, Gal. *ad eos, qui de Typ. ſcrip. cap.* 4. *& alibi*. ſi ergò forma dat eſſe rei, ut eſt trita apud Philoſophos concluſio, & ab 18
ipſis Legibus canonizata, *l. Julianus, §. ſi quis, ff. ad exhib.* Tiraq. *in l. ſi unquam. C. de revoc. don gl. ſuſcep. lib. n.* 67. quotquot erunt Entia, totidem erunt formæ, & conſequentur totidem temperamenta. Et ſi 19
iterum forma eſt cauſa, quòd omnis res ſit una, Averr. 3. *Phyſ. text.* 68. *& primo de Anim. com.* 90. & alibi pluries, nam forma eſt, à qua res eſt id quod eſt. Themiſt. 2. *Phyſic. text.* 11. impoſſibile eſt, id quod 20
duo individua habeant unam, eandémque formam, & conſequenter habeant unum, idémque temperamentum. Itaque hæc temperamentorum varietas 21
multo magis conſideranda venit in ceteris animantibus, quàm in homine, cùm illa per ea conſtituantur in eſſe individuali, quod homini non accidit, quia habet immaterialem, & inalterabilem formam. Si ergò ob temperamentorum varietatem Natura homini 22
multiplicem naſcendi terminum conſtituit, cæteris ob id ipſum multò major conſtitui debebat.

Sed dices hoc ſenſu ipſo nos aſſequi poſſe, cùm vi- 23
deamus manifeſtè cætera animalia in temperamento magis ſibi ſimilia, quàm homines inter ſe; quod maximè demonſtrare poteſt id quod figurâ inter ſe vix differant; homines autem maximè inter ſe effigie diſſimiles appareant, cujus rei rationem reddit Ariſtot. *Problem. ſect.* 10. *probl.* 12. ex hoc etenim non aliud arguere poſſumus, niſi maximam temperamentorum in illis conſonantiam, & convenientiam, in nobis diſſonantiam, & diſconvenientiam.

Reſpondeo, quòd licèt cætera animalia inter ſe 24
nobis valdè ſimilia videantur, tamen eadem eſt, aut paulò minor inter ea diſſimilitudo individuorum, quæ & inter nos: nobis verò, qui univerſalem quamdam eorum ideam, & non particularia apprehendimus, ſimillima videntur, quia univerſali illi Ideæ omnia conveniunt; patet hoc, quia bubulci, & paſtores, qui non univerſale quid, ſed particularia apprehendunt, quæ ſuæ curæ demandata ſunt, ea nullo negotio, ſed facillimè non aliter, quàm de hominibus

bus facerent, inter ſe nomine diſtingunt. Quod etiam Homeri teſtimonio comprobari poteſt, *Illia. lib.* ſic dicentis,

Hos autem ut greges amplos caprarum caprarij homines
Facilè diſtingunt, poſtquam in paſcuis commixti ſunt;
Sic hos ductores dirigebant.

Video mulierculas, aniculasque gallinarum unam ab alia ſeorſim cognoſcere, quod admirationem affert ei, qui non individua illa, ſed quoddam univerſale gallinacei generis phantaſma in mente habet, omnia enim illi ſimillima, & quaſi indiſtinguibilia ſenſu videntur. Sed & id ipſum in hominum genere evenire compertum eſt: videbis enim unius regionis homines effigie primo aſpectu adeò ſimiles, ut illos vix diſtinguere inter ſe ſcias; ac poſtquam mentem applicueris, & jam non univerſalem effigiē, ſed particularem ibi præſentari contigerit, & illos facie notos habueris, toto cœlo inter ſe diſtare comperies, qui ante adeò convenire in effigie videbantur: fratres item, ſi minimè tibi noti erunt, omnes penè unam, eandemque effigiem habere affirmabis, eorum verò domeſtici te ipſum deridebunt, quibus non modò non ſimiles, ſed maximè diſſimiles apparent. Sed eſſe etiam inter cætera omnia animantia hanc individuorum in externa effigie diſſimilitudinem imò & inter ipſa penè animā carentia
25 vegetabilia probat Lucret. *lib. 2. de rer. nat.* his carminibus.

Præterea genus humanum, mutaque natantes
Squamigerum pecudes, & læta arbuſta, feraque,
Et varia volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant circum ripas, fontesque, lacuſque.
Horum unum quodvis generatim ſumere perge,
Invenies tamen inter ſe diſtare figuris,
Nec ratione alia proles cognoſcere matrem,
Nec mater poſſet prolem quod poſſe videmus,
Nec minus atq; homines inter ſe nota cluere, & ſeqq.

Ex his ergò minimè colligere poteſt, quiſquis ſit, in cæteris animalibus fieri eam temperamentorum convenientiam, quam dicunt. Sed voluntne, obſecro, omnia individua cæterorum animalium uno eodemque prorſus temperamento dotari? Quod ſi id eſt quod volunt, quæro ab illis, cur ex equis, exempli gratia, alius pilo ſit albo, alter verò ſpadiceo, vel palmeo, hic pheniceo, aut puniceo, ille glauco, unus gilvo, alter autem badio, alius aureo, alius cinereo, alius caruino, alius murteo, vel muteo, ille Abineo, vel Abinio, hic nigro, aut guttato, aut ſcutulato, aut preſſo, aut tuſſeo, vel mille aliis colorum differentiis? Cur alius prægrandis, alius puſillus, alius ſtaturā mediocris? cur alius generoſus & imperterritus, alter verò pavidus & meticuloſus? cur alius bello aptus, alius nonniſi oneribus ferendis, alius ad curſum pedibus pernix, alius, qui vix calcaribus ſollicitatus gradiatur? & ex canibus cur præter pilum, colorem & ſtaturam, (quæ etiam multò magis, quàm in hominum ſpecie evariat) alius venationi aptus, alius non niſi ad domum cuſtodiendam? nam ſi à temperamentorum varietate hæc minimè evenire dixeris unde originem habeant, vix unquam licebit tibi me edocere.

26 Sin verò non omnia unius ſpeciei individua uno dotari temperamento velint, ſed inter ſe variari, non tamen adeò, nec tantoperè, quantum evariant individua ſpeciei humanæ, concedant ſaltem neceſſe eſt, in ſingulis cæterorum animalium ſpeciebus dari
27 quatuor inſigniores differentias, calidi, frigidi, humidi, & ſicci. Si ergò minima differentia inter duo humanæ ſpeciei individua in temperamento in cauſa fuit, ut unum ſeptimo naſceretur, alterum verò nono, aut decimo, quantò magis in cæteris animantibus evariatio illa calidi, frigidi, humidi, & ſicci illud ipſum præſtare debuiſſet? Quamobrem ſi à temperamentorum differentia illud peculiare habet homo, ut incerto tempore edatur, non minùs peculiare debet eſſe equo, aut cani, aut cuicumque animali, cum & in his inſignis ea temperamentorum evariatio evidenter eluceat.

Sed eſto, condonemus hominum individua quam 28
maximè inter ſe temperamento diſtare, tamen videndum, an hoc à Natura ſit, vel ab accidenti? nam & cœli diverſitas, & victûs ratio multiplex, & animi paſſiones, & hujusmodi alia multum faciunt ad eam temperamentorum varietatem, quippè cùm ſicuti homines & cœli varietate, & victus ratione, & animi paſſionibus multum inter ſe diſtant; ſic etiam & propria temperamenta ad contrarias qualitates
29 tranſmigrare neceſſe eſt, & fœtus etiam ex illis conceptos ob eandem ipſam cauſam, quam maximè inter ſe temperamentis diſtare. Bruta verò quia omnia victûs ſimili ratione utuntur, ſimilibuſque animi paſſionibus detinentur, & magis in univerſa vivendi ratione inter ſe conveniunt, temperamentum, quod à natura unumquodque, prout propriæ ſpeciei convenit, habet, magis ſimile ab illis conſervatur; & fœtus etiam procreant temperamento etiam multò magis inter ſe convenientes. At quoniam ea evariatio in homine, ut dixi ab accidente eſt, fieri nullo pacto poteſt, ut ex hoc, quod per accidens eſt, illud, quod à natura præſumitur eſſe, cauſam habuerit.

Sed ponamus, hanc temperamentorum varieta- 30
tem in uno homine, & ex ea illud habuiſſe à natura illam dicamus, quod incerto tempore naſcatur, profectò, cùm hæc temperamentorum varietas ſit infi- 31
nita, infinita exiſtente eorum latitudine, cur tantum modò ſeptimo, octavo, nono, decimo, aut undecimo naſcitur, & non etiam quarto, quinto, ſexto, duodecimo, tertiodecimo, biennio, triennio? vel ſaltem cur non tot termini à natura ortui deſtinati, quot ipſa inſignioria temperamenta ſunt? & ſi deſtinavit, cur tam pauci extra noni, aut decimi terminum naſcuntur, cum tamen calidi non exuperent numero frigidos, nec humidi ſiccos?

Præterea ſaltem hæc differentia notabilis deberet
eſſe inter nationes, & homines regionis diverſæ, qui 32
temperamentis maximoperè inter ſe diſtant, & ſi Hiſpanus quia calidus, naſcitur nono, Gallus quia
frigidus deberet naſci aut citiùs, aut tardiùs, prout di- 33
cere libuerit? cur tamen utrique plurimum eodem menſe naſcuntur, & ex utriſque pauci ſeptimeſtres, & his multò pauciores octimeſtres pari modo oriri conſueverunt?

Denique ſi hoc privilegium cæteris animantibus
negare libet, etiamſi eorum individua temperamento non minùs ac homines inter ſe diſtent ſaltem ea differentia inter ſpecies deberet maximè animadverti, ita ut ſpecies, quæ temperamento calida eſt, citiùs naſci deberet, quàm quæ frigida? tamen cur neque
hoc à natura admiſſum, & equum temperamento ca- 34
lidum, aſinum temperamento frigidum, camelum temperamento ſiccum duodecimo menſe omnes naſci voluit, teſte Ariſt. *in lib. de hiſt. anim. lib. 5. c. 14.* Uvoton *de different. Anim. lib. 5. c. 101. & ſeq.* & ovem temperamento humidam, capram temperamento ſiccam, utramque quarto menſe parerent, ſancivit? Ariſt. quem adducit Geſner. *in lib. 2. de hiſt. Anim. de Viviparis quadruped. in propr. capp.* Varro *de re Ruſt. lib.*

lib. 2. cap. 9. & ſeq. cap. 5. An non novit Natura temperamentorum rationem in ea habere? Quid ergo potuerit in hoc temperamentorum varietas operari? pate re jam credo.

35 Adducitur pro *ſecunda ratione* uterorum in humana ſpecie magnitudo, & parvitas, quam varietatem adeò homini connaturalem efficiunt, ut hujus rei cauſa varios terminos in naſcendo habuerit. Sed præterquam quod hoc ipſum etiam reſpectu univerſalis Naturæ per accidens eſt, nec poteſt in na-
36 ſcendi ratione, quæ in pluribus conſideratur, & ab univerſalis naturæ lege neceſſariò dependet, ipſam univerſalem naturam regulare, dicant, obſecro, num uteros brutorum unius ſpeciei dimenſi, omnes unam eandemque prorſus dimenſionem habere competerint?

37 Ad hæc uterorum anguſtia, etiamſi detur frequentior eſſe homini, quàm alteri cuivis animanti, non eſt cauſa; ut fœtus ante tempus naſcatur, ſed ut debilis naſcatur, ita teſtante Hipp. *in lib. de genit. inf.* in his verbis; *At verò ſi omnes edui liberi debiles exiterint uteri plus æquo anguſti in cauſa eſſe exiſtimantur.* Deberet & præter hæc eadem mulier ſemper ſeptimeſtres generare, aut nonimeſtres, & tamen conſtat, unam, eademque modò ſeptimeſtres, modò verò nonimeſtres gignere.

38 *Tertia* porrò rationis confutatio ex prioris confutatione dependet; ſupponitur enim ibi ſanguinis copia diverſa in homine, quæ quanto majorem copiam fœtui ſubminiſtrat, illum citiùs perficit, quantò verò minorem, ſeriùs: quaſi ſancitum illud à natura ſit, ut omnia individua unam determinatam ſanguinis menſuram pro ſui nutrimento ex materno utero exugant, quam menſuram vel exuperare, vel non implere nullo ſuperfuturo liceat: unde qui eam citiùs ingurgitat, cito ex hac ratione naſcetur, qui verò tardiùs, tardiùs. At & fœminis cæterorum animalium hoc abſque culpa denegant privilegium, ſiquidem omnes non modo eandem nutrimenti menſuram, ſed cum determinato tempore fœtibus ſuis ſubminiſtrare volunt, ad hæc ulteriori confutatione non indigent.

39 Addamus tamen, quod cum in homine ſpeciei individuis fœminæ reſpectu etiam ſui ipſius aliquandò modicum, aliquandò verò multum ſanguinem fœtibus ſubminiſtrent, neceſſe eſſet, quod cum multum ſuppeditant, ſeptimeſtres, cùm modicum, nonimeſtres
40 generarent: hac igitur ratione juvenculæ deberent ſemper generare nonimeſtres, vel decimeſtres; nam de juvenculis matribus paucus ſanguis fertur. Hipp. *de Nat. Puer verſ. f.* ſeniores autem, ſeptimeſtres, cum majorem ſanguinis quantitatem ad uterum demandent, eodem etiam pacto & quibus multæ purgationes ſunt, ſeptimeſtres, quòd ſanguine abundant, quibus verò parcæ, nonimeſtres fœtus edere par eſſet, quod ſanguine ſint deſtituræ; cùm tamen contrà Hipp. *ibid.* ex alimenti copia longiorem in utero
41 moram fœtum trahere, & ex ejusdem inopia exitum ſollicitare faſſus ſit. His tamen non obſtantib. cùm ſemper de rarò ſeptimeſtres, & octimeſtres, naſci videamus, eos indifferenter, & ex juvenculis, & ex ſenioribus; & ex iis, quæ modico; & ex iis quæ multo abundat ſanguine, oriri compertum eſt.

42 Cæterùm, ad *Averrois* rationem accedamus, qui quanquam adeò perſpicax extiterit Philoſophus, tamen nunc ex falſa ſuppoſitione non niſi falſum deduxit: ſupponit etiam hominis naturam eſſe mediam
43 inter pauciparam & multiparam, & ejus ratio eſt, quia homo interdum unicum parit, aliquando binos, aliàs ternos, aut quaternos. Sed videndum eſt, ô Averroës, quid utplurimum fiat, per hoc enim regulatur Natura Gal. 14. *Meth. c.* 14. *claſſ.* 7. probat 44
Riolan. *ad Fernel. in lib. de hom. procreat. c.* 11. ſi enim ex iis, quæ de rarò contingunt. Naturam regulari velis, jam & cætera omnia animalia non minus ac homo participabunt harum duarum ſpecierum multiparæ, & pauciparæ, nam & vacca ſingulos generat fœtus ut plurimum, aliquando tamen binos, & fortaſſe plures, ut homo, ſed & in vacca, & in homi- 45
ne illud præter naturæ Leges evenit, quæ non per individua, ſed per univerſalia regulatur, ſic etiam & canis plures generat, tamen etiam ſingulos, ut catulus domeſticus, aut ad ſummum binos; ſic & oves, 46
& capræ ſingulos, pariunt, interdum binos, ternos, quaternos, ut homo, ex Ariſt. Geſner. *ubi ſup.* ſic etiam & in reliquis animantib. variati numerum fœtuum interdum annotatis: & firmat ejus rei veritatem ipſe Ariſt. *in libb. de hiſt. anim.* ac præcipuè *lib.* 6. ubi & in urſa, & in leone, & in aliis non ſemper partus eodem numero naſci tradit. Sed in ſuis natura, quæ quinque, aut ſex parit, media eſt inter paucipara & multipara, ut tu ipſe paulò ſuperiùs aſſeverabas, (licèt, ſciam Ariſt. *probl. ſect.* 10. *probl.* 16. & Alex. *lib.* 2. *probl.* 69. ſuem inter multipara reponere (jure merito hominis Natura inter paucipara reponenda venit, etiamſi binos aut ternos ut plurimum pareret.

Sed eſto, hoc homini connaturale ſit ut media ſit ejus natura inter paucipara, & multipara, quid tandē hinc deducere aliud potes, ô *Averroes*, quàm quòd homo, cum unicum parit, decimeſtrem, ac nonimeſtrem, cum plures, ſeptimeſtres, aut octimeſtres parere debeat? at cur promiſcuè, & cùm unicum parit, & cum plures & ſeptimeſtres, & octimeſtres, & nonimeſtres, & decimeſtres parit? Sed vin' ut, ut ex Ariſt. præcipuam tuam concluſionem evertam? Obſer a ipſum citato *lib.* 10. *probl.* 10. & 4. *de Gener. Anim. c.* 47
6. affirmaſſe, partus geminationem in homine contra Naturæ legem eſſe, & *ibid. cap.* 4. licèt hominem cum omnibus generibus ambigere utcumque velit, tamen maximè ex ſua natura uniparum eſſe concludit; ab accidenti ergo eſt, ut aliquando plures uno pariat, ut ex eo patet, quinimò nota ulterius, illum *in lib. de adm. audit ſex.* 77. partus geminationem in homine inter naturæ miracula repoſuiſſe, narrans, quod apud *Umbros*, mulieres plurimum geminos pariant, & aliquando etiam ternos.

Viden' igitur, ô *Averroes*, hominem abſolutè, & ex 48
ſua natura uniparum animal eſſe, & hanc à te allatam incertitudinis ſui ortus rationem in auras prorſus evanuiſſe?

Examinemus ergo jam tandem *poſtremam rationem*, quæ tanquam omnium potiſſima, paſſim ac communiter ab omnibus unanimantur adducitur, & liceat, obſecro, pro adverſariis eam rationem in ſyllogiſmum efformare hoc modo:

Si quod animal eſt, quod incertis & non ſtatis tē- 49
poribus coitum exerceat, hoc incertis & non ſtatis temporibus parere debet: ſed homo tale animal eſt, ergo incertis & non ſtatis temporibus homo parere debet. Hoc argumentū benè procedere non dubitabunt, qui pro parte adverſa comparent; cæterùm non vident terminorum æquivocationem, & falſitatem, nam tempus in præmiſſis ponitur in termino qualitativo, in concluſione verò in termino quantitativo, hoc modo tin præmiſſis proponitur, quod ſi aliquod animal in certo tempore coit, hoc eſt non determinata quadam anni tempeſtate, ut evenit, exempli gratia, equo, qui coit Vere, cani coeunti in Autumno, feli coeunti in Hyeme, ſi ergo aliquod animal eſt, quod incerto, & promiſcuè Vere, Hyeme, Autumno, coeat

debet etiam in pariendo habere tempus incertum, hoc eſt non certo ſpatio uterum ferre: ita ut in prioti propoſitione temporis qualitas proponatur, in concluſione de quantitate inferatur. Ac profectò maximè conſiderabilis videtur ea terminorum; ex præmiſſa enim non aliud ſequitur, quàm ſi Vere, Autumno, Hyeme, aliquod animal coeat, debebat etiam Vere, Autumno, aut Hyeme parere.

Sed ne me tanquam morоſum odio, quiſquis ſit, proſequatur, etiam hanc concluſionem pro vera admittere paratus ſum. Sed cur, ſi alia pleraque animalia incerto tempore coeunt, non etiam incerto tempore pariunt? naim conſtat equas, ſues, daſipodes, & alias fortaſſe fœminas coitum prægnantes admittere, Ariſt. 5. *de nat. anim. cap.* 8. Plin. *mat. hiſt. lib.* Ælian. *de hiſt. anim lib.* 4. *c.* 10. Alb. Mag. *de Animal. lib.* 9. *tract.* 1. *c.* 5. De quib. etiam inter JC. Tiraq. *de leg. Connub. l.* 4. *n.* 85. at ſi etiam gravidæ fœminæ horum animalium coeunt, omni tempore coitum eas admittere par eſt, cùm prægnantia ſit ex majoribus cauſis, & magis urgentib. quæ coitum in brutis impediunt; at cur hæc ipſa bruta incerto tempore non pariunt?

Adducuntur inſuper aliæ permultæ, ut dixi, rationes ad eam concluſionem probandam, nimirum & de formatrice facultate, quæ in humana ſpecie in uno individuo magis, in altero minùs potens ſit; & de materiæ majori, aut minori quantitate, & de ſexus diverſitate; & aliæ ſimiles, quæ tamen omnes illud cõmune habent, ut non magis procedant in homine, quàm in cæteris quibusque animalibus, eas ergo aliter confutare ſupervacaneum eſt. Non tamen omittamus adhuc puſillam quandam ratiunculam, à quibuſdam adductam, & eſt hujuſmodi.

Homo in coitu exercendo, in concipiendo, in utero gerendo, in pariendo, plures errores patrare ſolet, quod de cæteris animalibus non evenit; ex hoc ergo mirum non eſt, illum incerto termino naſci. Ego verò aliàs dixi, nos hìc quærere, an ex Naturæ inſtituto homo tam incerto tempore naſcatur; at ex his erroribus, cùm contra Naturæ inſtitutum committantur, nihil, quod contra Naturæ inſtitutum non ſit emanare poteſt, aptiùs ergo ex hoc inferre nobis licet, quòd naſci extra debitum, ac certum tempus, præternaturale ſit, cùm cauſam omninò habeat præternaturalem. Si ergo naſci ſeptimo, vel octavo, evenit ob errores ab hominibus in coitu patratos, naſci ſeptimo, vel octavo, à cauſa præternaturali eſt.

Denique ſi addatur, neceſſariiſſimum fuiſſe homini varium, ac incertum naſcendi ſpatium, vario, ac incerto exiſtente formationis temino, de quo *Hippoc.* pluribus in locis, & alij Philoſophi, ac Medici, & qui etiam ab ipſa experientia demonſtratur; Reſpodeo, hoc non eſſe magis proprium homini quàm cæteris animalibus, nam ut Hipp. *lib.* 1. *de Diæta*, dicebat, prout quæque ignem, hoc eſt calorem minorem, aut majorem fuerint ſortita, citiùs augeſcunt, & formantur; at idem calor, qui in homine ſeminalem materiam vegetat, in brutis etiam idem eodem modo operatur, & tam hic, quàm ille diverſificantur in eorum operatione, ita ut ex hoc non magis debeat illud locum habere in homine, quàm in brutis.

Sed cur, *inquam*, mas triginta dierum ſpatio formatur, & fœmina quadraginta duorum, annon tamen aut eodem ſpatio, uterque eorum plurimum naſcitur? non ergo hæc diverſitas in ſpatio efformationis tantùm potuit operari, ut mas ſeptimo naſceretur, fœmina autem nono.

Verumenimverò confutatis jam iis rationibus, quæ concluſionem ab Ariſtotele firmatam pro vera nobis imponebant, reſtat, ut quibus rationibus contrariam habere veritatem perſuaderi nobis poſſit, demonſtrare jam aggrediar; Hominem nimirum, quod naſcendi, ſeu pariendi tempus, nihil peculiare ab aliis animantibus habere, quod illi à natura inſit, ſed veluti reliqua habere illum quoddam ſuæ ſpeciei determinatum congruum naſcendi tempus, decenti latitudine, ut in cæteris minimè deſtitutum, quæ nonum, aut decimum menſem comprehendit, neque enim conſentaneum videtur, ab Ariſtotelis ſententia abſque firmis rationibus recedere, cùm ejus maxima apud nos, imò & apud omnes doctos ſit auctoritas, ut teſtatur Tiraq. *de leg. Connub. lib.* 6. *n.* 52. & auctoritates Majorum non ſint reprobandæ argumento, *l. ad exhibendum, C. ad exhibendum.* ergo, ſi quidem rationes à nobis adductæ veritatem habere videbuntur, benè quidem erit, ſin minùs, Ariſt. opinioni omninò adhærendum, licèt rationibus ab aliis pro ipſo adductis intellectus nequaquam acquieſcat.

Prima ratio igitur contra *Ariſt.* dictum ſequens eſt. Si termini ea variatio, quam volunt, eſſet homini in naſcendo naturalis, ſequeretur, quòd non ſolùm in iis terminis, ſed in pleriſque aliis homo naſceretur, ut ſuprà undecimum, & infrà ſeptimum, & eſſet ſemper vitalis; quam concluſionem probare quidem ut veram nititur Augen. Sed in opere inceſſum inſudat *in lib. de par. hum.* Nam ſi affirmas mihi, hoc homini naturale eſſe, ut non habeat determinatum tempus ſui ortus, cur dehinc illud ipſum determinas, & non niſi ſupra ſeptimum, & infra undecimum, eum naſci poſſe affirmas? quin potiùs ex ea concluſione, cũ ſit indeterminata, ſequitur quodlibet tempus eſſe homini naturale, etiam ſi bimeſtre, aut trimeſtre, vel annuale, vel biennale, vel triennale ſit, aut majus.

At ſi ad prædictos terminos tuam concluſionem reſpicere dicas, jam ſecunda pars noſtri argumenti obſiſtere illi videtur, nam ſi à Natura eſt, ut in terminis à te aſſignatis homo differenter naſcatur, deberet ſemper, cùm in his terminis naſcitur, ſuperſtes eſſe, vel ſaltem ut plurimùm; quod enim à natura eſt, ut plurimùm, & ſecundum plurimum, eodem modo fit. Ariſtot. 2. *Phyſic. text.* 77. Gal. 24. *Method. cap.* 14. *claſſ.* 7. Si ergo nonimeſtris, & decimeſtris, ut plurimum vivunt, debent etiam ſeptimeſtris, & octimeſtris, ſi à Natura ſunt, vivere; & quemadmodum ex prioribus pauci intereunt, quin plerique ſuperſunt, ſic ex poſterioribus pauci interire deberent, & plerique ſupereſſe? ſed contrà, ſeptimeſtres ut plurimum non vivunt, ut experientia docet, Hippocrates firmat, qui octimeſtrem nullo modo vivere, & ſeptimeſtrem ut plurimum interire docet *in libro de carnibus, & de ſeptim. & octim. part.* & cæteri negare non poſſunt; nam nova experientia id ipſum recentiores comprobarunt, ut teſtatur Mercur. *in lib. cui. tit.* la Commare *lib.* 1. *c.* 6. cùm ex centum ſeptimeſtribus vix unum ſuperſtitem remanere confiteatur; ergo ſequitur ex his neque ſeptimeſtre, neque octimeſtre ſpatium à Natura pro eo naſcendi termino eſſe homini conſtitutum, & conſequenter Ariſt. concluſionem vel eſſe omninò repudiandum, vel ſaltem ita moderandam, ut non homini ſolum, ſed etiam cuicumque animali non ſit conſtitutus naſcendi certus terminus, ſi ad dies præfixos, & certos feſendi uterum reſpiciamus.

Secunda ratio talis eſt. Quæ à Natura ſunt, fine non carent. Ariſt. 2. *Phyſ. text.* 66. nam quæ ſine carent cauſa fiunt. Gal. *de cauſſ. Protar cap.* 1. *verſ. finis claſſ.* 3. & 11. *de uſu part. c.* 7. *claſ.* 1. ſed hominẽ non habere determinatum tempus in naſcendo præ cæteris animantibus, ſine caret; ego hominem naſci extra determi-

terminatum tempus, à Natura non eſt, ſed à caſu Quòd, non habere tempus naſcendi determinatum,
65 fine careat, patet primò, quia nullus hujus rei finis aſſignatur; nam eos qui ab aliquibus aſſignantur, vidimus jam non magis potuiſſe in cauſa eſſe ejus rei in
66 homine, quàm in brutis. Patet ſecundò, quia, ſi quem haberet finem, vel poſſet conſiderari reſpectu ſpeciei, & fuiſſet major ipſius propagatio, vel reſpectu individuorum, & fuiſſet major ſingulorum perfectio: Reſpectu ſpeciei non potuit habere hunc finem; nam opifex illa, ac parens Natura, quæ bruta non niſi unico termino naſcentia maximoperè propagat, & eodem modo humanam ipſam ſpeciem propagare; non debuit ergo diverſam ab ea, quam in aliis tentaverat, viam in humana ſpecie propaganda tentare. Et ſi talis fuit naturæ finis, deberet ſemper homo, ut ſuprà dictum eſt, in quovis menſe aſſignatorum naſcatur, & vivere, & vegetus, ac fortis eſſe, ut de nonimeſtribus & decimeſtribus evenit, quod tamen ita non eſſe patet. Reſpectu individuorum non potuit habere prædictum finem, quia cùm intendat ſemper facere, quod magis eſt perfectum, & inter eos naſcendi terminos unus ſit perfectior altero, Natura debuit eligere perfectiorem, ſi individuorum perfectioni proſpicere debebat, ac proptereà ita illam feciſſe non dubitandum, cùm verò ab illo perfectiori ſcilicet termino aberrant, non ſua culpa eſſe, ſed caſu factum, apertè demonſtrat, ut inferiùs dilucidè patebit. Cùm ergo conſtet ex his, naturam in ea re patranda nullum potuiſſe habere finem, concludendum, à natura non eſſe, ut incerto tempore na-
67 ſcatur homo, cùm natura propter finem agat. Ariſt. 2. *Phyſic. & ibi* Averr. & quomodò à natura eſſet, quæ rectrix, & moderatrix, ac norma omnium rerum eſt, id quod nullam normam, aut regulam habere præſumitur?

68 *Tertia* ratio. Cùm in unoquoque rerum genere,
69 quæ à natura ſunt, neceſſe ſit dari quod perfectum eſt, quia ubi deeſt perfectio, ibi deeſt finis, quamobrem nullum perfectum ſine caret, Ariſt. 3. *Phyſ. text.* 64. &
70 *ibi* Averr. neceſſe etiam erit, ut in terminis homini pro naſcendi tempore præſcriptis, detur unus, qui
71 aliis ſit magis perfectus; neque enim omnes pari perfectione, ac virtute dotari poſſunt, cùm ſi ponas perfectos terminos nonum, & decimum, ſeptimus, & octavus deficiant in tempore; ac perfectum deficere, eſt impoſſibile, quia jam perfectum non eſſet. Averr.
72 1. *Cœli comm.* 4. & ſi ponas perfectos terminos ſeptimum & octavum, nonus, & decimus exuperent, quod itidem impoſſibile eſt, cùm ſupra perfectum nihil ſit
73 extrà accipere. Ariſt. 10. *Metaph. text.* 41. & *ibi* A-
74 verr. & cùm præterea perfectum, ut ibidem habetur, in unoquoque genere ſit maximum, neque ſeptimus, neque octavus menſis tales ſunt, nam in tempotis diuturnitate, & ratione, à nono, & decimo ſuperantur. Quòd verò de ipſo tempore dictum eſt, etiam ad ipſos partus transferre facile eſt: nam vel vis perfectum partum eſſe nonimeſtrem, & decimeſtrem, vel octimeſtrem, & ſeptimeſtrem: ſi primum, habemus
75 intentum, cæteros enim, cùm à perfectione deficiat, à
76 natura non eſſe certum eſt, cùm ea ſemper intendat, quod perfectius eſt facere, neque etiam aliquid imperfectum tempore ab illa creari ſoleat. Ariſt. *probl. lib.* 2. *probl.* 48. Si ſecundum, ergo nullus fœtus eſt quoad naſcendi tempus, niſi ſeptimeſtres, & octimeſtres: ergo plurimum naturam à ſuo fine aberrare, dicendum eſt, cùm plurimum nonimeſtres, & decimeſtres procreet.

Quarta ratio. Natura nihil temerè, nihil irratio-
77 nabiliter, nihil fruſtrà, nihil caſu agit. Ariſt. 1. *Cœl. tex.* 31. *& ibi* Aver. *in com. &* 2. *Ejuſd. tex.* 50. *&* 59. *ubi &* Averr. *&* 3. *de Anim. text.* 45. & firmant *leges in l. Qui bis ad ff. de verb. obl.* & ſuprà dictum eſt. Si ergo 78
velimus, ſeptimum menſem eſſe ſufficientem terminum permanendi in utero ipſi homini ad acquirendum eam totalem perfectionem, quam acquirere ex ſua natura poteſt, certè naſci ſuprà ſeptimum ſupervacaneum eſt, & fruſtrà à natura patratum: imò non ſolùm fruſtrà, ſed impia operata videtur, ut quæ poſſet multò citius, quàm fecerit, hominem ab utero moleſtiis liberare, & tamen neglexerit, & absque ulla utilitate plurimum voluerit illum duobus, ac tribus menſibus ſupra, quam illi neceſſe fuiſſet ad perfectè naſcendum, in utero commorari.

Quid igitur ex ſuperioribus rationibus ſit conclu- 79
dendum, jam patet, non eſſe ſcilicet de naturæ intentione hominem naſci extra quoddam determinatum tempus, quod neque ſeptimum, neque octavum poteſt comprehendere, neque magis ex ſuo inſtituto fieri, ut homo ante præfixum terminum naſcatur, quàm ut homo ante congruum tempus ex morbo ſeneſcat, ſiquidem non minus in illo, quàm in hoc à præternaturali cauſa præcedunt, aut retardant tempus ex naturæ lege conveniens. Si ergo unum eſt tempus homini à natura pro naſcendi termino conſtitutum, ut cæteris quibuſque animalibus, idque in homine, ut dicemus, *nonum* comprehendi & *decimum* menſem, debemus exinde jure concludere, quod naſci ſupra vel infra hunc terminum, ab accidenti ſit, & non à natura, & conſequenter à morbo.
Itaq; nullam *ego differentiam facio inter ſeptimeſtrem* 80
& octimeſtrem, & natos ante hos terminos in hoc, quòd utrique à vi morbificæ cauſæ ante tempus in lucem expulſi ſint, niſi quia natus ante ſeptimum, ob
omnimodam ſui imbecillitatem, & deficientem vi- 81
gorem, ac maximàm diſtantiam à tota ſua perfectione ullo modo poteſt morbificam cauſam ſuperare; ſeptimeſtris verò, ac octimeſtris, quia & validiores ſunt, & majorem vigorem ex majori alimenti copia
adepti ſunt, & minus à naturali perfectione diſtant, 82
cùm à ſeptimo oſſium & nervorum conformationem acquirant, & ab octavo complementum ſuæ perfectionis. Trotul. *de Paſſ. mul. cap.* 12. Soran. Epheſ. *in Iſag. cap.* 17. poſſibile eſt, ut aliquando, ſi validi ſint, cauſa morbifica ſuperata, vivant, licet id ipſum ſit difficillimum: nam & ii ipſi, qui vivunt, imbecilles ſunt,
& valetudinariam vitam perpetuò, ac illam quidem 83
brevem admodum tranſibunt, quod etiam in cæteris animantibus eodem modo eventurum exiſtimo, ſcilicet, ut, ſi aliquando ante debitum tempus naſcan- 84
tur, tamen vivere poſſint ſi ea cura in illis nutriendis impendatur, quam impendi tradit Ariſt. in humano partu qui ſeptimo, vel octavo menſe edatur. 4. *de gener. anim. cap.* 4. ob id enim quod imbecillimi, & malè à morbifica cauſa effecti naſcuntur, ſumma cura indigent, ut alantur, ejuſdem Ariſt. teſtimonio.

Ecquidnam aliud atteſtari poteſt illud, quod eſt omnibus & ſeptimeſtribus, & octimeſtribus commune, nimirum quod *membris naſcantur non abſolutis*, 85
& membris non adhuc perfectis in lucem edantur, Ariſt, teſte *loco ſupr. cit.* & Valleriol. *lib.* 3. *Enarrat.* 7. Lalam. *ad lib. Hipp. de hom. ætat. ſchol.* 26. & aliis; & quod *nonnullas cavitates inter carnium, & nervorum fibras* habeant, quæ, ut perfectionem naturalem i, ſi acquirant, repleri deſiderant. Petron. *lib.* 4. *de vict. Roman. cap.* 26. niſi quod ante tempus ſuo ortui congruum, & à natura illis deſtinatum, à morbo expulſi in lucem prodierint?

Et ut propriâ experientiâ edoctus, & non ratione tantùm impellente, aut ſola præceptorum auctoritate

ſuadente, hæc affirmare videar, placet hiſtorias duorum ſeptimeſtrium hìc apponere: præter multos
86 enim alios, quos novi, *unum* præcipuè *tractari, qui cum natus eſt, coronalem futuram adeò hiantem, ac adapertam habebat, ut mirum eſſet; ventrem verò adeò pellucidum, ut interiora omnia intuentibus patefaceret, ſed & cruribus natus eſt, tam imbecillibus, ut major factus nunquam ſtare potuerit; nunc autem triginta annis major quidem eſt, ſed morbis valde obnoxius, & qui neque deambulare, neque erectus ſtare poſſit.*
87 Alterum novi puerum nunc quinquennem, qui *ab utero progredienti, auriculas ab oſſe temporum mirum in modum divulſas habebat; anum verò adeo patentem, ut craſſiorem pollicem admitteret, futuras præterea hiantes, & invicem non cohærentes*: Sed quid plura? ipſimet contrariæ ſententiæ acerrimi defenſores id ipſum, quod ego inculcabam, omnes uno ore fatentur.

88 Cùm ergò *ſupra decimum* menſem naſci ex communi conſenſu naturale non ſit, & infrà nonum, non naturale eſſe, jam probatum remaneat, ſequitur, quòd homo magis præfixum, ac determinatum naſcendi terminum à natura habuèrit, quàm quem
89 Ariſt. & cæteri in ea re ſequaces voluerint. Prudenter igitur antiqui Romani ſeptimeſtrem, & octimeſtrem fœtum reſpuerunt, teſte Varr. *in lib. 14. Rer. divin. citante* Aul. Gel. *Noct Attic. lib. 13. cap. 16.* & ſic
90 etiam feciſſe antiquiores Græcos putaverim, cùm animadvertere licuerit Hom. *Iliad. 19.* ſeptimeſtrem fœtum immaturum vocantem:

91 *Hæc autem* (inquit) *geſtabat utero carum filium, ſeptimus autem erat menſis:*
Eduxit tamen in lucem etiam immaturum exiſtentem:

Nota verò obiter hîc, quod non ſine magno conſilio Poëta, etiamſi ſupernaturalem ejus rei auctorem adducat, tamen non ante ſeptimum, fœtũ illum eduxiſſe fingit, ſed in ſeptimo, quia ante ſeptimũ nullo modo vivere potuiſſet, vel ſi ex ea ſupernaturali potentia potuiſſet, tamen penè omnibus humanis perfectionibus deſtitutus natus eſſet, quibus ſi depauperatus extitiſſet, quo pacto eorum quæ Jupiter primùm naſcituro fœtui pollicitus fuerat, capax hic eſſe potuiſſet? Sapienter ergo Poëta fingit partũ fuiſſe ſeptimeſtrem, ut qui cum vita non habeat omnimodam repugnantiam, ſapientiùs firmat illum etiam in
93 ſeptimo menſe naſcentem, tamen immaturum naſci, cùm non naſcatur in termino à natura ſibi deſtinato, ſed illum præveniat. Facit etiam & inter Latinos Poëtas auctoritas Terentii, qui *in Hecyra act. 3. ſc. 3.* fingens Philumenam gravidam, etiamſi maritus jam ſeptem menſes abeſſet, tamen Philumenæ mater non audet firmare, partum eſſe ipſius Pamphili, quia in ſeptimo naſcebatur, nec poterat ex ſua ſententia dici legitimus, quamobrem in eam ſententiam venit inquiens:

Dicam abortum eſſe: ſcio, nemini aliter ſuſpectum fore;
Quin quod veriſimile eſt, ex te rectè eum natum putent.

Sed confutatis jam rationibus iis, quibus Ariſt. aſſertio inniti poterat, & contrariis argumentis illa à fundamentis everſa, ad rerum magiſtram experientiam accedamus: ea enim ſenſu ipſo apprehenditur, eique contradicere hominis prorſus abſque ſenſu
94 eſt. Ex ea ergo patet, hominem ſeptimeſtrem, octi-
95 meſtrem & undecimeſtrem naſci, & non ſolùm novimeſtrem, aut decimeſtrem, cur ergo experientiæ obſiſtimus? cur ſenſum ipſum derelinquimus? cur Ariſtoteli, cæterisque præceptoribus, fidem detogamus?

Reſpondeo, me non negare, hominem naſci interdum extra nonum, & decimum, ſed ſenſu ipſo, & ex- 96
perientia probare enixum, hoc *à natura* non eſſe, cur tamen id eveniat, ut ſolus homo, aut ſaltem præcæteris extra conſtitutum tempus naſcatur, cauſa jure perquirenda, quæ profectò adeò in promptu eſt, ut nullum latitare eam exiſtimem; quemadmodum 97
enim præ cæteris animantibus homo morbis affligitur, quibus illa minimè ſunt obnoxia, & quibus homini connaturales ſunt, ut exempli gratia, quòd in 98
partu multo magis affligatur, ac laboret, quàm illa, Ariſt. teſte 7. *de hiſt. Anim. c. 9.* ſic etiam & in utero ferendo multò majora incommoda paritur, quàm illa; 99
ſiquidem illa rarò & non niſi in principio abortiũt, ex eo, quòd robuſtiora ſint, aliisque ex cauſis: homo verò licèt & in principio, & in fine facilius, tamen omni tempore geſtationis abortit; quod ſi ante ſeptimum menſem illud fiat, magis reſpectu ipſius 100
fœtus contra naturam eſt, quia magis imperfectus, ex cujus imperfectionis reſpectu impoſſibile eſt, ut ad vitam traducendam ſufficere poſſit; at ſi poſt in lucem veniat, quia minùs reſpectu ſui præter naturam eſt, & eſt magis perfectus reſpectivè ad tempus præteritum, ſi ſit, ut jam dixi, ſua natura validus, aliquando poteſt ſufficere ad vitam trahendam, & vivit. Ex eadem ergo cauſa, ex qua homo faciliùs, quàm cætera abortit, ex ipſa & ſeptimo, & octavo parit, & naſcitur, hoc eſt ex morbifica cauſa cui homo magis, quàm cætera animalia ſubjicitur: quamquam naſci dici non debet, qui à præterna- 101
turali cauſa ex utero ante tempus expellitur, ac protruditur; nam propriè loquendo homo naſcitur nono, aut decimo, ut deinceps dicemus, abortitur 102
autem, largo modo loquendo, ante eos terminos, ſed tamen aliquando ita abortitur, ut vivere non poſſit, & tunc propriiſſimè in communi ſententia dicitur abortus; interdum ita, ut vivere quoquo modo poſſit, & tunc apertè negant penè omnes, dici abortum: ego verò ſi non abſolutè, ſaltem aliquo modo 103
abortum dici poſſe, ex ſuperioribus concludi poſſe 104
non dubito. 105

Natura igitur, ut jam receptui canamus, & homini, & cæteris quibusque animantibus deſtinavit certum naſcendi terminum, quandam temporis latitudinem comprehendentem tam in his, quàm in illo: nam neque in cæteris animantibus ita eſt terminus naſcendi à natura præfixus, ut prædicant, ut ad horas, aut dies, aut hebdomadas, quinimò neque ad menſes reſtringatur; nam ſi ad vivipara temetipſum 106
convertas, videbis equos, aſinos, boves, & alia omnia habere inter ſe eandem fortaſſe temporis latitudinem in naſcendo, quam habet homo. Vides nonnullos ex rerum Naturalium ſcriptoribus affirmantes, equam decimeſtrem parere, alios undecimeſtrem, alios anniculos eam edere fœtus contendentes: ſic etiam & de aſina, & vacca eadem differentia inter Scriptores intercedit. Canem Ariſt. bimeſtrem parere, Varro 2. *de Re Ruſtic. cap. 16.* trimeſtrem affirmet, & uterque vera dicit, quia non omnis canis eodem prorſus tempore naſcitur. Sunt qui ſpatio ſexaginta dierum, uno addito; alii, qui ſeptuaginta duorum, & alii ſpatio trium menſium, ut teſtatur Albert. Magn. *de Animal. lib. 6. cap. 2. tract. 3.* Jul. Poll. *Onomaſt. lib. 5. cap. 7.* Blond. *in libell. de canibus, & venat. pag. 9.* Quin etiam tradente eod. Alb. ſunt qui ante ſexaginta naſcantur, quos tamen cæteris eſſe debiliores dicit. Sic ex ovibus ſunt quæ ſerius, quàm quinque menſibus pariunt, naſcentes autem agnos ſerotinos, *Chordos* vocabant antiqui. Plin. *lib. 8. cap. 47.* ſimiliter etiam ex equabus, de

quibus

quibus jam dixeram, nonnullæ sunt, quæ pariunt transacto duodecimo, de quibus idem Varro *de re rust. lib. 2. cap.* 14. dicebat, quòd vitiosos partus edunt. Sunt etiam quæ pariunt decimo, ut est communis opinio, & tradit idem Alb. Magn. *ubi suprà*. Eodem quoque pacto & in reliquis animantibus variare nascendi terminos comperies, si modo in illis, veluti in homine, diligenter animum advertas & dies conceptionis enumeres, comperies inquam, dari in illis, ut in homine, latitudinem quandam in tempore pariendi, neque illud ad certos dies, aut horas restringi. Ovipara etiam terminum sibi nascendi naturalem
107 aliquando prætergrediuntur, interdum præveniunt: plurimum viginti dierum termino plura eorum nascuntur, regione tamen, & tempestate calidiori, undeviginti, aut duodeviginti; frigidiori autem viginti duobus & aliquando viginti quinque. Arist.
108 teste *capite sexto, de histor. Anim. capite* 2. Itaque parens Natura in ea re homini nihil peculiare esse voluit à cæteris animantibus, nec voluisse debuit, cum nulla oblata illi ad id volendum, & perficiendum justa causa fuerit. Sed dubitari iterum potest, cur magis præter naturam contingat, ut homo præveniat tempus sibi destinatum nascendi, quàm si exitum retardet; nam probavimus, & in eam conclusionem venimus, quod hominem nasci ante nonum omnino à præternaturali causa sit; at nasci per aliquos dies post decimum, non ita, naturaliter enim posset fœtus exitum per aliquot dies post decimum retardare, ut deinceps dicemus, non tamen naturaliter potest prævenire nonum.

110 Respondeo, quod necesse est, constituere terminum nascendi, qui brevissimus sit, quemadmodum
111 alium, qui sit longissimus; primum diximus nonum esse, qui naturaliter præveniri non potest, quia jam daretur alius terminus nono brevior; neque enim potest homo minori spatio quàm novem mensium,
112 quantacunque calida sit temperatura, ac natura vividiori, ad eam perfectionem in utero pervenire, quæ sibi ad vivendum, & ad benè vivendum est à natura constituta: & hic quidem brevissimus terminus proprius est, ubi calor tam ex parte matris, quàm ex parte ipsius fœtus, & in omnibus, & per omnia abundat, (quanquam non nego, etiam & ex aliis causis posse hominem in hoc ipso termino nasci, etiam calore non exuperante) contingit autem, hujusmodi naturas numero esse pauciores, & consequenter pauciores in noni principio nascuntur, qui terminus habet etiam ut cæteri suam latitudinem, ut dicemus: ibi verò calor ex utraque parte minor fuerit, prout magis, aut minus ab hoc distabit, magis, aut minus partum accelerabit, ubi verò pluriamum distabit, cæteris consentientibus, partus in decimo fiet, undecimi principio, & hic est nascendi
113 terminus quam longissimus, qui propria latitudine, ut superior, donatur.

Sed & aliam afferamus rationem, cur ante nonum
114 multi & septimestres, & octimestres nascantur,
115 tarissimi tamen sint, qui decimum exuperent, atque ex ea Hipp. talis est. Impossibile enim est, ut matris sanguis, qui fœtui pro alimento destinatur, ad tam longum tempus sufficere possit: ita ille *in lib. de nat. puer. in fin.* Ergo à causa morbifica potest præveniri legitimus nascendi terminus; superari autem decimum, longo præsertim spatio, vix contingere potest: nam morbus, qui retardaret fœtum ad exeundum, posset etiam illum non magno negotio breviter occidere; quamobrem idem Hipp. *in libel. de octim. part. in principio*, dicebat fœtum, qui su-
116 pra septem quadragenarios in utero moram traxerit non vivere. Non accidit ergo, fœtum ob prædictam causam decimum, saltem per multos dies superare.

SUMMARIUM.

1 *Jurisperiti Medicos consulunt circa debitum nascendi tempus.*
2 *Septimo mense natus est legitimus.*
3 *In nato post decem menses DD. judicium Medicorum exposcunt. Contrarium n. seq.*
5 *Natus tertio, vel quarto mense, est legitimus ex Concennatio.*
6 *Quinquemestres, & seximestres vitales.*
7 *Concennatii opinio reprobatur.*
8 *Trimestres & quadrimestres naturaliter vivere non posse, ex auctoritate à Concen. adducta ex sacris.*
9 *Suscitari dicitur is qui jam mortuus est.*
10 *Ante septimum nascentes vitales ex miraculo vivunt.*
11 *A natura non est, hominem ante nonum nasci.*
12 *Nati ante septimum, neque legitimi, neque vitales.*
13 *Natus ante septimum propriè abortus dici debet, & n. 16.*
14 *Abortus est fœtus immaturè editus.*
15 *Omnis fœtus immaturus est abortivus.*
17 *Ante septimum nascitur fœtus, ac si non nasceretur, vel nasceretur mortuus, & n. 22.*
18 *Natus ante septimum, comparatur ei, qui nunquam natus est.*
19 *Natus ante septimum, pro non nato habetur.*
20 *Fuisse non dicitur, qui parùm stetit.*
22 *Non nasci, & natum mori, paria sunt.*
23 *Pro mortuo habetur, qui vivere non potest.*
24 *Octimestris habetur tanquam si esset mortuus.*
25 *Quot diebus constare debeat legitimus, & vitalis fœtus, & num. 27 & 31.*
26 *Ante 182 dies nullus legitimus, ac vitalis, & n. 35.*
28 *Glos. accipit menses solares.*
29 *In partus computatione menses Lunares accipiendi. Contrarium, n. 32 dic ut n. 33.*
30 *In partus computatione menses continuos sumendi.*
34 *Tam decimestres, quàm undecimestres constant integris septem quadragenariis.*
36 *Nullum minori spatio natum vidit Galen. quàm dierum 182.*
37 *Quanto minori spatio nascitur septimestris, tanto etiam imperfectior est.*
38 *Quanto minorem moram infrà decimum, aut nonum in utero conceptus fecerit, eò imperfectior erit.*
39 *Seximestris quoad membrorum absolutionem perfectus.*
40 *Fœtum ante septimum usque organizatum, neque dearticulatum existere, falsum est, contra Mascardi opinionem.*
41 *Masculus triginta dierum spatio, famina quadraginta duorum dearticulatur.*
42 *In quarto mense, & ut plurimum in tertio, fœtus eam perfectionem acquirit, quæ ad totalem membrorum conformationem pertinet.*
43 *Forma non potest introduci, nisi in subjectum dispositum.*
44 *Mas quadragesimo, Famina nonagesimo anima rationali donatur.*
45 *Anima est forma, & forma perficit.*
46 *Mascardus defenditur.*

De partu ante septimum mensem.

QUÆSTIO II.

DIscussa jam ea præcipua conclusione, quæ veluti fundamentum erat subsequentium, peculiariter nunc de singulis mensibus, in quibus nasci hominem contingit, disserendum est, ut debitum nascendi tempus in homine assequamur, de 1
quo ipsi Jurisperiti Medicos consulere consueverunt; nam ipsæ Leges non nisi Hipp. auctoritate 2
fultæ, tamen in septimo mense fecerunt legitimum, *l. septimo, ff. de stat. hom.* in nato etiam post decem 3
menses tam Bartolus, quàm Baldus; duo legalis scientiæ oracula, Medicorum judicium exposcunt, referente Alex. *in l. Gallus, ff. de lib. & post. n.* 21. quanquam ipse Alex. Medicos in hoc casu judices non 4
admittit, ac profectò absque ulla legitima causa hoc facit, ut patebit.

De singulis ergo mensibus disputaturi, primò universali quodam sermone de præcedentibus

ſeptimum diſceptabimus, de quibus licèt nihil occurreret dubitandum, non deeſt tamen aliquis ſcrupulus, quem diluere omninò operæ pretium eſt. Nam ex Jurisperitis Concennat. *ſingul. q. 4. n. 4. lib. 2.* natum *tertio*, vel *quarto* menſe legitimum eſſe aſſeveravit. Eſdræ auctoritatem in medium adducens *libro 4. cap. 6. verſ. 21.* apud quem hæc leguntur: *Et prægnantes immaturos parient infantes trium & quatuor menſium, & ſuſcitabuntur*; quæ verba à Propheta pro uno ex ſignis præcedentibus extremum, ac univerſale hominum Judicium adducuntur, ut idem vult Concen. *num. 30.* Præterea Torreblanca *lib. 2. Damonol. cap. 43. n. 16.* poſt quintum menſem fœtus vult eſſe vitales, his verbis: *Poſtquam autem fœtus à quinto menſe egreditur, ſi naſcatur, vitalis eſt in quocunque tempore, quia jam perfectus eſt ad naſcendum, & n. 12. ibid.* Quibus rejectis fœtum ex quinto menſe vitalem affirmat, & *quæ ſequuntur ibid.* ſed & ſemeſtrem eſſe vitalem hîc dicere cogebatur, qui teneriorem vitalem fecit, ut confitetur *ibi. n. 20.* & nonnullas inibi hiſtorias utriuſque partus, & Medic. auctoritates adducit.

Quin etiam ex Medicis Avicenna *lib. 1. de anim. c. ult.* Cardan. *Contradict. med. lib. 1. tract. 3. contrad. 8.* 6 Valleſius *in lib de ſacra Philoſ. cap. 18.* Augen. *de part. hum. lib. 1. cap.* & alii quos citat Rota *in Auximana Aliment. Lunæ prima Iun. 1610. coram Pirovano.* de partu *quinquemeſtri* & *ſeximeſtri* vitali mentionem habent, quibus fidem derogare, cùm magni alioquin & viridici viri extiterint, piaculum fortaſsè eſſet. Itaque videbatur ex his, non ſic temerè pronunciandum de partu ante ſeptimum menſem edito, quippè cùm nonnulli ſupervixerint, & adoleverint, ut patet in hiſtoriis relatis, & recollectis per Schenck. *lib. 4. de obſ. var. tit. Partu.*

7 Sed ad *Concennatium* primò dicamus, ridiculum omninò eſſe id, quod ex Prophetæ auctoritate deducere conatur, cùm ex ea potius contrarium eliciatur. Nam cum ibi ſigna Judicij, ut dixi, per Prophetam enumerentur, quæ erunt quidem omnia præter Naturæ ordinem, ac inſtitutum, ipſamque naturam præmortuam jam commonſtrantia, inter alia præcedit; prægnantes parituras immaturos fœtus ſeximeſtres, & quadrimeſtres: qui licèt ex Naturæ lege nequaquã vivere poſſint, juxta receptam ſententiam 8 Hipp. quam ſequitur *I. C. in l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hom. l. inteſtato in fine. ff. de ſuis & legit. hæred.* Paris *conſ. 56. n. 5. lib. 3.* Mart. *vot. Piſau. 153. n. 2.* Serap. *dec. 1282. n. 11.* Rot. *in Auximana alimentorum 6. Julij 1620. coram bon. mem. Pirovano & in Romana fid. de Arronis 23. Junij 1642. coram Rid. Bichio*, contra eandem Naturæ legem vivent, & ſuſcitabuntur, ex quibus verbis infer, ô Concennati, Doctor optime, naturaliter trimeſtres & quadrimeſtres fœtus vivere non poſſe, tunc autem temporis ſupra Naturæ potentiam illud Deus operabitur. Nec abſque cauſa Scriptura uſa eſt verbo illo *ſuſcitabuntur*, nec dixit 9 ſimpliciter, *vivent*, ſuſcitatur etenim qui jam mortuus eſt ſic & in propoſito trimeſtres, & quadrimeſtres, qui præmortui quantum ex naturæ ordine ſperari poteſt, ab alvo materna egrediuntur, vitam à Deo recipient, & ſuſcitabuntur.

Ad Avicennæ verò, aliorumque Doctorum hominum 10 hiſtorias, illis pro veris admiſſis, dicamus eſſe miracula in natura, quæ tamen ordinem illum, quo illa inferiora quæque gubernat, non pervertunt. Sicuti ergò neque ex multis aliis, quæ de raro contingunt, id quod à Natura eſt, originem habere dicitur cùm in iis potius caſus locum habeat (nam quod in particularibus præter Naturæ ordinem contingit, ex accidenti eſt) ſic neque ex eo, quod aliquando quinto, aut ſexto menſe homo naſcatur vitalis, aut etiam ſeptimo, & octavo, in noſtra opinione dici 11 poteſt, illud à Natura eſſe, cùm potiùs in ea re caſus locum habeat, quod inferiùs pluribus explicabimus. Adde his, quòd ubi tam præcoces partus appareant, ſuſpicari non abſque ratione licet, quod error irrepſerit in computatione menſium; cùm aliquando mulieres, etiamſi conceperint, non ſolùm primo, ac ſecundo menſe, ſed etiam tertio, & quarto menſtruas purgationes habeant: unde fit, ut parturientes dicant, ac credant, ſe quinto, aut ſexto, vel ſeptimo menſe peperiſſe, computantes conceptionis menſes, non à vero conceptionis tempore, ſed à tempore retentionis menſtruorum; quorum errorem ſecundum plurimum evenire etiam in iis exiſtimaverim, quæ filios vegetos, ac benè formatos ſeptimo menſe peperiſſe ſe credunt.

Communiſſima ergo opinio, ac veriſſima, & nulla 12 controverſione ambigua eſt, *natos ante ſeptimum menſem neque legitimos eſſe, neque vitales*; patet Hippoc. auctoritate *in lib. de Carn. & de ſeptim. part.* Ariſt. *in libro ſeptimo, de hiſt. anim. capite quarto*, Plin. *Nat. hiſt. libro ſeptimo. capite quinto*, Gal. *de ſeptim. part. claſſ. 1.* Aul. Gel. *Noct. Attic. libro tertio, capite decimo*, Albert. Magn. *9. de Animal. tract. 1. capite quarto*, probat abundè Curtius *in ſent. de ſeptim. par. per totam.* Facit pro Legumperitis *l. Inteſtato, §. fin. ff. de ſuis & legit. hæred.* Paul. *in l. Uxoris abortu. n. 3. ff. de Poſth. hæred. inſtituen.* Jaſ. *in l. Quod dicitur. ff. de lib. & poſth. n. 13.* Socin. ſen. *in l. Cum avus, de condit. & demonſtr. n. 110.* Cagnol. *in l. 1. ff. ſi cert. pet. n. 188.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1146. n. 2. tom. 3.* Marta. *153. n. 2.* Rota *in cit. Auximana alimentorum. n. 12.*

Juxta hanc igitur opinionem non ſolùm vitalis 13 non eſt natus ante ſeptimum menſem, ſed proprièe abortus dici debet. Mercurial. *lib. 2. de morb. mul. c. 1.* Andr. Laur. *Anatom. lib. 8. quæſt. 29. & lib. eod. cap. 9.* nam abortus eſt fœtus immaturè editus. Tiraq. 14 *in l. ſi unquam, C. de revoc. donat.* Gloſ. *ſuſcep. lib. n. 20.* & ex Medicis Curtius, *ubi ſuprà.* Fernel. *Pathol. lib. 6. cap. 17.* Mercurial. *ubi ſuprà.* Andr. Laur. *ibid q. 29.* Cognat. *in libell. de mort. cauſſ. part.* Quamobrem 15 ſi omnis fœtus immaturus debet dici abortus, & fœ- 16 tus ante ſeptimum eſt immaturus, *ex l. inteſtato ubi ſup.* jure optimo omnis fœtus natus ante ſeptimum, debet dici abortus. ex latè adductis per Laur. *ubi ſup.* quibus adde, multo magis, quàm cuivis ex cæteris, abortus nomen convenire nato ante ſeptimum menſem: ita enim naſcitur, ac ſi non naſceretur, vel na- 17 ſceretur mortuus, cùm habeat omnimodam repugnantiam cum vita, & omni aptitudine ad vivendum expolietur, qua non omninò carere videtur natus poſt hunc terminum, ut dicetur.

Comparatur igitur natus ante ſeptimum ei, qui 18 nunquam natus eſt, ut dixit Tiraq. *ubi ſup. n. eod.* Surd. *conſ. 347. n. 9. tom. 3.* ita ut etiamſi vivus naſcatur, quia tamen ob ſui omnimodam imperfectionem vivere eum naturaliter eſt impoſſibile, tanquam pro non nato habetur, ex regula apud Jureconſultos canonizata, quòd fuiſſe non dicitur, qui parum ſtetit. Gloſſ. 19 *in c. Nam & ego extr. de verb. ſignif.* neque, ut dixi, aliter de his æſtimandum quàm de his qui actu mortui naſcuntur, qui neque nati, neque procreati videntur *l. Qui mortui, ff. de verb. ſignif.* etenim non naſci, & 20 21 natum mori, paria ſunt, §. *Dubitatum, Auth. de inceſt. nupt.* Paul. *in l. Uxoris abortu, n. 3. de Poſth. hæred. Inſtit.* 22 Bologner. *Conſ. 9. num. 24.* Calepin. apud Zulet. *in conſil. ultim. volum. conſ. 131. n. 4.* Pro mortuo verò 23

habetur

habetur qui vivere non poteſt. Afflict. *diciſ.* 236. *n.* 4. *& ibi Annot. n.* 1. *in princ.* & ex noſtris Curtius *in ſupra cit. ſent.* Nam ſi de nato in octavo menſe (de quo tamen magna eſt controverſia, ac difficultas) dicitur, quod habetur, tanquam ſi eſſet mortuus, ex iis, quos abundè cumulat Bonav. *lib.* 1. *&* 2. *de octim. part.* quorum nonnulli infrà adducentur, quanto magis id ipſum affirmandum de nato ante ſeptimum, utpote immaturiore, debiliore, & imperfectiore? 24

Cæterum præcipua difficultas eſt, quot diebus ad minus conſtare debeat fœtus, ſecundum aliorum opinionem, ut vitalis, & legitimus futurus ſit. Nam Claud. Giard. libellum edidit de partu dierum 171. illumque, quantum caſus monſtroſitas poſtulabat, pro legitimo defendit; alioſque doctos viros ſcio ſimiles partus ſuis ſcriptis muniviſſe, & vitalibus ac legitimis admiſiſſe: inter quos etiam eſt Augen. *de hum. part. lib.* 2. *cap.* 21. 25

Sed cùm & Hipp. auctoritates, & ipſarum Legum ſanctiones clarè pateant, fruſtrà & illi, & omnes in contrarium differentes operam impendunt, qui maturiorem fœtum, quàm dierum 182. pro legitimo, & vitali admitti contendere volunt, pro qua ſententia doctiſſimum conſilium ſcripſit Revere diſſ. a Excellentiſſ. D. Cynthius Clemens, olim fel. rec. Pauli U. Papæ Medicus à Cubiculo, intimusque familiaris, ejusque Sanctitati ob ſingulares ejus animi dotes acceptiſſimus, ex cujus voto Rota (nam cauſa in ejus tribunali vertebat coram R. P. D. Pirovano ejuſdem Rote Auditore) ad favorem ſui principalis ſententiam tulit, ut ex ejus deciſione apparet; quem ad hujus opinionis confirmationem vide, eſt verò *Auximana Alimentorum Lunæ* 1. *Jun.* 1620. *coram Pirovano.* 26

Tot igitur diebus conſtet neceſſe eſt legitimus, & vitalis fœtus ex communi opinione, (nam ex noſtra ea multo ſtrictius procedent, ut procedente ſermone palam fiet) quod temporis intervallum, dierum ſcilicet 181. ut notat Gloſſ. *in ſupra cit. l. Inteſtato*, efficit menſes ſex, & duos dies. Sed adverte Gloſſam ibi accepiſſe menſes Solares, qui triginta integris diebus conſtant; unde eſt, quòd illi centum octoginta duo dies, ex ejus ſententia, conſtituant prædictos menſes ſex, & duos inſuper dies; quod tamen non dixit Hipp. ſed voluit natum in hoc ſpatio, dimidio anni natum eſſe, addità aliquantula parte diei; & licèt videatur Hipp. parum recedere ab opinione Gloſſ. non deſunt tamen, qui hanc Gloſſ. ſententiam improbandam exiſtiment, quippe cùm non Solares, ſed Lunares menſes in partus computatione accipi debere tueantur: ita Alciat. *in l. qui mortui, ff. de verb. ſignific.* Tiraq. *ubi ſup. n.* 208 Burſ. *conſ.* 63. *n.* 41. *lib.* 1. & ex noſtris Moxius *de morb. mul. lib.* 3. *cap.* 6. Fortun. Fidel. *in lib. de Relat. med. lib.* 3. *cap.* 4. Augen. *de part. human. lib.* 2. *cap.* 7. Cùm autem Lunares menſes in triplici ſint differentia, eos accipi volunt, qui menſes conjunctionis, ſive coïtus Lunæ nominantur, ut per ſuprà citatos Auctores. Si enim aliæ acceptiones Lunaris menſis admittantur, jam fœtus multò minori ſpatio, quàm anni dimidio ſeptimeſtris naſci poſſet, præſertim ſi minori ſpatio quàm menſis primi, aut ſeptimi dimidio uterum geſtaret mulier; at hoc fieri non poteſt: neque enim ſeptimeſtris, qui perfectus futurus ſit & vitalis, minori ſpatio, quàm anni dimidio naſci poteſt, ut Gal. *ibid.* & notat Rota *in prædicta Auximana aliment. coram Pirovano.* 27 28 29 30

Contra tamen hanc Jurisperitorum, Gal. & cæterorum opinionem ipſe Hipp. videtur eſſe, quem *& lib. de Carn. poſt princ. & alibi* (cui conſentire videtur Avicenna 21. 3. *cap.* 2.) Solares menſes accepiſſe conſtat, quin etiam cùm partum 181. dierum dimidium anni continere aſſeveravit, de Solari anno eum intellexiſſe non dubitandum; aliàs enim dimidium anni Lunaris ſuperatur à prædicto num. dierum 181. quinque, aut ſex diebus. Ex Hipp. ergo auctoritate contendit And. Laur. *ubi ſup. q.* 30. Hippocraticos menſes Solares eſſe, & in partus computatione tales eſſe accipiendos, non Lunares, ut ab Hip. factitatum eſt. 31

Verum enim verò cum Hipp. auctoritates, in quibus Lunares menſes accipit, Sole clariores exiſtant; eæ autem, in quibus Solares illum accepiſſe ſuſpicamur, tenebris obductæ, & dilucidationem expoſcentes; ergo, clarioris doctrinæ gratiâ, Lunares libentius amplector, præſertim cùm ille ſemper de Luna mentionem habeat; quotieſcunque de conceptu, aut de partu verba facere contingit, velitque, cum mulier circa plenilunium, vel ultra concipit, integrum menſem computari, nullamque de Solis curſu mentionem habere videatur. Et maximè facit contra ipſummet Laurentium, Hipp. ipſius auctoritas pro ſua roboranda aſſertione adducenda, nimirum, quòd tam decimeſtres, quàm undecimeſtres, ſeptem conſtent quadragenariis; ſiquidem, quomodò hoc in undecimeſtri habet locum? cùm, ſi Solares menſes accipias, ducenti octoginta dies, novem menſes, & decem dies conſtituant; & dato, quòd prior menſis fuerit quindecim dierum, muliere ultra plenilunium concipiente, vel dimidiato menſe, adhuc tamen non ſe extendere poſſunt totidem dies ad undecimum menſem, nec illum ullo modo pertingere. At acceptis menſibus Lunaribus, ac primum menſem ultra plenilunium enumerare incipientes, ita ut contineat, exempli gratiâ, duodecim dies, ut contingere, dicit Hipp. *in lib. de octim. part. inſ.* tunc, ſi his addas novem menſes Lunares, qui diebus conſtant ducentis, ac ſexaginta quatuor, ſupererunt adhuc, ut ſeptem compleas quadragenarias, dies quatuor, qui erunt initium undecimi menſis: neque enim Hipp. vult partum integrum ultimum menſem ſuperare, præſertim undecimeſtrem, ſed ſatis illi eſt, ſi ad eum quàm proximè accedat, illumque tantiſper apprehendat. Abſurdum verò meo judicio eſt, in computatione ſeptem quadragenariarum, pro undecimeſtri fœtu, primum & ultimum menſem quinque tantummodò diebus conſtantes conſtituere: hoc enim pacto, & non ſecus, poſſet undecimeſtris ſeptem conflare quadragenariis, acceptis etiam ſolaribus menſibus; at licet intermediis menſibus integris acceptis, ſatis ſit primum, & ultimum eſſe deficientes, tamen horum uterque debent ad minus quindecim conſtare diebus, quod etiam notat Rota *in præcit. Auximana Alimentorum.* Plura verò contra Laurentii opinionem hanc ex profeſſo congerit Mox. *de Morb. mulierum lib.* 3. *cap.* 6. *& ſeqq.* 32 33 34

Jam ergo ex communiſſima ſententia concludamus, terminum plurimum ab Hipp. aſſignatum, 182. dierum, mox autem à Lege acceptatum, eſſe omnium breviſſimum in ſeptimeſtribus; unde eſt, quod nullus tam brevi ſpatio naſcatur, ut Gal. reſtatur *in ſupr. cit. lib. de ſept. part.* qui vix unum natum vidit ſpatio 184. dierum. 35 36

Dimidio ergo *anni* naſci debet vitalis, ac legitimus fœtus, cujus rei rationem omnium, quas ſciam, pulcherrimam, & à nullo animadverſam excogitavit Reverendiſſ. ac Excellentiſſ. D. meus *Cynthius Clemens*,

Clemens de quo ſuprà *in præcit. ejus conſilio*, & eſt hujuſmodi; Partus, ut hic ex Hippoc. aliàs dictum eſt, veluti quædam criſis eſt; criſis autem in morbis vel fit per Lunarem motum, vel per Solarem; per Lunarem motum fit criſis in acutis morbis, quia eorum motus celeritate adæquant Lunæ motum; per motum verò Solarem, chronici morbi judicantur, ac longi; æquiparatur enim eorum motus magis motui Solari, quàm Lunari. Gal. 3. *de dieb. decret. cap.* 7. *claſſ.* 41. quem adducit Cardan. *contrad. Medic. lib.* 1. *tract.* 3. *contrad.* 2. Valleſ. *in* 6. *Epid. ſect.* 6. *part.* 12. Partus ergo cùm ſit veluti quædam criſis, iisdemque diebus judicetur, quibus ipſi morbi, ejus criſis aſſimilatur magis criſi morborum chronicorum, quàm acutorum, cùm motus ejus tardus ſit; at ſicuti criſes in morbis acutis tunc ſalvæ ſunt, cùm fiunt 14. quæ medietas eſt motus circularis Lunæ, ſic motus partus tunc ſalvus eſt, cum fit in medietate motûs ipſius Solis, hoc eſt, in medietate anni, quæ dies comprehendit 182. ut diximus.

Nota tamen, quòd quantò minori ſpatio naſcetur ſeptimeſtris, eò minus vitalis in lucem prodibit, ita ut hic natus 182. die omnium ſeptimeſtrium imperfectiſſimus habendus ſit. Favet Albert. Magn. 9. *de Anim. tract.* 1. *cap.* 4. Andr. Laur. *Anat lib.* 8. *quæſt.* 30. & ratio eſt, quia quantò minorem moram in utero fecit, eò minorem perfectionem adeptus eſt; & juxta hanc rationem multò magis perfectus eſt octimeſtris, quàm ſeptimeſtris, ut dehinc oſtendam, licet utrumque non omnino eſſe perfectum, in ſequentibus demonſtraturus ſim, tametſi perfectiores, & magis vitales ſint partu edito ante ſeptimum.

Qui quanquam vitalis non eſt, tamen quoad membrorum abſolutionem perfectus eſt; unde apparet falſum id, quod ex Ariſt. affert Maſc. *de Prob.* 1176. *n.* 18. *tom* 3. nimirùm, quod neque organizatus, neque dearticulatus exiſtat, & quod vix in ſeptimo menſe. Ego verò nunquam Ariſtot. in eam fatuitatem lapſum putaverim, neque illum talia dicentem unquam offendi, neque, ſi dixiſſet, illi fidem habendam decernerem, longè aliter ſentiente Hippoc. *in lib. de Nat. Puer.* & alibi, qui maſculum triginta diebus, fœminam duobus ſuprà quadraginta dearticulari aſſeveravit. Imò ſeptem dierum ſpatio, *loco eodem*, hominem perfici affirmabat, & ex Jurisperitis Pedem. *deciſ.* 59. *n.* 4. partum 14. die à conceptione formari autumat, ſed Paul. *in l. ſuum hæredem, ff. de Acq. hær. n.* 2. ad quadraginta dies eam formationem retardari vult.

Unde ergo illud affirmaverit Maſcard. ego non video; nam etiamſi velimus ejus aſſertionem de totali membrorum perfectione intelligere, adhuc vera non eſt: nam in quarto menſe quaſi ſemper, ſed plurimùm in tertio fœtus eam perfectionem acquirit. Imò, cùm forma non poſſit introduci niſi in ſubjectum diſpoſitum, & aptum ad ipſam recipiendam, quòd perfectionem totalem dicit; quantum eſt ex parte ſubjecti recipientis & fœtus, mas quadrageſimo, fœmina ſexageſimo animâ rationali dotetur, ipſis Legumperitis atteſtantibus, Menoc. *de Arbit. Iud. lib.* 2. *cent.* 4. *caſ.* 356. *n.* 3. (licèt ex noſtris Thom. Fren. *de formatr. fœt. q.* 10. *concel.* 11. tertia die animam rationalem infundi contendebat) jam ex hoc inferre potes in his terminis fœtum abſolutiſſimum & perfectiſſimum eſſe. Anima enim eſt forma, forma autem perficit.

Dicamus tamen Maſcard. de ea perfectione locutum, quæ ad vitam eſt neceſſaria; à qua non ſolùm natum ante ſeptimum deficere, ſed & natum in ſeptimo, & octavo, in ſequentibus patebit.

SUMMARIUM.

1 *Natura conſtituit hominẽ, ut cæteris quibuſque animantibus certum tempus naſcendi, congruâ tamen latitudine donatum.*
2 *In ſeptimo menſe homo naſcitur vitalis.*
3 *Qui in ſeptimo naſci poſſe hominem negant, imperitiæ notantur.*
4 *Septimeſtris pro ratione natus eſt.*
5 *Septimeſtris vitalis eſt, & legitimus ex Juriſperitorum auctoritate, & ex Medicorum, num. ſeq. contrarium, & n.* 7. *&* 8.
9 *Quod imbecillum ita eſt, ut ſemper tale ſit, à Natura eſſe non poteſt.*
10 *Septimeſtris ut plurimum non vivit, & cur. n.* 60.
11 *Septimeſtris prævenit generationem perfectam.*
12 *Cuilibet individuo perfectè naſci à natura datum.*
13 *Natura agit propter finem.*
14 *Finis dicit omnis actionis perfectionem.*
15 *Ubi reperitur finis, ibi & perfectio, & vice versâ.*
16 *Homo ex naturæ intentione non debet prævenire generationem perfectam.*
17 *Partus fit ex alimenti defectu, & n.* 21.
18 *Alimenti defectus fœtui quando naturaliter eveniat.*
19 *Septimeſtris inabſolutus, & debilis, & n.* 33.
20 *Una eademque fœmina & ſeptimeſtres, & novimeſtres generat.*
22 *Quod à natura non eſt, à morbo eſt.*
23 *Celeritas naſcendi fœtum monſtrat fortiorem.*
24 *Mas cur celerius naſcatur, quàm fœmina.*
25 *Conceptiones, & partiones eadem tempore judicantur, quo & morbi, & ſanitates contingunt.*
26 *Motus partus comparatur motui critico.*
27 *Ad perfectè judicandum ſatis eſt dies critica.*
28 *Criſes abſque humorum concoctione imperfecta ſunt, & malæ.*
29 *Criſim præcipuè efficit humorum concoctio.*
30 *Humorum concoctioni reſpondet fœtus abſoluta perfectio.*
31 *Ut perfecta humorum concoctio ſe habet ad abſolutam fœtus perfectionem, ſic ſemiconcoctio ad illius perfectionem initiatam, non abſolutam.*
32 *In morbis factis ante humorum concoctionem, non operatur natura per ſe, ſed à morbo ſtimulata.*
34 *Natura non intendit hominem in ſeptimo menſe in lucem mittere, & n.* 63.
35 *Natura repugnante, omnia irrita, declara ut n* 38.
36 *Septimeſtrem vivere, quomodo per accidens ſit.*
37 *Natura per particularia non regulatur, ſed ſolum per univerſalia.*
39 *Nulla certa regula aſſignari poteſt eorum quæ per accidens eveniunt.*
40 *Ante ſeptimum nullus vivit: & cur, n. ſeq.*
42 *Averrois & aliorum opinio de ſeminum differentiis, confutatur numeris ſeq.*
46 *Nemo dat quod non habet.*
47 *Ea quæ inſunt naturâ, inſunt per ſe, & non per accidens.*
48 *Idem vir cum eadem muliere aliquando ſeptimeſtres, aliquando novimeſtres generat.*
49 *Proprietas, qua triticum celerius, aut tardius matureſcere facit, non in tritico ſolum eſt, ſed in ſolo, quod triticum recipit.*
50 *Proprietas generandi magis ſeptimeſtres, quàm novimeſtres, & hujuſmodi, non tamen ex parte ſeminis, quam uteri eſt ponenda.*
51 *Proprietates, quæ à natura ſunt, non ſunt diviſibiles.*
52 *Partus quando naturaliter fiat.*
53 *Fœtus quando ad exitum irritetur.*
54 *In ſeptimo quando naſcatur fœtus.*
55 *Fœtus cur in ſeptimo moventur.*
56 *Motus in ſeptimo excitatus cur à natura eſſe non poſſit ad eum finem, ut fœtus naſcatur, & n. ſeq.*
58 *Fœtus in ſeptimo tam auctior eſt, & majori indiget alimento, quam in utero habeat.*
61 *Quæ rationes ex præternaturali cauſa, & violenta fœtus naſcitur in ſeptimo.*
62 *Septimeſtris ſit ex fortitudine virtutis, dicit ibid.*
64 *Non omnes ſeptimo menſe nati illegitimi exiſtimandi, ne inſonti propter ſontes injuria fiat.*
65 *Septimeſtris omnis illud peculiare habet, ut in naſcendo aliqua ex parte inabſolutus appareat.*
66 *Septimeſtres quia debiles, non ſolent ut cæteri naſcentes, plorare, nec ſternutare, nec fæces aut urinam reddere, nec ſimile aliquod virtutis ſignum præbere.*

De

De Partu Septimeſtri.

QUÆSTIO III.

ABundè ſatis,ut mihi videtur,in hujus tituli prin-
1 cipio probavimus,Naturam conſtituiſſe & homini, & quibuscunque cæteris animalibus certum ſui ortus terminum, quitamen tam in homine,quàm in cæteris animantibus congruam, & rationabilem latitudinem habet, neque ad præſcriptas horas, aut momenta,ſed neque ad dies aut hebdomadas determinetur, cùm tanta eſſet individuorum multitudo, & conſequenter temperamentorum in illis variatio. At cùm ſanciviſſent omnes docti viri, terminum hunc eſſe indeterminatum ac incertum,admiſerunt inter legitima naſcendi tempora etiam ſeptimeſtre ſpatium,in quo primum naſci hominem vitalem docuerunt;nos tamen priorem concluſionem non omnimodam habere veritatem jam demonſtravimus,&
2 terminum illum ad nonum, & decimum reſtrinximus,& ex incerto certum fecimus,nunc autem conſequenter demonſtraturi, ſeptimeſtrem peculiatiter non ex naturæ inſtituto naſci.

Tametſi hic non ſolùm ab omnibus pro legitimo, & vitali habeatur,ſed primus omnium & univerſalis præceptor Hipp. *in lib. de Carnib. in fin.*eos, qui ſep-
3 timo menſe naſci poſſe hominem negant,vel mirantur, imperitiæ notare videatur; quin & *lib. de Nat. Puer.*non modò vitalem hunc partum pronunciavit,
4 ſed pro ratione natum eſſe dixit;ita ut ea verba, *pro ratione*, non aliud importare videantur, quàm *naturaliter*; ſi enim aliàs iiſdem verbis uſus, non aliud ſignificaſſe illum liquet, ut paſſim ejus monumenta teſtantur.Hipppocratis auctoritatem, imò,ut videbatur,ipſam rerum experientiam ſecuti ſunt omnes,& ex ejus auctoritate Leges ſeptimeſtrem fœtum pro vitali & legitimo admiſerunt,*l. ſeptimo, ff.*
5 *de ſtat.hom.& ibi* Bart. *n. 1. l. Inteſtato.§ fin. de ſuis, & leg.hered.*Alex.*in l. Gallus, ff. de lib. & poſt. n. 21.* Jaſ. *in l. quod dicitur ff.eodem: n. 13.*Tiraq. *in l. ſi unquam,Cod de revoc.don. gloſſ. ſuſcept. lib.n. 205.*Cagn. *in l. 1. ff. ſi cert. pet. n. 188.* Menoch. *de Arbitr. lib. 2. cent. 1. caſſ. 89. n. 34.& 37.*& cæteri Jurisperiti omnes, nullo excepto.

Conſentiunt pariter omnes Philoſophi,ac Medi-
6 ci,quotquot in hanc penè diem extitêre. Plato *5. de Rep.verſ. med.* Ariſtot. *de hiſt. Anim. lib. 7. cap. 3.* & alibi, Plin.*Nat.hiſt. lib. 7.cap. 5.*Gal. *in lib. de ſeptim. part.* Alexand. *lib. 2. problem. 48.* Soran Epheſ. *in Iſag. in artem Med. cap. 16.* Macrob. *in Somn. Scipio. lib.1. cap. 6.* Avicen.*21.tertij. tract. 2. cap.1.* Theod. Priſcian.*ad Euſeb. lib. 4.* Fernel. *conſil. 55.* & cæteri omnes, pro quibus ſatis ſit adduxiſſe noviſſimum Medicum Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. lib. 7. part. 4.*

Soli contra univerſos ſtant Lalamant. *in comm.in*
7 *lib. 2. Gal de dieb.decret.* & Fortunat. Fidel.*lib. 3. de Relat. Med. c. 7.*quilibet multâ ac proficuâ doctrinâ refertus eſt,& ſimile huic noſtro argumentum continet. Hi ſeptimeſtrem,& octimeſtrem fœtum præter naturæ intentionem naſci,aſſerere non dubitarũt;
8 imò Lalamantius abortivos eſſe voluit. Et licet illi multò ante, quàm ipſe, ejus fuerint opinionis, non tamen ante in eorum lectionem incideram, quàm in eam opinionem, nullo auctore, ſed ſolâ ſuadente ratione veniſſem, ut facilè patebit his, qui hæc cum illorum ſcriptis conferre voluerint. Probare ergo jam enitar cum Lalamantio, ac Fortunato, quòd *fœtus in ſeptimo ex naturæ intentione non naſcitur*; primò enim,quod imbecillum ita eſt, ut ſem-
9 per tale ſit, id contra Naturam eſſe, ratio ipſa dictat,Ariſtot.*problem. ſectione 10. problem. 30.* ſed talis eſt ſeptimeſtris fœtus, etgo contra Naturam il- 10
lum eſſe, non ambigendum. Quòd verò talis ſit ſeptimeſtris,neque ipſe Hippoc.negat,cùm plurimum interire affirmet,neque Ariſt.diſſentit,qui in ſæpius citatis locis, præſertim *ſeptimo de hiſt.anim.* licèt vitalem primum illum exire dixerit, tamen infirmum eſſe concludit,ut qui imperfectus naſcatur, & membris non abſolutis;nec mirum, cùm præveniat gene- 11
rationem perfectam, eodem Ariſt. teſte *4. de Gener. Anim. capite 6.* quod quidem à Natura eſſe non poteſt,à qua perfectè,& in ſuo tempore naſci cuilibet individuo datum eſſe, omninò aſſentiendum; ſecus enim dicendo, natura perfectionem in omnibus 12
non intendens, jam ſine orbata videretur; at ipſa 13
operatur propter finem,& finis dicit omnis actionis perfectionem, & vice verſa; ubi enim reperitur finis, ibi eſt perfectio, & ubi reperitur perfectio,ibi 14
etiam & finis,ut abundè ſuprà demonſtravi.Nullum ergo animal, & multò minus homo prævenit in 15
naſcendo generationem perfectam, & ſi præveniat 16
præter naturæ intentionem illud evenire dicendum, ut de ſeptimeſtribus evenit.

Secundò, cùm partus nonniſi ex defectu alimenti 17
fiat,ut explicat.Hippocrat.*in libro de Nat. Puer. verſ. fin.*& aliquando hic defectus naturaliter eveniat,eo quod ad debitam magnitudinem jam fœtus perdu- 18
ctus ſit; aliquando verò non naturaliter, eò quòd mater vel ob morbos, vel ob aliam quamcunque cauſam ſanguine depauperata ſit, aut illum fœtui ſubminiſtrare prohibeatur, procul dubio,quod tunc naturaliter evenire dicendum,cùm fœtus & abſolutus, & vegetus, & vividus in lucem progteditur; ſi verò contrà eveniat, à Natura non fuiſſe talem defectum aſſerendum:at ſeptimeſtris fœtus & inabſo- 19
lutus, & debilis, & minimè vividus naſcitur, cùm ut plurimùm intereat, ex iis, quæ ex Hippocrat.& Ariſtotel. adduxi, ergò in ſeptimeſtri partu defectum hunc nutrimenti non naturaliter eveniſſe, & conſequenter illum non à Natura, ſed à vi,ab accidenti, à morbo in lucem mitti, concludendum.

Tertiò, una eademque fœmina,quæ multos pa- 20
riat. omnes penè nonimeſtres, aut decimeſtres parit, rarò autem unum, aut alterum ſeptimeſtrem: cùm verò partus, ut dixi, ex alimenti defectu fiat, 21
nulla aſſignari poteſt ratio,cur hic defectus tam celeriter nunc evenerit, ut in ſeptimo ſucceſſerit, aliàs autem ad nonum, aut decimum uſque retardaverit. Quod enim in hac ipſa fœmina defectus iſte adeò præcox à Natura non fuerit, pater, quia utplurimum per duos, aut tres menſes ſuprà quàm nunc evenerit,retardavit aliàs.Si ergò à natura non 22
eſt, à morbo eſt; nam oporteret, ſi à Natura fuiſſet, ut ſemper tam celeriter in una, eademque muliere eveniſſent, & ſi ſemel ſeptimeſtrem ea de cauſa genetavit, ſemper, aut ſaltem utplurimùm debuiſſet ſeptimeſtres generare; at cùm utplurimum nonimeſtres, & decimeſtres peperit, manifeſtum inde fit,defectum illum alimenti tam celeriter evenientem, ab accidenti fuiſſe, & conſequenter à morbo.

Quartò, celeritas naſcendi non ſolùm monſtrat 23
fœtum calidiorem, ſed etiam fortiorem, & perfe- 24
ctiorem, ut probat Augen. *libro 1. de part. hum.*non enim aliam ob cauſam mas celeriùs utplurimum naſcitur, quàm fœmina, niſi quia mas & calidior, & fortior & perfectior eſt fœminâ, ut aliàs dixi.. Si ergo naturalis eſt terminus naſcendi in homine ſeptimus menſis, ut nonus, & decimus ſunt

procul-

proculdubio quod quilibet ſeptimeſtris tanto erit quolibet nonimeſtri, aut decimeſtri fortior, & calidior, & perfectior, quanto præ aliis ortum acceleravit; ſeptimeſtris ergo inter homines deberent eſſe Hercules alteri, aut Achilles; ſed an hoc ita ſit, credo, quod quilibet homo videat; ergo certè nullum eâ temeritate donari puto, qui contra quotidianam experientiam tale quid affirmare audeat: nam & ipſi contrariæ ſententiæ aſſertores; & acerrimi defenſores id non audent fi mare, ſed potiùs contrarium, inter quos Augen. 2. *de part. hum. cap.* 4. hoc ipſum concedit, ejuſque rationem inveſtigare conatur, nimirum cur ſit, quòd ſeptimeſtri naturaliter naſcente, de rarò tamen vivat, concluditque, non ob aliud id evenire, niſi quia & imbecillior ſit, neque decenti corpulentiâ dotatus, neque integrè formatus, cùm tamen potiùs ex his arguere debuiſſet, eum non eſſe naturaliter natum, ſed prævenille tempus perfectæ generationis, & ante Naturæ intentionem ab accidenti in lucem fuiſſe expulſum.

Sunt præterea, qui ſeptenario numero adeo addicti ſunt, ut ex ejus ſolummodò vi, ac energiâ fœtum ſeptimeſtrem vivere ariolentur. Sed poſthabitâ pro nunc hac numerorum activitate, & illâ iis, qui eam admittunt, ad libitum conceſſa, tamen ex ipſorummet decretis ſic diſſeramus. Conceptiones, abortiones, & partiones eodem tempore judicantur, quo & morbi, & ſanitates, & mortes cunctis mortalibus contingunt. Hippocrat. *in libro de ſept. part. & lib. 1. prænotion. text. 1. in fin.* abundè eſt, quòd ipſe motus partus comparetur motui critico. Gentil. *in lib. quæſt. & tract. Med. quæſt.* 40. Conſtat autem, quòd in morbis ad perfectè judicandum, ita ut naturam ſpontè operari contingat, non ſatis eſt ipſa ſolum dies critica, ſed requiratur, ut humores concocti, & ad naturalem æquabilitatem ſint redacti, omni morbifica cauſa ſeorſum relegatâ, ut contra illam inſurgens Natura poſſit pro arbitrio illam ab ægro corpore expellere, & ipſum ad ſanitatem, quam intendebat, reducere. Ita Lalam. *ubi ſuprà capite* 2. abſque hac ergo humorum concoctione evenientes criſes prorſus imperfectæ, minus tutæ, & malæ omninò ſunt, ita teſtante Hippocrat. 2. *epidem. ſection.* 1. & 2. *Prorrhet.* & docet abundè Galen. *in libro de criſibus*, præſertim verò *libro* 3. *cap.* 3. & *ſeq. claſſ.* 4. & *alibi ſæpè*, quinimo humorum ipſa concoctio præcipuè criſim efficit, ut firmat Doctiſſimus Fracaſtorius *in libro de diebus crit. cap.* 6. At in partu quid illud eſt, quod humorum concoctioni reſpondeat, niſi ipſius fœtûs perfecta, & abſoluta conſtitutio, & confirmatio, quæ non ſolùm ad eſſe, ſed ad bene eſſe ſit neceſſaria; ſicuti & in morbis non ſanitas ſolùm à criſi perfecta, & bona habetur, ſed ſanitas tuta, & undequaque ſalva. At quemadmodum perfecta humorum concoctio ſe habet ad abſolutam fœtûs perfectionem, ſic & ſemiconcoctio, vel concoctionis initium ſe habet ad non abſolutam, aut ſolummodò initiatam fœtûs perfectionem, & quemadmodum non bene, nec perfectè movet natura, ſed diminutè, & malè, cùm humores adhuc ſemiconcocti exiſtunt. Hippocrat. 2. *Epidem. ubi ſuprà*, licèt in die critica moveat; ſed magis perfectè, ac plenè, melius, ac tutius, concoctis exiſtentibus humoribus, licet in alia die, quàm in critica moveat, vel ſaltem non in die primæ notæ, ſic & non aliàs in fœtu, etiamſi in ſeptimo moveat; tamen, quia neque abſolutus, neque omnimodâ, & à Natura requiſita fortitudine dotatur fœtus, non perfectè, ſed diminutè, hoc eſt, non cum debita ſecuritate movet, ſed melius, ac tutius in nono, vel decimo, fœtu jam ad debitam, ac totalem perfectionem deducto. Ex quibus eliciamus *primò*, quòd nihil operatur ſeptenarius numerus in hoc caſu, ſed ſola fœtûs perfectio, aut imperfectio, licet ſciam, & in nono & decimo terminis, utpotè naſcendi naturalibus, hunc ſeptenarium numerum Hippocratem, & cum eo cæteros omnes effinxiſſe, numeris, prout libuit, & magis ad rem ſuam faciebat, inter ſe combinatis, ac diviſis.

Eliciamus *ſecundò*, quod quemadmodum in motibus factis ante humorum perfectam concoctionem, etiam in die critica patratis, non ipſa natura per ſe liberè agens, ſed & morbus cooperatur, qui naturam citius quàm debeat, ad movendum exiſtimulat, ſic & in partubus, qui ante perfectum fœtûs abſolutionem eveniunt (quam abſolutionem non ante nonum, vel decimum advenire jam probavi) ſemper morbificam cauſam irrepſiſſe, & Naturam nonniſi coactam fœtum in lucem emiſiſſe. Eſſe verò ſeptimeſtrium perfectionum non abſolutam docet Hippocrat. *in libro de Nat. Puer.* cùm ſeptimum menſem initium perfectionis fœtibus afferre dixerit; non eſt autem abſoluta perfectio tunc, cùm in initio eſt. Unde apparet ſeptimeſtres imperfactos eſſe, reſpectivè ad alios, cum principium ſolummodò perfectionis, non verò totalem perfectionem adepti fuerint.

Denuò igitur hæc reiteremus. Dico, quòd natura non intendit hominem in ſeptimo debere naſci, & quod, ſi aliquando illud eveniat, à *morbifica cauſa* eſt, atque ea de re ſeptimeſtrem difficulter, & rarò eſſe vitalem, cum ante tempus, & per vim in lucem progrediatur.

Inſtabis tamen, dicens: Quanam ratione fieri poteſt, ut ſeptimeſtris præter naturæ intentionem naſcatur, & tamen aliquando vivat, cum ſatis notum illud ſit, Natura repugnante omnia irrita: num poteſt aliquod animal contra Naturæ legem, ac diſpoſitionem vivere?

Reſpondeo, quod ſi univerſalem Naturam reſpicias, penes quam fuit originaria illa diſpoſitio, ut hoc animal nono, illud quinto, aliud ſexto menſe naſcatur, hoc nonniſi per accidens eſt; nam hæc univerſalis Natura in pluribus regulatur: ea verò, quæ in particularibus eveniunt extra ordinem ab ea determinatum, per accidens eveniunt. Licèt ergo ſeptimeſtris ob id vitalis non ſit, tamen per accidens aliquando vivit; quando verò dicitur, Naturâ repugnante omnia irrita, hoc de Natura, prout in particularibus ſubjectatur, intelligitur, non ut univerſalis cauſa eſt, nam quoad particularem Naturam ſeptimeſtris fœtus pertinet, ſi fortia principia, ac vegetum calorem ſortitus fuerit, tunc licet quoad univerſalis Naturæ legem vivere non deberet, quia ab ejus diſpoſitione defecit, tamen ſua ipſa peculiari natura adjuvante poſſibile, ut vivat; quod tamen, ut dixi, reſpectu univerſalis per accidens eſt.

Sed inſtabis iterum, dicens: Nulla certa regula dari poteſt eorum, quæ per accidens eveniunt: at contra de termino ſeptimeſtri in naſcendo datur certa regula, quia ante hunc terminum nullus eſt vitalis, contra verò in hoc termino: quod quidem clariſſimè oſtendit, ſeptimeſtrem non per accidens, ſed ex ſua natura eſſe vitalem.

Reſpondeo, eam regulam non eſſe omninò veram, nam & aliquando etiam in ſexto, imò & in quinto menſe nati vitales fuerunt, ſi doctis fidem habere

voluimus,

volumus,ut probat Augen.*in libro de part. humano*, ſed verum eſt, magis de raro vivere natos ante ſe-
41 ptimum,quàm in ſeptimo,& octavo, quia non ante hos terminos per os nutriri poſſunt; at nullus vitalis naſci poteſt,qui per os non poſſit enutriri.Galen.15. *de uſu part. cap.* 7. In ſeptimo verò,quia jam per os nutriri poteſt,ſi,ut dixi,fortia principia fœtus ſit ſortitus,ac vegetum calorem, licèt cæteris conditionibus ad vitam certam traducendam neceſſariis deſtituatur, poteſt aliquando vivere, quanquam plurimum ex prædictarum conditionum defectu non vivit.[Vid. Caranza.]

Sed remanet adhuc confutanda *Averrois*, *Fracaſtorii*, *Valleriolæ*, *Bonaventuræ*, *Roderici à Caſtro*, & ſi aliorum ea ſententia eſt, quæ inter humana ſemina
42 quasdam differentias ſomniavit, *dicens*, quòd quemadmodum in genere tritici aliud eſt, quod quatuor menſibus,aliud quod ſeriùs,aliud quod maturiùs ſemen proferat, ſic & inter humana ſemina aliud eſſe firmat,quod ſeptimeſtres,alterum,quod octimeſtres, tertium, quod nonimeſtres, aut decimeſtres fœtus creet.

Nam præterquam quòd hoc ipſum à natura eſſe oporteret, & non eſſe à Natura demonſtrent ſuprà adductæ rationes, hanc phyſicam quandam commentationem eſſe, apparere poteſt ex ſequentibus.

43 *Primò* etenim non declaratur, cur hæc proprietas magis inſit ſemini humano quàm belluino, neque ullam ejus rei aſſignare poſſunt illi ſaltem ap-
44 parentem rationem. Secundò quærere poſſumus ab iis, num hæc proprietas in humano ſemine, ſit *occulta*, vel *manifeſta*: ſi ſit manifeſta, jam patet, ex temperamentorum differentiis illam originem duxiſſe; & hac ratione neceſſariò quilibet eodem temperamento conſtans, tales fœtus deberet procreare,ut ſi, exempli gratiâ, dicas ex calido,& ſicco temperamento eam proprietatem in ſemine conſurgere, ut ſeptimeſtres generet; & ex frigido & humido,ut naſcantur decimeſtres, & omnes frigidi & humidi decimeſtres generare deberent; at verò tam ex calidis & ſiccis, quàm ex frigidis & humidis & ſeptimeſtres,& octimeſtres,& nonimeſtres, & decimeſtres generari in horas videmus,imò ex uno eodemque ſemine diverſos fœtus naſci.

45 Quòd ſi ab *occulta* proprietate hoc habere humanum ſemen velis omni proculdubio, quòd, niſi velis talem proprietatem cœlitùs in hunc virum, aut mulierem immiſſam ex parentisſemine eam ſortitum fuiſſe, confitendum, & quia nemo dat, quod
46 non habet,Plato *in Alcibiad. primo*, *ſeu lib. de Natura humana*, facit pro Jureconſultis *lege Nemo plus Juris,ff.de reg. Juris*,Malvaſ. *conſ.* 18. *numero* 19.*volumine* 1. Roland.*conſil.* 81. *num.* 3.*tom* 2. Grat.*diſcep. For. cap.* 730. *num.* 30.neceſſe eſt etiam parentem eâ proprietate fuiſſe dotatum, & ſic de reliquis; nam in cæteris omnibus, quæ occultam aliquam proprietatem à Natura habent,ſic & non aliter evenire conſpicimus.Ex his ergo conſequens eſſe videtur, ut ſolummodò quædam peculiares familiæ ſeptimeſtres,nonnullæ octimeſtres, cæteræ octimeſtres,aut decimeſtres generarent, non verò promiſcuè una familia, imò unus idemque vir, aut mulier modò ſeptimeſtrem,modò nonimeſtrem procrearet; haſce tamen familias nullibi terrarum unquam reperiri audivi:fortaſſe in *Sibillia*, vel alibi gentium eas familias extare vel ipſe *Averroës* vidit, vel à mulierecula illa ſua vicina accepit, cui majora etiam myſteria accepta referebat. Sed ſit hæc proprietas ſo-
47 lius individui,ut magis ſeptimo, quàm octavo,aut nono filios procreet,cùm ea, quæ inſunt natura,inſint per ſe,& non per accidens(nam tale principium dicitur Natura) ita ut non poſſint eſſe, & abeſſe à ſubjecto, in quo ſunt, hoc individuum, quod à proprietate donatur, deberet ſemper ſeptimeſtres generare, & tamen eundem virum eidem mulieri 48
copulatum, aliquando ſeptimeſtrem, aliquando octimeſtrem generare conſtat;plurimùm verò nonimeſtrem, quomodo ergo talis proprietas à Natura eſſe dici poteſt?

Præterea proprietatem illam,quam in tritico ineſſe pro exemplo adducunt, etiamſi realiter ita ſe res 49
habeat,quòd unum celeriùs alio matureſcat,tamen non tantum in tritico reperiri, quantum in ſolo, quod illud recipit, manifeſtum eſt: quia hoc ipſum triticum, quod ſex menſibus in hoc ſolo matureſcit, conſtat in Occidentales regiones delatum ſexaginta dierum ſpatio maturum extitiſſe; ergo proprietas illa non eſt ex parte ſeminis, ſed ex parte ſoli ſemen recipientis: ſic & non aliter humano ſemini evenire neceſſe eſſet: nam ſicuti triticum ob majorem, aut minorem ſoli ubertatem, ac pinguedinem, aut culturam, celeriùs aut tardius matureſcit, ita & humanum ſemen proutteri quem illabitur, majorem, aut minorem fœcunditatem & diſpoſitionem, ad generationem ſeriùs, aut citiùs fœtum perficere deberet, itaut illa proprietas magis fuiſſet ponenda ex parte uteri, quàm ſeminum, vel ſaltem ex parte utriuſque, & 50
ſic non magis ex parte viri, quàm mulieris. Quòd ſi ita ſe res habet, à natura ea proprietas eſſe non poteſt, cùm proprietates, quæ à natura dependent, non ſint diviſibiles. Nam quâ ratione Natura eam proprietatem duobus individuis indidit,non 51
uno eodemque utero, imò non uno eodemque loco,aut tempore natis, imo temperamento,ætate, ac toto cœlo inter ſe diſſidentibus, ut unum ejus proprietatis medietatem, aliud alteram habuerit, quibus medietatibus ſimul junctis ea proprietas inſurgat, ut magis ſeptimeſtres, quàm nonimeſtres,aut magis octimeſtres,quàm decimeſtres generare valeant?

Hæc igitur valere jam ſinamus,& alias rationes 52
diſcutiamus, quæ fœtum in ſeptimo naturaliter noſci oſtendere poſſent. Nam partus tunc naturaliter, & ex Naturæ inſtinctu fieri dici debet,cùm ab ipſa natura ad exitum irritatur fœtus: patet autem, quòd tunc fœtus ad exitum à natura ſtimulatur, cùm jam adeò auctus eſt ut majori nutrimento, & 53
majori loco, & liberaliori, ſeu potius ſimplici reſpiratione indigeat:hoc autem in ipſo ſeptimo evenire,non ſolùm docet Hippocrat. *in lib. de Nat. Puer.* & Avic. 21.*tertii*,*tract.* 1. *cap.*2.Petrus Aponen.quem 54
adducit Tiraq. *in l. ſi unquam*, *Cod. de Revoc.donat.* Gloſſ. *ſuſcept.lib. num.* 210. *verſ. Nec tamen prætermittam*, ſed ipſa experientia manifeſtiſſimè oſtendit,cùm videamus in ſeptimo fœtum plerumque validos motus, ut exitum ab utero quærat, excitare, & ad id aſſequendum totis nervis contendere;ſi ergo tunc naſcatur, ſuo fine,& à Natura ſibi propoſito ponitur, & idcircò nonniſi ex Naturæ inſtinctu fœtum in ſeptimo naſci aſſerendum. (V.Horſtium *p.* 130. *tom.* 1. *oper. Med.*)

Ego (licèt tantorum virorum, & *Hippocratis* præcipuè, communis præceptoris, reverentia, non ſolùm à dicendo me prohibeat, ſed penitus determinat) tamen veritatem cujusvis hominum auctoritati præferens, liberè meam ſententiam recitare non deſiſtam.

Dico ergo, quòd fœtus neque eo fine, neque eâ 55

eâ intentione in ſeptimo movetur,ut in lucem tunc
temporis progrediatur,& ſed quia jam ſeipſum au-
ctiorem,& validiorem experitur,ſi etenim tales mo-
tus eo fine à natura excitarentur, multa inde abſur-
da conſequi neceſſarium eſſet ; nam *primò* Natura
ſemper, aut ſaltem ut plurimum ſuo fine fruſtrare-
56 tur, cùm plerumque irritus ſit motus ille,nam ple-
rumque fœtus nono, aut decimo naſcitur.

Secundò, ſi is eſt Naturæ finis, ut homo naſcatur
ſeptimo, & ob idipſum ipſamet Natura fœtum ad
exitum ſtimulat;ergo nono, aut decimo illum naſci,
57 præter naturæ intentionem eſt ; atque hoc multo
magis firmare poteſt,id quod aiunt,ex eo motu fœ-
tum toto octavo menſe in utero ægrotare:ob mor-
bum ergo exitum tanto tempore, ad nonum nimi-
rum usque, aut decimum retardat;ſi igitur à morbo
retardatur,cùm naſcitur,præter Naturæ intentionem
tam ſerò naſcitur.

Tertiò,ſi ob id quòd fœtus in ſeptimo jam auctior
58 eſt,& majori indiget alimento,exitum quærit, mul-
tò magis hoc efficere deberet ſequentibus tempori-
bus,cum multo major ſit;at in octavo dicunt illum
ægrotare;ſed quid ſi decimo hic naſci debeat,cur in
nono ingentes illos motus non excitat,& ſi excitat,
& tamen tunc non naſcitur,cur non ægrotat iterum
toto decimo ? imo naſcitur decimo,& maximè om-
nium vitalis eſt.

59 *Denique* ſeptimeſtres cæteris eſſent multo magis
vitales & fortes;nam illi ab utero exeunt ſani, & à
nullo morbo exagitati,cæteri autem non ante,quàm
in utero per quadraginta dies ægrotaverint.Scio ve-
rò multos doctos viros non de omnibus intelligi
velle, quòd ægrotent, ſed de aliquibus tantùm:eo-
rum tamen dicta veluti circa rem à veritate alienam,
& ab imaginatione ſolummodò dependentiam ha-
bentem,verſantia,mille ambagibus implicita compe-
ries & inter ſeipſa non parum diſcrepantia.

Cùm ergo motus ille non eo fine à Natura in ſe-
60 ptimo exciteturut tunc fœtus naſcatur,non mirum
eſt,ſi vitalis plurimum non ſit in lucem tunc veniens,
quia ſubeſſe neceſſe eſt aliquam *vim præternatura-
lem*,quò illum ab utero detrudat;& ſic non ob aliud
aliqui naſcuntur in ſeptimo, niſi ob proprium,aut
61 matris morbum, vel quia validiores motus, quàm
par ſit excitantes,aliquando ligamenta,quibus ute-
ro annectuntur,per vim diſrumpunt,& ante tempus
naſcuntur. Neque fortaſſe aliter evenit iis,qui tam
validè moventur,ob id quòd cæteris validiores exi-
ſtant,quàm eveniret iis, qui ſupra vires exercetem-
tur;ex hoc enim promptiſſimè in morbum laberen-
tur. Sic etiam nonnulli ex his ex valida agitatione
in morbum aliquando labuntur, à quo ſtimulati,ab
utero immaturi exeunt.

Atque hinc patet,quomodò ſalvari poſſit dictum
Alex. *probl. lib.2.problem.*48.& Avicennæ 21.3.*tract.*
2. *cap.* 1. quorum auctoritatem ſequitur Mercurius
in ſuprà citato lib. Della Commare, *libro* 1. *capit.* 7.
quòd ſeptimeſtres fiant ex fortitudine virtutis,
& velocitate ac virtute creatricis, & formatricis :
61 ex quorum ſententia concludere licet, non ſolum
ſeptimeſtrem eſſe vitalem, ſed etiam fortis com-
plexionis ut,probat Lemn.*de occult.Natur. mirac. lib.*
4. *capite* 22. Dico enim, quòd aliqui ex iis, qui in
ſeptimo naſcuntur,non ex matris. aut proprio ali-
quo morbo,ſed quia,ut dixi,validiores motus exci-
tantes ligamenta per vim diſruperunt, cæteris qui-
dem fortiores erant, & principia validiora ſortiti :
ſed quia quoad tempus, quo debebant in utero per-
fici,deficiunt,nec tantum alimenti, quantum illis ad
conveniens robur acquirendum ſatis erat, hauſe-
runt: ideircò non vitales, ut plurimum ſunt ; tamen
aliqui eorum ob innatam ipſorum fortitudinem ali-
quando vim illam ſuſtinere poſſunt,& defectum ali-
menti ſupplere, & vivere, licet plures eorum nun-
quam adeo vividi, ut nonimeſtres & decimeſtres
ſint;perpauci autem exiſtant, qui viventes ad natu-
rale,& ſibi à ſuis primordiis communicatum robur
redeuntes,non minus quàm alii hominum,fortes ac
vegeti conſeneſcant, & ad ultimam ſenectutem
proſperè deveniant.

Ex his ergo ſatis mihi ſit demonſtraſſe, *hominem* 63
*in ſeptimo menſe ex inſtituto & ordine Naturæ non
naſci*, ſed à *morbo*, ac præternaturali quadam vi in
lucem expelli. Quia tamen negari non poteſt ali-
quando ſeptimeſtrem vivere, exinde concludendum
minimè eſt, omnes ſeptimo menſe natos illegitimos
eſſe, ſi vivant ne uni propter alterum injuria fiat;
atque ea de re,ſi aliqua conjectura certa haberi poſ-
ſet, quâ aſſequeremur, quandonam verè ſeptimo
menſe natus ſit aliquis, operæ pretium eſſet addi-
cere. Itaque,ut ex ſuperioribus,& auctoritate *Ariſt.* 64
jam patet, omnes ſeptimeſtres illud peculiare ha-
bent, ut in naſcendo aliqua in parte non abſoluti
appareant : nam vel capitis commiſſuris hiantibus,
ac hiulcis naſcuntur,vel aurium meatibus occluſis, 65
aut nimis patentibus, vel hærentibus inter ſe ma-
nuum,pedúmque digitis,podice etiam vel nimis am-
plo & adaperto,vel nullo modo reſerato,oſſib.etiam
inter ſe disjunctis, vel adeò tenellis, ut nulla debita
duritie dotentur,ſed nerveam potius habere ſubſtan-
tiam videantur, ita ut cranium interdum non mi.
nus ac ſi membranaceum eſſet, plicari facillimè in
nonnullis ſit animadverſum ; & aliis notis hiſce ſi-
milibus inſigniti ſemper, & ubique naſcuntur,quod
eorum imperfectionem præmonſtrat. Sic etiam, &
quia ob jam paſſam vim debiles ſunt effecti,naſcen-
tes,non,ut cæteri factitant, plorare ſolent, nec ſter-
nutare, nec fæces aut urinas reddere, nec ſimile
quicquam efficere, quod vividam, ac fortem na-
turam oſtendere poſſit : viventes autem, aut vitâ
brevi fruuntur,neque omnes percurrunt ætates,ſed
juvenes,aut etiam adoleſcentes commoriuntur, aut
eas ætates quàm breviſſimas peragunt,ita ut, quàm
citiſſimè conſeneſcant;qui etiam, licet ad quinqua-
geſimum,aut ſexageſimum annum perveniant,tamẽ
valetudinarii, & morbis maximè obnoxiam vitam
tranſigunt. Corpore inſuper ſunt plurimùm puſillo,
tenui, gracili,& externis injuriis mirum in modum
expoſito:vulgò etiam proverbio jactare ſolent,cùm 66
hominem intellectu captum ſignificare volunt,eum
non habere menſes omnes, nam tales ut plurimum
ſtolidi viſuntur, & non integrum rationis uſum eſſe
adepti. *Qui ergò ſecùs vel naſcuntur, vel vivunt*,
(dummodò nullum ex his ſignis habeant,nam ſatis
eſt ſi nonnulla appareant)*pro ſeptimeſtribus, meâ ſen-
tentiâ, non habendi*, neq; *pro legitimis* acceptandi. Et
hæc quidem locum,ac veritatem habere *ut plurimùm*
& ſecundum plurimum dico;nam aliàs ex ſeptime-
ſtribus viſi ſunt aliqui in viros evaſiſſe eximios, &
fortes,& abſolutos, non quoad corpus ſolùm, ſed
etiam quoad animum:hi verò tantum robur in ſuæ
generationis radice ſortiti fuerunt, ut tantumdẽ vix
perpauci aliorum hominum ſortiantur ; unde inter
Naturæ monſtra tales ſeptimeſtres connumerandi,
ſed & hos in naſcendo, aliqui ex prænominatis
ſignis ſeſe non juſto tempore naſci palam fecerunt,
licet dehinc naturali robore prævalente, omnem
morbificum ſtatum facilè ſuperaverint.Ad *Lemnium*
verò aliàs in his quæſtionibus reſponſum eſt,itaque *
aliud hic non addo.Nonnullæ denique remanebant

dubitatio

dubitationes eluendæ, ac quædam problemata enodanda de ſeptimeſtri fœtu, quæ quia etiam ſeq. quæſtioni aptari poſſunt, ne hæc longius, quam par ſit protrahatur, in ſequenti diſcutientur. [Concludimus verbis *Valleſii*, ſolùm noſſe Deum rationem evidentem rei difficilis, quam ſolo experimento cognoſcimus.

SUMMARIUM.

1 *Octimeſtris nullus vitalis, ex Hippocratis ſententia.*
2 *Octimeſtris habetur tanquam mortuus.*
3 *Octimeſtris ultra octo dies vivere non poteſt.*
4 *Octimeſtris eſt abortivus. Contrarium ibid.*
5 *Octimeſt. ex ſui natura eſt magis vitalis, quàm ſeptimeſtris & n. 8.*
6 *Ad totalem fœtus perfectionem requiritur ſaltem ſpatium novem menſium.*
7 *Quantò magis à nono diſtat partus, tantò imperfectior.*
9 *Octimeſtris eſt perfectior ſeptimeſtri.*
10 *Prima ratio, cur octimeſtris non ſit vitalis ex aliorum opinione, confutatur, n. 16.*
11 *Fœtus in octavo neceſſariò laborat.*
12 *Prægnantes octavo malè habent.*
13 *Secunda ratio confutatur. n. 20.*
14 *Tertia ratio, duo eſſe humani partus tempora, confutatur num. 25.*
15 *Cur ſolus ſeptimus & nonus ſint naturale ſpatium naſcendi.*
17 *Ægrotare eſt quid de directo contra Naturam.*
18 *Octimeſtris quomodo non vitalis.*
19 *Quod ex accidenti eſt, poteſt eſſe, & non eſſe.*
21 *Fœtus in ſeptimo non movetur ex Naturæ intentione ad exitum.*
22 *Fœtus in ſeptimo cur movatur.*
23 *Non eſt neceſſe fœtum toto quadragenario vires reaſſumere.*
24 *Multi fœtus in principio noni validiſſimos edunt motus, & tamen non naſcuntur.*
26 *Non poteſt ſeptimus fœtui majorem perfectionem præſtare, ob id quòd ſeptimus eſt.*
27 *Nullus numerus habere poteſt efficientiam aliquam.*
28 *Res non ſunt propter numerum, ſed numerus propter res.*
29 *Octimeſtrem ob defectum ſeptenarii numeri non eſſe vitalem, eſt falſum.*
30 *Tam ſeptimeſtris, quàm octimeſtris imperfectus.*
31 *Septimeſtris facilius vivit, quàm octimeſtris: & cur, n. ſeq. & n. 38.*
33 *Octimeſtres cæteris imperfectiores.*
34 *Fœtus quantò recentior, eo facilius à morbifica cauſa læsi poteſt.*
35 *Plures abortus contingunt fœtu recentiore exiſtente.*
36 *Quadraginta dierum termino præterito fœtus validiores, exiſtunt.*
37 *Tam ſeptimeſtris, quàm octimeſtris à morbifica cauſa in lucem expelluntur.*
39 *Nonimeſtres cùm abortiuntur nunquam vivunt.*
40 *Ante ſeptimum cur non vivat fœtus, & n. ſeq.*
41 *Tantum reſiſtere poteſt ſeptimeſtris, quia debilior, levior: cauſa quantum octimeſtris, quia fortior, cauſa fortiori.*
43 *Debile à levi cauſa movetur, forte autem etiam à forti non movetur.*
44 *Id attendi debet, quod à Natura eſt, non ex accidenti.*
45 *Septimeſtres, & octimeſtres vel ſimul rejiciendi, vel utrique ſimul acceptandi.*

De octimeſtri Partu.

QVÆSTIO IV.

NOn minor, ſed fortaſſe multo major contentio eſt circa *octimeſtrem* partum, quàm fuerit circa *ſeptimeſtrem*, ſed ut ſeptimeſtrem oppugnaremus, vix unum, aut alterum coadjutorem habuimus; ut verò octimeſtri tantiſper faveamus, non deſunt fortes illi quidem, ac acerrimi propugnatores, cum quibus jam pro illo contra cæteros dimicare paramus. [qua de re *Mouſſinus* in Horto Jatro-phyſico.]

Pro parte tamen adverſa primùm comparet Hipp. cujus aſpectu animo conſternantur omnes contrariæ partis fautores: hic enim *in lib. de Carnib. circa f. & lib. de octim. part. in princip.* vitam omninò octimeſtri partui denegavit; ita ut incaſſum penitùs inſudaverit Bonaventura *de octim. part.* ut illum invitum in contrariam ſententiam alliceret. Porrò tanti præceptoris auctoritatem omnes ſecuti videntur, Ariſt. *7. de hiſt. Anim. c. 4.* Plin. *Nat. hiſt. lib. 7. c. 5.* Avic. *21. 3. tract. 2. c. 1.* & ex Jurisperitis Bart. Bald. Alciat. Tiraq. Socin. ſen. cæterique omnes, quorum omnium tam Jureconſultorum, quàm Philoſophorum, ac Medicorum, aliorumque magnorum hominum auctoritates pleniſſimè cumulat Bonavent. *ubi ſupra libro 1. & 2. & in prædictis operis comp. c. 1. & ſeq.*

[Aptum autem *octavum menſem* partui agnoverunt olim Polybus, Diocles & Empirici teſte *Plutarcho c. 18.* Cœcilius teſte *Gellio 3. c. 16.*

Inſolerum (iniquit) *mulier decimo menſe parere?*
Pol nono etiam, ſeptimo atque octavo.

Ita Pinellum fuiſſe octimeſtrem tradit P. *Gualdus*, in octavo menſe mulieres parere in Naxo ſcribit *Aſclepiades* teſte *Stephano de Urb.* vel Junonis beneficio, vel quod Bacchus eo menſe natus ſit. In Ægypto octimeſtres vivere tradit *Ariſtoteles*, & *Plinius*, *l. 7. c. 5.* uti fuſius exponit *Carolus Annibal Fabrotius* de temp. partus.

Sed non ſolum pro non vitali pronuntiarunt ipſi 2
Jureconſulti octimeſtrem fœtum, ſed eum haberi voluerunt tanquam mortuum. Ita Alciat. *in l. qui mortui, ff. de verb. ſignif.* Afflict. *deciſ. Neapolit. 216. num. 4. & ibi addentes n. 1. in princ.* Tiraq. *in l. ſi unquam, C. de revoc. don.* Gloſ. *ſuſcept. lib. ſub n. 205.* Soc. Jun. *conſ. 35.* Clar. *libro 3. ſent. §. Teſtamentum, n. 3. v. ſed quid ſi iſte,* Boſius *q. 220. per totam.* Burſ. *conſ. 63. n. 18. vol. 1*

Quin etiam addentes ad Afflict. *ubi ſup. in verb.* 3
vivere, & Maſcard. *concluſ. 1140. num. 8. vol. 3.* octi- 4
meſtrem ultra octo dies vivere non poſſe firmarunt, tandemque eò res denit, ut non dubitaverit Tiraq. *ubi proximè, num. eod. & pluribus ſeq.* octimeſtrem inter abortivos fœtus connumerare, aliquorum auctoritatem fortaſſe ſecutus, apud Gell. *Noct. Attic. lib. 3. cap. 16. in fin.* cum quibus etiam concordant Socin. *in l. cum Avus, n. 110. ff. de condit. & demonſtr.* Pariſ. *conſil. 56. numero 6. & ſeq. lib. 2.* Clar. *in §. Teſtamentum, quæſt. 45. numero 3.* Mart. Vot. Piſan. *55. num. 6.* Becc. *conſil. 74. num. 56.* Menoch. *de Arbitr. lib. 2. caſ. 89. numer. 56. & de Præſumption. libro 4. Præſumption. 111.* ex noſtris Lalaman. *in 2. Galen. de diebus deceret.* contra quos tamen Augen. *de part. hum. lib. 2. cap. 16.* & Andr. Laurent. Anatom. *lib. 8. quæſt. 29. & 30.* Si tamen veritatis ſtudium Præceptorum reventiam ſuperare debeat, profectò rei naturâ optimè perpenſâ, affirmandum mihi videtur cum Card *contrad. Med. lib. 1. contrad. 8. tract. 5. in fi.* 5
octimſtrem ex ſui natura eſſe magis vitalem ſeptimeſtri, etiamſi ex accidenti contingat, ut difficiliùs vivat ille, quàm hic.

Nec temerè & absque ratione hæc prolata fuiſſe quisquis ſit, fateatur, antequam noſtræ aſſertionis veritatem ex ſequentibus eliciat. Nam cùm ex iis, 6
quæ & nos ſuprà adduximus, & Lalamantius *ſuprà* 7
cit. comm. protulit, abundè demonſtratum ſit, non minus ſpatium, quàm novem menſium requiri ad totalem fœtus humani perfectionem, ſequitur inde quòd quantò magis fœtus ab eo ſpatio diſtabit, tanto minori perfectione dotatus erit, quantò verò minus, majori. Sed ſic eſt, quòd ſeptimeſtris magis ab eo ſpatio diſtat, minùs verò octimeſtris; ergo magis à naturali perfectione diſtat ſeptimeſtris. Quod ſi verum eſt perfectiorem eſſe magis vitalem; omni procul dubio octimeſtris eſt magis vitalis ſeptime- 8
ſtri. Eſſe verò perfectiorem, non ſolùm ex majori 9
temporis diuturnitate, quâ in utero moram

traxit notum eſt, ſed etiam patet ad ſenſum; ſiquidem octimeſtris & majus robur habet, & ſolidiora membra, & magis formata, & calorem etiam vegetiorem, quippe qui à ſuperflua, ac primigenia illa humiditate eo minùs obruatur, quò magis à ſuo principio elongatur, cùm illam indies grandior factus deperdat; qua tamē ratione fiat ut ſeptimeſtris faciliùs, & frequentiùs vivat, quàm octimeſtris, deinceps monſtrabo.

Sed perpendamus jam obſecro rationes ob quas voluerit. *Hippoc.* & cum eo cæteri omnes, octimeſtrem abſolutè vivere non poſſe, ita ut illum cum vita repugnantiam quandam habere demonſtraverint; quibus adductis, eis pro viribus ſatisfacere nobis liceat, ac dehinc propriam ſententiam nonniſi rationibus, firmiſſimis illis quidem, fultam in medium afferre.

Tres igitur in univerſum rationes aſſignantur hujus fatalis periculi, & mortis inevitabilis octimeſtris fœtus, & *prima* quidem, de qua Hippocrat. *in princ. lib. de octim. part.* ea eſt, quia cùm fœtus in octavo menſe affligatur, & ægrotet, ſi huic afflictioni ſuccedat etiam labor qui in partu ſubitur, puer absque dubio ex neceſſitate perit, laborat autem fœtus neceſſariò in 8. menſe, duplici de cauſa, quarum una eſt, quam in ſequenti ratione adducemus; altera, quia matres octavo menſe multùm fatigantur, ac malè habent, ut experientiâ conſtat; ex matris ergo afflictione etiam ipſe fœtus ægrotat, & tunc debilis exiſtens ab utero exiens facillimè commoritur.

Secunda ratio ex Hipp. mente ab aliis adducta, eſt quæ ſequitur, & affertur à Tiraq. *in ſapius citata l. ſi unquam, gloſſ. ead. num. cod. verſ. nec tamen prætermittam*, & dicit eſſe Avic. & Aponenſ. ut eſt de qua etiā Burſ. *in cit. conſ. 64. n. 18. lib. 1.* & habet ita: Fœtus, inquiunt, qui jam ad ſeptimum menſem pervenit, ex utero egreſſum affectat, tū quia majori alimento indiget, tum etiam quoniam aërem ad reſpirationem liberiorem expoſcit, quamobrem moveri incipit, & exitum quærere: quòd ſi naſcatur, bene quidem ſe res habet, & vivit; ſin minùs, præcedenti labore defatigatus, & debilis effectus, neceſſe eſt illum ægrotare per quadraginta dies, ut *Hipp.* placet: ſi verò antequam vires reaſſumat, adhuc ægrotans exitum ab utero ſibi paret, à ſubſequenti, quem in partu ſubit, labore magis magisque enervatus, omninò incaſſum venit in lucem, non multò poſt interiturus.

Tertia ratio, de qua Avic. *loc. cit. 21. tertii*, & alii hæc eſt. Duo tantùm ſunt humani partus tempora, ſeptimus nimirum, & nonus, ſeu decimus menſis: qui ergo extra hæc tempora naſcitur præternaturæ intentionem naſcitur; nō mirum ergo, ſi vitalis non eſt. Cur verò ſolus ſeptimus, & nonus ſunt naturale naſcendi ſpatium ipſi homini, eſt, quia, (inquit Bonavent. *in lib. de octim. part. in comp. c. 14.* & firmat multò ante illum Alex. *probl. lib. 2. problem. 48.*) ſpatium ſeptimeſtre ſecundum Naturam eſt, tum ratione nobilitatis formæ, ac temperamenti, tum ratione ipſius perfectionis fœtus. Nonimeſtre verò & decimeſtre ſecundū Naturam ſunt ratione magnitudinis, & perfectionis; octimeſtre verò ab utriusque perfectione deficit. Qui ergo partus editur in octavo vel edi debebat in ſeptimo, & præ debilitate nō potuit, & ſic retardavit exitum, & tunc eâdem debilitate affectus naſcitur, & in naſcendo ex eadem cauſa multò magis laborat, quàm par eſſet, atque eâ ratione facilè interit, vel debebat edi in nono; aut decimo, & à cauſa morbifica ſtimulatus foras protruditur, & ſic vitalis non eſt neque eſſe poteſt, quia ante tempus naſcitur. Omittam autem data operâ nonnullas alias ejus rei rationes, atque una cum his etiam Aſtrologicas, cùm eas potiùs ab Auctorum imaginatione, quàm à reipſa originem habere putem.

Sed antequam his, quæ adduximus, ſatisfaciamus, quid nos de ea re ſentiamus, absque magna verborum circumvolutione dicamus. *Octimeſtris fœtus non minùs ac ſeptimeſtris ſuâ naturâ non eſt vitalis, quia ante debitum tempus naſcitur*: factâ verò comparatione inter ſeptimeſtrem, & octimeſtrem, & rei naturâ conſideratâ, octimeſtris magis vitalis eſt ſeptimeſtri, ex accidenti verò fit, ut dehinc videbimus, ut magis ſit vitalis ſeptimeſtris octimeſtri. In hac ergo quæſtione illud quærendum eſt, *uter ex rei naturâ magis vitalis ſit.* Nunc ad rationes in contrarium adductas reſpondeo: ad primā quòd quicquid ſit ad eo, quod dicitur, fœtum in octavo menſe neceſſariò ægrotare (hoc enim licèt commentitium credam tamen diſcutere pro nunc non libet) ſcio hoc à naturâ non eſſe, ſed ab accidenti, ægrotare enim eſt quid de directo cōtra Naturæ intentionē, Averr. 4. *de Gen. Anim. cap. 4.* Quantum ergo eſt ex parte hujus rationis, octimeſtris non ex defectu Naturæ, ſed accidenti non eſſet vitalis atque hoc modo plures octimeſtrium vivere deberent; nam id, quod ex accidenti eſt, poteſt eſſe, & non eſſe, ſi ergo ex accidenti non vitalis eſt, & ex natura ſua vitalis, plurimùm vivere deberet.

Secundæ rationi reſpondeo, quòd ſi verum eſt, fœtum in ſeptimo menſe egreſſum ab utero tentare, & id non ob aliud evenire dicendum eſt, quàm quia majori nutrimento, quàm in utero habeat, & liberiori aëre ad reſpirationem egeat, licèt in utero non reſpiret, ut multi Anatomici docent, profectò hæc retardatio exitus ad nonum usque, aut decimum, præter Naturæ intentionem eveniret; quin etiam plurimi eorum, qui tamdiu exitum retardant, omnino ſuffocarentur, vel fame necarentur: nam ſi in ſeptimo tanto indigent alimento, quantum in utero nō habent, hæc egeſtas in octavo, imò in dies, & horas augebitur, & ſi in ſeptimo alimentum jam erat diminutum, in octavo, & nono omninò evanaſcet, & ſi toto hoc tempore in utero commorabitur, fame omnimodè conficietur. Sic etiam, ſi vix affectante ſeptimo liberiorem aërem ad reſpirationem requirit, in octavo ac nono neceſſitate augeſcente, vix eo abſoluto ſuffocabitur. Denique ſi ex his cauſis, ſeptimo pueri exitum ab utero quærunt, multò magis ea ipſa cauſa in octavo urgebit, & ſi quis eorum ſeptimo non moveatur, octavo omninò ob id ipſum, & majori cum impetu moveri debet. Non ergo ex his cauſis ad exitum movetur fœtus in ſeptimo, neque ut tunc temporis naſcatur, ſed quia tunc, ut aliàs dixi ſeipſum robuſtiorem, & vividiorem experitur, quàm fuerit in præcedentibus temporibus. Reprobatā ergo hac hujus ſecundæ rationis parte, quòd nimirum in ſeptimo fœtus ob id moveatur, quòd majori nutrimento, & liberiore aëre indigeat, corruat etiam ſimul altera ejusdem rationis pars neceſſe eſt; ſiquidem nullum laborem in illis motibus, niſi modum excedant, fœtus impendit, movetur enim tunc validiùs quàm antè, nam & ante movebatur, quia validior, ut dixi, ſe ipſo eſt; neque enim in ſeptimo ſolùm movetur fœtus, ſed quolibet etiam menſe, usquequò in lucem exeat, ut teſtatur Joub. *libro 3. rer. popul. cap. 2.* non eſt ergo neceſſarium, ut ſequenti quadragenario vires reaſſumat; nam neque debilis

ex

ex iis motibus efficitur, non igitur duos labores ſuſtinebit is, qui in octavo naſcetur, ſed illum ſolùm, qui in parte ſubitur; cùm autem octimeſtris ratione temporis, & majoris membrorum roboris, perfectior ſit ſeptimeſtri; ex rei natura deberet, quantum eſt ex hujus rationis parte, faciliùs vivere, quâ ſeptimeſtris.

Sed ponamus, fœtum in ſeptimo laborem multum perpeti in motu illo, quo tentat ab utero exire, & ipſum dehinc ob id toto octavo ægrotare; accedat etiã matris afflictio in ipſo octavo, ex qua etiam magis magisque fœtus imbecillior evadat, tunc neceſſariũ erit, ſi naſcatur in nono, tunc neceſſariò interire: nam quomodo non interiret, ſi tot laboribus, tot afflictionibus, tot morbis ſuccedat dehinc labor, & afflictio ipſius partus? Sed eſto, fœtus in ſeptimo ex Naturæ inſtinctu ſeſe ad exitũ moveat ex cauſis ſuprà enumeratis, eſto dehinc, ægroter ex labore fruſtrà perpeſſo, tamen unde, obſecro, tam exquiſita neceſſitas dependet, ut toto ſequenti quadragenario vires reaſſumere debeat? an nõ alter altero robuſtior eſſe poteſt
23 & multò celeriùs ab exantlato labore ſeſe recolligere? ergo poterit aliquis fœtus in octavo naſci vitalis: & ratio hæc non univerſalis erit, & omnibus communis.

Sed & hoc ipſum concedatur, ex neceſſitate quẽlibet per quadraginta dies, ægrotare ob prædictum laborem: & tunc pone mihi fœtum, qui 181. die ſeſe ad exitũ moveat, & plurimùm colluctetur ut exeat; hinc laboret hic, & quieſcat, ſeu ægroter, ut dicunt, toto ſequenti quadragenario, poſt quod tempus naſcatur; profectò hic in octavo naſcetur, & tamen quantum ad præaſſignatam rationem vitalis erit, nã ſi 182. diebus 40. addas, efficies dies 221. qui menſes erunt ſolares ſeptem & dies duodecim, Lunares verò menſes ſeptem & dies quindecim, plus minùs.
24 Sed quòd hæc virium reaſſumptio, ut pleraque alia ab iis adducta, commentitium quid ſit, & rationale, illud atteſtari poteſt, multos fœtus in principio noni menſis validiſſimos edere motus, ita ut matrib. dolores afferant, quæ putantes partûs tẽpus inſtare, ſeſe obſtetricib. committunt, tamen irritus evadit ille labor, quia tempus partûs adhuc non inſtat, quod à Natura ejus ortui eſt deſtinatum; & hoc labore non obſtante, paucis diebus tranſactis, ii ipſi denique validi, ac maximè vitales in lucem eveniunt abſq; hoc quòd toto quadragenario ex perpeſſo labore in noni principio vires reaſſumant. Ejus rei teſtimonium habes apud Ariſt. 7. *de hiſtor. Anim. cap.* 4. dicentem, *Parturire interdum mulieres videntur, cùm tamen tempus non ſit*: quod & quotidiana experientia firmat, & ipſis mulierculis notum eſt.

Plurimum inſuper me ædepol angit ſeptimeſtris ſpatii circumſcriptio, & qualis ea conſtitui debeat in hoc caſu: nã ſi, exempli gratiâ, poſtremo ſeptimi die, vel etiam horâ fœtus exitum tentet, & tantiſper octavi menſis portiunculã attingat, dicant obſecro, qui ſeptimo adeò favent, & octavum adeò odio habent, num hic victurus ſit, neene? nam labor, quem ſubivit, ſeptimi menſis fuit, & ab eo incipit motus. Sic & in fine octavi, ſi exitum quærat & retardetur uſque ad nonum initiatum, nũ quia motus ab octavo originem habuit, vitalis hic nõ erit? ſed hæc jam valere ſinamus.
25 Ad poſtremam rationem dicamus, illam non probare id, quod ſupponit probatum, nimirum duo eſſe tantum humani partus tempora; nam quod de ſeptimo dicitur ſi eam præeminentiam, & perfectionem habet, quã prædicant, non ſolùm, ut aliàs dixi, quilibet in ſeptimo in lucẽ veniens maximè vitalis eſſet, ſed cæteris perfectior, ac magis vitalis, cùm tamen conſtet, multos, imò omnes ut plurimum interire, & non eſſe eâ perfectione munitos, quæ ad vitam traducendam requiritur. Deficiente ergo fœtûs perfectione, ſeptenarius numerus nihil operari poteſt, ut latiùs ſuprà oſtendi; neque enim ſeptimus, ob id quod ſeptimus eſt in numero, poteſt majorem perfectionem fœtu præbere, neque quoad vires, neque quoad membrorum abſolutionem; imò hoc multò magis efficit octavus ratione temporis, cùm per eũ licuerit fœtui majorem moram in utero trahere, & 26
majori alimenti copiâ ſeipſum munire. Quòd etiamſi velis ſeptimum, ut ſeptimus menſis eſt, aliquam perfectionem fœtui ſubminiſtrare, jam octimeſtris & eam habet, & quam etiam ab octavo ratione diſtantiæ tẽporis, ut dixi, recipere potuit; at ſi octimeſtris imperfectus eſt, ut experientia ipſa ſatis ſuperque declarat, multò magis debet dici imperfectus ſeptimeſtris, neque enim fieri poteſt, ut ſi quam perfectionem ſeptimeſtris ſit adeptus, illa octimeſtri adẽpta fuerit. Sed quænam eſt iſta perfectio, quam à ſeptenario hoc numero acquirit fœtus: Nam cùm in numero dierũ, qui ſeptem menſes complent, millies ſeptenarius numerus reperietur, ipſum quicquam neque quoad vires, neque quoad corporis perfectionem niſi temporis ratione operatum eſſe vides. At cur hic idem numerus ſeptenarius, qui in ſex menſibus plusquam quater vigeſies multiplicatur, & in octo menſib. plusquam trigeſies, aut quadrageſies, magis ſuam efficientiam oſtendit in ſeptimo menſe, quàm in aliis? Ego quippe & fœtus perfectionem majorem, quàm in præteritis diebus, & dentire & pubeſcere, & hujuſmodi, non ejus numeri ſeptenarij ratione, ſed potiùs, ut dixi, ratione diſtantiæ temporis fieri credideriм, quod experientia ipſa veritatem habere demonſtrat; cùm non ſemper in omnibus eodem tempore contingant, ſed plurimum & anticipent, & retardent: neque unquam imaginari potui, quâ ratione numerus aliquis efficientiam aliquam
in hiſce rebus habere poſſit, cũ ſit quid à poſteriori, 27
nec res ſint propter numerum, ſed numerus propter res. Tamen ego Præceptorum meorum ſententiæ, ſi 28
ita jubent, acquieſcam, & ingenii mei hebetudinem potiùs deplorabo, licèt ſciam maximos viros & inter cæteros Celſum *ſua Med. lib. 3. cap.* 4. hanc numerorum efficientiam non admiſiſſe, & ex recentioribus Laurentium, Anatom. *lib.* 8. *quæſt.* 10. indignum Philoſopho exiſtimaſſe, vim aliquam in agendo numeris tribuere. Ut percurrit etiam Nic. Nancelius *Analog. Microc. ad Macroc. lib.* 2. *probl.* 3. *p.* Non er- 29
go ob defectũ ſeptenarii numeri octimeſtris vitalis non eſt, ſed quia non eo alimento munitus eſt, ſicuti nec ſeptimeſtris, (qui etiam imperfectior eſt) quod ſibi ad vitam eſt neceſſarium. Itaque dicendum ex
his videtur, quòd tam ſeptimeſtris, quàm octimeſtris, 30
imperfecti quidem ſunt, & difficulter vitales; & licèt 31
faciliùs vivat ſeptimeſtris, ob rationem, de qua infrà, utroque minimè ex ſua natura vitali exiſtente, tamen non ob id octimeſtris habet cum vita eam repugnantiam, quam habere voluerunt Scriptores omnes, quos pleniſſimè cumulat Bonavent. *lib.* 1. *&* 2. *de Octim. part.* ubi & octimeſtrem vivere aliquando poſſe, ſtrenuè, & plurimis fortaſſe, quàm oportuiſſet, defendit, faventque maximè ſuæ ſententiæ, quam ex profeſſo etiam tuentur Cardan. *in lib. de ſept. & octim. part. Augen. Epiſt. lib.* 5. *Epiſt.* 2. *& lib.* 2. *de part. humano cap.* 16. & alii.

Sed tempus jam videtur, ut patefaciamus, qua ex 32
cauſa *faciliùs vivat ſeptimeſtris, quam octimeſtris, cùm tamen ille imperfectior ſit*; ita enim quotidiana experientia commonſtrat, & non ſolùm Medici, ac

Philoſophi omnes,ſed & ipſæ aniculæ confirmant; nam ſuperviventibus ex mille ſeptimeſtribus decē, vix quinque ex mille octrimeſtribus vitæ compotes fiunt.Quinimò etiamſi vivant aliquando,ſed de rarò
33 octimeſtres,tamen cæteris paribus imbecilliores, & minùs vividos eſſe,ipſe etiam *Bonaventura*, eorum accerrimus defenſor,confitetur *in comp. magn.ſui operis,c.*33.cujus rei rationē ex ipſius rei natura deceptam ſubſequentem puto.

34 Dubium non eſt;quòd quantò tenerior,ac receptior fœtus eſt, eo magis à morbifica cauſa lædi poteſt,quia ut Hipp. 1.*de morb. mul.* dicebat; cùm admodū ſunt exigui fœtus,invalidi exiſtunt:& idcircò plures abortus contingunt teneriore fœtu exi-
35 ſtente,quàm firmiore, ac provectiore; unde fit,quod plures abortus contingant primis ſeptem diebus, quos effluxiones vocat, quia mulier non poteſt eo tempore cognoſcere an conceperit necne. Hipp.*in lib. de ſeptim. part.* & Ariſt. 7. *de hiſtor. Anim. capit.*3. Federic. Bonavent. *de Octimeſtr. part. libro* 7. *capit.* 106.*& lib.*9. *cal.* 5.Altograd. *conſ.*52.*n.* 46.quàm in ſequentibus quadraginta diebus, & plures etiam in prædictis quadraginta diebus, quàm in ſubſequentibus,eodem Hippocr.teſte *loco citato*, *verſ. fin.* & Ariſtot. *ibid.in fin.* & ratio eadem,quam ipſe attuli, affertur ab Hippoc. dicente, quia quadraginta dierum tempore tranſacto, fœtus validiores exiſtunt,
36 quod & Gal.firmabat,*Aphor. comm.*4. *Aphor.* 1.*extr. ord. claſſ.*

Cùm igitur jam ſuprà demonſtraverim, tam ſeptimeſtrem, quàm octimeſtrem fœtum à præternaturali, ac morbifica cauſa ex utero expelli, & ante
37 deſtinatum tempus in lucem naſci, idcircò utrique ut plurimum commoriuntur:ſi qui tamen, ut pluries repetii,viribus pollent, ac ita valent, ut morbificæ cauſæ reſiſtere poſſint,& laborem,quem in naſcendo ſubeunt ſuperare, cùm jam talem perfectionem adepti ſint in utero, qualis ad membrorum aliqualem firmitudinem, ac quaſi juſtam menſuram requiritur; cùm & evidenter in majorem molem ſublata ſint, & jam carne munita, ac cooperta, & cùm jam per os nutriri poſſint;quod ante illud tempus non poterant, licèt eam firmitudinem non habeant, quæ ad certam vitam traducendam, & ad bene vivendum, quoad corpus valetudinem eſt neceſſaria, ſi morbificam cauſam, & laborem in naſcendo perpetratum, & externi aëris injurias exuperantes,maximâ,ac diligenti curâ tractati,ut Ariſt.
38 firmabat,poſſibile eſt aliquando ut vivant. At ſeptimeſtris faciliùs vivit,quia cùm tenerior,ac debilior ſit,à minori cauſa præternaturali, ac morbifica læſus,faciliùs ab utero foras expellitur,& minore cū labore, ob corporis exiguitatem, ita ut minus cum morbo colluctans, minùs etiam ab eo affectus in lucem prodeat. Octimeſtris autem, quia firmior, ac fortior, nonniſi à magno morbo, & à magna vi manumittitur, ut Mercurial. dicebat *de lib.* 2. *morb. mul. cap.* 1. unde arguit cauſam lædentem non debilem,Avic. *loco ſæpiùs citato*, argumento eſt, in partu octimeſtri non ſolùm periclitari fœtum, ſed etiam ipſam matrem. Ariſtot.*lib.* 7 *de hiſt. Animal.cap.* 4. Alb. Magn. 9. *de Anim. tract.*1. *cap.* 4. & notat etiam Nancel. *in Analogia lib.*7.*p.*4: *probl. de part.leg. part.* 3. Ergò Octimeſtris nonniſi à morbo plurimùm exagitatus, ac debilis ex lucta cum eo perpetrata jam redditis, in lucem protruditur: Itaque mirum videri non debet, ſi ſeptimeſtri
39 difficiliùs vivat.Quin etiam & illud ipſum Nonimeſtribus aliquando evenit, cum enim tales abortiuntur,nunquam, aut rarò vivunt, ob id ipſum, quod de octimeſtribus firmavi,nimirum quòd diutius cum morbo luctantur, & inde debiliores reddantur, & cauſam morbificam, ac validā contra ipſos pugnaſſe,certum eſt. [Verùm,præſupponitur hic,non probatur, ait *Sennertus* de M. M. p. 395. cauſam, quæ naturam ad partum intempeſtivū ſtimulat, ſemper majorem eſſe octavo menſe,quàm ſeptimo, quam ſi quis in puerperis,quæ tale quid patiuntur,inquirat & conſideret,rem ſemper ita ſeſe habere, non inveniet.Deinde fieri poteſt,ut fœmina aliqua febre tertiana,vel alio morbo chronico laboret quæ 7.8.9.& 10.menſe eaſdem vires habeat,ipſa poſtmodum pariat,minus tamen ea periclitabitur,ſi nono vel decimo menſe & legitimo tempore pariat, magis ſi 7. omnium maximè ſi 8. *Hac ille*, qui tandem ad *Solis* motum rem dubiam trahit, ipſasque *triplicitates*, uti fuſius exponit *in Inſtitut.*& allegato libro Pract. 4. p. 2. ſect. 6. cap. 1. pag. 396.]

Sed dices, cur ante ſeptimum, cùm à parva, & 40
debili cauſa fœtus lædatur & facilè ei cedat, tamen nunquam vivit? *Reſpondeo*, illud non ſolùm ob ſui omnimodam imperfectionem,& corporis infirmitatem evenire,ſed etiam qui ante ſeptimum nullus per os ob ſui inabſolutionē nutritur: quòd ſi per os nutriri poſſet,& fortè principium alicujus fœtus fortitus eſſet,etiam ante ſeptimum,licet multo difficiliùs vivere illum aliquando poſſe crediderim: ut de ſeptimeſtribus, & octimeſtribus evenit; & hac de re hiſtoriis quibusdam à Medicis fide dignis enarratis non omnem fidem adimere debere non exiſtimaverim.

Alia inſuper aſſignari poteſt ejus rei ratio, & eſt 41
hujuſmodi: Tam ſeptimeſtres,quàm octimeſtres interdum ob id naſcuntur, quòd validè ſeſe in utero commoventes, ligamenta quibus utero alligantur, vi diſrumpunt, per eamque vim ab utero exeunt, non ex Naturæ præſcripto, & idcircò uterque minus cæteris vitalis eſt:& is qui in ſeptimo movetur, fortior cenſendus eo eſt,qui in octavo movetur: nā retardatio ejus motus in octimeſtri argumento eſt, illum debiliorem eſſe ſeptimeſtri:hinc eſt, quòd ſeptimeſtris facilius vim illam exuperat,& ob corporis quoque exiguitatem minùs in exitu laborat,octimeſtris difficiliùs vim illam ſuſtinet, utpotè multò majorem, & ob ſui majorem corpulentiam magis 42
etiam in naſcendo laborat, unde etiam multò difficilius,quàm ſeptimeſtris vivit. At quispiam ad priorem rationem objicit fortè fortuna, quòd in morbo levi, quo ſeptimeſtris affligitur, eſt etiam minor reſiſtentia ex parte ipſius,quia debilior,quemadmodùm major ex parte octimeſtris, quia fortior in fortiori morbo:quantum ergo ſeptimeſtris,quia exilior poteſt reſiſtere exiliori morbo, tantum octimeſtris, quia robuſtior,morbo robuſtiori reſiſtere poterit, & ideò quantum eſt ex parte hujus rationis,periculum utriuſque deberet eſſe æquale, cum reſiſtentia, & morbi comparativè ſint æquales, & ſic utrique vel pariter vivere, vel pariter interire deberent.

Dico, quòd debile à levi cauſa movetur,fortè au- 43
tem etiam à forti non movetur.Gal.5.*de ſanit.tuend. c.* 4. *claſſ.*2. quod ibi exemplificat ex ſtatu ſenum,de quibus etiam Sophocl. *in Oedip.* Tyran. dicebat:

Corpora vetuſta cauſa ſopit parvula.

Itaque ſeptimeſtris quia debilior, facile levi cauſæ cedit;octimeſtris quia fortior,etiam fortiori,niſi cum magna difficultate non cedit, diutiusque cū morbo luctatur, & ex ea pugna maximum elicit detrimentum;debilitantur,conſternanturque ejus vires,penitus,ac omninò,ſine quibus neque morbi incommoda,neque partûs labores, neque externis aëris injurias

rias tolerare poteſt, ac denique ſeſe à morbo recolligere, quin viribus omninò ab illo depopulatis, tandemque omninò ſuccumbentibus, fœtus neceſſariò interit. Concludamus itaque, dicentes, quòd ſi id debeat attendi, quod à Natura ſit, non quod ex accidenti, ut jubent ipſæ Leges *in l. Naturalem, §. Apium, ff. de acquir. rer. dom. & l. Item veniunt, §. Cum prædiximus, ff. de petit. hared.* jam ſeptimeſtres, & octimeſtres fœtus tanquam non naturaliter, & extra tempus à Natura homini ad naſcendum deſtinatum orti rejiciendi, & nonimeſtres, & decimeſtres, ſolùm acceptandi: vel ſi ſeptimeſtris recipi aliqua ex cauſa debeat, octimeſtris quoque unà ſaltem impunè recipiatur: ſi verò recipiantur, cum prædicta cautela id fiat, de qua in fine ſuperioris quæſtionis egimus. 45

SVMMARIUM.

1 *Neceſſarium fuit omnia animalia habere tempus naſcendi certum, congrua latitudine donatum.*
2 *Naturalem naſcendi terminum animalia aliquando ob morbificam cauſam præveniunt.*
3 *Nonus menſis ſalubris, & vivificus.*
4 *Neceſſarium fuit in uteri geſtatione dari quoddam tempus, quo fœtus minus alimentum quàm par ſit, à matre habeat.*
5 *Non poteſt naſcendi ſpatium neque in ſpeciebus, neque in individuis ejuſdem ſpeciei, uno eodemque dierum numero conſtare, & habere locum in omnibus animalibus, num. ſeq.*
7 *Latitudinem temporis naſcendi in homine.*
8 *Mares frequentiùs nono, fœminæ decimo naſcuntur.*
9 *Mares fortiores, & calidiores fœminis.*
10 *Breviſſimum naſcendi terminum in homine eſſe unum menſem.*
11 *Septimeſtres non ſolùm naturaliter naſcuntur, ſed vegeti, & perfecti, & fortes ſunt, confutatur ibid.*
12 *Nonimeſtres aliquando pro ſeptimeſtribus accipiuntur, & quomodo.*
13 *Septimeſtres, & octimeſtres debiles, imperfecti, & plurimum non vitales.*
14 *An ad fœtus perfectionem neceſſarius ſit nonus menſis exactus, vel ſufficiat affectus.*
15 *Satis eſt, ut fœtus ſingulorum menſium partem attingat, confutatur ibid.*
16 *Temporis quantitas, non qualitas attendenda.*
17 *Frequentior naſcendi terminus in homine nonusne ſit, an decimus.*
18 *Nonus à Platone inter legitima naſcendi tempora non connumerantur, vide ibid.*
19 *Communis naſcendi terminus, decimus menſis.*
20 *Naſci ante decimum, non eſt ſecundum naturam.*
21 *Jeſus Chriſtus Dominus, ejuſque mater ſemper Virgo, decimo nati ſunt.*
22 *Communis naſcendi terminus non ita præfixo dierum numero definitur, ut unum terminum alio frequentiorem eſſe, ſit aſſerendum.*
23 *Theocriti locus de Hercule examinatus.*

De Partu Nonimeſtri, & Decimeſtri.

QUÆSTIO V.

1 SUfficienter quidem in ſuperioribus quæſtionib. demonſtratum eſt, Naturam debuiſſe cuilibet Animali conſtituere quoddam certum naſcendi ſpatium, quod quadam latitudine ob temperamentorum inter ſe diſtantiam donaretur, neque tamen eâ latitudinem tantam potuiſſe eſſe, ut quolibet tempore naſci animal poſſet; nam neque debitam perfectionem, ſi multùm prævenit, acquirere potuiſſet, & ſi multùm eam exuperaſſet, incaſſum in utero materno tanto tempore moram traxiſſet. Diximus 8 etiam, hunc naſcendi terminum ad quandam certitudinem reſtrictum, nonnulla animalia, hominemque præſertim, tanquam morbis præ cæteris obnoxium, per accidens, & à morbifica cauſa prævenire; nonnulla etiam exuperare in ſequentibus probabitur.

His ergò ſic demonſtratis, inſimulque ſeptimeſtri, ac octimeſtri ſpatio à legitimis, ac naturalibus naſcendi terminis in homine eliminatis, ex eo, quòd prævenirent generationis perfectæ tempus, jam ad novum menſem pervenimus, quem ſalubrem, ac vivificum eſſe aniculæ ipſæ, & rudes puerili ita perſpectum habent, ut nihil ſuprà. Atque hic 3 primis omnium menſium ex noſtra ſententia non ratione numeri, ſed ratione quantitatis temporis ex ſua natura vitalem fœtum profert; in hoc enim fœtus, qui & benè valet, & viribus ſufficientibus dotatur, & temperamento calidiore exiſtit, ut plurimum ex utero progreditur, non ſolùm quoad nutrimenti quantitatem, & membrorum formationem, & fortitudinem, ſed etiam quoad omnes, quæ & adeſſe, & ad bene eſſe requirit conditiones abſolutiſſimus.

Individua ergo unius ſpeciei, licèt inter ſe differant, tamen omnia in ſua ſpeciei conveniunt ita, ut quæ ſuæ ſpeciei conveniunt, conveniant etiam & ipſis individuis, hæc tamen differentia, ut ſpeciei conveniant ſub ſpecifica, & univerſali conditione, individuo ſub conditione individuali, ac particulari: Si ergo conſideres, exempli gratiâ, equum, ut ſuam ſpeciem referr, & dicas illum debere naſci tali, vel tali termino, hic terminus non poteſt conſiderari ita particulariter, ut ad plura diſtribui non poſſit, & non conſideretur ſub univerſali quadam conditione: at ſi equum ut individuum quoddam conſideres, tunc neceſſe eſt quodlibet individuum ſpeciei equinæ habere certiſſimum, ac determinatum terminum naſcendi, qui tamen ad univerſalem unum ſpeciei convenientem proportionetur, & relationem habeat. Et hæc pro ratione inſerviant & eorum, quæ diximus de neceſſitate temporis certi naſcendi, & eorum, quæ nunc dicimus.

Nam ob id certum naſcendi tempus dari debuit à Natura, quia neceſſarium erat, animal in utero materno moram faciens, & augeſcens, ad quoddam tempus procedente ætate devenire, in quo minus alimentum, quàm par ſit, à matre haberet, & in quo talem perfectionem adeptum foret, ut in lucem progredi tutò poſſet, ita teſtante Hipp. *in lib. millies citato de Nat. Puer. non longè à fin.* Hoc ergo ſpatium in homine non potuit minus eſſe novem menſium, ſui corporis conſiſtentiæ, & magnitudinis ratione habitâ; tamen, quia non poterat in omnibus individuis ſpatium illud uno eodemque dierum numero conſtare, quia non omnia eodem cibo fruuntur, non omnia eodem temperamento donantur, neque uno eodem cœlo omnia vivunt, neque omnia iiſdem viribus conſtant; non potuerunt, nec debuerunt omnia in nono naſci; ſed ubi plures cauſæ dominabantur partum perficientes, & accelerantes, nono naſci 6 debebant, ubi minores, ſeriùs; quod non ſolùm in homine locum habere dicendum, ſed in cæteris quibuſdam animalibus: eædem enim rationes, quæ Naturam ad illud in humanæ ſpeciei individui præſtandum coegerunt, eædem prorſus & in cæteris illam exequi perſuaſerunt.

Univerſa ergo temporis naſcendi latitudo in homine, à noni principio eſt ad exactum uſq; decimum, 7

vel ad principium etiam undecimi; at in nono, & in ejus præſertim principio fortiores, & calidiores, & à fortioribus, aut calidioribus parentibus generati, ut plurimùm in lucem prodeunt; inter noni finem, & decimi principium naſcuntur mediocriter circa eas res ſe habentes decimo exacto debiliores, & frigidiores, vel ob ſexum, vel ob temperamentum, vel etiam ex accidentali cauſa; idcircò fœminæ frequentiùs decimo, mares plurimùm nono naſci conſueverunt. *Ariſt. 7. de hiſt. Animal. cap. 4.* quia mares calidiores & fortiores fœminis exiſtunt, ut ſatis ſuperque probatum eſt. *Tit. de Ætat. quæſt. 6. à n. 4. ad plures ſeqq.*

Breviſſimum ergo naſcendi terminum in homine nonum, longiſſimum decimum exactum aſſerendum, ante quos aut poſt quos terminos qui naſcuntur, vel à morbo exagitati ante tempus in lucem ejiciuntur, vel à morbifica cauſa quadam debilitati exitum retardant.

Quòd ſi pauculis quibusdam exemplis fiſus Lemnius *de occult. Nat. mirac. lib. 4. cap. 12.* & alii nonnulli affirmare velint ſeptimeſtres non ſolùm naturaliter naſci, ſed & vegetos & perfectos, & fortes eſſe; ego iis, quæ *ut plurimum*, & *ſecundum plurimum* fiunt, innixus, vel experimenta ab illis adducta eſſe de rarò contingentibus affirmabo, quæ ordinem Naturæ non ideò pertutbant; vel dicam, potuiſſe mulieres illas, quæ tales fœtus in ſeptimo ſe peperiſſe narrarunt, vel ipſos decepiſſe, vel potuiſſe illas facillimè falli, quemadmodum contingere dicunt Hippocr. & Ariſt. *in locis ſæpius citatis*, de iis, quæ ſupra decimum menſem uterum geſtaſſe ſe putant, quæ aliquando; menſtruis ex ſe, & non ex prægnantia deficientibus, putant ſe concepiſſe; deinde verè concipientes, prægnantiam non à vero tempore, ſed à defectu menſtruorum enumerant, & ſic putant, ſe ſupra decimum menſem geſtaſſe; ſic & in aliquibus, quæ ſeptimeſtres peperiſſe ſe credunt, evenire interdum mihi perſuaſerim: ſunt enim quæ etiamſi conceperint, tamen primis duobus menſibus purgantur, etſi multo ſanguine refertæ ſint, quaſi eadem quantitate menſtruantur, quâ extra prægnantiam purgari ſolebant, deſiſtentibus verò in tertio menſe prædictis purgationibus tunc concepiſſe, & non ante ſe exiſtimant atque hoc pacto ſeptimo menſe, menſtruorum defectu enumerantes, parere ſe credunt, cùm tamen re vera nono pepererint: quod mirè conſonat cum Timæi ſententia, de qua Plutarch. *de Placitis Philoſophorum, lib. 5. cap. 18.* hos autem, qui ſic naſcuntur, & vivere, & bene verè, & abſolutos, & perfectos, & fortes exiſtere quid obſtat? Nobis quidem ſatis eſſe debet, quòd, ſi qui verè ſeptimo menſe, aut etiam octavo naſcuntur, & imperfecti, & debiles exiſtant, & minimè vitales, ſaltē ſecundùm plurimum.

Sed ad rem noſtram; dubitare poſſumus, an ad fœtus perfectionem neceſſe ſit *nonus menſis exactus vel ſufficiat, ut principio proximus ſit*, vel, ut Gellii verbo utar; ut ſit affectus, & breviter dicamus, nono confecto naſci quidem perfectiſſimum fœtum, tamen etiam affecto naſci quosdam, qui & viribus ſunt validioribus, & tēperamento calidiori; ita ut ad omnimodam fœtus perfectionem nonus affectus ſatis ſit, non ita tamen, ut unum aut alterum diem noni peregiſſe ſatis eſſe credam: neque enim verum eſſe mihi perſuadeo, quod vulgo protritum eſt, ſufficere nimirum, ut fœtus ſingulorum menſium portionem, vel diem apprehendat, ut perfectè naſcatur: nam ego ſemper ad temporis quantitatem, non verò ad qualitatem, quæ à numero dependet, reſpicio; atque ea de re cùm in principio noni naſci perfectū dico, intelligi velim in plurimis primis decem dieb. peractis, ante quos rarò fortaſſe quiſquam naturaliter naſcitur.

Sed dubitatur iterum, & meritò, quisnam ſit frequentior naſcendi terminus in homine, *nonusne*, an *decimus* menſis. Siquidem non ſolùm communis doctorum hominum opinio, ſed etiam ipſius vulgi, nonum eſſe frequentiorem aſtruit, & mirari illud Eſdræ 4. *capite 5. verſ. 40. Vade, & interroga prægnantem, ſi quando impleverit novem menſes ſuos, adhuc poterit matrix ejus retinere partum in ſemetipſa? & dixi, Non poteſt, Domine.* Et illud ibid. *cap. ult. Quemadmodum prægnans, cùm parit in nono menſe filium ſuum, &c.* cùm tamen apud magnos viros, decimum eſſe magis communem, affirmatum reperiamus.

Primò enim Hippoc. *in lib. de Nat. Puer. in fin.* cùm rationem quærat, cur non longiori, quàm decem menſiū ſpatio mulier utero gerat, innuere videtur, decimum menſem terminum eſſe naſcendi magis communem, quod multò manifeſtius oſtendit ex verbis *in eod. lib. paulò ſuprà* prolatis, quæ apud ipſum legere, quisquis ſit, poteſt.

Platonem tamen quivis doctus admirabitur, qui non ſolùm frequentiorem, & communiorem naſcendi terminum decimum eſſe, quàm nonum firmare videtur, ſed nonum reſpuere, ac decimum ſolummodò pro naturali naſcendi termino acceptare, cùm *quinto de Rep. verſ. med.* inquit, *Omnes quicunque naſcentur decimo menſe, vel ſeptimo ex ea die, qua quis liberis operam dedit, maſculi ab hoc filis fœminæ filiæ nominabuntur*, licèt fortaſſe inter hæc duo tempora etiam nonum, & octavum comprehendi voluiſſe illum, ſuſpicari poſſimus.

Accidit Ariſt. 7. *de hiſt. Anim. cap. 4. & 4. de Gen. Anim. cap. 4.* qui poſtquam hominem & ſeptimo, & octavo & nono naſci aſſeveraſſet, addidit: Et quod plurimum fit decimo: At quod plurimum fit, id maximè ſecundum Naturam eſt, ergò naſci decimo, maximè ſecundùm Naturam eſſe videtur, & terminus præ cæteris acceptabilis.

Sed multum movere nos poteſt locus ex ſacris literis deſumptus, quem etiam Tiraq. ad eam rem probandam cum pluribus aliis adduxit auctoritatibus: eſt autem locus ille Sapient. *cap. 7. in princ.* & habet ita: *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conveniente.* Et Paulò poſt: *Unus ergo eſt introitus omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Ex quibus verbis facilè colligere licet, etiam apud *Hebræos*, & conſequenter apud propinquas gētes, ut *Ægyptios*, cæteris ſapientiores, eam fuiſſe opinionem, ut communis hominibus naſcendi terminus decimus eſſet menſis à conceptione.

Eſt etiam ejus rei argumento, quòd Ariſton. apud Herod. *in Erat.* ſeu *lib. 6.* negat Demaratum ſuum eſſe filium, quòd decem menſium ſpatio non fuerit à matre geſtatus, etiamſi mater ibi, non omnes naſci decimo teſtetur ipſi Demarato, ſed nonnullos nono, alios ſeptimo: ex quo loco colligere licet, apud eas gentes tanquam quid magis frequens, & commune, notum fuiſſe, hominem naſci decimo, ignotum verò, tanquam minùs frequens, naſci nono, aut ſeptimo. Prætereà apud *Plautum* & *Terentium* quomodocunque de termino naſcendi mentio occurrit (quod ſatis ſuperque communem hominum perſuaſionem in hoc oſtendit) decimi

tantùm

tantùm mentio fit, numquam noni, & multò minùs ſeptimi; in quo etiam opinabantur vetuſtiores naſci fœtus abortivos, ut ex *Homeri*, & *Terentii*, carminib. conjici poteſt, quæ habentur *q.1.n.91. & ſeqq.* licèt ſemel apud Plautum in ortu *Herc. & Iphicli* ſeptimi menſis mentio habeatur; ſed tunc Deorum opera factum narrat, ut Iphicles ſeptimo naſceretur. Sed ſi quis plures auctoritates decimo faventes habere deſiderat, adeat Tiraq. *loc. cit.* ex quo etiam tranſcripſit Carranz. *de Part. c.12. n. 6.* & tanquam ſua protulit.

Omittam quamplurimas alias magnorum virorum auctoritates, quarum plures pleniſſimè cumulat Tiraq. *in præcit. l. ſi unquam glo. ead. n.* 210. earumque nonnullas, ut ex ipſo videre eſt à Gellio accepit, *Noct. Attic. lib. 3. c. 16.* & ſatis mihi ſit Cardanũ legendum proponere, *Contrad. Med. lib. 1. tr. 3. contrad.*
20 8. qui legitimum pariendi tempus in homine decimum eſſe, etiam ex *Hipp.* mente concludit, imò & ante decimum non eſſe propriè ſecundùm Naturã parere in muliere; quod etiam firmat Vallerio *lib. 1. locor. comm. cap.* 18. ex quib. omnib. tantorum virorum auctoritatib. concludendum videtur, decimum menſem & frequentiorem, & magis naturalem, quàm nonum naſcendi terminum ipſi homini eſſe.

Nec deeſt etiam ad illud ipſum firmandum experientia, quippè cùm ſi mulieres quæ plures liberos ediderunt, & in hisce reb. magis ſunt expertæ, interrogaveris, plerumque ſe ſupra novem menſes uterũ geſtaſſe fatebuntur, & earum aliquæ, cùm partum ad decimum protrahi obſervant; præſertim ad ejus finem, fœminas ſe parituras autumant, Ariſtotelis ſententiæ neſciæ faventes.

Quinetiam, quod multum movere non poteſt,
21 Dominus noſter *Jeſus Chriſtus*, ejuſque ſemper Virgo mater *Maria*, decimo menſe nati ſunt, ut patet; ſi enim ab octavo Kalend. April. uſque ad oct. Kalend. Januar. & à ſext. Idus Decembris uſque ad oct. Idus Septembris enumeres, reperies in utroque caſu, à die cõceptus uſque ad diem nativitatis interceſſiſſe dies, 275. & 276. quos ſi in menſes Lunares conjunctionis dividas, efficient menſes novem, & dies undecim, vel duodecim, aut ſuprà; imò poſſent aliquando decem menſes exactos conſtituere: nam 280. dies ad *Hippoc.* mentem ſæpè undecimum menſem attingunt. At etiamſi ſolares menſes accipiendos eſſe contendas, tamen decimo menſe natus uterque eſt, quia 270. dies novem completos & undique perfectos ſolares mẽſes conſtituunt, ſupererunt ergo dies quinque, aut ſex qui decimi principiũ erunt, ut manifeſtiſſimè apparet. Quanquam Nancel. *lib. 7. Analog. part. 4. probl. de part. legit. part.* 3. voluit tam *Jeſum Chriſtum*, quàm *ejus matrem* ſemper virginem, nonimeſtres extitiſſe; ut ex computatione apparet, decimum attigiſſe, ut dictum eſt [Divus *Chryſoſtomus* homilia in J. C. natal. novem menſes à conceptione *Salvatoris* numerat, quod tamen facilè conciliari poterit, ſi menſium diverſitas attendatur. Ita nono menſe natum *D. Joannem* ſignificatur Luc. c. 1. v. 26. 56. 57. Videatur *Fabrotius* pag. 19. & 20.]

Dicamus, quod communis naſcendi terminus non
22 ita præfixo dierum numero concludatur, ut firmari poſſit, unum terminum altero frequentiorem eſſe. Naſcitur homo, ut dixi, ſecundùm naturæ inſtitutũ *à nono affecto*, uſque ad *decimum confectum*, & intra hoc ſpatium omnes diſcutere, ac oberrare comperies; fœminæ, & qui frigidiuſculo ſunt temperamento, aut viribus debilioribus, nono confecto, aut decimo affecto; & confecto naſcentur, cæteri nono affectante, vel ad finem properante. Sunt etiam & ex fortioribus, qui in decimo naſcuntur, ut *Salomon Hercules*, de quibus ſuprà, & *Cæſar Auguſtus*, tradente Suetonio in *ejus vita c.* 94. quod illis non ob frigiditatem temperamenti evenit; ſed quia, cùm cæteris vegetiores ſint, plus alimenti etiam & diuturnius requirunt.

Sed liceat mihi *Theocriti* locum hic examinare Idyl. 25. in quo Herculem quem decimeſtrem fuiſſe conſtat (ut patet ex his verſiculis:

Namque laboriferi cùm jam natalis adeſſet
Herculis, & decimum premeretur ſydere ſignum,
Tendebat gravitas uterum mihi; quodque ferebam
Tantum erat, ut poſſes auctorem dicere tanti
Ponderis eſſe Jovem, Ovid. *Metam. lib. 9.*)

Vocat ob id tardè genitum in ſequentib. his verbis:

Illi autem ſpiris volvebantur circum puerum
Tarde genitum.

Ex quo loco videtur inferri poſſe, ad Theocriti mentem, decimum menſem fuiſſe tardiorem naſcendi terminũ in Hercule quàm à natura cæteris ſit conſtitutum: & ex hoc etiam ſuſpicari poſſumus, eandem fuiſſe omnium Antiquorum ſententiam.

Ego tamen non eam fuiſſe Theocriti mentem puto, ſed vocaſſe illum Herculem genitum, non reſpe- 23
ctu aliorum, ſed reſpectu ſui ipſius, quia cùm per multos dies antenaſci debuiſſet, ejus mater plurimum in partu laboravit ob Junonis invidiam, quæ retardavit Alcmenæ partum, teſte Homero *Iliad.* 19. in his verbis:

Hoc autem Sthenelei uxor) geſtabat utero Carum filium; ſeptimus autem erat menſis:
Eduxit talem in lucem etiam immaturum exiſtentem. Alcmena autem cohibuit partum, & repreſſit dolores.

Quia ergo inſtante Alcmenæ partu, repreſſus eſt à Junone per aliquot dies, idcircò Theocritus, ut meã fert ſententia, vocat Herculem tardè-genitum, ſed hæc animi gratiâ dicta ſunto.

SUMMARIUM.

1 *Decimus menſis eſt longiſſimus naſcendi terminus in homine.*
2 *An ſupra decimum mulier poſſit uterum ferre.*
3 *Annuus partus, & natu major admittitur, refellitur, n. ſeq.*
5 *Fœtus portari poteſt à matre per decem menſes, & duos dies.*
6 *Undecimeſtres ex Hipp. ſententia quot dieb. naſcantur, & vide n. ſeq.*
8 *Supra ſeptem quadragenarios in utero commorantes pereunt, contrarium, num. ſeq.*
10 *Homeri locus examinatus.*
11 *Gellii ad Homeri auctoritatem reſponſio.*
12 *Græci plurali numero pro ſingulari interdum utuntur.*
13 *Hercules decimeſtris fuit.*
14 *Annus apud antiquos Græcos decem menſib. conſtabat, contrarium ibid.*
15 *Homerus Æolus erat.*
16 *Humanus partus poteſt per paucos quosdam dies ſupra decimum menſem retardari, etiam integris decem menſibus acceptis.*
17 *Supra decem dies ultra decimum vix unquam portari poteſt fœtus.*
18 *Numerorum conſideratio nullius momenti per ſe eſt.*

De Partu ſupra decimum menſem.

QUÆSTIO VI.

DEcimum menſem eſſe longiorem naſcendi ter- 1
minũ in homine, & ſuprà demonſtravimus, & Hippoc. etiam ipſe firmat *lib. de Nat. Puer.* illumq; ob id inter legitima tempora conſtat fuiſſe à Legib. acceptatum, *l. Gall. ff. de lib. & Poſth. in princip. & ibi* Bart. *n.* 12. Alex. *n.* 21. & alii DD. Paul. *in l. fin. n.* 2. *C. de*

de poſſib. hared. Inſt. Cagnol. *in l. 1 ff. ſi cert. pet. n.* 182.

2 Sed quæritur, utrum poſſit aliquando mulier ſupra decimum menſem uterum ferre. Nam circa id monſtra, & fabulæ narrantur: memini me legiſſe apud Trigaut. *lib. 1. de Chriſt. exped. apud Sin. c.* 20. fabulari Chinenſes, quendam eorum Philoſophum nomine Lauza, octuaginta annis in parentis alvo fuiſſe geſtatum; & apud Schenck. *lib. 4. Obſerv. tit. de part.* plures narrantur hiſtoriæ fœtuum, qui biennio, triennio, & quadriennio in utero fuerunt geſtati. Sed fabulis, & portentis omiſſis, Bart. *ubi proximè*

3 annuum partum, & tredecimeſtrem quoque admittit, & *Concen. quæſtion. ſing. queſt. 9. num. 8. & ſeq.* undecimeſtrem, & duodecimeſtrem partum inter legitimos connumeravit, & ex noſtris Ariſt. *7. de hiſt. Animal. c.* 5. & Nic. Florent. *ſermon. 6. de memb. genit. tractatu* 3. *capite* 9. nonnullas mulieres quatuordecim menſibus utero geſtaſſe narrant, tamen ſupra decimum non portari niſi per paucos dies, ut infra dicam, cæteri cõtendunt omnes Philoſophi, ac Medici, & ex Jurisperitis Alex. *ubi ſuprà*, & Cagnol. *ibid.* Licèt ergò nonnullæ experientiæ adducantur par-

4 tus annui, & majoris, quas nunc pro veris admitti volo, tamẽ non idcircò quicunque qui duodecimo, aut tertiodecimo, vel ulteriori fœtus menſe edatur, pro legitimo acceptandus eſt, hæc enim ſunt de rarò contingentibus, ex quibus quemadmodum non regulatur Natura, quia præter ejus inſtitutum eveniunt, ſic neq; Leges ea attẽdunt, ut jã ſæpiùs dixi.

Præcipuum dubium eſt de undecimo menſe: nam

5 Gloſſ. *in §. Unum ſiquidem. Auth. de reſtit. & ea quæ par.* fœtum portari poſſe affirmavit per decem menſes, & duos dies, licèt Gloſſ. *in l. Gall. ff. de lib. & poſth. verbo poſt decem*, non præfixerit dierum numerum, ſed mulierem parere poſſe dixerit ex ſententia Phyſicorum, per paucos dies ſupra decem menſes, quos tamen Gloſſ. marginalis ad prædictos duos dies reſtrinxit, quam opinionem ſecutus eſt Dyn. *ſing.* 115.

Neque videntur tam Gloſ. quàm alii DD. abſque Medicorum, Philoſophorum conſilio id affirmaſſe: nam Ariſt. *loco ſæpiùs citat. de hiſt. anim. 7. c.* 4. nonnullas mulieres undecimum menſem tangere dicebat, & ibid. *Qui diuturniores, inquit, quàm undecimo menſe naſci videntur, latere putantur*: quaſi ad ejus mentem non inſuetus Naturæ mos ſit, aliquos in undecimo naſci, ſed bene ſupra hunc terminum, ſed in undecimo naturaliter puerum naſci poſſe probat ex profeſſo. Vict. Trincavell. *Epiſt. Med. Epiſt.* 5. *per totam.*

Hippocrates quoque *in lib. de ſeptim. part. in princip. & in libello de octim. part.* undecimeſtres partus admiſit, quamvis in poſteriori libro limitare ſuam ſententiam videatur, & undecimeſtres ita quidem naſci dixerit, ut ex ſeptem ſolummodò conſtent

6 quadragenariis; atque ea de re dicebat ipſe, quòd ducenti octuaginta dies ſæpè undecimum menſem apprehendere videntur, eoſdemque 280. dies ſeptem quadragenarios conſtituere, ut cuilibet notum eſt. Secundum hanc ergo rationem undecimeſtres ab Hippocrate admiſſi, non ideò undecimeſtres dicentur, quòd integris decem menſibus, aliquot undecimi adjunctis naſcantur; ſed quia marres circa plenilunium, ſed ultra illud concipientes, primi menſis dimidium, vel aliquot paucos dies pro integro menſe enumerant; unde ſi primum menſem ex quindecim, vel paucioribus diebus conſtituas, (præſertim ſi menſes Lunares accipias) ſupererunt dies ad minus ſupra decimum menſem duo, ex dieb. 280. nam 263. dies, vel paucis adjectis horis, novem integros menſes conflant, quibus ſi menſem addas, ex quindecim aut paucioribus diebus conſtantem, vel decem menſes confectos conſtitues, vel ſupererunt aliqui dies, qui principium erunt undecimi menſis; & idcircò tam Hippocr. quàm Ariſt. non dixerunt abſolutè, quosdã naſci undecimo menſe, ſed ſolùm tangere, ſeu apprehendere undecimum menſem; at naſci undecimeſtres, qui integris undecim menſibus in utero moram traxerint, neuter ipſorum affirmavit, & idcircò vel ipſæ Leges tales partus non admittunt, *ut in pradicto §. Unum ſiquidem*, apertè videri poteſt.

Quod etiam manifeſtiùs elicitur ex Hipp. *in ſæpè citato libello de octim. part. in princ.* ubi cùm decimeſtres ſeptem dierũ quadragenariis naſci tradidiſſet, ſubdit, eos perfectiſſimos eſſe, maximèque ut edu- 8
centur, convenire, qui in primis quadraginta diebus nati fuerint; ſi enim, inquit, plures acceſſerint, pereunt. Per hanc enim moram in utero contractam facilè ſumma arguitur virium debilitas, tam ex parte fœtus, quàm ex parte matris, & torpentis nativi caloris, & expultricis facultatis indiciũ elicitur, unde mirum non eſt, ſi cùm tales naſcantur, ob eam imbecillitatem ſuccumbere voluerit Hipp. ex cujus ſententia apparet, fœtum ſupra decimum in utero portari, præter Naturæ inſtitutum eſſe, & nonniſi à morbo evenire; naturaliter enim decimum per longum ſpatium transgredi non contingit. Ego tamen non ideò ſeptenario aut cuivis alteri numero addictus ſum, qui credam, etiam ſupra prædictos ſeptem dierum quadragenarios fœtum portari poſſe usque ad dies fortaſſe trecentos, qui integros de- 9
cem menſes Solares, aut decem Lunares, & paucos quosdam dies conſtituunt; neque ob id periclitaturum eum puto, niſi ex aliquo morbo debilitatus, cùm ante naſci debuiſſet, ad hunc usque terminum ortum retardaverit.

Dubium porrò, quod ex Homero, 11. *Odyſſ.* transacto principio movet Gellius, *loco ſæpiùs citato Noct. Attic. lib. 3. cap. 16.* ex quo etiam repetit Tiraq. *in jam millies cit. gloſſ. ſuſcept. liber. numer.* 210. liceat etiam mihi animi gratiâ diſcutere. Nam licet de integro anno ea Homeri verba intelligerentur, ut nonnulli volebant; referente eodem Gellio, tamen inter ea, quæ de rarò contingunt, liceret & illum ipſum caſum recenſere, & ſic ſcrupulum omnem ex illo emanantem diluere: cùm autem non ita ſe res habeat, aliter locum illum exponere neceſſe eſt; ſed ap- 10
ponamus primò hîc Homeri verba, apud quem Neptunus alloquitur Tyro Salmonei filiam à ſe compreſſam in his verbis:

Gaude mulier, perfecto autem anno
Paries ſplendidos filios.

Tametſi ergo Gellii ex Cenſorino hujus loci ex- 11
planatio pleniſſimè arrideat, nimirum, quòd verbũ illud, *perfecto autem anno*, non de abſoluto, vel confecto anno, ſed de anno ad finem properante, vel affecto, ut ipſe loquitur, intelligatur; ego tamen crediderim, Homerum inibi non de temporis quantitate, ſed de qualitate temporis locutum, tanquã ſi dixiſſe *perfecto revoluto*, vel *cùm ſe revolverit annus*, hoc eſt, in hoc ipſo anno paries illuſtres filios, non autem ac ſi dixiſſet: cùm hic annus ad ſuum finem properaverit, paries ſplendidos filios.

Neque abſque ratione velim exiſtimet aliquis, me hæc affirmare, licèt enim Græcam linguam minimè calleam, nec ut eam callere videar, hic propoſitum habeam, quatuor verbula Græcè conſcripta ex aliorum ore mendicata apponere; tamẽ cùm ex verſionib. ex Græco ſermone factis, quib. verbũ verbo reddi-

ditur, tam in Homeri, quàm in Heſiodi, aliorúmque Poëtarum operibus eundem loquendi modum in iiſdem terminis aliàs animadverterim, facillimè adducor ut credam, id omnimodam veritatem habere, quod ſuprà audacter annuebam. Referam ergo quædam loca & ex Homero, & ex Heſiodo, quæ ſatis huic rei fidem augebunt, ac deinceps Græcæ linguæ peritioribus eam rem decidendam libentiſſimè remittam. In Apollinis ergo hymno Homerus cum de Junone Typhaona pariente verba faceret, hæc habet:

Sed quando jam noctesque, & dies perficiebantur,
Rurſus perfecto anno, & venerunt horæ,
Hæc autem peperit neque dies ſimilem, neque mortalibus,
Gravemque difficilemque Typhaona damnum mortalibus.

Facit inſuper Heſiodi locus in Theogonia, qui de Terra pariente Erinnyes, & Gigantes, ex decidentibus ſanguinis guttis ab amputatis Cœli teſtibus, ſic loquitur:

——— *Illa quidem (genitalia) non incaſſum elapſa ſunt manu,*
Quotquot enim guttæ proruperunt cruentæ
Omnes ſuſcepit Terra; circumvolutis autem annis
Produxit Erinnyes validas, magnoſq; gigantes.

Neque mirandum eſt numero plurali hîc Heſiodum
12 dixiſſe, *circumvolutis annis*, non verò circumvoluto anno, quia mos Græcorum mihi videtur plurali pro ſingulari uti. Homer. *Iliad. primo:*

Suis ſuperbiis citò tandem animum perdet, Et:
Sed hic cognovit ſuis in mentibus.

& ſimiliter paſſim ac ſæpe ubique apud omnes. Hæc tamen minimum dubii parere fortaſſe poterunt, cùm & ob plures partus, & ob diverſum concipiendi, & naſcendi modum non idem tempus, ac humanus partus requiſiviſſe videantur; adduxi tamen, quòd uno eodemque modo loquendi uſus uterque ſit, tam Homerus inquam in Odyſſea, quàm ipſemet alibi, & Heſiodus hîc. Sed alios adducere locos ad rem magis facientes præſtabit, & idem Heſiodus *ibid. in princ.* de Memoria cum Jove mixta, ac Muſas pariente verba faciens, ſic cecinit:

Novem enim ei nocles mixtus eſt Jupiter,
Seorſim ab Immortalibus ſacrum lectum conſcendens.
Sed cùm jam annus exactus, circumvoluta verò eſſent tempora,
Menſium decreſcentium, dieſque multi tranſacti eſſent,
Ipſa peperit novem filias concordes.

Sic & *in Herculis Clypeo in pr.* (qui fortaſſe locus cum Homeri loco magis conſonabit) Hercules alloquens Jolaum, narransque ſe unà cum Iphiclo Jolai ipſius patre uno partu editum fuiſſe, inquit:

——— *Moxque nos revoluto anno*
Nati ſumus, neque ingenio ſimiles, neque intellectu,
Pater tuus, & ego.

Vides ergo, quòd idem omnino eſt modus hîc loquendi Heſiodi, cum loco Odyſſeæ; neque enim poteſt hic locus de anno integro intelligi, quia conſtat
13 Herculem fuiſſe decimeſtrem, ex Theocr. *Idyl.* 31. & 36. cujus carmina recitat Tiraq. *ubi ſup.* & ex Plauto pluries *in Amphitr.* præcipuè verò *Act.* 1. *ſc.* 2. ibi:

Nunc de Alcmena, dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos;
Alter decumo poſt menſe naſcetur
Quàm ſeminatus.

Non igitur, ut mihi videtur, aliud importare hæc verba poſſunt, quàm temporis qualitatem, ac ſi dixiſſet Hercules, in eo ipſo anno, in quo Amphitryo è pugna reverſus cum conjuge ſua Alcmena concubuerat, nati ſumus patet tuus, & ego. Itaque loquendi modum potiùs, quàm aliquid aliud dignum ut ponderetur exiſtimaverim, cui ſimilem etiam reperies in ſactis literis, ut Reg. *prim. c. 1. verſ.* 10. *Et factum eſt poſt circulum dierum concipit Anna, & peperit filium*, quod idem eſt, ac revolvente ſe anno, ut Heſiodus, & Homerus loquuntur, concepit, &c.

Quòd ſi hæc eorum locorum interpretatio minimè arrideat, niſi Gellio admodum addictus ſis, interpretationem eorum recipias, qui annum apud antiquos Græcos decem menſibus conſtituiſſe volue- 14
runt; quemadmodum apud Romanos Romuli tempeſtate: quam opinionem licèt Gellius refellat, approbant tamen nonnulli recentiores, ut Andr. Laur. *Anat. lib.* 8. *q.* 30. argumento quòd Homer. Æolus fuerit, & apud Æolos annus decem menſib. conſtaret. Sed quid dicemus ad Heſiodi auctoritatem, qui non Æolus, ſed Bœotus fuit? adde, quod minimè conſtat, Homer. Æolum fuiſſe, neque ille ad ejus rei
15 confirmationem ullum adducit teſtimonium; licet ſciam ejus ſententiæ favere Herod. *in Hom. vita.*

Verum enim verò hæc, non ut Gellio contradicerem dicta ſunto, ſed ut opinionem meam, qualiſcunque ea ſit, recitarem, quanquam fortaſſe ob Græcæ linguæ imperitiam, illud minùs mihi liceret; excuſatione tamen dignum me exiſtimabit, quisquis recto, ac ſincero animo hæc leget.

Ex his autem, quæ ſuperiùs adduxi, jam eam con- 16
cluſionem eliciamus, poſſe humanum partum per paucos quosdam dies ſupra decimum menſem prorogari, acceptis etiam integris decem menſib. quos tamen paucos dies ad certum numerum reſtringere debemus: nam ſupra decem dies vix unquam illud 17
fieri poſſe crediderim, rariſſimè etiam & intra eosdem decem dies: per dies autem tres ſupra decimum menſem (ut cæteras quasdam hiſtorias, monſtroſas potiùs, quàm naturales præteream) obſervavit Amat. Luſit. *Curat. Med. Cent.* 1. *curat.* 27. quem cum aliis refert Schenck. *in obſerv. ubi ſuprà.*

Quando verò decem dierum, decémve menſium apud me fit mentio, ne ſuſpiceris, me numero alicui eſſe addictũ, ut ſuperſtitioſè credam, ob ejus numeri qualitatem non poſſe tales terminos prætergredi; ſin ò ego nihil quicquam omninò virium numeris tribuo; quod etiam ſtrenuè defendit Mart. Delr. *diſq. Mag.* 18
l. 1. *q.* 2. *per tot.* credant cæteri, prout ipſis melior ratio, aut præceptorum auctoritas perſuadet.

SUMMARIUM.

1 *Signa non vitalis fœtus ſunt in duplici differentia.*
2 *Signa demonſtrantia fœtum non debito tempore fuiſſe editum, & n.* 4.
3 *Cur ſine unguibus quidam naſcantur.*
5 *Signa non vitalis fœtus ex defectu aliquarum conditionum.*
6 *Signa ex parte matris.*
7 *Signa ex matris habitu.*
8 *Signa ex parte fœtus.*
9 *Signa ex iis, quæ partum concomitantur.*
10 *Partus geminatio in homine non naturalis. Amplia ut n. ſeq.*
12 *Plures duobus naſcentes difficillimè, aut nullo modo niſi de raro vivunt.*
13 *Conjectura urgentiſſima intempeſtivi fœtus.*
14 *Caſus, de quo in l. ſi pater, ff. de ſol. & lib. eſt ex raro contingentibus.*
15 *Alia conjecturæ non vitalis fœtus, & n.* 16. 17. 18.
19 *Conjecturæ intempeſtivi fœtus ex Legumperitorum opinione deſumptæ.*

20 *Signa fœtum vitalem futurum demonſtrantia, ex Maſc.*

2 *Octimeſtris partus ultra octo dies vivere non poteſt, confutatur ibid.*

22 *Alia conjectura, demonſtrantes fœtum fuiſſe vitalem, examinantur.*

23 *Præſumptio vitalis fœtus deſumpta ex eo, quòd ille per aliquod temporis ſpatium vixerit, nullius momenti eſt.*

34 *Quilibet fœtus, qui vitalis eſſe non poteſt, eſt reſpuendus, vel etiam octimeſtris, & quicunque per aliquod temporis ſpatium vivit, eſt recipiendus.*

De Signis non vitalis fœtus.

QUÆSTIO VII.

IN ſuperioribus quæſtionibus de debito naſcendi tempore,& quonam dierum,aut menſium numero vitalis fœtus edatur,jam pleniſſimè actum eſt.At quia non conſtat interdum,quot menſium editus ſit fœtus,& idcircò in dubium vertitur, utrum vitalis ſit,necne,aut etiamſi de tempore conſtet, tamen ex aliquo accidenti,& aliarum cauſarum defectu certi non ſumus,an vivere poſſit, vel neceſſariò interiturus ſit;ea de cauſa breviter videndum nobis eſt,ex quibus ſignis colligere liceat, an fœtus debito, vel non debito tempore natus ſit, & utrum ſupereſſe poſſit, necne, etiamſi juſto tempore in lucem ſit egreſſus:nam & hoc ipſum poſſet inter Jurisperitos agitari.

Nonnulla ergo ſigna ſunt,quæ fœtum ex eo,quòd
1 non juſto tempore ſit editus, non vitalem illum oſtendunt:alia verò,quæ ipſum ex aliis cauſis vivere non poſſe commonſtrant. Fœtum immaturum, &
2 non natum debito tempore,ſignificat membrorum, & conſtitutionis ipſius corporis imperfectio,ut quia meatus vel nimis adapertos,ac patentes, vel occluſos,& omninò obſeratos habet, vel digitos pedum, manuũque non interſtinctos,ſed invicem cohærentes & unguibus carentes; hoc enim ſignum non vitalis fœtus ponitur ab Hippocr.*in lib.de ſuperfœtat.* licèt Ariſt.7. *de hiſt. Anim.c.*4.naſci quoſdam ſine unguibus tradiderit,ex immodico ſalis uſu à prægnan-
3 te matre uſurpato;cujus rei rationem reddit Mercur. *lib. 1.de morb. mul. c. ult. in f.*

Quinetiam ſi in lucem veniens fœtus vocem non
4 emittat,conjectari poſſumus,eum non juſto tempore natum fuiſſe,aut ex aliqua morbifica cauſa debilitatum ita,ut non vitalis eſſe facilè poſſit;qua de re ſeptimeſtres,& octimeſtres,ut aliàs dixi, naſcentes vocem nullam edunt, teſte Al.*lib. 2.probl.* cum his tamen alia etiam indicia quærenda erunt, quæ omnia ſimul juncta facilè demonſtrabunt, fœtum non eſſe maturo tempore natum: neque enim adeò difficile eſt hoc ex iis ſignis venari,ut putat Maſcar.*de Prob.concl.* 1146.*n.* 30. *vol.* 3.

5 Porrò non vitalis fœtus ex aliarum conditionum defectu cognoſcitur,ex ſignis partim deſumptis ex parte matris, partim ex parte ipſius fœtus, partim
6 verò ex iis quæ in partu fieri ſolent.Nam primò ex parte matris præſumi poteſt, fœtũ non futurum vitalem,ſi mater in præcedentibus menſib. vel longis moleſtiſq;vel acutis ægritudinibus fuerit affectamõ enim ex iis ſola mater malè habet,ſed plurimùm, & maximè ipſe fœtus, & ut valet mater, ita & puer, Hipp.*de Nat.Puer.*coinquinatur enim ſanguis ipſius matris ex morbis, qui à puero attractus neceſſariò ipſum pejorem conditionem ſæpiùs attrahit, quàm mater ſit.Ex habitu etiam matris elicit Hipp.*in lib. de ſuperfœt.* fœtum non poſſe naſci vitalem, in his
7 verbis:*Quæ partui vicina cavos habet oculos,faciemque; ſubtimidam, cuiq; corpus totum,ac pedes intumeſcunt, tanquam alba pituita detenta videatur, ſi ei autes & ſummus naſus albeſcant, & labra livida fuerint. fœtus quos geſtat, mortuos parit, vivos male habentes, neque vitales, & exangues veluti morboſos, aut prius minimè vitales peperit.* Sic & quæ mammas graciles,& flaccidas habet, aut ſi multum ex illis lac effluat, fœtus malè ſanos,& difficulter vitales gerit,eodem Hipp. teſte,*Aphor. ſect.* 5.*Aph.* 52. *& ſeq.* & Celſ.*lib.* 2. *ſuæ Med. cap.* 6.

Ex parte ipſius fœtus ultra commemorata ſigna, 8
quæ demonſtrant ipſum maturo tempore natum non eſſe,quæ etiam non vitalem illum oſtendit,ſunt quæ ſequuntur: ſi, cùm naſcitur,non movetur,vel movetur quidem,ſed debiliter, ſi neque ploret,nec vocem emittat,neque umbilicus ei inflетur,nec ſternutet,neque urinam reddat, nec aliud ſimile ſqſidpiam efficere appareat,talis ſuperſtes eſſe nõ poteſt, Avic. 21. *tertii. tr.*1.*c.ult.* quamobrem Hipp.*in citato lib. de ſuperf.* fœtibus, qui cum labore naſcuntur, & quos maximè debiles ſuſpicamur eſſe,non ante vult abſcindendum eſſe umbilicum quàm aliquid eorum, quæ ſuprà commemoravimus, præſtiterint.

Non prætereundum autem id quod Macrob. *lib.* 1. *in ſomn.Scip. c.*6.aſſerebat,ſeptem nimirum horarum ſpatio diſcerni,an editus fœtus victutus ſit,necne?per totidem enim,inquit,horas,& non ultrà,aëris halitum ſuſtinere poterit, ſi præmortuus naſcatur. 9

Ex iis denique,quæ partum concomitantur,poteſt haberi conjectura non invalida, an fœtus ſuperſtes futurus ſit,vel interiturus;nam ſi gemini naſcantur, ſuſpicione non carent,cùm partus geminatio in homine contra naturæ legem videatur eſſe, aſſerente 10
Ariſt.*Probl. ſect.* 10.*probl.* 3. unde eos parum vivere, & ipſe dixit.& firmavit Avic. 21.3. *tr.* 1. *c.* 17.quod 11
multò faciliùs evenire certũ eſt,ſi ſexu diſtincti ſint, eodem Ariſt.*auctore*, 4. *de gen. An. c.*6. *&* 7.*de hiſt. An.s.* 4. & Alb.Magn. 9.*de Anim. tr.*1. *c.* 5.quòd ſi 12
plures duobus naſcantur,aut nullo modo, aut difficillimè ſeperſtites eſſe poterunt; quanam enim ratione uterus, qui unum aliquando vix perficere poteſt, tot ad debitam perfectionem poterit reducere? naſcentur ergò ut plurimùm imperfecti,ac debiles, nec debito alimento mpniti,& facilè etiam ante debitum tempus.Nam & hæc conjectura urgentiſſima mihi videtur, quòd fœtus natus fuerit ante tempus 13
naturæ congruum; ſiquidem, ut ſæpiùs jam dixi, partus fit ex alimenti defectu,quod tantò citiùs abſumitur, quantò plures eo nutrientur fœtus, & ſic partus tantò magis accelerabitur, cujus rei teſtis eſt ipſa experientia: plures enim ego vidi gemellos abortivos,nonnullos etiam ſeptimeſtres,qui nonniſi ob prædictam rationem,defectionis ſcilicet alimenti, quod utriſque ad nonum, aut decimum ſufficere non potetat, ante deſtinatum tempus ab utero in lucem protruſi ſunt:quod etiam firmat ex recentioribus Varand.*lib.*1.*de morb.mul.c.*6.& Vinc.Alſarius *in de Quæſitis per Epiſt. cent.* 2. *c.* 13. non mirum ergo eſt, ſi gemelli ut plurimùm intereant. 14

Neque quicquam nos moveat *text. l. ſi pater,ff.de ſol. & lib.* ubi Ægyptiam mulierem quinos edidiſſe narratur,omneſque incolumes unà cum matre fuiſſe:nam hæc,aut ſimilis quæpiam alia hiſtoria inter portenta potiùs connumeranda eſt;hìc verò nos de iis,quæ ut plurimum accidere ſolent,verba facimus: aliàs enim videmus non ſolùm gemellos,aut plures numero fœtus de vita periclitari,cùm uno utero geſtantur,ſed etiam, quia tes maximè contra naturam eſt, matres unà cùm fœtibus obire, ut patet ex hiſtoria relata per Aul.Gell. *Noct. Attic. lib.*10.*c.* 1.& ex aliis adductis.

Præ

Præterea ſi partus admodum difficilis fuerit, mul-
15 tùm evidens conjectura erit non vitalis fœtus, quinimò à Rhaſi 22. *Contin. tr. 7. c. 2.* & ab Avic. 21. *tertii tr. 1. c. 12. in prin.* affirmatum eſt, fœtum nullo modo vivere poſſe ſi partûs difficultas quatuor diebus perduret: pariendi enim actio non debet naturaliter eſſe longior 24. horarum, ut ex communi tradit Varand. *lib. 2. c. 6.* Si quoque ante aquarum eruptionem ſanguis erumpat, ſuſpicari licet de vita ipſius fœtus;
16 hoc enim partum violentum demonſtrat, cùm naturaliter aquæ primùm apparere conſueſcant. Eſt verò hæc conjectura ab ipſo Hipp. deſumpta *in lib. de ſuperfat. tranſacto principio*, ubi hæc habet: *Si parturienti ante fœtum multum ſanguinolentus citra dolorem fluxus contigerit, periculum eſt, ne fœtus mortuus exeat, aut minimè vitalis edatur.*

Addi poteſt inter has, conjectura deſumpta ex
17 longiori mora in utero contracta, ut ex ejuſdem Hippo. ſententia, *ſuperiori quæſt.* annuebam; qui, ſi plures, dicebat, dies ſeptem quadragenariis accedât,
18 fœtus perit. Sed hæc fortaſſe conjectura fallaciſſima eſt, cùm tam exquiſitè conceptionis, & prægnantiæ dies plurimùm mulieres minimè calleant, neque ſi callerent, quicquam ſuperſtitioſam numerorum obſervationem operari credam.

19 Eſt etiam & alia conjectura deſumpta ex prægreſſa tempeſtate: nam idem Hipp. *Aph. lib. 3. Aph. 11.* Et repetit Celſ. *ſuæ Med. lib. 2. c. 1.* in aliquib. tempeſtatibus, ut quando Hyems auſtralis, & pluvioſa; & ſerena fuerit, Ver autè ſiccum, & aquiloniũ, mulieres quib. partus in Ver incidit, ex quacunque occaſione abortiunt; quæ verò pariũt, imbecilles, & morbidos infantes pariunt, quare vel ſtatim intereunt, &c, quę conjectura aliis adjuncta non parùm urgebit.

20 Cæterùm Juriſperiti maximam conjecturam non vitalis, ac intempeſtivi, & præcipuè octimeſtris fœtus eſſe exiſtimant, ſi partum concomitata fuerint ſæva accidentia. Burſ. *conſ. 67. n. 20. lib. 1.* Maſcard. *de prob. concl. 1084. n. 5. vol. 3.* ſed hæc conjectura non tantùm inſervire pro intempeſtivo fœtu, quantum vult Maſc. mihi videtur, ſed bene aliquid atteſtari poſſe de fœtu non vitali: nam perfectiſſimi, & abſolutiſſimi fœtus partus aliquando affert ſecum ſæviſſima accidentia, ex quibus etiam matres aliquando periclitantur, licèt Maſc. *concl. 108. n. 5. vol. 2.* concludat, in naturali partu, ac tempeſtivo non adeſſe ea accidentia, ut in intempeſtivo, ac non naturali; ſed contra vidimus aliquando evenire, nam & in naturali partu adeſſe, & in non naturali abeſſe videmus; hæc ergo conjectura fallaciſſima mihi videtur, & cui minimè fidendum ſit. Adducit inſuper Maſc. *ubi ſuprà*, alia quædam ſigna quæ demonſtrare poſſunt fœtum eſſe vitalem, ut ſi naſcatur in ſecundina, ſi moveatur cùm lavatur, ſi vocem emittat; quæquidem ſigna leviuſcula ſunt, & nullius penè momenti: nam & in immaturis fœtibus apparent, & in maturis, ac vitalibus interdum minùs conſpiciuntur. Certiora, ac tutiora mihi videntur ea, quæ ſuprà à me adducta ſunt, dummodò non uni, ſed pluribus illorum ſtandum eſſe concludamus: Si enim fœtus bene moveatur, & perfectus videatur, ac bene reſpiret, & tamen vocem emittat, ſternutet, &c. non ideò non vitalis judicandus: contrà verò, ſi vocem emittat, & tamen illicò immotus maneat, ac cætera ſigna ſuprà commemorata non vitalis fœtus compareant, pro non vitali venit reputandus.

Sed & illud, quod idem Maſc. *concl. 146. n. 7. vol. 3.* pro conjectura attulit octimeſtris fœtus, nimirum, quòd ultra octo dies vivere non poſſit, non eſt ita verum, ut aliquando, & plurimum fortaſſe non fallat: nam non ſolùm ultra octo dies vivit interdum octimeſtris & fœtus, & ultra ſexdecim, ſed etiam ultra menſem, ut ego vidi. Sed quid, quòd 21
nonnulli etiam adolere potuerint, & ſeneſcere, ut plures probant Auctores, quorum nonnullos citavi ſuprà in hoc ipſo *tit. q. 4. n. 43.*

Quid autem conducat ad demonſtrandum, fœtum 22
potuiſſe vivere, ſi baptizatus fuerit, & traditus Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ego quidem non video: nam etiã abortivi quinquemeſtres, quadrimeſtres, ac his quoque recentiores, dummodò vitæ ſenſum præbeant, baptizari ſolent, & Eccleſiaſticâ ſepulturâ excipi. Vel ergo hæ conjecturæ vanæ omninò ſunt, & nullius momenti, vel ego fortaſſe Jureconſultorum mentem, ac ſenſum non ſum aſſecutus.

Nec majoris momenti videtur mihi eſſe ea præ- 23
ſumptio, quæ deſumitur ex eo, quòd fœtus per aliquod ſpatium temporis vixerit; præſertim cùm non declaretur, quanta debeat eſſe hæc temporis, ac vitæ duratio. Nam ego ſeximeſtres, & recentiores fœtus per horas aliquot vivere conſpexi; è contra verò nonimeſtres illicò decedere; cùm tamen conſtet, illos nullo modo potuiſſe vivere, hos verò maximè, quantùm ad tẽporis naſcendi perfectionẽ pertinet. Quod quidem multo magis urgebit, ſi velis, ad hoc ut vitalis dici poſſit, ſufficere, ut per momentum vixerit, ut voluerunt Bart. *in l. Quod dicitur ff. de lib. & Poſth. n. 12.* Tiraq. *in l. ſi unquam, Cod. de rev. don. gloſ. ſuſc. lib. n. 188.* Ungarell. apud. Zilett. *in conſil. ult. vol. conſ. 131. n. 11.* Burſat. *conſ. 63. n. 20.* niſi fortaſſe ſufficere velint, ut fœtus momento vivat ad eum effectum, ut ad patris hæreditatem admittatur; nam & hi interdum, ut dixi, non ſolùm per horas, ſed etiam per aliquot dies vivunt. Sed cur octimeſtrem reſpuunt, qui non ſolùm per dies, ſed per annos vivere aliquando poteſt? vel ergo quilibet, qui vitalis eſſe non poteſt, reſpuendus, vel octimeſtris & quicunque per momentum vivit, acceptandus. 24

SUMMARIUM.

1 *Partus ex ſua natura non vitalis ad hæreditatem patris non admittitur, amplia n. ſeq.*
3 *Partus quinque ſimul naſci poſſunt, & n. 6.*
4 *Quinque ſimul naſcentes eſſe poſſunt vitales*: ex l. ſi pater, de ſolut.
5 *Septem uno enixu naſci poſſunt.*
7 *Hiſtoria Comitiſſæ quæ 365. fœtus uno enixu peperit.*
8 *Vix poſſibile eſt, ut tres fœtus uno partu vitale naſci poſſint.*
9 *Partûs geminatio in homine eſt quid præter naturam, & n. 12.*
10 *L. Antiqui, mediocritatem quandam attendendam eſſe voluit quoad numerum fœtuum, qui uno partu naſci poſſent, & tres poſſe naſci firmavit.*
11 *In hominum ſpecie ſingulis vicibus ſinguli fœtus naſci debent.*
13 *Cur plures duobus naſci non poſſint, qui vitales eſſe poſſint.*
14 *Ex uteri anguſtia debiles fœtus procreantur.*
15 *Uterus humanus cellulas habet, contrarium ibid. & n. ſeqq. 16. & 17.*
18 *Acetabula uteri quid propriè ſint.*

Quot fœtus uno partu naſci poſſint vitales.

QUÆSTIO VIII.

ILlud etiã apud Leges controverſum eſt quod nimirum fœtus uno partu naſci poſſint: nam & hoc

ſcitu maximè neceſſarium eſt ipſis Juſtitiæ adminiſtratoribus, ſiquidem ut partus non vitalis ex ſua Natura ad hæreditatem admitti non debet, ut de nato ante ſeptimum, vel in octavo ipſi Legumperiti judicant, ſicuti jam ſuprà firmatum eſt; ſic etiam & ubi ita naſcatur, ut vitalis ex aliquo accidenti nullo modo eſſe poſſit, etiamſi quoad naſcendi terminum non deficeret, neque etiam ad hæreditatem admitti debet, quemadmodum dicendum eſſet, ubi tot ſimul naſcerentur, ut nullus vitalis eſſe poſſet; inquirendum ergo jure optimo eſt, quot fœtus ſimul naſci poſſint, qui ſuperſtites ex ſua natura futuri ſint.

Perſuaſum habent Leges, ut habetur *in l. ſi pater. de ſolut. & lib.* ex auctoritate Ariſtot. quam repetit *Gell. Noct. Attic. lib.* 10. *c.* 2. quinque ſimul poſſibile eſſe ut naſcantur, argumento, quòd totidem cellulæ ſint in humano utero, & repetit quoque Cagnol. *in l.* 1. *ff. ſi cert. pet. num.* 182. & aliis plures, quòd autem vitales eſſe poſſint probare poteſt exemplum inibi *in l. ſc. ſuprà citata* relatum, de quo etiam *in l. Antiqui, ff. ſi pars hared. pet.* de muliere illa Alexandrina, quæ quinque ſimul fuerat enixa, & omnes habebat incolumes. Gloſ. *in l. cùm quidam, §. ſuum hæredem*, & Paul *in d. §. ſuum hæredem, ff. de acquir. hared. n.* 1. ut perfectum palatium in humano utero conſtituerent, ſeptem cellulis ornari illum voluerunt. atque ea de re ſeptem naſci poſſe uno enixu autumati ſunt.

Narrantur prætereà quamplurimæ hiſtoriæ mulierum, quæ numeroſos partus ediderunt, quas omnes in unum recollectas habes apud Schenk. *lib.* 4. *obſerv. tit. de Partu*, quas hic apponere non eſt opus, ſatis ſit ipſius Ariſtot. auctoritatem adduxiſſe, ab ipſa etiam lege adductam in loco aliàs ſæpè citato 7. *de gen. anim. cap.* 4. qui & quatuor, & quinque naſci ſimul poſſe aſſeverat, quod in Ægypto plurimùm contingere fatetur. Quin etiam doctiſſimus Vir, Joubert. *lib.* 3. *Error. popul. c.* 1. multis probare nititur, novem uno partu & vitales & robuſtos naſci poſſe, & nonnullas ibi ejus rei experientias, & hiſtorias adducit.

Verùm enim verò, ut millies jam repetitum eſt, non licet ex his quæ rarò contingunt, certam ullam regulam conſtituere: nam ſi ad id, quod aliquando factum eſt, reſpicere velimus, non modò quatuor, aut quinque, ſed ſuprà trecentos uno partu naſci poſſe, fateri nobis liceret: nam conſtat, Comitiſſam Mergaretam Hermanni uxorem Comitis Hennebergiæ trecentos ſexaginta quinque filios uno enixu peperiſſe; cujus hiſtoriæ non ſolùm multi fide digni Authores meminerunt, ſed extat adhuc epitaphium inſculptum in pago Lausdun in Hollàdia, quod recitat Schenck. *ubi ſuprà*, de qua etiam hiſtoria inter Jureconſultos meminit Boërius, ex quo repetit Vincent. Carter. *de Medico part.* 4. *num.* 203. ſed & Avent. apud eundem *lib.* 7. *Annalium*, mulierem narrat ſub Friderico II. Imperatore mille quingentos, ac quatuordecim fœtus enixam eſſe, cujus rei fides apud auctorem eſt,

Nos ad rei veritatem accedamus, ac dicamus, vix poſſibile eſſe, ut tres vitales fœtus uno partu edi poſſint, qui ad perfectum incrementum tam in utero, quàm extra uterum deduci poſſint: quanquam etenim & Card. *in lib. de uno*, & Trincavell. *lib.* 11. *de vat. cur. hum. corp. aff. c.* 17. & alii, & ego ipſe viderim trigeminos ætate provectos, & ſatis cunctis pateat hiſtoriam Horatiorum, quorum meminit *ſuperiùs cit. l. Antiqui* tamen vix ex his firmari poſſe credo, quòd plurimum ex his, qui trigemini naſcuntur, vivant. Quod præter experientiam, & Medicos, teſtantur etiam ipſi Aſtrologi, qui tergeminos & immaturos edi, & in monſtroſis ſæpè membris donari fatentur, ut Ptolom. *lib.* 3. *de prad. Aſtron. c.* 7.

Cùm ergo de rarò vivant, ego vix concedere auſim; ut trigemini vitales naſci poſſint, cùm præſertim non ſolùm trigeminos, ſed geminorum plures interire, quàm ſupereſſe indies videamus. Unde jure Ariſtot. ſuperiùs à me adductus dicebat, partus geminationem in homine eſſe quid præter naturam, & idcircò ex gemellis pauci ſervantur. Avic. 21. *tertii tract.* 1. *cap.* 17. Marinell. *de med. mul. lib.* 2. *cap.* 4. licèt Leges *in dicta l. Antiqui*, firmaverint, mediocritatem quandam in hac re eſſe attendendam, & ea de re tres naſci poſſe voluerint, & ſuperſtitem ex quarta parte hæredem fecerint: at mihi quidem lex videtur mediocritatem, quam dicit, non obſervaſſe, nimis enim excedit id, quod plurimum fieri contingit, ſatiſque mediocritas ſervata videretur, ſi geminos naſci poſſe ſanciviſſet, & jam natum ex tertia parte hæredem feciſſet; nam non ad id, quod eventu poſſibile eſt, ſed quod plurimùm fit, attendere conſentaneum videtur. Quanquam Alciat. *diſput. lib.* 2. *cap.* 8. etiam quæ de rarò eveniunt, attendi aliquando vult, & exemplificat in caſu hoc, quòd ſcilicet rarum eſt, mulierem trigeminos parere, tamen à lege attendi. At dici non poteſt, legem ſervaſſe mediocritatem, quia in humana ſpecie naturaliter ſinguli ſingulis vicibus naſci debent fœtus, vel ad ſummum bini: naturæ enim lege, inquit Pareus (vir, ut omnes novêre, doctiſſimus) mulier ſimul & ſemel non eſt potens niſi duorum; argumento eſt, quòd duobus tantum mammis donata fuerit, quod etiam firmat Andr. Laur. *Anat. lib.* 9. *cap.* 2. Et Herc. Saxon. *in ſua Medic. pract. lib.* 3. *capite* 27. Imò Platerus Medicus Doctiſſimus, *obſervat. ſuar lib.* 3. *titulo de obſervat. in part.* partum, qui unicus non ſit, contra Naturam eſſe aſſeveravit; idcircò enim uterum humanum unicâ ac ſimplici cavitate donari dicebat Veſal. *lib.* 4. *de hum. corp. fabr. cap.* 15. Jure ergo optimo concludere licet, quòd homo duos tantummodò fœtus edere poteſt, qui vivere poſſint, & factam interdum numeroſiorem ſobolem non eſſe attendendam, quia monſtroſa eſt, teſte Plin. *Nat. Hiſtor.* 7. *cap.* 3. & Pareo, *libro* 23. *capite* 52.

Et ratio hujus aſſertionis ea eſt, quia neque locus, neque alimentum tot fœtibus ſufficiens eſſe poteſt in materno utero; deficiet ergo his antè debitum tempus alimentum à matre, & exitum ante tempus ab utero quærent, quippè cum id fieri ſemper contingat, Hipp. teſte *in lib. de Nat. Puer.* Et ſic vel naſcentur, & neceſſariò interibunt, vel in utero ipſo non naſcentes contabeſcent ac peribunt. Quin etiam & ex locorum anguſtia celeriùs naſcentur, quàm oporteat, & debiles exiſtentes decedent; nam idem Hippoc. *in lib. de Genit. propè finem*, firmabat, uteri anguſtiam in cauſam eſſe poſſe, ut geniti liberi debiles naſcantur. Si ergo & alimenti penuriam ſubire, & locorum anguſtiâ angi fœtus ponas, non video, quâ ratione ſuperſtites eſſe poterunt, cùm naſcentur; nam hæc omnia neceſſariò contingere, ubi plures duobus in utero exiſtant, neceſſe eſt.

Hinc autem non diſcedendum, antequam falſam illam opinionem ex hominum mentibus eradamus, quæ humanum uterum quinque, aut ſi mavis, ſeptè cellulis inſigniri illis perſuaſit; verè enim fabuloſum quid, ac commentitium illud eſt, cùm humanus uterus, unâ ſolummodò cavitate donetur, licèt

licet pars dextra à ſiniſtra per craſſiuſculam quandam lineam ſegregetur, ut optimè demonſtrant Medici, & Anatomici omnes, recentiores præſertim; ante quos etiam Gal. idem docet pluribus in locis, præcipuè verò *in lib. de diſſect. Vulv. c. 3. In 6. de morbis vulg. comm. 2. text. 44. & com. 5. Aph. 48.* & Avic. *21. tertii, tr. 1. c. 1.* ex recentioribus autem Fuchſius *lib. 7.* Parad. *c. 9.* Veſal. *de human. corp. fabr. lib. 5. c. 15.* Paræus *ſuæ Chirurg. lib. 2. c. 34. & lib. 25. cap. 2.* Columb. *Anat. lib. 11. c. 16.* Andr. Laur. *Anat. lib. 7. c. 17. & lib. 8. quæſt. 21.* Mercurius *in la Commare lib. 1. c. 2.* Valuerd. *Anat. lib. 3 c. 14.* Silvatic. *controv. Med. controv. 81.* Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. lib. 7. p. 3. probl. 4.* Nec tamen exiſtimes Leges omninò extra rem illud aſſeveraſſe, quòd uterus humanus cellulas, aut ſinus habeat, neque enim absque Medicorum auctoritate locutæ ſunt nam Hipp. *lib.*
16 *de Nat. Puer. in fin.* dicebat, uterum humanum ſinus plures, & incurvos habere. Ne deſunt ex Anatomicis, qui cellulas ejuſcemodi in utero humano ſomniaverint. Recentiores tamen antiquioribus in hiſce rebus multò diligentiores illum his cellulis de-
17 ſtituti, ſenſu ipſo demonſtrarunt, & ejus rei veritatem patefecerunt.

Sed ne aliquid, quod ad hujus quæſtionis abſolutionem pertineat, hîc deſideretur, de uteri acetabulis mentio quoque nunc fiat, ne fortaſſe hæc unam, eandemque rem eſſe cum hiſce cellulis, quiſquis ſit, ſibi perſuadeat. Sunt ergò acetabula uteri capita quædam venarum ad uteri internam cavitatem penetrantia, numero quidem in omnibus non uno, quorum uſum quære apud præcitatos Auctores, quibus addere potes Fallop. *in obſerv. Anat. non longè à f.* Fernel. *Phyſiol. li. 1. c. 2.* & ante hos Gal. *de diſſect. vulv. cap. ultimo, claſſ. prima, & 1. de ſem. cap. 7. claſſ. 1. & 5. Aphor. 45.*

SUMMARIUM.

1 *Qui conceptum per abortum datâ operâ interimunt, jure merito à Legibus puniuntur.*
2 *Animatum conceptum interimens ultimo ſupplicio plectitur; inanimatum verò delens, pœna extraordinaria punitur. Contrà ium n. 4.*
3 *Leges procurantes abortum non ſemper eadem pœna punire jubent.*
5 *Text. l. ſi quis aliquid, ff. de pœn. exterminatus.*
6 *Fœtus homo non eſt, & n. ſeq.*
8 *Fœtus ubi de ſuo commodo agitur, & homo eſt, & pro jam nato habetur.*
9 *Nullum majus commodum, quàm vita.*
10 *Prima ratio, cur magis debeat puniri, qui animatum conceptum interemit.*
11 *Secunda ratio.*
12 *Abſurdum eſt affirmare, quem habere formam hominis, & eſſe hominem.*
13 *Forma dat eſſe rei, ut n. ſeq. amplia-*
15 *Mutata forma interimitur ſubſtantia.*
16 *Qui animatum fœtum interimit, hominem occidiſſe dici debet.*
17 *Tertia ratio.*
18 *Plures abortus contingunt fœtu inanimato exiſtente, quàm animato.*
19 *Quarta ratio.*
20 *Fœtus trium dierum ſpatio animatur.*
21 *Septem dierum ſpatio homo perficitur.*
22 *Quadrageſima die fœtus eſt integrè formatus.*
23 *Fœtus animatus eſt, cùm perfectè eſt formatus.*
24 *Non eſt unus omnium formationis, & coagmentationis terminus.*
25 *Supra ſexageſimum fœtus ſemper pro animato habendus eſt.*

Quot dierum ſpatio animetur conceptus.

QUÆSTIO IX.

QUi conceptum per abortum datâ operâ interi- 1
munt, jure meritò à legibus puniuntur, ut in *l. Divus, ff. de var. & extraord. crimin. & l. Cicero, ff. de Pœnis, l. ſi mulierem. ff. ad l. Cornel. de ſicar. l. ſi quis necandi, C. de ſicar.* & diſponunt etiam conſtitutiones Pontificiæ *c. Conſuluiſti. q. 3. & conſtit. Pontif. Sixti V. n. 107. in Summ. Bullarii,* & teſtatur etiam ex Medicis Gal. *in libell.* cui titulus, *An animal ſit id, quod in Vier. eſt, c. ult. claſſ. 1.* & ex recentioribus Uveinreich. *de ort. monſtr. cap. 36.*

Quoniam verò quæſtio inter Juriſperitos eſt, an ſemper eadem pœna veniant puniendi, tam cùm fœtum animatum, quàm cùm inanimatum interimunt, idcircò videndum eſt, quo tempore animetur fœtus, Sed primò videamus opinionum circa in- 2
fligendam pœnam differentiam; ac profectò magis communis opinio videtur eſſe, eum, qui non animatum conceptum necavit, pœnâ extraordinariâ puniri debere; eum verò, qui animatum, ultimo ſupplicio plectendum, ita tenet Gloſſ. *in cit. l. Divus, ff. de variis & extraord. crim.* quam ſequuntur plures D.D. Guliel. de Sol. *ſing. 140.* Jul. Clar. *ſent. lib. 5. q. 68. n. 2.* Damoud. *in Enchrid. par. aut. Sim. in verbo Abortus.* Vivius *opin. comm. in verbo Aſſaſin. n. 2.* Chacher. *deciſ. Ped. 59. n. 2.* & alios referunt Me- 3
noch. *de Arbitr. Jud. lib. 2. cent. 4. caſ. 356. n. 2.* Ricc. *collect. deciſ. 590. part. & collect. 1326. part. 4.* Vide Farin. *de homic. q. 121. part. 6. n. 131. & ſeqq.* & videntur ipſæ leges eandem habuiſſe mentem, cùm abortum procurantem non ſemper eâdem pœnâ afficiant, ſed aliquando pœna extraordinaria puniri, aliquando autem ultimo ſupplicio plecti jubeant; ut in citatis *l. Divus, & l. Cicero, & l. ſi quis necandi, C. ad l. Cornel. de ſicar.* quos textus, ne inter ſe diſcordes eſſe dicas, jure merito diſtinguendum videtur, priores tres loqui de procurante abortum inanimati fœtus, poſteriorem de interimente fœtum jam animatum, ut ſentit Gloſſ. *in prædicta l. ſi quis necandi verb. Infantis.*

Sed Menoch. *ubi ſuprà n. 7.* diſtinctionem hanc 4
admittere renuit, & indifferenter pœna extraordinaria puniri voluit tam qui animatum, quàm qui inanimatum fœtum abortu ejici procuravit, ſed auctoritates ab eo pro ſe adductæ nihilo magis pro ſua opinione, quàm pro contraria facere videntur. Tamen maximè ſuæ ſententiæ favere poſſet Sacer textus, Exod. *cap. 21. verſ. 22. & ſeq.* qui multum conſonare videtur cum legali textu, *l. ſi quis aliquid, §. qui abortionis. ff. de pœnis.* nam verba penè eadem videntur, licet cauſa non ſit una. Sacer ergo textus ita habet: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint; ſin autem mors ejus fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima.* Legalis verò text. hæc habet: *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciunt, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum damnantur, honeſtiores in inſulam amiſſâ parte bonorum relegantur; quòd ſi ex eo mulier, aut homo perierit, ſummo ſupplicio afficiuntur.* Tam Sacer ergo textus, quàm legalis, de mulieris quidem morte mentionem habent, at abortum ſimpliciter extraordinariâ pœna puniri voluerunt.

5 Tamen,ſi noſtras leges attendere debeamus,textus *dict. l. ſi quis aliquid*, non aliud innuiſſe videtur illis verbis, *ſi mulier aut homo ex eo perierit*, quàm velle ſe,diſtingui inter abortum animatum, & inanimatum: cùm enim ſuprà dantes abortionis poculum pœnâ extraordinariâ plecti juſſiſſet, addidit dehinc verba illa:*Quòd ſi ex eo mulier, aut homo*,hoc eſt animatus fœtus perierit, ſummo ſupplicio affici debeat,ita ut verba illa, *ex eo*,non ſolum referantur ad poculum amatorium, ſed etiam ad poculum abor-
6 tionis. Et licèt ex iisdemmet verbis inferri contendat *Menoch.* quod textus diſtinguat inter fœtum, & hominem, cum fœtus ex ejus ſententia homo non ſit,tamen Paul. quem refert Chacher. *ubi ſuprà in ea l. ſi quis aliquid*, voluit textum illum ita intelligi,ut verba illa eo modo, quo diximus accipiamus, ac ſi textus dixiſſet:ſi ex oblatione poculi abortionis mulier, aut conceptus animatus perierit, ad ſummum
7 ſupplicium damnandus eſt is, qui obtulit. Et quanquam fœtus in utero exiſtens ad aliquos effectus homo non dicitur,*ut in l. Falc.ff. ad l.Falc.* Tiraq. *de Retr.§.1. Gloſſ.4.n. 78. & in l.ſi unquam. C.de revoc. don.* Gloſ. *ſuſceper. lib. n.* 142. tamen ad nonnullos
8 alios effectus, & ubi præſertim de ſuo commodo agitur,non ſolùm homo dicitur, & pro homine habetur,ſed etiam pro jam nato.*l.qui in utero.ff.de ſtat. hom.* Royz.*deciſ. Lituan. 1.n.* 233. *& deciſ. 3.n.* 171. Snrd.*conſ.*369. *num.* 22.*tom.* 3.Quòd ſi ad eum effectum, ut hæreditate patris fruatur, pro jam nato haberi debet,ad effectum ne quis eum vitâ defrau-
9 dare poſſit,multò magis pro jam nato habendus eſt: nullum enim majus commodum eſſe poteſt alicujus quàm vita,ſine qua cætera omnia nihili exiſtimanda cenſentur.

His tamen non obſtantibus, germanus ac verus ſenſus eorum verborum; *Quòd ſi ex eo mulier aut homo perierit*, erit ejuſmodi:cùm Lex imponat pœnam iis,qui vel amatorium,vel abortionis poculum dant,& aliquando horum utrumque fiat vel nullâ mulieris,aut hominis morte interveniente,aliàs autem contrà; in priori caſu pœnam extraordinariam imponit;in poſteriori ultimum ſupplicium minatur, quando nimirum ex poculo abortionis mulier, vel ex poculo amatorio quicunque homo moriatur; unde verbum illud, *homo*,referatur ad poculum amatorium,verbum autem, *mulier*,ad poculum abortionis, non autem utrumque ad poculum abortionis, ita ut per illud verbum,*homo*,fœtus animatus intelligi poſſit, ac profectò hoc modo textu explicato, plurimùm aberrare videtur Menoch.& etiamſi Medici partes,& inſtituti hujuſce operis terminos pretergredi fortaſſe videar, non tamen deſiſtam, quin rationes contra ejus opinionem adducam, ex quibus magis plectendus veniatis,qui animatum,quàm qui inanimatum conceptum peremit.

10 Et *primò*,ac principaliter ratione animæ, quam is qui animatum fœtum delet,ſacro baptiſmatis lavacro expolians, uno eodemque tempore vitâ æternâ depauperavit;quòd ſi homicida, qui tamen temporalem vitam, quantùm præſumere licèt ſolummodò adimit,mortis reus eſt,multò magis reus mortis debet eſſe is, qui poculum abortionis propinavit, & animatum fœtum interemit, cùm illum & temporalis,& æternæ vitæ bonis unà denudaverit.

11 *Secundò*,quia nulla differentia eſt inter animatum conceptum, & natum jam hominem: nam & ille, ut hic homo eſt, quia habet jam rationabilem animam, ut probat abundè Gal. *in lib. An animal ſit*, *c.*4. & luculentiſſimè Nancel. *in Analog. Microc. ad Macr. lib.* 7. *p.* 4. *probl. part.*3. *de legit. partu.* Habet ergo jam hominis formam,quod nullus controvertet:abſurdiſſimum verò eſſet affirmare,habere illum formam hominis,& non eſſe hominem: nam *forma dat eſſe rei*,eſt commune Philoſophorum axioma, & 12
firmant ipſæ leges *in l.Jul.§.ſi quis,ff.ad exhib.*Quod 13
intellige non ſolum de eſſe ſimpliciter, ſed etiam de 14
eſſe individuali: nam per formam ſubſtantialem quicquid eſt, conſtituitur in tali eſſe individuali, & idcircò mutatâ formâ interimitur ſubſtantia, ut ſatis ſuperque notum habent Philoſophi, & notat 15
ead.l. Jul. ubi ſuprà. Jure ergo animatum conceptum abortu interimens,hominem occidiſſe dici de- 16
bet,& homicida eſt,*c.Conſulniſti q.* 3. probat Hoſt. *in ſum. lib.* 5. *de homic. caſual. & volunt.n.* 2. *& alibi*, tanquam homicida ergo hic ultimo ſupplicio jure puniendus eſt.

Tertiò, quia procurans abortum animati fœtus 17
multò majorem vim Naturæ infert,nec ſolùm conceptum perimit;ſed & matri plurimum obeſt,illamq; in multo majus diſcrimen trahit, ut notat Mercur. *lib.* 1. *de morb.mul. c.* 2. *in fin.* Cum enim fœtus animatus non eſt,quia magis tenellus,& ligamenta habens admodum debilia,facilè modica adhibita vi ab utero excidit,neque,cum anima careat, poteſt impendenti violentiæ ita reſiſtere,ut quando animatus 18
eſt, atque hinc accidit, quòd multo plures abortus contingunt,cum fœtus animâ caret quàm cum animatus eſt,poſt ſe.quadraginta dies,teſte Hipp.*in lib. de Nat. Puer.*& Ariſt.7. *de hiſt. Anim. c.* 3.

Quartò,ſi is qui medicamentum præbet conceptionem impediens, aut generationem, tanquam ho- 19
micida puniri debet, ut habetur ex *cap. ſi aliquis, De homic. caſ. & volunt. & ex conſtit. Sixti V. in ſumm. n.* 107. Cacher.*deciſ.Pedem.*59.*n.*2.(licet ſciam alios contrariæ opinioni libentiùs adhæſiſſe.Boſ.*in pract. crimin. tit. homic. num.* 9.) multò magis puniri debet, qui jam formatum, & animatum conceptum abolevit.

Scitu ergo mirum in modum Juſtitiam adminiſtrantibus neceſſarium eſt,quo dierum termino conceptus animatus exiſtat, ne mitiori quam deceat pœna atrociſſimum delictum, quale hujuscemodi homicidii genus eſt,plectatur.

Ejus rei variæ,ac toto cœlo inter ſe diſſidentes opiniones recitantur;ſiquidem ex recentioribus.ſunt qui 20
trium dierum ſpatio animatum fieri conceptum vo- 21
lunt:ita tuetur,& longioribus etiam rationibus demonſtrare nititur Tho. Fien. *de Format. fœt. qu.*10. *concl.*11. ex Hip.tamen & Ariſt. auctoritate Mercurial. *ubi proximè*, ſeptem diebus hominem perfici,& anima donari notavit: & apertiſſimè illud ipſum manifeſtat idem Hipp. *in lib. de Nat. Puer.*

Menoch. *ubi ſuprà n.* 3.ex Ariſt. & Plin.firmavit, 22
conceptum,ſi maſculeus ſit, quadrageſima die eſſe animatum. Sic & Jo.Aloyſ.Ricc. *in Prax. Archiep. Neap.* 609.*n.* 1.ex Bart. & aliorum opinione,maſculeum quadrageſima, fœminam 80. animari firmat. Sed Paul.*in l. ſumm hared. n.* 2.*ff. de acquir.hared.* & alii quos citat,& ſequitur Cacher. *ubi ſuprà num.* 3. indifferenter de quocunque conceptu verificari voluerunt,quod quadrageſima die & formatus,& animatus ſit.

Hippocrates variè variis in locis de fœtûs forma- 23
tione locutus videtur, nam tunc animatur fœtus, cum perfectè eſt formatus, ut tradit Gal. *15.de uſu part.c.*5.*claſ.* 1. Ex Hip.ergò ſententia eodem ſpatio animabitur fœtus,quo vult eum perfectè eſſe formatum,quod plerumque diebus triginta in maſculis,& duobus ſupra quadraginta in fœminis contingit,ut *in lib. de Nat. Puer. & alibi* habetur. Roder. à Caſt.

diſtinguens,

distinguens, *lib. 3. de Nat. mul. c. 6.* animal, & hominem, volensque fœtũ ante animal esse quàm hominem, animam rationalem non ante tertium, quartúmve mensem infundi concludit, atque hic nova dubitatio insurgere posset, an scilicet abortum procurans ante tertium, quartúmve mensem, sed cum jam animatus conceptus est, eâdem pœnâ puniri debeat, quâ puniendus esset, qui abortum procuraret post dictum tempus, & videretur dicendum, nil differre inter se inanimatum esse fœtum, & animâ rationali: idcircò nullâ consideratione dignum esse tale dubium.

24 Nos concludamus breviter, quod *licet non sit unus omnium formationis, & coagmentationis terminus*, Gal. *de fœt. format. c. 1. in princ. class. 1.* tamen præstat *Hipp.* sententiæ adhærere; nam & rationib. & experimentis fulcitur, de quib. *ibi* per eum. Vel, *ut medium quoddam eligamus*, dicendum est, supra sexagesimum tam masculum, quàm fœminam, semper pro animato habendum esse, atque ea ratione teneri de homicidio, qui provectiorem conceptum bimestri abortu ejici procuravit, quod nullâ controversiâ indigebit, sit abortum ipsũ conspicere liceat, judicio enim Medicorũ facilè patebit, an potuerit esse animatus, necne, in aliis verò casib. ut suprà, est procedendum. Legumperiti tamen post quadragesimũ verum fœtum animatũ fuisse, in dubio tenendum dicunt, quũ scilicet non constat, an masculus fuerit, necne. Ricc. *ubi supr. n. 3.* Sed tutior mihi videtur mea sententia, quia sunt ex masculis etiam, qui tardiùs quadragesimo animantur. Cæterùm hæc secundùm communem sentent. prolata sunt, sed qui veritatem rei indagare desiderat, videat quæ de novo *part. vel supplemento, tit. de Anim. fœtus humani*, attulimus. ubi eam fieri illicò à conceptis seminibus, Deo Opt. Max. tũc Animam infundente, tam multis rationib. comprobavi ut dubitationi, quantùm ego probabiliter existimo, nullus in posterum debeat esse locus, *qua de re* inferiùs plura legi possunt.

SUMMARIUM.

1 *Abortum faciens mulier, peperisse dici non debet.*
2 *Abortivi non rumpunt testamentum.*
3 *Abortivi habentur tanquam non nati.*
4 *Non nasci & natum mori, paria sunt.*
5 *Natus ante septimum est abortivus, &n. 19.*
6 *Natus ante nonum, abortivus: contrarium n. seq.*
8 *Octimestris ex Tiraq. est abortivus. Confutat. n. 9.*
10 *Non est de essentia partus, ut vitalis edatur, sed ut perfectus nascatur.*
11 *Abortûs duplex acceptio.*
12 *Abortus lato modo acceptus qui.*
13 *Ejicere fœtum, est abortire.*
14 *Etiam per diem ante, quam deberet, natus, lato modo est abortivus.*
15 *Abortus stricto modo acceptus qui.*
16 *A, vel Ab in principio nominis negationem denotat.*
17 *Qua ante septimum peperit, peperisse non est dicenda: distingue ut ibidem.*
18 *Naturaliter mulier non parit ante nonum.*
20 *Natus ante septimum, habet cum vita omnimodam repugnantiam.*

Quinam partus propriè mereatur nomen Abortus.

QUÆSTIO X.

CUm controverti possit inter Legumperitos, *an mulier qua abortum fecerit, peperisse dicenda sit*,
1 cùm aliàs Paul. *recept. lib. 4. tit. 9.* protulerit, Abor-
2 tum, vel abactum verum partum efficere non vide-
3 ri; & Tiraq. *in l. si unquam*, Glos. *fusc. lib. 2. n. 206. in fin.* nolit dici posse, talem peperisse, & cùm abortivi non rumpant testam. Bal. *in l. Cùm proponas, Col. utr. C. de posth. har. inst.* Tira. *ubi prox. n. 205.* nam abortivi 4
habentur tanquam si non nati essent, vel nati essent mortui, cùm non nasci, & natum mori, paria sint, §. *Dubitatum, Auth. de incest. Nupt.* Tiraq. *ubi suprà n. 167.* Bologn. *conf. 9. n. 42.* unde illis applicari potest *text. l. Qui mortuus, ff. de verb. signif.* idcircò videndum est, quando propriè mulier abortum fecisse dicenda sit, & consequenter qui partus verè sit abortivus.

Et licèt ad hanc materiam plenissimè faciant ea omnia, quæ in priorib. hujus tituli quæstionib. adduxi, tamen peculiariùs hic nonnulla consideranda sunt. Quoad partum ergo omni proculdubio cuivis 5
notum est, natum ante septimum abortivum esse, non obstantib. iis, quæ adducunt ex Jureconsultis Conc. *q. sing. 9. n. 4. lib. 2.* & Claud. Girardin. *in libel. de part. dierum*, 171. ex nostris autem Augen. *de part. hum. lib. 1. c.* ... & faciunt quæ in hoc eodem tit. retulimus *q. 2. à n. 15. ad plures seqq.*

Sed præcipuum dubium est de natis *post sextum*, 6
& *ante nonum*: nam *Lalam.* Medicus doctiss. quem aliàs etiam adduxi ad hoc ipsum probandum, *in l. 2.* Gal. *de dieb. decret.* absolutè voluit, nascentes ante nonum non solum non esse ex sua natura vitales, sed esse abortivos, cùm tamen obstent illi omnium doctorum hominum auctoritates præsertim quoad septimestrem: nam de octimestri aliàs dubitatum est, 7
teste Gell. *Noct. Att. lib. 3. c. 16.* immò Tiraq. *in cit. l. si unquam*, Glos. *ead. n. 205.* octimestrem inter abor- 8
tivos connumerari voluit, cùm intempestivè natus sit, & nullo modo vitalis ex ejus sententia esse possit, sed hanc opin. refellit Andr. Laur. *Anat. lib. 8. q. 29.* & Aug. *lib. 2. de part. hum. c. 16.* neq; enim, inquit 9
Laur. de essentia partus est, ut vitalis edatur, sed ut 10
perfectus nascatur; sed quomodo perfectus edi dici potest, qui ita nascitur, ac si mortuus nasceretur, ut suprà diximus?

Ego quid sentiam, brevib. patefaciam, ac primo lo- 11
co notandum est, abortum aliquãdo *lato modo* sumi, interdum verò stricto. Abortus lato modo acceptus est omnis fœtûs partus, qui ante diem sibi à Na- 12
tura destinatum non sponte, sed ex aliqua vi, & accidenti nascitur, etiamsi vitalis dehinc existat Hipp. 7. *Epid.* de Olympiade uxore octo mẽsib. utero gero gerente dicebat: *Abortu quinto die sine labore est liberata*, & 4. *Epid. text. 64. Ejecit*, inquit, *septimestr. puellam*, hoc 13
est abortivit, nam ejicere est abortire. Tiraq. *in l. si unquam, ubi supr. n. 206. in fi. & facit l. si serv. ff. ad l. Aquil. à Calep. adducta in verbo ejicere.* Sic etiam & Avic. 21. 3. *tract. 2 c. 10.* dicebat, abortum maximè timeri apud principium conceptionis, & ante appropinquationem horæ partus; & Trotula *Medic. antiquus de pas. mul. c. 38.* remedia proponit ad abortum, qui fieri solet septimo, aut nono mense: ita lato mo- 14
do etiam per diem ante destinatum terminum nascens fœtus, abortivus dici potest, etiamsi nonimestris, vel decimestris existat. Propriùs tamen ac strictiùs, Abortus est fœtus intempestivè editus, vel mortuus, vel nullo modo vitalis: licèt Andr. Lauren. *ubi supr.* velit, abortum dici etiam fœtum tempesti-
vum in utero mortuum; abortus enim nomen idem 15
importat, ac si diceres, non ortus, vel fruſtrà ortus: nam hæc præpositio *A*, vel *Ab*, in principio nominis posita, negationem aliquãdo importat, ut in ver- 16
bo *Absens*, quod idem importat, ac non præsens, & idcircò abortus parificatur ei, qui nunquam natus est. Tiraq. *ubi supra n. eod* Surd. *conf. 347. n. 9. tom. 3.* Propriissimè tamen abortus dici debet, partus à causa præternaturali aut externa per vim ejectus, dũmodò non sit vitalis; nam & aliquando partus ejectus,

ut dixi, vitalis esse potest, ut de septimestri, & octimestri latiùs probavi *suprà n. 2. & 4.*

His ita se habentib. dicendum est, mulierem quæ
17 ante septimum peperit, aut filium mortuum etiam justo tempore edidit, peperisse non debere dici, sed abortum fecisse, aut ejecisse, nec parientium privilegiis eam ob id gaudere posse, nisi iis, quæ ad corporis valetudinem ex partu concedi solent; nã majori, ac molestiori valetudini subiicitur, quæ abortivit, quàm quæ naturaliter peperit; contrà verò, si post
18 sextum, aut meliùs post initiatum septimum vivum fœtum edidit, esse sentiendum: licet enim non ante nonum naturaliter mulier pariat, ut latè probatum est tamen quia impossibile est etiam non naturaliter natum, si ita vegetus sit, ut causam morbificã superare possit, & alias aëris, & partus injurias, aliquando vivere, idcircò peperisse dici potest. Qui ergo ante septimum nascuntur, vel nascuntur mortui, quia abortivi sunt, neque donationem, neque testamentum rumpere debent, quia, ut dixi, habendi sunt, ac si nunquam nati essent.

Nec obstaret, quòd quis in sexto mense nasceretur, & per aliquot horas, aut etiam dies viveret, ut fieri posse non est ita impossibile, quin aliquando non contingat, cùm alias vivere posse dicatur fœtus, qui per momentum vixerit. Bart. *in lege quod dicitur, ff. de lib. & Posth.* nam quia hic partus habet cum vita talem repugnantiã, ut vivere nullo modo
20 possit, nisi ex miraculo, idcircò abortivus dici debet, neque testamentum, neque donationem rumpere, neque aliud quicquam illi prodesse, quod verò ac naturali partui prodesse solet; sic & mulieri talem fœtum parienti nihil quicquam prodesse debet ita, ut ex ea causa parientium privilegiis gaudere debeat, nisi iis, quæ corporis valetudinem respiciunt.

LIBRI PRIMI TITULUS TERTIUS,

DE PRÆGNANTIA, SUPERFOETATIONE, ET MOLA,

Continens Quæstiones septem.

I. An prægnantia ex cæteris quibusdam signis possit infallibiliter cognosci?
II. De signis ex quibus prægnantiæ conjectura depromi potest.
III. An detur superfœtatio?
IV. Quid sit superfœtatio, quomodò, & quo tempore post priorem conceptionem fieri possit?
V. Quid sit Mola.
VI. Utrùm Mola absque viri concubitu generari possit?
VII. An Molam geres mulier ad quosdam effectus prægnans dici debeat?

PARS PRIMA.

DE PRÆGNANTIA.

SUMMARIUM.

1 *Hæreditas defuncti ad uterum pertinet.*
2 *Prægnans torqueri non potest: amplia, ut ibid.*
3 *Prægnans non potest ad supplicium damnari.*
4 *Prægnans bannita non potest occidi, contrarium ib.*
5 *Prægnans multis gaudet privilegiis.*
6 *Prægnantia ante quartum mensem difficiliùs cognosci potest.*
7 *Prægnantiæ cognitio infallibilis non potest haberi; contrarium n. 9. & n. 15. 16. & 56.*
8 *Prægnantia conjecturalis cognitio habetur.*
10 *Signa prægnantiæ à Cagnolo adducta non sunt ex certioribus signis.*
11 *Conceptus intra 20 diem cognosci potest, dic ut n. seq. Vide num. 44.*
13 *Prægnantiam certò deprehendere difficillimum.*
14 *Hippoc. de aliquibus dubitabat, an utero gererent.*
17 *Ventris tumefactio non est certum prægnantiæ signum.*
18 *Ex ventris tumefactione non probatur prægnantia.*
19 *Venter diverso modo tumet extra prægnantiam, quàm in prægnantia.*
20 *Lac in mammillis, non probat concludenter prægnantiam, & n. 23.*
21 *In non prægnantibus ex defectu menstruorum lac colligitur in mammis.*
22 *Lac etiam in viris colligitur.*
24 *Lac post aliquot menses prægnantiæ colligitur.*
25 *Etiam in virginibus lac in mammis nascitur.*
26 *Lactis differentia in his, quæ conceperunt, & in iis, quæ non conceperunt.*
27 *In prægnantibus lac pravæ qualitatis est.*
28 *Defectus menstruorum est fallacissimum prægnantiæ signum.*
29 *Ex menstruorum apparentia non possumus judicare, mulierem in utero non habere.*
30 *Non menstruatæ mulieres aliquando concipiunt.*
31 *Prægnantes menstruatæ prægnantiæ tempore.*
32 *Macula in facie est signum prægnantiæ fallacissimum.*
33 *Maculam in facie habentes fœmellam gerunt.*
34 *Extranearum rerum appetentia fallacissimum prægnantiæ signum.*
35 *Extranea apptentia in quibus, & quanda fiat.*
36 *Motus fœtûs in utero est signum prægnantiæ.*
37 *Motus in utero ex causis etiam præternaturalibus fit: & ex mola, num. seq.*
39 *Gravidæ aliquando nullum fœtûs motum persentiunt.*
40 *Motus fœtûs qua ratione differat à quocunque alio motu.*
41 *Omnia signa prægnantiæ simul faciunt certitudinem prægnantiæ: contr. num. seq.*
43 *Signa prægnantiæ sunt communia menstruorum retentioni.*
45 *Conceptus principium nescitur, & latet ipsas mulieres.*
46 *Conceptio tunc certa est, cùm septem diebus semen in uteris manserit.*
47 *Experimenta ad explorandam prægnantiam fallacia.*
48 *Mulsa quid.*
49 *Mulsum quid.*
50 *Periculosum est tormina prægnantibus excitare.*
51 *Mulsa menstrua provocat.*
52 *Suffitus experimentum ad prægnantiam explorandam.*
53 *Suffitus menstrua provocat.*
54 *Alia experimenta ad explorandam prægnantiam.*
55 *Experimenta ad cognoscendum, an conceptus mas vel fœmina sit, fallacia sunt.*
56 *Nullum signum est tam proprium prægnantiæ, quin sit etiam quibusdam morbis commune.*

An

An prægnantia ex certis quibusdam ſignis poſſit infallibiliter cognoſci.

QUÆSTIO I.

PLurimùm, ac pluribus nominibus hujus tituli argumentumeſſe *Jurisperitis* neceſſarium,credo quòd nulli dubium futurum ſit ; ſiquidem primò circa prægnantiam ſæpè in dubium vertere illis occurrit,utrum prægnans mulier ſit,necne; præſertim cum,marito ab inteſtato decedente, ac uxore prægnante relictâ, vel quæ prægnantem ſe eſſe dicat, proximi in hæreditatem admitti cupiunt ipſius defuncti, quæ tamen, ſi mulierem verè prægnantem eſſe deprehendatur, ad ipſum uterum proculdubio
1 pertinet. *l. Cum quidam. ff. de* 1. *acquir. hared.* & caſus proponitur à Cagnolo *in l. ſi quis prægnan. ff. de reg. Jur. Tom.* 3.

2 Quintetiam ubi *torqueri* mulierem oporteat, minùs illud executioni demandari poteſt, eâ gravidâ exiſtente, *l. Prægnantis, ff. de Pœnis.* Clar. *in* §. *fin. quæſt.* 64. *n* 11. Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 1. *q.* 86. *num.* 10. Farinac. *Var. quæſt. & opin. comm. crimin. quæſt.* 41. *num.* 78. quod ampliat, ut neque verbis
3 minitabundis terreri poſſit, *num.* 84. ſic & ubi damnari debeat ad ultimum ſupplicium, vel etiam ad corporalem aliquam pœnam, minùs fieri poteſt quamdiu utero gerit,& differri executionem jubent leges,Clarus *ubi ſupra, quæſt.* 57. *n.* 5. Covarr. *Var. reſol. lib.* 3. *cap.* 4. *Tom.* 2. Quinimo neque ſi bannita ſit
4 gravida mulier, impunè occidi poteſt. Duen *reg.* 68. *littera. D. limitat.* 7. licet contrarium ſentiat Marc. Mant. *ſing.* 10. *n.* 8. multiſque inſuper privilegiis mu-
5 lier,cum utero gerit,gaudet,tradente eodem. Marc. Mant. *ibid. n.* 1.

Cùm ergo dubitari aliquando contingat inter Juriſperitos, qui juſtitiam adminiſtrant, an mulier aliqua prægnans ſit, eamque rem Medicis decernendam ipſi remittant,neceſſariò de prægnantia nobis agendum erat, circa quam *primò* videndum, *an de ea poſſit haberi certa, ac infallibilis cognitio* ; dehinc quænam ſigna potiora,ac tutiora ſint, quæ ad ejus cognitionē nos deducere poſſint. Sed ponamus primò nonnullas concluſiones,quarum prima hæc eſt:
6 Prægnantia vel eſt ante quatuor menſes,vel poſt ; ante difficilimè,poſt faciliùs cognoſci poteſt.

7 *Secunda* concluſio : Prægnantia, in quocunque tempore ſit, nullatenus cognoſci poteſt per ſigna quædam certa, infallibilia, demonſtrativa, ac evidentia.

8 *Tertia* concluſio : Prægnantia per aliquas conjecturas, & ſigna quædam probabilia aliquo modo cognoſci poteſt.

Prima concluſio à nemine controvertitur, eſt enim ſatis per ſe cuicunque nota;Nam mirari ſubit *in ſacra hiſtoria, Gen.* 38. quod Thamar in 3. menſe ex tumore tantum ventris deprehenſa ſit gravida, niſi quod cùm gemellos geſtarit,inſigniter illi ventrem tumefactum fuiſſe neceſſe eſt. Sed contra ſecundam concluſionem manifeſtè pugnat Cagnol. doctus Juriſperitus, *in cit. l. ſi prægnant. num.* 5. Quem ſequitur Giurba *in conſ. Meſſan. cap.* 8. Gloſ. 2. *à n.* 5. *ad plur. ſeqq.* qui tanquam ſi obſtetriciam artem mille annis,vel ſupra exercuiſſet,multo plura,quàm Medici omnes in ea re ſe cognoſcere præmonſtra-
9 vit, cum per definitivam quandam ſententiam,& contra Phyſicos canones,ut ille inquit, promulga-
10 verit prægnantem & probabiliter, & per demonſtrationes cognoſci poſſe; & tamen ſigna ab eo tanquam certiſſima adducta,non ſunt ex certioribus, ut videbitur. Mirum tamen non eſt, ſutorem ultra crepidam ad judicandum prætergreſſum,longè à rei veritate aberraſſe,excuſatione tamen indignus
11 non eſt, cum *Cagnatus præceptor meus in libello de morbor. cauſ. par.* affirmaverit, intra vigeſimum à
12 conceptione diem deprehendi poſſe; an mulier gravida ſit:ſed cum non definiverit, utrum infallibiliter cognoſci poſſit, ac tantum conjecturaliter, licet ejus aſſertionem intepretari, quod de probabili, ac conjecturali, non verò de neceſſaria cognitione intellexerit : nam & ipſe Hippocrat. *in lib. de Natur. puer.* & Ariſtot. *de hiſtor. Anim. cap.* 4. apertiſſimè fatentur, difficillimum eſſe deprehen-
13 dere prægnantiam;Quomodò autem non puditum eſſe Medicinæ parentem Hippocratem, ſi infalli-
14 bilis ejus rei cognitio haberi poteſt, de aliquibus hæſitaſſe, utrum prægnantes eſſent; necne, ut de *Temenei* ſorore, & de *Tecomei* annonæ Præfecti filia ipſemet fatetur?quomodo non erubuiſſet *Avenz.* in propria uxore,prægnantiam non deprehendere, & propinaſſe prægnanti ſolutivum medicamentum forte, ut fatetur *lib.* 2. *Theiſir. cap.* 1. *tract.* 3.? Ex hac ergo tantorum virorum hæſitatione con-
15 cluſionem jam ratam habeas,non poſſe infallibiliter cognoſci prægnantiam,ſed ſolùm probabiliter : & ita tenent Medici omnes, multò magis, quàm Cagnolus in ea re experti, quorum ſatis ſit recentiores aliquos adduxiſſe : Andr. Laur. *Anatom. lib.* 8. *cap.* 4. *in fin.* Valleſ. *in* 4. *Epid. text.* 49. Sanctor. de Sanctor. *in meth. vitand. error. lib.* 1. *cap.* 28. *& ſeqq.* Fortun. Fidel. 3. *de Relat. Med. cap.* 4. Codronch *in ſua Method. teſtif. cap.* 12. nec diſſentit Varand. *de morb. mul. lib.* 2. *cap* 2. Mercurius *in lib. cui tit.* la Commare, *lib.* 1. *cap.* 10. & alii, quos longum eſſet recenſere.

Sed ſigna tam à *Cagnolo* quàm à *Cagnato* adducta, 16
quicquā certi infallibiliter demonſtrare nullo modo poſſunt; immò nec cætera quæcunque ab aliis auctoritatibus proponuntur, de quibus in *quæſt. ſeq.* exquiſitiorem, quoad licebit, mentionem habebis. Sed examinemus primò ſigna à prædictis relata, ut manifeſtè appareat,ea eſſe omninò fallibilia,& nos decipere, & ipſas etiam mulieres poſſe : unde non eſſe illis omni ex parte fidendum, denique cognoſcatur.

Primum ergo ſignum à Cagnolo adductum, *ven-* 17
tris eſt in dies tumefactio, ex qua in ſacris, Gen. c. 38. *verſ.* 24. deprehenditur præganantia in Thamar,cùm dicitur : *Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumeſcere.* Sic & Plautinus ille adoleſcens in Trucul. *Act.* 1. *Scen.* 2. aiebat :

D. Quid ais tu? qua nunquam fuit prægnans, qui parere potuit?

Num equidem uterum illi, quod ſciam, nunquam extumere ſenſi.

& Caliſto ob eam ipſam ventris turgentiam deprehenditur prægnans eſſe à Diana,ut ex Ovid 2. *Metam.* habetur;quæ tamen ex aliquo morbo,& præcipuè ex menſtruorum retentione,ex hydrope, ex
18 ventoſitate facilè provenire poteſt. Quamobrem meritò à cæteris DD. hoc ſignum reſpuitur,neque ex eo probari poſſe prægnantiam aſſerunt. Maſcard. *de Probation. concluſ.* 1147. *num.* 16. *vol* 3. Neque dicat quis,hanc ventris tumefactionem diverſo penitùs modo fieri ab ea, quæ ex morbo cauſatur, & viſu
19 etiam apparere diverſam,quia in prægnantia paulatim, & ordine quodam procedit venter in dies increſcendo; in morbo verò vel aſſatim, vel nullo ſervato ordine;& in prægnantia quidam tumorem

apparere non durum,ut ex viſcerum ſcirrho ; non mollem,ut in hydrope,ſed modicè renitentem; neque expanſũ & diffuſum, ut in aquoſo, vel ventoſo tumore,ſed leviter acuminatum. Nam hæ tam ſubtiles,immò potiùs tenues ſpeculationes,ac animadverſiones bene quidem in libris explanantur, in practico tamen actu omninò in auras ob eorum tenuitatem evaneſcunt;non ergo hæc aliquid certi promittere poſſunt,nec illud operari valent, ut indubitatò ſententiam noſtram de ea re proferre liceat. Quinimmò in concluſione uteri tam ſimilis eſt hæc tumefactio ventris ei,quæ ex prægnantia provenit,ut Hipp. *lib. 2. de morb. mul.* inter alia,ventrem non ſolùm intumeſcere dixerit, ſed pro temporis ratione,ut in prægnantibus fieri ſolet, increſcere, ad ſeptimum,vel octavum etiam menſem mulieres fallere conſuevit, inexpertæ enim, ut ipſe dicebat, ex hoc utero ſe gerere credunt.

20 *Secundum* ſignum relatum à Cagnolo & à Maſc. *de prob. concl.* 1208. *n.* 10 *vol.* 3. eſt lac in mammillis, & earum tumefactio : at neque hoc adeò concludenter prægnantiam probare poteſt,ut videtur velle Bald. ab eod. Maſcard. citatus: nam & abſque eo, quod mulier utero gerat,lac aliquando in mammis illi naſcitur, aſſerente Hipp. *Aph ſect.* 5. *Aphor.* 39. *ſi mulier lac in mammis habet, neque gravida eſt, neque peperit, huic menſtrua defecerunt*, ex quo repetit Avic. 12. *tertii cap.* 3. & idem Hippocrates, *ubi proximè*,

21 in uteri concluſione lac apparere, partesque intumeſcere dicebat. Sed quid,quòd non ſolùm in mulieribus etiam non prægnantibus, & quæ non pepererint,ſed etiam in viris lac in mammillis colligi interdum conſueſcat ? quod quidem & ego vidi,& alios vidiſſe ſcio,& teſtatum reliquit Ariſt. *lib. 1. de hiſt. anim. c.* 12. *&* 3. *ejuſd. c.* 20. Avic. *ubi proximè*. Mercur. *de morb. mul. lib.* 3. *c.* 1. Silvat. *Controv. Med. contr.* 69. *paulò ante med.* &

22 plura ejus rei exempla habes apud Schenck. *obſerv. ſuar. lib. 2. titulo de mammillis.* Quin etiam Cardan. *Aphor. ſect.* 5. *Aph.* 37. *& ſuprà citatus Mercur.* referunt teſtimonio illorum, qui novum Orbem luſtrarunt, viros penè omnes certis quibusdam locis maximam lactis copiam generare, quod teſtatur etiam Baricellus *de lacte c.* 25. apud quem aliæ nonnullæ hiſtoriæ habentur de lacte in maribus cæterorum animalium generato;ſed & Mathiol. *Epiſtol. lib.* 3. de hircis Boëmicis lacte fœcundis mentionem habet. [V. *Gr. Horſtius* tom. 3. oper. med.]

23 Ex quibus patet,conjecturam quæ ex collectione lactis in mammis ſumitur, eſſe ſatis fallacem, & nulla ex parte certam. Sed dato etiam,quod certam præſumptionem, prægnantiæ faceret, adhuc leve ſignum & non perpetuum hoc eſſet, cùm lac nonniſi poſt aliquot menſes in mammis colligatur,teſt. Gal. *com. Aphor.* 5. *Aph.* 52. ſcilicet poſt tres, aut quatuor menſes à conceptu,ut firmat Hipp. & cum eo DD. omnes. Laurent. *Anat. lib.* 9. *q.* 3. Hoc ergo ſignum, cùm non ſit perpetuum,erit inſufficiens;nam

24 ante quatuor menſes,cùm major difficultas cognitionis prægnantiæ urget ex prima concluſione, nullum ex eo indicium ſumere licet ; at neque in ea, quæ lac præbens concepit.

25 Sed quod maximè infirmam reddit conjecturam prægnantiæ ex lacte deſumptam, illud eſt, quod etiam in virginibus adhuc virum non expertis lac in mammillis colligatur,quod probãt abundè Jou-

26 bert. *lib.* 5. *err. pop. c.* 5. Laur. *Anat. lib.* 8. *q.* 1. *Nunc. in anat. Microc. ad Macr. lib.* 4. *c.* 5. & licet diſtinguant, quòd lac in virginibus, vel in mulieribus, quæ nec conceperunt,nec pepererunt,& in viris, neque album ſit,neque conſiſtens, & omni boni lactis conditione deſtitutum,& quantitate etiam modicum: hoc tamen nihil magis in ejus rei cognitione doctos 27 non facit, cùm & in prægnantibus lac pravæ qualitatis,& quantitate paucum,& nutritioni minimè aptum generetur, ut teſtatur Gal., 1. *de ſanit. tuend. c.* 9. *claſſ.* 2.

Defectum porrò menſtruorum pro *tertio ſigno* à 28 Cagnol. adductum,omnium eſſe fallaciſſimum,jam novimus Medici. Sed non ſolùm ex menſtruorum defectu non poteſt certò affirmari,mulierẽ in utero 29 habere, ſed neque ex eorum apparentia pro certo judicari poſſumus, illam utero non gerere, cùm & quædam ſint,quæ & prægnantes menſtruantur,& vice verſa aliæ ſint, quæ nunquam, aut rarò menſtruantur, & concipiunt. Mirum dixerim,mulierem nuper tractavi,quæ ſeptem filios peperit;hæc multùm purgabatur,& aſſiduè,tamen non concipiebat, niſi per tres,aut quatuor menſes illi menſtrua deſtitiſſent, tunc concipiens,filios obeſulos,carnoſoſque edebat,& nono quidem menſe verè pariebat ; nam & defectu meſtruorum ſemper ad diem partus duodecim,aut tredecim,menſes intercedebant. Multa inſuper exempla mulierum,quæ menſtruis deſtitutæ conceperunt,habes apud Schenck. *lib.* 4. *obſer. tit. de concept.* & facit hiſtoria 5. *Epidem. ab Hipp.* 30 enarrata de uxore Gorgiæ quæ quatuor annis menſtruâ purgatione privata,tamen concepit. De his autem dicebat Ariſt. 7. *de hiſt. Anim. c.* 2. quòd concipiunt,cùm tantum humoris in eis colligitur,quantum iis,quæ purgantur, reſtare ſolet.

Sed quid plura ? lactentes mulieres concipere 31 quotidie videbis, quæ tamen plurimùm non menſtruantur. Recenſentur & ab eod. Schenck. plura exempla mulierum, quæ gravidæ exiſtentes purgabantur. *ibid. tit. de Gravidis*, & ego non multis abhinc diebus juvenculam curavi ſatis venuſtam,Juliam nomine, cujusdam ſcribæ,vel tabellarii uxorem,quæ cùm antequàm conciperet non benè purgaretur,dehinc utero gerens indeſinenter purgabatur,ita ut quotidie,& non menſtruatim,ut in cæteris,ſanguinem,atque illum quidem non improbandum, ab utero redderet : eſt autem temperamento prædita bilioſo,puella verò,quàm ex ea prægnantia peperit,bene compacta,& obeſula eſt,& bene valet, ita ut hinc colligere facilè liceat, quàm vana ſit ea graviditatis præſumptio,quæ ex defectu menſtruorum elicitur.

Quartum ſignum, quod ex Serapione notat Ca- 32 gnol. (licèt Hipp. ſit) ſunt maculæ in facie, de quibus ita Hipp. *in lib. de ſteril. prope princ. Quæ utero gerunt in facie maculam habent, quam Ephelim vocant*,& paulò infrà, tales maculas habentes,fœmellas geſtare teſtatur : quod ſignum inter potiora à Cagnolo relatum,ſi quod aliud vanũ, ac fallaciſſimum eſt,& quod non modò certi aliquid promittere non poteſt,ſed neque quicquam probabilis;cùm & plurimæ gravidarum tales maculas non habeant, ut quæ mares gerunt,ut elicitur ex Hipp. aſſertione, immò neque omnes,quæ fœmellas in utero habẽt, & multæ non prægnantiũ iis maculis deturpentur, præſertim quæ aut non debito modo,aut non ſufficienter purgantur. Non mirum verò eſt Cagnolum, qui Medicus nunquam fuit(ut ego credo,& ex his, quæ adducit,apertè oſtendit)his nugis adeo fidere, ut ex illis certam prægnantiæ cognitionem extorquere velit;verè enim,ſi Medicus fuiſſet, has meras eſſe nugas cognoviſſet,ut alii Medici factitant, & quamvis *Hipp.* hæc adducat, non tamen adeo illis fidebat, ut *Cagnolus* facit.

Nec

34 Nec minùs quàm cætera jam commemorata omnia, fallaciſſimum prægnantiæ ſignum eſt extranearum rerum appetentia, cum & in non gravidis aliquando reperiatur (ſequitur enim ad aliquem ſtomachi, aut totius corporis morbum) & in gravidis perpetua non ſit, ſed ad tertium aut quartum menſem tantummodò perduret, à ſecundo incipiens. Gal.
35 1. *de Sympt. cauſſ. cap. 7. claſſ. 7.* Alex. *probl. lib. 2. probl.* 74. Avic. 13. *tertii tract. 2 cap.* 10. Pedemont. *in addit. ad Meſ. ſum.* 4. *cap.* 2. Neque etiam gravidis omnibus ſignum hoc eſt commune, ſed iis præſertim familiare, quæ vel primiparæ ſunt, vel in quibus vitioſi humores cumulantur in ventriculo; ſit enim hoc vitium eodem modo, quo pica, ſeu citta, teſte Galen. *comm. Aphor. 5. Aphor. 61.*

36 Ultimum denique ſignum, cui plurimum tribuit *Cagnolus* eſt, quando *mulier ſentit fœtum in utero moveri*; ac benè quidem ſe res haberet, ſi mulier certa eſſet, motum illum à fœtu excitari, ſed de hoc quo-
37 modo certa eſſe poteſt? Motus enim in utero aliquando ex humoribus, ex ventoſitate, ex mola excitari poteſt. Jure ergo Fortun. Fidel. *ubi ſuprà*; etiam hunc motum in utero factum pro infallibili graviditatis ſigno reſpuit; neque enim certam habet ſignificationem: unde inter alia quæ ipſas prægnantes mulieres non modò, ſed & obſtetrices, ac Medicos decipere ſolent, hic motus eſt, teſte Hippoc. 1. *Præd. At quacunque*, inquit, *ſe concipiſſe exiſtimant, neque conceperunt, & multis menſibus decipiuntur, quod menſtrua non compareant, & venter turgeſcere, ac moveri videatur, &c.* quod quidem in mola fit; licèt idem Hippoc. *in. primo de morb. mul.* in mola nullum ſentiri motum voluerit, quod tamen experientiæ contrarium eſſe dicit doctiſſimus vir Petr.
38 Sal. *in Annot. ad Altom. pract. c.* 113. imò non ſolùm moveri molam, ſed eos motus, quos illa effingit, ſimiles eſſe motui embryonis tradit Avic. 21. *tertii, tract. 2. cap.* 18.

39 Præterea abſque eo, quòd quicquam tales motus perſentiat mulier, interdum gravida eſt, & plures indies cernuntur, quæ etiam ſeptimum menſem prætergreſſæ adhuc ſe gravidas eſſe non didicerunt; imò & non poſtremis menſibus, ut dicit Valleſ.
40 *in 4. Epid. text.* 49. & licet ſciam non parum differre motum fœtus ab eo, quem excitat mola, vel ventoſitas; nam ventoſitatis motus neque continuus eſt, neque ordinatus, mola non movetur ex ſe, ſed ad motum mulieris, & in ſumma non minima intercedit differentia inter unum, & alium motum, ut optimè docet Fernel. *Pathol. libro 6. capite* 17. tamen ego experientiæ majorem fidem adhibeo, cùm viderim doctiſſimos, ac primi nominis Medicos, atque Chirurgos, & expertiſſimas obſtetrices in ea re falli non ſemel, aut bis, & tamen cum principibus perſonis agebatur. Quod abſque dubio indubitatam fidem nobis facere debet, tale prægnantiæ ſignum eſſe, ut reliqua omnia, dubium, ac fallax.

Et quia *Cagnolus*, ſeu quiſquis ſit harum rerum
41 inexpertus, objicere poſſet, quòd horum quidem ſignorum ſingula per ſe ſint abſque dubio incerta ac fallacia, ſimul tamen juncta poſſint plenam, ac infallibilem prægnantiæ probationem facere: ſciendum eſt, omnia hæc ſimul juncta cum aliis quam-
42 plurimis ab aliis relatis ſignis poſſe ex morbo, ac præternaturali cauſa originem habere: nam pone mihi mulierem, cui menſtrua ex alia cauſa, quàm ex prægnantia, aut ætate defecerint, huic profectò & ciborum ineſſe poterunt faſtidia, & proclivitas ad vomitum, & ventris tumefactio, & lac in mammillis, & maculæ in facie, & motus excitatio in ventre & color totius corporis pallidus; & ſi quæ alia referri poſſunt pro ſignis prægnantiæ: omnia enim ac ſingula communia ſunt tam prægnantiæ, quàm menſtruorum retentioni, ut proſequitur Valleſ. *ubi ſuprà*, & Codronch. *in meth. teſt. cap.* 12. Nec minùs fruſtrà, quàm laboraverit Cagnolus, videretur laboraſſe Cagnatus, ſi ex ſignis ab eo relatis non minùs quàm ſuperiora fallacibus, conceptum viginti, aut etiam decem dierum cognoſci infallibiter poſſe affirmaſſet; non tamen hoc firmavit Cagnatus, ſed præſumptionem quandam prægnantiæ nos ex illis poſſe deſumere volait: aliàs enim illud ipſum, quod Cagnatus ex ſignis ab eo adductis promittit, difficillimum eſt cognoſcere; quippè cum ea non modò conceptum jam fœtum, ſed diem conceptionis indicare poſſent, ſi certitudinis quid haberent; cum tamen conceptus dies, & hora neſciatur, & ipſaſmet mulieres lateat, ut tradunt etiam ipſi Legumperiti, *l. 1. §. mulier, ff. de lib. agnoſc. gloſſ. in cap. 1. §. in Lege, in verbo quadraginta, diſt.* 5. Cagnol. *in l. 1. ff. ſi cert. pet. num.* 199. Burſ. *conſil.* 63. *num.* 21. *vol.* 1. Maſcard. *de Probat. concluſ.* 805. *num.* 6. *vol.* 2. *& concluſ.* 1146. *num.* 31. *vol.* 3. quod ex Ariſtotele habent 7. *de hiſtor. anim. cap.* 4. Altograd. *conſ.* 52. *num.* 39. *& ſeqq.* ita ut neque in ipſis mulieribus credatur aſſerentibus ſe eſſe, vel non eſſe gravidas. Bart. *in l. Gallus, n.* 14 *ff. de lib. & Poſth.* Alciat. *ibid. num.* 78. Giurba *ad conſuet. Meſſanenſ. cap.* 8. *gloſſ.* 2. *part.* 1. *num.* 5. peculiare exhiberet exemplum Antigonis uxor apud Hipp. *lib.* 4. *epidem. num.* 49. quæ in octavo onere geſtationis adhuc incerta erat, an utero gereret, necne.

Etenim etiamſi vulva à concubitu ſicca remanens 46
fidem facere poſſit jam celebratæ conceptionis, ſcimus tamen conceptionem nonniſi tunc verè poſſe dici factam ex Hipp. cum ſemen in uteris ſeptem diebus permanſerit: plurimus enim, ac pluries uterus à coitu ſiccus remanet, & ſemen quidem attractum retinetur, quod tamen non multo poſt foras prolabitur. Eodem quoque pacto capitis gravitas, totius corporis, & ipſius capitis dolores, & oculorum caligines mulieribus, quæ non conceperunt, etiam ex ipſo coitu, non ſecuto conceptu, accidere ſolent, & ſecuto quidem conceptu, non accidere. Quin etiam ſi hæc ipſa perpetua forent, & ſemper eodem modo fierent, tamen difficulter conſiderati, ac animadverti poſſunt, & ad noſtræ quæſtionis inſtitutum minimè faciunt, cùm nunquam occurrat de tam recenti conceptu dijudicare: nam neque ipſæ mulieres ante menſem ſaltem de prægnantia quicquam ne per hæſitantiam quidem niſi de tarò affirmant.

Cæterùm experimenta ad explorandam prægnan- 47
tiam propoſita duplici defectu laborant: primò, quòd omninò fallacia reperiantur: ſecundò, quòd periculi plena exiſtant. Codronch. *ubi ſuprà.* Inter
quæ experimenta primum locum obtinet Mulſa, hoc 48
eſt, aquæ & mellis mixtura (Mulſum namque mixtu- 49
ra eſt ex vino, & mel le, *l. Adeo quid, §. Inſula, ff. de acquir. rer. dom. l. Idem Pompon. §. idem ſcribit, ff. de rei vend.* & ex noſtris Dioſcorid. *lib.* 5. *c.* 12.) de hac Hipp. *Aphor. ſect.* 5. *Aph.* 41. ita habet: *Si velis noſcere, an conceperit mulier, cùm dormitura eſt, ei aquam mulſam potandam da, & ſi alvi tormina patietur, concepit, ſin minùs non concepit.* Hoc experimentum, ut ceteris quibuſq; ſecurius, à cæteris omnib. poſteriorib. proponitur, cum tamen adeò incertum ac fallax ſit, ut in non aſſuetis mulierib. & in iis quæ obſtructione laborant, facillimè tormina procurare valeat,

præſertim

præſe rtim ſi à cœna propinetur, ut jubet Hippocr. Præte ærea quàm periculoſum ſit tormina in prægnan tibus excitare, vel ipſæ obſtetriculæ noverunt, cum ex his facili negotio ſubſequi poſſit abortus. Adde quòd Mulſa per ſe etiam menſtrua provocat,
50 nam & urinam ciet. Hippocrat. *de Vict. rat. in morb. acut. in princip.* quæ verò urinam cient, etiam menſtrua provocare poſſunt, & quæ menſtrua provocant, abortum abſque dubio cauſare ſolent.

51 Nec minori periculo vacat aliud experimentum *ſui fœtûs*, pari etiam fallacia cum ſuperiori dotatum; de quo idem Hippoc. mentionem habet *ibid. Aph.*
52 5 9. utitur tamen hoc experimento ad explorandam mulieris fœcunditatem, vel ſterilitatem; alii verò etiam ad explorandum conceptum jam factum. Quod autem fallax ſit, docet experientia, quia etiam gravida non exiſtente muliere, ſed uteri, aut viſcerum obſtructionibus laborante, odor ſuffitus ad na-
53 res non pervenit, ut in his quæ conceperunt uſuvenire autumant: præterquam quòd ſuffitus aromatum, qualis hic eſſe debet, ut docet Galen. *in comm. ejuſdem Aphor.* muliebria, hoc eſt, purgationes movet, tradente eodem Hippoc. *Aphor. ſect. quinta, Aphor.* 38.

Eandem fallaciam, eademque incommoda, ac pe-
54 ricula ſecum afferunt quæcunque alia experimenta proponuntur, ut alii, ariſtolochiæ, galbani, aut hujuſmodi medicamentorum appoſitio, quorum plura recitat idem Hippoc. *in lib. de ſteril. & alibi.* Quamobrem nec iis uti, neque utentibus fidem habere convenit, quemadmodum neque cæteris ab eodem Hipp. *ibid.* propoſitis & ab Avic. 21. 3. *tract.* 1. c. 4. ad dignoſcendum, utrùm marem, vel fœmellam gerat mulier, ex cujus rei cognitione habetur ſimul cognito prægnantiæ: nam & hæc pariter fallacia, ac penè vana ſunt, ut fitmat Amat. Luſit. *Curat. Med. cent.* 1. *curat.* 70.

Concludamus ergo ex prædictis; quòd certa prægnantiæ cognitio ex nullis ſignis indubitatò haberi poteſt, ſed benè conjecturalis, ac dubia; nullum enim ſignum tam proprium prægnantiæ habemus, quod ex aliqua alia præternaturali cauſa originem habere non poſſit, Valleſ. *in 4. Epidem. numero* 49. neque ullum tam certum, ac tutum experimentum, ut illi indubitatam fidem præſtare liceat. Remanent ergo concluſiones, à me in principio hujus quæſtionis propoſitæ, in ſuo robore, & Cagnoli aſſertio, ſeu cujuſcumque ſit, tanquam falſa evaneſcit, cum tamen, ut dixi, jure ſit excuſandus. Hæc autem omnia univerſaliter ſunt intelligenda, nam bene in caſibus particularibus uſuvenit, ut certo certiùs prægnantia deprehendatur. Sed ex particularibus non poſſunt elici concluſiones univerſales: itaque univerſalia eorum plurima, quæ diximus, veritatem habent.

SUMMARIUM.

1 *Prægnantia ſigna quædam magis uni ætati, quàm alteri familiaria ſunt.*
2 *Signa prægnantia pro temperamentorum ratione in individuis evariant.*
3 *Signa prægnantia pro temporis geſtationis ratione varia ſunt.*
4 *Orda ſymptomatum in non prægnante pervertitur.*
5 *Non omnia ſigna in omnibus, neque in omni prægnantia apparent.*
6 *Recentis conceptus ſigna, & num.* 8.
7 *Natura ſuo fine poſita non amplius appetit media ad finem ducentia.*
9 *Provectioris conceptus ſigna ex multis habentur.*
10 *Signa ex facie deſumpta.*
11 *Signa ex pectore, & mammis*
12 *Signa ex ventriculo, n.* 14.
13 *Exiranei prægnantiam appetitus.*
16 *Signa ex ventre.*
16 *Signa ex utero.*
17 *Signa ex univerſo corpore.*
18 *Experimenta ad dignoſcendum prægnantiam neque certa neque tuta.*
19 *Primum experimentum.*
20 *Eretria eppidum.*
21 *Rubrica quid.*
22 *Synopis Mithridatis patria.*
23 *Secundum experimentum.*
24 *Tertium experimentum.*
25 *Quartum experimentum.*
26 *Inane eſt ex urinis quid certi promittere in prægnantia inveſtigatione.*
27 *Audacia, ac impudentia ignorantiam concomitantur.*
28 *Quintum experimentum.*
29 *Affectus qui ſolent ſimilia ſigna prægnantia deſe præbere, num. ſeq.*
31 *Menſtrua retenta à prægnantia quæ diſtinguant, & numeris* 32. 34. 35. 36. 37. 38.
33 *Oculorum contractio in prægnante unde.*
39 *Mola à prægnantia ex quibus diſtinguantur.*
40 *Lac in mola non innaſcitur, die ut ibid.*
41 *In prægnantia cur nullius in ventre gravitatis ſenſus.*
42 *Fœtus eſt portio viſcerum matris.*
43 *Conceptus in utero reſpondet proportione fructibus arborum, contrarium num. ſeq.*
45 *Mola non poteſt dici pars ventris.*
46 *Tumor ventris in mola durior, & manum tangentis effugit.*
47 *Indicia, ex quibus potius molam, quàm verum conceptum in utero habere mulierem præſumi poteſt.*
48 *Mola ex pauco, & morboſo ſemine, & quomodo generetur.*
49 *Signa prægnantia in mulieribus lac præbentibus.*
50 *In lac præbentibus facilius prægnantia ſymptomata apparent.*

De ſignis, ex quibus prægnantiæ conjectura depromi poteſt.

QVÆSTIO II.

CUm ergo tam arduum, ac perdifficile ſit, prægnantiæ certam habere cognitionem, ac facillimum, Medicum, & obſtetricem, ac quemcunque, qui judicium ferre debeat, in ea re decipi, ſummâ utamur circumſpectione in judicando neceſſe eſt. Quamobrem antequam de ſignis, quæ ſeſe produnt, quicquam certi proferamus, multa in conſiderationem adhibere opus eſt, diligenterque ea perſcrutari, ac exquiſito examine perpendere. Ac primùm quidem mulieris ætas, ac temperamentum, 1
uterique ferendi conſuetudo contemplanda, quædam enim facilius in una ætate, ac in certo temperamento manifeſtantur; ſic in juvenculis, utpotè utero ferendo non aſſuetis, ea ſymptomata & numero plura, & evidentiora apparent, & longiori tempore perdurant, & majorem multò moleſtiam afferunt, quæ in ſenioribus, & aſſuetis contrario modo eveniunt; nam & pauciora ſunt, & toleratu faciliora, & minori tempore affligunt.

Secundùm eandem quoque rationem quædam ſigna in calido temperamento elucent, alia quædam in frigido. In calido oris amaror, capitis dolor acutior oculorum obtenebrationes, ſyncope, oris ventriculi morſus, vomitus bilioſus, & cætera ad hunc 2
modum. In frigido eructatio acetoſa, corporis languor, oſcitationes, torpor, pigritia, capitis gravedo, vomitus pituitoſus, & hujuſmodi alia ſuccedunt, prout temperamenti ipſius natura ferre ſolet, vel prout menſtrua ipſa ad frigidum aut calidum declinaverint, vel bilioſa, vel pituitoſa, vel melancholica fuerint.

Conſi-

Conſiderandum inſuper venit, an mulier aliàs uterum geſtaverit, inſimulque quibus tunc ſymptomatibus vexata fuerit, quæ potiora prægnantiæ ſigna habuerit; ſi enim hæc prioribus reſpondeant, faciliùs, aliis adhibitis adminiculis, poteris judicare, an illa in utero habeat; quin etiam interroganda eſt, an aliàs utero gerens purgari conſueverit aliquando, & quando, & quanto tempore, & quanam 3 quantitate, & quomodo, & cujus tunc qualitatis menſtrua fuerint. Venit præterea perſcrutandum, quot menſium fœtum in utero habeat, vel habere ſe putet, cùm quædam ſigna in primis menſibus, nonnulla in intermediis, quædam verò in poſte- 4 rioribus eveniant, certo quodam ſervato ordine, ut deinceps videbimus; aliàs enim talis ordo in non prægnantē omninò pervertitur, & ſymptomata in dies augeſcunt, nec, ut in prægnantia fit, ſtato tempore remittuntur, cùm neque debito tempore ſeſe prodant.

Ultra prædicta verò diligenter circa purgationes menſtruas interrogetur mulier, an extra prægnantiam earum unquam defectu, vel diminutione, vel ſtillicidio laboraverit, & quantum, & quomodò purgetur, an ſingulis, vel alternis menſibus, cujuſque qualitatis purgationes, an colore nimirum rubicundo, vel ad albedinem vergente, vel ad citrinitatem potiùs, aut livedinem; ex iis enim faciliùs in cognitionem venire poſſumus, an ex morbo, vel ex prægnantia ſigna ſeſe prodentia originem habeant.

Denique inquirendum eſt, an mulier hepatis, ſplenis, uteri, vel aliarum partium obſtructionibus obnoxia ſit, vel aliàs unquam fuerit, an aliquis morbus præceſſerit, utrúmve talis morbus ſit illi veluti cognatus, ac familiaris, & an aliàs cum eo morbo conceperit, & quænam accidentia ex eo morbo illum moleſtare conſueverint, & cætera ad eandem rationem, quæ optimè noverunt Docti Medici.

His optimè perſpectis, ac conſideratis, ad ſigna perſcrutanda accedamus, quæ nobis tunc obviam 5 fiunt, quæ quidem plurima ſunt, non tamen omnia in omnibus, neque quolibet tempore, neque in omni prægnantia apparent, ſed in aliis alia, ut ſuperiùs innuimus.

Primò ergo recentioris conceptus ſigna hæc ab 6 Auctoribus traduntur, quæ tamen omnia penè ex ipſis mulieribus venari cogimur. Si itaque mulier cum viro commixtam ſe fateatur, & in coitu multâ, ac conſueto etiam majori tentatam delectatione, uterumque in feminis effuſione veluti ſugentem, ac ſemen ad ſe allicientem expertam, tunc quantum hæc promittere poſſunt, conceptionem factam eſſe fateri licet. Sic etiam ſi vir à coitu virgam veluti ſuctam habuerit, & ſemen quidem emiſiſſe ſe dicat, mulier verò loca exſucca, vel modica humiditate reſperſa habuerit, mox neque illicò à coitu, neque poſtridie ſemen excidiſſe animadverterit. Non aliter quoque, ſi vel illicò à coitu, vel poſtridie mulier leviter absque ſuccedēte febre perhorreſcat, atque uterum in ſemetipſum contrahi percipiat, ſi dolor levis inter umbilicum, & pudenda illam vexaverit, ſi coitûs faſtidium, ac veluti odium & diſplicentia quædam acceſſerit; Natura enim ſuo fine 7 potita non amplius appetit media quibus anteà potiri fine deſiderabat, quod in brutis manifeſtius eſt. Hæc ſi ita eveniſſe conſtare poſſit, magnam factæ 8 conceptionis conjecturam præbere poterunt; ſed tamen cognitu difficiliora multò ſunt, quàm quæ ſequuntur. Sunt enim quæ, cum conceperunt, illicò moroſæ evadunt, ac quavis ex cauſa facillimè irritantur, eæ præſertim, quæ melancholico ſunt temperamento, & melancholica menſtrua demittunt. Succedit aliquibus, aut pluribus corporis torpor quidam, ac pigritia, & appetitus dejectio, ita ut non ſicuti ante bene appetant; ſed veluti cibū negligant. Sunt etiam quibus intra breve conceptionis tempus nauſea, ac vomitus accedat, & malacia, hoc eſt, extranearum rerum appetentia ſuboriatur, juvenculis præſertim, utero gerendo non aſſuetis. Menſtrua ſi apparere debeant, vel exitum remorantur, vel omnino non comparent, vel quaſi ſtillantia, & in modica quantitate, & colore albicantia; ſi quis autem dolor mulierem vexabat, renum præcipuè, ac dorſi; mox lenitus videtur, & indies magis magiſque ceſſare, ut annuit Hippoc. *in lib. de ſuperfœt.* contrà verò, quibus non aderat, quædam gravitas, ac levis renū dolor, ac lumborum prehendit. Eſt etiam quando urina vel reſtitat, vel nonniſi cum aliquali difficultate, ac nixu quodam redditur non conſueto, vel ejusdem incontinentia moleſtiam affert, comprimente nimirum utero ipſam veſicam, atque hæc quidem nonnullis intra menſem apparent, pleriſque autem multò ſeriùs. Hæc ſunt, quæ poſſunt factum conceptum primo, aut ſecundo menſe demonſtrare: quibus adde ſignum ex utero deſumptum, de quo infrà. Quod ſi cum expertis, & uterum ferre aſſuetis mulieribus res agatur, certiora evadent omnia, quippè cum non ſolum intra dictum terminum, ſed illico à coitu hujusmodi mulieres, ſi animum advertant, ſe concepiſſe ſcire poſſint, ut firmat Hipp. *de Genit.* ex Med. verò experientia adeò recentis conceptus cognitionem certiorem habere non licet.

Ad conceptus ergo provectioris ſigna accedentes, ea ex variarum rerum conſideratione habere poſſe dicimus: nam quædam ex parte matris, quædam ex parte uteri, & ventris; quædam ex aliquibus accidentibus, aut affectibus eliciuntur, ut infrà explica- 9 bimus. Ex matre igitur primò hæc habentur: facies colore ſolito pallidior, ac magis extenuata, 10 abſque hoc, quòd ab aliquo prægreſſo morbo, vel evidenti quadam cauſa, ut timore, triſtitia, jejunio, vigilia, aut hujusmodi quopiam originem habuerit. In fronte interdum maculas quaſdam lividas, vel citrinas, vel aliquo externo colore cutem defœdantes conſpiciemus, ac faciem univerſam lentiginibus aliàs mulieri non familiaribus reſperſam. Oculi conſueto contractiores, ac magis cavi exiſtent, & album ipſorum lividiùs evadet, vel ad quandam verget citrinitatem, cui ſigno plurimum videtur tribuere Hippocrat. *in lib. de ſup. & in lib. de ſter.* cum dicat, *Si non ex aliis, ſalutem ex hoc prægnantem eſſe mulierem deprehendere poteris*, tanquam hoc multò potiorem, ac certiorem prægnantiæ ſignificationem præbeat. Præterà oculorum pupillæ clariores evaſiſſe videbuntur, præſertim in iis, quæ mares geſtant, aut fortes fœtus, & aliquando album oculorum increſſatum videtur, ac veluti foras conſuetò magis prominere.

Pectus ſubindè, & mammas conſiderantes, ſub 11 lactis præcipuè generationem, tertio nimirum, vel quarto prægnantiæ menſe, mammas dolere comperiemus, dehinc paulatim quoque tumeſieri, earumque venas patentiores, craſſiores, & colore liventes, vel citrinas apparere: arterias jugulum perreptantes, ſi pauliſper mulier exerceatur, plus ſolito pulſare, ac quibusdam quoque cordis pulſum eſſe moleſtum, mammarum inſuper papillas denigrari, & in iis, quæ mares in utero habent, ſurſum

vergere,

vergere, in iis,quæ fœminas geſtant, deorſum inclinare, teſte Hippocrate *in lib. cit. de ſteril. prope principium*, circa prædictas autem mammarum papillas circulus colore nigriuſculus, magis conſueto fuſcus animadveritur.Hinc etiam lac tertio, ut dixi,vel quarto menſe de ſe ſignificationem præbet.

Portò ſub hoc idem tempus,imò & per menſem
12 ante,vini,ac cibi faſtidia adveniunt: mulier non ut ante benè appetit,ori ventriculi morſum perſentit, nauſea,& vomitus & jejunæ,& paſtæ indifferenter ſuccedunt:os frequenti ſalivâ abundat, & quibusdum amariuſculum cùm jejunant,evadit,quasdam eructatio acetoſa, & ciborum exercet inconcoctio; quibusdam etiam extranea quædam,& quotidiano ciborum uſu abhorrentia expetuntur, quæ ſi denegentur, vel abortum faciunt,vel in ſyncopen facili negotio labuntur:atque hæc quidem in iis frequentiùs, faciliúsque eveniunt, in quibus pravi humores dominantur,plerisque tamen rerum acerbarum atque acrium, ſalſarum, aut acidarum, fructuum immaturorum,ac præcocium irrationale quoddam & inexplebile deſiderium oboritur.Quædam cibos quosdam peculiares, & qui antea ſummoperè arridebant, vinum, aquam è certo puteo, aut fonte hauſtam, certas certorum locorum aut animalium carnes ac edulia ita odio habent,ut,ſi ea ſibi offerantur,vel caſu viderint, vel nominari etiam audiverint,in animi defectum promptiſſimè labantur. Quædam contra cibos,à quibus antea maximè alie-
13 næ erant, prægnantes inſatiabiliter avent, & eos ſumma cum voluptate præſtant; ac mirabile quidem eſt hæc rerum deſideria, vel ab eis averſionẽ, in ipſis etiam extra prægnantiam, ac per longum tempus, imò toto vitæ curriculo interdum perdurare. Mulierem vidi, quæ cùm ante quàm utero gereret, vinum, ut aliæ factitant,amaret, prægnans facta ab eo ita alienata eſt,ut jam per multos annos ne odorem quidem illius perſentire valeat. Aliam novi, quæ omnia ſalita odio habet,cùm tamen in prægnantia nonniſi ſalitis cibaretur. Pejor eoram conditio eſt, in quibus humores naturalem ſtatum longè prætergreſſi, terram, carbones, cretam, calcem, glaciem, ſtuppam, crudos piſces, aut carnes, & abſurdiora quædam expetere cogunt,itaut nonniſi riſu excipi aliquando poſſint hujusmodi prægnantium appetitus.

Vidi, quæ equum exenteratum conſpiciens, hepatis equini deſiderio flagraverit.Quandam inſuper proprii mariti barbâ morſibus appetere aventem, & nonniſi deſiderio ſæpiùs expleto quietem habuiſſe.Altera piſtoris humero ſatiari volebat,quem humeris denudatum quotidie pertranſeuntem obſervaverat, & nonniſi pretio ultrò piſtori oblato, & ejus humero avidè commorſo, ab eo deſiderio abſtinuit:quam hiſtoriam cum aliis pluribus, quæ riſum lectori excitare poſſunt, recitat Schenchk. *obſerv.ſuarum lib. 4. de Gravidis.*

Sunt præterea nonnullæ,quæ jejunium tolerare nequeunt:quòd ſi jejunare cognantur,animo facilè
14 linquuntur.Quod ſymptoma,& alia,ac modica quidem ex cauſa evenit aliis quibusdam,ut ſi longiori tempore ſtare cogantur, vel diutiùs ſedere, vel ubi nimis arctè veſtibus præcinctæ fuerint.

Venter cum his indies tumefieri obſervatur, ac conſueto magis calens percipitur,tumor autem non
15 durus,nec laxus apparet, aut diffluẽs,nec ex eo venter tenſus remanet,ſed cum leni quadam renitentia mollis reperitur. Dolor levis inter umbilicum, & pectinem ſubinde angit,ac procedente tempore motus quidam ſuavis, ac ordinatus tangenti perſentitur, Quibusdam vena quædam nigra ab umbilico ad pudenda protenditur, & univerſim imi ventris venæ craſſiores, & obſcuriores apparent.

Os uteri in conceptionis principio facilè tangitur, 16
& absque manifeſta duritie convenire videtur:hoc enim maximum eſt mulieris, quæ concipit, indicium,inquit Gal.*de Nat. facult. lib. 3. cap. 3. claſ. prima, & 6. de oc. aff. c.5. claſ.4.& 5.Aphor. 51.extr. ord. claſ.*ſuccedente verò tempore, difficiliùs, ac multò magis quàm extra prægnantiam, uteri os tangere licet, remeante quippe ad ſuperiora utero,& circa conceptum fœtum ſeſe recolligente. Succedit menſtruorum totalis defectus, cujus loco in iis, quæ ſanguine abundant, hæmorrhoides,licet rarò, excitantur;frequentiùs ad ſuperiores partes,caput nimirum, recurrens ſanguis hæmorrhagiam excitat; ſed & interdum, licet rariſſimè contingat (tamen aliquando evenire ipſemet vidi) vomitu ſanguis rejicitur, vel alia ex parte foràs prodit;hæc tamen etiam extra prægnantiam ex menſtruorum defectu eveniunt.

Ex univerſo demum corpore habentur aliqua 17
prægnantiæ ſigna: ſiquidem ejus color ad citrinitatem quandam inclinat,aut leviorem,præſertim in iis, quæ fœmellas gerunt:ubi enim mulier gravida eſt,tota pallida redditur, Hippocrates *in princip. de morb. mul.* ubi & ejus rei rationem habes. Succedit ejusdem corporis gravitas, ac pigritia, & deſidia; quibusdam tradente Ariſtole *7. de hiſt. Anim. c. 4.* tumores,exulcerationeſque carnis in cruribus, atque inferioribus membris exoriuntur: eædemque partes interdum veluti cachecticis, aut hydropicis inflãtur,& aquoſo tumore extuberant,iis præcipuè quæ cæteris magis pituitoſæ ſunt,& humido dotatæ temperamento.Venæ non mãmarum ſolùm, ac ventris, ſed etiam corporis totius procedente tempore incraſſantur, & in lividiorem colorem nativum mutant. Superveniunt præter hæc alia inſuper ſymptomata, primis præſertim menſibus, ut dixi ſuprà, capitis nimirum dolor, ſeu gravedo, vertigo, oculorum obtenebrationes, oſcitationes frequentes, & hujuſmodi. Mœror, & ſubinde lætitia abſque illa rationali cauſa, veluti in melancholicis excitantur.Eſt etiam quando pili ex conſuetis locis defluant, & in non conſuetis repullulent,eod. Ariſt. teſte, *ibi ſupra.* Dorſum tactu frigidum perſentiri tradunt aliqui, collum verò calidum, Aët.*ſerm.16.cap.*8.Alia quoque recenſere poſſem ſigna prægnantiam indicantia, quæ brevitati ſtudens omitto; cùm aliàs non magni momenti ſint,ac minùs fallacia & tutiora exiſtant,quæ commemoravimus: quorum profectò alia ab aliis Auctoribus addantur,nonnulla experientiâ habentur, præcipua verò ab Hippocrate proponuntur *in lib. de genit.de ſuperfœt. de ſteril. & in aliis*, quæ ad mulieres ſpectant, à Galeno ſparſim *in multis locis* ab Avicenna *21. tertii, tract. 1. cap. 13:* ab Aët. *ſerm. 4. capite 8. libro 4.* à Rhaſ.*22. Contin. tract. 6. cap. 1.* & ab aliis omnibus practicis,præſertim verò ab iis, qui de mulierum morbis, aut de iis,quæ ad mulieres pertinent, ſcripſerunt in propriis capitibus de Prægnantia:exquiſitiùs tamen, quàm ab alio quocunque, & copioſiùs à Marinello *de medic. mulieb. rib. 3. cap. 2.*

Cæterùm experimenta, quæ ad ejus rei periculum faciendum proponuntur ſicco, ut aiunt,pede 18
datâ operâ pertranſire in animo habebam, cùm & minùs tuta, & omninò fallacia eſſe & experientia docuerit, & ſuprà jam à nobis ipſis firmatum ſit;

cum

cùm tamen nonnulla eorum nobis ſeſe offerant, quæ experiri abſque ullo prægnantis incommodo licet (quanquam & hæc ipſa pari fallacia non deſtitui ſcio) volens proponam, quorum primum Hipp. *eſt in lib. de nat. mulier. verſ. fin.* ubi hæc habet.

19 *Si periculum facere velis in muliere, an prægnans ſit necne, terra Ærythrea, aut rubrica oculos illine, ſi medicament. intrò ſubjecerit, prægnans eſt, ſin minùs, minimè.* Quid verò ſit terra Erithrea, aut Eretria, non ſatis conſtat: cùm nullus recentiorũ adhuc determinaverit, quantùm ego venari potui, & teſtatur etiã Cæſalpin. *de Metal. lib. 1. cap. 11.* de ea mentionem habet Dioſc. *lib. 5. c. 128.* eamque duorum generum eſſe tradit; alterum colore vehementer albo, alterum cineritio. Eretriam oppidum fuiſſe Eubœæ conſtat ex Plinio, unde fortaſſe ea terra advehebatur: Rubri-

20 cam verò, licet non omnino notam, non tamen ut prædicta Eretria terra ignotam, volunt terram eſſe rubram, qua lignarii fabri lineas ducunt, atque inde

21 rubricas nomen deduxiſſe quod hac terra olim notabantur, dicitur, verò hæc rubrica fabrilis; nam & altera eſt, quæ Synopica appellatur, quod ex Synope Cappadociæ, vel Galatiæ urbe ad Pontum Euxinum

22 ſita, & magni illius Mithridatis patria, teſte Herod. *in Clio, ſeu ſib. 1.* antiquitùs aſport batur, & hanc Matthiol. in *Dioſcorid. lib. 5. cap. 71.* Bolum Armen. vulgarem eſſe tradit. Addit Cæſalpin. *ubi ſuprà* ex Dioſcor. tertium rubricæ genus, quod terram Lemniam eſſe dicit, *cap. 13.* de qua verò intellexit Hipp. mihi non conſtat: utramque uſurpari poſſe mihi perſuaſerim: non multum enim inter ſe fortaſſe manifeſtis qualitatibus differunt.

23 Aliud experimentum ponitur à Mizaldo, & recitatur à Vvecker. *lib. ſecret. cap. de morb. ventr.* & eſt tale: Mulierem in æreo vaſe urinam reddere cura, & per noctẽ unam acum ferream, ac perpolitam in vas immerge urinam prædictam continens: ſi prægnans eſt, acus maculis rubris diſtinguetur; ſin minùs, nigreſcet vel ferruginea, aut æruginoſa evadet.

24 Tertium experimentum eſt Fernel. Pathol. *lib. 6. cap. 17.* qui, ſi prægnantis, inquit, urina vino miſceatur, elixarum fabarum juſculo ſimillima evadet. Huic experimento addit Varand. *de morb. mul. lib. 1.*

25 *cap. 2.* quòd ſi urina tribus diebus reſervetur, dehinc per pannum coletur, & appareant animalcula quædam veluti pediculi, prægnans mulier eſt: debet autem urina in loco Soli minimè expoſito, vaſe benè cooperto aſſervari, ac per rarum linteolum tranſco-

26 lari. Sed de urinarum fallacia pluribus agere, inanis opera eſſet, veluti inane eſt quicquid ex earum qualitate deprehendendum nobis promittunt nonnulli Auctores; non minùs enim ex urinis prægnantem eſſe mulierem quis unquam cognoſcet, quàm ſi ex iiſdem urinis intimas, atque occultas ejuſdem mulieris cogitationes expiſcari velit; & deridendi ſunt tanquam falſi impoſtores, audaces illi, ac omninò imperiti Medici (nam ſemper audacia, vel impudentia ignorantiam concomitatur, Hippoc. teſte *in leg.*)

27 qui ex urinæ ſoliùs inſpectione tale quid ſe conjicere jactant: quibus tamen ſi neſciis urinas virorum, aut brutorum conſpiciendas objicies, prægnantiam etiam in viris, ac brutorum maribus præſentem eſſe judicabunt, quod quidem plures docti viri teſtantur, ex quibus ſatis ſit adduxiſſe Valleſ. *controv. Med. lib. 3. cap. 28.* Joub. *lib. 3. Error. popul. cap. 3.* Salvian. *de Urin. lib. 2. cap. 8. in fin.* Fortun. Fidel. *de Relat. Med. c. 4.* *Merc. in lib. della Commare lib. 1. cap. 10. & lib. 2. Err. pop. cap. 29.* Plater. *Quæſt. Med. Parad. n. 69.* qui omninò Medico indignum exiſtimat, ut tale quid jactare audeat.

Sed addunt nonnulli his experimentis etiam ſub- 28
ſequens: Sanguinis prægnantis mulieris, vel quam prægnantem eſſe ſuſpicamur, gutræ aliquot in aqua ponuntur: quod ſi eæ fundum petant, ſalva res eſt; ſin minùs, ptægnans non eſt. Horum verò experimentorum rationes præterquam quod difficile eſt afferre, non eſt aptus hic locus.

Veruntamen cùm jam, quoad permiſſum noſtris viribus fuit, accuratiùs ſigna, ac indicia, quæ in pluribus, & ut plurimùm in prægnantia apparent, attulerimus, ad ulteriora progrediamur; & quod non minus negotium faceſſit, edocendum nunc eſt, quomodo hæc ipſa indicia diſtinguere liceat, cùm ex prægnantia eveniunt, ab iis quæ non ex prægnantia, ſed ex affectu quodam præternaturali, ac morboſo ſuboriri conſueverunt, his prorſus non diſſimilia.

Sciendum ergò, duos præcipuè eſſe affectus, qui 29
prægnantiæ ſimilia de ſe indicia produnt, menſtruorum ſcilicet retentionem frequentiùs, molam verò rariùs. Addi etiam poteſt ex Hipp. 2. *de morb. mul. verſ. fin.* uteri clauſura, ſeu concluſio; nam & ex hac 30
eadem qualia prægnantibus, ad ſeptimum & octavum uſque menſem contingunt. At menſtruorum defectus deprehenditur, ſi morbum aliquem præceſſiſſe mulier confiteatur, ut febrem, viſcerum obſtructiones, & hujusmodi; quinetiam, & cùm ex retentione menſtruorum horreſcentes febricitant, molam verè tales morbos præceſſiſſe opus non eſt, ſed ex ſe in ſana muliere oriri poteſt. In menſtruorum inſuper retentione dolores, ac ponderoſitas quædam 31
in utero, ac imo ventre ſuboriuntur, quotiescunque tempus accidit, quò mulier menſtrua patiebatur, vel menſtruari debebat.

Symptomata porrò, de quibus mentionem feci- 32
mus, in prægnante usque ad quartum menſem ad ſummum perdurare ſolent; hinc verò remitti ſenſim incipiunt; in ea verò quæ menſtruorum defectu laborat, tardiùs ut plurimùm comparent, & poſtquam apparuerint, non remittunt, ſed potius augeſcunt, quousque Natura, aut arte menſtrua, ac conſueta purgatio procuretur. Quin & in non prægnantibus inæquales apparent horrores ex menſtruorum retentione & lumborum, colli, ac capitis dolores, faciei verò pallores, oculorum contractiones, pupillarum claritates in non prægnantibus vel omninò non obſervantur, vel longo poſt tempore; nam pallor, & oculorum contractiones in prægnante ob id fiunt quia fœtus meliorem ſanguinem à 33
matris venis exugens, matris corpus veluti exangue relinquit: at in ea, quæ menſtruorum defectu, non ex prægnantia laborat, tantùm abeſt ut hoc eveniat, quòd potiùs contrarium accidit, remeat enim retentus ſanguis ad ſuperiores venas, unde eſt, quòd ex menſtruorum retentione nonnullas pinguiores, non tamen coloratiores evadere videbis. In nõ prægnante etiam gravitas in pudendis, & imò ventre appareret, nec dolor lenis, ut in prægnante, ea loca occupat, ſed aliquando multò acerbior.

Mammas etiam conſideranti, & univerſi corporis 34
venas in prægnante, una pars altera magis tumet, dolet, ac livet, & magis ſolida viſitur, infigniores que venæ, ac nigriores in una parte, quàm in altera viſuntur, prout fœtus in dextra, vel ſiniſtra magis parte commoratur, prout mas, aut fœmina eſt, prout calidior, aut frigidior, niſi gemini in utero ſint, quod tamen rariùs fit: at in ea, quæ non menſtruatur ex morbo, æqualiter una atque altera mamma, & una atque altera pars dolet, ac tumet, pariterque patentes, & nigras venas habent. Licèt negari non poſſit, aliquando etiam remeantem ab utero ſanguinem in non

prægnante ad ſupetiora, magis ad has, quàm ad illas partes tendere, nimirum magis ad dextras, quàm ad ſiniſtras, & è contrà.

35 Prægnans coitum odio habet, aut ſaltem ejus deſiderium in ea languet; ea verò, quæ menſtrua purgatione deſtituitur, ejus deſiderio magis flagrat ob retentum ſanguinem, corpus partesque genitales calefacientem, ac multò quàm antè libidinoſior eſt, præcipuè ubi ſanguis calidior ſit, & acutior.

36 Tumor denique ventris in prægnante ſenſim, ac ſecundùm temporis rationem, & absque ullo gravitatis ſenſu, aut moleſtia increſcit, ubi autē menſtrua extra graviditatem retenta fuerint, tumor nec proratione ſit, nec citra gravitatis ſenſum, ac moleſtiam, quin etiam non niſi longo poſt tempore, & tunc paucorum dierum termino multò magis, quàm pro ratione augeſcit, quia in prægnante ſenſim, ac quotidie ſanguis ad uterum fertur, Hippocr. *in lib. de Nat. Puer.* In defectu verò menſtruorum, vel ſanguis ad ſupetiora irrepens ventrem inanem relinquit, vel interdum impetu quodam ad conſuetas vias ruens ſubitaneum tumorem excitat. Inſtante porrò purgationis tempore, & à copia ſimul, & à mala ſanguinis qualitate ſtimulata Natura impetum faciens dolores acerbiores excitat, corporis rugitus moleſtant, renum dolor, & gravitas, mammarumque inſuper, & pectoris dolorifica ſenſatio, aliquando etiam urina copioſior redditur, Naturâ per vias urinæ ſuperfluentis humoris portionem demandante.

37 In menſtruorum quoque retentione tumor, ſi appareat, vel inanior eſt, vel multò magis, quàm par ſit durus, & protenſus, venter etiam percuſſus interdum ob collectam ventoſitatem reſonat; quòd ſi motus aliquis perſentiatur, (nam & ſæpe nullus perſentitur) is non continuus eſt, ſed per intervalla, & absque ra-

38 tione excitatus; Motus enim fœtûs ſtatis quibusdam diei horis facilè percipitur & maximè diluculo, cùm mater ipſa novi alimenti indiga, ſuam indigentiam fœtum experiri cogit; unde etiam aliis horis fœtus motu ſe magis prodit, ſi mater nimis jejuna permaneat. De motu tamen hujusmodi dicebat Hipp. *in lib. de ſterilibus*, quòd ſi tranſacto tertio, aut quarto menſe nullus percipiatur motus, hic certè morbum adeſſe aliquem ſuſpicaberis.

39 Ex eadem motûs varietate poteris molam à prægnantia diſtinguere; præterquam quòd mulier e ſe ad alteram partem convertente, ſimul etiam Mola veluti pondus ventri inhærens convertitur, ac prolabitur; lac in mola non innaſcitur, quod etiam Hippocr.

40 *ubi ſuprà* teſtatur; non innaſcitur, inquam, debito tempore, & cùm naſcitur, pauciſſimum, ac pravæ omninò qualitatis eſt, & colore lividius. Teſtatur enim Salius *in annot. ad Altom. pract. c.* 115. in mola experientia compertum eſſe, & motum apparere, & lac etiam in mammis colligi, ut ſuprà repetii.

41 In prægnantia, ut dixi, nullus eſt in ventre gravitatis ſenſus: nam conceptus naturalis eſt quaſi pars ipſius matris, & dicitur portio viſcerum matris, *l. Temporibus, §. ex hoc reſcripto. ff. de Ventr. inſpic. §. ſi*

42 *quis Ancillam de leg.* Gloſſ. *in l. ſi prægnans, ff. de Evict.* Jaſ. *in l. Inter ſtipul. §. ſi quis ancillam. n.* 2. *ff. de verb. oblig.* Port. *in pradict. §. ſi quis ancillam. n.* 3. *tit. de legat.* & jure; quia fœtus ſeu conceptus in utero reſ-

43 pondet proportione fructibus arborum, Gal. 11. *de ſimpl. med. fac. cap. de ovis claſſ.* 5. & 4. *Aphor.* 1. *extr. ord. claſſ* Plutarch. *ex ſententia Stoicorum, l.* 5. *de plac. Philoſoph. c.* 15. licèt *in l. Falcidia la* 2. *ff. ad l Falcid.* & ibi Gloſſ. negaverit partum ita eſſe partē matris, ſicut

44 fructus pendentes ſunt partes arboris; quod & ex noſtris firmabat Theophr. *de cauſ. plant. lib.* 1. *cap.* 1. ſed fortaſſe diverſus eſt ſenſus. Satis nobis ſit, quòd cùm conceptus ſit velati pars ventris, mirū non eſt, ſi illū minimè gravet, nam ut Lucr. *lib. de Rer. Nat.* canebat.

Et ſua cuique homini nullo ſunt pondere membra.
Nec caput eſt oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus ſentimus ineſſe.

Mola verò quia eſt quid morboſum, nec idcircò 45 eſt, aut dici poteſt pars ventris, id idcircò illum maximè gravat, & indies gravitas illa adaugetur, ſi & ipſa mola mole increſcat.

Præterea tumor ventris in mola renitentior, ac 46 durior eſt, & ſi illum comprimas, manum effugere comperies ut apoſtemata, quæ folliculo veſtiuntur, factitare ſolent.

Alia inſuper ſunt indicia, quæ poſſunt adminicula- 47 ri, mulierem in utero molam, nō autem verè habere conceptum, ut ſi cum viro eodem per plures annos ſterilis cōmorata eſſet, ſi annoſa jam ſit, aut vir ejus

48 valetudinarius diù vixerit, aut longo morbo laboraverit; ex his enim pancum, ac morboſum ſemen decidi neceſſe eſt, quod quia ad generandum minimè aptum eſt, & mulieris fortaſſe uterus concipiendi avidus, ab utero quidem excidit, interim utero proprium mulieri ſemen concipiente, ut Deo dante in *ſeqq. quæſt.* patefiet. Sic etiam, ſi conſtet virum ſuum natu à ſterilem extitiſſe, mulierem autem fœcundam ac ſanguine multo refertam, calidi temperamenti: vivida enim Natura potius aliquem conceptum, quàm nullum procreare ſtudet.

In lac præbentibus mulieribus denique prægnan- 49 tia deprehēditur, ſi cū iis ſymptomatibus, quæ prægnantibus ſupervenire retulimus mammæ extenuentur, abſque hoc quod menſtrua in ſolita quantitate appareant, nam aliàs ſolent tantiſper fluere cùm concipiunt; ſi lac imminuatur, ac tenuius, & aquoſius, & magis pravæ qualitatis ac coloris efficiatur & ſi cætera eveniant, quæ aliis prægnantibus evenire narravi: nam in lac præbentibus hæc multò faciliùs ap- 50 parere conſueverunt, ex eo quòd faciliùs eorum corpus pravis repleatur humoribus ac ſpiritibus, & ſanguine vacuum non ex prægnantia ſolùm, ſed ex lactis exhibitione promptius reddatur.

PARS SESUNDA.
DE SUPERFOETATIONE.
SUMMARIUM.

1 *Nonnulli negarunt ſuperfœtationem.*
2 *Uterus concepto ſemine illicò ſecundum os arctatur, & clauditur.*
3 *Conceptio dicitur quaſi comprehenſio.*
4 *Os uteri in conceptione connivet, ut ne ſpecill quidem mucronem admittat.*
5 *Non datur ſuperfœtatio. Contrarium num.* 11.
6 *Superfœtatio ſecundum Valverdam eſt quid commentitium.*
7 *Unde demonſtretur facta ſuperfœtatio.*
8 *Tempus partûs geminorum varium eſt pro varietate temporis conceptionis.*
9 *Uno eodemq; tempore concepti eodem tempore naſcuntur.*
10 *Exemplum Valverdæ de tritico relatum ad ſuperfœtationem, confutatur n.* 21 24. & 26.
12 *Superfœtationis exempla.*
13 *Prima ratio ad demonſtrandum, dari ſuperfœtationem.*
14 *Gemelli ſexu diſtincti, iiſdem ſecundis non involvuntur, & cur. ibid.*
15 *Maſculeum ſemen calidius, & ſiccius.*
16 *Secunda ratio.*
17 *Imaginatio non agit ex electione.*
18 *Qua ratione connivente utero fiat nova conceptio.*
19 *In quibus mulieribus fiat ſuperfœtatio, ex Hipp.*
20 *Arteriæ quæ.*

22 *Terra proportione respondet Mater.*
23 *Superfœtantes multum habent sanguinem.*
25 *Mas calidior est fœmina.*
27 *Cur fœmina cæterorum animalium minùs superfœtent, quàm mulier.*
28 *Canis superfatat.*
29 *Ratio cur mulier prægnans coitum admittat?*
31 *Bestiæ quomodo appetant.*
32 *Finis coitûs in brutis est conceptio.*
33 *Homo præter appetitum sensibilem, habet etiam intelligibilem.*
34 *Voluntas recto ordine quomodo moveatur ad appetenda ea quæ vult.*
35 *Superfatatio in cane ut fiat.*

An detur Superfœtatio.

QUÆSTIO III.

DE Superfœtatione hîc agere eo nomine operæ pretium esse duxi, quòd nonnulli casus evenire possent, in quibus & de superfœtatione, an detur, & de ejus natura dubitare Jurisperitis contingatur si mulier prægnans à marito relicta justo mense priorem fœtum parens, mox ab obitu mariti per longum tempus alium pareret, qui superfœtatus post ejus obitum fortasse sit, ita & de mulieris pudicitia,
1 & de fœtus posterioris legitimitate dubitari eo casu posset, & si alia his similia contingant. Idcircò videndum primò, an detur superfœtatio, cùm nonnulli negaverint dari, inter quos B. August. *lib. 5. de Civ. Dei, c. 6. nec non alii quidam DD.* referente Gl. *in l.*
2 *Antiqui. §. sed ff. si pars hær. pet.* & ratio præcipua eorum est, quòd uterus concepto semine supra illud ita recolligatur, ipsumque tam arctè amplexetur, & undequaque circundet, ut vacuus in ejus cavitate locus nullus maneat, ut demonstrant omnes de ea re verba facientes, & sensui ipsi objiciunt Antomici.
3 Parœus, *suæ Chirurg. lib. 7. c. 3.* Andr. Laurent. *Anat. lib. 2. q. 22. lib. eod. c. 4.* unde idcircò actio hæc dicta est conceptio, quasi comprehensio, Gal. *2. de sem. c. 1.*
4 *class. 1.* Addunt, quòd os interius ipsius uteri adeò comprimatur & conniveat, ut ne specilli quidem tenuissimi mucronem admittat, ita tradente Hippo. *Aphor. 5. Aph. 51.* & ibi Gal. *in comm.* cùm ergò & virili semini ad uterum aditus non pateat ob oculi ipsius conniventiam, & etiamsi pateret, locus nullus vacuus in ejus cavitate sit, qui novum semen admittere, ac excipere possit; impossibile videtur, ut con-
5 ceptus supra alium conceptum fieri possit, unde concludendum, non dari superfœtationem.

Valverda Anatomicus Hisp. *suæ Anat. lib. 3. c. 14.* non solùm ex his dari posse superfœtationem apertissimè negavit, sed tanquam quid commentitium
6 risu excepit. Gratam verò mirum in modum mihi, multisque doctis viris rem feciset, si una aut altera saltem probabili ratione, vel argumento suam assertionem muniviset: etenim neque ipse Valverda, neque alius quisquam eorum, qui superfœtationem dari nolunt, quòd sciam, ullam suæ opinionis rationem, præter à me suprà commemoratam, in medium adduxit; Valverda tamen allatis in contrarium experientiis respondere conatur, ut sequitur.
7 Qui enim superfœtationem fieri posse concedunt experientia demonstrant, evenisse interdum, quòd mulier, fœtu in lucem emisso, intra mensem, aut intra longius spatium alterum fœtum peperit, qui nonnisi ex nova conceptione supra priorem celebrata generari potuit: nam tempus in uterinis fratribus va-
8 rium est, ut varium fuit tempus eorum conceptionis. Fernel. *Physiol. lib. 7. c. 12. in fin.* & qui eodem tempore sunt concepti, eodem tempore nascuntur, ita firmante Hippocr. *in lib. de Superfœt.*

Huic experimento respondet Valverda, hoc in 10
hominib. & fortasse in aliis quibuscunque animalibus, quæ superfœtare creduntur, non aliter evenire, quàm accidere indies conspiciamus in grano aliquo tritici: ex hoc etenim si plures spicæ pullulaverint, una quidem citiùs, altera verò seriùs matutescit, & una ad perfectionem perducitur, altera vacua, & infructuosa remanet: sic, & non alter, inquit ille, in proposito casu; ex uno namque eodemque semine, cum in plures partes funditur, plures fœtus generantur, & qui validior est, & ex potioris seminis parte creatur, calorem que sortitur vegetiotem, ad se nutrimentum alliciens, alterum alimento destitutum relinquens, in causa est, vel quòd nullo modo, vel quòd multò serius augescat: unde pariente muliere, vel debilior hic fœtus in utero remanet, cùm adhuc perfectionem completam expectare illum oporteat; vel cum priori ab utero non adhuc perfectus excidit; nos autem tunc imaginamur, inquit ille, posteriorem hunc fœtum posterius fuisse conceptum, cùm tamen uno eodemque tempore sub uno eodemque semine tam posterior hic, quàm prior ille fuerit generatus.

His tamen in contrarium adductis non obstanti- 11
bus, licèt satis apparentem rationem continere videantur, nisi meliora in medium afferantur, magnorum virorum auctoritatibus non est obstandum, cùm Classici, ac penè omnes Auctores superfœtationem admittant. Hipp. *in lib. de superfœt. & 7. Epidem.* 12
Aristot. 4. *de Gener. Anim. cap. 5. & 7. de hist. anim. c. 4.* Averr. 4. *de Gener. Anim. cap. 7.* Plin. *Nat. hist. lib. 7. cap. 11.* Solin. *de sit. orb. terr. c. 3.* Avic. 21. *tract. 1. cap. 17.* Rhas. 22. *Contin. tract. 6. cap. 1.* Fernel. *physiol. lib. 7. cap. 12. in fin.* Bonacciol. *in Ennead. mul. cap. 3.* Mass. *Epist. Med. Epist. 25. per totam.* Silvatic. *Controv. Medic. contr. 81. per totam.* Parœus. *lib. 21. cap. 52.* Rousset. *de part. cæsar. sect. 6. c. 7.* Hucher. *de steril. lib. 3. tit. de superfœt.* Bauhin. *in append. ad dictum tract. Rouss.* Joubert. *lib 3. Error. popul. cap. 1.* Andr. Laurent. *Anatom. lib. 8. quæst. 22.* Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. lib. 10. Problem. 7.* & alii quamplurimi. Quin etiam & admittunt ipsæ Leges in *l. Antiqui §. sed ff. si pars hared. pet. in l. Cum quidam §. suum hæredem. ff. de acquirend. hæreditat.* & *ibi* Gloss. Paul. *num. 3.* & Alex. *num. 3.*

Extant quoque plures historiæ ejus rei veritatem attestantes, quas in unum congestas habes apud Schenck *Observ. suar. lib. 4. tit. de superfœt.* inter quas etiam à Plinio commemoratas reperies, in quarum numero ex historia Herculis, & Iphicli, de qua Hesiod. *in Herc. clyp.* his verbis:

Illa, à Deo pariter victa, & ab homine longè optimo;
Thebis septem portas habentib. geminos peperit pueros,
Haudquaquam eadem sapientes, quamquam fratres essent.
Alterum equidem inferiorem, alterum autem longe præstantiorem virum:
Sevum, ac validum, vim Herculanam.
Hunc quidem subjecta nubium offuscatori Saturnio;
Iphiclum autem hastarum concussori Amphitrioni.

Quos versus ad majorem legentium gratiam ex alio Authore in Latinam linguam hexametris versibus redditos apponere, hic non abs re est: habent ergo ita:

Sic quæ ignara Jovi thalamum, reducique marito
Indulsit septem claudentia mœnia portas,
Ornavit duplici partus genialis honore;
Et fratres una geminos produxit ab alvo,
Nec quicquam hos animo similes, nec pectore quicquam
Dotibus hic minor ingenti, virtutibus alter.
Alcides melior, pugnax, interritus, atrox.

Hunc compreſſa Deo, ſuperumque hominumque potenti,
Aſt alium peperit mortali juncta marito.

De ea etiam re Plaut. *in Amphitr. in prologo*, in perſona Mercurii:

Nunc, de Alcumena, ut rem teneatis rectiùs,
Utrumq; eſt gravida, & ex viro, & ex ſummo Jove.

Quod etiam probare poſſunt carmina *Ovid. lib.* 11. *Met. fab.* 8. ubi ex Apolline, & Mercurio Chionem gemellos concepiſſe narrat hoc modo:

Ut ſua maturus complevit tempora venter:
Alipedis de ſtirpe Dei verſuta propago,
Naſcitur Autolycus, furtum ingenioſus ad omne,
Qui facere aſſuerat, patria non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.
Naſcitur è Phœbo (namque eſt enixa gemellos)
Carmine vocalis clarus, citharaque Philammon.

Sed apud ſuprà citatum Heſiodum ſuperfœtationis aliud rarum quidem exemplum, niſi fortaſſe fabuloſum exiſtimes, habes, quod & huc transferre non gravabor: eſt autem hiſtoria Muſarum, de quibus ille ſic cecinit:

Muſa Olympiades compti Jovis Ægide nati,
Mnemoſina ſoboles, oblivio certa malorum,
Curarumque quies, ſacris has mater in oris
Pieria magno peperit commixta Tonanti,
Mater Eleuteris præerat, cui Jupiter ullo
Haud Divum præſente novem ſub noctibus hæſit.
At poſtquam multas annus fuit actus in horas,
Et ſua cœperunt afferre pericula menſes,
Ecce novem ad numerum nocturni pignora furti
Uno Mnemoſyne peperit pulcherrima nixu
Læta puellari fœtu.

Sunt & aliæ, ut dixi, quamplurimæ ſuperfœtationis hiſtoriæ, quas omnes recenſere ſupervacaneum eſſet, præſertim cùm eas habeas apud Schenckium, ut ſuprà dictum eſt. Sed inter omnes notatu digniſſima hiſtoria recenſetur ab Herc. Saxon. *in ſua Med. pract. lib.* 4. *c.* 23. quam apud ipſum vide, eſt enim ejus rei veritatem maximoperè comprobans. Sed mirari ſubit Æmilium Pariſanum, qui *lib.* 2. *Nobil. exercit. c.* 8. *exercit.* 1. in eam venit opinionem, omnem multiplicem conceptum non uno aliquando coitu, ſed ſemper per ſuperfœtationem fieri; contra manifeſtum Hippocratis decretum infrà citatum, & communem Medicorum omnium conſenſum: ſed conveniens omninò erat, Pariſanum Hippocratis auctoritati ſatisfacere, quâ non ſolum convincitur, ſed etiam ipſa experientia, cùm videamus, Mulieres unico coitu compreſſas gemellos parere; ſed & caniculas non niſi unito coitu comprimi permiſſas, plures fœtus parere certum eſt. Adde quòd differentia illa intercedens inter conceptos unico coitu, & diverſo, multò magis illum convincit, cùm conſtet unico coitu conceptos ejuſdem ſexus unica ſecundina includi, conceptos autem diverſo coitu etiam ejuſdem ſexus habere ſingulos ſuas ſecundinas.

Nec ad demonſtrandum, dari ſuperfœtationem
13 deeſt nobis unum, aut aliud argumentum: cùm enim non modò geminos variare aliquando in tempore naſcendi compariamus, ita ut unus celeriùs, aut tardiùs alio, per octo decémve, aut plures dies naſcatur, ſed etiam videamus unumquemque eorum ſuis propriis ſecundinis involvi, omni proculdubio dicendum videtur, quòd hæc varietas tam in tempore naſcendi, quàm in ſecundinis non abundè originem habere potuerit, quàm ab ipſa generationis varietate, quia nimirum ii, qui in uno eodemque involucro includuntur, eadem hora & ex eodem ſemine concepti ſunt; ii verò, quorum unusquisque ſuo involucro donatur, neque eadem hora, neque eodem coitu, neque ex eodem ſemine ſunt generati. Ea autem differentia non ſolum experientia manifeſta fit, ſed etiam Hippocratis teſtimonio firmatur *in lib. de ſuperf.* cui aſſentiuntur Fernel. Pareus, Laurent. & alii *locis ſuprà citatis* quanquam Hippocr. contra propriam ſententiam *in lib. de Nat Puer. in fin.* videtur affirmare, quòd etiam gemelli, hoc eſt, uno Veneris congreſſu geniti, non uno, ſed quilibet ſuo involucro claudatur: quomodò verò hæc Hippocr. contrarietas ſalvari poſſit, ut liberè fatear, non video. Neque Rorarius: qui omnes Hippocratis contradictiones animadvertit, hanc adnotaſſe videtur. Ego autem in hiſce rebus majorem fidem recentioribus habeo, nam & quotidiana experientia hoc ipſum firmat. Nulla ergo videtur aſſignari potior ratio hujus varietatis, nimirum cur aliquando gemelli unâ, eademque ſecundinâ includantur, interdum verò uterque eorum propriam habeat, niſi ſuperfœratio, & varietas temporis in conceptione. Nam in iis qui non ejuſdem ſexus ſunt, (qui nunquam iiſdem ſecundinis involvuntur) ſatis apparens ejus rei ratio aſſignari poteſt, ſi dicatur, cauſam fuiſſe ſeminis ipſius heterogeneitatem, ſeu partium 14
diſſimilitudinem, maſculeum enim ſemen calidius, & ſiccius eſt, fœmineum verò frigidius, & humi- 15
dius; unde non ſolùm illud in partes findi neceſſe fuit, ſed etiam multum diſgregari ob partium contrarietatem, ac utramque partem ſeorſim unam ab altera in utero foveri, & ad actum reduci, quia maſculeum plurimum in dextram uteri partem, fœmineum in ſiniſtram incidere contigit; unde multum invicem ſeparari eas ſeminis partes omninò oportuit: ſed hæc ratio vix poteſt habere locum, ubi gemelli ambo ejuſdem ſexus ſunt. Unde ex his patet, non eſſe neceſſe in geminis eſſe eadem momenta conceptionis, quod voluit D. Auguſt. *lib.* 5. *de Civ. Dei, cap.* 6. à Budeo relatus *in annotation. ad citat. l. Antiq.*

Præterea gemelli, hoc eſt, eodem congreſſu geni- 16
ti, ſimillimi ut plurimùm eſſe conſueverunt: unde cùm duos viros inter ſe maximè convenire dicimus, eos gemellos eſſe pronuntiamus, hoc eſt, valde ſimiles. Horat. *epiſt. lib.* 1. ad Fuſcum:

——— *Hac in re ſcilicet una*
Multùm diſſimiles, ad cætera penè gemelli.

Tradunt autem ejus rei rationem Hipp. *lib.* 1. *de Diæta*, & Ariſt. *loc. ſupr. cit. & alii plerique*: ac de ea verba faciemus, Deo favente, *in titulo ſeq. de ſimilitudine Natorum.* Sed hæc ſimilitudo non reperitur in iis, qui gemelli non ſunt, neque uno Veneris congreſſu concepti: manifeſtiſſimè enim apparet hoc, cùm aliquando natorum alterum mulieris viro ſimilem, alterum verò adultero fuiſſe, compertum habeamus, ut patet in hiſtoria Herculis, & Iphicli, quorum alter, ut ſupetiùs ex Heſiodo retulimus, Jovi, alter verò Amphitrioni ſimilis natus eſt, & in Autolyco, & Philammone, quorum alter Mercurii, alter Apollinis effigiem referebat, & in hiſtoriis relatis ab Ariſt. *ubi ſuprà*, & à Plin. *loc. cit.* & in aliis 17
cumulatis per Schenc. *lib.* 4. *Obſerv. tit de ſuperf.* Neque enim hanc diſſimilitudinem poſſumus in imaginationem rejicere, quia non eſt major ratio, cur imaginatio in unum, non verò in alterum operata fuerit, cùm, non agat ex electione, ut *tit. de ſimul.* longioribus demonſtrabo.

Sed ad rationes in contrarium adductas dicamus quòd etiamſi uterus, ubi ſemen conceperit, illud arctiſſimè amplectatur, & undequaque circumambiat, ſi tam en mulier coitu utens ex eo ſummam percipiat

delectationē,uterus ingenti illa voluptate irretitus, quaſi obviam irruenti ſemini,non minùs ac in priori conceptu antea fecerat,hiante ſeſe offert ore,ut ea quâ flagrat virilis ſeminis aviditate;ſeſe expleat,atque ratione ejus corpus quatenus per longum arctari, & per latum dilatari poteſt, irruenti ſemini locum aliquem præbere.

19 Quanquam vult Hipp. *in ſapius citato lib. de ſuperfat. in princ.* in iis mulieribus ſuperfœtationem fieri, in quibus poſt conceptum priorem uteri oſculum hiârit, & non perfectè clauſum fuerit. Quomodocumque tamen ſeſe res habeat,illud veritatem habere notum eſt,quasdam fœminas,quæ Atretæ,vel 20 imperforatæ vocantur, quòd illis membrana ante uteri os obtendatur,ingreſſum ſemini ut plurimùm prohibens,aliquando concipere, de quibus dicebat Hippocr. quòd in partu pereunt. Unde non adeò mirabile eſt, quòd etiam uteri oſculo connivente, ſemen ad uteri ipſius cavitatem perveniat, præſertim cùm(ſi mulier maximè coitū appetierit) poſſit in attrahendo ſemen virile,& proprium expellendo. facili negotio tantiſper dehiſcere.

Et ad exemplum, quod Valverda objiciebat de 21 ſpicis ex uno,eodemque tritici grano emergentibus, quarum una celeriùs alterâ matureſcit,ex quo vult idem evenire in fœtibus, qui licèt uno eodemque Veneris congreſſu, ex uno eodēque ſemine fiant,tamen unus altero celeriùs ad perfectionem pervenit, & celeriùs etiam naſcitur? Reſpondeo, diſparem omninò eſſe rationem;nam cùm plures ſpicæ ex uno eodemque grano pullulant,non poteſt omnibus æqualiter ab ipſo grano alimentum ſubminiſtrari,unde eſt,quod quædam ad maturitatem citò,vel debito tempore perveniat,quædam verò vel ſerò admodum,vel nunquam;non tamen idcircò dici poteſt, quòd iis ſpicis, quæ maturationem non ſunt aſſecutæ,defecerit à terra alimentum,ſed à ſemine ipſo, quod non poterat à terra tantum alimenti attrahere, 22 quâtum omnibus æqualiter ſubminiſtrare erat neceſſarium. In caſu autem noſtro tetræ proportione reſpondet ipſa mater,teſte Hipp.*in lib. de Nat. Puer.* ſemen verò in plures partes diviſum reſpondet proportione pluribus tritici granis,& non uni tantùm; ita ut quemadmodum unum tritici granum ſeorſim pullulans non impedit aliud granū,quòminùs ſuas ſpicas ad maturitatē perducat;quia terra,quantum eſt ex ſe, unicuique ſufficiens alimentum ſuppeditat,ſic etiam & in matris utero ſemen,quod in una parte conceptum fuerit, aliud adoleſcere minimè prohibere poteſt;nam mater utrisque,& etiamſi in plures partes diſcinderentur, ſufficiens poteſt præbere alimentum,ut quotidiana experientia demonſtrat,& argumento eſſe poteſt,quòd ubi fœtus in utero manet,multum illi ſanguinis ſuperfluit, quod 23 dehinc in partu expurgatur,teſte Hipp.*in lib. de Nat. Puer. in principio.* Quod multò magis veritatem habere poteſt in caſu noſtro,cùm ſuperfœtantes mulieres multo ſanguine abundare ſoleāt,unde etiamſi utero gerant, tamen menſtruas purgationes patiuntur,ut teſtatur Avic.*2 1.tertii,tract.1.cap.*17.& cōfirmat Marinel.*de Med.mul.lib.* 3. *cap.* 4. & Hucher. *lib.* 3.*de ſterilit. cap. de ſuperfœtat.* Adde etiam, quòd ſuperfœtatio non niſi in primis quadraginta diebus contingere conſueſcat utplurimùm, in quo tempore præſertim multum ſanguinis ſuperfluit priori conceptui. Itaque impoſſibile eſt, quòd alter ex conceptibus univerſum matris ſanguinem in ſui alimentum abſumat,ex quo poſteriorem adoleſcere non permittat. Multùm verò contra Valverdam urgere videtur ſequens ratio, ſiquidem ſi veritatem illud haberet, quòd fortior conceptus imbecilliorem adoleſcere non permitteret, hoc maximè locūm haberet,ubi gemelli ſexu diſpares eſſent:nam cùm mas absque dubio calidior ſit fœmina,ac plerumque ſit fortior, omne alimentum ad ſe alliceret, & ut plurimū,cùm gemelli ſexu diſtincti naſcuntur, 25 fœmina inabſoluta in lucem exiret, cùm tamen cōtra quotidiana experientia nos doceat,quippè cùm naſcantur gemelli ſexu diſtincti,quorū uterque pa- 26 riter abſolutus conſpicitur. Adde, quòd multo frequētiùs,quam nunc accidat, illud evenire in gemellis conſpiceremus;tamen rariſſimè, quia rariſſima etiam eventu eſt ſuperfœtatio,gemellorum alterum perfectum,alterum imperfectum,& unum quidem citiùs,alium verò ſeriùs naſci videmus.Dari ergò ſuperfœtationem ex his concludamus; alii tamen ad eam demonſtrandam meliora adducant,ſi hæc minùs arridere videantur.Sin autem plura de ſuperfœtatione deſiderat J.C.Budæum habet de his agentem *in l. Antiqu. jam alias citat. in Annotationibus.*

Sed antequam hinc diſcedamus,pro Medicis, ac Philoſophis præcipuè videndum, cur præ cæteris 27 fœminis (paucis quibusdam exceptis,nam canem ſæpè ſuperfœtare firmat Fernel. *loc.cit.& alii*) mu- 28 lier faciliùs ſuperfœtet;licet in muliere rarò id evenire voluerit Ariſt.*7.de hiſt.anim.c.quarto*, contrà verò in lepore evenire voluit, *lib. ſexto ejusd. capite* 3. ſed cùm hoc in fœmina evidentem habeat rationē, quia nimirum etiam prægnans marem admittit, & coitu delectatur,videndum, cur mulieri magis, 29 quàm cæteris fœminis illud accidat, cui interrogationi nullum fortaſſe aptius reſponſum dari poteſt, quàm quod dedit Popilia Poppia,ſeu mavis,Poppeja M.Agrippæ filia, à multis Auctoribus relatum; erat verò,quòd cæteræ fœminæ beſtiæ ſint:quod re. 30 ſponſum totam quidem rei naturam comprehendit,

Cæteræ namque fœminæ,quæ beſtiæ ſunt, per 31 ſenſibilē tantummodò appetitum moventur ad appetendum,qui à natura ſola regitur, & per eum ea ſolùm appetuntur,quæ ad ipſius Naturæ conſervationem requiruntur;unde eſt,quòd animali finem à Natura ſibi deſtinatum adepto,illicò appetitus ille quieſcit,& ea de re,cùm in illis finis coitus ſit con- 32 ceptio,non ampliùs,cùm conceperunt, coitum appetunt. In homine verò præter ſenſibilem appetitum,qui à Natura regitur,reperitur etiam intelligibilis,qui Naturæ minimè ſubjacet, & quo non ſo- 33 lum ea vult,quæ ſibi peculiaria ſunt,ſed ea quoque, quæ cæteri appetitus ſibi ſubminiſtrant:Etiamſi ergò inferior,ſive ſenſibilis appetitus ſuo fine potitus quieſcat,non quieſcit tamen ſuperior,ſeu intelligibilis,ſi ſibi ſenſibiles ſpecies à Phantaſia,cui à ſenſibus exterioribus transmituntur,interim præſententur;& tunc non aliter quàm cæteri inferiores appetitus,nec alia ad appetendum inſurgit, eademque, quæ ipſi volunt,proſequitur;quod quidem non niſi tūc evenit,cùm hujusmodi intellectualis appetitus, qui voluntas dicitur,non ſecundùm debitum,ac rectum ordinem movetur:cùm enim rectè, & ſecun- 34 dū ſui naturam movetur, à ſolo intellectu ad appetendū excitatur,ut alibi dixi.Canis verò,aut ſi quod 35 aliud animal eſt quod ſuperfœtet, & idcircò hoc peculiare habent,quia fortè non unicâ conceptione implētur:unde non integrè quieſcit eorum ſenſibilis appetitus, quia non integrè ſuo fine potitus eſt: neceſſe verò habebat canis,ad ſuæ ſpeciei conſervationē, ut unicâ vice plures parēret,non tamen plures unico coitu fortaſſe generari in illo potuerunt, quia mares hujus ſpeciei,quod naturâ calidi,& ſicci ſint,paucum ſemen effundunt,aut fortaſſe alia ratio

in his eſſet quærenda, quam tamen ad præſens inveſtigare minimè vacat: ſed neque ſolùm in canina, verùm in aliis quoque ſpeciebus illud idem eſſet quærendum, unde non ſatisfaceret ratio de caliditate canum in omnibus aliis.

SUMMARIUM.

1 *Superfœtatio quid.*
2 *Parei definitio examinata.*
3 *Quando fiat ſuperfœtatio.*
4 *Alex. in l. Cùm quidam, explanatione hallucinatus.*
5 *Text. in l. Cùm quidam, ſecundùm Alex. non loquitur de ſuperfœtatione. Confutat. n. 7. 11. 12. 13. 14.*
6 *Text. l. Cùm quidam, ſecundùm Alex. importat. quod ex una, eademque conceptione poſſint intra certum tempus plures fœtus gigni.*
8 *Superfœtatio non fit ex uno coitu.*
9 *Conceptus multiplex quomodo fiat.*
10 *Ex uno, eodemque coitu plures conceptus fieri poſſunt.*
15 *Quot dierum ſpatio poſt priorem conceptionem fieri poſſit ſuperfœtatio.*
16 *Terminus quadraginta dierum à pluribus acceptatus.*
17 *Quocunque prioris conceptionis tempore fieri poteſt ſuperfœtatio. Vide n. ſeq.*
19 *Superfœtatio rara exiſtit.*
20 *Ratio termini quadraginta dierum à multis aſſignati.*
21 *Superfœtatus conceptus quomodo poſſit augeſcere.*
22 *Paulus unde 60. dies ſuperfœtationi dicaverit.*
23 *Ex tempore intermedio partionis arguitur diſtantia conceptionis. Contrarium n. 25.*
24 *Mulier ſeptimo, nono & decimo parit.*
26 *Gloſ. contra Alex. opinionem defenditur.*
27 *Fœtus facillimè abortiuntur in ultimo menſe.*
28 *Eadem diſtantia eſt in naſcendo inter unum, & alium conceptum, quæ fuit in eorum conceptione, ut ibid.*

Quid ſit ſuperfœtatio, quomodo & quanto tempore poſt priorem conceptionem geri poſſit.

QUÆSTIO IV.

1 *Superfœtatio* eſt conceptio ſupra conceptionem facta, ut ex ipſius rei natura elicitur & ex modo quo ea fit, quem tradit Hipp. *in lib. de ſuperfœt. in princip.* & facit citata *l Cùm quidam, §. ſuum hæredem, ff. de acquir. hæred.* Neque enim definitio à *Pareo* allata mihi probatur, cùm enim explicet rei naturâ, ni-
2 ſi verborũ circumvolutione eam declarat, ut ab ipſo factitatum eſt. Siquidem dicentes; quòd ſuperfœtatio eſt ſecunda quædam conceptio, poſſumus & hanc ſecundam conceptionẽ factam intelligere poſt prioris conceptus editionem: neceſſe ergo habet *Parei* definitio ea, quæ ibi ſequitur, declaratione, nimirum, cùm ſcilicet mulier gravida iterum concipit: nam ſuperfœtatio tunc fit, ut aliàs dixi, cùm mulier,
3 quæ jam cõcepit, & gravida adhuc eſt, ex novo coitu, ac novo ſemine, alium inſuper fœtum concipit.
4 Atque hinc patet error Alex. *in cit. l. Cùm quidam ſub n. 4.* qui vel malè intellexit naturam ſuperfœtationi, vel malè textum illum contra Gloſſ. opinion. interpretatus eſt. Duo enim aſſerit ille, quorum utrumque, ut mihi videtur, falſum eſt, nam primò dicit, quòd text. ille nõ loquitur de ſuperfœtatione, quia neceſſum erat, quòd ex novo ſemine fieret nova conceptio, quod tamen inquit, textui huic manifeſtè repugnat, quia vir mulieris, de qua ibi, jam deceſſiſſe ſupponebatur, unde non poterat mulier illa ex novo coitu iterum concipere; ex quo concludit,
5 textum illum de ſuperfœtatione loqui non poſſe.
6 Secundò dicit, quòd intellectus ejus textus eſt, quòd ex una eademque conceptione poſſint intra certum tempus plures fœtus formari.

Sed Alex. ut mea fert opinio, non benè textum 7
hunc ponderavit: nam cùm ibi dictum eſſet, quòd ei, quæ utero habet, non licet pro humanæ Naturæ conditione alium fœtum ſupra priorem formare, additum eſt, hoc in aliquibus poſt certum tempus prioris cõceptionis evenire; non tamen textus vult, quòd ex uno, eodemque coitu poſſint diverſis vicibus plures conceptus formari, ut *Alex.* inquit: neque enim ex eodem ſemine fieri poteſt ſuperfœtatio, quippè cùm illicò atque ſemen in uteri cavitatem pervenit, ejusque acetabulis, capitibus nimirum 8
venarum adhæſerit, conceptus ſuccedat, & ſi in uno tantùm loco hæſerit, neque diſcuſſum fuerit, unicus tunc conceptus inſurgit, ſin autem in plures partes ſcindatur, pluribúſque locis ſeſe inſinuaverit, plures 9
emanant conceptus: at ſi non illicò locis adhæſerit, tunc ſubitò nullo interjecto tempore ſemen diffluit, & ab utero foràs exit; ſi enim abſque hoc, quòd concipiatur, retineretur, illicò putreſceret, & dolores ingentes aliquóſque morbos, ac ſymptomata excitare poſſet, nam extra ſuum locũ permaneret, neque ab ullo calore regulari poſſet, à proprio enim neceſſariò extra ſua vaſa deſtitueretur. Argumento ſit, quod ſemen per noctem, vel etiam per integrum diem, imò etiam per duos retentum, & non conceptum, cùm ab utero excidit, aut magis diffluens, & ſuper excalfactum, & malè olens perſentitur. Ex uno ergo eodemque coitu plures formari conceptus verum quidem eſt, & probat Hip. *in lib. de Nat. Puer. in fine*, ſi ita intelligas, ut omnes uno, eodem- 10
que tempore fiant, non autem in diverſis temporibus, & ſucceſſivè, ita ut ex una parte ſeminis unus conceptus nunc fiat ex alia verò alius, poſtridie, vel ſeriùs, ut exiſtimat Alex. cujus intellectus in hoc textu omninò venit rejiciendus. Et ex his falſum apparet id, quod Plinius, referente *Majol. dier. canic. colloq. 3. p. 1.* volebat, nimirùm *gemellos unico coitu non concipi*, & conceptos pluribus commixtionibus eſſe genitos; eſt enim non modò contra Hippocratem, ſed contra ipſam experientiam, cùm non rarò evenerit, ut ſemel tantùm mulieres compreſſæ gemellos pepererint. Medicorum auctoritatibus idipſum comprobantibus annectantur illa Martialis *libro 9. Carm. Epigr. 42.*

Namque ſemel futuit, generaret Horatius ut tres,
Mars ſemel, ut geminos Ilia caſſa daret.

[Confer Fœtum Muſſipontanum *Strauſſi* pag. 144.]

Patet igitur, textum hunc de ſuperfœtatione lo- 11
qui, ut ea verba declarant: *Quod quidem poſt certum tempus conceptionis evenit.* Et ratio ab Alex. in contrarium allata, quòd ideò dici non poſſit, textum illum de ſuperfœtatione loqui, quia maritus illius mulieris deceſſerat, omninò vana eſt, & 12
duplicem habere poteſt reſponſionem; primam, quod non erat neceſſarium in eo caſu, maritum mulieris illius à priori conceptu facto, illicò deceſſiſſe; 13
poſſibile enim erat, quod etiam poſt ſex, aut ſeptem, & plures menſes deceſſiſſet: neque enim firmat textus, illum illicò atque cum uxore coiverit, vitam obiiſſe.

Secundò reſponderi poteſt, quod ea verba non ap- 14
plicantur propoſito caſui; textus enim in iis verbis non de ea muliere ſigillatim, ſed de omnib. & univerſaliter loquitur; ac ſi dixiſſet; Cùm hæc, de qua loquimur, unum gerat conceptum, nec mulieres denuò concipere ſoleant, dum adhuc utero gerant, (licet aliquando in nonnullis illud accidat, ut poſt certum tempus denuò concipiant) quæ nova conceptio ſuperfœtatio dicitur. Nõ ergo de ea muliere, de qua ibi, ea verba ſunt intelligenda, ſed univerſa-

liter

liter de toto fœminino genere, unde ratio ab Alex. aſſignata, etiamſi pro vera admitteretur, tamen non haberet hic locum. Sed videamus jam quot dierum, aut menſium ſpatio poſt priorem conceptionem
15 fieri contingat ſuperfœtationem: nam ex *altàs cit. l. antiqui, §. ſed, ff. ſi parſ. hared. pet.* terminus ſuperfœtationis videtur eſſe quadraginta dierum; tamen jam ſæpiùs adductus *text. l. Cùm quidam*, nullum tempus præfixit ſuperfœtationi, ſed benè per ea verba, *poſt certum tempus*, determinare viſus eſt, quòd non quolibet tempore indifferenter fieri poſſit, Sed ea verba exponens Gloſ. ibi & alii quos citat Alex *ibid. numer.* 4. dixit, hoc tempus intelligi debere pro termino quadraginta dierum, licèt Paul. *ibid. numero tertio*, etiam usque ad ſexaginta, termi-
16 num hunc extendi voluerit. Priorem tamen opinionem plerique ex Medicis acceptare videntur, teſtaturque inter cæteros Marinell. *de Med. mul. lib. 3. c.* 4. qui ſupra hoc tempus factam ſuperfœtationem portentoſam exiſtimat.

17 Verùm Alex. ibidem ſentire videtur, quòd quocunque conceptionis prioris tempore fieri poſſit ſuperfœtatio, & adducit ad hoc Raphaëlis teſtimoniũ, qui ex Jacobo Forolivienſ. Medico inſigni, accepiſſe ſe dixit, quandam mulierem tertio poſt pri-
18 mam conceptionem menſe ſuperfœtaſſe: quod & alii Medici firmarunt, ut Nicol. *ferm. 6. capite vigeſimo ſecundo, & alii*, in quarto quoque menſe, ac ſuprà factam vidiſſe ſe narrarunt Pered. *in Schol. ad Paſc. de cur. morb. lib. 1. cap. 55.* Andr. Laur. *Anat. lib. octavo, quæſtione trigeſimâ ſecunda*; & alia rara hujuſcemodi exempla habes apud Schenck. *libro 4. obſerv. de ſuperfœt.* Tamen non absq; firma ratione, & ſummorum virorum auctoritate locutam eſſe Gloſ. inibi dixerim, ſed ſcitè admodum, ac prudẽter;
19 nam ſuperfœtatio, licèt quocunque tempore eventu rara exiſtat, plurimùm tamen, nonniſi dum prior conceptus recens ac puſillus eſt contingere ſolent; unde rectè aſſignatur quadraginta dierum terminus;
20 in hoc enim ſpatio adhuc fœtus vix integrè delineatus eſt, & cùm admodum puſillus ſit, non multũ locũ in utero occupat, quod multò faciliùs evenit, ſi fœmineus ſit, undè levi negotio poteſt ſupervenienti ſemini locum præbere, cùm præſertim non adauctus exiſtat, ut univerſum alimentum à matris corpore demiſſum abſumens, poſteriorem conceptum eo deſtitutum penitùs relinquat; at, tranſacto prædicto termino fœtus in multò majorem molem attollitur, & uteri univerſam capacitatem ita occupat, ut illum undique diſtendat: nam tunc temporis primùm venter attolli animadvertitur; quòd ſi eo tempore coitu utente muliere ſemen virile ad internam uteri cavitatem penetret, à priori conceptu quò minùs hæreat venis, ipſius uteri impeditur; qua de re Ariſtot. *locis ſæpiùs citatis de hiſt. & Gener. Ani-*
21 *mal.* ſuperfœtatum conceptum augeri poſſe dixit, ſi proximè à priori concipiatur: nam qui longo poſt tempore concipiuntur, perfici non poſſunt, ſed dolorem excitantes, ſe, ac priorem conceptum ab utero protrudunt. Atqui eadem fortaſſe cauſa, nimirum fomationis, ac magnitudinis ipſius conceptus, movit Paul. *in cit. l. Cùm quid. n.* 3. ut ſuperfœtationis terminum ad ſexaginta dies prorogaret: nam plerique conceptus non niſi tãto tempore per-
22 fectè formati exiſtunt, & ad eam magnitudinem perveniunt, quam alios in quadraginta dierũ ſpatio acquirere dicebam, atque in his contingere poſſe ſuperfœtationem etiam intra ſexaginta dies, non
23 ita admirandum.

Cæterùm, cùm Alex. videret Gloſſam *inibi* ex intermediorum dierum numero inter primum, & ſecundum partum, arguere etiam diſtantiam temporis conceptionis inter unum & alium fœtum, Gloſſ. opinionem reprobavit, quæ ex hoc, quòd mulier illa cum quatuor eſſet enixa, poſt quadraginta dies à partu, quintum pepererit, concludit, totidem diebus hunc quintum fuiſſe poſt priorem fœtum conceptum. Nam cùm verum ſit, inquit Alex. quod 24
mulier & ſeptimo, & nono, & decimo pariat, potuit mulier illa priores fœtus parere ſeptimo menſe, quintum verò parere nono: & in hoc caſu poterat, inquam ergo, vel non eſſe ſuperfœtatus hic quintus, ſed ſimul cum aliis conceptus, vel poterat, inquit ille, ſuperfœtatio contigiſſe tribus, aut quatuor diebus poſt priorem conceptionem: non videtur ergò ex diſtantia partionis argui poſſe diſtantiam conceptionis.

Verumenimverò, licèt admodùm ſenſatè loquatur 25
Alex. tamen Gl. & ratione, & auctoritate, innititur; 29
ratione, quia cùm ſuperfœtatus conceptus multò debilior priori ſit, ſolummodò per paucos dies poſt priorem conceptus fuiſſet, facilè priori ab utero prodeunte, ſimul & ipſe prodiiſſet, cùm parum diſtaret à partu, nam facillimè abortiuntur fœtus in ul- 27
timo menſe, & per paucos dies ante partum, Avic. 21. 3. *tract. 2. n. 6.* 10. Ea igitur occaſione facilè excidiſſet, ſi tam vicinus partui fuiſſet; at ſi adhuc per quadraginta dies, vel quaſi ſuperfœtatus diſtabat à partu non tam facilè excidiſſet. Facit etiam per
Gloſſ. Hip. auctoritas *in lib. de Nat. Puer.* qui gemel- 28
los (qui ſcilicet uno congreſſu ſunt concepti) eodem die naſci tradit, Valleſ. *in Epid. lib. 3. ſect. 3. text.* 16. unde Plaut. *in Menachm. act. 5. ſc.* 9.

MES. *Spes mihi eſt, vos inventuros fratres germanos duos.*
Geminos, unâ matre natos, & patre uno, uno die,

eſſéque ſemper eandem diſtantiam in naſcendo inter priorem conceptum & poſteriorem, qui ſuperfœtatus ſit, quæ fuit in eorummet conceptione tradũt Fernel. Pareus, & Marinel *locis ſuprà citatis.* Plurimùm ergò Gloſ. opinionem verificari certum eſt, licet & Alex. ſententia aliquando, tamen admodum raro veritatem habere poſſit.

[Admiratione digna ſequens eſt *Superfœtatio*, quæ contigit in oppido *Binnikem* præterito ſeculo, ſeqq. verſibus deſcripta.

Vvurtenbergiaci *Ducis in regione* [illegible] *ampla*,
Urbs jacet, *hanc* Biniken *Suevica lingua vocat.*
Ad Zabergoici *tractus confinia vergens*,
Clara Ganerborum *nobilitate Virûm.*
Quam ditione tenet Romani maximus orbis
Præſul, ſi numen Cæſareum excipias.
Nempe Moguntinus *ſacer Archiepiſcopus illam*
Poſſidet, ut propriam: Quæ facilis pecori eſt;
Annua nam fœturæ complent hic horrea meſſe,
Terra unci ſemper vomeris eſt patiens.
Vite ferax multâ, Cerealia munera promens,
Annua cultori mellea muſta ſuo.
Hic locus eſt, è quo factum memorabile pandam,
Quale nec Antipodes, nec novus orbis, habent.
Currebant mille & quingenti, *cum* tribus, *anni*;
Quando erat in vivis par ſociale ſequens.
Adamus Strotzmann, *fato cui contigit uxor*
Barbara Schnozerii, *filia chara Patris.*
Quorum conjugium multiplice prole beavit
Præter naturam, Conditor Omnipotens.
Quinquaginta & tres *geſtavit corpore natos*,
Quos mater fœtos edidit alma Viro.
Hæc quinquagenis Lucina experta dolores,

Et quinis (referens obſtupeo) vicibus.
Octodecim vicibus producta eſt ſingula proles,
Et per quinque vices quinque dedit geminos.
Eſt enixa quater ternos, (mirabile dictu)
Sex ſimul & gravida ſarcina matris erant.
Menſibus exactis quinque hæc, quos venter alebat,
Tres tulit in medium, tres uterum genuit.
Nonaque lux ſummos ſpargebat lumine montes;
Orta dies, bonum ſurculus unus adeſt.
Poſt octo hebdomadas peraratо è ventre micabat
Quintus, ac interea ſexius opaca colit.
Qui decimâ hebdomada in dias quoque prodiit auras,
(Gignere vult mulier) concipit ergo iterum.
Augebat felix numerum ſeptemplice partu,
Viginti hebdomadis tres peperiſſe juvat.
Inde puerperio cùm vix egreſſa fuiſſet,
Obſtetrix aliam porrigit ex utero.
Poſt tres & mediam hebdomadem par illa rumpit
Matris, id in gremio lactat abundè ſuo.
Ultima de ſeptem multorum cauſa dolorum
Progenies matri verè oneroſa fuit.
Ulnam & tranſverſos digitos tres longa fuiſſe
Creditur, ut ſtithamâ nemo caput caperet.
In partu ſtetit illa dies tres, anxia prolis
Ventura in lucem: Quid ſit? Jova videt.
Audito gemitu, redière in priſtina vires,
Atque vigor membris undique gratus adeſt.
Ærumnas gravidæ manus omnipotentis abegit,
Viveret ut mœſtis mater opima ſuis.
Cùm neque mens poſſet neque pes defungier ullo
Officio, mulier redditur ecce ſibi.
Tertia namque ipſi & jam quinquageſima proles
Naſcitur; En Venerem! Et delicias Veneris!
Octo & triginta ſub luminis edidit auras
Natos fœta parens. Hic amor, hoc ſtudium!
Auxilio illa Dei non caſſa in vota vocato
Fœmina parturiens parturiebat ovans.
Incorrupta decem peperit, cum quinque puellis
Fœminei decoris, gloria multa viro.
Sexus uterque ſuis conſtabat corpore membris
Integer, ut mancum nil reperire ſiet.
Deme novem atque decem, quos mors properata peremit,
Baptiſmi reliquos abluit unda ſacri.
Nonum nulla tamen proles ſuperaret in annum,
Spem ſenii licuit cernere conjugibus.
Quinquaginta hos parit ſiolum ferè duxit ad annos
Vitam, queis tennis victus, amictus, erat.
Intima tam ſubitò compleri viſcera partu,
Vel quoque majori, quis potuiſſe putet?
Morte ferâ prior UXor abeſt terrenaque Ceſſit,
ConIVnCtè VIXIt ConnVbIo ſtabILI.
Haud mora, non longo poſt tempore, fata maritus,
Clauſit, & in terra molliter oſſa cubant.
Donec ſumma dies perituro illuxerit orbi,
Atque pios manes ſidera ad alta vocet.
Hiſtoria hæc vera eſt ſed ne reputetur anilis
Fabula, in ade ſacra picta tabella jubet.
Exhibet ipſa tibi documentum Curia clarum,
Quid pinxit pictor Parrhaſiâ arte potens.
Miſſum eſt Ferdnando monumentum tale legendum
In ſcriptis, quod non fictitium eſſe putes.
Praga *potens etiam didicit memorabile factum,*
Sermo ubi de facto ſponſio multa fuit.
Nuncius ergò ruens, per tot mille oppida, in urbem,
Mandato procerum, verè ea facta refert.
Res miranda ſatis, nova, rara & mira relatu!
In factis Deus eſt mirus & omnipotens.
Hæc mulier fatâſſe ſuper pleriſque videtur
Natura Myſtis: Haud ſecus ac lepores.]

PARS TERTIA.

DE MOLA.

SUMMARIUM

1 *Quæ molam gerit, ſuſpectam ſuam pudicitiam habet.*
2 *An molam gerens pragnans dici debeat, & pragnantis gaudere privilegiis.*
3 *Mola quid ex aliquibus, confutatur, n. ſeq.*
5 *Mola propriè quid ſit, & n. ſeq. ex Laurentio.*
7 *Examinatur Laurentii definitio.*
8 *Mola quomodo generetur, ex Hipp.*
9 *Imbecillum, & morboſum differunt.*
10 *Imbecillum quod eſt, non illicò eſt prater naturam.*
11 *Semen non ſolum facultas eſt, ſed materia.*
12 *Mola plerumque cum vero conceptu geſtatur.*
13 *Ubertas alimenti non poteſt impedire fœtus formationem. Rationem vide n. ſeq.*
15 *Mola quid propriè, ex Hipp. mente.*
16 *Mola propiè quid, ex noſtra ſententia.*
17 *Duo præcipuè molarum genera.*

Quid ſit Mola.

QUÆSTIO

TRactatio hæc de Mola non modò non inutilis Legum Profeſſoribus, ſed ſcitu quàm neceſſaria cenſenda, cùm circa eam rem non levis ponderis caſus occurrere poſſint: ſi enim mulier aliqua, quam minimè cum viris verſari conveniret, & à lege, vel à Religione prohiberetur, molam gereret, ſuſpectam pudicitiam ſuam haberet, cùm pleriq; doctorum hominum ſuſpicati fuerint, imò pro certo habuerint; molam non poſſe absque viri concubitu gigni, contra tamen ſentientibus aliis doctiſſimis, pariter, ac præcipuæ auctoritatis viris. 1

Poteſt etiam de muliere, quæ molam gerat, illud controverti, an gravida dici debeat, necne, ita ut gravidarũ privilegiis permittenda ſit gaudere, & an ex mola decedens, ex graviditate deceſſiſſe ſit dicenda. Itaq; non absque ratione quilibet doctus Legumperitus hæc ignorare non debet, ſi modò in evenientibus caſibus rectum judicium ferre velit. 2

Videndum ergo ante omnia, quid propriè ſit mola, multa enim molæ nomine inſigniuntur, in quorum acceptione falli quilibet artis Medicæ imperitus poſſet: nam non de omni mola dubitari contingit, an absque viri uſu generetur, ſed de mola propriè ſic dicta, de cujus tamen eſſentia non convenit inter Medicos.

Quidam enim, inter quos ſunt Moſchio, & Cleopatra *de morb. mul. cap. 7.* Aët. Tetrab. *lib. 16. cap.* 80. Paul. *ſua Med. lib. 3. cap. 96* voluerunt, Molam eſſe induratum vulvæ tumorem: quam tamen opinionem refellit, ac confutat Maſſaria *in Prælec. de morb. mul. c. 18. in princ.* 3 4

Alii verò, ut Gal. 14. *Meth. c. 13. cl. 7. & 14. de uſu p. c. 7. cl. 1.* & cum eo cæteri omnes, Molam carnem eſſe dixerunt informem, ac otioſam, & hanc fuiſſe etiam Hipp. op. elicitur *ex lib. de ſteril. ante fin.* Galeni tamen definitione non contentus Andr. Laur. *Anat. lib 8. q. 13.* talem adduxit: Mola caro eſt informis, otioſa: ac dura, in utero muliebri ex ſemine imbecilliore genita, quod conformationem quidem aggreditur, ſed ſanguinis copiâ obrutum finem ſuum aſſequi non poteſt, & animalis loco carnem generat. 5 6

In hac tamen Laurentii definitione maximam difficultatem facit, quòd ex ſemine imbecilli molam procreari dixerit, cùm tamen Hipp. *1. de morb. mul. verſ. med. & lib. de ſteril verſ. f* tradens modum, quo mola generari ſoleat, dixerit, ubi copioſi mẽſes paucum, ac morboſum ſemen conceperint: maximam enim differentiam ego facio inter imbecillum, & 7 8

morbo

morboſum, quam facit etiam ipſe Gal. *de ſympt. diff. cap. 4. claſ. 3.* & ex Jureconſultis differre debile, & morboſum, habetur *ex citatis probl. Act. de inſirm. p. 1. c. 18. n. 1.* Itaque aliud eſt firmare, quòd mola ex
9 morboſo ſemine generetur, aliud quod ex imbecillo: imbecillum enim ſemen conceptum imbecillum gignet; morboſum verò morboſum, præpoſterum ac non naturalem: non enim imbecillum illicò præter naturam evadit, ſed benè morboſum. Si velis ergo, formatricem ſeminis facultatem eſſe imbecillam, formabit quidem, ſed imbecilliter; ſi verò naturalem ſtatum mutaverit, & morboſa evaſerit, tunc præpoſterè, & præter naturæ ordinem efformabit, & tunc quidem non animatus fœtus, ſed informis caro enaſcetur.

11 Præterea cùm tam vitile ſemen, quàm fœmineum, & menſtruus ſimul ſanguis non ſolùm facultas ſint, ſed materia, ex qua omnia in corpore generantur, Gal. *pluribus in locis, & præcipuè 2. de ſem. c. 2. claſ. 1.* imbecillitas verò ſit tantùm ex parte virilis ſeminis, & non ſolùm ex parte facultatis, ſed etiam ex parte materiæ, quia pauca, ut Hipp. dicebat, jure ea ſolùm malè conformata apparere deberent, quæ ab ipſo ſemine tanquam ex propria materia conflantur, non verò omnia promiſcuè, quia & facultas, & materia tam ſeminis muliebris, quàm menſtrui ſalva eſt, ac valida.

Et ad id, quod additur, formatricem ſeminis facultatem à ſanguinis irruentis multitudine obrutam & ab opere impeditam fuiſſe: reſpondeo, quòd hoc ex eo demonſtratur falſum, quia mola plerumque
12 cum vero conceptu reperitur. Quomodò ergo multitudo ſanguinis potuit ſemen impedire, quin materiam informare poſſet, ſi potior ejus pars in veri conceptus alimentum abſumitur? præterquam quod
13 ubertas alimenti non poteſt impedire fœtus formationem, ut tradit Mercur. *de morb. mul. c.* 3. nec deeſt
14 ratio: quia ſi hoc eſſet, multò plures quàm nunc concipiantur, molæ indies viderentur, quia multæ ſunt fœminæ, quibus tanta ſanguinis copia affluit, ut niſi per venæ ſectionem illis ab Arte detur, dum utero gerunt, vel à Natura per conſuetas purgationes evacuetur, facillimè fœtus perdant. Si ergò in aliquibus ubertas, alimenti impedire poſſet fœtus formationem, maximè poſſet in his, quod tamen evenire non videmus. Itaqi ſi ad Hipp. mentem Molæ definitio tradenda eſt, ego talem afferrem: Mola caro eſt
15 informis ex morboſo ſemine, & multo confluente ſanguine in utero generata, non aliter quàm verus fœtus generetur. Verumtamen ſi ex propria ſentent. Molam definire licet; dicerem, Molam *carnem eſſe informem ex fœminino ſemine, ac ſanguine maſculeo deficiente, quod formam præbere potuerit, generatam in utero, non ſecùs ac verus conceptus generari ſoleat*: cujus definitionis rationem ex ſequentibus habebis.

Notandum verò, quid propriè Molæ nomine accipi debeat, quod licèt ex prædicta definitione habeamus, tamen ſciendum, multa molæ nomine etiam inſigniri, ut ventoſitas in utero collecta, quæ Mola ventoſa dicitur; aqua ibidem coadunata, & dicitur
16 Mola aquea; & hujuſmodi, quæ tamen æquivocè tantùm molæ vocantur, quarum omnium differentias qui ſcire cupit, legat recollecta per Scenck. *lib. 3. ſuar. obſervat. Tit. prop. de Mola.* Eſt inſuper quando in utero, non tamen in cavitate, ſed vel propè os, aut alibi, propendentes carunculæ generantur, quæ non eo modo, quo fœtus procreantur, ſed ex ſuperfluitatib. ad eas partes præcipitatis, & hæc quidem molæ vocari non poſſunt; ſic neque tumores, nec hujuſmodi quicquam præter id, cui allata convenire poſſit definitio.

Eſt autem vera mola in duplici differentia, nam nonnullæ nutriuntur ſolummodò, non tamen vivere 17
videntur, & hæ inanimatæ jure vocantur: aliæ autem non ſolùm nutriuntur, ſed etiam vitæ ſenſu participes videntur eſſe, & animalium quorundam formam ut bufonum, ranarum, tincarum, lacertorum, ſoleārum, & hujuſmodi imitantur, quæ animatæ molæ ob id dicuntur, & de utriſque ad præſens hæc inſtituitur oratio.

SUMMARIUM.

1 *Mola non generatur abſque virili ſemine.*
2 *Mulierem nemo unquam vidit, molam, aut ſimile quidpiam ſine viro gerentem.*
3 *Nullus conceptus in viviparis poteſt abſque concurſu maris & fœmina generari, declaratur n. 22.*
4 *Nihil poteſt fœmina inter vivipara quicquam per ſe generare, ut poteſt inter ovipara.*
5 *Formationis omne principium à Maris ſemine. vide n. 24.*
6 *Secunda ratio, quòd Mola non poſſit abſque virili ſemine gigni. vide n. 29.*
7 *Mola generatur ex ſolo fœmineo ſemine, & numero ſequenti.*
9 *Prægnantes præ cæteris molas gerunt.*
10 *Mola cum vero conceptu generari ſimul non poteſt.*
11 *Mola ſuperfœtari non poteſt, ſi ex virili ſemine generationem ſortiatur. & cur n. 14.*
12 *Hiſtoria Molæ ſuperfœtatæ, probatur in eo caſu non potuiſſe eſſe ſuperfœtatam molam, ſeq.*
15 *Mola ex ſolo muliebri ſemine conſtatur, rationem vide num. ſeq.*
17 *Semen non ſolum facultas eſt, ſed materia.*
18 *A privatione ad habitum non datur regreſſus.*
19 *Semen ſanguis erat.*
20 *Caro quid ſit.*
21 *Nulla ſpermatica pars generari poteſt niſi ex utroque ſemine.*
23 *Non naturalis effectus etiam non naturali modo eſt producendus.*
25 *Mola in viviparis reſpondet ovo in oviparis.*
26 *Amatus Luſitanus reprehenſus.*
27 *Mola in greſſilibus, & ſubventanea ova in oviparis uno eodemque modo generantur.*
28 *Ovi ſubventanei generatio magis ſecundum naturam in oviparis, quàm generatio molæ in greſſilibus.*
30 *Mola quomodo generetur ex ſolo fœmineo ſemine.*
31 *Motus ad veram generationem requiſiti.*
32 *In iis, qua viris non utuntur, cur non generetur Mola, & aliam rationem, vide num. ſeq. in virginibus locum habentem, & in viduis n. 34.*
35 *Mola quo pacto generetur.*
36 *De vitalibus molis major dubitatio eſſe poteſt, an abſque virili ſemine generari valeant.*
37 *Magis ſuſpecta habenda ejus mulieris pudicitia, qua vivam Molam, quàm qua inanimatam gereret.*
38 *Magnum indicium violata caſtitatis eſſe poteſt Mola, contrarium n. ſeq.*
40 *Equa abſque mare concipiunt ex vento.*

Utrùm mola abſque viri concubitu generari poſſit.

QUÆSTIO VI.

DE Molæ generatione maxima controverſia eſt inter Medicos, aſſerentib. nonnullis, nullo modo abſque viri uſu, ac virili ſemine gigni poſſe; contrà verò contendentibus aliis, non niſi ob defectum virilis ſeminis eam procreari: utrique autem ſuis argumentis, ac rationibus ſuam ſententiam tuentur.

Prioris ſententiæ videbatur eſſe *Hipp.* qui docens modum, quo fieri ſolet Mola, dicebat, ex pauco, ac morboſo ſemine concepto, & multis ad illud confluentibus menſtruis eam gigni, unde cùm dixerit 1
ex ſemine fieri, ex virili ſemine intelligere videbatur, ac profectò ita illum ſenſiſſe non dubito; ſed Fortu. Fidel. *lib. 3. de relat. Med. c. 5.* invitum fortaſſe. Hippocratem ancipitem in ea re facit, cùm tamen ejus mens ſatis ſuperque aperta videatur, quam etiam

notam

notam fuiſſe Gal. credendum. idcircò illum 14. *part. de uſu p. c.* 10. *claſ.* 1. ſeriò affirmaſſe, nunquam alicui
2 quem fuiſſe, qui mulierem viderit, molam abſque viri uſu gerentem.

3 *Ariſt.* quanquam in modo generationis evariat, tamen in eo convenit, quòd non niſi ex ſemine virili fiat; tametſi *in lib.* 10. *de hiſt. anim. cap. ult.* (ſi modò Ariſt. ejus libri auctor eſt, nam aliqui de ea re dubitant) innuere videbatur, quòd ex defectu alterius ex ſeminibus, concurrente uteri caliditate, & attrahendi facultate, generetur.

Galeni porrò opinionem maxima Medicorum pars ſecuta eſt, ita ut magis cõmunis ea opinio effecta videatur. Fuit etiam ejuſdem opinionis Actuar. *lib.* 1. *Meth. cap.* 22. ſed ex recentioribus adhærent præcipuè ſeqq. Fernel. *Phyſiol. lib.* 7. *capite* 8. & *Pathol. lib.* 6. *c.* 5. Montanus *de Uterin. affect. in princ.* Amat Luſitan. *curat. Medic. centur.* 4. *curat.* 36. Cordæus *in princ de morb. vulg.* Holler. *de morb. tintern. lib.* 1. *c.* 16. & ibi Duretus *in exercitat. ad prædictum cap.* Maſſar. *ſua pract. lib.* 4. *c.* 8. *& in praleg. de morb. mul. cap.* 8 Riolan. *in Method. part. ſect.* 4. *tractatu* 2. *cap.* 6. Ruff. *de hom. concep. lib.* 5. *cap.* 1. Capivacc. *Med. pract. lib.* 4. *c.* 7. Vidius Jun. *de curat. memb. lib.* 11. *c.* 20. Rondelet. *in Meth. lib.* 2. *cap.* 6. Hucher. *de ſterilit. lib.* 3. *c. de Mola.* Piſo, *de cogniſ. & cur. morb. lib.* 3. *c.* 53. Pareus *lib.* 13. *c.* 54. Altomar. *de medend. hum. corp. mal. c.* 112. Zoroaſt. Tinell. *Conſult. Med. conſ.* 11. Herman Corbeus *ſui Gynæcei lib.* 2. *capit.* 3. Andr. Laur. *Anat. lib.* 8. *quæſt.* 13. Hercul. Saxon. *in ſua med. pract. lib* 4. *c.* 30. Plater. *in prax. tract.* 3. *cap.* 3. Zecch. *Conſult. Med. lib.* 1. *Conſult.* 86 Roderic à Caſtr. *lib.* 3. *de morb. mul. c.* 7. Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. libro decimo, problem.* 8. *per totum, & aliq uàm plurimi*, qui & ratione, & experientia, quæ ſequitur, nituntur.

Ratio eſt: Nullus conceptus in viviparis poteſt abſq; concurſu maris, & fœminæ generari, unde, cùm & ipſa Mola conceptus quidam ſit, licet mendoſus, non poterit abſque utriuſq; operâ fieri: neque enim
4 in viviparis, ſicuti in oviparis, poteſt fœmina per ſe quicquam generare; in iis etenim fœmellæ abſque maris opera aliquando ova inter ſe generant, at non ita in viviparis poteſt contingere, quia omne formationis principium à maris eſt ſemine, Gal. 14. *de uſu*
5 *part. c.* 7. *claſſ.* 1.

6 Sed ratio, quæ ab experientia deſumitur, inſuperabilis omninò eſt, cùm experientia ſit rerum Magiſtra. Nam ſi Mola ex ſolo muliebri ſemine generari poſſet, plurimùm quidem in virginibus conſpiceretur jam nubilibus, aliiſque juvenculis mulierib. coitu non utentibus: cùm enim in his plurimum ſemen aggregari neceſſe ſit, ſi quando vel ex ſe polluerent, vel illis ex ſomnii ludibriis pollutio accideret, facillimè molam conciperent, quod tamen nunquam viſum eſt, Gal. teſte, *ubi ſuprà.*

7 Contrariæ tamen ſententiæ omninò ſunt viri doctiſſimi, ac claſſici, qui ſequuntur: Avic. 21 *tertii, tract.* 2. *cap.* 18. Gordon. *in lib. part.* 7. *cap.* 18. Valleſc. *in Philon. lib.* 6. *cap.* 15. Pedemont. *in addit. ad Meſ. pract. ſumm.* 4. *cap.* 15. Santacr. *in pract. progn. tract.* 6. *cap.* 11. *rubr.* 27. qui præ cæteris clariùs id explicat. Scaliger. *Comm. lib.* 10. *de hiſt. Anim. text.* 43. Lemnius *de occult. Nat. mirac. lib.* 4. *cap.* 19. Rocheus *de morb. mul. cap.* 7 Bonaccial. *in Ennead. mul. c.* 5. Valleſius *contrad. Med. lib.* 2. *cap.* 7. *inf.* Marcell. Donat. *hiſtor. mirab. lib.* 4. *cap.* 25. Fuchſius *ſua pract. lib.* 3. *c.* 28. Padilaſ. *de cur. morb. lib.* 1. *cap.* 58. Marinell. *de Med. mul. lib.* 2. *cap.* 26. Joſeph. de Conticill. *pract. ration. lib.* 3. *cap.* 37. Fortun. Fidel. *ubi ſuprà* Murcur. *in lib.* della Commare, *lib.* 2. *cap.* 41 & eam etiam tanquam probabilem afferunt, *Actuar.* pro contraria ſententia *ſuprà citatus.* Alex. Benend. *lib.* 25. *cap.* 34. Camil. Ravenn. *in Method. ration. cap. de Mola.* Taurell. *in comm. lib.* 3. Breviar. Arnal. *c.* 5. Anton. Ponte Santacr. *de Hipp. Philoſoph. text.* 73. *rubr.* 9. *reſponſ. ad Arg. ad* 3. Peramatus. *in append. de Homin. procreat. in princ.* & concedit ut poſſibilem Epiphan. Ferdin. *lib.* 2. *Theor.* 38. & noviſſimus omnium Morius *in Method. med. morb. mul. per vena ſect. lib* 2. *cap.* 29. *& alii plures*: & videtur de mente Plutarchi *in præceptis connubialibus, in fine*; ſed & Gal. *lib.* 2. *de ſemine* admittit, viragines ex ſolo proprio ſemine concipere poſſe, niſi menſtruis deſtituantur. [Vid. *Hortius* tom. 1. pag. 199. tom. 2. pag. 71.]

Ego utramque opinionem examinans, ac diligen- 8
ter diù, ac multum rei naturam perſcrutatus, anceps longo tempore, ac veritatis incertus exſtens, tandem in Avic. ſententiam inclinavi, quam evidentiores, ac magis probabiles rationes mihi perſuadebant eamque dehinc diligentiùs exactúſque examinans, validioribus, ac non niſi neceſſariis, ut mihi videtur, rationibus conformavi præſertim cùm rationibus in contrarium adductis promptam habere reſponſionem

Plurimùm verò me movit, quòd viderim molam 9
frequentiùs cum vero conceptu, quàm ſolam à mulieribus geſtari; hoc enim & experientiâ conſtat quam confirmant, Ariſtot. *lib.* 4. *de generat. Anim. c.* 7. & Avic. *lib.* 3. *ſen.* 21. *tract.* 2. *c.* 18. & notant ex recentioribus Varand. *lib.* 2. *de morb. mul. capite* 5. & Daniel. Sennert. *libro* 4. *pract. part.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 9. Mola ergo in prægnantibus vel unà cum vero conceptu ex eodem ſemine, uno eodemque congreſſu erit generata, vel ſuperfœtata erit. At ſi ex ſemine virili neceſſariò procreari debeat, horum neutrum dici poterit.

Nam quòd ſimul cum vero conceptu generari 10
non potuerit, pater, quia Mola ex morboſo ſemine fit, verus conceptus non niſi ex ſano: conſtat autem ſemen illud ſanum fuiſſe, non verò morboſum, quia ex eo verus conceptus conflatus eſt; abſurdum verò eſſet dicere, partim morboſum fuiſſe, partim ſanum. Præterquam quòd ſi mola non ſolùm ex morboſo ſemine generari debuit, ſed & ex multo confluente ad uterum ſanguine, hoc in hujuſmodi caſu non potuit habere locum, quia portio ſeminis, ex qua verus conceptus generatus eſt, tanquam calidior, & robuſtior ea portione, quam morboſam fuiſſe dixeris, ad ſe potiorem & calidiorem, & majorem ſanguinis partem attraxit; deficiente ergo ea ſanguinis copiâ, Mola non potuit unà cum vero conceptu generari.

Neque etiam in prægnantibus Mola ex ſuperfœ- 11
tatione procreari poterit, ſi ex ſemine virili gigni debeat; licet Mercurial. *lib.* 1. *de morb. mul. cap.* 3. & Per. Sal. *in Annot. ad Altom pract. c.* 113. voluerint, molam ex ſuperfœtatione fieri poſſe, quanquam ex ſemine virili generari tradunt, argumento ducti hiſtoriæ ab Hipp. enarratæ 5. *Epidem.* de uxore Gorgiæ, quæ poſt fœmellæ partum quadraginta dierum ſpatio interjecto, molam peperit. Sed non conſiderarunt viri doctiſſimi, ex hoc minimè argui poſſe, Molam in eo caſu fuiſſe ſuperfœtatam, quia mola 12
cùm ſit quid præter naturam, non habet determinatum tempus ſui exitus, nam aliquando per integros annos, & per totum vitæ curriculum geſtatur, ut aliàs dixi; taq; poterat in eo caſu Mola una cum vero conceptu eſſe generata, & dehinc, eo ſpatio interjecto, foràs ejecta,

Sed

14 Sed cur superfœtari non potest Mola, si ex virili semine gigni deberet? Quia cùm os uteri conniveat, & semen, ex quo mola concipitur, & spiritibus destitutum, ac crassius existat, quàm oporteat, ut ex Hipp. habetur 2. *de morb. mul. ante f.* Cæsalpin. *Art. Med. lib.* 8. *cap.* 11. non potest ad uteri cavitatem pervenire, & uteri internum osculum penetrare. Quibus adde eandem rationem, de qua suprà: nam cùm requiratur ad Molæ generationem sanguinis multitudo ipsum semen obruentis, & formatricem virtutem opprimentis, & non possit ea in hoc casu adesse, quia potiorem, & calidiorem sanguinis partem ad se vetus conceptus attrahit, & fœculentior, ac frigidior relinquitur, quæ ad molæ generationem noa solùm concurret, sed eam omnino impedire poterit: Restat
15 ergo, ut cum non potuerit mola ullo, ex traditis modis procrearì; si ad ipsius generationem virile semen concurrere debuisset, aliter conflata sit, modo videlicet, de quo inferiùs dicemus.

16 Præterea in mola semper generatur caro quædam ejusdem semper conditionis, quod esse non deberet, si ex morboso semine generaretur: nam quod morbosum est, cùm non semper eodem modo morbosum sit, sed multùm evariet, deberet etiam siquid ex eo gignitur variare. Cùm effectus ergo semper sit idem, ac uniformis, dicendum videtur, quod ab agente Naturali sit. At à semine virili non potest esse, quia ex hoc, si muliebri admisceatur, generaretur conceptus naturalis, ac verus: ergo potius à muliebri semine, virili deficiente, procreatam fuisse dicendum est; nam quia hoc agens naturale est, idcircò uniformiter semper agit; quia verò à virili destituitur, idcirco non verum, sed mendosum conceptum gignit, quod quidem per accidens est, operatur enim quantum est ex parte sui, nec nisi, ut dixi, ob defectum
17 alterius, in operando deficit.

Maximè verò præter hæc urget, quod sequitur; cùm etenim semen non solum facultas sit, sed materia, Gal. 1. *de sem. c.* 2. *claff.* 1. si mola ex utroque semine generatur deberet in ejus mole ac constructione aliqua pars seminalis conspici: at contra in mola nihil conspicitur, nisi species quædam carnea quam ex
18 sanguine generari satis constat, & testatur Galenus *primo de sem. cap.* 10. At tale quid ex semine fusse procreatum dicendum non est, quia à privatione ad habitum non datur regressus, ut commune est Phi-
91 losophorum axioma; at semen sanguis jam erat, Gal. 2. *de semin. cap.* 2. si ergo ex eo caro generatur, in sanguinis naturam denuò illud remeasse oportuisset, nil enim aliud caro est quàm sanguis constãtem habens substantiam & non fluidam, Gal. *primo de nat. fac. cap.* 10. *claff.* 1. Quòd si dicas, eandem rationem esse de semine muliebri, si ex eo solùm mola generetur, dico, quòd nulla spermatica pars
21 potest absque utroque semine generari, eod. Gal. teste *ibid lib.* 1. Neque tamen membranam, quâ mola quæque obvolvitur, ex virili semine conflatam fuisse dicendum; nam similes membranas ex fœmineo duntaxat semine produci docuit Gal. *ubi suprà, à cap.* 7. & firmat Rueff. *de hom. conc. lib.* 5. *c.* 1. Itaque cùm in mola satis appareat id, quod ex sanguine, & fœmineo semine genitum est, quicquam verò à virili generatum minimè conspiciatur, concludendum videtur, virile semen ad molæ generationem minimè requiri. Sed & sequens ratio non parum urgere videtur, nempè quòd videamus, non solùm absque semine virili, sed absque ullo prorsus semine aliàs, non tantùm carnis frusta, veluti mola, sed etiam animalia viventia generari, ex solo nimirum calore quocunque & materiâ. Si ergo hoc, quod majus quid est, absque semine generatur, quid obstat, quò minùs mola absque semine saltem virili generari possit? quin & alias carnosas excrescentias & in utero, & alibi observamus, absque ullo semine generatas ex solo sanguine. Addamus insuper aliam non contemnendam quidem rationem, & est quæ sequitur. Mola in mulieribus tantum, non in fœminis cæterorum Animalium procreatur, & in Mulieribus quidem plurimum utero gerentibus, rarissimè in aliis, ejus rei causam non etiam assignari posse mihi persuaserim, nisi quòd non recipiente utero ob oculi interni occlusionem virile semen, Mulier semen proprium concipit, quod destitutum semine virili in molam degenerat.

Ad rationes autem in contrarium adductas, dicamus ad primam, quòd verum quidem est, in vera ac naturali conceptione debere fieri concursum maris, & fœminæ; in non naturali verò, ac falsa conceptio- 22
ne, veluti est mola, hoc nullam habere necessitatem: videtur enim, quòd non naturalis effectus etiam nõ 23
naturali modo sit producendus, & quòd non naturaliter dispositæ causæ non secundùm Naturæ ordinem operentur; licèt enim fœmineum semen, ac sanguis menstruus agentia naturalia sint, tamen in ordine ad generationem non sunt naturaliter dispositа, si virili semine destituantur.

Quando ergo dicitur, omne formationis principium à mare esse, de naturali conceptione, ac forma- 24
tione, non verò de non naturali est intelligendum. Simili enim ratione vides indies, ovipara etiam absque maris operâ ova intra se gignere, quæ tamẽ generationi inepta sunt; licet de vulturibus Basilius Magnus, referente Cœlio, *lect. antiq. lib.* 27. *c.* 17. *in f.* dicat, etiam subventanea ova citra coitum progignere fertilitate insignia: ecquidnam obstat, quò minus tale quid in vivipatis generari possit? si nim mola, 25
ut Gal. placet 14. *de usu part. c.* 7. *claff.* 1. ovo respondet, nulla ratione video, cur, quemadmodum gallina inter ovipara ovum sine mare generat, sic & mulier inter gressilia non possit molam absque viri operâ generare: nam Galenus ad hoc nihil aliud adducit præter experientiam propriam, cui tamen possunt aliorum doctorum hominũ experientiæ contrariari: nam & in aliquibus viderunt alii, molam absque viri usu fuisse gestatam. Unde non debebat tam audacter, ne dicam impiè Amat. Lusit. *cur. Med. cent.* 4. 26
cur. 36. religiosam illam mulierem impudicitiæ damnare solâ Galeni auctoritate fultus: nam forsasse poterat in religiosa illa, mola absque ullo peccato fuisse generata, ut in aliis evenisse constat,

Dicamus ergo nos, quòd & mola in gressilibus, & 27
subventanea ova in ovipatis, uno eodemque modo generantur; licèt ovi generatio in his minus extra 28
naturæ legem videatur esse, quàm molæ generatio in illis: à natura enim est, ut ovipara ova intra se procreent, ita ut priùs intendatur ovi coformatio, dehinc caloris communicatio à semine maris, ut prolificum reddatur; in gressilibus autem Natura non intendit generare molam, sed semper generare perfectum conceptum ex utroque semine simul commixto uno eodemque tempore, & idcircò concursus maris, & fœminæ fieri debet in seminum emissione: quod in aliis necessarium non est, sed sufficit, si id, quod à fœmina intra se generatum est, successivè à maris semine foveatur: cujus rei rationem afferre cùm non vacet, in aliud tempus rejiciemus.

Ad experientiam porrò in contrarium adductam 29
jam respondere par est; constat enim, inquiunt, nullam mulierem absq. viri usu molam unquam gestasse (licèt fortè & virgines, & viduæ molam aliquando,

ut dixi,abſque ulla pudicitiæ nota geſtaverint,ut ex hiſtoriis patet relatis per Schenck. *ſuarum Obſervat.*
30 *lib. 4.tit. de Mola.*) Sed ponamus, nullam unquam abſque viromolam concepiſſe, & ejus rei rationem adducamus: primò ergo dico, quòd in conceptione duos motus conſiderandi veniunt; prior colli uteri,& ipſius etiam corporis uteri attrahentis & alicientis ad ſe virile ſemen, ut in ingerendis cibis ſtomachus, aut gula faciant,Galen.1. *de ſem. cap.* 14. *de uſu part.* 11. *claſ.* 1. Secundus motus eſt vaſorum ejaculantium, qui motus expulſionis eſt.
31 Cùm ergo mulier viro utitur,ſi virile ſemen aptum generationi ſit, utroque motu concurrente; vera ac naturalis conceptio fit; at ſi temperatum ſit, & generationi ineptum, vel non poſſit ad uteri ſinum penetrare, tunc quidem, non tamen ſemper, ſed profectò interdum, eodem utroque motu concurrente; & muliere calidiore exiſtente, & naturâ multum conceptionis avidâ, conceptio quidem fit, ſed mendoſa;nam ſolum muliebre ſemen concipitur,vitili ob ſui temperantiam,& ineptitudinem ex ſe excidente. In iis verò, quæ coitu non utuntur,ſed vel ſponte, vel involuntariè ſemen ejiciunt, nullo modo conceptio fit,quia ſolum motus expulſionis in ea actione concutit; vel ſi aliquis motus attractionis fiat, debilior eſt quàm ſit neceſſarius, cùm ex minori delectatione fiat, deficiente ſemine virili, quod attrahat, quo tantoperè ipſe uterus delectatur; unde eſt, quòd non tam facile poteſt uterus ſupra ſemen recolligi,cùm fortior ſit motus expulſionis ejaculantium vaſorum, quàm motus attractionis colli, & corporis ipſius uteri, quamobrem facillimè, & omninò ſemen mulieris excidit. Præterquam quòd, ut dicebat Mercurial. in coitu plurimum, & multò magis quàm in ſimplici pollutione, muliebria loca calefiunt,& ex ea concalefactione ſanguis ad ae confluit, ut quo ſemen muliebre jam avidè à natura retentum matrici faciliori negotio, foveri poteſt, ac coadjuvari, ut ad actum reducatur;in ſimplici verò pollutione neque tanta locorum calefactio, neque ille ſanguinis concurſus fieri ſolet.
32
33 Sed adducamus aliam rationem,quæ fortaſſe pleriſque magis arridebit,& eſt hujusmodi:InVirginibus venæ, ac viæ omnes ad uterum pertinentes anguſtiores ſunt, Valleſ. *in* 3. *Epid. ſect.* 3. *Æg.* 12. quàm in iis,quæ & viro utuntur,& aliquando pepererunt: in talibus enim venæ ex partus occaſione ampliores multò redduntur,teſte Hip. *in lib. de Nat. Puer.in fin.& de morb.mul.* Itaq;cùm ad molæ generationem requiratur confluxus ſanguinis,&hìc talis confluxus non fiat, etiamſi interdum ex ſe polluantur,tamen neq;molam, neq; ſimile quidpiam concipiunt,deficiente ſanguine ad ſeminis proprii alimoniam,ac ipſo etiam ſemine non tanta vi attrahendi dotato,quantâ neceſſe haberet,ut conciperetur:nam frigidiuſculum eſt;non confluit ergo ſanguis ad uterum in virginibus,ut in iis quæ viro utuntur,ob vaſorum anguſtiam, quæ cauſa ceſſat in aliis.
34 Sed etiam in viduis caſtam vitam degentibus,eadem ratio poteſt habere locum,quippè cùm ex intermiſſione coitus deſueſcat Natura ſanguinem conſuetum ad uterum demandare: unde eſt, quòd tam in viduis,aliiſq;mulierib.caſtè viventib.quàm in virginibus viro maturis,plurimum reperies menſtruorum defectum:nam & ex coitus etiam uſu venæ laxiores fiunt, cod. Hipp. *ibid.* docente; unde facilùs in his quæ coitu utuntur, ſanguis ad uterum confluere
35 poteſt ad Molæ generationem.

Ex quibus denuò colligamus modum, quo mola generatur;ſiquidem Naturâ valde conceptionis avidâ exiſtente,cùm ex aliqua præternaturali,aut accidentali cauſa non licet illi verum conceptum ex utroque ſemine progignere,ex altera tantum procreare tentat,& ſolum muliebre ſemen concipit,retinet, ac fovet,ſanguinem ad ſui nutritionem ad uterum illicò relegans; ſed quia à ſemine virili deſtituitur, conceptam materiam efformare, nec vivificare poteſt,ſed quantum ex parte ſui poteſt, operatur.

Et hæc quidem de non vitalibus molis magnâ ex parte accipias velim; de vitalibus enim molis valdè quidem dubitandum eſt: neque enim poſſibile mihi 36
videtur, ut muliebre ſemen tantum poſſit,ut vitam ſubjectæ materiæ impertiri valeat, in quam etiam opinionem inclinat Marcel. Donat.*lib.* 4.*Med. Hiſt. mirab. cap.*25. & tamen hoc ipſum absq; dubio non tranſit;quanquam ego ſemper magis ſuſpectam ejus pudicitiam haberem, quæ vivam molam geſtaret,
quàm quæ non vitalem.Imò profectò de quacunque 37
magnum indicium violatæ caſtitatis ex generatione molæ deſumerem,cùm aliàs tariſſimè in iis,quæ viro 38
non utuntur,gigni manifeſtum ſit;licèt virile ſemen ad ejus generationem, neque ut efficiens, neque ut materialis cauſa concurrere mihi videatur.

Verumenim verò adhuc hæſitabundus in ea re ſatis ſuperque ſum, cùm non tam difficile mihi videatur,molam in muliere ex ſolius mulieris ſemine absq; viri uſu generari, quàm difficile perſuaſu mihi eſt, quòd perfecta quædam animalia veros,ac quaſi perfectos conceptus licèt debiles,& parum vitales,absque maris opera generare poſſint:& tamen conſtat, multorum, ac magnorum virorum teſtimonio, equas abſque mare concipere, ſed imbecillos fœtus parere.Varro *de re Ruſt.lib.* 2.*cap.* 1.Plin.*nat.hiſt. libro* 8.*cap.*42. Virgil. 3. *Georg.* Solin. *de ſit.orb.lib* 3. *capit.*26.*&* 56. Columell. *de re Ruſt. lib.*6. *capite* 27: Avic.quem citat, & ſequitur Albert. Magn. 6.*de Anim. tract.* 3. *cap.*2. Geſner.*in hiſt.anim. libro* 1.*c. de Equo. T.* 1. Alb. Vvoton.*lib.* 5.*de diff. Anim.cap.*101. de cujus rei veritate facundiſſ.Poëta Torq. Taſſ. in ſuo majori opere.Cant.7.*ſt.*66.adVirg.imitationem ita habet:

Quaſto ſu'l Tago nacque, ove tal'hora
Lavida Madre del guerriero armento,
Quando l'alma ſtagion, che c'innamora
Mel cor l'iſtiga il natural talento,
Volta l'aperta bocca incontro l'ora,
Raccoglie i ſemi del ſecondo vento,
E de'tepidi fiati, ô meraviglia,
Cupidamente ella concepe, e figlia.

Quod verò multum huic rei fidem augere poteſt, eſt Homeri teſtimonium, qui ante hos omnes *Iliad.* 16.*tranſ. princ.* Xanthum, & Balium Achillis equos ex Zephyro natos dicit in carminibus:

Quapropter & Automedon duxit ſub jugum veloces equos,
Xanthum, & Balium, bi de quo ſimiliter ventis volabant:
Quos peperit, Zephyro vento Harpyia albis pedib.
Paſcens in prato juxta fluxum Oceani.

Et 20. ejuſdem:

Hujus ter mille equæ paludem circa paſcebantur
Famina, pullis exultantes teneris:
Has Boreas amavit paſcentes.
Equoque aſſimilatus condormivit nigrijubo.
Has verò gravidas facta pepererunt duodecim pullos.

Id autem ab Homero, non fabulosè dictum teſtatur Pier. Val. *Hierog. lib.* 18. & Æmil. *de rumin. in princ.* Fabuloſam tamen judicat eam inter Jureconſultos Carranza *de part.cap.*20. *quæſt.* 7. *n.*83. & ſequitur illum

illum Torreblanca *Demonol. lib.* 2. *cap.* 17. *numer.* 24. Sed id ipsum quod de equabus narrant alii, de tigribus jactat Claudin. *de Rapt. Proserp. lib.* 3. *vers. fin.* sed & de vulturibus hæc eadem fœcunditas prædicatur, ut quæ similiter ex vento absq; mare concipiant, testimonio Æliani *de hist. Anim. lib.* 2. *c.* 46. & Æmilian. *de Ruminantib. in princ.* Quod quidem si aliquam veritatem habet, jam non amplius hæsitabundus affirmare auserim, molam quamcunq; posse absq; virili semine in muliere gigni. [Fusiùs hæc exposita sunt in *Straussii* fœtu Mussipontano].

SUMMARIUM.

1 *Prægnans multis gaudet privilegiis.*
2 *Molatica tanquam prægnans debet prægnantium privilegiis gaudere, & cur. n. seq. die ut n.* 7. *&* 8. *vide n.* 11.
4 *Mulier ex mola vitio decedens ex prægnantia, aut partus vitio decessisse dicenda. Contr. n.* 14.
5 *In contractibus societatum excipi debent omnia mortis genera extrinsecum causam habentia.*
6 *Mola perrarò generatur in iis, quæ viro non utuntur.*
9 *Cur mola cum fœtu gestata occidens faciat exceptioni locũ.*
10 *Mola toto vitæ curriculo aliquando gestatur.*
12 *Prægnans cur tot privilegiis frui à legibus permittatur.*
13 *Fœtus præcipuam miserationem habuerunt leges.*
15 *Viri usus non est immediata causa molæ, sed disponens.*
16 *Molatica an infirma & valetudinaria dici debeat.*
17 *Perlini opinio confutata.*

An molam gerens Mulier ad quosdam effectus prægnans dici debeat.

QUÆSTIO VII. & ULTIMA.

1 PRægnantem multis privilegiis gaudere ex Legum indulgentia, notum est ex iis quæ *in hoc titulo q.* 1. adduxi; unde locus dubitationi fieti potest, an molam gerens debeat pro prægnante haberi, itaut prægnantis privilegio gaudere possit? Illud etiã dubium afferre potest, an Molatica ex vitio Molæ decedens, causã prægnantiæ perisse dicenda sit, ita ut in societatibus officiorum locum exceptioni faciat.

2 Et quoad primum effectum molatica videbatur debere connumerari inter prægnantes; cùm enim ob incommoda, ac molestias, quib. prægnantes afficiun-
3 tur, leges illis in plerisque indulgeant, patet quòd & paribus incommodis, ac molestiis, quinimò fortasse majoribus, detinetur etiam molatica; unde etiam hæc, ut cæteræ prægnantes, legum indulgentia frui deber.

Quoad secundum verò, non minùs videbatur, mo-
4 laticam ex molæ vitio decedentem debere facere
5 locum exceptioni, tanquam si ex prægnantiæ culpa decessisset: quia cùm omnia mortis genera in contractibus societatem excipiantur, quæ causam habent extrinsecam, quia talia violenta omnia sunt, *ut tit. de mor. caus. par. q.* 1. *n.* 60. *& alibi.* abundè probatur non magis ex hoc videtur debere excipi mors ex prægnantia & partu, quàm mors ex mola, quia eandem videtur habere causam, nimirum Veneris usum; etiam si enim non concedatur ex virili semine, tanquam ex materiali causa molam gigni, tamen vi- 6
detur perrarò admodum in iis, quæ viro non utuntur, generari, ob rationes de quibus suprà.

Dicendum videtur, quòd mola vel cum vero con- 7
ceptu, vel sola gestatur: ubi cum vero conceptu ge- 8
nerata sit, dubium non est quid in utroque effectu molatica non ratione molæ, sed ratione fœtus prægnans cùm sit, prægnantium privilegiis gaudere debeat, & decedens facere locum exceptioni, etiamsi quoad fœtum, & ad ea, quæ ad partum & prægnan- 9
tiam pertinent, constaret, omnia rite, ac naturaliter processisse, & solummodò molam mortis propinquam causam extitisse. Et ratio est, quia in hoc casu mola est ex concomitantibus ipsam graviditatem, & 10
partum, & comprehendi talis casus debet sub casibus ex causa prægnantiæ & partus. Præterquam quòd mola non est adeò urgens causa mortis subsequentis; nam aliquando non magno vitæ incommodo toto ipsius vitæ curriculo gestatur, teste Arist. 10. *de hist. anim. text.* 4. & declarant historiæ relatæ per Schenck. *lib.* 4. *Observ. cit. de Mola*, cum fœtu tamen generata non, solùm ipsum fœtum plerumque interimit, sed & ipsam matrem; ut in casibus per eundem Scenck. *ibid.* enarratis videre est.

Verumenim verò si solam molam absque vero fœ- 11
tu in utero habeat mulier, tunc neq; quoad primum, neq; quoad secundum effectum molatica prægnans dici potest: Nam quoad primũ dico, quòd si quibusd. privilegiis gravida à Legib. insignitur, iis non ratione molestiarum quas in prægnantia perpetitur, gau- 12
det, sed ratione ipsius fœtus, cujus præcipuam miserationem habuerunt Leges; ne si gravida vel torqueatur, vel aliquâ animi passione molestetur, fœtus
13 pereat, & idcircò ne ad judicium quidem cogi accidere voluerunt: & idcircò non aliter de muliere molam gerente sentiendum esse, quàm si quovis alio morbo detineretur, ad ipsum uterum pertinente.

Quoad secundum portò effectum molatica ex 14
molæ culpa decedens non debet facere locum exceptioni: Licèt enim concedamus, ut plurimùm requiri coitus usum ad ipsius generationem, ut in *superiori quæstione* innuimus, tamen usus coitus non est causa 15
immediata, sed mediata, nec principaliter agens: sed solùm disponens; quia ex ejus usu magis incalescunt loca muliebria, & viæ ad uterum pertinentes ampliores redduntur, ex quo fit, ut faciliùs possit sanguis ad uterum ruere, ad ipsius molæ nutritionem, ut dixi.

Cæterùm, utrùm molatica infirma & valetudina- 16
ria dici debeat, aliàs videbimus; pro nunc satis nobis sit concludere, molaticam ad nullum effectum posse inter prægnantes connumerari, ita ut earum privilegiis gaudere debeat, aut decedens locum facere exceptioni, ex quibus facilè apparet hallucinatum fuisse Perlinum, cùm contrarium voluit veritatem habere, quoad hunc secundum effectum, ut *tit. de mort. cauff. part. q.* 4. dicam.

LIBRI PRIMI TITULUS QUARTUS.

DE MORTE CAUSA PARTUS.

Continens Quæstiones octo.

I De causa exceptionis mortis violentæ, & mortis ex partu, & causa partus, quæ fieri solet in contractibus societatum.
II. Quandonam mors ex partu, aut prægnantia eveniens debeat censeri excepta.
III. Declarantur ea verba in instrumento apposita, excepta morte partus, & causa partus, & prægnantiæ.
IV. Particulares casus, ac regulæ exceptioni locum facientes.
V. Casus pro lucro facientes.
VI. Partus, & prægnantia in casibus exceptionis, quomodò debeant esse causa mortis.
VII. Casus aliqui dubii proponuntur, ac resolvuntur.
VIII. Argumenta in contrarium objecta proponuntur,

nuntur, ac reſolvuntur.

Eorum omnium, quæ in univerſo hoc titulo continentur Epilogus.

SUMMARIUM.

1 *Tractatio de morte, cauſa partus, eſt difficilis.*
2 *Contractus ſocietatis requirit, ut pecuniæ in ſocietatem datæ currant periculum amiſſionis.*
3 *Non poteſt percipi lucrum ceſſante periculo.*
4 *Propter periculum amiſſionis pecuniarum admittitur dans pecunias in ſocietatem ad lucrum.*
5 *Contractus propter periculum ſuſtinetur, & n. ſeqq.*
7 *Homo, ut cætera animalia, neceſſariò interit.*
8 *Ob mortem & pecuniarum amiſſionem compenſatur perceptio fructuum.*
9 *Homo multis periculis ab extrinſeco ſubjacet.*
10 *Vita humana brevis.*
11 *Socius periculum currere debet, quod ſibi ab intrinſeca cauſa imminet.*
12 *Nimis ampla eſſet lucrandi via, ſi etiam externis periculis ſocius ſubjiceretur.*
13 *In caſu quod quis ſibi vim inferat pecunias amittit.*
14 *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi imputet.*
15 *Mors ex peſte, & hujuſmodi, non eſt ab extrinſeco. Contrarium n. 26.*
16 *Peſte ii corripiuntur, in quibus humorum apparatus reperitur. Contrarium n. 29.*
17 *Prægnantes facilè peſte corripiuntur.*
18 *Mors ex peſte, & hujuſmodi, cur excepta, & n. 21. & 23.*
19 *Et certo periculo non licet pecunias lucrari.*
20 *Periculum debet eſſe dubium.*
22 *Plurimæ mulieres ex partu, & ejus cauſa pereunt.*
24 *In morte ex peſte habet locum vis.*
25 *Mors ex tegula à vento mota cauſata excipitur.*
27 *Cauſa peſtis, & Epidemia ſemper eſt univerſalis.*
28 *Cauſa proxima attendenda.*
30 *Homines malè affecti peſte non corripiuntur. Et ſenes, n. ſeq. Contrà de ſanis, & robuſtis, n. 32.*
33 *Cauſa exceptionis ab aliis allata, & n. ſeq. alia.*
34 *Utraque cauſa redarguitur.*
35 *Cauſa, ne detur occaſio inſidias patrandi, non eſt cuicunque caſui communis.*
37 *Cauſa à Seraphino allata non habet locum in morte, cauſa partus, & prægnantiæ.*
38 *Mors ex partu, ex peſte, & hujuſmodi, non eſt violenta, n. 46.*
39 *Vera cauſa exceptionis in caſibus exceptis.*
40 *Quod cauſam habet extrinſecam, violentum eſt.*
41 *Mortis violentæ appellatione quid veniat.*
42 *Mors violenta ſtricto modo ſumpta quæ.*
43 *Mors naturalis quæ.*
44 *Mors violenta lato modo ſumpta quæ.*
45 *Mors violenta hic ſtricto modo accipienda.*
47 *Periculum debet reſpicere ipſum individuum, & ex iis dependere, quæ ipſi ut tali individuo accidere poſſunt.*
48 *Prægnantia, & partus ſunt res naturales.*
49 *Mulier ad id nata eſt, ut partus edat.*
50 *Prægnantia non eſt quid, quòd individuo, ut individuo conveniat, ſed reſpicit ſpeciei conſervationem.*
51 *Quo pacto mors ex partu, & hujuſmodi, ſit violenta.*
52 *Prægnantia ſine extrinſeca cauſa non fit.*
53 *Mors ex partu, hujuſmodi, aliquo modo eſt violenta.*
54 *Ad contractus ſocietatis validitatem requiritur, ut periculum inter ſocios ſit æquale.*
55 *Communione damni, & lucri efficitur ſocietas.*
56 *Abſque periculi compenſatione ſocietas eſſet iniqua.*
57 *Conditio ſociorum an debeat eſſe æqualis.*
58 *Mulieres non poſſunt emere: aut exercere officia Romanæ Curiæ. Amplia de omnibus officiis publicis num ſeq.*
60 *Mulieres ſuas pecunias in ſocietatem dare poſſunt.*
61 *Periculum ſociorum diverſi ſexus eſt inæquale.*
62 *Præcipua ac vera cauſa exceptionis mortis ex partu & prægnantia, eorumque cauſa.*

De cauſa exceptionis mortis violentæ, & mortis ex partu, & cauſa partus, quæ fieri ſolet in contractibus ſocietatum.

QUÆSTIO I.

QUòd tractio hæc maximæ ac præcipuæ difficultatis ſit, nulli aut dubium eſt, aut mirum vi- 1
dari debet; non modò enim ipſius rei natura illam difficilem reddit, & evenientis mortis in propoſitis caſibus cauſarum complicatio illam facit difficiliorem; ſed & ipſi Medici, qui non à Jureconſultorum, ſed ad propriũ intellectum omnia interpretati ſunt, eam difficillimam reddiderunt. Etenim Juriſperiti, imò contrahentes ipſi, alicuius cauſa quid fieri, vel non fieri volunt: quòd Medici ob ejus nominis cauſæ variam, ac multiplicem acceptionem diverſo, ac penè contrario modo exponentes, & ipſorum Juriſperitorum mentem non aſſequentes rem non eo quo debent, modo decidunt, ac illis malè judicandi anſam ſubminiſtrant.

Ut hæc igitur intellectu faciliora reddantur, & Juriſperitis plenè ſatis fiat, nonnulla primùm ipſis Medicis in mentem revocanda, quædam etiam ipſis ob legumperitiæ carentiam ignota enucleanda, quibus intellectis, faciliùs modo loquendi, ac intelligendi Juriſperitorum noſtro aptato, eorum intentioni ſatisfacere facilè licebit.

Sciendum ergo ante omnia (quod præcipuè admonuit me Reverendiſſimus ac Doctiſſimus vir Julius Benignus, quem honoris cauſâ nomino) quòd, ſi Juſtitia in ſuo robore ſervanda eſſet, nullæ deberent in contractibus ſocietatum apponi exceptiones pro parte dantis pecunias in ſocietatem, quia ſociorum conditionem inæqualem reddunt, eo quòd dominus officii pecunias accipiens ab iis periculis, à quibus eximi vult dans pecunias, his exceptionibus in contractu appoſitis minimè eximatur.

Conſiderabam tamen ego, quòd fortaſſe hoc permiſſum ſit danti pecunias, quia moriente officii domino, amiſſio officii non redundat in utilitatem dantis pecunias, quemadmodum moriente ſocio, qui dat pecunias in ſocietatem, quia dominus officii illas lucratur, & ob hanc fortaſſe inæqualitatem permitti potuit danti pecunias, ut quædam mortis genera exciperet, & iis minimè ſubjiceretur, ita ut etiam eveniente mortis caſu dominus officii illas non lucraretur.

His ergo ſic ſe habentibus, quænam mortis genera excipi permitti potuit, ut æquitas quædam inter ſocios ſervaretur? Ad hoc non ante reſpondere licet, quàm ipſius contractus natura integrè Medicis pateſiat; nam hæc Jureconſultis ſatis ſuperque nota ſunt.

Naturam contractus ſocietatum, illud primo lo- 2
co requirere certum erat, ut pecuniæ in ſocietatem datæ ſub alicujus vitæ periculo exiſterent, ut ex iis, lucrum percipi poſſet: non enim percipi poteſt lucrum, ubi periculum amiſſionis pecuniarum ceſſaverit, Seraphin. *in quodam voto in tract. de ſociet.* Zacch. *dec.* 75. *n.* 1. & ipſe Zacch. *frater meus de ſociet. numer.* 313. Ratio eſt, quia propter illud ipſum

periculum

Periculum admittitur is, qui pecunias in ſocietatem dare vult, ut particeps fiat fructuum officii, & ob illud præcipuè contractus hic ſuſtinetur, abſque eo prorſus fœneratitius, & illicitus futurus, ut idem
4 Zacch. *ibid. n.* 125. *& ſeq. & n.* 375. *&* 377. *cum aliis pluribus ibi per eum allegatis.* Eſt autem hæc neceſſitas currendi hujuſmodi periculum adeò de natura intrinſeca hujus contractus, ut abſque eo, ut dixi, totaliter, & à fundamentis corruerer.

5 Poſito ergo, quòd dans pecunias deberet currere tale periculum, quo ſuccedente pecunias admitteret, duo conſiderari poterant; primum, quòd homo ut cætera animantia omnia, neceſſariò aliquándo interit; nam ab ipſa conceptione illum mors perſequitur: unde benè dicebat *Sil. Ital. lib. 3. de Bell. Pun.*

6 —— *Extremumque diem primus tulit.*

Et *Pindar. in Pyth. Od.* 8.

Diei unius ſunt homines.

Quamobrem ad eandem rem *Sophocl. in Trachin.* re-
7 ctè eam protulit ſententiam:

—— *Proinde dies*
Si quis duos: pluresve computet ſibi,
Eſt ſtolidus, haud enim dies eſt craſtina
Certa, antequam præſens bene act a ſit dies.

Ex intrinſeca ergo, ac connaturali cauſa in mortem impingat omne animal neceſſe eſt, unde Diog. *in epiſt. ad Phanomachum:* At unum nobis duntaxat certiſſimum eſt: Corruptio poſt generationem. Et Lucret. *lib. 3. de rer. nat.*

Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat,
Nec devitari lethum pote, quin obeamus.

8 Ita ut ob hanc mortis certitudinem, quâ eveniente ceſſat perceptio fructuum ex pecuniis in ſocieratem datis, & ſocius illas lucratur, compenſatur ipſa fructuum perceptio, nonniſi ad quoddam congruum tempus duratura.

Secundò conſiderari poterat, hominem præter dictam mortis certitudinem ab intrinſeco advenientem, mille aliis mortis periculis ab extrinſeco originem habentibus ſubjici, ita ut prudenter Senec. *in*
9 *Thebaid. act.* 1.

Ubique mors eſt, optimè hoc cavit Deus,
Eripere vitam nemo non homini poteſt;
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

Et alter Seneca *in epiſt.* 104. Ab homine homini quotidianum periculum,

His igitur conſideratis, poterat tertio loco anim-
10 adverti, vitæ humanæ ſpatium, etiam quatenus ab intrinſeco ſolùm dependentiam habet, eſſe ex ſua natura breve, ut Juvenal. præ cæteris canebat *Satyr.* 9. in his carminibus.

— *Feſtinat enim decurrere velox*
Floſculus, anguſtæ miſeræque breviſſima vitæ
Portio, dum bibimus, dum ſexta, unguenta puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus,

Juncta ergo hac vitæ brevitate cum mortis certitu-
11 dine, maximè ſecundùm æquitatem videri potuit, ſi ſocius illud tantummodò curreret periculum, quod ab intrinſeca, & connaturali cauſa imminet, illud autem permitteretur excipere, quod ab extrinſeca, accidentali, ac deforis adveniente cauſa illi inſtabat;
12 etenim nimis ampla eſſet via lucrandi pecunias, ſi etiam ii mortis caſus, qui deforis, ſeu ab extrinſeco adveniunt, lucro locum facerent: quam tamen potiùs arctare jure debebunt, qui juſtitiam adminiſtrant, & ita illos facere dubium non eſt, nam ſemper ad favorem ejus libentiùs, qui de damno evitando tractat, quàm ejus, qui de lucro captando agit, inclinant ut videbimus. Omnes ergò ii caſus excipi poſſe videri potuit, inter quos primò ſunt caſus mortis violentæ; in omnib. enim hiſce caſibus patitur maximum detrimentum is, qui pecunias dat, ex quo fas non eſt, quem lucrum percipere debere, *l. Jure Naturæ, ff. de reg. Jur.* privatur enim ex injuria, ac violentia externa v tæ bono, quod à Natura illi non denegabatur.

Sed objicies primò caſum illum, ubi quis ſibimet ipſi manus inferret, nam tunc pecunias amitteret, 13
licèt & hæc violenta mors eſſet, ab extrinſeco adveniens, Boccac. *in tract. de ſociet. num.* 122. Caſtracan. *eodem tractatu, capit.* 22. *numer.* 1. Zacch. *ibid. numero* 417. videtur ergo falſum id, quod firmavimus, excipi omnes caſus mortis violentæ, & ab extrinſeco advenientes.

Reſpondeo, in citato caſu intrare regulam illam 14
à Jureconſultis canonizatam; nimirum, damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi ipſi imputare debet, *l. Quod quis ex culpa, ff. de reg. Jur.* quamobrem jure non excipitur hic caſus, etiamſi violenta mors ſit, & cauſam habeat extrinſecam.

Secundò objicies hoc modo: Mors ex peſte, & E- 15
pidemia non habet cauſam extrinſecam, ſed intrinſecam, nec dici poteſt violenta, cùm ſatis pateat eos 16
tantummodò corripi peſte, & Epidemia, in quibus apparatus humorum, & intrinſeca aptitudo, & proclivitas ad concipiendam putredinem reperitur. Quamobrem ex ea cauſa prægnantes, quòd pravis humoribus ſint refertæ, faciliùs quàm cæteri omnes peſte corripiantur, ut teſtatur Pareus *oper. ſuor. libro* 21. *cap.* 17. Ex hoc igitur non videtur vera præcipua illa concluſio, quòd excipi poterant omnes caſus, qui cauſam habebant extrinſecam, neque enim poteſt ea ratio his caſibus aptari.

Sed huic objectioni multipliciter reſponderi po- 17
teſt, & primò dato, quòd peſtis & Epidemia habeant intrinſecam cauſam (quod tamen verum non eſſe, deinceps monſtrabo) tamen dici poſſet, hanc exceptionem inter alias comprehenſam fuiſſe, ob imminens, imò certum vitæ periculum, quod quivis in 18
peſtilentiali conſtitutione currit: neque enim ex certo periculo liceret pecunias lucrari, cum illud debeat eſſe dubium: imò ad illud ipſum periculum evitandum, conceditur danti pecunias in ſocietatem, ut
per quindecim dies ante, vel ſocietatem diſdicat, vel 19
periculum in aliam perſonam tranſferat, Felic. *de ſo-* 20
ciet. cap. 35. *num.* 27. *verſ. Mutatio perſonæ.* Zacch. *ibid. n.* 392. Secundò reſpondeo, quòd mors ex peſte, & Epidemia debebat jure excipi, propter mortis frequentiam tunc temporis advenientẽ; ſicuti enim 21
mors ex partu dicitur excepta ob illius frequentiam, quia plurimæ mulieres ex partu, & illius cauſa pereunt. Zacchias *in prædicto tractatu, numero* 402. *in*
fine, & ex Medicis Perlin. *in libell. de mort. cauſ.* 22
part. in principio. ſic, imò multò magis debebat excipi mors ex peſte, & Epidemia, quia frequentiores ſunt eo tempore eventus mortis ex cauſa partùs, & prægnantiæ.

Tertiò reſpondeo, quòd cùm in inſtrumento hu- 23
juſmodi contractuum excipiatur mors ex vi proveniens, videtur etiam in hoc caſu locum habere vis quædam vel aëris, vel exhalationis alicujus terreſtris, vel alterius cujuſcunque præternaturalis cauſæ
ab extrinſeco irruentis, quod teſtatur Lucret. *libro* 6 24
de rer. nat.

— *Primùm multarum ſemina rerum*
Eſſe ſuprà docui, quæ ſint vitalia nobis,
Et contra quæ ſint morbo, mortique neceſſe eſt
Multa volare: ea cum caſu ſunt fortè coorta,
Et perturbarunt cælum, fit morbidus aër,

Atque ea vis omnis morborum, peſtilitaſque,
Aut extrinſecùs, ut nubes, nebulæque ſuperne
Per cœlum veniunt, aut ipſa ſæpè coorta
De terra ſurgunt, ubi putrorem humida nacta eſt
Intempeſtivis pluviïſque, & ſolibus icta, &c.

Ea igitur de re hujuſmodi caſus comprehendi poterant ſub caſibus vi illatis; neque enim exprimitur à quanam re inferri oporteat hujuſmodi vim, ſed æqualiter, ac generaliter, à quacunque re inferatur, dummodò ſit extrinſeca, caſus omnis excipitur; unde exceptus eſt quoque caſus ille, in quo tegula à vento mota perttanſeuntem occidat, Zacch. *num.* 411.

Poſtremò reſpondeo, mortem quamcunque ex
26 peſte, aut Epidemia evenientem, ſemper habere cauſam extrinſecam: patet, quia cauſa peſtis, & Epidemiæ ſemper eſt univerſalis, & communis cuilibet
27 individuo, Hippocrates *in lib. de flat.* Ergo ex neceſſitate eſt extrinſeca, & eſt plurimum venenatus aër. Hippocrates *ubi ſup. circa principium*, Galenus *de Theriac. ad Piſon. cap. 16. claſſ. 5.* Fernel. *de Abdit. rerum cauſ. lib. 2. cap. 12.* Joub. *de peſt. cap. 3.* Pareus *lib. 21. cap. 3.*

Sed inſtabis dicens, quòd etiamſi aëris corruptio ſit prima cauſa, tamen ea habeatur ut cauſa remota, proxima verò ſint humores ipſi apti ad putreſcendum, & ad ſemina peſtis concipienda; proxima autem cauſa intrinſeca eſt, & ea debet attendi, ut videbi-
28 mus. Dico, quòd ad concipiendam peſtem nihil omninò operatur apparatus humorum pravorum in corporibus exiſtentium: nã mala illa venenati aëris
29 qualitas cùm de directo contrarietur animantium vitæ, magis adoritur ſecundùm naturam ſe habentia, quàm cætera. Teſtimonio ejus rei ſit, infirmos, valetudinarios, ac putridis, praviſque refertos humoribus à peſte minùs corripi, imò teſtatur Pareus,
30 *ubi proxime, cap.* 17. quod mirum duxeris, Gallico morbo affectos, cancros, ac ulcera phagedænica habentes, quartanarios, & hujuſmodi farinæ homines
31 obſervatum eſſe à peſte ſervari immunes; & ſenes ipſos, qui præ cæteris excrementitiis redundant humoribus, difficiliùs, quàm juvenes à peſte prehendi, tradit Augen. *epiſt. Med. lib. 1. epiſt. 1.* & univerſaliter ſanos, & robuſtos faciliùs à peſte pati, quàm debiles, & infirmos, firmat Fernel. *loca ſuprà cit.* Quod quidem ſatis evidenter teſtatur, non humores pravos
32 in corpore ſtabulantes, ſed externam peſtilentiæ cauſam vim animalibus inferre. Non enim aliter operatur aër externus, cùm corruptus eſt, in animalium corpora, quàm venenum ipſum, cùm & ipſe externus aër conceptus, nihil aliud eſſe dici poſſit, quàm verum venenum: unde Hipp. *in lib. de nat. hum. verſ.* 18. excludit à cauſis peſtilentiæ alias omnes præter aëris corruptionem ac venenoſitatem, quia *n. 5. p. 1.* peſtis non particulares quaſdam perſonas, nempè ſolos juvenes, ſolos viros, aut ſolas mulieres, ſolos victu pravo utentes, aut bono, ſed omnes indifferenter adoritur, ut & externum ipſum venenum facit. Jure merito igitur, ſi quòd mortis genus excipi permitti debebat danti pecunias, debebat permitti excipi mors ex peſte, & Epidemia, nam habet cauſam extrinſecam, veluti omne mortis violentæ genus; nam omnes exceptos caſus ob id præcipuè excipi permitti potuit, quòd cauſam habeant extrinſecam, & violenti ſint.

Multò tamen ab ea diverſam hujus exceptionis cauſam aſſignant Juriſperiti: volunt enim nonnulli
33 ob id præcipuè exceptos fuiſſe tales caſus, ne detur
34 occaſio inſidias patrandi, Zacch. *cum aliis per eum citatis, n.* 402. Alii dicunt excipi, quia generalis eſt diſpoſitio, ne qui morte violentâ perit, ſubjaceat damno amiſſionis pecuniarum, ita Cardin. *Seraphin. in quodam voto, quod habes poſt tractatum prædictum.* Zacch. *de Societ. in deciſ. num.* 46. Sed utraque opinio, cùm non poſſit ea cauſa, quæ ab aliis allata eſt, 35
omnibus exceptis caſibus applicari, difficultatem patitur: & primò cauſa, ne detur occaſio inſidias 36
patrandi, præterquam quòd non comprehendit mortem ex partu. & ejus cauſa, ut dicebat Seraphin. multos etiam alios caſus non admittit, in quibus non poteſt præſumi, quòd inſidiæ parari poſſint, ut in peſte, & Epidemia, aut in caſu, in quo quis fame periret, & ſimilibus, qui tamen omnes excipiuntur.

Cauſa verò allata à Seraphino non poteſt habere 37
locum in pleriſque ex prædictis caſibus, dùm mors 38
ex partu, ex peſte, ex epidemia, ſi quæ alia eſt, violenta dici non poſſit, cùm verè naturalis ſit, ut in terminis mortis ex partu, tradunt Caſtrac, *de Societ. cap. 18. n. 9.* Zacch. *eod. tract. n. 413.* Quamobrem diſpoſitio, de qua per Seraphinum, non debet habere locum in his caſibus, neque eos excipere danti pecunias permitti debuit.

Cùm ergo minimè aptari poſſint cauſæ allatæ ſingulis exceptis caſibus, reſtat quòd vera cauſa excep- 39
tionis quorumlibet caſuum qui in hiſce inſtrumentis excipiuntur, fuerit, quòd omnes habent extrinſecam cauſam, quicquid verò extrinſecam cauſam ha- 40
bet, violentum evadit: eſt enim violentum id, cujus principium extrinſecùs eſt. Ariſt. 3. *Moral. Nicom. c. 1.* Tunc ergo intrabit cauſa à Seraphino allata, ſi modò ante exponet quomodò mors ex prægnantia, ex peſte, ex partu, & hujuſmodi violenta dici poſſit.

Sub mortis autem violentæ appellatione omne 41
mortis genus comprehenditur, quod extrinſecam habet cauſam; ſi enim hoc violenti nomen ſtricto modo accipias, nihil aliud eſt mors violenta, quàm 42
mors cauſata à nocumento extrinſeco. Rota *in Romana Societat. officiorum coram Cardin. Sacrato, nu. 4. apud* Zacch. *in tract. ſæpiùs citat. deciſ. 5.* & è contrà mors naturalis dicitur, quæ provenit ex cauſa infir- 43
mitatis intrinſecæ ſine ulla adhibita occaſione. Seraphin. *in jam ſuprà citato voto, nu. 2.* undè propriè mors ſecundùm naturam dicitur, quæ ex ſiccitate contingit, extincto nativo calore. Gal. 1. *de diff. febr. cap. 8. claſſ. 3.*

At ſi lato modo illud violenti nomen accipias, 44
quodvis mortis genus comprehendit, uno eo excepto, quod in ultimo ſenio ex conſumptione, ut dixi, nativi caloris advenit, ut perbellè docebat Plat. *in Tim. non longè à fine his verbis. Quicquid enim præter naturam contingit, dolorem inducit; quod verò pro ſua natura ſit, jucundum eſt: & juxta hanc rationem mors, quæ per morbos & vulnera contingit, violenta eſt, & dolorem inducit; quæ verò poſt ſenectam ad finem ſecundùm naturam accidit, inter omnia mortis genera à dolore alieniſſima eſt. & magis cum voluptate ſit, quàm cum dolore.* Eidem ſententiæ ſubſcribunt Ariſt. *in lib. de Juvent. & ſenect. c. 14.* Gal. 1. *de diff. febr. cap. 8. claſſ. 3.* & Cic. *in lib. de ſenect.*

Mors tamen violenta in propoſito caſu ſtrictiùs 45
accipitur, ac pro eâ, ut dixi, quæ cauſam habet extrinſecam, ſub qua comprehenduntur omnia mortis genera, in ſocietatum contractibus excepta, ac enumerata, ut deinde videbimus.

Præcipua verò difficultas eſt de morte, cauſâ par- 46
tûs, quomodò talis exceptionis cauſa illi aptari poſſit; nam neq; cauſam videtur habere extrinſecam, neque idcircò violenta dici poſſe, unde neq; cum aliis caſibus ob eam rationem comprehendi poſſe videtur;

quòd enim cauſam non habeat extrinſecam, clarum eſt, quomodò enim extrinſecum dici poſſet, quod intus in corpore permanentiam habet?

Huic difficultati facilè ſatisfieri poteſt ex ſequentibus: Firmavimus jam ſuperiùs, quòd periculum illud, quod currere debet dans pecunias in ſocietatem, debet ipſum individuum ita reſpicere, ut ex iis tantummodò dependeat, quæ ut individuo per ſe conſiderato accidere poſſunt; licet ergo prægnãtia, & partus ſint res maximè naturales, ut pater, & latè probat
47 Cagnat. *præceptor meus in libello de morte cauſ. part.*
48 nam mulier ad hoc nata eſt, ut partus edat, *l. Quæritur ff. de Ædil. ed. §. ſi mulier.* citat Caſtr. *de Societ. c.* 18. *n.* 9. Mant. *de conject. lib.* 11. *tit.* 19. *n.* 15. ex noſtris Gal. 3. *de cauſ. pulſ. c.* 2. *claſ.* 4. Unde eſt quòd ex hoc laudandum eſt, quia conſervat humanum genus. Caſ.
49 *in Gl. mund. p.* 2. *conſ.* 21. tamen quia prægnantia non reſpicit ipſum individuum, neq; eſt quid naturaliter ad ſui conſervationẽ neceſſarium, ſed reſpicit ſpeciẽ & ejus conſervationem, idcircò videtur quid alienũ,
50 & de foris adveniens ipſi individuo: qua de re mors ex hiſce reb. contingens, licet, ut dixi, naturalis ſit, tamen ex intrinſeca cauſa provenire videtur, & ſic in-
51 ter violentas connumerari poteſt; nam & prægnantia ipſa nõ ſine extrinſeca cauſa fit, ut cuivis ſatis ſuperque notum eſt: quamobrem non dubitavit Perl. *Medicus Forolivienſ. in libell. de mort. cauſ. part.* hoc ipſum affirmare, nimirum, mortẽ cauſâ partus videri a-
52 liquò mod. violẽtâ, quòd à re extrinſ. videatur allata.
53 Aliam inſuper cauſam exceptionis mortis ex partu, & cauſa partus, & hujuſmodi, afferre non pigebit ex natura ipſius contractus depromptã, & talis eſt.
54 Ad validitatem hujus contractus ſocietatis requiritur, quòd tam officialis, hoc eſt, officii dominus, quàm ſocius dans pecunias in ſocietatem, unum idẽque ac æquale ſubeant periculum, & unum altero compenſetur, amiſſo nimirum pecuniarũ amiſſione officii, & vice verſa: communione enim damni & lucri efficitur ſocietas: Grat. *diſcept. For. c.* 540. *n.* 15. *tom.* 3. & abſq; hac periculi compenſatione ſocietas eſſet iniqua, Zacch. *ubi ſupr. n.* 361. *& ſeqq. cum aliis ibi per eum adducti.* Rot. *in Roma. ſociet. dec.* 291. apud
55 Pacif. *de Salvian. in ultim. edition. numer.* 15. *&* in
56 *Romana Societ. coram Pamphilo, deciſ.* 61. apud
57 Zacch. nam conditio contrahentium ſemper debet eſſe æqualis, ex iis quæ citat Rot. *ibid. dec.* 78. *num.* 8: Royz. *dec. Lituan.* 3. *n.* 440. Ruland. *conſ.* 100. *n.* 15. *lib.* 3. & jure, quia non poteſt eſſe Juſtitia ubi deficit æqualitas: Juſtitia enim, & juſtum in fœderum æqualitate conſiſtit. Ariſt. 1. *Magn. Mor. c.* 31. & Juſtitiæ pars illa, quæ commutativa dicitur, nihil aliud eſt, quàm medium quoddam damni, & lucri inter eos ad quos ea pertinent, idem Ariſt. 5. *Moral. Nicom. c.* 4.
58 Cùm verò mulieres nec emere, nec exercere poſſint officia Romanæ Curiæ, ut tradit Caſtranc. *de ſociet. c.* 12. *n.* 3. quod etiã de omnib. officiis publicis veritatem habet, *l. fœmina. ff. de reg. jur.* Grat. *Diſc. Forenſ. c.* 530. *n.* 26. *& ſeqq. tom.* 3. non tamen prohibeantur, quin ſuas pecunias in ſocietatem dare poſſint. Felic. *de ſociet. c.* 3. *n.* 4. *& ſeqq.* Caſtran. *ibid. c.* 12. *n.* 9. Zacch. *ibid. n.* 199. jam ſatis liquet, quòd inæquale eſſet periculum ſocii, & officialis, cùm ſocius, ſi mulier ſit ultra illud periculum quod ſubire poteſt, & ſubit officialis, ſubeat etiam periculum ex graviditate, & partu ſibi imminens; ut ergo æquale eſſet hoc periculũ, non verò majus reſpectu unius, quàm alterius ex ſociis, debuit jure optimo excipi moros ex partu, & hujuſmodi, ut non cenſeatur factus locus lucro, ea eveniente, fœmina in ſocietatem admiſſa.

Ex eo igitur quòd mors ex partu, aut ſimili cauſam videatur habere extrinſecam, & idcircò inter violentas poſſe connumerari, & ex hoc, quòd periculum ex eo imminens excedit periculum, quod currit officialis, jure permitti debuit, ut exciperetur.

SUMMARIUM.

1 *Non ſemper mors in partu, aut prægnantia contingens, debet facere locum exceptioni.*
2 *Contractus ſocietatis requirit, ut pecuniæ ſubeant periculum amiſſionis.*
3 *Si omnes mortis caſus in partu, aut prægnantia evenientes, partui, & prægnantiæ tribuantur, quid inde ſequi neceſſe ſit.*
4 *Dantur caſus mortis in partu, qui locum exceptioni non faciunt.*
5 *Mors utrùm ex partu ſit, Medicis decidendum DD. remittunt.*
6 *Cagnati, & Perlini opinio circa caſus mortis in partu, & prægnantia.*
7 *Quæ de ravò conjungunt à lege non recipiuntur.*
8 *Partus, & prægnantia ſunt res naturales, & n.* 21. *& n.* 28.
9 *Mors ex partu quæ ſecundùm Cagnatum.*
10 *Nullus mortis caſus in partu evenit, qui non ex partu dici debeat eſſe.*
11 *Ex partu, & prægnantia non poteſt ſuccedere mors. Contrarium n.* 29.
12 *Si res naturalis nunquam præter naturam evadit, nec morbus nec mors unquam nos opprimerent.*
13 *Morbus fit cùm res naturalis in non naturalem tranſit, & n.* 15. *&* 18.
14 *Sanum dicitur quod ſecundum naturam eſt, morboſum quod præter naturam.*
16 *Calor nativus res naturalis eſt, & naturæ vicem gerit.*
17 *Febris unde fiat.*
19 *Ejuſdem rei datur morbus, cujus datur ſanitas.*
20 *Quod naturale eſt, ſemper ſanum non permanet.*
22 *Prægnantia quid.*
23 *Partus eſt actio expulcitris*
24 *Partus quid.*
25 *Datur prægnantia, & partus ſanitas, ſic & prægnantia, & partus morbus.*
26 *Prægnantia naturalis quæ.*
27 *Partus ſanus qui.*
30 *Quando debeat eſſe locus exceptioni in morte ex prægnantia, & partu, & n.* 32. 36 *&* 46.
31 *Non idem ſunt morboſus partus, & morbus in partu adveniens.*
33 *Medicorum error unde.*
34 *In omnibus mortis caſibus in prægnantia, aut partu advenientibus, ſemper partus, & prægnantia culpandi.*
35 *Prægnantia, & partus ſupervenientes morbos irritant, & magis periculo obnoxiam mulierem faciunt.*
37 *Morborum alii proprii, alii non proprii.*
38 *Morbi proprii, ac primarii ſunt cauſa eorum, qui per conſenſum fiunt.*
39 *Dantur morbi proprii, ac primarii partus & prægnantiæ, ſic & iidem morbi ex conſenſu, aut cauſa aliorum morborum facti, & n.* 41. *&* 45.
40 *Febris non eſt morbus proprius ipſius partus.*
41 *Partus difficultas eſt proprium ſymptoma, ſeu affectus actionis hujus, quæ partus dicitur.*
42 *Partus eſt præcipua, ac immediata cauſa, quæ ex difficultate partus evenit.*
44 *Nullam veritatem habet, non dari proprios morbos partus, ex hoc quòd res naturalis ſit.*

Quandonam mors ex partu, aut prægnantia eveniens debeat cenſeri excepta.

QUÆSTIO II.

CAuſam ob quam præcipuè permiſſum fuerit danti pecunias in ſocietatem, ut quoſdam pecu-
1 liares caſus excipere poſſit, jam *ſuperiori q.* inveſtigavimus, præſertim autem de cauſa excipiendi mortem ex partu & hujuſmodi egimus: quòd verò hinc minimè educere liceat, ſemper mortem in partu, aut prægnantia evenientem, locum debere facere exceptioni explicandum. Si enim ita ſe res haberet, iniquam, & illicitam rem ac contra ipſum Jus, de directo permiſiſſent ii, qui juſtitiam populis adminiſtrãt.

Ex ſuperiorib. enim patet, quod ad hoc, ut contra-
2 ctus hic licitus exiſtat, illud primo loco requirat, ut pecuniæ in ſocietatem datæ ſubeant amiſſionis periculum ex ſuccedente obitu illius cujus vitæ periculum corrunt; abſq; hac autem conditione contractũ
3 illicitum, & uſurarium evadere clarum eſt. Si ergo omnem caſum mortis in gravida & parturiente evenientem ſemper debere excipi dicas, quòd ſemper ex partu, & prægnantia ſint, pecuniæ nullum ſubibunt amiſſionis periculum, & percipientur fructus ſalvo capitali toto eo tempore quod inter primam conceptionem, & univerſum puerperium intercedit: quod erit ſpatio ad minus 10. menſium, in quo ſpatio gravida, aut parturiente, ſive puerpera obeunte, de exceptione licebit opponere hæredib. & lucro nunquam erit locus, cum quicunque caſus in prægnantia aut partu contingat, certam, & indubitatam habere poſſet exceptionem mortis ex partu & ejus cauſa.

4 Non ambigendum ergo, quòd non hoc fuerit danti pecunias permiſſum, ſed debere etiam in prægnante, ac parturiente dari quoſdam mortis caſus, qui non ex partu, & ejus cauſa eveniſſe dici debeant, in quib. etiam, ſtante exceptione mortis ex partu, & ejus cauſa, ſit tamen locus lucro, ut explicat Caſtrac. *de Societ. c.* 18. *n.* 19. & ſatis id ipſum Juriſconſulti declarãrunt, cùm evenientes caſus non illicò pro ex-
5 ceptione acceptent, ſed Medicis decidendos remittant, num ſc. inter caſus connumerari debeant, qui locum exceptioni faciunt, an inter eos qui pro lucro ſunt, atque ea de re Medicos interrogant, an ex partu, vel prægnantia evenerint, necne. Boccac. *de Societ. n.* 35 *&* 120. Caſtrac. *ubi ſuprà n.* 20. Zacch. *de Societ. n.* 420. *&* 428. Rota *in dict. tract.* Zacch. *deciſ.* 79. *n.* 6. ad quid enim in ea re dubitant, ſi omnes caſus pro exceptione admittunt?

6 At verò Medicis, qui de morte cauſa partus libellos ediderunt, Cagnato nimirum præceptori meo, & Perlino Medico Forolivienſi, & aliis difficillimum perſuaſu eſt, caſus tales dari poſſe in prægnantia, & partu qui non illicò locum exceptioni facere debeãt, attentis verbis in inſtrumento appoſitis, atq; aperta fronte dari tales caſus negat Cagnatus: Perlin. verò etiamſi dari poſſe non neget, vult tamen eos eſſe de eorum numero, quæ de raro contingunt; unde cùm ſimilia apud Leges non recipiantur, nec illis jus adaptetur, *l. ex his, & l. ſeq. ff. de leg. & ſen. conſ.* Quia lex
7 id ſumit, quod ut plurimùm fit, Ariſt. *Moral. Nocom. lib.* 5. *c.* 10. ſequitur ex tali opin. tales caſus nullius momenti eſſe, propter eventûs ratitatem, & ſic recipi minimè debere.

8 Tota verò vis eorum, quæ ad ſuam ſententiam probandam adducunt, in hoc potiſſimum conſiſtit, quòd quia partus, & prægnantia res maximè naturales ſunt, non poſſunt unquam per ſe eſſe cauſa mortis, ſed ob id ſolùm quòd illis aliquid ex ſua natura
9 mortem inferens adjungitur. His ergò ſic ſe habentib. illa, inquiunt, poteſt dici mors ex partu, aut prægnantia, attentis verbis ipſius contractus, quæ à præternaturali morbo partui, aut prægnantiæ adjuncto originem habet; hac ergo ratione nullus cuſus dari poteſt, qui non ex partu, & prægnantia ſit, attentis prædict. verbis excipientib. cùm partum, aut prægnãtiam comites habent; verè etenim ex partu, aut prægnãtia mors, nec morbus evenire poteſt, quia ea ſunt res maximè naturales, nec poſſunt per ſe interficere. 10 11

Cæterùm ego hanc præceptoris mei ſentent. diutiùs examinans, tandem non niſi magna cum admiratione ab ea conſideratione me averti; nam firmans, quòd nulla res naturalis interficere poſſit, vel falſũ dicit, ſi vult, nullam rem naturalem poſſe interimere; vel ad interrogata non reſpondet: nam Juriſconſulti cùm quærũt à nobis, an mors ex partu fuerit necne, non interrogant de partu prout res naturalis eſt, ſed prout eſt quid indifferens ad naturale & præter naturam: reſpondentes autem, quòd partus interficere non poſſit, quia res eſt maximè naturalis, partum magis particulariter, & prout tale quid eſt, aſſimimus; ad interrogationem ergo non eſt hæc apta reſponſio: ſi enim ſemper vis partum rem naturalem eſſe, & nunquam fieri poſſe præter naturam, ſic & de omnib. reb. naturalib. dicere debes, quòd nunquã præter naturam fiant, nec morbum aut mortem cauſare poſſint; at ſi ita ſe res haber, nunquam, ita me 12
Deus amet, mors aut morbus nos opprimere poterit; nam nos ex naturalib. reb. conſtamus. & ex iis earumq; beneficio vitam ducimus; at morbus tunc ſo- 13
lummodò fit, cùm res naturales ſuum naturalem ſtatum mutant & in præternaturalẽ abeunt, ita docente Gal. 2. *de temp. c.* 4. *claſ.* 1. *& alibi*; quamobrem 14
cùm quid ſanum dicimus, illud ſecundùm Naturam vocamus; cùm quid morboſum, præter naturam, Plato 4. *de repub. in f.* Gal. *de ſympt. diff. c. claſ.* 3. *& primo de ſanit. tuend. c.* 5. *tranſ. med. claſ. ſecunda.*

Conſidera ergo naturales res omnes & ex iis ſo- 15
lummodò morbos omnes dependere comperies cùm 16
in præter naturam abeunt. Calor nativus res adeò naturalis eſt, ut Naturæ particularis vicem gerat; tamen cùm naturalem ſtatum mutat, & in præter naturam abit, igneamq; naturam induit, febrem accendit, 17
Gal. *comment.* 1. *de vict. rat. in morb. acut. text.* 19. *cla.* 7. facit pro Juriſconſultis *l. Quæſitum. ff. de re Judicat.* ex qua an mors ſubſequatur, ipſe viderit; functiones item omnes quæ ad animalis conſervationem, aut aliter pertinent, res naturales, ut prægnantia & partus maximè ſunt, veluti concoctio, expulſio, attractio, nutritio, aſſimilatio, cæteræq; omnes, tamen & hæ cùm præter naturam ſe habent, animal ad interitum perducunt. Concoctio ſi depravetur, cruditates generat, ex quib. morbus, & mors; expulſio ſi nimis expellat, ſi nullo modo expellat, præter naturam evadit, & animal ad interitum perducit; attractio ſi nullo modo, ſi non debita ratione, ſi id quod non debet, ſi quando non debet attrahit, in præter naturam abit, & ex ejus culpa animal ad interitum properat, & ſic de cæteris.

Ita ut hæc concluſio. *ſi quid naturale eſt, non poteſt* 18
interficere, falſa ſit, ſi ita intelligatur, ut non poſſit, naturalem ſtatum mutans; & in præter naturam abiens mortem accerſere; ſi verò intelligatur, ut quandiu naturalis eſt, non poſſit interficere, ad interrogationem Juriſconſultorum minimè ſatisfaciat.

Vides igitur ex ſuperioribus, quod ejuſdem prorſus rei, cujus datur ſanitas, dandus eſt etiam morbus: 19
bona concoctio, bona expulſio, bona nutritio ſanitas eſt, mala cõcoctio, mala expulſio, mala nutritio, morbus eſt; neque enim quod naturale eſt, ſemper in na- 20
turali ſtatu permanet, & ſic non ſemper ſanum eſt, ſed aliquando præternaturale evadens morboſum fit.

Partus

Partus,& prægnantia res naturales ſunt;& prægnã-
21 tia quidem retentio eſt prolifici ſeminis, aut fœtus
22 in locis ad augmentationem aptis, hoc in utero,
23 Altagrad. *conſ.* 52. *n.* 44. Partus verò actio quædam naturalis eſt,& actio expultricis facultatis, ut patet
24 ad ſenſum,& notat Gal. *de ſympt. cauſ. c.* 3. *claſ.* 5. par-
25 tus enim eſt expulſio fœtus,& puerperii. Si ergo da-
26 tur partus ſanus, neceſſariò dandus eſt etiam partus morboſus, ſic etiam & prægnãtia; cùm enim hæc ſecundum Naturæ intentionem ſit, quod tunc evenit, cùm facultates ad prægnantiã inſervientes ſuo mu-
27 nere rectè fungantur, nimirum retentrix uteri retinendo ejusdem attractrix attrahendo, nutrix nutriendo, tunc prægnantia ſana eſt, ſin minùs, morboſa; partus autẽ tunc ſanus, cùm expultrix ſuo tempore debito modo, per convenientes vias,& quantum,& qualia expellit: tunc verò morboſus, cùm eadẽ virtus neq; ſuo tempore, nec debito modo, nec per convenientes vias, nec qualia oportet, expellit. Itaque licèt partus,& prægnantia res ſint minimè naturales, & ob id quandiu in eo ſtatu permanent, interimere
28 non poſſint; tamen non malè dicerem ego, ſi, exempli gratia, mulierem ex partu deceſſiſſe affirmarem; neque arguere me quisquam poterit dicens, partus nõ potuit interficere, quia res eſt naturalis, nã tunc ego de hoc partu falſum omnino eſſe dictum tum confidẽter aſſeverabo, nam tunc naturalem ſtatum mutavit,& præter naturam evaſit,& interimere facili ne-
29 gotio potuit;& hoc illud eſt, quod præcipuè quærũt Juriſconſulti; ſiquidem tunc,& eo caſu locum exce-
30 ptioni fieri volunt, cùm partus, & prægnantia non
31 naturaliter ſe habentes mulierem ad interitum perducunt, non ex alterius functionis, ſed ex proprii morbi originaria cauſa. Quamobrem Medicis de ea re interrogatis maximè diſtinguendum erat inter morboſum partum, aut prægnantiam,& morbum in partu, aut prægnantia evenientem. Contractus enim juſtitia ea eſt, ut ſi mors ex morboſo partu, aut prægnantia, aut puerperio ſubſequatur (qui partus, prægnantia,& puerperium ex ſe,& non ex alterius morbi interventu talia exiſtant) locũ exceptioni faciat; ſin autem mors ex morbo adveniente in partu, præ-
32 gnantia aut puerperio, non autem ex culpa partus, prægnantiæ, aut puerperii primaria adveniat, & inde mors, exceptioni minimè debeat eſſe locus, ut latiùs infrà patebit.

Si ergò Medici contractûs æquitatem aſſecuti fuiſſent, illud primo loco ſtatuere debebant, nimirum, quinam morbi dici poſſint proprii morbi prægnantiæ, partus aut puerperii; qui verò non proprii, ſed ex aliis cauſis originem trahentes;& quinam ex cauſa partus, aut prægnantiæ fiant, qui verò ex alterius cauſæ interventu, atq; his ita diſtinctis facilè dijudicare potuiſſent, de quib. intelligi debuiſſent verba contractus, ut Juſtitia in ſuo robore maneret, cùm per ea fieri locum exceptioni contenti fuerint, ſocii, de quibus autem, cùm exceptionem non admiſerint?

At quia putarunt illi, quòd pactum inter contrahentes id importet, ut quandocunque prægnantia,
33 partus, aut puerperium in eveniente morte culpa participant, locus exceptionis fiat, idcirco indifferenter in omnib. caſibus debere dari exceptionem pronuntiarunt. Neq; enim negari illis poteſt, quin in omnibus caſib. mortis quomodocumque in præg-
34 nantia, aut partu evenientib. ſemper prægnantia, & partus culpa participent, imo & illud concedi ipſis libentiſſimè debet, quòd partus,& prægnan-
35 tia mortem non ex proprio morbo dependentem accelerent, & ipſum morbum aliàs per ſe perniciosum foveant, illique vires ſubminiſtrent.

Hoc tamen nihil contractûs æquitatem immutat, neque enim attendi tunc debere dicunt Legumperi- 36
ti partum,& prægnantiam, ſed cùm principales primariæ, immediatæ, ac finales cauſæ mortis extiterint, quod non ſæpe ita evenire, poſthac videbimus.

Cæterùm, cùm morborum & affectuum præter- 37
naturalium alii primarii ſint,& proprii ejus partis, aut functionis, quam primò, ac per ſe labefactant, alii verò per conſenſum fiant;& primarii quidem,& proprii habeant ſe tanquam cauſa eorum qui per 38
conſenſum fiunt, ita docente Gal. 1. *de loc. aff. c. ult. in fin. claſſ.* 4. hoc etiam maximè conſiderandum erat 39
ipſis Medicis. Dari enim partus & prægnantiæ proprios quosdam, ac primarios morbos, ſeu libet appellare, ſimptomata,& affectus præter naturam, credo jam certum eſſe, ac eadem quoque ratione dari eoſdem morbos, ſeu affectus, qui ex cauſa, & inſtigatione alterius morbi fiant, quis eſt qui negare au- 40
deat? Febris non eſt morbus proprius partus, nec prægnantiæ, nec ſymptoma, quod ad tales functiones pertineat, ſed eſt morbus cordis, aut caloris naturalis. Partûs difficultas proprium ſymptoma ip- 41
ſius partus, quæ & per ſe à partu, aut ab ejus cauſa, vel ab iis, quæ ad ipſum ſpectant, dependet, interdum verò etiam à febre. In primo caſu partus præ- 42
cipua cauſa mortis erit, in ſecundo non, quia ex cauſa febris orta eſt partûs difficultas. Conſentaneum ergo erat, ut Medici definirent, num omnes morbi, aut affectus, ex quibus mors in partu, aut prægnantia evenit, ſint partus & prægnantiæ omnes proprii, vel nullus, vel partim quidem proprii ſint, partim verò ab aliis cauſis dependentes.

Si enim omnes affectus in partu,& prægnãtia ad- 43
venientes, ſunt partus,& prægnantiæ proprii, quomodo aliquando fit, ut partus optimè, ac naturaliter fiat, omnia circa eum benè ſuccedãt,& tamen puerpera ex febre ſuccumbat; vel qua ratione illud evenit, quòd prægnans neq; abortiat, neq; illi fœtus in utero pereat, ſed vivus inde eximatur, nec quicquã, quod ad prægnantiam attineat, læſum appareat, aut ſtatum naturalẽ mutaſſe,& tamen illa decedat? Ex quibus, obſecro, ſignis demonſtrare potero, hanc ex prægnantia obiiſſe, nullâ interim re, quæ ad ipſam prægnantiam pertineat, depravata?

At ſi nullus morbus, aut effectus eſt proprius par- 44
tus,& prægnantiæ, ſed omnes ex aliorum morborum cauſis dependentiam habent, jam ſalva res eſt; nulla enim mulier ex prægnantia aut partu perire poterit. At quomodò interdum fit, ut fœtu in pedes, vel alia non naturali ratione exire tentante,& pro voto re non ſuccedente, mulier ſuccumbat? penes quam rem obſecro, culpa hujus mortis eſt, aut cujus rei læſio, aut depravatio illa fuit, quæ mulierem ad interitum traxit? profectò nulla functio, niſi partus, hîc depravata apparet, nulla corporis pars hîc malè affecta eſt, niſi parturientis uterus; ergo partus ſolus hic accuſandus.

His igitur ſic ſe habentibus, ratione coacti dice- 45
mus, morborum & affectuum, qui in prægnantia, aut partu conſpiciuntur, partim quidem ad ipſam prægnãtiam & partum primò, ac per ſe ſpectare, partim verò non: licèt & in his prægnantia,& partus ſecundariò, & per conſenſum depraventur: nam partu naturali exiſtente morbus non poteſt dici ex vitio partus fieri, non ſolùm cùm non naturaliter ſe habet; ut notant Mercur. *in Prælect.* 1. *Epid. ſect.* 3. *Ægr.* 4. Lazar. *de Sect. Ven. cub. in puerp. c.* 1. *in princip.* Augen. *Epiſt. Med. lib.* 11. *Tom.* 2. Rod à Caſtr. *lib.* 4. *de morb. mul. c.* 12. *in Schol.* & maximè faciunt ea, quæ ſcribit idem Io. Jacob Lazr. *de ſect. venarum cub. in puerp.*

qui tractus ad hanc rem maximè facit, & caſus ibi præpoſitus noſtræ aſſertionis veritatem maximoperè confirmat.

Tandémque concludere ex his debemus, pactum, 46 inter contrahentes id ſolùm in Juſtitiæ rigore importare poſſe, ut mors ex iis morbis dependens, qui ad partum, & prægnantiam ſpectant, primò, ac per ſe, vel ex eorum cauſis immediatè originem habent, locum exceptioni faciat; ea verò, quæ ex alienis morbis ad partum, & prægnantiam, vel eorum cauſas non ſpectantibus principium ducit, non excipiatur, ſed lucro locum præbeat, veluti cæteri omnes mortis caſus in hoc inſtrumento non excepti.

SUMMARIUM.

1 *Exceptio mortis ex partu, & cauſa partus, aut prægnantiæ, non alterat contractum Societatis, ita ut illum ex licito illicitum faciat, ſi bene res perpendatur.*
2 *Medici unde contractus verba non benè intellexerint.*
3 *Particula* Ex, *cur appoſita in verbis,* ex partu, *&c.*
4 *Particula* Ex *denotat, immediatam cauſam.*
5 *Nomen partus diverſimodè accipitur.*
6 *Partus nomen pro ipſo fœtu.*
7 *Partus nomen pro ipſa actione pariendi.*
8 *Partus nomen etiam pro abortu, ſed impropriè.*
9 *Partus nomine hîc quid accipiendum.*
10 *Partus appellatione hîc venire etiam abortum.*
11 *Quandocunque mors ex partu eſſe debere dicitur, de non naturali partu intelligendum.*
12 *Nec ex partu naturali, nec ex quacunque re naturali, donec tales fuerint, ſuccedere poteſt mors.*
13 *Partus multis modis fit præter naturam.*
14 *Partus naturalis multas habet conditiones.*
15 *Partus non naturalis quando fiat.*
16 *Inter præcipuas conditiones partus naturalis eſt, ut debito tempore fiat.*
17 *Abortus quando ſuccedat.*
18 *Abortus quid.*
19 *Verbis his* Ex partu, *qui caſus comprehendi debeant, & n.* 25.
20 *Conjunctio* Et *pro* vel.
21 *Medici hîc maximè errarunt in explanatione nominis cauſa.*
22 *Cauſa partus ſit, quod occaſione partus ſit.*
23 *Nomen cauſæ hîc in propriſſimo ſenſu accipiendum.*
24 *Non addendum in inſtrumento, cauſa, & occaſione partus, vel prægnantiæ.*
26 *Ex cauſa partus quando ſit mors.*
27 *Partus propriè quid.*
28 *In Inſtrumentis Notarii pluribus verbis utuntur, & cur.*
29 *Prægnantia quid.*
30 *Omne animal ſemen continens gravidum eſt.*
31 *Mulier quo tempore dicatur gravida.*
32 *Quantitas temporis prægnantiæ quæ.*

Declarantur ea verba in inſtrumento appoſita, excepta morte partus, & cauſa partus, & prægnantiæ.

QUÆSTIO III.

DEclaratâ in *ſuperiori q.* pacti in ſocietatis inſtrumento appoſiti vi, manifeſtè ex hoc apparuit, quòd exceptio mortis ex partu, & cauſa partus & hujuſmodi, non alterat contractum ſocietatis, ſi benè perpendatur; ita ut illud ex licito illicitum faciat, 1 ſicuti omnino eveniret, ſi, ut ſentiebant Medici de quib. ſuprà, omnes mortis eventus exceptionem parerentur, cùm prægnantiâ, aut partum comites habèr.

Contrahentes ergo ſocii apponunt in contractu, vel apponit potiùs dans pecunias in ſocietatem ad ſui cautionem hæc verba: *Et ſi fœminas nominaverit, excepta morte ex partu, & cauſa partus prægnantiæ.* Limitat enim, dans pecunias in ſocietatem, periculum amiſſionis earum, ex morte nominatæ perſonæ ſubſecutæ, excipiens, ne lucro locus fieri intelligatur, ſi tale periculum ſuper vita fœminæ conſtituerit, ſi modò hæc ex partu, aut prægnantia, aut eorum cauſa deceſſerit. 2

Horum verborum ſenſum non integrè aſſequentes Medici, prædictæ pactionis vim non intellexerunt, quia rem ſecundùm proprium intelligendi modum expoſuerunt; nos autem jam ea verba ſingula per ſe explanemus, ut verũ eorum ſenſum aſſequi poſſimus. 3

Præponitur ergò primùm illa particula *ex*, ad demonſtrandum, mortem in cauſa exceptionis debere habere immediatam dependentiam à partu, ſeu à prægnantia, vel eorum cauſa; ea enim particula immediatam, ac proximam denotat cauſam. Bart. *in l.* 1. §. *ex incendio ff. de incend. ruin. & Nauſr.* Alex. *conſil.* 49. *n.* 3. *vol.* 3. *& conſ.* 124. *n.* 10. *vol.* 4. *conſ.* 144. *n.* 10. *vol.* 5. *conſ.* 56. *n.* 6. *conſ.* 61. *n.* 5. *vol. eod.* Cagnol. *in l.* 1. *de officio ejus, n.* 61. & ex Medicis Averr. 5. *Metaph. comm.* 29. & Cagnat. *ipſe in appendice ad libellum de mort. cauſa part.* Et in terminis noſtris conſpicuum illud eſt apud Hipp. *in lib. de Nat. mul. & de morb. mul.* in quibus quando morbum ex partu, tanquam ex immediata cauſa fieri annuit, iis utitur verbis. *Ex partu hæc contingunt*, vel : *Si ex parte fluxus prehendat*: quin aliàs id ipſum manifeſtùs ſit ex aliis ejuſdem auctoritatibus in quibus particulam hanc pro cauſa apponit immediatâ, ut Aphor. *lib.* 6. *Aphor.* 42. ſi febris non ex bile prehendat, & *lib. de affect. in princip.* Dolores autem ex pituita ingruunt, ubi in capite mota, ac coacervata fuerit, & paſſim alibi: hic morbus ex bile oritur; & ex pituita autem gignitur, & *in lib. Præd. princip. ſent.* 55. vocis ex dolore defectiones, *& ſent. ſeqq.* ex præcordiorum doloribus obortæ febres, & Celſ. *lib.* 3. *cap.* 6. fœminis, quæ ex partu in febrem inciderent. Itaque ex his patet, particulam illam immediatam cauſam denotare. 4

Subſequitur huic particulæ nomen illud *Partus*, 5 6 quod diverſimodè accipitur, & *primò* partus ſumitur pro ipſo fœtu, paſſim, & ubique Lucret. *lib.* 4. *de rer. nat.*

Semper enim Partus duplici de ſemine conſtat.

Hipp. *lib. de Genit. Æquum eſſe videtur, ut ex magnis parentibus magnus partus edatur.* Plin. *Nat. hiſt. lib.* 7. *cap.* 5. Ex his quatuor partus enixa: & apud Ll. ubique *l. in l. Falcid.* 2. *ff. ad legem Falcid. l. Deducta, §. hæreditatem, ff. ad ſen. conſ. Trebell. l. Hujuſmodi, §. legatum. ff. de leg. princip. l. Necant. ff. de lib. agnoſc. l. Divus, ff. de extraord. crim. l. ſeptimo, ff. de ſtat. hom. l. Non ſunt. ff. eod. l. Inter ſtipul. §. ſi quis ancill. ff. de verb. oblig. & alibi ſæpè.* 7

Secundò nomen hoc partus accipitur pro actu pariendi ita in *l. Arethuſa. ff. de ſtat. hom.* & apud Medicos paſſim, & ita apud cæteros, Virg. primo Æneid.

— *Donec regina ſacerdos*
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

& tertio Georg.

Poſt partum cura in vitulos traducitur omnis.

Ovid. lib. 3. de arte amand.

Adde quòd & partus faciunt breviora juventæ
Tempora.

& in epiſt. Canac. ad Macar.

Et rudis ad partus, & nova miles eram.

Sumitur etiam & pro ipſo puerperio, ut videre eſt apud Hipp. & alios, & ex locis jam citatis.

Denique ſumitur partus pro abortu, ſed impropriè, 8 & dicitur partus abortivus. *l. Divus, ff. de var. & extraord. crim.* abigere partum pro abortum procurare dixit

dixit,ut ibi Gloſ. quo loquendi modo uſus eſt etiam Hipp. *lib. de nat. mul. & Gal. in 3. de morb. vulg. comm. 2. eÆg. 11. claſſ. 3. & comm. eod. Ægr.* 10. abortum appellavit parvum partum.

9 Hoc autem loco nomine partus omnes ejus nominis acceptiones comprehenduntur: *ſive* enim culpa ipſius fœtus, qui vel debilis ſit, vel mortuus, vel nimis magnus, vel grandi capite, vel monſtroſus; *ſive* ex culpa ipſius actionis, quæ non debito modo fiat, ac depravata exiſtat; *ſive* ex culpa purgamentorum
10 puerperii, quæ vel ſuperfluant, vel nullo modo exeant, ut in expoſitione nominis cauſæ dicemus; *ſive* ex culpa abortus, qui partus eſt ante maturum tempus editus, mors eveniat, locus exceptioni fieri debet, dummodò hæc omnia ex alia priore cauſa ad partum non pertinente, ſed ab ea omninò disjuncta, originem non habeant.

11 Quòd verò & *abortus* hìc debeat ſub hoc nomine
12 partus comprehendi patet ex hoc, quia quandocunque dicitur, mortem ex partu debere eſſe, ſupponitur quòd hic partus nõ naturaliter fiat. Quemodo enim ex naturali partu, aut ex quacunque re naturali unquam mors ſuccedere poſſet? Cùm ergò clarum ſit,
13 quòd hic partus, ex quo mors deſ. ēdet, nc ceſſatiò ſit
14 præter naturam, conſtat, quòd partus multis modis præter naturam evadit, nam quemadmodum naturalis partus multas conditiones habeat neceſſe eſt, quas enumerant Mercurius *in libro cui titulus* la
15 Commare *libro* 1. *capite* 2. *in principio*, & Roderic. à Caſtr. *lib.* 4. *de morb. mul. cap.* 1. ſic ex cujuſcunque harum conditionum defectu partus præter naturam evadit; ut *idem ibidem* docet, & repetit *lib.* 2. *capit.* 1. Partus ergò naturalis inter primas, ac præcipuas conditiones illam requirit, ut debito fiat tempore',
16 idem Mercurius *locis citatis*, ſive hoc tempus unum ſit congrua latitudine donatum, ſive multiplex, ut omnes uno ore affirmant. Si ergò extra hoc tempus partus fiat, præter naturam evadit, quod de abortu evenit. Ex quibus facilè colligi poteſt, quòd hìc no-
17 mine partus præter naturam accepti, prout accipi debere monſtravi, comprehendi debeat etiam abortus, qui, ut dixi, partus eſt præter naturam non debito, ac materno tempore editus. His igitur verbis omnia
18 mortis genera perſtringi manifeſtum jam eſt, quæ in
19 ipſo partu ex ipſius partus primaria culpa, ac defectu immediatè contingunt.

Sequuntur prædicta verba ex *partu*, hæc nimirum: *& cauſa partus*, & nota primò conjunctionem
20 illam, & quæ hìc accipi debet, ex mea ſententia, pro *vel*, ut in *l. Qui tranſigit, ff. de tranſact. l. Et elegánter, §. item Pomponius, ff. de dolo malo, lege nonnunquam, ff. de præſcriptis verbis, lege Dotis cauſa. ff. de Jure dotium:* ſenſus verò talis eſt: excepta morte eveniente ex partu, vel ex cauſa partus; non enim neceſſe eſt, quòd ſimul, & ſemel, & partus, & cauſa partus mortem accerſant, ut exceptioni locus detur, ſed quòd alterutrum tantùm eorum concurrat, & ſe habeat ut proxima, ac immediata cauſa ſuccedentis.

21 Proxima à prædicta particula eſt nomen cauſæ, in cujus nominis explanatione præcipuè hallucinati ſunt Medici: cùm enim per priora verba *ex partu*, caſus accipiendi ſint, qui ex culpa partus immediatè fiunt, per hæc ſubſequentia, nimirum, *& cauſa partus*, eos nonnulli intelligi volunt, qui occaſione partus contingunt, quibus ſcilicet ipſe partus aliquam
22 occaſionem præbuerit, habens ſe, ut antecedens,
23 aut diſponens, & remota cauſa eorum. At rem non ita ſe habere, *in ſubſequenti quæſtione*, palam fiet: qua de re hoc nomen cauſæ debet hìc in proprii ſſimo ſenſu accipi, prout ſcilicet eſt vera cauſa, ita ut idem fuerit dicere, excepta morte ex partu, ac excepta morte ex cauſa partus; neque prout occaſionem etiam aliquando ſignificat, accipiendum. Et malè 24
quidem à quibuſdam, fortaſſe imperitis Notariis, in hiſce ſocietatum inſtrumentis additur, *cauſæ & occaſione partus*, ac omninò illam dictionem, *occaſione* abradendamc rediderim; nam ex ea contractus uſuratius fiet; quia nullus caſus dabitur pro lucro; nam in quocunque caſu partus, & prægnantia occaſionem præbent morbis, licèt alia ex parte congruã haberemus ejus nominis explanationem. Vel poteſt 25
illud nomen cauſæ accipi in ſequenti ſignificatu, cùm enim per priora verba, *ex partu*, caſus comprehendi dixerimus, qui ex partu immediatè dependent, per hæc, *& cauſa partus*, alios comprehendi di- 26
ci poteſt. Partus igitur cauſa aliquando mortem contingere, & tunc temporis, intelligendum, cùm ſecundæ à partu vel non exeunt omninò, vel cum difficultate, vel non integræ; cùm purgatio aut parca, aut ſuperflua, aut malæ qualitatis eſt; neque enim dubium eſt, quòd mulier ex ſecundinæ retentione periclitetur, vel ex puerperii parca, aut ſuperflua retentione, propriè *ex partu* obiiſſe dici non poſſit, ſed *ex cauſa partus*.

Propriè enim partus ea actio eſt, quâ fœtus ex u- 27
tero in lucem venit; at extra eam actionem jam naturaliter ſucceſſam, mulier ex puerperii culpa vitam obiens, ex partu deceſſiſſe dici non debet, ſed ex cauſa partus, ſaltem attentis verbis contractus; Notarii 28
enim, ne ex verborum conciſione dubium, aut litis oriatur, ſolent in inſtrumentis per plura verba contrahentium mentem manifeſtare. Non ſatis ergò duxerunt, ad comprehendendos omnes caſus ex partu, aut puerperio contingentes, illa verba apponere, *excepta morte ex partu*, ſed addiderunt etiam poſteriora, *& cauſa partus*, quia nimirum ex illis verbis, *ex partu*, poterat inſurgere dubium, utrùm pro partu ſolummodò pariendi actionem intellexiſſent, vel omnia eum conſequentia & univerſum illud tempus, quo puerperia procedunt.

Vel tandem ad prædictorum verborum majorem dilucidationem dicamus, quòd mors eveniens in partu dupliciter poteſt conſiderari: uno modo, ut quia vel partus difficillimus extiterit, vel ſecundæ non facilè prodierint vel puerperia ſubſecuta non fuerint, vel fortaſſe ſuperfluxerint, & hujuſmodi: & tunc tales caſus per ea verba, *ex partu*, comprehendi dicendum: altero modo, ut quia ad prædicta accidentia vel febris, vel dolor intenſus, vel ſimile quidpiam ſubſecutum fuerit, quod mortem acceſſerit, & tunc tales caſus per poſteriora verba, *& cauſa partus*, comprehenſos aſſerendum.

Adduntur verba illa, *& prægnantia*. Eſt autem 29
prægnantia, ut aliàs dixi, prolifici ſeminis intra uterum retentio (pro ſemine autem non alterum, ſed utrumque, maſculeum ſcilicet, & fœmineum accipias) omne etiam animal ſemen continens gravidum eſt, 30
Gal. 1. *de ſem. capite* 2. *claſſ.* 1. ita ut à prima ſeminis 31
conceptione, uſque ad fœtûs eductionem mulier 32
gravida dicenda ſit, ac conſequenter totum illud tempus, quod à prima ſeminis retentione ad fœtus excluſionem intercedit, tempus prægnantiæ ſit dicendum, in quo ſi mulier ex proprio ipſius prægnantiæ, ac primatio defectu decedat, exceptioni locus dabitur, & pecuniæ ſalvæ erunt, ad favorem dantis eas in ſocietatem.

SUMMARIUM.

1 *Caſus pro exceptione facientes ſub tribus claſſibus comprehenduntur.*

1 *Prima regula pro caſibus exceptionis.*
3 *Regula omnes hìc appoſita non ſimpliciter intelligenda.*
4 *In immodicis partûs laboribus quid contingat.*
5 *Hiſtoria pro exemplo prioris regulæ.*
6 *Partûs difficultas plures cauſas habere poteſt.*
7 *Prima cauſa.*
8 *Secunda cauſa.*
9 *Tertia cauſa.*
10 *Quarta cauſa.*
11 *Quinta cauſa.*
12 *Excrementa cum fœtu exeuntia partum facilitant.*
13 *Sexta cauſa.*
14 *Septima cauſa.*
15 *Exceptioni locus eſt, quandocunque una ex ſuperioribus cauſis poſteriori excepta, partum difficilem reddit.*
16 *Secunda regula.*
17 *Abortus magis moleſtat, quàm partus,*
18 *Abortus non ſit abſque violentia.*
19 *Hiſtoria pro exemplo ſecundæ regulæ.*
20 *Tertia regula.*
21 *Multiplex partus mulierem magis fatigat quàm unicus.*
22 *Multiplex partus quomodo non naturaliter ſit.*
23 *Naturaliter homo unicum partum edit.*
24 *Quarta regula.*
25 *Monſtroſi partus maxima ſecum pericula afferunt.*
26 *Monſtri nomine hìc quid accipiendum, & numeris ſequentibus.*
29 *Mola à monſtro differt.*
30 *Conventio contrahentium excipit mortem ex partu, &c.*
31 *Molatica non poteſt dici gravida.*
32 *Graviditas quid.*
33 *Mola quid.*
34 *Ob quam præcipuè cauſam permitti potuit danti pecunias, ut exciperet mortem ex partu, &c. & n. 43.*
35 *Mola habet eandem cauſam efficientem, quam conceptus verus & naturalis.*
36 *Si mola abſque virili ſemine non generetur, quid ſentiendum, & quid ſi contrarium, n. ſeq.*
38 *Ex mola decedens locum facit exceptioni, contrarium, num. ſequenti.*
40 *Mola non habet determinatum tempus ſui ortus.*
41 *Mola decem, ac viginti annis, ac tota vita geſtatur.*
42 *Periculum inter ſocios debet eſſe æquale.*
44 *Mola eſt quidam morbus mulieris proprius.*
45 *Viris ſunt aliqui morbi familiares magis, quàm fœminis.*
46 *In excipienda morte ex partu æquitas ſervari videtur.*
47 *Quinta regula, quam amplia ut num. 63.*
48 *Ex retentione puerperii magni morbi oriuntur.*
49 *Magis obeſt retentio puerperii, quàm menſtruorum.*
50 *Hiſtoria pro exemplo quintæ regulæ.*
51 *Puerperium quid.*
52 *Puerperium pro fœtu accipit Gellius.*
53 *Puerpera quæ dicatur.*
54 *Puerperii tempus diverſum.*
55 *Periculum puerperæ fœminam parientis longiùs durat quàm parientis marem.*
56 *Puerperii tempus quale.*
57 *Cagnati opinio circa durationem periculi ex puerperio, refellitur num. ſeq.*
58 *Quo periculo liberetur puerpera poſt 20. aut 25. dies purgationis.*
60 *Morbus ex puerperio quo tempore dici poſſit. vide n. 62.*
61 *Ratio puerperii ſequitur rationem menſtruæ purgationis.*
64 *Hiſtoria pro ampliatione quintæ regulæ.*
65 *Sexta regula, quam amplia, ut n. 67.*
66 *Secunda retenta multa mala ciunt.*
68 *Septima regula.*
69 *In partu rumpuntur ligamenta, & vena quædam.*
70 *Nona regula.*
72 *Gravidis omnibus quidam præternaturales effectus communes.*
73 *Aliquibus mulieribus conceptio eſt inimica.*
74 *Hiſtoria pro exemplo nonæ regulæ.*
75 *Mulieres aliqua neceſſariò abortiunt.*
76 *Decima regula.*
77 *Aliqui morbi non lethales, quomodo in prægnante evadant, lethales.*
78 *Cauſa aptior ad interimendum eſt abortus, quàm tuſſis. &c.*
79 *Undecima regula.*
80 *Duodecima regula.*
81 *Fœtus in utero mortuus magna mala affert.*
82 *Regularum allatarum limitatio.*
83 *Abortus dicitur etiamſi non edatur fœtus, ſed in utero moriatur.*
84 *Abortus propriè quid in communi loquendi modo.*
85 *Traditarum regularum communis exceptio, quam declara ut num. 89.*
86 *Febris acuta fœtum corrumpit.*
87 *Rarum exemplum eſt, prægnantem acuta febre laborantem non abortire.*
88 *Hiſtoriæ pro exceptione regularum.*
90 *Acutus morbus ex abortu, & abortus ex acuto morbo cauſari poteſt.*
91 *Prima ac originaria cauſa attendenda, & n. 94.*
92 *Plurium morborum quomodo alter alterius cauſa ſit.*
93 *Quod primò movet, per ſe movet; quòd ſecundariò, per accidens.*
95 *Partus debet eſſe immediata cauſa mortis in exceptis caſib.*
96 *Morbus, qui non poteſt cauſare mortem, non eſt cauſa per ſe mortis.*
97 *Mulier ex abortu magis, quàm ex febre præſumitur mortua, reprobatur ibid.*
98 *Abortus eſt cauſa habilior ad cauſandum mortem, quàm febris, reprobatur, n. ſeqq.*
100 *Febris acuta eſt cauſa, & ſignum perniciоſiſſimum.*
101 *Acutiſſimi morbi fiunt in continua febre.*
102 *Abortus acutus morbus non eſt.*
103 *Qui morbus ad interimendum habilior.*
104 *Febris acuta ex ſe interimit, abortus verò ex aliorum morborum concomitantia.*
105 *Abortus per ſe lethalis non eſt, num. ſeq.*
106 *Majus periculum ſuſtinet, qua proveciiorem fœtum abortit, quàm qua recentiorem.*
108 *Mortem cenſeri ex ſuperveniente cauſa evenìſſe, quando habet locum, & num. ſeq.*
110 *Si prior cauſa poterat per ſe interimere, ei mors eſt tribuenda.*
111 *Exemplum.*
112 *Morbo lethali ſupervenientia accidentia ejus effectus ſunt.*
113 *Vulnere ex ſua natura lethali exiſtente, ex eo præſumitur quis obiiſſe, etiam ſuperveniente alio morbo.*

Particulares caſus ac regulæ, exceptioni locum facientes.

QUÆSTIO IV.

CAſus exceptioni locum facientes ſub quibuſdam certis claſſibus, ac regulis perſtringere hìc operæ pretium eſt: nam & *Medicis* & *Jureconſultis* multò magis ea res innoteſcet; & fortaſſe omnem dubitandi occaſionem cuivis hæc quæſtio ablatura eſt, ita ut non niſi gratum quid utriſque ipſorum facturum me exiſtimem, ſi quamprimùm quod propoſui aggrediar.

Poſſunt ergò ii caſus, qui illis verbis, *Excepta morte ex partu, & cauſa partus, & prægnantia*, excipiuntur, ſub tribus claſſibus comprehendi juxta eorum verborum varietatem: nonnulli enim ex *partu* ſunt, alii ex *cauſa partus*, poſtremi ex *prægnantia*: quilibet autem claſſis poteſt plures regulas conſtituere, juxta caſuum evenientium diverſitatem, ut in quæſtionis proceſſu patebit. 1

Prima ergò claſſis, quæ caſus continet ex partu evenientes, quatuor conſtituere poterit regulas, quarum *prima* erit hæc; quandocunque mulier ex laborioſo partu, ac difficili decedit, exceptioni locus eſt. Sed antequam ulteriùs progrediamur, unum te admonitum velim, Lector quiſquis es humaniſſime, hæc non ſimpliciter eſſe intelligenda, ſed eo modo declaranda, qui in hujus quæſtionis calce patebit. 2 3

Quod ergo in immodicis partûs laboribus, ac dolotibus conſueto moleſtioribus, humores plurimùm agitentur, ſpiritus diſſipentur, & ſanguis in venis inflammationem, ac prætetnaturalem calorem concipiat, ita ut ex ea commotione facilè vel febris acuta accendantur, vel alius quidem morbus excitetur, ut uteri inflammatio, & hujuſmodi, notum eſt nobis Medicis, & non ſiluit Gal. *com. 3. in 3. de morb. vulg. text.* 85. *claſſ.* 3. Ex his autem facilè ſubſequi mortem, 4

non

non eſt, qui ambigat. Et confirmat ejus rei veritatem in Sacris caſus *Rachelis*, de qua Geneſ. c. 35. dicebatur *verſ.* 17. Ob difficultatem partus periclitari cœpit; & additur *verſ. ſeq.* Egrediente autem anima præ dolore, & imminente jam morte, &c. In quo caſu vides, Rachelem ex ſimplici partus difficultate, & anguſtia obiiſſe, nulla alia antecedente cauſa. Habes etiam & apud Hipp. ſimilem caſum *lib.* 3. *de morb. Vulg. ſect.* 2. *Ægr.* 12. de muliere quæ ubi cum dolore (hoc eſt, cum inſigni, ac conſueto multò acerbiore dolore) maſculum eſſet enixa, febri ardente corrupta obiit: ſic etiam & *& lib. eod. ſect.* 3 *Ægr.* 14. mulier illa ex difficultate partus, & puerperii retentione obiit; & de mulieribus in Thaſo parientibus idem narrat *lib.* 1. *ſtat.* 3. *ſect.* 2. quæ quia difficulter partum ediderunt, à partu laborarunt, ipſæque potiſſimùm obierunt, inter quas ſolius Thelebuli filiæ mentio habetur, quæ eadem ex cauſa ſexta die à partu periit.

6 Poteſt verò ea partus difficultas, dolor, ac labor ex quamplurimis cauſis provenire: nam & ex parte fœtus, & ex parte matris, & ex parte uteri, & ex parte panniculorum fœtum involventium, & ex parte excrementorum cum fœtu exire conſuetorum, & ex cauſis externis, & ex præcedentibus morbis originem trahere. *Ex parte fœtus*, 7 ut quia nimis grandis, vel caput habens magnum, 8 vel quia mortuus. Ex parte *matris*, ut quia nimis pinguis, vel nimis macra, vel puſilla, vel teneræ ætatis, aut nimis maturæ, aut timida, & ſic de reli- 9 quis. Ex parte *uteri*, ut qui os habet nimis anguſtum, aut durum, vel quia cicatricem inſignem paſſus dilatari non poteſt, vel quia ore diſtorto, vel nimia laborans ſiccitate, & cætera ad hunc modum. 10 Ex parte *panniculorum*, ut quia vel nimis ante diſrumpuntur, quàm opus ſit, vel quia diſrumpi nullo 11 modo poſſunt. Ex parte *excrementorum*, ut quia diſruptis ante tempus opportunum dictis panniculis, aquæ effunduntur, & loca muliebria exiccata relinquunt: excrementa enim cum fœtu exeuntia facilem partum reddunt, & hanc utilitatem præcipuè 12 à Natura habent. Pareus Chirurg. *lib.* 23. *capit.* 12. Columb. *Anatom. lib.* 12. unde Hippocr. *in Coac. Prænot. text.* 513. *&* 536. ex aquarum ante partum eruptione malum prænunciat; quod etiam *libell. de* 13 *fœt. in utero mort. ex ſect.* repetit. Ex parte *cauſarum externarum* evenit etiam ea partus difficultas, ut ex nimio calore ſpiritus diſſolvente, ac diſſipante, viteſque labefactante, aut ex frigore vias conſtipante 14 & hujuſmodi. Ex parte *præcedentium morborum*, ut quia longam febrem, vel acutam paſſa eſt mulier, vel acutum alium, aut longum morbum. Inſuperque multæ aliæ cauſæ poſſunt partum & laborioſum, & difficilem reddere, quas longiùs proſequuntur practicantes omnes: Paul. *lib.* 3. *ſua med. cap.* 76. Aët. *lib.* 4. *ſerm.* 4. *capit.* 22. Trotula *de paſſ. mul. cap.* 17. Avicenn. 31. *tertii*, *tract.* 2. *cap.* 21. Rhaſ. 21. *Contin. tract.* 7. *cap.* 1. Gordon. *in Lilio*, *part.* 7. *de paſſ. mulier. capit.* 16. Valeſc. *in Philon. lib.* 6. *capit.* 20. Pedemont. *in addit. ad Meſuæ practicam. ſum.* 4. *part.* 4. *ſect.* 1. *de Ægrit. matr. cap.* 16. Fernel. *Pathol. lib.* 6. *cap.* 17. Pareus *Chirurg. lib.* 23. *cap.* 29. Mercurial. *de morb. mul. lib.* 2. *cap.* 3. Maſſar. *in ſua pract. & in Prælect. de morb. mul. cap.* 12. Roderic. à Caſtr. *lib.* 4. *de morb. mul. cap.* 6. Vveinrich. *comm. de Monſtr. cap.* 40. Marinell. *de Med. mul. lib.* 3. *c.* 11. 15 & alii quamplurimi, quos ne tædio lectorem afficiam, omittam. Quæcumque ergo harum cauſarum (poſteriore excepta, de qua infrà cum aliis videndum) partum difficilem reddat, exceptioni locum faciet, ſi ex ea difficultate partus mulier pereat.

Secunda regula primæ claſſis talis eſt; Si mulier 16 ex abortivo partu mortem obeat, exceptioni eſt locus: patet enim, quòd abortus ex ſui natura majorem multò moleſtiam, ac imminentius periculum affert, quàm partus tempeſtivus, & teſtatur id 17 ipſum Hippocr. *de morb. mul. verſ. med.* qui, *Periclitantur*, inquit, *magis quæ fœtum corrumpunt, abortiones enim majorem moleſtiam, quàm partiones afferre ſolent*, cujus rei rationem reddit ipſe ſubdens: *Neque enim* 18 *citra violentiam abortio contingit.* Quamobrem cùm abortus talis ex ſua natura ſit, ut per ſemetipſum mortem acceſſere poſſit, quatenus alia ſecum mala accerſit, mors ex eo proveniens dabit exceptioni locum: cujus caſus hiſtoriam unam, aut alteram habes apud Hippocr. 3. *de morb. vulg. Ægr.* 10. *&* 11. 19 quarum ægrotantium utraque abortu in ardentem febrem lapſa, vitâ functa eſt, & ſimilis etiam eſt caſus Juliæ Magni Pompeii filiæ, apud Val. Max. *lib.* 4. *cap.* 6. *tit. de amor. conjug.*

Tertia regula hujusmodi eſto: Ex editione mul- 20 tiplicis partus ſi periclitetur mulier, exceptio locum habebit; multiplex enim partus inſigniores labores, 21 & diuturniores dolores, tempusque multò conſueto longius, & majorem venarum, ac vaſorum, violentioremque diſruptionem, & ſanguinis copioſiorem profuſionem affert; ex quibus etiam major parientis, debilitas, & majus periculum in multiplici partu quàm in unico ſuccedit, ut experientia docet, & notavit Mercurius *in ſui lib. cui tit.* la Commare *lib.* 1. *cap.* 23. *& lib.* 2. *cap.* 14. Itaque etiamſi 22 quoad alias conditiones hic partus naturaliter fieret, tamen ex eo quòd non unicus ſit, poteſt non naturalis vocari: nam ſecundùm naturæ legem homo non niſi unicum partum edere debet, ut *in tit. de Partu legit. & vital.* plenè probavi. Mors igitur ex 23 hac cauſa eveniens exceptioni locum dabit.

Quarta regula: Si ex monſtroſo partu mulier pe- 24 riclitetur, pro exceptione caſum facit: nam ex ſua natura monſtroſi partus maxima pericula afferunt, 25 teſtatur Mercurius *ubi ſup. lib.* 1. *&* 2. & Perlin. *in libello de morb. ſanff part. verſ f.* & id multis nominibus evenire tradit Vveinrich. *de ort. monſtr. cap.* 40. Sed quid propriè hic pro monſtro debeat accipi, utrùm 26 in ſenſu *l. oſtentum ff. de verb. & rer. ſignif.* an in ſenſu *l. Quæret aliquis, ff. eod.* profectò dubium aliquod afferre poſſet, quod omninò diluere par eſt. Licet ergo de hac ipſa materia in peculiari loco nobis ſit agendum, pro nunc tamen dicamus, hic monſtri acceptione venire omne id, quòd contra formam humani generis natum eſt, ut per citatam *l. Quæret* 27 *aliquis*, & per Gloſſ. *ibi.* quod tamen potiùs prodigii nomen mereatur, quàm monſtri: neque enim ſatis eſſe dixerim in hoccaſu, ut monſtrum peperiſſe mulier dicatur, & ob id ea in partu periclitata fuiſſe, ut 28 natus vel altero brachio, ſeu crure careret, vel digitum ſuperfluum haberet, vel ore eſſet diſtorto, vel oculis captus, & hujusmodi; tales enim natos monſtri nomine etiam inſignimus, latiſſimè eo monſtri nomine accepto. Sed de his longioribus, ut dixi, Deo dante, nobis erit alibi pertractandum.

Diſtingue tamen *monſtrum* à *mola*, in mola enim majus dubium eſt, an debeat facere locum exceptioni necne: & ratio dubitationis eſt, quia una ex parte conventio contrahentium excipit mortem ex partu, cauſa partus, & prægnantiæ; at molam gerens mulier nunquam gravida dici potuit, neque ſi molam ejecerit, peperiſſe, aut partum ejeciſſe dicenda eſt; cùm enim graviditas ſit conceptus naturalis

per

permanentia in utero, Mola verò conceptus ſit præter naturam, patet, quòd graviditas res naturalis eſt, mola verò eſt morbus. Gal. 14. *Meth. cap.* 13. *claſſ.* 7. Cùm ergò adeò contrariæ res ſint, quomodò & conceptum habens naturalem, & molatica, uno eodemque gravidæ nomine ambæ denominari poſſunt.

34 Altera autem ex parte, cùm cauſa, ob quam permiſſum eſt pecuniarum Domino, ut excipere poſſit mortem ex partu, & hujuſmodi, ea potiſſima videa-
35 tur, ut aliàs dixi, quod videretur cauſam habere extrinſecam, unde & violenta erat; profectò etiam mola videtur ex eadem cauſa originem ducere, cùm tam mola, quàm verus conceptus, unam eandemque externam habuerint cauſam, coitus nimirum uſus, ut communiſſima fert opinio. Ergo & Mola, quemadmodum ipſa prægnantia, locum exceptioni facere debet.

Verumenim verò cùm adhuc controvertatur, utrũ *mola abſque viri uſu coagmentetur*, illud præcipuè dubitationem hanc adaugebit: ſi enim mola non po-
36 teſt abſque viri uſu gigni, licèt non abſolutè ſentiã debere facere locum exceptioni, tamen neque abſolutè pronunciandum eſſet negativè. Sin autem mola abſque virili ſemine generetur, ſolumque muliebre
37 etiam abſque coitu concurrat, tunc omni procul dubio locum exceptioni facere non debet, ſicuti neque quivis alius uteri morbus extra prægnantiam, ſi ex
38 eo mulier decedat. Sed hæc jam longioribus *in ſuperiori tit. q.* 6. deciſa habes; Perlinus tamen *libello de mort. cauſ. part.* abſolutè pronunciavit, mulierem ex mola decedentem locum exceptioni facere: ſuam tamen aſſertionem neque ratione ulla, neque auctoritatibus munivit, ſolâ propriâ auctoritate contentus.

Ac profectò grails omnibus, quæ circa molæ generationem veritatem habere credit *Perlinus*, etiam
39 acceptatis, molam nempè ex utroque ſemine generari, ut verus gignitur conceptus, exiſtente tamen in molæ generatione virili ſemine debili, & ad conceptum inepto, nihilominus ejus opinio, quod debeat locum exceptioni facere mors ex ea eveniens, maximam patitur difficultatem.

40 Siquidem cùm mola non habeat determinatum quoddam tempus, in quo edatur, ſi ex morbis ab ea dependentibus fieri debeat exceptioni locus, nimis lata, ac longa via eſſet hujuſmodi exceptioni, cùm aliquando decem, aut viginti annorum ſpatio, imò
41 & vitæ curriculo mola geſtetur, teſte Ariſt. 4. *de Gen. An. c.* 7. Averr. *Colleg. lib.* 4. *c.* 60. Arnald. Villan. *li.* 3. *Brev. c.* 5. erit ergo admodum inæquale periculum accipientis, & dantis pecunias in ſocietatem, quæ evader ex hoc iniqua.

Sed his non obſtantibus, adhuc dubium inſurgit
42 tale, nam ſi periculum debet inter ſocios eſſe æquale, ut ſæpe aliàs dictum eſt, ſi in morte ex mola evenien-te non ſit locus exceptioni, periculum evadet inæqualem nam mulier præter ea omnia pericula, quibus ſubjicitur Dominus officii, ſubibit etiam periculum ex mola, à quo immunis erit ipſe Dominus officii.
43 Si ergo verum eſt id, quod *ſuprà in hoc tit. q.* 1. *n.* 61. firmavimus, nimirum exceptionem mortis ex partu, & hujuſmodi, ob id admiſſam, ut periculum ex parte mulieris non excederet periculum alterius ſocii: jure eandem ob cauſam debet excipi mors ex mola eveniens.

Huic dubitationi reſpondeo, quòd cùm mola ſit, ut
44 ſuprà dixi, quidam morbus mulieris proprius, nul-
45 lam debet cauſare inæqualitatem ex parte ipſius, quia viris etiam aliqui morbi ſunt magis familiares, quàm mulieribus. Quibus adde, quòd ſi hæc ratio valeret, omnis caſus in muliere, contingens ex aliquo proprio uterimorbo (qui quamplurimis quotidie affligitur) locum exceptioni facere deberet, quod tamen veritatem non habet, cùm dans pecunias ſciens, & volens eligat currere magis periculum in perſona mulieris, quàm viri. Quòd ſi in aliquibus videatur ſuperare periculum mulieris alterius ſocii periculum, hoc nihil nos movere debet; neque parùm videatur, ſi periculum, quod ex partu, aut prægnantia imminet, excipiatur, quòd nimis excederet periculum alterius ſocii, in qua re potiùs æquitas 46
quædam, quàm Juſtitia attendi mihi videtur; nam in Juſtitiæ rigore nulla fieri exceptio deberet, ut *in hujus tit. pr.* dicebam.

Sed jam ad alia properandum, & *ſecunda claſſis* regulas adducamas, quæ caſus continet, qui ex cauſa partus fieri dici poſſunt. Quinta ergo regula talis eſt: Ex retentione puerperii ſuccedente morte, exceptio locum habebit; magni etenim morbi ex reten- 47
tione puerperii procreantur, ita firmante Hipp. *in* 48
lib. de Nat. Puer. tranſacto medio, in hac ſententia: *Niſi enim*, inquit, *à partus purgamentis mulier repurgetur, magno morbo tentabitur, vitæque periculum incurret*: quam repetit *lib. de natur. mul. Et ſecundo Prædict.* Quod ſi partus purgamenta ſimul quoque remiſerint, tum ea mala omninò ſunt immoderata, ac diuturna; mulieri etenim multò magis officit 49
retentio puerperii, quàm retentio menſtruorum, cùm promptiùs, atque faciliùs humorum gignat illa pravitatem. Gal. *in primum de morb. vul. com.* 3. *agr.* 2. *claſſ.* 3. *& in primum Prorhet. comment.* 2. *text.* 49. *cl.ſſ.* 4. Amat. Luſit. *cent.* 2. *cur.* 31. Unde Rota *in Rom. ſociet. off.* 16. 9. *coram Sacrat. n.* 3. non omninò 50
incaſſum firmavit, mulieres retinentes partus purgationes, non poſſe vivere ultra 45. dies, licèt hoc non adeò ad amuſſim verificetur: cùm ergo hæc purgatio occaſione partus fiat, & ſit pars ipſius partus, mors ex ea eveniens ex cauſa partus dicenda eſt, & locum exceptioni facere debet, & pro hac regula eſt caſus *Ægr.* 2. *lib.* 3. *Epid. ſect.* 3.

Notanda vero hìc de *puerperio* nonnulla, & primò 51
quid ſit puerperium, quod eſt purgatio, quæ mulieri- 52
bus à partu procedit, Mercur. *de morb. mul. lib.* 4. *c.* 1. 53
verſ. f. etiamſi Aul. Gel. *lib.* 10. *Noct. Attic. c.* 2. puerperium pro ipſo fœtu acceperit, ſed malè, ut mea fert opinio; puerpera vero dicitur recens à partu, ut habetur *l. Quæritur. §. Puerpera ff. de Ædil. ed.* Imò quodcunque ad partum pertinet, adjectitio quodam nomine dicitur puerperium; unde Ovid. *lib.* 10. *Met.am.*

Admovitque manus, & verba puerpera dixit:

nempè verba, quæ in puerperio pronuntiantur ad adjuvandum ipſum partum.

Secundo loco notandum, quod tempus hujuſmodi 54
purgationis non ſemper eodem dierum numero durare ſolet, ſed longiori ubi fœmina edita eſt, brevi-ori ubi mas, ita docente experientia, & annotantibus Hipp. *in cit. lib. de Nat. Puer. & alibi*, & Ariſt. 55
7. *de hiſt. Anim. cap.* 3. *& alii omnibus*; qua de re periculum, quod puerpera ex puerperio currit, longiori tempore durat in editione fœminæ, quàm in editione maris.

Ab Hipp. locis citatis & à cæteris, purgationi puer- 56
perii ex fœmina conſtituuntur duo ſupra 40. dies, ex maſculo verò triginta; ex cujus auctoritate Cagnat. *in libel. cauſ. part. in f.* concludit in his verbis: *Ergo quacunq; prægnante, vel abortiente, aut poſt abortum, aut pariente, vel poſt partum defuncta*; *dum* 57
intra diſtinctos dies triginta in maribus, vel duos & qua-draginta in fœminis, vel ſi in ipſo die trigeſimo, aut

qua

quadrageſimo ſecundo morbus oriatur (quibus exactis diebus jam non dicitur partus cauſa morbus oriri) exceptio locum habebit.

Ego verò à *Cagnato* Præceptore meo libenter, ſi reſponſum attendere liceret, ſciſcitarer, quidnam ſibi voluerit Hipp. cùm *locis citatis* poſtquam terminum durationis puerperii utrique partui aſſignaſ-
58 ſet, fœminino dũtaxat, & maſculino, illi quadraginta duorum dierum, huic triginta, de illo addit: *Extra tamen periculum fuerit, ſi etiam quinque, & viginti diebus purgetur*; & de hoc: *Quæ tamen extra periculum fuerit, ſi diebus viginti perſeveret.* Eademque iiſdem proſus verbis repetit *libro primo, de morb. mul. verſ.*
59 *med.* Num ab omni periculo cenſuit Hippocr. puerperam poſt prædictos terminos tutam exiſtere, ita ut penè immortalis effecta ſit? Ego enim aliàs putaverim voluiſſe Hip. puerperam ab eo periculo liberatam eſſe ex purgatione viginti, aut viginti quinque dierum, quod illi ex ejuſdem purgationis retentione imminebat. Nam & ipſe Hip. hoc videtur innuiſſe, dicens, purgationem quadraginta dierum vel triginta dierum, eſſe quidem & longiſſimam, & perfectam; eam autem, quæ 25. aut 20. diebus tantummodò perdurat, licèt perfecta non ſit, tamen periculo vacare. Succedente igitur poſt hos terminos morbo aliquo, ex quo mulier decedat, quomodò ex cauſa partus illam obiiſſe firmare licebit, ſi quan-
60 tum erat ex parte ejuſdem purgationis & partus, omni periculo mulier vacabat? Morbus ergo ex puerperio, & cauſa partus dici non poteſt eveniſſe, niſi intra viginti dies in maſculo, & viginti quinque in fœmina ſuccedat, ut ſentit doctus, ac noviſſimus practicus Moxius *lib. 3. de morb. mul. cap. 25.*

61 Quinimmò cùm ratio puerperii ſequatur rationem purgationis menſtruæ, ita ut quæ bidoo menſtruatur, & diebus decem & octo in puerperio purgetur, & ſufficienter, ut notat Fontanon. *ſuæ practicæ lib. 3 capit. 42.* etiam brevior terminus præſcribendus videtur in his, neque ſi poſt dictos dies decem & octo, morbo aliquo prehendantur, ex puerperio illum eveniſſe judicandum, ut locum exceptioni faciat; nam hæ ex Naturæ præſcripto longiori tempore purgati non debebant, quàm diebus decem & octo, cur ergo in inſontem eam purgationem culpam rejicis evenientis mortis? Attamen ego ſemper ad id, quod ut plurimum fieri ſolet, reſpiciens, terminos ab Hip. præſcriptos viginti, aut viginti quinque dierum admitterem, intra quos ſi morbus ex puerperii culpa eveniat, & ex eo mors, locus exceptioni erit. Rationem autem, cur Hip. extra periculũ
62 dixerit eſſe, quæ viginti, aut viginti-quinque diebus purgantur, eam eſſe non dubitandum, quod uſque ad eos terminos, & non ultrà puerperia in ea quantitate, & qualitate fluant, ut ſi quidem retineantur, magna mala excitare apta ſint; ab inde verò nihil effatu dignum fluit, unde etiamſi retineatur, vix moleſtiæ aliquid puerperis afferre poteſt: quod etiamſi moleſtare eas poſſet, tamen nunquam morbo lethali, aut periculoſo eas exponere valebit, purgantur enim tunc ſolummodò humiditates quædam nullius conſiderationis, non autem ſanguis menſtruus, aut ſimile quid, eod. Hip. teſtante, *in locis jam citatis.*

63 Amplianda porrò eſt hæc regula, quòd non ſolùm procedat in totali, ac omnimoda puerperii retentione, ſed etiam in non perfecta purgatione, dummodò ante determinatum ſpatium viginti, aut viginti-quinque dierum fiat, ut dicendum eſſet in caſu ab
64 *Hipp.* enarrato *prim. de morb. vulg. Ægr. 4.* nam mulier illa, licèt jam tranſactâ decima-quarta à partu die benè ac ritè purgata eſſet, tamen infra aſſignatum terminum purgari deſiit, & ex ea retentione puerperii in morbum lapſa, vitâ functa eſt, ut teſtatur Gal. *in comm.* licèt contra *Galenum* contendat *Cagnatus*, hanc non ex retentione puerperii, ſed ex febre deceſſiſſe: vult enim febrem fuiſſe cauſam retentionis puerperii, & ſic ex febre deceſſiſſe diceretur hæc mulier. Quomodocunque tamen ſit, ſatis illud firmaſſe nobis eſto, quòd tam ex omnimoda puerperii retentione, quàm ex cujus diminutione eveniens morbus, & ex eo mors, locum exceptioni facere debeat.

Sexta regula ſequens eſt: Ex ſecundinæ retentione, aut difficili eductione, ſi conſtet mulierem pericli- 65
tatam, caſus pro exceptione erit. Quòd enim 66
ſecundinæ multa mala inducant ſi retineantur diù in utero, patet apud omnes non ſolùm Medicos, ſed etiam mulierculas, & facit *Hippocratis* auctoritas *in primo de morb. mul. verſ. med.* teſtanturque practicantes omnes, de quibus etiam *Mucer*, Medicus antiquus *lib. 2. de mat. Med. cap. 10.* ſic loquitur,

Hæ ſi plus juſto vitio cogente morantur,
Aut mors ſubſequitur, dolor aut qui vix toleratur.

Amplia quoque, ut dixi, regulam iſtam, ut pro- 67
cedat etiam in difficili ejus eductione, nam & in hoc caſu mulieres plurimum exagitantur, & aliquando ea occaſione febrem concipiunt, & multa pericula incurrunt, ex quibus eveniente morte, lucro non erit locus, ſed exceptioni.

Septima regula eſt hujuſmodi: Puerperio ſuper- 68
fluente; & ex eo muliere decedente, pro exceptione caſus hic erit. Etenim in partu rũpuntur ligamenta, & venæ quædam, quæ cum utero continuabantur, 69
& ex ea ruptione aliquando ſequitur maximum ac conſueto uberius ſanguinis profluvium, vel ob violentiorem ruptionem, vel ob ſanguinis validiorem in venis commotionem, vel ob ejuſdem ſanguinis acuitatem & caliditatem, vel ob difficilem venarũ, & vaſorum obſerationem, & conſolidationem; ex quibus cauſis ſubſequente eo ſanguinis profluvio, mulierum vires ſuccumbunt, & facilè commoriuntur: quòd ſi ita contingat, pecuniæ ſalvæ erunt, ob appoſitam in inſtrumento exceptionem.

Octava regula addi poteſt huic claſſi quæ eſt hu- 70
juſmodi: Si ex mala puerperii qualitate mulier in morbũ lapſa pereat, caſus inter exceptos connumerandus erit, quanquam hæc regula ampliatio potiùs eſt regulæ quintæ. Etenim *Hip. lib. 1. de Prad. text.* 80. videtur hujus pravæ qualitatis puerperii maximam habuiſſe conſiderationem, ac multò majorem, quàm puerperii naturalis; de eo enim, quod non naturaliter ſe habet, ut ſi colore albidum ſit, dicebat ipſe: *Hoc ſi retineant mulieres parturientes, in maximam perniciem labuntur.* Sunt etiam quædam puerperia, quæ ob malam earum qualitatem, ac pravitatem, dum fluunt, poſſunt loca per quæ tranſeunt, exulcerare, ac in iis etiam inflammationem excitare, & alia mala, ex quib. mortem evenire non eſt difficile.

Tertia denique claſſis caſus continet, ex prægnan- 71
tiæ culpa ſuccedentes, quorum primus ex quo nona regula deprimi poteſt, ſubſequens eſt: Si graviditas ex ſui natura alicui moleſta præter conſuetam aliarum eſſe ſoleat, & ex ejus incommodo illa pereat, caſus erit pro exceptione. Licèt namque penè om- 72
nibus gravidis quædam incommoda, ac effectus quidam aliis præternaturales ſint communes: aliquæ tamen ſunt, quibus graviditas præter prædictos affectus, morbos lethales parit; excipit enim uterus in his virile ſemen, veluti rem ſibi omninò infeſtam, ac inimicam, illudque non niſi ſummâ cum moleſtiâ retinet, quandiù retinere conatur, tandemque

coactus ejicit,& abortientes ex hac cauſa mulieres
73 maximè periclitantur: namque non aliter evenit harum fœminarum uteris, quàm quorundam hominum, ſeu animalium quorumcunque ventriculis, quibus interdum ciborum genus ita inimicum eſt, ut eo devorato illicò in ſtomachi dolores, & lipothymiam incidant, neque illud concoquere unquam valeant, queuſque tandem coacti ipſum vomitu rejiciant. Sic & prædictis fœminarum uteris evenit, quibus vel particulare quoddam ſemen, vel quodlibet ita inimicum eſt, ut illud retinentes in multa diſcrimina labantur. Simile quippiam narrat Hipp.
74 *lib. 4. Epid.* de conjuge fratris Apemanti, ac de his diſputat *in lib. de ſterit. verſ. ſ. & primo de morb. mulier.* Quin & nonnullæ mulieres ſunt, quæ etiamſi
75 benè concipiant, & conceptum abſque moleſtia aliquanto tempore retineant, omninò tamen abortiunt, nec fœtus ad perfectionem perducere poſſunt, quædam ob uteri anguſtiam, de quibus Hipp. *in lib. de ſuperfœt.* quædam, quòd tenues nimirum ſint, de quibus id m Hipp. *Aph. ſect. 5. Aph. 44.* ac de aliis hujuſmodi *in Aph. ſeq. & in lib. de Nat. mul.* Sic & de aliquibus narrat idem Hipp. *in lib. de ſeptim. part.* quæ ex gravitate, & culpa fœtûs in octavo menſe laborant in his verbis: *Membranæ namque dum tenduntur, & umbilicus vellicatur, dolores matri pariunt, fœtuſque priſtino vinculo exolutus, gravior evadit; pleræque etiam mulieres ex hoc caſu inſuper febre corripiuntur, quædam quoque unà cum fœtu pereunt.* In his ergo locus exceptioni erit, quia culpa graviditatis mors evenit, ut patet; ſicuti etiam, & cùm mulieres nonnullis morbis conflictatæ concipientes pereunt, ut in *fluore albo* evenire teſtatur Hippocr. *lib. 2. de morb. mul. poſt principium.*

Decima regula; Si gravida morbo aliquo capia-
76 tur, qui ex natura ſua lethalis minimè ſit, ſed tamen poſſit procurare abortum, & ex eo abortu mulier pereat, pro exceptione caſus hic erit. Sunt enim aliqui
77 morbi, qui in aliis corporibus non ſunt ex ſua natura lethales, in gravidis verò ob id lethales evadunt, quia occaſionem dant lethali morbo, procurantes abortum, ex quo lethalis morbus aliquandò oriri poteſt, ut ſunt exempli gratiâ *tuſſis, teneſmus*, & hujuſmodi, qui morbi ex ſe omni vacant periculo, ita ut ſi mors ſuccedat, non ex eo morbo, ſed ex procurato abortu, qui proximior ac aptior cauſa eſt lethalis
78 morbi, eveniſſe dicenda ſit: de *teneſmo* verò Hippoc. *Aph. ſect. 7. Aph. 27. Mulieri*, inquit, *utero gerenti ſi crebra, & inanis deſidendi voluntas* (teneſmum dicunt) *acceſſerit, abortum facit.*

Undecima regula: Abortus ex procatarctica, ac ex-
79 terna cauſa adveniens, ſi lethalem morbum, mortemque accerſat, lucro locum adimit, & exceptionem admittit: recidit autem hic caſus penè cum ſuperiori, neque enim aliàs mulier, ſi exempli gratia, in ventrem impegiſſet, ſi lapſa eſſet, ſi ſalta eſſet, ſi cucurriſſet, ſi clamaſſet, ſi ira, triſtitia, lætitia, aut ſimili animi paſſione detenta fuiſſet, vitæ periculum incurriſſet; ſed quia hæc omnia abortum cauſare poſſunt, ſi ex ejus cauſa mulier periclitetur, cauſa prægnantiæ mors erit, & ſic locus omninò exceptioni fiet.

Duodecima, ac ultima regula: Si fœtus in utero pe-
80 reat, & is dehinc matri mortem afferat, ex culpa gra-
81 viditatis mors erit; neque enim ulteriori indiget probatione, quòd fœtus in utero mortuus in evidentiſſimum diſcrimen, ac mortem matrem ut plurimùm trahat, præſertim ſi diutius in utero commoretur.

82 Nota tamen, quòd hic caſus, & præcedentes ex abortus, partuſve cauſa dici poſſunt: nam quoad præcedentes nulla intervenit hæſitatio; quoad hunc verò ſciendum, etiam abſque eo quòd mulier fœtum eji- 83
ciat, ſi intra uterum moriatur, abortum feciſſe dici poſſe, ut ex Hippocratis ſententia probat Andr. Laurent. *Anatom. lib. 8. quæſtion. 29.* cùm tamen in com- 84
muni modo loquendi, abortum propriè nominemus fœtum ab utero non naturaliter, & ſuo tempore, ſed à præternaturali cauſa, & ante congruum tempus ab utero ejectum, quomodocunque naſcatur vivus, aut mortuus. Fernel. Pathol. *libro 6. cap. 17.* Altomar. *in Praxi, c. 17. circa principium*, non abs re poteſt hic caſus ex cauſa prægnantiæ dici.

Cæterùm illud in hiſce ſuprà traditis regulis maximoperè adnotandum venit, eos, ut in hujus quæ-
ſtionis principio admonui, non ita ſimpliciter locum 85
habere, quin aliquando exceptionem patiantur. Præcipua verò, omnibuſque communis excepta ea eſt, quòd non habeant locum, ubi *prior* aliquis morbus ſuâ naturâ lethalis præceſſerit, cujus veluti germina ſint ea, partus, cauſæ partus, & prægnantiæ ſymptomata, quæ ſuprà commemoravimus, ita ut originaria, ac primò movens cauſa ſubſequentis mortis morbus ille, quiſquis ſit, dici poſſit, non verò partus,
cauſa partus, ac prægnantia. Ut exempli gratiâ, ſe- 86
bris acuta, ac maligna fœtum ex ſua natura vel interimit, vel corrumpit, Gal. *Aphor. comm. 5. Aphor. 30.* Avic. 1. 3. *tract. 1. c. 1.* Philon. *lib. 6 c. 20.* quin etiam partum difficilem reddit, ſecundinas, ac puerperium retinet, & è contrà aliquando immodicas purgationes eas provocat; neque abſque ratione Galenus pro exemplo raro, ac inaudito celebrat caſum illum 3. *Epidem Æger. 13.* quod ſcilicet illa mulier 87
gravida exiſtens, & acuto morbo conflictata, tamen abortivum non fecerit, quaſi neceſſariò gravida acuto morbo laborans abortire debeat. Itaque prior, ac præcipua cauſa mortis in eo caſu, ſi ea ſecuta fuiſſet, acutus morbus exiſtimandus erat, abortio verò veluti ſoboles fuiſſet ejus morbi, & muliere illâ in eo morbo defunctâ, non ex abortione, ſed ex acuto morbo ſuccubuiſſe dicenda erit: abortio enim tunc ſolùm tanquam concauſa operata eſſet, mortem accelerando, ſic & prægnantia ſanationem magis, magiſque impediendo. Quibus ſtantibus caſus, de quo Rota *in Romana Pratenſi ſocietat. vigeſimo ſeptimo Junij milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, coram Oradino*, potiùs pro lucro fuiſſet, quàm pro exceptione, niſi exceptioni ſuffragaret mala valetudo ipſius prægnantis, & querelæ ab utero, & prægnantia ante febris adventum.

Neque aliter dicendum eſſet in caſibus prægnan- 88
tium in *Thaſo*, de quibus Hipp. *ibid. lib. 1. ſect. 2. ſtat. 3.* mentionem in his verbis habet: *In quas verò prægnantes morbus fortè incidit, ha omnes, quod ſciam, abortionibus periclitatæ ſunt*; morbus enim ille ex ſua natura occidebat, etiam extra prægnantiam; nam, ut ibi enarrat, ex eo plures viri, quàm mulieres obierunt, ita ut ſubſequens in prægnatibus abortus, tanquam effectus erat prædicti morbi, & operabitur quidem aliquid, ſed ſolùm, ut dixi, tanquam concauſa. Quandocunque ergo morbus acutus præcedat 89
abortum, vel diſpoſitionem aliquam præcedentem abortum, (ut *ventris*, ac *renum* dolores, *pondus*, ac *non conſuetum frigus*, & hujuſmodi) vel partûs difficultatem, vel puerperii retentionem, vel ejus ſuperabundantiam, vel ſecundinæ difficilem eductionem, aut omnimodam retentionem, & reliqua in ſuperioribus regulis enarrata, tunc caſus pro exceptione non erunt, ſed pro lucro, ut cæteri non excepti.

Contrà verò, ſi morbus acutus ad hæc ſuprà cõ-
memorata conſequatur: nam quemadmodum acutus morbus poteſt eſſe originaria cauſa eorum omnium,

quæ

quæ diximus, ſic & horum quodlibet per ſe poteſt
91 acutum morbum excitare. Ratio autem prædictorum eſt, quia ſemper in his caſibus decidendis prima ac originaria, principaliorque cauſa eſt attendenda, ut tradunt ipſi DD. Malvaſ. *Conſil.* 120. *n.* 56. *Vol.* 1. Surd. *conſ.* 301. *n.* 36. *Vol.* 3. *& conſ.* 381. *Vol. eod.* &
92 eandem attendere Rotâ in hoc ipſo caſu dixit Boccac. *de ſociet. n.* 35. & ead. Rota *in Romana ſocietat.* apud Zacch. *in d. tract. de ſociet. dec.* 89. *n.* 3. Ubi enim duo morbi ſimul concurrunt, qui unam, eandemque cauſam habent, & ad unum, eundemq; finem conſpirent, unus ſe habet ut principalis, alter, ut ejus morbi ac-
93 cidens; & unus quidem per ſe erit cauſa mortis, alter verò ex accidenti: id enim, quod primò movet, per ſe movet; quod verò ſecundatiò, ex accidenti. Gal. *de ſympt. diff. c.* 1. *tranſ. med. claſ.* 3. Ergò ubi requiritur præcipua, ac primaria ſubſequentis mortis cauſa in prægnante, & hujuſmodi, ſemper ea attendenda, quæ effectū per ſe cauſat, & non per accidens: ſi enim ta-
94 lis cauſa poterat talem effectum, mortem nimirum producere, mors ſupervenienti cauſæ non eſt imputanda, quia cùm, ut infrà pleniſſimè demonſtrabitur, partus, & prægnantia in caſibus exceptis, vel exci-
95 piendis, debeant ſe habere, ut cauſæ immediatæ, ac
96 per ſe, ſi prior morbus poterat cauſare mortem, erat reſpectu ejus effectus cauſa per ſe, immediata mortis; ſubſequens autem ſolùm mediata, & per accidens, etiamſi priori habilior eſſet ad interimendum, dummodò prior, ut dixi, ad id ipſum habilis fuiſſet.

97 Unde eſt, quòd non probatur mihi id, quod firmat Rot. *in ſupr. cit. dec.* quòd ſc. *mulier magis præſumatur ex abortu deceſſiſſe, quàm ex febre:* nam quòd il-
98 la ſupponit, falſum omninò eſt, nimirum, quòd abor-
99 tus ſit cauſa habilior ad mortem, quàm febris: nam plures videmus ex abortu, & cum multò minori moleſtia ſalvari, quàm ex febre acuta, qualis erat in eo
100 caſu; febris enim acuta cauſa eſt, & ſignum perniciosiſſimum, Gal. *Aphor. comm.* 4. *Aphor.* 37. & Hipp. 3. *Epid. text.* 3. *Sunt autem*, inquit, *acutiſſimi, maximi, graviſſimi morbi, ac præ cæteris lethales in continua fe-*
101 *bre*: abortus autem cum acutus morbus non ſit, neque etiam dici poteſt eſſe habilior cauſa ad mortem adſciſcendam, quàm febris.

102 Siquidem comparatione factâ inter duos morbos de majori, aut minori habilitate eorū ad interimendum, illum proculdubio habiliorem eſſe pronunciabimus, qui per ſe poteſt occidere; at comparatis inter ſe febre acutâ, & abortu, febris acuta per ſe interimit,
103 aborus non niſi cùm comitem habuerit acuram febrem, aut cùm alium quendam morbum lethalē excitarit; per ſe enim abortus lethalis non eſt, ſed evadit aliquando talis ex concomitantia aliorum mor-
104 borum ac ſymptomatum; ut ex febre acuta, ex dolo-
105 re, ex inflammatione, ex ſanguinis profluvio, ex retētione puerperii, & hujuſmodi; ſimpliciter verò non magis lethalis eſt abortus, ſi ad ſimplicem abortum
106 reſpicias, quàm deſcenſio inconcoctorum ciborum à ſtomacho; & idcircò videbis quotidie plures abortiētes abſq; ulla noxa permanere, & vix ex ejus moleſtia lecto ſe cōtinere; imò ſi ad id, quod plurimùm fit reſpicere debeamus, apertiſſimè videbimus, ex abortu (licèt ſit quidem ſymptoma non contemnendū) plurimùm tamen mulieres innoxiè ſe habere, præſertim ſi recentior ſit, ut tradit Roder. à Caſtr. *libro de*
107 *mor. mul.* nam non negaverim multò majori diſcrimine teneri eas, quæ provectiores fœtus abortiunt.

Ad id ergo, quod in eadem deciſ. addit *Rot.* mortem
108 ſc. cenſeri ex ſuperveniente cauſa eveniſſe, quando non permiſit cauſa ſuperveniens videri, an mors ex priori contingeret: *Reſpond.* verum eſſe, quando prior cauſa impotens erat ad mortem admiſcendam, vel 109
quando ſuperveniens non habuit à priori immediatam originē; ſi etenim prior cauſa ex ſui natura poterat interimere, & ſubſequens ab ea habuit depen- 110
dentiam mors, prior cauſa non erat potens ad occidendum, vel ſubſequens ab ea non trahebat originē, ut in caſu ab *Hipp.* enarrato *lib. Epid. ſect.* 3. *Ægr.* 2. 111
de quo infrà: in quo caſu poſſet verificari ſententia *Rotæ*, quia febris illa, quâ detinebatur mulier, de qua ibi, lenta erat, nec poterat ullo modo, vel ſaltem non niſi longo tempore interimere; at ſuperveniente puerperii retentione, & ex ea febre acutâ excitatâ, mortem obivit; itaque in eo caſu locum haberet *Rotæ* opinio, quòd mortis culpā in ſupervenientem cauſam, quia habilior, ac fortior ad interimendum, eſſet rejicienda: at non ſic in reliquis, quia priori morbo exiſtente lethali, ſubſequens habet ſe, ut effectus prioris, ſic etiam & mors.

Unde eſt, quod ſimiliter decidi competimus in terminis vulneris, cùm dubitatur, an quis *ex vulnere, vel ex alio ſuperveniente morbo* deceſſerit; nam vulnere ex ſua natura lethali exiſtēte, dubitationi non eſt lo- 113
cus: Ricc. *coll. dec. p.* 4. *collect.* 1456. hoc tamen *in ſeq.* *q.* dilucidùs pertractata, Lect. humaniſſime, habebis.

SUMMARIUM.

1 *Primus caſus pro lucro.*
2 *Verba in principio prænarratæ hiſtoriæ appoſita quid importent.*
3 *Ex iis, quæ ſecundùm Naturam fiunt, non cauſatur morbus.*
4 *Maxima differentia eſt inter morbum advenientem in partu, & morbum advenientem ex partu.*
5 *Quicunque morbus in partu advenions uſque ad triginta dies, ex partu, & ejus cauſa eſt. Contr. ibid.*
6 *Puerperio naturaliter procedente, tamen in febre maximè ardenti ſanguinem mittimus.*
7 *Secundus caſus pro lucro.*
8 *Prægnantia pravos gignit humores.*
9 *Humorum accumulatio in prægnante morboſa non eſt.*
10 *Prægnantia res eſt maximè naturalis.*
11 *Morbus & morbi cauſa res ſunt præter naturam.*
12 *Prægnantes habent ſanguinem deteriorem.*
13 *In ſenibus plura naturalia ſunt, quæ in aliis ætatibus ſunt præter naturam, & vice verſa.*
14 *Prægnantium incommoda ſunt illis connaturalia.*
15 *Nihil in his, quæ ſecundùm naturam fiunt, formidandum aut lethale eſt.*
16 *Prægnantium morbi morem excedentes occidunt, & quid tunc dicendum.*
17 *Cognati morbi nihil mali prægnantibus afferunt.*
18 *Prægnantium morbi naturales morbi dicendi ſunt.*
19 *Prægnantia & partus Natur. magnoperè fatigant.*
20 *Non poteſt naturale eſſe, quod naturam ladit.*
21 *In multis naturalibus actionibus natura laborat.*
22 *Actiones naturales cum morem exceſſerint, præter naturam evadunt.*
23 *Tertius caſus pro lucro.*
24 *In prædicto caſu unde locus ſit exceptioni.*
25 *Quartus caſus pro lucro.*
26 *Originaria cauſa attendenda, ſi modò influat in futurum effectum.*

Caſus pro lucro facientes.

QUÆSTIO V.

TAmetſi ex traditis regulis facillimè in cognitionem venire, quiſquis ſit, potuiſſet, quinam caſus *pro lucro* facerent; nihilominùs, ut clariora evadant omnia, nonnullos caſus hîc ex *Hippocrat.*

Epidemiis tranſlatos apponere decrevi, ut faciliùs in veritatis notitiam venire liceat, atque Medici, quibus noſtra opinio contraria videtur, proſpiciant, qui caſus pro lucro eſſe debeant.

Primus ergo enarratur in 1. *Epidem. Ægr.* 11. cujus hiſtoria ita habet: [Dromeadæ conjugem, poſtquam filiam peperiſſet, cæteraque omnia ritè atque ordine procederent, poſtridie rigor cum febre acuta prehendit. Primo ſtatim die præcordii dolor invaſit non ſine ſtomachi faſtidio, horrore, magnaque corporis incontinentia, neque iis, qui poſt conſecuti ſunt diebus, ſomnum capere potuit. Spiratio magna, ſubitoque revulſa ac velut retracta fuit. Poſtridiè ejus diei, quo rigor cœpit, ex alvo commodè ſtercora proceſſerunt; urinæ craſſæ, albæ, turbulentæ, cujuſmodi eſſe ſolent quæ ſubſederunt, ubi in matella multo tempore depoſitæ reciubantur, neque ſubſidebant; noctu nihil dormivit. Tertio ad meridiem, novo ſubortо rigore, febris acuta prehendit, urinæ ſimiles, præcordii dolor, ſtomachi faſtidium, & nauſea aderant, nox difficilis fuit, neque dormivit, ſudor per totum corpus frigidus diffuſus eſt, ſtatim tamen rurſus ad calorem rediit. Quarto præcordii dolor aliquantùm remiſit, ſed unà cum capitis dolore gravitas adfuit, ſopore nonnihil detenta eſt, nares paucum ſtillarunt ſanguinem, lingua valdè reſiccata, ſitibunda fuit, urinæ tenues, oleoſæ, parùm dormivit. Quinto ſiticuloſa, nauſeabunda, urinæ eædem, ex alvo nihil ſucceſſit, circa meridiem valdè deliravit, confeſtimque rurſus parùm ad intelligentiam rediit, ubi ſurrexiſſet, ſopore detenta eſt, paulum perſtitit, nocte dormivit, deliravit. Sexto die manè novus ſubortus eſt rigor, celeriterque recaluit, extrema rifrigeſcebant, delitavit, ſpiratio magna & rara fuit, paulò poſt convulſionibus à capite ſubortis, celeriter defuncta eſt.]

2 In hoc caſu vides, *Hippocratem*, ut conſtaret, hanc ex culpa partus non deceſſiſſe, in hiſtoriæ principio verba illa appoſuiſſe: *Poſtquam filiam peperiſſet, cæteráque omnia rtè, atque ordine procederent*, ut demonſtraret partum, & ad partum pertinentia naturaliter proceſſiſſe, morbumque ex eorum culpa non
3 eveniſſe: quomodò enim ex partu, aut ex pertinentibus ad partum advenit morbus, ſi ea omnia ritè, atque ordine, hoc eſt, ſecundum Naturæ præſcriptum proceſſerunt? Num ex iis, quæ ſecundùm
4 naturam fiunt, cauſari poteſt morbus? nequaquam. Cùm ergò in hoc caſu nulla evidens culpa partus appareat, licèt intrà dies puerperii defuncta mulier hæc fuerit; tamen, ex mea ſententia, locum exceptioni non faceret. Ego enim, ut aliàs dixi, maximam differentiam facio inter morbum *advenientem* in partu, & morbum *evenientem* ex partu, aut *ex cauſa*
5 6 partus: quam differentiam non conſiderantes aliqui, omnem morbum in partu evenientem, etiam poſt triginta dies, volunt ex partu, & ex ejus cauſa eſſe; cùm tamen in praxi pateat, rationales Medicos contrarium tenere: quia aliquando puerperio ritè, ac naturaliter procedente, & puerperâ febre ardente, aut ſimili laborante, non modò ſanguinem mittimus, ſed mittimus etiam ex ſuperioribus partibus, ſi in iis morbi cauſa exiſtit, ita enim veram medendi ac rationalem methodum jubere, probat fitmiſſimis rationibus, multiſque doctiſſimorum virorum auctoritatibus, Lazar. *in libro de ſect. Ven. in Cub. in puerper. capite præcipuè* 8. *&* 9. & ratio eſt, quia neque puerperium curamus, ſed febrem, ut docet apertiſſimè Fernel. *in Meth. med. lib.* 2. *cap.* 8. Si ergo non curamus partum, neque puerperium, ut ipſe inquit, ſignum eſt ea omnia culpâ, ac labe, tunc temporis carere, morbum autem penes illas cauſas reſidere.

Secundus caſus, qui pro exemplo adduci poteſt, enarratur *libro eodem, hiſtor. ſeu Ægr.* 13. quæ licèt ex eo morbo convaluerit, ponamus tamen, ut meliùs pro exemplo ſatisfaciat, quòd obierit: habet ergo, ut ſequitur.

7 [Mulier quædam trimeſtri fœtu gravida; quæ in littore decumbebat, igne, hoc eſt, vehementi febre, correpta eſt, ſtatimque ex lumbis dolor invaſit. Die tertio cervicem, & caput, circa jugulum, manumque dextram dolor occupavit, celeriter verò lingua voce defecta eſt, manus dextra non niſi convulſione elanguit, quale quid in partium reſolutionibus, levibuſque ſyderationibus contingere ſolet; deliravit prorſus, nox difficilis, & laborioſa fuit, neque dormivit; ex alvo biliоſa, ſincera, & pauca ſeceſſerunt. Quarto linguæ vox ſoluta eſt, eorundem convulſiones, & undique dolores perdurabant, præcordia cum tumore dolor occupavit, ſomnum non capiebat, prorsùs deliravit, alvi perturbatio aderat, urinæque tenues, nec probati coloris reddebantur. Quinto febris acuta prehendit cum præcordiorum dolore, penitùs deliravit, alvi recrementa biliоſa erant, ſub noctem ſudor obortus eſt, & à febre vindicata. Sexto ad mentem rediit, allevarunt omnia, ad jugulum vero ſiniſtrum perſeverabat dolor, ſitibunda erat, urinas tenues reddidit, neque quievit. Septima tremor corripuit, aliquantulum ſoporata eſt; non nihil juguli, & brachii ſiniſtri dolor perſeveravit, cætera vero allevarunt, ad ſe planè rediit. Tribus autem diebus deficit febris, ab eaque immunis viſa eſt. Undecimo rediit, & novo inſuper orto rigore, febris vehemens corripuit, ad decimum verò quartum diem biliоſa, flava crebrâ vomitione refuſa ſunt, obortoque ſudore à febre judicatione eſt liberata.]

Ponamus ergo, quòd ex hoc morbo mulier hæc obiiſſet, annue, obſecro, unde velis morbi hujuſce culpam ac cauſam penes *prægnantiam* præcipuè, ac primariò reſidere, cùm nihil quicquam prægnantia mulierem illam læſerit? *Dices* prægnantiam m cau- 8
ſa fuiſſe ut humores pravi ac multi in ejus corpore accumulati fuerint, ex his autem morbum eſſe procreatum atque hoc pacto evenientis morbi omnimodam culpam ſolius prægnantiæ fuiſſe.

Reſpondeo, quòd humorum accumulatio in præ- 9
gnante per ſe morboſa non eſt; aliàs enim cùm in omni prægnantia ea humorum aggregatio fiat, omnis prægnantia vel morbus eſſet, vel morbi cauſa, quod falſum omninò eſt; cùm prægnan- 10
tia, ut patet, & omnibus in confeſſo eſt, & ſuprà ſatis ſuperque probatum, res ſit maximè naturalis, morbus autem, & morbi cauſa res ſint præter naturam, ut millies docuit Galen. præcipuè 11
verò 1. *&* 2. *Meth.* Etiamſi ergo prægnantes ſanguinem habeant detetiorem, & non purum, ut Gal. *comm.* 1. *de Nat. hum. text.* 27. fatetur & *comm.* 3. *de morb. vulg. libro tertio, Ægr.* 2. & elicitur ex Hippocr. *in* 1. *de morb. mul.* tamen non minùs naturalis 12
eſt illis hæc ſanguinis impuritas, quàm multa non diſſimilia naturalia ſint ſenibus, in quibus quamplurima competies, quæ in aliis ætatibus præter naturam eſſent, in ipſis verò connaturalia ſunt; & ſic etiam multa aliis ætatibus ſunt naturalia, 13
quæ ſenibus non præter naturæ inſtitutum acciderent.

Incommoda igitur, & morbi, quibus pleræque prægnantium detinentur, præter naturam non ſunt, ſed naturales. Ugo Senenſ. *in art. parv.* Gal. *cap.* 2. 14

part. 2. verſ. 2. dubitatur. Cagnat. *in lib. de mort. cauſ. part. circa princ.* Quamdiu verò hæc incommoda, affectus, ſymptomata, ſeu morbi, quibus affliguntur prægnantes, ſuum morem ſervabunt, prægnans ab omni periculo immunis omni ex parte erit: nihil
15 enim in his, quæ ſunt ſecundùm naturam, neque formidandum, neque lethale contingit. Hippocr. *in lib. de dieb. decret. in princ.* quod etiam optimè demonſtrabat Plato *in Timæo*, *in f.* At ſi ſuum morem
16 prætergrediantur, tunc naturalem ſtatum mutantes affectus illi in præternaturalem abeunt, & facilè occidere poſſunt, tunc autem majorem humorum colluviem ac impuritatem, quàm naturalis prægnantis ſtatus requirat, in ejus corpore aggregatam eſſe con-
17 ſtabit; at ejus rei cauſa non fuit, neq; dici poteſt fuiſſe prægnantia, ex quo nullus niſi levis, & minimè lethalis affectus cauſari aſſolet; & idcircò Hipp. *in lib. de Nat. Puer.* ex cognatis morbis prægnantium (quales ſunt, quos familiares vocabat ipſe 3. *Epid.* & Ariſtot. 3. *de hiſt. Anim. cap.* 4. & quos etiam idem Hipp. 7. *Epid. ſect.* 8. *text.* 30. & 2. *Prad. poſt. princ.* connaturales nominabat) nullum malum prædicit, ſed ex non cognatis: *Si enim*, inquit, *mulier uterum gerens morbo aliquo minimè cognato laboret, in partus purgatione*
18 *perit*: ſi qui ergo morbi prægnantiam concomitentur, ii naturales morbi dicendi, ut de ſenectute firmabat Ariſt.

19 *Neque dicas*, id veritatem non habere ex eo, quòd prægnantia, & partus ipſam Naturam maximoperè fatigant ac exagitant, & idcircò non poſſe eſſe naturale id quod naturam ipſam lædit: nam ſi multa alia,
20 quæ maximè ex Naturæ intentione fiunt, contemplaberis, videbis etiam in his non leviter interdum ipſam laborare, ut in dentium emiſſione, in menſtruorum purgatione, in mictione, in dejectione, in fame,
21 in ſiti, & hujuſmodi, quæ tamen omnia adeò natu-
22 ralia ſunt, ut per ipſa Natura cóſervetur, quandiu naturalem morem non excedunt, ſic etiam, & non aliter de prægnantia & partu dicẽdum, in quib. ſi morbi non ex evidenti eorum culpa pullulent, non ſunt illis tribuendi, neque ab illis primariam, ac immediatam cauſam habuiſſe firmandum eſt. Quamobrem Rotam *in aliàs citata dec.* non bene prorſus judicium tuliſſe conſtat, cùm caſum illum pro exceptione eveniſſe voluerit; nam prægnantia ibi habuit ſe tanquã remota cauſa, & clarè patuit in ea ægrotante multò majorem humorum accumulationem eſſe factam, quàm naturaliter prægnantiæ conveniat; unde patet culpam morbi non fuiſſe penes prægnantiam, ſed penes ejus ſubjecti impuritatem, atque eâ ratione caſum illum pro lucro omninò fuiſſe: & licet ſciam Reverendiſ. ex Excellentiſ. D. meum *Cynthium Clementem*, (quem aliàs honoris cauſâ in hiſce quæſtionib nominavi) in contrariam abiiſſe opinionem & favoribilem ſententiam à *Rota* reportaſſe, tamen certo certiùs ſcio, illum pro humanitate quam in eo ſemper expertus ſum, non ita ægrè, ut nonnulli factitant, ſuſtinere, ut, quiſquis ſit, pro veritate etiam contra ſuam opinionem diſputare poſſit, ejuſdem veritatis indagandæ gratiâ; immò idipſum illi & probari, & ſummoperè arridere notum habeo; pleriſq; verò contra præceptorum auctoritatem loqui piaculum eſt, naſoque ſuſpendunt extra præceptoris ſententiam vagantem, quaſi idem ſit philoſophari, ac præceptoris mendicatas opiniones de verbo ad verbum mente tenere, & ne latum quidem unguem ab eis ſeſe avertere; ſed hæc obiter, licèt fortaſſe non extra rem, dicta ſunto.

23 Sed jam *tertium* caſum proponamus, qui enarratur *prim. Epid. tranſ. med.* & habet ita: Ad Vergiliarum occaſum Olympiadæ uxorem, octo menſibus utero gerentem, ex caſu febris acuta corripuit, lingua æſtuans ſicca, aſpera, pallida, oculi pallidi, corpus mortuo ſimile, abortu quinto die abſque labore eſt liberata, & ſomnus, ut videbatur, cum ſopore adfuit; ſub veſperum cùm excitaretur, non ſentiebat, ſternutamentum cienti medicamento ceſſit, potionem recepit, & ſucci ptiſanæ nonnihil, potionem deglutiens aliquantulum tuſſivit, vox ſoluta non erat, neque ipſa quicquã convaleſcebat, oculi dimiſſi erant, ſpiratio ſublimis, quæ naribus trahebatur, color pravus ſudor pedes, & crura, cùm morti eſſet proxima, occupabat; mortua eſt.

In *hoc caſu* dubitari poſſet, an fieret locus exceptio- 24
ni: ac profecto affirmativè eſſe dicendum, non tamen ex hoc capite, quòd mors ex prægnantia contigiſſet, ſed quòd ex vi externa, nimirum ex caſu; utque idcircò hic eum appoſuit: nã pone, febrem ex alia cauſa contigiſſe, quæ externa non fuerit, caſus jam pro lucro eſſet, etiam ſecuto abortu, nam abortus ad febrem acutam ex ſua natura lethalẽ eſſe conſecutus. Poſſumus & hiſtoriam *uxoris Philini* apponere, quã ſuprà pro exceptione adduxi, *Galeni* ſententiam ſecutus, qui puerperii retentionem febrem præceſſiſſe voluit; nunc autem *Cagnati* præceptoris mei ſententiæ adhærentes, demus, quòd febris præceſſerit, dehinc ad illam ſecuta fuerit puerperii retentio, hac enim ratione caſus pro lucro erit, qui talis eſt.

Philini uxorem in Thaſo, quæ filiam pepererat, 25
cùm ex Naturæ præſcripto purgationes procederent, cæteraque leviter haberet, decimoquarto poſt partum die ignis, hoc eſt, febris vehementiſſima cum rigore prehendit. Huic circa exordia oris vẽtriculi dolor contigit, & præcordiorum dextrorum, locorum muliebrium dolores, voce defecta eſt, ex ſubdito autem peſſo iſta quidem allevata ſunt, capitis verò, & cervicis, lumborúmq; dolores perſeverabant, ſomni non aderant, extrema frigida, ſitibunda erat, alvus adusta, pauca demittebat, urinæ tenues, & per initia decolores. Sexto die ad noctem multùm deliravit, turſuſque ad intelligentiam rediit. Septimo ſiticuloſæ, dejectiones bilioſæ in plenum, & affatim coloratæ. Octavo, novo rigore ſuborto, febris acuta prehẽdit, convulſiones multæ non ſine dolore; mutum, deliravit; glande ſubditâ, ad deſidendum exurrexit multaque prodierunt cum bilioſo affluxu, ſomnum capere non poterat. Nono convulſiones. Decimo aliquantulum mẽte conſtabat. Undecimo dormivit, omnia in memoria ſubierunt, ſed ſtatim rurſus deliravit; convulſa autem urinam confertim multã reddidit, ratò ab iis, qui aſſidebant, admonita craſſam, albam, quale quid in ſubſidentibus urinis viſitur, quæ longo intervallo in matula depoſitæ returbantur, eaque nõ ſubſidebant: ſed colore, & craſſitudine veterini generis urinas referebat; atq; iſtiuſmodi fuerunt urinæ, quas videre licuit. Ad decimum quartum diem, totum corpus palpitationes occuparunt, multùm loquebatur, aliquantulum mente conſtabat; ſed confeſtim rurſus deſipuit. Circa decimum ſeptimum voce confecta eſt. Vigeſima obiit.

Patet in hiſtoria, neq; difficilem partum, neq; ſecundinæ difficilem eductionem, neque ejuſdem retẽtionem puerperii (ſi *Cagnato* adhærere libeat) neque quicquam eorum, quæ ad partum pertinent potuiſſe primùm febrem cauſare. Culpa ergo febris non eſt in partum rejicienda & conſequenter, neq; culpa ſua ſecutæ mortis; etiamſi enim retentio puerperii & febrem adauxerit, & mortem acceleraverit, tamen quia ea ad febrem ſubſecuta eſt, ut *Cagnato* placet, in conſideratione hîc non habenda, quia prima, ac ori-

ginaria cauſa attendi debet, dummodò influat in futurum effectum, & poſſit eo tempore cauſare, *ut in ſeq. quæſt.* pleniſſimè exponemus.

26 Ex his ergo hiſtoriis (quæ tamen pro exemplo adductæ ſunt, etiamſi difficultatis aliquid nonnullis excitare poſſent) cæteros ſimiles caſus venari licebit, in quibus *lucro*, non verò *exceptioni* locus eſſe debebat, omninò enim concedendum eſt, dari tales caſus qui non ex partu, aut prægnantiæ primaria culpa eveniant; qui tamen eventu minimè poſſibiles *Caſnato* videntur, quaſi prægnans, aut parturiens non poſſit ex alio morbo, quàm ex prægnantiæ, vel partus defectu interire; aut veluti prægnans, ac parturiens, ſi ex prægnantia, aut partu in morbos non laberentur, & interirent, omninò immortales, ac impatibiles exiſterent; quod an ita ſit, ipſe videat, judicetque.

SUMMARIUM.

1 *Culpa mortis aliquando tota partus, & prægnantiæ eſt, aliquando verò non.*
2 *In quib. caſib. ſolus partus, & prægnantia culpanda.*
3 *Duo eventuum genera in prægnante, & parturiente conſiderata.*
4 *Caſus ex partu & prægnantia immediate dependentes, locum exceptioni faciunt.*
5 *Immediatam cauſam in omnib. attendunt Iuriſperiti.*
6 *Immediata cauſa quid.*
7 *Cauſa immediata poſita, ponitur effectus, atque eâ ceſſante, ceſſat effectus.*
8 *In quibus caſibus partus, & prægnantia ſint immediata cauſa ſuccedentis mortis: Et in quib. non, num. ſeq.*
10 *Partus & prægn. debent eſſe cauſæ proximæ mortis.*
11 *Cauſa proxima eadem eſt cum immediata.*
12 *Partus & prægn. debent eſſe cauſæ finalis mortis.*
13 *Cauſa finalis quæ.*
14 *Omnes cauſæ agunt gratiâ cauſæ finalis.*
15 *Exemplum in caſib. exceptionis, & n. 22. 24. & 28.*
16 *Cauſa finalis eſt fons aliarum cauſarum.*
17 *Cauſa finalis eſt aliarum cauſarum cauſa.*
18 *A cauſa finali omnia appellari convenit.*
19 *Ob cauſam finalem immediatè fit id, quod fit.*
20 *Cauſa finalis non eſt propter aliam cauſam.*
21 *Omnes cauſæ ſunt propter finalem.*
23 *Cauſa finalis eſt ſola cauſa.*
25 *Non ſatis eſt in caſibus excipiendis, ut partus, vel prægnantia ſint mediatæ cauſæ mortis.*
26 *Cauſa mediata non meretur nomen cauſæ, ſed occaſionis. Sic & cauſa remota, num. 30.*
27 *Mediata cauſa quæ.*
29 *Partus & prægnantia non debent eſſe cauſæ remotæ mortis in caſibus exceptis.*
31 *Occaſiones dicuntur parvæ cauſæ.*
32 *In quibus caſibus partus, & prægnantia ſint remotæ cauſæ mortis.*
33 *Partus, & prægnantia non debent eſſe impulſivæ cauſæ ſuccedentis mortis.*
34 *Impulſiva cauſa ceſſante, non ceſſat effectus.*
35 *Effectus nullam habet dependentiam à cauſa impul.*
36 *Impulſiva cauſa facit effectum ſolùm eſſe facilius.*
37 *Impulſiva cauſa coadjutrix dicta.*
38 *In quib. caſib. partus, & prægnantia habeant ſe ut impulſivæ cauſæ ſubſequentis mortis, & n. 43.*
39 *Impulſiva cauſa eſt cauſa abuſivè.*
40 *Impulſiva cauſa eſt ſemper concauſa.*
41 *Impulſiva cauſa habet dependentiam ſemper ab alia.*
42 *Impulſivam cauſam non habent in conſideratione Leges.*

Partus & prægnantia in caſibus exceptionis quomodò debeant eſſe mortis cauſa.

QUÆSTIO VI.

SEd ut magis magiſque rei veritas innoteſcat, videamus jam ipſorum *Juriſconſultorum* circa eam rem definitionem; nam penes illos, ut qui Juſtitiam miniſtrant, plena poteſtas reſidet talia declarandi. 1
Ergo ex ſuperiorib. manifeſtum eſt, quòd *partus* & *prægnantia*, cæteraque ad illa pertinentia, aliquando ita ſunt evenientis mortis cauſa, ut tota culpa penes illa reſideat, neque alia cauſa, niſi ab eis originem habeat, ab eiſque omninò dependeat, culpari poſſit; *aliquando* verò alias cauſas ad partum, & prægnantiam accedere, quæ & ipſa labefactant interdum, & præcipuam culpam evenientis mortis habeant.

Nam nullus hoc negare poteſt, quin ubi ſolus partus difficilis ſit, ubi ſola retentio puerperii, & hujuſmodi quicquam agit, ſolus partus difficilis, aut puerperii retentio culpanda, abſque eo quòd aliam cauſam accuſemus, etiamſi ad hæc, & febris, & dolores & inflammationes, & ſimilia quædam ſubſequantur; ubi verò febris, vel ſimile quid in partu, aut prægnatia primo abſq; ullo partus, aut prægnantiæ vitio eveniat, culpari etiã poſſe febrem, & hujuſmodi, licet etiam partum, & prægnantiã culpã carere nolis. 2

His ita ſe habentib. hæc duo eventuum genera in prægnante, aut parturiente conſideranda ſunt, nimirum eorum *unum*, quorum tota culpa ita penes partum, & prægnantiam reſidet, ut partus, & prægnantia ſolæ, ac immediatæ cauſæ eorum ſint; *alterum* verò eorum, quorum culpa (etiamſi contendas partim eſſe penes prægnantiam, & partum) principaliter tamen, & originariè ab alia cauſa dependet, ita ut in primo genere partus, & prægnantia immediatè agant, in ſecundo non immediatè, ſed per præcedentem morbum. 3

Juxta hanc ergo conſiderationem, verba contractus ita intelligi debere ſtatuerunt *Juriſconſulti*, ut qui caſus ex prægnantia, & partu immediatè dependent, locum *exceptioni* faciant, qui verò non immediatè, pro *lucro* eſſent: & non abſque ratione, cùm in cæteris etiam omnib. immediatam cauſam leges attendant. *l. Sed ſi plures. §. in Arrogat. ff. de vulg. & pup.* Tiraq. *in tract. ceſſ. limit.* 20. *n.* 6. Rota *in noviſ. dec.* 304. *n.* 5. *p.* 1. 4 5

Eſt autem immediata cauſa, prout ipſi *Legumperiti* declarant, illa, ſine qua effectus ſequi non poteſt (omittam enim pro nunc *Philoſophorum*, & *Medicorum* in hac re auctoritates) Tiraq. *eod. tract. limit.* 20. *n°* 18. Surd. 312. *n.* 23. *to.* 3. Nam cauſa immediata poſita ponitur effectus, eaq; ceſſante, ceſſat item effectus. Tiraq. *ubi ſupr. n.* 1. Si ergo caſus prioris ordinis accipias, ut verbi gratiâ mulierem ex mera difficultate partus obeuntem, videbis immediatam mortis cauſam fuiſſe eam partus difficultatem, cùm eâ poſitâ ſecuta ſit mors, nam & eâ ſublatâ ceſſabat mortis effectus: at ſi caſus ſecundi ordinis conſideraveris, & prægnantem mulierem ex acuta febre defunctam, manifeſtiſſimè competies, prægnantiam non potuiſſe eſſe immediatam febris illius, aut mortis cauſam, nam & eâ poſita non ſequebatur mors, neque ea ſublata ceſſabat effectus mortis, ſiquidem & ad febrem malignam, atque acutam ſubſequi poterat. Quod ſi dicas febrem acutam faciliùs interficere prægnantem, quàm non prægnantem, ego nil moror; neque enim attendi debere declarant *Juriſconſulti*, ut infrà clariſſimè patebit. 6 7 8 9

Prætereà id ipſum apertiùs declaratunt dicentes, quod in caſibus exceptionis, partus, & prægnantia ſint cauſæ proximæ ſubſequentis mortis; eſt enim cauſa proxima eadem cum immediata, *l. ſocium qui in eo, §. 1. ff. pro ſocio*, ex hoc ſignificantes id, quod fæ- 10

pè

pè jam dixi, effectus mortis in caſibus excipiendis
11 debere totaliter,& omni ex parte & prægnantia, & partu dependere, ita ut præcipuam, ac primariam originemab aliis habeant, non verò abaliis quibuſcunque cauſis.

12 Quinimmò addiderunt, ad effectum eundem excipiendi debere partum, & prægnantiam eſſe finales cauſas mortis: ſumpto enim nomine finalis cauſæ in eo ſenſu,quem ipſi ſuo loquendi modo intelligunt, manifeſtum omninò ſit,quales caſus excipi debeant, & quod non omnes promiſcuè: hoc enim clarè patebit,ſi ipſius finalis cauſæ proprietates ab ipſis allatas inſpexerimus, quas exemplificare in allatis caſibus licebit.

13 *Primò* enim cauſam finalem eam eſſe dicunt,quæ per ſe infert in quemlibet effectum, Tiraq.*ubi ſuprà limit.*1. *n.* 25. & meritò,quia ejus gratiâ omnes cauſæ agunt.Ariſt. *Moral. Nicom. c.* 7. Vides autem in
14 caſu illius,quæ ex ſola difficultate partus obit,eam partus difficultatem per ſe inferre in mortem; in prægnante verò,quæ ex acuta febre obit, prægnantiam non per ſe inferre,ſed per accidens,ac mediâte
15 febre.Ergo prior caſus,ubi difficultas partus fuit finalis cauſa mortis,erit pro exceptione;ſecundus nequaquam,quia prægnantia finalis cauſa ibi non eſt.

16 *Secundò* finalem cauſam dicunt eſſe fontem aliarum cauſarum.Bald.*in l. Eam quam C. de fideic.verſ. venio ad notat.* & rectè ob id Tiraq.*ibid. limit.* 1.*n.*5. dicebat,eam eſſe aliarum cauſarum cauſam:quamob-
17 rem jure merito ab ea omnia appellare convenit,
18 cùm ſit dignior omnib.cauſis.Ariſt. 2.*de Anim. text.* 133. & ibi Averr. *in comm.*ob eam ergo immediatè fit id,quod fit. Tiraq. *limit.* 13. *n.* 9.nam ea non eſt
19 propter aliam, Aver.3. *Metaph.text.*8.ſed aliæ propter
20 illam, *idem* 3. *ejuſdem, text.* 3.

21 In caſu ergo difficultatis partus,ea difficultas fons eſt,& origo eorum omnium, quæ ſubſequuntur, ut doloris,febris,inflammationis,deliquii, & hujuſmodi;contra in febre acuta prægnantem obſidente præ-
22 gnantia per ſe non eſt cauſa febris,ſed febris eſt quidem cauſa per ſe mortis, quemadmodum & eorum omnium quæ eveniunt,fons eſt,& origo ut abortus, delirii,aliorumque omnium ſymptomatum, quæ & febrem concomitantur, & ægros ad interitum perducunt.

Tertiò finalem cauſam eam propriè dici affirmant,
23 quæ ſola cauſa eſt,non autem concauſa. Tiraq. *ubi ſup.limit.* 22. *n.* 3. In cauſa verò difficultatis partus vides, eam fuiſſe per ſe ſolam cauſam; in febre in
24 prægnante vides, quòd etiam ſi prægnantiam accuſes tamen ſola cauſa non eſt,ſed concauſa, quia à febre acuta primò,ac per ſe dependent omnia,quæ in prægnantiam rejicis.

His quoq; non contenti *Juriſconſulti*, ut in re dubia nihil relinquatur, quod obſcurum remaneat, poſtquam declararunt, verba contractus debere intelligi,ut ſuprà diximus,nimirum, ut partus,& prægnantia ſint in caſibus excipiendis cauſæ immediatæ,proximæ,& finales mortis, idipſum magis patefecerunt dicentes,non ſatis eſſe in prædictis caſibus, ut partus & prægnantia ſint cauſæ mediatæ,cùm tales non mereantur nomen cauſæ,ſed potiùs occaſio-
nis,Mohed.*dec.*6. *alias.*3. *de præbend.n.* 2. nam cauſa
25 mediata eſt,quæ non per ſe, ſed per aliud operatur,
26 ut patet.In caſu ergo difficultatis partus,illa per ſe
27 operatur,in febre acuta prægnantis,prægnantia per
28 ſe non operatur, ſed mediatè, & occaſionis potiùs nomen ſibi vendicare debet,quàm cauſæ.

Secundò addunt; quòd non debeant eſſe cauſæ remotæ,nã & hæ occaſionis nomen merentur potiùs, quàm cauſæ. Tiraq. *ubi ſuprà limit.* 20.*n.* 3. *& limit.* 13.*n.* 8. occaſiones autem ob earum agendi inſufficientiam vocabat Gal. *comm.* 1. *in* 3. *de morb. vulgar.* 31
*eg.*3. *text.* 15.*& comm.* 3 *ejuſdem,text.*21. parvas cauſas, quaſi inſufficientes ad effectum producendum. Quemadmodum ergo in priori caſu partus difficultas eſt cauſa proxima, ſic in poſteriori prægnantia 32
eſt cauſa remota,& occaſionem potius præbet morbo,quàm verè illum cauſet.

Denique nolunt admitti *Juriſperiti* inter caſus ex- 33
ceptionis eos,in quibus partus,prægnantia,& hujuſmodi,habent ſe ut cauſæ impulſivæ morbi aut mortis, cujus quidem cauſæ multas aſſignant proprietates de directo proprietatibus finalis cauſæ oppoſitas, ut videre potes.

Nam quemadmodum finali cauſa ceſſante, ceſſat 34
effectus,ita contrarium evenit de impulſiva. Glof.*in l. Cùm ancillam, C. de condit. ob cauſ. dat.* Glof. *Inſtit. de milit. teſt. §.Illis autem*, Cagn. *in Auth. eò cauſ. c. de lib. præt. n.*79.Tiraq. qui quàm plurimos citat in ſæpe alleg.*tract. limit.* 1. *n.* 1. Caſtr. *de ſoc. c.*8.*n.*16.

Secundò,ſicuti effectus dependet à finali cauſa,cùm 35
ea ſit cauſa principaliſſima, ſic è contrario nullam habet dependentiam ab impulſiva, nec in ea fundatur. Tiraq *limit.* 1.*n.* 3. Caſtr. *ibid.*

Tertiò, finali cauſæ effectus immediatè ſuccedit, 36
vel eſt in proxima potentia ut ſuccedat (hoc enim ſatis eſt ad conſtitutionem ejus cauſæ,) Impulſiva verò ſolùm facit eum eſſe faciliùs, & nihil operatur præterquam ad bene eſſe.Tiraq. *ubi ſup. limit.cad.n. cod. & n.*88. Caſtr. *de ſoc.ubi ſup.* Quamobrem Gal. 37
*in Introd.c.*8. talem cauſam coadjutricem appellavit, quam quidem morbum ſuâ virtute efficere non poſſe dicebat,ſed alteri auxiliari.Plato verò in Dialog. *de Regno,ante med.*non ſecùs ac Gal.hanc cauſam adjuvantẽ nominat,& non cauſã,ſed potiùs concauſã.

In propoſitis verò caſib. vides *partus difficultatem* 38
per ſe mortem accerſere. *prægnantiam* verò non, ſed tamen auxiliari morbo,ſeu aliis quibuſcunque cauſis ex quibus dependeat morbus: quin etiam ad partus difficultatem vides effectum vel immediatè ſuccedere, vel eſſe ſaltem in proxima potentia ut ſuccedat; ad prægnantiam verò non,ſed operari tantùm,ut effectus ille faciliùs eveniat.

Quartò,ſicuti finalis cauſa eſt propriè,ac verè cau- 39
ſa,& idcircò eam primam, ac maximè principalem dicebat eſſe Gal.*de cauſ.Proca. c.*1.*v.fin.claſſ.*3.ſic impulſiva abuſivè cauſa eſt.Tiraq. *ubi proximè, n.* 5.

Quintò,cauſa finalis eſt ſola cauſa,impulſiva verò 40
eſt ſolummodò concauſa,impellens, fovens,& irritans finalẽ,facitq;ut ſupra dixi,tantùm ad bene eſſe.

Ultimò cauſa finalis à nulla alia cauſa dependentiam habet,ſed cæteræ omnes ab ipſa;impulſiva ſemper ſubſequitur ad aliam cauſam,& ab ea dependentiam 41
habet: unde jure merito eam in conſideratione non habent Jureconſulti,ſed finalem. Tiraq.*ubi ſuprà,n.* 3. Malvaſ. *conſ.*126. *n.*81.*vol.*1.Menoch.*conſ.*41.*n.*16. 42
tom. 1.Grat. *diſc. forenſ. c.* 518.*n.*23. *tom.* 4.

Itaque in difficultate *partus* facilè vides eam diffi- 43
cultatem fuiſſe propriam,ac primariam mortis cauſam;in caſu verò *prægnantis* ex febre decedentis,vides prægnantiam propriè non fuiſſe cauſam mortis, ſed febrem. Sic in priori caſu difficultatem partus fuiſſe ſolam cauſam,atque à nulla alia originem habuiſſe, unde ea mereri debet nomen finalis cauſæ; in poſteriori verò prægnantiam fuiſſe concauſam, & ſiquid operata eſt, ita ut cauſæ nomen mereatur, tamen non meriti finalis cauſæ nomen, attenta Juriſperitorum in hac re declaratione.

SUMMARIUM.

1 *Primus dubitandi casus, quem decide ut n. seq. & n. 6. Vide notata n. 2.*
4 *Infirmæ mulieres non fiunt prægnantes, amplia ut numero 5.*
7 *Secundus casus, quem decide ut n. seq. contrarium n. 9. distingue ut num. 14.*
10 *Adveniente nova causa, morbus non erit recidiva.*
11 *Morbus, & recidiva habent unam, eandemque causam, & n. 28.*
12 *Recidiva fit ex reliquiis prioris morbi.*
13 *In recidiva idem morbus revertitur.*
15 *In hoc casu, si secundus morbus est recidiva, originaria, ejus causa videtur fuisse partus, aut prægnantia.*
16 *Non potest dici sanus is, in quo adhuc reliquiæ prioris morbi asservantur.*
17 *Recidivæ cognitio ex quibus habeatur.*
18 *Ex solutione prioris morbi quomodo cognoscatur recidiva.*
19 *Ex statu ægrotantis ante adventum secundi morbi, quomodo cognoscatur recidiva,*
20 *Sanatus quando quis dicatur.*
21 *Ex tempore intermedio inter priorem morbum, & posteriorem, quomodo habeatur recidivæ cognitio.*
22 *Reliquæ prioris morbi citò faciunt recidivam.*
23 *Ex ægritudinum specie quomodo cognoscatur recidiva.*
24 *Posterior morbus etiam si sit contrariæ speciei, tamen potest esse prioris recidiva, & n. 29.*
25 *Nonnulli morbi in contrarias dispositiones ægros trahunt.*
26 *Rota præsumptio, quòd secundus morbus sit recidiva, reprobatur, declara ut n. 31.*
27 *Secundus morbus potest esse ejusdem naturæ cum priore, & non habere eandem causam.*
28 *Prioris morbi causam cessasse quid probet.*
29 *Tertius casus quem decide ut n. seq.*
30 *Frustrà, existentibus causis morbi evidentibus, alias perquirimus.*
31 *Quartus casus, quem decide, ut n. seq. & declara ut num. 36.*
32 *Æquitas respicienda, & fraudis occasio tollenda.*
33 *Quintus casus, vide numero seq. decide tamen ut num. 41.*
34 *Sextus casus decide ut n. seq.*
35 *Ob individuorum multitudinem casus possunt in infinitum variari.*

Casus aliqui dubii proponuntur, ac resolvuntur.

QUÆSTIO VII.

QUanquam universalibus illis regulis *suprà in quæstione quarta* traditis, ac deinceps historiis, quàs in *quæstione quinta* enarravi, omnes casus penè eventu possibiles comprehendi possunt, tamen quia in particularibus solent plurimùm ita variari, ut dubium excitare levi negotio possint, ut illud omnimodè diluamus, nonnullos insuper casus hìc proponam qui pro reliquorum regula inserviant, & ex quibus, si qui alii dubii existant, decidantur.

1 *Primus casus* proponitur à Cagnato *in libello sæpius citato de mort. caus. part. in fin.* & est hujusmodi: Mulier ex utero laborans concipit, & abortu, vel partu secuto, vel abortu petit; dubitari potest hìc, num exceptioni, vel lucro dandus sit. Ponamus autem casum, de quo Hippocr. *lib. 2. de morb. mul.* nimirum, quòd mulier aliqua fluore muliebri dicto laboret, & concipiat, ac in partu pereat, ut evenire tradit Hip. in his verbis: *Quod si utero conceperit, morbus revertitur, quo casu perit.* (licèt non dixerit hìc Hipp. eam in partu perire, sed quandocunque ex ejus morbi reversione.

Respondet *Cagnatus*, quod hìc casus est pro exceptione, ut omnes apud ipsum sunt, & rationem esse dicit, quia prior morbus, seu causa insufficiens erat ad adsciscendam mortem & idcò non esse attendendam concludit. 2

Nota, quòd cùm proponitur mulier ex utero laborans, quæ concipiat, proponitur quid eventu valde difficile, non enim solent prægnantes fieri mulieres infirmæ, ut notissimum est nobis *Medicis*, & firmant etiam ipsi *Jurisconsulti*. Rota *in Romana soc. offic. Ven. 11. Januar. 1619. coram Cardin. Sacrato*, quod multò magis procedit, ubi ex utero sint infirmæ, quod apud nos probatione non eget, & faciunt multæ Hipp. auctoritates in lib. ad mulieres pertinentibus, & *Aphor. l.b. 5. Aph. 61.* & aliæ, quas hìc adducere minus necesse est; neque enim proponit Cagnatus morbum ita levem, quin non potuerit longo saltem spatio interficere; sic tamen quomodocunque casu eveniente, licet eventu sit difficillimus, locus exceptioni fiet, propter eandem causam, quam affert Cagnatus. 3 4 5 6

Secundus casus affertur ab eodem *Cagnato ibidem*, & habet, ut sequitur: Mulier ex partu, aut prægnantia morbum aliquem contrahit, & ex eo optimè, ac omni ex parte sanata, aliquando dehinc interjecto spatio, in eundem morbum recidit & ex eo denique perit. 7

Respondet *Cagnatus*, quòd, nisi constet advenisse novam causam, exceptioni debeat esse locus in hujusmodi casu. Ergo in contrariam sententiam venirem, licèt multum urgeat apud me præceptoris mei auctoritas; ratio autem est, quia quemadmodum, ut ipse inquit, difficillimum est probare non advenisse novam causam, ita, inquam, facillimum est probare, advenisse; & tamen etiamsi probari posset, nullam accessisse novam causam, non imputandus esset partus, aut abortus subsecutæ mortis, quia in eo casu partus, & abortus essent solummodò causæ remotæ, neque operarentur ut proxima, & sic in consideratione non essent habendæ: nam & ipse Cagn. fatetur, partum, & prægnantiam respectu posterioris morbi esse remotiores causas. 8 9

Et adverte, quod si ponis posse accedere novam causam, eâ adventâ, nunquam morbus poterit dici ex recidiva contigisse: nam morbus, & recidiva habent unam, atque eandem causam, quia recidiva fit ex reliquiis præcedentis morbi. Hippocr. *Aphor. libr. 2. Aph. 12. & 2. de morb. vulg. sect. 3.* Avic. 2. 4. *tractat. 1. cap. 95.* Et ex Jurisconsultis Ripa *in tract. de pest. partic. 2. partis ultima, n. 140.* unde idem morbus dicitur facere recidivam. Hipp. *de Int. affect. in princip.* Morbus enim, inquit, reversionem faciens magis quàm ab initio urget. 10 11 12

Potes ergo ex his in proposito casu distinguere, si libet, nam si ponis quòd secundus morbus sit propago, & germen prioris, ita ut Recidivæ nomen mereatur, tunc aliquod dubium ex hoc casu insurgere posset, sin minùs, locus dubitationi nullus erit: nam videtur in casu, quòd secundus morbus esset prioris recidiva, originariam causam mortis fuisse partum, & prægnantiam; his enim ablatis, mors non successisset; & tamen hoc non tolleret omnem difficultatem, quia respectu prioris morbi partus, & prægnantia essent quidem originariæ, ac proximæ causæ, sed respectu posterioris minimè; immò eo ipso, quòd ponis, hanc sanatam fuisse, admis omnem 13 14 15

vim

vim efficientis cauſæ partui, abortui, aut prægnantiæ, ceſſatque omnis earum cauſarum in futuram mortem influxus, & ex neceſſitate, ſi dicis eſſe ſanatam,
16 debes concedere adveniſſe novam morbi cauſam, neque enim ſanatum dici poteſt id in quo reliquiæ antecedentis, morbi adhuc conſervantur.

17 *Sed dices*, quandonam ſecundus morbus deberet dici novus, aut quando prioris recidivæ? Reſpondeo, quòd recidivæ cognitio ex quatuor potiſſimum rebus habetur, ex modo ſcilicet ſolutionis prioris morbi, & ægrotantis ſtatu inter unum & alium morbum, ex tempore quod intercedit inter priorem & poſteriorem ægritudinem, & ex ſpecie ipſarum ægritudinum.

18 Ex modo ſolutionis prioris morbi conjicitur an poſterior ſit recidiva, necne: nam ſi prior morbus abſque ulla criſi, & evacuatione, arte, vel natura procurata ſolutus ſit, ſuſpicari licet, ne poſterior ſit ejuſdem cauſæ ſoboles, cujus erat prior: facit Hipp. auctoritas *loco ſuprà allegato in Aph.* Gal. *lib.* 1. *de dieb. decretor. c.* 1. *in prin. claſſ.* 1. Celſ. *lib.* 2. *c.* 6.

19 Ex ſtatu ægrotantis ante adventum poſterioris morbi comprehendimus facillimè, an recidiva ſit, necne. Si enim æger à priori morbo allevatus quidem videatur, tamen adhuc aliqua non naturalis caloris veſtigia & frequentiæ pulſus remanere videantur, ſi appetētia languida adhuc ſit, ſi nauſeâ, vel vomitu moleſtetur, vel apperentiâ bonâ exiſtente, & ægro benè comedente, corpus nihil proficiat, ſed extenuatio à priori morbo contracta perſiſtat, talis malignè relabitur. Hippocr. *in Coac. prænot. text.* 127. Item ſi animo adhuc æger dejecto ſit ac remiſſo: ſi facies, & palpebræ tumidæ appareant, ſi ſanorum munia obire minùs poſſit, ſed ægrè ambulet, recidiva prioris dici debet: nam ea omnia recidivæ ſigna ponuntur à Rhaſ. 34. *Contin. tractat.* 1. *cap.* 1. & Avic. *loco ſuprà citato, c.* 96. & ex Jureconſultis à Rota *in noviſſ. part.* 1. *prima deciſ.* 701. *n.* 3. Debet enim quis ita ſanatus eſſe, tanquam ſi nunquam ægrotaſſet &
20 in priſtinum, naturalemque ſtatum rediiſſe, ut, *l. Quod ſanatum, ff. de Ædil. edict.* Gal. 9. *Meth. med. cap.* 15. *claſſ.* 7.

21 Porrò ex tempore, quod eſt inter unum, & alium morbum, aſſequi etiam poſſumus, ſitne poſterior prioris recidiva; ſi enim tempus intermedium non ſit multum, facilè ſuſpicari poſſumus, imò pro certo habere, ſi cætera conſentiant, ultimum morbum eſſe prioris recidivam. Ripa *in tract. de poſt. partic. Med. num.* 140. cum ibi citatis. Rota *ubi ſuprà n.* 4. & jure dicente Avic. *ubi ſuprà*, quòd reliquiæ prioris
22 morbi citò faciunt recidivam: & ante illum Hipp. 2. *Epid ſect.* 1. *text.* 34. & 6. *ſect.* 3. *text.* 31. ulcera quæ fiunt, & tubercula judicantia febres, quibus hæc non fiunt, judicationum ſublationes, quibus intus relinquuntur, certiſſimæ & citiſſimæ recidivæ. Neque in caſibus ab Hipp. enarratis *in lib. de morb. vulg.* recidivam uſque ad duodecimum, aut decimumquintum diem protractam comperies; licet permanentibus ſignis nuper enarratis, etiam ultra menſem protrahi poſſe non dubitem, pluribus tamen tanto tempore tardare non conſuevit.

23 Denique ex ægritudinum ſpecie conjici id ipſum poteſt, non tamen ex eo ſolummodò, quòd poſterior morbus ſit ejuſdem ſpeciei cum priore; quia
24 poteſt poſterior morbus eſſe contrariæ ſpeciei, ut ſi prior erat febris ardens, quæ morbus calidus eſt, po-
25 ſterior poterit eſſe hydrops, qui frigida ægritudo eſt nonnulli enim morbi in contrarias diſpoſitiones ægros trahunt, ita docente experientiâ, ac firmante Hipp. 2. *Epid. ſect.* 1. & Avic. *ubi ſuprà, cap.* 100.

Nec tantùm valet ea præſumptio, quòd ſubſequens morbus ideò præſumatur recidiva prioris, quia eadem accidentia atque ſymptomata hic atque prior habet, quantùm voluit Rota, *ubi ſuprà. numero* 26
5. poteſt enim ſubſequens morbus eſſe ejuſdem naturæ cum priore, & non habere eandem cauſam, & 27
ſic non eſſe prioris recidiva, quia recidiva, & morbus 28
habent unam eandemque cauſam, ut ſuprà firmatum 29
eſt; poteſt quoque & poſterior morbus, ut dixi, eſſe contrariæ ſpeciei cum præcedenti, & tamen eſſe prioris recidiva, quia ab una eademque cauſa originem ambo ducent.

Ac prior quidem concluſio (nam poſterior jam in propatulo eſt) exemplo patere poteſt: Nam pone mihi virum ex febre ardente laborantem, ob id quòd plurimùm, & ſupra conſuetudinem ſe exercuerit, quem finge ſeptimâ per ſanguinis hæmorrhagiam ex naribus criticè fuiſſe ſanatum, & omni ex parte convaluiſſe: dehinc calidiorum ciborum uſu, & meri potu, paucis interjectis diebus, in eandem febrem ardentem recidat, hæc quidem non erit prioris recidiva, ſed erit omninò novus morbus, licèt idem ſpecie ſit; diverſam enim habet cauſam, & ex nova humorum bilioſorum, vel bilioſi ſanguinis aggregatione procreatus erit, nam cauſam prioris morbi ceſſaſſe, probat critica illa evacuatio, & omnimoda ex illa 30
morbi allevatio, ac perfecta ſanatio: novam verò cauſam irrepſiſſe, errata in victu probare poſſunt; neque enim dubium eſt, ex his novam fuiſſe bilem in corpore aggregatam, quæ vel ob multitudinem, vel ob diſpoſitionem putreſcens in venis, vaſiſque magnis cordi proximis, novam accenderit febrem.

Declaranda ergo veniunt prædicta, ac limitanda: 31
nam ſiquidem *novam cauſam* conſtat adveniſſe, & æger ex priori morbo perfectè non reconvaluerit, ſi poſterior morbus accedens ſit ejuſdem ſpeciei cum priore, faciet maximam recidivæ præſumptionem, cæteris adjunctis adminiculis; ſin autem ſit quidem ejuſdem ſpeciei, ſed vel conſtet acceſſiſſe novam cauſam, vel cæteræ conjecturæ deſiderentur, non ſic temerè in hoc caſu pronunciandum erit.

Tertius caſus, de quo dubium aliquod intercedere 32
poſſet, talis eſto: Gravida mulier morbo aliquo ſalutari laboret, ut exempli cauſâ, ſimplici, ac levi tertianâ nullo concomitatâ ſymptomate, dehinc partus ſequatur, ac febris ita irritetur, ut ex ſimplici, & benigna, & intermittente, continua, ac maligna evadat, tandemque mulierem ad interitum perducat. Hic caſus licèt penè idem ſit cum priori, habet tamen aliquid peculiaris ſpeculationis; dico ergo, quòd facit locum *exceptioni*, & comprehendi poteſt ſub regula 33
decima; prior enim morbus ex ſua natura ſalutaris mortem non poterat afferre, quia tamen humores in motu erant, adveniens partus hunc ipſum motum irritavit, & ex eo morbus exacerbatus, ex ſalutari lethalis evaſit, fortaſſe abſque ea cauſa ſupervenientе nonniſi ſalutaris permanſurus.

Sed inſtabis, dicens: Nonne abſque partus adventu poterat tertiam etiam in alio ſubjecto, ex intermittente, ac levi fieri continua, ac maligna, & ægrum è medio tollere? quomodo ergò abſolutè illud pronunciare licet, quòd tota mortis culpa penes partum reſideat? Reſpondeo, dubium non eſſe quovis ſubjecto potuiſſe tertianam febrem ex levi, & intermittente, gravem, ac continuam evadere, & ægrum occidere: tamen quia hîc habemus evidentem cauſam irritationis ipſius morbi, qui aliàs, quantùm ad ejus 34
naturam ſpectat, ſalutaris eſſe ſolet, fruſtrà alias ejus rei cauſas inveſtigare tentaremus: facit deciſio *Rotæ diverſ. n.* 701. *in noviſſ. part.* 1.

Dubi

35 Dubitandi quoque ansam præbere potest sequens casus, qui in horum numero quartus est, & cui similis historia apud Hipp. habetur *Epid. lib. 7. de Simi conjuge.* Si ex partu, aut prægnantia mulier in morbum partum, aut prægnantiam decedat, an pro exceptione
36 casus sit? Respondeo, quòd si secundum rei naturam sententia ferenda est, cùm priorem, ac originariam morbi causam supponamus in hoc casu fuisse ex partu, aut prægnantia, exceptio locum habere debet. At si æquitas respicienda est; & fraudis occasio tollenda,
37 *l. Quod si Ephesi. §. in summa, ff. de eo quod certo loco, l.*
38 *In omnibus ff. de reg. Jur.* (parcant humanissimi Jurisconsulti, si Medici terminos transgrediar) pro lucro in hoc casu sententiam ferrem; fraus enim hic latere potest; nam cùm lucrerit pecuniarum domino per longum temporis intervallum, quo hæc mulier ægrotavit, eas ab eo periculo eximere, & tamen neglexerit, suspicionem præbet, ne fraudulento animo hoc egerit, ut pecuniis salvis existentibus, fructus perciperet, cùm in hoc casu semper dare potuerit de exceptione; itaque videndum, an hoc æquitati consonum, aut dissonum sit.

Quintus casus: Ponamus, quòd mulier aliqua menstruorum retentione laboret, ex qua in morbum aliquem
39 incidat longum; cùm tamen hæc se gravidam esse putaret, nullo modo curata est, sed morbo permanente gravida fiat, dehinc putàs se septimestrem aut perfectiorem fœtum gerere, abortiat, pateat verò abortum solummodò bimestrem, trimestrem, aut recentiorem esse, ex abortus denique occasione prior morbus irritatus illam è medio tollat.

Videtur primâ fronte, quòd hic casus debeat esse
40 pro exceptione: nam ex abortu originem habuisse mortem patet, cùm tamen originaria causa morbi, qui occidit mulierem, fuerit menstruorum retentio, quæ simul etiam abortum procurare potuit. Itaque
41 cùm prior morbus ex prægnantia non esset, & secundus originariam causam habuerit à priore, imò fuerit ejus fructus, ac germen, abortus habet se tanquã causa impulsiva: neque enim suppono, quòd ille morbus etiam extra abortum non potuerit longo tempore occidere, casus tamen eventu ratus erit, ut de priori dicebam, & difficultate non carebit.

42 Denique ponamus, quòd gravida parturiens, aut puerpera, ex procatarctica causa, absque ulla prægnantiæ, partus, aut puerperii culpa in morbum labatur, ex quo pereat etiam intra puerperii terminum, aut in ipsa prægnantia vel partu. Dicamus in hoc casu non esse locum exceptioni, eo quòd morbi partui,
43 aut prægnantiæ imputari non possit, nec puerperio, habet enim evidentissimam causam, & ita expressè tenet *Vallesi. Contr. Med. lib. 10. cap. 4.*

44 Cùm verò ob particularium casuum multitudinem possint hæc in infinitũ variari, impossibile omninò est; ut hic omnes casus dubii apponantur; quamobrẽ superiores adduxisse sit satis, ex quib. si una etiã traditæ regulæ ac historiæ in considerationẽ adhibeantur, facilè de quocunque sententiam ferre licebit.

SUMMARIUM.

1 *Per ea verba,* Excepta morte partus, *&c. quos casus intelligi voluerit Cagnat. & n. 3. Consut. n. 14.*
2 *Partus & prægnantia nunquam sunt causa mortis, quia res sunt maximè naturales, refellitur n. 4. declaratur n. 5.*
6 *Nulla corporea actio animali obest, quandiu naturaliter fit.*
7 *Omnis res naturalis, cùm præter naturam evadit, est causa morbi, vel mortis.*
8 *Morbus ex quibus eveniat.*
9 *Sanitatem procurantes rei, præter naturam in naturalem statum reducimus.*
10 *Morbus, & sanitas circa idem versantur, & n. seq.*
12 *Partus & prægnantia, licèt res naturales sint, possunt præternaturales evadere.*
13 *Omnes morbi, non sunt proprii partus, & prægnantiæ, licèt in partu, & prægnantia eveniant.*
15 *Partus, & prægnantia humores pravos gignunt, vel irritant.*
16 *Prægnantes sanguinem habent deteriorem.*
17 *Partus & prægnantia semper culpa participant in eveniente morbo, contrarium n. 22.*
18 *Non quotiescunque culpari potest partus, facit exceptioni locum.*
19 *Non semper partus, & prægnantia eodem modo causa sunt evenientis morbi, declara ut n. sequenti.*
21 *Semper prima causa culpanda.*
23 *Prægnantes cibo, & potu pinguescunt.*
24 *Partus, & prægnantia plurimis prosunt.*
25 *Magis sanæ sunt mulieres fœcundæ quàm non fœcundæ.*
26 *Cur partus, & prægnantia tot mala afferant.*
27 *Incommoda prægnantiæ, & partus, defectus naturales sunt, non morbosi.*
28 *Prægnans, & puerpera sana sunt. Contrarium n. 30. dic ut ibid.*
29 *Prægnantia assimilatur ciborum concoctioni.*
31 *Causa morbi præter naturam est.*
32 *Partus, & prægnantia sunt oblasiones operationum, contrarium ibid.*
33 *Partus, & prægnantia adducuntur ab Hipp. pro morborum causis, reprobatur n. 34. & 37. Vide n. seq.*
36 *Hipp. cùm quid pro morbi causa adducit, particulâ* Ex, *uti solet.*
38 *Dies critici à partu numerantur, reprobatur n. 41. declara ut n. 42.*
39 *Causa morbi à partu instat, sed latitat ad triginta dies.*
40 *Conceptiones, & partiones eodem tempore judicantur quibus judicantur morbi.*
43 *Sanitas, & vita eodem modo, iisdemque diebus judicantur, quibus judicantur morbi.*

Argumenta in contrarium objecta proponuntur, ac resolvuntur.

QUÆSTIO VIII.

SUperest, ut argumentis, quæ contra nostram opinionem adducuntur, satisfaciamus, licet & ex superiorib. satis superque satisfactũ sit; tamen hîc magis peculiariter id ipsum agere nec superfluum, nec abs re mihi videtur. Primò ergo *Cagnatus* præceptor meus, cùm vim eorum verborum, quæ in societatum contractibus apponuntur explanare vellet, nimirum *Excepta morte ex partu & causa partus*, conatus est demonstrare, iis verbis comprehendi quoscunque ca- 1
sus, qui in *partu*, aut *prægnantia* eveniant, nec nisi de unoquoque qualis qualis sit, aut quãcunque habeat causam, ea verba intelligi posse; quòd si ea sententia Juri & Justitiæ non satisfaciat, vel ea verba secundùm prædictam sententiam intellecta minùs Justitiæ consona esse videantur, à Legibus, ac statuentibus hæc in meliùs commutanda esse definivit.

Dicebat enim, quòd cùm partus & prægnantia res 2
sint maximè naturales, nunquam fieri possunt mortis causa. Ea igitur verba de morte ex partu, aut prægnantia evenire, intelligi non possunt, quia ex iis nunquam causatur mors; ergo de morte intelligenda sunt 3
quæ ex morbis ad partum & prægnantiam accedentibus originem ducunt: unde est quòd necessariò, attentis illis verbis, omnis casus mortis in prægnante, aut parturiente reponendus.

Huic argumento & abundè satis suprà *quæst. 2. à n. 8.*

num. 8. *ad plures seqq.* satisfeci, & tunc etiam iis quæ sequuntur ab illis quæ inibi adduxi non dissidentibus, pleniùs satisfaciam. Dico ergò, quòd partus res quidem naturalis est, si consideretur prout est actio quædam à Natura instituta ad expellendum fœtum, ut mictio ad expellendam urinam & hoc modo, hoc est in abstracto, in sensu diviso, seu extra rem sumptus, naturalis res est, & à Natura intenta; at in concreto, & in sensu composito, aut in particulari sumptus, aliquando naturalis est, aliquando non naturalis. Cùm ergò dicis: partus, quia res est naturalis, non potest occidere, non vides te confundere terminos; & quando dicis partum rem esse naturalem, sumere illum universaliter: quando autem concludis, cum non posse occidere, sumere illum in particularibus, prout in hoc, aut illo individuo reperitur; & sic, etiamsi antecedens veritatem habeat, consequens tamen falsum est.

6 Nam quemadmodùm nulla actio, aut functio naturalis, quatenus, & quousque naturaliter fit, ut aliàs
117 dixi, potest animali obesse, aut morbum, vel mortem causare, sic & partus, & prægnantia; sed quemadmodum cæteræ omnes res naturales, cùm in præternaturales abeunt, possunt esse, & cum effectu sunt causæ morborum, & mortis, sic etiam & partus, & præ-
8 9 gnantia: nam mors ex morbo dependet, qui à rebus naturalibus originem habet, cùm præter naturam evadunt; & idcircò cùm sanitatem inducere volumus, propositum est, quæ præter naturam sunt, in naturalem statum reducere. *Gal. in lib. Hipp. de art. text.* 7. quid ergo, obsecro, curamus nos cùm partus difficilis fit? an aliam ullam rem præter partum? par-
10 tus ergo præter naturam evasit, & idcircò ex difficili illum facilem reddere studemus, morbus enim & sanitas circa idem versantur. *Gal.* 1. *Meth. c.* 7. *class.* 7. ejusdemque rei datur morbus, cujus datur sanitas; dum enim salus paritur, morbi, quoque, &
12 ægritudines parti sunt, ut *Gell.* dicebat *lib* 6. *c.* 1. ex quibus manifestum fit, quòd illicò atque ponis, prægnantiam & partum res esse naturales, debes concedere, posse fieri præter naturam, & morbosas, ac mortem ex propria læsione ut proximæ, & efficientes causæ, gignere, ut cæteræ res omnes naturales.

13 Non ergò omnes morbi in partu & prægnantia evenientes, sunt partus, & prægnantiæ morbi; neque
* partus, & prægn. ita res naturales sunt, ut morbosæ nunquam efficiantur, & non possint causare mortem,
14 sed aliqui morbi propriè, ac primariò ex ipsis, vel per ipsa causantur: unde ea verba *Excepta morte ex part. & prægnant.* non de omni morte intelligenda, sed de ea tantùm, quæ ex ipsis immediatè procedit.

Conantur alii probare (quod de directo superiori *Cagnati* assertioni contrariatur) partum, & prægnantiam in omni mortis eventu ita esse ejus mortis causam, ut ab eis solummodò dependeat, & sic in omni casu dari locum exceptioni volunt. Urguntur autem sequenti argumento, & alii, de quib. infrà: Par-
15 tus, & prægnantia pravos humores vel generant, vel generatos irritant, ægros periculo majori exponunt, morbos salutares lethales reddunt, & lethales multò cum majori certitudine lethales: firmant hæc Hipp. auctoritate *Aph. li.* 5. *Aph.* 30. *& Gal. in comm. & ex eod.* Hip. *lib.* 1. *de morb. in princ.* qui quosdam morbos ex necessitate interimere prægnantes dicebat, qui in aliis dubii sunt.

Facit etiam pro ipsis *Cels. suæ Med. lib.* 2. *cap.* 6. Et
16 ratio prædictorum satis evidens est, quia prægnantes sanguinem deteriorem habent, & non purum. *Gal. comm.* 1. *de Nat. hum. tex.* 27. *class.* 1. *&* 2. *de San. tuend. c.* 9. *class.* 2. eo quod meliorem sanguinem ad se fœtus alliciens, relinquit deteriorem, *idem Gal. com.* 3. *in* 3. *de morb. Vulg. Ægr.* 2. satisque ejus rei veritatem testantur morbi, quibus ut plurimum gravidæ mulieres conflictantur, quos enumerant, Hipp. *lib.* 3. *de morb. vulg.* & Arist. 3. *de hist. Anim. c.* 4.

Itaque cùm semper partus, & prægnantia videantur causare evenientes morbos, bene sequitur, quod in omni casu, nullo excepto, debeat fieri locus exceptioni, si verba in contractu apposita suum sortiri debeant effectum.

Ego omnia illis concedo præter id, quod deducunt: Partum, & prægnantiam in quocunque eveniente morbo culpa participare, controversu nullo modo 17
potest; sed quid inde? non sic intelligi debere volunt *Juriſperiti* verba contractûs, ut quotiescunq; partus & prægnantia subsequentis morbi, ac mortis culpari possunt, faciant exceptioni locũ, sed quandocunque primariam, ac immediatam culpam mortis habent, morbusque ex illis tanquam ex proximis, ac vim efficientem causarum habentibus causis originem ducit, non autem si solummodò occasionem præbeant, & tanquam remotæ, ac immediatæ, vel impulsivæ causæ operentur: neque enim, ut ex superioribus patet, partus, & prægnantia in omni morbo in eodem 19
genere causæ poni debent: nam si ad partum difficilem sequatur febris, partus in genere causæ proximæ & efficientis poni debet; quòd si ad febrem sequatur difficilis partus, tunc profectò partus in genere cau- 20
sæ per accidens, & coadjutricis, seu impulsivæ erit reponendus, semperq; primam, ac originariam causã culpandam censent Jurisconsulti, & ab ea casus, qui 21
exceptioni faciant locum, decernendos esse volunt.

At neque illud, quod supponunt, & quod nos etiam concessimus, omnimodam veritatem habet, quòd partus nimirum, ac prægnantia sint, ut vo- 22
lunt, morborum causæ, ac pravos gignant humores, & alia facinora præstare valeant, quæ ipsi admittunt: Nam hæc de naturali prægnantia nullo modo verificantur: Mulier enim (inquit Fernel. *de Pathol. lib.* 6. *c.* 17.) quæ vividum fœtum opportunè conceperit, si integre sana est, nihil molestiæ, offensionisve perpetitur toto prægnationis decursu; Natura quippè singula in convenientes usus legitimè disponit, cujus rei evidentissimum signum est, quod prægnantes, teste Hipp. *in lib. de Nat. Puer.* & Arist. 6. *de hist. anim. c.* 18. ex cibo, & potu pinguiores evadunt; quod etiam in cæteris animantibus locum habere dixit: Theoph. *lib.* 1. *c.* 1. *de hist. plant.*

Quinimò manifestum est, prægnantiam, & partum 24
non solum non obesse, sed plurimùm universaliter prodesse: unde est, quod Hipp. *in lib. ad mulieres pertinentibus* plures in pluribus morbis ex conceptu, ac partu convalescere testatus est, & absolutè magis sa- 25
nas vivere fœcundas, quæ concipiunt, ac pariunt, quàm quæ steriles sunt, aut non concipiunt, affirmavit. Multò minus veritatem habet, quod alii voluerunt, partum nimirum esse morbum, & morbum peracutum quoque, si diis placet, ut Thadd. *Flor. comm.* 2. *Aphor.* 14. hic enim, ut moris est eorum, qui dicta Auctorum commentantur, ut Hipp. sententiam veritatem habere ostenderet, in qua partus, & conceptiones eodem tempore, ac iisdem diebus judicari, quibus morbi, docebat, partum quoque morbum non acutum modò, sed peracutum esse dixit, quod quàm veritatem habeat, & ex superioribus, & ex subsequentibus patere potest.

Quòd autem videamus quotidie prægnantes malè 26
affici, & in prægnantia, & partu in discrimen vitæ trahi, non ab ipsa prægnantia, & partu est, sed ab eorum corporum impuritate, ac malo vitæ regimine;

quippè

27 quippe cùm ſanæ mulieres in prægnantia vix moleſtiâ, quæ alicujus momenti ſit, afficiantur; ſi quâ autem afficiantur, defectus, aut vitium eſt non morboſum, ut aliàs dixi, & probat in his terminis Ugo Senenſis *in artem parv. Gal. c.2. part.2.* ſic & in partu tales mulieres non magis affectas comperies, quàm ſi ventrem non fœtu, ſed gravi pondere, aut quotidianis fœcibus exoneraſſent, ut in ruſticis mulieribus, utpotè nobilibus magis ſanis, experiri, ac contemplari quolibet momento cuicunque licet.

Sed & in ipſis etiam nobiliotibus, ac deliciis deditis mulieribus, quid reperies, quod morboſum verè, cùm prægnantes ſunt: aut cùm parturiunt, dici poſſit? caſus enim quidam peculiares, ac eventu rari in his, veluti in cæteris omnib. in conſiderationem̄ habendi: neque enim ſi decem prægnantes malè ex prægnantia, aut partu habeant, firmandum eſt, prægnantiam, aut partum ſemper cauſare morbos, cùm nonaginta ex prægnantia, aut parto nihil omninò perpetiantur. Nam & eodē modo affirmare licebit, quòd ciborum aſſumptio, & concoctio in ventriculo morboſum quid ſint, ſtante, quòd nonnulli cibos aſſumentes, aut concoquentes peſſimè afficiantur, & 28 ſic de reliquis. Non ab re igitur Leges hoc conſiderantes, prægnantem ac puerperam ſanam eſſe dixerunt, *l. Quæritur, §. Puerpera, ff. de Ædil. edict. & ibi* 29 Gloſ. *§. ſi mulier*, Marc. Mant, *ſing.10. nu.5.* immò hoc cum maxima prudentia ut cætera omnia, ſanciverunt, quod enim aliud aſſimilari poteſt conceptioni, quàm concoctio ciborum in ventriculo celebrata? non aliter equidem aſſimilat Gal. *3. de Natur. Fac. capit.2. claſſ.1.* & Fernel. *Phyſiol. libro 7. cap.7. in fine*, ſi quidem ipſa prima conceptio, & actus conceptionis reſpondet ciborum deglutitioni, quos dehinc ventriculus undequaque amplectitur, ac fovet, quemadmodum uterus cùm ſemen attraxerit ad ſe (ad quod attrahendum collo utitur, veluti ventriculus gulâ ad attrahendos cibos) illud undequaque circumambit, ac retinet, ac retentum ſuo calore fovet quouſque ad perfectionem perducat & hoc prægnantia eſt, reſpondens ciborum concoctioni, quos tamdiu ventriculus, ſi benè habet, retinet, quamdiu concocti & ad nutritionem apti evaſerint; tunc illos in chylum, liquorem nempè album lacti ſimillimum converſos hepati transmittit, quæ autem reliqua ſunt, & nutritioni inepta, fœces ſcilicet ciborum, ad alvum relegat, quæ quidem actio partui reſpondet; etenim ſemine ad eam perfectionem perducto, quæ à Natura requiritur, jam inſurgit uteri expultrix facultas; & ex ſemine jam conflatum hominem, & quæ illi ex ejus nutritione ſuperfuerunt, foras trāſmittit. Quemadmodùm ergò in ventriculi functionibus, cum ille habet, omnia benè ſuccedunt, nihilque, quod naturam agitet, aut illi moleſtiam afferat, intercedit, ſic & ſano exiſtente utero, ac ipſa muliere, nihil omninò moleſtum, nihil violentum ſuccedit, ſed omnia optatum finem feliciter ſortiuntur. Patet igitur ex his, partum, & prægnantiam per ſe, ex ſui natura neque homini eſſe adeò moleſta ac inimica, ut multi volunt, neque 30 morbos debere dici. Non repugnat autem *text. l.2. §. ſed ſi non propter, ff. ſi quis caut.* ubi prægnans dicitur eſſe valetudinaria: nam ibi cùm agatur de accedendo ad judicium, ex hac acceſſione poſſit prægnans aliquod diſcrimen perpeti, contentæ fuerunt Leges ut in eo caſu pro valetudinaria habeatur, non id quod verè eſt, ſed quod facilè poteſt eſſe, reſpicientes. Ad Hipocr. verò auctoritatem *1. de Morb.* dicendum, quòd etiamſi quoſdam morbos ex neceſſitate interimere prægnantes dixerit, non tamen ob id voluit, eos eſſe omninò deſperatos; ſed illis verbis majorem voluit ipſe oſtendere eorum morborum perniciem; unde non ſolùm quoſdam neceſſariò interimere prægnantes dixit, ſed etiam alios in alia ſimiliter efficere, ut de tabe, & hydrope, quos tamen aliquando non interimere certum eſt, ut ex hiſtoriis paſſim à Medicis relatis patet, quarum multas recitat Schenck. *in Obſerv. libro 2. tit. de Phthiſi, & tabe, & lib.3. de Hydrop.* Sed unde, obſecro, *Cognatus* ſtatuens, primò, quod partus, & prægnantia res ſint maximè naturales, & quòd idcircò non poſſint unquam præbere cauſam morti, dehinc tamen ea cauſas morborum eſſe voluit? quaſi cauſa morbi res præter naturam non ſit? at 31 ita vult Gal. *1. & 2. Meth. claſſ.7. & aliàs millies*, & peculiariter *in libell. de Puiſ. ad Tyr. cap.11. claſſ.4.*

Sed admirationem ſimul, & riſum excitat *Perlini* aſſertio, qui *Cognato* adhærens primò in eo, quòd partus, & prægnantia res ſint præ cæteris naturales, dehinc eò lapſus eſt ut ea eſſe oblæſiones operationum dixerit, & non niſi cum detrimento Naturæ fieri, cùm tamen potiùs perfectiones operationum ſint, & non niſi cum maximo Naturæ emolumento fiant. 32

At doceas ſaltem, *Perline*, quarumnam operatio- 33
num oblæſiones ſint prægnantiâ, & partus. Num in prægnantia læditur retentrix, aut expultrix, illa quia retinet non retinenda: hæc quia non expellit expellenda? at abortum dehinc ſanationem, & reditum ad naturalem ſtatum vocare debes, quia jam retentrix retinere ceſſat, & expultrix incipit expellere, ſic & de partu ſtatue, aut niſi ita ſe rem habere velis, annue, obſecro, quâ ratione operationes in partu, aut prægnantia lædantur; dum autem reſponſionem meditaberis, non ad alia properabimus.

Subdunt multi ad eandem concluſionem proban- 34
dam, quòd prægnantia, & partus ab *Hipp.* ſemper adducuntur pro evidentibus morborum cauſis, nam in enarrandis ægrorum hiſtoriis procatarcticas cauſas nunquam tacere conſuevit, cùm verò de prægnantibus, parturientibus, aut puerperis loquitur, nullam unquam afferre ſolet morbi cauſam, niſi prægnantiam, partum, & puerperium, quod evidens ſignum eſt, ipſum Hipp. exiſtimaſſe has eſſe veras morborum cauſas, ita ut ex ejus ſententia concludere liceat, quòd in omni caſu partus, & prægnantia culpari debeant, neque alias in evenientibus morbi cauſas diſquirere nos oporteat. Itaque non poſſe dari caſum mortis in prægnante, & parturiente firmandum, qui ex partu, & prægnantia non ſit, & conſequenter locum exceptioni non faciat.

Hoc argumentum ſolâ *Hippocr.* auctoritate niti- 35
tur, ſed falsò ſupponitur id, ex quo ſuam concluſionem deducunt. *Hippocr.* multas ægrorum hiſtorias recenſuit, fortaſſe pluſquàm ducentas (non enim eas enumeravi) tamen vix in vigeſima parte morborum cauſas adduxit. Ponderentur obſecro eæ tantummodò, in quibus enarrandis majori multò, quàm in aliis diligentiâ uſus videtur, quæ numero ſunt, ni fallor, duæ ſupra quadraginta; ex his vix decē reperies, in quibus procatarcticæ alicujus cauſæ mentionem fecerit, ut patet. Licèt verò ſat ſciam, adverſarios non ſine duce Galeno hæc protuliſſe, qui *lib.3. Epid. comm.1. Ægr.10.* in hiſtoria abortientis illius mulieris, dicebat; quòd ſi ex aliqua cauſa externa mulieri illi abortire contigiſſet, eam *Hipp.* ſilentio non præteriiſſet; unde elicit, illam mulierē ex interna cauſa abortum feciſſe, tamen nihil inde colligi poteſt, quod contra nos ſit: in hiſtoria enim abortientis neceſſaria erat omninò, ſi adfuiſſet, cauſæ externæ mentio,

quia

quia poterat cutam evatiare ; non ſic autem in cæteris caſibus. Quamobrem infer ex his, quòd quemadmodum in aliis hiſtoriis cauſas ſiluit Hippocr. & ſic in prægnantibus, & hujuſmodi; neque colligi poteſt illum prægnantiam; & partum pro morborum cauſis adduxiſſe.

Sed dices, quòd *Hippocr.* non omnes cauſas ; ſed ſolùm evidentes, ac procatarcticas recenſuerit, quando eas notas habebat, inter quas etiam enumerabat prægnantiam, & partum, quæ ſatis evidentes ſuccedentis morbi cauſæ illi videbantur ; atque ea de re nullam aliam in ſimilibus caſibus adducere cauſam conſueverit.

Reſpondeo, neque hoc veritatem habere, quippe cùm *Hippoc.* aliquando etiam internarum cauſarum mentionem habeat, ut *lib.* 3. *Epid. ſect.* 3. *Ægr.* 1. & 2. *ejusd.* Hippoſtrati, inquit, uxori præcordii ſiniſtri tumor ex quartana annua in faſtigium ſublatus eſt, & Zoilo ex matura tuſſi febris acuta oborta eſt, & *lib.* 4. de ea, quæ in vico Bulagoræ habitabat, Ex Lene, inquit, febricitavit. *Et lib.* 5. Metrodori puero ex dolore dentium, Canonis famula ex capitis dolore. Eutychidi ex cholera morbo, Hecaſoni ex corporis impuritate, & ſic in aliis, in quibus illi cauſas apponere libuit & externas, & internas, ut illi magis arriſit indifferenter appoſuit, pluri num verò nullas appoſuit, ut apparet, quòd ſi de prægnantia, aut
36 partu ſemper mentionem habet, hoc non niſi coactus fecit : ſunt enim hæ conditiones plurimùm morbi conditionem alterantes, ita ut omninò neceſſe eſſet, quòd de illis haberetur mentio, ut facit.

Sed quòd neque *partum*, neque *prægnantiam* ſemper pro morborum cauſis adduxerit, ſed tùm ſolùm cùm illa præter naturâ fiebant, & morbi ab eis immediatè originem trahebant, patet, quia quandocũ que quid pro morbi cauſa adducit, utitur eâ præpoſitione, quæ *ex* in Latino ſermone ſonat, ut patet
37 in exemplis hiſtoriarum, quas ex profeſſo enarrat, ut *l.* 1. *Ægr.* 2. Silenum ex laboribus, commeſſationibus, & exercitationibus intempeſtivis, & 3. *ſect.* 1. *Ægr.* 4. Phileſtes ex commeſſationibus febribus aſſiduis, & *Ægr.* 5. Cherion ex potu, & *Ægr.* 8. Adoleſcens ex laſſitudinibus, & curſibus, & *ſect.* 3. *Ægr.* 3. Pythio ex laboribus, & *Ægr.* 10. Nicodemus ex Venere & potu, & 11. Mulier ex mœrore manifeſto; & *alibi*, Scopo ex improba victus ratione, Neapolis ex vulnere, Pauſaniæ puella ex fungi eſu, Epicharmi puero ex deambulationibus, & ne omnes huc congeram, in omnibus ſimiliter. Sed accedamus ad caſum noſtrum, cùm partus, aut prægnantia, aut puerperium non naturaliter ſe habent; eodem prorſus modo Hippocr. loquitur, veluti in cæteris hiſtoriis conſuevit, ut *lib.* 3. *ſect.* 1. *Ægr.* 10. Mulier quædam ex infantuli fœtus abortione, & *Ægr. ſeq.* Alteram ex abortivo fœtu, &c. & *in* 2. Ei, quæ ex difficili partu, & *in lib. de Nat. mul.* & *de morb. mul.* Hic morbus ex abortionibus præcipuè oritur; *item.* Contingit verò etiam ex partu, & febribus. Si ex partu uteri inflãmationem conceperint, ſi ex partu dolor eſt, ſi ex partu uteri laboraverint, & alia ad hunc modum, ſi ex partu fluxus prehendat, ſi ex partu ſanguinem vomitione rejiciat. At cùm partus, & hujusmodi naturaliter ſe habent, nihil tale Hippocr. dicit, neque enim Philini uxorem ex partu, neque mulierem quandam ex graviditate laboraſſe dicit; ſed Philini uxorem, quæ filiam pepererat *lib.* 1. *Ægr.* 4. Et Epicratis uxorem inſtante jam partu. *Ægr.* 5. *l. ejusd.* & *Ægr.* 11. *ibidem.* Dromeadæ uxorem, quæ filiam erat enixa, & *Ægr.* 13. *ejusd.* Mulierem quandam trimeſtri fœtu gravidam, & *lib.* 3. *ſect.* 3 *Ægr.* 14. Mulier quædam poſtquam filiam peperiſſet. Denique ſatis ſit unicus textus (præter quamplurimos, qui adduci poſſent ad eam concluſionem roborandam) *in primo de morb. mul.* ubi ſic habet. *Qui in partu, aut ex partu tumores contingunt*, ubi non dubium eſſe debet, Hippocr. aliud importare velle illis verbis, *in partu*, aliud verò illis, *ex partu*: & prioribus quidem tumores intelligi voluit, qui non ex partûs culpa contingunt : ſed in partu fiunt; veluti poſterioribus illos ſignificavit, qui culpa partus fiunt, quod particula illa, *ex*, denotavit, qua particula non eſt uſus *in text. l. de aër. Aq.* & *loc. prope principium*, ubi hæc habet, cùm de morbis familiaribus mulierum frigida loca incolentium mentionem habet: *Tabes etiam frequentes à partu contingunt*, nam quia in his mulieribus tabes ex loci natura fit (nam viris etiã pleraque vaſa, dicebat ſuperiùs, intro ſũpuntur) non uſus eſt illa particulâ *ex*, ſed dixit à partu, hoc eſt poſt partum, quia partus in eo caſu habet ſe non ut cauſa proxima tabis, ſed ut remota, & occaſionem præbens, aut faciliùs cõtingere faciens id, quod à loci natura illis impender. Venit denique conſideranda Lyciæ hiſtoria 2. *Epid. ſect.* 2. de qua nihil ille habet, quòd prægnans eſſet, ſed morbi tantum hiſtoriam percurrens, tandem in fine addit : *Obiit ante partum*, ita ut perpetuum non poſſit dici, quòd Hipp. prægnantiam, & 38
partum pro morborum cauſis adduxerit.

Præterea partum, & prægnantiam morboſum quid eſſe & morborum cauſas, ex eo argumento eliciunt; nam dies critici à partu numerantur, teſte Hipp. *in Progr.* & Gal. *in comm.* 3. *part.* 10. Avic. *ſecunda* 3. *tractat.* 1. *cap.* 1. Halyab. *Theor. lib.* 10. *cap.* 8. Averr. *Colleg. lib.* 4. *cap.* 40. rationem eſſe volunt, quod morbi cauſa ab ipſo partu, & ab hora partus inſtet, etiamſi latitet ad triginta dies; ita Amat. Luſit. qui 40
& Averr. pro ſe adducit *Cent.* 1. *cur.* 34. *in ſchol.* cui adhæret Moxius *lib.* 3. *Meth. med. morb. mul. c.* 26. qui & plurimus eam ſententiam firmant. *Addunt*, quòd & conceptiones & partiones, & abortiones eodem tempore, ac iisdem diebus judicantur, quibus ipſi 41
morbi ; unde hæc omnia morboſum quid eſſe concludunt. Ad priorem argumenti partem reſpondet *Cagnatus*, qui eam ſententiam refellit, & dies criticos per accidens tantùm à partu numerari probat, non verò per ſe; nam per ſe à morbi acceſſione numerantur, & ita factitatum eſſe ab Hippoc. ſatis conſtabit his, qui hiſtorias ab eo enarratas revolvere volent, & ut unicum aſſeratur exemplum, aſſume mihi hiſtoriam uxoris Philini, de qua ſuprà, & manifeſtiſſimè videbis. Hippocr. non à partu, ſed à febris acceſſione, quæ decima quarta poſt partum die contigit, enumeraſſe, aut alia in illis diebus cõtigiſſe, in quibus illa enarrat, ſi à partu enumerare cæpiſſet; ſic etiam; & in *hiſtoria ſeq.* de uxore Epicratis, *ſexta die*, inquit; *à qua illam febris corripuit* &c. Et totam proſequitur hiſtoriam, relicta omninò enumeratione à die partus, ut notat Mercurial. *in prælect. epidem.* in hoc caſu. Similiter & de aliis quibuscunque fecit, ut de uxore Dromeadæ, cæterisque omnibus, abſque illa exceptione, niſi vel partus præternaturalis fuerit, vel in ipſa die partus ægrotaverit mulier, ut *Ægr.* 12. *lib.* 3. *ſect.* 2.

Ergo ad Hippocr. mentem, morbi principium à 43
partu non enumerandum, neque enim ab eo cauſa inſtat, ut volunt, niſi ille præternaturalis ſit, ut dixi; & ita faciendum concludunt Concil. *diff.* 106 Card. *contr. Med. lib.* 1 *tract.* 2. *contrad.* 5. licèt Conciliatori in aliquibus contrarius exiſtat Valleſ. *contr. med. et Phil. lib.* 10. *cap.* 4. & *in* 1. *Epid. com.* 2. *ſect.* 3.

*Ægr.*4. Rod. à Caſt. *de morb. mul. lib.*4. *c.*12. *in ſchol.* Var. *de effect. mul. lib.*2. *cap ult.* & alii etiam multi.

Ad poſteriorem argumenti partem dicamus nos, quòd ſi illud valet de prægnantia,& partu affirmari, eſſe nimirum quid morboſum,quòd iiſdem diebus,quibus morbi judicentur,erit quoque ipſa vita,
44 & ſanitas morbus ; nam & vita, & ſanitates, ut ibi Hippocr. iiſdem diebus judicantur,eodémque modo pubeſcentia, ſeminis effuſio, menſtruorum apparitio,filiorum procreatio,quin & ipſa intellectûs perfectio morboſum quid erunt ; nam & hæc iiſdem diebus,anniſque adveniunt,quibus morbi judicari ſolent;nullius ergò momenti hæc argumenti pars cenſenda eſt.Denique demus *prægnantiam*,& *partum* eſſe *quendam morbum*,nullus tamen à veritate tantoperè ſe elongabit, ut affirmare audeat eſſe ambos vel alterutrum morbum lethalem,unde nihil indè deducere licebit,niſi quòd morbus,ex quo mulier periit,ad alium morbum conſecutus ſit.Modò, ſi prior morbus lethalis non fuerit, ſuperveniens autem lethalis,inaniter,ſecuta morte,ex priori morbo,non poſteriori tribuitur.Itaque cùm prægnantia, & partus,dato quòd ex ſui natura morbi ſint, tamen ſint ſalutares,cur in ambos,aut in alterutrum mortis culpa rejicienda,ſuperveniente ipſis morbo lethali ad ipſam prægnantiam, & partum nihil attinente, hoc ſi affirmare velimus, contrà veram,& perfectam ratiocinationem peccabimus.

Tandem vix quicquam in contrarium adducitur, quod id probare aliquo modo poſſit,quod volunt, cùm etiamſi omnia quæcunque volunt,illis condonentur, tamen pactum contrahentium eo modo, quo Juriſconſulti declarant, ac intelligi volunt, acceptum, firmum, ac validum remaneat, nihil omninò rei naturæ repugnans. Non igitur novam legem ſancire, aut ſanciam,vel permiſſivè approbatam incudi reddere, aut deſtruere poſthac prudentiſſimi Juriſconſulti in animum inducant ſuum, cùm hæc ab eorum leges ferendi prudentiâ ne latum quidem unguem ſeſe avertat.

SUMMARIUM.

1 *Contractus ſocietatis, ut licitus eſſet, requirebat,ut pecuniæ in ſocietatem datæ periculum amiſſionis currerent.*

2 *Dans pecunias in ſocietatem quodnam periculum currere debeat.*

3 *Quæcunque mortis genera ab extrinſeco pendent excepta cenſentur.*

4 *Mors ex partu, & hujuſmodi,ultra prædictam cauſam ob quid cenſeatur excepta.*

5 *Mulieres neque emere, neque exercere poſſunt publica officia.*

6 *Sociorum conditio debet eſſe æqualis.*

7 *Non poteſt omnis mors, in prægnantia, aut in partu adveniens, excipi.*

8 *Duo eventuum genera in prægnante, & parturiente conſiderantur.*

9 *In quibus caſibus exceptio locum habeat, & in quibus non.*

10 *Medici judicium expoſcitur, quando partus, & prægnantia debeant dici mortis cauſa.*

11 *In eodem morbo ſemper mortis periculum majus eſt ex parte prægnantis, quàm non prægnantis,aut viri.*

12 *Partus, & prægnantia debent eſſe cauſa proxima ſuccedentis mortis.*

13 *Verbis illis*, & cauſa partus, *qui caſus comprehendantur, die ut n.*15.

14 *Partus & prægnantiam eſſe res naturales, quonam modo intelligendum.*

17 *Nomen partus eſt quid indifferens ad ſanum, & non ſanum.*

18 *Partus ſanus naturalis eſt,non ſanus præter naturam.*

19 *Partum ſimpliciter non poſſe occidere falſum eſt.*

20 *Ex partu, & prægnantia, cum ſtatum mutant naturalem, & in præter naturam abeunt, poteſt facilimè mors ſuccedere.*

Eorum omnium, quæ univerſo hoc Titulo continentur

EPILOGUS.

SEd jam ea, quæ longâ verborum ſerie, prout 1
argumenti difficultas requirebat, enarravimus, brevioribus perſtringamus : non deerunt enim quibus magis conciſa oratio multò magis animum ſit oblectatura.

Cùm ergo contractus ſocietatis,quem ab officio denominant, illud peculiariter requireret, ut licitus futurus eſſet,quòd pecuniæ in ſocietatem datæ currerent amiſſionis periculum ſub alicujus perſonæ vitæ diſcrimine,ſocii inter ſe in his contractib. paciſcuntur,ut non indifferenter quodlibet eventuum genus locum amiſſioni pecuniarum faciat, ita ut ſocius eas in ſocietatem accipiens lucretur, ſed voluerunt quòd dans pecunias tunc illas amittat,cùm ex cauſa intrinſeca vel ipſe decedit,veliis,ſub cujus vitæ periculo pecuniæ exiſtunt, atque ea ratione quæcunque mortis genera ab extrinſeca cauſa de- 2
pendentiam habere videbantur, eo quòd talia violentæ omnia ſint, ut mors ex fame,peſte,bello,epi- 3
demia,& hujuſmodi omnia,excipi voluerunt;inter quæ etiam mortem comprehenderunt,quæ ex partu,aut cauſa partus,& prægnantiæ fit,& ſpeciatim omnia nominarunt,ne dubium aliquod circa eorum alterum oriretur, cùm & de peſte, & epidemia, & de partu, & de prægnantia,& hujuſmodi dubitari potuiſſet, an cauſam haberent extrinſecam, necne.

Mortem tamen ex partu,& cauſa partus,& prægnantiæ non eo ſolùm nomine excipere permiſſum fuit danti pecunias, ſed etiam, quia cùm dominus officii, unus ſcilicet ex ſociis, ſemper vir ſit, (neque enim conceditur per Leges ipſis mulieribus,ut publica officia, ſub quibus tales ſocietates conſtituuntur, emere aut exercere poſſint) dans autem 4
pecunias alter ex ſociis, ſeu is, cujus vitæ periculum ſubeunt pecuniæ, aliquandò fœmina exiſtat, 5
non erat ſociorum conditio æqualis, ut neceſſariò eſſe debet : nam fœmina ultrà ea omnia pericula 6
ex morbis,quæ currit officii dominus,ſubibat etiam periculum ex partu, aut prægnantia, quæ cùm interdum præter naturam fiunt,in certum diſcrimen trahere conſueverunt mulieres, à quo erat omninò officii dominus immunis ; ut ergo hæc ſociorum diſparitas tolleretur,neceſſum fuit,mortem ex partu,cauſa partus, & prægnantiæ evenientem excipi.

At verò quia, his non obſtantibus, non poterat 7
omnis caſus mortis in prægnante, aut parturiente excipi,(nam neque omnis caſus ab ipſis immediatè dependet)quia tunc pecuniæ ſalvæ extitiſſent univerſo prægnationis, & puerperii tempore,& fructus à dante pecunias exacti eſſent ſalvo capitali, quod abſque uſuræ vitio fieri non poterat;unde Juſtitiæ moderatores iniquam rem viderentu permiſiſſe. Idcircò duo eventuũ genera in partur ente ac prægnante conſideranda erant;unum nim tum eorum, quorum immediata, ac præcipua cauſa partus,aut 8
prægnantia erant,cùm à Naturali ſtatu deſciſcunt; alterum eorũ,qui ab alia cauſa otiginem ducentes, à prægnantia tamen, & partu dehinc foventur. In prioti eventuum genere exceptionẽ admitti debere declararũt Juriſconſulti,in poſteriore nequaquã. 9

Cùm autem non ſine *Medicorum* ope aſſequi poſſint, quandonam partus, & prægnantia præci- 10
puæ,

puæ, ac immediatæ mortis cauſæ ſint, quãdo verò ſolummodò foventes, ac coadjutrices, idcircò in ea re eorum judicium deſiderant, Boccac. *de ſoc. n.* 35. *n.* 120. Caſtra. *eod. tract. c.* 18. *n.* 20. Zacch *ibid. n.* 426. & 428. Rota apud Zacch. *ubi ſuprà dec.* 99. *n.* 6. qui tamen hujuſque mentem Juriſperitorum, & pactionis vim non aſſequentes, ſed ea verba proprio intelligendi modo interpretantes, illis malè judicandi anſam non ſemel, aut bis præſtiterunt.

Quòd ſi urgeres, ſociorum conditionem adhuc
11 æqualem non eſſe, etiam exceptâ morte ex partu, aut prægnantia primariam habente cauſam, ac originem, niſi unà quoque omnis mors in partu, aut prægnantia eveniens excipiatur: quia patet, quòd dato eodem morbo in viro, & in prægnante muliere, vel parturiente, ſemper majus periculum eſt ex parte prægnantis, aut parturientis, ob prægnantiæ, & partûs concomitantiam, quàm ex parte viri. Reſpondeo, quòd damnum ex hac conditionis diſparitate pecuniarum domino emergens ſuâ culpâ patitur; cùm minimè coactus, ſed ſponte voluerit ſuas pecunias currere tale periculum amiſſionis ſub periculo vitæ mulieris, cùm aliàs licuiſſet illi virum nominare ſanum, ac robuſtum, non ab ea ſolùm periculi inæqualitate immunem, ſed à quovis etiam morbo, quantum ex fragili-
12 tate humana ſibi promittere licebat.

Ut ergò eam rem, prout eorum muneris erat, *Juriſconſulti* declararent, verba illa in contractu appoſita ita accipi voluerũt, ut partus, & prægnantia, ad eaque pertinẽtia ſint cauſæ proximæ, immediatæ, ac finales mortis, nec ſatis eſſe debere, ut locũ exceptioni faciant, quòd habeant ſe tãquam cauſæ remotæ impulſivæ, ac immediatæ, ut in pluribus caſibus evenire certum eſt & ſuprà jam explicatum.

Sed inſurgebat adhuc non levis dubitatio ex verbis in contractu appoſitis, nimirum, *excepta morte*
13 *ex partu, & cauſa partus*: benè enim ſe res habet, dicunt aliqui, quòd per ea verba, *ex partu*, comprehendantur caſus ab illo immediatam habentes dependentiam, ſed per ſubſequentia, *& cauſa partus*, non alios comprehendi dici poteſt, quàm omnes caſus quibus cauſam dederit partus; patet autem, neq; à nobis negatur, in quolibet caſu mor-
14 tis in prægnantia, aut parturiente ſemper partum & prægnantiam dare cauſam morbo, & morti, & tenere ſemper ſe ſaltem ex parte cauſæ impulſivæ, & coadjutricis; itaq; ſi ea verba ſuum effectũ habere debeant, per ea comprehẽdi dicendum eſt omnes caſus in partu, aut prægnantia ſuccedẽtes.

15 *Quibus reſpondi* per ea verba, *& cauſa partus*, eos caſus comprehendi, qui ab iis depẽdent, quæ ad ipſum partum cõſequuntur, & occaſione ipſius partus fiunt; tale quid eſt ſecundinæ eductio, pugatio puerperii, & ſi alia ſunt, quæ ipſum partum concomitantur, eos inſuper, qui à morbis pendent, quorum cauſa proxima & efficiens, & non ſolum impulſiva, ac fovẽs fuerit partus, ut ſi ex ejus difficultate jam remiſſa, vel ſecũdinæ eductione difficili, & hujuſmodi, vel febris, vel morbus excitetur. Niſi enim hoc pacto res intelligatur, jam ſũmos Pontifices, qui talia permiſerunt, & cæteros Juſtitiæ miniſtratores in eam abſurditatẽ, de qua ſuprà, incidiſſe confitendum eſſet, quod rem uſurariam licitam feciſſẽt; ſed abſit ita ſit, ut de viris ſapientiſſimis tale quod jactetur. Atque ea de re Medicis, qui proprio intelligendi modo eorum verba declararũt, malim nullã habere fidem, etiam nulla diſſuadente ratione, (licet aliàs eos ut humaniſſimos præceptores, ac doctiſſimos viros in honore habeam) quàm ita ſiniſtrè de Juriſconſultorum prudentia dijudicare. Ut rem igitur tanti momẽti dilucidè, quantum & quatenus vires permittebant, magis ſecũdùm veritatẽ patefacerem, primò cauſa inveſtigata, ob quã permitti debuit danti pecunias, ut excipere poſſet mortem ex partu provenientem, & vi verborum, quæ in contractu apponũtur, conſiderata ad particulares quoſdam caſus deveni, ex quibus nõnullas regulas pro caſibus excipiendis formavi; dehinc etiam nõnullus pro lucro adduxi: ac mox qua ratione partus; & prægnantia, ex Juriſperitorum mente, deberent eſſe cauſæ mortis in caſibus exceptionis, enarravi; & ne aliquid intẽtatum relinquerẽ alios inſuper caſus dubios propoſui, quos etiam dilucidius, quoad fieri potuit, explanavi tandemq; ad alia argumẽta diſſolvenda devẽrum eſt, ad illud 16
præcipuum, quòd cùm partus, & prægnantia res ſint naturales, nunquã poſſint eſſe cauſa mortis, in 17
quo argumẽto fallaciam latere manifeſtavi: nomẽ enim Partus eſt quid indifferens ad ſanum, & non ſanum, & quid genericum; & cùm volumus ſanũ partum dicere, naturalem dicimus; cùm morbo- 18
ſum, præter naturam: Partum ſimpliciter non poſ- 19
ſe occidere falſum eſt; partum naturalem non interimere, verum eſt, partum præternaturam, falſum. In eo igitur argumento ea fallacia ſubeſt, quòd in priori concluſione nomen partus genericè, & in abſtracto ſumptum eſt, prout comprehendit quemcunque partum; in concluſione vel ſpecificè, prout ſolum naturalem comprehendit, vel in concreto, prout in hoc, aut illo individuo naturaliter ſit. Quod cùm ita ſit; concludendum ex partu, & prægnantia non naturaliter ſe habentibus, quemadmodum & ex cæteris quibuſque re- 20
bus naturalibus, cùm ſtatum naturalem mutant, & in præternaturam abeunt, poſſe facillimè ſuccedere mortem, quã ſuccedẽte, locus fiet exceptioni.

Denique cæteris quibuſdam puſillis argumentis, cùm meliora non adducerentur, ſatisfeci; quibus peractis, jam huic titulo finem imponamus.

LIBRI PRIMI TITULUS QUINTUS.

DE SIMILITUDINE ET DISSIMILITUDINE NATORUM.

Continens Quæſtiones Quinque.

I. De cauſis ſimilitudinis natorum variæ Auctorum ſententiæ.
II. De differentiis ſimilitudinũ earumq; cauſis.
III. Quid ſit ſimile, quid diſſimile, ac de vera, & adæquata ſimilitudinis cauſa.
IV. Similitudo an debeat facere conjecturam filiationis.
V. Filius mulieris, quæ ab obitu prioris mariti illicò alteri nupſit, novem menſium ſpatio natus eſt, cujuſnam cenſendus.

SUMMARIUM.

1 *Hippocratis opinio de cauſa ſimilitudinis.*
2 *Sexûs ſimilitudo unde.*
3 *Galeni opinio.*
4 *Tertia opinio, cauſam ſimilitudinis ponens eſſe imaginationem. Ejuſdem opinionis varietat. vid. n. ſeq.*
6 *Hipp. opinio examinatur.*
7 *Mares deberent eſſe ſemper patri ſimiles, in Hip. ſent.*

8 *Mas à virtute, & quantitate exuperante maſculei ſeminis fit.*
9 *Maſculeum ſemen tam à mare, quàm à fœmina procedit.*
10 *Natus in ſententia Hipp. non poſſet alteri perſonæ, quàm uni ex parentibus aſſimilari.*
11 *Similitudo non conſideratur ſolùm inter patrem, & filium, & alias perſonas.*
12 *Similitudo etiam inter homines & bruta conſideratur.*
13 *Elementa cauſa univerſalis ſunt omnium corporum mixtorum.*
14 *Cauſa ſimilitudinis ab Hipp. aſſignata non poteſt cuivis ſimilitudini convenire.*
15 *Subjectum externæ ſimilitudinis ſunt exteriora membra.*
16 *Membra exteriora omne augmentum ex propria materia ſanguinis materni habent.*
17 *In Galeni ſententia omnis fœtus deberet referre matrem.*
18 *In Galeni ſententia fœtus nulli alteri, quàm uni ex parentibus aſſimilari poſſit.*
19 *Extraneæ perſonæ inter ſe aliquando ſimiles.*
20 *Similitudo non ſolum reſpectu effigiei externæ, ſed etiam reſpectu animi, & morum conſideratur.*
21 *Formatrix facultas non efformat animum.*
22 *Formatrix facultas in materia fundatur.*
23 *Si virtus aſſimilandi eſſet propria imaginationis, quid inde ſequeretur.*
24 *Ejuſdem virtutis eſt formare, cujus eſt ſub aliqua conditione formare.*
25 *Non poteſt unius virtutis eſſe formare naſum, & alterius formare magnitudinem naſi.*
26 *Neceſſariò virtus efformans ſub aliqua conditione efformat.*
27 *Similitudo ſexus, & ſpeciei ab imaginatione eſſe debet, ſi ſimilitudo effigiei ab imaginatione eſt.*
28 *Animal quicquid vellet, gignere poterit, ſi imaginatio ſuo marte efformat.*
29 *Imaginatio libera quædam facultas eſt.*
30 *Impugnatur ſententia ponens imaginationem pro cauſa ſimilitudinis, & n. ſeq. & 34. & 36.*
31 *Omne generans generat ſimile ſibi,*
32 *Imaginatio mille phantaſmatibus occupatur, & à viſus præſertim ſenſu movetur.*
33 *Imaginatio vaga eſt.*
35 *Nihil offertur imaginationi, quod illi non offeratur à ſenſu, & n. 37.*
38 *Imaginatio mores, & animum non cognoſcit.*
39 *Similitudo apparet etiam in imperfectis animalibus.*
40 *In omnibus una ſimilitudinis cauſa aſſignanda.*

De cauſis ſimilitudinis natorum variæ Auctorum ſententiæ.

QUÆSTIO I.

MUltum inter *Legumperitos* agitatum eſt, utrùm natorum ſimilitudo faciat præſumptionẽ filiationis, & diſſimilitudo indicet contrariũ, qua de re, cùm hæc materia Philoſophica, Medica ſit, hîc de ea ſecũdùm veritatem determinare par eſt: univerſa verò rei ambiguitas circa inveſtigationẽ cauſæ ipſius inveſtigationis verſari videtur, ac de ea plures, & multùm inter ſe diſſidẽtes doctorum hominum ſentẽtiæ recitãtur, quæ recẽſentur à Plu. *lib. 5. c. 11. & 12. in hiſt. Philoſop. inter ſpurios lib. Gal. adſcriptos*, & recitant Andr. Laur. *Anat. lib. 8. q. 20* & Mercur. *in lib. cui tit.* la Commare, *lib. 1. c. 11.* præcipuè tamen, ac majoris momenti tres eſſe mihi videntur, non recenſendo inter has *Ariſtotelis* opinionem, ob rationem, de qua in fine quæſtionis; has autem tres propemodum recenſebo.

Prima autem *Hipp.* eſt, cui potiores partes tribuuntur *in lib. de genit. ante fin.* quâ exiſtimat vir omnium ſapientiſſimus, natorum ſimilitudinem non aliundè provenire, quàm à multitudine exuperantis ſeminis: nam quiſquis, inquit, plus, & ex pluribus corporis partibus ad ſimilitudinem cõtulerit, illius pluribus in rebus fœtus ſimilis erit. 1

Eadem quoque videtur fuiſſe Lucretii opinio, *qui lib. 4. de rerum natura* in hac ſententia cecinit:

Et commiſcendo cùm ſemen fortè virile,
Fœmina commulſit ſubita vi, corripuitque:
Tum ſimiles matrum materno ſemine fiunt,
Et patribus patrio: ſed quos utriuſque figura
Eſſe vides juxtim miſcenteis volta parentum,
Corpore de patrio, & materno de ſanguine creſcunt:
Semina cùm Veneris ſtimulis excita per artus
Obvia conflixit conſpirans mutuus ardor,
Et neque utrum ſuperavit eorum, nec ſuperatum eſt.

Et paulò infrà:

Atque utri ſimile eſt magis id, quodcunque creatur,
Ejus habet plus parte aqua, quod cernere poſſis:
Sive virûm ſoboles ſiv' eſt muliebris origo.

Poteſt autẽ pro hac opinione ſatis evidẽs aſſignari ratio, quia quemadmodũ à majori ſeminis quãtitate & virtute fit, ut fœtus in ſexu ei aſſimiletur, ex quo major ſeminis portio deciderit, eodẽ Hip. teſte *ubi ſupr. & 1. de Dieta*, quod videtur majus quid eſſe ſic & ab eadem ſeminis exuperante quãtitate, ac virtute poteſt fœtus illud habere, ut magis aſſimiletur ei, ex quo majorẽ ſeminis quãtitatem ſortitus eſt, quod non ita magnum quid eſſe videtur. 2 3

Secunda op. *Galeni* eſt, qui *lib. 2. de ſem. c. 2. claſſ. 1.* ſuam ſententiã ita patefecit: Primùm poſuit, cujuſcunq; materiæ, vel ſubſtãtiæ, ad generationem inſervientis facultatem ex ipſius materiæ temperamento progigni, volẽs hanc facultatem non ſolùm utroq; ſemine, ſed etiam in materno, ſeu menſtruo ſanguine reperiri, ita ut utrumq; principium, tam materiale ſcilicet, quàm effectivũ non ſolùm in ſemine, ſed etiã in ipſo ſanguine eſſe determinaverit. Fit itaq; ut aliquando ſeminis maſculei vis, quòd major, & validior ſit, prævaleſcat, & fœtus naſcatur patri ſimilis; interdum verò prævaleat vis fœminei ſpermatis, virtute & facultate mẽſtrui adaucta, & fœtus ſimilis evadat matri. Cum hac opin. conſẽtire vdietur Avic. 18. *de Animalib.* præſertim quoad hanc partẽ facultatis ſeminis, ac menſtrui, nam de temperamento ne verbum quidẽ. [Hinc *Salvatorem* noſtrum dulciſſimum *matri* ſimi ẽ eruere conatur *Stengelius* in effigie Jeſu Chriſti Marinæ de Eſcavar. revelata quod ſine virili ſemine natus ſit.]

Tertia op. omnium communiſſima eſt eorum, qui natorum ſimilitudinẽ non aliundè, quàm ab imaginatione provenire affirmant. Cõſentire videtur Ariſt. *Probl. ſect. 10. probl. 12.* Plin. *Nat. hiſt. lib. 7. c. 1.* Videtur inclinare D. Auguſt. *de Civit. Dei lib. 11. c. 25.* Avic. (licèt & aliam recitet & acceptet opinionẽ) *21. 3 tr. 2. c. 2.* Fernel. *Phyſiol. lib. 7. c. 12.* Levin. Lemn. *de Occult. Nat. mir. lib. 1. c. 4.* Mercur. *in lib. della Commare, lib. 1. cap. 11. & ſeqq. & alii multi*: & viplura congeſta ex pleriſque Authorib. apud Nancel. *in Analogia Microcoſmi ad Macroc. lib. 10. problem. 5.* quin etiam & ipſi Juriſperiti ne latum quidem unguem ab ea recedunt. Gloſ. *in l. Non ſunt lib. ff. de ſtat. hom.* Bart. *in l. Gallus, ff. de lib & poſthum. num. 14. Mobed. deciſ. 1. aliàs 19. num. 2. tit. Qui filii ſint legitimi.* Ruin. *conſ. 53. n. 9. lib. 5.* Pariſ. *conſ. 10. num. 18.* Maſcard. *de probat. concl. 272. numero 7. vol. 2.* Gratian. *Diſcept. forenſ. cap. 567. num. 52. vol. 3.* & cæteri penè omnes, uno excepto Polyd. Ripa *in* 4

tract.

*tract.de noct temp.cap.*162. *num.* 41. qui hanc opinionem admittere non videtur.

Sed hæc opinio variè explicatur volẽtibus nonnullis, à ſola *mulieris imaginatione in actu coitûs* ſimi- 5
litudinem provenire; aliis, non in actu coitûs ſolùm, ſed toto geſtationis tempore agere *in imaginationem* in fœtum, contendentibus; aliis verò non ſolùm mulieris imaginationem eſſe efficiẽtem ſimilitudinis cauſam, ſed etiam *imaginationem viri* in Veneris congreſſu; nec tamen ſatis conſtat, quænã ex iis opinionibus ipſis magis accepta ſit; nam unus idẽque Auctor multùm in ſui ipſius opinione explananda evariat. Sed alias opiniones de hujusmodi ſimilitudinis cauſa qui videre cupit, recurrat ad *Pariſan.lib.*3.*Nobil.exerc.de ſubtil.exerc.*4. ubi & aliarum confutationes & ſuæ ipſius explicationem & comprobationem habet, quæ vult ſimilitudines in parentum corporibus animato ſemini impartitas, ac adumbratas emergere, hoc eſt, ſemina ipſa parentum ſecum ferre naſcituri fœtus figuram, easque figuras invicem miſceri, ita ut caput capiti, brachium brachio, pes pedi inferatur, nimirum quia ſemen ab omnibus corporis partibus ſpermaticis decidit. Sed non eſt præſentis loci, hanc, & alias opiniones exquiſitè, ut oporteret, examinare, cùm multò amplius volumen ad hanc tantùm perpendendam requiri exiſtimem, quæ nova eſt, & multa continet è directo communiſſimis Doctorum opinionibus adverſantia.

6 Nos videamus jam, quas difficultates prædictæ opiniones patiantur, ac primò examinemus *Hippoc.* ſententiã. Si ergo ſimilitudo ab exuperantis ſeminis multitudine & virtute fiat, filii ſemper naſcentur patri ſimiles: nam ſemen paternum non modò virtute, ſed etiam quantitate maternum ſemen exuperat, ut Gal. docet *in lib. de ſem. & decimo quarto de Uſu part. ca.*10. *claſ.*1. Ad hoc tamen dici poſſet; ex ipſius Hipp. opinione, paternum ſemen continere ſemen non maſculeum ſolùm, ſed fœmineum; itaque poterit coadjuvare potiùs ſemen maternum in aſſimilando fœtu, ſaltem quoad ſexum.

Secundò, mares ſaltem ſemper deberent eſſe pa- 7
tri ſimiles, cùm conſtet marem à virtute, & quã- 8
titate exuperantis maſculini feminis procreari; licèt huic quoque dubitationi facilè eſſet reſpondere 9
Hippocrati, qui tàm à mare, quàm à fœmina maſculeum ſimul, & fœmineum ſemen decidi tradit, ut declarat *loco ſuprà citato*, & probat abundè Taurell. *contra Ceſalp. dom. lib.*5. *q.*2. *part.*3. hoc enim pacto facilè evenire poteſt, ut mas interdum genitrici, fœmina genitori aſſimiletur.

10 Tertiò, ſi illud veritatem haberet, nullo modo contingere poſſet, ut natus alteri perſonæ, quàm uni ex parentibus aſſimilaretur, cùm ex iis ſolummodò tota ſeminum materia fuerit deciſa: at ſimilitudo non eſt ſolùm inter filios, & parentes, ſed 11
inter nepotem, & avum, aut aviam, & inter eundẽ, & amitam, vel avunculum, vel patruum, vel materteram, vel conjunctam aliam quandam perſonam, & inter fratres ipſos, quæ etiam cæteris eſt frequentior, quinimò & inter ignotas perſonas, ut inter Alexandrum, & Pyrthum fuiſſe, auctor eſt 12
Plutarchus *in Pyrrho*, & inter alios, de quibus alii, & quod plurimum fert, inter homines, & bruta, imò etiam & inter viventia animalia, & plantas, neque quicquam inter unam, & aliam ſimilitudinem intereſt, niſi ſecundùm magis & minùs, & quod inter individua magis peculiariter conſideratur, inter ſpecies verò magis genericè, & univerſaliter; ſed & hujus, & illius unam, eandemque cauſam aſſignari neceſſe eſt, ita ut ſimilitudo particularis, & individualis particularem quidem habeat cauſam; univerſalis autem, & ſpecifica univerſalem, ſed particularis ad univerſalem referri, & cum ea convenire debet; ut elementa cauſa quidẽ univer- 13
ſalis ſunt, ac materialis omnium corporum mixtorum, eadémque cauſa particularis, & materialis ſunt hujus & illius mixti, ut patet. Cùm itaque cauſa ſimilitudinis ab Hipp. aſſignata non habeat 14
relationem ad cauſam quandam univerſalem, quemadmodùm ſimilitudo ipſa individualis habet relationem ad ſimilitudinem ſpecificam, ac genericam; imò neque poſſit cuicumque individuali ſimilitudini convenire, ut ei quæ eſt inter fratres, aut ignotas perſonas, concludendum eſt, non eſſe eam veram ſimilitudinis cauſam.

Sed & *Galeni* opinio ſequentes patitur difficulta- 15
tes; nam primò, & cùm ſubjectum ſimilitudinis ſint 16
exteriora membra, & hæc omne argumentum tan- 17
quam ex propria materia ex ſanguine materno habeant, ſi ponamus ſanguinem illum habere vim effectivam, jam omnis fœtus matri tantùm aſſimilabitur, nunquã autem patri, & multò minùs cuilibet alteri perſonæ, quia vis illa ſanguinis effectiva figurabit exteriora mẽbra effigie illã, quam habet ſubjectũ, unde deciſus ſanguis eſt; quanquam enim volumus, etiam ſemen virile ut materiam concurrere ad horum membrorum plaſmationem, tamen, quia maximè ſuperatur à ſãguine, teſte Gal. *ib.* & ejus vis effectiva, ac formatrix ſemper coadjuvabitur à vi effectiva ipſius mulebris ſeminis, ut idẽ Gal. *ib.* fatetur, non aliter evenire poterit, quàm ut fœtus ſemper ſimilis naſcatur matri: cùm, inquam, & materni ſanguinis, & ſeminis itidem materni effectiva vis facilè vim ſeminis paterni adæquare, ac etiam exuperare ſimul juncta valeat, & alia ex parte multò copioſior, ac penè tota generationis exteriorum præcipuè membrorum materia à matre proficiſcatur, Fenel. *Phyſiol lib.*7. *cap.*12.

Vel ſaltem ſi pares vires ſortiri velis vim effecti- 18
vam virilis ſeminis, cum effectiva vi tam ſeminis, quàm ſanguinis muliebris, fœtus ſolũmodò patri, aut matri ſimilis ſemper evadet, nunquam autem vel fratri, vel avo, vel aviæ, aut hujusmodi alicui perſonæ ſibi ſanguine junctæ, aut etiam ignotæ: nam & experientiâ conſtat, ut ex hiſtoriis quãplurimis relatis, & in unum recollectis per Gratian. 19
*Diſcept. For. c.*567. *à n.* 41. *ad* 61. *Tom.*3. & ex Medicis per Nancel. *loco aliàs cit. lib.*10. *probl.*5. & ex Plinio habemus, multas extraneas perſonas inter ſe ſimillimas extitiſſe: quod quâ ratione contingere potuerit, in hac ſententia explicari non poteſt.

Præterea cùm ſimilitudo non ſolùm conſideretur reſpectu externæ effigiei, ſed etiam reſpectu 20
animi, & morum, ut latiùs, Deo favente, infrà demonſtrabimus, etiamſi concedamus, vim effectivam poſſe aſſimilare fœtum in externa effigie, tamen in hac ſententia nunquam demonſtrari poterit, quomodò filius ex ea vi effectiva ſeminis, patri, aut matri, aut cuilibet alteri ſimilis quoad mores generatus ſit; neque enim dici poteſt, vim 21
illam effectivam animũ effingere ac efformare, ſiquidem illa in materia fundatur, animus autem immaterialis eſt; non eſt ergo, neque eſſe poteſt vis 22
effectiva adæquata, ac prima ſimilitudinis cauſa.

Poſterior denique opinio, quæ & magnorũ virorum eſt, & omnium communiſſima, multò etiam majores, quàm cæteræ omnes, patitur difficultates: nam ſi virtus hæc aſſimilandi eſſet propria *ipſius imaginationis, jam & virtus formatrix* eſſet etiam

23 ipſius imaginationis propria;ejusdem enim virtu-
24 tis eſt formare,cujus eſt ſub hac,aut illa conditione formare. Exempli gratia, ejusdem virtutis eſt formare naſum,aut oculum,cujus eſt formare naſum grandem, aut oculum parvum: neque enim dici poteſt,unius virtutis eſſe formare naſum, &
25 alterius eſſe formare magnitudinem naſi: neceſſariò enim virtus efformans ſub aliqua conditione efformat. Itaque tam virtus formandi,quàm aſſi-
26 milandi erit propria ipſius imaginationis,quod an eſſe poſſit,& an abſurditatem aliquam contineat,
27 videant qui hanc ſententiam tuentur. Ex hoc enim concedere coguntur,quòd & ab imaginatione ipſa dependeat, ut fœtus ſit mas, aut fœmina, quin etiam & ut homo ſit quoad figuram, aut equus,non autem camelus,aut aſinus,quippe cùm hæc omnia à ſola formatrice virtute dependere videatur, quam illi imaginationis eſſe propriam, omninò ex ſuperioribus concedere debeat.

28 Hinc etiam & illud ſequi neceſſe eſt,quòd animal,quicquid volet gignere,poterit,non quod Na-
29 tura intendit: nam cùm Imaginatio libera quædã facultas ſit, & poſſit pro arbitrio varias rerum ſpecies,ac ideas ſibi effingere, jam ſi vim illa effectivam aſſimilandi, ac formandi eſſe velis penes ipſam,fœtum aſſimilabit cuicũque ſpeciei libebit; & ſi natura intendet,exempli gratia,generare marem, quia principia generativa calidiora, & fortiora ſunt,imaginatio ex idea fœminæ præſentata fœtum fœmineum procreabit;& ſi Natura intendit aſſimilare fœtum patri, imaginatio intendens generare fœtum cuidam picturæ ſimilem,opus naturæ impediet,& generabit picturæ ſimilem, & ſic imaginatio erit ipſa Natura potentior.

Ruet prætereà Axioma illud omni veritate ve-
30 rius,quòd omne generans generet ſibi ſimile:nam
31 imaginatio mille phantaſmatis de momento ad
32 momentum occupatur,nec generantis imago præ aliis ſibi obverſatur, & quanam obſecro ratione axioma hoc verificatur,ſi mulier ex imaginatione, ut volũt plurimùm non ſibi ſimilem,ſed alteri genera?Imò mas ipſe quomodò ſimile ſibi generare poterit, ſi aſſimilandi victus ab imaginatione dependet,& nullam ejus imaginatio in aſſimilatione
33 aut generatione partem habere poteſt? Sed cùm,ut dixi,imaginatio vaga ſemper ſit, & de momento ad momentum in diverſa rapiatur,nec ſemper circa unam eãdemque ideam verſetur,nam ab externis ſenſibus, & à viſu præſertim,plurimũ diſtrahitur, oporteret,ſi ſimilitudo ejus effectus eſt,ut alterum ex his veritatem habere diceretur, vel illam momento fœtu aſſimilare,vel toto geſtationis tempore in illum agere;neutrum autem dici poſſe notius eſt, quàm ut pluribus à me demonſtrari poſſit.

34 Patitur etiam & hæc ſententia,præter commemoratas difficultates,& aliàs,de quibus infrà,etiã
35 eas,quas pari diximus priores duas opiniones: nã cùm nihil offeratur imaginationi,quod ab externo ſenſu non habeat,fœtus non poterit generari ſimilis,niſi ſpeciebus ipſi imaginationi oblatis;at videmus natum aliquãdo avo,aut proavo ſimilem,cujus effigies mulieri poteſt aliquãdo non fuiſſe nota; ſed videmus etiam fœtus,ut dixi,naſci ſimiles extraneæ cuidã perſonæ, quæ nèque de viſu, neque de nomine cuilibet ex parẽtibus nota fuit,& cujus ſpecies nõ potuit alterutrius imaginationi offerri.

Prætereà quanam ratione poſſit imaginatio habere locũ in ſimilitudine,quæ penes plura individua pluribus comparata reſidet,ut gentis ad gentem,aut ſpeciei ad ſpeciẽ, ego profectò non video: unde Viar.*l.2.de Faſc.c.7.* latè probat, imaginationem nihil quicquam ad ſimilitudinem conferre.

Quin etiam & id,quod diximus contra *Galeni* 36
ſententiam,multò magis locum habet in hac opinione,quoad moram,& animi ſimilitudinem,quia imaginationi ſolùm eæ rerum ſpecies offerantur, 37
quæ ab externis ſenſibus ſibi præſentantur; non poteſt ergo agere in ea,quæ ſolo modo non cognoſcit: at imaginatio mores,& animum non cog- 38
noſcit, neque illi ſpecies aut imago aliqua tale quid repræſentans offerri poteſt.

Denique cùm ſimilitudo natorum non ſolùm 39
reperiatur in perfectis animalibus, ſed multò evi- 40
dentior appareat in imperfectis, imò etiam & in ipſis vegetabilibus mixtis, debet in omnibus una eademque cauſa aſſignari,quæ tamen imaginatio eſſe non poteſt. Alia ergo magis propria, & adæquata, omnibusque rebus communis, invenienda ſimilitudinis cauſa eſt:nam præter ea, quæ contra prædictas ſententias ſuprà adducta ſunt,multa eſſent,quæ inſuper adduci poſſent,quæ tamẽ brevitatis cauſâ omittũtur.Multa tamen videri poſſunt contra hanc poſteriorem opinionem apud Var.*l.2. de Faſc.c.7.* Erat prætereà adducenda,ac examinanda Ariſt.opinio,quam ille longioribus recitat,*4. de gener. Anim.c.3.* Sed quia fortaſſe cum eâ una eademque eſt quæ ponit,ſimilitudinis cauſam eſſe *formatricem facultatem* (licèt motus quosdam in ſemine poſuerit,ex quorũ varietate, ſimilitudinum etiam varietatẽ oriri voluit) de ea nunc pluribus agere non libet; aliàs autem de hac materia peculiariùs agere,ſi Superi annuant,in animo fixi meo,ac tũc quidem ex profeſſo Ariſtotelis opinionem examinare,ac diſcutere conabor;interim ne Legumperitis longâ rerum ſpeculatione nauſeam pariã,paucis his illam tetigiſſe ſatis eſto. Hoc tantùm addo, eam facillimè confutari poſſe,quia ponit,ſimilitudinem eſſe quid per accidens,cùm tamen ex natura intrinſeca agentis proveniat;nam ponens,quòd ſemper patris ſemen ex ſua natura debeat ſibi aſſimilare natum,quandocunque ab hoc motu deficit, & reaſſimilat matri,avóque,per accidens fit.Licèt autem ita ſe res habeat, tamen Bald *in l.Hippocr.de Aq.Aër.& Loc.* hanc *Ariſtotelis* ſententiam aptare ſtudet ipſius *Hippocratis* opinioni, ex eo, quòd quemadmodum Hippocrates voluit ſimilitudines inter homines aliquarum regionum inter ſe variari, ob multa ipſi ſemini advenientia ab extra, nempè aëre; ſic & Ariſtoteles in ſeminibus conſideravit variòs hujusmodi motus,ex quibus variari ſimilitudines voluit. Sed in tantùm differt Ariſtotelis ſententia ab Hippocratica,in quantum Hippocrates externa qui ſeminibus accidunt, conſideravit ut cauſas diſſimilitudinis hominum inter ſe; Ariſtoteles verò motus,quos in ſeminibus finxit, voluit eſſe cauſas ſimilitudinis nati ad avos,& proavos,vel transverſales, unde poſitivè concurrere ad hanc ſimilitudinem contendit, negativè verò ad diſſimilitudinem parentum. Sed vide quæ contra hanc Ariſtotelis ſententiam affert Pariſan. *Nobil. exercitat de ſubtilitat.lib.3.exercitat.4.cap.1.*

SUMMARIUM.

1 *Similitudo triplex.*
2 *Similitudo ſpeciei qua.*
3 *Similitudo ſexus qua.*
4 *Similitudo effigiei qua.*
5 *Similitudo effigiei duplex, & num.* 8.
6 *Similitudo accidentalis qua.*
7 *Similitudo individualis duplex.*
9 *Similitudo interna qua,*

10 *Similitudo interna duplex.*
11 *Similitudo consideratur respectu multarum rerum.*
12 *Naturaliter filii nascuntur similes parentibus.*
13 *Similitudo respectu morum & animi consideranda.*
14 *Similitudo respectu sanitatis & morbi consideranda.*
15 *Similitudo est quid relativum.*
16 *Ab accidenti esse non potest, quod ut plurimum eadem ratione fit.*
17 *In similitudine aliqui gradus considerandi.*

De differentiis similitudinum, earúmque causis.

QUÆSTIO II.

1 TRiplex considerata est similitudo à Gal. *loco jam sæpiùs citato de sem. lib.* 2. à Fernel. *Physiol. l.*7.c.11.ab Andr.Laut *Anatom.lib.*8.*q.* 10.& ab aliis. Priorem dixerunt esse *similitudinem speciei*, quâ animal nascitur simile parentibus in specie, & ob
2 quam,homo generat hominem, & equus equum. Secundam posuerunt esse similitudinem *sexus*,quâ animal præter id,quòd simile nascitur parentibus
3 in specie,simile etiam nascitur in sexu,& eâ similitudine habet,ut mas,aut fœmina nascatur. Tertiam similitudinem denique eam esse firmarunt, quâ non solùm in specie,& sexu,propriis parentibus simile oritur, sed etiam in *externis delineationibus*, & faciei præcipuè effigie,ut si ex patre staturâ procerâ, capite magno, capillitio rufo, oculis prominentibus,naso aduncо,pectore amplo,& hujusmodi,filius nascatur quam proximè ad hunc habitum & effigiem accedens,& eodem modo ex matre pusilla,capite parvo, capillitio nigro,oculis remissis, facie, & pectore angustis, & hujusmodi, filia nascatur simili dotata effigie.

5 Sed *Andr. Laur.* accuratiùs ea,quæ ab aliis conscripta erant, considerans, ultimam similitudinis speciem subdivisit in *naturalem*, *accidentalem*, & *causam naturalis voluit esse formatricem facultatem*,quæ
6 nisi impediatur,semper fœtus formabit parentibus similes ob vim ipsis seminibus insitam, & pro alterius seminis virtutis exuperantiâ alteri ex parentibus magis assimilabit. Sed *accidentalem similitudinem* ab imaginatione omnem habere voluit causam quæ vim formatricem seminum, quæ naturalis causa est,ex ipsius sententia, ut dixi, ab opere deviat, ac imagini sibi præsentatæ similem formare fœtum illam cogit.

7 Ego individualem hanc,& posteriorem similitudinis speciem duplicem considero, *externam & in-*
8 *ternam*:externa per se ipsa nota est,& notior quo-
9 que ex sequentibus fiet, & hanc ipsam cum *Laurentio* in naturalem,& accidentalem subdivido, de quibus proximè diximus.Internam verò similitudinem eam esse dico, quâ animal simile nascitur, aut progenitoribus, aut cuicunque alteri personæ in interno temperamento,aut totius,aut partis:ut si ex patre temperaturâ calidiori filius etiam calidiori temperaturâ præditus nascatur, & ex matre frigidiori filia temperaturâ frigidiori edatur.

10 Et hæc quidem similitudo dupliciter,ut annuebam,considerari debet:nam aliam dicam eam esse, quæ ex temperamento totius provenit,aliam eam, quæ temperamentum peculiare partium consequitur, ad priorem, similitudinem externam totius,ad posteriorem, partium similitudinem consequi existimo, ut in sequentibus patefaciam.

11 Præter hæc autem similitudinem considerandam censeo respectu multarum rerum, & inter multas res, ac plura individua, non autem solùm inter parentes,& liberos,ut jam suprà annuimus: nam consideratur primò similitudo respectu effigiei ut patre existente facie amplâ, colore rubicundo, staturâ procera,& filio nascente facie item ampla, colore rubicundo, & statura procera : hæc similitudo erit effigiei, ad quam solummodò respiciens Hesiod. *lib.* 1. *oper. & dier.* dicebat,

Non enim similes promittunt filios adulterini lecti. 12

Naturaliter enim filii nasci debent similes parentibus, etiam in effigie externa, ob rationes, de quibus infrà.

Secundò consideranda, ut dixi, similitudo res- 13
pectu morum, & animi, ut si ex patre bono, miti, misericordi, justo, temperato filius nascatur bonus,mitis,misericors,justus, temperatus, & è contrà ex patre malo,impio,immisericordi,injusto,intemperato,filius nascatur malus,impius,immisericors,injustus,intemperatus. Iuven. *Sat.* 14.

Quandoquidem similem tibi se non corpore tantùm,
Nec vultu dederit, morum quoque filius.

Lucr. *lib.* 3.

Denique cur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur? dolis volpibus & fuga cervis
A patribus datur, & patrius pavor incitat artus?

ad quam animi similitudinem respiciens Horat. *lib.* 4. *Carm. od.* 4.eam protulit sententiam :

Fortes creantur fortibus, & bonis :
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus : nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Facit pro Jurisconsultis *l.Quod si nolis, §.qui mancipia ff.de Æd.*Glos.*in v.infamata.*Contrariam tamen huic sententiam,ad hanc ipsam animi morúmque similitudinem respiciens protulit Homer. *Odyss. libro* 2. dicens. 14

Pauci enim filii assimilantur patri.
Plures pejores, pauci autem patri meliores.

ex bonis tamen bonos nasci, docet Arist. *Magn. Moral. lib.* 3.

Tertiò denique considerari potest similitudo,& convenientia unius cum altero respectu sanitatis, & morbi : nam constat experientiâ, & testatur etiam Hip. *in lib. de morbo. sacr. post princ.* ex paren- 15
tibus morbosis filios progigni morbosos, ex sanis sanos : si enim,inquit ipse,ex pituitoso pituitosus, ex bilioso biliosus oritur, ex tabido tabidus,ex lienoso lienosus, quid vetat ut cujus parentes hoc (sacro) morbo detinentur, eo quoque & posteriorum aliqui capiantur?

Addendum his, quòd similitudo, cùm sit quid relativum. Plat.*in Parmenid.* non magis dicit relationem filii ad patrem,aut è converso,quàm fratris ad fratrem, consanguinei ad consanguineũ,extraneæ personæ ad personam quoq; extraneam speciei ad speciem,uniusq; cujuslibet rei ad aliam;ac de omnib. hisce naturalis,& adæquata causa venit investiganda:neque etiam fieri potest,quòd si à Natura esse dicimus,filiũ nasci similem parentib.quia ut plurimùm eo modo se res habet,negemus,à Natura esse,fratrem fratri,consanguineum consanguineo,personam personæ,speciem speciei, esse similem,cùm & id ipsum semper una eademq; ratione 16
fieri videamus,neque enim esse ab accidenti potest, quod ut plurimum eodem modo fit,& non aliter, ut quòd homines unius regionis sint magis inter se similes quàm cùm aliis comparati, quòd una species alteri magis conveniat,& sic de singulis.

Tandem cõsiderandi sunt(hoc enim ipsa rei na- 17
tura dictat) similitudinis majoris,& minoris gradus aliqui;nam speciei similitudo ad speciẽ minor est,quàm individui ejusdem speciei ad illud indi-

viduũ diversæ, quàm individui ad individuũ ejusdem regionis; major individuorũ quæ inter se cognata sunt, quàm quæ non sunt cognata; omniũ maxima parentũ cum filiis, fratrum cum fratribus, & hujusmodi. Distantia ergo, & conveniẽtia similitudinis etiam consideranda, nam & in causæ ejus similitudinis investigatione non minimum operabitur, de qua jam, annuente Deo, dicere paramus.

SUMMARIUM.

1 *Similitudo ex Platone quid.*
2 *Simile tunc aliquid fit cum idem fit.*
3 *Simile non est idem*
4 *Similea sunt idem in qualitate.*
5 *Simile propriè quid dicatur.*
6 *Similitudo & dissimilitudo possunt inter quamcumque rem considerari.*
7 *Similitudo externa quid.*
8 *Dissimilitudo quid.*
9 *Similitudo interna quid.*
10 *Similitudo speciei unde.*
11 *Temperamentum idem est, ac Natura, & n. 13.*
12 *Non omnia ex omnibus fieri possunt.*
14 *Similitudo sexus unde.*
15 *Senes & pueri fœmellas generant, & cur.*
16 *Similitudinis externa causa.*
17 *Temperamenta quomodo causent similitudinem.*
18 *Filii parentibus cur facillimè nascuntur similes.*
19 *Fratres inter se multò magis similes, & cur.*
20 *Causa quo magis inter se similes, eo magis inter se similes effectus producere possint.*
21 *Similitudinis gemellarum causa qua.*
22 *Nævi cur aliquando aves, aut majores referant.*
23 *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*
24 *Homines unius regionis magis inter se similes, & n. 26.*
25 *Seminis forma non potest in alia re cum regione convenire, quàm cum temperie.*
27 *Similitudo animi & morum in filiis.*
28 *Mores animi à corporis temperatura.*
29 *Ubi similes mores conspiciuntur, similis temperatura corporis argui potest.*
30 *Quomodo filii parentibus similes sint in moribus & in morbis, tamen dissimiles sint in temperamento.*
31 *Temperamentum respectu totius & partium considerandum.*
32 *Accidentalis similitudo unde.*
33 *Imaginatio per accidens interdum causat similitudinem.*
34 *Natura cum Pictore comparatio.*
35 *Plato jubet, quòd filiis operam dantes imaginatione etiam ad opus concurrant.*
36 *Platonis cum se ipso contradictio.*
37 *Plurimùm parentes optimi & sapientes, cur malos & insipientes generent.*
38 *Omis actio spiritibus eget.*

Quid sit simile, quid dissimile, ac de vera & & adæquata similitudinis causa.

QUÆSTIO III.

1 PLato *in convi. orat.* 2. definiens similitudinem, dicebat, eam nihil aliud esse, nisi *Naturam quandam eandem in pluribus*: unde *in dialogo, qui Theætetus,* 2 *vel de Scientia* inscribitur, simile tunc aliquid fieri dicebat, cùm idem fit, in his verbis: *Si quid ergo simile alicui fieri contingit aut dissimile, sive sibi ipsi, sive alii, dum quidem simile fit, idem fieri dicimus, dum verò dissimile, aliud.* Idemq; Plato *in Parmen. v. med.* Simile dicebat, est, cui idem quiddam accidit, & illud etiam, quod idem esse recipit, simile fit. Sed tamen 3 tritum est apud quoscunque, simile non esse idem tradunt ipsi DD. Glos. *in l. in duob. §. Ubi duo ff. de duob. reis* Bart. *in l. Quod Nerva. ff. de depos. n. 2.* & ex nostris Gal 3. *de simpl. Med. fac. c. 25 el. 5.*

4 *Aristot.* ergo 5. *Metaph. c. 9.* declaravit, quanam ratione simile idem fit, dicens, similia idem esse in qualitate; ex quo acceperunt etiam Jurisperiti; Alber. *in dict. in verb similia.* Si ergo ad qualitatem respiciamus, in qua similia conveniunt, sunt profectò idem: sin autem ad substantialem identitatem, nequaquam sunt idem, ut exempli gratiâ: Petrus est idem cum Paulo in hoc, quòd utriq; in proportione membrorũ, statura, & habitu corporis, in colore, in effigie conveniunt: non sunt autem idem, quia Petrus & Paulus duo individua sunt, & unũquodque per propriã, ac substantialem formam ita constituitur in esse, ut inter se omnino differant, neque unũ sint. Quicquid ergo, ex Arist. sentent. cum aliqua alia re in qualitate cõvenit, simile illi rei dici potest. Homo est similis cuilibet alii homini secũdùm effigiei qualitatem & secundùm eandem est etiam similis simiæ, vel simia est similis illi, secundúmque alias corporis delineationes, & qualitates, etiam cum brutis aliquo modo convenit, imò etiã & cum ipsis plantis, & cum quacũque re: nam inter quamcunque rem potest & similitudo & dissimilitudo considerari, ut firmat Plat. *in Parmen.* simi- 6 litudo penes ea, in quibus una cum altera convenit, dissimilitudo penes ea, in quibus disconvenit.

Similitudo ergo *externa*, de qua præ cæteris hic 7 agimus, est convenientia quædam inter duos aut plures homines, aut inter hominem & brutum, aut 8 inter animal & animal, aut inter rem & rem, quoad externas delineationes, & corporum dispositionem; dissimilitudo verò disconvenientia ejusdem rei est inter eadem. Hujus similitudinis causam investigaturus, ante de causis cæteratum similitudinum, de quibus suprà egi, perquirere, ac determinare ex propria sententia necesse est. Priorem ergo 9 similitudinis speciem, quam internam esse dixi, posuique esse convenientiam temperamentorum, subsequentem habere causam puto: Similitudo est quædam qualitas relativa, consequens ad ipsam rerum essentiam: positis enim duobus mixtis, quæ in calore conveniant, hæc erunt quidem similia inter se quoad hoc, quod ambo calida sunt. Hæc igitur convenientia potest vel ex accidenti esse inter duo corpora, vel ex sua natura; per accidens est, quòd extranea qnædam persona similis alteri sit: ex natura est, quòd homines unius regionis inter se similes, quòd filii parentibus, quòd fratres fratribus similes nascantur.

Similitudo ergo *interna* non nisi à convenientia nativi coloris in prima seminum materia subjectati originem habet, quippè cùm ob eam cõvenientiam & non ob aliud, similia dici possint duo individua, quæ in quodam caloris, aut frigoris, aut humiditatis, aut siccitatis gradu in eorum temperatura conveniunt, Nativus ergo calor, qui dat huic individuo, ut calido, aut frigido sit temperamento, pro ejus innata temperie, dat etiam quatenus magis in gradu caloris accedit ad gradũ caloris alterius individui, ut magis huic individuo simile sortiatur temperamentũ, quàm cuivis alteri.

Speciei porrò similitudo non aliundè esse potest, 10 quàm à temperamenti primæ materiæ, ex qua animalia generãtur, similitudine: neque enim dubitari potest, quin substantia illa prima, ex qua animal oritur, à suo temperamento, quod idem est ac Na- 11 tura ipsius rei, ad suspiciendã magis hanc, quam illam formã determinetur: ex eo enim, & ob illud ipsum temperamentũ introducũtur proximæ dispositiones in tali substantia ad suspiciendã magis 12 hanc, quàm illã formã: nam non ex omnibus omnia fieri possunt. sed ad id, quod suæ naturæ magis vicinũ est, facilior est rebus naturalibus trãsmutatio, Gal. 1. *sem. capite* 11. Naturæ autem vicem gerere, 13 imò esse ipsam Naturam substantiæ temperiem jam diximus, & testatur Gal. 3. *de Temper. c. 4. aliis* 1. *alibi sæpè.* Simili ergo existente Naturâ, hoc est, temperamento seminum, ex quibus constant, similia ex necessitate nascuntur individua in specie ipsis progenitoribus, qui ex eadẽ materia quoque

constant,

conſtant. Quatenus igitur ea Natura, ac temperamentum in individuis conſideratum, cõvenit cuidam Naturæ,ac temperamento in univerſali cõſiderato,prout toti ſpeciei cõvenit, efficit individua ſimilia inter ſe in ſpecie. Ut exẽpli gr. Natura,ſeu temperies hominis eſt contemperatio calidi &humidi, frigidi,& ſicci, ita ut vix unũ ab alio ſeparetur:Natura verò equi eſt tẽperatio calidi in tribus gradibus,humidi,& frigidi in uno,ſicci in duobus: tunc ergo naſcitur homo ſimilis homini,& equus equo in ſua ſpecie,quia ſeminũ,ex quibus conſtãt, natura talis eſt,ut cum hac univerſali Natura convenientiam habeat,& ei ſimilis exiſtat;quæ tamen natura, quia univerſalis eſt, &pluribus individuis communicabilis:ita illis communicatur,ut ob ejus latitudinem una in univerſali conſiderata exiſtens multiplex efficiatur in particularibus ſubjectata.

14 Non diſpar ratio,ſed eadem prorſus eſt ſimilitudinis ſexus:nam univerſalis illa Natura cui omnia individua conveniunt, bifariam conſiderata,prout mari,aut fœminæ in univerſali ſumptis cõmunicari poteſt,& in calore,aut humiditate excedere, vel deficere,in cauſa eſt quòd ſi in calore deficiat, excedat in humiditate.fœmina,ſi cotra excedat in calore,deficiat in humiditate ; mas naſcitur:ita ut ſimilitudo temperamenti ipſorum ſeminum,& nõ aliud ſimilitudinem ſexus cauſare poſſit. Elicitur

15 ejus rei veritas ex Hipp. *in lib. 1.de Diæt.*ubi voluit, quòd excedente maſculeo ſemine,aut fœmineo, mas vel fœmina procreetur:pro maſculeo enim ſemine calidius & ſiccius, pro fœmineo frigidius & humidius intelligi voluit,ut ipſe ſe ipſum declarat *in lib. de Genit.* & docet Avic. 21. 2. *tract.*1. c.2. qui etiam hoc ipſum evidentiùs probat experientiâ *libro* 18. *de Anima.* exemplo puerorum, & ſenum, qui cùm ſemen frigidius & humidius habeant,fœmellas ut plurimum generant, cõtra eveniente de cæteris ætatibus, (quantum ex parte ætatis eſt) in quibus ſemen calidius dimittitur. Quemadmodùm igitur tam ſimilitudo ſpeciei, quàm ſimilitudo ſexus ab uno eodémque opifice emanat,ita etiam & externam ſimilitudinẽ non alium habere

16 auctorem cenſeo:nam ſicuti ſimilia evadunt individua inter ſe in ſpecie,prout cõveniunt univerſali temperiei, ex qua ſpecies conſtat, & dehinc ſimilia evadunt in ſexu,prout eidem Naturæ in exceſſu, aut defectu caloris & humiditatis conveniunt ; ſic & non aliter ſimilia inter ſe individua evadunt, prout una temperies alteri magis convenit, & ex hoc individua ſimilia inter ſe evadunt ſimilitudine interna ; externa verò ſimilitudine conveniunt, ſi etiam partium hujus,& illius temperies inter ſe conveniat, ut jamjam demonſtrabimus.

Etenim cuinam dubium eſt, quòd eæ qualitates corporis omnes, ex quibus ſimilitudo reſultat, à temperamento non ſint? Membrorum magnitudo & parvitas,bona aut mala eorũ conformatio, craſſities,tenuitas rectitudo,tortuoſitas,aſprities, lenitas,depreſſio,elevatio,color,cutis,capillitiũ, & cætera omnia,non niſi à temperamento primarũ qualitatum ſunt,quin &hæc ipſa in temperamenti in-

17 terni cognitionẽ nos deducere,omnes Medici fatemur.Calidũ ergo,exempli gratiâ, temperamẽtum tam in hoc,quàm in illo individuo, caput efficiet magnum,oculos prominentes, faciem rubicundã, naſum aduncũ,capillos ruſſos,&quo magis in gradu caloris temperamentum utriuſque capitis convenit,eò magis ſimilia inter ſe capita effinget;quin etiam & utrumque individuum efficiet loquelâ promptum,in actionibus præpetem, iracundũ,audacẽ,& hujuſmodi; cõtra verò dominante frigido, (quia materiam hoc conſtringit,ſicuti calidum dilatat)caput efficiet parvum,oculos remiſſos,faciem anguſtam, naſum ſimum, capillos demiſſos ac nigros, hominem loquelâ tardum, in actionibus ſegnem,non facilè iraſcibilem, timidum,& hujuſmodi, quod tam in hoc, quàm in illo individuo efficiet, quo magis unius temperamentũ in gradu caloris aut frigiditatis cum altero conveniet : & cùm hoc temperamentum & in toto, & in parte, ut diximus, conſideretur,quodcunque alteri aſſimilabitur aut totum,aut partem ſimilem efficiet.

Facillimè ergò *filii ſimiles naſcuntur parentibus*,quia cùm ex eorum ſemine conſtent, ſimiles ipſos ſor- 18
tiri temperaturas neceſſe eſt, quin fratres multò frequentiùs ac magis inter ſe ſimiles,quàm parentibus eſſe ſolẽt,quia cum alterutro ex parẽtib.non adeò in temperamento conveniunt, ut conveniũt inter ſe, quippè cùm ex utriuſq; parentis ſemine tertia quædã natura,ac temperies exiliat,cum qua ipſi parentes interdum parum aut nihil conveniũt, multùm tamen fratres inter ſe:quod quidem,tunc 19
evenit cùm pariter calidũ unius patitur,& agit in alterum,& ita miſcentur,ut unum aliud cõtemperans,tertiam, ut dixi,naturam quandam efficiant, & tunc filii diſſimiles poſſunt eſſe utriq; parenti : tunc filii diſſimiles poſſunt eſſe utrique parenti : quod tamen ratò accidit,& idcircò ratò in totum diſſimiles à parentibus filii naſcuntur.Imò Ariſt.4. *de Gen. Anim. c.* 3. eum qui ſuis parentibus ſimilis non eſt, monſtrum quodammodò eſſe dixit.Quò 20
magis enim cauſæ rerum opifices inter ſe ſimiles exiſtunt, eò magis inter ſe ſimiles effectus produce poterunt:at filius cum patre convenit quidẽ ex una tantùm parte,cum fratre autem ex pluribꝰ quia fratres ex iiſdẽ prorſus feminibus orti, ex eodem ſanguine nutriti,iiſdem locis concepti ac foti ſũt quod nõ ita evenit de parentibus. & filiis inter ſe:quod quidẽ maximè conſpicuum ſit ex gemellorũ ſimilitudine cæteris multò admirabiliori, quàm aliquando etiam proprios decipere parentes compertũ eſt,ut apud Plaut.*in Menechmis in prologo*:

Ei ſunt nati filii duo gemini.
Ita ſimili forma pueri, ut mater ſua
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat, &c.

Et apud Virgilium *Æneid. lib.* 10.

Vos etiam gemini Rutulis cecidiſtis in arvis,
Daucia Laride, Thymberque ſimillima proles,
Indiſcreta ſuis, gratuſque parentibus error.

Et apud Torquatum Taſſum *Cant.* 9. *ſt.* 34.

Rimanean vivi ancor Pico, e Laurente,
Onde arrichi un ſol parto il genitore :
Simiſſima coppia, e che ſovente,
Eſſer ſolea cagion di dolce errore.

Etenim non aliam tam peculiaris ſimilitudinis 21
cauſã in gemellis aſſignat ipſe Hipp. quàm nos aſſignaverimus,*lib.* 1. *de Diæt.* inquiens, illud ex eo evenire quòq ex eodem ſemine concepti, eodem ſanguine nutriti, ac iiſdẽ locis foti, idem omninò, hoc eſt,ſimillimum nacti fuerint temperamentum.

Neque aliam ob cauſam fit, quàm ob temperamentorum cõvenientiam ac ſimilitudinem, ut fœminæ matribus,mares ut plurimum patribus ſimiles naſcantur,ut tradit Ariſt.7.*de hiſt. Animal.c.*5. & 4.*de Gen. Anim c.*3. & ex Jurisperit.Gratian.*Diſcept. Irreg. c.* 567. *n.* 56. *c.* 3.

His ergo ſic ſe habentib.mirũ non eſt natos ali- 22
quando avos,ac majores ſuos referre, quippè cùm mirum non ſit, eos tantiſper recedere à genitoris tempetamento,& magis accedere,ac convenire ad temperamentum avi, aut proavi,cum quo etiam

patris

patris temperamentum conveniẽtiam aliquam habebat; cùm enim pater, & cum filio, & cum avo convenientiam habeat, mirum non eſt, filium etiam cum avo convenire; nam quæ ſunt
23 eadem uni terio, ſunt eadem inter ſe, ut commune eſt axioma in Philoſophia.

Poſſunt inſuper hæc ipſa aliis argumentis roborari, nam homines unius regionis inter ſe ſimilitudine conveniunt, licèt alii aliis magis inter ſe ſimi-
24 les, ut Ægyptiis, & Scythis teſtatur Hipp. *in lib. de Aër. Aq & loc.* & de Thracibus, Græcis, Macedonib. & aliis populis Prolom. *lib. 2. de Jud. nat. c. 2.* at hujus ſimilitudinis cauſa non alia aſſignatur ab ipſo Hipp. quàm quia nulla corruptio in prima ſeminis conformatione accidit, quæ naturalem temperiem devaſtet; contra verò evenire de Europæis dicebat, qui maximè inter ſe diſſimiles naſcuntur ob id, quòd ex temporum inconſtãtia plures corruptiones circa ſeminum ſubſtantiam cõtingunt, quæ naturalem ipſorum tẽperiem labefactãt; ubi verò temperies illa ſimilis univerſali temperiei cõſervatur, ſimiles inter ſe naſcũtur homines: contra verò, ubi talis conſervari non poteſt.

Præterea idem Hipp. *in fin. ejuſdem Libri* ſeminum formas magnâ ex parte regionum naturam imitari affirmabat: at in nulla alia re poteſt ſeminis forma
25 cum regione convenire, niſi in temperie, & idcircò ita ipſe ſequitur, *Ubi terra pinguis eſt, & mollis, & aquoſa, aqua verò valdè ſublimes, ita ut æſtate ſint calidæ, hyeme frigidæ; quæque ad anni tempora propè habet, ibi homines carnoſi ſunt, articulis non diſcreti, humidi, labores non ferentes, & ut plurimum pravi animi: quin etiam ſegnes ſunt, & ſomnolenti, & ad artes craſſi, neque ſubtiles, neque acuti. Aſt ubi regio nuda eſt, non munita, aſpera quæque hyeme prematur, & ſole exuratur, ibi duros, graciles, articulis diſcretos, carnoſos, & hirſutos homines cernas,* & quæ ſequuntur. Vides ergo quàm exquiſitam corporum & animorum ſimilitudinem à naturali temperie cauſari doceat.

Sicuti ergo homines unius regionis ex tempe-
riei Naturalis ſimilitudine magis inter ſe ſimiles
26 exiſtunt: ita etiam & filios parentibus, & fratres fratribus, & cognatos cognatis ex eadem prorſus cauſa inter ſe ſimiles aſſerendum.

Accedit præter effigiei ſimilitudinem, etiam ſi-
27 militudo animi, & morum, quinetiam corporearum actionũ: videbis enim filios etiam in geſtibus, in loquela, in voce, in intuitu referre progenitores, aut fratrẽ referre fratrem: unde Neſtor apud Homer. *Ody lib.* 3. Telemachum alloquens, inquit:

— *Si verè*
Illius filius es: admiratio me habet intuentem,
Etenim verba ſimilia ſunt, neque diceres,
Virum juniorem adeò concinna fari.

Et *quarto ejuſdem* Menelaus Piſiſtrato,

Talis inquit, & patris es, qui & prudentia loqueris.

Non ſecus etiam Virg. *Æneid. lib.* 8. Evandrum introducit Æneam ita alloquentem:

— *Ut te fortiſſime Teucrûm,*
Accipio agnoſcoque libens, ut verba parentis,
Et vocem Anchiſæ magni, vultumque recordor.

Et Torq. Taſſ. *Cant. 3. ſt. 61.*

O quanto di ſembianti à lui ſimiglia
Se ben alquanto di ſtatura cede.
E Baldouin (riſponde) è ben ſi ſcopre
Nel volto à lui fratel, ma più ne l'opre.

Et Ovid. *Metamorph. lib. 2. de Horis:*

— *Facies non omnibus una,*
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Conſtat autem, & probatabundè Gal. *in lib. Quòd Anim. mor. corp. temp. ſeq. claſ.* 1. mores non aliundè hominem habere, quàm ab eademmet corporis
temperatura: ubi ergo ſimiles mores conſpiciun- 28
tur, ſimilem argui poſſe temperaturam corporum, non negandum: quod & in hominibus ejuſdem regionis manifeſtum ſit, quoſdam enim tempera- 29
mento calidiores, & ad aduſtionem vergente, ut Hiſpanos, animo videbis elato, ſuperbo; quoſdam ut Italos, cæteris magis temperatos, prudentes, & ſic de reliquis. Cùm ergò filii aſſimilentur parentibus, ut dixi, etiam in moribus, dicendum etiam in temperatura convenire, & ſimiles eſſe, & idcircò etiã in externa effigie illis aſſimilari.

Denique ex ſimilitudine ſanitatis, & morbi poteſt etiam argui temperamenti ſimilitudo, & ab hac ſimilitudo effigiei: nam parentes nonnullis morbis obnoxii filios eiſdem morbis obnoxios procreant, contra ſani ſanos generant; idcirco ut plurimùm epilepticus epilepticum, melancholicus melancholicum, lienoſus lienoſum, hepaticus hepaticum, calculoſus calculoſum, podagricus podagricum, & robuſtus robuſtum generat: quæ morborum, & ſanitatis ſimilitudo non aliundè provenire poteſt, ut mihi videtur, quàm à Naturali partium temperie, aut intemperie.

Objices tamen, multos iiſdem animi moribus do- 30
tari ac iiſdem morbis, quibus parentes tentabantur, obnoxios eſſe, tamen faciei ſimilitudinem nullam habere, & contra multos in facie alterutri ex parentibus aſſimilari, tamen toto cœlo à temperamento parentum diſtare. Reſpondeo, quòd, 31
ſicuti ſuprà etiam annuimus, temperamentum conſiderandum eſt reſpectu totius, & reſpectu partium, atque hac ratione quomodò in moribus aliquando natus ſit parentibus ſimilis, in effigie diſſimilis, in una parte cum uno, in altera cum altero conveniat, facillimè reperies: ſiquidem ſi temperamentum totius habebit ex patris ſemine, aſſimilabitur patri in moribus, & animo; in capite tamen poterit prævalere aliud tẽperamentum, quod magis conveniat cum temperamento capitis genitricis, & ſic in facie referet genitricem, & tunc filius iiſdem morbis tentabitur, quibus tentabatur pater, qui à totius intemperie oriuntur, & poterit etiam aliis tẽtari, qui à capite peculariter oriuntur, quibus mater erat obnoxia: ſic etiam & in reliquis conſiderandum, Hepatis temperementũ ſimile temperamento Hepatis genitoris filium efficiet iiſdẽ paſſionibus obnoxium, quæ ad concupiſcibilẽ ſpectant, iiſdem morbis, quibus pater ſubjiciebatur: cordis temperamẽntum ſimile temperamento cordis genitricis filium efficiet iiſdem morbis, ac pathematis ſubjectum, quibus mater erat: ſic & ea quæ ad iraſcibilem pertinent. & ad vitales facultates, ſimilia effinget innato ſimile tẽperamẽtum, qualia in matre cõſpiciebantur. His addo ſimilitudinem unius, ejuſdemque viri ſibi ipſi cõparatam: nam palam eſt ex mutatione interni temperamẽti occaſione ætatis, mutationis rationis vice, cœli aut quacũque ex cauſa mutari effigiem, ita ut idẽ homo ſibi ipſi diſſimilis exiſtat, ſi paulò habitior, quàm anteà fuerit, evaſerit, & ex tenui pinguis, & carnoſior evaſerit, aut cõtra ex carnoſo, & bene colorato, tenuis, & malè coloratus fiat. Hoc pacto Scythæ apud Hippocr. *de aëre, aquis & locis:* ita ex morbis aliiſq; accidentibus effigiem mutãt, ut ex maſculis in fœminas degenerare videantur. 32

Tandem quid de accidentali illa ſimilitudinis cauſa ſentiamus, jam aperiendum. Dico, quod naturaliter ſimilitudo à temperiei ſimilitudine fit;

contingit

contingit tamẽ,(sed rarò,ita ut monstrificum quid potiùs, quàm secus sit judicandum,) ut imaginatio
33 per accidẽs possit esse similitudinis externæ causa, & tunc imaginare mihi industrium quendã Pictorem,qui ex proprio marte figuras colorat,& depingit;interdum verò non ex proprio marte,sed exemplari aliquo sibi proposito,Naturam Pictori ex suo
34 marte pingenti assimilandam puta, quæ non nisi prout à temperamento manu ducitur,fœtum effingit,ac format ; eandem verò, cùm fœtum , alicui phantasmati sibi ab imaginatione præsentato similem efformat,Pictori similem puta, quia exemplari sibi proposito figuras delineat : non aliter enim afficitur ipsa Natura , cùm aliquod sibi Phantasma ab imaginatione præsentatur,quàm si in pictura idẽ conspiceret , Arist.teste , *lib.*3. *de Anim. c.*3. Quod etiam ante illum firmabat Plat. *in Phil. vers. med.*

35 Qua de re jubet Plato 8. *de Leg. in fin.* quòd liberorum generationi operam dantes,etiam imaginatione ad opus se convertant, ut pulchertrimam, & optimam inde prolem reportare possint.Sed si omnes homines , ut *ibidem* ipsemet dicebat, qui communem aliquam actionem tractant, quando & sibi ipsis,& actioni animum advertunt,omnia pulchra & bona efficiunt;ubi verò mentem non habuerint,
36 aut non adhibuerint, contrà : non video quanam ratione jubeat ille, ut imaginationem in coitu phantasmatibus occupemus, hoc enim non est Venereæ actioni advertere , ex retractione enim spirituum ad sensum communem , ut aliquid imagi-
37 nemur, semen spiritibus depauperatum relinqueremus,& minùs etiam energiæ actio illa habebit; undè est , quòd parentes optimi ,' & sapientes filios pravos,& insipientes generent,ut Alex.quærit *Probl.libro primo, probl.*28.Quem & inter Jureconsultos citat Tiraquell. *de leg. Connub. l.*13. *num.*54: nam quia mentem diversis occupant generationibus,& imaginatione etiam ad ea currunt, quæ aliàs illis obversantur, spiritus à semine avertunt ; neque referre puto quibusnam phantasmatibus imaginatio sit implicata ; nam cùm actio illa venerea ad concupiscibilem animæ partem spectet, imagi-
38 natio ad partem principem, una ab altera impeditur , spiritusque ex unius celebratione ab aliis distrahuntur ; omnis enim actio , quæcumque illa sit, spiritibus eget : si ergo similis, ac optimæ prolis desiderio teneamur , non secus ac bruta , totos nos Venereæ actioni tradere, ac ipsius Veneris illecebris nos credere , ac attentos esse necesse est ; alioquin sive imaginationem unâ, aut aliâ re occupes , nihil interest , nam actionem illam concipiendi vel impedies, vel non eo, quo velles modo, proposito fine potieris.

SUMMARIUM.

1 *Filiationis probatio est difficilis.*
2 *Similitudo non facit quem præsumi esse filium ejus cui est similis.*
3 *Similitudo provenit ex cogitatione Mulieris tempore conceptionis.*
4 *Similitudo aliis adminiculis juncta probat filiationem. Contrarium n. seq.*
6 *Similitudo deberet semper facere probationẽ filiationis.*
7 *Simile generatur à simili.*
8 *Imaginatio immutare potest conceptûs effigiem.*
9 *Exempla ad probandum similitudinem ex imaginatione provenire , rejecta.*
10 *Similitudo postumi cum parente , major ac magis conspicua , quàm inter cæteros, & cur.*
11 *Imaginatio non potest assimilare in hora conceptionis, & cur.*
12 *Nihil agere potest in id, quod sibi præsens non est.*
13 *Subjectum similitudinis quodnam sit.*
14 *Naturaliter similitudo non causatur ab imaginatione.*
15 *Imaginatio non agit ex electione.*
16 *Similitudinis præsumptio multùm urgere debet. Contrarium n. seq. dic ut n.*28.
19 *Interna similitudo non potest ab imaginatione alterari.*
21 *Imaginatio non agit in ea, quæ suo modo non cognoscit.*
22 *Quanam ratione imaginatio alterare possit formam fœtûs.*
23 *Interna similitudo à Natura semper est.*
24 *Interna similitudinis cognitio ex quibus habeatur.*
25 *Duæ conjecturæ internæ similitudinis.*
26 *Morum, & morborum similitudo ab interna forma.*
27 *Similitudo morum quomodo probet.*
28 *Mores unde.*
29 *Natura semper prævalet consuetudini.*
30 *Similitudo morborum, & sanitatis,quomodo probet.*
31 *Morbi similes ad similitudinem internam consequuntur.*
32 *Similitudo externa interna juncta debet facere probationem filiationis.*
33 *Similitudo urget multum.*

Similitudo an debeat facere conjecturam filiationis.

QUÆSTIO IV.

DE similitudine ob argumenti tum difficultatem tum jucunditatem longioribus fortasse egimus quàm ad hujusce Operis institutum, & ad ipsas Legales materias pertineret; omnia tamen ad hunc finem unum dirigentes , ut tandem pro ipsis Jurisconsultis disquiramus,quamnam conjecturam capessere liceat filiationis ex filiorum similitudine; & quomodò ex hoc filiatio probari possit.

Habent ipsi Jurisconsulti filiationis probationem pro re admodum difficili,ac penè impossibili: facit *l.Quia semper, ff.de in jus vocand.* Glos. *in l.Lucius, ff. de condit. & demonstrat. & in l. filium , ff. qui sunt sui vel alien. Jur.* quam difficultatem cognovisse etiam antiquiores testari potest Telemachi dictum apud Homer. *Odiss.*1. dicentis : 1

Mater quidem me dicit hujus esse, sed ego
Nescio , nondum enim aliquis suum genitorem ipse novit.

Hæc tamen difficultas magnâ ex parte cessaret, si 2
modò apud ipsos Jurisconsultos similitudo faceret præsumptionem filiationis , sed contrà illi eam conclusionem ratam jam habent, sobolis similitudinem non facere eam præsumi ex eo fuisse susceptam, cujus similis existit, Gabr. *Concl. comm. lib.*1. *concl.*14. *n.*7. *tit. de præsumpt.* Ruin. *consilio* 53. *n.*9. *vol.*5. Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.*2. *cent.*1. *cas.*89. *num.*97. Mascard. *de probat. concl.*792. *nu.*10. *vol.*2. Rota *in Bononiens. de Gargantibus* 1607. *coram Marquemontio, num.*9. Dicunt etenim talem similitudinem provenire ex cogitatione Mulieris tempore conceptionis ; ita Bart. *in l. Gall. ff. de lib.& Posth. num.*14. Mohed. *decis.*1. *aliàs* 19. *nu.*2. *tit. Qui filij sint legitimi.* Ruin. *ubi suprà, num.*9. Mascard. *ibid. numer.*7. Gratian. *Discept. Forens. cap.*567. *numer.*32. *vol.*3. Rota *in Romana Argentorum* 27. *Junii* 1607. *coram Ludovisio , & in Romana filiationis* 1. *Julii.* 1639. *coram Carillo* ; *& in Farsen. Bonorum* 23. *Januarii* 1647. *coram Corrado.* & facit Theocriti auctoritas *Idyll.* 17. dicentis :

Impiæ enim mulieris animus , semper apud virum alienum ,
Et faciles quidem partus sunt , sed liberi nequaquam similes sunt patri.

[Fit enim sæpe (ait *Bacchinus* Excel.l.1.de hermaphr.cap.11.) ut mulier quædam, cum extra legitimum thorum se alteri prostituit , metuens , ne inopinato subitóque mariti interventu opprimatur, ut fœtum edat non adultero , sed marito prorsus similem. Hoc novit adultera *Senini* uxor referente *Moro*.

Quo-

Quos ante conjux quatuor
Natos, Sabine, *protulit.*
Multum ecce tui diſſimiles
Tuos nec eſſe deputas,
Sed quem tibi puellulum,
Enixa jam nuperrimè eſt
Solum tibi ſimillimum,
Pro quatuor complecteris,
Adulterinos quatuor
Vocas, *repellis*, *abdicas*,
Atqui graves tradunt ſophi,
Quodcumque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis datur opera
Ejus latentes notas
Certas & indelebiles,
Modoque inexplicabili
In ſemen ipſum congeri,
Quibus receptis intimè
Simulque concreſcentibus
A mente matris inſitam
Natus refert imaginationem
Quum tot abeſſet millibus
Dum gignit uxor quatuor
(Quod eſſet admodum tui
Secura) diſſimiles parit,
Sed unus omnium hic puer:
Tui refert imaginem,
Quod mater hunc dum concipit
Sollicita de te plurimum
Te tota cogitaverat.
Dum pertimeſcit anxia,
Ne tu Sabine, *incommodus*,
Velut que Lupus in fabulâ
Supervenires interim.

Plura de hac materia legi poſſunt apud *Greg. Horſtium* de ſimilitudinis & diſſimilitudinis cauſis in fœtu reſpectu Parentum, Tomo 1. diſſect. 4. 4 pagina 462. *Reier.* quæſtion. 54. Campi Elyſii pagina 397. & ſeqq.]

Verumtamen, licèt voluerint DD. ſimilitudinum per ſe ſolam non probare filiationem, cum aliis adminiculis tamen junctam probare firmarunt, ita Mohed. *ubi ſuprà, numer.* 97. (licèt ipſe contrarium verius eſſe exiſtimet) Gratian. *loco citato*, 5 *numer.* 29. Marta *vol.* 153. *n.* 3. Rota *in Romana hæreditatis de Gratianis*, 7. *Febr.* 1642. *coram Reverendiſſimo Tarracono & in eadem* 28. *Maii* 1649. *coram Reverendiſſimo Cerro.*

Ut ergo quatenus ad noſtrum pertinet inſtitutum, hujuſce rei veritas detegatur, in mentem iis revocatis, *quæ in ſuperiori quæſtione* de vera Similitudinis cauſa attulimus, dicendum videtur, quod 6 ſimilitudo deberet ſemper, & ubique facere maximam, & urgentiſſimam præſumptionem filiationis, quia naturaliter inſiti temperamenti convenientiam, quod in ſeminibus reperitur, ſimile 7 non niſi à ſimili generatur.

Jure ergo optimo Ariſtot. *lib. Politic.* 2. *capite* 2. communitatem illam filiorum in Republica, quam tantoperè deſiderat Plat. *ſuæ Reip. lib.* 5. non ſolùm reſpuit, ſed improbat, & tanquam rem impoſſibilẽ, ut executioni demandetur, non ob aliud exiſtimat, niſi quia ſemper ii, qui ex natis aliquem viſu ſe referre, ac ſibi ſimilem eſſe obſervarent, illum pro filio proprio haberent, & acceptarent, non verò cæteros omnes promiſcuè, atque hac ratione propenſio in hunc augeſceret, deficeret verò in alios, & communitas rerum deſtrueretur absque dubio. Quia in ſumma, naturaliter filii ſimiles naſcuntur patribus, quod infinitis exemplis patet: Homer. *Odyſſ.* 1.

Minerva ad Thelemachum:

Sed age, mihi hoc dic, & verè enarrato,
Num ex ipſo tantus filius ſis Ulyſſe,
Vehementer enim & capite & oculis pulchris ſimilis es Illi.

Horat. *lib.* 4. *carm. Od.* 5.

Laudatur ſimili prole puerpera.

Cæterùm tametſi negare non auſim, imaginationẽ 8 aliquando immutare poſſe cõceptûs effigiem, eamque ab ea, quam fortaſſe faciliùs fortiretur, ſimilitudine deviare, tamen illud, ut ſuperiùs annuebam, ita de raro contingere crediderim, ut pro monſtrifica potiùs re, ne pro miraculo dicam, habendum putem, quàm ſecùs: non enim tam facilè contingere, ut Legumperiti, & cum iis alii doctiſſimi Viri perſuaſerunt, ut ſola imaginatio in tempore conceptionis ad illud præſtandum ſufficiat, non niſi ex allatis ab illis exemplis, aliisque ex rationibus, moveor ut credam: non exempla adducta à Gratiano, & ab aliis, & cæteta de muliere illa, quam defendit Hippocrat. & de altera quam defendit Quintilian. 9 cujus hiſtoria ſimilis omninò eſt ei, quam recitat Heliodor. *Hiſt. Æthiop. libro ultim.* & quam etiam tam eleganter cecinit Torq. Taſſ. *ſui Poëm. cant.* 12. & de altera, de qua Damaſcen. apud Patræum *lib.* 24. qui eſt de monſtris, quæ filiam pilis obſitam peperit, quòd in cubiculo imaginem divi Joan. Bapt. pelle camelinâ indutam haberet, omnia, inquam, prædicta, & ſi quæ alia ſunt exempla, mihi perſuadent, imaginationem in conceptionis illo momento ſpatio non agere; ſed temporis diuturnitate operari. Prædictæ enim omnes mulieres non ex cõtemplatione ſola in actu coitûs, ſed ex frequenti, ac iterata, & quotidiana imaginum ſibi ob oculos oberrantium contemplatione effigiem imagini ſimilem natis indiderunt. Argumento ſit ſimilitudo, quæ in poſthumis multo magis elucet, quàm in cæteris filiis, ut ego pluries obſervavi: cur enim id in Po- 10 ſthumis faciliùs evenit, niſi quòd iterata, ac frequentata Viduæ matris imaginatio, in demortui conjugis contemplatione plurimùm, ac enixè fixatur, ac hæret? Quòd ſi ſatis eſſet imaginatio in hora conceptûs, nulla major ratio eſſet, cur poſthumus cæteris magis progenitori ſimilis naſceretur.

Quomodò autem momento, & in hora conceptionis aſſimilaret imaginatio? nam quid aſſimilat, 11
ſi nihil tum temporis generatur? nihil enim agere 12
poteſt in id, quod ſibi præſens non eſt; at ſubjectum ſimilitudinis (externæ dico) eæ partes ſunt, 13
quæ noſtris oculis ſubjiciuntur, quæ tum temporis, quomodò præſentes ſunt imaginationi, ſi nonniſi per multos poſt dies delineantur, efformanturque? Impreſſio ergo imaginationis in conceptum, oporteret, ut in informi ſemine conſervaretur, ſi in hora conceptionis imaginatio ſimilitudinem fœtui imprimit.

Verumenim verò non ſolùm imaginatio in hora conceptionis nihil operatur, ſed vix quicquam, niſi 14
rariſſimè, toto geſtationis tempore; nam, ut diximus, naturaliter ſimilitudo ab imaginatione non provenit, quod maximè teſtantur Hiſtoriæ à Menochio addactæ ad probandum contrarium, ut eſt hiſtoria Herculis, & Iphicli, & altera ab Ariſtot. *in lib. de hiſt. Animal.* & à Plinio etiam enarrata; nam in his caſibus ambo conceptus debuiſſent aſſimilari alteri ex progenitoribus, non autem quisque progenitori proprio, quia cùm imaginatio non agat ex electione, non magis in unum, quàm in alium agere debuit

debuit, & etiamſi ex electione ageret, quomodò notum habeat, binos in utero eſſe, ita ut utrumque aſſimilare, cui magis libitum eſſet, illa potuerit? Hujuſmodi ergo hiſtoriæ,& ſi quæ aliæ,ut dicebam, probare poſſunt, naturaliter ſimilitudinem ab imaginatione non provenire,ſed ab individuali ipſius ſeminis natura,quæ nihil aliud eſt,quàm peculiare temperamentum, ut ſuprà probavimus: quòd ergo ſemen ab utero profectum eſt, quia convenientiam habebat cum temperamento, & natura adulteri, ſimilem adultero ſobolem procreavit: quod verò à marito, ſimilem ob eandem cauſam natum fecit patri.

16 Multùm ergò urgere ſimilitudinis præſumptionem, ex his jam palam factum eſſe credo: & prudenter aliàs Legumperitos ſtatuiſſe exiſtimo in eo caſu, de quo *in quæſt. ſeq.* præſumunt enim filium

17 eſſe illius, cujus eſt ſimilis. Tiraq. qui ad hanc opinionem plures adducit. *de leg. connub. gloſſ. 7. num. 52.* Rota *in Romana dotis, ſeu filiationis* 1634. *coram Merlino num.* 11. non obſtante contraria Juriſtarum opinione, de qua eadem Rota *in Farfenſ. Bononienſ.* 1647. *ſuprà cit. num.* 9. At quoniam obſtant multa exempla ſimilitudinis inter ignotas perſonas, & id quod objicitur, nimirum, quòd ſi ſimilitudo faceret præſumptionem aliquam filiationis, aut agnationis, ſequeretur omnes ſimiles habere inter ſe relationem aliquam conſanguinitatis, idcircò moderandum dictum noſtrum videtur, ac, ut ſequitur, interpretandum.

18 Dicamus ergo, quòd non ſit ſtandum *ſoli ſimilitudini in filiationis* probatione, ſed etiam cum aliis præſumptionibus etiam levioribus junctum evidentiſſimam facere præſumptionem filiationis, vel fraternitatis, ob id, quòd jam pluries repetitum eſt, quòd naturaliter ſimilitudo à rei Natura cauſam habet, non verò ab imaginatione, ut ſupponunt.

Sed inter præſumptiones, quæ adjunctæ externæ ſimilitudini, plurimum operari poſſunt, eſt ſimi-

19 20 litudo interna, ex qua, *ut ſuprà* dixi, etiam animi mores, & cætera multa habentur; hæc enim interna

21 ſimilitudo non poteſt ab imaginatione ullo modo alterari: ſiquidem imaginatio non poteſt agere in ea, quæ ſuo modo non cognoſcit: at non cognoſcit intrinſecam hanc ſeminis, aut fœtûs naturam, & nullum ex tali, aut ſimili re elicere poteſt phantaſma, cùm non præſentetur exterioribus ſenſibus à quibus omnes rerum ſenſibilium ſpecies, ac

22 phantaſmata ipſi præſentantur. Si ergo imaginatio per hoc alterat externam fœtus effigiem, quòd Naturæ ipſi operanti aliud phantaſma præſentet, & hujus exemplari eam uti cogat, & ad ejus phantaſmatis ſimilitudinem propoſitam ſibi ſeminum materiam effingere ac delineare, cùm non potuerit ſimile phantaſma internæ Naturæ illi præſentare, ut juxta illius ſimilitudinem operari illam impingeret: patet, quòd nullo modo poteſt internæ ſimilitudinis cauſa eſſe, neque ex Natura, neque ex accidenti; quamobrem hæc interna ſimilitudo à natura cum ſemper ſit, & non ab accidenti, ſi probari poſſit adeſſe, plenè cum aliis adminiculis filia-

23 tionem probare poterit. Certum enim eſt, plures animi propenſiones, & affectus à ſemine parentum unà cum corpore haberi, licèt de foris adveniat, neque de potentia materiæ eruatur, ut docet catholica veritas, quod enim notavit Tiraq. *de leg. conn. gloſſ. part. 7. in l. 7. num. 2.* apud quem plura de hac morum, vel potius animi ſimilitudine videat, ſi libet, Juriſperitus.

24 Sed præcipua difficultas eſt, quo pacto cognoſci debeat hæc interna ſimilitudo, quippè cũ externis ſenſib. eam aſſequi non liceat: & quamvis, ut verũ 25
liberè fatear, ea res difficultate non careat, tamẽ nos poſſe in ejus cognitionem venire duabus urgentiſſimis cõjecturis mihi videtur, ex morum duntaxat ſimilitudine, & ex ſimilitudine morborum, & ſanitatis, de quibus jam ſuprà mentionem habuimus.

Utramque etenim hanc morum, inquam, & 26
morborum ſimilitudinem ab interna ſimilitudine provenire jam ſuprà probavimus: ut plurimùm ergo iracundus iracundum, invidus invidum, ſuperbus ſuperbum, timidus timidum, audax audacem generat: ſic etiam miſericors miſericordem, caſtus, temperatus, caſtum ac temperatum procreat. Et licèt ut ſuperiùs dixi, ex Homero, aliquando filii mali ex patribus bonis naſcantur, & è contrà; & videatur nobis contrariari Theognid. ſententia *in Carm. Eleg. n.* 435. dicens:

Si verò procreari poſſet, & inſeri in homine mens,
Nunquam ex bono Patre eſſet malus filius.

quos verſus citat Plat. *in Menon. ſeu de virtute:* Tamen dicamus, quòd ſi conſtet patrem, vel qui pa- 27
ter præſumitur, fuiſſe ebrium, iracundum, aleatorem, furem, audacem, vel è contrà, & filium, vel qui filius præſumitur, ſimilibus moribus præditus ſit, jam ſuſpicari poſſumus, hos inter ſe ſimiles eſſe quoad internam ſimilitudinem, & ſic ea ex hac parte probata remanebit: quia, ut dixi, ſimiles filii ut plurimum naſcuntur parentibus, etiam in moribus, quod ex Juriſconſultis teſtatur Tiraq. *de leg. connub. gloſſ. 1. part. 7. n. 2.* & filii imitantur vitia parentum. Ceval. *in ſpec. op. com. contr. comm. q.* 653. *n.* 2. Grammat. *dec.* 18. *n.* 1.

Quanquam verò mores plurimùm ex conſuetu- 28
dine habentur, & inſtitutione à puero, ex quibus naturalis propenſio immutari videtur, unde eſt, quod conſuetudo dicta eſt altera Natura, Gloſſ. *in l. ſi quis poſth. ff. de lib. & poſt. in verbo conſuetudo,* & ex
noſtris Gal. 2. *de mor. muſc. c. 7. claſſ. 1. & alibi ſæpè.* ta- 29
men ſemper ipſa Natura prævalet.

Quam licèt expellas furcâ, tamen ipſa recurrit.

Et ut Pindar. *in Olymp. Od.* 13. dicebat;

Impoſſibile, occultare ingenitos mores.

Quamobrem facetè Chremes apud Terent. *in Heaut. act. 5. ſcen.* 3. confirmans ſuam uxorem Soſtratam: ne dubitet negare Clitiphonem ſuum filium, quia, inquit:

— *Sed quod magis credendum eſt,*
Is quòd eſt ſimilis moribus
Convinces facilè ex te natum; nam tui ſimilis eſt probè.
Nam illi nihil vitii eſt relictum, quin ſit & idem tibi.

& Ariſt. *Polit. lib. 1. c. 4.* ex univerſali hominum opinion. hæc habet: *putant enim, ut ex hominib. hominem, & ex beſtiis beſtiam, ſic ex bonis bonum procreari.*

Cæterùm ex morborum, & ſanitatis ſimilitudine 30
evidenter quoque probari poteſt ſimilitudo interna: nam filii ex ſanis parentibus orti, ſani ut plurimùm degunt, ex morboſis, morboſi; quinetiam & qui ex parentibus, qui ſecundùm ætates ſani, aut morboſi vixerunt, etiam filii naſcuntur in iiſdem ætatibus, iiſdem vel ſimilibus morbis obnoxii: ſunt inſuper aliqui morbi, qui hæreditarii eo nomine vocantur, quod à parentibus in filios migrent, de quibus Fernel. *Pathol. lib. 1. c. 11.* ut arthritis, ſeu articularis morbus, nephritis, epilepſia, & hujuſmodi. Si ergo qui pater præſumitur, epilepticus erat, calculoſus, hepaticus, podagricus, phthiſicus, & hujuſmodi, & qui filius præſumitur, epilepſiæ, calculo, podagræ, hepatis dyſcraſiæ, phthiſi, aliiſque

morbis,ut ille obnoxius ſit, pleniſſimam quantum permitti poteſt, ex hoc habere poteris filiationis conjecturam;ſequuntur enim tales morbi ad internam ſimilitudinem, hoc eſt,ad temperamentorum convenientiam,quam filios à paterno ſemine ſortitos eſſe non dubitandum,ex iis quæ ſuprà adduxi. 31

Non ergò ſic temerè de externa ſimilitudine pronunciandũ,ut non faciat filiationis probationem,ſi cum interna præſertim conjũgatur:quamobrẽ maximè mihi probatur Gratiani opinio *in citato c.*567. *à n.*58.*ad plures ſeqq.*qui ſimilitudinem multum urgere,& non levem præſumptionem filiationis facere voluit. 32

Nam filii frequentiùs,& ut plurimùm patres ſimillimos referunt. Alc. *in l. Queſt.alia, n.*6.*ff.de verb.ind.* Ac profectò apud me nunquam benè audiret mulier illa,quæ alteri ſimilẽ,præſertim familiari alicui, ac domeſtico,vel ſuſpecto viro filiũ generaret;rectè Catul.*lib.Carm.n* 54.in Nuptiis Juliæ,& Manlii, ita illis auguratur futurã prolem:(*aliàs* 62.) 33

Sic ſuo ſimilis patri,
Manlio, & facilè inſcius,
Noſcitetur ab omnibus,
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.

Denique licèt ſatis ſuperque cognoſcam apud Legumperitos ea, quæ de probanda interna ſimilitudine attuli,difficilis omninò eſſe probationis:tamen ſi ea adducere deſtitiſſem,mancus mihi fuiſſe viderer, & ipſos absque rationabili cauſa meis laboribus,qualescunque ſint,defraudaſſe. Adducenda ergo tum ob hæc erant,tum quia meliora meo judicio in tam abſtruſo, ac difficili argumento adduci non poterant, tum etiam, quoniam novi aliquid non irrationbailiter continere mihi videbantur.

SUMMARIUM.

1 *An natus ex muliere, quæ illicò à conjugis obitu alteri nupſit, & nono aut decimo menſe peperit, prioris, vel poſterioris ſit, Medici judicium requiritur.*
2 *Prima conjectura.*
3 *A morbis longis extinguitur virilitas.*
4 *Morbi generationem impedientes.*
5 *Pariſii opinio de calculo laborantibus refellitur.*
6 *Secunda conjectura.*
7 *Senex in ſexageſimo anno ad generandum ineptus.*
8 *Tertia conjectura.*
9 *Quarta conjectura.*
10 *Odium & malevolentia conjugum generationem impedit.*
11 *Amor conciliat generationem.*
12 *Quinta conjectura, quam ampliare potes, ut n. ſeq.*
14 *Fœminæ naſcuntur tardiùs, quàm mares.*
15 *Sexta conjectura.*
16 *Similitudo ſemper facere debet maximam præſumptionem filiationis.*
17 *Imaginationis vis non tanta eſt, quanta eſtimatur.*
18 *Multa in imaginationem rejicimus, quorum culpa nulla imaginationis eſt.*
19 *Similitudo ab imaginatione dependens eſt ex rarò contingentibus, & monſtroſum quid.*
20 *Similitudo maximè habere poteſt locum in hoc caſu.*
21 *Octava conjectura.*
22 *Multi juvenes non niſi fœminas generant, qui ſenescentes mares procreant, & è contra.*
23 *Ultima conjectura.*

Filius mulieris, quæ illicò ab obitu conjugis alteri nupſit, & novem, decémve menſium ſpatio peperit, cujusnam præſumi debeat.

QUÆSTIO V.

Videtur aptus hic locus eſſe, ut eam quæſtionem diſcutiamus,definiamusque,quam nobis diſcutiendam,ac definiendam remittunt Juriſconſulti,talem caſum effingentes. *Mulier quædam,mortuo marito illicò nupſit alteri, & novem, decémve menſium termino tam à prioris obitu, quàm à contracto matrimonio cum poſteriori, filium, filiámve eſt enixa,* dubitatur cujusnam cenſendus ſit is filius, cùm ex utroque pro temporis ratione præſumi poſſit fuiſſe natus, in eamque rem judicium noſtrum expoſcunt, ex iis quos adducit,& ſequitur Surd. *dec.*83. *n.* 11. 1

Primò ergo loco dubium non eſt, quòd ſi prior maritus ex longa infirmitate deceſſerit, vel per menſem, aut quadragenarium ſpatium ægrotaverit, filius ſecundi maritimi omninò eſt præſumendus:facit *l. filium, ff.qui ſunt ſui vel alien.jur.*à morbis enim præſertim longis virilitas extinguitur,ſaltem ad tempus, Fernel. *Pathol.l.*6.*c.*17. & conſequenter etiam potentia generandi.Ejusdem etiam ponderis eſſet præſumptio deducta ex eo, quòd prior maritus ex aliquo accidenti inhabilis fuiſſet ad generationem,ut ſi jam multo tempore prægreſſo morbo aliquando detentus fuiſſet, adimente, aut impediente generationem,quales eſſent morbi genitales partes occupantes, aut iis inſervientes, aut etiam principem partem obſidentes, & hujusmodi, qui benè noti ſunt in Medicina expertis:non video tamen quâ experientiâ, aut cujus auctoritate doctus Pariſ. *conſ.*29.*numero* 80.*libro* 2. firmavit calculo laborantes generare non poſſe, & eſſe infœcundos; nam ego propriâ experientiâ ſcio, viros maximè calculoſos fœcundiſſimos extitiſſe: inter alios virum novi qui ſexaginta annis major adhuc generabat,& tamen calculo laborabat,ita ut ſingulis penè menſibus intenſiſſimis ex eo doloribus afflingeretur: æquabat enim calculus, qui ex ejus cadavere excifus eſt, ovi gallinacei magnitudinem. 2 3 4 5

Secundò,ſi prior maritus erat ſenex,ac præſertim ſi ſexaginta annis major extitiſſet, ſecundus verò junior,aut è contra,filius potiùs junioris, quàm ſenioris eſt præſumendus, Surd.*citat.deciſ.*83.*num.*18. Senex enim in ſexageſimo anno ad generandum impotens utplurimum judicandus. Menoch. *de Arbitrar.Jud.lib.*2.*Cent.*1.*Caſ.*89.*nu.*58.& faciunt ea, quæ adduxi *in tit. de Ætatibus, quæſt.* 9.*n.*32.*ad plures ſeqq.* aptitudo ergo generandi ſemper præſumi debet magis reſpectu junioris, quàm ſenioris, Surd. *ibid.n.eod.*limitata tamen utriusque ætate, nam vir quadraginta annorum aptior ad generandum, quàm in prima pubertate conſtitutus;quamobrem de ætatibus generationi habilibus illud venit intelligendum,licèt ſola ætas ad hoc conſiderari non debeat,ſed inſimul virium robur,ex quo interdum ſexagenarius magis habilis ad generandum quàm quadragenarius: ætas igitur conſiderabitur, data virium paritate, aliàs non- 6 7

Tertiò, ſi non obſtante, quòd prior maritus eſſet in ætate habili ad generandum,tamen per longum tempus generare deſtitiſſet,ut per octo, aut plures annos (nam ſi conſtaret fuiſſe ſuâ naturâ ſterilem, aut nunquam generaſſe, jam ſalva res eſſet) notúmque eſſet non eveniſſe hoc ex defectu ipſius mulieris,quia illa ſemper ſana manſerit,nec aliquo difficili morbo detẽta fuerit,ex quo per paucos dies, aut menſes ante mariti obitum convaluiſſe dici poſſet,tunc filius ex ſecundo natus eſſe judicandus eſt. 8

Quartò, ſi conſtaret, mulierem priorem virum odio ſemper habuiſſe, & omnem conjugalem amorem in utriusque pectoribus fuiſſe extinctum, vel 9

etiam

etiam contra priorem amaſſe, poſterioti verò invitam nupſiſſe, filius ejus potiùs præſumendus, quem
10 mulier amabat, quàm alterius: quia ſiquid aliud, odium ac malevolentia conjugum generationem impedire poteſt, teſte Aëtio *lib. ult. cap.* 26. Roder. à Caſtr. *lib.* 3. *de morb. mul. cap.* 1.

Ex quo ſuppoſito ſequitur, quòd ſi pateret, mulierem amore ductam, ac Veneris ſtimulis agitatam ſecundo marito ante tempus ſibi ab honeſtate permiſſum nupſiſſe, aut facilè in hoc caſu præſumi poteſt, tunc filium ſecundi viri eſſe certò conjectari licet: quia quemadmodùm, ut ſupra dixi, odium impedit conceptionem, ſic amor conciliat genituram, & conceptum, Aëtius *ubi ſuprà*, & firmant Medici omnes in capite de ſterilitate: concupiſcente enim muliere, & amore erga virum ſuum flagran-
11 te, os uteri in actu coitus, & in ſeminis præcipitè emiſſione irruenti virili ſemini occurrit, ipſumque, atque unà ipſum virile membrum amplectitur, ac veluti exugit, unde facile fit conceptio, ut tradunt omnes Medici. Cæſalpin. *Art. Med. lib.* 8. *c.* 5.

11 *Quintò*, ultra prædicta ad eam rem comprobandam plurimùm faciet dierum computus: ex enim ſi filius naſcatur in fine noni, præſumendum eſt, illum
13 ex ſecundo natum; ſi verò in principio, alia adminicula ſunt inſpicienda. Multum etiam in hac conjectura operabitur differentia ſexus, numero dierum adjuncta: ſi enim fœminei ſexus ſit partus, & edatur
14 noni initio, quantum eſt ex hoc, prioris eſt judicandus, fœminæ enim maribus tardiùs naſcuntur, utpotè in fine noni, vel etiam in decimo; faciunt quæ adduxi *lit.* 2. *de part. legit. & vit. quæſt.* 2. *& quæſtione quinta*; ſin autem naſcatur in fine, caſus erit dubius, quantum erit ex hoc, & ad alia recurrendum. Quòd ſi maſculei ſexûs fuerit & naſcatur in fine noni, ob eandem ipſam rationem ſecundi cenſendus eſt, ſi in principio, ob idipſum prioris eſt judicandus: in ſingulis verò caſibus aliæ conjecturæ perquirendæ. Hæc verò conjectura conſiderata eſt à Mareſcoto 153. in quo caſus habetur mulieris, quæ ab obitu mariti per menſem, aut paulò majorem diſtantiam nupſerat, & in ſeptimi initio à matrimonio contracto filium peperterat: quo caſu licèt fortè nullum intervenire poſſet dubium, quin filius primi mariti eſſet, tamen ex eo quòd pro ratione natus præſumi poterat ex ſecundo, quia ſeptimeſtris erat, non abs re de hoc dubitabatur: rectè tamen prioris mariti fuiſſe cum deciſum eſt, fortè quia fortior erat, quàm ſi ſeptimeſtris fuiſſet, eſſe debebat.

15 *Sextò*, licèt, ſi communi opinioni attendamus, ſi-
16 militudo in hoc caſu minùs quàm in cæteris probare poſſit filiationem, tamen meo judicio, & hîc, &
17 ubique, maximam facere debet præſumptionem: neque enim ego imaginationi tantum tribuo, quantum plerique factitant, qui eam liberos pro parentum arbitrio pulcherrimos effingere poſſe ſibi perſuadent, (miror etiam cur non affirmaverint, ab imaginatione dependere, ut mares, aut fœminæ naſcantur) quòd ſi fieri tam facilè illud poſſet, multo plura in dies monſtra conſpicerentur, quàm nunc conſpiciantur, & pulchriores multò procrearentur liberi, quàm nunc procreantur, ut notat Polydor. Ripa *in tract. de noct. temp. c.* 162. *numero* 41. cùm penè innumera in horas imaginemur & in coitu nos, & mulieres dum utero gerunt, & tamen 18
pauciſſimi ſint, qui parentibus omni ex parte diſſimiles naſcantur. Imò plura in imaginationem, ut ego ſentio, rejicimus, quorum nulla omninò culpa apud illam reſidet. Jam enim experientiâ, de gignendis nonnullis animalibus, matrum imaginationem ad ſubjectæ alicujus rei contemplationem allicientes non ita vera eſſe, quin ut plurimùm fallacia ſint fortaſſe iis qui experti ſunt, vel experiri ea volunt, notum ſatis ſuperque ſatis erit. Sat autem ſcio, experimentum Jacob, *Geneſ. cap.* 30. non omninò naturale exiſtere, neque cuilibet experienti, ut Jacob reſponſurum, facilè adducor ut credam: quod etiam firmat Thom. Eraſt. *in diſput. contra Paracelſ. part.* 1. Habeo meæ ſententiæ fautores D. Chryſoſtom. & Iſidor. quos refert Martin. Delrio *lib.* 1. *Magic. diſquiſit. quæſt.* 3. & Vair. *lib.* 2. *de Faſcin. cap.* 7. imò & ipſum Jacob dicentem, *Abſtulit Deus gregem patris veſtri, & dedit mihi, & niſi fuiſſet Deus patris mei, vacuum remiſiſſet me.*

Hujuſmodi ergo natorum ſimilitudines ab imagi- 19
nationis vi dependentes, eſſe ex ratiò contingentibus, iterum iterumque affirmo, & vix multis revolventibus, non dicam annis, ſed ſæculis, ſimile quidpiam evenire exiſtimo. In hoc tamen caſu, magis quàm in aliquo alio, maximè habere poteſt locum imaginatio, nam vel demortui conjugis memoria, vel novus poſterioris amor multùm naturalem figuram 20
alterare poterunt, ita ut natus ſimilis exiſtat etiam ei, cujus fortaſſe non fuerit filius.

Septimò poteſt etiam conjectura aliqua, licèt ad- 21
modum fallax, deſumi ex hoc, nimirum ſi alter conjugum mares ſemper generavit, vel ſemper fœminas, ut evenire interdum tradit Ariſt. 7. *de hiſtor. Anim. cap.* 9. tunc enim ſi prior, exempli gratiâ, fœmellas generabat, & partus maſculeus ſit, ſecundi viri eſt præſumendus, ſic & de ſecundo dicendum. Sed hæc, ut dixi, difficulter probabunt, cùm videamus multos in juventute nonniſi fœminas generaſſe, ſeneſcentes dehinc maſculos procreare, & vice verſa, eodem Ariſt. teſte, *ubi proximè.*

Denique nonnihil etiam notitiæ præſtare poteſt 22
diverſitas ferendi uteri; ſi enim mulier cùm utero gereret ex priori marito, multùm moleſtari, ac diverſis ſymptomatibus conſueverat, nunc autem vel nullo modo moleſtatur, vel diverſis accidentibus: ſi tunc optimè habebat, nunc autem multò minùs tolerabilem patitur graviditatem, filium ſecundi viri eſſe aſſerendum: licèt & hæc conjectura, non minùs ac ſuperior, ſatis dubia exiſtat: eas tamen cum aliis nonnihil operari dubium non eſt: & hæc de ſuperioribus conjecturis, quarum duæ poſteriores ponuntur à Codronchio, *in Method. teſtific. capite decimo quinto.*

PAULI ZACCHIÆ QUÆSTIONUM MEDICO-LEGALIUM, LIBRI SECUNDI TITULUS PRIMUS,

DE DEMENTIA, ET RATIONIS LÆSIONE, Et morbis omnibus qui rationem lædunt,

Continens Quæstiones Viginti tres.

I. De multiplici dementiæ, & hujusmodi nominum acceptione.
II. De pluribus amentiæ differentiis.
III. De signis non sanæ mentis.
IV. Quænam animi facultates, ac quâ ratione, in quibuscunque dementiis lædantur.
V. De rationis diminutione ex defectu ætatis, & sexus.
VI. De rationis læsione ex animi passionibus, & ex pravitate morum.
VII. De ignorantibus, fatuis, stolidis, oblivionis, & memoriâ orbatis.
VIII. De mutis & surdis.
IX. De Melancholicis.
X. De amantibus.
XI. De ebriis.
XII. De dormientibus, & noctambulis.
XIII. De lethargicis, comatosis, caroticis, omnisque generis somniculosis.
XIV. De apoplecticis, epilepticis, lunaticis, & hujusmodi.
XV. De ictis à fulmine, attonitis, congelatis, & catalepticis.
XVI. De phreneticis, maniacis, furiosis, ecstaticis, lycanthropicis, cynanthrop. &c.
XVII. De hydrophobis, seu rabiosis, ex assumpto veneno delitantibus, &c.
XVIII. De dæmoniacis, fanaticis, lymphaticis præstigiatis, enthusiasticis, engastrimythis, & similibus.
XIX. De syncopizantibus sensu defectis, agonizantibus & in articulo mortis positis.
XX. De mente alienatis ex morbis longis, seu vehementibus, ut peste, & similibus.
XXI. De paraphreneticis, hypochondriacis, & omnibus dilucida intervalla habentibus.
XXII. De suffocatis ex utero, & ex utero furentibus.
XXIII. In quibusnam dementibus locum habeant eæ conclusiones, nimirum: Semel furiosus semper præsumitur furiosus: & illa: Demens de præterito præsumitur etiam demens de præsenti.

SUMMARIUM.

1 *Dementia, ac similes morbi, passiones cerebri sunt solis Medicis notæ.*
2 *In dementia Medici ad judicandum adhibentur.*
3 *Morbus probatur per Medicos curæ inservientes.*
4 *Unus idemque affectus pluribus nominibus appellatur.*
5 *Affectus omnes, in quibus homo dementit, communi nomine dementiæ appellantur.*
6 *Insania nomen non est omnibus hujusmodi affectibus commune.*
7 *Delirium est amentia, non tamen dicitur insania.*
8 *Insanire est majus quid, quàm phrenitide affici.*
9 *Insania dementias omnes non comprehendit.*
10 *Nomen genericum horum affectuum est dementia.*
11 *Quando fiat dementia.*
12 *Dementiæ divisio in duo subalterna genera.*
13 *Amentia nonnullis est stoliditas.*
14 *Dementiæ nomen est magis commune, quàm quodvis aliud.*
15 *Dementiæ genera & species.*

De multiplici Dementiæ, & hujusmodi nominum acceptione.

QUÆSTIO I.

QUAM multa sint, quæ circa hanc materiam de Dementia à *Medicis* requirere *Jurisconsulti* consuescant, notius ipsis est, quàm ut à me longioribus demonstrari possit: cùm enim has passiones soli Medici cognoscant, ut nobis notum est, & ipsi quoque fatentur. Rota *in noviss. decisione* 107. *numero septimo, parte secunda*, non aliam ob rem Medicos in similibus casibus ad judicandum adhibent, Bald. *in lege Observare, ff. de cur. furios.* Alexand. *consilio* 86. *num.* 5. *in f. libro secundo*, Fatinac. *in pract. crimin. parte secunda, tomo primo, lib.* 3. *quæstione* 94. *num.* 42. Rota *ubi sup. num.* 6. nec præterea sancitum est *in l. semel, C. de re milit.* morbum probari per Medicos curæ inservientes, unde ipsis solis creditur, cùm dubitatur an testator furiosus, vel demens fuerit, necne, Mascard. *de probat. Concl.* 1034. *numero decimo, volumine secundo*, Rota *in noviss. decisione* 620. *numero tertio, parte prima*, [Vide *Retes* pag. 17.]

1
2

Sunt præterea pleraque alia, quæ à Medicis scisciari possunt, ut exempli gratiâ, an quis *fatuus*, an potiùs *insanus*, vel *furiosus* sit, cùm quædam in uno procedere possint, quæ in alio locum non habent: in quanam etiam insanientium specie quis reponendus sit, cùm in una insanientes omnem rationis usum amittant, in alia non ita: quod etiam & in fatuorum speciebus evenire consuevit: quidam enim eorum idcirco à testandi facultate prohibentur, quidam verò non; quæ omnia cum plerisque aliis, omni procul dubio, ex Medica solummodò officina

depromere

depromere Jurisconſultis licet. Itaque & de his,& de aliis multis ad hujuſmodi argumentum facientibus,jam in hoc titulo diſſerere paramus , ut Legumperitis ipſis undique ſatisfiat.

Sed quia multiplici nominum acceptione,ac varietate decipi Lectores facilè contingeret,præcipuè cùm unum, eundemque affectum pluribus interdũ nominibus appellare plures conſueverint,etiam ex ipſis Medicis, ut teſtatur Galen. *in 7. de morb. vulg. comm. 1. Ægr. 2. claſſ. 3.* idcircò ad ipſarum vocum explanationem , ac germanam ſignificationem declarandam primo loco deveniendum eſt,quod quidem eo libentiùs præſtitero , quò magis ipſos Jurisperitos easdem voces plurifariam inter ſe confundere comperi.

Omnes ergò affectus ii,in quibus rationalis facultas in homine ſuis operationibus minùs rectè,& ex Naturæ inſtituto fungi conſpicitur, cómuni ac generico quodam vocabulo Medici *Amentias* , ſeu *Dementias* vocitare conſueverunt , eo quia hujusmodi paſſionibus detenti , ſine mente eſſe videantur,eâ nimirum parte læſi aut in totum orbati quæ nos homines ab ipſis beſtiis amentibus diſcriminat ac ſecernit,& in proprio,ac naturali eſſe hominum conſtituit.

Ex noſtris tamen Celſus *lib. 3. ſuæ Medicinæ, c. 18.* pro generico quodam nomine plures ſub ſe continente ſpecies,uſus eſt nomine *Inſaniæ*:quem videntur ſequuti ex Legumperitis aliqui , ut Menoch. *conſ. 82 n. 193. vol. 1.*

His tamen contrarii ſunt Gal. 2. *de Sympt. cauſ. c. ult. claſſ. 3. & comm. 2. in 1. de morb. vulg. text. ſeq. claſ. ead.* Trallian. *lib. 1. c. 13.* ex Latinis Cæl. Aur. *Chron. lib. 1. c. 5.* qui omnes voluerunt.inſaniæ nomen non eſſe omnibus amentiis commune , ſed iis ſolum , quæ abſque febre fiunt. Quinetiam cùm delirium amentia quidem ſit,non tamen inſania dici poteſt, quia inſania majus quid eſt, quàm delirium,quod teſtatur Gal. *comm. 1. in Hipp. progn. text. 28. claſſ. 4. & comm. 7. Aphor. 9. extra ord. claſ.* imò Phrenitidem non eſſe Inſaniam quamplurimæ Hipp. auctoritate firmare poſſunt, præcipuè verò 3. *Epid. ſect. 3. text. 6. in fin.* ubi *Neque Phreneticorum* , inquit *inſanivit quisquam* , oſtendens iis verbis majus quid eſſe inſanire, quàm Phrenitide affici : non enim id dixerat,quòd phrenitici ii, de quibus loquitur,mẽte conſtarent,idcircò quia non inſaniebãt,ſed quia non erant inquieti,nec loquaces , neque actus abſurdos facientes,ut inſani ſolent : ita exponit Valleſ. *in comm.* Eſt inſuper alius locus *in Coacis prænot. text. 49.* ex quo manifeſtum fit, Inſaniã,& Phrenitidem diſtingui,cujus verba hæc ſunt:*Vehementi inſaniã detenti , tremuli , cum crebra ſputatione, metus eſt ne Phrenitici evadant.* Cùm ergo Inſaniæ nomen dementias omnes non comprehendat,melius eſt affirmare hujuſmodi paſſiones *dementiæ* nomine , tanquam communiori, inſigniri poſſe , quod inter Jurisconſultos probare videtur Royz *dec. Litu. 4 n. 418.*

Conſtituamus ergò nos unum quoddam generi-
cum nomen , comprehendens ſub ſe omnes affectus,in quibus mẽs vel errat,vel debiliter operatur, quod non aliud eſſe debet , quàm hoc nomen *Dementiæ* ; quocumque enim modo, ac in quocunque tempore,aut morbo , Rationalis animæ functiones non benè,ac naturaliter celebrantur,ſed vel nullo modo,vel debiliter,vel depravatè,tunc demẽtia fit; quod tamen multis modis contingere poteſt, non ſolum per earundem cerebri, animæque rationalis facultatum diverſitate , ſed pro modo , & ratione diverſa quâ eædem facultates malè, & nõ naturaliter operari poſſunt : quibus tamen omnibus affectionibus rectè aptari dementiæ nomen poteſt, magis quàm quodvis aliud.

Conſtituto ergò hoc *Amentiæ*, vel *Dementiæ* nomine pro genere generaliſſimo,ex Medicorum auctoritate & Galeni præcipuè, *2. de Sympt cauſ. c. ult. claſ. 3.* primo loco *in tria ſubalterna genera* dementiam dividamus. Etenim prædictæ cerebri,imò potiùs rationalis animæ fũctiones, veluti cæteræ quæcũque animalibus inſerviẽtes,tripliciter lædi poſſunt: *vel* enim primò imminuuntur,ita ut energiam quandã in actionũ celebratione amittant ; *vel* depravantur, ita ut non debito modo celebrentur;*vel* deperduntur,ita ut nullo modo celebrentur:ſi imminuantur, *ſtatuitatem* , ejuſque ſpecies inde generare ſolent: ſi depraventur, *delirium*:ſi deperdantur , *maniam*, ſuis quamque ſpeciebus concomitatam.

Circa *Amentiæ* tamen nomenclaturam dubium aliquod eſt,cùm non deſint ex doctoribus viris,qui propriè amentiam dici velint eum affectum, quem aliâ voce ſtoliditatem appellamus. Mercur. *Practicæ lib. 1. c. 13.* Ego verò,ne temerè quod ſuprà de hoc nomine affirmavi,protuliſſe videar,ex Medicorum præcipui nominis auctoritatibus demonſtrabo,hoc nomen eſſe omnibus hujusmodi vitiis commune: nam & fatuitati,& melancholiæ,& inſaniæ,ac maniæ,& phrenitidi, cæteriſque omnibus aptatur:& de fatuitate patet ex Gal. *2. de Sympt. diff. c. 3. claſſ. 3.* ubi amentiam eſſe voluit. veluti paralyſim ratiocinatricis functionis , quod multò clarius explicuit Fernel. *Pathol. lib. 5. c. 2.* Melancholiæ aptatur, quia à Platone hac paſſione detenti , amentes vocantur, *in Theatro* enim dicebat , amentium aliquos Deos ſe putare, alios avium inſtar volare ſe credere, qui omnes affectus Melancholiæ morbi ſunt. Inſaniæ convenit,quia eodem Plat. teſte, *in Timæo, verſ. fin.* Demẽtiæ duo genera ſunt,Inſania,& Imperitia,ut ſuperiùs retuli,quin etiã convenit maniæ,cæterisque delitiis , quia hujusmodi omnes affectus ſub inſaniæ nomine cõprehenduntur: jam verò inſaniã ſub amentiæ appellatione venire demonſtravi: randẽq; cõvenit phrenitidi,quia & hæc inſania eſt,& inſania ipſa amentiæ ſpecies eſt. Itaque non abſque ratione ex his deducamus , rectè primùm ac generaliſſimũ genus harum paſſionũ, quæ principes animæ noſtræ facultates oblædunt,*amentiæ* nomine inſigniendũ;cujus dehinc tria genera ſubalterna conſtituenda, *Inſania* ſcilicet, *Phrenitis* vel delirium, & *Fatuitas* ;Inſaniæ porrò ſpecies Mania ſunt,Melancholia,Furor,Lycanthropia,Amor,melãcholia Hypochondriaca, & aliæ. Phrenitidis duæ ſpecies,una quæ propriè Phrenitis dicitur , altera , quæ Paraphrenitis. Fatuitatis ſpecies ſũt Fatuitas,Stoliditas, Ignorãtia,Oblivio,ſeu memoria deperdita,& aliæ, de quibus omnibus nobis ſigillatim agendum , ut earũ natura nobis dilucidè innoteſcat. De hujuſmodi verò nominibus ſi quis plura ſcire velit, videre poterit Cæl. Rhodig. *lection. Antiq. lib. 17. c. 4.*

Illud tamen antè commonendum eſt ; Medicos non fuiſſe ita nominum proprietati addictos , ut aliquando ea inter ſe minimè diſtinxerint : imò unum pro alio ad libitum interdum accepiſſe : nos in rerum natura explananda , quò accuratiùs fieri poterit, omnia manifeſta faciemus.

SUMMARIUM.

1 *Dementia, & ſimiles morbi non ſemper primarii ſunt, ſed interdum ad alios conſequuntur.*
2 *Dementiæ prior diviſio.*
3 *Qui morbi primarii cerebri , ex his qui mentem lædunt.*

4 *Qui morbi mentem ſecundariò lædunt.*
5 *Alia horum morborum diviſio.*
6 *Morbi perpetuò affligentes. & primarii.*
7 *Phreneſis ſemper durat, ex quo incipit.*
8 *Morbi perpetuò affligentes ſecundi ordinis.*
9 *Morbi intermittentes prioris ordinis.*
10 *Morbi intermittentes ſecundi ordinis.*
11 *Tertia diviſio morborum hujusmodi.*
12 *Morbi, in quibus ratio errat, vel diminutè operatur.*

De pluribus Amentiæ differentiis.

QUÆSTIO II.

CONſtituta *in ſuperiori quæſt.* pro generali nomine hac voce *Dementia*, tanquam omnibus affectibus, qui rationem lædere poſſunt, communi, nunc
1 ad ejus ſpecies particulariùs edocendas deveniendum; neque enim hi affectus ſoli ſemper perſiſtunt, ſed etiam ad alios morbos conſequuntur, ita ut non ſatis nobis ſit, uti primarios morbos eos cognoviſſe; ſed neceſſe habeamus, ut etiam tanquam ſecundarii morbi, & ad alios conſequentes ad noſtrum argumentum facere, manifeſtum fiet.

Dividamus ergò primo loco hos affectus bifariam,
2 in eos ſcilicet, qui *primarii* ſunt ac dicuntur, quod à proprio cerebri morbo, & ratiocinatricis facultatis læſione dependeant; & in alios *ſecundarios* vocatos, ex eo quòd ab aliis morbis originem ducentes, tanquam accidens inſeparabile id ſecum habent, ut rationalem partem aliquo modo lædant, atq; perturbent. In *priori* ordine enumerandi ſunt illi, qui his,
3 ac ſimilib. nominibus inſigniuntur, nimirum Amentia, ſeu Dementia, Mentis captio, Mentis alienatio, Inſania, Mania, Furor, Melancholia, Lycanthropia, ſeu Lupina inſania, Inſipientia, Deſipientia, Phreneſis, Oblivio, Fatuitas, Indiſcretio, Vecordia, Stultitia, Delirium, Rationis permixtio, vel ejuſdem perturbatio, Veſania, Amor, Ebrietas, Ignorantia, Imperitia, Stoliditas, Rabies, Enthuſiaſmus, Ecſtaſis. In *poſteriori* ſunt Paraphreneſis, Lethargia, Carus, Subeth, Coma, Catalepſis, ſeu Catoche, Cataphora, Apprehenſio, Congelatio, Apoplexia, Epilepſia, Furor uterinus, Uteri ſuffocatio, Melancholia, Hypochon-
4 driaca, & alii; ac præter hos ſunt quoque alii affectus, quibus quaſi ex neceſſitate ſubſequitur rationis offenſa, ut ex inflammatione ſepti transverſi, ex vulnere temporalium muſculorum, ſicuti habetur ex Galeno 11. *de uſu part. c.* 3. *claſſ.* 1. Alex. Ben. *lib.* 1. *cap.* 28. Porrò hi ipſi affectus ſubdividuntur in eos,
5 *qui* perpetuò affligunt, & nullam intermiſſionem habent, & in eos, *qui* aliquando intermittunt, & per circuitus, aut quomodocunque revertuntur, atque in his patientes dicuntur habere dilucida quædam
6 intervalla, in quibus mente conſtant, & ratione valent, & ad omnia, ut cæteri ſanæ mentis homines ſufficiunt. In priorum autem cenſu veniunt Rabies, Oblivio, Fatuitas, Amor, Phreneſis, Ebrietas; & alii ex priori ordine. Cùm verò perpetuò affligere dico, non hoc volo, ut nunquam ex iis ægri ad ſanitatem reducantur, ſed quòd in hiſce morbis unus tantummodò inſultus fiat, qui & aliquando per totum vitæ curriculum durat, interdum verò omninò tollitur, nec defacili revertitur, neque alias habet ac-
7 ceſſiones, & exacerbationes, ut exempli gratiâ de phreneſi evenit, quæ ſemper durat ex quo incipit, ut notiſſimum Medicis eſt, & notat ex Juriſconſultis
8 Men. *conſ.* 81. *n.* 233. *col.* 1. ex poſteriore ordine affligunt ſine intermiſſione Lethargus, & illi ſimiles
9 morbi, Catalepſis & alii. Intermiſſiones verò habent
10 ex priori ordine Melancholia, & ſimiles morbi, Ecſtaſis, & hujusmodi: ex poſteriore verò Paraphreneſis, Apoplexia, Epilepſia, Melancholia Hyponchondriaca, Uteri furor, atque ejusdem ſtrangulatio.

Poſtremò dividi poſſunt ex *modo Læſionis* functio- 11
num principalium, ut *in priori quæſtione* dictum jam eſt: in aliquibus enim omni ex parte, ac ita occidunt, ut non ſecus quàm inſenſati lapides, homines evadant: hujusmodi ſunt ex priori numero Memoria amiſſa, & Oblivio: ex poſteriori Apoplexia, Epilepſia, Lethargia, & ſimiles affectus, qui ſomniculoſi dicuntur, ex eo quòd homines, vel perpetuò dormire cogant, vel ſimiles dormientibus efficiant. In aliis verò principes functiones à ſuo naturali or- 12
dine, quo celebrari ſolent, omnimodè aberrant, ut ex priori claſſe ſunt Amor, Phreneſis, Melancholia, Furor, & his contigui affectus: ex poſteriori autem Coma vigil, Uteri ſuffocatio, Uteri furor, ac ſimiles. In aliis denique diminutè operantur, ut in Ignorantia, Fatuitate, & hujusmodi.

SUMMARIUM.

1 *Signa non ſanæ mentis varia in variis hominibus.*
2 *Non ſana mens ex factis, & verbis deprehenditur.*
3 *Actuum quidam corporei, quidam civiles.*
4 *Signum non ſanæ mentis eſt lapides projicere.*
5 *Dementia probatur per actus extrinſecos.*
6 *Dementia evidentiùs probatur ex civilibus actibus.*
7 *Quando præſumatur fatuitas potius quàm donatio.*
8 *Stultus ac demens præſumitur, qui omnia bona ſua donat.*
9 *Ex verbis quomodo deprehendatur dementia.*
10 *Prudenter non facit, qui extraneum conjuncto præfert.*
11 *Fatui à fando dicuntur, quòd ſuam fatuitatem loquendo manifeſtent.*
12 *Ex modo loquendi quomodo deprehendatur dementia, & num. 16.*
13 *Fatuus eſt qui fatua loquitur.*
14 *Ex ordine verborum quomodo indicetur dementia.*
15 *Fatuus ac demens præſumitur non loquens, aut non reſpondens ad propoſitum.*
17 *Multi extra rem loquuntur, qui neque amentes, neque phrenitici ſunt.*
18 *Amentes, & furioſi interdum ad propoſitum loquuntur.*
19 *Amentes ex factis convincuntur, licèt in loquendo appareant prudentes.*
20 *Non omnes dementes circa omnia errant.*
21 *Signa amentiæ à Medicis propoſita, unde deſumantur.*
22 *Potiſſima ſigna amentiæ ex animi paſſionibus habentur, & num. ſeq.*
24 *Furor & dementia probatur per ea, quæ in hominem ſanæ mentis non cadunt.*
25 *Signa dementiæ ex corporis, & faciei aſpectu.*
26 *Signa in iis qui per circuitus inſaniunt.*
27 *Signa dementiæ in febribus.*
28 *Dolorem non ſentire eſt ſignum amentiæ.*
29 *Signa amentiæ ex quibuſdam ab extra advenientibus.*
30 *Ex intenſis animi paſſionibus homo in dementiam labitur.*
31 *Voluptas non minus quam dolor hominem dementem facit.*
32 *Amor ſubvertit judicium, & vertitur in inſaniam.*
33 *Ex morbis longis aliquando fit inſania.*
34 *Venena quædam inſaniam concitant.*
35 *Incantationibus excitatur inſania.*
36 *Teſtes de inſania deponentes, qua deponere debeant.*

De Signis non ſanæ mentis.

QUÆSTIO III.

SIgna non ſanæ mentis varia in variis affectioni- 1
bus, atque diverſis ægrotis exiſtunt, neque eadem in iisdem eodem morbo laborantibus reperiri contingit: nõ ſolũ enim varii morbi ſunt inter ſe, ſed etiam idem morbus à ſeipſo varius eſt, ob ſubjectorum varietatem, ægrotantium nimirum temperaturam, humorũ peccantium naturã, miſcellam, ac qualitatem: unde & penè in infinitum variari ſigna non ſanæ mentis contingit: vides enim in Ajace, & Bellerophonte, eodem morbo laborantibus, quàm varia

extiterint

extiterint ſigna eorum inſaniæ, ut adnotat Fracaſt. *lib. 2. de Intell.* nam,

—*Telamonius Ajax*
Arma capit, ſuperosque furens in prælia poſcit.
Jamque hominum hos nunc inſequitur, nunc percutit illos.
At tacitus, mœrensque hominum conſortia vitans
Bellerophon ſolos errat maleſanus in agros;
Bellerophon, quem Martis honos, quem gloria currûm
Per deſerta fugit, nec amor comitatur equorum.

Sic etiam & in reliquis omnibus varii effectus, ac varia omninò ſigna non ſanæ mentis apparent.

2 Sed prudentiſſimè ex mea ſententia à Juriſconſultis generaliter loquentibus firmatum eſt, non ſanam mentem deprehendi potiſſimùm *ex factis, & verbis*, Caſtrenſ. *in l. Idem Julianus, §. conſtat, ff. de leg. 1. n. 7. & ibi quoque.* Jaſon. Caſtr. *item in l. Quidem in teſtam. ff. de cond. inſt. num. 5. & ſeq.* Lanfr. *de depoſit. Teſt. num. 148.* Aretin. *in §. furioſi. Inſtit. de curat. num. 4.* Alex. Tert. *Conſ. 164. num. 5. apud Zilett. in conſ. ultim. Vol.*

3 Grammat. *dec. 2. numer. 2. 5. 4.* Menoch. *Conſil. 82. num. 213. vol. 1.* Rot. *in noviſſim. part. 1. deciſ. 107. num. 5.* Cùm autem actus hic in duplici differentia ſumi poſſint, nam quidam corporei ſunt, quidam verò qui civiles dici non injuriâ debent, ex utriusque malè, ac non debito modo patratis, ſigna habere poſſunt non ſanæ mentis. Quoad corporeos namque actus patet, dementes facilè deprehendi, ut cùm ambulantes lutum non devitant, nec malos paſſus; aut cùm videntur ambulantes ire, non quò finis aliquis determinatus, ac certa volûtas, ſed quò pedes illos ducunt, aut cùm actus quosdam abſurdos & inſulſos effingunt, ut os diſtorquentes, torvis oculis intuentes: membra atque univerſum corpus irrationabiliter agitantes, & commoventes; ex ſolis enim hujusmodi geſtibus, ac motibus inconcinnis (nam voce orbatus erat) deprehendit Hipp. 5. *Epidem. text.* 106. quendam deliraſſe; & apud Juriſconſultos lapides projicere, pro ſigno habetur non

4 ſanæ mentis. Caſtrenſ. *in l. ſi cum dotem, §. ſi maritus, ff. ſolut. mat. n. 4.* unde Plaut. *in Captivis, Act. 1. Scen. 4.*

Jam illic hic nos inſectabit lapidibus, niſi illum jubes comprehendi.

5 & in ſumma per hos actus extrinſecos probari dementiam, firmant etiam ipſi Juriſperiti. Petra *de fideicommiſſ. quæſt. 12. n. 343.* Menoch. *de præſumpt. præſumpt. 45. num. 21.* Simon. de Pet. *de conject. ſolut. 4. num. 4.* Sfortz. Odd. *Conſil. 93. n. 12.*

6 *Apertiùs* porrò ſignificatur dementia ex civilibus actibus: nam ſi quis, *exempli gratiâ*, quos debet non ſalutet, neque revereatur; infimas verò perſonas, & quas non debet, honore afficiat; illarum quidem conſuetudinem devitet, harum verò affectet; cùm

7 ipſe in priorum numero exiſtat, hic procul dubio fatuus, ac demens præſumi poteſt. Ex qualitate diſpoſitionis teſtamentariæ magnam conjecturam, imò nulla alia majorem ſanæ mentis novit Rota *in Tiburtina hæreditatis 1637. coram Carillo num. 31. & in Melitenſ. Teſtamenti 1612. coram Manzanedo n. 12.* Sic ſi bona ſua donet quis, cui non debet, in hoc enim caſu fatuitas potiùs præſumitur, quàm donatio. Petr. Gerard. *de Pet. ſing. 56. n. 1.* Malvaſia *Conſil. 116. num. 23. vol. 1.* Mantica *de tacit. & ambig. l. 13. Tit. 9.*

8 *num. 5.* Rotum. *deciſ. 662. num. 8.* apud Farinac. *p. 3.* nam hoc per ſe ſolum eſt apud Juriſconſultos ſignum fatuitatis, donantem quippe omnia bona ſua, ſtultum, ac dementem præſumi volunt Menoch. *de Arbitr. Judi. cap. 68. num. 4. lib. 1.* Pariſ. *de reſignat. benef. lib. 9. quæſt. 19. num. 7.* Farinac. *reſponſ. crimin. 42. num. 29. lib. 1.* unde prudenter Achilles apud Homer. *Iliad. l. 20.* Æneæ objicit, ne ſperet ſe à Priamo reportaturum regni honorem, ipſum Achillem occidendo, inquiens:

—*At ſi me interfeceris,*
Non tibi propterea Priamus honorem in manibus ponet.
Sunt enim ei filii, ipſe autem ſana mente eſt: non ſtultus.

Quaſi dicat, non debes hoc ſperare à Priamo, quia ipſe filios habet, & ſanus mente eſt, idcircò non adimet filiis propriis honorem, ut illam tibi tradat. Prudenter enim non facit, qui extraneum conjuncto præfert. Rota *deciſion. 639. num. 4. part. 1. in noviſſ.* Unde ſtultitiæ & inſipientiæ notatus eſt Claudius Imperator, quòd Dominum Neronem adoptaverit, cùm Britannicum legitimo matrimonio natum haberet.

Porrò ex *verbis* deprehenditur etiam mentis in- 9
conſtantia, & ex hoc nomen ſibi ſumpſerunt fatui, quia fando, hoc eſt, loquendo fatuitatem ſuam ma- 10
niſeſtant. Bartol. *de teſtib. num. 98.* Ripa *in Lex facto de vulg. & pupil. num 82.* ſed hoc plurifariam contingit, nam & ex verborum qualitate, & ex eorum ordi- 11
ne, & ex modo loquendi indicia non ſanæ mentis 12
habentur. Ex qualitate enim verborum notiſſimum eſt deprehendi inſanos; nam fatuus eſt, qui fatua loquitur, ut ſuprà dixi: & alii Juriſconſulti teſtantur. *Facit l. Idem Julianus, §. conſtat, ff. de leg. 1.* Alex. 13
conſ. 86. n. 5. vol 3. Gloſſ. *in cap. legimus ex Iſaia 1. par. decret. diſt. 83.* Ruin. *conſ. 169. n. 4.* 14

Ex ordine verborum ſignificatur dementia, & idcircò furioſus, ac demens præſumitur apud Juriſconſultos, qui neſcit exprimere quid velit, ac inordinatè loquitur, Alex. *in l. Si cùm dotem, §. ſi maritus, ff. ſolut. matrim. n. 7. & conſil. 54. n. 4. vol. 1.* Jaſ. *in l. Furioſum. C. qui teſt. fac. poſſ. n. 4.* Afflict. *dec. Neap. 365. n.* 3. Rota *in noviſſ. dec 107. n. 5. part. 2.* Ordinem etiam 15
verborum reſpicit reſponſio ad propoſitum, item & locutio: unde non loquentes, aut non reſpondentes ad propoſitum, fatui, dementes, ac furioſi præſumi poſſunt. Idem Jaſ. *in l. apud Julianum, §. conſtat. ff. de leg. 1.* Grammat. *dec. 2. num. 5.*

Ex *modo loquendi* cognoſcitur inſanus, quia ſi quis ſua natura audax, & impudens, in morbo exempli 16
gratia, meticuloſus appareat, ac modeſtè loquatur, & reſpondeat, vel è contrà modeſtus, ac prudens, mitisque audacter & impudenter, ſignum non ſanæ mentis eſt. Gal. *Com. 2. in 6. Epid. text. 43. claſſ. 3.* & non ab re Hipp. 1. *Prorrhet ſent. 44.* & *ibi* Gal. *comm. 2. text. 9.* & Vall. *in 7. Epid. text. 3.* ex audaci reſponſo ab homine compoſito & miti, malum portendunt, quia in phreneſim lapſum demonſtrat, nam ut idem Hippocrat. *in Coacis Prænot.* dicebat, *Inſtituere, ac velle ea, quæ prius non conſueveras, aut contrarium iis, quæ fuerint conſueta, malum, & proximum dementiæ.*

Advertendum tamen eſt, quòd interdum ex ægrotantibus nonnulli ſunt, qui febricitantes, præſertim ex febris vehementia, & ex elevatione calidorum vaporum ad caput, multa verba minùs ad rem facientia effutiunt, tamen neque amentes, neque phrenetici ſunt. Ejus rei evidentiſſimum ſig- 17
num eſt, quòd admoniti, vel etiam ex ſeipſis facilè cognoſcunt, ſe in loquendo errare; in quibus non haberet locum procul omni dubio probatio non ſanæ mentis, ex hoc quod multa verba malè & extra rem protuliſſe à circumſtantibus auditi eſſent, & idcircò non poſſent damnari actus ab hujuſmodi ægrotantibus celebrari, tanquam

ab amentibus procedentes, ut latiùs infrà dicturi ſumus.

Advertendum *ſecundò*, contrario prorsùs modo
18 evenire in aliis quibusdam qui cùm verè amentes ſint,& interdum quoque furioſi,aut phrenetici,tamen prudentiſſimè loquuntur, & interrogati ad rẽ reſpondẽt,quod ex Juriscõſultis animadvertit Menoch. *conſ.* 82. *num.* 234. *vol.* 1. Rota *in noviſſ. deciſ.* 107.*n.*11.*& deciſ.*129.*num... part.*2.& monent ex noſtris practici nonnulli,Vall. *in* 3. *Epid. Sect.* 2. *Ægr.* 11. hi tamen ex factis convincuntur, ut eadem Rota dicit, *deciſ. eod.* 107. *n.* 22.

20 *Tertiò* advertendum, non omnes dementes circa omnia errare,quoſdam enim circa omnia,quoſdam circa plura,alios verò circa pauca quædam ſolummodò errare conſtat:imò ex illis nonnulli ſunt,qui in nulla re,ſi unam tantùm excipias,errant,ſed omnia prudenter, vel ut ex natura illis mos eſt, operantur; ſunt enim qui ſine capite eſſe,ac vivere ſe credunt,hoc in uno malè ratiocinantes,in reliquis non ita. Sic & alii, qui ſe mortuos omninò putant,aut in aves,aut beſtias transformatos;non ſecus etiam ille,qui in apice digiti mundum ſe gerere perſuaſum habebat, quem ſi tantillum moveret, mundũ ruiturum credebat;& alter,qui meiere recuſabat,eo quod timeret,ſi meieret, mundum univerſum unà cum ſe ipſo mictionis propriæ exundante torrente obrutum iri: hi omnes,inquam, in cunctis benè quoad rationem ſe habebant, in hoc uno delirantes;quam rem non injucundo exemplo lepidiſſimè his carminibus demonſtrat Horatius *lib.*1. *Serm.*

---- Fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo ſolus ſeſſor plauſorque Theatro,
Cætera; qui vitæ ſervaret munia recto
More bonus ſanè vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno laſæ non inſanire lagenæ;
Poſſet qui rupem, & puteum vitare patentem.

Et habetur hæc eadem hiſtoria apud Ariſt.*de admir. audit. num.* 30

In his tamen omnibus manifeſtam adfuiſſe inſaniam quis non videret?Videndum ergo *Juriſconſultis* eſt,ne ex ſermonibus dementis teſtes de ſanitate deponentes decipi potuerint: imò etiam ex factis:nam,ut vides in hoc proximo exemplo,omnia interdum non modò cum prudentia,ſed etiam cum providentia inſani gerunt;tamen manifeſtum eſt, illos in quibusdam particularibus apertiſſimè inſanire,ad cujus rei confirmationem non minùs jucundam, quàm riſu dignam *hiſtoriam* enarrare animi gratiâ libet. Vir quidam experiendi varias hujusmodi inſanorum demẽtias cupidus, Hoſpitale,ubi tales ægrotantes retinentur,adit,cui fit obviam vir aſpectu ſatis compoſito, à quo interrogatus quidnam expoſcat, illi deſiderium ſuum exponit; itaque comiter ab illo introducitur,& ſingulorum demẽtium opiniones, ac phantaſmata quædam riſu, alia miſeratione digna concinnis verbis, ac ſapiẽter exponit, Hoſpitalis illius inſtituta, ac conſuetudines revelat, quinetiam incidenter multa nonniſi magna cum prudentia,& integro diſcurſu diſcutit. Ventum jam erat ad quandam remotam ejus Hoſpitalis partem, ubi virum quendam cogitabundum,ac triſtem offendunt: quærit advena, quidnam morbi ille patiatur,quæ ſit ejus dementia,tum ille,Hic homo, inquit, præ cæteris inſanit, putat enim ſe eſſe Spiritum Sanctum;ſed vide quàm à vero abũt,cùm me ipſum hic præſentem habeat,qui verè Spiritus Sanctus ſum:tunc advena ſubridens, & hominis prudentiã in cæteris, dementiam circa eam opinionem admiratus,abiit.*Cæterùm* præter ſigna dementiæ,quæ univerſaliter ex factis,& verbis deſumuntur,& quæ paſſim Juriſconſulti adducunt alia ſunt,quæ multò magis ad vivum rei naturam 21
patefaciunt, à Medicis propoſita, quæ partim ex animi paſſionibus,partim autem ex faciei, & corporis aſpectu, ac partim denique ex quibusdam ab extrà accidentibus habentur.

Primò verò ac potiſſimùm hæc ſigna ex animi 22
paſſionibus habentur; unde prudentiſſimè, ut in cæteris omnibus Hipp.6.*Aphor.*26.& Gal. 3. *de loc. aff.cap.*7.*claſſ.*4.firmabãt,timorem, ac mœſtitiã abſque cauſa longo tẽpore perdurantes, melancholiã oſtendere.Nec minùs quoque inſaniam oſtendunt riſus,& lætitia abſque cauſa, vel in iis, in quibus minùs licet idem Hipp.*Epiſt.*10.*ad Damagetum*,unde Homer. cùm introduceret Penelopes procos inſanientes *Odyſſ. l.* 20.

-- Procis autem (dicebat) *Pallas Minerva*
Inextinctum riſum movit, errare fecit autem mentem.

Eodem quoque pacto fletus absque cauſa, & ubi minùs opus eſt, inſaniam oſtendit, & interdum ebrietatem: unde idem Homer.

Dicat autem lachrymas ſpargere gravatum me
mentibus vino.

Sed nihil profectò eſt, quod æquè declaret amen- 23
tem hominem, ac ipſæ animi paſſiones, etenim ipſæ nunquam fallunt, quemadmodũ & verba, & facta fallere poſſe ſuprà jam demonſtravimus.Itaque negligere non negligenda, & plurimi facere ea, quæ minimi facienda ſunt; triſtari ubi gaudendum eſt, gaudere ubi triſtitia opus eſt; timere quæ nullius timoris cauſa exiſtunt; non timere quæ maximè timenda ſunt;minima ac puerilia admirari,maxima & admiratione digniſſima oſcitanter prætergredi;amare ea,ac eos,quæ,aut qui odio habendi ſunt;odio autem habere ea,vel eos, quæ, aut qui amore ſunt proſequendi; ſperare ea, de quibus ſpes nulla ſupereſſe poteſt: ea verò deſperare,que de facili ſuccedere parata ſunt; deſiderare quæ minimè ſunt deſiderãda,ac in his delectari,in quibus nulla delectatio cæteris eſſe ſolet,fugere quę appetenda ſunt, & appetere quæ ſunt fugienda; verecundari in eorum conſpectu, quorum minimè decet,in eorum verò quorũ decet maximè,non modò non verecundari, ſed aſpectum eorum audacter, ac cum temeritate ſuſtinere; iraſci quibus minimè iraſcendum,aut excandeſcendum eſt.Hæc omnia, inquam, non ſanæ, ac omninò errantis mentis humanæ certiſſima indicia ac infallibilia ſunt.Quod & Hipp.inſinuaſſe videtur. 1.*de vict.rat. verſ.*1.neq;putaverim aliud innuiſſe prudentiſſimos Juriſconſultos,cùm in terminis furoris loquentes, determinarunt,illum probari per ea quæ in hominem ſanæ mentis non cadunt. Royz. *deciſ. Lituan.* 1. *num.* 87.

Cæterùm ex corporis aſpectu,& facie nonulla ſigna non ſanæ mentis Medici elicimus:nam in omnibus ferè inſanientibus (fatuis fortaſſe ſolùm,eorũque cognatis exceptis)illud præcipuè adnotatur, 25
oculos nimirum profundos ac concavos exiſtere, & naturali lumine offuſcatos, ita ut terrorem quẽdam intuẽtibus,incutiãt: quin & eos in certa quadam parte defixos,inconniventeſq;longo tempore habere inſani ſolent, quod eorum maximè mœrorem ac mœſtitiam incuſat.Qui autem ex atræ bilis vitio inſaniunt, omnes vultum ac corporis univerſi colorem fuſcum, ac lividum habent ex

humoris

humoris melancholici ſuperabundantia, ac prædominio. Afferebat item Hip. 2. *Epid. ſect.* 5. *text.* 16.
26 pro furoris ſigno fortem arteriæ in cubito pulſationem, ex cujus quiete ſtupiditatem indicari dicebat, ſed hæc leviora ſunt.

In his potrò, qui *per circuitus* inſaniunt corpus univerſum extraneo colore repentè, cùm acceſſio inſtat, imbuitur; unde Plautus *in Captivis* ex hoc quem in furorem agi demonſtrabat, *Act.* 3. *Scen.* 4. dicens:

— *Ardent oculi: ſune opu'ſt, Hegio,*
Viden'tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bile agitat hominem.

Similiter & *in Menæchm. Act.* 5. *Scen.* 2.

Viden'tu illi oculos virere? ut viridis exoritur color.
Ex temporibus, atque fronte! ut oculi ſcintillant! vide.

27 Accedit in his ipſis, imò præcedit capitis gravedo, oculorum concameratio, & offuſcatio ſolito major, venarum capitis tumefactio, & non conſueta nigrities, poſt quæ in inſaniam manifeſtam irruunt, taciturni primùm evadentes, & in ea quidem taciturnitate permanentes, ſi melancholia detineantur; quòd ſi in maniam ac furorem incidere debeant, primùm ſecum ipſis obloquuntur, paſſillis quibuſque ex cauſis irritantur, omnia ſuſpecta habent, mox irrationabiliter clamant, ac multa efficiunt. In quiete ſunt melancholici, utpotè meticuloſi, pavidi, triſtes, ac omnia pertimeſcentes; in perpetuo autem motu ſunt maniaci, & id genus alii, utpotè audaces, itacundi, temerarii, nihilque expaveſcentes.

28 Sunt & in febribus, ac ſimilibus quibuſdam morbis ſua ſigna particularia, & Hip. *Aphor. ſect.* 2. *Ap.* 6. & Gal. *ibi in comm.* ſignum ægrotantis mentis dicebat eſſe, dolorem non ſentire; *Quicumque enim*, inquit, *aliqua parte corporis dolentes omninò dolorem non ſentiunt, iis mens agrotat.* Unde prudenter paſtor ille apud *Guarinum in ſua Tragicomœdia act.* 5. *ſcen.* Montano exprobranti illi per hæc verba:

Il ſouerchio dolor t'hà falto inſano

Ad rem maximè reſpondet,

Non ſentirei dolor s'io foſſi inſano.

Experimur id Medici ſæpè ſæpius; cùm languentes ex pleuritide, hepatis, aut lienis inflammatione, aut alia ſimili diſpoſitione dolorem cauſante, in pejus declinant, dolore enim levati, ac ſibi ipſis, ac cæteris ſanati tum videntur, cùm deteriùs habeant; atque ii quidem, ut ex hoc ſigno conſtat, mente læſi commoriuntur, quod admonitos Juriſconſultos volo, cùm hæc præſumptio, atque id ſigni non minimum faciat ad probationem non ſanæ mentis, ut patet.

29 *Denique* habetur notitia non ſanæ mentis, ex quibuſdam ab extra advenientibus; inter quæ connumerandæ ſint cauſæ quædam prægreſſæ, quæ interdum eam vim habent ut homines ad inſaniam facilè agant, quas enarrant omnes practici, inter quos videri poſſunt *Alex. Ben. Maſſaria, Cappiaccius, Altimarus, Mercurialis, & alii* mille locis aliàs citatis. Et quia non parùm faceret ad dementiæ probationem pro Juriſconſultis, ſi talès cauſas præceſſiſſe in eo, qui demens præſumitur, probaretur, idcircò eas hîc ſubnectere, non ab re eſt.

30 Solent autem maximè, & frequentiſſimè homines ex intenſa aliqua animi paſſione antecedente in inſaniam labi, ut ex ingenti mœrore, ex improviſo metu, quin etiam ex ingenti & improviſa lætitia:
31 nam ex Plat. 3 *de Repub.* Voluptas non minùs, quàm dolor, dementem facit. Sunt qui inſanire occipiant
32 ex affectata quadam dignitate, non ſecuto dehinc, ut ſperabant, effectu. Nonnulli ex amoris impatientia mente ſunt emoti, nam amor ſubvertit judicium & in inſaniam vertitur, tradunt ex Juriſperitis Bald. *in l.* 2. §. *& cùm placuiſſet, ff. de origine Juris.* Maſcard. *de Probat. concl.* 86. *n.* 10. *vol.* 1. & ex Medicis Avicenna 1. 3. *tr.* 4. *c.* 33. Gordon. *in lil. lib.* 2. *c.* 20. Valeſc. *lib.* 2. *Philon. cap.* 20. Jaſon. Pratenſ. *de morb. cerebri, cap.* 19. recitat plures caſus Amat. Luſit. *cent.* 3. *Curat.* 56. unde adoleſcens ille apud Plaut. *in Trucul. Act.* 1. *Scen.* 1. non abſque phreneſi, ſed prudenter quidem dicebat:

Nam mihi hæc meretrix, quæ hîc habet, Phronoſium,
Suum nomen, omne ex pectore emovit meo,
Phroneſim: nam phroneſis eſt ſapientia.

Sed de *amore* plura, annuente Deo, in ſequentibus quæſtionibus dicemus, [quibus jungatur *Horſtius* de amore.]

Solent inſuper quidam ex *morbo quoque longo* in- 33
ſanire, ac infatuari; itaque ſi talia præceſſiſſe probarentur, inſaniæ præſumptio aliqua adeſſe poſſet, quæ aliis adminiculis adjuncta nonnihil ad plenam probationem augendam faciet. Sunt præter hæc nonnulla, quæ in homine mentis occaſum afferre ſolent, ut venena quædam, exempli gratia, cerebra nonnullorum animalium, ut cati, felis, veſpertilionis, leonis, urſi, & aliorum comeſta, ut Concil. *lib. de ven. cap.* 1. Alex. Bened. *lib.* 1. *prac. cap.* 18. ſic etiam liquores, vel cibi à fulmine tacti bibiti, vel comeſti, ut tradunt Philoſophi in Meteorolog. Javell. 6. *Meteor. c.* 4. Porta, *de Aër. tranſmut. lib.* 3. *c.* 14. Alph. Ferr. *de Sclopet. Vulner. lib.* 1. *cap.* 4. eodem pacto eundem affectum patere magnetem tradunt Conciliator, Albertus, & alii, de quo tamen, & de his omnibus *in libro de venenis.* Quin etiam in- 35
cantationibus, & præſtigiis quidam mentis occaſum experiuntur: unde eſt illud Juvenal. *Sat.* 6.

Hic magicos affert cantus, hic Theſſalia vendit
Philtra quibus valeant mentem vexare mariti,
Et ſoleâ pulſare nates quod deſipis, inde eſt,
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modo geſſiſti: tamen hoc tolerabile, ſi non
Et furere incipias.

Quod etiam teſtantur Medici, inter quos vide Alex. Bened. *ubi ſuprà.* Ubi igitur, quem malefici atum eſſe conſtet, aut aliquo prænominatorum, vel ſimili veneno potionatum, jam de mentis læſione præſumptiva ſigna habebit Judex, quæ aliis adjuncta, urgentiſſima futura ſunt. Jam verò ex his colligunt Juriſperiti, quænam conſideranda ſint, ubi de aliquo judicium ferendum, an inſaniat, necne, & quid oporteat teſtes deponere, per quos dementia ſit probanda. *Primò*, enim facta, ac verba, ut illis placet, inſpicienda. *Secundò*, animi paſſiones. *Tertiò*, ſigna à Medicis tradita. *Quartò*, cauſæ prægreſſæ, quas evidentes, procatarcticas, extrinſecas, & antecedentes nominamus, hæc enim omnia ſignorum vicem gerunt in adminiculanda dementia. Cæteras verò præſumptiones, quibus utuntur Judices, tanquam ad rem Medicam non pertinentes, libens omittam.

SUMMARIUM.

1 *Non omnes ſimul facultates à dementia afficiuntur.*
2 *Multa locum habent in ratione læſa, quæ minimè habent locum in læſa ſola memoria.*
3 *Non habent locum in medicamentis læſiones, quæ locum habent in læſione magna.*
4 *In quibuſdam dementiis ſola imaginatio læditur, ſalva ratione, contrarium n.* 22. 39.
5 *Ex imaginationis læſione nulla oritur dementia.*
6 *Imaginatio læditur in aliis morbis, quàm in dementiis.*
7 *Dormientes inter inſanos non connumerantur.*

8 *In imaginatione nullus error.*
9 *In inſania quomodo læſa poſſit imaginatio.*
10 *Species Phantaſiæ oblatæ per alium ſenſum, quàm per viſum minus efficaces ſunt.*
11 *Mentis oculi tunc acutè cernit, cùm primùm corporis oculus vigorem ſuum amittit.*
12 *Si ſolus error imaginationis ſufficit ad dementiam, omnes homines erunt dementes.*
13 *Imaginatio eſt libera facultas.*
14 *In imaginatione nullus aſſenſus, vel diſſenſus.*
15 *Imaginatio aboleri non poteſt vivente homine.*
16 *Imaginatio, ſi poſſet aboleri, quando aboleretur.*
17 *Ad actum imaginandi quæ requirantur.*
18 *Imaginatio fallitur cùm fallunatur ſenſus.*
19 *Imaginatio non læditur ex culpa phantaſmatum.*
20 *Imaginatio non læditur reſpectu ſpirituum, & loci.*
21 *Imaginatio nunquam quieſcit in animali vivente.*
23 *Intellectus quibus modis diſcurrat.*
24 *Intellectus quomodo decipiatur, ſi utatur exemplo.*
25 *Intellectus quomodo decipiatur utens inductione.*
27 *Intellectus quomodo decipiatur utens ſyllogiſmo.*
28 *Dementia in hoc conſiſtit, quod intellectus non diſtinguit verum à falſo.*
29 *In quacunque dementia læditur ratio.*
30 *Ex rationis diminutione, quomodo fiat dementia.*
31 *Ex deperditione rationis dementia quomodo fiat.*
32 *Ex depravatione rationis, quomodo dementia fiat.*
33 *Falſa rerum ſpecies quomodo in ſpiritibus imprimantur.*
34 *Acquiſita certitudine rei ex iteratis actibus imaginationis falſa ſcientia ejus rei fit, imaginatione falſa exiſtente.*
35 *Inſanientibus idem quod dormientibus accidit.*
36 *Hipomanes quid.*
37 *Inſania etiam in brutis contingit.*
39 *In brutis reperitur potentia ſupplens rationis defectum.*
40 *In quibus dementiis ratio modicè lædatur.*
41 *In quibus dementiis ratio depravetur.*
42 *Dementia, in quibus ratio deperditur.*

Quænam animi facultates, ac qua ratione, in quibuſque dementiis lædantur.

QUÆSTIO IV.

SI quid in hoc titulo eſt, quod ad Juriſconſultos penitùs cognoſcere pertineat, illud profectò eſt
1 quod in hac quæſtione jam diſcutere paramus, nimirùm, quas facultates ex principibus rationi inſervientibus in unoquoque dementiæ genere lædi contingat; neque enim omnes ſimul affici, non Medicorum modò, ac Philoſophorum ſententia eſt, ſed Doctorum omnium. Patet autem, quòd multa procedere poſſunt in iis, in quibus ratio læſa eſt, quæ
2 minimè locum habere deberent, ubi læſa ſola memoria eſſet: quin imò in modica læſione locum
3 non habere ea, quæ in magna habent, nullus ſit qui dubitare audeat. Enixè ergo rogatos Juriſconſultos volo, ut his quæ dicturi ſumus, animum promptè adhibeant; ſiquidem, ſi communi Medicorum opinioni in nonnullis, quæ ad hanc quæſtionem pertinent, acquieſcent, proculdubio malè judicando ſententiam ferent; ea enim eſt omnium Medicorum opinio, eſſe nonnullas dementiæ ſpecies, in quibus
4 ſola imaginatio depravata ſit, ac oblæſa, ſalvis interim cæteris facultatibus, ratione nimirum, ac memoriâ; ita fatentur omnes cum Gal. *de loc. aff. & de ſympt. diff.* & Cornel. Celſus *lib.* 3. *c.* 17. ejuſdem ſententiæ fautor exſtit, & hinc ipſam opinionem videor etiam ſecutos Juriſperitos, qui ex imaginatione læſa oſtendi inſaniam tradiderunt, Menoch. *conſ.* 82. *num.* 121. *vol.* 1.

Sciant tamen tam Juriſconſulti, quàm Medici, me ejus opinionis eſſe, quod ex *ſola imaginationis læſione nulla omninò inſania oriatur.* Facit Rota *in Jibartina Hereditatis*, 1637. *coram Carillo n.* 25. ubi eam
5 non excludere rationis uſum firmat; unde ſi quiſquam ſit, in quo ſalva ratione, & memoria, aut ratione tantum, ſola imaginatio læſa appareat, hic nonniſi maximâ injuriâ inter inſanos connumerabitur, neque abſque ſumma juſtitiæ offenſa à civilib. actib. celebrandis ob eam cauſam prohibebitur, ut ab adminiſtratione bonorum ſuorum, à teſtimonio dicendo, à matrimonio contrahendo, imò & à tutelis adminiſtrandis, imò etiam à promotione ad ſacra, & aliis quibuſcunque; quæ ne temerè, & audacter prolata quiſquam exiſtimet, evidentiſſimis jam ac demonſtrationum vim habentibus argumentis ita eſſe paratus ſum oſtendere.

Ac *primò*, cùm imaginatio ex omnium Medico- 6
rum conſenſu non lædatur ſolummodò in nonnullis dementiæ ſpeciebus, ſed in aliis etiam quibuſdam morbis, qui neque inter dementias connumerantur, neque connumerandi ſunt, jam patet, quòd nulla alia ratio aſſignari poteſt, cur duo ægrotantes ambo malè imaginantes, non ambo tamen inſanire dicantur, ſed alter inſanire quidem, alter verò ſimpliciter malè imaginari: nam vertiginoſis omnia in gyrum verti videntur, cùm tamen immota maneant; ſuffuſis multa ſibi ob oculos verſari, cùm tamen nihil illis objiciatur; ictericis omnia luteo colore infecta apparent, cùm tamen omnia ſuo naturali colore donentur. In his ergò læſam eſſe imaginationem, & ex ſe conſtat, & omnes fatentur, ac, ſi libet, vide Mercur. *lib.* 1. *pract. cap.* 11. & Maſſar. *lib.* 1. *cap.* 10. tamen neque vertiginoſi, neque ſuffuſi, neque ictérici inter inſanos à quoquam connumerantur, aut unquam pro inſanis connumerati ſunt, quod minus eſſe deberet, ſi læſa tantùm imaginatione homo inſanus evaderet.

Secundò, dormientes, licèt compotes rationis non 7
ſint, inter inſanos tamen non recenſendi, quia ratio in his ex naturali impedimento ſui juris non eſt. Fracaſt. *de Intell. lib.* 2. vel ſi inſanos dormientes dicas, non ob id dicendum, quia imaginatio malè operetur; quis enim tam fatuus eſſet, qui hoc affirmaret? Imaginatio enim in ſomno maximè libera eſt, & tum naturæ ſuæ indulget, tum fortior in operando, tum rectius operatur, etiamſi ſpecies ſenſibilium rerum in ea aſſervatas irrationabili modo contempletur; etiamſi non entia cum entibus adjungat; etiamſi entia ipſa diverſa, ac contraria ratione inſpiciat; etiamſi ictu oculi in diverſa, ac inter ſe toto cœlo diſſidentia rapiatur; etiamſi impoſſibilia, ac miracula ſibi fingat: nullus enim in his error eſt, ac nulla conſequenter inſania, quia ex ſui natura eo pacto nata eſt operari. Et, ut cum Actuario loquar, *lib.* 8
1. *de act. & eff. ſpiritus anim. Tantum erroris, ac veſaniæ imaginationi (naturaliter) ineſt, ut quacunque naturæ conceſſa non ſunt, ut efficiantur, ipſa ſibi liberè fingat, & quidem in turpiſſima nos hac errata conjiceret, niſi Ratio, quaſi ſpeculatrix quædam inſanos hujuſce impetus acriter objurgans, velut ex ſpecula quadam nimietatem cohiberet.* Hæc Actuarius.

Tertiò, ſi inſania, aut dementia quacunque ponamus lædi imaginationem, jam procul omni dubio, uno ex his lædetur; nimirum quia vel diminutè operabitur, vel depravatè, vel nullo modo: At nullo ex his modis læſa imaginatione, poteſt dici hominem inſanire. Patet primò de diminuta imaginatione, quâ ſi in aliquib. diminutâ reperiri cõtingat, maximè erit in his, qui cæci ſunt, à natura præſertim; & ratio eſt, quoniã ſpecies phantaſiæ oblatæ per alios ſenſus, quàm per viſũ, non adeò ad vivũ exprimere poſſunt rerũ imagines: inter omnes enim ſenſus viſus longè magis diſtincta præſentat phantaſmata ſenſibilium rerum, ut Frac. *lib.* 1. *de Intel.* docet & multò ante ipſũ Hip. 1. *de vict. rat.* in his verb. *Acuta enim ſunt animi ſenſationes, qui viſione, & auditione*

perci

percipiuntur, quæ verò tactu, tardiores, & facilius ſentiuntur, maximè ad rem Horat. *in arte Poet.*

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Quæ etiam ſententia à Juriſconſultis in medium allata, præcipuè autem à Roderic. *Pract. crimin. Reg. tit. 4. c. 6. numer. 2.* & à Caſſan. *in Catal. pagina 10. com. 25.*

11 At cæcos quiſnam inſanos dicat? imò externa cæcitas majorem interni oculi claritatem facit: *nam tunc quidem mentis oculus acutè incipit cernere, cùm primùm corporis oculus vigorem ſuum amittere incipit*, verba ſunt Platonis *in Convivio, in Orat. Alcib.* Secundò, imaginatio lædi poteſt depravatè, at quomodò? Reſpondet Mercurial. *ubi ſuprà*, & cum eo cæteri omnes, cùm abſurda, & non exiſtentia imaginatur; vel cùm imaginatur quidem exiſtentia, ſed diverſo, ac turpiori modo. At ſi hoc illud eſt, quod ſufficit ad inſanos homines effingendos, de nobis acta jam res eſt: ſiquidem omnes ſimul ſæpè ſæpius inſanire neceſſe eſt, ut qui ſæpè ſæpius non exiſten-
13 tia imaginemur, & exiſtentia interdum non eo modo, quo ſunt. Quis eſt, qui non imaginetur interdum videre ſe volantem hominem, Centauros, Sphinges, Gorgones ac quamplurima monſtrifica, & horribilia quæ nec unquam in rerum natura fuerûnt, nec futura ullo tempore ſunt? Imaginatio quippè libera quædam facultas eſt, quæ ſpecies ſibi ab externis ſenſibus tranſmiſſas conſervat ac retinet; cùm autem libuerit, ac qua ratione libuerit, eas contemplatur: componit eas ad invicem, etiamſi ſint incompoſſibiles, dividit, etiamſi ſint indiviſibiles; entia cum non entibus miſcet, neque tamen aberrat, aut ob id depravata dici poteſt, quia nullus in eo aſſenſus, neque ſuum munus eſt judicare res hoc, aut illo modo eſſe, aut non eſſe, ſed ſimpliciter
14 phantaſmata intueri. Non eſt igitur quòd quæramus modum rationabilem imaginandi, quia idem eſſet, ac ſi expiſcari piſces in aëre, aut aucupari volucres in mari tentaremus. Non inſanit ergo imaginatio, ſed ratio: quonam enim pacto, ſalva ratione, quis inſanire poſſit? impoſſibile enim illud eſt, & ad rem factu impoſſibilem ſignificandam Terent. *in Eunuch. Act. 1. Scen. 1.* iis verbis uſus eſt.

— Incerta hæc ſi tu poſtulas
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

Denique imaginatio lædi poſſet per abolitionem, ſed in quibus morbis aboleatur imaginatio ego non video; nam aliàs ex Averr. *in lib. de ſomn. & vig.* &
15 ex cæteris Philoſophis habemus, nunquam, anima-
16 li vivente, imaginationem aboleri. Quod etiamſi contingere poſſe concedamus; maximè aboleri deberet in ſomno, & in ſoporiferis quibuſque affectib. Et ratio eſt, quia in his paſſionibus ſenſus exteriores obligari, ac veluti vinculis detineri contingit: at cùm ex his miniſtrentur ſpecies imaginabiles ipſi imaginationi, patet, quòd his deficientibus, etiam imaginatio deficiat neceſſe eſt; quin etiamſi velis, ſpecies per longum tempus in imaginatione aſſervari, tamen ſi hæ obliterentur, ſpes eſt in cæteris affectibus, quòd ex ſenſibus exterioribus reparari poſſint, quæ ſpes deficit in ſomno naturali; at in his affectibus rationem, & memoriam lædi tradit Gal. 3. *de loc. aff. c. 5. claſſ. 4.* Non me latet autem, eundem Gal. *de ſympt. diff. c. ult. claſſ. 3.* docuiſſe, in Caro, & Catalepſi, qui affectus ſoporiferi ſunt, aboleri imaginationem; ſed hoc gratis dictum ex hoc colligere poſſumus: nam quis hoc vidit, aut ex quibus id ſcire poſſumus? num ab ipſismet ægrotantibus, cùm ſanati ſunt? at hi nullam rerum memoriam omninò ſervant, ut ex ipſomet Gal. patet, & evidentiùs declarat experientia. Adde quòd ex ipſorum Medicorum univerſali conſenſu in ſimilibus affectibus capitis poſteriora læduntur: quanam ergò ratione oblædi poteſt imaginatio, quæ in anterioribus ſita eſt? nam ad id Mercurialis reſponſio *Pract. libro primo, cap. 8.* vana omninò videtur, neque quicquam rei difficultatem attingere; reſpondet namque ille, quòd etiamſi præcipuè lædantur poſteriora, tamen lædantur etiam cum his anteriora: ſed unde hoc ille habeat, quod erat enucleandum ſicco pede tranſegit.

Ergo, *objiciet Medicus*, ex hac ſententia nullo modo poterit lædi imaginatio; at quomodò non lædetur interdum, ſi organo adjuncta eſt? ſi ergò lædatur, doceas quemnam affectum efficiat imaginatio læſa, cùm ex re inſaniam non generet. *Reſpondeo*, 17
ad efficientiam actus imaginandi requiri ſenſus externos, tanquam cauſas ſubminiſtrantes phantaſmata, non ſimul cum actu imaginandi, ſed ante;
phantaſmata rerum ſenſibilium, ſpiritus ea phantaſ- 18
mata recipientes, & locum, in quo fiat imaginatio. Jam verò quoad ſenſus, fallitur quidem imaginatio; ſed cùm falluntur ſenſus. Avicenna 3. *tract. 4. capit. 9.* ſed error hic non eſt reſpectu imaginationis, ſed reſpectu ſenſuum. Quoad phantaſmata
imaginatio lædi non poteſt; quia phantaſmata, ſi 19
ſenſus bene diſpoſiti ſint, ad ipſam imaginationem vivida, ac valida præveniunt, & res ſenſatas ad vivum illi repræſentant. Neque reſpectu ſpirituum 20
aut loci, dixerim oblædi poſſe imaginationem, quia & ſpiritus multitudo ingens in ventriculis anterioribus cerebri, in quibus viget imaginatio, cùm in iis fons ſit & origo omnium ſpirituum animalium, & locus ampliſſimus & capaciſſimus, ut teſtantur Anatomici omnes, & vide, ſi libet, *Veſalium, Columbum, Laurentium*, & alios, ita ut nec facilè obſtrui, nec obrui poſſit, & ob id ſapienter ab *Averroe* firmatum eſt, imaginationem nunquam quieſcere animali vivente, ut ſuprà dixi. At verò aliquem 21
alium oblæſionis modum excogitare liceat, pro nûc non determino, cùm ſatis mihi illud ſit, ex imaginationis defectu, ac errore nullam cauſari dementiam, cùm ipſa per ſe ſola errat, ſi modò unquam errat. Neque *obſtant* exempla adducta, ut à Galeno *locis citatis* inter Medicos, & inter Juriſperitos, à Menochio *Conſil. 82. à numer. 121. ad plures ſeqq.* ex quibus probare ſe credunt, oblædi interdum imaginationem in inſania, aut dementia quacunque, non oblæſa ratione: nam ea exempla perpendenti clarum fiet, magis facere pro noſtra ſententia quàm pro contraria. Sume enim mihi *Theophilum* illum de quo Galenus, qui cùm ægrotaret, tibicines in angulo domus extare imaginabatur, indeſinenter, ſemper, & indefeſsè canentes, quos ut domo abjicerent, aſſiſtentes enixè rogabat: in quo caſu, patet, *inquiunt*, quòd imaginatio erat læſa, quia imaginabatur ſe videre ea, quæ non videbat; rationem tamen illæſam fuiſſe conſtat, quia rectè inculcabat illos eſſe domo detrudendos. At ego, ſi ratio, *inquam*, in illo integra fuiſſet, & errorem imaginationis, tanquam ſuperior potentia cognoviſſet, & tunc inſanus non fuiſſet, ut verè erat: An non ratio in ſuo vigore perſiſtens judicare poterit, imaginationem errare? nam nonne præter rationem erat, ut moleſti illi tibicines, indeſinenter, injuſſi, ac ipſo ægroto invito, & eorum cantum faſtidiente, canerent; an non ratio dictare debuiſſet, eſſe ſibi amicos, ac ſervos, qui, re ita ſe habente,

habente in tantula re ſibi morem gererent, impudentes illos tibicines domo exire compellentes? at quia ratio ſana non erat, hæc minimè dijudicare potuit, ſed errorem imaginationis ſecuta, vel potiùs, quæ repræſentabat imaginatio pro veris acceptans, & quia læſa, vera à falſis diſtinguere impotens, evidentiſſimum ſuæ valetudinis ſignum præbuit. Nam etiamſi Medicis lædi imaginationem
22 concedam, tamen homo inde inſanus non fit, niſi quouſque præſentatio falſo quodam phantaſmate ipſi rationi, illa falſitatem illius non agnoſcat, ſed pro vero acceptet; itaque facta præſentatione hujus phantaſmatis, tibicinum nimirum canentium, & acceptato à ratione pro vero, & veram rem præſentante, jam ratio formata hac propoſitione: Tibicines ſunt in angulo domus aſſiduè canentes, & me ſummo tædio afficientes, elicit concluſionem, illos eſſe domo abjiciendos. In quacunque enim dementia, in qua falſæ imaginationes ægrotis præ-
23 ſentantur, intellectus ſemper diſcurrit, non ſemper tamen uno modo, ſed aliquâdo exemplo, interdum Enthymemate, aliàs Inductione, quin imò etiam & Syllogiſmo utitur; ſemper tamen vel ex falſitate præmiſſarum falſum concludit, falſitatem autem non cognoſcit, quia non ſana eſt; vel ex non neceſſario neceſſarium: & plurimum quidem, idiotæ præ-
24 ſertim, & viles perſonæ, ut earum natura eſt, Exemplo, aut Enthymemate decipiuntur. Ab exemplo, ut factâ hac phantaſia amici mei aſſumentis medicamentum, & pereûntis, & formata propoſitione: amicus meus aſſumpſit medicamentum ægrotans & mortuus eſt, deducit hanc concluſionem: Ergo ſi ego aſſumam medicamentum, moriar; & tunc melancholicus obſtinatè in ea opinione perſiſtit, & renuit aſſumere medicamentum. Ab Enthymemate, ut formatâ hac propoſitione, & pro vera ab intel-
25 lectu acceptata: Plerique in hac domo commorantes mortui ſunt; Ergo & ego, qui in eadem domo habitavi, mortuus ſum, formato ergo hoc Enthymemate, in ea opinione figitur, ſe mortuum eſſe.

26 Inductione quoque utens decipitur intellectus, ut ſi quotquot viderit homines, ſub ſpecie inimicitiæ Phantaſia acceperit, quæ præſentata ipſi Intellectui minimè ſano, argumentatur ſic: Hic, & iſte, & ille alter & alter ſunt mihi inimici; Hi autem ſunt omnes homines, Ergo omnes homines ſunt mihi inimici. Ex hac Inductione deceptus Melancholicus, hominum aſpectum fugit, mortem ſibi ab omnibus parari timet, neminem ad ſe appropinquare per-
27 mittit. Denique etiam ſyllogizans decipitur Intellectus, nam & Sygillogiſmo, ut in cæteris quibusque falſa à veris non diſcernit; præſentato ergo hoc phantaſmate ſui ipſius mortui, & verum exiſtmâs, ſic ſyllogizat: Mortui non comedunt, non loquuntur, Ergo mortuus ſum: Ergo mihi non comedendum, non loquendum: vel præſentato hoc alio, ſcilicet ſui ipſius naſum habentis prælongum, ac turpem, argumentatur hoc modo: Quæ impedimento ſunt, ac turpia membra recidenda, Naſus eſt mihi prælongus, turpis, & qui mihi impedimento eſt, Ergo naſus mihi præcidendus, & ſic de cæteris. Ex quibus vides quidem, Intellectum optimè diſcurre-
82 re, ut contrariæ ſententiæ fautores fatentur; at non in hoc conſiſtit error, ſed in eo, quod non cognoſcat verum à falſo; quanquam enim hoc phantaſma falſum ſit, quòd ego ſim mortuus, & quod habeam naſum turpem, aut prælongum reſpectu Imaginationis, ut dixi, hoc error non eſt, ſed reſpectu ipſius Intellectus, & Rationis, quæ cùm potentia ſit ſuperior debeat diſtinguere falſa à veris, in hoc caſu non poteſt, quod malè affecta ſit. Et verum quidem eſt, errorem eſſe in imaginatione, quæ falſa imaginatur, ſed ipſa non errat, quia neque negat, neque affirmat, ſed fixatur tantùm in ſimplici contemplatione phantaſmatis, quòd, cùm intellectus ſanus eſt, falſum agnoſcens, errorem imaginationis diſtinguit dicens: Ego imaginor, me mortuum eſſe, cùm non ſim; quamdiu ergo in ea cognitione perſiſtit Ratio, homo non inſanit, ſed quamprimùm phantaſma illud pro vero acceptat, veramque credit eam Propoſitionem; Ego mortuus ſum; tunc manifeſtè inſanit; quia ex falſa imaginatione argumentatur, deducens neceſſarium à non neceſſario, & ex Præmiſſis falſis, aut ex alterutra malè omninò concludens. Quippè cùm conſentiat falſæ imaginationi, ubi diſſentiendum eſſet, vel diſſentiat, ubi conſentiendum eſſet veritati.

In quacunque ergo dementia *Ratio* oblæditur: 29
diminutione quidem, cùm ſpiritus pauci ſunt, unde 30
fatuitas oboritur, quia ex paucitate ſpirituum, non poteſt mens aſſequi ea omnia, quæ aſſequenda eſſent, vel cùm craſſi ſunt, ac turbidi, & tunc difficulter moventur, unde ſtupiditas aut ſtultitia enaſcitur, vix enim ad operationem ſpiritus apti ſunt. *Deperditione Ratio* oblæditur in mania, in furore, & 31
hujuſmodi dementiæ ſpeciebus, quia nimirum motus turbulentus & agitatio indefinens in ſpiritib. non ſinit mentem ullum formare diſcurſum, qui requirit præſentationem ſpecierum ordine quodâ certo & rationabili; quibus accedit eorundem ſpirituum impuritas, & offuſcatio, ex quibus ſpecies turbidæ, ac minùs claræ menti offeruntur. *Depra-* 32
vatione porrò læditur *Ratio*, cùm ſpiritus non ſecundùm totum, ſed ſecundùm partem pravi ſunt, craſſi, turbidi, melancholici, hi enim recipientes falſas rerum quaſdam ſpecies à phantaſia oblatas pertinaciter retinent quia craſſi, quia turbidi, quia melancholici, ex his formantur falſæ Propoſitiones, ex quibus Ratio falſum concludit.

Imprimuntur autem falſæ rerum ſpecies in his 33
ſpiritibus, an illicò quidem, ſed pluries iteratâ præſentatione falſi phantaſmatis ab imaginatione; ex quo Intellectus ſpeciem non ſenſatam elicit, & hac ſpecie illi aſſiduè præſente ob rurſus iteratam falſam imaginationem, jam Intellectus dubitare incipit, an verum ſit phantaſma, necne, ut puta, an verè defunctus ſim, an naſum habeam prægrandem; quæ rudimenta quædam dementiæ ſunt, cùm dubitet Intellectus de his, de quibus certitudinem habet in contrarium. Cùm verò diù dubitavit Intellectus, & adhuc continuatur præſentatio phantaſmatis, tunc jam incipit aſſentiri falſis, vel diſſentire à veris, & Propoſitionem format: Verè ergo mortuus ſum, vel verè ego naſum prælongum habeo; & tunc manifeſtè apparet inſania. Ulterius quoque Intellectus diſcurrit ſuper ea Propoſitione, utens argumento aliquo ex illis modis, quorum ſuprà meminimus, & tunc fit ejus rei opinio. Aſſervatur porrò dehinc ejus falſitatis ſpecies in memoria, ex cujus recurſu ad Intellectum novus formatur diſcurſus, & hoc pacto ex iteratis actibus fit certitudo, ac falſa ſcientia ejus rei, quam è mente tollere diffi- 34
cillimum, quia quaſi habitum acquiſivit Intellectus quo difficulter exſpoliari poteſt. Et ut hæc omnia 35
exemplo illuſtrentur, ſciendum, non aliter evenire inſanientibus, quàm dormientibus: nam dormientes cùm primùm ſomno prehenduntur, nihil penè ſomniant, ob multitudinem quippe vaporum, & eorum turbulenti. m, ac craſſitiem, atque tunc dormienti furioſus, ac maniacus ſimilis eſt; quia quem-

admo

admodum dormiens nullum videt phantaſma ex iis, quæ Imaginatio aſſervavit, & ſic furioſus nihil omninò diſcurrit, ſed ratione penitùs orbatus exiſtit; & quemadmodum dormiens illa motus turbulentia ceſſante, ſomniare incipit, ſed miracula, ac impoſſibilia videt, ſic etiam inſanientes multa ſibi perſuadent, quæ in rei veritate non ſunt. Tandem quietem agente etiam vaporum omni elevatione ad cerebrum, tunc dormiens clariora omnia videt, ac vero magis ſimiliora, atque tunc Melancholicis ſimilis fit, qui penè omnia, ut verè ſe habent, cognoſcunt, in paucis quibusdam ſolùm abertantes, de quibus vide Laur. *in lib. de Melanchol. cap. 6.*

Sed quoniam pacto bruta inſaniunt, in quibus nulla reperitur ratio? inſanire autem bruta patet. Plut. *in lib. de induſtr. anim.* canes, cæteraq; quædam animalia rabiem incurrentia manifeſtiſſimè inſanire dicit, unde probat, illa rationis non eſſe expertia. Alia etiam nonnulla ebrietatem incurrere, notat Athæneus *Dipnoſoph. lib. 10. c. 9.* præcipuè autem pithecum & elephantem, non ſecus hac homines, vino ebriari prodit, alia verò aliis, ut aſinus ex eſu ferulæ. Memorant de Hippomane, quam comeſtam equas in furiam agere dicunt, de qua re Theoc. *Idyll.*

Hippomanes planta eſt apud Arcades, qua concitata omnes.

36 *Et Equulei inſaniunt in mentibus, & celeres equæ.* Quanquam Hippomanes apud Ariſt. *de hiſt. anim. c. 22.* Plinium *lib. 8. c. 42. & lib. 28. c. 11.* Virg. *4. Georg. & 4. Æneid.* & Columellam *lib. 6. de re Ruſt. c. 27.* non eſt planta, ſed aliud quid. Videatur de hac Juriſ-
37 conſultus Kuibert. *Quæſt. Sabat. c. 16. n. 12.* Satis illud nobis eſto, inſaniam etiam in bruta cadere, licèt rationis expertia ſint, & tritum ac frequentiſſimum eſt, quòd canib. rabientib. evenit, qui in rabie demẽtiunt; quod minimè eveniret, ſi omnis inſania eſſet
38 defectus, & oblæſio rationis. Dicamus ad id, quòd in brutis eſt potentia quædam ſupplens rationis defectũ, quæ vera à falſis diſtinguere poteſt, & ex hujus læſione, quæ proportione reſpondet ipſi rationi in homine, fieri inſaniam; ſignum eſt, inſaniam non cadere in omnia Animalia, ſed in ea tantũmodò, quæ exiſtimativâ ſunt prædita, quod experientia docet.

39 Demonſtratum ergo jam ex his eſt, in quacunque dementia rationẽ vel per ſe, vel ſimul cum aliis læſam eſſe, neq; abſq; ejus læſione poſſe hominem inſanũ effici. Breviter nunc, ac univerſaliter dicamus, quẽnam læſionis gradum in unaquaque dementia attingat, nã in particularib. quæſtionib. id particula-
40 riùs diſputabitur. *Primò* ergo diminuitur, ac exiguâ patitur oblæſionẽ Intellectus in Imperitia, ſeu Ignorãtia (non loquor autẽ de Imperitia, & ignorãtia, prout opponitur habitui cõtrario, ſed de ea quæ defectus quidam eſt, ac quædã Intellectus ignavia, ut dehinc patebit) *magis* diminuitur in fatuitate, ſed & in hac, ut in cæteris omnibus, major, & minor apparere læſio ſolet. *Tertium* locum obtinet oblivio, ſeu
41 memoriæ ſimul cum ratione diminutio. *Quartum* locũ obtinet Stoliditas, ſeu Stultitia. *Depravatur* ratio modicè in animi vehemẽtibus, ac ſubitaneis paſſionibus in ſimplici delirio, in levi ebrietate, *mediocriter* in comate vigili, in minùs levi delirio, & ebrietate, in ſyncope, in ſuffocatione ex utero non multùm pertinaci, & in aliis. *Multùm* depravatur in Amore, in Melancholia, ejuſque quibuſcunque ſpeciebus; in phreniticis, in rabioſis, hoc eſt, à cane rabido com-
42 morſis, in furentib. ex utero, & hujuſmodi. Denique *deperditur* ratio in furentib. maniacis, ſoporoſis omnibus, & aliis, de quibus ſigillatim dicturi ſumus.

SUMMARIUM.

1 *Ratio diminuitur ex ætatis defectu.*
2 *Puerorum intellectus imperfectus, & rudis.*
3 *Pueri, cur tranſacto decimo quarto anno ad multa admittantur.*
4 *Minorem viginti quinque annis ad inferiores quoque dignitates non aſſumi, cur voluerint Leges.*
5 *Dignitas quanto major, tanto major ætas in eligendo requiritur.*
6 *Dignitas major majorem prudentiam requirit.*
7 *Prudentia habetur per experientiam, quæ indiget tempore.*
8 *Mulieres propter honeſtatem à quibuſdam eliminantur, & propter rationis defectum.*
9 *Mulier habet conſilium invalidum.*
10 *Imperfectio Intellectus in fœminis magis ſimilis eſt fatuitati, in pueris verò Amentiæ.*
11 *A quibus eliminẽtur fœminæ propter Intellectus imperfectionem.*
12 *Conditio fœminarum in plurib. rèb. deterior, quàm virorum.*
13 *Mulieri propter imperitiam ſuccurritur.*
14 *Mulier habet Intellectum perfectiſſimum, & ad omnia habilem, ut n. ſeq.*
16 *Mulieres ad omnia viris ſunt imbecilliores.*
17 *Mulieres nendo, ac texendo vix ſufficiunt.*
18 *Plures mulierum imperfectiones, & n. ſeq.*
20 *In ſenio confectis ratiocinatricis partes omnes diminuuntur.*
21 *Senes indociles.*
22 *Memoriæ diminutio ſenectutis adventum ſignificat.*
23 *In ſenibus, quæ ſint interdicenda.*
24 *Senes ſi omnino fatui evadant, quomodo tractandi.*
25 *Quo tempore diminuatur ratio in ſenibus.*

De rationis diminutione ex defectu Ætatis, & Sexus.

QUÆSTIO V.

RAtio non modò ex verborum culpa non inte- 1
gra reperitur, ut in perfecto viro requiritur, ſed etiam ex *ætatis defectu*, quia nimis tenera, vel nimis jam præcipitata, & ex defectu ſexus, quia fœminus. Quamobrẽ cùm hæc rationis diminutio pueris, decrepitis ac mulierib. familiaris ſit, de his primum agere hìc decrevi. Neq; miretur quiſquam, quod tales inter dementes connumerem, cùm verè dementes non ſint; quia id ex eo effectũ eſt, quod finis intentus in hoc titulo is fuerit, ut de omnib. his tractatio inſtitueretur, qui ex rationis, & Intellectus vel naturali, vel accidẽtali defectu à Legib. ad nonnulla peragenda non admittuntur, & ob idipſum favorem ab illis reportant, &c. ex hoc ergo *cap.* jure in hoc titulo tales comprehendi nullus inficietur: de illis tamen brevib. agendũ eſt, quòd aliàs de iis 2
ipſis diſſeruerim. Primo autem loco occurrunt *pueri*, quorum Intellectum eſſe imperfectum, ac rudem, eà ætate durante, & cunctis notum eſt & probavi *lib. 1. harum Quæſt. Tit. 1. Quæſt. 4. à num. 14. ad plures ſeqq.* ubi etiam, & ad quem uſque ætatis terminum ea intellectus imperfectio in ipſis duret, ut ab omnibus penè actibus civilibus celebranda eliminentur, & in pœnalibus, ubi deliquerint, veniam ea de cauſa impetrent, pertractavi. Cur verò, tranſacto deci- 3
mo quarto anno, ad multa quidem admittantur, ut ad Teſtamenti confectionem, ad religionis ingreſſum, ad matrimonium, & in iis, quæ ad bonorum adminiſtrationem peculiariter pertinent, immiſceri non permittantur. §. *Maſculi, Inſtitut. de Curat.* rationem habes *ibidem quæſt. 6 n. 87. & ſeq.* Puta- 4
verim porrò Canoniſtas non modò conſideraſſe

hanc intellectus imperfectionem, cùm non aſſumi ad inferiores quoque dignitates eum, qui annum 25. non attingit, ut ad curam animarum, & Parochialium Eccleſiarum, ſed conſideraſſe etiam aliqualem perfectionem, à qua cùm illi deficiant, vel deficere præſumantur, ut plurimùm, non mirum eſt, ſi ad ea, quæ diximus, ab ipſis non admittantur, *cap. cum in cunctis de Elect. & elect. poteſt. & ibi* Bald. *n.* 12. & quòd hoc veritatem habeat, videmus, quòd quantò dignitas major exiſtit, eò major ætas in eligendo ab ipſis requiritur, de qua vide Graz. *de Benef. p.* 7. *c.* 4. & hoc non injuria; quia major dignitas majorem requirit prudentiam, major autem prudentia ex majori ætate habetur, quia ex experientia, quæ indiget tempore.

Cæterùm *mulieres* non ſolùm ex eo, quòd propter honeſtatem dicitur, à quibuſdam eliminantur, ut patet *ex l.* 1. *§. ſecundo loco, ff. de Poſtul.* veluti ex publici officii adminiſtratione, ut per *l.* 1. *ff. de reg. Jur.* ſed etiam ex eo, quòd ad multa non ſufficiunt, ob earum Intellectus imperfectionem, quia Mulier conſilij habet invalidum, Hyppol de Marſil. *ſingul.* 450. *n.* 4 Malvaſ. *conſil.* 65. *n.* 15. *vol.* 1. Tiraq. ex Ariſt. *de leg. connub. l.* 1. *n.* 70. quod ex imbecillitate caloris illis evenit; unde nota, quòd imperfectio Intellectus fœminarum magis ſimilis eſt fatuitati, quia ex depauperatione ſpirituum; imperfectio verò intellectus in pueris magis ſimilis eſt amentiæ; quia ex multitudine humiditatis obruentis ipſos ſpiritus, unde, & ad cætera omnia, in quibus ſpiritibus animalibus, ut inſtrumento opus eſt, infirmiores exiſtant. ut aliàs ex Galeno dixi. Mulieres ergo ob eam Intellectus imperfectionem à quibuſdam prohibentur, ut eſſet, exempli gratiâ, à teſtimonio dicendo in quibuſdam caſibus, ut per *l. Qui Teſtamento: §. eum qui, ff. de Teſtam.* à tutela adminiſtranda, ut per *l. fin. ff. de tutelis*, tandemque, licèt aliæ cauſæ memorentur, hæc ipſa intellectus invaliditas in cauſa ſimul eſſe poteſt, ut conditio fœminarum, in quamplurimis rebus deterior ſit, quàm virorum, *ut l. in multis, ff. de ſtatu hominis*, quarum multas recenſet Gloſ. *ibid.* Imò & propter eam ipſam cauſam favorem quoque à Legibus reportant; nam propter imperitiam mulieri ſuccurritur, ut dicit *l. De die, §. ſi ſervus ff. qui ſatisdat. cogantur*, ut mitiùs puniuntur, *ut ex l. ſenſu*, & Bald. docet ex noſtris Jo. Alph. *in ſpec. Med. Chriſt. lum.* 2. *verſ. Patres autem, pag* 60.

Dubitari tamen poterat, an *hæc ex ratione patrata cenſeri debeant, & Juſtitiæ conſona*: cùm alias mulieres perfectiſſimum habeant Intellectum, & ad omnia ſtudia, tam practica, quàm ſpeculativa, etiam ea, quæ corporea dexteritate, ac virtute indigent, aptiſſimum; ac profectò, Platone Judice in ſua Republica, Mulieribus maximam inferri injuriam confitendum eſſet, cùm & ad publica munera exercenda, & ad omnia, ad quæ viri apti ſunt, ſufficere & ipſæ poſſint, præcipuè ſi bonis artibus, ac diſciplinis imbuantur. [Vide *Beverovitium* de perfectione ſexus fœminei, & *Strauſſium* in fœtu Muſſipontano.] Verùntamen neque in Platonis Republica verſamur, neque, ſi in ea verſaremur, pares fortaſſe in rebus agendis mulieres unquam viris ullo ſæculo eſſe poſſent, cùm, vel ipſo Platone teſte 4. *de Republic.* ad omnia viris imbecilliores ex ſua natura ſint. Cæterùm ab Imperatoribus noſtris rectè leges haſce contra fœminas latas fuiſſe omninò aſſerendum, quippe quæ nendo, ac texendo vix ſufficiant, nec ullo liberalium artium ſtudio ullæ, niſi de rarò capiantur; ſi quæ autem ſimilibus ſe tradat ſtudiis, vix effugiat, quin honeſtatem ſuam (quâ orbata ne flocci quidem fœmina facienda eſt) periculo evidenti ſubjiciat, ac de facto deturpetur, non ſine ratione apud cæteras honeſtas fœminas, & apud ipſos viros malè audit. Præteream pleraſque alias fœmineas fœminarum imperfectiones, ob quas à multis excluduntur, quas vide apud Caravit. *in comm. ſuper Rit. Mang. cur. Rit.* 1. *n.* & *ſeqq.* & *ibi adden.* eas autem imperfectiones, aut earũ plurimas ex intellectus imperfectione ipſas ſortiri non ambigendum: ob eam enim cauſam à paſſionib. veluti bruta facillimè, ac nullo negotio evincũtur, iracũdæ enim ſunt, loquaciſſimæ, avariſſimæ, & ne omnia earum vitia recenſeam, uno verbo me expediã; ſi dicã, omninò ipſas ab humani intellect⁹ perfectione, quâ viri donati eſſe ſolent, deficere.

Cæterùm in *ſenio* confectis omnes ratiocinatricis animæ partes diminui patet, quamobrem cùm eam ætatem viri attingunt, indociles cenſentur, unde eſt illud Theognidis: *Ne doceas me, ætas jam facit indocilem* & illud Plauti *in Mercat. Act.* 2. *Scen.* 2.

Senex cùm exemplo eſt, jam nec ſentit, nec ſapit,
Aiunt ſolere cum ramum repueraſcere.

Et rectè quidem partis ratiocinatricis, & memoriæ diminutio ſenectutis adventum adminiculari dicitur. Arnold. Villanov. *de retard. ſenect. cap.* 1. Faciunt autem ad hæc ipſa ea, quæ adduxi *libro* 1. *harum Quæſt. Med. quæſt. ult.*

Quia tamen non omnes ſenes uno modo lædi videntur ſecundùm rationem, idcircò dicendũ videtur, quòd in his, in quibus quædam tantummodò ignavia ac tarditas memoriæ & intellectûs eſt, ex caloris, ac ſpirituum depauperatione, paucula quædam interdici deberent, ea nimirum quæ omninò ſanum, ac benè valentem & vividum intellectum requirunt, ut publici officii adminiſtratio, & alia hujuſmodi. In cæteris autem nullum intercedere poteſt dubium. At ſi eò fatuitatis deveniant, ut memoria, ac ratione ob ætatem deſtitui videantur, nullus dubitare debet, quid in illis locum ea omnia habeant, quæ in veris fatuis procedunt (de quibus in ſequentibus pleniſſimam habebimus tractationem) ita enim jubet Plat. 11. *de Rep. paulò ante finem*, in his caſib. agendum.

Quonam verò tempore diminui conſueſcat ratio, ac memoria in ſenibus, decidi firmiter non poteſt: nam pro temperamentorum varietate, aliisque accidentibus varia ejus rei tempora exiſtunt: quidam tranſacto ſexageſimo, alii nonniſi ſeptuageſimo, ſunt, & qui nullo modo, vel leviuſculè tantùm lædi comperiantur. In pluribus, quod præcipuè attendendum eſt terminus ſeptuaginta annorum in ea re eſſe ſolet: quamobrem & ob hanc ipſam cauſam, & ob corporis ſimul valetudinem, tunc temporis à muneribus publicis excuſantur, à tormentis immunes ſervantur, & in delictis leviùs puniuntur, ut latiùs dixi *lib.* 1. *quæſt. ult.*

SUMMARIUM.

1 *Animi vehementes paſſiones rationis uſum diminuunt.*
2 *Vehementibus animi paſſionibus detenti non recordantur eorum, quæ egerint in paſſione conſtituti.*
3 *Amor, Ira, ac Timor præ cæteris animum turbant.*
4 *Excandeſcentia eſt ira propago, & affect. ira ſimilis.*
5 *Ira fervor caloris in corde.*
6 *Nullam differentiam faciunt Juriſconſulti inter Iram & Iracundiam.*
7 *Ira circa res magnas, Iracundia circa parvas; & Irati magnanimi, Iracundi puſillanimes.*
8 *Ira eſt ſolius hominis ratione utentis, Iracundia etiam brutis communis.*
9 *Ira virtus quædam eſt.*
10 *Ira cum manſuetudine juncta eſſe poteſt, & n.* 11.

11 *Ira ſequitur rationem. & n. 26.*
12 *Ira duplex humana, & ferina.*
14 *In ira cur ladatur ratio.*
15 *Irati non ſunt in plenitudine intellectus.*
16 *Imperium iræ continere eſt impoſſibile.*
18 *Actus ab irato celebrati, an irriti.*
19 *Factum aut dictum calore iracundiæ non tenet.*
20 *Delicta calore iracundiæ perpetrata, mitius puniuntur.*
21 *Quæ conditiones requirantur, ut Ira delinquentem excuſet.*
22 *Prima cauſa excuſationis in delinquente ex ira.*
23 *Secunda cauſa.*
24 *Votum calore Iracundiæ non tenet.*
25 *Delinquens in ira an excuſandus.*
27 *Ira unde fiat.*
28 *Anima fruitur, animoque indulget Ira.*
29 *Juſtum dolorem temperare eſt difficile.*
30 *Quod ira reſiſtit, triſte eſt. & violenta ejus cohibitio.*
31 *Ira à culpa excuſat.*
32 *Ratio diſtat, proprium honorem ſervandum.*
33 *Infamia æquiparatur morti.*
34 *Nullum genus hominum à ratione magis diſtat, quàm iracundi.*
35 *Iratus, an teſtificari poſſit de his, quæ vidit in ira conſtitutus, die ut num. ſeq.*
37 *In timore ratio vacillat.*
38 *Timor eſt expectatio malis imminentis.*
39 *Quod metûs cauſa fit, ratum non habetur.*
40 *Metus qualis eſſe debeat, ut juſtus dicatur.*
41 *Timentes non habent intellectus plenitudinem.*
42 *Velle non dicitur, qui metus cauſa vult.*
43 *Timoris duæ ſpecies.*
44 *Pudor eſt timor ne mali patemur.*
45 *An quemadmodum ex timore, ſic ex pudore irrita nonnulla habeantur.*
46 *Timor infamiæ non comprehenditur in edicto, loquente de Timore imminentis mali.*
47 *Iratus cur à culpa excuſetur.*
48 *Quiſque tenetur ſuum honorem uſque ad mortem tueri.*
49 *Metus infamiæ eſt metus cadens in conſtantem virum.*
50 *Timor amiſſionis honoris æquiparatur timori mortis.*
51 *Intereſſe honoris majus, quàm quodlibet aliud.*
52 *Tam ira, quàm timor rationem turbant.*
53 *Timor infamiæ non ita vehemens, neque ſubitus, cauſam vide non ſeq.*
55 *Nobilis multo magis commovetur ex timore infamiæ quàm ignobilis.*
56 *Mali mores intellectum depravant.*
57 *Homines in malis moribus habituati non habent circa ea, quæ tales mores reſpiciunt, integrum rationis uſum.*
58 *Conſuetudo vim habet Naturæ.*
59 *Mulieri luxurioſæ bonorum adminiſtratio interdicitur.*
60 *Mulier ex impetu luxuriæ rationis minimè compos eſt.*
61 *Prodigus à multis actibus prohibetur.*
62 *Prodigus teſtari non permittitur.*
63 *Prodigus diſcretione caret.*
64 *Prodigus ſua bona adminiſtrare non poteſt.*
65 *Prodigus non poteſt vendere etiam cum juramento.*
66 *Prodigus prohibetur eligi.*
67 *In vitiis habituati cæcutiunt circa ea, quæ ad talia vitia pertinent.*
68 *Rationis depravatio ex pravitate morum non excuſat à pœna, neque à culpa.*
69 *Nullus, niſi ſponte malus.*
70 *Voluntas ſecundum Naturam boni eſt.*
71 *Virtus, & vitium voluntaria ſunt.*
72 *Nulla neceſſitas ad mala perpetranda nos cogit.*
73 *Natura hominis prona ad malum.*
74 *Homo non ſit ſponte malus.*

De Rationis læſione ex Animi paſſionibus, & pravitate Morum.

QUÆSTIO VI.

IN ſuperioribus quæſtionibus viſum in univerſali eſt, quot dementiæ genera ſint, ac quonam modo, ac quantùm in illis Intellectum lædi contingat; nunc eadem in particularibus repetenda, ac particularibus caſibus applicanda; pro diverſitate namque in particularibus conſiderata à legibus multà permittuntur, multa denegantur, in aliis quoque favorabiles exiſtunt; *permittunt* enim, aut *denegant* contrahere, exempli gratia, ſua bona adminiſtrare, donare, teſtimonium dicere, teſtamentum condere, publica officia adminiſtrare, feudis ſuccedere, ad ſacra promoveri, in ſactis adminiſtrare, beneficia obtinere, vel reſignare, Religionem ingredi, Matrimonio jungi, Thorum conjungere, vel disjungere. *Favorabiles* demum exiſtunt in pœnis infligendis, in privilegiis concedendis, & ſimilibus. Cùm ergo in ſingulis horum, cæterorúmque actibus exercendis, modò ſanus omnibus Intellectus requiratur, modò nullus, modò mediocriter ſanus, ac in dementiis Ratio aliquando omninò ægrotet, interdum affatim deperdatur, aliquando verò tantiſper à naturali ſtatu diſtent, videndum qui actus, in quibus dementiis celebrari per leges permitti, debeant, qui denegari; in qua dementia favorem exportare poſſit demens, in qua non.

Ac ut originem à levioribus ſumamus, primò ſeſe nobis offert ea intellectûs & rationis perturbatio, quæ ab *animi paſſionibus vocatis* contingere ſolet: præter morbos enim, qui in nobis rationalem animæ partem depravare, ac aliquo modo lædere apti ſunt, eas enim paſſiones, præcipuè ſi ſubitaneæ, ſi vehementes ſint, idem operari notiſſimum eſt, & manifeſtiſſimè oſtendere poteſt experientia, omnes enim, qui ſimilibus paſſionibus detinentur interdum nullo modo recordantur eorum, quæ tunc egerint, ut teſtatur etiam Galen. 2. *de mot. muſc. c. 6. cla.* 1. quinetiam & ſenſibus ipſis exterioribus decipiuntur; ut de Iratis dicebat Averr. *in Paraphr. lib. de ſenſ. & ſenſ. in princ.* & de his, qui timore afficiuntur vehementi, dicit Fracaſt. *de Intellect. libr.* 2. qui aliquando quod ante oculos habent, non vident, & id quod eſt unum, duo illis apparet; quæ omnia non aliundè eveniunt, niſi ex vehementia motus in ſanguine, ac ſpiritibus, unde & ipſos animales ſpiritus perturbari contingit, qui rationi, Memoriæ, Imaginationi, ac reliquis facultatibus aſſiſtunt.

Licèt autem animi paſſiones pro varietate objectorum diverſificentur, ac plures exiſtant, ad diverſas Animæ partes pertinentes, de omnibus tamen ſermonem habere præſentis loci non eſt, ſed de illis tantummodò, quæ cùm inter cæteras vehementiſſimæ ſint, præ cæteris etiam uſum rationis aut adimere, aut ſaltem interturbare conſueverunt: eæ ſunt *Amor*, *Ira*, & *Timor*; de Amore autem cùm plura ſeorſim dicere paratus ſim, pro nunc plura non addam, ſed de aliis duabus loquar, ac primùm de *Ira*, cujus propago excandeſcentia eſt, vel affectus Iræ ſaltem valdè ſimilis. Nam Iracundiæ Ariſtot. *in libel. de virtut.* tres ſpecies faciebat, Excandeſcentiam, Sævitiam, & Vecordiam: tam Ira autem, quàm Excandeſcentia furoris nomine inſignitur, & de Ira patet apud omnes, & tritum eſt illud Horatii:

Ira furor brevis eſt.

De excandeſcentia autem patet apud Gal. *lib. de cogn. ac cur. anim. morb. c. 5. claſſ.* 2. Eſt autem Ira fervor caloris in corde, ut idem Gal. teſtatur *lib.* 2. *de ſanit. tuend. c.* 9. & ante illum Ariſt. 1. *de Anim text.* 16. & probatur etiam Fracaſt. *lib. de Sympath. & Antipath. cap.* 21. Aliis autem, ut Plut. *in lib. de virt. mor.* Ira eſt libido quædam vindictæ. Illud verò adnotandum præcipuè videtur, Juriſconſultos nullam facere differentiam inter Iram, & Iracundiam, & Iracundum & Iratum, cùm tamen Gal. *comm.* 2. *in primis de morb. vulg. text.* 78. *claſſ. tertia*, & Valleſ. *in* 6. *ſect.* 4. *text.* 22. non ſolùm differre, ſed affectus etiam contrarios eſſe voluerint: ſiquidem Ira non eſt niſi circa res magnas, ac magni momenti, vel quæ tales ſe offerant Iraſcibili, Iracundia verò circa puſillas

ſillas res eſt,ac minimi momenti : & hinc eſt,quòd Irati magnamini ſunt,Iracundi verò puſillanimes, ut idem Galen.*ibid.*tradit,&,quod majus quid eſt, etiam temperamento differunt ; nam Iracundi frigidi ſunt, quod mulieres indicant,& notat Valleſ. *in prim. Epidem. Sect.* 3. *text.* 32. Irati autem calidiſſi-
8 mi. Præter hæc Ira quidem ſolius hominis ratione utentis propria eſt;vel Seneca ipſo teſte *libro* 1.*capi-*
9 *te* 3.*de Ira.* Iracundia verò communis illis cum pueris & beſtiis,ac perſonis abjectis & vilibus,ut mulierculæ ſunt. Gal. 5. *de Placit. Hipp & Plat.capite* 17. *in fin.* & ex Juriſconſultis Tiraq *de leg.connub. Gloſſ.* 1. *part. quæſt. num.* 184. Quamobrem de Claudio Imperatore hæc habentur : *Iræ atque Iracundiæ conſcius ſibi,veramque excuſavit edicto ; diſtinxitque pollicitus alteram quidem brevem & innoxiam , alteram non injuſtam fore.* Suet. *in Claud. c.* 38. *& in ſeq.* plura videre licet volenti de mulierum ira. Unde ira fortaſſe virtus quædam eſt , cujus contrarium quoad exceſſum iracundia eſt; iraſci enim , quando & quibus oportet , non minùs quàm deſiderare quando & quæ oportet,aut timere , quando, & quæ oportet, virtus eſt,indicio ſit , Iram cum manſuetudine conjunctam eſſe poſſe , ex Ariſtotel. *Moral. Ni-*
10 *com. libro* 4. *capite* 5. unde illud in Sacris : Iraſcimini,& nolite peccare, *Pſal.*2. *Epheſ.*4. Neque abſque ſummo judicio divinus Poëta, ac cæterorum pater *Homerus* , tanquam ſui Poëmatis ſubjectum , Iram Pelidæ proponit canendam; non enim putandum, ipſum de Ira intellexiſſe , prout vitium quoddam eſt, ſed de Ira, prout in magnanimo viro originem ducit ex juſta cauſa , quæ abſque dubio virtus quædam eſt. Unde etiam ipſi ira tribuitur , Ovid. *lib.* 1. *Metam.*

—dignas Jove concipit Iras.

Et *Eccleſ.* 7. *verſ.* 4. Melior eſt ira riſu:paſſimque in S.Scriptura Deo tribuitur Ira.Quamobrem non alia de cauſa dictum eſt ab Ariſt.8. *Moral.Nicom. libro capite* 6. Iram quodammodò rationem ſequi. Imò Plato.4. *de Rep.tranſmed.* vim iraſcibilis rationi au-
11 xiliari dicebat : ad quod annuebat facundiſſimus Poëta noſter,Torq.Taſſ. *in ſuo magno Poëm. cant.* 16. *ſt.* 34. in illo carmine :

Mà poi che die vergogna à ſdegno loco,
Sdegno guerrier della region feroce.

Licèt Plutarch. *ubi proximè*, non rationi ſolùm,ſed interdum etiam concupiſcibili opem ferre iraſcibilem affirmaverit ; quomodò autem id fiat , docet ille ibidem.

Videtur etiam ipſe *Ariſt.* duo hæc iræ genera diſtinxiſſe, cùm unam humanam vocet rationi con-
12 junctam,aliam ferinam,& à ratione alienam.Quinimò Plato 5. *de Leg. circa medium*, duo hæc Iræ genera agnoviſſe videtur,cùm diceret,nos debere miſereri eorum,qui cùm pravi ſint,tamen ſanari poſſunt , quibus tamen vetat nos iraſci , *Ne* , inquit, *adverſus eos muliebris iracundiæ fervore animus efferatur duriuſque inſiſtat ; qui autem* , ſubdit, *ita ſunt flagitioſi , aut incurabiles ſint , eis ira vehementius immittenda. Præterea diximus*, addit, *animoſum, id eſt generoſæ iracundiæ non expertem , ac ſimul mitem , bonum virum ſemper eſſe debere.* Vides ergo duplicem Iram ex Platonis ſententia , alteram , quam muliebrem vocat ; alteram, quam generoſam , & quòd Ira cum
13 manſuetudine conjungi poſſit. At longè aliter Seneca *in libro* 1. *de Ira* , *cap.* 4. Iracundiam ab Ira , & Iracundum ab irato diſtinguit. Vult enim Iracundiam eſſe potentiam iraſcendi , iram actionem iraſcendi. Imò reſpuit ſuprà citatas diſtinctiones , *& in libro primo, cap. tertio*, Ariſtotelem, quòd hæc attulerit , Iræ defenſionem vocat. At ſi alia etiam ſupradicta expendas , non vana eſſe procul dubio dices. His præfatis, quæ non parvi momenti ſunt, ad eum finem , ad quem hæc ſcribimus, jam manifeſtum ſit , in Ira rationem lædi, quod ex vehementia , ac impetu ejus affectus accidit; quòd non ſolùm de Iracundia intelligi volo , ſed etiam de 14
Ira , quæ juſta ſit, non enim tales ira affecti in plenitudine intellectus ſunt. Bald. *in capite primo* , *in fin. de ſent. Jur. firm.* & alia teſtimonia habebis in- 15
frà. Unde eſt , quòd quia Intellectus in Ira ſui juris non eſt , arduum admodum eſt ejus impetum 16
continere , ut teſtatur Plut. *in lib. de Aud. Poet.* Et Boſ. *in practic. crimin. tit. de homic. numero* 60. eſt enim impetus ille talis , ac tantus , ut omninò ni- 17
hil ab inſania , aut furore differre apertiſſimè firmaverit Galen. *de cognoſc. & curat. anim. morb. cap.*5. *claſſ.* 2. & ex Juriſconſultis præter quamplurimos alios , Novell. *in tract. de def. reor. in rubr. Homicida, quibus ex cauſis à pœna mortis excuſentur. num.* 64. & Theſaur. *dec.* 168. *n.* 2.

Atque hinc fit , quòd Iracundia faciliùs cadat 18
in eos , qui minùs ratione utuntur : idcircò magis cadit in mulieres , quàm in viros ; magis in ægrotos , quàm in ſanos ; magis in idiotas , quàm in cæteros.Plut. *in lib. de cohib. Irac.* & de hac dictum in Sacris eſt *Proverb.* 1. *& Eccleſ.* 7. *verſicul.* 10. Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.

Igitur cùm in hac paſſione rationem lædi mani- 19
feſtum ſit,jure videndum eſt , an *actus ab Irato celebrati ex hoc capite irriti cenſendi ſint* , *necnè* , quod ipſi Juriſconſulti prudentiſſimè ſanciverunt *in l. divortium non eſt* , *ff. de divort. & repud. in l. Quicquid* , *ff.* 20
de reg. Jur. dicentes,nullum factum,aut dictum calore Iracundiæ ante ratum habendum , quàm ex perſeverantia apparuerit, illud dictum,aut factum ex rationali propoſito emanaſſe , quaſi in ipſo iracundiæ calore omnia irrationabiliter fiant , ac dicantur. Quamobrem delicta calore iracundiæ per- 21
petrata , mitiùs puniri volunt, ut de homicidio teſtatur Theſaur. *ubi ſuprà* , *numero* 4. ſed quæ con- 22
ditiones requirantur ad hoc , ut ita delinquentem excuſet,habes apud eundem Theſaurum *ibid.* Sunt autem præcipuè duæ : *una* , quòd Ira ſit ex juſta 23
cauſa , ad hoc ut ab Iracundia diſtinguatur , unde vide , quàm neceſſe ſit has paſſiones diſtinguere : *alia* ut delictum in ipſo iræ calore ſit patratum ; tunc enim homo extra mentem eſt , & rationi non 24
odediens; & idcircò ſi maritus adulterum ſuæ uxoris in continenti occidat, excuſat;ſecus verò, ſi ex intervallo. Farinac. *Quæſt. crimin. 121. num. 115. p.2. tit. de homicid.* Canoniſtæ quoque ad hoc ipſum inſinuandum, ſanciverunt , votum calore Iracundiæ 25
factum non tenere. Lud. Rom. *ſing.* 514. *n.* 2. Clement. *de patr. poteſt. eff.* 5. *n.* 36.

Occurrit tamen dubium , *an nimirum delinquens* 26
in Ira debeat à culpa excuſari ; jam enim dictum eſt ex *Ariſt.* & aliis,Iram ſequi rationem; videtur ergo 27
ex hoc , quòd iratus id quod agit , cum ratione agat : quamobrem neque à culpa , neque à pœna videretur excuſandus.

Alia autem ex parte certum eſt,Iram fieri ex do- 28
lore acceptæ contumeliæ , quam Natura eo motu inſurgit,ut à ſe depellat, quocunque modo poteſt, etiam malum pro malo rependens.Fracaſt.*ubi ſupr.* Anima enim fruitur,animoque indulget ira Ariſtot. 29
ex Heracliti ſententia , *ubi infrà.* At præterquam quòd juſtum dolorem difficile eſt temperare,*lege ſi adulterium, §. Imperatores,ff. de Adulter.* Gloſſ. *in leg.*

Grac.

Gracchus, ff. ad l. Juliam, de Adulter. verb. Dolor. & ex
30 noſtris Ariſt. ex ejusdem Heracliti ſententia 2. *Moral. Eudemior. c.* 8. quod enim iræ reſiſtit triſte eſt, & violenta ejus cohibitio, ut idem Ariſt. *ibid.* dolor enim teſte Plat. *de Rep.* hominem dementem facit, unde etiam ex hoc capite, Jam à culpa excuſare docent Doctores, Gloſ. *in l. Divortium. ff. de divor.* Pet. Gerard. *ſing.* 16. *n.* 2.

31 Quod verò dictum eſt, Iram ſequi rationem, ſic intelligendum eſt, ut veritatem habeat, quatenus
32 potētia Iraſcibilis movetur quidem primò à ratione ad depellendam injuriam: nam ratio dictat proprium honorem tutari, & ex ratione eſt, ut homo ſuum honorem etiam propriæ vitæ anteponat. Pa-
33 riſ. à Put. *de re milit. §. An quis ſponſionem &c. num.* 3. quia Infamia æquiparatur morti, argumento *l. Juſta, in principio, ff. de manum. vind.* quatenus autem Iraſcibilis cum impetu movetur, non expectans quid ſibi à Ratione præcipiatur non ſolùm ipſam Rationem non ſequitur, ſed ab ipſa longè ſeſe avertit, ita ut homo ex cujus impetu impos mentis reddatur, ac in ſumma, ut clarè appareat Iram eſſe à Ratione alienam, contemplare homines omnes, ac nullum eorum genus magis à ratione diſtare compe-
34 ries, quàm Iracundos. Sapienter ergo *Prov. 12. verſ. 16.* dicitur: *Fatuus ſtatim indicat iram ſuam.* Cui ſimile eſt illud Plauti *in Pſeud. Act.* 1. *Scen.* 5.

35 — *Jam iſthac inſipientia eſt Iram in promptu gerere.*

36 Sed num *Iratus teſtificari poterit de his, quæ vidit, aut audivit, dum adhuc in ira perſiſtebat?* & abſolutè dicendum, quòd non, ſatiſque ad hoc ſit Gal. & Averrois auctoritas jam ſuprà allegata, cui quàm aſſentiatur quotidiana experientia, nemo eſt, qui non noverit.

Sequitur, ut de *Timore* loquamur, ex quo cla-
37 rum eſt, præſertim ſi ſubitus, ac vehemens exiſtat, maximam fieri ſpirituum perturbationem, unde & facillimè ipſa ratio vacillat, ſuique juris non eſt. (Quod non ſolùm quotidianæ experientiæ reſpondet, ſed confirmatur ab Hippocr. auctoritate *in lib. de Virg. morb. num.* 1. *Ex timoribus*, inquit *adeò fortiter pavent homines ut deliront, & Dæmones quoſdam videre ſe putent ipſos infeſtos quandocunque nocte, quandoque etiam interdiu, aliquando verò utroque tempore.*) Imò adeò vehementem conſtat eſſe paſſionem timorem, ut nonnulli ex ſubito timore interierint, Gal. 2. *de*
38 *ſympt. cauſ. c.* 5. Timorem verò eſſe expectationem imminentis mali, & notum eſt, & docuit Plat. *in lib. de Fortitud. in fin.* qui affectus eſt animi & vehemens
39 & ſubitus, ut Galenus teſtatur 12. *Meth.* & idcircò prudenter à Juriſconſultis determinatum eſt,
40 quòd quodcunque metus cauſa fit, ratum non habeatur, *ut lib.* 1. *ff. de eo, quod met. cauſ.* ubi qualis debeat eſſe metus, ut juſtus dicatur, & de hoc ipſo quamplurima, videat Jurisperitus apud Farinacium *Fragm. crimin. parte ſecunda, littera M.* Ratio autem ejus rei non alia eſt, quàm ea, de qua ſuprà, nimirum quia timentes non habent intellectus ple-
41 nitudinem, Caball. *de omni genere homic. num.* 100.
42 imò & voluntate, & conſenſu carent neque enim velle dicitur, qui metus cauſa vult. Marant. *quæſt. leg. diſp.* 6. *num.* 36. quia metus eſt contrarius voluntati, & libertati. Roland. *Conſil.* 95. *num.* 31. *lib.* 1. unde illicò, atque probatus ſit metus, actum non fuiſſe ſponte celebratum, ſequitur. Bald. adductus per Æmil. *conſ.* 73. *num.* 15.

43 Cæterùm pro diverſitate objecti imminentium malorum, timor etiam diverſificatur; & idcircò Plato 1. *de leg. in fin.* duas timoris ſpecies conſtituebat: *Timoris*, inquit, *duæ ſpecies; timemus equidem mala ea futura expectantes; timemus etiam ſæpè opinionem, ne mali putemur, ſiquid minùs honeſtum faciamus, aut dicamus, quem timorem nos ſani, & omnes, ut arbitror, pudorem vocamus.* Hæc Plato. Ex quibus du- 44
bium inſurgere poterat an, quemadmodum ex timore imminentis mali multa irrita habentur, & culpa, ac unà pœna in delictis minuitur, eadem pro- 45
cedere debeant in timore imminentis infamiæ: & licèt *ll. in l. nec timorem, in princ. ff. de eo, quod met. cauſ.* 46
determinaverint, timorem infamiæ non comprehendi in eo edicto, in quo comprehendebatur timor imminentis mali, tamen adhuc remanet dubitationi locus; quia ſi Iratus excuſetur à culpa, ut 47
diximus, ſi quando juſtâ irâ accenſus delinquat, quia unuſquiſque tenetur etiam ad mortem uſque 48
ſuum honorem tueri, par videatur ratio militare in eo, qui timet honori ſuo, ſi quid ejus timoris cauſa deliquerit. Accidit præterea, quòd DD. metum in- 49
famiæ dicunt eſſe metum cadentem in conſtantem 50
virum. Sanch. *de matr. libro quarto, diſput.* 5. *numer.* 14. *& ſeq.* quia timor amiſſionis honoris æquiparatur timori mortis. Farinac. qui ad id plures adducit DD. *Fragm. crim. p.* 1. *lit. M. n.* 1. *& q.* 124. *n.* 41. *tit. de homic.* Cabal. *de omni gener. hom. n.* 90. imò intereſſe honoris dicunt illi majus eſſe, quàm quodlibet aliud. 51
Caravit. *ſuper Rit. Mag. Cur. Rit.* 5. *num.* 6. Et potiùs mortem eſſe ſubeundam, quàm infamiam, Tiraq. *in tract. de Jud. in reb. exig. not.* 77. ubi & divi Pauli ſententiam huic rei facientem habes, & plura alia vide ad hoc allata per Caſſan. *in Catal. Glor. mund. part.* 2. *conſider.* 2. *princ.*

Dicendum ex mea ſententia eſt, veritatem qui- 52
dem habere, quòd tam ira, quàm timor imminentis mali, quia paſſiones ſunt & ſubitæ & vehementes, ut diximus, rationem turbent, atque confundant, ita ut in ira, aut tali timore poſiti extra rationem agere, quicquid agunt, dicendi ſint: at hoc minimè locum habere in eo timore, qui ex imminente infamia fit; neque enim tam ſubitus, ac vehemens eſt, 53
ut hominem à ratione abſtrahat, ut ille; non enim ita apta eſt commovere ſpiritus & ſanguinem ſpecies infamiæ, ſeu honoris mente oblata, quemadmodùm apta eſt ſpecies imminentis mali, ut mor- 54
tis, & hujusmodi, cùm magis illa, quàm hæc extra ſenſum poſita videatur, & tamen eſſet in hoc caſu attendenda perſonarum conditio, cum abſque du- 55
bio ſpecie infamiæ multò magis nobilis quàm ignobilis commoveatur, & conſequenter magis præter rationem illam operari contigit ex eo timore. Qui tamen nunquam tam ſubitaneus eſſe poteſt, 56
quàm timor imminentis mali; qui multo majori cum violentia ſpiritus turbare aptus eſt.

Malos denique mores intellectum purturbare, ac manifeſtiſſimè lædere, ita ut hominem in brutum penè animal evadere cogant, auctoritate Platonis *in Philebo, in princ. & alibi* conſtat, & doctiſſimus quidam Medicus, Valeſcus, inquam, Tarentinus *ſui Philonii lib.* 1. *cap.* 11. qui eſt de amore, apertiſſimis verbis dicebat, homines in malis moribus habituatos 57
non habere integrum rationis uſum; nec mirum id videatur, cum à conſuetudine, quæ vim naturæ 58
habet, ratio corrumpatur, ita ut tales non ampliùs ſui compotes exiſtant, ut ratione perſuadente à malis moribus retrahantur, quia impellente, ac quaſi cogente conſuetudine in mala opera præcipitant, quod & annuitur in Sacris, *Sap.* 12. *verſ.* 10. *Non ignorans quoniam nequam eſt ratio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum.* Et prudenter quidem Langius *lib.* 1. *Epiſt.* 70. vitia veneficiis comparabat,

non aliter enim in vitiis assueti vitiosè semper vivunt, quàm si à veneficiis, sic & non aliter operari cogerentur.

Circa hæc igitur, ut in cæteris omnibus, prudentissimè à Legibus provisum est, nam (quod pro exemplo adduci volo) *luxuriosæ mulieri administrationem etiam propriorum bonorum interdicunt, & curatorem recipere* illam cogunt, *l. Et mulieri, ff. de curat. furios.* Vant. *de nullit. & inhabil. num.* 24. Rul. *consil.* 86. *num.* 50. *lib.* 2. Et ratio ea est, quia ex impetu luxuriæ mulier rationis minimè compos evadit, & infatuatur. Matt. Matthes. *sing.* 102. *num.* 8. *in annot.* Non secus etiam, sed ob eandem rationem, corruptionem scilicet. Intellectus pravitate morum, prodigus à multis actibus prohibetur, quia & hic ex malo habitu impos mentis redditus est. Bartol. *de Nuc. de substit. c.* 4. *sub n.* 6. Masc. *concl.* 1234. *n.* 2 *vol.* 3. Unde *prodigus*, & *furiosus* pari passu videntur in Jure ambulare; sicuti enim furor non præsumitur, quia defectus est præter naturam, sic neque prodigalitas; & sicuti semel furiosus semper præsumitur furiosus, sic & prodigus; & sicuti furioso nullus est sensus, & impos mentis suæ est, sic & prodigus: quæ omnia vide apud Mascard. *ubi proximè*, idcircò ergo testari non permittitur *l. Is cui, ff. de Test. §. Item Prodigus. Instit. quibus non est permis. fac. test.* Et jure, quia discretione caret. Pet. à Biax. *in direct Elect. cap.* 32. *part.* 2. *num.* 4. Quinimò neque ipse sua bona administrare potest, sed curatorem recipit, *lib.* 1. *de cur. furios.* neque vendere potest, etiam cum juramento. Fab. de Mont. *de emp. & vend. quæst.* 3. *n.* 37. omitto quod prohibeatur eligi. Petr. à Biax. *ubi supra, numer.* 1. & alia, quia hujusmodi multò facilius locum habere notum est. Ex quibus eliciendum jam est, quod si quis sit in aliquo peculiari vitio, ac pravo more habituatus, certi esse possumus in hoc rationem cæcutire, circa ea particularia, quæ tale vitium, aut ejusmodi pravum morem concernunt; unde jure optimo in iis ipsis; quæ ad talem morem, aut vitium pertinent, poterit hic à Legibus prohiberi, ne aliquos actus celebrare possit, ut de prodigo dictum est, ne vendat, ne testetur, ne sua bona administret, ne eligatur, &c.

Circa ea tamen, quæ ad delicta pertinent, licèt dixerimus, in iis rationem ex pravitate morum læsam esse, hoc ne tantillum quidem debet illos excusare, quò minùs delinquentes summo cum rigore pœnas dent, ac severissimè puniantur; nam nullus, nisi sponte malus est, cùm voluntas secundùm naturam boni sit, præter naturam verò mali, & vult Natura quidem bonum, præter naturam verò, & ex mentis quadam eversione malum, Arist. *Moral. Eudem. lib.* 3. *cap.* 11. Unde prudenter Jurisconsulti quemlibet præsumi bonum volunt, Duen. *Reg.* 75. *lit. B.* Rul. *Cons.* 11. *num.* 8. *lib.* 3. Malvas. *consil.* 75. *n.* 22. *Volum.* 1. Farinac. *Pract. crim. par.* 1. *tom.* 2. *quæst.* 47. *num.* 277. quia bonitas est propagata ex habitudine, & origine Naturæ, sed malitia non, Bald. *Consil* 398. *nu.* 8. Unde Ecclesiastes *cap.* 7. *versic. ult. Solummodo hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*, & Eccles. *c.* 15. *vers.* 17. *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* At & virtus, & vitium voluntaria sunt, ut idem Arist. *ibid. capit. seq.* docet; & ex Jurisconsultis Carrat. *de Medico &c. jus off. part.* 2. *num.* 153. cùm nulla necessitas ad mala perpetranda non cogat, si enim involuntaria vitia essent, non vituperarentur; verba sunt ejusdem Arist. *ibidem.*

Scio in Sacris, *Gen. capite* 8. haberi, hominis naturam esse pronam ad malum: quod & Platoni acceptum videtur, cùm homines non esse sua natura bonos *in Menmon.* dixerit, & ex Jurisconsultis probare nonnulli videntur hoc dictum. Redo. *de Spol. Eccles. quæst.* 2, *n.* 65. Imò idem Plato *in Tim. & 5. de legib.* hominem non fieri malum sponte malum voluit, sed ex pravo corporis habitu, rudique educatione malum omnem evadere malum, quæ tamen sententia veritati dissona, cùm vitium, & virtus voluntaria sint, ut dixi. Sed his pro nunc finem imponam, licèt pleraque, quæ circa pravos mores afferri poterant, silentio, ne tædio Lectori sim, transigere malim, ad alia properando.

SUMMARIUM.

1 *Fatuorum plures species, & n.* 4.
2 *Fatuorum duæ species, ex Cardano.*
3 *Rudes, & insulsi qui.*
5 *Ignorantes, ac imperiti qui.*
6 *Hebetudo quid.*
7 *Ignorantia est quadam animæ dementia.*
8 *Mente capti nomen, fatuo non convenit.*
9 *Fatui non sunt insani.*
10 *Fatuorum divisio ex Jurisconsultis.*
11 *Signa primi generis fatuitatis.*
12 *Fatui, qui exquisita rerum memoria polleant.*
13 *Ingenio tardi, memoriâ tenacissimi.*
14 *Fatui, qui in certis rebus habent non mediocre judicium.*
15 *Prima fatuitatis species ut plurimùm à nativitate est.*
16 *Fatuitas, cerebri quadam frigiditas.*
17 *Multa non habent locum in primo fatuitatis genere, quæ locum habent in aliis.*
18 *Fatui primi generis à testimonio dicendo non repelluntur.*
19 *Sensus visus evidentior, quàm auditus.*
20. *Ad testamenti confectionem fatui primi generis admittuntur.*
21 *Fatui primi generis prohibentur ab ingressu Religionis.*
22 *Dementia impediens professionem, talis sit oportet, ut auferat usum rationis.*
23 *Fatui primi generis à matrimonio contrahendo non excludantur.*
24 *Fatui primi generis, à quibus prohibendi.*
25 *Fatui primi generis, an in delictis excusandi, die ut n.* 27.
26 *Pueri in plerisque excusantur.*
28 *Pubertati proximi, sunt doli capaces.*
29 *Ubi dolus, & malitia præsens est, ibi culpa locum habet.*
30 *Fatui secundi generis.*
31 *Fatuitas propriè quid, & num. seq.*
33 *Fatuus præsumendus, habens memoriam inordinatam.*
34 *Fatuus non habere cerebrum dicitur.*
35 *Stolidi & amentes propriè qui.*
36 *Fatui secundi generis ab omnibus civilibus actibus eliminantur, & in delictis excusantur.*
37 *Fatui secundi generis, an matrimonio interdici debeat, die ut n. seq.*
39 *Fatui secundi generis, an testari permittendi, die ut n.* 41.
40. *Non requiritur mens omninò sana in eo, qui disponit de rebus suis.*
42 *Oblivioſi qui.*
43 *Memoria defecti qui.*
44 *Cur oblivioſi distinguantur à memoria defectis.*
45 *Memoria defecti, ut fatui tractandi.*
46 *Multa procedere possunt in oblivioſis, quæ locum non habent in memoria defectis.*
47 *An oblivioſi ad nonnulla, de quibus hîc admittendi.*
48 *Senes oblivioni obnoxii.*
49 *Oblivio à quanto tempore inducatur, die ut n.* 58.
50 *Multa hominem magis, aut minus oblivioſum faciunt.*
51 *Mulieres magis oblivioſæ, quàm viri.*
52 *Senibus minima rerum memoria.*
53 *Sicci, temperaturâ magis memorativi.*
54 *Vix fieri potest, ut idem homo simul judicio, & memoriâ valeat.*
55 *Memoriâ minus valent, qui superiora majora habent.*
56 *Magis oblivioſi sunt, qui negotiis vacant.*
57 *Res magna in oblivionem de facili ire non præsumitur.*

De Ignorantibus, Fatuis, Stolidis, Oblivioſis, & memoriâ orbatis.

QUÆSTIO VII.

RAtionis oblæſiones, de quibus egimus, propriè inter dementias non connumerantur: primum autem locum inter dementias propriè ſic dictas, ſeu inter eos, qui integram rationem, prout humana requirit conditio, non obtinent, vendicant ſibi ii, quos communiter, & generali quodam nomine *fatuos* vocamus, quorum tamen plures ſpecies exiſtunt, pro majori, aut minori mentis, & Intellectûs ignavia, ac tarditate: licèt Card. *comm. 6. Aphor. 51.* duas tantum ſpecies fatuitatis conſtituat, unam, in qua quis non cognoſcit, quæ cognoſcenda ſunt, & tales rudes, appellari tradit, & hi fortaſsè ſunt, quos *inſulſos* Juriſconſulti vocant; Ripa *in l. ex facto de vulg. & pupil. numero 82.* eo quòd omnia, quæcunque agunt, aut loquuntur, abſque Venere, & ſale dicta, ac facta ab illis videantur, qua de cauſa Veteres cùm hujuſmodi homines ſignificare volebant, per blitum denotabant, quòd herba ſtupidi, inſipidique ſaporis ſit, nullámque acrimoniam habeat, tradente Pier. Valer. *Hierogl. lib. 58.* unde jure fatua hæc herba à Martiali appellatur, in eo carmine:

Ut ſapiant fatua fabrorum prandia beta.

Altera fatuitatis ſpecies ex *Cardano* eſt ea, in qua cognitiones parum rectè ratiocinantur, cujus proprium nomen fatuitatis facit, ſed multò magis diverſificari fatuitati, ac fatuorum ſpecies, notum eſt: in quibusdam enim ſola quædam Ingenii pigrities & ignavia conſpicitur, ex qua inhabiles redduntur ad ea intellectu aſſequenda, quæ cæteri homines, vel ex ſe, vel ipſa dictante Natura, vel pauxillâ adhibitâ operâ facillimè conſequuntur, ut primordia quædam diſciplinarum, artes quasdam viles, ac propriè Mechanicas, mores, & inſtituta quædam civilia, corporis proprii civilem cultum, ac quandam naturalem, omnibúsque communem in domeſticis negotiis verſutiam, & alacritatem. Tales ignorantes, ac imperitos vocamus, non quatenus ſcientibus ex diſciplinis arte comparatis contrarii ſunt, ſed quatenus, ut dixi, ad naturalem quandam, & infrà mediocritatem rerum peritiam, ac notitiam pervenire inepti ſunt, quales dicebantur olim Bœoti, ex quo ortum adagium, Bœoticum ingenium, pro craſſi, ac ſtupidi ingenii viro: unde Horatius *epiſt. libro ſecundo epiſt. 1.*

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

Hos conſultiùs fortaſſe hebetes vocaremus, & hanc fatuitatis ſpeciem hebetudinem, ut vocat Cardan. *ibid.* Inter Juriſconſultos autem Rota in *Melitenſ. Teſtamenti, Veneris 17. Februar. 1612. coram Manzanedo*, hos indiſcretos vocat. Hæc ignorantia, ſive hebetudo, rudimentum, ac principium quoddam fatuitatis eſt, cùm verè tamen fatuitas non ſit, neque ex ea fatui dicendi homines ſunt, ut voluit Gal. *comm. 3. in 1. Prorrhet. text. 60. claſſ. 4.* Plato *in Sophiſta*, Ignorantiam eſſe quandam animæ dementiam dixit. Quòd ſi de hac ignorantia illum loqui dicamus, non niſi id, quod ſuprà annuimus, Platonem ſibi voluiſſe dicerem. A Legumperitis autem ignorantia vocatur morbus quidam animæ. Rip. *in tract. de peſt. in princip. nu. 3.* quòd coincidit cum Platonis dicto.

Hujusmodi hebetudine laborantes, de eorũ cenſu ſunt, quos vulgò ſimplices, & craſſæ farinæ, ſeu craſſæ Minervæ homines appellamus: Et quos Rota *in Leodienſ. Caſtride Mombech. 1614. coram Pirovano num. 6.* ſimplices, innocentes, & fatuos primæ ſpeciei vocat: vocamus inſuper Tardos, Bardos, Buccones, Moriones, Sanniones, (ac de his vide Budæum *in Annot. in tit. de Ædil. Edict. l. 4.*) & per comparationem ſtipites, &c. Plautus *in Bacchid. act. 5. Scen. 1.* lepidiſſimè ejusmodi nomina recenſet:

Quicunque ubi ubi ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſthac,
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longè anteeo ſtultitiâ, & moribus indoctis.

Ad cujus imitationem Terent. *in Heautont. Act. 5. Scen. 1.*

——In me quibus harum rerum convenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum, caudex, aſinus, ſtipes, plumbus,
In illum nil poteſt: nam exuperat ejus ſtultitia hæc omnia.

Sed quando de nominibus agimus, illud admonendum, minimè convenire fatuo nomen mente capti, quod tamen uſurpant nonnulli Juriſconſultorum. Dec. *in l. Humanitatis. C. de Impub. & aliis ſubſt. num. 1.* Gloſſ. *in §. Præterea verbo furioſi.* Theſaur. *Deciſ. 92. num. 2.* niſi hoc largo modo intelligatur, aut de fatuis in tertia ſpecie: quemadmodum neque inſani vocari debent, ut Bart. facit *de teſt. num. 8.* De his intelligendum à nonnullis Juriſconſultis eſt, dividentibus fatuos in eos, qui habent judicium, quantum habet puer quatuordecim annorum, & in eos, qui vix judicio æquant puerum decennem. Theſaur. *deciſ. 92. numer. 4.* & ex Medicis, Aët. *ſerm. 6. cap. 22.* per priores enim hoc primum Fatuitatis genus, nobis ignorantia, & hebetudo appellata, ſignificatur. Idem quoque ſibi voluit Ripa *in l. Ex facto, num. 82. de Vulg. & pupill.* cùm dicebat, fatuorum quosdam eſſe, qui ſenſus ſunt rudis tantùm, & hebetis, cùm alii eorum ſint, qui omninò amentes ſunt, & abſque ſenſu. Sed diligentiùs ex Juriſconſultis Fatuos inter ſe diſtinxit Menoch. *de Arbitr. Jud. lib. 2. caſ. 258. à num. 2. ad plures ſeqq.* non tamen hac noſtrâ methodo procedit, ſed ut magis ad rem ſuam facere illi viſum eſt.

Habet hoc primum fatuitatis genus ſua ſigna: Cognoſcuntur enim ejuſmodi ignorantes, ſeu ut Juriſconſultorum voce utar, Maccarones, non ſolum ex eo, quòd in omnibus tardi ſint intellectûs, unde ad diſcendum etiam puerilia quædam diſciplinarum elemẽta ineptiſſimi ſunt, ſed etiam quòd naturali quadam audaciâ deſtituantur, quâ de re majorum ſuorum vultum, ac minas, etiam virilem ætatem attingentes, reverentur, & ea, quæ ipſis per ætatem grandiorem non modò facere licet, ſed decet ſummoperè, ob eandem tamen inanem majorum reverentiam, patrare pertimeſcunt, ut Melitides ille, qui ductâ uxore illam non attigit, veritus ne illa ſe apud matrem accuſaret, referente auctore *in Adag.* His quoque vel facillimè quidvis imponitur, & de rebus inanibus, ac factu impoſſibilibus decipientium interdum amicorum dictis perſuadentur. Hac ignorantiâ detenti inſulſa quoque reſponſa, ut dixi, interrogationibus reddunt, & ut uno verbo dicam, ubi intellectûs operâ opus eſt, tardè omnia, ac ſine modo, nec debita occaſione, ac tempore peragunt, cùm tamen è contra exquiſita rerum memoriâ polleant, tradente Fracaſt. *de intellect. lib. 1.* quod naturaliter utplurimùm evenit, ut qui ingenio tardi ſunt, memoriâ ſint tenaciſſimi, quemadmodùm notum Philoſophis eſt; & notat ex Juriſconſultis Tiraq. *de Leg. Connub. Gloſ. 5. n. 24.* & licèt in univerſum judicii modici ſint, in certis tamen rebus habent judicium aliquando

14 non mediocre,ut notat ex Juriſconſultis Corſett. *ſingu. n. 2. in verbo teſtament.*

15 Notandum verò illud eſt, quòd hoc vitium utplurimùm à Natura eſt,cùm cæteræ fatuitatis ſpecies & ex ſenio, & ex morbo pullulare conſueverint;nam licèt & hæc ipſa fatuitas, ignorantia, vel hebetudo vocata, in ſenio, & morbis contingere poſſit, tamen ſemper ad ulteriora tendit, ad perfectam nimirum fatuitatem ,aut ad mortem, ut in morbis frigidis,cùm ægri jam morti proximi ſunt.

16 Cæterùm cùm fatuitas nihil aliud ſit,quàm cerebri quædam frigiditas,ex paucitate,& inopia caloris, ac ſpirituum originem ducens ; ita dictante Gal.4.*de præſag.ex pul.cap.*8.*claſſ.*4.*&* 2.*de Sympt.cauſ. c.* 7.*claſſ.*3.& Aët.*ſerm.*6.*cap.* 22. patet, quòd cerebri refrigeratio,ſeu potius caloris inopia,multos habere poteſt gradus, unde major , aut minor facultas orietur. In primo igitur hoc gradu modicam refrigerationem cerebro ineſſe credendum,reſpectu tamen cæterorum , in quibus ſemper frigiditas augeſcit, calore ipſo deficiente. In iis igitur,qui pri-

17 mùm tantummodò hunc gradum attingerent,multa non debent habere locum ex legum ſanctionibus, & Juriſconſultorum decretis : etenim hi licèt perfectum rationis uſum non aſſequantur , non

18 adeò tamen ab illa alieni ſunt ut longo uſu quædam hominibus familiaria minimè apprehendant. Itaque in certis quibusdam caſibus non video quare repelli debeant à teſtimonio dicendo , præſertim de his, quæ viderint,cùm,ut aliàs dixi,exqui-

19 ſitam rerum memoriam ſortiantur : de his enim quæ audiverint, poſſet aliqua dubitatio intereſſe, cùm major rationis integritas requiratur in his, quàm in illis ſignificandis : evidentior enim ſenſus viſus eſt , ac movet etiam magis imaginationem , quàm auditus,ut ſuperiùs dictum eſt.

20 Ad teſtamenti confectionem jure admitti eos cenſeo , nam de his intelligere Doctores puto in hoc caſu. Dec. *in Furioſum, C. de his qui teſt. fac.poſſ. num.*8.*&* 11. & ibi de his ſe loqui manifeſtum facit

21 ex ſubſequentibus , Rota *in noviſſimis dec.* 384.*numero* 5.*parte* 1.*tom.* 1.*& in Meliten. Teſtamenti , aliàs citata* , nec minùs ſecundum Jus mihi videtur , quòd tales minimè prohibeantur ab ingreſſu Religionis, & à profeſſione facienda, quia ad hæc ſuf-

22 ficere poteſt in illis rationis uſus quisquis ſit : talis enim dementia impediens profeſſionem ſit oportet , ut auferat omnem rationis uſum , *ead.* Rot. *ibid. dec.* 134. *n.* 1.*p.* 2.

23 Neque matrimonio eſſe interdicendum, his crediderim , quia etiam ſtante eâ intellectus hebetudine , vim ſacramenti , ac finem matrimonii aſſequi poſſunt. Eſt & hoc de mente ejusdem Rotæ *ibid. deciſ.* 107. *num.* 19. *part.* 2. imò faciliùs,ut mea

24 fert opinio, ad matrimonium, quàm ad ingreſſum Religionis admitti poſſunt : in matrimonio enim Natura ipſa aliquid cooperatur , & rudes quoque edocet. A cæteris autem, quæ intellectûs integritatem , ac perfectionem requirunt, ut à promotione ad ſacra , à ſucceſſione ad feuda , à tutelæ, aut officii publici adminiſtratione , videntur de jure eliminandi.

In delictis porrò an excuſandi ſint , difficultas

25 eſſe poteſt , quia conſtat, facilè poſſe hos ex conſuetudine ſaltem,etiamſi ex cognitione intellectiva non poſſent , delictorum naturam apprehendere , cùm & pueri ipſi præſertim pubertati proximi , quorum ingenio horum ingenium æquiparandum diximus . id ipſum facilè aſſequantur , cognoſcentes delicta ex ſui natura mala eſſe , & idcircò fugienda : & tamen dicendum videretur ; quòd quemadmodum pueri hujusmodi in plerisque ex- 26
cuſantur , ita excuſari deberent hujusmodi fatui , quos non majus habere judicium diximus , quàm prædicti pueri habeant.

Ego in aliquibus delictis non ita excuſandos 27
eſſe fatuos , ut pueros ſentio (de hiſce tantùm fatuis loquor, non de cæteris) & ratio eſt, quòd licèt velimus hos fatuos pueris quatuordecim annorum quoad rationis uſum comparare , tamen fatui ex conſuetudine poſſunt in quibusdam proficere , cùm maxima ſit vis conſuetudinis ; neque ſolùm hos fatuos apta ſit erudire, ſed ipſas etiam beſtias rationali animâ deſtitutas. Jam verò ſi pueri pubertati proximi doli capaces ſunt , *l. pupillum,* 28
ff.de regul.jur. Zabarell.*de homicid.caſual.& volunt. cap. ſi furioſus, n.*3. multò magis doli capaces hi cenſendi ſunt : ubi autem dolus præſens eſt,& malitia;ibi culpa locum habet : culpa verò pœnam ſociam ha- 29
bere debet , argumento à contrario ſenſu , quòd ubi non eſt culpa, ibi non eſt pœna. Angel. à Gambell. *apud Zidetum conſ.* 95. *n.* 1. item & ubi non eſt dolus,neque delictum pœnâ dignum cenſetur. Menoch. *conſ.* 28. *n.* 13. *tom.* 1.

Sequuntur in *ſecundo gradu* illi , qui jam propriè 30
omnibus & Juriſconſultis & Medicis fatui dicuntur (nam pauci admodum,vel nullus,quem ſciam, de prioribus expreſſam mentionem habuit) hi non ſolùm intellectûs ignaviam, ac tarditatem habent, ſed veluti infra naturæ humanæ conditionem exiſtere,quoad rationis uſum videntur : vix enim loquí edocentur, ac neque ad ea apti comperiuntur, quæ ipſa humana natura ex ſe dictare ſolet : nam neque in ratiocinando ætate proficiunt, ſed à ſeptennibus infantibus nonniſi loquelâ dignoſcuntur, in qua pauliſper promptiores videntur , ſed
& ea ipſa fatuos ſe eſſe manifeſtant , unde idcircò 31
fatui dicti , quia fando ſuam oſtendunt imperfectionem. Bart. *de Teſt. n.* 98. Hi prorſus puerili ingenio ſunt , ac puerilibus delectantur, ut eſt

Ludere par impar , equitare arundine longa.

Ad nulla præterea apti cenſentur, ac in nulla re erudiri poſſunt , puſillis quibusdam exceptis ; habent enim hi intellectum minimum , & memoriâ quoque deſtituuntur , & hoc non alia de re , niſi quia & major , & univerſalior eſt cerebri in iſtis frigiditas,& ſpirituum inopia: nihil enim aliud fatuitas eſt , quàm memoriæ ſimul cum ratione vel diminutio , vel amiſſio , ut placet Paulo *lib.* 3. *ſuæ Med.capite* 11.quamobrem de his intelligendum di- 32
ctum illud Juriſconſultorum , quod fatuus præſumendus ſit, habens memoriam inordinatam. Alex. *in l. Cùm ſervus, §. conſtat. ff. de leg.* 1. *& in l. Si cum dotem, §. ſi Maritus , Digeſtis , ſoluto matrimonio,* Grammatic. *Deciſione* 2. *numero primo* , Cævalus *Quæſt.* 33
Comm. contra comm. in præfat. numero 98. Eſt enim in his naturalis cerebri calor adeò modicus , ut nulli prorſus ipſi cerebri functioni inſervire poſſit, unde rectè in communi modo loquendi , fatuum non habere cerebrum dicimus , teſtante Galen. 2. 34
*de loco effect.capite quarto,claſſ.*4.*&* 3.*de Plac.Hippocr.& Plat. cap.* 4. *claſſ.* 1. Facetè Plaut. *in Moſtel. Act.* 5. *Scen.* 1.

Imò etiam cerebrum quoque omne è capite emunxiſti meo.

In pejori tamen conditione ſunt,qui hos ſubſequuntur,in quibus & nulla ratio,& nulla omninò memoria reperitur, unde & verbis, & factis ſuam fatuitatem detegunt, nihil omninò addiſcunt, nec civili conſuetudine quicquam proficiunt , & in

ſumma

ſumma, bonum à malo, conveniens inconvenienti, vitium à virtute non diſtinguunt, quod non ita habet locum in cæteris, de quib. ſuprà: & idcircò ſtolidi, & amentes propriè dicuntur, & per me-
35 taphoram lapides, quòd omni ſenſu veluti lapides deſtitui videantur, quo nomine, cùm ſtoliditatem alicui objicimus, utimur, ut facetè uſus eſt Plaut. *in Pœnul. Act. primo, Scena 2.*

—*Nam tu es lapide ſilice ſtultior,*
Qui hanc ames.

Et *in Mil. Glor. Act. 2. Scen. 2.*

Pe. *Meus herus Elephanti corio circumtectus, non ſuo eſt,*
Neque plus habet ſapientiæ, quàm lapis.
Pe. *Ego iſtuc ſcio.*

Hæc affectio Græcis *Anœa* dicta eſt, quemadmodùm ſuperior, *Moroſis*, licèt utrumque nomen pro eadem affectione accipi apud Auctores contingat. Tam verò hi, quàm ſuperiòres (licet utrique majori, aut minori fatuitate aliquàdo afficiantur, cùm utriusque paſſionis dentur quidam gradus ſecundùm
36 magis, & minùs) jure merito ab omnib. civilib. actib. eliminantur, & in delictis omninò excuſantur.

37 De illis tamen videndum, an matrimonio jungi poſſint, cùm intellectus humani quandã veluti umbram, ſeu quoddam rudimentũ ſervent, & non omninò memoriâ deſtituantur, aut humano ſenſu, ac paſſionib. careant, veluti hi, quos ultimo loco recenſuimus: & quia, ut dixi ſæpiùs, magna eſt hujusmodi fatuitatis latitudo, rectè conſultũ puto, ſi Judicis
38 arbitrio hæc decidenda relinquãtur, velut alia permulta, quæ ad hanc materiam pertinere poſſunt.

39 *Dubitari* autem poteſt, *an teſtamentum condere*
40 *permittere debeant*: & ratio dubitandi ea eſt, quia in eo, qui diſponit de reb. ſuis, non requiritur mens omninò ſana, ſed ut non ſit à mente alienatus. Joſ. Lud. *dec. Peruſina prima, n. 14. p. 1.* facit deciſ. Rotæ *in*
41 *Romana Donatio. de Gualterucciis, 1622. Lunæ 12. Dec. coram Cavalerio.* Hoc ipſum tamen, ut ſuperiora, Judicis arbitrio remitterem, his enim facilè dijudicabit, an fatuus ita ſenſu, ac humanis paſſionibus deſtituantur, ut ſibi conjunctos, & ſuos benefactores minimè agnoſcat, an verò contrà: & ſic facilè ſententiam ex Juſtitiæ tenore feret.

42 Poſt fatuos ſequuntur, qui oblivioſi dicuntur, & memoriâ defecti, inter quos tamen non modicæ
43 conſiderationis differentiam ponere decet: dicamus ergo, oblivioſos nos eos intelligere, qui difficulter rerum memoriam conſervant: memoriâ verò defectos eos, qui nullam omninò, nec multò, nec paulò antè præteritorum conſervant: memoriam, quous-
44 que ea diſpoſitione detinentur: cauſa verò, cur ita diſtingui velim, cùm nonniſi ſecundùm magis & minus inter ſe differre videantur, ea eſt, quòd in po-
45 ſteriorib. multa locum habent, quæ minimè habent locũ in prioribus: ſiquidem poſteriores non minùs, quàm fatui in omnibus exiſtimandi, & inter eos præcipuè, qui ſecundum obtinent fatuitatis gradũ: Et ratio eſt, quia dum affectio, à quo memoria oblæditur, valdè intenditur, ſimul cum memoria ratio deperditur, Gal. 3. *de loc. aff. c. 5.* Foreſt. *Obſerv. lib. 10. Obſerva. 1.* ex memoriæ verò ſimul cum ratione defectu, fatuitatem oboriri, ſuprà dixi.

Hæc autem affectio, ut plurimùm à morbis longis ac ſævis oboritur, ut de Meſſala Corvino narrat eveniſſe Plin. *Natur. hiſt. libro 7. cap. 24.* Peſtilentes etiam morbi hunc ipſum affectum excitant, ut contigiſſe in ſæviſſima illa peſte, de qua Lucr. *lib. 6. de rer. nat.* ipſemet narrat dicens:

Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.

quod etiam inter Jurisconſultos adnotavit Menoc. *de arbitr. Jud. lib. 2. conſ. 26. n. 5.*

Cæterùm in priorib. cùm memoria non ita oblæ- 46
ſa exiſtat, ut ſimul ratio ex ejus læſione cõpatiatur, idcircò multa procedere poſſe dicendum, quæ procedere in poſteriorib. non poſſunt: priores enim impediri nullo jure debent, quo minùs teſtamentum condant: prout reſolvit Rota *in Romana ſucceſſionis. 15. Januar. 1629. coram Duran. quæ inter ejus impreſſas eſt deciſio 178. & eſt text. in hac conſultiſſima §. at cum humana fragilitas, C. qui teſtam. fac. poſſ.* religionem ingredi, ac profeſſionem facere non prohibendi, matrimonio jungi, contrahere, ſeſe obligare, ſua bona adminiſtrare permittendi, & id genus alia, eâ ratione quia ſola memoriæ imbecillitas non infert, ad intellectus defectum, Menoch. *de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 45. n. 31.* Rota *dec. 384. n. 5. p. 1. in Recent. & coram Durant. dicta deciſ. 178. n. 18. & ſeq.* quæ ratio cùm non 47
militet in poſterioribus, & prædicta, & alia, quæ non niſi hominibus ſanæ mentis permittũtur, illis eſſe penitùs deneganda. In aliis tamen quibusdam priores admittendi fortè non ſunt (nam de poſterioribus non ambigendũ) quæ Jurisconſultis proponam, qui videant, an hi ad ſacra licitè promoveri poſſint, cùm ad multa ejus vitii cauſâ non ſufficiant, ad quæ ſufficere debet promovendus: videãt etiam an ad officia publica exercenda admitti debeant, cùm in officiis publicis & prudentia, & rerum exquiſita memoria opus ſit: tandemque determinent, an hi ad teſtimonium dicendum apti ſint; quomodò enim apti eſſent, qui vel nullo modo, vel difficulter admodum eorum, quæ viderint, aut audierint, recordentur? Qua de re cùm ſenes huic ma- 48
ximè vitio obnoxii ſint, animadvertant illi, quàm cautè ſenes ad teſtimonium dicendum admittantur, eorum præſertim, quæ à multo tempore citrà præterierunt. Porrò, cùm de oblivione verba fecerimus, diſcutiamus Jurisconſultorum quæſtionem illam, quâ inquirunt, quanto tempore inducatur oblivio: in quo puncto, licèt nonnulli apud Menoch. *ubi ſuprà*, conati ſint definire terminum obli- 49
vionis, incaſſum tamen illos elaboraſſe manifeſtum eſt: Et ratio eſt, quia permulta ſunt, quæ homines 50
magis & minùs oblivioſos efficiunt, nempè temperatura corporis, & præcipuè capitis ſecundùm poſteriora, ſexus, ætas, partium conſtitutio, vitæ qualitas & inſtitutio, ipſius memoriæ exercitatio, & alia hujuſmodi. Patet enim quoad ſexum, exempli gratia, mulieres magis eſſe oblivioſas, quàm viros, ut notat Menoch. *ibid. n. 5.* quod ob humidiorem illarum temperaturam, quæ fluida eſt, & minùs reti- 51
nere apta, evenire exiſtimandum: ergo faciliùs inducetur oblivio in fœmina, quàm in viro. Quoad ætatem jam notum eſt, ſenibus minimam eſſe re- 52
rum memoriam: in hanc enim primùm ſenectus incurrit, teſte experientia, & Seneca adnotante *in præfat. lib. Declam.* & ante illum Ariſt. *lib. de Memor. & Remin. c. 2.* Sed ad hæc, qui plura deſiderat, legat 53
Maſc. *de Prob. Conc. 1122. vol. 3.* Quoad temperaturam magis memorativi ſunt ſiccam habentes, minus humidam. Ariſt. *ubi proximè*, & Averr *ibid. cap. ult.* unde eſt, quòd vix ac ne vix quidem fieri poteſt, ut homines ſimul judicio, & memoriâ valeant. Plato *in Theæteto* Foreſt. *libro 10. Obſer. 10. in Schol.* & ex Jurisconſultis Cæval. *in præfat. ad pract. quæſt. com. n. 94.* Quoad partium conformationem ii, qui ſuperiora majora habent, minùs memoriâ valeant, teſte Ariſt. *ubi ſuprà.* Denique quoad vitæ qualitatem qui negotiis vacant, facilè oblivioſi ſunt, eodem Menoch.

teſte,

teſte, *ubi ſupr. caſu eod. n.* 4. Oblivio ergo faciliùs,& difficiliùs induci poteſt,pro harum,ac ſimilium rerum diverſitate,quibus accedit facti, & rei conditio,cùm egregia facta,ac res magnæ in oblivionem de facili ire non præſumantur.Id.Menoch.*ibid n.*6. & oblivio faciliùs inducitur in facto alieno.Verall. *dec.*279.*n.*7 *p.*3.Quamobrem prudenter determinat idem Menoch. id quæſtionis Judicis arbitrio remitti,qui tamen & hæc, & alia multa, in conſiderationem revocet neceſſe eſt.

57 58

SUMMARIUM.

1 *Muti, & ſurdi inter fatuos recte non comprehenduntur.*
2 *Muti, & ſurdi à Nativitate à cæteris ſanæ mentis hominibus non differunt.*
3 *Surdi à nativitate,etiam muti,cauſam vide n.*5.6.*&* 7.
4 *Mutus à nativitate nullus audit.*
8 *Muti & ſurdi ſimul à nativitate, in prudentia, & mentis vigore deficiunt.*
6 *Muti, & ſurdi à nativitate, alii aliis mente magis, & judicio pollent.*
10 *Mutus ſimul, & ſurdus à nativitate, infanti & furioſo æquiparatur.*
11 *Muti, & ſurdi, qui nutibus intelligunt, non carent prudentiâ, declara ut ibid.*
12 *Muti, & ſurdi furioſo cur æquiparentur.*
13 *Pueri etiamſi audiant, non loquuntur.*
14 *Puer ſi nullum loquentem unquam audiret, apto tamen tempore ſuo modo loqueretur.*
15 *Non eſt neceſſe, benè audientem loqui.*
16 *Intellectus humanus indies perficitur.*
17 *Intellectûs imperfectio in muto & ſurdo eſt irreparabilis.*
18 *Mutus, & ſurdus idem reſpectu diverſæ ætatis, majorem & minorem Intellectum habet.*
20 *Muti, & ſurdi ab omnibus actibus prohibentur, à quibus prohibentur furioſi.*
21 *Mutis, & ſurdis teſtari non permittitur. Amplia ut num. ſequenti.*
23 *Muti & ſurdi matrimonium contrahere non poſſunt.*
24 *Muti, & ſurdi religionem ingredi non permittuntur. Contrarium n ſeq.*
26 *Muti, & ſurdi non poſſunt matrimonii vires aſſequi.*
27 *Muti & ſurdi æquiparantur brutis.*
28 *Contrahens debet cognoſcere finem contractus.*
29 *Non contrahit, niſi volens.*
30 *Non cognito fine, ex electione agere quis non dicitur.*
31 *Cur à matrimonio prohibendi muti, & ſurdi.*
32 *Muti ſolum, aut ſurdi ſolùm an ad omnia habiles.*
33 *In iis, qui ex accidenti loquelam amiſerunt, nullum eſt impedimentum quoad actiones celebrandas. Limita, ut n. ſeq.*
35 *Auditus eſt porta mentis.*

De Mutis & Surdis.

QUÆSTIO VIII.

DE *Mutis* & *Surdis* peculiaris conſideratio inſtituenda eſt : neque enim ſub amentium, aut fatuorum numero videtur nos illos rectè comprehendere poſſe, neque tamen ſano judicio illos
1 eſſe,verè affirmari poteſt. Loquimur autem pro nunc de mutis & ſurdis,qui à nativitate tales exiſtunt,& de cæteris namque injuriâ dubitatur : nihil enim differentiæ ponendum exiſtimaverim(ſi
2 modò pauxillum quid excipias, ut in hujus Quæſtionis calce habes) inter illos, & eos qui & ſanæ mentis,& benè audiunt, & loquuntur.
3 Cæterùm illud notum cuique eſt,ſurdos à nativitate,mutos ſimul exiſtere:ego verò mutum à nativitate audire nûquam comperi,ita ut vice verſa, qui mutus à nativitate eſt, is ſimul & ſurdus exiſtat:& facit pro mea ſentent.*l.Diſcr.§.ſin autem,C.de teſt* & Gloſ.*ibi in verb.Raro.*Utriusq; autem cauſam, 5 6 ex defectu nervorum utriq; ſenſui communium, originem habere credendum, ut exiſtimat And. Laur.*Anat.l.*11.*q.*11 reprobata cauſa ab aliis adducta, nimirùm,quòd ſurdi etiam muti ſint,quia idioma & loquelam addiſcere non poſſunt.Licèt ſi concedatur alia ſurditatis à nativitate cauſa, de qua Hier.Fabr.*de org.Audit.p.*1.*c.*4. videtur poſſe habere locum ſolummodò communis hæc cauſa aliis ad- 7 dûcta:eſt autem cauſa de qua ille,tunica quædam craſſior ante membranam,quam tympanũ vocant, in aure adnata:ſed fortaſſe hæc ſurditas non impedit loquelâ. Quamobrem non valdè miratus ſum id,quod narrat Vall.*lib.de ſacr.Phil.c.*3. de Monacho illo amico ſuo,qui ſurdos à nativitate loqui docebat : non enim credo,id in omnibus ſurdis potuiſſe ſuccedere, ſed in his, de quibus Fabritius.

In dubium autem minimè revocandum eſt,quòd 8 licèt muti & ſurdi à nativitate omnes, in prudentia & mentis vigore deficiant, tamen ſint inter illos, qui majori, aut minori judicio, prudentia, & 9 mentis vigore affluant, ut tenet ex Jurisconſultis Bart.*de teſt.n.* 93. ſed univerſaliter loquendo iidem Jurisconſulti,ut Bart. *ibid. n.* 97. Cujac. *in not.ad Juſtin. Inſtit.tit.de Teſt.ord.tom.* 1. Vantius *de nullitatib. tit.de nullit.ex defect.inhabilit.n.*25. Farin. *pract.crim.p.* 2 *tom.*1.*n* 98.*l.*5 *n.*193. abſolutè volunt, mutum ſimul & ſurdum à nativitate, infanti & furioſo æquiparari,& abſentium loco haberi. Diſtinctio ve- 10 rò aliquorum, quod non careant prudentiâ, qui nutib. intelligunt, Bart. *de teſt.n.*97.non intelligen- 11 da de prudentia ſufficienti, ac tali, ut illos habiles reddat ad omnia,ſed ad aliqua minoris momenti. 12 Non ſine evidenti verò ratione, furioſo æquiparantur,quæ duplex eſt,una ſenſata, altera phyſica. Senſata eſt defectus nervorum, ex quo impediuntur & in audiendo, & in loquendo;hic autem defectus ſupponit defectum cerebri,quod eſt Intellectûs inſtrumentum,unde absque dubio intellectio depravatur, ut in furioſis & amentibus evenit.

Quòd enim hìc nervorum defectus vera cauſa ſit 13 utriusque vitii, non autem quòd ex impedimento auditus auferatur locutio, demonſtrant ipſi tenelli pueri, qui cùm exquiſitiſſimè audiant, tamen non loquuntur, quod illis impedimento ſit nervorum mollities loquelæ inſervientium, qui ad vocem 14 dearticulãdam moveri ob eam mollitiem non ſunt apti, & è contra ſi benè audientem puerum, nul- 15 lum loquentem audire permittas, quousque ex ſe vocem dearticulare, ac loqui poſſit, tamen loquetur grandior factus ſuo modo; fabulas enim puto, quas aliqui narrant,locuturum hac,aut illa lingua: & quod narrat Herodotus *in Euterpe*, *in princ.* de duobus pueris,loqui minimè doctis,qui ex ſe Phrygicè locuti ſint. Non ergo neceſſe eſt, ut qui benè audit,etiam loquatur, neque è contra, qui loqui neminem audit, non loquatur, quia loqui diſcere non poſſit.

Alteram cauſam,quæ phyſica eſt,eam puto, quòd 16 Intellectus humanus indies perficitur,& cùm ex ſe rudis exiſtat, & non niſi conſuetudine,& diſciplinâ, quæ ex auditu habetur, perfici poſſit, hinc eſt, quòd auditûs privatio Intellectum rudiorem efficit, ſi naturalis ſit, prohibens ne eruditi poſſit.

Notandum verò,quòd imperfectio hæc Intelle- 17 ctûs in mutis,& ſurdis à nativitate,omninò irreparabilis eſt,neq; ullo in tempore ſperari poteſt, illos ſaniorem mentem aſſecuturos, & licèt reſpectu 18

diverſa

diverſarum ætatum dici poſſint habere majorem, & minorem intellectum, ita ut nonnulla locum habere debeant in illis, cùm in ætate minori ſunt, quæ fortaſſe non habebunt locum, cùm in ætate procedunt: tamen in omnibus, ut infantes, & furioſi exiſtimandi, ut ſuprà dixi: neque enim tanta eſt perfectio intellectûs, quam ex ætate acquirunt, ut ad aliquid ſufficere poſſint.

Cùm ergò adeò irreparabilis ſit imperfectio eorum Intellectus: quemadmodùm infantes & pueri, quousque in ea ætate ſunt, & furioſi, quouſque in furore perſiſtunt, ab omnibus actibus prohibentur, non aliter de mutis, & ſurdis ſentiendum,
20 *l. Diſcretis, Codic. de teſtam. &c.* & ſpecialiter teſtari non
21 permittuntur, ut habetur in eadem *l.* & *l. Qui in poteſtate, §. ſurdus, ff. de Teſtam.* & *qui teſtam. facere poſſ.* Dec. *in citata l. Diſcretis, num.* 1. Nepos à Montabl. *except artic.* 20. *num.* 10. quod ampliant Doctores, ut
22 procedat etiam in teſtamento ad pias cauſas. Bald. *in lege prima, in* 2. *col. C. de Sacroſ. Eccleſ. in repet.* neque
23 matrimonium contrahere poſſunt. Abb. *in cap. Cùm*
24 *apud, num.* 6. *de ſponſ.* Jaſ. *in l. Mutum ff. de aquir. hared.*
25 *numer.* 4. & multò minùs Religionem ingredi. Brunell. *de matrim.* & *ſponſ. concl.* 14. *num.* 6. & alii apud ipſum: ipſe tamen contrarium tenet *ibidem numer.* 8. Operoſum videtur tamen ejus ſententiam tueri, cùm tales (etiam ex iis, qui vivaciori naturâ ſunt, & quadam prudentiâ præditi) exceptâ rudi, ac
26 craſſa rerum intelligentiâ, quam à natura habent,
27 non poſſint matrimonii vires aſſequi, ac illius ſacramenti finem, & inſtitutum filiorum, ſcilicet procreationem ad Dei gloriam. Natura autem per ſe hoc non dictat, niſi implicitè, ſed tantummodò delectationem ex coitu, & ſeminis expulſione: & id-
28 circò bruta, quibus quoad intelligentiam hi affines ſunt, non alio fine coëunt, niſi ut ſemen excernant, veluti quoque mingunt, & egerunt, ab urinæ, & fecum quantitate exſtimulata, ut docet Gal. 6. *de loc. aff. capite quinto, claſſe quarta.* Cùm verò ex mea ſententia contrahens matrimonium, ſeu quicquid aliud, cognoſcere debeat verum, ac realem finem ejus actus, vel contractus: hi autem hunc finem non cognoſcant, ſed alium fictum, qui à Natura illis inſinuatur, non video quomodò permitti debeant matrim. contrahere: neque enim
29 niſi volens quis contrahit, ac deficiente voluntate
30 ceſſat aſſenſus: non cognito autem fine, non poteſt dici, quem ex electione, & voluntariè agere, caſu ergo hic contrahet, cùm ejus actûs fine careat. Præterquam quod non ſolùm, quia matrimonii finem non intelligunt, ab eo abſtinere debent mu-
31 ti, & ſurdi à nativitate, ſed etiam Reipublicæ bono, quia periculum eſt, illos filios ſibi ſimiles progignere, Reipublicæ autem expedit, ſanos, & undequaque perfectos homines naſci, non tam inſigniter oblæſos. Et licèt Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 8. *numero decimo ſecundo*, contrariam tueatur ſententiam: præſertim quia difficile eſt, & duriſſimum, compellere tales, ut continenter vivant: tamen videndum an matrimonium exiſtere poſſit ex parte ejus, qui finem matrimonii non cognoſcit. Præter hæc autem repelluntur à teſtificando, ut per Maſcard. *de probat. concluſione* 1358. *numero* 24. *volumine* 3.

32 Jam verò de cæteris mutis & ſurdis hæſitare quis poſſet, an ad omnia habiles exiſtimandi: ac primùm de mutis tantummodò, qui ex accidenti
33 loquelam amiſerunt: ego in nullâ re jure dubitari exiſtimo, idemque ſentit eadem *l. Diſcretis, §. Ubi autem*: quia mutitas non impedit illos, qui minùs ad ea omnia ſufficiant, ad quæ cæteri homines ſufficere poſſunt. Ita in terminis donationis voluit *text. in l. qui id quod. §. Mutus, ff. de donationibus, & ibi.* Gloſ. quam adducit Maranta *in ſuis ſing. in verb. Mutus.* Unum tamen caſum excipias, nimirum 34
quando mutitas ex cerebri vitio evenit: hæc enim ſemoet adjunctam habet quandam fatuitatem, & intellectus diminutionem, aut ſaltem ignorantiam: cautiùs ergo cùm his agendum.

De ſurdis autem dubitandi occaſionem præbet Philoſophi dictum, ex quo repetit Valeſcus *libr.* 2. *Philon. cap.* 50. Auditum ſcilicet eſſe portam mentis; itaque, vix conſummata ſurditas abſque mentis, & intellectus diminutione cõingere videtur. Ego in hominibus rudis ingenii ac vilis cõditionis ex ſurditate conſummata multum pati intellectum exiſtimo; in cæteris autem, quòd mente ante ſurditatem maximè conſtiterint, licèt ex ſurditate deh ne lædatur, non adeò lædi dicerem, ut ex ea cauſa quicquam illis interdicere oporteat: favet eadem *l. Diſcretis, ibid.*

SUMMARIUM.

1 *Melancholicorum major, quàm cæterorum inſanientium copia.*
2 *Melancholici qui.*
3 *Melancholici à furentibus & Maniacis diſtinguuntur.*
4 *Furor & Melancholia idem non ſunt.*
5 *Furor & Melancholia habent inter ſe congruentiam.*
6 *Melancholia à Latinis Furor appellatur ex Cicerone.*
7 *Quid interſit inter Melancholicos, & Furentes.*
8 *Melancholia quid.*
9 *Vera differentia inter Melancholicos, & Furentes.*
10 *Melancholia à naturali humore melancholico fit, Furor à non naturali.*
11 *In Melancholia quies, in furore inquies, & n.* 16.
12 *Nulla eſt differentia inter Melancholiam, & Furorem, ab actione ſumpta.*
13 *Melancholici nomen apud Juriſconſultos vix in uſu.*
14 *Budæus in l.* 2. *ff. de Ædil. edict. notatur.*
15 *Eadem differentia eſt inter furioſum & mente captum, quæ inter furioſum, & melancholicum.*
17 *Melancholici plures circa unam rem tantùm inſaniunt.*
18 *An omnia in omnibus Melancholicis eodem modo procedant.*
19 *Cur ratione non conſtantes à negotiis gerendis eliminentur.*
20 *Quilibet homo ſuos habet hæreſes.*
21 *Omnes dementes uno modo tractandi.*
22 *In Melancholicis ſemper timor, & ſuſpicio.*
23 *Melancholici in una re inſanientes, an ad teſtandum, & teſtificandum admittendi.*
24 *In Melancholicis quoad matrimonium, quid dicendum.*
25 *In teſtificando quid.*
26 *A teſtimonio conficiendo non excludi.*
27 *Reſpectu diverſi temporis morbi, Melancholici ad nonnulla admitti, vel non admitti debent.*
28 *Melancholici ſunt nonnulli, absque eo quod inſaniant.*

De Melancholicis.

QUÆSTIO IX.

SEd jam de verè amentibus ſermo inſtituendus eſt, ac primo loco ſeſe offerunt *Melancholici*, quorum major, quàm cæterorum omnium copia 1
eſt, & numerus penè infinitus, infinitáque diverſitas inſaniendi, juxta diverſitatem eorum, ad quæ temperatura, inſtitutio, conſuetudo, ab extra advenientia, & alia mille hominem inclinare cogunt, ut Proſper Alpinus *de Medic. Method. lib.* 10. *cap.* 11. teſtatur. Vocamus autem Melancholicos hic eos, qui ex naturalis Melancholiæ, quam & atram bilem vocant, vitio inſaniunt. Fracaſtor *lib.* 2. *de Intellect.* & dico ex vitio naturalis Melancholiciæ, quia 2
ii, qui ex non naturalis Melancholiæ turgentia dementiunt, nimirum ex atra bile, quæ per aſſationem aliorum humorum fit, aliis nominibus veniunt inſigniendi, ut poſthac videbimus.

Diſtin

Diſtinguuntur verò *Melancholici*, Jurisconſultis
3 Mente capti dicti, à *Furentibus & Maniacis*, quia in
quiete ſunt timidi, ac metuentes, Furioſi verò in
perpetuo motu, audaces, ac præcipites, §. *Præterea*
Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam. & Doctores, *in l.*
4 *Furioſum, C. de his, qui teſt. fac. poſſ.* & ex Medicis Pra-
5 ctici omnes *lib. 1. in capp. propriis.* At licèt ita verè ſit,
quòd realiter furioſi, & Melancholici, & conſe-
quenter Furor, & Melancholia idem non ſint, ta-
men habent tantam inter ſe cognationem hæc no-
mina, ut Hippocrates pluries iis indifferenter uta-
tur, & unum pro alio accipiat, ut teſtantur Holler.
Comm. 6. Aphor. 53. Altomar. *de med. hum. corp. cap.* & Foreſt. *lib. 10. Obſervat. 20. in ſchol.* imò ex hoc factum
eſt, ut teſtatur Proſper Alpinus *ubi ſuprà, c. 10.* quòd
6 multi celebres Medici unam ſpeciem ſub alia com-
prehenderint, inter quos citat ille Aretæum, Au-
relianum, Paulum: quamobrem immeritò accuſa-
tur Cicero à Mercurial. *libro primo, ſua practica, c.*
16. quod 3. *Tuſcul. Quæſt.* dixerit, Melancholiam à
Latinis appellari furorem, quem locum ex Juris-
conſultis refert Budæus *in annotationibus in Pand.*
l. 2. ff. de Ædil. edict.

7 Cæterùm idem Mercurialis ibidem inter Melan-
cholicos, & Maniacos ſeu Furentes eam differen-
8 tiam intercedere volebat, quòd in Melancholicis
lædatur tantummodò Imaginatio, in Furentibus
etiam ratio: quin imò Fernelium reprehendit, ut
qui *Pathолog. lib. 5. c. 6.* voluerit Melancholiam eſſe
mentis alienationem: vult enim Mercurialis, men-
tem in Melancholia non lædi. Mihi tamen majori
in culpa eſſe ipſe Mercurialis videtur, qui cùm quæ-
reret differentiam inter hos duos affectus, vel nul-
lam attulit, vel nullius momenti, etiam ipſomet ju-
dice: nam cùm in uno ponat lædi imaginationem,
in alio rationem, mox ipſemet in utraque lædi ra-
tionem determinat, quod de mania non controver-
titur, de Melancholia verò dicebat ipſe quòd ſem-
per in ea putat lædi mentem, licèt læſio ab imagi-
natione incipiat: ergo nulla eſt profectò hæc diffe-
rentia ab ipſo allata, quia inveteratam ſaltem Me-
lancholiam à furore per eam ſecernere non licet.

9 Vera differentia à cauſa hos morbos excitante
ſumenda eſt, & ab accidentibus illos ſubſequentib.
à cauſa, quia, ut dixi, Melancholia à naturali hu-
more, qui Melancholia vocatur, excitari ſolet, Ma-
10 nia, ſeu Furor à non naturali, ab ea quippè quæ ex
ſuperaſſatione cujuslibet humoris, etiam ipſius atræ
11 bilis, generatur. Ab accidentibus, quia in Melan-
cholia, ut ſuprà repetitum eſt, ſemper quies eſt, &
12 mœſtitia: in furore inquies, motus inordinatus,
clamor, ira, audacia, tumultus. Ab actione verò læſa
nulla ſumi poſſe videtur differentia, quia in utra-
que eandem actionem lædi contingit, licet diverſi-
tas penes modum læſionis exiſtat.

13 Porrò Melancholici nomen apud Juriſconſultos
in uſu minimè eſt, niſi de rarò Budæus tantùm *in*
l. 2. ff. de Ædil. edict. tradit, ibi Melancholicos accipi
pro iis, qui Melancholiæ morbo laborantes infa-
14 niunt; ſed malè ut ibi dicam. Pro *Melancholico* utun-
tur illi, nomine *mente capti* (licèt mente captum
pluribus modis dici tradant. Dec. *in lege Humanita-*
tis, Codice de impuber. & aliis ſubſt. num. 1.) & idcirco in-
15 ter furioſum & mente captum eandem illi ponunt
differentiam, quam nos inter Melancholicum, &
Furioſum, ſeu maniacum, cùm furioſum rabie qua-
dam animi agitari dicant, mente captum in quiete
16 eſſe, nullaque extrinſecus ſigna non ſanæ mentis
oſtendere. Gloſſ. *in §. præterea Inſtitut. quibus non eſt*
permiſſ. fac. teſtament. Bald. *in leg. Furioſi, C. de Nupt.*
& in l. Sed & milites, §. jam autem, ff. de excuſat. tut.
Alex. *conſilio 54. num. 2. volumine 1.* Jaſ. *in l. ſoluto*
matrimonio, §. voluntatem autem, ff. ſoluto matrimo-
nio, n. 11. Dec. *in l. Furioſ. ff. de his qui teſt. fac. poſſ.*
n. 1. & 3. Fabian. de Mont. S. Sau. *de empt. & vend.*
quæſt. 4. quæſtione 22. numero 25. Menoch. *conſilio 82.*
num. 195. volumine primo. Maſcard. *de probation. concl. 145.*
n. 1. vol. Rota *in Ulixbon. profeſſionis, in noviſſ. dec. 107.*
n. 1. & 2. par. 2.

Sed circa Melancholicos maximum, ac multæ 17
ſpeculationis dubium pro Juriſtis occurrit: nam, ut
aliàs hic dictum eſt, ſunt ex Melancholicis plures,
qui circa unam tantummodò rem inſaniunt, circa
quam firmam habent, & falſam opinionem, exiſti-
mantes illam eſſe, ſi non ſit, vel è contra, vel alio
modo, quàm verè ſit, quâ falſa opinione exceptâ,
in cæteris optimè, & appoſitè & diſcurrunt, & ope-
rantur, ac negotia ſua cum omni circumſpectione,
& prudentia gerunt, vitia fugere, bona ſequi ſatis
cognoſcunt, & in ſumma, ſi eam peculiaris illius
opinionis falſitatem excipias, nihil omninò ab ho-
mine ſanæ mentis differunt: & adverte, me non
tranſcendere, quando dico rationem lædi circa
unam tantummodò rem, dicentem, rationem eſſe
læſam, imaginationem verò non: ſed dicere me ip-
ſam rationem malè ratiocinari circa hoc, benè au-
tem circa illud. Hoc dico, quia Sanchez *de Matri-*
monio libro primo, diſputat. qu. 23. proponens hoc du-
bium, videtur mihi in hoc vitium incidiſſe, quæ-
rens enim, an homo in pluribus rebus, vel cæteris
omnibus rationis poſſit eſſe particeps, in una verò,
aut altera ejusdem rationis expers: deinde tranſ-
cendit dicens, poſſe uno lædi imaginationem, non
læſa ratione. Præter exemplum igitur, quod ex
Horatio retuli de nobili illo Argivo, & mille alia ab
Auctoribus relata, adducam etiam ex propria expe-
rientia aliquid: Vidi, præter cæteros, Presbyterum,
& moribus laudabilem, & non aſpernandæ do-
ctrinæ, qui ex Hypochondiorum vitio delirabat,
putans ſe animam agere, & modico interjecto
tempore expiraturum. Ob hunc mentis errorem
hic interdum in terra ſtragulo ſubſtrato tanquam
mortuus jacebat, facibus circum ſe accenſis: co-
medebat tamen, diſcurrebat, negotia ſua gerebat,
ad cætera omnia bene ſe habebat.

In ſimilibus ergo caſibus mirum in modum du- 18
bitari poteſt, an ea omnia procedere debeant, quæ
in cæteris inſanientibus procedunt, qui in omni-
bus errare ſolent, & nulla in re ratione uti: nam
converti una ex parte non poteſt, hos inter
mente captos eſſe recenſendos, & omnia pariter in
illis, ut in mente captis cæteris locum habere de-
bere. Aliâ autem ex parte contrarium videretur
aſſeverandum, & idcirco non omnia debere habe-
re locum in his, quæ in cæteris inſanientibus lo-
cum habent: potiſſima enim cauſa, imo ſola cau-
ſa, ob quam, qui ratione non conſtant, à negotiis 19
gerendis eliminantur, ea eſt, qui carent eâ pruden-
tiâ quæ in negotiorum actione requiritur undè fa-
cilè errare poſſent, imò de facto errant, ut exempli
gratiâ, prohibentur à teſtandi actione, quia non
præſumitur, illos ita de ſuis bonis diſponere poſſe,
prout deceret, unde bona ſua absque cauſa conve-
nienti relinquent, quibus non debent, ea adimen-
tes iis, ad quos juridicè pertinebant.

In hujusmodi autem Melancholicis, de quibus
ad preſens dubitamus, ea prudentia minimè deſi-
deratur, quia ſi permittantur teſtari, contrahere, &
alia id genus agere, omnia rectè, & ut deceret, diſ-
ponent, quia ſupponimus, in his rationem nonniſi

circa

circa particulare quoddam errare. Quibus etiam illud addam(quod mirum videri legentibus poterit, cùm tamen fortaſſe res non aliter ſe habeat) quòd ſi ob errorem peculiaris alicujus opinionis,hi pro mente captis judicandi, & ideircò, ut tales à multis civilibus actibus prohibendi,timeo,ne penè
20 omnes homines ob eandem cauſam inter dementes comprehendi debeant:nam quis hominum eſt, qui non habeat ſuas hæreſes,à quibus eum avellere ne cæterorum quidem univerſorum hominum conatus ſufficeret? Quamobrem jure cum Horatio *lib. 2. Sat. 3.* affirmare, licet, quòd

Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.

Et lege,obſecro, ad hanc rem, lepidiſſimam illam Horatii Satyram.

Sed his non obſtantibus, cùm in cæteris homi-
21 nibus ea inſania naturalis exiſtat, in his autem à morbo dicendum videtur, jure hujuſmodi dementes,ut cæteri omnes, abſtrahi debere ab omnibus rebus gerendis,in quibus ſana mens requiritur: Et ratio eſt, quia licet de facto Melancholicus circa unum quid peculiariter deliret,tamen de momento in momentum circa ea ipſa, de quibus ad præſens prudenter ſe gerit;paratus eſt inſanire,qui mentem ſanam non habet, ita ut eorum prudentiæ minimè fidendum ſit, cùm eorum ſpiritus Intellectioni inſervientes à naturali ſtatu jam deſciverint, & in perpetuo motu, & perturbatione ſint, ex quo facillimè evenit,ut id ipſum,quod modò menti offertur prout verè eſt,paulò poſt ſub falſa imaginatione repræſentetur, & prout non eſt: cauſa autem, cur non niſi circa unum quid delirare videantur, ea eſt,quia interna imaginatio, & aſſidua præſentatio falſi illius phantaſmatis ipſi intellectui indeſinenter fit.

22 Adjiciendum his,quòd in Melancholicis reperitur ſemper timor, & ſuſpicio, ex quibus major fit perturbatio ſpirituum,ut teſtatur Foreſt.*lib* 10. *Obſerv.* 19. ex ea autem perturbatione mentem in illis facilè errare poſſe, manifeſtum eſt.

23 His non obſtantibus dubitari adhuc poſſet, an *ad teſtamentum conficiendum, ad teſtimonium dicendum, & ad matrimonium contrahendum admitti poſſint:*
24 & quoad matrimonium fortaſſe incaſſum dubitatur, quia manifeſtum eſt ſufficere in iis prudentiam ad hoc; & favere poteſt etiam, quòd tales ex matrimonii conſuetudine interdum melioris mentis fiunt, & aliquando etiam in totum ſanantur.

25 A teſtimonio vero dicendo,videant,obſecro,Legumperiti, an eliminari debeant,non ex eo ſolùm, quòd, ut aliàs dixi, rarò contingit lædi rationem abſque læſione memoriæ; ſed etiam ex eò, quòd tam fixa eſt in iis imaginatio,& circa objecta phantaſmata tam frequens, & indeſinens ratiocinatio, ſeu potiùs deliratio,ut etiam quoad exteriores ſenſus decipiantur;neque ſano modo,& ut decet,illis utantur,quia unum quid pro alio & vident,& audiunt,aut quovis ſenſu percipiunt,quemadmodum iis quoque evenire ſolet qui cùm ſani ſint, circa aliquid intentiùs meditandum occupati quoad externos ſenſus decipiuntur, ut clarius ſuprà dixi.

26 Videant etiam iidem Juriſconſulti, an eæ ipſæ cauſæ ſufficientes ſint ad excludendos hujuſmodi inſanos à teſtimonio conficiendo: quibus addi poteſt, quid cùm teſtamentum ut plurimùm in infirmitatibus conficiatur, & in iis abundet in cerebro humor Melancholicus, facilè ex novi morbi occaſione hic humor agitans poteſt multò magis,quam antè fecerit,mentem turbare, & rationem: faciliùs ergo ex hoc permitti id poſſet, his extra alium morbum conſtitutis, ſi modò conſummatâ,& deploratâ inſaniâ non laborent: quò magis enim inveteratur morbus, eò magis intenditur, & conſequenter eò magis indies lædi mentem neceſſe eſt. 27

Advertendum tamen hic,quòd Melancholici reſpectu diverſitatis temporis ipſius morbi, ad nonnulla admitti poſſent,aut ab aliis repelli;nam conſtat quoſdam eſſe quidem Melancholicos,hoc eſt, Melancholiæ morbo tentari, & tamen non inſani- 28
re,ut tradit Foreſt. *Obſervat. lib.* 10. ſed tantummodò quædam phantaſmata pati, ex quibus terrentur,affliguntur, gaudio afficiuntur, ut alio quodam animi affectu tentantur:quod profectò omnib. Melancholicis commune eſſe ſolet,antequam in morbo confirmentur: at in is ratio adhuc omninò non concidit, & ideircò his (ſi pauca quædam demas, ut publici officii adminiſtrationem, promotionem ad ſacra, & hujusmodi) ad omnia viderentur admitti poſſe, ad quæ admittitur quivis ſanæ mentis homo. Ubi autem morbus confirmatus eſt, & Ratio Imaginationis jam errorem non cognoſcit, tunc pro inſanis habendi, & procedendum in illis, ut ſuprà dictum eſt,nulla conſideratione, vel ſaltem modicâ, habitâ an circa plura, vel circa particularia quædam inſaniant.

SUMMARIUM.

1 *Amantes inter inſanos connumerantur.*
2 *Amor eſt ſollicitudo melancholica.*
3 *Amor pervertit judicium.*
4 *Amor quid ex Hucbero.*
5 *Amor eſt deſiderium pulchritudinis. & n.* 27.
6 *Amor eſt cupiditas formæ.*
7 *Cujusnam partis paſſio ſit Amor.*
8 *Amor connumeratur inter cerebri affectus à Medicis.*
9 *Amor eſt paſſio cordis.*
10 *Spes amorem & deſiderium rei cognitæ excitat.*
11 *Amor eſt motus concupiſcibilis.*
12 *Amor originatur ab hepate.*
13 *Deſiderare pertinet ad concupiſcibilem.*
14 *Amor ſedem figit in cerebro.*
15 *In amore compatitur Cor.*
16 *Amor an recte inter inſanias connumeretur.*
17 *Amor hominem ex rudi perſpicacem, ex indocto doctum facit.*
18 *Omnis amor honeſtus, & omnis amans juſtus.*
19 *Amor lætitiam affert.*
20 *Amor omnes ſenſus acuit.*
21 *Amor externos ſenſus perficit.*
22 *Amor duplex eſt.*
23 *Amor non eſt Deus, ſed affectus omnium pernicioſiſſimus.*
24 *In amore perit prudentia.*
25 *Amor cupiditas abſque ratione.*
26 *Amoris objectum triplex.*
28 *Amans finem ſui deſiderii non cognoſcit.*
29 *Amor voluntatem ſibi ſubjectam facit.*
30 *Amor eſt affectus voluntarius.*
31 *Nemo amat invitus.*
32 *Prudentia exturbatio etiam in honeſto amore reperitur.*
33 *Amor externos ſenſus corrumpit.*
34 *Amor cæcus.*
35 *Quiſquis amat, hallucinatur, & cæcutit in eo,quod amat.*
36 *Senſus ille in amore primùm læditur, per quem ipſe amor excitatur.*
37 *Amans auditûs ſenſum amittit.*
38 *Amor guſtum depravat.*
39 *Amans dormienti ſimilis.*
40 *Amans in alio corpore vivit.*
41 *Amans vivendo moritur.*
42 *Amans in bruti naturam degenerat.*
43 *Amor præ cæteris inſaniis à ratione elongatur.*
44 *Ex mulieris pulchritudine præſumitur amor.*
45 *Amoris ſigna ex Medicis.*
46 *Amor inducit maciem in univerſo corpore, præterquàm in oculis.*
47 *Amor ex actibus externis colligitur.*
48 *In amantibus omnia locum habent, quæ in amentibus.*
49 *Amans furioſo æquiparatur à Juriſconſultis.*

50 *Amor passio vehementissima.*
51 *Amoris causa delinquens mitiùs punitur.*
52 *Mulier si propter amorem sui copiam amanti fecerit, infamis non redditur.*
53 *Amans à rebus gerendis eliminatur.*
54 *Amans est prodigo similis.*

De Amantibus.

QUÆSTIO X.

1 INter *Insanos*, & *melancholicos* connumerantur
2 quoque *Amantes*: Barbos. *in cap. cùm in juventute, num. 5. de præsumpt.* Tiraq. *de pœnis temperandis, c. 4. n. 1.* Amor enim sollicitudo est melancholica simi-
3 lis melancholiæ, Avicen. *1. 3. tract. 4. c. 23.* Gordon. *in lil. lib. 2. cap. 20.* Vallesc. *lib. 5. Philon. cap. 11.* quia non aliter quàm aliæ passiones quævis melancholicæ, Amor pervertit judicium rationis, ut prædicti Medici cum aliis fatentur, & ex Jurisperitis Bald. *in l. 2 §. & cùm placuisset, ff. de orig. Jur.* Barb. *in cap. veniens sub n. 5. de sponsi. & matrimon.* Mascard. *de Probat. conclus. 86. num. 20.* aptissimè autem definit, hanc passionem Hucher. *lib. 2. de steril. c. de Philtris,*
4 Amor, inquit, dicitur atrabiliaria, hoc est, Melancholica quædam animi desipientis ægritudo, pulchritudinis alicujus imagine, & iniqua æstimatione
5 perciti, ac perturbati. Simpliciter verò apud Philosophos Amor dicitur esse desiderium pulchritudinis. Plat. *in Convivio, in orat. Socrat.* adductus à Tiraquell. *de leg. Conn. leg. 1. Gloss. 2. p. 2. n. 1.* & idem Plato *in Phædro*, & Leo Hebræus *dial. 3. de Amor. in princ.*
6 Amorem esse cupiditatem formæ tradiderunt.

Ex quibus definitionibus satis quidem constat,
7 quidnam sit Amor, sed cujusnam partis passio exi-
8 stat, difficillimum fortasse est determinate. Medici namque illum inter cerebri affectus adnumerant. Paul. *lib. 3. cap. 17.* Avic. *ubi suprà*, & omnes practici in propriis capitibus: & ita esse commonstrat facultas læsa in ipso affectu, Ratiocinatio nimirum ex fixa imaginatione in re amata, vel, ut cæteris doctis placet, ipsa imaginatio: tam Rationem autem, quàm Imaginationem ad cerebrum pertinere, non est, qui dubitet.

9 Quod verò Amor *cordis* passio sit, vel vulgus ipsum existimat, hinc hominum corda ab Amore vulnerari, & sagittis confodi, & flammis exuri traditum. Testantur quoque multa, amorem cordis passionem esse, nempe suspiria quamplurima & alii affectus cordis passionem subsequentes: quibus addo, ipsius affectus originem, quæ non alia est, quàm spes: nam spes amorem, & desiderium rei cognitæ
10 excitare videtur. Leo Hebræus *ubi suprà prope med.* spem autem ad irascibilem, & irascibilem ad cor pertinere manifestum est: à primo ergo ad ultimum, Amor ad cor ipsum pertinere videtur, quod & Marsil. Ficinus *in Plat. Conviv. orat. 7. capit. 2.* testatur his verbis: *Cordis autem morbo eam propriè insaniam fieri arbitramur, quâ affliguntur ii, qui perditè amant:* idemque sentit Taurell. *in comm. ad c. 1. de Amore Arnald. Villan.*

11 Galenus tamen 4. *de Plac. Hipp. & Plat. c. 1. & 6. class. 1.* voluit Amorem esse motum concupiscibilis facultatis, & sic ad *hepar* pertinere: quod videntur etiam innuisse antiquiores, amantem effingentes sub persona Titii, qui apud inferos ab Apolline relegatus eâ pœnâ mulctatur, ut vultures ipsius hepar assiduè dilanient & discerpant, dilaniatum autem illud denuò renascatur, ac sine intermissio-
12 ne ab iisdem vulturibus dilaceretur. Hanc amoris imaginem nobis illi dederunt, teste Lucret. *lib. 3. de rer. nat. propè finem.*

Sed Titius nobis hic est, in amore jacentem,
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor.

Quam fabulam ex Homero *Odiss. libr. 10.* ad hanc ipsam opinionem adstruendam recitat Galen. *ubi suprà cap. ult. in fin.*

In tanto Authorum dissensu dicendum videtur: 12
Amorem originari ab *hepate*, secundum id quod Gal. docet, patet, quia desiderium quoddam est, ut jam diximus, desiderare verò concupiscibilis facultatis passio est, cujus sedem hepar esse constat: quod 13
quidem veritatem habet, ubi simplex desiderium est; sed postquam ex eo desiderio Mens, & Ratio læsionem sentiunt, in cerebro sedem figere non controvertendum, & idcircò quatenus Amor naturalis passio est, ad hepar pertinens; quatenus mor- 14
bosa affectio, ad cerebrum, quia tunc tandem hæc passio præter naturam evadit, cùm amans adeò imaginatione hæret circa amatum objectum, ut ex ea tandem in rationis errorem labatur. Et tunc 15
quidem compati in ea passione, cor quis non videt? non solùm quia, cùm pars primariò patiens princeps sit, cor illi consentit, sed quia ea est melancholici humoris natura, qui præcipuè vitæ ipsi, ac consequenter cordi contrarius & inimicus est, undè mœror & mœstitia, & suspiria multa, & anxietates, & alia symptomata ad utramque facultatem, concupiscibilem scilicet & irascibilem pertinentia exoriuntur: consequuntur enim hæc omnia symptomata ad quascunque melancholicas passiones, ex quarum numero Amor est.

Non deerit tamen dubitationi locus, si Amoris 16
naturam intus & in cute quis investigabit, an rectè Amor inter insanias adnumeretur; quia & experientia, & mille doctorum hominum testimoniis constat Amorem non solùm intellectui non obesse, 17
sed illum mirum in modum acuere, ipsumque hominem elegantiorem, prudentiorem, & ex rudi & hebeti subtilem ac perspicacem, & ex indocto doctum reddere. Ad quod probandum satis sint pro multis, quæ adduci possent, quæ Plato docet *in Convivio*, atque illa præcipuè, quæ habentur in orat. Agath. in his verbis: *Hic Deus (Amor) Poëta est adeò sapiens, ut alios quoque poëtas possit efficere; quilibet enim, licet antea rudis, Poëta evadit, cùm primùm Amor afflaverit:* 18
quin & honestiorem, & justum hominem reddere aptus est, quia omnis Amor honestus, & omnis Amans justus, ut idem Plato *ibid. in orat. Socrat.* dicebat, & tantum abest, ut Amor melancholiam pariat, ut potiùs 19
lætitiam afferat, tristitias ac mœrores aliis ex causis enascentes solari ac lenire possit, curis quietem indicere, omnia læta facere, ut lepidissimè Plautus *in Cas. Act. 2. Scen. 3.*

Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis ante venire,
Nec potis quicquam commemorari, quod plus salis plusque lepôris habeat. Cocos equidem nimis demiror, qui tot utuntur condimentis,
Eos eo condimento uno non utier, omnibus quod præstat.
Nam ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo:
Neque salsum, neque suave esse potest quicquam, ubi amor non admiscetur.
Fel quod amarum est, id mel faciet: hominem ex tristi, lepidum & tenem.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, magis quàm ex auditis.
Qui postquam amo Casinam, magis initio munditiis munditiam antideo.

Præterea

Prætereà Amor, ſenſus omnes, & internos & externos acuit: & de internis præterea, quæ ex Platone jam adduximus, maximè idem edocere poſſunt quæ Franc. Petrarcha in ſuis Lyricis non ſemel cecinit, atque illa præcipuè, quæ ſub Amoris ipſius perſona ſibimet objicit in illa Cant. quæ incipit:

Quel l'antico mio dolce empio Signore.

ſt. 9. par. 2. can. 7. in his carminibus:

E per dir all'eſtremo il gran ſervigio
Da mill ati inoneſti l'hò ritratto,
Che mai per alcun patto
A lui piacer non poteo coſa vile,
Giovane ſchivo, & vergognoſo in atto,
Et in penſier, poiche fatt'era huom ligio
Di lei, ch' alto veſtigio
L'impreſſe al cuore, e fece il ſuo ſimile:
Quant'hà del pellegrino, & del gentile
Da lei tiene, & da me, di cui ſi biaſma.

Et quæ ibi ſequuntur: ac præter ea apud ipſum multa ſimilia, qui otium habet, legere poterit, præſertim in tribus illis cantionibus oculorum laudi-
21 bus dicatis, & hujuſmodi rerum Poetarum carmina refertiſſima. Senſus etiam externos amor perficit & acuit, in cujus rei teſtimonium præter quamplurima, quæ adduci poſſent, & quæ tum brevitatis causâ, tum etiam ne in nugis tempus conterere videar, relinquam, ſatis ſit duo carmina in Scanderbeid. *cant.* 18. *ſt.* 96.

Per virtù natural ſol l'occhio vede,
E Amor ſa, che parla, ode, riſponde.

Et faciunt etiam Plauti carmina illa *in Milite Glorioſ. Act.* 4. *Scen.* 6.

AC. Neſcio ubi hic propè adeſt, quem expeto videre: olet profectò.
PY. Naſo pol jam hac quidem videt plus, quàm oculis.

22 Hæc licèt vera ſint, non tamen locum habent in quocunque Amore, cùm is duplex ſit, alter quippe rationalis, alius irrationabilis: ea verò, quæ ad bonum tendunt, de rationali intelligenda, cùm in poſteriori tantum abſit, ut ea verificentur, ut potiùs his contrariiſſima cuncta eluceſcant: hic enim is affectus eſt de quo Phocylid. *carm.* 183.

Non enim Amor Deus eſt, ſed affectus perniciofiſſimus omnium.

23 Is, de quo tot mala, tot facinora enarrantur, iis, qui hominem omnibus bonis ſpoliat, omnibus è contra malis imbuit: amore enim hoc irretitus homo, omnibus, & internis, & externis ſenſibus orbatur, Leo Hebræus *dialog.* 3. *de Amor. in fin.* perit in illo omninò prudentia, depravatur ratio confunditur memoria, ac denique intellectus ipſe ad occaſum uſque ægrotat. Quin neque audit, neque videt, neque guſtat, neque tangit, neque olfacit amans ea, quæ ad ſuum bonum tendunt: quæ verò ad proprium malum, multo plus quàm par ſit, & audit, & videt, & guſtat, & tangit, & olfacit.

24 Perire verò prudentiam in Amante, cuinam dubium eſt? quando id quotidiana experientia commonſtrat, & Sapientes omnes atteſtantur, inter quorum teſtimonia notum eſt illud Heſiod. *in Theogonia.*

Domat in pectoribus animum, & prudens conſilium.

25 Sed & cum prudentia ipſa deperit ratio, nihil enim aliud hic affectus eſt, ut diximus ex Plat. *in Phædr. in pr.* quàm cupiditas abſque ratione: quin etiam & cunctas animi potentias, atq; ipſius paſſiones Amor devaſtat, depravat, confundit, ut concinnè ſatis Plaut. *in Pœn. Act.* 4. 4. *Scen.* 2. ſub perſona cujuſdam adoleſcentis annuebat;

Credo ego Amorem primùm apud homines carnificinam commentum:
Hanc de me conjecturam domi facio, ne foris quaram,
Qui omnes homines ſupero, atque antideo cruciabilitatibus:
Factor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in Amoris rota miſer:
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, deripior, ita
Nullam mentem animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum, ubi non ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi ingenia ſunt, quod habet, non habet jam id continuò:
Ita me Amor captum animi ludificat, fugat, agit, apetit.
Raptat, retinet, jactat, largitur, quod dat, non dat, & ludit,
Modò quod ſuaſit diſſuadet, quod diſſuaſit jam oſtentat.

Sed undè, obſecro, clariùs patere poteſt, amantem omnem intellectum, & prudentiam amittere, quàm 26
ex ipſo Amoris affectu? cùm enim ipſis Amoris objectum triplex tantummodò eſſe poſſit, (ut docebat Plat. *in Conviv. in orat. Sacr.*) Anima nimirum, corpus, & vox, patet, quòd tribus tantummodò inſtru- 27
mentis hæc conſequi poſſumus: Amor enim cùm ſit pulchritudinis deſiderium, & pulchritudo in prædictis tantummodò rebus reperiatur, patet, quòd ſola mente, ſolis oculis, ſolo auditu delectare poteſt, ut idem Plat. *ibid.* & Leo Hebr. *dial.* 3 *de Amore* firmat. Amans verò quia mente non conſtat, 28
finem ſuæ affectionis non cognoſcit, & idcircò, ſi quando re amatâ potiatur, ſummo ſtudio, ac ardenti enixu quærit in amatâ, id quod inveniſſe ſe neſcit, unde Lucret. *lib.* 4. *de Rer. Nat. prope finem*:

—— Etenim potiundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum,
Nec conſtat quid primum oculis, manibuſque fruantur;
Quod petiere, premunt arcte faciuntque dolorem
Corporis, & denteis inlidunt ſæpè labellis.
Oſculaque adfigunt, quia non eſt pura voluptas:
Et ſtimuli ſubſunt, qui inſtigant laedere id ipſum.
Quodcunque'ſt, rabies unde illæ germina ſurgunt.

Et cætera vide apud ipſum. Præ cunctis tamen de- 29
plorandum in amore eſt, quòd voluntatem ipſam homini propriam, ac congenitam ſibi ſervire, ſubjectamque eſſe cogat: licèt enim Amor affectus voluntarius ſit, & omninò ex arbitrio amantium flu- 30
ens, ut teſtantur DD. Leo Hebr. *dialog.* 1. *in princ.* Hucher. *de ſterilit. cap. de Philtris*, cùm nemo amet invitus, quod teſtatur ex Juriſconſultis Paul. Gril- 31
land. *de Sortileg. q.* 3. *n.* 18. tamen poſtquam volens Amori ſubjectum ſe fecerit Amans, vix deinceps in ſua poteſtate eſt (imò ne vix quidem, quia mentem amiſit) ut ſeſe ab ejus vinculis extricare poſſit, ut idem Leo *ibid.* firmat, & lepidiſſimè cecinit Petrarcha *in Lyricis part.* 2. *cant.* 7.

Che vò cangiando il pelo
Nè cangiar poſſo l'oſtinata voglia,
Coſi in tutto mi ſpoglia
Di libertà queſto crudel, ch'io accuſe.

Et alibi.

Si poſſent' è il voler, che mi tranſporta
E la ragione è morta,
Che tenea'lfreno, è contraſtar no'l pote.

Quod autem ſummæ admirationi eſſe poteſt, illud profectò eſt, quòd hæc prudentiæ, ac voluntatis exturbatio non modò in turpi, ac belluino amore reperitur, ſed etiam, ut teſtatur Leo Hebr. *dial.* 1. *circa finem*, in quocunque amore, etiam honeſto ac perfecto, locum habet.

33 Præter internos ſenſus, & operationes Intellectus, amor, quod non minori admirationi eſt, etiam externos corrũpit: nam viſus ſenſu omninò exſpoliat, ad quod etiamſi inceſſum quærantur auctoritates cùm res per ſe notiſſima ſit, & idcircò amor
34 nonniſi oculis orbatus in picturis repræſentetur: tamen non omnino præter rem nonnulla ſapientum teſtimonia adducemus: & 1. illud Plat. 4. *de Leg. in pr.* Occæcatur enim, inquit, is qui amat circa id quod ab ipſo amatur, ut juxta & bona & mala malè judicet, id quod ſuum eſt, veritati ſemper præferre oportere putans: quod enim repetit *in libro de Amicitia*, dicens: Quisquis amat, hallucinatur & cæ-
35 cutit in eo quod amat, & Gal. apertiſſimè amantes hoc cæcitatis vitio detineri firmat *in l. de cognoſc. curand. Anim. morb. c. 7. claſſ. 2. & Comm. 4. in 6. de morb. vulg. text. 10. claſſ. 3.* Et ex Jurisperitis nonnulla ad hoc adducit Tiraq. *de leg. Connubial. 15. n. 36.* atque inde fit, quòd ut Theocrit. *Idyll. 6.* dicebat;

—amori.
Sæpe, ô Polypheme, quæ non pulchra ſunt, pulchra videntur.

Quod pluribus etiam cecinit Lucret. *Lib. 4. rerum nat.* ubi quomodò amantes vitia & deformitates amaſiarum contrario omninò modo judicent quàm ſint, docet dicens:

Multimodi igitur pravas turpesque videmus
Eſſe in deliciis, ſummoque in honore vigere, & ſeqq Ea de re mirum eſſe non debet id quod Cardan. *lib. 13. de ſubt. in princ.* tradit, nimirum, minùs amare eos, qui acutum cernant: nec ſolum minùs, ſed etiam
36 rariùs. Notatu verò dignum eſt, ſenſum illum in amore præ omnibus, & antè cæteros lædi, per quem ipſe amor excitatur, ut Ariſtot. *Moral. Nicomach. lib. 9. c. 5.* docet, & *ibid. c. 12.* Inſpicere, inquit,
37 amore captis amabiliſſimum eſt, magisque hunc
38 ſenſum, quàm cæteros eligunt, utpotè cum ex eo amor & maximè exiſtat, & oriatur. Amans præterea auditûs ſenſum amittit, neque enim ullas admonitiones audit: guſtum etiam depravatum habet, nam ut ſuprà ex Plauto dicebam, Amor

Fel quod eſt amarum, id mel faciet.

Cui non diſſimile eſt illud Franciſc. Petrarch. de Amore loquentis:

Ch'amaro viver m'ha volto in dolce uſo.

Et ſine ſenſu vivit, ad quod facit illud Propertii *l. 2.*

Hic primum vidit ſine ſenſu vivere amantes.

Sic etiam & cæteros omnes ſenſus amittit, unde
39 dormienti ſimilis efficitur, Menoch. *de Arbitr. libr. 2.*
40 *Cent. 4. caſ. 317. & ſeq. n. 1. & 6.* imò verò & vitam ipſam perdit, nam amans in alio corpore vivit. Plat. *in Convivio Orat. 1.* & Leo Heb. ex Euripidis ſent. *dial. 1. ante finem*, & ex Jurisconſultis Tiraquel. *de leg. connub. leg. 13. numero 49. & ſeq.* Oinotom. *§. erat de ſucceſſionib. numero 7.* Maſcard. *de probat. concluſ. 89. numero 3. vol. 1.* Nam ut Plaut. *Bacchid. Act. 2. Scen. 2.*

Anima eſt amica amanti: ſi ea abeſt, nullus eſt.

41 Vivendo igitur moritur eodem Leone teſte: ac præter hæc, ſi quid deterius morte, atque horribilius excogitari poteſt, id etiam in amante reperitur,
42 quippe qui ex hoc homine in alterius animalis ex brutorum genere naturam degeneret, imò & in plantas, atque omni ſenſu orbatam ſaxeam induit naturam. Hoc enim illud eſt, quòd venefices quasdam apud Poëtas, ut Circen, & Meduſam, & alias apud Antiquos, & Alcinam, ac Armidam apud noſtros homines, in aves, in belluas, in piſces, in arbores, in ſaxa commutaſſe traditum eſt.

43 Ex quibus omnibus concludendum jure eſt, quòd Amor præ cæteris inſaniis à Ratione elongatur, & furori æquiparandus eſt, unde amantes, non minùs ac furentes, ex Medicorum conſilio ut ab eo furore curentur catenis & vinculis coërcendi ac flagellis edomandi. Gordon. *in lib. part. 2. cap 20.* Philon *lib. 1. c. 11.* Savonar. *tract. 6. c. 1. rubr. 14.*

Deſiderabit autem Jurisconſultus, ut ſigna quædam afferantur hic, ex quibus amor probari poſſit, & ego, ut juſtiſſimo huic deſiderio ſatisfaciam, libentiſſimè ea adducam, quæ à Medicis adducuntur, omiſſis interim nonnullis præſumptionib. quæ huic negotio inſervire pro Jurisconſultis poſſent, 44
ut mulieris pulchritudo, ex qua præſumitur amor. Rota *in noviſſ. deciſione 338. n. 4. part. 1.* frequentatio viarum non conſuetarum, in quibus pulchra fœmina commoretur, conſuetudo cum muliere: *c. tertio loco de Præſumpt. ubi gloſſ.* & DD. Bart. *in lege capite 5. de Adulter.* Pariſ. *conſ. 10. n. 35. lib. 2.* Lucret. dicebat *lib. 4. in fin.*

—Conſuetudo concinnat amorem.

Indumenta elegantiora, unguentorum & odorum uſus antè minimè conſuetus, maximè in ætate minùs convenienti ut in ſenectute, quando hæc omninò ſunt omittenda: unde amico ſeni alter ille ſenex Plautinus id objicit, ut amoris argumentum, *in Caſ. Act. 2. Scen. 3.*

Senecta ætate unguentis perlitus ignave incedis?

Hæc enim omnia ſimul juncta, facere poſſunt pro Jurisconſultis, aliquam amoris præſumptionem.

Signa verò à Medicis adducta, quorum nonnulla enarrantur ab Heliod. *lib 4. hiſt. Æthiop. tranſacto* 45
principio, ex quibus ingenioſiſſimum Medicum Aceſtinum Charicleæ amorem deprehendiſſe narrat, quemadmodum etiam ex ſimilibus ſignis *lib. 3.* Theagenis amor detegitur, ſunt oculi cavi, ac ſicci ſine lachrymis, & conniventes, licèt *Halyabb. Theor. libro 9. c. 7. in fine.* tradat (quod notabile eſt) 46
amorem inducere maciem in univerſo corpore, præterquam in oculis: At unde hoc? an quia plurimi ſpiritus ad oculos confluunt, nimirum quia inſpicere amore captis amabiliſſimum, ut ex Ariſt. dixit? Præter hæc, ſuſpiria adſunt luctuoſa, facies cogitanti ſimilis, ac mæſtitiâ plena, corporis, extenuatio, vigiliæ, inappetentia, in fletum aut riſum proclivitas, pro adverſa vel propitia amatæ mulieris voluntate, pulſus facilè alterabilis, præſertim ad quamcumque amatæ apparitionem, vel auditionem, vel ejus nominis pronuntiationem: Quâ obſervatione Eraſiſtratus Antiochi amorem verſus Stratonicam comprehendit: unde Franc. Petrarcha *Triompho' Amor. capite. 2.* de eo ſic,

E ſe non era la diſcreta aita,
Vel ſiſico gentil, che ben s'accorſe, &c.

Præterea ſermones vel nulli, vel circa rem amatam: ac tandem facillimè, vel proverbii teſtimonio, Amor ex actibus præſertim conjicitur, quod & inſinuant Franc. Petr. *in Lyricis part. 1. Son. 22.* 47
his carminibus:

Altro ſchermo non trovo, che mi ſcampi
Dal manifeſto accoger delle genti,
Perche negli atti d'allegrezza ſpenti
Di fuor ſi legge, com'io dentro avampi.

Et Torq. Taſſ. *Cant. 1. ſui magni Poëm. fl. 49.* de Tancredo loquens:

E ben nel volto ſuo la gente accorta
Legger potria, queſti arde, e fuor di ſpene,
Coſi vien ſoſpiroſo, e cosi porta
Baſſe le ciglia, odi meſtitia piene.

Hoc ipſum etiam Platina docuit *in Dial. contra Amorem.* Amor, inquit, eſt, miſelle, qui te cruciat,

quod

quod inceſſus tuus nunc tardior, nunc concitatior, habitudo corporis præter conſuetudinem ad maciem tendentis, pallidula facies, mobiles oculi, mens varia, crebra ſuſpiria, cogitationes tuæ ſomniculoſæ, etiam te tacente, perfacilè oſtendunt. Sed qui plura amoris ſigna ſcire deſiderat, practicos Medic. adeat, ac peculiariter Avic. 1. 3. *tract.* 4. *capit.* 23. Gord. Valeſ. Savonar. *locis citatis.* Jaſon. Pratenſ. *de morb. cerebr. c.* 19. Lang. *Epiſt. Med. l.* 1. *Epiſt.* 14. Foreſt. *lib.* 10. *obſerv.* 29. *in Schol.*

48 Ex his itaque jam manifeſtum ſit, quod, cùm Amor amentia abſolutè ſit, omnia in amantibus locum habere debent, quæ in amentibus locum habent: abſolutè enim Juriſconſulti ac jure amentem furioſo æquiparant. Gloſſ. *in §. 1. Inſtit. de ſucceſſ. ſubl.* Menoch. *de Arbitr. c.* 326. *n.* 1. Farinac. *in prax. crimin. lib.* 3. *part.* 2. *tit.* 2. *quæſt.* 98. *caſ.* 13. *num.* 78 *tom.* 1. Cabal. *Reſolut. crim. Cent.* 3. *caſu* 123. *numero* 28. Ricc. *in pract. rer. quotid. for. Eccl. part.* 1. *reſol.* 424. *num.* 6. & idcircò quia amorem judicant eſſe paſſionem vehementiſſimam, ac cæteris perturbationibus vehementiorem, ut *in Auth. quibus modis, nat. eff. ſeq. § ſilud collat.*

49 Boër. *dec.* 23. *n.* 75. Mant. *de conject. tit.* 19. *lib.* 11. *n.* 14. Roſſred. *Quæſt. Sabbat.* 17. *num.* 6. Alberic. *in Diction.*

50 *verb. Amentes.* Farin. *ubi ſupra, numero* 79. & dixi

51 etiam *ſup.* ex Phocul. Amantem in delictis excuſant & amoris cauſâ delinquentem non modò mitiùs puniri volunt, [Antonius Gomez *in Campo Elyſio Reies* pag. 214.] Clar. *lib.* 5. *quæſtione* 60. *n.* 7. Farin.

52 *ubi ſuprà numero* 80. ſed etiam totaliter excuſant, quia amantem mulierem ſi ſuo amanti ſui copiam facit, infamem ex ea cauſa minùs reddi contendunt Ricc. *in pract. for. Eccleſ. parte* 1. *reſol.* 424. *n.* 8. & vide ad hoc quæ adducit Farinac. *de delict. carnis, quæſtione* 136. *c.* 1. *n.* 87. *& ſeq.*

53 Aliâ autem ex parte amans à rebus gerendis eliminatur, ut tradit in terminis contrahendi ſocietates, Felic. *de ſocietat. cap.* 7. *n.* 11. & ejus rei rationem in promptu habeo: amantem enim prodigo ſimilem eſſe quis non volet? ad quod faciunt ea Plauti

54 *Carm. in Trin. Act.* 1. *Scen.* 2.

Dediſtine hoc pacto ei gladium, qui ſe occidere?
Quid ſecus eſt, aut quid intereſt dare in manus,
Argentum amanti, homini adoleſcenti, animi impoti
Qui exedificare ſuam inchoatam ignaviam?

Sed jam hæc de amore dicta ſufficiant, ſi modò illud admoneamus, hæc omnia locum habere in amore, prout ſpecies quædam maniæ eſt, non in amore, prout ſpecies quædam melancholiæ eſt, non in amore quocunq; at mediocri, & qui rationem non perturbat. [Videatur *Gr. Horſt.* de Natura Amoris.]

SUMMARIUM.

1 *Ebrietas frequentiſſima inter omnes dementias.*
2 *Ebrietas eſt malum ſponte accerſitum, & n.* 35.
3 *Ebrietatis inſania multiplex.*
4 *Vinum variis in variis temperaturis gignit effectus.*
5 *Ex ebrietate laditur princeps anima pars.*
6 *Ebrius puero ſimilis eſt.*
7 *Intellectus depravatio locū habet in conſummata ebrietate.*
8 *Non procedunt in leviter ebrio, quæ locum habent in vehementer ebrio.*
9 *Ebrietas ſit, cùm ſine menſura bibitur.*
10 *Sine menſura bibere, quando dicatur. & n. ſeq.*
11 *In multa potatione, ſi non ſit ſine menſura, modicum laditur ratio.*
13 *Cur leviter ebrii potiùs, quàm vehementer ebrii delirent.*
14 *Vera ebrietas à non vera quomodo diſtinguatur.*
15 *Ebrietatem diſſimulter cognoſci, quomodo intelligatur.*
16 *Ebrietatis ſigna. & num. ſeq.*
18 *Ebrietas potiùs in viro præſumitur, quàm in muliere.*
19 *Fœmina minùs ebrietate tentantur. Cauſam vide n. ſeq. & n.* 21. *Reprobatur n.* 22.
21 *Quæ debeant habere locum in ebrio, reſpectu læſionis mentis, diſtingue ut n ſeq.*
25 *In ebrio, cùm in actu ebrietatis eſt, quæ locum habeant.*
26 *Ebrius non poteſt contrahere.*
27 *Ebrius nihil agere poteſt, quod homini ſanæ mentis agere licet.*
28 *Ebrius non poteſt contrahere matrimonium.*
29 *Ebrius non poteſt condere teſtamentum.*
30 *Ebrius ſi actum prudentem faciat, ex propoſito fuiſſe non eſt dicendus.*
31 *In præjudicialibus quæ procedant in ebrio.*
32 *Ebrius occidens non ſit irregularis, contrarium ibid.*
33 *Ebrius mitiùs in delictis punitur.*
34 *Ebrius in delictis non excuſatur à culpa.*
36 *Ebrietas lenis pœnam, non tollit. Limita ut n. ſeq.*
38 *Ebrius non poteſt teſtificari. Amplia ut n. ſeq.*
40 *Ebrioſus non videtur ab homine ſanæ mentis diſtinguendus; dic ut n. ſeq.*
41 *Ebrioſus repellitur à teſtimonio dicendo.*
42 *Ex vini multa potatione frigidi morbi pullulant.*
43 *Ebrioſo curator dari debet.*
44 *Ebrietas non præbet diverſio cauſam, dic ut ibid.*
46 *Ebrioſus an reſignare poſſit, dic ut n. ſeq.*
48 *Ebrioſus ab officio publico removetur.*
49 *Ebrioſus eſt irregularis.*
50 *De termino ebrietatis.*
51 *Ebrietas non ſolvitur æqualiter in omnibus.*
52 *Ab ebrietate mens fluxet.*
53 *Ebrietas quando prorſus ſolvatur, dic ut n. ſeq.*
55 *Ebrietatis magnitudo unde habeatur.*
56 *Præter vinum multa ebrietatem faciunt.*
57 *Cerevisia ebrietas diverſa ab ebrietate, quam inducit vinum.*
58 *In omni ebrietate eadem procedere debent, ſive ex vino ſit, ſive ex alia quacunque re excitata.*

De Ebriis.

QUÆSTIO XI.

INter dementias & frequentior eſt, & præ ceteris 1
deteſtabilis ea videtur quæ ex *ebrietate* contingit: hæc enim malum ſponte accerſitum eſt, & idcircò à Catone, quem refert Cœl. Rhod. *lib.* 18. & à Seneca *Epiſt.* 84. Furor, ſeu inſania voluntaria dicitur, & à Plat. *in Timæo*, animam cum corpore calefacere, ex quo ipſam aberrare, & à nobiliſſimo ſuo munere deciſcere neceſſe eſt. Adverte autem hîc, me non loqui de ebrietate illa, de qua Platonici, & Theologi illud: *Inebriabor ab ubertate domus tuæ.*

Quàm multiplicis autem generis ea inſania ſit, 3
longum eſſet explicare, quippe cùm ut firmabat Ariſt. *Probl. lib.* 3. *Probl.* 1. & ex illo Duret. *in annotat.* 4
ad cap. Holl. lib. 1. *de morb. int.* vinum varios in variis temperaturis effectus gignat, unde ex ebrietate interdum ſimile phreneſi delirium inſurgit, aliquando melancholiæ: eſt etiam quando fatuitatem excitet, oblivionem, ac veternum, quin etiam maniã, & furorem, de quibus omnibus vide Valeſc. *in Philon. libro primo, cap.* 8. Hoc autem non modò pro varietate temperaturarum evenit, ſed etiam pro humorum qualitate, qui in corpore vigent: vino namque univerſam ſanguinis maſſam calefaciente, ac perturbante, ex ea perturbatione plurimi vapores ad caput irrepunt; qui magis ad naturam humoris ſuperfluentis, quàm ad alterius accedunt, ex quibus dehinc ſimiles effectus produci neceſſe eſt, quales produci contingeret, ut ea ipſiſmet humoribus inſania per cerebri idiopathiam excitaretur. Sed ex ipſamet vini qualitate variatur etiam modus delirandi: nam vina turbida, dulcia, potentia, vapores craſſiores ac turbidiores in cerebrum dimittunt, quàm alterius conditionis: ſic & valdè potentia non ſolùm citiùs inebriant, ſed magis ſimilem furori dementiam excitant, ob vaporum ſimiam caliditatem, quàm minùs potentia.

Verumenimverò cujuscunque rationis ea perturbatio, & agitatio humorum exiſtat, notiſſimum eſt ex ea lædi principem animi partem, Intellectum nimirum, ac intellectui inſervientes facultates: & licèt hæc inſania in Ebrietate contingens brevior ſit, quia ex ſimplici vapore provenit, longè tamen major exiſtit, quàm ea, quæ ex ſimplici ac naturali humore melancholico excitatur: in hac enim leviter aliquando, & circa pauca quædam ratio errare conſpicitur; at in ebrietate adeò perturbatur,
6 & confunditur, ut rectè Plato teſtatus ſit, *l. de Leg in fin.* Ebrium puero ſimilem effici, in his verbis: *Si quis ebrietate exſaturatus fuerit, nonne ad eundem animæ habitum devenit, quem habuit tunc, cum puer eſſet?* quamobrem & paulò poſt ſubdit: *Ebrius bis puer, non ergo ſolùm ſenex.* Magis ad vivum eam mentis perturbationem in Ebrio expreſſit Theogn. *carm.* 480. ſic inquiens:

Quisquis autem præterieris potus modum, non amplius ille
Suæ ipſius linguæ compos eſt, neque mentis,
Loquitur autem infinita, quæ ſobriis videntur turpia,
Veretur verò faciens nihil, quando Ebrius fuerit,
Ante qui erat ſapiens, tunc ſtultus eſt.

7 Sed ad hoc quid plura teſtimonia congerimus, docente hoc ipſum quotidianâ experientiâ? At hæc
8 locum habere in conſummata Ebrietate ſciendum eſt, in qua quidem omnem rationis uſum adimi, vel ipſi Jurisconſulti teſtantur. Damhoud. *in Enchirid. rer. crimin. c.* 87. *n.* 19. in levi enim Ebrietate, vel leviter, vel parum admodum mentem lædi conſtat, & idcircò non procedunt in leviter Ebrio, quæ in maximè Ebrio locum habent, de mente Jurisconſultorum. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *c.* 326. *n.* 7. Caball. *Reſol. crim. cent.* 3. *caſ.* 297. *n.* 16.

9 Cùm autem tunc conſummata Ebrietas fiat, cùm
10 ſine menſura bibitur, notandum, quòd non accipiendum eſt tam ſtricto modo, quem ſine menſura bibere, quàm acceptum eſt in *c. Quando, diſt.* 44. ubi ſine menſura dicitur bibere, qui ultra trinam vicem bibit in prandio, aut cœna, vel qui vinum non temperat, *ut in cap. à crapula, de vit. & honeſt. Cleric.* Ripa *in l. Generaliter, C. de revoc. don.* ſed tunc ſine
11 menſura bibere aliquem dicendum eſt, cùm ex vini copia in ebrietatem labitur. Unde non benè infertur ebrietas ex eo, quòd quis immoderato paſtu fuerit uſus, niſi inſimul conſtet ex ea potus immoderatione habuiſſe illum mentem læſam. Rota *in Colonien. Canonicat. S. Urſula* 27. *Januar.* 1627. *coram Ubaldo, quæ eſt deciſ.* 34. *numero* 6. *p.* 5. *Recen.* Imò in caſu noſtro, neque tunc dici poſſet, quem ſine menſura bibiſſe, cùm jam ex copioſiore potu alacrior ſe ipſo,
12 & magis conſueto lætabundus appareret, aut in animi naturales paſſiones proclivior, ut in iram, lætitiam, triſtitiam, petulantiam, audaciam, & hujusmodi. In his ergo, inquam, immoderatis potiùs compotationibus, quàm ebrietatibus, vel nullum detrimentum, vel ſatis modicum patitur ratio: quæ tamen in conſummata ebrietate exilium patitur, Bald. *in cit. c. A crapula, n.* 1. licèt Ariſt. *problem. ſect.* 3. *probl.* 2. quærat, cur non qui vehementer, ſed qui
13 leviter ſe inebriarunt, delirent: qui ſi penitùs vinolenti ſunt, potiùs ſomniculoſi fiunt, aut ſaltem rationem obtutam à vino habent, & ſopitos ſenſus. Nos tamen neque de levi, neque de vehementi ebrietate diximus, non errare in illis mentem, ſed ſolùm de excalfactione quadam ex vino, quæ ſimilis eſt leviuſculæ ebrietati.

14 Sed ex quibusnam ſignis cognoſci, ac diſtingui poterit vera ebrietas à non vera, vel à prædicta excalfactione ebrietati ſimili, & vehemens à levi? 15
Ripa *ubi ſuprà, n.* 80. & Joan. Bernard. Diaz, *in pract. Canon. c.* 77. *lit. B.* difficulter dicebant, cognoſci poſſe ebrietatem: ſed fortaſſe de leviori intelligebant, nam conſummata ebrietas ſatis ſeipſam etiam non advertentibus prodit.

Hipp. 2. *prad. text.* 8. quem refert ex Jurisconſultis 16
Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. tit.* 2. *Gloſſ.* 11. *n.* 6. *p.* 1. Ebrietatis ſigna hæc afferebat: ſudorem nimirum conſueto copioſiorem, reſpirationem difficiliorem, corporis gravedinem, & humectationem, alacritatem aut ejus loco modicum capitis dolorem. Affert 17
præterea idem Barboſa ex Galen. & Ariſt. alia ſigna, quæ omnibus ebriis communia, non propria cuique ſunt, ut tremorem, vertiginem, unde Juven. *Sat.* 6.

—cùm jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exſurgit menſa lucernis.

Viſus geminationem, ut ex ſuperiori Juven. carmine, & Nicandr. *in Alexiph. in princ.*

—Apparet geminum quandocunque videtur,
Sicut nocte ſolent, qui vina bibêre meraca.

De quibus Ariſt. *citata ſect.* 3. *probl. q.* 10. & Fracaſt. *lib.* 2. *de Intell.* præter hæc, inter alia ſigna connumerat lachrymas, quod videtur ſignum præ cæteris frequens, unde Ulyſſes apud Homerum *in Odyſſ. lib.* 14.

Dicat autem lachrymas ſpargere victum me mentibus vino.

Cujus rei quoque rationem idem Ariſt. *ibid. probl.* 23. quærebat. Addit linguæ incontinentiam, balbutiem, in riſum proclivitatem, importunam locutionem, ut ſuprà ex Theognide:

Loquitur autem infinita, quæ ſobriis videntur turpia,

Nos his adjicere poſſumus inflammationem venarum capitis, ipſiusque rubedinem, ac gravedinem, propenſionem in ſomnum, deſidiam, ſtupiditatem, frequentem oſcitationem, & ſimilia: nam difficillimum eſt omnia recenſere: non omnia tamen in omnibus, neque omni tempore, neque in omni ebrietate conſpiciuntur, ſed alia in aliis, ac aliis temporibus, ut jam annuimus: cùm varia in variis appareant, non modò ex cauſis ſuprà commemoratis, nimirùm ex temperamento, humorum qualitate, & copia, ætate, & hujusmodi, ſed etiam ex tumulentiæ gradu, ex vini quantitate, & qualitate, & ſtomachi debilitate, ac virtute.

Sed hìc pro Jurisconſultis notandum, quod 18
ebrietas potiùs præſumitur in viro, quàm in muliere: Et ratio eſt, quia fœminæ multò minùs ebrietate tentantur, quàm viri, quòd ex Ariſt. tradit Foreſt. 19
lib. 9. *Obſerv.* 28. *in Schol.* proponit hanc quæſtionem 20
ex eodem Ariſt. Macrob. *Sat. lib.* 7. *cap.* 6. Pro Philoſophis ratio eſt quærenda, quam illi talem reddunt, nimirum quòd ab humiditate temperaturæ fœmineæ dilui vinum contingit, quod ridiculum mihi videtur, cùm vinum non accerſat ebrietatem ſuâ ſiccitate, ſed potiùs caliditate ac tenuitate, &
multâ evaporatione ad caput. Ego puto ob naturalem mulierum conſuetudinem, quæ ut plurimùm parùm ac minùs bibunt, quàm viri id contingere: nam mulierculas bibaciores facillimè inebriari, & notavi ipſe, & quicunque volet experiri, facillimè poterit: at ſi ratio ab illis tradita valeret, multò magis locum haberet in ſenibus, in quibus multa humiditas excrementitia abundat: tametſi Tiraqu. inter Jurisconſultos *de leg. Connub. Gloſſ.* 1. *p. quæſt.* 22
numero 210. reprobet hanc noſtram aſſertionem, neque enim ob id, quòd magis continentes ſint, minùs inebriari mulieres contendit, ſed ob rationes,

de

de quibus ibi per eum ex Plutarcho, & aliis deſumptas, quæ tamen nihil magis, quàm ſuperior mihi probantur.

Sed videndum jam, quænam habere locum debeant in ebrio, reſpectu oblæſionis, mentis, quæ in eo contingit, quæ non; ac primò ex mea ſententia, quam dehinc Senecæ auctoritate *in Epiſt. num.* 83. & Baldi confirmavi *in citato capite à crapula, num.* 1. *de vit. & honeſt. Cler.* diſtinguendum eſt: nam vel agimus de ebrio, cùm in actu ebrietatis eſt, vel de eo, qui facilè ac frequenter inebriatur, qui ebrioſus, & vinolentus dicitur. Ebrius enim ab ebrioſo diſtinguitur, & idcircò prudenter Jul. Alexand. *lib.* 22. *ſalubr. capite* 6. ebrietatem ab ebrioſitate diſtinxit. In ebrio cùm ob ebrietatem extra mentem eſt, omnia procedere debent, quæ in verè demente procedere ſolent, & idcircò non poteſt ullo modo contrahere, & ſi contrahat, contractus eſt ipſo jure nullus. Ripa *in l. Is cui bonis, num.* 21. *ff. de verb. oblig.* neque quicquam agere poteſt, quod homini ſanæ mentis tantum permiſſum ſit, id Ripa *in l. generaliter, n.* 76. C. *de revoc. don.* ſpecialiter autem non permittitur contrahere matrimonium, quia ſenſu caret. Covarr *Relect. in Decr. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 9. neque teſtamentum condere, Bald. *ubi ſuprà, n. eod.* Quoniam verò ebrietas unicam habet acceſſionem, neque enim intermittit, quouſque terminetur; idcircò non poteſt præſumi in ebrietate poſitum, etiamſi actum faceret, quem quilibet feciſſet ſanæ mentis, illum ex propoſito feciſſe, & ſic non teneret.

Porrò in præjudicialibus idem procedere in ebrio actu, quod in demente, notum eſt, quia ebrius occidens non ſit irregulatis. Covarr. *ubi ſupr.* Farinac. *Frag. crimin. p.* 2. *lib.* 1. *n.* 422. quam opinionem veriorem putat, quàm contrariam. In delictis quoque mitiùs punitur, *l. omne delictum, §. per vinum, ff. de re milit.* Bart. *in l. Reſpicien. §. delinquunt, ff. de pœnis.* Covarr. *in cap. ſi furioſus de homic. Relect. part.* 3. §. *unico, num.* 111. Farinac. *pract. crim. lib.* 3. *quæſt.* 93. *num.* 1. & 3. *part.* 1. Differt in hoc uno à demente ebrius, quia in delictis non excuſatur à culpa. Rip *ubi ſapè, num.* 79. Lud. Montal. *de reprobat. ſent. Pil. dub.* 1. *ſub n.* 4. Caball *de omni gen. homicid. n.* 188. Ariſt. tamen 2. *Polit. c. ult.* (tametſi loquatur Ariſt. ex Pittaci ſententia) quem citat Barboſ. *de off. & pot. Epiſc. tit.* 2. *Gloſ.* 12. *n.* 6. *p.* 1. non modò non excuſat ebrium ullo modo, cùm delinquit, ſed majore pœna afficiendum eſſe vult, ſi quem læſerit, quàm ſi idem feciſſet extra ebrietatem. Idemq; ſentit Ariſt. ipſe *Magn. Moral. lib.* 1. *capite* 31. cui ſententiæ & favent multi Doctores, quos recenſet Caball. *Reſolut. crimin. Cent.* 3. *caſ.* 197. *num.* 8. & 9. & ego libenter aſſentirer, cùm ut in principio hujus quæſtionis dixi, Ebrietas malum ſit ſpontè accerſitum, & voluntaria quædam Inſania. Et ideò pro diluenda hac Auctorum diſcordia, rectè dixerunt alii Juriſconſulti, ebrietatem lenire, & diminuere quidem pœnam, non excuſare tamen omninò delictum. Damhoud. *in Enchirid. rerum crimin. capite* 60. *numero* 23. Sed & hæc opinio limitatione indiget, non enim habere locum debet, niſi in eo, qui culpâ inebriatus eſt, non in eo, qui per errorem, vel alterius fraudem, ut tradunt Doctores, Ripa *in citata l. generaliter, numero* 79. Menoch. *de Arbitr. capite* 326. *numero* 8. *lib.* 2. Caball. *ubi ſuprà, n. eod. & in Reſolut. crimin. Cent.* 3. *ibidem num.* 10.

Non injuriâ quoque repellitur ebrius, dum in actu ebrietatis eſt, à teſtimonio dicendo. Ripa. *ubi ſuprà, n.* 77. *& in Reſp. nov.* 201. *n.* 9. Adde tu, non poſſe illum teſtari de iis etiam, cùm extrà ebrietatem eſt, quæ ebrius vidit, quia ebrio nullus eſt ſenſus, & princeps pars in illo omninò læſa reperitur.

Cæterùm Ebrioſus non videtur ab homine ſanæ mentis diſtinguendus, & idcircò omnia ſuo arbitrio gerere poſſe permittendus, quæ cæteri ſanæ mentis homines gerere permittuntur. Ripa tamen, ut dixi, Ebrioſum repellit à teſtimonio dicendo, & exiſtimo illum non de ebrio in actu intellexiſſe, ſed de eo, qui facilè inebriatur: & hoc non omninò præter rationem, quippe cùm qui ebrietati ſtudent, etiam memoriam amittant; ex vini enim multa potatione frigidi morbi plurimi pullulare ſolent, quâvis vinum naturâ calidum ſit, docente Gal. *libro de ſymptom. cauſ.* quem adducit Foreſt. *Obſerv. lib.* 9. *Obſerv.* 27. *in Schol.* Levin. Lemn. *de occult. natur. mirac. lib.* 2. *c.* 27. inter hos autem morbos præcipuum locum tenet, ac frequentior apparet fatuitas, & memoriæ lapſus, ut experientia docet, & teſtatur Plin. *lib.* 14. *hiſtor. nat. cap.* 22. in his verbis: *Poſtera die* (ab ebrietate) *ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omnium oblivio, morſque memoriæ*, & apud Macrob. *in ſomn. Scip. lib.* 1. *cap.* 12. Ebrietatis comes dicitur oblivio. Cùm ergo rectam rerum memoriam Ebrioſus, conſervare non poſſit, jure repellendus à teſtimonio dicendo. Fortaſſe etiam & Ebrioſo curator dari debet, quia ex eadem cauſa mens friget, & ad propria negotia agenda minùs ſufficere poteſt. Ripa, *in l. Is, cui bonis, num.* 24. *ff. de verb. oblig.* Utrùm verò Ebrietas præbeat divortio cauſam, ſi quis interroget, dicendum, hoc non habere locum in omni caſu, ſed in eo ſolùm in quo is, qui frequenter inebriatur, furioſus in ebrietate evaderet, & uxorem percuteret, ita ut periculum eſſet, ne illa de vita periclitaretur, ita fuiſſe deciſum in Curia Archiepiſc. Neapol. teſtatur M. Ant. Genuenſ. *cap.* 21. *num.* 12.

Dubitari etiam poteſt, an Ebrioſus reſignare poſſit beneficia; nam Sarn. *quæſt.* 10. *col.* 1. *regul. de Inſir. reſign.* adductus per Pariſ. *de Reſignat. benef. lib.* 3. *q.* 7. *n.* 22. negavit Ebrium reſignare poſſe, quod tamen non admittit Pariſ. qui de Ebrioſo intelligit, cùm Sarnus fortaſſe de Ebrio intellexerit: Ratio enim à Pariſio adducta de Ebrio, ceſſat procul dubio in Ebrioſo. Videant ergo, quibus id curæ eſſe debet, an licitè Ebrioſus reſignare permittatur.

An autem *Ebrioſus ab officii publici adminiſtratione removeri debeat*, dubitatur immeritò: cùm & Clericum, & Doctorem Juriſconſultum, & Medicum & Militem ab eorum munus exercendis prohiberi, ſi Ebrioſi ſint, tradat Ripa *in dicta lege General. n.* 73. *& ſequent.* Quòd verò Ebrioſus etiam irregularis evadat, tradit Nic. Plovius *de Irregul. num.* 2. licèt contra hanc opinionem faciant ea, quæ ſuprà adduxi *num.* 32.

De termino denique Ebrietatis poteſt non levis eſſe dubitatio, ſcilicet, quanto tempore dicatur quis in ebrietate ita eſſe, ut in eo procedere debeant ea, quæ ſuprà retulimus: & licèt notiſſimum ſit & à Gal. adnotatum, 5. *Aphor.* 5. Ebrietatem non ſolvi æqualiter in omni homine, tamen etiamſi citiùs, quàm tertio die ſolvatur in multis de ebrietate ſemper mens languet ac ſtupet, neque tam citò ad ſuum priſtinum vigorē revocatur. Ego non minori ſpatio, quàm trium dierū generaliter ſolvi ebrietatem dixerim, præſertim ad effectum, ut ad integram mentis ſanitatem rediiſſe Ebrius dici poſſet; loquor autē non de levi, ſed de conſummata Ebrietate; ſed fortaſſe rectè Judicis arbitrio dijudicandū relinqui poſſet, quando in hoc aut illo homine præſumi potuerit, ſolutā fuiſſe Ebrietatem, addito Medicorū judicio; nā, ut diximus, multi ſunt Ebrietatis

gradus, cujus magnitudinem ex gravitate ſympto-
55 matum commenſurare oportet, ut ex magnitudine delirii, ex obtumeſcentia, ex ſopore ac ſtertore, ex ſpirandi difficultate, ex rectricis facultatis oblæſione, & ſimilibus.

Reſtat tandem, ut unum quid, dignum quod in medium afferatur, annuamus: præter vinum enim, notum eſt multa eſſe, quæ ebrietatem inducunt,
56 quæ recenſet Schenck. *Obſerv. ſuar. lib. 2. de ebriet.* ubi plura habes quæ ebrietati reſiſtunt, & vini vel perpetuum, vel longum odium inducunt: Sed inter alia populis quibuſdam in uſu cereviſia eſt, de qua Levin. Lemn. *lib. 2. de occult. nat. mir. c. 19.* tradit, quòd non uno eodemque modo inebriat, ut vinum, quia hoc anteriores cerebri
58 partes, cereviſia magis poſteriores lædit. Sed hoc problema Ariſtotelis eſt, ex quo etiam affertur à Cœl. Rhodig. *lect. antiq. lib. 16. capite 3.* Hoc tamen nihil differentiæ ponere debet inter unam & aliam ebrietatem reſpectu oblæſionis Intellectus, cùm in utraque pariter lædatur, quemadmodùm etiam dicendum eſt de aliis ebrietatibus, à quocunque alio potu vel comeſtione contractis.

SUMMARIUM.

1 *In ſomno mens depravatur.*
2 *Dormiens furioſo ſimilis, & abſenti æquiparatur.*
3 *Vix vivere dici poteſt dormiens.*
4 *Dormiens mortuo ſimilis.*
5 *Mortuus peccare non dicitur, ſic neque dormiens.*
6 *An dormiens in ſomno loquens poſſit contrahere, &c.*
7 *Dormientes ut inſani habendi.*
8 *Dormiens neque contrahere, neque ſeſe obligare poteſt.*
9 *Dormiens voluntate caret.*
10 *Noctambuli qui*
11 *Noctambulus occidens, vel quocunque modo delinquens, an excuſandus.*
11 *Dormiens occidens à pœna excuſatur, diſtingue ut numer. ſeq.*
14 *Quæ concurrere debeant, ut delinquens in ſomno à pœna excuſetur.*
15 *Precedente inſigni animi paſſione dormiens facilius delinquit circa præmeditata*
16 *Dormiens etiam ex antecedenti paſſione delinquens, mitius punitur.*
17 *Quod abſque voluntate fit, vel nullo modo, vel mitius punibile eſt.*
18 *Hominum malitia multa.*
19 *Conſuetudo ſurgendi ex lecto probanda in delictis à dormiente commiſſis.*
20 *Impedimentum non aſſuiſſe delinquenti in ſomno probandum.*
21 *Dormiens, ſi delinquat, actionem de facili factibilem fuiſſe probet.*
22 *In ſomno delinquens, ſi ratum habeat in vigilia id, quod dormiens patraverit, ordinaria pœna ſubjicitur.*

De Dormientibus, & Noctambulis.

QUÆSTIO XII.

1 IN ſomnio quoque mentis occaſum, ſeu potiùs errorem, ac depravationem evenire, certo certiùs eſt: quia tamen naturalem cauſam habet, ſomnum nimirum, in quo Anima penè omninò quieſcit, & ab omnibus ſuis præcipuis muniis exercendis, vel penitùs vacat, vel maxima ex parte, naturalis quæ-
2 dam dementia ea eſſe dici poteſt, unde jure Legum. periti etiam *dormientes inter dementes* connumerant, eos enim furioſo, & abſenti æquiparant, Covarr. *in cap. ſi furioſus, de Homicid. Relect. part. 3. §. unico, n. 6.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ. 327. num. 5.* Caball. *in tract. de omni genere homic. nu. 181.* Ex noſtris quoque Ariſtot. *5. de Gener. Anim. cap. 1.* ſomnum ex ſua natura talem eſſe dicebat, ut animal inter eſſe &
3 non eſſe conſtituat, vivendi, ac non vivendi eſſe interliminium docuit, unde vix viveredici poteſt, qui dormit, quod manifeſtè docuit Plat. *7. de leg.* cùm inquit: *Nullus enim dormiens alicujus eſt pretii, nihilo magis quàm is, qui vivus non eſt*, quamobrem abſolutè mortuo ſimilem faciunt Juriſconſulti.
Menoch. *ubi ſuprà*, & idcircò quemadmodùm mor- 4
tuus peccare non dicitur, ſic neque dormiens. Gloſſ. 5
in c. Teſtamentum 6. di. & D. Thom. apud Menoch. *ubi ſuprà.* Similiter etiam dormiens injuriam facere non dicitur, quemadmodùm nec irrationalia bruta. Dec. *in l. & vim. num. 28. ff. de Juſt. & Jur.* Quia tamen nonnulli ſunt, qui in ſomno mirabilia, & ab aliorum hominum more omninò remota perpetrare ſolent, de his peculiariter videndum: de iis enim loquitur Hippocr. *in lib. de morbo ſacro in principio dicens: Quosdam in ſomno ingentes & vociferantes vidi; quoſdam exilientes, & fugientes, ac deripientes, quoad excitarentur.* Quin etiam ſunt, qui dormientes etiam loquuntur, & de negotiis diurnis ſedulò agunt, quinimò & interrogati interdum ad rem reſpondent, quod experientia firmat, & notat doctiſſimus Petr. Sal. *de aſſ. partic. capite 18.* Dari caſus poſſet, quòd tales in ſomnis contractui conſentirent, ſeſe obligarent, aut delicta propria confiterentur, ut eveniſſe interdum teſtatur Lucret. *ib. 5. de rer. nat.* in ſequent.

Quippe ubi ſe multi per ſomnia ſæpè loquentes,
Aut morbo delirantes protraxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dediſſe.

Et tunc dubitari jure poſſet, an *contractus valeret*, & 6
actus quilibet ab iis factus teneret, & confeſſio etiam ipſis præjudicaret. Et ratio dubitandi eſt, quia conſtat in illis adhuc mentem vigilare, & ratiocinatricem partem ſua munia obire, quod ab effectu probatur. Tamen, licèt hoc utcunque veritatem ha- 7
beat, dormientes ut verè inſani habendi ſunt. Damho. *in Enchir. rer. crim. cap. 84. num. 10.* unde neque 8
contrahere, neque ſeſe obligare, neque conſentire, neque quodvis negotium gerere poſſunt; quinimmò ex his etiam deduci poteſt, confeſſionem in ſomnis factam illis nullo modo nocere poſſe, neque etiam ad indicium capeſſendum. *Ratio eſt*, quòd li- 9
cèt in ſomnis ob ſpirituum tenuitatem, ac puritatem, & excedentem calorem homo ea facere, ac dicere videatur, quæ extra ſomnum faceret, & diceret, & ratio videatur ſui juris eſſe, tamen verè ſopita eſt, & dormiens voluntate caret, ita ut neque loquatur, neque faciat, quod Mens, & Voluntas facere, ac dicere dictaret, ſed prout Phantaſia varias rerum imagines rationi offerens, ex iis etiam ea, quæ neque ſunt, neque ullo modo fuêre, dormientem interdum effutire cogit.

Non modò verò ſunt ex dormientibus, qui loquantur, & ad rem reſpondeant, ſed qui è lecto interdum exurgant, domeſtica negotia gerant, fores aperiant; indumentis conſuetis ſeſe muniant, arma quoque capeſſant, & obvios quoſque, quos vel inimicos imaginantur, vel cum quibus rixari ſe putant, offendant, & alia etiam patrare ſoleant, quæ longum eſſet enarrare; quorum hiſtorias qui perlegere cupiant, adeant Schenck. *in Obſerv. lib. 1 titulo de de Noctambulis*, & Juriſconſulti habent hiſtoriam cujuſdam Piſani apud Bart. *in l. ut vim, ff. de Juſt. & Jur. num. 5.* & alios caſus apud Damhoud. *ubi ſuprà, n. 12.* [& *Marian.* capite ad audient. *Tiraquellum* tr. de pœnis temp. c. 5.] quæ quanam ratione fieri poſſint, ſi ſcire quis deſiderat, videat Audr Laur. *lib. 4. Anatom. quæſt. 12.* cujus verba recitat Martinus Delrius *lib. 1. Diſquiſit. Magic. qu. 3.* ubi & ipſe plura habet. Alia permulta videre licet apud Levin. Lemn. *de Occult. Nat. mirac. lib. 2. cap. 5.* & Tad. Florentinus *in Iſag. Joannitii, cap. 10.* refert, ſe fuiſſe *noctambulum*,

&

& aliquando cecidiſſe ex loco alto dormientem. [Conjung. *Gr. Horſtium*, & ejus Patruum *Jacobum Horſtium*, tract. de Noctamb. *Zacutum Luſit.* l. 1. prax. adm. 4.]

10 Hos *Medici*, ex eo quòd nocte ambulent, *Noctambulos* vocamus, de quibus peculiaris quæſtio eſſe po-
11 teſt: nam proponitur communiter à Doctoribus dubium, anſcilicet aliquis ex his hominem *occidens*, vel *quodvis* aliud delictum committens, puniendus ſit, vel potiùs excuſandus; an item irregularis evadat, ſi quis patraverit irregularitatem inducens.

Nonnulli Doctores, inter quos ſpecialiter vide Covarr. *loco nuper allegato* & Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. alleg.* 18. *num.* 13. *part.* 2. abſolutè dicunt, dormientem, ſi quem occiderit, à pœna homicidii excu-
12 ſari; & ex eo delicto irregularitatem non incurrere: quibus aſſentitur Farinac. *Fragm. crim. part.* 2. *littera I. n.* 419. Prudenter tamen tam ſupradicti DD. quàm Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 2. *caſ.* 317. & Carr. *in pract.*
13 *crim* § *circa, n.* 25. & adducti *ibi per eum*, & Caball. *de omni gen. hom. n.* 182. *& ſeqq.* diſtinxiſſe mihi videntur, cùm etiam caſum dari poſſe volunt, in quo quis dormiens aliquem occidens, vel aliud ſimile delictum committens & puniendus ſit, & irregularis ex ea cauſa evadat, quod proculdubio tunc ha-
14 bebit locum, cùm hæc omnia ſimul concurrent. *Primò*, quod talis occidens aſſuetus fuerit ac ſciverit, ſe in ſomnis ſurgere, & arma capeſſere obvios petere, & vulnerare. Menoch. *ubi ſup. n.* 4. *Secundò*, quòd præceſſerit vehemens animi paſſio, ex qua potuerit facilius hoc evenire, ut ſurgeret, & cætera, ut ſi rixatus fuiſſet, & irâ veheme nti commotus, præcipuè cõtra occiſum; vel ſi amore detentus alicujus fœminæ, vel puellæ fuerit, ac illo quidẽ vehementiſſimo, ex quo non modò ejus potiundi deſiderio mirũ in modũ flagraverit, ſed etiam ſummo ſtudio, ac cogitatione frequentiſſima modum quæſierit, quo illâ potiatur. Si ergo tunc in eadem domo caſu quodam commoraretur tam inimicus, quàm fœmina, aut puella his jam firmis imaginationibus, & phantaſmatibus irritatus, faciliùs potuit & inimicũ occidere, & puellam conſtuprare, etiamſi adhuc ſomno detineretur, cùm hæc faciliùs eveniant præcedente inſigni animi paſſione; teſtatur Petr. Salius, *ubi ſuprà.*

15 *Tertiò*, quòd non obſtante præcedente rixâ, vel odio, ſeu deſiderio, & amore puellæ, tamen hic ſibi non caverit, ſed prudẽs ac ſciens in eadẽ domo aut in eodem cubiculo dormierit, ubi vel inimicus, vel puella commorabatur, neque ob hanc commoditatem arma abſcõderit, ſeu alio quocunque modo ſe cuſtodierit, cùm tamen poſſet, ne in tale delictũ laberetur; ita DD. omnes ſuprà citati *in locis præalleg.*

His ergò ſimul concurrentibus ob præcedentem voluntatem, & animi deliberationem, ſi dormiens quem occidat, aut quid aliud faciat, de jure punibile, aut irregularitatem inducẽs, & puniri poterit, &
16 irregularis fiet; licet mitiùs in tali caſu agi debeat ob rationis defectum, quæ ut ſuprà dixi, in ſomnis non eſt ſui juris; ut putet, nam præſupponi debet, quòd etiam ſtante ſummo deſiderio occidendi inimicum, vel puellâ potiundi, tamen potuerit ille, ratione ſui juris exiſtente, deſiderium illud coërcere, & ſeſe à tanto delicto patrando abſtinere; ſed quia voluntas non erat libera, idcircò circa illam operatur dormiens. Damoud. *in Enchirid. rerum crim. c.* 59. *n.* 5. Caball. *in tract. de omni genere homicid. num.* 183. &
17 non intelligit, quid agat, ut ex noſtris tradit Nan-
18 cel. *in Analog Micr. ad Macr. libro tertio, c.* 8. quod verò abſque voluntate fit, vel nullo modo punibile, vel mitiùs punibile eſt. Sed quia malitia homi-

num multa eſt, & ex hoc poſſet quis dormientem ſe fingere, & inimicum occidere, vel aliud quid ſimile patrare, videndum eſt, quænam teneretur probare is, qui diceret: ſe dormientem deliquiſſe, ut à culpa ſimul, & pœna excuſaretur. *Primò*, er- 19
go probare debet concludenter, conſuetudinem ſurgendi è lecto, & ambulandi per cubiculum, & ſimilia his gerendi, quæ delinquentem geſſiſſe conſtat: neque enim veriſimile eſt, hoc in non aſſueto tam de facili potuiſſe accidere: nam & ii ipſi, qui aſſueti ſunt non ſubitò, ſed paulatim aſſueſcunt, neque potuiſſet inaſſuetus rem ſedulò arma capere, inimicum petere, & hujuſmodi. *Se-* 20
cundò probare debet, nullum ſe potuiſſe habere impedimentum in accedendo ad lectum, vel cubiculum occiſi, vel puellæ conſtupratæ; ſi enim conſtaret aliquod impedimentum intereſſe potuiſſe ut ſi portas aperire debuiſſet, quæ tamen cum difficultate paterent, aut ſi facilè eventu fuiſſet illum pedem in obvia obſtacula offendere, tunc non ſufficienter ex mea ſententia probaret, ſe dormientem deliquiſſe: nam Gal. 2. *de mor. muſcul. cap.* 4. *claſſe prima*, cùm narraret, ſeſe dormientem per ſtadium ambulaſſe, ſaxum ſe offendiſſe, dicebat, ex quo excitatus eſt, unde, inquit ille, id in cauſa eſt, quòd tales, qui dormientes ambulant, vel ſurgentes a iquid agunt, non poſſunt longo tempore progredi, quia minimè poſſibile eſt, viam illos nancíſci ita plenam, ut ſine ullis offendiculis exiſtat; ſic etiam neque quicquam gerere dormientes poſſibile eſt, quod multum temporis ſpatium requirat, aut multos actus, quia impoſſibile eſt, eos inter agendum aliquid non offendere quos illos à ſomno poſſit excitare.

Et ob eandem etiam cauſam probare teneretur ſi arma ceperit, ſe habuiſſe arma prompta, aut in muro viſino appenſa, neque multo ſtudio indiguiſſe ad illa capeſſenda, quia ſi multo labore, ac induſtria uti oportuiſſet, facile erat inter laborandum, ut à ſomno excuteretur, neque omnia fortaſſe arma ob id ipſum in uſum trahere potuiſſe credendũ eſt; ſed tantummodò ſimplicia, & quæ facili negotio tractantur; aliter enim, ſi non tam de facili tractari potuiſſent, ut ſi eſſet armorum genus, quod ſclopetum, ſeu arcobuſium vocant, quæ nonniſi ſummo ſtudio tractari poſſunt, ſuſpicionem peccati augebit, ac in ſumma quamcunque actionem dormiens fecerit, de facili factibilem fuiſſe probare delinquens 21
debet. Quod verò in ſomno delinquens ordinariæ 22
pœnæ ſubjiciatur, quandocunque ratum habuit in vigilia id, quod in ſomno fecerit, docet Menoch. *& Doctores ab eo citati, ubi ſuprà, numero octavo.*

SUMMARIUM.

1 *Soporiferi affectus rationem turbant.*
2 *Inſania ſit in ſoporiferis affectibus.*
3 *Imaginationem non errare in affectibus ſoporiferis.*
4 *In ſoporiferis affectibus, ut in cæteris dementiis procedendum.*
5 *Soporifero affectu detentus ſi actum facit prudentem, non tenet ille actus.*
6 *Actus in affectibus ſoporiferis celebrati non tenent; Diſtingue ut numero ſeq.*
8 *Principium morbi quid.*
9 *Morbi augmentum quid.*
10 *Comatoſi in duplici differentia.*
11 *Comatoſi ſi actum prudentem faciant, irritus eſſe non debet.*

12 *Qui in febribus inſaniunt, cùm morti proximi ſiunt, mentis reſtituuntur.*
13 *Lethargus quid.*
14. *Caros quid.*
15 *Coma quid.*

De Lethargicis, Comatoſis, Caroticis, omniſque generis Somniculoſis.

QUÆSTIO XIII.

PRoximæ ab inſania, quam naturalem eſſe diximus, quòd à ſomno, cauſa nimirum naturali, dependeret, aliæ ſunt, quæ inter minimè naturales adnumerandæ, quod ab innaturali ſomno originem ducant. Hæ licèt unius ejuſdemque ſpeciei penè ſint, quòd in ſymptomatibus, & modo univerſali affligendi conveniant, nonnihil tamen inter ſe in particulari evariant, variantibus etiam affectibus, ex quibus iliæ dependentiam habent: in hoc tamen coincidunt, quòd omnes non rationem tantùm devaſtant, ſed quamcunque etiam humani Intellectus facultatem, ac virtutem, ut exiſtimativam, & memoriam. Fiunt hujuſmodi inſaniæ in his affectibus, ſcilicet *Lethargo, Caro & Comate*, in quibus omnibus ægri profundiſſimo ſomno detinentur, ita ut vix ullo modo excitari poſſint, & excitati illicò, ac ſine mora in eundem ſomnum relabuntur, pereunte omninò in ipſis Ratione, ac Memoria, & ſalva tantùm fortaſſe Imaginatione, quam tamen neſcio unde habeant Medici in his aberrare: quis enim eorum eſt, qui ſciat, quænam imaginetur is qui profundo ſomno detinetur, ſi neque ab illo excitatus ullam memoriam præteritorum conſervat? At, inquies, Medici per conjecturas id aſſequi poſſunt, & ex diſcurſu rationabili, Ego verò & ex conjecturis, & ex rationibus contrarium venari poſſum; ſed quoniam ea res nullius momenti pro nunc mihi videtur, dictis eorum libens acquieſcam.

In his igitur omnibus inſaniis hiſce morbis ſupervenientibus, cuncta veluti in cæteris dementiis, ac inſaniis procedere debent, habendique ſic affecti tanquam mortui, ſi modò addamus regulam illam, quòd actus, quem quilibet ſanæ mentis faceret, etiam in demente teneat, in his caſibus locum non habeat; unde quotieſcunque Medici, qui de ſpecie infirmitatis deponere debent, ex qua quis laboraverit, vel ex qua tandem obierit, affirment eam fuiſſe ex harum genere, quas commemoravimus, *Lethargum* ſcilicet, vel *Carum*, vel *Coma*, actus omnes, qui in tali ægritudine geſti præſumerentur, irriti, ac nulli abſque dubio judicandi, quòd non ſolùm procedere debet in ipſo ægritudinis vigore, in quo jam ægri profundiſſimo ſomno obligati, ac in eo veluti ſepulti jacentes omni procul dubio quocunque ſenſu orbati ſunt, ſed etiam, in ægritudinis principio, & augmento; ex tunc enim Ratio, & Memoria in hujusmodi ægrotantibus vacillant, ita ut ad nihil prudenter peragendum ſufficere poſſit.

De principio tamen poſſet haberi aliqua ſuſpicio, cùm licèt ratio tunc depravari incipiat, modica ea depravatio eſt. Quamobrem Medici, qui curæ præſunt, ſpecialiter de Rationis ſanitate deponant neceſſe eſt, & de tempore ægritudinis, in quo actus celebratus eſt: fortaſſe enim talem actum in principio gerere poſſet infirmus, qui cum prudentia geſtus videretur, & præſumi tunc poſſet, Rationem vel parum quid vel nihil omninò detrimenti perſenſiſſe. Principium autem, & augmentum morbi notum Medicis eſt; nam principium dicitur primus morbi inſultus, totumque illud tempus, in quo accidentia morbi debilia ſunt, augmentum præcedens; ut in his morbis levis in ſomnum proclivitas, Rationis diminutio, ſenſuumque hebetudo: augmentum verò quando hæc ſymptomata augeri incipiunt, & jam ægri profundiùs dormiunt, magiſque difficulter excitantur, à Ratione manifeſtè aberrant, & ſenſibus omninò deficiunt, licèt interdum excitentur, & loquantur. Medicis verò aliter quoque principium, & augmentum morbi dicitur juxta concoctionem humorum, ſed ad rem noſtram hæc minùs faciunt.

Cæterùm de Comatoſis peculiaris conſideratio eſt, cùm in duplici differentia conſtituantur, unde quidam vigiles appellantur, & morbus ipſe Coma vigil; & alii ſomnolenti, morbus autem Coma ſomnolentum, vel Coma ſimpliciter nominatur. Priores in priori morbo conſtituti habent ſolummodò propenſionem quandam ad ſomnum, ac facilè dormiunt, ſed facilè etiam excitantur, ac parumper evigilant, & in ſumma inter ſomnum & vigiliam conſtituti videntur, quod ob humorem heterogeneam naturam morbum inducentium evenit; in his verò procul omni dubio ratio minùs læſa apparet; tamen quamdiu in eo ſymptomate perſiſtit, non minùs ac dormientes judicandi; ſed in his illud locum habere poteſt, quòd ſi quem actum gererēt, quem quilibet ſanæ mentis faceret, irritus eſſe non deberet: Et ratio eſt, quia interdum Natura valida vi, ac impetu quodam excitato, turbidis vaporibus à Rationis ſede deturbatis, ſanitati mentem reſtituit, vel ſaltem intervalla dilucida concedit.

Imò videmus pleroſque ex iis, qui in febribus inſaniunt, cùm morti proximi ſunt, ad mentem parumper redire. Valleſ. *in 3. de morb. vulg. ſect 3. Ægr.* 14. nam facultate retentrice jam emortuâ, morboſa materia à capite ad cor præcipitatur, ex qua cor ipſum ſenſim ſuffocatur, & tunc æger moritur, vel ob extremum naturæ conatum id evenit; ut eidem Valleſio placet. Quòd ſi id conſtet, nempè infirmum lethargicum, aut comatoſum ante mortem prudentes quoſdam actus feciſſe, quales ſani homines faciunt, locum quidem haberet hîc conjectura pro validitate eorum actuum.

Ut autem uberiùs Juriſconſultis ſatisfiat, utque Medicorum depoſitiones, ſi quando caſus contingat, faciliùs aſſequi poſſint: quid quiſque ex iis morbis ſit, quos commemoravimus, breviter exponamus: quod etiam rudioribus Medicinæ ſtudioſis, ſi qui in hunc librum inciderint, non parum proderit, cùm morbi hujuſmodi adeò ſimiles inter ſe exiſtant, ut unum ab alio diſtinguere etiam iis, qui in arte nōnihil conſummati ſunt, difficile judicetur.

Lethargus igitur, qui etiam Veternus aliquando nominatur, eſt inexpugnabilis dormiendi neceſſitas cum febre continua, & lenta. Caros verò, aliàs torpor, ſive marcor dictus, eſt ſomnus profundus, & ægrè amovibilis, vel abſque febre, vel ſubſequēs ad ipſam febrem, quæ eſt differentia inter hunc & illum morbum; præterquam quòd Lethargici interdum excitantur, Carotici nunquam, ſed veluti mortui jacent, ſalvam tamen habent reſpirationem, ex qua ab Apoplecticis diſtinguuntur; ultra id, quòd Apoplexia illicò prehendit, Caros autem ſenſim. Coma denique, Cataphora quoque dicta, & ſopor, & Catoche, & Arabibus *Subet*, eſt proclivitas in ſomnum, ob quam ægri ſemper dormire deſiderant; ſeſe tamen ipſi interdum excitant, ac ſæpe expergiſcuntur, ſomnuſque non continuus eſt, ſed brevis & interruptus, nam ſæpe de loco ad locum moventur, tanquam ii, qui dormire conantur, non tamen quietem in ſomno inveniunt, nam habent hi proclivitatem ad ſomnum,

tamen

tamen dormire non poſſunt,hoc Coma vigil,& Agrypnocoma vocatur;ſi verò profundè dormiant,& ægrè excitentur,ſomnolentum Coma appellatur,& differt à Caro in cauſa,quia Carus à frigido, Coma magis ab humido dependet:qui tamen horum nominum, ac morborum differentias exquisitè explicatas habere deſiderat,practicos adeat omnes *lib.* 1. & præcipuè Foreſt. *lib.*10. *Obſerv.* 24. *in Scholiis.*

SUMMARIUM.

1 *In Apoplexia ſit ſenſuum omnium ruina & occaſus.*
2 *Apoplexia, gutta dicta.*
3 *In Apoplectico omnia locum habent, quæ in furente, abſente, aut mortuo.*
4 *Recenter ab Apoplexia excitatus, an agere poſſit, ut homo ſanæ mentis, dic ut num. 6.*
5 *Apoplectici infatuantur, & memoriâ deficiunt.*
6 *Apoplexia duplex.*
7 *Differentia inter unam & aliam Apoplexiam.*
8 *Apoplexia levi detenti non tam ſubitò ad mentis vigorem redeunt.*
9 *Inforti Apoplexia homines ut plurimùm moriuntur.*
10 *Actus facti non multò poſt Apoplexia inſultum, ſuſpecti eſſe debent.*
11 *Apoplexia facit coniecturam fatuitatis.*
12 *Actus ab Apoplecticis extra acceſſionem facti, judicis arbitrium requirunt, an validi eſſe debeant.*
13 *Apoplecticus neque promoveri, neque promotus miniſtrare poteſt.*
14 *Epilepticus à Lunatico quomodo differat.*
15 *Epilepſia pluribus nominibus appellata.*
16 *Epilepſia quid.*
17 *Epileptici in acceſſione poſiti, mortuis, & abſentibus æquiparandi.*
18 *Epileptici extra acceſſionem, quos actus gerere poſſint.*
19 *Magni viri, ac ſummi ingenii, epilepſia tentati.*
20 *Leviuſcula epilepſia vertigini ſimilima.*
21 *In levi epilepſia mens nihil patitur.*
22 *Epilepticus eligi nonpoteſt.*
23 *Epilepticus non poteſt obtinere beneficia ordinem requirentia.*
24 *Epilepticus ordinari non poteſt.*
25 *In forti epilepſia locum habent ſupradicta, non in levi.*
26 *Lunatici unde dicti.*
27 *Lunatici nomen, quibus aptetur.*
28 *Lunaticus, quomodo accipiatur in l. Bovem, §. aliquando, ff. de adil. edict.*
29 *Lunatici ab Alcinoo malè appellati Energumeni.*
30 *Energumeni qui.*
31 *Lunatici tanquam ſtolidi habendi.*
32 *Lunatici curatorem recipere debent.*
33 *Lunatici quomodo ad teſtamenti confectionem admittantur.*
34 *Actus prudentes facti à Lunaticis tenent.*

De Apoplecticis, Epilepticis, Lunaticis, & hujuſmodi.

QUÆSTIO XIV.

1 IN Apoplexia fieri repentinam ſenſuum omnium ruinam,& occaſum,Medicis notum eſt. Et notavit Rota *in Peruſina Penſionis*, 28. *Maij* 1649. *coram Peutengerio num.* 22. qui & Apoplecticos, interdum tanquam mortuos jacere ſciunt,ita ut à verè extinctis vix,ac ne vix quidem ſecerni poſſint;nam neque ex pulſu,neque ex reſpiratione,neque ab alio quovis ſigno vivere ipſos apparet;cùm enim omnis motus,qui in viventi animali celebratur,mediantibus ſpiritibus fiat, qui per nervos à Cerebro animalium ſpirituum fonte ad partes tranſmittuntur, & in hoc morbo ipſi nervi, eorumque ductuum principia obſtruantur,ita ut in ſpiritibus tranſitum interdicant,neceſſe eſt illicò animal corruere,ac veluti mortuum jacere,reſolutis omnibus nervis,qui ipſum animal ſuſtinebant: cum motûs autem deperditione omnes Intellectus facultates occidere par eſt,nam & hæ nonniſi iiſdem ſpiritus mediantibus celebrantur. Hunc morbum barbari quidam Medici guttam vocant, & noſtrâ etiam vernaculâ linguâ vocamus *la goccia*. De quo unum tantummodò eſt,quòd dubitationis anſam præbere poſſit, quantum ad rem noſtram pertinet,in cæteris enim clariſſimum eſt, omnia in Apoplectico locum habere dum in acceſſione eſt,quæ procederent in homine furente, aut potiùs abſente, imò etiam & mortuo. Dubium autem de eo eſt, qui recenter ab Apoplexia reſurgit, an ſcilicet poſſit ea omnia agere,quæ cæteri ſanæ mentis homines agere permittuntur: manifeſtum namque experientiâ eſt, plurimùm Apoplecticos infatuari, extra mentem ire,memoria deficere,etiam cùm ab Apoplexiæ acceſſione in vitam reſtituuntur;neque controvertendum eſt,ipſos non tam citò ad priorem mentis vigorem redire, ſed extrà ſe poſitos, ſaltem per aliquod rationabile temporis ſpatium,permanere.

In hoc dubio dicendum,Apoplexiam duplicem eſſe,alia enim *levis* eſt, alia *fortis*; una verò ab alia ſecernitur ex ſymptomatum concomitantium fortitudine,& levitate,ut ex ſtertore,ex læſione reſpirationis,ex abſciſſione pulſus, ex acceſſionis duratione,& ſimilibus, ut percurrit Foreſt *lib.*10 *Obſer.* 74. In levi ergo Apoplexia homines facilè,ſi ſanentur,ad ſanam mentem redeunt,licèt non tam ſubitò,ut priſtinum omninò vigorem mentis,ſtatim ac reſurgunt, acquirant:ex quo videant Juriſconſulti,an actus aliqui ſaltem, ſi non omnes,tunc temporis, hoc eſt ante tertiam diem celebrati, ſuſpecti aliquo modo eſſe poſſint; quia & idem Foreſt. *ubi ſupra Obſervatione* 77. *in Scholiis* teſtatur, in pleriſque talem apparere ſtupiditatem, ut attoniti videantur. At in forti Apoplexia homines quidem ut plurimùm ſuccumbere,conſtat experientiâ,Hippocratis Auctoritate canonizata, *lib.*2. *Aphor.*42. ſi aliquando tamen forte fortuna ſanentur, conſtat illos etiam ad aliquod longiuſculum tempus, & aliquando per totam vitam fatuos evadere. Igitur ſi ex Medicorum teſtimonio probetur,quem Apoplexia forti, aut etiam mediocri detentum fuiſſe, illumque non multò poſt acceſſionem teſtamentum condidiſſe,vel quidvis aliud egiſſe, actus tunc facti ſuſpecti, ex mea ſententia, eſſe deberent, ob rationem prædictam, niſi contrarium evidenter conſtaret.

Quin etiam ad fatuitatem, ac ſtoliditatem alicujus probandam, maximam & urgentiſſimam præſumptionem faceret, ſi conſtaret aliquando Apoplexia detentum fuiſſe, præſertim ſi illa ex Medicorum judicio, non omninò levis extiterit.

An verò actus ab hujuſmodi ægrotantibus facti, legitimè geſti fuerint, necne, reſpectu ipſius ægrotantis,& mentis ipſius ſanitatis, fortaſſe Judicis arbitrium requireret; nam multa eſt horum morborum varietas, & prædictæ levitatis & fortitudinis hujus morbi infiniti penè gradus eſſe poſſunt, juxta quos hominem citiùs aut tardiùs mentis vigorem recuperare contingit;ac ſubinde Judicem in decidendo,modò in unam, modò in aliam partem, pro particularium caſuum differentia, inclinare neceſſe eſt,ſed in his Medicorum Judicium adhibendum, nullus ambigere debet.

Quoniam verò Juriſconſulti Canoniſtæ volunt, quod Apoplecticus neque promoveri poſſit, neque promotus miniſtrare. Majolus *de Irregul. lib.* 2. *cap.* 24.*num.*2.procul dubio juxta præmiſſa diſtinguendum eſt, quod hæc procedant in Apoplexia forti, non leviori;quod duplici ex cauſa veritatem habere exiſtimo: Primò ob cauſam jam commemoratam, ſuccedentis nimirum fatuitatis, & dementiæ

ab Apoplexia forti; alia ob id, quòd fortis in Paralyſin, ſeu membrorum reſolutionem ſemper omninò deſinit. Utraque verò harum cauſarum per ſe ſufficiens eſt & per promotionem & adminiſtrationem impedire, ut hoc titulo non ſemel patet: quantò magis ergò ſimul junctæ operari debent:

Jam verò de Epilepticis loquamur, ac videamus
14 primò, quid interſit inter *Epilepticum* & *Lunaticum*; ante tamen ſciendum, quid ſit Epilepſia, quæ quamplurimis nominibus inſigniri ſolet; ſunt enim qui vocent ſacrum morbum, alii qui vocent Herculeum, ut inter Juriſconſultos Rota *in Bonon. prof. Vener. 9. Decembris 1611. coram Ubaldo*, (licèt nonnulli apud Aretæum *lib. 2 Acutorum cap. 14.* Herculeum morbum vocaverint elephantiam) alii infantilem, ſeu puerilem, & Barbari mortem puerorum, (licèt Cardan. *Comm. 1. Aphor. 45.* hæc poſteriora nomi-
15 na non Epilepſiæ, ſed convulſioni convenire contendat) vocatur etiam Lunaticus. Celſus vocat morbum majorem *libro primo, capite 23.* appellatur quoque communiter Caducus, aliàs etiam Comitialis, & ab aliquibus quaſi per Antonomaſiam morbus Sonticus, ut à Plin. *lib. 36. hiſtor. nat. cap. 19.* Imò & ex eadem cauſa morbus magnus dicitur, ita enim intelligunt illum Hippocr. locum *in 6. Epid. ſect. 6. text. 7.* Galen. & Valleſ. Quartana laborantes magnò morbo non capiuntur. Neotericus quidam, nempe Honorat. Bouche vocavit morbum ſceleſtum, ex proprio marte, non tamen omninò ab re. Alia etiam nomina ſortitur ab Arabibus, ac Latinobarbaris Medicis, quorum meminiſſe ſupervacaneum omninò eſt. Volunt tamen omnes, Epilepſiam
16 eſſe totius corporis convulſionem cum mentis, & ſenſuum ablatione, de qua vide Galen. 3. *de loco aff. capite 7. claſſ. 4.* & inter Juriſconſultos Rot. ex ipſo Galeno, apud Farinac. *deciſione 236 num. 6. p. à Tom. 1.* hoc enim morbo apprehenſi illicò concidunt, & ſi magnus morbus ſit, ſimiles Apoplecticis fiunt, ac nullus penè motus in illis apparebat, ut docebat Cæl. Aur. *Chron. libro 1. capite 4.* Diſtinguitur tamen ab Apoplexia, quia hæc in Paralyſim deſinit, Epilepſia verò nequaquam. Si autem non tam fortis morbus ſit, tunc ægri diſtorquentur, vel in univerſo corpore ſimul, ac modò in una, modò in alia parte, interimque & voce, & auditu, & om-
15 nibus ſenſibus privantur, ratione quoque, & memoria deſtituuntur, ita ut ad nihil omnino ſufficiant, non ſecus ac prædicti, mortuis & abſentibus æquiparandi, cùm adhuc in acceſſione ſunt, etiamſi moveri, etiamſi aliquid comprehendere videantur.

18 At cùm Epileptici extrà acceſſionem ſunt, de illis non minùs, quàm de Apoplecticis diſtinguendum eſt; nam vel levi Epilepſia tentantur, ac rarò paroxyſmo corripiuntur, ut ſemel aut bis plurium annorum ſpatio, ſicuti conſtat ſummi ingenii viros eum morbum perpeſſos, ſed levem, ut Herculem, Cæſarem Auguſtum, & alios, de quibus vide Raviſ. *in officina parte prima*, & Vinc. Alſarium *lib. 6 de morb.*
19 *cap. lect. 31.* qui ejus problematis cauſam enodat; vel Epilepſia eſt fortis, & frequenter prehendit, ut ſingulis menſibus in interluniis, vel in temporum, ac tempeſtatum mutationibus, ut apud Soſtitia, & Æquinoctia. Ex quibus adverte, quòd non ſunt ſemper vera ea, quæ Rota dicit *in Bonon. profeſſ. infrà citata*, quòd nimirum Epileptici non præſentiant paroxyſmum, & quòd non recordentur, &
20 quòd ſemper frequentiſſimè cadant, & quòd incurabiles exiſtant; hæc enim de gravi morbo caduco veritatem habent, non de leviori; unde non poterat dici in eo caſu; fratrem illum non pati caducum morbum, ſed eum non fuiſſe talem, qui impediret profeſſionem. Dicamus ergò, quòd cùm in leviuſ- 21
cula Epilepſia, quam vertigini finitimam facit Fernel. *Pathol. lib. 5. cap. 3.* vix ratio, & Intellectus quicquam detrimenti patiantur, nihil omninò eorum, quæ in forti procedunt, locum habere debent. Ut quod tradidit Hoſtienſ. *in Summ. lib. 1. de Poſtul. num. 3.* Bertachin. *in Epiſc. lib. 2. cap. 45.* nimirum, non poſſe Epilepticum eligi, neque poſtulari in Epiſcopum, 22
neque quod tradiderunt alii, hoc eſt, non poſſe 23
Epilepticum obtinere beneficia ordinem requiren- 24.
tia. Garz. *de Benefic. part. 7. capite 12. num. 20.* quia neque ordinari poſſit, & ad ſacra promoveri, C. *Nuper. cauſ. 7. quæſtione 2. Gloſſ. in cap. 1. cauſ. 7. q. 1.* imò quod neque promotus poſſit adminiſtrare. Pariſ. *de Reſignat. benefic. lib. 5. quæſt. 6. num. 105.* neque quod Religionem profiteri poſſit. Unde Rota *in Bonon. profeſſionis Vener. 9. Decembr. 1611. coram Ubaldo*, annullandam voluit fratris illius profeſſionem, quia morbus caducus, quo laborabat, levis erat, vel non 25
erat morbus caducus; hæc ergo, inquam, in fortiori Epilepſia locum habere intelligendum, in qua & rationis diminutio, & morbi turpido, & alia poſſunt his, quæ ſuprà commemoravimus, locum dare, & propriè procedere credendum in his, qui Lunatici dicuntur: hi namque licèt eodem morbo laborent, quo detinentur Epileptici, & iidem ſpecie exiſtant, tamen ab illis differunt in acceſſionum frequentia & gravitate, quia quotieſcunque Luna cum Sole coit, vel in ejus oppoſitione exiſtit, paroxiſmo prehenduntur, & ex hoc Lu- 26
natici dicti ſunt. Alii tamen volunt dici Lunaticos, ex eo, quòd qui Interlunio naſcuntur, huic morbo ſint obnoxii, ut ex Aretæo, & Sereno refert Mercurialis, & recitat utramque opinionem Holler. *lib. 1. de Morb. inter. cap. 15.* Alios autem ſenſus & opiniones circa id nominis affert Valleſ. *in lib. de ſacr. philoſoph. cap. 71.* Prior tamen opinio magis ſenſui correſpondet, de qua etiam idem Mercurial. *lib. 1. ſuæ pract. cap. 26.* & Foreſt. *lib. 10. Obſervat. 53.* ſed ex Juriſconſultis Joannes Calvinus *in Lex. Jurid. in verb. Lunaticus*, non ſolùm aptari vult hoc nomen 27
comitiali morbo laborantibus, ſed cæteris omnibus, qui ſecundùm Lunæ motum ægrotant, & quorumdam morborum inſultibus corripiuntur, aut eo tempore inſaniunt; & fortaſſe hoc non ab re eſt, ſed in communi modo loquendi, ac propriiſſimè Lunaticos non alios, quàm commemoratos ſuprà, appellamus, & hoc pacto accepiſſe illud nominis exiſtimaverim Juriſconſultum *in l. Borem. ff. de Ædil. edict. §. aliquando*, ab ipſo etiam Calvino 28
adducta, cùm dicit, non expedire Domino ſervum habere Lunaticum, ex hoc, quia ſingulis menſibus in morbum relabitur, ita ut nullius penè uſus ſit, imò potiùs maximi incommodi. Malè verò Lunaticos appellari Energumenos dixerim, quod tamen voluit Alciat. *Parerg. lib. 8. cap. 23.* Energume- 29
ni enim ſunt, qui à malo ſpiritu vexantur, at licèt 30
interdum Dæmoniaci fiant Lunatici, cujus rei exemplum habemus in ſacris, *Matth. cap. 17. verſ. 16.* tamen non ſemper Lunatici ſunt Dæmoniaci; verùm pro Alciato faceret Conſtantini Africani auctoritas, *Pract. lib. 9.* qui Lunaticum, & Dæmoniacum ſimiles facit, re vera tamen inter ſe maximè differunt, ut videbimus.

Cærerùm *Lunatici* tanquam Stolidi & Amentes habendi, cùm tales in rei veritate exiſtant, quamobrem non ſolùm in favorabilibus, ſed etiam in præjudicialibus ut fatui & amentes tractandi. Cu-

ratorem

32 ratorem etiam ipſos recipere neceſſe eſt,neque quid præſtare ſinendi,quod ipſis præjudicare poſſit abſque curatore,ut de minoribus.& ſimilib. decidunt Juriſconſulti. Ad illud unum fortaſſe admitti poſſe
33 eos dixerim,(niſi ſummâ detinerentur ſtoliditate, quam etiam in his quoſdam gradus recipere non inficior)hoc eſt,ad teſtamenti confectionem;& hoc cum cautela ; nam & oporteret eos longè à paroxyſmo abeſſe, cùm teſtantur,& non habere paroxyſmos fortiſſimos, & ad mentem qualemcunque citò à paroxyſmo ſublevatos redire.

34 An autem actus prudenter facti ab his validi cẽſendi ſint ex hoc,quòd præſumi poſſit eos habuiſſe tunc dilucida intervalla,affirmativè reſponderem, quia maximè in his ea intervalla,apparere poſſunt, licèt de raro ob paroxyſmorũ frequentiã appareãt.

SUMMARIUM.

1 *Animalia omnia à fulmine icta ſemper intereunt, præter hominem.*
2 *A fulmine icti ſenſu, & motu, ut Apoplectici, privantur.*
3 *Apoplectici, unde ſic nominati.*
4 *A fulmine icti, vel per aliquod tempus, vel per totam vitam infatuantur.*
5 *A fulmine icti, ut Apoplectici habendi, dum in acceſſione perſiſtunt : extra acceſſionem, dic ut n. ſeq.*
7 *Actus prudens ab ictis à fulmine factus tenet.*
8 *Fatuitas cauſata in ictis à fulmine, non habet acceſſiones, vel exacerbationes.*
9 *Congelati motu, & ſenſu privantur.*
10 *Catoche idem quod Catalepſis.*
11 *In conſummata Catalepſi ægri omni ſenſu, & intelligentia privantur.*
12 *In quo dementium genere collocandi ſint Cataleptici : vide n. ſeq.*

De Ictis à fulmine, Attonitis, Congelatis, & Catalepticis.

QUÆSTIO XV.

1 QUanquam, ut Plinius *lib.2. de hiſt.nat.c.54.*& Card.*lib.2. de ſubtil.*teſtatum reliquit, cætera animalia fulmine tacta illicò moriuntur,unus tamẽ homo non ſemper ejus vi extinguitur;ſed licèt non moriatur,cùm à fulmine tamẽ percutitur,illicò ve-
2 luti Apoplecticus cadit,ſenſu ac motu deſtitutus,ut patet in hiſtoriis relatis per Ant.Beniven. *de Abdit.*
3 *c.25.*& declarat quotidiana experientia.Immò ipſi Apoplectici ſic nominati,quòd veluti fulmine percuſſi videantur,Montano teſte abud Foreſt.*libr.10. Obſerv.69.in Schol.*unde ſatis aptè Roder.Caſtr.*de Meteor.Micr.lib.4. c.8.*comparabat hominem apoplexiâ correptum cum homine à fulmine icto, ſeu potiùs Fulmen Macrocoſmi in Microcoſmo non aliud eſſe, quàm hujus morbi inſultum, inſinuavit.

4 Homo ergo à fulmine percuſſus ſi non intereat, tamen vel ad aliquod tempus,vel per totam vitam infatuatur,atque amẽs redditur. Alex.*lib.2. problem.* 88.& hinc omnem intelligentiam,ac veram rerum cognitionem amittit;in cujus rei teſtimonium venire poſſunt plures caſus à Schenckio relati, *libro primo Obſervat. tit. de Apoplexia :* inter quos etiam connumerare poſſem mei *Avunculi* infortunium, qui à fulmine percuſſus,ut mihi narrabat,in itinere, tribus diebus abſque ſenſu,& motu fuit,totuſque riguit,mox ad calorem reverſus,veluti ſtolidus nõnullis hebdomadis permanſit,donec remediis adjutus,& Naturâ cooperãte ad integram rerum intelligentiam,ac ſibi connaturalem prudentiam, quâ mirum in modum pollebat,reverſus eſt.Epidermis autem tota à corpore ſeparata illi eſt, non minùs quàm in ſerpentibus vere novo evenit.

Tales ego,quouſque ſenſu motúque privantur, 5
ut *Apoplectici* habendi, de quib.ſuo loco vide ; reſi- 6
piſcentes autem,ſi integram conſequantur mentis ſanitatem,tanquam ſani habendi:in minùs, inter fatuos connumerandi, propriè enim fatuis ſimiles apparent,abſumptis cerebri ſpiritibus ex ignis cœleſtis vi,& ipſo cerebro exinde refrigerato. In quo verò fatuitatis gradu reponendi ſunt, hoc ego Judicis arbitrio relinquerem, cùm multi eſſe poſſint hujuſmodi fatuitatis gradus. Actus autem pruden- 7
tes ab his facti,ſignum præbere poſſent recuperatæ ſanitatis. Idcircò notandum quòd hæc fatuitas non 8
habet quidem acceſſiones, ſed ſi quando deſipere incipiat, omninò denique abſumitur. Durat enim ad aliquod tempus interdũ,quia,ut dixi, vapor igneus ille fulminis abſumit maximam ſpirituum copiam in cerebro permanentium, qui tamen poſſunt temporis ſpatio reparari, atque hoc pacto mens ad ſuum priſtinum vigorem ſenſim redire.

Congelati porrò, qui & *Cataleptici*, & *Siderati* 9
[vid.de his *Tulpius*] dicuntur, ſenſuetiam ipſi motuque deſtituuntur,& rationalem animæ partẽ non modò læſam,ſed penè obliteratam habent,inſimulque etiam memoriã:quanquam Gal.*comm.2. in primum prorrhet.text.56. claſſ.4.*in quodam fuiſſe ſervatam memoriam docet ; imò ſenſus quinque,licet obtuſiores naturali ſtatu, exiſtimandum tamen in Catoche,ſeu Catalepſi laborantib.(nam utroq;nomine morbus hic inſignitur,præterquàm quòd etiã Congelatio,Detentio,& apprehenſio morbuſq; attonitus appellatur)omninò ſenſum motũq;& om- 10
nem penè animalem virtutem perire,ut ego in praxi,non multis abhinc diebus in Librario amico meo obſervavi;& aliàs ante.Ad hiſtoriã verò Gal. cum Mercurial. *ſua pract.lib.2.c.8.* reſpondendum, non fuiſſe morbum illum veram Catalepſim, ſed vel non veram,vel non conſummatã, in qua omni 11
ſenſu, & intelligentiã ſpoliari ægrotantes firmant cæteri omnes Auctores,Fern.*Pathol lib.5.c.2.*& Mer- 12
cur. *ubi proximè* & alii practici *lib.* 1.Ex quib. facilè apparet,in quo dementiũ cenſu hi collocandi ſint, patetque illos tanquam abſentes,& mortuos habẽdos eſſe. Poſſet tamen ſcrupulus aliquis inſurgere, circa ſuprà commemoratam hiſtoriam ex *Galeno*, quã tamen non obſtante, licèt concedatur ita rem præteriiſſe,ut ægrotus ille memoriam conſervaſſet, 13
& aliquem obtuſum ſenſum,tamen nihil differẽtiæ inter unum & alium caſum in hoc morbo ponendum cenſeo:Et ratio eſt,quia etiamſi optimè hi ſentirent, & non memoriã ſolum, ſed etiam ratione pollererent, tamen neque nutib. neque loquelã quicquam explicare poſſunt, nam & omninò obmuteſcunt,& omni prorſus motu privantur.

SUMMARIUM.

1 *Phrenitici, Maniaci, Ecſtatici, & Lycanthropici ſub eundem cenſum veniunt.*
2 *Phrenitici unde dicti.*
3 *Phreneſis malè definita à Budæo, & Menochio.*
4 *Phreneſis ex ſua natura non eſt morbus ſuperveniens febri.*
5 *Phrenetidis nomen abuſivè aptatur deliriis in febribus ſuperveniẽtibus.*
6 *Phrenitis ſemper durat,ex quo incipit.*
7 *Phrenitici, ut cæteri inſani, ac furioſi habendi.*
8 *In Phreniticis non habet loc. ea concluſ. quòd actus prudens, quem quilibet ſanæ mentis faceret, teneat.*
9 *Phreneticus omnia caſu agit.*
10 *Superveniens Phrenit.non nocet iis, quæ geſta ſunt antè*
11 *Phrenitis ſuperveniens non impedit teſtamentum jam factum.*

11 *Phrenitis ſuperveniens non impedit matrimonium jam contractum.*
13 *Utrùm Phrenitis impediat ſponſalia : dic ut n.15.*
14 *Phrenitis an præbeat divortio cauſam : dic ut n.16.*
17 *Furor cur præbeat divortio cauſam.*
18 *Phrenitis ceſſans nulli rei impedimento eſt.*
19 *Furioſi, & Maniaci idem ſunt.*
20 *Quinque furoris ſpecies ex Cardano.*
21 *Furioſi mortuis æquiparantur.*
22 *Furioſi æquiparantur lapidi.*
23 *Tempore intermiſſi furoris, quæ habeant locum in furente.*
24 *Furentes extra acceſſionem teſtari permittuntur, amplia ut num. ſeq.*
26 *Furentes, à quibus prohibeantur.*
27 *Furentes non poſſunt obtinere beneficia.*
28 *Furentes non poſſunt profiteri religionem.*
29 *Furentes non puniuntur de iis quæ tempore furoris egerint.*
30 *Furentes excuſantur à pœna, declara ut n. ſeq.*
32 *Ecſtaſis apud Theologos, quomodo accipiatur.*
33 *Ecſtaſis evenit in vehementibus animi paſſionibus.*
34 *Ecſtaſis, ex Medicis quid, & n. ſeq.*
36 *Ecſtaſis nomen accepit.*
37 *Ecſtatici pro inſanis habendi, amplia, ut n. ſeq.*
39 *An Ecſtaſi, quæ pro vehementi furore ſumitur, homo in ſanam mentem redit.*
40 *Ecſtatici qui abſque ſenſu, & motu permanent, etiam extra Ecſtaſim mente non conſtant.*
41 *Lycanthropia furoris ſpecies.*
42 *Nabuchodonoſor Lycanthropiâ laboravit.*
43 *Lycanthropici, ut cæteri furentes habendi.*

De Phreneticis, Maniacis, Furioſis, Ecſtaticis, Lycanthropicis, ſeu Cynanthropicis, & ſimilibus.

QUÆSTIO XVI.

1 TAm *Phrenetici*, quàm *Maniaci*, qui etiam *Furioſi* dicuntur, & *Ecſtatici*, & *Lycanthropici*, qui & *Cynanthropici* appellantur ſub eundem cenſum venire poſſunt : vix enim quicquam eſt, quod in eorum nonnullis procedere debeat, quod inſimul in cæteris locum non habeat; de eorum tamen natura, ac qui propriè ſint, quippe peculiare habeant illis ab iſtis, differendum eſt, ſaltem ne mancus hic titulus de dementia videatur, præcipuè cum Jurisconſultis hæc non undequaque nota eſſe cenſeam.

Phrenetici ergo à morbo, quo detinentur ſic appellati, qui Phrenitis, vel Phreneſis dicitur. 2 Eſt autem morbus hic, perpetuum delirium cum febre, ex cerebri, ejuſque membranarum inflammatione originem ducens, ut elicitur ex Galen. *comm.2. in primum Epidem text... & alibi.* & docent Auctores omnes. 3 Ex qua definitione paret, quàm malè ex Juriſconſultis Budæus *in ann. ad l.2.ff.de ædil.edict.* & eum fortaſſe ſecutus Menoch. *conſ.82. n.198. vol.1.* dixerint Phrenitim eſſe morbum acutum in febre ſuperveniente, 4 ex quo ægri inſaniunt, & aliena loquũtur; nam præterquam quòd hæc definitio aliis morbis aptari poteſt, unde minùs hujus naturâ manifeſtâ facit, falſa etiam proponit, cùm dicit, phrenitim eſſe morbum ſupervenientem febri; nam de phrenitide in ſuo proprio ſignificato acceptâ, ut hîc accipi volumus, minùs verificari poteſt. Verum quidẽ eſt, largo modo, & abuſivè phrenitidis nomen aptari deliriis omnibus, quæ febribus ſuperveniunt; ut 5 Mercurial. *Pract.lib.1.c.15.* docet ſed neque ſic ea Juriſconſultorum definitio probari poteſt, quia tunc phrenitis accidens morbi eſt, non morbus acutus, ut illi voluerunt. Illud favere poteſt Budæo, & Menoch. quod docuit Valleſ. *in primum Epid. ſect.3 text.31.* & Sal. *in 1. de morb. ſect.2. text.15.* nimirum pertarum eſſe à primo die phrenitim accidere: hoc tamẽ Valleſij dictum intelligendum quoad delirium, non quoad cerebri inflammationẽ quæ propriè phreniticũ facit; hæc enim, quia levis in principio eſt, vel ſola ejus rudimenta quædam cerebrum moleſtant, non facit hominem tam ſubitò delirare, ſed progreſſu temporis; nihil tamen obſtat à primo morbi inſultu hominem fieri phreniticum. Itaque rectius dicitur, phrenitidem eſſe morbum acutum cum febre continua, ex quo homines delirent, vel eſſe inflammationem membranarum cerebri cum febre, ad quam ſubſequitur delirium, ſi de vera phrenitide loquamur, vel cum Hipp. 1. *de morb. propè fin.* eſſe perpetuum cum febre delirium.

Illud rectè à *Menochio* traditum eſt, phrenitim 6 ſemper durare, ex quo incipit, unde conſtat ipſum veram phrenitidem, & ſic propriè dictam definiviſſe, non autem non veram: de priori enim ſolummodò verificari poteſt hoc dictum, cùm nullas habeat interpolationes, ſed perpetua ſit; præſente enim cerebri inflammatione ſemper homo & febrit, & delirat. Atque hinc eſt, quòd præterquam quòd phre- 7 nitici in omnibus veluti cæteri inſanientes habẽdi ſunt, non poſſit in eis habere locum illa concluſio, quam in ſingulis penè his quæſtionibus repetere, ac examinare cogor, nimirum quòd actus prudens, 8 quem quilibet ſanæ mentis faceret, teneat, quia in hoc morbo, ut dixi, nulla interpolatio, nullumque dilucidum intervallum præſumi poteſt intervenire. Quinimmò etiamſi quandoque ad propoſitum infirmus loqui videatur, tamen non ſufficit ad hoc, ut poſſit aliquot actus validos facere, ut exempli gratiâ, teſtari, quia morbus non ceſſat, & benè à Rota *in Romana donationis Annult.* 1589. *coram Mantica n.6.* talis præſumitur adhuc in delirio perſiſtere; ut quis poſſit diſponere de rebus ſuis etiam in Amentia debet habere dilucida intervalla perfectiſſima, ut ibid. Rot. *n.4.* Neque ob id quod Valleſ. *in tertium Epid. ſect.1. Ægr.3.* dixerit, vix nullam eſſe phrenitidem, in qua nulla interruptio delirii fiat, idcircò in hoc morbo veras intermiſſiones, & dilucida intervalla dari dicendum: nam Valleſii dictum, non de omnimoda intermiſſione, ſed de remiſſione intelligendum, nempè vult ille in quacunque phrenitide dari quaſdam remiſſiones, in quibus ægri quaſi ad mentem rediiſſe dici poſſunt, ita ut ad quicquam agendum habiles exiſtimandi ſint. De vera tamen phrenitide me ſermonem habere, animadvertat Lector, in qua etiam prudenter loqui, ac operari phreniticus videatur, tamen caſu omnia agit, quia conſenſu, & voluntate caret. Quod locum habet non ſolùm in morbi inſultu, hoc eſt ipſius phrenitidis, ſecus autem in non vera phrenitide evenire debet, in qua dilucida adfuiſſe intervalla præſumi poſſunt, etiamſi dehinc perpetua facta ſit: de vera autem phrenitide intellexerunt DD. cùm dixerunt, ſupervenientem phrenitidem, ſeu deliriũ non nocere iis, quæ geſta ſunt ante ejus adventum, 10 ut in terminis teſtamenti, decidit Rot. *in noviſſimis dec.173.n.8. p.2.* & in matrimonio jam contracto, 11 quod non impediatur per ſupervenientem phrenitidem. Cujac. *in Iul. Paul. recept. ſent. lib. 2. tit.* 12 *19. tom.1.*

Sed inquirendum, utrùm *phrenitis impediat ſponſalia, quemadmodum impedit furor, l. furor ff. de ſponſalib.* & an præbeat divortio cauſam, ut furor facit. 13 Covarr. *Relect. in 4. decret. de matrim. p.2.c.7. §.1. n.3.* 14 Marc. Ant. Genuenſis *in Prax. Curiæ Archiep. Neap. c.21. n.13.* Farinac. *de delict. carn. Quæſt.143. n.137.*

&

15 & dicamus quod ſponſalia, phrenitidem eſſe culpandam, non minùs quàm furorem. cùm tam furor quàm phrenitis hominem voluntate privet, ita ut quæcunque agit, caſu agere dicatur quouſque in eo morbo perſeverat.

16 In poſteriori caſu negativè decidendum, quia licet *Phreneticus*, non ſecus ac *Maniacus* & *furioſus* plurimùm nocere uxori poſſit, tamen hoc pauculis diebus perdurat, neque de facili in morbum reincidit: ita ut ſi per paucos illos dies mulier ſibi caveat, nullum exinde nocumentum ex mariti phrenitide
17 reportatura ſit. At furioſus cum hoc, quòd maximè nocere poteſt, etiam ad mentem reverſus, facillimè in morbum relabitur, ita ut non liceat mulieri, ac familiaribus, ſibi ab ejus furore cavere; nam tales interdum ex improviſo furiunt, & multa facinora non advertentibus domeſticis patrare ſolent, & obvios quoſque etiam ſibi chariſſimos laceſſere, quamobrem juſtam cauſam divortio præbent.

18 Sed quemadmodum phrenitis nullum actum antè ipſius adventum celebratum impedit, ſic neque cùm ceſſavit, ullo impedimento cuiquam eſſe debet, non modò in contrahendo, in teſtando, & ſimilibus, ſed etiam in quacunque dignitate etiam ſupremâ conſequendâ, quod ſecus in furore aliiſque dementiis procedere, poſthac patebit. Ratio eſt, quia Phrenitis morbus ex iis, qui recedentes non facilè revertuntur, nec ſui veſtigium aliquod relinquere ſolent, niſi fortè quandam partium debilitatem; contra verò furor, aliæque quædam dementiæ, ut ſuo loco dicemus.

19 Cæterùm Furioſi, & Maniaci, iidem omninò ſunt, & jam aliàs dixi, quomodò à Melancholicis, quos
20 mente captos, ac demètes ſimpliciter Juriſconſulti vocant, diſtinguantur. Horum verò Cardan. quinque ſpecies facit magis famoſas, nam & alias præter eas eſſe conſtat, Melancholicos ſcilicet, Furioſos, Amentes, Rabidos, & Hydrophobos: quàm rectè verò Maniæ ſpeciem faciat ille Melancholiam, & Amorem ipſe videat, & lectores ex iis, quæ ſuprà *q.*9. diximus, dijudicent. Veruntamen his relictis, de
21 furioſis nulla dubitatio eſt, quòd cùm in furore ſunt, tanquam mortui, & abſentes habeantur, *l.*2. §. *furioſos, ff. de jure*, C. Barbat. *de præſtant.* Cardin. *q.*11. *p.* 1. *n.*2. Cujac. *in not. ad Inſtitut. Juſtin. tit. de Teſt. ordin.* & alii alias à me adducti; nam lapidi æquiparantur.
22 Bartol. *in leg.* 1. §. *item acquirimus, ff. de acquir. poſſeſſ.* Nunnez. *reſp.*35. *n.*4. *col.*2. Dubitatur autem de tempore intermiſſi furoris, quæ nimirum tunc concedi, quæ interdici debeant. Ac primò in favorabilibus
23 teſtari quidem permittuntur, *l. furioſum.* §. *ſi vero*, C.
24 *qui teſtam. fac. poſſ.* Ang. à Gamb. *de Teſtam. Gloſſ.*3. *n.*1.
25 Petr. de Unzol. *in pract. art. Notar. tit. furor. & idem n.*1. Cujac. *in lib.*3. *recept. ſent. Julii Paul. tit.* 4. quod procedit etiamſi ante, & poſt fuerit furioſus, & in furore deceſſerit. Idem Ang. à Gambell. *ibid.* Rota *in Melſten. teſtam. Vener.*17. *Februar.* 1612. *coram Manzanedo*, à multis tamen prohibentur, ut ab adminiſtratione officii, ab electione in Epiſcopum, à
26 promotione ad Sacra; hæc enim clara ſunt, ſed ne-
27 que obtinere poſſunt beneficia. Farin. *deciſ.*190. *n.*3.
28 & 5. *Vol.* 1. *p.* 2. neque profiteri religionem, Petr. *in* Biax. *in direct. elect. p.*1. *cap.*15. *n.*2. Matrimonium licèt ſimpliciter loquendo contrahere prohibeantur, Rota *in Camerin. Matrim.*1624. *coram Buratto n.* 2. tamen dubium eſſe poſſet, an liceret illis contrahere tempore intermiſſi furoris, & videretur dominari periculum reincidentiæ, quod facillimè recedit, & ob quod omninò prohibèdi videntur. Quod autem furioſus, ſi ſanæ mentis poſtea factus ſit, teſtis eſſe poſſit de iis, quæ in furore vidit, mihi quidem nullatenus probatur; quod tamen volunt nonnulli DD. quos adducit, & ſequitur Maſcard. *de Probation. concluſ.*728. *n.*9. *vol.*2. quo pacto enim id fieri poteſt, ſi furioſo nullus eſt ſenſus, quamdiu in furore eſt? In præjudicialibus autem non puniuntur de iis, quæ tempore furoris patrarunt, quia tales voluntate carent. Nunnez *reſp.*35. *n.*3. Joſ. Lud. *deciſ. Peruſ.* 29
*p.*2. *d.*77. *n.*3. & 6. idcircò excuſantur à pœna, Fari- 30
nac. *l.*3. *pract. crim. p.*2. *tom.*1. *q.*94. *n.*1. quod declara, 31
niſi ratum habeant tempore intermiſſi furoris quicquid in furore fecerût, ut ſuprà de Ebriis diximus. In quantû verò furoris ſpecie locû habeat propoſitio illa, quòd ſemel furioſus ſemper præſumatur furioſus, de qua DD. habes *infrà, quæſt. ult. per totam.*

De Eceſtaticis porrò dubitatur primò quinam verè ſint, & conſequenter, quid ſit Ecſtaſis: nam in communi modo intelligendi, & apud Theologos, Ecſtaſis ſumitur pro raptu quodam mentis, & quo 32
ſic affecti magis quàm ex ſomno, ſenſu & motu privantur, & Angelos ac cœleſtia videre ſe imaginantur. Martin. Delr. *Magic. diſquiſ. q.*25. qui affectus etiam in vehementibus animi paſſionibus evenit, ut de amore teſtatur Leo Hebr. *dial.*3. *in princ.* cujus 33
paſſionis effectum maximè & elegantiſſimè explicant decantata à Franciſco Petrarcha in Lyricis, *in Cant.* cujus principium:

Tacer non poſſo.

Et præcipuè illa:

Tera in terra, e l'cor in paradiſo
Dolcemente obliando ogni altera cura,
E mia viva figura
Far ſentia' un marmo, e' mpier di meraviglia.

At Medici nonnulli contrariam habuerunt opi- 34
nionem, volentes Ecſtaſim eſſe abolitionem Imaginationis, eundemque affectum cum Catalepſi, de qua ſuprà. Arnald. Vill. *in lib. de par. oper. & alii*, ſed in priori ſenſu inter Medicos accepit Fracaſt. *lib.*2. *de Intellect.* cùm tamen cæteri penè omnes velint. 35
Ecſtaſim eſſe furorem vehementem. Galen. *comm.*1. *in primum Prorrhet. text.* 14. *& comm.*2. *ejuſdem libri, text.* 19. *& comm.*3. *ejuſdem, text.* 6. ubi idcircò hunc affectum dicebat eſſe contrarium; in comate enim ſumma quies, in Ecſtaſi motus inordinatus, procax loquutio, & hujuſmodi. Ejuſdem quoque opinionis fuit Holler. *commen.*7. *Aph.*5. Marcell. Donat. tamen *lib.*2. *hiſt. mirabil. c.*1. Ecſtaſim dixit eſſe ſimpliciter mentis amotionem, & alienationem.

Rectè quidem præ omnibus Hollerius, *ubi ſuprà*, 36
hoc nomen anceps eſſe docuit, unde aliquando etiam pro Sanctorum, & Prophetarum raptu accipi tradit; & tunc dicitur evocatio ab eo quod eſt ſecundum Naturam in id quod eſt ſupra Naturam, ut ſuperioris Naturæ, ut ex D. Thom. citat. Codr. *l.*1. *de morb. veneſ. c.*8. Fit autem opera Dei, Angeli, & Dæmonis. Modum autem quo fiat, tradit Fracaſt. *l.*2. *de Intellect.* at de naturali loquitur, non de ſupernaturali, quidquid tamen ſit de vera, ac germana nominis acceptione, dicamus nos, Ecſtaticos omnes pro 37
inſanis reputandos, ac tanquam inſanos, nullum 38
actum, qui legitimus ſit futurus, edere illos poſſe.

Sed in iis Ecſtaticis, qui tales dicuntur ex vehe- 39
menti, ac conſueto validiore furore, illud præmonendum quòd ex eo exiſtimantur, ad mentem citò redituros juxta Hipp. ſententiam 7. *Aphor.*5. cui adſtipulantur verba illa Avic. 1. 3. *tract.* 4. *c.*16. *Et quandoque eſt vehementia Manie ſignificans criſim ipſius Manie.* Idcircò igitur ſedato in his motu illo violento, & irrationabili, ſi quid prudenter agât, aut quid loquantur, credendû eſt illos reſipuiſſe, & ob id actus

illi validi deberent eſſe, ſi poſtmodum in ea mentis
40 ſanitate perſeveraverint. Quod tamen locum non habet in illis Ecſtaticis, qui abſque ſenſu, & motu permanent, ita ut ab Apoplecticis minimè diſtinguantur & quos Catalepticos vocamus: nam etiam ab ea Ecſtaſi ſeſe recolligentes inſaniunt, & per plures dies veluti ſtolidi permanere ſolent.

41 Furoris denique alia ſpecies eſt, quæ Lycáthropia, vel Cynanthropia, vel lupina inſania appellatur, & Ægri Lycanthropici, ſeu Cynáthropici, ex eo, quòd horrida, & inculta loca luporum, aut canum more luſtrare ſoleát, & cadavera ferarum, & hominum è ſentinis, ac ſepulchris eruere, ac rapere, atque circa hæc miſerabiliter inſaniunt, unde eos, qui tali morbo laborarunt, antiquiores Poëtæ in Canes, in Lupos, in Urſos à Diis transformatos fuiſſe fabulati ſunt, ut de Hecuba in Canem, de Lyceone in Lupum, de Calypſo in Urſam, & de aliis in alias brutorum, ac ferarum naturas, ac formas effingunt.

42 Quin etiam putant quidam Doctores, inter quos ſunt Valleſ. *de ſacr. Philoſ. cap.* 80 & Mercurial. *lib.* 1. *ſuæ Pract. c.* 11. Nabuchodonoſor Babyloniæ Regem hoc morbo ex divina voluntate laboraſſe: quod admittunt etiam ex Patribus nonnulli, referente Martino Delrio *Magic. diſquiſit. q.* 18. Huic morbo obnoxii fortaſſe ſunt quidam ſeptentrionales populi, Darii dicti, quos refert Herod. *lib.* 4. ſemel in anno per aliquot dies in lupos converti.

43 Hos in eadem exiſtimatione habendos, ut cæteri furentes, nullus eſt dubitationi locus: habent ſolummodò in illud proprium quòd certis quibusdá temporibus, hoc eſt, ut plurimùm initiante vere, in hunc morbum relabûtur; durat autem eorum inſania ad menſem, vel ad quadraginta dies plus minùs, incipiuntque inſanire Februario menſe, ut practici teſtantur, inter quos vide Maſſar. *lib.* 2. *cap.* 27. & Donat. Ant. Altimar *cap.* 9. Quamobrem actus ab iis eo tempore celebratos & quicquid tunc temporis geſſerint, magis ſuſpectum eſſe decet, quàm ſi alio quovis tempore illud ipſum præſtiterint; aliàs enim reſipiſcere ſolent, & ad ſanam penè mentem redire.

SUMMARIUM.

1 *Rabioſi qui dicantur.*
2 *Hydrophobi unde dicantur.*
3 *Baldus Juriſconſultus Hydrophobiâ mortuus.*
4 *Solus canis rabie afficitur, ex Galeno, contrà num. ſeq.*
6 *Gal. erroris notatus.*
7 *Rabies ex ſerpentium nonnullorum morſu concitata.*
8 *Rabiem, & Hydrophobiam ſimplex aëris infectio excitare poteſt.*
9 *Rabies ſolo canis rabidi morſu excitatur. Contrarium ibid.*
10 *Animalia à rabido cane commorſa, omnia rabida fiunt præter hominem, & Ariſt. falſum ibid.*
11 *Homo rabiem non incurrit ex Pierio Valeriano, contrarium ibid.*
12 *Rabies ſimilis eſt Maniæ, & ſpecies quædam Melancholiæ, & num.* 19.
13 *Rabies quid.*
14 *Hydrophobiæ ſignum inſeparabile.*
15 *Cum Rabie, an neceſſariò conjunctum delirium.*
16 *Hydrophobi mente conſtant, contrarium ibid.*
17 *Quid Cani, & balneo, proverbium.*
18 *Non omnes rabientes furiunt.*
20 *Salutis ſignum in Rabie.*
21 *Hydrophobi inter inſanos adnumerantur.*
22 *Hydrophobi an rationabiliter aquam timeant.*
23 *Aquæ timoris cauſa in Rabientibus.*
24 *Cerebri facultate labefactatâ in rabientibus, inſanabiles exiſtunt.*
25 *Rabientes, ut Melancholici habendi.*
26 *Rabientes, etiam ante aquæ timorem, integrâ mente non ſunt.*
27 *Rabies etiam ex aſſumptione venenorum excitatur.*
28 *Rabies ſolo morſu excitatur, contrarium ibid.*
29 *Ex venenis inſania excitatur.*
30 *Ab exhibitione venenorum potentium, ſatuitas & dementia oritur.*
31 *Venena varias dementiæ ſpecies excitant.*
32 *Veneno potionati, in quorum dementium ſpecie adnumerandi.*

De Hydrophobis, ſeu Rabioſis, ex aſſumpto veneno delirantibus, & infatuatis.

QUÆSTIO XVII.

RAbioſi vocantur, qui à *cane rabido commorſi* 1
in rabiem, & ipſi debinc aguntur, & ſic accepiſſe exiſtimo hoc nomen Plautum *in Captivis, act.* 3. *Scen.* 4.

Hegio hic homo rabioſus habitus eſt in Aulide,
Ne ut, quod iſtic fabuletur, aures immittas tuas,
Nam iſtbic haſtis inſectatus eſt domi matrem & patrem,
Et illic iſti, qui ſputatur, morbus interdum venit.

Hoc enim quod ultimo loco dicit Plautus de hydrophobia, ſeu rabie, veritatem habere poteſt, ſi ad priora carmina referatur niſi fortè pro morbo qui 2
inſputatur accipias epilepſiam, morbum caducum dictam & loquatur Poëta de alio morbo, quàm de Rabie; ſed de hoc vide Mercurial. *Var. lect. l.* 5. *c.* 11. Vocantur autem rabie affecti Hydrophobi, ex eo, quòd ſi vel non curati fuerint à rabido cane commorſi, in aquæ timorem & odium incidunt, ita ut ejus aſpectum ullo pacto ſuſtinere non valeant. Hoc affectu ut obiter hoc dicamus, periiſſe *Baldum* celebrẽ 3
Juriſconſultum, non quidem illum Peruſinum, ſed alium recentiorem, tradunt ex noſtris Matthiol. *in Dioſcor. l.* 6. *c.* 36. & Cardan. 6. *Aphor.* 23. & Marcell. Donat. *l.* 6. *c.* 1. & poſt illos Foreſt. *l.* 10. *Obſerv.* 27. de hoc fortè intelligit Weinrich. *de ort. monſt. c.* 15. Majol. *dierum Canic. colloq.* 23. *p.* 1. Neſcio autem an ille ſit, quem Novellum vocant, nam, & hunc Doctorem celeberrimum fuiſſe conſtat, cùm ejus auctoritatem maximam eſſe tradit Tiraq. *ex Corn. de leg. Connub. leg.* 2. *n.* 9 verum enim verò Gariopontus Medicus antiquus, *l.* 5. *c.* 7. & 8. vocavit hunc affectum Hydrophonã, & ſic affectos Hydrophonicos, quod idem fortaſſe eſt. Sed plura nomina hujus affectus recenſet inter Juriſconſultos Tiraq. *cap.* 13. *n.* 109.

Quanquam verò dixi, homines rabiem incurrere ex carnis rabidi morſu, hoc non idcircò dictum volo, quia *ſolus canis* rabie afficiatur, ut Gal. volebat 6. 4
de loc. aff. c. 5. *claſſ.* 4. & cum eo Ardoyn. *de Ven. l.* 7. *c.* 2. & Fracaſt. *lib.* 2. *de morb. contag. cap.* 10. Sed quia ex morſu canis frequentiùs id contingit; aliàs enim conſtat præter canem pleraque alia animalia rabiem incurrere, ut multi tradunt. Plut. *in lib. de Induſtria animal.* Avic. 6. 5. *tract.* 4. *c.* 5. *& ſeqq.* Salius 5
de morb. particul. c. 19. & Marcell. Donat. *loco citato*, imò & pejorem eſſe rabiem *Aldib.* hoc eſt, *Lupi*, ut credo, quàm canis, idem Avic. *ibid.* tradit & Card. *de ſubtil. lib.* 10 Jure ergò Galenus à cæteris erroris 6
notatur, præcipuè verò à Matthiolo *ubi ſup.* (licèt illud tueri conetur Mercurial. *lib.* 1. *var. lect. cap.* 2.) quin etiam idem Gariopontus *lib.* 3. *cap.* 7. & Theop.

Priſcian.

Priſcian. *ad Timoth. lib.* 2. *c.* 8. narrant rabiem, & Hydrophobiam etiam ex nõnullorum *ſerpentum* morſu interdum contrahi. Relinquam id, quod de venenis quibuſdam recitant, ut de *corde* & *lingua veſpertilionis*, quæ rabiem & ipſa concitant, & quod firmat Oviedus *in ſummario, & in hiſtoria ſua generali de occidentalib. Indiis*, *Cannibalum* ſc. venenum rabiem concitare; ſed quod mirum duxeris, eſt illud, quòd utramq; paſſionem poteſt *ſimplex aëris infectio* excitare. ut idem Gariopontus ibid. ex veterum ſententia ſcriptum reliquit & Avic. *ubi ſup.* & ex ſe abſq; ullo aëris vitio etiam in *homine* concipi poſſe, elicitur ex Gal. *comm.* 2. *in* 1. *Prorrhet. text.* 17. & teſtantur id ipſum Cardinalis Ponzett. *lib.* 1. *de Venen. c.* 16. & Pareus *lib.* 10. *Chirurg. c.* 13. & luculentiùs Petr. Sal. *ubi ſuprà* qui in homine, non minùs ac in cane, vel in quovis alio animali eveniat, ex humorum corruptela tale venenum gigni poſſe probat, quòd inde homo in rabiem agatur, ac deinde *Hydrophobus* evadat, tanquam ſi à cane, vel rabido quovis animali cõmorſus fuerit, eandem ſent. habuit Cælius Aurel. *lib.* 3. *c.* 9. quem ante nominare decebat, licèt in hoc veritati obnoxius Fracaſt. *loc. cit.* voluerit rabiem *ſolo rabidi canis morſu* excitari; quòd cùm falſum ex ſuperiorũ Auctorum dictis appareat, multò plures rabiei cauſæ aſſignari debẽt in homine, quàm in aliis quibuſque animalib. Vide autem apud Marcel. Donat. *loco cit.* plures hiſtorias hydrophoborum, ex occulta cauſa in eum morbum incidentium. Ex quibus apparet Ariſt. error (quem tamen defendere conãtur multi, verborum, ut fieri ſolet circumvolutione ac diſtorſione: de qua re vide Mercur. *lib.* 1. *var. lect. c.* 2.) qui 8. *de hiſt. Anim. c.* 22. *tradit*, Animalia à rabido cane commorſa omnia rabida fieri, *homine excepto*: cujus erroris notandus quoq; venit Pierius Valerian. *Hieroglyph. lib.* 5. qui ut fortaſſe Ariſtotelem tueretur, negavit *hominem* rabiem incurrere, contendens eos, quos rabidos vocamus, eſſe propriè maniacos, ſeu furioſos; ſed ille aut neſcivit, aut neſcire voluit, quid inter rabiem propriè dictam, & Maniam: quanquam enim rabies ſimilis eſt Maniæ, & ejus ſpecies, tamen idem affectus non eſt, ſed accidentib. & modo affligendi maximopere ab ea diſtans. [Vide hæc omnia fuſiùs & luculenter expoſita in Campo Elyſio *Reies* pag. 464. & ſeq.]

Quid autem ſit *rabies*, adhuc integrè neminem explicaſſe teſtatur Sal. *ubi ſupr.* ſed neq; ex ipſo, Rabiei definitionem, quæ undequaq; ſatisfaciat, colligere licet. Ergo communiori ſententiæ partim adhærẽs, partim etiam ad rei naturam reſpiciens, Rabiem dixerim eſſe affectionem melancholicam, ex qua ægrotantes irrationabilem aquæ timorem incurrunt, circa quem peculiariter cum furore delirant, & inſaniunt. Et hoc illud eſt, quod inter rabidos, & maniacos intereſt; illi enim circa omnia, vel circa plura inſaniunt, ſed & aquam, & liquida omnia & appetunt, & facilè deglutiunt, nec eorum quicquã horrent, quod Hydrophobiæ ſpeciale, & inſeparabile ſignum exiſtit, cùm tales, licèt circa cætera interdum omnia bene ratiocinentur, inſaniant tamen circa hoc, ut irrationabiliter aquam, & liquida omnia pertimeſcant: ex quo falſum apparet id quod Pierius Valerian. dicebat, morbum hunc in homine rabiem non eſſe, ſed maniam, aut furorem.

Maximè tamen controverſum eſt, (quod præcipuè pro Juriſconſultis adnotandũ venit) num ſcilicet neceſſariò cum rabie adjunctum ſit delirium: nam Medici omnes ex una parte eſſe videntur, qui in affirmativam ſentent. inclinant. Gariopontus *ubi ſupr. c.* 8. Nihil eſt, inquit, illis, niſi alienatio mentis, Paul. *lib.* 5. *c.* 3 Halyabb. *Theor. lib* 8. *c.* 26. Jan. Damaſ. *lib.* 6. *c.* 18. ex Ruſi ſententia Melancholiæ ſpeciem hunc morbum faciunt, quod etiam ex Recentioribus notat Tagaut. *Inſtit. Chirurg. lib.* 1. *c.* 11. Avenz. autem *lib.* 1. *Theſir. tra.* 9. *c.* 16. inter maniacos rabidos connumerat. Præ cæteris verò Baccius *in Prolegomen. Venenor. c. de canis rabidi morſu, art.* 5. hos ægrotos ad inſtar cæterorum melancholicorum imaginativam primùm, & ratiocinatricem læſam habere virtutem manifeſtè docet; imò tandem, excitatâ ex hoc affectu febre, hominem furore, ac maniâ prehendi narrat; quin & ſub mortem oblivione & ſui, & domeſticorum, & conſequenter rerum omnium detineri concludit, & furibundos denique obire, *& c.* 33. *art.* 7. dicebat, hunc eſſe inſaniæ affectum, quia & imaginationem, & bonum ſenſum depravat, ex quo fit, ut ægrotantes indiſcriminatim omnes, notos ſcilicet, & ignotos, obvios quoſque impetant.

Inter Neotericos autem Euſtachius Rudius *lib.* 4. *de morb. occult. & venen. c.* 13. Hydrophobos mente conſtare voluit, cùm tamen ipſe ſibi non conſtet: nam & eoſdem melancholiæ morbo detineri dicit, & nunc mente conſtare, modò cõtrarium aſſeverat. Sed ante illum Petr. Sal. *ubi ſupr.* non neceſſariò cum rabie jungi delirium exiſtimavit, eo quòd expertũ ſe dicat, nonnullos rabientes mente conſtantes, quia ad omnia appoſitè reſpondebant, & cùm etiã abſque ratione ſe aquæ timore detineri intelligerent, adſtantes orabant, ut oculis ſibi clauſis aquam per vim offerrent ingurgitandam, quæ manifeſta ſigna ſunt non læſæ rationis. Alios prætereà ſe vidiſſe teſtatur, qui cùm morti ſe proximos eſſe agnoſcerent, humiles ad Deum preces fundebant, delictorũ veniam exorabãt, æternique ſupplicii pœnas ab ipſo Deo optimo maximo deprecabantur; ex quibus contendit ille, non neceſſariò in Hydrophobia mẽtem lædi. Ad quod etiam adminiculum adducere, debuit exemplum illud ab Aët. *ſermone* 6. *c.* 24. & ab aliis adductum, de Philoſopho illo à rabido cane commorſo; hic enim generoſo, inquit, animo affectioni reſiſtens, & in conſequens ratus canem in balneo apparere; (apparebat enim ipſi, quemadmodùm etiam aliis hoc modo affectis) ratiocinatus igitur; & ſic ſecum loquutus, Quid cani, & balneo cõmune eſt; ſuperavit affectionem, & ſanatus eſt ab affectione, ubi citra timorem bibiſſet. Quinetiam aliam hiſtoriam habes apud Nicol. *ſerm.* 4. *tract* 4. *c.* 15. regiſtratam à Marcel. Donat. *ubi ſupr.* juvenis cujusdam, qui matrem ad ſe non appropinquare admonebat, ne illam mordere cogeretur, manifeſtiſſimum quippe ſignum rationis non depravatæ.

Ex his ergo hujus Philoſophi, & prædicti juvenis exemplis, deduci facile poteſt, rationem in Hydrophobis, licèt vacillare poſſit, tamen non neceſſariò ſuccumbere.

Verum enim verò mihi hæc *Salii* opinio, viri alioquin doctiſſimi, minùs probatur; licèt enim non omnes rabientes furiant, & ex eis nõnulli ſint, qui præter aquæ timorem, in quo irrationabiliter peccant, in aliis quibusvis optimè diſcurrant ut in exemplis ab ipſo allatis ſatis liquet, tamen hos ipſos quoque inſaniſſe manifeſtum eſt; nam ut ſuprà ex Paulo, & aliis dicebam, & illi ex Ruſi ſententia, hic morbus ſpecies quædam melãcholiæ eſt, ex qua ægrotantes aquam timent, quemadmodùm ex reliquis melancholicis alii aliam rem timent, & circa particulare quoddam tantummodò delirant, circa cætera verò ſanâ mente ſe eſſe, & factis & verbis oſtentantes, ut dixi latiùs *ſupr. q.* 3. *& 8 præſentis Tituli.* Manifeſtiſſimum verò delirii ſignum eſt in omnib. nullo exce-

pto, quòd etiamſi inexpugnabilem ſitim patiatur, aquam, aut potum non exigunt. Ponzet. *lib. 3. de venen. cap.* 18.

20 Neque ob aliam cauſam, ab Avicen. & aliis, dicitur ſalutis ſignum eſſe, ſi quis in ſpeculo imaginem ſuam agnoſcat, niſi quia ex hoc habetur, ratiocinatricem virtutem adhuc eſſe ſanam, ex quo morbum non eſſe confirmatum patet. Ponzett. *ubi ſup. c.* 17. Baccius *ibid. c.* 36. *art.* 5. Quinimò plures rabientes non modò ea melancholiâ afficiuntur, quia aquam perrimeſcunt, ſed ita læſam rationem habent, ut ſe in ea canes eſſe converſos ſibi perſuadeant; ideò enim quoſcunque obvios mordent, ideò ut canes latrant, & ululant, & ideò per terram ſe volutant, ut narrat Ardoynus *de Venen. lib. 7. c.* 2. & Marcel. Donatus *de hiſtor. Medic. mirab. loco ſæpiùs cit.* At verò non ſolùm hominem in rabie inſanire conſtat, ſed etiam ipſos canes. Plut. *in lib. de Induſtr. animal.* & alia quæcunque rabiem incurrere conſueverunt.

21 Si tamen quomodocunque illud ſatis eſt ad hoc ut hydrophobi inter inſanos connumerentur, ut abſque ratione aquam, & liquida omnia timeant, cùm ea timere non debeant, imò potiùs avidiſſimè expetere ob ſitis urgentiam. Quòd ſi Salius velit eos rationabiliter liquida timere, quia ab eis nocumentum percipiant, ex quo capite videtur eorum timor

22 abſque ratione non eſſe: reſpondeo, vel hoc falſum eſſe, quia à copioſo aquæ potu, & à balneis ſanitatem acquirunt, ut ex citato Philoſophi illius exemplo, & ex quamplurimis aliis palàm ſit; vel etiamſi cum ratione timeant, inſanire tamen eos dixerim, quod neque timoris cauſa ipſis nota ſit, neque eam unquam cauſam reddunt, nam etiam talia non ex-

23 perti timent. Quòd ſi cauſâ timoris in illud rejicias, quia canem, à quo commorſi ſunt, in aqua videant, vel ut aliis placet, catulorum inteſtina, ac viſcera, & idcircò ab ea abhorreant, dico, quòd vel ipſi mẽte non conſtant, ſi veritatem habet, vel quòd ſimpliciter id verum non eſt; ut multi voluerunt.

Ad Philoſophi verò illius allatum exemplum dico, fortaſſe illo tunc primùm adveniſſe aquæ metum: unde non mirum, ſi adhuc ratio non omninò corruerat, ita ut facilè cognoſcere potuerit, canis viſionem in balneo, eſſe imaginationis deluſionem, quamobrem intrepidè bibit, & ſanatus eſt, ut dicitur. In quam ſententiam inclinat Bacc. *in prolegom. Venen. c.* 1. *art.* 4. de hac eadẽ Philoſophi hujus hiſtoria verba faciens. Si enim veneni vis adeò univerſũ corpus occupaſſet, & cerebri facultates, ut omnino ratiocinatrix facultas in eo fuiſſet ablata, inſanabilis extitiſſet, ut tradit Matthiol. *lib. 6 in Dioſcor. c.* 36.

24 Juvenem autem illum matrem admonentem, ne ad ſe appropinquaret, dixerim non omninò quidẽ, ſed maxima ex parte rationẽ habuiſſe læſam, ita ut eo, quod adhuc remanebat, intellectus lumine cognoſcere poterat, matrem non eſſe mordendam, cùm tamen à delirio impulſus, exteros omnes morderet.

Cùm ex his ergo apertiſſimè conſtet, rabientes omnes inſanire, jam de his ea concluſio firmari poteſt, quòd omnes ut melancholici illi habendi, de

25 quibus diximus, quòd circa unum quid delirant, non circa omnia, ſi modò ſolo aquæ timore afficiantur; nam poſſibile, & eventu non ratum eſt, ut omninò furentes evadant, & tunc ut cæteri furentes habendi.

26 Ad majorem autem confirmationem inſaniæ in hujuſmodi ægrotantibus, illud notatu dignum eſt, quòd à cane rabido commorſi, etiam antequam in rabiem impingant, non integra mentis ſanitate fruuntur, ut teſtatur Cardan. *libro primo, de venen. capite decimo ſexto*, exemplum de proprio patre.

Sed quemadmodùm ex canis, & cujuſvis rabidi animalis veneno homines in rabiem, ac furorem incidunt, ſi morſum eorum experiantur, ſic etiam idẽ evenire ſolet ex aſſumptione nonnullorũ veneno- 27
rum, ut de corde, & lingua veſpertilionis narrãt Auctores qui de venenis agunt, & ſuprà jam repetii, & ex cõtagio per vulnus, ut de veneno, quo Cannibales ſuas ſagittas inficiebant, narrant Auctores de re-
bus Indicis agentes, præcipuè Ovied. *in hiſt. gen. de* 28
rebus Ind. licèt Fracaſt. ſolo morſu excitari rabiem voluerit, tamen experientia contrarium demonſtrat; imò & ex ſe excitari rabiem in homine manifeſtum eſt, ut dixi ſuprà, & dicam etiam infrà *tit. ſeq.* qui eſt de venenis; ex quibus præter rabiem multoties aliæ inſaniæ, ac delirii, & fatuitatis ſpecies excitantur; imò id commune eſſe omnibus penè venenis tradit Cardan. *Contrad. Medic. lib. 2. tract.*
5. contr. 10. Quin etiam ſunt ex potentiſſimis vene- 29
nis quædam, à quorum exhibitione ſi fortè quis evadat, ſtolidus dehinc toto vitæ curriculo remaneat, ut de Napello tradit Cæſalp. *ſuæ pract. lib. 3. c.* 20. 30
quod etiam de toxico tradiderunt Paul. & Aët. *locis ſupr. citat.* & Lang. *lib. 1. epiſt.* 68. Alia verò venena ſunt, quæ in ſe non habent vim occidendi, ſed dementandi, quæ tacere ſatius eſt: recenſentur tamen ab Euſtachio Rud. *lib. 4. de morbis occult. c. 6. & ſequentib.* Præter hæc autem alia venena ſunt, quæ adjuncta tantùm hominem à mente abſtrahunt, & quaſi fugientem, aut Lycanthropicum effingunt, talia putaverim ego ea eſſe, quibus Lamiæ utuntur, & talia etiam erant ea, quibus utebantur Indici Sacerdotes, quorum compoſitionem recitat Joſeph à Coſta *lib. 5. hiſtor. Ind. Natur. c.* 25. ex quo repetit perſpicaciſſimus Medicus Petrus Caſtell. *in lib.* qui ſub nomine D. Tobiæ Aldini, *de ratior. Plant. hort. Farneſiorum* nuper prodiit, *c.* 5.

Hæc venena varios producunt effectus, & in va- 31
rias dementias hominem impingunt: alia in furorem agunt, ut ſolanum ab hoc effectu maniacum dictum: alia melancholium efficiunt, & vanis phantaſmatibus occupatum: alia ſomnum profundum concitant, & lethargicis ſimilem faciunt: alia ebrio ſimilem, & alia denique ſuos effectus ad determinatum quoddam tempus producunt, alia verò uſque ad finem vitæ.

Itaque dicendum in hujuſmodi caſibus videtur 32
quòd ſimiles potionati, pro demẽtiæ ſpecie aut gradu, inter hos aut illos demẽtes connumerandi ſint, de quibus omnibus ſigillatim in hoc titulo agimus: ac omnia in illis procedere debeãt, quæ locum habent in his, qui ex intrinſeca quadam cauſa, aut ex natura mente privantur. [*An* hydrophobia per contactum, inſpirationem vel ad diſtans contagioſa ſit, eleganter exponit *Reies* l. cit. Adde *Helmontium.*]

SUMMARIUM.

1 *Dæmoniaci nomen apud vulgus commune eſt multis dementibus.*
2 *Energumeni qui propriè dicantur.*
3 *Dæmoniaci qui.*
4 *Multi Dæmoniaci exiſtimantur qui non ſunt.*
5 *Dæmoniaci ſigna remiſſivè.*
6 *Inter Dæmoniacum, & fanaticum nulla differentia ſecundum aliquos.*
7 *Fanatici Dæmonio afflati vaticinantur.*
8 *Fanatici & Dæmoniaci non ſunt idem, & n.* 11.
9 *Fanatici qui.*
10 *Dæmoniaci quatenus tales non vaticinantur.*
12 *Dæmoniaci furentibus, & inſanis æquiparandi.*
13 *Cauſa inſaniæ in Dæmoniacis licet ſit ſupernatu-*

ralis,

valis, præcedit tamen corporis morbosa dispositio.
14 *Dæmon gaudet humore melancholico.*
15 *Dæmoniaci naturalibus remediis curantur.*
16 *Dantur in rerum natura remedia contra dæmones.*
17 *Naturali causâ apparente, ad supernaturalem recurrere supervacuum.*
18 *Fanatici Melancholicis similes.*
19 *Fanatici ex illiteratis literati evadunt, non tamen sunt Dæmoniaci.*
20 *Dæmoniaci, & fanatici inter insanos adnumerandi.*
21 *Dæmoniaci magis similes melancholicis, fanatici Ebriis.*
22 *Fanaticus servus quando pro sano habeatur.*
23 *Dæmoniaci ab Ordinum susceptione, & administratione excluduntur.*
24 *Lymphatici fanaticis non absimiles.*
25 *Lymphaticus morbus qui, & n.* 27.
26 *Lymphati, & Lymphatio.*
28 *Lymphaticus à cæteris insanis nil peculiare habet.*
29 *Semel insanus, semper insanus.*
30 *Præstigiati qui.*
31 *Entheastici, & fanatici non differunt.*
32 *Enthusiasmus quid, & num.* 34.
33 *Enthusiasmi effectus.*
35 *Enthusiasmus ex morsu canis rabidi excitatur?*
36 *Chorea Sancti Viti Enthusiasmo convenit.*
37 *Engastrymythi qui.*
38 *Engastrimythi inter dæmoniacos recensentur.*
39 *A Tarantula commorsi inter insanos an connumerandi sint?*
40 *In iis, qui à Tarantula sunt commorsi, mens laditur.*
41 *In iis, qui à Tarantula sunt commorsi, quomodo procedendum.*

De Dæmoniacis, Fanaticis, Lymphaticis, Præstigiatis, Enthusiasticis, Engastrimythis, & similibus.

QUÆSTIO XVIII.

LIcèt horum singuli penè sub eundem censum venire possint, tamen quia non nomine tenus solùm differunt, sed etiam circa insaniendi modum, de unoquoque venit peculiariter differendum: ac primò sese nobis offerunt Dæmoniaci, quorum nomen omnibus his apud vulgum tam exquisitarum differentiarum ignarum commune est; dicuntur autem & Energumeni, his enim propriè convenit hoc nomen, non verò Lunaticis, ut dixi. Qui sint autem Dæmoniaci, non est quòd non explicemus, cùm notissima ea res cuicunque legenti sit; tamen illi propriè Dæmoniaci dicendi, qui ex Melancholiæ vitio, quo tanquam instrumento utitur Dæmonium eos obsidens, in insaniam aguntur. Illud præmonuisse præstat, multos, sed præcipuè idiotas, & mulierculas, inter has autem maximè Virgines, quæ jam ætate maturæ non purgantur, Dæmoniacas existimari, cùm tamen non sint, quod testantur ex Medicis Concil. *diff.* Levin. Lemn. *de occult. natur. miracul. libro* 2. *cap.* 2. Vallesi. *in* 3. *Epidem. sect.* 3. *Ægr.* 11. & Forest. *libro* 10. *Observation.* 19. Quamobrem diligenter signa perquirenda sunt, quibus Dæmoniaci à cæteris insaniis distinguantur, quæ ex plerisque recollecta habes apud Martin. Delr. *lib.* 6. *disquisit. Magic. quæst.* 3. *sect.* 3. & ex Medicis à Cæsalpino *de Nat. Dæmon. c. penult.* & à Fortun. Fidel. *in lib. de Relat. Medic. lib.* 2. *c.* 2. Bapt. Codronch. *de morb. venef. lib.* 3. *c.* 13. Guillelm. Andr. *de Ægrot. in Evang. p.* 3. *enarr.* 6.

Sunt autem, qui inter Dæmoniacum, & Fanaticum non distinguant, inter quos est Budæus *in l.* 1. *ff. de ædil. edict. §. Exempli*, ubi ille fanaticos antiquitùs Dæmoniacos fuisse voluit neque absque ratione, quia Dæmonio afflati vaticinabantur, unde qui divino spiritu excitati olim prophetabant, aut nūc etiam vaticinantur, non fanatici, sed potiùs Entheastici, & Theophorumeni, ipso judice, appellantur. Tamen Fanatici, & Dæmoniaci in rei veritate idem neque sunt, neque fuerunt: fanatici enim hi solùm dicebantur, & nunc etiam dici debent, qui vel ex supernaturali, vel ex naturali causa per vices quasdam futura vaticinantur, vel vaticinari videntur, & extra mentem rapi, quod quia in fanis, hoc est templis aliquibus eveniebat, idcircò fanatici sunt appellati. Dæmoniaci autem quatenus tales, non vaticinantur, neque id proprium habent, licèt & ex illis sint, qui vaticinentur, cùm hoc, quòd obsidentur à malis spiritibus, id quod in fanaticis non habet locum, cùm, ut dixi, etiam à Deo impulsus, vel à naturali quoque causa vaticinari quis possit, quemadmodum dicam Deo dante, *lib.* 4. *harum quæstionum, in titulo de Miraculis.* Cùm ergo iidem non sint Dæmonici cum fanaticis, diversa prorsus erit ratio procedendi in illis, quàm in his; itaque Dæmoniaci Furentibus, & insanis æquiparandi, quia mens in istis, ut in illis, ex Dæmonis opera alienata est, notat ex Jurisconsult. Paris. *de Resignat. benef. lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 96. & ex Medicis Fortun. Fidel. *libro* 2. *de Relat. Medic. cap.* 2. Licèt enim causa in his supernaturalis semper existat, hoc est, Dæmonum corpus obsidens, tamen præcedit semper corporis dispositio quædam ex melancholia, seu atrabile prædominante, ac turgente, quæ hominem ad insaniam concinnat, eodem Fortunato teste *ibid.* gaudet enim melancholico humore Dæmon, quod ex Medicis tradunt Vallesi. *de sacr. Philosoph. cap.* 15. & 18. Joan. Huart. *in exam. ingen. c.* 7. Matthiol. *in Dioscor libro* 6. *cap.* 37. Forest. *libro* 10. *Observ.* 19. *in Schol.* & Codronch. *de morb. venef. lib.* 2. *cap.* 8. & ex Theol. Martinus Delrius *disquisition. Magic. libro* 2. *qu.* 29. *sect.* 3. qui & Vallesi. suprà citatum adducit; sed ante hos omnes idipsum testatus est Avicenna, *t.* 3. *tractatu* 4. *capit.* 11. ad quod etiam probandum facit, quòd etiam Dæmoniaci, & à malo spiritu obsessi post exorcismos & Ecclesiæ preces, naturalibus auxiliis, & remediis juvantur, ut Cyriacus Lucius apud Schenk. *Observ. lib.* 1. *tit. de Dæmoniacis*, & Codronch. *lib.* 2. *de morb. venef. cap.* 8. tradunt, à quibus non dissentiunt Theologi, Martin. Delrius *ubi suprà*, & plura naturalia remedia contra Dæmonia recenset Cæsalpin. *de Nat. Dæmon. cap. ult.* ubi & necessarium esse probat, talia remedia in Natura inveniri, unde concludit à Dæmonio obsessos etiam naturaliter liberari posse. Imò absolutam Dæmoniaci curam ex naturalibus remediis docet idem Codronch. *ubi suprà, lib.* 4. *per totum*, licèt supernaturalia quoque exposcat. Facit insuper ad hoc ipsum evidentiùs probandum, quod de Saul. in sacris recitatur *Reg. lib.* 1. *cap.* 18. qui ex pulsatione citharæ per manus David quietem capessebat ex mali spiritus agitatione; quod remedium, etiamsi supernaturale piè existimandum sit, tamen naturalem habet causam, ut existimat Vallesi. *lib. de sac. Philosoph. cap.* 28. & Joannes Huart. *ubi suprà.*

Porrò Fanatici Melancholicis non sunt absimiles, qui per accessiones insaniunt; testimonio sit, quòd

prophetantes, & futura prædicentes, nihil eorum intelligunt, quæ loquuntur, cùm extra mentem ſint, ut Plat. *Apolog. Socrat.* & Ariſt. *Moral. Eudem. lib. 2. c. 9.* teſtantur; quamobrem œſtro ac furore perciti dicebantur. Juvenal. *Sat. 4.*

—— *Sed ut fanaticus æſtro*
Percuſſus Bellona tuo divinat.

Et propterea Sibylla à Virgilio inſana vocatur, *3. Æneid.*

Inſanam vatem aſpicies.

Fiunt autem interdum ipſi melancholici, hoc eſt, 19 melancholiæ vitio laborantes fanatici, & futura prædicentes, & aliquando etiam ex illiteratis litterati, & quod mirum dixeris, etiam alienam linguam perſonant, abſque eo, quòd illam didicerint; quos effectus licèt à Dæmonio ſemper procedere, vel ab alia ſupernaturali cauſa vulgus credat; & contendat ita ſe habere Codron. *ubi ſup. lib. 2. c. 8.* quod verificatur quoque in Saul. in ſacris, *ubi ſupr.* de quo dicitur: *Poſt diem autem alteram invaſit Spiritus DEI manus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ*; tamen etiam à naturali cauſa, nimirum à ſimplici humore melancholico procedere poſſe, docent Conciliator, & alii apud Schenckium *tit. de Maniac.* & Lemnius, & Foreſtus *locis ſuprà citatis.*

20 Itaq; cùm tam Dæmoniaci, quàm fanatici ultra id quod à ſupernaturali cauſa patiuntur, etiam ex naturali vitio, ac diſpoſitione inſaniunt, rectè utrique inter inſanos, ac melancholicos connumerandi veniunt; non obſtante quod Codronch. *ubi ſupr.* eos non delirare contendat, quia ipſi Codr. contraria experientia eſt. Unde in illis locũ habere omnia debent quæ in cæteris Melãcholicis locum habent: ſi 21 modò hãc unam differentiam inter utroſque agnoſcamus, quòd Dæmoniaci ſimiles magis Melancholicis, & maniacis exiſtunt; & licèt aliquando interміſſiones habeant tamen ſemper in ſe habent inſaniæ cauſam; Fanatici verò magis ſimiles ſunt ebriis, & ubi habeãt interміſſiones, veluti ſani exiſtimandi, aut non aliter quàm ii, qui ſemel aut bis, aut pluries in ebrietatem inciderunt toto vitæ curriculo; nam interdum ii unicam patiuntur acceſſionem non multo tempore durantem, ut per *per leg. 1. §. apud Jul. ff. de adil. edict.* ubi & idcircò ſervus, qui ſolummodò per circuitus quoſdam, ac de raro fanaticus 22 videretur, pro ſano pronunciatur, quæ lex etiam caſui noſtro adaptari, me judice, poſſet. At Dæmoniaci 23 contra, & idcircò & ab ordinũ ſuſceptione, & adminiſtratione perpetuò excluduntur, Pariſ. *de reſign. ben. lib. 5. q. 6. n. 94.* Sed & à contrahendo etiam matrimonio repelluntur. Rota *in cit. Camerinenſ. Matr. n. 1.* Fanaticis non abſimiles voluerũt nonnulli eſſe Lymphaticos: eos tamen inter ſe differre, manifeſtè ex dicẽ- 25 dis apparebit. Serenus Medic. vocavit nomine morbi Lymphatici aquam intercutem, in eo carmine:

Helleboro bene purgatur Lymphaticus error.

Quod carmen citat ex Juriſc. Joan. Calvin. *in Lex. Juriſd. in verb. Lymphati.* nominis verò etymologia nota eſt, à Lympha enim, hoc eſt aqua, unde plenum ventrem habent Hydropici, rectè morbus 26 Lymphaticus dicitur à Sereno Hydrops.

Propriè tamen morbus Lymphaticus accipitur pro furoris quadam ſpecie, in qua plura phãtaſmata pavorem inducentia ob inſanientium oculos obverſantur, interdum etiam pro ſimplici furore, & inſania accipitur, ut apud Æmil. Macr. *lib. 2. c. 31.*

Sæpéque curatur ſumpto Lymphaticus iſſo.

Ubi quod de Hydrope non intellexerit ille, teſtatur Atrocianus *in comment.* & fidem facit carmen quòd ſequitur, nimirum;

Hydropicis in principio mirè auxiliatur.

Et multò magis idipſum teſtantur duo præcedentia carmina:

Purgatur tali vomitu vertigo vetuſta.
Inſaniſque melancholicis valet, atque caducis.

Nam de affectibus capitis loquitur, in quibus 27 etiam comprehenditur Lymphatio; Lymphari enim verbum & Lymphatio in uſu ſunt pro inſanire, & inſania. Plin. *lib. 24. c. 27. Hæc potã lymphari hominem tradunt, obſervantibus miraculis*; & *lib. 30. c. 10. Rurſus Magi tradunt. Lymphatos ſanguine Talpæ reſipiſcere.* Tacitus *lib. 2. Annal.* Repentè Lymphati diſtrictis gladiis in centuriones invadunt. Plaut *in Pœnulo, Act. 1. Scen. 2.* Lymphaticos nummos dixit, hoc eſt, nummos inſanientes, & loco ſtare neſcientes, non aliter quàm Lymphatici faciant, ex pavore falſarum imaginum, quæ ipſis mentis offeruntur; unde adoleſcenti illi dicenti:

Sunt mihi intus neſcio quot nummi aurei Lymphatici,

Reſpondet callidum mancipium:

Deferto ad me, faxo, actutum conſiteriet Lymphaticum.

Quaſi diceret: eos illicò Lymphatico morbo curabo, illos erogans. Sed Plin. in proprio ſenſu accepit hoc nomen, maximè ſecũdo loco ſuprà citato, & meliùs *lib. 37. c. 4. Venena invita facit Adamas, & Lymphationes abigit metuſq; vanos expellit à mente.* Eſt ergo, ut patet, 28 Lymphaticus morbus Inſaniæ ſpecies cum motu, & agitatione propter timorem vanorum phantaſmatum, qualem excitare ſolet Solanum maniacum certo pondere ſumptum, de quo Dioſc. *lib. 4. c. 69.* Theophr. *de Hiſt. Plant. lib. 9. c. 12.* Gal. *lib. 8. de ſimpl. med. fac.* & alia medicamenta, quæ recenſere non intereſt. Putabant antiqui, ut nonnulli referunt, inter quos vide Calepinum in verbo *Lymphaticus*, & Bud. *in l. 2. ff. de adil. edict. in ann.* quòd qui Nympharum imagines in fontibus conſpexiſſent, in furorem agerentur, atque inde tales Lymphaticos appellavêre. Nos Lymphaticos nominare poſſumus eos, qui ex pavoribus, & vanis quibuſdam apparitionibus in melancholiam incidunt, ut pueris, & idiotis evenire ſolet; quemadmodum jam dixi. Quamobrem nihil peculiare habent Lymphatici à 29 cæteris verè inſanis, & melancholicis, quin hi, ut illi etiam curati facilè in morbum reincidunt, & idcircò in his, ut in illis, locum habet ea propoſitio ſive concluſio Juriſconſultorum, quòd ſemel inſanus 30 ſemper præſumatur inſanus, de qua in fine hujus tituli luculentiùs verba faciam. Sunt & in Dæmo- 31 niacorum numero quidã, quos præſtigiatos appellamus: hi veluti fatui apparent, & extra mentem poſiti; interdũ quoque acceſſiones, & exacerbationes habent, quæ omnia à præſtigiis, Dæmonis operã originem ducunt, qui impiorum hominum inſtrumento, malãſque artes edoctorum, ad hæc patranda utitur; ſed hi à veris Dæmoniacis nihil omninò differunt, niſi penes cauſas procatarcticas, ut dixi.

Crediderunt porrò nonnulli *Enthuſiaſticos*, ſeu 32 *Entheaſticos*, & *Phanaticos* inter ſe non differre, immò *auctor. defin. Med.* quæ Gal. adſcribuntur, dicebat, Euthuſiaſmum, alii Anteneaſmum vocant; eſſe fanaticam perculſionem, ſeu Numinis afflationem, ve- 33 luti cùm quidam in ſacris faciendis mente caperentur, ſi qua vidiſſent, aut tympana, aut tibias, vel ſigna audiviſſent. Sed Aretæus *lib. 3. c. 6. de cauſſ. ſign. acut. morb.* (Quæ cum ſuprà citata auctoritate adducit Schenck. *lib. 1. Obſervat. de mania*) hac paſſione 34 detentos referebat membra ſibi ipſis amputare, & excitari tibiã, & ſimilibus. Cum Aretæo quo- 35 que conſentire videtur Gariopontus *lib. 1. cap. 31.*

Anti-

Anteneaſmum, inquit, eſt ſpecies maniæ periculoſæ nimiùm; irritantur tanquam maniaci, & in ſe manus injiciunt. Hi ſubitò arripiuntur cum ſaltatione manuum, & pedum. Actuar. autem *lib.* 1. *Meth. c.* 16. Entheaſticos quaſi numine afflatos hos vocavit. *Hi namque*, inquit, *à majori aliqua vi affłari videntur, & modò non futura prædicere, ceu nituntur vates quidam: ægritudo verò aut*
36 *in riſum, aut in feritatem deſinit.* Hæc autem paſſio, prout à Garioponto ſuprà eſt deſcripta; etiamſi ut plurimùm ex ſe in corpore generetur, tamen ex morſu quoque rabidi canis excitari tradit Geſner. *lib.* 1 *de animal. c. de cane, lit G. p.* 2. *tom.* 1. cui ſimilem puto eſſe, quæ ex lacerti cujuſdam morſu, in Apulia præcipuè, quem *Tarantulam* vocant, progignitur; quanquam in hoc differat ab Enthuſiaſmo, quòd non habeat maniam ſeu furorem adjunctum, ſed ſolummodò irrationabilem ſaltationem, ad quam ex ſono cujuſdam inſtrumenti, non tamen cujuſcunque, ſed certi, & certo etiam ſono irritatur, ac eodem quoque curantur. Cujus rei cauſam ſi ſcire cupis, lege Hier. Harimbert. *lib.* 4. *probl.* 89. magis convenire Enthuſiaſmo crediderim eam paſſionem quam recentiores *Choream Sancti Viti* appellarunt, de qua vide Horſt. & Schenck. *ubi proximè*, quia hæc profectò non ſine furore eſt: nam poſt infatigabilem ſaltationem, ægrotantes in maria, in flumina, in præcipitia ſe conjiciunt, aut in ſaxa, & parietes violenter impingunt, ac ſe ipſos, niſi vinclis coërceantur occidunt. Janus Jacob. Boiſſard. *de Divin. c.* 4. Sacerdotes Idolorum & Phœbades mulieres cùm reſponſa Oraculorũ reddebant, extra ſe rapi neque mentis compotes fuiſſe, ſed Enthuſiaſmo obſideri narrabat, & videtur cum Galeni opinione præ cæteris convenire.

37 Remanent ultimo loco *Engaſtrimythi*, qui & ventriloqui dicuntur; ij ex ventre loqui videntur, & ob id ventriloqui, & Engaſtrimythi appellari, quod Pythonem, aut Dæmonem in ventre habere credãtur, quamobrem clauſo ore verba proferunt, quæ tanquam ex profundo quodam ventris receſſu progredi apparent. Martin. Delr. 1. *diſquiſition. magic. c.* 2. Alciat. ex D. Aug. *Pareg. lib.* 8. *c.* 28. & ex Medic. Val. 5. *Epid. text.* 59. qui tamen Valleſius, Engaſtrimythi nomen iis etiam aptari poſſe credit, qui ad ſonum pelvis vaticinantur; ſed ego talem nominis ſignificationem unde deducat, ut ingenuè fatear, ignoro. Strabo *l.* 15. Perſas Magos Lecanomanticos vocat hoc eſt, ex pelvibus vaticinantes, & Ptolom. *de Judic. Nativ. lib.* 4. Sed hæc Lecanomantia, ſeu vaticinatio per pelvim, vel lebetem, non ſolùm Per-
38 ſis, ſed Chaldæis, Aſſyriis, & Ægyptiis familiaris fuit, ut docet Janus Jac. Boiſſard. *ubi* 1. *c.* 5. ubi etiam quomodo fieret, enarrat. Sunt verò ex mea ſententia ii inter Dæmoniacos, & Fanaticos reponendi, quòd & Dæmonium habeant, & vaticinentur; ſed Cardan. *lib.* 1. *de venen. c.* 17. Engaſtrimythos ad divinationem non pertinere putat, ſed potiùs ad Naturæ miracula; non explicat tamen quos eo nomine intellexerit. Putaverim hos eſſe, vel ſaltem his non abſimiles, de quibus in ſacris, *Levit. c.* 20. *v.* 27. Vir, ſive mulier, in quib. Pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur. Sed vide quæ de his affert Majol. *dier. canicul. tom.* 2. *colloq.* 3. & ſufficeret Jan. Jacob. Boiſſard. *ubi* 1. qui talem divinationem, Gaſtromantiam vocat, apud quem, ſi libet, vide alias divinationis ſpecies.

Jam verò omnes hi, ut Dæmoniaci, & Furentes habendi: quod dubium habere non credo in Lymphaticis, & ventriloquis, & Enthuſiaſticis; ſed benè dubitari poteſt de his, qui à Tarantula commorſi in Enthuſiaſmum, vel quomodocunque eam paſſionẽ appellare libet, inciderunt; nam, ut dixi, ii præter irrationabilem, in nulla re inſanire conſpiciuntur, immò & circa ipſam ſaltationem optimè, & appoſitè diſcurrunt, ut cuicunque, qui tales aliquando conſpexerit, notum eſſe poteſt, unde immeritò videntur 39
inter dementes numerari, cùm præſertim, ſi à principio curati fuerint, dehinc ſolam trium dierum acceſſionem, atque illam quidem annuam habeant, & extra mentem non eſſe, etiam in ipſa acceſſione, manifeſtum ſit. Quibus tamen non obſtantib. di- 40
cendum in omnibus mentem lædi, immò plerique, ut teſtantur Matthiol *in Dioſc. lib.* 2. *c.* 56. Phreniticis, Lymphaticis, ac Maniacis ſimiles fiunt, & abſolutè eos omnes Melancholicos evadere tradunt Ardoin. *de venen lib.* 8. *c.* 5. & Cardin. Ponzett. *lib.* 3. *de ven. c.* 13. quamobrem non removentur ab ea imaginatione, in qua detinebãtur, dum commorſi ſunt donec ſanitatem recipiant, ut idem Ardoin. *ibid.* docet. Tales ergo acceſſione, & antequam à prima morbi invaſione curentur, ut inſanientes habendi; in tempore intermedio, non aliter ex mea ſententia cum 41
his procedendum, quàm cum cæteris melancholicis dilucida intervalla habentibus.

SUMMARIUM.

1 *In ſyncope fit præceps virium lapſus.*
2 *In Syncope conſtituti extra mentem ſunt: & n.* 5.
3 *In Syncope conſtitutus, tanquam mortuus, & abſens habendus.*
4 *Syncope, Lipothymia, & animi diliquium differunt.*
6 *Agonizantes qui dicantur.*
7 *Actus ab agonizantibus facti quales.*
8 *In articulo mortis poſitus, etiam deficientibus ſenſibus, dummodo ejus verba intelligantur, teſtari poteſt.*
9 *Non requiritur mens omninò ſana in eo, qui diſponit de rebus ſuis.*
10 *In articulo mortis conſtitui latiſſimè, quomodo accipiatur.*
11 *In articulo mortis eſſe ſtrictiùs, quomodo ſumatur.*
12 *Peſte infectus, dicitur poſitus in articulo mortis.*
13 *Non poteſt dici propriè quis in articulo mortis eſſe, niſi infirmitas ſit lethalis.*
14 *In articulo mortis dicitur poſitus, qui imminentem mortem timet.*
15 *In articulo mortis poſitus dicitur, qui ad mortem tendit.*
16 *In articulo mortis propriiſſimè dicitur poſitus, qui morti proximus eſt.*
17 *Agonizantes, & in articulo mortis poſiti, differunt ſecundum magis, & minus.*
18 *Ante dicitur quis in articulo mortis eſſe quàm in agonia.*
19 *Neque agonizantes, neque poſiti in articulo mortis, quidquam legitimè agere poſſunt.*
20 *In teſtamento condendo mentis ſinceritas deſideratur.*
21 *Senſuum defectio evidens ſignum eſt defectionis intellectus.*
22 *Morti vicinis licet teſtamentum condere, matrimonium contrahere: declara ut ibid.*
23 *Regulariter in infirmitate conſtituti non præſumuntur ſanæ mentis.*
24 *Morti proximi ſanæ mentis non præſumendi.*

De Syncopizantibus, ſenſu defectis, agonizantibus & in articulo mortis poſitis.

QUÆSTIO XIX.

IN *Syncope* fieri præcipitem virium lapſum, manifeſtum eſt, & notat Gal. 12. *Meth. cap.* 5. *claſſ.* 7. licèt autem ea proprium ſymptoma cordis exiſtat, dubium tamen non eſt, in eo virtutes omnes collabi,

bi; ac quaſi penitùs deperdi, cum quibus etiam lædi rationem manifeſtum indefit, quòd tales in paroxiſmo conſtituti nec quemquam agnoſcunt, nec loquuntur, quin & reviviſcentes non illicò ad
2 mentem redire comperiuntur, nec ad rem reſpondent. Quod mirum quidem eſſe non debet, tantoperè corde infirmato, viſcere nempè vitæ fonte, & origine, cui compati cætera omnia etiam nobiliora viſcera, & virtutes omnes conſentaneum eſt, cùm ab illo vitam habeant; neque enim abſque vitali ſpiritu à corde procedente cæteræ partes ſuis quæque muneribus fungi poſſent.

3 Itaque patet ex his, hominem in ſyncope, tãquam mortuũ, & abſentem eſſe exiſtimandum; quamobrem, cùm in febribus malignis interdum frequentes ſyncopæ adveniant, videndum eſt, ne quicquam ægrotantes faciant, quod in ipſorum, aut aliorum præjudicium eſſe poſſit, cùm etiam de recenti in vitam reſtituti, integra mente non fruantur.

Advertendum tamen, quòd maxima differentia eſt inter *Syncopen, & Lipothymiam, & animi deliquium*;
4 differunt enim affectus hi ſecundum magis, & minus; unde ea, quæ dixi, locum quidem habebunt in Syncope, non verò in Lipothymia, & animi deliquio, ac defectu; de horum autem affectuum differentia practicos adeat, qui plura ſcire cupit, præcipuè Mercurial. *lib. 1. pract. cap. 10.* Maſſar. *lib. 2. c. 9.* Differentia autem, quæ maximè ad rem noſtram facit, illa eſt de qua Mercurial. teſtatur, quòd in Syncope ægri mentem omnem, & rationem amittant, in
5 cæteris verò paſſionibus non ita. Tamen non ob id cenſendum, quòd Lipothymiâ affectus conſenſum præſtare poſſit, ſed bene cùm ab ea ſeſe recolligit poſſet conſenſum præſtare, etiam nutibus, ſi voce nequaquam poſſet, quia in hoc affectu mens non prorſus alienatur: non eſſet tamen, niſi à Medico judicandum, an æger ſyncope, vel Lipothymiâ afficeretur, quia horum affectuum differentia ſolis Medicis nota eſſe poteſt.

6 *Agonizantes* porrò illi propriè dicuntur, qui exuperãte jam morbo, & naturâ proſtratâ, animam efflaturi de proximo ſunt; hi apud Jurisconſultos variis nominibus appellantur, dicuntur enim quãdoque conſtituti in extremo vitæ momẽto, aliàs poſiti in extremis, aliquãdo laborantes in extremis, & ſimila, ut videre eſt apud Fœnutium, *de mom. tem. c.*
7 *5. n. 2.* in quo ſtatu poſitus homo non modò ratiocinandi, ſed etiã quancunque vel imaginandi facultatem obliteratam habet, emortuo jam naturali calore, & evaneſcentibus ſpiritibus, quorũ auxilio, ut aliàs dixi, omnes in corpore facultates anima exer-
8 cet. Ex quibus clarè patet, quàm validi ſint actus ab agonizantibus, & extremum ſpiritum ducentibus aliquãdo facti: vidi enim tales contractui conſentire, codicillos condere, & alia gerere, quæ me in admirationem traxerunt; & ſuſpicabar ex Notariorũ, & familiarium malitia hæc procedere, credens eos in ſuis inſtrumentis fingere, quòd tales actus non ab agonizante, ſed ab homine licèt infirmo, integris tamen ſenſibus geſti fuerint; cùm non ſine ſumma admiratione offendi apud Juriſconſultos, quòd in articulo mortis poſitus (hic autem idem penè eſt cum agonizante, ut infrà videbimus) etiam deficientibus ſenſibus, dũmodò ejus verba intelligantur à teſtib. poſſit teſtamẽtum condere. Alex. Tert. apud Zilett. *in conſil. ult. vol. Conſ. 184. n. 7.* Ego verò non video, quo pacto deficientibus ſenſibus quis loqui poſſit, aut etiamſi poſſit loqui, in mentis vigore perſiſtere; immò & ipſimet Juriſconſulti fatentur, quòd quilibet laborans in extremis præſumitur animi conſilium non habere. Rota *in Senogallien Bonorum*, 30. *Maij* 1644. *coram Cerro*, *& in eadem coram eodem* 15. *Maij* 1645. imò pro mortuo judicat Grat adducens Gait. *de Credit. cap. 3. tit. 1. numero* 115. quia deficiente corpore deficit Intelligentia. Fab. de Monte apud eund. Zilett *ibidem, conſ. 149. num. 55.* & corporis ægritudo aggravat animam, & intellectum. Ant. Franc. *de Doctor. apud eundem, conſil. 158. num. 38.* niſi dictum Jurisconſultorum ita accipias, ut liceat etiam mente non integrâ exiſtenti teſtamentum condere, cùm, ut aliàs dixi, non requiratur mens omninò ſana in eo, qui de rebus ſuis diſponit; quod tamen locum non habere credo in hoc caſu; quia 5
concluſio illa procedit, ut credo, in dementia, quæ non tollit cognitionem omnem ſuorum, ita ut agnoſcat etiam ſtante dementiâ, magis huic, quàm alteri convenire, ut hæres relinquatur ſuorum bonorum: at in hoc caſu hæc cognitio etiam deſtruitur, niſi accipias poſitum in articulo mortis lato modo, pro eo nimirum qui ex eo morbo moriturus certò eſt, ut infrà dicam. Nam aliquando in articulo mortis conſtitui, accipitur latiſſimè, unde quilibet vivens in articulo mortis eſſe dicitur. Burſat. *conſil. 4. numero 85. vol. 1.* Fœn. *de mom. temp. 1. c. 5.*
num. 23. quia omnes viventes abſque dubio ali- 9
quando morituri ſunt, immò viventes morimur. Sed ſtrictiùs accipitur, quando tunc in articulo 10
mortis quem poſitum eſſe dicimus, cùm tali morbo laborat, ut non ſolùm in periculo ſit, ſed in manifeſto periculo, ex eo quòd ut plurimùm ex tali morbo homines decedere contingat. Auguſt. Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. numero 52. parte 2.* Thom. Act. *de Inf. part. 1. cap. 15. numer. 1.* apud quem 12
vide alios Auctores citatos: quemadmodùm dicitur de eo, qui peſte infeſtus eſt, quia pauci ex peſte liberantur, talis ergo in articulo mortis poſitus dicitur, Pariſ. *de reſignat. benef. libro 12. queſt. 6. numero* 13. atque hinc eſt, quòd non poteſt dici, quem in in articulo mortis fuiſſe conſtitutum, niſi antea probetur, infirmitatem, quâ laboraverit, Medicorum judicio fuiſſe lethalem, Burſat. *ubi ſuprà, numer. 64.* Dicitur quoque & ob eandem rationem, 13
quem in articulo mortis poſitum, imminentem mortem ubicunque timet. Baldus *in capite Paſtoralibus, numero 4. de offic. Jud. Ordin.* ſtrictiſſimè autem (prout in hac quæſtione nos accipimus) non 14
ſolùm quando ad mortem tendit, ut voluit Dec. *in l. Hac conſultiſſima, numer. 3. C. de his, qui teſtament.* 15
fac. poſſ. ſed quando veriſimiliter quis morti proximus eſt, Ripa *in tractatu de peſt. de privileg. Jud.* 16
cauſ. peſt. num. 47. ita ut de vita ipſius actum ſit, ut nullo remedio ſit reparabilis, ut tradunt relati per Fœnut. *ubi ſuprà, num. 14. cap. eod.* ubi benè ille diſtinguit inter poſitum in articulo mortis, & poſitum in periculo mortis; poſitum enim in mortis articulo, neceſſe eſt brevi debere mori, neque ſi ſanaretur, unquam poſſet dici fuiſſe in mortis articulo, ut ille dicit *numero 21.* ſed poſitum in periculo mortis, poſſibile eſt à morte exemptum iri, & rectè, neque navigantes, neque obſeſſos, neque mulieres parientes eſſe in mortis articulo voluit, ſed potiùs in mortis periculo: ſed Roderic. *Quæſt. Canon. & Reg. Tom. 1. queſt. 62. artic. 7.* voluit omninò mortis articulum, & mortis periculum, unam eandemque rem eſſe; quod tamen non verificatur, cùm mortis articulus ſumitur ſtrictiſſimè, ut dixi. Eodem hoc ergo ſenſu agonizantes non differunt à 17
poſitis in mortis articulo, niſi ſecundùm majus, aut minus temporis ſpatiũ, quo à morte diſtant: nã ante dicimus ægrum in mortis articulo eſſe conſtitutũ,

mox

18 mox animâ ipſo agente,& morti magis vicinante,
19 agonizãtem vocamus. Horum igitur neutrum legitimè quicquam gerere poſſe ego exiſtimo,ſi modò conjunctam habeant ſenſuum defectionem,ſicutiin pluribus,ne dicam omnibus uſuvenit;Facit Rota *in Romana donationis annuli.*1589.*corum Mant. n.* 11. mentis enim ſinceritatem in teſtamento condendo deſiderari voluit *l.in l. ſenium.C.qui teſt.fac.poſſ.& l.*2.*ff. eod.*quæ minimè præſens eſſe poteſt,ubi ſenſus deficiunt,ut in conſtitutis in articulo mortis,& in agonizantibus plurimùm evenit;nã neque audiunt, neque quemquã agnoſcunt, etiamſi uſque ad illũ terminum mente conſtiterint,idcircò illud maximè
21 attendendum Jurisconſultis duco,ut ex depoſitione teſtium,ac præcipuè Medicorum ſciant,an æger cum ſenſum defectione perierit,necne;ubi enim ſenſus deficiunt,maxima conjectura,immò certa notitia habetur deficientis intelligentiæ, & facultatis
22 cujuſque in cerebro reſidentis.In his igitur non puto habere locum, quod tradiderunt Jurisconſulti, nimirum morti vicinis licere teſtamentum condere, matrimonium contrahere,& hujusmodi.Pariſ. *de reſign. ben. lib.*12. *q.*1.*n.*28.*q.*2.*n.* 2. Speciatim verò eſſe validum matrimonium in articulo mortis contractum,tenet Sanch.*lib.*7.*de Matr.diſp.*105.*n.*3. Sed
23 ſi regulariter in infirmitate conſtituti, non præſumuntur ſanæ mentis:idem Pariſ.*ubi ſuprà,quæſt.*1.*n.* 28. & alii per ipſum allati;quanquam contrarium ſentiant allati per Thom.Actium *de inf part.*1.*n.* 14. *n.* 11.Rota *in Bononienſ.hared.*1651.*corum Prichio n.*13.
24 multò minus præſumi poſſunt mente conſtare,qui morti jam vicini ſunt;itaque probandũ in hoc caſu ex mea ſententia,an ſana menseſſet;quæ cum ſenſuum defectione ſimul eſſe vix unquam poteſt.Itaque quòd poſiti in articulo mortis poſſint validè matrimonium contrahere, non ex eo fit,quia præſumatur poſſe illos illud conſũmare per carnalem copulã cùm ad hoc ſint abſque dubio omnino impotentes,ſed aliis ex cauſis ad Canoniſtas pertinẽtibus.Itaque in ſenſu defectis, eadẽ quæ de cæteris ſuprà diximus,locum habebunt.In omnibus autem procedere illud volunt DD.ut teſtes eſſe nõ poſſint. Bald.in lege hac conſultiſſima adductus per Ant. Franc. *de Doct.ubi ſuprà, n.*39. Adverte tamen,quòd licèt actus moriendi,quando nimirum Anima ſeparatur à corpore,ſit quoddam momentum imperceptibile, ut per Fœnut.*ubi ſuprà.& c.ſeq.n.* 1. tamen hoc,quod eſt eſſe in mortis articulo,habet certam latitudinem,ſaltem in pleriſque,quam idem habere principium exiſtimo, quando jam victor morbus contra Naturam prævalet,& de vita hominis acta jam res eſt:totum verò ſubſequẽs tempus poteſt dici mortis articulus,qui etiam in duo tẽpora dividi poteſt,in mortis præludium,in tempus nimirum illud,quo jam anima ſe accingit,ut à corpore ſeparetur,& in id,quod hoc tempus præcedit,ab eo,quo jam homo de vita deſperatus eſt.Sed Jurisconſulti hoc tempus non diſtinguunt,cùm tamen in aliquibus ſit maximè diſtinguibile,quia interdũ in mortis articulo,ſi non integrâ mente conſtant ægrotantes,ſaltem non omninò ab illa ſunt alieni;in Agonia autem omnes omninò ut plurimùm in omnibus deficiunt. Sed plura de mortis articulo,& notatu digna credo habere Polydorum Ripam *in ſuo tract. de Act. in mort. art.* quem tamen ego neque præmanibus habeo, neque unquam vidi.

SUMMARIUM.

1 *Peſtis morbus eſt omnium vehementiſſimus.*
2 *Dementia ex peſte contracta, ut plurimum fatuitatis ſpecies.*
3 *In infatuatis ex peſte quæ locum habere poſſint.*
4 *Fatuitas ex morbo contracta eſt reparabilis.*
5 *Actus prudentes à ſimilibus fatuis celebrati, validè eſſe debent.*

De mente alienatis ex morbis longis,ſeu vehementibus, ut peſte & ſimilibus.

QUÆSTIO XX.

TAm longi, quàm vehementes morbi ſolent interdum hominem dementare,veluti peſtis,qu- 1
non modò vehemens morbus eſt,ſed omnium vehementiſſimus; quia omnes alios morbos ſuperat. Maſc. *concluſ.*20.*n.* 5.*lib.*1 dementia verò ex ſimili- 2
bus morbis contracta plurimùm inter fatuitatis magis,quàm inter alterius demẽtiæ ſpecies cõnumeranda;evenit autem potiùs ſic,quàm ſecus,quia vel à vehementia, vel à longitudine eorum morborũ, diſſipatis mirum in modũ cerebri capitiſque ſpiritibus,& noxiâ ob id frigiditate introducta,emoriuntur penè, aut ſaltem ſummoperè debiles fiunt virtutes,& facultates rationi & intellectioni inſervientes: quas quidẽ plus detrimenti,quàm cæteras pati conſentaneum eſt,quia à tenuioribus,ac purioribus ſpiritibus,faciliusque diſſipabilibus celebrantur,quàm reliquæ;Memoria verò ſummoperè quoque læditur, quia poteſterior cerebri pars, in qua memorandi actus celebratur, cæteris paribus, frigidior, aut ſaltem minùs ſpiritibus referta eſt, ex 3
his enim calor ſingulis partibus communicatur.

Si quando ergo aliquem ex longo ſeu vehementi morbo mente alienari,vel infatuari contingat,dubium eſſe non debet,quòd in eo omnia locum habere debeant quæ in cæteris fatuis locum habent; habitâ tamen conſideratione,gradus, & qualitatis dementiæ,ſeu fatuitatis.Illud unum tamẽ eſt,quod differẽtiam aliquam facere poteſt inter hos fatuos, & eos,qui à natura fatui ſunt,nimirũ quòd in prioribus, iis ſcilicet qui ex morbo in fatuitatem incidũt,fatuitas eſt reparabilis, in cæteris irreparabilis: 4
nam neque tẽpore,neque ætate,neque ex alia quavis cauſa à natura fatui quicquam proficiunt,circa ea quæ ad prudentiam,& intelligentiam pertinẽt; illi verò ad integram aliquando ſanitatem redeunt, unde actus prudentes à talibus celebrati,rati,& validi eſſe debent,dũmodò poſthac in prudentia perſeverent.Ratio autem cur fatuitas à morbo reparari poſſit, non ea quæ à Natura fit, in promptu 5
eſt, & cuilibet, ut credo, notiſſima.

SUMMARIUM.

1 *Paraphrenetici qui.*
2 *Paraphreneſes inter ſe differunt.*
3 *Pro deliriis ſpecie, magis aut minùs quis ad nonnulla aptus eſſe poteſt.*
4 *Deliria melancholica magis durant, & magis mentem turbant.*
5 *Actus à paraphreneticis celebrati, pro temporis conditione, validi aut invalidi ſunt.*
6 *Hypochondriaci, & Paraphrenitici in quo conveniant.*
7 *Hypochondriaci, & Paraphrenitici in quo differant.*
8 *Melancholica hypochondriaca eſt deſipientiæ ſpecies: declara ut ibid.*
9 *Melancholia eſt deſipientia ſine febre.*
10 *In levi Melancholia hypochondrica mens parum læditur.*
11 *Melancholici hypochondriaci quando ut cæteri melancholici habendi.*
12 *Melancholici Hypochondriaci circa agibilia rarò inſaniunt.*
14 *Melancholici dilucida intervalla in quibusdam dementiis habent manifeſta, in aliis non ita.*

15 Pueri

15 *Pueri non habent dilucida intervalla.*
16 *Ex senio delirantes non habent dilucida intervalla.*
19 *Muti, & surdi simul à nativitate, non habent dilucida intervalla.*
20 *Lethargici, Comatosi, Carotici, non habent dilucida intervalla.*
21 *Icti à fulmine attoniti, congelati, non habent dilucida intervalla.*
22 *Phrenitici non habent dilucida intervalla.*
23 *Hydrophobi non habent dilucida intervalla.*
24 *Ex assumpto veneno delirantes, non habent dilucida intervalla.*
25 *Ex longo morbo delirantes, non habent dilucida intervalla.*
26 *Dilucida intervalla habentes tempore, ut sani in plerisque habendi.*
27 *Dilucida intervalla habentes, testari possunt eo tempore.*
28 *Delinquentes tempore intermissi furoris, non excusantur à pœna.*
29 *Remissiones tantùm, & non intermissiones furoris habentes, ut cæteri furentes habendi.*
30 *Actus quomodo cognosci possit an gestus fuerit tempore intermissi furoris, necne.*

De Paraphreniticis, Hypochondriacis, & omnibus dilucida intervalla habentibus.

Quæstio XXI.

SEquitur, ut de quibusdam amentibus verba faciamus, qui *per intervalla insaniunt*, licèt & in hoc numero ex superioribus nonnullos comprehendere possimus; & ante omnes sese nobis offerunt Paraphrenitici: Vocamus autē Paraphreniticos qui in febri non ex primario cerebri affectu, sed per consensum aliarum partium phrenitide laborant: nam spiritus ab inferioribus partibus, ex materia morbifica, ac putredinosa originem habentes ad cerebrum elevati, rationis faciunt permixtionem: habentque hujusmodi ægrotantes sui delirii exacerbationes quasdam, & remissiones, prout febris exacerbatur, aut remittitur. Sunt etiam in hujusmodi deliriis, ut in cæteris omnibus, gradus quidā, juxta quos ægri magis aut minus à mente recedunt; idque tum pro vaporum acrimonia, & caliditate, tum pro eorum multitudine, tum etiam pro capitis imbecillitate.

Neque verò tantummodò secundùm magis & 2 minus inter se differunt hæ paraphreneses, sed etiā secundùm effectus, ut cæteræ dementiæ, & secundùm accidentia inter se distant: quod ex diversitate materiæ morbum excitantis, & ex qua vapores elevātur ad caput, evenire solet; sapiunt enim vapores ij materiæ ipsius naturam. Unde interdū ægrotantes, melancholicis similes efficiuntur, interdum furibundis & maniacis; & quandoque iracundi evadūt, aliàs quoque lætabundi & in risum proni. Studiosiùs, ac seriò magis insaniunt, qui ex melancholicis & adustis vaporibus delirant; ex melancholicis, quia magis densi; ex adustis, quia magis acres.

Verum enim verò ne existimet *Lector*, hæc me 3 gratis scripsisse; nam pro delirii specie potest quis magis ac minùs aptus esse ad multa facienda, item & pro ejusdem delirii duratione, & interpolatione; 4 siquidem deliria melancholica ex atra bile provenientia, & longiùs durant, & magis mentem turbant; unde difficiliùs ægroti, etiam morbo remittente, qui delirium excitat, resipiscunt; contrarium evenit deliriis ex vitio sanguinis provenientibus.

Illud autem dumtaxat ad *Jurisconsultos* scire maximè pertinet, an actus ab ægro celebrati, quem constet decessisse ex febre cum paraphrenetide conjuncta, celebrati fuerint in ipsius febris vigore; & exacerbatione, an in ejus declinatione, & remissione; nam omni procul dubio, si testes deponant tales actus gestos fuisse uno magis, quàm alio morbi tempore, actus certè, vel validi, vel invalidi futuri sunt pro ejus temporis ratione; neque 5 attendendum solummodò est particulare tempus cujuslibet accessionis, sed etiam universale, totius scilicet morbi, quæ tempora Medicis maximè nota sunt, & ex eorummet relatione facillimè cognoscuntur.

Post paraphreniticos in hac classe succedunt Melancholici Hypochondriaci, qui cum illis in hoc conveniunt, quòd eorum delirium non ex proprio cerebri vitio, sed ex Hypochondriorum morbo, & intemperie excitatur. Differunt tamen, quia Para- 6 phrenitici habent accessiones, &, ut dixi, quiescente morbo, ex cujus culpa delirant, etiam delirium in ipsis quiescit; Hypochondriaci autem habent qui- 7 dem accessiones, & exacerbationes, non tamen quotidianas, aut quartanas, sed potiùs menstruas, aut annuas, & longiores multò sunt; recrudescit enim morbus in his, certis quibusdam temporibus; ut Vere, sive Autumno; cum in aliis mente sanis constet.

Maximè verò advertendum est circa hujusmodi Hypochōdriacos, quod Amatus Lusitanus, (*Cent. 4. Medic. cur. 54.* & ex eo Foreſt. *lib. 10. Observ. 11.* 8 in Scholiis tradidit, nimirum, quòd tametsi hæc passio, (quæ Melancholia Hypochondriaca, & flatuosa dicitur, & ab Arabibus Mirachialis) Melancholiæ, ac desipientiæ species existat, tamen satis est ad hujus passionis essentiam, ut ad eam sequatur mœror & mœstitia, & timor à facili causa; & interdum mentis inconstantia: quibus plerique Medici assentiuntur. Merca. *lib. 1. de Int. aff. cur. cap. 17.* Trincavell. *lib. 3. consil. 35.* Videtur ergò, quòd non necessariò, ac semper, cum hac passione conjungatur delirium; immò narrant illi casus nonnullos Hypochondriacorum, qui nunquam patiebantur mentis alienationem; manifestiùs verò Marcell. Donat. *lib. 4. Histor. mirab. cap. 6.* contendit, non esse de essentia hujus passionis mentis alienationem, & Manardum erroris notat, qui *libro 17. Epist. 1.* noluerit ægrotantem quendam melancholia Hypochondriaca laborare, eo quòd nunquam desipuisset, contra existimantibus cæteris Medicis ad curam convocatis; sed profectò, ut apud eundem Manardum videre est, Scriptores omnes melancholiam definientes, desipientiam esse aiunt sine febre, & illam in tres species partiuntur; nimirum in melancholiam per essentiam, in melancholiam per consensum à toto, & melancholiam 9 per consensum ab hypochondriis: unde si ea definitio etiam huic ultimæ speciei aptari debeat, necesse est ægros in ea desipere, aliter enim definitio cum definito non conveniret. Quæ licèt realiter ita se habeāt, tamen dicendum putaverim id, quod de Catalepsi suprà dicebamus, nimirum passionē hāc, vel esse incipientem & levem; vel esse invereratam, & fortem; Ubi passio incipiens est, vel ubi levis existit, symptomata quoque leviuscula sūt, & ægri vel 10 nihil omninò, vel parum quid mente moventur; at ubi inverata est vel fortis, tunc manifestissimè

ægri

ægri inſaniunt, non aliter quàm Melancholici ii, qui ex vitio cerebri per eſſentiam inſaniunt: ad cujus rei confirmationem faciunt plures hiſtoriæ Hypochondriacorum. Et ſi libet, vide hiſtoriam N. Abrahami Frambeſ. *lib.* 1. *Conſult.* 17. in qua comperies
11 ægrum illum apertiſſimè inſaniſſe. Quamobrem ubi ita ſe res habeat, ii tam in præjudicialibus quàm in favorabilibus durante delirio, ut cæteri Melancholici tractandi. Pro conciliandis verò Auctorib. inter ſe diſſidentib. dicendũ cum Sennerto *l.* 3. *pract. p.* 5. *ſect.* 1. *& alibi*, differre omnino affectionem hypochondriacã à Melancholia hypochõdriaca cùm melancholia hypochondriaca ſit ſpecies quædam affectionis, aut paſſionis hypochondriacæ, & affectio, in quã, hypochõdriaca ſit abſq; dubio ſine ullo cerebri vitio, & abſq; eo quod Mens ullo modo depravetur, ſi tantũmodo mœrorem, ac triſtitiam abſq; evidenti cauſa excipias; melãcholia verò hypochõdriaca sẽper eſt cum aliquo delirio aliàs levi, aliàs autẽ forti.

Ex his ergo dicendum, omnem Melancholiam hypochondriacam eſſe quendam paſſionem hypochondriacam, non tamen è contra, omnem paſſionem hypochondriacam eſſe Melancholiam hypochondriacam. Et ſic quandocunque aliquem dicimus ſimpliciter eſſe Hypochondriacum: vel dicimus eum pati affectionem hypochondriacam, nunquam talem delirare intelligimus; ſed cùm aliquem Melancholicum Hypochondriacum vocamus, vel illum Melancholia Hypochondriaca affici dicimus, tunc talem pro delirante ex Hypochondriorũ vitio accipimus, & in hoc procedent ea, quæ in aliis delirantibus, ut diximus; nam in cæteris Hypochondriacis nulla deliri ſuſpicio emergit.

At alii, qui in principio hujus morbi conſtituuntur, & præter irrationabilem mœſtitiam, quâ detinentur, à ratione minimè alieni videntur, quomodo
12 habendi, mox aperiam: ſed primò, quid peculiare à me notatum ſit in ſimilibus ægris, patefaciam. Habeo enim nunc, & aliàs habui alios nonnullos hypochondriacos, quos circa agibilia manifeſtè inſanire nunquam comperi; ſed tantummodò leviorum rerum non juſto timore illos detineri cognoſco, & imaginationes quaſdam circa morbi accidentia pati, ex quibus Intellectus eorum, vel leviuſculum, & nullius momenti dolorem, aut aliud quodvis leve ſymptoma, pro ingenti, gravi, intolerabili, atque immedicabili judicat. Habent præterea quandam
13 mentis inconſtantiam, ex qua diverſimodè animi paſſionibus agitantur, ità ut quem modò amant & expetunt, non multò poſt odio habeant ac reſpuant; modò quid intensè cupiunt, paulò poſt iſtud ipſum ſi poſſederint, negligunt; plurimùm mœrent, ſed interdum quoque lætiores apparent, ac denique modò amicorum colloquia expetunt, modò ab iis abhorrent, & ſic in cæteris; quæ tamen omnia: ut dixi, nihil illis circa agenda obeſſe unquam notavi.

Itaque adhibito Medicorum judicio, ac Judicis etiam arbitrio, ubi de particularibus ſententia ferenda eſt, ad plura tales ſufficere non negantes, decernendum an à quibuſdam eliminandi veniant, ut exempli gratia, à promotione ad Sacra, à publici of-
15 ficii adminiſtratione, & hujuſmodi, quæ non ſolùm denegari poſſent fortaſſe habito reſpectu ad præſentem eorum ſtatum, ſed maximè reſpicientes aptitudinem, quam habent, ut facilè inſaniant. Notandum tamen, (quod & ſuprà admonui) me hic ſemper locutum de Melancholia, id eſt de delirio hypochondriaco, non verò de hypochondriaco affectu; nam hypochondriacus affectus genus quoddam eſt morborum hypochondriacorum; at Melancholia hypochondriaca eſt quædam ſpecies affectus hypochondriaci; ut *in libro proprio de morbis hypochondriacis* aliàs declaravi, unde qui affectu tantùm hypochondriaco, non verò Melancholia hypochondriaca afficiuntur quoad mentem, inter maximè ſanos connumerandi, ut jam dixi.

Cæterùm loquendum jam eſt de iis, qui ſuæ dementiæ *dilucida* habent *intervalla*, circa quos illud unum, ut ſciamus, decet. in quibusnam dementiis ſperati poſſit, Ægrum habuiſſe, vel habere potuiſſe
14 hæc dilucida intervalla; & antequam hoc determinetur, notandum; in quibuſdam dementiis hæc intervalla manifeſtiſſima, ac vera, in aliis nonniſi obſcura, & apparentia; tales enim dementiæ remittere potiùs dici poſſunt, quàm intermittere; ergò harum quæſtionum ordinem ſequuti, dicamus primò,
15 quòd in rationis diminutione, cõſiderata in pueris, non habent locum dilucida intervalla, etiamſi prudenter agant, ſapienterque loquantur, ut dixi aliàs *in harum quæſtionum lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 3. *n.* 26.

Secundò, ex ſenio delirantes non habent ſui deli-
16 rii dilucida intervalla, nec unquam reſipiſcunt, ratio eſt, quia cauſa delirium excitans non ſolùm nõ minuitur tempore, ſed intenditur, & augetur, unde & effectum capere incrementum neceſſe eſt.

Tertiò, mulieres circa intellectus imbecillitatem,
17 quæ ex ſexus culpa illis evenit, nunquam proficiunt, neque unquam naturalis rationis diminutione, qua detinentur, expoliantur, ratio eadem, quæ in pueris, quia ruditas illa naturalis eſt, non adſcititia; neque habent ſufficientem calorem, qui poſſit intellectum perficere, ut pueri, qui procedente ætate ruditatem intellectus exuunt, & prudentiores, ac ſapientiores evadunt.

Quartò, non habent dilucida intervalla eorum
18 amentiæ, quos ignorantes, & craſſæ farinæ homines nominavimus, neque oblivioſi, nec denique fatuorum genus ullum, quod vel à natura, vel à morbo, vel ab ætate procedat. Differunt tamen qui à natura fatui ſunt, aut ab ætate, ab illis, qui à morbo infatuantur, quia poſteriores ii à fatuitate liberari poſſunt, illi verò nequaquam.

Quintò, non habent intervalla ſuæ imperfectio-
19 nis Intellectus muti ſimul, & ſurdi à nativitate, cùm eadem ratio in iis dominetur, quæ in aliis, qui à natura fatui ſunt.

Sextò, Ebrii unam acceſſionem habent, neque
20 intermedio tempore per intervalla reſipiſcunt, durat enim in iis delirium, quouſque vini potentia evincatur, & edometur.

Septimò, Lethargici, Comatoſi, & Carotici non habent ullas ſuæ inſaniæ interpolationes; ratio eſt, quia cauſa cerebri inſtrumenta occupans, ſemper præſens exiſtit; durante verò cauſa durat effectus.

Octavò, Icti à fulmine, Attoniti, Congelati ſeu
21 Cataleptici non habent dilucida intervalla: ratio eadem, quæ in ſuperioribus.

Nonò, Phrenetici unam tantummodò habent
22 acceſſionem & nunquam, niſi omninò ſanantur ad ſanam mentem per intervalla redeunt. Ratio non abſimilis eſt cum ſuperioribus, cauſa enim præſente, neceſſe eſt effectum durare.

Decimò, idem evenit in Hydrophobis, ſeu ra-
23 bioſis; quia tota ſanguinis maſſa infecta eſt, cujus vitio delirant.

Undecimò, idem ob eandem cauſam evenit in
24 his, qui ex aſſumpto veneno, vel infatuantur, vel quovis modo inſaniunt.

Duodecimò, dementia eorum, qui ex morbis lon-
25 gis in eam incidunt, non habet interpolationes. Ra-

tio est, quia à longitudine & vehementia morbi absumptis spiritibus, intemperies quædam in ipso cerebro est introducta, à qua morbus continuus fit, non interpolatus. In cæteris autem dementiis omnibus sive illæ essentiales sint, sive secundarii morbi, sperare licet dilucida intervalla; possunt enim remitti & intendi; sed manifestissimè remittunt Melancholiæ species omnes, præcipuè verò Hypochondriaca, Ecstasis, Epilepsia, Apoplexia (quando non fuerit fortis) Lycanthropia, perculsio Fanatica, Furor uterinus, uteri suffocatio, & his similes. Obscurè verò furor, seu mania, præsertim cùm est inveterata, Dæmoniacorum species omnes, & hujusmodi.

26 Itaque ii, qui manifesta habent dilucida intervalla, in plerisque, ut sani habendi, si modò nonnulla excipias, de quibus in singulis quæstionibus egimus, quod tam in præjudicialibus, quàm in favorabilibus locum habebit: in favorabilibus enim exempli gratiâ, patet, quòd tales testari possunt, *l. furiosum, §. si verò, C. qui test. fac. poss.* in præjudicialibus autem, quia non excusantur à pœna si delinquant.

28 Caball. *Resolut. crim. Cent. 2. cas. 197. num. 38.* at ii, qui

29 tantùm remissiones, non intermissiones dementiæ habent, ex mea sententia, ut in sani judicandi, si modò paucula quædam excipiamus, quæ non omninò mentem sanam requirunt.

30 Quomodò tandem cognosci possit, an actus à demente factus, qui dilucida habet intervalla, sit tempore intermissæ dementiæ celebratus, docet Alex. *consil. 141. num. 8. vol. ...* & Menoch. *de Arbit. Jud lib. 2. cas. 5. 28.* & vide ad hoc Mascard. *de probat. conclus. 9. vol. 1. per tot.* Ac facilè patet ex qualitate ipsorum actuum, nisi sanæ menti conveniunt, sanum hominem denotant, & actus dilucidis intervallis facti præsumuntur, Rot. *in Melvitana Jenut. 14. Junii 1647. coram Bichio*, unde non sufficit ad invalidandum aliquem actum civilem, talem fuisse dementem, nam potuit talis actus fieri dilucido intervallo, non ut currit Rota *ibid.*

SUMMARIUM.

1 *Mulieres omni dementiæ specie tentantur.*
2 *Mulieres rarò Melancholicæ evadunt, contr. n seq.*
4 *Pro singulis veris Dæmoniacis fœcentæ mulieres reperiuntur.*
5 *Mulieres ex Melancholia morbo pejus viris habent.*
6 *Uteri suffocatio mulieribus familiarissima.*
7 *In uteri suffocatione, quæ accidentia eveniant.*
8 *In uteri suffocatione mulieres mente deficiunt, contrarium n. seq. declara ut ibid.*
10 *Suffocatæ nihil validum agere possunt, etiamsi nutibus respondeant.*
11 *Furor uterinus quid.*
12 *Furor uterinus mania est circa venerea ex uteri vitio excitata.*

De suffocatis ex utero, & ex utero furentibus.

QUÆSTIO XXII.

1 MUlieres, non secus ac viri, omni dementiæ specie tentantur, quanquam, ut ex Aretæo, & Avicenna tradit Mercurial. *suæ practicæ, lib. 1. cap. 10.* Melancholicæ de rarò evadunt, aut saltem mi-

2 nus quàm vir, Melancholiæ morbo tentantur; contra quam tamen assertionem facit Hippocratis auctoritas *in libello de his, quæ ad virgines spectant*, ubi mulieres ob animi demissi, & pusilli naturam, fre-

3 quentiùs quàm viros, desipientia, & vanis terroribus apprehendi tradit. Patet etiam pro singulis viris dæmoniacis, (qui in Melancholicorum quoque classe connumerantur) fœcentas mulieres Dæ- 4
monio obsideri, ut Codronch. *de morb. venef. lib. 2. c. 8.* Sit tamen quomodocunque, illud certum est, mu- 5
lieres ex melancholiæ morbo insanientes, multò pejus habere, quàm viros; intensius enim & magis irremediabiliter insaniunt. Sed præter dementias, quæ ipsis cum viris communes existunt, duobus morbis obnoxiæ sunt, ex quibus per consensum cerebri cum utero delirio tentantur: horum *alter* illis adeò familiaris est, ut nihil suprà; *alter* verò earum quidem proprius, non tamen ita familiaris ac frequens.

Prior *uteri suffocatio* est, seu ejusdem ascensus, & 6
strangulatus, ut nonnulli dicunt, qui aliis familiarissimus existit, ut experientia docet, & notat Mercurial. *l. 4. de morb. mul. cap. 22.* & alii Auctores Gynæciorum: alter est *uterinus furor*. In priori, de quo 7
anteà verba fecimus, mulieres vel tâquam mortuæ, si magnus morbus sit, vel semimortuæ, si magnus morbus non sit, jacere solent: loqui non possunt, sed tamen audiunt, ac facilè quæ astantes loquuntur, percipiunt, & interdum, ut in nonnullis adnotavi, nutibus interrogatæ respondent; quod & in Polemarchi uxore adnotatum ab Hippocrate *in Epidem. text. 40.* & Vallesio in aliis, ut ille in ejus particulæ commento testatur; imò etiam transacto paroxismo, audita referunt, teste Mercurial. *ubi suprà*: unde 8
concludit ille, servari in ipsis memoriam; ratione verò deficere eas dubium non est, tametsi Alsaharavius Medicus Arabs. *Pract. tract. 25. sect. 1. c. 12.* tradens differentiam inter Epilepticas, & suffocatas ex utero, dixerit, suffocatas in ratione non deficere, Epilepticas autè maximè; cujus dictum ex mea sententia ita interpretandum est, ut suffocatæ non deficiat in ratione extra paroxysmũ, ut Epilepticæ, quæ ut 9
suo loco diximus, à paroxysmo excitatæ, quasi dementes, ac stolidæ apparent: vel dicendum, quòd non ita intensè à ratione abalienantur, ut epilepticæ. Ex quibus concludamus, quòd suffocatæ ex utero quamdiu paroxysmo detinentur, tanquam mortuæ, & absentes existimandæ sint, & etiam si 10
nutibus ad interrogata respondere possent, tamen nihil validum debeat ab ipsis procedere, si quid rectè nutibus celebrari possit, quia à ratione, in paroxysmo alienæ sunt, extra quod nihil impedit, quò minus ut sanæ mentis homines habeantur.

Porrò *Furor uterinus*, qui posterior morbus erat 11
mulierum proprius, est uteri ipsius superexcalfactio cum delirio circa Venerem, & ad eam pertinentia; in eam enim adeò acutis stimulis exagitantur, ut in furorem agantur; garrulæ enim evadunt, & circa Venerem quamplurima effutiunt; de quo effectu, ut de superiore quoque, si quis plura scire desiderat, practicos adeat in propriis capitibus, præcipuè verò Auctores Gynæciorum, sive *de morb. mul.* & inter recentiores & novissimos, Hucher. *de steril. lib. 2. c. proprio.* & Varand *lib. 1. de morb. mul. capite 5.* [*Roder. à Castro* & alii.]

Cæterùm ratio in his non minùs quàm in ma- 12
niacis, & furentibus oblæsa est: imò & hic morbus nihil aliud est, ut ipsum nomen innuit, nisi furor, seu mania, ex uteri vitio excitata. Itaque in his quoque omnia locum habebunt, quæ in illis procedere diximus, neque plura circa id afferenda.

SUMMARIUM.

1 *Semel furiosus semper præsumitur furiosus, & contrarium tenenti incumbit onus probandi.*

2 *Demens de præterito præſumitur demens de præſenti.*
3 *Qui olim aliqua ægritudine laboravit, etiam hodie æger præſumitur, declarata, ut n. ſeq.*
5 *Regula prima, in quibuſnam locum habeant prædicta concluſiones.*
6 *Regula ſecunda.*
7 *Regula tertia.*
8 *Furor, & ſimiles paſſiones durare præſumuntur.*
9 *Qui aliquando inſanire cœpit, vix, aut nunquam ad ſanam mentem redit.*
10 *Quarta, & ultima regula.*

In quibuſnam dementibus locum habeant eæ concluſiones, nimirum: Semel furioſus ſemper præſumitur furioſus; & illa? Demens de præterito præſumitur etiam demens de præſenti.

QUÆSTIO XXIII.

DUas apud Juriſconſultos concluſiones offendi, quæ idem penè importãt, maxima ex parte acceptas; quarum prima illa eſt, quòd ſemel furioſus ſemper præſumatur furioſus, & contrarium tenenti incumbat onus probandi ſanam mentem. Archid. *in c. ſilii, n. 1. de hæret.* Alexand. *con. 91. n. 6. vol.* 5 Dec. *in l. ſi furioſum n. 24. C. qui teſt. fac. poſſ.* Petr. à Biax. *in direct. elect. p. 1. c. 15. n. 3.* vide ad ducta per Maſc. *concluſ. 39. n. 1.* Altera eſt, quòd demens de præterito, præſumatur etiam demens de præſenti, Farinac. *conſil. crim. conſ. 51. n. 14.* Cùm tamen demens nullus præſumatur, ſed potiùs ſanæ mentis, Rota *in Romana hæreditatis de Arigoniis 1624. coram Manzanedo n. 11. & in Melitenſ. teſtam. jam cit. n. 2. & in Tiburtina Hæreditatis 1637. coram Carillo, n. 17.* Videbatur has concluſiones firmare alia non abſimilis, nec minùs quàm ſuperiores accepta, quæ vult, quòd qui olim aliqua ægritudine laboraverit, etiam hodie æger præſumatur; præſertim quia declarant DD. ut procedat in ægritudine naturaliter durabili. Alc. *de præſumpt. regul. 2. præſumpt. 19. n. 1. & 3.* Maſcard. *de probat. conc. 896. n. 1. vol. 2.* at tales ægritudines abſque dubio ſunt furor & dementia: ergò jure poſterior hæc concluſio de his quoque verificatur.

Priorem tamen concluſionem, quæ, ut dixi, cum poſterioribus coincidit, licèt plures Doctores acceptaverint, alii tamen non approbarunt, & habes utriuſque ſententiæ fautores apud Maſcard. *ibidem concluſ. 815. à n. 2. ad plures ſeqq.* qui etiam ex nonnullorum Doctorum opinione decidit, quando, & in quibus caſibus ea concluſio acceptanda.

Nos qui rei naturam ob Medicæ ſcientiæ cognitionem faciliùs aſſequi poſſimus, ejus concluſionis veritatem patefaciemus & nonnullas breves regulas trademus, quarum *prima* ea ſit: Ea concluſio non habet locum in dementiis, quæ cum febre eveniũt, aut cum alio morbo, quem febris concomitetur, ut in phrenitide, lethargo, & hujuſmodi. 5 Speciatim verò in phrenitico non habere locum hanc concluſionem, ex Maſcard. aſſerit Actius *de Inf. p. 2. litt. P. verb. Phrenitici. n. 3.* Non habeo pro hac regula alios Juriſconſultos quos in teſtimonium adducam, non deeſt tamen ratio; nam aliter ſeſe re habente, omnes homines, aut potior ſaltem pars, furioſi & dementes præſumerentur; quis enim eſt, qui aliquãdo delirio in febre non laboraverit, aut qui morbo aliquo, ex quo rationem læſam habuerit, nunquam fuerit detentus? Adde etiam rationem ex rei natura deſumptam, quæ talis eſt: Deliria, aut dementiæ in febribus, ſunt earundem febrium ſymptomata; recedente ergo febre, ipſas etiam recedere neceſſe eſt: at febres, ut plurimùm in longum non protrahuntur, præſertim eæ, in quibus tam magna apparent ſymptomata, neque etiam de facili revertuntur. Sed ſubvenit nunc ex Juriſconſultis alter, quem adducam ad hanc regulam firmandam, nempè Jo. Aloyſium Ricc. *in pract. var. reſolut. 386. n. 7. in fin.* qui benè hanc regulam declarat.

Secunda regula. Non poteſt hæc concluſio locum 6 habere in dementiis momentaneis, aut quæ non longo tempore durare ſolent, & vide circa hanc regulam allata à Maſcard. *ubi ſupr. n. 8. & ſeq.* nam ad hoc ut ea concluſio verificetur, neceſſarium eſt probare aliquem fuiſſe furioſum per aliquod tempus ſucceſſivum, ut per menſem, aut annum.

Tertia regula. Non procedit ea concluſio in de- 7 mentiis, quæ per conſenſum aliarum partium fiunt, non ex morbo per eſſentiam in cerebro exiſtente: quanquam enim furor, & ſimiles paſſiones durare præſumuntur teſtimonio DD. quos adducit Maſc. 8 *ib. n. 3.* Pariſ. *de Reſign. benef. lib. 3. q. 8. n. 11.* ita ut verum omninò ſit id, quod Caſtr. dicebat *in l. qui Teſtam. §. Nec furioſus n. 3. de Teſt.* nimirùm quòd qui aliquando inſanire cœpit, vix unquam ad ſanam mentem redeat: tamen hoc de dementiis intelligendum, quæ per eſſentiam, & ex proprio cerebri morbo abſque febre eveniunt. 9

Quarta regula. Ea præcipuè concluſio locum ha- 10 bere poteſt in omnib. melancholiæ ſpeciebus in Mania, in Apoplexia, in Epilepſia, in Dæmoniacis, & ſimilibus, de quibus hoc Titulo ſatis abundè, ut mihi videtur, diſputatum eſt.

LIBRI SECUNDI TITULUS SECUNDUS,

DE VENENIS, ET VENEFICIS, ET ALIIS AD ea pertinentibus:

Continens Quæſtiones tredecim.

I. De veneni nomine, & appellatione.
II. De venenorum diviſione, & de variis venenorum effectibus.
III. De venenorum diviſione juxta eorũ effectus.
IV. De qualitate, & quantitate veneni.
V. An venenum ſic propriè dictum poſſit in noſtro corpore generari.
VI. An dentur certa ſigna aſſumpti veneni.
VII. De ſignis propinati veneni: & de fallacia & valibilitate eorum ſignorum.
VIII. De veni ingeniti certitudine: & de ſignis diſtinctivis inter unum, & aliud, nonnulla reiterantur.
IX. An venenum veneno reſiſtat.
X. An detur venenum ad tempus.
XI. Venenandi, qui modi poſſibiles, qui non.
XII. Quorum præcipuè venenorum commercium ſit interdicendum.
XIII. De veneficis, incantamentis, & faſcino,

SUMMARIUM.

1 *Medicorum judicio ſtatur, an quis ex veneno perierit.*
2 *Non ſufficit rei confeſſio ad probandum, aliquem ex veneno periiſſe.*
3 *Rei confeſſio irrita evadit, Medicis deponentibus, veneni quantitatem, vel qualitatem non fuiſſe aptam ad occidendum & n. ſeq.*
5 *Venenandi crimen graviſſimum, & gravius ſimplici homicidio.*
6 *Venenarii non gaudent immunitate Eccleſiæ.*
7 *Ob veneni ſuſpicionem conceditur thori ſeparatio.*
8 *Reus mortis non poteſt condemnari ad venenum aſſumendum.*
9 *Bannitus veneno interfici non poteſt.*
10 *In puniendo delicto venenationis, non diſtinguitur nobilis ab ignobili.*
11 *Veneni appellatio communis & generalis.*
12 *Venena non ſolùm appellantur medicamenta, quæ occidunt, ſed etiam quæ ſanant.*
13 *Venenorum quædam bona, quædam mala.*
14 *Venena mala ad necandum, bona ad ſanandum.*
15 *Venena ſecundùm Medicos diſtinguuntur in proprie ſic dicta, & improprie.*
16 *Venenum proprie pro malo accipimus.*
17 *Venena proprie dicuntur, quæ ſemper talia ſunt.*
18 *Venenum pro veneficio, & pro utili Medicamento acceptum.*
19 *Venenarii qui.*
20 *Venefici proprie qui.*
21 *Venenum quid ex communi opinione.*
22 *Venenum quid ſecundùm Cardanum.*
23 *Venenum quid ſecundùm Avicennam.*
24 *Non eſt de veneni eſſentia, ut interimat.*
25 *Quædam licet occidant cùm aſſumuntur, venena tamen non ſunt, & cur.*
26 *Pro veneno quid intelligendum hic.*
27 *Veneni definitio ſecundùm Leges.*
28 *Venenum, & alimentum oppoſita.*

De veneni nomine & appellatione.

QUÆSTIO I.

1 IN materia de *Veneno*, multa Juriſconſultis occurrunt quæ conſilium, & ſententiam Medicorum expoſcunt; nam vel ipſis Juriſconſultis judicibus, Medici primùm ac præcipuè convocandi ad determinandum, an quis ex veneno interierit necne, eorumque Medicorum judicio ſtandum eſt. Alexand. *conſil.* 115. *num.* 3. *lib.* 3. Boſ. *in pract. crim. tit. de delicto, n.* 7. Foller. *in pract. crim.* 2. 1. *rub. Item quod ſororem venenaverit.* Maſcard *de probat. concluſ.* 1034. *num.* 7. *Volum.* 2. & alios vide relatos per Guazzin. *in tract.*
2 *de Reor. defenſ. cap.* 6. *n.* 13. & 18. *lib.* 1. Neque enim ſatis eſt ad hoc probandum, etiam ipſius rei confeſſio, quòd nimirum dederit venenum, ita ut ob eam condemnari poſſit: ſed requiritur Medici votum, quo definiat, an illud venenum potens fuerit ad occidendum, necne. Gaball. *in tract. de omn. gen. homic. n.* 615. *& ſeq.* & Carrer. *in pract. crim. §. homi-*
3 *cidium, n.* 101. Farinac. *Conſil.* 184. *num.* 14. *&* 46. Nam ſi Medici deponant, quòd propinatum venenum malum non fuerit, nec aptum ac occidendum, reddunt etiam rei ipſius confeſſionem irritam. Guazzin. *ubi ſup. n.* 12. *in fin.* ſic etiam de quantitate veneni ſentiunt; nam ſi quidem Medici inſufficientiam interimendi alicujus veneni in tanta quantitate ſumpti atteſtentur, reum etiam con- 4
feſſum condemnare retardant. Boſius *ubi ſupr. n.* 8.

Non inutiliter ergo pro ipſis Juriſconſultis ad hoc de venenis argumentum pertractandum accedemus; præcipuè quia apud illos venenandi crimen graviſſimum delictum exiſtimatur, ut verè 5
eſt, & gravius homicidio, *l.* 1. *de malef. & Mathem.* imò venenantes, ut proditores habent Bal. *in lege Nemo Clericus*, C. *de ſumm. Trinit. & Fid. Cathol.* Farinac. *q.* 122. *part.* 1. *num.* 4. & notavit etiam nuperrimè ex Medicis Franciſcus Ranchinus *in Hipp. Juſjur. leg.* 4. *rubr. An liceat Medicis, verſ. Non* 6
tamen contrà, ita ut tales immunitate Eccleſiæ non gaudeant. Caball. *in tract. de omn. gen. homic. num.* 585. Farinac. *de Immunit. Eccleſ. in append. num.* 142. *cap.* 10. Adde his, quòd propter veneni ſuſpicionem conceditur thori ſeparatio inter conjuges. Cabal. *ubi aliàs, num.* 575. Plura quoque de hujus 7
delicti atrocitate aſſerunt Farinac. *quæſt.* 122. *à num.* 2. *tit. de homicid.* & Caball. *ibid.* Abhorrent enim 8
adeò Leges ab hoc delicto, ut in Juſtitiæ execu- 9
tione venenum uti nolint; reus enim ad venenum aſſumendum non poteſt condemnari, neque ut Farinac. placet, Bannitus poteſt veneno interimi, licèt contrarium teneat Caball. ex noſtris tamen Ranchinus *ubi ſuprà, fundam. tertio*, dicebat, neque flagitioſis hominibus, neque hoſtibus, neque ad ultimum ſupplicium damnatis licere venenum propinare. Sed ut magis Juriſconſulti oſtendant hujus delicti atrocitatem, in illo puniendo non diſtingunt nobiles ab ignobili, ſed utrumque pœnâ furcarum mulctari jubent, quæ ignobilibus ſolis irrogari ſolet: ita Caball. *ubi ſupr. numer.* 611. 10
& ſeqq. Multùm ergo eorum intereſt de venenis perfectam habere notitiam circa quæ plures eliſ poſſunt quæſtiones, tam ipſis, quàm Medicis ſcitu jucundiſſimæ, quas procedente ſermone diſcutiemus.

Primo tamen *loco*, ut ea quæ dicuntur, clariora e- 11
vadant, pro noſtro more, de veneni *nomine*, & appellatione differendum, ut ſciat Lector, de quanam re peculiariter agamus: non veneni appellationem communem eſſe ac generalem docemur per *l. Qui venenum ff. de verb. ſignif. & per l.* 2. *§. ad edict. autem, iſta, ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Aul. Gell. *Noct. Att. lib.* 11. *capit* 9. Grilland *de ſortileg. quæſt.* 12. *n.* 4. Guibert. *quæſtione Jurid. cap.* 16. *num.* 1. & ex noſtris Guainer. *de venen. cap.* 1. *in princip.* Valer. *locor. comm. lib.* 3. *cap.* 18. Gorr. *in præfat. ad Nicandri Alexiph.* Grevin. *lib.* 1. *de venen. cap.* 1. Mercurial. *de venen. lib.* 1. *cap.* 4. Sal. *de febr. peſt. cap.* 4. Neque enim ea 12
ſolùm, quæ hominem interficere apta nata ſunt, venena appellantur, ſed ipſa quoque medicamenta, quæ eundem hominem ſanant, eodem nomine interdum inſigniuntur, ut per eandem *leg. Qui venenum*, quam ad hanc ipſam rem adducit ex noſtris Cardan. *libro primo, de venen. capite primo*, idémque repetit Sal. *ubi proximè*; unde idcircò dicitur, quòd, attenta hac generali veneni appellatione, venenorum quædam bona, ſeu non mala ſint, quædam verò ſimpliciter mala, ut habetur in
eadem *lege tertia ff. eodem.* Alexand. *conſil.* 13. *n.* 6. vo- 13
lum. 2. Alciat. *in l. qui venenum, num.* 4. *de verborum ſignificat.* Grilland. *de ſacrileg. quæſt.* 12. *numer.* 4. Caball. *ubi ſepè num.* 606. Et ob eam rem Græci, qui tam medicamenta, quàm venena nomine pharmaci appellabant, cùm malum venenum, aut venenum propriè ſic dictum, & deleteriæ facultatis denotare volebant, non ſimpliciter pharmacum, ſed cum adjectione aliqua nominabant, ut epithe-

ro nocentis, mortiferi, vel pernicioſi, ut teſtatur Vid. *de Curat. Gener. lib. 1. c. 12. p. 2 ſect* 2. Gal. Mart. *de doctr. promiſ. c.* 2 quamobrem citata jam ſæpius *leg. Qui venenum*, idem admonet præſtandum eſſe ab eo qui venenum dicit, ut adjectione mali, vel boni, de quonam loquatur, patefaciat, nam mala venena ad ne-
14 candum, bona ad ſanandum accommodata ſunt. Grilland. *ubi proximè n. eod.*

15 Mediei verò venenum diſtinguunt in *propriè* ſic dictum, & *impropriè*; nam licèt quamplurima medicamenta purgantia, & ipſa quoque Alexipharmaca, immò vel ipſa Theriaca, non juſto modo aſſumpta, non ſecus ac vera venena enecent, ut Gal. 5. *de ſimplic. med. fac. c.* 18. Averr. 5. *Colig.* & Nicol. *tract.* 4. *ferm.* 4. *cap.* 9. docent: tamen venena propriè dicenda non ſunt, cùm eorum aliqua utilitas ex ſtat. Gal. *ubi ſuprà*, Vid. *ibid.* Cæſalpin. *pract. lib.* 3. *c* 2.

16 *Propriè* ergo & in communi loquendi modo, cùm venenum nominamus, pro malo accipi volumus, Alciat. *in l. præcitata*, *l. Qui venenum*, *n.* 6. Farinac. *in pract. crimin p.* 5. *q.* 122. *n.* 127. Caball. *de omn. gener. homicid. n.* 608. & ſic ſimpliciter prolatum pro malo accipimus *in l.* 1. §. 2. *ad l. Cornel. de ſicar.* propriè namque venena dicuntur, quæ ſemper talia ſunt, ut ex noſtris teſtatur Bacc. *in proleg. de venen. c.* 3. *art.* 6.

17 Quanquam verò *Alciatus*, & *Farinacius* voluerunt venenum ſimpliciter prolatum pro malo accipi, ut dixi, apud nonnullos tamen Auctores id nomi-
18 nis, & pro venefico, & pro utili medicamento accipitur. De prima verò acceptione conſtat apud Homer. *Odiſſ.* 10.

His ipſa manſuetos fecerat, poſtquam mala venena dedit.

Et paulò poſt:

—— commiſcuit autem pani
Venena nocentia, ut omninò obliviſcerentur patriæ terræ.

& apud Virgil. 7. *Æneid.* in illis carminibus:

Picus equûm domitor, quem capta cupidine conjunx,
Aurea percuſſam virgâ, verſumque venenis
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

De poſteriori verò conſtat apud Plautum *in Pſeudolo, Act.* 3. *Scena* 1.

Quia ſorbitione faciam ego te hodie meâ
Item, ut Medea Peliam concoxit ſenem:
Quem medicamentis, & ſuis venenis dicitur
Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum:

Et Lucan. *lib.* 8. *de Bell. Civil.*

— Et infuſo facies ſolidata veneno eſt.

19 A veneno porrò, nùm pro malo accipiatur, deducitur nomen venenarii; ſunt verò venenarii propriè, qui venenis maliſque pharmacis in hominum perniciem utuntur, & ejus criminis rei exiſtunt. Alciat. *lib.* 4. *de verb. ſignif. in fin.* Martin. Delr. *Diſquiſit.*
21 *Magic. lib.* qui interdum venefici vocantur; ſed venefici propriè ſunt, qui incantationibus occidunt, aut venena venalia habent. Carrar. *in pract. crim. in repetit. l. Obſervare, n.* 101. unde Plaut. *ubi ſuprà*:

— B. Eho! an tu etiam veneficus?
C. Immò Ædepol. hominum ſervator magis.

Sed circa nomina, hæc ſatis eſſe puto: videamus jam quid propriè venenum ſit, & quodnam ſub hoc argumento comprehendi velimus. Venenum ergò multi Auctores diverſimodè definierunt; plerique tamen conveniunt in hoc, quòd ſit mixtum quod-
22 dam non naturale, naturæ in contrarium, ut ab ea edomari non poſſit, ſed è contrà ipſam edomare, ac corrumpere aptum ſit. Talem definitionem, vel ſimilem ex Galeni, Avicennæ & aliorum ſententia attulit Card. *lib. 1. de venen. c. 1. & lib. 2. contrad. Med. tract. 5. contrad.* 10. non diſſimilem quoque aſſerunt & qui ſequuntur Auctores Nic. Flor. *tr. 4. ſerm. 4. de venen. c. 1.* Concil. *diff.* 178. *& lib. de ven. c. 1.* Valer. *locorum comm. libro* 3. *c.* 18. Joubert. *Paradox.* 10 *decad.* 10. Gotr. *in præf. ad Nicandr. Alexiph.* Bacc. *in prolegom. de venen. cap.* 9. *art.* 2. Mercurial. *lib.* 1. *de venen. lib.* 2. *c.* 1. & penè omnes alii.

Quoniam verò ad rem noſtram magis facere videtur definitio à *Cardano* ex propria mente allata, idcircò eam afferamus, quæ talis eſt, ut habetur *libr.* 1. *de venen. c.* 1. *&* 4. Venenum eſt, *quod aptum eſt nobis* 22
vehementer nocere occulta agendi ratione, etiamſi cauſa eſſet nota. Licèt mihi nihil minus videatur docuiſſe *Avicenna* in ſua definitione, quæ eſt: Venenum eſt, quod corrumpit complexionem humanam, non 23
contrarietate ſolùm, ſed proprietate, quæ eſt in ipſo: *Cardanus* tamen neſcio quid habet, quod ad rem noſtram magis facere videtur, cùm vult, ſatis eſſe ad veneni naturam conſtituendam, ut ſit aptum nobis vehementer nocere occultâ agendi ratione. 24
Nam non videtur neceſſe ad veneni eſſentiam, ut interimat, ſiquidem multa non interimunt, quæ tamen venena ſunt, ſed quia naturam humanam aliquo pacto lædunt, ut docet Salius *in lib. de febr. peſtil. c.* 4. & ea re nonnulla, quæ inſaniam tantummodò excitant, ut cerebella quorûdam animalium, & alia quædam, licèt non interficiant, venena appellantur. Cardan. *de venen. l.* 1. *c.* 1. Imò quædam etiam, quæ neque quicquam lædunt, venena appellantur ex eo ſolùm, quòd maximam vim habeant in alterandis humanis corporibus, ad miros quoſdã effectus producendos, ut herbæ, atque alia quædam, quibus Lamiæ, aut Striges uti ſolent, ut ſeſe in figuras brutorum transforment, vel potiùs ut ſibi videantur transformari, de quibus Virgil. Eclog. 8.

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.

Notandum tamen, quod dicebat *ibidem* Cardan. eſſe ſcilicet venena nonnulla, quæ occidunt quidẽ, 25
venena tamen non ſunt, eo quòd occultâ proprietate id non efficiant, ut exempli gratiâ, vitrum eſt, hoc 26
enim nobis non ſimpliciter admittendum, cùm hic intelligamus pro veneno, quodcunque vel per os ſumptum, vel de foris adminiſtratũ, vel quantitate, vel qualitate occulta, aut manifeſta interimere, aut vehementer nocere poteſt, ut introducendo inſaniã, amorem heroicum, ſtoliditatem, partium impotentiam, mutitatem, ignaviam genitalium, & alia hujuſmodi; hæc enim omnia, licèt ſtrictiſſimè loquendo venena non ſint, niſi ab occulta proprietate ſuos effectus producant; tamen ſub hoc titulo comprehendi volumus, cùm etiam ipſi Juriſconſulti, quibus præcipuè ſcribimus, de his conſiderent, & talia venena propinantes, vel quacunque ratione adminiſtrantes, debitis pœnis mulctandos velint, *ut in l. ſi quis aliquid. §. Qui abortionis. ff. de pœnis*, clariſſimè habetur. Quamobrem legum definitio, quæ volunt, 27
venenũ eſſe, quodcunque naturam ejus cui adhibitum eſt, mutare poteſt, noſtro propoſito ſatisfacit, ſi ita intelligatur, ut quãcunque mutationem amplectatur, quæ vel mortem, vel inſigne aliquod nocumentum homini afferre poſſit: nam rectè quidem lex dicebat venenũ eſſe, quod naturam mutare poteſt quia venenum, & alimentum oppoſita ſunt, ut omnes Auctores Medicinæ tradunt. Concil. *de venen. c.* 2. Matthiol. *in* 6. *Dioſc. in præfat. in princip.* Bacc.

in Prolegom. de venen. c.1. Qu madmodùm ergo alimentum mutatur à natur?,& ipſam non mutat,ſic venenum mutat naturam,& ab ipſa non mutatur, ut præcitati Doctores docent.Multa ergo,licèt venena non ſint,tamen naturam mutant,& non mutantur, vel ob eorum repugnantiam, ut immutentur,vel ob eorum quantitatem,ut de ſucco lactucæ dicebat Gal.3.*de ſimpl.med.fac.capite* 18. & de Croco alii Auctores,& præcipuè Valeſc. *Philon. libro ſeptimo, cap.* 19.

SUMMARIUM.

1 *Prima venenorum diviſio.*
2 *Venena à tota ſubſtantia agentia.*
3 *Venena agentia ex manifeſtis qualitatibus.*
4 *Venena utroque modo noxia.*
5 *Secunda venenorum diviſio juxta primas qualitates.*
6 *Tertia venenorum diviſio à modo operandi.*
7 *Quarta diviſio juxta naturam, & accidens.*
8 *Quinta diviſio juxta totum, & partem.*
9 *Sexta diviſio juxta originem.*
10 *Septima diviſio juxta modum adminiſtrationis.*
11 *Venenum quod tactu inficiat, dari certum eſt.*
12 *Venenum ſolo olfactu interimens.*
13 *Venena omnia odorata vertiginem, capitis dolorem, ſuffocationem, & alia mala afferunt.*
14 *Venena, quæ viſu occidant, an dentur, dic ut ibid. & num. ſequenti.*
16 *Animalia, quæ ſolo auditu inficiant, an dentur.*
17 *Homo poteſt per omnes ſenſus venenari.*
18 *Octava diviſio ex partium læſione.*
19 *Venena omnia primò cor petunt, ſivè ab extra applicentur, ſivè intrò ſumantur, vide num. 20. 21. & 22.*
23 *Ultima venenorum diviſio juxta ſubſtantiam.*

De Venenorum diviſione, & de variis venenorum effectibus.

MEdici multiplici Venenorum diviſione utuntur: primò enim dividunt in ea,quæ à *tota ſubſtantia*, ſive ab occulta proprietate interimunt, & in ea, quæ *ſolis manifeſtis* agunt qualitatibus, & in ea, quæ ex utroque capite noxia ſunt. Ea quæ à tota ſubſtantia nocent, ut *Napellus*, nullam ſui nocumenti cauſam manifeſtant; & ideò ab occulta, & nobis ignota proprietate agere ea Philoſophi dixerunt. Ea quæ ſolis qualitatibus agunt manifeſtis,ut ſuccus lactucæ, qui ob exuperantem frigiditatem occidit:multi noluerunt propriè venena dici;in noſtro autem propoſito poſſunt, & debent,venena vocari, cùm venenorum effectus producere poſſint; cauſa verò, propter quam nolunt appellari hæc venena, ea eſt, quod putent plerique de eſſentia veneni eſſe,ut adjunctam habeat occultam proprietatem, quâ generi humano ac vitæ contraria exiſtant. Guainer. *de venen. part. ſecunda, capite* 6. Carrer. *in quæſtione Venen. ad Temp.nota.*1.& 2.Bacc.*in Prolegom.de Venen. capite tertio, articulo* 7. Foreſt. *Obſerv. libro* 30. 1. & 2. *in Schol.* quæ proprietas in ſimilibus quidem deficit,unde excedentia in qualitate nomine tenus poſſe appellari venena voluit Cardan. Pontzer. *lib.*1. *de Venen. capite* 25. imò mixta quædam putrefacta, ut lauri ſemina rancida effecta, aut nuces corruptas, magis venenoſa exiſtimat prædictis Venenis;quæ à qualitatis exuperantia agunt.

Jam verò ea,quæ utroque modo noxia ſunt, ut *Euphorbium & Opium*, non modò illud ob excedentem calorem, hoc autem ob experantem frigiditatem obeſt,ſed etiam quia occulta ea proprietate dotatur, quâ non ſolùm illud, ut Crocus, hoc verò ut lactuca,ſi modum exceſſerint,nobis inimica ſunt,ſed etiam ut talia,veluti cætera omnia,quæ à tota ſubſtantia operantur.

Secundò dividitur venenum à Medicis juxta *quatuor primas qualitates*, ut quoddam calefaciendo, quoddam infrigidando,aliud verò exſiccando,& ſi libet,etiam aliud humectando interficiat; nam hoc plerique non dari credunt:hæc quidem, ut annuimus,etſi, cùm talia ſolummodò ſunt, ut ſolis qualitatibus manifeſtis operentur,propriè venena non dicantur, nobis tamen, quandocunque hæc occidere,vel inſigniter lædere adminiſtrata poſſint,venena dicenda ſunt, non curantes unde effectus ſequatur, dummodò ad ea ſequatur;& licèt privatâ qualitate occulta agendi venena minimè eſſe velint doctiſſimi Medici, ut Carrer. *in citata quæſtione de venen.ad Temp.* Gainer. *ſumm.*4 *ſerm.*4.*capite primo*, Fernel. *de Abd. rer. cauſ. libro ſecundo, capite vigeſimo quinto* Bacc.*in Prolegom.capite* 3.*artic.*7.Mercurial. *ubi ſuprà, cap.* 8. & alii ſuperiùs adducti, id nos nihil omninò movere debet, neque illud diſcutere, ad rem eſt.

Tertiò venena dividuntur à *modo operandi*, cùm quædam occidant putrefaciendo,quædam congelando, alia exulcerando, multa inflammando,alia ſtrangulando;& alia aliis modis nocendo.Putrefaciendo occidit Lepus Marinus,ſtupefaciendo opiũ, idemque congelando,ulcerando, atq; inflammando Arſenicum,Sublimatum,Euphorbium;ſtrangulando,ut fungi, & ſuccus Hyuccæ, cujus meminit diligentiſſimus Medicus, Petrus Caſtellus,de quo aliàs, *in libell. de rarioribus Plant. Hort. Farneſ. cap. ſecundo, ſect.*4. & hujuſmodi,de quibus ſingulis *in ſeqq.*

Quartò dividuntur, quia quædam venena à *Natura* talia ſunt,ut Aconitum,cicuta,& omnia ex ſe eam naturam habentia;quædam per accidens,ut nuces,& lauri baccæ cùm rancidæ fiunt,carnes,aut piſces aſſati, & ſuffocati, aut putrefacti; quædam etiam ab arte, ut ſublimatum aqua fortis.

Quintò, diſtinguntur venena in ea,quæ ſecundùm *tota* venena ſunt, ut Cicuta, Lepus Marinus; & ea quæ ſecundùm *partem*, ut Felis ſecundùm cerebrum,Cervus ſecundùm caudæ extremitatem,Veſpertilio juxta cor,& linguam Rurſus dividuntur in ea, quæ ſemper talia ſunt,ut Bufo, & ea,quæ non ſemper talia ſunt, ut ranæ, limaces, fungi cùm hæc aliquando innoxia ſint,interdum verò maximè noxia.

Sextò,dividuntur quoque juxta eorum *originem*: quædam enim ex mineralibus habentur,ut argentum vivum,arſenicum;quædam ex animalibus, ut Vipera,Torpedo.Addunt etiam nonnulli quædam ex elementis, nam & aër,& aqua videntur interdum talia evadere, ut hominem, non ſecus ac lethale venenum inficiant,ut in peſte.

Septimò, dividuntur ex *modo adminiſtrationis*: nam quædam per os aſſumũtur,quædam ab extra applicantur; & horum quædam morſu communicantur, ut venenum viperinum, ſerpentum omnium,& canis rabidi, & hujuſmodi:quædam punctione,ut venenum Araneorum, & Phalangiorum. [De his eleganter ſingularia exhibet *Raes* pag.708. q.90.]& alia, quædam illitu, vel tactu, quædam olfactu, quædam ſimplici viſu, & auditu. Ac de prioribus quidem nullum dubium eſt,de poſterioribus

ribus autem multi videntur hæſitare. Minùs autem dubitatur de veneno, quod tactu inficiat. Plutarch. *Sympoſ. dec. 5. probl. 8.* Ex Odoard. Barboſ. refert Majol. *dierum canic. coll. 21.* in Delii regno arborem eſſe, Bananam nomine, quæ radices ita venenatas habet, ut tangentes ſtatim perimant: fructus pro antidoto ſunt, ut *ibid.* & alii multi tale venenum dari fatentur, ut ex recentioribus plerique, qui antiquioribus minus fortaſſe creduli ſunt. Joubert. *Parad. 10. dec. ad. 2.* Mathiol. *in 6. Dioſcorid. in præfation.* Grevin. *l. 1. de ven. cap. 1.* Salius *de febr. peſtilen. cap. 11.* imo mirabile eſt, quod narrat Cæſalpin *l. 3. qui eſt de venenis, in ſua pract. c. 46.* quod etiam admittit Grevinus, *ubi proximè*, nimirum Venetiis aliquando peſtem fuiſſe concitatam, ex eo, quod venefici quidam illitis oſtiorum annulis, ac peſſulis lethaliſſimo veneno, omnes penè ex contactu dictorum annulorũ veneno ſint infecti. Mirabilius fortaſſe eſt, ſi ullam veritatem habet id, quod refert Cardan. *lib. 1. de venen. cap. 8.* & alii apud Schenck. *lib. 5. Obſerv. tit. de venenis*, Turcas ſcilicet veneficia adeo præſentanea habere, ut eodem die ſolo contactu interimant. Vero magis ſimile eſt id, quod de veneno ferunt ſolo olfactu interimente, & miror Pigræum, Regiũ Chirurgum doctiſſimum *l. 7. ſuæ Chirurgiæ, c. 9.* negaſſe dari poſſe tale venenum, cùm cæteri Auctores omnes illud admittant: & narrat Paræus, & ipſe pariter Chirurgus Regius, ac vir illuſtris, *l. 20. qui eſt de venen. c. 7.* Clementem ſeptimum Pontificem Maximum, præeuntis venenatæ facis toxico per fumum in corpus admiſſum infeſtum, & exinde extinctum: Pigræus tamen dicet ad hoc, fuiſſe aërem ex fumo illo infectum, nec ſimplicem fuiſſe qualitatem venenatam per nares attractam: tamen quid ad illud, quod firmat Cardan. *l. 2. de Venen. c. 1.* de omnibus venenis, quod odorata vertiginem, dolorem capitis, ſuffocationes afferunt, & idcirco à ſimilium odoratu homines arceat? imò *& l. 2. ibid.* de venenis agit odore interficientibus, *c. 3.* ſed experientiam auctoritatibus cur poſtponimus? mille habemus exempla in animalibus quibuſdam, quæ ſolo olfactu inficiunt, ut de Bufone teſtantur multi. quòd vaporibus ab ipſo expirantibus obvios homines ſtupefaciat. Ardoin. *de venen. lib. 4. cap. 7.* Cardin. Ponzet. *lib. 3. de venen. cap. 12.* & Ovid. *Metamorph. lib. 3.* de ſerpente quem Cadmus occidit, loquens:

Occupat hos morſu, longis amplexibus illos,
Hos necat afflatu, funeſtâ hos tabe veneni.

Videmus etiam quotidie ex odoribus vel malis, vel bonis quoque, multos malè, imò peſſimè affici: ſunt enim qui certæ rei odore, animo linquantur, cordis tremorem capitis dolorem, vertiginem, & alia ejuſmodi incurrant ſymptomata: & conſtat apud Mercurial. *lib. 1. de morb. Mul. c. 2.* & ex Ariſt. ſolo lucernæ extinctæ odore mulieres abortire poſſe: Teſtatum item reliquit Bruyer. *de re cibaria lib. 9. cap. 12.* Jacobum Forolivienſem, Medicum inſignem, ab allii odore, tanquam à re peſtilenti lædi conſueviſſe: quin etiam vel ipſius Roſæ odorem nonnullis lipothymiam, ac ſyncopen excitare parem, qualem caſum narrat Amat. Luſit. *Curation. Medic. cent. 2. cur. 36.* & qualem naturam paſſum fuiſſe Oliverium Caraffam Cardinalem narrat. Pier. Valer. *Hieroglyph. lib. 8. in Scarabeo.* & apud Schenck. ubi hæc ipſa cõmemorata habes. Epiſcopum quendam ſolo roſarum odore extinctum, Cromerus excitat *de reb. Polon. lib. 8.* & mihi quidem albarum roſarum odor adeo inimicus eſt, (non quòd mihi ſit ingratus) ut capitis non modicum dolorem illicò excitet. [Vid. *Scaliger. ex. 153. ſect. 10. Ingraſſius Marcellus, Donatus Digbæus* de putr. ſympat.] Quòd ſi ſuavis ex ſua natura ac alioquin ſalutaris nobiliſſimi floris odor, ſic afficere, ob quandam naturalem contrarietatem poteſt: cur & hoc ipſum in venenis concedendum non ſit, ego non video. Sed convincit omninò *Pigræum* ratio, quæ ſequitur: ſi enim concedamus odorem nutrire poſſe, ut exiſtimant penè omnes Medici, & facit ad hoc Hipp. ſententia, *in Aph. ſect. 2. Aphor. 11. & lib. de alimento*, & vide ad hoc Concil. *diff.* 155. & alios, imò ipſum Gal. *in Aphor. ſect. 2. Aphor. 11* jam concedere cogitur, odorem etiam poſſe corrumpere, & occidere, cùm nutritio, & corruptio ſint contraria, & odor bonus, & odor malus item contraria: contrariorum autem eadem eſt ratio, ut notum eſt Philoſophis, & notatur à Juriſconſultis. Gloſſ. *in l. ſciendum, §. finali, in verbo. nec prodeſt, ff. qui ſatisd. cog.* Card. præterea *lib. 2. de ſubtil.* cùm venena trifariam diviſiſſet, in ea quæ devorata occidunt, in ea quæ ſolo contactu, & in ea quæ odoratu, addidit: Quid mirabilius ſit ex his, incertum eſt: quaſi non majorem admirationem habeat, ſed potiùs venenum contactu, aut odoratu occidens, quàm quod devoratur.

Hæc igitur concedi quidem poſſunt factu poſſibilia eſſe, ſed quòd viſu, & auditu quædam poſſint interficere, paucis admodum perſuaderi poteſt: & tamen de viſu eadem ratio proculdubio militat, quæ in veneno ſolo olfactu occidente militabat. Nam ſi quædam ſunt homini adeò inimica interdum, ut etiam viſa terrorem incutiant, ſyncopen excitent, & alia horribilia accidentia cieant, ita ut homines ex hoc periclitentur: neſcio cur ſimiliter dari non poſſit venenoſum aliquod animal, quod ſolo viſu inficere, ac venenare hominem poſſit. Ego primùm, quid mihi contigerit, enarrabo: Cùm adoleſcens eſſem, & animi gratiâ extra urbem cum coætaneis meis obambularem, & ludo aliquo nos exercere cuperemus, jam ludum inſtitueramus, quo diem liceret tranſigere: ludus talis erat (qui hîc familiariſſimus) unuſquiſque ſuum ſignum jaciens, ad ante jactum adminiculum quàm proximè ſigno accedere ſtudet: ludunt autem bini, aut terni, aut etiam ſinguli. Ego meum ſignum expolire ſtudens (ſunt enim ea ſigna lateritia) ſuper toſum illud percutiens, ex ea percuſſione toſus medius diſruptus eſt: in medio ejus animalcula erant lacertis, quas Tarantulas hîc vocant, non abſimilia, ſed veluti pellem detraxiſſes, carnem nudam oſtendebant, & erant viſu adeò horribilia, ut totus pallidus inde me averterem, vomitu multa rejecerim, atque hinc totus naufeabundus diem illam tranſegerim. Non deerit tamen qui omnia hæc in timorem referet: erit etiam, qui ex tetro vapore inde expirante hæc proveniſſe exiſtimabit: ego tamen ex ſimplici viſus totus illicò horrui. Sed ſunt inſuper, qui aſpectu felium expaveſcunt, & deterrentur, atque etiam animi deliquio prehenduntur: Germanicus, teſte Plutarcho *in libell. de diff. inter od. & invid.* gallum aſpicere non poterat. Quod Leonibus etiam naturale eſt, ut ex Lucretio *infrà* habetur. Monialem novi, quæ adhuc in vivis eſt in Monaſterio S. Claræ de Urbe, hæc ex viſu ſcarabæi mirum in modum afficitur. Accidit autem ut quædam juvenculæ, timoris hujuſmodi ejus Monialis conſciæ, ut illi illuderent, ſcarabæum clam inter mammas illi projicerent, quo comperto de repente exanimata in terrã cecidit, omni ſenſu orbata; & in ſyncopen lapſa frigidis ſudoribus reſperſa, per quatuor horarũ

ſpatium incerta ſalutis permanſit:in ſe reverſa,ſenſimque ſpiritibus recreatis ad ſe rediit,nec niſi poſt plures dies priſtinas vires recuperavit,interim pallida ac tremens exiſtens. Alii quoque ex aliorum animalium intuitu hæc eadem patiuntur,ut nobilis ille Mantuanus,de quo Marc. Donat.*lib.6.de Hiſtor. Mirab.*qui Erinacei terreſtris viſum non ſuſtinebat, ſed ſyncope,ac frigidis ſudoribus corripiebatur:& alia multa hujuſmodi exempla ſcitu non indigna
15 vide apud Schenk. *lib.7. Obſerv. tit. de Idioſyncr.* Ex quibus deducere poſſumus à ſimili dari venenum quoddam,quod ſolo viſu lædere,& interficere etiã poſſit:nam ſi ex iis,quæ venenoſa non ſunt, tam ſæva apparent ſymptomata, ex iis quæ venenoſa ſunt nonniſi mors expectari debet. Sed audiamus, obſecro,quæ cecinit Lucretius *lib.4.de rerum natura*, qui in omnibus ſenſibus nos experiri dolorem, & voluptatem voluit, & conſequenter eſſe quædam noſtris ſenſibus omnibus magis,aut minùs delectabilia,aut inimica. Poſtquam ergo de ſenſibus reliquis locutus eſt, de viſu hæc protulit.

Nec tamen hoc ſolis in odoribus, atque ſaporum
In genere eſt : ſed item ſpecies rerum, atque colores
Non ita conveniunt ad ſenſus omnibus omnes,
Ut non ſint aliis quædam magis acria viſu,
Quin etiam gallum nocte explodentibus alis
Auroram clarâ conſuetum voce vocare,
Neque queunt rapidis contra conſtare leones,
Inque tueri : ita continùo meminere fugai :
Nimirum, quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cùm ſunt oculis immiſſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Prabent, ut nequeant contra durare feroces.

Eſſe autem quoſdam homines, qui ſolo intuitu non tam cæteros homines,quàm animalia,plantas, herbaſque quaſcunque lædant, notum eſt : cujus rei inſigne exemplum habes apud Vidam *Bomb.lib.* 2. de quo aliàs.

Verum enim verò licèt de venenis,quæ ſolo viſu interimere poſſint,hæc probabili ratiocinatione veritatem habere,liceat concludere,tamen multò longius à probabilitate videtur pleriſque, quòd quædam animalia reperiantur,quæ ſolâ voce & expira-
16 tu interficere poſſint.Tamen & ad hoc aliquid eſt, quod in medium adducamus:non enim dubium eſt, quòd in vocis emiſſione halitûs quidam ex ore animalis vociferantis prodeant,qui pro illius animalis natura venenoſi & ipſi eſſe poſſint : quòd ſi audiẽs illius animalis vocem in proportionabili diſtantia ſit, ita ut à vaporibus ex illius ore prodeuntibus contingi poſſit non difficile erit,ut ab eorum venoſitate inficiatur : imò hoc multò probabilius eſt, quàm quòd quis ex ſpiritibus ex oculis emicãtibus infectionem contrahat,cùm viſivi ſpiritus non adeò materiales ſint,& faciliùs ab aëre intermedio diſſipari poſſint, halitus autem ab ore animalis cujuſdam in vocis emiſſione prodeuntes magis materiales exiſtant,& conſequenter non ita de facili ab intermedio aëre diſſipentur. Itaque, ſi, ut dixi, adeò proportionabili diſtantiâ audiens à vociferante abſit ut halitus illi venenoſi ad auditum pervenire poſſint,jam non difficile erit audientem venenari:neque enim verum exiſtimo in omni diſtantia id contingere poſſe,quia ſi magna ſit,vix nudus ſonus in aëre receptus ad audientis aures perveniet:at tunc quanam ratione inficere poſſit, ego non video.

Ex his ergo manifeſtum fit,quod ex Antiquorum
17 ſententia aſſerebant Medici nonnulli, hominem ſcilicet poſſe per omnes ſenſus venenari. Guainer. *in libro de venen. caput primo,* Ardoin. *de venen. lib.* 1. *c.* 2. Quod Lucretius demonſtrabat *lib.* 6. carmine ſequenti.

Multa meant inimica per aures, multa per ipſas
Inſinuant nares infeſta, atque aſpera odore.
Nec ſunt multa parum tactu vitanda, nec autem
Aſpectu fugienda, ſaporeque triſtia quæ ſint.

Octavò,Medici venena dividunt in ea,quæ primò 18
cor petunt,& in ea,quæ quandam *aliam partem* primò, & ex ſua natura inficiunt:nam tametſi aliqui voluerint,omnia venena, ſive intus, ſive ab extra applicentur,ſemper primò cor ipſum petere,dehinc aut hanc, aut illam partem, cui magis familiaria ſunt,ut Nicol.Flor. *ſumm.4.ſerm.4.qui eſt de venenis,* 19
*c.*1. Ardoin. *de venen.lib.*1. *cap.*7. Alph.Ferri *de ſclop. vulu.lib.*1. *c.* 4. Langius *lib.*1.*epiſt.*68. Steph. Roder. Caſtr.*in Microt.lib.*2 *c.*12.Quia ut inter medicamenta ſunt,quæ cæteræ cuidam parti appropriata exiſtunt ita ut corpori,adhibita promptiùs illam partem quàm cæteras petant:ita communem credunt eam eſſe venenorum naturam, ut cor primò petant,maximè quia ipſos vitales ſpiritus, quorum origo cor eſt, abſque dubio promptiſſimè corrumpunt,& per arteriarum continuum motum facillimè ad ipſum cor attrahuntur:alii tamen faſſi qui- 20
dem ſunt, venena cor petere,non tamen ſemper primò,& immediatè:hæc autem magis communis opinio eſt,& ab omnibus penè aliis recepta, Concil.*diff.*178.*& lib.de venen.cap.*1.Guain. *de ven.reſp.ad dub.*4.licet,neſcio cur,hic contra Conciliatorem loquatur Cardin.Ponzett.*de venen.lib.*1. *cap.*9. Fernel. *lib.* 2. *de Abd. c.* 15. Matthiol. *in præf. ad* 6. *Dioſcor.* Lang. *Epiſt. lib.*1. *Epiſt.* 68. Grevin.*lib.* 1. *de ven. c.*1. Vid.*de curat.gener.cap.*12 *p.*2.*ſect.*2. Paræus *lib.*20.*cap.* 1. Gorræus *in præfat. ad Nic. Alexip.* Bacc.*in prolegom Venen.cap.*6.*art.*3. *& cap.*18.*artic.* 1. *& alii*, quos brevitatis causâ omitto.Et ad id, quod objiciebat Ardoinus : nimirum venena ſpiritus vitales corrumpere,reſpondent nonnulli negando, nam eſſe 21
quædam, quæ ſpiritus corrumpant, concedunt : omnia negant, quippè cùm alia ſint quæ corrumpant humores, alia item quæ membra,ut Bacc.*ubi ſuprà cap.*6.*art.*2. Imò,ut experientiâ patet, & notat Cardan. *libro de venen.capit.*16. ex venenis ſunt, quæ non cor,ſed cerebrum inimicum habent; alia, quæ nec cerebrum, neque cor, ſed hepar : ſunt enim venena quædam,quæ vel ſomnolentiam,vel lethargum,vel maniam, vel fatuitatem pariunt,abſque eo,quod nimirum,quid læſionis in corde appareat : ſunt etiam qui dyſentericos, & hepaticos fluxus conciunt : itaque non ſolum neceſſarium non eſt, venena primò cor petere,ſed poſſibile eſt cor à venenis nullo modo inſici,infectis tamen aliis partibus.Illud verum eſt, & locum habet in venenis quæ tandem interimunt, ſemper illa ſaltem in fine operationis cordi inſidiari : hoc autem inde fit,quia cæteris partibus compatitur, ut in morbis 22
evenit, qui licèt cordis proprii non ſint, tamen ſi occidant,etiam ipſum cor adoriuntur, cùm mori non poſſit animal corde in ſuo vigore exiſtente. Quod verò ab omni penè veneno ea ſymptomata proficiſcantur, quæ cor affectum eſſe commonſtrant,hinc eſt,quia os ventriculi in iis, quæ per os aſſumuntur,primò recipiens venenum,primò etiam læditur, ex cujus læſione ſymptomata penè eadem apparent, quæ apparere ſolent affecto corde, ut Medicis eſt notiſſimum:in iis autem, quæ ab extrà adminiſtrantur, ineſt quidem ut plurimùm ea proprietas cordi inimica, ut omnes Doctores fatentur.

Dividuntur etiam venena in ea,quæ ſunt tenuis 23
ſubſtantiæ,

ſubſtantiæ & in ea, quæ ſunt ſubſtantiæ craſſæ licèt Cardan. *lib. 1. de venen. c. 4.* omnia venena velit eſſe ſubſtantiæ tenuis, præter erodentia, quod an veritatem habeat, ad præſens diſcutere operæ pretium non eſt: illud ſcimus, multa eſſe, quæ craſſæ ſubſtantiæ ſunt, & inter erodentia non connumerantur.

Præter commemoratas autem venenorum diviſiones, alias plures afferunt Medici, quas nos omittimus data operâ ne tædio Lectorem conficiamus; ſed qui de his plura ſcire deſiderat, ipſos Auctores adeat, præcipuè verò Nicol. *ubi ſupr. c.* 1. Ardoinũ *ib. lib. 1. & 2.* & alios in hac materia de venenis: non enim pro Juriſconſultis quicquam tot diviſiones facere videntur. [Confer doctiſſimam diſputationẽ de venenis Excell. DD. *Fauſti* Archiatr. Palat.

SUMMARIUM.

1 *Tria genera venenorum.*
2 *Arſenicum non ſolùm venenum eſt, ſed validiſſimum.*
3 *Venena quædam bona, quædam mala.*
4 *Venena mala ad necandum, bona ad ſanandum. Venenorum quædam mortifera, quædam non.*
5 *Mortifera venena quæ.*
6 *Venena non mortifera quæ.*
7 *Venena aliqua mortifera unicâ vice interimunt,*
8 *Alia niſi repetantur, non occidunt.*
9 *Venena mortifera alia citò operantur, alia tardè.*
10 *Venenorum non lethalium quatuor genera.*
11 *Venenorum non lethalium diviſio.*
12 *Venena ſemper & cum celeritate interimentia, quæ.*
13 *Putrefacientia venena tardè operantur.*
14 *Venena, quæ non de facili occidunt.*
15 *Venena temperanea.*
16 *Venena non interimentia.*
17 *Quædam quanquam venena non ſint, ſi ad effectum nocendi dentur, pœnæ reum faciunt delinquentem.*
18 *Medicamenta nocentia exhibentes, etiamſi non occidant, irregulares fiunt.*

De Venenorum diviſione juxta effectus.

QUÆSTIO III.

1 MAgis ad rem pro ipſis *Juriſconſultis* dividẽda à nobis ſunt venena, juxta eorũ *effectus*; ſed primò adducamus diviſiones, quas ipſimet adducunt, faciunt enim tria genera venenorum: unum eorum quæ naturâ quidem mala ſunt, ſed arte, & præparatione bona efficiuntur: hæc nos medicamenta venenoſa appellamus, quale eſt Elleborum. Alterum eorum, quæ & naturâ mala ſunt & talia ſemper permanent, quæ nos propriè venena naturalia appellamus, quod à natura venenoſam contrarietatẽ humano generi inimicam ſortiantur, quale eſt Arſenicum: quanquam Malvaſia *conſilio* 113. *num.* 23. abſque ratione dixerit, Arſenicum non venire appellatione mali veneni, teſtimonio, quòd Aromatarij illud impunè vendant, & quòd Meſuẽ *in pract. cap. de Aſthmate*, ex Arſenico pillulas conficiat, & alia medicamenta per os aſſumenda. Arſenicum tamen non ſolùm venenum eſt, ſed inter venena validiſſimum. Cæſalp. *de Metall. libro primo*,
2 *capite* 29. Erodit enim, ac putrefacit, qui duo effectus maximo cum ægrotantium cruciatu apparent. Quòd autem Arabes nonnulli Arſenicum præbeãt in tuſſi antiqua, ut Avicenna & Meſuẽ, mirandum eſt, & quòd ipſis præſcribẽtibus aſſumendum relinquatur, nec injuriâ ejus rei miratur Foreſt. *libro trigeſimo, Obſervat. 8. in ſchol.* cum ex omnibus venenis illud præſentiſſimũ eſſe affirmet. Fortaſſe aliud quid Arabes ſibi voluerunt, Interpertes autem Arſenicum tranſtulerunt: licèt Petrus Caſtell. *in ſuo libello de Arſenico, Sandarach*, hanc Avicennæ, cæterorumqtie opinionem defendat, ac doctiſſimè tueatur, tamen venenum & ipſe eſſe concedit *ſect. 4.* Quomodocunque verò ſit, ad rem noſtram redeuntes, de ſuperioribus veneni generibus mentionem habent Leges *in l. Quod ſæpè, §. veneni, de contrabend. empt.* Sed tertium genus eorum conſtituunt, quæ arte venenoſa fiunt, & nos venena artificialia nominamus, ut ſublimatum. Ita inter Juriſconſultos dividit Damhoud. *in Enchirid. rer. Crimin. c. 4. n. 4.* ſed Paul. Grill. *de fortil. q. 3. 25. & q. 5. n. 7. & q. 12. ſub num.* 4. magis ſuccinctè venena diviſit in bona, & mala *ſuperiore quæſtione* dixi: & mala 5
omnia ea vocat, quæ aut mortem, aut inſignem noxam inducunt, ut febrem, tuſſim, phthiſim, dementiam, ſterilitatẽ: bona verò, quæ non mala, quæ amorem excitant. Sed non vidit hic, unum idemque venenum facere ſe bonum ſimul & malum: nam ſi quod dementiam parit, malum eſt, & quod amorẽ bonum: jam patet, quòd illud quod Amorem conciliat, & bonum ſimul & malum erit: neque enim venenum ullum dari poteſt, quod amorem vi conciliet, quod ſimul etiam dementiam non pariat: meliùs ipſemet ibid. *quæſt.* 12. dicebat, venena mala ad 4
necandum, bona ad ſanandum.

Nos pro Juriſconſultis in hac quæſtione, venena dividamus ſecundum eorum effectus; nam eoſdem effectus ab iisdem venenis emanantes, illi de Reorum pœna, ac de aliis ad rem facientibus, judicium ferent. Itaque venenorum quædam mortifera ſunt, quædam non mortifera. Mortifera ſunt, quæ 5
vel actu interimunt, vel habent interimendi po- 6
tentiam, & hominem in manifeſto vitæ diſcrimine ponunt. Quod enim Mercurial. *libro primo, de venen. capite* 5. dicebat omnia ſcilicet venena, vel interimere, vel habere interimendi aptitudinem, veritatem non habet, cùm plura venena ſint, quæ neque interimant, neque quicquam vitæ obſint, ut nonnulla quæ mentem lædunt, neque aliud afferunt incommodum, neque ex tali leſione vitam breviorem efficiunt. Cardan. *citat. libro primo, capite vigeſimo ſexto*, ſed Mercurialis fortè hæc inter venena non connumeraret. Venena non mortifera dicẽda ſunt, quæ inſignem læſionem corpori afferunt non tamen vi- 7
tæ obſunt, ſaltẽ ſenſibiliter, licèt inſenſibiliter, & in rei veritate aliàs id efficerent. Eorum quoque quæ 8
mortifera dicuntur, nonnulla ſunt, quæ unicâ vice adminiſtrata interficiunt; alia verò, quæ niſi repetantur, ſuum effectum non produnt. Imò hoc peculiare eſſe erodentium, & putrefacientium venenorum, tradit Galen. 3. *de ſimpl. Medic. capite* 25. & Cardan. *libro* 2. *Contrad. Medic. tract.* 2. *contrad.* 10. ſcriptum reliquit, quòd ex decem, qui venenum bibunt, vix unus, niſi repetatur, moritur: ex cujus aſſertione videretur deduci poſſe, id commune eſſe omnibus venenis, aut ſaltem pluribus, & ſecundùm plurimùm: ſed profectò experientia docet, multa eorum eſſe, quæ vix primoribus labris ſemel deguſtata, abſque eo quòd repetantur, interficiunt, & brevi, ut Aconitum: de quo Plin. *lib. 27. capite* 2. & Ruell. *de nat. ſtirp. lib. 2. capite* 113. dicebant, quòd in occidendo eſt inter omnia venena ocyſſimum, & inter Juriſconſultos idem quoque teſtatur Guibert. *quæſt. Juri dic. capite* 16. *numero* 28. qui & ex Medicorum ſententia folia & fructus Aconiti non nocere dixit: & tamen conſtat ex Appiano Alex. *in bello Mithrid.* Orodem Aconito ebibito, & alvo per illum ſoluta, non interiiſſe, labora-

bat

bat autem aquâ incer ate, & venenum à Phrahate filio datum. Narrat præterea Aloyſ. Cadam. *in ſua priori navigatione*, venenum reperiri adeò præſentaneum, ut ſpatio quadrantis horæ occidat, & Jo. Leo *ſuæ Aphricæ part. 7. in fin.* ex quo repetit Card. de alio mentionem habet, cujus granum inter decẽ homines partitum, ſpatio quadrantis horæ, omnes interimat.

Inſuper venenorum, quæ interficiunt, alia modi-
9 co temporis ſpatio, ut paucis horis, vel diebus id præſtant: alia nonniſi poſt longum tempus: utraque autem tam à Natura, quàm ab arte id habere poſſunt. ut aut celeriùs, aut tardiùs ſuos effectus prodant, ut abundè poſt hæc videbimus.

Eorum porrò, quæ non interficiuntur, ſed ſolùmodò noxam aliquam corpori humano inferunt, plura
10 genera ſunt. Cardan. tamen *citato ſæpius lib 2. de ven. c. 26.* ad quatuor genera reduxit, in amatorium ni-
11 mirum, maniacum, contagioſum, & debilitans. Nos magis diſtinctè dividamus in ea quæ infatuãt, quæ inſanire faciunt, in quibus etiam amatorium comprehenditur (nam & amor ſpecies Melancoliæ eſt, ut *ſuperiori titulo, in propria quæſtione de Amantibus* oſtendi.) in ea, quæ abortum faciunt, quæ ſterilitatem inducunt, quæ coëundi impotentiam, quæ contagioſum morbũ, quæ membrorum paralyſim, ac debilitatem, & quæ particularem aliquem morbum conciũnt: ſi quæ verò alia ſunt, ad hæc reduci poſſunt, ut ſi quæ odium uxoris aut aliarũ quarumcunque perſonarum, inducunt, ad Maniacum, ſeu quod inſanire facit, & ſic de aliis.

Exemplificemus autem hæc omnia pro ipſis Juriſconſultis, ut Medicorum dicta de his differentiũ
12 faciliùs aſſequi poſſint. Venena ergo, quæ interimũt & ſemper & cum celeritate, ea ſũt, quæ à tota ſubſtantia, ut Medici loquuntur, agunt: hæc enim inter omnia præſentanea hebentur, ac præ cæteris noxia ut omnes fatentur. Valeſc. Tarent. *lib. 7. Philon. c. 29.* Bertruc. *lib. 2. pract. 3. cap. 1.* Ardoin. *de Ven. lib. 1. cap. 3.* Gorræus *in præf. ad Nicandr. Alexiph.* Guain, *de Ven. cap. 1.* Nicol. *ſumm. 4. ſect. 4. cap. 3.* & in hoc omnes conveniunt: ſed inter hæc ipſa ſunt, quæ celeriùs, & quæ tardiùs opus conficiant: nam, ut jam ſuperiùs dixi, Aconitum inter ea, quæ per os aſſumuntur, celerrimè interficit: & Chriſtoph. à Coſta *lib. Aromat.* de quodam veneno ex planta Malavatica deſumpto mentionem habet, quod adeò citum in occidendo dicit, ut ob ejus celeritatem nullum antidotum adhuc invenerint Indi contra ejus perniciem. Inter ea verò, quæ ab extra adveniunt, celerrimum eſt venenum aſpidum, ut Bacc. *cap. 5 in Prolegom. Venen. & capit. 15. artic. 1.* tradit: & quatuor horis vix ſupereſſe, qui commorſus fuerit, teſtatur Cœl. Rhodig. *lect. Antiq. lib. 25. cap. 31.* unde propter multam ejus malitiam in Sacris vocatur inſanabile. *Deuteron. cap. 32. verſ. 33.* Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile: qua de re perpetuò apud Sacras paginas pro veneno omnium peſſimo, aſpidum venenum per Antonomaſiam nominatur, ut *Pſal. 139. verſic. 4.* venenum aſpidum ſub labiis eorum, & aliàs multoties: quod & teſtatur Ælian. *de Hiſtor. anim. lib. 1. cap. 54.* his verbis: *Solum aſpidis morſum negant curari poſſe, eſſeque omni medicina ſuperiorem.* Quod concordat cum Ariſtot. *lib. 8. de Hiſtor. Anim. cap. 29.* Tardiora ſunt in operan-
13 do, quæ putrefaciunt, & craſſæ terrenæque ſubſtantiæ ſunt: nam hæc longo etiam poſt tempore, reſpectiva ad prædicta, à quo ſumpta ſunt, aliquando interficiunt. Galen. *de ſimpl. med. lib. 3. cap. 3.* omnia hæc tamen cum certitudine interimunt, nec opus ad longum tempus retardant. Minori cum 14
certitudine occidunt ea, quæ magis ab excedenti qualitate, quàm ab occulta vi contraria exiſtunt, ut ſuccus Lactucæ, ſolatrum, cicuta, crocus: irrita enim magna ex parte fiunt, de hiſque dicebat Galen. *ubi ſuprà, capit. 18.* quòd niſi celeriter interimant, nullius effectus redduntur. Ratio autem ea eſt, quia ſi Natura illam excedentem qualitatem illicò ab eorum aſſumptione ferat, facile eſt, ut eam omninò exuperet: deinde utplurimùm in ea quantitate non aſſumuntur, quæ ſatis ſit ad occidendum; at deficiente quantitate, quà ſolum noxia ſunt, occidere non poſſunt. Galen. *ubi ſuprà, cap. 13.*

Cæterum Venena, quæ interimunt quidem, non tamen celeriter, ſed ad rationabile quoddam tẽpus, 15
ea ſunt, quæ venena ad tempus Medici vocant, de quibus longa diſceptatio inter Doctores eſt, quam ſeorſim ob ejus difficultatem pertractabimus. Interimunt autem venena quædam, ut diximus, putrefaciendo, quædã erodendo alia ſtrangulando, non- 16
nulla ſtupefaciendo, ac ſanguinẽ congelando: plura animalem facultatem, & vitales ſpiritus devaſtando, & abſumendo.

Sed ea quæ non occidunt, ſed tantummodò noxam aliquam corpori inferunt, plura ſunt, ut ſuprà dictum eſt: ac primò ea, quæ hominem infatuant, ut nonnullorum animalium cerebella, quæ ob eorum frigiditatem animales ſpiritus partim extinguunt, partim incraſſant, ita ut intellectioni minùs apti dehinc efficiantur: alia inſaniam pariunt, ut Solanum Maniacum, & inter hæc, ut dixi, *pocula amatoria, & philtra* [de quibus conſul. *Reies* quæſt. 29.] recenſentur, nam etiam hæc cum aptis venenis conficiuntur, ut ex Juriſconſultis tradit Farin. *in pract. crimin. tit. de homicid. quæſtion. 122. num. 91. part. 2. tom. 2.* alia abortum procurant, aut ſterilitatem inducunt: & hæc quidem non neceſſariò venena exiſtunt: nam multa ſimilia nullam omninò læſionem corporibus aliàs inferunt, ita ut non habeat veritatem id, quod Farinac. *ubi proximè*, & alii tradunt, nimirum, Pocula abortionis, & ſterilitatis cum venenis confici, ſi de venenis propriè dictis id intelligant: nam plura, quæ in cibis innoxiè ſumuntur, abortum procurant, & ſterilitatem efficere poſſunt: tamen ſi ad eos effectus propinentur, venena lato modo appellare poſſumus: non ſecus enim ac ii, 17
qui venenum propriè ſic dictum propinant, hi quoque puniendi veniunt, *l. Cicero, §. ſed ſi qua. Digeſt. de pœnis. leg. Item ſi obſtetrix. § ſi quis per vim. ff. de ad l. Aquiliam.* & hi quoque ut illi irregulares fiunt. 18
Nicol. Plovius *de Irregularit. numer 21.* Non abſimilia etiam ea ſunt, quæ coëundi impotentiam inducunt, non ex parte viri tantùm genitales partes ignavas reddendo, ſed etiam ex parte fœminæ; ſuſpicionem hæc tamen majorem habent, & veneficiis proximora ſunt, ut quæ vix abſque Dæmonis opera contingere poſſe videãtur. Non ſine venenoſitate tamen ſunt, quæ contagium, vel morbũ contagioſum inducunt, ut lepram, phthiſim, & hujuſmodi, quemadmodùm & ea, quæ alicujus membri debilitatem afferunt: qui effectus etiam venenis propriè dictis aliquando habetur, cùm homo ab illius pernicie evadit: ac denique ea, quæ peculiarem aliquẽ morbũ inducunt, non abſque ſuſpicione venenoſitatis & ipſa ſunt, ut quæ Epilepſiam, Lunaticum morbum, icteritiam, & alias noxas afferunt, ut jam ſuprà diximus.

SUM

SUMMARIUM.

1 *Ad rei condemnationem non ſufficit propria confeſſio, ſed conſtare debet de qualitate & quantitate veneni.*
2 *Adamantem vulgus pro veneno exiſtimat.*
3 *Non tenet rei confeſſio circa veneni qualitatem, niſi de ea per peritos conſtet.*
4 *Non tenet rei confeſſio circa quantitatem veneni, niſi periti de ea deponant.*
5 *Venena quædam occidunt à qualitate occulta, quædam à qualitate manifeſta.*
6 *Venena ab occulta qualitate certiùs occidunt.*
7 *Venena omnia horribilia ſunt, & à natura alieniſſima.*
8 *Conjectura deſumpta ex natura veneni eſt maxima.*
9 *Venena quædam nullam habent occultam proprietatem.*
10 *Quantitas in venenis, qua occultam habent proprietatem, non adeò conſiderabilis, ut in cæteris.*
11 *Venena quæ occulta proprietate operantur in minima quantitate aſſumpta occidunt.*
12 *Minima veneni quantitas, neque corpus alterat, neque occidere poteſt. Contr. n. 15.*
13 *Venena exitialia qualitate potiùs, quàm quantitate offendunt.*
14 *Venena deleteriam facultatem habentia quantitate non expenduntur.*
15 *Conciliatoris ſententia de quantitate refellitur.*
17 *In frigidis venenis notabilis, & certa quantitas requiritur, ut occidant.*
18 *Quantitas veneni Judicis arbitrio definienda, adhibito Medicorum judicio.*
19 *Judicis arbitrium intrat in rebus à Jure non definitis, vel quæ definiri non poſſunt.*
20 *In definienda veneni quantitate ſufficiente ad occidendum, quæ conſideranda.*
21 *Calida venena citiùs calida temperatura necant quàm frigida, & ſimiliter de aliis.*
22 *Adamas ſecundùm nonnullos Medicos eſt venenum. Contr. n. ſeq. & n. 24.*
25 *Magnes venenum eſt ſecundùm aliquos. Contrarium num. ſeq.*
27 *Nux vomica, an venenum ſit.*
28 *Vitrum an ſit venenum.*
29 *Ex vitro aſſumpto mori quis poteſt.*
30 *Venena nonnulla, quæ pro venenis non reputantur.*
31 *Argentum vivum venenum eſt. Contrarium num. ſeq. die ut num. 33.*
34 *Plantæ ex ſua natura non venenoſæ, an arte fieri poſſint venenoſæ.*
35 *Animalia venenoſis cibis nutrita an & ipſa in cibis aſſumpta, ſint venenoſa.*
36 *Animalia venenoſis ſagittis confoſſa, an comeſta venenoſa ſint.*
37 *Animalia armis venenatis occiſa innoxiè in cibis comedantur. Contr. num. ſeq.*
39 *Animalia cibis venenoſis nutrita, comeſta non nocent. Contrarium n. ſeq. die ut n. 41. & 42.*

De Qualitate, & Quantitate Veneni.

QUÆSTIO IV.

PRudenter quidem *Juriſconſulti* hoc punctum in conſideratione habuerunt: nam in veneficii delicto non ſatis illis eſt, ut reus confiteatur dediſſe ſe alicui venenum, ſed volunt ad hoc, ut ille condēnari poſſit, & ut dicatur quis ex veneno periiſſe, conſtare ex peritorum atteſtatione, tale venenum in tanta quantitate ſumptum, aptum fuiſſe ad inferendam mortem, aliàs reum etiam confeſſum condemnari poſſe nolunt. Boſius *in pract. crimin. titulo de del. num* 8. Et hoc optimâ quidem cum ratione: nam caſus dari poteſt, in quo quis naturæ venenorum ignarus, præbuerit alicui aliquid in potibus, vel cibis, quod venenum eſſe putabat, cùm tamen aut omninò venenum non eſſet, aut eſſet quidem venenoſum, non tamen quod mortem inferre poſſet, ut exempli gratiâ, Adamantis ſcobs, quam vulgus hominum venenum eſſe credit, cùm verè venenum non ſit. Garzias ab Hort. *in Hiſtor. Aromat. libro primo, capite 41. in fine*, ſi ergo hæc ab aliquo aſſumatur, & interim intereat, proculdubio quòd ex ea adamantis ſcobe, quam venenoſam putabat, non interiit: non tenet ergo ex hac cauſa rei confeſſio circa veneni qualitatem. Neque aliter dicendum eſt de quantitate: nam ſi exempli gratiâ, quis propinaſſet inimico ſuo decem opii grana, credens hanc opii quantitatem ſufficientem eſſe ad illum interimendum, interimque caſu ille intereat, hic proculdubio crederet ex eo veneno hoſtē ſuum periiſſe, & à curia deprehenſus delictum non ſuum confiteretur, & in pœnam mortis damnaretur, maximo cum juſtitiæ detrimento, cùm verè octo aut decem opii grana interficere non poſſint, quod pro exemplo dico. Itaque hæc diſcutiamus neceſſe eſt, pro quibus revocanda in mentem ſunt, quæ in hoc eodem titulo in principio dicebamus, eſſe nimirum venenorum quædam, quæ à qualitate interficiunt occulta, alia, quæ à qualitate manifeſta operantur. Porrò certiſſimè, aut ut melius loquar, majori cum certitudine interimere diximus ea, quæ ab occulta proprietate, & qualitate noxia ſunt, quàm quæ manifeſtis agunt qualitatibus: & rationem addidimus, huic quæ ſequitur, non abſimilem: priora enim ſolâ occultâ qualitate officiunt, (licet aliquando inſimul manifeſtam conjunctam habeant) quæ quidem in quantumvis minima quantitate reperitur, neque habet in corpore quicquam ſibi contrarium, quod illam obtundat, aut evincere poſſit: poſteriora, nonniſi quantitate nobis contraria habent quod illis adverſetur, ac ea edomare poſſit, qualitates ſcilicet contrarias: præterquam quòd, cùm nonniſi in magna quantitate aſſumpta hæc noceant, illa verò etiam in minima, facilius eſt hominem decipere aut illum ex ſe decipi in quodam modicæ, quàm in magnæ quantitatis veneno, præſertim cùm omnia horribilia ſunt, & à Natura alieniſſima.

His ſic ſe habentibus, quid ex hoc diſcurſu Juriſconſulti elicere poſſint, manifeſtum eſt: quippe cùm ubi venenum ex Medicorum ſententia tale fuerit, ut ab occulta qualitate operari potuerit, maximam habebunt conjecturam, imò evidentiſſimam præſumptionem, quòd ex eo mors potuerit dependere: & quanquam, ut *quæſtione ſecunda* dixi, plerique Medicorum in venenis hoc requirant, ut omnia præter manifeſtas qualitates, habent etiam qualitatem occultam, & non ex priori tantùm capite, ſed ex utroque nocere poſſint: tamen concedamus illis nos quicquid volunt, dummodò illi nobis non denegent, quædam eſſe, quæ ab ipſis fortaſſe venena non appellantur, quæ tamen interficiunt, & hoc ea nonniſi manifeſtis qualitatibus efficere poſſe. Nam quis dixerit, lactucæ ſuccum eſſe venenum, & habere qualitatem occultam nobis contrariam, ex eo quòd ſi in quantitate multa aſſumptus ſit, non aliter quàm Cicuta, aut opium interficiat teſtante hoc Gal. 3. *de ſimpl. med. capite decimo octavo*: ſi alia ex parte lactuca comeſta ſanguinem non omninò vituperabilem generat, & ſuccum habet omnibus herbis laudabiliorem, ut idem Galen. 2. *de Alim. facult. capite quadrageſimo, Claſſ.* 2. docet, & repetit Oribaſ. *Collect. libro ſecundo, capite primo*, Simeon Sethi *de Aliment. littera M. capite ſecundo*, & alii? ſic etiam porrum, quis dixerit venenum eſſe, & contrarietatem habere occultam, cùm in cibis in quotidiano uſu ſit, & in medicamentis admittatur: tamen porri ſucco trium denariorum pondo hauſto, Mela Ordinis Equeſtris vir, ſine dolore expiravit, referente Plin. *Natur. Hiſtor. libro decimo nono, c.* 6.

Quantitas ergo in venenis non adeò conſiderabilis eſt, in iis quæ ab occulta proprietate agunt, & verè,

verè,ac maximè deleteria ſunt,ac Naturæ humanæ inimiciſſima, ut in iis quæ manifeſtis qualitatibus interdum occidunt : non tamen ob id quis exiſtimet velim, quòd illa prorſus quantitate denudata exiſtant, ſi effectum ſuum ſortiri debeant, ſed loquor reſpectivè ad alia:nam ſi eorum,quæ à manifeſtis agunt qualitatibus,exempli gratiâ,tanta requiratur quantitas, ut unicam æquet, illorum ſatis erit ad occidendum centeſima unciæ pars, ita ut reſpectu cæterorum, vix ullius conſiderationis hæc quantitas ſit : unde de his dicitur à Medicis, quod etiam in minima quantitate aſſumpta occidunt. Gorræus *in præfat. ad Nicandr. Alexiph.*

11 Quando igitur Medici aſſerunt in quocunque veneno neceſſariam eſſe quantitatem, ad hoc ut præſumptum interficiat. Gal.5.*de ſimpl. Med facult. cap.*24.*claſſ.*7.*&* 2. *Aphor.*17.Mercurial.*lib.*1.*de venen. cap.* 5. ſic, & non aliter eorum dicta interpretanda veniunt, quem admodùm etiam, quando dicunt, quòd minima veneni quantitas,neque corpus alterat,neque perimere poteſt. Nicol. *ſumm.* 4. *tract* 4.

12 *capite* 1. Ponzett. *de Ven. lib.* 1. *cap* 14. hoc ſimpliciter intelligendum de tam modica quantitate, ut ex ſe notabilis non ſit : & ſic vera remanet ſen-

13 tentia,quod medicamenta exitialia qualitate offendant, non quantitate, ut inter cæteros teſtatur

14 Actuar. *libro quinto, Meth. capite* 12. & quòd deleteriam habentia facultatem, non ſint quantitate expendenda,ſed naturæ contrarietate,ut optimè concludit Codronch.*in med.teſt.capit.*6. His tamen non parum contrariari videtur Concil. *in libro de venen. capite primo, in fine,* cui aſſentitur ex Recentioribus

15 Foreſt. *Obſervation.libro trigeſimo,Obſervation. prima, in ſchol.* Voluerunt enim hi ſimpliciter in deleteriis non conſiderandam quantitatem, ſed eorum vel minimam portionem, etiam talem ut noſtrum ſenſum effugiat, poſſe interficere : Rationem reddunt, quia tale venenum quamcunque corporis noſtri humiditatem contingat, in ſui naturam convertit,ex quo fit ut ipſum ſeipſum multiplicet, ita ut etiamſi centeſimam unius grani partem Napelli quis aſſumeret, tamen moreretur ex quo hæc particula Napelli humores adorta primò ſe reduplicat, dehinc etiam triplicat, ac quadruplicat, ac ſe denique adeò multiplicat, ut animal univerſum in

16 ſui naturam transformet. Tamen hæc Conciliatoris ſententia non eſt undequaque vera : neque quis imaginari unquam poterit, quomodo inſenſibilis quantitas agere in obvios humores, ac ſpirieus poſſit, & idcircò meritò confutatur hæc opinio à Cardinal. Ponzett. *libro primo de venen. cap.*9.

Major dubitatio eſſe poteſt in his quæ occidunt quidem, non habent autem Naturæ contrarietatem, ſed ſolâ quantitate vitæ inſidiantur, ut de frigidis venenis in genere dicebat Gal. 3. *de ſimpl.*

17 *med.c.*7 in his enim non modò notabilis requiritur quantitas, ſed certa, à qua ſi deficiant, non ſunt apta mortem accerſere : & idcirco ponamus aliquem propinaſſe alicui ſcrupulum dimidium Croci, vel dragmam Hyoſcyami,vel unam, aut alteram Solatri, aut unciam Cicutæ, vel duas ſucci Lactucæ, proculdubio etiamſi aſſumens interiret, non poſſet dici ex eorum venenorum culpa interiiſſe, quia hæc in hac quantitate ſumpta interimere non poſſunt,quod exempli gratiâ dico. Quænam igitur quantitas in his requiratur, cùm certo limite deſignari non poſſit,ut omnes Medici fatentur,Nicol. *ubi ſuprà, & alii* : remanet,ut Judicis ar-

18 bitrio ſit definiendum,adhibito prudentium Medi-

19 corum judicio:nam arbitrium Judicis intrat in rebus minimè à jure definitis, vel quæ definiri non poſſunt,ut ex Juriſconſultis habeo.Menoch. *de Arbitr. libro primo, quæſt.* 11. *n.* 2.

In definienda autem hac quantitate Medicus 20
plura ante oculos habere debet,nimirum temperamentum aſſumentis,ætatem, virium robur,corporis diſpoſitionem, medicamenti ipſius qualitatem,
& alia:non enim dubium eſt, calida venena citiùs 21
interimere hominem dotatum temperamento calido, quàm dotatum temperamento frigido, contrà frigida certiùs ac citiùs occidere hominem temperamenti frigidi, quàm calidi:quamquam circa hæc Medici multum inter ſe diſſideant, ad nos tamen hæc non pertinent : ſed qui hujus quæſtionis rationes, & argumenta pro utraque ſententia videre cupit, Auctores de venenis adeat in principio:eodem quoque pacto una ætas,ut puericia, & juventus, citiùs, & evidentiùs, & à minori quantitate,quàm conſiſtens, aut ſenectus lædatur : unde vides apud Tacitum *Annal.libro* 14. Senecam aſſumptâ cicuta nihil læſum fuiſſe : quod ob ætatis conditionem eveniſſe crediderim & apud Appian. Alex. Orodem ab Aconito nihil læſum, licet Socrates eodem medicamento Senecæ aſſumpto interierit : tamen puto aliter fuiſſe præparatum Socratis venenum,quàm Senecæ,quòd illud reis à Juſtitia adminiſtraretur.

Verum enim verò cùm non modò vulgus hominum, ſed etiam Medici nonnulli claſſici exiſtimaverint, quædam naturam habere venenoſam, quæ tamen dehinc experientia innoxia eſſe docuit, idcirco admonendi hoc in loco mihi videntur *Juriſconſulti,* ne in judicando errent,aliorum judicium ſequuti. Inter cætera autem,quæ pro venenis ha- 22
bentur cùm non ſint, *Adamas* eſt; cujus nocumenta, & curam aſſerunt etiam nonnulli,ut Ardoin.*lib.*2.*de venen. cap.* 23. imò illum eſſe venenum teſtantur plerique alii,ui Averr. *Collib.lib.*5. *capite* 43.qui balmum valere dicebat contra adamantem bibitum. Et Janus Cornar. *ad Macr. de mat. med. lib.* 4. *c.* 1. de adamante in illis verbis :

Atra venena fugat,

dicebat,adamantem, quamquam venenum eſt, ut 23
nonnullis placuit,reſiſtere tamen veneno, unde licit ille venenum interdum alio veneno vinci. Sed horum auctoritatibus minùs credendum,ubi experientia nos doctos facit, ex qua quidem conſtat nullum nocumentum excitari ab adamante, quocunque modo aſſumpto:plures adhuc hiſtorias, & exempla Card *Contr Med. libro* 2. *contrad. nona,tract.* 5.& Garzias ab Horto *lib.*1. *de Aromat.hiſt.capite* 47. Imò Plin. *Nat.Hiſtor lib.*37. *capite* 4. Macer *ubi ſuprà* & Albert. Magn. *lib.* 2. *de Miner. tract.* 2. *cap. propio de lap. nom. & virt.* noviſſimè Schenck *Obſervat. libro* 7. *tit. de Idioſyncraſ.* affirmant adamantem venena irrita facere : non tamen verum eſt, quod obiter dictum ſit, ut idem Garz. *ibidem capite* 55. & Cardan. *lib.* 7. *de ſubtil.* teſtatur, quòd impediat magnetem, ne ferrum attrahat : id enim volebant Plin. & Alb. *locis ſuprà citatis* & ex horum auctori-
tate Galeot. Mart. *de dict. promiſc. capit.* 12. Ada- 24
mas ergo venenum non eſt:qui autem illum venenum eſſe credunt, decepti fortaſſe ſunt, ex nominum vicinitate : non enim Adamas ſed Argyrodamas effectus adamanti attributos producit, ſeu Amiantus lapis, quem alumen plumæ,aut florem petræ vocant, quod teſtatur Cæſalpin. *art. Med libro* 3. *cap.* 32.

Fuerunt etiam, qui *Magnetem* venenum eſſe 25
voluerunt,ut teſtis eſt Aidoin. *ubi ſuprà cap.* 12. qui

&

& hujus opinionis eſſe videtur,& ante illum Concil. *in libell. de venen. c.* 4. Guainer. *de venen. c.* 9. *rubr.*
26 *de Magnete*, *& alii*: ſed idem Garzias *ibid. c.* 17. non eſſe deleteriæ facultatis, vel venenoſæ tradit, imò paucâ quantitate aſſumptum adoleſcentiam cõſervare. Priores tamẽ non admittunt ſimpliciter, quòd venenum ſit, aut deleteriæ facultatis, ſed quòd hominem melancholicum ac lunaticum efficiat, quod tamen neque admittit Garz. ſi modò vera eſt eorum perſuaſio, qui juventutem conſervare credunt; neque ego poſtremum hoc de magnete verum eſſe crediderim.

Præterea plerique Medicorum, ut Rhaſis 8. *ad Almanſ. c.* 12. Concil. *lib. de venen. c.* 44. Ardoin. *lib.* 3. *de ven. c.* 5. & præ cæteris Matthiol. *in lib. de ven. Dioſcor. c.* 73. quem refert Schenck. unà cùm Cratonis auctoritate putarunt *vomicam nucem* venenum eſſe, cùm
27 tamen Georg. Melichius apud eundem Schenck. *lib.* 7. *de venen. ex plantis*, voluerit, eas nuces, quamquam canib. venen. exiſtunt, homini eſſe innoxias, quod experientia confirmat. Ego profecto caſu ſecuto, quòd quis aſſumptâ vomicâ nuce periret, aliam mortis cauſam non inquirerem, ſtantib. præſertim cæteris conjecturis, & præſumptionib. Forteſſe, vel non eædem ſunt vomicæ nuces Melichii cum nucibus vomicis Seplaſiariorum, vel alterius naturæ, licèt ille ſuas quoque canes interficere, ut noſtræ faciunt, aſſeveret.

28 *Vitrum* porrò Card. *lib.* 1. *de ven. c.* 4. noluit eſſe venenum, etiamſi aſſumptum occidere concedat, & refert ille hiſtoriam *lib.* 3. *Contrad. Medic. tract.* 5. *contr.* 9. quarundam Monialium, quæ ex vitro aſſumpto malè habuerunt, imò earum una aut altera perierunt, & Cæſalp. *lib.* 3. *c.* 23. Vitrum maximè nocere docet, eo quòd inteſtina exulceret, unde etiam mortem cit. Optimè tamen comminutum ac præparatum Medici ad calculum frangendum innoxiè propinant. Quomodocunque ſit, ex vitro mo-
29 ri quis poteſt, unde ad rem noſtram pro veneno habendum, etiamſi non ſit.

30 His addi poſſet *pili felis*, & aliorum quorundam animalium, qui quidem aſſumpti pro veneno ſunt: cùm tamen nullus fortaſſe eos pro veneno exiſtimet: de iis tamen tanquam de veneno agunt nonnulli, ut Ardoinus, *& alii ſuprà citati*. Minùs autem tutiora ſunt hæc ad effectus venenorum producẽdos, & dubium afferre poſſẽt. Verùm quia non omnia hîc recenſeri poſſunt, de quib. dubitare contingit, an verè venena ſint, necne, ego, cæteris poſthabitis, ad unum Hydrargyrum, ſeu Mercurium, vel Argentum vivum, quod vocant, me conferam, ut de quo multum inter Auctores dubitatũ eſt. Claſſici enim penè omnes, ut Dioſcorides, Galen. Plin. Oribaſius, Serapio, Albert. Magnus, & alii, quos luculẽter cumulat Ardoinus *lib.* 2. *de venen. c.* 4. & inter recentiores Vid. *lib.* 10. *de cur. gener. cap.* 3 *p.* 2. *q.* 2. volũt, Argentum vivum aſſumptum venenum eſſe, licèt non omnes conveniant de ejus natura, cùm alii frigidum illud ſtatuant, alii calidum. Contra verò
31 Avicen. 6. 4 *tract.* 1 *ſumm.* 1. *c.* 2. & Rhaſ. 8. *ad Almanſ. c.* 42. & alii apud Schenck. *tit. de Idioſyncraſia*, & Haly. Abb. 3. *pract. c. penult.* volunt Hydrargyrum innoxium eſſe, & minimè deleteriæ facultatis: ac exempla adducunt quamplurima eorum, qui illud abſque noxa biberunt, non ad notabilem ſolùm
32 quantitatem, ſed etiam ad integras libras: imò ſunt ex Medicis non poſterioris notæ aliqui, ut Paræus *lib.* 20. *c.* 38. qui ad libras tres aſſumptum memorant in deſperato Ileo, ſeu volvulo morbo, quem ob ſui atrocitatem, *Miſerere mei* vocant: & in colico dolore ad uncias tres potum mirabiliter conducere dicit ex Mariani Sambaritani teſtimonio. Laudat & ejus uſum Bacc. *lib.* 6. *de Therm. c.* 10. & per os dati, & extra admoti, ſed multò minorem quantitatem præſcribit.

Ejus rei veritas ea eſt (& ita eſſe teſtantur inter recentiores nonnulli, ut Cæſalp. *Art. Medic. lib.* 3. *c.* 26.) *Argentum vivum* noxium eſſe, & venenoſum, & ſuâ venenoſitate occidere poſſe, quod etiam ex eorum auctoritate conſtat, qui negant illud deleteriũ 33
eſſe: ſiquidem fatentur, quod ejus fumus maximè noxius ſit, & paralyſim, & alios morbos excitet: quin & auri impoſitũ, dolorem vehementem, Spaſmũ, Epilepſiam, & Apoplexiam concitat, ut idem Avic. teſtatur, & Betr. *lib.* 2. *ſua Med. tract.* 3. *capite ſecundo*. Sæviſſima porrò accidentia, quæ etiam de foris inunctum ad morbum Gallicum affert, ipſi enarrẽt, qui ſunt experti: unde jure minus acceptus ejus uſus eſt Fernelio, *de Abd. rer. cauſ. lib.* 2. *capite* 14. Quinimò ſcio nonnullos, cùm linimentis ex Mercurio confectis uſi eſſent, ex improviſo penè è medio ſublatos.

Verum quidem eſt interdum per os aſſumptum fuiſſe, ac infortunio quodam, ſuo pondere ſibi viam per inteſtina paraſſe, unde ex corpore egreſſum nihil damni interim attuliſſe: at ut plurimùm retinetur, & omni procul dubio ea omnia accidentia parit, quæ Auctores ex ejus aſſumptione fieri dicunt: quod nobis ſatis ad hoc ſit, ut illud pro veneno acceptemus. Nam ſi cum Avicenna perſtas in ea opinione, quòd deleterium non ſit, ego nil moror. Scio ex eo à Chymicis pillulas parari ad morbum Gallicum, quibus maximo cum progreſſu utuntur, quarum pillularum, quod ſciam, primus inventor fuit diligentiſſimus Jo. Bapt. Melſius. Scipionis Card. Burgheſii Chymicus. Scio etiam, Medicos aliquos eo uti in pueris ad enecandos vermes, & præ cæteris Mercurialem. Sed hæc non ob id ejus venenoſitatem tollunt: nam & alia venena arte præparata, & rectificata innoxia redduntur; ut notiſſimum cuique eſt.

Cæterùm illud notare debent Judices, cùm delinquentes examinant, quod diximus de Hydrargyro, auri impoſito, quippe cùm & in eo caſu poſſit homo vitam amittere ex pravis ſymptomatibus ab eo excitatis.

Porrò Nicol. ubi aliàs *cap.* 4. *Problem.* 9. quærit: An *planta ex ſua natura non venenoſæ, arte, vel caſu* 34
venenoſæ fieri poſſint, affirmativæ adhæret opinioni, cui experientia ſuffragatur. Admittunt etiam Guainerius *in tractatu de venen. capite quarto*, ex Simeone Januenſi, & Arnald. Villanovano, & Cardinal. Ponzett. *libro* 1. *de Venen. cap.* 1. qui vinum ex vite produci poſſe venenoſum, tradit: imò & modum annuit, quem ſilentio tegere ſatius eſt: ſic etiam de reliquis evenire poſſe credit. Quibus ſic ſe habentibus, ſi eò impietatis hominis ingenium perveniat, ut tollere hominem è medio veneficio ſtudeat, & hac arte utatur, ſi ad Juſtitiæ manus perveniat, & ratione ſupradictâ hominem venenaſſe confiteatur, ſciant ex his, quæ diximus, Judices, poſſe dari tale venenum, præ cæteris tamen deteſtabile. Ad rem autem, Guainer. non ſolùm venenoſos reddi poſſe in ipſa planta fructus aliquos tradit, ſed vidiſſe narrat quoddã Medicinæ compẽdium, docens uvas, & alios fructus reddere ſolutivos, quod quidem pro delicatis ac nobilibus viris mirum in modum eſſet expetendum: faciliſ autem eſt modus, quem apud alios require, præcipuè autem ſi libet, vide etiam de his Langium *lib.* 2. *epi.* 14.

& tractatum pulcherrimum. Ant. Mizaldi, *comparandorum fructuum alvum solventium*, &c.

35 Postremò quærunt Medici, an *quæ venenosis quibusdam cibis animalia nutriuntur*, ut sturni, & coturni-
36 ces, quæ Cicutam comedunt, comesta homini sint venena: & ulteriùs, an *animalia venenatis sagittis confossa*, innoxiè comedi, ac tutò possint. Faciunt autem hæc maximè pro *Jurisconsultis*: nam & casus dari potest, in quo quis datâ operâ cibos ex hujusmodi animalium carnibus paratos alicui apponeret, ut illum venenaret, in quo casu quis dubitaret, morte secutâ, si modò ex his sequi posset, tam esse puniendum hunc, qui tali ratione hominē venenaret, quàm qui quâvis aliâ illum è medio tolleret. Itaque sentent. Medicorum in his duob. artic. inspiciamus.

37 Galenus *in lib. de Theriaca ad Pison. c.* 10. *claff.* 5. quamquam non ex propria sententia loquitur, de hac posteriori parte dicebat, quòd tales animalium carnes innoxiè comeduntur: & Guainer. *c.* 1. *in tract. de Venen. resp. ad* 3. *dubium*, non solùm innoxiè comedi hujusmodi carnes animalium, quæ sagittis toxico illitis interempta fuerant, narrat, sed carnem etiam circa vulnus sapidiorem esse tradit, quàm cæterarū partium carnes. Plin. tamen. *Histor. natural. lib.* 25. *c.* 5. circumcidi vulnus ait, & carnes animalis hoc pacto occisi teneriores reddi, quod verisimilius est, & hoc ipsum ante Plinium tradidit Arist. *libell. de Admir. audit. p.* 81. [Idem refert Celsus l. 5. c. 27.]

38 Contrarium placet aliis, de qua re plura vide apud Lāg. *Epist. lib.* 1. *Epist.* 69. Ego vix adducor, ut credam, nihil nocumenti afferre posse animalium eo modo enecatorum carnes: pro impossibili ergo non duco, quòd carnes hujusmodi recenter mactatæ, ac simul in copia comestæ, pro veneno esse possint? quære si quis datâ operâ homini eas offerret, & ille interiret, aliis præsumptionibus concurrentib. mortis reus proculdubio esset, & tanquam homicida puniendus: etiamsi quis ex alia causa illū interiisse diceret, nisi ea, & multò vehementior, & magis manifesta esset, quod probare meo judicio teneretur.

39 Circa primam autem partem hujusmodi dubitationis idem Langius, *ubi supr.* & alii voluerunt, animalia venenosis cibis nutrita comesta non nocere, & habent hi pro sua opinione experientiam: quotidie enim gallinarum carnes in cibis sumimus, quæ tamen serpentes, & bufones comedunt: sturnos etiam, & coturnices, cicutam & napellum comedētes, qui à nobis absque ulla sanitatis nota in cibis
40 frequentantur. Contrarius tamen huic sententiæ præter cæteros videtur Hipp. in ea sententia 6. *Epid. sect.* 5. *text.* 34. *Mulier, Capra, Elaterium, aut Cucumerem agrestem comedens, pueris purgatio.* Contrariatur & histor. à Galen enarrata; ex quo reperit Valles. *in prædict. Hipp. sententiam.* In Doride enim, Bœotia, & Thessalia, atque Athenis multos convulsione correptos esse tradit, esu coturnicum, quæ veneno vescebantur. Contrariatur etiam huic sententiæ id, quod idem Valles. *ubi suprà* firmat, nimirum capram lac generare venenosum, si venenosa comedat: tandēq; contrariatur Matthiol. *in præf. ad* 6. *lib. Dioscor. de mat. Med.* Paræus *lib.* 20. *c.* 4. Steph. Roder. Castr. *in Meteor. Microc. lib.* 2. *c.* 12. Bruyerin. *de re cib. lib.* 1. *c.* 21. qui etiam de apris in Pamphylia natis & educatis mentionem habet, qui venenosi sunt in cibis, quòd venenosis herbis nutriantur. Narrat item Amatus *cent.* 2. *curat.* 45. Lusitanos in Ægypto & in Judæa dysenteriâ sæpiùs tentari, imò & ipsos incolas, ex eo, quia homines illic carnibus vescuntur animalium, quibus cassia fistularis purgatoria pro pastu & cibo erat. Neque desunt illis suæ rationes, & experimenta, de quibus vide luculenter utrosque priores, si placet. Neutri autem fortasse veritati 41
repugnant, si sano mdo eorum opiniones accipias, quem manifestavit Nicol. *loco sæpiùs citato, c.* 4. *probl.* 4. nam primò hujusmodi animalia venenosa comedentia non debent ex cibis illis venenosis læsionem ullam percipere: nam siquidem tales cibi ipsis quoque animalibus sunt venenosi, eorum quoque carnes erunt venenosæ: & idcircò miror opinionem *Guainerii*, qui gallinam venenosam reddi tradit, si venenoso frumento nutriatur, cùm tamen ipsa ex venenoso frumento non moriatur, quod an successu possibile sit, ipse videat: illud patet habere veritatem, quod suprà repetii, Gallinas venenosa animalia, & cibos alios venenosos comedentes, innoxiè à nobis in cibis sumi.

Secundò, etiamsi venenosis victitent hujusmodi 42
animalia, quæ illis venenosa non sint, non debent tamen antequam cibos illos concoxerint, comedi. Si ergo hæ duæ conditiones concurrant, quòd hæc animalia à venenosis cibis non lædantur, & quod offerantur ab eorum concoctione, poterunt absque noxa comedi, aliàs verò non ita. Ex quibus *Jurisconsulti* colligant, quidnam possibile eventu sit in delinquentibus: nam ego modum non doceo, quomodo nimirum possit alicui offerri animal non venenosum, quod illi pro veneno sit, ita ut ex eo intereat. [vide Camp. Elys. *Reies* q. 63. pag. 492.]

SUMMARIUM.

1 *Venenum propriè dictum non generatur in nostro corpore, sed res veneno similis. Contrarium num. seq.*
2 *Venena externa à Natura intenta videntur.*
3 *In nostro corpore generantur venena propriè dicta.*
4 *Ex humoribus corruptis in nostro corpore etiam Hydrophobia gigni potest.*
5 *Venenum in nobis genitum, non solùm acquirit veneni naturam, sed fit contagiosum.*
6 *Possibile est in nobis generari etiam animalia venenosa.*
7 *Homo potest totus venenosus reddi, ita ut aliis pro veneno sit.*
8 *Venenum in nobis generari potest etiam absque insigni putredine.*
9 *Venenositas simpliciter non dependet à corruptione.*
10 *Venenositas non introducitur absque pravia putredine.*

An Venenum sic propriè dictum possit in humano corpore generari.

QUÆSTIO V.

QUæstio hæc maximè *Jurisconsultis* in consideratione habenda, ex hoc enim capite, quòd nimirum venenum in corpore humano generari possit, sæpiùs ii qui ex *veneno propinato* pereunt, ex *ingenito* periisse dicuntur, ita ut fontes à tam sævo delicto patrato, non sine Justitiæ detrimento, absolvantur. Discutiendum ergo à nobis est, an possibile sit venenum ex se generari in nostro corpore, quod exteriorum venenorum effectus gignat, quodque in causa esse possit, ut ex propinato veneno obeuntes, ab iis qui ex ingenito intereunt, distingui non possint, quo discursu absoluto; aptiori dehinc loco signa distinctiva afferam inter unum, & aliud venenum.

In hoc autem puncto dissentiunt Medici inter se, 1
credentibus aliis, *venenum propriè dictum non generari, sed rem veneno similem*, & idcircò impropriè talia

talia dici venena volunt: aliis verò affirmantibus non modò veneno ſimiles humores aliquando effi-
2 ci, ſed etiam ipſos totos venenum eſſe. Prioris ſententiæ plures eſſe videntur, cùm de ea re loquētes, non abſolutè venenum generari dicant in noſtro corpore, ſed ita corrumpi humores, ut veneno ſimiles efficiantur, ac venenoſam naturam æmulentur: ſic loquitur Gal. 5. *de loc. aff. cap.* 7. Quia verò, inquit, Medici inveſtigare ſolent, an aſſumpti veneni propria extent ſigna, eo quod ſæpenumerò videant citra lethalis veneni portionem, humores ſimiliter ut epoto veneno corrumpi, non mirum eſt, ſi ſic aliquando mutentur humores. Non aliter quoque loqui videtur Averr. 3. *Collig. cap.* 29. cujus verba ea ſunt. *Et ego dico, quòd non eſt impoſſibile, ut generetur in malis corporibus & eorum ſubſtantia, unus humor ſimilis veneno:* cui ſententiæ conſentiunt alii. Nicol. Flor. *ſumm. 4. ſerm. 4. cap. 4. probl.* 3. Abſolutè autem id, quod in noſtro corpore generatur, non eſſe venenum, neque poſſe generari venenum propriè ſic dictum, tuentur præcipuè Mercurial. *lib.* 1. *de venen. c.* 14. Grevin. *ibid. lib.* 1. *cap.* 1. Rudius *de morb. occult. & veneno. lib.* 2. *cap.* 1. Cæſalp. *lib.* 3. *Art. Med. cap.* 47. Hi, inquam, licèt concedāt humores ita corrumpi, ut veneno ſimiles efficiantur, impropriè tamen vocari venena tradunt: ſed cur hoc, ut magis illa quàm hæc, propriè vocanda venena ſint, non docent: nunquid fortaſ-
3 ſe, quia hæc non ex Naturæ præſcripto fiant? Nam cætera venena ab extrà videntur à Natura eſſe intenta; & cauſam adducit Plin. *lib.* 2. *c.* 63. licèt fortaſſe non veram: hæc autem ex accidenti proculdubio talia fiunt: ac cur venenum vocāt canis rabidi, aliorumque rabidorum animalium venenum? nam & hoc ex accidenti fit: & cur in cæteris animalibus venenum exitioſiſſimum generari poteſt, in homine nequaquam? Annon illud notiſſimum, quod in ore omnium eſt, *corruptio optimi peſſima?*

4 Verior ſententia, ac pleriſque accepta eſt, in corpore noſtro generari poſſe tales humores, qui ve-
5 nena propriè ſint, & venenoſam prorſus naturam adepti: quod primò probatur experientiâ: nam vel ipſis Judicibus contrariæ ſententiæ fautoribus, Homo etiam abſque contagio per morſum communicato ex ſe, nullamque extrinſecâ præcedēte cauſa, rabiem, & hydrophobiam incurrit. Cœl. Aurel. *lib.* 3. *Acutor. c.* 9. Gariopon. *lib.* 3. *c.* 7. Paræus *lib.* 10. *c.* 13. Sal. *de aff. partic. c.* 19. imò & ipſe Galen. *comm.* 2. *in primum Prorhet. text.* 17. Venenum, inquit, generari poteſt in noſtro corpore, qualis eſt humor canum rabientium; at hunc quis negabit eſſe venenum, ac venenum quidem exitialiſſimum, & propriè ſic dictum.

Secundò, idipſum ab effectibus comprobari poteſt: nam ſi quod cordi inimicum eſt, & humanæ naturæ corruptivum, ſi quod vinci, aſſimilarique non poteſt; vincere autem, ac corrumpere corpus aptum eſt; ſi quod nocere vehementer ſolet, ſi quod alimento oppoſitum eſt, ſi quod occultâ agendi ratione vehementer nocet, venenum propriè dici debet, jam talem humorem in corpore generari interdum manifeſtū eſt, cui hæc omnia attributa veneni conveniant. Cùm enim humor ad ſummam putredinem perveniens, extraneam omninò naturam induet, tunc cordi quidem inimicus fiet, & humanæ naturæ corruptivus, & occultam acquiret proprietatem, quâ vitæ inſidiabitur. Vides enim in venenoſis morbis illicò, & à primo morbi inſultu, ſyncopen, cordis tremorem, virulentorum vomitum, nauſeam perpetuam, irrationabilem maciem, & alia hujuſmodi accidētia pullulare quæ contrarietatem inſignem peccantis humoris denuntiant. Vides dicto citiùs proſtratam Naturam, ac devictā, ex eo quòd venenoſus humor occultâ ſuâ agēdi ratione ſpiritus depopulatur, ac diſſipat. Vides corpus non nutriri, & à primis diebus in horas, ne in momenta dicam, emaciari, faciemque qualem in his morbis Hipp. deſcribit, evadere, non niſi quia ſanguis jam nutritioni aptus non eſt, ob id quòd à venenoſa qualitate peccantis humoris inficiatur, ita ut neque immutari, neque vinci poſſit, ad hoc ut in corporis alimentum faceſſat. Vides denique brevi hominem è vita tolli, & veſtigia quamplurimæ venenoſitatis in extincto cadavere apparere. Cui ergo talis humor Veneni nomen non meretur, cùm affectus omnes, quos venenum producit, aptus & ipſe ſit producere, & fortè, etiam evidentiores, & majores? Nam non modò humores, qui in noſtro corpore corrupti veneni naturam acquirunt, hoc habent ut hominem interimāt, ſed etiam ut contagioſi ſint. Sal. *de febr. peſtil. cap.* 4. quod de extrinſecis venenis non accidit, ut docet Fern. *lib.* 2. *de abdit. Rer. cauſ. c.* 11. conſentiunt autem, & acceptant 6
hanc opinionem Ardoin. *lib.* 1. *de Ven. cap.* 4. Cardan. *de Ven. lib.* 1. *cap.* 6. Valleſ. *in* 3. *Epidem. ſect.* 3. *Ægr.* 4. *text.* 16. Valeriol. *loc. commun. lib.* 3. *cap.* 18. Saxonia *de Phœnigmis lib.* 2. *cap.* 20. Codronch. *in meth. teſtific. c.* 6. & alii multi. Quinimò non modò poſſibile eſt verum venenum in noſtro corpore generari, quod naturalium venenorum vires, & effectus omnino imitetur, ſed fieri etiam poteſt, ut generetur animal venenoſam obtinens veneni naturam. Verba ſunt Ardoini, *ubi ſuprà*, ex auctoritate 7
Meſuæ, quod omnem admirationem exu; erat, ſi 8
modò veritatē habet, illud eſt quod tradidit Nicol. Flor. *ubi ſuprà, cap.* 4. *problem.* 1. nimirum hominem poſſe totum venenoſum reddi, ita ut aliis hominibus venenum ſit, quod in peſtilenti morbo experimur. Neque ſolùm ubi humores ad ſummam, & conſummatam putredinem deveniunt, poſſunt interdum venenoſam inducere naturam, ſed id etiam abſque inſigni putredine evenire interdum poſſe, docet Herc. Saxonia *ubi proximè*, quod quidem à 9
veritate alienū non eſt, neque enim ſimpliciter venenoſitas à corruptione dependet, vel à putredine: 10
& licèt negari non poſſit venenoſitatē non intro- 11
duci abſque prævia putredine, tamen manifeſtum eſt in peſtilenti febre, interdum etiam putredinem minimam eſſe, nec de ſe magnam ſignificationem ob id præbere: nam ſi inſignis eſſet, procul omni dubio manifeſtiùs ſe proderet: in his tamen febribus humores venenoſos præſentes eſſe, neminem inficiari credo. Sed omittamus jam de his diſceptare: quæ potiori Medicorum parti ſunt acceptiſſima; quamobrem & eam ipſam opinionem habuerunt Legumperiti. Boſſ. *in pract. crimin. tit. de del. num.* 5. Caball. *de omni genere homicid. n.* 621.

SUMMARIUM.

1 *Verum venenum in noſtro corpore generatur.*
2 *Maximè operoſum eſt diſtinguere inter mortuum ex veneno interno, & mortuum ex externo.*
3 *Nullo modo poteſt cognoſci, ſecundùm aliquos, mortuus ab interno, & mortuus ab externo veneno. Contrarium num. ſeq.*
5 *Veneni aſſumpti certum ſignum, ex Cardan.*
6 *Quædam cauſari non poſſunt à veneno ingenito.*
7 *Multæ conditiones diſtinguere poſſunt unum venenum ab alio.*
8 *Facile eſt perito Medico diſtinguere venenum ingenitum ab adminiſtrato.*

9 *Venena omnia habent peculiaria ſigna. Contrarium n. ſeq. declara ut ibid.*

11 *Omnia accidentia veneni ab utroque generari poſſunt, declara ut n. 14.*

12 *Morbi, qui ab interno veneno ut plurimùm originantur.*

13 *Ab ingenito veneno, cur tam varia ſymptomata.*

15 *Accidentia veneni, aliqua magis familiaria uni, quàm alteri veneno.*

16 *Conditiones aliquæ habent locum magis in uno, quàm in alio veneno.*

17 *Ex ſolis ſignis ulla certitudo habetur aſſumpti veneni.*

18 *Ex ſignis cum nonnullis conditionibus junctis, certitudo habetur veneni aſſumpti.*

19 *Venena in noſtro corpore generata, calida, & ſicca ſunt.*

20 *Peſtis febri ut plurimùm eſt conjuncta.*

21 *Cognoſci poteſt aliquem fuiſſe veneno extinctum, abſque eo quod cognoſcatur veneni ſpecies.*

22 *Veneni interni certa cognitio haberi poteſt.*

An dentur certa ſigna aſſumpti veneni.

QUÆSTIO VI.

1 EX ſuperioribus manifeſtiſſimè apparuit, poſſe in humano corpore non modò rem veneno ſimilem generari, ſed quæ tota venenum ſit: unde ſequitur, quòd tam ex veneno intùs genito, quàm ex veneno de foris adminiſtrato, eadem omnino ſymptomata apparere poſſint, ex quo inexpugnabilis, ac maximæ difficultatis plena dubitatio inſurgit, an ſcilicet diſcerni poſſit per aliqua ſigna certa & infallibilia, inter eũ qui à veneno ingenito, & eum, qui ab adminiſtrato ſublatus eſt. Communiter autem DD. tam Legumperiti, quàm Medici conveniunt in hoc, quòd ſit maximè operoſum, ac difficultate plenum: ita Boſius à Codronchio allatus, *in*
2 *pract crim. tit. de delet. n. 5.* Caball. *de omni genen. hom. n.* 621. Guazzin. *in tr. ad def. reor. def. 4. c. 5. n. 5. lib. 1.* & ex recentioribus Medicis Cæſalp. *pract. lib. 3. c. 7 & lib. eod. c. 47.* Codron. *in meth. teſtif. c. 6.* Sylvatic. *de his qui morb. ſimul. c. pen.* Vinc. Alſarius à Cruce *de Quæſt. per Epiſt. Cent. 3. c. 17.* quem vide, habet enim multa ad hæc pertinentia, ſcitu neceſſariiſſima, & ab ipſo doctiſſimè pertractata.

Firmant hæc nonnullæ experientiæ, inter quæ ſufficiat ea, quam apud Tacitum habemus, cujus primùm me admonuit eruditiſſimus vir, ac Medicus inſignis, Fortunius Nattius. Tacitus enim *lib 3. Anna. in princ.* de venefica illa Martina verba faciens hæc habet: *Nam vulgatum erat miſſam, ut dixi, à Gn. Senitio famoſam veneficiis Martinam, ſubitâ morte Brundiſii extinctam, venenumque nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore ſigna ſumpti exitii reperta.* Quod & de aliis eveniſſe aliæ hiſtoriæ memorant, quas modò recenſere minimè opportunum.

Obſtant tamen Gal. verba *in lib. de ſucc. bon. & vitio, cap. 1. oper. claſſ. 2.* quibus reprehendere videtur cujuſdam ſectæ Medicos, qui putabant, non
3 poſſe facilè cognoſci, imò nullo modo, eos qui ex lethalis medicamenti aſſumptione, ab iis, qui ex
4 morboſo corporis affectu periclitantur. Ex cujus verbis elicere poſſumus, ſi Galeno credimus, quòd ſi peritus Medicus exiſtat, qualis ipſe erat Galenus, hoc non modò cognitu difficile non ſit, ſed omninò facile.

Cardanus præterea *lib. 2. de venen. cap. 2.* non tantùm ſigna quædã probabilia aſſumpti veneni, ſed evidentia etiam, ac certa affert, ut ex ſubſequentibus verbis ipſius patet: *Et ſudor frigidus cum ardore,* 5 *ſemper eſt certum ſignum aſſumpti veneni, præſertim ſi adſit dolor maximus in inteſtinis, vel nullus.* Addit his: *Tertium ſignum omnibus potentius, cùm conjunguntur accidentia non conjungibilia, ut eſt dyſenteria cum ſpirandi difficultate, vomitus cum livore unguium, tumor linguæ cum urinæ urigine.* Horum ipſorum ſignorum tanquam evidentiſſimorum mentionem etiam fecerat *in cap. ſuperiori*: & præter hæc quamplurima quoque adducit, ex quibus certitudinem cognitionis aſſumpti veneni promittit, ut *in ſequent. cap.* Deo dante videbimus.

Accedit his, quòd multa ſunt, quæ à veneno in- 6 tus genito minimè poſſe originem habere videntur, ut ſymptomata, exempli gratiã, quæ aſſumpto opio proveniunt: ſtupor nimirum mentis, ac ſenſuũ omnium, univerſali corporis pruritui, & colori citrino junctus, cum perceptione odoris ipſius opii, ex potionati corpore expirantis: hæc, inquam, ſimul juncta non videntur à veneno intus genito cauſari poſſe: ſic & ea, quæ oroveniunt ex aſſumptione Leporis Marini, ut ſuffocatio, aſthma, tuſſis, ſanguinis ſputum, abominatio in cibis cujuſlibet generis piſcis, & terror in ſola ejus viſione, teter corporis odor, veluti putrefacti piſcis, & alia quæ ad hujus veneni potionem ſubſequuntur, non videntur abſque dubio venenum intus in corpore genitum ſimul conſequi poſſe. Hæc ergo ſi aliquando eveniãt, & aliis conditionibus jungantur, ut quòd ſubitò pullulent, & non ſenſim, nonne certiſſima, & infallibilia ſigna aſſumpti veneni eſſe poſſent. Quomodo enim non poſſent, ſi ad venenum intus genitũ non conſequi concedatur?

Denique, ſi quæ alia ad certam hujus cognitio- 7 nem deſiderentur, non deſunt multæ conditiones, per quas unum caſum ab alio liceat diſtinguere, ut conditio, de qua ſuprà, celeritatis nimirum adventus accidẽtium, & mortis: anteactæ vitæ modus: & natura, & complicatio accidentium, & aliæ quamplurimæ, de quibus ſuo loco dicemus. Quamobrem ex his deduci facilè poſſe cuilibet videtur, quòd 8 diligenti ac perito Medico liceat abſque difficultate aliqua cognoſcere venenum propinatum à veneno ex ſe genito in noſtro corpore.

Ad hujus rei veritatem perveſtigandam, nobis nonnulla primò adnotanda ſunt, dehinc per quasdam concluſiones, quid circa punctum principale ſentiendum ſit, definiemus. Ac *primò* ut notiſſimum 9 Mediçis eſt, ſciendum, omnia penè venena habere quædam particularia ſigna, quæ præterquam quòd eorum inimicitiam cum humano genere demonſtrant, indicant etiam individualem, ac particularẽ eorum naturã, quæ unum venenum ab alio diſcriminant: hæc per ſe nota ſunt, & habemus *Auctores*, qui ex profeſſo de venenis agunt, ponẽtes hæc particularia venenorũ ſigna, præter communia, ac generalia in omnibus venenis, ut venena ſunt. Inter omnes autem longioribus id agit ex vetuſtioribus Dioſcorid. *lib. 6. de med. mat. per totum, & ibi* Matthiol. *in comment.* ex recentioribus Ardoin. *octo libris huic materiæ dicatis.* Cardan. & alii. Hanc concluſionem proponit, & acceptat Paræus *in lib. 20. c. 8.* & licèt *Dioſcorid.* dicat, difficile eſſe uni veneno proprium invenire ſignum, non intelligit de veneno in ſpecie, 10 ſed in particulari: vel intelligit, quòd ex uno tantùm ſigno non poſſit haberi certa cognitio qualitatis veneni, ſed bene ex pluribus ſimul junctis.

Sciendum *ſecundo*, quòd tam ab ingenio, quàm 11 ab extra adminiſtrato veneno, omnia accidentia, quæcunque aut Scriptores commemorant, aut

nobis

nobis imaginari licet, etiam inconſueta, & ab hominum memoria nunquam talia viſa, poſſibile eſt originem habere: non enim exiſtimet quis, quòd è veneno ingenito ſola ea ſymptomata pullulẽt, quæ communia venenis ſunt, ut *vomitus*, *nauſea*, *ſyncope*, *cordis tremor*, *ſenſuum defectio*, & *hujuſmodi*, ſed ea quoque, quæ ſuprà peculiaria cujuſlibet veneni eſſe dixi, & aliis minimè familiaria, ut eſſet (ne ab allatis exemplis *Opii* & *Leporis marini* diſcedamus) gravis odor, Opium ipſum, aut fœtor putridus, ipſum marinum leporem referens, icteritia, aſthma, ſanguinis ſputum, univerſalis corporis pruritus, & his ſimilia. Imò ſi quæ alia ſunt, quæ admirabilem venenorum naturam oſtendant, ut horror à ſolo viſu cujuſcunque piſcis, & ab aquæ viſione timor, ille in lepore marino, hic in veneno canis rabidi, amentia cum indeſinenti riſu, ut in *Apio* riſus, Ecpieſmos, ſeu oculorum egreſſio, & totius corporis denigratio, & apoſtematio quædam, ut in *napello*, & aliis etiam venenis: ſtranguria, & mictus ſanguinis, ut in *Cantharidibus*, & mille alia admirationem cientia, hæc (inquam) omnia à veneno quoque intùs genito ad amuſſim, ut ab externo dependere poſſunt. Jam verò aliàs idipſum de *Hydrophobia* demonſtravi, de aquæ nimirum timore ex rabie adveniente, cùm hæc non modò ab externo veneno, à morſu ſcilicet rabidi canis, vel alterius animalis, ſed etiã ab interno provenire poſſit, quod Galeni, aliorumque doctorum hominum auctoritate confirmavi. Non ergo hi ſolummodò morbi, qui à Fernilio 2. *de Abd. rer. cauſ. cap.* 11. enumerantur, ex veneno intus genito progigni poſſunt, nimirum uteri ſtrangulatus, Epilepſia, ſyncope, cordis palpitatio, & ſphacelus, ſed etiam quicunque humanum corpus obſidere conſueverunt, etiam qui ex ſua natura benigni eſſe ſolent, ex venenoſa materia originem habere poſſunt, & præter hos, etiam non conſuetos & admirabiles, ex eadem materia pullulare, non eſt impoſſibile. *Fernelius* tamen de morbis, qui frequentiùs ex ingenito veneno enaſcuntur, verba facit, non negaturus fortaſſe id quod nos firmamus. Cur autem ab intùs genito veneno tam multa, ac inter ſe diſſidentia ſymptomata evenire poſſint, nulla ratio aſſignari poteſt: niſi caloris præternaturalis vis, qui regulariter non agit, cùm neque materiæ præternaturales, in quas agit, ullam regulam receſſus à naturali ſtatu ſervent: ex quibus, & ex aliis concurrentibus conditionibus, humores, qui in corpore ad veneni naturam acceſſerunt, modò alterius veneni naturam æmulantur, ſymptomata quàm ſimillima huic aut illi veneno excitantia. 11 12 13

Tertiò adnotandum, quòd quamvis præmiſſa vera ſint, tamen non niſi ſano modo intelligenda: nam verum quidem eſt, omnia ac ſingula accidentia externi veneni poſſe ab interno excitari, ſi diſjunctim hoc accipias, ita ut ſi *opium* lethargum excitat, & ſi illud pruritum univerſi corporis cauſat, poſſit etiam aliquod internum venenum pruritum univerſi corporis cauſare: non tamen neceſſe eſt, quòd ſimul & ſemel hæc accidentia in interno veneno appareant, quemadmodum in externo, & ſi etiam ſimul & ſemel, non tamen eo modo, & ordine: neque enim neceſſe eſt, omnes ac ſingulas conditiones in veneno externo, concurrere quoque in interno. 14

Præmittendum etiam *quartò*, quòd accidentium ex veneno evenientium, alia quidem utrique veneno, ingenito nimirum, & propinato communia ac familiaria ſunt: alia neque adeò communia, neque adeo familiaria, ſed magis uni, quàm alteri conſueta: alia denique, quæ ſemper ab ingenito, numquam autem vel rarò ab externo eveniunt: & è contra ſemper, aut ut plurimùm ab externo, nunquam, aut admodùm de rarò ab interno. Quænam autem hæc accidentia ſint, uni, aut alteri, aut utrique familiaria, in ſequentibus videbimus. 15

Sunt præter hæc, ut ſuprà annuimus, *nonnulla conditiones*, quæ uni, aut alteri ſolummodò veneno, non utrique indifferenter copulari poſſe videntur, ut conjunctio nonnullorum accidentium in externo quæ minimè fieri poteſt in interno, ut ſuprà ex *Cardano* diximus. Conſideratio eorum, quæ ante ſymptomatum adventum præceſſerunt, temporis mediatio inter cibum aſſumptum, & acceſſionem ſymptomatum, & mortem: hæc (inquam) omnia & alia, de quibus in ſequentibus, non uno eodemque modo in utroque caſu eveniunt. His ſic ſtantibus generaliter loquendo prima concluſio eſt: *Nullam certitudinem haberi poſſe ex ſolis ſignis, an quis ex propinato veneno, vel ex ingenito interierit.* Manifeſtiſſima eſt hæc concluſio ex his, quæ in ſecundo notabili allata ſunt, & probatur per auctoritatem penè omnium Juriſconſultorum, & Mediconum, ut ſuprà diximus *numero* 3. quibus addi poteſt concludentiſſima ratio, quæ talis eſt: Si quæ certitudo haberi poſſet propinati veneni, maximè haberi poſſet ex nonnullis ſymptomatibus mirandis, ac raris, quæ peculiaria videntur eſſe alicujus externi veneni, ut ex aquæ timore in veneno canis rabidi, in exulceratione pulmonis, in lepore marino: At ex his haberi non poteſt, quia etiam ab interno veneno evenire poſſunt. Ergo multo minùs ex aliis, quæ utrique magis communia exiſtere videmus. [Vid. *Horat. Augenius* epiſt. 2. t. 2. *Alſaravius à Cruce* cent. 3. *Andromus Piſaurenſis* l. 1. ven. c. 4. *Ang. Victorius* conſult. 2. & 32. 16 17

Secunda Concluſio: Si ad particulares caſus deſcendamus, & præter ſigna, etiam nonnullis conditionibus, & conjectoris utamur, certa cognitio propinati veneni haberi poteſt. Hæc concluſio evidenter probatur per tertium & quartum notabile: Nam pone mihi, quòd quis intereat cum omnibus ſymptomatibus quæ ab aſſumpto opio adveniunt: pone omnes conditiones in hoc præceſſiſſe, quæ magis certos nos faciũt de veneno propinato, jam procul omni dubio aſſerere poſſumus, hunc ex opio interiſſe, quia neque ea ſymptomata ſimul, neque eæ conditiones ab interno veneno pullulare poſſunt. Præcipuè verò patet hoc in frigidis venenis, nam quæ in corpore noſtro generantur omnia *calida* ſunt & *ſicca*, ut probat Saxonia, de *Phænigm. lib.* 2. *c.* 10. & licèt in peſte humores ſint venenoſi, & aliquando, ut vult Sal. *de febr. peſt. cap.* 1. peſtis ſine febre exiſtat, tamen hoc de rarò contingentibus eſt, nam ut plurimùm peſtis febri eſt conjuncta ob naturam humorum venenoſorum, qui calidi ſunt & ſicci, & ſanguinem, & cor ſuo calore inficientes. Si ergo accidentia frigidi veneni appareant, & aliæ conditiones ad id ipſum indicandum colliment, certiſſimè firmari poterit, venenum fuiſſe propinatum, non ingenitum. Confirmantur hæc per aliam concluſionem, quæ eſt Cardani *lib.* 2. *de Venen. cap.* 1. quæ talis eſt: Cognoſci poteſt aliquem veneno externo fuiſſe extinctum, abſque eo quod ſciri poſſit, quale fuerit venenum: ratio eſt, quia concurrere poſſunt tales conditiones, & præſumptiones, ut de veneno quidem propinato certi ſimus, non autem de ejus natura, quia poſſunt 18 19 20

eadem accidentia interdum pluribus venenis esse communia.

22 *Tertia Conclusio.* Infallibilis, & certa cognitio haberi potest, hominem non fuisse potionatum. Fundatur hæc conclusio super affirmativa, hominem scilicet ex ingenito veneno periisse: & probatur per quartum notabile, & cætera, quæ suprà retulimus. Quemadmodum enim nonnulla sunt quæ de rarò, aut nunquam cum veneno externo junguntur: sic & in interno evenit, ex quorum præsentia, aut absentia certa cognitio, de qua suprà, habetur.

SUMMARIUM.

1 *Prima divisio signorum veneni assumpti.*
2 *Secunda divisio signorum apparentium ante mortem.*
3 *Signa ex conditione status infirmi ante morbum.*
4 *Copia laudabilium humorum quid indicet in mortuo ex improviso.*
5 *Symptomata sine causa advenientia, venenum assumptum indicant.*
6 *Victus sanorum modo institutus quid importet in præsumptione veneni assumpti.*
7 *Nonnulli cibi certis quibusdam personis pro veneno sunt.*
8 *Signa apparentia, in ipsa veneni assumptione.*
9 *Venena omnia odore sunt abominabili, & sapore horribili.*
10 *Cur natura venena creaverit, ex Plinio, explicatur.*
11 *Signa concomitantia assumptionem veneni.*
12 *Omne venenum cum devoratur, ladit guttur, gulam juxta fauces adstringit, &c.*
13 *Signa apparentia in ipsa veneni assumptione, cæteris minùs fallacia.*
14 *Signa ab assumptione veneni.*
15 *Celeritas adventus symptomatum maximè in consideratione habenda.*
16 *Cùm sanus homo de repente ab assumpto cibo in sæva symptomata incidit, de veneno maxima est suspicio.*
17 *Venenum intus genitum diù latere potest, & dehinc repentè sese prodere. Declara ut ibid.*
18 *Symptomata etiamsi longè ab assumpto cibo adveniant, non excludunt veneni suspicionem.*
19 *Unius eiusdemque veneni effectus in variis hominibus evariant.*
20 *Possibile est accidentia veneni longè ab eius assumptione apparere.*
21 *Symptomata veneni si non multa sint, & ordinatè adveniant, venenum est potius ingenitum: contra verò si multa, & confestim appareant.*
22 *Symptomata considerantur juxta eorum naturam, & qualitatem.*
23 *Symptomatum enumeratio, quæ ab assumpto veneno proveniunt.*
24 *Mentis inconstantia omnibus fermè venenis externis est communis.*
25 *Commaculatio carnis frequens est in omnibus venenis.*
26 *A cibis prava qualitatis non adeò atrocia symptomata, ut à veneno extrinseco apparent.*
27 *Venenositas non semper in eadem gradu in omnibus rebus.*
28 *Vomitus continuus arcuit venenationem.*
29 *Symptomata ab ingenito veneno minùs gravia ac non adeò subitanea.*
30 *Signa apparentia post mortem in potionatis.*
31 *Alia signa in cadaveribus observata.*
32 *Venenorum putrefacientium duo propria signa.*
33 *Cadavera veneno extinctorum neque à feris, neque ab avibus degustantur.*
34 *Signa in cadaveribus observata minùs tuta.*
35 *Signa ex dissectione cadaverum desumpta, an certa existant. Vide n. seq.*
37 *Signa ex venenis frigidis in cadaveribus observata.*
38 *Plures ex veneno non pereunt, nisi repetatur.*
39 *Depilatio familiaris iis est, qui à veneno evadunt.*
40 *A veneno relinquitur quidam morbus cum dolore vago.*
41 *Præsumptio propinati veneni post evasionem.*
42 *Venena, quæ administrata non occidunt, noxam inferunt insignem.*

De signis propinati veneni, & de fallacia, & validitate eorum signorum.

QUÆSTIO VII.

TAm multa sunt signa notificâtia veneni assumptionem, ut si simul omnia semper concurrerent, & nonnullis conditionibus, & conjecturis non destituerentur, posset facilem ac certam notitiam, & evidentem ejus rei nobis afferre: quia verò contrarium potiùs evenit, ut scilicet neque omnia simul jungantur, neque conditionibus, & conjecturis prædictis associata existant, inde fit, ut minùs facilis & certa ea cognitio evadat, & omninò in pluribus & secundùm plurimũ conjecturalis: licèt, ut superiùs diximus, certa possit haberi in particularibus. 1 Operæpretium ergo est ea signa patefacere, quæ ob eorum multitudinẽ, multiplici distinctione dividenda sunt. Ac primò dividuntur *bifariam*; 2 nam quædam considerantur ante mortem aut sanationem infirmi, quædã post mortem, aut sanationem. Rursus priora trifariam distinguuntur: quædam enim habentur ante veneni assumptionem, vel ante ægrotationem: quædam in ipso actu assumptionis, vel in primo ægrotationis momento, ac principio: quædam post ipsam assumptionem, vel in ipso ægrotationis processu. Incipiendum verò ab iis, quæ consideranda sunt ante ipsam assumptionem, vel ægrotationem, quæ habentur ex conditione status, & habitudinis ægrotantis, vel qui veneno potionatus præsumitur: nam & hæc, indicia faciũt veritatis, & considerata sunt à Galeno 6. *de loc. aff.* 3 *cap.* 5. Sunt verò abundantia humorum laudabilium in corpore ægrotantis, victus sanorum modo institutus, & magis specialiter qualitates ciborum, 4 quibus usus est immediatè antequam ægrotaret. Primò namque copia humorum laudabilium id operatur, ut minùs verisimile faciat, talem hominem tam subitò in sævum, malignum, ac præcipitem morbum incidere potuisse, qualem excitare solet veneni potio, nullâ existente morbificâ causâ in corpore, consideratâ præcipuè morbi affligentis magnitudine, ac sævitie symptomatum ab eo emanantium. Et hoc fortasse illud est, quod maximè in consideratione habendum monuit Cardanus *lib.* 2. 5 *de Venen. capite secundo*, dicens: *Si symptomata sine causa adveniant, ex veneno sunt: si cum causa, minimè*: non modò enim de externa, ac procatarctica causa intelligendum id venit, sed etiam de internâ. Ubi ergo humorum laudabilium copia in corpore reperitur, patet symptomata sine causa interna evenire. *Limitanda* tamen hæc sunt, si constet pestem vigere, quippe cum corpora, quæ magis laudabilibus humoribus abundant, possint derepente in terribilia, ac lethifera symptomata, absque alia evidenti causa incurrere, non aliter quàm si præsentaneum venenum, ac deleterium assumpsit.

Secundò, eandem præsumptionem habet id, quod 6 diximus, de victu sanorum modo instituto, qui evidentis causæ vim haberet: ubi ergo & sine evidenti, & sine interna, & occulta causa morbus tam magnus evenit, sciendum ex veneno esse. Ac mihi quidẽ eæ duæ conditiones simul junctæ valde operari videtur, considerato præsertim victu immediatè præcedente morbum: qui si ex cibis laudabilibus fuit, & concoctu facilibus, & illi neque ex natura, neque ex accidenti contrariis, non est cur in pravos humores, aut pravum victum culpam evenientium symptomatum conjiciamus: aliàs autem si quis immediatè ante morbum, ut spatio trium dierum præcedentium, cibis difficilis concoctionis, aut qui facilè putrescãt, aut qui apti sint in venenosam naturam transire, aut qui sibi aliàs contrarii existerent, sese ingurgitasset, dehinc non multo interjecto tempore in sævz incidisset symptomata, imò & mortem obiisset, tota culpa in pravos illos cibos, non in venenum esset rejicienda.

Cujus

Cujus rei notiſſimum habemus exemplum apud *Platinam* Pauli II. Pontificis Maximi, qui ex copioſo melopeponum uſu in repentinam mortem incidit, neque aliter aliis ex comeſtione fructuum facilè corruptibilium, aut etiam ex aliis cibis pravæ qualitatis eveniſſe comperies apud Schenckium, *Obſerv. lib. 7. Tit. de Venen.*

Neque ea ſolummodò, quæ ex ſua natura prava ſunt, aliquando ſymptomata non diſſimilia ab iis,
7 quæ venena excitât, excitare ſolent, ſed ſunt etiam cibi nonnulli, ut annuebam, qui aliquibus perſonis adeò inimici ſunt, ut ſi vel per fraudem, vel datâ operâ ingurgitẽtur, in ſæviſſima & horribilia accidentia, tanquam ab aſſumpto veneno, & aliquando in mortem, hominem impingant.

Notum vel rudibus pueris eſt, multos à caſeo abhorrere, pleroſque vino abſtinere, ac denique alios ab aliis cibis, ac potibus plurimùm lædi, quorum plures hiſtorias habes apud Schenkium *lib. cod. tit. de Idioſyncraſ.* Narrat de ſeipſo Gualner. *de Venen. cap. 4. in reſp. ad dubium principale.* (& recitatur quoque ab eodem Schenckio *ibidem*) adeò habuiſſe inimicam carnem porcinam, ut in eo produceret accidentia veneni, etiamſi in ſolis cõdimentis ea uteretur: quinimò cùm mater, quæ cupiebat filium omnibus cibis aſſueſcere ipſo inſcio, ferculum ex porcina carne tenuiſſimè trita paraſſet, & illi comedendum obtuliſſet, infra horam tremorem cordis, ac ſyncopen incurrit, & ſuperveniente vomitu etiam purum ſanguinem rejecit, ita ut jam mortui vicinus videretur. Præter hæc, addam egò ex iis quæ vidi, aliquid. Nobilem virum, cujus nunc curæ, ſi quando oportet, inſervio, non multis ab hinc annis novi, qui à quamplurimis rebus maximè abhorret, præcipuè verò à fructibus quibuscunque, inter quos melopepones tanto odio proſequitur, ut ne odorem quidem eorum abſque faſtidio, & nauſea ſuſtineat: quin & ſi clàm is fructus domum inferatur, illicò id ille perſentit, & illum dicto citiùs domo detrudi jubet. Teſtatur Bruyerin. *lib. 2. de recip. c. 6.* ſe puellam noviſſe ſero jam per ſexdecim annos, (id enim ætatis agebat) educatam, quæ ab omnibus cibis ita abhorreret, ut etiam à longe olfactum micæ panis in ſerum, quo nutriebatur, injectæ comprehenderet. *Guillelm. Fabric. lib. 1. Obſcent. 42. Obſ. 1.* narrat, ſe puerum ſexennem inviſiſſe, qui jam per tres annos hoc ſymptomate moleſtabatur, ut quotieſcunque panem videret, aut etiam nominare audiret, in terram mortuus proſterneretur, omni loquela, ac omni ſenſu orbatus.

Hæc igitur ſilentio cooperienda minimè ſunt; evenit enim interdum, ut ab amico quis ad cœnam vocatus, inſciens, vel etiam ſciens, ne invitantem perturbet, cibos etiam laudabiles, ſibi tamen inimicos, aut minimè accommodos, comedat, & ex iis in prava ſymptomata incurrat ac morbum; qui ſi inſciens fuerit eorum quæ comederit, facilè ſuſpicari poſſet ſe potionatum fuiſſe. Itaque hæc animadvertenda maximè ſunt, & conſideranda ſemper ciborum qualitas, quibus veſci contigit eum immediatè ante, qui à veneno aſſumpto ægrotare præſumitur. Si enim conſtaret, talia præſumpſiſſe, omnis veneni ſuſpicio evaneſcet, & culpa nonniſi in tales cibos ſibi ex natura, vel ex accidenti inimicos rejicienda erit.

8 In *aſſumptione* porrò ſigna habentur diverſa cùm quædam deſumi poſſint ex odore in cibis aut potibus percepto, quædam ſimiliter ex ſapore, quædam etiam à concomitantibus accidentibus: nam venena tam odore, quàm ſapore in eorum aſſumptione ſeſe produnt, quia omnia odore ſunt tetro, & abominabili, & ſapore horribili, ut omnes Medici teſtantur; quod quidam fortaſſe Naturæ providentia 9
factum dicent, ut faciliùs homines ab illis ſeſe cuſtodiant; unde tanquam impia & non niſi homine infideli digna *Plinii* ſententia deridenda venit, qui 10
reddens cauſam, cur Natura venena produxerit, illam attulit, ut ſi quis tædio vitæ afficeretur, facilè eorum hauſtu mortem obiret, & ærumnoſæ vitæ incommoda leviuſcula morte aufugere poſſet.

Contrà enim natura, ut à venenorum uſu abſtineremus ea ſapore, & odore horribili inſigniri voluit, quod utplurimum quidem verum eſt, teſtante id præ cæteris Rabbi Moyſe, *de venen. tract. 1. cap. 1.* imò & hunc ipſum ſaporem, & odorem, etiam in Medicamentis venenoſis experieris, ad quem occultandum dulcia illis miſcemus, ut docet Meſ. *in Canon. univerſ. cap. 3. de rect. Med. per oppoſit. virt. hab.* Rara verò ſunt (ſed tamen nonnulla ſunt) quæ neque ingrato ſapore, neque inſigni odore manifeſtantur; & præcipuè compoſita, ut erat pulvis ille, quo mortuus eſt Alexander VI. de quo Jovius *hiſt. part. 1. lib. 2.* inter ſimplicia autem pauca omninò ſunt, quæ odore vacant, aut ſapore non ſint abominabili. De *Colchico* tamen *Ephemero* refert Dioſcorid *lib. 4. cap. 85.* quòd ſaporis ſuavitate mirum in modum imperitos illiciat, ex quo repetit Cardan. *lib. 2. de venen. cap. 1.* item de Aconito Aët. *lib. 7. cap. 59.* & idem Cardan. *ibidem cap. eodem in fin.* dicebat, quòd guſtu dulce, & adſtringens eſt; de veneno quod in *veſicula dentium viperæ* reperitur, dicit Amatus *Cent 7. curat. 85. in ſchol.* quòd dulce eſt. Ego ab Aromatario diligenti, amico meo, qui in confectione trochiſcorum de vipera ad Theriacam concinnandam, illud datâ operâ deguſtavit, ſaporis eſſe accepi inſipidi cum ponticitate quadam. Theophraſt. quoque *lib. 6. de cauſ. Plantarum*, quem adducit ex Juriſconſultis Guibert. *quæſt. jurid. cap. 16. numero 42.* dulces ſapores non eſſe omnes hominibus idoneos dicebat, quòd ex iis ſint, qui homines in inſaniam agant, ex cujus verbis inferri poſſet, dari *venena ſaporis non ingrati*, quæ tamen rara ſunt; & nobis illud ſatis eſt, quòd venena, utplurimùm ſapore, & dolore ingrato & horribili, ſuam contrarietatem cum humana natura manifeſtent.

Sed à ſymptomatibus concomitantibus aſſum- 11
ptionẽ veneni nonnulla ſigna non poſterioris notæ haberi poſſunt, imò, ut mea fert opinio, majoris multò momenti, quàm reliqua ſæpius commemorata. Etenim, ut docet Card. *citato libro 2. de venen. cap. 1.* & alii, omne ferè venenum cùm devoratur, 12
lædit guttur, gulam juxta fauces adſtringit, pruritum, æſtum, inflammationem parit in partibus oris, interdum dum manditur, dentibus ſtridet, difficultatem quoque in deglutiendo parit, & inter mandendum nauſeam, ac vomendi parit voluntatem, & in ſũma in ipſo deglutitionis actu aut maſticationis, diſplicentia quædam & abominatio conſequitur, Naturâ ipſâ, vel animali inſcio, à ſuo corruptivo abhorrente. Quamobrem maximè adnotanda hæc videntur; nam ſicuti ea ſigna, quæ deſumi diximus ex hominis ſtatu ante ægrotationem, vel ante veneni aſſumptionem, non undique tuta cenſetur, ſed parum, admodum ex ſeipſis operantur, niſi aliis certioribus adminiculis juncta fuerint: ita hæc quæ ſuccedunt in ipſa veneni aſſumptione, minùs fallacia ſunt, ac non parum ex ſeipſis operari poſſunt; qua de re, ſi ea adfuiſſe conſtet, ut puta, quia is, qui 13
potionatus præſumitur, retulerit ſe in prandio, aut

cœna, immediatè ægrotationem præcedente, odorem tetrum & horribilem in cibis percepiſſe, mox etiam faucium & gulæ ardorem, ac reliqua, hæc inquam evidentiora ſigna, proculdubio jam commemoratis erunt veneni in cibis propinati.

14 Cæterùm ab aſſumptione veneni, & copia multò plura, & pondere graviora ſigna apparent, quæ ut jam commemorata ob eorum multitudinem diverſimodè conſiderantur, ut, juxta celeritatem adventus eorum, juxta eorundem multitudinem, juxta qualitatem & gravitatem, & ſimiliter, juxta alia plurima, ut procedente ſermone videbimus. Præ cæteris tamen minimè in conſideratione videntur habuiſſe quotquot Auctores de hujuſmodi ſignis locuti ſunt, celeritatem adventus ſymptomatum,
15 tam *Medici*, inquam, quàm *Iuriſconſulti*; in hoc enim univerſæ certitudinis vim fundare videntur, ut ſi ſtatim ac repentè ab aſſumpto cibo ſanus homo in
16 ea incidat ſymptomata quæ enarrant, eum veneno potionatum fuiſſe, certum ſit. Ita ex Medicis Gal. 6. *de loc. aff. cap.* 5. *claſſ.* 4. Aët. *ſerm.* 13 *cap.* 47. & Codronch. *in Meth. teſtif. cap.* 6. & ex Jurisconſultis Boſ. *in ſuprà citato tit. de delet. numer.* 6. Caball. *de omn. gen. homic. num.* 621. & 623. Guazzin. *in tract. ad def. reor. lib.* 1. *def.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. & *alii*. Ratio autem ea eſt, quam attulit Fortun. Fidel. *lib.* 4.
17 *de relat. Med. cap.* 3. dicebat enim, quòd etiam ſi venenum intus genitum diù latere poſſit, & dehinc repentè ſe prodere, tamen poſſibile non eſt, ut humores, qui prava ac venenata qualitate donantur, & improba victus ratio præcedens, nihil omninò commonſtrent, unde futuram ægritudinem prævidere liceat. quamobrem licèt repentè etiam ex ingenito veneno quis perire poſſit, ſemper tamen neceſſe eſt aliquam morboſam diſpoſitionem præcedere, quæ minimè præcedit, ubi venenum ab extra adminiſtratum ſit.

Licèt verò hoc maximum ac evidentiſſimum in-
18 dicium ſit ad probandum venenum adminiſtratum eſſe, non ingenitum: non tamen inde ſequitur contrarium, nimirum, quòd ſymptomatibus tardè, &
19 longè ab aſſumpto cibo, vel potu evenientibus, excludant omnino præſumptionem veneni ab extra adminiſtrati: nam unius ejusdemque veneni effectus variis hominibus evariant, non modò quoad magnitudinem & naturam ſymptomatũ, ſed etiam quoad tempus nocendi, ut pluribus *in ſeqq. quæſtionibus* demonſtrabitur. Itaque negari non poteſt, quòd quando citiùs ab ingeſto cibo, vel potu accidentia veneno ſimilia comparuerint, eò evidentiorem ac tutiorem præſumptionem, & conjecturam
20 adminiſtrati veneni faciant; poſſibile tamen eſt venenum fuiſſe adminiſtratum. & quòd accidentia non niſi tardè, ac plures poſt horas & dies retardentur imò & menſes & annos, cum venena ſint, quæ ad tempus propinari poſſunt, ut ſuo loco dicemus; quæ quidem eſſe non niſi tardiſſimè produnt.

21 Conſiderantur quoque hæc ſymptomata ſecundùm eorũ multitudinem: ſi enim non multa ſint. & ſenſim paulatimq; adveniant unum nimirum poſt aliud, conjicere inde licet venenum eſſe magis ingenitum; ſi verò multa ſimul compareant. & confeſtim, ac cum impetu, nullo ſervato ordine, non modicam præſumptionem faciunt, venenum eſſe adminiſtratum. Card. *lib.* 2. *de Venen. cap.* 2 Ratio eſt quia Natura multò majorem contrarietatem experitur ex improviſo à veneno externo aggreſſa, quàm ab interno, quod aliquo modo familiare jam habet, ut declarat idem Cardan. *ubi ſuprà*, idcircò multò magis turbulenti motus ex illo cauſantur, quàm ex hoc; ab illo enim non aliter quàm ab hoſte proditoriè, ex improviſo, & nihil tale pertimeſcens aggreditur. Ex hac ergo turbulentia in externo veneno fit, ut nihil diſtinctum, aut ordinatum inveniamus, aut ſecurum, niſi imminens periculum etiam ex minimis, ſi negligantur, ut dicit Bacc. *in prolegom. venen. cap.* 17. *art.* 1. omnia enim ſusque deque confunduntur, ac inordinato motu cientur, natura totis nervis ac viribus contendente, ut improviſum hoſtem à ſe depellat, impugnet, ſubigat, vincat, ſi modò vincere poſſit.

Præterea conſiderantur hæc ſymptomata juxta 22
eorum naturam ac qualitatem, & ſic quidem conſiderata multiplicia ſunt: nos ne in longum protrahatur oratio, ita ut tædio lectori ſit, potiora enarrabimus; reliqua apud Auctores de his luculenter tractantes lector ſtudioſus habebit; præcipuè verò inter Medicos videat Dioſcorid. *in præfat. lib.* 6. *de mat. Med.* & ibi Matthiol. *in Comm.* Aët. *ſerm.* 13 *cap.* 47. Nicol. *ſumm.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 8. Ardoin, *de venen. lib.* 1. *cap.* 3. & 4. Ponzett. *de venen. lib.* 2. *cap.* 7. Vidium *de cur. gener. lib.* 1. *cap.* 12. *part.* 2. Mercurial *lib.* 1. *de ven. c.* 16. Rudium *lib.* 2. *de morb. peſt. c.* 5. Paræum *lib.* 20. *cap.* 5. Bacc. *in Prolegom. cap.* 18. *ſect.* 3. *art.* 1. Cæſalpin. *lib.* 3. *cap.* 4. Fortun. Fidel. *lib.* 4. *de relat. Med. c.* 3. Codronch. *in meth. teſtif. cap.* 6 ſed omnibus luculentiùs tractantem Cardan. *lib. de venen.* Inter Jurisconſultos autem videndi ſunt Guibert. *Quæſt. Iurid. cap.* 16. *num* 54. qui tamen habet ſolummodò ſigna poſt mortem. Caball. *de omn. gen. homicid. num.* 626. Farin. *quæſt.* 122 *part.* 4. *à n.* 53. *tit. de homicid.* Guazzin. *in tract. ad dif. reor. def. c.* 5. *à n.* 12. *lib.* 1. & alii ipſis Iurisconſultis non ignoti. Advertendum autem, quòd ſigna, quæ ſequuntur, omnibus venenis communia ſunt, non cujuslibet propria, quia nimis operoſum eſſet, & præter hujusmodi inſtitutum, cujuslibet veneni particularia ſigna enumerare, ſed cùm de particularis alicujus veneni notis dubitare occurrit, ad Auctores ſuprà nominatos, & alios recurrere neceſſe eſt præcipuè verò ad *Ardoinum*, qui hæc longioribus proſecutus eſt, & vix ullius veneni ſigna præteriit.

Ab aſſumptione ergò veneni non longâ ut pluri- 23
mùm morâ interpoſitâ *perturbatio* & *nauſea* oritur; quòd ſi ſimul etiã dolor ventriculi vehemens concomitetur, & cordis tremor, palpitatio, ſyncope, & hujuſmodi pernicioſiſſimi & lethalis veneni indicium erit, ut Cardanus *loco ſæpius citato* docet. Succedunt dehinc ructus olidi, tetri odoris, & ſaporis ingratiſſimi ac pravi; fœtor interdum oris, vomitus quoque, vel ipſius veneni, quod infortunio debetur, vel pravæ cujuſdam materiæ, humorum corruptorum, atque etiam aliquando ſanguinis: Singultus his ſupervenit, & ventris fluxus, inquies, anxietas, præceps virium lapſus, pulſus defectiones, & cordis morſus: hinc ſudor frigidus, quibus ſubſequuntur frigus extremorum, unguium lividitas, pallor corporis, ejuſdemque tumor, & coloris mutatio de pallore in ruborem, algor, flatus, dolores maligni ac vagantes, labiorum & linguæ nigricatio, & inflatio, ſitis inexhauſta, vocis cum murmure editio, facies livida, interdum quoque œdematoſa, vertigo, oculorum contorſio, & ecpieſmos, ſeu prolapſus, & obſcuratio, in aliis proclivitas ad ſomnum, & aliquando etiam lethargus, & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas, ſtupor, urinæ impedimentum, ejuſdemque mordicatio, carnis laxitas, & totius corporis fœtor, ejuſdemque ingens gravitas & oneris ſenſus, maculæ rubræ, ſeu lividæ, mentis 24
inconſtantia, & alienatio, hæc enim omnibus

ferè

ſerè venenis communis eſt, teſte Card. *lib. 2. contrad. med. tr. 5. contr. 10.* & mille alia ſymptomata, quæ minimè neceſſe eſt enárrare. Idem autem Card. *Comm. 4. Aphor. 62.* connumerabat his icteritiam, dicens: Cùm poſt cibum morſus in ventriculo ſentitur, & alvus, vel vomitus movetur, & color intra ſex horas fit uriginoſus, &, ut dixi, maculoſus, ſcias quòd ebibit venenum lethiferum; ac profectò commaculatio carnis frequens in venenis omnibus eſt, quæ tamen citò jugulaverint. Sal. *de febr. peſt. c. 19.*

Diſtinguuntur porrò hæc ſymptomata, non modò ut dixi, prout particularibus venenis magis vel minùs conveniunt, ſed etiam prout magis huic, quàm illi ſpeciei familiaria ſunt: ut exempli gratia, magis iis, quæ à tota ſubſtátia operantur, quàm iis, quæ manifeſtis qualitatibus interimunt; magis calidis, quàm frigidis; magis erodẽtibus, quàm ſtupefacientibus; magis putrefacientibus, quàm ſtrágulantibus; & ſic in cæteris, quæ tamen pro Juriſconſultis minùs faciunt, cùm neceſſe ſemper ſit in particularibus Medicorum judicium requirere.

26 Denique conſiderantur hæc ſymptomata juxta eorum magnitudinem, & atrocitatem; nam neque à cibis pravæ qualitatis, neq; ab ingenito veneno, ſaltẽ in principio morbi, adeò ſæva accidentia exoriuntur, ut à veneno externo. Cibi enim licèt pravæ qualitatis exiſtant, ut fungi, ranæ, limaces, anguillæ, & hujuſmodi, nunquam tamen tantam habent cum natura contrarietatem, quod manifeſtum facit eorum innocentia, ſi modica quantitate, & debitè præparata aſſumantur: vacant enim omni venenoſitate; aut ſi contendas eâ prorſus non vacare, illa modica fortaſſe, & nullius momenti eſt; nam venenoſitas non in eodem ſemper gradu in omnib.
27 rebus eſt, ut patet; & in cibis quidem ſimilibus potiùs repugnantia quædam reperitur ad concoctionem recipiendam, quàm vera venenoſitas; quamobrem ſequitur inde, quòd multò remiſſiora ſymptomata, & multò poſt tempore, & minùs ſæva, & quantitate pauciora cauſare valeant, ſi quando noceant, ut teſtatur Bacc. *in prolegom. venen. cap. 18. art. 7. part. 3.* Ergo ſi vomitus, exempli gratia, ab ingeſtis fungis (qui tamen venenoſi non ſint) adveniat, is quidem nec multum violentus erit, nec tanto cum angore, nec tanto tempore durabit, nec dolorem
28 tam vehementem, & acutum comitem habebit, ut quando à veneno eſt, & idcirco non ab re Foller. *in pract. crim. 2. 2. rubr. item quòd ſororem venenavit. n. 4.* dicebat vomitum continuum arguere venenoſitatem, licèt Guazzin *in tract. ad rect. def. def. 5. c. 5. n. 13.* moderari credat iſtam præſumptionẽ ex eo, quòd vomitus etiam à materia cholerica in ſtomacho contenta originem habeat, imò dicas, & ab alĩs quibuſcunque materiis: ſed in veneno, ut Foller. dicebat, vomitus eſt continuus, & indefinens, cui aſſentitur ex noſtris Cardan. *ubi ſuprà.*

29 Ab ingenito autem veneno, ob cauſam ſuprà aliàs commemoratam, etiam minùs vehementia in principio, ac minùs ſubitanea ſymptomata comparere ſolent, ut ex *Cardano* dicebam, quia nimirum aſſueſcit quodammodo Natura illius venenoſitati, cùm ejus generatio non ſit repẽtina, ſed fiat in congruo tempore, ut notum eſt.

30 Cæterùm ſigna, quæ poſt mortem, aut poſt ſanationem habentur, plura quoque ſunt. Et *primò* poſt mortem Galen. *loc. cit. 6. de loc. aff.* hæc ſigna attulit. Corpus livens, aut nigricans, aut varium, aut diffluens, aut putredinem moleſtam olens: quæ ſigna ex ipſo ab aliis repetuntur. Sed tam de his, quàm de præcedentibus exactiſſimè Cardan. *lib. 2. per tot.* ſed *cap. c. 13.* præcipuè inter cætera afferebat, ungues poſt interitum nigros, & qui facilè avelluntur, & capillos ſponte defluentes, adeò ut aliquibus nullo labore, aut nixu, integri manipuli avellãtur. Sed & hæc internis venenis etiam communia ſunt; imò defluxuus capillorum, etiam in his, qui ex morbis longis ac ſævis ſeſe vindicant, apparere ſolet, ut aliàs dicam. Rud. *lib. 2. de peſt. c. 5.* maximè in conſideratione habet colorem cadaveris, quem primùm citrinum apparere dicit, aut ſublividum; poſt unius verò aut alterius horæ ſpatium, lividum ac nigrum evadere. Sed livores, & maculas in veneno extinctis communes eſſe mortuis ex peſtilenti febre, tradit ex Juriſconſultis Guazzin. *loco ſæpius cit. n. 14.* & ex noſtris Sal. *de feb. peſt. c. 20.* & alii.

Præter livores autem *Juriſconſulti* adducunt nonnulla alia ſigna, ex Medicis procul omni dubio deſumpta, ſed quibus ipſi fortaſſe maximè fiãt, vel ob eorum qualitatem, quia in cæteris extinctis minùs conſpiciuntur, vel quia experta ea credant à Medi- 31
cis, vel etiam quia talia ab *Hiſtoricis* enarrari animadvertant, ut à *Suetonio* in Caligula, *cap. 1.* ſunt verò ſpuma in ore, & Cor igne non cremabile. Guibert. *quæſt. Jurid. cap. 16. numer. 54.* Gaball. *de omn. gener. hom. numer. 616.* Sed hoc poſtremum, quod ex Plinio habent *lib. 11. cap. 37.* [& Suetonio] puto & fallax eſſe, & experientiæ, non reſpondens: quamquam ſcio doctiſſimum virum *Fortunium Nattium* contrariam habuiſſe opinionem; neque enim veriſimile putat, *Plinium* falſum in ea re ſcripſiſſe, cujus frequentes experientiæ fieri poterant, cùm tunc cadavera omnia comburerentur: quod ſi id verum eſt, cauſa erat quærenda, cur hoc eveniat. Ego ſaltem id non concederem, cor eorum, qui veneno ſublati ſunt, nullo modo cremari poſſe; ſed benè, magis reſiſtere igneæ vi, quàm cætera omnia membra: nam præterquam quòd viſcus eſt ſubſtantiæ duriſſimæ, multa à veneno introducta eſt ſiccitas ſpiritus abſumẽdo, ob quam minùs aptum eſt comburi, *Vel dicamus*, hoc fortaſſe habuiſſe locum in frigidis venenis, ob intenſam frigiditatem cordi impertitam. [Videatur *Spigelius* & *Laurembergius* Anatom. pag. 400.] Spumam verò in ore non adeò magnifacient *Medici*, ut qui ſæpè ſæpius & in vivis, & in mortuis ex interna cauſa originem habere ſciant: & notum eſt, quod de apoplecticis, & ſuffocatis teſtatum reliquit Hipp. 2. *Aphoriſm.* 43. hoc eſt, non revocari in vitam, quibus ſpuma in ore apparet. Galen. verò 3. *de ſimpl. med. fac. cap.* 18. veneno- 32
rum putrefacientium duo propria ſigna eſſe dicebat, fœtorem nempe, & carnis laxitatem; ſed venenum etiam in corpore generari poteſt, quod putrefacientium naturam æmuletur, & conſequentet utrumque in extinctis effectũ parere poſſit. Addebat quoque Plin. *lib. 2. capit. 63.* cadavera veneno infectorum, neque *à feris*, neque *ab avibus* deguſtari. Ego id à nemine expertum ſcio: mirum eſt, nos homines cæterorum animalium carnes veneno interemptorum comedere, & interdum innoxiè, feras verò, & aves, nequaquam. Sed eſto, credamus *Plinio*, ratio ejus rei in promptu eſt, ſed quæ non minùs interno, quàm externo aptari poſſit: ex inſigni namque putredine à veneno interno, & ex tetris vaporibus ab externo exhalantibus, ſit & feris & avibus ingens ejus paſtûs abominatio. Quod etiam Lucr. teſtatus eſt *lib. 6. de rer. nat. in fin.* his carminibus de cadaveribus loquens peſte necatis à veneno nempè interno.

Multaq; humi cùm inhumata jacerent corpora ſupra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum

Aut

Aut procul abſiliebat, ut acrem expiret odorem:
Aut, ubi guſtarat, languebat morte propinqua.

Et Ovid. 7. *Metam.*

Omnia languor habet, ſylvis, agriſque, viſque
Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus aurę.
Mira loquar: non illa canes, avidaque volucres,
Non cani tetigere lupi.

Magis peculiaris ejus rei ratio eſſe poſſet in externo veneno, quia quodcunque illud ſit, omnem ſuccum, ex qua ſaporis gratitudo reſultare ſolet, haurit & abſumit, ſpiritus omnes abſumendo.

34 Itaque ſigna hæc hactenus in cadaveribus obſervata, & minùs tuta ſunt, & non habent fortaſſe ali-
35 qua eorum omnimodam veritatem. An tutiora dicemus; quæ ex ipſorummet cadaverum diſſectione habere licet? profectò non omnia, nec ſemper: nam exulcerationes, exempli gratiâ, fundi ventriculi, gulæ, & inteſtinorum, carundumque partium ſphacelatio, & viſcerum contaminatio, corruptio, nigredo, livor, & ſimilia, ex ingenito quoque veneno proveniunt. Unde miror, quomodò ex his tam facilè *Pareus*, Chirurgus doctiſſimus, Henrici Tertii Galliarum Regis, de propinato veneno fidem fecerit, etiam contra Medicorum opinionem, ut ipſe enarrat *lib.* 20. & quomodò his ſolis ſignis fidem habeat *Pigreus*, alterius Henrici, Quarti nimirum, Galliarum Regis Chirurgus doctus: [& *Joannes Talentonius* l. 4. theſaur. c. 3. quo ad Virginem Parmenſem.] nam ego aliàs in his multa cautela opus eſſe crediderim, cùm, ut dixi, & teſtatur quoque Fortun. Fidel. *lib.* 4. *de relat. Med. cap.* 3. ab interno quoque veneno hæc omnia proveniant. Conſiderandæ igitur cum his cæteræ cõditiones, ut tempus, & du-
36 ratio ſymptomatum, & mortis, & cætera ſuprà jam commemorata: nam ſi quidem cum celeritate adventus ſymptomatum ab aſſumpto cibo, aut propterea mors ſequatur, dehinc cadavere diſſecto prædicta appareant, veriſimile vix, ac ne vix quidẽ eſſe poteſt, hæc ab ingenito veneno originem potuiſſe habere; tunc ergo majori cum audacia de propinato veneno determinandum, & erunt hæc conjuncta cum mortis celeritate, ex fortioribus ſignis, ad id ipſum adminiculandum.

37 Mortuis inſuper ex veneno extrinſeco, ſi frigidum fuerit, ſanguis circa cor, & in ipſomet corde congelatus invenitur, tradente Foreſt. *Obſerv. lib.* 30. *Obſ.* 1. *in ſchol.* & hoc argumento nixus Conciliator *de ven. cap.* 2. dicebat argentum vivum frigidum eſſe, & ſuâ frigiditate actuali interdum occidere. Probabat id exemplo Pharmacopolæ illius, de quo verba facit, in quo ſanguis congelatus repertus eſt circa cor, & in ipſo corde. Tamen in cadaverum diſſe-
38 ctione pluries id ipſum apparet, abſque eo, quòd veneno fuerint extincta.

Sed quia non omnes ex veneno propinato intereunt, imò ſunt, ut videor mihi ſuprà ex Cardano retuliſſe, *Contrad. Medic. lib.* 2. *contrad.* 10. *tract.* 5. Plures, qui ex veneno, niſi repetatur, non pereant; aliquando verò uſu evenire poteſt, ut neceſſe ſit inveſtigare, an quis ex veneno ægroraverit, necne; ſigna quoque nonnulla adducenda ſunt, quibus ejus rei cognitionem aſſequi liceat. Præter igitur jam commemorata ante obitũ, quæ etiam huic negotio aptari poſſunt, ante aſſumptionem ſcilicet, in aſſumptione, & poſt veneni aſſumptionem; narrant Nicol. Flor. *ubi ſæpe cap.* 8. & Ponzett. *lib.* 2. *de ven. c.* 8. *& alii*, depilationem eſſe familiarem iis, qui à veneno evadũt, &
39 nunquam, aut tardè admodum pilos illos reſtitui. Rationem eam eſſe volunt, quòd vapor venenoſus corrodat humorem, ex quo capilli generantur, & interea pori adſtringantur. Quod confirmatur experientia adducta ſuperiùs ex Cardan. quòd mortuis ex veneno pili facilè defluant, & abſque ullo nixu integri manipuli eorum evellantur. Si tamen ita ſe res habeat, vix credo, hoc omnibus venenis commune eſſe poſſe, ſed ſolis iis, quæ manifeſtâ ſiccitatem in corpore introducunt, aut quæ acri ac mordaci ſubſtantiâ donantur, niſi alia in frigidis, cæteriſque venenis ejuſdem effectus ratio adducatur. Sed profectò capillorum defluvium commune eſt etiam his qui ex magno morbo convaleſcunt, ut quotidiana experientia docet: quamobrem non minùs ab interno, quàm ab externo veneno provenire poſſe exiſtimaverim; niſi quòd fortaſſe in externo, ut dixi, vel nunquam, vel ſeriùs admodum pili repullulent, in interno faciliùs & celeriùs.

Cardan. *lib.* 3. *cap.* 26. tradit, à veneno relinqui 40
quendam morbum cum dolore vago, & aliis ſymptomatibus, ut ipſe enarrat; ſed & hæc ipſa à Gallica lue relicta aliquando ſcio, quamobrem etiam ad magnos morbos conſequi hæc poſſe, præſertim ſi venenoſi fuerint, mihi perſuaſerim.

Aliam conjecturam afferunt nonnulli, quòd ægritudo ex propinato veneno fuerit, atque ea eſt, ſi
præcedentibus ſymptomatibus, de quibus ſuprà, & 41
aliis aſſumpti veneni præſumptionibus, æger in diuturnum & difficilem morbum, & qui vix de ſe ſignificationem ullam præbeat, labatur; venena enim, quæ adminiſtrata non occidant, noxam inſignem inferunt, tranſeuntque in diuturnos morbos, ut tabem, ſtoliditatem, epilepſiam, & hujuſmodi, ut teſtis eſt inter cæteros Cæſalpin. *lib.* 5. *cap.* 7. *ſuæ pra-* 42
ctica. Sed neque hæc conjectura adeò urgens eſt, ut poſſit eſſe hujus rei propria, quia etiam ad morbos, qui ex ingenito veneno pullulant, hæc eadem progigni poſſunt.

SUMMARIUM.

1 *Certa notitia haberi poteſt, venenum non eſſe adminiſtratum.*
2 *Morboſus apparatus indicat proximam diſpoſitionem ad venenum concipiendum.*
3 *Effectus cauſa tribuendus, qua magis in promptu ad agendum.*
4 *Accidentia ad febrem ſubſequentia, vel cum febre prehendentia, ex veneno externo non ſunt.*
5 *Febris demonſtrat praviam putredinem, & num. 8.*
6 *Ad externum venenum non ſequitur ſubito neceſſariò febris.*
7 *Ad venenum internum ſequitur febris peſtilens, ac maligna.*
9 *Venenum internum facit de neceſſitate morbum acutum.*
10 *Acuti morbi rarò ſine febre.*
11 *Sitis carentia eſt maximum ſignum agrum non bibiſſe venenum, & num. ſeq.*
13 *Sitis nullam præſumptionem facit aſſumpti veneni.*
14 *Sitis eſt accidens omnibus febribus penè commune.*
15 *Contagio præſente, certitudo habetur veneni ingeniti.*
16 *Venena externa nonnulla contagioſa.*
17 *Contagium quando fiat, & quid ſit, num. ſeq.*
19 *Facilis putrefactio cadaveris facit præſumptionem veneni ingeniti.*
20 *Venenata cadavera difficulter corrumpuntur.*
21 *Morbus habens periodos aut intermiſſionem, venenum eſt ingenitum.*
22 *Experientia ex materia vomitus. Examinatur numero ſequenti.*
24 *Accidentia quædam interno magis, quàm externo veneno familiaria.*
25 *Accidentia inconjungibilia in veneno interno.*
26 *In externo veneno vomitus eſt perſeverans, neque ſedat morbum.*
27 *Præſumptio ex comeſtione ciborum à pluribus ſacta. Examinatur, num. ſeq. & 29*
30 *Antidoti præſumptio tantum poteſt, ut hominem reddat Alexipharmacum.*

De Veneni ingeniti certitudine: & de ſignis diſtinctivis inter unum, & aliud, nonnulla reiterantur.

QUÆSTIO VIII.

NEmo miretur, ſi eandē penè materiam in hac
1 quæſtione retractare videamur, quam ſuperiori diſcuſſimus, cùm argumēti difficultas id non modò pati, ſed apprimè requirere videatur. Diximus ergò etiam aliàs, *poſſe haberi certam notitiam, quòd venenum non fuerit adminiſtratum*, hoc eſt, quòd fuerit ex ſe in corpore generatum, licèt nulla certitudo haberi poſſit, generaliter loquendo, quòd fuerit adminiſtratum; id quomodo ſuccedere poſſit, nunc peculiariter demonſtrandum.

Primò, morboſus apparatus, corpus pravis humoribus refertum, ac ut Medici loquimur, *Cacochymum*, ante morbi eventum, prava victûs ratio, & ciborum ingeſtio ſuâ naturâ concoctioni rebellium, ac malum ſuccum gignentium, aut qui citæ & inſigni corruptioni, ac illi quidem quaſi veneno-
2 ſæ ſunt obnoxii, indicant proculdubio proximam diſpoſitionem ad concipiendum venenum etiam de facili, ex improviſo, ac de præſenti; nam ubi talis reperitur diſpoſitio, etiam minimæ cauſæ morbum vehementem producunt. Exemplum non unū quidem habemus apud Hipp. ſed præcipuè 5. *Epid. textu* 47. adoleſcentis illius, qui viam aſperam cucurrerat; de quo dicebat Valleſ. *in comm.* quòd hic curſus nihil mali, aut parum admodum illi attuliſſet, niſi ſuccorum pravitas illius corpore affuiſſet, ex qua in melignum morbum, & mortē quoque impegit.

His igitur ſic ſe habentibus, & venenoſo morbo
3 ſuccedente, cauſa in promptu erit, venenoſos ſcilicet humores in corpore ſtabulaſſe, neque erit in adminiſtratum, & externum venenum culpa rejicienda: quia ſi duæ cauſæ ad eundum effectum producendum concurrere poſſint, effectus illi tribuendus, quæ magis in promptu eſt, & magis certa, & ubi cauſam habemus evidentem, fruſtra minùs evidentem quærimus. Rota *in noviſſimis deciſ. 701. part. 1.* Gal. *de mot. Muſcul. lib. 2. cap. 5.*

4 *Secundò*, ubi accidentia veneni prehendunt ſimul cum febre, aut febrem ipſam ſubſequuntur, manifeſtum indicium faciunt veneni ingeniti.

5 Ejus rei ratio non una eſt: nam primò, febris demonſtrat præviam putredinem, quæ ipſius febris proxima cauſa eſt, præſente verò putredine humores acquirere venenoſam naturam, adeò facile eſt, ut nihil ſuprà. Cauſa ergo accidentium, quæ ſimul
6 cum febre, aut poſt febrem prehendunt, cùm manifeſta ſit, in dubio ea videtur acceptanda. Secundò, ad venenum adminiſtratum nulla ex neceſſitate ſequitur febris, niſi juſto tempore interjecto, quia febris fundatur in materia putrefacta; putrefactio verò alteratio eſt, quæ tēpore fit, non in inſtanti cùm alteratio ſit motus; itaque impoſſibile penè eſt, accidentia, quæ cum febre prehendunt, aut febrem ſubſequuntur, à veneno extrinſeco dependere niſi conſtaret in ipſa febre venenum fuiſſe propinatum; ſed adverte, loqui me de putrida febre, nam quòd Ephemera illicò à propinato veneno prehēdere poſ-
7 ſit, non negaverim. Tertiò, ad venenum ingenitum neceſſariò ſequi videtur febris, atque illa quidem peſtilens, Saxon. *de Phœnigm. lib. 2. cap. 8.* neque mirum id ducendū, quia humores venenoſi, ſeu potiùs venena ingenita, calida & ſicca ſunt, ut probat idem Saxonia *ibidem*, *capite decimo*, ex quo fit, ut commoti facilè ſanguinem accendant; atque etiam ſi calida & ſicca non eſſent, tam ē febrem excitarent; quia omnis humor alienus à Natura corporis, in quo continetur aptus naturâ non eſt ad ejus nutritionem, in poſterum neceſſariò in putredinem convertitur; cùm verò etiam locus calidus erit, in quo fuerit collectus, tunc præcipuè, & celerrimè putridus fit: verba ſunt Galeni *comm. 2. Aphor. 12.* ex interna verò putredine ſequi febrem, notum. Neceſſariò 9
itaque dicendum eſt, ad ingenitum venenum conſequi febrem. Adde quod venenum ingenitum ne- 10
ceſſariò morbum excitat acutum, acuti verò morbi rarò admodùm ſine febre: idem Galen. *ibid. Aphor.* 19. Quod ſi acuti morbi ſine febre ſunt, hi ex propriis, ac inſeparabilibus accidētibus manifeſti fiunt. Concludamus itaq; quod ubi accidentia cum febre putrida adveniunt, vel febrem ſubſequuntur, externi veneni omnis ſuſpicio tollitur.

Tertiò principaliter ex Card. *Contrad. Med. tract.* 11
5. lib. 2. contrad. 10. ſitis carentia maximum argumentum eſt, ægrum venenum non bibiſſe, & conſequenter morbum ex interno veneno eſſe: & licèt addat ille; quod *mandragora*, & *lactuca* ſuccus, & alia fortaſſe hujuſmodi abſque ſiti interimere poſſint; tamen cùm hæc nonniſi in magna ac inſignī quantitate aſſumpta occidant, quæ tamen nec per errorem, neque per fraudem facilè aſſumitur, unde venefici abſque dubio talibus venenis minimè utuntur; rectè concludi poteſt, quod morbus, in quo ſitis non adeſt, ab interna cauſa venenoſa originem duxerit, ſi veneni accidentia compareant. At non 12
exiſtimandum eſt ex his, ſitim etiam inextinguibi- 13
lem, & clamoſam, facere vel nimirum præſumptionem aſſumpti veneni, quia ſitis accidens eſt omnibus penè febribus, ac mille aliis morbis præ cæteris familiare, nam & dolores, & evacuationum genus omne conſequitur: indicat autem ex- 14
ſiccatio.

Quartò, Contagio præſente omnimoda certitu- 15
do habetur veneni ingeniti, atq; in hoc quidem ſigno plurimùm fidunt doctiſſimi viri: nam Fern. *lib. 2. de Abd. rer. cauſ. cap. 11.* Qui venenum, inquit, hauſit, aut comitiali morbo laborat, neque halitu, neque contactu alios inquinare poteſt, quā ratione hī ab Epidemiis, & contagioſis morbis diſtant: aſſentiuntur alii Doctores, & inter cæteros Fortun. Fidel. 4. *de relat. med. cap. 3. in fin.* adverte tamen hoc de venenis per os adminiſtratis intelligi, quia ex venenis externis nonnulla contagioſa ſunt, ut venenum *canis rabidi*, & *Dryini ſerpentis*, ex Card. *lib. 3. de venen. cap. 2.* Contagium ergo abſque ulla hæſitatione probat venenum ingenitum; niſi & idem canis 16
rabidi venenum excipias, quod & ſi per os adminiſtraretur, contagioſum quoque eſſet. Contagium 17
verò palam ſe prodit, cùm plures in eadem domo, ſeu familia, ſeu vicinia, aut in eodem loco, imò & in eadem civitate, ex conſuetudine cum aliis ægrotis eodem morbo, ac iiſdem ſymptomatibus prehenduntur. Si quando ergo quis ſuſpectus de veneno moriatur, dehinc autem alius ejus propinquus, affinis, domeſticus, vel familiaris, qui in eo morbo cum ægro conſuetudinem habuit, in eundem morbum iiſdem accidentibus concomitantibus labitur, omnem adminiſtrati veneni ſuſpicionem tollit, cùm contagium hic præſens ſit. Eſt autem contagium 18
quædam ab uno in alium trāſiens infectio. Fracaſt. *lib. 1. de contag. & morb. contag. cap. 1* ubi de his plura habes.

Quintò, facilis ac cita cadaveris putrefactio com- 19
monſtrat venenum, ex quo mors eſt ſecuta, internum fuiſſe, non externum: nam corpora quæ peſte,

aut

aut peſtilenti febre, aut aliis quibuſque morbis ab interno veneno evenientibus extinguuntur, facilè ac citiſſimè corruptionem experiuntur. Paræus *libr.* 20. *cap.* 10. contra verò corpora extrinſeco veneno
20 ſublata difficillimè corrumpuntur. Cardan. *de ſubtil. lib.* 12. ita ut talia, quemadmodum ex Seneca *Nat. quæſt. cap.* 31. tradit Fortun. Fidel. *ubi ſuprà*, vermi-nationem non patiantur. Ratio autem facilis corruptionis in illis calor putredinis eſt, & plurimæ extraneæ humiditates in corpore ſtabulãtes; difficilis verò corruptionis cauſa in his, ſuperiori omninò contraria, ſiccitas nimirum à veneno introducta; quamquam enim non omnia venena ſicca ſunt ex ſua natura, aut naturaliter ſiccitatẽ inducere apta, omnia tamen id habent proprium, ut ſua contrarietate ſpiritus omnes, quos inimicos præcipuè habent, diſſipent & abſumant, unde corpus abſq; dubio ſiccum magis evadit, & ex conſequenti minùs putredini obnoxium. Quòd verò corpora humidiora faciliùs, ſicciora difficiliùs corrumpantur, non ſapientibus modò, ſed vel ipſis inſipientibus eſt notiſſimum. De hac difficili putrefactione cadavetũ veneno ſublatorum extat Alexandri magni exemplũ, cujus corpus referente Q. Curtio *lib.* 10. *de ejus geſt.* nulla tabe, ne minimo quidem livore corruptum apparuit, ſeptimâ jam die ab obitu tranſacta, ex quo apparet, quàm pro illis faciat hæc conjectura, qui volunt, teſte Joanne Monaco *in Alexandri vita*, falſum eſſe ipſum veneno periiſſe, argumento ducti, quòd ejus corpus, nulla adhibita cura, dies complures in calido loco poſitum, nullam putrefactionem perſenſerit, imò hoc contra eorum opinionem eſſe ex ſupradictis patet. Unde Plutarch *in ejus vita*, hanc habuiſſe refert conjecturam eos, qui crediderunt *Alexand.* veneno fuiſſe extinctum.

21 *Sextò*, ſi accidentia morbi, & ipſe morbus ullam ſervent periodum, vel intermiſſionem habeant, venenum certè ingenitum eſt. Ratio eſt, quia internum venenum ſemper in aliquo humore fundatur, ut puta, bilioſo, pituitoſo, melancholico, & ſic motum habet ad motum eorum humorum, ut ſinguli, vel alternis diebus, vel per quartanarios circuitus, & tunc exacerbationes faciat; at venenũ externum æqualiter ſemper affligit, nec quietem concedit, niſi ex toto: etenim per ſe ipſũ operatur, neque unquam deſinit operari, niſi è corpore expellatur, vel à natura exuperetur.

22 Adducitur præter hæc, ad excludendam veneni aſſumptionem, experientia ex materia vomitûs. Inquit enim inter cæteros Cardan. *ubi ſuprà*. Si vomitus materia jejunis gallinis projecta, ab eis ſine noxa comedatur, res ſalva eſt, non fuiſſe venenum ullum propinatum; quòd ſi ex tali comeſtione cõtriſtentur, & ægrotent, non modicam ſuſpicionem veneni faciunt; quod ſi etiam moriantur, in propatulo res eſt, & non modò fuiſſe venenũ propinatum, ſed illud fuiſſe exitialiſſimum concludunt. Hanc tamen experientiam neque tutam putaverim, neq;
23 facilem, quæ in uſum trahatur: ſed eſto, ſit facilis, & executioni demandetur, tuta tamen non eſt; primò, quia gallinæ non minorem fortaſſe noxam, à corruptis materiis internis & venenoſis id aſſequẽtur, quàm à materiis, quibus externum venenum dudum propinatum admixtum ſit. Secundò, quia gallinæ plurima venenoſa comedunt abſq; noxa: imò Guner. *de venen. capite quarto*, gallinam venenoſo frumento nutritam non venenari affirmat, itaque poterit gallina innoxiè vomitûs materiam comedere, & tamen in ea eſſe admixtum venenum. Tutior fortaſſe eſſet experiẽtia in aliis animalibus, ut in canibus, ſi ea materia vel per ſe, vel carnibus, aliiſq; cibis admixta, illis comedenda offeratur, canes enim facillimè à quovis veneno læduntur, ut ipſa docet experientia. Poſſunt & hic nonnulla rei- 24
terari, quæ ſuprà quoque enarravimus, ut præſẽtia nonnullorum accidentium, quæ magis, aut minùs alterutri ex venenis, interno ſcilicet & externo, familiaria ſunt; aut ſiquidem utrique familiaria ſint, uni tamen magis in principio, alteri nequaquam, aut in alio quovis tempore, ut exempli gratia, eſſet vertigo, quæ quidem externo veneno magis, interno minùs eſt familiaris: ſic etiam ſtrangulatio, præſertim in morbi principio, & nulla apparente cauſa, neque dolore in faucibus & gutture, in ejus generis veneno prompriſſimum ſymptoma eſt; in interno non ita, aut ſaltem non in principio; aut ſi in principio, non ſine dolore, aliaque cauſa manifeſta in ipſis faucibus & gutture. Simili modo, linguæ craſſities, & labiorum, & tumor œdematoſus, & livor, & caloris repentina mutatio, in veneno profectò externo & familiariſſima ſunt, & in principio apparent; contrà in interno & minus familiaria, & non niſi in proceſſu morbi ſe prodentia. Non aliter in ſumma, omnia penè accidentia terribilia, & exitialia ac multa, in veneno interno, neque tam ſubitò, neque in primo morbi inſultu apparent, in externo verò maximè.

Sunt quoque, ut annuimus aliàs, accidentia quæ- 25
dam inconjungibilia in veneno interno, quæ tamẽ in externo facillimè conjunguntur, ut eſſet in ipſo primo morbi inſultu ventris fluxus cum linguæ, & labiorum craſſitie, vomitus, aliæque evacuationes in ipſo item morbi principio, cum tumore œdematoſo faciei, & corporis totius, dyſenteria cum ſpirandi difficultate, ardor maximus; & ſitis inextinguibilis illicò à prima morbi invaſione cum ſudore frigido, præfocatio gutturis cum ventris dolore, & his ſimilia, de quibus vide Cardan. *libro* 2. *de venen. cap.* 2.

Cæterùm, quia interdum ex pravis cibis ingurgitatis, aut potibus, aut ſimilibus rebus, etiam prava accidentia pullulant, & nonnulla ſymptomata, quæ veneni ſuſpicionem faciunt, illud clariſſimè diſtinguit inter ſimiles caſus, & aſſumptum venenum: quòd in veneno vomitus eſt perſeve- 26
rans, nec ſedat morbum, ſed ſitim, dolorem, & alia mala relinquit: contra verò in aliis caſibus vomitus omnem morbum ſedat, dolorem, & faſtidium abigit, neque ſitim, neque ardorem relinquit; & in ſumma, à vomitu omni ex parte languor ceſſat, neque vomitus eſt perſeverans, aut nauſea, ſed cuncta non multò poſt tempore quieſcunt.

Diſcutienda reſtat denique quædam *Juriſconſultorum* præſumptio, ex qua probari credunt rei innocentiam: ea eſt, quòd ſi plures comedant de eodem cibo, aut bibant de eodem potu; aut ſi reus ipſe biberit, aut comederit de iiſdẽ cibis, & potibus, 27
ſignum eſt innocentiæ, & tunc ſi unus ex pluribus ſolus infirmetur, cum accidentibus veneni, cæteri, aut reus ipſe nullam læſionem patiatur, venenũ ingenitum fuiſſe credendum, Farinac. *q.* 122. *tit. de hom. part.* 4. *num.* 81. Cabal. *de omn. gen. hom. numer.* 635. Guazzin. *in tract. de def. reor. def.* 6. *lib.* 1. *num.* 15. In
qua re admonitos *Juriſconſultos* volo, quòd non tam 28
de facili ex ea præſumptione reum tanquam innocentem abſolvendum cenſeant: primò, quia evenit interdum, ut pluribus de eodem cibo comedentibus, aut de eodem potu bibentibus, tamen non omnes lædantur, aut ſi lædantur, facillimè evomentes curẽtur, ita ut non venenum aſſumpſiſſe, ſed ſuper-

fluo

fluo tantùm cibo obrutos eos, quis exiſtimet; patet inſuper frigidas temperaturas minùs, calidas magis prompte à veneno hoc vel illo pati, vel è contra, ut alii malunt.

29 Secundò quis vetat, veneficum ante, & poſt cibi aſſumptionem ſe Alexipharmacis munire, ita ut nullam noxam ex veneno percipiat? Nonne videmus quotidie circulatores, & impoſtores hæc, & majora præſtare? Præmuniunt quippe ſe antidotis, & dehinc in hominum conſpectu horribilia venena ingurgitant, domum reverſi evomunt, iterumque antidotum aſſumunt, non proprium fortaſſe, nam id ut plurimùm nullius pretii eſt. Poteſt autem tantum antidoti veri præſumptio contra ve-

30 neni noxam, ut continuata hominis temperaturam reddat Alexipharmacam, hoc eſt, venenis contrariam ac reſiſtentem quod in Mithridate Ponti Rege patuit; de quo Appian. Alexand. *in bello Mithrid.* de qua re plura apud Guainerium lege, ſi libet, *citato libro de Venenis*, [& *Strauſſium* de pulvere Sympatheryco pag. 229] Itaque hæc Juriſconſulti animadvertant neceſſe eſt, ne in judicando decipiantur.

SUMMARIUM.

1 *Venenum veneno reſiſtit. dic ut num.*
2 *Venenorum inter ſe eſt quædam Antipathia.*
4 *In curatione unius veneni, aliud venenum propinans, reus eſſet homicidii.*
5 *Venena nonnulla pro antidoto ſunt contra alia venena.*
6 *Medicus tutò curare debet.*
7 *Quanam medicamenta miniſtrentur non ſine periculo vitæ.*
8 *Argenti vivi duplex uſus.*
9 *Argenti vivi uſus internus eſt minùs tutus.*
10 *Cantharidarum uſus duplex.*
11 *Cantharidarum uſus externus undique tutus.*
12 *Cantharidarum internus uſus tutus non eſt.*
13 *Sublimatum præparatum purgationi aptum, an tutò adminiſtretur?*
14 *Antimonii uſus an tutus ſit? Vide num. ſeqq.*

An venenum veneno reſiſtat.

QUÆSTIO IX.

1 AGitatur inter *Medicos* hujuſmodi quæſtio, *an venenum veneno reſiſtat*, & videntur penè omnes in affirmativam partem inclinare. Plin. *Natur. hiſtor. c. 2. l. 27.* Conciliat. *de venen. c. 4.* Alex. Bened. *de febr. peſtil. c. 7.* Matthiol. *in Dioſcor. l. 6. in præfat.* Ponzett. *de ven. l. 1. c. 12.* Ferrus *in coroll. de ſcloper. vulner. in fin.* Joub. *in Aphor. de peſt. c. 5. & Parad. 9 decad. 9 decad. 2.* Paræus *l. 21. c. 6.* Grevin. *l. 1. de ven. c. 1.* Eſt etiam inter Juriſconſultos, quem adducam, Tiraq. *de Nobilit. c. 31.*

2 *n.* 552. Ratio ejus rei eſt, quia eodem *Paræo* teſte, venenorum inter ſe quædâ antipathia eſt, quâ ſe mutuò expellunt ac vincûnt: unde Lucret. *l. 1. de Rer. Nat.*

Deinde inimica modis multis ſunt, atque venena
Ipſa ſibi inter ſe.

Neque *Medicis* ſolùm id perſuaſum eſt, ſed & pleriſque magni nominis viris, extatque *Auſonii* elegantiſſimum epigramma, in quo caſus adulteræ narratur, quæ cùm marito toxicum propinaſſet, neque crederet eſſe ſufficiens ad illum interimendum, *Hydrargyrum* exhibuit, ex quo factum eſt, ut vir ſalvus fieret, poſteriori veneno primum expellente; quod epigramma recitant ex Medicis Gal. Mart. *de doctr. promiſc. cap.* 11. Grevin. *ubi ſuprà* & Jordan. *de peſte*, relatus per Schenck. *Obſerv. lib. ult. tit. de Idioſyncraſ.* Facit quoque ad hoc, id quod de *Aconito* dicitur, nimirum illud eſſe venenum aliorum venenorum; nam ſi poſt aliud venenum aſſumatur, prius aſſumptum ex corpore expellit, hominem nequaquam lædens: vide de hoc Gal. Mart. *ubi ſuprà.* Ex Poëtis autem noſtris *Torquatus Taſſus* cæteris meritò præferendus, lepidiſſimè cecinit *in ſuo poëmate, Cant. 5. ſtan. 65.*

Che ſi come dall'un l'altro veneno
Guardar ne ſuol, tal l'un dal l'altro Amore.

Ne verò ea concluſio tanquam pro vera ſemper, & in omni caſu accipiatur, adnotandum ex Ponzetto, *ubi aliàs*, & Mercurial. *lib. 1. de ven. cap. 15.* & aliis, eam ſimpliciter nullam habere veritatem, cùm non quodlibet venenum cuilibet veneno reſiſtat, imò poſſit aliud potentius reddere: quod patet præci- 3
puè in venenis compoſitis, quemadmodum in medicamentorum ſolventium, aliorúmque compoſitione unum aliud roborare conſuevit. Itaque non innocens judicandus eſſet ex mea ſententia Medi- 4
cus, vel quivis alius, cui ut jam exhibitum venenũ curaret, novum propinaret quodcunque, ut, ſi in curatione cantharidarum exhiberet auripigmentũ, vel in curatione cicutæ exhiberet opium; niſi conſtaret id ex arte Medicum præſtitiſſe, & tunc alterutrum concurrat neceſſe eſt, ſi rectè ſecundum venenum adminiſtratum fuerit pro curatione prioris, aut nimirum antipathiam quandam unius cum altero longâ experientiâ, & magnorum hominum teſtimonio comprobatam, ut exempli gratiâ Aconitum contra ictus ſcorpionis, de quo Theophraſt. *lib. 9.* 5
hiſt. plant. c. 19. Plin. *Nat. hiſtor. l. 27. cap. 2.* aut Mandragora contra helleborum, de qua idem Plin. *lib. 25. cap. 13.* Ruell. *l. 3. de Nat. ſtirp. c. 111.* aut Cantharides ad canis rabioſi morſum, & ad Salamandram, de quibus Plin. *lib. 29. cap. 4.* Rhaſ. *l. 20. Contin. cap. 2.* & Matthiol. *in præfat. ad 6. Dioſcorid.* aut Euphorbium ad ſcorpionum ictus, de quo idem Marth. *ibidem* aut contra ſerpentes Ruell. *lib. 3. c. 53.* aut eſt neceſſe, ſecundum venenum contrariari priori qualitatibus manifeſtis, ut ſiquidem primum calidum ſit, poſterius frigidum exiſtat, & è converſo. Sed etiam re ita ſe habente, nunquam niſi in aliorum defectu, aut ubi alia non contulerint, hæc in uſum trahenda cenſerem: Medicus enim tutò curare debet, ut no- 6
tum eſt. Non confugiat ergo in curatione veneni ad venenum etiam contrarium, cùm mille alia ſint medicamenta ad venena curanda.

Sed hic aptiſſimè quæri poteſt, *quanam medica-* 7
menta minùs tutò adminiſtrare Medici ſoleant, ex quorum uſu ſæpè ſæpius non contemnendum nocumentum, & mortem interdum ægrotis ſuis adſciſcunt; utrùm autem aliqua pœna hujuſmodi Medicis ſit infligenda, Juriſconſulti determinent.

Relinquam autem nonnulla inter purgantia, quæ cùm venenoſa quidem per ſe ſint, & violentæ operationis, tamẽ optimè correcta Medicis in uſu quotidiano ſunt, ut Scammonea, Colocynthis, Hermodactyli, Helleborum, & pleraque alia, de quorum uſu, & correctione, Meſ. *l. 2. de ſimp. purg.* & ex recentioribus plures, inter quos ſatis ſit Vvecker. *in ſuo antidot. Spec.* quemadmodùm etiam alia cõticebo alterius generis à purgãtibus, ob eandem ipſã cauſam, quotidiani nimirum uſus, diligenti prægreſſa correctione. Primò igitur ſeſe offert argentum vivum, cu- 8
jus duplex uſus, internus & externus: de interno jã *ſuprà queſtione ſexta* dixi, eſſe minùs tutũ, & idcirco 9
ſi quis illud temerè propinaverit, non ab omni pœna immunis eſto. Uſum externũ in unctionibus pro morbi Gallici cura, recẽtiores multi laudant, & ego quidẽ doctos nonnullos admiſiſſe ſcio; ego expertus non ſum, quia aliorũ experientias animadvertens, adeò periculi & moleſtiarũ plenas conſideravi, ut ab eo me omnimodè abſtinere in animo fixerim meo;

ab aliis non temerè,ſed rationabiliter in uſum convocatum,nec laudabam,nec vituperabam;ſed poſtmodùm in deſperato, ac contumaciſſimo morbo Gallico, eo uti incipiens, à præterito timore me temperavi, & optimo cum ſucceſſu ab ea opinione me diſtraxi,illudque non ſine laude in uſum aliàs convocavi. Non dubium autem eſt, peccati magis reum eſſe eum,qui per os exhibet,)niſi id ſublimatum eſſe,ac dulcificatum,in pilulaſque digeſtum,ut infrà)quàm qui inunctionibus utitur. In ceratis verò ad omnes tumores diſſolvendos,à morbo Gallico præcipuè excitatos,nullũ afferre periculum notavi,ſed cum maximo ſucceſſu adhiberi.Quod tamẽ de inunctionibus dixi,ita moderandum,ut in Gallico morbo,& aliis contumaciſſimis infirmitatibus, audacter in uſum ſint cõvocandæ,quippe cùm ipſi peccantes humores malignâ qualitate imbuti,ipſius Hydrargyrii vim omninò refrangant,licèt tandem ab ejus virtute edomentur, ut multis patere poteſt experiẽtiis ſuffumigia ex cinnabari quàm plena periculi ſint,norunt ii,qui curæ quorundam Empiricorum ſe committentes ea experiuntur;& teſtatur *Guilelm.Fabrit.obſervat. Chirurg.cent.2.obſerv.25.* unde ſeveriſſimè puniẽdos judicaverim Chymicos quoſdam irrationales, quos aliquando vidi tam horribili medicamento ægro è medio ſuſtuliſſe.Unde & rationalibus Medicis eſſẽt hoc medicamento ob ſui pernecabilitatem interdicendum, niſi illud ſumma deſperatio admittere cogat. *Cantharidarum* quoque uſus duplex eſt, externus & internus:externus ad veſicandum in morbis, ubi ab alto ad cutem, & ambitum corporis,venenatas, ſeu quaſcunque materias trahere oporteat;ubi ſomnus inexpugnabilis fatigat;ubi frigidi ac longi vigent morbi:internus, ad urinæ difficultatem,& ad canis rabidi morſum, ad Hydropem,& ad alia. Prior adeò tutus eſt, ut nihil ſuprà,& in contrarium obloquentes ſuæ pertinaciæ condonemus. Poſterior minus tutus eſt,& idcircò non abſque culpa adminiſtrarentur,vel non debitè præparatæ.vel ſuperflua quantitate:& conſtat apud Plinium *Nat.hiſtor.lib.24.cap.4.in fin.* Ægyptium Medicum cantharidarum adminiſtratione cum Coſſinum Equitem Romanum,Neronis familiariſſimum, Lichene correptum curare vellet,eum ſuſtuliſſe : unde jure Plin. earum uſum ſuſpectum habet.Quod etiam facit Gal *in 4.Avic.* adductus per Rodericum à Fonſ.conſ 29.qui & de Med. meminit,quòd cantharidibus duos ſuſtulerit. Unde jure & ab eodem Roderico tale medicamentum repudiatur. Quin etiam ex recentioribus Bacc. *in prolegom. de venen.* alios enarrat caſus quorundam, ex Cantharidibus pro medicamento adhibitis periclitantiũ:unde non ſolùm per os ille exhibere timet, ſed externum quoque uſum non omnino tutum exiſtimat. Tamen ſi quando per os exhiberentur, maximè inſpicienda eſſet quãtitas earum,quæ non tanta debet eſſe,quantam deſiderat Hipp. *lib de intern.aff.circa medium*,quatuor nimirum;immò neque trium,*ut lib.de rat. vict.in fin.* ſed multò minor, aut nulla, niſi ſummâ urgente neceſſitate ; malè enim nonnullis ſucceſſiſſe ejuſmodi experientiã,ipſe ego ſcio His addendum erat utrumque veratrũ,ex quo binos ægrotos periiſſe narrat Benivenius *de Abd. c. 51.& ſeq.* hoc tamen debitè præparatũ,aut ex eo extracto parato,ego nullum nocumẽtum afferri vidi.

Chymici præterea pleraque medicamenta,præcipuè verò metallica,& mineralia.& ex ſua natura venenoſa,ſuâ arte ita præparant,ut non ſine multa utilitate aliquando convenienti morbo exhibeant : ſed in omnibus illud advertendum, ne imperitis Empiricis inconſultò,& nullo adhibito rationali, Medici conſilio,exhibeantur;nam tales ſuâ temeritate,atque audaciâ plures ſuſtulerunt,nec ſine ſummo Juſtitiæ detrimento vidi eos ab omni pœna interdum immunes evaſiſſe.Inter hæc autẽ Chymici præparant ſublimatum,quod purgationi aptũ reddunt,ac dulce illud vocant,id aliquando tam bene correctum,ac præparatum vidi,ut ad grana decem aut duodecim aſſumptũ,leniter & abſque ulla moleſtia purgaverit Vidẽdum tamen quibus perſonis, quibuſque morbis,ac quo tempore exhibeatur, ut de cæteris medicamentis omnibus, præcipuè verò Catharticis ac purgãtibus fieri debet. Ab iis quoque in medicum uſum ad ventres expurgãdos *Antimonium*,quod ſtibiũ quoque nominant,eſt convocatum,de quo conſentaneũ eſt aliquid peculiariter dicere.Hoc præparant illi multiplici ratione,ſed de præparatione nihil ad nos;videamus quam ſecuritatem promittat ejus uſus;ac profectò,ſi nonnullis ex Chymicis fidem habeamus,immò & doctis aliis viris,ut Matthiolo *in Dioſcor. lib.5.c.59.* ut cæteros præteream Chymiæ addictos, [videatur *Schroderi* Pharmacopœa] ſummam ſecuritatem pollicetur, ac difficilium morborum integram, abſolutam,ac citam curationẽ, ut ex hiſtoriis patet,quas & ipſe Matthiol. *ibid.* & alii narrant. At ſi rem ex eventu expendas,eam periculi plenã experieris,& medicamentum non in hominibus ſolùm, ſed & in ipſis brutis,quæ inter cætera viribus magis pollẽt apprimè fugiendũ.Nam relinquo plures hiſtorias eorũ, qui ex talis medicamenti uſu perière,ex variis Auctoribus,quas in unũ cõgeſtas habes apud Schẽck. *Obſerv.lib.ult.tit.de venen.ex foſſil.& metall.* ac ſilentio quoque involvam plures caſus eorum, quos ego ipſe ſcio ac ejus uſu,vel malè habuiſſe,vel vitã cum morte cõmutaſſe; ſed de *Notario* vicino meo mentionẽ habere par eſt,qui non multis ab hinc diebus, cùm veteres obſtructiones hoc medicamẽto tollere ſtuderet,ſe ipſum ſpatio triũ dierum ſuſtulit;& de *Aromatario* amico memini, quòd cùm ad levandos ventris dolores,quo equus propinqui mei vexabatur,antimonium propinaſſet,viginti quatuor horarum intervallo illum occidit. Itaque ego quidem non video,cur hæc ſimilia,ab iis,qui rebus hujuſmodi præſunt,non modò impunè prætergredi permittãtur,ſed etiam exhibendi licentia concedatur; quæ tamẽ nullo modo concedi deberet,niſi doctis, & in arte conſũmatis viris,qui & hæc ipſa,& multò pejora medicamẽta,ſi pejus ullum antimonio reperitur,debitè præparata,ſuo loco & tempore,convenienti morbo,ætati, ac temperamento exhibentes, tutò ſanitatẽ procurãt,& omnia cautè adminiſtrãt. [Ita Anno 1645. *Alsfeldia* in Haſſia Colonelli locũ tenens Generoſus Dominus *Eckard Tritten* euſarcos, faciei rubicundæ,calidæ & humidæ conſtitutionis corporis à cõpotationibus 8.Aprilis conqueſtus de ſtomachi dolore,pectoris anguſtia,& aliquali anorexia,conſiliũ petit à *Chirurgo* Caſtrenſi Caſtellano, ibidem tunc curam militũ habente,qui ocyus ipſi dat 10.Aprilis tres pilulas ex Antimonio & Mercurio cõflatas,à quibus tam prolixas alvi dejectiones & enormes vomitus expertus eſt ſpatio 24.horarũ, ſuccedente extremorũ refrigeratione & livore cum ſyncopithymiis,ut adſtãtes de ſalute dubitarẽt,& Medicum *Marpurgo* evocarent.Delatus illuc,quãquam videret in extremo eſſe rem,tamen dedit neceſſaria roborãtia & malignitati reſiſtẽtia.Sed fruſtrà. Succumbẽre enim natura paulò poſt ejus debitũ ſolvit. *Chirurg.* monitus de malè exhibito ferali pharmaco, reſpondit,doſin fuiſſe conveniẽtem,imò minorem,

quàm

quam à Claſſicis Authoribus præcepta ſit. Sed indoctus Blatero non obſervavit, duo cum faciunt idem, non eſſe idem. Non ſcivit tam acre pharmacum obeſſe potiùs hujus viri vino aſſueti & calidi conſtitutioni; ut dolendum ſit tales Agyrtas uno calopodio, omnium pedes metiri. Magiſtratui incumbit punire tales empyricos, tales nugivendulos. *Suvalbaci* idem ferè malum expertus eſt *Cerevi-ſiarius* Francofurtenſis, magno labore & diligentia ab orci faucibus tandem ereptus curâ DD. *Hochſtadij*, Medici Francofurtenſis celebertimi & Senatoris graviſſimi.]

SUMMARIUM.

1 *An dentur venena certo die interimentia. Vide numero tertio.*

2 *An dentur venena, quæ non illicò, ſed multò poſt tempore ab eorum adminiſtratione, occidant. Vide numero ſeq.*

5 *Rabidi canis venenum non illicò, ſed multò poſt tempore occidit.*

6 *Interna venena poſt longum tempus ab eorum generatione occidunt, interim verò in corpore latitant.*

7 *Venenorum actio arte citari, aut retardari poteſt, & numero ſeq.*

9 *Actio veneni ex aſſumentis diſpoſitione interdum ſollicitatur, aut retardatur.*

10 *Venena ad certum diem interimentia dantur, & num. ſeq. dic ut ibid.*

12 *Venena adminiſtrari poſſunt, quæ conjecturaliter hoc aut illo tempore occidant.*

An detur Venenum ad tempus.

QUÆSTIO X.

1 QUærunt Medici, an *dari poſſit venenum ad tempus*, ac maxime in ea quæſtione explcanda hæſitant; eſt verò ejus quæſtionis duplex ſenſus, unus, an dẽtur, vel dari poſſint venena, ſive illa naturalia, ſive artificialia exiſtant, quæ certo die, ac tempore
2 pro adminiſtrantis voluntate, non ante, neque poſt, occidant: alter, an dentur venena, quorum actio, vel ex ſua natura non illicò, ſed aliquantò, aut etiam multo poſt tempore appareat; vel quæ arte, ac præparatione retardari ita poſſint, vel ſi aliàs hominem ſpatio unius diei, vel duorũ, aut trium, aut plurium ſuſtuliſſent, arte ac præparatione ita tardè operẽtur, ut multo poſt, quàm deberent, interimentia, mortis culpa non in venena rejiciatur, ſed in morbum ali-
3 quem. Negant plurimi, ac potiores, concluſionem in priori ſenſu: & vide *Parad. 10. decad. 2.* Joubert. in quo ille hanc ſententiam multis tuetur. Concordant autem omnes in ſecundo ſenſu, pro affirmativa ſententia. Facit Avicen. 6. 4. *tract. 1. cap. 2.* Guainer. *de Venen. cap. 1. dubit. 6. concluſ. 1. & 2.* Cardinalis Ponzettus *libro primo de Venen. capite decimotertio.* Amat. Luſitan. *curat. cent. 6. cur. 88. & cent. 2. cur. 65.* Paræus *lib. 20. capit. 3.* Ioubert. *Parad. 10. decad. 2.* Valeriol. *lib. 3. locorum commun. cap. 18.* Matthiol. *in 6. Dioſcorid. in præfat.* Vid. Vid. *lib. 2. de curat. gener. cap. 12. part. 2.* Gorræus *in præfat. ad Nicand. Alexiph.* Bacc. *in prolegom. de venen. cap. 15.* Sal. *de febr. peſtil. cap. 11.* Foreſt. *Obſervat. lib. 30. Obſerv. 7. in ſchol.* Mercurial. *lib. 1. de venen. cap. 7. libell. de decorat. cap. 7.* Vinc. Alf. à Cruce *de quæſt. per Epiſt. cent. 4. cap. 17.* Et inter Juriſconſultos dari talia venena concedere
4 videntur Paul. Grilland. *de ſortileg. quæſt. 2. num. 3. & quæſt. 3. num. 25. & alibi.* Damhouder. *in Enchirid. rer. crimin. cap. 61. numero nonageſimo.* Confirmat hæc omnia quotidiana experientia. Extat præter quamplurima inter vetera, exemplum Claudij, quem Agrippina lento veneno tollere determinabat, de qua re Tac. *Annal. lib. 12. in fin.* & Druſi, de quo tali veneno ſublato idem Tacit. *lib. 4. Annal in princip.* & Arati à Taurione potionati, de quo Plutarch. *in ejus vita*: & inter recentiora notum eſt, quod narratur à Jovio *hiſtor. part. 1. lib. 2.* de veneno illo, quo *Cæſar Borgia* univerſum Collegium Cardinalium inficere tentavit; tradit enim pulverem fuiſſe, qui non illicò, neque cum vehementia vitæ inſidiabatur, ſed exitiali morâ hominem è medio tollebat. Dantur ergo hujuſmodi venena temporanea, quæ 4
vel naturâ talia ſunt, ut non niſi tardè occidant, vel artis miniſterio, vel aſſumentis diſpoſitione talia evadunt. Naturâ enim patet, rabidi canis venenum tardè admodũ operari, ita ut interdum poſt annos
5 ſeſe prodat (vid. *Horſtij* obſervat.) quin etiam vene-
6 num, quod aliquando ex putredine, vel aliàs, ſi id fieri poteſt, in noſtro corpore generatur, per longum tempus interdum latere poteſt, dehinc verò repentè ſeſe manifeſtare, Galeno teſte *comm. 3. in 3. Epidem. text. 75. & ibidem.* Valleſ. Fernel. *Pathol. lib. 1. cap. 3.* Mercurial. *lib. 1. de venen. cap. 1.* & clariùs id ipſum firmat idem Valleſ. *in primum Epid. in ſectione tertia, Ægr. 5.* Non ſecus quoque ex cibis, & medicamentis alios, vel alia tardè, alios verò, & alia citò conſequi patet: & ut ad ſenſum veniamus, ſume mihi ſcammoneam, quæ quidem tam citæ operationis eſt, ut Meſües *de ſimpl. purg. cap. 1.* aſſimilaverit ejus operationem furioſo, contra verò ſume mihi Turbith, reperiesque illud debilis, ac tardiſſimæ operationis, ut idem *ibid. cap. ſequent.*

Quòd ergo arte, venenorum quoque actio, aut ci- 7
tari, aut retardari poſſit, ex iiſdem exemplis, aliisq; diſcere licet; nam ad retardandam furioſam, ac celerem ſcammoneæ actionem variarum rerum admixtione utimur, ut docet Meſuës *ibi*, ac præcipuè ejus decoctione in malo cotoneo; contra ad citandã pigritiem Turbith in dejiciendo, tertiam zingiberis partem admiſcemus: ſic & ob eandem cauſam Agaricum tertia ſimiliter parte ejuſdẽ ſalis excipimus, & Aloën ad eundem finem, admixtione ſpecierum ad purgandũ ſollicitamus. Neque admixtione ſolùm variarum rerum, ac debitâ præparatione retardatio aut citatio operationis medicamentorum fieri ſolet, quod etiã demõſtratur à Galeot. Mart. *de doctr. promiſc. c. 12.* ſed ad eandem intentionem juvat ipſius medicamenti exhibẽdi forma, ſolidáne ſit, an liquida, an cõſiſtẽtiæ mediocris, cùm in forma ſolida tardius, in liquida citiùs, in mediocri, mediocri tẽpore operentur. A ſimili ergo concludentiſſimè probatur, 8
poſſe venenorum actionẽ artis miniſterio & ſollicitari, & retardari, pro aſſumentis, aut exhibentis voluntate. Aſſumentis quoque diſpoſitio in cauſa interdũ eſſe poteſt, ut actio veneni, ſeu medicamenti 9
acceleretur, vel retardetur, quippe cùm manifeſtum ſit, multa ad hoc corpus diſponere, ut temporis cõſtitutionem, temperamentum, ætatem, regionem, vitæ inſtitutionem, & alia his ſimilia; unum enim, idemq; medicamentũ, ut exempli cauſa, ſcãmonea, eadem quantitate ab eodem viro aſſumpta, tempore calido citiùs, rigido ſeriùs, ætate juvenili faciliùs
11 difficiliùs & tardiùs in ſenili operatur, & ſic de cæteris. Illud unum ex Cardano *lib. 2. de ſubtilitate*, hic adnotabo, nimirum, venena ad tempus, neque cor, neque cerebrum, neque veſicã lædere ſed vel pulmonem, vel jecur, vel ventriculũ, creditq; in ſimul, nonnulla venena naturalia temporanea eſſe, tamen id quod dicit, hæc neque cerebrum, neque cor lædere, neſcio quam veritatem habeat, cùm maximè ex tardis venenis conſtet, homines hecticã febri abſumi, & aliquando etiã infatuatos ſenſim deficere.

Verumenimverò, tota dubitatio eſt de concluſione in priori ſenſu ſumptã, quam licèt non modò negent omnes ſuprà citati Auctores, ſed etiã tanquam fabulo-

fabulosam derideant,non desunt tamen Classici viri,ac illi quidem doctissimi,qui in eam inclinent,il-
10 lamque tueantur : inter quos Nicol.est, *summa* 4. *tract.*4. *c.*2.*dist.* 4. Carrar. *in quæst.ad hanc rem dicata, posita post tractatum Conciliatoris de ven. conclus.*2.& 3. Marcell. Donat. *lib.*6.*hist.mirab.c.* 1. Galeott.Marr. *de doctr.promiscu. cap.* 12. Cardan.*Contrad Medic lib.*2. *tract.*5. *contrad.* 9.& *lib.*1.*de venen.c.*25.Amat.*Cent.*2.
11 *Curat.*65.Ex quibus Nicol.Carr.& Cardan,nõ modò admittunt venenũ,quod tali aut tali tempore, non multò post aut antea occidat,sed etiam ita determinato,ut non ante,nec post determinatam horam,aut momentum operetur,quod tamen ego tam fabulosum existimo,quàm quod maximè, etiamsi supponant mihi,quod componens tale venenum(nam similia nõnisi composita sunt)perfectè,& undequaq; tam Medicinæ,quàm Astrologiæ scientiam calleat. Est & inter Jurisconsultos Paul.Grilland.jam superiùs adductus, qui *loco citato, quæst.* 3. *num.* 30.huic sententiæ subscribere videtur:quinimò habuisse se præ manibus maleficos testatur,ex quorum confessionibus palam illi factum est,venena ita temperari posse, ut secundum venefici voluntatem determinato die occidant,atque in simul modum illos tradidisse narrat,quo venena ad eum finem temperari valeant, quem tamen ipse jure optimo reticuit.

12 Ego,quòd perfectus Medicus,etiamsi Astrologiæ non habeat consummatam peritiam , tale componere possit venenum,ut conjecturâ assequatur,assumentem hoc aut illo tempore periturum,non majorem habere difficultatem credo,quàm habeãt alia quam plura in Arte Medica,quippe quæ plurima, ne dicam omnia,solâ conjecturâ assequatur.Si ergo Medicus eruditissimus & exercitatissimus,cognitã habeat assumentis naturam,ætatem,temperamentum,constitutionem corporis,& alia id genus componere poterit tale venenum , ut hunc intra sex menses exempli gratiâ occidat,si modò interim nihil ab extra adveniat,quod mortem retardare aut accelerare posset , ut esset,si hinc notum habens se venenum assumpsisse,antidotis contrariis uteretur, aut si ex procatarctica aliqua causa , aut alia quacunque in novum morbum incideret , qui illum ante constitutum tempus vivis cedere cogeret.Sed pro Jurisconsul.is id scire sufficiat , dari venena temporanea ; nam qui plura de similium venenorum natura , signis , & effectibus scire cupit ; legat Card. *lib.* 3. *de venen. cap.* 1. Ego autem rationes plures tam pro affirmativa , quàm pro negativa adducendas , silentio præteriens , ad præcitatos auctores Lectorem remitto.

SUMMARIUM.

1 *An unum idemque venenum quocunque modo administratum occidere possit.*
2. *Quædam venena non nocent gustatu, sed in vulnere.*
3 *Venenorum non eadem ratio cum extrà adhibentur & cum intrò assumuntur.*
4 *Venena exteriùs admota nullum habent effectum. Contrarium num.* 13.
5 *Fontem vel puteum veneno inficiens capite punitur.*
6 *Venenari per concubitum quis non potest.*
7 *Venenum solo olfactu occidens non datur. Contrarium numero* 12.
8 *Homo venenari potest per omnes sensus.*
9 *Nonnulli oculis fascinare alios consueverunt.*
10 *Venenum , quod super carbones injectum adstantes occidit.*
11 *Fumus quorundam lignorum venenatorum homines occidere potest.*
13 *Venenandi modus per vestium infectionem non est vanus,& numero seq.*
14 *Corpus transpirabile existit , & mediantibus arteriis obvia omnia ad se allicit.*
15 *Ephippia, Ocreæ, subsellia, stapedes, & hujusmodi res venenari possunt, & num. seq.*
18 *Fortuiti eventus nobis multa falsa pro veris imponunt.*
19 *In venenis exhibitis una salus , ut quamprimùm extra corpus detrudantur.*
20 *Venena per clysteres rarò administrantur.*
21 *Venena per clysteres administrari possunt.*
22 *Venenum per clysteres administratum , non potest in eadem quantitate occidere , quâ occidit , cum per os assumitur. Vide num. seq.*
24 *Fontem, flumen, aut puteum venenari non posse,credit Baccius. Rationem vide num.seq.*
26 *Solonis consilio Plistis fluvius Elleboro infectus , & alias historias vide ibid.*
27 *Aqua per plumbeos ductus decurrens , noxia est.*
28 *Ars imitari potest naturam in venenando aquas.*
29 *An eundem effectum promittat idem venenum per os assumptum , ac deforis adhibitum.*
30 *Non omne venenum, quod per os assumptum occidit , ab extra admotum occidere potest ; sed contrà , quod deforis adhibitum occidit , multo facilius occidit per os exhibitum.*

Venenandi qui modi possibiles , qui non.

QUÆSTIO XI.

ILlud unum à Jurisconsultis in venenorum consi- 1
deratione prætermissum reperio,atque id quidem immerito; cùm magni momenti res existat, nimirum *an unum idemque venenum quocunque modo administratum,nocere possit, vel, an idem venenum tam intus , quàm extrà administratum,pari modo noceat.* Dubitandi verò occasionem non modò quotidiana experientia exhibuit, sed etiam doctorum hominum testimonia : nam Cels.*suæ med.lib.* 5. *cap.*27. dicebat esse 2
quædam venena,quibus præcipuè venatores utun- 3
tur,quæ non gustu;sed in vulnere nocent. Eodem quoque pacto Galen. *lib.* 3. *de temper. c. class.* 1. venenorum non unam eandemque esse rationem docebat, cùm exteriùs applicantur , & cum interiùs assumuntur:siquidem,dicebat ipse,quemadmodum quæ intro assumpta perimunt,deforis tamen administrata non nocent;sic neque quæ deforis admota occidunt , intrò assumpta idem præstant:& quamquam hanc posteriorem ejus sententiæ partem impugnat Carda. *lib. de venen. cap.*18. acceptat tamen priorem qui etiam assentiuntur alij:ut Ponzett.*lib.*1. *de venen. cap.* 5. Grevin.*lib.* 1. *de venen. cap.*1.Bacc. *in prolegomen. venen. cap.* 14. Quin etiam hic Galeno in utraque parte assentitur,cùm *cap.*10.*art.*4.voluerit , scorpionis vel viperæ venenum per os assumptum non nocere.Cùm ergo id adhuc in quæstione sit , omninò ab ea eximendum,ne dato casu,quod quis veneno per os exhibito , quod deforis solum admotum nocere præsumatur,& tamen assumente è vita sublato, veneficus tanquam insons absolvatur,cùm condemnari tanquam reus debuisset,si tale venenum id potuit efficere; vel si minus potuit, cùm tanquam insons absolvendus fuisset,per errorem tanquam reus damnetur.

Præterea multa jactantur de venenis ab extra admotis , quæ plerisque impossibilia videntur ; imò inter Medicos Bacc.*loco suprà cit.cap.*14.venena exterius admota nullum habere effectum autumabat; aliis tamen maximè persuasum est de multis effectibus venenorũ,cùm ab extra adhibentur; quibus addo Jurisconsultorum auctoritatẽ.*in l.item obstetrix. §.si quis per vim.ff.ad l.Aquiliam*,in qua pœnas indicũt his, qui inunctionibus aliquem venenaverint ; qui venenandi modus,neque executione facilis,neque suasu apud nonnullos est.Capite insuper plectunt, 4

qui

5 qui fontem vel puteum veneno infecerit, ut per Carrer. *in quæſt. crimin. §. Homicidium. numer.* 98 Farinac. *quæſt. crimin.* 122. *part.* 1. *numer.* 12. Caball. *de omni gen. homic. num.* 602. Quod & ante illos Plato facit 4. *de legibus, verſus finem.* Suſpecta tamen eſt hæc venenandi ratio, & apud Baccium impoſſibilis, ut teſtatur ille *in prolegom. de venen. citato cap.* 14. qui ne-
6 que per concubitum, ut jactatur, fieri poſſe credit, ut aliquis venenetur; cùm tamen contrà extet de ea re Plin. teſtimonium *lib.* 27. *nat. hiſt. cap.* 2. cui aſſentiuntur ex recentioribus Mercurial. & Crato apud Schenck. *lib.* 7. *Obſerv. tit. de contactu venenato.* Imò narratur ab eodem Schenck *lib.* 4. *tit. de Pene & Præputio*, fuiſſe juvenculam meretricem, quæ omnes cum ea concumbentes ita contaminaret, ut illicò à coitu illis livens puſtula in glande oriretur, quæ paucis horis pudendum totum ita corrodebat, ut ſolâ amputatione & uſtione ſanaretur: hoc autem illi non ex Gallica lue, ſed ex venenata natura eveniſſe, firmarunt Romani Medici, quibus negotium datum eſt mulieris inſpiciendæ. Ferunt quoque, præter puellam Alexand. Magno, ſi rectè memini, dono datam, quæ concubitu homines venenabat, Ladiſlaum Neapolis Regem per concubitum fuiſ-
7 ſe venenatum. Tarcag. *lib.* 57. Venenum item, quod ſolo olfactu perimere poſſit, non dari vult Pigræus *ſuæ Chirurg. lib.* 7. *cap.* 9. Docti tamen plerique non ſolùm dari contendunt, ſed experientias quoq; adducunt, & ſic idem dubium in pleriſque aliis.

Quamobrem jure videndum eſt, qui modi venenandi poſſibiles ſint, qui verò non poſſibiles, ut Juriſconſultos, qui Juſtitiam adminiſtrant, in abſolvendis inſontibus, ac ſontibus condemnandis errare non contingat. Itaque *ſuprà, quæſtione ſecunda* dixi-
8 mus, hominem per omnes ſenſus venenari poſſe: quam concluſionem etiam iis, quæ tunc in promptu erant, experientiis, rationibus, & auctoritatibus comprobavimus. Poterat & circa eos ſenſus, de quibus major quæſtio eſt, circa *viſum* ſcilicet, & *auditum*, adduci experientia ex faſcino deſumpta, cùm ex magnorum hominum teſtimonio conſtet, nonnullos oculos alios faſcinare; de ea tamen re, ac de
9 hujuſmodi argumento, *in fine hujus tituli* nonnulla habes, & plura, favente Deo. *in titulo de Impotentia Venerea*, aliáque nonnulla incidenter *tit. de Miraculis*, harum quæſtion. *l.* 4. *ſeq.* Tollit autem omnem difficultatem circa ſenſum viſus, infectio, quâ lippientium oculi communicare ſolent intuëtibus, de qua re plures docti teſtimonium perhibent, inter alios Plutarch. *Sympoſ. decad.* 5. *probl.* 7. & lepidiſſimè id ipſum luſit aliquando Franc. Petrarc. *Carm. parte prima*, in Carmine illo:

Qual ventura mi fu quando dal' uno, &c.

ubi inter alia hæc habentur:

Che dal deſtr' occhio, anzi dal deſtro ſole
Do la mia dorna al mio deſtr' occhio venne
Il mal, che mi diletta, è non mi dole.

De ea re fortaſſe intelligunt Legumperiti, cùm dicunt, quoſdam habere oculos urëtes ac ſolo aſpectu alios inficere. Mart. de Arles *de ſuperſtit. num.* 36.

His ergo relictis, de cæteris venenandi modis diſſerendum nobis eſt. Narrat Nicol. & ex eo reperit Mercurial. apud Schenck. *Obſervat. lib.* 7. *tit. de venen.* Franciſcum Ordelaffum venenum habuiſſe, quod ſuper carbones injectum circumſtantes occideret.
10 Hunc modum faciliorem eſſe, quàm per ſimplicem odoratũ, nemo eſſe debet, qui ambigat. Sed quid ad
11 hæc cõfugimus? Fumum carbonũ multos ſuſtuliſſe quis ignorat? & idem Nicol. *ſumma 4. tract. 4. c.* 5. dicebat, fumum quorundam lignorum venenoſorum, ut Oleandri, venenare hominem poſſe; ac Petrus Martyr. *in ſuo ſummario de Occidentalibus Indiis*, de arboribus quibuſdam meminit, quarum fumus exitialis ſit. Sed & ipſi Juriſconſulti de occidentibus fumo corrupto mentionem habent, Cæpola *de Servit. ruſtic. prædior. lib.* 2. *c.* 43. *n.* 5. Notandum tamen, difficile videri, quòd ſecutâ morte hoc modo Reus extraordinariè puniatur, nam potiùs ſummo ſupplicio afficietur, & ideirco *l. ſolicitatores ff. de extraordin. crimin. ſub ipſo tit.* non hoc fortaſſe dicit, neque legendum, fumo, ſed fimo; inquit enim, *veluti ſi quis fimo corrupto aliquem perfuderit, cœno, luto oblinierit*; ex ſeqq. enim declarantur præcedentia, tum Gloſſa utrumque legit. Cur ergo & venenationem per odoratum non admittamus, ego quidem non video, nam nullam differentiam inter hæc, & ſimplicem odoratum invenio, niſi majorem & minorem craſſitiem, ſeu tenuitatem vaporum ad cerebrum ſeſe elevantium; at tam in tenuibus, quàm in craſſis vaporibus 12
venenoſitas recipi poteſt.

De nonnullis verò quæ odore interficiunt, meminerunt aliqui, ut Lucret. *lib.* 6.

Eſt etiam in magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore hominem tetro conſueta necare, &c.

Venenandi porrò modum per veſtium infectio- 13
nem, vanum non eſſe, teſtatur *Herculis* caſus, de quo tanquam hiſtorico ac vero, claſſici quidam Medici meminerunt, qui mihi nunc in memoriam non redeunt, & vix Cæſalpini recordor, qui de eo *l.* 3. *c.* 5. mentionem habet: Hercules enim, ut narrat. Ovid. *lib.* 9. *Metamorph.* & repræſentat Seneca *in Tragœdia, quæ inſcribitur Hercules Oetéus*, cùm ſacrificium Jovi celebrare vellet, & pallam à Deianira ſibi miſſam ſanguine Neſſi Centauri imbutam indueret, veneno infectus eſt, ob cujus ſævitiem ſe in monte Oetæ combuſſit. Medici igitur nonnulli, inter præcautiones adhibendas in ſuſpicione veneni, hanc addunt, ut veſtes quoque expientur, & ſuſpecti etiam in his ſibi caveant, quòd & veſtes infici interdum conſueſcant. Ardoin. *lib.* 1. *c.* 8. *de ven.* Guainer. *cap.* 2. Ponzett. *l.* 2. *cap.* 2. Card. *l.* 2. *cap.* 1. & alii. Sed & hæc veritatem habere experientia ipſa evidentiſſimè docet; An non notum eſt, veſtes peſte necatorũ alios inficere? cujus rei multa teſtimonia vide apud Schenck. *l.* 7. *Obſerv. tit. de peſt.* & dum hæc ſcribo, vulgatum eſt, Panormi peſtem concitatam ex lana eò delatam, quam Turcis Chriſtiani admerant: unde & hîc Romæ communicari timent, quia eandem lanam huc Mercatores nonnulli invehendam, neſcii credo ejus rei, curarunt. Sed quid ego domeſticas experientias ac quotidianas prætereo? Nõne veſtes & induměta, quibus induti sũt, qui vel morbo Gallico, vel phthiſi, vel lepra, vel ſimili aliquo cõtagioſo morbo laborant, alios etiam inficiunt? Annon etiã veſtes, pelles, & ſubtegminũ genera omnia leprâ contaminari in Sacris proditũ eſt, imò & ipſos domorum parietes; nimirũ, quia lepra, non minùs ac peſtis, contagioſus 14
morbus eſt, & non modò animata corpora, ſed etiã inanimata inficit. Paul. *lib.* 4. Hic autem venenandi modus, cùm idem ſit cum eo, qui per contactum fit, admittendus facilè videtur, cùm corpus univerſum trãſpirabile exiſtat, & mediãtibus arteriis, quæ aſſiduè pulſant, quicquid obviam illi fit, ad ſe alliciat, præſertim ſi ſubſtãtiæ tenuiſſimæ, ac maximè penetrabilis illud ſit, ut hujuſmodi venena eſſe neceſſe eſt. Quamobrẽ venenata pharmaca concedit apertiſſimè Salius *de febr. c.* 9. non modò per os exhibita ſed etiã de foris adminiſtrata febrem peſtilẽtem & mortem cauſare poſſe. Sed & ipſe Hipp. *lib. de Humoribus* dicebat, venena admota aſsũptis eſſe periculoſiora.

Majorem difficultatem habet id, quod tradunt de venenatione per infectionem Ephippiorum, ſubſelliorum, ocrearum, & calcarium equitantium, ſtapedum, & hujuſmodi; quomodò enim veriſimile eſt venenum ex ſe, ac nullo calore agente (nam in veſtibus calor aliquo modo agit, ipſas veſtes calefaciens) ex parte venenandi uſque ad vivam cutem multis indumentorum generibus obſtantibus penetrare poſſe? & tamen eam rem tanquam veram
15 plures Doctores enarrant, ut Guainer. *de venen. c.* 1. & 2. Nicol. *ubi ſæpe cap.* 2. *diſt.* 8. Matthiol. *in ſæpe cit. præfat. ad* 6. *Dioſcor.* Joub. *citat. Parad.* 10. *dec.* 2. Grevin. *lib.* 1. *de venen. c.* 1. Card. *lib.* 2. *de ſubtil.* Scalig. *exercit.* 154. & inter Juriſconſultos Grilland. *de fortil. quæſt.* 3. *n.* 30. maleficos quandoque venenis adeò atrocibus ac furibundis uti tradit, ut etiam calcata ſtatim interimant. Putant autem hujuſmodi venena ſuâ tenuitate veſtimenta, & etiam ocrearum ſoleas penetrare, & ad cutem uſque ſibi per ea foramina viam parare, ac dehinc hominem facilè inficere, ac conficere. Hæc profectò majorem multò credulitatem ſibi vindicabunt, ſi Scaligero fidem habeamus: hic enim *Exercit.* 100. *in Cardan.* de araneo quodam mentionem habet, qui calcatus ſuum venenum per ſoleas tranſmittit; & alterius, cujus leviſſimo tranſcurſu ſpeculum medium crepuerit. Si namque Natura id per ſe poteſt, quid non poterit Natura arte adjuta? Et ut non unico argumento à ſimili idipſum confirmemus, in conſiderationem quoque veniant mirandi effectus ſerpentis cujuſdam, cui Dryini nomen eſt: hic enim, teſtibus Gal. *de Theriac. ad Piſon. cap.* 8. Paul. *lib.* 5. *cap.* 5. Aët. *ſerm.* 13. *cap.* 29. Matthiol. *in præfat. ad* 6. *Dioſcor.* Cæſalp. *lib.* 3. *cap.* 5. & aliis, calcatus pedes calcantis etiam calceamentis munitos excoriat, tumorem quoque in inferioribus partibus, in ſuris nimirum, & coxis excitat, & quod præ omnibus mirabile eſt, etiam Medici curantis manus ſimiliter excoriantur. Sunt & præter hæc exempla alia, ut illud apud Ardoin. *lib.* 4. *cap.* 17. *de venen.* de Juvene illo, qui baculo bufonem occidens veneno infectus eſt. Relinquam notum jam lippis & tonſoribus exemplum Torpedinis marinæ, de qua Naturales omnes meminêre. Ex quibus exemplis certitudo elicitur, quòd venenum etiam per media quædam communicari poteſt. & quòd prædicti ve-
16 nenandi modi per veſtes, per ſtapedes, per ocreas, & hujuſmodi, executioni à peſſimis hominibus aliquando demandantur. Quod etiam confeſſus eſt Alex. Bened. Medicus doctiſſimus, *in epiſt. ad Maximilianum Imperatorem in fin.* inquiens, ſed veſtimenta video, arma, ſellas, ſedilia quoque inſidentibus perniciosa. Scimus inſuper venenum, quo Magnus Alexander ſublatus eſt adeò penetrantem vim habuiſſe, ut nulla reperiri potuerit materia ad illud excipiendum quam non illicò penetraret, ac corroderet, teſtibus Plin. *Nat. hiſtor. lib.* 30. *cap. ult. in fine*, Curt. *lib.* 10. *de geſt. Alex. in fin.* & Juſtin. *lib.* 12. *hiſtor. prope finem.* Unde eodem Plinio referente, & Plaut. & Joan. Mon. *in ejuſdem Alexand. vita.* Ariſtot. conſilio nonniſi maxima cum ſui nominis nota, ungulâ muli exceptum; hac enim tutò contineri potuit.
17 Fuit autem venenum illud Stygis Fontis aqua circa Nonacrim in Arcadia, de qua Seneca 3. *Natur. quæſt. cap.* 25. & Bacc. *libro ſexto de Therm. cap.* 10 ubi & de aliis non diſſimilis naturæ aquis mentionem habet. De ea quoque inter Juriſconſultos Ripa *in tract. de peſt. part. de remedio contra peſtem, numer.* 9. Sed & Taſſus *Cant.* 14. *ſt.* 74. Similem aquam deſcribit his carminibus.

Un fonte forge in lei, che vaghe, e monde
Hà l' aque ſi, che inguardanti aſſeta.
Ma dentro ai freddi ſuoi criſtalli aſconde
Ditoſco eſtran malvagità ſecreta.
Ch' un picciol ſorſo di ſue lucide onde.
Inebria l' alma toſto e la fà lieta:
Indi a ridor huom move, e tanto il riſo
S'avanza al fin, ch' ei ne rimane uccíſo.

Non mirum ergo cuiquam eſſe debet, his pro venenis acceptatis, venenum dari poſſe, quod illitu veſtium, cæterorumque indumentorum infrcere poſſit, eas veſtes, & tegumenta, quæcunque illa ſint, penetrando, & ad cutem ſibi viam aperiendo; ſi quando tamen is daretur caſus, quòd reus confiteretur hujuſmodi veneno hominem ſuſtuliſſe, nulli dubium eſſe debet, quod tunc Judex multò certiorem notitiam naſcici teneretur de ejus veneni natura, & qualitate, nec fortaſſe niſi novâ factâ experientiâ in animali quodam bruto, aut in homine jam morti damnato, ad condemnationem devenire illi liceret, quia rara admodum hæc ſunt, & maximè inſueta, nec tam multis experientiis comprobata, ut certò de ea re pronunciare liceat. Poſſibile autem eſſet, ut quis perſuaderet, hoc aut illud venenum poſſe illitu hominem occidere, & ut experientia facta, homo ille non ex vi illius veneni, ſed ex alio accidenti periret. Adeò enim potentes ſunt fortuiti eventus, ut infinita propemodum pro veris 18
nobis imponant, in Medicina præſertim; quæ tamen omni caſu remoto, nullam habent veritatem, aut exiſtentiam.

Cæterùm in cit. l. *Item ſi obſtetrix*; ut ſuprà dixi, mentio fit de *veneno per clyſterem* adhibito, quod qui- 19
dem dictum difficultate non caret, quia in venenis exhibitis una ſalus exiſtit, ut illa per breviorem, ac tutiorem viam ex corpore detrudantur; in hoc autem caſu promptiſſima eſt evacuatio; cùm ea quæ per clyſterem infundûtur facillimè per alvum reddantur; unde cùm venenum ſi per clyſterem immittatur, non poſſit in corpore moram trahere ex conſequenti nullam afferre poterit homini noxam, cùm antequam corpus alterare poſſit, extra facillimè per ſeſe exiliat; unde eſt, quod pet enemata venena nunquam adminiſtrantur, aut rariſſimè, ut teſtatur Cardanus *lib.* 1 *de venen. c.* 5. Ego verò hanc venenan- 20
di rationem non adeò difficilem duxerim, quin eam ſuperiore faciliorem credam; ob eamque cauſam non omninò à veritate alienam eorum opinionem, aut abſurdam exiſtimandam puto, qui voluerunt, Claudium veneno per clyſterem immiſſo ab Agrippina fuiſſe necatum, ut recitat Suet. *in ejus vita, cap.* 44. Quod magis confirmare videtur id, quod de 21
Carrado Rege Neapolis narrant, qui à Manfredo ejus fratre naturali per clyſterem venenatum ſublatus eſt. Tarcagn. *lib.* 54. Eveniente tamen caſu, hic 22
quoque maxima cautela adhibenda Judicibus eſſet; neque enim omne venenum, nec in qualibet quantitate per clyſterem adminiſtratum occidere poſſet, licèt illud ipſum eâdem quantitate per os aſſumptum occideret. Quoad qualitatem namque venenorum, ea quæ facilè naturam exſtimulare poſſent ad excretionem, ut fortaſſe metallica, & acrem vim habentia, facilè etiam extra corpus exibunt, neque nocere poterunt ob modicam moram in corpore contractam; ea quoque quæ mitiora ſunt, & vim ſortiuntur obtuſiorem, quanquam per aliquod tempus retinerentur, non inficerêt, quia inteſtina venis, & arteriis, quod majoris momenti eſt, maximè depauperata ſunt, unde non magnam habent attra-

hendi

fiendi virtutem. Quod verò non possit eadem ve-
23 neni quantitas per os exhibita, & per clysterem immissa occidere, declaratur exemplo medicamentorum usualium, quorum semper duplicem requirunt quantitatem Medici in clysteribus: unde si decem opij grana per os exhibita occidere possent, per enema administrata vix usque ad viginti occiderent, & sic de singulis.

Verum enim verò maxima dubitatio est, ut su-
24 prà quoque annuimus, de *putei, fontis, vel fluminis* venenatione, cùm Baccius eam rem pro impossibili ducat, ut dixi; sed nullam ille suæ assertionis rationem attulit. *in prolegomenis venenorum*, fortasse illam redditurus, ubi copiosiùs de ea materia verba face-
25 ret. Ratio tamen in promptu est, omnis enim aqua, quâ nos homines in potu utimur, motum habet propter quem minùs habilis redditur ad accipiendâ malam veneni qualitatem, diffluente assiduè priori aquâ, quæ fuit infecta, qui motus, quò major est, eò magis tutam aquam à venenatione facit. Sed quicquid sit de hujus rationis validitate, contra Bacciũ, & alios ejus sententiæ fautores, sunt historiæ nonnullæ: Constat enim Solonis cõsilio Pistum amnem helleboro infectum, ex quo Cirrei bibentes in ingentem alvi fluxum lapsi, mœnia deserere coacti sunt, & Athenienſibus se dedere; refert historiam ex Pausania Schenck *Observ. lib. 7. tit de aquis, vel Na-*
26 *tura vel arte venenatis.* Mithridates item Ponti Rex fontes, ex quibus Romani bibere debebant, veneno infecit: narrat ex historicis Appianus Alex. *in bell. Mithrid.* unde Lucanus *lib. 4. de bello Pharſ.*

O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus immisso stravit per rura veneno.

Idem narratur patrasse Iuba, qui Afris junctus erat contra Romanos, eodem Appiano teste *lib. 2. de bell.* idem & Aquilius, & Aladinus Hierosolymæ tyrannus Christianis eam civitatem obsidentibus, unde Torq. Tass. *Cant. 13. stant. 53.*

Però che di Giudea l'iniquo donno
Con veneni e con succhi aspri e mortali
Più de l'inferna Stige, ò d'Acheronte,
Torbido fece, e livido ogni fonte.

facit etiam ad eam rem illud Ovidij *Metam. libro septimo Fab. 25.*

Constat & infontes vitium veniſſe, lacúsque,
Milliáque incultos serpentum multa per agros
Erraſſe, atque suis flavios temeraſſe venenis.

Favet summoperè huic opinioni ex Medicis Pros-
27 per Alpinus *lib. 4. de Medic. Method. cap. 4.* & ante Plin. *lib. 18. c. 1.* Nos, inquit, & flumina inficimus. Sed quid dicet Baccius ad id, quod aqua transiens per plumbeos ductus noxia evadit, & dysenteriam bibentibus excitat? Ut Galen. scribit *7. de compos. med. secundũ loc. cap. 2. class. 5.* & Albert. *de Metall. lib. 3. tract. 2. c. 4.* & hujus noxæ fistularum plumbearum meminit etiam Vitruvius *lib. 8. cap. 7.* & alii apud Mercur. *lib. 2. var. lect. c. 9.* Quid? an non canales ex aliqua quadam, ac magis quoque venenata materia effingi possunt, & exinde aqua venenosa reddi? An non ipse idem Baccius *lib. 6. de Therm. cap. 10.* ex transitu aquæ per minerales terras ex argento vivo, & sublimato, auripigmento, & similibus, mortiferas, & venenosas reddi fatetur? Hoc qui obstat, quo minus ars imitari possit, ego quidem non video, cum in plerisque aliis rebus multò difficilioribus interdum possit. Dato
28 ergo, quod ars id possit executioni demandare, constare debet de modo, & pleræque aliæ conditiones requirerẽtur hujusmodi casu dato, qui licèt eventu rarus sit, non est tamen impossibilis, præsertim si aqua inficienda motum haberet tardiusculum, aut nullum, si ejus alveus neque magnus admodum, neque profundus esset, si venenum potentissimum, & exitialissimum existeret, & ipsi aquæ de facili miscibiles, si denique nonnisi parvâ interpositâ mora ab admixtione veneni pro potu usurparetur.

Pro hac denique quæstione absolvenda determinandum restat dubium illud, de quo in principio meminimus, nimirum ad eundẽ effectũ promittere possit idem venenum per os assumptum, & de foris administratum, & è contra an idem effectus speran- 29
dus sit ex veneno de foris adhibito, quando idem per os assumitur; nam vides ibi ex *Gal.* & *Baccio* non esse eandem rationem utriusque utroque modo usurpati. Dicendum tamen non omne venenũ, quod 30
per os assumptum interimit, posse ab extra adhibitum interimere; sed contra *omne* venenum quod de foris administratum occidit, multò faciliùs occidere per os intro assumptum. Habeo meæ sententiæ fautorem Cardanum *lib. 2. Contr. Medic. tract. 5. contrad. 10 & lib. 1. de venen. cap. 18.* neque obstat, quod nonnulla venena sint, quæ nisi in venas penetraverint, sanguinemq; attigerint, non occidant, quia id non alia de causa evenire posse credendum, nisi quòd sanguinem contingentia à calore nativo actuantur, sive hoc per accidens fiat, sive quovis alio modo, infectis ab ipso veneno spiritibus: at non eadem ratio est ejusdem veneni, cùm intro assumitur, promptissimè enim potest, absque hoc quòd sanguinem contingat, spiritus inficere, cùm etiam promptissimè ab interno calore in actum reduci possit, fortasse quia natura tentans noxiũ illud venenum expellere, nolens dat illimotũ, & vim nocendi. [Conjunge *Reies* p. 494. qui impossibile putat, ut natura hoc faciat nisi actuatione, naturam semper intendere expulsionem noxiorum externorum & internorum.]

SUMMARIUM.

1 *Qui venena temerè vendunt, pœna l. Corneliæ de ſicariis ſubjiciuntur.*
2 *Omne mali veneni genus à commercio abdicatur*
3 *Venena non occidentia vendentes non ſubjiciuntur pœnæ dict. l. Corneliæ.*
4 *Venenorum quæ vendi non poſſunt, prima diſtinctio*
5 *Venena ex plantis.*
6 *Semina venenoſa.*
7 *Folia venenoſa.*
8 *Toxicum fuit Napellus ex aliquorum opinione.*
9 *Toxici etymologia à Taxo.*
10 *Vera toxici deductio.*
11 *Quodlibet venenum exitiale nomine toxici inſignitum.*
12 *Radices venenoſæ*
13 *Succi venenoſi.*
14 *Animalia integra venenoſa.*
15 *Partes animalium venenoſæ.*
16 *Excrementa animalium venenoſa.*
17 *Partes utiles animalium venenoſæ.*
18 *Metallica venenoſa.*

Quorum præcipuè venenorum commercium interdicendum.

QUÆSTIO XII.

MArcellus juriſconſultus *in l. 3. §. alio Senatuſconſ. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* mentionem habuit nonnullorum venenorũ, quæ Pigmentariis, Sepla- 1
ſiariis, aliiſque ſimilibus perſonis temerè vendere prohibuit, ſubjiciens contrafacientes pœnæ *d. l. Cornel. de ſicar.* ea tamen pauca admodum numero ſunt. Cicuta ſcilicet, Salamandra, Aconitum, Pithiocampe, Bupreſtis, Mandagrora, & Cantharides; quorum omniũ naturas ſi quis Juriſconſultus ſcire cupiat, videat inter Doctores Guibertum *aliàs citatum*

cap. 16. Quæstion. Juridic. & Fudæum *in annotationibus in Pand. ad prael. l.* Medicos autem, Dioscoridem, ejusque Commentatores, ac cæteros Scriptores de ejusmodi materia adire poterit. Non existimandum tamen Jurisconsultum ob id, quòd his tantummodò interdicat, aliorum commercium concedere voluisse, cum jam in ipsius legis principio omne mali veneni genus à commercio abdicasset, sed hæc exempli gratiâ tantùm nominasse; nam ab ipso recensita vix minima pars existunt eorum, quæ summo jure prohiberi possunt, ac debent.

Ex nostris, similium venenorum Catalogum aggregavit Codronch. *in meth. testif. cap. 7.* multa tamen eorum quæ ille nominavit, omitti poterat, eò quòd vel nullum existat, vel nullum existere possit eorum commercium, ut esset viperæ saliva, sudor nonnullorum quadrupedum, & hujusmodi alia; quin & nonnulla alia omitti poterant, quæ vix mali veneni nomen merebantur; nam aut omninò
2 venena non sunt, ut Adamas, & Magnes, aut saltem non interficiunt, ut felis cerebrum, urina muris, & similia: nam si, quæcunque noxam aliquam inferunt, prohiberi oporteat, jam infinitus penè eorum
3 numerus resultabit, quamobrem non subjiciuntur, qui hujusmodi venena vendunt, immò neque qui administrant, prædictæ pœnæ, *d. l. Cornel. de sicar.* ut testatur Budæus, *ubi suprà.* Idem verò Budæus *ibidem* ex Paulo plura nominat venena, quàm Jurisconsultus *in d. l.* 3. sed plura item, & majoris momenti silentio involvit. Nos distinguamus cum Codronchio venena per suas classes, dehinc sigillatim non omnia, sed magis exitialia, & quæ venalia exposita
4 pœnam *d. l.* promptiùs vendenti irrogare debent, recenseamus.

Sunt ergo, juxta divisionem à Medicis traditam, venena vel desumpta ex plantis, vel ex animalibus,
5 vel ex mineralibus, & metallicis: quæ desumuntur
6 ex plantis, vel sunt semina, vel folia, vel fructus, vel radices, vel succi. Semina sunt Ricini, Hyoscyami,
7 Melanthij, Ellebori, Staphisagriæ, Papaveris nigri. Folia, vel si mavis herbæ, sunt Napellus, Cicuta, Aconitum, Lanaria, Apium risus, sive herba Sardonia, Tithymalorum genera omnia, Pithyusa, Peplium, Dryopteris, Solanum maniacum, papaver corniculatum, Bryonia, Chamelæa, & Thimelæa. Codronchius recenset etiam Pharicum, & Toxicum, licèt fateatur, non constare apud Auctores
8 quid sint. Putat tamen Cæsalpin. *suæ Medic. lib. 3. cap. 20.* Toxicum fuisse Napellum, quòd ejus succo sagittæ inficerentur, notum tamen est plerisque aliis succis sagittas infici solitas, unde Baccius *in prolegom. Venen. c. 5. &c. 14. art. 6.* dicebat Toxicum, non esse unum genus; & rectè, quia sagittas non modò Napelli succo, sed etiam Ellebori, Aconiti, quin etiam & felle Leopardi inungi consueviſſe tradit Cardin. Ponzett. *lib. 1. de venen. cap. 24.* idem tamen Ponzett.
9 Toxici etymologiam à Taxo deduci voluit; at con-
10 stat ex Paulo *libro 5. cap. 54.* & Aët. *serm. 13. cap. 70.* & aliis, Toxicum appellari inde, quia eo illinibatur sagittæ, quæ Toxeumata Græcis nominantur, ut ex eodem Paulo tradit Mercur. *de Art. gymnast. l. 2. c. 13.* qui & in hoc convenit, non fuisse Toxicum peculiare quoddam veneni genus, sed eo nomine omne venenum insigniri solitum, quo sagittæ inficiebantur. At ego etiam magis generale nomen dehinc factum puto: nam quia hujusmodi venena, quibus sagittæ illinibantur, exitialissima erant, & præsentanea, exinde factum est, ut quodlibet venenum maximè exitiale, & pernicioſum per antonomasiam Toxici nomine insignitum sit, Plautus *in Mercat: Act. 2. Scen. 4.*

Certum est, ibo ad Medicum, atque ibi me toxico morti dabo.

Nam juvenis hic occidere se vult veneno exitialissimo, quod toxicum nominat; sed hoc de toxico satis.

Radices quæ inter venena connumerantur, plures ab iisdem jam commemoratis herbis desumun- 12
tur ac præter illas sunt Scylla venenosa, Chamæleon nigrum, Ixia dictum, & nonnullæ aliæ.

Ex succis sunt Euphorbium, lac Tithymalo- 13
rum, Mel venenosum, Tapsia, Opium, Elaterium. Fructus sunt Nux vomica, Nux Methel, Poma Mandagroræ, Anacardi, Colocynthis.

Ab animalibus desumpta, vel sunt animalia in- 14
tegra, vel eorum partes. Integra animalia sunt Cantharides, Bupreſtes, Pitocampæ, seu Pinorum 15
Erucæ, Stellio, Lepus Marinus, Salamandra, Bufo. 16
Partes animalium sunt, vel excrementa, vel partes utiles. Excrementa sunt Felis omnia genera, saliva canis rabidi, aut viperæ, sudores quadrupedum nonnullorum, de quibus jam dixi, quòd in commercio esse vix possunt.

Partes utiles sunt, Castoreum malum, Cervi cau- 17
da, lingua, & cor Vespertilionis, & si vis, addere potes, cerebella nonnulla quorundam animalium, ut Felis, Ursi, Lupi, Leopardi, quæ comesta, aut infatuant, aut in furiam agunt; sed hæc non eandem pœnam delinquentibus conciliant, ut dixi.

Denique ex metallicis, ac mineralibus numeran- 18
tur Arsenicum, Auripigmentum, Argentum vivum, Risagallum, Cinnabaris, Gypsum, Cerussa, Antimonium, rubrica Synopica, Minium, Borax, Squamma æris, Flos æris, Ferri Scoria, Sandaraca, Sublimatum, Souma argenti, Adarces, & alia permulta his non dissimilia. Inter quæ connumerantur nonnulla arte elaborata, ut sublimatum, Cerussa, & hujusmodi, & inter hæc ipsa quæ arte elaborantur, reponendum est lixivium saponis, quòd vulgò vocant, *la maestra*, & Aqua fortis Argentariorum, & si quæ alia hujus classis esse constet.

SUMMARIUM.

1 *Veneficium quid.*
2 *Veneficij nomen extenditur ad noxam veneno procuratam.*
3 *Dantur morbi venefici, hoc est, malis artibus, & Dæmonis ministerio acciti.*
4 *Incantationes plurimi Antiquorum derident.*
5 *Incantationes docti quidam viri admittunt.*
6 *Incantationes dantur etiam ad bonum finem facta.*
7 *Incantationes dantur, sed non sine dæmonis opera.*
8 *Simplicia verba vim aliquam habere, vanum.*
9 *Fascinum datur.*
10 *Fascinum aliud naturale, aliud accidentale, aliud voluntarium.*
11 *Fascinum aliud à metu, aliud à verbis, aliud à modo agendi.*
12 *Visu, & tactu hominem homini nocere posse, admittendum.*

De Veneficiis, Incantamentis, & Fascino.

QUÆSTIO XIII.

VEneficium tanquâ generale nomen nunc affe- 1
ram, & voco hic veneficium noxâ, vel intuitu, vel tactu, vel loquelâ, ob odium, iram, aut invidiam, in alienum corpus, vel dæmonis operâ, vel venenis mediantibus, aut simpliciter absque horum adjumento immissam. Extenditur quoque & ad noxam

veneno

veneno procuratam, de qua jam in præcedentibus abundè ſatis actum eſt. Dubium autem eſt de his peculiariter, quæ nudis verbis, aut intuitu, aut tactu fiunt, an detur, necne; & agitatur id ipſum quandoque etiam inter Juriſconſultos: accuſantur enim aliquando inſontes, ut in caſu ab Amato Luſitano enarrato, *Curat. Med. cent. 6. cur. 87.* de muliere quadam Illyrica, quæ accuſata eſt, quòd juvenem incantationibus ſurdum fecerit; ea re ad Judices delata, Medicorum ſententiam audire voluerunt, ut *ibi* per eum.

3 Cæterùm dari veneficia, nimirum morbos, & noxas malis artibus, ac Dæmonis miniſterio procuratas non dubitandum; & ad hoc probandum plura vide apud Paul. Grilland. *de ſortileg.* Ponzinib. *de Lamiis, à n. 63.* Bodin. *Dæmonoman. lib. 1.* copioſiſſimè apud Martinum Delr. *diſquiſit. Magic. lib. ..* & alios quamplurimos apud eundem; ſed ex Medicis multa habentur apud Codronch. *de morb. ven. lib. 1. per totum*; nonnulla apud Roſſeum, *Epiſt. Medic. n. 48. 50. & 51.* plurima, ac notatu digniora apud Jordanum, Marcellum, Donatum & Hucher. *l. 4. de de ſterilit. per totum*, præcipuè verò *cap. de morb. Dæmon. ſeu divinis.* Nullus autem, ſanam ac Catholicam doctrinam ſectatus, ab ea ſententia diſſentit.

Tota difficultas eſt de Incantationibus, nimirum de veneficiis, nudis carminibus ac verbis factis, & faſcino, hoc eſt, veneficio ex ſolo intuitu aut tactu ſimplici naſcente; & quoad incantationes, plurimi, Antiquorum præſertim, non modò non admittunt, ſed deridenr. Senec. *lib. 4. Nat. quæſtion. cap. 6.* Plin.
4 *lib. 30. cap. 1. & ſeq.* quos Amatus adducit *ubi ſuprà.* Theophr. *9. de hiſtor. plant. cap. 9. & alibi.* Gal. *6. de ſimpl. med. facult. in prine.* ab Huchero relati, *ubi ſuprà* D. Thom. *contra Gent.* apud eundem Amatum, & ex recentioribus Valleſ. *in lib. de ſacra Philoſophia, cap. 3.* Martin. Delr. Codronch, & præ omnibus Hucher. *locis ſuprà citatis*, & inter Juriſconſultos Tiraquell. *de leg. Connubial. Gloſſ. 1. leg. 14.*

5 Non deſunt tamen aliâ ex parte ex Doctoribus multi, qui & admittant, & nonnullas experientias recitent. Inter cæteros verò Ant. Beniven. *de Abd. ac mirand. morb. curat. cap. 26.* Fernel. *Pathol. lib. 6. cap. 1. & 2 de Abd. rer. cauſ. cap. 16.* Cardan. *lib. 1. de Venen. cap. 17. & lib. 18 de ſubtil.* ubi experientiam in ſe ipſo factam affert. Relinquo vetuſtiores, Trallianum nempe, Aëtium, & ipſos quoque Galenum, & Plinium, cum cæteris ex antiquioribus, qui incantationes nonnullas ad certos morbos afferunt, quas ſi videre cupis, ad Galenum recurre, ad libellum non ſuum, ſed ipſi adſcriptum, de *Incantation. Abjurat. &c. claſſ. 7.* ad Plin. *lib. 28. cap. 2. & 30* ad Alexand. *lib. 12. & alibi*, ad Fernel. *locis ſupra citatis.* Nonnulla habes etiam apud Juriſconſultos, ut apud Bertach. *de Epiſcop. lib. 5. part. 2. num. 4.* Tiraquell. *ubi ſuprà*, & alios Auctores, qui ex profeſſo hanc materiam pertractarunt. Sed fidem quoque incantationibus præbent Grilland *de ſortileg. quæſt. 2 num. 7. & 10. & alibi.* Ponzinib. *de Lamiis, num. 63.* Damhouder *pract. crimin. cap. 61. num. 91.* Troil. Malvit. *de ſortib. part. 1. num. 16.* & alii nonnulli ibi per eum allati. Auctor *de poteſt. ſacul. & Eccleſ. cap. 348. & ſeq.* Bertachin.
6 *ubi ſuprà, lib. 4. num. 41.* qui cum proximè citato Auctore etiam ad bonum finem partratas admittunt, tanquam non illicitas. Franciſc. Squillacen. *de Fid. Cathol. cap. 2. num 1. & 2.* qui etiam incantationes bonas, vel ad bonum finem dari credit; & in ſumma univerſaliter tam Pontificii, quàm Cæſarei Juriſconſulti incantationes admittunt etiam ex ipſarum legum & ſanctionũ auctoritate, quas apud ipſos vide.

Sed præter hæc, non modicam fidem faciunt permultæ ſacræ Scripturæ auctoritates, ita ut non auſim ego, qui aliàs hujuſmodi rebus nullam fidem habeo, incantationes ſimpliciter negare; præter auctoritates enim ſacræ paginæ ab aliis adductas, ut præcipuè Deuteron *cap. 18. verſ. 10.* quâ peculiariter incantationes prohibentur, extant & aliæ ab aliis, vel non animadverſæ, vel conſultò prætermiſſæ, ut Exod. *cap. 7. verſ. 11.* ubi poſtquam Moſes virgæ, ac ſerpentis mirandas illas quidem Metamorphoſes, ac dehinc quoque alia plura miracula Pharaoni oſtendiſſet, dicitur: *Vocavit autem Pharao Sapientes & Maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter*, & ſic deinceps, de quibus Montuus *in Halof. febr. lib. 5. cap. 10.* Item, *Pſal. 57 verſ. 5. & 6.* hæc habentur: *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Non diſſimile eſt quod habetur Jeremiæ *cap. 8. verſ. 17.* *Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio*, adducta à Valleſio. Et licèt hic dici poſſit, (ut ſapienter me admonuit inſignis vir, ac illuſtris Concionator, R. D. Jacobus Vulponius Congregationis Oratorii) ſacram Scripturam loqui ſecundum vulgi conſuetudinem, ut aliàs conſuevit, vel parabolicè, ut Valleſio placet: dixerim tamen ego hìc potiùs loqui ſecundum id quod verè eſt, quia conſtat hoc ſæpiſſimè per incantationes fieri. Et tritum eſt ex Plutarcho, Plinio, & aliis, quod de Marſis, & Pſyllis populis jactatur; de quibus etiam Virg. 7. *Æneid.* mentionem habet, hiſtoriæ alludens his verbis:

Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos,
Fronde ſuper galeam, & felici comptus oliva,
Archippi regis miſſu, fortiſſimus Umbro:
Viperco generi & graviter ſpirantibus hydris,
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat,
Mulcebátque iras, & morſus arte levabat.

Neque deſunt permulti alii graves Auctores, qui & de hac veritate teſtantur, & propriis oculis hæc vidiſſe ſe affirmant.

His adjiciam Platonis dictum *in Charmide, ſive de temperantia*, qui & admittere incantationes videtur, cùm animam ægrotantem incantationibus ſanari tradit, hoc eſt, bonis ac utilibus præceptis, quorum vim ac efficaciam eandem eſſe putat, quam credebat eſſe incantationum, quarum maxima vis eſt; quamobrem olim proverbio jactabatur, cùm quid maximæ efficaciæ denotare volebant, eſſe illud quavis incantatione efficacius. Neque conticebo Poëtæ noſtri auctoritatem in ſuo Godefrido, *Cant. 19. ſt. 112.* apud quem Ermina nudis verbis fluentem ſanguinem ex vulneribus Tancredi ſiſtit, ut ibi narratur his criminibus.

Dittamo e Croco non havea, mà note
Per uſo tal ſapea petenti, e maghe.

Nam hoc poëticè dictum non eſt, quia in Medicina receptum, & ad aliud plures incantiones à multis adducuntur, & ſubvenit Homeri quoque locus *Odyſſ. 19.*

In incantatione (inquit) *autem ſanguinem nigrum Tenuerunt.*

Ex quibus convertendum nullo modo eſt, in- 7
cantationes omninò dari. Ad contrarias autem auctoritates dicendum eſt, eas loqui de incantationibus ſimplicibus, ac nudis verbis factis, nulla, interveniente Dæmonis operâ, aut interventu; verba enim quædam, aut voces, aut etiam ſcripta aut alia quævis his non diſſimilia vim aliquam habere, ridiculum eſt. Quòd ſi quid interdum virtutis talis 8
habuiſſe

habuiſſe comperiantur, id vel ex accidenti caſu evenit, vel omninò ex dæmonis tacito, vel expreſſo conſenſu, vel, ſiquidem minimè ſint, ex ipſa imaginatione dependentiam habent.

9 Cæterùm de faſcino jam diximus quid ſit, quanquam aliàs latiùs multo pateat hoc nomẽ; ſed quicquid ſit de nomine, faſcinũ dari conſenſu multorũ doctorum hominum receptũ, ut videri poteſt apud

10 Vairum *de faſcino lib.* 1. & apud Hucherum *lib.* 4. *de ſteril. cap.* 1. ubi etiam diviſionem habes faſcini, vel faſcinationis in naturalẽ, vel ſubſtantialẽ, quæ ex contrarietate quadam, ac Idioſyncraſia naturali dependet; in accidentariam, quæ ex accidentali cauſa, ut ex terris ac malignis vaporib. originatur; & voluntariã, quæ ex intuitu inimico cum odio, ira, invidia, aut mala voluntate pullulat. Priores, naturalẽ ſcilicèt & accidentariam indiſcriminatim cuilibet

11 homini, poſtremam nonniſi certo homini obeſſe traditur. Aliam verò faſcinationis diviſionem affert Cardin. *lib.* 1. *de venen. c.* 17. quæ ipſa quoque triplex eſt: prima, quæ à metu dependet, mala ſibi timẽdo, atque imaginando ab aliqua perſona, ut pueris evenit ex vetularũ intuitu, præcipuè turpium, ac torvi aſpectus. Secunda, quæ ex alienis verbis dependet, cum qui laudando alium cum mala voluntate, & invidia obeſſe laudato creditur, vel etiam cùm quis mala ominatur. De hac videretur fortè alicui loqui Eccleſiaſt. *c.* 4. *v.* 6. ibi: *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius.* Tertia deniq; quæ à modo agendi cauſatur, tractando, percutiendo, reſpiciendo, & hujuſmodi. Hucherus *loco ſuprà citato* omnia hæc vana omninò demõſtrat; experientias autẽ nonnullas ad cauſas manifeſtas reducit, auctoritatibus magnorum virorum ſatisfacit, & in ſumma nullam dari faſcinationem concludit. neque nudis verbis, aut ſimplici intuitu, aut ſolo tactu noxam aliquam inferri poſſe credit. Ego & intuitu, & tactu nocere homini poſſe, non invitus admitterem; eſſe tamen omnia hæc maximè ex parte vana, omninò ſemper exiſtimavi. At qui rationes ad hanc opinionem deſiderat, legat Vairum *lib.* 2. *de faſcino per totum*, & Laurentium *lib.* 1. *de mirab. ſtrum. Sanat. à cap.* 5. *ad* 7. Langium *lib.* 1. *epiſt.* 54. [Conjung. *Horſtium* oper. Med. tom. 2. pag. 549.]

LIBRI SECUNDI TITULUS TERTIUS,

IN LEGES ALIQOT DIGESTIS DE ÆDILITIO EDICTO.

Continens Quæſtiones quindecim.

I. De Edicti Ædil. cauſa, de morbi conditionibus, qui locum redhibitioni facere debeat.

II. De morbi, ac vitij appellatione, & de differentia inter morbum & vitium.

III. De animi vitiis.

IV. De morbi gravitate, & levitate, & de morbo ſontico.

V. De melancholicis, & fatuis.

VI. De impetigine, prurigine, & ſcabie.

VII. De ſpadonibus, & eunuchis.

VIII. De lingua abſciſſa, & mutitate.

IX. De cæteris loquelæ vitiis.

X. De vitiis ſenſûs viſûs.

XI. De oris fœditate, edentulis, gutturoſis, & antiadas habentibus.

XII. De varis, & variis, & claudis, & varicoſis.

XIII. De prægnante, & puerpera, de pariente mortuos, de ſterili, & arcta, de ea, quæ bis in menſe purgatur.

XIV. Sanatus quis dicatur, de convaleſcentibus, de recidivantibus, & de morbis circuitus habentibus.

XV. De hydropico, clavum habente, polypoſo, ſcæva, & manco, & de urinam faciente.

SUMMARIUM.

1 *Ædilitium edictum ad quid emanaverit.*
2 *Redhibere quid ſit.*
3 *Cauſa edicti ædilitij, quanam fuerit, & num.* 5.
4 *Prima morbi conditio, qui redhibitioni debet locum facere.*
6 *Fraus volenti non fit.*
7 *Non eſt ampliùs regreſſus dandus ei, qui remiſerit actionem ſuam.*
8 *Edictum cur de ſontico morbo non loquatur.*
9 *Sonticus morbus qui dicatur.*
10 *Secunda morbi conditio redhibitioni locum dantis.*
11 *Morbus, ac vitium ſimpliciter conſideratum.*
12 *Edictum locum habet in morbis, qui ad corpus ſolum, vel ad corpus ſimul, & animum pertinent.*
13 *Quidam animi morbi, cur redhibitioni cauſam dent.*
14 *Edictum non de morbo perpetuo ſolùm, ſed etiam de temporaneo loquitur.*
15 *Morbus jam præteritus in nulla conſideratione habetur.*

De Edicti Ædilitij cauſa, & de morbi conditionibus, qui locum redhibitioni facere debeant.

QUÆSTIO I.

Ad l. primam, §. cauſa, ad l. Præcipiunt, & ad l. Redhibere.

QUanquam vana, ac ſuperflua videri primo intuitu poſſũt ea, quæ ſcripturus ſum circa materiam Edicti Ædilitij, eo quòd non adeò frequens ſit mancipiorum commercium, ut olim erat, & etiãſi frequens eſſet, minimi momenti res videretur de his conſiderare: attamen quia hæc ipſa, quæ hìc dicentur, aliis permultis inſervire poſſunt, ultra ea, quibus inſerviunt hìc, idcirco promptè occaſionem arripui multa adnotandi in hoc titulo de Ædilitio Edicto, ubi de redhibitionibus agitur, habet enim multa, quæ ad Artem Medicam explanare ſpectat.

Sed ut ea, quæ dicere paramus, clariora non Juriſconſultis tantùm, ſed & Medicis, qui in hæc inciderint, evadant, primo loco præmittendum eſt, quid Edictum hoc importet, & cauſa manifeſtanda, ex qua Ædiles illud promulgarunt; & denique in quibus caſibus locum habere debeat, in quibus verò nequaquam.

Præci

1 Præcipitur ergo in hoc edicto, ut vendentes mancipia, jumenta vel quæcunque ea ſint, notum facere teneantur ipſis emptoribus, quid morbi, aut vitii mancipia illa, vel jumenta, vel alia quæcunque
2 venalia expoſita patiantur, quòd ſi id non præſtiterint, diſponit, ut liceat emptori ad libitum quæcunque emerit, redhibere: eſt autem redhibere, facere, ut rurſus ea venditor habeat, quæ vendidit, & pretium ementi reſtituat, ut notatur hic in l. *Redhibere.* Plaut. *in Mercator. Act. 2. ſcen. 3.*

Dixit ſe redhibere, ſi non placeret.

3 Et *in Moſtellar. Act. 3. Scena 3.*

—— Si malè empta forent,
Nobis iſtas redhibere haud placeret.

Hæc ſunt, de quibus in hoc edicto diſponitur, cujus verba recitantur ab Ulpiano hic in *l. prima hujus tituli, §. Aiunt Ædiles. & in l. Ædiles aiunt, in princ.* Ejus quoque edicti cauſam idem Ulpianus patefacit in eadem *l. 1. §. Cauſa. in l. Præcipiunt.* dicens, eam non aliam fuiſſe, niſi ut occurratur vendentium fallaciis, & emptoribus ſuccurratur, ſi unquam decepti à venditoribus fuerint; ne morboſum mancipiũ, aut vitioſum jumentum pro ſano, & abſque vitio, aut malam mercem pro bona ementes, & pretium ſani, & abſque vitio ſervi, ſeu jumenti, vel bonæ mercis ſolventes, poſtmodum uſui, ad quem hæc emerint, minimè apta eſſe comperiant, & ex vendentium fraude decepti damnum patiantur.

Plura tamen circa hoc edictum animadverti, & ipſi Ædiles voluerunt, & conſiderarunt deinceps Ulpianus, ac cæteri Juriſconſulti, qui de eo verba fecerunt; primò autem voluerunt, quòd morbus, de quo loquitur edictum, ut illud ſuum effectum ſortiatur, debeat eſſe talis, ut à venditore facilè ſimu-
4 lari, & ab emptore non facilè cognoſci potuerit: ſi enim contrà venditor nullo modo morbum celare, & emptor facillimè, ac nullo negotio ejus cognitionem habere potuit, locum edicto non debere eſſe ſtatuerunt; unde fortaſſe ſi ſcabioſus ſervus ſit, ſi auriginoſus, hoc eſt, ictericus, ſi alopecià laboret, ſi oculis captus ſit, ut hìc notatur, redhiberi ex hujus edicti virtute minimè poterit: ſic ad amuſſim habetur hic in *l. 1. §. ſi intelligatur. & in l. Quæritur. §. ſi nominatim.* quod etiam notat Farinac. *Conſ. criminal. libro primo, reſponſ. 54. numero undecimo.* Et ratio Juris ea eſt, quia cùm edictum ad hoc unum emanaverit, ut ſuprà explanatum eſt, ut occaſio fraudis tollatur, jam hìc nulla fraus vendentis fuiſſe poteſt, cùm fraus ſcienti, ac volenti non fiat, ut habetur in *l. 1. §. Uſque adeo. ff. de Injuriis. & l. Qui autem, §. præterea. ff. Quæ in fraud. cred.* & tradit ex noſtris
5 Ariſtot. *Moral. Nicomach. libro quinto, capite nono.*
6 Videtur enim emptor cognoſcens morbum mancipii, vel jumenti, quod vænit, remittere venditori actionem, quam contra illum haberet redhibendi ex ejus morbi cauſa, ſtante hujus edicti diſpoſitione, & idcirco cùm remiſerit actionem ſuam, non eſt ampliùs illi regreſſus dandus, ut ſtatuitur in *l.*
7 *Quæritur. §. ſi venditor hic.* De morbis ergo, qui de ſe manifeſtam intuentibus ſignificationem præbent, vel qui etiam abſque magna difficultate cuivis innoteſcere poſſunt, non cenſendum loqui hoc edictum, ut diximus; quâ ratione externi omnes morbi, oculis inſpicientium ſubjacentes, redhibitioni locum non dabunt.
8 Et hac eâdem ratione edictum de Sontico mor-
9 bo non loqui volebat Pomponius, ut in *l. Ob quæ vitia. §. Illud erit adnotandum.* ſiquidem cùm ſonticus morbus is dicatur, qui vim habet graviter nocendi. *l. Quæſitum. ff. de Re judicat.* Aul. Gell. *Noct. Att. libro vigeſimo, capite primo,* jam qui eſt, qui graviter ægrotantem ſervum pro ſano imponere alicui poſſit? In eo ergo caſu præſumendum eſt, Emptorem ſervum, aut jumentum morboſum cognoviſſe, & pro morboſo emiſſe, viliori fortaſſe pretio ob infirmitatem; ergò cùm ſciens emerit morboſum ſervũ, aut jumentum, redhibere emptum non poteſt.

Secundo loco animadvertendum volunt, ut mor- 10
bus, aut vitium, de quo edictum intelligendum ſit loqui, tale debeat eſſe, ut uſum miniſteriumque hominis, vel jumenti impediat, quemadmodum notatur hìc in cit. *l. 1. §. ſed ſciendum.* leviſſima enim quædam vitia, aut leviuſculi morbi, ex quibus nullum incommodum aut homo, aut jumentum reportat, ob quod minùs ad uſum deterius evadit, in conſideratione haberi nolunt; neque in ſimilibus locum habere edictum cenſent, ut hìc in *l. Ob quæ vitia. §. finali, & in l. idem Oſſilius.* & notat Tiraq. *de Judicat. in reb. exig. not.* 10. Ex quibus manifeſtum ſit, quòd etiamſi aliqui apud hos morboſi dicerentur, ut is cui ſextus digitus ſuperflueret, vel qui longâ, ſed leviuſcula quartana, aut febricula laboraret, & ſimiles, tamen ad hunc effectum redhibendi, ad quem edictum hoc emanavit, minimè morboſi ex Juriſconſultorum mente dicendi eſſent.

Tertiò conſiderarunt morbum, aut vitium tri- 11
pliciter, nimirum prout ad corpus ſolum ſpectat, ut febris; vel prout ad ſolum animum, ut iracundia, timiditas; vel prout ad utrumque ſimul, ut dementia & furor: hi enim ad utrumque pertinent, ut notum nobis eſt, & notat ex Juriſconſultis Pariſ. *de* 12
reſignat. lib. 3. quæſt. 8. n. 13. Edictum ergo hoc illis morbis, ac vitiis habere locum volunt, quæ ad corpus ſolum, vel ad corpus ſimul & animum pertinent, ut in ead. *l. 1. §. Interdum. & in l. Ob quæ vitia. §. in ſumma, & in l. Animi.* Idcirco neque avarus, neque timidus, neque iracundus, neque protervus, neque invidus, neque melancholicus, neque ludos frequentans, neque mendax, neque ſi calcitro equus ſit aut pavidus, redhiberi ex hujus edicti diſpoſitione poſſunt: eo quòd hæc omnia animi paſſiones ſint ac vitia, non verò corporis morbi.

Quartò, licet vidiſſent morbos quoſdam eſſe pro- 13
prios animi, ut omnes dementiæ ac inſaniæ ſunt, quæ animum ipſum primò, ac præcipuè lædunt, tamen quia à corporis impuritate ac vi humorum præter ſtatum naturalem ſe habentium, depen-
dent, unde uſum etiam ipſius animalis facere poſſunt deteriorem, idcirco determinarunt tales morbos ſub edicto comprehendi debere, & locum redhibitioni jure facere, ut in ead. *l. 1. §. Interdum. & l. Ob quæ vitia, §. Idem Pomponius.*

Quintò conſideratur morbus reſpectu ſuæ dura- 14
tionis, neque enim in ſolo morbo perpetuo locum habere hoc edictum volunt, ſed etiam in temporario, ut *in l. Pomponius*, ita ut non modò perpetuâ lippitudine obſeſſum mancipium redhibere liceat, ſed etiam ſi nunc tantùm lippitudine detineatur, quinimò cùm aliqui morbi ſint, intermiſſionem habentes, ut qui per acceſſiones, & circuitus, ac typos quoſdam revertuntur, & exacerbantur, etiam in his locum habere edictum declararunt, non ſolùm afflictionis tempore, & exacerbationis ipſius morbi; ſed etiam in intermediis, in quibus ipſe morbus evanuiſſe, & æger ſanatus eſſe videtur, ut in Tertiana, in Quartana, in Epilepſia, in Podagra, in Nephritide, in Colica, & hujuſmodi evenire ſolet: neque enim eos, qui ſimilibus morbis moleſtantur, etiam in diebus, in quibus à morbo vacant, ſanos dici poſſe ſanciverunt, ut in *l. Qui tertiana hic.*

Deniqus

Denique conſiderarunt, morbum, prout jam præteritus eſt, ægrúmque dereliquit, ſtatuentes Mancipium, vel Jumentum, quod ita ſanatum ſit, ut nullæ in eo reliquiæ prioris morbi remanſerint, ita habendum eſſe, ac ſi nunquam ægrotaſſet, ut *in l. Quod ita ſanatum his*, & idcirco non poſſe ex hoc capite, ſtante hujus edicti diſpoſitione, redhiberi; quod etiam tunc habere locum voluerunt, cùm jam morbus tutò ſperni poteſt, & ut noſtro modo loquamur, in ſui manifeſtiſſima, ac poſtrema declinatione, cùm etiam omnis recidivæ timor prorſus ceſſavit; ut elici poteſt ex ſæpius adducta *l. 1. §. Interdum.*

SUMMARIUM.

1 *Morbus quid, ex textu hic.*
2 *Morbus quid, ex Medicis.*
3 *Morbus à vitio an quicquam differat.*
4 *Morbus, & vitium quomodo differant, ex Modeſtino, rejicitur num. ſeq.*
6 *Vitium eſt quid levius morbo.*
7 *Imbecillum quod eſt, morboſum inſimul dici non poteſt.*
8 *Vitium quid, ex Cicerone.*
9 *Morbi, & vitii altera differentia.*
10 *Vitioſi qui appellentur.*
11 *Vitii nomen pro habitu contrario virtuti.*
12 *Corporis morbis detenti vitioſi etiam appellantur.*
13 *Propria opinio de differentia inter morbum & vitium.*
14 *Morbus reſpicit animal in iis, quæ ad eſſe; vitium in iis, quæ ad bene eſſe inſerviunt.*
15 *Morbus, aut vitium, quod uſum, miniſteriumque impediat, redhibitioni locum facit.*

De Morbi, ac Vitii appellatione, & de differentia inter Morbum, & Vitium.

QUÆSTIO II.

Ad l. primam. §. ſed ſciend. & l. ob quæ vit. §. idem Pompon.

1 MOrbus dicitur hic *in l. prima, in ſæpe citato §. Interdum.* habitus contra Naturam, qui uſum ejus ad id fecit deteriorem, cujus cauſa Natura ejus corporis, ſanitatem nobis dedit; quæ definitio maximè conſona videtur cum fine diſpoſitionis hujus edicti; hac tamen multò breviorem afferunt Medici, ut Gal. *lib. 1. de ſan tuend. cap. 8. claſſ. 2 & in Meth. medend. pluries, claſſ. 7.* & attuli ego aliàs *lib. 1. harum quæ-*
2 *ſtionum tit. 1. quæſt. 9. n. 75.* quæ talis eſt: *Morbus affectio eſt præter Naturam actionem lædens*, neque ob id, quod hæc definitio adeò brevis ſit, quicquam omittit eorum, quæ habet allata à Juriſconſultis, etiamſi hæc longiori verborũ ſerie explanetur. Morbus dicitur affectus, ſed præter naturam; at quia quidam etiam affectus eſſe poteſt, qui præter Naturam ſit, non tamen ſit morbus, idcirco adduntur poſteriora hæc verba *actionem lædens*; quouſque enim talis affectus actionem non læſerit aliquam, morbus dici non poteſt, ut Gal. *loco citato Meth. lib. 1.* docebat, & alibi, exempli gratiâ, color non conſuetus in corpore perceptus, affectus eſt præter naturam, tamen morbus dici non poteſt, niſi cordi communicatus, actiones atque inſimul cæterarum partium lædat, atque impediat, tunc enim febris ſit, quæ morbus verè eſt; ſed hæc ulteriori expoſitione non indigent.

3 Dubium autem erat inter Juriſconſultos, (quod licèt levioris momenti ſit, diſcutere tamen operæpretium eſt) an nimirum quicquam differret *morbus à vitio.* Cùm enim in hoc edicto ea verba habeantur, *Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi, vitiive cuique ſit*, volebat Sabinus, teſte ipſo Ulpiano; hìc multum differre vitium à morbo; quam tamen differentiam vel non admittit, vel parvipendit ipſe Ulpianus, volens, Ædiles tollendæ dubitationis gratiâ addidiſſe illud verbum, *Vitiive.* Videntur autem aliàs ipſi Legumperiti hanc differentiam inter morbum, & vitium agnoviſſe, cùm dixerunt, Morbum eſſe temporalem corporis 4
imbecillitatem, vitium perpetuum corporis impedimentum, ut Modeſtinus *in l. inter ſtuprum. §. verum eſt. ff. de Verb. & rer. ſignificat.*

Quæ tamen differentia apud me non ſine diffi- 5
cultate tranſit: ſiquidem vitium, ſi aliquid proprii habet, in quo à morbo differat, illud præcipuè eſt, ut 6
ſit quid levius morbo; quamobrem mutus morboſus quidem eſt, balbus verò vitioſus, eſt, non morboſus, ut hìc ex Sabino notatur: at ſi res eo modo intelligẽda eſt, quo Modeſtinus intelligi volebat, jam vitium potiùs quid gravius eſſet morbo, & hoc duplici ex cauſa: prima, quòd morbus imbecillum tantummodò corpus redderet, vitium etiam impediret: ſecunda, quod morbus ad tempus, vitium verò perpetuò læderet. Præterquam quòd minùs rei naturæ conſonum videtur, quod morbus dicatur corporis imbecillitas; nam ſi hoc eſſet, ſequeretur dari morbum, abſque eo, quòd eſſet præter natu- 7
ram; neque enim quod imbecillum eſt, morboſum inſimul dici poteſt, ut dixi *lib. 1. tit. 3. part. 3. quæſt. 5. num. 9.* cùm imbecillum præter naturam non ſit, quanquam Hippocr. *de priſc. Medic.* dicit, *Qui verò imbecillus eſt, proximè ad eum, qui ægrotat, accedit*: tamen morboſus idcirco non eſt; imò imbecillum cum ſano ſtare poteſt, in *libro de Alimento* idem Hippocr. dicebat: *Qui probè perſpirant, debiliores & ſaniores ſunt.* Præterea multi morbi perpetui ſunt, quibus minùs conveniret vitii nomen, & è contra multa vitia temporalia ſunt, quibus morbi nomen adaptari nullo pacto poſſe, quilibet affirmabit.

Cicero referente Alciato *in dicta l. inter ſtuprum. ff.* 8
eodem. vitium dicebat eſſe, cùm partes corporis inter ſe diſſident; ſed quæ diſſenſio partium corporis in balbo, qui tamen, ut dixi, vitioſus appellatur? Nos autem hanc partium diſſenſionem, non minùs morbum appellamus, quàm alios veros morbos.

Proponebatur ab aliis alia differentia inter mor- 9
bum, & vitium, nimirum quòd morbus corporis propriè ſit, vitium verò animi; pro qua opinione facere videtur *l. Ob quæ vitia hic. & Gloſſ. in leg. Paciſci. ff. de pactis*: & apparet hæc opinio maximè conſona communi loquendi modo; vitioſos enim appellamus, qui malis moribus prædìti ſunt; qui profectò mali mores animi ægritudines dicuntur à Platone ſæpius, & in hoc ſenſu vitium, à 10
doctis viris ſemper accipitur, Plaut. *in Perſ. Act. 3. Scen. 1.*

——— *Hic cum mala fama facilè nubitur,*
Dum dos ſit, nullum vitium vitio vertitur.

Terent. *in Hecyra Act. 2. Scen. 2.*

Aliud fortaſſe aliis vitii eſt, ego ſum animo leni natus.

Et Horat. *lib. 2. ſermon. ſat. 3.*

Stultum me fateor, liceat concedere veris,
Atque etiam inſanum, tamen hoc edíſſere, quo me
Ægrotare putes animi vitio?

Sumitur autem hoc pacto vitii nomen pro habi- 11
tu contrario virtuti; de eo tamen in hac ſignificatione accepto non locutos eſſe Ædiles, patet ex *l. 1.* & ex *l. Ob quæ vitia*: & aliunde; non videtur ergo poſſe accipi hìc vitii nomen pro habitu cõtradiſtincto à virtute; præterquam quòd obſtat huic opinioni, quod etiã corporis morbis detenti vitioſi appellãtur, ut Luſcus in *l. inter ſtuprum. ff. de verb. ſignif.* & Baldus hìc in *l. 1. §. ſed ſciendum.* Gall. *lib. 4. cap. 2.* 12

Ego

13 Ego ad Sabini mentem morbum à vitio in hoc differre dixerim, si quid modò differt, (patet enim in communi loquendi modo etiam Medicos ea nomina confundere) ut morbus quid gravius vitio sit, vitium quid levius morbo; & morbum dicerem respicere animal, & ejus operationes in eis, quæ ad
14 esse simpliciter illi inserviunt; vitium in iis, quæ ad bene esse; & idcircò cæcitas, mutitas, surditas, & hujusmodi, quia videntur tollere omninò, ac destruere animalis functiones, vel insigniter depravare, morbi dicuntur; contra verò luscitas, balbuties, gravis auditus, hisque similes affectus, quia eas operationes leviter tantùm impediunt, vitia propriè dicuntur, non morbi, ut suprà dixi.

Si tamen quomodocunque, de nomine solùm quæstio videtur esse, & rectè existimo sensisse Ulpia. cùm nihil fecerit hanc differentiam inter morbum, & vitium à Sabino propositam: satis enim est, si id importare edicti vim intelligamus, ut quisquis affectus præter naturam sit morbi, vel vitii nomine insigniendus, dummodò usum ministeriumque hominis, vel jumenti impediat, redhibitioni locum faciat, ut *in l. 1. & l. Ob quæ vitia, & l. idem Offilius hic.* Quamobrem nec quicquam afferam circa similia
15 nomina, quæ habentur *in l. & quantum*, sed ad ulteriora transibo: licèt nonnulla circa hæc omnia & Alciatus, & Budæus afferant, & ex recentioribus Thom. Act. *de Infirm. part. 1. rubr. 3.* inter Legum peritos, inter Medicos autem præter *Galenum* plurimis in locis, videndus *Gorræus* in definitionibus Medicis, literis propriis.

SUMMARIUM.

1 *Ex animi vitiis non datur redhibitio.*
2 *Animi vitia à corporis temperaturâ.*
3 *Humanus animus cur tot vitiis obnoxius, brutorum verò non ita.*
4 *Mores à corporis temperatura.*
5 *Homo inter cætera animantia optima temperatura dotatur.*
6 *Animi vitia in quibus consistant.*
7 *Vitia functionum animalium.*
8 *Dæmoniaci, & similes nunquam sine corporis vitio ægrotant.*
9 *Vitia quæ animi affectus respiciunt.*
10 *Vitiosum quando fiat animal.*
11 *Vitia quænam in pejori conditione, dic ut n. seqq. & 18.*
12 *Vitia circa Irascibilem magis prava. Contrarium n. 14.*
13 *Vitia magis incusandabilia, magis prava.*
15 *Vitia Concupiscibilis magis à ratione aliena.*
16 *Irascibilis animali cur tradita.*
17 *Objectum Irascibilis passionis quale.*
19 *An omnia animi vitia sub hac Legis dispositione comprehendantur.*
20 *Ex animi passionibus multi facilè in morbos incidunt.*
21 *Ex ebrietate quos morbos incurrant homines.*
22 *Ex nimio labore si solitus sit servus ægrotare, an redhiberi possit.*

De Animi Vitiis.

QUÆSTIO III.

Ad l. primam, §. Interdum, l. Ob quæ vitia, §. 1. l. Eandem §. In summa, & l. Animi.

1 Licèt apertissimè decisum habeamus à Jurisconsultis hìc, ex animi vitiis mancipia, ac jumenta minimè redhibenda esse, & idcircò vix aliquid esse possit, quod nos remorari debeat, quò minùs ad ulteriora ad libitũ transeamus, non ab re tamen existimaverim determinare, in quibusnam hujusmodi animi vitia consistant, ut pateſiat, quænam propriè animi vitia dicenda sint, cùm circa idipsũ manifestissimè errari compererim: quibus addendum, quòd aliquãdo vitia, licèt animi propriè sint, à corpore tamen originem ducunt, ut dicemus: interdum verò simpliciter ipsius animi sunt, & nullam ex corpore originem habent, saltem accidentalem, nam vitia ipsa animi à corporis temperatura naturaliter pendent. 2

Sed antequam ad ulteriora procedamus, Philosophis illud discutiendum propono, unde videlicèt sit, quòd humanus Animus divinus, immaterialis, immortalis, tot tantisque vitiis obnoxius sit; animi verò brutorum corporei, materiales, mortales, neque tantis, neque tot vitiis irretiantur? Reddit autem eam quæstionem solum difficilem, quòd cùm mores, in quibus maxima ac potentissima vitiorum pars consistit, à temperatura ipsa sint, ut Gal. abundè docet *in libro* ad eam rem dicato, homo cùm inter cætera animantia optimâ temperaturâ dotatus sit, ut idem Gal. demonstrat *lib. 1. & 2. de temper.* minùs quàm illa vitiis implicari deberet: quod tamen, ut dixi, contrà evenit. 3 4 5

Sed hæc parumper à proposito scopo absunt, videndum nobis est, in quibusnam consistant animi vitia, & cujus rei respectu dicatur vitium; dicamus in tribus potissimùm rebus ipsa consistere, in animi nempè functionibus, in ejusdem passionibus, & in moribus. 6

Ea, quæ in functionibus animalibus consistunt, sunt, quæ ipsius animi actiones depravant, ut sunt omnia dementiæ, & insaniæ genera, de quibus *in titulo proprio de dementia* jam dixi, de quibus etiam Plut. *in lib. de morb. anim. & corp. in princip.* Adnotandum autem est, Ulpianum voluisse Fanaticum esse vitiosum, & animi vitio, non corporis laborare; sciant tamen Jurisconsulti, Fanaticos. Dæmoniacos, Fatidicos, & hujus farinæ homines nunquam sine corporis vitio talia pati, *ut prædicto titulo de dementia* satis probavi: & idcircò si ille phrenesim voluit esse vitium corporis, quod ad animam pertingat, non minùs etiam prædicta omnia vitia inter eundem numerum recensenda, qui à coinquinato corpore, pravisque humoribus referto coinquinatur etiam animus, quem, cùm corpore veluti instrumento utatur, depravari secundum suas operationes, necesse est, ipso instrumento depravato. Quamobrem minùs mihi probantur nonnulla allata circa hanc materiam, à Thom. Act. *p. 1 cap. 14.* & maximè illud, quod noluerit, furiosos esse infirmos, quia habent validas vires, quod ridiculum apud Medicos est, quemadmodum & alia similia ibi allata. 7 8

Vitia porrò, quæ animi passiones & affectus respiciunt, notiora sunt, quàm necesse habeant, ut de illis peculiaris sermo instituatur. Cùm tamen eæ animi passiones in duplici sint differentia, eo quòd à duplici fonte originem habeant, ab hepate nimirum in quo concupiscibilis facultas à Philosophis reponitur, & à corde, in quo irascibilis sedem habet, utrasque, cùm excedunt, reddere animal vitiosum notissimum est; tunc enim vitiosum animal fit, cùm in dolorum & voluptatum fuga, aut persecutione, nec ut oportet, nec quando, nec quas oportet, persequitur aut fugit. Arist. 2. *Moral. Eudem cap. 6.* Sed quænam ex iis vitiis in pejori conditione sint, non nisi dignum scitu est; ac profectò videretur, magis prava existimanda esse, quæ circa Irascibilem sunt; & ratio esse potest, quia cum impetu, & violentia quadam fiunt, quæ violentia, vel nullo modo, vel nonnisi maxima cum difficultate rationis imperium audit, quod evidenter patet in ira, in timore, in desperatione; quæ verò circa concupiscibilem consistunt, cum eo impetu, ac violentia careant, ut manifestum fit in desiderio, in amore, in odio, in tristitia, & hujusmodi, ratione facilius cohiberi posse credendum est, quæ tamen vitia magis 9 10 11 12 13

gis inemendabilia sunt, in pejori quoque conditione esse, asserendum

14 Tamen dicendum videtur, multò magis prava reputanda quæ ad Concupiscibilem spectant, quàm quæ ad Irascibilem: & ratio evidens est, quia illa
15 magis à ratione longinqua videntur, quamobrem brutorum magis propria sunt, quàm hominum: vi-
16 detur autem, irascibilem animali traditam potiùs animum regendum, atque esse à Natura ipsi animo tanquam ministrum, ac satellitem datam; concupiscibilem verò magis ad corpus custodiendum: unde est, quòd irascibilis videtur aliqua ex parte rationis imperium audire, ut patet in ira, de quo dixi latiùs *tit. de dementia, quæst.* 5.

17 Evidentiùs autem probatur, Irascibilem esse magis rationi consonam, quia passiones ad eam pertinentes, habent pro objecto bonum nonnisi cum difficultate acquisibile, aut malum cum difficultate evitabile; at tam ad hoc bonum acquirendum, quàm ad tale malum evitandum, media requiruntur; cognoscere ergo videtur irascibilis talia media adesse, & idcirco vario modo movetur, prout offertur, aut non offertur medium ad tale bonum acquirendum, vel tale malum evitandum. At Concupiscibilis objectum, bonum est de facili acquisibile, & absque ullo medio, aut quod jam jam acquisitum sit, vel malum de facili eveniens, aut quod jam evenerit, ad quod fugiendum neque habet, neque requirit medium. Licèt autem impetus Irascibilis re-
18 frænari vix possit, Concupiscibilis tamen adhæsio ad bona, vel mala oblata, omninò minùs remediabilis est; ut patet in prædictis passionibus.

19 His verò omissis, & ad Jurisconsultos redeundo, sciendum, esse hìc etiam aliquem dubitandi locum, an scilicet omnia animi vitia comprehendi debeant sub hac Legis dispositione: & ratio dubitãdi est, quia tam ex vitiis, quæ animi passiones respiciunt, quàm ex iis, quæ ad mores spectant, potest interdum evenire ejusmodi morbus, ut tanquam causa morbi possit redhibitioni locum facere; sunt enim ex hominibus plurimi, qui ex animi passione vehementi, nullo intercedente tempore, ac facili negotio, in morbum labantur, ut iis præsertim, quibus
20 ex iræ vehemẽtia febris accenditur, aut qui ex mœrore syncopem, cordis tremorem, longas febres, & similes morbos incurrunt. Summo ergo jure dubitari poterat, an tales in redhibitione sint. Ac mihi quidem maximè in redhibitione esse viderentur, si modò id connaturale, & consuetum illis sit, ut ex animi hac, vel illa passione in morbum incidant; & tunc non habebit locũ legis dispositio, quòd in hoc edicto comprehendi minimè debeant animi vitia, quia tanquam causa morbi, ut dixi, debent redhibitioni etiam causam dare, non ad ipsa vitia, sed ad effectus inde subsequentes respicientes.

Atque idem etiam ex mea sententia dicendum esset circa ea animi vitia, quæ mores respiciunt, ut exempli causa de ebrio, & guloso; si servus enim ebrietati studeret aut crapulæ, & quotiescunque inebriaretur, facilè in morbum aliquem incideret, ut fieri solet (nam plurimi ex ebrietate febrem, ver-
21 tiginem, tremorem, apoplexiam, artrhiditem, & mille alios effectus concipiunt, quemadmodum etiam ex crapula) hanc redhiberi posse dicerem; nisi fortasse illud obstare velis, quòd hæc vitia possint à Dominis prohiberi.

Ac postquam de dispositione ad morbos conci-
22 piendos mentionem habemus, illud quoque decidendum Jurisconsultis propono, num scilicet redhiberi possit mancipium, aut jumentum, quod constaret ex nimio labore, exempli gratia, in febrem incidere; aut si emeret quis servum, ut illum ruri præficeret, ille autem ruralis Aëris injurias sufferre non posset, sed ex ea causa facilè ægrotaret, & cætera hujusmodi; in quibus omnibus casibus Jurisconsulti videant, quid esset decidendum.

SUMMARIUM.

1 *Ex Medicorum denunciatione probatur, an quis ægrotet, vel sit valetudinarius.*
2 *Morbus, an sit gravis vel levis, Medicorum judicio remittitur.*
3 *Leves morbi non faciunt redhibitioni locum.*
4 *Glossæ intellectus ad* l. Ob quæ vitia. §. Illud erit, *rejicitur num. seq.*
6 *Graves morbi, neque Medicos, neque idiotam quenquam latere possunt.*
7 *Sonticus morbus unde dicatur.*
8 *Causa sontica, id est, causa gravis.*
9 *Morbi quidam respectivè leves dici possunt, cùm graves sint.*
10 *Gravitas morbi qualis intelligatur.*
11 *Gravis morbus quis dicatur.*
12 *Gravis morbus est, ex quo quis Medicorum judicio periturus erat.*
13 *Gravis morbus ex hujus edicti dispositione quis dicatur.*
14 *Gravis & levis morbus dicitur respectivè ad multa, & vide num. seqq.* 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *&* 23.
15 *Magnæ infirmitates æquiparantur morti.*
24 *Duas morborum species à redhibitione facienda Jurisconsulti excipiunt. num. seq.*
26 *Sonticus morbus comprehendit plures morborum species.*
27 *Sonticus morbus idem cum acuto, falsum, num. seq.*
29 *Sonticus morbus est perpetuus.*
30 *Acuti morbi* 14. *diebus judicantur.*
31 *Non datur certum genus morbi, sub quo sonticus comprehendi possit.*
32 *Sonticus morbus malè pro peculiari morbo accipitur.*
33 *Sonticus morbus pro Epilepsia.*

De morbi gravitate, & levitate, & de morbo Sõtico.

QUÆSTIO IV.

Ad l. Ob quæ vitia. §. Illud erit. & §. idem ait.

CUm hìc occasio nobis præsentetur, ut de morbi gravitate, & levitate differamus, eam nullo modo prætermittendam esse duxi, tùm quia ad hujus quoque edicti argumentum facere videtur, tùm 1
etiam quia ad alia permulta necessarium est de ea disceptare; & præterquam quòd Medicorum denunciatione probatur, an quis ægrotet, vel an valetudinarius sit, Schenck. *de probat. num.* 23. aliquando etiam à Jurisconsultis dubitari contingit, an morbus aliquis gravis, ac periculosus dicendus sit, necne, nostróque judicio, ac testimonio eam rem definiunt Gratian. *discept. for. cap.* 19. *n.* 19. *tom.* 1. Rota *in* 2
Rom. Societ. apud. Zanchium de societ. dec. n. 10. *n.* 6.

Hac igitur occasione sumptâ, de ea re nunc verba faciamus, insimulque de *Sontico morbo* nonnulla in medium afferamus. Cùm ergò Ædiles in hoc edi- 3
cto, ut suprà visum est, velint jubeantque redhiberi debere mancipia, seu jumenta morbosa, ne qui talia emunt, à venditoribus decipi valeant, hoc non semper, neque in omni morbo locum habere determinarunt; levem enim morbum, ut puta, levem febriculam, mediocre ulcus, vulnusculum, & hujusmodi, ob eorum levitatem redhibitioni causam non debere voluerunt: neque etiam de sontico morbo loqui Ædiles in hoc edicto, traditur *in l. Ob quæ vitia. §. Illud erit adnotandum.*

Licèt Gloss. videatur velle textum prædictæ legis 4
ita esse intelligendum, tanquam si dixisset. Illud erit adnotandum, quod generaliter scriptum est, non

de

de ſontico tantùm morbo intelligendum eſſe, hoc eſt id quod generaliter ſcribitur non eſſe ſolùm intelligendum de ſontico morbo,qui ob ſui gravitatem abſque dubio redhibitioni locum facit, ſed etiam de aliis,qui non ita graves,ut ſonticus ſunt. At ſi licet mihi per Legumperitos quicquam circa textum legalem proferre, & ultra ſepta,ut aiunt, 5 tranſilire. Gloſſa videtur non bene textum illum intellexiſſe; nam contrarium apparet voluiſſe ſibi Pomponium, cùm dicit, non intelligi de Sontico morbo,id quod generaliter de aliis ſcriptum eſt:& quia hoc mirum videri cuiquam poterat,quod alii morbi locum redhibitioni faciant,ſonticus autem, qui morbus maximè gravis eſt,nequaquam, idcirco Pomponius ad tollendam hanc admirationem ſubdit. Nec mirum hoc videri debet, ſubjungens cauſam, cur Sonticus morbus à generali illa diſpoſitione ſit excipiendus, dicens: Nihil enim ibi agitur de ea re, cui hic ipſe morbus obſtet, intellige,venditioni,neque enim mancipium, aut jumentum graviter ægrotans, venale,quisquis ſit, exponit, aut ſi exponat, nullus eſt, qui illud graviter ægrotare non cognoſcat: tales enim morbi veluti eſſent acuti,non ſolùm Medicos,ſed neque idiotam quenquam latere poſſunt. Galen.1. *de diebus decret. cap.6. col.1.*

6 Cùm ergo edictum de Sontico morbo, ob commemoratam rationem,nõ loquatur,& aliam,quam dehinc addam,videndum jam,qualis morbus ſonticus dicendus;ac primò intelligendum neceſſe eſt, 7 quid hæc vox Sonticus,importet;dicitur ergo ſonticus morbus, quaſi ſons, hoc eſt nocens,eò quod plurimum noceat,& dicitur morbus gravis,& magni momenti,qui hominem manifeſto exponit diſcrimini,ſic etiam cauſa gravis, dicitur ſontica, ut auctor teſtatur in adagiis. Catull.*lib.*1.*Eleg.*8.

——*non illi ſontica cauſa eſt.*

8 Itaque ſonticum hic ego accipio, prout contraponitur levi, ac ſalutari morbo.

Quibus ſic ſtantibus notandum, ut videamus quis morbus ſontici nomen mereatur,quòd multi 9 leves mobi dici poſſent reſpectivè ad aliquid, qui tamen reipſa graviſſimi ſunt,ac pro talibus exiſtimandi;& ne longè extra lyram vagetur,pro exemplo utamur iiſdem morbis tanquam levibus à textu nobis propoſitis. Febricula dici poſſet etiam Hectica in ſuo præcipuè exordio, & febricula admodum levis:nam neque ullo ſymptomate,neque ullâ moleſtiâ ſeſe prodit:nec ſolùm indoctos & inexpertos, ſed etiam doctos ac expertos Medicos, immò & ipſum ægrum decipit,qui neque ſeipſum ægrotare cognoſcit; neque enim inſigni, ac non conſueto calore, neque ſiti, neque capitis dolore, neque vigiliis,neque inappetentiâ, neque alio ullo affectu præternaturam moleſtari ſibi videtur, quamobrem & ob id, quòd in principio non cognoſcantur, curatu difficiliores fiunt hujuſmodi febres. Levis ergo tunc quidem hæc febris dici poſſet, cùm vix hominem à conſuetis muniis obeundis impediat; graviſſima tamen eſt ex ſua natura, ac ſontica dici poteſt,eo quòd vim graviter nocendi habeat,ut quæ certo tramite hominem ad interitum perducat. Eodem etiam pacto levis lippitudo de qua textus ipſe,quæ facilè ex levi graviſſima evadit, & hominem ad cæcitatem impellit. Quinetiâ omne vulnus,in quo modica omninò unitatis ſolutio appareat, vulnuſculi nomine inſigniri poteſt,& leve dici,cum tamen vulnuſculum tenuiſſima acu inflictum, graviſſimum ac ſonticum eſſe aliquando poſſit, ut ſi nervum pupugerit, ſi penetrans ſit, ſi principem partem læſerit. Sal. *in 1. de morb. text.* 14.

Ulcus quoque mediocre talem partem infeſtare poteſt,& ejus naturæ eſſe,ut vel animal ad manifeſtam mortem trahat, vel nobilem aliquam actionem impediat,vel ſimile quicquam præſtet, cujus reſpectu non ſolum leve,ſed omninò grave,ac ſonticum dici mereatur: & tamen hæc Sontici morbi 10 nomine non inſignienda,reſpectu diſpoſitionis hujus edicti, quia gravitas morbi talis intelligitur hic, ut de præſenti gravis ſit,& valde noceat,ita ut facillimè cognoſcatur.

Duobus autem potiſſimùm modis, ut ad hujus 11 edicti propoſitum facere videtur, gravis, aut levis morbus nominari poteſt; ac primus gravis dicitur morbus periculoſus,qui animal ad interitum de facile trahere poſſit;atque hac ratione Juriſconſulti gravem morbum nominant, ex quo quis Medicorum judicio periturus erat. Maſcard. *de probat. Concluſ.* 1170. *num.* 13. *vol.* 3. levem autem contrà ſalubrem omnem morbum vocare licet, ut de quartana,quæ jam ſperni poteſt, & de febricula non magnæ conſiderationis, habetur hîc *in cit. l.* 1. *§. ſed ſciendum.* 12

Secundo modo gravis morbus dici poteſt,prout 13 ad rem noſtram facit, ex eo quòd ita levis non ſit, ut redhibitionem non admittat,ut Tertiana,& hujuſmodi; hæc enim, attentâ hujus edicti diſpoſitione gravis morbus dici poteſt,prout contraponitur ei,qui ita levis eſt,ut ob ſuam levitatem in conſideratione non habeatur, & locum redhibitioni nullatenus faciat. Sed extra materiam redhibitionis,morbus gravis, vel levis dici poteſt reſpectivè ad multa:& primò, reſpectu actionis,quæ à morbo 14 depravatur, attentâ ejus præſtantiâ, ut exempli gratia,febris gravis morbus dicitur,ob id quod vitalem actionem depravet;ſic & ſyncope, & hujuſmodi.

Secundò, reſpectu particulæ laborantis, ut ea- 15 dem febris gravis morbus dici poteſt,quia cor obſidet vitæ ipſius fontem, & auctorem.

Tertiò,reſpectu etiam propriæ naturæ ac eſſentiæ 16 morbus appellatur gravis,ut ipſa febris,quia ex ſua natura nativum calorem devaſtat, gravis morbus dicitur; ſic etiam morbus acutus quicumque ſit, nam hic cum velocitate ſui finis, eſt morbus magnus. Gal. 2. *Aphor.* 19. Magnæ autem infirmitates 17 non ſolùm graves ſunt, ſed æquiparantur morti. Pariſ. *de reſign. bened lib.*5. *quæſt.*3. *num.*27.

Quartò, ex accidentium concomitantia;morbus 18 enim qui plura, & majoris ponderis ſymptomata afferre ſolet, magis etiam gravis dici debet. Gal. 3. *de Criſ. cap.* 4. *claſſ.* 4.

Quintò, reſpectu naturalis ſtatus, quantum 19 enim morbus à naturali ſtatu recedit,ac elongatur, ad tantam magnitudinem perveniſſe dicendus:qui multum ergo ab eo recedit,gravis; qui parum, levis appellatur. Galen. 1. *de art. Curat.ad Glauc. c.* 1. *claſſ.* 7.

Sextò morbus gravis dici poteſt,morbus conta- 20 gioſus, etiamſi non interimeret, ut morbus gallicus, lepra, nam ubi reperitur malignitas, magna etiam fieri vitia afferendum. Gal. 4. *meth. Med. cap.* 6.*claſſ.*7. at ubi contagium, ibi humorum malignitatem præſentem eſſe neceſſe eſt.

Septimò, gravis dici poteſt morbus (& maximè 21 ad hujus edicti diſpoſitionem) qui ſit curatu difficilis,ut idem morbus Gallicus, Podagra,Nephritis, Calculus, & hujuſmodi.

Octavò, reſpectu exitûs, qui morbus etiam ad 22

præſens levis, gravis nomen mereri poteſt, ut exempli gratia, deſtilatio ad pectus, vel lienis, vel hepatis obſtructio. : illa enim aſthma, phthiſim, inflammationes ſpiritualium, & hujuſmodi mala parere poteſt, & hominem interimere; hæc longas febres, cachexiam, hydropiſim, & ſimiles.

Nonò morbus poteſt dici gravis & magnus, relativè ad vires ipſius ægrotantis, quippè cùm morbi quidam contemnendi, ubi hominem validis viribus dotatum offenderint; non contemnendi, imò graves evadunt & pernicioſi, ſi hominem imbecillum, & magna cum virium exolutione oriantur.

23 Denique ad Ædilium mentem, quilibet morbus gravis dicendus eſt, qui uſum aliquem corporis neceſſarium adimit, impeditque: tales enim levibus contraponuntur, qui redhibitioni locum non faciunt. Si quis tamen ex Medicis deſiderat ſcire, quis morbus verè dici debeat magnus præ cæteris, legat Salium *in* [illegible]. *de morb. text.* 14. & Jo. Raphael. Moxium *de morb. mul. lib.* 1. *cap.*...

24 Ædiles ergo duas ſpecies morborum à redhibitione facienda excipiunt, unam propter eorum levitatem, quia nullum uſum, aut operam neceſſariam mancipii aut jumenti impediunt; aliam propter gravitatem, ob quam adeò omnibus patent, ut fraus vendētis præſumi non poſſit cùm vendāt: nam ſi quis talia mancipia, ſeu jumenta emat, ſciens emiſſe exiſtimandus eſt, ut dixi; & hanc ultimam morborum ſpeciem ſonticam appellarunt

25 Juriſconſulti; eſt enim ſonticus morbus, qui vim graviter nocendi habet, ut *in l. Quæſitum, ff. de re judic. l. Morbus, ff. de verb. ſignif. l. animi ff. §. Quoties & l. Ob quæ vitia, §. finali hic.* Aul. Gell. *Noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 1. & exemplificatur quoque de febre *in l. quæſitum*, jam ſuprà citata.

26 Apud nos autem quis propriè debeat dici ſonticus morbus, definire poſſe, non credo, quia comprehendit plures, & varias morborum ſpecies. Suſpicatus tamen aliquando ſum, ſonticum morbum apud nos eſſe eundem cum acuto; nam acutus morbus abſque dubio vim graviter nocendi habet, ut

27 qui cum celeritate ſui motus adjunctum ſemper habeat periculum. Gal. 2. *de diebus decret. cap.* 12. *claſſ.* 4. Concil. *diff.* 133. & facit Hipp. auctoritas *in*

28 *lib. de vict. rat. in morb. acut. in princ.* & Celſ. *lib.* 3. *cap.* 1. ſed conſideravi eſſe nonnullos morbos, qui apud nos inter acutos non connumerantur, ſonticos tamen ad Juriſconſultorum mentem dici debere, ut eſſet arthritis, febris lenta, ſed gravis, hydrops, epilepſia, & hujuſmodi.

29 Sed in ſuprà citata *l. animi, §. quoties.* dicitur, ſonticum morbum eſſe perpetuum, neque tempore finiri, cum tamen in aliàs citata, *l. quæſitum.* febris pro ſontico morbo acceptetur, & morbi acuti abſque dubio ſontici dici mereantur; tam febris autem, quàm acuti morbi omnes, tempore, & illo quidem

30 brevi finiuntur; nam 14. diebus judicantur, ut ex Hip. ſent. *Aphor ſect.* 2. *Aphor.* 23. patet; licet Sarnus apud Pariſ. *lib.* 12. *de reſign. benefic. quæſt.* 8. *num.* 1. ad 20. diem eos protrahat, cui favet mirum in modum Valleſ. *in Epid.* ſed Hipp. auctoritas eſt manifeſta. Non ergo, ut liberè fatear, ſcio, quid ſibi velit lex in hoc, cùm vult, ſonticum morbum eſſe perpetuum, utrùm nempe perpetuum dixerit, id eſt, continuum, & abſque ulla interpolatione, nullam habentem quietem, niſi ex toto dimittat; an maluerit perpetuum dici, quòd nullo tempore, vitâ durante, finiatur, & intermittat. ut *in l. 1. ff. de ſocio.* Ac profectò ego priorem ſenſum amplecterer, vel perpetuum acciperem pro non brevi, ſed longo, ut accipit in Gloſſ. *in l. unica furt. adv. naut.* Quomodocunque ſit, non habemus nos, ut dixi, certum genus, 31
ſub quo omnis morbus ſonticus comprehendi poſſit, quia & acutis, & chronicis, & perpetuis, & interpolatis, & aliis quibuſcunque, ſontici nomen applicari poteſt. Satis ſit Leges benè explicaſſe id, quod ſibi volunt hac voce denotare, hoc eſt, morbum gravem, ac valde nocentem.

Ex quibus patet, malè accipi interdum apud Me- 32
dicos ſonticum morbum, pro peculiari aliquo affecto, niſi per antonomaſiam id faciant, ut apud Plin. *lib* 36. *cap.* 19. qui ex Gagate lapide deprehendi ſonticum morbum tradidit; ubi procul omni dubio ſonticum morbum pro Epilepſia accepit: nam hoc lapide Epilepſiam deprehendi notum eſt, & teſtatur Æmil. Macer. *lib.* 5. *de mat. med.* 18. dicens:

Accenſus prodit fumi nidore caducos.

Quo loco Cornarius Plinii verba recenſet, & cum 33
Macri verbis comparans, teſtatur Plinium pro ſontico morbo intellexiſſe Epilepſiam, quod firmat etiam Foreſt. *lib.* 10. *Obſerv.* 53. *in ſchol.* Sed eſſe hoc nomen commune multis morbis, & ex ſuperioribus, & ex ipſomet apertiſſimè patet.

SUMMARIUM.

1 *Melancholici nomen tripliciter acceptum.*
2 *Melancholicus, id eſt vir temperatura melancholica.*
3 *Melancholicus pro triſti.*
4 *Melancholicus pro inſano.*
5 *Textus Melancholici nomen quomodo acceperit, vide num. ſeq.*
7 *Budæus erroris notatur.*
8 *Fatui an redhiberi poſſint.*

De Melancholicis, & Fatuis.

QUÆSTIO V.

Ad l. 2. & l. Ob quæ vitia. §. idem Pompon.

TAm de Melancholicis, quam de Fatuis verba aliàs feci, *in proprio titulo de Dementia, & morbis omnibus qui rationem ladunt*; nunc autem de iis ipſis, prout ad rem hujus Edicti facere videtur, nonnulla in medium afferre par eſt, ut quædam, quæ hîc dubium excitare poſſent, diluantur. Cùm ergo enarraſſet Ulpianus *in l.* 1. quod Ædiles in hoc edicto non loquebantur de Animi vitiis, & idcirco diſponerent, ex ea cauſa mancipia non eſſe redhibenda exemplificabat in *§. final.* de his quæ ſupra modum timida, vel invida, vel iracūda, vel avara ſunt, quibus Caius *in l. ſeq.* addidit etiam Melancholica. Ubi notandum, quòd hoc nomen Melancholici a- 1
pud nos tripliciter accipi conſuevit, primò pro temperatura melancholica, & ſic accipitur, cùm Melancholicos dicimus eſſe libidinoſos, cujus rei cauſam quærebat Galen. *comm.* 3. *in* 6. *de morb. vulg. text.* 17. 2
claſſ. 3. ſic etiam & de cibis nonnullis diximus, quòd Melancholici ſint, hoc eſt, temperatura frigida & ſicca, & melancholicum ſuccum generantes, ut de carne leporina dicebat idem Galen. 3. *de loc. aff. cap.* 18. *claſſ* 4. quòd eſſet admodum melancholica, & 1. *de Alim. fac cap.* 18. *claſſ.* 2. præcipiebat in Autumno eſſe abſtinendum à cibis melancholicis.

Secundo modo Melancholici nomen ſumitur, 5
prout contraponitur hilari, & ſignificat idem, quod mæſtus & triſtis: quâ ratione quærit Ariſt. cur homines ſcientiis, virtutibus, & artibus inſignes, & eminentes, Melancholici, hoc eſt, triſtes, & minùs hilares fuerint, ita ut etiam melancholicis morbis tentati ſint; & rationem reddit *ſect.* 4. *probl.* 1. ex Juriſconſultis Carrar. *de Med. & ejus Offic. part.* 2. *n.* 56. ad quod facit illud Eccleſiaſtis *cap.* 7. *verſ.* 5. *Cor ſapientium, ubi triſtitia eſt.*

Tertiq

3 Tertio modo Melancholici dicuntur, qui melancholici humoris vitio abſq; febre inſaniũt, de quib. Gal. 3. *de loc. aff. cap. 7. claſſ. 4. & alibi pluries.* Caius ergo *in prædicta l. 1.* Melancholici nomen non pro eo accipit, quod temperaturâ Melancholicum denotat, hoc enim vanum fuiſſet adnotaſſe; ſed dubium eſt, an acceperit pro Melancholico in ſecundo ſenſu, hoc eſt, triſti, & in omnibus actibus, in loquela, in moribus, in aſpectu, mœſtitiam præ ſe ferente; vel potiùs pro Melancholico in tertio ſenſu, hoc eſt, ex melancholicæ vitio inſaniente. Sed patet, ipſum de Melancholico in hoc tertio ſenſu non fuiſſe locutum, quia Melancholicum ſic accipitur pro morbo & Melãcholia ſic accepta morbus ex iis eſt, quæ ex corporis impuritate originem trahentia ad animum uſque pertingunt, eumque inficiunt, & labefactant; ſimilia verò vitia dare redhibitioni cauſam, ſancitum jam reperiebatur *in l. §. Interdum, & in l. Ob quæ*
6 *vitia. §. Idem Pomponius. & alibi.* Quamobrem patet, legem hanc non poſſe loqui de mancipio melancholico in hoc ſenſu accepto; unde reſtat, quòd loquatur de Melancholico in ſecundo ſenſu, triſti nempè, & mœrente, ſive hoc ex propriæ, ac innatæ temperaturæ propenſione, ſive ex accidentali quadam cauſa adveniãt; de talibus enim, ut de timidis, avaris, invidis, & hujuſmodi, *in præcedenti l. in fin.* dubitabatur, cùm tales omnes vitioſos appellari poſſe, non controvertendum. Quia tamen vitia hujuſmodi ad animum ſolummodò pertinent, idcircò ſimilibus vitiis obnoxios ſervos redhibendos non eſſe declaravit Ulpianus, eandémque ob cauſam, neque Melancholicos aut triſtes in redhibitione debere eſſe, *in l. hac* addendum putavit Caius, cùm hujuſmodi vitia nullum uſum, miniſterium que in homine, aut jumẽto impedire ſaltem notabiliter con-
7 ſueſcant. Ex quibus patet error Budæi *in annotationibus hic*, qui Melancholicos vult hìc dici eos, qui atræ bilis vitio tenentur, quos morbos animi eſſe, non corporis volebat: quod tamen ſimpliciter falſum eſt; hoc enim, ut dixi, ex iis vitiis eſt, quæ ex corporis impuritate uſque ad animum perveniunt, ut in centies citata *l. 1. §. Interdum*, ubi de phrenitide mentio habetur; à qua quidem nihil differt Melancholia, hoc eſt, inſania melancholica, niſi febre, & cauſa materiali: in phrenitide enim febris præſens eſt, in melancholia nequaquam; & phrenitis ex bile fit, vel ſanguine bilioſo; melancholia verò ex atra bile: cæterùm tam in phrenitide, quàm in melancholia homo delirat, & inſanus fit; in utroque ergo caſu, ut inſanus redhibendus.

Circa fatuos præterea dubium movebat Ulpia-
8 nus *in l. Ob quæ vitia. § idem Pomponius.* an nempè redhibere eos per edictum hoc liceat, necne, diſtinguebat autem prudentiſſimè quidem, dicens, quòd ſi fatuum accipiamus pro non valde ſapienti, ut ſunt, quos craſſæ Minervæ homines appellamus, tunc redhibitioni non ſit locus; neque enim hujuſmodi fatuitas videtur ſervi miniſterio inſigniter obeſſe: at ſi fatuum intelligamus pro omninò inſipienti, ita ut ejus uſus, vel nullus, vel modicus, & in modicis rebus eſſe poſſit, tunc redhibendum eſſe ſtatuit. Nos de fatuis, eorumq; differentiis, ac natura, longioribus egimus, *tit. 1. quæſt. 7.* ad quam lectorem remittimus. (addi poſſet quæſtio, an ſalutis cauſâ liceat Medico ægrum Melancholicum, verbi gratiâ, decipere? vid. *Rodericum à Caſtro* Med. polit. l. 3. cap. 9. *Nirembergium* l. 2. theſ. cap. 23.)

SUMMARIUM.

1 *Conjugi leproſo, an ſanus teneatur reddere debitum matrimonij*
2 *Leproſus an à commercio hominum abjiciendus.*
3 *Lepræ plura genera.*
4 *Impetiginoſum non eſſe redhibendum, an bene definitum.*
5 *Impetiginoſum, pro quo acceperit text. ex Gloſſ. rejiciatur, ibid.*
6 *Impetigo impedit membrum affectum.*
7 *Impetigo quid ex Medicis.*
8 *Impetigo, quid proprie Fracaſtorio.*
9 *Impetigo vulgaris apud Celſum ſub papularum nomine comprehenditur.*
10 *Celſi papulæ ſunt Volatica, quæ Lichen dicitur.*
11 *Papulæ ſi non ſanentur, in impetiginem tranſeunt.*
12 *Papulæ & Impetigo idem non ſunt.*
13 *Impetigines, & Lichenes idem.*
14 *Impetiginis quatuor ſpecies.*
15 *Impetigo & Lepra morbi affines ſunt.*
16 *Text. hic non loquitur de Impetigine, id eſt, de Pſora, & Lepra.*
17 *Lepra morbus maximus.*
18 *Pſora, & Lepra totum corpus inficiunt, ut plurimum.*
19 *Text. hic non loquitur de Mentagra.*
20 *Text. non loquitur de Volatica.*
21 *Text. loquitur de Impetigine ſecundum communem loquendi modum.*
22 *Impetiginis duæ ſpecies.*
23 *Levis Impetigo quid.*
24 *Scabies ac Pruritus interdum in Lepram degenerant.*

De Impetigine, Prurigine, & Scabie.

QUÆSTIO VI.

Ad l. Pomponius. §. Trebatius, & ad l. vel protervi.

OCcaſione Impetiginis, de Lepra etiam non- 1
nulla dicentur, de qua occurrit ipſis quoque Juriſconſultis interdum agere, cùm quæruntur; an *conjugi leproſo ſanus teneatur reddere debitũ matrimonii*, 2
ut DD. *in c. quoniam de conjug. leproſo*, & cùm dubi- 3
tant, an à commercio fidelium leproſus ſit abjiciendus: nam hoc in omnibus lepræ generibus habere lõcum non dicendũ, quia lepræ plura genera ſunt, ut Medicis notum eſt, & notant ex Juriſconſultis plures, Brun. *de ſponſ. & matrim. concluſ. 8. num. 8.* Circa impetiginem ergo dubitari contingit, quia non conſtat quid pro impetigine accipiendum ſit, & de qua impetigine loquatur textus, cùm plura ejus genera aſſignẽtur; ſed & dubium facere poteſt, an rectè determinaverit Lex, Impetiginoſum non eſſe redhibendum, ſi affecto membro commodè uti poſſit; multa enim huic rei maximè obſtare videntur, ut deinceps videndum. Nec mirum videri cui- 4
quam debet, quòd tantoperè circa impetiginem dubitare occurrat, cùm inter Medicos confuſio quædam, nec ea quidem modica, orta ſit circa ejus nominis proprietatem, & ejus morbi naturam, ac differentias, ut teſtatur Cæſalp. *lib. 4. Art. Medic. cap. 14.* neque adhuc apud ipſos ſatis conſtat, quid proprie impetigo ſit. Quamobrem, neque illud in admirationem nos trahat, quòd Gloſſ. hìc impeti- 5
ginoſum pro lentiginibus reſperſo acceperit, quod tamen & falſum eſt, & ex ipſo textu falſum eſſe ſatis declaratur: ubi impetiginoſus, ſanus eſſe dicitur, ſi affecto membro rectè uti valeat; undè collige, impetiginem ſecundùm Juriſconſulti intentionem eſſe talem morbum, qui membrum affectum impediat aliquando, & ſic duplicem eſſe, aliam mitio- 6
rem, alteram verò ferociorem, ac immitem; quod & cum nonnullorum Medicorum auctoritate conſonat, ut poſthac videbimus. At hæc de lentiginibus verificari non poſſunt, quæ ſemper unius rationis ſunt, neque ullum impedimentum membris ullo in tempore præbere ſolent. Unde rectè conclu-

dendum eſt, Ulpianum non accepiſſe impetiginoſum pro lentiginoſo;neque enim apud rei Medicæ peritos impetigines cum lentiginibus confundi unquam compertum eſt, cùm & cauſa,& accidentibus,& loco affecto,ac pleriſque aliis rebus inter ſe differre manifeſtum ſit.

7 Cùm igitur Gloſſæ expoſitio vera non ſit,aliam veriorem afferre nos par eſt:ſed quia,ut dixi,neque inter ipſos Medicos conſtat,qualis propriè morbus ſit impetigo,idcirco antè varias ipſorum Medicorũ opiniones,ſed brevibus exponemus;deinde ad præcipuum intentum aſſequendum accedemus. Medici omnes in hoc conveniunt circa naturam impetiginis, eſſe ſiquidem cutis aſperitatem cum ingenti prurigine. Fernel. *Pathol.lib.ult.cap.*4. Diſſentiunt tamen in hoc,quòd cùm plura ſint cutis vitia,quibus ea definitio aptari poteſt,alii alteri vitio magis con-

8 venire nomen impetiginis volunt. Nam Fracaſt.*lib. 2 de morb.contag.c.ult.* voluit,Impetiginem ſic dictam non aliud eſſe, quàm lepram, quod etiam apud Celſum verificari contendit Mercurial. *de morb. curand.lib.*2.*cap.*5.ſed Amat.Luſit.*Curat.Med.cent.*2.*cur.* 27.Vid.*de Curat.gener.lib.*6.*cap.*8.& Cæſalp.*ubi ſuprà*, Impetiginem vulgarem apud Celſum ſub papularum nomine pertractari voluerunt; quam ta-

9 men opinionem reſpuit,& confutat Fracaſt.*ubi proximè* qui Celſi papulas non alium eſſe morbum aſſeveranter firmat, quàm quem vulgò Volaticam

10 appellamus,& Græci olim Lichenas dixerunt:Sed papulas non eſſe impetiginem propriè dictam, ex

11 ipſo Celſo elici poteſt, qui papularum ſecundam ſpeciem,ſi non ſaneſcat, in impetiginem converti dicebat.Sic & Scribon. Larg.*de compoſit.medic.* 244. ad papulas,*& cap.*249. ad impetigines medicamenta proponit & Plin.qui *lib.*3.*de re med.cap.*39.de papulisagit,*& cap.* 44.de impetigine,& Priſcian.*lib.*1. *ad Tim.c.*16.de Papulis verba faciens,*Si ex reliquiis*, inquit,*papularum impetigo faciem,vel catera membra oc-*

12 *cupaverit.* Ergo omni procul dubio apud Latinos papulæ, & impetigo idem non ſunt, licèt affines morbi exiſtant.His illi reſpondere poterunt,papulas Celſi eſſe vulgarem impetiginem, & ſic apud alios:impetiginem verò propriè ſic dictam à Celſo & aliis, aliam à vulgari eſſe.

13 Plurimi autem videntur in hoc concordare,quòd impetigines una eademque res ſint cum Lichenibus;quæ tamen opinio, ut dixi, *Fracaſtorio* minùs probatur,qui contendit, impetiginem eſſe lepram: ac profectò,ſi *Fernelio* credimus,verum quidem eſt, lepram eſſe impetiginis ſpeciem,& fortaſſe concedi poſſet, quartam impetiginis ſpeciem apud Celſum lepram eſſe, non tamen inde ſequeretur, omnem impetiginem lepram eſſe.

Si autem verum eſt apud Macrum *de herb. lib.*2. *cap.*7.*& lib.*4.*cap.*19. Impetigines vocari Zernas, ut tam Cornarius, quàm Atrocianus volunt in illis verbis:

Zernas, & Lepras cura compeſcis eadem. Et
Lepras, & Zernas curat.

Quod etiam Menard. tenet *epiſt. lib.* 7. *epiſt.* 2. qui Zermas legit: jam videtur,impetiginem vel unam eandémque rem cum lepra eſſe, vel morbum valde contiguum, ex Macri intentione, cùm utrumque iisdem remediis curet; quod maximoperè faveret Fracaſtorio, & Mercur. quibus etiam mirum in modum faveret ipſe etiam Hipp. quem nihil differentiæ ponere inter utrumque apparet;quod & Avic. admittere videtur *fen.*4. *tract.*3.*cap.*4. nam vel parum intereſſe inter unum & alium morbum voluit,vel ſaltem ipſam lepram,quam Albaras nigram vocat, eſſe impetiginis ſpeciem; nec longè abeſt à 14
Celſi, & Fernel. opinione,qui impetiginis ſpecies quatuor aſſignarunt, quas Fernel. nominibus impetiginis, vel lichenis, pruriginis, pſoræ, & lepræ inſignivit.

Denique impetiginis, & lepræ morbos affines 15
eſſe, & eorum nomina confundi, conſtat, ex eo, quòd plures Medicorum proponentes medic. nonnulla ad varios morbos,de his in titulo ſcribunt,ad impetigines,& lepras, & utrumque iiſdem prorſus medicamentis curant, ut videre eſt apud Marcell. *cap.*19.*de Medicam.*apud Macr. *ubi ſuprà*, apud Dioſcor. *millies*, & alios.

Nobis ad præſens cognoſcere ſatis ſit,de qua impetigine intellexerit Ulpianus,cùm impetiginoſum qui affecto membro bene utatur, non eſſe redhibendum ſtatuit. Ac primò quidem de pſora, & le- 16
pra non eſſe locutum, ſatis ſuperque patere poteſt, 17
quia tam pſora, quàm lepra non ſolùm morbus eſt,ſed etiam morbus magnus;imò ab Æmilia.Macro *lib.*1.*cap.*15. vocatur lepræ ſpecies quædam omnium morborum maximus, in his carminibus:

Eſt lepra ſpecies, Elephantiaſisque vocatur,
Quæ cunctis morbis major ſic eſſe videtur,
Ut major cunctis Elephas animalibus exſtat.

Nec tantùm ſubjecti,in quo eſt,ratione apprimè noxia lepra eſt,ſed reſpectu etiam cujuſcunque cum talibus familiariter viventis,quia contagioſa,eſt, aliiſque facilè communicabilis, ut tradunt Avenz. *ſui Theiſ lib.*1.*tract.*7.*cap.*12. Fracaſt. & Mercur. locis 18
ſuprà citatis. Adde quòd pſora,& lepra totum corpus ut plurimùm inficiunt; impetigo verò,de qua textus hic,poteſt eſſe in membro particulari.

Neque de Mentagra textus loqui poteſt,quia & 19
ipſa morbus eſt periculoſus,& contagio communicabilis.Plin.*lib.*2.*cap.*56. Neque loqui poteſt de Volatica, (quam Mentagram eſſe contendit Vidius *l.* 6.*de Curat.gener.cap.*8.)quia hæc faciem defœdat,& oculis interdum mirum in modum officit, & alia multa incommoda affert, de quibus practicantes. Reliquum ergo eſt,ut textus loquatur de impetigi- 20
ne ſecundum communiorem loquendi modum, cujus duæ ſpecies aſſignãtur,levis nempe vel mitis & aſpera vel fera.Textũ non loqui de utraque ſpecie certum eſt,ſed tantùm de miti,quæ aliquando etiam jejuni ſaliva ſanatur: eſt autẽ hæc impetigo levis,exaſperatio cutis cum levi pruritu,nam alia 21
eſt magna exaſperatio cutis cum ingenti pruritu, & hæc membra impedit facillimè ab eorum operatione; imò adeò lepræ cognata eſt, ut in eam facillimè mutetur,ut omnes ſentiũt ſuprà citati Auctores, ac cæteri, qui de his verba faciunt. Quod etiamſi talis impetigo uſum mẽbri non impediret, tamen reſpectu imminentis periculi,ſervus impetiginoſus redhiberi poſſet: & idem fortaſſe eſſet dicendum de pruritu,& ſcabie,ſi nomine pruritûs,& ſcabiei,hìc *in l.Vel protervi.*omnis pruritus, & omnis ſcabies comprehẽderetur;nam quidam ex his morbis facilè in ipſoram,& lepram tranſeunt: præterquam quòd contagioſi ſunt, tradente experientia; & notante Ariſt.7. *probl.*4. Alex.1.*probl.*43.Gal. *de diff. febr.cap.*2.*claſſ.*3.quæ multò magis procederent in jumentis, ac pecoribus,quibus & contagioſi, & pernicioſi hi morbi ſunt, Unde Juven. *Satyr.* 1.

—— *Dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci.

Jam ergo patet,textum non de quocunque pruritu & ſcabie loqui,ſed de leviori,& quæ facili negotio ſanari poteſt.

SUM

SUMMARIUM.

1 *Nomine Spadonis, Eunuchi, & hujusmodi, quid hic intelligatur.*
2 *Eunuchi vel nascuntur tales, vel ex accidenti fiunt.*
3 *Eunuchi à natura sunt vel ex vitio testium, vel ex vitio penis.*
4 *Eunuchorum, qui testibus à natura carent divisio.*
5 *Eunuchi ex penis vitio, impropriè tales dicuntur.*
6 *Eunuchorum qui ex accidenti fiunt, duplex differentia.*
7 *Eunuchi quot modis fiant ab arte.*
8 *Eunuchis aliquando unus, interdum duo testes excidiuntur.*
9 *Secundus eunuchandi modus.*
10 *Tertius modus eunuchandi.*
11 *Homines ex Lamiarum præstigiis eunuchantur.*
12 *Eunuchi & Spadones ex morbo quomodo fiant.*
13 *Eunuchorum alii Veneri habiles, alii non.*
14 *Eunuchi, Spadonis & castrati nomen, vel strictè sumitur, vel latè.*
15 *Spadonum appellatio latè patet, sed abusivè, reprobatur ex Fuchsio, n. seq.*
17 *Spadones apud Fuchsium, qui sint.*
18 *Spadones à verbo græco Spado dicuntur.*
19 *Hypospadiæi qui.*
20 *Spado semen non generat: Hypospadiæus maximè.*
21 *Spado sanari non potest: Hypospadiæus potest.*
22 *Spadonis nocumentum est in testibus: Hypospadiæi in pene.*
23 *Spadones impedimento ablato generare posse, quomodo dixerit Iurisconsultus.*
24 *Eunuchi nomen, quibus propriè aptetur.*
25 *Eunuchus adolescens dicitur: Spado grandior natu.*
26 *Eunuchi ex aliis, qui dicantur.*
27 *Eunuchorum appellationem esse generalem, refellitur, ibid.*
28 *Eunuchus quasi lecti custos.*
29 *Eunuchi dicuntur, quòd bona mentis sint.*
30 *Eunuchi sunt malorum morum.*
31 *Eunuchus propriè dicitur sine testibus natus, aut ante pubertatem exsectus.*
32 *Castrati nomen quibus conveniat.*
33 *Castrare pro amputare.*
34 *Castrati appellandi, quibus arte testes excisi sunt.*
35 *Castrati nomen quibus conveniat, ex Culacio.*
36 *Ectomia dicuntur exsecti.*
37 *Thladia, sunt quibus testes sunt attriti.*
38 *Thlibia qui sint.*
39 *Thlibias facere quid apud Leges in lege,* Ii quoque ff. ad l. Cornel. de sicar.
40 *Thladiæ à Thlibiis, in quibus differant. Refellitur num. sequenti.*
42 *Calvinus erroris notatus.*
43 *Spado an rectè pro sano pronuntietur.*
44 *Castratione homines plurimam jacturam vigoris faciunt.*
45 *Castrati neque viri sunt, neque mulieres.*
46 *Castrati sunt tertium genus hominum.*
47 *Pravitas morum non ita locum habet in spadonibus, qui teste privantur, ut in aliis.*
48 *Fœmina quoque interdum castrantur.*
49 *Fœmina excisis testibus mari castrato similis fit.*
50 *Fœminas castrare magis operosum, quàm mares.*
51 *Sterilis ex corporis vitio, non sana dici deberet.*
52 *Fœmina quæ esset castrata, non sana dici deberet, etiam unico teste exciso.*

De Spadonibus & Eunuchis.

QUÆSTIO VII.

Ad l. Pomponius. §. Spadonem. ad l. Ædiles aiunt. §. sed enim, & ad l. fin autem.

INter Jurisconsultos contentio quædam obversatur, circa horum nominum significatum, nempè Spadones, Eunuchi, Castrati, & hujusmodi: quæ contentio aliarum quoque scientiarum Professores aliquando defatigavit, ita ut non minus quàm in superiori quæstione de impetigine dicebamus, constare videtur, quinam propriè *Spadones*, qui *Castrati*, quive *Eunuchi* dicendi. Nos antequam ad hujusce rei definitionem accedamus, plures Spadonum, Eunuchorum, & castratorum differentias afferemus, interim verò indifferenter his nominibus utemur; satisque sit illud præmonuisse, quòd per quodcunque eorum nominum illud significari volumus: hominem scilicet ex virium læsione (sive ea læsio per privationem, & exsectionem, contingat, sive aliter) non generantem, etiamsi unius tantummodò testis, vel particulæ, & instrumenti vitio id contingeret.

Eunuchi ergo & hujusmodi homines, vel nascuntur tales, vel ex accidenti tales evadunt: Inter eos, qui tales nascuntur, alij ex testium vitio tales sunt, alij ex vitio penis. Ex prioribus nonnulli sunt, qui testibus utrisque omninò carent, ut de Dorotheo Anthiocheno Episcopo narrat Euseb. apud Schenck. *libro quarto, observ. tit. de testiculis*: alij, qui altero tantum, ut de Sylla, & Cotta narratur, in *l. qui cum uno testiculo, ff. de re militari*, & talem vidi aliquando ego, qui suspendio necatus fuerat, cujus cadaver cùm secaretur in publico Gymnasio, unico teste ex natura donatum repertum est, sed satis crasso: & quod majorem in admirationem spectatores traxit, illud fuit quòd vasa seminaria in dextera parte duplicata habebat: nam testis quem habebat, dexter erat, in sinistra verò eadem vasa simplicia, ut in cæteris viris conspiciebantur: secabat verò cadaver hoc Angelus Antoninus, Lector publicus Chirurgiæ in hoc Romano Gymnasio. Alij verò ita exiles testes habent, ut nulli usus ad generationem esse possint, quales habebat is de quo apud Schenck. *libro quarto, Observ. tit. eod.* Alij denique (licèt neque hos, neque immediatè præcedentes omninò inter Eunuchos adnumeremus) ita nascuntur, ut sine testibus quidem appareant, sed lateant illis in inguinibus, & pubescentibus vel per se, vel ex artis ministerio in scrotum labantur, de quibus Paræus *libro quinto suæ Chirurgiæ, capite decimo-sexto*, & Hucher. *libro primo de steril.* Ii verò, qui ex pœnis vitio Eunuchi vocari possunt, licèt impropriè & abusivè, sunt illi, quibus penis meatus, nempe per quem semen ejaculatur immediatè in obvium uterum, obtortus ita est, ut semen rectà ejaculare non possint. Fuchs. *Aphor. sect. sexta, Aphor. vigesimo octavo*, Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. libro septimo, parte tertia, problem. sexto*, & Cæl. Rodig. *lect. antiq. libro decimo octavo, capite decimo*, aut quibus idem penis in totum exsectus est, vel magna ex parte.

Eunuchi porrò, qui ex accidenti tales evadunt, in duplici item differentia sunt, nam quidam ex morbo, quidam ex arte eunuchantur. Arte Eunuchi pluribus modis fiunt, licèt Aristot. *libro tertio, de hist. anim. cap primo*, & Paul. *libro sexto, cap.* 68. & ex Iurisperitis Alciat. *in l. Spadon. ff. de verb. signif.* duos tantùm modos agnoscant. Ac primò excisione, quæ etiam non uno modo semper fit: nam aliquando unus tantùm testis præciditur, aliquando uterque, cujus operationis modum tradit Paulus, *ubi suprà*, & alij Medici, & repetit ex ipso ex Iurisconsultis idem Alciat. *ubi suprà* Quinetiam interdum non modò testes, sed & scrotum, & Coles ipse totus præciditur, ut est apud Horat. *lib. serm. sat.* 2.

—— *Quin etiam illud*
Accidit, ut quidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferro.

& hic modus postremus eunuchandi apud Turcas familiaris admodum est, ubi Eunuchis in regio ministerio ad servandas regias concubinas uti volunt, ac mirandum est, quomodo ex tam atroci vulnere non multi pereant: quod inde evenire tradunt Turcicarum rerum Scriptores, quia multo opio castrandos in profundissimũ somnum impingunt,

gunt, ut doloris acerbitatem ac noxam, ex qua certo certiùs penè omnes interirent, devitare valeant: ad quam rem narrat historiam non injucundam, Auctor fide dignus apud Schenckium *ubi suprà*, quam, si libet, apud ipsum perlegito. Aliâ ratione uti Assyrios ad doloris acerbitatem præcavendam in castrandis, narrat Alex. Bened. *lib. 6. præt, c. 34.* in balnea enim nos dimittunt, inquit, ac supinis venas, quas circa guttur sunt, & apoplecticæ vocantur, apprehendunt, alligantque, & sic illos sensu omni privant, & motu.

9 Secundus modus eunuchandi fit per contusionem vel attritionem, de quo Aristot. quoque Paul. & Alciat. *locis suprà adductis.* Paul. autem modum tradit, & ex Chirurgis vetustioribus Petr. de l'Argill. *lib. 5. cap. 2. tract. 18.* hac ratione ex se castrantur apri, auctore eodem Aristot. *lib. 6. ejus ad cap. 28.* hi etenim cum in teneriore ætate scroti prurigine tentantur, ad arbores eam partem fricantes, testes atterunt, & sic vim omnem generandi testiculis adimunt.

Tertius modus medicamentis fit, quem ponit
10 Marcell. *in lib. 6. de Medicament. c. 31.* nam frigida quædam pharmaca, ut Cicutam contusam testibus infantium impuberumque apponunt, medicamentoq; repetito ipsos testes refrigerando virtutem generandi adimunt: quod nescio, an quis expertus sit: verisimile tamen est id contingere, neque est quid præter rationem. Idem etiam efficere docet radicē Nympheæ contusam, & ex aceto impuberi per decem continuos dies in cibis traditam, quod eandem habet rationem: & si veritatem ullâ habet, pleraq; alia erunt, quæ similem effectum promittere poterunt. Sed ante Marcellum Plin. *Nat. hist. l. 25. c. 13.* de cicuta loquens, *Quod certum est*, inquit, *lac puerperarum mammis imposita extinguit, Veneremque testib. circa pubertatem illita:* quod & ex recentioribus repetit Ruell. *lib. 3. de Nat. stirp. c. 113.* Tradit præterea Lang. *Epist. lib. 1. Epist. 69.* ex D. Hyeronymo *in Epist.* Ægyptiorum Sacerdotes modicâ Cicutæ sorbitione se impunè castrare consuevisse. Credendum autem, ex intensa cicutæ frigiditate id in his contigisse, & inde eos Sacerdotes minùs Venereorum studiosos effectos, & ad ea ignavos, quòd veluti castratio quædam procul dubio est.

Serapio autem *lib. de simplic. cap. 334.* ex quodam Medico narrat, quendam ex camphoræ assumptione ad aureos sex in tribus vicibus abscidisse sibi sperma: quod simile ac idem penè est cum superiori castratione Sacerdotum Ægyptiorum.

11 His omnibus addi potest, quod nonnullis persuasum est, inter quos videndus Cæsalp. *de Investig. Demon. c. 5.* Codronch. *de morb. venen. lib. 1. c. 1.* nimirum Lamiarum, Strigúmve præstigiis homines genitalia amittere, seu potiùs, ut credo, videri sibi amittere, ita ut Veneri exercendæ omninò in posterum inhabiles efficiantur: quod etiam Fernelio persuasum est *Pathol. lib. 6. c. 13.*

Cæterùm de duobus prioribus eunuchandi modis tantùm mentio habetur in Sacris litteris tanquam usu frequentioribus, cùm *Deuter. c. 23. vers. 1.* dicitur: *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, Ecclesiam Domini.*

12 At verò ex morbo Eunuchi & Spadones fiunt, nempe ex refrigeratione genitaliū, ut Scythis plurimùm evenisse tradit Hipp. *in lib. de Aer. Aqu. & loc. n. 49.* ex qua refrigeratione non solùm ad generationem impotentes fiunt, sed etiam ad Venerē exercendam, extincto prorsùs ipsarum partium vigore, ac calore. Per accidens quoque atteruntur testiculi, ut ex forti compressione, ex impetuosa occursatione, & hujusmodi, quin etiam & ex aliis quamplurimis morbis, longis præsertim, adeò ipsos testes genitalesque partes compati aliquando contingit, ut dehinc animal infœcundum omninò evadat.

Præterea ex Eunuchis, seu Spadonibus, alii sunt, 13
qui non solum generationi inhabiles existunt, sed ad Venerem etiam ignavi, & impotentes, ut quibus neque tantū flatuosi spiritus à Corde subministrētur, ut penem arrigere possint, aut Veneris stimulos præsentiscere: alii autem & ad Venerem stimulantur, & eam validè exercent, unde illud in Sacris, *Ecclesiast. 20. vers. 2. Concupiscentia Spadonis devirginabit juvenculam*, Sed alij neque coëunt, neque quicquam emittunt, de quibus fortè *ibid. c. 30. vers. 21. Sicut Spado complectens virginem, & suspirans.* Licèt autem ex iis, qui concumbunt, semen non emittant, tamen voluptatem aliquam coëuntes experiuntur: ut qui seminis vice viscidum quendam humorem non sine voluptate in coitu excernat. Gal. *de usu part lib. 14. c. 10. cl. ff. 1.* Paræus *l. 23. c. 37.* vel aquosam quandam materiam, ut Brasavolæ placet *Aphor. sect. 6. Aphor. 28.* Hos nō esse plenè Eunuchos tradit Cæl. Rodig. *Antiq. lect. lib. 19 c. 12.* & idcircò facilè eos amoribus irretiri. Unde de his Terent. *in Eun. Act. 4. Scena 3.*

At pol ego amatores audieram esse mulierum eos maximos,
Sed nihil potesse.

Quamobrem meritò hi ab Alex. *lib. 1. probl. 9.* Semispadones vocantur. Hollerius tamen *Aph. sect. 5. Aph. 63.* Eunuchos, licèt non generent, semen emittere voluit: Sed & Spadones etiam generare posse tradit, si illis ut interdum evenit, superior testiculi pars relicta fuerit, penes quam fortasse major vis conficiendi semen prolificum existit.

Atque hæ omnes sunt Eunuchorum differentiæ, 14
jam ergo ad nominum proprietates accedentes, dicamus, quod tam Spadonis, quàm Eunuchi, ac Castrati nomen vel in sua propria significatione sumitur & stricto modo vel latiùs. Spado propriè dici videtur debere is, cui arte ambo testiculi vel alteruter excisi sunt: Spado enim à verbo græco, quod avellere, vel abscindere significat, derivatur. Alciatus *ubi suprà* Calepinus *in verbo Spado*: & ex Medicis Nancel. *ubi aliàs.* Impropriè autem, & abusivè 15
Spadonum appellatio latè patere videtur, ut per *l. Spadonum, ff. de verborum significatione*: omnes enim, quicumque testiculis, uno vel ambobus carent, aut ex eorundem vitio ad Venerem impotentes facti sunt, Spadones appellantur; atque hoc modo sumptum Spadonis nomen, generis potiùs videtur, quàm speciei peculiaris. Unde idcircò, *in l. si serva. §. si Spadoni. ff. de Jur. Dot. & hic in l. de qua agimus. & l. sequent.* Spadonum duæ species constituuntur: una eorum, qui ambobus testibus carent, & castrati sunt, alia eorum, qui uno tantùm, & utrique Spadonis nomine insigniuntur. Imò non ii solum Spadones vocandi erunt ad Legum mentem, sed & Castrati & Eunuchi, & Thlibiæ, & Thladiæ, & si quos alios hujusmodi esse 16
constet, Joannes Calvinus *in Lexic. Jurid. verbo Spadonum.* Fuchsio tamē ex Medicis non probatur hæc legis opinio. Is enim *Aphor. sect. 6. Aphor 28.* Jurisconsultos reprehendit, quod Spadonis nomen ge- 17
nerale esse dixerint, & malè etiam acceperint, cùm apud ipsum Spadones sint ii, quibus viæ seminis adeò inversæ, atque inflexæ sunt, ut illud emittere non valeant, quod propter vinculum, quod ad virgam habent, penem contorquens, illis evenit. Favēt huic Fuchsij opinioni Vallesius *in libro de sacrâ*

Philosophia

Philoſophia, c. 24. & Aphoriſm. ſect. 6. Aphoriſm. 28. & Aleman. *in lib. Hipp. de aër. aq. & loc. part. 4. text. 48.* qui & ejus ſignificationis rationem afferunt: verbū
3 enim Græcū *ſpao* convellere ſignificat, atq; inde dici certum eſt Spadones, quòd illis virilia convellātur.

Sed quicquid ſit de Græcæ vocis ſignificatione, illud controverti non poteſt, Latinos Auctores etiam Claſſicos, Spadonis nomine uſos eſſe ad ſignificandum hominem, cui teſticuli avulſi & exciſi ſint. Pro nunc autem ſatis ſit adduxiſſe carmina illa Juvenalis *Sat. 6.* ab aliis quoque ſæpe in hujuſmodi propoſito adducta, quæ ſunt:

Conſpicuus longè, cunctiſque notabilis intrat
Balnea, nec dubiè cuſtodem vitis, & horti
Provocat à Domino factus Spado.

18 Ac fortè illud affirmare auſim, Fuchſium cæterosq; Medicos illi faventes, ex ea vocis Græcæ ſignificatione hallucinatos, & idcircò non immerito, ut mea fert opinio, reprehenditur ille à Nancel. *in Analog. Microc. problem. 6. l. 7. part. 3.* cùm non animadvertit differentiam inter Spadonem, & Hypoſpadiæum, quam neque animadvertit Io. Calvin. *in lex. Jurid. in verbo Spado*, ſecutus Scaligeri auctoritatem, *in exercit. ad Cardan. 177. ſect. 4.* quin ipſe, cùm reprehenſione dignus ſit, Accurſium tamen, & Aretinum reprehendit, quòd dixerint, Spadonem eſſe unius teſticuli virum. Sed ii, quos Fuchſius & Calvinus propriè vocandos eſſe Spadones contendunt, Hypoſpadiæos proprioſſimè dici docet Nancelius, & eſſe inter utrumque maximam differen-
19 tiam: quam neque agnoviſſe videtur doctiſſimus
20 vir, ac omni laude dignus Valleſ. *in lib. de ſacr. Philoſ. c. 24.* Primò, quia Spado ſemen ex ipſo non generat, Hypoſpadiæus maximè, atque illud fœcundum.
21 Secundò, quia Spado ſanari non poteſt, Hypoſpadiæus facillimè, abſciſſo enim vinculo, ex quo Penis obortus remanet, jam poteſt is rectè ſemen eja-
22 culari, & conſequenter generare: addo tertiam differentiam, quod nocumentum Spadonis eſt in privatione teſtium, Hypoſpadiæi verò in mala conformatione Penis, & vaſorum. Paulum tamen *ſua Medicina lib. 6. c. 54.* videtur vocare Hypoſpadiæos illos, quibus penis glans contecta aperiri non poteſt.

Advertendum tamen, Juriſconſultos non loqui
23 de Hypoſpadiæis, cùm dicunt, Spadones impedimento ablato generare poſſe. Sed de his Spadonibus, qui ob teſtium frigiditatem neque ad generandum, neque ad Venerem exercendam ſunt idonei: hi enim excalefactis partibus genitalibus, vel ex ſe vel ex artis Medicæ miniſterio, & impedimento frigiditatis ablato, generare aliquando poſſunt.

24 Porrò Eunuchi nomen ex aliquorum opinione iis ſolummodò convenit, qui vel abſque teſticulis nati ſunt, vel ante pubertatem caſtrati, cujus ſententiæ eſt Holl. *Aph. ſect. 6. Aph. 28.* Sed Braſavola *ibidem* poſterioribus, non prioribus convenire voluit. Videtur quoque cum his concordare Lucianus, qui *in Dialogo, cui Titulum fecit Eunuchi*, introducit Dioclem dicentem, Eunuchorum conditionem viliorem eſſe, quàm Spadonum, quia Spadones Venerem aliquando experti ſunt, unde viri aliquando fuiſſe videntur: Eunuchi verò nunquam tale quid experti, quia vel ſi nati, vel ante pubertatem exſecti, nunquam in virorum cenſu adnumerari potuerunt. Mancinell. autem *ad Sat. 1. Iuven.* in eo carm.

Cùm tener uxorem ducat Spado.

25 hanc differentiam inter Spadonem, & Eunuchum afferebat, ut Eunuchus adoleſcens dicatur, Spado verò grandior natu: non explicat autem an id ſibi velit, quod ſuprà nominati Medici, nimirum, Eunuchum dici exſectum ante pubertatem, Spadonem poſt: quomodo Alex. *lib. 2. problem. 103.* adultiores exectos, Gallos appellari tradit.

Non deſunt qui Eunuchos eos omnes dici velint, 26
quibus vel exſecti, vel compreſſi, vel attriti teſticuli ſunt, ut Valleſ. *loco ſuprà citato.* Aleman tamen *ubi ſup.* Eunuchos propriiſſimè appellari eos voluit, quibus virilia exſecta ſunt, vel qui naturaliter ſine teſtibus ſunt progeniti: & hos penitùs non arrigere firmat, & vocari propriè apud Latinos Caſtratos, cùm quo conſentiunt Fuchſ. & Nancel. *locis ſuprà citatis.* Quid autem ſibi velit Azo. *in ſumm. in lib. 4. C. tuòr. de Eunuch. n. 1.* cùm dicit, Eunuchi autem dicuntur Spadones tantùm, non caſtrati, ego non intelligo, & videtur ignotum per ignotius explicaſſe.

Cæterùm Ant. Aug. *lib 3. de emend & epin.* & inter 27
Medicos Fuchſius *loco aliàs citat.* Eunuchorum appellationem volunt eſſe generalem, atque eo nomine omnes eos comprehendi, qui virilium vitio generare non poſſunt: ſed ille ſuam opinionem ex ſacro Matth. text. c. 19. confirmare nititur. At dum de nominis proprietate, ac germana ſignificatione contentio eſt, fruſtrà adduci videntur in teſtimonium veritatis externi ſermonis voces in noſtrum tranſlatæ; verſiones enim ad Interpretis interdum voluntatem fiunt, non attendentis ad quandam exquiſitam, naturalem vocum ſignificationem. Unde ancipiti adhuc animo ſum, quid ſibi voluerit Interpres ſacræ Paginæ. Gen. *cap. 39. verſ. 1.* per hoc nomen Eunuchi, *ubi. Emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis*, cum tamen conſtet Putipharem uxorem habuiſſe, quod tamen non convenit cum Eunuchi natura, non enim ſolent hujuſmodi homines uxorem ducere (*Cornelius à Lapide* ſcribit Hebræorum mentem eſſe, Putipharem Eunuchum *factum* tandem eſſe, non *fuiſſe* cum Joſephum emerit. *Pererius* ex Lyrano, Toſtato, Cajetano probat *Eunuchum* quandoque ſumi pro eo, qui *Eunuchi* munus gerat. Putipharem non fuiſſe Eunuchum, fuiſſe tamen tam gratum & acceptum Regi, quàm Eunuchum. Putiphari à Rege concredita fuiſſe munia, quæ aliàs nonniſi Eunuchis fuerint conceſſa) Sed ad rem noſtram: Magis faceret ex mea ſententia pro Ant. Auguſt. text *in l. Eunuch. C. de his, qui teſtam. fac. poſſ.* ubi videtur Juriſconſultus ſub Eunuchi nomine comprehendiſſe omnes cujuſcumque generis, qui vitio genitalium non generant: ut putat Dec. *ibid. num. 4.* Ad rem tamen noſtram, ibi dici poſſet, quòd Lege propriè de Eunuchis ad noſtram mentem ſic dictis mentionem habuerit, non de cæteris quibusque: Et ratio ea eſſe potuit, quia ſi iis, qui inter omnes hujuſmodi homines minus ad conficiendum teſtamentum habiles videntur, ut puta quia nunquam viri fuerunt, & ingenio muliebri ſunt, deficiente illis ex teſtium privatione, vel à natura, vel ante pubertatem, maſculeo, ac vivido calore, ex quo neque prudentiam viris convenientem aſſequi potuêre; datur tamen facultas condendi teſtamentum, jam de cæteris, qui aliquando viri fuerunt, & in quibus etiam calor, & major prudentia remanſit, nullo modo erat ambigendum, quin ſuo libitu teſtamentum condere poſſent; Legem ergo *ibi* de Eunuchis hoc eſt, ſine teſtibus natis, vel ante pubertatem exſectis locutam fuiſſe, credendum eſt, quia de his jure dubitari poterat, an condere poſſent teſtamentum, quòd, ut dixi, muliebri ingenio ſint, & virili prudentiâ deſtituantur.

Jam

Jam verò plerique ex Auctoribus præcitatis in confirmationem opinionis Ant. Aug. & Fuchſij nominis etymologiam adducunt: nam Eunuchum dici volunt, quaſi dicas lecti cuſtodē, ut illi tradunt, quibus adde Dec. *in l. Eunuchis. C. qui teſt. fac. poſſ.* Io. Calv. *in lex. Jurid. in verb. Eunuchum.* & Cujac. *ad l. vi. ff. de lib. & poſthum.* & ex Medicis Valleſ. *in lib. de ſacr. Philoſoph. c. 24.* Septal. *in lib. Hipp. de aër. aqu. & loc. comm. 5. text. 43.* Hucher. *lib. 1. de ſterilit. c. de compreſ. & contuſ.* unde Claudian. *in Eutrop. lib. 1.*

Hinc honor Eutropio, cunctique omnibus unica virtus
Eſſet in Eunuchis, thalamos ſervare pudicos,
Solus adulteriis crevit.

Ergo attentâ nominis etymologiâ Eunuchi nomen omnibus aptari poterit, qui vitio genitalium non generant, idcircò enim Dominarum cubiculis cuſtodiendis præficiebantur.

Non deſunt tamen, qui aliam afferunt ejus nominis deductionem, ut Alciatus, & alii ex ſuprà citatis, nimirum Eunuchos dici ab eo, quod bonæ
29 mentis ſint, ita enim ſonat nomen hoc in Græco ſermone: quod tamen toto cœlo ab univerſali hominum opinione diſtat, quippe cùm Eunuchi di-
30 cantur eſſe malorum morum, & ob eam cauſam ab officiis publicis, & à ſacris adminiſtrandi eliminentur: quin etiam Avenz. Medicus glorioſus, *ſui Theiſir. lib. 2. tract. 3. c. 1.* illud teſtatum reliquit: *nec unquam auditum fuit, quod aliquis Eunuchus fuiſſet bonorum morum:* quam tamen ſententiam moderari conatur Mercurial. *ſæpiùs cit. Aph. 28. ſect. 6.* ſed Polemon Auctor antiquus *in lib. Nat. ſing. interp.* de Eunuchis, eos immitis ingenij ac doloſi, facinoroſos ac ſceleſtos eſſe firmat, in honoribus autem conſtitutos cum temeritate vim inferre dicit.

31 Sed ad rem noſtram rediens, ego inter ſententias, meam etiā proferam, quæ cum nonnullis ex ſuprà citatis, aliqua ex parte convenit: Eunuchū propriè dici crediderim ſine teſtibus natum (qualis fuit *Dorotheus* Antiochenus Præſul apud Euſebium) quòd ſi etiam ad eos id nominis extendi velis, qui ante pubertatem ſunt exſecti, ego nil moror; ratio eſt, quia tam Spadonis quàm Caſtrati, & cæterorum hujuſmodi nomina, habent certam & indubitatam ſignificationem: relinquitur ergo, (nam cætera nomina convenire non poſſunt iis, qui nati ſunt abſque teſtibus) ut ſolius Eunuchi iis nomen aptetur.

32 Jam verò de Caſtratis nonnulli illud jactarunt, quòd eo nomine inſigniantur, qui ſine teſtibus nati ſunt, quandam inſulſam nominis deductionem in medium afferentes, quod Caſtrati dicātur, quaſi caſtè nati, cujus opinionis fuit Gloſ. *in præcitata l. Spadonum.* Ant. Butrig. *in c. ex parte de corp. vitiat.* (quem meritò erroris notat Io. Calvin *in ſuo lexic. Jurid. in verb. Eunuchorum*) & Nicaſ. *in §. Minor. nat. Inſtit. de Adopt.* Alciat. tamen *prætermiſ. lib. 1. in verb. Caſtrati*, talem nominis ſignificationem apud Humanitatis Auctores, nequaquam ſe legiſſe fatetur. Habetur tamen verbum caſtrare ſæpius apud Leges, ut *in l. 3. & 4. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* à quo Caſtratus dicitur, caſtrare autē amputare, vel recidere importat: &
33 verbum uſitatum eſt in hoc ipſo ſignificato pro amputatione ſcilicet teſtium Plaut. *in Aſinar. Act. 1. Scen. 3.*

Quin ſi tu voles, domi ſervi qui ſint, caſtrabo viros.

Et *in Mercat. Act. 2. Scen. 1.*

Quaſi harum metuo ne uxor me caſtret mea.

& pro ſimpliciter amputare Pacuvius apud Calep. *in verbo Caſtro.* Ut eſſet aliquis, qui linguā ejus caſtraret. Quamobrem melius fortaſſe dicemus, ſi caſtratos eos omnes appellabimus, quibus teſtes, unus aut
24 ambo, arte exciſi ſunt, non tantùm eos, quibus cum teſtibus etiam coles eſt amputatus, ut voluit Io. Calvin. *in lex. in verb. caſtratus* ac cum noſtra ſententia eſt Ant. Aug. *loc. cit.* & alij ex Juriſconſult. apud Brunell. *de ſponſ. concluſ. 28. n. 3.* & ex Medicis Mercurial. *lib. 3. de morb. mul. cap. 5* Generaliùs facit hoc nomen 35
Cujac. *ad l. ff. de lib. & poſthum.* vult enim omnes caſtratos dici, qui arte aliquā virilitate privantur, ſive illum exciſione, vel contuſione, aut colluſione fiat, ſed, ut mihi videtur, vocis proprietate abutitur.

Præter communia autē & generalia nomina, de quibus ſuprà, mentionem habemus de aliis, de quibus licèt tanta dubitatio non interveniat, non conſtat tamen, quid propriiſſimè ſignificent, quibūsq; jure adaptanda ſint. Ea verò ſunt Thlibiæ, Thladiæ, 36
ſeu Thlaſiæ, & Ectomiæ. De hoc poſtremo apud nullos ambigitur, cùm abſque ullo dubio exſectis conveniat: vide Cujac. *ubi ſuprà*, & Io. Calvin. *ibid.* & Nancel. ex noſtris *lib. 7. Analog. problem. 6.* in Lege autem Spadonum *jam citata*, de Thlibiis, & Thladiis mentio fit, ubi Gloſſ. ingenuè fatetur, neſcire ſe quidnam ſignificēt hæc omnia, licèt dehinc ex proprio marte ineptas quasdam ſignificationes afferat, fortaſſe quia Juriſconſultus ille non ſecus ac ego, Græcæ linguæ cognitionem non habebat: quod etiam de Io. Brunell. ſuſpicor, qui *in ſuprà cit. tract. de ſponſ. & matrim. ibid.* vix has voces rectè proferre viſus eſt, cum Thlibias, Thilibias, & Thladias, Thaladias vocet, eas tamen minimè rectè ita pronuntiari, docent Bub. & Io. Craſt. *in annot. in Pand. ad cap. Spadonum de var. & extraord. crim.*

Prætereà in iis nominibus explicandis Gloſſæ 37
opinioni adhæret, ſubit tamen Thladias eſſe, quibus teſtes attriti ſunt. Qui verò Græcæ linguæ periti videntur, ut inter Juriſconſultos Alciat. Cujac. 38
& Ant. Auguſt. & alij, & inter Medicos Fuchſ. Valleſ. Alem. & Nancel. *locis ſæpè citatis*, Thlibias eos eſſe propriè tradunt, quibus teſtes attriti ſunt, quam vocem à verbo Græco *Thlibo*, quod attero ſignificat, deduci volunt: ita etiam voluit Roder. à Caſtr *lib. 2. de nat. mul. cap. 6.* & videtur *l. in l. ii quoque, ff. ad l. Cornel. de ſicar.* idem ſentire, cùm eādem pœnā jubeat mulctari eos, qui Thlibias faciunt, quā eos, qui caſtrant, hoc eſt tam eos, qui teſtes atterunt, ut Veneri ineptum hominem reddant, quàm qui eos penitùs abſcindunt: ubi non minùs ineptè Gloſſ. *quàm in l. Spadonum.* & Azo, *in ſumm. ibid. n. 6.* Thlibias facere voluerunt eſſe, in- 39
ſtrumenta ædificare, quibus homines caſtrantur, quàm inſulſa opinio ſit, docent Addentes ad Azonem, *in verbo Thlibias.*

Porrò Thladias à Thlibiis diſtinguunt nonnulli 40
prædictorum quod Thlibiæ per contuſionem teſtium fiant, Thladiæ per fractionē: ego malim dici unum idémq; eſſe: non video enim quæ differentia ſit, aut eſſe poſſit, inter contuſionem, & fractionem teſtium, aut colliſionem, niſi frangi intelligamus teſtes, à Cremaſtere ſeparari & avelli, ac contabeſcere ex ſe permittere: quam tamen operationem in hominibus fieri, apud neminem legi: in ju- 41
mentis credo executioni demandari. Hos tamen inter ſe non differre, dicunt Fuchſ. & Nancel. *ubi ſuprà* Ioan. Calvin. *in lex. in verb. Thladiæ.* ubi erroris non parvi momenti notandus venit, cùm vult, 42
Thlibias, etiamſi propter contuſionem teſtium non generent, poſſe tamen vitio ſublato generare: quod factu adeò impoſſibile eſt, ut nihil ſuprà: quonam enim pacto reparari poſſunt teſtes jam contuſi, & eorum ſubſtantiā vel contabeſcente, vel evaneſcente? Poſſet fortaſſe quis generare ut Nancel. tradit, ſi non prorſus contuſi teſticuli fuerint, & pars relicta

in teſti

in teſticuli modum tempore concreverit, hoc tamen non eſt vitiũ tolli. Sed jam plura, quàm oportuit de his nominibus diſſeruimus: accedamus ergò, ad id, quod ad legem hanc attinet, circa quam quærendum eſt an rectè Spado pro ſano definiatur. Accipio autem Spadonem hoc loco pro eo, qui unũ tantum habet teſticulum, prout accipere videtur Juriſconſultus hìc ſemetipſum declarans *ibi ſicuti illum qui unum teſticulum habet*, quia etiam generare poteſt, ut *ibi* Gloſſ. Ratio dubitandi, non ſolùm reſpicit animi prævitatem, quia, ut diximus, qui teſtibus privantur, moribus fiunt deterioribus, timidiores evadunt, invidi, & triſtes: nec ſolummodò reſpicit generandi potentiã, ſeu impotentiã, quia jam de ea re dubium omne dilutum eſt, quia conſtat tales generare poſſe, ut l. Gl. hic & iterũ *l. in. l. ſed eſt quæſit. ff. de lib. & poſth.* Lud. Rom. *ſingul* 640 *n.* 30. & ex noſtris Nancel. *in Analog. Microc. ad Macrot. lib.* 7. *part.* 3. *probl.* 6. ſed reſpicit præcipuè ipſius corporis & ſanitatis deterioritatem, nam caſtratione plu-
44 rimam vigoris virilis jacturam faciunt, & in muliebrem naturam degenerant. Ariſt. 3 *de gen. anim. c.* 3. & 7. & *probl. ſect.* 10. *probl.* 38. & 41. Gal. *ſapiùs cit. Aphor.* 28. *ſect.* 6 & 1. *de ſem. c.* 15. *claſſ.* 1. & ex juriſconſultis Thomas Act. *de Inf. p.* 1. *rubr.* 5. *n.* 1. morboſos reddi homines caſtratione dicit: undè repugnat hic Auctor ſibimetipſi, dum *ibid. n.* 17. dicit, caſtrationem non tollere fortitudinem, quinimò caſtrati mulieri mollitie donantur, & evirati prorſus videntur, ac ut Lucian. *in ſcit. dial.* dicebat, neque viri videntur eſſe, neq; fœminæ, veluti cornices, quæ neq; corvis, neq; columbis adnumerantur. Undè Alex.
45 Cæſar. tradente Cæl. Rhodig. *lib.* 19 *lect. Antiq. c.* 12. eſſe eos tertium genus hominum affirmabat, & ex Juriſconſultis M. Maur. *ſing.* 302. *n.* 2. tales homines eſſe proculdubio imperfectos aſſeruit: ex quibus
46 videretur, quòd jure omnis generis Spadones, Eunuchi, caſtrati, & his ſimiles redhiberi poſſint.

Dicendum tamen, prudenter Juriſconſultum diſtinxiſſe inter eum Spadonem, qui altero tantùm
47 teſte careat, & eum, qui utroque: nam quæ & de morum pravitate, & de corporis mutatione in muliebrem naturam, & de aliis quibusq; vitiis, jactantur non ita locum habent in eo, qui uno teſte caret, ut in eo, qui ambobus: non enim tale detrimentum ex unius teſticuli privatione enaſcitur, ut ejus reſpectu homo redhiberi poſſit. Noto autem hic, Sacram Scripturam tantoperè à caſtratione abhorruiſſe, ut non modò caſtrata animalia à Sacrificiis omninò ſejunxerit, ſed etiam omninò ea caſtrare prohibuerit, ut narratur Levit. *c.* 32. *verſ.* 24.

Verumenimverò quia contingere poteſt, etiam
48 interdum fœminas caſtrari, ut ad præſens in Germania uſu venire à quibusdam audivi; nam & olim enim caſtrabantur, cùm conſtet Adromitem Lydorum Regem primùm fœminas caſtraſſe, ut ex *Xantho* tradit Cæl. Rhodig. *lib.* 10. *lect. Antiq. cap.* 14. [Alex. ab Alex. & Athenæus.] cujus rei etiam inter Juriſconſultos meminit Alciatus, & fœminas Camelorum caſtrari, ex Ariſt. & Plin. tradit Æmil. *de rumin. uat ſynt.* 7. quod etiam de aliis fœminis evenire poteſt: Nam & ſues fœminas ſæpiſſimè caſtrari teſtatur Plater. *lib.* 1. *Obſ. tit. in actus vener. defect.* quin & vitulas eodẽ modo caſtrari in Comitatu Zollerenſi firmat: earumq; carnes in ſummis deliciis haberi, & ex hoc eodem modo mulieres caſtrari poſſe dicit, licèt notũ non habuerit aliquando id fuiſſe factum, ut dixi; idcircò videndum nobis eſt, utrùm eadem in fœmina caſtrata, quæ in caſtrato maſculo procedere debeant: nam fœmina exciſis teſtibus mari caſtrato ſimilis efficitur, ut docet Gal. 1. *de ſem. c.* 6. licèt opus hoc executioni demandari
49 poſſe non exiſtimet. *Riol.* filius Anthropogr. *lib.* 6. *in Paralip. & cap.* 10. *de Harmaphrod.* [*Galenus* tamen contrarium ſcribit 1. *l. de ſemine cap.* 15. Volo enim, ait, jam id quod negligenter omnes ferè tam Medici, quàm Naturales Philoſophi de Uſu & Vi teſtium differere. Non advertunt enim, ſicut teſtes ea moderatione fuerint exſecti, ut ſupergeminalis membrana intacta relinquatur, ſeminariũ Vas nulla læſione affici: inde tamen Animal, non tantùm feminis generandi Facultate (id enim iis, qui Venere volunt abſtinere, commodum remedium eſſet) ſed Virilitate omni, ut diceret quiſpiam, Maſculinitate, hoc eſt, maſculo ingenio privari. Pari modo, ſi fœmina ſit, quæ id patiatur, neque in Venerem incitari ampliùs, neq; virum, coëundi, præſertim cauſa, appetere, ſed omnem prorſus fœmineam naturam amittere. Sues quidem fœminas apud nos non in Aſia tantùm, ſed in ſuperioribus etiã nationibus in Cappadociam uſque exſecare conſueverunt: quæ ſimiles omnibus Caſtratis evadunt, obeſæ admodũ ac pingues, carnisq; ſuavitate aliis fœminis quemadmodum etiam caſtrati mares aliis maribus præſtant, Non tamen ita tutò in fœminis teſtiũ extractio adminiſtrari poteſt ob ſedem in qua collocati ſunt: Vulvarum enim lateribus ex utraq; parte adjacent ad arteriam & venam, quemadmodum & marium, ſeminale vas excipientes, quod revolutum ipſis innectit, atque ad utrumque cornu pertendit, undè utraque ilia ſcindere neceſſe eſt, ſi quis fœminas caſtrare voluerit: majúsque in hoc, quàm in maribus periculum eſt. *Marcus Antonius Ulmus* Medicus Patavinus Excellentiſſimus, mulieres caſtrari putat, cum pars illa pudendi ſuperior, quæ nympha nuncupatur, & in qua libidinis thronus amorisque ſedes collocatur, reciditur auctoritate *Aëtij*. Romanus Medicus Excell. *Angelus Colius* putat mulieres non caſtrari poſſe, niſi exciſo utero, uti exponit *Sinibaldus* pag. 418. De Nymphotomia Vide *Paulum Æginetam* lib. 6. c. 70. & citatum *Aëtium* l. 4. c. 102.]

Dicendum, quòd, cùm fœminas caſtrare longè 50
magis operoſum ſit, quàm viros, ob ipſorũ teſtium poſitionẽ, ut Gal. dicebat *ibid. c.* 15. ampliandum ſit in fœmina, quam conſtare uno tantùm teſte privatam, quod ſana dici non poſſit, ut Spado unico teſte exciſo, quia neceſſe eſt fœminam caſtratã ob multorum vaſorum, ac variarum partium inciſionem, ſterilem evadere, etiamſi unus tantùm teſtis avellatur: itaq; cùm ſterilis ex corporis vitio, non ſana dicatur, & idcircò redhiberi poſſit, ut per *l. Quæritur. §. Pavpera hic*, jure meritò fœmina, quæ caſtrata eſſet, etiam unico teſticulo adempto, poſſet ex ea cauſa non ſana dici & conſequenter redhiberi.

SUMMARIUM.

1 *Nobiliſſimus linguæ uſus eſt ſermo.*
2 *Lingua Peni comparatur, ex Leone Hebræo.*
3 *Cui lingua abſciſſa eſt, non eſt ſanus.*
4 *Linguâ ex parte abſciſſâ ſermo non deperditur, ſed tantùm depravatur.*
5 *Linguâ radicitùs abſciſſâ ſermo in totum perit.*
6 *Text. de qua linguæ abſciſſione loquatur.*
7 *Balbus non eſt morboſus.*
8 *Lingua ex parte abſciſſa, an morboſus homo ſit.*
9 *Lingua abſciſſa qua damna afferat.*
10 *Conciliatio Pauli & Ulpiani ex Gloſſ. rejicitur.*
11 *Mutus nonniſi ex ingenti morbo fit.*
12 *Mutitas eſt omnimoda loquelæ amiſſio.*
13 *Vera conciliatio Pauli cum Ulpiano.*
14 *Voce pereunte neceſſe eſt etiam loquelam perire, non autem è contrà.*

15 *An ſicuti*

15 *An ſicuti homo mutus, ita cætera animalia muta morboſa ſint. vide n.* 21.
16 *Homo ſolus ſit mutus. Rationem vide n. ſeq.*
17 *Mutitas in alia animalia quomodo cadat.*
19 *In animalibus vocalibus, præter vocem communem, reperitur etiam vox quædam ſuo modo articulata.*
20 *Mutitas eſt proprie amiſſio articulationis vocis.*
21 *Mutitas in fœmina res pretioſiſſima.*
22 *Fœmina nulla unquam reperta eſt muta.*

De lingua abſciſſa, & Mutitate.

QUÆSTIO VIII.

Ad l. ſicuti Lingua, & l. Mutum.

LInguæ uſum maximum, ac præcipuũ eſſe, vel iis ipſis elinguibus notum eſt: cujus tamen præcipuas utilitates recenſent Ariſt. 2. *de partib. anim. cap.* 17. & Averr. *ibid.* & Collig. *lib.* 2. *cap.* 14. Gal. 1. *de mot. muſc. cap.* 3 *claſſ.* 1. *& alibi aliàs.* & Anatomici omnes. Columb. Anatom, *libro quinto, cap.* 13. 1 Andr. Laur. *Anatom. libr.* 2. *cap.* 18. Io. Veſlingius *in Syntagm. Anatom. cap.* 11. ſed optimum ac nobiliſſimum omnium linguæ uſum ſermonem eſſe, rectè pronuntiatum eſt ab Ariſtot. ac cæteris aliis, cùm per tale linguæ miniſterium animi conceptus exprimamus: quamobrem non inconcinnè Leo 2 Hebr. *in dial.* 2. *de Amor.* linguam Peni comparabat: Quemadmodum enim, inquit, agitatus Penis prolem corporalem gignit, ſic etiam lingua ſpiritualem ſobolem, & idcircò in Euripide, adducente Andr. Laur. *Anatom. lib.* 11. *cap.* 18. vocatur ſermonis nuncia, & à Lucretio *libr. nono de rer. nat.* prudenter vocata eſt animi interpres, in eo carmine:

Atque animi interpres manabat lingua cruore.

Quod epithetum etiam à Juriſconſultis reportat Bald. & Tiraquell. quos adducit Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 3. *c.* 531. *num.* 93. & ad idem ſignificandum dicitur ab iiſdem cordis præco: Æmil. *conſ.* 131. *num.* 31.

Maxima igitur cum ratione Juriſconſultus de linguæ vitiis conſideravit: tametſi enim nihil omninò incommodare videantur, cùm homo etiam linguâ impeditus, aut etiam orbatus, omnia corporalia munia nihilò ſeciùs obire poſſit, quàm qui expeditè loquitur, & linguæ uſum omnimodum ſortitur, tamen eam plurimi faciendam, eſſe ob jam commemoratas cauſas, exiſtimavit.

Itaque proponitur primo loco ſervus, cui lingua 3 abſciſſa ſit, deciditúrque non eſſe ſanum. Nota tamen Legem non intelligere fortaſſe de quacunque linguæ abſciſſione, quia interdum abſcinditur, ſed in parte, & tunc quidem ſermo non deperditur: ſed tantùm impeditur: Imò notavi ego in viro quodam, cui lingua à peſſimo latrone ac graſſatore abſciſſa fuerat, quod etiamſi diù in loquendo inſigni- 4 ter hæſitaverit, temporis tamen diuturnitate faciliùs ac expeditiùs indies loqui cœpit: nunc autem parum abeſt, quin integrè loquatur. Interdum verò lingua radicitùs abſcinditur, ut comminatur vetulæ illi famulæ ſenex Plautinus *in Aulul. Act.* 2. *Scen.* 2.

Si hercle ego te non elinguandam dedero uſque ab radicibus.

Impero, auctorque ſum, ut tu me cuivis caſtrandum loces.

5 tunc autem ſermonem omninò perire neceſſe eſt, & hominem mutum evadere, licèt vocem retineat. 6 Hieron. Fabr. *de Laryng. cap.* 4. Lex ergo de ea linguæ abſciſſione loqui mihi videtur, ex qua uſus ſermonis amittitur, non de ea, in qua ſolummodò 7 ita depravatur, ut indè homo balbus evadat: jam 8 enim balbus pro non morboſo pronuntiatur. Hoc autem veritatem habebit, ſi ad ſolum ſermonis uſum legem reſpexiſſe dicamus; ſi enim ad alios, ad quos lingua fabricata eſt, reſpiciendum ſit, non minimus fortaſſe dubii intercedere poterit, cùm lingua abſciſſa, & maſticationem, & ſi quod aliud 9 linguæ munus recenſetur, depravari neceſſe ſit, quibus depravatis hominem & animal quodcunque morboſum evadere, non dubitandum.

De muto porrò contrarietas eſt in textu: nam Paul. *l. Vel protervi* mutos non redhibendos eſſe voluit, contra verò Ulpianus *in l. Mutum*, tales mor- 10 boſos eſſe ex Sabini ſententia firmat, & ea de cauſa redhiberi poſſe ſatis conſtat. Gloſſa hìc cùm diluere vellet hanc Juriſconſultorum contrarietatem, duplicem attulit reſponſionem, quarum prima eſt, Paulum verba facere de muto ex natura, Ulpianum de muto ex morbo: ſecunda eſt Paulum locutum de tardè loquente, Ulpianum de nullo modo loquente: neutram tamen reſponſionem poſſe omni ex parte difficultati ſatisfacere, patet clariſſimè ex ſequentibus: nam quoad primam, cùm emptoris nihil interſit, an mancipium ex morbo, vel ex natura mutum ſit, ſed illud ſolummodò, quòd ſermonis uſu privetur, fruſtrà hæc cautio appoſita eſſet à Lege: adde quòd non affertur ulla ratio, cur magis redhibendus ſit is, qui naturâ mutus eſt, quàm ille, qui ex morbo obmutuit: imò magis iſte, quàm ille in redhibitione eſſet, cùm nonniſi ex maximo ac vehementiſſimo morbo quis evadat mutus: undè præter mutitatem ſuſpicio eſſe 11 poteſt alterius morbi, qui, licèt jam prægreſſus ſit, ſua tamen veſtigia ac ſemina reliquerit: licèt Gloſſ. huic objectioni facilem habere poſſit reſponſionem, ſi dicat mutitatem ex morbo contractam curari poſſe ex natura verò curationem non admittere: Quæ reſponſio nihil demit difficultatis, cùm præſentem ſtatum reſpiciamus ſervi, non futurum. Adde quòd ſi hoc in mutitate habet locum, non minùs poterit locum habere in cæcitate, in ſurditate, & hujuſmodi: & tunc cæcus aut ſurdus à nativitate redhibendus, à morbo non redhibendus diceretur, quod tamen, ut patet, falſum eſt. Illud certum eſt, in muto maximum, ac præſtantiſſimum membri uſum, nempe linguæ amiſſum: quod præcipuè reſpiciunt Juriſconſulti in danda redhibitione, ut *l. idem Offilius hic.*

Minùs quoque ſatisfacit ſecunda reſponſio Gloſſæ, quia impropriiſſimè loqueretur textus, ſi pro tardè loquente mutum dixiſſet, non minùs ac ſi in debiliter videnti, cæci nomine uſus eſſet, cùm mutitas ſit omnimoda loquelæ amiſſio. Gal. *comm.* 3. *in l.* 3. *de morb. vulg. tex.* 74. & facit text. *in §. Item* 12 *ſurdus, Inſtitu. Quibus non eſt permiſſ. fac. teſtam.* licèt favere poſſit Gloſſæ Ariſtotelis auctoritas *problem. ſect.* 11. *problem* 57. ubi linguæ hæſitantiam dicebat eſſe quandam mutitatem, ſed tamen Ariſtot. non abſolutè loquitur, ut patet: Adde quòd ſupervacaneum fuiſſet dehinc in eadem *l. Mutum* de tardè loquente mentionem habuiſſe, ſi ibi, hoc eſt in *l. vel protervi.* mutus pro tardè loquente erat accipiendus.

Malim ego huic contrarietati ſic ſatisfieri, ut Paulus exceperit mutum à redhibitione, non quia verè morboſus non ſit, ſed quia præſumi debet non latuiſſe emptorem, cùm ea res cognitu facillima ſit, & idcircò fortaſſe, & curvos, & giberoſos, & ſurdos non vult redhibendos eſſe, quia in his locum habet diſpoſitio *l.* 1. *§. ſi intelligatur. & l. quæritur. §. ſi nominatim.* objici ergo ementi poſſet illud Horatij, *epiſt. lib.* 2. *epiſt.* 2.

Prudens emiſti vitioſum, dicta tibi eſt lex.

Ulpianus

Ulpianus autem cùm pronuntiavit mutos eſſe redhibendos, ad rei naturam reſpexit, quia multi maximè morboſi ſunt.

Vel dicamus, Paulum dixiſſe, mutum non eſſe morboſum, ſi reſpiciamus ad cætera corporis miniſteria; quibus mutitas nullo impedimento eſt. Ulpianum verò ad illum ipſum loquendi uſum attendiſſe, & idcirco voluit eſſe redhibendum.

Sed oritur præterea ex ejuſdem Ulpiani verbis nova dubitatio: nam cùm dixiſſet, Mutum morboſum eſſe, Sabinus ait: *addidit, morboſum enim eſſe, ſi ſine voce apparet.* Unde fortaſſe dici poterat, non quemlibet mutum ex legis diſpoſitione morboſum eſſe, ſed eum tantùm, qui voce omnino privaretur: & ſic meliùs fortaſſe ſalvaretur contradictio prædictarum legum, ſi diceremus. Paulum de muto locutum, in quo apparet vox, Ulpianum de eo qui ſine voce eſt: non enim ſemper pereunte ſermone, perit vox, ſed bene contrà, quia voce pereunte neceſſe eſt etiam loquelam perire. Gal. 4. *de*
14 *loc. aff. c. 6. claſſ. 4.* & idcirco primum vitium ſimpliciter obmuteſcere dicimus, hoc eſt, non vocem, ſed loquelam amittere, ſecundum autem voce deficere, quod fit ubi ita obmutuit animal, ut voce etiam orbatum ſit, & ob id nec clamare, nec ejulare, nec gemere, neque lugere poſſit, ut notat Gal. *in 3. de morb. vulg. loco ſuprà citato.* Tamen mutum quoque, in quo adhuc ſervatur vox, morboſum eſſe ſatis ſuperque notum eſt, & ad Ulpiani auctoritatem, ut objectioni ſatisfiat, dicendum videtur, quòd illud, *Si ſine voce appareat*, non de ſimplici voce, ſed de articulata ſit intelligendum, atque hoc pacto, ubi articulatam vocem non habet homo, morboſus cenſendus eſt, & redhiberi poteſt, ut de eo, qui Aſemòs loquitur, eadem lex diſponit, de quo *in quæſt. ſeq.* dicemus.

Sed occurrit iterum perpulchra objectio, non modò pro Juriſconſultis, ſed etiam pro Philoſophis, eaque talis eſt, num ſcilicet quemadmodum mutus homo pro morboſo reputatur, ita etiam & de jumentis, cæterisque animalibus cenſendum ſit? Ratio autem difficultatis eſt, quia Ariſtot. *loco ſuprà allegato problem. ſect. 6.* hominem ſolum mutum fieri dixit: cujus ſententiam recitat, & ſequitur
15 Mercurial. *lib. 2. de morb. puer. c. 6.* Rationem eſſe voluit, quia ſolus homo ſermonis capax eſt, qui literas omnes ad omnia vocabula proferenda ex-
16 primit, cætera verò animalia pauculas quasdam, plurimùm verò unam aut alteram, de conſonantibus loquor, quia vocales omnia videntur rectè ex-
17 primere: neque enim tantum artificium requirit vocalium, quantum conſonantium prolatio. Itaque non abſque ratione cætera animalia muta vocantur Iuven. *Sat. 8.*

——— *Animalia muta,*
Quis generoſa putat, niſi fortia?

Sunt tamen qui animantia omnia muta eſſe dicunt præter aves, ut Majol. *dier. canicul. coll. 6.*

Ex his verò videbatur, mutitatem non cadere in
18 cætera animantia, velut in hominem, & idcirco ceſſare in illis hujuſce dicti veritatem, quoad hoc Ego tamen, quidquid dixerit Ariſtot. mutitatem in alia animantia cadere poſſe, non rationibus ſolis, ſed experientiis quoque perſuaſum habeo: & quod magis admiteris, Lector, illud eſt, quòd cùm duplex, ut dixi, mutitas in homine reperiatur, una, in qua ſolus ſermo perit, non autem vox, quam Anaudiam Græci vocant, altera Aphonia ab illis dicta, in qua etiam ipſa vox omni ex parte perit, utramq; conſiderari poſſe in animàtibus cæteris di-
19 co. De poſteriori ergo dubium eſſe non poteſt, nam quidnam eſſe impedimento poteſt, quominùs aphonia, & abſque voce reddantur quæcunque animalia vocem habentia? Iam verò & talia ego vidi & viſa ab aliis ſcio. De priori autem patet ex hoc, quia clarum eſt in omnibus, præter vocem etiam communem, quandam peculiarem cuilibet ſpeciei, ac propriam repetiri ſuo modo articulatam: quam quidem abſque communis vocis deperditione in aliquibus, & ex natura & ex accidenti amitti poſſe non dubito: quod veritatem habere duobus ſequentibus exemplis palam fiet.

Pſittacum habebat nobilis quædam matrona, qui concinnè ſatis, ut àvis illius natura eſt, multa humano ſermone proferebat, & cæterarum avium cantum, ac ſonos imitabatur: hic cùm domeſticus admodum eſſet, & liber quocunque vellet oberraret, aliquando in vicinas ædes per tecta ſe conferens, à quodam ſervo prehenſus, & in carcere detentus eſt, unde adeò timore, ac mœrore perculſus ille eſt, ut nec loqui, nec cantum ullum imitari poſthac potuerit, ac ſolo ſtridore vocem in eo minimè periiſſe monſtrabat.

Habet præterea Franciſcus Balducius Poëta inſignis domeſticum catulum, cui nomen Baronis indidit, qui nunquam, ipſo domino, ac familiaribus teſtibus, latrare auditus eſt, quia mutus eſt natus: tamen gemit, ejulat, ac quidem voce ſuo domino, ac domeſticis blanditur, ita ut mutum quidem eſſe illum rectè dicere poſſimus, quia non ita articulat vocem, ut latratum efformare poſſit, quod locutioni in homine reſpondet. Indicos inſuper canes in Inſula Hiſpaniola novi Orbis omnes mutos eſſe tradit Oviedus, & ex ipſo Majol. *dier. canic. part. 1. colloq. 8.* Quin idem Majol. *ibid. coll. 14.* ex Gregorij auctoritate narrat, canes quoſdam mutos reperiri, ſed & eoſdem canes mutos fieri, ſi in oſſa ranam quandam, Calamitam dictam, abſorbuerint, tradit idem *ibid. coll. 4.* & gallos etiam quoſdam in Niba, loco proximo Theſſalonicæ Macedoniæ mutos naſci, ex Ælian. *lib. 15. c. 20. de animal.* recenſet idem Majol. *ibid. coll. 6.* Idem quoque Ælianus *lib. 3. ejusd. c. 37.* Ranas & naturâ mutas naſci, & ex accidenti quoque mutas fieri dicit, nam in Seripho, inquit, ranæ mutæ ſunt, ſi verò has aliò importes, acrem & aſperrimam vocem edunt. In Piero Theſſaliæ lacus eſt non perennis, ſed hyeme tantùm exiſtit, ex aquis in eum confluentibus: in hunc ranas ſi quis injiciat, ſilent, alibi tamen vocales. Verùm *c. antecedenti 35. ejusd. libri*, Ælianus ſcribit, in Cyrene ranas tantùm mutas eſſe, ut in Macedonia ſues, & genus quoddam cicadarũ. Illud ipſum ergo in aliis animàtibus evenire poſſe quid vetat? Itaque mutus equus dici poſſet, ubi hinnire non valeret, aſinus ubi oncare, vel rudere, bos ubi mugire, ſus ubi grunire, ovis ubi balare nequiret, unde Plaut. *in Bacchid. Act. 5. Scen. 2.* ſenes illos oves mutas per metaphoram vocat, quòd non loquerentur:

——— *Quin ætate credo eſſe mutas:*
Ne balant quidem, cùm à cæteris pecu abſunt.

At etiam amiſſo in eorum quolibet hinnitu, oncatu, mugitu, grunnitu, balatu, vox incolumis remanere poteſt, ut in exemplis allatis jam patet.

Neque exiſtimandum eſt fruſtra voluiſſe Naturam, etiam Bruta aliquo modo voces articulare, quia ad illum finem id operata eſt, ut ſuas paſſiones ad inſtar hominum invicem detegere poſſent, & gaudij, & timoris, doloris, & voluptatis ſenſus exprimere, cùm neceſſitas urgebat, quod etiam Lucret. docuit *lib. 5. de rer. nat.* dicens

Poſtremò quid in hac mirabile tantopere eſt re,
Si genus humanum, cui vox, & lingua vigeret,

Pro vario ſenſu varias res voce notaret,
Cùm pecudes mutæ, cùm denique ſæcla ferarum
Diſſimiles ſoleant voces, variasque ciere,
Cùm metus, aut dolor eſt, & cùm jam gaudia gliſcunt?

Et paulò poſt:

Ergo ſi varij ſenſus animalia cogunt,
Muta tamen cùm ſint, varias emittere voces, &c.

Quod etiam Card. *lib.* 15. *de variet. c.* 81. aſſerebat, ut apud ipſum videndum.

20 Ut tamen Ariſtotelis dictum tueamur, nimirùm quòd ſolus homo mutus ſit, & Galeno non contradicamus dicenti, obmuteſcere eſſe loquelæ amiſſionem, quæ non cadit in bruta; ſtatuendum, quòd cùm mutitas propriè amiſſio ſit articulationis vocis, quæ propriiſſimè ſolius hominis eſt, cæterorum verò animantium impropriè, ſequitur inde, quòd homo ſolus, propriiſſimè loquendo, mutus fieri dici poſſit, cætera verò animalia nonniſi impropriè, & lato modo.

Cùm tamen viſum jam ſit, poſſe in cæteris ani-
21 mantibus deperdi illam vocis, quæcunque ea ſit, modulationem, & articulationem, quam habent, jure quæri poſſet, an in his locũ habere debeat edictum, ut in hominibus, ita ut voce illâ articulatâ, prout ſuæ ſpeciei, ac cuilibet eorum convenit, amiſſa, morboſa dici debeant, & ex hoc capite redhiberi poſſint. Ac breviter decidendum videtur, quòd in iis animãtibus, in quibus nullus uſus vocis exiſtit, edictum locum non habeat: contra verò in iis, in quibus aliquis vocis uſus eſt, ut in canibus, in pſittacis, in picis, & in aliquibus aviculis, quæ ad cantus dulcedinem aſſervantur.

22 Denique pro corollario quodam hìc illud addam, mutitatem non ſolùm non debere accuſari in fœmina, ita ut ex hoc capite morboſa dici debeat, & redhiberi, ſed maximè laudabilem eſſe, ac de ultimis finibus terræ pretium ejus, cæterisque anteferendam eam mulierem eſſe: ad quod facit illud Plauti *in Rudente. act.* 4. *ſc.* 3.

Eò tacent, quòd tacita bona eſt mulier ſemper, quàm loquens.

ſi modo unquam fœmina muta reperiri poteſt: mirum enim eſt, ſi veritatem habet ejusdem Plauti dictum *in Aulul. Act.* 2. *Scen.* 1. in perſona cujusdam fœminæ:

23 *Nam multùm loquaces meritò omnes habemur,*
Nec mutam profectò repertam ullam eſſe
Hodie dicunt mulierem ullo in ſæculo.

Ego, ut veritatem fatear, fœminam mutam propinqui mei famulam cognovi, ſed quæ (adeo poteſt inſita in rebus natura) innata oris vincula diſrumpens, in dies videbatur expeditiùs loqui. Illud certũ eſt, mulieres præ viris minimum eſſe obnoxias cæteris loquelæ vitiis, ut cuilibet conſideranti clariſſimè patebit, Perraræ enim inveniuntur in loquela hæſitantes: ad quod facit auctoritas Raſis *lib.* 7. *Contin. tract.* 1. *c.* 1.

SUMMARIUM.

1 *Sermonis gravitas penes multa dici poteſt.*
2 *Graviter loquens quis dicatur hic in text. & n. ſeq.*
4 *Aſaphia quid.*
5 *Aſaphia duplici ex cauſa fit.*
6 *Cœloſtomi qui ſint.*
7 *Aſemia aliud quid à cœloſtomia.*
8 *Aſaphia & Aſemia valdè differunt.*
9 *Aſaphia, & Aſemia propriè quid.*
10 *Balbus, blæſus atypus, ac tardè loquens ſani ſunt,*
11 *Balbus, & blæſus ſecundùm aliquos non differunt.*
12 *Contrarium n. ſeq.*
13 *Tranioſis quid, ex Cardano. Pſellotis quid.*
14 *Tam blæſus, quàm ballus in vocis articulatione peccant.*
15 *Differentia inter blæſum & balbum.*
16 *Atypus quis, ex Gloſſa.*
17 *Iſchnophonia quid.*
18 *Tardè loquens quis apud Iuriſconſultum.*
19 *Mogilalia, & Ancyloglosſum quid.*
20 *Lambdaciſmus, & Jotaciſmus quid.*
21 *Linguæ impotentia, ſeu incontinentia quid.*
22 *Linguæ impotentia duplex.*
23 *Linguâ impotentes morboſi dicendi.*
24 *Ad loquelam formandam, quæ inſtrumenta requirantur.*
25 *Vitia ad vocem ſpectantia non faciunt redhibitioni locum, declarat ut ibid.*
26 *Uva in gutture præciſa magis tollit, quàm faciat morbum.*
27 *Uvâ exectâ quæ damna ſequantur animali.*
28 *Uva morbus quis.*
29 *Quando tollat morbum uva execta.*
30 *Quibus uva execta eſt, tabidi evadunt.*

De cæteris loquelæ Vitiis.

QUÆSTIO IX.

Ad l. Idem Oſſilius. §. Quæ ſit l. Mutum, & l. vel protervi.

CÆterùm, ut de reliquis loquelæ vitiis, de quibus in hoc titulo mentio habetur, quãtum ad noſtram rem pertinet, diſſeramus, ſingula per ſe nomina expendenda veniunt tale quid ſignificantia. Ac primo eadem *l. Mutum*: de qua in ſuperiori 1
quæſt. de graviter loquente ſermonem habet: de quo verò vitio intelligendus ſit textus, non ita in confeſſo eſt: poteſt enim ſermonis gravitas reſpectu diverſarum rerum conſiderari, ut reſpectu celeritatis, ac tarditatis, & reſpectu ipſius vocis, 2
quæ & craſſior, & ſubmiſſior appareat. Nos graviter loquentem eum intelligere poſſumus, qui linguæ gravitate laboret, ex qua ſermo retardetur, quam quidem Foreſt. *ſuar. Obſerv. lib.* 14. *Obſerv.* 31. dixit eſſe viam, ſeu introitum quendam, ac veluti præparationem, & præludium mutitatis. Quod ſi Iuris conſultus de hac linguæ gravitate intelligat, maximè hæſitare poterimus, an rectè ab ipſo pronunciatum ſit, talem non facere redhibitioni locum, quoniam etiamſi linguæ gravitas, quantum eſt de præſenti, morbus ſit nullâ conſideratione dignus, tamen quantum eſt de futuro, maximæ conſiderationis eſt, cùm, ut dixi, via ſit in mutitatem, cujus reſpectu datur redhibitioni locus.

Ego puto Iuriſconſultum levius quid innuere 3
voluiſſe, & fortaſſe id, quod paulo antè judicaveram, nimirùm voce craſſiore ac tardiore loquentem, quod vitium illud eſſe crediderim, quod Plateaſmũ vocari tradit Cæl. Rhodig. *loco ſæpius cit. li.* 3. *c.* 1. à vocis, ut ipſe inquit, pinguitudine, cui contrarium vitium eorum eſt, quos Iſchnotetas appellare Quintilianum memorat, ab ejusdem vocis gracilitate, & prolationis tenuitate, quod perſuadere videtur id, quòd graviter loquentem lex connectit 4
cum aſaphos loquente, hoc eſt, obſcurè: aſaphia enim eſt obſcura locutio, nimirùm quæ voce obſcurâ fit, ac ſono vix intelligibili, quomodo ſomniantes ſolent, & ii, de quibus vulgo dicimus, *parlan frà denti*. Hoc vitium Gal. *comm.* 2. *in* 1. *Prorrhet. text.* 3. duplici ex cauſa fieri tradit, ex læſione 5
nempe organorum vocem dearticulantium, vel ex mentis ipſius læſione: textum verò noſtrum loqui de prioti, non dubitandum, hoc eſt, quando quis ex naturali quadam, aut etiam accidentali vocaliũ organorum mala diſpoſitione aſaphôs, hoc eſt obſcurè loquitur, quod fortè tunc evenit, cùm quaſi in oris receſſu vox auditur: qui locutionis defectus

aliàs

6 aliàs Cœlostomia dicitur, Cæl. Rhodig. *ubi suprà.* Hier. Mont. *in Anasc. morb. lib. 6. cap. 2. tom.* 1. vbi Cœlostomos esse ait, quibus vox interrupta & concisa est, pectoris aut pulmonis vitio: nisi velis Cœlostomiam esse potius asemiam, de qua lex hîc dicebat: *Qui asemòs loquitur, hic utique morbosus est.* Verumenimvero putaverim ego, aliud esse asemiam à cœlostomia, ob rationem de qua infrà:
7 etenim tam asaphia, quam asemia obscuram locutionem denotant, nam Græci utrâque voce indifferenter utuntur, ut ejus linguæ periti docent, non solùm ad denotandum obscuritatem sermonis, sed obscuritatem quoque generis: & de Asaphos patet ex epist. Augusti ad Liviam, relatâ à Suet. *in Claud. cap.* 4. in his verbis: *Nam qui tam asaphôs loquatur, qui poterit, cùm declamat, tam saphôs dicere?* hoc est, Nam qui tam obscurè, & vix intelligibili voce loquatur, qui poterit, cùm declamat, tam clarè dicere? Unde *phrenesis asaphos* apud Hippocratem phrenesis, aut delirium dicitur obscurum, hoc est, quod non clarè manifestatur, ita ut vix ab experientissimis Medicis cognoscatur, quale delirium est quorundam, qui gestu tantùm delirare se produnt. Vide Gorræum *in verb. Asaphos, & alibi.* Sic etiam Asemos idem importat, unde *pneuma asemon*, hoc est, spiratio obscura, apud Hipp.

8 Sed cùm, ut dixi, inter asaphos, & asemos nullam invenerim differentiam, patet tamen Iurisconsultum non accepisse utrumque pro eodem, imò insigniter inter se ex ejus sententia differre, quia loquentem asaphôs non esse morbosum, loquentem verò asemos morbosum esse pronunciavit: miror autem, Budæum aliosque sicco pede hæc transegisse, cùm in quibusdam interdum minoris momenti commorentur. De Budæo dubitare possemus, non habuisse eorum nominum cognitionem, ut de atypis ipsemet fatetur, *in annotationibus, hic:* quod tamen de tam docto viro, ac Græcæ linguæ, perito, mirandum est.

9 Ne tamen hæc omnino irresoluta relinquamus, propriam opinionem de ea re manifestam faciam, quæ talis est, asaphiâ scilicet eam sermonis obscuritatem esse, quæ vocem ac sonum, non verò articulationem, & significatum vocis depravat: contra vero asemiam potius articulationem, imò etiam & verborum significatum, quàm vocem & sonum respicere: quæ opinio non multùm recedit à Glossæ marginalis opinione, quæ asemòs loquentem exponit, præposterè & sine ulla vocis significatione loquentem.

Rectè ergo, si ita se res habet, asaphos loquens pro non morboso pronunciatur, idcirco in redhibitione non est, asemos verò loquens pro morboso accipitur, & in redhibitione jure est: quia quemadmodum ille parum admodum sermonis usum depravatum habet, sic posterior adeò deteriorem facit, ut nulli majori usui esse possit, quàm is qui verè mutus est: unde elicere potes, mutum absolutè morbosum esse, cùm asemos loquens morbosus dicatur

10 Sequitur, ut de balbis, cæterisque loquamur, de quibus *in l. idem Ofilius. §. Quæsitum.* ubi primo loco occurrit Balbus, quem non minùs ac Blæsum, Atypum, ac tardè loquentem sanum esse sancitum est, attentâ hujus edicti intentione, quia non valde sermonis usui incommodare videntur, qua de re minùs ob hæc locum redhibitioni esse statutum est. Sed inter balbos, ac blæsos plerique nul-
11 lam differentiam faciunt, verum indiscriminatim unum idemque vitium, & balbutiem, & blæsitatem esse volunt.

Qui tamen in loquendo nominum proprietati magis attendunt, non parvam differentiam inter utrumque vitium agnoscunt: quippe qui balbutiem 12
illud vitium esse dicant, quo homo nonnullas literas, quæ fortiori prolatione indigent, proferre non potest: quod vitium ipsis pueris familiare est, illudque Græcis Traulosim dici volunt nonnulli, cujus opinionis Mercurialis est *lib. 2. de morb. puer. cap. 6.* sed Cardan. *Aphor. sect. 6. Aphor.* 31. voluit, id vitium esse, ex quo quis *T R.* proferre non potest, sicuti Psellotim illud, ex quo *P S* 13
pronunciare non valet. Contrà Cæl. Rhodig. *ubi suprà.* & Budæus *in Annot.* Traulosim non balbutiem, sed blæsitatem, & Traulos non balbos, sed blæsos esse voluerunt. Blæsitas tamen, quæ eidem Mercur. Psellotis dicitur, vitium est, in quo homo inter loquendum literam aliquam prætermittit, quod Cælio, & Budæo balbuties propriè dicitur, unde & balbos Psellos vocari tradunt. Verumenimverò utrumque, tam balbum, (inquam) quàm blæsum, in vocis articulatione errare manifestum est, ut notat Gal. *comm. 6. Aphor.* 32. & Petr. Forest. *Observ.* 14
suar. lib. 14. Observ. 31. *in schol.* Differentia ergo, de qua jam dixi, & cujus meminit Arist. *problem. sect.* 11. 15
problem. 30. ea est, quia balbus cùm proferre vult, exempli gratia, has voces, prandium, frænum, principium, contrà, pronunciabit plandium, flænum, plincipium, contla, Blæsus verò pandium, fænum, pincipium, conta, ita ut balbus literam quidem proferat, sed tenuiori sono, quàm literæ natura patiatur: & idcirco commutat R. quæ fortiori indiget prolatione, in L, quæ tenuiori: Blæsus autem literam exterit, ac præterit, nulloque modo pronuntiat. Licet autem tam exquisita distinctio inter hæc vitia, nullius utilitatis videatur, tamen hæc ipsa ad aliam rem inservire possunt.

Præterea occurrit post blæsum & balbum atypus, quem testatur Budæus *in annotationibus*, non potuisse se invenire, quis sit, neque Calvin. *in suo Lexico* circa hanc vocem quicquam novi affert, 16
præter allata à Budæo. Gorræus *in definit. Med.* voluit atypos esse, qui non satis expedito linguæ plectro utuntur, quasi dicat tardiloquentes. Glossa hîc eum esse voluit, qui præposterè loquitur, & videtur quidem Gloss. ut mea fert opinio, hujus vocis significatum explanasse, cùm atypus idem videatur, ac si diceres, sine typo ac regula, & sine ordine loquens: & tamen hoc non explicat hujus vitij naturam, nam neque definitur, utrùm hæc præpostera locutio respiciat vocabulorũ, an conceptuum connexionem, an potiùs aliud quid. Ego nescio quâ ratione ductus putaverim aliquando, Iurisconsultum hîc pro atypo illum accepisse, qui in principio loquendi hæret, ac cogitur repetere primam syllabam, ut volens proferre hanc vocem Socrates, cogitur pronuntiare Sosocrates, vel illum, qui difficulter syllabam syllabæ connectit, ut si pro hac 17
voce Plato dicere cogatur Plaato, quæ affectio, testibus Cælio, & Mercurial. *ubi suprà*, Græcis propriæ Ischnophonia appellatur, Latinis linguæ hæsitantia. Tamen ego hæc pro certo affirmare non ausim, cùm neque ullius auctoritati, neque rationi inniti me posse apertissimè videam: alia tamen circa hæc nomina vide apud Mercurial. *lib. 6. var. lect. cap.* 4.

Denique jurisconsultus de tardè loquente meminit, quod vitium tardiloquentia non omnino in- 18
concinnè nobis dici posset. Sed adverte, Legem non de ea tarditate intelligere, quæ contraria est sermonis celeritati, (quâ etiam sapientes nonnullos

laboraſſe conſtat, inter cæteros autem Virgilium, teſte Ælio Donato *in ejus vita*) quia in hac nullum reperitur vitium, & conſequenter nullam dubitandi occaſionem præbere debuit: ſed eam tarditatẽ eſſe difficultatem introitus in loquelam, qui affectus Mogilalia, ſeu Mogilogia, & Ancyloglosſon Græcis dicitur. Mercur. *ubi ſuprà*. & Foreſt. *ibidem, Obſerv.* 30. ante quos Actius *ſerm.* 8. *c.* 36. de eodem affectu mentionem habet, qui plurimùm ex ligamẽti, ſeu fræni linguæ ſubſtrati brevitate enaſcitur, quod vulgò vocant *il fidello*, ex cujus obtruncatione
19 facillimè aliquando talia patientes curantur. Cardan. tamen *loco ſæpius citato*, diſtinguit inter Mogilaliam, & Ancyloglosſon: primam eſſe vult hæſitantiam in verbis: poſteriorem, cùm lingua hæret radici, nec facilè moveri poteſt, Sed Holl. *lib.* 1. *de morb. int. cap.* 13. unam eandemque paſſionem eſſe Ancyloglosſum, & Mogilaliam voluit, ſic enim ille hæc nomina pronunciat. Si quis tamen Iurisconſultus de his nominibus plura ſcitè deſiderat, requirat Bud. *in annot. in Pand. d. l. Idem Offilius.* §. *Quæſitum eſt hic.*

Sunt alia inſuper vitia ad loquelam pertinentia, de quibus fortaſſe ſupervacaneum viſum legumperito eſt agere, quæ & ipſe datà operà omittam, cum nullius, aut levioris momenti cenſeantur, & inter jam commemorata adnumerari poſſint, ut nonnulla ſunt, quæ à cujuſdam peculiaris literæ nomine denominationem aſſumunt ex eo, quòd eo vitio detenti literam illam peculiariter repetere coguntur, ut eſt Lambdaciſmus, à repetitione literæ L. &
20 Iotaciſmus, à repetitione litteræ I. & alia huiuſmodi, de quibus Cælius *loco ſæpius citato* & alia, quæ ex mala, & inconcinna alicujus particularis literæ prolatione denominantur, quæ omnia, ut dixi, parum locutioni incommodant, adeò ut nullius conſiderationis rectè cenſeantur.

De linguæ tantummodò impotentia, ſeu incontinentia, à Galeno appellata *Aphor. ſect.* 7. *Aphor.* 40. loquamur, quæ eſt ipſius linguæ infirmitas talis, ut
21 dearticulationem vocis impediat, licèt Cardan. *in ejus Aphor. comm.* & Foreſt. *lib.* 10. *Obſerv.* 2. velint linguæ incontinentiam eſſe impotentiam quandam tacendi, ac quandam dicacitatem: ſed eam opinionem reprobat Mercur. *lib.* 1. *ſuæ pract. cap.* 10. eam tamen, de qua ſuprà, duplicem eſſe tradit Salius *in*
22 *primum Hipp. de morb. text.* 13. unam quidem, in qua ipſa lingua ob propriam infirmitatem integre dearticulare vocem non poteſt: alteram, in qua in totum lingua reſolvitur, & omnino immobilis, & ad loquendum inepta evadit. Ego unam eſſe morbi ſpeciem exiſtimo, differre tamen ſecundùm magis & minus, & idcirco neque Gal. *ubi ſuprà, & comm.* 3. *in* 3. *de morb. vulg. text.* 74. nec Celſ. *lib.* 4. *ſuæ med.*
23 *c.* 2. neque alius quisquam, quem ſciam, duplicem eam fecit. Sed quod ad Legumperitorum rem attinet, illud eſt, quod lingua impotentes morboſi abſque dubio dicendi ſunt: neque id in homine ſolùm habebit locum, ſed etiam in cæteris animantibus: neq; enim ex ſolo capit. deperditionis loquelæ morboſum animal eſt linguam habens reſolutam, ſed ex majoris multò morbi cauſa: quamobrem jure redhiberi tale animal, aut mancipium poterit: de hoc tamẽ vitio non meminit Lex: vel quia nihil circa id dubitãdum occurrebat, vel quia hoc vitio laborantes ſub muti nomine comprehendi voluit.

Denique cùm ad loquelæ, & vocum modulationem non modò lingua, quæ præcipuum tamen ac
24 maximum ejus muneris inſtrumentum eſt, ſed & dentes, & labia, & narium foramina, & palatum, & gurgulio, & linguæ frænum ſymmetrum, & proportionatum concurrant, teſte Gal. 4. *de loc. aff. c.* 6. & cùm plurifariam loquela depravari poſſit ex horum inſtrumentorum læſione, idcirco de omnibus univerſaliter vitiis dicendum eſt, quòd ſermonis læſio ex organi vitio facta, ex cujus uſu ſola ipſius ſermonis concinnatio habetur, non verò ſimplex uſus, pro tali exiſtimanda non ſit, ut faciat redhibitioni locum: contra verò ubi inſtrumentum vitiatur ſimpliciter ad ſermonis uſum requiſitum.

Vitia porrò, quæ ad vocem ac ſonum tantummodò ſpectant, ut eſt vocis aſperitas, obſcuritas, craſſities, exilitas, clangoſitas, vox tremula, abrupta, interrupta, luctuoſa, tenebroſa, & hujuſmodi, niſi majorem cauſam morbi habeant, non debent facere redhibitioni locum: admonet tamen Halyabb. *Theor. lib.* 1. *c.* 23. in quo agit de ſervis emendis, quòd 25
ſervus raucè loquens, tanquam elephantiæ obnoxius reſpuatur. Sed de his omnibus vocum generibus, ac vitiis, diligentem tractatum habet Ioannes Baptiſta Codronchius *in libro proprio* ad hanc rem dicato, nempe de vitiis vocis.

Cæterùm, argumenti affinitate ducti, hìc de *Uva præciſa* mentionem habeamus, de qua juriſconſult. 26
hic in *l. quæritur.* §. *idem ait.* circa quam rem ſeriò animadvertendum eſt, Iuriſconſultum ſanciviſſe, uvam in gutture præciſam magis tollere, quàm facere morbum, quod niſi ſano modo intelligatur, procul dubio erroris anſam præbere poterit: quippe cùm manifeſtum ſit apud Medicos, & tradunt omnes Practici, Mont. *in Anaſc. morb. lib.* 6. *c.* 18. *tom.* 1. Codronch. *de vitiis voc. lib.* 1. *c.* 5. uvam exectã vocem 27
obtundere, pectus, pulmones, & cor, & omnes ſpirituales partes infrigidare, ac infirmiores reddere, unde mille morborum genera in dies, ne dicam in horas, aut momenta pullulare neceſſe eſt: imò quibus uva execta eſt, facili negotio rabidi evadunt. cujus rei cauſam aſſignat Alex. *probl. lib.* 2. *probl.* 3. ex quibus non ſolùm non tollere morbum uvam exectam, ſed morbos plurimos progignere, imò hominem in manifeſtum mortis diſcrimen cõjicere, manifeſtum eſt. Sed quemnam morbum tollere Iuris- 28
conſultus uvam exectam dixit? ipſam uvam, nam & uva vocatur ipſius uvæ tumefactio & inflammatio. Medici omnes *in c. prop.* & Budæus *in annot. ex Celſo*, tamen ablto uno morbo, mille alij ſuſcitantur, ut videmus ex uvæ præciſione: neque juriſconſultum idcirco perperam locutum de ea re fuiſſe, dicendum: cùm enim ex diſtillati one interdum ad ipſam uvã, (quæ & *Gurgulio*, & *Gargareon*, & *Uvula*, & *Columella* nuncupatur) vel alia ex cauſa, neceſſe ſit ipſam præcidere, aliquando præciditur univerſa, vel per errorem, vel datâ operâ, ad majus quoddam & imminens malum fugiendum, interdum aliqua ejus portio: idcirco ergo *Iuriſconſultus* in poſteriori caſu 29
ſuam aſſertionem locum habere vult, non in priori: neque enim in poſteriori inſignis noxa conſequitur: portio enim uvæ ſana, quæ remanet, etiamſi non undequaque, ea tamen omnia quaſi præſtare poteſt, quæ cùm integra erat, præſtabat: itaque & vocem quoq; modulari, & irruentẽ aërem ad ſpiritales partes infringere, & aliàs penè omnes utilitates præſtare poterit, quas integrã ipſam præſtare volunt Anatomici. Quod autem dicebat *Alex.* tabidos evadere omnes, quibus Uva execta ſit, de omnimoda ejus exectione intelligebat, unde additur adverbiũ illud *penitus*: hoc igitur, & non alio modo *Iuriſconſulti* mens interpretanda. (Conſer. de *Uvula* abſciſſione 30
Bayer. conſ. 15. fol. 27. *Hildan.* fol. 167. Schenck. f. 212. *Horſtium* tom. 2. *Sculteum* pag. 6.)

SUM

SVMMARIVM.

1 *Myops, id eſt, luſcioſus.*
2 *Myopia, luſcities, vel luſcitioſa affectio quid.*
3 *Myopes apud Latinos luſci vocantur ſecundum Mercurialem, refellitur ibid.*
4 *Luſcioſus quis dicatur.*
5 *Eluſcare à luſco.*
6 *Gloſſ. Marginalis notatur.*
7 *Myops, & lippus eod. affectu laborant, refellitur ibib.*
8 *Lippitudo quid.*
9 *Myopia ſit paſſio eſt ab ortu contracta.*
10 *Myopes cur à natura ſolummodo fiant.*
11 *Nyctalops ab humorum craſſitie fit.*
12 *Nictalops quid, & num. ſeq. & n. 17.*
14 *Cæſij oculi interdiu acutè cernere non poſſunt, ſed noctu maximè.*
15 *Noctilupæ nomen à noctua.*
16 *Nyctalopis duæ ſpecies.*
18 *An Nyctalopia, in qua interdiu homo non videt, ſed noctu, faciat redhibitioni locum.*
19 *Oculis prominentibus ſervus ſanus eſt.*
20 *Oculorum prominentia duplex.*
21 *Oculi prominentes minùs vident, quàm intus condit.*
22 *Oculos prominentes habentes, cur non redhibendi.*
23 *Strabones in communi loquendi modo, qui dicantur.*
24 *Strabismus ſit etiam ex elevatione, & depreſſione humoris cryſtallini.*
25 *Strabiſmus factus ex depreſſione, vel elevatione cryſtallini humoris, an faciat locum redhibitioni.*
26 *Limitas, & ſtraboſitas, quomodo differant.*
27 *Pupillæ imminutio, an faciat hominem morboſum, die ut num. 29.*
28 *In pupillæ conſtrictione viſibilia majora videntur.*
30 *Moleſtior eſt pupillæ anguſtia quàm dilatatio.*
31 *Viſus debilitas an faciat locum redhibitioni.*
32 *Glaucedo quid.*

De vitiis Senſus Viſus.

QVÆSTIO X.

Ad l. Idem Oſſilius, §. Item de Hydropico l. Qui clavum §. ſi quis natura, & §. ſi cui os oleat.

LEgum periti hîc proponunt aliqua viſionis impedimenta, quæ dubium afferre poterant, an ex eorum culpa mancipium, ſeu jumentum morboſum fieri dicatur, ita vt redhiberi ex hujus edicti diſpoſitione poſſit: & præter ea, quæ à Iuris conſultis hic in medium afferuntur, alia permulta quidem ſunt, quæ idem dubium excitare poſſent, de quibus breviter nobis differendum, antè tamen de illis, quorum mentionem in textu habemus, verba
1 facienda. Occurrit autem primo loco Myops, quem Gloſſ. Marginalis rectè interpretata eſt luſcioſum: ita enim ex Medicis teſtantur Paul. *lib.* 3. *cap.* 22. Aët. *ſerm.* 6. *cap.* 45. *& alij*, & ante hos omnes Gell. *Noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 2. Eſt verò Myo-
2 pia, ſeu luſcities, vel luſcitioſa affectio ea, in qua quis parva quidem propè videt, magna verò procul non videt, & in qua ſic affecti ſcripta admota oculis legunt, vt ex Ariſtot *probl. ſect.* 31. *probl.* 8. *&* 15. *&* 26. Alex. *ibid. libro* 1. *probl.* 74. Paul. & Aët. *vbi ſuprà* liquet. Sed Mercurial. *in prælectionibus de ocul. affect. c.* 1. Myopes, ſeu Luſcioſos fieri tradit, cùm res propiùs, vt videantur, oculis admoventur, & cùm ad eundem finem ab oculis longiùs removentur. Hoc tamen poſteriore affectu conſtat magis laborare ſenes, priorem autem ferà ſemper connaturalem eſſe, illumque propriè luſcitionem dici apud om-
3 nes reperi. Ex quibus patet, ipſum Mercurialem male fortè pronuntiaſſe, Myopes apud Latinos vocari Luſcos, videtur enim confundere luſcum cum luſcioſo, & tamen diverſum quid ſunt: luſcioſus 4
enim, vt ex iis, quæ diximus, manifeſtum fit, eſt qui debiliter videt, & patet ex Plauti loco *in Mil. glor. Act.* 2. *Scen.* 3. qui ſic habet.

Sc. *Mirum eſt lolio victare te, tam vili tritico.*
Pa. *Quid jam?* Sc. *Quia luſcitioſus.* Pa. *Va verbero! adepol tu quidem*
Cæcus, non luſcitioſus.

Ex eo enim quòd iis, qui lolium comedunt, viſio debilis efficitur, ſi circo hoc modo loquitur ſervus ille: at luſcus eſt is, qui altero captus eſt oculo, ut eodem Plauto *in Trinum. Act.* 2. *Scen.* 4. patet, in illis carminibus:

—— Le. *Oculum ego effodiam tibi.*
Si verbum addideris. ST. *hercle quin dicam tamen:*
Nam ſi ſic non licebit, luſcus dixero.

& ex Iuven. Sat. 10.

—— *Ambos.*
Perdidit ille oculos, & luſcis invidet.

Et extat lepidum Martialis carmen, idem approbans, *lib.* 8. *n.* 9. quod ita habet:

Solvere dodrantem nuper tibi, Quinte volebat
Lippus Hylas: luſcus vult dare dimidium.
Accipe quamprimùm: brevis eſt occaſio lucri,
Si fuerit cæcus, nil tibi ſolvet Hylas.

Et ex alio carmine in Philænim, *lib* 12. *n.* 22

Quàm ſit luſca Philænis indecenter,
Vis dicam breviter tibi. Fabulle?
Eſſet caca decentior Philænis.

In quam etiam aliud extat carmen ejusdem, eandem rem comprobans, *lib.* 4. *n.* 65.

Oculo Philænis ſemper altero ploras.
Quo fiat iſtud quæritis modo? Luſca eſt.

Magis ad rem eſt illud:

Aſpicis hunc uno contentum lumine, cujus
Lippa ſub attrita fronte lacuna patet?

Martial. in Luſcum furem, *lib.* 8. *n.* 59. quod etiam patere facilè poteſt auctoritate D. Hieronymi in tranſlatione loci Exodi *cap.* 21. *verſ.* 26. qui luſco utitur pro eo, cui oculus erutus eſt: *Si percuſſerit quispiam oculum ſervi ſui aut ancillæ, & luſcos eos fecerit &c.* Et alia permulta poſſem adhuc adducere, niſi ſuperfluum exiſtimarem: addo tantummodò, quòd eo vitio multi inſignes viri laboraverint, ut Philipus Macedo, Alexandri Magni pater, de quo Q. Curtius *lib.* 2. & Annibal, de quo idem Iuvenal. ibidem.

Cùm Getula ducem portaret bellua luſcum.

Et Petronius Auli Vitellij ex Petronia filius, teſte Suet. *in Vitellio. cap.* 6. Et Antigonus, de quo Plutarch. *in lib. de liber. educ.* & Macrob. *Saturn. lib.* 7. *cap.* 3. & Horatius Cocles, de quo Livius, & Sertorius de quo idem liv. & Plutarch. *in ejus vita*: & Lycurgus de quo Plut. *in ejus vita*, & alij, de quibus Alciat. *in l. Inter ſtuprum, §. verum eſt ff. de verborum ſignific.* Ex quibus conſtat, multum differre luſcum à luſcioſo. Quod confirmatur etiam, quia à luſcitie, & luſcioſo non formatur verbum, luſco verò maximè: dicimus enim eluſcare: quo verbo 5
vtuntur Legum periti *in l. ſed & ſi quicumque § ſi Magiſter ff. ad l. Aquiliam* quod oculum eruere, ſeu effodere, vel excutere, vel excludere, & luſcum facere denotat. Terent. *in Phorm. Act.* 5. *Scen.* 8.

Vel oculum exclude, eſt ubi vos ulciſcar locus.

Facetè Plaut. *in Menachm. Act.* 5. *Scen.* 7. ad id verbum ſignificandum.

—— *Face ut oculi locus in capite appareat,*

Ex quibus videri poteſt, non minus quàm erra- 6
verit Mercurialis, erraſſe etiam Gloſſ. Margin. hîc,

cùm luscitionem, & eluscationem unum idemque vitium esse putaverit, cùm diversum quid sint, & ex lusco eluscatio formetur, ex luscitie luscitiosus, vel luscitiosus. Sen. *lib. 3. de Benef. c. 1.* Luscitiosi, inquit, oculi sunt, qui lucem reformidant: quæ opinio, vide quam veritatem habeat ex superioribus, & in eumdem errorem impegit Gloss. *in l. Nec sapiens, ff. de*
7 *juris & facti ignorantia*, & Marc. Donat. *hist. Med.*
8 *mirab lib. 2. c. 10.* Adnotare insuper libet hic Alciati errorem *Parerg. lib. 6. c. 12.* qui lippum, & myopem eodem affectu laborare credit, cùm tamen admodum diverso laborent, etiam in communi modo loquendi: lippitudo namque est inflammatio tunicæ oculorum adnatæ, Gal. 2. *ad Glauc.* vel est pruritus oculorum cum rubedine. Card. *comm. 6. Aphor. 18.* licèt & oculorum illacrymationi à nonnullis aptetur, testante Mercur. *lib. 1. c. 38.* ex lippitudine verò lippus dicitur: quid sit autem myops, jam patet. Verum quidem est, abusivè lippum accipi pro debiliter vidente, sed rarò, & impropriè

Idem quoque Mercurial. *lib. 1.* quosdam redarguebat, qui eam differentiam ponebant inter Myopes & Nyctalopes, ut Myopes essent luscitiosi naturâ, Nyctalopes luscitiosi ex morbo, cujus rei falsitatem ipse ex hoc probare præcipuè studet, quòd apud Il. deliberatū sit, servos ex natura myopes redimi non debere, sed eos tantùm, qui myopes ex morbo facti sunt: Mihi nunquam tale quid apud Il. animadvertere licuit: illud tantummodò notum habeo, &Paul.
9 & Aët. & auctorem Finit. Med. Gal. adscript. *in libb. Isagog.* affirmasse, Myopiasim esse dispositionem à nativitate, vel ab ortu contractam, & ideirco nullum huic passioni præscribunt remedium, quia pro insanabili eam ducunt, cùm connaturalis sit: ac profecto raro admodum, & fortasse nunquam, myopem propriè sic dictum, ex morbo factum, sed semper ex naturæ vitio, talem existere comperies. Quamobrèm non omnino improbanda eorum sen-
10 tentia est, quos improbat Mercurialis: ratio verò cur Myopes à natura solummodo sint, & non à morbo, ea esse potest, quia Myopes, ut Alex. placet *problem. suprà citato 74.* & Alb. Magn. *de Animal. lib. 1. c. 7.* sunt ex spiritu visivo nimis tenui, puro, ac sincero, qui longè ductus à lumine externo facilè dissipatur: itaque cùm visibilia longiùs absunt, videre ea oculis non potest, sed bene, cùm propiùs accedunt: & eâ de re videbis Myopes etiam characteres minutissimos & legere, & conscribere, ut Aristot. notat, *locis suprà allegatis.* & ipsa experientia confirmat: non videtur ergo, quòd ea spirituum tenuitas, ac sinceritas à morbo provenire queat,
11 sed ab ipsa tantùm naturali dispositione: contra verò in Nyctalopia evenit, quæ à crassitie humorum, & obscuritate spirituum magis fit. Et ad Arist. auctoritatem à Mercuriali adductam, quòd Myopia ex morbo fiat, dicendum videtur, quòd, ut suprà diximus, & declarant Practici Avenz. *sui Theisc. lib. 1. tract. 8. cap. 30.* Aliahar. *tract. 4. section 4. cap. 11.* hæc passio duplici modo fit, uno quando oculus de longè non videt, sed propè: altero, quando contrario modo ea quæ longè sunt, vident, quæ propè verò, nequaquam, vel satis diminutè. Primam ergo passionem, quæ à claritate & nimiâ tenuitate spirituum fit, ut dixi: quasi semper naturalē esse passionem: posteriorem, qua senes maximè afficiuntur, & à crassitie & obscuritate spirituum provenit, morbosam & accidentariam esse, constat. Atque hæc si desideras cognoscere, qua ratione eveniant, vide Plutarch. *in Sympos. lib. 1. q. 8.* ex quo repetit pro Iureconsultis Polyd. Ripa *in tract. de noct. temp. cap. 57. num. 33.* Aristotelem itaque de posteriori intellexisse dicamus: auctores autem, qui eam differentiam inter Myopiam, & Nyctalopiam posuerunt, de priori intellexisse, non de posteriori.

Sed jam de Nyctalopia loquamur, quam ipse Iurisconsultus apertissimis verbis declaravit, quidnā 12
sit, dicens, esse eam affectionem, ubi quis neque maturino, neque vespertino tempore videt: sed notandum, Medicorum nonnullos, ut refert Mercur. 13
ubi suprà, voluisse Nyctalopem esse, ubi quis interdiu non videt, noctu maximè: ad hoc autem nihil additum est pro ejus dubij solutione ab ipso Mercuriali, cùm tamen constet, ejus opinionis non solum fuisse auctorem definitionum Medic. Galen. adscribit *in Isagog.* dicentem. Nyctalopes, ubi interdiu non cernant, noctu conspiciant: & alios, quos adducit Hermol. Barb. *in Gloss. ad Plin. in verb. Luscitiosis* & ex Iurisconsulti Alciat *in præcit. l. Inter stuprum. § verum est.* Sed etiam ipsum Hipp. 2. *præd. in fin.* sic asserentem: *Quos Nyctalopas nuncupamus, qui noctu cernunt, &c.* tamen nonnulli sententiam hanc improbantes, ad hanc Hipp. auctoritatem respondentes, dicunt, deesse hic particulam negativam, legiq; debere: *qui noctu non cernunt*: sed fortasse neque Hipp. textui deest negatio, neque ii, qui, eam opinionem secuti sunt, temerè id præstiterunt: quippe cùm multi doctissimi viri, inter quos est Avic. 5. 3. *tract. 4. cap. 7.* Alb. Magn. 1. *de Anim. caput 7.* Valesc. *lib. 2. Philon. cap. 31.* Savonaral. *tract. 6. c. 3. rubr. 32 in pract. mag.* (qui hunc affectum Aliar, vel Algiehar, vocat, vel Ægilopem) Vales. *in 4. Epid. textu 118.* Curtius Marinell. *lib. 3. de morb. nob. part. Anim. cap. 21.* Guilielm. Ader. *de Ægrot. & morb. Evang. part. 3. enarr. 12. probl. 4.* & ipse Mercurial. *ubi suprà*, de hac affectione meminerint, de qua tamen cæteri non loquuntur. Esse verò hanc affectionem quarundam avium propriam, quas nonas vocamus, patet ex scriptoribus naturalibus. Arist. 5. *de hist. anim. c. 34.* Alb Mag. *vbi suprà* Gesn. *tom. 3. capit. de Bubon.* Aldrovand. *Ornithol lib. 8. cap. 1.* ubi & ejus rei rationem habes & apud Thad. deum *in Isagog. Ioannitij.* & de aliis apud Nancel. *ex Plin. in præfat. analog. cap. 7.* & inter Iurisconsultos idem Polyd. Ripa. *vbi suprà, c. 15. per tot.* de quibus etiam Francisc. Petr. *in Lyricis suis, part. 1. carm. 17.* ita cecinit.

Sono animali al modo di si altera
Vista, ch'incontro al Sol pur si difende,
Altri però, ch'il gran lume gli offende,
Non escon fuor, se non verso la sera,

Quinetiam Arist. 5. *de gener. Anim. cap. 1.* dicebat, cæcos oculos interdiu acutè cernere non posse, sed 14
noctu maximè, ob rationem, de qua *ibid.* Ad hæc addo dubium, quod movet suprà citatus Ripa, *ibidem, cap. 9. n. 3.* scilicet Nyctalopes, hoc est, Felinos oculos habentes, quòd noctu cernant. An satis vidisse dicendi, id de quo agitur, & Iudicis arbitrio remittit decidendum. Denique, ut tradit Cardan Quadrupedia omnia noctu vident, canes, lupi, lepores, equi, asini, boves, *lib. 10 de subtil. in fin.* Plinius etiam *lib. 7. cap. 2.* nasci in Albania quosdam homines dicit glaucâ oculorum acie, qui noctu plus quàm interdiu cernant, habes apud Majolum *dier. canic. coll. 4.*

Talem ergo affectionem dari, & morbo, & à Natura provenire posse, jam satis patet: & cùm hæc multo majoris considerationis sit, ut quæ auferat visum interdiu, quando maximè necessarius est, miror, quòd Auctores omnes, hac relictâ, de ea, quæ levioris momenti est, solummodò mentionem habuerint: in majorem quoque admirationem me traheret id, quòd hæc passio nullum fortita esset nomen, nisi mihi persuaderem ex suprà citatis

auctori-

auctoritatibus & rationibus, non aliud habere nomen, quàm Nyctalopis, seu Noctilupæ; imò magis aptari huic passioni, quàm contrariæ, licèt Manard. *epist. lib.* 8. *epist.* 3. contrarium velit, sed quivis videt
15 Noctilupæ nomen à natura deductum, cui hæc passio magis convenit, quàm quæ ei est opposita.
16 Duas ergò Nyctalopis species esse dicamus, ut ex Medicis Vallesi. *lib.* 4. *Epidem. text.* 118. & inter Iurisconsultos Alciat. *in cit. l. inter stuprum.* §. *eodem.* De hac jam diximus, de alia omnes volunt, & ex hoc
17 legali textu colligitur, quòd sit passio in qua homo, neque matutino, neque vespertino tempore videt. Gal. 2. *Meth. cap.* 1. *class.* 7. & *in lib. de oculi. part.* 6. *c.* 10. Alex. Trall. *lib.* 2. *cap.* 6. Aët. Paul. Avic. & Alb. Magn. *ubi suprà* Raz. 2. *Contin.* Alsahar. *in pract. tract.* 5. *c.* 12. Manard. *Epist. lib.* 7. *Epist.* 3. Rond. *in meth. lib.* 1. *c.* 59. Marcell. Donat. *histor. mirab. lib.* 2. *cap.* 10 Vallesi. *in Epid. lib.* 6. *sect.* 7. *text.* 1. Cæl. Rhod. *lect. Antiq. lib.* 12. *cap.* 5. & omnes alij, ante quos etiam ipse Hipp. idē testatus est 4. *Epid. in fin.* ubi eos, qui nocturna cæcitudine laborabant, Nyctalopes dici tradit.
18 Cùm ergo detur passio, in qua homo interdiu non cernit, noctu maximè, de ea quæret hic aliquis, an faciat redhibitioni locum: ac respondendum, multòmagis ex hac; quàm Nyctalopia communiter acceptâ, locum redhibitioni dari debere, ut quæ majus impedimentum pariat, quàm illa, & fortasse quia nullum circa id dubium intercedere poterat, idcirco de ea Iurisconsultus mentionem non habuit. Ac de ea passione hæc sufficiant, si modò illud admoneamus, eam à Celso *lib.* 6. *suæ Med. cap.* 6. vocari oculorum imbecillitatem, nimis communi vocabulo & improprio, à Plinio verò *lib.* 23. *cap.* 7. & *lib.* 28. *cap.* 11. nominati lusciriem, & ea affectos, luscitiosos, cujus opinionē videtur secutus Amat. Lusit. *Curat. med. cent.* 5. *cur.* 77. & Marcell. Donat. *ubi suprà:* & Amatus eam Luscitiosam vocat affectionem, sed nomen hoc esse proprium myopiasis, non Nyctalopis, jam demonstratum est.
19 Textus præterea in *l. qui clavum hic.* de oculorum
20 prominentia verba faciens, sanos esse dixit eos, quibus oculi prominent cùm tamen oculorum prominentia duplex existat, vidēdum, de qua intelligat Iurisconsultus. Est enim quædam oculorum prominentia, Græcis Ecpiesmos dicta, Latinis verò modo oculi expressio, modò oculi exitus, modo procidentia (licet oculi procidentiam Paul. *lib* 3. *cap.* 22. quam Proptosim dici Græcis tradit, diversum quid faciat ab Ecpiesmo) quæ & à morbosis causis fit, & maximè morbosa est: de hac Paul. *ubi proximè*, Aët. *Serm.* 3. *cap.* 35. Avic. 3. 7. *tract.* 6. *cap.* 30. Alsah. *in tract.* 4. *sect.* 4. *cap.* 3. & ex recentioribus Foresti. *Observ. lib.* 11. *Observ.* 40. In hac passione, vel ex dolore, vel ex aliquo conatu, ut in partu laborioso, vel aliis ex causis, quas prædicti Auctores enumerant; oculi ad extra prosilire, & extra frontem prorvere, & in terram cadere videntur. In lippitudine quoque oculi prominent, ac tument, ut notum est, unde Plaut. *in Mil. Glor. in act.* 4. *scen.* 3.

Cubare in navi lippam, atque oculis turgidis;
Nauclerus dixit, qui illas advexit mihi.

Hæ igitur, & his similes, oculorum prominentiæ accidentariæ sunt, & à morbo, vel morbosa causa fiunt; sed est quædam prominentia non à morbo, sed à natura causata, ut lippis ipsis notum est. Iurisconsultum ergo non de priori; sed de hac posteriori intellexisse certum est; quia licet tradiderint doctissimi
21 viri (quod etiam quotidiana experientia edocet) oculos prominentes minùs videre, quàm intus conditos, Arist. 1. *de hist. Anim. cap.* 10. & 5. *de Gener. cor. cap.* 1. Galen. *in lib. Quod Anim. mor. cap.* 7. qui & 1. Arist. locum affert. Alb. Magn. 19 *de Animal.* Vgo Senens. *in Gal. Tegni lib.* 2. *part.* 60. Gord. *in l. part.* 3. *rub.* 3. *cap.* 6. Montalt. *Optic. lib.* 2. *cap.* 8. & Cæl. Rhodig. *lect. Antiq. lib.* 3. *cap.* 28. tamen quia hoc impedimentum non magnum est, idcirco ii, qui Naturâ prominentes oculos habent, redhiberi non debent; 22
præterquam quòd, si aliquod hîc peccatum adesset ementi jam illud satis superque notum esse potest.

Portò cùm Vlpianus hîc etiam de Strabone meminerit, eum pro sano pronuncians, ejus nominis occasione dicendum occurrit, utrùm omnis strabismus, vel strabositas ita innocua sit, ut rectè quivis strabo pro sano pronunciari possit: sciendum enim 23
quòd tametsi strabones in communi loquendi modo ii solummodò dicantur, quibus ex humoris crystallini perversione oculus ad dextram, vel ad sinistram partem cum tortuositate, & invenustate quadam declinat (aliàs enim si leviter id fiat, & cum venustate, tunc Pæti dicuntur, qualem fuisse Venerem fabulantur, teste Cæl. Rhod. *lib.* 4. *cap.* 19.) tamen 24
strabismus sit etiam ex ejusdem humoris elevatione, vel depressione à suo naturali loco, ut tradit Galen. 1. *de simpt. caus. cap.* 2. *class.* 3. &, quod multò magis attendendum duco, illud est, quòd in strabismo, qui fit ex ejus humoris declinatione ad dextram, vel ad sinistram, parum, vel nihil incommodi percipi solet; in aliis verò, res quæ oculis objiciuntur, geminæ videntur, ut idem Gal. *ibid.* tradit, & Avic. *sen.* 3. *tract.* 2. *cap.* 28. cujus symptomatis causam vide apud Arist. *probl. sect.* 31. *probl.* 11. relat per Mercurial. *ubi sæpè*, & apud Alexand. *lib.* 1. *problem.* 125. Montalt. *Opt. lib.* 3. *art.* 4. Timpler. *in Opt. syst. lib.* 1. *cap.* 1. *probl.* 7. Fit, præter causas ab iis enarratas, etiam ex ebrietate, unde Nicand. *in Alexiph.*

—— *Apparet geminum quodcunque videtur.*
Sicut nocte solent, qui vina bibēre meraca.

Et Iuvenal. *sat.* 6.

—— *Cùm jam vertigine testum*
Ambulat, & geminis exurgit mensa lucernis.

Vnde facetè Cæsar Corporalis *in vita Mecœnatis cap.* 4. dicebat, de affluentia qua vivebant tunc temporis portæ.

Anzi le cazze Masliche, e falerne
Gli vichucean à cal, che parea à tuti.
Ch'una lucerna fosse due lucerne.

Imò etiam datâ operâ interdū, & oculis manu suppositā, nervoque visorio elevato, vel depresso, ea rerum geminatio apparet, quod Gal. ipse dicebat *lib. eod.* & Lucr. notavit *lib.* 4. dicens:

At si fortè oculo manus uni subdita subter
Pressit, cum quodam sensu fit, uti videantur
Omnia, que tuimur fieri tum bina tuendo:
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas ædes geminare supellex:
Et duplices hominum facies, & corpora bina.

Hæc igitur affectio videtur aliquâ consideratione digna: ego enim cùm hominē curarem, qui ex dexteræ partis paralysi in hoc symptoma inciderat, notavi illum maximū ex eo impedimentum percipere, quippe qui non illico assequebatur manibus tangendo, id quod oculis videre putabat, nam interea falsam rei imaginem secutus, rem apprehendere statim non poterat, ita ut cogeretur, cùm quid operosum præstare vellet, alterum ex oculis claudere: & similem casum narrat Marc. Donat. *lib.* 2. *hist. mir. c.* 8. Tamen crediderim, non esse tale hoc visionis impedimentum, ut illius causa locus redhibitioni dari debeat.

Obiter autem hîc, quid interfit inter strabositatem,

tem,& limitatem videndum. Limis ergo oculis aſpicere, videtur id eſſe, quod vulgò dicimus, *guardar loti, occhio,* vel rectiùs,*guardar con la coda dell occhio.* Plaut. *in Mil. Glor. Act.* 4. *Scen.* 6.

Aſpice limis oculis,ne illi ſe videre non ſentiant.

Alij tamen potiùs transverſis oculis intueri dicunt, unde eſt,quòd per limitatem transverti,ac depravari oculos hominibus accidat: cujus rei cauſam quærebat Ariſt.*probl.ſect.*3.*probl.* 28. quod pueris præcipuè accidere conſuevit,cùm ex transverſo lumen,vel aliud qui ſæpius aſpicere conantur, vel ſtrabones facili negotio efficiuntur. In hoc ſenſu acceptum à Plat. *in Criton.ſeu de eo quod agend. eſt* in iis verbis: *Et omnes quibus cura eſt patria, aſpicient limis te oculis, corruptorum legum exiſtimantes*; limitas ergo eſt oculorum transverſitas ſpontanea,ſtrabositas transverſio eorundem coacta, ac perpetua.

Reliquum eſt,ut breviter de quibusdam aliis viſionis,&oculorum vitiis aliquid dicamus,de quibus Iuriſconſulti non memineruntjac præſertim de iis, quæ majorem dubitationem inferre poſſent: cætera enim, in quibus nulla hæſitatio intercedere poteſt, libēs omittam,ut eſt viſus obſcuritas,ſeu totalis ablatio,Græcis Amauroſis dicta, quibusdam Latinobarbaris Gutta ſerena,ſuffuſio,Græcis Hypochyma vulgo cataracta appellata, Albugo, ſeu nebula, vel nubecula,Græcis Nepheliæ,vel Leucomata vocata lippitudo. Græcis Ophthalmia, & alia hujusmodi, quæ quoniam inſigniter viſionem lædunt, jure hominem jumentaque morboſa reddunt,&quæ ex ea cauſa redhiberi poſſunt, ex hujus edicti diſpoſitione, ſicuti & alia, quæ ob eorum levitatem nullius conſiderationis eſſe videntur, de quibus omnibus diligentiſſimè Arabes omnes pertractant;in ea enim re multo quàm Græci & Latini diligentiores extitere.(Conjung. *Plempij* Ophthalmogr.)

Tria ergo tantummodo vitia in medium adducam, quæ maximè dubium excitare poſſent, nimirum Pupillæ conſtrictionem, ſeu diminutionem, Græcis phthiſim,& atrophiam pupillæ dictam,aliis Latinis pupillæ tabem,viſus debilitatem,Ambloypiam vocant Græci,& glaucedinem, ſeu glaucoſim,
27 quæ glaucoma illis appellatur. Et primo, Pupillæ imminutio non videretur facere hominem morboſum,quia ut Paulo,Aëtio,aliisq;quos adducit Mercurial.*in prælect.de morb.ocul. cap.*8.(licet illis contrarius exiſtat)in pupillæ cōſtrictione viſibilia objecta majora videntur, quàm ſint,nam pupilla anguſtior viſum acutiſſimum efficit. Galen. *loco citato. primo de ſymptom.cauſ. cap.*2.*& lib.de ocul. cap.*8. *part.*4. *claſſ.*7.
28 non modò ergo morboſa non eſt Pupillæ imminutiò,ſed maximè confert ad oculorum operationem.
29 Veruntamen ſi diſtinguamus inter pupillæ naturalem & adventitiam ac morboſam conſtrictionem: ejus rei veritatem facilè inveniemus;ſiquidem Gal. de naturali loquitur,nam adventitiam&morboſam viſui incōmodare ipſe idem Gal.*ibid.*tradit, non ex
30 ſe,ut *loco citato*, de oculis ille dicit,ſed propter cauſam, ex qua pupilla anguſtior fit: imò 1 *de ſymptom. cauſ. vbi ſuprà*, moleſtiorem voluit eſſe pupillæ anguſtiam adventitiam,quàm dilatationem, licet affectus is,quem Græci Mydriaſim dicunt,maximè viſum impediat,etiamſi naturalis ſit,ut ex ipſo &aliis patere poteſt.

Præterea ex viſus debilitate non videbatur ſervus in redhibitione eſſe,quia lex hic non attēdit quodcunque membri, actionisque impedimentum, ſed inſignem læſionem; itaque dicendum eſſet, non quācumque viſus debilitatem, ſed inſignem, dare redhibitioni locum.

Res tamen aliter decernenda eſt:nam ſi viſus aliquo ex morbo debilitetur,jam hæc debilitas via eſt ad totalem viſus ablationem,& cæcitatem;quamobrē niſi modica valde ſit,& naturalis,non verò adventitia,ex ea redhiberi ſervusabſque dubio poterit

Denique idem dubium de glaucedine intercedere poſſet,quæ viſus obſcuritas eſt ex humoris cryſtallini craſitie, unde glaucomam ob oculos objicere, quaſi proverbio dicitur,hoc eſt hominem fallere ac decipere.Plaut.*in Milit.Glor.Act.*2.*Scen.*1.

Et nos factitiis fraibricis,ac doctis dolis
Glaucomam ob oculos obiicjemus

Dicendum verò idem prorſus in hoc caſu, quod in ſuperiori jam dictum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Qui aliquo dente caret,non eſt morboſus.*
2 *Cui plures dentes deſunt,morboſus eſt*
3 *Dentes homini maximè ex uſu ſunt.*
4 *Ruminantia ſolis inferioribus dentibus dotata.*
5 *Edentulus redhiberi debet.*
6 *Dentium in maſticatione non eſt idem uſus.n.ſeq.*
8 *Pueri edentuli, quo tempore morboſi dici poſſint.*
9 *Septennis cùm ſit,nondum ediāit dentes, proverbium*
10 *Dentes in quibus peccent.*
11 *Is,cui os olet,an ſit morboſus,& vide num.*13.
12 *Pro hircoſo quid intellexerit textus.*
14 *Si os aliqui oleat ex dentis corruptione, an redhibendus.*
15 *Antiadas habens,an ſit morboſus.*
16 *Antiades non ſunt tumores veluti ſcrophulæ.*
17 *Antiadas habens, ſi ex iis reconvaluerit, non poteſt redhiberiſcrophulas habens.poteſt.*
18 *Gutturoſi oculisque prominentibus,ſani.*
19 *Guttur quid.*
20 *Gutturoſi qui dicantur.*
21 *Gutturoſi ex tumore frigido generis, an redhibendi.*

De oris fœditate,edentulis, gutturoſis,& antiadas habentibus.

QVÆSTIO XI.

Ad l. Qui Clavum. §. Is cui os olet & §.ſi qui.ad l. Quæritur.§.ſi quis Antiadas. ad l.Cui dens.

TAmetſi rectè determinaverit Iurisperitus hìc in *l.Cui dens* eum,qui dente aliquo caret, non eſſe 1
morboſum, controverti tamen poteſt,an is, cui plures dentes deſunt,morboſus dici debeat,& ex quo- 2
rum præcipuè amiſſione magis læderetur.

Dentes enim homini maximè ex uſu ſunt,non ſolùm ad atterendos cibos, ſed etiam ad loquelam 3
concinnandam,ad ſapores diſtinguendos,& ad alia, ut Gal.docet 16.*de uſu part. cap.*2.& Veſal.*lib.*1.*Fabr. cap.*11. præcipuum verò eorum munus eſſe, ut ſolidos cibos atterant, quò facilius à ſtomacho concoqui valeant, omnibus in confeſſo eſt; abſque tali enim ciborum attritione ſtomachus plurimùm in concoctione laboraret,& animal in pleroſque morbos facili negotio laberetur; quamobrem rectè provida natura,quæ nonnulla animantia ſolis inferioribus dentibus dotaverat, ſuperiores denegans, 4
ea ruminare voluit,hoc eſt,jam ingeſtum cibum,qui ex ſuperiorum dentium defectu non potuerat, ut neceſſe erat, conteri, denuò in os revocare, ac nova maſticatione confidere,pluribus ventriculis ad eam rem dicatis,ut docent Ariſt.*in lib. de hiſt. Anim.& lib. 3. de Anim. cap.* 14. Gal. *in Hipp. de Articul. comm.* 1. *text.*28.& Æmilian.*in hiſt.de Rumin.ſunt.*2.

Ergo cùm ex defectu dentium maximum incommodum homo conſecuturus ſit jure merito dici poſſet, edentulum redhiberi debere, hoc eſt,

qui

qui vel omnibus,vel pluribus dentibus caret ; nam idcirco tales ſervi reſpuuntur ab Halyabb. *lib.* 1. *Theor. cap.* 23.

6 Dentium tamen non omnium in maſticatione,& aliis muneribus idem uſus, ut docet Gal. *cit. lib. de uſu part.* & Anatomici omnes , Veſal.*ubi ſuprà* , Columb. *lib. cap.* 10. Laur.*lib.* 2.*cap* 21. & ante eos Ariſt.3.*de part.Anim. cap.* & Cic. *lib.* 2. *de Nat. Deor. tranſ. med.*Inciſorij enim , hoc eſt,anteriores , ſuperiores quatuor,inferiores totidem , qui cibos dividunt ac incidunt,magis quàm canini , hoc eſt, qui poſt hos utrinque acuti cernuntur,neceſſarij eſſe videntur ; molares verò magis, quàm inciſorij, quia ultima,ac exquiſita attritione cibos molant , quod vel levi negotio, abſq; inciſoriorum opera præſta-
7 re poſſent; quamobrem in maſticationis uſu magis morboſus dicendus eſſet is , qui molaribus , quam qui cæteris careret,contrà in uſu loquelæ: anterio-
8 res enim ad hunc uſum magis conferre palam eſt,ut prædicti omnes fatentur Sed quæritur : Pueri ſi edentuli permaneant, ad quodnam uſque tempus pro morboſis nobis habendi : jam enim eadem lex, *cui dens* pueros,antequam dentes emittant,morbo-
9 ſos non eſſe firmat.Dicendum, terminum dentitionis in pueris eſſe ſeptimum annum,ut Hipp.teſtatur *in lib.de Carnib.* & Ariſt.& patet ex Paræmia illa *Septennis cùm ſit,nondum edidit dentes*;quæ in fatuos, & tardi ingenij viros dicebatur. Ergo ex termino tranſacto,pueri edentuli morboſi ad hunc effectum dicendi.

Dentes porrò , præterquam quòd aliquando decidunt, ſolent etiam in aliis quibusdam peccare,ut quando extra os prominent , quando ſuperfluunt,
10 quando dolent,quando corrumpuntur : ſed neque cùm ſuperfluunt, neque cùm prominent,unà demptâ oris decentiâ, ullum in ſe vitium habent ; at ſi corrumpantur, tunc & oris fœtorem, de quo infrà, & maximos aliquando dolores excitare poſſunt. Quin etiam ſi abſque eo,quòd corrumpantur, ſæpè doleant,& ex levi cauſa, & frequenter,fortaſſe,non injuriâ redhibitioni cauſam darem : nam dentium dolor eſt inter omnes acutiſſimus & maximis tormentis adæquandus,ut Celſus teſtatur *lib.* 2. *cap.*9. ex quo ex Iurisconſultis repetit Tiraq. *de leg.connub. lib.*15.*num.* 43.adeò enim acerbus eſt,ut ex eo homo interdum inſanire videtur, ut teſtatur Alex.Bened. *lib.* 6. *ſuæ pract. cap.* 4. qui etiam ſolum hominem dentium cruciatu vexari tradit.

11 De eo,cui os olet,diſtinguit Text.hic *in l.Qui clavum* §.*Is cui os*, quòd ſi ex illuvie , hoc eſt oris immunditie, ſeu potiùs ex ciborum multorum ingeſtione,eorundemque indigeſtione id evenìat, mor-
12 boſus dici non debeat;ſi verò ex hepatis,vel pulmonis vitio , maximè. Ibidem verò hircoſum non eſſe morboſum voluit , pro hircoſo, non tantum illum, cui os,ſed cui alæ, inguina,pedes , vel alia quævis corporis pars malè olet , velut hircus,ut Gloſſ.*ibid.* atque idem eſt hircoſus , ac malè olens. Plaut. *in Mercat. Act.* 3. *Scen.* 3.

Quum ſis ætatis plenus , anima fœtida.
Senex hircoſus tu oſculere mulierem ?
Utine ei adveniens vomitum excutias mulieri?

unde Centuriones,eo quod ob ſudorem ex labore in exercitu malè olebant, hircoſi à Perſio appellati, *Sat* .3.

Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum.

Horat.*in Epod. Od.*2,

Polypus an gravis hirſutis cubet hircus in alis.

Et *lib.*1.*ſerm.ſat.* 2. & *lib.* 2.*ſat.* 4.

Paſtillos Ruſſillus olet, Gorgonius hircum.

Dicendum mihi videtur , quòd tametſi Legumpetitus omnia hæc rectè determinaverit, egerant tamẽ declaratione ejus verba , nimirum , quod idcirco morboſum non ſit,os alicui olere,quia hoc ex illuvie non ſolet nonnullis accidere ; ergo ſiquidem id ex oris illuvie accidat,verum quidem id eſt,ſed aliquando ſunt, quibus cibus in ſtomacho corrumpatur,unde oris fœdus odor emanat;in quo caſu licèt 13
ex oris illuvie illud dici poſſet eſſe; tamen pro non morboſo hic nunquam eſſet pronunciandus , cùm majus ſubſit vitium,ex quo oris malus odór enaſcitur , quod non facile etiam emendari poteſt . unde maximè ad hæc animum advertit Halyabb. in eligendis ſervis,*lib.*2.*Theor.cap.*23.Sed quid ſi ex dentis 14
corruptione id eveniat?Hoc non habet tale in ſe vitium,ut non poſſet facilè amoveri:idcirco non redhibitur ſervus ex hac cauſa , niſi multos haberet dentes corruptos.

In dubium præterea revocat I C.an is,qui Antiadas habet;morboſus ſit,ac eam rem conditionaliter 15
decidit,nimirum quòd ſi Antiades ſint inveterati, & qui facilè diſcuti non poſſint faucium tumores, antiades habens vitioſus ſit. Ac profectò antiades nihil aliud eſſe,patet auctoritate Gal.3.*de ſympt,cauſ. cap.*4.*claſſ.*3. Paul. *lib.*3. *cap.*26. *& lib.*6. *cap.*35. Aet. *ſerm.*8.*cap.*48.Card.3. *Aphor.* 26. quod etiam ex I C. notat Alciat.*Praetermiſſ.* 1. & Bud. *in Pand.in l.Quaeritur.*§.*ſi quis Antiadas hic.* Non tamen ſunt tumores 16
hi velut ſcrophulæ,ut Gloſſ.hic voluit , imò multò differunt & in loco,& in materia, & in modo affligendi,& in curationis difficultate, & in aliis. In loco , quia antiades ſunt tumores tonſillarum , ſeu glandularum utrinque in faucibus exiſtentium,quæ & ipſæ Antiades vocantur,&vice verſa hi tumores appellantur Tonſillæ,vide Cæl.Rhod.*lib.*4.*lect. antiq.c.* 2.Scrophulæ verò ſunt tumores glandularum in univerſo corpore,ſed præſertim in collo exiſtentium.In materia differunt,quia Antiades ex quacũque fluente materia intumeſcunt , ſcrophulæ nonniſi à materia maximè frigida,& craſſa.Differunt in modo affligẽdi,quia antiades reſpirationi, loquelæ, deglutioni obſunt,ſchrophulæ nequaquam. Antiades tumores ſimplices exiſtunt , ſinguli in ſingulis tõſillis, ſcrophulæ verò in dies propagari,ac multiplicari conſueverunt,&ea de re ſcrophulæ appellãtur , quia veluti ſcrophæ plures fœtus gignere videntur.In curatione denique differunt,quia Antiades multò faciliùs curantur,quàm ſcrophulæ,& ſemel curatæ,non ita de facili revertuntur;ſcrophulæ difficiliùs curantur,& facili negotio repullulant:illæ denique internæ ſunt; hæ autẽ externæ,in collo apparentes.Ex quibus ſequitur,quòd Antiades habens,ſi ex iis convaluerit, redhiberi non poſſit ; in hoc enim caſu intrat lex:*Quod ita ſanatum hic*,ut habens ſcrophulas,etiamſi ex iis ſanatus videatur,redhiberi tamen poſſit ex diſpoſitione. *l. Qui Tertiana* 17
hic , cùm facillimè revertantur.

Et quia de faucibus & gutture mentio incidit,videamus quos intellexerit Textus pro Gutturoſis, 18
cùm dixit,Gutturoſos,oculisque prominentibus ſa- 19
nos eſſe;omnibus autem notum eſt, guttur dici caput aſperæ arteriæ, quod aliquando in quibusdam ita prominet, viris præſertim,ut pomũ aliquod ibi prominere videatur ; hi ergo guttutoſi dicuntur. Hoc autem vitium ſæpius à natura eſt,ſed aliquando etiam ex gibboſitate,& vitio vertebrarum colli nonnullis accidit , ut tradit Hipp.*in lib.de Artic.* & ibi Gal.*in comm.* 3. *text.* 8. & priores ſanos eſſe verum eſt,de quibus textus loquitur, poſteriores nequaquam . Alij præterea gutturoſi ſunt , quibus

tumor

tumor frigidus in gula,vel gutture enaſcitur, quod pleriſque populis ex potu aquarũ vitioſarum evenit,ut teſtatur Bruyer *de recib.lib.1.cap.*20.Bacc.*lib.* 1. *de Therm. cap.*6. 7.*& lib.*6. *cap.* 26. ac præſertim inter omnes afficiuntur hoc vitio in Alpibus degentes,unde Juvenal. *Sat.* 13. 12

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? 13

Et de ſimilium aquarum vitio meminit inter Juriſconſultos Ripa *tract.de peſt.part. de remed. num.* 15. Maſcard.*de probat.Concluſ.*122. *num.*1.*&* ex Medicis item Scalig.*exerc.*6.*ad Card. de ſubtil.*

Hi ergo an ſint redhibendi,ſi quis interroget,negativè reſponderem; nam præter deformitatem incommodi, parum aut nihil habent, præterquàm quòd vitium tale oculis ementis facilè ſubjicitur.

SUMMARIUM.

1 *Vari,& Vatij qui,ex Gloſ.*
2 *Blæſus dicitur is,qui pedum imbecillitate laborat.*
3 *Vari propriè qui contr.num.*5.
4 *Vatij qui contrarium num. ſeq.*
6 *Blæſa crura,qua dicantur.*
7 *Blæſi dicuntur,quibus crura extrà obtorta ſunt.*
8 *Rhabi qui apud Galenum.*
9 *Vari minùs,Valgi magis incommodantur in ſtando.*
10 *Valgi redhiberi debent.*
11 *Claudorum diverſa genera.*
12 *Redhibitio locum habet,ubi apparet inſignit læſio.*
13 *Claudi ſunt malorum morum.*
14 *Varicoſus ſanus non eſt.*
15 *Varix quid.*

De Varis, & Vatiis, & Claudis,& Varicoſis.

QUÆSTIO XII.

Ad l. Item Offilius, §. Quæſitum, l. Qui clavum. §. 1. *l. Item Claudus, & l. Varicoſus.*

DE his omnibus eo nomine agere deliberavi, quia non omnes eodem incommodo ex claudicatione,&crurum vel pedum diſtorſione afficiuntur, ut videbimus, ſi modo antè declarabimus, quinam ſint *Vari* & *Vatij*, nam Claudi cuique noti ſunt.Gloſſ.hîc varum,& Vatium dixit eſſe nomina eorum,qui in loquela impediuntur: varumque dici à veritate ſermonis,eo quod infinitate ſermonis infinita verba effundat:abſque ulla ſignificatione, & cùm multa confuſione,vatium verò eum eſſe voluit qui nimis citò,ac properè loquitur, ita ut ob ipſius ſermonis celeritatem minùs explicitè verba proferat. Ego ſimilem horum nominum ſignificationem nunquam apud alium quenquam reperire potui. Gloſſa fortè ex eo, quòd videret textum unà cum cæteris loquelæ vitiis, etiam hæc attuliſſe,decepta eſt, nec mirum eſſet, quòd quemadmodum blæſus dicitur is,qui pedum imbecillitate laborat,quâ affici Æthiopes,& Ægyptios tradit Ariſt.14.*problem.*4. & cui etiam obnoxios ſpadones facit Alex. *lib.* 2. *probl.* 25. & blæſus per comparationem quandam dicitur quoque is,cui lingua imbecilla eſt;ita ut minus expeditè eam moderari poſſit,eidem Ariſt.*l.*11. *probl.*30. ſimili etiam ratione Varus, & Vatius dici poſſit,per eandem comparationem,is qui vel nimis propere,vel nimis implicitè loquitur,ac ſi linguam obtortam haberet,ex qua in loquendo erret. 1 2

In propria verò, ac communiori ſignificatione Vari dicuntur,quibus pedes,vel crura intrà inflexa, & obtorta ſunt, Vatij verò,qui & valgi appellantur quibus extrà,Fernel. *Pathol.lib.*1.*cap.*8. Paræus *l.* 22 *cap.* 11. quanquam Hipp. *lib. de Artic. & ibi* Gal. *in comm.*3. *text.* 83. contrarium ſanè affirmant, nimirum varos eſſe,quibus extrà,valgos,quibus intrò crura vel pedes inflectũtur.Crediderim ego utrumque nomen,utrique vitio eſſe commune,teſtimonio 3 4 5

Gal.*loc. cit.*qui Vari nomine quamlibet depravationem ex aliquorum opinione ſignificari docet, quod videtur non admodum alienum ab ipſius Hipp. mente,qui *in lib.de off. Med. in fin.* Vara eſſe firmavit in alteram partem inclinantia;nec abſque ratione id firmatum eſt,cùm tam Varum,quàm Valgum, aut Vatium,obtortum ſignificent, & de Valgo quidem exſtat Plauti teſtimonũ *in Mil.Glorioſ. Act.*2. *Scen.* 1.

Itaque hic meretrices labiis dum ductant eum,
Majorem partem videas valgis ſuaviis.

hoc eſt,obtortis,& obliquis oculis,&de Varo apud Perſ.*Sat.*4.

—— *Vel cùm ſallit pede regula Varo.*

hoc eſt,pede non recto,ſed obtorto,de utroque autem Plautus *ubi ſuprà Act.*3.*Scen.* 1. in proprio ſenſu accepto meminit his carminibus.

Metuerem ne ibi defregiſſe crura aut cervices ſibi.
Ea mihi inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut Varum,aut Valgum,aut compernem, aut patum, aut brochum.

ſic & Horatius de Varo in proprio ſenſu *l.*1.*Sermon. Sat.*6.

Hunc Varum diſtortis cruribus.

Segarra *in* 2. *Gal.de Temperam.* crura in exteriora diſtorta blæſa vocavit, cùm tamẽ ex *locis ſuprà citatis* pateat,blæſa crura dici, quæ imbecillitate laborant,ita ut ſtare,aut firmiter ambulare non poſſint. Cæl.idem Rhod. *lect. Antiq. lib.*4. *cap.*11. ex Polluce tradit, blæſos dici eos, quibus crura extra obtorta ſunt,hoc eſt,quos Vatios communiter nominamus; ſed&idem Cæl.Varos Rhæbos appellari auctor eſt. Gal.autem Rhæbos vocari tradit, qui naturaliter curvis ſunt cruribus,&hoc vitium conferre ad majorem pedum ſtabilitatem dicebat *loc. cit. de Artic.* Utcunque tamẽ ſit, relictâ tam exquiſitâ nominum inquiſitione, notandum venit, quòd quamvis Legumperitus in *cit l.Item Offilius*, abſolutè Varum, & Vatium pro ſanis pronuntiaverit, non deeſt tamen difficultati locus.Vara enim crura ſicuti non ſemper uno modo fiunt,ut *cit. lib.de Artic. tranſ. med.* docet Hipp. ita non uno ſemper modo incommodant deambulationi:quin aliqui inſigniter afficiuntur, alij verò admodum leviter,unde patet priores quidem redhiberi poſſe,poſteriores verò nequaquam. 6 7 8

Accedit etiam generica quædam differentia inter Varos, & Valgos, nam ex eodem Hipp. *ibid. in fin.& lib.de offib.per molit.impell.* habemus,quòd quibus in interiorem partem excidit(genu,cubiti gibbus)ii Valgi magis evadunt, exterioribus autem partibus imminuuntur: quibus autem exteriorem in partem excidit,ii Vari magis,claudi minùs efficiuntur; quin etiam ex luxatione ad malleolum contingente,eos quibus in exteriorem partem excidit varos fieri tradit: ſed tales ſtare poſſe affirmat;contra verò eos,quibus in interiorem partem articulus prolabitur,Valgos effici dicit, minùs autem ſtare poſſe; cui ſententiæ ſubſcribit Galenus, qui Valgos deteriùs ſtare docet, neque poſſe celeriter currere,& parvo momento, ac levi ex cauſa cadere. 9

Cùm ergo in Valgis inſignis læſio appareat, non video cur redhiberi non debeant; niſi dicatur tales oblæſiones oculis ementis ſubjici; & occultari vix poſſe, non ergo facere locum redhibitioni ex hac menſa.Eadem dubitatio defatigare nos poſſet circa claudos,cùm quotidiana experientia doceat,claudicandi mille eſſe modos,&in aliquibus quidem leviter, in aliis mediocriter, in cæteris autem inſigniter hominem lædi,ut *cit.lib.*docet idem Hipp.ſunt enim ex claudis,qui abſq; fulcris ambulare minimè poſ- 10 11

ſunt;

ſunt ; alij , qui baculo greſſus ſuſtinentes facilè inambulent ; alij denique,qui abſque fulcris , & baculo ambulent quidem,ſed tamen in hanc,aut illam partem pendeant:ex iis qui fulcris indigẽt, alij uno ſunt contenti, alij duo requirunt , alij præter fulcra etiam baculo ſuſtinere greſſus coguntur , aliter proni in faciem ruituri, ex iis ipſis alij utroq; pede claudicant,alij nõniſi altero,& ex iis poſtremis,alij læſum pedem in terram firmant,alij ſuſpenſum deferunt;ex illis,qui ſine fulcris,& baculo ambulant, alij modicè,&non admodum indecenter , alij verò inſegniter,ac turpiter claudicant, ut idem Hipp.dicebat,& ex poſterioribus aliqui ad inguina curvati incedunt,&alterum poplitem inflectunt, ima pedis planta vix terram attingentes,manuq;crus prehendere ambulantes coguntur,alij pedem,& latus uni-
12 verſum cõtorquent,&ex prioribus.alij ſumma pedis plantâ,alij ſummo calcaneo incedunt,& ut uno verbo dicam , infinitæ propemodum ſunt claudicandæ rationes.In quibus omnibus ſervatâ univerſali regulâ de qua *in l.Ob quæ vitia.§.Idem ait*, nimirum quod redhibitio locum habeat,ubi inſignis læſio appareat,aptiſſimè de particularibus judicare quilibet poterit, & hunc pro morboſo , illum pro ſano pronuntiare,non obſtante textu hujus *l. idem claudus*.de quo hic

13 Illud unum,quanquam præter rem,non omittam, claudis omnibus commune eſſe , ut malorum morum ſint,ſicuti&gibbis,ſtrabonibus,& aliis,de quibus Card.*Apb* 31.quod Iuriſconſulti, in quavis corporis deformitate habere locum,tradunt. Pariſ. *de reſign.benef.lib.5.q.6.n.*35.& inter Medicos Lemn. *de occult.nat.mir.lib.2.c.*26.apud quem,ſi libet , cauſam requirere potes , quam habes etiam apud jam citatum Card.*lib.* 12.*de ſubtil.non longè à fin.*

14 Rectè tandem determinavit lex , Varicoſum ſanum non eſſe;ſed ineptè Gloſſ. varicoſum interpretatur,qui modò huc,modò illuc veluti ſtultus ambulat:licèt de hinc addat:vel eſt ægritudo tibiarum quæ dicitur varix;at neque ſic explicat,quid ſit;eſt ergo varix vena tumens ac dilatata ex luxuriante
15 craſſo,ac melancholico ſanguine in cruribus,& coxis præcipuè , aliquando etiam circa teſtes,& alib. Aët.*ſerm.*14.*c.* 84.Paræ.*l.*11.*c.*20. Hier.Fabr. *in Pent. chir. lib.*1.*c.*4.*& alij.* Hoc morbo laboravit Cic. ut elicitur ex Cavillo Vatinij in illum,de quoMacrob. *Satur. lib.*7.*c.*6.

SUMMARIUM.

1 *Mortuos Pariens,an ſit morboſa,dic ut num.*4.
2 *Textus explanatio de mortuo pariente.*
3 *Pro mortuo habetur,qui vivere non poteſt.*
5 *Mortuos pariens in periculo eſt.*
6 *Prægnans ſana eſt.*
7 *Prægnantia eſt res naturalis.*
8 *Mulier ad hoc nata eſt,ut generet.*
9 *Cur.IC.deſideret prægnante maximè ſanam,& n.ſeq.*
11. *Prægnans ſi morbo non cognato laboret,perit in partu*
12 *Leves quoque morbi in prægnante conſiderandi.*
13 *Puerpera,an ſana ſit,& num.* 17.
14 *Puerperium eſt actio naturalis.*
15 *Puerpera,quæ laboravit in partu,an ſana ſit dicenda*
16 *Puerpera,ſi in Puerperio febre corripiatur, an redhibenda.*
18 *Puerpera ex abortu,an ſit ſana.*
19 *Sterilis,an ſana ſit,dic ut num.* 22.
20 *Præcipuum munus fœminarum eſt concipere.*
21 *Sterilis nullo modo concipit.*
23 *Atreta ſeu imperforata,an ſit ſana.dic ut num. ſeq.*
25 *Quæ bis in menſe purgatur,ſana non eſt.*
26 *Morboſa non eſt,quæ per ætatem non purgatur.*
27 *Quo tempore mulieribus purgationes eant.*

De Prægnante,& Puerpera,de Pariente mortuos,de ſterili,& arcta,de ea,quæ bis in menſe purgatur.

QUÆSTIO XIII.

Ad l.Quæritur.§. 1.2.*&* 3.*&* §.*Mulierem,& l.Quæ bis in menſe.*

IN hac quæſtione , de iis quæ propriè ad ſolas 1
mulieres pertinent,agemus,ac proponitur mulier primò , quæ *ſemper mortuos parit* , definiturque, quòd ſi hoc ex vulvæ vitio accidat,morboſa dicẽda ſit.In qua re notandum venit , textum non ſolùm 2
intelligi debere de ea, quæ octo mortuos parit debito tempore,ut nono aut decimo menſe,ſed etiam de ea , quæ quocunque modo abortum ſemper faceret,fœtusque etiam vivos abortiret,ita tamen vivos,vt longè vivere nullo modo poſſint; tunc enim 3
intrat regula illa,quod pro mortuo habetur,qui vivere non poteſt. Afflict. *deciſ.* 236. *num.* 4.& ex Medicis Curtius *in ſententia de Septim. part.* quos adduxi aliàs *lib.*1.*harum quæſt.tit.* 2. *quæſt.* 2. *num.*23. quod nobili cuidam mulieri jam multoties evenit hæc enim cùm juvencula rectè bis aut ter peperiſſet , dehinc vigeſies ac ſepties abortivit quadrimeſtris,vel quinquemeſtris ut plurimùm, aliàs autem bimeſtris aut trimeſtris. Notandum præterea , ſuperfluum fuiſſe , Iuriſperitum hic conditionaliter loqui;dicendo , ſi hoc vulvæ vitio contingat, hanc morboſam eſſe,nam ex cujusvis partis vitio ſuccedat , fœmina morboſa eſt ; ſimpliciter ergo dicas, Mulierem , quæ ſemper mortuos parit, morboſam 4
maximè eſſe;niſi ex externa cauſa id fieret,ut ex labore,ex percuſſione,& ex quacunque procatarctica cauſa.Non modò autem reſpectu prolis hæc redhiberi poſſet,quia eo ſine orbatur, ad quem nata eſt, 5
ſed etiam mortuos pariens in maximo diſcrimine poſita eſt,ut ſatis ſuperque novimus Medici,& notat Avic.21.3.*tract.*2.*cap.*20.*& ſeqq.*

Secundo loco textus de prægnante meminit, 6
quam abſolutè ſanam eſſe dicit : etenim ut rectè, Gloſſ.hîc,non ex eo,quòd prægnans mulier ſit,judicatur morboſa , quia prægnantia res eſt maxi- 7
mè naturalis, & mulier ad hoc nata eſt , ut generet : quemadmodum habetur hîc , & latiùs dixi *lib.* 2.*harum quæſt. tit.* 4. Neque obſtant adducta à Mercurial.ex Vitruvio, & Hipp. *lib.* 3. *variar, lect. cap.*1. quorum primus *lib.* 2. *cap.*8. dicebat , corpora mulicbria,dum gravida eſſent,non præſtari tanquam ſana à venditoribus , in more fuiſſe ; hoc 8
enim ob periculum imminens fiebat.Sed quæri poterat,ad quidnam innuendum à Iuriſconſulto hic appoſita illa cautio eſt,nimirum,quod maximè conveniat prægnantem eſſe ſanam:& num ex unoquoque vitio prægnantem debere dici morboſam velit: Et ad primam interrogationem dicendum,ideò deſiderare Legumperitum prægnantem eſſe ſanam, quia ex occaſione prægnantiæ,ſi mulier ſua natura 9
ſana non ſit,non eſt ab omni diſcrimine tuta,& idcirco non ſolùm in prægnantia, ſed etiam ex ſua natura ſanam eſſe debere vult.

Vel dicamus, quòd ideò deſiderat prægnantem 10
eſſe ſanam,quia ex quocunque morbo prægnanti non familiari mulier laboret,in majore diſcrimine poſita eſt ex prægnantiæ occaſione,quàm ſi eodem morbo extra prægnantiam laboraret : unde eſt, 11
quòd,ut ex Hipp.*lib.* 1,dixi, mulier prægnans morbo non cognato laborans, hoc eſt,ſibi familiari , in partu pereat.

Itaque,ut ex textu elicio,leves quoque morbi in 12
prægnante erunt conſideratione digni,vt levis febricula,quæ aliàs redhibitioni locum non daret, in prægnante fortaſſe dabit , quia eam maximè , hoc eſt , undequaque ſanam eſſe oportet. Adverte

tamen

tamen, prægnantes quasdam in prægnatione solitas quibusdam certis morbis prehendi, de quibus fortasse intelligebat. Hipp. *ubi suprà* : propter quos non fieret redhibitioni locus, ut esset vomitus, inappetentia, macies, dolores renum, pedum tumores,& hujusmodi,concomitantur hæc enim,ut plurimùm prægnantiam, & alia aliis magis ac minus familiaria sunt.

13 Tertio loco de puerpera loquitur Textus,de qua etiam ex cautione determinat Ulpianus,ut sana sit, si modò nihil extrinsecùs accidisset, quod corpus ejus in aliquam valetudinem conjecisset,ex quibus verbis hoc unum innuere voluit, quòd Puerpera quantum ex puerperio est, ex sua natura pro sana judicanda, quia puerperium actio naturalis est,qua
14 partus purgamenta,puerperia&ipsa vocata,ex utero expelluntur,non minùs ac in menstrua purgatione excrementa, quæ menstruatim coadunantur: ergo eadem ratio est de puerpera,quæ de prægnante,cùm utraque ad eundem finem operetur.

Dubitari tamen posset, an partu difficili existente muliere tamen dehinc bene pariente,puerperiis-
15 que naturaliter procedentibus, puerpera sana dicenda sit;Et videtur,quòd non sit sana, quia facilè è laborioso partu(licèt de præsèti nulla læsio appareat) potest puerpera dehinc in febrem, & in alios morbos incidere,ut notum est.

Secundò dubitari potest, utrum si nihil extrinsecùs accidisset, sed undequaque cunctis salvis existentibus, ante absolutum tamen puerperium mulier febre, vel alio morbo corripiatur,
16 redhiberi posset ? & ratio dubitandi est, quia multi Medici existimarunt, nullum morbum evenire in puerperio,qui ex partus, & puerperij ipsius culpa non eveniat,de qua re latiùs *lib.1.harum quæst.*
17 *tit.4.* Dico quòd,cùm in rei veritate, ut etiam per legem hîc notatur,puerpera sana sit,si febre,vel alio morbo, non ex culpa partus, & puerperij corripiatur, redhibenda non sit, tanquam sana à principio non fuisset.

18 Tertiò dubitari posset,an puerpera ex abortu sana dici debeat ? Et dico,quòd nequaquam,quia ex abortu,ut ex difficili partu,facilè mulier in morbũ labi potest,imò habet proximam dispositionem, ut labatur; quamobrem sana non est, etiam ex præscripto naturæ euntibus purgationibus.

19 Succedit quarto loco sterilis,de qua maxima contentio esse posset,ob id quod refert Ulpianus, Cælium ex Trebatio distinguere quòd sana sit,si natura sterilis existat, si verò ex corporis vitio,minimè;
20 videntur enim omnino contrarium esse decidendũ
21 si ad sterilitatem respiciamus:& ratio est, quia cùm præcipuum munus fœminarum sit concipere,& generare posse, ut hîc, & sterilis ex natura nullo modo possit concipere,ex morbo verò faciliùs possit. Alexand.Bened. *lib. 25. cap.* 12. illa quidem morbosa dicenda esset,respectu sterilitatis, hæc nequaquam, & sic quantum est ex hoc sterilitatis capite, illa redhiberi posset,hæc non : neque videtur illa evidens ratio pro textu adduci posse,si ad hoc caput sterilitatis attendatur.Posset quidem ex alio capite defendi textus, nempe si diceremus,non respectu sterilitatis dici morbosam,quæ ex morbo sterilis facta est, sed respectu morbi sterilitatem inducentis:quanquam sequitur ex hoc, quòd absolutè nulla sterilis,quatenus sterilis, morbosa sit,quod tamen falsum est,cùm non solùm ex sterilitate, sed etiam ex mille aliis causis morbificis ad sterilitatem consequentibus morbosa sit.Ego absolutè dicerem, quamcunque sterilem esse morbosam, & jure redhiberi posse,quicquid ex Cælio Ulpianus,& ille ex Trebatio dixerit.

Quintò proponitur mulier ita arcta, ut gravida fieri non possit,quas mulieres attetas, seu imperforatas vocant, de quibus Mercurial. *lib. 4. de morb. mul.cap.*14. Hucher. *de steril.lib.* 2. [I. D. Horstius *in manuduct.ad medic.*] & alij,qui de morb. mul.ex professo agant. In his enim ante vulvæ ostiolum membrana obtenditur, quæ & egressum mensibus, & ingressum genitali prohiber. Jure igitur similes mulieres pro non sanis à Legumperito pronũciantur; non solùm enim ex hoc quòd virum admittere 23 24
non possint, nec consequenter generare, morbosæ sunt, sed etiam quia aliis morbis obnoxias eas esse necesse est.

Denique prudenter lex mulierem, quæ bis in 25
mense purgatur, vel quæ nullo modo purgatur, morbosam esse definivit, sententiæ Hippocrat. fortasse innixa *Aphor. sect.* 5. *Aphor.* 56. quæ talis est: *Mensibus largiùs fluentibus morbi eveniunt, non fluentibus autem, ex utero morbi contingunt.* Excipit tamen lex dicens,morbosam non esse eam, quæ per ætatem non purgatur, inquirendum ergo erat in qua ætate mulier purgari debeat:& licèt circa hanc materiam plura attulerim,*lib.1.quæst.quæst. 9.tit.*1. tamen breviter hîc dicamus,post 14. aut ad summum 15. annum,usque ad 40.vel 45. inclusive,mulierem menstruas purgationes pati, si sana futura sit, sed jam his finem imponamus.

SUMMARIUM.

1 *Sanus quis dicatur,& sana animalia quæ, num. seq.*
3 *Venditor non tenetur morbos progressos emptori patefacere.*
4 *Sanitatis maxima latitudo.*
5 *Convalescentes an redhibendi,dic ut n.* 11.
6 *Convalescentia,& senium sunt affectus medij.*
7 *Status senum naturalis est:item & convalescentium. num.seq.*
9 *Sanum,& secundùm naturam,convertuntur.*
10 *Functionum imbecillitas non est statim nota morbi.*
12 *Valetudinariorum multa privilegia.*
13 *Valetudinarius quis sit,& num.seq. & num.*16.
15 *Valetudinarius quis sit, relinquitur Iudicis arbitrio.*
17 *Prægnans,cur valetudinaria dicta in l.*2. §. *sed & si non propter ff. si quis caut.*
18 *Recidiva quid.*
19 *Differentia inter recidivam,& morbi exacerbationẽ.*
20. *In quibus morbis timeatur recidiva,*
21 *Recidivans an semper sit in priori conditione, quàm primò ægrotans.*
22 *De Quibus morbis intelligenda l. Qui tertiana hic.*

Sanatus quia dicatur de convalescentibus,de recidivantibus,& de morbis circuitus habentibus.

QUÆSTIO XIV.

Ad l.Quod ita sanatum,& l.Qui Tertiana.

IN lege *Quod ita sanatum*, tria considerari possunt, *primò*,quis debeat pro sanato existimari, *secundò*, an ex morbo reconvalescens pro sano accipi possit; *tertiò* de recidivantibus differendum, quanto nempe tempore secundus morbus debeat dici prioris recidiva,ita ut recidivans in tempore intermediante unam & alteram ægritudinem pro sano existimari non debuerit. Et quoad primum, ipse textus peritissimis verbis declaravit,sanum dici debere,qui in pristinum statum,in quo erat ante ægritudinem, restitutus sit. Voluerunt autem Jurisconsulti hac lege tacitè cuidam objectioni respondere,quæ hinc emanare poterat ; utrùm scilicet, si servus vel jumentum ægrotaverit aliquando quovis, vel gravissimo morbo, quem venditor reticuerit, emptor ex 1

hoc

hoc capite poſſit utrumque redhiberi. Lege ergo hac cautum eſt, ut talia habeantur tanquam ſi nunquam ægrotaſſent, dummodo in priſtinum ſtatum reſtituta ſint, & ſana effecta; ſana autem dicuntur animalia, quæ nec parte aliquâ corporis dolēt & ad vitæ munera haudquaquam ſunt impedita, Galen. 6. *de ſanitate tuend. cap.* 5. *claſſ.* 2. *& de diffe. morb. cap.* 2. *claſſ.* 3. Ex quibus eliciamus, non teneri venditorem, eos morbos mancipij vel jumenti enunciare, quos aliquando paſſa ſunt, ſed eos tantummodo, quos de præſenti patiuntur, vel facile eſt, ut patiantur.

Sed quid dicendum eſſet, ſi ante morbum ſervus optimâ, abſolutâ, & integrâ ſanitate fruebatur, poſtquam autem ex morbo reconvaluit, non tàm exquiſitâ ſanitate frueretur? num pro ſano minimè habendus? Ac profectò ſi bene textus verba ponderentur: Videtur lex deſiderare, ad hoc ut ſanus dici poſſit, ut in priſtinum ſtatum redierit, ita ut ad eandem ſanitatis integritatem, quâ fruebatur, remeaverit.

Dicendum tamen; quod cùm ſanitatis maxima ſit latitudo, & ſanum dicatur magis & minùs: Galenus 1. *de ſanit. tuend. cap.* 5. multique ſint ſanitatis gradus, quorum vix primum aliqui attingunt, aliis etiam poſtremum aſſequentibus, tam priores ſani dicendi ſunt; etiamſi ergo ad eundem gradum non pervenerit ſervus poſt ſuperatum morbum, in quo permanebat ante morbi adventum, tamen ſanus dicendus eſt, quia ſanitatem habet. Non ergo id ea verba, *in priſtinum ſtatum*, important, quòd easdem vires, & eandem ad amuſſim ſanitatem recuperavit, ſed quod ad ſtatum ſanorum pervenerit, omni morbo liberatus.

Porrò hæſitare contingit de convaleſcentibus, nimirum de iis qui recenter à morbo ſani ſunt facti, ſed integras vires, ac priſtinas adhuc non recuperarūt, dubitari, inquâ, poteſt, an tales redhiberi debeāt, ſi venditor de eo ſtatu, in quo ſervus eſt, mentionem non fecerit? Ac profectò, cùm convaleſcentia, & ſenium ſint affectus quidam medij inter ſanitatem, & morbum, Gal. *de ſanit. tuend. lib.* 5. *cap.* 4. *claſſ.* 2. ita ut in uno eodēque ſanitatis gradu uterque ſtatus contineatur, ſtatus autem ſenum quicunque ſit, naturalis ſit. Gal. 1. *ejusd. cap.* 5. dicendum eſt etiam, ſtatum convaleſcentium eſſe naturalem, & ob id ſanos dici debere, cum ſanum, & ſecundùm naturā convertantur, & ſanum dici debeat ſecundùm naturam, Gal. *de ſympt. cauſ. cap.* 1. *claſſ.* 3. & ad id quod objici poſſet, quòd convaleſcentes ad vitæ munera exercenda ſint impediti, & idcirco ſaltem ex hujus edicti diſpoſitione, ſani dici non poſſint, præterquā quòd, ut ſuprà ex Galeno dici, ſani haudquaquam ad vitæ munera exercenda impediuntur, reſponderi facilè poteſt, negando convaleſcentes ad ea munera impediri, concedendo tamen ea debiliter exercere; non tamen ob id poſſunt dici morboſi, quia functionum imbecillitas non morbi ſtatim nota eſt, ut Gal. *loco citato* 1. *de ſanit. tuend. cap.* 5. demonſtrat. Sed his non obſtantibus, rectè ex hoc textu convaleſcentes redhiberi poſſe dicerem, quia ad priſtinum ſtatum minimè adhuc remearunt; & licet concedere paratus ſim, convaleſcentes eſſe in ſtatu medio inter morbum & ſanitatem, veluti ſenes, tanto propius tamen accedere illos dixerim ad ſtatum præternaturalem, qui à morbo eſt, quanto longius ab eo abſunt ſenes, & ad naturalem accedunt, quòd eorum ſtatus à natura ſit. Sic igitur licèt virium imbecillitas in ſenibus non illicò morboſa ſit, quia ab affectione naturali eſt, eadem imbecillitas in convaleſcentibus morboſa dici poteſt, quia ab affectione præternaturali dependet.

Sed quia argumenti ſimilitudo nos ad id invitat, videamus qui dicendi ſint *valetudinarij*, nam horum multa apud Legumperitos ſunt privilegia, ex iis, quos adducit Pariſ. *de reſign. ben. lib.* 5. *q.* 6. *num.* 10. & Menoch. *de arb. lib.* 1. *cap.* 65. *num.* 1. expedit ergo ipſis, ut determinetur, qui valetudinarij nomine ſint inſigniendi. Mercurial. *lib.* 6. *var. lect. cap.* 1. videtur valetudinarios voluiſſe vocatos eſſe cauſarios: *Cauſarij*, inquit, *dicuntur tum ij, qui levi qualibet ex cauſa morbos incurrunt, tum quia aliquo pacto malè habent*; ſed idem Menoch. & Pariſ. *loco citat.* ex Innocentio dicebat, valetudinarium eſſe, qui propter corporis debilitatem eſt infirmus, & laborat aliquâ febre acutâ. At hæc opinio vera non eſt, neq; diſtinguit inter verè morboſum, & valetudinarium. Multò minùs diſtinguit opinio Ioan. Andr. apud eundem, quæ vult infirmos ſimpliciter dici valetudinarios. Cujac. *in comm. tit. Pandect. de excuſat. ad l.* 8. *& ſeqq.* valetudinarios dici firmat eos, qui perpetuâ, ac pertinaci valetudine afficiuntur: & videtur hæc opinio una eademque cum ſuperioribus, nec Iuriſperitos explicaſſe, quid in rei veritate ſint. Communis DD. opinio, de qua iidem Menoch. & Pariſ. *ibidem. n.* 12. ea eſt, quòd hoc relinquatur Iudicis arbitrio. At neque hæc quicquam ad rem affert, neque quicquam docet rei naturam, dicens pendere ex Iudicis arbitrio, ut definiatur, quis dicatur valetudinarius; ante enim oportebat explicare, quis eſſet valetudinarius in genere, ut Iudex ſciat, quænam oporteat conſiderare in ea re definienda. Sed ex noſtris Mercur. *de art. gymn. lib.* 4. *cap.* 8. Valetudinarios eos vocat, qui recenter à morbis evaſerunt, facitque eosdem cum convaleſcētibus, ſed pro valetudinariis acceptat pleroſq; ſenes, quos ut valetudinarios curari voluit Galenus. Dicamus valetudinarium dici eum, qui ob ſui corporis debilitatem, promptâ habet diſpoſitionem, ut infirmetur facillimè, & integrâ ſanitate non fruitur, ſed ſæpiſſimè ægrotat Nō ergo mirum eſt, in *l.* 2. *§. ſed & ſi non propter ff. ſi quis caut.* prægnantem dici valetudinariam, quia ex facili ac modica cauſa ægrotare parata: quæ omnia optimè declarat Menoch. *ubi ſupra num.* 6.

Ultimò, circa recidivantes plura ſunt quærenda, nimirum quis morbus ſit recidiva prioris, quanto tempore ab receſſu prioris morbi ſecundus dici debeat recidiva; in quibus morbis timeatur ut plurimum recidiva; an ſemper in pejori conditione ſit recidivans, quàm primo ægrotans, & alia ſimilia.

Primò ergo recidiva dicitur morbus factus ex reliquiis præcedentis morbi jam prægreſſi. Elicitur ex Hippocr. *Aphor.* 12. neque enim ſemper quando quis de recenti ægrotavit, & paucis interjectis diebus denuò ægrotat, recidivam contigiſſe dicendum, ſiquidem poteſt poſterior morbus aliam habuiſſe cauſam, & ſic non proveniſſe ex reliquiis præcedētis infirmitatis, in quo caſu poſterior morbus non eſt dicendus recidiva prioris, ut exemplo patet; & ex iis quæ dixi *lib.* 1. *tit.* 4. *quæſt.* 7. Sed qui de recidiva noſcere cupit, & præcipuè quando ſit vera recidiva, quando non, Taddæum legat *in comm. ſuprà citati Aphor.* & alios *ibi.*

De tempore intermedio inter priorem morbum, & recidivam, jam dixi *in præcitata quæſtione*, & ad eam Lectorem remitto. Illud hoc loco addendum duco, maximam eſſe differentiam inter recidivam, & exacerbationes, ſeu acceſſiones quorundam morborum; unde non dicuntur recidivare Tertianarius, & Quartanarius, quotieſcunque de tertio in tertium,

aut de quarto in quartum, insultum morbi experiuntur: tunc enim unus est morbus, qui suam seriem, ac typum servat: Taddæus Flor. *ubi suprà*. Sic quoque neque Epilepticus, qui per Lunæ circuitus ægrotat, neque podagricus, qui in temporum mutationibus, ut in Solititiis, vel Æquinoctiis podagrâ detinetur, recidivare dici debet: nam ij morbi tales ex sua natura sunt; ut statis temporibus revertantur, & sic etiam de aliis est dicendum; unde etiam in intermedio tempore, ubi quietem habent tales sanos non esse summo jure sancitum est, argumen. *l. Qui Tertiana hic.* Adverte tamen, Taddæum *ubi suprà*, nolle in tempore quietis convenire his nomen morbosi, sed potiùs neutrius, quod idem esset, ac valetudinarij, de quo suprà. Non tamen in omni casu debere habere locum hanc opinionem Taddæi crediderim, sed in iis solùm, in quibus quies longior est, ut in Epilepticis, & Podagricis; nam in tertianariis, & Quartanariis, aliter credo sit sentiendum, quicquid ille voluerit.

20 Tertiò quærebatur, in quibus morbis ut plurimùm timeatur recidiva: & dic, quòd universaliter in omnibus, licet in nonnullis promptiùs, quam in aliis: sunt enim aliqui, qui de facili reversionem faciunt, ut Colicus dolor, Nephritis, Ophthalmia, Hydrops, Melancholia, & hujusmodi, Contra alii sunt, qui difficulter revertuntur, aut recidivam faciunt, ut Morbilli, Quartana, Pleuritis, Phrenitis, & alij, jactatur enim à quibusdam, quòd his morbis semel detenti, non amplius illis corripiantur, quod tamen falsum esse experientia docet, illud verum est, quod jam diximus, difficulter reverti, & recidivas non de facili solitos causare.

Denique dubitatur: an semper recidivans in pe-
21 jori conditione sit, quàm primò ægrotans. Et videtur ex Hippocr. auctoritate *libro de intern. aff.* quòd semper recidivans sit in pejori conditione, cùm dicat *Morbus enim reversionem faciens magis quàm ab initio urget*, rationem reddit Avic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 95. in his verbis: *Et recidivatio est deterior, quam radix, quoniam malitia, seu egritudo est rediens, & natura seu virtus est defessa, seu debilis*; quæ ratio est admodum sensata, & in pluribus eam habere locum concedendum; in aliquibus tamen morbis evenit, ut potiori humorum pravorum quantitate absumptâ, & modicâ relictâ, contingat quidem recidiva, multò tamen priori morbo debilior.

22 Cæterùm in lege *Qui Tertiana*, Quærendum est, qui morbi sint, de quibus ea lex intelligēda veniat: in textu enim solummodò (& fortasse exempli gratiâ) hi quatuor morbi afferuntur, & Tertiana nempe, Quartana, Epilepsia, Podagra; cùm tamen alij permulti sint qui his naturæ sunt non absimilis. Dicendum ergo, quòd ex febribus, de omnibus, quæ per circuitus repetunt, similiter ut de Tertiana, & Quartana intelligendum; itaque & in Quintana, & sextana, & septimana, & octana, & nonana, ac decumana, si quando eveniunt, similiter decidendum est. Cæteri potiò morbi, qui reversionem faciunt, & de quibus dici potest, quòd illis affecti minimè sani vocandi sint etiam, in interpolationis tempore, sunt in primis jam à l. nominati: de hinc verò frequens vertigo, Melancholicæ, & omnes insaniæ species absque febre, Paralysis, Ophthalmia, Suffusio Cataracta vulgo dicta, dentium dolor, Asthma, & ejus species singulæ, sanguinis sputum, phthisis, dolor Colicus, Hydropis singulæ species, renum, & vesicæ calculus, ani, & uteri procidentia, Herniæ omnes, Hæmorrhoides, Arthritis, & inter febres continuas hectica, tandemque Gallicus morbus, de quo Grammat. *decis.* 58. *num.* 6. ex nostris Bacc. *lib.* 3. *de Therm. cap.* 4. dicebant, quòd ex eo nunquam recōvalescit patiens, & dare quidem inducias, non integram pacem. Quinimo ex his nonnulli sunt qui non secus ac febres, per circuitionem repetunt, ut ophthalmia, capitis dolor, podagra, & alij teste Gal. *lib.* 2. *de diff. febr. cap.* 13.

SUMMARIUM.

1 *Hydropicus est maximè morbosus.*
2 *Pro clavo quid intellexerit Ulpianus.*
3 *Polipus quid sit.*
4 *Scæva cur non redhibeatur.*
5 *Mancus cur redhibeatur.*
6 *Manci sunt deteriorum morum.*
7 *Mulier neque ambidextera sit, neque manca.*
8 *Pars dextera cur sinistrâ fortior, & agilior. Vide ibid. & numero sequent.*
10 *Dextra & sinistra, ex Platone, naturâ non differunt.*
11 *Motionis origo est à dextris.*
12 *Is qui urinam facit, sanus est.*
13 *Vitia in mictione omnia redhibitioni causam dant.*

De Hydropico, clavum habente, Polyposo, Scæva, & manco, & de urinam faciente.

QUÆSTIO XV.

Ad l. Item Offilius. § Item de Hydropico. l. Qui Clavum, §. 1. & §. Item sciendum. l. Quæritur. §. Item de eo.

RE Stant postremò quædam adnotanda circa *l. Item Offilius. & l. Qui clavum. & l. quæritur.* ac 1
in priori de *hydropico* dubitatur, an sanus sit, de quo tamen nullo modo erat dubitandum, quia non solùm sanus non est, sed maximè morbosus, cùm maximopere à statu naturali recedat, & ad interitū tendat: Quod etiamsi magis videatur posse habere locum in una, quam in alia Hydropis specie, cùm eæ plures sint, tamen nullatenus dubitare debemus, in omni specie maximè debere habere locum redhibitionē; immo non solùm in Hydrope jam facto, sed etiam in habitu Hydropem præcedente, qui Cachexia nominatur. Inanis ergo fuit Jurisconsulti hæsitatio.

Pro *Clavo* qui intellexerit Ulpianus non adeo in propatulo est, clavus enim plures potest significare morbos: significat namq; primò morbum quēdam uevæ tunicæ oculi, quæ interdum ita prominet, ut foras prosilire videatur, & tunc tumoris speciem præ se fert clavo non absimilis, de qua passione Galenus *in libro de ocul. cap.* 11. *& in Introd. cap.* 15. *in fin.*

Secundò, Clavus est ulcus orbiculatum in pedis Planta, quod callum contraxit, ut habetur *in definit. Medic. Galen. adscript. in fine.*

Tertiò, Clavus dicitur quidam dolor capitis in certa quadam ejus parte, ut notant multi practicantium in propriis capitibus, de cap. dol. Valesc. *in Philon. parte prima. cap.* 1. Massat *libro* 1. *pract. c.* 7. Forest. *Observat. libro nono, Observat.* 62.

Quartò, clavus vocatur tumor rotundus candidi coloris, clavorum capitibus non absimilis, qui in universo corpore enascitur, sed maximè pedibus familiaris est. Paulus *libro* 6. *cap.* 87. Aët. *sermone* 14. *cap.* 87. Avic. 3. 4. *tractatu* 2. *cap.* 14. & ante hos Galen. *de simpl. medicament. fac. & alibi.* Ex his acceptionibus præstat dicere, apud Legumperitum postremam intelligēdam, quòd declarare potest verborum series, inquit enim: *Qui clavum habet, morbosus est, veluti Polyposus.* Cōstat enim, Polypum esse tumorē, unde

unde inquit,quòd tam is qui habet tumorem Clavum dictum, quàm is qui patitur tumorem, Polypum vocatum, morboſus eſt, & ita intellexit Gloſſ.hîc.

3 *Polypus* autem tumor eſt propriè naribus eveniens,dictus à ſimilitudine Polypi piſcis, quòd & carnem ſimilem ſortiatur, non minus ac ille multos veluti pedes habeat, quibus affectam partem arripit,& arctè complectitur: ea enim eſt piſcis illius natura,ubi enim quid apprehenderit,arctiſſimè hæret, itaut vix divelli poſſit: unde Plautus in Aulul. Act. 1.Scen. 4.

Ego iſtos novi Polypos, qui, ubi quid tetigerint, tenent.

Ad ejus ergo piſcis ſimilitudinem tumor iſte Polypus appellatur,de quo Horat.*Epod. Od.* 12.

Polypus, an gravis hirſutis cubet hircus in alis.

& de hoc tumore verba faciunt omnes practicantes in capp. propriis Paul. *lib. 6. cap.* 25. Aëtius *ſerm. 6. cap.*90. & cæteri omnes, de quo tamen nihil effatu dignum dicendum offertur.

4 *Scæva* porrò,qui & *ſcævola* dicitur, redhiberi non debet,ob id,quòd non videtur quicquam corporis uſui nocere, ſed rectè judicat Legumperitus, redhibendum eſſe mancum, hoc eſt, qui imbecillitate
5 dextræ laboret, & ſiniſtrâ pro dextra utatur. Non ſolùm enim ob uſum membrorum mancus redhibendus eſt, ſed etiam quia conſtat, mancos eſſe
6 naturaliter deteriorum morum,quàm cæteri homines ſint, tradente Cardan. 7. *Aphoriſm.* 40. cujus rei cauſam in fine ille reddit, & Scal. *exercit.*265.
7 & nota hîc ex ipſo *Cardano*, Mulierem neque *ambidexteram* fieri, ut *ibi* ex Hipp. neque *mancam*,quod ille viderit:Quòd tamen de mulieribus dicit Hipp. nimirum non fieri ambidextras, non admittitur à Nancel. *in Analog.libro* 8. *cap.*4. exercitatione enim tales fieri mulieres ipſe vidit; tamen ut defendat *Hipp.* dicit, illum voluiſſe mulieres non naſci ambidextras, non negare autem quod exercitatione fieri non poſſint. Sed novi ipſe principem mulierem ambidexteram. [*Stupanus* tamen allegat in contrarium *muſculorum* in fœminis debilitatem, pag. 110. Videatur *Heurnius* hac de re in aphor. Hipp. pag.491. *Lindenus* Phyſiol. pag. 693. Clariſſ. *Ditetichius* Iatr. Hippocr. pag.176.]

8 Sed pro Medicis ac Philoſophis videri poſſet hic, unde ſit, *quod pars dextra ſit ſiniſtrâ & fortior, &*
9 *agilior*; cujus rei licèt promptam habeat rationem Philoſophus,nempe quòd dextræ partes calidiores ſint ſiniſtris,& majori ſpirituum copia affluentes, ac quòd illas regat calor viſceris ſui,ut dicebat Macrob. Saturn. *libro 6. capite* 4. aliàs tamen cauſas adduxit Holler. *Aphor. ſectione 7. Aphor.* 44. & Alex. Bened. *de part. humani corporis, libro 3. cap.* 12. quas apud ipſos vide; unam ex Amato adducam, quam ſenſu ipſo oculato, & experientiâ confirmatam ipſe notavit,*Centur.*4. *Curat.ultimâ*: ponderans enim ſimul in eadem bilance oſſa brachij dextri, & ſiniſtri,ponderoſiora adinvenit dextra, non in uno tantùm cadavere, ſed in omnibus, etiam in ipſis puerulis, qui adhuc eas partes nullo modo exercuerant. In cujus rei confirmationem illud facit, quòd plerumq; partes dextræ craſſiores ſunt ſiniſtris; hoc facile experimur in calceamentis, cùm enim calceamur, pes dexter laxiori indiget calceamento,quia craſſior, ut unusquiſque in ſeipſo adnotare poteſt. Quomodo verò fiant ambidexteri, hoc eſt,qui utroque brachio validè & indifferenter utuntur,exponit Galen.*comm. 7.Aphor.* 44. ubi & cur nulla mulier ambidextera fiat,ex Hipp. ſententia;quæ Medicus apud eum videat,& apud Amatum, *ubi ſuprà*, & apud alios in expoſitione ejus Aphoriſmi. Jurisconſultus autem ſi hæc ipſa ſcire cupit,adeat Tiraquel.*de lege Connubia, Gloſſa prima, part.* 1. *l.* 1. *num.*64. Non ab re autem naturæ miraculum huc transferre placet,à Sacra Scriptura relatum *in lib.Iudic. cap.*20,*verſ.* 16. ſeptingentos nempe viros ambidextros habuiſſe civitatem Gabaa in tribu Benjamin.

Non tamen ſilentio involvam Platonis opinio- 10
nem *in lib.* 7. *de leg. verſ.med.* qui voluit dextram, & ſiniſtram naturâ non differre in ſingulis operationibus,ſed matres,nutriceſque non rectè per conſuetudinem nos dextrâ uti magis permittere, unde dexteræ, & ſiniſtræ differentia emanaverit: quod oſtendit, inquit ille,Scytharum lex, qui ambidexteri omnes ſunt, nec minùs ſiniſtrâ, quàm dextrâ arcum, & ſagittas tenent,ſed utriſque ſimiliter ad
utrumque utuntur. Quæ tamen Platonis ſententia 11
contrariatur omnino Ariſt.*in lib. de Animal. inceſſ.* ubi motionis originè à dextris eſſe dicit, & partem dextram aptam natam ſemper eſſe movere, ſiniſtrâ verò moveri; & multò magis contra ipſum facit Amati experimentum, ex quo manifeſtiſſimè patet, à Natura partes dextras à ſiniſtris differre. Sed de his hactenus.

De eo tandem,qui urinam facit, determinata Ul- 12
pianus, quòd ſanus ſit: intelligit autem pro eo, qui urinam facit, Gloſſ. eum, qui *de nocte lectum commingit*, quod etiam & ex textu ipſo habetur. Rectè verò diſtinguit Iuriſperitus, quòd ſanus ſit, ſi hoc ob ſurgendi pigritiam evenerit; ſecus verò, ſi ex veſicæ vitio. Addamus nos, quòd etiamſi ex veſicæ vitio hoc non accideret, ſed ex forti imaginativa in ſomno cauſata,tamen ſanus dici talis non deberet:ſunt enim qui in ſomno adeò fortem habent imaginationem, ut non ſolùm videant ea,quæ imaginantur, tanquam ſibi præſentia,ſed etiam inferioribus virtutibus præcipiant: ut in caſu noſtro, imaginabitur quis ſe ſtimulari ab urinæ multitudine,& videbitur ſibi eſſe in cloaca, vel in loco, in quo aliàs mingere conſuevit; tunc imaginativa præcipit expulſivæ,ut ſuo officio fúgatur:unde ille mingit, credens ſe in loco conſueto mingere, non verò in lecto. Is verò, qui frequenter idipſum facit, ut ſingulis, vel alternis noctibus,proculdubio morboſus dicendus eſt, & redhiberi poterit. Ex 13
quibus infer,quòd multò magis cætera vitia circa mictionis functionem evenientia redhibitioni locum dare debent, ut Dyſuria, Stranguria,Iſchuria, Diabetes, & his ſimiles:de quibus omnibus ſigillatim Practici omnes ſuis in locis verba faciunt.

PAVLI ZACCHIÆ

QVÆSTIONVM MEDICO-LEGALIVM,

LIBRI TERTII TITVLVS PRIMVS.

DE IMPOTENTIA COEVNDI ET GENERANDI,

Continens Quæstiones novem.

I. De causis impotentiæ tam coëundi, quàm generandi.
II. De impotentia ex defectu Ætatis.
III. De impotentia ex defectu naturali.
IV. De impotentia ex morbis.
V. De frigidis, & Maleficiatis.
VI. De impotentia respectiva dicta.
VII. De sterilitate fœminarum, & de Imperforatis.
VIII. Mulier an ex semine virili concipere possit absque ejus conjunctione, & sine totali membrorum applicatione.
IX. De Hermaphroditis, Spadonibus, & Eunuchis.

SUMMARIUM.

1 *Ad Matrimonij validitatem requiritur potentia coëundi.*
2 *Conjugio regulariter est ineptus, qui debitum reddere non potest.*
3 *Ad Matrimonij validitatem requiritur, ut vir possit emittere semen.*
4 *Matrimonium separatur ob impotentiam coëundi.*
5 *Ubi de coëundi potentia dubitatur, ad Medicorum judicium recurritur.*
6 *Impotentia coëundi quid.*
7 *Coitus quid.*
8 *Impotentia generandi quid.*
9 *Impotentia tam coëundi, quàm generandi plures habet causas.*
10 *Impotentia coëundi ex quibus causis dependeat.*
11 *Impotentia coëundi vel ex causa naturali, vel ex causa accidentali.*
12 *Naturalis causa impotentiæ consideratio.*
13 *Accidentalis causa vel intrinseca, vel extrinseca.*
14 *Causa intrinseca accidentalis consideratio.*
15 *Causæ extrinsecæ accidentalis consideratio.*
16 *Animi passiones vehementes inter causas impotentiæ coëundi connumerantur.*
17 *Coitus impotentia accidit in viro interdum mulieris culpa.*
18 *Gravius peccatum est coire cum deformi, quàm cum formosa.*
19 *Pulchritudo est incitamentum ad libidinem.*
20 *Alia causa impotentiæ coëundi ex parte mulieris.*
21 *Impotentia arte Medicâ reprobabilis non dissolvit Matrimonium.*
22 *Causa impotentiæ coëundi in Muliere.*
23 *Generandi impotentia habet plures causas.*
24 *Generandi spes ex coitu est.*
25 *Coitus à natura ob generationem, & speciei propagationem inventus.*
26 *Causæ impedientes generationem ex parte mulieris, sunt propemodum infinitæ.*
27 *Semen in muliere peccare potest, ut in viro.*
28 *Causæ generationem impedientes ex parte utriusque Conjugis.*
29 *Conjugum simultates impediunt generationem.*
30 *Generationem impedit nimia agitatio fœminæ in ipso actu coëundi.*

De causis impotentiæ tam coëundi, quàm generandi.

QUÆSTIO I.

PERNECESSARIUM, maximéque ad Jurisconsultorum negotium pertinens argumentum, Titulus hic promittit, tanquam is, qui de re sæpissimè in judiciis Ecclesiasticis præcipuè agitata pertractet, & dubia quamplurima, pulcherrima illa quidem, proponat ac diluat, in quorum gratiam ipsi Jurisconsulti integros Titulos promulgarunt, *de frigidis, & maleficiatis* inscriptos, sub quibus tamen eos omnes comprehendunt, qui quacunque ex causa coire non possunt, etiamsi neque ex frigiditate, neq; ex maleficio id illis contingat, ut in sermonis processu videbimus. Cùm ergo matrimonia in dies, & horas frequentissimè contrahantur, palam est ad eorum validitatem requiri de necessitate coëundi potentiam. Abb. *in cap. de illis, l. 2. num. 2. & 4. de despons. Impub.* Scot. *l. 4. sent. dist. 34. q. 1.* adductus per Navarr. *Consiliorum l. 4. cons. 39. n. 4. de sponsal. & lib. eod. cons. 3. n. 7. & seqq. de frigid. & malef.* Aug. Barbos. *in Collect. Doctor. l. 4. tit. 5. c. 1. n. 4. Tom. 2. & c. 2. num. 2. ibidem*; unde regulariter conjugio ineptus est, qui debitum reddere nequit. Navarr. *cit. lib. 4. consil. 39. num. 1.* Nec solùm coëundi potentia sufficere videtur, sed potentia seminis quoque emittendi requiritur, ut idem Abb. *in cap. Quod sedem num. 5. de frig. & malef.* Idcirco ergo, ubi horum utrumque non adsit, separatur matrimonium, ut per *cap. Laudabilem tit. eod.* ubi Abb. *num. 1.* Grilland. *de sortileg. quæst. 6. n. 14.* Oinot. *Instit. de Nupt. n. 220.* Mascard. *de Probation. concl. 311. num. 7. vol. 1.* Ricc. *Collect. decis. 222. part. 1.* Sanchez, *de Matrim. lib. 7. disp. 93. num. 15.* Farinac. *de delict. carn. quæst. 243. §. Femina num. 6.*

1 2 3 4

Hinc

Hinc patet multoties de ſufficientia,aut inſufficientia coëũdi dubitari poſſe,quo in caſu,ut in aliis multis,qui circa hanc materiã Iurisconſultos exercent,qui Medici in judices,tãquam periti adhibentur,quia autem ſint ij caſus dubij,in proceſſu quæſtionis patebit:nam de ſingulis hic mentionem facere, nimis longum eſſet, & eadem bis abſque ulla neceſſitate reiterarentur.

6 Quid verò ſit impotentia coëundi,quid item impotẽtia generandi,clarè patet ex,ipſiſmet verbis illa namque vitium eſt vel naturale,vel accidentale,quo quis impeditur alteri carnaliter cõmiſceri.Hoſtien. *in ſumm.lib. 4. tit. de frig. & malef. §. 1. num. 1.* Ioan. Brunell.*de ſponſ. & Matrim. concl. 28. num .2.* coitus enim eſt applicatio maris & fœminæ in mẽbris ge-
7 nerationis, quã ſuperfluum expellitur quantum ad finẽ ſpeciei,vel individui ordinata Avic.22. 3. *cap.1.* Baver. *in conſ. incipien. in nom. Individ. Trinit.* Savon.
8 *in pract. magn. tract.3.cap.1.* Impotentia autem generandi vitium item eſt naturale,vel accidentale, quo quis legitimo:vel naturali coitu utens inhabilis eſt ad ſui ſimilis generationem.

9 Tam coitus autem,quàm generationis impotentia plures poteſt habere cauſas,& modò ex *parte viri* tantùm provenire, modò ex *parte mulieris* tantùm, modo verò ex *parte vtriusque*. Hæc quanam ratione inveſtiganda ſint,deinceps patebit, nunc autem ad cauſas utriuſque impedimenti accedamus, breviter ac dilucidè,quantum vires ferunt,&ad Iurisconſultorum captum,omnia enodantes.

10 Primò ergo de coitus impotentia agentes ex parte viri, ſciendum, illam originẽ deducere vel ex parte ſui ipſius,vel ex parte mulieris; ſed quia cauſæ ex parte mulieris ad cauſas extrinſecas reducuntur,dicamus cum DD.*in d. Tit. de frig. & malef.* Hoſtien.
11 *ubi ſuprà num.2.* Brunell. *ibidem. num. 3. & 6.* Sannazar.*de matrim.cap.3.art.4.num.6.* & cum DD. noſtris *in ſuis practicis, cap de Impotentia venereorum, & de ſterilicate,* Impotentiam coëundi vel ex cauſa eſſe
12 connaturali,vel ex accidentali. Naturalis cauſa vel ex parte totius eſt,vel ex partiũ vitio.Si ex defectu totius ſit,evenit quia frigidæ temperaturæ vir eſt, & idcircò non ſtimulatur,neque appetitum ad coëundum experitur,deficiẽte non modò ſemine in ſui quantitate, ſed peccante in qualitate. Si ſit ex defectu partium, hoc eſſe poteſt vel ex vitio alicujus partis principis,Cordis nimirum,Hepatis, Cerebri, Teſtium,vel ex defectu partium genitalium;&hæc vel eſt ex culpa ipſius membri virilis, vel aliorum vaſorum. Si ſit ex culpa penis,id fit,quia vel nimis magnus,vel nimis parvus,vel quia obtortus?vel nimis longus, vel brevior quàm oporteat. Ex culpa Teſtium fit,ſi illi omnino deſint,vel non ſervent naturalem ſitum,vel ſint nimis parvi,vel nimis magni: ex parte aliorum vaſorum impotentia coëundi evenit ſi illa ſint malè conformata, ſi naturalem ſitum non habeant, ſi ſint obſtructa.

13 Accidentalis porrò cauſa,vel intrinſeca eſt,vel ex-
14 trinſeca. Intrinſeca vel ſũt humores ſuperflui,calidi, frigidi,ſicci, humidi:frigidi, refrigerando, partiumq; calorem extinguendo;calidi, eundem calorem, & ſpiritibus diſſipãdo;humidi,illum obruendo, partes relaxando,virtutem obtundendo;ſicci, præter modum exiccando. Vel ea eſt debilitas alicujus partis Princeps,aut earundem morbus aliquis, vel accidẽtalis genitalium partium ignavia,&in ſummacauſæ penè omnes, quæ à natura ſunt, poſſunt ut plurimùm etiam ab accidenti originem trahere.

15 Externa cauſa impediens coëundi potentiam in viro,vel eſt ab aëre,ut quia nimis excedit in actívis præcipuè qualitatibus;quãquam magis obſtare viro videtur excedens caliditas,quàm frigiditas, mulieri verò contra:quod,ex Philoſophorum ſentẽtia patet. Ariſt. *lib. 4. problem. 16. & 24.*& hoc innuere etiam voluit Heſiodus *in lib 11. oper & dier.*dicens:

Salaciſſima verò mulieres,viri imbecilliimi
Sunt , quoniam caput, & genua Sirius exſiccat.

inſinuãs, quòd ob exſuperantem ſiccitatem viri imbeciliores facti minùs coitum appetant;contrà mulieres ſuà natutà humidiores, ſanguine acutiore per æſtus,& ſiccitates abundant,unde etiam ſalaciores ſunt.

Inter extrinſecas cauſas connumerari poſſunt A- 16
nimi paſſiones vehementes;mirum enim eſt, quantopere in ea re operentur,unde Alex.Bened *ſua pract. lib.24.c.12.*Scimus,inquit,quosdam cùm in Venere conjugali eſſent vel promptiores,factã inter eos dere triſti mẽtione, ita ab opere imperfecto ſolitos deſurgere,ut veluti intermortuum langueſceret genitale membrum:quosdã in coitu ſordidum auditum verbum de Venereo diverticulo deturbat; alios verecundia tenet,nonnullos metus ipſe,tot modis ſuſpenditur cum animo coitus, hæc ille.

Et ego novi alios, qui in actu Veneris idem paſſi ſunt, non ſemel aut bis, ſed ſæpiſſimè ab ira, quòd rixoſas conjuges ſortiti,quotieſcunq; etiam coëuntes in pugnam verboſam venirent, non amplius perficere quod inceperant quovis conatu poſſent.

Præterea deſuetudo inter extrinſecas cauſas&ipſa eſt;quæ tantũ poteſt,quod,ut ex Vido Vidio juniore *libro 11. de curat.membr.c.* 2.refert Schenck. *Obſerv. libro 3.tit.de Teſticulis,*quibusdam, qui à Venere per longum tempus abſtinent,teſtas,& vaſa ſpermatica contabeſcant. Vſus item nonnullorum ciborum aut medicamẽtorum ex hiscauſis eſt ambulatio nudis pedibus frequentata, equitatio,Hipp.*de Aëre,aq. & loc.*item maleficium,de quo in quæſtione propria verba facienda ſunt,& denique ab omnibus cauſis, quæ inſigniter corpus alterare poſſunt,præcipuè autem refrigerare, coitus impotentia provenire ſolet, qualis eſſet fluxus longus ſanguinis immoderatus, extremæ omnes evacuationes,vulnera magna,validæ capitis percuſſiones,ſectio venarũ poſt aures,de qua Hippocrates peculiariter locutus dicebat,facere eam hominem ſterilem;licet alij experti contrarium fuerint. Nam *Valeſc. Tarent. lib. 6. Phydonij cap.* 2. ſe venas hujusmodi ſecaſſe tã in viris, quam in mulieribus teſtatur,& tamen omnes remanſiſſe fœcundos nam Proſper.Alpin. *lib. 2.de Medic. Ægypt. cap.* 10.de quodam juvene Cophto mentionem habet,cui maxima sãguinis copia per eas venas detracta,nonniſi longum ſomnum excitavit, (ut evenire quoq; ipſis Scythis dicebat idem Hippocr. *de Aër. aq. & loc.*) quo per tres dies detentus,ab eoque expergefactus, ac convaleſcens, vxore ductã liberos procreavit. Alium tractavit virum *D. Petrus Caſtellus* mihi amicitiã conjunctiſſimus, cui hirudinibus poſt aures applicitis,ſanguis per tres continuos dies fluxit, ex qua cauſa perpetuã ſurditate affectus eſt,uxore ductã,liberos non procreavit,ſed ea defuncta,&ſecundis nuptiis potitus fœcundus.fuit Sed quicquid ſit de hujus rei veritate,illud certum eſt,quod prædicta omnia corpus,ac præcipuè genitales partes inſigniter refrigerant, ac debilitant, & ſeminis materiam ſcindunt.Sed & inter easdem cauſas deforis adve- 17
niẽtes venit *ipſa mulier*; nam eo ipſius quoque culpa quandoque impeditur coitus in viro,ut ſi ſit nimis deformis,adeò enim à coitu alienum hominem deformitas reddere conſuevit;ut jure dixerint nõnulli
DD. gravius peccatum eſſe coire cum deformi, 18

quàm cum formoſa. Tiraq. *de leg. Connub. part. 2. leg. 2. num* 12. Cabal. *Reſolut. Crimin. cent. 3. cap. 244. n.* 12. pulchritudo enim, inquam ego, eſt incitamẽtum ad
19 libidinem: unde quidã, ut ex Alberto refert Sanchez, *de matrim. lib. 7. diſp. 92. n.* 13. calore naturali ad coitũ deſtituti, à fœminæ interdũ formoſitate excitari, ad coitum perfectè moventur: Itaque deficiente tali ſtimulo in deformi, homo ſe ipſum tentare videtur & ea de re graviùs peccare dicitur.

20 Poteſt inſuper mulier in cauſa eſſe, ut vir minimè coire poſſit, ſi tetrum odorem ſpiret, ſi munditiis minùs ſtudeat, ſi maritus ſentiat ſe ab ea cõtemni, & ab eo averſo eſſe animo. Et hæ ſunt omnes, aut inſigniores ſaltem cauſæ, quæ coitus impotentiam in viro excitare poſſunt, quarum omnium idcirco hic meminiſſe operæpretium eſt, utſciamus quænam
21 amoveri aliquo modo poſſint, quæ non: hoc enim plurimi Iurisconſulti intereſt ſcire, cùm ubi Impotentia coitus ope Medicâ reparari poſſit, matrimonium non dirimatur, cõtrà verò ubi ſit irreparabilis *cap. ex litteris de frig. & malef. & cap. fraternitatis. §. 1. in fin. tit. eodem.* Brunell. *de ſponſal. & Matrim. concluſ. 28. num. 18.* Navarr. *lib. 4. Conſil. 39. num. 14. de Sponſal.* Barboſ. *in Collectan. dict. lib. 4. tit. 15. cap. 6. num. 3. Tom. 1. Rota in Pampilonen. Matrimonij* 13. *Maij*, 1622. *coram Coccino num.* 18. *& ibi Addentes num.* 31. ex noſtris Augen. *lib.* 10. *Epiſt. Med. conſ. 2. cap.* 4.

Cùm autem tot ac tantæ ſint cauſæ, quæ coitus potentiam in viris impediunt, una tantùm eſt, quæ
22 illam in fœmina intercipiat, nempe *clauſura, arctatio, ſeu anguſtia oris externi, & cervicis ipſius uteri*, ut bene adnotatur *in cap. Fraternitatis. §. 2. ubi proximè* & per Ioan Andr. *in cap. Laudabilem. ibid.* & ex noſtris per Silvatic. *in lib. de his qui morb. ſimul. cap. 7.* ſed ejus rei cauſam commodiori loco perquiremus.

23 Cæterùm impotentia generandi (de qua hîc ob argumenti affinitatem differere decrevi) habet & ipſa plures cauſas & intrinſecas, & extrinſecas, & præter eas, quas jam commemoravimus, & quæ cùm coitum impediant, generationi etiamſi abſque dubio contrariæ ſunt (cùm generandi ſpes ex coitu habeatur. *l. finali. C. de Sponſ.* Malvaſia *Conſ. 22. num. 1.* nam coitus à natura ipſa in generationem, & ſpeciei
24 propagationem inventus eſt Savon. *tract. 6. cap. 20.*
25 *rubr. 27.*) aliæ inſuper conſiderantur magis peculiariter, reſpectivè ad nobilium partium intemperies & præcipuè genitalium, aliæ reſpectivè ad ipſum ſemen, quod vel juſto calidius, aut frigidius exiſtat, ſic etiam, & humidius, aut ſiccius; quam quod ad generationem requiratur; Aliæ denique reſpectivè ad vias, per quas ſemẽ ejaculatur, ut exempli gratiâ, carunculæ ſunt in ipſo virgæ meatu, quas dubium non eſt aut in totum, aut ex parte remorari & impedre ſeminis ejaculationem, & conſequenter gene-
26 rationem; hæc quidem ex parte viri, nam ex parte Mulieris propemodum infinitæ cauſæ ſunt, quæ conſiderari poſſunt, tant nobilium ac principum partium vitia, & intemperies, & præcipuè genitalium, quàm menſtrui ſanguinis qualitatem, quan-
27 titatem, exitum, aliaque reſpicientes, & ipſum ſemen quod ut in viris, ſic & in mulieribus peccare multipliciter poteſt.

Neque ſolùm juxta hæc conſiderantur hæ cauſæ ſed etiam juxta malam partium genitalium conformationem & ſitum, & juxta tam naturales, quàm accidentales ipſius uteri morbos, & tam totius, quam partium culpas.

28 Denique aliæ cauſæ ſunt ex parte utriuſque, quæ omnio generationi obſunt, ut diſconvenientia temperamentorum, quia nimis ab invicem diſtant, aut etiam eorundem nimia convenientia, quemadmodum ſi uterque conjungũ caladiſſimo dotetur temperamento, aut contrà vir calidiſſimo, mulier frigidiſſimo; debet enim in hoc eſſe quidem convenientia quædam, non tamen exuperans, & quædam item contrarietas, aut diſſidentia, ſed non magna, ut Ariſt. 4. *de Generatione Animalium capite* 2. Gallenus *comm. 6. Aphor. 62.* docent. Præterea impe- 29
diunt generationem ſimultates & odia inter Conjuges. Coitus etiam aut nimis frequẽtatus, aut nimis de ratò in uſum convocatus. Facit & ad idem impedimentum modus coëundi, ſeu forma concubitus ut incidenter habetur inferiùs.

Vltra prædicta verò ſciendum, impedire etiam 30
generationem, nimiam fœminæ agitationem in coitu, præcipuè in ipſo actu emiſſionis ſeminum: quod etiam Lucretius adnotavit *lib. 4. de Rer. Nat.* dicens

Nam mulier prohibet ſe concipere, atque repugnat.
Clunibus ipſa viri Tenerem ſi lata retractet,
Atque exoſſato ciet omni pectore fluctus.
Ejicit enim ſulci rectâ regione, viaque
Vomerem, atque locis avertit ſeminis ictum:
Idæque ſua cauſa conſuerunt ſcorta moveri,
Ne complerentur crebrò gravidæque jacerent,
Et ſimul ipſa viris Venus ut concinnior eſſet:
Conjugibus quod nil noſtris opus eſſe videtur.

Sed & ſeminum expulſio non eodem tempore ab utroque conjugum facta, idem impedimentum præſtare ſolet, nam ut *Mercatus lib. 3. de morb. Mul. cap. 2.* dicebat, ſterilem facit concubitum excretio ſeminis cujuſque conjugis ante tempus & paritatem facta, nam quod receptũ primò eſt, vel ante prolabitur, vel quod ultimo emittitur, non ita avidè amplexatur uterus; addo ego promptius, & facilius fieri concurſum ſpirituum, atque hinc indè unum ſemen aliud fovere; ſi enim tempus aliquod intercedat ab unius excretione ad excretionem alterius, conſequens eſt ſpiritus ſeminis primò effuſi evaneſcere, & ſemen refrigerari, ac omninò ineptum ad generationem fieri Prætereà cùm ad generationem requiratur motus utiuſque conjugis in ſeminum ejaculatione, ſi vir antè ſeminet, quàm Mulier, non poteſt uterus eodẽ tempore moveri, ut obviam fiat irrupto ſemini virili nec ſi fœmina ante virum ſeminet, poteſt eo motu tenui ſemen virile attrahere. Vt mille quoque aliæ conditiones, quarum omnium pleniſſimè meminerunt Medici. Præſertim de Gynæciis tractantes, & de quibus etiam Lucretius *lib. 4. ſuprà cit.* cujus quamplura carmina ad hoc recitant multi prædictorum Medicorum, & præcipuè Mercurial, *lib. 1. de morb. mul.* apud quem & hæc, & cauſas, ſupradictas copioſiſſimè annumeratas videre poteris; quas etiamſi tam exquiſitè cognoſcere ſuperfluum videatur pro Iurisconſultis, tamen eas enarrare & conſiderare oportet, ne fortaſſe, quod facile eventu eſſet, culpa ſterilitatis in alias cauſas, quã quæ verè eam faciunt reiiciatur, & leviori non conſideratã, graviorem immeritò Medicus cauſetur, aut fruſtra inveſtiget. [Conf. *Sinibaldus.*]

SUMMARIUM.

1 *Ætas eſt inter cauſas impedientes coitum, & generationem.*
2 *Coëundi potentia, ſeu impotentia, non poteſt certo annorum numero præſcribi.*
3 *Duodecimus annus rectè aſſignatur pro termino impotentiæ coëundi, in viro præſertim.*
4 *Duodecimo anno vir ſemen non emittit.*
5 *Hircire, & catulire quid.*

6 *Coëundi*

6 *Coëundi potentia præcedit potentiam generandi.*
7 *Impotentia coëundi ob ætatem minorem impedit matrimonium contrahi.*
8 *Matrimonium contrahi poteſt, quandocumque adſit coëundi potentia.*
9 *Ad Matrimonium contrahendum ſufficit, ut ſuccedere poſſit copula carnalis. contrarium.* 11. *declara ut num.* 12.
10 *Frigidi illi qui erigunt, ſed ſemen non emittunt, non poſſunt matrimonium contrahere.*
12 *Eunuchi prohibentur à contrahendo matrimonio.*
13 *Sicuti alij citiùs, alij verò ſeriùs coire incipiunt, ſic etiam in aliis citiùs, in aliis autem ſeriùs coëundi potentia recedit.*
14 *Terminus communis, in quo terminatur coëundi potentia eſt annus ſeptuageſimus.*
15 *Impotentia coeundi præſumi debet tranſacto anno ſeptuageſimo.*
16 *Fœmina Decrepitis viris matrimonio juncta, Vidua nuptæ dicuntur.*
17 *Generandi potentia ſeriùs, quàm potentia coeundi advenit, maturiùs autem abſolvitur.*
18 *Pubertati proximi non poſſunt generare.*
19 *Potentia generandi advenit* 15. *anno ut plurimùm.*
20 *Fœminæ cùm purgantur, aptæ generationi ſunt.*
21 *Facilius eſt, mulierem in ætate habili menſtruis deſtitutam concipere, quàm quæ ob gradiorem jam ætatem non menſtruatur.*
22 *Menſtruorum deſtitutio faceret præſumptionem aliquam ſuppoſitioni partus etiam in muliere, quæ eſſet in ætate habili ad generandum.*
23 *In ætate grandiori menſtruorum carentia faceret maximam probationem ſuppoſitionis partus.*
24 *Impotentia generandi in viris, ex quarum culpa eveniat reſpectu ætatis*
25 *Potentia generandi præſumenda penes eum, qui minora habet impedimenta.*
26 *Habilitas generandi pottus præſumenda penes decrepitum, quam penes puerum ante pubertatem.*
27 *Impotentia generandi in puero quò minor eſt, minùs eſt remediabilis.*

De Impotentia ex defectu Ætatis.

QUÆSTIO II.

INter cauſas *ſuperiori quæſtione* recenſitas, quæ & coitum, & generationem impedire poſſunt, erat cõnumeranda ætas tam ex parte viri, quàm ex parte
1 fœminæ; & licet de utraque Impotentia ex ætatis defectu verba fecerim *lib.* 1. *harum. Quæſtion. tit.* 1. *quæſt.* 4. *& ſeq.* tamẽ nonnulla hic peculiariter ad hoc argumentũ pertinentia recitari & adnotari poſſunt.
2 Cùm ergo coëundi, & generandi impotentia poſſit ex ætate provenire vel majori, vel minori, ante de
3 minori loquamur; & primò de impotentia coëundi
4 quæ tametſi circumſcribi certo annorum numero non poſſit, tamẽ id, quod ut plurimùm fit, attendentes, dicendum, duodecimum annum rectè pro eo
5 termino aſſignari poſſe; quanquam enim, ut *loco cit quæſt.* 4. *n.* 42. dicebam, in hac ætate conſtituti ſemen non emittant, ſtimulantur tamen ad coitum, unde tunc, ut ibi, hircire dicuntur, metaphorâ ſumptâ ab hircis, quemadmodum etiam catulire, quod proprium Catulorum, eſt cùm in venerem accenduntur
6 primùm. Varro *de re Ruſtica, cap.* 16. antequam generare poſſint aut ſemen effundere; præcedit enim, ut aliàs dixi, coëundi potentia potẽtiam generandi.
7 Ante hãc ergo ætatem ſecundùm plurimum nullus potens judicandus ad coëundum; & ideirco eâ impotentiâ durante, matrimoniũ contrahi non poteſt, immò per eam dirimitur jam contractum, ut per
8 Brunell. *de Sponſ. concl.* 28. *n.* 8. *ver. Tertia declaratio.*
9 Nota ergo, quòd ſi in particularib⁹ ante determinatum annorũ terminum adveniat coëundi potentia, matrimonium contrahi poteſt, ut ibidem Brunell. *verſ. Primus eſt.* Sanchez, *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 195. *num.* 5. etiamſi ſemen non effundant, quia ſufficit ad contrahendum matrimonium, ut ſuccedere poſſit 10
copula carnalis, etiamſi generatio nulla expectetur. Quamquam Rota *in Hipp. præter matrimonij coram Committio, n.* 14. dixerit, ad validitatem Matrimonij requiri, quod corpus ſit aptum generationi, licet alij contrarium ſenſerint. Hoc tamen, ut ingenuè fatear durum mihi primâ fronte videbatur: nam ſi frigidi illi, qui arrigunt quidem, & Venerem exercent, ſed ſemen non emittunt, non poſſunt matrimoniũ
contrahere, (quam ſententiam acerrimè tuetur San 11
nazar *de Matrim. cap.* 3. *art.* 4. *à n.* 19. *ad plures ſeqq.*) profectò neque iſti poſſe deberent; quod ſi poſſint idipſũ liceret Spadonibus quibusdam, & Eunuchis, qui cum validè Venerem exerceat, tamen generare ob ſeminis defectum non poſſunt: ſed & hujus modi Enuchi prohibentur matrimonium contrahere, prohiberi ergo debent & iſti. Sed dicamus, diſ- 12
parem eſſe rationem, cùm ex coitu Eunuchi, aut frigidi nunquam ſperari poſſit ſeminis emiſſio, nec conſequenter generatio, in hac ætate verò conſtitutis ſeparari poſſit ex uſu coitus, tempore procedente, etiam ſeminis emiſſio, & generatio.

Movent autem Canoniſtæ hoc dubium, nimirum, quanto tempore expectandum ſit, quando per decimo quarto anno completo: & fœmina duodecimo adhuc inveniuntur impotentes. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſput.* 104. *num.* 16. refert opinionem eorum, qui voluerunt expectandum eſſe triennium, rationibus, de quibus *ibi* per eum, & *num.* 17. aliam refert ſententiam eorum, qui voluerunt in puero contrahente decimoquarto anno, expectandum eſſe biennium, in fœmina, quæ nupſit duodecimo, & propter corporis exiguitatem non poteſt pati viri congreſſum, præſcribit tempus uſque ad decimũ quatum annum. Ipſe verò Sanchez. *num.* 18. *ſeq.* ſuam ſententiam patefacit, volens in utroque conjuge expectandum eſſe uſque ad plenam pubertatem, quæ in fœmina abſolvitur decimoquarto, in viris autem decimooctavo. Sed hic advertendum, quòd impedimentum exparte fœminæ non poteſt eſſe niſi coarctatio vel naturalis, vel præternaturalis. Illa evenit ex anguſtia, parvitate, & exilitate viarum, unde non poteſt congredientem virum ſuſtinere, & hic obſervanda eſſent genitalia, ne fortè craſſitudinem haberent monſtruoſam, de qua deſperandum eſſet, quòd ſponſa illa admittere poſſet, quantumcunque bene cõplexa eſſet, & vias haberet mediocriter conſtitutas, nam tunc fruſtrà expectaretur in fœmina plena pubertas; idque tantò magis haberet locum ſi viro exiſtente nimis mentulato fœmina eſſet intenera ætate circa duodecimũ annum, & habitus exilioris, viaſque habens anguſtas, & exiles. Præternaturalis autem arctatio in fœmina ſit, ob membranam craſſam à natura exiſtentem in viis uteri, ut alàs dictũ eſt, prohibentum ingreſſum membro virili quãtumvis exiguo. Itaque in ſimplici coarctatione procedente ex minori, ac teneriori cute, vbi neque adſit improportionata virilis genitalis magnitudo, aut craſſities, quæ impotẽtiam reſpectivâ inducat, nulla cauſa eſt, quòd negari debeat quæcunq; dilatio tem poris neq; debeat expectari non unus tantum annus ſed etiam duo & fortè etiam trienniõ, cùm certũ ſit, ex adulteriori ætate, & ex conſuetudine cum viro, ſucceſſurã eſſe copulam, niſi adſit naturale aliquod impedimentum, quod non adeſſe jam præſupponimus, ſunt enim teneriores puellæ timidæ, & ex minima cauſa dolentes, unde aliquando, etiamſi cum

levi, aut mediocri ſenſu poſſent virum admittere, recuſant; quouſque conſuetudo timorem abigat, & veneris ſtimuli ad admittendum virum impingant, quantumcunque ex congreſſu dolorem ſentiant. Illud facilè perſuadere nobis poſſumus, quòd ubi res ita ſe habeat, vix credibile eſſe in termino unius aut alterius anni hoc impedimentum ſuperari non poſſe. Iure igitur nimis protrahitur hic terminus ad triennium, fortè etiam ad biennium, ſubeſſe enim anno tranſacto aliquod præternaturale impedimentum facilè ſuſpicari poſſumus. In coarctatione autem præternaturali nullus terminus aſſignari debet, ſed illicò matrimonium dirimendum, ut ipſe Sanc. *ibid.* addit, & *diſput.* 107 *num.* 7. neque expectanda eſſet plena pubertas, & hoc quidem non longo dierum ſpatio patere poſſet, quia ſi vir mediocri membro dotatus, & maximè potens in actu coitus, non poterit replicato per quindecim, aut viginti, aut triginta ad ſummū dies clauſtra virginalia diſrumpere, maximè ſi ad hoc medicamētis nonnullis, ut dilatantibus, & emollientibus curaverit, nec fœmina uſa fuerit, ſignum erit evidentiſſimum aliquid impedimenti ſubeſſe præter naturam, quod amoveri non poſſit. Vnde deducendum non ſufficere ad invalidandum matrimonium, quod unica vice vir non potuerit cum ſponſa coire, Rota *in Piſaurin. Iocalium* 22. *Iunij* 1648. *coram Argnelles.* Sed expectandum conveniens tempus, ut ibi. Dubitare autem contingit ad quem terminum reſtringi debeat illud tempus univerſaliter loquendo; nam de impedimento ex parte ætatis jam egimus. Dicendum ergo ex mea ſententia eſſet, quòd quandocunque vir nullo apparenti impedimento ætatis, aut vitij, aut morbi, aut alterius cujuſcunque cauſæ ſive naturalis, ſive accidentalis mulieri aſſociatur, & cum ea coire non poteſt, ſatis ſit de ea re per menſem experimentum ſumi continuando tamen ſingulis diebus concubitum; quo termino tranſacto, ſuſpicandum eſt, gravius ſubeſſe impedimentum, & fortè ſupernaturale, & de eo inveſtigandum. Ratio verò aſſignationis hujus termini eſt, quia cum talis impotentia provenire poſſit ex aliqua animi vehemēti paſſione; ut amoris, timoris, verecundiæ, averſione à rebus venereis, & averſione etiam à propria ſponſa, hæc omnia videntur ceſſare debere prædicto termino ex conſuetudine, quæ maximè in hiſce rebus potens eſt.

Quoad impotentiam autem virorum rectè determinatum puto, expectandam eſſe plenam pubertatem, quæ tamen non ſeriùs, quàm decimooctavo anno ſupervenit, ut concludit *Sanchez* ex quamplurimorum DD. ſententiâ; neque enim videtur juſto longior hic terminus in viro, qui decimoquarto anno matrimonium contraheret, trium nempe annorum: nam obſervatum eſt, & ego ipſe cum aliis obſervavi, nonnullos ad venerem ſeriùs ſtimulari, neque ad eam eſſe potentes, etiam pubertatem attingentes, qui tamen plenā pubertatem aſſecuti ad eam potentes præ cæteris evadunt. In cæteris tamen, hoc eſt, in iis qui matrimonio junguntur poſt decimum quintum, aut deinceps, fortè triennij terminus longior juſto eſt; nam ſi vir plenam pubertatem adeptus aſſiduè cum uxore cubans, & ignavus permaneat, neque poteſt matrimonium conſummare toto anno, vix, ac ne vix quidem credi poteſt, in futurum ad id valere poſſe, niſi alia ſubeſſet cauſa, Itaque ubi non appareret ullum manifeſtum vitium impediens copulam, neque alia ſubeſſet cauſa, de naturali frigiditate ſufficiens experimentum ſumptum eſſet, ſi per annum (fortè etiā per multò minus ſpatium) cum uxore cubuerit, neque matrimonium potuerit conſummare. Vnde expectatio triennij in maleficiato, vel frigido ex maleficio, ſecundum canones vix juſta, ſed in frigiditate naturali nimis longa videtur, & moderandum omninò cenſerem, niſi aliter evidentior ratio perſuadeat.

13 Quemadmodum autem alij citiùs, alij ſeriùs coire incipiunt, ſic etiam alij citiùs, alij ſeriùs coire deſinunt; communis tamen terminus in pluribus eſt ſeptuaginta annorum; intra hunc enim terminum, licèt non tam frequenter, ut per anteactam ætatem, 14 coire valeant, tamen non omnino impotentes ſunt, & pauciſſimi qui veneris ſaltem unico congreſſui 15 non ſufficiant. At tranſacto ſeptuageſimo anno impotentia coëundi præſumi poteſt, & idcirco in ea ætate degentes abſtinere deberent à matrimonio contrahendo, immò ſi omnino impotentes ſint, coguntur abſtinere, & ſi contrahant, nulliter id faciunt, ut probat Navarra. *Conſ. l. 4. Conſ. 3. n. 15. de frig. & mal.* facilè autem impotentes fiunt deficiente tunc temporis calore nativo, & unà cum ipſo materiâ ſeminali, ſpiritu erigente, contrà autem auctâ mirum in modum excrementitiâ humiditate, partium ignaviâ & unaquaque partium omnium commoriente; unde rectè fœminæ hiſce viris matrimonio junctæ dicuntur Viduæ. Cagnol. *in lib. 1. ff. de Iuriſdictione omn. jud. num. 24. Grammat. deciſ. 74.* 16 *num.* 26. Tiraq. *de leg. Connub. lib. 6. gloſſ. 1. part. 6. num. duodecimo, cum pluribus ibi per eum adductis* ad quod facere alluſit Plaut. *in Mil. Glor. 4. ſcen. 2.* hoc carmine.

Pyrg. *Nupta ea eſt an Vidua?* P. *& nupta, & vidua.*
Pyrg. *quo pacto potis*
Vidua, & nupta eſſe eadem? P. quia adoleſcens nupta eſt cum ſene.

quod imitatus nuperrimè fuit lepidiſſimus quidam Poëta, dicens, ſub cujusdam fœminæ perſona, quæ ſeni erat nupta.

In tali afanni.
Vedova, & maritata iò piango gli anni.

17 Cæterum generandi potentia ſeriùs advenit, maturiuſque abſolvitur, non enim quicquam certi elici poteſt ex nonnullis mōſtruoſis potiùs, quàm naturalibus hiſtoriis, quod tamē conatur facere Navarr. *Conſil. lib. 4. de ſponſ. 39. num.* 13. quanquam etenim duodecimo anno coëuntes, & etiam pubertati proximi, aliquam in coitu voluptatem percipiant, ut ex Ariſtot. dixi, ac fortaſſe aliquam emittunt humidita- 18 tem, tamen nullo modo generare poſſunt, quouſque perfectum, & undequaque concoctum ſemen emittant: Itaque rectè ad 15. annum extendi aliàs cum 19 terminum, firmavi, in maribus præſertim; nam in fœminis poteſt ea impotentia maturiùs finiri, ut *ibi*, quippe quæ aliquādo duodecimo anno purgari ſoleant, & conſequenter ſemen ferre, & illud quidem fœcundum, licèt hoc non adeò frequens ſit, quin plures potiùs 14. purgari incipiant; cùm autem 20 purgantur, rectè & ſecundum Naturam aptæ generationi ſunt, quod tunc etiam temporis ſemen intra ſe gignant. Non defuerunt tamen nonnullæ quæ nullo modo purgationes expertæ generarunt tamen, de quibus, & ſimilibus rebus evētu rarioribus vide Schenck. *lib. 4. Obſerv. tit. de concept. & de monſtr. purg.* Illud certum eſt, facilius eſſe mulierem menſtruis 21 deſtitutam, in ætate tamen habili, concipere, quàm eam, quæ à Natura ob majorem & maturiorem ætatem id ipſum patitur. Et idcirco licèt menſtruorum deſtitutio, ubi ageretur de partus ſuppoſitione, etiam in muliere generationi per ætatem habili, facere poſſit præſumptionem ſuppoſitionis partus, (de qua tamē nihil Maſcard. *de probat. concluſ. 1147. vol. 3.* quæ nequaquam erat omittenda) eo quòd

non

non præsumatur apud Medicos ea concipere posse: tamen hoc ex iis non est, quæ inter evētu rariora, & mirabilia sit reponēdum. Esset ergo ea præsumptio sterilitatis in muliere menstruis destitutā alicujus momenti, non faceret autem certam & indubitatam
23 ejus rei fidē, si esset in ætate habili, quemadmodum faceret, si esset in ætate inhabili: nam in ætate habili existente muliere, non deberet nec posset huic soli præsumptioni fides haberi; in ætate verò inhabili sola hæc præsumptio sufficeret, & plenam faceret ejus rei fidem; cùm tales nonnisi ex miraculo generare possint quod satis demonstratur exemplo Saræ, & Elisabeth, de quibus aliàs *lib.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 9. *n.* 57. *& lib.* 5. *sequenti tit.* 1. *de Miraculis, quæst.* 8.

24 Notandum item circa generādi impotentiā in viris, quòd ubi ea ex ætate teneriori evenit, ex seminis tantū parte culpa est, quod vel deficit, vel non adeptum est debitam consistentiam, & cōcoctionem, at ubi ex ætate provenit majori, non ex parte seminis tantùm, quod frigidum sit, & spiritibus destitutum, sed ex parte quoque vasorum omnium, & virtutis tam coctricis, quā expultricis; defecit enim, ut dixi, in provectioribus nativus calor, qui contra viget in juvenibus, sine cujus energia neque semen excoqui neque ejaculari, immò nec produci potest, neque membra erigi, ac munere suo fungi. Itaque si quan-
25 do contingeret dubitari, penes quem præsumenda sit potius generandi potentia, semper determinandum esset, habitā consideratione ætatis, penes illum fuisse, qui minora habet impedimenta, & sic potiùs in puero duodecim annis non majori, quàm in sene septuagenario cæteris paribus; non tamen eodem modo in sene septuagenario, aut etiā octuagenario, quàm in puero octo, aut decem annorum; quia in
26 tam tenella ætate nulla sperari potest seminis perfectio, sine qua generatio fieri non potest. Immò comparatā hac ætate, quæ ætatem præcedit pubertatem proximam, cum decrepitate circa potentiam generandi, semper habilitas potiùs ex parte decrepitatis præsumenda cæteris paribus; quàm ex parte tenerioris ætatis, cùm à naturali via magis alienum sit, puerum ante pubertatē, vel ante duodecimum annum in pluribus, quàm senē, ultra septuagesimum, aut octogesimum generare. Non sic autem, ut dixi, post pubertatē, aut in ipsa pubertate, qua præsente facilius multò est hominem generare, quàm senem post septuagesimum. Neque particularia quædam exempla me ab hac sententia removerent, ut quod Cato octuagenarius, & Masinissa etiam ætate major generarint, & alij relati à Menoch. *lib.* 2. *de Arbitrar. Jud. cas.* 89. *à num.* 55. *ad seqq.* & à Carr. *de Medico, part.* 4. *num.* 28. *& seqq.* & ex nostris à Schenck. *lib.* 4. *Observat. tit. de conceptione*: neque item facit contra nostram assertionem quod Plater. *in suis Quæst. Med. Paradox. cent. post. num.* 38. patrem habuerit, qui post 72. ætatis annum novis nuptiis cōtractis liberos sex suscepcrit, & anno octuagesimo secundo fœmellam procreaverit; & quòd hujus avus post centesimum annum filium suscepcrit, & ad nuptias ipsius supervixerit; hæc enim rara sunt, & ut millies jam dictum est, ordinem naturæ, qui in pluribus observatur, non pervertunt, neque regulam ullam ob id constituunt.

27 Cæterùm illud palam est, impotentiam generandi & coëundi, in pueris eò magis sine remedio esse, quò minorem degunt ætatem, magisque remedia admittere, quò magis ad pubertatem accedunt; in ætate autem majori, eò magis irremediabilem, quò magis in ætate proceditur; licet una alterā minùs remediis cedere valeat: nam cum difficile sit impotentiam coëundi auferre, impossibile omnino est, impotentiam generandi ullis Artis remediis illos exuere posse.

De ætate autem habili ad concipiendum in fœmina, aliàs locutus sum, & relictis insuetis quibusdam conceptionibus in senioribus eveniētibus, annum quintum supra quadragesimum pro termino frequentiori determinaverim. Si libet autem, vide inter Jurisconsultos ad hoc, quos aliàs citavi, & Carrar. *de Med. part.* 4. *num.* 210. *& seqq.* & inter Medicos Fortun. Fidel. *lib.* 3. *cap.* 2. *de Relat. Med.*

SUMMARIUM.

1 *Impotentia coëundi, & generandi, ex naturali vitio provenire potest.*
2 *Vitium naturale apparens, impediens coitum & generationem, quodnam sit.*
3 *Coëundi impotentia in fœminis, ex unica tantùm causa provenire potest.*
4 *Generandi impotentia ex apparente vitio naturali in fœmina.*
5 *Vitia naturalia, impedientia coitum & generationem, non apparentia.*
6 *Omnia naturalia vitia ut plurimùm insanabilia.*
8 *Vitij magnitudo ut æstimanda.*
9 *Vitia naturalia in ætate teneriori magis emendabilia.*
10 *Naturales partes facilius curam recipiunt, quàm animales, aut vitales.*
11 *Vitia parva, & apparentia, facilius tolli possunt.*
12 *Vitia in figura, & situ mutato, si parva sint, facilius curantur.*

De Impotentia ex defectu naturali.

QUÆSTIO III.

UTraque etiam Impotentia, tam generandi, inquam, quàm coëundi, ex naturali vitio potest emergere, ut *quæst.* 1. dictum jam est; quod vitium 1
aut apparens esse potest, aut non apparens. Apparens respicit præcipuè genitales partes oculis cōspicuas; in viris enim membrum flaccidum, aut nimis par- 2
vum, vel magnitudinis etiam incōgruæ, vel crassitie, aut tenuitate insigne, aut obtortum, aut colore deterrimo, aut rugosum. Testes quoque aut nulli, aut admodum exigui, aut situm naturalem non servantes, & coëundi, & multo magis generandi impotentiam manifestò arguunt.

In fœminis autem diximus jam, coëundi impotētiam nonnisi ex nimia uteri angustia, aut ex ejus 3
totali clausura fieri posse; cui vitio nunc aliud addo, nimirum exitum, & summam declinationem ipsius uteri, qui interdum per collum, & externum os foràs prolabitur; quæ vitia oculis conspicua & ipsa sunt. Sed impotentia generandi ex apparenti defectu esse 4
potest, si os distortum sit, si uterus naturalem situm non server, si nimis ampla pudenda existant.

Vitia verò naturalia, quæ oculis intuentium se non produnt, respiciunt internorum vasorum gene- 5
rationi inservientium constitutionem, eorumque, necnon etiam præcipuarum partium temperiem, ut Cerebri, Cordis, Hepatis; hæc enim partium intemperies, quæ & congressui, & generationi omnino obsit, in Viris præcipuè vel frigida esse potest, ob quam pauci admodum spiritus, & universus sāguis frigidior generatur, & consequenter etiam semen, unde cùm una pars alteri sit subordinata, unà peccante, cæteræ quoque ejus vitio participant, ubi ad ulteriora tendat prioris partis operatio; aut esse potest nimis calida, absumens ipsos spiritus; sic & ipsa genitalia eædem intemperies exercere possunt, ut si sit frigida, semen non generent, aut crudum, & pauciſſimi spiritus, quod neque Naturam irritare veleat

ad sui

ad ſui expulſionē,& quod multò minus generationi inſerviat, aut ſi ſit nimis calida, & ipſos ſpiritus, ex quibus ſemen virtutem omnem habet, omninò diſſipet; adeò obſunt generationi ejuſmodi intemperies. Indicio ejus rei ſit, quòd mero ſe ingurgitantes, eoque calorem Hepatis adaugentes, infœcundi ſunt;contrà verò Abſtemij, quòd aquæ potu frigidam temperaturam ſemini concilient, infœcundi & ipſi ut plurimùm ſunt,quāquam Tiraquellus, cùm Abſtemius eſſet, triginta tamen liberos ex legitimis nuptiis ſuſcepit. Korman. *de mirac. vivor. tit. de parent. mult. lib. habent.* Sed & de cæteris intemperiebus ſimplicibus, humidâ nimirum & ſiccâ idem evenire poteſt,ſiccâ quippe generationem ſeminis aut omnino impediente,aut ejus ſubſtantiam labefactante; humida ipſum ſemen fluidum ultra modum faciente, omnem ejus ſenſum in tranſitu obtundendo ejuſq; ſpiritus obruente ac ſuffocante, inſuperq; vaſa relaxante,&retentricem in fœminis, expultricem verò in maribus mirum in modum lædente. Quod autem de ſimplicibus intemperiebus dictum eſt,de compoſitis quoque intelligendum,de quibus jam ulterius non dicam,utquamprimum ad id, quod pro Juriſconſultis facit, me conferam; illud eſt, quænam horum vitiorum emendabilia, quæ non,quæ difficulter,quæ non cum magna dif-
6 ficultate ſanari poſſint.Itaque ſciendum ipſis Juriscōſultis,omnia naturalia vitia maximè curatu difficilia eſſe, & ut plurimùm inſanabilia, alia tamen aliis inſanabiliora:nam aut magna ſunt,aut parva,ſi magna, abſolutè dicendum nullâ arte, nulliſque
7 præſidiis emendari poſſe, cuiuscunque tandem generis exiſtant. Advertendum autem, vitij magnitu-
8 dinem exiſtimādam eſſe reſpectu multarum rerum; nam & partis eſſentia,&ipſa vitij natura,& partium
9 ſitus, & patientis ætas,& mille alia in conſiderationem convocanda, ad cujus rei pleniorem cognitionem revocari in mentem poſſunt ea, quæ retuli de morbi gravitate & levitate *lib. 2. harum quæſt. tit.3. quæſt. 94. à n.14.ad plures ſeqq.* Præcipuè autem conſideranda in decidendo, an vitium emendabile ſit, necne, ætas, in ætate enim tenerioti vitia quædam magis emendabilia, contrà ubi jam ipſa ætas mem-
10 bra duraverit, omnia inſanabilia. De hinc conſideranda partis ipſius Natura, quippe cùm genitales partes, & hepar, aut ut uno verbo dicam, naturales omnes partes reſpectu vitalium, & animalium poſſint faciliùs alterationem pati,& ex conſequenti faciliùs ad contrarium ſtatum reduci; minus enim periculi impendet ex harum partium alteratione ad contrariā temperiem,quàm ex alteratione Cordis, aut Cerebri,præterquam quòd difficiliùs trahuntur hæc, quàm ad illa requiſitam craſim.

11 Cæterum ſi vitia naturalia parva exiſtant, ea vel ſunt apparentia,vel non; apparentia facilius videntur tolli poſſe, ut ſi ob frænum glandi ſubſtratum penis obtortus exiſtat, ſi detegi glans ob præputij anguſtiam non poſſit, ſi uterus non naturali panniculo,ſed tenui obducatur ingreſſum Peni impediente,& cætera ad hunc modū:hæc namque facillimo negotio emendātur. Sed inter hæc ipſa vitia,apparentia,quæ parva ſunt,alia aliis curatu ſunt difficiliora:nam quæ in figura conſiſtant, &in ſitu muta-
12 to, facilius curantur, ut ſi penis obtortus ob ligamentum glandi ſubſtratum ſit, ſi teſtes in inguinibus appendantur ante pubertatem, ſi uterus à loco ſuo modicè deviet, aut os tantiſper diſtortum habeat.At quæ in quantitate,utpote in magnitudine, & in parvitate, difficiliùs,aut nullo modo, in maribus præſertim curantur: nam in fœminis ob partis ipſius naturam, quæ apta nata eſt dilatari & conſtringi, promptius laxitas & anguſtia uteri emendari poſſunt.

SUMMARIUM.

1 *Multi ſunt morbi, qui coitum, & generationem in homine impediunt,& vide num. 7.*
2 *Morbus regulariter reddit hominem impotentem ad generandum, & num. 11.*
3 *Morbus eſt præter naturam.*
4 *Coitus à natura in generationem inventus.*
5 *Ex coitu tota ſpes generandi habetur.*
6 *Coitus non præſumitur in valetudinario.*
8 *Morbi nonnulli hominem proniorem ad Venerem faciunt.*
9 *Non eſt abſurdum, quòd morbus aliquis reddat hominem aptiorem ad generandum.*
10 *Gloſſa notatur in l. Gall. ff. de lib. & Poſthum. defenditur num. 13.*
12 *Quilibet morbus interficiens eſt magnus.*
14 *Diem conceptionis Poſthumi à die mortis viri computandum, limitatione eget.*
15 *Morbus impediens coitum, impedit etiam generationem.*
16 *Febres ardentes omnes, & aliæ non abſimiles, & lethales, & acuti omnes morbi impediunt coitum & generationem.*
17 *Generandi impotentia à morbo contracta durat etiam in convaleſcentia.*
18 *Morbi omnes partium genitalium ut plurimùm impediunt generationem.*
19 *Morbi qui in temperie partium principum conſiſtunt, generationem impediunt.*
20 *Morbi longi, & generandi, & coëundi potentiam adimere ſolent.*
21 *Menſtruorum quodcunque vitium conceptionem in fœmina impedit.*
22 *Notabile vitium menſtruorum faceret aliquam præſumptionem impotentiæ generandi.*

De Impotentia ex morbis.

QUÆSTIO IV.

INfiniti propemodū morbi ſunt,ex quibus coitus, in viris,& generandi potentia tam in viris,quàm in fœminis impediri,aut ex toto abſcindi poteſt,de quibus omnibus & ſingulis ſi agere ſtatueremus,ingens volumē huic tantummodo negotio dicare cogeremur;at quia hoc non modò gratum Lectoribus minimè futurū eſſet,ſed eos ſummo tædio afficeret, neque ſi gratum eſſet futurū,expediret,breviter eos morbos per concluſiones quaſdam univerſales percurremus,qui utramque impotentiam aut excitare, aut favere poſſunt,ut notum dehinc fiat, quoſnam eorum morborum emendationem aliquam accepturos,aut nullam,impoſterum ſperandum ſit.

Ante omnia ergo Juriſcōſulti generaliter loquendo eam concluſionem firmarunt: Morbum reddere 2
hominem impotentem ad generationem, ut per *l. filium eum definimus, ff. de his, qui ſunt ſui vel alien. Jur. & part. l. ſi pater. §. fin. ff. de Adopt. & Arrog.* & per DD. adductos per Surd. *deciſ.83. num.3.* Hoc autem ſumma cum ratione, & prudenti conſilio ab 3
ipſis definitum eſſe cenſendum eſt;cùm enim morbus res ſit præter naturam, ipſique Naturæ de directo contraria,abſque ullo dubio ejus omnes operationes aut deſtruit, aut debilitat, aut depravat; eas autē dirimunt, ac præcipuè quæ vividiorem,& magis vegetam virtutem,& meliorem Eucraſiam,& conſtitutionem animātis requirunt,inter quas præcipua eſt generatio,in qua animal,alterū ſibi ſimile ex ſeipſo progignens,naturæ genio ſummopere indulget, quæ per talem operationem ſuas ſpecies, & in ipſis, & cum ipſis ſeipſam conſervat; ſed non modò ut plurimum morbus impedit generationem,

4 verùm etiam ipsum Veneris usum per quem generatio fit, cùm ad eum finem sit à Natura inventus, ut aliàs ex Savonarola *in pract. magn. tract. 6. cap. 10. rubr. 17.* dixi, unde ex eo tota generandi spes habetur; *l. final. Cod. de Sponsal. & arr. Mal. vas. Cons. 22. num. 1.*

5 & hinc est, quòd alias apud ipsos Jurisconsultos, non præsumitur coitus in valetudinario per ea, quæ

6 ad lucit Mascard. *de Præsumpt. concl. 512. n. 16. vol. 1.* Thom. Act. *de Ipsirm. p. 1. cap. 19. num. 17. ex Abb. in c. tener. extra de Judic.* & ex nostris Codrouch. *in meth. testif. cap. 10.* multo minùs ergo præsumi debet in eo, qui morbo aliquo adhuc detinetur, cùm & pejori multò statu sit ægrotans ex aliquo morbo, quàm cùm ex eo reconvaluerit. Coitus enim, & infirmitas se non compatiuntur, ut notat Rota *in Cremonen. Pension. decis. 519. n. 7. inter recoll.* per Farinac. *part. 2. Tom. 1.*

Adnotandum tamen, quòd quanquam ea, quæ

7 hactenus dicta fuerunt, generaliter loquendo veritatem habeant, non tamen promiscuè accipienda

8 sunt, ut de quibuslibet morbis prolata intelligatur, nam nonnulli quoq; ex morbis sunt, qui hominem proniorem, & potentiorem ad Venerem faciunt: omnis enim pro nunc Satyriasi, & Priapismo, passionibus nempe, in quibus homo effræuato, licèt involuntario, coitus desiderio flagrat, alij morbi sunt, qui genitales partes calefacientes, hominem ad Venerem proritat, ut esset calculus renum, aut vesicæ, vidi enim tales laborantes, dum adhuc sùmis doloribus cruciarentur, in Venerem accendi, quanquam in his morbis tentigo fiat involuntaria; sed alij ex morbis sunt, qui ex sua natura idem præstant, ut est podagra, de qua inter jurisconsultos Farinac. *de falsitate, & simulatione*, & ex Medicis Levin. Lemn.

9 *de Occult. Nat. Mirac. lib. 2. cap. 45.* Sed neque absurdum esset affirmare, posse morbum aliquem reddere aptiorem hominem ad generandum, cùm hoc experientia constat; nam aliqui, qui frigidâ alicujus partis principis intemperie laborabãt, aut ipsarummet genitalium partiũ frigida item dyscrasiâ, vel è contra nimis calida, ob cujus vitium erãt ad generandum impotentes, in cõtrariam dyscrasiam lapsi, ut priores in ardentem febrem, posteriores in frigidum aliquem morbum, fœcundi in posterum effecti sunt. Narrat de se ipso Avenz. *sui Theisir. tract. 3. c. 1.* quòd cùm esset usus regimine satis calido in juvẽtute, generare non poterat. Accidit autem ipsum causone, hoc est, ardenti febre laborare, unde cùm usus esset ob id contrariâ victus ratione, dehinc fœcundus est; alij tamen ex sola morbi natura fœcũdi evaserunt, cujus rei sunt multæ experientiæ, inter quas eam in medium asserã, quam retulit mihi D. Julius Filipellus Eugubinus, Medicus Romanus, vir omni laude dignus, virtute, & morum probitate insignis: Erat Eugubi artifex quidam, qui cum uxore viginti quatuor annis infœcundus omnino vixerat. Hic acutissimo morbo oppressus, cùm ab eo reconvaluit, ab eadem uxore filium suscepit, & in posterum fœcundus fuit.

Utraque ergo Jurisconsultorum conclusio, quòd morbus nimirum, & valetudo coitum, & generationem impediant, est in pluribus, & secundùm plurimum pro vera acceptanda, universaliter autem loquendo non potest verificari, nisi morbo ipso vi-

10 gente. Sed unde, obsecro, adducta est Gloss. *in l. Gallus, ff. de lib. & posth. in verb. decem mensibus*, inhærendo textui, ut diceret, hominem generare posse etiam ea nocte, qua moriturus est? nam idcirco ab ipsi die mortis computari voluit decem menses ad effectum, ut posthumus credatur filius legitimus morientis, & tanquam verus hæres illi succedere possit in bonis: jam enim patet, morbum reddere 11 hominem impotentem ad generãdum regulariter; quid autem si morbus magnus sit? profectò tantò magis de tali impotentia præsumendum. Quonam igitur pacto fieri potest, ut homo magno morbo detentus, (nam profectò licet inter ipsos morbos qui interficiunt, unus sit major altero, simpliciter 12 tamen loquendo, quilibet morbus interficiens est magnus) & ab eo jam totaliter oppressus, mortique vicinus, generare possit? Quomodo ergo Glossæ dictum est accipiendum? Ego quidẽ responderem, non hoc voluisse Glossam, ut in quolibet morbo 13 constitutus homo, & quandocunque præsumatur etiam morti vicinus, generare possit, sed voluisse tantummodò, posse dari hujusmodi casum, in quo homo ea ipsa nocte, qua moriturus est, possit generare. Sed cur semper, inquies, vult computari in posthumo ipsos decem menses à die mortis? An ob id, ne uni ob alterum injuria fiat? quia cùm dari possit is casus, ut quis vxorem suam cognoscens, illicò aliquo repentino morbo, ut apoplexiâ, Syncope, acutissima squinantia, vel consimili moriatur, & tamen mulier ex eo congressu concipiat, ne huic ob alios casus injuria inferatur, dicitur, in omnibus debere computari dies conceptionis Posthumi à die mortis. Verumenimverò hanc regulam multis egere 14 limitationibus, ipsis Iurisconsultis credo sit exploratissimum. Præ omnibus tamen dicerem, in quocunque casu debere cõsiderari genus morbi, ex quo homo decesserit: quonam enim modo vis hominem acutâ, & pestilenti febre per sex, aut plures dies detentum, eâ nocte qua moriturus est, Venerem exercere, & quod multò majus quid est, semen effundere ad generationem aptum? Sed his omissis, & ad eam conclusionem redeuntes, quæ firmat hominem à morbo reddi impotentem ad coëundũ, unde multò magis ad generandum, certum est, esse ex morbis qui magis, aut minùs id ipsum efficiant: itaque has conclusiones ponamus.

Quarum *prima* sit, Omnis morbus impediens coitum, ita ut conjungi marem, & fœminam per genitalia membra non patiatur, simul etiam omnino 15 generationem impedit, cùm quasi pro impossibili sit immò ex mea sententia penitus impossibile, mulierem absque ea perfecta conjunctione concipere. Dixi autem, quasi impossibile, ob ea quæ suo loco subdam *infrà, quæst. 8.*

Secunda conclusio. Omnes febres ardentes, acutæ colliquativæ, syncopales, malignæ, pestilẽtes, hisque non absimiles, morbi insuper omnes, quicunque 16 acuti censentur, id proprium habent, ut & coitum multò magis generationem, omni ex parte, & undequaque impediant, quamdiu vigent, licet ea impotentia ipsis recedentibus ut plurimum recedat, non tamen utraque eodem tempore: nam convalescentes tãtisper ad coitum sufficiunt, licet ex eo summopere lædantur, indicio sit plerumque eos involuntariè in somnis semen effundere, quod Amatus Lusitanus *in suis Curationibus Medicinalibus* sigillum sanitatis esse dicebat; nam quemadmodum vigente morbo spirituum maxima, & indefinens jactura fit, præcipuè si morbus acutus, aut malignus extiterit, sic ubi natura prævaluerit, denuo optimi sanguinis generatio fit, ex quo seminis omnis materia decidi- 17 tur, at impotentia generandi non modo ut plurimũ perdurare solet per totam convalescentiam, sed quandoque etiam ex magnis, & acutissimis morbis per totum vitæ curriculum.

Tertia conclusio. Morbi omnes partium genitalium, 18

aut

aut etiam circumjacentium, generandi impedimentum præſtant, non tamen omnes impedimentum afferunt in coëundo. Patet præcipuè in gonorrhœa, & ſeminis profluvio, quibus durãtibus homo nunquam generat, coire tamẽ bene poteſt, immò ex his affectibus interdum ad coitum urgẽtionibus ſtimulis excitatur. Cùm gonorrhœam autem dico; & ſeminis profluvium, de vera gonorrhœa & ſeminis profluvio intelligo, non de pleudo-gonorrhœa, qualis fieri plerumque ſolet ex contagio Gallico, cum hac enim videmus permultos in dies filios procreare, tam maritos, inquam, quàm uxores.

19 *Quarta concluſio.* Omnes morbi, qui partium principum craſim, ſeu temperiem devaſtant, impediunt ſemper generationem, aliquando etiam coitum; tales eſſent Maraſimus, Hectica, Cachexia, Hydrops, & his non abſimiles; patet, quia tam ad coitum, quàm ad generationẽ, omnium principum partium virtutes concurrunt, quarum unicâ malè effectâ, neceſſe eſt inde conſequentes actus impediri. Sed quamvis prædicti morbi difficiles ſint ad ſanãdum, non eſt tamen impoſſibile, hominem ex illis evadere & ad naturalem ſtatum reverti, unde etiam in poſterum utraque impotentia in illo recedat. Licèt non ſit tam infrequẽs, ut ſæpe experiamur, nonnullos prædictis morbis detentos aliquando coire, & filios procreare, præcipuè verò Hecticos. Unde concluſio in pluribus, & ſecundùm plurimum vera eſt, non autem generaliter in omnibus.

20 *Quinta concluſio.* Morbi omnes longi, & inveterati utramque impotentiam, ſed præcipuè generativam conciliãt; patet quia ex talibus morbis ſingulæ corporis partes per ſe, præſertim verò principes, intemperatæ evadunt, ipſumque ſanguinem; & conſequenter ipsũ ſemen ſummopere vitiant. Quod ita accipiendum, ut tales morbi ſint alicujus momenti, non verò leves, ut eſſet levis quartana, aut febricula ex obſtructionibus dependẽs, aut alius ſimilis morbus; cum his enim, etiamſi longi & pertinaces eſſent, impoſſibile eſſet hominem generare.

21 *Sexta concluſio.* Menſtruorum quodcunque inſigne vitiũ, ſive in exceſſu, ſive in defectu, ſive in qualitate mala conſiſtat, poteſt in fœminis conceptionem impedire. Hæc concluſio Medicis eſt acceptiſſima, & aliâ probatione non indiget; ſed notandum quòd vitium qualecunq; inſigne menſtruorum faceret quidem aliquam præſumptionẽ, & conjecturam impotentiæ generandi in ea, contra quam ageretur de ſuppoſitione partus; nam tamen conjectura illa per ſe eſſet magni momẽti, quia non eſt impoſſibile, menſtruis qualitate mala dotatis, aut deficiẽtibus, aut excedentibus, ultra naturalem modum, fœminam concipere. Sed hæc præſumptio aliis aſ-
22 ſociata non eſſet contemnenda. Circa defectum tamen menſtruorum revocanda in mentem ſunt ea, quæ *ſuperiori quæſtione* innuebam, videndumque, num defectus ſit ob majorẽ ætatem, vel ob humorum, & corporis vitium, cùm in uno caſu faciliùs quàm in alio ſit, fœminam concipere.

23 *Septima concluſio.* Sanguinis evacuationes omnes immoderatæ & inſignes, quomodocunque eveniant, ſive à naturâ, ſive ab arte, ſive per accidens, tam virum, quam mulierem reddũt ad generationem impotentem, aliquando etiam virum, ad coitum, ſaltem per aliquem notabilẽ temporis tractum: quia calorem naturalem inſigniter diminuũt, corpuſque mirum in modum refrigerant, ſpirituſque omnes exhauriunt; unde niſi ad priſtinum vigorem redeant, (quod nonniſi poſt longum tẽpus, & interdum nũquam ſuccedit) nunquã ad coitum, & multò minus ad generationem ſufficiũt, immò ex ſimilibus evacuationibus refrigerato ad extremũ nativo calore, in cachexiam & hydropẽ, ac ſimiles morbos ruunt.

SUMMARIUM.

1 *Frigidi qui dicantur.*
2 *Frigiditas à Natura eſſe poteſt, & à morbo.*
3 *Maleficiati qui.*
4 *Differentia prima inter Maleficiatum, & frigidum, reprobatur, num ſeq.*
6 *Maleficiati poſſunt quoad omnes fœminas maleficiari.*
7 *Secunda differentia inter frigidum, & maleficiatum, reprobatur ibid.*
8 *Frigidi nonnulli Venerem exercent, ſed ſemen effundere non poſſunt.*
9 *Frigiderum plures differentiæ.*
10 *Frigidi nonnulli, antequam ad opus perveniant, ſemen effundunt.*
11 *Frigidus dici non poteſt, qui alieno modo polluitur, declara ut num. ſeq. n. 16.*
13 *In Colis reſolutione impeditur tum erectio ipſius, tum etiam ſeminis excretio.*
14 *Frigidos inter ſe multùm differre rationi conſonum.*
15 *Tertia differentia inter frigidum, & maleficiatum, reprobatur. ibid.*
17 *Frigidum à maleficiato diſtinguere operoſum eſt.*
18 *Frigidi nonnulli pro frigidis judicari certò poſſunt, maleficiati verò nonnulli pro certò maleficiatis.*
19 *Frigidus à maleficiato quomodo diſtingui poſſit.*
20 *Frigiditas probatur ex Juriſconſultis per corporis aſpectum, declara ut num. ſeq.*
22 *Frigiditatis ſigna.*
23 *In frigidis nunquam erigi membrum falſum.*
24 *Animal ſimulatur ad coitum ex ſeminis turgentia.*
25 *Teſtes in ſeminis generatione principatum obtinent*
26 *Spadones, quibus ſuperior teſticulorum pars in ſectione relicta eſt, generare poſſunt.*
27 *Signis manifeſtis frigiditatis præſentibus, non eſt de maleficio dubitandum.*
28 *Coëuntes, ſed ſemen non emittentes, aut in parva quantitate; & nullius conſiderationis, an matrimonium contrahere poſſint.*
29 *Coitus actio tendit ad ulteriorem finem.*
30 *Mulier poteſt à viro corrumpi, & tamen matrimonium non tenere ex capite impotentia.*
31 *Frigiditas non cadit in mulieres, ex Juriſconſultis.*
32 *Mulier ſemper ad coitum prompta eſt, quantum eſt ex parte ſui.*
33 *Frigiditas paſſioni obſtare non videtur.*
34 *Mulier non ſecus ac vir frigida eſſe poteſt.*
35 *Frigida mulieres, qua dicenda.*
36 *Per qua ſigna probetur frigiditas in muliere.*
37 *Naturalis frigiditas eſt irreparabilis.*
38 *Magna cauſa qua.*
39 *Sectio venarum exiſtentium poſt aures cur ſterilitatem faciat.*
40 *Frigiditate naturali probatâ, illico matrimonium dirimitur, non expectato triennio.*
41 *De particularibus non datur ſcientia.*
42 *Viri ſolum ex maleficio ſunt ad coitum impotentes.*
43 *In dubio num vir potius frigidus ſit, quàm maleficiatus præſumptio debet eſſe frigiditatis.*
44 *Præſumptio ſemper eſt ex parte cauſæ, quæ magis eſt prompta ad agendum.*
45 *Vir cur frequentius quàm mulier maleficio tentetur.*
46 *Modi, quibus Damon impotentes viros reddit ad coitum.*
47 *Maleficium duplex.*
48 *Medicamenta quædam coitus impotentiam faciunt.*
49 *Maleficium ſupernaturale quibus modis procuretur.*
50 *Maleficium verbis, ſigillis, figuris, viſu, & hujuſmodi aliis rebus procurari non poteſt.*
51 *Media, quibus maleficiati à damone ligantur.*
52 *Arnaldus, Conciliator, & Cardanus notantur.*
53 *Veneficium non ſit abſque damonis opera.*
54 *Signa maleficiati remiſſive.*
55 *Naturale maleficium remedio non caret.*
56 *Supernaturale maleficium naturalibus remediis curari non poteſt.*
57 *Maleficium ſupernaturale nullus curare poteſt, niſi ſit damoniaca artis peritus.*
58 *Ex animi paſſione nonnulli reddantur ad coitum impotentes.*
59 *Præſumptio impotentiæ coëundi poteſt haberi in eo, qui intensè odit, vel amat intensè uxorem.*

60 Impo

60 *Impotentia consurgens ex odio aut amore effræni, tempore evanescit.*
61 *Amor tempore effervescit, odiũ ejusdem beneficio mitescit*
62 *Consuetudo concinnat Amorem.*

De Frigidis, & Maleficiatis.
QUÆSTIO V.

1 FRigidi dicuntur, qui in ætate habili ad Venerem exercendam omnino ad eam sunt inepti: neque enim pueri antequàm ad pubertatem accedant, eo quòd inepti ad coitum sint, frigidi dicuntur; neque item frigidi propriè dicendi ex mea sententia essent decrepiti, etiamsi verè ob frigiditatem, vel potiùs ob nativi caloris depauperationem coitum exercere non possint, sed lato tantùm modo potest & ipsis frigidi nomen aptari: licèt contrarium sentiat Argen. *lib. 1. conf. & Epist. Medic. consil. 2. cap. 7.* Sed hoc vitium potest & à Natura esse, & à morbo, quia in-
2 temperies frigida, seu partium sit, seu totius, ab utero aliquando contrahitur, interdum etiam ab accidenti superadvenit. Ii verò, qui à Natura hujusmodi vitium patiũtur, nunquam, aut de raro ad modum, vsum venereorum experiuntur: qui autem a morbo, aut alia quavis accidentali causa, ante ejus quidem causæ accessum erant, ut cæteri homines, ad coitum potentes, mox ab ejus adventu ad eum inepti facti impostèrùm sunt, ut Scythis ob assiduam equitationem evenire tradebat Hipp. *lib. de Aer. Aq. & loc.*

3 Maleficiati porrò sunt, qui vel ob malorum medicamentorum applicationem per se, vel arte, & Dæmonis auxilio adjuncto, redduntur ad Venerem impotentes, vel alia quavis noxa afficiuntur. Sed nobis pro nunc de prioribus tantùm differendum.

Cæterùm inter Medicos Cardan. *lib. 2. de venenis cap. 7.* & inter Iurisconsultos Capella Tolosan. *quæst. 35. num. 1.* & adducti per August. Barbos. *collect. D. D. lib. 4. tit. 15. cap. ult. num. 10. Tom. 2.* distinguentes inter frigidum, & maleficiatum, dicebant frigidum non posse cum aliqua muliere coitum exercere, maleficiatum cum omnibus posse, præterquam cum una. Sed hæc differentia non est semper
4 vera, nec generica, complectens omnes, qui ad coi-
5 tum non sunt apti ob frigiditatem, aut maleficium, & inter hos, aut illos anumerãdi; quia ex maleficiatis etiam nonnulli sunt, & esse possunt quoad omnes mulieres maleficiati, ita ut ad nullam omnino arri-
6 gant. Quin & alij ex iis sunt, & esse possunt, qui ad nullas arrigant præter quam ad unam, ut ex ipso Cardano patet.

Neque etiam vera est altera differentia allata ab eodem Capella Tolos. *ibi n. 2.* & à Barbos. *ibid. n. 11.* quòd nimirum frigidus à maleficiato differat, quia frigidus virgam non erigit, maleficiatus maximè, sed cum ad opus appropinquat, membrum flaccescit, ac desidit, ita ut coire non possit. Non est (in-
7 quam) vera, neque universalis hæc differentia, quia nonnulli ex frigidis sunt, qui non solum arrigunt, sed etiam venerem utcumque exercent, sed semen non possunt effundere; frigidorum enim teste Cardan. *ubi suprà* plures sunt differentiæ. Aliquibus
8 enimPenis nullo modo arrigitur, aliis arrigitur quidem, sed cùm paululum pertractatur, elanguescit;
9 nonnulli sunt, quibus usque ad opus in erectione perdurat, immitti tamen in uterum non potest, præsertim si prægrandis sit, & vas fœmineum angustius, alij sunt, ut dixi, qui venerem quidem exercent arrectum membrum in uterum impingendo sed semen, quantumcunque laborent, nullo modo emittere possunt, & de his mentionem quoque habet inter Jurisconsultos, seu Canonistas Sanchez. *de Matrim. lib. 7. disp. 93. n. 7.* & ex nostris Constantinus, ex quo Baver. *conf. incipient. In nom. Individ. Trinit. in 1. concl.* quod licet de raro contingat, ut ipse Card. ibidem testatur, apud Aëtium tamen *Tetrabil. 3. serm. 3. cap. ult.* is casus narratur, & alias non dissimiles historias videre licet apud Schenck. *lib. 4. Observ. tit. de coitu:* imò plures hoc vitio laborantes testatur se vidisse Petrus Forest. *observ. suar. lib. 28. obs. 18. in schol.* & concedit etiam Mercat. *de sterilit. & prægn. aff. lib. 3. cap. 3.* Connumerat quoque inter fri- 10
gidos Cardanus eos, qui antequam ad opus perveniant, semen effundunt, de quibus etiam ex Canonistis, Sanchez, *de Matrim. lib. 7. disp. 92 num. 8.* Quod si tales inter frigidos connumerandi sint, falsa omnino erit illorum sententia, quam referebat idem Sanchez. *Ibid. dis. 94. num. 5.* qui voluerunt non esse
frigidum illum, qui aliquo modo polluitur, cujus 11
opinionis videtur inter Medicos Augenius, qui *lib. 10. conf. & Epist. Medic. cap. 7. Tom. 2.* frigidos eos tantùm dici vult, qui semen non generant. Ego quidem hanc sententiam licet non omnino approbandam, tamen neque undequaque respuendam censeo. Nam eos qui arrigunt, & semen effundunt, antequàm ad opus perveniant, impropriissimè frigidos vocari dixerim, imò promptiùs eos calidos, & salaces, quàm frigidos vocaverim, cùm ex nimia caliditate, & seminis ipsius acrimonia ac pruritu id evenire possit, quamquam etiam ex fervore amoris, & acutioribus veneris stimulis idipsum possit contingere. Illos quidem aptiùs frigidos vocari posse dixerim, qui non ex nimio calore, aut seminis acutie, antequam ad opus perveniant, polluuntur, sed ea retentricis debilitate, quæ ex præcipuarum partium remissiore calore succedere potest.

Sed quòd nullus, qui semen quoquo modo effun- 12
dat, reponi debeat inter frigidos, mihi absolutè non probatur, sunt enim nonnulli, ut Baver. ex Constant. refert, *conf. aliàs cit.* qui excitantur quidem ad Venerem, & semen etiam emittunt, si vel Penis diutius manibus tractetur, vel in mulieris amplexibus arctè, ac multum commorentur, tamen exigere non possunt, idque vel ob ipsius Penis resolutionem, vel ob frigiditatem genitalium partium, vel omnium, vel aliquarum, ut practici docent. Piso *de cur. morb. lib. 3. cap. 47.* Hos autem ego absque dubio inter frigidos connumerandos censeo, cùm nihil interfit, an semen effundãt, necne, si coitum ob frigiditatem
exercere minimè valeant. Tametsi verò Aët. *serm. 6.* 13
cap. 35. dixerit, in Colis resolutione impediri non modò coitum, sed etiam seminis excretionem, quod facere partium videtur pro contraria sententia, respondendum tamen, Aëtij dictum non habere locum in omnibus, sed iis tantummodò, in quibus unà cumPene vicinæ quoque partes, & vasa tam deferentia, quàm concoquentia, & ejaculantia afrecta sunt; nam potest Penis ex se resolvi absque resolutione prædictarum partium, cùm habeat proprios musculos aliis partibus non communes, habet quoque proprios nervulos, licet superficiarios.

Sed ad principale punctum redeundum: Rationi 14.
consonum est frigidus inter se multum differre, & alium altero minùs aut magis ab hac vel illa actione, in Venere exercenda requisita, prohiberi: quia cùm eam ineptitudinem ex frigidiori intemperantia vel totius, vel partium nonnullarum patiantur, necesse est, eam intemperantiam plures, aut pauciores gradus sortiri, cùm multam habeat latitudinem juxta quos gradus hunc, aut illum arrigere, aut non arrigere, aut multum, aut parvum in erecti one persistere necesse: Imò nonnullos adnotare licèt;

licet, qui rectè ut alij Venerem perfectè exercent, ſed ſi uterum anguſtiorem offendant, co tum perficere nequaquam poſſunt, quod illis præ caloris inopia evenit, ob quam deficit virtus ipſius membri, quod neque ita dureſcit, ut ubi per anguſtiores ſemitas ſit vi erumpendum, ad opus ſufficiat, habent enim cor frigidiuſculum, à quo membrum erigitur per ſpiritum ab ipſo per arterias immiſſo; hos ego ſemifrigidos rectè dici poſſe credo, de quibus quoque Sanchez, *ubi aliàs diſp. 93. n. 3.* ex Alberto mentionem habet.

Apparet etiam ex prædictis, falſam quoque eſſe
15 tertiam differentiam inter frigidum, & maleficiatum ab eadem Capella Tolofana allatum, nimirùm quòd maleficiati ſemen emittant, frigidi autem nequaquã, nam præter eos, quos diximus abſque Penis erectione ſemen effundere, alios autem eſſe conſtat frigidos, qui & arrigant, & ſemen effundant, ſed, ut ſuperiùs dixi; antequam ad opus pervenire poſſint, licèt autem tunc dixerim; at interdum à caliditate provenire, & idcirco tales impropriſſimè vocari frigidos, tamen nonnulli ex iis ipſis ſunt, qui ſemen quidem effundunt laudabile, & quantitate, & qui-
16 busque debitis conditionibus dotatum, & hos minimè rectè vocari frigidos dico, alij tamen qui eodem modo ſemen effundunt, ſed quantitate modicum, & fluidum, & infœcundum, omnique laudabili qualitate deſtitutum, non abſque ratione frigidi & ipſi dici poſſunt, qui à diminuto calore partium ſemen concoqui non poteſt, ſi modò ſeminis nomen materia, quam effundunt, mereatur.

17 Ex quibus inſuper facilè deduci poteſt, admodum operoſum eſſe diſtinguere inter frigidum, & maleficiatum per aliqua particularia ſigna, ut nonnulli voluerunt, & hoc dico univerſaliter loquendo. Illud veritatem habet, frigidos aliquos poſſe certo pro frigidis cognoſci, & pro frigidis pronunciari, maleficiatos verò, nequaquam, quia non habent hi quicquam peculiare, per quod à frigidis diſtingui poſſint, (quanquam nonnulla aſſeruntur à Codronch, *de morb. Veneſ. lib. 3. cap. 13.*) niſi, ut ipſe Codronchius docet, abſentiam eorum ſignorum, quæ frigidum hominem denuntiant. Vbi enim omnia ſigna adeſſent, quæ vividum calorem in viro demonſtrare ſolent, ut recta, & naturalis partium conformatio, & conſtitutio, ſitus, habitudo; pili requiſiti in conſuetis locis, & his non abſimilia, potentia prægreſſa per anteactã ætatem, ſi dehinc vir hic ad coitum impotens fiat, neque ulla evidens cauſa, neque morbus ullus prægreſſus fuerit, qui id potuerit efficere, ſuſpicari facilè licet, malefcium ſubeſſe. Alia verò ſigna, ad id dignoſcendum tradita, neque facilè obſervari poſſunt, nec quicquam certi edocere.

Cæterùm I C. voluerunt, frigiditatem tam in viris,
18 quàm in fœminis per corporis aſpectum probari ut
19 notat ex pluribus Maſc. *concl. 816. num. 1. lib. 3.* quod tamen non de omni frigiditate verum eſt, ſed de ea
20 tantum, quæ ab interiori, naturalique frigida intemperie provenit, ob quam ea ſigna pullulare neceſſe eſt, quæ frigiditatem ipſam manifeſtiſſimè commonſtrant, ut deinceps videbimus. Itaque ubi ea ſigna adfuerint, turò ſententiam ferre poſſumus de præſenti frigiditate; non tamen etiam illis abſentibus ſignis negandum eſt, frigiditatem nullam adeſſe.

Signa igitur, quæ ex naturali, & intenſa partium
21 principum, præcipuè autem genitalium, frigiditate ſeſe produnt, hæc ſunt: paucitas pilorum, aut omnimoda carentia in inguinibus præcipuè, tam in viris, quàm in fœminis, & in viris etiam barba; pilorum enim proventus ex caliditate excitatur. Secundum 2
ſignum eſt partium non naturalis conformatio, ut 2
membrum, aut nimis parvum; exiguitas enim & materiæ paucitatem, & virtutis imbecillitatem, magnitudo luxuriantis materiæ, & calorem obruentis affluentiam denotat. Tertium, eiuſdem membri etiam optimè conformati flaccidiras, & inexcitabilis mollities, veluti decrepitis accidit, de quibus Juven. *Sat.* 10.

Jacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamvis totâ palpetur nocte, jacebit.

aut quòd etiamſi tantiſper erigatur, minimum temporis in erectione perdurat, ſed confeſtim elangueſcit. Nam non eſt verum omnibus frigidis, id quod Sanchez *de matrim. loco ſupius citato, diſp. 94. num. 6.* 23
dixit, quòd in illis nunquam membrum erigatur, hoc enim latè ſuperius demonſtratum eſt, eſſe falſum. Quartum, averſio quædam connaturalis à commercio venereo, & quibusvis venereis rebus cùm enim frigidi ſemen aut non generent, aut quantitate exiguum, & pravæ qualitatis, tenue nẽpe, & aquoſum, nullisque penè ſpiritibus turgens, neque ſuâ quantitate, neque qualitate excitare poteſt animal ad ſui excretionem, turgente enim & ſuperabundante ſemine, quod laudabile ſit, omnino animal ad ejus excretionem excitatur. Quintum 24
ſignum eſt, Teſtium carentia omnimoda, aut eorum parvitas; aut etiam incongrua magnitudo, aut non naturalis ſitus; hæc enim caloris naturalis pauperiem, & conſequenter imbecillitatem virtutis teſtantur: nam teſtes in ſeminis generatione, ſive per- 25
fectione principatum obtinẽt, ut Medici omnes exiſtimant, contra Ariſtotelis opinionem, qui illis vim ſeminis generativam denegavit *3. de hiſt. animal. c. 1.* quem refert inter Iurisconſultos Carrar. *de Med. & ejus off. part. 1. n. 137.* & inter Medicos Laurentius *Anatom. lib. 7. queſt. 2.* qui in quæſtione ſequenti Medicorum opinionem tuetur, & Ariſt. reſpondet. Hoc dico quia non tantæ neceſſitatis eſſent ad fœcunditatem, & ad coëundi potentiam ipſi teſtes, ſi Ariſtotelis opinio veritatem haberet, pro qua tamẽ maximè faceret id, quod Holler. *ſect. 5. Aphor. 63.* dicebat, nimirum Spadones quoſdam generare poſſe, quibus ſuperior teſticuli pars relicta in ſectione fuerit, juxta quam experiẽtiam videretur, teſtes ad ſemi- 26
nis confectionem non requiri. Firmaret hoc ipſum quod ipſe Ariſt. *cit. loc. 3. de hiſt. anim.* & Columell. *6. de re Ruſt. cap. 27.* dicebant, boves non protinus à caſtratione generandi potentiam amittere, ſed hæc pro nunc indeciſa relinquamus. (Vid. Gr. Horſtius t. 1.)

His ſignis ergo, aut eorum pluribus potioribusq; præſentibus, frigiditatem quoque præſentem eſſe judicari poteſt, quæ neque in dubio revocanda tunc 27
temporis eſt, an ex maleficio contingat, necne, quia ob hanc frigiditatem ex his ſignis concludẽtiſſimè probatam, abſque dubio ſeparari illicò matrimonium poteſt, non expectato triennio Brun. *de Sponſ. & matrim. concl. 28. n. 16.* Maſcat. *concl. 312. n. 16.* quia talis frigiditas cùm conſpicua ſit, ope medica reparari ullo modo non poteſt, ut Medicis eſt notiſſimũ quorum auctoritates, ſi libet, vide apud Practicos *in cap. de Impot. Venereor. & de ſteril.*

Atque hinc eliciendum, malè Iurisconſultos culpaſſe Roder. à Caſtr. *lib. 3. part. 2. de morb. mul. cap. 2.* quòd voluerint frigidum, ſeparato matrimonio cum ea, cum qua contraxerat, non poſſe cum alia contrahere: maleficiatum verò maximè, ex eo quòd frigidus uni, ſit autem frigidus alteri: nam, inquitil-

le, hæc

le,hæc poſtrema pars non eſt vera, quia multi ſunt frigidi cum una, & non generant, cum alia tamen generant. Sed certè Rodericus tranſcendit ab impotentia coëundi,ad impotentiam generandi; nam Juriſconſulti non vocant frigidum impotentem ad generandum,ſed impotentem ad coëundum; & ſic ſi eſt impotens ex defectu naturali, aut quomodocunque quis cum una, erit etiam cum alia. Neque enim frigidus dici poteſt quis, ſi cum una non poteſt coire,& cum alia poteſt,quēadmodum neq;ſi cum una coire poteſt,&aliis omnibus nequaquam.

28 Poteſt autem ex dictis dubium inſurgere hujuſmodi: Nam cùm aliqui ſint ex frigidis,ut ſupradictum non ſemel ſuperiùs eſt, qui coeunt quidem non tamen ſemen emittunt,aut emittunt quidem, ſed in quantitate nullius cōſiderationis,& qualitate tenue,& aquoſum, & in ſumma minimè prolificum, dubitari poteſt, an hi validè matrimonium contrahant, quod videantur poſſe carnaliter commiſceri, & ſic matrimonium conſummare. Ad hoc dubium,ſalvâ ſemper veriori ſententia,negativè reſponderem: & ratio eſt, quia cùm actus coitûs tendat ad ulteriorē finem, nempe ad ſeminis emiſſio-

29 nem,cum ſpe quoque futuræ generationis;jam patet in his actum illum ſuo fine fruſtrari, & ſic non poterunt fortè tales validè matrimonium contrahere.Simile enim eſt de Eunuchis,qui arrigere poſſunt, & uteri clauſtra penetrare, imò & materiam quandam effundere,qui tamen matrimonium contrahere non poſsūt,quia materia illa non eſt verum ſemen; ut autem matrimonium validum conſiſtat, requiritur,ut vir verum ſemen effundat.Sanchez *de Matrim.lib.7. diſp.92. n.57.* ſed hoc Canoniſtæ decidant,quibus in omnibus me remitto,non enim ego hæc aſſeveranter dico,ſed ſolùm per modum dubitandi, & eâ ductus ratione, quòd neque Eunuchi, qui eodem modo Venerem exercent, & aquoſam quandā humiditatem in coitu emittunt, matrimonium cōtrahere poſſunt,imò contractum ex hoc dirimi poteſt,ut ex Conſtitutionibus Pontificiis elicere licet,& notat Barboſ. *in Collect.Doctor.lib.4.tit.15. cap.5. num. 11. Tom. 2.* non obſtante quòd Navarra *lib.4.conſ.tit.de frig.& malef.conſ.3.num.11.* contrarium teneat.

30 Ex hoc apparet,ſi modo vera noſtra ſententia eſt, poſſe mulierem à viro fuiſſe corruptam, & tamen matrimonium ex capite impotentiæ non tenere,& idcirco de hac frigiditatis ſpecie eſſet quidem particulariùs conſiderandum à Juriscōſultis;nam ego, ut dixi,hos in eorum cenſu haberem, qui Eunuchi naſcuntur,non enim majorem uſum genitalium habent illi, quàm hi. Qui autem pro noſtra ſententia auctoritates in hac quæſtione deſiderat, videat Sanchez *cit. lib.7. diſp.92. num.7.* Dices autem, cùm matrimonium inter decrepitos, qui ad generationem ſufficientes non præſumuntur, ſit validum, cur & horum matrimonium non erit pariter validum? Reſpondeo,quòd quantumcunque in decrepita ætate vir conſtituatur,dummodo coire poſſit, ac matrimonium conſummare, nunquam eſt omnino extra ſpem generandi:ſed hujuſmodi viros, non aliter quàm Eunuchos, nullam generandi ſpem habere poſſe, & ſic ſi impotentia generandi ſufficiens eſt ad invalidandum matrimonium,illudque impediendum,certè hi nunquam validè matrimonium contrahere poterunt.

Sed cùm plura de virorum frigiditate attulerim, ſix quicquam de mulierum frigiditate me tetigiſſe meminī de qua tamen peculiariter ſciendum, voluiſſe Juriſconſultos, & Canoniſtas eam non cadere in muliere : Sanchez *ubi proximè num. 1.* mulier enim quantum eſt ex parte ſui ſemper ad coitum eſt prompta,neque ad illum exercendum impeditur, niſi uterum occluſum habeat. Ita quoque ex 31
Medicis Mercurial.*lib.4. de morb. mul. cap.* 10. Cau- 32
ſam verò cur mulier frigida non fiat ex D. Thoma recitat Sanchez,*ubi ſuprà.n.*1. & Mercur. *ibid.* ea autem eſt,quod cùm mulier patiens in coitu ſit, frigiditas paſſioni obſtare non videtur; neque enim calor requiritur ad patiendum, quemadmodum ad agendum.Adnotandum tamen, quòd ſi aſſumamus 33
frigiditatem,quatenus impedimento eſt celebrationi conjunctionis carnalis,verum eſt,eam non cadere in mulierē;ſed ſi conſideremus frigiditatem,quatenus obſtare poſſit conſummationi illius actus ex parte ipſius fœminæ:nempe quod cum nulla voluptate coëat,cum nulla partium tenſione, cum nulla
ſeminis emiſſione,mulier non ſecus ac vir frigida 34
eſſe poteſt.Non quemadmodum frigidos viros dicimus, quibus membrum non erigitur,ſic etiam fri- 35
gidas mul eres dicemus, quantùm ex hoc, quibus uteri cervix in actu coëundi nunquam tenderetur aut carunculæ in ea exiſtentes non tumefierent, ut cæteris, quæ cum voluptate & deſiderio coëunt, ſic ri ſolet ; tenſio enim uteri reſpondet erectioni Penis, & quemadmodum vir, etiamſi erigat,&ſemen non emittat,frigidus vocandus,ita etiam mulier,quæ ſemen non emitteret, frigida, ſic, etiamſi ſemen emitteret,ſed paucum, & nullius conſiderationis, (quod tamen neutiquam ſciri poteſt)poſſet mulier cum his viris frigidis comparar, de quibus jam ſuperiùs diximus, ferre ſemen nullius valoris, & modicum.Ergo licet mulier nunquam penè impedire poſſit,quin coitum admittat, impeditur tamen ex frigiditate,ne cum voluptate, & membrorum tenſione coëat,ne ſemen excernat,aut paucum, tenuius,& aquoſius quàm par ſit,ut de viris diximus,imò etiam ne omnino intra ſe ſemen generet,tandemque ne ad generationem habilis ſit;talis 36
autem frigiditas in mulieribus ,ex omnibus ſignis, earum tamen propriis,quæ frigiditatem in viris atteſtantur,probari poterit,de quibus etiam cum aliis ad hoc ipſum facientibus quæſtione octava plura dicemus.Siquis tamen eorum lignorum frigiditatis in muliere majorem cognitionem habere deſiderit,ad *Vterum* in utero muliebri confugiat, ubi plura habet ab aliis non animadverſa;præcipuè verò particulam quandam in ſuperiori labro muliebri adnotavit,nempe ſanguinem quendam,quem illeGynecemyſtacem appellat , atque hanc ad dignoſcendam uteri temperiem maximam prærogativam habere inculcat.

Sciendum tamen, mulieris frigiditatem nulli rei poſſe eſſe impedimento, quoad matrimonium valide contrahendum, cum ex hoc non impediatur quin debitum reddere marito poſſit. Sannazar. *de matrim.cap.3.art.4. n.11.* niſi obſtet impotentia generandi.

Cæterùm ſciendum, quod aliàs annuimus, omnem naturalē frigiditatem ut plurimùm ſaltem eſ- 37
ſe irreparabilem , accidentalem autem non eſſe ſemper absque remedio , ſed tunc ſolùm cùm ex maximis,& validiſſimis cauſis ortū habuerit,& diu jam perduraverit ; magnæ autem cautæ erunt, ex- 38
empli gratia, longi ac difficiles morbi,valida capitis,vel cervicis,vel ſpinæ percuſſio, larga ſanguinis evacuatio,& ultra vires facta, ſive illa arte, ſive à morbo fiat, præcipuè autem ex quibusdam venis, ut ex iis, quæ ſunt poſt aures, ex quarum ſectione non modò reddi hominem infœcundum ajunt,Hippocratis

pocratis auctoritate, *in l. de Gen. & alibi*, ſed etiam ad venerem ignavum & impotentem, ut Alex. Bened. ex aliquorum doctorum teſtimonio firmat *lib. 24. ſuæ pract. cap. 12.* de hac tamen re plenissimè Nancel. *in Analog. Micro. ad Macroc. lib. 10. problem. 1.* Sic eosdem effectus produceret larga ſanguinis evacuatio per venas facta, quæ ad interiorem tibiarum partem juxta malleolos feruntur, auctore eodem Hipp. *in lib. de loc. in Hom. non longè à princ.* Sed
39 unde harum venarum ſectio tales producere poteſt effectus? An quia prior cerebrum, principem nimirum partem, & ſeminis primum opificem, poſterior renes, Hepar, & genitalia promptiſſimè, ac inſigniter refrigerat? Sed Hipp. *loco ſuperiori* de Genitura voluit, quod plurima genituræ pars à capite juxta aures in ſpinalem medullam procedat, & quod ipſe tranſitus cicatrice ſectione inductâ conſolidatus ſit. Sententiam tamen Hipp. locum habere putaverim in totali ſectione, & fortaſſe non venarum, ſed arteriarum. Vide tamen de hac re Langium *Epiſt. lib. 1. Epiſt. 10.* & Steph. Roder. Caſtr. *in opuſc. cui tit. Quæ ex quibus. lib. 4. cap. 5.*

Ob difficultatem ergo, imò impoſſibilitatem ſa-
40 nandi naturalem frigiditatem, eâ probatâ, illicò matrimonium dirimi poſſet, ut dixi; accidentalem verò probandam multum faciet, ſi probentur præceſſiſſe prænominatæ antecedentes cauſæ, & aliæ non abſimiles, quarum magnitudo, & noxa, & perſeverantia à Medico conſideranda erit, & ſecundùm hanc conſiderationem decidendum, an removeri ope medicâ poſſit necne, in particularibus enim ad Medici judicium recurrendum omnino eſt, quia de
41 talibus non datur ſcientia, Ariſt. 2. *Ethic. 2.*

Sed cùm jam abundè, ut mihi videtur, de frigidis locuti ſimus, de maleficiatis ſermo nunc inſtituendus; de quibus ante omnia venit peculiariter adno-
42 tandum ex Fortunato Fideli *lib. 2. de relat. Med. cap. 2.* quod viri ſolummodo ex maleficio redduntur ad coitum impotentes, mulieres autem nequaquam; vel ſaltem frequentiùs viri, quàm mulieres, ut adnotat quoque Delrius *lib. 2. diſquiſit. Magic. queſt. 4. ſect. 8.* & Torreblanca. *in Epitom. delict. lib. 2. cap. 42. n. 16.* licèt è contra plures mulieres & frequentiùs, Dæmoniacæ evadât, quàm viri; quod etiam innue-
43 re videtur Hippocr. *in lib. de Virginib.* & tamen crediderim ego, quòd ubi in dubium vertatur, an vir ex maleficio, vel ex naturali potiùs impedimento impotens ſit ad carnalem copulam, ſemper præſumptio debeat eſſe impedimenti naturalis, ſeu frigiditatis, cùm frequentior, & magis naturalis cauſa exi-
44 ſtat; præſumptio autem ſemper eſſe debeat ex parte cauſæ, quæ magis naturalis eſt, & magis prompta ad agendum. Favet Savonarol. *in pract. mag. tract. 6. cap. 2. rubr. 2.*

Sed cur vir frequentiùs, pluribusque modis ma-
45 leficio tentatur, quam mulier; an quia non excedit, neque excedere poteſt Dæmonis vis cauſarum naturalium virtutem, nec ulteriùs quàm eæ poſſint quicquam machinari poteſt? Cùm ergo dixerimus, virum ex cauſis naturalibus multipliciter reddi ad Venerem impotentem, mulierem verò ex unica tantùm cauſa, nempe ex arctatione & coangustatione Vulvæ, Dæmon eis ſolummodò, cauſis utens, frequentiùs viros & plurifariam quàm mulieres, maleficio illaquerare ſolet.

Verumenimverò modi, quibus Dæmon utitur
46 ad viros impotentes reddendos, plures enarrantur. Ex noſtris Codronch. *lib. 3. de morb. venef. cap. 5.* & ex Canoniſtis Torreblanca *in epitom. delict. lib. 2. cap. 42. num. 7. & lib. 2. Dæmonolog. cap. 42. per totum.* & ſequentibus, ſex enumerant. Delrius autem *ubi ſupra* & ex ipſo Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 94. num. 2.* & Guaccius *in comp. Malef. lib. 1. cap. 4.* ſeptimum addunt, qui tamen ad mulierem pertinet, & eſt coarctatio, & clauſura Vulvæ per ipſum Dæmonem procurata; Quam Codronchius cum ſexto modo connumerat; ſed hos modos qui ſcire deſiderat, apud 47
præcitatos auctores reperiet.

Adnotandum ulteriùs, duplex dari maleficium & unum quidem ſimplici naturali medicamento procuratum, quòd propriè veneficium dicitur; nam licèt ego nugas non admittam relatas per noſtrum Arnaldum Villanovanum, ex quo inter Iuriſconſultos referuntur à Ioan. Brunell. *de ſponſ. & matrim. concl. 28. n. 7.* tamen illud pro certo aſſerere non dubitandum, dari quædam medicamenta, quæ ex naturali quadâ eorum virtute coitus potentiam adi-
mant. Mentâ Hipp. *2. de vict. rat.* ſemen genitale fluidum facere, & membri erectionem prohibere docet, de qua Tiraq. *de leg. conn. l. 15. n. 46.* ubi & alia ſimilia aſſert. Mirabile eſt quod de Ruta & Thymo & aliis nonnullis medicamentis refert Lemn. *de Complex. l. 1. c. 10.* nimirum coitus appetitum in viris extinguere, in fœminis accendere: in utrisque autem Rutam, ſed præcipuè in fœmina, impedire generationē, teſtis eſt Ruell. *lib. 3. de nat. ſtirp. ca. 37.* ſed & de Coriandro, & Pulegio Gal. *de med. fac. par. c. 56.* refert, quòd frequenter in uſum convocata ſemē fluidum reddant, ubi etiam alia medicamenta deſcribit operantia, ne qui Penis erigi poſſit. [Vide Reies pag. 309].

Tritum eſt quod de Lactuca Medici omnes docent, eam nimirum reddere ad coitum hominem impotentem, & veneris ſtimulos demulcere, unde idcirco Eunuchū appellari à Pythagoricis ex Ibico Pytagorico refert Athenæus *Dipnoſoph. lib. 2. cap. 32* apud quem circa idipſum de Lactuca vide nonnulla ſcitu jucundiſſima, ex quo Tiraq. *ubi ſupra*. De ſeipſo Razes *lib. 3. Aphor. 1.* narrat ex frequenti lactucæ uſu ad coitum minus potentem evaſiſſe.

Plura inſuper his non diſſimilia veneficia recenſet Iſaac. *Pract. lib. 8. cap. 29.* quæ tamen ego crediderim magna ex parte vana eſſe, neque effectum correſpōſurum, ſi in practicam convocentur; auctor tamen ille gravis, & fide dignus ab omnibus habetur; ſed fides earum rerum apud ipſum eſto. Habet etiam ibi remedia ipſis maleficiis non diſſimilia. Cardanus quoque, Apud Schenck. *lib. 4. Obſerv. tit. de uteri Eſtomia* viros longo viticis uſu, fœminas Periclymeni Eunuchas reddi tradit, hoc eſt, ad venerem, & conceptionem ignavas, & impotentes. Dixi aliàs *lib. 2. tit. 3. quæſt. 6. num. 10.* quendam ex camphoræ aſſumptione ad Venerem impotentem effectum, & de Ægyptiis Sacerdotibus retuli, quòd modica cicutæ ſorbitione ſe caſtrabant; cujus rei mentionem habet Petr. Crivit. *de honeſt. diſcip. lib. 4. 10.* Quin etiam omnia frigida venena, ubi non occidant, hoc proprium habere certum eſt, præcipuè autem vel in teneriori ætate, vel in jam declinâte aſſumpta; in illa enim ob exuberantem humiditatem, in hac ob deficientem calorem, maximè noxia non hæc ſola venena ſunt, ſed quæcunque absque venenoſitate ſummè refrigerantia exiſtunt; quæ in hac declinante ſcilicet ætate maximoperè ab iis evitanda ſunt, qui magis ſtrenuè venerea exercere volunt; in his autem nulla Naturæ vis infertur, ſed omnia natural via, ac ordine incedunt.

Alterum porrò maleficium multiplici inſtrumen- 49
to, ac ratione fit, de quibus omnibus qui plura ſcire deſiderat, legat ex Iuriſconſultis, & Canoniſtis Ioan. Brunell.

Brunell.*de ſponſ.& matrim.concl.*2.*num.* 7. ubi omnia ex Arnald.Villanov.transfert. Spreng *in Mall. Maleſ.part.*2. *quæſt.*1. *& cap.*6 *& ſeqq.*Delr. *lib.*3.*diſquiſit. part.* 1. *quæſt.*1. Torrebl. *Dæmonolog. lib.* 2. *cap.*24. & alios de ſimili materia pertractantes, & ex noſtris Codronch.*de veneſ.lib.*3.*cap.* 5. & Hucher. *de ſterilit. lib.*4. ad nos enim non ſpectat hos modos patefacere.Illud ſcire operæ pretium eſt,neque nudis verbis, neque ſigillis,aut annulis,neque ſimplici viſu, neq; ſuſpenſis,vel periaptis, ſive amuletis, neque characteribus, neque figuris, neque medicamentis ullis, quæ talem vim à Natura non habeant, maleficium ullum procurare, quod vel tacito, vel expreſſo pacto cum dæmone,&ejus virtute non procuretur, cujus concluſionis veritatem demonſtrant ex noſtris Champer. *in Annotat. contra Aponenſem.* Codronch.*loc.cit.* Hucher.*ibid.* & Laurent. *de mira ſtrumat.ſanat.lib.*1.& ex aliis Delrius *lib.*1.*de diſq. q.* 2.*& ſeqq.*cum multis per eum adductis. Vairus *de faſcino l.* 2.licèt ſciam doctiſſimos quoſdam tam Philoſophos,quàm Medicos,quorum nonnullos notat Delrius *ubi ſuprà*,credidiſſe,dari etiam quædam naturalia maleficia,non iis ſimilia, quæ naturali quadam dote aliquid operari ſuperiùs annuimus, ſed quæ ut poſteriora noceant,abſque eo quòd ulla Dæmonis virtus intercedat:hæc autem eſſe poſſe tam ſimplicia quædam verba, quàm nonnullas figuras, aut aliquos characteres,quin & medicamēta quædam non tam per os aſſumpta,quàm collo appenſa, certis temporibus,& conditionibus circumſtantiiſque collecta,& certis quibuſdam corporis partibus alligata,ex quorum vi & morbi quidam excitentur,& noxæ aliquæ,præcipuè verò venereorū ignavia& è contrario iis ipſis interdum bona hominibus concilientur:cujus credulitatis præter cæteros notandi veniunt Arnaldus Villanovanus & Conciliator Petrus Aponenſis,meritò à Symphoriano Champerio erroris notarus, & inter recentiores Cardanus, cujus credulitas ad deriſum uſque deducta eſt.Alia verò ex parte Mercurialis *ſua pract.lib.*3.*cap.ult.* non auſus eſt affirmare, hæc maleficia poſſe utcunque executioni demandari : Rationem ſuæ ſententiæ reddit,quia nullus probatus ſcriptor,neque ulla ratio id perſuadere poteſt.Si tamen ille inter probatos auctores Plinium,Trallianum,Aëtium, alioſque ex vetuſtioribus Medicis,& ex Hiſtoricis Tacitum, & alios admittete non dedignatur, meminiſſe debuit, eos ſeriò de his locutos, neque Fernelij aſſertionis immemor eſſe debuit, *lib.* 6. *Pathol. cap.* 13. ubi hæc habet: Coëundi impotentia fit,*aut quia extincta virilitate ſemen non gignitur intus, aut quia emitti non poteſt. Extinguitur ex ſenio, ex morbo, ex cauſis omnibus, quæ inſitum ſpiritum, roburque diſſolvunt, & incantamentorum* (*neque enim fabula eſt*) *maleficiis.* Quibus addenda quæ 2.*de Abd. rer. cauſ. cap.*16. attulit. Alios præterea auctores probatiſſimos, fidem incautamentis & maleficiis habentes,recenſui loco proximè citato.

Ego quidem abſque commemorata conditione, nimirum quòd vel mediatè,vel immediatè ex Dæmonis opera fluant,talia non admiſerim,& hoc pacto interpretanda quæcunque extant Catholicorū Doctorum teſtimonia, Maleficia, & incantamenta aperta fronte negantium; non enim ea naturaliter dari volunt, ut etiam fortè voluit doctiſſimus Mercurialis.Porrò ſi quis ſigna deſiderat,ex quibus deprehendi poſſit hominem maleficio detineri, adeat ex Canoniſtis Sanchez *de Matr.lib.*7. *diſp.*94.*n.*6.& ex noſtris Codronch. *lib.*3. *de morb. Veneſ.c.* 13.Aug. autem *lib.* 9. *Epiſt. & conſ.Med. conſ.* 2. *c.*5.*Tom.*1. ex abſentia impedimenti naturalis arguit maleficium.

Cæterùm prioris generis maleficiū,(quod naturale appellare ab re non eſt, ſicuti poſterioris generis ſupernaturale)non ita omnem curam reſpuere cenſendum eſt,ut aliquando non poſſit arte Medica removeri;non dico ſemper, quia ſit, exempli gratia, uſus maleficorum medicamentorum longus fuerit, & æger in ætate ſit ſenili,& temperamenti frigidi,viribuſque imbecillibus,hic certè curari non poterit;contrà ſi eſſet in ætate florenti,aut juvenili, viribus conſtantibus,& temperaturæ non excedentis ſaltem in frigiditate,tunc non eſſet omnino difficile,ut contrariis medicamentis adjutus ſanitatem recuperaret. Idcirco cognito maleficij genere, & examinatis prædictis conditionibus,Medicus facilè pronuntiare poterit, quid ſperare, quid timere de hoc aut illo laborante nobis liceat.Verumenimverò ſupernaturale maleficium, quod nempe Dæmonis virtute ſit procuratum, vix crediderim admittere naturalem curationem : ut rectè illud pronuntiaſſe exiſtimaverim Ghirland.*de Sortileg.quæſt.* 2.*num.* 40. quòd tale maleficium nullus curare poſſit, niſi qui Dæmoniæ artis peritus ſit;nam cæteræ quæcunque artes in hoc, incaſſum laboraverint, ut ipſe firmat: non negaturus tamen Eccleſiæ exorciſmis & precibus hæc facili negotio ſuperari poſſe. Itaque jure Arnald.Villanovan.*in tract.de ſterilit. cap.*3. *tract.* 2. dicebat, Malefaciatorum curam ſoli Deo eſſe dimittendam. [Vide potiſſimum hac de re *Francisc. Ioclem.l.* 7. pag.425.]

Pro corollario autem hujus quæſtionis,illud tam Legumperitis,quàm Medicis in mentem redigam, quòd nonnulli ob aliquam animi paſſionem,ut aliàs dictum eſt,redduntur ad coitum impotentes, & tunc ad eam non advertentes, falſo credunt ſe maleficio tentatos fuiſſe: quod animadverterunt Savonarol. *in pract. magn. lib.* 20. *tract.* 6. *rubr.* 27. & Cardan. *lib.* 12. *de ſubtil. & alij*, idque præcipuè amantibus evenire ſolet,ut idem Cardanus recenſet *ibid. lib.* 13. *in princ.* nam vel ob ipſum efferveſcentem Amorem, vel quia coram Amata erubeſcunt, ad Veneris actum devenire non poſſunt, verecundia enim eſt maxima cauſa Impotentiæ,ut ex Avic. Baner. *conſ. incipiente: In nomine Dei, &c. concl* 2. *in fin.* Contrà nonnulli ſunt,qui ex intenſo odio idipſum expetiuntur,& ex magni animi averſione, ut dixi,Idcircò eliciendum ex his, quòd ubi præſumptio aliqua vel Amoris,vel odij viri erga uxorē adſit,facilè ex ea alia ſuboritur præſumptio impotentiæ coitus,quòd vel ex amore,vel ex odio, potius quàm ex frigiditate proveniat: ſed talem impotentiam per ſeipſam evaneſcere tractu temporis, notiſſimum cuilibet eſt; amor enim tempore efferveſcit, & odium ejuſdem beneficio mitigatur, præterquam quòd ipſæ fœminæ etiam turpes, & maritis exoſæ,ſuis moribus& dulci conſuetudine aliquando ſe maritis amabiliores faciunt, quod Lucretius prudenter adnotavit *lib.*4.*de rer. nat.*his carminibus.

Nec divinitùs interdum, Veneriſque ſagittis
Deteriore fit,ut forma muliercula ametur:
Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis,
Morigeriſque modis, & mundo corporis cultu,
Ut facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam;
Quod ſupereſt,conſuetudo concinnat amorem.

Unde inter bona provenientia ex matrimonio cōnumeratur illa individua vitæ conſuetudo, ut dicit *Rota in Piſaurea. Iocalium a.* 2. *Junij*, 1648, *coram Arguelles.*

Itaque Impotentia ex his cauſis proveniens, non erit ſufficiens cauſa ſeparationis matrimonij, præ-

16 ſertim ea, quæ ex nimio amore enaſcitur, nam quæ ex capitali odio originem duceret, ut ſi quis invitus ſponſam aliquam duxiſſet, & dehinc odio eam haberet, & licèt non poſſet dirimere matrimonium. poſſet fortè cauſa eſſe ſeparationis.

SUMMARIUM.

1 *Potentia reſpectiva quæ dicatur.*
2 *Potentia reſpectiva ex qua cauſa eſſe poſſit quoad cœnandum.*
3 *Potentia reſpectiva quoad cœundum an matrimonium impediat. & n. ſeq.*
5 *Alia impotentia reſpectiva reſpectu inſtrumentorum.*
6 *Ex impotentia reſpectiva reſpectu Inſtrumentorum, an matrimonium ſeparari debeat.*
7 *Impotentia reſpectiva ex habitudine conjugum.*
8 *Impotentia reſpectiva ex conjugum habitudine, an ſeparare poſſit matrimonium.*
9 *Impotentia reſpectiva ex animi paſſionibus.*
10 *Impotentia reſpectiva quoad generandum.*
11 *Impotentia reſpectiva generandi ex ſeminum diſconvenientia.*
12 *Ob impotentiam reſpectivam generandi, matrimonium dirimi volebat Plato.*

De Impotentia reſpectiva dicta.

QUÆSTIO VI.

ESt quædam impotentiæ ſpecies tam coëundi quàm generandi, quæ non ſimpliciter & abſo-
1 lutè impotentia eſt, ſed reſpectivè, & ob id reſpectiva dicta, quatenus alter conjugum reſpectu alterius potens ad coitum aut generationem non eſt, cùm reſpectu aliarum perſonarum ad utrumque aptiſſimus exiſtat. Hæc autem impotentia interdum quoque ex maleficio evenit, quo alter conjugum impeditur cum hoc tantùm carnaliter commiſceri cùm tamen non impediatur commiſceri cum aliis perſonis. Fitque aliquando hoc maleficium ad determinatum quoddam tempus, ut ad menſem, vel annum, vel biennium, vel triennium, vel ſit ad tempus indeterminatum, & ſic perpetuum eſt. De hac tamen impotentia qui plura ſcire cupit, ad præcitatos auctores recurrat, & videat ea, quæ ſuperiori quæſtione diximus.

Cæterùm impotentia hæc reſpectiva quoad co-
2 ëundum, inſurgere aliquando poteſt ex inſtrumentorum vitio, & diſconvenientia, ut ſi viro exiſtente bene mentulato, mulier anguſtiorem vulvam habeat; hoc enim pacto impeditur inter ipſos coitus Baver. *in conſ. incipien. In nom. Dei. concl.* 2. non potente Viro ob membri craſſitiem, reſpectivè ad uteri anguſtiam, cum uxore congredi, quod impedimentum ceſſaret, ubi vir non eſſet adeò mentulatus, aut mulier non adeò arcta, qualis caſus ille eſt, de quo in Pampilonen. Matrimonij, apud Farinac. *deciſ.* 781 *p.* 2. *T.* 2. Contrà verò, ſi mulier hiantem admodum uterum habeat, & vir membrum ſatis exile, congreſſus inter ipſos vix ſequi poteſt, non patente utero, ut debet, virile membrum quaſi amplexari, ut inde delectatio, & membri intenſior erectio, & ſemi-
3 nis effuſio ſequatur. Verumenimverò neutrum harum impotentiarum tanti fecerim, ut ex alterutrius culpa matrimonij impedimentum conſequi poſſit: Vix enim crediderim, quòd naturaliter conſtituto utero, (nam poſſet panno obduci, aut eius labra præter Naturæ modum hærere (quantumvis inſigni magnitudine & craſſitie Penem reſpuat, præcipuè ſi medicamentis relaxantibus, aliisque ingeniis coadjuvetur: ea enim eſt ejus partis natura cùm naturaliter ſe habet, ut facillimè relaxationem & coanguſtationem, etiam per medicamenta, patiatur, ut *tit.* 2. *lib.* 4. *ſequent.* dicam. Si ergo oris uteri
4 anguſtia naturalem conditionem non excedat, nullaque adſit cauſa præter naturã, impediens Penis ingreſſum, ex hac reſpectiva impotentia nunquam ſequi debet matrimonij ſeparatio, quia facilè reparabilis eſt. Quod multò magis habet locum in altera reſpectiva impotentia, quæ ex nimia uteri laxitate conſurgit, quia hæc multò magis reparabilis eſt, quàm illa, de quibus omnibus videnda ea, quæ affert Hoſtienſ. *in ſumma lib.* 4. *tit. de frig. & maleſ-num.* 14. *& ſeqq.* & alij Canoniſtæ *tit. eodem.* Adnotandum tamen, quòd Penis exiguitas ſi tanta eſſet, maximè reſpectu uteri mulieris, ut nullam voluptatẽ in coitu afferre poſſet, & in ſumma nullius penè uſus eſſet, poſſet fortaſſe præbere divortio cauſam, ut notat ex noſtris Fortun. Fidel. *de Relat. Med. lib.* 3. *cap.* 2. & ex Canoniſtis Hoſtienſ. *loc. cit.* Sed altera quoque eſſe poteſt reſpectiva impotentia, penes ipſorum vaſorum conſtitutionem, quæ tamen promptiùs generationem, quàm coitum impediret licet etiam in coëundo nonnihil obeſſe poſſet: ea eſt, ſi alter conjugum vas haberet nimis breve, alter 5
verò juſto longius, qualis caſus ponitur ab Augen. *ubi ſuprà*, nam exempli gratia, ſi vir habeat virgam juſto longiorem, mulier autem uteri cervicem nimis brevem, tunc mulier maximopere læderetur à viri congreſſu, & fortaſſe nullatenus illum admitteret, quia ex eo non modò dolorem & anguſtiam pateretur, quod internum uteri oſculum membrum impingeret, ſed ea res diſcrimine non vacaret, quia tumorem, & inflammationem, & fortè etiam ſphacelum in utero gignere poſſet. Trotul. *de morb. mul. cap.* 30. præterquam quòd generationem etiam impediret. Augen. *lib.* 2. *Epiſt. conſ.* 2. *cap.* 2. *Tom.* 2. Sic etiam ſi è contra mulier collum uteri haberet ſatis longum, vir autem mentulam juſto breviorem, quanquam ad coitum hoc nihil, aut parum obſtat, tamen non ſecus ac prior cauſa generationem impediret. Et licèt in poſteriori hoc caſu nulla intercedere videatur juſta cauſa matrimonium ſeparãdi, 6
in priori hoc dubio non vacaret, quia præterquam quòd ob virgæ incongruam longitudinem impediretur generatio, alia inſuper mala mulier facile pareretur, quæ ſuperiùs annuimus: cum aliquo interdum vitæ periculo, quod tamẽ, quia neque evidens, neque certum eſt, neque hæc erit fortaſſe cenſenda juſta cauſa ſeparationis matrimonij, maximè quia hoc impedimentum non antè innoteſcere poteſt quàm ad actum coitus deveniatur, niſi de eo antea fuiſſet dubitatum; unde fieret, quòd difficultas inſurgeret poſt jam conſummatum matrimonium, quo tempore incaſſum de ejus diſſolutione ex hac cauſa dubitatur.

Præterea poteſt ex impotentia reſpectiva fieri ex 7
luxuriante abdomine, vel in utroque conjuge, vel in alterutro; ex ventris enim ſuperabundante pinguedine occultantur quaſi in utroque genitalia, præterquam quòd etiam ipſe ventris tumor impedimento eſt, ne conjuges ad actum coitus pervenire poſſint, ac profectò ſi vitium commune utrique ſit, nimirùm quòd tam vir, quam fœmina adeò tumenti ventre ſint, ut copulari non poſſit, dubi-
tandi locus eſſet, an ex hoc poſſet matrimonium ſe- 8
parari; difficillimum enim eſt, & fortaſſe impoſſibile arti Medicæ hoc vitium emendare: licèt namque quamplurima proponantur medicamenta, quæ obæſa corpora extenuare poſſunt, ſuperexcedentem pinguedinem minuere, ea tamen operatio periculi plena eſt, & vix unquã optato fine in ea exequenda Medici patiuntur, ut latiùs demonſtravi *lib.* 2. *De Quiete ſervanda in curandis morbis.* Non habet autem tãtam difficultatem ea res, ſi ex parte alterius ſolùm ex conjugibus ea cauſa ſit, & ideirco exiſtimaverim

exiſtimaverim, ob hanc impotentiam ex parte unius tantùm conjugis, matrimonium non debere ſeparari, quia hoc impedimentum eſt aliquo modo remediabile, non tam pinguedinis extenuatione in eo, in quo abundant, quam ex celebratione ipſius actus cocundi, qui ubi neceſſitas urget, poteſt faciliùs hac aut illâ ratione celebrari, quæ tamen in ſe peccati nihil habeat, ut palam eſt. Quando verò impedimentum hoc ex nimia pinguedine eſſet ex parte utriuſque, an propter hoc dirimi poſſit matrimonium, Canoniſtis decidendum relinquam.

9 Inter impotentias quoque reſpectivas conſiderari poſſunt illæ, quæ ex animi nonnullis paſſionibus dependent, ut primò ex nimio Amore, ut aliàs diximus. Licèt enim coitus, & conceptio ipſa meliùs ſuccedant inter amantes ob deſiderium, & ob meliorem feminum cohærentiam, ut tradit Plutarch. *ſympoſ. dec.* 5. *probl.* 8. tamen id de amore moderato, non de effrænato intelligi debet, ubi enim immoderatus ſit, potiùs impedimento eſt, ut ex Card. 13. *de ſubtil.* dixi. Idem præbet impedimentum odium intenſum, quod & tum admonui. Pudor quoque ejus rei cauſa eſſe poteſt, nam ſi vir erubeſcat coram ſponſa, nunquam cum ea coibit. Baver. *ubi alias.* An autem hæc impotentia ſufficiens cauſa eſſe poſſit ſeparationis matrimonij, ego aliàs pro eo, quod ad Medicum ſpectat, negativè reſpondi. Rationem eſſe dixi, quòd omnis pudor conſuetudine & familiaritate aboletur, omnis amor effervescit, omne item odium mitescit, quod etiamſi ex nimia mulieris deformitate dependeret, tamen & tenebris, & temporis diuturnitate demulcetur.

10 Denique generandi impotentiam, quæ reſpectiva ſit, abſque remedio eſſe ſciunt Medici: hâc namque ut plurimum ex ſeminum diſconvenientia naſci patet: debet enim, ut aliàs dixi, inter ſemina eſſe quædam convenientia, quòd doctiſſimè explicavit Lucretius *lib.* 4. *de Rer. nat* ſeq. carmine:

Nam multum harmonia Veneris differre videntur.
Atque alias alij complent magis, ex aliisque
Suſcipiunt alia pondus magis, inque graveſcunt:
Et multæ ſteriles Hymenæis antè fuerunt
Pluribus, & nacta poſt ſunt tamen, unde puellos
Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci.
Et quibus antè domi fœcundæ ſæpè nequiſſent
Vxores parere, inventa eſt illis quoque compar
Natura, ut poſſent natis munire ſenectam:
Vſque adeò magni refert, ut ſemina poſſint
Seminibus commiſceri genitaliter apta,
Craſſaque conveniant liquidis, & liquida craſſis,
Quæ cui juncta viro ſit fœmina per Veneris res.

Ad hanc generandi impotentiam reſpectivam reſpiciens Plato *in leg. 6. in fin.* voluit matrimonium dirimi, & alios conjuges aliis conjungi, quibus magis
11 conveniant, ut proli gignendæ dent operam, quod tamen in Chriſtiana Religione veritatis magiſtra permiſſum nequaquam eſt.

12 Sed hac occaſione ſumpta, de ſterilitate Multarum, pro Philoſophis aliquid afferam: nam aliqui hanc ſeminum diſconvenientiam pro cauſa earum ſterilitas adduxerunt: notum enim eſt, Mulas non generare, & notatur *à Il. in l. Ædiles ajunt.* §. *ſed enim. ff. de Ædil. ed.* quod etiam locum habere in omnibus, quæ ex duobus generibus diverſis naſcuntur, teſtatur Plin. *lib.* 8. *hiſt. nat.* 44. & ex eo repetit Alex. Taſſon. *Quæſt. lib.* 5. *num.* 32. ejus autem rei cauſam longioribus quæſivit. Ariſt. 2. *de Gener. Anim. c.* 6. ubi contrà Empedoclem, & Democrit. diſputat: Nam licèt dicatur in Cappadocia & Syria Mulas generare, à Theophr. & Ariſt. 66. *de hiſt. Anim. cap.* 18. & aliquando etiam in Italia Mulæ peperierint, id pro prodigioſa potiùs re, quam naturali exiſtimat Plin. *loco cit.* unde eſt quòd prodigioſam rem, & eventu raram, patienti Mulæ conparemus, ut Iuven. Sat. 13.

——— *Et fœta comparo Mulæ,*

imò cùm quid, quod nunquam futurum ſperamus, ſignificare in animo eſt, proverbio illo utimur: Cùm Mula peperit, *Auctor in Adagiis.* Sed mirum profectò eſt de ea ſterilitate, neque videntur multæ cauſæ à multis adductæ undequaque ſatisfacere. Alex. *lib.* 1. *probl.* 137. & Card. *lib.* 19. *de ſubtil. tranſ. princ.* diſſidentiam ſeminum cauſantur. Ego hanc ſeminum diſſidentiam hîc nihili facio, quia promptiùs impediret generationem inter duo genera diverſa, nempe inter Equum, & Aſinum, quàm inter ipſas Mulas.

Plura ego deſiderarem in hac re conſiderari, ſeminum qualitatem & quantitatem, locorum genitalium conſtitutionem, & alia his pertinentia. Quòd enim circa loca vitium eſſe poſſit, non defuerunt ex Philoſophis, qui teſtarentur, quorum dicta non ſunt contemnenda, quicquid dicat Ariſtoteles. Diocles enim firmavit, ſe ex diſſectionibus (in quibus quis ſcit, an diligentior fuerit, quàm Ariſtoteles?) didiciſſe, Mulas habere locos breves, & reſtrictos, pumiloſque: quod etiam conſentaneum ratioi eſt, ob exuperantem ſiccitatem quâ dotantur: nam idcirco eas, ut cæteras fœminas nullo modo menſtruari conſtat, teſte eod. Ariſt. *ubi ſuprà*, nimirum 2. *de Gener. & 6. de hiſt. Anim.* Ex quibus videtur univerſa ſterilitatis culpa in Mulis eſſe penes fœminas, quod multò magis firmat, id quod Ariſtot. teſtatur, adductas à Liceto *lib. 4. de ſpon. vivent. ort. cap.* 36. quòd nimirum Muli ad Equas admiſſi generent, cujus rei etiam mentionem habet Alex. Taſſon. *ubi ſuprà.* Fortaſſe & aliquid peccatur in admiſſione Marium: cùm Equæ aut Aſinæ à Maribus iniri permittuntur. Ac mihi quidem difficile videtur, abſque integra horum omnium cognitione de his cauſam ſufficientem reddere. Si verum eſt, quod de brevitate locorum afferebat Diocles, & ante illum Empedocles, multò magis veritatem habere dicemus, ſi è contra Marium genitalia longiora ac craſſiora, quàm par ſit ſaltem reſpectu brevitatis locorum genitalium fœminarum eſſe, conſiderabimus.

An non ſeminibus aliquod ineſſe vitium poteſt? maximè quidem, & ſic non una tantùm, ſed plures cauſæ ad hoc ipſum concurrerent, ſed ad plenam hujus cauſæ inveſtigationen ultra prædicta videndum eſſet an ſterilitas in omnibus cum omnibus inſit, cùm multis rationibus fœminas maribus conjungi contingat.

Mularum enim duplex genus, unum quod ex Equa & Aſino, alterum quod ex eque & Aſina oritur. *quæſt.* 2. *num.* 26. quorum unumquodque inter ſe conjungi poſſet, & unumquodque cum alio, permutatione maris & fœminæ: & ipſæ inſuper Mulæ cum Equorum & Aſinorum maribus, & Muli cum Equorum & Aſinorum fœminis miſcere ſe poſſent, & in omnibus attendenda eſſet experientia. Sed hæc præter inſtitutum hoc loco dicta ſufficiant.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium præcipuè cauſa procreandi liberos contrahitur.*
2 *Etiam ceſſante cauſâ procreationis liberorum, matrimonium tenet.*
3 *Matrimonii non unum, ſed plura bona ſecum habet.*

4 *Coitus in fœmina non impeditur, niſi per uteri clauſuram,& arctationem.*
5 *Sterilis mulier quæ dicatur.*
6 *Sterilis non dicitur puella ante debitum concipiendi terminum, nec mulier poſt declinantem ætatem.*
7 *Virgo quamdiu Virgo eſt,ſterilis non dicitur.*
8 *Steriles nonnulla ſunt,quæ concipiunt, ſed fœtum ad perfectionem deducere non poſſunt.*
9 *Sterilitatis ſigna in muliere.*
10 *Steriles ex Ariſtotele non pubeſcunt.*
11 *Fœminæ ut concipiant, debent emittere ſemen.*
12 *Mulieres quomodò concipiant, abſque ſenſu emiſſione proprij ſeminis.*
13 *Semen in fœminis excerni poteſt ſecundum aliquos abſque ulla voluptate.& num.* 16.
14 *Mulieris voluptas in coitu non una eſt.*
15 *Mulieris voluptas in coitu major quam in viro.*
17 *In emiſſione proprij ſeminis Mulier non tantam percipit voluptatem,quantam vir in ſui ipſius emiſſione,& cur,numeris ſeqq.*
20 *In conceptione requiritur præcipuè in fœmina motus attractionis.*
21 *Mulier cur in coitu ſubjaceat viro.*
22 *Ad conceptionem confert concubitus modo belluarum ex aliquorum opinione,reprobatur n. ſeq.*
24 *Velatæ mulieres quæ.*
25 *Arctæ an generare poſſint.*
26 *Arctæ ex aliquorum opinione quomodo concipere aliquando poſſint.*
27 *Arctatio quanam curationem admittat, quæ non.*
28 *Vbi in curatione Arctationis periculum vitæ imminet, matrimonium diſſolvitur : contrà ubi nullum adſit periculum.*
29 *Arctatio duplex.*
30 *Coaleſcentia uteri quæ curabilis,quæ incurabilis.*
31 *Coaleſcentia naturalis ſi magna, eſt incurabilis.*
32 *Coaleſcentia ex morbo utrùm ſit curabilis.*

De Sterilitate Fœminarum, & de Imperforatis.

QVÆSTIO VII.

1 CErtum eſt matrimonium cauſa procreandi liberos præcipue contrahi,ut per *cap.*32. *queſt.* 2. *& per cap. Tantum valet. cauſ.* 32. *queſt.* 7. licèt, ut *ibid.* habetur, etiam ceſſante ea principali quidem cauſa procreationis liberorum, uxore duntaxat 2 ſterili exiſtente, matrimonium non diſſolvatur. quia habet nimirum alias cauſas, quarum una ſatis eſt ad ejus validitatem, ut notat inter Medicos vlr doctrinâ celeberrimus Steph. Rodes. Caſtr. *in Opuſcul. cui tit. Quæ ex quibus. lib.* 4. *cap.* 4. Rota *in ſupracit. Piſauren. locatium ver. Præterquam quod:*

Antiquitùs tamen matrimonium ob ſterilitatem diſſolvebatur, ut ex Platone *in fine ſuperioris quæſtionis* dicebam, ſed cùm in ſanctiſſima Chriſtiana 3 Religione matrimonium non unum ſolummodo bonum habeat, ſed quamplura, ſterilitas, ut dixi, non eſt ſufficiens cauſa diſſolutionis ejus Sanchez, *de matrim. lib.*7. *diſput.* 92. *num* 11. quia & ea omnia affert, quæ perſuadere poterat, matrimonium ob ſterilitatem non tenere, & multos hujus ſententiæ fautores enumerat. Cum tamen de mulierum ſterilitate alia in dubium venire Iuriſconſultis poſſint, non ab re eſt aliquid peculiariter de ea hic diſſerere,videtur enim hic locus ad hanc pertractandam materiam aptiſſimus.

Dictum autem jam non ſemel eſt ſuperiùs, coitum in fœmina non impediri, niſi per uteri coangu- 4 ſtationem, & clauſuram: at conceptionem impediri facilè poſſe ex mille cauſis, & ſic ſteriles mulieres reddi. Sed antequam ulteriùs progrediamur, ad- 5 vertendum eſt,ſterilem dici mulierem, quæ in ætate habili viro fœcundo debitè utens nunquam, vel rariſſimè concepit,ut ſemel tantùm in tota vita.Requiritur enim primò, ut mulier ſit ætate habili, & 6 habeat aptitudinem generandi à Natura : ſterilis enim nomen non convenit ei, cui conveniret aliàs nomen fœcundæ ; idcirco neque puella ante debitum concipiendi tempus, neque mulier poſt declinantem ætatem menſtruis deſtituta,ſterilis eſt dicenda,etiamſi utraqueviro uteretur,& tamen non conciperet Mercur.*lib.*1.*de morb. mul.cap.*1.

Secundò requiritur, ut viro fœcundo utatur, 7 unde neque Virgo ex hoc capite,quamdiu Virgo eſt dicitur ſterilis. Polydor. Ripa *in tract. de nocturno tempore,*c.162. *num.* 12 & ex Medicis Mercurial. *ibid.* neque Vidua dicitur ſterilis, niſi viro fœcundo utatur, & non concipiat. Additur enim quòd utatur viro fœcundo, quia mulier aliquando per ſe fœcunda eſt : ſed quia vir, quo utitur, eſt ſterilis, non concipit.

Tertiò, ad hoc ut fœmina dicatur ſterilis, requiritur,ut viro debitè utatur, quia ſi indebitè,aut admodum de ratò,vel nimis frequenter, ut ſcorta faciunt, vel non conſuetâ ratione à Natura inſtituta viro utatur, non eſt ex hoc ſterilis dicenda.

Quartò requiritur, ut nunquam, aut rariſſimè, 8 ut ſemel tantùm concipiat. Quanquam etenim Hipp.& eum ſecutus Valleſ. *in Epid. ſect.* 3. *text.* 25. inter ſteriles connumerare videtur eas, quæ concipiunt quidem, ſed fœtum ad perfectionem deducere non poſſunt: tamen verè,& ad rem noſtram proprie, ſteriles dicendæ illæ ſunt, quæ cum præfatis conditionibus nullo modo concipiunt.

His ita præfatis, ſi unquam Legumperitis dubitare contingat, an mulier quædam ſterilis ſit, nec ne,(ut maximè evenire poſſet,ubi de partus ſuppoſitione accuſata muliere, contra eam militaret præſumptio ſterilitatis) ſigna ſterilitatis, in muliere exploranda eſſent. Relictis igitur pro nunc accidentalis, & adſcititiæ ſterilitatis notis, quæ magis promptè remedia admitit, naturalis & deſperatæ, quæ omnem curam reſpuit, ſigna jam recenſenda. 9 Ergo, ut ex Hipp. *in lib. ad mulieres pertinentibus* elicitur, ſterilitatem mulieris atteſtantur corporis temperatura frigida, lumbi adſtricti, venter anguſtus, pili in pube, cæterisque conſuetis locis nulli, aut rari, & pauci, nam, ut ex Ariſtot. refert Nancel. *lib.* 3. *Analog. Microc. ad Macroc. cap.* 7. ſteriles non pubeſcunt : quod tamen non in omnibus ſterilibus locum habere dixerim, ſed in iis tantùm, quæ frigidioris ſunt temperaturæ, & in quibus prædicta ſigna magis conſpicua apparent. Præterea verò connumeranda ſunt menſtrua ſerò apparentia, in pauca quantitate, colore non laudabili, ſed albicantia, hæc enim omnia, præſertim ſi ſimul concurrant, non ſolùm frigidam temperaturam in toto, ſed in partibus præcipuè generationi dicatis atteſtantur. Cum quibus non modò neceſſe eſt, ob caloris nativi defectum ipſarum partium, conceptionem impediri, ſed etiam ob defectum ſeminis, quod aut nullo modo generatur, aut generatur quidem, ſed quantitate paucum, & qualitate illaudabili, & omnino infœcundum : nam quòd mulieres, ut conceptio fiat, debeant emittere ſemen, atque illud quidem fœcundum, temperatum nempe, & quantitate debitâ, & requiſitâ,aliàs nullo modo naturaliter fieri poſſit conceptio, tenet communis Medicorum opinio, de qua etiam teſtatur ex noſtris Avicen. 20. 3. *tract.* 1. *cap.* 3. Thadd. Florent. *comm.*5. *Aphor.* 49. *in fin.* & ex Iuriſconſultis Carrat. *de Med.& ejus off. part.* 1. *n.* 145. quæ opinio non modò firmiſſimis rationibus,

ſed

ſed ipſo oculari ſenſu roboratur. Ejus ſententiæ fuit Hipp. ut apparet *in lib. de Genit. tranſ. med. & 1. de diat. circa med. & alias alibi.* (nec veritatem habet id quod Lud. Vives *in 6. de Civit. Dei, cap. 9.* ei attribuit, quòd putaverit mulieres habere ſemen, ſed generationi nihil conferre, quod eſt falſiſſimum.) Latiſſimè eam tuentur Gal. *in libb. de ſemine.* & Avic. 3. 1. *cap. unico*, 20. 3. *tract. 2. cap. 3.* Fuerunt ejuſdem ſententiæ ex celeberrimis Philoſophis nonnulli, ut Pythagoras, Democritus, Epicurus, cui & adhæſit Lucret. *in lib. 4. de rer. Nat.* dicens.

Semper enim partus duplici de ſemine conſtat.

& quæ ſequuntur. Aſſentiuntur cæteri omnes Medici, paucis quibusdam exceptis, Averroë, qui ut in cæteris omnibus Ariſtoteli adhæret. (quamquam Ariſtotelem tuetur Capivacc. *de fec. form. c. 3.*) Adhærent etiam Ariſt. D. Thomas relatus per Cajetanum, & per Navarram *lib. 4. conſil. tit. de frig. & maleſ. conſ. 3. n. 13.* Conciliator *diff.* 137 per totam, & pauci quidem alij. Quorum opinionem videntur ſecuti Legumperiti. Capella Toloſ. *quæſt. 96. n. 4.* (quæ tamen falsò hanc opinionem facit Medicorum communem) Sanazar. *de matrimon. lib. 7. diſp. 92. n. 9.* cum adductis ibi per eum, qui tamen videtur in hoc anceps eſſe.

Cæterùm quæſtionem hanc latiſſimè exagitavit Gal. ut dixi *in lib. de ſemin.* & poſt eum plures alij Medici exactiſſimè eam rem pertractarunt. Adducam autem nonnullos tantùm ex Recentioribus. Cardan. *Contrad. Medic. lib. 2. tractat. 6. contr. 18.* Mercat. *lib. 1. de part. claſſ. 1. part. 1. quæſt. 97. art. 3.* Laurent. Anatom. *lib. 8. quæſt. 5.* Valleſ. *Contrad. Medic. lib. 2. cap. 7.* Rorar. *in Contrad. Galeni, num. 137.* Lemn. *de Occult. Nat. mirac. lib. 1. cap. 6.* Epiphan. Ferdinand. *Theorem. Med. & Philoſ. lib. 4. Theor. 38.* Vidius *de tuend. Valet. membr. lib. 13. cap. 5.* & noviſſimè vir doctiſſimus Roder. Caſtren. *lib. 2. de Meteor. Microc. c. 5. & ſeqq.* qui omnibus contrariæ partis rationibus pleniſſimè ſatisfaciunt, veritatem ejus rei demonſtrant, atque omne ſubterfugium adverſariis adimunt, omnemque loquendi occaſionem. Itaque ad ulteriora progrediar, ſi modò antea mihi liceat per Lectorem, unicæ inſtantiæ ex meo marte ſatisfacere, quam proponit pars adverſa ab experientia eam deſumens, & cujus fortaſſe non habent adverſarij validiorem.

Ad excludendum enim, quòd mulieris ſemen requiratur ad conceptionem, multas aſſertiones
12 pudiciſſimarum mulierum, de quarum fide non eſt dubitandum, in medium aſſerunt, quæ ſe concepiſſe abſque *voluptate* aſſeverant: unde etiam absque ſeminis emiſſione eas concepiſſe neceſſe eſt: nam ſi ſemen emiſiſſent, absque dubio voluptatem in ejus emiſſione percepiſſent, quod & ipſe Ariſtot. teſtatur 2. *Gener. Anim. cap. 4.* at ſine ea voluptate, inquit, quæ fœminis per coitum evenire ſolet, concipitur. De ea etiam re inter Iurisconſultos teſtis eſt Sannaz. *de Matrim. cap. 3. art. num. 12. & alij.* Huic experientiæ, multùm urget, multi ſatisfeciſſe ſe credunt, omnem fidem mulierem aſſertionibus adimendo, dicentes, eas pudore perculſas, aut, ut honeſtæ appareant, id aſtruere. Alij di-
13 xerunt, fieri quidem poſſe, ut ſine voluptatis ſenſu mulier ſemen emittat, & concipiat, alij alia dixerunt, neque ulli videntur huic inſtantiæ undequaque ſatisfeciſſe: priores enim piaculum mihi committere videntur, dum quibusvis fœminis fidem omnem adimunt, dumque omnes volunt nos doloſis captiunculis, ac mendaciis decipere. Ego plures earum fide digniſſimas exſtimaverim, & absque fuco & fallacia interdum, veritatis amore, liberè nonnulla proferre. Poſteriores magis ad veritatem accedunt, ſed modum non explicant, quo fieri poſſit, ut fœmina ſemen abſque ulla voluptate, & absque ullo ſaltem ſenſu emittat, cùm in omnibus excretionibus Natura aliquem ſenſum fieri voluerit ne involuntariè fierent, cum maximo incommodo, & dedecore. Nam licèt ob ejusdem ſeminis tenuitatem evenire firment, ut nullum ſenſum interdum faciat, certum tamen eſt, nunquam ſine aliqua voluptate quantumvis minima excerni. Quomodo autem à muliere ea voluptas nullo modo percipitur? Putaverim ego huic experientiæ ſatisfieri, ſi dicamus, *mulieris voluptatem in ipſo actu coëundi non unam eſſe*, & ſic neque unius generis, ſed unam 14
alia majorem & evidentiorem, & quæ magis ſenſum moveat, quàm alia. Ob id majorem, ſi ad voluptatis perdurationem advertamus, voluptatem, mulierem ex coitu percipere, quàm virum, palam eſt, quod & Ovidius *lib. 3. Metamorph.* 15
inſinuavit ſub perſona Tireſiæ, judicis ad hoc decidendum à Jove & Iunone electi, & demonſtrant etiam Medici nonnulli, ut poſt Hippocratem, aliosque vetuſtiores, Conciliator *diff.* 34. *in fine* Rorar. *in Contrad. Hipp. num.* 14. Thadd. *in Iſag. Ioan. cap.* 31. Vide quoque Pariſan. *lib. 1. de ſubtil. microc. exerc. 7. cap. 2.* Galeott. Mart. *de doct. promiſc. cap.* 18. Laurentium *Anatom. lib. 8. quæſt. 7.* & alios: quia mulier & ex frictione, & ex intromiſſione membri virilis, & ex emiſſione virilis ſeminis, tandemque ex emiſſione proprij, & per omne tempus in ſumma, delectationem percipit, quod & inſinuavit Iuvenalis, *Sat. 6.*

Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem.
Quæ fugit à ſexu, vires amatſhæc tamen ipſa
Vir nollet fieri: nam quantula noſtra voluptas?

Cùm ergo hujusmodi voluptates ſint diverſæ, & una major altera, in tantum aliquando una alterâ exuperat, ut ex hoc illa altera omnino obſcuretur. Evenit enim in hoc ſenſu, ut in cæteris, quibus ſi offerantur diverſa ſenſibilia, ut exempli gratiâ, oculis plura viſibilia, quod magis excellens eſt, impedit ſeu obſcurat viſum aliorum viſibilium. Sed objicitur ad id, quod de majori voluptate fœminarum in coitu diximus, Hippocratis auctoritas *in libro de Genitura, prope medium*, qui non ſolùm majorem, ſed etiam diuturniorem voluptatem virum in venere exercenda percipere, quàm mulierem, aſtruit. Hippocratis dictum ego verum crediderim, quoad actum emiſſionis ſeminum, non in toto coëundi ſpatio, quia non eſt dubium, virum ſemen emittere, & quantitate longè majus, & multo craſſius, quàm fœminam: unde & exquiſitiori ſenſu, & diuturniori etiam, ob ductuum, per quos tranſit; longitudinem, ipſum affici eſt neceſſe, quàm fœminam ob contrarias cauſas: ſed aliam reſponſionem ad hanc ipſam objectionem vide apud Rorar. *in ſuis contrad. Hippocr. n.* 14. Mulie-
16 res ergo aſſerunt quidem ſe interdū absque ſenſu & voluptate (eâ nimirum, quæ ex proprij ſeminis emiſſione percipitur) concepiſſe: quod veritatem habet, quoniam voluptas percepta vel ex ipſo actu coitus, vel potiùs in receptione ſeminis virilis facta, eodem momento, quo illæ proprium ſemen ejaculabantur, adeò exuperavit voluptatem, quàm in proprio ſemine emittendo percipere debuerant, ut nullatenus eâ ſe affectas fuiſſe autument, quod præcipuè in juvenculis evenit ob majorem ſeminis tenuitatem, & intenſiorem voluptatem

ex

ex congreſſu, & receptione ſeminis virilis, cui minimè aſſeverant. Hæ ipſæ etenim ob eam cauſam in ætate procedentes fatentur, ſe concepiſſe, antequam didiciſſent, quid eſſet ſemen emittere, in cujus emiſſione non tantam voluit eſſe delectationem 17 Natura, quantam in emiſſione ſeminis in viris: unde, ut Hippocrates *loco citato* annuebat voluptas mulieris in emiſſione proprij ſeminis longè à viri voluptate ſuperatur: quod etiam demonſtrant Anatomici, & cauſa non unica quidem in promptu eſt, nempe ſeminis ipſius fœminæ 18 quantitas modica, ejusdem quoque tenuitas, & fluiditas, reſpectu virilis. Item ejusdem frigiditas ſeu potiùs caloris, & ſpirituum pauperies, item viarum, per quas habet tranſitum, major brevitas quàm in viro, in quo contrà ſemen eſt quantitate multum, ſubſtantiâ craſſum, calore inſigni, iterque multo longius permeans, quæ omnia, ut dixi, ad intenſiorem, & diuturniorem voluptatem in ſeminis emiſſione faciunt.

Neque incaſſum id machinatam Naturam exiſtimes, ut fœmina tantam voluptatem in proprij ſeminis emiſſione experiatur, quia cùm coitum, & ſeminum emiſſionem ad conceptionem deſtina- 19 verit, & ordinaverit, in conceptione autem requiratur præcipuè motus attractionis, quo uterus ad 20 ſe virile ſemen attrahat, & alia ex parte oporteat etiam concurrere motum expulſionis in fœmina proprij ſeminis ad uteri corpus, jam manifeſtum eſt, majorem neceſſitatem requiri motus attractionis, quàm expulſionis, ut mulier conciperet: nempe apprehenderet, & contineret virile ſemen. Iam verò ne ex intenſiore voluptate in emiſſione ſui ſeminis intenderetur etiam motus expulſionis, voluptatem illam fœminæ moderata eſt brevitate viarum, & diſtractione etiam ſenſus ad alias voluptates, & illas quidem majores, ut diximus. Ad eam ipſam autem conceptionem juvandam, & ad 21 motum expulſionis in viro intendendum, in fœmina reprimendum, voluit mulierem viro ſubjacere, quia hac ratione vir faciliùs expellere ſemen mulier promptiùs recipere, & continere, neque in expellendo magnâ uti vi poteſt, neque debet, cum non in aliud vas ut vir, ſed in proprium expellere ſuum ipſius ſemen debeat. Et hac de cauſa 22 quod Mercurialis ex Lucretio, & Paulo dicebat, *in lib. de morb. mul. quæſt.* 1. *var. lect. cap.* 6. nimirùm ad generationem conferre, ſi coitus exerceatur more belluarum à tergo, mihi non probatur: & multo minùs id quod addit ille, hunc nempe eſſe verum modum coëundi & naturalem, nam factum à parte antica vult quidem eſſe magis voluptuoſũ, minùs autem naturalem. Reddit rationem ex Anatome deſumptam, nam priori modo meliùs & promptiùs recipitur ſemen ab utero, ut Lucretius ipſe his carminibus docet *lib.* 4. *in fin.*

—— Nam more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
Concipere uxores: quia ſic loca ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis, ſublatis femina lumbis,
Nec molles opu' ſunt motus uxoribus hilum.

23 Sed hanc ſententiam falſam eſſe, & magis naturalem modum veneris exercendæ eſſe à parte antica, ex ipſa anatome demonſtrat Severin. Pinæus *lib.* 1. *de not. Virg. c.* 9. quod ego quidem verius exiſtimo, ob cauſas à me ſuperiùs allatas, & quia etiam expulſioni ſeminis non ita ſtudet Natura, ſi mulier ſubjaceret viro ſupina, non prona. Improbat & hanc ipſam ſententiam facundiſſimus VVeinrich. *de ort. Monſtr. cap.* 14. Et pluribus etiam illam refellit. M. Ant. Ulmus Patavin. *lib. de Barba hum. ſect.* 3. *cap.* 9. Quam etiam teſtatur ſe, ex profeſſo falſam demonſtraſſe in opere quodam proprio, cui titulum fecit, *De primo gradu facultatis generatricis humanæ, quod ego non vidi.* Hoc autem multò evidentius probatur, ſi veritatem habet id, quod à nonnullis audivi, (neque enim habeo dignum auctorem ejus rei) partus nimirum poſticâ venere conceptos, omnes impedes, aut alio modo præternaturali, non verò naturali modo in caput naſci, ſed hoc, ut dixi, apud nullum auctorem fide dignum legere mihi contingit, licèt triplicatâ experientiâ poſtmodum id ipſum confirmaverim: nam cum quædam mulier plebeia bis concepiſſet, & partus uterque ob fœtus ſitum non naturalem ita difficilis illi extitiſſet, ut chirurgicâ manu utrumque ab utero extrahere coacta eſſet cum maximo ejus vitæ periculo, ad me pro tantæ calamitatis remedio confugiens faſſa eſt, maritum ſuum ſe nonniſi poſticâ venere inire ſolitum. Rationem coëundi mutaret, hortatus ſum, quod præſtitit cum magna ſua utilitate, & lætitia, gravida enim facta finum optimè peperit.

Nobilem præterea fœminam novi, quæ per quatuordecim annos ſterilis cum marito, viro quippe boni habitus, & robuſto permanſerat. Maritus conſilio neſcio cujus Medici illam poſticâ venere cognovit, ex qua conjunctione concepit quidem, ſed inſtante partu fœtus in ventrem per umbilicum ſe obtulit. Ab obſtetrice in naturalem ſitum non ſine difficultate reductus, tandem natus eſt, manibus pedibusque vitiatis, & poſtridie ab ortu extinctus eſt. Sed quicquid tandem ſit de hoc, cùm actus coëundi hoc modo celebratus inducat peccatum, ut pluribus probat Brunell. *de ſponſalib. & matrim. concl.* 8. *n.* 13. evitandus omnino eſt. Verum de his hæc ſatis ſint, in quibus pertractandis ſi quæ ſunt, quæ ultra honeſtatem prolata puris legentium auribus videantur, rei argumentum excuſandum. Quod reliquum eſt de ſemine muliebri plura adducam, Deo dante. *lib.* 7. *tit.* 3. *Quæſt.* 1. *ab art.* 17. *ad plures ſeqq.* ubi loci demonſtrationes afferam perſuadentes etiam iis, qui mordicùs contrariam ſententiam tueri conantur, illud non minùs neceſſarium eſſe ad generationem, quàm maſculeum: quin ulteriùs matrem multò plura in generatione conferre, quàm patrem. [An autem mulier ſine delectatione concipere poſſit, fuſius à multis tractatur, & in ſpecie à *Gaſpare à Reies Franco* in Campo Elyſio pag. 298. & ſeq. qui rejecta hac in re hujus doctrinæ ratione hic paulò ante recitata, ut & *Ariſtotelis, Caſtrenſis, Averrois, Durandi, Capreoli, Zacuti, Saxoniæ, & Rhaſis* opinionibus explosis ſtatuit, conceptum nulla alia ratione fieri poſſe *circa delectationem fœminæ*, niſi utero morboſo, intemperato, aut malè affecto exiſtente, juxta *Platerum* 1 obſ. p. 260. & *I. C. Claudinum* Conſ. 12.]

Remanet verò pro complenda hac quæſtione ut de arctis loquamur, quas alias Atretas, & imperforatas vocari dixi, & quas Merc. ex Nicolao Florentino dicebat vocari velatas, quibus ante uteri oſculum interius membrana quædam modò craſſior, modò tenuior præter naturam obtenditur, quæ & egreſſum menſibus, & aliquando fœtui, & ingreſſum virili membro impedit. De his plures locuti ſunt, & vide inter alios, ſi libet, Aëtium *ſermon.* 16. *capit.* 91. & Alſahar. *pract. tract.* 25. *capit.* 19. & Auctores omnes Gynæciorum, ſine de morb. mul. De his primò dubitari contingit, (neque eſt extra Iuriſc. negotium id quærere) 24 25

an

an generare poſſint,necne : aliàs verò ex Hippocr. dixi,eas aliquando poſſe concipere, licèt dehinc in partu pereant,& Riol.Fil. *Anthropograph. lib.*2. *c.*31. tres hiſtorias Atretarum concipientium recenſet. Hoc acceptum quoque eſt Avicennæ, ex quo Au-
26 gen. *libro* 10. *Epiſt. conſ.* 2. *cap.* 6. *tom.* 2. Hoc quomodo fieri poſſit, cùm meatum obturatum habeant, non ita in propatulo eſt. Volunt nonnulli, ob validam uteri attractionem fieri poſſe, ut ſemen per panniculum illum quaſi tranſcolatum ad uteri fundum perveniat,ibique ex eo conceptus fiat.Sed hoc difficulter admittitur,quia panniculus ille interdum eſt adeò craſſus, ut id impoſſibile ſit tam de facili ſuccedere. Ob hanc difficultatem Avicen. 21. 3.*tract.* 4. *c.* 1. diſtinxit, declarando, conceptum non poſſe in omnibus imperforatis indifferenter ſuccedere, ſed in his tantùm,quæ panniculum illum raræ texturæ haberent Sed apud me multùm urget Hippocratis auctoritas, qui non ſolùm fieri conceptum in Atretis voluit,ſed eas in partu dehinc perire, nempe quia ob ſuam craſſitiem panniculus ille obſtruens exitum, diſrumpi ex partu non poteſt : at in ſententia Avicennæ non eſſet tam difficilis diſruptio panniculi; cùm ſit raræ texturæ, unde neque neceſſe eſſet mulieres in partu perire. Idcirco mihi magis arridet ſententia Ioan. Hucher. *in lib.* 2. *de ſteril. cap. proprio, de clauſura cervicis pudendi :* qui conceptum in his tantùm fieri voluit,in quibus anguſtius quoddam foramen in panniculi medio apparet, ingreſſum ſemini virili præbens, quod tamen ad fœtus excluſionem non ſufficit,unde cùm panniculus validus,& craſſus eſt,nequaquam diſrumpi poteſt, &
27 ſic conſequens eſt,tales mulieres,ut Hipp. dicebat, in partu perire.

28 Secundò dubitatur,(& id magis videtur ad Iurisconſultos,Canoniſtas præcipuè, pertinere) quænam arctatio curationem admittere poſſit : quæ verò non, aut non niſi cum evidenti vitæ periculo: quia ubi arctatio abſque gravi periculo curabilis eſt,matrimonium non diſſolvitur, contra verò,ubi
29 immineat evidens vitæ periculum. Ioan. Andr. *de ſponſ. & matrim. num.* 16. Hoc autem totum dependet ex ipſius clauſuræ natura &cõditione quæ duplici modo fit : vel enim membrana quædam nervea, vel etiam carnea obtenditur ante os uteri, modò intimiùs,modo extimiùs vel ipſæ partes colli pudendi inter ſe cohærent,& hoc,ut pater,modò laxiùs,modò verò arctiùs.Si membrana ſit,quæ impedimentum facit, ea vel craſſa eſt,& denſa,& valida:vel rara,tenuis,& debilis: ubi craſſa, & denſa, & valida eſt, neceſſe omnino eſt in ejus inciſione (&præcipuè quando interiùs poſita eſt) plurimùm mulierem angi, maximam fieri ſanguinis effuſionem, dolorem intervenire acerbum, & in ſumma vix evitabile eſt,quin partes maximo sẽſu præditæ in inciſione lædantur,unde ſpaſmus,ſive convulſio, inflammatio,ſphacelatio : itaque operatio hæc maximo,& evidenti cum periculo fit. Vbi verò membrana tenuis eſt, rara, & debilis, abſque periculo poteſt incidi : præcipuè in teneriori ætate : idque
30 etiam in ſuperiori caſu adnotandum, quantò enim fœmina annoſior eſt, tanto majori periculo exponitur : quia membra omnia procedente ætate indurantur,unde evidentior ſenſus, ubi in eis aliqua continui ſolutio contingat.

Verùm ubi uterus ſecundùm ſuos parietes coaleſcat,ut evenire aliquando dicit Philoſophus 10. *de hiſt. Anim. cap.* 6. tunc ea coaleſcentia vel magna eſt,vel parva : ſi magna,vel à natura vel à morbo: quanquam Scaliger. *in comm. præcitati textus*, non credit ex morbo tale quid evenire poſſe: ſed experientiâ id comprobatum habemus, apud Benivenium *de Abd. cap.* 31. & apud Ronſſeium *Epiſt.Med.* 49. citatos per Schenck.*lib.* 4. *Obſerv.tit. de Atretis*, & apud Varandeum *de morb. mul.lib.* 1.*cap.*11. & apud Riol.patrem.*in art. ben. med.ſect.* 4. *tract.*2. c.4.cujus verba hæc ſunt: Mulier Senonenſis ex difficili partu collum uteri habebat ita agglutinatum, ut vix ſpecillum admitteret jam à ſeptem annis, talis permanſerat fruſtra à marito ſubagitata. Ante quos omnes Aët.*ſerm.*16. *cap.* 95. de hoc ſymptomate ex progreſſo morbo eveniente verba facit. Ergo ubi coaleſcentia magna eſt,& à natura, non recipit cu- 31
rationem : ubi magna eſt,& à morbo, vel eſt anti- 32
quata,vel eſt recens : ſi ſit antiquata non curatur,ſi ſit recens,curari poteſt,non tamen ſine aliqua difficultate,& abſque aliquali periculo. Si denique ea coaleſcentia parva ſit,quæ à morbo eſt,facilius,quæ à Natura difficiliùs ſanatur. Sed de particularium natura præſentium Medicorum judicio ſtandum eſt, tametſi abſolutè Talliacotius *lib.*1.*c.* 10. *de Curt.Chirurg.* dicat, omnes has operationes in fœminis non exiguo cum periculo adminiſtrari. (Conjungatur quoad *Atretas* Sinibaldus in Geneantr. pag.531.)

SUMMARIUM.

1 *Mulier an ex ſemine viri concipere poſſit, abſque carnali conjunctione.*
2 *Mulier quædam in balneo impregnata ex virili ſemine ibi relicto.*
3 *Mulier prægnans ab alia muliere facta, qua paulo ante cum viro coiverat :*
4 *Quidam Pene quaſi abſciſſo generarunt.*
5 *Incubi, & Succubi.*
6 *Incubos,& ſuccubos non dari,erroneum eſt affirmare.*
7 *Fœmina ex S.Thoma concipere poteſt ex ſemine viri non niſi circa vas effuſo.*
8 *Virgo abſque eo, quòd ullo modo corrupta ſit in receptione ſeminis,poteſt concipere, & parere.*
9 *Operâ Incuborum Virgo poteſt concipere,& parere.*
10 *Vir cum muliere commiſceri non poteſt abſque Penis erectione, neque mulier abſque tali erectione poteſt ullo modo concipere.*
11 *Erectio unde fiat, & cur à Natura inſtituta.*
12 *In mciendo cur non fiat membri erectio.*
13 *Coitus à Natura in generationem inventus.*
14 *Nimia brevitas penis impedit generationem.*
15 *In erectione plures ſpiritus concurrunt.*
16 *Conjunctio maris & fœminæ per membra generationis ad quid à Natura inſtituta.*
17 *Averrois, & Amati Luſitani hiſtoriis reſpondetur.*
18 *Virum Pene abſciſſo generare,monſtroſum quid eſt.*
19 *Incuborum operâ quomodo concipere poſſit mulier.*
20 *D.Thoma,& Navarra auctoritatibus reſpondetur.*

Mulier an ex ſemine virili concipere poſſit abſque ejus conjunctione, & ſine totali membrorum applicatione.

QUÆSTIO VIII.

LIcèt primâ fronte vana, & extra rem videatur eſſe hæc dubitatio, & nihil à Iurisconſultis facienda, tamẽ eam talem non eſſe in proceſſu ſermonis patebit.Ratio dubitandi eſt, quia Medici nonnulli, imò & Philoſophi, & ipſi Theologi, ſcrupulum in ea re excitarunt, alij propriâ ſententiâ, & auctoritate,alij verò delitiis quibuſdam,& nonniſi riſu dignis effictis hiſtoriis, quia tamen, & priorum nempe Theologorum auctoritas plurimi æſtimanda, & poſteriores Philoſophi, ac Medici fuere aliàs maximæ auctoritatis & doctrinæ, & idcircò multo honore digni, quantum litteraria virtus meretur, neceſſe eſt, & eas hiſtorias enarrare, & dubitandi rationem explanare, ut veritas

elucẽſcat

1 eluceſcat, quod, ut decet, omni cum modeſtia faciam, maximè quia non deſunt Doctores probatæ & Catholicæ doctrinæ, qui in his non diſſimilia attulerint.

Quæritur igitur, an poſſibile ſit, Mulierem ex virili ſemine concipere abſque eo, quòd cum eo commixta fuerit per membra generationis, ſed ſimplici *genitalium approximatione, aut utcunque ſemine prope muliebre vas ejecto*, & videtur hoc non eſſe impoſſibile, cùm ſimilia in rerum Natura videamus. Prætereo fabulas, ut quod Jupiter Minervam, abſque fœmina, Iuno Martem, abſque viri ope generaverint, de quibus Ovid. *lib.5.Faſtor.* in his carminibus in quibus introducitur Juno loquens:

Si pater eſt ſaltus neglecto conjugis uſu,
Jupiter, & ſolus numen utrumque tenet:
Cur ego deſperem fieri ſine conjuge mater,
Et parere intacto dummodo caſta viro?

& quæ ſequuntur. Narrat inſuper Herodot. *in Euterpe*, ſeu *lib.2.* de quibusdam piſcibus hæc, quæ ſequuntur: *Simul ac inceſſit eis libido gignendi gregatim in mare enatant, ducibus maſculis genituram ſpargentibus, quam fœminæ conſectantes recipiendo ſe ex ea concipiunt.* Sed hæc in alieno genere evenientia vix viderentur ad genus perfectorum animantium transferri poſſe, niſi generatio ex ſemine per conjunctionem maris & fœminæ omnibus eſſet communis, Sed præter hæc non deſunt hiſtoriæ in ipſo humano genere adnotatæ, quæ id non eſſe eventu impoſſibile manifeſtè demonſtrant.

Primò enim Averroes *lib.2.Colleg. c.10.* hiſtoriam
2 cujusdam mulieris fide dignæ (quantum ipſe adſtruit) recenſet, quæ in balneo imprægnata eſt hoc modo: cùm enim impij quidam homines propriis manibus ſemine ejecto illud inibi reliquiſſent, illa balneum ingreſſa ex ſpermate illo concepit: & adducit Averroes auctoritatem cujusdam Philoſophi, qui hoc fieri poſſe autumabat, eâ ratione perſuaſus (quæ etiam mirum in modum ipſi Averroi arridet, exclamat enim, O quàm benè placet mihi!) quòd uterus trahat ſperma propter unam propriâ virtutem, quam habet cum eo à tota ſpecie. Similem hiſtoriam multis ante ſæculis effictam recitat ex Hebræorum commentis Amat.Luſita. *cent. Curat.36.* de qua etiam ex Canoniſtis Torreblanc. *in Epitom. delict.c.30,n.37.* apud quem & aliæ non diſſimiles hiſtoriæ habentur, quibus facilè fidem præberet idem Amatus, cùm hiſtoriam aliam majori multò cachinno dignam ipſe pro vera in medium afferat *cent. 7.*
3 *curat. 18.* quæ talis eſt: *Turcica quædam Mulier cum marito, qui longum iter parabat, recenter congreſſa, nulla mora interpoſita in vicinas ædes ſe contulit, ubi alteram mulierem à ſe adamatam comprimens, illam gravidam reddidit*: nam & ipſæ fœminæ inter ſe aliquando hæc machinantur, & præcipuè Turcicæ: vocantur autem, (ut hoc per tranſitū adnotetur) tales fœminæ Tribades, teſte Cæl.Aurel. *Chron.lib.4.c. ult.* de quibus vide M.Ant.Ulmum *de Phyſiolog.barbæ humanæ ſect.3. c.4.* & Riol. *de Herm. c.12.* Sed præter hæc, quæ fabulam potiùs ſapiunt, Delr. *l.2.diſq.q. 15. ex S. Thom.* de puella narrat, quæ cum patre in eodem lecto jacens, ex paterna pollutione nocturna concepit. Prætereà Silvius apud Schenck. *in Obſervat.lib.4.tit. de pene, & præputio*, ex Savonarolæ auctoritate, refert, quosdam Membro quaſi penitùs abſciſſo gene-
4 raſſe, idque evenisſe tum ob validam reſidui Penis ejaculationem, tum maximè ob validiſſimam uteri attractionem: quod etiam acceptum videtur Fortunat.Fidel. *lib.3.de Relat. cap.2.* Et Riol. *ubi ſuprà*, nonnulla exempla ad hoc affert.

Acceptiſſimum inſuper eſt quod de Incubis, & Succubis referunt multi Catholici & Profani etiam ſcriptores, neque à ſacris dogmatibus diſſentit, Dæ-5 mones nimirum, qui viri officium in Mulieres, Mulieris viris ſubjacendo exercent, ex qua conjunctione Mulieres poſſe concipere, & aliquando cum effectu concepiſſe notiſſimum eſt. De quibus, & de his plura exempla videre licet, ſi libet, apud Codronch. *lib.3.de morb.veneſic.c.10.* & apud Iacob. Sprenger. *in Mall. Maleſ.part.2. q.1. c. 4. & ſeqq.* apud Kornman. *de mirac.vivor.tit. de natis ſine patre, & de Incubis, & ſuccubis*, apud Heurn. *de Capitis morb. c. 30.* Plura etiam vide apud Joan.Jacob. Boiſſard. *de Alagia.c.7.* 6 ubi de his agit: hoc autem fieri poſſe, & erroneum eſſe, contrariæ ſententiæ adhærere, docet Mart.Delr. *l.2.diſquiſit.Magic.q.15*, Torrebl. *in Epitom. delict. l.2. c.30.* Guaccius *in compend.Maleſ.lib.1.c. 12.* qui & rationibus in contrarium reſpondent, & ex noſtris Hucher. *lib.4.de ſterilit. in fin.*

Sed manifeſtiſſimè ad dubium noſtrum ſatisfacit 7 D.Thomas, qui (ut Sanchez *de matrim.l.7. diſp. 113.* refert, & citatur etiam à Navarr. *Conſ. lib. 4. tit. de frig. & maleſ.conſ.3.n.23.*) *Et contingit*, inquit, *quandoque fœminam concipere ex ſemine viri circa vas effuſo, matrice fœminea illud attrahente* quod Ariſt. conſonum videtur *2. de Gener. Anim. c. 4.* neque alienum apparet à Galeni ſent. *1. de ſemine c.4.* qui uterum ſuo collo veluti manibus uti dicit ad attrahendum ad ſe ipſum ſemen. Ex quibus omnibus hiſtoriis, & auctoritatibus concludere facilè licet, Mulierem cum viro commixtam, qui non arrigat, aut jacentem 8 cum viro, qui ſemen prope vas effundat, abſque membri intromiſſione concipere poſſe, unde deducitur, virginem poſſe concipere, & parere abſque eo, quòd in receptione ſeminis corrupta ſit, imò operâ Incuborum poſſe, quæ erat virgo, concipere, & pare-9 re docet Delrius *ubi ſuprà*, & alij.

Quibus tamen non obſtantibus dicendum eſt 10 Mulierē non poſſe abſque eo, quod à viro cum effectu, & realiter cognoſcatur per omnimodam applicationem membrorum generationis, ullo modo cōcipere: unde neque, ſi vir non erigat, neque ſi membrum illi penitus, aut magna ex parte ſit abſciſſum, neque ſi prope vas aliquo modo polluatur, poteſt mulier ex eo concipere. Faciunt pro hâc ſententiâ Mercurial. *lib.1.de morb. mul.c. 2.* & Laur. Anatom. *lib.7.q.1.* & ex Canoniſtis Delrius *ubi ſuprà*, qui & Laurentij auctoritati accedit, & Majol. vel ad eum ſupplentes *dier.canic.tom. 2. coll. 3.* qui ſuperiorem opinionem deridēt. Neque deſunt ad hoc probandum rationes, & argumenta nonnulla: nam primò Natura fruſtrà machinata eſſet tot inſtrumenta ad ſolam membri erectionem celebrandam: imò ſuper-
fluus omninò eſſet ipſe actus erectionis, & incom- 11
modum abſque utilitate afferret: quem tamen eum habere finem, ut facilè, ac promptè Penis in uterum intromittatur, & ſemen validiùs ejaculari poſſit, notiſſimum eſt, & docent Anatomici: nam aliàs poterat abſq; ea erectione, non ſecus ac in mejendo fit ſemen excerni: ſed quia urinam in alienum corpus 12
ejaculati non oportabat, in ea reddenda non fuit neceſſaria Penis erectio, in ſeminis verò excretione maximè.

Cùm igitur coitus à Natura ipſa in generationem inventus ſit, & nemo ad actum coitus pervenire 13
poſſit abſque penis erectione, ut patet, & notatur à Medicis: Montagnan. *Conſ.203. c. 1.* Baver. *in conſ. incipient. In nom. individuæ Trinitatis, in tertio notandos & conſ. ſeq. verſ. 7. præmitten.* Savonarol. *in pract. magn.tract.6.c.20. rubr.25. & 26.* jam inde ſequitur, quòd Mulier nullâ viâ, & ratione ex commixtione cum viro non erigente, ſed tantummodò ſemen emittente,

emittente, aut breviùs ex ſimplici ſeminis effuſione prope vas concipere poſſit.

14 Secundò,cùm etiam brevitas nimia ipſius Penis, ex eo quòd ad uteri internũ oſculum ob id pervenire ejaculatum ſemen non poſſit, cauſa notiſſima ſit ſterilitatis: Marinel. *de med. mul.* c.6. Hucher. *de ſteril.lib.1.c.de colis parvitate*, cùm tamen aliqua approximatio fiat, & intromiſſio in uterum: quantò magis ſi nullo modo approximetur, neque intromittatur, nullaque vi ſemen ad intima ejaculetur, generationem impediret?

15 Tertiò certum eſt, in erectione plures concurrere ſpiritus,& plurimum calorem vivificum ad ipſas partes,neque ſolùm intendi in eo actu virile membrum, ſed interiora etiam vaſa, quæ præſertim ad ejaculationem deſtinata ſunt,unde & ſemen ipſum plurimum vigoris nanciſci palam eſt. Quæ omnia incaſſum machinata eſſet natura,ſine quibus tamen ſemen multò minus aptum ad generationẽ reddi neceſſarium eſt. Itaque ſi præter prædicta impedimenta non fiat inſuper debita membrorum applicatio, non ſolùm conceptionem eſſe difficilem, ſed impoſſibilem, aſſeverandum eſt.

16 Quartò, cùm conjunctio tam arcta maris & fœminæ per genitalium membrorum applicationem ad id ſit à natura intenta,ut ſemen quàm minimũ, imò nullo modo ab aëre externo alteretur,eo quòd illicò &abſque mora ſpiritus illi tenuiſſimi,aut puriſſimi ſeminis evaneſcant,ut teſtis eſt Ariſt.2.*de Gener.Anim.c.*4. patet quòd ubi abſque ea cõjunctione ſemen prodeat,infœcundum eam ob cauſam omninò ſit oporteat: antequã enim ab utero attrahatur, ab aëre alterabitur,alteratum non ampliùs fœcundum eſſe poteſt.[Confer *Plempium* in fundam.Med. *I. D.Horſtium* in Manuductione ad Medic. *Sinibaldum* in Geneanthropia. Ita *Reies* hac in parte diſputat contra hanc doctrinam hoc in loco pag.292. ex allegato *Vopiſco Fortunato Plempio*, *Aquapendente*, *Fragoſo,Hildano,Pinæo*, qui videantur, ſi placet] Sed ad ea quæ in contrarium opponuntur, reſpondendum. Ad Herodoti hiſtoriam, ſeu fabulam primò reſponder pleniſſimè Ariſt.3.*de Gener. Anim. c.* 5.

Ad Averrois autem & Amati Luſitani hiſtorias dicendum,eas omninò falſas, ac fictas à mulierculis illis eſſe, ut probrum ſuum inhoneſto velamine
17 contegerent, & idcirco propriæ exiſtimationi utcumque eorum Doctorum detrahere,qui talia in medium proferant,iisque fidem præbeant : neque enim quicquam eſt in eorũ ſcriptis,quo magis docti viri ſtomachari poſſint, & quod præcipuè de Amato ſuſpicari me fecerit, veritatem habuiſſe id, quod ei Crato imponebat in quadam epiſtola ad Andream UVechelum,eum,nimirũ plura conficta, quàm facta ſcripſiſſe,&interdum hoc modo opiniones ſuas confirmare voluiſſe.Satis autem cõfutatur Averr. à Mercur.*lib.*1.*de morb.nul.c.*2. cujus rationes multò magis militant contra Amatum,ex quo nonnullas repetit ex Canoniſtris Torreblanc.*in Epitom. delict.lib.*2.*c.*30.*n.*46.*& ſeq.*

Ad id autem,quod Silvius ex Savonarola enarrat,
8 dicendum,rarum quid eſſe,nec in omnibus &ſemper veritatem habiturum,& in eo caſu non modo conveniſſe validam uteri attractionem, ſed validiſſimam etiam ipſius trunci Penis ejaculationem. Quamquam autem id veritatem habeat,dicendum nihil facere in caſu noſtro, cùm ſit in caſu verò noſtro nulla omnino, & ſemen facilè alterari poteſt.

Ad id quod de Incubis,&Succubis objicitur,pa-
19 tet quid reſpondendum, nam operâ Dæmonis poteſt eo modo ſequi conceptio, quia mirâ celeritate ipſe Dæmon ſemen quomodo libet à viro deciſum in mulieris uterum, antequam alterari ullo modo poſſit, impingit:modum autem quo id præſtare ſolet,docent præter cæteros Delrius,& Guaccius ex Canoniſtis, & Hucherus, & Codronchius, aliique ex Medicis *locis ſuprà citatis*: qui an executioni per ipſum Dæmonem demandari poſſit,necne, aliàs videbimus.

Ad auctoritatem autem D. Thomæ,&Navarræ, 20
allatam per Sanch.ſatis reſponſum puto,ſi nihil reſpondeam. Quod enim ſanctiſſimus ille vir,& doctiſſimus ille Canoniſta,id ſibi perſuadeant veritatem habere apud Medicos:vix ullum illos habituros exiſtimaverim, qui eorum auctoritati in ea re acquieſcat.Non poſſe tamẽ ex unica experientia formari univerſalẽ regulam,cuicunq; patere exiſtimo. Obſtabat denique noſtræ ſententiæ,quod de Atretis,ſeu Imperforatis dicitur, quæ proculdubio abſque eo quòd vir ad intimas uteri partes penetrare membro virili poſſit,tamen aliquando concipiunt, ut *ſuperiori quæſtione* dixi. Sed huic inſtantiæ ſatisfaciemus,ſi dicamus, diſparem eſſe rationem in his, & in caſu noſtro:nam in his,non obſtante quòd totum membrum non intromittatur in uterum, tamẽ ſemen ab aëre externo alterari non poteſt: in caſu autem noſtro præter quàm plurima alia incommoda,omnino neceſſe eſt ſemen alterari,&ſic ineptum reddi ad generationem.

SUMMARIUM.

1 *Hermaphroditi qui dicantur.*
2 *Hermaphroditorum plura genera.*
3 *Impotentia agendi, ſeu patiendi in Hermaphroditis unde expendenda.*
4 *Spadones qui.*
5 *Spadones ut hic ad coëundum, & generandum potentes.*
6 *Allegantes impedimentum carentiæ unius teſtis ad probandam impotentiam non audiendi.*
7 *Spadones nonnulli ambobus teſtibus carent, ſed illis ſuperior pars teſtium relicta in ſectione eſt.*
8 *Allegans carentium amborum teſtium ad probandam impotentiam, licèt è contra opponeretur, audiendus maximè eſt, quia ſuam intenſionem habet fundatam, & amplia ut ibid.*
9 *Quilibet præſumitur habilis ad coëundum.*
10 *Unuſquiſque præſumitur habilis ad generandum.*
11 *Præſumptio habilitatis coëundi, ſeu generandi ceſſat in eo,qui ambobus teſtibus caret, amplia ut ibid.*
12 *Eunuchi qui ſeminare poſſunt, apti ſunt ad matrimonium,declara ut ibid.*
13 *Eunuchi ad generandum impotentes.*
14 *Eunuchi qui accipiendi hic,& num.ſeq.*
16 *Calvinus notatus,& n.ſeq.defenſus,*n.18.

De Hermaphroditis,Spadonibus,& Eunuchis.

QUÆSTIO IX.

ILlud tantummodo de his omnibus in hac quæſtione diſcutiam,quod ad coëundi,vel generandi potentiam,ſeu impotentiam pertinet:nam de natura Hermaphroditorum plura rejiciam in *lib.*7.*tit.de Monſtris.* de Spadonibus autem, & Eunuchis plura jam verba feci *ſuperiori lib. tit.*3. Qui verò dicantur Hermaphroditi,notiſſimum eſt,&declarat ex Juriſconſultis Gl.*in l. Quæritur.ff.de ſt.at.hom.* nimirum di- 1
ci eos,qui partim habẽt membra viri,partim membra mulieris:ex noſtris Ariſt.4.*de Gener. Anim.* c. 4. Plin. *lib.*7.*nat.hiſt.c.* 3. Paræus *lib.*24.*cap.*4.Licèt *de monſtr.cauſ.lib.*2.*c.*35.Pro noſtra verò quæſtione adnotandum, plura eſſe Hermaphroditorum genera, 2
ut latiùs dicam *tit.de Monſtris,lib.*7.*ſeq.* nam quidam

ad utrumque apti, quidam ad agendū tantùm, quidam tantùm ad patiendum, prout is aut ille ſexus prævaler, cui ſexui etiam adſcribendi, ut per citatam *l. Quæritur, & per l. Repetundarum. §. Hermaphroditus ff. de teſtibus.* & per *c. ſi teſtes. §. Hermaphroditus in 4. q. 3.* Sanchez. *de matr. lib. 7. diſp* 106. *num.* 1. Cæterùm impotentia agendi, ſeu patiendi in his, ex ſexus exilitate facilè internoſcitur: prævalet enim, qui magis
3 conſpicuus eſt, ſed poteſt, ut dixi, uterque tam exilis eſſe, ut neque ad agendum, neque ad patiendum, ſatisfaciat, ut in fœmina illa Æthiopica, de qua Columbus *lib. 5. Anatomiæ.* Hoc autem impedimentum vel nullo modo omnino, vel nonniſi cum manifeſto vitæ diſcrimine auferri poteſt: itaque eo apparente, triennio opus non eſt ad diſcernendum, an ſit illud impedimentum amovibile.

4 Porrò Spadones hìc accipio pro iis, qui altero tantùm teſte carent, & id quidem non ex natura,
5 ſed ex accidenti patiuntur, nempe quia alter Teſticulorum illis exciſus: tales autem neque ad coëundū, neque ad generandum eſſe impotentes manifeſtum eſt, quia & in erectione, & in ſeminis productione, & concoctione, & emiſſione non magis deficiunt, quàm cæteri, qui ambobus donantur, virtus enim unitur in his: & ita conſultus reſpondit ex Medicis Nancel. *lib. 7. Analog. Microc. ad Macroc. part. 2.* & ex Juriſconſultis allegati per Sanchez *de Matr. lib. 7. diſp. 92. n. 14.* & per Barboſ. *in collect. Doct. lib. 4. tit. 15. c. 2. num. 4.* itaque allegantes hoc impedimentum tam in coëundi, quàm in generandi potentia: non audiendi, tanquam ſi nihil ad rem faciens allegaverint niſi teſtis relictus parvus, & deficiens ſit, & in ſumma ea vitia ſortiatur, quæ etiam ambobus communia eſſe jam ſuprà diximus, & ex quibus interdum coitum, interdum generationem, interdum utrumque ſimul
7 impediri docuimus. Sed advertendum, poſſe quoque inter Spadones quoſdam connumerari, quibus ambo quidem teſtes deficiunt, quia exciſi ſunt, ſed illis in exciſione relicta eſt ſuperior pars alterius, vel amborum teſtium: hos enim generare poſſe aliàs dixi, ex Hollerio, *comm. 5. Aph. 63.* licèt hoc mihi non adeò perſuaſum ſit. Sed etiamſi veritatem habeat Hollerii ſententia, & experientiæ reſpondeat, non eſſe tamen
8 rejiciendus allegans hoc impedimentum coëundi, ſeu generandi, quia haberet ſuam intenſionem fundatam ex apparenti teſtium amborum defectu: quod amplia in allegante non totalem carentiam, ſed teſtium exilitatem, aut non naturalem ſitum, aut aliud quodcunque magnum vitium apparens.

9 Licèt ergo quilibet præſumatur habilis ad coëū-
10 dum, imo etiam unuſquiſque præſumatur habilis ad generandum, niſi probetur inhabilis, ut per Alciat. *de præſumpt. reg. 1. præſumpt. 41. n. 1.* Rota *in Bononienſ. fideicommiſſi de Baccafeneis. 24. Maii 1655. coram Zarate*, quia quilibet præſumendus ſanus potiùs, quàm infirmus. Rota apud Farinac. *deciſ. 713. num. 2. part. 2. tom.* 2. impotens autem ſeu ad coitum, ſeu ad generationem, ſanus dici non poteſt: tamen hæc præſump-
11 tio in continenti ceſſaret in eo, qui non haberet teſtes, quia probatio impotentiæ in continenti fieri poteſt: amplia & in eo, qui haberet teſtes maximè exiles, vel ſitum naturalem non ſervantes. Incumberet ergo onus probandi ipſimet, ſe eſſe potentem ad utrumque: quod licèt eſſet admodum difficilis probationis, tamen ex præſentium Medicorum judicio veritatis aliquo modo innoteſcere poſſet: nam ii facilè proſpicerent, an illa ſuperior Teſticulorum pars, nempe venæ paraſtatæ, ſeu glandulæ, ubi ſe dilatare incipiunt & ad teſtes feruntur, in exciſione teſtium illis relictæ ſint, & tamen hoc etiam probato, vix probatum crediderim, illos coire, & generare poſſe niſi ſimul probaretur, eos ſemen ferre, atque illud qualitate, & quantitate laudabile, & prolificum, tunc enim in his haberet locum, quod nonnulli tradiderint: Eunuchos nempe, qui ſeminare poſſunt, aptos eſſe ad matrimonium, quod dictum de his abſque dubio intelligi poſſet, licèt illud tanquam 12 impoſſibile, & veritati contrarium admiretur, & reprobet Sanchez, *ubi ſuprà, num.* 18.

De Eunuchis communiſſima opinio eſt, neque à quoquam, quod ſciam, controverſa, quòd ad generationem ſint omnino inhabiles, unde prohibentur 13 matrimonium contrahere, licèt aliquando coëant, & humiditatem quandam in coitu excernant, ut alias dixi, & notat etiam ex Canoniſtis Sanch. *ubi ſuprà n.* 17. Licèt Navarr. *l. 4. Conſ. 3. tit. de frig. & malef. n.* 11. velit Eunuchos arrigentes, & copulam exercentes, poſſe contrahere matrimonium, ex eo quòd per eam humiditatem, quam effundere dixi, habeant concup.ſcentiæ remedium, an verò hoc ſatis ſit ad matrimonii validitatem, Canoniſtis decidendum re- 14 linquam. Ego ad penſum meum rediens, voco hìc Eunuchos eos propriè, qui utroque teſte carent, ſive id à Natura patiantur, ſive arte exciſi ſint. Quod vero Navarra *ubi ſuprà*, conetur probare, quòd vir ille, de quo agit, carens utroque teſte potuerit generare, licèt ego pro impoſſibili non ducam, quia poſſent teſtes intus manere abſconditi, tamen apud me maximè ardua opinio eſt, & præcipuè in eo caſu, in quo vir ille habebat quoque virgam exilem, manifeſtiſſimum argumentum defectus ipſius Naturæ quæ neque teſtes procreare poterat.

Sed præter ſuperiores connumerantur etiam in- 15 ter Eunuchos illi, quibus teſtes attriti, aut contuſi ſunt, ita ut vel emarcuerint, vel contabuerint, & tãquam emortua membra propendeant, ſuntque exiles, & frigidi, & nulli uſui ampliùs apti. Hos Thlibias, & Thlaſias aliàs nominari dixi, & de his Joan. Calvin. *in lexico, verbo Thlaſia* dicebat, quòd poſſint vitio ſublato generare: quam ego opinionem inibi 16 erroris notavi, quod impoſſibile videatur, contu- 17 ſos, & jam tabeſcentes Teſticulos, rurſus reviviſcere, & priſtinum vigorem recuperare. Illud in Joannis Calvini tutelam adduci poterat, quòd intellixerit de illis, quibus neque bene, neque univerſim contuſi, ſeu attriti fuerint, ut facilè in hac operatione, 18 etiamſi ab arte fiat, evenire poteſt, ſed illis præcipuè paraſtatæ integræ remanſerint, & ſola teſtium ſubſtantia contuſa contabuerit, vigore enim dictarum glandularum poſſent hi fortaſſe generare, ſed vitium nunquam tolleretur. Non connumeraverim tamen inter Eunuchos eos, qui etiamſi teſtes habeant, ob Naturæ tamen impotentiam ſemen non generant, neque ob id erigunt, quod tamen fecit Mercat. *lib. 3. de morb. mul. c. 5.* quanquam Hippocratis auctoritate ſuum dictum roborat, qui Scytharum plurimos Eunuchos naſci retulit, ut aliàs dixi: ſed Hippocr. vocat eos Eunuchos ab effectu, quia tanquam Eunuchi ad venerea non ſufficiunt. Hos ergo potiùs inter frigidos rejicerem, nam & ipſos Scythas potiùs frigidos, quàm Eunuchos eſſe Hipp. ipſe annuit, eodem Mercato teſte ibidem.

Neque etiam propriè Eunuchos eſſe dixerim eos, qui teſtes adeò exiguos habent, ut ciceris, ſeu fabæ magnitudinem non æquent, ut Hoſtienſ. *in rubr. de frig. & malef. in ſumma lib. 4.* ex quo inter noſtros Fortun. Fidel. *l. 3. Relat. c. 2.* de quodam narrat: nam & hos, ſi veneri non ſufficiant, potiùs frigidos quàm Eunuchos dixerim, ſed hæc nullius penè momenti ſunt, cùm de nominibus quæſtio ſit.

LIBRI

LIBRI TERTIJ TITULUS SECUNDUS.

DE MORBORUM SIMULATIONE.

Continens Quæstiones decem.

I. Qui morbi ut plurimùm simulari soleant: qui item faciliùs, qui difficiliùs simulari possint.
II. Qua ratione deprehendatur qui morbum simulant.
III. De simulata febre, effectisque ulceribus.
IV. De simulato dolore.
V. De simulata insania.
VI. De simulato morbo cum defectu Animi, & sensus amissione, ut Syncope, Apoplexia, Epilepsia, Ecstasi, & aliis.
VII. De simulata virginitate.
VIII. De simulata prægnantia, & de partu suppositio.
IX. Mulierem peperisse, aut abortum fecisse, ex quibus conjici possit.
X. De morbos dissimulantibus.

SUMMARIUM.

1 *Homines multis ex causis morbos simulant.*
2 *Lex ita abhorret à Medicis morbos simulantibus, ut cuilibet volenti permittat investigare, an eorum infirmitas vera, vel ficta sit.*
3 *Simulantes morbos tanquam falsarii puniuntur.*
4 *Non omnes morbi simulari facile possunt.*
5 *Morbi qui facilè simulari non possunt.*
6 *Febris non potest facilè simulari.*
7 *Morbi qui frequentiùs simulantur.*
8 *Prægnantia, & partus non sunt morbi.*
9 *Simulatio latentior quæ.*
10 *Quidam atroces morbos facilè sustinent, alii vel leviores sustinent difficulter.*
11 *Dissimulantur etiam nonnulli morbi, sed non aquè omnes.*

Qui morbi ut plurimùm simulari soleant; qui item faciliùs, qui difficiliùs simulari possint.

QUÆSTIO I.

1 NOn rarò quidem usuvenit, ut homines non nullis ex causis morbos quosdam, & affectus pati se malitiosè simulent: quas causas rationabiliter, & prudenter Silvaticus *in libro de his, qui morb. simul. cap. secundo*, ad tria capita reducit, nempe ad *timorem*, ad *verecundiam*, & ad *lucrum*, nam exempli gratiâ, alicujus delicti rei, utplurimùm ad tormenta declinanda, vel ad ipsorum delictorum meritas pœnas evitandas, se mente captos, aut insanos fingunt, argum. *Congruit. §. furiosi. & l. seq. ff. de off. Præsid. & ibi Gloss.* & ex nostris Sanctorell. *in sua Anteprax. libro septimo, cap. decimonono*, quemadmodum alii alia ex causa, nempe ut onera nonnulla effugiant, furentes se assimulant, ut notatur per *l. Observare, ff. de curat. furios.* Quin etiam sunt (vide quo hominum malitia se extendat) qui ad immunitates obtinendas, aut ad coadjutores sibi in curis Animarum adsciscendos, ut ipsi labore alleventur, simulatione alicujus morbi, sibi expostulata impetrent. Sunt etiam qui, ut in judicio comparere non cogantur, aut ut à carceribus, in quibus ære alieno gravati detinentur, eximantur, eâdem arte, imo vero malitiâ utuntur. Alii sunt item ex iis, qui stipem mendicant, qui ad conciscendam sibi apud homines misericordiam, & pecuniam quamplurimam corradendam plura effingunt, & miros tumores, ulcera Phagedænica, & Chironia, membra paralysi emortua, ac torpentia, corpus Epilepsiâ afflictum, & his non absimilia: à quibus fraudibus ita Lex abhorret,
2 ut cuilibet volenti permittat, etiamsi id sui juris non sit, investigare, an horum mendicantium infirmitates veræ sint, aut fictæ, ut per Ripam *in tractat. de Pest. part. 5. num. 176.* & si quos inveniat 3
tibias sibi medicamentis laceraſſe, tanquam falsarios puniendos esse jubet. Ripa, *ibid. numer. 137.* Prævidell. *de Pest. part. ultima, part. 14. numer. 13.* sed præter antedictos nonnulli sunt, qui eodem fine ducti se Dæmoniacos effingunt, aut Enthusiasmum, vel quam, vocant, Sancti Viri choream pati. Sed ex his alii à pietate multò magis alieni, ut nomen sibi sanctimoniæ apud homines concilient, in Ecstasim se rapi assimulantes, simplices, & idiotas facilè decipiunt. Quin etiam adulatores sese interdum ægrotare eâdem, qua Dominus, infirmitate fingunt, teste Plutarch. *de lib. de diff. inter Adul. & Amic.* qui & ad eam rem de Dionysio Syracusano cæcutiente, & de servis ejus cæcitatem simulantibus mentionem habeat. Sed insuper Mulierculæ quoque interdum uteri suffocationem pari simulant, interdum etiam se utero gerere fingunt, & ut mendacii non convincantur, vel potiùs ad multò pejorem finem partus sibi alienos supponunt, & sic post fictam prægnantiam etiam tanquam parturientes se concinnant, quod notat Hostiens. *in summ. libro 4. Rubr. de frig. & malef. numer. 12.* & quod multò frequentiùs evenit, ut amissæ pudicitiæ notam effugiant, ipsam virginitatem medicamentis nonnullis reparare, & redintegrare tentant (quamquam verè virginitas nunquam reparatur, cùm semel amissa fuerit) & suis artibus, ac decipulis, multis, imò plerisque imponunt, cùm tamen corruptæ non modò interdum sint, sed etiam conceperint: quod ut etiam aliquando contegant, detestabili impietate abortivis medicamentis fœtus necant, & de hinc, ut dixi, prostitutam earum libidinem simulatâ virginitate contegere student. Ac denique nonnulli sunt, qui cùm verè ægrotent, morbum tamen celant, ne illi ad aliquid impetrandum impedimento sit, ut si impotens sit quis ad copulam carnalem, aut contagioso morbo laboret, aut quovis alio, ob quem illi matrimonio interdicatur, vel si Epilepsiâ, vel alio morbo ordinum susceptionem impediente detineatur, talesque morbum dissimulare dicuntur.

In his omnibus, & aliis quoque non dissimilibus casibus Jurisconsulti, ut de veritate certiores fiant, ad Medicos se conferunt, eorumque judicium circa rerum veritatem expoſcunt. Ad eos enim de his determinare pertinet, ut optimè demonstrat Joannes Baptista Silvaric. *in libro ad hanc rem dicato cap. 1.* Et in similibus casibus simulationis dixit Rota *in Melevitana Antianitatis 1. Julii 1643.*

coram Veroſpio, ubi ex fide medicorum probari vult infirmitatem, eorumque atteſtationibus plenam fidem adhibendam firmat, ita ut opportunè in hoc titulo ea, quæ hoc argumentum faciunt, pertractare mihi propoſuerim. Quoniam autem non omnes morbi ſimulari indifferenter ſolent, imo ne-
4 que omnes indifferenter ſimulari poſſunt, ſed aliqui ſunt, qui frequentius ſimulantur, ante omnia videndum in hac priore quæſtione, quinam morbi ii ſint, qui & faciliùs ſimulari poſſint, & ob eam facilitatem frequentius ſimulentur, cùm in aliis quibusdam non adeò facilè ſit Medicum, imò neque quenquam ſani judicii hominem falli. Certum ergo eſt, eos morbos, quorum certa, & evidentia ſigna habemus, ut quæ ad ſenſum patent, neque
5 facilè, neque longo tempore poſſe ſimulari, ut præcipuè ii omnes ſunt, qui de neceſſitate febrem adjunctam perpetuò habent, cùm & ipſa febris per ſe ſimulari facilè non poſſit: quamquam enim febris per quædam medicamenta facilè excitetur, tamen aut non pertranſit ſpatium viginti quatuor horarum, cùm ex genere Ephemerarum ſit, ut dicemus ſuo loco, aut malo ejus, qui eam ſi fraudulenter conciliavit, terminum Ephemerarum pertranſit, qui aliquando extenditur ad tertium diem, & tunc ex ficta vera efficitur præter ſimulantis voluntatem, & idcircò de rarò admodum hujus generis ſimulatione fraudulenti homines utuntur: timent
6 enim ne dum alios decipere ſtudent, ſe ipſos volentes nolentes perdant. Cùm ergò plurimi morbum febrem ſociam habeant, reſtat, ut cæteri omnes, paucis quibuſdam exceptis, faciliùs ſimulari poſſint, niſi habeant, ut dixi ſigna evidentia, & quæ ad ſenſum pareant.

7 Cæterùm præ omnibus ſimulari ſolet *Dementia*, ſeu inſania, *Dolores* aut capitis, aut ſtomachi, aut renum, aut ventris inferioris, & in ſumma interni omnes, nam in externis partibus non de facili ſimulari poſſunt, ut dicemus. Præter hos effinguntur *Animi defectus* omnes, & morbi, qui cum eo defectu adveniunt, ut eſt Epilepſia, Apoplexia, Ecſtaſis, Uteri ſuffocatio, Syncope. Simulatur quoque aliquando mutitas, & ſurditas, rariùs tamen, veluti etiam Paralyſis, Hernia, Hydrops, Icteritia, Cachexia, Claudicatio. His multò frequentiùs ſi-
8 mulantur ab ignavis quibuſdam, ut dicemus, ulcera: & denique prægnantia, & Partus, quamquam neque prægnantia, neque partus morbi ſunt, aut accidentia morbi.

Verum enim verò hæc, de qua hactenus locuti
9 ſumus, eſt aperta ſimulatio, nempe quia nullo exiſtente morbo homines ſe morboſos ſimulant. Præter hanc tamen alia ſimulatio eſt cognitu multò difficilior, quam latentem appellare libet, eo quòd cauſa ægrotationis, & morbus ipſe manifeſtè ſe perſcrutantibus prodant, ſed ſub levioris morbi tegumento lateat ſimulatio atrocioris morbi: quæ quidem ſimulatio nonnullis connaturalis eſt, & nullam fraudem præ ſe fert, in aliis verò fraudulenta eſt, nam ex ejus cauſa ad optatum finem pervenire ſtudent. Sunt ergo quidam ejus naturæ, ut mor-
10 bos quoſcunque atrociores, anxietudines, ipſos etiam infeſtiſſimos dolores tam *patienter tolerent*, Valleſius dicebat *in 2. Epidem. ſect. 2. numer.* 10. ut vix eos ægratare dixeris: alii contrà leviuſculâ febre afflicti, dolore nullius momenti moleſtati, animi levi deliquio apprehenſi, adeò ſe excruciant, adeò vociferantur, tam anxiè ſed adhuc, atque illuc jactitant, tot abſurdos, & inconcinnos actus effingunt, adeò illico mœrent, & pallent, ut imperitus quiſpiam Medicus, vel eorum naturæ, moriſque ignarus facilè dijudicet, eos magno quodam morbo detineri, aut de vita periclitari, cum vix quicquam conſideratione dignum patiuntur. In prudentibus autem, & non ſimulantibus,

——— *flagrantior æquo*
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere major,

ut dicebat Juvenal. *Sat.* 13. Sed quemadmodum in prioribus morbus aut dolor non eſt aſpernandus, ſic neque in poſterioribus magni faciendus, quia, ut facundiſſimus Poëta noſter Franc. Petrarcha, *in Mortis Triumpho, cap.* 2. dicebat:

Non è minor il duol, perch' altri il prema,
Ne mag gior per andarſi lamentando.
Per fittion non creſce il duol, ne ſcema.

Vidi, ut exemplo hæc confirmem, non longè 11
anteactis diebus, *Græcam* quandam *matronam* quæ ſimplici tertianâ laborabat, nullo notabili calore, neque dolore, neque alio quolibet gravi ſymptomate inſigni: tamen cùm in acceſſione vomitu, non tamen moleſto, præhenderetur, & tantilli humoris bilioſi morum & amarorem, cum aliqua, ſed leviſſima anxietudine, experiretur, mortuam ſe illico prædicabat, canes ſibi ſtomachum lacerare vociferans, & tanquam animo linqueretur, taciturna illicò fiebat, & mille alios abſurdiſſimos actus effingebat, quæ me potiùs in riſum, quàm in commiſerationem impellebant, qui ſcirem mulieris morem, atque naturam. Itaque Medicus ad hæc animum advertat, ne in ſui dedecus, & deriſum, quem repentè, & nullo negotio ſanatum videat, de cujus vita ipſe paulo antè diffidebat. Adhibenda itaque etiam in his caſibus induſtria eſt, non modò cùm de vera, aut ficta morbi gravitate ſententiam ferre debemus, ſed tunc etiam cùm mederi ægrotantibus deſideramus: nam & hoc ipſum monuit communis præceptor Hippocrates, & eum ſecutus Valleſ. *in 2. Epidem. ſect. 2. p.* 10. Cæterùm diſſimulantur etiam nonnulli morbo (hoc eſt, cùm adſint, homo ſimulat non adeſſe) ſed non æquè omnes: de his tamen in ultima hujus tituli quæſtione ſeorſim agemus.

SUMMARIUM.

1 *Galenus nihil penè intactum in Arte Medica reliquit.*
2 *Quinque ingeniis deprehendi poſſunt qui morbum ſimulant.*
3 *Quomodo ex conjecturis externis deprehendi poſſint qui ſimulant aliquem morbum.*
4 *Quomodo iidem deprehendi poſſint ex ſpecie morbi, qui ſimulatur.*
5 *Quanam ratione deprehendi iidem poſſint ex abominatione & difficili admiſſione remediorum.*
6 *Quomodo deprehendantur ſimulantes morbum, ex iis quæ morbos concomitantur.*
7 *Quo pacto poſſint deprehendi iidem, ex iis quæ morbos conſequuntur.*
8 *Pulſum quonam pacto alterent ſibi nonnulli.*
9 *In urinis quæ fraudes ineſſe poſſint, & quomodo detegenda.*
10 *Urinarum color quibus ex cauſis, & quomodo ex induſtria alterari poſſit.*
11 *Pallor faciei quibus procuretur, & quomodo deprehendatur.*
12 *Sudor ſanguineus arte procurari an poſſit.*
13 *Sudor ſangineus arte procuratus quomodo deprehendi poſſit.*

Qua ratione deprehendatur, qui morbum ſimulant.

QUÆSTIO II.

QUoniam autem de ſingulorum morborum ſimulatione particulariter agere tædio non vacaret, & nimis quoque forte operoſum eſſet, idcirco univerſalis

universalis ratio tradenda videtur, quâ deprehendi possint ii, qui morbum aqualemcunque simulant nam deinceps ad particulares quosdam casus accedemus, qui peculiaribus conjecturis aliisque simulationibus non communibus, & particulari ingenio detegi possunt.

1 Galenus igitur noster, qui nihil penè in Arte Medica intactum, aut intentatum reliquit, in suo libello huic negotio dicato, quamquam breviter, sapienter, ut sui moris est, rationem edocuit, quâ id, quod quærimus, facilè assequamur. Licèt *Silvaticus* hunc librum non esse Galeni genuinum autumet, quòd multa dicat continere ejus doctrinâ indigna: sed quidquid sit de huius rei veritate, ego
2 illius auctoris doctrinâ munitus, & rationabili
3 discursu adjutus, dicendum censeo, quòd quinque potissimum ingeniis deprehendi possunt ii, qui morbum aliquem se pati simulant: & *primò* si utamur nonnullis conjecturis externis, non tam ad Medicum, vel potiùs ad ejus artem, quàm ad quemlibet alium pertinentibus, & ad ipsos præcipuè Judices, & Jurisconsultos: atque hac de causa non debet Medicus, (qui in his solidum, ac verum forte judicium desiderat, ex quo honorem sibi, non autem dedecus, aut ignominiam conciliet,) contentus esse solis iis indiciis, quæ Medicæ Artis propria sunt, sed multa ab amicis, à familiaribus, à propinquis, à vicinis, ab ipsis denique Iudicibus interrogare debet, & causam suspicionis, ob quam morbum potiùs esse fictum, quàm verum existiment, diligenter, & magna cum cautela rimari. Hoc ingenio usus ipse *Galen.* deprehendit servi cujusdam dolum, qui medicamentorum nonnullorum appositione tumorem sibi in genu excitaverat, ex quo impediri se ad itinerandum Domino suo persuadebat, qui secum illum deducere longo in itinere desiderabat: percontatus enim *Galenus*, de servi natura, de moribus, de Animi affectibus, facilè venit in cognitionem, ipsum servum ancillam quandam deperire, quam ne deserere cogeretur, neve ejus aspectu, & familiaritate, seu potiùs consuetudine privaretur, si Dominum sequi per longum iter cogeretur, genuum dolorem se pati simulavit, cujus rei ut sibi fidem faceret, per Thapsiæ appositionem in ea parte tumorem excitaverat; cujus malitiam *Galenus* non modò ex Artis Medicæ præstantia, sed prædicta juduſtria usus, & apto medicamento tumori appositio, fraudem detexit, tumore, & inflammatione illicò evanescente, magna cum sui nominis gloria. Consideranda ergo, ut dixi, personæ, quæ morbum simulare præsumitur, status, & conditio, & alia ab extra advenientia, & maximè præ oculis habere oportet causam, quam possibile est eam habere simulandi, ut si tormentis subjicienda, si in judicium trahenda, si in carceribus detinenda, nam factâ circa hæc diligenti animadversione, facilè conjecturæ nonnullæ sese offerent, ex quibus in veritatis cognitionem levi negotio perveniemus.

4 *Secundò*, deprehendi potest simulatio morbi, ex specie morbi qui simulatur, consideratis causis externis, corporis habitu, ætate, anteactæ vitæ ratione, & hujusmodi: nam si qui hesternâ die bono videbatur corporis esse habitu, coloris laudabilis, & vitam degebat frugalem, absque eo quòd insigniter in usu sex rerum non naturalium peccaverit, hodie, vel irrationabili temporis spatio cachecticus appareat, vel Hydropicus, vel Ictericus, vel tumore aliquo subito prehendatur, hunc facile est morbum per fraudem simulare, cum difficile, ac pene impossibile sit, illum cum tali vitæ institutione, eo corporis habitu dotatum, absque alio præcedenti morbo, aut causa aliqua procatarctica, & evidenti, in aliquam prædictorum morborum speciem tam derepentè lapsum esse. Eadem esset ratio de illo, qui cùm in quiete sit, neque laborandi, aut sudandi occasionem ullam habet, & se exponendi aëri frigido, diceret se dolore pleuritico detineri: nam tunc facile est, ipsum simulare, quia pleuritis absque iis præcedentibus evenire non solet ut plurimum. Eodem quoque pacto si quis derepente insanus appareat, non prægressa aliqua causa evidenti, neque quicquam præteritis diebus à suo naturali statu in colore, in oculorum aspectu, in loquela, in Animi pathematis immutatus, suspicandum est, eam esse simulatam insaniam: non enim morbi hujusmodi à Melancholia originem ducentes, tam derepentè irruere solent, ut loco aptiori demonstrabimus.

Tertiò, qui simulant morbum, deprehenduntur 5 ex abominatione, & difficili admissione remediorum, quæ ubi verè ægrotarent, maximè cõvenirent: qui enim non ficto morbo afficiũtur, facilè patiuntur se remediis adjuvari, imò magno existente morbo, ut exempli causa, si dolore acerbissimo, & infestissmo affligantur, ultrò ipsos Medicos deprecantur, ut nihil machinari omittant, ipsique ferrum, & ignem efflagitant, & admittunt, etiam his multo majora toleraturi. Contrà autem ubi verè non ægrotaverint, aut leviter afficiantur, vix externa remedia, & quæ absque molestia in usum trahi possunt, admittunt, sed procrastinantes nihil executioni demandari permittunt.

Quartò, deprehenditur simulatio ex iis, quæ aliàs 6 consequi solent, nempe ex accidentibus, symptomatibusque ipsos morbos concomitantibus, & ad hoc exquisito, ac diligenti examine ponderanda, & animadvertenda in quolibet morbo, qui simulare præsumatur, signa, & accidentia, quæ a Scriptoribus in eorum morborum enarratione recensentur, ex quorum absentia aut in parte, aut in totum facilè venire licèt in cognitionem simulationis, ut in singulis quæstionibus particulariùs edocebimus.

Ultimo loco alia nonnulla sunt, quæ non concomitantur à principio ipsos morbos, sed ad eos consequuntur & hæc etiam in consideratione habenda, ubi enim desint, de simulatione suspicari licèt: nam siquidem exempli gratiâ, servus ille, de quo suprà meminimus, verè ægrotasset, tumor ille genu majorem in dies dolorem, & inflammationem excitasset, febrem accendisset, & in pus facili negotio conversus esset, unde novæ febres, novique dolores emanassent. At horum nihil ad eum tumorem subsequi fuit necessarium, quia medicamento externo fuerat excitatus, unde facile fuit illum contrario medicamento reprimere. Eadem quoque ratione, ubi acerbo, ac magno dolore affligi se quisquam dicat, si id veritatem habeat, eo ore procedente, nihilque remittente, necesse est ad eum (præcipuè si maximè sensitivæ, ac nobilis partis fuerint ut stomachi) subsequi frigidos sudores, vomitus, biliosarum materiarum, anxietudines, pallores, partium extremarum refrigerationem, febres, inflammationes, malam tolerantiam, aversionem à cibis, & alia hujusmodi symptomata, vel omnia, vel magna ex parte: sin minùs, nihil ex his prorsus subsequitur. Sic etiam ubi furore vel insaniâ quis verè detineatur, oculorum effuscatione, vultu tetrico & incomposito, intuitu torvo, perpetuis vigiliis, & similibus accidentibus ad morbum consequentibus, conspicuam faciet veritatem.

Sed quoniam hominum malitia tanta eſt,ut etiam
8 nonnullis mediis utatur,ad ſuam ſimulationem pro vero quodam ſtabiliendum, & falſitatem eorum contegendam, ut eo pacto faciliùs & judicibus, & Medicis imponant, advertendum eſt, nonnullos ſibi *pulſus* aliquo artificio ſolitos immutare,vel penitùs abſcindere, *urinas* etiam adulterare, tum in colore, tum in ſubſtantia, tum in contentis, item totius corporis vividum colorem in lividum, ſeu pallidum adulterare,& alia multa his non diſſimilia confingere, quæ facilè non advertentem Medicum,ſeu imperitum,& multò magis Iudices inexpertos,& qui Medicinam minimè callent,decipere poſſunt: idcircò ad horum fraudem detegendam, ubi febrem,aut animi deliquium tales ſimulare ſuſpicati fuerimus,brachia tentare oportet, ne aliquo vinculo conſtricta ſint,aut pedum quoque arterias inveſtigare,nam impoſſibile eſt,ſi hæ perſentiantur, carpi arterias non moveri,aut non perſentiri,itaque fraudem tunc ſubeſſe Medicus ſuſpicatus, ad alia procedet tentanda,quæ ſua induſtria ſibi in eo caſu dictabit.Quin etiam aliquid cauſati, ut pericularum, vel puſtularum eruptione, vel ſimile quidpiam,corpus totum denudari, & brachia ipſa præcipuè curabimus.

Porrò ſi de urinis ſuſpicio aliqua inſuper acceſ-
9 ſerit,tunc cautelis utendum à Gordonio traditis.*in libello de urinarum cautelis*, Sed unica in omnibus caſibus cautela eſt,ut urinas coram nobis,ubi fraudis ſuſpicio aliqua ſit,mingendas curemus,& diligēter advertamus,ne re aliquâ adulteretur, quæ vel ſub ſtrato,vel alibi celetur: adulterantur enim urinæ quādo exempli cauſâ pro illis oſtenditur vinū; quod facilè odore ſuo ſe prodit, præcipuè ſi matuJam exagitaveris.Deinde in vino nulla contenta,in urina quaſi ſemper aliqua. Interdum pro urina oſtenditur Hydromel,hoc eſt, liquor ex aqua & melle,& hic facit ſpumam citrinam, quod deprehendes ſi ex una matula in aliam eam transfundas, aliquid cauſatus.Deprehendi etiam poteſt cum his, ex omnimoda contentorum abſentia. Eſt etiam quando oſtenditur urina ſanguinolenta, & hoc vel ob admixtionem alicujus rei, vel ob præcedentem comeſtionem Indicæ ficus, quæ ſanguineam urinam reddere facit, ut teſtatur Matthiol. *in lib. 1. Dioſcor.c.*145. Donat. Marcell. *lib.*4. *Hiſt. Med. Mirab.c.*129.& Ovied.*lib.*8. *Indic. hiſtor.& ult.* Poteſt etiam urina ſanguinea reddi,imò ipſe ſanguis mingi, ob retentionem Cantharidarum in manu, ſed hoc non ſine aliquo periculo,& dolore experientis fiet, ita ut facilè ſuæ fraudis pœnam reportaturus eſſet. Urinæ item color intentior redditur longâ
10 ipſius retentione, decubitu quoque ſuper renes, violento motu,& exercitio,& omnibus rebus,quæ corpus, & ipſos præcipuè renes poſſunt excalefacere. Quin etiam remitti ex induſtria poteſt urinæ color, ut ventriculi dolorem ex cruditate qui prudentius,imò malitioſiùs ſimulet, etiam aquæ admixtione: ſed ipſe faciei color vividus horum malitia irritam facit, cùm ubi longâ ventriculi cruditate, & ob eam ejuſdem dolore quis moleſtetur, impoſſibile ſit faciei colorem non immutare, & in albidum,pallidumve verti,& alia accidentia huic morbo familiaria non comparere, licèt etiam fa-
11 ciei color adulteretur facillimè pleriſque ſuffitibus, præcipuè ex ſulphure, & ex cumino, quod etiam bibitum idem præſtat, ut notavit Dioſcorid. *lib.*3.*cap.*60. & ibi Matthiol. & Ruell. *de nat. ſtirp. lib.*3.*c.* 44. quod & Horatius *lib.* 1.*Epiſtol.penultima* innuebat,dicens:

——*Quod ſi*
Pallerem caſu biberent exangue cuminum.

nempe ut ipſi ſibi conciliarent faciei pallorem, quo me affectum viderent, ſed pallorem quemcunque ſuffitu procuratum facilè deprehendimus lotione ex rebus abſtergentibus, ut ex aqua hordei cum aceto,aliiſve medicamentis ejus facultatis, ut latiùs Deo dante,infrà docebimus.

Baronell.denique *lib.* 2. *de ſudore, cap.* 11. propo- 12
nebat quæſtionem, an ſcilicet *Arte procurari poſſint ſudores ſanguinei*,concluditque duobus exemplis, dari quædam medicamenta, quæ hujuſmodi ſudores ſuâ applicatione elicere poſſint, ut de herba illa qua Indus quidam in urbe Poſto dicta plures morbos curabat: de cujus rei veritate fidem facit Petrus de Oſma *in Epiſtola ad D. Nicolaum Monardum, ab ipſo Baronell.* ſed quia hæc vel ignota ſunt. vel à nobis admodum remota, idcirco his aliquid addere ſupervacaneum puto. Cùm tamen hoc ſit accidens maximæ conſiderationis,ſi quando eveniret,proculdubio ſupponeret magnum morbum,terribilibus accidentibus concomitatum, & cum certo periculo terminaturum,qualem offendit aliquando illuſtiſſimus,& Reverendiſſimus D.Iulius Mancinus, S.D.N.Urbani Papæ Octavi à cubiculo Medicus,& vir ob ſuam doctrinæ excellentiam omnibus notiſſimus.

Si ergo talia ſymptomata abeſſent,per artem pro- 13
curatum fuiſſe talem ſudorem, eſſet ſuſpicandum: qui tamen non ita extra naturam eſt,quin aliquando obſervatum ſit, illum ex ingenti animi angore in iis qui morti damnati ſunt,prorupiſſe, ut in juvene Belga igni deſtinato non multis abhinc annis quicunque voluit adnotavit, & notavit etiam Card. *de Subtil. & alibi.* Sed ſanguinem ſudorem Chriſti Servatoris naturalem non fuiſſe, probant nonnulli, ut Silvaticus *controverſ.* 5. *Medic. in fin.* & vir eruditiſſimus Steph. Roder. Caſt. *in lib. cui cit. Quæ ex quibus.lib.*1.*c.*23. Sed qui nonnullas hiſtorias, & exempla hujus ſudoris legere cupit, & alia circa id ipſum ſcitu maximè neceſſaria,legat Marc.Donat.*de hiſt.mirab.lib.* 1. *cap.* 2.*per totum.* [Horſtium *in* 1.2.Ezechielem à Caſtro *in igne Lambente.*]

SUMMARIUM.

1 *Febris quomodo per fraudem ſimuletur.*
2 *Piſcium genus, quod manu detentum febrem accendit,*
3 *Simulata febris quomodo deprehendatur,*
4 *Vlcera à quibuſdam quomodo ſimulentur.*
5 *Mulierum cancrum in mammillis ſimulantium hiſtoria.*
6 *Simulata ulcera ex quibus deprehenduntur.*
7 *Quid agendum ubi mentiti ulceris ſuſpicio adſit.*

De ſimulata Febre efficisque Ulceribus.

QUÆSTIO III.

LIcèt febrem inter eos connumeraverim mor- 1
bos, qui non tam de facili ſimulari poſſunt, tamen aliquando per aſſumpta quædam medicamenta ex induſtria, & per fraudem excitatur. Refert. Cardan.*lib.*10.*de Subtil.* in Aretan flumine fœliciſſi- 2
mæ inſulæ Zeilan, eſſe piſcium quoddam genus. quod manu apprehenſum,detentumque febrem accendat,imo illico,qui illum tetigit,febre corripitur: Sed hoc tantummodò ob rei novitatem retuli nam hæc à nobis longè abſunt, licèt non extra rationem eſſe videantur, quia notiſſimum eſt quod de Torpedine, & de Cantharidibus aliisque medicamentis evenit: illa enim etiam per aliquod medium,ut per funem.aut baculum tangentem inficit,hæ verò manu detentæ ex viis urinæ ſanguinē

proli

proliciunt, ut dixi; imò cuicunque parti corporis admotæ, ut quotidiè in applicandis veſicatoriis, quæ ex illis componuntur, experimur. Sed hæc valeant, nam alia non deſunt. Alterci ſemen epotum febrem commovet, ſed mentem quoque turbat, & quaſi phreneticos homines facit, eſt autem Altercum Hyoſcyami genus, de quo Ruell. *de Nat. Stirp. lib.* 3. *cap.* 107. & Matthiol. *in quartum Dioſcor. cap.* 64.

Scribit Cardan *de Variet.* & refert Wecker. *lib.* 5. *ſecret. cap.* 4. nec non idipſum recenſet Silvatic. *lib. de his qui morb. ſimul. cap.* 14. accendi febrem, ſi cornuti ſcarabæi in oleo decoquantur, & ex eo oleo pulſus inungantur. Alium ſi quis ſibi in anum indiderit, febrem ſibi excitat. Theriacam, aut Mithridatium qui aſſumpſerint, aut aliquod aliud calidũ electuarium, vino ſuperbibito, in febrem incidunt; quo remedio licet uti, quandocunque febre tanquam morbi alicujus remedium ob contrarietatẽ ad ejus expulſionem excitare deſideramus: cætera enim majorem habent ſuſpicionem, quâ etiam non caret vinum, in quo Mandragoræ radices eſſerbuerint, ut teſtatur Fortun. Fidel. *lib.* 2. *de Relat. Med. c.* 2. Alia inſuper medicamenta ſunt, quæ febrem excitare facili negotio poſſunt, nempe quæ ſummè calida, ac vaporoſa exiſtunt, ut piper, & aromata omnia ex vino præcipuè aſſumpta, cibi omnis acres, ut alia, cæpe, & his non diſſimiles.

Sed quid alia inveſtigemus? ipſum vinum per ſe, præſertim ſi generoſum, craſſum, ac potens ſit, in multa copia potatum, ſuo calore febrem accendere quotidie experimur. Gal. *de cauſ. morb. cap. claſſ.* 3. quòd multò promptiùs facit ex vino elicitus ſpiritus, quem Aquam vitæ, ſeu aquam ardentem nominant, in multò minori quantitate aſſumptus. Verumenimverò cùm nullus adeò extra mentem ſit, aut eâ temeritate dotatus, ut ea ſimulare audeat, quæ non ſine propriæ vitæ periculo experiri poteſt, hinc eſt quòd de raro febris per horum aſſumptionem 3 datâ operâ ſimuletur. Sed ſi quando ſimulari contingat, niſi altiùs radices egerit, & pertranſierit terminum 14. horarum, aut ad ſummum triũ dierum, qui ſunt termini Ephemerarum. [licèt verus terminus prior ſit. Gal. 10. *Meth. cap.* 2.] facilè vel ceſſantes omne negotium nobis adimunt, aut refrigerantibus potionibus facillimè cedunt, etiam ipſius aquæ frigidæ potui. Conſentaneum ergo erit, ubi ſuſpicio adfuerit, & oportuerit hæc aliquo modo tantare: quia damno eſſe non poſſunt, etiamſi febres ex aliis cauſis fuerint excitatæ. Quæ autem ab alia ſuppoſitione excitata fuerit, deprehendetur tum inquiſitione, ſi aliqua ſuſpicio adſit, tum odore, quem expirare ſimulantem quoquo pacto eſt veriſimile.

4 Cæterùm ulcera qui fingũt, hoc non uno modo faciunt, nam aliquando per medicamẽta quædam urentia, ut per Thapſiam, Flammulam, Vitem albam, Tithimallorum ſuccos, Turpetura, Taxi pulverem, & ejuſmodi alia, carnoſas partes verè ſibi exulcerant: aliquando autem non ulcerant, ſed quarundam rerum appoſitione Ulcerum figuram repræſentantium ea perbellè effingunt. Ex priori genere fraudem detexit in ſervo illo Galenus, ut 5 ſuperiùs enarravimus; ex poſteriori Paræus, & Pigræus ambo Regum Galliarum Henrici tertij & quarti. Chirurgi doctiſſimi, uterque enim eorum in mulierculis quibuſdam ſinguli in ſingulis cancrum ſimulatum deprehendit, eâ dexteritate effictum concinnatumque, ut nihil ſupra, quemadmodum apud ipſos videri poteſt. Paræus enim hiſtoriam hanc enarrat *lib.* 24. *cap.* 18. Pigræus autem *lib.* 7. *cap.* 8. Ea, quam Paræus, vel ejus frater detexit, ſpongiam liquore ex brutino ſanguine, & lacte commixto imbutam, ſambucino tubulo per latentia ficti cancroſi ulceris foramina decurrente, ſub axillis repoſuerat, aliaque nonnulla tam elegantèr adaptaverat, ut facilè quemcunque vel ſenſatum virum decipere poſſit. Altera verò, cujus fraudem deprehendit Pigræus, ſplenis vaccini fruſtum mammæ agglutinaverat, quod ſeroſam, ſubrubramque materiam reddebat, ut veri cancri faciunt. Eandemque texere ſolebat fraudem in Tibia ulcus effingens Mendicus ille, de quo idem Paræus *ibid.* quo loco multas etiam hujuſmodi perſonarum technas recenſet, & modum docet, quo facillimè deprehendi poſſint. In his autem omnibus maximè conſiderari oportet reliqui corporis 6 diſpoſitionem; deinde ipſa ulcera, & omnia circumſtantia lynceis oculis perluſtrare; ac dehinc etiam ad nonnulla levia medicamenta, (niſi omnino efficta, ut ſuperiora, ſint) deveniendũ tentandi gratia. Nam ſi corporis totius color vividus ſit, carneſque benè compactæ, non diffluentes, habitus item carnoſus appareat, oculique nativa vivacitate dotati, non liventes, neque album in fuſcum colorem immutatum habentes, & tamen cum his ulcus primo aſpectu horrendum ſeſe offerat, magnum, ſordidum, livens, per multum reddens, citrinum, aut viride, & in ſumma cacoëthiam præ ſe ferat, tunc, & eo caſu impoſſibile eſt fraudẽ non ſubeſſe; neque enim corporis conſtitutio ulla ex parte tam maligno ulceri correſpondet, imò undequaque eſt contraria; conſentaneum namque eſt, ubi ulcus talis naturæ verè & realiter corpus occuper, abſque omni dubio ab ipſius corporis impuritate emanare; at corpore tam immunda illuvie redundãte, neceſſe eſt ipſius colorem in teterrimum commutari, carnes diffluere, ac conſumi, ex quo & ipſius corporis emaciationem conſequi neceſſe eſt, non generantibus viſceribus talem ſanguinem, qui aptus bonæ nutritioni ſit. Adde quòd impoſſibile eſt in ulceribus magnis, maligniſque, & in corporis cachexia, quam ſociam habent, non adeſſe lentam quandam febriculam, quæ inſuper malam corporis totius craſim denotat. Quòd ſi ulcera neque tam magna, neque tam virulenta appareant, licèt neque in his corpus naturaliter ſe habere conſueſcat, tamen poſſet in mediocribus non multum à naturali conſti- 7 tutione recedere. Sed ubi ſuſpicio ſubſit ementiti ulceris, levia quædam medicamenta, ut dixi, apponenda; nam ſi quidem medicamentis urentibus ulcus ſit procuratum, neque à corporis impuritate dependentiam habeat, facillimè contrariis medicamentis cedet, & breviſſimo temporis ſpatio vel prorſus ſaneſcet, vel facilis curationis ſigna manifeſtiſſima commonſtrabit.

SUMMARIUM.

1 *Dolor frequentiſſimè ſimulatur, & qua de cauſa.*
2 *Senſus ſentimentis eſt.*
3 *In dolore ſit ſenſus contriſtans.*
4 *Dolor an ſentiatur.*
5 *Dolor eſt ſenſus.*
6 *Senſus non ſentitur.*
7 *Dolor ſi ſentiatur, per alium ſenſum ſentietur.*
8 *Proceſſus in infinitum diſconvenions in naturalibus.*
9 *Dolor ſi ſentiatur, per certum aliquem ſenſum ſentietur.*
10 *Dolor non eſt objectum adæquatum alicujus ſenſus particularis.*
11 *In omni ſenſu dolor ineſt & voluptas.*
12 *Dolor in ſenſu tactus magis manifeſtus, quàm in aliis.*
13 *Omnibus ſenſibus convenit triſtitia, & delectatio.*
14 *Senſus tactus omnium communiſſimus.*
15 *Senſus quò perfectior, eò gravidiores dolores ſentire debet.*

16 *Cur dolor in cæteris ſenſibus non adeò manifeſtus, ut in tactu.*
17 *Senſibile in quantum tale perficit ſenſum.*
18 *Dolor ſenſum corrumpit.*
19 *Dolor ſi minùs ſentiretur animal à rebus nocétibus, & dolorem cauſantibus non fugeret.*
20 *Dolores cur ſentiant animalia.*
21 *Dolor non eſt ſenſus, alicuius externi, ſed eſt modus ſentiendi movens phantaſiam, à qua movetur animal ad fugiendum quod illi moleſtum eſt.*
22 *Voluptas eſt modus ſentiendi, quo movetur phantaſia ad quietem habendam in eo, quod animali jucundum eſt.*
23 *Dolor an ſentiatur, quomodo intelligendum.*
24 *Dolor non eſt ſenſus, ſed ſenſatio.*
25 *Dolor communis omnibus ſenſibus.*
26 *Dolor quomodo ſenſibile dicatur.*
27 *Simulatus dolor quomodo deprehendi debeat.*
28 *Partes quæ ſimulantur dolere, quanam eſſe ſoleant.*
29 *Externi dolores ut plurimùm evidentibus ſignis ſe prodũt.*
30 *Partium dolentium ſingula habent ſua propria ſymptomata & accidentia.*
31 *Doloris ſpecies quæ cuique parti familiaris.*
32 *Cauſa dolorem excitantes quos dolores inferant.*
33 *Cauſa extera maximè conſideranda in dolore, qui ſimulatus præſumitur.*
34 *Simulationis ſuſpicio eſſe debet, ubi effectus ſuæ cauſæ non reſpondeat.*
35 *Duratio doloris quomodo conſideranda.*
36 *Dolor ad quem effectum non ſatis eſt ut ſit levis.*
37 *Levis morbus non impedit hominem, quia actiones ſuas exercere poſſit.*
38 *Levis morbus non eſt dignus nomine morbi.*
39 *Levis dolor non dicitur ægritudo.*
40 *Dolor quando debeat excedere mediocritatem.*
41 *In acceſſione coadjutoris, morbus impediens debet eſſe talis, ut corpus aggravet abſque ulla ſpe futuræ proſperitatis.*
42 *Dolor, de quo judicium ferre debeat Medicus, oportet ut aliqua ſigna evidentia habeat.*
43 *Dolor magnus ex magnis ſignis demonſtratur. & n. 47.*
44 *Magnorum morborum magna ſigna exiſtunt.*
45 *Symptomata magna ex magnitudine morbi fiunt.*
46 *Vehementes dolores ex Hipp. quomodo dignoſcantur.*
47 *Acuti morbi magnam de ſe ſignificationem præbent.*
48 *Magni morbi ſupponunt magnas cauſas.*
49 *Magni morbi ſupponunt magnas cauſas.*
50 *Effectus ſuæ cauſæ æquivalens ſit oportet.*
51 *Magna cauſa magnos faciunt morbos.*
52 *Magna cauſæ latere non poſſunt.*
53 *Difficile eſt ſimulantem morbum, ab experto Medico interrogatum non errare.*
54 *Pulſatilis dolor ex calida cauſa fit.*
55 *Remedia à Medico proponenda, ubi dolorem eſſe ſimulatum ſuſpicetur.*
56 *Dolores particulares habent ſua particularia ſigna.*

De Simulato Dolore.

QUÆSTIO IV.

1 FRequentiſſimè ab iis, qui fraudulenter ſe ægrotare ſimulant, dolor ſimulatur, experientiâ teſte, quam ſuo teſtimonio confirmat Silvatic. *in lib. de his, qui morb. ſimul. cap. 6.* idque ea potiſſima ex cauſa, quod videatur dolor percipi non poſſe, niſi ab eo qui dolet, & qui in ſeipſo habet cauſam
2 dolendi: ſenſus enim ſentientis eſt, dolor autem
3 eſt ſenſus; ex eo enim fit ſenſus contriſtans ex contrarietate corrumpente; quæ contrarietas; & contriſtatio non videtur percipi poſſe ab alio, quàm ab eo qui dolet.

4 Sed agitari ſolet inter Medicos pulcherrima quædam quæſtio; An nimirum Dolor ſentiatur. Hanc proponunt, & examinant Concil. *diff. 77.* Thaddæus *in 2. Aphor. 6.* Hugo Seneſ. & Iacob. de Part. à Cardano adducti, qui & ipſe eam quæſtionem longioribus percurrit *lib. 2. Contrad. Medic. tract. 5. contrad. 27.* mirum autem eſt, inquit ille, non toties dolorem ſentire, & adhuc neſcire, an ipſe ſentiatur, an potiùs ſenſus ipſius pars quædam ſit. Licet autem hæc quæſtio merè Phyſica ſit, & nihil ad Legalem materiam pertineat, Jurisconſultorum tamen pace, ac bonâ veniâ impetratâ, eam hîc brevibus diſcutiam.

Qui negant ergo dolorem ſentiri, his rationibus 5
ducuntur, quòd Dolor ſit ſenſus, & hoc patet ex e- 6
jus definitione, quia Dolor ſenſus contriſtans eſſe dicitur, at ſenſus non ſentitur, quod patet, quia viſus non videtur, neq; auditus auditur, & ſic de ſingulis; ergo neque dolor, cùm ſit ſenſus, ſentitur. Deinde ſi dolor ſentitur, cùm ipſe ſit ſenſus, procul dubio per alium ſenſum ſentitur, & hic, per quem ſentitur dolor, ſentiri debet per alium ſenſum, & 7
ſic procedendo in infinitum, quod maximè diſconveniens eſt in naturalibus. Adde quòd ſi dolor ſen- 8
titur, per certum aliquem ſenſum ſentitur, ut puta 9
per tactum, non verò per viſum, aut per guſtum, aut ſiquidem ſentiretur per viſum, non ſentiretur per tactum, neque per guſtum, quemadmodum viſibile, neque per guſtum, neque per tactum, ſed ſolummodò per viſum, audibile neque per guſtum, neque per tactum, neque per viſum, ſed per auditum tantùm ſentitur. At dolor non eſt objectum adæquatum alicujus ſenſus particularis, quemadmodum nempe ejus contrarium, nempe voluptas: quia in omni ſenſu dolor ineſt, & voluptas, nempe 10
ſenſus triſtis, & jucundus. Patet auctoritate Ariſtotelis 2. *de Anim. c.* 12. *text.* 20. & ex Averr. *ibid.* & Gal. 1. *de Symp. cauſ. cap. 6 claſſ.* 3. & multo eviden- 11
tiùs ipſo ſenſu, quia tam per tactum, quàm per viſum per auditum, per guſtum, per odoratum ſentimus quædam moleſta, quædam autem jucunda, licet, ut Gal. *ibid.* proſequitur, magis manifeſtus ſit 12
dolor in ſenſu tactus, quàm in quocunque alio, & hoc abſque dubio ob ejus ſenſus corporeitatem, ut ita dicam, & terreſtreitatem, non quòd illi magis naturaliter conveniat, quia omnibus æqualiter ſenſibus convenit triſtitia, & delectatio, illa ut fugiant quæ ſibi nocent, hæc ut proſequantur quæ illis juvamento ſunt: & ſatis eſt; ſi in ſuo ſenſorio quilibet ſenſus delectationem experiatur parem triſtitiæ, & 13
è contra: quod manifeſtum eſt: non enim magis delectamur guſtando cibos ſuaviſſimos, quàm triſtemur guſtando cibos deterrimos, & abominabiles neque magis nos delectat ſecundùm auditum, ſonus quilibet ſuaviſſimus, & concentus Muſicæ ſummè perfectus, quam contriſtet ſecundum eumdem ſenſum ſonus quivis aut inconcinnus, aut diſſonus, aut horrendus. Ex quo patet, triſtem ſenſationem fieri pariter in omnibus ſenſibus, quamquam manifeſtiùs, & frequentiùs apparet in ſenſu tactus, ut dixi, tum ob prædictã cauſam, tum ex eo, quod omnium ſenſuum communiſſimus ſit, & per aliorum 14
inſtrumenta diſperſus. Neque valet ratio à Valleſio adducta *lib. 4. Controverſ. cap. 4.* quod ſi unuſquiſque ſenſus per ſe dolorem ſentiret, eò graviores dolores experiretur, quò perfectior eſſet, & ſic viſus, quia perfectior, acerrimos pateretur dolores: quod 15
tamen eſt falſum. Non valet, inquam, hæc Valleſij ratio, quia quantò magis ſenſatio perfecta eſt, magis recedit à corporeitate ſenſus, & accedit ad ſpiritualiorem quandam naturam, quæ magis item vicina eſt ſenſibus internis, quàm externis. Quãtò ergo 16
magis corporeus ſenſus eſt, tantò magis corpus afficit. Modò objecta aliorum ſenſuum percipiuntur per media minùs materialia, & idcirco minùs movent ſenſoria ſua, quàm tactus. Satis ego eſt, ut dixi, ſi cæteri ſenſus triſtitiam experiantur parem voluptati, in ſenſu enim tactus major abſque comparatione fit voluptas, quàm in aliis, unde etiam dolor major, & exquiſitior.

Sed

Sed eſſe in omnibus ſenſibus dolorem manifeſtiſſimè demonſtrat ipſius doloris definitio omnibus acceptiſſima ; dicitur enim triſtis ſenſatio ; quæ in omnibus ſenſibus abſque dubio ſit. Quod ſi ſenſui tactus ſolùm hæc definitio conveniat, proculdubio vitioſa erit, cùm non convertatur cum ſuo definito. Neque enim omnis triſtis ſenſatio eſſet dolor, quod tamen ita in rei veritate eſt, & ob id ea definitio optima eſt, & perfecta ; oportebat autem addere in definitione doloris, quòd eſſet triſtis ſenſatio in ſenſu tactus. Si tamen libet appellare verum dolorem, illum tantùm, qui accidit ſenſui tactus, cum Mercato ſaltem *lib. 3. de morb. part. 1. quæſt.* 180. dicas, cæteris etiam aliquem dolorem convenire, cùm excellentia, & improportionata ſibi objecta offeruntur. Sed cùm ille hanc quæſtionem mutilem vocet, eam relinquamus, quanquam etiam præcipuam, quam tractamus, pariter mutilem ille fortaſſe dicere, ſed animi cauſa eam proſequi liceat. Patet ergo ex dictis, dolorem non poſſe reponi ſub certo quodam ſenſu, per quem ſentiatur, unde dicendum videtur, quòd nullo modo ſentiatur.

17 His addunt, quòd ſenſibile, in quantum ſenſibile,
18 perficit ſenſum ; ſed dolor ſenſum corrumpit : ergo dolor non eſt quid ſenſibile, non ergo ſentitur, quia ſi ſentiretur, eſſet ſenſibile, & ſi eſſet ſenſibile, ſenſum proficeret. Alias nonnullas rationes adducere
19 ſolent, qui negant dolorem ſentiri ; ſed qui affirmant, habent ipſum ſenſum pro ſe : nam ſi dolor non ſentiretur, animal ab eo non fugeret, nunc animalia eum fugiunt quantũ poſſunt, quia ſentitur & ejus moleſtia ipſo ſenſu percipitur, datus eſt enim, ut aliàs annuimus, ſenſus doloris, aut ſenſus contriſtans animali, ut ſentiret ea, quæ ipſum corrumpere poſſunt, & ea devitaret. Alia quoque adducunt affirmativæ ſententiæ fautores, quæ brevitatis cauſa omitto, & pro dubii ſolutione dicam cum Cardano (qui quatuor opiniones ex Ugone recitat) quòd dolor non eſt objectum ſenſus alicujus exter-
20 ni, ſed eſt modus ſentiendi movens phantaſiam ad
21 fugiendum id, quod animali moleſtum eſt. Sic etiã de voluptate dicendum, quæ eſt modus ſentiendi
22 movens phantaſiam ad quietem habendum in eo, quod animali jucundum eſt; de qua tamen, an conſona veritati ſint ea, quæ affert Galen. pro nunc non diſcutiam, neque enim aptus hic videtur locus ad id diſcutiendum. Quando ergo, inquam, quæritur, an dolor ſentiatur, vel dolor accipitur pro re abſtracta, & diſtincta ab ipſo ſenſibili dolorem faciente, & ſic dicendum dolorem non ſentiri, quia
23 dolor in tantum ſentitur, in quantum ſenſibile facit illum ſentire, veluti quodlibet aliud accidens in tantum poteſt movere ſenſum in quantum objecto eſt adjunctum, vel accipitur dolor pro particulari modo ſentiendi ſub forma contriſtanti, & ſic dolorem ſentiri aſſerendum eſt, quia ſenſibile movet ſenſum non ſimpliciter, nempe exempli gratia tangibile non movet tactum ſimpliciter in quantum tangibile, ſed in quãtum calidum aut frigidum, durum aut molle, & in quantum ſimile, aut cõtrarium ſenſui, & tunc cauſat dolorem. Et ex his facilè manifeſtum ſit, quid reſpondendum ad argumenta in
24 contrarium adducta : nam dolor non eſt ſenſus, ſed ſenſatio, hoc eſt, modus quidam ſentiendi, & ſic non valet dicere, quòd cùm ſit ſenſus, non ſentiatur, aut quòd indigeat alio ſenſu, ut ſentiatur ; & cùm ſit modus tantùm ſentiendi, idcirco communis
25 eſt omnibus ſenſibus. Et ad id, quod dicitur, quod ſenſibile perficit ſenſum, hoc rectè dicitur in quantum tale, quia reducit ſenſum de potentia ad actum ; non ergo valet, quòd dolor non ſentiatur, quia ſenſum deſtruat, quia etiam ut ſic perficit ſenſum ſenſibile contriſtans. Sed qui 26
plura de hac quæſtione audire cupit, ad præcitatos auctores recurrat, nos jam ad juriſconſultos redeamus.

Ut ergo prudens Medicus ad decernendum ab 27
ipſis juriſconſultis de veritate vocatus, non decipiatur, plura in conſideratione adhibeat neceſſe eſt; & primò partem, quæ dolet, vel quæ dolere ſimulatur, ſecundò doloris ſpeciem, tertiò cauſam doloris, & maximè ſi quam enarravit patiens ex procatarcticis, & externis, quartò doloris ipſius duratio- 28
nem, quintò remedia adhibita ſeu adhibenda. Pars autem quæ dolet, aut quæ dolere ſimulatur, ut plurimùm aliqua ex his eſt, Caput ſcilicet, Aures, Pectus, Stomachus, Venter, aut vicinæ partes, ut Renes, Veſica, & reliquæ. Nam partium ignobiliorum dolores non tam frequenter ſimulantur, ut adnotat Silvat. *loc. cit de his, qui morb. ſimul. cap. 6.* & ratio eſt, quia judices hos dolores non curant, neque alia ex parte tam procacis ingenij viri inveniuntur, ut dolorem in parte ſentire ſe fingant, quæ oculis ipſis nulla labe affectam ſe commonſtret. Eſt autem do- 2
lor aut internarum partium, aut externarum, ſed dolores ſimulati interni ſemper eſſe effinguntur: nam externi vel tumore, vel calore, vel rubore, vel colore immutato, vel aliis ſignis facili negotio depre-
* henduntur.

Singulæ autem partes, quæ dolent, habent ſemper 3
ſua propria ſymptomata, quibus ſeſe manifeſtant. Capitis enim dolorem ſequuntur vigiliæ (quæ ſingulis item doloribus ſunt familiares, ſed præcipuè capitis (triſtitia, vertigines, & his non diſſimilia; Auris febris, vigiliæ, phrenitis, ſeu rationis permixtio, & alia plura. Pectoris dolorem concomittantur febres, tuſſes, reſpirandi difficultas, difficilis in alterutrum partium decubitus, & hujuſmodi. Dolori ventriculi aſſociantur nauſea, vomitus, hipothymia, Syncope, ſudores frigidi circa frontem, & ſimilia. Inferioris ventris dolorem ſubſequuntur aut ipſius ventris ſtipticitas, aut fluxus, interdum vomitus, rugitus, & alia ad hunc modum. Rubus autem, aut veſica dolentibus, urina aut retinetur, aut guttatim effluit, aut craſſa, aut turbida apparet, & alia quamplurima ſymptomata moleſtant Medicis notiſſima.

Doloris ſpecies conſideranda venit, quæ cùm 31
multiplex ſit, non cuivis parti quælibet doloris ſpecies eſt familiaris ; quinimò variatur quoque reſpectu cauſarum dolorem facientium. Calidæ enim dolores acutos, frigidæ gravativos, ſiccæ extenſivos procreant. Ab humore bilioſo pungens, 32
à pituitoſo gravans, à ſpiritu & flatu extendens, à ſanguine pulſans dolor efficitur. Quin & ipſis partibus, ut dixi, magis una, quam alia ſpecies convenit, inteſtinis enim extenſivus, aut pungitivus, non verò pulſatilis, Renibus gravativus, ſeu pungitivus, & ſic de reliquis, nam hæc pro exemplo ſunt.

Cauſa procatarctica, hoc eſt antecedens, evidens, 33
& externa, quæ dolorem fecit, aut quæ dolorem feciſſe ſimulatur, maximæ conſiderationis eſt in hoc negotio ; conſequens enim eſt ad unam cauſam ſequi potiùs hujus, quam illius partis dolorem, & hujus potiùs, quam alterius ſpeciei. Ab aëre enim nocturno, exempli gratiâ, capitis præcipuè gravitas oriri ſolet, à potu aquæ frigidæ ſtomachi, aut inteſtinorum dolor, & in aſſuetis illum pati,

dolor

dolor quoque neuphriticus, ſeu renalis; à Sole capitis dolor acutus, & ab aliis aliter, ut Medicis eſt notiſſimum; hæc enim omnia conſideranda eam ob cauſam proponuntur, quia ſi effectus, & modus ſuis
34 cauſis non reſpondeat, ſuſpicio ſimulationis augetur, ut dehinc exemplificabimus.

Duratio quoque doloris, vel eſt longa, vel eſt bre-
35 vis, nam vel dolor multum duravit, vel nuperrimè prehendit, aut medio modo ſe habet: & ſic ſi vetus fuerit, tunc adhibita remedia in ejus curatione examinanda; ſi recens fuerit, ea proponenda, quæ adhiberi debeant, aut etiam de novo adhiberi poſſint, ſi aliqua jam ſint adhibita. Quinetiam circa durationem doloris obſervanda partis dolentis Natura, quia, ut notum Medicis eſt, Cordis, Stomachi, Autium, Pectoris, Faucium, & Veſicæ dolores intenſi ac magni, & interdum aliqui periculi pleni ſunt; unde in longum protrahi non poſſunt. Si ergo de ſimilibus doloribus conqueratur aliquis, & jam per duos aut tres dies, eos ſe toleraſſe dicat, nullo apparente evidente ſymptomate, huic fides non eſt habenda. Sunt etiam nonnulli dolores, qui ſi diu duraverint, abſceſſus, & ſuppurationes de neceſſitate faciunt. Sic Hippocrat. 7. *Aphor.* 22. dicebat: *A diuturno partium ad venerem attinentium dolore ſuppuratio.* Alii verò dolores in alios morbos tranſeunt, ut longus ac vehemens dolor capitis in Apoplexiam, lethargum, ſurditatem, ſpaſmum, apoſtemata, & hujuſmodi. Avicen. 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 1.

36 His conſideratis, Medicus hoc fundamentum præ oculis habeat, quòd dolor, ex cujus cauſa homo eximendus ſit, è carceribus, vel ab oneribus liberandus, vel cui concedenda ſit immunitas, aut qui obtinere debeat coadjutorem, & hujuſmodi non
37 ſatis eſt, ut ſit levis. Fortun. Fidel. *l.* 2. *relat. Med. c.* 2. quia levis morbus non impedit hominem, quin actiones ſuas exercere poſſit, ut per *l. Quæſitum. ff. de re jud.* & per Galen. ex noſtris *lib. de conſtit. Art.*
38 *cap.* 19. *in Iſagog.* imò ſicut levis morbus non eſt dignus nomine morbi, argumento *lib.* 1. §. *ſed ſciendum ff. de Ædil. edict.* ſic neque levis dolor dicitur
39 ægritudo, ut Gal. ipſe, *ubi ſuprà*, apertiſſimè docet.

40 Præterea in pleriſq; caſibus non modò non ſufficit levis dolor, ut hominem excuſet, ſed debet etiam excedere mediocritatem, ut exempli gratia, ubi aliquis Canonicus, aut ſimilis perſona, ſeu Epiſcopus
41 aliquis, ob aliquem dolorem pati conſuetum, Coadjutorem expoſceret; in hoc enim caſu morbus debet eſſe talis, ut corpus aggravet abſque ſpe futuræ proſperitatis. Ric. *in coll. dec. part.* 3. *coll.* 489. Coadjutor enim non datur, ubi tale impedimentum omnino non adſit, ut habetur *in cap. unico de Cler. Ægrot. in.* 6.

42 Facto igitur hoc fundamento, quòd dolor in pleriſque caſibus ſaltem ſit, & eſſe debeat ultra mediocritatem, in aliis autem ſaltem mediocris, Medicus hanc concluſionem elicere debet, quòd dolor quicunque, de quo judicium ferre debeat, oporteat ut ſigna aliqua habeat evidentia, & ſi magnus dicatur eſſe, etiam certa, ex quibus verè adeſſe deprehendatur; aut ſi ſit mediocris, ſaltem leviora ſigna oſtendat ſuæ præſentiæ: quæ ubi non appareant, aut dolorem eſſe ſimulatum, aut modicum, & nullius conſiderationis facilè pronuntiare poterit, adhibitis etiam conjecturis, tam ex iis deſumptis, quæ ſuprà commemoravimus, quàm ex propria induſtria, & diligenti examine præcedente.

Ad corroborationem autem eorum, quæ de ſignorum evidentia, & certitudine dixi, notiſſimum
43 eſt, quòd ubi dolor magnus ſit, magna, ac maximè
44 conſpicua ſigna apparere idcircò neceſſe ſit, quin
45 magnorum morborum nonniſi magna ſigna apparent, & ea de cauſa ſymptomata magna cum magnitudine morbi eveniunt. Gal. 1. *de ſympt. cauſ. c.* 2. & *alib.* Rota *in Giennen. Theſaurar.* 24. *Nov.* 1654. coram Veroſpio. Hinc Hipp. 2. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 10. ad doloris magni cognitionem duobus evidentiſſimis, ac magnis ſignis nos provenire poſſe edocuit. *Dolores,* 46 inquit, *vehementiſſimos quomodo cognoverit quis conſpicatus, terror, bona tolerantia, oblationes, & ignavia*: in vehementiſſimis namque doloribus terror adeſt, nempe accidentia terrorem inducentia, ea ſunt virium lapſus, pulſus imbecillitas, extremorum frigus, ſudores ſyncoptici, & hujuſmodi alia his non diſſimilia: unde eſt, quòd ut advertebat Roderic. à Caſtr. *in ſuo Med. Polit. libro* 4. *capite* 9. magnitudine doloris agitari in alium atque alium habitum ſe trajiciunt, quod ſimulantes non advertunt. Præter hæc autem concomitari dicit Hipp. hujuſmodi magnos dolores ignaviam, nempe non modò averſionem à cibis & refectionibus, ſed tædium quoddam accipiendi, ut optimè, Valleſ. *in comm.* proſequitur. Ergo ubi è contra bona tolerantia appareat, & abſint ſigna terribilia, & æger ad oblationes ſaltem mediocriter ſe habeat, quantumvis ille ejulet, & conqueratur de doloris acerbitate & magnitudine, quantumvis exclamet & vociferetur, dolorem vehementem non eſſe concludendum eſt. Atque ex his deducì poteſt, Magnorum dolo- 47
rum dari magna & evidentia ſigna, quod etiam magis declarant alii morbi, præcipuæ autem Acuti, 48
qui cùm magni ſint, magnam etiam notitiam ex multis, & videntibus ſignis de ſe præbent; unde eſt, quòd etiam in ipſo principio, quando nimirum morbus minùs cognoſcibilis eſt, facilè cognoſcuntur non à Medicis ſolùm, ſed ab ipſis quoque
idiotis hominibus, teſte Gal. 1. *de dieb. decret. cap.* 6. 49
claſſ. 4. hoc autem non ſine cauſa fit, quia magni morbi ſupponunt magnas cauſas. Mercat. *lib.* 3. *de morb. part.* 2. *claſſ.* 1. *quæſt.* 182. *articul.* 1. *num.* 12. cùm effectus ſuæ cauſæ æquivalens ſit oporteat, & ea de
re magnus morbus magnum receſſum à naturali 50
ſtatu demonſtrat, ut notat Galen. 1. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. Magnæ ergo cauſæ magnos morbos faciunt. Valleſ. *comm.* 3. *in tertium Epidem. text.* 2. & *comm.* 2. 51
in ſextum, text. 28. At magnæ cauſæ ob earum magnitudinem nequaquam latere poſſunt, & conſequenter neque magni morbi, qui earum effectus
ſunt: nam magna intemperies, exempli gratia: 52
etiam nuda & abſque materia ſenſu ipſo deprehendi poteſt; quòd ſi cum materia ſit, etiam facilius non modò rationabili diſcurſu, ſed etiam ſenſu ipſo, & mille evidentiſſimis ſignis, ut per colorem partis immutatum, per tumorem, per excretiones, & per ſimilia. Ubi ergo Medicus non videat ea ſigna apparere, quæ apparere conſequens eſt in tali dolore 53
ex tali cauſa emanante, aut ea ſigna non ita conſpicua viderit, jam dubitari de ſimulatione poteſt, aut de magnitudine ſaltem doloris. Quòd ſi ulteriùs, ea quæ ſuprà commemoravimus, in memoriam revocaverit, & ex iis rectam ratiocinationem inſtituerit, certum de veritate ferre judicium abſque dubio poterit; difficile enim eſt, ſi iis qui ſimulat. Medicinæ artem non calleat; eum in ſui morbi enarratione, in cauſarum explicatione, in explananda doloris ſpecie, & cæteris ſupradictis, diſſona & ſibi contraria interdum non pronuntiare: nam ſi interrogaveris, quod pro exemplo ſit, de parte dolente, &

dicat

dicat eſſe caput ſecundum parteminteriorem, & rurſus interrogatus de ſpecie doloris, dicat eſſe pulſatilem, & ſibi caput apparere frigidum, & maximopere gravatum, aut dicat cauſam procatarcticam doloris fuiſſe, & eſſe nimiam humiditatem carceris, ubi detinetur, jam hæc inter ſe diſſona ſunt, & ſimul ſtare non poſſunt, quia dolor pulſatilis ex cauſa calida fit, unde neque ab hac externa cauſa potuit provenire talis dolor, nec caput cum tali dolore perſentiri frigidum. Et ex his Medicus colliget, ſubeſſe hîc fraudem, & ad ulteriores interrogationes procedet, alia quæ diximus diligenter examinans; nam ſi interrogabis de duratione doloris, & reſpondeat æger, hunc ipſum dolorem, quem dicit eſſe pulſatilem, eſſe inveteratum, & interrogatus de continuatione, & modo affligendi, dicat dolorem nunquam intermittere, ſed tantùm ſeſe pauliſper remittere, & ad interrogationem de tempore remiſſionis reſpondeat, remitti magis interdiu, quàm noctu, & magis remitti à cibo, quàm ſtomacho jejuno? tunc etiam ex his conjecturam ſimulationis deſumere licet, quia pulſatilem dolorem, ut pote, qui à ſanguine, & calida cauſa originem habet, conveniens eſt magis affligere interdiu, quàm noctu, & magis à cibo, quàm ſtomacho jejuno, quia vapores à cibo elevati calidi exiſtentes cauſam doloris fovent. Circa remedia quoque adhibita ſi interrogatus fuerit ſimulator, facillimè errabit, nam remedia narrabit ad talem morbum, & ad talem cauſam minimè ad rem facientia, aut præteribit efficaciora, ut in hoc caſu ſanguinis repetitas evacuationes, quia ſanguineo humore morbus ſit per venæ ſectionem, per cucurbitulas ſcarificatas, per hirudines, & longinquis partibus, & ipſi parti affectæ, nempe capiti applicitas, ut poſt aures, aut natibus, & per ſanguinis etiam reiteratâ miſſionem ex vena frontis, & ramulis, venis nimirum quæ ſunt ſub lingua, & ex aliis quoque partibus. 54

Præter interrogationes autem, ubi de ſimulatione ſuſpicetur Medicus, proponere debet remedia nova, & quidem magna, & quæ magis moleſta habentur, ut cognoſcit promptitudinem ſimulatoris in illis rejiciendis, vel acceptandis. Proponat ergo ſanguinis largam miſſionem, cucurbitulas plurimas iteratas, & ſcarificatas, acria, clyſteria, veſicantia ipſa, & inuſtiones, nam ubi dolor magnus exerceat, ut aliàs diximus, nihil omnino dolentes morantur, omnia promptiſſimè admittunt; ubi verò dolor aut nullus ſit, aut mediocris, vel nullum admittunt vel leviora, & hæc etiam coacti, & ne eorum ſimulatio ex totali remediorum abominatione detegatur. 55

Sunt etiam in doloribus particularibus, præcipuè ubi magni ſint, quemadmodum annuimus, ſua propria & peculiaria ſigna. Proſequamur autem exemplum prædictum, calidi nempe doloris, in quo caput neceſſe eſt apparere calidum præter naturam, colorem faciei ad rubedinem vergere, oculos eſſe tumentes, inflammatos, & rubore conſpicuos, venas præter morem elatas ac tumidas, febrem quoque, ac colorem quendam præternaturalem à capite per univerſum corpus diffundi, & alia hujuſmodi apparere: quæ ſi abſint, & contraria potiùs appareant, cui dubium erit hic fraudem ſubeſſe? Sic & in reliquis doloribus ratiocinari oportet, ut de ſingulis rectè judicemus. 56

SUMMARIUM.

1 *Nullus morbus frequentius fingitur, quàm inſania.*
2 *Sapientes nonnulli & magni viri, qui inſaniam ſimularunt.*
3 *Quodnam inſaniæ genus ſimulari ſoleat.*
4 *Furor à Melancholia quomodo differat.*
5 *Quæ obſervanda ut ſimulatam inſaniam deprehendamus.*
6 *Furentes, & Melancholici perpetuis vigiliis infeſtantur.*
7 *Somnus in Melancholicis difficilis, & maximè neceſſarius.*
8 *Ad procurationem morbi melancholici quæ concurrant.*
9 *Morbi melancholici derepentè non adveniunt.*
10 *Morbi melancholici longi ſunt, & difficulter terminantur.*
11 *Quanam præcedant melancholicos morbos.*
12 *Timor & mœſtitia longo tempore perdurantes, hominem melancholicum oſtendunt.*
53 *Qui per circuitus inſaniunt ante acceſſionem quid patiuntur.*
14 *In omnibus melancholicis morbis, qui per circuitus moventur, quid ante acceſſionem præcedat.*
15 *Ex inſaniendi modo quomodo deprehendatur ſimulatio.*
16 *Quibus ingeniis ſimulata inſania deprehendatur.*
17 *In inſanientibus animi affectus commovendi.*
18 *In ſimulata inſania vix fieri poteſt, ne aliquod ſignum commoti affectus non appareat.*
19 *Inſania aliquando medicamentis procuratur.*
20 *Inſania medicamentis procurata quomodo deprehendi poſſit.*
21 *Inſania medicamentis procurata ſignum non contemnendum.*

De Simulata inſania.

QUÆSTIO V.

NUllus morbus ferè eſt qui facilius & frequentius ſimulari ſoleat, quàm inſania, nullus item, qui difficiliùs poſſit deprehendi; eamque ob cauſam adnotare licet, nonnullos ſapientes viros, ac ſummi ingenij, & virtute maximè inſignes inſaniam aliquando ſimulaſſe, vel ut ſe periculis imminentibus eximerent, vel ad alium quendam laudabilem finem; ut de *David* in ſacris, & de *Uliſſe*, de *Solone*, de *Iunio Bruto*, de aliisque in profanis hiſtoriis legimus. Quamquam Claudius imperator librum edidit teſte Sueton. *in ejus vita, cap.* 38 Moron. anaſtaſis, cujus argumentum erat; ſtultitiam neminem fingere, fortaſſe quia in ea opinione fuit, quòd ſtultitia ſimulari non poſſet. Cæterùm de veræ inſaniæ quâ plurimis ſpeciebus copioſiſſimè egimus, *lib.* 2. *tit.* 1. quatenus ad noſtrum Legale argumentum pertinebat; nunc de ſimulata loquentes, dicamus quòd inſania, quæ & faciliùs poteſt, & frequentiùs ſimulari ſolet, aut ſimplicem melancholiam, aut cum furore conjunctam repræſentat; poteſt & eodem modo ſimulari fatuitas, adjuncta etjam ſurditati, & mutitati, quæ tamen ratiùs ſimulatur; idcircò antea de prioribus loquamur. Per ea verò, quæ loco citato dixi, patet, quid interſit inter melancholiam, & furorem, nimirum, quòd illâ affecti in quiete ſint, timidi, triſtes, animóque demiſſo, hoc autem laborantes, in perpetuo motu, ſine ulla requie, audaces, & iracundi. In mentem ergo revocanda in hoc caſu maximè ſunt ſigna utriuſque morbi, à Doctoribus in ſuis practicis diligentiſſimè tradita: conſideranda enim primò facies, quæ in his, qui verè melancholici ſunt aut furentes, tendit ad quaſi terreum colorem, vel lividum, aut eſt ultra conſuetum rubicunda, ſed cum quadam livedine ob melancholiæ admixtionem, in furentibus præſertim, & præcipuè ſecundùm oculos, qui tamen in melancholicis colore ſunt fuſco, ex ipſorumque maximè intuitu interni melancholici humoris copia, & turgentia tranſparet: fixantur enim aliquando ita, ut ægrotantes ſtupidi appareant; in aliis non nullis excavantur, & in oculorum cavitatem quaſi ſe retrahunt, & abſcondunt, quod frequentiùs in 1 2 3 4 5

furentibus

furentibus evenire ſolet: cum acceſſio inſtat, ſanguinolenti fiunt cum tortuoſitate quadam, venæ extẽduntur, genæ interdum rubent, ſi ſanguis melancholiæ ſit admixtus, corporis durities quædam & non conſueta apparet nigrities, ſeipſis fortiores evadunt, iracundi fiũt, minimaque ex cauſa excandeſcunt, clamant, vociferantur, abſentibus, præſentibus minantur torvo aſpectu ſunt, & violento corporis motu formidabiles. Quilibet ergo videt, quòd hæc omnia ſimul non tam facilè effingi poſſunt; & ſi animum prudens Medicus adverterit, ex plurimorum ſupradictorum abſentia aut præſentia, ſine magno negotio deprehendere poterit, quando furor aut melancholia verè fatiget, quando verò ſimulatè.

6 Adeſt inſuper præter hæc omnia ſignum maximopere conſiderabile, quod eſt perpetua vigilia, quâ tam furentes omnes, quàm melancholici magna ex parte perpetuò afflictantur, vel ob humoris ipſius, qui cerebrum obſidet, ſiccitatem, vel ob quamplurima phantaſmata, quæ imaginationi præſentantur, & illa quidem maximè afficientia primum ipſum ſenſorium; adeò enim vivida ſeſe illi offerunt, ut non aliter ac ſi vera & realia eſſent, ipſum moveant, ob quorum indeſinentem oblationem vigilia excitatur his ægrotantibus, adeò moleſta & damnoſa, ut rectè dixerit *Celſus*, ſomnum in his tam difficilem eſſe,
7 quàm neceſſarium. Itaque hoc uno ſigno conſiderato, aliquando deprehendere licebit eum, qui furorem ſimulat; Impoſſibile enim eſt hunc conſueto ſomno non capi, ac præter morem per longum tempus vel volentem vigilare, ubi cauſa interna eum vigilare non cogit.

His conſideratis, ad externas prægreſſas que cauſas oculos animumque convertamus; ac ſciendum
8 ad horum morborum procreationem requiri, &
9 perſeverantiam, & magnitudinem cauſarum; quia ejuſmodi morbi, ut deinceps demonſtrabo, non fiunt, ut alij, derepente aut modico tempore, ſed quemadmodum ob naturam peccantis humoris, qui motûs eſt tardiſſimi inter alios, cùm ſuâ naturâ craſſus & terreſtris exiſtat, hi morbi longi ſunt, & maxima cum difficultate terminantur, ſic habent quoque principium, & inſultum maximè diuturnum. Ergo conſiderata cauſa externa, & antecedenti, quoad magnitudinem, an ſufficiens nimirum fuerit, neĉne ad talem procreandum morbum, adnotanda etiam ipſius cauſæ perſeverantia, per quam potuerit longo temporis ſpatio humor multus atrabilarius in corpore aggregari, inde ſpiritus infici, ac mens ipſa conſequenter depravari.
10

Præterea conſideranda ſunt, quæ ſolent hujuſmodi morbos præcedere, accidẽtia nempe quædam
11 in ipſo ægrotante; ut enim patet ex Hipp. ſententia
22 *Aphor. 6. n. 23.* Melancholiam, & conſequenter illi ſimiles paſſiones præcedere ſolent Timor & Mœſtitia, per longum tempus perſeverantes: ægri inſuper vigiliis, & in appetentia moleſtãtur, ſomniiſque melancholicis ac turbulentis, ſi quando ſomnò indulgere poſſunt, perturbantur; hominum conventum, præcipuæ gaudentium & lætantium, fugiũt, intra ſe loquuntur, & obmurmurant, & aliquando abſque cauſa lachrymas effundunt, neque propriæ mœſtitiæ, timoris, aut fletus cauſam ullam, quæ ſatisfaciat reddere norunt. Ubi horum ergo nihil præceſſiſſe comperias, ſed ex abrupto melancholiam aut furorem irrepſiſſe, de ſimulatione non ſolùm, quantum eſt ex hoc, ſuſpicari prudenter licet, ſed quaſi certitudinem habere: quod prudenter etiam adnotavit Silvaticus *loco aliàs citato c.* 10. de hac eadem materie verba faciens. Nam maximè ad id advertendum, quod dixi, quòd hi morbi nunquam derepente, aut ex abrupto prehendant, abſque eo quòd prædicta per aliquod ſaltem tempus prægreſſa fuerint. Quod
13 non ſolùm veriſſimum eſt in his, qui alias nunquam inſanierunt, ſed etiam in illis, qui per circuitus quoſdam inſaniunt, aut furiunt; hos enim inſtante tempore, quo delirare ſolent, contemplari licebit conſueto magis triſtes ac mœrẽtes, ſolitudinem eligere, ſecum ipſis muſſitare, tandemque in apertam inſaniam, aut manifeſtum furorem labi: imò & hoc ipſum in morbis ipſis melancholicis, aut qui melãcholiæ vitio fiunt, experiri licet, maximè cum per circuitus moventur, ut in Epilepſia, in Quartana, &
14 aliis. Videbis enim in Quartanariis (quorum abundãtia faciliùs id experiri nobis permittit) eâ die, quâ febris inſtat, per multas horas antè, imò per totam diem, deſidiam quandam & triſtitiam, coloris mutationem, membrorum gravitatem pati, & hujusmodi alia, quæ quilibet ex ſe obſervare poteſt. Hoc cur ita fiat, ſuperiùs annuimus, dicentes, fieri ob humoris melancholici naturam, qui tardiſſimi motus eſt; unde vides, quantum etiam ipſa febris, cùm ab eo humore originem habet, tardi motûs ſit, non ſolùm reſpectu temporum univerſalium ipſius morbi, cùm & principium, & augmentum, & ſtatum, & declinationem habeat, quàm longiſſima, ſed etiam reſpectu temporum particularium in ipſis acceſſionibus. Non enim niſi de quarto in quartum repetit, & eodem tempore, ut univerſalis morbus, longiſſima habet. Cùm ergo etiam in his particularibus morborum acceſſionibus, conſtet præcedere per multum tempus ea ſigna, quæ diximus, id multò magis habere locum in furore, & melancholia neceſſe eſt, quia nobiliorem partem obſidet humor, nempe caput, cui totum corpus conſentire dubium non eſt; quòd ſi talia non appareant, ſimulationis ſuſpicio ſubeſt.

Cæterùm ex ipſo inſaniendi modo poteſt etiam
15 aliquid veritatis elicere, aliis adhibitis adminiculis ſiquidem, qui verè inſaniunt, habent ut plurimùm quaſdam hæreſes, & imaginationes quaſdam abſurdiſſimas circa quædã particularia, circa quæ ut plurimum dementiunt, multaque effutiunt ac deblaterant. Alij enim ſe mortuos eſſe putant, idcirco comedere, bibere, loqui, aut quicquam agere recuſant; at hæ talem inſaniam nunquam ſimulabunt, qui per fraudem alios decipere ſtudent. Alij ſe in aliqua parte corporis ultera maligna, apoſtemata, tumores ingentes. & hujuſmodi perſomniant, alij capite ſe carere autumant, alij ſe ad æternum damnatos ignem prædicant, neque ampliùs ſervari poſſe; alij denique alia abſurda imaginantur, & circa eam rem, cujus occaſione delirant, interrogati perperam reſpondent, & manifeſtiſſimè ſe inſanire oſtendunt: circa alia tamen prudentes aliquando reſpõſiones reddunt, ita ut vix crederes, eos ullo modo inſanire aut mente motos eſſe. At ubi ficta inſania ſit, non modò circa id, cujus cauſa inſanire ſe fingũt, extra rem reſpondent, ſed etiam circa quæcunque alia, imò maximâ cautelâ utuntur, ne quicquã prudenter dicant, aut faciant, putantes eo modo eorum fallaciam deprehenſum iri. Non tamen ob id negaverim, eſſe ex inſaniẽtibus nonnullos, qui mullatenus ad rem reſpondent, eo quia non circa particulare quoddam inſaniant; ſed conſiderandum admoneo, quòd ubi talis inſania ſimularetur, nimirum circa particularia, ut exẽpli gratia, ſi aliquis ſimularet ſe inſanire, affirmans, ſe mortuum eſſe, tunc ſi hic etiam circa alia omnia inſanire ſe loquẽdo oſtẽderet, ſimulationis ſuſpicionẽ faceret, & affectatæ inſaniæ: difficillimũ tamen profectò eſt ex ſolo inſaniẽdi modo, ut ex ſimplici obſervatione verborum & actuum abſurdorum, deprehendere veram inſaniam, quare alia quoque adminicula adhibenda sũt

16 Denique nonulla ingenia ad inſaniam deprehendendam proponuntur. Scio primùm doctiſſimum & expertiſſimum quendam Medicum, cujus nomen juſtis ex cauſis non profero, cùm ſibi oblatus eſſet is caſus, in quo de ſimulata inſania ambigebatur, inſanum illum multis verberibus affici illicò juſſiſſe, eo fine, & intentione, ut ſi verè inſaniret, iis verberibus humores ad vapulantes partes divertere; ſin verò ſimularet, eorundem verberum virtute vel nolens reſpiceret; ut res ipſa commonſtravit. Itaque hoc ingenio nobis quoque uti licebit, & ubi ab eo opere humana pietas nos diſtraheret, ſaltem minis primùm, & timore incuſſo de veritate certiores fieri quæramus. Quod ſi non ſufficiant minæ, non erit ab illo abſtinendum.

17 Alia via, ut omni ingenio, ac clam, quantum fieri poterit, commoveamus in eo, qui inſanire ſe ſimulat, Animi affectus, præcipuè verò ſpem, iram, lætitiam, & alios his congeneres, ad quorum excitationem, ſi, ut par eſt, afficiatur qui inſanum ſe fingit, jam de ſimulatione ſuſpectos nos rèddere poteſt, quia in verè inſanientibus, præcipuè autem Melancholicis; & furentibus nulla ſpes, neque ulla lætitia, neque ira, aut excandeſcentia, niſi vana, & ex nulla occaſione convenienti, ſed præter rem omnino appareat, neque quicquam ad unius, vel alterius affectus commotionem irritantur; eſt enim in illis Mens veluti alligata, & fixa ab ipſo humore melancholico, & ita in phantaſmatibus ſibi ab eo humore præſentatis abſtructa, ut ad alia nequaquam ſe convertere poſſit, non ſecus ac ſomniantes facerent, ſi circa illos quicquam exiſteret, quod eos ab eorum imaginatione, & ſomnio diſtraheret. Contra ergo ubi inſania ſimulata ſit, vix fieri poterit, quin homo conceptæ ſpei, aut lætitiæ ſignum aliquod in verbis, in geſtibus, in ipſa ſaltem facie non patefaciat, nam, ut Juvenal. dicebat Sat. 4.

18

Deprendes animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendes & gaudia ſumit utrumque
Inde habitum facies.

Ex quibus ſignis, ſi alias conjecturas adhibebimus; facile ſimulationem deprehendere nobis licebit. Ultimo loco ad interrogationes devenire licet; ſed ab hic facilè ſeſe extricant qui ſimulant, ad rem nequaquam reſpondentes, & idcirco difficile eſt ex his quicquam, quod ad rem faciat, elicere. Exemplum habemus lixæ illius ex Illyrico exercitu, qui juxta cubiculum Octavij Auguſti deprehenſus cultro venatorio cinctus; is enim impoſne mentis, an ſimulata inſania, incertum, nihil enim exprimi quæſtione potuit, inquit Suet. *in Oct. cap.* 19.

19 Cæterùm à nonnullis affectatur inſania, hoc eſt medicamentis quibuſdam procuratur, ut pœnas. vel carceres effugiant; quibus lautem medicamentis id fiat: non detegam: multa eorum recenſuit data-operâ Silvaticus, quæ apud ipſum vide *in lib. ſæpe cit. de his qui morb. ſimul. cap.* 10. multa etiam habentur apud rei herbariæ ſcriptores. De Vino, & Cereviſia notiſſimum eſt, quòd brevem inſaniam inebriantes procurent, ſed inſaniæ hujus generis ob temporis brevitatem non egent ulteriori diligentiâ, ut deprehendantur, aut curentur, Majus negotium exhibent quæ nonnullis medicamentis fiunt, quæ vel perpetuò dehinc perdurant, vel ad multos ſubſequentes dies. Ego igitur, ubi hujuſmodi ſuſpicioni
20 daretur locus, contrariis medicamentis & antidotis contra procuratam inſaniam pugnarem; nam vel ea medicamenta calidiora fuerunt, vel frigidiora; utraque varietate ſymptomatum ſe produnt, ſed calidiorum in hac re minor uſus, quòd potiùs brevem, quàm longam inſaniam procurare poſſint, tamen contra ipſa infrigidantibus purgandum; contra frigidiora autem calefacientibus. In omnibus autem Theriaca, & Mithridatium ſuas vires exercebunt. Interimque frictionibus, cucurbitulis; ligaturis, & omni diverſionum, ac revulſionum genere inſiſtendum, ut à capite tetros vapores prohibeamus, ipſumque quantum fieri poſſit, expurgemus. ſed procuratæ inſaniæ non contemnendum ſignum erit, immo magis hoc in caſu habebit locum, quam in aliis, ſi ex abrupto, & derepente appareat, præcipuè ſi ex fatuitatis genere ſit.

SUMMARIUM.

1 *Morbi cum defectu Animi aliquando ſimulantur.*
2 *Morbi cum defectu Animi, magni ſunt ratione partis patientis, & ſymptomatis.*
3 *Simulata Apoplexia quomodo deprehendatur.*
4 *Apoplexia ſimulata in ipſa acceſſione quomodo cognoſcatur,*
5 *Ex ſternutamentis applicitis impoſſibile eſt ſimulantem Apoplexiam non excitari.*
6 *Epilepſia ſimulata quomodo deprehendi poſſit.*
7 *Ecſtaſis ſimulata quâ viâ deprehendatur.*
8 *Ecſtaſis ficta à quadam Muliere hiſtoria.*
9 *Syncope ſimulata quomodo deprehendatur.*
10 *In ſimulata ſyncope non ſequuntur ea, quæ in vera ſemper conſequi ſolent.*
11 *Faciei pallor quomodo procuretur, & quibus ingeniis deprehendatur, qui ſuffitu fuerit procuratus.*
12 *Pallor faciei procuratus per ebibita medicamenta, quomodo cognoſci poſſit.*

De ſimulato morbo cum defectu Animi, & ſenſus amiſſione, ut Syncope, Apoplexia, Epilepſia, Ecſtaſi, & aliis.

QUÆSTIO VI.

MOrbos, qui cum defectu Animi ſunt, licet difficulter ſimulari poſſe quis credat, eò tamen malitia hominum proceſſit, ut hos ipſos tam aptè, tamque appoſitè effingant aliqui, ut interim tantò difficiliùs ſimulatio deprehendatur, quantò minus de ſimulatione ſuſpicamur. Tamen ne in his caſibus tanquam imprudentes decipiamur, nonnulla in conſideratione adhibenda, antequam ſententiam noſtram de veritate proferamus. Sciendum ergo, quòd cùm hi omnes morbi ratione partis affectæ, 2
quæ vel caput eſt, ſecundum interiorem partem, & maximè ſecundùm ventriculos, vel Cor aut per ſe, aut per conſenſum, vel utrumque ſimul, & ratione ſymptomatum, quæ magna ſunt, magni & ipſi revera ſint, non poſſunt niſi à magna cauſa provenire, & conſequenter non poſſunt hominem multum non lædere. Sed ut peculiariùs de ſingulis ſermonem habeamus, ſimulata primùm Apoplexia ab ipſo 3
exitu facillimè deprehendi poteſt, quia vera vel in mortem, vel in paralyſim perpetuò degenerat; licet aliquandò, ſed rariſſimè, viſa ſit Apoplexia ſecundum aliquos, abſque paralyſi terminari, quod ego quidem reſtringo ad paralyſim membrorum externorum, nam aliàs etiam internarum partium nervi reſolvuntur, atque inde mutitates, ſurditates, cæcitates, mentis obtuſiones, & hinc oblæſiones ſuccedunt) cumque ejus acceſsio tertiam diem non pertranſeat, facile eſt, ut dixi, ab ipſo eventu veritatem rei elicere. Quòd ſi in ipſa acceſsione urgeat veritatis cognitio, hoc facilè fieri poteſt valida 4
remedia adhibendo, nempe fortes revulſiones per dolorosas ligaturas, & ſenſum multum inducentes,

per cucurbitulas cum multo igne appoſitas, ac per vim avulſas, per inſtitutiones & cauteria, quæ omnia habebunt eundem finem, quem verbera diximus habere inſanientibus: ſed præ omnibus veritas conſtabit per applicationem ſternutamentorum; impoſſibile enim eſt ex eorum vi ſimulantem non excitari, & ad ſenſum volentem nolentem non redire. Eadem verò in Epilepſia locum habent; quo ingenio uſus doctiſſimus Medicus Sanctorellus, Virginem ſimulantem ſe Epilepſiâ detineri, falſitatis redarguit, ut narrat ille in ſua Anteprax. *lib.7. cap.19.* In Ecſtaſi quoque eadem in uſum convocari poſſent; ſed de hac major difficultas eſt, ob cauſam propter quam ſimulari ſolet; non enim ſimulatur à Reis ad pœnas evitandas, & ad tormenta declinanda, aut ab aliis, ut immunitates obtineant, vel onera effugiant, ſed ab Hypocritis quibusdam ad homines decipiendos, & ſanctitatis nomen ſibi conciliandum. Vulgus enim fraudum neſcius, raptum illum non adeo viſu frequentem, tanquam rem ſupranaturalem, & miraculoſam admiratus, eos veneratione potius, quàm tormentis dignos dijudicat, neque adeò permittit illos moleſtari, aut hujuſmodi experientias per propoſita medicamenta de illis ſumi: præterquam quòd multò facilius ſimulatur Ecſtaſis, quàm prædicti alii morbi. Vidi ego mulierem mihi ſatis notam, quæ ſe, ubi frequens hominum cœtus in templis, ſacriſque locis conveniſſet, raptam in Ecſtaſim effingebat, & admiratione non parvâ dignum erat, quàm aptè ſimularet. Stabat extenſis brachiis in Crucis modum, palpebris immobilibus, oculis fixis, & per horæ ſpatium, ac ultra eo in actu perſeverabat. Interdum veluti ad cœlum volatura, & in aërem ſe elevatura corpus attollebat, illud mirum in modum extendens; ſed admirationem omnem ſuperare mihi viſum eſt, quòd vultum in mille colores, vel ictu oculi commutaret; nam modò rubeſcebat, & quaſi ardore quodam incendi videbatur, modò adeò palleſcebat, ut quaſi emortua langueret, denuò, ac dicto citiùs, rubore perfundebatur, ac denique veluti animo deficiens ad ſeipſam redire ſimulabat, ita ut circuſtantes omnes eam divino raptu prehenſam pro ſancta venerarentur, & ad illius veſtimenta devotionis ergo tangenda, quæcunque mulierculæ, homunciones adeant, turmatim accurrerent, non ſine mei ipſius riſu, & multò majori, ut credo, ipſiuſmet fœminæ deriſu, quam ego quidem intus & in cute agnoſcebam; erat autem Sicula. Alia inſuper apud alios auctores graves habentur. Card. *lib.8. de variet. cap.43. in princip.* hæc habet: Narratur de quodam Presbytero, qui quoties volebat, jacebat ut mortuus abſque anhelitu, nec ſolùm vellicantes, ſed & pungentes non ſentiebat, & admoto igne amburebatur abſque dolore. Id mirum & incredibile multis videri poſſit, qui hoc apud Turcas frequens eſſe ignorant: multò verò minùs, ſi quidpiam tale apud nos eſſe docuerimus. Quorum primum hoc eſt, quòd quoties volo, extra ſenſum quaſi in Ecſtaſim tranſeo. 2. Quidam fuit, qui quoties vellet, fiebat paralyticus, id eſt, jacebat abſq; ſenſu, & ſicut mortuus. Ex Avic. idem Card. *ibidem.* Hunc autem Card. voluit in Ecſtaſim raptum quoties vellet, hoc enim intellexiſſe Avicennam dicit ipſe illis verbis: *Qui quoties vellet fiebat paralyticus.* Sed ad rem noſtram redeuntes, dicimus difficilius eſſe per alia ſigna, quàm per ſuperiora Ecſtaſim veram à ſimulata diſtinguere. Videnda tamē ea ſunt, quæ *erit. 1. l. 5. ſeq.* attulimus *q.6.* ubi quænā conſequātur ad Ecſtaſim naturalē docuimus, quæ, ubi illa ſimulata ſit, minimè conſequenter, & ex his veritas innoteſcet.

Sed Animi defectum, lipothimiam, & præ omnibus Syncopen deprehendere, quando efficta ſit aut vera, non adeò operoſum diligenti Medico eſt; quippe qui notū habeat, à quibus talia ſymptomata originētur, & quænam ad ea conſequantur: impoſſibile enim videtur, quædam ad amuſſim poſſe repræſentari in ficta ſyncope, ut in vera eveniunt. Veluti ſunt pulſus languidi, parvi, remiſſi, ſudores frigidi, totius quoque corporis refrigeratio, ſqualor item faciei & pallida mortis imago. Hæc enim in vera Syncope omnino apparēt, & magna etiam ex parte in Animi defectu, & lipothimia. At ubi tales affectus ſimulati fuerint, pulſus conſtabunt, (niſi fraus etiam circa hoc lateat, quemadmodum ſuprà admonuimus) neque ſudores aderunt, neque extremorum frigus, nec ſqualor, ac pallor faciei, niſi hic etiam ante ſit procuratus: nam aliquando, ut verè ſe ægrotare vel ipſo aſpectu demonſtrent verſuti, & callidi homines, ſuffitibus nonnullis, aliiſque ingeniis colorem faciei immutant ex vivido in pallidum, quam malitiam deprehendemus primò, ſi, ut conſulit Silvaticus *cap. de his qui morb. ſimul.* malitiam malitiâ ſuperare tentemus, & tanquam præſentaneum remedium ad concidentes hominis vires, aquas aliquas odoriferas, vinum malvaticum, acetum roſatum, ſeu caryophyllarum pro faciei lotione ipſis proponamus, & nobis præſentibus in uſum id medicamenti trahi ſtudeamus. Deinde conſiderentur artus diſcooperti, & univerſum quoque corpus, nam ſi pallor ſuffitibus ſit procuratus, reliquum corpus non palleſcet, ſed ſuum nativum colorem ſervabit.

Quòd ſi per obitum aliquod medicamentum pallor ſit excitatus, difficiliùs quidem erit hanc fraudem deprehendere, quia neque lotioni cedet pallor, neque particularis erit, ſed toti corpori communis. Conſideranda tamen in hoc caſu reliqua accidentia; nam fieri nequaquam poteſt, tantum pallorem non habere cum ſe aliquod magnum accidens, ut extremam debilitatem, lipothymiam, ſyncopen, vomitum virulentum, ac moleſtum, autaliam quandam urgentem evacuationem, vigilias continuas, dolores acerbiſſimos, & his ſimilia: quæ ſi non appareant, procurari palloris ſuſpicionem facient, & ad malitiam detegendam alia tentabimus, quæ prudentia Medica & occaſio nobis offert. Sed in Syncope, quam ſimulari ſuſpicamur conſiderādus etiam prægreſſus ægri ſtatus, & cauſæ omnes tam internæ, quàm externæ, ut pateat, an conſequens fuerit ex his ſyncope hominem affici, quæ omnia perſpicaci Medico cognitu erunt facillima.

SUMMARIUM.

1 *Virginitas amiſſa quomodo reparetur.*
2 *Midici cur in reparanda virginitate mulieribus conſilium præbeant.*
3 *Simulata virginitas ex quibus deprehendatur.*
4 *Loca muliebria in Virginibus quomodo ſe habeant.*
5 *Lotiones ad deprehendendam fictam Virginitatem.*

De ſimulata Virginitate.

QUÆSTIO VII.

COrruptæ juvēculæ, ne propriam impudicitiam prodant cùm primùm viro nubunt, cui per vaſorum muliebrium laxitatem corruptio apparere poſſet, eadem vaſa nonnullis lotionibus adſtringentibus, aliiſque aptis medicamētis adhibitis adeò adſtricta, & anguſta reddunt, ut non modò naturalem cohærentiam ante violatā Virginitatem adæquent, ſed etiā longè exuperent, & ſunt ex Medicis multi,

qui

qui remedia nonnulla ad hoc ipſum procurandum in medium aſſerunt, nempe ut corrupta mulier incorrupta appareat. Hoc autem non modò ad evitandam mulierum infamiam, quandocumque ſtuprum ante nuptias paſſæ fuerint, efficiunt, ſed eo interdum fine, ne nimia muliebrium vaſorum laxitas, & delectationem in coitu impedire, & conceptionem etiam inhibere poſſit. Quoniam autem, ut *Titul. de Virginitate, & Stupro, libro quinto*, dicam, interdum pro veritate Medicus interrogatur, ut de integra, ſeu violata Virginitate ſententiam ferat, ne ex ſimulata per hæc medicamenta decipiatur in judicando, pau-
3 cula hæc quæ ſequntur animadvertere debet. Et primo debet ea omnia examinare, de hinc, *cit. tit.* de Virginitate aſſeremus, neque ea ſolùm, quæ ex muliebrium vaſorum conſtitutione deſumuntur, perpendere, ſed alia quoque, quæ ex mammarum, pectoris, ventris, totiuſque denique corporis ſtatu elicere licet; quibus ponderatis ad muliebria loca conſideranda ſe conferat, quæ ubi naturaliter habeant,
4 cohærere quidem, ac connivere reperiet, ſed naturali quadam humiditate earum partium propriâ dotata adnotabit. At ubi medicamentis adſtringentibus, præſertim verò validis, ac potentibus uſa ſit mulier, ea loca exucca, & indurata, arida, ac contracta inveniet, & in ſumma à naturali conſtitutione manifeſtè deſciſcere: neque quoad conſtitutionem ſolùm, ſed etiam quoad tactum, & quoad
5 colorem immutata experietur. His tamen non contentus, qui certioris veritatis ſtudio detinetur, lotiones etiam relaxantes & emollientes adhibeat, quales erunt ex decocto Malvæ, Biſmalvæ, Violarum Branchæ urſinæ, Betæ, Fenugræci, ſeminis Lini, Meliloti, & hujuſmodi: quod & admonent Medici, Codronc. *Method. teſtif. cap.* 11. & ex Juriſconſultis Carrar. *de Med. part.* 4. *n.* 166. In horum tamen adhibitione animadvertendum, quòd non illicitò à lotione veritatis experimentum ſumendum eſt, ſed poſt convenientem locorum exſiccationem, quoniam immediatè poſt fomenti adhibitionem abſque dubio loca relaxata, & patentia comperiet: ſed ſi exſiccari permittantur, ſi virgo fœmina ſit, invicem cohærent, & naturalis conſtitutio evidenter apparet; ſin ſimulata ſit virginitas, à collutione ariditas, contractio, & corrugatio locorum ceſſat, & ea patentia remanent, manifeſtè corruptionem demonſtrantia, quæ tanto magis manifeſta fiet, ſi alia ſigna, quæ in violata Virginitate apparere dicemus, una conſpicua & hic erunt. De conſtitutione autem Hymenis, eadem, quæ ibi attulimus, hic veniunt conſideranda; de qua tamen re plura attulit Silvaticus *lib. de his qui morb. ſimul. cap.* 9. negans omnino tale quidpiam in Virginibus reperiri, neque contemnendam experientiam ex plurimis Virginibus cujusdam Xenodochi captam affert. Quod alii etiam Medici docent *Ulmus in uter. mul.* Franc. Ranchinus *de morb. virg. tract.* 1, *cap.* 4. Sit tamen quomocunque, ex cohærentia & ſymphyſi naturali partium nonnihil deprehendi non negandum, neque Pinæo idcircò fides deneganda.

Habent quoque in hoc caſu locum ea medicamenta, quibus deprehendi Virginitatem dicam. 5. *ſeq. eod. tit.* 2. *qui eſt de Virginitate. quæſt.* 3. *n.* 18. quorum ſi ullus ſit verus uſus, faciunt etiam hic fieritatis, aut falſitatis aliquam præſumptionem.

SUMMARIUM.

1 *Prægnatia quoſcunque etiam Medicos latere poteſt.*
2 *Experimenta ad explarandam prægnantiam periculoſa.*
3 *Mulierem, quæ ſe prægnantem ſimulet, cognoſcere quòd utero non gerat, non tam difficile eſt, quàm cognoſcere aliam quamcunque, an pro certo utero gerat.*
4 *Delictum ſuppoſitionis partus eſt crimen falſi.*
5 *Probatio per conjecturas facta in actibus ſimulatis ſufficiens eſt, ut in partu ſuppoſito.*
6 *Præſumptiones ſuppoſitionis partus unde deſumantur.*
7 *Præſumptiones ſuppoſiti partus ex parte viri.*
8 *Præſumptiones ex viri ætate.*
9 *Præſumptiones ex viri temperamento.*
10 *Præſumptiones ex viri habitu.*
11 *Præſumptiones ex prægreſſa viri ſterilitate.*
12 *Præſumptiones ex conſtitutione genitalium virilium.*
13 *Privatio unius teſtis in viro an faciat præſumptionem aliquam difficultatis generandi liberos, & quid in fœmina, num.* 15.
14 *Unius Teſtis vir generare poteſt,*
16 *Privatio unius teſtis quandonam faciat aliquam præſumptionem difficultatis generandi, ex parte viri.*
17 *Præſumptiones ex parte mulieris.*
18 *Præſumptiones ex mulieris ætate.*
19 *Præſumptiones ex mulieris temperamento & habitu.*
20 *Præſumptiones ex prægreſſa mulieris ſterilitate.*
21 *Præſumptiones ex mulieris frigiditate.*
22 *Præſumptiones ex locorum inſpectione.*
23 *Præſumptiones ex menſtruis.*
24 *De raro contingit mulierem menſtruis deſtitutam concipere.*
25 *Magis contra Naturam eſt mulierem ſeniorem quæ ob ætatem menſtruis privatur, concipere, quàm mulierem juniorem, quæ non menſtruatur ex morbo.*
26 *Mulieres nonnullæ menſtruis deſtitutæ conceperunt.*
27 *Præſumptio ſimulatæ prægnantiæ ex non ſupervenientia lactis.*
28 *Præſumptiones ſuppoſitionis partus ex parte utriuſque nempe viri, & uxoris.*
29 *Præſumptio ex prægreſſa ſterilitate utriuſque.*
30 *Præſumptio ex utriuſque habitu.*
31 *Præſumptio ex odio inter conjuges.*
32 *Odium inter conjuges impedit generationem.*
33 *Præſumptio ſuppoſiti partus ex diſſimilitudine ad præſumptos parentes.*

De ſimulata prægnantia, & de partu ſuppoſito.

QUÆSTIO VIII.

PRægnantia per ea, quæ *lib.* 1. *harum quæſtionum, tit.* 3. *part.* 1, dixi tam facilè non idiotas modo, 1
& mulierculas, ſed doctos etiam quoſcunque Medicos latere poteſt, ut nullo modo ab illis deprehendi, & ex conſequenti ob eam cauſam non magna difficultate ſimulari poſſint; & quia periculoſa quoque ea ſunt experimenta, quæ ad prægnantiæ veritatem deprehendendam adhibentur, idcirco videtur 2
omnis via præciſa, quæ nos ad veritatis cognitionem in hac re ducere poterat.

Sed profectò licèt difficillimum ſit cognoſcere pro certo mulierem utero gerere, non adeò tamen 3
difficulter cognoſci pro certo poteſt, in ea quæ ſimulet, nequaquam illam in Utero habere, præcipuè ſi de vetuſtiori prægnantia agatur, ut de trimeſtri, aut majori; ubi enim potiora ſigna non apparerent, ut hac in mammillis ſuo tamen tempore idoneo, ventris tumefactio, & calor, motus quidam levis in utero, & alia hujuſmodi, adhibitis quoque conjecturis nonnullis ab extra deſumptis, & aliis, de quibus infrà, mulierem utero gerere audacter negare poſſumus.

Cæterùm nonnullæ mulieres, ut maritos, vel amantes in ſui amorem illiciant, filios ex eis ſuſcepiſſe ſe ſimulantes, cùm ipſæ per ſe ſteriles exiſtant, aut ſaltem ex Marito, vel Amante prolem habere non poſſint, non ſecus ac aves alienis ſe pennis exor-

nantes partus, alienos ſibi ſupponunt, atque eâ malitiâ, & fraude Marito, aut Amanti imponunt, prolemque non ſuam, tanquam ex ſe ſuſceptam, alere atque in poſterum pro ſua habere cogunt. Quod etiam *Juvenalis, ſat. 6.* objicit ſui temporis mulieribus in his carminibus.

Tranſeo ſuppoſitos, & gaudia, votaque ſæpè
Ad ſpurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falſo
Corpore laturos, ſtat fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus, hoc fovet omnes
Involvitque ſinu, domibus tunc porrigit altis,
Secretumque ſibi mimum parat, hos amat, his ſe
Ingerit, atque ſuos videns producit alummos.

Ejus criminis, ut obiter hoc dicam, damnata fuit Lepida ex familiæ Æmiliorum L. Syllæ, & Cn. Pompeii proneptis tradente *Tacito l. 3. Annalium ſub Tiberio.* Cùm autem hoc delictum Leges jure puniendũ
4 jubeant, nam illud eſt crimen falſi, quod capitale eſt, ut ex adductis per Boſ. *in præct. crimin. tit. de part. ſuppoſit.* & per Farinac. *de falſ. & ſimul. q.* 151. *part.* 10. *n.* 239. licet de pœna non idem ſentiant *n.* 242. patet, (ubi etiam plura habentur de hujus delicti gravitate) idcirco hic adducenda ea ſunt, quæ ex artis noſtræ induſtria poſſunt haberi, ad veritatem in hoc caſu propalandam. Et quia pro Legumperitis maximè faciunt præſumptiones, & conjecturæ in hujuſmodi caſibus, eo quia probatio per eas facta tanquam in actibus ſimulatis, & fraudulentis ſufficiens
5 ſit, ut ex Bart. Jaſon. & Paul. dicit idem Boſ. *ibid. num.* 3. & Farinac. *ibid. num.* 245. cùmque plurimæ earum conjecturarum, & præſumptionum deſumi poſſint à Medico, eas nos adducamus oporter, ut pro viribus Legumperitis, & pleniſſimè ſatisfiat. De his autem, quæ ad Legumperitos magis pertinent, licet eas Medico quoque neceſſariſſimum ſit cognoſcere non agam, quia apud eoſdem Juriſconſultos videri poſſunt, ut apud Farinac. *ubi ſupra, à num.* 248. *ad plures ſeq.* & Carranz. *à n.* 65. *ad ſeq. lib. de Partu. c.* 5. *ſect.* 1. talis eſt ea conjectura, quæ deſumitur ex delatione cultricæ, vel ſimilis cujuſdam rei ſupra ventrem, aut ea, quæ ſumitur à partu in abſcondito celebrato, & abſque præſentia mulierum, & præcipuè ſine obſtetrice, & aliæ non diſſimiles. Præ-
6 ſumptiones autem, & conjecturæ, quæ ad Medicos pertinent, vel deſumuntur ex parte viri cujus proles dicitur eſſe partus, qui ſuppoſitus præſumitur, vel ex parte mulieris, vel etiam ex parte utriuſque. Ex
7 parte viri deſumuntur ab ætate, à temperamento, ab habitu, & ſterilitate prægreſſa, & ſi poſſunt venire in conſiderationem, à partium genitalium conſtitutione. Ab ætate, ut quia nimis tenera, & infra 14. an-
8 num, vel nimis provecta, & ultra ſexageſimum, cùm ſenex in ea ætate præſumatur impotens ad generandum, per ea quæ dixi *lib. 1. tit. 1. quæſt. 9. n. 31.* & vide ex Juriſconſultis Carranz. *cap. 5. ſect. 2. n. 65.* Ergo ubi in ea ætate conſtitutus vir fuerit, & partus dicatur ejus eſſe proles, præſumptio, quàtum ſpectat ad hoc, erit pro ſuppoſitione partus. Farinac. *ubi aliàs quæſt.* 150. *p.* 10. *n.* 252. in hoc tamen conſiderandæ ſunt & vires, & valetudo ipſius, nam ſiquidem ſenex vividus eſſet, & ut de Charonte Virg. *6. Æneid.*

Jam ſenior, ſed cruda deo, viridiſque ſenectus.

ac proſpera fruatur valetudine, viribuſque conſtet, illicitò ceſſaret hæc præſumptio, & particularia, ut cenſeo, decidenda eſſent Judicis arbitrio, audita antè ſuper hoc Medicorum ſententia.

A temperamento deſumitur etiam præſumptio,
9 ſi illud evidenter in primis qualitatibus excedere comperiamus, nec ſolùm totius temperamentum in conſideratione habendum, ſed etiam præcipuarum partium, Capitis, Cordis, Hepatis, Genitalium; nam & horum partium excedentes intemperies ſterilitatem facere poſſunt, ut aliàs diximus. Eſſet tamen hæc præſumptio apud me minoris momenti, quàm ſuperior, præcipuè ſi partis, tantum eſſet, non totius, quia interdum unius partis, etiam excedens diſcraſia temperatur à contraria dyſcraſia alterius partis, & ſic per eam non impeditur ullo modo generatio.

Ex habitu quoque deſumi poteſt alia præſũptio, 10
quia ſi vir, cujus dicitur eſſe ſuppoſitus infans, eſſet præpinguis, & extuberanti mirum in modum abdomine, aut contrà eſſet admodum gracilis & extenuatus, inſurgeret præſumptio ſuppoſitionis partus: Uterque enim habitus impedire videtur fœcunditatem, præcipuè autem præpinguis. Et adverte, quòd licet hæ conjecturæ & præſumptiones, ſingulæ per ſe leviuſculæ videantur, tamen omnes ſimul, & aliis adjunctæ facerent pluſquam ſemiplenam probationem ſuppoſitionis partus vel adulterii.

Ex prægreſſa ſterilitate poteſt ſumi præſump- 11
tio, & quidem magni momenti, ut optimè ſentit Farinac. *de falſ. & ſimul. q.* 150. *part.* 10. *n.* 244. contra Menochii opinionem. Facit text. *in l. Filium. ff. de his, qui ſunt ſui vel alieni juris.* adductus à Carranz. *ubi ſupra, n.* 70. ut ſi conſtaret, hunc ipſum virum, cujus filius nunc dicitur eſſe partus, qui ſuppoſitus præſumitur, jam per multos annos huic ipſi mulieri, vel aliis etiam uxoribus, & concubinis commixtum nunquam generaſſe; quod ſi cum hac concurrerent etiam leviores aliæ præſumptiones, ego jam de ſuppoſito partu non eſſem dubius, aut adulterio, vel ſaltem in affirmativam maximè inclinarem.

Ex conſtitutione autem genitalium, ſi ea contem- 12
plari liceat, poteſt deſumi conjectura maximi momenti, ut ſi in illis vitium aliquod notabile appareret eorum, quæ in hoc *l. tit. 1.* diximus impedire coitum, aut generationem, vel ſi, cùm non licèret viri genitalia inſpicere, ut quia jam mortuus, adduceretur hæc præſumptio ab iis; qui agitarent pro ſuppoſitione partus, & per habiles Teſtes probaretur; hanc enim præſumptionem magni etiam facit Farinac. *loco citato n.* 251. Sed num privatio unius teſtis
1 aliquam in hoc caſu poſſit facere præſumptionem, ſi interrogemur, ego diſtinguendum cenſerem, diceremque hoc per ſe ſolum nihil me movere, cùm jam aliàs probaverim, unius teſtis virum generare poſſe; cum aliis tamen indiciis, non eſſet omnino hoc contemnendum. Adnotandumque pro hac re eſt ex Valeſco de Tarenta, Medico veteri, ac doctiſſimo
14 *lib. 6. Phil. cap.* 8. quòd quamvis ii, quibus unus deficit teſtis, in juventute generare poſſint, tamen in ſenectute eorum generativa deficit, quia ſenes cum duobus teſtibus modicum habent ſperma, multò minus cum uno; itaque in ſene privatio unius teſtis faceret aliquam præſumptionem ſuppoſitionis partus, etiam ſi non magnam ætatẽ ageret, & adhuc non
15 pertranſiret 65. annum, ſed eſſet in 60. dummodò valde robuſtus non eſſet. In fœmina tamen, etiam unius teſtis carentia (nam fœminas interdum caſtrari aliàs dixi) faceret non levem præſumptionem ſuppoſitionis partus, quia fœmina, etiam unico teſte
16 abſciſſo, redditur impotens ad generandum, ob mul-
17 tiplicem vaſorum lacerationem, quam in exciſione eam pati neceſſe eſſet.

Cum hac etiam præſumptione ex parte viri, conjungi poteſt ea, quæ ex totius corporis conſtitutione deſumi poteſt, ubi nimirùm apparent ſigna frigiditatis aliàs à me recenſita, ut barbæ, & pilorum caren-
18 tia in locis conſuetis, & alia hujuſmodi. & hæ præſumptiones deſumi poſſunt ex parte viri.

Ex

Ex parte autem Mulieris conjecturæ deſumi poſſunt non ſecus ac in viro, ab ætate, à temperamento, ab habitu, à ſterilitate prægreſſa, à genitalium inſpectione, inſuperque à menſtruis, eorumque qualitate, & quantitate. Ab ætate mulieris deſumitur præſumptio, quia ut dixi *citato libro primo, quæſt. 9. num. 57. & ſeqq.* mulier ſuprà quinquageſimum concipere non poteſt ut plurimùm, quod comprobat univerſa Medicorum ſchola teſte Plater. *in Cent. Poſth. Quæſt. Medic. Parad. num.* 38. & ex Iurisconſult. Farinac. *ubi ſuprà. num.* 252. & Alphonſus à Carranza *n.* 67. *loco ſuperius citato*: immò pleræque in quadrageſimo concipere deſinunt. Et egò quidem ſi aliàs conjecturas ſuppoſitionis partus haberem, hanc non parvi penderem, etiamſi quadrageſimum non excederet, quando per totam anteactam ætatem non fuiſſet admodum fœcunda. Et ratio eſt, quia etiamſi non ſit impoſſibile; immò nec omni ex parte difficile, in ea ætate mulierem concipere, dummodò menſtruis non deſtituatur, ut dicemus: tamen cùm hoc de raro admodum contingat, ut quæ juniores jam deſierunt generare, ſeniores factæ, & quadrageſimo anno majores de novo generent, jure merito poteſt ex hoc capite aliqua conjectura, ſeu præſumptio deſumi, quòd concipere non potuerit, & ſic de partus ſuppoſitione non ſine cauſa dubitabimus.

19 Eædem porrò præſumptiones, quæ ab habitu, & temperamento viri deſumi poſſunt, habent locum quoque in fœminis, nam non ſecus ac in viris contingit, excedentes intemperantiæ, & habitus præternaturales in muliere fœcunditatem adimunt, & generationem retardant.

Sed maxima inter omnes cenſenda ea præſumptio
20 eſt, quæ deſumitur ex ipſius Mulieris prægreſſa ſterilitate. Farinac. *ubi ſuprà, num.* 244. Carranza *cap.* 5. *de partu, ſect.* 2. *num.* 64. nam ubi mulier jam per multos annos viro uno, aut pluribus uſa non conceperit, abſque dubio ſterilis dicenda eſt, niſi aliâ ex parte evidenter conſtaret, eam vitio virorum non concepiſſe; & nunc aut ex eodem marito, vitio ſublato, aut ex novo conjuge prolem ſuſcipere potuiſſe, nam, ut aliàs ex Lucretio dixi:

Et multæ ſteriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus, & nactæ poſt ſunt tamen unde puellos
Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci.

Hæc autem præſumptio tantò majoris eſſet momenti, quantò pluribus viris copulata fuiſſet mulier, & maximè ſi etiam per aliquod tempus poſtremo uſa eſſet, & tamen non concepiſſet, ut per triennium, aut ultrà. Et cum hac etiam præſumptione adjungi
21 poſſet, ut in viris diximus, præſumptio deſumpta ex frigiditate mulieris, nimirum ſi in ea apparerent ea ſigna, quæ frigiditatem in mulieribus atteſtari ſuo
22 loco dixi. A locorum porrò inſpectione poſſet præſumptio aliqua deſumi, ſi præſertim illicò ab editione partus, vel per paucos dies poſt, mulierem inſpicere liceret; de hac tamen præſumptione plura habentur *quæſtione ſeq.* ad quam Lectorem remitto, nam eſt magni momenti.

Denique plurimi faciendam eam præſumptionem
23 cenſeo, quæ à Menſtruis deſumitur, de qua tamen nihil præcitati Jurisconſulti, & quidem immeritò: nam ut aliàs dixi, quotieſcumque, & quandocumque mulier menſtruis deſtituatur, etiamſi ætatem juniorem degat, ſemper præſumptio debet eſſe pro ſuppoſitione partus etiam aliis in contrarium facientibus non obſtantibus: quia nunquam, aut de raro admodum, immò rariſſimè contingit, mulierem
24 menſtruis deſtitutam concipere; immò hoc inter ad-

miranda & rara adnumeratur, ut per Marcell. Donat. *lib.* 4. *hiſt. Med. mirab. c.* 23. Eam tamen diſtinctionem reiteremus hic, quòd hæc præſumptio multò magis urgeat, ubi per majorem ætatem menſtrua deſierint, quàm ſi ex aliquo corporis vitio deſtiterint, vel naturaliter non fluxerint; Nam magis contra Naturam eſt, mulierem, quæ per ſeniorem ætatem non menſtruatur, concipere, quàm eam, quæ ex morbo, vel ex 25
naturali vitio menſtruis deſtituitur: contingit enim aliquas etiam non menſtruatas concipere, in quibus Ariſt. 7. *de hiſtor. Anim. c.* 2. tantumdemque humoris 26
colligi dicit, quantum iis, quæ purgantur teſtare ſolet; præcipuè verò Ruſticas quaſdam mulieres, & laboribus aſſuetas, aut non menſtruari, aut de raro. & in modica quantitate aliàs enarravi. Abſumitur enim in his quicquid in ſanguine ſuperfluum eſt ab ipſis laboribus.

Aliam inſuper conjecturam deſumere p oſſumus 27
ex non ſupervenientia lactis, quæ aſſertur inter Jurisconſultos à Carranza, ubi aliàs, *num.* 28. pro conjectura ſuppoſiti partus in puerpera, de qua nos *in ſeq.* Pro nunc ſciendum, ut aliàs adnotavi, lac prægnantibus ſupervenire tertio, vel quarto menſe; itaque in muliere, quæ ſe prægnantem dicat, jam tranſacto quarto menſe, non ſupervenientia lactis faciet contra eam præſumptionem ſimulatæ prægnantiæ, & erit quippe hæc præſumptio maximè urgens, & tantò magis, quantò conceptus proveſtior erit. In partu autem ſi nullo modo lac appareat, abſque dubio magnam dabit ſuſpicionē ſuppoſiti partus. Circa quod tamen ſciendum, aliquas fœminas à natura ſine lacte eſſe, ut teſtatur Hippocr. *libro primo, de morb. mul. text.* 99. aliàs autēm idipſum ex accidenti, & ex morbo habere, ut lac non generent, ut idem Hipp. teſtatur *in lib. de Glandulis, text.* 12. quin etiam & aliquibus fœminis lac ex aquarum duritia, ac cruditate extingui, ita ut pueros nutrire nō valeant, narrabat, *in lib. de aër. aquis & locis n.* 7. Itaque videbatur conveniēs non tantū fidere huic præſumptioni non ſupervenientiæ lactis, cùm poſſibile ſit mulierē fuiſſe enixā, & lac in mammis nullo modo habere ex una, aut pluribus ex prædictis cauſis: quod etiam militare poteſt in probatione ſimulationis prægnantiæ; cùm ex lactis carētia non poſſit concludenter deduci etiā in debito tempore, mulierem utero non gerere. Sunt tamen nonnulla ſigna, quæ ſatis demonſtrant, an in muliere à natura, vel à morbo, vel ab aquarum prava qualitate deficere contingat: Siquidem ſi lac à natura deficiat, mulier à natura ſortiatur ſolidam, ac denſam carnem, ut *loco cit. morb. mul.* Hipp. docebat; ipſa quoq; mammarum conſtitutio idipſum commonſtrabit, nam & ipſæ erunt ſolidioris ſubſtātiæ, & mulier cum his nō habebit pectus carnoſum, ut cæteræ habent, non potente nutrimento, ut in cæteris, tam facilè ad pectus ſe conferre. Adde quòd neceſſe erit mulierem, quæ verè peperit, & lac ob corporis denſitatem non habet, aliqua ſymptomata pati, non ſecus ac eæ patiuntur, quibus ex morbo, aut aliā quadam calamitate mammæ ademptæ ſunt, ſeu potiùs, inquam, lactandi uſum: nam, *& vox ipſarum*, inquit Hipoc, *loco cit. de Glandulis, aſpera redditur, & humores in gulam feruntur, & multo ſputo vexantur, & caput dolent, & ab his agrotant*, quorum omnium rationem reddit, ſubdens: *Lac enim proficiſcens, ac influens ab utero, quemadmodum etiam antè in ſuprema vaſa tranſibat, quum propria vaſa non habeat, nec reperiat, ut pote ipſis per mammarum ademptionem privatum, in principales corporis partes inſumit, cor videlicet, ac pulmonem. atque ſic ſuffocātur.* Nec ſecus aliis quibusdam fœminis evenire fortè debet,

quæ ob pulchritudinis cauſam, lac ac mammas recurrere non permittunt, aut eas, dum adhuc virgines ſunt, quibusdam frigidis ac aſtringentibus medicamentis in decora parvitate cuſtodientes, aut cùm prægnantes ſunt, iisdem medicamentis aliisque lac extinguentes, has enim, ut ſuperiores, & ſibi, & fœtibus nocumentum afferre palam eſt, ut notat Daniel Senner. *lib. 4. ſuæ Med. part. 3. ſect. 2. cap. 1.* Ergo à quacunque cauſa præter naturam extinguatur lac, aliqua ſigna apparebunt, quemadmodum, & ſi ob potum pravarum aquarum id contingat, non difficile erit hoc cognoſcere, conſiderando ipſas aquas, quibus prægnans, aut puerpera, de quâ dubitatur, uſa eſt. Itaque hoc ratum omnino habendum, quòd ſimpliciter loquendo, & ut plurimùm carentia lactis in prægnantia poſt quartum menſem, & in puerperio, facient maximam præſumptionem vel ſimulatæ prægnantiæ, vel ſuppoſiti partus.

28 Conjecturæ porrò, quæ deſumi poſſunt ex parte utriuſque, viri nempe & uxoris, deſumuntur ex prægreſſa ſterilitate, ex habitu, & temperatura, ex

29 odio inter ipſos, ex prægreſſa ſterilitate, quia ſi diu ſimul cohabitaverint, & nunquam generaverint; præſumptio erit ſuppoſitionis partus, non quòd ſit impoſſibile, quòd conjuges, per decennium & ultrà ſimul habitantes, non generaverint, & dehinc generent, quia hoc evenire ſolet aliquando, ſed quia rarum eſt, jure præſumptio videtur rationalis eſſe.

30 Ex habitu poteſt deſumi præſumptio, ſi uterque conjuguin ſit admodum pinguis: non modo enim difficillimum eſt hos ſimul junctos generare, ſed magnam habet difficultatem hos ſimul jungi poſſe in actu venereo, ob extuberantem ventrem. Sic ſi eſſent nimis macilenti, aut uterque dotaretur eodem temperamento, nempe nimis calido, vel nimis frigido: tales enim difficulter generant, ut aliàs dixi.

31 Odium quoque poteſt facere aliquam præſumptionem ſuppoſitionis partus; nam ſi hoc probetur adeſſe inter conjuges, & ſi grave, diuque duraverit, vix credendum ex ipſis prolem unquam naſcituram, quòd odium conjugum, ut *Tit 1. hujus libri* dixi, impediat maximopere generationem.

32 Reſtat ultimo loco unica præſumptio, deſumpta ex diſſimilitudine nati ad parentes, de qua Farinac. *loco citato num.* 158. licèt autem hæc alias & per ſe parvi momenti eſſet, tamen ſi aliis adminiculis conjungeretur, maximè urgeret, cùm naturaliter filij naſci debeant ſimiles parentibus, aut alteri ſaltem ex parentibus, ut dixi aliàs *lib. 1. tit. 5. quæſt. 4. n. 6.* Patet, quia ex ipſa ſimilitudine illicò devenimus in cognitionem filiationis, cujus rei, præter quotidiana exempla, habemus etiam teſtimonium apud Hoſtiet. *Odyſſ. 1.* ubi Minerva alloquitur Telemachum, in hæc verba.

Si jam ex ipſo tantus filius es Ulyſſe,
Vehementer enim capite, & oculis pulchris ſimilis es Illi.

Sed de hac re plura qui deſiderat, adeat Titulum ſuprà citatum.

SUMMARIUM.

1 *Mulier an abortierit, quomodo cognoſci poſſit.*
2 *Abortus junioris ſigna.*
3 *In abortu per vim procurato vix poſſibile eſt nihil præter naturam intervenire.*
4 *Conjectura aliena procurati abortus.*
5 *Conjectura abortus ex ſtatu mulieris.*
6 *Conjectura ex pectore, & mammis.*
7 *Grandioris abortus ſigna.*
8 *An mulier unquam pepererit, quomodo cognoſcatur.*
9 *Ventris rugoſitas facit ſuſpicionem partus aliàs facti.*
10 *Ventris rugoſitatem quomodo eviteat Mulieres, quæ utero gerunt, aut pariunt.*
11 *Venter corrugari poteſt ex aliis cauſis, quàm ex prægnantia.*
12 *Præſumptio partus ex corporis ſtatu.*
13 *Lac ex ſola menſtruorum retentione generari, poteſt.*
14 *Pudenda Mulieris, quæ peperit, quomodo ſe habeant.*
15 *Signa mulieris recenter enixæ.*
16 *Vena in partu dilatantur, & num. ſeq.*
18 *Pudenda Mulieris in partu tument ædematoſo quodam tumore.*
19 *Caruncula Myrtoides in partu obliterantur.*
20 *Ex lacte maximè luxuriante partus Mulieris elicitur.*
21 *In recens enixis lac cum lochiis, & urina expurgatur.*

Mulierem peperiſſe, aut abortum feciſſe, ex quibus conjici poſſit?

QUÆSTIO IX.

QUemadmodum nonnullæ mulieres fingunt ſe peperiſſe, partus alienos ſibi ſupponentes, ſic aliæ, ut ſuam infamiam, & impudicitiam contegant, partum celerant, aut impio conatu abortum procurant. Eam ob cauſam dubitatur aliquando, an mulier pepererit, aut an abortum fecerit, necne. Itaque tripliciter dividenda hæc quæſtio eſt, nam vel quæritur, an pepererit, idque dupliciter, vel enim quæritur, an unquam pepererit, & mater fuerit facta; vel an pepererit de recenti. Pro prima parte quæſtionis ſciendum; quòd in procurato abortu, vel

1 fœtus erat tenerior, & recentior, ut qui non pertranſiret tertium menſem, aut ad ſummum quartum, vel erat major, & qui quartum pertranſiret, junioris abortus ſigna perquirere, inanis labor mihi videtur, cùm aliquando ita de facili contingat abortus in primis menſibus; ut difficiliorem ipſæ mulieres experiantur interdum menſtruorum purgationē: tamen poſſunt: & hic nonnullæ adhiberi præſum-

2 ptiones, & conjecturæ; nam vix poſſibile aut credibile eſt, in abortu, qui medicamentis validioribus, & ex arte procuretur, nihil ſuccedere, quod præter naturam ſit; præcipuè cùm talia omnia medicamēta calida magnâ ex parte ſint, & ſanguinem, corpuſque mulieris plurimùm exagitent. Conſequens ergo eſt, 3 ob eorum aſſumptione, aliquem dolorem præter conſuetum, vel calorem extraneum mulierem pati, præſertim verò in pudendis, inibique pondus quoddam perſentiſcere, & in regione renum inſuper dolere. Quinetiam conſentaneum eſt, febrem aliquam accendi, tum ob ipſorum medicamentorum violentiam, & inſignem caliditatem, tum ob agitationem, & validum motum in abortu excitatum. Revo- 4 candæ itidem in mentem ſunt aliæ conjecturæ, quæ mulierem fuiſſe prægnantem poterant demonſtrare; nam ſi mulier, exempli gratiâ, malè colorata præter ſolitum videbatur; vomitibuſque non conſuetis obnoxia, appetitu rerum extranearum ſollicitata, aliisque prægnātiæ notis non deſtituta, mox autem eam videris purgationes pati, atque illas quidē copioſas, & conſueto uberiores, ſanguinemque fluentem bene coloratum, ac diutius, quàm menſtruatim prodiens deberet perdurare, aliquo ventris dolore, & ponderis ſenſu, tunc ex his ſuſpicari licèt, talem cùm utero gereret, fœtum abortu abjeciſſe. Conſiderandus inſuper eſt ipſius mulieris ſtatus, nam ſi ob ſimplicem purgationem menſtruam, ſanguinis fluxum patiatur, à naturali ſtatu non mutatur, aut parum admodum, ſanguis ſuperfluat. At ſi ex

abortu 5

abortu id fit, & præcipuè ſi medicamentis validis fuerit procuratus, hoc eſſe non poterit ut plurimùm ſine aliqua virium labefactatione, & laſſitudine quadam, & moleſto ſenſu, & faciei pallore, & hujuſmodi.

6 Cum his etiam pectus conſiderandum, præcipuè grandiore exiſtente fœtu: nam mammæ in abortu lacte turgent, quod ubi menſtrua purgatio procedit minimè evenire ſolet; & hæc omnia facere, inquam, poſſunt aliquam conjecturam prægreſſi abortus non tamen tutam, aut certam per ſe; aliis tamē judiciis aſſociata nequaquam erunt contemnenda.

7 Cum autem fœtus grandior eſt, ut ſi pertranſeat quartum menſem, tunc ea omnia, quæ commemoravi, & majora, & multò magis conſpicua ſunt; & conjecturæ illæ, quæ ex medicamentorum, & ex prægreſſis prægnantiæ ſignis ſuprà recenſitæ ſunt multò magis urgebunt, præterquā quòd aliæ quoq; in hoc caſu adhiberi poſſunt; quas mox adducemus, de partus ſignis ſermonem habentes, & hæ poſteriores tanto magis afficient, quantò fœtus grandior & partui propinquior erit, tunc enim nihil diſtabit ab eo, qui tempore debito in lucem prodit, niſi fortaſſe magnitudine ſymptomatum, quæ ſemper in abortu, ut pote motu, & actione præter naturam, majora, & magis moleſta erunt.

8 Pro ſecunda parte hujus quæſtionis, in qua quæritur, an mulier unquam pepererit, vix quicquam eſt quod afferri poſſit, præter unum, aut alterum ſignum, idque eſt ventris rugoſitas, & ſcabrities, quæ tantò magis conſpicua apparet, quantò grandior,

9 & obeſior fuerit fœtus, quem mulier utero geſtaverit, & quantò plures etiam geſtaverit: ex fœtus enim craſſitie, & magnitudine venter magis magisque diſtenditur; ubi autem, fœtu in lucem edito, ſubſederit, maximè rugoſus ob eam cauſam evadit.

10 Advertendum tamen primò circa hoc, eſſe ex mulieribus, nobilibus præſertim, nonnullas, quæ & ingenio, & medicamentis id incommodi aut deformitatis evitent, convenientibuſque emplaſtris illico à partu ventri admotis, vel linimentis nonnullis adhibitis, aut in prægnantia ſubligaculis utentes adipſum ventrem ſuſtinendum, ne tantopere diſtendatur, & alia medicamenta in hunc uſum cōvocantes, ſic rugarum contractionem effugiunt, neque, ex ventris planitie ipſas non peperiſſe tutum eſt pronūciare, cùm eā non obſtante peperiſſe potuerint. Quanquam ſemper notabilis differentia erit in vētris lævitate ubi mulier non pepererit; quia non obſtante artis ſubſidiō & ingenij ſemper lævitas illa naturalis deperditur.

11 Advertendum ſecundò, quod aquacumque cauſa venter magnopere, & per longum tempus diſtenſum permaneat, ubi ſubſederit rugas quoque contrahet; & idcirco hoc ſignum poterit eſſe viris & virginibus commune, ſi hydrope, aut aliquo magno ventris tumore interdum laboraverint, ut rectè novit Pinæus *lib. 1. de notis Virgin. cap. ſeptimo*, itaque præſtat antè perquirere, an mulier ullo ex his morbis unquam laboraverit, ne ab hoc ſigno decipiamur.

12 Poteſt quoque præter hujuſmodi ſignum, deſumi aliqua præſumptio ex corporis conſtitutione, præſertim verò ex mammis, & pudendis; non enim dubium eſt in his quæ pepererint, mammas eſſe laxiores flaccidioreſque, earumque papillas coloro eſſe magis fuſco, quàm in virginibus, & iis quæ non pepererint, idque eâ ratione fit, quia ubi mulier utero geſtaverit, mammæ ſuo tempore lacte turgent, ac diſtenduntur; ubi verò lac ſicceſcat, illæ ſubſidentes, laxiores, ut dixi, & flaccidiores, quàm antea fuerint, evadunt, licèt & ad hoc ipſum remedia non ſine optato ſucceſſu excogitata ſint. Quanquam autem ex ſimplici menſtruorum retentione lac etiam generari poſſit, nunquam tamen in tanta copia generari poteſt, ut in prægnantia, & ex conſequenti mammæ non adeò diſtenduntur, maximè cum lac tunc temporis tenuius & aquoſius ſit, unde neque cùm ſubſidunt, ut in his quæ pepererunt, laxari eas contingit aut flaccеſcere. 13

Idem quoque evenit de pudendis, quia in partu pudendorum labra, & Nymphæ maximè protenduntur, ut dicemus, quinetiam maximè tument itaque ceſſante ex cauſa, partibuſque ſubſidentibus, flaccidiores & laxiores eas reddi neceſſe eſt; præterquam quòd, ob magnam dilatationem in partu factam, viæ ipſæ patentiores ſunt, hoc tamen non eſt neceſſarium ſemper ita eſſe, quia interdum uterus à partu ita anguſtatur, ut ex ejus anguſtia potiùs integritatis, quàm partus indicium deſumi poſſit; quin immò & id ab ipſis mulieribus medicamentis procuratur. Sunt etiam præterea quæ uterum à natura patentem & laxum habent, ita ut etiam virgines exiſtentes corruptæ ex hoc appareant; unde priores ob anguſtiam, & cohærentiam uteri (ſi huic tantummodò ſigno fidem habeas) incorruptas judicabis, cùm corruptæ ſint & pepererint, poſteriores contrà. 14

Quoad tertiam denique partem quæſtionis, in qua quæritur de ſignis mulieris recenter enixæ, dicendum, ea plura eſſe, & poſſe ſimul juncta quaſi concludenter probare, mulierem peperiſſe. Ante tamen admonēdum; quòd ea ſigna magis conſpicua ſunt decem prioribus diebus, aut circiter à partu, mox minùs conſpicua decem ſubſequētibus, & ſic, etiam multò minus conſpicua, ſuccedente tempore, uſque ad quadraginta. Poſt quem terminum vigent ea ſigna, quæ ſuperius commemoravimus, quorum primum non diu modò, ſed per totum vitæ curriculum perdurat, nimirum ventris rugoſitas; ſecundum hoc eſt, ventris aliarumque partium flacciditas quibuſdam permanet quidem, in aliis ſenſim obliteratur, ac denuò ipſæ partes ſolidiores evadūt, præſertim ſi optimâ ſanitate mulieres fruuntur. Sed ad alia ſigna devenientes, primùm ſcire decet, quod cuicunque notum eſt, in partu non modo fieri dilatationem ipſius oris uteri exeunte fœtu, ſed etiam venas omnes aperiri, ſanguinemque in eo conatu affluenter effundere. Itaque licet ſanguinis fluxus hic quolibet menſtruo ſpatio fiat, tamen differt alter ab altero, quod in hoc venæ majores, & in ſumma omnes; in menſtruali minores, & nonnullæ tantùm adaperiantur: in hoc maximè hiant; in menſtruali minùs in hoc majori quantitate, & diutius ſanguis effunditur: in menſtruali, quantitate minori, & minus durat. Secundò, vias uteri præter venas, præſertim collum, & partes, quæ facili negotio oculis examinari poſſunt, maximè diſtenſas fuiſſe neceſſe eſt. Tertiò, pudendæ partes œdematoſo quodam tumore extuberant, ut adnotat Pinæus, *lib. 1. de not. Virg. cap. 7.* Quinetiam pudendorum labra & nymphæ in tantum protenduntur, ut carunculæ illæ triangulares, Myrtoides dictæ, omnino obliterentur, neque per ſeptem ſequentes dies appareant, ac ſi nūquam extitiſſent, teſtante Riol. filio *in Anthropograph. lib. 2. cap. 32.* Pinæo, *ubi ſuprà*. Quartò, ex lacte in mammis collecto facilè cognoſci poteſt, mulierem peperiſſe, tunc enim maximè luxuriat, & ipſæ mammæ adeo turgent, ut interdum, & ut plurimum dolorem faciant, & quandoque indureſcant, & apoſtementur; quanquam & ad luxuriantem lactis 15 16 17 18 19 20

copiam, immò ad ipſius omnimodam extinctionem facilia mulieres medicamenta habent, & præſentanea.

12 Denique in recenter enixis lac ſincerum unà cum lochiis per uterum expurgari adnotatur, ut teſtes ſunt Holler. *comm. 7. Aphoriſ. 3. in Schol.* & Joubert. *lib. 4. Err. popul. cap. 11.* & Pinæus *ubi ſuprà*, qui etiam cum urina miſceri interdum ipſum lac fatetur: & quando hoc ſignum adeſſet, faceret omni procul dubio omnimodam probationem, aliis præſertim ſignis & conjecturis aſſociatum.

SUMMARIUM.

1 *Simulatur id, quod non eſt; diſſimulatur id, quod eſt.*
2 *Diſſimulent aliqui morbos ad quem finem.*
3 *Impotentia coëundi diſſimulata ex quibus deprehendatur.*
4 *Epilepſia diſſimulata quomodo detegatur.*
5 *Experimenta ad detegendam Epilepſiam.*
6 *Gallicus morbus, ſi diſſimuletur, quomodo deprehendi poſſit.*
7 *Valetudo diſſimulata ex quibus poſſit cognoſci.*
8 *Prægnantia diſſimulata quomodo cognoſcatur.*
9 *Mulierem utero gerere, univerſaliter loquendo, pro certo affirmari non poteſt.*

De morbos Diſſimulantibus.

QUÆSTIO X.

QVemadmodum nonnulli, de quibus hactenus verba fecimus; cùm nullum morbum patiãtur, ſe tamen aliquo ex commemoratis affectos fingunt,
1 & idcircò morbos ſimulare dicuntur: ſic alij permulti ſunt, qui cùm morbum aliquem patiantur, eum pro viribus celare ſtudent, atque hi diſſimulare morbos dicuntur: ſimulatur enim id quod non eſt, quaſi ſit, vel alio modo quàm ſit; diſſimulatur verò id quod eſt, quaſi non ſit vel alio modo quàm ſit, Cardan. *in Proxenet*, vel *de prudentia civili, cap.* 53. Unde illud Horatij *lib. 1. Epiſt.*

——*Occultam febrem ſub tempus edendi*
Diſſimules.

2 Ratio autem diſſimulandi multiplex eſt: Alij diſſimulant morbos quoſdam, quia detecti vel non poſſent contrahere matrimonium, vel certè cum magna difficultate, ut eſſet impotentia coëundi, contagioſus aliquis morbus, & maximè Gallicus. Alij alios diſſimulant, quia iis morbis affecti à dignitatibus Eccleſiaſticis, ab ingreſſu Religionis, à muneribus publicis abdicantur, ut eſſet exempli gratiâ, Melancholica inſania, Epilepſia, perpetua valetudo, Gallicus morbus, & alij. Quin etiam mulieres, quas minimè in utero habere decet, ſi conceperint, conceptum quantum poſſunt celant etiam ipſæ, & diſſimulant. Ergo neceſſarium videtur, etiam horum fraudem detegere, ac deprehendere: quanquam ut notiſſimum cuilibet eſt, ubi nulla ſuſpicio ſit, nullus eſt hujus doctrinæ uſus; ſed ubi aliqua ſuſpicio irrepſerit, hæc paucula, quæ ſequuntur, in ſingulis caſibus obſervanda veniunt.

3 Impotentiam coëundi demonſtrare facilè poſſunt plura ex ſequentibus ſignis ſimul concurrentia, de quibus etiam *titulo primo* abundè egimus: Sunt autem paucitas pilorum in barba, & conſuetis locis, & præſertim in pube: Teſtes vel nulli, vel exigui admodum, vel ſuum ſitum non ſervantes, tactu frigidi & pendulus cum ramice nervus, qui & ipſe exiguus fuerit, flaccidus, & emortuus, vel obtortus, vel aliquod aliud inſigne præ ſe ferens vitium. Ad hæc corporis habitus accedet vel inutili mole inſignis vel gracilitate notabilis, ac tenuis; ætas etiam ipſa, ſi declinans, aut præcipitata ſit, idipſum atteſtabitur, & alia, de quibus abundè *loco citato*.

Epilepticus ſi quis fuerit, & id diſſimulare velit, ſignis, & experimentis deprehendi facilè poterit. 4
Signa oculi erunt turbulenti, obſcuri, torvi intuitus, facies melancholica, dolor plumbeus, aut lividus, capitis mala compoſitio, & alia hujuſmodi. Experimẽta multa ſunt huic negotio dicata, & à Dioſcoride, Plinio, Apuleio, Æmilio Macro. Avicenna Raſi, & aliis tradita, Suffumigio ex cornu cervino, 5
aut ex lapide Gagate Epileptici illicò cadunt. Idem præſtant comeſta, & ſuffumigata jecinora Capræ, vel Hirci. Apium Epilepticum prodere nonnulli prænominatorum firmarunt: neque deſunt alia, ſed nobis hæc ſatis ſuperque ſunt. Si quis plura deſideret, adeat Iaſonem Pratenſem *de morb. capitis. cap.* 23. quod totum eſt de detegentibus Epilepſiam.

Qui Gallico Morbo aliquando affecti fuerint, ſi 6
adhuc ejus veſtigia remanſerint, his ſignis conſpicui erunt: aliquo nimirum capitis, ſeu junctvrarum dolore gravativo potiùs, quàm alterius cujuſpiam generis, de nocte magis, quam de die affligente, facie colore lutido, ac malo, depilatione tam capitis, quàm barbæ, & palpebrarum, aliorumque locorum, dentium nigrore, oris halitu fædo; ulceribus tibiarum vel aliarum quarumcunque partium difficilè ſanabilibus, naſi, & facici rubedine moleſta, raucedine perpetuâ, tumoribus, quos gummas, vel gummata vocant, ſtigmatibus in pudendis, aliiſve corporis partibus, quæ ulcera jam paſſæ aliàs fuerint gonorrhœâ, cicatricibus ex apertione bubonum, aliorumve apoſtematum relictis, membrorum impotentiâ, & his ſimilibus. Quòd ſi adhuc morbus vigeat, multò magis conſpicua hæc erunt, & ipſi bubones, aliique tumores adhuc apparebunt, puſtulæ univerſum corpus defœdabunt rubræ, & difficulter amovibiles; ſalſa diſtillatio nonnullos cum his exercet, quæ ad pectus divoluta, tabem excitat, & ut uno verbo plura dicam, vix, ſi eum perito Medico negotium ſit, is morbus diſſimulari poterit.

Cæterùm qui valetudinarij ſunt, aſpectu ipſo ſe 7
produnt: Quòd ſi hoc ſufficere non videtur, etiam alia conſideranda, venter contrectandus, num obſtructiones ſecũdum internas partes aliquas habeat, urina inſpicienda num tenuis, aquoſa, crudaque aſſiduè, & de mane præſertim reddatur. Adnotandum etiam an flatibus copioſis vexetur infeſtetur, an illi os oleat, & alia conſideranda, quæ non Medicis ſolùm, ſed cæteris etiam extra artem notiſſima ſunt, quibus facilè valetudinem deprehendamus.

Denique mulieris quæ prægnantiam diſſimulet, 8
in prioribus menſibus fraudem cognoſcere videtur omninò impoſſibile, etiam Silvaticus demonſtrabat *in lib. de his, qui morbum ſimulant, cap.* 18. Sed ſi jam quadrimeſtris, aut quinquemeſtri fœtu gravida extiterit, vel nolens tumefactione ventris, & motu fœtus ipſius in utero, præcipuè ſi validus ſit, ſeipſam manifeſtabit, quanquam enim generaliter loquendo, nunquam certo firmari poteſt, mulierem utero gere- 9
re, in particularibus tamẽ aliquando ex motu fœtus, & tumefactione ventris pro certo id firmari poteſt, atque tantò facilius, quanto major erit fœtus poſt quartum menſem. Poſt quem terminum, lac etiam in mammillis apparebit, & mammarum turgentia diſſimulationem detegeti; nam licet ex ſimplici mẽſtruorum retentione aliquando poſſit in mammillis lac coacervari, tamen præterquam quòd non tam frequenter, nec tam facilè ſuccedit, ut in prægnantia alia ſigna ad hoc collimabunt, quod in ſimplici menſtruorum retentione non eveniet.

LIBRI

LIBRI TERTIJ TITULUS TERTIUS.

DE PESTE ET CONTAGIO.

Continens Quæſtiones ſex.

I. Peſtis quid ſit, idem Epidemia, & quæ ſit inter eas differentia.
II. Quas conditiones habere oporteat morbum Epidemicum, ut Peſtis dicatur, & ad hoc, ut peſtis privilegiis locus detur.
III. De ſignis futuræ, aut præſentis peſtis.
IV. De cura præſervativa à Peſte.
V. Quid ſit contagium, quid & quotuplex contagioſus morbus.
VI. Juriſconſultorum aſſertiones nonnullæ circa contagium, & contagioſos morbos, quibus in caſibus locum habeant.

SUMMARIUM.

1 *Peſtis occaſione quamplurima à conſueto judicandi ſtylo deviant.*
2 *Peſtis tempore unus teſtis ſufficit, ubi aliàs duo requirantur.*
3 *Fœmina poteſt eſſe teſtis tempore peſtis.*
4 *Notarius non matriculatus tempore peſtis eſt idoneus, ubi matriculatus ex ſtatuto requiratur.*
5 *Peſtis operatur, quòd valeat contractus Mulieris ſine proximorum præſentia celebratus.*
6 *Peſtis eſt juſtiſſima cauſa abſentiæ.*
7 *Ex peſtis probatione probatur non tutus acceſſus ad locum in quo viget.*
8 *Ad peſtilentem locum accedens, dicitur tentare Deum.*
9 *Peſtis excuſat à reſidentia.*
10 *Peſtis à multis aliis excuſat.*
11 *Tempore peſtis nonnulla ſacra res prater canonum decreta adminiſtrari permittuntur.*
12 *Laicus tempore peſtis poteſt audire confeſſionem: falſum.*
13 *Peſtis ut plurimùm contagioſa.*
14 *Ob morbum contagioſum dirimi poteſt matrimonium initiatum, ſeu ratum, non conſummatum.*
15 *Sponſalia dirimi poſſunt contagioſi morbi adventu.*
16 *Lepra infecti à Magiſtratibus expelli poſſunt ex civitate, & loco.*
18 *Contagioſa infirmitas præbet juſtam cauſam Monialibus recedendi à monaſterio, niſi radix ejiciatur.*
18 *Peſtis nomen generale eſt ad multa mala.*
19 *Peſtis non eſt una ſpecies morbi.*
20 *Peſtis atrociſſimus morbus eſt, & omnes alios atrocitate exuperans.*
21 *Peſtis unde dicta.*
22 *Peſtis eſt bellum DEI, cui humanæ vires nequeunt reſiſtere.*
23 *Peſtis quid ex Ripa: rejicitur num. ſeq.*
25 *Morborum aliqui ſunt particulares, alij univerſales.*
26 *Sporades morbi qui.*
27 *Endemij morbi, aut patrij.*
28 *Morbi populares.*
29 *Peſtilentes morbi.*
30 *Epidemij morbi propriè qui ſunt.*
31 *Peſtis propriè quid.*
32 *Omnis peſtis epidemia eſt, non è contrà.*
33 *Epidemia eſt genus generaliſſimum.*
34 *Epidemia eſt genus, peſtis eſt epidemiæ ſpecies.*
35 *Species aliquando nomine generis inſignitur.*
36 *In epidemia vagatur certum quoddam morbi genus.*
37 *In peſte qui morbi fiant.*
38 *In epidemia aër eſt maximè alteratus ſecundum primas qualitates.*

Peſtis quid ſit, quid item Epidemia, & quæ ſit inter eas differentia.

QUÆSTIO I.

LIcèt de *Peſte* Juriſconſulti rarò quidem, ob ejus raritatem, verba fecerint, ut notat Prævidell. *de peſt. in princ.* tamen non defuerunt, qui ob ejus argumenti utilitatem, & neceſſitatem, de ea integros tractatus congeſſerint, ut *Ripa*, & prænominatus *Prævidellus*; ſed & *Petrus Follerius* libellum de eadem materia edidit, in quo breviter multa neceſſaria tetigit. Quamplurima enim dubia peſtis cauſa occurrunt, quæ ad ipſos *Juriſconſultos* decidere ſpectat, præterquam quòd eorum præcipuè munus eſt, vigente peſte, loca & civitates inſtruere, atque ordinare, & multa in utilitatem populorum præcipere, quæ abſque horum notitia præſtare non poſſunt.

Juriſconſulti ergo quamplurima, quæ ad eorum artem, atque ſcientiam pertinebant, doctè quidem ut mihi videtur, & luculenter pertractarunt; multa quoque, immo plura, quæ ad Medicam facultatem ſpectabant, tetigerunt; nonnulla tamen vel ab ipſis præterita, vel magis parcè, ac jejunè, quàm oporteat, pertractata, noſtrâ operâ abſque dubio indigent; non enim tot difficultates, quæ circa hanc materiam occurrunt, abſque perfecta, & exquiſita cognitione Medicâ decidi poſſunt. Sed breviter, antequam ulteriùs progrediamur, ut hujus argumenti utilitas, & neceſſitas, quam dixi, ipſis *Juriſconſultis* eluceſcat, nonnulla recenſebo, quorum cauſa illos eorum, quæ dicturi ſumus, plenam notitiam habere oporteat.

Noverunt illi, Peſtis occaſione quamplurima à conſueto judicandi, & juſtitiâ miniſtrandi ſtylo deviare. 1
Quædam enim à Legibus aliàs denegata, tunc temporis permittuntur; quædam autem aliàs per ipſas permiſſa denegantur: ac ut uno verbo dicam, plura ac magna ſunt peſtis privilegia, nam eâ vigente unus teſtis ſufficit, ubi duo ex ſtatuto requirantur. Bertachin. *De Gabell. & veſtig. part. 2. num. 50.* Quin etiam fœmina, cùm aliàs non ſit habilis, tunc in teſtem admittitur in teſtamento. Ripa *in tractat. de peſt. part. 1. num. 8.* Maſcard. *concl. 763. num. 13.* Notarium etiam non matriculatum dicunt eſſe idoneum, ubi aliàs Statutum matriculatum requireret. Bertachin. *ibid.* & adducti per Prævidell. *de peſt. part. 1. partic. 9. num. 14.* licet ipſe contrarium credat verius. Item 5
Peſtis operatur, quòd contractus Mulieris ſine ſolemnitatibus, & præſentia proximiorum, & aliorum 6
celebratus, validus ſit. Cardin. Tuſcus *pract. concluſ. Juriſ. concluſ. 326. Litt. P. verb. Peſtis.* Eſt etiam Peſtis juſtiſſima cauſa abſentiæ. Pariſ. *lib. 5. de Reſignat. Benef. quæſt. 3. n. 251.* & ex peſtis probatione probatus remanet non tutus acceſſus ad locum, in quo viget. 7
Maſcard. *de probat. concluſ. 20. num. 1. volum. 1.* immò 8
adeò

adeò juſtam abſentiæ cauſam *Iuriſconſulti* dixerunt eſſe ipſam peſtem, ut accedentem ad locum peſti-
9 lentem; vel in eo commorantem, dicant tentare Deum. Ripa, *ubi ſuprà*. Maſcard. *ibid. num.* 3. Prævidell. *ubi ſupra. part.* 2. *part.* 4. *num.* 4. & eam ob rem licitum, permiſſumque eſſe fugere à civitate peſtilentia opreſſa, demonſtrat pluribus exemplis ex noſtris Untzer. *lib.* 1. *Antid peſt. diſt.* 3. *med.* 2. & id. circo Peſtis excuſat à reſidentia. Ripa *ibid. part.* 1.
10 *num.* 136. quod ampliatur etiam ob ſimplicem Aeris intemperiem. Prævidell. *ibid. part.* 3. *partic.* 14. *num.* 3. Excuſat inſuper, Peſtis ab appellatione, à mora, à contumacia, à perjurio, à ſolutione datiorum, & gabellarum, à pœna; & ab aliis multis, ut per Ripam *ubi ſuprà*, & per Maſcard. *ibid.*

11 Quinetiam (vide quanta rerum mutatio fiat tempore peſtis) ipſæ ſacræ res, & actiones. apud *Romanos* præter Iuris, & Canonum illorum decreta adminiſtrari permittuntur: tunc enim Laicus poteſt audire confeſſionem ejus, qui peſte laborat:) credo, ubi Sacerdotis copia præſtò non ſit, quia periculum eſt in mora (& poteſt ſimiliter abſolvere excommunicatum in articulo mortis poſitum ſecundùm adducta per Ripam, *ubi aliàs partic.* 3. *part.* 2. *num.* 46. *& ſeqq.* quæ reſtringenda, & declaranda, ut ibi per eum: nam hæc ſimpliciter vera nõ ſunt. Denique ex Peſte decedes non amittit pecunias in ſocietatem datas, ut ex ipſo contractu manifeſtiſſimè apparet, ubi etiam de Epidemia mentio habetur, quaſi eodem privilegio gaviſura ſit, quo peſtis, ſed de hac re inferius diſſerendum.

12 alia inſuper quàm multa ſunt Peſtis Privilegia, quæ qui ſcire cupit, eundem Ripam conſulat, copioliſſimè de iis differentem, *ubi ſuprà*, & Prævidell. *tract. eodem.*

13 Quoniam verò Peſtis ut plurimùm contagioſa eſt, ob argumenti contiguitatem, de contagio morbiſq, contagioſis hîc unâ pertractare decrevi: nam de hac quoque re agere neceſſarium mihi videtur, ob multa, quæ ipſis Juriſcõſultis circa tam dubia occurrũt Diſputant enim, an ob *contagioſum morbum dirimi poſſit matrimonium*, deciduntque affirmativè, dummodo non ſit conſummatum, ſed tantùm initiatum
14 Alciat. *in rubr. ff ſolut. matrim. num.* 16. Quanquam contrarium ſentit Sannazar, *de ſponſ. & matrim. cap.* 5.
5 *artic.* 60. *num.* 96. Sponſalia tamen dirimere contagioſi morbi adventum, etiamſi juramento firmata ſint tenet Sanchez. *de Matrimon. diſputat.* 57. *num.* 2. quod etiam antè firmavit. Ioann. Andr. *de ſponſ. numero* 4. & in terminis lepræ Sannazar, *ubi ſuprà, cap.* 2. *art.* 4. *num.* 33. Multa quoque diſputant Iuriſ.
16 conſulti de *Lepra*, quæ locum habere videntur in aliis contagioſis morbis, ut quòd Leprâ infecti à Magiſtatibus expelli debeant ex civitate, & loco: *cap.* 1. *de conjug. leproſ. & ibi gloſſ.* Ripa *loco ſæpè citato, part.* 3. *partic.* 1. *num.* 152. Prævidell. *ibid. part.* 1. §. 3. *numero* 1. & 3. & ex Medicis. Lemn. *lib.* 2. *de occult Nat. mirac. cap. ult. in fine.* & ampliat Ripa, procedere ut dixi, in omnibus morbis contagioſis: & notat idem ex noſtris vir doctiſſimus Roderic. à Caſtro, *de Meteor. Microc. lib.* 3. *cap.* 5. quod etiam apud alias gentes de more fuiſſe, notum eſt, ut apud He-
17 bræos, ſicuti patet in ſacris, *Levit. cap.* 13. & apud Perſas, teſte Herodoto, *libro* 1. Congioſam quoque infirmitatem dicunt *Iuriſconſulti* (immò conſtitutionibus Pontificiis ſtatuitur) præbere juſtam cauſam, quòd Moniales poſſint relinquere monaſterium ſi ex illa abſque dubio poſitæ in periculo ſint, niſi radix ejiciatur, Roderic. *quæſt. Canonic. Tom.* 1. *q.* 49. *art.* 4. *verſ. ex dictis clarè ſequitur. & art. ſeq. ibid. verſ. Tertiò inſertur.* Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *part.* 3. *numero.* 24. Et noviſſimè Sebaſtian. de Sot. *in libell. de infirmit. ob quas Montal. exire poſſ. à clauſ. propoſit.* 2. *& ſeqq.* Ut ergò hæc undequaque Iuriſperitis innoteſcãt, nõnulla ſunt à nobis pertractanda, & idcircò hac occaſione ſumptâ, de contagio, morbiſque contagioſis verba faciemus, antè tamen de Peſte loquamur, & videamus quid illa ſit, & quid ſit Epidemiâ, cui ita congener eſt, ut una nomine 18
alterius interdum appelletur. De nomine ergò ali- 19
quid afferamus, priuſquam ulteriùs progrediamur. *Peſtis* nomen generale eſt ad multa mala, neque enim peſtis una certa quædam ſpecies morbi eſt. Gal. *in tertium Epid. comm.* 3. Andr. Gall. *de Peſt. Faſcic.* 4. Liddel. Scot. *lib.* 3. *cap.* 1. Hucher. *de Febr. lib.* 4. *cap.* 2. & ex Canoniſtis Roderic. *quæſt. Canonic. & Regul. Tom.* 1. *quæſt.* 49. *art.* 4. *verſ. Porrò hoc nomen.* ſed genus quoddam, comprendens ſub ſe plures morbos Foreſt. *lib.* 6. *Obſervat.* 9. Quoniam autem 20
Peſtis attrociſſimus morbus eſt, & omnes alios morbos atrocitate exuperat, ut ex Juriſconſultis quoque teſtantur Ripa *de Peſt, part.* 1. *num.* 5. *& partic.* 1. *ult. part. num.* 1. Maſcard. *concluſ.* 20. *num.* 4. *Tom.* 1. Pariſ. *de reſign. at. Benef. lib.* 12. *queſt.* 6. *num* 14. & ex noſtris Gal. *in* 1. *Epidem. comm.* 7. *in principio* Paul. Ægin. *lib.* 2. *cap.* 36. Alexand. Bened. *de febr. peſt. in præfat.* Fumanell. *de peſt. cap.* 1. Hucher. *de febr. libro* 4. *cap.* 2. Foreſt. *ubi ſuprà*, unde rectè Langius *lib.* 1. *Epiſtol.* 18. majorum morborum maximum peſtem appellat: idcirco cùm quid maximè noxium, ac pernecabile nominare volumus, quaſi per Antonomaſiam Peſtis nomine illud ſolemus inſignire. Inde Homerus *Iliad.* 1.

Iram cane Dea Pelidæ Achillis
Peſtiferam.

& Virgilius 4. *Æneid.* Amorem, quantopere detinebatur Dido, peſtem appellavit, dicens:

Quam ſimul ac tali perſenſit peſte teneri
Cara Iovis conjux.

Quinetiam ipſos malos homines, tanquam res maximè noxias, peſtes, appellamus. Plaut. *in Pſeud. act.* 1. *ſcen.* 2. de lenone Ballione loquens:

——*Quin omnes unà peſte hac populum hunc liberant?*

Virg. *Æneid. lib.* 3. de Polyphemo:

——*Dij talem avertite peſtem!*

Quod etiam à noſtris, Poëtis factitatum eſt. Torquatus Taſſus *in ſua Hier.* introducens Armidam ſe occidere volentem, *Cant. ult. ſtanz.* 126.

Felice me ſe nel morir non reco
Queſtamia peſte ad infettar l'inferno.

Dicitur autem *Peſtis* à deſpaſcendo, quia ſeu fera 21
quædam venenoſa non paucos aliquot miſerè perdat, verùm totas civitates depaſcatur, ut Galen. *de Ther. ad Pſon.* dicebat, & Guainer. *de peſt. differ.* 1. *c.* 1. *in princ.*

Quid autem ſit propriè *Peſtis*, in ſuo germano ſignificato ſumpta, diverſimodè docuerunt DD. *Ripa* ex Juriſconſultis duas attulit definitiones, 2
quarum neutra undequaque ſatisfacit. Prima eſt, quòd Peſtis ſit bellum Dei, cui humanæ vires nequeunt reſiſtere. De hac non eſt, quòd aliquid dicamus, cùm de rei natura nihil contineat, præterquam quòd hoc bellum non in peſte ſolùm conſiſtit, ſed aliquando in aliis calamitatibus. *Alia eſt.* 23
Peſtis eſt morbus contagioſus, à nutrimentorum, 24
vel aëris infectione procedens: & hæc quidem non eſt perfecta, quia non convenit uni, ſoli, & ſemper; cùm Scabies, Lepra, Phtiſis ſint morbi & ipſi contagioſi, & à nutrimentorum, & aëris etiam

quandoque

quandoque infectione procedant, nullus tamen eorum morborum peſtis ſit. Cùm ergo hæc Juris conſultorum definitio non ſatisfaciat, à Medicis alia
25 expetenda eſt: quæ ut magis magiſque ſit accepta, ſciendum eſt *primò*, quòd morborum aliqui particulares ſunt, & privati, qui ſporades dicuntur, alii univerſales: illi omni tempore prehendunt, neque unam magis, quàm aliam perſonam, neque magis huic loco, quàm illi familiares, ſed diſperſim evagantur, idcircò ſporades dicti, ſuntque tandè morbi diverſi generis, & qui minimè ſub uno quodam certo genere comprehendi poſſunt, niſi eos in hoc
26 convenire dicas, quòd nullum ordinem ſervent, ut diximus; habent enim particulares cauſas à particularibus naturis: quemadmodum poſteriores, qui cauſam habent univerſalem, ſunt & ipſi univerſales, & habentes unam naturam, aut in aliqua re invicem convenientes, plures eodem tempore invadunt, & hi dividuntur in duas ſpecies, prout magis, aut minùs univerſales ſunt, cùm quidam ſint alicujus loci ac civitatis proprii, & familiares, hoc aut illo tempore invadentes, ex locorum, aut civitatum naturali intemperie, & ſitu, aut alia quadam ex cauſa omnibus habitantibus communi, ut ex aquarum inſalubritate, ex ratione victus, & hujuſmodi, quemadmodum Gallicus morbus Indiarum accolis, Ophthalmiæ, ſive oculorum imflammationes Ægyptiis; ſtultitia & fatuitas populis Vallis-Tellinæ, Romanis
27 Hemicitæus, & melancholia Hypochondriaca di-
28 cta, & aliis alii, vocanturque hi ob eam cauſam Endemii, hoc eſt Patrii, & vernaculi. Alii deinceps populares ſunt, non habentes certam naturam, & affligendi modum, ſed originem trahentes ab univerſaliori cauſa, & communi, nempe ab aëre, & hi aliquando unam civitatem, interdum plures, aliquando etiam univerſam, aliquam totius Orbis terrarum partem, ut Europam, aut Aſiam, quinetiam
29 & totum ipſum orbem interdum obſident & infe-
30 ſtant: Et hi quoque in duplici ſunt differentia: nam aut habent à communi illa cauſa naturam quandam deleteriam, & venenoſam, idcirco tunc peſtilentes dicuntur, aut eâ venenoſa natura carent, & mitiores ſunt, ac tunc nomine generis inſigniuntur vocanturque Epidemii, & populares. Hæc autem, omnia apud auctores noſtros quilibet videre poteſt, in tractatibus de peſte, aut peſtilenti febre, apud Juriſconſultos autem videre licet Ripam *eo-*
31 *dem tract.* & præ cæteris Roderic. *Quæſt. Canonic. & Regul. quæſt.* 49. *articul.* 4. *tom.* 2. His hic præfatis, Peſtem ita definire licet: Peſtis *eſt morbus Epidemicus, aut popularis, pluribus & ſecundùm plurimum perniciоſus, & ſi libet, addere potes, ex communi cauſa originem ducens*, licet per verbum illud Epidemicus, aut popularis, id ipſum manifeſtiſſimè inſinuetur, ut ex ſuperioribus patet. Deſiderant tamen alii DD. ut huic definitioni addatur, quòd Peſtis ſit *morbus contagioſus*, ut ex Juriſconſultis fecit Ripa, *ubi ſuprà*, & Follerius, *in tract. ad Inſtruct. Urban. in præfat. in fin.* & ex noſtris plurimi infrà citandi. Alii volunt addi, quòd ſit *morbus cum febre*; ſed quia de utraque re inter Medicos dubitatur, idcircò eâ definitione, quæ mihi integrè rei naturam explicare videtur, pro nunc contenti erimus. Quotieſcunque enim vagetur per populum morbus aliquis, qui plurimos ægrorum ſuâ venenoſitate, & malignitate perimat, habens originem à cauſa univerſali, nempe maximè ab Aëris impuritate, tunc peſtem eſſe talem morbum, manifeſtiſſimum eſt, & nullo modo controverſum.

Ex his manifeſtum eſt, *omnem peſtem* eſſe quidem
32 Epidemiam, non tamen è converſo, *omnem Epidemiam* eſſe peſtem; eſt enim Epidemia genus generaliſſimum (ut Septal. docet *lib.* 1. *de peſt. cap.* 3.) eo- 33
rum morborum qui cauſam habent univerſalem, comprehendens ſub ſe duo genera ſubalterna morborum videlicet populares, & peſtilentes. Idcirco Epidemia, cùm eſt nomen generis ſubalterni, dicitur eſſe morbus communis, à communi cauſa originem habens, ut plurimùm ſalutaris; non enim requiritur in morbo populari, qui Epidemia vocandus ſit, ut perniciоſus & malignus exiſtat; nam & benigniſſimi quidam vagantur morbi populares, quales ſunt Raucedines, & Gravedines, quæ hoc tempore plures Italiæ Urbes moleſtarunt, & adhuc anno præſenti 1627. moleſtant. Ergo morbi aliqui communes dantur, qui peſtilentes nequaquam ſunt, ut noſtri Medici docent. Guainer. *de peſt. diff.* 1. *cap.* & ex Canoniſtis Roderic. *quæſt. Canonic. Tom.* 1. *quæſtion.* 49. *articul.* 4. *verſ. Ex his ſequitur.* Ex quibus patet, malè inter Juriſconſultos à Tiraquell. *de leg. Connubial. lib.* 1. *par.* 15. *numer.* 47. Peſtem à Medicis vocari Epidemiam, abſolutè aſſertum eſſe, & ex noſtris etiam erraſſe nonnullos, qui Epidemiam, & Peſtilentiam confundunt, & attributa unius faciunt alterius, ut Savonarol. *de febr. cap.* 9. *rubr.* 1. qui idcirco omnem Epidemiam dicit eſſe peſtilentiam, non verò omnem peſtilentiam eſſe Epidemiam, & adducit ad id iuſuliam quandam hujus vocis Epidemiæ deductionem, cùm contrarium omnino ſit verum, quia, ut dixi, Epidemia ſe habet tanquam genus, peſtilentia, ſeu peſtis, tanquam ſpecies, quod manifeſtiſſimis verbis docuit Gal. *in* 1. *de morb. Vulg. in Præm.* dicens: *Peſtis eſt ex genere Epidemiorum, ab Epidemiis ſolâ pernicie differens*, & ex ipſo id ipſum teſtantur Guainer. *ubi ſuprà.* Altimar. *de febr. cap.* 3. *part.* 4. & Maſſaria *Pract. lib.* 5. *cap.* 24. Cæterum Ariſtotelem erroris notat Roderic. *Quæſt. Canon. quæſt.* 89. *art.* 4. quod de Peſte malè locutus ſit, cùm voluerit peſtem ſolam ex omnibus morbis eſſe pluribus communē: nam hoc modo *Ariſt.* videtur confundere peſtem, & Epidemiam; id tamen feciſſe dicendus eſt ſecundùm vulgi conſuetudinem, qui etiam morbos non perniciоſos, dummodo communiter vagentur, vocat peſtem. Malè tamen reprehendit idem Roderic. *ibid. verſic. liquet etiam*, nonnullos Medicos, qui febres quaſdam mali moris, ac perniciоſiſſimas, etiamſi non ſint populares, vocant peſtilentes; quia
35 ut aliàs ex Gal. dicam, quod fortè fugit ipſum Rodericum, datur peſtilens febris abſque Peſte; nempe datur febris perniciоſa, & omnes conditiones habens peſtis, abſque eo quod per populum vagetur; quas febres rectè Medici vocant peſtilentes quod peſtilentium Charactere, quoad perniciem, donentur.

Verum enim verò aliquando ſunt, qui ſpeciē nomine generis inſignire ſolent, & hoc pacto nonnulli Medici vocant Peſtem nomine Epidemiæ, ſed abuſive, & impropriè. Concil. *diff.* 94. Quod etiam manifeſtius ſit ex ratione, quia morbi ſimpliciter Epidemici à peſtilentialibus propriè dictis maximoperè differunt, ſecundùm convenientiam, & naturam eorum morborum.

In *Epidemia* enim vagatur determinatum quod-
36 dam morbi genus in omnibus, vel in pluribus, ut de gravedine, raucedine, & ſpiritualium partium affectibus ſuperiùs dixi, qui nunc evagantur, & non multis etiam abhinc annis præcipuè Neapolitanis moleſti fuerunt, cum tonſillarum, fauciumque inflammatione, & qualis etiam fuit non abſimilis morbus abhinc quadraginta annis vel ſupra, magnam ac potiorem orbis terrarum partem obſidens, à noſtris *il Caſtrone* appellatus. At in *peſte* propriiſſimè accepta ſiunt ægritudines diverſorum generum,

quæ

quæ omnes in hoc conveniunt, quod ſociam habeant pravam, deleteriam, ſeu venenoſam qualitatem ab aëre ipſis communicatam, ex cujus pernicie plurimi ægrotantium proſternuntur. Quâ non videntur caruiſſe faucium inflammationes, quas ſuperioribus annis Neapolitanis fuiſſe maximè infeſtas antea dixi: Hoc eo modo evenire non eſt inconveniens, quia in Epidemia ſimplici aër eſt ſecundùm primas qualitates ſolummodò alteratur, licet inſigniter interdum; ſed non concepit cum hoc ullam corruptionem, aut ſi quam concepit, modica eſt, & remota à primo illo, & ſupremo gradu qualem concepit in peſte, in qua eò aſcendit aëris corruptio, ut venenoſitatem acquiſierit, & vitæ noſtræ, non ſecùs ac exitialiſſima venena, inimiciſſimus evaſerit: ex quo fit, ut facillimè quivis ſupradveniens morbus veneni illius naturam ſapiat, & repræſentet; unde & ipſi morbi aliàs de ſua natura mitiſſimi, tunc temporis ob adjunctam illam pravitatem omnino exitiales evadunt: ex quo fit, ut pauci eorum, qui tunc ex quovis morbo ægrotant, peſtiferâ lue non contaminenter. Sed hæc quoad nomina, & differentias inter Epidemiam, & Peſtem, ſatis ſint.

37

38

SUMMARIUM.

1 *Non omnis Epidemia eſt peſtis.*
2 *Peſtis privilegia non omnia locũ habent in Epidemia.*
3 *Privilegia quædam ad quem finem conceſſa in peſte.*
4 *Ut privilegia peſtis ſuum locum, & effectum habeant, peſtis debet eſſe gravis, non levis, & num. 56.*
5 *Peſtis poteſt eſſe particularis.*
6 *Ut peſtis privilegia ſuum locum habeant, peſtis debet habere cauſam univerſalem.*
7 *Peſtis propriè dicta ab aëre.*
8 *Peſtis ex Cloacarum immunditie excitari poteſt.*
9 *Peſtis ut ſuis privilegiis gaudeat, debet eſſe contagioſa.*
10 *Contagium quid.*
11 *Contagium triplex.*
12 *Contagium bifariam diviſum, & num. ſeq.*
14 *Contagium an de neceſſitate ſit adjunctum peſti.*
15 *Peſte infectus poteſt expelli ex civitate.*
16 *Peſtilens morbus, ex Ariſtotele, unus ex omnibus afficit eos, qui ad laborantes eo morbo accedunt.*
17 *Peſtilens, putridum, & contagioſum convertuntur. contr. num. 24.*
18 *Peſtis nulla magis præcipua cauſa quàm contagium.*
19 *Peſtis particularis aliquando ſit univerſalis.*
20 *Contagii Peſtilentis mira vis.*
21 *Peſtis eſſe poteſt ſine contagio.*
22 *Qui primi peſte inficiuntur abſque contagio agrotant.*
23 *Reſpondetur ad auctoritates in contrarium.*
25 *Omne peſtilens eſt pernicioſum; non verò contrà.*
26 *Scabies tempore peſtis ſalutaris.*
27 *Contagium an neceſſariò requiratur, ubi peſtis privilegia ſuum locum habere debeant.*
28 *Ceſſante fine, ad quem privilegia ſunt conceſſa, ceſſant & ipſa.*
29 *Vera peſtis an de neceſſario febrem adjunctam habeat.*
30 *Peſtis non datur abſque febri, contrarium, num. ſeq.*
32 *In peſte non ſemper cor eſt primum patiens.*
33 *Non omnia venena cor primò adoriuntur, ſed aliam ante quandam partem.*
34 *Febris non ſit abſque affectione cordis; peſtis verò maximè.*
35 *Peſtis ſi ſit abſque febri, an gaudeat privilegiis.*
37 *Inter graves peſtes una eſt major altera.*
38 *Ratione cauſa quomodo una peſtis ſit gravior aliâ.*
39 *Peſtis magis periculoſa ea eſt, quæ vitio aëris ſit.*
40 *Ratione multitudinis locorũ, quæ perficiuntur, una peſtis eſt gravior aliâ.*
41 *Loca quædam, & Civitates facillimè peſtem ſentiunt, alia difficillimè, numero ſequent.*
43 *Ratione durationis una peſtis eſt gravior aliâ.*
44 *Peſtis non excedit tres menſes, ex Plinio.*
45 *Nõ poteſt certus terminus durationis peſtis præſcribi.*
46 *Tot ſunt modi peſtis, quot tempora.*
47 *Ratione indifferentia ſpecierum, quæ peſte afficiuntur, quomodo magis, aut minùs gravis ea ſit.*
48 *Peſtis interdum noniſi certum genus, aut certam animalium ſpeciem invadit.*
49 *Piſces minime peſtem ſentiunt contrarium num. ſeq.*
51 *Canes, & Muli omnium facillimè peſte inficiuntur.*
52 *Individua quædam certa unius ſpeciei, magis aut minus peſte corripiuntur.*
53 *Peſti qui magis obnoxij.*
54 *Ratione indifferentia temporum, quibus peſtis vagari ſolet, quomodo magis, aut minùs gravis cenſenda.*
55 *Peſtis quo plura individua interimit, eò gravior abſque dubio dicenda.*
56 *Peſtis eſt multò gravior ferro.*
57 *Peſtis graviſſima qua.*
58 *Peſtis quadam graviſſimæ & exitioſiſſimæ.*

Quas conditiones habere oporteat morbum Epidemicum, ut Peſtis dicatur, & ad hoc, ut peſtis privilegiis locus detur.

QVÆSTIO II.

CUm pateat ex ſuperioribus, & quid interſit inter, *Peſtem*, & *Epidemiam*, & quòd non omnis Epidemia ſit Peſtis nomine inſignienda, ſequitur inde, privilegia, quæ tempore peſtis locum habent, non habere debere locum tempore Epidemiæ, ſaltem non omnia, nec omni tempore, nec in omni Epidemia: Iure merito ergò decernendum eſt, quænam conditiones concurrere debeant in Epidemia ut peſtis nomen mereatur, & ex conſequenti prædicta privilegia, eâ graſſante, locum habeant. Itaque videndum, qualis fuerit legiſlatorum, ſeu quorumcunque Magiſtratuum, & de Iure diſponentium finis, ex quo moti ſint ad ea privilegia tunc temporis concedenda; dicendumque non unicum fuiſſe in omnibus: unum tamen principalem in pluribus, nempe ut cuicunque ſuæ ſaluti conſulere liceret, & evitare evidens, atque imminens vitæ periculum ut in iis privilegis præcipuè apparet, quæ in perſonarum excuſationem tendunt, ſicuti quòd peſtis excuſet à *Mora*, à *Contumacia*, à *Reſidentia*, & ab aliis hujuſmodi. In aliis autem, in quibus inſufficientia, aut etiam defectus perſonarum in numero ſuppletur, ut quòd *mulier poſſit eſſe teſtis*, in quibuſdam caſibus aliàs non permiſſis; quod *Notarius non matriculatus* ſit ſufficiens ad condendum teſtamentum; etiamſi ex ſtatuto matriculatus requiratur; quòd contractus ob omiſſionem ſolemnitatum nullus, validus tunc temporis efficiatur, quòd unus Teſtis ſufficiat, ubi duo ex ſtatuto requirantur: in his inquam omnibus, & aliis his non diſſimilibus, reſpicitur primò, perſonarum diminutio in numero, occaſione peſtis, quia plures vel jam mortuæ ſunt, vel infirmæ, vel à civitate, & loco, ob peſtis timorem, abſentes; indirectè verò intenditur eadam ſalus individuorum. Ut tamen hæc privilegia ſuum effectum habeant, non ſatis eſt, ut ſimplex Epidemia, vel levis quædam contagio graſſetur, ſed debet propriè *Epidemia eſſe peſtilentialis, & notabilis*, ut prudenter admonet Ripa, *citato tractat. de peſt. part. 2. partic. 2. numer. 11.* atque eâ de cauſa crediderim non ſufficere, ut dans pecunias in ſocietatem ſub periculo propriæ vitæ, excipiens tamen mortem ex peſte, & Epidemia, ut hujuſmodi contractibus fieri ſolet; eas non amittat, ſi ex quacunque Epidemia moriatur;

1 2 3 4

quia

quia cùm caſus excepti idcirco excipi permittantur, quia periculum mortis nimis certum eſt, & evidens. vt dixi *lib.* 1. *tit.* 4. *quæſt* 1. *numero* 12. patet periculi certitudinem majorem eſſe in peſte, quam in Epidemia, quia in hac rarò, aut nunquam adjuncta eſt pernicies, ut ſuperius dixi, licèt non ob hoc impoſſibile ſit etiam ex levi Epidemia aliquos de medio tolli, ſed ob id videtur exceptioni in Epidemia debere eſſe locum, quia ut plurimùm, contra quam peſtis ſit, abſque pernicie, & periculo eſt.

[Videatur de huiuſmodi controverſiis inter alios maximè *Philibertus Marchinus* Florentiæ in folio 1633. excuſus, qui fuſiùs agit de mora & reſidentia Theol. & Medicorum, conductorum & non conductorum, de Teſtamentis &c.]

5 Quoniam ergo peſtis poteſt etiam invadere aliquos particulares, ut domos ſolùm aliquas, & ſic non habere cauſam univerſalem, Guainerius *de peſt. diff.* 1. *cap.* 1. Herculan. *de febr. tract.* 4. *cap.* 1. Andr. Gail. *de peſt. faſcic.* 4. nam id ſibi voluit Galen. cùm *comm.* 3. *in tertium Epidem. part.* 57. dixit, dari *peſtilentes febres ſine peſte*, nempe poſſe dari peſtilentem febrem, quæ à cauſa particulari emanans particularem aliquam perſonam, aut domum invadat, ſed non ob id ſit peſtis, quia defecit ab ea conditione, quòd non habeat cauſam univerſalem, cùm tamen in cæteris cum peſte conveniat, habens omnia ſigna, & characteres peſtis veræ, etiam ipſum contagium; idcircò ut peſtis notabilis dicenda ſit, ad hoc ut privilegiis ſibi à Iure conceſsis gaudeat, requiritur primò, quod habeat *cauſam univerſalem.* Altim.
6 *de febr. part.* 4. *cap.* 3. Ioann. Marinell. *peſtil. in reſponſ. ad primum argumentum* & ex Iuriſconſultis Roder. *loco ſæpius citato.* & patet dilucidiùs ex ſuprà adductis. Præcipuè verò neceſſe eſt, ut originem habeat ex *Aëre*, qui & intemperatus, & corruptus ſit; hæc enim verè, & propriè ſic dicta Peſtis eſt, ut
7 probant, Hercul. *de febr. tract.* 4. *cap.* 1. *& tract. eod. cap.* 3. Mercatus *lib.* 3. *de morb. part.* 1. *claſſ.* 1. *quæſt.* 176. *art.* 4. *num.* 30. Mercurial. *pract. lib.* 1. *cap.* 17. Rudius *lib.* 3. *arc. Med. cap.* 30. quia talis peſtis periculoſior, & ex conſequenti gravior, & notabilior eſt. Foreſt. *lib.* 6. *obſerv.* 24. *in ſchol.* & hoc nonniſi ſummâ cum ratione, quia cùm ex neceſſitate, aut vivamus, aërem attrahere reſpirando cogamur, & is tunc corruptus ſit, illum in nos ipſos tanquam præſentaneum aliquod venenum ingerimus, ut teſtatur Gal. *in lib. de Theriac. ad Piſon. cap.* 16. *claſſ.* 5. quamobrem & plures multò in periculum incidunt in hac, quàm in peſte ex aliis cauſis procedente, quæ tamen veræ peſtes non ſunt; & evidentiùs, ac faciliùs periclitantur. Ex Iuriſconſultis Follerius *in libell. ad inſtruct. Vrban. in præfat. & num.* 147. atque ea de cauſa videndum eſſet, an aliæ cauſæ quæ peſtem provocare poſſunt, ſufficientes ſint ad hoc, ut privilegia peſtis, etiam in illa quæ ab ipſis ſuſcitatur, locum habere debeant.

8 Patet enim, Peſtem aliquando ex ſola *cloacarum immunditie excitari*, ut per noſtros D. D. notatur *in tract. de peſt. cap. de cauſ.* neque prætermiſſum eſt Iuriſconſultis, ut patet *per l.* 1. *ff. de cloac.* §. *ſub. hoc titulo*, *& per gloſſ. in l. pupillo.* §. *ſi quis vivoſ. de nou. oper. enunciat. in verbo ſalutis.* & hæc cauſa eſt abſque dubio minùs communis, quemadmodum etiam ſi prava victus ratio cujuſdam particularis loci, aut civitatis, vel potus pravarum, corruptarumque aquarum, aut ubertas poſt penuriam, aut exitialis quædam ſpecûs alicuius exhalatio, & hujuſmodi cauſæ peſtem excitaverint, ut fieri poſſe notant practici omnes Medici, & non præteriit ex Iuriſconſultis Ripa *part.* 1. *à num.* 10. *ad ſeqq.* immò non deſunt aliæ cauſæ, quæ minùs communes, quàm ſupradictæ ſunt, qualis eſſet ſi ex corrupto animalis cujuſdam cadavere peſtis excitaretur, ut eveniſſe aliquando ex cadavere Balenæ putreſcente non procul à Bunis, teſtis eſt Plut. *in lib. de induſtr. Anim. prope finem*, & in littore Thuſco ſimiliter, & prope pagnum Egmondanum ex eâdem occaſione peſtem irrepſiſſe teſtatur Foreſt. *lib.* 6. *obſerv.* 9. *in ſchol.* Cùm ergo (licèt multæ harum cauſarum in tantùm peſtem excitent, in quantum Aërem inficiunt) hæ cauſæ non ſint ita univerſales, ut omnibus communes exiſtant, ut in vera peſte evenire oportet, decernendum ab ipſis *Iuriſconſultis* eſſet, an eadem privilegia militare debeant tam in illa, quæ univerſalem cauſam habet, nempe *aërem ipſum corruptum*, quàm in illa, quæ particularem, ut loci, ſeu civitatis immunditiem, vel pravam aliquam exhalationem; quemadmodum idem eſſet dubium diluendum, ubi peſtis cauſa facilè eſſet amovibilis, ut puta, quia à prava aliqua alicujus ſpecûs exhalatione emanaret, quæ facilè prohiberi poſſet, ſpecum obturando, ut Empedoclem factitaſſe refert Plutarchus *in lib. de curioſit.* Hic enim montis cujuſdam profundum inter rupes hiatum gravem, & morbiferum, & quòd Notum ventum efflaret in vicinos campos, obſtruxit, atque ita peſtilentiam à regione depulit. Aut ſi à pravarum aquarum uſu originem peſtis traheret, facilè amoveretur, aquas ipſas repurgando, aut coctione rectificando, aut meliores in urbem, & inquinatos locos derivando; aut ſi annona cara fuiſſet, & ob id pravis cibis populus uſus, in peſtem incidiſſe, laudabiliora cibaria in eum locum comportando.

Secundò, ut privilegia peſtis ſuum locum habeant requiritur, *quòd illa ſit contagioſa*: nam controvertitur inter Medicos, an neceſſariò cum peſte, jungatur *contagium* ? Quod dubium ut diluatur videndum quid ſit, & quotuplex contagium, & quodnam requiratur, ad hoc ut peſtis gravis dicatur, & ſuis privilegiis fruatur: ſed de his brevitet nunc, in ſecunda hujus tituli parte fuſiùs hæc ipſa pertractanda. Dicitur ergo contagio; vel contages, aut Contagium, ab uno in aliud tranſiens infectio. Fracaſt. *lib.* 1. *de contag. cap.* 1. alij aliter, & longioribus definiunt, ut idem Fracaſt. *in fine ejuſdem capitis* Hucher. *lib.* 4. *de ſteril. cap.* 1. Sal. *de feb. peſt. cap.* 11. Rud. *de morb. occult. lib.* 1. *cap.* 8. Portus *de peſte. lib.* 1. *cap.* 5. ſed quia hæc ſatisfacit, alias non affero. Triplex verò contagium voluerunt dari. DD. Fracaſt. *ubi ſuprà. cap.* 2. Mercat *de febr. lib.* 7. *cap.* 1. Sal. *ibidem, cap.* 11. Rud. *loco eodem*, *lib.* 1. *cap. eod.* Cardan. *lib.* 12. *de ſubtil.* Septal. *lib.* 2. *de peſte, cap.* 10. & Santorell. *lib.* 6. *ſuæ anteprax. cap.* 12. unum *immediatum*, quod per contactum, immediatum duorum corporum fiat, ex quorum altero in alterum per illum contactum tranſit infectio. Secundum eſt per *fomitem*, non quemcunque, ſed rerum porоſarum, ut quæ incorruptæ permanentes conſervare aptæ ſunt contagioſi morbi ſeminaria, ut ſunt præcipuè indumenta, & tegumenta, quibus familiariter utimur.

Tertium contagium fit per *Aërem inſpiratum*, tam cùm ille corruptus eſt, & inſpiratus, tanquam præſentaneum venenum, ut dixi, per inſpirationem attrahitur, quàm cùm infirmis contagioſo morbo laborantibus aſſiſtentes, vel eorum expirationem excipientes, per eam inficiuntur.

Hucher, autem *lib.* 4. *de febr. cap.* 7. contagium 12 dividit

dividit bifariam, in verum seu *immediatum*, quod fit per contactum, & in *mediatum*. Illud accubitu, osculatione, aut simili alio modo contrahitur, hoc intercedente fomite aliquo vel etiam ipso aëre. 13 Bifariam quoque, sed diverso modo divisum est contagium à Marinell. *ubi suprà*. Prout scilicet vel ex eo communicatur idem genus morbi, ut si ex febre febris per contagium concipiatur; vel diversum, ut si ex pleuritide communicetur contagione febris pestilens, aut si ex bubone pestilenti communicetur pulmonia. His præsuppositis ad quæstionem accedamus, nimirum, *an contagium cum peste ex necessitate ita sit adjunctum, ut pestis sine contagio esse non possit*; pro parte affirmativa favet universus hominum consensus, à peste enim tanquam à re perniciosâ, quæ facillimè per contagium communicetur, longè fugimus, neque permittimus ab ea infectis tangi; ita ut non injuria disputatum sit à 14 Prævid. *lib. supe citato, de peste*, an liceat vi & armis peste infectum à se expellere, etiam usque ad occisionem, cùm in periculo manifestissimo sit qui ab infectis tangitur, unde facere Plaut. *in Amphitr. Act. 2. Scen. 1.*

—— A. *Apage te à me. S. quid est.*
Negotij? A. *Pestis te tenet.*

15 Communiter autem pestis pro morbo ita contagioso habetur, ut ne eâ infectus alios inficiat, expelli possit, & debeat ex civitate. Alex. *in l. casus C. de test. num.* 3. Barrach. *de Gabell. & vectig. part.* 2. *num.* 49. Foller. *in tract. ad instr. Urban. num.* 14. & eam ob rem ab omnibus in præservationem à peste consulitur fuga, ut omnes Medici faciunt, nec prætermissum est à Iurisconsultis Ripa, & Prævid. *loc. sup. cit.* sed præter communem opinionem Aristot. videtur 16 in ea sententia esse, cùm 1. *Probl.* 7. quæritur, cur morbus pestilens solus ex omnibus vitiis afficiat eos, qui adlaborantes eo morbo prope accesserint? videtur etiam ab ea opinione non dissentire Galen. num. 1. *de diff. febr. cap.* 2. dicebat: *Sicuti & quòd pestilenti morbo laborantium conservatio periculosa, ne inde contagium contrahatur, quemadmodum ex scabie, & lippitudine.* Huic auctoritati accedit Paul. *lib. 4. cap.* 1. qui de Elephantiasi loquens dicebat, eam esse, non minùs ac pestilentiam contagiosam; & præter hos, videntur penè omnes cæteri Medici idem sentire, cùm plures *in tract. de febr. pestil.* dixerint, eam esse febrem contagiosam. Matth. Curt. *de febr. c. de feb. pestil.* Portus *lib. 1. de pest. cap.* 4. alij ipsam pestem per contagium definierint, cùm dicant, pestem esse morbum contagiosum. Isidor. *Etymolog. cap.* 4. ex quo repetit Bayr. *de Pest. cap.* 1. qui morbum pestilentialem dici non concedit, nisi sit cum contagio. Card. *lib. 2. Contrad. Medic. tract. 5. cap.* 4. *& lib. 1. de Venen. cap.* 11. Fracast. *lib. 2. de Contag. cap.* 3. Capivacc. *Pract. lib. 6. cap.* 36. Plater. *de febr. caus. lib. 3. cap.* 1. Mercurial. *lib.* 3. *cap.* 17. Liddel. Scot. *lib.* 3 *de feb. cap.* 1. Hucher. *de febr. lib.* 4. *cap.* 2. Septal. *de pest. lib.* 1. *cap.* 28. & alij permulti. Præcipuum autem pestis signum est *contagium*. Heurn. *de peste cap.* 5 cui assentiuntur alij Medici, quibus assentiri videntur Iurisconsulti, nam Ripa *in suprà citata definitione* dixit, esse morbum contagiosum. Itaque quoque Prævidell. ex Isidor. *in supe cit. lib de pest. p.* 4. *partic.* 7. *num.* 2. Pestem dicebat esse magis contagiosam, quàm Lepram: cui favet suprà citata Pauli auctoritas, & *part.* 2. *part.* 1. 2. *num.* 25. dicebat esse 17 contagium. Denique Cardan. *loc. cit. lib. de Venen.* dicebat, Pestilens, putridum, & contagiosum converti, ita non posse unum absque alio inveniri, quibus addendum, quòd ipsius Pestis nulla alia est magis præcipua causa, quàm contagiũ, ut testantur Sal. 18 *cit. lib. de febr. pestil. cap.* 11. & Septal. *ibid. lib.* 2. *cap.* 8. Et idcircò facili negotio etiam extincta de novo reviviscit, ac propagatur, etiam per ipsas res insensibiles, quæ ipsius Pestis fomitem retinere solent. Imò adeò de natura Pestis est contagiũ, ut hoc mediante impij, ac nefarij quidam homines suo arbitrio illam aliquando excitaverint, ac concitare possint: constat enim Venetiis pestem concitatam fuisse, illicitis tantùm venenatis medicamentis, ac pestiferis, ostiorum annullis: ac pessulis, quibus contactis Pestis venenum à tangentibus hauriebatur, unde infecti postmodum alios inficiebant, de qua re plures auctores testes sunt apud Schenck. *lib. 6. observ. tit. de contag.* & præter eos Cæsalpinus aliàs à me adductus, *Pract. lib. 3. cap.* 48. & Patæus *lib.* 12. *cap.* 10. nec non alij multi apud Untzerum *in Antid. Pestit. lib. 1. dist. 6. cap. 3.* nec deest inter Iurisconsultos ad hôc, testimonium Ripæ *loco citato part. 1. num.* 5. Quin etiam alibi aliàs idem facimus ab aliis patratum legimus, & ætate nostrâ non multis abhinc annis Medionali idipsum accidisse audivimus, quòd profectò absque maximâ contagij vi fieri non potuisset, quia nullâ aliâ ratione infici tangentes poterant, & in summa, per contagionem propagari sæpissimè pestem, testatur Joubert. *de pest. cap.* 2. Unde est, quòd interdum particularis pestis, quæ nempe unicam familiam, aut domum, aut locum obsideat, universalis evadit, ut Joubert. dicit *ibid.* & proximas familias, & civitates adoritur. Cardan. *Contrad. Med. lib. 2. tract. 5. contr. 4.* nam peste infectus contagio adeò inficere potest, ut non per contac- 19 tum solùm, sed etiam per halitum aliquando labefactet. Fernel. *lib. 2. de Abd. rer. caus. c.* 12. Card. *ibid.* imò interdum ipsa inspectione, ut ex Guidon. dicit Rud. *lib. 3. Art. Med. cap.* 30. evenisse in quadam sævissima peste; quod confirmat etiam Nicol. Mass. *de febr. pest. cap. 2.* qui & illud addit, etiam ex cadaveris peste extincti inspectione aliquos interdum infici.

Præ cæteris autem experimentis, quanta sit Con- 20 tagij vis in pestilentia, illud manifestissimè docet, quod refertur à Forest. *loco supius citato*, de quodam Medico, qui cùm peste infectus jaceret, ut idipsum, quod de contagio demonstrare nos studemus, astantes edoceret, recens ovum manu apprehensum diu sic retinebat, illudque breve spatium lividum ac putridum evadebat, & quod admirabilius est, si modò veritatem habet; hoc ipso ovo in mensa posito, & illi alsero propè appositio, eodem modo ex primo secundum, ut primùm ex ægroto inficiebatur.

Sed his non obstantibus, videtur ex nonnullo- 21 rum DD. auctoritate, Pestem posse esse *sine contagio*, quanquam ut plurimùm cum contagio est. Sal. *de febr. pestil. cap.* 11. Marinell. *de pest. arg.* 3. Saxon. *de phœnigm. lib. 2. cap. 1.* Cæsalpin. *lib. 3. practic. cap.* 50. Diomed. Amic. *de pest. cap.* 3. Quinetiam Cæl. Rhod. *lib. 2. lect. antiq. cap 6. in fin.* cum de quadam peste Constantinopolim molestante verba faceret, de qua etiam Cardan. *lib. 2. de subtil.* meminit, narrans uterque, quòd qui eâ apprehenderentur, ab alio homine vapulare sibi videbantur, eoque terrore perturbati morerentur; addit Cælius, quasi rarum quiddam in tanta morbi raritate, *Morbus tamen hic contagiosus haud fuit*; quod etiam Cardanus falsus est. Procopius item qui & ipse Medicus fuit, & Historicus insignis, *lib. 2. de bello Persico*, (ex quo repetit Septal. *lib. 1. de pest. cap. 6.*) pestis cujusdam mentionem habet, quæ absque contagio vagata esset.

Neque

Neque colica item à Paulo *lib. 3. cap. 43.* de qua ex eodem mentionem habet idem Sept. *ibid.* contagioſa fuit, cùm ille nihil omninò de contagio meminerit; ac tandem Petr. Bayr. Medicus non ſpernendus, apertiſſimè *in tract. de peſt. cap. 1.* fatebatur, dari peſtilentem febrem non contagioſam.

22 Auctoritatibus addo non contemnendam rationem: certiſſimum etenim eſt, illos, qui primi peſte inficiuntur, ab *aliis contagium non traxiſſe.* Hercul. *de febr. tract. 4. c. 1.* niſi diceremus cum Platero. *lib. 3. de febr. cap. 2. & quæſt. Medic. Parad. cent. Poſth. num. 42.* & cum Untzero *in Antidot. peſtil. lib. 1. diſt. 6. cauſ. 2.* peſtis venenum originem ſuam in mundi origine habuiſſe, & de corpore in corpus per contagium diſpergi, ac propagari, ita ut ex horum ſententia nullo modo abſque contagij ſeminio peſtis irrepere poſſit. Sed hæc opinio pleriſque ex doctoribus non erit, ut exiſtimo, accepta, ſed potiùs alterari dicent omnes de novo aërem ad contrarias qualitates, & interdum corrumpi, atque eo pacto peſtem primùm oriri. Ergo quemadmodum qui primi peſte laborant, abſque eo, quòd ab aliis contagium contraxerint, illâ afficiuntur, ſic dari poteſt peſtis genus, quod nullo modo contagio noxium ſit, ſed ſimpliciter à cauſa aliqua alia antecedenti nobis communicetur; & ad id, quod *Platerus*, & *Untzerus* dicebant de contagij origine, objici poteſt, quod multi morbi ſunt cõtagioſi, non verò ſola peſtis; neque tamen videtur in aliis morbis poſſe habere locũ contagij ſeminia ab his DD. adinventa.

[Nec deſunt aliæ quamplurimæ quidem, ut mihi videtur, concludentiſſimæ rationes, rei veritatem perſuadentes, quarum ego nonnullas breviter attingam, aliàs, Deo volente, longioribus pertractandas, & mihi quidem videtur dicendo, cõtagium eſſe cauſam Peſtis primariam, effectum ſua cauſa origine priorem facere: quis enim dubitat, contagium eſſe Peſtis effectum; præterquam, quod non facilè ſuaderi poteſt, omnes qui peſte prehenduntur, ex contagio ægrotare, ſiquidem una eademque die, imò una eademque hora, imò inquam, momento obſervatur, quàm plurimas perſonas in diverſis, ac multùm à ſe invicem diſſitis Caſtrorum & Civitatum locis morbo prehendi: irrepere itaque aliam efficaciorem cauſam neceſſe eſt, non omnes autem ex contagio peſtem contrahere: non obſtante enim quacunque, vel exactiſſima cautione, & ſequeſtratione infectorum multi derepente corripiuntur, qui nullam cauſam à contaminatis habere potuerũt: ſed quid dixi plures? imò quã plurimos in una eademque Civitate eodemque momẽto Peſte tentari; cur inquam plurimis in locis, & urbibus quamplurimos uno, eodemque momento ægrotare non dixi? non eſt, ut mihi videtur, ejus efficaciæ contagium, ut veluti flamma ſeſe huc illuc aliquando diſcutrat, totumque orbem interdum tam velociter peragrare poſſit, niſi ad Aërem confugiamus, dicamuſque ab illo, qui primò Peſte infectus eſt, infici aërem, ac per illum contagium deinceps aliis communicari, quod non eſt veriſimile, quia Peſtis in diverſis locis eodem momento vigere interdum incipit inter ſe maximè diſſitis. Neque videretur ulteriùs Peſtem habere poſſe, & ſervare tempora particularis morbi, nempe principium, augmentum, ſtatum & declinationem, ſi pro cauſa potiori haberet contagium, cum hæc cauſa ſemper adaugetur.

—— Viresque acquirat eundo,

pro majori ægrotantium copia, quippe cum tunc maximè ſuas vires promere aliquam cauſam conſentaneum eſt, cum major effecta eſt, & majus habet fundamentum: at hoc in Peſte fit in ſtatu ipſius Peſtis, non modo ergo tunc declinare non deberet, ut ſemper contingit, ſed multò magis creſcere, quia cauſa ipſum excitans, nempe contagium, tunc maximè validior & fortior eſt.

Sed quanam ratione, obſecro, excludi poteſt Aër, quod non ſit primaria cauſa Peſtis, ut plurimũ ſaltem, niſi omninò inalterabilem eſſe pronunciemus Epidemicos morbos ab aëris alteratione provenire quis neget? Ergo ſi Aër alteratus ſecundùm primas qualitates Epidemicos morbos producit, quid obſtat, quominus ille ulteriori alteratione pravitatem concipiens, etiam peſtilentes procreare poſſit? An aliam præter Aërem Peſtilentiæ & Epidemiæ cauſam Hippocrates ille noſter agnovit? num ille ignoravit Aërem non poſſe putreſcere?

Præterea ſi Aër alteratus & corruptus poteſt Plantis ipſis peculiarem peſtem afferre, ſi pecudibus, cæteriſque brutis, ipſis quoque Piſcibus peſtem excitare, cur non potuerit etiam Peſtem hominibus infeſtam, atque exitialem producere? Et ſi Peſtis Plantis (nam cætera prætereo) excitatur ſine contagio (quodnam enim contagium in his imaginari licet) cur animalibus hominibuſque infeſtæ Peſtes non poterunt abſque contagio fieri? Vagari autem Peſtes ſolis Plantis, ſoliſque quibusdam animalibus inimicas præter experientiam teſtatur *Lucretius* lib. 6. de R. N.

Hæc igitur ſubito clades nova, peſtilit aſque
Aut in aquas cadit, aut fruges perſedit in ipſas,
Aut alius hominum paſtus, pecudumque cibatus.

Et Hieron. *Fracaſtor. l. 1.* Syphil.

Solis nam ſæpe arboribus ſit noxius Aër.
Et tenerum germen, florumque infecit honorem,
Interdum ſegetem, & fata lata, annique labores
Corripit: ſcabraque uſſit rubigine culmos,
Et vitata parens produxit ſemita tellus.

At nollem ulteriùs progredi, cum ſciam viros doctiſſimos, quos in ſummo honore habeo, contrariæ ſententiæ eſſe addictos, eoſque mihi perſuadeam poſſe his omnibus difficultatibus fortè ſatisfacere, ſed illud unum nunquam admittere potui, quod nonnullis cordatiſſimis viris eſt acceptum, nimirum, Peſtis contagium originem ſuam habuiſſe in mundi primordiis: eſto ut libet, quid inde? an non primus homo quadam Peſte fuit infectus, ac dehinc contagio peſtem aliis communicavit? an dicent potius contagium ante extitiſſe? ſed in quonam corpore ſubjectabatur? In Aëre forſan? Ergo ab Aëre omne malum: In homine cettè non ſubjectabatur, qui creatus eſt abſque ullo vitio: ſed nolo, nec vacat alterius in his immorari.]

Ad auctoritates autem in contrarium allatas 23
dicendum videtur, partim non loqui de ſimplici peſte, ſed de febre peſtilenti, partim verò, imò vel omnes intelligi ſecundùm plurimùm. Quòd 24
autem Cardanus dixerit, peſtilens, putridum, & contagioſum converti, cùm non ſit unum accipere ſine alio, mirandum eſt quia manifeſtiſſimè convincitur falſitatis, cùm pateat contagioſum ſæpiſſimè peſtilens non eſſe, ut vel ipſi viles tonſores norunt, & notat etiam Mercat *de morb. lib. 3. claſſ. 1. quæſt. 176. in fin.* nam Scabies, Phthiſis, Lues Venerea, Rabies, Lippitudo, & nonnullæ aliæ infirmitates, quæ maximè contagioſæ ſunt, non ſunt tamen peſtilentes. Convincitur ulteriùs ex eo, quod omne peſtilens pernicioſum eſt, quia venenoſum & 25
deleterium. Fernel. *lib. 2. de Abd. rer. cauſ. cap. 10.* idcircò illicò atque popularis, ſeu Epidemicus morbus aliquis pernicioſus ſecundùm plurimum

evadit, peſtis dicitur. Liddell. Scot. *de febr. lib.*3. *cap.*1. non tamen omne contagioſum pernicioſum
26 eſt;quia Scabies utplurimùm ſalutaris morbus eſt, imò multò magis ſalutaris efficitur in peſtilenti tempore,utpote,quæ poſſit à peſte hominem præſervare. Alexand.Bened. *lib. de febr. peſtil. cap.* 6. Plater. *quæſt. Medic. Parad. cent. poſth. num.* 43. Joubert. *de peſt.cap.*15. Foreſt.*lib.* 6.*obſerv.*24. *in ſchol.* ſed & ipſe Cardanus ſibimetipſi contradicere palam videtur,cùm *lib.* 1. *Contrad. Medic. tract.* 5. *contrad.* 4. dixerit: Sufficit ad hoc ut peſtilens ſit morbus, ut ſit Epidemicus,& pernecans,& hic poteſt eſſe ſine febre, cùm etiam ſine contagio. En igitur datur unum ſine alio, nempe peſtilens ſine contagio, non ergo neceſſarium videtur ad peſtis eſſentiam, ut contagioſa ſit. Sed utrum neceſſarium id ſit ad
27 hunc effectum, ut privilegia peſtis ſuum locum habeant,cum diſtinctione reſponderem; quia ea privilegia, quæ cenſenda ſunt fuiſſe conceſſa ob id, quòd reſpiciant periculum contagionis,ut quòd citatus cõparare non teneatur,ſi peſtis in eo loco vigeat, ad quem citatus fuerit. Pariſ. *de reſign. benef. lib.*5.*queſt.* 13. *numero* 68.& quod non teneantur comparere, etiamſi tantùm tranſire debeat citatus per locum peſte infectum,Prævidell. *de peſt.part.*7.
28 *partic.*2.*num.* 1. & alia hujuſmodi, omni procul dubio in peſte tãtùm contagioſa locum habere debent, non in ea quæ contagio caret: cætera verò, quæ alios fines reſpiciunt, de quibus ſuprà,in quavis peſte, dummodò alia habeat requiſita veræ peſtis: non enim dubium eſt, quòd ceſſante fine,ob quem privilegia conceſſa ſunt, ceſſent etiam ipſa privilegia,Tiraq.*in tr.ceſſ.cauſ.p.*1.*n.*203.

29 Dubitari poteſt ulteriùs, an *vera peſtis de neceſſitate febrem adjunctam habere debeat*, ad hoc ut prænominata privilegia ſuum locum habeant? Nam in hoc variæ fuerunt opiniones, teſtantibus pleriſque, non modò non poſſe dari peſtem veram ſine febre, ſed ipſam peſtem per febrem definienti-
30 bus; quod longioribus præſtiterunt Andr. Gail. *de peſt. faſcic.* 4. Ant. Portus *ibid. lib.*1. *cap.*3. & Ludovicus Septal.*loco eodem,lib.*1. *cap.* 19. Maximè verò pro hac opinione faciunt Hippocr. verba *in lib. de flat.* quæ ſic habent: *Febrium duo genera, & unum quidem omnibus commune peſtis appellatur.* Patet autem, auctores omnes, cùm de peſte tractarunt, de ea inter febres mentionem habuiſſe, & ipſorum plures titulum de febre peſtilentiali inſcripſiſſe; quod tamen qua ex cauſa præſtiterint,non difficile eſt edocere,nimirùm quia ut plurimùm peſtis cum febre adjuncta eſt: ſed non eſt idcircò omninò ne-
31 ceſſarium,ut ſemper cum febre ſit,quod ex Hippocratis & Galeni auctoritate probarunt, qui ſententiam hanc tuentur, Bair.*cap.*1.*de peſte.* Manard.*epiſt. lib.*2. *Epiſt.* 1. Capivacc. *lib.* 6. *pract. cap.* 36. Oddus *de peſte, cap.* 12. Petr.Salius *de febr. peſtil. cap.* 5. Rudius *lib.*3. *Art. Med. cap.* 30. Cæſalp. *lib.* 3. *cap.* 48. & 50. Hucher.*de febr.lib.*4. *cap.* 2. Mercat. *lib.* 7. *de febr. in præfat.* Lidd. Scot. *lib.* 3. *de febr. cap.* 3. Diomed.Amic. *de peſt.cap.*14. & alii relati per Septal. *lib.*1.*de peſte,cap.* 4. & qui hoc ipſum,dum pro hac opinione diſputat, comprobat experientia, nonnullas peſtes enarrans, quæ abſque febre vagatæ ſunt.

32 Quinetiam ratio ad hoc adduci poteſt,quam affert idem Liddel.*ibidem*, & eſt, quia non ſemper in peſte cor eſt primum patiens;quemadmodum enim
33 eſt venenis aliis nonnulla ſunt, quæ non primò cor perunt,ſed aliam quandam determinatam partem, ſic & ex venenis ab aëre nobis communicatis ſunt, quæ alias partes,quam Cor primò obſident: ſit colica peſtilentialis viſa eſt,ſic & dyſenteriæ peſtilentiales, & alij hujuſmodi morbi à Corde remoti. Præterea ſi de eſſentia peſtis eſt febris, idem procul dubio eſſet febris peſtilens, ac febris;at peſtem eſſe quid generalius,quàm febrem peſtilentem, concludunt auctores, Mercat. *de febr. lib.*7. *cap.*1. non eſt ergo neceſſarium,in peſte ſemper adeſſe febrem; quia abſque eo quòd cor afficiatur, febris non fit; ſed peſtis ſit abſque eo quòd afficiatur, ſaltem primò,& unò eodemque tempore cum parte primariò patiente, ergo peſtis poteſt eſſe abſque febre.[Vid. *Nardius* in comm. ad Lucret.l. 6. animadv. 34.ubi
34 Neotericorum contrarium ſentientium opinionem medullitùs enervat, atque infringit] Utrùm autem detur,aut dari poſſit febris intermittens,quæ peſtilens ſit,dubitant Medici. Salius *ſuprà loco cit.*in affirmativam ſententiam inclinat; plures in negativam,& præ cæteris Ruddius & Septalius *locis ſuprà citatis.*

Ego non video, quid obſtet,quo minùs eſſe poſſit febris intermittens peſtilens, ſi concedatur peſtem poſſe eſſe ſine omni febre. Ego profectò hujuſmodi febres vidiſſe me certò certius affirmavèrim, cum tertianas exquiſitas, breviſſimaſque, & nonniſi ſeptem,aut octo horarum ſpatio affligẽtes obſervaverim,cum tanta tamen vehementia,ut ſpiritum ægrotantibus in acceſſione intercluderent, mox ab ea per copioſiſſimum ſudorem vindicatos adeò languidos, ac viribus dejectis, & cum indicibili triſtitia permanſiſſe,ut admirationem non modicam incurrerent; pulſus enim adeo tardi fiebant, ut nunquam aliàs,ac denique viderim,has ipſas febres quarto paroxyſmo homines ſuſtuliſſe. Hujus generis febris eam cenſui,ex qua,licèt multò ſeriùs. ſublatus olim *Cinthius Clemens*, Pauli V. Medicus mortuus enim eſt 27.& febris continua poſt 14.facta eſt,cum ante per octo tantum horas ex 48.affligeret, & cum iis,quæ recenſui,ſymptomatibus.Sed ad penſum noſtrum, nam forte nunc non erat his locus.

Quid ergo dicendum, ubi peſtis abſque febre 35
graſſaretur?an privilegia peſtis in hac,veluti in illa, quæ febrem comitem habet,locum habere debent? Dicendumvidetur,quòd ſic,quia ſatis ſuperque eſt, ſi peſtis ſit pernicioſa, & habeat cæteras conditiones, de quibus in hac quæſtione: nam cùm ex alio quoque morbo, quicunque ſit, contingat homines periclitari, non minùs quàm ex febre, & privilegia peſtis conceſſa fuerint omnia reſpectu ejus perniciei,& mortalitatis, ut ita dicam,abſque dubio eſt quòd etiamſi non adſit cum peſte febris,ea privilegia valere debent.

Cæterùm cum peſtis, ut ſuperiùs ex *Ripa* dicebam,debeat eſſe gravis & notabilis,ad hoc ut privi- 36
legia ei conceſſa ſuum effectum habeant, idcircò præterquam quòd ob id debet eſſe contagioſa,debet etiam eſſe pernicioſa,& plurimos rapiens,nempe majorem ægrotantium partem.Io. Marinell. *de peſte in reſponſ.ad primum argumentum*; nam, etiamſi morbus populatis eſſet,&Epidemicus,habens cauſam communem,&eſſet unà contagioſus,& febrem quoque comitem haberet, tamen ſi major pars eorum qui ægrotarent,convaleſcere,aut non eſſet dicẽda peſtis,ſed ſimpliciter Epidemia,quia non haberet adjunctam perniciem utplurimùm, & ſecundùm plurimum;aut non eſſet dicenda gravis &notabilis, aut talis, ut ejus cauſa prædicta privilegia permittenda eſſent executioni demandari.

Verum enimverò,quanquã quæ dicta ſunt,ſufficiunt

ciunt ad hoc ut peſtis gravis dicatur, tamen inter
37 graves peſtes una proculdubio altera gravior dicenda eſt, & quædam inter alias graviſſima: quæ gravitas deſumitur non modò ratione contagij & perniciei, & reſpectu ſymptomatum magis aut minùs horribilium, ſed etiam ratione *cauſæ*, & ratione *multitudinis morientium*, & ratione *brevitatis morbi*, & ratione *numeroſitatis locorum*, quæ inficiuntur, & ratione *longitudinis*, & ratione *indifferentiæ temporum* in quibus viget, & tandem ratione *varietatis*, & indifferentiæ ſpecierum, ſexuum, ætatum, temperamentorum, & hujusmodi, quibus peſtis infeſta eſt. Ratione enim cauſæ gravior, & periculoſior ea peſtis eſt, quæ magis univerſalem habet cauſam. Cæ-
38 ſalp *lib.3.c.* 50. nam licèt aquæ putridæ, hiatus, & halitus cavernarum, & puteorum, & victus parvus, & aliæ nonnullæ cauſæ his non abſimiles peſtem aliquando excitent, tamen periculoſior illa eſt, quæ ex
39 aëre corrupto, utpote cauſa communiori excitatur, ut ſuprà dixi ex Foreſto. Duncan. Liddel. *li.3. de febr. c.*3. Rud. *lib.3. art. Med. c.* 30. nam alias cauſas evitare quomodocunque licet, ſed hanc velint nolint animalia omnia admittere coguntur, cùm illam inceſſanter inſpirent. Si ergo venenatam, ac deleteriam acquirat qualitatem, quis non videt, univerſa animalia ex ejus pernicie promptiùs, quàm ex quavis alia cauſa damni plurimum paſſura, & ſumma cum difficultate mortem evitatura? Maxima ergo cum ratione nonnulli, in peſtis definitione, cum propriiſſimè accipitur, voluerunt addi, quòd ſit morbus ex aëris corruptione originem habens, ut Auctor *libri definit. inter Gal. libros recenſiti*, & Savonarol. *de febr. cap.9. rubr.*1. Cæſalp. *l.3. cap.* 48. & inter Iurisperitos Ripa, quem ſuprà adduxi; hæc enim, quia inter omnes graviſſima eſt, idcircò peſtis nomen propriiſſimè acceptæ ſibi vindicat. Ac profectò hanc unam *Hipp. in lib. de Nat. hum. verſ.*18. videtur pro peſte acceptare, quia à communiſſima cauſa, nempe ab Aëre originem habet, rejiciens à cauſa peſtis alias quascunque, etiam ipſam pravam victus rationem.

Unde idem *Cæſalp.* nullas alias peſtes eo nomine dignatur, niſi quæ ab aëre fiunt venenato, alias enim Epidemias pernicioſas vocat. Nos autem ad hunc effectum, de quo agimus, dum morbus ſit popularis & pernicioſus, peſtis nomine inſignimus.

40 Ratione contagij, non modò gravior peſtis eſt, quæ cum contagio eſt, ea, quæ eſt ſine contagio, ut dictum jam eſt, ſed quia non ſemper eadem eſt contagij vis. Lidd. *lib.3. ſup. cit. cap. eod.* Nam aliquando, ut aliàs annuimus, ſola conſuetudine noxia eſt, & gravis quidem hæc eſt; ſed gravior multò, quæ etiàm ipſo halitu inficit, graviſſima & pernicioſiſſima, quæ etiam intuitu, ſi modò tanta pernicies datur.

Ratione multitudinis locorum, qui peſte inficiuntur, eo gravior dicitur peſtis, quò plura loca inficit, & multò etiã gravior, ſi loca quoque, quæ difficulter, vel de raro admodum peſtem experiuntur, tunc temporis ea moleſtantur; ſi enim quod optimum eſt corrumpitur, quantò magis quod à bonitate recedit? Sunt enim quædam peſtes locis quibusdã familiares, idcircò minùs graves dicendæ, ac minùs notabiles, quòd uni tantùm civitati, aut loco moleſtæ ſint, quia cauſam minùs communem ſortiuntur, ut quæ à prava ratione victus illius loci, & annonæ caritate eveniunt, aut quæ ex immunditie, & terræ hiatibus loco vicinis originem ducunt; aut etiam quæ ex quadã naturali aëris proprietate illius loci
41 fiunt; ob has enim cauſas quædã loca facillimè peſtem ſentiunt, ut Coſtantinopolis, & Ægyptus tota, in quibus regionibus frequentiſſima eſt, teſtibus Jo. Leon. *ſuæ Africæ part.*8. & Alpino *lib.* 1. *de Med. Ægypt. cap.*15. ſed & in ipſa Ægypto magis familiaris Cayro eſt, ut prædicti dicunt; item Delphenſis civitas ſingulis decem annis peſte corripitur aſſerente id Foreſt. *lib.6. obſ.*9. Frequens quoque dicitur eſſe Pariſiis, Coloniæ, Famauguſtæ: in Cypro, Venetiis, & Anconæ in Italia, aliisque in locis, & regionibus, in quibus rarò, aut nunquam avellitur, ut teſtatur Scaliger contra Cardanum *lib.*1. *exerc.* 32.

Contra verò alias in locis nunquam viſa, *Loc vis, &* 42
Crotone, peſtem nunquam fuiſſe moleſtam, teſtatur Plin. *lib.*1. *c. lib.*96. Calecutam etiã ab ea ſemper fuiſſe immunem narrat Card. *lib.*10. *de ſubtil.* Alcmariam patriam ſuam Foreſtus *loco ſuprà citato*, non eſſe de facili peſti obnoxiam recitat. Itaque cùm peſtis plura loca, & ea præcipuè, quibus familiaris facilè non eſt, imò quæ aliàs præ cæteris aëris ſalubritate gaudere ſolent, obſederit, graviſſima cenſenda eſt, qualis fuit quæ anno Domini 1335. oborta fuit, quâ dimidiam penè mortalium partem abſumptam fuiſſe tradunt, quòd nulli loco, nulli civitati, quamtumvis ſalubri aëre inſigni pepercerit.

Ratione durationis, peſtilentia magis, aut minùs gravis dicitur. Eſt enim quædam peſtis, quæ veluti 43
incenſa quædam flamma exagitata velociſſimo impetu, ac veluti pertranſiens ab uno loco in alium obvia quæcunque animalia proſternit, breviſſimo, temporis ſpatio vigens, ac ferociens. Alia autem eſt, quæ per annos durat. Longam autem, aut brevem cladem eſſe, dicebat Seneca *lib.6. quæſt. c.*28. prout vitia valuere. Plinius tamen *lib.*2. *cap.* 50. decebat, obſervatum fuiſſe, peſtem non excedere tres menſes. 44
Cardanus etiam *lib.*2. *de ſubtil.* & Proſper Burgarutius *de peſt*, nullam peſtem ultra triennium ſœvire affirmavit, ſed quemadmodum Plinij dictum ab experientiæ veritate eſt alieniſſimum, niſi reſtringatur ad id, quod ut plurimum fit, ita eadem experientia Cardani ſententiam falſitatis redarguit. Idcircò non immeritò reprehenditur hic à Scaligero *loco aliàs citato*, qui in quibusdam regionibus peſtẽ nunquam avelli ſcribit. De hoc verò peſtis genere non fuiſſe locutum Cardanum, dicere quisquam poſſet.

Toloſæ tamen adventitiam peſtem ſeptennium perduraſſe, idem Scaliger narrat. Galenus etiam ſuo tempore, ut *quinto Meth. Medend. cap.* 12. *& alibi* commemorat, peſtem longiſſimam fuiſſe experitus eſt. Eam quoque, quæ anno 1348. incepit, quinque annis duraſſe teſtis eſt Guido Cauliacus, qui illo tempore in vivis degebat, ex quo reperit Foreſt. *lib6 obſerv.*14. & de qua loquitur Ioan. Boccar. *in ſuo Decam. in princ.* qui & ipſe eam multis annis p rvagatam reſtatur. Compluribus item annis eam peſtem duraſſe quæ anno 1450. viguit, & ex qua vix tertia viventium pars ſuperſtes remanſit, firmant auctores nõnulli, & refertur à Foreſt. *loc. cit.* Ea quoque peſtis, quæ à Britannia in omnem inferiorem Germaniam, Galliamque Belgicam graſſari cœpit, anno Domini 1525. & ſudor Anglicus appellata, ſex annis duravit, Autumno potiſſimùm pervagando: auctor Paræus *lib.*21. *qui eſt de peſte, cap.* 5. Anno præterea 1568. Genevæ per ſeptennium peſtem ſæviſſe, refert Bodim. *lib.*4. *Dæmonom. cap.* 4. Quinetiam Valleſius *in ſeptimum Epidem part.*78. per Hiſpaniam quindecim annis peſtem graſſantem nondum deſiiſſe ſcribit, ac profecto certum terminum durationis peſtilentiæ adſcribere, nullum habere poteſt reale fun- 45
damentum: nam quemadmodum circa morborum 46
peſtilentium naturam, tot eſſe modos peſtis quot tempora, dicebat idem Card. *lib.* 2. *de ſubt. & 2. contr. Med. tract.*5. *contr.*4. ita & quoad durationem omni-

no variare existimandum. Neque enim dubium est aerem unius loci citiùs vindicari à putrefactione quàm alterius: cujus rei causam rejicit in ipsius aëris tenuitatem, seu crassitiem, Hieron. de Manfred. *in lib. de homin. cap.* 6. Sic & ipsius aëris mutationes & alterationes inter se multùm differre, credendum est, & pro majori aut minori recessu à statu naturali, magis aut minùs perseverare, & faciliùs aut difficiliùs ad suam naturam regredi.

47 Ratione porrò indifferentiæ specierum, & individuorum, quæ peste afficiuntur, tantò gravior est ipsa pestis, quantò plures species, & pluta individua,
48 sexu temperamento, ætate differentia, adoritur: patet enim pestem quandoque nonnisi certum genus aut certam animaliũ speciem molestare, ut præ cæteris demonstrat Diomed. Amic. *de pest. c.* 4. quod etiam elegantissimè cecinit Hieron. Fracast. *lib.* 1. *Siphil.* his carminibus:

Nunc age non id te lateat, super omnia miram
Naturam, & longè variam contagibus esse.
Solis non sæpe arboribus sit noxius aer,
Et teneræ gemen, florumque infecit honorem.
Interdum segetem, & sata læta, annique labores
Corripuit, scabraque ussit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit semina Tellus.
Interdum pœnas animalia sola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipsis, memini ipse maliguam
Luxuriem vidisse anni, multoque madentem
Autumnum perflatum Austro, quo protinus omne
Caprigenum pecus è cunctis animantibus unum
Cornua à stabulis lætas ad pabula pastor
Ducebat, tum forte altâ securus in umbra
Dum caneret, tenuique gregem mulceret avenâ,
Ecce aliquam tussis subitò irrequieta tenebat,
Nec longè via mortis erat, &c.

49 Cæterùm omnium animalium pisces minimè pestem sentire, auctor est Aristot. 8. *de hist. anim. cap.* 19 Quin etiam addit Plinius *lib.* 8. *cap.* 49. Morbos universa genera piscium, ut cætera animalia etiam fera accipimus sentire, unde emanavit proverbium illud *Pisce nil sanius*: cujus rei rationem reddunt nonnulli, quòd nullum aërem inspirent, & quod aqua maris, in qua vivunt, non putrescat. Santorell. *lib.* 6. *suæ Auteprax. cap.* 22. Sed hæc posterior ratio locum haberet in piscibus in mari tantùm degentibus, cùm tamen credam, quod conclusio de omnibus indifferenter prolata sit. Montius *lib.* 7. *Halos. febr. c.* 1. eandem attulit causam, sed ad instantiam, quæ fieri poterat, non respondit, nimirùm quòd pisces aërem attrahant, & respirent, sed negare videtur, quòd respirent, & Hippocr. Gal. & Plinij auctoritatem nihili facere videtur. Ego pro vera admissa tantorum vitiorum sententia, (nam negari non potest saltem nonnullos pisces respirari) Gal. 6. *de usu part. cap.* 9. Plinius *lib.* 9. *cap.* 7. Mercat. *de sanit. & ejus conservat. art.* 1. *quæst.* 163. Rondelet. *de pisc. lib.* 3. *cap.* 11. (quanquam omnes voluit Hippocr. respirare absolutè, inquiens: *Neque enim natantia animalia sine spiritu vivere possunt; quonam autem alio pacto cum illo commercium habeant, si non per aquam, & ex aqua spiritum attraherent?*) Dixerim, quod quanquam pisces aërem nostrum respiratione attrahunt, is tamen ab ipsa aqua, per cujus medium necessariò pertransit, retunditur, & corrigitur, præcipuè cùm contraria qualitate id facere possit facillime, aëre pestilenti semper calidiore suâ naturâ reddito, unde ab Aquæ frigiditate illius intemperie emendatur. Adde, quod si pisces respirant, tenuiorem, ac magis repurgatam aëris portionem ipsos attrahere, ob meatuum angustiam naturalem, & ob prædictum transitum per aquæ medium, necesse est sed posse facillimè aëris venenum ab aqua obtũdi, admittit Ioub. *in Aporem. de pest. cap.* 2. Ipse tamen Aristotelis dictum non omnimodam habere veri- 50
tatem credit, dum pisces quoque pestem experiri posse non tantùm suo generi propriam, sed etiam ex nostro aëre, & ex eadem causa communi, quâ, cætera animalia ægrotant, concitatam existimat, dato etiam, quòd nullo modo respirarent. Crediderim tamen, non esse Aristotelis dictum undequaque rejiciendum; licèt ejus sententiam experientia falsam esse testetur Weinrich. *de ort. monstr. cap.* 16. quam tamen tuetur acerrimè contra Rondeletium Cardan. *lib.* 6. *de variet. cap.* 37. Sed ego restringerem hanc Aristotelis sententiam, quod non tam frequenter, nec tam facilè, ut cætera animalia, pestem experiantur; ad quod facit Plinij auctoritas suprà relata. Oporteret autem, si æquè ac cætera animalia pisces pestilentia laborarent, hoc aliquando paruisse ex numerosis ipsorum piscium cadaveribus aquis ipsis supernatantibus: quod tamen rarissimè visum, ac propè nullum, qui id scriptis mandaverit, vidi præter Iul. Obseq. *de Prodigiis apud Fortun. Fidel. lib.* 1. *de relat. Med. cap.* 3. Narrat enim hic, memoriæ proditum esse, ad insulam Liparam piscium vim magnam exanimem aliquando in littus ejectum fuisse, quos Lipparenses comedentes in pestem inciderint, sed hæc ille inter prodigia narrat; aliàs tamen & paucula admodum conspiciuntur tempore pestilenti, auctore eodem Iouberto, *ibid.* Sed tamen pro Iouberto non parum urgeret Virgilij auctoritas, 3. *Georg.* qui pestem quandam describens, ubi cuncta animantia eà infecta fuisse enarrasset, subdidit in hoc carmine:

Iam maris immensi prolem, & genus omne natantum
Littore in extremo ceu naufraga corpora fluctus
Protulit insolita fugiunt in flumina phocæ.

Neque dicendum Poëtam sapientissimum id ignorasse, quod Aristoteles testatus de piscium natura fuerat, sed innuere potiùs veritatem rei voluisse Aristotelis autem dictum interpretatur Diomed. Amic. *de pest. cap.* 4. quòd piscibus nulla pestis propria sit, sed tamen possint ab universali peste infici. Cæterum, quòd ex Aëris nostri infectione pisces quoque infici possint, & pestem concipere, non indifferenter admitterem in omnibus: nam videretur ex mea sententia, in mari degentes salsuginosisque aquis, aut in magnis rapidisqu; fluminibus viventes, iis qui in minoribus fluviis, neque rapiditate motus, neque bonitate aquarũ insignibus commorantur, difficiliùs pestem sentire, quod etiam admittere videtur Diomed. Amic. *loco proximè allegato.*

Verumenimverò, quoad alia quoque animalia pestis magis aut minùs familiaris esse solet. Inter omnia autem *canes*, & *mulos* peste promptissimè ten- 51
tari dicunt omnes: Cæl. Rhod. *lib.* 17. *lect. Antiq. cap.* 28. Quod etiam poetarum pater Homerus non ignorasse se demonstravit, cùm describens pestem in Græcos ab Apolline Chrysis sacerdotis precibus immissam, 1. *Illiad.* dicebat:

Multos quidem primos invasit, & canes veloces,

Et fortasse illum imitati de hinc alii sunt ut Lucr *lib.* 6. *de rer Nat.* in descript. pestis Athenienſis dicens:

——*Comprimis fida canum vis*
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram.

Et

Et Ovid.7. *Metamorph.* deſcribens peſtem Æginæ moleſtam,ſic exorditur:

Strage canum primo,&c.

Non eſt autem verum, quòd ſemper ita ſuccedat, ſed,ut plurimum, nam in peſte anni 1475.ut narrat Card. *in lib. Hipp.de Alim.lect.*23. *text.* 25. canes non ſolùm non moriebantur, ſed neque eo morbo corripiebantur, cùm tamen equi maximè corriperentur,licèt non morerentur.

Proximè à canibus peſtis præ cæteris obnoxiæ videntur *oves*,& reddit ejus rei rationem Senec.*lib.* 6. *quæſt.Nat.c.* 17.ab his autem cætera animalia, quæ his congenera videntur. Quando tamen ſæviſſima peſtis eſt, omnia indifferenter corripiuntur, & intereunt, quod ut ſignificarent tam Virgilius,quàm Ovidius,nempe peſtem, quam unuſquiſque eorum deſcribit, atrociſſimam fuiſſe,eam nulli animalium pepercíſſe dicunt : prior enim 3. *Georg.in fin.* id ſeq. carmine teſtatur:

Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas,totoque Autumni incanduit æſtu:
Et genus omne neci Pecudum dedit, omne ferarum:
Corrupitque lacus,infecit pabula tabo,&c.

Et Ovid.*loco citato:*

Strage canum primò, volucrumque, avíumque, boumque,
Inque feris ſubditi deprenſa potentia morbi eſt.
Concidere infœlix validos mirátur Arator
Inter opus Tauros,medioque recumbere ſulco:
Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros
Sponte ſuâ lanæque cadunt;& corpora tabunt.
Acer equus quondam,magnæque in pulvere famæ
Degenerat palma,veterumque oblitus honorum
Ad præſepe gemit morbo moriturus inerti.
Non aper iraſci meminit,nec fidere curſu
Cerva, nec armentis incurrere fortibus Urſi:
Omnia languor habet.

Quinetiam inter unam eandemque ſpeciem, cùm mitior peſtis vagatur, individuorum aliqua cernitur differentia: inter homines enim eſt, quando uno
52 in loco ſæviens exteros omnes afficiat,cæteros autem nequaquam, aut difficiliùs: ut Romæ ſæviens Gallis moleſta, Italis autem aut nullo modo, aut multò minus. Foreſt. *Obſerv.lib.*6.*Obſ.*9. quod etiam Cardan. *libro octavo, de variet. capit.* 40. relatus à Schenck. *libro ſexto.tit.de peſt.* confirmat his verbis: *Cum effumus Baſileæ biennio peſtis eos ſolos affixerat, qui eſſent Helvetij, adeò ut eo tempore vix unus aut alter,dictu mirum, Gallus,aut Italus objerit.* Quin etiam aliquando pueros tantùm adoritur, aliquando ſolùm juvenes, interdum ſolas fœminas, aliàs ſolos mares : Fracaſt.*lib.*1.*de contag.cap.* 8. And. Gall.
53 *de peſt. faſc.*3. *in princ.* Utplurimùm autem peſte magis affliguntur plebeij, quam nobiles. Foreſt. *ubi ſuprà*, & Medici omnes : & ex Iuriſconſultis Prævidell. *p. ult.partic.* 15. *num. primo*, magis item juvenes, quàm ſenes : idem Foreſt. *ibid.* & eſt acceptiſſima opinio experientia confirmata, notaturque à Plin.*lib.*7.*nat.hiſt.cap.*50. à Raſi *de peſt. c.* 1. ab Andr.Gall.*ubi ſup.* & ab aliis omnibus, & inter Iuriſconſ.à Præv.*de peſt.p.*3. *part.* 17. *n.* 4. Cùm ergo peſtis omnium animalium genus, & hominum indifferenter proſternit,tunc graviſſima, attrociſſima,& notabiliſſima eſt.

Dicitur præterea minùs aut magis gravis peſtis:
54 ratione indifferentiæ temporum, in quibus viget, minùs enim gravis abſque dubio, quæ aliquando remittit,ut facere plerumque ſolet per Hyemem,& Ver,quàm quæ nunquam cedit,viget enim ut plurimùm in Autumno, ut experientia conſtat, & notatum eſt à Med. Raſ.*de peſt.* Rorar. *contrad.* 2. *in Avic.* Sæptal *de peſt. lib.*2.*cap. ult.* & ex Iuriſconſ. Carrar.*de Med.p.*3.*n.*57.

Inſuper peſtis eò gravior certè eſt,quò plures occidit : cùm enim atrociſſima eſt, nulli parcit, ſed 55
anquam fera inexorabilis obvia quæque animalia depaſcitur, & jure à Rip. *de peſte, part.* 1. *partic.*1. *num.*9.& à Prævid. *ubi aliàs part.* 3. *part.* 13. *num.* 5. & à Foller.*num.*92. & ex noſtris à Langio, *Ep.lib.*6. *Epiſt.* 19. Peſtis dicitur eſſe multò ſævior ferro,hoc 56
enim aliquibus parcit, & aliquando precibus, aut commotâ miſeratione ſuperatur, illa verò nequaquam : quod præcipuè teſtantur peſtes quædam atrociſſimæ: Decem millia hominum ſingulis diebus Romæ periiſſe Veſpaſiano imperante, refert ex Nicephoro Untzer. *in antid.peſt.lib.*1. *part.*1. *diſt.* 2. *num.*1.qui addit exLeonclavio Conſtantinopoli intra 4. Menſes 150. millia hominum abſumpta : & quod etiam mirabilius eſt tempore Carol. IV. Imp. trium annorum ſpatio inter quam plurima, & infinita propemodum hominum millia,centum viginti quatuor millia, & quatercentum vinginti quatuor *Franciſcanos* periiſſe : cujus rei fides apud auctorem eſto. Hæc ex *Untzero*,alia autem exempla datâ operâ prætermittam. Sed præ omnibus graviſſima ea peſtis cenſenda eſt, quæ cum omnibus 57
antedictis conditionibus breviſſimo quoq; temporis ſpatio occidit, omnem locum remediis quibuſcunque adimens,neque permittens ullâ viâ, aut modo ægris ſubveniri,licèt enim ut plurimùm vera peſtis ſeptimam attingat, non tamen excedat, Joub.*de peſt.c.*8. aliquando tamen quatriduo, ut ij morbi, de quibus Card. *in.* 3. *lib. prognoſt. progn.* 1. aliquandò triduo,interdum biduo,aliàs etiam cùm perniciosiſſima eſt,eo ipſo die quo prehendit,occidit nam nonnulli intra viginti,aut etiam intra decem, imò & intra octo, & ſex horarum ſpatium in domeſticis negotiis ſuccumbunt, Alex. Bened. *de febr.peſt.c.*1.Ioub. *ubi proximè*, Foreſt.*lib.* 6. *Obſ.*9. ipſi Medici aliquando inter inviſendum ægrotos in opere ipſo vitam relinquunt.

—— *Itaque ipſos ſava medentes*
Erumpit clades, obſuntque auctoribus artes.

ut Ovid,ubi aliàs. & Virgil.3,*Georg.*

Quæſitaque nocent artes:ceſſere magiſtri,
Phyllyrides Chiron,Amythaoniuſque Melampus.

Recenſet ex aliorum tamen teſtimonio Cardanus 5. *Aphoriſm.*peſtem aliquando graſſatam, in qua cùm brevi momento ſæpius homines ſternutaſſent, ſtatim concidebant animam exhalantes. Refertur quoque à Valeriol. *lib.*3.*locorum comm.c.*18. quod in peſte, quæ anno 1534.in Galliæ Narbonenſis parte vigebat,homines loquentes.ac ſedentes, tanquam fulmine icti,ſtatim peribant [Idem accidit in Italia annno 1348 teſte *Matthæo Villano* &*Guid.Cauliaco* referente *Nardio l.*6.animad. Lucr. 37.] Ergo quantò plures harum conditionum ſimul concurrent, tantò magis perniciosa & notabilis peſtis dicenda, cui idcirco præ aliis privilegiis ſibi à jure conceſſis uti permittatur.

SUMMARIUM.

1 *Signa futuræ peſtis ex Cœlo.*
2 *Signa ex Aere.*
3 *Signa ex anni conſtitutione.*
4 *Signa ex iis quæ circa terram contingunt.*
5 *Signa præſentis peſtis.*
6 *Cognitio ut plurimùm peſti adjuncta.*
7 *Peſtes plures ſimul eſſe poſſunt.*
8 *Signa communia in omni peſte.*
9 *Peſtis cauſa.*

10 *Aër corruptus, propria & immediata causa pestis.*

De signis futuræ, aut præsentis.

QUÆSTIO III.

POnenda jam hic sunt signa nonnulla, ex quibus facilè in cognitionem veniamus quando vigeat pestis, & quia nonnulla quoque pestem præcedere solent, idcircò hæc signa dupliciter dividamus, in ea nimirùm, quæ præsagire solent futuram pestem, & in ea, quæ jam præsentem ostendunt. Utraque autem à nostris auctoribus exquisitissimè percurruntur, & vide, si libet, eos, quos in hujus tituli processu jam citavi. Attulerunt etiam nonnulla Iurisconsulti, ut Rippa, & Prævid. *loc. cit.* Ego quia in hac parte brevis esse cupio, ex omnibus potiora, & majoris momenti seligam, & hic adscribam. Hæc igitur
1 partim sumuntur ab iis, quæ in cœlo & aëre fiunt, partim ab iis qui hîc in ima terra apparent. In cœlo Astrologi considerant magnos Solis & lunæ defectus, conjunctiones infortunarum, malignarumque stellarum, aliosque earundem maleficos aspectus,
2 hos enim semper pestem præcedere docent. In aëre signa quæ notantur, sunt cometarum genus omne, lampades ardentes, lanceæ, capræ saltantes, & aliæ igneæ impressiones, quæ nonnisi ex tempestate maximè intemperata, ac æstuosissima originem ducunt. Minatur quoque futuram pestem aër nebulosus, & pulverulentus, ac crassus, imbribus assiduis humectus, & Austrino vento indesinenter perflatus, quæ omnia adnotantur ab Ovid. *loc. sup. cit*, his carminib.

Principio cælum spissa caligine Terras
Pressit, & ignavas concluſit nubibus æstus:
Dumque quater plenis explevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tennata retexuit orbem,
Lethiferis calidi spirarunt æstibus Austri.

Quam etiam elegantissimè carmine prosecutus est in suis juvenilibus Musis, Philonius, ut sequitur.

Ipsa etiam Cœli facies inimica minatur,
Hinc trabe purpurea flammis, hinc picta figuras
Ostentat visu horribiles, fervoribus Aër
Turbidus extemplò gelidis perfunditur auris.
Quas iterum tepidi commiscent flatibus Austri.

Ex anni quoq; tẽpestatibus pestis futura cognoscitur, nam si ad frigidum siccũque tempus vernum,
3 æstas calida & humida subsequatur, aut annus totus pluviosus & austrinus exstiterit, pestis expectari facilè potest: ad hæc accedunt fulgura crebriora, & gravi odore insignia: quin inter pluendum ranunculæ, & alia quædam infecta semiformata ab aëre una cum rarioribus aquæ guttis descendunt, quæ manifestam, ac consummatam ipsius aëris corruptionem demonstrant.

4 Circa terram autem, & non ipsos plura visuntur: quæ nos de futura peste admonere possunt. Terræ motus imprimis, maximè si magnus sit, aut frequens, qualis hisce diebus in Apulia fuit ex cujus violentia multa oppida diruta sunt, & S. Severi urbs omnino destructa, unde sub ruinis nonnulla hominum millia periere: accidit autem die 30. Mensis Julij hujus anni 1627. quo Terræmotu discursum edidit Io. Ant. Foglia Medicus Neapolitanus. [Idem contigit in Terræ motu Lucretij. *l. 6. multaq; præterea ceciderunt mœnia magnis Motibus in terris, &c.*] terræ item halitus, & vapores crassi, ac graviter olentes id ipsum præmonstrant, sicuti etiam insectorum multitudo, præcipuè eorum, quæ ex magis putri materia ortum ducunt, ut ranæ, & bufones, horum enim animalium multitudo non solùm auget pestem, & per se potest etiam causare pestem, ut ex Iurisconsultis notat Ripa *de pest. 1. part. 1. n. 15.* sed pestem portendit, ut notant Medici. Eadem quoque portendunt carnes, & morticina quæque facillimè putrescentia, & alia his non dissimilia. Variolæ porro, & morbili frequentiores non sine pravitatis indicio, frequentes item prægnantium abortus, & morbi quicunque facillimè pravam naturam induentes, pestem præcedere solent. Sed & bellum, & fames longa si præcesserint, & superiora appareant, pestem proculdubio portendunt, cum aliis, quæ exquisitissimè percurrunt Medici: & vide peculiariter Forestum, Septalium, Amicum, & præcitatos omnes.

Sed cùm jam presens pestis est, manifestissimis 5
signis se prodit. Ipsa primùm ratione animalia carentia cavernas suas, & latibula relinquant, aëris noxam illis in locis recluſi evitantia. Canes & Lupi in rabiem aguntur, ipsa terræ affixa germina marcescunt, panis, carnes, ova aëri exposita citissimè putrefiunt. Vestium, & tegumentorum genus omne humectum præter morem apparet, situmque contrahit. Domestica animalia præ cæteris, sed & reliqua prosternuntur, & in summa omnia languor, ac ter- 6
ror habet, quem in hominibus majorem facit cõtagionis suspicio, quæ in quacunque peste ut plurimũ saltem locum habet: tunc enim ubi unus in una domo ægrotaverit, mox omnes in eadem domo similiter & vicinia ægrotant, aut commoriuntur.

Sed suprà enarrata signa declarant aërem id vitium contraxisse, & computruisse, ipsamque pestem jam irrepsisse: alia tamen sunt præter hæc, quæ individuis ipsis communicaram esse infectionem denotant. Quamquam verò non omnes pestes eosdem morbos, & accidentia secum afferunt, ita ut ob id maximè inter se sint diversæ, imo in una eademque tempestare plures simul pestes vagari 7
possunt, more & naturâ differentes, Valles. *in tertium Epid. sect. 3. part. 3.* tamen id omnes pestes commune habent, ut eâ corrupti illicò faciei colorem in pallidum, aut lividum immutent, spontaneâ, gravique lassitudine detineantur, timore ac terrore corripiantur, & plerumque syncope molestentur, ob aëris nempe in corpus irrepentis venenositatem, sudoribus tenuibus, frigidis, ac diaphoreticis perfundantur, fœtorem anhelitûs 8
expirent, sanguinis stillas è naribus emittant, carbunculis, anthracibus, bubonibus, in inguinibus, & sub aliis, aut parotidibus, tumoribus scilicet in aurium radicibus, pestis præsentiam atteſtentur quæ tamen omnes eruptiones, veluti etiam exanthemata omnia, & peticulæ colore liventes, aut nigræ interdum post apparitionem intro remeent. Vomitus etiam comparare solent putriderum humorum, graviterque olentium, & in summa aut omnia, aut plura signa, & potiora eorum apparere solent, quæ summam, ac conclamatam humorum corruptionem atteſtantur.

Reliquum autem erat, ut de causis pestis aliquid afferremus, quæ plures esse possunt, multisque modis à Medicis considerantur: Ego quia de peste absolutum tractatum instituere non debeo, sed de iis tantùm mentionem habere, quæ ad ipsos Iurisconsultos pertinere possunt, cùm de ea in ordine ad Legale argumentum verba faciam, breviter dicam, causam pestis, ut omnes, qui de eâ verba faciunt, plenissimè docuerunt, duplicem esse, supernaturalem unam, naturalem alteram: supernaturalem ipsum Deum esse non ambigendum, qui mortalium facinora vindici dextrâ hac ratione in hac vita ulciscitur. Hanc causam etiam ipsi Philosophi admittunt. Plutarch. *de sera Num. vind.* & vide alios

cit.

cit. *ſeq. lib. tit.*1. *quæſt.*10. admittunt& omnes Medici,& ejus quoque mentionem habent Juriſconſulti. Ripa *in ſæpe cit. tract. de peſt. part.*1. *num.*8. Prævidell. *ibid. part... partic.*7. *num.*7.

Naturalis autem cauſa eſt aër putrefactus, qui quidem magis conjuncta, & proxima cauſa eſt peſtis propriè dictæ: nam alias cauſas adductas, ut pravam victus rationem, halitus pravos, cloacarum penuriam, immunditiem, & alias his non diſſimiles, nunquam excitare peſtem veram, manifeſtum ex ſuperioribus eſt primò, & per ſe: nam aliquæ poſſunt aërem corrumpendo, etiam peſtem veram excitare, ſed erunt tunc remotiores cauſæ. Sed qui hujuſmodi cauſarum cenſum perlegere cupit, noſtros auctores adeat, præcipuè jam citatos, & præ cæteris Andr. Gal. *in faſc. de peſt. faſcic.*3. Septalium, Amicum, Portum, & alios omnes, & inter Juriſconſ. Rip. *p.*1. *à num.*10. *ad ſeqq.* & Prævid. *p. ult. part.*15. *num.*1.

SUMMARIUM.

1 *Peſtilenti tempore non propriæ tantùm ſalutis unuſquiſque ſatagere debet, ſed etiam alienæ.*
2 *Peſtis ut plurimùm habet adjunctum contagium.*
3 *In cura peſtis à Deo inchoandum.*
4 *Cura præſervativa à peſte, in quo conſiſtat.*
5 *Aër præcipua peſtis cauſa.*
6 *In peſte longè fugiendum, ac tardè redeundum.*
7 *Loci & habitationis delectus.*
8 *Ignis in peſte mira vis.*
9 *Ciborum delectus.*
10 *Cibis pravis utentes peſte facillimè corripiuntur.*
11 *Peſtis tempore confert plurimùm comedere.*
12 *Pauci bibuli peſtis tempore periclitantur.*
13 *Somni conſideratio in peſte.*
14 *Corpus in peſte excrementis liberum ſit oportet.*
15 *Coitus maximè noxius tempore peſtis.*
16 *Exercitium quale conveniat tempore peſtis.*
17 *In peſtilenti tempore reſpirationis neceſſitatem quantò minus fieri poſſit, cavere oportet.*
18 *Animi paſſiones quomodo regendæ tempore peſtis.*
19 *Meticuloſi præ omnibus peſtem incurrunt.*
20 *Muſicæ vis in peſte.*
21 *Ad Magiſtratus quæ agere pertineat.*
22 *Mortuorum cadavera citiſſimè ſepelienda.*
23 *Cloacæ liberæ eſſe debent.*
24 *Peſte infecti ab aliis ſegregandi.*
25 *Peſte infectus an poſſit per viam expelli ex civitate, ſi malit in domo includi.*
26 *Advenæ ex ſuſpecto loco accedentes ad urbem arcendi.*
27 *Quot diebus debeat ſumi experientia in Advenis, an ſani ſint, nec ne.*
28 *Medici quales eligendi tempore peſtis.*
29 *Supellectilia eorum, qui ex peſte obeunt, venalia exponenda non ſunt.*
30 *Balnea tempore peſtis interdicendum.*
31 *Paræi admonitio circa veſpillones, & impios quoſdam homines peſtis tempore.*
32 *Putrida carnes, & piſces corrupti non vendendi.*
33 *Qui agris aliquo modo miniſtrant per aliquam notam ab aliis ſecernendi.*
34 *Lemnii conſilium tempore peſtis.*

De cura præſervativa à Peſte.

QUÆSTIO IV.

1 IN peſtilenti tempore non modò propriæ ſanitatis unuſquiſque ſatagere debet, ſed etiam alienæ, quantò plures enim morbo corripiuntur, tanto evidentiùs imminet unicuique propriæ vitæ periculũ.

2 Quia cùm peſtis ſecundùm plurimum, ut ſæpe jam dictum eſt, adjunctum ſecum habeat contagium facili negotio ab uno individuo in aliud pertranſit, nam facile eſt vicino, aut concive infecto, alium vicinum, & concivem infici. Ea igitur de re unuſquiſque per ſemetipſum, ſed Magiſtratus præcipuè, & qui Juſtitiam populis miniſtrant, in hoc totis nervis, ac viribus incumbere debent, ut contagium omni modo arceatur, vel ſaltem prohibeatur, ne ulteriùs ſerpat. Et ut faciliùs hi noſcant, quibus tunc interdicere concivibus, & habitatoribus, ſubditiſque conveniat: quæ facere, quæ omittere neceſſe ſit, hæc quæ ſequuntur in mentem ſibi redigant, quorum etiam plurima animadvertat quiſquis propriæ ſalutis zelo tenetur, & ea quæ ad ſe pertinent, inviolabiliter obſervet. Neque miretur quiſquam, quòd in hoc titulo hanc partem, quæ primo intuitu omninò medica videtur, non prætermiſerim, quia in hac ipſa parte multa ſunt, quæ ſcitu, & executione neceſſaria ſunt ipſis Juriſconſultis: unde etiam ii, qui inter eos de peſte tractarunt, eam intactam minimè reliquerunt ut Ripa,& Prævidellus,& poſt hos Follerius. ergo antea doceamus, quæ ad unumquemque hominem peculiariter ſcire pertineat, mox quæ ad Magiſtratus, publicaſque nonnullas perſonas ſpectant, detegamus.

Ante omnia à Deo inchoandum, quem ſupplica- 3
tionibus, ac ſacrificiis purâ mente oblatis placandum eſſe certum eſt, id enim ſummum tanto malo cenſerem remedium, cùm ab eo, nec abſque eo unquam peſtis mortales adoriatur: ita faciendum ſuadent Medici omnes præcitati, nec non etiam juriſconſulti, Rip. *part.ult.partic. ult.* Prævidell. *part.*4. *partic.*3. *num.*1. *&* 2. hæc enim agentes, quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Ut *Jonæ* habetur *cap.*3. *verſ.*9.

Sciendum poſt hæc, quòd univerſa cura præſer- 4
vativa à peſte conſiſtit in recto, & convenienti uſu ſex rerum non naturalium, inter quas præcipuum locum obtinet, maximè tempore peſtilenti, ipſe aër, qui nos ambit: Hic enim, ut toties inculcavi, tunc præcipua cauſa morbi eſt: quæ ſi removeatur, 5
facillimè & ipſe morbus removetur, & mors evitatur: à peſte igitur unuſquiſque ſe immunem ſervabit,ſi ab aëre peſtilenti longè aufugiat: tritum enim eſt quod jactatur, citò, ac longè fuge, & tardè redi, ut omnes Medici concludunt, Bened. *de peſtil. febr. cap.* 6. Paſchal. *lib.* 2. *pract. cap.* 9. Andr. Gal. *de peſt. faſc.* 5. Joub. *de peſt. cap.* 10. Foreſt. *lib.*6. *obſerv.* 15. & ex Juriſconſultis Ripa, *ibi ſæpe part. penult. num.*53. Sed quibuſnam fugere liceat, quibus verò non, declarat Untzer. *lib.* 1. *Antidot. peſtil. diſtinct.*3. *med.* 2. Si ergo hoc fieri non poſſit, locus eligen- 7
dus eſt civitate elatior, ventis maximè perflatus, ad Orientem, aut Septentrionem vergens, dummodò venti ab ea parte non ſpirent, in qua peſtilentia viget.

Locus hic neque mortuorum cœmeteria, neque ſentinas, neque cloacas, neque ſterquilinia, neque ſtagnantes aquas, aut paludes, neque hortos, neque arborum nonnullarum multitudinem, ut præcipuè *Ficus* ſunt, & *Nuces*, & *Taxus*, & *Sabina*, veluti Raſ. 30. *contin. tract.* 3. *cap.* 1. admonet, non modo prope ſe non habeat, ſed neque adeò parum diſtantes, ut facilè tetri vapores, & caligines ab iis exhalantes habitationem inficere poſſint: notant horum plurima Alex. Bened. & cæteri Medic. ſuprà cit. quibus addit Georg. Pictor. *de conſervat. valet. dial.* 2, nonnullas herbas, nempe Elleborum, Erucam, & Braſſicam, quarum herbarum, & arborum umbram cæteris herbis adeò noxiam dicit, ut comeſtæ à beſtiis noxiæ etiam ipſæ evadant. Noxia etiam mirum in modum ea loco ſunt, quæ

aquas

aquas vicinas habent, in quibus Linum, Cannabis, Spartum, & hujuſmodi res macerari ſolent, teſte eodem Alex. Bened. & experientiâ ipſa. Ubi autem tales locos ſeligere non concedatur, aër ipſe propriæ domus variis ingeniis alterandus, & emendandus.

8 Focus imprimis aſſiduo, & perenni luceat igne, cujus tanta vis in peſte, ut Hipp. quemadmodum notiſſimum eſt, hoc uno remedio peſtem aliquando Athenis abegerit, & Acron eodem auxilio Agrigentum ab eadem calamitate liberaverit: in ignem ſi fieri poſſit], odoramenta nonnulla injiciantur juxta temporis qualitatem, Feneſtræ verſus meridiem, aut eam partem verſus, in qua peſtis maximè viget, perpetuò occluſæ ſint, & portæ etiam, & aperturæ omnes obſtruantur, per quas Auſter, aut alius quivis noxius ventorum flatus ſubire poſſit, Æſtate floribus odoriferis, aquis item odoriferis diſtillatis, & aceto roſaceo pavimenta irrorentur, dummodò flores corruptionem generare non valeant, cùm putrefiunt. Ab ea quoque parte, in qua vicini peſte infecti jacent, aër, quantum fieri poteſt, abdicandus. Quinetiam conſilio doctorum hominum, nec canes, nec feles, aliave domeſtica animalia, ex vicinis ædibus in proprias commeare, neque propria in vicinas permittenda: hæc enim innoxiè aliquando peſtem circumferunt: ſi quando autem extra domum exire contingat, hora diei ſeligatur matutina poſt Solis ortum, cùm jam ipſius ſplendore omnia illuſtrata ſunt. Calor nimius, aut frigus ſuperfluum, aër caliginoſus, venti, nubes omninò evitentur. Conventus, & hominum frequentiæ, ac cœtus fugiantur, nec indifferenter, aut temerè unuſquisque in do-
9 mum, aut colloquium admittatur. Non Minor debet eſſe ciborum delectus, qui optimi nutrimenti ſint oportet, & concoctu faciles, ac cane pejus & angue ij evitentur; qui facilè corrumpuntur, ſeu qui pravi ſucci ſunt, vel difficilis concoctionis exiſtunt: qui enim hiſce cibis utuntur, omnium Medicorum ſententiâ faciliùs peſte corripiuntur, nec id ipſum ſiluerunt ipſi Juriſconſulti. Ripa *ubi aliàs*, *part.* 1. *num.* 16. *& part.* 3. *num.* 9. Prævidell. *ibid. part. ult. partic.* 15. *num.* 1. Con-
10 fert tamen tunc temporis plurimùm comedere,
11 non ita tamen, ut cruditates generentur: longum enim jejunium, aut præter morem toleratum ſummoperè obeſſe notum eſt: contrà verò adnotatum eſt ab expertiſſimis Medicis, ventri, & gulæ indulgentes minùs cæteris peſte tentari. Plater. *Cent. poſt quæſt. Med. Parad. num.* 43. Foreſt. *lib.* 6. *obſerv.* 9. Quinetiam ipſi jam peſte ægrotantes cogendi ſunt ad plurimum cibum aſſumendum, ex Galen. conſilio *in* 3. *de morb. vulg. part.* 5. *text.* 81. nam evadere dicebat promptiùs eos, qui ſtrenuè, ac utiliter in aſſumendis cibis ſe gerunt, ſibimetipſis vim inferentes: quod etiam ex eo repetit Raſ. 30. *cont. in tract.* 13. *cap.* 1. Qualitates autem ciborum in particulari enarrare hîc non eſt neceſſarium, ſed qui id exquiſitiùs notum habere deſiderat, conſulat ſuprà citatos Doctores de ea re accuratiſſimè pertractantes: illud unum hîc mentione dignum eſt, quod ex Mizald. Untzer. *lib.* 1. *Antid. peſtil. part.* 2. *diſt.* 3. *Med. quint. num.* 2. & ille ex Antonio Ludovico refert, Lampreas nimirum tempore peſtis frequenter comeſtas, innatâ vi contra tam diram luem maximè efficaces haberi.

Potus ſit vinum, ſi uſus fert, æſtate pauciferum, odoris jucundi, mediocris potentiæ, ac ſimiliter ſuave, & quoad quantitatem Potûs, proculdubio non debet eſſe ſuperflua. Non multùm ergo bibendum, licèt Savonar. *de febrib. cap.* 9. *rubr.* 1. notaſſe ſe dicat in tribus, aut quatuor peſtilentiis, quòd pauci bibuli perirent.

Notandum autem ex Untzero, *ubi ſuprà*, Aquam- 12
vitæ tempore peſtilenti omnino noxiam eſſe, neque abſque ratione, cùm Hepar, & ſanguinem incendat, & humores acuat, & exurat: imò laudat, ut publico Magiſtratuum decreto ejus uſus abdicetur. Quòd ſi aqua bibenda ſit, ea ſit puriſſima, leviſſima, tenuiſſima, nullo odore, aut ſapore dotata, fontana, aut ciſternalis: quarum utramque, dummodò cæteris conditionibus non deſtituatur, bonam exiſtimo, licèt ſciam inter Medicos de principatu bonitatis eſſe contentionem. Plerique Hipp. ſequi ſe putant, ſi pluvialem præferant: alij fontanam malunt, cujus opinionis fuit Andr. Thurin. Piſcienſ. Reg. Galliarum & mox duorum ſummorum Pontificum Medicus. qui libellum etiam de ea re conſcripſit, & Epiph. Ferd. *lib.* 1. *Theor.* 13. ſed, ut dixi, ex mea ſententia, utraque in uſum convocari poteſt.

In ſomno quoque eadem moderatio ſervanda, & 13
diurnus maximè evitandus. Sed & ſuperflua vigilia officere cenſetur non immeritò, quòd corpus, aptius faciſſe reddat ad concipiendum morbum: quod ut magis magiſque evitetur, quotidie ipſum ab excrementis congeſtis liberare ſtudendum. Quòd ſi ſpon- 14
te id non ſuccedat, leviori aliquo leniente, aut potiùs ipſis cibariis alvum mollientibus id procuretur: fortia enim, & frequentiùs uſurpata medicamenta abdicanda.

Coitus ab univerſis Medicis mirum in modum 15
vituperatur, quod etiam à Iurisconſultis particulariter animadvertitur: Ripa *part. ult. partic.* 5. *num.* 9. & Prævidell. *part. ult. partic.* 15. *num.* 4. Ab eo ergo non modò in parte, ſed in totum abſtinendum. Unde non ex timore ſolùm contagionis arcendæ ſunt meretrices tempore peſtis ex civitate, ut voluit Ripa *de peſt. part.* 3. *partic.* 1. *num.* 163. ſed etiam quia incitamentû ſunt ad opera venerea, à quibus tunc temporis ſummum in modum, ut dixi, abſtinendum. In cæteris mediocritas laudatur, 16
quemadmodum etiam in exercitio: nam ſi excedat, maximè] damnatur, tum quia ſanguinem magnopere calefacit & acuit, atque ad febrem diſponit, tum quia poros rarefaciendo, & majorem reſpirandi neceſſitatem faciens, in cauſa eſt, ut multò plus circumambientis aëris in corpus ſubeat, quàm oporteat, cùm in peſtilenti conſtitutione maximè conferat, quantò minùs fieri poteſt, reſpirationis neceſſitatem augere. Hippocr. *de Nat. Humana,* 17
quòd aër corruptus quantò minùs inſpiratur, tantò minùs noceat.

In animi denique paſſionibus moderandis unus- 18
quisque diligens ſit oportet. Metus præ omnibus, & triſtitia abdicanda: notatum enim, & refertur à Platero, & à Foreſto *locis ſupra citatis*, Meticuloſos præ omnibus peſtem facilè incurrere, quod 19
etiam inter Iurisconſultos innuere videtur Ripa *part.* 1. *num.* 15. omnino ergo prohibenda cogitatio de mortuis, & ægrotantibus. Hieron. de Manfred. *de Hom. lib.* 1. *cap. ult. in fin.* Neque de morte timendum, niſi in ordine de animæ ſalute. In Deo ſperandum, etiamſi occideret nos, ut ſanctiſſimus Iob dicebat *capit.* 13. *verſic.* 15. Gaudendum cuique eſſe, ſuadent Medici, & adnotat etiam ex Iurisconſultis Ripa *part.* 3. *partic.* 1. *num.* 153. cum paucis, ſed honeſtis amicis hilariter vivendum, Muſicis, ac Melodiis vacare conducit, cùm ſolâ aliquando Muſicæ vi peſtis ſublata fuerit, teſte Plutarch. *in lib. de Muſic. in.* quod etiam Vair. 20

lib. 2.

lib. 2. de faſcin. cap. 11. ex Pauſania adnotavit, ut ex ipſo adnotat Untzer. *in antid. peſtil. libro* 1. *part.* 2. *diſtinct.* 3. *med.* 5, *num* 6. & cum his omnibus mundus cultus corporis eligendus, ac veſtes ſæpius immutandæ.

21 Veruntamen ad ea jam veniamus, quæ ad Magiſtratus pertinent. Hi curare debent maximè, ut Civitas ab immunditiis undequaque libera exiſtat, & aëris corruptione præſente luculentos ignes vicatim accendi jubeant ex lignis, ſi fieri poſſit, odoriferis, ut cupreſſo, Junipero: ſin minùs, ex vitium ſarmentis, aut ex lignis quernis, quæ putrida jam, & emortua non ſint, aut ſitum contraxerint, vel prope paludes, ſtagnanteſque aquas diu jacuerint, aut pluvia, vel quoquo modo humecta ſint.

22 Mortuorum cadavera quàm citiſſimè ſepulchris mandari, & altè defodi curent, quia citiſſimè putreſcunt. Paræus *lib.* 21. *cap.* 10. & præcipuè à cadaveribus brutorum, ſi quæ peſte tentantur, omnino civitatem repurgare, quamquam ubi peſtis bruta etiam moleſtet, conferret ex mea ſententia ea omnino à civitate amovere, & expellere, antequam inficiantur. Unde Paræus, *ubi ſuprà*, occidi omnia jubet, præcipuè feles, canes & alia domeſtica animalia, quibus præ cæteris connumerandi ſunt porci, quia eorum excrementa aërem venenoſum
23 maximè reddunt, ut ſcribit Georgius Pict. *de conſervanda ſanit. dial.* 2. cloacas liberas eſſe jubeant,
24 ac ſi ad repurgandam civitatem non ſufficiant, novas conſtruendas curent. Peſte infectos ab aliis, quantùm fieri poteſt, ſegregent, aut eos in propria domo, ut fieri alicubi ſolet, portis muro obductis, vel obſignatis retinendos, aut in locum ad eam rem deſtinatum aſportandos curantes. Ita faciendum admonent ipſi Medici, & præ cæteris Maſſa *De febr. peſtil. tract.* 2. *cap.* 1. Paræus *lib. cit. capit.* 10. Cæſalpin. *lib.* 3. *cap.* 52. Septal. *lib.* 4. *de peſt. cap.* 6. Untzerus *in Antidot. peſtil. lib.* 1. *diſtinct.* 2. & ex Iu-
25 risconſultis Ripa *part. ultim. partic.* 1. *num.* 3. Utrum autem per vim expelli poſſit quis ex civitate, ſi malis in domo includi, decidit idem Ripa *ibidem*, *num.* 4.

26 Sed & maximâ curâ arcendi ſunt advenæ omnes, qui à peſtilenti loco veniunt, vel undecunque, dummodò ſanitatis teſtimonium ſecum non habeant, ne in civitatem intromitantur, ſantequam per aliquot dies experientia ſumatur eorum ſanitatis, Cæſalpin. *lib.* 3. *cap.* 52. Septal. *lib.* 4. *cap.* 7. & ex Iurisperitis Prævidell. *part.* 4. *partic.* 21. & Foller. *in appar. ad inſtruct. Urban. num.* 171. Quantum autem debeat eſſe hoc dierum ſpatium à Jurisconſultis
27 deciſum non invenio. Niſi apud *Follerium in tract. de cuſtodia Peſtis num.* 171. *& ſeqq.* Conſuetudo eſt quadraginta dierum, de qua teſtatur Septalius, *ubi ſuprà*: & hunc ipſum terminum deſiderat Cæſalpinus, *ubi ſuprà*: ſed Septalius putat, atque contendit, eſſe juſto longiorem: palam enim eſt, inquit ille, quòd accedentes ad locum ſanum vel habent intra ſe Peſtis contagium: vel extrà: nempe quia per contactum externa membra ſeminia peſtis retinuerunt: ſi habeant intus, impoſſibile eſt per tot dies venenum tam atrox, & exitiale abſque eo, quòd ullam de ſe ſignificationem præbeat, latitare: ſi extrà, hoc facilè poteſt emendari per corporis mundationem, & lotionem ex aceto, aliiſque ad rem facientibus, per raſuram omnium pilorum, per veſtium commutationem, & hujusmodi. Reſtringit etiam hunc terminum Maſſa, *ubi ſuprà*, ad plus minus pro infectionis majori, vel minori ſuſpicione. Sed in his cum ſecuritate, non cum conjecturis agendum.

Præterea Medicos, Chriſtianâ pietate & ſapientiâ inſignes, in ægrorum curam deſtineſit, quemadmodum etiam expertiſſimos Chirurgos, non quales ut plurimùm nunc eam autem exercent, audaciâ & temeritate, nec non etiam craſſâ ignorantiâ notant, & qui vix tonſtrinam exercere norunt. 28

Supellectilia, & tegumenta, veſtesque eorum qui peſte perierint, venales exponi non permittant, ſed omnia igni mandanda præcipiant, quæ fomitem, & ſeminia morbi conſervare facilè poſſunt, ut lineæ ſunt, & laneæ veſtes, & his ſimilia: quod admonere non reliquerunt Medici ſuprà citati, Paræus, Septalius, Cæſalpinus, Untzerus, & alij, necnon etiam Iurisconſulti, Ripa *loco citato, numero* 43. Sed mirum videtur quod narrat Alpin. *lib.* 1. *de Medic. Ægypt. cap.* 17. ni-mirum videtur quod tegumenta, & ſupellectilia eorum, qui peſte ibi laboraverint, etiamſi aliàs contagium retineant, tamen menſe Junio omne contagium exuere, & illis turò uti quemlibet poſſe. Quæri autem hic poſſet, cur veſtes eorum, qui peſte corripiuntur, & ab ea immunes evadunt, non afficiant tangentes contagio, ut veſtes, aliaque tegumenta eorum, qui peſte moriuntur. Sed de hoc aliàs. 29

Quæ verò merces admitti tutò poſſint, quæ non docet exquiſitiſſimè Maſſa *ubi ſuprà tract.* 2. *c.* 1. docetque nullum Frumenti genus, nec aromatum, neque fructuum, neque carnium quarumcũque, dummodò putruere non incipiant, neque Vina, neque acetum, nèque oleum ſuſpicionem ullam habere, quia talia contagium non ſuſcipiunt. Præ omnibus autem tutiſſima ſunt metalla omnia, ſed ſi qui ſacculi, aut tegumenta, vel funes & hujusmodi alia cum his fuerint, omnia comburenda præcipit: nam, quæcunque ex lino, cannabe, ſparto, cotone, lanâ bombace, pilis, vellere, ſenico, plumis, & hujusmodi rebus conficiuntur, facilè infectionem ſuſcipiunt. Quibus addenda quæ ex arundinulis, juncis, & hujus generis materiâ componuntur. De his inter Juris conſultos Follerius, *ubi ſuprà. n.* 148. quæ conformia ſunt iis quæ Medici quoque circa hoc negotium aſſerunt.

Quoad receptionem Epiſtolarum, multis uti debere nos cautelis, admonet Salvian. *Variar. lect. lib.* 1. *c.* 7. quòd charta facillimè infectionem ſuſcipiat, & retineat: itaque & circa hoc peculiaris diligentia adhibenda, ut ſuffitibus, antequam legendas litteras ſuſcipiamus, eas repurgemus, & liquoribus etiam nonnullis imbuamus, aliisque cautelis utamur, ab ipſo Salviano conſcriptis.

Balneis portò, ſi quæ publica extant, interdicere 30
Magiſtratus oportet, cùm qui iis utũtur Peſtem facillimè concipiant, ut adnotant Raſis 30. *contin., tract.* 13. *c.* 1. Ioub. *de peſt. c.* 9. Andr. Gall. *de peſt. faſcic.* 3. *in principio.* Plater. *quæſt. Medic. Parad. centur. poſth. quæſt.* 43. Paræus *de peſte. c.* 10. alij: quare iis unusquisque pro poſſe abſtineat.

Cæterùm idẽ Paræus in his recenſendis diligen- 31
tiſſimus, admonebat quoque Judices, & Magiſtratus ut maximopere animum adverterent ad impios quosdam veſpillones, & alios hujus farinæ homines, qui, ut ex majori ægrotantium, ac morientium copia plura congerant, ſibique acquirant, per linimenta quædam, oſtiorum annulis, & peſſulis aliisque locis illita, peſtis contagium in ſanos transferunt, aut aliâ malitiâ utentes, mortuorum ſupellectilem in ſanas domos comportant milleque

milleque aliis ingeniis inexpiabili impietate peſtem propagant: quod non ſemel tantùm, aut bis, ſed multoties eveniſſe conſtat, ut ſuperiori quæſtione dixi. Et extat de ejus rei veritate novum, ſed graviſſimum teſtimonium *Philomuſi in ſuis juvenilibus Muſis n. 12. in ſeqq. carminibus.*

——*Homines quia crebra neſandos*
Fama refert ſcamna, & poſtes, & ſtrata viarum,
Templique mortifero circumſparſiſſe veneno.

32 Curent etiam iidem Magiſtratus, ne putridæ carnes, & olidi, ac ſemiputrefacti Piſces væneant, ſed eas, eoſque quamprimùm putrere inceperint, abjiciendos curent; ne ex eorum comeſtione vulgus pravis humoribus congeſtis facilè peſtem concipiat,
33 quod prudenter præter Medicos admonet ex Legum peritis Ripa, *ubi aliàs.* Quin etiam, quia contingit cum ægrotantibus viventes innoxiè aliquando peſtem circumferre, ut ſunt Miniſtri omnes, Sacerdotes, Medici, Chirurgi, Barbitonſores, Pharmacopolæ, Veſpillones, Obſtetrices, & aliæ perſonæ, non permittendus quiſquam eorum eſt in publicum exire, niſi aliquâ conſpicuâ notâ ſe notum unicuique faciat, ut poſſint alij ejus evitare occurſum, & allocutionem.

Cuſtodes etiam portarum conſtituantur, qui advenas peſte infectos, aut de peſte ſuſpectos, aut etiam, qui bullettinum ſanitatis ſecum non habent, à civitate, & loco repellant, & arceant. Sed de cuſtodibus portarum tempore peſtis, & de bullettinorum qualitate, & aliis adhæc pertinentibus qui plura ſcire cupit, ex Jurisconſultis adeat Ripam, *part. 3. partic. 2. per totam.* Follerium, *ubi ſuprà.*

Denique non inane conſilium cenſendum, quod
34 ex Levino Lemnio refert Paræus, *ubi ſæpe*, & laudatur ab Untzero, *ubi aliàs lib. 1. part. 2. diſtinct. 3. num. 2.* nimirum quòd murales cannæ, & machinæ tormentariæ, pulvere bombardico repletæ, abſque globis ſub diei, noctisque crepuſculis explodantur: eorum enim ictu, ac vehementiâ impulſus aër exagitatur, & eâ agitatione repurgatur: præterquam quòd etiam ipſius bombardici pulveris qualitate alteratur, & exſiccatur, adjunctâ maximè ipſius ignis virtute. Hæc & alia permulta ad Magiſtratus pertinent, quæ ſi quis luculentiùs enarrata deſiderat, ex noſtris conſulat Paræum Untzerum, & præ omnibus Septalium *lib. 4.* & ex Iurisconſultis Ripam, & Prævidell. & Follerium, *locis citatis.*

PARS SECUNDA
De Contagio.
SUMMARIUM.

1 *Contagium quid.*
2 *Contagium triplex*
3 *Morbus contagioſus quis.*
4 *Contagioſus morbus duplex.*
5 *Contagioſi morbi benigna natura, ſeu contrà*
6 *Scabies quid.*
7 *Lepra quid, ſcrophula.*
8 *Elephantiaſis quid.*
9 *Alopecia eſt particularis quædam Lepra.*
10 *Anchores quid.*
11 *Lippitudo quid.*
12 *Tabes eſt ulcus Pulmonis.*
13 *Febris Hectica quid.*
14 *Lues venerea, ſive Gallicus morbus quid.*
15 *Febris quid ſit.*

Quid ſit Contagium, quid, & quotuplex contagioſus morbus.

QUÆSTIO V.

1 QUibus ex cauſis inter Legales materias etiam de contagio verba facere operæ pretium duxerim, in principio hujus tituli notum feci: dicam
2 ergo jam quid ſit Contagium, & quid, & quotuplex contagioſus morbus. Contagium aliàs eſſe dixi infectionem tranſeuntem ab uno individuo in aliud. Mercatus autem *lib. 3. de Morbis, p. 1. cl. 1. q. 176. num. 11.* dixit, Contagium eſſe id, quod alteri ab altero præſtatur, dum paſſum fiat ejuſdem ſpeciei cum agente. Dixi etiam illud eſſe triplex, immediatum, quod ex ſimplici atque immediato contactu fit duorum corporum animatorum. Secundum per fomitem, & eſt mediati prima ſpecies, nempe inanimatæ cujuſdam rei, & contagij ſemina retinentis, ut veſtes ſunt, ſuppellectilia, & hujuſmodi. Tertium, quod eſt ſecunda ſpecies mediati, fit mediante Aere inſpirato, qui ab uno individuo expiratus, quod jam infectum eſt, ab alio inſpiratur, unde ex inquinamento prioris per illum Aërem expiratum inquinatur poſterius. Morbus autem qui contagioſus eſt,
3 dicitur morbus per contagium communicabilis,
4 uno, vel pluribus ex ſuprà commemoratis modis. Eſt autem contagioſus morbus duplex, nam quidam eſt benignæ naturæ, in quantum vitæ nequaquam inſidiatur, ſaltem non manifeſtè, aut non tam ſubitaneam aſſert perniciem, licèt temporis diuturnitate nonniſi cum vitæ præjudicio afficiat: alius eſt malignæ naturæ, ut qui vitam facili negotio, ac manifeſtè & evidenter eripiat. Morbi prioris claſſis ex humorum putredine habent quidem originem, non tamen conſummatâ, ſed magnæ activitati junctâ: poſterioris etiam venenatâ qualitate participant. In priori cenſu ſunt Scabies, & ejus ſpecies omnes, Strumæ,
5 de quibus vide Zacutum, Medicum doctiſſimum *lib. 1. de Med. princ. hiſt. cap. vel hiſt. 84. in comm.* Tinea puerorum, Alopecia dicta, eorumdemque anchores, & favi, lippitudo, vel Ophthalmia Græcis, ulcera quædam maligna, ſimplex febris, nam, ut teſtatur Fracaſt. *lib. 2. de Contag. cap. 1.* nonnullæ febres ſunt contagioſæ, cùm tamen ſint ut plurimùm ſalubres. In poſteriori cenſu ſunt Rabies. Morbilli, & Variolæ, & ipſa peſtis. Quamquam enim morbilli, & Variolæ interdum nullâ pravitate infeſtæ videantur, aliàs tamen peſtilentes evadunt; & cùm multiplicantur, ipſam peſtem portendunt, ut omnes qui de peſte ſcripſerunt, fatentur in capp. de ſignis prognoſticantibus futuram peſtem. Sunt tamen alij morbi, Medij jure vocandi, quòd neque perniciem illicò afferant, neque tamen vitæ omnino parcant, ſed procraſtinantes locum remediis concedant. Hujuſmodi ſunt Lepra, ejusque genera omnia, & Elephantiaſis, ſi modò diverſus morbus à Lepra eſt, Tabes, ſeu Pthiſis, Hectica febris, Epilepſia: nam notatum, eſt, hanc quoque per contagium fuiſſe communicatam. Bertin. *lib. 22. ſua med. c. 3.* imò etiam per ſolum viſum: teſte Chriſtoph. à Vega *libro 3. art. Med. cap. 12.* quorum uterque refertur à Schenckio *lib. 1. Obſerv. tit. de Epilepſia.* Sed quod magis mirandum eſt, communicari per contagium non ſolùm hominibus, ſed etiam animalibus extra humanam ſpeciem, docet Card. *lib. 7. de variet. cap. 33.* qui ancillam morbum hunc cani, & cato communicaſſe refert. Tandem inter hos morbos comprehenditur etiam Gallicus, ut notum eſt.

Omnes hi morbi (exceptâ lippitudine, ac Strumis)

Strumis) enumerantur ab iis, qui de contagio ex profeſſo verba fecerunt. Fernel. *lib. 2. de Abd. rer. cauſ. cap.* 11. Sal. *de febr. poſt. cap.* 11. Fracaſt. *de contag. lib.* 1. Hucher. *lib.* 4 *de febr. cap.* 7. Sed miror cur de lippitudine nullus meminerit, cùm tamen Ariſt. 7. *probl.* 4. & Alex. *lib.* 4. *probl.* 14. quærant, cur lippitudo ſit contagioſa? quod etiam vulgo perſuaſum eſt, & notatur à Juriſconſultis, Martin. de Arles *de ſuperſtit. num.* 36. Quomodocunque tamen ſit, non tanti momenti is morbus profecto eſt, ut de eo peculiarem mentionem habere oporteat.

Cæterùm ne Juriſconſulti nominum varietate decipiantur, breviter quid ſinguli horum morborum ſint, exponamus, ii præſertim, qui minùs noti eſſe poſſunt. Scabies autem præ omnib. notiſſimus morbus eſt, ſed ejus genera quamplura ſunt pro humorum differentia, & miſcella. Definitur verò ſcabies pruritus in univerſo corpore, vel in pluribus ejus partibus, ex aſperitate, vel puſtulis, vel ulcuſculis ejuſdem proveniens, aliquando verò ſolus pruritus totum occupat corpus, non tamen puſtulæ ullæ ad ſenſum ſunt manifeſtæ, neque ulla ulcuſcula, ſed bene aſperitas quædam: non mutat autem nomen, niſi quando prædicta apparent. Quòd autem quædam ſcabies humida ſit, quædam ſicca, notum eſt, & quòd illæ habeant ſub ſe plures alias ſpecies: ſed hæc pro nunc ad hoc argumentum minùs pertinent Strumæ, quæ & ſcrophæ, ſeu ſcrophulæ dicuntur tumores ſunt in collo, & in axillis evenientes, ac ſe propagantes, ex materia partim frigida & mucilaginoſa, partim terrea ac melancholica, & dicuntur ſcrophæ, ex eo quod plures gignant conceptus nempè minores tumores, quorum ſunt fœcundiſſimæ, veluti ſcrophæ. Quàm verò hi tumores ſint contagioſi, videant doctorem Zacutum Luſitanum, multæ conditionis, ac indefeſſæ lectionis virum, cujus *libri de Principum Medicorum hiſtoriis*, doctis omnibus mirum in modum accepti, ac commendati ſunt.

Lepra porrò dicitur cutis aſperitas cum pruritu, & corporis colliquatione, depaſcens profundas corporis partes orbiculatim, atque piſcium inſtar ſquãmulas ex ſeſe emittens. In hoc enim morbo ſolidarum partium nutrimentum, ob pravam ſui qualitatem, aſſimilari non poteſt, unde ad cutim tranſmiſſum, & extraneum calorem concipiens, pruritum facit ingentem, & ob admixtionem ſiccæ melancholicæ, ac terreæ ſubſtantiæ à cute abſcedit, & in ſquammulas abit. Non diſſimilis morbus eſt Elephantiaſis, quamquam non deſunt contrariæ opinioni adhærentes: ſed eſſe hos unum eundemque morbum teſtatur Mercurial. *lib.* 2. *de morb. cutan. c.* 5. apud quem Lepræ genera, & ſpecies videre licet ab ipſo accuratiſſimè enumeratas. Si quis autem Medicorum Lepræ veræ ſigna perlegere cupit, præ cæteris practicis legat Baverium *in conſil.* præcipuè, quod incipit: *In nonnullis dictum eſt, &c.* nam diligenter, & exquiſitè ea percurrit, & differentias omnes edocet. Non prætereundum tamen hîc, ſignum illud confirmatæ Lepræ exploratiſſimum, de quo Lemn. *lib.* 2. *de occul. nat. mir. c.* 51. *in fin.* quod eſt hujuſmodi: Uſti plumbi pulverem in matulam, urinam Leproſorum continentem, conjicit, ſi enim fundum petat, vel Lepra illa vera non eſt, (vel non eſt, addo ego, confirmata) ſi verò ſuprà natet, ſignum eſt manifeſtiſſimum veræ, & confirmatæ lepræ. Plures inſuper experientias ponunt alii, ad cognoſcendam veram lepram, & præcipuè Valleſcus *in Philon. lib.* 7. *c.* 21. inter quas eſt, quæ ex ſanguine deſumitur ſupernatante in âqua clariſſima. Alia autem ſigna videri poſſunt apud ipſum, & alios auctores, Arabes præſertim, & præ cæteris Julianum Palmarium. Celebris & ea experientia eſt, quæ deſumitur à ſenſus ſtupiditate, nam renuiſſimam acum in corpus leproſi infigunt, & ſi minùs ſentiat, lepra eſt confirmata. Valleſc. *ubi ſuprà.* Paræus *lib.* 19 *cap.* 7.

Lepra quædam particularis videtur eſſe Alopecia: nam conveniunt in eſſentia, cùm non minùs Alopecia, quam lepra ex pravo nutrimento fiat, & non minùs quam lepra univerſo corpori, cuti capitis Alopecia obſit, & utraque ſit corruptio, & alteratio carnis ſuperficialis. Ariſt. teſte, 10. *Probl.* 20. & rectè notatur inter Juriſconſultos à Gloſſ. *in c. voluiſſent de pœnitent. diſt.* 1. quòd lepra in Capillis dicatur Alopecia. Licet autem velis eos morbos differre, tamen negari non poteſt, eos congeneres eſſe: nam & Ophiaſis, quæ maximè ſimilis eſt Alopeciæ, præcedere ſolet lepram, & iis eſſe præcipuè infeſta, qui in Elephantiaſim proni ſunt. Piſo *lib.* 1 *pract. c.* 1. Quinetiam uterque morbus eodem med. curatur. Cardan. *in lib. de Hippocr. de Alim. lect.* 32. *text.* 31. 9

Achores ſunt ulcera capitis humida, quæ appellant vulgò *lattime*, quod fortaſſe ex lactis vitio manare credantur, vel quod lactentibus pueris ſint familiaria. Manard. *lib.* 17. *Epiſt.* 2. Huic morbo non diſſimilis eſt, qui favus dicitur, de quibus tamen alia ſuper addere præſentis loci non eſt. 10

Lippitudo quid ſit, dixi *lib.* 2 *titul.* 3. *q.* 10. quod ſit inflammatio tunicæ oculorum adnatæ. Tabes verò, ſeu Phthiſis ulcus pulmonis eſt, ex quo conſumptiva febris, Hectica dicta, generatur, vel ad quod potiùs ea febris conſequitur: quæ febris Hectica (nam & ipſa aliquando contagio communicatur) eſt calor naturalis mutatus in igneum, ſolidas ipſius cordis partes obſidens. Lues autem Venerea, Gallicus dictus morbus, adeò pluribus notus eſt, ut aliâ explicatione non indigeat. Dici tamen poteſt infectio, ſeu contaminatio maſſæ ſanguineæ, ex coitus præcipuè inquinamentis, vel alio modo per contagium communicata, ex qua infectione plures apti ſunt pullulare morbi, naturâ, & ſpecie differentes: & licet alii aliter hunc affectum definiri malint, mihi pro nunc ad rem meam hæc definito ſatisfacit. 11 12 13 14

Quid ſit denique febris, Juriſconſulti *in l. quæſitum, ff. de re judic.* dixerunt, eſſe motum corporis contra naturam. Medici dicunt, eſſe calorem extraneum in corde accenſum. Sed hæc de his ſatis. 15

SVMMARIVM.

1 *Contagioſi morbi non omnes ex quibus vis in quasvis perſonas tranſſruntur.*

2 *Ob contagioſum morbum de novo advenientem dirimi poteſt matrimonium initiatum, non autem conſummatum.*

3 *Ex quibus nam morbis leve periculum contagionis impendeat.*

4 *De Epilepſia leve contagionis periculum imminet.*

5 *Intabe majus periculum junioris conjugis à ſeniore, quam è contrà.*

6 *Periculum infectionis prolis naſcituræ ex conjugibus qualenam ſit.*

7 *Ex lue venerea quando exiſtimandum dirimi jure poſſe matrimonium.*

8 *Ex Morbillis, & Variolis etiam peſtilentibus, ex ipſa peſte, ex rabie an dividi debeat matrimonium.*

9 *Moniales habent juſtam cauſam relinquendi monaſterium, ubi in eo vigeat contagioſa infirmitas*

nitas, declara ut numer. ſequentibus.
12 *Contagioſo morbo laborantes expelli poſſunt ex civitate, declara ut ibid.*
13 *Quartus caſus circa redditionem debiti matrimonialis, ubi alter conjugũ contagioſo morbo laboret*
14 *Sanus conjunx tenetur reddere debitum Leproſo. diſtingue ex aliis, ut n. ſeq. dicunt n. 11.*
16 *Sanus conjunx an teneatur cohabitare cum leproſo*
17 *Non ita inficitur ſanus conjunx a leproſo per coitum, ut per cohabitationem, falſum ibid.*
18 *Lepra inficit etiam per halitum.*
19 *Quæ per contagium ad diſtans inficiunt, multò magis per contactum id præſtant.*
20 *Non infectus poteſt alios inficere, & quomodo.*
22 *Ex coitu cum leproſo imminet evidens periculum infectionis.*
23 *Sanus conjunx non tenetur reddere debitum infirmo peſte vel rabie laboranti.*
24 *Sanus conjunx an teneatur reddere debitum infirmo Tabe infecto.*
25 *Coitus Tabidis maximè noxius.*
26 *Sanus conjunx an teneatur reddere debitum infirmo Gallicâ lue laboranti.*
27 *Si unus conjugum commercium habeat cum externa perſona Gallico modo infecta, an alter teneatur ad redditionem debiti.*
28 *Nonnulli cum infectis perſonis rem habentes non inficiuntur, & tamen alios inficiunt.*
29 *Ob adulterium an liceat denegare debitum.*
30 *Contagioſus morbus quando impedire debeat profeſſionem.*

Jurisconſultorum aſſertiones nonnullæ circa contagium, & contagioſos morbos, quibus in caſib. locum habeat.

QVÆSTIO VI.

STatuendum imprimis, antequam ad particulares caſus veniamus, contagioſos morbos non 1
æquè omnes ex quibusvis in quasvis perſonas contagio transferri: alios item facili negotio hac ratione contagio afficere, nonnullos verò faciliùs aliâ: Nam de priori parte patet, quod neque Alopecia, neque Phthiſis adeò ex teneriori ætate in maturiorem, ut ex maturiori in teneriorem transferri facilè poteſt. De poſteriori parte notum eſt, quòd Lues Venerea coitu maximè, & accubitu, dehinc etiam convictu, & conſuetudine communicatur, ut etiam Phthiſis, ſeu Tabes, Scabies, & hujuſmodi: peſtis autem ſola expiratione, ut etiam Lepra, de qua & aliàs dixi: & infrà dicam. Alii præterea morbi certas perſonas invadunt & contaminant, alii verò indifferenter omnes: nam Tabes, Phthiſis, Alopecia teneriotibus maximè ætatibus noxiæ, aliis perſonis maturiorem ætatem agentibus non ita: contrà Peſtis, Scabies, Lepra omnibus indifferenter communicantur. Sic etiam & alia nonnulla in quæſtionis proceſſu adnotanda veniunt, ut dicemus: hîc enim examinabimus caſus nonnullos circa contagioſos morbos evenientes, ut apertiſſimè dehinc pateat quando, & in quibus caſibus concluſiones, & aſſertiones Jurisconſultorum locum ſint habituræ, quas recenſui in principio Tituli, quarum prima eſt, quòd ob contagioſum morbum de novo, aut quomodocunque evenientem dirimi poſſit matrimonium initiatum, non tamen quòd ſit conſummatum: Circa quam concluſionem, licèt aliquòd dubium interveniat, minùs de ſponſalibus dubitatur, ut per Auctores ibi per me adductos. Circa primam partem concluſionis (quia cùm multò majoris momenti ſit, & quæ in ipſa locum habebunt, multo magis procedent in poſteriori parte) conſiderari poteſt periculum contagii non modo reſpectu conjugum, ſed reſpectu prolis ex matrimonio naſcituræ. Secundò, conſiderari poteſt eventus morbi, ipſiusque natura, nempe an pertinax morbus ſit & rebellis, & ob id nulla ſpes ſit ægrum ab eo convaliturum: an vero contrario modo ſe habeat, aut ſaltem mediocriter, ita ut licet cum difficultate, poſſit tamen æger ab eo convaleſcere. Tertiò, conſiderari poteſt qualitas periculi, quod vel imminens ſit, & de ipſius Conjugis ſani vita, vel ſit tantùm de ſanitatis detrimento, aut etiam de turpitudine. Morbi item aut ſunt inſtantanei, aut permanentes: inſtantaneos voco pro nunc, qui bevi dierum ſpatio, aut quatuordecim, aut viginti, aut etiam unius, vel alterius menſis, aut anni finiuntur: permanentes voco, qui diù perdurant, aut toto vitæ curriculo, & ad mortem uſque hominem concomitantur.

Itaque periculum leve imminet ex morbo levi, 3
ut ex Ophthalmia, ex ſimplici ſcabie, aut ſimpliciſſima febre & morbis aliis his non diſſimilibus. Et licet in Ophthalmia, & in febre periculum non ita certum ſit, ut in ſcabie, quæ multo magis contagioſa eſt, tamen neque in hac, neque in ulla illarum poterit eſſe locus diſſolutioni matrimonii, aut ſponſalium, quæ juramento firmata ſint, tanquam ſi nullum omnino adeſſet impedimentum. Quod ob levitatem eorum morborum, qui nullius conſiderationis in hoc caſu videntur, ulteriori probatione non eget.

Idem etiam in Epilepſia habebit locum: licèt 4
enim majus multò ſit periculum in hoc morbo, quàm in prædictis, tamen periculum ex hac non eſt certum & evidens, cùm non ſoleat Epilepſia ſecundum plurimum per contagium de facili communicari. Communicatur tamen filiis, & deſcendentibus. Sed neque hanc puto eſſe juſtam cauſam ſeparationis matrimonii, aut ſponſalium, ob periculi incertitudinem: quia licet Epilepticus interdum Epilepticum generet, cùm Epilepſia ſit morbus hæreditarius, tamen hoc de futuris contingentibus, non de neceſſitate evenientibus. Contrà tamen dicendum videtur in Tabe, in Lepra, in gravi Lue Venerea, in Alopecia: nam in tabe grave, & evidens periculum vitæ imminet juniori conjugi à ſenioti, non tamen tam evidens ſeniori à juniori, ut dixi. Idcirco non in uno caſu 5
matrimonium, ſeu ſponſalia dirimi poterunt, in alio non, quia morbus permanens eſt. Id tamen intelligendum de jam confirmata Tabe, non de incipiente, quia hæc amoveri facilius poteſt. Idem in Lepra confirmata dicendum, ſed abſolutè, quia omnibus communicabilis, tam ſenioribus inquam, quàm junioribus: præterquam quod habet cum ſe notabilem deformitatem, ut etiam habet Alopecia.

Sed quid de periculo, quod imminet proli ex ma- 6
trimonio naſcituræ, ne eodem morbo infecta naſcatur, vel poſt inficiatur? Dico, quòd ſi Lepra in parentibus curationem recipit, poterit prohiberi quin proles inficiatur: ſin confirmata ſit, & curationem non recipiat, poterit & ob id, & ob ſupradictam cauſam concluſio Jurisconſultorum locum habere.

In Lue Venerea, ſi gravis ſit, nempe tumoribus, ulceribus

ulceribus malignis, doloribus perpetuis, Alopeciâ, gonorrhœa virulentâ, & aliis ſymptomatib. concomitata, abſque dubio matrimonium dirimi poterit, quia communicabilis ab omnibus in omnes, & quia notabilem affert turpitudinem, & quia morbus permanens eſt, & ſi ſit confirmatus, nunquam curabilis.

Ob morbillos, & variolas etiam peſtilentes, ob Peſtem ipſam, ob rabiem, licèt ex omnibus evidens periculum vitæ inſtet, præcipuè autem ex peſte non poterit dirimi matrimonium, neque ſponſalia, ſi juramento firmata ſint: ratio eſt quia etiamſi ſint contagio à quovis in quoſvis communicabiles peſtis duntaxat, & Rabies, necnon vitæ ſummopere inſidientur, tamen inſtatanei ſunt, & qui facillimè aut occidunt, aut hominem ſanum deſerunt: idcircò abſq; injuria, & ſine ullo incommodo poteſt attendi eorum exitus, qui ubi in bonum terminet, matrimonium ſuum locum habere facilè poteſt, cùm nihil impedimenti poſt eorum amotionem relinquatur.

8 Declaranda tamen hæc omnia ſupradicta ſunt reſpectivè, quoad ſeparationem matrimonii non conſummati, vel ſponſalium: vel certè ejuſdem matrimonii, quoad ſeparationem thori.

Secundus caſus circa contagioſos morbos eve-
9 niens eſt, quòd Monialibus concedi poſſit licentia exeundi ex uno monaſterio, & ingrediendi aliud monaſterium, ubi in eo ſit contagioſa infirmitas, ex qua ipſæ abſque dubio ſint in manifeſtiſſimo periculo poſitæ, niſi quæ jam infectæ ſunt, ejiciantur. Ita deciditur in conſtitutione Pii Quinti, quam habes apud Navarr. *de Regul. comm.* 4. *n.* 47. & apud Rodetic. *q. Canonic. & Regul. tom.* 1. *q* 49. *art.* 4. apud Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 102. *n.* 14.

In hoc caſu de duabus tantùm infirmitatib. men-
10 tio habetur, de Lepra nimirum, & Epidemia, nempè peſte: (abutuntur enim hîc Juriſconſulti, ſeu Canoniſtæ voce Epidemiæ) ſed eam conſtitutionem extendi etiàm ad alios morbos contagioſos, ſi qui ſint, aut eſſe poſſint, ut Hecticam febrem, Tabem, Rabiem, & alios, tenet idem Barboſ. *ibid. n.* 16. *& ſeqq.* Et ex Medicis *Sebaſtian. de Soto in libell. de infirmit. ob quas Moniales exire poſſunt à clauſura propoſit.* 2 *& ſeqq.* Neque videtur contrariari, imò potiùs aſſentiri Navarr. *ubi ſupr. n.* 49. qui etiam prædictam conſtitutionem extendi vult ad morbum non contagioſum de quo Medici docti, ac pii judicent aliquam morituram, niſi ex monaſterio exire permittatur, & ſalubriorem locum eligat: de qua ampliatione nonnulla dicam, Deo dante, *lib.* 5. *tit. de aere, aquis & locis.* Sed in hoc quoque caſu adnotandum, quod in ſuperiore admonuimus, nempè de periculi certitudine, & evidentia, & de gravitate & confirmatione,
11 & conditione morborum: nam non ſatis eſſet ſimplex Epidemia ad hoc, ut Moniales poſſent relinquere Monaſterium, ſed debet eſſe peſtilentialis, & contagioſa, nempè cum periculo, & perniciè manifeſta. Sed de hac materia prolixiùs, Deo dante, agam *lib.* 3. *tit.* 2. ubi quicquid ad materiam clauſuræ Monialium pertinere videbitur, quod Medicam ſpeculationem requirat, diſcutere conabor.

Tertius caſus eſt, in quo ii, qui contagioſo mor-
12 bo laborant, expelli poſſint, ac debeant ex civitate: in quo caſu nota, quòd non ſatis eſt contagium quodcunque ad id, ſed requiritur tale, ut afferat vitæ periculum, ſeu notabilem turpitudinem, inſuperque ut ſolâ expiratione poſſint infecti nocere ſanis, eosque inficere, veluti in peſte evenit, & in Lepra.

Foraſſe idem dicendum eſſet de rabie, quâ affecti aut expelli, aut vinculis coërceri debeant, ne alios morſibus impetentes, rabiem illis communicent: &

de Lepra certum eſt in hoc caſu, quod debeat eſſe in ultima ſpecie, & confirmata, quia cæteræ ſpecies nequaquam poſſent halitu, & exſpiratione de facili inficere, ut confirmata poteſt.

Quartus caſus eſt circa redditionem debiti matri-
13 monialis, circa quam contratiantur ſibi Canoniſtæ, præcipuè de Lepra loquentes, volentibus aliis, qui
14 Textus auctoritatem ſequuntur, *in c.* 1. *& 2. de conjug. leproſ.* quòd ſanus conjunx teneatur reddere debitum infirmo, non obſtante, quòd timor adſit non modò infectionis ſani, ſed etiam prolis inde naſcituræ eâ infectione labefactatæ: Jo. Brunell. *de ſponſ. & matrim. concl.* 8. *n.* 8. Sanch. *de Matr. libr.* 9. *di. p.* 24. *n* 25. & vide alios DD. adductos per Aug. Barboſ. *in Collect. Doct. lib.* 4. *tit.* 8. *c.* 2. *n.* 2.

Alii malerunt in hoc caſu diſtingui, nimirum
15 quòd ubi judicio Medicorum adſit periculum notabilis infectionis, ſanus non teneatur reddere debitum: contrà, ſi id periculi abſit: ita Hoſtienſ. *in ſumm. lib.* 4. *rubr. de Conjug. Leproſ.* Sanchez. *ubi ſupra, num.* 17. qui ad contrarias ſententias ſatisfacit. Ita quoque videtur ſentire Ripa, *in tract. de peſt. p.* 2. *partic.* 1. *num.* 102. quem adducit Sannazar ejus nepos, *de Matrim. cap.* 3. *art.* 5. *num.* 77. dum non vult, Conjugi Leprâ Leoninâ, nempe Lepra maligna, & confirmata, & ultimæ ſpeciei, vel Ele-
16 phantiaſi infecto ſanum teneri reddere debitum. Circa cohabitationem etiam diſcordes videntur DD. cùm alii voluerint teneri ſanum cum ægrotante cohabitare, alii verò non, ſed tantùm teneri ad debiti redditionem. Alberic. *in Dict. in verb. Lepra.* qui & eam rationem ex DD. auctoritate affert, quòd non ita inficiatur ſanus ex coitu, ut ex cohabitatione: quod
17 etiam tenet Scot. *in 4. ſent. diſt.* 32. *q. unica.* Quod tamen non eſt verum, quia contagium nullâ via, ac modo efficacius & faciliùs contrahitur, quàm per carnalem conjunctionem. Quòd ſi Lepra inficit etiam per halitum; multo magis per cohabitationem & multo etiam magis per copulam carnalem: & id-
18 circò *Levit. c.* 13. ex legis præcepto Leroſi non modò ejiciebantur ex civitate, ſed debebant etiam evitare ſanorum occurſum, quia expiratione maximè homines inficiuntur, ut notat Valleſ. *in eo loco de Sacr. Phil. c.* 19. ergò multò magis per contactum, quia quæ per contagium ad diſtans inficiunt, multo magis per contactum id faciunt. Fracaſt. *lib.* 1. *de contag. c.* 2. Adde quòd Medici non ſolum admonent
19 eſſe fugiendum coitum cum Leproſo, ſed aliqui, ut Gordon. 1. *part. Lilii, c.* 22. voluerunt etiam illius commercium devitandum eſſe, qui, aut quæ cum leproſo jacuerit, etiamſi infectus inde non remanſerit: quia etiam non infectus poteſt alios inficere, conſer-
20 vando in ſe ipſo, in propria cute, & carne, ſeminaria ipſius contagii, ut etiam in morbo Gallico evenit, ut mox dicemus. Itaque ſi cohabitare non tenetur ſanus conjunx cum Leproſo, multò minùs tenetur reddere debitum. Sed deciſio harum rerum ad Canoniſtas pertinet; nos admonere eos de periculo decet. Satis ergo ſit, hinc eam concluſionem elicere, quòd ubi alter conjugum vera lepra ſit infectus, etiamſi non eſſet confirmata, ex eorum conjunctione evidens periculum imminet ſano, ne inficiatur: nam licèt levior eſſet Lepra, tamen infectionis periculum non ceſſaret, & timor ne ſanus poſtmo-
21 dum eâ infectus, in multo pejorem conditionem laberetur, quàm ipſe leproſus ad præſens ſit: parva enim infectio ſi corpus pravis humoribus offendet, magnam pariet affectionem, ut quotidie in Lue Venerea, & in Scabie experimur: nam habeat commercium aliquis cum muliere ſola gonorrhœa infecta,

inde aliquando in dolores atrociſſimos, in ulcera maligna in tumores, in depilationem, & in mille alios affectus incidet. Sic etiam ſi jaceat quis cum aliquo, qui ſolo ſimplici prurito, vel leviſſima ſcabie laboret, ſi inde inficiatur, in ſcabiem peſſimam, & ulceribus, & incendioſo prurtu ſcatentem labetur, itaque etiam ex levi infectione timendum eſt, ne ſanus maximè lædatur.

Cæterum quoad rabiem, morbillos, variolas, & 23 peſtem, abſolutè dicendum videtur, quòd non teneatur ſanus reddere debitum, quia periculum certum eſt & evidens: & de Peſte apertiſſimè Jurisconſulti, Ripa *de peſt. p. 2. partic. 1. num.* 202. quamquam peſte affectum conjugem, aut rabie detentum nunquam eo dementiæ (niſi verè dementiat) pervenire exiſtimem, ut debitum à ſano repoſcat.

24 Circa tabem dicerem, opus eſſe diſtinctione: nam ſi ſanus conjunx tenerioris ſit ætatis, & habeat etiam promptitudinem ad concipiendum talem morbum, ut ſi eſſet habitûs gracilis, pectoris anguſti, colli tenuis & longi, humeros habens alarum modo extenſos, & alias haberet Tabis diſpoſitiones, non teneretur reddere debitum, quia facili negotio & abſque dubio inficeretur: ſi vero talia non apparerent, & jam grandior natu eſſet, nempe ſi ſupra 35. annum ætatem ageret, (uſque ad hunc enim tertium tabidos fieri à 18. incipientes, voluit Hipp. 5. *Aph.* 9. & ibi Galen.) tunc teneretur: quamquam æger conjunx concupiſcentiæ pœnas lueret, cùm coitus Tabidis maximè ſit noxius.

25 Reſtat denique, ut decidatur, quid de morbo Gallico dicendum ſit, de eo enim majus dubium eſſe poſſet: nam etiamſi levis eſſet, quia tamen quilibet vel minimus fomes ſufficit ad concipiendum magnum morbum, & poteſt ex levi contagio ſanus conjunx maximè affici, ut dixi, idcirco videretur, quòd, quotiescunque de morbo Gallico certitudo habetur, non teneatur ſanus conjux reddere debitum ægrotanti. Dicendum tamen eâ ratione non obſtante, quòd ubi levis morbus eſt, ſanus teneatur ad reddi, tionem debiti: contrà vero ubi imminet notabile infectionis periculum. Barboſ. *in coll. DD. lib. 4. tit. 8 c. 2. n. 3 tit. 2.* Circa id ſciendum, quòd infectio ex 26 morbo Gallico aut non pertranſit pudendas partes, & eis proximas, aut penitiora penetrat, & ad Hepar pervenit, inficiens illud contagio, quod cùm ſit officina ſanguinis, inficitur tota ſanguinis maſſa, & ſic morbus univerſo corpori communicatur. In priori ergo caſu apparent ulcuſcula in pudendis, aut virulenta gonorrœha, & alia ſymptomata his non diſſimilia, in poſteriori apparent bubones primùm dolores in univerſo corpore, ulcera maligna, depilatio raucedo, & alia. His ſic ſe habentibus, dicendum, urgente morbo quocunque ſemper imminere periculum infectionis, & idcirco nunquam, vigente morbo teneri ſanum ad redditionem debiti: morbo remiſſo, ſi fuerit levis, omnino teneri: ſi fuerit gravis, diſtinguendum, nam aut omnino morbi reliquiæ omnes ſunt extirpatæ, aut adhuc remanent,: ſi ſint exſtirpatæ, teneri, ſi aliquæ remaneant, non teneri, cùm per has infici poſſit ſanus. Ratio verò prædictarum concluſionum eſt, quia quandocunque morbus fuerit levis, & jam ceſſaverit: aut ſi fuerit quidem gravis, & integrè remiſerit, nullis remanentibus reliquiis, poteſt ſanus conjunx levi negotio, etiamſi timeret infectionem, cavere ſibi corporis, & genitalium præcipuè partium emundatione, & lotione, immediatè poſt coitum: at non ita tuto id fieret, vigente morbo, aut ipſius reliquiis permanentibus, cùm gravis fuerit.

Sed quid dicendum, ſi alter Conjugum com- 27
mercium haberet cum perſona morbo Gallico infecta, an teneretur alter reddere debitum ob infectionis timorem? Ratio dubitandi eſt, quia notiſſimum habemus, & teſtantur auctores de 28
morbo Gallico, evenire ut aliquis cum perſona infecta coitum exerceat, neque tamen inficiatur: & hoc non obſtante, cum alia perſona non infecta hoc idem congrediens, eam inficiat: (Confirmat hoc ex Fernelio *Platerus* lib. 3. de febr. cap. 2.) quod non ita frequens eſt, & tam morbi hujus peculiare, ut in aliis etiam morbis contagioſis non eveniat: nam in peſte idem fieri probat Septal. *lib. 1. de peſt. capit.* 11. Hoc fit, quia tunc hi habent rationem fomitis, ſuſpiciunt enim in cute extremâ ſeminaria morbi, abſque eo quòd ad interiora penetrent: ſic ipſi ſani permanentes, cum aliis congredientes, eos inficiunt.

Dicendum ergo in hoc caſu, quòd ſi alter conjugum cum perſona maximè infecta commercium habeat, timendum eſſet alteri conjugi de notabili periculo, & infectione, cujus reſpectu credo quòd per Canoniſtas (quibus non hæc ſolùm, ſed quæcunque ubi dixi ad ipſos pertinentia: decidenda 29
relinquo) liceret ei debitum denegare. Quòd ſi ob adulterium id locum non haberet, nimirum quòd liceat ob illud denegare debitum, liceret ex hoc capite, ut dixi.

Ultimo loco de contagioſo morbo videndum, quando impedire poſſit profeſſionem, & quando profeſſionem jam factam reddat nullam, ſi, qui facit profeſſionem, nihil de tali morbo enunciaverit: ita enim volunt Doctores. Ricc. *collect. Dicif.* 530. In hoc caſu dicendum videtur idem, quod de ſuperioribus: nempe inſpiciendum eſſe, an morbus magnus ſit, & incurabilis, vel contrà: cenſendum enim, quòd ſi ſit curabilis, aut non ita gravis ut maxima ſecum afferat incommoda, aut notabilem turpitudinem, neque impediat profeſſionem, neque jam factam reddere poſſit nullam.

PAVLI ZACCHIÆ

QUÆSTIONVM MEDICO-LEGALIVM

LIBRI QVARTI TITVLVS PRIMVS,

DE MIRACVLIS,

Continens Quæstiones undecim.

I. Quid sit miraculum.
II. De variis Miraculorum generibus.
III. De conditionibus effectus miraculosi.
IV. Vera miracula cur rarò fiant, multa tamen, & frequenter facta celebrentur.
V. De Prophetia, seu rerum futurarum prædictione, occultarumque cognitione.
VI. De Ecstasi, & Raptu.
VII. De longo jejunio.
VIII. De Miraculosa infirmorum sanatione.
IX. De Morte miraculosa, & de morbis divinis immissis.
X. De cadaverum incorruptibilitate, & aliis nonnullis ad ea pertinentibus.
XI. De Mortuorum Resurrectione.

SUMMARIUM.

1 *Homini à natura insita quædam propensio ad Religionem est.*
2 *Christiana Religio in nulla re patitur fideles suos decipi.*
3 *Neminem pro sancto venerari licet, absque Ecclesiæ auctoritate.*
4 *Nulli licet nova miracula publicare.*
5 *Mali etiam homines, & ipsi Dæmones miracula interdum faciunt. Declaratur n. seq.*
7 *Miracula facere est gratia gratis data, quæ cum peccato stare potest.*
8 *Cur etiam per malos, aut Dæmones aliquando Deus miracula operetur.*
9 *Idiotæ pro miraculis existimant ea, quæ de raro eveniunt.*
10 *Non est semper, ac statim, miraculis credendum.*
11 *Ad alicujus Canonizationem duo maximè requiruntur.*
12 *Miracula in persona canonizanda debent etiam post mortem facta probari.*
13 *Miracula post mortem mali non faciunt, sed soli sancti.*
14 *Absque miraculis in vita factis potest quis canonizari, non autè absq; miraculis factis post mortè.*
15 *Naturalis effectus quid.*
16 *Miraculum quid, & n. seq.*
18 *Miraculum unde dicatur.*
19 *Non quicquid divinâ virtute fit, miraculum est.*
20 *Multa miracula non videntur ultra Naturæ potentiam sese extendere.*
21 *Miraculorum aliud simpliciter tale, aliud secundum quid.*
22 *Quid sit miraculum simpliciter, quid item miraculum secundum quid & n. seq.*

Quid sit miraculum.

QVÆSTIO I.

1 TAmetsi argumentum hoc de miraculis à Legali materia tantisper recedere videatur, ita ut quasi per vim inter has quæstiones Medico legales dictas intrusum videri posset, tamen quia non magis civiles materias, quam Canonicas pertractare decrevi, cùm hæc absque dubio ad canonicas pertineat, potest non immeritò inter cæteras connumerati, quæ nostri operis intentum perficere videntur.

Quoniam ergo homini insita quædam propensio ad Religionem à Natura est, ut elicitur ex D. Thoma 2.2.q.81.art.2.ad 3 Med. *de mirab. oper. Dei lib.* 1.q.23. ita ut ipsemet humanus animus à nullo edoctus, superiorem quandam causam agnoscat, à qua & proprium suum ipsius esse, & vitam, & quodcunque boni habet, emanet, & ea de re hanc esse unice colendam, ac summo honore prosequendam, vel nullo admonente, aut innuente, sed solâ naturali quadam pietate eruditus existimet: hinc fit, quod ubi qualiscunque Religio, tanquam falsa quædam Magistra, arcana quæ non novit, detegens accedit, facillimè quæcunque illa dictat, etiam ab omni veritate aliena, pro veris acceptat, summumque nefas autumat ab illis vel latum unguem recedere. Quàm detestanda autem ea credulitas, quæ ex falsa Religione viget, existat, ipsa luce meridianâ clarius est. Verum enim verò Christiana Religio unica veritatis magistra, quemadmodum omnia ab ipsomet Veritatis Verbo emanantia fideles suos edocet, sic non patitur illos in iis, in quibus hominem errare facile est, ullo modo decipi. Cùm igitur contingat interdum quædam opera vel Dæmonis virtute, vel Naturæ etiam vi, imò & supernaturalis causæ auxilio & consensu, à quibusdam fieri, quæ aut verè miracula sunt, aut talia nobis videntur, ob quorum operum evidentiam illi minimè sibi debitum sanctitatis, ac Servorum Dei nomen usurpant, unde cæteri illos ut tales debito honore venerantur, idcirco Sancta Mater Ecclesia neq; aliquem sine ejus auctoritate pro sancto venerari nos jubet, etiamsi opera miraculosa faceret *c. Audivimus de Observ. jejun.* Barb. *de offic. & pot. Ep. alleg.* 97.*p.*3.*n.*1. neque alicui licere voluit nova miracula publicare. Ricc. *in prax. Episc. resp.* 485.*n.*1. Rodet. *Quæst. Can. & Reg. q.*22.*art.*15.*to.*3. Rocca *de Canoniz. Sanct. c.*9. sed ad ipsam utrumque omnino decernere pertinere voluit. Et ratio prioris est, quia etiam mali homines, & ipsi Dæmones miracula faciunt. Favet illud *Matth. c.*7. Nonne in nomine tuo multas virtutes fecimus? Glos. *in c. Venerabilis de Testib.* & ibi Abb. & Fel. *in princ.* cad Glos. *in c. Audivimus de Relig. & Vener. Sanct.* D. Thom. 2.2.*q.*178.*art.* 2. Troyl. Malvit. *de Canoniz. Sanct. dub.* 3.

*dub.3.n.3.*Maſc.*de Prob.concl.62.n.60.vol.1.*Medic. *de mirab.oper. Dei lib.1.q.18.* & ex noſtris Thom. Eraſt. *diſp.contra Parac.p.1.* Quod quidem non ita ſolùm accipiendum, quòd mali homines,ac Dæmones faciant opera,quæ miraculoſa videantur,cùm tamen talia non ſint: ſed quòd etiam vera miracula operentur,non tamen ullus eorum ex ſe, ſed ipſa divinâ virtute,ita Deo volente.Rocca *de Canoni. Sanct. c.* 10. quia miracula facere eſt gratia gratis data D. Th. 22.*q.* 178. *art.*1. quæ gratia cum peccato ſtare poteſt.Medic.*ubi ſuprà,q.*21.& adducti per Roccam
7 *ibid* Quare & Balaam,& Saul,& Sibyllæ,& Caiphas prophetarunt,&alii non boni alia miracula fecerunt, imò hæc gratia, ut aliqui putant, tranſit aliquando de generatione in generationem, per totum genus deſcendentium.Malvit.*de Canon.Sanct.citato dub.3. n.*34. & vide multa hujuſmodi exempla apud Hentic. Korman. *de mirac.vivor. tit.de hæred quor.virt.* Quæ verò cauſa ſit,ob quam Deus per malos homi-
8 nes, & per ipſos quoque Dæmones miracula operetur,ad nos non pertinet ſcire: Dicunt tamen Theologi,& Canoniſtæ, id triplici ex cauſa poſſe contingere ex magnitudine nempe fidei,quæ ſine Charitate operatur, ex virtute ſanctiſſimi nominis Jeſu invocati,& ob confuſionem, & juſtiorem condemnationem facientis miracula. Rota *in Relat.ſuper proceſſu B. Andreæ Corſini,part.2.verſ.Amplius quæritur.* Et vide quæ ad hanc rem adducit Jacob.Bider-
9 man.*in Agoniſtic.lib.2.c.*4. Ratio poſterioris eſt,quia multi hominum,idiotæ præſertim,& illiterati,miraculi vice pleraque acceptant, quæ de raro eveniunt, ut in Auth de Conſul. *verſ.ſin.coll.*3. Tiraq. *de leg. Connub.Gloſ.*1.*part.6.n.*22. Biderman.*ubi ſuprà lib.*1.
10 *c.6.*Unde ob tale non rectum miraculorum judicium admonemur,quòd non ſit à nobis ſemper, ac ſtatim miraculis credendum. Caballus *Reſp.crim.caſ.*257. *n.*2.Decipiuntur enim multi à falſis quibusdam miraculis,unde eſt illud Hierem.*c.*23.*verſ.*32. *Et ſeduxerunt populum meum in mendaciis ſuis,& in miraculis ſuis.*

Summâ ergo cum ratione judicium de veritate, & falſitate miraculorum ſibi reſervat Eccleſia, unâ cum judicio de alicujus hominis ſanctitate,ob quam dignus veneratione apud cæteros homines,tanquam verus Dei ſervus, & amicus, exiſtimandus ſit. Ad quod maximè duo requirit, vitæ nimirum innocen-
11 tiam, & miraculorum evidentiam,ut Canoniſtæ teſtantur *in c.*2.*de reliq.& ven. Sanct.& in c.Vener.de Teſt.*Caſſan.*in Catal.Gl.mund.p.*3 *conſid.*49.Malcar. *de Prob.concl.*262.*n.*1.*p.*1.Medic.*ubi ſupr.lib.*1.*q.*22. Verumtamen Eccleſia ad probandam alicujus viri
12 ſanctitatem per miraculorum teſtimonium,non modò vult probari,ea in vita celebrata fuiſſe,ſed etiam poſt mortem facta deſiderat.Et ratio eſt, quia ut dic-
13 tum eſt, etiam mali miracula operantur viventes, ſed poſt mortem nonniſi Dei amici, ipſi nempe ſancti,ut dictum eſt à Rota *in Relat.ſuper Canoniz. B. Andreæ Corſini p.2.verſ.Rurſus diſputari ſolet.* Quamobrem miracula in vita facta non ſunt neceſſariò
14 probanda,ſed ſufficit tantùm conſtare de factis poſt mortem.Rota *in relat.de mirac. B.Tereſiæ, in proœmio,verſ.Et quamvis.*Et multè majoris momenti ob eam rem exiſtimantur miracula poſt mortem,quàm in vita facta, ita ut abſque miraculis in vita factis poſſit quis canonizari,non autem abſque miraculis factis poſt mortem. Eadem Rota *in dicta relat.ſuper Canoniz.B.Andr.Corſini.verſ.Qua occaſione.*ubi cũ opinionem tanquam veriorem ſequitur, contrariam refellens:quod etiam repetit in eadem relatione,*p.*4. §.2.*verſ.tertium generale argumentum.*In nonnullis ergo miraculis examinandis ſacra Rota Romana, ut plenam,& indubitatam veritatem aſſequatur, Medicos interdum accerſi jubet, eorumque ſententiam expoſcit,ut ipſamet teſtatur *in eadem relat.B.Andr. Corſini.p.*2.*verſ,ulterius per S. Thomam.* Nos enim, qui naturæ operibus indeſinenter inſiſtimus, facilè ea,quæ ab ejus operibus deſciſcunt,ejuſq; operandi potentiam exuperant,cognoſcere poſſumus. Jure merito igitur de hoc argumento agendum jam mihi propoſui: circa quod videndum primò,quidnam ſit miraculum, quod tamen multò clarius evadet, ſi ante naturalem effectum cognoſcamus,quem ſic definire licet, quatenus ad hoc argumentum pertinere 15
videtur:naturalis effectus eſt naturæ opus, per ſuas cauſas conſueto modo & ordine cauſandi productum.Ex qua definitione facilè elicitur,quid ſit mi- 16
raculum, quod tamen multi diverſimode definiverunt.Alii dixerunt,Miraculum eſſe id,cujus effectus manifeſtus quidem eſt,cauſa verò incognita. Bart. *in tr.de Teſtib.n.*57.Troyl.Malvit.*ubi ſuprà,dub.*3.*n.*36 Maſcard.*de probat.cõcl.*1060.*n.*1.*vol.*1. nam idcircò admirationem affert miraculum, & ab hoc ſic dictum eſt,quia ejus cauſa ignota. Tamen hæc definitio non comprehendit veram miraculi naturam:niſi dicas,illud *cauſa verò incognita*, ita intelligi,ut naturaliter ejus cauſa cognoſci non poſſit: eo quòd in naturalium cauſarum cenſu non comprehendatur, Aliàs enim multi effectus in rerum natura apparent evidentes, quorum cauſæ incognitæ *ſunt*; & tamen miracula non ſunt. Licèt ſciam hanc definitionem ad Ariſtotelis mentem fuiſſe traditam, qui in quæſtionibus Mechanicis, in primo dicebat, *Miraculo ſunt ea quidem quæ natura contingunt, quorum ignorantur cauſæ,*ſed Ariſt.ibi non definit miraculum,ſed explanat ea,quorum ignorantur cauſæ, pro miraculo ab hominibus haberi,cùm non ſint, quia à natura ſunt.Alii maluerunt dici, Miraculum eſſe aliquid arduum,& inſolitum,præter naturæ facultatem, & ſpem admirantis proveniens,ex S. Thom.*p.*1.*q.*105, *art.*7.*in princ.*Medic.*ubi aliàs,q.*8.*lib.*1.cui non diſ- 17
ſimilem definitionem ex eodem S. Thoma, & aliis affert Rocca *ubi ſuprà, c.*10.Dicunt alii,Miraculum ſimpliciter eſſe effectum præter & extra naturæ ordinem productum.Martin.Delr.*lib.*2.*diſquiſ.Magic. q* 7.Quibus definitionibus non abſimilis fuerit,quæ ſequitur:Miraculum effectus eſt rarus,arduus,& mirabilis,præter naturæ ordinem ex primæ cauſæ virtute productus. Eſſe enim miraculum, effectum rarum, & admirabilem, patet ex ipſa nomenclatura, cùm miraculum dicatur quaſi admiratione plenum. 18
Archidiac. *in c. Nec mirum,n.*6 26.*qu.*5. Medic.*ubi proximè.* Rocca *ibid,c.*19. & ex noſtris Card.*lib,*15 *de variet.c.*81.unde fit, quod opera quædam mira, ardua & eventu rara miraculi vice habeantur.Tiraq. *de leg.Connub.*Gloſſ.1 *p.*6.*n.*22. Quòd verò ſit opus arduum,illud manifeſtum facit, quòd ipſius naturæ ſuper omnia dominantis potentiam tantopere exuperet. Quòd tandem Dei virtute fiat, conſtat ex eo, 19
quòd neque ullus homo per ſe, neque Dæmones ipſi miracula facere poſſint. Grill. *de Sortileg.q.*7.*n.*15. Medic.*de Mirab.oper.Dei,q.*19.Mart.Delr.*diſquiſit. Magic.lib.*2.*q.*7.imò neque ipſi ſancti, neque ipſimet Angeli ex ſe Idem Medic. *ibid.q.*16. Sola ergo, primæ cauſæ, ac divina virtute fiunt, unde illud *in ſacris Pſalm.* Qui facis mirabilia ſolus. Gundiſ.*de haret.q.*21.*n.*6.Malvit.*ubi ſupr.dub.*3.*n.*36 Nota tamen quòd non protinus ob prædicta, quicquid ſupernaturaliter, & divina virtute ſit, cenſendum eſt eſſe miraculum,ſed id quod ſit modo inſueto. Sotus 4.*ſem. diſt* 34.*q. unic.art.*3. *col.*6.*verſ.unum autem,*

relatus

relatus per Sanch. *de Matr. lib. 7. diſp. 39. n. 8.* Barb. *Coll. doct. lib. 4. tit. 15. c. 3. tom. 2.*

7 Quoniam autem multa miracula non videntur ultra naturæ potentiam ſeſe extendere, ut infirmorum ſanationes, longa jejunia, ultra tempus, quod mortalis conditio ferre poteſt, tolerata, Prophetia, & Ecſtaſis ſecundùm aliquos, & alia hujuſmodi, idcircò dubitandi occaſionem offerre nobis poſſent verba illa in definitionibus Miraculi appoſita, quòd nempe ſit effectus vires naturæ exuperans: Cui dubitationi facillimè ſatisfit, ſi dicatur, quòd etiamſi non ſemper miraculum exuperet naturæ vires ſimpliciter, ſemper tamen exuperet reſpectivè ad aliquid, vel ſecundùm quid. Non enim exuperat naturæ vires hominem à morbo aliquo, ut à febre ardenti, liberari; ſed exuperat naturæ vires, hominem abſque ullo evidenti medio, & in inſtanti, ſolo Chriſti Domini juſſu, vel ejus nomine invocato, à febre immunem evadere. Hac eadem ratione non exuperat naturæ vires, hominem quadraginta diebus à cibo & potu abſtinere; ſed exuperat ejus vires hominẽ totidem diebus jejunare, qui à natura non habet eam aptitudinem, ut tam diutino tempore poſſet abſque nutrimento permanere. Superant ergo naturæ vires non ſecundum totum effectum, ſed ſecundùm modum. Biderm. *in Agoniſt. lib. 1. c. 14.* Juxta prædicta ergo duplex erit miraculum, ut docet Martin. Delr. *lib. 2. diſquiſit. Magic. q. 7.* aliud enim eſt miraculum ſimpliciter, alterum ſecundùm quid. Illud effectus eſt, præter & extra naturæ creatæ vires ſimpliciter productus; hoc autem effectus, viribus naturæ reſpondens, ſed ejus vires exuperans reſpectu alicujus conditionis, aut modi operandi, cum qua conditione, quo modo natura talem effectum producere non erat apta. Vel dicamus, quòd miraculum ſimpliciter effectus ſit omnino ſupernaturalis, miraculum autem ſecundum quid, effectus quidam naturalis, non tamen ex diſpoſitione, aut actione cauſarum naturalium emanans, ſed ex ſola, & abſoluta Dei virtute. Quæ omnia luculentiùs infrà explicabimus, & variis exemplis illuſtrabimus.

SUMMARIUM

1 *Miraculum tripliciter diviſum.*
2 *Miraculum contra Naturam quid.*
3 *Miraculum ſupra Naturam quid.*
4 *Miraculum præter Naturam quid,*
5 *Miraculum præter Naturam tripliciter diviſum*
6 *Miraculum præter Naturam ob exceſſum.*
7 *Miraculum reſpectu obedientiæ ipſum Naturæ ad divinum Verbum.*
8 *Miraculum præter Naturã quandò quid generatim fit.*
9 *Omne miraculum vel ſimpliciter, vel ſecundum quid ſupra Naturæ vires.*
10 *Miraculum in quatuor claſſes diviſum.*
11 *Miracula primæ claſſis pluris multò facienda, quàm ſecundæ, & ſic de aliis.*
12 *Deus quo pacto vario modo operetur miracula.*
13 *Miraculorum ſupremum genus quodnam ſit.*
14 *Secundus miraculorum gradus.*
15 *Tertia claſſis miraculorum.*
16 *Poſtremus gradus miraculorum.*
17 *Miracula majora, minora eſſe poſſunt, & quomodo.*
18 *Nihil reſpectu Dei eſt miraculum.*
19 *Majus miraculum eſt quod abſolutè eſt miraculum. quàm quod ſecundum quid.*
20 *Et in uno eodemque gradu unum miraculum eſt majus alio.*

De variis miraculorum generibus.

QUÆSTIO II.

VT ea, quæ de miraculis tractamus, clariora evadant, nonnulla neceſſe habemus à Theologis mutuari. Miraculum ergo illi tripliciter dividunt, nimirum in miraculum contra naturam, ſupra naturam, & præter naturam, quod ſequenti modo declarant ut S. Th. 2. *ſent. diſt. 18. q. 2. art. 3.* referunt Medici, Rocca, & alii ex ſupra citatis, & Henric. Korman. *de mirac. morb. p. 1. in princ.* Miraculum contra naturam eſſe dicunt, quando aliquid contra rei naturam & inclinationem fit, ut corpus ex ſe in raptu ſeu Ecſtaſi in ſublime attolli, ut plerisque evenisſe ſanctis viris ipſæ ſanctorum vitæ paſſim teſtantur: contra corporis enim gravis propenſionem eſt, illud ſurſum ex ſe attoli contra naturam eodem modo eſt, montes de loco ad locum ex ſe moveri, cùm ex propria natura ſtabiles ſint, nec amovibiles; tamèn & hoca fidelibus fieri poſſe per fidem, pater *in Evang. Matth. c. 21. verſ. 21.* 2

Miraculum porro ſupra naturam tunc eſſe dicitur, cum effectus à natura produci non poteſt in eo, in quo fit, ut eſt, mortuo vitam præbere: nam poteſt quidem natura vitam ſemini prolifico communicare, non autem mortuo, ſic etiam poteſt natura viſum reſtituere, non tamen ei qui cæcus à nativitate ſit, & organum habeat labefactatum, & minimè reparabile. 3

Præter naturam autem dicitur miraculum, cùm effectus productus eſt extra ordinem à natura datum ut quò quis ſubitò, & incontinenti à morbo aliquo ſanetur, nulla prævia humorum concoctione, ut ſocrus Petri à febre, ad Chriſti Domini nutum; cùm ſi naturaliter ſanari debuiſſet, oporteret per humorum alterationem ac concoctionem morbum ſuperatum iri, ordine quem ipſa ſervat natura in abigendis morbis. Miraculoſum quoque, eſt, quòd ficus ad ejusdem Chriſti Domini maledictionem illicò aruerit, ut narratur *Matt. c. 21. v. 12.* nam ordine à natura dato, ſi arefieri debuiſſet, hoc paulatim & in tempore fieri oportuiſſet. Alteratio enim fit in tempore naturaliter, non in inſtanti. 4

Sed & hoc poſtremum miraculorum genus tripliciter iidem Thologi ſubdividunt, ut apud citatos auctores videre licet. Primò enim miraculum aliquando dicitur præter naturam, ob exceſſum, & ſingularem facti modum. Non enim quicquam miraculoſi habuiſſet, Ranas aliquot, & aliquot animacula Ægyptum infeſtare, aut aliquot coturnices in deſerto Hebræis advolaſſe, aut aliquot ex primogenitis Ægyptiorum una nocte ſuccubuiſſe, aut mannà tantiſper de Cœlo cecidiſſe. Omnia tamen hæc maximè miraculoſa factunt, ob exceſſum, ut diximus. 5 6

Secundum genus reſpicit obedientiam naturæ ad divini nominis invocationem, ut quòd Urſi ad Prophetæ maledictionem devorarent pueros eidem Prophetæ illudentes. *Sed. lib. 4. c. 2.* 7

Tertium genus eſt, quando quid generatim & univerſim contingit, ut de Aqua Zelotypiæ explificant iidem auctores. de qqa in Veteri Teſtamento. *Num. c. 5.* Sed advertè, quòd quanquam hæc ita rectè diſtinguuntur, non eſt tamen quod unum idemque miraculum non poſſit ſimul in unoquoque predictorum genetum comprehendi; ut eſſet Mortuorum reſurrectio, Montis de loco ad locum tranſlatio: hi enim effectus ſunt ſimul & contra, & ſupra Naturam; & jam patet, omnibus miraculis id eſſe commune, ut vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, 8 9

ſupra vires Naturæ ſint, ut diximus in hujus tituli principio.

Verum enim verò cùm omnia miracula ex ſuprà dictis ex Deo, aut ejus virtute ſint, & inter ſe differunt tantummodo ob diverſum operandi modum reſpectu cauſarum naturalium, juxta quem unum dici poteſt majus alio: ego quatuor miraculorum claſſes conſidero; & favet Jacob. Biderman. *in Agoniſt. lib.* 1. *c.* 14. nam hæc diviſio multò magis conformis videtur noſtro modo intelligendi, quàm ſuperior; videturque maximi facienda in conſideratione & approbatione miraculorum; ad Sanctorum canonizationem deſerviente; quia ſemper multò pluris æſtimanda miracula primæ claſſis; quam ſecundæ, & plus ſecundæ, quàm tertiæ & ſic deinceps ut majorem fidem ſanctitatis; magisque indubitatam facere poſſint quoad nos, duo miracula primæ claſſis, quàm quatuor ſecundæ, & majorem quatuor ſecundæ, quàm duodecim tertiæ & ſic in reliquis: Ratio eſt, quia in miraculis primæ, claſſis nulla deceptio cadere poteſt, quæ poteſt cadere in miraculis ſecundæ, & multò magis tertiæ, & omnium maximè; quartæ.

Deus ergo vel operatur miracula nullis mediantibus naturalibus cauſis, & operatur id quod nequaquam per ipſas effici poteſt, vel operatur quod per eas effici poteſt, ſed non operatur per ipſas; vel operatur quidem per ipſas, non tamen ad operandum diſpoſitas, vel operatur per eas etiam diſpoſitas, non tamen de proximo, ad agendum, ſed ſuo nutu ea invicem conjungendo: quæ omnia exemplis manifeſtiſſima mox evadent.

Primum ergo, ac ſupremum miraculorum gradum eorum dico quæ abſolutè miracula dicuntur, & hæc neque ullo cauſarum Naturalium medio fiunt, aut fieri poſſunt, ſed immediatè ex mera ac libera Dei virtute emanant, ut eſt mortuorum reſurrectio, montium de loco ad locum ex ſe tranſlatio, ſolis retrocеſſio, aut ejuſdem à ſuo motu ceſſatio. Et hæc quoque poſſunt diſtingui inter ſe, prout ſuperiùs retulimus.

Secundus miraculorum gradus eſt eorum, quæ fieri quidem poſſunt mediantibus cauſis naturalibus, & tamen alio cauſandi modo à Deo, & ab ejus ſervis divina virtute fiunt; ut repentina morborum curatio, & repetamus exemplum de ſocru Petri, quæ profectò poterat fortaſſe, curari à febre, quanquam magna eſſet & lethalis, & medicis auxiliis, imò & ab ipſa Natura ſanari? tamen ſanatur absque illis ad Jeſu Chriſti Domini verbum, cùm dicitur: *Et imperavit febri.* Idem etiam in Paralytico, & in leprosis, & in aliis mille accidit; ut tam in Veteri, quàm in Novo Teſtamento patet.

Tertia claſſis eorum miraculorum eſt, quæ mediis cauſis naturalibus in actu fiunt ſed Deo ipſas naturales cauſas, aliàs ad eos effectus producendos nequaquam diſpoſitas, diſponente & ordinante, vel earum virtutem adaugente, ſufficientiamque illis cauſandi tribuente, ut curatio lepræ in Mahaman per Jordani aquas, dulcoratio aquarum amararum per lignum immiſſum, in noſtræ ſalutis figuram, & alia his ſimilia.

Poſtremus miraculorum gradus eorum eſt, quæ per media naturalia fiunt, etiam diſpoſita ad agendum: & ad talem effectum producendum, non tamen de proximo; unde neque illum eſſent productura abſque concurſu divinæ voluntatis, non tantum permiſſivè, ſed ſpecialiter, & cum effectu ad eam cauſarum applicationem concurrentis, ut de Leonibus devorantibus tranſlatitios Samaritanos 4. *Reg. c.* 17. Leones enim homines devorare maximè naturalis res eſt, & cauſæ ſunt Leones ad devorandum homines diſpoſitæ, tamen ex ſpeciali Dei voluntate devorarunt Samaritanos illos. Sic etiam ſerpentes in deſerto contra Hebræos immiſſi, cauſa quidem naturalis ac diſpoſita ad nocendum & occidendum homines exiſtebant, non tamen nociſſent, neque quemquam occidiſſent, niſi ipſe Deus ad ſuæ Juſtitiæ rigorem demonſtrandum, eos in rebelles Judæos immiſiſſet, ut narratur *Numer. c.* 21.

Miracula igitur in hos quatuor ordines, diviſa, majora, minora dici poſſunt; non tamen reſpectu Dei, nihil enim ejus reſpectu eſt miraculum, ita *Eccl. c.* 18. *v.* 5. nihil eſt miraculum in conſpectu ejus, & *Marc.* 10. & *Luc.* 18. omnia poſſibilia ſunt apud Deum, cùm ei nihil ſit difficile, juxta illud *Gene. c.* 18 *v.* 14. & *Ierem c.* 32. *v.* 2. & *Matth*, 19. *v.* 26. Apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. Unde Prudentiſſimè Pingar. *in Pyth. od.* 10.

——*Mihi autem nihil in admirandâ*
Videtur eſſe impoſſibile, ſi Dij executi fuerint.

Sed majus, & nunus miraculum dicitur reſpectu Naturæ, quatenus in his operibus magis, aut minus ipſius naturæ vires exuperantur, ut ex D. Th. Rocca *ubi alias, n.* 23. & *ſeq.* & alii ſuprà citati. Atque hac ratione conſtat, majus miraculum eſſe illud, quòd abſolutè miraculum dicimus quàm quod ſecundum quid vocamus, & maius, quod in ſupremo, quam quod in infirmo ordine collocandum eſt: notiſſimum quippe eſt, maius miraculum eſſe mortuum ſuſcitare, quàm infirmum ſanare, & maius miraculum eſt, ignem de cœlo, quam pluviam evocare, quod horum utrumque magis naturæ vires exuperet; & majus item miraculum eſt Solem retrocedere ab occaſu in ortum, ut Ezechiæ teſtimonium daretur in ſuæ vitæ tutelam, quàm eundem Solem ad Joſuæ præceptum ſtare, ſubtiliſſimè probat Galeott. Matt. *de doct. promiſ. c.* 38. & ſic de cæteris. Imò in uno eodemque gradu miraculorum, poteſt unum eſſe maius alio, ut patet, nam maius miraculorum eſt, mortuum ſuſcitare, quam viſum cæco nato reſtituere; ſed hæc ulteriori exemplo non egent.

SVMMARIVM.

2 *Effectus aliquis, ut miraculi nomen habeat, plures debet habere conditiones.*
2 *Prima conditio effectus miraculoſi, ut appareat eſſe ſupra Naturæ vires.*
3 *Interdum per cauſas naturales effectus fit, ex ſpeciali tamen Dei voluntate.*
4 *Secunda conditio effectus miraculoſi, ut fiat divina virtute.*
5 *Tertia conditio, ut accidat ex hominum merito, non ex verborum vi.*
6 *Quarta conditio effectus miraculoſi, quòd effectus patens eſt.*
7 *Quinta conditio, ut ſit ad fidei corroborationem.*
8 *Sexta conditio, quod appareat in inſtanti.*
9 *Septima conditio, quod ſint ſine dolore, Contrarium ibid.*
10 *Octava conditio, quod ſit opus perfectum.*

De conditionibus effectus miraculoſi.

QUÆSTIO III.

VT effectus aliquis miraculi nomen mereatur, nonnullas habeat conditiones neceſſe eſt, quarum aliæ à Theologis, & Canoniſtis deſiderantur aliæ verò à Philoſopho, ut Philoſophus eſt: recenſentur autem conditiones hujuſmodi per Malvetium *ubi aliàs dub.* 3. *à n.* 38. *ad* 14. per Caſſan. *in Cat. Gl. mun. p.* 3. *conſ.* 49. Maſc. *conc.* 262. *à n* 25. *ad ſeq.* Medic. *de mirab. oper. Dei lib, q.* 22. *per tot.* Matt. Delr. *diſquiſit. magic. lib.* 1. *quæſt.* 7. Auguſt. Barboſ. *de off. & poteſt*

Eſiſt

Episc. alleg 97. num 8. part. 3. Roccam *de Canon. Sanct. c. 19.* & per alios, eodem tractatu. Sunt autem
2 quæ sequuntur: Prima, ut appareat, eum effectum esse supra naturæ vires; jam enim in definitione patet, esse de miraculi ipsius essentiatur exuperet vires Naturæ: non enim dici potest miraculum, quod per
3 naturales causas fit, & eo ipso modo quo succedit, per eas fieri potest. Sed animum ad id advertendum quod etiam superiori quæstione annuimus, evenire nempè, ut effectus aliquis per naturales causas fiat, ex Dei tamen speciali voluntate, ipsas causas, ad agendum aut nullo modo, aut non de proximo dispositas disponentis. Vallesi. *de Sac. Philos. cap. 35.* ut in curatione lepræ Nahaman. *libro 4. Reg. cap. 5.* per aquas Jordani: in quo miraculo Deus disposuit ipsas Jordani aquas tribuens illis facultatem, quàm antea minimè habebant, mundandi nempè à lepra, & in hoc consistit miraculum; mundatio enim lepræ posthac per easdem aquas naturalis res est; sunt enim & aliæ aquæ nonnullæ (in quarum numero ad præsens, & post illud miraculum recensentur ipsa aqua Jordani) quæ virtutem habent mandandi lepram; ut de ipso Jordane Bacc. *lib. 3. de Therm. c. 3. rubr. de balneis ad cur. morbor.* Ad hoc autem multò magis confirmandum, ac demonstrandum, non consistere in eo casu miraculum in ipsa lepræ curatione, & mundatione, sed in attributione virtutis quam, non habebant, ipsis aquis Jordani, nota in sacro textu, mandatum fuisse Nahaman à Propheta, ut septies lavaret se in Jordane, non autem semel, ut satis fuisset ad miraculi efficientiam; quia postquam Deus Optimus Maximus eam virtutem Jordani aquis impertitus est, ut à lepra mundarent, naturali jam via, & agendi modo Nahaman curari debuit, nempe per alterationem, mundificationem, & corroborationem membrorum; quæ omnia non unica vice, aut temporis momento naturaliter perfici poterant, sed tempore, & repetitis vicibus, ut in cæteris naturalibus balneis usu venit. Fuit ergo supra naturæ vires, quòd aquæ Jordanis aliàs ex sua Natura nullam talem virtutem habentes, illicò ex Dei virtute ad Prophetæ petitionem, eam facultatem inducerent; quam etiam posthac servarunt, ut dixi; sed ipsæ lepræ mundatio in Nahaman effectus naturalis fuit, à Naturali causa, naturali via, hoc modo productus. Ad id ergo, quod dicit Bart. *de Test. numero 57.* nimirum non esse miraculum id, quod fieri potest per causas naturales, dicendum videtur, quòd non simpliciter intelligendum, sed si fieri quidem possit non quomodocunque, sed eo modo, quo fit; ut si antea aquæ Jordanis virtutem illam à Natura habuissent, jam nullum in eo casu miraculum esset, non enim naturaliter fieri potuisset, ut aquæ illæ in continenti eam virtutem inducerent, & fortasse etiam ad præsens non tam citò alios quoscunque à lepra mundarent,
4 ut Nahaman mundatus est.

* Secunda conditio est, quòd fiat divina virtute; non ex arte Diabolica; aut aliter: Dæmones enim, & eorum sequaces mira quædam faciunt, ut Magi Pharaonis. Martin. de Arles, *de superstitione, num 93.* quæ tamen miracula non sunt, quia vel non sunt vera, sed apparentia tantùm, & vocantur propriè præstigiæ. & illusiones, eo quòd dæmones nobis illudant, oculosque ita perstringant, ut ea, quæ non sunt, neque esse per ipsos possunt, realiter esse apparere nostris sensibus faciant: vel si vera quidem sunt, non virtute divina, sed Naturali fiunt, neque ipsius Naturæ vim pertranseunt, à nobis tamen miracula judicantur, quia talia vel nunquam, vel de raro videmus, aut earum causas nescimus: quod & Thom. Eraſt. *dis. contr. Paracelsum, parte primâ,* bene explicabat, Possunt enim Dæmones mirabilia quædam facere, nunquam tamen naturæ vires exsuperare, ut exempli causa, posset quidem Dæmon aliquem morbum celeriter, & quasi subitò curare, non tamen aliter quàm per media naturalia, quæ ipsi notissima sunt, sic Urbs Roma longa peste affecta adventu Æsculapii à peste vindicata est, ut narrat Lactantius, *de Orig. Err. capite octavo,* & sic nobis id quidem miraculum videtur, cum tamen naturalis res fuerit, cessante peste ob subitam causarum amotionem. Eodem quoque pacto cætera permulta miracula ab historiis enarrata, ut à Tito Livio, Valerio Maximo, & aliis, & relata ab eodem Lactantio *ibidem* nunquam vires Naturæ prætergressæ sunt aut saltem apparentia, non autem vera fuerunt. Quotiescunque ergò constaret, realem ac verum aliquem effectum neque ab homine, neque à Dæmones, neque à Natura fieri potuisse, illicò probatum remaneret, illum fuisse miraculosum; neque enim miraculosum quid probari evidentiùs potest, quàm probando non potuisse esse naturale, atque hac ratione ea omnia miracula, quæ alias simpliciter dicuntur, ut Resurrectio mortui, vera Prophetia, & his similia, pro miraculis illicò se produnt, quia & dæmonis, & Naturæ vim omnem exuperant: unde inanis, ac superflua est omnis probatio in his, quia ex seip sis miraculosa apparent, non sic autem infirmorum sanationes, & alia his non dissimilia,

Tertia conditio est, quòd effectus non accidat ex 5
vi verborum, sed ex hominum merito. Hanc conditionem Theologi desiderant, quia constat in sacro sancto Missæ sacrificio, ex verborum vi per sacerdotem prolatorum panem, & vinum in corpus, & sanguinem verum, ac realem Christi transsubstantiari; sic enim in aliis sacramentis ex verborum enunciatione, maxima, ac supernaturalis virtus conciliatur, ut non ex hoc quis dici posset miracula fecisse; quia quantumvis malus esset sacerdos sacrificans, aut benedicens, tamen idem panis, & vinum eodem modo transubstantiarentur, & cætera sacramenta eandem virtutem communicarent: non enim hæc ex hominum merito contingunt, sed ex verborum vi, ut dixi: unde hæc conditio videtur mihi magis respicere ipsum hominem facientem miracula, quàm naturam effectus miraculosi & ea de causa ad philosophum, quemadmodum neque aliæ ex his, nihil pertinent. Quod enim per verba quædam fieri possint alia miracula, præter ea quæ vel in Missæ sacrificio proferuntur, ad transubstantiandum in corpus & sanguinem Christi Domini panem, & vinum, in eo sacrificio oblatum, & aliæ quæ vim sortita sunt ab ipsa Ecclesia, vanum omnino est & ab omni veritate alienum: non modò enim per ullum verborum genus miraculum, quantumvis minimum fieri potest, sed neque ex eorum energia ullos, quantumvis minimus, effectus naturalis produci. Sed de his aliàs. 6

Quarta conditio est, quòd effectus evidens sit, ac patens, non autem latens humanos sensus: exemplificant rem circa hanc conditionem de eodem Eucharistiæ sacramento; quia transubstantiatio panis & vini in Christi corpus, & sanguinem, non est patens, & evidens ad sensum, sed per fidem, quâ solummodò eam assequi nobis licet, & non aliter. Ab hac conditione deficeret stigmatum signatio in corpore Pauli, nisi ejus dicto credendum esset, quia ad sensum latebant, à qua tamen non deficerent stigmata in D. Francisco, & in D. Catharina

Senensi,

Senensi, quia in eorum utroque ad sensum apparebant, ut ex eorum vita constat.

Quinta conditio est, ut miraculum sit ad fidei corroborationem, in hominum salutem, & ad Dei gloriam, quia miracula attribuuntur Fidei, Glos. *in c. unico verbo sedis, tit. de reliq. & ven. Sanct. in 6.* non enim existimandum est, gratis Deum intertumpere ordinem ab initio Naturæ datum, sed ut est ipsa Sapientia, id non nisi ad sui Gloriam, & in nostram salutem operari; ex fidei autem corroboratione, utrumque emanare palam est.

8 Sexta conditio est, quòd affectus appareat in continenti, aut multò citiùs quàm à Natura fieri potuerit: & hoc habet locum in his tantùm, quæ alias naturaliter fieri possunt. Malvet. *ubi alias, dub. 3. n. 25.* siquidem nonnulli, quod exempli gratia dictum volo, ab infirmitatibus etiam extremis, & undequaque periculosis sanantur, Natura ipsa morbum superante, humorum concoctione, & adæquatione, etiam citiùs, ac faciliori modo, ac via, quàm sperari ab hominibus potuerit, ii tamen miraculosè non sanantur, quia sanatio tempore contingit; sanationes autem miraculosæ nullâ intermedia humorum concoctione fiunt, sed in instanti, confestim, subitò, statim: his etiam vocibus ad ostendendam miraculorum evidentiam utitur Sacra Scriptura, præcipuè verò in miraculis quæ à Christo Domino patrata fuisse narrant Evangelistæ. Sed advertè, ut dixi, hanc instantaneam operationem non requiri in omnibus miraculis, sed in iis, quæ sunt à Natura factibilia, & idcircò nihil omninò demit de miraculo, quòd Elisæus non unicâ vice puerum à morte suscitaverit; sed tantùm ubi septies super illum sese inclinasset, & quòd Christus Dominus non prima vice integrum visum restituerit cæco, de quo *Marc. c. 8. v. 23. & seqq.* sed secundò manus super oculos ejus imposuerit, contrà autem evèniisset in sanatione cæcitatis Tobiæ, multum enim de miraculo minuisset, repetitio per plures vices medicamenti ab Angelo Tobiolo commonstrati; quia fortasse erat opus hoc per convenientem & iteratam ejus medicamenti applicationem naturaliter factibile, non verò unicâ vice.

9 Septimam conditionem affert Malvet. *ubi suprà, n. 51.* & Medices *ibid.* Est autem, quòd fiant sine dolore. Sed hæc ut videtur, non est in omnibus miraculis perquirenda; imò fortasse in nullo: nam quid demeret miraculo, si lapide Renum magno, & qui non potest naturaliter per angustias veretri exire, laborans ad alicujus servi Dei benedictionem illum cum consueto dolore per urinam ejiceret? aut si putrida febre laborans, jam jam periturus, solo Jesu Christi nomine invocato, stomachi dolore illico apprehensus vomeret, & à febre, insimulque ab imminente morte liberaretur, jam verò tale exemplum in Sacris habemus, ab ipso Medic. relatum *Marc. c. 9. vers. 25.* de Dæmoniaco à Christo Domino liberato, de quo ille: *Et exclamans, & multùm discerpens eum, exiit ab eo, & factus sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est.* Et *infrà, quæst. 8. sub n. 11.* miraculosum opus (quantum ego existimo) contemplari licet dolores unius partis in aliam transmutari, ita ægrotante Deum rogante per merita Card. Bellarmini piæ memoriæ. Itaq; dummodo in continenti, exempli gratiâ, recedat morbus, licet remaneant consequentia morbi, puta lassitudo, debilitas, cicatrix, dolor: & similia, sufficit ad hoc, ut opus miraculosum dicatur, ita sentiente Rota *in Relatione super processu Canonizationis B. Raimundi, p. 2. art. 5. v. Quod si quandoque.* Non tollit itaque dolor interveniens in alicujus morbi curatione vim miraculi, ut firmat Rot. *in Relat. super processu Canonizationis S. Caroli, p. 3. mer. 2. post mortem in fine, & in Relatione super processu Canonizationis S. Theresiæ art. 4. super. 11. mirac. post mortem*, quæ testimonia referuntur ab eademmet Rota *in Relatione super processu Canonizationis S. Andreæ Corsini, p. 2. vers. Item quod Deus.* Ac profectò etiam ipsi Philosopho satis fuerit ad miraculi essentiam, ut opus non sit suâ natura factibile, neque curabit ille, an cum dolore, vel aliter fiat.

Octavam addamus conditionem omnium maximè necessariam, & est, quòd opus miraculosum sit undequaque perfectum. Marc. Anton. Genuens. *in prax. Archiep. Neap. c. 59.* Ricc. *in prax. Episc. Resol. 487. n. 7.* & ex Melicis Fortun. Licet. *lib. 2. de his, qui diù sine alimento vivunt, c. 172. in fin.* nam mortuum suscitare, qui illicò remoriatur; imperfectum opus est, & apparere potest ex Dæmonis virtute factibile; ut patet in histor. *Act.* B. Petri Apost. de Simon. Mag. qui neque potuit mortuum omnino suscitare, neque ullo modo, quia etiamsi noveretur, non erat verè suscitatus. Cœcum quoque cœcitate exuere; qui mox in illam relabatur, miraculum non est, quia opus imperfectum, & sic de cæteris. Et hæc conditio videtur maximè desiderabilis in effectibus, quorum causæ sunt ignotæ, aut qui miraculosi censentur: nam vidi ego plures ægrotantes aliquo morbo molestatos ad præsentiam, vel adventum, vel tactum alicujus Religiosi, in quo maximam haberent fiduciam, vel etiam aliquarum Reliquiarum etiam ipsorum Sanctorum (nam neque per has Deus quandocunque nobis licet, & semper miracula operatur) sese à morbo recollegisse, ac meliùs habuisse, mox eodem morbo deteriùs molestatos fuisse, & aliquando etiam periisse, nimirum; quia ex contracta fiducia imaginantur se iis mediis sanari posse: unde Naturâ bonâ spe ducta, morbo insultat, mox autem invalescente morbo, succumbit. Deus autem, cùm miraculo operatur; omnino, & undequaque perfectâ opera efficit. Sed circa hanc miraculi conditionem, vide quæ dicemus *q. 8.* Vide autem, si libet, sex occasiones, ob quas miracula fiunt, apud Card. *lib. 15. de Variet. c. 81.*

10

SUMMARIUM.

1 *Absque conditionibus requisitis nullus effectus pro miraculo existimandus.*
2 *Deus de raro nunc miracula operatur, & cur.*
3 *Multa pro miraculis habentur, quæ non fiunt, & causam vide num. 4. & 5.*
6 *Ecclesia Catholica non patitur quemquam decipi.*
7 *Ignorantia quo pacto sit in causa, ut ea, quæ miracula non sunt, pro miraculis à nobis judicentur.*
8 *Contagio Causarum, quæ maximè ex Philosophia habetur, admirationem tollit.*
9 *Plures eorum, qui Dæmoniaci existimantur, tales non sunt, sed potius melancholici.*
10 *Ex ignorantia nihil boni emanare potest, cùm ipsa per se mala sit.*

Vera miracula cur rarò fiant; multa tamen, & frequenter facta celebrentur.

QVÆSTIO IV.

SEd cum ad miraculi efficientiam tot concurrere conditiones necesse sit, quibus deficientibus effectus nullus miraculi nomine insigniendus est; atque insuper difficillimum sit, eas conditiones simul concurrere, cumq; miraculum ex sui natura, ut superiùs annuimus: effectus sit admodum rarò apparens

parens: imò ad præſens ratiſſimè, quia Deus Optimus Maximus hoc tempore de raro admodum miracula operatur, reſtante D. Auguſtino, quem adducit Maſcard. *de probat. conclus.* 162. *num.* 19. *tom.* 1. quoniam ſtabilitâ jam fide minor eſt, veilet eo-
2 rum neceſſitas. Deir. *Diſquiſit. Magic. lib.* 4. *quæſt.* 1 *ſect.* 2. Vide de hac ipſa re Joan. Huart. *in exam. ingen. cap.* 2. & cùm tandem Miracula Deus nonniſi ratiſſimè perficiat, circa ullam naturalium cauſarum admotionem: Valleſ. *de ſacr. Philoſ. cap.* 38. Card. *li-*
3 *bro* 15. *de Variet. c.* 81. meritò quærendum videtur: unde ſit, quòd tam multa, ac frequenter facta indies miracula celebrentur, & quod plerosque naturales effectus, dummodò admirationis quicquam in ſe habeant, homines pro miraculis judicent: nam profectò ſi hominum quorundam credulitati acquieſcendum eſſet, plures omnino eſſent effectus miraculoſi, quàm Naturales, imò quaſi otioſa videretur Natura, Deo ipſo abſoluta ſua potentiâ: non autem per has ſecundarias cauſas pleraque diſponente. Nihil enim omnino evenit, cujus cauſa à vulgo non ignoretur; nihil quod ratum ſit, nihil item quod admirationem aliquam, quantulacunque ſit, ſecum habeat, quod ab indoctis, & rerum naturalium ignaris pro miraculo non prædicetur; nullus ex aliquo morbo aut periculoſo, aut aliâs moleſto vindicatur, qui non ex miraculo id impetraſſe ſe affirmet; nullus ab aliis quibuscumque imminentibus periculis, aut moleſtantibus ærumnis eximitur, qui non miraculi favore ab illis ſe exemptum dictitet, tanquam ſi gratis Deus, & ad cujuſvis homuncionis nutum ac petitionem, Naturæ ordinem pervertat, ac non potiùs id ipſum, ut cæteta omnia, ſumma cum ſapientia, & non niſi maximis, atque urgentiſſimis ex cauſis peragat, nam profectò quando oportuit propriam potentiam incredulis hominibus patefacere, aut veritatem Chriſtianam firmiter ſtabilire viderunt omnia opera Domini, & mirabilia ejus; nunc autem quando jam veritas notiſſima eſt, incaſſum tot miracula commonſtraret. Quid eſt
4 ergo quòd tam facilè homines miracula celebrant, & eorum narrationem tantopere affectant? Ego ejus rei duplicem poſſe cauſſam aſſignari exiſtimo: unam quidem minimè improbandam, ſed in hoc coërcendam, aliam autem ſummopere vituperandam, & omnino explodendam. Prior cauſa, pietas eſt in Deum: ejusque ſervos; conſentaneum enim videtur, & à pietate Chriſtiana minimè abdicandum, quòd quæcumque bona in dies nobis eveniunt, Deo ſummo omnium bonorum datori accepta referantur; ſic & quæcunque admirationem aliquam habentia eveniunt, quæ in ipſius Dei laudem, & gloriam, in noſtramque utilitatem, & diſciplinam redundare poſſunt, ab ipſomet Deo emanare credamus, licèt hæc ipſa naturali via ſucceſſiſſe, aut ſuccedere potuiſſe exiſtimemus: nam neque quicquam à ſecundariis provenit cauſis, quod à primaria non habeat exitum. Ac maximè mehercle expetenda, ut dixi, ac collaudanda hæc cauſa videtur, coërcenda tamen ob rationem, de qua infra. Hanc cauſam inſinuaſſe quoque videtur Poëta noſter Torquatus Taſſus *Cant.* 2. *eſt.* 9. his carminibus, de ſacræ Imaginis diſparitione loquens:

Incerta fama è ancor, ſe ciò s'aſcriva
Ad arte umana, od à mirabil' opra;
Benè pietà, che la pietade, e'l zelo
Vman cedendo, autor s'in creda il Cielo.

Ac bene quidem hæc habent, ſed quemadmodum Deus Optimus Maximus non omnes Sanctos vult pro Sanctis canonizari, hoc eſt, nominatim pro Sanctis coli, & idcirco non omnes miraculis illuſtrat, & hoc multis ex cauſis, & præcipuè ne multitudine Sanctorum, eorundem cultus vileſcat. Gloſſ. *in cap. unico Seliq. & Venerat. Sanct. in* 6. *verbo Sedit. verſ. Quinto ne in infinitum* ſic quoque de miraculis cenſendum eſt, & idcirco, ut dixi, in principio hujus tituli, non licet absque auctoritate Eccleſiæ nova miracula publicare.

Sed quemadmodum hanc priorem cauſam, ut Chriſtianum hominem decet, quantum, ac qualiter requiritur, libenter & laudo, & amplector, ſic inanem alia ex parte futilem, & inſulſam quorundam 5
ſciolorum pietatem odio plusquam Vatiniano proſequendam cenſeo, his enim impium, ac nefarium videtur, miracula quæcumque inſulſiſſima ipſi ſomniaverint, ac effutierint, & eorum craſſa ignorantia pro veriſſimis canonizaverint, illicò non acceptare, atque hæreticæ pravitatis indicium putant, eave digno ritu excipere, vel tanquam futilia & inania refellere; neſcientes miſeri, injuriam ſe veritati Catholicæ facere, cùm eam mendaciis, & fictitiis, aut non veris miraculis fulcire ſe credunt, quæ veriſſimis, ac tot tantisque jam à Chriſto Domino, ejusque Apoſtolis, cæterisque ejus ſervis ſit ſtabilita. Ad quid ergo nova miracula effingere? *Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* nam rectè his cum Iob. *cap.* 13. hæc obicio: An pa- 6
tiendum eſt in Catholica Religione quemquam decipi? Non profectò, neque id unquam Sancta Mater Eccleſia permiſit, ac permiſſura eſt, ſed ſupinam; ac maximè fatuam (neque enim malitioſam dicere in animo eſt) horum ignorantiam coërcuit, & coërcitura ſemper eſt. Obſtrepant ergo quantumcunque libuerit contra nos, qui interdum eorum inſcitiam irridemus; veritatem enim nos ipſi Deo Optimo Maximo acceptiſſimam detegemus, eorum latratus, ac ſtrepitus negligentes.

Ignorantia ergo poſterior cauſa eſt, ut, quotiescunque aliquis effectus mirus, aut cujus cauſa latens 7
ſit, apparcat ad ſuperiores cauſas homines confugiant, effectus illos pro miraculis judicantes; quod etiam extra Chriſtianam Religionem & nunc accidit, & olim evenit, ſemperque in futurum eveniet, quod & Ariſtoteles innuebat *in Quæſtionibus mechanicis, in princ.* & optimè demonſtravit Lucret. *lib.* 6. *de rer. nat.* his verbis:

Cætera, quæ fieri in terris, Cœloque tuentur
Mortales, pavidis cùm pendent mentibus ſæpe
Efficiunt animos humiles formidine Divûm,
Depreſſosque premunt ad terram, propterea quid
Ignorantia cauſarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concredere regnum:
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, hæc fieri divino numine rentur.

Ex ignorantia ergo admiratio, & ex admiratione 8
Deo tanquam miracula tribuntur ea, quæ non ſecus ac cætera omnia, Natura operante, eveniùt; contra autem cognitio cauſarum, quæ ex Philoſophia habetur, admirationem tollit. Plutarch. *in lib. de Audit. offic.* de hac ead. cauſa loquebatur Hippoc. noſter *in lib. de morb. ſacro* dicens: *Homines verò eximperitia & admiratione, ei (nimirum morbo ſacro) Naturam quandam, & cauſam divinam ineſſe cenſuerunt quòd nulla in eo reliquorum morborum ſimilis eſſet, & præ conſilij inopia, quod morbum non cognoſcunt, illi divinitatem aſſerunt.* Hæc Hipp. quod quidem etiam noſtris temporibus eodem modo in aliis multis evenit. cùm enim morbum curatu difficilem: aut accidentia rara, & aliis morbis non conſueta habentem offendimus, illicò vel ad Dæmonia, vel

ad

ad cæteras metaphyſicas cauſas eos referimus, ita
9 ut plures eorum, qui Dæmoniaci exiſtimantur, melancholici ſint, aut utero laborantes, ut alibi dixi, ob ſymptomatum enim novitatem, ac raritatem tales exiſtimantur; neque ſolùm indoctos, & idiotas decipi aliquando contingit, ſed etiam doctos viros, id ipſum ergo in miraculis celebrandis evenit. Verùm quia ex ignorantia nihil nunquā boni emanare poteſt cùm ipſa per ſe mala ſit, omninò abigenda eſt, & idcirco à doctis ſemper veritas expectanda, eorumque judicium in his maximè expetendum.

SVMMARIVM.

1 *Prophetia quid & num. ſeqq.*
4 *Prædictiones multæ ſunt, quæ tamen prophetiæ non ſunt.*
5 *Ars, & Natura ex aliquorum ſententia vim habent in futurorum prædictione.*
6 *Divinatio datur in rerum Natura.*
7 *Medicina habet partem divinatricem.*
8 *Medicina nihil certi prævidere, aut prædicere poteſt, ſed tantùm conjecturaliter.*
9 *Medicinæ ars non promittit certam prædictionem futurorum eventuum.*
10 *Medicinæ artis fallacia in prædicendo, unde ſit.*
11 *Aſtronomia maximè ad prophetiæ naturam accedit. Vide ibid.*
12 *Aſtrologia digna eſt, ut à ſcientiarū amatoribus intimè cognoſcatur.*
13 *Aſtrologia nihil quod futurum ſit pro certo prædicere poteſt, ſed omnia conjecturaliter.*
14 *Quibus modis naturaliter contingat Prophetia.*
15 *Melancholica temperatura maximè apta eſt ad divinationem.*
16 *Melancholicis morbis detenti, & prophetare, & aliena lingua non edocti loquis & alia multa mirabilia facere traduntur.*
17 *Divinatio per ſomnia non temerè eſt aſpernenda, ex Ariſtotele.*
18 *Moribundi divinare ſolent.*
19 *Herbæ quædam, lapides, gemmæ, Aqua divinationem procurare creduntur.*
20 *Ex prophetiæ dono non poteſt quis tanquā ex miracula in ſanctorum numerum redigi.*
21 *Prophetia tam bonis quàm malis communis.*
22 *Prophetia non eſt inter miracula, ſed potius inter admirabilia reponenda. Contrarium num ſeq. & n. 40.*
24 *Futurorum prædictio apud Veterum nonnullos à Natura tā alienā habita, ut Deos ipſos in ea mentiri voluerint.*
25 *Futurorum prædictio ſi vera ſit, à Deo non emanans per accidens vera eſt.*
26 *Certitudo futuri eventus in vera Prophetia requiritur.*
27 *Certitudo eventus in quibuscunque divinationibus deſideratur.*
28 *Caſu interdum prædicta, quā ratione verò fuiſſe prædicta ab exitu contingat.*
29 *Melancholia maximè confert ad prudentiam.*
30 *Prædictio quæcumque à Melancholicis facta, caſu fit.*
31 *Prophetantes, & divinantes non intelligunt quidquam eorum, quæ prophetant, aut divinant.*
32 *Non omnes qui melancholicis morbis tentantur, divinare ſolent.*
33 *Prædictio futurorum eſt perfectioris, & ſapientioris intellectus, & n. 37.*
34 *Somnia, quæ à copia, & quantitate humorum procedunt habent aliquam ſignificationem.*
35 *Cardanus vanitatis notatur.*
36 *Somnia quæcunquevana ſunt quoad futuri prædictionem.*
38 *Non omnes qui ſomniāt divinare dicuntur ſed eorū pauci*
39 *Anima in moribundis minus rectè ſuas functiones exercere poteſt ab inſtrumentorum defectum.*
41 *Ex Dæmonis miniſterio an poſſint futura certò prædici aut cognoſci.*
42 *Dæmon nihil agere poteſt, quod Natura vires exuperet.*
43 *Dæmonis opera niſi ea, quæ aliquam connexionem habent, cum rebus præteritis, aut præſentibus poſſunt prævideri.*
44 *Prophetare non poteſt Dæmon.*
45 *Dæmon contingentia futura ignorat, probabiliter tamen conjecturat.*
46 *Hominem non poſſe, niſi Dæmonis operā, futura divinare quomodo accipiendum.*
47 *Hipocrates ex Phyſiognomia malos, aut bonos mores denotat.*
48 *Ex mala aut bona facie, bonitatem aut malitiam deprehendimus.*
49 *Deformitas corporis malam mentem arguit.*
50 *Deformitas inſignis impedit ordinum ſuſceptionem.*
51 *Vbi ſequendi plures Reſpſint ad eliciendam veritatem in partitate judiciorum, ab eo incipiunt Judices, qui pejorem habet effigiem.*
62 *Præſagitio ex Phiſiognomia nullam habet certitudinem.*

De Prophetia, ſeu rerum futurarum prædictione, occultarumque cognitione.

QVÆSTIO V.

SEd quemadmodum, ut ex ſuperiori quæſtione patet, ob alteram ex commemoratis cauſis multi multos effectus merè naturales miraculoſos judicant, cùm non ſint, ſic è contra pervicaces quidam Philoſophi, & impiâ temeritate inſignes, multa, quæ, verè, & abſolutè miracula ſunt, ad effectus & cauſas naturales reducere conantur, Naturæ opera tribuentes, quæ ſolius Dei virtute fieri poſſunt, ſic & non aliter miraculoſa opera, in fidei noſtræ, & Catholicæ veritatis teſtimonium ac confirmationem emanantia, diminuere tentantes, inſimulque ejus fundamenta concutere volentes. Itaque ad horum temeritatem coërcendam operæ pretium eſſe duxi, ad quædam particularia deſcendere, demonſtrando quædam à Natura nullo modo eſſe poſſe, ſed ſemper naturalem ac divinam virtutem requirere: & in conſequens verè & abſolutè miracula eſſe; præcipuè autem ea talia faiſſe, quæ tam in veteri; quàm in nova Sacra Hiſtoria enàrrantur: hinc etiam apparebit, quænam propriè miracula ſint, ob quorum vim & apparentiam, quantam ex ipſis eſt, poſſit quis in Sanctorum catalogum recipi, quænam inſufficientia ſint, & de quibus non ſit curandum, quòd Naturæ vires non pertranſierint.

Ac primo loco de Prophetia & divinatione ſermonem habeamus, de qua qui multa ſcita deſiderat, legat præ cæteris Delrium *Diſquiſit. magic. lib.* 4. & Torreblanc. *in Epit. delict. lib.* 1. & ex noſtris Card. *lib.* 14. *de variet. cap.* 48. Peucetum *de omni divinat. genere.* Dicitur autem Prophetia, divina inſpiratio, rerum à nobis procul diſtantium eventa, immobili veritate, & maxima cum certitudine prænoſcens, atque denuncians. Matt. Delr. *Diſqui. ſit. magic. libro* 4. *cap.* 1. *queſt.* 1. vel breviùs cum Caſſiodoro, ex quo repetit Medices *citat. libro* 1. *quæſt.* 21. & Torreblanca *in Epit. delict. libro* 1. *cap.* 1. *numero.* 54. eſt inſpiratio vel revelatio divina, rerum eventus immobili veritate denuntians. Ego hic Prophetiæ nomen tantiſper latiùs accipio, ac magis philoſophicè, nempe prout intellegimus Prophetiam eſſe certam futurorum prædictionem, ex infallibili præcognitione emanantem oſtendere enim hîc paratus ſum, hanc certam & infallibilem futurorum prædictionem nullo modo poſſe à Natura proficiſci, quemadmodum neque certas occultarum rerum cognitiones. Prædictiones enim multæ quidem fiunt, aut fieri dicuntur, quæ nequaquam Prophetiæ nomine dedignandæ ſunt, niſi id per nominis abuſum fiat, quia nullam habeat prædictorum eventuum certitudinem, ut Prophetia habere debet. Videndum autem quonam ſeſe extendant cæteræ prædictiones omnes, & quantum, & quatenus futura annunciare valeant, ut appareat dehinc, Prophetiam ſemper effectum eſſe miraculoſum, & ex inſpiratione divina, & cauſa ſupernaturali, nunquam autem ex naturali emanantem

Præ

5 Præſupponunt igitur hominum plerique tam Artem quàm Naturam in futurorum prædictione vim
6 habere. Et ante omnia dari in ipſa rerum natura divinationem, communi hominum conſenſu, & infinitis penè experimentis probant, & univerſaliter, ut Ciceronis verbis utar, *in princ. lib. 1. de divinat. Gentem quidem nullam videmus, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem atque barbaram, quæ non ſignificari futura, & à quibuſdam intelligi, prædicique poſſe cenſeat.* Sed hoc, ut dixi, ſimpliciter ex ipſa Naturæ vi interdum, aliàs verò ex arte contingere poſſe exiſtimatum eſt. Primò autem artes, quæ id ex propoſito, ac præcipuè promittunt, (ut earum quaſdam præteream, quæ ad ridiculam uſque vanitatem excreverunt, ut omnes augurandi artes, & per lineas manus aut frontis prædicendi, nempè Chiromantiam, & Metopoſcopiam, divinationem per ſomnia, & hujus farinæ alias; quarum nomina & inſtituta ſi quis ſcire cupit, legat Cardanum de ſapientia *lib. 4. &* Peucerum *de omni divinat. genere.* & Mart. Delr. *diſquiſit. magic. lib. 4. per totum*) ſunt Medicina, & Aſtrologia. Et Jan. Jacob. Boiſſard. *de divinatione, cap. 3. per totum.*

De Medecina ergo certum eſt, eam non modò particulares hominum propenſiones ac paſſiones ex
7 temperamento & corporis habitu poſſe cognoſcere, quod facillimum exiſtimatur, ſed etiam futuros, & imminentes morbos prænunciare, & quod plurimùm expetitur, eorundem morborum eventus prædicere, nempe mortem ex iis ſecuturam, aut futuros abſceſſus monere, aut tutam ſanitatem promittere; ipſorum etiam morborum recidivas aut tranſmutationes, partiumque ex ipſis morbis futuras læſiones prævidere. Hæc enim omnia, quæ Prophetiæ naturam ſapere videntur, ab ipſa arte promittuntur; unde quantum ex ipſa eſt, non videtur futurorum prædictionem eſſe miraculoſam, nec conſequenter ſemper ſupernaturalem cauſam habere.

8 Sed etiamſi hæc veritatem aliqua ex parte in ſe contineant, notiſſimam tamen eſt, & ab hominum nullo negandum, arte hanc, licet inter omnes nobiliſſimam, & ſenſu ipſo ſtabilitam, nihil omnino certi unquam poſſe prævidere, neque prædicere, ſed omnia ſolâ conjecturâ aſſequi, quod rectè inſinuabat Hippoc. 1. *Prædict. Ego autem,* dicens, *hujuſmodi ſcilicet Medicos vates eſſe nolo, ſed ſigna deſcribam, ex quib. quis ſanos forè, aut morituros hominet conjecturâ cognoſcat*; quaſi diceret, non eſt in Arte Medica, futura quomodo eventura ſint, certò cognoſcere, hoc enim Vatum ac Prophetarum proprium eſt, non Medicorum, qui tantùm conjecturaliter per ſigna quædam futura prævidere poſſunt. Unde nullam veritatem habet id, quod firmabat *Jan Jac. Boiſſard. ubi 5. c. 3.* nempe quod ex Medicina, meteoris, & Phyſiognomia prædictiones elici poſſint, quæ nequaquam fallant; ex nulla enim prædictarum facultatum ita certa prædictio elici unquã poteſt, ut infallibilis ſit. Rectè igitur Cicero *citato lib. 1. de divinatione*, Medicorum prædictiones inter divinationes connumerari non vult: nam ſi quid unquam in medendo evenit, quod Medicorum prædictionibus reſpondeat, id quidem omne per conjecturas aſſequuti ſunt, & per accidens dehinc eo modo evenit, non ex ipſius artis prædicendi certitudine; nos enim ipſi noſtræ artis fallaciam in prædicendo non ſine honeſto rubore confiteri cogimur. Admirandas autem Galeni, & aliorum prædictiones, præcipuè autem Cardani, ego quidem quantum in me eſt, ſatis ſuperque admiror, ſcio tamen doctiſſimos quoſdam viros, eas riſu excepiſſe, & tanquam ab ipſiſmet auctorib. confictas (quod ego non admiſerim) aſpernatos, ſcientes artem poſſe ſibi hæc promittere, neutiquam autem artifices, forſan ob vitæ brevitatem, ea aſſequi poſſe. Ego tamen libenter concedam Galeni, & Cardani, aliorumque quorundam ingenia, cæterorum omnium
9 ingenia excellentia ſuperaſſe non tamen eorum prædictiones quicquam certi habere potuiſſe exiſtimandum, ita ut prædicta de neceſſitate ſic contingerent, neque poſſent alio modo, quàm prædicta ab ipſis erant, evenire; ars enim id omnino non promittit: immò nos in præſentiarum neq; Galeni, neq; Cardani, neq; hujuſmodi Medicorum prædictionib. ſimiles facere ſcimus, neque alios, qui ſimiles faciant, aut audimus, aut vidimus; immò ingenuè cum veridico præceptore noſtro Hipp. 2. *Prædict.* dicamus: *Prædictiones Medicorum referuntur permultæ, tum præclaræ, tum admiratione dignæ, quales neque equidem prædixi, neque quemquam, quæ prædiceret, audivi.*

10 Cæterùm Artis fallacia in prædicendo non tam ab ipſius artis inſufficientia, quàm ab ipſorum individuorum natura, & diverſitate procedere exiſtimanda; non ergo ob id ars inculanda eſt, aut artifices, præterquam quòd multa alia in noſtram tutelam, & artis ipſius venire poſſunt, quæ pro tunc conticebo, ne potiùs artem, quam profiteor, à calumniis defendere ac vindicare, quàm inſtituti operis telam proſequi velle videar.

11 Aſtronomia porrò multò plura promittit, & ars divinatoria dicitur, & ad Prophetiæ naturam accederet, ſi quidquid Artifices ſibi promittunt, aſſequerentur. Ex ſuperiorum enim corporum, ac Sphærarum motu, & Planetarum cæterorumque ſyderum malo aut bono aſpectu inter ſe, ipſorumque loco, & poſituâ, & ex mille aliis circumſtantiis non modò ea, quæ ex quadam Naturæ proprietate quaſi ex neceſſitate hominibus eveniunt, ut morbos, & interitus, alioſque caſus ſed etiam ea, quæ ex ipſa volubili hominum voluntate, & ex incertiſſimo eventu dependentiam habent, prædicere, ac certò præmonſtrare ex arte promittunt. Sed quid circa eam ſcientiam ipſe ſentiam, liberè, & nullo impulſus affectu, aut ſcientiæ ipſius amore deceptus, non hujus aut illius præceptoris, aut cujuſvis docti auctoritate permotus, ediſſe ram, ſi ante illud admonebo, me Aſtrologiam, & Aſtronomiam pro nunc confundere, & 12 utrãq; pro una accipere. Itaq; Aſtrologia digna quidem eſt, ut à ſcientiarum amatorib. non ignoretur, immo potiùs, ut intus, & in cute cognoſcatur, quod ex Hipp. & Galeni, & multorum doctiſſimorum Medicorum auctoritatib. clarè paret, & notat inter Juriſconſultos Vinc. Carrar. *de Med. & ejus off. p. 2. n. 465.* Eam enim partem, quæ multa continet vera, realia, & ſcitu tam digniſſima, tam jucundiſſima, nimirum, quæ cælorum ſtellarumque motus, & accidentia reliqua conſiderat, criminari minimè poſſumus, quòd falsò Prophetiæ nomen ſibi arroget, quia ab ea longè ſe abeſſe profitetur, cùm eventus ſolùm prædicat de neceſſitate Naturæ contingentes. D. Thom. 2. 2. *quæſt. 95. art. 1.* Aliam autem partem plerique criminantur, quòd pleraque habeat commentitia, & ab hominum ſpeculatione conficta ad ipſam prædicendi artem confirmandam ac ſtabiliendam. Motus, inquiunt, Planetarum, & mutuæ eorum Syzygiæ, vel aſpectus, & congreſſus, eorumque motuum, & aſpectuum, & congreſſuum inordinatus ordo, non modò per ipſam Aſtrologiæ artem, ſed & per ipſos ſenſus percipiuntur; quin etiam & aëris mutationes ventorum incurſiones, corporumq; alterabilium quaſdam alterationes ex iiſdem motibus, & aſpectibus quadam conjecturâ venari poſſe,

ejus artis proprium eſt. Cæterùm, addunt, ab ipſiſmet ſphærarum aſtrorumque motibus, aſpectibus, & congreſſibus, ea quæ ab accidenti, & hominum voluntate libera pendent, prævideri poſſe, vanam, abſurdamque curioſitatem videri; ſi enim contemplatus optimè fueris plura eorum, ex quibus accidentia nobis evenientia prævidere ea ſcientia ſive Ars promittit, imaginaria omnia ac commentitia reperies. Quinetiam Artis ipſius axiomata quædam, immò & ipſa principia omnibus acceptiſſima; ſi intimè examinaveris, clarè videbis, inquiunt, ea nullum habere fundamentum reale. Aſtrorum quædam bona eſſe, quædam mala, quædam fortunata, quædam infauſta ac infortunata, nec à priori, nec à poſteriori probabile videtur; multò minùs aſpectuum quoſdam amicos eſſe, quoſdam inimicos; item locorum in Cœlo quædam apta, quædam inepta, quædam felicia: quædam infelicia: proprietates etiam quædam ipſorum locorum, & Planetarum, ut quod Horoſcopus perſonam nati, occidens uxorem, medium cœlum honorem, imum cœlum bona ſtabilia; quòd anguli ſint loca fortunata, domus cadentes infortunata; quod Sol denotet Reges, Jupiter Religioſos, Mars milites, & aliorum ſinguli magis unum perſonarum genus, quàm aliud; item quod magis unus, quàm alius ſigni gradus ad certum quid faciat: & cætera omnia à prædictis non diſſimilia, anicularum deliramentis comparanda illis videntur. Hæc & infinita alia contra Aſtrologiæ ſcientiam plerique in medium aſſerunt, quæ qui peculiariùs cognoſcere deſiderat, præter allata à Mirand. *in libb. cont. Aſtrol.* & ab aliis videat Valleſ. *in lib. de ſacr. Philoſ. c.* 3. & Alex. de Angel. *in lib. ad hanc rem dicato.* Roderic. à Caſtr. *in ſuo Med. pollit. lib.* 2. *c.* 2. Torreblanc *in Epitom. delict. lib.* 1. *c.* 7. & 8. quibus tamen ſatisfacere ſe dicunt magna ex parte Aſtrologi. Quomodocunque tandem ſit, ſi quid prædicere ea pars Aſtrologiæ poteſt, quæ circa elementorum aut corporum alterationes prædicit, id nunquam cum certitudine facit, ſed tantùm conjecturaliter. At deniq; da-
13 to, quòd aliqua Ars ſit, quæ futura prædicere doceat, atque id quomodocunque aſſequatur, id tamen certum eſt, hoc ex præexiſtenti ſcientia, & facto aliquo fundamento in aliquibus rebus contingere, cùm prophetia ex nulla præexiſtente cognitione, & ex nullo præexiſtente rerum fundamento contingat. Verumtamen non ſolùm arte futura prævidere poſſe, plerique etiam ex doctis ſibi perſuadent, ſed etiam
14 ex Naturæ ipſius proprietate, idque multis modis; ex diſpoſitione nempe, & temperatura melancholica, ex morbo aliquo item melancholico, ex ſomniis, ex actu ſeparationis Animæ à corpore, & ex aliis; &
15 ut melancholica diſpoſitione initium ſumamus, videntur etiam ipſi Philoſophi in hoc convenire, quod Temperatura melancholica apta maximè ſit ad divinationem, futurorumque prædictionem, unde eâ temperaturâ dotati, divinatoria etiam & prophetica ſomnia habere dicuntur, ab Ariſt. *Moral. Eudem. lib.* 7. *cap.* 18. & ab Aretæo, quem adducit Mercur. *Pract. lib.* 1. *cap.* 10. quin etiam Alex. Trall. *lib.* 1. *ſuæ Med. cap.* 13. & Paulus *lib.* 3. *cap.* 14. voluerunt, quòd melancholicis morbis tentati divinare futura ſoleant. Immò & ipſos Prophetas, Sibyllaſque, cæteroſque omnes, qui vaticinio clari extiterunt, melancholicos temperaturâ fuiſſe volunt. Joan. Huar. *in exam. Ingen. c.* 4. ſive hoc ita ex divina diſpoſitione eveniret, ſive per accidens, ſive à priori, ſeu à poſteriori, nempe quia non quod eſſent Melancholici prophetarent, ſed quòd prophetantes fierent Melancholici, ex aſſidua mentis abſtractione in res divinas, & oracula propalanda. Cæterùm adeò ſibi perſuaſum habent Philoſophi, Naturam in ea re id poſſe, quod ex ejus ſolummodò diſpoſitione quis Propheta ſeu vates evadat, ut conditiones etiam nonnullas afferant, quas concurrere neceſſe ſit in eo, qui Propheta futurus ſit & maximè interpres ſomniorum, & vide, ſi libet, ipſos Philoſophos, *in lib. de divinatione per ſomnia.*

Præter hæc autem ad firmandum prophetiam na-
16 turaliter poſſe contingere, nonnullæ adduci poſſunt experientiæ. Narrat Plin. *hiſtor. lib.* in Hyſia Bœotiæ urbe puteum extitiſſe, ex quo qui ebibiſſent, futurâ vaticinabantur, & *lib.* 2. *c.* 103. Colophone in Apollinis Clarii ſpecu lacunam eſſe, cujus potu mira reddantur oracula, bibentium breviore vitâ. Teſtatur item Joan. Leo, *ſeu Aphricæ p.* 3. in Aphrica, in regione Fetza, multos eſſe Prophetas & divinatores, qui reſponſa utplurimùm infaillibilia reddant, & ratio fortaſſe eſt, quia ea regio pluries producit temperaturas melancholicas. Quinetiam, quod de ſuperioribus aquis jactatur, ex eo evenire poteſt, quòd earum aquarum potus homines dementes & melancholicos efficiat. Eam autem vim in effingendis vatibus melancholici humoris, ineſſe illi, probatur ex ipſis melancholicis morbis, quibus detentos prophetare, alienam linguam perſonare, abſque eo quòd illam didicerint, carmina componere, & diſertiſſimè loqui, cùm extra morbos ignorantes earum rerum fuerint, occultas hominum cogitationes revelare, & alia id genus maxima cum admiratione, immò ſtupore audienda, teſtes ſunt tam multi, ac tam præclari viri, ut nonniſi impudentis ac pervicacis nomen mereri videatur, qui contradicere paratus ſit. Videndi autem præter Trallianum, & Æginetam ſuprà adductos, præcipuè Concil. *diff.* 32. Lemn. *de Occult. Nat. mirac. lib.* 2. *c.* 2. Joan. Huart. *in exam. Ingen. cap.* 4. Ceſalpin. *de Damon. nat. c.* 13. Foreſt. *lib.* 10. *obſervat.* 19. *in ſchol.* & alii apud Schenck. *lib.* 1. *Obſervat. tit. de Mania*, qui omnes, & alii quos enumerare non intereſt, varios caſus circa hoc particulares enarrant, quorum ſimilem mihi nunquam vel extremam diligentiam adhibenti licuit videre. Mirum eſt quod Card. *libro octavo, de Variet. capite* 43. narrat de quodam, qui cùm Italus eſſet, nec unquam in Germania fuiſſet, ac ne per ſomnium quidem Germanicam linguam calleret, tamen Germaniſſimè loquebatur, quod illi ob vermium copiam, quam in corpore habebat, contigiſſe vult. Atque alia inſuper non diſſimilia narrantur. Suſpicatus tamen ſum, videns interdum amentes quoſdam utriuſque ſexûs concionantes, carmina pangentes, & plura effutientes, hos eſſe illos, de quibus ea miracula narrantur, at nullam ab illis unquam extorquere Prophetiam potui, neque ullum ſonum Larinæ aut alterius linguæ audire, niſi abſurdum & inconcinnum: non enim patior ego in hiſce rebus decipi, aut me ipſum decipere, ut nonnullos factitare expertus ſum, qui adeò avidi ſunt miracula prædicandi, & admirationem audientibus concitandi, ut ea quæ neque vident, neque audiunt, neque ullo ſenſu percipiunt, & videre, & audire, ac plenis ſenſibus percipere ſe dejerare non timent. Quomodocunque autem ſit, ſi melancholici, quos tam mira efficere ſupra citati auctores prædicant, alterius fortaſſe generis ab iis erant, quos ego vidi.

Sed preter hæc, celebertrima inter naturales divinationes ea eſt, quæ per ſomnia fieri dicitur, quam etiamplurimi facere viſus eſt Hippoc. *in libello* ad hoc argumentum dicato, & de qua illud pronuntiavit

Ariſtot.

Ariſtot. *in ſimili* item *libello*, non eſſe nimirum eam temerè aſpernandam. Immò cæteri Philoſophi, ut
17 Dicæarchus, referente Cicerone *lib. 2. de divin.* qui omnia vaticiniorum & divinationum genera deridebant tanquam vana, hoc unum admiſerunt: quod etiam admiſit Galenus noſter, quippe qui ex Patris inſomnio Medicinæ ſe operam dediſſe tradat 9. *Meth. c. 4. & de præcognit. ad Poſthum. c. 2.* & qui ex inſomnio quodam monitum ſe in medendo profiteatur, de ſectione totali arteriæ, *lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. ult.* ſed & ipſam Medicinæ artem comparatam fuiſſe divinis inſomniis, ex dignis auctoribus Tiraq. *de nob. c. 31. n. 24.* tradidit, & ex eo Carrat. *de Medic. & ejus offic. part. 2. n. 15.* quanquam enim hæc Prophetica non fuerint, docent tamen nos, inſomnia vana non eſſe, ſed habere in ſe aliquando divini aliquid, itaut perſuaderi facilè poſſimus, etiam divinationem per ea poſſibilem eſſe, & vide adducta à Polyd. Verg. *lib. 2. de Prodig.* nam multa quoque Prophetica ſomnia enarrantur, quorum plura apud Cicer. videnda offeruntur *lib. 1. de divin.* & apud Recentiores alia permulta legere licet, ut apud Kornman. *de mirac. vivor. tit. de ſomniantibus*, & præ omnibus duo pulcherrima apud Fracaſtorium *lib. 2. de Intellectione.*

18 Sed quid Piſoloſophorum Medicorumque ſententias, & opiniones ad eam corroborandam congero? an non veritas ipſa ex Sacra pagina luce meridiana clarior apparet? quippe quæ permulta prophetica ſomnia contineat, ut Abimelechi, Jacobi, Joſephi, Pharaonis, duorumque ſervorum ejuſdem Nabuchodonoſoris, & Madianitæ cujuſdam, quæ poſteriora magis naturalia eſſe videntur: ac denique Deus ipſe, ut narratur *Num. c. 12. verſ. 6.* per ſomnia noſtræ menti ſeſe inſinuat, ita enim ibi: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnia loquar ad illum*; quod etiam firmabat Job. *c. 33. verſ. 14. & ſeq.* dicens: *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit; Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo: Tunc aperit aures virorum, & erudiens inſtruit diſciplina.* Neque diſſentiunt ab hoc profani auctores; quin ipſe Hippocr. *in libello de Inſomniis*, ſomnia quædam à Diis immitti edocet: ita ut hinc facilè pateat, divinationem per ſomnia tanquam in rerum natura familiarem eſſe & bonis, & malis communem, cùm & boni & mali habuerint interdum prophetica ſomnia, ut ex prædictis hiſtoriis palam eſt. Reſtat denique alia experientia ex moribundis deſumpta; hos enim conſueviſſe interdum divinare teſtatur Plato *in Apologia Socratis*, & confirmatur id ipſum exemplis nonnullis à Cic. *in 1. de divin.* adductis. Sed ante hos Homerus, rerum naturalium peritiſſimus, quaſi in ipſum inſinuans, moribundum Patroclum Hectori mortem prænunciantem facit, *Iliad. lib. 16.* inquiens:

Hunc autem languens allocutus es Patrocle equitator, &c.
Aliud autem tibi dicam, quod tu in animum reponito tuam,
Ne tu quidem ipſe diu vives, ſed tibi jam
Propè imminet mors, & fatum violentum
Manibus domito Achillis inculpati Æneidæ.

Quin etiam Hectorem ſimiliter morti proximum divinantem introducit Achilli mortem per manus Paridis, his carminibus:

Hunc verò moriens allocutus fulmineus Hector.
Certè te bene cognoſcens divino; neque enim eram
Perſuaſurus: certè enim tibi ferreus intus animus.
Vide nunc, ne tibi aliqua Deorum ira cauſa ſim:
Die illo, quo te Paris, & Phœbus Apollo
Strenuum licet exiſtentem perdet ad Scæas portas.

Homeri locum hunc imitatus quoque eſt ad idem docendum, firmandum Virgil. *Æneid. libr. 10. carmine ſeq.*

Ille autem expirans, Non me, quicunque es inulto
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Proſpectant eadem, atque eadem mox arva tenebis.

Neque gravabor ea quoque carmina, quæ ad horum imitationem in ſuo Poëmate inſervit Taſſus noſter, cum his recitare, quæ ita habent *Cant. 9. ſt. 79. & ſeq.*

Ei gli occhi gravi alzando ali' orgoglioſe
Parole in fu' l moribr coſi riſpoſe.
Non tu, chiunque ſia di queſta morte
Vincitor lieto haurai gran tempo il vanto;
Pari deſtin t'aſpetta, e da più forte
Deſtra a giacer mi farai ſteſo a canto.

Hinc omnibus his prædictionibus effectus ſuos fuiſſe conſecutos omnes teſtantur; quæ tamen ab illuſtribus hiſce Poëtis non tam Poëticè dicta ſunt, quàm ſecundum id, quod hominibus perſuaſum eſt, eſſe nimirum ſecundum naturam, ut homines morti proximi divinent, ac prophetent; cui opinioni opitulari videntur Jacob, & Moyſes in hiſtoria ſacra; uterque enim moriturus ventura filiis, & populo Hebræo vaticinatur, ut de illo *Gen. cap. 29.* & de hoc *Deuter. c. 33.* recenſentur. Plura quoque alia exempla de moribundis vaticinantibus recollegit Kornman. *de mirac. mort. part. 4.*

His ergo omnibus experientiis probari ea opinio videtur quæ vult, Prophetiam à natura interdum eſſe; quibus etiam addi poſſet, quod à quibuſdam traditur, herbas nempe nonnullas, lapides, gemmas,
19 & aquas certo tempore, ac certo modo in uſum convocatas divinantes homines facere. Quorum nonnulla referuntur à Plin. *lib. 37. cap. 10.* qui etiam *lib. 30. c. 3.* idem de corde Talpæ adhuc palpitante devorato firmat, & de quibuſdam lapidibus, quod divinare faciant, ſi credere dignum eſt, docet Card. *lib. 7. de ſubtil. in princ. & lib. 14. de var. c. 48.* Quin etiam divinationem non tanti facere videtur; facilius enim credit per quædam medicamenta procurari divinationem, quàm ſomnia; vide quæ ipſe ſibi ſomnia fingat; ſed quid mirum de ejus vana credulitate, quâ gemmas nonnullas bonæ ac malæ fortunæ cauſam eſſe poſſe, ſibi perſuadeat?

Sed cùm ex cæteris non tantam futilitatem eſſe ſapientibus pateat, hominem naturaliter divinare poſſe, mirum poſthac eſſe non debet, ſi Prophetiam
20 non tanti faciat Eccleſia, ut ex ipſa, tanquam ex miraculo in ſanctorum numerum redigi quis poſſit.
21 Maſcard. *concluſ. 262. num. 8. tom. 1.* eſt enim Prophetia tam bonis, quàm malis communis. Cæl. Rhod. *lect. Antiq. 21. cap. 37.* Torreblanc. *in Epitom. delict. lib. 1. cap. 1. numer. 44. & ſeq.* ex noſtris Card.
22 *lib. 1. de Sapientia, verſ. fin.* Non erit ergo ex hic Prophetia inter miracula reponenda, ſed potiùs inter admirabilia, & ea; quæ eventu rara quidem ſunt, ſed tamen à natura proveniunt. Plura inſuper ad hanc rem adducta ſunt à Valleſ. *in ſua ſacra Philoſophia, c. 30.* ubi pariter omnia doctiſſimè confutantur. Legat autem apud ipſum, qui ſimilia luculentiùs pertractata deſiderat.

Ego pro viribus, his, quæ adduxit, reſpondebo, eam concluſionem antè pro indubitata ac veriſſima apponens, Prophetiam nempe, & rerum futurarum prædictionem, occultarumque præſentationem ex ſe & ex ſui natura ſupranaturalem rem, & à Deo eſſe.

D. Thom. 2.2.q.95.art.1. Jamblic. *de myſter. Ægypt. Segm.*10.c.3.Torreblanc. *in Epit.del.lib.*1.c.1.n.12. atque hoc pacto erit omnino miraculoſa; unde quandocunque probari poſſit, ſi bonæ vitæ ſit adjuncta, non minùs ac cætera quæcunque miracula, verum ac ſufficiens eſſe poterit veritatis teſtimonium.Nam cùm,ut jam dictum eſt,Prophetia ſit certa & infallibilis enunciatio futurorum abſque ulla præexiſtentia phantaſmatum,ex quibus firmari poſſit talis enunciatio, patet quòd, cùm nulla enunciatio, nullúſque diſcurſus in via naturæ fieri poſſit abſque ea phantaſmatum præexiſtentia, futurorum autem nulla exiſtat hujuſmodi præexiſtentia(de his loquor, quæ ad prophetiam pertinent) abſque dubio nulla hujuſmodi enunciatio in via naturæ erit poſſibilis: tametſi enim nonnulla enuncientur futura ab aliquibus,quæ poſtmodum,ut prædicta ſunt, eveniunt, tamen ſemper aut alterutrà, aut utraque conditione deſtituuntur, nempe quòd non enuncientur abſque ea phantaſmatum præexiſtentia, ut quæ Aſtronomi de futuris Lunæ Soliſque laboribus, & de congreſſibus Planetarum, aliarumque ſtellarum prædicant, & quæ Politicus, exempli gratiâ, de futuro Imperatore, aut alio quocunque Principe divinare videatur, aut quòd non ſortiantur certitudinem eventus, quam certitudinem requirit Prophetia, ut prædicta divinatio de futuro Principe: poteſt enim ea, aut non ut prædicta eſt,contingere, aut alio modo,unde manifeſtum eſt, non poſſe in via naturæ hominem prophetare. Non defuerunt autem ex Philoſophis aliqui,quibus hæc concluſio acceptiſſima fuerit,imò aliqui tam difficilem futurorum prænotionem exiſtimarunt, & tam ab ipſa natura alienam, ut etiam Deos ipſos circa futura mentiri aliquando firmaverint; & verè Prophetiam ad divinam naturam pertinere,clarè oſtendit illud Iſaiæ,*c.*41. *verſ.*23. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos.*Fuit & ejus opinionis Porphyrius, referente Cælio Rhodig.*lib.*2.*lect. Antiq. c.*12. Licèt verò ad noſtræ concluſionis tutelam pleniſſimè, & undequaque ſatisfacere poſſint ea,quæ adducta ſunt à Cicer. *lib.*2.*de divin.per totum*, & à Jamblico *de myſter. Ægypt.Segm.*3. *per tot.*& ex recentioribus à Valleſ. *loco citato*,& ab aliis, qui de divinatione contra Aſtrologos nuperrimè ſcripſerunt, tamen ego hîc aliquid ex illis ipſis, brevibus adducam.

Antequam autem ad confutanda ſuperiùs adducta deſcendam, illud pro certo habendum, futurorum quamvis præſenſionem, ac prædictionem, quomodocunque & à quocunque præterquam à Deo emanantem, vel per accidens veritatem habuiſſe, vel ex rationabili diſcurſu, cum nulla tamen certitudine futuri eventus. D.Thom. *ubi ſupr.* quæ certitudo in vera Prophetia omnino eſt neceſſaria. Unde *Deuter.c.*16.*verſ.*21. legitur: *Quòd ſi tacitâ cogitatione reſponderis, Quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus non eſt locutus! hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus.* Ita ut de eſſentia Prophetiæ ſit certitudo eventus, & vide hæc quæ affert Joan.Gerſon.*in lib. de diſtinct. ver. à falſo. verſ.quartum ſignum.* Neque obſtat, quòd aliquando Prophetæ ex Deo quid eventurum prædixerint,quod tamen non evenerit, ut de Ezechia, cui dictum eſt, *Morieris,& non vives: lib.*4. *Reg.c.*20. & de populo Ninive, cui prænuntiavit Jonas: *Adhuc quadraginta dies,& Ninive ſubvertetur:* cùm tamen neque Ezechias ex eo morbo interierit,neque Ninive ſubverſa fuerit. Idemque contigit de David, cui Dominus per Nathan Prophetam multa comminatus eſt, ob peccatum in Uriam, & Berſabeam patratum, quæ tamen illi non evenerunt: 2. *Reg. c.* 12.Non obſtat, inquam, hoc, quia in his,ac ſimilibus caſibus Deus Optimus Maximus conditionaliter eſt locutus, ut per Jeremiam *c.*18. *verſ.* 8. ipſemet teſtatur, dicens: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.*Videnda inſuper ad hoc ea,quæ adducit D.Th.2.2.*q.*171.*art.*6. Comminatur ergo Deus hominibus mala eâ conditione niſi recedant à via mala; itaque recedentibus ipſis à peccatis, & miſericordiâ ab ipſo Deo expoſcentibus, ea quæ comminatur, non eveniunt; quemadmodum contrà, ea quæ comminatus per Moyſen Judæis eſt, ſi à Deo recederent, ſi iniquitatibus ſeſe polluerent, ſi ſuis mandatis non obedirent, omnia illis ad amuſſim evenerunt; tradidit enim eos Dominus corruentes ante hoſtes ſuos,& diſperſit per omnia regna terræ, omni tempore calumniam ſuſtinentes, oppreſſoſque violentiâ, nec habentes, qui eos liberet:contrà bona,quæ pollicitus illis eſt, ſi juſtitias facerent,& judicium,ſi veritati aſſenſi eſſent, nullatenus experti ſunt, de quibus *Deuteron. c.* 28.

Itaque certitudo eventus in quibuſcunque divinationibus, etiamſi aliquo modo concedantur, omnino deſideratur: poſſunt enim aliter evenire ea, quæ per eas prædicuntur, quam ſint prædicta; non ſic autem evenit de Prophetia. Idcirco omnes divinationes, & maximà ex parte falſas & fictas eſſe nullamque habere cum natura connexionem patet: quia quod ad ea ſpectat,quæ de temperatura melancholica dicuntur, reſpondendum, quòd, licet aliquando Melancholici futura prævidere videantur, (quod tamen adeò perrarum credo, ut nihil ſupra) tamen hoc dupliciter poſſit contingere, vel caſu quodam, ut non modò Melancholici, ſed cæteri etiam homines faciunt,vel evenire poteſt ex rationabili diſcurſu. Exemplum adducam de Joſepho illo hiſtorico, qui Veſpaſiano prædixiſſe dicitur imperium: hoc enim vel eſſe potuit,quia vir ille eâ prædictione conciliare ſibi voluitVeſpaſianum,vel etiam quòd ſimpliciter ita eventurum ſibi perſuaderet, vel ex tali diſcurſu;quòfacilè id aſſequi liceret cuicunq; prudenti: Ut quia diſſenſio maxima vigebat inter duos Imperatores, qui vitiis maximè erant dediti,& ad Imperium regendum ineptiſſimi, contrà verò Veſpaſianus, optimus erat princeps, virtutibus addictus,& ab exercitu maximè adamatus, qui præcipuè Imperatorem eligebat, facilè potuit vir ſapiens ac prudens, & in teginine aſſuetus, illi imperium prædicere.Quanquam autem non modò Melancholici, ſed omnes homines, ita interdum rationari poſſint,ut ex recta ratiocinatione eventus futuri prædicantur, tamen magis videtur Melancholicus vaticinari,quia majori prudentiâ dotatur, & ſolidiori diſcurſu utitur; confert enim Melancholia maximè ad prudentiam, ut plures Philoſophorum, & Medici omnes teſtantur, quâ mediante non ita difficile eſt, facto rationabili diſcurſu,quædam futura prædicere, & ex quibuſdam præmiſſis maximè veritati cohærentibus nonnulla eventura elicere; quæ neque hoc modo prædicta aut prævisa ullam habent certitudinem,nam poſſunt etiam vario, ac penitus contrario modo,quàm prædicta aut prævisa ſint, evenire.

Quod autem pertinet ad morbos Melancholicos clarè patet etiam ex illorum ſententia, qui eam divinationem admittunt,eam meré accidentaliter & caſu, fieri, ſi modò verè fit; nam effutiunt quædam ipſi Melancholici & inſanientes, quæ neque ipſi intelligunt, (quod commune eſſe volunt multi omnibus

prophe

30 prophetantibus, & futura prædicentibus. Plat. *in Apolog. Socrat. & in Convivio.* Averr. *in Metaph. comm.* 18. *part.* 1. *digreſſ.* Card. *de var. lib.* 14. *cap.* 48. Valleſius *de ſacr. Philoſoph. cap.* 30. & verificatur in Caipha, qui cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, neq; tamen intellexit quid verba propria por-
31 tenderent: hoc tamen quando veritatem habeat & in quibus, docet D. Th. 2. 2. *quæſt.* 172. *art.* 4.) neque nos ipſi, qui audimus, comprehendimus, ſed ut lubet, quia omnia dubia ſunt, & in multiplicem ſenſum facillimè adduci poſſunt, Ghirl. *de Sortileg. q.* 5. *n.* 1. & ex noſtris Card. *de Subtil.* 19. ea interpretamur, ac nobiſmetipſis perſuademus, ea verba tale quid importaſſe, quale poſtmodum ſucceſſit, aut quale in animo concepimus: ſed illud manifeſtiſſimè declarat, ab accidente eam divinationem eſſe, non quòd ullam connexionem habeant Melancholici morbi cum rebus futuris, quòd non omnes, ſed perrari, qui melancholicis morbis tentantur, futura prædicere creduntur. Sunt autem ii, qui in eâ re dementiunt, quòd ſe tales, vates nimirum, Poëtas, concionatores exiſtiment; contrà autem ſit neceſſe eſt, ſi à Natura eam habent melancholici morbi proprietatem: omnes enim illis detenti prophetare deberent, & fu-
32 tura prædicere; Ego tamen horum nullum adhuc vidi Prophetam, cùm aliâ ex parte Melancholicos, & inſanientes propè infinitos viderim.

Præterea cùm prævisio futurorum ſit perfectioris, & ſapientioris intellectûs, ſi inſano potiùs, quàm ſano homini eam ineſſe dicamus contrarium omnino erit verius: gratis ergo firmatur faciliùs prævideri futura ab inſanientibus, quàm ab his, qui ſanam ac
33 perfectam mentem habent: atque his non obſtantibus, Card. *lib.* 14. *de Var. cap.* 48. vaticinium nonniſi exmentis exceſſu & inſania fieri voluit, & vates omnes amentes eſſe, quia non ſit divinatio abſque Enthuſiaſmo; in eo autem ſenſus & ratio ablegantur: quamobrem tum ex frequenti uſu, tum ex natura ad hoc parata, neceſſe eſt illos eſſe inſanos. Hæc Cardanus, & tamen, ut cum Cic. *in lib. de divinatione* loquar, *dicunt hæc, & creduntur ſtultiſſimè, cùm plenâ ſint futilitatis & vanitatis.* Quid autem dicam de divinatione ex inſomniis: num ſomniare dixerim eos, qui ſomniis fidem habent? non abſolutè quidem, nam quædam ſomnia, quæ à copia, qualitate humorum, & ex prægreſſis actionibus, heſterniſque cogi-
34 tationibus dependentiam habent, poſſunt nobis certa quædam præmonſtrare, maximéque hæc à Medicis animadvertuntur, quòd copiæ, & qualitatis humorum, & cõſtitutionis corporis nobis indicio eſſe poſſint at eos ſomniare omnino dixerim, qui alia omnia ex ſomniis conjectari ſe credunt, neque ullum ſomnium tam futile, vanum, abſurdum, ac monſtroſum eſt, cujus interpretationem in medium afferre non audeant, ſuntque aliqui hominum ita credulí, imò ita mente capti, ac ſtolidi, ut ex ſomniis non aliter quam ex ipſis proſperis, ſeu adverſis ſucceſſibus & lætentur, & mœreant, ita ut exclamare cũ Poëta liceat;

O miſeras hominum mentes! ô pectora cæca:
Lucr. *l.* 2.

Quid autem mirum eſt plebeios, & idiotas his nugis fidem habere, eaſque tantopere obſervare, cum docti viri, neque poſtremæ quidem notæ, tam inſigniter, ne dicam turpiter, ſomniorum fallaciis decipi ſe paſſi ſint? Nam quid magis vanum, aut à ſeria Philoſophia alienum, quàm id quod Card. de ſe, ſuaque progenie jactat, habuiſſe nimirum tam multa ſomnia mirabilia, cùm ſibi cœlitùs injunctum per ſomnium affirmet ut *libros ſuos de varietate*, & *de ſubtilitate* conſcriberet? At ego quid de me ipſo, & veritate ſomniorum firmavero, quòd nonnulla jam in ſomniis viderim, quæ mihi ad amuſſim contingerent & cui ſæpiſſime ſomniare accidat ea, quæ 35
ſequenti die facturus ſum; neque tamen ob id ego vel latum unguem ab opinione jam firmata recedo, quòd ſomnia quæcunque vana ſint, & ſiquid illis eventus reſpondeat, per accidens id ſuccedat, niſi à Deo immiſſa fuerint; vel cum humoribus, aut corporis noſtri diſpoſitione, vel cum prægreſſis phantaſmatibus aliquam habeant connexionem, quibus aſſentiri videtur D. Tho. 2. 2. *q.* 95. *art.* 6. militat enim hic etiam ratio ſuperiùs adducta: nam cùm prævi-
dere futura, ſit, ut dixi, nobilioris & perfectioris cu- 36
juſdam potentiæ, jam anima dormientis ſapientior, ac nobilior, & perfectior erit, quàm vigilantis; quod ſi ullam habet veritatem, omnes in ſomno tales eſſe
deberemus, ut nobiſmetipſis vigilantibus dormientes
ſapientiores eſſemus. Sed dicant obſecro, num hæc 37
proprietas divinandi per ſomnia ſit hominis propria, ut homo eſt, aut propria hominis quatenus in ſomno permanet & ſomniat; ſi primum, ergo homines cuncti, ut homines, id habebunt proprium, ut divinare ſint apti; at cur perpauci divinare dicuntur, 38
cùm id dicatur ſecundùm naturam ineſſe, quod in pluribus, & ſecundum plurimum eadem modo ſit? Si ſecundm, cùm ſomnians ſit impos rationis, & quatenus talis à brutis non differat, brutis autem nonnullis ſit ſomnium familiare, deduci hinc poteſt, etiam bruta ſomniantia divinare poſſe. Hi tamen qui non ſomniant, ut de Atlantibus populis refert Herodotus *lib.* 4. & de aliis quibuſdam ab aliis relatum eſt, num deficient ab hominis natura, quòd ut tales divinare ex ſomnio non poſſunt?

Sed ſomniis jam, ac nugis omiſſis, eaſdem difficultates patitur ea divinatio, quàm ex moribundis extorquere conantur: non enim dubium eſt, animam tunc temporis minùs rectè ſuas functiones exercere quàm aliàs, ob inſtrumenti, quo utitur, devaſtationem; at contrà ſit neceſſe eſt, ſi divinat tunc poteſt, 39
quòd ſi maximè id poteſt, quia tunc à corporis nexu jam quaſi liberata, & magis depurata poteſt meliùs ea, quæ à ſe magis diſtant, prævidere, nam hoc magis divinam naturam requirit, cur non omnes prophetant, cum morti proximi ſunt? Ad exempla autem adducta; ſi profana ſint, falſa ac conficta eſſe dico; ſi ſacra, ut quæ de Jacob, & Moyſe afferuntur, eſſe ſupernaturalia, & ſi quid eventus his reſpondeat, eſſe omninò per accidens dico; at non reſpondere certitudinem eventus his prædictionibus fatetur Joan. Huart. *in exam. Ing. cap.* 4. & multò magis confirmat experientia.

Ergo Prophetia, & rerum futurarum prædictio certa & infallibilis, à natura ineſſe homini non poteſt. D. Thom. 2. 2. *q.* 172. *art.* 1. Medic. *de mirab. oper. Dei, q.* 21. *lib.* 1. Vaitus *de faſcin. lib.* 2. *c.* 3. & 4. & ex Medicis Avicen. adductus per Cæl. Rhod. *lib.* 9. *lect. Antiq. c.* 19. quam concluſionem maximè confirmat 40
illud *Eccleſiaſt. c. octavo*, *Et multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt modo.* & illud ejuſdem; *c.* 10. *v.* 14. *Ignorat homo quid ante ſe fuerit, & quid poſt ſe futurum ſit, quis poterit indicare?* Hoc ipſum quoque inſinuabat Poëta noſter Torq. Taſſ. *Can.* 19. *ſt.* 20. dum Magnum illum Iſmenum, ita Solimanum alloquentem adducit, qui ab eo futura ſcire deſiderábat:

Ma ch'io ſcopra il futuro, & ch'io diſpiego
Dell' occulto deſtin gli eterni annali.
Tropp' è audace deſio, troppo alti preghi;
Non è tanto conceſſo a noi mortali.

Sed quæritur, controverſumque eſt, an ex dæmo-

nis miniſterio futura poſſint certò prævideri: nam
41 malos aliquando prophetaſſe, certum eſt. Malvet. *de canoniz. ſanct. dub. 3. n. 25.* ut de Balaam, de Sibyllis, de Saul, de Caifas dixi, & per ipſam ſacram Scripturam firmatur *Matth. cap. 7. verſ. 22.* non videtur autem à Deo illos prophetare potuiſſe, ſed potiùs à
42 dæmone. Cùm tamen manifeſtum ſit, dæmonem nihil agere quod Naturæ vires exuperet, dicendum
43 eſt, ope illius nonniſi ea, quæ aliquam connexionem habent cum rebus præteritis, aut præſentibus prævideri poſſe, & hæc non ita certò, & infallibiter, ut aliter evenire non poſſint quàm prævisa, aut prædicta fuerint. Eodem quoque pacto ea, quæ ex cognitione cauſarum per aliquam artem præſciri poſſunt, poterit etiam dæmon prædicere, cùm ſit ſcientiſſimus, & omnium Artium habeat
44 perfectam, & conſummatam cognitionem; at prophetare, quod eſt, ut diximus, futura certò cognoſcere, ac prædicere, ut futura ſunt, nunquam poterit dæmon, quemadmodum neque aliqua miracula facere. Navar. *in Relect. cap. Novit. de Jud. not. 2. n. 24.* Quia dæmon contingentia futura ignorat, licet pro-
45 babiliter conjecturet, Mart. de Aries, *de ſuperſtit. num. 19.* Poſſet quidem nonnulla prædicere, quæ nobis ob cauſarum ignorantiam omnino prophetica viderentur, & nullam vel ex prægreſſis, vel ex præſentibus, vel ex ordine naturalium cauſarum habere dependentiam; hæc tamen non erit vera
46 Prophetia & ſic puto intelleXiſſe Vairum *ubi ſuprà*, cùm hominem divinare futura, & occulta præſcire non poſſe firmat, niſi dæmone mediante: id enim ſic, & non aliter accipiendum.

Sed reſtat ultimo loco quædam prophetiæ, ſeu potiùs divinationis ſpecies, quæ eſt occultorum præſagitio, quâ præcipuè occultas intimaſque hominum cogitationes, ac paſſiones, & naturales propenſiones, deprehendi volunt. Videtur autem ſecundum noſtrum intelligendi modum id in Sactis inſinuatum, *Geneſ. cap. 4. verſ. 6.* cùm Dominus Cain alloquens, *Quare*, inquit, *iratus es, & cur concidit facies tua?* Ex facie enim & aſpectu ipſius videbatur proprias animi paſſiones detegere: cui ſacræ paginæ auctoritati nonnullæ concinere videntur, quas adducit Lemnius *de Occult. Nat. mirac. lib. 2. cap. 26.* quibus addo illam *Sapient. cap. 7. verſ. 20.* ubi profitetur ſe Salomon ex ſapientia didiciſſe etiam cogitationes hominum ſcire. Sed præter Sacræ Scripturæ teſti-
47 monia, quæ per ſe ipſa ſufficere poſſent, non deſunt doctiſſimorum hominum auctoritates quibus hujus præſagitionis veritas roboratur Hippoc. ante omnes vir ſenſatiſſimus, & cordatiſſimus, & nugis, & falſitatibus præ cæteris omnibus alienus, ex phyſiognomia, & faciei delineatione malos, aut bonos mores denotari docuit, ut 2. *Epid. text. 1. ſect. 5.* ex pilo ruſo, naſi acuitate, & oculorum parvitate, morum pravitatem elicit; contra ex Naſi ſimitate, oculorum magnitudine eidem pilo juncta, bonitatem, & alibi alia plura habet ad phyſiognomiam pertinentia. Ariſtoteles etiam de eâdem multa ſcripſit, & alii
48 item ſapientes, ut Palemon, Melerius, Diocles, & alii inter ſuperioris ætatis viros, videnda plura ſunt apud Hieronym. Manfred. *de Homine*, apud quem plura auditu non injucunda reperies. Videndi & ex recentioribus Joan. Baptiſta Porta. Habet etiam plura ex Medicis noſtris Valleſ. & *in comm. ſupracitati loci Hipp.* & *in lib. de ſacr. Philoſoph. c. 32.* & Lemn. *ubi ſuprà*, non eſſe vanam Phyſiognomiam probat, ut inter Canoniſtas Roderic. *Practic. crimin. regul. tit. 17. cap. 50. num. 50.* Torrebl. *in Epitom. deliCt. lib. 1. c. 7.* & ex Juris conſultis Vinc. Carrarius *de Med. & ejus off. part. 2. n. 359.* qui etiam Medico dicit eſſe ejus cognitionem neceſſariam. Accedit his univerſus hominum conſenſus, qui quaſi naturali inſtinctu ex phyſiognomia bona, & ex pulchritudine bonos mores arguunt, & ideireo qui formâ inſignes ſunt, aliis digniores imperio videntur, ut inſinuantur ab Ariſtot. *de Rep.* unde & Lucret. *lib. 5. de Rer. Nat.* id ſibi volvit in his carminibus de primis hominibus:

Condere cœperunt tum urbeis, arcemque locare
Præſidium Reges ipſi ſibi, perfugiumque;
Et pecudes, & agros diviſêre, atque dedêre
Pro facie cujuſque, & viribus ingenioque.
Nam facies multum valuit, viresque vigebant.

Communiter etiam ex mala aut bona Phyſiognomia malitiam, aut bonitatem deprehendi dicimus, unde illud Homeri *Odyſſ. 1.*

—— *Non enim malo in vultu ſimilis videbatur.*

quaſi diverſa omnino ſit effigies boni viri ab effigie mali. Qua de cauſa idem Homerus *in Iliad. lib. 2.* Therſitem deſcribens, eum malæ phyſiognomiæ facit, nempe deformem, ſtrabonem, claudum, curvum, acuto capite, peneque imberbem, quæ omnia mali, immò peſſimi hominis notæ ſunt, & recte quidem ex his videntur Legumperiti ex quacunque 49
deformitate malam mentem, moloſque mores arguere, ut dixi aliàs ex Pariſio *lib. 2. conſ. quæſt. Tit. 3. q. 12. n. 13.* & notant etiam Vinc. Carr. *ubi ſuprà, part. 2. n. 403.* Farinac. *in præct. & Theor. crim. par. 1. Thom. 2. q. 52. n. 165.* ex quo talis Phyſiognomia facit indicium ad tortutam. Quia ſi Medicis, & Philoſophis credimus, ratò admodum deformes bonis moribus prædîti ſunt, ut teſtatur præcitatus Manfred. *lib. 2. de hom. cap. 4.* ita ut propter eam cauſam inſignis deformitas impediat ordinum ſuſceptionem, ut Canoniſtæ tradunt, *in tit. de corp. vitiato.* immò & in Teſtamento Veteri repudiabantur ſacerdotes aliquâ deformitate inſignes, præcipuè autem *Levit. cap. 21. verſ. 18.* illa habentur: *Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus; ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torto naſo,* &c. ubi de naſo præcipuè textus loquitur, quia ut Melet. *de Nat. hom. cap. de naſo*, dicebat, hæc pars præ cæteris hominis faciem deformem, formoſamve maximè reddit: tandemque Legumperiti, ubi torquendi plures ſint, in paritate indiciorum, ad eliciendam veritatem, ab eo ſemper incipiunt, qui pejorem habet effigiem. Roderic. *ubi ſupra, n. eod.* quod notat quoque ex Medicis Vveinrich. *de ort. menſtr. cap. 31.* & Riol. *Anthropograp. lib. 6. cap. 3.* & Vall. *loco cit. lib. facr. Philoſ.* Sed idem Roderic. *ibid.* ex Phyſiognomia capi pluſquam leve indicium dicit. Ex quibus facilè deduci poſſe videbatur, præſagitionem occultorum per phyſiognomiam non eſſe vanam, ſed omnimodam, & infallibilem habere veritatem. Sed veritas 51
eſt, ex ea poſſe deſumi conjecturam aliquam morum, & naturalium paſſionum negari nequaquam poſſe; aliàs autem nullam habere certitudinem talem præſagitionem manifeſtum facimus, ita ut hoc ulteriori probatione non indigeat. Itaque ad alia pergamus, ſi modò antè unâ aut alterâ auctoritate Phyſiognomiæ fallaciam comprobavero: nam quod de Socratis effigie narratur, ut omnibus notiſſimum, ſilentio pertranſibo, & cum Juvenal. dicam:

Frontis nulla fides.

Prima autem auctoritas eſt in *1. Reg. cap. 16.* ubi Deus Samuëli, *Ne reſpicias*, inquit, *vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ, illius quoniam abjeci eum; nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt*

ea,

ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor: in quibus postremis verbis fallaciam, quam dixi, adnotavit, quòd plurimùm non respondeat internæ passiones externæ effigiei. Altera est *Ecclesiast. cap.* 11. *vers.* 2. *Non laudes*, inquit, *virum in specie sua, neque spernas hominem in aspectu suo*: Quasi dicat, ex Physiognomia ne putes te posse deprehendere, quis sit honore, aut contemptu dignus; hæc enim fallax est. Denique si quis auctores cognoscere cupiat, qui de hujusmodi argumento, vel simili scripserunt, consulat doctissimum Barb. *in coll. Doctor. lib.* 5 *tit.* 21. *Tom.* 2.

SUMMARIUM.

1 *Ecstasis nomen diversimodè accipitur.*
2 *Ecstasis hic quomodo accipienda.*
3 *Ecstasis pro mentis raptu accepta duplex, naturalis, & supernaturalis.*
4 *Naturalis Ecstasis quomodo fiat.*
5 *Ecstasis secundum Scaligerum est privatio officiorum Animæ sentientis, moventis, & intelligentis.*
6 *In Ecstasi sit magis aut minùs intensa Imaginatio.*
7 *Ecstasis affectus aut symptoma est in genere oblæsionum facultatum principium. & num.* 21.
8 *Ecstasis quando possit in Apoplexiam terminari.*
9 *Supernaturalis Ecstasis duplici modo, ut naturalis, evenire potest.*
10 *In Ecstasi Naturali corpus in aërem à terra per se sublevari falsum est.*
11 *Corpus grave à centro sublevari propria virtute, & in aëre sustineri, contra Naturam est, & supernaturalis, num. seq.*
12 *Dæmon elevare, ac sustinere in aëre potest corpora quæcunque, & per quodcunque tempus.*
13 *Supernaturalis Ecstasis alia ratione fit, quam Naturalis.*
14 *In Supernaturali Ecstasi Intellectus noster non est primo efficiens, sed concurrit ut causa instrumentaria.*
15 *In Ecstasi supernaturali non est necessarium animam à corpore separari.*
16 *Ex Animæ separatione à corpore mors contingit.*
17 *Naturalis Ecstasis à supernaturali quomodo internoscatur.*
18 *Cur difficile sit unam Ecstasim ab alia distinguere.*
19 *Utraque Ecstasis similis est quoad externa signa.*
20 *Ecstasim naturalem ad causas præternaturales sequi necesse est.*
21 *In Ecstasi Naturali necesse est Naturam malè affici.*
22 *Affectus præternaturales, nisi sanentur, labuntur in deterius.*
23 *Ecstasi frequenti apprehendi solitum necesse est in morbum pejorem labi.*
24 *Naturalis Ecstasis aliquando levis, aliquando vehemens:*
25 *In Ecstasi supernaturali non est necesse concurrere conditiones in naturali requisitas.*
26 *Supernaturalis Ecstasis non habet determinatum tempus sui insultus.*
27 *Ecstasis naturalis potest fortasse ex propria voluntate fieri.*
28 *Ecstasis naturalis initiativè tantùm à voluntate dependere potest.*
29 *Nulla corporis dispositio requiritur in supernaturali Ecstasi.*
30 *Ab Ecstasi naturali quænam pati hominem necesse sit.*
31 *Naturalis Ecstasis non nisi quædam mentis amotio; & desipientia est.*

De Ecstasi, & Raptu.

QUÆSTIO VI.

1 ECstasis nomen diversimodè accipi, patet ex iis, quæ retuli *Lib.* 2. *Tit.* 1. *quæst.* 16. *num.* 32. *& seqq.* Pro nunc autem, cæteris acceptionibus rejectis, Ecstasim accipiamus pro mentis raptu, & apprehen- 2
sione, quâ detenti omnibus externis sensibus orbati, & motu, immò & ipsa vita videntur carere, ita ut vix à verè mortuis interstingui possint. Mercat. *lib.* 3. *de morb. puer.* 3. *quæst.* 180. *num.* 34. sic definivit: Ecstasis est alienatio imaginationis ab omnibus rebus cum detentione in alicujus rei consideratione. Quæ sic accepta duplex est, Naturalis duntaxat, & 3
supernaturalis. Naturalem voco eam, quæ Naturalem habet causam; supernaturalem autem eam, quæ causam habet supernaturalem.

Cæterùm quia dubitari contingit, an Ecstasis in aliquibus miraculosa fuerit, necne, de utriusque natura & ratione aliqua recensere necesse est. Uni- 4
versaliter autem nata talis sequenti modo fieri solet: Factâ vehementi imaginatione, ac fixâ circa rem aliquam; ut circa amatam mulierem, vel etiam circa cœlestia, circa Angelos, circa Sanctos, (nam non ob id, quòd Ecstasis fiat ex contemplatione supernaturalium rerum: idcirco supernaturalis semper & ipsa est) confluunt in cerebrum animales omnes spiritus, externis sensibus, ac internis, & motui quoque destinati, unde contingit, quòd quemadmodum ex Leone Hebræo *dial.* 3. *de Amore*, aliàs dixi, magis multo, quàm in somno ipsi externi sensus obligati, & ipsum animal omni motu carere appareat; eo enim spirituum animalium omnium confluxu, à sensibus protsus alienatur homo, qui in ea imaginatione hærens, non secus ac in somniantibus eveniat, se præsentem habere existimat, ac realiter videre, & audire, quæcunque imaginatur, cum Angelis, & sanctis Dei colloqui, si circa illos imaginatio fuerit, vel cœlestia ac Dei gloriam, aut infernæ & damnatorum pœnas contemplari, vel cum ipsissima amata confabulari, si de eâ præmeditatio exstiterit, & in summa nihil differt naturalis Ecstasis à somnio, nisi quòd illa vigilanti, hoc autem dormienti accidat; unde quemadmodum in somno sentientis simul, moventisque & Intelligentis Animæ officia cessant, vel quiescunt, sic & in Ecstasi, quæ non alteri idcirco 5
definitur à Scaligero, *exercit.* 312. *in Card.* quàm privatio prædictorum officiorum Animæ.

Fit autem in Ecstasi magis, aut minùs intensa imaginatio, unde major aut minor mentis abstractio 6
succedit, & magis, aut minùs à sensibus externis appareat homo alienatus: nam quò intensior fuerit Imaginatio, eò major spirituum copia ad cerebrum repit: & locum, ubi imaginatio viget, anteriorem nempè capitis partem; & si major in consequens temporis spatio durat ea mentis apprehensio, nisi interim homo stimulatus, aut ab externa aliquâ causa excitatus ad sensum redeat. Faciunt & ad Ecstasis durationem, & intentionem, cerebri ipsius debilitas, & fortitudo, & ipsorum quoq; spirituum qualitas, & quantitas: Ecstasis enim affectus, vel symptoma quoddam 7
est in genere oblæsionum facultatum principium, animalium nempe, ut ex superioribus patet; itaque ad ejus symptomatis generationem, cerebri secundùm ejus ventriculos debilitas contingit, & non naturalis quædam sanguinis, & spirituum constitutio. Debili ergo existente cerebro, Ecstasis magis durat, non potente virtute nocentem spirituum confluxum tam citò dissipare. Sic & ubi spiritus crassiores existant, & magis melancholici fuerint, difficiliùs dissipantur. Itaque si simul debile fuerit cerebrum, spiritus multi, 8
& crassi, & melancholici, Ecstasis non solùm interdum multùm durabit, sed etiam in Apoplexiam, morbum sibi congenerem, & ipsam mortem terminari poterit: est enim affectus hic Apoplexiæ adeò similis

ut uterque eodem nomine, Apprehenſionis nempe, & detentionis inſigniatur, licet aliquando Catalepſi, conſimili quoque cuidam morbo; magis convenire videatur. Mercat. *lib.* 1. *de morb. part.* 1. *queſt.* 180. *num.* 34. nam interdum Ecſtaſi detenti, non minus quàm Cataleptici, eodem modo quo apprehenſi ſunt, permanere ſolent, nimirum ſi ſtantes, ſcribentes, jacentes, meditantes apprehenduntur, ſtant, jacent, ac ſcribere, & meditari videntur, ut de Socrate evenit, de quo narrat Plato *in Convivio, in oratione Alcibiadis*, quòd integro die eodem veſtigio cogitabundus ſterit: aliàs autem Ecſtatici, ut Apoplectici cadunt, & quaſi mortui jacent, ut de ſe narrat Balaam *Num.* c 42. *verſ.* 4. *Dixit Auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic* 9 *aperiuntur oculi ejus*; hoc eſt tunc viſionem Dei contemplatur, cum tanquam mortuus cadere conſpicitur, innuens modum ſuæ Ecſtaſis: uterque enim 10 modus locum quoque habet in Ecſtaſi ſupernaturali. Sed alii præterea ſunt Ecſtatici, qui à terra in Ecſtaſi elevantur, & quaſi in aëre librati permanent; hoc autem (quicquid conati fuerint nonnulli affir- 11 mare) in naturali Ecſtaſi eſt ab omni veritate alienum: contra Naturæ enim propenſionem omnino eſt, corpus grave à centro propriâ virtute ſublevari, & in aëre ſuſtineri. Sed vide obſecro quàm avidi nonnulli ſcriptores ſint narrandi, immo potius effingendi miracula qui Imaginationem ſupra Naturæ vires poſſe exiſtimant, & miros quoſdam effectus aptam natam eſſe producere, quos aliàs ipſa Natura producere non poteſt, ut hic eſt, elevatio nimirum corporis gravis à centro ex propria virtute facta & ejus permanentia in aëre: nam & hoc à viribus imaginationis fieri poſſe prædicant, ac fabulantur; quod ta- 12 men eſſe ſupra Naturæ vires, ac miraculoſum pro certo eſſe debet, atque ubi appareat, aliis conjecturis, & probationibus bonæ vitæ concurrentibus pro miraculo acceptandum, abſque eo quòd quicquam dubitetur, an miraculoſus effectus ſit, necne.

Quòd autem Dæmon elevare poſſit corpora quæ- 13 cunque libuerit, & in aëre ſuſtinere, non controvertitur: D. Thom. 2. 2. *queſt.* 75. *art.* 1. Idcirco eam tantùm corporis ſublevationem miraculoſam eſſe dixi, quæ ex ſe fit, nimirum nullâ virtute naturali, aut Dæmoniacâ, ſed divinâ tantùm corpus ſublevante.

Cæterùm ſupernaturalis Ecſtaſis aliâ ratione, 14 quàm naturalis fit, nulliſque legibus obligata eſſe poteſt, fit namque à cauſa ſupernaturali, à Deo nempe, vel Angelis avocantibus mentes noſtras ad divinorum contemplationem, cùm per eam mentis avocationem, ab his ſenſibilibus ſeſe nobis inſinuare volunt; in quo actu non fixatur Anima in præexiſtentibus phantaſmatibus: nulla enim phantaſmata præexiſtere poſſunt eorum, quæ nobis in ſupernaturali Ecſtaſi præſentantur, ſed omni à Deo, vel ab Angelis divinâ quadam, ac longè à Naturali diſſimili ratione oſtenduntur, quæcunque illi videre nos 15 volunt. In eo autem actu intellectus noſter non ut primò efficiens, ſed ut inſtrumentaria cauſa concurrit: Deus enim ipſe in hac Ecſtaſi eſt cauſa primò efficiens, neque poteſt abſque ejus virtute ullo modo fieri. Martin. Delr. *diſquiſ. Magic. lib.* 2. *queſt.* 15. Si quæ verò phantaſmata cœleſtia repræſentantia poteſt ſubjicere Dæmon Intellectui noſtro, ita ut Ecſtaſis ſupernaturalis effigiem ſimulet, ea falſa ſunt, & naturali modo Intellectui offeruntur.

Notandum autem, quòd quanquam in ſupernaturali hac Ecſtaſi non fixatur anima noſtra in phantaſmatum contemplatione, ſed in repræſentatione quadam ſpirituali ab ipſo Deo, vel Angelo immiſſa, non tamen in eo actu animam à corpore ſeparari neceſſe eſt. Unde contemnendi erroris notatur Bo- 18 dinus à Delrio, *ubi ſuprà*, & à Torreblanc. *lib.* 2. *Epitom. delict. c.* 20. *num.* 7. cum *lib.* 2. *Dæmonoman. cap.* 2. Animam in Ecſtaſi à corpore migrare, illudque deſerere voluerit, quod ab ipſo Delrio ſatis ſuperque ut erroneum, & à vera fide alienum, confutatum eſt, ſi modò hoc tanquam neceſſarium, & conditionem ſine qua non concurrere admiſerit Bodinus: nam à Deo fieri id quandocunque poſſe non controvertitur. Torreblanca *ibid. num.* 11. Et idcirco 17 quod Paulus de ſeipſo narrat, quòd raptus ſit uſque ad tertium cœlum abſque eo quòd ſciverit, utrum hoc in corpore, vel extra corpus fuerit, adhuc indeciſum manet, cùm utrumque ex divina potentia eſſe potuerit. Illud certum eſt, quod notavit etiam Delrius, ex Animæ ſeparatione à corpore mortem contingere, unde ſi de neceſſitate in Ecſtaſi anima à corpore ſeparatur, neceſſitate homo in Ecſtaſi moritur, & cùm ad vitam reſtituitur, reſurgere dicendus eſt, Animâ denuò in corpus, à quo jam ſeparata fuerat, commigrante; ita ut plura miracula abſque ulla neceſſitate operatus fuerit Deus, cùm potuerit unico tantùm Ecſtaſim excitare. Sed video in hoc excitata alia dubia, an nimirum in Ecſtaſi fiat abſtractio ab omni motione appetitus ſentientis, & virtutis moventis, ac nutrientis, ac certè cum anima, ut probatum eſt, præſens ſit in corpore, etiamſi abſtracta ſit in contemplatione, poteſt tamen ſuis facultatibus, & mediantibus ſpiritibus exercere omnia ſua munia. Sed de his videatur poſt D. Thom. & alios. Suarez *de virt. & ſtat relig. lib.* 2. *cap.* 18 *Tom.* 2.

Sed jam his ad Theologos relegatis, ad ea, quæ 18 magis ad nos ſpectare videntur, revertamur, ac videamus, quomodo internoſci poſſit; debeat naturalis Ecſtaſis à ſupernaturali; quod tamen duplici ex 19 cauſa valde operoſum eſt: prima, quia eæ quæ hanc ab illa diſtinguere poſſunt conditiones, occultæ ſunt, & ſenſibus ignotæ. Secunda, quia quoad ea 20 quæ exterius apparent, ambæ ita conveniunt, ut unius ejuſdemque ſpeciei de neceſſitate ab omnibus judicentur: etenim ea una conditio quam recenſuimus, de corporis elevatione, quæ poſſet eſſe maximum, ac evidens ſignum ſupernaturalis Ecſtaſis, neque in omni Ecſtaſi fit, & poteſt in naturali, operâ Dæmonis, apparere. Quomodocunque tamen ſit, 21 nonnulla adducenda, quæ ſaltem aliquam conjecturam faciant Ecſtaſim eſſe potiùs ſupernaturalem, vel vice verſa judicandam. In mentem ergo rediendum id quod paulò ſuperius dixi. Ecſtaſim nimirum, quæ naturaliter fit, eſſe morbum quendam, ſeu affectum, vel ſymptoma præter naturam, quod etiam Card. *lib.* 19. *de ſubtilit.* & aliis acceptum eſt. Unde re ita ſe habente neceſſe eſt, eum effectum ad cauſas quoque præternaturales ſuccedere, quæ erunt præcipuè 22 capitis dyſcraſia, ſeu intemperies, quam Mercatus *loco* aliàs in hac quæſtione *cit.* frigidam; & ſiccam ſtatuit, ejuſdem naturalis, ſeu accidentalis debilitas, ſanguinis item, ac ſpirituum non naturalis cõſtitutio. Ob eandem inſuper cauſam, nimirum quia affectus 23 eſt præter naturam, neceſſe eſt ab eo Naturam lædi præſertim, cùm pars affecta princeps ſit, & principes quoque lædantur functiones. Prætereà cum effectus præternaturales, præſertim ſi magni ſint, (extimatâ in hoc caſu magnitudine, non reſpectu unius rei tantum ſed plurimarum) niſi ſanentur, omninò labantur in deterius, in alios ſcilicet deteriores morbos, 24 vel in mortem, idcircò neceſſe eſt, eum, qui naturaliter corripitur, (dico naturaliter, etiam de cauſa 25

morbi

morbifica intelligens) vel in Paralyſim, vel in Apoplexiam, vel in conſimilem alium morbum, vel in ipſam mortem temporis progreſſu lapſum iri, niſi & affectus levis ſit, & jam quaſi connaturales evaſerit, ut nonnullis eveniſſe compertum eſt, vel ſal-
16 tem admodùm rarò prehendat. Sciendum enim, Ecſtaſim naturalem aliquando levem eſſe affectum, & quem facilè natura ferre poteſt, aliquando fortem ac detentioni ſeu Catalepſi ſimillimum, & naturæ maximam vim inferentem. In levi, qualis tunc fit, cùm intenſa, ac fixa imaginatione detinemur, & qualis vigere ſolet in hominibus, qui vel ſcientiarum, vel divinarum rerum contemplationi ſunt dediti, & in Melancholicis, non habent locum ea, quæ ſuperiùs relata ſunt, ſed in forti maximè, quæ quidem propriè Ecſtaſis dici debet, quâ correpti omninò exterioribus ſenſibus deſtituuntur, & tanquam mortui apparent. Circa leviorem autem Ecſtaſim non eſt quod quidquam nos remoretur: cùm ea facillimè dignoſcatur eſſe naturalis affectus, nec poſſit ita ſupernaturali ſimilis fieri, ut dubitari de ea poſſit; an miraculoſa fuerit necne.

17 His ergo præſuppoſitis evidenter apparet, conditiones illas, quas de naturali Ecſtaſi retulimus, nequaquam de neceſſitate in ſupernaturali concurrere, ſed eam non alio modo fieri, neque diutius durare, neque aliâ ratione hominem afficere, quàm quomo-
18 do ſupernaturali cauſæ ipſam excitanti libitum fuerit. Itaque non habebit ſupernaturalis Ecſtaſis determinatum tempus ſui inſultus, naturalis autem maximè. Fit enim ac concitari poteſt, magis ac promptius hoc vel illo tempore, pro ratione, qualitate, & quantitate peccantium, & ſuperfluentium humorum, & pro temporis etiam conſtitutione, & ſic habere poterit quoſdam paroxyſmos, & exacerbationes, ſeu inſultus, ut cæteros præternaturales affectus habere
19 conſpicimus. Etiamſi autem detur, Ecſtaſim naturalem poſſe ex propria voluntate contingere, quod quidem admitti poteſt, & habemus inſigne exemplum apud D. Aug. *de civ. lib.* 14. *c.* 23. non tamen in voluntate Ecſtatici erit, in Ecſtaſi quamdiu voluerit permanere, non enim eſſet vera Ecſtaſis, in qua voluntas, & Ratio ſui Juris eſſent; ſic neque pro voluntate Ecſtatici fiet Ecſtaſis magis, aut minùs intenſa, ſed à qualitate & quantitate ſpirituum, ad cerebrum confluentium, dependentiam habebit, & à diſpoſitione aliarum cauſarum, de quibus ſuperiùs.
20 Initiativè ergo naturalis Ecſtaſis à voluntate libera dependere fortaſſe poterit, at ſupernaturalis nequaquam: unde cum Cardano errotis notantur, qui putant, Ecſtaſin ſupernaturalem ad hominis libitum accidere poſſe, ut per Majol. *dier. canic. coll* 3. *p.* 2. & dico de verè ſupernaturali, non etiam de eâ, quæ naturaliter movetur ad rerum divinarum contemplationem, ſed de ea, quæ ab ipſo Deo & cauſa ſupernaturali ſupernaturaliter excitari ſolet: hæc enim ab
21 ejus cauſæ mero, & libero dependent arbitrio. Supernaturalis inſuper Ecſtaſis non requirit de neceſſitate corporis ullam diſpoſitionem, ut temperaturam melancholicam, capitis diſtemperantiam, aut debilitatem, & cætera, quæ tanquam morborum notæ in corporibus afferuntur; quæ tamen in naturali erunt conſpicua, & natura, & conſuetudo, & cauſæ externæ, & internæ, ac denique ſingula quæque ad id demonſtrandum collimabunt.

22 Præter hæc autem in Ecſtaſi naturali neceſſe eſt corpus ab ejus invaſione aliquid perpeti, ut laſſitudine quadam, & membrorum pigritiâ, ac torpore detineri, mentis, & intellectus quandam offuſcationem, & hebetudinem pati, rerum præteritarum oblivione affici, colorem totius corporis, ſed præcipuè facie, ad pallorem, & livorem, vel fuſcedinem quandam converti; inſuper hominem triſtitiâ abſque alia evidenti cauſa vexari, pandiculatione, & oſcitatione frequenti moleſtari, & alia ad hunc modum apparere. Contra verò in ſupernaturali nihil horum ſuccedere conveniens eſt, ſed potiùs hic omnino contraria, præcipue autem quoad ea, quæ animum ſpectant; nam quemadmodum naturalis Ecſtaſis non niſi quædam mentis emotio, ac deſipientia eſt, ut ex Gal. 1. *Prorrhet.* teſtatur Holler. 7. *Aphor.* 5. & Marcell. Donat. *lib.* 2. *hiſt. med. mirab. cap.* 1. quia in eo affectu 23
Mens ea vera judicat, quæ ſibi vana Imaginatio repræſentat, ſic Ecſtaſis ſupernaturalis ſumma ſapientia dici poteſt, cùm per eam Anima ſecundùm intelligentiam perficiatur, & ſapientior evadat. Contrà autem evenit, ubi naturalis, ſeu potiùs præternaturalis aliqua cauſa Ecſtaſim excitare ſolet; quam nullo modo concurrere in excitatione ſupernaturalis Ecſtaſis doctè admodum monet Guilielm. Ader. *de Ægr. Evang. Enarr.* 8. *p.* 3. Illud denique maximè videtur adnotandum; quod cùm in Ecſtaſi ſupernaturali interveniat miraculum, ut dictum eſt, non erit unquam exiſtimandum, eam frequenter prehendere, & ad hominis voluntatem; unde quandocunque videbimus hominem frequenti Ecſtaſi prehenſum, in hoc ſemper præſumptio debet eſſe naturalis affectus potius quàm ſupernaturalis, niſi aliunde evidenter conſtet; cùm miracula, ut alias probatum eſt, nonniſi de raro, & ex magna cauſa fiant, & non ad hominum voluntatem.

SUMMARIUM.

1 *Jejunium quadragenarium ter in ſacris obſervatum, in Moyſe, in Helia, in Chriſto Domino.*
2 *Nullum animal corruptile poteſt longo tempore abſque cibo vivere.*
3 *Jejunii tolerandi terminus in homine ſeptem dierum ſecundùm Hippocr. Secundùm veritatem autem non eſt unus in omnibus, n. ſeq.*
5 *Senes facillimè jejunium ferunt pueri verò difficilimè.*
6 *Undecimum diem abſque nutrimento tranſigere homo non poteſt.*
7 *Cur ſemel in die comedere liceat in quadrageſima ex Eccleſiæ Indulgentia.*
8 *Quadrageſimale jejunium in Chriſto Domino fuit miraculoſum*
9 *Plures non modò quadraginta dies, ſed plures menſes, & annos naturaliter jejunium tolerant.*
10 *Planta multo tempore abſque alimento vivunt.*
11 *Plura animalia multo tempore abſque alimento vivunt.*
12 *Hiſtoria juvenis Scoti per triginta dies jejunantis.*
13 *Puella ſpirenſis hiſtoria quadriennio abſque cibo viventis.*
14 *Alterius puellæ hiſtoria ſexdecim menſibus jejunantis.*
15 *Alia hiſtoria vetula ſeptem annis inediam tolerantis.*
16 *Alia hiſtoria Religioſi ſolo ſacratiſſimo Chriſti corpore vitam protrahentis.*
17 *Alia hiſtoria puellæ, quæ per ſeptem annos jejuna permanſit.*
18 *Alia hiſtoria puellæ Pedemontanæ per duos menſes nihil comedentis.*
19 *Alia hiſtoria ex Dino, mulieris ſeptem annis jejunantis.*
20 *Alia ex Oribaſio, cujuſdam mellis odore per dies quadraginta viventis.*
21 *Alia virginis viventis abſque ullo cibo & potu per plures menſes.*
22 *Alia cujuſdam Monachæ, jejunantis per quatuordecim & plures dies.*
23 *Homo, & quodcunque animal poteſt ſine externo alimento per longum tempus naturaliter vivere, & n. 56.*
24 *Liceti opinio circa longum jejunium, quod naturaliter tolleratur.*
25 *Viventia omnia ex Liceto vivere poſſunt per longum tempus abſque eo, quod nutriantur, falſum, num. ſeq. & num. 32.*
27 *Vita nihil eſt aliud, quàm conſiſtentia per alimentum.*

28 *Natu-*

28 *Naturalium actionum prima, & omnium maximè neceſſaria eſt nutritio.*
29 *Facultates, & actiones viventis animalis ſunt inter ſe ad invicem ſubordinata.*
30 *Humidi radicalis conſumptio non eſt adæquata cauſa neceſſitatis nutritionis.*
31 *Vivere, eſt calorem per ſubſtantificum humidum foveri, ac ſuſtentari.*
33 *Plantarum ſemina quandiu vivunt, nutriuntur.*
34 *Nutriri eſt calorem humido foveri.*
35 *Semen animalium perfectorum in utero primis ſaltem diebus non nutriri quomodo dicendum.*
36 *Reſpondetur ad auctoritates à Liceto adductas.*
37 *In Atrophia corpus non nutriri quomodo dicatur.*
38 *Ad Liceti rationes reſponſio.*
39 *Nutritio etiam reſpectu unius rei poſſet intermitti, reſpectu alterius erit ſemper neceſſaria.*
40 *Omnia, quæ præter naturam ſunt, ipſi naturæ vim inferunt.*
41 *Nutritio quando intermittatur in vivente ſecundùm Liceum.*
42 *Subſtentatio caloris per humidi pabulum eſt ipſa nutritio.*
43 *Opinio communis de naturali cauſa longi jejunii, naturam ſemper uti aliquo nutrimento interno.*
44 *Quæ conditiones concurrere debeant, ut natura ſolo interno alimento ſit contenta.*
45 *Fœminæ multò plures, quàm viri longum jejunium tolerarunt.*
46 *Pituita, quæ alimenti vices gerere debeat, qualis natura ſit oportet.*
47 *Jejunii tolerantia major, & minor, ex pituitæ copia maiori, aut minori, & debitæ qualitatis.*
48 *Reditus ad externum alimentum quomodo fiat, non patet in ſententia Liceti explicari.*
49 *Pilulæ ad famem per plures dies tolerandam, ex Monarde.*
50 *Quâ ratione tolerari poſſit tamdiu fames, ex uſu prædictarum pilularum.*
51 *Quonam pacto herba quædam famem, & ſitim extinguant ad longum tempus.*
52 *Semen animalis perfecti in utero primis diebus quomodo nutriatur.*
53 *Semen animalis in utero non viveret, niſi nutriretur; at neceſſe eſt illud vivere.*
54 *Ex pituita abundantia caloris arguitur imbecillitas.*
55 *Natura non philoſophatur.*
57 *Longioris jejunii tolerantia non ſemper naturalis eſt, ſed aliquando miraculoſum.*
58 *Longum jejunium quando ſit miraculoſum.*
59 *Naturaliter ad longum tempus jejunantes, tamen interno alimento nutriuntur.*
60 *Miraculosè per longum tempus jejunantes nullo modo nutriuntur.*

De longo Jejunio.

QUÆSTIO VII.

1 LOngum jejunium, quod ſuâ longitudine miraculoſum exiſtiterit, ter in Sacris hiſtoriis ſe prodit. Primò etenim Moyſes, cùm in monte Sina acciperet à Deo Legum tabulas, per quadraginta dies quicquam neque comedit, neque bibit, ut narratur *Exod. c. 24. verſ. 27. Fuit ergo ibi cum Domino 40. noctes, & panem non comedit, & aquam non bibit.* Et *Deuter. c. 9. verſ. 9.* de ſeipſo loquens Moyſes: *Et perſeveravi in monte quadraginta diebus, & 40. noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens*; in utroque autem loco panis pro omni ciborum genere, aqua pro omni genere potus deſumitur, ut palam eſt. Totidem item diebus jejunavit Helias, de quo *3. Reg. c. 19 verſ 8.* dicitur: *Qui cùm ſurrexiſſet comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb.* Denique Chriſtus Dominus idem jejunium totidem quoque diebus toleravit; de quo Matth. *c. 4. verſ. 2. Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* & Lucæ *c. 4. verſ. 2. Et agebatur à Spiritu in deſertum die bus quadraginta, & tentabatur à diabolo, & nihil manducavit in diebus illis, & conſummatis illis eſuriit.* Jejunium ergo à Domino, & à duobus illis Prophetis, & deinceps ab aliis abſque vitæ diſpendio tamdiu toleratum, diſputandi occaſionem præbet, ac demonſtrandi miraculosè id factum, nec potuiſſe naturaliter eâ ratione in illis ſuccedere, ut aliis naturaliter contigiſſe potuit.

Patet autem non hominem modò, ſed neque ullum aliud animal corruptibile poſſe abſque alimento 2
longo tempore vitam protrahere: omnia enim per calorem vivere certum eſt, qui pabulo indiget, quod illi à Natura in prima animalis conformatione, immò & in ipſiſſimo ſemine præparatum eſt, nempe humidum quoddam, quod ille indefinetèr depaſcens niſi de novo reparetur, ſuum ipſius pabulum abſumens, ſeipſum non longo poſt tempore extinguunt. Quæ temporis longitudo, ac terminus durationis, 3
varius eſt in variis animantibus, in homine verò ſeptem eſſe dierum voluit Hipp. *in lib. de caro in fin. Qui enim*, inquit, *ſeptem diebus abſque ullo cibo permanſerint, dehinc non poſſunt etiam volentes cibis ſubveniri, quia jam venter eos, non admittit.* Rationem reddit ille: *Jejunum enim inteſtinum in his diebus coharéſcit*: ex quo repetit Toreb. *lib. 2. c. 21. Epit. delict. n. 2.* Exemplum ejus rei habemus in Carolo VII, Galliæ Rege, cùm enim hic præ dolore & iracundiâ aliquot diebus nec cibum, nec potum capere voluiſſet, dehinc cùm vellet, non potuit. Tarcagnot. *lib. 60. in pr.* Simile etiam quid vidi in ſene quodam Scot. qui tribus diebus jejunus permanens ob febrim, dehinc cùm voluit cibos admittere, ampliùs non potuit. Sed non eſſe hunc terminum cunctis hominibus communem, & ex ipſo Hipp. patet, & monet Plin. *lib. 11. hiſt. nat. c. ult.* cùm aliquibus etiam quinta dies ſit lethalis; nonnulli verò etiam undecimam exuperent, ut ex ſeqq. Poëtarum teſtimoniis aliiſque hiſtoriis palam fiet. Nam Ovid. *14. Metam.* Canentem ſex tantùm diebus abſque cibo vixiſſe dicit:

Sex illam noctes totidem redeuntia Solis
Lumina viderunt inopem ſomnique, cibique
Per juga, per valles: quà fors ducebat, euntem.

Clytiam autem etiam ad nonum abſque cibo permanſiſſe teſtatur 4. *ejuſd. lib.*

Perque novem luces expers undaque, cibique,
Rore mero lachrymiſque ſuis jejunia paſcit.

Eam igitur ob cauſam non eſt incuſandus Homer. apud quem Priamus duodecim dierum jejunium toleraſſe ſe narrat Achilli his carminib. *lib. ult. Iliad.*

Ex quo tuis ſub manibus meus filius perdidit animam, &c.
Nunc etiam cibum guſtavit, & igneum vinum.
Per guttur demiſi, antea certè neutiquam guſtavi.

A cæde enim Hectoris uſque ad Priami adventum in Achillis tentoria, duodecim dies interceſſerant. Cujus rei omnem admirationem deponet, qui legerit *in Actis Apo. c. 27. v. 33. & ſeq.* eos, qui cum Paulo in Italiam navigabant, ad numerum ducentorum ſeptuaginta ſex hominum, per quatuordecim dies jejunos permanſiſſe, cùm tamen nullus eorum perierit; licet hoc ex miraculo, quiſquis ſit, contigiſſe, facilè exiſtimari poſſit.

Eſt ergo, ut ad rem veniamus, varius hic terminus 4
tolerandi jejunium in homine, quam varietatem faciunt temperamenta, ætates, regiones, anni tempora, conſuetudo, & alia nonnulla. Admiratione dignum eſt quod Carol. Cluſ *in annotat. ad cap. 3. Garz. ab Hort.* refert, ex quo repetit Marcell. Don. *lib. 4. hiſt. med. mirab. cap. 12.* nimirum ſacerdotes quoſdam Indos viginti interdum diebus ſine cibo vivere.

Idem

Idem Marcell. Donat. *ibidem ex Braſavol.* recitat anno 1528. plures extitiſſe ægrotantes, qui nihil penitus accipientes, ad 14. diem ſine cibo & potu pervenerint, & ex illis etiam firmat pleroſque convaluiſſe. Platerus *in qq. ſuis Med. paradox. centur. poſth. n.* 32. refert quendam captivum, ſibi omni cibo & potu interdicto, 14. diem exuperaſſe, pœnitentiâ ductum, ſeriùs tamen quàm oportuit, cibum expetiſſe, quem admittere cùm nequiſſet, expiraſſe citra gravius aliquod ſymptoma. Euſebius quoque Monachus Hiſpanus, Medicus, & vir doctoſſimus ſexdecim dies abſque cibo & potu tranſegit. De Timonis Avia mentionem habet Mercurial. *lib.* 1. *de Art. Gymnaſt. cap.* 1. quæ ſingulis annis per duos menſes in cavernis deliteſcebat nihil comedens, aut bibens, ſed mortuæ ſimilis, ſolaque reſpiratione quod viveret oſtendens. Habui ſuperiori anno 1649. nobiliſſimum puerum annorum quinque, qui cùm ex magna febre ægrotaſſet, in eam ciborum, ac potuum quotumcunque abominationem incidit, ut ne aquam quidem ſpatio quotuordecim dierum ingurgitare vellet, aut potuerit. Illi tamen clyſteres frequentes ex carnium contuſo per annum immittebantur, quo auxilio ſupervixit, ac morbo in totum ſuperato adhuc Dei gratiâ vivit, & bene ſe habet.

Verum enim verò vel ipſo Hipp. teſte, *Aphor. ſect.* 1. *Aph.* 13. *& ſeq.* Senes facillimè jejunium ferunt, pueri difficillimè; vere, & hyeme difficulter, æſtate, & autumno facilè inediam ſuſtinemus, & ſic de cæteris. Unde prudenter Dantes Aliger. *in ſua Comœd. Infer. cap.* 33. deſcribens Comitis Ugolini, & filiorum mortem ex fame, hanc veritatem obſervavit, & filiorum minimum ante omnes occidiſſe, mox grandiores natu refert, ultimo loco Patrem, ut ex ſubſequenti carmine apparet, in quo introducitur ipſe Ugolinus hæc dicens: 5

Poſchia che fummo al quarto di venuti,
Gaddo mi ſi gettò diſteſo à i piedi,
Dicendo, Padre mio, che non m'ajuti?
Quivi morì, e come tu mi vedi,
Vid' io caſcar li tre ad uno ad uno
Tra' lquinto dì, e'lſeſto, ond' io mi diedi
Già cieco à brancolar ſopra ciaſcuno,
E tre dì gli chiamai, poiche fur morti,
Poſcia più che' l dolor, potè ldigiuno.

Ubi nota, Ugolinum etiam nonum ſuperaſſe; licet Card. *Aph.* 13. hæc Dantis carmina adducens, velit ſum cto diebus tantùm ſupervixiſſe: quod falſum patet eſſe: intra ſex enim dies filii petierunt, & trib. ſequentibus eos defleviſſe ſe dicit, mox potentiorem dolore fuiſſe famem, inſinuans, dolorem ſuâ acerbitate ſufficientem non fuiſſe ad ſe enecandum, quod tamen potuit denique fames.

Verum enim verò licet certus jejunii terminus, qui lethalis ſit, aſſignari non poſſit, illud pro comperto eſt, ratò undecimum diem quenquam ſuperare poſſe, quin fame è vivis tollatur, ob rationem ſcilicet, de qua ſuprà. caloris videlicet naturalis, qui receptos, & ſuſtentatus in humido radicali, illud indeſinenter, paulatim tamen depaſcitur, ac ſeipſum, niſi novo pabulo ſubveniatur, deſtruit, ex ejuſque deſtructione animal etiam illicò deſtruitur, neque ampliùs vivere poteſt: alimentorum verò aſſiduâ ingeſtione, & ſubminiſtratione humidum illud ſubſtantificum quaſi reficitur ac reparatur; ex iis enim nova quædam humidi appoſitio fit, (non quidem quod primogenii illius dotes æquare poſſit) in quod calor agens, interim ſegniùs in illud invehitur, atque hac ratione animal vitam multò diutius trahere poteſt. 6

Hanc novi alimenti neceſſitatem animadvertens ſancta mater Eccleſia, in Quadrageſimali jejunio permittit, nos ſemel in die cibos capere; cùm ſi per fragilitatem mortalem liceret, totos quadraginta dies ad Chriſti Domini imitationem impaſti, & abſque ullo ciborum, aut nutrimentorum genere permanere deberemus, ut dicitur *in capite ſolent. de Conſecr. Jejun. diſt.* 1. Ergo ſequitur ex his jejunium, ad abſtinentiam ab omni alimentorum genere ac quadraginta dies protractam, non naturalem effectum, ſed miraculoſum fuiſſe in Chriſto Domino, 8 in duobuſque ſanctis illis Prophetis, de quibus jam ſuprà diximus. 7

Contra quam tamen concluſionem mille, ne innumera dicam, experimenta objiciuntur: nam ex 9 hiſtoriis fide digniſſimis & vetiſſimis habemus, plures non modò quadraginta dies, ſed plures menſes, immò plures annos, immò toto vitæ curriculo adeò jejunaſſe, ut nec ullo cibo, neque ullo potu vitam ſuſtentarent; qui autem eas hiſtorias perlegere deſiderat, præter Cælium Rhodig. *lib.* 13. *lect. Antiq. c.* 24. *& alibi*, Raviſium *in off. Text. lib.* 2. *tit. de Sobr. & Temp.* Joubert. *Parad.* 2. *decad.* 1 Marcell. Donat. *lib.* 4. *hiſtor. med. mirab. c.* & Greg. Horſt. *lib.* 7. *Ejuſd. hiſtor. c.* 1. Cagnat. *lib.* 1. *de San. tuen. c.* 3. Koinman. *de mirac. vivor. tit. de jejun.* Schenck. *lib.* 3. *Obſerv. tit. de Aſitis*, adeat præ omnibus virum doctiſſimum Licetum, *lib.* 1. *de his qui diu ſine alimento vivunt; per totum*, in quo permulta ejus jejunii exempla habebit, quæ tamen omnia huc transferre eandem telam eſſet retexere, aut aliena tranſcribere, afferam tamen nonnulla ab ipſo Liceto recenſita, alia perpauca ipſi, ut recentiora, incognita, alia item ab ipſo ſtudio prætermiſſa. Relinquam autem fabulas, ut quod de Abat fabulari Hyperboreos, tradit Herod. *lib.* 4. nimirum, quòd ſagittam per univerſam terram circumtulerit, nihil unquam comedens. Sed antequam longum jejunium in homine ſecundum naturam per has hiſtorias, & experimenta toletari comptobem, ut lectori magis magiſque idipſum perſuadeam, demonſtrandum eſt, quàm ſit quoque ſecundum naturam in omnibus viventibus abſque externo ullo alimento vivere ad longum tempus.

Plantas igitur primò à terra avulſas plures dies abſque eo quod aliunde alimentum habeant, vivere 10 certum eſt, cùm deficiat illis materia, quam à terra attrahebant pro ſe alimentandis: immò non modò abſq; alimento externo plures vivunt, ſed etiam germinant, quod in ſempervivo, in cæpa, in ſcylla; & in bulbaceis omnibus manifeſtum fit, fortaſſe etiam in aliis. Quinetiam arbores omnes, vel ſaltem potiorem earum partem; hyeme nullo modo alimentum à terra attrahere, & conſequenter jejunare conſtat; ſi enim alimentum rliquod attraherent, & fructus non ſecus quàm Vere, Æſtate, aut Autumno ſoleant, producerent. Sed longè fortaſſe in hoc abeſt à nobis Plantarum natura: ad cæteta ergo viventia oculos convertere operæ pretium eſt, quorum multa per multos dies, & menſes, & annos, & per totam vitam abſque cibo vivere experimur. Narrat de Echino 11 Ariſt. *de amir. audit. part.* 64. quòd intervallo annuo abſque cibo degat. Serpentum genus omne, & Lacertarum, Glires item, & Taxos tota hyeme alimento quocunq; externo carere pro comperto eſt, profundiſſimo enim ſomno toto eo tempore detinentur; Idem de Urſis & Vulpibus evenire tradit Concil. *diff.* 112. & 117. de Urſo autem peculiariter Plin. *lib.* 8. *c.* 25. Cicadas præterea, Ciconias, Turtures, Cuculos, Bufones, Matmortas, Limaces, & alia permulta animalia longo tempore ſine ullo alimento degeſe

plures

plures auctores ſeriò affirmant. De Crocodilo Herod. *in Euterpe ſeu lib. 2. At Crocodilo talis ineſt natura, ut quatuor menſibus maximè hybernis nihil omninò edat.* Quin & alia omnino totâ externo alimento deſtitui narrantur. De Chamæleonte, *lib. 8. c. 33.* ex quo Joub. *parad. 2. decad. 1.* & alii. Hiante ſemper ore ſolum animantium nec cibo, nec potu ali, nec alio quàm aëris alimento; at verò Chamæleontem muſcis, & vermiculis, aliiſque hujuſmodi beſtiolis victitare, indubitatæ fidei, & oculatus teſtis eſt Illuſtriſſimus, & Nobiliſſimus vir, D. Creſcentius de Creſcentiis, qui & id annum millies præ manibus habuit, dum ex Ægypto Hieruſalem tenderet, & data opera multoties obſervavit, num verè abſque ullo nutrimento viveret, & aëre ſolo, ut communis fama eſt, an potiùs aliquem cibum familiarem haberet: comperit autem, illum muſcas lingere. Id autem veritatem habere teſtatur Vir illuſtriſſimus, quòd cùm unam aut alteram muſcam deglutierit aperiter horam, veluti ruminant, cùm ruminant, faciunt, per os retractaverit, mox non modò per horas, ſed per integros plures dies, nempe ſeptem & octo, nihil ampliùs comedat: muſcas autem ſi quas ingerere deſiderat, vibrata linguâ, mirâ celeritate, ſua ſcabritie eas irretitas in guttur demittit. Teſtis quoque oculatus ejus veritatis eſt Joann. Faber Lynceus *in lib. de Anim. Ind. in ſuo Chamaleonte*, qui pleniſſimè & exquiſitiſſimè, & hujus & cæterorum rariorum animalium hiſtorias enarrat, utpote, qui in indagandis Naturæ ſecretis, & in rerum veritate ex autopſia venanda vir ſit indefeſſus, & extrema aviditate ejus rei teneatur, cui ego permultos ſimiles optarem exſtare Medicos, qui ejus imitatione non hujus aut illius Philoſophi dicto contenti acquieſcerent, ſed veritatem intimiùs exquirere ſtuderent, non relinquentes ſenſum ipſum, ut præceptorum auctoritati adhæreant; quàm multa enim, Deus bone! vir hic eruditiſſimus ex ſenſu ipſo, & oculari teſtimonio invenit. Ariſtotelis præcipuè, ac cæterorum Philoſophorum dictis adverſantia? Sed ad rem noſtram redeamus. Vidimus enim hîc nos Chamæleontem ſuperioribus annis ad Eminentiſſimum Cardinalem Franciſcum Barberinum tranſmiſſum, muſcas deglutientem, unde prædictorum virorum auctoritatem confirmavimus. Non deſunt autem alia animantia, quæ nullo externo alimento utuntur. Feram Hulpal'm, aliamque, quam Hayt nominant Indi, nullo unquam cibo ali recenſent Indicæ hiſtoriæ auctores, & Paræus *lib. 24. cap. 22.* unde aliqui eas aëre nutriri ſibi perſuaſerunt, quod an fieri poſſint, præ cæteris conſulendus prænominatus Joan. Faber, *loco citato.* Idipſum etiam de Cane lævi animali Indo referunt iidem ſcriptores. Oviedus *in ſumm. Ind. hiſt. c. 23.* Scalig. *in Cardan. exercit. 229.* ex Cardano quoque narrat Paræus, *ubi ſupra*, Avem Manucodiatam, quæ Paradiſi avis vocatur, nullo cibo, aut potu ſuſtineri. Alteram quoque aviculam, quam paſſerem vicilinum, ſeu reſuſcitatum vocant, auctor eſt idem Cardan. *lib. 7. de rer. variet. cap. 36.* ab Octobri menſe ad Aprilem uſque, ſine cibo, & alimento ullo vivere. Ergo cùm tam frequenter in cæteris animantibus illud eveniat, ut ſine cibo & nutrimento externo vivant, non modò miraculoſum videri non debet, ſed neque virum hominem longo tempore jejunare naturaliter. Nec valet contra id, argumentum Cagnati præceptoris mei doctiſſimi, *in lib. de ſanctuend. cap. 7.* nimirùm, quòd ſi valeret ſumere argumentum plantis, & ab animantibus cæteris, quòd ſine cibo vivant, & quòd idcirco idem in homine evenire poſſit, tantundem eſſet dicere: ſunt animalia quæ volant, aut quæ ſub aquis vivunt, ergo homo poteſt volare, aut ſub aquis vivere; non valet, inquam, hoc argument. immo indignum Philoſopho viro eſt, quia nutritio, & vita ſunt termini communes homini cum quolibet vivente, non autem ſic volatus, & victus ſub aquis, ita ut bene quidem procedat hoc argumentum: ſi multa quæ nutritione indigent, abſque externo alimento vivunt, poterit etiam homo abſque nutrimento externo vivere; quia in hoc quod eſt vivere, nutritione indiget homo, ut cætera animalia. Non ergo adeò pro fabuloſis hiſtoriis habendæ, quæ de Aſtomorum gente, & Gangis accolis narrat Solin. *c. 52.* & Plin. *lib. 7. c. 2.* ex quibus eaſdem referunt hiſtorias Joubert. *ubi ſupra*, & Korman *de mir. viv. tit. de Jejunan.* Sed ſiquis tam propriæ favet opinioni, ut neque ſupradictis acquieſcat, profectò audax, & temeritate inſignis exiſtimandus veniet, ut ſenſui contradicat, aut ſequentibus hiſtoriis fidem deroget, ex quibus conſtat ſummos ſapientes, ſummoſque Pontifices, Reges, ac inclytas Reſpublicas pluries ejus rei experimenta cepiſſe, poſteriſque veritatis fidem publicam, & indubitatam feciſſe.

Sub Clemente Summo Pontifice, ejus nominis VII. vir Scotus, juvenis, piliſque rubris, & ut videbatur, habitûs bilioſi, cùm ſponte ſe obtuliſſet, diebus undecim in cuſtodia habitus abſque cibo, alioquin aſſuetus uſque ad 20. diem, & uſque ad 30. in eadem inedia perſeverare, miraculi præmium accepit Cardan. *lib. 11. de ſubtilitate*, & de ejuſdem hiſtoriæ veritate teſtis oculatus eſt Garimbert *in problem. lib. 1. prob. 34.* Naturale etiam quis dicet fuiſſe Danielis jejunium, qui tribus hebdomadis integris abſque cibo, & potu permanſit; ſic enim ille *cap. 19. verſ. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierant in os meum, ſed neque unguento unctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* De jejunio autem Eſdræ, quod naturale fuerit, non dubitandum, & tamen tribus hebdomadis jejunavit: nam etiamſi & qualibet hebdomada jejunium fregiſſe dicas illum, tamen mirabile eſt, illum ſeptem diebus jejunaſſe iterum atque iterum, ut narratur *lib. 4. cap. 6.*

Ferdinandus item Romanorum Rex, unâ cum omnibus ſuis proceribus, à conſilio puellæ Spirenſis experientiam deſumi voluit, quæ quadriennio jam tranſacto, ab omni cibo, potuque abſtinebat, cujus puellæ tam longum jejunium tantam attulit admirationem ut de ea peculiares diſputationes inſtituere plures non infimi nominis Philoſophi dignati ſint inter quos præcipuè id præſtitit Simon Portius, apud quem, ſi libet, plura ad hanc rem facientia videre poteris. Sed ejus puellæ hiſtoriam longioribus retulit Langius *lib. 2. Epiſtol. n. 27.* ex quo etiam repetit Licet. *lib. 1. de his qui diu ſine alimento vivunt.* & Greg. Horſtius *in lib. 7. med. mirab.* Marcell. Don. *c. 1.* apud quem plures hujus generis hiſtorias perlegere licet & inter Canoniſtas ejuſdem puellæ meminit Torreblanca *in Epitome delict. c. 21. lib. 2. n. 4.* Idem autem Licetus de alia quoque puella mentionem habet, quæ ſexdecim integris menſibus jejuna permanſerit. Cúmque ejus rei fama ad notitiam Sereniſſimæ Chriſtinæ magnæ Hetruriæ Ducíſſæ deveniſſet, ad ſe puellam deducendam curavit, ut tanti miraculi judiciũ ex Medicis Philoſophiſque, cæteriſque ſapientibus audiret; quorũ variæ ac ſibi contrariæ fuerunt ſententiæ. Savonarola *in practica magna tract. 10. c. 13.* in dubiis hiſtoriã narrat quæ ſequitur: Quidam Piſtorienſis refert, à fide digno habuiſſe; quòd

16 quod in civitate, quæ vocatur Alumna: fuit quædam vetula, quæ ſeptem annis vixit ſine cibo. Poſtremò adverte ad unum, quod eſt maximâ reverentiâ dignum: Fertur hoc tempore in Hiſpania apud Regem principaliter eſſe Religioſum Ordinis Eremitarum ſanctæ vitæ; qui poſt aſſumptam Euchariſtiam ſtat 20. diebus ſine cibo, quod Rex ipſe, & Generalis Ordo maximâ diligentiâ inveſtigare voluerunt ſtudentes, & ita eſſe invenerunt.

In Palatinatu quoque, pago qui dicitur Schmit-
17 uveler, puella quædam vietotis filia, nomine Catharina, ſeptem annos ſine cibo & potu exegit, cujus examen & univerſa hiſtoria, Magiſtratus decreto, anno 1556. Germanicè ſcripto, ad plenum Heidel-
17 bergæ publicato; exſtat. Refert idem Licet. ex Levino Hulſio, Citeſio, Schenckio, *lib. 1. cap. 12.* Juvenis item quædam Pedemontana anno 1601. annos nata circiter 22. juſſu excellentiſſimi Principis Auriæ Genuam tranſlata, ſub arctiſſima cuſtodia per duos ferè menſes habita, nihil omnino præter aquam ingeſſit, vinumve dilutiſſimum in abluendo hauſit, famam, quæde ſuo plurimorũ annorum jejunio dudum percrebuerat, certis experimentis mirificè comprobavit. Idem Licet. *ibid. cap. 15.*

Has ergo hiſtorias, cæteris poſthabitis, adduxi, quia, ut vides, ſummi Principes illarum veritatem experientiâ confirmarunt: nam & his admirabiliores enarrantur. Contigit mihi præteritis diebus imaginem videre ad vivum depictam Franciſci Nicolai Petræ Underi Helvetii, qui viginti annis abſque cibo & potu vixit; mortuus eſt in die S. Benedicti anno 1470. vixit annos ſeptuaginta, Erat aſpectu ſqualidus, & mirum in modum extenuatus, adeò ut ejus imago intuentibus facilè horrorem incuteret. Relatum eſt à Dino Medico, inquit Mercu-
19 rial. *lib. 3 pract. cap. 7.* mulierem fuiſſe quandam ſuo tempore, quæ ſeptem annis ſine ullo appetitu, & cibis vixerit, & ex Alberto Magno plures ſex, & ſeptem, & pluribus menſibus ſine externo quopiam alimento vixerunt. Alius toto vitæ curriculo nec comedit, nec dormivit, & hic ſeſe Soli exponebat, quoties nutriri voluit. Refert Oribaſius 1. *Aphor.*
20 12. quendam ad ſolum meliis odorem quadraginta diebus vixiſſe. Volunt nonnulli mendam irrepſiſſe in textu, & pro quadraginta, quatuor ſcribi volunt, ſed quæ admirationis cauſa eſſet, aliquem quatuor diebus vixiſſe etiam abſque mellis odore? Scio tamen quod de Democrito narrant, cum etiam morti proximum rogatum, ut vitam protraheret, mel ad ſe afferendum curaſſe, & ejus odore vixiſſe diebus quatuor. Refert præter alios Provenzal. *de ſenſib.* Conciliator *citata differ. 112. prope fin.* Certificatum inquit, mihi per fidelem ſocium Joannem de Corceo Normandiæ, cum aliis quammultis, dicentem, illic fore mulierem, quæ à modo per ſpatium 36. annorum nihil aſſumpſit, & cùm vellet, ſanguinem ex ore, & naribus effluere faciebat. Retulit etiam, addit, unus meorum Accinctorum, contractaſſe monialem in Stendal Saxoniæ Medianæ, quæ per duos annos nihil recepit, poſt quod eſuriens, ut priùs conſueverat, alimenta ſuſcepit. Valeſcus Varentinus, *lib. 4. Philon. cap. 5. not. 6.* ex Jordane de Turri *ſuper. 4. Morb. cap. 2.* cujusdam mulierit meminit Alemannæ, quæ ſex menſibus ſine cibo, & potu perſeveravit,

21 Narrat Dominic. Terilli *in lib. de cauſ. repent. mort ſect. 4. cap. 4.* vidiſſe ſe Petavii virginem quandam Chirothecarii ſororem, quæ per multos menſes non ſolùm ſine cibo & potu vixerit, ſed quæ ſingulis diebus in ſignem aquoſi humoris copiam cum ca-

runculis quibuſdam conjunctam evomeret; quæ omenti portiunculæ videbantur; interim etiam per ſanguinis miſſionem ob morbum Catochi dictum è vena largiùs evacuata fuerat Gulielm. Fabric. *Obſ. ſuar. cent. 4. obſ. 30.* recenſet gravidam quandam fœminam ſex hebdomadarum ſpatio abſque cibo ferè & potu permanſiſſe, *& Obſerv. antecedenti*, Puellam Marſiacenſem ultra annos quindecim, abſque cibo & potu, adhuc dum hæc ipſe ſcriberet, vivere. Scribebat autem anno 1611.

Vivit autem adhuc, niſi mentiæ, Reate ingenua quædam Monacha, quæ per quatuordecim, plures- 18
que dies non modò quicquam neque comedit, neque bibit, ſed etiam omnes potuum, & ciborum odores ita abominata eſt, ut in animi deliquium facile ex eis incideret, imò neque aquam ipſam inodoram, & nullo ſapore conſpicuam primoribus labris deguſtare potuit. Interim tamen nutritivi clyſteres injiciebantur, quos omnino retinebat. Tandem Euchariſtiæ Sacramento accepto paulatim denuò cibis & potibus refici cœpit. Erat autem tunc ætatis annorum 20. & novenniis jam purgationes menſtruas quantitate plurimas experta eſt, ex aquarum dehinc diminutione, & hæc, & alia ſymptomata paſſa eſt, quæ recenſere non facit ad rem. Tractavit neſcio qui medicus Reatinus, prædictam Monacham, & aliam, quæ miro ſymptomate oppreſſa per totidem dies jejuna omnino permanſit. Erat autem ſymptoma, quod patiebatur, tale: Lingua adeò illi in penitiores partes ſe traxit (ex convulſione aliqua crediderim) ut nullo modo ampliùs appareret: interim autem nec ullo modo loqui, nec quicquam deglutire potuit: ſervata eſt iiſdem clyſteribus, quibus ſuperior. Sed quid ego plura teſtimonia adduco, cùm tot, & tanta cumulaverint Licetus, *ubi ſupr.* Gregor, Horſtius, & Henricus Kornmannus, & Daniel Sennertus *pract. l. b. 3. cap. 2.* & alii *locis citatis*? Conclu- 23
dendum ergo reſtat ex adductis experientiis, hominem, & quodcunque animal poſſe naturaliter per longum tempus abſque ullo alimento externo, & cibi, inquam, & potu, vitam incolumen traducere, Quod tamen quanam ratione fieri poſſit, adeò controverſum eſt, ut doctiſſimus vir Licetus *eodem lib.* pluſquam ſeptem ſupra viginti opiniones inter ſe omnino varias, ac diſcrepantes enarraverit Medicorum, aliorumque ſapientum, qui de ea re locuti ſunt; quas tamen ille omnes, partim ut minùs probabiles, partim autem ab omni veritate alienas, partim denique ut nullis rationibus fultas cõfutat, diſcerpit, rejicit; ipſe *lib. 3. per totum*, propriam affert ſententiam, quam & defendere plurimùm laborat, ut ingenioſiſſimè facit, cujus ſenſus eſt, qui ſequitur: Ponit primò concluſionem quandam, ipſamque nonnullis experientiis, rationibus, & auctoritatibus munire conatur, ea autem talis eſt. 24

Viventia omnia poſſe naturaliter vivere per longum tempus, absque eo quòd ullo modo nutriantur; vel breviùs, credit, nutritionem non eſſe ſemper, & cuicunque animali ad vitam neceſſariam; cùm enim conſecedatur, nutritionem fieri ob deperditionem humidi radicalis, quòd à calore nativo indefinenter abſumitur, deducit hinc, neceſſi- 25
tatem nutritionis auferri poſſe, quandocunque auferatur abſumptio radicalis humidi. Hanc autem abſumptionem humidi radicalis omnino de medio tolli concludit, ab æqualitate caloris cum humido, ita ut ille non exuperet hoc quoad vires ſaltem, vel alio modo, aut parum admodum exuperet. Vbi igitur hæc æqualitas contigerit, omnem nutritionis neceſſitatem ceſſare neceſſe eſt, ex ejus ſenten-

tia : ac durante hoc pacto principiorum vitæ, ſeu quomodocumque appellare libet, æqualitate, homo jejunium perferre poteſt, eâ autem deſtructa ab extrinſeca aliqua, aut intrinſeca cauſa, ab humoribus, aliisque rebus, homo, aut animal quodcunque nutritione denuò indigebit, & ad ciborum aſſumptionem denuò compelletur, Hæc eſt opinio doctiſſimi viri; qui difficultatibus ex ejus ſententia emergentibus ſatisfacere accuratiſſimè conatus eſt, quod toto *quarto libro*, qui ejus operis poſtremus eſt, præſtitit,

Hæc tamen eruditiſſimi viri ſententia, licèt ingenioſiſſima ſit, permultas patitur difficultates, quibus, ut mihi videtur, undequaque ſatisfacere impoſſibile omnino eſt, quoniam autem omnes hîc proponere, ac pro ſingulis diſceptare, majus multò requireret & tempus & opus, nec mihi in animo eſt, cùm locus is hoc non requirat ex profeſſo & datâ operâ de ea re, ſed potiùs per tranſennam diſceptare, idcircò pauca quædam, ac breviſſimè hîc proponam, ut deinceps veriorem ſententiam, ac plurimis Doctorum magis acceptam pate-
26 faciam.

Primò autem aſſumptum de nutritionis intermiſſione: quod nimirum abſque eo quòd animal aliquo modo nutriatur vivere poſſit, falſiſſimum, ut videtur, apparet; quod poteſt ante omnia auctoritatibus magnorum virorum comprobari. Ariſtotelem primò audiamus 2. *de Anim. text.* 3. aſſerentem, Vitam nihil eſſe aliud, quàm conſiſtentiam per alimentum, & *text.* 54. ejuſdem nutritivam animam, & cæteris ineſſe, & primam; & maximè neceſſariam, & communem in Animæ potentia, ex qua inſit vivere in omnibus, *& loco eodem, text.* 37. Nihil
27 decrementum pati, neque augmentari naturaliter, niſi alatur, ali autem nihil, quod non vivat: ex quibus in ſententia Ariſt. bene infertur, nihil vivere, quod non nutriatur. Imò vitam à nutritione nihil
28 differre, manifeſtè aſtruit *in lib. de Iuventute, cap.* 14. Quinetiam Gal. 3. *de ſympt. c.* 3. Naturalium, inquit, actionum prima, ac propemodum omnium maximè neceſſaria, nutritio eſt. Juxta quas auctoritates primum fundamentum, à Liceto jactum non ſubſiſtere apparet: ſed auctoritatibus breviuſculas quoque rationes annectamus. Facultates & actiones vivent is animalis ſunt inter ſe ad invicem ſubordina-
29 tæ, ita ut una ſit propter aliam; quod probatione non eget. Primâ igitur ablata, omnes corruant neceſſe eſt. Cùm ergo ex ſuperioribus auctoritatibus nutritio ſit omnium prima, & maximè neceſſaria, eâ ablatâ, aliæ quoque unà cum ipſa ſuccumbent. Imò cùm nutritio ſit ſimpliciter ſubordinata ad vitam, ablatâ nutritione, vitam quoque ceſſare omnino neceſſarium eſt.

Secundò, cauſa neceſſitatis nutritionis à Liceto allata, nempe abſumptionis humidi radicalis à primigenio calore; noa eſt adæquata, quia non ob id ſolùm nutritione eget animal, ſed multas alias ob cauſas præcipuè v.g. ob aſſiduam ſpirituum deperditionem in quibuscunque actionibus celebrandis,
30 Reſpirando, loquendo, videndo, audiendo, aut quomodocunque ſentiendo, imò vivendo ſpiritus abſumuntur, & diffluunt, & cum iis vitæ principia ſuccumbunt. Quantò magis præterea abſumi eos, ac diffluere neceſſe eſt, ſi imaginari, intelligere, ratiocinari nos oporteat? Quantò magis ſi corpus quoquo modo movere, laborare, aut aliqua ratione exerceri neceſſe ſit? Quin etiam non in his ſolùm, & nobis manifeſtis actionibus eorum exinanitione cõtingit, ſed ut Gal. dicebat *in Platonis Timæum*, ſenſu etiam ignotas euacuationes habere nos, qui ex elementis conſtamus, oporter. Igitur etiamſi nativus calor adeò humido radicali æquetur, ut in ipſum nullo modo agat; tamen neceſſitas nutritionis non ceſſabit, utpote qui reparatione ſpirituum indigeamus, cùm in quibuscunque actionibus & functionibus calorem ipſum, ac ſpiritus abſumi neceſſe ſit, ut ſuprà dixi; ſed quale axioma hoc eſt, animal vivere, calore requieſcente, nihilque agente? nam quid eſt vivere, niſi calorem per humidum radicale ali, ac ſuſtentari, aut ejuſdem caloris in humidum a- 31
ctio?

Cæterùm experientiis, rationibus, & auctoritatibus, quas pro ſua fulcienda opinione Liceto adducit, ſi per hujus operis inſtitutum liceat, mihi reſpondere: ad experientias, quas ille à *princ. lib.* 3. usque ad *cap.* 13. adducit, pace illius dixerim, omnes reſpectu ejus opinionis falſas eſſe, dum putat, Plan- 32
tarum ſemina, arborum ramos, ſtirpes, bruta quædam animalia, inſecta, oves, piſces, ipſum animalium ſemen, & ipſamet denique perfecta animalia, ipſos quoque homines aliquando vivere, abſque eo quòd ullo modo nutriantur. Si enim à fortiori valet argumentum, profectò ſi plantarum ſemina alimentum continent, & quousque vivunt, nutriuntur, multò magis idipſum de cæteris firmandum eſt. Sed Plantarum ſemina alimentum in ſe continere, ſi 33
quis addubitat, audiat Theophraſtum *lib. 1. de cauſ. Plant. cap.* 7. Semina, inquit, omnia aliquid in ſe alimenti continent, quod una cum generandi principio Natura profundit, ſicut in ovis: qua de cauſa non ineptè Empedocles,

—— *Ova ſolent excelſis gignere ramis*,

inquit. Enim verò Natura ſeminum ovis proxima eſt. diſſetere tamen ille non tantum de arboribus, ſed etiam de omnibus debuit, habet enim unumquodque alimentum in ſe, quo & durate temporis aliquantum valet, nec quemadmodum animalium ſemen, exceptis quæ ova pariunt, protinus perit, ubi ſeorſim fuerit: hæc enim alimento fulcita, ut dictum eſt, munitaque ad ſuum conſervandum principium durare valent: ſed alia diuturniora aliis, maximè verò diuturna, quæ ſpiſſa, ſicca, lignoſaque ſunt, ceu Palmæ: iis enim nullus extrinſecùs aditus patet, nec humor ullus includitur, quo putreſcere poſſint; quapropter neque beſtiolis infeſtantur ſic, ut frumenta, neque reſiccantur, ut ſemina olerum ſed mira ſoliditate munita, ſuum tutantur illud genitale principium. Omnibus autem ſeminibus aliquid pabuli ineſſe, hinc etiam conſtat; quæ enim arida, & veluti putaminea omnino cernuntur, ut olerum, hæc ſuis temporibus ad germinandum moventur, etiamſi humoris quantumlibet ſenſerint: quamobrem hæc in cœnaculis reponunt, ſuſpenduntque eminentiùs, nec ullam in eo domicilio aquam conſpergunt, aut afferunt. Eo verùs in reliquis ſenſu etiam percipi alimentum facilè poteſt, quod quidem in carnoſis lacteſcere quodammodo ſolet. Confeſſum hoc idem ferè & in animalium genere eſt; neque etiam quod ab his emittitur, totum ſemen purum ſincerumque arbitrandum. Hæc Theophraſtus; cujus auctoritati acquieſcere non modò decet, quia vir eſt maximæ & antiquæ auctoritatis, ſed etiam quia non abſque firma ratione, & experimento loquitur. Ex quibus contra eruditiſſimi Liceti ſententiam deducere licet, quòd in omnibus his, quæ vivunt quidem, ſed externo alimento deſtituuntur, experiatur humidum quoddam ſubſtantificum, quod inſitus eorum calor depaſcens, vitam ejus fovet, eaque idcirco tamdiu vivere cer-

tum

tum eſt, quamdiu calor eorum humido illo fovetur mox deficiente humido, & calore evaneſcente, ea corrumpi, quod non habeant ampliùs unde
34 nutriantur calorem enim humido foveri, nutriri eſt, Pater inſuper ex his, unde fit, quòd aliqua ſemina longiori, alia breviori tempore prolifica permaneant; quousque enim alimentum habent, unde vivant: germinare itidem poſſunt; durat autem in ipſis alimentum pro caloris ipſius virtute pro ipſius pabuli quantitate, & tenacitate, pro ipſorum ſeminum magis aut minùs denſa ac ſolida ſubſtantia. Sed incaſſum me hæc contra ſententiam Eruditiſſimi viri adduxiſſe videò, cùm vel ipſo aſſerente *lib. 4. de Spont. Vivent. ort. cap. 58.* ſemina omnia nutriantur. Quâ ſolùm auctoritate reſponſum volo omnibus experientiis ab ipſo allatis, ſequenti tantummodò exceptâ. Ex Andreæ Laurentii auctoritate probat ille, ſemen perfectorum animalium primis diebus non nutriri, imò ſupervacaneam eſſe tunc quamcunque nutritionem: quod tamen ſano modo intelligendum, nimirum non nutriri alimento aliunde influente, ut ab ipſa Matre, idcirco per illud tem-
35 poris adhuc non generatur umbilicus: per hunc enim impoſterum nutritur Embryo; at non eſt dicendum nullo modo nutriri, nutritur etenim inſito, ac proprio alimento, nam aliter non viveret: vivit tamen: imò hæc experientia, ſi quæ alia, declarat & firmat ſententiam noſtram de hujusmodi quæſtione, quam deinceps exponemus.

36 Auctoritatibus porrò à Liceto allatis *à cap. 33. ad* 39. reſpondeo, partim de externo alimento loqui, partim quidem ad rem vix quicquam facere, partim etiam declaratione egere, ut ea, quæ ex Hippocrate Galeno, Celſo, Avicenna, & aliis præceptoribus deſumitur, qui de Atrophia loquentes, dicunt in ea
37 corpus non nutriri: Dico enim hoc intelligi, quoad ſolida membra reſpectivè, & exteriora, non quoad omnimodam omnium partium nutritionem, & ipſius caloris nativi; vel dicendum corpus non nutriri perfecta & abſolutâ nutritione, ſed tamen nutriri aliquatenus, & ſic inde procedere totius emaciationem, tandemque mortem, quia multo plus abſumit calor, quàm reficere poſſint miniſtrata alimenta, imò ob eam cauſam, nempe quia calor acerrimus excedenti utitur alimento, & ipſum humidum quaſi vorax depaſcitur, nihil ſuccumbit; ita ut etiamſi concedamus non nutriri corpus, calorem tamen nativum nutriri dici non poteſt; at in Liceti ſententia oportet calorem ipſum omni nutrimento deſtitui, ſi abſque omnimoda nutritione vivere debeat animal.

Rationibus denique, quas in medium attulit L-
38 ceus dicamus, eas nihil omnino pro ſua opinione concludere, imò, pace ejus viri dixerim, eatem quaſdam tranſcendere. Quod etiamſi condonemus, eas omnes eſſe validiſſimas, & concludentiſſimas, ac probare tandem, nutritionem neque ratione animæ, neque ratione corporis, nec ratione caloris, nec ratione totius viventis, neque ratione ipiusmet nutricationis, neque ratione ſpirituum eſſe ita neceſſarium, ut aliquando intermitti non poſſit; tamen non probabunt, ratione omnium ſimul omnino non eſſe neceſſariam; nam niſi ad præſens ſit
39 neceſſaria ratione unius, eſt neceſſaria ratione alterius, ita ut ſaltem alicujus rei, ſi non omnium reſpectu, intermitti omnino ſit impoſſibile.

Verum enim verò ſi intermitti aliquando in vivente nutritio poteſt, hæc intermiſſio vel maximè erit ſecundum naturam, præſertim, quia ex æqualitate caloris cum humido dependebit, conſtitutione nempe corporis temperatiſſimâ; vel idipſum erit per accidens, & præter naturam. Si primum, ergo nutritio erit quid maximè præter naturam, vel tantopere recedet nutritio à cõſtitutione naturali, quantopere intermiſſio nutritionis ad naturalem conſtitutionem accedet. Si ſecundùm, cùm omnia, quæ præter naturam ſunt, ipſi Naturæ vim inferant, & violenta ſint, maximoperè ab ea intermiſſione de-
40 pendere debet ipſius Naturæ deſtructio; at contrarium concluditur in ſententia Liceti, quia cùm calor non agit quicquam in humidum, neque humidum conſequentet quicquam patitur, Natura multò magis, quàm quod calor agit, & humidum patitur, vegeta ac vivida permanebit. Adde quòd ſi animal abſque nutritione vivere poteſt, maximopere incuſanda venit ipſa natura, quæ cum poſſet animal creare quod & diutius viveret, & paucioribus
41 auxiliis ad vitam egeret, ipſum talè plaſmavit, ut ſine tot ad extra ſubminiſtratis vivere non poſſet ſaltem ut plurimùm. Vel inſcitiæ ergo, vel impietatis incuſanda eſſet Natura in hac ſententia, quod abſit, ut nos firmemus.

Sed videamus, quæ nam ſit ea æqualitas, de quâ Licetus loquitur, qui ad ſuam opinionem vel declarandam, vel ſtabiliendam, volens demonſtrare, quanam ratione poſſit contingere, ut nutritio ob id
42 intermittatur, quòd animali non ſit neceſſaria; aſſerit, id tunc evenire, quando calor nativus adeò æqualis evadit humido, & vice verſa, ut neque calor agere poſſit in humidum, neque humidum à calore pati. Sed quam mihi æqualitatem affingit, ens quoddam rationis mihi videtur, ac ſomnio ſimile, nullam habens, aut habere potens exiſtentiam realem. Quænam enim eſt hæc æqualitas inter calorem, & humidum, cùm unum ad agendum, & propter id exiſtat, alterum ad patiendum, & propter id ſubſiſtat? Quid ergo impedimenti eſſe poteſt, quo minùs unum agat, & alterum patiatur? num utriuſque determinata quantitas? num invaliditas agentis, & reſiſtentia patientis? ſed quæ invaliditas agentis, ubi neque à contrarietate patientis impeditur, neque à multitudine obruitur? aut quæ reſiſtentia patientis, ubi nulla qualitate agentis virtutem retundit? Sed non poſſe id ſuccedere, quod tamen facilè credit Licetus, manifeſtiſſimè demonſtrant Gal. verba 12. *Meth. cap. 5. Ac ſiquidem*, inquit, *ſic proſpici his*, (ſpiritibus, ſolidisque partibus) *poſſit, ut nec ſubſtantia eorum quicquam vacuaretur, aut prorſus immutaretur, id eſſet optimum: ſed quoniam in commentariis de ſanitate tuenda oſtendimus, fieri non poſſe, ut id generabili corpori unquam contingat, eò lectorem ablegamus.*

Præterea fruſtrabitur Natura ipſa eo fine, quem
42 intendit in viventium plaſmatione, quippe quæ calorem in illis implantaverit, ut per illum viverent, humido quodam illi ſubſtrato, quod eſſet ejus pabulum, ut jam ſæpè diximus; ſi ergo calor hoc pabulo jam non nutrietur, fruſtra fuerit ejus appoſitio à natura facta, imò animal nequaquam vivere poterit, calore non potente ſuo pabulo uti. Quòd ſi poteſt animal abſque hoc, quod calor ullo pabulo ut atur, vivere, cur non poterit idem calor abſque ullius pabuli appoſitione ad longum tempus permanere? Quòd ſi non poteſt ſubſtentari abſque hoc pabulo, jam ſubſtentato per pabulum ipſa nutritio eſt.

Quonam ergo pacto contingat, ut nonnulla vi-
43 ventia abſque externo alimento vivant, & præcipuè perfecta quædam animalia tam longo tempore jejunantia vitam trahant, ut ſenſu, & experientiâ

conſtat, jam non apertendum. Communis opinio, quæ Alberti eſt. Conciliatoris, Cardani. Joubert, quibus accedit Epiph. Ferdinand. *lib. 2. Theor.*
44 7. & aliorum, cæteris probabilior videtur. Ea eſt, quod nutriantur ex humore crudo ac pituitoſo in eorum, humore aggregato. Hunc enim, inquam ego, humorem non ad alium potiorem finem Natura progignere intendit, niſi, vt deficiente interni alimenti copia ob externi defectum, aut quomodocunque, ipſe in caloris nativi pabulum, & alimentum faceſſat. Nonnullas tamen conditiones concurrere neceſſe eſt, ad hoc, vt hoc alimento contenta Natura ſit, ita ut externo non indigeat. Primò enim calor nativus non acer, nec validus, ſed debilis ſit oportet, ſaltem reſpectu copiæ, &
45 qualitatis crudorum humorum, ut infrà dicemus: ex caloris enim debilitate major pituitæ, & crudorum humorum copia emerget, ex quâ etiam major erit ipſius appetentis facultatis ſatietas, & ab externo alimento ceſſatio. Hoc enim ita ſe habere ſatis commonſtrat experientia, eâ autem ex cauſa multo plures fœminæ, quàm viri, viſæ ſunt, quæ natu-
46 aliter longum ſervaverint jejunium. Idcirco faciliùs ſenes, quam cæteræ ætates jejunium tolerare poſſunt. Tam in fœminis enim, quàm in ſenibus concurrit & caloris nativi debilitas, & crudorum humorum copia. Contrà pueri, etiamſi ob ingluviem crudis abundant humoribus, quia tamen eas calorem validum, ac vegetum ſortiuntur, famem longo tempore non perferunt. Neque convaleſcentes, etiamſi calorem debiliorem habeant, famem tolerare poſſunt, quia copia crudorum humorum deſtituuntur.

At quia non eſſe ſolam, & adæquatam famis cauſam, conſumptionem radicalis humidi à calore ſed etiam indefinens ſpirituum effluvium, jam dictum eſt, idcirco in plerisque, qui longiori tempore, quàm aliis liceat, tolerare famem poſſunt, conſtrictio etiam pororum cutis concurrere debet, ex qua calor minùs fit diſſipabilis: imò nova humorum congeſtio ex evaporatione evenit conſtrictâ cute; incraſſantur enim, ſi qui vapores ad cutem elevantur, & ad interna denuò remeant, non aliter, quam in pluvia contingere ſoleat. Quamdiu ergo nativo calori ſuppetit pituitæ copia, quam in ſui pabulum convertat, eamque externi alimenti loco habeat, tamdiu animal ab ejus alimenti externi quacunque aſſumptione ceſſare poterit; & ex hoc fit, ut major in uno, quàm in alio, jejunii tolerantia exiſtat, ut experientia docet, majorem eſſe in fœminis, quàm in viris innuente Conciliatore *diff.* 117.

Sed neque hæc, quæ hactenus prædicta ſunt, ſufficiunt ad longi jejunii tolerantiam; ſi ſic enim eſſet, cùm omnes ferè homines pituitâ abundent,
47 multique crudis humoribus ſint refertiſſimi, omnibus facile eſſet jejunium longo tempore tolerare, cùm tamen pauci admodum id poſſint. Quamobrem neceſſe inſuper eſt, pituitam, ac crudos illos humores, qui ita externi alimenti vicem gerere poſſint, habere in ſe humidum quoddam aëreum, & unctuoſum, & quod calori, non aliter quàm oleum Lucernæ flammæ pro pabulo ſuccedat; alias enim ipſum calorem potiùs extingueret ſua copia, & frigiditate, & aqueâ humiditate; nam & hoc in externo quoque igne facillimè experimur, qui humido pingui, & aëreo fovetur, aqueo verò potiùs extinguitur. Confirmari poteſt hoc in multis animalibus, quæ tota hyeme dormiunt neque ullo externo alimento utuntur, de quibus ſuprà. Hæc enim per alia tempora multam pituitæ copiam, & crudioris ſanguinis multitudinem congerunt, ex qua multa pinguedo generatur, in locum alimenti, dum dormiunt, illis faceſſit. Non ſolùm ergo ex ſimplici pituitæ majori copia, ſed etiam qualitate major ſuc- 48
cedit jejunii tolerantia, quandocunque enim aſſumpta à calore fuerit, quæ corpori alimentum ſubminiſtrabat, rurſus animal expergiſcitur, & ad externorum alimentorum opem concurrere cogitur. Qui reditus ad externa alimenta quomodo fiat, in ſententia Liceti, nequaquam mihi licuit expiſcari: cùm enim ex æqualitate illa caloris cum humido: 49
ſopiti velit externi, imò & interni, omnisque nutrimenti neceſſitatem, oportebat hanc ipſam æqualitatem (rem quippe tam difficilem, ut dari unquam poſſe in rerum Natura non credam) ſæpè & accedere & recedere in iis, qui cùm per longum tempus jejunaverint, rurſus ad cibos redeunt: & de hinc multo tempore jejunant.

Supereſt tandem, ut rationibus, quas Licetus contra hanc opinionem producit, ſatisfaciamus, quod quidem brevibus agendum, jam enim quæſtionem hanc ultra ſepta tranſiliſſe video, ante tamen duas experientias ad noſtræ opinionis confirmationem recitare operæ pretium eſt, quarum pri- 50
ma deſumitur ex Monarde, qui *in lib. de ſimpl. Ind. cap. de Tabaco*, ex ejus herba pilulas quaſdam conficere Indos narrat, quarum uſu famem, ac ſitim itet facientes triduo, aut quatriduo ſuſtineant: unam enim, aut aliam inter inferius labrum reponunt, inferioresque dentes, ejus liquorem aſſiduè ſorbentes: eâ abſumptâ reponunt aliam, atque inde aliam, donec peregrinationem abſolvant triduanam interdum, aut quatriduanam, atque eâ ratione toto eo tempore neque famem ſibi, neque ſitim moleſtam eſſe dicunt; *Cuius cauſam eſſe puto*, addit ille, 51
(neque alia aſſignari ex mea ſententia poteſt) *quòd aſſiduè ſorbentes pilulas illas, etiã humores pituitoſos è cerebro eliciant, qui deglutiti, & in ventriculum demiſſi naturalem ejus calorẽ humectant, ſed ab eo tandem abſumuntur, aliorum ciborum defectu, ut in multis animalibus obſervare licet, quæ tota hyeme in ſuis latibulis ſe continent, ſine alicujus alimẽti copia, quia calor naturalis occupatus eſt in pinguedine abſumenda, quam æſtatis tempore collegerant.* Hæc Monardes, cui expetientiæ maximè concinunt ea quæ ſcripſit Plin. *lib. 25. cap. 8.* de herba quadam Scythica dicta, & de alia dicta Hippice, his verbis: *Scythia primùm eam invenit, quæ Sythice vocatur circa Bœoticam naſcens, prædulcis. Aliam utiliſſimam ad ea, quæ ſpaſmata vocant. Magna & ea cõmendatio, quod in ore eam habentes, famem ſitimque non ſentiunt, Idẽ præſtat apud eosdem Hippice dicta, quòd in equis quoque eundem effectũ habeat: traduntque his duabus herbis Scythas etiã in duodenos dies durare in fame ſitique.* Non abſimilis virtutis herba quædam apud Indos reperitur nomine Cacaore, quæ famem expellit ore retenta. Torreblanca *in Epit. delict. lib. 2. cap. 21. n. 8* ex Petro Chieza, & Auguſt. Zarate. Atque hæc quidem à veritate non aliena, aliâ ratione; quàm ſupradictâ ſieri, aſſerendum non eſt, attractione nimirum pituita à Cerebro ad ventriculum, qui cibi potuſ- 52
que omnem defectum ſupplent.

Alia experientia, quam pro ſua ſententia affert Licetus, eſt de animalium perfectorum ſemine, quòd utero receptum primis diebus, & vivit quidem, & nutritur, non externo, aut aliunde influen- 53
te alimento, ſed ingenito, & ſuperflua quadam ſui ipſius parte, quam in omni ſemine reperiri, ſuprà ex Theophraſti auctoritate patet: non enim viveret, ſi

non

non nutriretur; ac ipsum vivere necesse est, cùm vitam toti animali imperriri debeat, quod probat Vallesi. *lib. 2. controvers. c. 9.*

At creditne Licetus semen non nutriti, & tamen
54 vivere, quia reperiatur in ipso ea caloris, & humidi æqualitas, quam ipse imaginatur? quod hoc ille vult doceat necesse est peculiariùs, quomodo dehinc semen nutrimento egeat, & quænam causa æqualitatem illam tam exquisitam, tam citò, brevi nempè nonnullorum dierum spatio, destruere possit.

Verumenimverò ad ea, quæ Licetus contra nostrã opinionem opponit, breviter ita respondum volo: imbecillum calorem non supponi in jejunantib. simpliciter, sed respectivè. At difficile, imò impossibile est probare id quòd sibi licetus assumit probandum nimirum nullum eorum abstinentium fuisse imbecilli calotis; imò contrarium facilius probares, quia abstinentes omnes penè, & ut plurimum fœminæ sunt, quæ crudiori abundãt sãguine, ex cujus abundantia caloris arguitur imbecillitas. Neque dicat, eas
55 fuisse juvenculas, & ob id calorem habuisse fortem, quia notum est, juvenculas ut plurimùm pati menstruorum defectum, ex quo quis ignorat sanguinis crudioris plurimùm aggregari, ex cujus copia calor alias vegetus & fortis obruatur, & debilis evadat? Nec ad probandum minùs difficilis est altera negativa, quòd abstinentes pituitâ, & eruditatibus non abundaverint, & ex superioribus satis falsitatis convincitur.

Quòd autem tam anxiè laborat Licetus invenire ubinam loci asservetur pituita, ex qua abstinentes a-
56 luntur, quiescat jam à labore, nam in quavis corporis parte eam asservari posse aliàs sibi etiam consuetã credimus: non eget autem Natura tam rigorosa & exquisita, ac immutabili operandi regula ad suos effectus celebrandum, non enim philosophatur illa, cùm necessitate urgente quicquam molitur. Trahit undecunque oportuerit, expellit quocũque libuerit, & quacunque sibi visum fuerit: invia, inaccessa, sibi inconsueta, intentata, incomperta adit, nullo tempore, nullo modo, nullo ordine servato. Atque hinc miracula in Natura apparent. Itaque abundante ubicunque pituita, Natura eam sibi in alimentum immutare potest, modo & via, ac medio nobis vel incognito, vel incomperto.

Ad id quod Licetus dicit, de constrictione pororũ cutis, qui etiam stomachari videtur circulatione, quã diximus fieri ab evaporatione pituitæ ad extimas partes: Respondeo, hanc non esse conditionem tantopere necessariam, ut non existimem aliquando absque illa fuisse nonnullos abstinentes; sed in pluribus eam potuisse considerari, & neque excrementorum conversionem in alimentum, neque circulationem illam vaporum, nempe illam pituitæ evaporationem esse quicquam præter Naturam, cui omnia facillima sunt, & cujus ingenium in operando longè satis nostram exuperat cognitionem. Sed profectò: ut dixi non est hic aptus locus satisfaciendi omnibus iis, quæ Licetus adducit ad hanc nostram sententiam infirmandã, aut ad suam ipsius corroborandam, alias autẽ quandocunque libuerit, accuratiùs me satisfacturum promitto, nunc cum Jurisperitis agentẽ ad alios me convertere, omnino improbandum mihi videtur.

Acceptatis ergo jam pro veris, historiis omnibus, & experientiis à quamplurimis doctissimis viris enarratis, & ab ipso diligentissimo pariter, & eruditissimo Liceto in unum congestis, jam inde clarissimè patet, longum jejunium, nimirum non modò quod ad quadragintã dies, sed ad plures menses, & annos toleretur, esse rem maximè naturalem, nihilq; in se miraculosi continere, sed potiùs rari; quod quidem in pluribus veritatem habere est manifestum. Neque tamen; his non obstantib. dicendum est, semper jejunii longam tolerantiam à Natura esse, sed fuisse interdum supernaturalem, & miraculosam. Quemadmodum ergo longum jejunium tunc naturaliter toleratur, cùm prædictæ omnes conditiones 58
in unum coierint, caloris nimirum imbecillitas, vel absolute, vel respective; crudorum homorum & pituitæ copia, ejus tamen naturæ & qualitatis, quam suprà monuimus, & ut plurimùm constrictio poro- 59
rum cutis; sic ubi eæ conditiones defuerint (quarum indicia advertentib. poterunt esse conspicua) jejunium ultra naturalem terminum septem, aut novem, vel decem, aut ad summum undecim dierum toleratum, miraculosum erit, & causam habebit supernaturalem. Tale dicendum fuisse jejunium Moysis in mõte Sina, tale item fuisse jejunium Heliæ pergentis ad montem Dei Horeb, tale denique Christi Domini in Deserto, Fortun. Fidei. *lib. 2. de var. Med. ca. 2.* & tale insimul nonnullorum aliorum servorum Dei, si de quib. tale quid prædicatur, quod Sanctæ Romanæ Ecclesiæ acceptum, ac probatum, & pro miraculo 60
canonizatum fuerit.

Ratio verò, ob quam jejunium in his miraculosum sit, in illis verò nequaquam, non alia est, nisi quia illi, quicquid in contrarium probare conatus fuerit Licetus, omnino nutriebantur, non externo, sed interno alimento, neq; aliter illi vivebant, quàm cæteri homines, & animalia vivant, nempe per nutritionem; at verò in Christo Domino: atq; in aliis miraculosè jejunantib: omnis cujuscunq, alimenti submin̄istratio deficiebat, non externi solùm, sed etiam interni, quòd posset illis vitam fulcire, quæ idcircò miraculo omnium evidentissimo, incolis permanebat; non enim naturaliter possibile est, animal mortale vivere absq; eo quod vel externum, vel internum habeat nutrimentum. Concordat cum hac op. Mercur, *var. lect. 6. c.* 11. vel dici potest, virtute divina augeri vires alimentorum per anteactum tempus assumptorum ut credi potest de Helia, de quo dicitur: *Et ambulavit in fortitudine cibi illius*; quasi illum cibum tantæ virtutis fecisset Deus, ut toto eo spatio pro alimento sufficeret. [Singularia hac de re vide apud *C. Reies* in Campo Elysio pag. 449.]

SUMMARIUM.

1 *In miraculis celebratis per infirmorum sanationem diligens examen faciendum.*
2 *Multa sanat omes morborum miraculosè fiunt.*
3 *Morbi quos ex miraculo sanatos fuisse presum. re debeamus quas habere debeant conditiones.*
4 *Morbus ex miraculo sanatus debuit esse curatu vel impossibilis, vel difficilis.*
5 *Morbus ex miraculo sanatus debet esse gravis.*
6 *Morbus ex miraculo sanatus non debuit esse in ultima parte status.*
7 *Sanatio ex miracul. fact. debet esse fact. subitò & in instãti.*
8 *Monstra in arte contingunt.*
9 *Sanatio ex miraculo debet esse undequaque perfecta.*
10 *Aliqui ex multa fide & imaginatione sanantur.*
11 *Vnus morbus in alium miraculosè transmutatur.*
12 *Sanatio miraculosa procedere debet diverso modo quàm naturalis.*
13 *Sanatio per insignem evacuationem facta est naturalis.*
14 *Naturalis etiã interdum aliqui subitò à morbis sanantur.*
15 *Crises, quæ per insignes evacuationes fiunt, maximè attestantur, sanationem fuisse naturalem.*
16 *Sanationes morborum omnes in sacra historia absque ulla insigni evacuatione successerunt.*
17 *Morbi ex miraculo sanati non debent esse agritantibus familiares, & quomodo hoc intelligendum.*
18 *Mulieres difficiliores morbos patiuntur, quam viri.*
19 *Lunatici qui dicantur.*
20 *Lunaticus morbus est monstrum, & morbus Epilepsia.*
21 *Lunatici à Demoniacis differunt.*
22 *Epilepsia morbus curatu difficilis.*

23 *Epilepsiam in pueris esse sanabilē, quando sit verū.*
24 *Dæmon non cedit naturalibus remediis, & n.* 34
25 *Dæmones arte Medica an ejici possint.*
26 *Nullum potest esse naturale remedium de directo contra Dæmones.*
27 *Dæmonibus quatenus substantiæ quædam spirituales sunt, & Metaphysicæ, nihil naturale est contr.*
28 *Contraria sunt sub eodem genere.*
29 *Naturalia remedia Dæmoniacis conferre quomodo sit verum.*
30 *Naturalia remedia ab Ecclesiæ ceremoniis, & precibus induunt virtutem supernaturalem.*
31 *Dæmones gaudere humore melancholico, quomodo intelligendum, num. seq.*
33 *Melancholico humore superabundante, mores fiunt deteriores.*
35 *Paralitici qui sint.*
36 *Apoplectici qui vocentur.*
37 *Celsi locus à Mercuriali perperam adductus.*
38 *Paralysis ut sanabilis sit, quænam requirantur.*
39 *Paralyses in sacra historia curatæ naturaliter sanabiles non erant.*
40 *Idem penè est, demortuam animalis partem, quod totum animal, ad vitam revocare.*
41 *Atrophia multum abest à paralysi.*
42 *Pars Atrophiâ laborans vitâ carere dicitur.*
43 *Cæcitas à Christo Domino sanata.*
44 *Tobiæ cæcitas adventitia.*
45 *In affectibus oculorum curandis Medici semper parum proficiunt.*
46 *Confirmatam cæcitatem curare miraculosum.*
47 *Cæcitas per accidens aliquando curata.*
48 *Cæcum à nativitate visum recuperare, opus est toto genere supra naturam.*
49 *Curatio cæcitatis in Tobia qualis fuerit, & n. seq.*
51 *Curatio cæcitatis in Tobia, in infirmo miraculorum genere reponenda.*
52 *Mutos, & surdos à nativitate sanare, adæquat miraculum sanationis nativæ cæcitatis.*
53 *Febris, quâ affligebatur socrus Petri, quomodo esset magna.*
54 *Senes non patiuntur acutas febres, ut juniores.*
55 *Febris ex qua quis moritur, magna sit oportet*
56 *Dysenteria, quâ detinebatur frater Publii, erat lethalis.*
57 *Sanatio mulieris fluxu sanguinis laborantis, in Evang. narrata, fuit undequaque miraculosa*
58 *Longi sanguinis fluxus Cachexiam & hydropem concitant.*
59 *Leprosi in novo testamento curati.*
60 *Sanatio lepræ in Maria Moysis sorore quale miraculum fuerit.*
61 *Sanatio lepræ Naaman quale fuerit miraculum.*
62 *Morbus decem leprosorum, de quibus in Evangelio erat confirmatus.*
63 *In Veteri Testamento confirmatâ leprâ detenti, à cœtu hominum ejiciebatur.*
64 *Qui humana, ac divina opis desperant, ad Dæmones interdum se convertunt.*
65 *Lotio aquarum quarumcunque confert ad lepram*
66 *Hydrops est morbus curatu difficilis.*
67 *Morbi omnes à Christo Domino sanati difficiles. imò impossibiles curatu erant ope humana.*
68 *Miracula fiunt ad Dei gloriam.*
69 *Sterilitatis duo genera in sacris adnotantur.*
70 *Sterilitas Saræ & Elisabeth.*
71 *Sterilit. Saræ & Elisæ naturaliter erat irreparabilis*
72 *Nullus post 70. annos masculum generare solet.*
73 *Sterilitas in aliis mulieribus sacra historia enarrata, an esset naturaliter reparabilis.*
74 *Serpentes in Hebræos immissi in deserto, fuerunt venenosissimi, & maximè exitiales.*
75 *Serpens æneus remedium supernaturale fuit, in figuram Christi Domini.*
76 *Serpentes in Hebræos immissi non fuerunt tunc primùm à Deo creati.*
77 *Sanatio Malchi servi Pontificis quomodo fuerit miraculosa.*
78 *Pars animalis viventis à suo principio decisa illicò commoritur.*
79 *Ezechias naturali remedio curatus est, & quale miraculum fuerit eius sanatio.*
80 *Nōnulli claudi ab utero per accidēs interdū sanati*

De Miraculosa Infirmorum sanatione.

QVÆSTIO VIII.

IN hoc miraculorū genere, quia plurimum decipi homines contingit, exquisito examine opus esse, palam est, quod prudenter admonet Ricc. *de Canon. Sanct. c.* 25. tam multæ enim prædicantur miraculosæ infirmorum sanationes, ut plures multò ex miraculo, quam ex Naturæ, aut Artis ope sanitati restitui credantur. Imò neq; tempus ullum à sæculi initio repertum est, in quo frequentissimè hujusmodi miracula facta non prædicentur; neq; ulla gens tam barbara, atq; à divino cultu aliena unquam fuit, quæ ægrotantiū plurimos ex superorum virtute sanati sibi non persuaserit. Hinc falsorum Deorum delubra ac templa, votivis tabellis undequaq; refertissima, confluente vulgo, cui casus, & ignorantia multa imponunt, ad referendas superis gratias ejus, quam eorū favore credebat reportatam sanitatem. Multa quoq; & apud nos hujusmodi miraculosæ infirmorum sanationes quotidie, imò in horas, ac momenta audiūtur: quæ tamen ut plurimum in iis, qui naturales rerum causas investigant, ab ipsis naturalibus causis vulgo ignotis emanasse sensu ipso apparent; non tamen idcirco omnes naturaliter procedere obstinatè 1
asseverandum, multæ enim interdum non naturaliter, sed à supernaturali causa fiunt. Quod ipse Hipp. 2
in lib. de decēt. hab. insinuare videtur his verbis: *Medicina*, inquit: *multum Deos colere cōperitur enim verò Medici Diis plurimum concedunt: neq enim supervacaneam potentiam sibi arrogant, cùm siquidem ipsi multa aggrediuntur, in multis tamen ab iis superātur.* Multæ ergo morborū curationes immediatè à Deo, omnium bonorum datore, miraculosè emanant, inter quas peculiariter illæ fuerunt, quæ in utroq; testam. enarrantur, ac deinceps eæ, quæ S. R. E. Sanctorum meritis perpetratas agnoscit; de quib. tamen omnib. peculiatet differere, non est præsentis loci; de priorib. tamen nonnulla dicam occasione sumpta in hac quæstione. Pro nunc autem universaliter de omnib, sermonem habeo, ac primò edocendum videtur, quibus signis miraculosæ sanationes à fortuitis naturalibus, vel artificialibus, interstingui possint.

In morbis ergo omnib. quos ex miraculo curatos fuisse præsumendum est, plures adnotare nos condi- 3
tiones oportet; quib. aut potiori earum parte destitutos, non ex miraculo, sed vel naturaliter, vel ex arte, vel ex casu fuisse curatos, suspiciendum est: harū autem conditionum nonnullæ cnnsiderantur ex parte ipsius morbi; alia ex parte sanationis, & modo, seu ratione ipsius; aliæ deniq; ex parte ipsius ægrotantis.

Ex parte enim morbi requiritur primò, ut curatu 4
vel impossibilis, vel maximè saltem difficilis exstiterit; quia miracula, ut aliàs dixi, sunt circa ardua, & difficilia, non circa leviora. Habenda tamen consideratio impossibilitatis, & difficultatis, respectu temporis, respectu Naturæ ipsius morbi, & respectu modi curandi, nam vel morbus erat difficilis, & impossibilis omninò, ut curaretur, vel impossibilis, & difficilis

ficilis erat ut curaretur eo modo, vel ut curaretur tam brevi temporis ſpatio. Ut eſſet, ſi morbus eſſet ex iis, qui nullo modo curationem recipiunt, ut naturalis cæcitas, aut ſi curaretur cum luto facto ex ſputo, aut ſi curaretur ictu oculi. Nullo enim ex his modis hic morbus naturaliter ſanari potuiſſet, quamobrem apertiſſimè apparet, ejus curationem fuiſſe omnino miraculoſam.

5 Secundò requiritur, ut morbus fuerit gravis, ut quia ſit vel cum manifeſtiſſimo vitæ diſcrimine, vel cum mala tolerantia, gravibusque ſymptomatibus: talis in primo caſu eſſet febris ardens, & maligna, quali detinebatur ſocrus Petri, fortis ſyncope, vel fortis Apoplexia, oris ventriculi inflammatio, à qua qui evadunt. Jovis filii dicendi, ut dicit Amatus Luſit. *curat. med. cent.* 3. *cur.* 93. In ſecundo caſu eſſet Lepra confirmata, qualis erat illa Nahaman Syri, Paralyſis inveterata, quali affligebantur nonnulli in Sacris, de quibus infrà, vetus & nodoſa Arthritis, ſævus, & jam diuturnus capitis dolor, qualis is eſt, qui calvus dicitur, & univerſim dolores omnes acuti, nobilem aut ſenſitivam aliquam partem obſidentes.

6 Tertiò requiritur principaliter, quòd morbus non ſit in ultima parte ſui ſtatus, ita ut non multò poſt naturaliter declinare debeat: vel ut morbus non ſit prope judicium: in hoc enim tempore, ut ex Hipp. ſententia patet, *Aph. ſect.* 2. *Aphor.* 30. ſymptomata omnia fortiora ſunt, ita ut ægri aliquando de vita periclitentur, ſuccedente autem criſi, ſubita ac repentina mutatio ſit ad ſalutem quæ miraculoſa ob id pleriſque videtur: ob ſævitatem enim ſymptomatum judicant, abſque dubio ægrum de proximo morituram, qui tamen brevi ſanitati reſtituitur. Cùm ergo ægri in tali ſtatu ſunt, ad ſupernaturalia remedia promptiſſimè recurrunt, mille ac plura vota Deo, ſanctisque concipiunt, & remittente morbo, miraculoſum id putant: præcipuè cùm tam brevi temporis ſpatio inſperata ſalus ſucceſſerit, cùm tamen naturaliter morbus remittere debuerit, & declinare.

Cæterùm pro parte ſanationis maximè facit ad
7 probandum, ſanationem fuiſſe miraculoſam, ſi ea fiat ſubitò, & in inſtanti: nam ſunt ex ægrotis nonnulli, qui Naturæ ope à quibuſdam morbis vindicantur, à quibus nullo artis Medicæ præſidio ſanari poſſe credantur, imò neque ipſius Naturæ auxilio. Ita inſanabiles omnino exiſtimati, ſi de hinc ſenſim Naturæ ope ſanentur, ex miraculo ſanatos ſe eſſe prædicant, ac profectò quia de raro hæc contingunt, & vulgus cauſas ſanationis ignorat, ex miraculo ſanitatem recuperaſſe facilè cuivis perſuadent. Accedere enim hæc videntur ad miraculi naturam, undè & apud Medicos illud jactatur, monſtra, ac miracula in Arte contingere. Unde id inſinuabat Avic. 4. 4. *tract.* 2. *cap.* 10. *in fin.* dicens: Sæpenume-
8 rò aliqui ſanantur abſque ſpe ulla exiſtente mirabiliter, tamen naturales habent cauſas, ita ut ad ſupernaturales nequicquam referantur. Sed inter quamplurima exempla, quæ ad hujus conditionis corroborationem adduci poſſent, liber conferte quandam miraculoſam adventitiæ cæcitatis curationem à Beato Andrea Corſino factam, cum alia, quæ naturæ & artis auxilio proceſſit. Repurgabat quidam artifex aurum ab argento, & ex ignis maxima vi viſum amiſit: ad ſanctiſſimi tamen viri benedictionem illicò, & in inſtanti viſum recuperavit. Aliâ verò ex parte cùm duo viri frumenta jam matura ab ignis voracitate, qui ea penitus abſumebat, vindicare plurimum laboraſſent, ex ingenti flammarum ardore, ac ſplendore lumen amiſerunt, quod tamen opportunis medicamentis, & temporis diuturnitate affatim recuperantur: hæc igitur, quia temporis beneficio facta, naturalis fuit: illa, quia momento & in inſtanti, omnino miraculoſa ſanatio.

Secundò ſanatio debet eſſe undequaque perfecta 9
& abſoluta, non manca, ſeu conciſa: miraculum enim ut opus à ſupernaturali ac perfectiſſima cauſa emanans, perfectum & abſolutum opus eſt: unde etiamſi aliquis liberetur à morbo aliquo difficili, & inſanabili, ſeu periculoſo, ut puta à forti Apoplexia, mox autem denuò in illam relabatur, vel ab ea liberatus paralyticus tamen permaneat, miraculosè factum id non putaverim, niſi aliunde conſtet. Aliqui enim interdum ex multa fide, & ex vehementi imaginatione à morbis ſanantur, ut firmat Concil. *Differ.* 10
135. & Cartat. *in quæſt. reven. ad temp conc.* 1. Marcell. Donat. *hiſt. mirab. lib.* 2. *c.* 1. At quia hæc cauſa inſufficiens eſt, neque poteſt omnino morbificam cauſam abigere, idcirco facillimè morbus revertitur. Accidit præterea, ut ex uno morbo quis perfectè quidem ſanetur, ſed in alium incidat, ut ex febre longa in Quartam, aut ex febre acutiſſima in lentam, & diuturnam, aut ex maligna febre in aliquem abſceſſū, aut ex Apoplexia in Paralyſim, aut ex Epilepſia in malancholiam, & vice verſa aut ex alio in alium: quæ ſanationes maximè ſecundum Naturam ſunt, & deficiunt omnino à miraculoſis, quia hæ perfectæ non ſunt, ſed imperfectæ, & mutilæ: Neque ſanari dicitur morbus, qui alterum facit mor-
bum. Gal. *in 6. Aph* 26. Non negaverim tamen ali- 11
quando ex divina voluntate, & ex miraculo poſſe unum morbum tranſmutari in alium, ut fortaſſe evenit anno præterito 1622 die 17. menſis Sept. devotæ cuidam mulieri Tiburtinæ, cui nomen Arſilia Altiſſima, quam ego curabam: Hæc enim cùm acerbiſſimo hæmorrhoidum dolore vexaretur, & eas tumidas, & exulceratas inſimul haberet, nulliſque levaretur remediis, meo conſilio & impulſu ſe Chirurgis inviſendam ſequenti die exponere debuerat, cùm ecce enixè à Deo nocte præcedenti per merita Roberti Cardinalis Bellarmini piiſſimæ memoriæ, cujus feliciſſimi tranſitus ea dies erat anniverſaria, expoſtulat, ut dolorem illum in aliam ſui corporis partem tranſmitteret: quò ſe ab honeſto illo pudore vindicaret: quamobrem eâdem nocte dolores articulorum eam detinuerunt, & à dolore hæmorrhoidum, & tumore, & ulceribus penitus, ac dicto citiùs libera evaſit: hoc pro exemplo ſit. Et licèt objici poſſit hîc, quòd ea metaſtaſis non infrequens, naturaliter ſit, & quòd dolores articulares aliàs hujus mulieri familiares fuiſſent, tamen miraculi evidentis ſpeciem præbuit, quòd ſubitò, & in inſtanti ſanata fuerit. Hæc enim conditio in miraculis videtur præ cæteris à naturali effectu abeſſe: præterquam quòd aliæ non deſunt conditiones, quæ opus hoc pro miraculo canonizare poſſunt: ut quòd proportionatis, ac pluribus remediis adhibitis non ceſſerit dolor, ſed potiùs invaluerit: quòd nullis apparentibus ſignis, ſed ex abrupto diſparuerit ad ſolam beati illius invocationem. Poſſunt ergo huic ſimiles caſus ex miraculo evenire, ut hunc ipſum ex miraculo eveniſſe crediderim.

Tertiò, ſanatio miraculoſa diverſo ac interdum 12
contrario modo, & per alia media procedit, quàm naturaliter fiat: ita enim notandum venit in cunctis miraculis à Chriſto Domino, ejuſque Apoſtolis ac ſervis patratis: quicumque namque ab illis ſanati ſunt, ſolo contactu manuum, imo

& veſtimentorum, quinimò ipſius umbræ, vel ſolo verbo & juſſu ipſorum ſanati ſunt. Si ergo poſt longum remediorum uſum, quæ quidem patent maximè proportionata morbo fuiſſe, vel ex aliquo novo præſidio etiam proportionate in uſum convocato, etiam longè ab ejus adminiſtratione quis ſanetur, & effectus remediis correſpondeat, ad eorumque virtutem referri ſanitas poſſit, hoc abſque dubio quantum ex hoc eſt, miraculum non erit: quemadmodum neque ſi ad Naturæ opus referri ſanatio
13 poſſit, (hæc autem eſt quarta conditio ex parte ſanationis) ut quæ per inſignem aliquam evacuationem fiat, nempe per vomitum, per hæmorrhagiam, per alvi fluorem, per ſudorem, per urinam, aut aliam quamcunque evacuationem: has enim ego ſanationes neque promptè, neque libenter pro miraculis admiſerim, niſi abundè id conſtet; etiamſi aliàs dubitandi aliqua occaſio urgeret, etiamſi
14 illicò, & quaſi in inſtanti fierent, nam ut ex Gal. elicitur, 3. *de Criſib. cap.* 9. aliqui interdum ſubitò,
15 & quaſi inſtantaneè à morbo evadunt, hoc autem nunquam fit ſine criſi, cùm id naturaliter ſuccedit.
16 Itaque criſes, præſertim quæ per inſignes evacuationes fiunt, maximè oſtendunt, ſanationem naturæ vi ſucceſſam: unde noto in Sacris quascunque ſanationes abſque ulla ſimili evacuatione ſucceſſiſſe, hoc autem non alia ex cauſa factum puto, niſi ut ex hoc pateret, ex miraculo factas, non ex Naturæ beneficio. Neque me à mea ſententia amovet, quod de Tobia dicitur, *cap.* 11. *verſ.* 14. *& ſeq. Et cœpit albugo ex oculis ejus quaſi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus*: quia hæc ſanatio fuit quidem ex parte miraculoſa, ex parte tamen naturalis, quia mediis naturalibus, & naturali modo ſucceſſit, tribuente tamen Deo, & adaugente virtutem fellis piſcis illius, quod erat per ſe remedium ad id ipſum aptum: Deus tamen adeò ejus virtutem aduxit, ut quod aliàs nonniſi multoties repetitum præſtitiſſet, unicâ tunc vice præſtiterit: ex qua parte miraculoſa ea ſanatio fuit. At in ſanatione Cæci nati in Evangelio nihil tale apparuit: fuit enim ex toto, & ſimpliciter miraculoſa, nam luto facto ex ſputo, & linitis oculis ejus, poſtquàm, ut illi injunxerat Chriſtus Dominus, lavit in natatoria Siloë, venit videns, ut narratur Joann. *cap.* 9. & Marc. *cap.* 8. alius item cæcus ſola impoſitione manus curatur, nullâ apparente ex oculis materiâ. Neque probatur mihi quod Rouſſ. *Epiſt. medic.* 59. voluit, (Cui ſententiæ videtur etiam adhærere Gaſpar. Triſt. *de Cler. Med.* §. 9.) nempe cæci nati curationem non fuiſſe extra Naturæ limites, quamquam miraculoſam, tribuens terris quibusdam, ut verè habent virtutem oculis medendi: & ſalivæ facultatem diſcutiendi, & abſtergendi: nam quid hæc prodeſſe poterant in nativa cæcitate; nullam ergo communionem habuit hoc remedium cum remediis naturalibus, ſed omnino ſupernaturale exſtitit.
17 Denique ex parte ægrotantium eſt etiam aliquid, quod conſideretur in ſanatione, quæ miraculoſa dici debeat: neceſſe enim eſt, morbos, à quibus curantur, non eſſe conſuetos, hoc eſt, non conſueviſſe ægros aliàs iis quamquam morbis affici, & ex iis difficilibus ſeſe recolligere. Sunt enim, qui morbos magnos, exitiales & horribiles pati, & ex illis præter ſpem non ſemel, aut bis, ſed multoties ſanari conſueverunt. Vidi ego, qui quolibet trimeſtri ſpatio tali morbo affligeretur, ut nullum excogitari poſſet tam exitiale ſymptoma, quo ex illo morbo non moleſtaretur: hic cùm ab ab aliis ejus naturæ ignaris pro mortuo haberetur, omnes pluries, 18
ut dixi, deluſit: quod etiam in aliis & ego animadverti, & alios animavertiſſe ſcio. Univerſaliter autem videbis, mulieres multò difficiliores, & atrociores morbos pati quàm viri faciant, & tamen ſeſe ab illis faciliùs extricare, quod cuilibet volenti adnotare licebit. His ſic præmiſſis, ad particularia quædam veniamus, ut ex his non modo pateat, ſanationes omnes in S. Literis enarratas, cæteraſque per manus ſervorum Dei factas, miraculoſas extitiſſe, nec potuiſſe ex caſu, aut Naturæ, vel artis ope emanare, ſed ut inſimul, exempla quædam habeamus, ad quorum normam liceat nobis de cæteris in dies evenientibus rectè, & ſecundùm veritatem judicare.

Lunatici, Paralytici, Dæmoniatici, Aridi.

19

QUi propriè appellentur Lunatici, dixi *lib.* 2. *harum quæſt. tit.* 1. *quæſt.* 14. *num.* 25. *& ſeq.* ubi loci non eſſe alios Lunaticos ab Epilepticis probavi, ſed differre tantùm in acceſſionum frequentia, 20
& fortitudine. Lunaticus enim morbus propriiſſimè loquendo Epilepſia eſt moleſta, & confirmata, & quæ ſecundùm Lunæ motus exacerbatur & invaleſcit, fortioreſque patitur acceſſiones. Dixi quoque Lunaticos à Dæmoniacis differre: non enim 21
omnes Lunatici dæmoniaci ſunt Lunatici: ſed aliqui interdum demoniaci operâ ipſius dæmonis Lunatici efficiuntur, qualis erat ille de quo Matth. *cap.* 17.

Cæterùm morbus hic eſt ex ſe pernicioſus, & 22
curatu difficilis, ut ex Hippocr. & Galen. Rota *apud Farin. deciſ.* 236. *num.* 1. *tit.* 1. *part.* 2. difficilior tamen in ætate provectiori, difficillimus autem, imò impoſſibilis ubi confirmatus fuerit. Quæ enim Epilepſia de novo prehendit, recentioreſque ætates fatigat, ut ex Hippocr. præ cæteris habemus, 6. *Epidem. ſect.* 1. *text.* 4. *&* 2. *Aphor.* 45. ſpes eſt ut mutatione ætatis ſanetur, vel ut medicamentis quoque cedat. Licèt autem de ætate ejus Lunatici, de quo in Evangelio, nulla habeatur mentio, certum id tamen eſt, ætatem illum egiſſe tunc non grandem, cùm ſupplex pater pro eo deprecetur: non autem quòd hic pubes eſſet, aut etiam ætate minor, idcircò pubes; morbum illum potuiſſet arte Medicâ, vel ſummo cum ſtudio & 23
difficultate ſanari, quia ſententia illa, quod Epilepſia in pueris ſanabilis ſit, maximè ætatis mutatione, ita limitanda eſt juxta Galeni doctrinam, *in commento ſupra citati loci Epidemiorum*, ut veritatem habeat, ubi ex nativa temperie ortum trahat, quia mutatur etiam temperies ætatis mutatione: at hic non ſola potuit eſſe morbi cauſa nativa temperies, ſed neceſſe erat cerebrum ipſum tanquam inſtrumentariam partem læſum eſſe, & humores in eo dominari venenoſitatem habentes, ex quibus tam ſæva ſymptomata conſequi par erat. Quibus addi poteſt, quòd Hipp. ſententia locum non habeat, ubi Epilepſia ob frequentiam acceſſionum, & ob earundem fortitudinem jam habituata eſt, & Naturam ſibi ſubegit, ut cùm advenit quolibet Novilunio, vel Plenilunio, & cum magna agitatione, & diſtorſione membrorum, & cum gravibus aliis ſymptomatibus: tunc enim tantùm abeſt, ut ætatis mutatione curetur, ut indies potiùs moleſtior evadat, & ſi medicamentis tractetur, irritetur potiùs, quam ſecùs: & ratio eſt, quia ab humore melancholico originem trahit, qui ex ſua

natura

natura talis eſt, ut ubi radices altas egit, avelli unquam non poſſit, ſed univerſam corporis craſin, ſive temperaturam devaſtet, ut in cancris, ſimilibusque morbis melancholicis obſervare licet. De quibus idem Hipp. *in Aph.* dicebat, quòd eos non curare melius ſit. Non enim, licèt de cancris loquatur de ſolis cancris id intelligendum, ut bene ſentit Cardan. ſed de omnibus morbis melancholicis confirmatis, & in habitu, quos incurabiles eſſe, notum eſt, quia cùm non liceat eos minuere, ut ex dicta Hippoc. ſententia apparet, cùm medendo citiùs interimant, non licet eos in totum tollere. Cardan. *de mal. med. cap.* 1. Neque diſſentit ab hæc ſententia Hippocr. cum *lib. de morb. ſacr. paulo ante finem*, eam curari non poſſe docuerit, ubi inveteraverit, præterquam quòd frequentia, & fortitudo acceſſionum, maximè ſecundum lunæ motus, ſupponit naturalem cerebri, Nervorum, capitisque totius debilitatem, materiæ multitudinem, inobedientiam, & pravitatem, quæ omnia ſuperare humana ope eſt impoſſibile, In Lunatico ergo hoc, à Chriſto Servatore ſanato, vides hæc omnia in unum coiiſſe: quia, ut dicitur, Lunaticus eſt, & malè hoc eſt, graviter, & miſerabiliter patitur, nam ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam, quibus verbis denotatur acceſſiones in eo fuiſſe & fortiſſimas, & frequentiſſimas, morbum decernentes ſola Dei virtute amovibilem: quibus addebatur dæmonis præſentia, qui cauſam naturalem irritabat, ac ferociorem morbum faciebat, neque permittebat puerum ulla ope humanâ (ſi modò ulla juravi poterat) ſubveniri, quod illi facillimum eſt. 24 Præter morbi ergo ipſius magnitudinem, & repugnantiam aderat etiam in hoc repugnantia ad recipiendum ſanitatem ex parte dæmonis, quem naturalibus remediis non cedere, firmiter 25 eſt aſſeverandum.

Tametſi enim controverſum ſit, an dæmones arte Medica ejici poſſint, & naturali quodam reme- 26 dio, & pro affirmativa ſententia faciant quæ adduxi *lib. 2. har. quæſt. tit. 1. quæſt.* 18, tamen abſolutè dicendum nunc videtur, nullum poſſe eſſe naturale remedium de directo contra dæmones, & conſequenter nulla arte, nulloque remedio niſi ſupernaturali ex obſeſſis corporibus dæmones ejici poſſe. Et vide circa hæc, quæ affert Sprenger. *in mall. malef. part.* 1. *q.* 5. controverti enim non poteſt, omnem curationem per contraria fieri, (ſano modo, & cum conditione idipſum intelligendo, cùm & hæc concluſio à nonnullis improbetur) à dæmonibus quate- 27 nus ſubſtantiæ ſpirituales ſunt, & Metaphyſicæ, nihil corporeum, naturale aut phyſicum contrarium 28 eſſe poteſt: ſunt enim contraria ſub eodem genere. Nulla ergo curatio artificialis eſſe potuerit, ad dæ- 29 monia ejicienda. Quod autem aliàs dictum eſt, naturalia remedia dæmoniacis conferre, hoc ita accipiendum, quòd conferant illis tanquam melancholicis, incommoda, & moleſtias ab humore melancholico dæmonis opera exagitata provenientes alle- 30 vantia: præterquam quòd præcedentibus Eccleſiæ ſanctæ precibus, & ceremoniis, induunt ſemper naturalia remedia virtutem quandam ſupernaturalem: quibus mediantibus precibus, vel cum illis remediis, vel ſine illis abjecto dæmone, etiam per ſe dehinc naturalia remedia conferunt: relinquuntur enim poſt ejectum etiam dæmonium veſtigia quædam in humoribus prava, quæ ſimillima & ipſa ſymptomata apta nata ſunt excitare: & ita ab exorciſtis etiam phyſica remedia exorcizando in uſum trahi, & multa hujuſcemodi, vide apud Meng. *in flagell. Dæmon. dec.* 3.

Quod etiam dictum à me ex nonnullorum ſen- 31 tentia eſt, *loco ſuperiùs citato*, dæmonem nimirum gaudere humore melancholico, facit forſan dubitandi locum contra priorem concluſionem: quia quemadmodum dæmon hoc humore gaudere dicitur, ſic poterit etiam alio huic contrario, ut ſanguini, ne contriſtari, & cùm omnia gaudeant ſimilibus, & contriſtentur contrariis, poterit dæmon habere aliquid contrarium. Ad quæ dicam, quòd idcir- co dæmon humore melancholico gaudere dici- 32 tur: quia ii, qui eo humore exuberant, maximè ſunt timidi, & imaginoſi, & ſic faciliùs à dæmone obſidentur. Adde quod, eodem humore ſuperabundante, mores, quantùm eſt ex hoc, mali ad deterrimi redduntur; facit enim ex ſua natura homines moroſos, invidos, avaros, obſtinatos, vindictæ avidos, & ab omni humana charitate alienos. Inde ergo fit, quod talia corpora ut- 33 pote ſuæ naturæ quam ſimillima de facili, ac promptè dæmon obſideat: & has eſſe putaverim cauſas, unde firmatum ſit, illum melancholico humore gaudere, non quòd tanquam re ſibi ſimili eo delectetur, ut optimè declarat Delr. *libro ſecundo, diſquiſit. magic. quæſtione* 3. *ſect.* 3. & ex hoc etiam patet illum non habere quicquam contrarium: unde nihil erit, quod ut tale dæmonio ejiciendo ſimpliciter, & de directo valeat, quicquid alii dixerint. Favet autem huic noſtræ 34 ſententiæ Valleſ. *in libro de ſacr. Philoſoph. capite vigeſimo octavo*, qui & longioribus eam tuetur, ac firmat: nobis iſta ſufficiunt, quo ad præſens verba facimus, & dæmoniacorum omnium opus Chriſtus Dominus vel ejus ſervi ſanarunt, omnino miraculoſum, nihil quicquam naturæ operibus affine habens.

Sequitur ut de paralyticis loquamur: ſunt verò, ut Medicis notum eſt. Paralytici, quibus nervi re- 35 ſoluti ſunt. Ita ut ad motum membra vel omnia, vel aliqua inepta habeant, & aliquando etiam ſenſu ca- 36 rentia. Illi autem, qui toto corpore reſolvuntur vocantur Apoplectici, Paralytici verò propriè ii, qui in aliqua tantùm parte, vel non in omnibus eo morbo detinentur, qui Paralyſis dicitur. *Quæ* quidem, ut Celſ. *lib. 3. cap. 27.* aſſerit, *nunquam acutus, ſæpe longus, ferè ſanabilis morbus eſt.* Quæ Celſi verba (ut obiter hoc Mercurialis ſtudioſos admoneam) perperam ab ipſo Mercuriali relata ſunt *lib. 1. ſuæ pract. cap.* 20. cùm contrarium omnino aſſerat Celſus ex Mercurialis lectione, nimirum eſſe interdum partium paralyſim acutam ægritudinem, ſæpe longam, ferè incurabilem. Licèt autem ex vera Celſi ſententia, partium paralyſis ſanabilis ferè exiſtat, tamen non ſimpliciter id venit intelligen- 37 dum; ſed ad hoc ut veritatem habeat, requiruntur primò, ut paralyſis levis ſit, ſecundo, ut unicam tantum partem obſideat, puta brachium, vel crus: tertiò ut non ſit inveterata: Nam inveterata tantùm abeſt ut ſanari unquam poſſit, ut potius vires acquirat eundo, ut omnes Practici docent, & notavit etiam Rota *in Melevitana Antianitatis* 1. *Decemb.* 1743. *coram Veroſpion* 9. Unde non injuria num. ſuperiori connumerat illam inter morbos increſcentes dictos, nempè inter eos, qui non ſanentur, quotidiè deteriores fiunt. Contra enim ſi fortis ſit, ſi plures partes moleſtet, ſi ſit inveterata, tantum abeſt, ut ſanabilis ſit, ut potius quemcunque medicæ induſtriæ laborem, atque ſtudium in ea curanda impenſum eludat, quotidiana experientia id commonſtrante, & omnibus Doctoribus annuentibus. Paralyſes autem, de quibus in

ſactis,

ſacris, poſteriores omnes habuiſſe conditiones aper-
39 tiſſimè patet : nam ægrotantes illi nullo modo ex eo morbo movere ſe poterant, ita ut ex hoc conjectari liceat, plures ac potiores partes obſeſſas fuiſſe : erant etiam illæ paralyſes graves, quia habebant ſecum prava accidentia : de ſervo enim Centurionis dicitur, Matth. *cap.* 8. *verſ.* 6. *Domine, puer meus jacet in domo Paralyticus, & malè torquetur*: & de eodem, Lucæ *cap.* 5. *verſ.* 2 *Centurionis autem ſervus malè habens erat moriturus.* Item de altero Paralytico. Joann. *cap. quinto, verſ.* 5. *Erat autem quidem homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua* : Ex quibus etiam habetur, eas Paralyſes fuiſſe inveteratas, ut erat etiam illa, quâ detinebatur Æneas, de quo *in Act. lib. Apoſt. cap.* 9. qui per octo annos eo morbo detinebatur. Gravis quoque Paralyſis illius fuit, quem Chriſtus Dominus curavit in Capharnaum, cùm eſſet ille toto corpore reſolutus, & idcirco, tanquam cadaver, à quatuor portaretur, ut dicitur Marc. *cap.* 1. *verſ.* 3. Omnes igitur ſupra nominatæ paralyſes, ob prædictas conditiones, omnem artem, omnemque naturalem curationem effugiebant, nec niſi omnipo-
40 tenti Dei manu ſanari poterant : & ratio eſt, quia partes, quæ paralyſim longo tempore fuerint paſſæ, non ſecus ac partes jam demortuæ exiſtimandæ. Idem autem eſſet, partem jam demortuam ad vitam, quod totum animal jam mortuum revocare. Facit Cardan. *in Hiſt. Prognoſt. lib.* 3. *prog.* 38. novam enim vitam illam quoque adipiſci neceſſe eſt, quippe cùm deſuescente naturâ per nervos tranſmittere animales ſpiritus, concidit nervorum ſubſtantia, flacceſcitque & omnino temporis longitudine inepta
41 redditur ad recipiendum ulteriùs animalium ſpirituum influxum.

Non multùm abeſt à Paralyſis naturâ Atrophia, hoc eſt, partis alicujus conſumptio, & ariditas, in qua paſſione corpus, ſeu corporis pars aliqua non ampliùs nutrimento fruitur, & naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum lo-
42 cum ſubeuntibus, ſumma macies oritur, ut Cornel. Celſ. dicebat *lib.* 3. *cap.* 22. Pars ergo, quæ Atrophiâ laborat, vitâ carere dici poteſt, cùm vita per nutritionem exiſtat. In pejori ergo conditione eſt quàm ea, quæ laborat paralyſi : quòd hæc licèt motu, aut ſenſu, aut utroque careat, nutritur tamen, quod ſufficit ad vivendum. Laboravit ergo homo ille, de quo Lucæ *cap.* 6. *verſ.* 7. Atrophiâ manus dextræ : omnes autem Evangeliſtæ unanimiter dicunt, hunc habuiſſe manum aridam, ob id, quòd præ temporis longitudine, quo hic atrophiâ manus laboraverat, ea jam exſiccata, arida, ac mortua erat : non enim ullo nutrimento jam per longum tempus, vel etiam ab ipſa nativitate fulciebatur. Quod ſi paralyſes, de quibus ſuprà, non niſi miraculosè ſanari poterant, multò magis verum id erat in hac manus ariditate, quæ gravior erat ægritudo, quàm paralyſis. De manu autem arida Jeroboam, de qua *Reg.* 2. *cap.* 13. non eſt, quòd quicquam in medium afferam cùm & miraculosè aruerit, & miraculosè reſtituta fuerit, ut in hiſtoria patet.

Cæci, Muti, & Surdi.

CÆcitas à Chriſto Domino, eâ qua pollebat ſupernaturali virtute, non ſemel ſanata eſt : ſed
43 in unico tantùm caſu eam à nativitate fuiſſe conſtat, ut narratur Joann. *cap.* 9. in cæteris autem de cæcitatis qualitate nihil habetur, ut videri poteſt Matth. *c.* 9. & 20. Marc. *cap.* 8. & ſeqq. Lucæ *c.* 18.
44 Tobiæ verò cæcitatem adventitiam fuiſſe, ex ipſius hiſtoria conſtat, in qua ejus cauſa procatarctica, & externa narratur : *& Geneſ. cap.* 19. cæcitatem adnotare licet Sodomitis procuratam ex miraculo. Item 4. *Reg. cap. ſexto.*, cæcitatem militum Regis Syriæ adventitiam fuiſſe conſtat, & ex miraculo indictam, & ex miraculo quoque ſanatam, quamobrem de hac cæcitate nihil eſt, quod in medium afferamus, quemadmodum neque de aliis, ſi cæcum natum, & Tobiam excipiamus, niſi quòd in illis præter modum, quo ſanati ſunt, qui fuit ut in cæteris omnibus meræ miraculoſus, erat etiam ex parte morbi repugnantia quædam recuperandæ ſanitatis per præſidia naturalia : ſcimus enim Medici quique experientia quotidiana, docti, quàm pa- 45
rum in affectibus oculorum curandis proficiamus, cùm altas egerunt radices, & confirmati jam ſunt, Cæcitas verò affectus eſt utplurimum dependens ex aliis oculorum affectibus, difficilibus, & contumacibus, ut ex pannis, maculis, cataracta, & hujusmodi. Hi etenim cùm confirmantur, in cæcitatem terminantur, & univerſim morbi omnes in videndi virtute pullulantes, vel ab ortu, vel à temporis longitudine incurabiles omnino ſunt, ex Practicantium ſententia : Mercurial. *lib. de ocul. aff. cap.* 1. Plures autem conditiones adfuiſſe in cæcis à Chriſto Domino ſanatis, ob quas multo minus curabiles humana ope erant, adnotat Guilielm. Ader. *de ægrot. Evang. enarrat.* 6. ubi & de morbi qualitate, quo detinebantur, verba habet, de quo tamen ex mea ſententia, nihil quicquam certi affirmari poteſt, niſi quòd erat ex genere cæcitatis : nam poterat unus cæcus diverſum quoque ab altero morbum pati. Quamquam autem ita 46
ſe res habet, ut cæcitatem curare jam confirmatam, potiùs miraculoſum opus ſapiat, quàm naturale, non eſt tamen hoc ita perpetuæ veritatis, ut aliquando ex caſu non contigerit, nonnullos à multo tempore occæcatos ex accidenti aliquo à cæcitate fuiſſe vindicatos, ut illi evenit qui vulnere in fronte accepto viſum jam à multo tempore amiſſum recuperavit : & alteri ex morbo Gallico oculis capto, qui cùm ad eum Gallicum morbum depellendum ſeſe linimento ex 47
Mercurio inungeret, deperditum jam viſum denuò adeptus eſt : quas hiſtorias cum aliis nonnullis his non abſimilibus admirandis ac raris, habes apud Schenck. *lib. Obſervationum, titulo de Oculis.* Recitat quoque Kornman. *de mirac. vivor. tit. de natis cæcis, ex D. Gregorio Dialog. lib.* 2. *cap.* 10. cuidam Abbati poſt quadraginta cæcitatis annos viſum fuiſſe reſtitutum. Quod tamen miraculosè contigiſſe crediderim. Sed & viſum animalia nonnulla omnino amiſſum naturaliter recuperare poſſe, docent pulli hirundinem, quibus, oculis erutis ſicut cryſtalloides effluat, viſus tamen atque oculus reſtituitur, ut docet Ariſt. & confirmavit experientia. Cardan. *lib.* 7. *de variet. cap.* 36. quod & Ælianus *lib.* 2. *de Animal. cap.* 3. firmat. At verò cæcum à nativitate viſum recuperare, hoc quidem toto genere præter & ſupra Naturæ vires eſt : unde vides in ſacra hiſtoria, quòd hoc factum ab ipſo cæco ſanato tantopere extollitur. *A ſæculo*, inquit, *non eſt audi tum, quia quis aperuit oculos cæci nati*, & addit: *Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam*. innuens in ea curatione requiri omnino ſupernaturalem ac divinam virtutem. Loquor tamen hîc de vera cæcitate, non de ea quæ interdum fieri poteſt ex palpebrarum coalitu & adhæſu : hæc enim vel manu chirurgica juvari poteſt, dummodo oculus ipſe, qui videndi eſt inſtrumentum,

purus

purus ſit, & nihil impedimenti patiatur: affectus autem oculorum proprius qui à Natura ſit, & qui dicitur cæcitas, arte medicâ nunquam ſanari poteſt, cùm oblæſum ſit ipſum videndi organum in ſua ipſius plaſmatione: ſolus ergo is, qui illud plaſmavit, ad rectum & ſibi debitum munus revocare poteſt. Visùs namque organum multis modis depravari poteſt, tam reſpectu principalis partis, nempe humoris cryſtallini, quàm reſpectu aliarum huic inſervientium: qualecunque autem fuerit vitium hujusmodi, à natura tolli nequaquam poteſt, quia ſi nullum naturale vitium intet hæc recepit curam, multo minùs ipſa cæcitas recipere poterit.

49 Cæterum, diverſa omnino fuit operatio in curatione cæcitatis Tobiæ, quam Sacra Scriptura diligentiſſimè enarrat, docens cauſam primùm externam cæcitatis, modum curationis, remedia applicata, & ſucceſſus in ipſa curatione. Itaque comparatione factâ inter curationem cæcitatis in Tobia, 50 cum curatione facta in cæco nato, clarè apparet, hanc, ut dixi, fuiſſe ſimpliciter miraculoſam, illam verò ſolummodò ſecundum quid excedentem Na- 51 turæ vires in eo, quòd naturale aliàs remedium, & nonniſi multoties repetitum, & poſt multa obſervata ex artis præceptis, ut totius corporis evacuationem, victum convenientem, & hujusmodi, tunc ex divina virtute adeo viribus polluerit, ut ſemel applicitum omnino cæcitatem ſuſtulerit: unde, ut aliàs dixi, hoc miraculum in infimo miraculorum genere reponendum venit, cùm factum ſit mediis quibusdam naturalibus, quia ejus piſcis (quem Callionymum, ſeu Vranoſcopum fuiſſe, aut Hyænam vult Valleſ. *de ſacr. Philoſ. c.* 42.) & alia piſcium fella, & Avium, aliorumque animalium, ad oculorum affectus mirificè valere, notum Medicis eſt. Peculiariter autem Ælianus *lib.* 1. *de Animal. c.* 42. de felle aquilæ docet, ad viſum acuendum eſſe optimum, & de aliis animalibus, quorum fella eandem habent virtutem alii meminerunt: unde conſtat remedium hoc naturale fuiſſe, & in ſumma hanc curationem ex parte naturaliter ſucceſſiſſe, ex medicamenti appliciti virtute, firmant. Valleſ. *ubi ſuprà*, & Rouſſetus *epiſt.* 59.

Porrò non minorem admirationem continet 52 Mutorum, & Surdorum ſanatio (præſertim ſi à natura tales exiſtant, & multo magis ſi muti ſimul, & ſurdi fuerint) quàm cæcorum, qui à nativitate non videant. Unde ob miraculi paritatem in Sacris hæc ſimul conjunguntur, & futura prædicantur ab Eſaia *cap.* 35. *verſ.* 4. *ſeq. Deus ipſe*, inquit, *veniet, & ſalvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Sunt igitur omnia hæc ſupernaturalia & miraculoſa. Quod vero *Libro ſecundo harum quæſt. tit.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 7. ex Valleſio dixi, eveniſſe nempe ut à quodam Monacho ejus amico, ii qui ſurdi ſimul, & muti à nativitate erant, loqui docerentur, non potuiſſe habere locum in omnibus mutis & ſurdis, ſed in quibusdam, & in quibusnam tunc manifeſtum feci: ubi enim impedimentum tam loquendi, quàm audiendi in naturali nervorum defectu conſiſtat, nullo modo fieri poteſt, ut quis humana arte adjutus vel loqui, vel audire ullo tempore poſſit, ſed hoc requirit abſolutè potentiam divinam, ut ſentit etiam Mercur. *lib.* 2. *de morb. puer. c.* 8. qui id ipſum latiùs patere vult, & locum habere in quibuscunque, qui muti ſimul & ſurdi à nativitate exiſtant. Quamobrem non videtur vero conſentaneum id, quod de muto dæmoniaco vult Guilielmus Ader. *de Ægrot. Evang. ægr.* 5. nempe quòd pateretur vitium illud, quod Mogilalia, vel Molilalia & ancyloglosſon, vel anchigloſſon nuncupatur, quod eſt hæſitantia quædam in loquendo, aut difficultas introitus in loquelam: nam neque admirationem ullam haberet, quod mutus hic expeditè locutus fuerit, neque vitium eſt irreparabile, ſaltem utplurimùm. Contrarium autem innuit Sacer Textus, cùm dicit: *Ejecto dæmonio, locutus eſt mutus.* Quaſi admirati non ſolum ex ejectione dæmonii, ſed ex recuperatione loquelæ emanare debuerit: cùm verè dæmoniacus ille nullo modo loqueretur, ſive hoc ex vitio naturali illi contigiſſet, ſive ex malitia ipſius dæmonis, quod magis conforme videtur Sacro Textui, dicenti *Luc.* 11. *verſ.* 14. *Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*: refert enim mutitatem in dæmonium, quia dæmonium ipſum impediebat ejus loquelam.

Magna febre detenti, Dyſenterici cum febre, & ſanguinis longo fluxu utetino laborantes.

FEbris, quâ ſocrus Petri detinebatur, vel ipſo 53
Evangeliſtâ teſtante, erat magna: quæ magnitudo non modò reſpiciebat febrilem calorem, quòd valde eſſet acer, mordax, ac moleſtus, nec reſpiciebat ſolùm ſymptomata, & accidentia febris, quia conſequens erat, ad tantum calorem ſequi ſitim intolerabilem, ardorem, anxietudinem, ſpirandi difficultatem, & alia his graviora, ſed etiam reſpiciebat naturam ipſius febris, quòd eſſet mali moris, & ut vulgò dicitur, maligna: hoc enim fortaſſe inſinuat Evangeliſta, cùm non ſingulari numero dixerit, eam teneri magnâ febre, ſed plurali, *detineri* nempe *magnis febribus*: nimirum quia præ ſymptomatum ſævitia, & acutie, & ipſius febris magnitudine, non unicum morbum, aut unicam febrem, ſed plures, atque illas quidem magnas pati videretur: præterquàm quòd febris hæc non modò erat magna ſui ipſius reſpectu, ſed etiam reſpectu patientis, quippe quæ jam vetus erat, & fortaſſe viribus dejectis: nam (ut Galen. firmat. 1. *Aphor.* 14. ex quo idem repetit Guilielm. Ader. *lib.* 1. *de ægrot. à Chriſto Domino ſanat. enarr.* 8. in caſu hujus ipſius ægrotantis (neque ſenes magna ex parte febricitant acuta febre, ſicuti juniores, & ſi quando rarenter his accidit febris, qualis juvenibus, omnino hæc ad interitum ægrotantis terminatur. Erat igitur hæc febris magna reſpectu quoque ſubjecti, in quo erat: non enim ſecundum ejus proportionem accideret, & idcircò erat omnino & undequaque lethalis. 54

Sed præter ſocrum Petri curatus eſt à febre etiam Reguli filius, cujus licèt in hiſtoria neque natura, neque magnitudo, ut in ſuperiori ab Evangeliſta deſcribatur, tamen ſatis ſuperque denotatur, eam fuiſſe, & magnam & periculo plenam, imò omnino lethalem per illa verba, *Incipiebat enim mori*: nam febris ex qua, & ex cujus vi homo moritur, & ma- 55 gnâ, & exitialem absque dubio ſe eſſe, ſucceſſu ipſo oſtendit. Ergo puer hic jam moribundus erat, & naturaliter mori debuiſſet, cum jam incepiſſet mori, quia febris illa jam naturalem calorem devaſtabat, & humidum radicale abſumebat, nullis contra illius ferociam prævalentibus Artis præſidiis, aut Naturæ ipſius robore: maximè quia patiens ætatem degebat puerilem, quæ neque ſuſtinet, neque admittit remedia convenientia, & magna, qualia magnis morbis debentur. Tam ſocrus ergo Petri, quam Reguli filius ſanitatem absque dubio ex miraculo

raculo recuperarunt : nam præterquam quòd uterque inſanabilis erat, ut demonſtratum eſt, modus ipſe ſanationis fuit merè miraculoſus, cum ſolo verbo, præcipiendo tantùm id factum ſit, quod naturaliter ſuccedere non poteſt : nam de illa dicitur, Lucæ *cap.*4. *verſ.*39. *Et ſtans ſuper eam imperavit febri, & dimiſit illam, & continuo ſurgens miniſtrabat illis* : de hoc autem, Joan. *cap.*4. *verſ.*50. *Vade, filius tuus vivit: & illa ipſa hora reliquit eum febris.* ut additur. Illud adnotandum, quòd ſi minimè concedat pervicax aliquis Medicus, hos ægrotos fuiſſe inſanabiles, ſed contendat potuiſſe in illis habere locum Medica præſidia, tunc miracula hæc non erunt toto genere ſupra Naturam, & in ſecundo miraculorum ordine erunt ponenda, habito reſpectu ad ſolum modum ſanandi.

56 Simile opus fuit illud Pauli in curatione Patris Publii, qui dyſenteriâ cum febre laborabat, ut narratur in Actib. Apoſt. *cap.*28. *v.*8 nam & hic morbus in ſene erat absque dubio difficilis, & lethalis, qui in juvene ſimiliter lethalis exiſtat : nam non dicam illum fuiſſe incurabilem, ut verè fortaſſe erat ne videar in his miraculum affectare : curatus tamen eſt à Paulo oratione, & manus impoſitione. Ergo ob ſimilem modum curandi, erit hoc miraculum, ut ſuperiora, in ſecundo ordine reponendum.

57 Adæquat, imò fortaſſe ſuperat prædictorum miraculorum admirationem ſanatio mulieris quæ fluxum patiebatur ſanguinis jam per duodecim annos, de qua diligenter ſcribitur Marc. *cap.*5. *verſ.*25. his verbis: *Et mulier, quæ erat in profluvio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa à compluribus Medicis, & erogaverat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deterius habebat.* Quibus non abſimilia narrat Lucas *cap.*8. *verſ.*43. uterque autem his verbis, & morbi naturam, & tempus, & medicamenta incaſſum adhibita memorat, ut inſinuaret eam jam humanâ ope non potuiſſe ſanari, quod notat etiam Mercur. *lib* 4. *de morb. mul. cap.*2.

Id quod mirum duco in hac muliere, eſt, quòd tam diu fluxu ſanguinis conflictata (ſive ille menſtrualis fuerit, ſive hemorrhoidalis, uterinus tamen, ut videtur malle, neſcio quâ potiori ex cauſa
58 Guilielm. Adr. *ubi aliàs*, *part.*1. *enarr.* 8.) in alium morbum non inciderit, cùm quicunque ille fuerit fluxus, cachexiam, Hydropem, aliosque conſimiles morbos, ſi invetera, non ſolùm aptum ſit excitare, ſed quaſi de neceſſitate inferat, refrigerato nempe nativo calore, ipſaque hepatis ſanguificatrice virtute labefactatâ, ita ut ex his non poſſim mihi non perſuadere, eam mulierem fuiſſe in extrema cachexia, quod fortaſſe innuere voluit Evangeliſta illis verbis: *Nec quicquam profecerat, ſed magis deterius habebat* : non tamen habet expreſſam mentionem alterius morbi, ſed ſolius hujus ſymptomatis, nempe fluxus ſanguinis, quia hic erat præcipuus, & primus affectus, & cauſa aliorum, ſi qui inerant, ut Cachexiæ, & Hydropis, qui jam penè refrigeratum, & extinctum omnem viſcerum calorem denotabant emunctis jam ipſis viſceribus ſanguine, ipſius caloris fonte ac theſauro, imò ipſiſſimæ animalis viræ: Mihi quidem hæc conſideranti parum abeſſe videtur ſanatio hujus mulieris à mortui reſurrectione: itaque ſi opus hoc intimiùs examinabimus, nullâ conditione deſtitui comperiemus ex his, quæ ad miraculoſi operis eſſentiam requiruntur.

Leproſi, & Hydropici.

VNdecim leproſi in Novo Teſtam. à Chriſto Domino Servatore noſtro ſanati enarrantur, 59
eorumque curatio fuit omni ex parte, & omni nomine ſupernaturalis. Unus eorum eſt de quo unanimiter Evangeliſtæ omnes verba faciunt : cæteri decem, de quibus ſolus Lucas *cap.*17. *verſ.*12. curati autem ſunt ſolo verbo divino, nullo intermedio naturali præſidio. In Veteri autem Teſtam. pluries de lepra mentio habetur : nam primò *Exod. c.*4. de Moſis manu dicitur, quòd apparuit leproſa, cùm eam in ſinum immiſiſſet, itemque illicò ſana apparuit, cùm denuò idipſum ex divino mandato feciſſet : ita ut tam ipſius lepræ adventum, quàm ſanationem fuiſſe miraculoſam apertè pateat, nec egere ulteriori diſcurſu.

Parum ab hoc diſtat lepra Mariæ ejus ſororis, de qua *Num, cap.*12 ex miraculo enim ob detractionis peccatum in Moyſen commiſſum leproſa evaſit, ſed 60
ejus curatio tantiſper ab illa recedit, ita ut non debeat reponi in eodem miraculorum genere : quia Maria non illico ſanatur, ſed ſeparatur ſeptem diebus, juxta ritum lepræ, & ſic ab alia mundatur: videtur ergo hîc concurrere aliquo modo Natura : cùm tempore fiat ſanatio, cujus beneficio, ita Deo ſpecialiter volente, fit. Sed & hac ipſa magis à mi- 61
raculi natura recedit mundatio lepræ in Nahaman Syro, ita ut infimum miraculorum gradum ſortiatur, quia mediante Naturali cauſa, atque ea quidem conſpicuâ, ſanatus eſt, concurrente tamen ad ejus ſanationem virtute divinâ, & tribuente ipſis aquis facultatem, quam antea minimè habebant, mundandi corpora leproſa, vel ſaltem adaugente earum virtutem, ſi quam à Natura obtinebant, licèt nullam habuiſſe, ex verbis ipſius Nahaman conjectari poſſimus: cùm enim præcepiſſet illi Eliſæus, ut ſepties lavaret ſe in Jordane, ſicuti narratur 4. *Reg. c.*5. id remedii parvipendens, indignabundus, *Nunquid*, inquit, *non meliores ſunt Abana, & Pharphar fluvii Damaſci omnibus aquis Iſrael, ut laver in eis, & munder ?* Autumabat ſiquidem, & ita fortaſſe expertus quoque fuerat, Damaſcenos illos fluvios lepræ mundanæ aptos eſſe, & eâ opinione illis forſan uſus fuerat, licet incaſſum, & abſque ulla utilitate : at hoc non eveniebat de Jordane, & ſic tunc primùm à Deo Jordani tributa ea virtus eſt. Sed omiſſo pro nunc de Nahaman loqui, ad decem illos leproſos redeo, de quibus initio dicebam, ſimul fuiſſe ſanatos : eorum autem lepram fuiſſe jam confirmatam, ita ut omnem Medicam induſtriam, om- 62
nemque opem humanam ſubterfugeret, duabus conjecturis adducor: ut credam. Prior eſt, quia decem illi leproſi omnes ſimul, & gregatim Salvatori occurrunt, nimirum quia à cœtu reliquorum hominum, & è civitate ejecti, inſimul cohabitant extra civitatem aut caſtellum : nam Salvatori occur- 63
runt ante ingreſſum in caſtellum, *ut infrà* : at ab hominum cœtu ejiciebantur, qui maligná, & confirmata lepâ deturpabantur: ſumebaturque ejus rei experientia (nimirum num lepra confirmata, & inſanabilis eſſet, necne) à ſacerdotibus per plures dies: ut mandatur *Levit. cap.*13. Sed & hic mos ejiciendi lepâ infectos è civitate, vigebat apud Perſas, ut teſtatur Herod. *in Clio, verſ. med.*

Poſterior conjectura deſumitur ex enarratione ab Evangeliſta facta ſequentibus verbis : *Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem leproſi viri, qui ſteterunt à longè, & levaverunt*

vocem

vocem suam : Ex legis enim præcepto in veteri testamento, leprosi ita omnino facere jubebantur, hoc est, ut occurrentes aliis hominibus à longè starent, clamarent se esse inquinatos, & immundos, & hoc summa cum ratione, ut cæteri scilicet eorum occursum & expir tionem evitaret, quâ facile erat eos infici, & hoc etiam in confirmata, & vera lepra locum habebat. Unde par est credere horum leprosorum morbum fuisse jam confirmatum, & ob id à sacerdotibus extra habitata loca illos fuisse ejectos ex quibus consequenter deducitur, eos fuisse omnino incurabiles, cùm talis lepra omnium medicorum consensus curam non admittat.

Redeo nunc ad Syrum illum Principem Naha-man (nam prætereo alium leprosum à Christo Servatore sanatum, de quo nihil peculiare habetur in Evangelio) consequens quidem erat etiam lepram quâ hic detinebatur. & confirmatam esse, & incurabilem : non longo jam tempore illum obsederat, quod ex ejus historiæ enarratione facilè innotescit : prætetquam, quòd erate Nahaman ætate grandior, cùm esset Princeps Militiæ, cumque ejus servi illum alloq uentes, Patris nomine appellarent, *Pater*, inquiunt, *& si rem grandem dixisset tibi* [*Propheta*, *&c.* quib us accidit curatio longè à patria petita : nam consentaneum est, illum pluribus, atque illis quidem magnis, & nobilibus usum fuisse remediis, erat enim princeps Regi Syriæ apprimè carus: tanquam ergo omni spe destitutus, extra patriam quærit remedium, imò & ad alienum Deum pro auxilio recurrit: tentaverat ergo non modò naturalia quæcunque remedia, sed etiam supernaturalia, & à propriis idolis, quæ venerabatur, incassum remedia expectaverat : evenit] enim in humanis rebus, ut de-
64 spera ti humanæ, ac divinæ opis, etiam ad incantationes, artesque diabolicas, ad ipsumque Dæmonem (quod à Christi ano homine Deus avertat) convertamur, cujus rei non unicum habemus exemplum in ipsa sacra historia.

Verumenimveiò licèt ob sui vetustatem, ac pertinaci am lepra ipsius Nahaman fuerit incurabilis, à
65 Deo tamen, nonnisi per naturale medium, ab ipso quidem Deo dispositum, curata est, lotione nempè ex Jordanis aqua per septem vices : quarumcunque enim aquarum lotio, & Jordanis præsertim, qui aquas habet limpidissimas, lepræ naturaliter conferre solet, ut testatur Vallesius. *in sua sacr. Philos. capite trigesimo octavo*, de hac eadem Nahaman curatione verba faciens, & Baccius *libro tertio*, *de Therm. cap.* 3.

66 Cæterùm Lucæ *capite* 14. mentio fit cujusdam Hydropici à Christo Domino sanati: Hydrops autem per se neptisu m adeò difficilis morbus est, ut pauci sint ipso difficiliores. Quanquam autem omnino varia, & aliquando etiám contraria erat curatio, quam Servator noster ægrotis suis adhibebat, abea, quæ ex Artis præceptis fi ri solet, & modus curati'onis esset semper, & undeqnaque, ac simpliciter supernaturalis, & miraculosus, ut aliàs dixi, ita ut etiam levis febricula, & morbus quicunque mitissimus eo modo sanatus conspicuam miraculi f peciem præberet, quia solo verbo, solo tactu sola præsentia, solo contactu indumentorum, sola corporis umbra sanabat, innuens hac ratione se supra naturam esse, eique in totum imperare : tamen morbi ab eo curati omnes difficiles, & humana, vel Medica arte, vel simpliciter, vel ex nonnullarum conditio nam co ncursu incurabiles exstiterunt. Quod D. Ambrosius *Epist.* 47. ex quo Maldonat. *in Evang. in historia cæci nati*, etiam firmabat : neque hoc absque 67
causa manifesta, nimirum ut evidentiora essent, & multò perspicaciùs recedere sua opera à naturali via ostenderet. Cùm enim miracula fiant ad Dei gloriam, videtur respectu nostri magis apparere Dei 68
potentia in rebus arduis, & difficillimis, unde ex his faciliùs homines, ac pertinaces, præcipuè Judæi, promptiùs ad credendum suaderi possent. His ergo ex causis quamquam in aliquibus ægrotis nulla habeatur mentio de gravitate, difficultate, & longitudine morborum, de aliiisque conditionibus eorum sanationem omnino impedientibus, tamen id ego in omnibus supponi debere libenter et admiserim, maximè cùm apertissimè id pateat in potiori morborum parte, qui longioribus enarrantur. Talem ergo fuisse quoque hunc hydropem, ex his rectè concludendum mihi videtur. Unde apparet, quàm falsa sit impiissima Paracelsi sententia, apud Thom. Erast. *in disput. contra ipsum, part.* 1. cùm dixerit *in Paragran.* Christo Domino nullum esse sanitati restitutum inhabilem, hoc est, qui sanitati non posset naturaliter. Nam relictis cæcis à nativitate, mutis item & surdis à nativitate, claudis à nativitate, aliisque similibus, an non in habiles dixerit hic lunaticos, leprosos confirmatos, aridos, & hujusmodi? Sed impius hic ex pravitate animæ delirabat, cùm hæc scriberet.

Steriles ex miraculo concipientes.

PLura ego dixi sterilitate, *tit. de impotentia coeundi & generandi libro superiori*, ita ut nonnulla ibi requiri possint, quæ huic particulæ præsentis quæstionis inserviunt: pro nunc autem ea in medium afferam, quatenus ad miraculi naturam accesserit conceptio in sterilibus facta, tàm in Veteri, quàm in novo Testamento. Relinquam autem data opera de Abimelech uxore & ancillis loqui, 69
quas ex miraculo steriles fuisse patet, *Genes. capite vigesimo*. Sed in universa Sacra Scriptura duo sterilitatis genera adnotanda, unum quod ex defectu ætatis senioris proveniebat, alterum quod ex a-
liquo vitio, sive illud naturale esset, sive accidenta- 70
le. Prior sterilitas animadvertitur in Sara, de qua *Genes.* 21. & in Elisabeth, de qua Luc. *capite primo*, posteriori in quinque fœminis veteris Testamenti, nempe Rebecca, Rachele uxore Manuæ, quæ & mater fuit Simsonis, Anna matre Samuëlis, & Sunamitide Elisæi. De priori nulli dubium esse potest, quòd naturaliter esset irreparabilis, & hoc non ex unico tantùm capite, quia præter ætatem in utrisque illis fœminis sterilitas erat connaturalis : de Sara enim patet, quia nonagenaria erat : & nunquam conceperat, etiamsi viro fœcundo conjuncta fuisset; ut narrat textus *Genes. capite decimo sexto*; *versiculo* 1. de Elisabeth autem dicitur, Lucæ *capite* 1. *vers.* 7. *Et non erat illis filius*; *eo quod esset Elisabeth sterilis*, *& ambo processerant in diebus suis*. Ul- 71
tra connaturalem autem sterilitatem, ut dixi, accedebat in utrâque sterlitas ex causa senii quæ, & ipsa per se erat irreparabilis : in senibus enim mulieribus non modò deest materia, quæ inservire possit nutritioni fœtus, sanguis nimirum (nam & ob ejus defectum ampliùs non purgantur, Naturâ jam tantam sanguinis copiam, quantam antea consueverat, non generante) sed deest etiam calor nativus, qui præcipuè agens est in fœtus formatione : quod non modò ex parte sanguinis considerandum, sed etiam ex

parte ſem[in]is, nec ſolummodò ex parte fœminini, ſed etiam ex parte maſculini: in his enim caſib. ambo mares erant provectæ, imò præcipitatæ ætatis: ita ut eorum calor jam elangueret proximus extinctioni, unde prudenter Paulus *ad Rom.c.4.v.19.* de Abraham loquens, *Et non* inquit, *infirmatus eſt fide; nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ*: Et ut pateat in utroque evidentiùs miraculum interfuiſſe nota ambas concepiſſe, & peperiſſe maſculos, licet, vetulæ ex decrepitis concepiſſent, cùm, ut ex Ariſtot. dixi *lib.1.harum quæſt. tit. 1.quæſt.q.n. 35* 74 nullus ſup ra ſeptuageſimum, maſculum generare ſoleat. Contrarium tamen demonſtrat Joub. *libro 2. err. popul. c. 9.* ſed Ariſt. ſententia verificatur ſecundùm plurimùm.

Cæterùm ſterilitas in reliquis fœminis veteris Teſtamenti conſiderata, nonniſi ex magna cauſa, atque illa quidem fortaſſe connaturali provenire potuit. Quia cùm omnes eſſent in ætate florenti, & à conjugibus maximè adamatæ, qui & ipſi juvenes exiſterent, omnino, niſi magnum obſtaret vitium, concipere debuerant: neque poterat impedimentum conceptionis prevenire ex parte virorum, ſed ſolùm ex proprio defectu fœminarum, quia ſinguli earum viri aliis commixti mulieribus generabant: quod de omnibus legenti in ſacra hiſtoria patet. Erat ergo hoc vitium vel ex diſparitate ſeminum marium, & fœminarum, quod impedimentum auferri non poterat, niſi ſeparerentur ad invicem, & aliis viris jungerentur, vel ex parte proprii morbi: quomodocunque autem contingeret, illud certum eſt, arti Medicæ difficillimum fuiſſe vitium corrigere, ſi accidentale fuerat: impoſſibile autem 73 ſi connaturale, ſed connaturale ex prædictis firmandum.

Commorſi à Serpentibus, Vulnerati, Vlcerati, Claudi ex Vtero.

QUales fuerint ſerpentes, cujusque naturæ, in Hebræos à Deo immiſſi ad condignam eorum punitionem, quòd Mannam nauſeabundi faſtidirent, cùm ex nulla conjectura conſtare poſſit, (unâ exceptâ, quam ab hiſtoriis profanis infra deſumam) requirere ſupervacaneum cenſeo. Minimè autem probatur mihi, ſicuti nec *Danieli Sennerto Hypomnem. 5. capite octavo*, quod eruditiſſimus vir, Fortun. Licet. *in libro tertio. de Spont. vivent.ort. capite 51.* volebat, hos ſerpentes nos fuiſſe ex ipſis Hebræorum corporibus: mihi enim omninò contrarium innuere videtur ſacra Scriptura, cùm dicit, *Immiſit Dominus ignitos Serpentes*, ut infra dicam: multò enim diverſo loquendi modo uſa eſſet, ſi ex propriis Hebræorum corporibus ſerpentes ii pullaſſent: ex præterquam quòd non ex intenſa, ac ſumma puttedine qualis fuiſſet in eo caſu neceſſaria, Hebræi interibant, ſed ex ipſorum ſerpentum morſu, ſic enim ſacra litera habet: *Quamobrem immiſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum venerunt*, &c. & deinceps *Fecitque Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Pace igitur viri hujus omni honore digniſſimi dixerim, quòd licèt, ut ex Plutarcho, & aliis ipſe dicit, hic morbus, in quo nempe ſerpentes ex ægrotantium corporibus pullulaverint, aliàs viſus ſit, & ex eo extinctum fuiſſe Pherecydem Syrum, Pythagoræ præceptorem, ex Plinio, & aliis tradat Mercurial. *lib, quinto, Var. lect. capite 6* & eum eſſe familiarem maximè Matis Rubri) accolis (à quo loco non multum fortèa berant tunc Hebræi ex Agatharchide referat Plutarch. apud Mercurial. *lib. 2.c. 20. & libro 2. de arte Gymnaſtica cap 1.* tamen non hic fuerit, qui Hebræis advenerit, ſed tantùm extrinſecus à ſerpentibus adorti, & commorſi fuerint, quos fuiſſe quidem venenoſiſſimos, & maxime exitiales, non ex quamplurimorum ſolummodo morte, qui 74 ab eis commorſi ſunt, conjectari licèt, ſed egò duntaxat ex unico adjuncto ſacræ paginæ id manifeſtè conjicio, quod etiam prudentiſſimè ponderabat ipſe Licetus, & Buſtamantin. *de Rept. lib. Sacr. Script. libro ſecundo, capite primo. Quamobrem*, inquit textus, *miſit Deus in populum ignitos ſerpentes*, ubi eâ voce, *Ignitos*, inſinuat morſum ipſorum ſerpentum fuiſſe pluribus nominibus noxium, & exitialem, nempe & ob veneni acutiem, quòd tanquam ignis citiſſimè, & omni mora relicta ad principes partes penetraret: ob ejuſdem ferocium, quòd tanquam ignis omnia ſibi obvia depaſceret: ob ejuſque exitium, quòd eſſet irreparabile, & tanquam ignis incendium inextinguibile. Præter hæc autem non modò denotatur eâ adjectione veneni ipſius lethale exitium, ſed etiam ſymptomatum ab eo emanantium acerbitas, ut totius corporis incendium, ſitis clamoſa, & inextinguibilis, dolores acutiſſimi, & hujuſmodi: ita ut majus quid mihi innuere videatur hoc loquendi modo, quàm fecerit aliàs *Deuteron. capite 33.* cùm de Aſpidum veneno loquens, illud *inſanabilis* epitheto inſignivit: horum enim ſerpentum, venenum non modò certò certiùs occidebat, ut ex eventu apparet, quia plurimi eorum, qui morſum ipſorum experiebantur, interibant, ſed, ut dixi, cum intolerabili dolore, & anxietudine, non ſecus ac ignis faceret, ſi eo quiſpiam ſenſim, paulatimque abſumi permitteretur, Fortaſſe ſimile affert exitium ſerpens Dipſas dictus, de quo Nicand, *in theriac.* & Dioſcorid. *lib.6.cap.50.* & ibi Matthiol. Et quidem, licèt credat Buſtamantin. *ubi ſuprà, capite 2.* eos ſerpentes diverſi generis fuiſſe, connumerat tamen inter illos Dipſadem, qui effectus prædictos aptior eſt progignere: ſed quales quales fuerint, effectus ipſius ignis produxiſſe in iis, qui commorſi erant, ipſe etiam Buſtamantin. concludit. Nullum portò interceſſiſſe naturale remedium ad tanti veneni curationem, ſed fuiſſe 75 ſerpentem æneum remedium omnino ſupernaturale, in figuram Chriſti Servatoris noſtri emanans, palam eſt. Neque facile adducor ut credam, quod Buſtamant. *ubi ſuprà, capite quinto*, videtur admittere, nimirum ſerpentem illum à Moyſe potuiſſe tali cœli climate, & configuratione conſtitui, ut non ſecus ac nonnullæ aliæ figuræ ad aliorum animalium morſum, ut putà Leonum, Tigrium, & hujuſmodi conferunt, ſic ad morſum illorum ſerpentum remedio ille fuerit: quia modus loquendi ſacræ Scripturæ non hoc innuere videtur, ſed contrarium: non enim ex ſe Moyſes ſerpentem fecit, ſed Dei ipſius præcepto dicentis, *Fac ſerpentem æneum: & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* At non videtur dicendum, Deum O. M. uſum fuiſſe ſecundis hiſce cauſis, & oſtendiſſe Moyſi remedium phyſicum, & naturale, ſed dediſſe huic ſerpenti talem virtutem ſanandi commorſos ab illis ſerpentibus, ex propria potentia abſoluta. Unde meritò damnatur, & exploditur hæc opinio à Torreblanc. *in Epitom, delect. libro 1. cap. 7. num. 41.* Præterquam quòd apertiſſimè convincitur hujus ſententiæ, abſurditas ex verbis *libro Sapient. cap. 16. verſ. 7.* ubi de ea re

verba

verba faciens Auctor, *Quienim*, inquit, *converſus eſt* (ad ſerpentem æneum) *non per hoc, quod videbat, ſanabatur: ſed per te* (Deus) *omnium Salvato rem.* Miraculum tamen hoc in ſecundo miraculorum gradu venit reponendum: non enim impoſſibile erat eorum ſerpentum morſum Medica arte ſanari, ut abundè probat idem Buſtamant. *ibid. c.* 5. licèt Aſpidis, Hæmorrhoidis, & Dipſadis, aliorumq; ſerpentum morſus immedicales judicentur: quod quidem utplurimùm fit, non ſemper: neque enim ſerpentes illi tunc
76 primùm ſunt à Deo creati ad eum affectum, ita ut ſuſpicati poſſimus, habuiſſe illos venenum omnino à naturalibus diverſum, & ob id arte Medicâ inſanabile, quia ſacra Scriptura hoc non dicit, imò contrarium inſinuat, cùm dicit, *Immiſit Dominus in populum ignitos ſerpentes*, quaſi eos in aliqua deſerti parte commorantes in Hebræos impulerit: quod etiam ſentit Buſtamant. *ubi ſupra, c.* 2. Neque hoc abſque naturalis rei teſtimonio dico, quia Herod. *lib.* 3. narrat, in Arabia reperiri maximam ſerpentum alatorum quantitatem, qui interdum quaſi exercitu facto ad Ægyptios tendunt, eosque maximè moleſtant. Ad quod faciliùs adducor ut credam, quia locus ubi Hebræi à ſerpentibus moleſtati ſunt, non longè abeſt ab Arabia? neque deſunt mihi hujus ſententiæ fautores, quorum unus ſatis ſit, nempe Toſtat. *in hunc locum*, *q.* 7. Ergo Deus hoc naturali medio uſus eſt ad Hebræos puniendos, ut ego ſentio, ſi modò rectè ſentio: in hoc enim, ut in cæteris omnibus, Catholicæ veritati me ſubmitto. Cùm ergo hi ſerpentes natura convenirent cum cæteris, poterant remedium habere naturale.

Cæterùm, quia ex morſu fit ſolutio partium, ejus argumenti affinitate de vulnerato Malcho, ſervo
77 nimirum Principis Sacerdotum, aliquid dicamus, Huic enim Petrus, ut Evangeliſtæ teſtantur, abſcidit auriculam dextram, quæ ſuo principio unita eſt ſolo Chriſti Domini contactu: ubi conſiderandum, quòd auricula, vel erat penitus abſciſſa, vel tantùm ex parte, ita ut tantiſper adhuc hæreret. Si hoc poſtremo modo ſe res habuit, facilè paret, vulnus hoc fuiſſe arte Medica ſanabile, & potuiſſe auriculam reſtitui capitique reuniri, quomodocumque id ſuccedat, non enim id nunc quærendum, ſic verò hujus modi opus miraculoſum eſſet tantum quoad modum, eſſetque in ſecundo miraculorum gradu. At ſi auricula erat penitus abſciſſa, dubitari poſſet, an per media naturalia reſtitui poſſet, quia conſtat aliquando naſum recenter deciſum, & illicò reconjuctum, optiméque alligatum, reſtitutum fuiſſe, & vide pulcherrimum caſum apud Arcæum *de cur. vuln. lib.* 1.
78 *c.* 7. Quomodocunque ſit, illud omnimodam habet veritatem, partem animalis viventis à ſuo principio deciſam illicò commori, nec reſtitui poſſe ad vitam niſi ex miraculo. Ad exemplum autem adductum, dicendum, non fuiſſe omnino naſum à ſuo principio diviſum, ut in hiſtoria patet. Habet ergo eandem difficultatem reſtitutio partis à ſuo principio deciſæ ad novam unionem, quam habet reſurrectio mortui. Torrebl. *in Epit. delict. lib.* 2. *c.* 42. *n.* 13. unde ſi auricula Malchi penitus fuerit abſciſſa, ut credendum eſt, ejus reſtitutio miraculum fuit ex primo ordine, nempe undequaque ſupernaturale. Aliter autem ſe habet miraculum in Ezechiæ perſona cele-
79 bratum, ut narratur Eſaiæ *cap.* 38. & alibi, quia Ezechias curatus eſt naturali remedio, non tamen quod ſanaſſet, niſi ſpecialiter Deus illi virtutem ſanandi tribuiſſet: non verum quidem eſt, ficuum maſſam ulceri, quo ille laborabat, admotam, potuiſſe aliàs conferre, quoniam, ut commonſtrant Valleſ. *de ſacr. Philoſ. c.* 39. & Buſtam. *de anim. rept. ſacr. ſcript. libr.* 2. *cap.* 5. de ea re verba facientes, habet facultatem illud medicamentum ad ulcera cum inflammatione ſanandi: ſed quòd in ulcere maligno, & ex quo ille erat jam perituros, quicquam poſſet conferre, eſt ab omni veriſimilitudine alienum: erit ergo miraculum hoc ex tertio ordine, ut patet.

Quoniam autem reſtant duo claudi, de quib. *in Actib. Apoſtol. c.* 3. & 14. de his etiam mentionem habeamus, eos autem miraculoſè fuiſſe ſanatos non dubitandum, quia cùm eſſent claudi ex utero matris, non poterant ulla arte juvari: dato autem quòd juvari potuiſſent, quia conſtat etiam alios ab utero claudos, fuiſſe interdum ſanatos (licet nunquam arte 80
ſed caſu, ut de illo, qui ex alto cecidit, & de puero peſtilenti morbo correpto, habetur apud Beniven. *de Abd. capite* 55. quorum uterque ſanatus eſt, & de muliere quæ peſte laborans reſtituta eſt) hoc miraculum erit ex ſecundo ordine, cùm ſani ambo facti ſint ſolis Apoſtolorum verbis.

Ex hæc dicta ſufficiant peculiariter de Ægrotis, quos conſtat ex ſacro tam Veteri; quàm novo Teſtamento ad ſanitatem miraculosè fuiſſe revocatos. Quòd ſi qui me fugerint; de quibus hic mentionem nullam habuerim, poſſunt facillimè ex jam dictis lectores cognoſcere, quantopere eorum ſanationes vires Naturæ exuperaverint, & in quo miraculorum genere fuerint reponendæ, ſi ad hos collatæ fuerint, quemadmodum etiam de cæteris omnibus extra ſacram hiſtoriam enarratis facere, quandocunque licebit. Hæc enim ego potiùs pro exemplo adduxi, quàm ut omnium ægrorum, qui miraculosè curati in utroque Teſtamento reperiuntur, curatam hiſtoriam texere voluerim.

SUMMARIUM.

1 *Deus miracula operatur in noſtram ſalutem, & ad ſui ipſius gloriam.*
2 *Malis hominibus Deus mala comminatur.*
3 *Antiqui Deos bonorum, & malorum cauſas eſſe voluerunt.*
4 *Deus, ex Platone, ſolius boni cauſa eſt, mali autem quæcunque alia cauſa præter Deum.*
5 *Deus homihibus mala inferi ad eorum correctionem.*
6 *Morbi ex Dei permiſſu à Dæmonibus in homines inferuntur.*
7 *Divinum in morbis quid, ex Hippo.*
8 *Qui ſupernaturales morbum cauſas negant, toto cœlo errare dicendi.*
9 *Morbi nonnulli ſunt, quorum cauſæ ignorantur, & qui non habent ulla remedia propria.*
10 *Morbi nonnulli ſolis ſpiritualibus remediis ſanantur.*
11 *Nulla naturalis cauſa aſſignari poteſt interitus primogenitorum omnium Ægyptiorum.*
12 *Si Deus ſit, ſummè bonus, & virtutis amator ſit oportet.*
13 *Univerſus hominum conſenſus divinos morbos admittit.*
14 *Morbos & mortes miraculosè evenientes quanam ſigna demonſtrare poſſint.*
15 *Miraculum eſt opus arduum, & difficile, & ab hominum cogitatione remotum.*
16 *Miraculum eſt id, cujus effectus eſt manifeſtus, cauſa verò incognita.*
17 *Divini morbi naturalibus præſidiis irritantur, vel*

illis nullatenus cedere conſpiciuntur.

18 *De morte, aut morbo miraculoſe immiſſo quando liceat ſuſpicari.*

De Morte miraculoſa, & de morbis divinitus immiſſis.

QUÆSTIO IX.

1 QVemadmodum in noſtram ſalutem, & ad ſui gloriam multa operatur Deus miracula, quibus ſingularia nobis impertitur beneficia: ſic tum ob prædicta, tum etiam in noſtram correctionem alia nonnulla operatur, quibus & morbos, & ærumnas, & mortes hominibus conciliat: quòd adeò unicuique hominum acceptum videtur, ut univerſus omnium conſenſus idipſum fateatur, vel ipſo Galen. teſte *in primum Epid. in princ.* Quin ipſemet veritatis fons Deus O. M. hominibus pravo corde ambulantibus millies quamplurima mala minatus eſt, præcipuè autem morbos graves, & mortem: quod maximè *in Deuteron. c.* 37. apparet, ubi de relinquentibus vias, & præcepta ejus, inter alia multa, hæc comminatur. *Adjungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra, ad quam ingredieris poſſidendam: Percutiat te Dominus egeſtate, febri, & frigore, ardore, & æſtu, & aëre corrupto, ac rubigine, & perſequatur donec pereat: Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quem ſtercora egerantur, ſcabie quoque, & prurigine, ita ut curari nequeas: dehinc etiam cæcitate, & amentia, & furore mentis.* Neque ſolùm conſtat hæc Deum O. M. comminatum aliquando fuiſſe, ſed aliàs etiam ad effectum deduxiſſe, ut mille exemplis ex ſacra Scriptura patet, quibus hanc veritatem confirmare non facit ad rem; quia cum fidelibus ſuperfluum eſt, cum infidelibus autem non ſatis probant. Sed & antiqui Poëtæ præcipuè ipſos Deos, & bonorum, & malorum cauſas eſſe, & nobis 3 immittere morbos interdum, & peſtem firmarunt, ut Heſiod. *lib.* 1. *oper. & dier.* in hæc carmina.

Sepéq; univerſa civitas malum ob virum punitur,
Qui peccat, & iniqua machinatur, illis autem
Cœlitus magnum adduxit malum Saturnius, famem ſimul & peſtem.

Homerus item *Iliad. lib.* 1. hoc ipſum fatetur, cùm peſtem, quâ laborarunt Græci, Diis immiſſam fuiſſe narrat. Plutarch. quoque *in lib. de ſer. n. vind.* his aſſentiri videtur: nam & peſtem à Deo immitti confirmat. Quorum auctoritatib. aliorum quoque magnorum virorum dicta adjungi poſſent, niſi prolixitatem timeremus. Nihil autem nos moveat, quòd contra horum Poëtarum, & Philoſophorum auctoritatem, Plato 2. *de Rep. non longè à fine*, ex pro- 4 feſſo locutus videatur, dicens, *Et bonorum quidem ſolus Deus cauſa eſt dicendus, malorum autem quamlibet aliam præter Deum cauſam quærere decet*, quia cùm Deus hominibus mala inferat ad eorum correctionem, & punitionem, hoc nonniſi gratia boni facit, ut rectè Marſ. Ficin. *in argum. ejus dialogi*: imò ut idem Plato *in Gorgia* dicebat, *demit maximè de infœlicitate, qua ex malis operib. hominibus provenit,* 5 *ſi condigna pœna pro illis afficiantur: infœliciſſimus enim omnium eſt, qui prævitatem habet, & non caſtigatur.* Ego & mala immittit in nos Deus, quæ nobis quidem mala videntur, cùm potiùs bona ſint: revocant enim nos à via mala & ipſa mala prohibent: non ergo ſunt mala: unde ſatis nobis eſt, ſi Platonem in hoc, communi hominum ſententiæ non adverſa- 6 ri, imò potiùs aſſentiri ſciamus. Sed neque Plato, neque quisquam fortaſſe alius negabit, morbos aliquando permiſſu Dei, & ſuperioris cauſæ à Dæmonibus inferri, neque ego in hoc probando multùm immorabor, quod ſatis ſuperque in hoc elaboraverint Codronch. *de morb. venef. lib.* 1. *Septal. de peſt. lib.* 3. & ante illos Fernel. *lib.* 2. *de abd. rer. cauſ. c.* 16 & noviſſimè Jo. Buſtamantin. *de rept. enim ſacr. Script. lib.* 2. *c.* 5 & ex Jurisconſultis, & Canoniſtis, Martin. de Arles *de ſuperſtit.* Martin. Delr. *in diſquiſit. Magic.* Torrebl. *in Epitom. delict.* & omnes, qui de ſimili materia ad Dæmones præcipuè pertinente, ſcripſerunt. An autem hoc ſibi voluerit; Hipp. *in prognoſt. text.* 4. cùm conſiderandum monuit, ſi quid divini inſit in morbis, nimirum an à cauſa aliqua Metaphyſica ullam dependentiam habeant, vel potiùs an occultam aliquam proprietatem, generique humano inimicam ſortiantur, ut vult Fernel. *ubi ſuprà, c.* 10. vel ab ætis non ambientis conditione originem trahant, ut Gal. *ibi*, & Proſper. Martian. pro nunc indeciſum relinquamus: eam tamen quæſtionem pleniſſimè exagitat vir Doctiſſ. Steph. Roderic. Caſtrenſ. *de Meteor. Microc. lib.* 1. *c.* 17 & Claudin. *Reſp. Med. p.* 1. *reſ.* 1. 11. Cælalpin. *in Damon. Inveſt. peripat.* Et ultimo loco *Julius Cæſar. de Benedictis, lib.* 5 *ſuarum Epiſt. Medic.* omnibus doctis acceptiſſimarum *Epiſt.* 4. quam mihi inſcripſit. Illud mihi perſuaſerim, modum loquendi Hippocratis *eo loci*, ſibi alias minimè familiarem, potiùs ad id quod primo loco annuebam, quàm ad aliud quid prottahi poſſe: nam *conſiderabam*, inquit, *& ſi quid divini inſit in morbis, nam & illius quoque ediſſere oportet providentiam.*: male enim de ambiente aëre, aut de naturali quadam cauſa, ea verba intelligi poſſunt, Fortaſſe de ſtellarum quarundam influxu, & actione intellexit, ut Tadd. *in comm.* volebat, & videtur conſentire Cardan. *ibidem*, nam & alias quasdam apparentias, & aſpectus; in morbis medendis conſiderare nos juſſit. Quomodocunque tandem id ſe habeat, 8 palam eſt, Hippocratem, & quemcunque alium, qui ſupernaturales quasdam morborum cauſas abnegat, toto cælo errare: ſed Hippocratem apertiſſimè eas admittere patet ex principio *lib. de Nat. Mul.* ubi vide commentatores, & præcipuè Martian. optimè de mente Hipp. differentem, cùm & ipſa cum ex- 9 perientia hoc poteſt edocere, cùm interdum morbos quosdam offendamus, quorum neque cauſæ nobis nota ex quantumvis exquiſita, & diligenti inquiſitione eſſe poſſent, cùm nulla Phyſica cauſa ſufficiens videatur ad eorum productionem, neque ulla naturalia præſidia ad eos abigendos ſufficiant: & licèt in his Philoſophus ſemper ad occultas quasdam proprietates tanquam ad ſacram anchoram recurrat (De Philoſophis loquor non magnopere philoſophari expertis, nam meliores etiam de occultis qualitatibus ſcientiam habent,) tamen negari non poteſt, hos ipſos morbos interdum ſolis ſpiritualibus, & ſupernaturalibus præſidiis curari. Sed idipſum plures caſus, & eventus veritatem ha- 10 bere, luce clariùs demonſtrare poſſunt: ſi enim plerisq; hiſtoriis, cunctis gentibus acceptiſſimis, fidem negare noluerimus, videbimus nonnullas hominum clades, & peſtilentias, aliásque calamitates nullam potuiſſe habere naturalem cauſam. Quamnam enim ſimilem cauſam ſomniabit mihi Philoſophus, in interitu omnium primogenitorum Ægy- 11 ptiorum, quæ non modò ætate, temperamento, habitudine, & hujuſmodi aliis conditionibus inter ſe differebant, ſed etiam ipſa ſpecie? Quòd etiamſi dicas, potuiſſe hic ſubeſſe communem cauſam, quæ tam pecoribus, quàm cæteris animalibus, & ipſis hominibus inſidiaretur, tamen hoc falſum apparet ex eo, quòd non indifferenter omnia, ſed primogenita tantùm perirent: nullam enim connexionem habere potuit naturalis aliqua cauſa cum primogenitura. Eadem de exercitu Sennache-

rib.

rib dici poterant : ut Hebræis quoque ob Davidis Regis peccatum peſte abſumptis, de Philiſtæis dyſenteria, aut hæmorthoidibus percuſſis, & de aliis pleriſque eventibus omiſſis iis, quos nullâ fide dignos eſſe quisquis pervicax, & à Chriſtiana veritate alienus, exiſtimare poſſet, ut Sodomæ incendio, & univerſali ante illud diluvio, & mille aliis, qui occurrunt ſacram paginam revolventibus, licèt & de his ipſis naturales cauſas reddere nonnulli conentur. Sed unica ratio convincere quemcunque poteſt, niſi Atheus exiſtat : ſi enim credamus Deum eſſe, illum ſupremè bonum ; & virtutis amatorem eſſe concedendum, contrà verò vitiorum oſorem,
11 & perſecutorem, unde cùm virtus, & vitium hominis propria ſint, neceſſe eſt propter eorum alterutrum ab ipſo Deo ipſum hominem aut bona, aut mala reportare. Ac profectò ſi cum fideli homine, aut ſaltem qui quoquomodo Deum cognoſcat, agamus, hæc quæ dximus, ſatis ſuperque ſunt, nam Atheos neque hæc neque mille aliæ rationes, neque
13 ſenſus convinceret : eos tamen ſuæ hæreſi condonemus. Inter cæteros autem homines dubium nullum in hac re intercidit, ità ut ad eam plenè probandam ſufficere videatur univerſus hominum conſenſus, de quo initio hujus quæſtionis, vel ipſo Galeno, de Diis non bene ſentiente, teſtificante mentionem habui.

Itaque cùm jam ex his pateat mortem, & morbos à ſupernaturali cauſa, nempe ab ipſo Deo miraculosè immitti, videndum reſtat quæ ſigna tales morbi, & interitus ſortiantur, ne ea quæ naturaliter eveniunt, ob ſui raritatem pro miraculis acceptemus vel è contra, ita ut tanquam inſipientes deluſi, à ſapientioribus corripiamur. Verumenim verò licèt hoc difficillimum ſit edocere nonnulla tamen obſervatione digna hac in re afferamus. Conſentaneum ergo
14 eſt, tam morbos, quàm mortes miraculosè evenientes, habere in ſe aliquid ardui, & difficilis, & ab hominum cognitione remoti : tale enim opus miraculum dicitur, ut dixi *q.* 1. *n.* 14. Difficultas autem tam
5 morbi, quàm interitûs conſideranda eſt non ſolùm reſpectu modi, quo morbus affligit, & quo mors contingit, ſed reſpectu etiam cauſarum, quarum cognitio ſit impoſſibilis, nam & ipſum miraculum ſic
16 definiri, dixi ex Bartolo *loco cit.* quòd ſit id cujus effectus manifeſtus eſt, cauſa verò ignota. Conſideranda quoque Symptomata morbi, & mortis, an ſecundum Naturæ præſcriptum, vel præter ejus conſuetudinem ſuccedant, & an ipſis naturalibus cauſis reſpondeant, necne : conſideranda etiam eſt tolerantia remediorum naturalium, & ſupernaturalium, an ad alterutrorum applicationem morbus irritetur vel quieſcat : Patet enim divinos morbos naturalibus
17 præſidiis aut irritari, aut ſaltem illis nihil omnino cedere. Adhibendæ inſuper & in hoc judicio conjecturæ ex temperatura, ex ætate, ex ſtatu, & ex habitu ægrotantis, vel pereuntis: videndumque quantum
18 morbus aut interitus ab ægroti, aut morientis temperatura habitu, ætate, aliisque conditionibus deſciſcat : quæ enim ſecundùm Naturæ vires eveniunt, conſentaneum eſt ſecundùm eaſdem conditiones evenire, & in ſumma quandocunque morbus occurrit difficilis, ſive repentinus interitus, cujus cauſæ ſapientibus ſint ignotæ, & ipſe morbus, aut interitus naturalibus, apparentibusque cauſis non modò minimè conformis, ſed undequaque repugnans, & aliâ ex parte urgeant præſumptiones, & conjecturæ etiam extra artem Medicam quæſitæ, de miraculo ſuſpicari licet, ad ejus cognitionem habendam, prædicta exquiſitè examinanda

SUMMARIUM.

1 *Corpora quæcunque ſublunaris mundi nativo calore deſtituta putreſcunt.*
2 *Omnium corporum citiſſimè putreſcunt, qua ſanguine prædita ſunt, & cur.*
3 *Corpus incorruptum ſervari naturaliter an poſſit.*
4 *Corpora veneno interempta non putrefiunt.*
5 *Cadavera putrefactione Artis miniſterio facillimè ſervantur, die ut ibi.*
6 *Cedria multum poteſt in præſervatione cadaverum.*
7 *Scordij & Daphnoidis virtus in cadaveribus præſervandis.*
8 *Condiendi cadavera inventum pervetuſtum.*
9 *Geneſis locus de cadaverum conditura.*
10 *Modus condiendi cadavera apud Ægyptios.*
11 *Antiquiores Ægyptii in condiendis cadaveribus non omnino docti.*
12 *Arabes non exemerant cadavera condienda.*
13 *Noſtrâ ætate quomodo condiantur cadavera.*
14 *Mos cremandi cadavera apud Romanos novus.*
15 *Cadavera naturaliter incorrupta ſervari ex ſe longum tempus non poſſunt.*
16 *Non omnia cadavera uno, eodemque tempore corrumpuntur.*
17 *Terra, & lapides quidam, quibus cadavera eruduntur, ea citiſſimè corrumpunt.*
18 *Genus morbi quo cadavera ſunt interempta, facit ad citam cadaverum corruptionem.*
19 *Corpora peſte ſublata citiſſimè corrumpuntur.*
20 *Tempus anni facit ad faciliorem, aut difficiliorem cadaverum putrefactionem.*
21 *Cadavera occiſorum putredini magis obnoxia: contrarium, num. ſeq.*
22 *Cadavera eorum qui ſclopo interficiuntur, promptiſſimè putreſcunt, & cur.*
23 *Cadavera aromatibus condita diutius incorrupta ſervari, nihil habet in ſe admirationis.*
24 *Damon poteſt cadavera incorupta ſervare.*
25 *Cadavera ex miraculo incorrupta ſervantur, etiam corruptionis cauſis præſentibus.*
26 *Quodnam tempus corruptioni cadaveris aſſignandum.*
27 *Trium dierum terminus aſſignatur à Medicis, in iis, quos ignoramus, an vivant necne.*
28 *Cadaver ex miraculo incorruptum quomodo ſervari debeat.*
29 *Multi ſunt putrefactionis modi.*
30 *Cadavera interdum ſe movent, ſanguinem effundunt, &c. & alia mira in illis obſervata.*
31 *Cadavera per aliquod tempus poſt mortem calida permanere, naturalis res eſt.*
32 *Quomodo cognoſcantur nonnulla in cadaveribus naturaliter accidere.*
33 *Cadavera per ſe ſtare ſupra naturam eſt.*
34 *Cadaver non poteſt per ſe ſuper alterutrum latus permanere.*
35 *Cadaver non poteſt naturaliter ex ſe moveri.*
36 *Pili, & ungues in cadaveribus an verè creſcant.*
37 *Liquores, & alia ex cadaveribus longo tempore emanantia, an naturaliter procedant.*

De cadaverum incorruptibilitate, & aliis nonnullis ad ea pertinentibus.

1 COrpora, quæcunque in ſublunari hoc mundo vivunt, ingenito calore deſtituta, moti primùm, ac dehinc etiam putreſcere neceſſe eſt : omnium autem promptiſſimè putrefiunt quæ ſanguine prædita ſunt, quòd calido ſimul, & humido temperamento natura ſint, quorum utrum que putredinis principium eſt. Concipiunt ergo hæc illicò ab exceſſu nativi caloris calorem extraneum, qui tranſpi-

rare prohibitus per corporis majorem condenſationem, putredinem acceſſit in humidum ſupereffluens, & extraneum agens. Hoc experientiâ quotidianâ patet, & Philoſophis eſt compertiſſimum, & notat D. Thom. 3. *part. ſumm. q.* 51. *art.* 3. *Rota in relat.* 1. *de Mirac.* B. Thereſiæ, *art.* 4. §. *de exhumat. d. corp. ſervor. Dei pag.* 29. *verſ. ex quibus.* Cadavera ergo humana non minus promptè, quàm cætera naturaliter corrumpuntur: accidit tamen interdum aliqua incorrupta ſervari, & id miraculo attribui, unde jure videndum hoc loco eſt, an id ex Naturæ vi contingere poſſit, aut ex artis miniſterio, vel an ſolùm divinâ potentiâ factibile exiſtat. Sed antequàm ulteriùs progrediamur, notandum, varios eſſe corruptionis modos, duos tamen præcipuos, quantum ad rem noſtram facit, nempe putrefactionem (ex qua corpora diffluunt, & in tabem abeunt, vermibus aliiſque putridis animalculis ſcatentia, & hanc propriè vocamus corruptionem) & exſiccationem, ex qua eadem corpora paulatim, & longo annorum curſu exſiccantur: & hic modus apud vulgus non adnumeratur inter corruptiones, ſed putant talia incorrupta ſervari: evenit igitur ut hoc modo cadavera dicantur manere incorrupta. Nos ſequentes hanc communem vulgi opinionem, dicamus, quòd multis experientiis perſuaderi poſſumus hoc poſſe modo prædicto naturaliter contingere: nam primò videmus, cadavera à fulmine icta corruptioni non eſſe obnoxia, & inde conſtat veteres ea nec cremaſſe, nec inhumaſſe, ut ex Philippo Dominio tradit Paræus *de Renunc.* Cauſam ejus rei affert, quòd ſulphure pro ſale condiantur. Meminit & hujus rei ex Plutarcho, & Seneca Torreblanca, *Epitom. delict. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 5. Ego puto à fulminis vi, & abſumi humiditatem omnem, & ſiccitatem conſequenter introduci: ſicca autem corpora difficulter putrefieri palam eſt. Favet meæ opinioni Alexand. Taſſon. *Quæſt. lib.* 4. *num.* 11. qui prudenter, an in omni fulmine eadem ratione ſemper ſuccedat, dubitat [De fulmine ſuperius actum l. 1. tit. 1. q. 15. n. 1. ubi adde ea quæ habet *Ioannes Nardius* in Com. ad Lucr. animadv. 29. problem. 14. num. 2. adde ipſum *Lucretium* l. 3. de rerum nat. *Quin etiam ſubita vi morbi ſæpè coactus, ante oculos aliquis noſtros ut fulminis ictu concidit, &c.*]

4 Naturaliter quoque fit ut corpora veneno interempta non putrefiant, tradente Cardano *lib.* 12. *de Subtil.* unde ea idcircò verminationem non patiuntur, ut dixi aliàs ex Senec. *lib.* 2. *quæſt.* 8. *cit.* 2. *n.* 20. Afferri inſuper poteſt & ad ejus rei confirmationem una, aut altera experientia. Narrat. Alex Taſſon. *ubi ſuprà lib.* 9. *Quæſt.* 2. ex Pompilio Placentino, Venetæ mulieris hiſtoriam, quæ en venenato pomo cùm mortua eſſet tota ita rigoit, ut in petram verſa videretur, nec potuerit ullo modo gladio, aut cultro aliter ejus incidi.

Extat apud Pauſaniam in Eliacis, & eſt *lib.* 5. *prope finem*, hiſtoria, quam mihi in mentem redegit eruditiſſimus pariter, & humaniſſimus Medicus D. Balthaſar Bonannus, de milite illo, cujus cadaver inventum eſt vulnetibus adhuc recentibus apparentibus, cùm tamen ante Olympiadas 62. vel annos 248. circiter obiiſſet. Vulgatum quoque eſt quod de Alexandri Magni cadavere relatum ab Hiſtoricis eſt, & retuli aliàs ex Q. Curtio, quòd per ſeptem dies in loco calido permanſerit omnino incorruptum. Narratur etiam in inſulis Arran, in mari Connachlico, hominum corpora defuncta non putreſcere, ſed dio expoſita incorrupta permanere: ſic homines avos, atavos, tritavos, longamque ſtirpis ſuæ ſeriem magna admiratione cognoſcere refert ex Girald. Henric Kornman. *de mirac. mort. part.* 3. 5
cap. 4. Multò autem faciliùs, & frequentiùs arte poſſe cadavera à putrefactione præſervari, notiſſimum quidem, & cuilibet volenti faccillimum ut executioni demandetur. Adverte tamen hoc de primo putrefactionis modò verificari, non de ſecundo: nam hoc illud eſt, quod neque Arte, neque Natura haberi poteſt, nempe ut ab exſiccatione, vel à putrefactione quæ per exſiccationem fit, cadavera integra conſerventur: ad ea verò præſervanda à pri- 6
mo illo putrefactionis modo, plura medicamenta ſunt quæ id ipſum præſtare pro voto poſſunt. Cedriæ litu id optimè ſuccedere tradunt. Plin. *lib.* 24. *cap.* 5. & Scalig. *in Dard. Exerc.* 141. *num.* 2. ita ut quod vivis mortem affert, inquit Plinius, mortuis pro vita ſit. At id commune habet Cedria cum 7
aliis venenis, quæ vivis & ipſa mortem afferunt mortuis pro vita ſunt, quòd cadavera eis ſublata non putrefiant. Mirum eſt inſuper quod de Scordii virtute narrat Gal. *lib.* 1. *de Antid. cap.* 2. *claſſ.* 5. *Litterarum quippe monumentis traditum*, inquit, *eſt à quibuſdam celebribus viris, cùm in prælio interempta cadavera multos dies inſepulta jacuiſſent, quæcunque ſupra Scordium forte fortuna ceciderant, multò minus aliis computruiſſe, ac præſertim eâ parte quâ herbam tetigerant.* Non inferiotis eſſe virtutis Daphnoidem herbam teſtantur nonnulli DD. relati ab Henric. Kornman, *de mirac. mort. part.* 2. *in princ.* ubi ex Plinio de lapide Chernite idem narratur. Sed hiſtoriam aliam refert de capite mortui exhumato, quod herba prædicta, aliàs Vincapervinca vocata, coronatum erat, & ob id nullatenus corruptum. Referunt, Aviculam quandam, quam alicubi ſanctæ Mariæ vocant, mortuam nequaquam corrumpi, ſed ad longum tempus imputrem ſervari, quin etiam veteres pennas exuere, & novas emittere. Narrat item Olaus Magnus *lib.* 1. *de Ritgen. Septentr. cap.* 2. Piſces in regione Biarmiæ, nullo ſale conditos, ſed ſolo aëre ſiccatos toto decennio à putrefactione immunes ſervari, tanta eſt ibi aëris excellentia, & ſalubritas. Sed mirabilius eſt quod de Pavone referunt Cardan. *libro* 9. *de variet. cap.* 36. ex D. Auguſtini auctoritate, & Aldrovand. *Ornitho. l.* 29. firmant enim ejus carnes aſſatas ſine ulla corruptione ad annum aſſervari (licèt D. Auguſtinus per menſem ſolummodò dicat) quousque exſiccatæ in pulverem redigantur, qui fœniculum ſapore referat. Idem quoque Cardan. *lib. eod. de variet. capite* 39. *in fine*, narrat, inter Montes Indiæ occidentalis carnes tamdiu ſervari incorruptas, ut ſupra fidem ſit, nam juxta Cuzcum Urbem equos poſt quartum menſem occiſos licèt, adeò eſſe recentes, ac ſine odore tetro dicit, veluti ſi nuper eſſent occiſi.

Cæterùm plures rationes condiendi cadavera Ars docuit, quæ ea omnia in hunc uſum convocat, quæ vehementem exiccationem cum adſtrictione quadam excitare poſſunt: inter quæ primatum obtinet Sal, cujus hac in re mira vis eſt, ac cæteris quibuſcumque præſtantiſſima, ut demonſtrat Gomeſ. de Sal. 2. *part.* 32. *& ſeq.* Non infetius Sale in hoc opere complendo eſt vitriolum, quod & ipſum Salis ſpecies ſit, & cujus virtutem in conſervandis carnibus à putrefactione admiratur Galenus 9. *de Simpl. med. fac. verſ. fin. claſſ.* 5. ex quo repetit acerrimi ingenii vir Petrus Caſtell. *Epiſ. ſuar. decad.* 1. *epiſt.* 3. Succedunt his Alumen, Calx, Nitrum Acetum, Aromata quæcunque, Opobalſamum, de

quo

quo Alpinus *de Med. Ægyptiorum, capit. ult.* & his similia. Eandem ob causam, exsiccationis nempe adstrictionis junctæ, veritatem habere compertum est id, quod Plutarchus refert & quod experientiæ respondere noverunt posteriores, asseverante id Langio *in Epistolis* 1. *epist.* 36. clavum ex chalcitide conflatum carnibus quibuscumque infixum eas diu imputres conservare, hoc ipsum ex Cardan. recenset Kornmann. *ubi alias cap.* 37.

8 Porrò inventum condiendi cadavera pervetustum est; nam Jacob Patriarchæ corpus aromatibus conditum esse constat ex Joseph ejus filii præcepto, narratur *Genes. cap. ult. vers.* 2. quo in loco tantisper anceps, ac dubius hæsi, nesciens, ut ingenuè fatear, quid sibi vellet sacra historia, cùm post
9 illa verba, *Præcepitque servis suis Medicis ut aromatibus condirent Patrem*, addit: *Quibus justa explentibus transierunt quadraginta dies, iste quippe mos erat cadaverum conditorum*; nesciebam, inquam, an post condituram relinquerentur cadavera insepulta per quadraginta dies, an potiùs tam longum tempus in conditura absumere consueverint, quod admirationem mihi afferebat, & insimul hujus sensus improbabilitatem; quippe cùm in præsentiarum modico tempore quodcunque cadaver condiatur, ita ut ad sæcula incorruptū perdurare valeat. Verumenimverò ex Herodoti lectione dubium omne dilutum facilè est; hic enim *in Euterpe*, hoc est, *lib.* 2. posteriorem opinionem veram esse certiorem me fecit, cùm docens modum condiendi cadavera, quo Ægyptii utebantur, postquam ea odoribus, aroma-
10 tibusque infarxerunt, *Salium*, inquit, *ultro additum septuaginta dies, nam diutius salire non licet*, & paulò inferiùs de aliâ condiendi ratione *Arefaciuntque salè septuaginta per dies, deinde tradunt reportandum.* Sed ad rem nostram redeamus, & Marias quoque aromata ementes, ut condirent corpus JESV prætergrediamur, ut narratur Marci *c.* 16. & Lucæ *c.* 23. *& seqq.* quæ testes esse possunt veteris consuetudinis condiendi cadavera, quæ ad hanc usque diem perdurat. Existimaverim tamen antiquiores illos
11 Ægyptios in eo opere aliquid peccasse, licèt in plerisque supra humanum ingenium diligentes existerent. Quod autem eam mihi dubitationem excitavit, illud fuit, quòd animadverterim, corpus Ioseph diligentissimè, ut par est credere, aromatibus conditum, ac asservatum, ut *citato loco Genes.* enarratur, *vers. ult.* non longo annorum spatio defecisse, nempe annis circiter 300. quibus sepultum, aut quoquo
12 modo asservatum in Ægypto mansit, & sola ossa relicta, ut patet *Exod. cap.* 13. *vers.* 19. nisi dicamus, sacram historiam per ossa ipsum cadaver intellexisse, nam & ipse Joseph ante mortem, *Asportare* inquit fratribus suis, *ossa mea vobis cum de loco isto.* Sed quod me magis in mea opinione confirmat, illud est, quòd Arabes, quotquot de cadaverum conditura locuti sunt (quos præ Aromatum affluentia diligentiores in ea re fuisse oportuit) non exenterabant cadavera, sed ea clysteribus acerrimis repurgabant à fœcibus interioribus, quod & apud ipsos Ægytios factitatum esset, patet ex Herodoto, *ubi suprà*, Aut si exenterabant, id non perfectè faciebant, neque cæteras cavitates, sive ventres, ut cerebri, rectè repurgabant, quia ex eodem Herodoto Ægyptij incurvo ferro per nares cerebrum educebant, unde absque dubio eveniebat, non omnino inretnam capitis cavitatem à cerebri corpore repurgari, & sic faciliùs cadavera putrescebant, licèt singula in eo existentia foramina multis aromatibus infarcirent. Plutarchus tamen *in consol.* cadavera ab Ægyptiis exenterari testatur, & intestina in fluvium deiici. (Quod etiam ipse Herodotus narravit. Plutarchus de capitis purgatione nihil. Videatur Nardius animadv. 150.) Sed de capitis repurgatione nihil. Nostrâ 13
autem ætate non modò cadavera eviscerant, & ab omnibus excrementis diligentissime repurgant, & cranio detecto cerebrum cum cerebello eximunt, sed etiam venas & arterias omnes majores per longum incidunt, omnemque sanguinem exprimunt, & sic omni humiditate expulsa, cadavera non modò ad multos annos, sed etiam quantum est ex hoc ad multa sæcula perdurare possunt, quanquam non eâ aromatum copia munita, qua Ægyptii consueverant. Plurima sic fortasse, & non aliter condita reperta sunt diutissimè perdurasse, & ut cætera multa præteream, superioribus annis in templo divæ Cæciliæ trans Tiberim, cùm resarciretur, inventum corpus est cujusdam Cardinalis Angeli, qui jam abhinc trecentis annis decesserat, undequaque integrum, nullaque labe contaminatum ut retulerunt, qui illud & viderunt & tractarunt. Non multo quoque dehinc tempore Bononiæ in Eccl. S. Dominici inventum est cadaver integrum nihilque labefactatum Alexandri Tartagni Imolensis Jurisconsulti clarissimi, qui plusquam centum quinquaginta annis jam decesserat. Idem narrant de Bonifacii Octavi corpore, cùm vetustissimum S. Petri templum demoliretur, ut novum, atque illud quidem amplissimum, & magnificentissimam construeretur, & plura etiam alia eodem modo reperta constat diebus nostris. Alia tamen ex parte crediderim, multum nos in conditura cadaverum ob speciorum, & aromatum affluentiam, & summam diligentiam in ea adhibitam, illos superasse, & ob id ad hunc usque diem referunt in ea regione repertii Regum, & Magnatum cadavera
adhuc integra, & Valentiæ urbis Hispaniæ refert 14
idem Kornman. *lib.* 3. *c.* 11. *de mirac. mort.* repertum esse cadaver Adonizâ servi Salomonis post duo millia annorum, & supra incorruptum cum epitaphio Hebraico, quod apud ipsum lege, qui & de cadavere Cleopatræ mentionem habet, quod per 25. olympiadas, nempe annos quingentos illæsum permanserat, ut ex Heraclii Imperatoris *Epist. ad Sophoclem Philosophum* refertur. De Romanis tamen nihil tale memini legisse, nisi de cadavere quodam, quod Tulliolæ Ciceronis filiæ volunt fuisse nonnulli: de quo etiam fortasse intelligit Alexand. Tasson. *Quæst. lib.* 4 *n.* 2. *in fin.* hoc enim post mille trecentos annos, ut collegerunt quidam, integrum inventum est, & incorruptum, cujus rei historiam eundem Kornmannum habes, *ubi suprà, cap.* 11. Neque objiciat quis, quod cadavera cremabant, quia is mos non fuit apud Romanos veteris instituti, teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 54. quod tamen inficiatur Hieronymus Maggius *lib.* 3. *Miscell. cap.* 10. Plinii sententiam improbans. Plures præterea historias cadaverum ad longum temeus servatorum absque ulla corruptione recenset idem Kornman. *part.* 3. & *part.* 5. de Podivino quodam suspenso meminit, qui per duos annos corruptionem non est passus, *& part.* 7. *cap.* 42. de juvene bombarda occiso per plures septimanas incorrupto servato, sanguine etiam per vulnus ad illud ipsum tempus emanante. (Conjung. *Plater. l.* 1. Observ. & ex Veteribus *Pausanium* l. 5. jamjam allegatum.) Ex quibus constat, cadavera non tam ex arte, quàm ex Naturæ ipsius virtute, posse ad longissimum tempus à corruptione libera permanere. Sed tamen Natura id succedere posse, non
facilè adducor ut credam, nisi ad paucos quosdam 15
dies: & ratio, est quia recedente nativo calore, &

extraneo ſuccedente de neceſſitate naturæ, ſive illicò ab exceſſu illius fiat, ſive rationabili tempore, neceſſe eſt etiam cadavera corruptionem pati, neque enim extraneus calor poteſt id, quod nativus potuit nempe omnia moderari, & animalis vitam foveret, humidumque ſuperfluum abſumere, in quod imò tantiſper agens, neque potens illud vin-
17 cere, eo modo excitat putredinem. Quæ tamen non in omnibus uno eodemque temporis ſpatio ab obitu excitatur, ſed multa eam & retardare, & accelerare poſſunt, ut morbi ſpecies, & mortis, quâ ſunt ſublata, temperamentum, quo dotata fuerant, dum viverent, ætas quam agebant, tempus anni quo ſunt extincta, & alia quoque ab extra advenientia ut flantes venti, locus ipſe, in quo conduntur, & alia hujuſmodi, & ut ab hoc poſtremo incipiamus, conſtat eſſe terras, & lapides quosdam, quibus ſi cadavera condantur, citiſſimè abſumuntur. De lapide in Aſſo-
17 Troadis Plin. *lib.* 36. *cap.* 12. in hæc verba. In Aſſo Troadis Sarcophagus lapis ſiſſili venâ ſcinditur, corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra 40. dies, exceptis dentibus, de qua re meminit quoque inter Iuriſconſultos Scævol *in l. libertis §. fin. de Alim. & cib. leg. citatus ab* Henric. Kornman. *ubi ſuprà, part.* 3. *in princ.* Romæ fecerunt locum illum Cœmeterii quem Campum ſanctum nominant, viginti quatuor horarum ſpatio ſepulta cadavera abſumere, de quo etiam idem Kornman *ibidem cap.* 26. *& in Temp. Nat. hiſt. part.* 4. *conſ.* 43. *concl.* 1. ubi etiam de aliis hujuſmodi virtute dotatis cœmeteriis mentionem habet. Contrà verò alia ſunt, quæ corpora imputria longo tempore ſervant Plumbeis ſarcophagis condita cadavera diutiùs corruptioni reſiſtere, & experientia dictat, & notat Kornman *cit. loco de mirac. mor. part.* 3. *cap.* 6. unde fortaſſe irrepſit uſus eo modo cadavera aſſervandi. Sed maximè notatu dignum videtur, quod adnotavit Plater. *in cent. poſth. quæſt. med. paradox. n.* 9. nimirùm quòd cadavera terræ cuique mandata, ſi altè defoſſa ſint, minimè omnium putreſcant; nam neque putrida, aut fœtida, vermibusve ſcatentia, ſed arida, & ſicca tanquam fumigatæ carnes permanent. Rationem eſſe credit, quòd terra ipſa, quâ nihil ſiccius exiſtit, ejusmodi corpora longè meliùs, quàm ſi pice, aut ſale condiantur, à putredine conſervare poſſit. Alia ex parte Plutarch. *in Sympoſ. dec.* 6. *probl.* 10. auctor eſt, carnes de fico ſuſpenſas (& hoc de ſuſpenſis cadaveribus verificatur) citiùs tenereſcere, & conſequenter citiùs putreſcere; quod & ex eo repetit Mizald. qui ex eodem Plutarch. *ibid.* carnes tritici acervo obrutas, tenerrimas facillimè reddi dicit; hoc autem ob calorem extraneum, quem concipiunt rationi maximè conſonum videtur. Sed quid quòd Lunæ radiis cadavera expoſita promptiſſimè corrumpuntur? Quam rem veritatem habere, teſtis eſt Gal. *lib.* 3 *de diēb. decret. cap.* 2. *claſſ.* 4. & cum eo Oribaſius *ex*
18 *Amyll. Collect. lib.* 9. *cap.* 3. Lemn. *de Occult. nat. mirac. lib.* 2. *cap.* 4. Joub. *in tract. de Paralyſ.* Alexand. Taſſon. *Quæſt. lib.* 4. *n.* 1. Facit quoque, ut diximus ad citam corporum corruptionem genus morbi, quo cadavera fuerint extincta: ſi enim ſiccum fuerit, ut Maraſmus, Tabes, Hectica, ardentiſſima febris & hujusmodi, difficiliùs; ſi humidum, & à magna putredine ortum ducens abſque mora corrumpuntur. Vnde ea de cauſa fit, ut corpora peſte ſublata celerrimè putrefiant. Joub. *de Peſt. cap.* 8. Paræus *lib.* 21.
19 *qui eſt de Peſt. cap.* 10. Contra verò ubi hectica febre ſublatus homo ſit, non aliter quàm ſi fumo, aut ipſo igne toſtus fuiſſet, incorruptum ejus cadaver ad longiuſculum tempus ſervari par eſt. Habitus ipſius cadaveris in cauſa eſt facilioris, aut difficilioris putrefactionis: pinguia, & humiditate multa referta, citiſſimè corrumpuntur; extenuata, & exucca tardiſſimè, & eorum præcipuè, qui in abſtinentia, & jejunio diu vixerunt; Torreblanca *in Epit. delict. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 5.

Tempus inſuper anni ad faciliorem, & difficiliorem corruptionem facere, vel ipſi imperitiſſimi barbitonſores nouerunt: per æſtus enim & humiditates faciliùs ac citiùs per frigora & ſiccitates, ſecùs ac difficiliùs multò putrefactionem concipiunt: idem etiam de temperamentis; & de ætatibus eſt dicendum; quinimò & nonnihil ad id ſexum conducere pat eſt: fœminea enim cadavera, quod humid iora maſculeis, quæ ſicciora ſint, promptiùs, quantum eſt ex hoc, corrumpentur. 20

Præterea cadavera occiſa, & violentâ morte ſublata, corruptioni eſſe magis obnoxia, quam quæ naturali morte decedunt, teſtis eſt Homerus *Iliad.* 22 19. & 24. cujus carmina habes infrà. Quanquam contrarium omnino firmat vir doctiſſimus Stephanus Rodericus Caſtrenſis *lib.* 3. *de Met: Mier. cap.* 4. ac profectò cum in occiſis ut plurimùm totus ſanguis effluat, qui putredinem promptiùs conciliat, magis rationi conſonum videtur, ea diutius incorrupta ſervari, quàm quæ à morbo fuerint interempta. 21

Sed & inter ea, quæ vi pereunt maximè ea corrumpi noſtrâ ætate compertum eſt, quæ ſclopo & tormentariis hujuſmodi inſtrumentis interficiuntur, quod teſtatur Pigræus Chirurgus doctiſſimus *lib.* 4. *ſua Chir. cap. ult.* cujus verba referam *Corpora*, inquit, *quæ ſcloporum ictu intereunt omnia putrefactioni, ac corruptioni magis obnoxia ſunt; quàm cætera, quocunque tandem morbi genere pereant*: Hæc ille. At unde hoc? An quia per hujuſmodi inſtrumenta communicatio fit ipſis corporibus extranei caloris, & ſic facilè putredinem concipiunt; nam & ipſæ partes vulneratæ citiſſimè corrumpuntur. Alphonſ. Ferr. *de Sclopet. Vulner. lib.* 1. *cap.* 2. An potiùs ob contuſionem id evenit? cùm in omnibus hiſce vulneribus contuſio accidat, & contuſionem facillimè corruptio ſequatur, ut & præcitatus Ferrus *ibid.* & Bartholomæus Magg. *de Vulner. Sclopet. in princ.* & Paræus *lib.* 10. *in Aphoſog. alt.* fatentur. Communicatio autem putredinis ex una parte in aliam, & ad corpus univerſum facillima eſt.

Cæterùm quòd cadavera aromatibus, Sale, vel 24 nitro, vel Calce excepta, aut quocunque modo condita incorrupta ſervantur, nihil habere in ſe non miraculi dicam, ſed ne admirationis quidem. Quamobrem quorundam ſimplicitatem, ut ita dicam, jam notandam cenſui, qui corpus cujuſdam probi viri, & vitæ quidem, ut audio, integerrimæ, aromatibus, ſit fieri ſolet, aſſervatum, vix 18. annis ab obitu transactis miraculosè incorruptum ſervari volebant; cùm tamen non obſtante conditurâ jam putrêre incipetet. At quid, obſecro, miracula effectare? annon etiâ ejus corpore putreſcente, potuit hic Deo eſſe acceptiſſimus? Sed his relictis, ego puto cadavera incorrupta permanentia nullo artis, Dæmonis miniſterio, miraculosè ſervari dummodò hæc incorruptibilitas perfecta ſit, ita ut cadaver ne exſiccationem quidem patiatur, ſed ſecundùm corruptibiliores etiâ partes integrum ac vividum non ſecùs quàm ſi in vita homo degeret, conſervetur. D. Tho. 22. *q.* 178. *art.* 1. *ad* 3. & ex ipſò Rot. *in rel.* 1. *de mir. B. Thereſ. art.* 4. *§. de Exh. p.* 10. *v. unde cum.* Dæmonem enim poſſe id facere non dubitandum, ut teſtatur Mair. Delr. *lib.* 2. *Diſquiſit. Magic. q.* 25. Torreblanca

in

in Epitom. delict. lib. 1. capite vigeſimo quarto. numero primo, & ſeqq. [Villalpandus 2. *mag. capito* 24. 26 Sennert. *libr. tertio, part. 1. ſ. 1. capite ſecundo.*] Neque ſolùm id poterit facere Dæmon, Artis ipſius præſidiis ſibi quàm notiſſimis, ſed amovendo quascunque naturales cauſas; quæ cadaveribus putredinem conciliare poſſent. At corpus quod ex Dei
26 virtute, & ex miraculo incorruptum permaneat, nullo artis præſidio, imò nullâ cauſarum corrumpentium amotione, ſed ipſis corruptivis cauſis permanentibus conſervari poterit; idcircò nulla cadaveris exenteratione aut eviſceratione, nullâ excrementorum repurgatione, nullâ Aromatum, aut aliorum medicamentorum conditurâ, nullâ temporis, aut loci conditione opus erit, ubi ex miraculo cadaver aliquod incorruptum permanere debeat. Hoc prudentiſſimè inſinuavit Homerus in cadavere Hectoris, quod quanquam cruore refertum, diu multumque circum mœnia Trojæ protractum, nullo unguento delibutum, tamen Deorum virtute incorruptum ſervabatur, ut ille inquit ſub perſona Mercurii Priamum alloquentis, *Iliad.* 24. his verbis:

O ſenex nondum hunc canes comederunt, neque alites,
Sed adhuc jacet Achillis apud navem
Neglectim in tentoriis, duodecima autem ei dies
Incenti, neque tamen ei corpus putreſcit, neque ipſum vermes
Edunt, qui ſaneviros in bello occiſos edunt.

Et paulò infrà, ut miraculi vim oſtenderet.

Adeò tibi curant beati Dii filium tuum,
Et mortuum licèt exiſtentem, quoniam ipſis carus erat ex animo.

Sed quodnam tempus aſſignandum corruptioni
27 cadaveris? vel quanto tempore naturaliter poteſt cadaver aliquod incorruptum permanere? dicendumque videtur ab ipſa Animæ prima exhalatione corruptionis principium ſortiri: non obſtante quòd nulla ejus putrefactionis ſigna tunc appareant, ſed quoad manifeſtam putrefactionem certè impoſſibile eſt omnibus unum, eundemque terminum poſſe aſſignari, quippe cum, ut jam perfectum eſt, multæ cauſæ ſint, ex quibus ipſa cadavera citiùs, aut ſeriùs corruptionem patiuntur; vel ipſæ particu-
28 lares hominum Naturæ, & temperamenta, ut diximus, in hoc multum poſſunt. In Perſico quodam bello notatum, cadavera Romanorum poſt quatriduum putreſcere, ac tabo corrumpi, ut non facilè qui ſint, dignoſcantur. Contrà Perſarum, ſiccatis corporibus ſine tabo, ut tigna durefcere. Refert exemplum hoc ex Cardan. *de rer. variet. libr.* 8. *cap.* 40. Kornman. *de mirac. mort. par* 3. *capite* 1. Superiùs quoque de quibusdam populis mentionem habuimus, quorum corpora nullo modo putreſcunt, cùm cætera omnia putredinem tam de facili patiantur. Verumenimverò ſi ab eo quod ut plurimùm fit, univerſalis regula firmari debeat, dixerim eum terminum tribus diebus definiri: quia tanto temporis ſpatio, ſi quæ naturalis caloris reliquiæ in cadavere relictæ fuerint, omnino evaneſcunt, & eorum loco calor putredinalis ſuccedit; idcircò is terminus aſſignatur à Medicis expectandus in quibusdam, qui ob morborum vim veluti mortui jacent, & ab ipſis verè mortuis non diſtinguuntur; nam (præterquam quòd eos patio omnes humores ſuum motum ſortiuntur, ex eorumque motu vita ineſſe, aut ex quiete abeſſe deprehenditur) non longiùs protrahi poſſe videtur corruptio in his, qui verè mortui fuerint. Firmari poſſunt hæc argumento Lazari, de quo rectè, quia tranſierat hic terminus, dicitur, *fœtet jam, quia quatriduanus eſt.* Joan. *cap* 12. *v.* 40.

Cùm verò, ut notum eſt, naturaliter omnia ca- 29
davera corrumpantur & putrefiant, ſciendum eſt ad majorem miraculi evidentiam: ut ſuperiùs dixi; cadaver ex miraculo incorruptum ſervatum, debere non ſolùm ſecundum ſolidiores & ſicciores partes tale conſervari, ſed etiam ſecundùm molliores & humidiores, & ſecundùm eas, quæ ma- 30
gis ſunt putrefactioni obnoxiæ: & hæ quidem ab omni genere putrefactionis immunes ſint, oportet. Sunt enim, ut ſuperiùs quoque dictum eſt, putredinis plures modi, ſeu potiùs gradus, ſecundùm quos alia cadavera, in quibus calor multus putredinalis, & humidum viget, in vermes & alia inſecta abeunt, alia ſecundum humidiores præcipuè partes in tabum convertuntur, alia ſitum contrahunt, alia in quibus carnes, ac viſcera omnia diffluunt, alia cæteris ſiccíora, in quibus calor mordax, ac acer viget, humidioribus partibus abſumptis, reſiccantur, & diutiùs durant, omnia tamen putreſcunt in majori aut minori gradu: ita ut quanquam hæc poſteriora minorem putredinis gradum attingunt, & cæteris diutiùs, ac meliùs, & quaſi incorrupta ſervari videntur, non ſufficeret tamen hoc ad miraculi probationem, quia & ipſa reſiccatio putredo quædam eſt, ut ex *Ariſt.* 4. *Meteor. capite ſecundo, text.* 3, manifeſtiſſimè elicitur. At vera cadaveris incorruptibilitas eſt inter miracula magnæ conſiderationis, ac Dei omnimodam virtutem requirens: nam quæ ſuperiùs incorrupta, vel natura vel arte ſervari diximus, non verè incorrupta ſervantur, imò neque ipſa, quæ diligentiſſimè condita ſunt; nam & hæc, & alia quæcumque, paulatim, ut dixi, reſiccantur, quousque tandem omnino in pulverem abeant, & incinerentur.

Cæterùm circa cadavera, pleraque alia obſervari poſſunt, & aliquando etiam obſervata ſunt; quæ cùm admirationem quandam contineant, vulgo cauſarum rerum ignaro miraculi ſuſpicionem, imò certitudinem faciunt, cùm tamen omnia Naturæ limites, non prætergrediantur, quæ ut ab iis, quæ verè ex miraculo in cadaveribus accidunt, diſtingui poſſint, paucula huic quæſtioni addenda 31
ſunt. Obſervatur igitur aliquando cadavera ſeſe movere, vel ſecundùm partes, vel ſecundùm totum; ſanguinem effundere, rubore perfundi, commaculari, & rubris ſtigmatibus conſpergi, calida per longum tempus ab obitu permanere, & aliquando etiam per ſe ſtare. In quibusdam etiam ungues viſuntur creſcere, ac pili, quod etiam frequentiùs animadvertitur. Adnotantur inſuper retractiones quædam, ſeu potiùs convulſivi quidam membrorum motus; quibusdam etiam Penis erigitur, & ad multum tempus ita perdurat, quod pluries in his qui ſuſpenduntur, animadvertitur. Narrat item Fortun. Fidel, *libro quarto, Relat. Med. capite primo,* ex Marcell. Donat. *hiſtor. mirab. libr.* 2. *capite* 3. Monialem quandam, cùm alterius monialis demortuæ 32
manum exoſcularetur, ter illi manum à demortua tam fortiter fuiſſe conſtrictam, ut viva adhuc putaretur, & alias quoque non diſſimiles hiſtorias, vide ibi, ſi libet. Adnotantur quoque plura alia hujusmodi, quæ brevitatis gratia ſilentio prætereo.

Atqui primò cadavera per aliquod tempus ab obitu calida permanere, aut etiam poſt aliquod tempus poſt mortem recaleſcere, naturalis res eſt; at tunc maximè animadvertitur, cum mors ex peſtilenti

morbo

morbo, aut ex ſumma atque intenſiſſima putredine ortum habuerit, ita ut contingat aliquando ea calidiora eſſe poſt mortem, quàm fuerint in vita, ut teſtatur Sal. *de febr. poſt. cap.* 19. & Jo. Hucher. *lib.* 4. *de febr. cap.* 10. quod ob intenſiſſimum putredinalem calorem accidit, qui tantus aliquando eſt, ut ægrotantium corpora ipſam frigidiſſimam humum, aut ipſa frigidiſſima marmora excalefaciant, quod ſcitiſſimè adnotavit Ovidius *lib.* 7. *Metamoph.* de peſte correptis.

Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec ſit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore fervet.

Eadem ex cauſa omnes commaculationes, rubores, livores, ſtigmata, & his ſimilia, quæ in cadaveribus fieri obſervantur, eveniunt, ut docet Valleſ. *in* 5. *Epidem. text.* 87. ſic etiam & ſanguinis emiſſio aliqua ex parte, ut ex ulcere, ex ore, ex naribus, ex 13
vulneribus: cùm enim omnis jam naturalis calor evanuerit, & extinctus ſit, & cum eo virtutes conciderint, præcipuè autem retentiva, jam turgentes humores, luxuriantſque putredine ſanguis impetu facto quoquolibet erumpunt. Notandum autem, quòd cùm hæc ex Naturæ præſcripto fiunt, non longè ab obitu accidere conſuevetunt, & poſtridie, aut tertio ad ſummum die ab obitu comparent, aliter enim ſi multos poſt dies evenirent, multò miraculi ſuſpicionem facerent; & idcircò notoria miraculi evidentia accidit, quòd è B. Angnetis à Monte Politiano corpore plurimus ſanguis poſt centum annos ab obitu profluxerit. Notat tamen Plater. *in Cent. poſt. quæſt. medic. paradox. numero octavo.* quòd cadavera, quæ Anatomiæ cauſa pluribus diebus ſervantur, poſt flaveſcentem illum colorem, quo, poſtquam expirarunt, pallent, exactis aliquot diebus rurſum in malis, & carnoſioribus locis rubent ſanguinem quoque levi commotione ex venis nondum ſectis, & ad interiora emanare dicit. Alia etiam his non diſſimilia ſervari poſſe in cadaveribus crediderim, ſi, & qui obſervarent adeſſent, & cadaverum copia ſuppeteret. Referunt cadavera aliquando exudaſſe, & Kornmann. *mirac. mort. p.* 5. *c.* 8. & 9. narrat. cadaver cujusdam ſuſpenſi plurimùm ſudoris effudiſſe per quatuor decim continuos dies, & alium poſt nonnullos annos item ſuſpenſum
34 ad acceſſum matris ſanguinem per longum tempus ſtillaſſe; priorem hiſtoriam admirationis habere aliquid, poſteriorem fabulæ proximam judico: hæc tamen nullo negotio poſſe à Dæmone, quandocunque libuerit, perpetrari certum eſt; itaque maxi-
33 mè ad hoc animadvertendum eſt, ne decipiamur. (Vid. *Rejes* pag. 234.)

Porrò cadavera per ſe ſtare ſupra naturam eſt: nam neque ab ipſo Dæmone id fieri poterit, ut per ſe realiter ſtent, ſed benè, ut appareant per ſe ſtare: non modo enim cadaver per ſe ſtare non poteſt, ſed neque in alterutrum latus reclinatum permanere: cadavere enim in latus converſo, inquit Gal. *lib.* 2. *de mot. muſcul. c.* 4. Et poſt eum Raſ. *lib.* 31. *Continenſ. tract.* 1. *cap.* 1. ne minimo quidem tempore ſuper latus manet, ſed illico vel pronum, vel ſupinum fit, quod etiam adnotavit Kornman. *ex Seidel. de Ebriet. lib. de mirac. mort. parc.* 3. *cap.* 17. cùm enim, ut corpus ſtet, valida muſculorum actione ſit opus, quippe qui maximopere in ea actione operentur, ut docet Fabrit. *de Greſu Anim. trans prime.* in hac autem
36 tam valida actione plurimi ſpiritus requirantur, impoſſibile omninò eſt, ut hoc naturaliter ſuccedat, deficientibus omninò ſpiritibus. Multò minùs ex ſe naturaliter moveri poteſt cadaver, aut aliquam ſui partem movere: unde quod narratur de lacerto quodam, Deo nomine, in Arabia naſcente, qui occiſus etiam poſt triduum applicitus, perinde moveretur ac ſi viveret, neſcio an pro vero admittam, an dicam potiùs, ex calore ignis contrahi in ſemeptiſum, non autem verè moveri. Narrat autem naturale hoc mi- 36
raculum, ex Lemn. Majol. *coll.* 8. *dierum Canic. part.* 1. Quanquam moveri cadaver ex Dæmonis præſtigio poſſis, aut potiùs apparere ut ex ſe moveatur. Quamobrem uti talia in ſanctis corporibus ad aliquem finem facta obſervabuntur, ex miraculo fieri non dubitandum, ut illud eſt, quod de eadem Agnete à Monte Politiano narratur, quæ divæ Catharinæ Senenſi pedem ori propiùs admovit, ut faciliùs ſuperſtes virgo illum deoſculari poſſet. Loquor autem hîc de motu vero, nempè qui fiat naturali modo, non de convulſivo, de quo ſuperiùs dixi; hic enim à flatuoſo ſpiritu, vel à putredinoſis vaporibus etiam in cadaveribus excitatur, ut notat Fortun. Fidel. *lib.* 4. *relat. med. cap.* 1. hac quoque ratione evenit, ut carnes vituli recenter mactati (fortè & aliorum quoque animalium) tremant per aliquot horas, contrahantque ſeſe, ab externi Aëris injuriis laceſſitæ, ut recenſet eruditiſſimus Fortun. Licet. *lib.* 1. *de Spont. Vivent. art. c.* 149.

Ad hæc protritum, & ob id minus admirationis in ſe habet, quod dicitur de pilis, & unguibus in cadaveribus excreſcentibus, cùm tamen neutri illorum verè, & realiter creſcant, ſed creſcere videantur ex depreſſione circumſtantis carnis, aut cutis, ex ſententia Ariſtotelis, & Alexandri, quam cum cæterorum Philoſophorum aliis opinionibus recitat Mercur. *lib.* 1. *de morb. curanc.* 3. de qua re vide Licet. *lib.* 1. *loc. cit.* Horſtium. *tom.* 1. *pag.* 33. & 175 Binsfeld. *Conſeſſ. Malef. pralud.* 2. *dub.* 4.) Majorem multò admirationem haberet, dentes creſcere; ut aliquando eveniſſet recenſet Kornm. *de mirac. mort. p.* 3. *c.* 43. ſi modò verè creſcunt. Nam potiùs, ut de pilis, & unguibus dictum eſt, videntur creſcere, ob gingivarum depreſſionem, & conſumptionem.

Liquores porrò, ſudores, humiditates, ſanguinis diu 38
& longè ab obitu ex cadaveribus emanantes, ſuaviter redolentes, & in certa copia, ſtatisque temporibus, nihil in ſe naturale habent, neque ullam dubitandi anſam præbere poſſunt, niſi quod hæc ipſa ſuis præſtigiis facilè operari poteſt Dæmon. Sed in Sanctorum corporibus nulla erit hæſitantia, unde prudentiſſimè à Rota, talia pro miraculis ſemper judicata ſunt, & vide relationem ſæpe citatam ſuper proceſſu B. Andreæ Corſini *part.* 5. §. 3. *in princ. & relat. prima. de mirac. B. Thereſiæ, art.* 4. *mir.* 2. *poſt mortem.* Quod autem de Alexandri cadavere jactant nimirum inſepultum per ſeptem dies, incorruptumque ſervatum, gratum odorem expiraſſe, credo eſſe ſcriptorum adjunctum: qui ut fit, non contenti narrare, quòd incorruptum cadaver ſervatum, ſit ut audierant, addiderunt etiam, illud gratum ſpirare odorem, cùm ſufficeret ad admirationem excitandam, quòd ingratum non ſpiraſſet. Nam fœtor ſemper conſequitur putredinem, odor verò contrà laudabilem humorum & corporis conſtitutionem. Imò neque naturalis eſt odor qualiscunque, qui gratus quoquo modo eſſe poſſit, non modo mortuorum cadaveribus, ſed neque viventibus corporibus quantumcunque perfecta ſanitate, & eucraſiâ fruatur: unde neſcio, an mendacii redarguendus ſit *Cardanus*, qui de ſuo corpore odorem bonum perpetuò expirare ſcripſit; licèt hominem naturaliter poſſe bene olere probet Licet. *libro quarto, de his qua diu ſine alimento vivunt, capit. octavo*, ſed hoc intelligendum fortè de

odore

odore quodam corpori humano conveniente; qui non ſimpliciter bonus ac ſuavis odor dici poteſt: & idcircò bene idem Card. *lib.* 13. *de ſubtil.* dicebat corpora Sanctorum, cùm cætera fœteant, bene olere ob id creditum eſt, vi Divinitatis adverſus Naturæ decreta pugnante. Nec tamen ſecundum naturam impoſſibile eſt, humanum cadaver recens non malè olere, at bene olere, inquam ego, eſt impoſſibile; quia bonus odor ex calore naturali in cadavere emanare non poteſt, quia is aut nullus, aut exiguus, ex calore autem putredinali quomodo bonus odor emanabit? [Vid. Ign. Lamb. *Ezech. à Caſtro*]

Denique videbatur aptus hic locus ad inquirendam veritatem, & cauſam naturalem de ſanguine emanante à cadavere occiſo coram occiſore; ſed quia magis aptus locus offeretur *in titul. de Vulneribus libr.* 5. *ſeqq.* eò loci id ipſum rejiciam. Qui autem pluria mirabilia circa cadavera evenientia legere cupit, adeat Henr. Kornman. *de mirac. mort, part.* 4. [De cauſis putredinis abſentis cadaverum eleganter diſſerit Deuſingius Celebert. *in fœtu Muſſipont.* ſeqq.

Locum conferte ad citam tardamque corruptionem non eſt dubitandum, inquit Cl. *Bartholin. cent.* 1. *Hiſt.* 62. Ita in Cœmeterio *S. Innocentii* Pariſiis humana corpora 24. horarum ſpatio abſumuntur, oſſibus ſolis relictis. Toloſæ contra in Fano quodam crypta eſt, in qua humati per 600. amplius annos illæſi ſuperſunt, cum pilis & cute candida, ut nepotes avos ſuos longa ſerie dignoſcere poſſint. Anſito quoque corporibus balſamo plurimum debere perpetuæ lucernæ fidem faciunt, inquit.

Talem *Mumiam Danicam* refert *ibid.* Viri nimirum cadaver, ante 50. & ampliùs annos ſepultum, quod etiamnum integrum, & mumiæ inſtar induratum, viſitur; pernæ furno induratæ ſimile, carne cum cute exſiccata firmiſſimè ſalutis oſſibus adhærente, cum barba rufa, crinibusque decurtatis, &c. Quid putredinem ab hoc cadavere inhibuerit, ignorare ſe profitetur *Barthol.* Vulgus iſtius loci, inquit, vel à Rege occiſum, vel cum uxore diſcordem vixiſſe, fabulatur.

Memini me olim in Germania, propè Palatinatum, non longè à S. Goar, in pago *VVerlen.* videre manum hominis ad S. Ædem in lucerna ſuſpenſam; quæ multis poſt ſepulturam annis, reliquo corpore planè abſumpto, integra inventa fuit: eâ parentem fuiſſe percuſſum vulgus ferebat. Sed hæ cauſæ ſupernaturales ſunt. Ac ſuperſtitioſum cenſemus quod tradit *Beda lib. de natura infantium f.* 397. (citante *Petro à Caſtr. de Igne lamb. p.* 27.) Cadavera eorū qui naſcuntur diebus Januarii 27, 30, 33. non corrumpi.

Platerus in Quæſt. Phyſiol. nulla corpora in terris putreſcere, ſed potiùs in ſicco elemento conſervari, exiſtimat. Quæ ratio, veluti cadaver illud Danicum concernere non potuit, utpote in crypta ſubterranea capulo incluſum, ubi terram non tangebat; ita Fœtui noſtro Muſſipontano, in corpore matris contento, potuit quadrare.

I. Sperlingius in Anthropol. Phyſica violenta tantùm morte extinctos (quamvis non omnes) putredine vitiari credit, referente *Barthol.* at huic æquè dubium videtur, cur externæ cauſæ magis accelerent putredinem, quàm lenti morbi & putridi. Fortaſſe *Sperlingii* ea mens eſt, illos ſolos à violenta morte immunes dicendos eſſe, quia citra cauſam morbi continentem ac citra cauſam mortis externam, fato quaſi proprio, ſeu per naturale principium internum ac quaſi per ſimilem maraſmum mortem oppetunt.

In talibus equidem diſpoſitio putredini apta vi naturæ evaneſcit: quemadmodum fortè itidem in fœtu illo, *quem in utero exſiccatum* refert *Bayth. cent.* 1. *hiſt.* 12. diſpoſitio putredinalis ob ſimile principium internum abſumpta eſt, (quam aliàs ratione diverſarum anni tempeſtatum, morborum; diverſorum, quibus defunguntur corpora; in cadaveribus diverſimodè ſe habere, præter rationem non eſt:) quæ eadem in furibus ſuſpenſis, atque ita arefactis ut mumias referant; ob cauſas externas, nempe vi Aëris ac Solis, ſublata eſt. Sed neque hæ cauſæ ſubjecto noſtro præſenti poſſunt accommodari.

Rectè equidem Vir Eruditiſſimus in *Reſolutione caſus* plura dari exempla, inquit, *Molarum* & *Embryonum* diu in utero citra putredinem hærentium: verùm id ipſum eſt cujus ratio quæritur. Notum utique pridem eſt ex *Hipp. lib.* 1. *mulier. molam* nonnunquam *biennium*, ſæpè etiam *triennium* totum manere; atque ex *Ariſt. lib.* 4. *de gener. anim. c.* 7. *molam* durare *per annos quatuor*, imo & *tota vita*, ut & *conſeneſcat*, & *commoriatur*. Neque verò Exempla, paſſim obvia, hoc loco commemorare neceſſe eſt. Ratio ac cauſa, quâ incorrupta maneant tam diu inveſtiganda.

Cur quidem naturale tempus partus *molæ* nullam ſit, rationem hanc reddit *Ariſtot.* 10 *hiſt. anim. cap.* 7. quòd, cùm animal non ſit, ac propterea nullum cieat motum, dolorem nullum faciat: eſt enim parturiendi dolor, inquit, ex motu ligamentorum, quem facit fœtus vitæ appetens, (ſeu appetens potiùs liberioris reſpirationis;) at *mola* nec reſpirat, nec aëre indiget. Nullaque ratio eſt, cur non longiſſimo etiam tempore vita vegetativa in utero fini poſſit.

Circa *Embryonem* major eſt difficultas, *an*, & *quomodo* ultra naturale ſeu ordinarium tempus poſſit *vivus in corpore materno contineri* Equidem id fieri poſſe Exempla complura teſtari videntur: *Spigel. de incert. temp. part.* profitetur quidem, ſe nullum adhuc habere Exemplum, fœtum maturum 2. *menſe* in lucem prodiiſſe: id tamen præter naturam accidere poſſe non negat: (ut allegavimus in *Microcoſmi, Gen. parte tertia, ſect.* 2. §. 86. (quin & ultra *duodecimum menſem*, *ad decimum tertium*, *decimum quartum*, *decimum quintum*, prorogari aliquando partum, ex aliis tum Vetetibus, tum Recentioribus, admittit: nonnullaque referre ex Autoribus ejusmodi partuum Exempla: Ac inſuper ex M S. quodam Codice, refert, *Bellocatum* Patavii Excellentiſ. Medic. aliquoties in publicis Lectionibus narraſſe diſcipulis ſuis, ſororem Eruditiſſimi Viri *Bucella* Patavini per *ſexdecim menſes* uterum tuliſſe.

Atque ita *Harvæus Exercit. de Partu* (poſt *Exerc. de Gen. animal. mihi pag.* 358.) Fuit prof. ctò, inquit, non ita pridem apud nos mulier, quæ fœtum in utero *ſexdecim ampliùs menſibus* geſſit, eumque ultra decem menſes (pluribus ejus rei conſciis,) huc illuc variè ſeſe commoventem ſenſit, tandemque vivum peperit.

Similiter *Schench. Obſ. Medic. lib.* 4. *obſ.* 122. Exemplum refert ex *Maſſa* mulieris ſexagenariæ, quæ exſeptuagenario ſene conceperit, & 14. *menſe* puellam peperetit, oculis & manibus privatam 5. menſibus vitalem: Additurque ratio tam diutinæ geſtationis: quia virtus ſeminum in ſenibus, cùm ſint ipſi frigidi, imbecillis exiſtit; itemque uterus ex ſenio refrigeratus, non potuiſſet in minori tempore concepta perficere, & perfectum ſeu completum edere. Conſimilis fortè ratio in Muſſipontana noſtra locum habere videri poteſt, quatenus Fœtus extra uterum hæſit, atque adeò ordinario uteri fœtu deſtitutus fuit. Ita in vita *Peireſkii à Gaſſendo* deſcripta, *lib.* 1. non longè à fine, fit mentio mulieris Belliquadrenſis,

drensis, quæ iteratò nupta, cùm ex priore conjugio partus aliquot nonmestres edidisset, ex posteriore tamen ediderat tres, unum mensium undecim, alterum quatuordecim, tertium verò octodecim, atque tunc quartò gestaret utero mensem jam vigesimum tertium. Cùmque hæc referenti *Peireshio* objiceret *Gassendus*, videret, ne esset eadem fœmina, quam non ita pridem *Ant. Saporta* aliiq; Medici propter simile quid non omnino sana mente pronunciassent; persistit ipse *Peireshius* fuisse aliam, adjiciens ipsam non longè post perperisse infantem cum capillitio, ac dentibus, obtinuisseque à conjuge, ne ulteriùs contingeretur (ob pericula puerperiorum:) Verùm, profitetur *Gassendus*, utcunque hac de re sit, se venditare eam pro vera nolle.

Equidem quamvis contingat sæpiùs falli mulieres, ut credant se diutiùs utero gestasse, quam gestarunt, (cujus rei causam ex *Hippocr.* atque *Arist.* reddidi *cit. loc.* §. 17, *& seqq.*) posse tamen revera partum quandoque *in tempus longius* prorogari, per evidentem rationem ostendi *ibidem* §. 94. Cùm enim *causæ partus* pendeant tum à *fœtu*, tum ab *utero*, atque ipso *corpore materno*, (ut fusiùs deduximus *ibid* §. 78. *& seqq.*) fieri potest ut post tentatam crisin, pro excludendo fœtu, viator & nætus in vivis supersint, ac hæreat etiamnum ad tempus in utero fœtus, donec novam excretionem natura moliatur, fœtusque cum natura conamen intendat: id verò eo duntaxat casu evenire posse censui, cum etiamnum, copiosi humores inter Amnium circumfluunt fœtum ipsumque a liberiori respiratione arcent, hanc enim sensim imponere necessitatem partui, exposui *cit. loc.* §. 7.

Sed in alia insuper causa reddi potest: ob quam fœtum intra uterum, vel extra uterum in abdomine detineri posse vivum per complures menses, quin imò per annos plures, præter rationem non sit. Quid ni enim Fœtui in corpore materno concluso, idem quandoque possit evenire, quod aliis quibusdam animalibus in lucem natis, ursis, gliribus, hirundinibus, muscis, aliisque similibus (de quibus *Arist. libro* 8 *histor. anim. cap.* 7. *& Plin. lib.* 8. *Nat. hist. cap.* 3. *& seqq.*) totam hiemem dormientibus nihilque portò alimenti assumentibus: quod ipsum etiam hominibus quibusdam in lucem natis posse obtingere, à ratione non esse alienum ostendi *Exercit. de Nutrit. Animal. sect.* 3. §. 4. *& seqq.*

Quid ni, inquam, fieri posset quandoque ut radicale humidum in fœtu seu Embryone ita flammulæ vitali contemperetur à natura, ut ipsam diutissimè, citra ulteriorem alimenti à matre affluxum, citra ulterius Embryonis incrementum, (*quid haud ultra eam magnitudinem excreverat, quam juxta consuetas naturæ leges semestres fœtus assequitur,*) valeat fovere ac sustentare; æque atque artificio olim *Lampades subterraneæ* instituebantur à Romanis, quæ per aliquot sæcula, absque novi pabuli accessu, ope olei in combustilis, flammam foviisse, ac Patrum nostrorum memoria etiamnum ardentes inventæ referunt, solo aëris leviissimi appulsu extinctæ; quarum rationem exponere conatus est Nobilis. *Cartesius Princip. Philos. lib.* 4. § 116.

Hisce verò ita habentibus, non sine ratione *L. Papyrius Prætor* (ut autor est *Massurius* referente *Plin. lib.* 7. *N. H. cap.* 6.) secundo hærede agente, bonorum possessionem contra eum dedit, cùm mater partum se *tredecim mensibus* diceret tulisse; quoniam, inquit *Plin.* nullum certum pariendi tempus definitum videretur.

Atque ex tali forsan fundamento, Lex apud Britannos adhuc viget (teste *Spigel. de incert. temp. p.*) ut maritus jubeatur prolem agnoscere, hæredemq; habere, *anno* post *aut amplius* natam, quàm ipse ultimo ab uxore discesserit. Atque ita Parisienses. (referente eodem ex *Guthofredo*) viduæ aprobarunt partum *decimi quarti mensis*, propterea quòd hæc apud mariti, qui obierat, propinquos & hæredes vixisset, diligenter ab horum axoribus custodita, quæ idcircò de intacta ejus pudicitia post partum testimonium præbere erant coactæ.

Sed neque præter rationem est, posse Fœtum, jam verè mortuum, per longiùs temporis spatium in materno corpore asservari citra putredinem æquè atque fructus varii, etiam horarii, artificio condiuntur atque solo aëris ambientis affluxu præpedito, in liquoribus quibusdam integri planè què incorrupti asservantur diutissimè; aut, æquè atque hic ipse noster *fœtus Mussipontanus* etiamnum fortasse asservatur, superfuso *salis spiritu* arcente putredinem,

Recte Vir Eruditissimus, *Resolut. pag.* 13. *Si spiritus vini*, inquit, si *spiritu salis*, putredinem arcet, (uti Lugduni Gallorum aliquot Embryones se vidisse natantes in ejus modi liquore ait, cujusmodi item Exempla, ab Excellent. D. *Favsio* per familiares literas mihi communicata retuli in *Append.* ad *Exercitationes de Nutrim. Elaborat.*) cur non, natura optima medicatrix, optima sui conservatrix, idem præstet in corpore.

De Artificio Nobilis. D. *Bilsii*, quo balsami cujusdam beneficio cadavera ita condire valet, ut ea multa sæcula servari queant, ita etiam ut possint dignosci, deque aliis quæ circa eadem stupenda præstat, impræsentiarum nihil repetam; cùm haud pridem fusè de talibus disseruerim in prædicta *Appendice*: Quis verò cum ratione negabit, Naturæ vires tali artificio etiam longè nobiliores ac valentiores esse? Hæc *Deusingius*.

Mira de *S. Francisci* Cadavere in Italia narrant *Assisit.*, quod nempe incorruptum adhuc stet in subterranea crypta cui *Gregorius IX. Epitaphium* sequens ad basin marmoream erexerit.

V. S. C. A
FRANCISCI ROMANI
CELSA HUMILITATE CONSPICUI
CHRISTIANI ORBIS FULCIMENTI
ECCLESIÆ REPARATORIS,
CORPORI NEC VIVENTI NEC MORTVO
CHRISTI CRVCIFIXI PLAGARVM
CLAVORUMQVE INSIGNIBVS ADMIRANDO
PAPA NOVÆ FOETVRÆ COLLACHRYMANS
LÆTIFICANS EXULTANS
JUSSU MANU MUNIFICENTIA POSUIT
ANNO DOMINI M. CCXXVIII.
XVI. CALEND. AVGVSTI.
ANTE OBITUM MORTVVS POST OBITVM VIVUS.

Quo ad Basilicam autem Subterraneam Seraphici Patriarchæ Fratrum Minorum *S. Francisci* Assisiensem, narrant insuper scriptores, Cadavera illa circumjecta gratissimum spirare odorem, ut olfactus hominum nunquam simulem habuisse credi possit. Quoad incorruptibilitatem autem cadaverum hoc addo, quod recordor nunc *Madriti* Cadavera & sordes facilè ac citò in nihilum redigi. *Tholosæ* verò incerta crypta contrarium apparere; dari etiam terram & lapides, quæ gratum odorem spirent, uti juxta *Dresdam* Saxum erui, quod instar florum Cheiri in hunc usq; diem in meo Musæo olet.

SUM

SUMMARIUM.

1 *Resurrectio secundum aliquos naturaliter fieri potest.*
2 *Affertur ratio, quâ id probari possit.*
3 *Multi, qui mortui resurrexerunt.*
4 *Animalia nonnulla jam mortua aliquando resurgunt.*
5 *Resurrectio opus est miraculosum.*
6 *Quanam ratione quidam resurgere à mortuis visi sint.*
7 *Supra terminum trium dierum non videtur possibile hominem, qui mortuus videatur, ad vitam redire naturaliter.*
8 *Nonnulli multis annis dormientes.*
9 *Populi Lucomoriæ quomodo resurgant.*
10 *Quòd herbæ quædam resurgere faciant, falsissimum & ridiculum.*
11 *Dæmon an possit mortua insecta ad vitam revocare.*
12 *Anima quarumcunque animalium irrationalium in morte corrumpitur.*
13 *Dæmon non potest idem animal numero ad vitam revocare.*
14 *Resurrectio est unius, ejusdemque numero animalis.*
15 *Nullum animal mortuum verè resurgit, præter ipsum hominem.*
16 *Homo habet propriam formam à corpore segregatam.*
17 *Eundem effectum numero semel corruptum implicat posse reproduci.*
18 *Deus non potest idem animal numero, irrationale duntaxat, semel corruptum ad vitam revocare.*
19 *Hominis Resurrectio ex Dei virtute factibilis, bruti verò nequaquam.*
20 *Resurrectio fit per novam introductionem ejusdem animæ in idem corpus.*
21 *Brutum aliquo modo resurgens non esset idem numero.*
22 *Resurrectionis opus cur naturale esse non possit.*
23 *Ex nihilo naturaliter nihil fit.*
24 *Mors est privatio vitæ.*
25 *A privatione ad habitum naturaliter non datur regressus.*
26 *Productio naturalis effectui sequitur ad proprias dispositiones, introductas in id, in quo fiunt.*
27 *In examine resurrectionis contingit dubitare, an verè is, qui resurrexisset præsumitur mortuus fuerit necne.*
28 *Morbi ex quorum vi homo interdum veluti mortuus apparet, cùm adhuc vivat.*
29 *Aquâ submersi, strangulati, ex alto cadentes, & hujusmodi aliquando mortui videntur, cùm vivant.*
30 *Syncope est præceps virium ruina.*
31 *Syncope distinguitur à Lipothymia.*
32 *Syncope ad talem vehementiam devenire potest, ut homo mortuus appareat, non sit Lipothymia.*
33 *Aetii dictum defensum.*
34 *Syncope forti detentus non potest longo tempore supervivere.*
35 *Cor non potest magnum morbum sustinere.*
36 *In validâ syncope non est locus remediis.*
37 *Morbus, quo detinebantur Zeno Imperator, & Jo. Duns Scotus, non erat Syncope.*
38 *Syncope detentus, si post tres dies ad vitam redeat, magnam facit resurrectionis suspicionem.*
39 *Impossibile est cum forti Syncope ultra vigintiquatuor horas vivere.*
40 *Syncope dicitur quasi abscissio vitæ.*
41 *Quomodo fieri possit, ut homo absque ullo sensu, & motu vivat.*
42 *Privatio respirationis est ipsa mors.*
43 *Vita non potest esse sine respiratione.*
44 *Homo respectivè ad nos tantùm potest sine sensu, & motu vivere.*
45 *Ultra terminum trium dierum, cum morbo qui hominem motu, & sensu privet, non potest ullo modo vita superesse.*
46 *Syncope est ipsa mors.*
47 *Mors est confirmata Syncope.*
48 *Nemo moritur absque Syncope.*
49 *Terminus suspicionis vitæ brevior esse debet in syncope affectis.*
50 *Tres dies pro termino vitæ assignantur in morbis atonitis. Rationem vide n. seq. & 52.*
53 *Experientia varia ad dignoscendum, an homo mortuus sit, necne.*
54 *Ex quibus præcipuè signis cognosci possit, an homo, qui mortuus apparet, adhuc vivat, necne.*
55 *Ubi homo vivit, ejus oculi intuentium imaginem reddere solent.*
56 *Homo ex morbo non periclitatur, quam diu oculorum pupillæ imaginem reddunt. Falsum ibi.*
57 *Fœtore præsente, de morte dubium non est.*

De Mortuorum Resurrectione.

QUÆSTIO XI.

QUantò intimiùs in miraculorum naturâ investiganda hactenus penetravi, tantò promptiùs hominum, quorundâ vanitatem in illorum veritate cognoscenda, ac propalanda perspexi. Miratus antehac sum, quàm facile sibi persuadeant, non, inquam, posthumæ notæ homines, sed sapientissimi, & quibus non immeritò primas in scientiis deberi communi calculo receptum est, posse quædam opera mirabilia à natura, vel à casu contingere: tamen æquo toleravi animo, quòd morbos nonnullos difficiles, & verè ex miraculo sanatos, à Natura curatos fuisse, & curabiles extitisse astruxerint: magis me afficit, quod hominem à Natura propheratæ aliquando voluerint, quòd per imaginationem non modò extra mentem rapi, sed à terra etiam sublevari firmaverint. Ad mortuorū jam resurrectionem perventum erat, quam adeò Naturæ vires exsuperare existimabam, ut ex communi hominum consensu firmari posset, id esse semper absq; ullo dubio opus miraculosum, & abipsa divina potentia immediatè emanans: nihil enim excogitari posse in rerum Natura credideram, quod effectum, non dico parem, sed aliquâ vel minima ex parte simile promitteret, neq; ullam apparentem rationē, quæ id suaderet. Tamen & in hoc ipso opere esse aliquid, quod objicere, quivis sit, posset, adinveni, eo namque impudentiæ quorundam futilitatem, seu malitiosā credulitatem pervenisse comperi, ut non modò resurrectioni simile opus, sed & ipsissimam mortuorum resurrectionem à natura factibilem judicent, &, si Diis placet, idem etiam per simplicia quædam medicamenta sortiri posse effutiant. Sed ante hæc sequens ratio persuadere posset resurrectionem esse naturaliter possibilem: si enim naturaliter fit, ut animal, quod nunquam extitit, in lucem nascatur (licet hoc negaret Hipp. qui *lib. 1. de Diæt. n. 5.* nihil fieri asseverat quod prius non fuerit) multò faciliùs naturaliter erit, hominem, qui aliquando exiſtit, resurgere: quòd enim difficilius sit ex nihilo aliquid fieri, quam ex aliquo aliquid, videtur rationi consonum, & probatur ad id firmandum à Plater. *In Cent. Post. Quæst. Med. Parad. n. 34.* Præter hanc autem rationē afferuntur nonnulla exempla eorum, qui cùm mortui essent, non ex miraculo, sed naturaliter suscitati sunt. Inferam hic nonnulla eventa, quæ veritatis ob eorum raritatem officere possent, alia risu potiùs quàm admiratione excipienda, quorum plura ex Valerio Maximo, ex Plin. ex Cœlio Rhodig. & aliis referunt Ravis. *in sua offic. lib. 2.* & Mart. Delr. *lib. 2. disquis.*

*Magic.q.*29.plura quoq; hujuſmodi exempla notatu digna habes apud Majol.*dier.Can.Tom.*2.*Coll. de vatic.* Ferunt Appionem Grammaticum herbâ Cynocephalcâ Oſiriti Ægyptiis appellata Homerum in vitam revocaſſe,auctore Plin.*lib.* 30. *c.*2.Acilium Aviolam & L. Lamiam in rogo revixiſſe narrat Val. Max.*lib.*1.*c.*8.& idem Plin. *lib.* 7. *c.* 52. qui etiam de Ælio Tuberon idem refert, & de aliis nonnullis Soleo Plutarch. *de ſer.numin.Vind.* meminit, qui de ſublimi loco in cervicem delapſus, ictu abſq; vulnere accepto mortuus eſt, tertiaq; poſt die ſub ipſam funerationem revixit. Mirabilius eſt quod de Ere Pamphilio narrat Valler. Max. *ubi ſupr. ex Plat.* quòd ſc. revixerit, poſt 10.diem,quâ mortuus fuerat,Natiâtur & apud Medicos (ne has fabulas quis judicet) quamplurimi hujuſmodi caſus, quorum nonnullos vide apud Schenck. *lib.*1. *Obſerv.tit.de Apoplex. & lib.*4.4*tit. de ſuffoc.Uter.*Sed pleraſq; hominum reviviſcentium hiſtorias, qui legere cupit,legat Henric. Kornman.*de Mirac.mort.p.*2 *per totam.* Accedit his, quod de puero quodam, & de Epimenide Grioſio, ſeu Cretenſi narrat ſuprà citatus Plin, nempè eum dormiſſe annos 57.dehinc reſurrexiſſe. Idem ex Laërtio Diogene narrat Marcell.Donat.*lib.* 4.*hiſt.Med. mirab. c.* 12. additq; eum nunquam viſum fuiſſe comedere. Multo majorem admirationem affert, quòd Sigiſmund. Liber *in ſuis Moſcoviæ commentariis*, & ex eo Delr. memorat, homines nimirum quoſdam Lucomoriæ, trans flumen Obiuin, in montib. poſitum,ſub finem menſis Novembr. obdormire, ſeu, ut ipſe Sigiſmund.inquit,mori,poſt hæc ſub fine ſubſequentis Aprilis reviviſcere. Hanc ipſam horum populorum ſeu fabulam, ſeu hiſtoriam repetit ex Franciſc. Citeſio Medic.Fortun.Licet *lib.* 1.*de his qui diu ſine alim.vivunt*, *c.* 6.& Henr. Kornam. *de mirac. mort.p.*2. *c.*41. cum minori tamen admiratione hæc à me perlecta ſunt, qui ſimilia apud Herodotum legerim *lib.* 4. neſcio an de eiſdem populis loquatur, eos tamen ſex menſib. dormire narrat. Sed & ſuprà citatus Marcell. Donat. *ubi ſupr.* refert ex quodam hiſtorico, tempore Gregor.XI.ſummi Pontif. quendam ſcholaſticum ſeptem annis dormiviſſe, excitatumque mox per vim à ſomno,unam ſe noctem dormiviſſe ſibi perſuaſiſſe.Eandem habet hiſtoriam Kornman.*de mirac. vivor. tit. de dormient.* & repetit *lib. de mirac.mort. p.*2. *c.*28. eumque Lubecenſem Scholarem vocat. In Germania ruſticum quendam per totum autumnum,univerſamque ſubſequentem hyemem dormiviſſe teſtatur Lil. Girald. *in hiſt. poët.dial.* 4.ex quo repetit Torrebl *in Epit.del.lib.*2.*c.*22.*n.* 2.

Sed ad demonſtrandum, Reſurrectionem eſſe à natura factibilem,adduci poſſunt multæ experientiæ in cæteris quoq; animantib.quorum multa vel ex ſe,vel remediis adjuta à morte reſurgere adnotantur. Circa Scil. inquit Ariſt. *de admir.aud.p.*28. aquæ ſtagnum ineſſe aſſerunt,in quo ſi quis aves,cæteraq; ſuffocata animalia intinxerit,rurſus reviviſcere autumant. De Muſcis,de Anguillis, de Leone, de Pellicano, & de parva quadam avicula vide apud Mart.Delr.*ubi ſup.* Muſcas item, & Apuas poſt mortem reviviſcere teſtis eſt Card.*lib.*9.*de Subtil. in fin.* Apes quoque oleo enectas aceto reviviſcere dicunt & quanam id ratione contingat recenſet Licet.*lib.*1. *de ſponte. viven. ort.c.*39.*& lib.*3.*c.*54.Addamus his nos Bombycem, quem non modò ſuſcitari, ſed novam quoq; formam capeſſere eſt notiſſimum, unde eleganter Vida *lib.*1. *Bombycis:*

Ite Anima egregiæ, fortunataque laborum
Ultrò in fata alacres, ut vobis namque altera fato
Corpora debentur, vobis miſerata priorem
Eripiet formam Venus, atque ad dulcia reddet
Lumina,& aëreas rurſum revocabit in auras.

Vermiculos quoq; & ſcarabeos, & plura inſectorũ corpora pluries mutare,ac multoties reviviſcere, novaſq; formas capeſſere,quicunq; experiri volet,facilè poterit,& expertus eſt millies ſolertiſſimus Medicus Petr.Caſtel.qui & librum quoq; de inſectis confecit ab ipſomet effigiatum,& variis inſectorum imaginib. ingenioſiſſime ornatum. Famoſiſſimum inſuper eſt, & ſanctis etiam quibuſdam viris acceptum, ut Ambroſio, Nazian.Euſeb.& aliis, quod de Phœnice jactatur,de quo etiam Lactant. & Claudianus cecinerunt, & de quo meminit quoq; Herodot.*in Euterpe.* Quin & hiſtoriæ,quæ de Phœnice narratur non abſimilem affert Cardan. *lib.* 10. *de ſubtil.* de Ave Semenda nomine, quæ roſtrum habet triplici ordine, atque ut in Ellychniis undequaque perforatum. Hæc cùm moritura eſt, dulce canit Cycnorum exemplo, inde collectis ſarmentis motu alarum ignem excitat flammiſq; excitatis comburitur,& ex ejus cinere vermis, tum ex verme avis denuò renaſcitur.

Præterea Marcell.Donat.*lib.*4.*hiſt. Med.mirab. c.* 12. ex Martin. Cromero *lib.* 1. *hiſt. Polon.* narrat. in Polonia minores quaſdam aves, ut hirundines, & cypſelos implicitis inter ſe pedib. conglobatas in lacus & paludes, piſcinaſque ſub hyemis initium ſeſe immergere,nec excitari uſq; ad novum ver. Capi autem à piſcatorib.hyberno quandoq; tempore, & ſine ullo ſenſu & motu,aut vitæ adminiculis reperiri,ſe i igni admotas reviviſcere,licèt illicò ab externo ambientis aëris frigore de novo extinguantur,Plãtas quoq;ipſas reſurgere, & earum ligna etiam dolata reviviſcere,& patet ex iis, quæ recenſet Theoph. *lib.* 5. *de cauſ. Plant. c.*4. Quib.adjiciam quod ex Quercetano, & Libavio commemorabat ſuprà nominatus Petr. Caſtellus, nimirum cineres quarundam herbarum denuò ex arte reviviſcere, & in ſui generis plantam redire, quod de urtica præcipuè narrat idem Quercetanus, ut id Caſtell. retulit. Multa demum naturalis reſurrectionis exempla efferuntur à Levino Lemn. *lib.*1.*de occult.Nat.Mirac.c.*24.

Ex quib. omnib. videbatur, Reſurrectionem poſſe aliquando merè naturaliter contingere: quæ tamen cum partim falſa ſint, partim ad ſuas naturales cauſas reducibilia, & nullam ea propter in ſe admirationem habentia, ita ut ad ejus rei probationem nihil faciant,hæc concluſio firmata ſit, & inconcuſſa, Reſurrectionem mortuorum opus eſſe miraculoſum, & vires naturæ creatæ adeò tranſcendens,ut neq; ſimile quid ab ipſa promitti poſſit:& videtur ea concluſio ex ſacræ Script.verbis deprompta, Job. *c.* 14. *v.*12.*Homo cùm dormierit, non reſurget*, ſc. impoſſibile eſt ut naturaliter reſurgat.Malvet.*de Canon. Sanct. dub.* 3. *n.* 18. Unde probare non poſſum Tiraquelli verba *de Nobilit. c.*3.*n.*35.dicentis: *Quid refert, utrùm anima denuò in artus relictos divinitus reponatur, an penitus in corpore ſepulta morbique victoris oppreſſa viribus arte curaque Medici ſuſcitetur atque eliciatur,ſanique certò migratura retineatur! An non penè paria ſunt,mortuum reſtituere, & mox moriturum ſervare,ejuſque animam in corporis latibulis delitescentem ab ipſo limine mortis revocare?* Hæc Tiraquell. Quæ adeò à vero longè abſunt, ut non modo hæc paria non ſint, ſed toto cœlo diſparata: mortuum namque ſuſcitare, nonniſi per ſupernaturalem potentiam fieri poteſt:moriturum ſervare, non ſolùm à Natura, ſed etiam ab Arte poſſibile.

Sed ne prædicta abſque reſponſione relinquamus, dicendum primò ad id quod opponebatur eſſe nempe difficiliùs,animal quod nunquam extitit, de novo

in lucem prodire, quàm ſi quando exſtitit, reſurgere: reſpondendum, inquam, negando hanc concluſionem: Ratio negationis eſt, quia paria ſunt non eſſe, & nunquam fuiſſe quoad novum eſſe: & ad id, quod in confirmationem additur, quod difficilius ſit ex nihilo aliquid fieri, quàm ex aliquo aliquid, dico quod veritatem habeat in via Naturæ, quia ipſa ex nihilo nihil producit, at nunquam ex nihilo ipſa creat animal. Non transferenda eſt ergo creatio ad Naturam, ſed ad divinam potentiam abſolutè; unde hinc deduci non poteſt; faciliorem eſſe reſurrectionem naturaliter, quàm novam animalis productionem.

6 Cæterum ad id, quod pertinet ad eos, quos revixiſſe fuerunt, ſi poſt congruum tempus id factum dicant, nam de Ere Pamphilo poſt 10. dies reviviſcente fabula mera eſt (illos non fuiſſe verè mortuos, ſed potiùs Apoplexiâ, vel conſimili morbo detentos, ex quo è vivis ceſſiſſe apparent, cùm tamen adhuc vivant: eo autem morbo diſcuſſo, manifeſtè vivere cernuntur, & ignorantib. ac fatuis, idiotiſq; reviviſſe, & à mortuis ſuſcitari exiſtimantur, quod & ex Ariſt. probat Licet. *de ſpont. vivent. ort. lib.* 4. *c.* 5. at in Medicina facienda hæc non adeò de raro eveniunt, ut multam admirationem nobis incutiant; non tamen id firmari poſſet quandocunque, ſed congruo tantùm tempore, ut dixi, nempe infra tres dies à putativa morte; nam ſupra hunc terminum difficillimum, & fortaſ-
7 ſe etiã impoſſibile eſt, hominem naturaliter revixiſcere, ob rationem de qua infr. Unde non ſine myſterio Lazarus poſt quartum ſuſcitatus eſt, ad inſinuandum nempe omnes vitæ terminos in eo præteriiſſe, ne dubium aliquod intercedere poſſet, quòd non eſſet mortuus, ſed apoplexiâ, aut hujuſmodi aliquo morbo detentus; quin & in eo mortis manifeſtiſſima ſigna erant conſpicua, fœtebat enim jam, & corruptionem patiebatur.

Præterea quod à Plin. & aliis narratur de puero per 57. annos dormiente, (niſi fabuloſum; & riſu dignum judicare id velis) dicendum, hoc non aliter eveniſſe in hoc, quàm in his, qui abſq; cibo, & potu diutiſſimè vivunt: aut quomodocunq; ſit; neq; hic, neque
8 Lubecenſis Scholaris ille, erant verè mortui, ſed dormientes vivebant. Major ſuſpicio intercedere potuit niſi miraculum intercederet, de ſeptem Sanctis quibuſdam viris, qui in perſecutione Decii obdormiſſe dicuntur annis 196. & ſomno occupatos fuiſſe, hinc evigilaſſe, ſeu potiùs reſurrexiſſe temporib. Theodoſii, ſi rectè memini. De viris porrò illis Lucomoriæ
9 trans flumen Obium, quid ſit dicendum, docet Delr. eſſe nimirum quid commentitium, ac fabuloſum: & tamen, etiandi pro vera hiſtoria admitteretur, non eſſet par ratio in reſurrectione mortuorum; ſomnum enim hunc libentiùs dicerem, quàm mortem; & ad inſtar quorundam animalium, quæ menſibus hyemalibus ſomno occupantur, eos populos quoque tali natura prædito dixerim, neque eſſet quid adeò à Natura alienum, ut omni fide indignum exiſtimandum, ſtante præſertim veruſtiſſimo ejus rei Herodotis teſtimonio, de quo ſuprà, confirmato novâ non contemnendi auctoris atteſtatione.

10 Quod autem de herbis quibuſdam recitare auſi nõnulli ſunt, confutatione non eget. Quòd ſi Dæmonis operâ mortuos ad vitam revocare quarundam herbarum vi aliqui viſi ſint, hoc ipſius Dæmonis præſtigium fuit, non quid reale. De Leone vero, & Pellicano, non habeo quid dicam, niſi quòd hæc, ut pleraq; alia, falſa credam. Inſecta antẽ nonulla, aut plura, & ex putri materia naſcentia animalia quædam, quomodo reviviſcere poſſint, & quòd renaſcentia eadem numero non ſint, declarat Delr. *ubi ſupr.* & ex noſtris Medicis Licet. *lib.* 3. *de ſpontan. vivent. ort. c.* 54. Ego dixerim, quòd cùm his calor ſit pro anima, facilè hic latea in materia illa putrida, ac tenaci: dũ latet autem, mortua videri animalia; cùm denuò calor emergit, & ſeipſum detegit, materiæ ipſi motum communicans, animalia denuò vivere conſpiciuntur. 11

Verum enim verò dubium movebat idem Delr. utrùm nempè poſſit Dæmon inſecta, & ſimilia imperfecta animalia, propria virtute ad vitam revocare; mihi tamen incaſſum dubitari de ea re videtur, ſi propoſitionem adeò reſtringamus, ut de reſurrectione propriè ſic dicta; non autem ſimilitudinariè, & æquivocè intelligamus: nempe quòd animalia ad vitã revocata, eadem numero ſint cum jam præmortuis; hæc enim eſt vera reſurrectio, cujus nedum inſecta, ſed quæcumque animalia irrationalia quantumcunq; 12 perfecta, ſunt omnino incapacia. Anima enim quorumcunq; animalium, uno excepto homine, per mortem corrumpitur, & in nihilum omnino abit. Quod ſi poſſit Dæmon idem animali numero, cum eo quod jam corruptum eſt, ſuſcitare, poterit idem ſua potentia facere, ut idem affectus numero, ſemel corruptus, de novo producatur, quod neq; per ipſam potentiam divinam eſt factibile, ut infrà dicemus. Corrupta ergo priori forma, non poterit Dæmon ex materia, quam anima illa informabat, eandem formam educere, non exiſtentib. in materia iiſdem diſpoſitionibus quæ inerant in prioris animæ eductione. Quòd ſi novas diſpoſitiones introducere poſſit (quod non inficior) novam item formam, & animam eliciet, non eandem numero cum ea, quæ materiam illam informabat. Nunquam ergo poterit Dæmon idem animal 13 numero, etiam ex inſectorum genere, ad vitam revocare, ſed materiam anima deſtitutam, in iis quæ ex putri materiâ præcipuè oriuntur, de novo vivificare, introducens novum calorem, & ſpiritum, aut animam ex novis materiæ diſpoſitionibus elicitam. Torreblanc. *in Epitom. delict. lib.* 2. *c.* 10. *n. ult. & lib. eod. c.* 35. *n. ult.* nunquam tamen talia inſecta, aut alia ſic ſuſcitata, erunt eadem numero cum jam corruptis. De Phœnice tandem quid dicam, non habeo; ſi ullam veritatem habent, quæ de eo jactantur, non ſine ſpeciali fortè Dei voluntate, & non ſine aliquo occulto myſterio, animal illud eo modo interire, & reſurgere dixerim. De ave ſemenda Card. nihil addo: apud alios auct. fide dignos adhuc de ea nihil inveni.

Sed jam his relictis, adnotandum venit ex Delr. *ubi alias*, quod cùm reſurrectio ſit unius ejuſdem que numero animalis, nullum animal verè reſurgere dici 14 poteſt præter unum hominem, Meletius *de natura hominis*. 15 Hic enim ſuſcitatus à mortuis verè eſt idem homo, qui ante mortem, Bald. *apud Malvet. de Canoniz. Sanct. dub.* 3. *n.* 7. *&* 10. *& ſeqq.* Homo namque 16 ita propriam formam à corpore ſegregatam habet, ut ab eo ſeparata per ſe exiſtat & vivat, cætera verò animalia ita corpori habens cohærentem & annexam, ut ab eo ſegregari nequeat, ſed materiâ corruptâ corrompitur & ipſa, & in nihilum abit, tanquam ſi nunquam in rerum Natura fuiſſet.

Itaq; ſi verum eſt, implicare contradictionem effectum numero ſemel corruptum à Deo reproduci, 17 jam verum inſimul erit, neq; ipſum Deum poſſe idem 18 animal numero (de brutis intelligo, non de rationalib.) cùm corruptum fuerit, ad vitam revocare; novam enim formam reſurgere oportet ex potentia 19 materiæ, quæ eadem cum priori nunquam eſſe poterit. Reſurrectio ergo hominis ob hæc, ex virtute Dei poſſibilis eſt; bruti verò nequaquam, quia incapax eſt reſurrectionis.

Ex dictis manifeſtè elicitur, Reſe ſurrectionem fieri 20

per novam introductionem ejuſdem animæ in idem
21 corpus,quod ante mortem informabat, ita ut homo reſurgens nihil à ſeipſo,neq; in temperatura,neq; in ætate,neq; in effigie, neq; in quavis alia re mutatus exiſtat. At Equus, Taurus,Elephas, aut aliud quodcunq; animal, ſi ullo modo reſurgere dici poſſunt, (poſſunt enim impropriè, ſi ab iiſdem corporib. elicitur alia forma,introductis antea requiſitis diſpoſi-
22 tionibus in materia)valdè à ſeipſis mutata exiſterent, neq; eadem ætate,neque eodem temperamento,neque iiſdem viribus,fortaſſe neq; eodem aſpectu,neq; eadem habitudine, quam ante mortem habebant, donarentur, quia omnia hæc à novo forma immutata emanarent: & in ſumma non eſſe idem numero Equus, idem Taurus, idem Elephas, quia erat priùs, immò neque ſibi ſimilis, quia variarent diſpoſitiones cadaverum à diſpoſitionib. ſeminum, niſi hoc peculiariter fieret ex divina potentia, ut idem animal in omnib. appareret. Sed an aliquis alius modus,ſit, quo poſſet Deus brutum ſuſcitare, ut formam à materia ſejungere,& à corruptione, & annihilatione conſervare, hoc ego Theologis dijudicandum relinquam: illud ſatis ſit, quòd cùm brutum fuerit mortuum, ſimpliciter loquendo, nullo modo poterit ſuſcitari.

23 Ex his inſuper patere poteſt, cur reſurrectionis opus à natura eſſe non poſſit,in brutis enim (ultra rationem,quæ militat in homine,de qua infrà)jam diximus eſſe impoſſibile quia eorum forma corrumpitur, & in nihilum abit, naturaliter autem ex nihilo nihil fit, ut ex Philoſopho notat inter Canoniſt. Roder. *Quæſt.Canon. & Regul.q.*11.*art.*2. *Tom.*3. Quod enim non eſt, non generatur, cùm non ſit unde generetur. Hipp.1. *de vict. ratione.* In homine autem patet,quia mors eſt privatio vitæ, & à privatione ad habitum naturaliter nõ datur regreſſus,ut protritum in Philoſophia eſt. Ariſt. 5. *Phyſic.* & inter Juriſcon-
24 ſultos notat Malvet. *de canon. Sanctor. dub.* 3. *n.*53. Quib.adde, quòd cùm naturaliter productio naturalis alicujus effectûs ſequatur ad proprias diſpoſitio-
25 nes,introductas in quo fiunt,jam ſequitur,quòd cùm in cadaverib. non ſolùm non adſint illæ diſpoſitiones, quæ requiruntur ad novam vitam in materiam
26 introducendam, ſed potiùs his contrariæ, nullo modo naturaliter fieri poterit vera reſurrectio, quæ ad novam vitam conſequitur.

Cæterum quia contingit in examine hujus miraculi dubitare,an is,qui reſurrexiſſe præſumitur,mortuus verè eſſe, necne, idcirco quatuor puncta jam nobis diſcutienda veniunt; quorum *primum* eſt, ut enarremus eos morbos, ex quibus homines interdum contingit ita affici, ut omnino pro mortuis judicari poſſint, hinc morbo diſcuſſo,à morte ſuſcitati. *Secundum*,an poſſit homo abſq; ullo ſenſu & motu
27 vivere, ita ut à vere mortuo nequaquã diſcerni poſſit. *Tertium*, qualis eſſe poſſit in eo morborum ſtatu
28 vitæ terminus, nimirum quot dieb. homo vivere adhuc præſumi poſſit,motu & ſenſu jam orbatus. *Quartum*, quibus potiorib. ſignis diſtingui poſſint aliquo
29 morbo detenti ab his,qui jam verè è vita exceſſerũt.

Et circa primum dicendum, tres præcipuè morboseſſe, in quib,ſolet homo aliquando abſque ullo ſenſu & motu permanere, & mortuo ſimillimus ap-
30 parere, hos eſſe apoplexiam, ſyncopem, uteri ſuffocationem. Verùm ad apoplexiam revoco epilepſiam, quandocunque ita gravis fuerit, ut ab eadem apoplexiâ etiam forti diſtingui non poſſit, quemadmodum aliquando evenire dixi aliàs *lib.*2. *harum qui eſt. tit.*1.*q.* 14. *n.* 16. Ad apoplexiam item revoco ſuffocationem ex qua, quia licet vulgo perſuaſum ſit, aquâ ſubmerſos ex eo,quòd multum aquæ hauriant, perire;tamen ſuffocari potiùs ipſos conſtat, quòd reſpirare non poſſint, ut probat plat. *Quæſt. Med. Paradox.Centur.Poſth. n.*55. ad eundem morbum revoco ſuffocationem ex laqueo:nonnulli enim, cùm per plures horas ſuſpenſi perpendiſſent, & eorum corpora aut veſpillionibus, ut ſepulchris conderentur, tradita eſſent, an Anatomicis diſſecanda, inter opus revixerunt: lege, ſi libet, Marcell. Donat. *de hiſtor. Med.mirabil. lib. ult. c.* 9. & alia exempla mirabilia apud Schenck.*Obſ. lib.*2. *tit. de ſuffocat.* Ad eandem apoplexiam revocandi, qui ex carbonum fumo ſtrangulantur,ut iis evenit,de quib.Paræus *in tract.de Renunciation.* & aliis apud Schenck *ubi ſup.* Ad eundem effectum revocanda ſuffocatio ex ebrietate, ex vapore vini,aut cereviſiæ, cùm ebulliunt, ex fulminis ictu,ex cerebri percuſſione,& concuſſione, ut in iis,qui ex alto cadunt, ex aëre item corrupto exſpirante ex cavernis puteis, ſubterraneis locis, ex foſſis in quibus frumenta aſſervantur,& cloacis, ſentinis, & hujuſmodi. Huc etiam revocanda, ſuffocatio ex fumo Mercurii, Arſenici, & ſimilium medicamentorum, cui maximè obnoxii ſunt Argentarii, & qui 31
ex morbo Gallico aut inunguntur, aut ſuffumigantur. Ac denique huc revocanda ſuffocatio, vel animi defectus ex peſte; multi enim ob tetrum corruptumque vaporem peſtilentem animo linquuntur atque deficiunt, ut omnino mortui appareant, cùm tamen adhuc vivant: de qua re vide nonnullas obſervationes ſcitu dignas apud Guillelmum Fabric. *centur.* 2. *obſervat.* 95.*& ſequent.*in omnibus enim commemoratis caſibus, hiſque ſimilibus, homines aut ſyncope corrupti ſunt, aut apoplectici verè fiunt, aut illis ſimiles, & ab iis, quatenus ad rem noſtram pertinet, nequaquam diſtinguendi: nam & aliqui eorum, qui aliquo ex his modis affi-
ciuntur, ſuffocanturve, aliquando poſt duos aut 32
tres dies ad vitam revocantur: de quibus omnibus exempla vide apud Schenck *loco citato*, *& libro primo Obſervat. titulo de Apoplexia*, & apud Dominic.Terill.*libro de cauſ.repent.ſent.mort.ſect.*6.*cap.*6. peculiariter autem de ſuffocatis, aut de aqua ſubmerſis Alexand. Bened.*libro* 10.*cap.* 9. quibus maximè animum advertere debet Lector humaniſſimus, præcipuè ſi medicinam minimè callet, cùm facillimè his, qui ejus artis expertes ſunt, imponi poſſit, hominem aquâ ſubmerſum, aut laqueo ſuſpenſum, aut qui ex alto deciderit, aut aliquod eorum, quæ commemoravimus, expertus ſit; omnino fuiſſe mortuum, præſertim ſi per unum aut alterum diem nullam vitæ ſignificationem præbuerit, & abſque ſenſu, abſque motu, abſque reſpiratione apparuerit. Is ergo ſi ad vitam redeat, difficillimè perſuaderi, quiſquis ſit, poterit, illum non reſurrexiſſe, quia mortuus omnino exiſtimabatur, cùm tamen revera apoplexiâ detineretur, & adhuc viveret. Sunt ergo omnes ſupradicti caſus ad apoplexiam reducendi, & quæcunque de apoplecticis dicentur, iis etiam applicanda; quemadmodum applicari etiam poſſent ſyderatis,ſeu attonitis, congelatis, caroticis, catalepticis, lethargicis, & hujuſmodi; quanquam hi morbi nunquam ad tantam vehementiam perveniunt, ut homines omnino ſenſu & motu deſtituti appareant: patet enim hos univerſos integram habere reſpirationem, & faciem ſervare ſibi ipſis viventibus ſimillimam; quæ duo ſigna facillimè, nulloque negotio poſſunt illos à verè mortuis ſecernere. Non eſt ergo quòd inter priores morbos apoplecticos, hos quoque adnumeremus, quanquam id præſtitit Martin. Delr. *ubi ſuprà*, de quo circa hoc particulare non curandum.

[Ita

[Ita *Joannes Duns Scotus* apoplecticus, ante mortem veram ſepultus, in ſepulchro tandem ad ſe rediens mori coactus dicitur teſte *Vitali*. Vide *Strauſſii* Fœtum *Muſſipontan.* pag. 206.]

Porro ſyncope eſt præceps virium lapſus, & ruina, Galen. 12. *Method. medend. cap.* 5. & inter Juriſconſultos ex eodem Galen. Auguſtinus Barboſa *in collect. doct. lib. tertio, tit.* 41. *c.* 9. *num. decimo, Tom.* 1. ſed de ſyncope illud admonendum, quòd alias *lib.* 2. *quæſt.* 19. *numero quarto*, admonebam, nitnirum eam diſtingui à lipothymia, & ab animi deliquio ſecundum magis, & minùs, & alio etiam ex capite: nam Mercatus *lib. de Interp. morb. curat. cap. decimo*, voluit non pertinere utrumque morbum ad eandem partem, ſed animi deliquium, & lipothymiam ad cerebrum, ſyncopen verò, ad cor, & ſyncopen includere animi deliquium, non tamen è contra, quia in ſyncope omnes facultates concidere dicebat, non unam tantum, ut in animi deliquio. Unde eſt, quod ſyncope poteſt quidem ad eam vehementiam pervenire, ut ſenſu & motu omni hominem privatum repræſentet, & mortuo ſimilem efficiat, at lipothymia, & animi deliquium id non poteſt, Capivac. *comm. Aphor.* 1. 24. nam ut Jacchinus teſtatur, *in nonum ad Almanſ. cap.* 21. muti à mortuis nihil differunt: qui duo affectus ob minorem, aut majorem tantùm ſymptomatis gravitatem inter ſe differunt, Portò male ſyncope, & lipothymia confunduntur, tamen fecit Delrius *loco aliàs citato*, quod notatur à Medicis omnibus, Fernel. 2. *Method. cap. decimo*, Amat. Luſitan. *Centur. tertia, curat.* 31. *in ſcol.* Altimar. *de medend. humani corpor. mal. c.* 55. Riol. *in Meth. partic. cap.* 15. *ſect.* 2. Capivacc. *ubi ſuprà* Maſſaria *libro* 2. *Pract. c.* 9. Jacchin. *in nonum ad Almanſ. ubi ſuprà* Mercurial. *pract. lib.* 2. *capite item* 9. Holler. *lib.* 1. *de morb. int. cap.* 30. Foreſt. *lib. Obſer. ſeptimo, in ſchol.* Ejuſdem quoque erroris cum Delrio
33 notantur à Maſſaria, ubi proximè, recentiorum nonnulli, qui tamen neſcio cur Aëtium ejus erroris redarguat, quòd *cap.* 101. *ſermon.* 5. hæc dixerit. Differt autem animi deliquium (quod ſuprà lypothymiam vocari dixerat) à ſyncope, quod animi deliquium derepente incidat, ſenſu, & motu hominum privans, & omnino non ſudans: ſyncope verò & vigilantes, & dormientes invadit, & omnino cum ſudoribus, qui ſyncoptici appellari ſolent. Aëtius ergo unum ſymptoma ab alio diſtinguit, licet fortaſſe eâ differentia, quam ille affert, aliis non ſit undequaque accepta.

34 Sed his relictis admonendum præterea eſt, nullatenus fieri poſſe, ut forti ſyncope detentus longo tempore vivat; afficitur enim in hac paſſione mirum in modum ipſum cor principaliter, quod non
35 poteſt magnum morbum ſuſtinere ad longum maximè tempus, morbi enim cordis ſtatim atq; inceperint hominem jugulant, Galeno teſte 5. *de loc. aff. c.* 2. præcipuè verò ipſa ſyncope, ut idem tradit *comment.* 2. *Aphor.* 41. longum autem tempus in hoc caſu intel-
36 ligo, quod pertranſit ſpatium viginti quatuor horarum: idcircò nempe à Paulo *lib.* 3. *cap.* 24. cui & aſſentiuntur alii, ut Piſo *ſuæ pract. lib.* 2. *c.* 12. dicebatur, in valida ſyncope non eſſe locum remediis; & hoc nonniſi ob celeritatem interimendi, eademque ex cauſa dicebatur à Rabi Moyſe 6. *Aphor.* 7. & ab Aræteo *lib.* 2. *cap.* 3. totum ingenium Medici debere eſſe in hoc affectu prævidendo, & præcavendo, annunciandoque; qui enim illum non prævidet, nec præcavet, aut periculum non præcidit, mortui hominis reus eſt, & in ſumma ſyncopen aut ſtatim interficere, aut nocte ſequenti, nunquam autem ultra
37 biduum extendi, teſtatur ex recentioribus. Cæſalpinus *lib.* 6. *Art. Medic. cap.* 22. Hinc patet morbum quo detinebatur, ac quo ſæpè ſæpiùs corripiebatur Joannes Duns Scotus, non fuiſſe ſyncopen, ut ex Jovii auctoritate voluit Delrius, *ubi aliàs*, ſed potiùs apoplexiam, vel fortem epilepſiam, non enim ſyncopen tanto tempore ſuſtinuiſſet: neque ſimiliter Zenonem Imperatorem ſyncope detentum fuiſſe crediderim, cùm omni ſenſu amiſſo, ſepulchro mandatus eſt, in quo inventus fuit præ fame ſuos ipſe lacertos, caligaſque quas geſtabat, commandaſſe, ut recenſet ex Baronio Kornman. *de mirac. mort. p.* 7. *c.* 59.

Ex his igitur eliciendum videtur, quod ſi conſta- 38
ret hominem ſyncope valida, & graviſſima detentum, per duos aut tres dies revixiſſe, majorem multò faceret miraculi ſuſpicionem, quàm ſi Apoplexiâ, 39
vel conſimili morbo, vel uteri ſuffocatione detentus fuiſſet, quia, ut dixi, impoſſibile eſt cum forti ſyncope ultra viginti quatuor horas perdurare; adeò 40
enim præceps in occidendo is morbus eſt, ut idcircò ſyncope dicatur: hoc eſt, abſciſſio vitæ, ut prædicti Medici adnotant. Altomar. *cap.* 15. & ex Juriſconſultis Auguſtinus Barboſa *in collect. doctor. libert.* 3. *titulo* 11. *cap.* 9. *n.* 16. *Tomo primo*, & ſumma cum ratione à Græcis Oxyctona morbus hic dicitur, nimirum citò jugulans, teſte Aret. *libro* 2. *Acut. cap.* 3.

Tertius morbus, ex quo homo tanquam mortuus 41
aliquando apparet, nullo ſenſu aut motu, imò ne reſpiratione quidem vivere ſe manifeſtans, fœminarum proprius eſt, & eſt, ut dixi, ſuffocatio ex utero: ex quo morbo tam ſopitæ, inventæ ſunt nonnullæ, tanquam à vita alienatæ, ut tanquam mortuæ ſepulchris ſint demandatæ; quin & earum aliquæ utero gerentes in ipſis ſepulchris peperetunt: eamque ob rem non omninò fabuloſam exiſtimavi hiſtoriam à Boccacio recenſitam, in *Decam die* 20 *fac. ell. quarta*. Quin & alias hiſtorias huic ſimiles & multo forte admirabiliores legere conceditur recollectas per Schenxium *libro* 4. *Obſerv. tit. de uteri ſuffocat.* inter quas illa præ omnibus notabilis, quæ de nobili muliere narratur, quòd ſimili morbo mortua jam credebatur, ad quam diſſecandam vocatus inſignis quidam Medicus, celeberrimuſque Anatomicus, ad ſecundam adactæ novaculæ impreſſionem, illa motu, & clamore vivam ſe manifeſtavit, cum tanto ejus Medici dedecore, ut eo mœrore confectus non multo poſt obierit. Itaque conſuetum eſſe, etiam in iis mulieribus, quæ ex utero ſuffocantur, ſeptuaginta duas horas, non minùs quàm in iis, qui Apoplexiâ moriuntur, expectare, antequam ſepulturæ tradantur, ut notat Alexand. Bened. *ſuæ pract. libro* 10. *capite* 10. & Daniel Sennert. *libro* 4. *pract. part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 4.

Sed in hoc morbo, hoc præcipuè, quod ad rem noſtram facere poteſt, adnotandum; nempe eas quæ ex utero ſuffocantur, non ſemper eodem modo ſuffocari, quia interdum, ut notat idem Sennert. *loco cit.* in iis afficitur cor, & hoc pacto in ſyncopen labuntur, & ſic aut mortuæ apparent, aut verè moriuntur; aliàs autem fiunt Epilepticæ, quin etiam interdum fiunt Apoplecticæ, & veluti Apoplecticæ jacentes, eodem modo dubium de earum morte excitant. Hæc autem differentia ſymptomatum inde enaſcitur, quòd vapores tetri ac maligni, ſeu venenata illa aura, quæ vel ex menſtruis retentis, ac corruptis, vel ex ſimilib. humorib. vel etiam ex retento & corrupto ſpermate elevatur, modò hanc, modò illam partem feriunt, & labefactant, non verò ſemper unam eandemque: unde, ſi cor petant, ſyncopen excitant; ſi verò cerebrum ejuſque ventriculos,

Epilepſiam, & Apoplexiam. Quamobrem ubi ſuffocata ex utero mulier mortua diceretur, ac deinceps reſurrexiſſe, probandum eſſet per Medicos, qui eam curaſſent, aut quomodocunque præſentes fuiſſent, an ſyncope, aut Apoplexiâ mortua eſſet, & de ſignis maximè eſſet inveſtigandum, cùm promptiùs admitti poſſit miraculum, ubi ſyncope mulier detenta poſt tres dies reſurrexiſſet, quàm ſi Apoplexiâ percuſſa poſt tantundem temporis ad vitam fuiſſet revocata, ob rationem, de qua ſuperiùs mentionem habui, nimirum, quòd difficillimum, immò etiam impoſſibile ſit, ſyncope detentam per tres dies ſupervixiſſe, non ſic autem detentam Apoplexia, cùm in ſyncope confertim, ac ſubito mulieres ſpiritus evaneſcant.

Circa ſecundam dubitationem, in qua quæritur, quomodo fieri poſſit, ut homo abſque ullo ſenſu & motu, etiam ipſius pulſus, & reſpirationis vivat, dicendum, hoc ſimpliciter, & realiter nequaquam poſſibile eſſe, quia privatio reſpirationis eſt ipſa mors. Averr. *Collig. capite* 39. neque poteſt eſſe vita ſine reſpiratione, nec conſequenter ſine motu, neque reſpiratio ſine vita, Galen. 6. *de loc. aff. cap.* 5. *claſſ.* 4. Valeſc. *lib.* 3. *Philon. cap.* 14. Gordon. *in Lilio, part.* 7. *cap.* 10. Altomar. *pract. cap.* 110. Maſſaria *pract. lib.* 2. *cap.* 9. Fortun. Fidel. *lib.* 4. *relat. Medic. cap.* 1. adeò ut ſpiratio, & vita convertantur, cùm ſpirantem non vivere, aut viventem non ſpirare ſit impoſſibile. Gal. *ubi ſuprà* Mercat. *de Intern. morb. curat. lib.* 1. *cap.* 13. Hieronym. Fabrit. *lib.* 1. *de reſpir. cap.* 1. ſed ſi libet, vide de hac quæſtione *Claudin. in Reſp. Med.* 14. & Daniel. Sennert. *lib.* 4. *pract. part.* 2. *ſect.* 3. *capit. quarto*, Aliqui ergo non aſſequentes ſenſu, apoplecticos, ſuffocatos, ſyncopizantes, & hujuſmodi reſpirare, dixerunt in illis ſervari tantummodò tranſpirationem, quam ſufficientem eſſe volunt ad vitam utcunque conſervandam. Reſpectivè ergo ad nos, & ſenſum noſtrum, homo poteſt abſque ullo ſenſu, & motu etiam pulſus, & reſpirationis vivere, ita ut à verè mortuo vix, ac ne vix quidem dignoſci valeat, ſic enim concludunt Auctores omnes ſupra citati, & alii, quos recenſere eſt ſupervacaneum.

Circa tertium dicendum videtur, quòd ultrà terminum trium dierum, cum tanto morbo, qui hominem quoad nos, ſenſu & motu privet, vitam eſſe ſuperſtitem pro impoſſibili ſit exiſtimandum, & hoc dico univerſaliter loquendo de omnibus prædictis morbis, quia ſi ad particulares caſus deveniamus, de ſyncope aliter ſentiendum, ut ſuprà innuimus, terminumque breviorem circumſcribendum cenſeo quia ſyncope eſt ipſa mors, dicitur enim diſſolutio nexus naturæ ab Aretæo, unde convertuntur mors, & ſyncope, cùm utraque diſſolutio nexus naturæ ſit & ſyncope nil aliud ſit quàm principium mortis, mors autem nihil aliud quàm terminus ſyncopes, ſeu ſyncope confirmata, Gerard. Cremonenſ. ex quo Valleſc. *ubi ſupr.* unde benè idem Valleſc. & cum eo Duret. *in Holler. pract. lib.* 1. *c.* 30. *in annotat.* neminem mori dixerunt abſque ſyncope, ita ut quamvis fortis Apoplexia, & quælibet ſuffocatio, etiam ex utero, tanti morbi exiſtant; non occidant tamen niſi ſuperveniente ſyncope, ex qua diſſolvitur tandem nexus naturæ, animal interit.

Ex quibus multo magis roboratur allata opinio, quòd nimirum breviorem terminum aſſignare debeamus in ſyncope affectis, ut pro mortuis habeantur, quàm in iis, qui Apoplexiâ, aut conſimili morbo detinentur. Quid autem differat, & ex quibus potiſſimùm dignoſcatur ſyncope à cæteris illis morbis, Medici optimè noverunt, quorum teſtimonia in particularibus adhibenda. Duo tamen ſunt præcipuè, ſudores frigidi in ipſa acceſſione ſyncopes, qui in aliis morbis non comparent, & recordatio poſt acceſſionem, quæ in Apoplecticis, & conſimilibus abeſt. In cæteris ergo morbis tres dies pro termino vivendi aſſignantur ab omnibus. Avic. *part.* 3. *tract.* 5. *cap.* 12. Valleſc. *libro primo, Philonii*, c. 19. *in clar.* Savonarol. *in pract. magn. cap.* 1. *in dub. ac Apoplex. & ibid. rub.* 10. Paſchal. *libro primo, pract. cap.* 13. *in fin.* Fontanon. *Pract. lib.* 1. *cap.* 16. Lemnius *de occult. nat. mirac. lib.* 2. *cap.* 3. Cæſalpin. *Art. Medic. lib.* 5. *cap.* 3. 4. Mercurial. *pract. lib.* 1. *cap.* 19. Dominic. Tetill. *de cauſ. repent. mort. ſect.* 6. *cap.* 2. *& alii.* Rationem ejus termini eſſe voluerunt omnes, humorum motum, tanto enim, inquiunt, ſpatio, nempè horis 72. omnes humores ſuum motum habent; itaque ſi humores immoti jam conſiſtant, mortis ſignum eſt exploratiſſimum; cum eorum enim motu ſigna vitæ manifeſta apparerent. Ego, quicquid ſit dicendum de hujuſmodi humorum motu, non aliam cauſam agnoſco, niſi difficultatem, & impoſſibilitatem ulteriùs protrahendi vitam, cum tam ſævo, ac tam valido morbo, ob quam etiam ſupervacaneam putat eam tridui expectationem Fortunat. Fidel. *libr.* 4. *Relat. Medic. cap.* 1. quæ tamen omninò eſſet obſervanda ob varios ſucceſſus, de quibus pletique ex ſuprà citatis.

Circa quartum denique, admirationem quidem præbere poteſt illud, quod Democritum propoſuiſſe narrat Celſus *ſuæ Medic. lib.* 1. *cap.* 6. nimirum, ne finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe, quib. Medici credidiſſent. Itaque ſi etiam mortui hominis ſigna conjecturalia ſunt, poſſunt nos aliquando decipere, & vivum pro mortuo, mortuum verò pro vivo nobis imponere: quamobrem non debet hominum vulgus Medicos peritos deridere, ſi nonnulla circa eos, qui mortui putantur, aut verè mortui ſunt, machinantur, ut eos deprehendant, an vita adhuc ſuperſit, necne. Itaque Medici cum Galeno *loco citato*, ad nonnulla experimenta confugiunt, ad dignoſcendum, an homo verè mortuus ſit, vel adhuc vitæ aliquam portiunculam conſervet. Goſſypii, ſeu lanæ tenuiſſimè captæ flocculum, vel accenſam candelam ori jacentis admovent, & ex motu, vel immobilitate flocculi, vel candelæ, vitam, aut mortem deprehendi volunt; vel cyathum, aquâ plenum ſuper ægri pectus imponunt, & ex ejus ſimiliter motu vitam explorant, ſed has experientias tanquam minùs tutas reſpuit, & parvipendit Hollerius, *libro* 1. *pract. cap.* 59. Alii ſpeculum terſiſſimum ori admovent, quod ſi infici, & offuſcari deprehendant, vivere adhuc ægrotantem dicunt; ſin minùs, jam è vivis exceſſiſſe. Tutior fortaſſe hæc, non omni tamen ex parte. Optaſſem, ut alia ſigna, & tutiora experimenta, ſi fieri potuiſſet, adduxiſſent, ſed ultra prædicta, ne verbum quidem. Fortaſſe quia neque aliæ ſuperarant experientiæ, & ſigna, quæcunque recenſeri poterant, minùs tuta advertant.

Quomodocunque ſit, nonnulla ego hinc inde excerpta ſubdam, quæ conſiderata majorem, & evidentiorem ejus rei cognitionem facere poſſunt.

Conſideranda itaque ante omnia propono accidentia ipſius morbi, quo vel detinetur, vel ex quo deceſſiſſe præſumitur ægrotus: ſi enim ea fortiſſima fuerint, ac validiſſima, & ex eorum numero: quæ magis exitialia judicantur, de vita quantum eſt ex hoc; modica, aut nulla ſpes eſt: ut ſi ſyncope abſque ulla cauſa manifeſta adveniat, atque illicò æger omni motu, & ſenſu etiâ pulſus, & reſpirationi deſtitutus

destitutus appareat, cum faciei lividitate, cum tenui, ac frigido sudore, pallore, & intensa partium frigiditate: maximè si antea solebat ægrotus frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exsolvi, nam juxta Hippocrat. dogma 2. *Aphor.* 41. tales derepente moriuntur.

Contrarium tamen his videtur sentire Mercatus *lib. 1. de Inter. morbor. curat. cap.* 13. quippe qui docens, quando de morte apoplectici certi esse debeamus, quando verò dubii, dicat, quòd si in apoplexia illicò simul adveniat syncope, quod ex respirationis omnimoda abolitione deprehendimus, tunc debeamus expectare, ac dubitare de morte; quòd si syncope paulatim adveniens dehinc ita crescat, ut homo ampliùs non respiret, tunc mortem esse præsentem credendum est: ac prudenter quidem hæc admonet. Cæterùm in quacunque suffocatione spuma in ore apparuerit, de morte dehinc major certitudo erit, de his enim dicebat Hippocr. 2. *Aphor.* 43. quod non ampliùs in vitam revocantur, & licet hoc secundum plurimos, & non semper, veritatem habeat, ut Galen. *in commento*, & alii multi docent, illud tamen satis est, hoc esse signum exitialissimum, & quo apparente perpauci à morte evadunt, & junctum maximæ respirationis deperditioni, seu totali ejus abscissioni, aliisque sævissimis symptomatib. fortissimam apoplexiam, & suffocationem demonstrat, ex qua ægros necessariò quam primùm perire contingat, immò neque ad tertium usque diem perdurare, docet experientia, & adnotant auctores omnes; Holler. *libro 1. de morb. int. cap. 7. in Schol.* Piso *de morb. cognosc. & curand. libro primo, cap.* 16. & alii. Si præterea facies apparuerit livida, & nigricans aut viridis, mortis signum: Raf. 16. *cont. tractat. 1. c. 1.* Avicen. 11. 3. *tractat. 2. cap. 6. in fin.* tales enim caloris suffocati, & extincti jam, omnino certum præbent indicium. Si item præter multa experta, ad excitandum ægrotum, sternutatoria naribus applicata fuerint, & ille non sternutaverit, omnium consensu pro mortuo judicandus, Gordon. *in Lilio, parte tertia, c.* 12. Valles. Philon. *libro* 3. *capite* 4. Savonarol. *in pract. magn. cap.* 22. *rubrica* 3. Piso *libro* 2. *cap.* 12. id enim consopitam, immò omnino extinctam omnem virtutem denotat, quæ si, quantumvis exilis, adhuc vigeret, ad sternutatorii irritationem expergisceretur, cum maximè hoc medicamenti genus primum ipsum sensorium, & virtutum penè omnium sensibilium promptuarium validè stimulare possit.

Præter hæc autem, membra in mortuo rigida evadunt, nullo modo flexibilia, squallor item, ac siccitas quædam membrorum adnotatur, quæ etiamsi in iis, qui adhuc etiam vivunt, appareant, non tamen adeo conspicua sunt.

Postremò oculi veniunt considerandi, ubi enim homo vivit, quantumvis exilis vita remaneat, oculi § 6
tantisper fulgere, & intuentium imaginem reddere solent; non enim verum crediderim, quod Plinius *lib. 27. cap. 6.* firmat, hominem scilicet ex morbo non periclitari, quandiu oculorum pupillæ intuentium § 7
imaginem reddant quasi cùm mortuus est, id non contingat; si qui enim adhuc spiritus vitæ remanserint; is facillimè per oculos, partem nempè lucidissimam, ac diaphanam apparent, & è cerebro, quamdiu homo vivit, semper luminosus spiritus in oculos proficiscitur. Galen. *comment. 4. in 3. Epid. text. 28.* at ubi nulla vitæ spes supersit, oculi jam omnino offuscati, ac veluti panno quodam obducti, spiritibusque extinctis nullam evidentem saltem reddunt intuentium imaginem, nisi obscuram.

His accedit unum aut alterum infallibile mortis § 8
signum, partium nempe, aut partis alicujus livor, & attuatio cadaveris, & fœtor ex ipsius jam putredine ortum ducens: est enim fœtor proprium putredinis accidens. Galen. *in primum prognost. comment. ultim. text.* 42. quo præsente, dubio absque dubio non est locus, ut in Lazaro: Quæ duo signa expectari desiderat Mercat. *loco supra citato.* Libet denique adnotare hic Persarum morem, de quo Herodot. *in Clio, non longè à fin.* hi mortuum non ante humari permittunt, quam aut ab alite, aut à cane trahatur. Hoc existimatim illos ideò facere, quòd ex nullis aliis signis possit haberi mortis certitudo, nisi cùm Alites, & Canes fœtore allecti è cadavere expirante, ad illud accurrunt.

Antequam ergo certè de resurrectione quid pronuntiemus, de signis prædictis mortis constare optimè debet, tunc enim resurrectionis miraculum, quod est inter alia maximum, evidenter erit probatum.

Atque hæc de miraculis dicta sufficiant, de quibus multa datâ operâ omisi partim quod ab auctorib. à me in tractatu hoc citatis, & ab aliis luculenter tradita sint, partim quod ad Medici pensum facere nihil existimaverim. Alia, Deo concedente, ac permulta quidem, in liberis de S. Scripturæ miraculis afferre non pigebit, in quibus omnia prolixiùs, ac magis Philosophicè discutiam.

LIBRI QUARTI TITULUS SECUNDUS,

DE VIRGINITATE, ET STUPRO,

Continens Quæstiones Quinque.

I. Virginitas propriè quid sit, & an ex certis signis cognosci possit.
II. De minùs fallacibus notis, ac conjecturis Virginitatis.
III. De signis violatæ Virginitatis.
IV. De tempore nubendi in Virginibus.
V. Constuprati pueri signa.

SUMMARIUM.

1 *Virginitas quid sit, & num.* 6.
2 *Virginitas præsumitur adesse, & contrarium asserenti incumbit onus probandi.*
3 *Virginitas unde desinatur, & num.* 11.
4 *Virgo dicitur fœmina, quandiu à viri conjunctione abstinet.*
5 *Virgo dicitur virgo, etiamsi per aliud instrumentum, aut per aliam viam, quàm per viri conjunctionem corrumpatur.*
7 *Certa virginitatis signa ab denur.*
8 *Hymen quid.*
9 *Hymenis signum certum, & infallibile.*
10 *Virginitas in Sacris probatur per pannorum sanguinolentiam in primo concubitu.*
12 *Virginis desloratio probatur, si illius camisia tempore stupri fuerit reperta sanguinis respersa, vel lineamenta, in quibus cum stuprature cubuit, sanguinolenta.*
13 *Dantur certa nota Virginitatis, & certa signa violationis*

latienis, contrarium, numero sequent. & numero 14.
15 *Signa, quibus probatur Virginitas, fallacia sunt.*
16 *Hymen in omnibus non reperitur, sed in paucis.*
17 *Hymen est quid rarum, & difficulter reperibile.*
18 *Virginem esse corruptam per Viri conjunctionem, certò firmari non potest.*
19 *Hymen naturaliter non reperitur.*
20 *Sanguinis effusio in violatione Virginitatis potest non fieri.*
21 *Deuteronomii locus explanatus, ex Augenio, & aliis.*
22 *Quotiescunque sanguis in primo concubitu effunditur facit testimonium Virginitatis, contrarium, n. seq.*
24 *Sanguinis effusio in coitu non attestatur Virginitatem.*
25 *Cohærentia partium Uteri non obliteratur unico congressu.*
26 *Sanguinis effusio in concubitu per fraudem simulari facilè potest.*
27 *Corrupta potest in coitu sanguinem effundere.*
28 *Virgo potest defloravi, & concipere, & hymen non disrumpi.*
29 *Primus modus, quomodo hymen, etiam violatâ Virgine, integer remaneat.*
30 *Secundus modus.*
31 *Tertius modus.*
32 *Quartus modus præ cæteris notabilis.*
33 *Tuta Virginitas nusquam datur.*
34 *Æthiopum aliquorum mos in custodienda puellarum Virginitate.*

Virginitas proprie quid sit, & an certis signis cognosci possit.

QUÆSTIO I.

LOquimur in hoc titulo de fœminarum virginitate, atque illâ quidem corporali, non mentali; seu materiali, non autem spirituali; cúmque hæc ipsa virginitas materialis duplex sit, una, quæ simplicem pollutionem respicit, alia, quæ integritatem vasorum. Roderic. *Quæst. Canon. Tom.* 1. *quæst.* 73. *art.* 3. de posteriori loquimur, non de priori; circa illa enim gravia multa occurrunt dubia, quæ ipsis Jurisconsultis scitu sunt perquam necessaria; etenim in virginitatis violatione præcipuè per vim factâ gravissimum delictum consistit, quod quemadmodum frequentius patratur, quàm oporteret, ita in illud à Legib. debitâ severitate animadvertitur. Dubitant ergo ob id Jurisconsuti, an Virgo aliqua defiorata sit, necne, & eam tem ad Medicos, ubi obstetricum judicium tutum non sit, (quod esse fallax testatur ipsa Rota *in Taurinen. dissolutionis Matrim.* 1590. *coram Platta n.* 10.) aut illæ sint inter se discordes, tanquam ejus rei peritos dijudicandam deferunt, ut notat ex nostris Vinc. Alsar. *de Quæsit. per Epist. cent.* 4. *q.* 44. cum Jurisconsultis ibi per eum adductis.

Multis insuper aliis ex causis, ut apud ipsos videre est, idipsum aliquando in dubium vertunt; quamobrem non absque occasione, aut frustrà pro ipsis Jurisperitis assumpta à nobis provincia hujus tractatus de virginitate videatur, de qua primùm consentaneum est scire, quid sit: & quia potest virginitas modò magis formaliter, nunc verò magis materialiter accipi, primò definiamus eam, prout magis formaliter accipitur, est autem qualitas quædam mulieris, à Natura ex integritate muliebrium vasorum resultans, quamdiu à maris conjunctione illibita servantur. Quòd enim sit qualitas quædam naturalis notum est, unde idcirco præsumitur à jure adesse, & contrarium asserenti incumbit onus probandi. Macchell. *patroc.* 49. *num.* 3. Mascard. *de probat. conclus.* 1410. *n.* 1. *Tom.* 3. Guazzin. *in tract. ad def. Reor. def.* 4. *c.* 6. Augustin. Barbos. *in collect. Doct. lib.* 1. *tit.* 16. *c.* 1. *n.* 6. *Tom.* 2. Quòd autem hæc qualitas resultet ex vasorum integritate, palam est, quia per eorundem vasorum manumissionem ex virili conjunctione virginitas destruitur, ut infrà habetur. Dicitur autem quamdiu à maris conjunctione illibita servantur, quia etiamsi vel ipsis manibus, vel alio quocunque instrumento claustra virginalia frangi, ac reserati possint, ut notant ex Medicis Paræus, Codronchius, Roderic. Castr. *lib.* 4. *Med. Pol. c.* 12. & aliis locis infrà adducendis, & ex Jurisconsultis Guazzinus, *ubi suprà, num.* 11. tamen quandiu à maris conjunctione ea illibita Virgo servabit, tandiu virginitatem ipsam incolumen, & incorruptam custodiet; si de virginitate sic acceptâ loquatur: neque enim minùs Virgo dici potest, quæ virginalia claustra alio instrumento, quàm virili disrupit, quàm si pedem, aut manum disrupisset. D. August. *libro primo, de Civit. Dei, c.* 18. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 152. *artic.* 1. ex quo notat Mascard. *ubi suprà*; licet si id lasciviens præstitisset, mentalem virginitatem illicò absque dubio amisisset.

Porrò virginitas, si magis materialiter sumatur, nihil est aliud, quàm naturalis constitutio, & cohærentia vasorum muliebrium, quæ sic accepta potest facillimè amitti; destructâ enim vel manibus, vel alio quocunque instrumento naturali constitutione, & cohærentiâ earum partium, illicò destructa dicetur & ipsa virginitas; ac nobis profectò de hac est sermo instituendus; cùm enim hæc magis sub sensum cadat, & ex ipsa sola judicium fieri possit destructionis virginitatis per maris conjunctionem, omni prócul dub. hujus signa veniunt à nobis examinanda.

Sed ante in dubium vertitur tam apud Jurisconsultos, quàm apud Medicos, an certæ quædam notæ dari possint Virginitatis, & primò videtur affirmativè respondendum: nam id vulgo persuasissimum est, & multa in medium adducuntur, quib. præsentibus de virginitatis integritate ambigi non potest: præcipuè autem id probare videtur infallibile, & inseparabile signum ab hymene desumptum, tenui nempe quadam membranâ claustrum virginale interseipiente, & aditum genitali virili impedienteiquo præsente, virginem esse illibatam satis superque notum est, etiam iis testib. qui de hymenis natura, & veritate dubitant, ut Riolan. Fil. *lib.* 2. *Anthropograph. c.* 32. Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. lib.* 7. *parte* 3. *problem.* 5. Quinetiam Severin. Pinæus *lib.* 1. *de not. Virgin. c.* 5. & dari hymenis signum docuit, & ipsum esse certissimum, & infallibile, sumpto hymene suo modo, ut patebit inferiùs: præterquam quòd aliter constitui eam partem in virginibus, quàm in corruptis doctissimè, & acuratissimè demonstravit. Quam etiam sententiam comprobant maximè Auctores, & quæ ex ipsis novissimè adduxit Daniel Sennertus *lib.* 1. *Practicæ p.* 2. *sect.* 3. *c.* 1. *q.* 1. *& Vvestlingius in sua syntaxi Anatomica.*

Præterea non temerè factum in Sacris existimandum, *Deuteron. c.* 22. ut virginitas probata censeretur per pannorum sanguinolentiam in primo concubitu deturparorum: quia ut Oribasius ex Soran. *Collect. lib.* 24. *cap.* 23. *pract.* 1. *capite* 1. Fernel. *libro* 1. *Pathol. cap.* 7. Paræus *lib.* 23. *c.* 2. & alii & inter Canonistas Torreblanc. *in Epist. decis. lib.* 2. *cap.* 19.

cap. 19. *numer.* 3. *&* 4. firmarunt, Virginitas violatur
11 per deſtructionem, & lacerationem venarum, & ligamentorum valde debilium in collo matricis, ex qua dilaniatione ſanguinem effundi omnino neceſſe eſt, unde quia hoc certum erat ſignum illibatæ Virginitatis, idcirco, non apparente tali ſigno, lex lapidari volebat eas, in quibus non apparebat, quia tanquam corruptæ ſanguinem in primo concubitu non effundebat, quaſi is non eſſet primus concubitus, ſed jam ex alio concubitu virginitatem amiſiſſent. Et quanquam Recentiorum nonulli hoc ſignum parvi pendunt, ob rationes, de quibus infrà, non deſunt tamen ex Doctoribus, qui illud acceptent, ut inter Juriſconſultos Farinac. *in prax. crimin. quæſtione* 14. *numero* 148. qui voluit Virginis defloration
12 nem probari, ſi illius camiſia tempore ſtupri fuerit reperta ſanguine reſperſa, vel linteamina, in quibus cum ſtupratore cubuit, ſanguinolenta.

Videtur inſuper his duobus certiſſimis; atque urgentiſſimis ſignis alias pleraſque notas, & conjecturas addi poſſe ex relatione matronarum, & Medi-
13 corum, quibus ſimul concurrentibus, abſque ulla hæſitantia, firmari poteſt, dari certas notas, ac certa ſigna virginitatis, unde quoque & certas notas, & certa ſigna ejuſdem violationis dari, conſequens omnino eſt.

Verum enim verò, his non obſtantibus, prima
14 concluſio hæc ſit: Virginitatis nullæ dantur certæ & inſeparabiles notæ, accepta Virginitate, prout eſt quædam muliebrium vaſorum integritas, ex conjunctione viri non maculata. Acceptiſſima eſt hæc concluſio Recentioribus omnibus, præcipuè autem Jouberto *lib.* 5. *Error. popul. cap.* 4. Paræo *in libr. de Renunciat.* Augenio *Epiſtol. libro* 1. *Tom.* 2. Fortun. Fidel. *libro* 3. *de Relat. Med. cap.* 1. Codronchio *in meth. teſtif. capite* 11. Nancelio *in Analog. libro* 7. *part.* 3. *problem.* 5. Ulmo *in uter. muliebr. c.* 6. Valleſ. *de ſacr. Philoſoph. cap.* 25. Vicentio Alſario *de Quæſit. per Epiſt. cent.* 4. & quamplurimis aliis doctiſſimis Medicis, quos datâ operâ prætereo. Sunt & inter Juris conſultos, quos adducâ ad ejus concluſionis tutelam nimirum Cujac. *libro* 17. *Obſervat. capit.* 20. quem refert ex noſtris Riol. Fil. *libro* 2. *Antropograph.* Sanchez. *de matrim. lib.* 7. *diſput.* 113. *num.* 10. Ratio autem hujus concluſionis eſt, quia ea potiſſimùm ſigna, quibus maximè in ejus rei atteſtatione fidendum eſſet, vel fallacia ſunt, &
15 nihil certi promittunt, vel realiter nulla ſunt: nam quod de hymene jactatur, omnes penè Anatomici Recentiores
16 in re Anatomica oculatiſſimi unanimes aſſentiuntur, ac conveniunt, eam membranam non reperiri in omnibus, ſed in paucis: de communi autem hac opinione teſtatur Capivacc. *in tra. de ſign. Virginit.* unde nonnulli ob id non ſolùm volunt illam naturaliter in pluribus non dari, ſed in iis, in quibus reperitur, eſſe quid omnino præter naturam, & morboſum, ut Vaſſæus *in ſua Anatomia, tab.* 1. Paræus Augenius, Ulmus, Laurentius, *Franc. Ranchin. de morb. virg. ſectione prima, capite quarto*, & *locis citatis*, & inter Canoniſtas Torreblanca *libro ſecundo, de delict. in quibus, &c. cap.* 19. *num.* 9. Quòd ſi
17 qui ſunt adeò vetuſtiorum ſanctionibus addicti, ut hymenem dari naturaliter contendant, illud ſaltem abſque dubio negare non poterunt, eſſe quid rarum, & non de facili reperibile, ſi fidem clariſſimis Anatomicis Veſalio, Fallopio, Laurentio, Columbo, & aliis multis adimere nolint; nam vix in una, aut altera puella obſervatum eſt à Columbo, à Falloppio non in pluribus quàm in tribus, inter mille ab ipto diſſecta virgunculorum cadavera, à Laurentio verò in nulla, ut ipſe teſtatur; ab Ulmo quoque in nulla, ut firmat *in uter. mul. ſect.* 1. *cap.* 7. immò Mercatus *lib.* 1. *de Part. part.* 4. *claſſ.* 1. *quæſt.* 97. *art.* 3. *num.* 6. à nullo Anatomico viſum firmat. Qui tamen varias DD. opiniones circâ hymenis eſſentiam legere deſiderat, ad Danielem Sennertum confugiat *lib.* 4 *ſua Practica part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 2. *q.* 1. ex quo illi rei veritas innoteſcet, & multò facilius *ex quæſt. ſeq. n.* 3.

Secunda concluſio ſit, Virginem eſſe corruptam per viri conjunctionem, per quantacunque ſigna
18 corruptionem atteſtantia, firmari non poteſt. Hæc concluſio manifeſta eſt ex jam dictis, & Medicis omnibus acceptiſſima. Fortun. Fidel. *libro* 3. *relat. Medic. cap.* 1. Claudinus *in Reſponſ. Med. num.* 40. & inter Juriſconſultos Cujac. *obſerv. lib.* 17. *cap.* 27. quia neque per hymenis diſruptionem, etiamſi adeſſe in omnibus concedatur, neque per viarum latitudinem, neque per carentiam effuſionis ſanguinis in concubitu, neque etiam ſi adeſſent ſigna prægnantiæ, etiam ipſa lactis collectio in mammillis virginem eſſe defloratam certò firmari poteſt, ut optimè oſtendit Mercat. *lib.* 1. *de Part. part.* 4. *claſſ.* 4. *q.* 124. 19
n. . Quia quoad hymenis membranam jam diximus ſaltem in pluribus non adeſſe naturaliter: viarum verò latitudinem naturaliter, & accidentaliter abſq; concubitu exiſtere poſſe, palam eſt; & illud quoque eſt certiſſimum, in provectioribus ob menſtruorum fluxum ſemper vias patentiores reperiri, & naturam ipſam hoc, & alia ſigna ætatis decurſu immutare, ut proſequitur *Ranchin. loco citato, cap.* 10. *concluſ.* 1. immò Medici ad eam latitudinem, cùm morboſa eſt, aut demere poteſt coitûs voluptatem, non pauca remedia præſcribunt, ut notat ex Canoniſtis Torre-
20 blanca, *ubi ſuprà num.* 12. Quoad ſanguinis effuſionem in defloratione patet, quòd ea minimè poteſt apparere, ſi viæ fuerint, vel naturaliter, vel accidentaliter maximè patentes, præcipuè ſi congreſſor non valdè mentulatus exiſtat, aut ſponſa annoſior ſit, Mercurial. *lib.* 6. *variar. lect. cap.* 23. Fortun. Fidel.
ubi aliàs, & ex Canoniſtis Torreblanca, *ibid n.* 12. 21
& ad id quod objicitur ex ſacro textu, reſpondebat Augenius, Molem ibi noluiſſe, quòd in omni caſu panni ſanguinolenti facerent teſtimonium Virginitatis, ſed in eo tantùm, de quo ibi, nimirum quando vir falsò accuſaret uxorem, imponens ei nomen peſſimum, quòd non reperiſſet eam Virginem, tunc enim pannos illos ſanguinolentos atteſtari voluit lex, eam virginem fuiſſe, unde vir falſitatis arguebatur: non quod univerſaliter, & generaliter panni illi ſanguinolenti facerent, aut facere deberent in omnibus teſtimonium Virginitatis. Itaque inquam ego, quotieſcunque ſanguis in primo concubitu effunditur, faciet teſtimonium Virginitatis, non tamen effundi ſemper in omnibus neceſſe eſt, unde ibi 22
arguebatur vir falſitatis, quia aderat ſignum manifeſtiſſimum innocentiæ mulieris. Licet autem concedatur, omnia eſſe incerta, aliis omnibus minùs incertum hoc erat & ut tale à Moſe receptum, ut dicit Mercurial, *ut ſuprà*. Advertendum tamen ad id, quod addit ſacra Scriptura, ex quo redargui poſſe videtur hæc Augenii reſponſio; additur enim in textu, *Quòd ſi verum eſt, quod objicit, & non eſt in puella inventa Virginitas*, (at quomodo id cognoſci poterat? nempè quia ſanguinem in concubitu cum ſuo viro non effudiſſet, unde neque ſuam virginitatem per pannos ſanguinolentos poteſt atteſtari) *tunc ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidabunt eam.*

Ad

Ad hanc inſtantiam in Augeni ſententia nihil quod ſatisfaciat, adduci poteſt: quamobrem placeret Nicolai de Lira in hunc locum expoſitio, qui primo confutat hanc opinionem de conſuetudine ſervanda pannos ſanguinolentos, duplici ratione; prima, ob turpitudinem, valde enim turpe videbatur, quòd talis pannus ſervaretur (adde tu, maximè ad longum tempus) & expanderetur coram judicib. ſecunda, ob inveriſimilitudinem, quia ſi is mos vigebat, non erat veriſimile (quod enim inculcat Paulutius hic quod vir ſciens eos pannos aſſervari apud parentes uxoris, certus ſuæ ipſius condemnationis, eam accuſaret. His ſtantib. ex ſententia Hebræorum dicit, hunc loquendi modum eſſe parabolicum, & adducit ad id firmandum alios modos ſimiles loquendi, itaque dicens lex, *Expandentque veſtimenta*, &c. tantundem eſt, ac ſi diceret, producent teſtimonia ad probandam filiæ virginitatem, explicantes ea, veluti expanditur veſtimentum, innuens, inquam, quòd teſtimonia clara eſſent, non dubia, & incerta.

Ergo his ſtantib hoc ſignum per ſe dicendum eſſet fallaciſſimum, quia non modò, ſi non adſit, non poteſt probare corruptionem, ſed, etiamſi adſit, non atteſtatur virginitatem: & de priori parte conſentiunt Medici omnes, & notavit præ cæteris Marc. Donat. *lib. 4. hiſtor. Med. Mirab. c. 15.* & Franch. Ranchin. *de morib. virg. ſect. 1. c. 8.* neque diſſentiunt Juriſconſulti, Abb. *in cap. Propoſuiſti de probat.* Afflic. *dec. 239. n. 3.* Farinac. *de del. carn. q. 147. n. 149. §. Probatio.* de poſteriori autem parte patebit infrà.

24 Tertia concluſio ſit, Quibuſcunque ſignis, quæ virginitatem incorruptam atteſtari poſſunt, præſentibus, virgininem eſſe incorruptam certò firmari non poteſt. Hæc concluſio facilè manifeſta fiet, ſi certiora ſigna virginitatis examinabimus, nempe vaſorum conniventiam, & anguſtiam, hymenis integritatem, & alia; conniventia enim, & cohærentia 25 partium colli matricis non unico congreſſu obliteratur; præterquam quod etiam medicamentis procurari talis poteſt, quæ non modò adæquet, ſed etiam exuperet naturalem, ut nôrunt Medici, & notat Juriſconſultis Sanchez *de Matrimonio libro ſeptimo, diſputatione 213. numero decimo*, quinimò & à morbo interdum adeò anguſtantur illæ partes, ut nonnullæ fuerint fœminæ, quæ ob eam cauſam à ſuis viris in poſterum cognoſci non potuerint, ut teſtatur Severin. Pinæus, *libro primo, de not. Virgin. c. 5.*

Sanguinis quoque effuſio in primo concubitu 26 per fraudem ſimulari, immò etiam verè procurari poteſt: Fortun. Fidel. *libro tertio, Relat. capite 1.* & modos apud ipſum vide; quibus adde, quòd multis non in primo ſolum concubitu, ſed etiam in ſecundo, & tertio, & ulteriori, ſanguinis effunditur, iis nimirum, quæ anguſtiora vaſa habent. Vidi ego quæ à coitu diu ob mariti abſentiam, vel infirmitatem abſtinens, cùm de novo concumberet ſanguinem effunderet; & pudiciſſimam viduam novi ſecundò nubentem ſanguinem effudiſſe, cùm primùm ſecundò viro conjungeretur: biennio autem viduitatem, & cœlibem vitam ſervaverat, erat tamen adhuc juvenis, non major viginti annis: hic autem dolus 27 nullus ſubeſſe potuit. Itaque quemadmodum poteſt mulier eſſe incorrupta, & ſanguinem in primo concubitu non effundere, ſic poteſt aliâ ex parte eſſe corrupta, & ſanguinem concumbens effundere.

De integritate autem hymenis, etiam corruptâ exiſtente muliere, patet per ea, quæ aliàs de Imperforatis dixi: nam poteſt Virgo defloravi, immò etiam concipere abſque eo quòd hymen diſtrumpatur, ut concludunt nonnulli prædictorum auctorum. Hoc autem dupliciter evenire poteſt, uno modo, ſi 29 membrana illa adeò dura ſit, ut diſrumpi à congreſſore non poſſit, tunc enim ſi vir intra uteri collum ſemè effundat, & uterus illud attrahat per orificium, quod perpetuò in ea membrana reperiri certum eſt, & minimè controverſum, poteſt mulier concipere. Secundo modo, ſi vir membrum habeat admodum 30 breve, & membrana illa ſit altiùs, interiuſque poſita, vel ipſa mulier uteri collum habeat prælongum, tunc enim idem, quod in ſuperiori caſu evenire po- 31 terit. Addam duos alios modos unum ſi Virga tenui exiſtente, hymenis orificium ſit ampliuſculum, nam abſque hymenis dilaceratione mulier corrumpi poteſt, & concipere Capivacc. *in tractat. de ſign. Virg.* Quartus modus eſt notatu præ cæteris digniſſimus, 32 ut qui eventu frequentior eſſe ſoleat, & maximè notatur à Pinæo *cit. libro primo, capite 6.* quando virgines uno, aut altero die, aut etiam tertio, & quarto prægreſſo à menſtrua purgatione viro junguntur, quia tunc non modò virum facile, & abſque dolore admittunt, ſed quod mirum duxeris, membranæ illæ, quæ hymenem conſtituunt, non diſtumpuntur, ſed tantummodò ob prægreſſam menſtruorum humiditatem relaxantur, ita ut facilè congredientis Peni abſque earum dilaceratione cedant, & tunc etiam mulierem concipere poſſe nihil obſtat. Vides ergo quot modis corrumpi poſſit virginitas, & tamen Virgo incorruptiſſima intuentibus apparere, ſi his exteriobus ſignis fidem habeamus. Nuſquam igitur dari dixerim tutam virginitatem, niſi fortaſſe apud Æthiopum, & Barbaro- 33 rum nonnullos, qui, ut narrat Petr. Bemb. *libr. 6. hiſtor. Venet.* quem refert Kotnman. *de mir. vivor. tit. de ſign. probat. virg.* & Riol. Fil. *lib. 2. Anthropograh.* 34 *capite 32.* ut virginum ſuarum pudicitiam nullo modo ſuſpectam habeant, puellis, ubi primùm natæ fuerint, pudenda conſuunt, relicto libero tantùm meatu ad urinam reddendam. Cùm nuptui verò traduntur, ipſi Sponſo incumbit onus uteri labra diſſuendi. Sic Sponſæ ipſorum vel nolentes illibatam, & incorruptam ſuam Virginitatem Sponſis ſuis conſervant, & ipſi Sponſi ab omni ſuſpicione liberi exiſtunt, cùm non poſſint ab aliis in ea re ullo modo decipi. Hoc ita narratur à Bembo, an veritatem habeat ambigo, an habere poſſit; non credo, quia conſueta loca ab ipſis incunabulis ita cohærere neceſſe eſt, ut nonniſi ſummâ cum vi, & adhibitâ ſectione diffiui poſſint; une ſpaſmum, inflammationem, & alia ſymptomata in omnibus pullulare neceſſe eſt. Sed de incertitudine ſignorum Virginitatis qui plura ſcire deſiderat, legat Fortun. Fidel, *loco ſupius citato*, qui ad id plura ex pluribus recolligit [Vide Greg. Horſtium tom. 1. pag. 71.]

SUMMARIUM.

1 *Hymen non reperitur in omnibus Virginibus, contrarium, n. ſeq.*
2 *Mercurii error circa hymenem.*
3 *Per hymenem quid intellexerint nonnulli, & numero 7.*
5 *Per Hymenem quid intelligendum ex Fallopio, Riolano, & Pinæo.*
6 *Hymenis deſcriptio.*
8 *Nulla regula deſumi poteſt ex iis, quæ per accidens, & de raro evenium.*
9 *Quid conſiderandum in carunculis, in examine violationis virginitatis.*
10 *Nymphæ quid ſint.*

11 *Nymphæ in Virginibus tenues.*
12 *Orificium Vulvæ in Virginibus eſt criſpum.*
13 *Pubis pili in pudendis Virginum ſunt promiſſi, & plani.*
14 *Signum Virginitatis ex ſinu pudoris deſumptum.*
15 *Ex urinis an deſumi poſſit ullum ſignum Virginit.*
16 *Signa ab Obſtetricibus obſervata.*
17 *Signa Virginitatis ex voce.*
18 *Experientia nonnullæ ad probandam Virginitat.*
19 *Partes colli in corruptis cur increſſentur.*

De minùs falicib. notis, ac conjecturis Virginitatis.

QUÆSTIO II.

1 QUàm difficile ſit virginitatis integritatem probare, ex ſuperiorib. ſatis liquet; tamen quoquo modo per aliquas notas, & conjecturas deprehendi poſſit, eſt à nobis in hac quæſtione aperiendum, & quia inter potiora ſigna recenſetur integritas hymenis de eo primum peculiarius verba faciamus. Quemadmodum igitur ſuperiori quæſtione dixi, plures Medicorum de hymene dubitarunt, & illud dari, ſal-
2 tem in omnibus, apertiſſimè negarunt; quinimmò, ſi quando in aliquibus appareat, eſſe voluerunt quid præter naturam atq; morboſum, aut quod naturalib. actionib. impedimento ſit: & Veſalius Anatomicus illuſtris, cùm videret in pluribus non apparere, ſubterfugium excogitavit, fortaſſe in affirmativam ſententiam inclinans, dixitque referente Riol. *lib. 2. Anthropograph. c. 31.* eam membranam in quibuſdam locis ſolere obſtetrices tanquam inutilem lacerare, quando digitum podici, & vulvæ immittunt, ut connatas partes illas adaperiant. Quidquid tamen ſenſerit Veſalius, contendit Fallop. *in Obſer. Anatom. prope finem*, contra eos, qui hymenem derident, illum verè dari, quem etiam ſe obſervaſſe aliquando teſta-
3 tur Mercurius *in libro della Commare 1. capite ſecundo*, qui tamen valdè errat in ejus membranæ deſcriptione; vult enim per illam nymphas ſimul conjungi, quod adeò abſurdum eſt ut nihil ſuprà, quemadmodum ex Doctorum Anatomicorum ſcriptis facilè legenti patere poteſt. Sed alios auctores, qui hymenem dari naturaliter voluerunt, recenſet Riolan. *ubi ſuprà*, & Daniel. Sennert. *loco in ſuperiori quæſtione citato.* Sed inter recentiores Anatomicos Joannes Veſlingius, vir in iis rebus accuratiſſimus, & exercitatiſſimus, in ſuo *ſyntagm. Anatom. cap. 7.* in fine, dari in rei veritate hymenem membranam carnoſis expanſionibus, carunculiſque ſtipatam oſtendit, eamque in omnibus Virginibus naturaliter reperiri docet. Præter hanc autem in aliquibus aliam reperiri membranam dicit, quam nonnulli peritiſſimi viri pro hymene deſcripſerunt, idque in cauſa fuit, quòd cum in pleriſq; eam non obſervarent (eſt enim quid præter naturam & morboſum, & idcircò in paucis obſervatur) in eam opinionem venerunt, naturaliter in Virginibus non inveniri, & ſic nullum Hymenem naturaliter dari firmarunt.

Sed mirum videbitur alicui, quòd in re, quam ſenſu ipſo oculato aſſequi poſſumus, tantopere inter ſe diſſentiant Auctores, ut alii quidem hymenem dari voluerint, alii verò nequaquàm. Sed mihi videtur æquivocationem ejus rei cauſam fuiſſe, & diſſenſus
4 ipſorum auctorum circa eſſentiam, & exiſtentiam ipſius hymenis: nam pro Hymene nonnulli intellexerunt membranam quandam duriuſculam uteri collo adnatam, non ſemper uno eodemque loco ſitam, ſed modò interiùs, modò exteriùs in ipſius matricis collo; hæc, ut eſt res toto genere præter naturam, in paucis admodum reperitur; reperitur tamen interdum, & eâ de re qui hymenem dari negarunt, pro hymene hanc membranam intellexerunt, quam nequicquam reperiri in virginibus certum eſt: Unde non immeritò redargui potuit Uvier. à Baldain. Ronſſeto *Epiſt. Medic. num. 49.* quòd *in lib. de Præſtig. Dæmon.* hanc ipſam membranam pro hymene acceperit, & unam cum alia confuderit; cum Medicis errant etiam alii nonnulli, ut Torreblanca *in Epit. delict. libro 2. cap. 19. verſ. 5.* licet ex aliorum ſententia dictum ſuum moderetur. Qui tamen rei veritatem diligentiùs perſcrutati ſunt, ut Riolan. & Severin. Pinæus, & ante hos Fallopius, pro hymene non aliud intelligi debere docuerunt, quàm connexionem nonullarum membranarum. Et ſic ex Medi- 5
corum ſententia concludit ex Canoniſtis Sanchez, *de Matrim. libro 7. diſput. 14. num. 1.* quò connexio ab illis, & præcipuè à Severin. Pinæo ſic deſcribitur. Poſt Nymphas (quæ duo membranoſa corpuſcula ſunt, alarum modo expanſa, immediatè poſt puden- 6
da, & labra uteri ſita) interiùs verſus intimum uteri oſculum, quatuor carunculæ appatent, quæ Myrtoides, quòd myrti folia referant, appellantur, vel triangulares, quòd triangulari figurâ donentur, quarum ſingulæ eſt in ſingulis lateribus, nimirum ſuperno, inferno, dextro, ſiniſtro prominent, invicemque ita per acutiorem partem ſeſe reſpiciunt, ut caryophilli nondum bene explicati imaginem repræſentent: conjungantur autem, invicemque cohærent omnes per membranulas quaſdam, aut per fibras colligantur, & hæc pars ita conſtituta verus hymen eſt, neque præter illam alium hymenem repetiri tradit, & apertiſſimè docet idem Pinæus *libro primo, de not. Virgin. cap. quinto.* Cum quo maximè conveniunt ea, quæ nupertimè attulit Joannes Veſlingius, *loco citato.* Non eſt ergo virginitas ſimplex connexio partium ſine ulla membranula, ut ex Medicorum nonnullorum auctoritate vult Torreblanca, 7
loco ſuprà citato, numero decimo, Hymenem autem quem alii deſcribunt, dicunt eſſe membranam tenuiſſimam ultra prædictas carunculas in ductu interiore muliebris ſinus poſitam, atque in ſui medio pertuſam; quàm quidem, quod in aliquibus reperiatur præter naturæ conſtitutionem multi in omnibus reperiri voluerunt. Quoniam verò nulla regula de- 8
ſumi debet, aut poteſt ex iis, quæ per accidens, & de raiò eveniunt, idcircò hæc propoſità, de ea quæ realiter in omnibus reperitur, loquamur, & ſiquid ab ejus conſtitutione elici poteſt in incorruptæ virginitatis dignotione, manifeſtum faciamus. Itaque conſideranda ſeſe offerunt in hac parte tria, nempè magnitudo, color & colligantia. Quoad magnitudinem enim, carunculæ hæ in virginibus craſſiores, & quaſi inflatæ appatent, in corruptis autem minores & exiliores, flaccidioreſque, ob penis attritionem; quoad calorem, in virginibus ſunt rubicundæ, in corruptis verò calore magis remiſſo, & ad livedinem vergente. Quod colligantiam & unionem, 9
omni procul dubio apparent in virginibus inter ſe cohærentes, & medio tenuiſſimarum membranularum colligatæ, in corruptis verò diſgregatæ, ac invicem diſſitæ; abſcedunt enim invicem illæ carunculæ ob illarum membranarum violationem ac diſruptionem. Itaque hæc omnia ſigna ſimul conſpirantia, integræ virginitatis evidentem conjecturam præbent. Nam quòd ſingula per ſe teſtari non poſſunt, ſimul unita poterunt. Quamobrem ſi ultra hæc ipſa, quæ jam notavimus, ea quæ infrà notanda veniunt, apparebunt, de virginitatis incorruptibilitate non inane judicium ferre licebit.

Præter

10 Præter prædictas autem partes aliæ quoque conſiderandæ veniunt in examine virginitatis, & primò ſe offerunt nymphæ, quæ, ut dixi, allatæ ſunt, ac veluti inter carneas, & cartilagineas excreſcentiæ quædam, ſeu carnoſæ quædam membranulæ poſt labra uteri intrò progrediendo ſituatæ, pollorum criſtis non abſimiles. Hæ in virginibus, ut notat Riolan. *ubi ſupr.* ſaltem uſque ad annum vigeſimum
11 tenues ſunt, nec admodū latæ, in his verò quæ virum ſunt expertæ, præcipuè ſi peperierint, craſſiores, & latiores evadunt: ſunt etiam in virginib. magis tenſæ in corruptis laxiores, & tantò laxiores quantò frequentioti coitu uſæ fuerint, vel quantò validiorem vim paſſæ fuerint.

Averroës portò *lib.* 1. *Colliġ. c. ult.* dicebat, orificium vulvæ in virgine eſſe criſpum, in cæteris autem,
12 quia rugæ coitu atteruntur, magis leve, & planum eſſe. Sed hoc ſignum, & ſuperius, quod ex nympharum conſtitutione deſumi dicebamus, nonniſi tunc apparent, cùm coitus pluries frequentatus exſtiterit: unde vix apparebunt, aut aliquam de ſe ſignificationem præbebunt, in ea quæ unicum congreſſum ſuſtinuerit, in cujus Virginitate, aut violatione exploranda totus labor eſſe debet.

Notat præterea Riolan. in virgnibus, neque præterit id ipſum Pinæus *lib.* 1. *c.* 7. quod habeant pilos
13 pubis promiſſos, ac planos; eæ autem quæ virum expertæ frequenter fuerint, magis criſpos. Hoc autem, etiamſi ratione non careat leviuſculum ſignum eſt, & maximè difficile ut obſervaretur; licet enim reſpectu ſui ipſius unaquæque fortaſſe habeat pilos pubis promiſſiores cùm virgo eſt, quàm cùm fuerit corrupta, tamen non deſunt quæ etiam virgines exiſtentes habeant eoſdem pilos criſpos; præterquàm quod neque hoc ſignum quicquam valet in nuper corruptis, non enim pili ex unico, ſed ex iterato, & multoties frequentato congreſſu criſpantur.

Magis probatur altera conjectura ex inſpectione
14 locorum muliebrium, allata à Severino Pinæo *libr.* 1. *c.* 9. ea autem talis eſt. Immediatè poſt prædictas caruncula, quæ conjunctæ hymenem conſtituunt, cavitas quædam ſuccedit intro progrediendo, quæ ſinus pudoris appellatur. Hæc veluti foſſicula quædam eſt, & in virginibus ànguſtior viſitur, & exucca, in corruptis multo capacior, & humidior.

Præterea Codronchius *in Method. teſtif. capit.* 11.
15 ſignum aliquod integræ virginitatis deſumi voluit ex urinis, quia ex cujuſdam peritiſſimi viri ſententia dicit eſſe tenuiores, & clariores, quàm in cæteris mulierib. in quibus ob viarum laxitudinem, & reſerationem, & ob uteri numeroſiora excrementa urinæ turbidæ, & craſſæ cum multo ſedimento excernuntur. Hæc tamen ego nugas meras exiſtimaverim, & hoc ſignum, ſiquod aliud, fallaciſſimum, immò vanum, & indignum, cui fidem ullam habeamus: urinas enim examinare, ut ex iis virginitatis indicium habeamus, aquam è pumice expectare eſt.

Prudentiùs fortaſſe agunt, qui loca ipſa conſide-
16 rantes, colorem volunt eſſe rubicundum, ac naturalem, non ad livedinem quandam, aut nigredinem declivem. Ipſius quoque uteri partes nativâ quadam ſoliditate, & renitentiâ dotatas eſſe volunt, non laxas, aut deffluentes, neque humectas, ſed exuccas. Cum quibus etiam univerſum corpus conſiderant: nam & ipſæ carnes in corruptis laxiores ſunt, in virginibus duriuſculæ & renitentiores. Colore item ſunt vividiore, qui, ubi violata virgo eſt, ſenſibiliter remittitur: unde Democritus puellam tanquam virginem cùm ſalutaſſet, ſubſequenti die illam iterum tanquam mulierem ſalutavit, ex mutato faciei colore illam corruptam præteritâ nocte fuiſſe comprehendens. Inter cæteras verò partes, mammæ, earumque capitula obſervanda: mammas enim non deffluentes, & laxas, ſed in ſeipſas recollectas, papillas autem nativo colore, ſeu fuſco quodam rubore perfuſas, non livore, aut nigridine labefactatas eſſe decet; neque etiam circulo quodam nigriuſculo notatas. Unde fortè illud Ezechiel. *c.* 23. *v.* 3. *Ibi ſubacta ſunt ubera earum, & fracta ſunt mammæ pubertatis earum.*

His addi poteſt vocis conſideratio, quæ in virgi-
17 nibus delicatior, & ſuavior eſt, & mirum videri poteſt, quàm citò infuavior, & craſſior ex coitus uſu evadat; & profecto, licet hoc ſignum non tanti momenti ſit, ut illi ſolummodò ſit fidendum, faceret tamen aliis adjunctum maximam præſumptionem corruptæ virginitatis, ut *in ſeq. q.* dicam.

Id autem, quod ad probandam virginitatem non-
18 nullos afferre teſtatur Pinæus, *ubi alias, lib.* 1. *cap.* 5. *in fin.* vanum eſt; erat autem, quod ſi filum ab extremo naſo per mediam frontem extenſum ad coronalem uſque futuram ejuſdem puellæ collum cingere, ac circumdare poſſit, virgo ſit incorrupta. Roder. à Caſtr. *lib.* 4. *Med. c.* 12. *ex Mercur.* aliter hoc experimentum adducit circumdari enim tradit per anteactam noctem primum concubitum præcedentem, virginis collum filo, poſterâ die eodem filo collo emenſurato, & latiori invento, virginitatis amiſſionē hariolantur. Sic & Catull. *de nupt. Pelei & Thetid.*

Non illam nutrix orienti luce reviſens,
Heſterno poterit collum circumdare filo.

Sed de hac re vide Ranchinum *de morb. virg. ſect.* 19
1. *c.* 9. Addunt alii, ut ejus rei cauſam afferant hoc evenire, quia partes colli, nempè venæ & arteriæ, ubi coitum experta ſit mulier, increſſantur; ſignum eſt etiam vocem mutari, craſſioremque effici: cur autem eæ partes ex coitu dilatantur, & increſſantur? An quia à capite per colli vaſa ſemen defertur ad uterū, inſimulq; plurimum ſanguinis, & humorum per ipſa, & ad ipſa, ad uterumque demandatur? indicio eſt purgationes meliùs ire, ubi virum expertæ fuerint. Sed ſquicquid ſit de harum cauſarum veritate, hoc virginitatis indicium adeò tenue eſt, ut frivolum, & nullius momenti ex mea ſententia ſit cenſendum, quanquam Mercur. fidē illi tribuit, *lib.* 6. *Var. lect. c.* 6.

Eâ occaſione de Marium virginitate meminiſſe operæ pretium videtur, cujus tamen dari aliqua ſigna, adeò vanum eſt, ut nihil ſuprà, nam quæ odoris, & vocis mutatione ſumuntur, nihil ad rem faciunt, quòd non modò odor, & vox mutationem accipiant cùm virginitatem mas amittit, ſed cùm ſemen ferre incipit, quando eum hircire, & catulire dicimus, ut aliàs dictum à me eſt. Ex quibus cum Capivacc. *in libell. de Virg.* concludendum, non eſſe, neq; eſſe poſſe alia ſigna virginitatis in maribus, quamobrem ea perquirere ſuperfluum eſt. Denique de virginitatis in fœminis probatione per nonnulla medicamenta, licet eam fallaciſſimam exiſtimem, tamen, nequid eorum in hac materia prætermittam, quæ ab aliis tradita ſunt, aut tradi de novo poſſunt, in ſequenti quæſtione agam.

SUMMARIUM.

1 *Non omnia ſigna corruptæ Virginitatis ſunt omnibus corruptis communia.*

2 *Signa ſtupri de recenti in virginitate patrati, & pluries iterati.*

3 *Signa ſtupri recentis, vel corruptæ Virginitatis de recenti, ſed unico tantùm congreſſu.*

4 *Corrupta virginitas per viri congressum jam à multo tempore facta quomodo deprehendi possit.*
5 *Loca muliebria semel violata denuò aliquando coalescunt.*
6 *Gravida mulier potest apparere virgo.*
7 *Signa corruptæ Virginitatis per iteratas vices, sed à multo tempore jam transacto.*
8 *In examine violationis Virginitatis consideranda etiam, si fieri potest natura, & genitalia stupratoris.*
9 *Quænã consideranda in ea, quæ violata præsumitur*
10 *Quænam consideranda in stupratore.*
11 *Aliud signum ex Pineo, in stupro.*
12 *Sponso cum sponsa cubante, vel quocunq; viro cum virgine, præsumptio debet esse deflorationis.*
13 *Copula carnalis non potest verè probari.*
14 *Copula carnalis quomodo probetur.*
15 *Ex concubitu præsumitur violatio, & contrarium asserenti incumbit onus probandi.*
16 *Virginitas corrupta denotatur ex livore papillarum in mammillis.*
17 *Experimentum ex Gagate lapide ad deprehendendam Virginitatem.*
18 *Quomodo Gagates lapis, & alia nonnulla medicamenta possint deprehendere fœminas corruptas.*
19 *Apes acriter in eos invehuntur, qui de recenti mœchati sunt.*
20 *Apes Veneris expertes, contrarium ibid.*

De Signis Violatæ Virginitatis.

QVÆSTIO III.

EX signis integræ virginitatis, quæ suprà adnotavimus, facilè est devenire in cognitionem virginitatis corruptæ, per eorum enim absentiam appareret violata virginitas. Sunt tamen præter antedicta,
2 alia nonnulla magis, magisq; corruptionem attestantia, quæ hîc peculiariter enarranda, & adnotanda veniunt. Sed antequam ad ulteriora progrediamur, advertendum est, non omnia signa corruptæ virginit. esse omnib. corruptis communia, sed alia aliis magis convenire: nam vel Virgo defforata est de recenti, vel jam à multo tempore. Si de recenti, vel unicum tantùm congressũ est experta, & dehinc omnino viro abstinuit, vel multoties est manumissa. Sic etiã idipsũ à multo tempore jam transacto evenire potuit.

Itaq; si Virgo de recenti violata sit, & plures congressus sustinuerit, ea facili negotio, vel à quavis inexpertâ obstetrice, deprehendi poterit ex simplici
2 locorum inspectione. Nam & ipsæ uteri partes adhuc sanguinolentæ, & consueto rubicundiores, & quasi inflammatæ conspicientur, si recens admodum stuprum fuerit; sin minùs, ut si una, aut altera hebdomada intercesserit, vel etiam tertia, eæ naturali colore destitutæ apparebunt, & eo magis ad livedinem vergente. Laxiores etiam vias, & humidiores notabat, quin etiam ad tactum dolorosas experietur.

Si quid autem ab ipsamet constuprata muliere veritatis elici possit, eas partes referet calore quodam, ac veluti leviusculo incendio sibi molestas esse; quod etiam incessus ipse partim attestari poterit, si in hoc minùs cauta mulier fuerit. Vix enim consueto modo incedere poterit, nam distractis, ac veluti disjunctis inter se cruribus ambulare cogetur, præcipuè si ætate tenerior fuerit, & stuprator validâ vi usus, aut benè mentulatus exstiterit.

3 Quòd si mulier unico congressu violata de recenti fuerit, certum est majorem difficultatem affuturam in ejus rei cognitione: aderunt tamen penè omnes eædem notæ, ut nonnullæ quidem leviores, ut eæ, quæ laxitudinem viarum, & immutatum locorum colorem respiciunt; evidentiores aliæ, quæ dolorificum sensum partis commonstrant, quia quanto frequentiori coitu usa fuerit mulier absque dubio tantò laxiores viæ efficiuntur, & tantò minùs in futurum; illum molestè ferre solet, imò molestia omnis ex coitus reiteratione cessat, quæ cùm sit in primo concubitu, sensim delitescens, in voluptatem commutatur.

Multò magis operosum fuerit cognoscere corruptam virginitatem unico congressu patratam, à 4
multo tempore citra, & ea de re in hoc casu præsumptionibus, & conjectatis magis utendum censeo: quia signa per partium inspectionem habita, leviuscula sunt, & vix quicquam de veritate attestari poterunt. Licet enim in primo gressu facta fuerit violatio, & destructio panniculorum, & caruncularum simul cohærentium, & ipsorummet laterum 5
Uteri, tamen, si dehinc à coitu abstinuerit mulier, adeò invicem temporis spatio denuò cohæresçunt ipso quoque sanguine, qui in primo concubitu emanavit, mediante, ut majorem interdum angustiam præ se ferant, quàm ante amissam virginitatem facerent, quod adnotabat etiam Severin Pinæus, *de not. Virgit. lib. 1. cap 6.* ita ut hinc deducat ille, posse etiam in muliere, quæ gravida sit, conspicuas Virginitatis notas apparere. Quod etiam ut verum fatearis, ad parturientes mulieres temeti ipsum convertas 6
in quibus uterum tanto opere adaperiri, atque hiare necessum est, ut mirum sit, quonam pacto dehinc, non longo temporis intervallo, tam facilè partes reuniantur, ac denuò cohæreant, ad pristinumque statum tam promptè remeent; quòd cùm ita sit, nullas notas, nullaque conjecturalia saltem signa, quæ Medicâ inquisitione haberi possint, invenio, quorum medio ad dignotionem corruptæ virginitatis in hoc casu devenire liceat, nisi ipsorum panniculorum integritatem & cohærentiam adducamus, quæ tamen & potest adhuc servari in corrupta, & abesse in ea quæ corrupta non sit, multis aliis ex causis. Quæ difficultas licet nonnihil remitti possit, ubi mulier jam à multo tempore violata fuerit, sed multoties viri congressum sit experta, non tamen omni ex parte cessare videtur: quanquam potest in hoc casu Uterus non adeò rugosus notari, ut par esset incorrupta Virgine apparere; sic etiam loca magis 7
liventia, & nativo rubore destituta, & fortasse etiam magis laxa, & diffluentia, quinetiam caruncularum illæ quatuor, & de quibus aliàs mentio habita est, quæ invicem distractæ, & multum disjunctæ considerari poterunt: in hoc enim signo magis fidendum, quàm in alio quovis existimo, quantum patitur ipsius quoque incertitudo, nihil enim certi promittit per se solum adnotatum.

Quoniam ergo tam difficile est in superiori casu in veritatis cognitionem devenire, non est temerè judicium, absque multa consideratione ferendum; sed maximè nõnulla adverti debent, ex quorum consideratione facilè sit nonnullas conjecturas elicere, quæ viam veritatis nobis commonstrent: non modò ergo animadvertere oportere, persuaserim ipsam 8
mulierem, quæ stuprum passa præsumitur, sed si id fieri potest, ipsum etiam stupratorem, vel qui stuprator præsumitur, si in Justitiæ manibus detineatur, vel si contingeret, ut allegaretur viri impotentia, ex qua matrimonium minimè cosummatum fuisse probare quis vellet, contra autem vir matrimonium 9
consummatum diceret, & sponsam defloratam, tunc enim etiam vitilia sponsi essent observanda. In muliere autem consideranda est ætas, utrùm tenella sit,

vel provectior, ut ſi ſit minor quarto decimo anno, vel major vigeſimo; quippe cùm ſtuprum cum violentia magis conſpicua apparere debeat in puella ætatis tenioris, quam provectioris. Habitudo etiam mulieris præ oculis habenda, ſi pinguis ſit, aut gracilis, cum quibus etiam ipſa genitalia conſpicienda, an patentia, & laxa ſua naturâ ſint, vel contra exilia, & anguſta, cùm major in uno, quàm in alio caſu conjectura, & præſumptio corruptionis haberi poſſit: quæ etiam major, ac certior deſumi poterit, ſi inſpicere liceat ipſum ſtupratorem, nam permittente honeſtate talia machinari, ejus genitalia membra ſpectanda, eorumque longitudo craſſities, & magnitudo animadvertenda, faciendaque comparatio inter utriusque genitalia, ut certior conjectura habeatur violatæ, vel integræ Virginitatis. Si enim exempli gratiâ, virgo tenellæ eſſet ætatis, nimirum infra decimum quartum annum, habitudine gracilis & genitalibus anguſtis, & exilibus, contraria autem omnia eluſcerent in eo, qui ſtuprator præſumitur, tunc non apparente evidenti corruptione, & ſignis manifeſtiſſimis de violata virginitate, Virgo integra
11 eſt judicanda, etiamſi leviora ſigna, & conjecturæ in contrarium urgerent: neceſſe enim omnino fuiſſet in hoc caſu, Virginatem magnam vim paſſam fuiſſe, cùm in primo congreſſu in ſimilibus caſibus tantam interdum vim virgines patiantur, (quæ nimirum uterum anguſtum habeut, aut tenerioris ætatis ſunt, exiſtente è contra congreſſore viro maturo, & bene mentulato) ut ex ea violatione vulnus in utero ad aliquod tempus requiratur, ad cujus curationem nonnulla præſcribunt Avenz. *libro* 2. *Theiſir. tract.* 6. *capite* 8. &
12 Alſaharavius *practica tract.* 25. *cap.* 14. Præter hæc autem notat Sevetin. Pinæus, in hujusmodi caſu, nempè ubi ſtuprator craſſo membro dotatus ſit, & virgo tenerior, aut uteri oſculo anguſtiore, quòd ſi factâ magna vi penetraverit ad fundum ſinus pudoris, hymene violato, membranæ illæ, quas diximus inter quatuor illas caruncolas eſſe poſitas, omnino obliterantur, ac fideletæ eſſent; contra autem, ubi mentula minor, aut ſaltem mediocris eſt, non omnes obliterantur, ſed ſervantur collaterales, præcipuè ad primum usque partum. Relinquo autem data operâ conjecturas, quibus ad facti dignotionem utuntur Juriſconſulti, ut eſt, quæ ex conſuetudine, ex commeſſationibus, ex familiaritate magna, ex commoratione ſolius cum ſola, & ex ſimilibus deſumitur: nam his concurrentibus leviora ſigna corruptionis forſaſſe ſufficiunt, & ea de cauſa rectè exiſtimandum eſt, quòd ubi ſponſus cum ſponſa unà cubuerit, præſumptio in dubio debeat eſſe defloretionis, putandumque, quantum ego aſſequi poſſum, onus probandi contrarium debere eſſe penes negantem, cùm paria ſint, quem jacuiſſe cum aliqua, & illam adulteraſſe, Vinc. Carrar. *de Medic. & ejus off. p.* 2. *n.* 210. Faciunt ad hanc opin. quam etiam communem dixerim, fulciendam, Terentii carmina, *in Hecyra*, *act.* 1. *ſcen.* 2. quæ ſic habent:

Quod ais? cum virgine unà adoleſcens cubuerit
Plus potus, ſeſe illa ut abſtinere potuerit?
Non veriſimile dicis, nec verum arbitror.

Cui Terentii dicto non diſſimile eſt illud Ovidii, *in Epiſtola Oenones ad Paridem:*

A juvene, & cupido credatur reddita virgo?

Rectè ergo à Juris conſultis dictum eſt, quòd, cùm copula carnalis non poſſit verè probari, ſed
13 tantùm per conjecturas, & præſumptiones, Malvaſ. *conſ.* 59. *num.* 20. *vol.* 1. Fontanella, *de pactis nupt.*
14 *claus.* 5. *gloſſ.* 5. *part.* 2. *num.* 18. *tom.* 2. Rota *in Romana nullitatis matrimonii.* 19. *Januarii* 1646. *coram Arguelles*, illa probatur ex viſu, ex tiſu, ex colloquio, ex Loco conſtituto, ex admiſſione in domum de nocte. Burſ. *conſil.* 69. *numero decimo, libro* 1. Eadem Rota *in alia Romana nullitatis matrimonii* 28. *Junii* 1651. *coram Otthobono*, ſed his omnibus, cùm longè major ea ſit, quæ ex concubitu in uno eodemque lecto præſumitur, imò hæc, quod ad actum proximum pertineat, (Unde præſumuntur ex hoc ſponſi conſummare matrimonium Rot. *Piſaurem Ioral.* 1648. *coram Arguelles*) non conjectura fortaſſe neque præſumptio, ſed plena probatio copulæ eſſe poſſit. Et favet Rota *in citata Romana nullitatis matrimonii coram Arguelles*, patet, quod neganti debeat incumbere onus probandi. Quod intelligendum quando copula inter eos intervenit, qui habiles ſunt ad coëundum, & generandum. Rota *in Hippo. reg. præcen. matrimonii coram Comitulo numero* 13. ſed quia hæc ad Medicum minùs ſpectant, & à me non ut decet forteſſe explanantur, ea ad Juriſconſultos remitto, & ad ea, quæ Medicorum magis propria ſunt jam redeo. Montanus *lib. de uter. aff.* ex eo 15
quo Roderic. Caſtr. *lib.* 1. *de morb. mul. cap.* 14 *tom.* 2. voluit virginem eſſe corruptam, ſi patiatur fluxum humiditatum albarum ab utero: quod redarguitur ab ipſo Roderico, neque immeritò: nam teſtis ego ſum virginem notabilem, & illibatæ pudicitiæ, hunc fluxum per annos aliquot paſſam. Verumtamen eſt frequentiùs videri in corruptis, & adultis, fortè ob majorem viarum laxitatem. Septennem quoq; puellam novi bilioſam, ac calido & ſicco temperamento, hunc fluxum per vices quaſdam pati, & alias eundem morbum paſſas viderunt multi, ut apud ipſum Rodericum videri poteſt: non tamen aſpernanda eſſet hæc conjectura corruptæ virginitatis, ſi aliis adjungeretur.

Dixi etiam alias ſuperius, corruptam virginitatem denotari ex colore livente in mammarum papillis adnotato: hoc enim ſignum maximè obſervant obſtetrices, neque quid abſurdi continet; denotat quoque idipſum vox immutata; cui ſigno multùm tribuere videntur nonnulli: & ego quidem; ſi aliæ adſint conjecturæ, non aſpernandum, nec cæteris poſtponendum hoc duco. Licet non ex congreſſu tantum cum viris vox in virginibus immutetur, ſed ex ſimplici qunque ſeminis emiſſione quomodocunque facta. 16

Denique ad probandum, an virgo corrupta ſit, necne, plura a pluribus recenſentur experimenta, quæ ego quoque recenſebo, non quòd illis ullam fidem habeam, ſed ne mancus in hac re videar fuiſſe. Celebertimum inter cætera experimenta eſt, quod 17
ex Gagate lapide deſumitur: hunc enim in aqua triduo maceratum, ac bibitum, corruptam virginem eſſe atteſtari ajunt, ſi utinam reddere illicò coacta fuerit, ſin minus, Virginitatis florem illibatum conſervare. De hoc Plinus *libro* 36. *capite* 19. Æmil. Macer. *libro quinto, de Mat. Med. cap. decimo octavo* dicens:

Et ſolet ut perhibent, deprehenpere virginitatem

Sed Plinius ſuffitu idipſum effici narrat. Si quicquam hoc veritatis habeat, utroque modo in uſum convocatus, effectum ſuum prodet. Proponut alii Lapathi flores, ex quibus ſuffumigata Virgo, ſi incorrupta ſit, ſtatim palleſcit: eodem quoque pacto, ſi mulieri ex Melanthio ſuffumigia fiant, ajunt extemplò cogi urinam reddere, ſi corrupta ſit. Proponitur etiam Xyloaloes, & Electrum, eodem modo in uſum convocata, & alia nonulla: quæ quidem ſiquam veritatem habere credam, & cauſam naturalem, non illicò

licò à Virginitatis corruptione id agere putaverim, neque in omnib. indifferenter veritatem patefacere ſed in iis tantummodò, quæ frequenti coitu virum longiuſculo temporis ſpatio ſunt expertæ: in hujusmodi enim fœminis viæ magis patentes relaxantur unde facillimè ex prædictis medicamentis urinam validè cientibus, ipſa urina provocari nolentib. poteſt; quod difficulter, aut nullo modo in Virginibus ſuccedit, ob contrariam cauſam, viarum nempè anguſtiam, cùm & integræ membranæ, & cohærentia quoque ipſius uteti prohibere facilè poſſint, ne ſuffumigata medicamenta ad interiora penetrent, tamen cum Fortunato Fideli *loco citato*, omnia hæc experimenta maximè vana credidetim. De his autem qui plura ſcire deſiderat, adeat Joan. Riolanum *Anthropograph. lic. 2. cap.* 31.

Non relinquam autem, neque ſicco, ut ajunt, pede perttanſibo id, quod de apibus à Plutarcho *in lib. de cauſ. nat. problem.* 36. *& in præcept. connub, n.* 46. relatum eſt, ex quo etiam refertur à Pierio Valerian.
19 *Hieroglyph. lib.* 26. illud eſt, eas acriter ac promptiſſimè in eos invehi, illoſque aculeis ſuis petere, qui recenter mæchati fuerint, ſed in mulieres, inquit Pierius, quæ Veneri operam dederint, acriùs, ac promptiùs invehuntur, & ſi quam ejus rei cauſam fimari liceat, nullam aliam mehercle afferri poſſe crediderim quam quæ ex Virgilii carminib. 4. *Georgic.* ab ipſo Pierio allatis elici poteſt. Ea eſt, quòd apes Veneris ſint expertes, & idcircò, eodem Pierio teſte, virginitatem incorruptam per apem denotari dicit; Virgilii autem carmina ea ſunt.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem.
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt.
Verùm ipſæ ſoliis natos, & ſuavibus herbis.
Ore legunt, &c

Hanc apum naturam, ne poëticè effictam ſuſpiceris, admiſit Ariſt. 3. *de generat. anim. c.* 10. quamobrem mirum eſſe non debet, quod Scriptores de re Ruſtica, ut Pallad. *lib.* 1 *tit.* 37. Apum cuſtodem purum, ac caſtum requirant: ad hanc enim apum naturam reſpexerunt, quam tamen in dubium revocat Columell. *de ruſt. lib.* 9. *ca.* 2. imò Fortunius Licetus, vir ſumma doctrina præditus *in lib. de ſpont. vivent. art. lib.* 4. *cap.* 57. Apes coire contendit, & ex coitu generari, eo quòd etiam ſexu ſint diſtinctæ; licet contrarium ſentire videatur D. Auguſtin. *de Civit. Dei lib.* 15. *c.* 27. ſed utrùm Liceti opinio veritatem habeat, alii viderint; habet tamen ille firmiſſimas, quas adducit, rationes pro ſua opinione, quas ſi libet, apud ipſum vide.

Ratio autem ex Virgilio allata, cur apes aculeis ſuis eos inſectentur, qui de recenti concubuerint, moralis eſt; naturalis alia eſſe poteſt, nempè quòd ex corporibus eorum qui de recenti concubuerunt malus quidam exhalat atque hircoſus odor, ut ſupra citatus Ariſtor. teſtatur *lib.* 4. *probl.* 25. ejus rei cauſam quærens. Fit ergò, ut ex malo illo odore apes vel alſectæ vel irritatæ, in concumbentem impetum faciant, & hoc promptiùs in fœminas, quàm in viros, quia inſignior & major exhalat malus odor ex fœmineo corpore, quàm ex virili, ob uteri ipſius qualitatem; is enim ſemper excrementis ſuperabundans & humoribus ſuperfluis, facillimè, & ex coitu mirum in modum excalefactus; malum ex ſe odorem emittit, qui etiam magis aut allicit, aut irritat ipſas apes, ad eas offendendas, & aculeo impetendas. Verumenim verò ſi commentaria quædam Naturæ miracula ab aliquib. in medium allata deludere ſolida veritate rerum ambimus, dicamus id moris impetendi eos, qui de recenti Veneri operam dederint, cum Apib. commune habere etiam nonnulla alia inſecta, & ut Muſcæ, culices, fuci ipſi, & alia, ut cuilibet volenti, experiri licet; omnia enim ab exhalante ex coientis corpore vapore ad illud impetendum alliciuntur, ut Apes. Non injuria ergo Franc. Rauchin. *de morb. virg. ſect.* 1. *c.* 24. hoc commentum de Apum caſtitate irridet, neque admittit, quod aculeis impetant eos, qui de recenti mœchati ſunt, niſi irritentur.

Cæterùm quia facilè eſt per medicamenta vulgatiſſima, adeò genitalia fœminea reſtringi poſſe, ut corruptiſſimum, & ſubagitatiſſimum ſcortum Virginem præ ſe ferat: id qua ratione deprehendi poſſit, *titulo de morborum ſimulatione*, patefit.

SVMMARIVM.

1 *Virgines non ante nuptui aptæ ſunt quàm generare poſſunt.*
2 *Fœminarum ſemen requiritur ad generationem.*
3 *Cur fœmina abſque voluptate interdum concipiat.*
4 *Mulier ante ſemen ferre ſolet, quàm menſtrua.*
5 *Tam ſemen, quàm menſtrua ad generat. deſtinata.*
6 *Menſtrua non ſunt materia nutritionis fœtus.*
7 *Menſtrua quo tempore patiatur mulier.*
8 *Virgo cùm menſtrua experta eſt, nubere poteſt.*
9 *Virgo nubere poteſt ante menſtruorum apparitionem ſi ad ſimplicem coitus potentiam reſpiciamus.*
10 *Puellæ, quæ non purgabantur, generarunt.*
11 *Puella non ante 18. annum nubere debent.*
12 *Puellas non ante 18. ann nubere, expedit Reipul.*

De tempore nubendi in Virginibus.

QVÆSTIO IV.

DE hac materia nonnulla dixi *lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 6. *à n.* 38 *ad ſeq.* unde pauca admodum dicenda reſtant; brevib. ergo in hac quæſt., agam; notum autem eſt, & ab omni dubio remotum virgines non ante nuptui aptas eſſe, quam generate poſſint; generare verò non poſſe, antequam ſemen ferant, cùm etiam 2
fœmineum ſemen ad conceptionem ex Naturæ neceſſitate requiratur, quicquid ipſæ interdum dicant, & quidquid ex earum aſſertionib. nonnulli docti ſibi perſuaſerint, ut latiùs dixi *ſuperiori libro tit.* 1. *q.* 7. *à n.* 11. *ad plures ſeqq.* Et dicam etiam *lib.* 7. *q.* 1. *tit.* 3. *n.* 16. *& plurib ſeqq.* Et licet puellis de recenti nuptis maximè familiare ſit, ut aliquando concipiant, antequam ſemen ſe effundere didicerint, tamen, ut *loco citato* dixi, illud evenit; quia à majore delectatione ex Viri congreſſu, & receptione ſeminis ipſius, in
proprii ſeminis emiſſione, omnis delectatio penè 3
obruitur, & aboletur; ad quod maximè facit ſeminis fœminini tenuitas. Nam quemadmodum in ipſis Marib. ubi primùm ſemen ferre incipiunt, illud tenuius & fluidius eſt, minusq; craſſum, ac concoctum, quam procedente tempore & ætate fit, ſic etiam in puellis evenit, quæ cùm ex naturæ quoq; præſcripto tenuius ſemen habeant, multò magis etiam tenue ferunt in ſui generationis principio: quapropter mirũ non eſt, ſi modicum, aut nullum ſuæ excretionis ſenſum faciat, cùm excernitur, diſtractis præſertim juvenculis à majori voluntate, cui tantra non aſſueverant. Sed profectò non, antè Mulier ſemen ferre po- 4
teſt, quàm menſtrua patiatur, hæc enim ambo uno eodemque tempore evenire ſolent, quia tam ſemen, quàm menſtrua ad generationem deſtinavit Natura, 5
neque altero eorum deficiente ſuccedere poteſt con- 6
ceptio; non quòd ipſa menſtrua ſint proxima materia nutritionis ipſius fœtûs, ut ſemen ipſius fœtus & principium, & materia eſt, ſed quia cùm menſtrua fluunt, indicium præbent mulierem tam multo ſanguine abundare, ut & proprio corpori alendo, & fœ- 7
tui nutriendo ſufficiat; ad id enim Natura mulierem

volvit multo ſanguine abundare, ubertioremque eo eſſe, quàm virum, licet ſanguis in muliere ob eam multitudinem crudiuſculus exiſtat, qui tempore, quo mulier in utero non habet, ob ſui multitudinem, ſingulis menſib. expurgatur; cùm in utero habet, retinetur, & ob neceſſitatem nutriendi fœtus magis concoquitur, ut ejus laudabilior portio in ejus alimentum faceſſat. Sed de materia nutritionis fœtus *in proprio libello* ad idipſum dicato plura dixi. Nunc ad rem noſtram ſciendum, mulierem menſtrua pati, ut communis fert opinio, anno duodecimo: quam tamen opinionem non eſſe univerſaliter, imò neque in pluribus veram probavi, quia ex multis paucæ tam citò purgari incipiunt; plures verò ſunt, quæ vix
7 decimo quarto purgantur, ut latiùs *ibi* dixi. Cum ergo quæritur de tempore nubendi in Virginib. vel intelligimus de tempore, quo aptæ ſunt ad copulam, & utcunque ad generationem; vel intelligimus de tempore, quo expedit eas nubere, reſpectu habito ad faciliorem, & perfectiorem generationem inde proventuram, quod tunc non modò abſq; periculo concipiant, ſed fœtus quoque validiores, & undequaque perfectos procreare ſoleant. Si in priori ſenſu intelligatur quæſitum, jam id deciſum habemus, quòd ubi menſtruantur mulieres, nubere poſſint; imò, ut hoc ingenuè fatear, ſi de ſimplici potentia ad concubitum quæſtio ſit, etiam antequam menſtrua pa-
8 tiantur, nubere eas poſſe credidetim, & ratio eſt, quia perſuaſum habeo, mulierem ante ſemen intra ſe ge-
9 nerare, quam menſtrua patiatur, ſaltem per aliquod tempus non diuturnum; & idcircò nonnullæ puellæ quæ adhuc per ætatem non purgabantur, tamẽ ge-
10 nerare viſæ ſunt, quod quidem abſq; ſemine fieri non potuit, abſque menſtruorum apparentia potuit, natura ipſum matris ſanguinem, quanquam non admodum ſuperfluentem, in fœtus alimentum deſtinante. Si verò in poſteriori ſenſu quæſtionem accipiamus,
11 ſecundùm vetuſtiorum opiniones, quas retuli *lib.* 1. *quæſtione* 6. *numero* 39. *& ſeq.* non ante 18. annum nubere Virgo debet: quod etiam notarunt recentiores, Jo. Marinell. *libro primo, de Medic. mul. capite tertio*, hoc enim tempore menſtrua facilius, & in majori quantitate, & calor magis vegetus eſt, unde etiam ſemen magis concoctum, magisque proli gignendæ aptum generatur; quinetiam & laboribus ferendi uteri, & pariendi, & liberos nutriendi faciliùs ſufficiunt; viæ etiam in ipſis laxiores, patentiores factæ faciliorem exitum fœtui præbent, unde & ipſæ matres, & ipſi fœtus minùs periclitantur, cùm partus inſtat: contra quam fiat in tenerioribus juvenculis, quæ ob contrarias omninò cauſas aut non accipiunt, aut fœtus maximè imbecillos procreant, qui in naſcendo cum ipſis matribus facili negotio periculo ſubjiciuntur, & ſi fortè fortuna ſuperſtites remaneant, vitam valetudinariam perpetuò degunt: Expedit itaque Reipublicæ, ut Virgines non ante decimum octavum annum, ſaltem ut plu-
12 rimùm nubant.

SUMMARIUM.

1 *Stuprum etiam in maſculis committitur.*
2 *Signa ſtuprati pueri in duplici differentia.*
3 *Stuprum in puerum de recenti patratum unde cognoſcatur.*
4 *Stuprum in marem ubi frequentatum ſit, quæ ſigna habere ſoleat.*
5 *Signa ſtuprum denotantia, poſſunt etiam ex aliis cauſis apparere.*
Caruncula in Ano, & rugarum planities vix ab alia cauſa, quàm à ſtupro eſſe poſſunt.

Conſtuprati Pueri Signa.

QVÆSTIO V.

STuprum non modò in puellas, & Virgines, & 1
Viduas committitur: Alciat. & alii apud Carrar. *de Med. part.* 2. *num.* 200. ſed à ſceleſtiſſimis hominum, Naturâ abutentibus, etiam in maſculos patratur Farinac. *de delict. carnis, q.* 148. *numero* 1. quod delictum graviſſimum quidem inter omnia cùm ſit, jure merito condignas pœnas expoſcit, & in illud à legibus ſummo cùm rigore animadvertitur, ut per *l. Cum vir. C. de Adulter* Clar. *lib.* 5. *ſent.* §. *Sodomia. num.* 1. Boſ. *in pract. crim. tit. de ſtupr. deteſt. in maſc. num.* 1. In ejus autem delicti examine, ut de veritate Judices certiores fiant, per Medicos, & Chirurgos ipſos pueros conſpiciendos curant, ut notat Guazzin. *ad def. Reor. def.* 4. *c.* 7. *num.* 12. qui, ſi quæ ſigna ſint, quæ pueros ſtuprum paſſos eſſe atteſtentur, ea ad ipſos Judices deferant.

Quemadmodum ergo de ſignis ſtuprataæ Virgi- 2
nis dictum eſt, ea in duplici differentia eſſe quia nonnulla ſtuprum ſignificant de recenti commiſſum, quædam verò à multo tempore; turſus quæ ſtupium unicâ vice patratum, aut de raro, quædam quæ frequentatum oſtendunt, eodem quoque pacto de hujus ſtupri ſignis diſtinguendum eſt. Nam ſtuprum 3
in puero, quod de recenti patratum fuerit, ut ante menſem, præcipuè ſi frequentatum ſit, indicare manifeſtè poſſunt, Ani ſciſſuræ, Rhagadiæ dictæ, quę facilè ob illatam vim apparent, præcipuè ſi puer tenerioris ętatis ſit, & ſtuprator craſſa mentula dotatus: nam etiam conſideratio magnitudinis & parvitatis membri ſtupratoris inquiſiti debet in hoc caſu haberi, ut notat Guazz. *loco ſuprà citato num.* 13. de neceſſitate autem videtur; quòd non modò ſciſſuræ adſint, ubi hæc concurrant, ſed manifeſtiſſima etiam fractura. Ubi autem puer grandior fit, aut ſtuprator non adeò craſſa mentula dotetur, interdum ea pars excoriata apparebit, ob eandem ipſam cauſam, violentię nimirum, ob quam etiam aliàs inflammatione moleſtatur; cujus vice, vel eà ipſa permanente, pruritus quidam indefinenter infeſtat. Sed inflammatio faciliùs in principio apparet, dehinc eâ mitigatâ pruritus ſequitur, & color ipſius partis in lividum mutatur, commutato ſanguine, qui eo concurſum ob violentiam, & motum & calorem habuit, in lividum colorem. Et ſi 4
ſtuprum fuerit valdè frequentatum, apparet etiam in ipſo podice laxitas quędam, & ſpartis dilatatio, quæ etiam multò poſt tempore perdurare poteſt, & indicare inſimul ſtuprum frequentatum, etiam à multo tempore commiſſum. Quod multò magis ſignificant quædam caruncułæ, ſeu carneæ excreſcentiæ, quas vulgò criſtas vocant, quæ maximè ex frequenti Sodomia originem habent, teſtè Amato Luſit. *Curat. Medicin. centur.* 2. *curat.* 87 His excreſcentias, ſeu criſtas Iuvenal. mariſcas vocavit. *Sat.* 1. inquiens:

.... *Sed podice lævi,*
Caduntur tumidæ, Medico ridente, mariſcæ.

à Martiali verò *Epigr. lib.* 1. dicuntur fici, ibi:

Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos, Caciliane, tuos,

Licet fortaſſe non idem ſint fici, & criſtæ, & mariſcæ, cùm mariſcæ apud quàmplures Medicos pro ipſis hæmorroidibus accipiantur, cùm tumidæ

ſunt,

sunt, & adaperiuntur, vel ulcerantur, ita ut imitentur ficum quandam quæ præ pinguedine aperitur, & semen ostendit, quæ ficus matisca, & sycomorus dicitur. Multò magis frequentem tam nefandi coitûs usum significare poterit ipsius Podicis constitutio, qui cùm ex Natura rugosus existat, ex hujusmodi congressu levis ac planus efficitur, obliterantur enim rugæ illæ in Ani curriculo existentes, ob assiduam membri attritionem, laxitas quoq; ipsius Podicis quò magis stuprum frequentatur, major indies evadit, maximè quia coguntur cinædi infamissimi, ut dolorem in eo actu, præcipuè in principio, effugiant, & ut faciliùs patiantur, medicamentis uti relaxantibus, & mollientibus.

5 Adnotandum tamen est, quod plura commemoratorum signorum possunt ex aliis causis, quàm ex constupratione originem trahere; itaque maximâ cautelâ utendum, ut dignoscamus quando ex stupro, quando autem ex aliis causis enata fuerint, quemadmodum notat Guaz, *ubi aliàs n.* 13. Scissuræ enim exempli gratiâ, possunt ab humore acri, & erodente dependere; aut etiam ex fæcum duritie, cum quibus etiam inflammatio; & pruritus adesse facilè potest. Si tamen ab humore acri, atque mordaci scissuræ dependeant, id facilè apparebit per aliqua signa hujusmodi humorum abundantiam attestantia, & per resudationem interdum humoris ichorosi, flavi, citrini, aut viridis ex ipsis ulcusculis; & scissuris. Sic & si fuerint ex nimia fæcum duritie excitatæ, promptè id constare poterit ex ipsarum fæcum consideratione; præterquam quòd ubi altera ex iis causis simplex fuerit, non est necesse adesse livores, aut inconsuetum ruborem in Ano; neque enim tantam vim pati potest puer ex fæcum duritie, quantam ex stupri violentia pati cogitur.

Altera autem causa, nempe fluxus humorum 6
erodentium, vix habet locum in pueris, neq; solet is morbus esse ipsis admodum familiaris, quòd benignioris naturæ humores sortiantur. Præterea carunculæ; & rugarum attritio, atque planities vix ab alia causa esse possunt, quàm à stupro. Itaque consideratis quidem singulis per se causis, & signis, magnâ cautelâ adhibita, non neglectis etiam coniecturis, & præsumptionibus, etiam quæ extra artem haberi possunt, Medici de hac re facilè veritatem pronuntiare poterunt.

PAVLI ZACCHIÆ

QUÆSTIONVM MEDICO-LEGALIVM

LIBRI QVINTI TITVLVS PRIMVS;

De jejunio, & Quadragesima.

Continens Quæstiones novem.

I. Quid sit jejunium, & quotuplex ad quem finem ab Ecclesia institutum, & quot conditiones ad illius observantiam requirantur.

II. An Iejunium, & præcipuè longum ut Quadragesimale, corporeæ saluti sit noxium.

III. Quibus ex causis à Iejunii observãtia homines excusentur, ac primò de causa respectu ætatis.

IV. De impedimento jejunandi ex causa laboris, & paupertatis.

V. De impedimento jejunandi ex causa morbi.

VI. De Potu in Iejunio extra refectionẽ.

VII. De Iejunio imposito cum pane, & aqua & aliis similibu.

VIII. Dispẽsatus à Iejunio quoad qualitatem ciborũ, & præcipuè quoad carnes an ab omni alia obligatione jejunii solutus censeatur.

IX. De Iẽtaculo, seu colatione, vel refectiuncula, aut Cœnulâ tam vespere quàm manè in Iejunio sumpta.

SUMMARIUM.

1 *Quicunque personæ ad ieiunium obligantur sub peccato mortali præter legitimè excusatas, n. seq.*
3 *Medici consilium multoties adhibetur ad decidendum de legitimatione causæ ob quam quis à ieiunio excusatur.*
4 *Ecclesia per ieiunium non intendit Animæ, aut corpori detrimentum inferre nec cum gravi læsione naturæ quemquam ad ieiunium obligare.*
5 *Ieiunium duorum, aut trium dierum, absq; ulla comestione non est licitum.*
6 *Ieiunium quando sit illaudabile.*
7 *In causa dubia semper Medicus consulendus in his quæad eum pertinet.*
8 *Ieiunium unde dicatur.*
9 *Ieiunium Ecclesiæ cum quid sit. & num. 11. 12. & 19.*
10 *In Ieiunio quid intendat Ecclesia.*
13 *Ieiunium naturale quid. & num. 17.*
14 *Ieiunium quotuplex. & num. 15.*
16 *Ieiunium triplex.*
18 *Ieiunium morale quid.*
20 *Alia ieiunii divisio.*
21 *Ieiunii divisio ex Conciliatore.*
22 *Finis præcipuus Ieiunii & num. 25.*
23 *Ieiunium etiam ad corporis salubritatem confert.*
24 *Ad Ieiunii observantiam, qua requirantur.*
26 *Cur tantum unica comestio in die permissa.*
27 *Fames homines facit magis tractabiles, & morosos.*
28 *Fames triplex.*
29 *Ratio ciborum ab Ecclesia electorum in Ieiuniis.*
30 *Ciborum quantitatem continuam cur Ecclesia reliquerit indeterminatam.*
31 *Quantitas continua in cibis assumendis in Ieiunio cur indeterminabilis.*
32 *Hora certa comedendi in Ieiunij diebus, cur ab Ecclesia instituta.*
33 *Ieiunia eò religiosiùs servantur, quò tardiùs prædictum assumitur*

Quid sit Iejunium, & quotuplex, ad quem finem ab Ecclesia institutum, & quot conditiones ad illius observantiam requirantur.

54

QVÆSTIO I.

1 CAnonica materia hæc est, quæ Medicam speculationem maximè exposcit, nam licet jejunium à Catholica Ecclesia indictum sub peccati mortalis reatu, obliget quascunque personas ad ejus observantiam, D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. Covar. *var. resol. lib.* 4. *cap.* 20. *&* 2 *ex comm.* Lessius *de Just. & Jur lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 5. *n.* 31. legitimè excusatos non obligat: hinc est, quod ad 3 legitimationem ejus excusationis, Medici consilium multories adhiberi debet, qui consideret, an jejunium huic, aut illi personæ noxium futurum sit, Azor. *Institut. Moral. lib.* 7. *cap.* 11. *vers. Quintò* 4 *quæritur, & lib. cod. cap.* 18. *vers. Quarto quæritur.* Tunc enim talis persona ab ea obligatione fit immunis, quia Ecclesia non intendit per jejunium, animæ, vel corporis detrimentum inferre, nec cum gravi læsione naturæ quemquam ad jejonium obstringere. Less. *ubi supra, lib.* 4. *cap.* 6. *dub.* 6. *vers. Ob impotentiam.* & ex nostris, Io. Alphons. à Fontech, *in Specul. Med. Christ. Innum.* 2. *pag* 2. *vers. sequitur* 3. & testatur idipsum Medina, *apud eundem ibid.* idcircò non modò non imperat Sancta Ecclesia jejunium quadraginta dierum, absque ulla ciborum 5 refectione per totum hoc spatium, ut teneremur ad Christi Domini imitationem, sicut aliàs dixi, *ex c. solent. de consecr. jejun. distinct.* 1. sed prohibet etiam jejunium hujusmodi absque omni cibo duorum, 6 aut trium dierum. *c. non dic. & c. seq. de consec. dist.* 5. quinetiam, ubi jejunii tolerantia communem hominum facultatem excedat, ab ipsa Ecclesia illaudabile reputatur. *c. non mediocriter de consec. dist.* 5. nam magis peccare dicitur, quàm quicquam meteri is, qui jejunat: ubi ex jejunio verisimiliter morbus aliquis, aut mors succedere potest. Abbas *in c. cùm infirmitas, not. ult. cau. de Pœnit. & remiss.* ex quo Thom. Acrius *de Infirm. part.* 1. *cap* 43. *num.* 25. Quoniam ergo, ut dixi, ad jejunii excusationem ob 7 impotentiam, Medicorum judicium exposcitur. Azor. *Instit. mor. lib.* 7. *cap.* 19. *vers. Tertiò quæritur. & vers. seq.* Lessius *ubi suprà, dub.* 6. *num.* 40. & in causa dubia Medicum esse semper consulendum Canonistæ docent Anton. Fernand. *in exam Thod mor. part.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 13. Filiucc. *Moral quæst. tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. *vers. Tertiò dico, n.* 129. cùm causa, de qua Canonistæ, vel eæ personæ, ad quas dispensare pertinet, ambigunt. Medicis evidens sit, & certa. Azor. *ubi supra, vers. Quartò quæritur, cap.* 18. idcirco de hac materia inter alias *Medico-Legales* agere operæ pretium visum mihi est, ut circa eam ea animadvertam, quæ ad Medicam spectant facultatem relictis iis (nisi quæ per transennam incidant) quæ eandem facultatem transcendunt. Occurrunt autem plurima quidem, & non minimi momenti dubia circa hanc materiam, ex Medica officina discutienda; non enim simpliciter Medici consilium adhibetur, ubi dubium est, an quis à jejunio dispensari possit, sed etiam, an à tali jejunio, & an ab una jejunii circumstantia dispensatus, puta à qualitate ciborum, ab aliis etiam dispensandus sit, puta à quantitate, ab unitate comestionis, ab hora determinata, & sic de singulis. Et circa jejunium impositum cum pane, & aqua, & alia, quæ communi sunt arctiora, nonnulla dubium afferunt, neque alia per multa desunt cùm Medici tantum voto decidenda, ut legentibus patebit.

Ante omnia ergò videndum quid sit jejunium, & quotuplex, de nomine enim jejunii nihil occurrit dicendum, nisi id quòd nonnulli volunt deduci ab intestino quodam, quod inter gracliora est medium, & quod jejunum nominatur. Hanc 8 nominis deductionem afferunt Canonistæ, & inter alios Filiucc. *Quæst. mor. tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Quæ nominis deductio mihi ridicula est, non enim jejunum intestinum sic nominatur, nisi quia jejunum, ac vacuum præ cæteris reperitur, ut notant Anatomici, & vide, si libet, Laurentium *lib.* 6. *Anatom. c.* 13. se de nomine ulteriùs loqui omittens, ad jejunii definitionem accedamus.

Definitur jejunium, afflictio carnis ab abstinentia ciborum proveniens. Abb. *in tertium decretal. rubr. de observ. jejun. num.* 1. sed videtur hæc definitio nimis generica, neque soli Ecclesiastico jejunio conveniens, sed qualicunque abstinentiæ à cibis, ex qua sequatur carnis afflictio. Definitur tamen rectè jejunium per hanc carnis afflictionem juxta loquendi modum ipsius sacræ paginæ, in qua, quotiescunque imperatur jejunium, hic loquendi modus reperitur, ut Levit, *cap.* 23. *vers.* 27 *Affligetisque animas vestras in eo* & Levit. *cap.* 23. *vers.* 29. *Omnis anima; quæ afflicta non fuerit die hac peribit de populis suis*, & Num. *cap.* 29. *vers. Decimo quoque die Mensis hujus septimi erit vobis sancta, atque venerabilis, & affligetis animas vestras.* & *cap.* 30. *vers.* 14. *Si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel caterarum rerum abstinentiam, affligat animam suam.* & Judith. *cap.* 4. *vers.* 8. *Et humiliaverunt animas suas in ieiuniis.* Hoc enim præcipuè intendit Ecclesia in institutione jejunii, ut latiùs infrà dicemus, ut caro, & 10 sensus corpori refrenentur, & affligantur, & spiritus ab eorum molestia magis solutus, ad divinarum rerum contemplationem faciliùs dirigatur unde in oratione in die jejunii sic precatur. *Deus, qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas.* Hæc autem afflictio, seu macetatio carnis, facillimè ex ciborum abstinentia succedit; tunc enim caro gliscit, & corporeorum sensuum stimulo maximè irritatur homo, cùm electis cibis, & potibus sese ingurgitat; at contrà tunc maximè caro friget, & sensuum stimulus reprimitur, cùm cibis & potibus homo parcit juxta illud. *Sine Ceres, & Baccho friget Venus.*

Sed alii jejunium definierunt hoc modo, quòd 11 sit nimirum maior quædam abstinentia in victu, & iis quæ gustu percipiuntur, quam communis temperantiæ regula requirat, Lessius. *lib.* 4. *de Just. & Jur. cap.* 2. *dub.* 2. *sub. num.* 6. Filiucc. *Moral. quæst. tom.* 2. *tract.* 217. *part. cap.* 1. *vers. Tertio quæro.* sed & hæc definitio nimis generica, ut superior est, & Ecclesiastico ieiunio soli non convenit, sed cuicunque.

Ex nostris Conciliator, *diff.* 117. *vers. Propter primum*, multò melius quàm superiores, ut mihi videtur, ieiunium definivit, dicens *esse secundum* 12 *Leges in Deum directivam victus parcimoniam.* Quæ definitio ea omnia continet, quæ ad ieiunii Ecclesiastici essentiam requiruntur: nam cùm victus parcimonia, etiam maior, quàm temperantia requirat, non sit verè ieiunium, nisi naturale, idcircò addendum fuit, quod talis parcimonia sit in Deum directiva; nempe ad eum finem facta, ut spiritus promptior ad rerum divinarum contemplationem

esse

eſſe debeat. Sed adhuc, non omnis parſimonia in victu etiam ad hunc finem facta, jejunii Eccleſiaſtici nomen meretur, idcirco additum, quòd ſit ſecundum leges, nimirum juxta ſacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ præcepta, nam ſiquis ad hoc, ut divinarum rerum contemplationi faciliùs vacaret, victus parcimoniâ etiam majori, quàm virtus temperantiæ requirat, uteretur, non autem tali, qualis ab Eccleſia præcipitur, neque in tempore, quod Eccleſia præcipit, nequaquam hoc eſſet ieiunium. Covarruvias *variarum reſol. lib. 4. cap. 10. num. 12.* Vnde & quorundam hæreſis apud eundem damnata, *ibid. num. 3. in fin.* qui quamquam jejunium laudarunt, putarunt tamen, non poſſe Eccleſiam nos obligare ad jejunium, ſed unumquemque poſſe ſibi præſcribere jejunium, pro libero ejus arbitrio, & voto. Negari quidem non poſſet, quancumque abſtinentiam, maximè ad prædictum finem factam, eſſe meritoriam. Martin. Ledeſm. *in D. Bonavent. Tom. 4. diſt. 15.* ex quo inter noſtros Alphonſ. à Fontech. *ubi ſupra, pag. 49. verſ. Quid autem.* Rectè ergo videtur jejunium Eccleſiaſticum à *Conciliatore* definitum, prout eſt quædam arctior abſtinentia à cibis, definitur ab
13 eod. Concil. *ibid. quòd ſit quædam diætematum ſubtractio*, cui tamen definitioni non temere addendum puto, ex qua corpus vacuum permanet: nam hæc vacuitas, ut ita dicam, videtur de eſſentia jejunii, vel dici poſſet, tale jejunium eſſe abſtinentiam in aſſumendis cibis. Azor. *Inſtit. moral. cap. 20. verſ. Tertiò quæritur.*

14 Quotuplex autem ſit jejunium, multi docuerunt, ſed variâ omnino ratione. D. Thom. 2. 2. *quæſt. 147. art. 6. ad ſecundum.* Dupliciter diviſit jejunium in jejunium naturæ, & jejunium Eccleſiæ quod vocat jejunium ieiunantis. Canoniſtæ triplex conſtituunt, ſpirituale unum, quod eſt abſtinentia à peccato mortali, omnium Deo acceptiſſimum, & maximum. *c. ieiunium de conſec. diſt. 5.* alterum item ſpirituale, quod eſt abſtinentia à cibis, qualis ſupra definita eſt, ita Abb. *loco ſuprà cit. de obſerv. ieiun. num. 1.* Hoſtienſ. *in ſumm. lib. 3. rub. ead. num. 1.* & alii. *ibid.* & ex noſtris Io. Alphonſ. à Fontech. *ubi ſuprà, pag. 65. verſ. pro dilucidatione.* Quæ diviſio ad nos minimè pertinet, ſed ad ipſos Canoniſtas, & Theologos.

15 Aliam diviſionem habet Abb. *ubi ſuprà*: nempe quoddam eſſe abſtinentiam à cibis ſecundum propriam voluntatem, non ſecundum Eccleſiæ præceptum: aliud eſſe abſtinentiam ab humectantibus, cùm ſcilicet comeduntur ſicca tantùm, puta panis, nuces, & ſimilia: tertium eſſe abſtinentiam à cibis ſecundum ordinationem, & conſuetudinem Eccleſiæ: ſed neque hæc diviſio ad rem noſtram pro nunc quicquam facit. Tripliciter item diviſum eſt jejunium à nonnullis Doctoribus. Filiucc. *ubi*
16 *ſuprà, num. 6.* nam quoddam dixit eſſe naturale, quoddam morale, quoddam Eccleſiaſticum. Naturale eſt ſimplex abſtinentia à cibis cum ventris vacuitate, quod definiebat ſuperiùs *Conciliator* eſſe diætematum ſubtractionem, nempe, inquam, eſſe ſubtractionem conſueti cibi quotidiani talem, ut corpus inde magis ſolito vacuum per aliquod tempus maneat, & hoc ad nullum potiorem finem obſervatur, niſi ad corporis ſanitatem tuendam, velex plenitudine amiſſam recupetandam: dum enim novis cibis oblatis concoquendis natura non diſtrahitur, prægreſſas cruditates, & ſuperfluitates omnes concoquit, & abigit. Morale jeju-

nium, abſtinentia eſt à cibis, & potibus ad hunc 18
finem factum, ut virtutis operibus vacare poſſimus. Eccleſiaſticum jam diximus eſſe abſtinentiam à cibis juxta ritum, & præceptum Sanctæ Matris 19
Eccleſiæ.

Diviſerunt alii ieiunium multipliciter, nimirum quatenus unum eſt durius alio: Navarr. *de quinq. præc. Eccleſ. cap. 21. num. 11. verſ. Tertiò peccat.* & juxta hoc aliud ieiunium eſt duriſſimum, quando eſt cum pane, & aqua ad certam, & modicam menſuram: aliud eſt hoc mitius, ſed tamen durum, quod ſit cum pane, & aqua ſemel in die, ad appetentiæ exigētiam: aliud eſt hoc etiam mitius, cùm ſit cum quadam abſtinentia à certis quibuſdam rebus, puta ab iis, quæ guſtus illecebris magis inſervint: aliud adhuc prædicto mitius, cùm ſumitur certa quantitas cibi cuiuſcunque in ieiunio permiſſi, minor tamen quam Naturæ exigentia requirat: aliud denique mitiſſimum, cùm comeditur ſemel in die, quantum quis voluerit, & ſic multipliciter adhuc variari poteſt ieiunium, ut patet, modò abſtinendo à cibis delicatioribus, modò à potu vini; modò ſubtrahendo de cibo ad unicam quotidianam refectionem neceſſario, & ſic de reliquis, aggravando ſibi conditiones ab Eccleſia in ieiunio requiſitas, de quibus infrà, ut declarat Alb. Pius 21
libro 4. contra Eraſm. Sed juxta prædicta, ex noſtris Conciliator *ubi ſuprà*, dupliciter diviſit ieiunium, unum ratione quantitatis, cùm non tantum comeditur, quantum Naturæ exigentia expoſcit, vel conſuetudo: aliud, cùm non toties comeditur quoties Natura expoſcit, vel quoties homo conſuevit comedere. Addendum his & tertium, cùm non talia comeduntur, qualia homo conſuevit, ſed qualia ab Eccleſia imponuntur. in Eccleſiaſtico utrumque ieiunium Conciliatoris, & hoc item tertium obſervatur.

Vt autem ſciamus Medici definite, quando quis excuſari poſſit à ieiunio, & quouſque procedere debeat abſtinentia, aut ieiunii nomen mereatur, videndum ad quem finem Sancta Mater Eccleſia ieiunium inſtituerit. Præcipuum ergo finē Canoniſtæ 22
eſſe dixerunt, ut per abſtinentiam certis legibus præſcriptam corpora caſtigentur, ad illicitos carnis impetus compeſcendos. Covarr. *ubi ſuprà, verſ. prima Eccleſia.* Ac profectò una ex cauſis, cur quadrageſimale ieiunium verno potiùs, quàm alio quovis tempore, ab Eccleſia in inſtitutum, illa eſt, quia hoc tempore animalia, & homines maximè, acutiùs ad Venerea ſtimulantur. Vt ergo carnis ſtimulus tunc præcipuè refrenaretur, cùm maiorem in modum moleſtus eſt, ieiunium Quadrageſimale tunc temporis ab Eccleſia fuit impoſitum. Hanc cauſam attulit ad hoc, ex noſtris Epiphan. Ferdin. *lib. 2. Theorem. 40. in princ.* Neque conticebo hîc id, quod Pierius Valer. *Hierogl. lib. 14.* dicebat nempe ieiunii hominis ſalivam ſerpentem necare, quod ex gravibus auctoribus habemus, quos & ille adducit. Et hoc autem, addit, ſubmonuit natura venereas voluptates, libidiniſque ardorem ieiunio identidem extingui. Sed & præter commemoratum finem, alium intendi dicunt Canoniſtæ, nempe ut mens liberiùs ad ſublimia contemplanda elevetur, ut jam diximus, Covarr. *ibidem num. 1. verſ. 7. Ex eo.* Tertius etiam finis aſſignatur, nimirum ſatisfactio pro peccatis, quos omnes fines enumerat D. Thom. *citat. quæſt. 147. art. 1. in concl. & ibid. art. 3.* & ex eo Canoniſtæ omnes.

Poſteriorem autem hunc finem eſſe Deo acceptiſſimum, ex eo firmari poteſt, quòd jejunium videatur maximè in ſatisfactionem, & remedium primi peccati emanaſſe, ut ea pars præcipuè pœnitentiâ plecteretur, quæ primi peccati culpam meruiſſe videbatur: nam idcirco fortè jejunium ſecundum ſe conſideratum non importat aliquid eligibile, ſed pœnale quoddam, D. Thom. *ubi ſuprà art. 3. ad primum.* Quia enim non jejunavit homo, de Paradiſo ejectus eſt, jejunemus ergo nos, ut ad ipſum revertamur, inquit D. Baſil. ex quo Alb. Pius Carp. *lib. 4. contra Eraſmum.*

Quamquam autem Eccleſia non intendit niſi
23 animæ per jejunium proſpicere, conſecutivè tamen jejunium etiam ad corporis ſanitatem, & incolumitatem confert *arg. tex. in c. Legimus de Conſecr. diſt. 5 c. Nihil enim ibid.* unde ad vitæ longitudinem ejuſque protractionem. Leſſius *de Inſtit. & Jur. lib. 4. c. 2. dub. 10.* Filiucc. *Quæſt. mor. tract. 27. cap. 1. verſ. Septimò quæro.* quas etiam utilitates jejunio ineſſe, probant ex noſtris Cedronch. *de Chriſt. med. rat. lib. 1. c. 26.* & Io. Alph. Fontech. *in Spec. med. Chriſt. lumin. 2. in princ.* & ex Juriſconſultis Barboſ. *de off. & pot. Epiſ. Tit. 2. Gloſſ. 5 art. 8.* Adduntur & à Filiuccio *ubi ſuprà*, aliæ utilitates jejunio provenientes, ut apud ipſum videre eſt: ad nos enim de illis loqui non ſpectat.

Cæterùm ad jejunii obſervantiam nonnullæ conditiones requiruntur, circa quas plura dubia occurrunt, quorum ſolutio ex Medica officina petenda
24 eſt. Unanimiter ergo omnes Canoniſtæ tria ad jejunii obſervantiam requiri docent: qualitatem nempe ciborum peculiarem ab Eccleſia præſcriptam, unitatem refectionis in ſpatio viginti quatuor horarum, nempe diei unius naturalis, & horam competentem aſſumendi cibos Azor. *Inſt. moral. lib. 7. cap. 2. & ſeqq.* Leſſius, *ubi ſuprà, cap. 2. dub. 2.* Filiucc. *loco cit. c. 2. verſ. Primò quæro.* Fernand. *in exam. Theol. mor. part. 2. cap. 7. §. 2. num. 8.* & ex noſtris Io. Alph. à Fontech. *cit. opere ſpec. med. Chriſt. lumin. 2. in princ.* qui & alios Canoniſtas ad id adducit, quos nos cum aliis omittimus: res enim eſt clariſſima. Cur verò hæ conditiones ab Eccleſia requirantur ad jejunii obſervantiam,
25 Medica etiam conſideratio demonſtrare poteſt: præter id, quod Canoniſtæ ad hoc afferunt. Finis ergo præcipuus in jejunio intentus, eſt, ut jam diximus, maceratio carnis, & impetus ſenſitivæ, ac inferioris partis per abſtinentiam in cibis refrenatio, qui finis facilè ex obſervatione harum trium conditionum in cibis aſſumendis reſultat: ex qualitate ſcilicet ciborum, ex quantitate tam continua, quam diſcreta eorundem, & ex hora determinata comedendi. Nam quoad qualitatem, elegit cibos modici nutrimenti: ut per eos ſanguinis luxuria demeretur, & ſi quis ex his ipſis cibis generaretur, non admodum ſpirituoſus eſſet, talis enim cùm generatur, caro maximè ad ſenſus gliſcit. Abſit autem à nobis, cum impiiſſimo Eraſmo aliiſque Hæreticis affirmare, Eccleſiam habuiſſe in inſtitutione jejunii ciborum delectum, & ob eam cauſam carnibus interdixiſſe: non enim abſtinendum ſuadet à carnibus, tanquam à cibis immundis, & illicitis, ſed tanquam à cibis nimiam ſanguinis copiam aggregantibus, & ob id carnis ſtimulos acuentibus: non erga ob ſuperſtitionem, ut declarat
26 Alb. Pius *loco alias cit.* Sed quoad quantitatem, tam continuam, quàm diſcretam, voluit Eccleſia, unicâ nos refectione uti quanta ſatis ſit, interdicens repetitam comeſtionem, etiamſi non tantum ſumeremus pluribus vicibus, quantum unicâ quia cùm maceratio carnis maximè contingat ex defectu alimenti, ad quem ſequitur quædam corporis triſtitia, cum qua tamen animus magis ſolutus eſt à corporis impedimento, idcircò, ut hunc defectum experiremur, Eccleſia unicam comeſtionem ſingulis diebus permittit, non multiplicem, quâ facilè erat, eum alimenti defectum evitare, non obſtante quòd cibi eſſent modici nutrimenti. Quoad tempus comedendi, determinavit etiam horam certam, ut in ſpatio 24. horarum ſemel comedentes incommodum aliquod inediæ corpus perſentiſceret: ex hoc enim quod corpus cibis majoris nutrimenti aſſuetum, & pluribus quoque refectionibus incommodum illud aliàs evitans, ſit ut citiùs indigentiam alimenti perſentiat quàm aliàs, unde triſtitiam quandam, ut diximus, concipit, quam propriè carnis afflictionem vocamus, quæ videtur omnino de jejunii eſſentia, cùm jejunium per carnis afflictionem definiatur, ex qua cùm caro ſuccumbat, ſpiritus vividior, ac purior non modò ad corporis functiones, ſed ad mentis quoque ipſius elevationem promptior redditur: nam vini & carnium plenior uſus, corpus quidem validum, Athleticaque firmitate facit, animum verò imbecillum, & fragilem, Plutarch. *in libro de Tranquill. Anim.* imò cum animo ſimul etiam corpus crapula infirmum facit, unde Horat. *lib. 2. ſerm. Sat. 2.*

—— vides ut pallidus omnis
Cœnâ deſurgat dubiâ? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam Auræ.

Opponere tamen poſſet contra abſtinentiam hanc ex qua natura alimenti percipit indigentiam, quiſquis ſit, quòd ea homines magis triſtes faciat, timidos, moroſos, iracundos, & impatientes, juxta paræmiam illam, *Fames, & mora bilem in naſum concium*, & juxta id quod demonſtrat Hipp. *in lib.* 27
de vict. rat. in acut. unde & animo noxiarerit. Ad quod dicendum eſt, confitendo indigentiam & famem poſſe hos effectus producere, ſed habere gradus quoſdam, ad quorum ſummum cùm pervenerit, tunc quidem eos effectus excitare, non autem in cæteris gradibus. Vel dicendum eſt, famem multiplicem eſſe, juxta diviſionem à Mercato traditam, *lib. 3. de morb. intern. cur. c. 2.* in ea namque fame, quæ naturaliter fit, ſeu ex indigentia cibi, quem 28
calor in chylum vertat, vel ex indigentia chyli, quæ cæteris membris ſuccurrat, ſive ex indigentia propriæ humiditatis, dummodò moderata unaquæque ſit, & non ad longum tempus tolerata, non ſolet homo bono temperamento dotatus, & ventriculo competentis virtutis, in ea ſymptomata incidere, quæ jam recenſita ſunt, ut in alia fame (quæ verè potiùs non naturalis dicitur, & idcirco à Gal. 1. *de ſympt., cauſ.* vocatur triſtis quidam ſenſus) ex eo quod morboſa ſit, evenire ſolet: unde jure merito unum ſymptoma ab alio diſtinguitur & Gal. *ibid.* famam ab appetitu ſecrevit, ut percurrit Mercat. *loco ſupr. cit.* Eccleſia ergo non intendit ex abſtinentia, quam præcipit in jejunio, inducere famem illam in extremo gradu, aut non naturalem, ſed indigentiam tantùm quandam primi generis, ex qua & caro affligitur, & ſpiritus promptior ad ſua munera exiſtit: atque ea de cauſa non permittit hominem, ut ſupra etiam dixi, præter conſuetudinem aſſumendi alimenti, ultra ſpatium diei unius jejunare, *c. non dico. de Conſecr. diſt. 5.* ne in famem illam morboſam, aut in alia

pejora

per ſentientes, in prædicta ſymptomata, in lipothymiam,& huiusmodi labuntur ut iis plurimum evenit quos picrocholos nominamus,ut in ſequentibus pa-
26 tebit.

Eccleſia igitur, ad prædictam intentionem aſſequendam macerationis nempe carnis primò, ut diximus,tales cibos in jejuniis eligit, ut ſanguinis parum generarent,unde iis omnib. ac ſingulis interdixit, qui multum ſanguinis procreare apti nati ſunt. His ex cauſis à carnibus, & ab iis omnibus qui ſementinam originem carnis habent, ut ova. & lacticinia, abſtinere nos in jejunio præcepit : cùm hæc omnia,& multum ſanguinis,& laudabilem generent ex cujus generatione libidine excitatâ ſpiritus ſuccumbit. Quamobrem miratus ſum nonnullorum locorum,neſcio an abſolutè dicere liceat, vituperabilem conſuetudinem,ſeu fortè nimis licentioſam, in quib. ovis. & lacticiniis in jejuniis veſcuntur : nam hæc quidem carnium vicem gerunt,& non absq; ratione Ægyptii Sacerdotes,ut refert Pier. Valer. *libro 17.Hierog.l c.de Papyro.*qui à carnib,in victu abſtinebant (licet ſuperſtitioſa eſſet eorum hæc abſtinentia) ab ovis quoque & lacticiniis ſe temperabant, quòd dicerent, ova eſſe carnes liquidas, lac autem ſanguinem colore immutato.Jure ergo nos, qui carnes macerare in jejuniis tenemur, ab ovis ſimul & lacticiniis abſtinebimus.

Sed præter abſtinentiam à carnib. cæteris q ; cibis prædictis, antiquitus ob eandem rationem ieiunantes etiam vino abſtinebant, ut teſtantur Azor. *lib.7. Inſtit.moral cap.10. v.ſeptimò quæritur.* Leſſius *ubi aliàs. dub.2.verſ. Porrò hæc tria genera.* Filiucc. *loco cit.c.3.n.62.*& patet id per ea D. Hieronym.verba apud Alb.Pium *lib.4.contra Eraſm.*ubi Hieronymus de Danieli ieiunio loquens, *Hoc*, inquit, *docemur exemplo temporibus jejunii à cibis delicatioribus abſtinendum,quod eſt,carnes non comedere,vinum non bibere.*Idem patet. ex verbis D.Gregorii apud eundem *ibid. Carnem non affligi,qui carne, & vino ſimul, & cibis delicatioribus utitur.*Vini uſus tamē in præſentiarum, non modò in ipſa comeſtione permittitur, ſed etiam extra ipſam:ac profectò in ipſa comeſtione vino interdicere in quocunque jejunio nimis durum fuiſſet,& ſanitati maximè officeret, hoc præcipuè tempore, in quo homines ſtomachos delicatiores ſortiti ſunt,& ab ipſis matris uberib.vino aſſueti: unde fit,ut nonniſi cum maximo ſanitatis detrimento liceat nobis ad longum tempus ab ejus potu abſtinere. Sed utrûm vini uſus extra cibos ſit omnino à culpa eximendus, in propria quæſt. diſcutiendum proponemus.

Cæterùm Eccleſia cibi quantitatem continuam, nempè quantam unicâ comeſtione accipere liceat non determinavit, ſed diſcretam : dummodò enim non pluries quàm ſemel in naturalis diei ſpatio comedamus, permittit unicâ vice comedere quantum quis voluerit : & non obſtante quòd nonnulli DD. aſſerant,quòd qui cibis plurimis,ac ſelectis ſeſe ingurgitat,licèt unicâ vice id faciat;ieiunii præcepto minimè ſatisfacere dicatur,etiamſi cibi fuerint tales quales in ieiuniis requiruntur, & videatur hoc de mente text.*in cap.Ne tales de Conſecr. diſt. 5.* & faciat etiam auctoritas D.Thom.2.2,*quæſt. 147. art.6. ad 1.*Covarr.*lib.4.var reſol.cap.10.num.11.verſicul. Cæterum Chriſtiani*, communis tamen opinio eſt, hunc contra ieiunii præceptum non peccare,ſed potiùs contra Temperantiæ virtutem.

Sed quam ob cauſam, inquies indeterminatam reliquit Eccleſia hanc ciborum quantitatem unicâ vice aſſumendam ? nam videbatur omnino neceſſarium, eam determinare, ut finem ab ipſa intentum in ieiunio aſſequamur : ſi enim voluit nos ex moderata quadam abſtinentia carnem macerare, quod tunc maximè fit, ut alias dictum eſt,quando corpus per aliquod rationabile tempus alimenti indigentiam experitur, omni procul dubio debuit, quantitatem talem præſcribere cibotum, ex quorum aſſumptione debito tempore factâ;corpus non ita nutriretur, ut eam indigentiam evitaret, & ſic nulla ſequeretur maceratio carnis. At non definita hac ciborum quantitate, & nobis ad libitum, quantum appetimus, comedentibus, facilè evitatur prædicta indigentia : nam quod poſt uberrimam, & ad ſatietatem usque factam in prandio comeſtionem, veſpere ſubſequente à cœna abſtineamus, non tam ex præcepto Eccleſiæ faciendum, quàm ex præcepto Medicinæ,quæ crapulæ pro remedio jejunium iniungit,& abſtinentiam,unde nō determinatâ hac ciborum quantitate,ieiunium nullo modo videtur meritorium.

Ad hanc obiectionem reſpondeo, duplici potiſſimùm ex cauſa Eccleſiam (ut mihi videtur, quantum ex Medica contemplatione aſſequi licet) hanc quantitatem non determinaſſe, primò ob impoſſibilitatem : cum enim individua in infinitum varient, & unum contentum eſſe non poſſit tantâ quantitate unica vice,quantâ alterum tribus vicibus naturæ indigentiæ pleniſſimè ſatisfaceret,nullo modo potuit hæc quantitas determinari : & hæc ratio eſt de mente D.Thom. *citata quæſtione 147.articulò ſexto, ad primum* ſecundò, quia quantumvis homo comedat unicâ vice, dummodò cibis in ieiunio permiſſis ſolis utatur, nonquam evitabit die ſequenti indigentiæ illius incommodum, ex qua maceratio carnis procedit, & quam Eccleſia in jejunio expoſcit : Ratio ejus rei eſt, quia indigentia hæc non fit niſi ex defectu chyli, & nutrimenti interni : unde licet multum, imò plurimum comedamus, ſi cibi ſint quales eſſe debent, facilè hæc indigentia aliqua ex parte ſaltem ſubſequetur, quia ſi cùm quis ad ſatietatem comedit carnes, proliciat ex his chyli libram, ſi ad ſatietatem comedat piſces, non proliciet ex iis ejusdem chyli trientem : itaque etiam comeſtione piſcium ad ſatietatem factâ, natura ante expetietur indigentiam, quàm ex comeſtione carnium ad dimidium ejus quantitatis, quæ ad ſatietatem usque ſufficeret. Itaque fruſtra videbatur determinari hæc quantitas, ubi effugere non licebat, cæteris jejunii conditionibus obſervatis ; quantumvis copioſa comeſtione carnis macerationem ab ipſa Eccleſia expetitam : quod & experientia quotidiana confirmat ; quippe cùm in jejuniis, etiamſi plurimis, ac ſelectioribus cibis utamur, & conſuetam quantitatem quoad molem triplo exuperemus, quàm cùm carnibus veſcimur, ſemper tamen aliquam indigentiam ante ſecundam comeſtionem ſequenti manè experimur non obſtante quòd etiam ientaculo veſpere utamur.

Sed ut omnia ad hunc ipſum ſcopum macerationis carnis in jejuniis collimarent, Sancta Mater Eccleſia etiam horam certam comedendi præſcripſit : nam ſi prævenire hanc horam liceat, facilè etiam leve illud famis prædictæ incommodum evitabimus, nullumque ex jejunio laudabilem fructum percipiemus. Vnde rectè quidem Azor. *ubi aliàs capite 11.in principio*, eo rectius ac religioſius ieiunium ſervari dixit cæteris paribus, quo tardiùs prandium aſſumitur : ſic enim per longiorem inediam caro magis affligitur, & ideircò hora nona conſtitu

conſtituta eſt pro hora comedendi in jejunniis, quia conſueta hora comedendi in aliis dieb. ſolet eſſe ſexta: tardatur ergo refectio ob eam cauſam usq, ad nonam. D. Thom. *ſapiſſimè cit. q. 147. art. 7.* & ex eo Azor. *prad. c. 11.* nos tamen ad præſens poſt ſextam comedimus, conſuetudine in contrarium irrepente, cui acquieſcendum videtur.

SUMMARIUM.

1 *Medicorum quorundam temeritas.*
2 *Ieiunium Quadrageſimale inter omnia notabiliſſimum.*
3 *Cibi omnes, quibus utimur in ieiuniis, mali ſucci ſunt.*
4 *Talis ſanguis generatur, quales cibi comeduntur.*
5 *Victus ratio in Quadrageſima, aliisque ieiuniis inſtituta, omnino inſalubris. Contrarium, n. 10.*
6 *Ieiunium non ſolùm animæ, ſed etiam corpori ſalubre.*
7 *Quæ perſonæ ad ieiunij obſervantiam teneamur.*
8 *Corpora eorum, qui ad ieiunium tenentur, vel omnino, vel maxima ex parte ſana ſunt.*
9 *Sanis omnia ſana.*
11 *Piſces inter cibos boni ſucci connumerantur.*
12 *Piſces facilè corrumpuntur. Falſum, ibi.*
13 *Piſces non ſunt difficilis concoctionis.*
14 *Legumina, & frumentacea an inſalubria.*
15 *Olera an ſint vituperanda in cibis,*
16 *Modus refectionis, quo utimur in Quadrageſima aliisque ieiuniis, facit eam victus rationem ſalubriorem.*
17 *Temporis ratio facit victus rationem in Quadrageſima, etiam ſi per ſe eſſet inſalubris, maximè ſalubrem.*
18 *Ventres hyeme, & vere, natura calidiſſimi.*
19 *Tutior eſt noſtra victus ratio in Quadrageſima, quàm conſueta vivendi ratio eſſet Antiquis.*
20 *Antiquiores magis piſcibus, quàm carnibus veſcebantur.*
21 *Carnium uſus, quàm noxius.*
22 *Quatuor tempora cur inſtituta ab Eccleſia.*

An Ieiunium, & præcipuè longum, ut Quadrageſimale, corporeæ ſaluti ſit noxium.

QUÆSTIO II.

MEdicorum quidam corporeæ ſanitatis adeo
1 ſunt ſtudioſi, ut eam ſpirituali ſanitati (quam forte fortuna undequaq; contemnunt) præferre ſummâ cum temeritate audeant, dummodo corpori ne per ſomnium quidem quicquam detrimenti adveniat; ſpiritualia remedia ad animæ morbos medendos emanantia omnino reſpuere, ac damnare conſueverunt, Eorum alii non tantâ temeritate conſpicui, ſed nimis aliâ ex parte corporeæ ſaluti indulgentes, jejunium inter prædicta remedia præcipuum damnare non audent, ſed vel minima ex cauſa legitimè quemcunq; excuſari ab ejus obſervantia volunt, unde non modo leviorib. præſentiâ, ſed timore futuri, ieiunium quantum in ſe eſt, à ſuis ægrotis, & conſultorib. frangi permittunt, putantes tam hi, quàm ſuperiores, ieiunium omnino, & undequaq, corpori
2 ejusq; ſanitati officere, & quia inter omnia ieiunia, & veneratione digniùs, & diuturnitate notabilius, & Chriſti Domini exemplo celebertimum, Quadrageſimale eſt, ex text. *in c. Quadrageſima. De conſecr. diſt. 5.* priores in hoc impiè invehuntur, poſteriores verò animâ ac irrationabili corporis indulgentiâ ducti, illud ſolvendi leviſſima ex cauſa hominib. Chriſtianis auctores ſunt, à jejunio, & cibis in jejunio permiſſis, nonniſi ſummam noxam corporeæ ſalutis emanare ſibi perſuadente. Ut ergo priorum temeritatem, & poſteriorum damnoſam licentiam non modo legib. ac pœnis ab illis indictis coërceamus, ſed ſcriptis etiam falſam hanc hypotheſin ab animo non eorũ modo ſed quorumcunq. hominum evellamus, quò jejunium tantopere corporeæ ſaluti adverſari credant, his quæ adverſarii objiciunt ſatisfaciendum, & in contrarium rationes, quæ verum detegant, ac perſuadeant, adducendæ.

Dicitur ergo primò, univerſaliter contra omne je- 3
junium, à qualitate ciborum incipiendo: quòd cibi, qui in eo in uſum veniunt, ſunt omnes mali ſucci, & nutrimenti illaudabilis, ſed præcipuè hoc eſſe valdè noxium in ieiunio Quadrageſimali, non tantùm quia per ſe ipſa hujusmodi alimenta pravum generant ſanguinẽ, ſed etiam, quia tunc maximè, & eo tempore, iis uti nos accidit, cùm novâ ſanguinis regeneratione, renovatione egemus, ut per totum annum incolumes vivere liceat; tempus hoc vernum eſt, in quo crudiores humores, ac ingens pituitæ copia pregreſſa hyeme congeſta excoquitur, & in optimũ ſanguinem convertitur, ex quo vividior, alacrior, & ingeniosior natura exiſtat, juxta id, quod docuit Hipp. *lib. de Nat. hum.* & cum ſecutus Gal. 8. *de Plac. Hipp. & Plac. c. 7.* & alibi à quibus nullus diſſentit. Cũ ergo victus ratio in Quadrageſima inſtituta prægreſſas cruditates potius foveat & adaugeat, quàm emendet & moderetur, conſequens eſt ex ea corpus per totũ anni curriculum excrementiorum humorum copia 4
ſcatere, unde quamplurimi morbi poſtmodum pullulent, & vitæ curſus per eas præcidatur. Talis enim ſanguis in corporibus generatur, qualis eſt natura eduliorum, quib. pro nutrimento utitur, ac cibaria quibus utitur in Quadrageſima, omnia concoctu ſunt difficilia; aut ſaltem ſecundùm plurimum: præterea vel nimis calida, vel nimis frigida, vel nimis humida, vel nimis ſicca, & omnia in ſumma intemperata: quin & plurima generant excrementa, etiam quæ inter ea ſunt laudabiliora: mali ſucci ſunt & ſtomacho parum amica: conſequens ergo eſt, ſanguinem ex iis congeſtum deterrimum eſſe, fæculentum, craſſum, intemperatum, ac quavis mala qualitate. Eſſe autem eos cibos ejusmodi naturæ, facile probatur, ſi ſufficiente ſingulos per claſſes ſuas examinemus: nam ſi legumina primò conſideremus, frigida ſunt, & flatulenta, & melancholicos, craſſos, & fæculentos generant humores, ut communis cenſet Medicorum opinio. Piſces & ipſi frigidi, & inflativi ſunt, facilè corrumpuntur, & plurimum excrementi habent, & ut ſummatim dicamus, eorum frequentata comeſtio plurimas ægritudines, acceſit, ut ſentit Raſis *lib. 3. ad Almanſ. cap. 16.* Salſamenta, & ſalita omnia quibus in jejuniis utimur affluenter, nutrimenti nihil præbent, ſed excrementi multum habent, melancholiam generant, ad lepram diſponunt, ſtomacho aliena ſunt, & difficulter concoquuntur. Orib. *lib. 2. Collect. cap. 38.* Fructus nutrimenti nihil præbere, & facilè corrumpi, corpusque ad mille morbos diſponere, notum eſt. Herbæ omnes mali ſucci ſunt, & excrementitiam gignunt humiditatem, & ſunt præ cæteris cibis inſaniſſimæ, ut idem Medici ſentiunt, & non injuriâ Cardan. *de malo Med. uſu, capite quinto.* Medicos ſuæ ætatis erroris non contemnendi redarguit, quòd herbas quascunque pro bonis laudent, etiam ipſam lactucam inter cæteras optimam, cùm omnes perniciosæ

ſi ni,

ſint ac vituperabiles. Unde rectè de iis loquutus videtur Coquus ille apud Plautum *in Pſend. Act. 3. Scen. 2.*

Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Quum haſce herbas hujuſmodi in ſuam alvum congerunt,
Formidoloſas dictu, non eſu modo:
Quas herbas pecudes non edunt, homine: edunt.

Nullum ergo dubium eſſe debet, cùm prædicta veritatem habeant, victus rationem in jejuniis inſtitutam, & præcipuè in Quadrageſima eſſe omnino inſalubrem, & corporeæ ſanitati maximè noxiam, ob eamque videri nos homines affligi, ac denique mori, ut impius Eraſmus concludit, apud Alb. Pium, *in loco lucubr. dicti Eraſm libro quarto, in principio.* Addere poſſent his arguentes à conſuetudine mutata, quòd cùm conſueverimus bis in die comedere & cibos majoris multo nutrimenti aſſumere, & laudabiliores, omni procul dubio lædi nos oportet plurimùm, ac plurimis nominibus: nam conſuetudo non ſolùm de repente mutatur, reſpectu diverſitatis ciborum, ſed etiam reſpectu horæ cibationis, & reſpectu ejusdem frequentationis, quia cùm, ut dixi, bis comedere conſueverimus ſingulis diebus, tunc ſemel tantùm comedimus: ex qua mutatione quanta incommoda expectari ſanitatis poſſint, non eſt quòd dicamus cùm ſatis ſuperque id demonſtret ipſa experientia, & admonuerit Hipp. maximè *in libro de vict. rat. in acut.* & ibi Gal *com. 2.* Non omittendum & id quod de retardatione horæ comedendi idem Hipp. docet, quàm ſcilicet & hoc nocuum eſſe poſſit, quia unusquisque in ſeipſo facilè experiri poteſt in retardatione cibi conſueti determinatâ horâ aſſumi, triſtitiam accidere, oris amarorem, deſidiam, timiditatem, iracundiam, pandiculationem, aliquando etiam animi defectionem, poſt quæ cibus à ſtomacho ægriùs recipi videtur, quod in anteacta paſſione pravis humoribus facilè ſit repletus. Cùm ergo tot & tantæ cauſæ colliment ad aggregandas corporis
5 impuritates ex victu Quadrageſimali, certè inde neceſſe eſt non corpus ſolùm labefactari, ſed etiam animum mirum in modum offendi, ac in pejorem conditionem decidere: quippè cùm ubi corpus impurum ſit, & vitioſis humoribus infractum, animam quoque ipſam contaminari declarant ipſi ægrotantes, qui, quàm à ſeipſis differant cum ſani ſunt, ſatis norunt: animi enim mores ſequi corporis temperaturam, conſtans eſt opinio apud Medicos, quam abundè probat veritatem habere ipſe Galenus, *in libro* ad hoc deſtinato, & hoc eod. titulo inſignito. Præterea denique jejunium ob id maximè videtur improbandum, quòd contrarium omninò effectum producat, quàm quem ſperamus: nam cùm dicatur, illud ad carnis & Venetis ſtimulos refrænandos fuiſſe inſtitutum, certum eſt, ex eo acutiores multò fieri ſtimulos carnis, adeoque jejunium & ob non conſuetam abſtinentiam, & ob ciborum qualitatem, quibus in jejuniis utimur. Venerem maximopere accendere: nam quoad abſtinentiam, certum eſt, ex ea ſanguinem acutiorem & calidiorem reddi, & ad Venerem excitandam aptiorem: quoad qualitatem verò ciborum patet, eos aut flatuentia, quam plurimam fortiuntur, ut legumina, herbæ, piſces, aut acutie, quà donantur, ut ſalita omnia, & aromata, valdè in Venerem homines excitare. His ergo ita ſe habentibus, non modò ob corporis ſalutem jejunia fugienda ſunt, ſed multò majorem in inodum, ob animi ipſius incolumitatem.

Hæc, & alia, quæ impia, ac temeraria procacitas effutire docet, contra jejunia nonnulli Medici, aliique hæretici objiciunt, vel objicere poſſent: quæ tamen cùm omnia ac ſingula vana, futilia, in- 6
ſulſa, irrationabilia, ac ab omni veritate ſint alieniſſima, firmanda hæc concluſio eſt, jejunium & animæ & corpori eſſe proficuum & ſalutare: quod ut evidentiſſimè probemus, examinanda primò eſt perſonarum conditio, quæ ad jejunii obſervantiam obligantur: ſecundò, ciborum qualitas, quibus utimur in jejuniis: tertiò modus refectionis: quartò temporis ratio, in quo Quadrageſima eſt inſtitutà (nam de hoc jejunio tanquam diuturnioti majus dubium eſt, ut diximus) ac denique differentia inter noſtram victûs rationem in jejuniis inſtitutam, & victus rationem Antiquorum, quâ ante Chriſtianæ Religionis introductionem dictim utebantur, vel quâ utuntur nunc alii homines extra prædictam Religionem. Ex quorum conſideratione facilè veritas concluſionis prædictæ eluceſcet, & rationes in contrarium adductæ tanquam nullo fundamento innixæ prorſus corruunt, & in aures evaneſcent.

Quoad perſonas ergo, Eccleſia non obligat ad 7
jejunii obſervantiam, niſi quæ potentes ſunt nam eas, quæ juſtum aliquod impedimentum habent ex quo facile ſit eas in aliquem notabilem morbum caſuras ab ea obligatione eximit: in qua re, tantâ circumſpectione utitur Eccleſia, ut non modò reſpiciendum patiatur, ac jubeat præſentem hominis ſtatum morboſum, ſed etiam futurum, aut valetudinarium, quin & ætatis tam majoris, quàm minoris rationem habuit, & paupertatis, & laboris, & aliorum impedimentorum, de quibus omnibus infrà, Deo dante, luculenter diſſeremus. Ex quibus ſup- 8
ponendum primò eorum corpora, quæ ad jejunii obſervantiam tenentur, vel undequaque ſana, & robuſta eſſe, vel minimâ ex parte, ita ut relata ad jejunii tolerantiam ſana abſolutè exiſtant, cùm excipiantur ea omnia, quæ à tali jejunio læſa iri, ſaltem inſigniter, timor rationabilis adſit. Azor. *Inſtit. moral. libro 7. cap. 18. verſ. Septimò quæritur.* Et ex hoc uno quidem ſuppoſito omnino evaneſcerent quæcumque contra jejunium inſalubritatem, ac noxam deblaterant Hæretici, ac temerarii quidam, cùm ex indulgentia Eccleſiæ ad hoc præceptum non adſtringamur, ſi ab eo ſanitas corporea detrimenti quicquam notabile perceptura ſit. Facit text. *in c. Quadrageſima, de conſecr. diſtin. quinta*, ibi. *Niſi quem infirmitas impedierit*, & proſequitur ad ipſum Alb. Pius *contra Eraſm. lib. 4.* facit & alius textus *in c. 2. §. cùm autem de obſer. jejun.* Cùm ergo ad jejunium non teneantur niſi ſana corpora, non eſt dicendum, hæc ab ea victus ratione, & à cibis præſertim in jejunio adhibitis læſa iri, quia ſanis omnia ſana, ut vulgo dicitur, & ſani ut Celſus *lib. 1. ca-* 9
pit. 1. dicebat, nullum cibi genus fugere debent, quo populus utatur.

Quoad ciborum qualitatem, ſi eos per ſuas claſſes examinabimus, manifeſtiſſimè conſtabit, victus 10
rationem in jejuniis inſtitutam nequaquam eſſe inſalubrem: nam primò piſces, qui frequentiùs in uſum veniunt in diebus jejunii, boni ſucci eſſe patet, & notatur millies à Galeno, & præcipuè *in li-* 11
bro de ſucc. bon. & vit. cap. 9. in his verbis: *Piſcium univerſorum propemodum ſuccus bonus eſt:* & particulariter de marinis loquens ibidem, *Culpâ enim propè omni vacant quicunqsin mari verſantur, pelagii, ſaxatiles, tales igitur ſumpſiſſe perpetuo tutiſſimũ fuerit.* Sed & piſces cum avib. montanis in bonitate pares

ponit

ponit apud Orib. *lib.* 3. *c.* 5. Sciens *Aves autem, & Piſces fermè omnes boni ſuccicenſentur.* Prætermittam quantopere ab eodem Galeno, & ab aliis quibusque prioris notæ Medicis ſaxatiles piſces extollantur, ut 3. *de Anim. fac.* Gal. *capite* 28. his verbis *Alimentum, quòd ex ſaxatilibus ſumitur, non modo ad coquendum eſt facile, ſed hominum etiam corporibus eſt ſalubertimum, ut quod ſanguinem medium cō, ſiſtentia generat.* & de Palagiis, *ibid. c.* 26. dicebat: *Sanguinem laudatiſſimum ex ipſis progigni.* Quibus addenda illa Xenociatis Medici apud Oribaſ. *Coll. lib.* 2 *capite* 58. *Natantium natura cibus extitit, qui in conviviis ſplendidis in delitiis eſt habitus, & magnum quoque ad ſalubrem victus rationem uſum præſtitit.* Simeon Sethi. *de Aliment. litt. l. in principio.* de piſcibus loquens, *Proſunt*, inquit, *iam demonſtrari piſces otioſis, & non exercitatis hominibus, imbecillibus, & qui è morbo non valeſcunt.* Non ſolùm ergo nutriunt piſces, ſed optimum præbent nutrimentum, & idcircò ridicula eſt Kornmanni opinio, *in Templ. Nat. hiſtor part.* 3. *conſid.* 16. volentis Piſces in jejuniis idcircò adhiberi, quòd non nutriant, ſed in aquam reſolvantur, quæ nullo modo nutrit; cujus rei falſitas apparet ex hoc, quòd piſcib. victitantes longam vitam traducunt, ut Medicus, & Grammaticus illi apud Galen. de quibus *infrà*, & ipſi Apoſtoli, quos Cardan. *lib.* 2. *Contr. Med. tract.* 5. *contrad.* 25. non immeritò piſcium uſum uſurpaſſe dicit, quòd optimum præbeant alimentum, unde cum uſu eorum in victu ad extremam ſenectutem eos perveniſſe dicit.

Neq; cum his prætermittendum, quòd tam Hip-
12 pocrates, quam Galenus, & alii antiquiores, piſces, ut optimi alimenti cibos, in plerisque morbis ægrotis offerebant, præcipuè verò ſaxatiles, etiam in iis morbis, in quibus magis ſuſpecti eſſe poterant, ut in Tertiana, & Quartana: Gal. 1. *de art. Cur. ad Glauc. cap.* 9. & ipſe Hippoc. *in lib. de vict. rat. in acut.* piſces omnibus febrientibus promiſcuè concedit: quin & ipſa repletione idem Hipp. *lib.* 3. *de vict. rat.* eos offert. Quamobrem non immeritò Card. *de malo Med. uſu, cap.* 10. recentiores Medicos ſugillat, qui carnes piſcibus in febribus præferunt, cùm contrarium omnino faciendum eſſe dicat. Neque placet omnino id, quod Mercurial. *libro* 1. *var. lect. cap.* 25. dicebat, quis cùm rationem quæreret, quare antiquiores Medici piſces ſuis ægrotis indulgentiùs offerrent, quàm in præſenti recentiores faciant, eam eſſe voluit, quòd Antiqui ad conſuetudinem reſpicerent, quia piſcibus maximè in quotidiano victu uterentur: quod tamen non ita ſe habere demonſtrant alia permulta, quibus præter conſuetudinem in morbis ſuis ægris interdicebant: ut maximè vino, cujus uſus multò frequentior pro potu, quàm piſcium pro cibo, & multò magis neceſſarius. Præterea non fuiſſent Antiqui tam indulgentes in præbendis piſcibus in febribus, ſi ad conſuetudinem tantùm reſpexiſſent, cùm multò magis urgeret aliâ ex parte morbus, & humores peccantes, & obſtructiones, quibus piſces erant contrarii, quàm conſuetudo. Cauſa ergo, cur piſces ab Antiquis libenter ægrotis concederentur, non alia eſt, niſi quia optimi ſucci ſunt, ut ex plurimis auctoritatibus ſupra manifeſtum fecimus, quod etiam probat & tenet D. Zacutus *de Princ. Med. hiſt. libro* 1. *hiſt* 28. *p.* 19. neque alias Antiqui eorum uſum in morbis ob ſolam conſuetudinem admiſiſſent, ſtante præſertim quòd facilè corrumperentur, & quòd dif-
13 ficulter coquerentur. Quod enim non facilè corrumpantur, demonſtrat eorum uſus in febribus, quam enim ratione antiqui illi Præceptores Medicinæ eos in putridis febribus ſuis ægrotis tanta indulgentia obtuliſſent? Non eſſe autem difficilis concoctionis idipſum demonſtrare poteſt, & ea quæ ex Galen. & aliis ſupra attulimus.

Cur verò nos piſcibus noſtris ægrotantibus interdicamus, dictu difficile eſt: niſi confiteamur, nos in multis eſſe Antiquioribus timidiores; neq; enim in ratione victus id tantummodò evenit, ſed & in quorumcunque præſidiorum adminiſtratione, & in ratione ipſa victus, non in hoc ſolum, ſed in mille aliis. Exemplum unum aut alterum ſufficiat. Vino, quod nobis tantopere in potu familiare eſt, in quibuscunque febribus, & in plerisque morbis, tanquam à veneno abſtinemus: antiqui eo, & in febribus, & in plerisque morbis, imò, & in ipſis internis inflammationibus, in quibus maximè ejus uſus timoroſus eſt, utebantur: nam Hippoc. *in libro de morbo*, illud in pleuritide, & in peripneumonia, & in aliis ſimilibus inflammationibus exhibet. Crudas nonnullas herbas illi in victu ægrotantium, ipſorum quoque febrientium offerebant, ut lactucas: nos in communi medendo uſu, ne per ſomnium quidem admittimus, & ſic de plerisque aliis uſu evenit. Ergo & hanc ipſam cauſam eſſe facilè ſuſpicor, cur piſces in ægrorum victu non admittamus, ut antiquiores faciebant: plurimùm enim differt noſtra medendi ratio ab illorum ratione medendi & pluta nobis ſcrupulum injiciunt, multiplicemque timoris cauſam adducere novimus, quæ illi tutò, & audacter in uſum trahebant. Si tamen ratione duce, ægrotos regere in animo eſt, non alienum cenſendum à recta medendi ratione, illis etiam febrientibus, optimos piſces aliquando offerre, ut probat Ronſſeus *in epiſtol. trigeſima*, & concludit D. Zacut, *ubi ſuprà.*

Præterea legumina, & frumentacea, quæ pro frequenti cibo veniunt in Quadrageſima, (ſi flatu- 14
lentiam excipias, quæ tamen facillimè coctura, & conditura diſſipatur) non improbanda videntur, cùm aliàs mediocre præbeant alimentum, & maximè familiaris cibus exiſtant, ut Galenus teſtatur *libro* 7. *de uſu part. cap.* 8. Quin, & ſiquid vitii habent, levi negotio tollitur, ſi cum aliis cibariis, nempe cum pane comedantur, ut explicat Galen. *in comm. ad Hipp. libro de vict. rat. in acut. textu* 91. atque eſſe legumina, & frumentacea ſumenda in hyeme, & conſequenter in vere conſuluit Avic. 3. *p. doctr.* 2. *c.* 8. ex quo Valeſc. Tarent *lib.* 4. *Philon. c.* 16. Sunt etiam præter hæc, plura leguminum, & frumentaceorum genera, quæ non modò in victu ſanorum ſalubriter veniunt, ſed etiam infirmorum, ut Cicer quodcunque, ſed præcipuè rubrum, punicum & nigrum, Atietinum dictum, far, oryza, hordeum, milium, & alia nonnulla, quæ paſſim ab Hipp. & aliis veteſtioribus in quibusdam morbis, ægrotis offeruntur. Neque Olera vitupetanda adeò ſunt, cùm licèt boni ſucci non eſſe in univerſum tradiderunt Gal. *loco ſupr. cit. de ſucc. bon. & vit. c.* 8. & alii: ta- 15
men & ipſa aliis cibis admixta, debitâ conditurâ excepta, & ſuo tempore, & loco in moderata quantitate in cibum convocata, cùm aliàs & ipſa nobis familiariſſima ſint in menſis, poſſunt non vituperabilis cibi vicem ſupletre: neque temere D. Paul. *ad Roman cap.* 14. *verſ.* 2. & D. Hieronym. ex quo Bruyer. *de re cib. lib.* 8. *cap.* 1. dicebat. *Qui infirmus eſt, olus manducet*, quia antiquiores convaleſcentibus, & ſe reficientibus olera in cibis laudant, unde illud Plaut. *in Capt. Act.* 1. *Scen.* 2. Ubi ſeni dicenti ſe victitare.

Atque

Atque multis oleribus.

Respondet Parasitus Ergasilus.

Curato ægrotos domi.

Quasi secundum D. Pauli dictum suprà relatum, infirmi oleribus cibandi. Verum illud est, modum in horum usu adhibitum esse. Addendum his quòd cum Oleribus apponuntur in mensis, in jejuniis, plures pisces sale conditi, quorum nonnulli stomacho apti, & boni succi sunt, ut Xenocrates apud Otibasium, *Coll. lib. 2. c. 58.* docet: omnes autem id proprium habent, ut ob salem, cæterorum ciborum, qui simul assumuntur, excrementitias humiditates absumere possint, & frigiditatem emendare; nam idcirco ab Isaac. *in diæt. p.* & aliis Phlegmaticis corporibus, & stomachis ultrò offeruntur, unde ex tali victus ratione, nempe constante ex piscibus, leguminibus, herbis fructibus, salsamentis, nutrimentum tam in primis, quàm in secundis qualitatibus temperatum, licet quantitate minus quàm cùm carnes, & ova comeduntur, generari facilè potest: ac maximè verno tempore, in quo ventres sunt calidissimi, cibos huiusmodi, si quæ humidiora excrementa habeant, probè confici contingit, humiditates illas absumi.

Sed & modus refectionis, quo ex Ecclesiæ præcepto utimur in jeiuniis, facit mirum in modum victus rationem, quâ in ipsis vivimus: salubriorem. Ea est, ut semel in die, & circa meridiem tantùm comedamus, scilicet, ut à meridie ad meridiem unicam refectionem assumamus: nam ex hoc facilè fit, ut si quæ excrementorum superfluitas ex tali victus ratione accumuletur, ea facilè per cœnæ amissionem, vel à natura ipsa rectificetur, & in optimum alimentum convertatur, ut aliàs indigentia Natura facere consuevit, vel saltem evincatur, & per insensibilem transpirationem, vel per alias consuetas vias ex corpore expellatur. Et quamquam Ecclesia, ut suprà jam dictum est, non definivit quantitatem ciborum unicâ vice assumendorum, tamen voluit nos temperantiâ victûs uti: nam non solùm qualitatem ciborum minùs nutrientium præscripsit, sed cœna etiam ob idipsum interdixit: neque aliud ex hoc elicere fortè licet, nisi quòd absque temperantiâ, jeiunii meritum omne nos amittere contingat. Hoc igitur sibi voluit cœna interdicens: quantum enim hæc sobrietas saluti conferat, verbis explicari non potest. Non minimum illud est, quòd per eam damna omnia ex repletione proventia, quæ mater, & fons est omnium morborum, evitamus, imò & quòd per eam bene valeamus, unde Horat. *lib. 2. serm. sat. 2.*

Accipe nunc victus tenuis, quæ, quantaq. secum
Afferat: inprimis valeas bene. &c.

17 Tempus etiam ipsum, (peculiariter nunc de Quadragesimali jejunio loquentes) licèt aliàs per se victus ratio in ipsa instituta non esset undequaque salubris, facit ipsam non solùm minùs insalubrem, sed salubertimam: Ratio est, quia tunc, nimirum in vere, calor nativus, ut communis est Medicorum opinio, & jam superiùs diximus, magis vegetus ac fortis est quàm in quovis alio totius anni tempore. Dato ergò quòd victûs huiusmodi ratio in Quadragesima, sit ex hoc insalubris, quòd plurimam pituitam, & frigidos excrementitiosque humores apta nata sit aggregare: Dico primo, quod eadem victus ratio in eo tempore, ob ipsius caloris fortitudinem, nequaquam tot excrementa generabit. Secundò, quod si quæ aliàs generarentur, ab eo in optimum alimentum facilè verterentur. Tertiò, quòd, etiamsi ex hujusmodi ciborum oblatione excrementa aliqua generata, ad rectum, & bonum sanguinem reduci non possent, facili ab eodem forti calore exsuperabuntur, & absq; ullius noxæ contractione ex corpore protrudentur. Nam quoad primum, patet, quòd calore tam forti existente cibos pituitosos magis esse convenit, aliàs ab eodem calore assati pejores multò humores, ac sanguinem teterrimum procrearent: nam in calidis naturis idcirco, & consequenter, quotiescunque calor vegetus est brevi fit putrefactio, Gal. 8 *de comp. med. fol. c. 7.* cui ut occurramus, offeruntur calidiorib naturis cibi frigidiores, quod est de mente Hipp. 6. *Epid.* & Gal. *ibid. comm. quarto, text.* 15. quia ab hujusmodi naturis fortiùs, & melius frigidi cibi concoquuntur, ut testatur Auctor. *libri de dissol. contin. c.* 4. unde idem Auctor *ibid. c.* 1. propter aggregationē caloris in interioribus corporum, & somni longitudinem, hyeme cibos crassos, quales Quadragesimales 18
nonnulli sunt assumendos consuli, quæ ratio etiam in vere habet locum, iuxta protritam Hippocratis assertionem *l. 1 Aphor. 15. Ventres hyeme, & vere naturâ calidissimi, & somni longissimi.* Ergo respectu fortitudinis huius caloris in vere, huiusmodi cibi omni cum securitate adhiberi possunt, etiam si aliàs non ita tutò concederentur.

Quoad secundum patet, quia non dubium est, in vere plurimum sanguinis aggregari, non tam ex cibis, qui assumantur, quàm ex cruditatibus, quæ in prægressa hyeme accumulatæ sunt, ut jam aliàs ex Hippoc. diximus. Pituita enim ejus naturæ humor est, ut magis excoctus in sanguinem vertatur, & in corporis nutrimentum facessat, ut millies demonstratum est à Galen. & vide maximè *comm. 1. in libr. Hippocr. de vict. rat. in acut. textu* 30. Quoad tertium etiam patet, quia consonum est, naturam tum maximè excrementitios humores; ac sibi noxios superare & ex corporibus depellere; cùm maximè vegeta est: at hoc esse in vere, vel ipsi pueri norunt, & confirmat experientia, cùm eo tempore, & minimè morbi fiant, & si fiant salutares sint, iuxta Hipp. sentent. *lib. 3. Aph. 4. Ver autē saluberrimum & minimè lethale.* Ergo, ut dicta in unum colligamus cibis Quadragesimales, etiamsi excrementitii sint, & pituitosi, tales humores ob caloris fortitudinem non generabunt, vel si generabunt, ab eodem calore concoquentur, & in meliorem naturam, imò in optimum sanguinem reducentur, vel si non reducentur, facili negotio exuperabuntur, & à corpore expulsi nullam omninò noxam inferre poterunt.

Sed concedamus cibos quadragesimales, & paucum sanguinem, & illum quidem frigidiorem generare: cum hoc tamen dico, quòd idipsum ex ratione factum etiam pro ipsa sanitate sit: non modò enim carnis stimulos, quos præ sanguinis majore, copia, & calidiore natura acutiores in vere experimur, retundimus hoc victu, & omnino compescimus sed etiam morbos, qui ex luxuriante sanguine provenire possunt, atque illi quidem maximi, ac maximè periculosi, evitamus, ut prudenti simè Canonistæ dicunt. Facit Text. *in capite Ne tales de consecr. dist. 5.* & firmat cum aliis Filiuc. *libr. 5 apius citat. c. 5. n. 97.* neq; desunt ex Medicis, qui idipsum affirment: nam ad evitandos plenitudinis morbos non modò cibis pauci nutrimenti, sed etiam in modica quantitate, debere nos in vere uti ad sanitatem tuendam, monet Alex. Petr. *de vict. Rom. libro quarto, capite vigesimo octavo, & sequent.* sed & Vallesii *comm. 1. Aphor.* 10. verba ad hoc probandum affigere libet, quæ sic habent: *Ex dictis apertè constat, quàm sapienter, ut alia omnia, illud quoque ab Ecclesia statutum sit, ut longum*

jejunium & eſus piſcium, ac leguminum, & olerum vere medio potius, quàm alio tempore ſingulis annis repetat: eo enim tempore quàm minimum officit valetudini, imò verò quàm multis etiam eſt ſanitatis cauſa: quid enim aliud agimus ieiunantes, quàm quod multùm, & rarò cibum capimus, quod indicatione ab ipſo tempore acceptâ agendum eſſe, Hippocr. præceptis confirmavimus? Iam verò quod uſus piſcium, & leguminum, & fructuum eo tempore minus quàm alio abſit conſtat, cùm illa omnia in multa copia nutriant exiguum, atq; opus ſit eo tempore cibis uti, quorum major copia ingeratur, ut magno calori ſatisfiat, & nutritio non magna proveniat: quia eo tempore periclitantur corpora præ multitudine. Malignè itaq; Leonard. Fuchſ. contendit, *ſui compendioſi, c.* 17. contra veterum Medicorum præcepta, illud inſalubre eſſe. Hæc ille. Neq; verum eſt, ut ex his apparet, quod Montan. *in* 1. *Aphor.* 18. dicebat jejunantes in Quadrageſima valde gravari, læſionem percipere, & non ita facilè concoquere, ut in hyeme, ſi volunt aſſumere unicâ vice multitudinem cibi, quia in vere facilis ſequitur concoctio, ob id quòd ventres calidiſſimi, & ſomni longiſſimi. Eſt ergo Montani ſententia contra Hippocratis doctrinam apertiſſimè, & falſum omnino, quòd vere ſimpliciter, ſed reſpectu Autumni, & æſtatis faciliùs concoquatur: repugnat enim hoc verbis Hippocratis, ex quib. elucet poſitiva cauſa facilis concoctionis, & tolerantiæ multitudinis ciborum. Igitur ſi maximè debemus ſtudere, ut hi humores certis temporibus refrenentur, in quibus luxuriare conſueverunt, & vere quidem ſanguis maximè luxuriat, non aliter ille refrenandus quam ciborum parcitate, qui & contrarii ipſi exiſtant, & ejus generationem impediant, quales ſunt cibi. Quadrageſimales.

Ac deniq; ſi conſideremus quotidianam victus rationem Antiquorum, ante fidei Chriſtianæ amplexationem, & præſentem, qua utuntur alii homines extra prædictam religionem, cum ratione victus Quadrageſimalis jeiunii comparabimus, clarè patebit, nos tutiùs, & minori cum periculo uti hac poſſe, quam illi ſuâ unquam fecerint, aut de præſenti faciant: facilè enim probatur illam fuiſſe, ac eſſe noſtrâ hac multò inſalubriorem: ſiquidem antiquiores illi in familiari victu multò magis, & ſine ulla fortè compatatione, piſcib. quàm carnibus veſcebantur: cùm autem lautiùs comeſſarentur: promiſcuè tam piſces, quàm carnes in menſis apponebant, quòd quàm damnoſum, & inſalubre ſit, non eſt, quòd ulteriorib. probemus, cùm notum vel ii habeant, qui vix de limine Medicinam ſalutarunt. Quòd verò hæc veritatem habeant, patet, quia ante Deucalionis vetuſtiſſimum ſæculum, & ante diluvium, quod ab eo nomen recepit, homines carnibus prorſus abſtinebant, ac ſolis piſcibus, fructibus, herbis, & lacticiniis victitabant, ut tradunt Arnald. Villanovan. *in libell. de eſu carn.* Alb. Pius. Carpenſ. *contra Eraſ. libro quarto*, Cæl. Rhod. *lect. Antiq. libro* 13. *cap.* 25. & Piet. Valer. *lib.* 57. *Hierogl. c. de Papyro.* qui & Porphyrii & Euſebii teſtimonium inducit. Sed quid ego omiſi Hipp. auctoritatem, *libro de vet. Med.* idipſum teſtificantis, ac dicentis: *Quamquam ego ſanè ab initio etiam hominem tali victu uſum eſſe putem:* nempe eo, quem ſupra memoraverunt, ex fructibus, & oleribus, aliiſque ejuſmodi conſtante. Ad quod etiam probandum faciunt illa Lucret. de primo victu mortalium, *lib.* 5 *de Rer. Nat.*

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, & quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta purpureo fieri matura calore.

Et illa Ovidii *lib.* 1. *Metam. in princ.* de primis illis mundi incolis verba facientis, in his carminibus:

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & induris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

Et *lib.* 15. *eiusd. Metamorph.* in perſona Pythagoræ:

At vetus illa ætas cui ſecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus, educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tuta movere per aëra pennas;
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis.

Ab his multi antiquiſſimorum Philoſophorum, & præcipuè Sacerdotes Ægyptiorum ſolis herbis veſcebantur, & carnium eſum tanquam piaculum evitabant, ut apud eosdem, Albertum Pium, Cælium, & Pierium *locis citatis* habetur: quò etiam victus ratione Pythagoræ uſum patet, qui carnium eſum non ſolum evitavit, ſed alios homines docere, ut evitarent conatus eſt. Ovid. *ubi ſupra:*

- - - - Primusque animalia menſis
Arguit imponi primus quoque talibus ora
Docta quidem ſolvit, ſed non & credita verbis:
Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: ſunt fruges, ſunt deducentia ramis
Pondere poma ſuo, tumidæque in vitibus uvæ.
Sunt herbæ dulces, ſunt qui mitеſcere flamma;
Mollirique queant: nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore:
Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas ſine cæde, & ſanguine præbet
Carne fera ſedant jejunia.

His documentis edocti ejus diſcipuli à carnibus, & quibus; animalibus in cibis abſtinebant, ut patet apud Athenæum *Deipnoſoph. libro* 5. *capite* 19. & tamen omnes cum hac victus ratione, noſtrâ Quadrageſimali multò inſalubriore, diutiſſimè vivere potuerunt. Relinquo tot Eremitas per ſæcula ſolis herbis, earumque radicibus victitantes, nam de his ſermo non eſt. Ad recentiores tam Græcos, quàm Latinos accedamus, quos conſtat piſcium uſum adeò habuiſſe familiarem, ut Obſonii nomine ſimpliciter prolato piſces venirent, ut docet Cagnatus præceptor meus, *libro primo, var. capite* 18. cùm tamen nomen Obſonii cuivis cibo aptari poſſit, qui in menſam ultrà panem veniat, vel qui cum pane comedatur. Sed antiquos in menſis, & frequentiùs piſces habuiſſe quàm carnes, & eos multò majore ſtudio conquiſiviſſe, longioribus probat idem Cagnat. *ibidem*, & Mercurial. *libro primo, variar. lect. capite* 25. ac ſiquidem nonnullas celeberrimas antiquorum cœnas, aut prandia evolves, ut Cagnatus fecit, ſemper piſces frequentiùs, & in majori copia appoſitos invenies, quàm carnes: quod etiam conſtat apud Athenæum *libro* 2. *Deipn. capite* 25. *& alibi.* & apud Satyricos Poëtas, Horatium præcipuè, & Juvenalem, cùm luxum ſuorum temporum carminibus ſuis inſequuntur. Si libet autem, videnda eſt Cœna Metelli P. M. relata à Macrob. *lib* 3. *Saturnal. c.* 13. In cœnis quoque triũphalib. à C. Julio Cæſare populo datis, piſces plurimos extitiſſe, & ſignanter octo millia Murænarum, narrat idem Macrob. *ibid. c.* 15. & ſi ex nonnullis Poëtarum, & hiſtoricorum auctoritatib. familiarem victũ antiquorum expiſcari liceat, facile erit id, quod diximus, pro vero acceptare: carnes enim rarò, piſces ut plurimùm aſſuebant. Locus eſt ad hoc notatu dignus *in Terentii Andr. Actu* 1. *Scen.* 2. ubi ſervus cœnam ſeni paratam enarrans:

Etiam

—— *Etiam puerum, inquit, inde abiens conveni Chremis.*
Olera, & piſciculos minutos ferre obolo in cœnam ſeni.

Eſt & alter *in Adelph. Act.* 3. *Scen.* 3. ubi alius ſervus conſervos ſuos obſonia in cœnam parare jubens, piſces maximè nominat.

—— *Piſces*, inquit, *ceteros purga, Dromo,*
Congruum illum maximum in aqua ſinito ludere
Pauliſper, ubi ego venero, exoſſabitur.
Priùs nolo, &c.

Sed notabilior erit unus aut alter locus apud Plautum, ut ille *in Moſtell. Act.* 3. *Scen.* 2.

Muſicè hercle agitis ætatem, ita ut vos decet:
Vino & victu, piſcatu probo, electili
Vitam colitis.

Et alter *in Caſin. Act.* 2. *Scen.* 8.

ST. *Sin. quid nunc facias?* OL. *Loquere.*
ST. *Tene Marſupium.*
Abi atque obſonia propera: ſed lepide volo
Molliculas uſcas, ut ipſa mollicula eſt. OL. *Licet*
ST. *Emito ſepiolas, lepadas, lolligunculas*
Hordeias. CH. *imò triticeias, ſi ſapis.*
ST. *Soleas.* CH. *qui quæſo potius, quàm ſculponeas.*
Quibus batuatur tibi os, ſenex nequiſſime?
OL. *Vin' lingulacas?* ST. *Quid opus eſt quando uxor domi eſt?*
Ea lingulaca eſt nobis: nam nunquam tacet.
OL. *In re præſenti, ex copia piſcaria*
Conſulere, qui emam, oportet.

Et ne aliud agere videar, addam tantummodò etiam magnatibus, & imperatoribus piſces pro familiari cibo extitiſſe, ſatiſque ſit ad id confirmandum duo exempla. alterum Alexandri Magni, qui tantùm piſciculis delectabatur, ut eos cariſſimis amicis dono mitteret, narrante Bruyerin. *de re cib. lib.* 18. *c.* 2. alterum verò Auguſti, cui, ut narrat Sueton. *in ejus vita, c.* 76. inter alios, pauciores illos quidem cibos, familiariſſimi erant piſciculi minuti. Quinetiam Rhodiis tam familiaris erat piſcium uſus, tamque acceptus, ut homines: populoſque qui piſcibus, non ſecus ac ipſi, veſcerentur, elegantes & lautos exiſtimarent, cæteros autem omnes, qui nimirum carnes pro cibis haberent, inſulſos, & comedones, teſtante Bullengero *lib.* 2. *de Conviviis, c.* 25. & in ſumma tam frequens piſcium uſus apud antiquos [exceptis Ægyptiis qui piſces nihili faciebant, unde illud Num. XI. Recordamur piſcium quos in Ægypto edebamus gratis. *Vid.* Cleombrotus Petri la Sena pag. 70.] ut aliquando in eadem lance piſces cum carnibus apponerent: præcipuè tamen piſcibus, herbis, leguminibus, ac victu prorſus Quadrageſimali illos per totum annum fuiſſe uſos, abundè probat Bruye. *ubi ſup. lib.* 2. *c.* 3. Quibus ego addam Claudii edictum, de quo apud Sueton. *in ejus vita, c.* 22. quo cavebatur, ne in popinis quicquam cocti veniret, præter olera, & legumina: quæ quidem non contemnendam conjecturam præbent, antiquiores hæc præ cæteris cibariis in familiariſſimo uſu habuiſſe. Eſt & apud Horacium locus, ex quo ſimilis conjectura deſumi poteſt, cùm ſuum victum familiarem, ac quotidianum narrat, *lib.* 1. *ſerm. Sat.* 6. inquens:

—— *Inde domum me,*
Ad Porri, & Ciceris refero, laganique catinum.

Neque omittenda etiam eorum victus ratio, qui ſanitati plurimum invigilabant, & vitæ longitudini ſtudebant, quorum duo exempla ſufficiant, quæ apud Gal. habemus *lib.* 5. *de ſan. tuend. c.* 4. unum Antiochi Medici octogenarii majoris: & alterum Telephi Grammatici centenarii, quorum uterque inter familiares cibos piſces habuit, ut *ibi* Gal. teſtatur. Sed quid ego vetuſtiorum exempla, & experientias in medium affero, & tam multas quotidianas & nobis conſpicuas prætermitto? Nonne tot Religioſi vitam incolumem, & ad extremum uſque ſenium ducunt, qui non modò Quadrageſimale, & alia jejunia ab Eccleſia indicta; ſummo cum rigore obſervant, ſed quam plura alia à propriæ religionis inſtituto ſibi injuncta, ita ut potiorem anni partem, & eorum aliqui etiam totum annum victu hujuſmodi utantur: Cùm ergo ita ſe res habeat; & cùm tamen hujuſmodi victus ratione perpetuâ veruſtiores illi incolumen vitam degerent, & ad extremum ſenium pervenirent, & noſtris Religioſis idem uſu nunc veniat, ut ſignanter de Carthuſienſibus teſtantur Arnald. Villanova, *in libello de uſu Carnium, in fin.* quid cauſæ obſecro eſt, quin nos per decimam anni partem, tempore ſalubriori, cum ſalubriore vivendi modo, ac regula ſani vivamus? Ac non tanta indulgentia Eccleſiæ præmuniti ſumus, ut à tali obligatione nos omnino eximat, ubi quicquam notatu dignum corporeæ ſaluti adverſum timeatur? Sed quid tantopere carnium eſum pro ſanitate conſervandi affectamus?

Unde famès homini vetitorum tanta ciborum eſt;

Quid tantopere carnes in cibis, ſuis verbis extollunt carnivori iſti recentiores Medici; qui antiquorum tam in ſalubrem victum, ne per ſomnium arguerent, ſi in præſentiarum apud nos in uſu eſſet! Scimus Porphyrium *in lib. de abſtinentia*, ex quo Pier. Valer. *lib.* 57. Hierogl. firmaſſe, carnium uſum non conferre ad ſalubritatem. Nam carnium uſus diſponit corpora ad putredinem, quæ cauſa eſt, cur Medicis in peſte prohibeantur. Raſ. *in libell. de peſte.* Avenz. *lib.* 3. *ſui Theiſir. tract.* 3. *c.* 1. dicens: *Ad præſervationem peſtis non comedat tempore illo carnes illo modo*: ſed non ſolùm in præſervatione à peſte, ſed quocunque tempore optimum eſt conſilium D. Pauli ad Rom. *c.* 14. *verſ.* 21. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum*: & pro omnium tandem coronide audiant Medici iſti, & qui cum iis ſentiunt, aut eorum conſiliis ſuæ ſanitati timentes acquieſcunt, audiant, inquam, ſapientiſſimum Philoſophum Plutarchum, *in lib.* quem *ad tuendam valetudinem* ſcripſit, qui ad id aſſequendum, victum præcipit penè Quadrageſimale: hæc enim ejus verba ſunt: *Ad evitandam plenitudinem, & mala inde conſequentia, ita fiet, ſi ſolidiores, multique nutrimenti cibos, quod genus ſunt carnes caſeus, fici ſiccæ, ova aſſa, quum opponuntur, cautim attinganus, nam ſemper recuſare difficile eſt. Subtilibus autem, & levibus immoremur, cuiuſmodi ſunt olera, pleraque volatilia, & ſi qui piſces ſunt non pingues: ſiquidem fieri poteſt, ut his exhibitis ita palato gratiſceris, ut corpus tamen non graves. Imprimis autem cavenda cruditas, quæ ex eſu carnium naſcitur, propterea quòd non ſolum protinus gravant vehementer, verùm etiam in poſterum noxia harum reliquiæ remanent. At optimum quidem fuerit ita conſuefacere corpus, ut nullum carnium eſum deſiderat, num terra plurima ſuppeditat, quæ abundè ſatis ſint non ad alimoniam modò, verùm etiam ad delicias, ac voluptatem*, & quæ ſequuntur. Quid ad hæc reſpondere temerarii iſti unquam ſcient? Obmuteſcere quidem eos ſatius erit, cùm evidenter ex prædictis probatum remaneat, victus hanc rationem in jejuniis ac præſertim in Quadrageſima, inſalubrem eſſe non poſſe, ſed ab ipſa Sanctiſſima Eccleſia, Spiritu ſancto dictante, ex ratione inſtitutam, tam incuicu ſalutis animæ, quàm corporis: quemad-

modum & alia ieiunia, & præcipuè quatuor temporum institutit: nam ut optimè notat Alex. Perron *de vitt. Roman. lib. 4. c. 29.* in temporum mutationibus 22
quæ in utroque solstitio, & in utroque æquinoctio maximè fiunt, & sic quater singulis annis, evidens sanitatis periculum nostris corporibus imminet, in his enim temporibus plurimæ infirmitates fiunt, docente id experientiâ, & admonente Hipp. *in lib. de Aer. aq. & loc.* ut ergo corpora à superfluitatibus evacuentur, & sic imminentes morbi declinentur, jubet nos Sancta Mater Ecclesia, ut singulis hisce temporibus inediâ, & sobrietate corpora evacuemus, & repletiones vitemus: quæ quidem evacuatio multò tutiùs, minori cum incommodo succedit, quam si cum medicamentis fiat, ut ille prudenter persequitur. Quibus addam, quòd & corporis simul, cum animæ, salutem à Deo impetramus, cùm diximus, corporis salus his maximè temporibus periclitetur. In posterum ergo fallam hanc hypothesin, quòd ieiunia corporeæ saluti noxia sint, è mentibus humanis eradendam omninò censeo, & blasphematores illos, qui procaciter, tantâ temeritate ieiunium scriptis aut verbis insequuntur, silere cogendos, ac condignis pœnis mulctandos: cæteros verò Medicos, qui falsa illa hypothesi persuasi, vel minimis ex causis frangendi ieiunium, & præcipuè Quadragesimam, hominibus auctores sunt, sese refrenare, ac maiore severitate, & circumspectione in ea re uti debere.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium omnes obligat sub pœna mortalis peccati.*
2 *Legitimè impeditus ad jejunandum, quando quis dicatur.*
3 *Quanam legitimè excusent à Ieiunij observantia.*
4 *Nulla est opus dispensatione jejunij, ubi causa excusans est evidenter iusta.*
5 *Minores tertio septennio à jejunio excusantur.*
6 *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati.*
7 *Minores an ab omni jejunij conditione sint absolvendi.*
8 *Vnusquisq; tenetur pro viribus in ieiuniis carnem macerare: dummodo sit capax præcepti.*
9 *Adolescentes non videntur debere esse immunes ab observatione Jejunij, respectu qualitatis ciborum.*
10 *Infantes cur non tencantur ad illã Ieiunij observantiam.*
11 *Qui non sunt sanæ mentis, non sunt capaces præcepti.*
12 *Nutrices excusantur à ieiunio. Declara, ut n. 14.*
13 *Si in præiudicium puerorum lactantium ieiunent nutrices, potius peccant, quàm ob ieiunium quicquam mereantur.*
15 *Transacto primo septẽnio possunt pueri absque ullo sanitatis detrimento, ad certam ciborũ qualitatem in ieiuniis obstringi.*
16 *Adolescentes ad quam abstinentiam obstringendi in ieiuniis.*
17 *Quarumnam rerum ratio habenda in decidendis particularibus.*
18 *In dispensatione ieiunij intuitu ætatis, quorumdam consideratio habenda est.*
19 *Senes quo anno à ieiunij obligatione eximantur.*
20 *Senes quâ ætate facilius aut difficilius ieiunium ferant.*
21 *Tutum minimè est annorum numero se à ieiunij obligatione excusare.*
22 *Senex ob ætatem à ieiunio solutus, an ab omni conditione ieiunij solutus sit, & n. seq.*
24 *Excusatio non tam de facili procedit in ieiuniis particularibus, ut in Quadragesimali.*

Quibus ex causis à Jejunii observantia homines excusentur: ac primò de causa respectu ætatis.

QVÆSTO III.

TAmetsi Jejunium, ut aliàs diximus ex præcepto Ecclesiæ impositum, omnes obliget sub pœna 1
mortalis peccati. D. Thom. 2. 2. *q.* 147 *art.* 4. & cum secuti D. D. universi, Lessius, *ubi aliàs, dub.* 6. Filiucc. *ib. c.* 6. *v. Primò quæro, n.* 104. tamen excipitur quicunq; rationabiliter, & legitimè impeditus est. Impediri verò dicimus aliquem ad jejunandum, quando- 2
cunq; abstinentiam, & inediam jejuniis quandocunque observandam, ita difficulter ferre solet, ut inde vel corporis saluti aliquid notabili mali immineat etiam animæ salus aliquo modo periclitetur, vel 3
majus aliquod bonum intercipiatur. Sed posteriotibus his impedimentis omissis, nos de priorib. loquamur, nam de his verba facere ad Medicum maximè spectat. Sunt ergo impedimenta, quæ legitimè à jejunio excusant *ætas, morbus, labor, paupertas,* nam si quod aliud simile est, ad hæc reduci potest. Quoniam autem non cujusvis hominis est, cognoscere sufficientiam horum impedimentorum, idcircò in his decidendis Medici judicium exposcitur, secundùm 4
cujus sententiam aut dispensari, aut obligari ad jejunium personas contingit. Nam aliàs nulla opus est dispensatione: ubi causa excusationis est evidenter justa. D. Thom. *q.* 147. *art.* 4. Filiucc. *ubi sup. v. Dico tertio, n.* 128. & idcirco in ætate minori, puta in prima pueritia, & in majori, ac præcipitata: putà in extremo senio, in prægnantia, in morbis acutis, & evidentib, nullâ dispensatione egemus.

Sed dubitatur primò, quoad ætatem tam majorem, quàm minorem, quoto anno excusari legitimè homines possint? & quoad minorem, communiter DD. volunt minores tertio septennio excusari. Ita D. Thom. *ubi suprà, art.* 4. *ad secundum,* & ex eo Azor. *Instit. moral. c.* 17. *v. Secundò quæritur.* Lessius, *ubi aliàs, dub.* 6. *v. Ob eandem causam.* Filiucc. *ibid. capite sexto, numero.* 110. *vers. Dico primò* Fernand. *in examin. Theol. Moral. loco cit. num. vigesimo.* Ratio est eadem, quam cum D. Thoma ibidem omnes assignant, nempe quòd, ut Hipp. *lib.* 1. *Aph.* 14. dicebat. *Qui crescunt plurimum habent calidi innati, & eà de re plurimo egent alimento,* aliter impediretur jejunio corporis augmentum cum notabili vitæ præjudicio, quod Ecclesia vitare studet: nam, ut addit. *ibid.* Hipp. *plurimo egent alimento, quia alloquin corpus absumitur.* Quousque ergo corpus augmentum recipit, cujus rei communis terminus esse solet in pluribus, & secundum plurimum, tertium septennium exactum, unde eà de re adolescentes tunc temporis dicuntur ob plurimi alimenti necessitatem ad debitum augmentum assequendum, à ieiunii obligatione, ex indulgentia Ecclesiæ soluti sunt in ætate huiusmodi constituti.

Sed videndum esset, quod prætermissum à non- 7
nullis ex Canonistis video, num ab omni conditione ieiunii tales sint exempti, nimirum, & à qualitate ciborum, & à quantitate tam continua, quàm discreta, & à constituta hora refectionis: certum enim est, corporis augmentum non impediri ab observantia cuiuscunque conditionis indifferenter, sed tantum à diminuta quantitate ciborum, nam ab eorum mutatâ qualitate non videtur augmentum impediri, quia calor ob ipsam ætatis conditionem maximè fortis & vegetus, cibos

etiam

etiam difficiliores ad concoquendum, & modici nutrimenti, & naturâ excrementitios & pituitosos benè concoquere poteſt, iiſque optimè, & ſufficienter nutriri, itaut licèt in qualitatu fortè evariet nutimentum, quod carnes, ova, & lacticiniâ ſubminiſtrant, ab eo quod à piſcibus, & aliis cibis Quadrageſimalibus ſubminiſtratur, tamen neque in quantitate fortè minus eſt hoc, quam illud, nec quicquam notabilis detrimenti ad hoc adoleſcentibus, & eorum corporum incremento emanare poteſt. Cùm
8 ergo unuſquiſque teneatur pro ſuis viribus, dummodo ſit capax præcepti in jeiuniis carnem aliquomodo marcerare, non videtur quòd adoleſcentes ſint à
9 jejunio reſpectu qualitatis ciborum ſoluti, ut bene proſequitur Azor. *ubi ſupe, lib. 7. c. 17. verſ. ſecundò quæritur.*

Circa id Medici partes non tranſgrediar, ſi primò diſtinguendum dixerim, ac dividendam ætatem hanc, quæ à jeiunii obligatione eximitur, in tria ſeptennia, ac primum demus infantiæ, ſecundum puertiæ, tertium adoleſcentiæ: juxta quam diviſionem dicendum primò videtur, quod infantes, nempe qui in primò ſeptennio ſunt, ad nullam jejunii conditionem obſervandam cogi debeant, ita ex Canoniſtis
10 Azor. *ubi ſup. c. 17. verſ. Tertio quæritur.* & ex Medicis Jo. Alph. à Fontech. *in ſuper. med. Chriſti lumin. 2. pag. 31. verſ. dubium ſecundò.* Prima ratio ad Canoniſtas, & Theologos pertinens, eſt Intellectus imperfectio, ob quam non ſunt capaces meritorii cujuſdam actus computantur enim inter eos, qui non ſunt ſanæ mentis, ut aliàs dixi *lib. 1. tit. 1. q. 3. & lib. 2. tit. 1. q. 5.*
11 at qui ſanæ mentis non ſunt, incapaces habendi præcepti: Filiuc. *ubi ſuprà, c. 6. n. 104* Secunda ratio pertinet ad nos, & eſt, quia per ſubtractionem alimenta quomodocunque factam, nimirum vel per retardationem aſſumptionis ciborum per conſuetas horas, vel immutatione eorum qui majoris alimenti ſunt, cùm iis qui minùs nutriunt, vel diminutionem quantitatis, facillimè hujuſmodi corporum calor reſolvi poteſt, viribuſque labefactatis, non modò eorum corporum augmentum retardari, ſed perpetuæ valetudini ea ſubiici quin etiam operationes omnes tam ad corpus, quàm ad animum pertinentes, inde imminui neceſſe eſt, & in ſumma maximum, ac evidens præjudicium ſanitati, & corpuſculorum incolumitati afferri poteſt.

Amplianda inſuper hæc concluſio in pueris lactantibus, ut non modò ipſi à jeiunii obligatione eximantur, ſed etiam eorum nutrices: nam lac, quòd exſugunt, tale fit, quales ſunt cibi, quibus Nutrices veſcuntur: argumento text. *in lib. 6. de morb. vulg. ſect. 5.* at præſtat illuc ex optimis alimentis confici, veluti ex carnibus, & ovis: ex Quadrageſimalibus enim cibis abſque dubio lac & copiâ minus, & in qualitate deterius, ac multis excrementis abundans generabitur, juxta id quod docet Hipp. *lib. 4. de morb. n.* 28. At ex his facile erit puerulos in morbos difficiles labi, quibus valde ſunt in ea ætate obnoxii, & idcircò peccare potiùs, quam quicquam mereri exjejunio nutrices dicendæ, cùm illud in evidens præjudicium ſuorum puerorum emanare poſſit. Favet Azor. *eod. c. 17. verſ. Sexto quæritur.* & ex noſtris idem Alph. à Fontech. *ibid. c. 76.* Hoc tamen non in omni jejunio dixerim locum habere, ſed in longo, &
13 plurium dierum, & maximè in Quadrageſimali, & idcircò reſtringenda, ac limitanda tum principalis concluſio, quàm ejus ampliatio, ad ſolam Quadrageſimam, & diuturniora jeiunia, quàm unici diei: nam
14 nullum notabile præjudicium emanare alterutris poteſt, vid elicet pueris lactantibus aut ablactatis, ſi vel ipſi, vel eorum nutrices per unicum diem jejunium ſervent, quoad ciborum tantummodò qualitatem; non verò quoad cæteta nam utrisque maximo damno eſſet quicquam de quantitate ſubtrahere, aut refectionem retardare: bene quidem verum eſt grandiuſculis pueris, nimirum quadriennio maioribus, ut jeiunio aſſuefcant, aliquam ſubtractionem abſque ullo ſanitatis diſcrimine fieri poſſe, non quoad quantitatem ſed qualitatem, curando, ut ſolis ovis in jejuniis particularibus, & in diebus Veneris & Sabbathi contenti ſint, & aliquando etiam in diebus majoris afflictionis ab his abſtineant, ſi grandiores ſint, & ſtomacho valido exiſtant.

Dicendum ſecundò, quòd tranſacto primo ſeptennio, abſque ullo ſanitatis diſpendio poſſint pueri in 15
jeiuniis, etiam in ipſa Quadrageſima (ſi alias firmis viribus exiſtant, & ſtomachi non imbecillis) quoad ciborum qualitatem, ad jeiunij obſervantiam ſe obſtringere, parcentes carnibus, & ovis quoque in diebus Veneris, & Sabathi, aliiſque quibus major abſtinentia ex Eccleſiæ conſilio videtur requiri, Favet Azor. *ubi ſupr. verſ. Tertio quæritur.* Ratio verò hujus concluſionis eſt, quia ſenſim jam primigenia illa humiditas deperditur, & calor fortior in dies evadit, ſaltem intenſivè, ita ut poſſint facilè pueri frigidiores, humidioreſque cibos, & concoctu aliquantiſper difficiliores, abſque multo negotio concoquere, & ad bonam naturam redigere.

Dicendum tertiò, conſtitutos in tertio ſeptennio qui verò adoleſcentes dicuntur, licèt diſpenſari poſ- 16
ſint jeiunio quoad ciborum quantitatem, ob corporis adhuc vigens augmentum; rectè tamen abſque notabili ſanitatis diſcrimine obſtringi poſſe, & ad jejunii obſervantiam quoad ciborum qualitatem Filiucc. *ubi ſupe n. 111.* (qui hoc extendit ad omnes pueros doli capaces) & quoad frequentiorem refectionem, quam moderari poſſunt, bis tantùm in die comedentes, prandentes nempe, & cœnantes, jentaculo, & merenda, ſeu antecœnio abſtinentes. Hoc enim pacto, conveniente abſtinentiâ, abſque corporeæ ſalutis periculo, carnem ipſi quoque aliquatenus macerabant, Ratio autem ejuſce rei patet, quia procedente ætate neceſſitas illa incrementi corporis diminuitur: ſi ergo propter incrementum hujusmodi, à jeiunii obligatione anteacta ætate erant ſoluti, ceſſante, vel diminuto eo incremento, ceſſare etiam debet, aut diminui licentia frangendi jejunium, nam privilegii cauſa ceſſante ceſſat effectus Tiraquel. *in tract. ceſſant. cauſ. part. prima, numer.* 203.

Quoniam verò hæc univerſaliter dicta ſunt, ſi 17
de particularibus dubitare contingat, peculiariùs videntur conſiderandæ. Dicendum igitur quartò, maximam habendam eſſe rationem habitudinis, & temperamenti particularium individuorum, quia difficile eſt per annorum numerum determinare potentiam, aut impotentiam jeiunandi: nam habitudine graciles, pierocholi, ſtomachi magni, & exquiſiti ſenſus, non modò in tertio ſeptennio, ſed per totum vitæ curriculum à jeiunii obligatione legitimè eximi poſſunt, ſaltem reſpectu quantitatis ciborum, & unitatis refectionis, & horæ quoque determinatæ comedendi: plurimùm enim talia corpora ab abſtinentia læduntur, & maximè in teneriore ætate, facillimè quippe reſolvuntur, & ob exquiſitum ſtomachi ſenſum facilè in extremam corporis debilitatem, maciem, hipochymiam, ſyncopen, & alios ſimiles affectus, & interdum quoque in hecticam eos labi ab intempeſtiva abſtinentia contingit. Contra verò corpora humectata, ſucci

pleni, carnoſâ, aut craſſis humoribus affluentia famem levi negotio ferre poſſunt, etiam cum ſanitatis beneficio, juxta Hippocratis ſententiam, 7. Aphor. 59. *Corporibus humidis carne præditis fames perferenda eſt, nam & fames corpora ſiccat.* Ergo pueris craſſioribus ac carnoſis maturiùs abſtinentia injungi poteſt, gracilibus, ac tenuibus abſtinentia interdicenda.

18 Dicendum quintò, in diſpenſatione jejunii reſpectu Ætatis, magnam habendam eſſe rationem temporis, & conſtitutionis ipſius anni, cùm pro ejuſdem temporis conſtitutionis ratione ſtomachus plures, aut pauciores cibos requirat, quod patet ex notiſſima Hippocr. ſent. Aphor. 15. dicente, *Ventres hyeme & vere naturâ calidiſſimi, & ſomni longiſſimi, quapropter per ea tempora majora alimenta ſunt exhibenda,* & faciunt ad hoc, quæ inibi proſequitur Gal. *in comm.* & facit inſuper alia ejuſdem Hipp. ſententia, *ibid. n.* 18. Neque ſolùm attendenda eſt temporis ratio reſpectu quantitatis continuæ, nempe ut in ſingulis refectionibus plurimum cibi offeramus, ſed etiam reſpectu quantitatis diſcretæ, nempe ut pluries in die cibos offeramus: notum enim eſt majorem quantitatem continuam requiri in hyeme, minorem in æſtate, diſcretam contrà minorem in hyeme, majorem in æſtate, ut dilucidè demonſtrat Gal. *in comm. prad. Aph.* 18. & ratio eſt, ejuſdem nativi caloris major, aut minor energia, ut ex Hipp. verbis, *in priori ſententia,* palam fit. Per univerſam ergo hanc ætatem, quæ continetur ſpatio unius, & viginti annorum, licentiùs, & abſque ullo ſcrupulo, calidis temporibus, diſpenſare poſſumus jejunium, quoad multitudinem refectionis, & horæ determinationem in comedendo, quàm temporibus frigidis, ut verno, & hyemali.

Sed rurſus quoad majorem ætatem dubitatur,
19 quo anno ſenes à jejunii obligatione ſint ſoluti, & dicendum cum Navarra: *ubi ſupra, num.* 16. ex Cajetano, quod etiam Medicis eſt acceptiſſimum, ex ſenibus alios aliis citiùs, aut ſeriùs impotentes fieri ad jejunii obſervantiam: nam licet notiſſima ſit ea Hippocr. ſent. *lib.* 1. *Aph.* 13. ſenes facilliùs jejunium ferre, id non promiſcuè de quibuſvis ſenibus veritatem habere docent Gal. & Philotheus, *ibi in comm.* cùm ſenes illi, qui extremam ſenectutem attingunt, nequaquam in jejunio diu poſſint durare: unde Hippocraticæ ſententiæ placet Galeno addere, quòd ſenes ibi intelligantur ii, qui adhuc in primo ſenio ſunt, aut ſaltem qui adhuc ad extremam ſenectutem non pervenerunt, [Crudi ſenes ὀψιγήρους dicti] & Hollerius *ibidem*, quaſi interpretando Hippocratis ſententiam ad Galeni mentem, vocem *Gerontes* vertit, Senes non decrepitos, idque declarat poſtmodum *in commento.* [contra Plantium pag. 21.] Scio Cardanum *in comm. præcitati Aphoriſmi*, Galeni, & cæterorum opinione tantiſper deviaſſe, & ingeniosè quidem multa circa illum protuliſſe: ſed nunc his non eſt locus [Videatur Oribaſius *pag.* 37. & Eraſtus *p.* 135. notandaque eſt differentia ſenectutis crudæ, mediæ & decrepitæ, qua de re confer Dicericum *in Iatræo Hippocr. p.* 112. Petrus Criſpus *pag.* 138. *Com. in Aphor. Hipp.*] Videtur igitur dicendum, quod in ultimo ſenio poſiti idcircò jejunium ferre non poſſint, quia unicâ vice non tantum alimenti poſſunt aſſumere, quantum requireret neceſſitas: nam ſi plura alimenta unicâ vice ſubeuntur, eorum calor, qui in extremo debilitatis eſt, ac perexiguus, ſuffocatur, ut ipſe Hippocr. *ſeq. Apher* addebat. Cùm parum ergo aſſumere unica refectione cogantur, neceſſe habent non multo poſt nova refectione, aliter deficiunt, & in pravos affectus, imò in præproperam mortem labuntur. In quo verò ætatis anno difficilior reddatur hæc jejunii tolerantia, ſi licet his univerſalem quandam regulam præſcribere, dicendum cum Medicis videtur, & præcipuè cum Philotheo, & Hollerio, *ubi ſupr.* à quinquageſimo ad ſexageſimum faciliùs, ab inde difficiliùs jejunium ſuſtineri: unde rectè, huic fortè opinioni innixi ipſi Canoniſtæ, tranſacto ſexageſimo anno, omnes legitimè excuſari volunt, ut ex communi Azor. *c.* 17. *verſ. Quærò quæritur.* Leſſius, *ubi aliàs, & ex eo* Filiucc. *ibid. c.* 6. *n.* 112. hæc verò ſpectant ad eam jejunii legem, quâ obligamur ſemel tantùm in die cibum capere, deinde per totum diem abſtinere: de hoc enim jejunio Medici loquuntur, nempe de totali abſtinentia à cibis per aliquod temporis ſpatium.

Verumenim verò minimè tutum eſt illi, qui ſe- 21
cundum conſcientiæ rectitudinem excuſari vult, ab annorum numero ſe immunem facere, ſed debet propriam tolerantiam, & vires cum conſilio Medici menſurare, horum adminiculo ſeipſum regere: nam idcirco Azor. *ubi ſub.* ex nonnullorum doctrina docet, Senes jejunium ſervare debere quouſque firmo ac valido corpore ſunt, nec ab ejus obligatione immunes eſſe, niſi adſit etiam aliqua ſenilis ætatis infirmitas.

Sed dato, quod ſenex jam ſit ſolutus ob ætatem 22
ab obligatione jejunii, dubitari poteſt an ab omni jejunii lege exemptus eſſe debeat, vel tantùm ab unitate refectionis, & pro eo, quod ad Medicum decidere pertinet, dicendum videtur, quòd ſenes aut habent tantùm difficultatem tolerandi jeju- 23
nium, itaut niſi frequenter cibentur, facilè deficiant, & notabilem noxam percipiant, ſed aliâ ex parte viribus ſunt integris, & ſtomacho mediocriter validi: aut hac difficultate jejunandi carent, ſed alia ex parte valetudinariam vitam degunt, iiſque morbis, & incommodis obnoxiam, quæ aliàs ſenibus ſunt familiaria: aut denique utrumque habent impedimentum, nempe quia & valetudinarii ſunt, & jejunium difficulter ferunt. Poſteriores hi jure diſpenſari poſſunt quoad omnia, cùm à quacunque conditione jejunii inſigne ſanitatis nocumentum recipere poſſint: Priores verò ab hora determinata comeſtionis, & ab unitate refectionis immunes abſque ſcrupulo eſſe poſſunt, à qualitate verò ciborum non ita: quia qualitercunque nutriantur, dummodò & quoties indiguerint, & horâ competenti cibentur, omne ſanitatis incommodum evitare poſſunt, neque neceſſe habent carnibus, aut ovis jejunium frangere. Qui in ſecundo loco ponuntur, licèt à qualitate ciborum, & ab unitate refectionis illis damnum immineret, & idcirco ab utraque conditione abſolvi poſſint, tamen, ut eam, quæ ſeſe offert, abſtinentiæ occaſionem, quantum in ſe eſt, obſervent, prandii retardationem in horam jejunio determinatam ſervare poſſunt. Quod ſi in anteverſione ejus horæ quicquam à jejunantibus delinquitur, hos ipſos eodem modo delinquere putaverim, cùm in jejunio non obſervent abſtinentiam eo modo, quo poſſunt, ut unuſquiſque tenetur.

Et cum his omnibus admonendum, quòd licèt in ultimo ſenio poſiti, ac maximè ſi valetudinarii ſint, nulli omnino legi cujuſvis jejunii teneri videantur, ob præproperam ſanitatis amittendæ occaſionem, alii tamen non promiſcuè ab omni jejunio ſoluti eſſe debent, ſed ab iis, quæ pluribus diebus perdurant,

durant, præcipuè Quadrageſimali; neque enim hi qualitercunq; jejunent per unicam tantùm diem, ullo modo inſigniter lædi poſſunt; quod & in teneriorib. ætatib. locum habere jam annuimus, nempè in ſecundo, & multò magis in tertio ſeptennio.

SVMMARIVM.

1 *Vbi fames, laborandum non eſt, & è contrà.*
2 *Legitimum impedimentũ non ieiunandi eſt labor.*
3 *Non omnis motus, ſeu exercitatio corporis eſt lab.*
4 *Labor eſt vehemens motus, dic ut n. ſeq.*
6 *Labor non ſit ubi non eſt ſpirituum inſignis inanitio.*
7 *Labor non ſolùm corporis, ſed etiam Animi eſt.*
8 *Labor Animi eſt iuſta cauſa non ieiunandi.*
9 *Labor Animi, an corporis ſit, nihil reſſert, ut magis hic quàm ille à ieiunio excuſare debeat.*
10 *In labore tam corporis, quàm Animi inedia evitanda.*
11 *Labor non ſolùm prægreſſus, ſed futurus excuſat.*
12 *Laboris tolerantiores ſunt Mares, quàm fœminæ.*
13 *Eorum qui animo laborant, quinam ieiuniũ difficulter ſuſtinere poſſint.*
14 *Animo laborantes ad quamnã ieiunij legem obſervandam teneantur.*
15 *Mechanici artifices à ieiunio excuſantur, & qui.*
16 *Nullus labor quantumvis vehemens ab obſervantia ieiunii reſpectu qualitatis ciborum excuſat.*
17 *Caupo apponens convivis, vel advenis, cibos vetitos, peccat mortaliter.*

De impedimento ieiunandi ex cauſa laboris, & paupertatis.

QVÆSTIO IV.

1 QUemadmodum veriſſimum eſt Hippocratis dictum illud 1. *Aphor. 16. Vbi fames, laborandũ non eſt.* [vel ut Celſus exprimit, *ſi quibus de cauſis inedia futura eſt, labor vitandus eſt*] ſic è contra veriſſimum & hoc eſt, ubi labor ibi fameſcendum non eſt; nam abſumitur corpus à labore, eodem Hipp. aſſerente, *lib. 1. de Diat. propè princ.* ſpirituumq; ſit confertim, & cumulata inanitio, unde vitium defectio, niſi habeant unde reſtaurentur: Idcirco legitimũ impediment. jeiunandi viſum eſt omnib. Canoniſtis
2 eſſe id, quod ex labore provenit. Sed quia non omnis
3 motus corporis, neq; omnis ejusdem exercitatio, laboris nomen meretur, ita ut excuſare hominem legitimè in hac re poſſit, cùm non ex omni labore fiat pariter talis ſpirituum inanitio, quæ multa, & frequenti refectione indigeat; idcirco videndum quid propriè ſit labor, ut ſciamus qui laborãtes, aut ſe potiùs exercentes ac movẽtes, excuſandi ſint, qui non. Galen. ergo *Comm. 2. Aphor. 16.* & Avice. *in Cant.*
4 *tract. 1. num. 143.* & ali definiunt, Laborem eſſe vehementem motum. Ergo ad rem noſtram malim addi, Laborem eſſe talem motum, ex quo notabilis
5 ſpirituum inanitio fiat, & virium debilitatio. Nam cùm labor ſit ex iis, quæ ad aliquid dicuntur, poteſt quidem homo vehementem motum facere, non tamen laborare, ob validas corporis vires. Patet hoc familiariſſimo exemplo: Puer ſi ſtadium cucurrerit, laboraſſe dici poteſt, vir etiamſi decem ſtadia cucurrerit, laboraſſe non dicitur; debilis, ſi centum pondo elevaverit, laborabit; fortis, etiamſi elevaverit mille, non laborabit: hoc autem non aliã contingit ex cauſa, niſi quia in puero ex curſu ſtadii unius, & in debili elevatione ponderis centum librarum, inſignis ſpirituum inanitio facta eſt; in viro ex curſu decem ſtadiorum, & in forti ex elevatione
6 ponderis mille librarum, nulla. Cùm nunquam ergo ſit labor, ubi non ſit ſpirituum inſignis inanitio, dicendum, quòd vehemens motus labor in tantùm dicatur, in quantum ad illum ſuccedit ſpirituum ea inanitio. Bene quidem verum eſt, ſemper poſſe vehementem motum relative ad eum, qui movetur, labor dici, & ſic ſemper vehemens motus erit labor; & idcircò ſi in puero ſtadium cucurriſſe, aut in debili centum pondo elevaſſe erit vehemens motus & idcirco labor, in viro decem ſtadia cucurriſſe, aut in forti mille libras elevaſſe non erit vehemens motus, neque conſequenter labor: & ſic vera remanebit ſententia *Galeni*, & *Avicen.* & aliorum, quòd labor ſit *vehemens motus, reſpectivè ad illum qui laborat.*

Cæterùm cùm labor non ſolùm corporis ſit, ſed 7
etiam animi, quoad effectum, non quidem analogicè, & æquivoce, ſed univoce, & proprtiſſimè, cùm tam ab Animi, quàm corporis labore fiat eadem ſpirituum inanitio, & virium labefactatio, licet magis confertim fiat in corporis, quàm in Animi labore, ad quem ſenſim, & paulatim tantùm ſequitur: idcircò non ſolùm corporis, ſed etiam Animi labor, juſta 8
cauſa eſt impediens jejunium, dummodò uterque talis ſit, ut ex eo inſignis inanitio immineat, & conſequenter neceſſitas novi alimenti urgeat; neque enim refert qualis ſit corporis, an verò Animi, dummodò ad utrumq; ſequatur ea exinanitio, quam di- 9
ximus, Leſſius *ubi aliàs, dub. 6. n. 45.* Filiucc. *ibid. n.* 10
119. quod etiam Medicis eſt acceptiſſimum, quia in utroque labore inediam, tanquam rem ſanitati noxiam, evitandam conſulunt. Holler. *in Aphor. ſect. 2. Aphor. 16.* [quod exiccet & vires reſolvit.]

In tantùm autem excuſat labor à jejunio, ut non modo ſi jam prægreſſus ſit, vel de præſenti excuſet, ſed etiamſi de proximo futurus ſit, ita Filiucc. *ubi* 11
mox. n. 121. & conſonat cum his, quæ in principio quæſtionis attulimus; facitque non diſſimilis Celſi ſententia ex prædicto Aphor. deſumpta, *Si quibus de cauſis inedia futura eſt, labor vitandus eſt*, cui reſpõdet ſua æquivalens, ſi quibus de cauſis labor futurus eſt, inedia vitanda eſt.

At verò quoniam diximus laborem eſſe vehementem motum, reſpectu illius qui ſe movet, patet quod non omnis motus eſt labor, neque conſequenter quicumque motus, qui aliàs ex vulgi opinione, (qui indifferenter omnem motũ laborem vocat) eſſet labor, à jejunio excuſare debet; nam, ut diximus, unus idemque motus reſpectu diverſarum perſonarum, & vehemens eſt, & non vehemens, ita ut reſpectu unius ſit labor dicendus, reſpectu alterius nequaquam. Exempli gratiã, facilè à motu etiam moderato, tanquam à labore, afficiuntur, qui molliora membra habent, contrà verò, qui membrorum duritie dotantur, nihil afficiuntur, ut innuit Galenus. *lib. 2. de ſan. tuend. cap. 2.* unde ab eam rem ma- 12
res tolerantiores ſunt laboris, quàm fœminæ. Idcirco ergo de particularibus certi quicquam determinari non poteſt, generaliter tamen loquendo, dicendum videtur, primò, eorum qui animo inſigniter laborant, illos potiſſimùm non ſuſtinere je- 13
junium abſque inſigni noxa, qui meditationibus ſcientificis vacant, non ut diſcant, ut Scholares, ſed ut alios doceant, atque inſtruant, veluti ſunt Lectores, Oratores, Concionatores: & ratio eſt, quia præterquam quòd cum vehementi animi labore in his adjungitur etiam aliquis corporis motus, certum eſt in ipſo ſimplici animi labore hos multò copioſiorem facere ſpirituum inanitionem, ex hoc, quòd in meditando ea, quæ docere fatagunt, & in ordine diſponendo, quo jam inventa auditoribus demonſtrent, & in mille aliis actionibus plurimum animus defatigatur; ad quod ſequitur ſpirituum inanitio,

unde hi propriè laborare dici poſſunt; at non ita Scholares, qui tantùm in ſimplici meditatione eorum, quæ vel ex ore, vel ex ſcriptis Præceptorum hauſerunt, ſeſe leniter exercent.

Sed quod de Scholarib. diximus, univerſaliter dictum eſt; nam ſi alias ſtomacho debiles ſint, etiamſi hoc ob ipſum ſtudium eveniret, vel aliud legitimum impedimentum jejunandi habeant, tunc tantò magis excuſari poſſunt, non ex capite tantum alterius impedimenti, ſed hujus ipſius. Itaque qui gravibus negotiis, ac curis magnis impliciti ſunt, ob indefinentem intellectus occupationem, laborare dici debent, & ex hoc capite excuſari à jejunio.

14 Sed ad quid non teneri determinandum eſt Concionatores, Lectores; Oratores, & gravibus negotiis implicitos, ex hoc capite, nempe ex animi labore? Videtur dicendum, ab his tantummodò ſolutos eſſe, à quorum obſervantia inſignem noxam propriæ ſaluti expectare poſſent: ea verò à cibi retardatione, ſi determinatam horam ſervarent: & ab unitate refectionis facilè reſultaret. Videant ergo Canoniſtæ, an jure ab utraque jejunii conditione immunes eſſe debeant. A ciborum verò qualitate non eſſe ex hoc capite ſolutos palam eſt, quia ſi quæ ſpirituum inanitio per laborem fiat, ea facilè quocunque alimento reſtauratur; indiga enim natura promptiſſimè quemcunque cibum admittit, & concoquit, ac ſuæ conſulit indigentiæ.

Portò qui corporeos labores ſubeunt, dummodò
15 tales ſint, ut inde corpus naturaliter debilitetur, omnes ac ſinguli inſigne detrimentum ab abſtinentia reportare poſſunt, & idcircò omnes penè Mechanici artifices (nam ii qui ſedentarias nonnullas artes exercent, facilè excipi poſſunt, ut Scriptores ſunt, Notarii, Bibliopolæ, Sutores, Chirothecarii, Coronarii, Barbitonſores, Nummularii, Crepidarii, Calceolarii, Gemmarii, aliique his ſimiles) à jejunio maximam noxam expectare poſſunt, unde omnes diſpenſantur. Filiucc. *cap. 6. num.* 117. licèt aliquos ex exceptis hìc non excipiat Azor. & citati per eum *lib. 7. cap.* 17. *Quares etiam*, & verè plurimi eorum, etiamſi ſedentariam artem exerceant, tamen facilè ex labore inaniuntur, ut Sutores, Argentarii, Crepidarii, Calceolarii, hisque ſimiles. Neque ex hoc, quòd laborantium, ex Gal. 1. *Aphor.* 49, alius unam tantùm corporis partem validè exerceat, alius verò aliam, alius autem æqualiter totum corpus moveat, idcircò minùs unus quàm alius à jejunio debet eſſe immunis, quia (ut Galenus docet) pariter in omnibus totum corpus exinanitur. Hi tamen omnes diſpenſari poſſunt ab unitate refectionis, non verò à ciborum qualitate; neque enim neceſſe eſt carnibus, & ovis huiusmodi perſonis, ſed reiteratâ tantùm, & non retardatâ refectione. Imò, quia Quadrageſimales cibi ſecundùm plurimum magis in ſtomacho commorantur, & craſſius præbent nutrimentum, ſunt laborantibus magis idonei, & facit ad hoc Gal. auctoritas *libro ſecundo, de ſan. tuend. cap.* 2. Unde ſuppoſito labore per ſe, niſi alia cauſa urgeat, quicunque aut animo, aut corpore laborant, ſine ullo ſanitatis diſcrimine, à carnibus abſtinere poſſunt. Ex quibus eam concluſionem eliciamus, nullum laborem, quantumvis vehementem, ab abſtinentia ciborum vetitorum in jejuniis excuſare poſſe. Cæterùm inter labores commemorandus & ille eſt, qui ex coitu provenit, & cùm uxorati te-
16 neantur reddere debitum ex juſtitia, videndum eſt an hic labor vel perpeſſus, vel quem perpeti debent, eos excuſet à jejunio. Ac certum quidem eſt, ex nullo labore (niſi immoderatus ac longus extiterit) tantam fieri ſpirituum inanitionem, quanta ex ſeminis effuſione fit. Itaque ubi ex coitu corpus inſigniter debilitari comperiamus, certum eſt mirum in modum jejunium, maximè reſpectu quantitatis ciborum nocuum eſſe poſſe, quandoq; ergo vel prægreſſus eſt, vel futurus eſt huiusmodi labor, licitè hominem ab unitate comeſtionis excuſabit, niſi quid aliud maius adſit, quod etiam qualitatem ciborum requirat meliorem, quia in hoc labore non tam conſiderandus venit motus corporis, qui & ipſe interdum vehemens eſt, quàm ipſe ſeminis effuſio, ex qua plurimùm ſpiritus exinaniti, vires maximopere labefactant.

Sed & inter impedimenta jejunii connumeratur etiam paupertas, quæ qualis eſſe debeat, ut excuſet, ad nos non pertinet decidere; illud tantummodo per tranſennam, licet extra rem meam, animadvertam, 17
quod quemadmodum campo apponens convivis, vel advenis, & viatoribus cibos vetitos, peccat mortaliter: Leſſius *dub.* 4. *n.* 2. 2. pari modo Paterfamilias, ſeu Oeconomus, & aliæ ſimiles perſonæ apponentes convivis & familiæ cibos, quibus jejunium frangere poſſint, peccant & ipſi graviter. Navarr. *de quinque præcept. Eccl. c.* 21. *n.* 16. Eodem modo videtur, quòd is, qui pauperibus jejunare potentibus vetitos cibos offerant, in pari culpa ſint, & multò magis ipſi pauperes tales cibos comedentes. Hæc tamen ad Canoniſtas relegenda, quod ad negotium noſtrum non ſpectent: videndus tamen Azor. *ubi ſupra.*

SUMMARIUM.

1 *Morbus eſt ſufficientiſſima cauſa excuſans homines ab obſervantia jejunij.*
2 *Non quilibet morbus legitimè à jejunio excuſat.*
3 *Non omne ſanitatis incommodum à jejunio proveniens illicò à jejunio excuſat.*
4 *Vix dici poteſt jejunium, ubi corpus nullum à victus ratione in eo ſervata incommodum experiatur.*
5 *Quale, ac quantum incommodum ſanitatis liceat perpeti in obſervatione jejunii.*
6 *Non omnibus, qui à jejunio laduntur, licet à jejunio abſtinere, declara, ut ibi.*
7 *Morbus à jejunio excuſans, debet eſſe alicuius momenti.*
8 *Excuſatio à jejunio ob morbum eſt legitima quando eſt ſecundum morbi exigentiam, non autem ſecus.*
9 *Ratio victus in Quadrageſima, aliisque jejunii, nequaquam inſalubris.*
10 *Nonnullis hominibus morboſis ratio victus Quadrageſimalis poteſt eſſe maximè noxia.*
11 *Dolores omnes Capitis vehementes, & c legitimè excuſare poſſunt à jejunio.*
12 *Morbi nervos inſigniter ladētes à jejunio excuſāt*
13 *Inſania quodcunque genus cur, & quando excuſet ab obſervatione jejunii.*
14 *Oculorum inſignes morbi excuſant à jejunio.*
15 *Pectoris morbi quinam à jejunio excuſent.*
16 *Catarrhus quid.*
17 *Pectoris morbis detenti non ſemper ad carnium comeſtionem diſpenſandi.*
18 *In deſtillatione à capite ad pectus craſſa, vel tenui, à quibus excuſandi ſunt infirmi.*
19 *Cordis morbi omnes à jejunio excuſant.*
20 *Stomachi affectus inſignes legitimè à jejunii obſervantia excuſant.*
21 *Hepatis, & Splenis morbi quinam à jejunio immunes faciant infirmos.*
22 *Renum, veſicaque vitia quanam legitimè impedimentum jejunandi afferant.*

23 *Febres omnes à jejunio excuſant. Amplia, ut n. ſeq. limit. ut. n. 25.*
26 *Febre intermittente laborante, ſani non ſunt i tempore intermittentiæ.*
27 *Cutanei morbi an excuſant à jejunio.*
28 *Articulares morbi, ut Podagra, Chiragra, Arthritis, an excuſent.*
29 *Morbi articulares quinam legitimè non excuſent.*
30 *Morbus Gallicus an excuſet.*
31 *Inimica qualitas à Gallico morbo conſiderata, ex ſe non excuſat legitimè à jejunio.*
32 *Vulnera quanam excuſent. Limita concluſionem n. ſeq. Amplia concluſionem, ut n. 34.*
35 *Valetudinarii an excuſentur, & quinam ſint.*
36 *Prægnantes, & Nutrices an excuſentur.*

De Impedimento jejunandi ex cauſa morbi.

QUÆSTIO V.

MOrbus eſt omnium ſufficientiſſima, ac evidentiſſima cauſa excuſans homines à jejunio, ut 1
omnes Canoniſtæ docent, & ipſum quoque vulgus ſatis novit. Licèt autem plurimùm hoc veritatem habeant, tamen non quilibet morbus à jejunio legitimè excuſare poteſt, neque etiam idem morbus, qui ab una obligatione ſolvit, ab omnibus ſolvere poteſt. Quia verò longum eſſet; & tædio non vacaret, de ſingulis morbis, qui à jejunio excuſare legitimè poſſent, diſſerere, idcircò non per generales 2
quasdam regulas, ſive Canones ea determinabimus, quæ circa hoc negotium ad Medicum determinare ſpectat, nempè quibus in morbis ieiunium corporis ſaluti nocere poſſit; ut juſtus timor inde emanet gravioris morbi, vel etiam mortis; quòd ſi quis magis particulariter de hac materia inſtrui poſtulat, adeat Jo. Alphonſ. à Fontech. *in ſpecul. Med. Chriſt. lumin. 2. per tot.* qui copioſiſſimè de his diſſeruit. Nos à capite incipientes & per membrorum, partiumve ordinem procedentes, generales quasdam concluſiones, ut dixi, aſſeremus. Sed ante omnia admonendum primò, quòd non omne ſani- 3
tatis incommodum à ieiunio proveniens, illicò ho- 4
minem à ieiunio excuſat; nam vix dici poteſt ieiunare, qui ex ieiunio nullum perceperit corporis incommodum, idcirco enim, ut adnotabimus, ieiunium definitur maceratio, ſeu afflictio carnis ex abſtinentia ciborum, nempe talis abſtinentia, ut per ipſum caro aliquod incommodum ſentiat, & affligatur, ita ut ſpiritui ſuccumbat. Ergo ut caro maceretur, non tanto ſanitatis ſtudio teneri nos oportet, ut quævis ſanitatis læſio etiam minima, nos à ieiunio 5
excuſare debeat. Quale verò, ac quantum corporis, & ſanitatis incommodum ex ieiunio pati nobis liceat, videtur definire D. Th. 2. 2. *quæſt. 88. art. 2. ad tertium*, ubi definit abſtinentiam non eſſe Deo acceptam, niſi in quantum eſt opus virtutis; at abſtinentia in tanum eſt opus virtutis, in quantum cum diſcretione fit; ut ſcilicet concupiſcentia refrenetur, & natura non nimis gravetur: ita ut ſi ex obſervatione alicujus voti, vel ieiunii, magnum, manifeſtum gravamen quis ſentiret, & non eſſet facultas recurrendi ad ſuperiorem (nam dixerat ſupra, in his recurrendum ad ſuperiorem) non debet homo tale votum (adde & ieiunium multò minùs) ſervare. Ego, utrumne liceat necne, tantâ abſtinentiâ corpus ſuum macerare, ut inde ſequatur, & diminutio vitæ, & morbus aliquis conſideratione dignus, & Theologos & Canoniſtas decidendum relegabo, ſed juxta D. Thom. ſuperiùs allegata, quòd non teneamur ieiunare, etiam obligati ex voto; ubi magnum, & manifeſtum gravamen ſentiamus, dico, poſſe nos tantum corpus affligere, quòd à ſtatu naturali in evidenter præternaturalem non labamur, eſt enim ſtatus quidam corporum, qui medius eſt inter naturalē, & præternaturalem, dicunturque huiusmodi corpora neutra, quæ quidem dantur juxta modos, à Gal. *in Arte Med.* deſcriptos: & dari eundem ſtatum, ex Iuriſconſultis dicit Carrar. *de Med. q. 1. n. 8. & Aſt. de Infirm p. 2. Reconvaleſcentia, n. 3. ex Mandoſio* in quo ſtatu naturæ vires conſueto imbecilliores fiunt, homofamiliarem ſibi alacritatem diminutam experitur, color totiùs corporis in albidiorem, ſeu pallidiorem immutatur, & ex minima occaſione morbus aliquis pro ipſorum corporum apparatu ſubſequitur. Hæc omnia idcircò eo modo contingunt, quia naturæ vires ob alimenti conſueti deſtitutionem languent, & ſanguiniscopiâ per inediam diminutâ ex quo ſpirituum copia ante affluebat, animalis alacritas penè evaneſcit, & vividus cutis color immutatur. Atq; id quidem rectè inſinuari mihi videtur in Evangelio Matth. *cap. 6. ibiq. Cùm autem jejunatis, nolite fieri ſicuti Hipocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, & quæ ſequuntur*, & inde. *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominib. ieiunaſſe*, nam quia ex ieiunio, cùm ſecundùm præceptum legis obſervatur, procedit extenuatio quædam, & coloris faciei in pallidiorem immutatio, idcirco Chriſtus Dominus, ne homines ieiunaſſe nos deprehendant ex hoc, iubet ut faciem lavemus, &c. Ergo ad hunc usque terminum procedere poteſt maceratio carnis ex ieiunio proveniens, nam ſi ulteriùs progrediatur, tam decidemus in ſtatum præternaturalem, & in evidentem morbum, quod an liceat, & quatenus, & quando liceat, determinare ad nos non ſpectat.

6 Secundò admonendum, non licere omnibus, qui à ieiunio læduntur, à ieiunio abſtinere. Concluſio eſt Valleſii *in comm. 2. in lib. de vict. rat. in acut.* & ratio, quæ ab ipſo affertur; eſt quæ ſequitur. Quia multi eorum diſcere poſſunt à Medicis, ut ſe debeant gerere, quandoquidem eſt Medica ratio cavendi eas noxas aut omnino, aut maxima ex parte. Ex quibus diſcant tam Medici, quàm eorum conſultores, non eſſe petendam abſolutionem à jejunii obligatione, illicò atque læſum quis ſe ſenſerit à jejunio, ſed potiùs quærendum an aliqua ratio jejunandi ſit, quæ ſit magis ſalubris, quàm præterita: diſcemus enim tunc, à quibus abſtinere nos oporteat: ſunt enim qui ab aliquo cibo particulari in jejunio conſueto noxā percipiunt; hi ſi hunc cibum omiſerint, jejunium de cætero commodiſſimè ſervare poſſunt: aliis nocet plurima comeſtio unicâ vice facta: quia enim prandentes non cœnant, ingurgitant ſe in prandio, hi ſi minùs comederent, etiamſi non cœnent, jejunium abſque noxa ferre poterunt: aliis nocet ciborum varietas, qui, ſi ſimpliciori cibo ſint contenti, nullo modo à jejunio læduntur. Videant ergo Medici, ac rigoroſè inſiſtentes examinent, an aliquid ſimile irrepere poſſit in his, qui jejunare obligati, ab ea obligatione ſe eximere ſtudent huiusmodi illegitimis excuſationibus. Et ad hunc finem jam à multis annis *libellum* edidimus, cui titulum fecimus, *de victu quadrageſimali*, vulgari ſermone; in quo multa præcepta habentur ad jejunii quadrageſimalis obſervantiam requiſita, ut ſine corporeæ ſalutis diſpendio huiusmodi obligationi poſſimus ſatisfacere.

Admo

Admonendum tertiò, non illicò hominem in quolibet morbo à jejunio excuſari, ſed neceſſe eſſe, ut morbus ſit alicujus momenti; nam parvus morbus ac levis, non eſt dignus nomine morbi, *arg. l. 1. §. ſed ſciendum, ff. de Ædil. edict.* quam & ego aliàs citavi ad hoc, & Cannher. *lib. 1. Aphor. 2.* & facit Gal. *lib. de conſt. Art. c. 19.* unde non illicò ac quis capite leviter doluerit, aut ſtomacho tantiſper malè habuerit, aut etiamſi leviuſcula febri detentus fuerit, quæ non pertranſierit terminum communem Ephemerarum, diem ſcilicet integrum, à jejunio excuſabitur; nam etiamſi morbus gravior ſuccedere poſſit, tamen conducit in ejus principio abſtinere, juxta Medicorũ præcepta, cùm aliquando ſolâ diætâ, & abſtinentiâ morbus in principio exſuperetur abſq; jejunii ſolutione; quod ſi minùs ex voto ſuccedat, tunc
8 excuſatio erit legitima; ſecus verò nequaquam.

Admonendum quartò, excuſationem à jejunio legitimam eſſe, ſi ſit ſecundùm mordi exigentiam, aliàs verò non; non enim quivis morbus à quavis jejunii conditione excuſare debet indifferenter; ſed alter quidem ab eſu carnium, alter ab eſu tantùm movorum, non carnium, alter ab unitate comeſtionis, alter ab hora refectionis, alter ab omnibus ſimul immunem reddere hominem poteſt: quia exempli gratiâ, frigiditate ventriculi, ex qua quis frigidiores cibos malè poteſt concoquere, aut qui difficilioris ſunt concoctionis, poteſt quidem hominem excuſare à qualitate ciborum, non autem à cæteris jejunii conditionibus. Sic etiam nimius ſenſus, & ſuctus ventriculi, ob quem homo à retardatione horæ conſuetæ comedendi malè afficitur, excuſabit illum ab unitate refectionis, & ab hora determinata comedendi non autem à qualitate ciborum, & ſic de ceteris.

9 Admonendum quintò, quòd licet ratio victus in Quadrageſima, aliisque jejuniis inſtitutâ, inſalubris ex ſe non ſit, & cibi quadrageſimales nihil ſanitati
10 præjudicent, ſi regula, & modus adhibeatur, ut latiſſimè probavimus *ſuprà, q. 2. per totam*, tamen ubi homines valetudinarii exiſtunt, ac morboſi, & aliquâ corporis parte inſigniter affecti, poteſt ſemper talis victus ratio, eos morbos, certi quippe generis, fovere & augere, quia in ſanis calor vegetus ac validus, & ab excrementitiis humoribus vel in partibus, vel in toto, neque impeditus, neque oppreſſus, optime ſuo munere fungitur in tantum, ut etiam prava alimẽta, ſi quæ in uſum victus in jejuniis veniant, rectificare valeat, & in bonum nutrimentum commutare. At contrà in morboſis, calor debilis ex ſe, aut ab humoribus pravis & excrementitiis, vel in partibus, vel in toto impeditus, atque oppreſſus, etiam non omninò vituperanda alimenta, crudiora relinquit, aut in pravos humores commutat, Quòd ſi alimentum ex ſua natura illaudabile ſit, ac pravæ qualitatis, tunc omnino morbus in priorem conditionem labi neceſſe eſt, & homines ex valetudinariis actu fieri morboſos & diſcrimen ipſius vitæ experiri. Concludendum ergo, quòd multi cibi, & præcipuè plures, quibus in jejuniis utimur, non ſimpliciter pravi ſunt, ſed reſpectivè ad perſonas, quæ iis utuntur; nam ſani iis ſecurè veſci poſſunt, cùm tamen morboſi, & valetudinarii inſignem noxam ab aliis percipiant.

11 Quibus ſuppoſitis, à capite originem ſumentes, dicamus primò. Capitis dolores omnes vehementes, continuos, aut periodales cum febre, aut ſine febre, qui ſecum habent in acceſſionibus, vel exacerbationibus gravia ac prava accidentia, excuſare hominem à jejunio, reſpectu qualitatis ciborum. Ratio eſt, quia in his morbis requiritur tale nutrimentum, quod facilè concoquatur, & ſtomachum retardando deſcenſum, & diſtributionem non aggravet, quod parum excrementi habeat, quod evaporatione careat, & quod præcipuè pituitam in capite adaugere non valeat, ſi maximè dolor ab eo humore originem ducat. Hæ namque omnes cauſæ facilè poſſunt ipſum caput majorem in modum replere, dolorem augere, & atrociores morbos eo nomine accerſere, ut Epilepſiam, Vertiginem, apoplexiam Paralyſin, & id genus alia. Loquimur autem de dolore capitis per eſſentiam præcipuè. Neque ſolum ova, ſed etiam carnes his concedendæ ſunt, quia lacticinia, butyrum, & hujuſmodi capiti ſunt nociva, ut norunt Medici. Utrùm verò tales morbi excuſent ab unitate comeſtionis, diſtinguendum videtur: nam vel patientes ſunt ſtomacho valido, & ſic quoad hoc ferre poſſunt jejunium quoad unitatem refectionis; & tunc quidem videtur dicendum, quod non excuſentur, quia à cibi parcitate & potûs, potiùs juvantur, quàm ſecûs. Neque me movet Hippocr. dictum, *in lib. de vict. rat. in acut.* quòd jejunium ad capitis dolorem malum ſit, quia ibi non loquitur in caſu noſtro, ut apud ipſum videre eſt. Sin autem patientes ſtomacho quoque imbecilli ſint, ita ut non multùm unicâ vice aſſumere poſſint, tunc etiam ab unitate refectionis immunes eſſe poſſunt, quia aliàs unicâ, ſed copioſiore refectione gravato ventriculo, acutiùs capite dolerent, ob majorem evaporationem, & in prænominata mala faciliùs inciderent, cùm ſemper caput compatiatur ſtomacho.

Secunda concluſio. Omnes capitis morbi, qui 12
vel per ſe nervos quomodocunque lædunt, ut Apoplexia, Epilepſia, Paralyſis, ſpaſmus, ſtupor, & his congeneres, vel qui alios hujusce claſſis affectus minantur, ut frequens Vertigo, ac vehemens, Memoriæ lapſus, torpor, motus impotentia, & alii non diſſimiles, illegitimè hominem excuſant à jejunio reſpectu qualitatis ciborum; cùm facilè ſuccedere poſſit, ut à cibis, quibus in jejuniis utimur, multa pituita generetur, & alii excrementitii humores, qui levi negotio graves morbos graviores facere, & ad ſalutem aut mortem ancipites; cum certitudine mortales reddere, & leviores etiam reddere graves poſſunt. Sed circa unitatem refectionis, & horæ determinationem in comedendo non videtur legitimè excuſare, quia omnes ac ſinguli prædicti morbi ab humoribus pituitoſis & frigidis, aliisque excrementitiis originem ducunt, quorum remedium abſtinentia eſt; & maximè cœnæ omiſſio. Quæ concluſio amplianda eſt, ut non ſolùm procedat, ubi hujusmodi morbi ſint præſentes, & actu affligant, ſed etiam ubi acceſſiones, & repetitiones quasdam habere ſoleant; nam etiam in ipſo tempore intermiſſionis, omnino & absque ullo dubio excuſare debent; inſurgit enim ex his veriſimilis timor, ne ex ipſius jejunii culpa & revertantur, & detetiores evadant.

Tertia concluſio. Inſaniæ quodcunque genus, 13
nimirum fatuitas completa, ſtoliditas, oblivio, Melancholia, Mania, Lycanthropia, Hydrophobia, & ſi quæ aliæ Inſaniæ ſpecies his ſimiles ſunt in ipſa afflictione excuſare hominem poſſunt à quocunque jejunio, non tantùm ex cauſa morbi, (cujus reſpectu poſſunt Quadrageſimales cibi illis nocere) quantum ex eo, quod non ſunt capaces præcepti. Filiucc. *Queſt. mor. tract. 27. part. 2 cap. 6. ſub. num.* 104. ex noſtris Jo. Alph. à Fontech. *in Spec. Med. Chriſt. lum. 2. pag. 52. verſ. Ex his benè infertur.* In interpolatione autem, aut intermiſſione, à nulla jejunii conditione excuſandi videntur, ſed

tanquam

tanquam sani ad omnes obligari, cessante nimirum impedimento, per quod excusabantur: licèt, si bene res ponderetur, non possit dici cessare impedimentum per quod excusantur, in his, in quibus remanet dispositio quædam, ob quam facillimè morbus revertatur; imò non solum morbi reversio ex malo victu, aut etiam ex jejunio timeri posset, sed etiam ejus exacerbatio major, & casus in morbum multo peiorem. Itaque non promiscuè id accipiendum, sed firmandum est in iis, in quibus nulla dispositio videtur remansisse, ob quam morbus revertatur, non esse impedimentum legitimum jejunandi, cùm sani omni ex parte sint: contra verò, ubi adhuc videtur adesse aliqua dispositio reversionis morbi, cùm tales sani dici non possint: neque enim sanus dicitur is, in quo reliquiæ præteriti morbi, aut dispositiones quædam ex ipso relictæ fuerint. Quomodo verò Quadragesimales cibi nocere possint iis ægrotis in ipsa morbi exacerbatione, palam est, tales cibi humores morbum foventes augere possunt, & maximè melancoliam. Sed an timor futuræ insaniæ possit legitimam excusationem afferre non jejunandi dupliciter distinguendum: Primò distinguendum quoad jejunia; nam impedimentum jejunii quadragesimalis erit justum ex hoc timore, aliorum verò jejuniorum non ita. Distinguendum secundò, quoad conditiones jejunii: nam hic timor excusaret à qualitate ciborum, à cæteris verò conditionibus nequaquam. Quod verò timor futuræ insaniæ sit legitima causa non jejunandi, probatur, quia si homo jejunando insaniret, ac jejunio præberet occasionem insaniæ, absque dubio præponeret mediocre bonum multò melori, & numero & conditione; à quot enim bonis operibus cessare cogitur insanus; Non teneretur ergo ieiunare qui ex ieiunio insaniam timeret, imò ob prædictam causam ieiunando erraret, per textum alias citatum *in cap. non mediocriter. de Consecr. dist. 5.*

14 Quarta conclusio. Insignes oculorum morbi, ut longæ, & pertinaces Ophthalmiæ: seu Lippitudines, Suffusiones, Glaucomata, Amauroses, & id genus alii affectus, notabiliter visus actioni, vel alterius, vel utriusque oculi incommodantes, dum adhuc in fieri sunt, neque omnino sunt confirmati, à ciborum qualitate jure excusare possunt, non verò ab unitate refectionis, neque ab hora determinata comedendi: cùm enim quadragesimales cibi, ubi impura corpora offendunt, crassius alimentum subministrent, maxima ex parte vaporoli sint, & facillimè caput repleant; & cùm in stomacho diutiùs commorentur ob coctionis difficultatem, saltem secundùm plurimùm, hinc facilè est, tales morbos foveri & adaugeri, ita ut in perfectam cæcitatem terminentur quod quia impedire potest multò majora bona, idcirco à ieiunio abstinere licet, iuxta tradita in fine præcedentis conclusionis. At verò si morbi confirmati iam sint, & in consummatam cæcitatem abierint, tunc quia non est, quod quid speremus à salubriori victus ratione, non debent tales morbi excusare ab ulla conditione ieiunii. Sed & hîc habet locum ampliatio, de qua in secunda conclusione; nam & hujusmodi morbi habent paroxysmos quosdam, accessiones & exacerbationes, pro temporum, & errorum, qui patrantur in ratione victus, qualitate; & idcircò etiam hi possunt jure hominem in tempore intermissionis & interpolationis excusare.

15 Quinta conclusio. Pectoris omnes morbi non modò ob præsens periculum; sed respectu etiam imminentis, sunt legitima causa impediendi ieiunium qualecunque, non solùm, inquam, Quadragesimale, sed particularium quoque temporum, & vigiliarum, dummodò sint notatu digni, cujusmodi sunt omnes species Asthmatis, Dyspnœæ, & Orthopnœæ; Tussis molesta, ac pertinax, Hæmoptois, sive sanguinis sputum, Empyema, Phthisis, & si qui alii his similes sunt: relinquo enim Pleuritidem, & Peripneumoniam, sicuti relinqui poterat etiam phthisis, quòd febrem, ut alii nonnulli morbi, conjunctam habeant, de quibus separatim agemus. Ratio conclusionis est, quia *frigidum pectori inimicum*, non tantùm actu, ex sententia Hippocr. & Gal. 5. *Aphor.* 24. sed etiam potentia, quia frigida omnia constipant, ut frigida, & humores frigidos augmentant, cibi autem quadragesimales, & maximè selectiores, ut optimi pisces, frigidi sunt, ut jam probatum est. Habent præterea secum malam excrementitiam humiditatem, quæ apta est affectus prædictos ita exacerbare, ut hominem evidenti periculo exponant. Et inter has affectiones connumerandus etiam Catarrhus: est autem Catarrhus destillatio à 16
capite ad pectus; nam materia à iò destillans à capite, alia nomina sortitur. Sed & Catarrhus, qui legitimè à jeiunio excuset, debet esse insignis, valdè molestus, & cum non contemnendis symptomatib. ut si sit tenuis, salsus, diutinus, asperedinemque in pectore concitaverit, dolorem, aut morsum; nam ex hujusmodi destillationibus, quæ facile foveri possunt ab omnib. cibis quadragesimalib. quòd frigidi & humidi, quòd vaporosi, quòd salsi, quòd excrementitios gignant humores, periculum impêdet exulcerationis ipsius pulmonis; 17
rupturæ venarum, suffocationis, asthmatis, & aliorum morborum. Non debent tamen his morbis affecti in omni jeiunio ad carnium comestionem admitti, nisi & debiles valde sint, & morbus sit valdè urgens, sed satis est, si ovis vesci permittantur in diebus Veneris, & Sabbathi, & in vigiliis, & quatuor temporibus. Admonendum autem, quòd ubi destillatio crassa sit, & co- 18
piosa, non debent ii, qui eâ laborant, excusari ab unitate comestionis, & ab hora determinata comedendi in jeiuniis; contrà verò si destillatio sit tenuis, & salsa, possunt laborantes ad omnia dispensati. Ratio ejus rei est quia ubi crassa distillatio est, ipsa materia destillans facile abstinentiâ & parcitate ciborum absumitur, & sic qui talibus humoribus abundant, maximè ab inedia iuvantur: Gal. 12. *Meth.* c. 3. & faciunt multò meliùs illa Hippocratis verba, *in lib. de vict. rat. in acut. Non assuetam autem cibi abstinentiam facilius omnino ferunt, qui parte superiori pituitosi sunt*; quo fit, ut si semel in die cibo utantur, facilius etiam ferant. At ubi destillatio tenuis est, aut salsa, abstinentiâ potiùs irritatur; quippe cùm ea à calore procedat, at calidis & siccis naturis (nam & tales plerumque sunt qui hisce destillationibus sunt obnoxii) inedia est advertissima, ut ex eodem Hippocrate, *ubi proximè*, elicitur; *ibi. Talia verò molestius ferunt* (nempe incommoda inediæ; & non consuetæ abstinentiæ) *qui parte superiore pituitosi*, hoc est bilioſi, *existunt*: quod & Galenus confirmavit, 10. *Method. cap.* 5.

Sexta conclusio. Cordis morbi omnes, etiamsi parvi sint, dummodò perseverent per aliquod tempus rationabile, ob partis nobilitatem, & timorem malignitatis morbi, possunt à ieiunio legitimè excusare, respectu cujuscumque conditionis, cum his enim morbis perpetuò adiuncta est virium imbecillitas, lipothymia, vel frequens Animi defectus, stomachi languor, & alia symptomata hujusmodi;

maximi

maximi momenti; ob quorum urgentiam & cibi optimi nutrimenti, & facilis concoctionis requiruntur, & non multa generantes excrementa, neque multi unicâ vice, quod apud Medicos nulla indiget probatione. Sunt autem ii affectus maxime Tremor ipſius cordis, Cardiaca paſſio dicta, & Syncope.

Septima concluſio. Stomachi affectus omnes inſignes, etiam ſine febre, ut dolores, lipothymia, Cardialgia, debilitas, morſus, inflatio, & ſi qui alii ſunt, qui ipſum exerceant, legitimè ab omni jejunii obligatione excuſare poſſunt; in omnibus enim, ac ſingulis huiusmodi affectibus, ſtomacho, ſeu potiùs ventriculo inſigniter læſo, cibi difficulter concoquuntur, & ob caloris paupertem (neque enim unquam cum valido calore, aut fortitudine ipſius hæc præhendunt) in multa copia oblati easdem paſſiones præſentes augent, & intermiſſas revocant, imò etiam acerbiores factas in mortem degenerare faciunt. De qualitate autem ciborum non eſt dubium, quòd omnes Quadrageſimales in his caſibus improbantur, quia inſigniter lædere poſſunt.

Octava concluſio. Hepatis, & Splenis, omniumque partium naturalium circumjacentium longæ, ac rebelles coatumacesque obſtructiones: aut tumores etiam, ſine febre, cachexia ſeu malus corporis habitus, Icteritiæ omnes confirmatæ, ſeu longæ, Hydropis ſpecies omnes; tam incipientes, quam confirmatæ, Melancholiæ Hypochondriacæ inſigniter exercentes, & ſi qui alii morbi his congeneres ſunt, legitimè à jejunio excuſant, & à quacunque jejunii conditione: nam vel reſpectu partium maximè debilium, vel reſpectu copiæ pravorum humorum, vel reſpectu caloris ipſorum viſcerum, vel reſpectu flatuum, qui maximè in plerisque his morbis abundant, vel reſpectu tandem ipſarum obſtructionum, neque olera, neque fructus, neque legumina, neque aliud ſimile venit in cibis admittendum, ex quorum uſu inſigni noxâ ſecutura ſit, ſi maximè per longum tempus, ut ad plures dies huiusmodi cibis utamur.

Nona concluſio. Renum vitia, & veſicæ; quæ
22 urinæ excretioni inſigniter incommodant, ut debilitas, obſtructio ſive à craſſo humore, ſive à lapide, Gonorrhœa vera, ſanguinis mictus, Diabetes, Stranguria, Iſchuria, Dyſuria, urinæ ardor, & alii affectus huius generis, legitimè impediunt hominem à jejunio: nam abſque periculo notabilis mali non poſſunt ſic affecti uti Quadrageſimalibus cibis; qui pituitam multam generantes, & maximè in corporibus morboſis, cauſam præbent majori morbo. Poſſunt tamen horum plerique ſervare horam jejunii, & unica refectione eſſe contenti; non modò absque periculo, ſed etiam cum maximo juvamento, cùm multis excrementis abundent; quæ aliqua abſtinentiâ abſumi facilè poſſunt.

23 Decima concluſio. Febres omnes ac ſingulæ, omnesque ac ſinguli morbi febrem quamcunque, ſive de neceſſitate, & ex ſua natura, ſive per accidens habentes, continuæ, vel interpolatæ, à quacunque jejunii conditione legitimè excuſant. Quoad qualitatem enim ciborum patet, quòd Quadragaſimales cibi partim tanquam obſtructivi, & ſuccum craſſum generantes, ut legumina, partim tanquam inflammantes, & humores incidentes, ut ſalſamenta, partim ut putrefactioni citæ obnoxii, ut fructus, & piſces, ut nonnulli volant, partim ut multam, & excrementitiam humiditatem ſociam habentes, ut herbæ omnes ſunt; febribus maximè contrariantur. Quoad unitatem verò refectionis, & horam determinatam comedendi, patet legitimam eſſe excuſationem, quia in febribus ob earum inæquales acceſſiones, exacerbationes, inſultus repetitiones, & circuitus nulla poteſt certa ſervari hora comedendi, ſed juxta easdem acceſſiones, & inſultus ægros cibare cogimur. Ob ſtomachi autem & nativi caloris imbecillitatem, qui tunc à calore febrili inſigniter patitur, non poſſumus ægros unicâ tantùm refectione nutrire, quantum oportet: nam ſi modica fuerit, vires labefactantur & æger ex hoc promptiſſimè periclitatur; ſi copioſa, calor ſuffocatur. Amplia verò hanc concluſionem, ut non modò procedat de febribus continuis, ſed etiam in interpolatis, neque ſolum in diebus, in quibus per circuitus fiunt acceſſiones, ſed etiam in diebus intermediis: Et ratio ampliationis eſt, quia licèt febris in his 24
diebus omninò ceſſet, reſtat tamen apparatus morbificus in corpore, unde neque in his diebus, in quibus ſunt à febre immunes, tales dicuntur ſani, etiam ipſis Juriſconſultis, *lege Qui Tertiana, Digeſtis de Ædil. edict.* Ergo ſi apparatus hic morbificus à cibis, & à quacunque occaſione, & 25
errato in victu foveatur, facilè intermittens febris continua effici poteſt, aut ſaltem ex ſimplici duplex, & ſic æger periclitari, quod in febribus eſt facillimum: putredo enim facilè propagatur, & majorem in modum leni negotio intenditur. Limita tamen præcipuam concluſionem, quod non habeat locum
in febre Ephemera, in qua tantùm abeſt ut jejunium 26
obſit, ut ex ægri ſalute ſit, ipſum non cibari toto febris decurſu.

Undecima concluſio. Cutanei morbi, ſi decori 27
tantùm officiant, vel mediocriter ſanitati præjudicent, quatenus tales, à nulla jejunii conditione excuſare debent; ſed ſi inſigniter ſanitati officiant, ut quia pruritum moleſtiſſimum faciat, ſomnum impediant, incendium ac ſitim excitent, & febrem aliquando accendant, aut etiam quia temporis diuturnitate vitæ inſidiantur: ut Lepræ ſpecies omnes Alopecia contumax, & Tinea, Scabiei ſpecies nonnullæ rebelles ac pertinaces, inſigne ſecum dedecus afferentes, & ejusdem vitæ tædium, ut quæ ab humore acri, & erodente, melancholico cum aduſtione proveniunt, aut ſalſa, craſſaque pituita, tunc eorum plures à qualitate ciborum excuſant, nonnulli etiam à cæteris jejunii conditionibus: quia cibi Quadrageſimales mirum in modum hos morbos fovere apti nati ſunt. In mediocri autem ſcabie, maximè cum pruritu & incendio, piſces, & olera, aliique cibi huiusmodi, ſi quædam legumina, & ſalſamenta omnia excipias, proficua magis quàm damnoſa ſunt, cùm ſanguinem infrigidare, & rectificare poſſint; & pruritum quoque demulcere. Non ergo tam libenter ſcabioſis licentia comedendi carnes in jejuniis concedatur; quin etiam ſi major urgeat neceſſitas, ad ova tantum, non ad carnes erunt diſpenſandi, habita ſemper perſonarum 28
ratione.

Duodecima concluſio. Articulares morbi, vel leviores ſunt, & de raro prehendentes, vel graviores, tam reſpectu doloris, quàm frequentiæ acceſſionum, ut quia dolorem excitant acerbiſſimum, & ſingulis ſolſtitiis, & æquinoctiis, vel etiam ſingulis noviluniis, aut pleniluniis reverſionem faciant, & cùm remittunt, non ut priores libertum proſus hominem reliquunt, ſed artubus omninò infirmis, ac debilibus; ad motumque ineptis. Item vel à materia pendent calida, ſubtili ac tenui; vel à materia craſſiori, tenui quidem admixtâ, nam ſine ſeroſiori,

ac

ac tenuiori materia, quæ pro vehiculo est, non possunt crassiores humores ad articulos descendere. Præterea aut concurrit humorum magna repletio, aut non. Leviores ergo articulares morbi, ut simplex
29 Podagra, aut Chiragra, si ab humoribus frigidis sint & crassioribus, vel a modica, licet tenui & calidiori materia excitati; vel si graviores sint, sed habeant adjunctam maximam crudorum humorum copiam; & multum corporis cacochymiam, patiente existente habitus pleni, & viribus valentibus, nequaquam quantumest ex hoc, legitimè excusant indifferenter à quavis jejunij conditione. Idcirco dicendum, posse excusare, multis causis simul urgentibus, à qualitate ciborum, non ab aliis, quia ab abstinentia aliquando sic affecti sanantur, ut Medicis est notissimũ (videantur memorabilia Camerarij) & facit pro Canonistis. Text. *in cap. Legimus de Consecr. distinct.* 5. nam habitâ ratione victus, & selectis cibis quibusdam Quadragesimalibus in usum convocatis, jejunium non modò non erit in his morbis noxium, sed etiam maximè profuturum; & si magis durum esset, ut si abstinerent tales à vino, adhuc magis esset salutare. Neque etiam in aliis quibuscumque casibus, si aliàs vires integræ sint, tam noxia, judicanda his morbis sit Quadragesimalia edulia, ut dispensari jure possint ægrotantes à solutione cujuscumque conditionis; nam ex sui naturâ hi morbi abstinentiam requirunt, & cibos modicæ nutritionis, ex quibus non valde subtilis sanguis generetur, quales sunt selectiores cibi inter eos, qui in jejuniis conceduntur. Quod si patientis corpus imbecille sit, & Arthritis, sive quivis alius particularis morbus articulorum à materia tenui dependeat, neque adsit multa repletio, poteris talis ad usum carnium dispensari, & ad alia prout temperamentum, ætas, morbi natura, & aliæ conditiones dictabunt.

30 Decima tertia conclusio. Morbus Gallicus genus quoddam est morborum, habens secum inimicam quandam humorum, sanguinisque præcipuè qualitatem, quâ mediis partibus naturalibus per totum corpus disseminata, universa sanguinis massa, & humores omnes inficiuntur; & idcirco quodcunque morbi genus, etiam ipsa febri potest esse Gallicum habere nempe hanc inimicam qualitatem naturalibus partibus primò, ac præcipuè infestam, omnium enim morborum faciem suscipit. &

Omnia transformat sese in miracula rerum.

Veluti alter Proteus, de quo Virgil. 4. *Georg.* Itaque
31 de morbis Gallicis judicandum secundùm eorum gravitatem, & levitatem; nam quod ad inimicam illam spectat qualitatem, dicendum videtur, non excusare ab ulla jejunij conditione, unde si aliàs morbus per se non excusset, ex hoc quod Gallicus sit, non excusabit: ut exempli gratiâ, si ulcera Gallica quis patiatur non aliqua graviori conditione insignia, non ob id quòd Gallica sunt, excusabunt, non enim habet prava illa qualitas quicquam in cibis; quod ex proprietate naturali illi contrarietur, sed per accidens tantùm, & cœnæ omissio his morbis maximâ ex parte est proficua.

32 Decimaquarta conclusio. Vulnera omnia lethalia, sive cum febre, sive absq; febre, item ulcera maligna, Cachoëthica, ut Chironia, Telephia, & hujusmodi, legitimè à jejunio excusant. Ratio est in promptu, quia corpus indiget alimentis optimi, & nullum habentibus excrementum, vel quàm minimum; talia autem ex optimis cibariis, & facilis concoctionis proveniunt. Limita tamen hanc conclusionẽ, quoad ulcera maligna; si enim sint absque febre, quemadmodũ & vulnera absque febre, si modò aliud quicquam non urgeat, excusatio valeat quoad qualitatem ciborum, non quoad reliquas conditiones in jejunio observandas. Imò neque ad omnes interdicto cibos dispensandi videntur tales infirmi, sed possunt esse contentionis, nisi aliud quid urgeat, ut morbi principium, in quo ova videntur suspecta, maximè in vulneribus, in quibus etiam & carnes habent 33
eandem suspicionem. Amplia verò præcipuam conclusionem quoad vulnera, dicendo, quòd etiamsi sint indifferentia, nempe quæ sint cum periculo vitæ, ob eorum qualitatem, sed non certo & evidenti, conclusio tamen procedat, quia timor rationabilis futuri mali est justa causa excusationis, ut aliàs dictum superiùs est.

Decimaquinta conclusio. Valetudinarij, nimirum 35
qui de facili ægrotant, vel qui perpetuò aliquâ corporis valetudine detinentur, ut stomachici sunt, Hepatici, Lienosi, Hypochondriaci, viscera obstructa habentes, Hernioſi, & mulieres hystericæ, hujusque classis alij, à jejunio jure possunt fieri immunes. Declaranda tamen conclusio: nam valetudinarij, quia de facili ægrotare possunt, non modò ob qualitatem ciborum, sed ob immutationem victus, possunt aliquem morbum contrahere; sic etiam & alij si Hernioſos excipias; hos enim à qualitate ciborum immunes fieri cum cautela permittendum, ab aliis Jejunij conditionibus nullo modo.

Vltima conclusio. Mulieres utero gerentes quo- 36
cunque gestationis tempore, puerperæ per totum puerperium, Nutrices quousque suis pueruli lac præbent, non modo jejunare non tenentur, sed jejunantes, peccant, maximè prægnantes, & nutrices, si ex jejunio quicquam adverti conceptum, aut puerulorum sanitati adveniat, ut aliàs dixi. In hoc tamen animadvertendum, quòd conclusio procedit, 12
quando prægnantes sensibiliter experiuntur, se vel à ciborum qualitate, vel à retardatione, & diminutione refectionum lædi; & quoad nutrices, quando in ipsis lac evidenter deterius evaditiex tali qualitate ciborum, (nam quoad quantitatem refectionum proculdubio non tenentur) vel puerulos suos habent viribus imbecilles, & valetudinarios; aliter si nihil à jejunio sentiant se lædi, non solùm non peccant jejunando, sed peccant nisi jejunent. Hoc tamen Medicorum judicio relinquitur.

SUMMARIUM.

1 *Potus extra cibum non frangit jejunium.*
2 *Potus an nutriat.*
3 *Aqua nutrit; Contrarium num. 5.*
4 *Omnia quæ nutrire possunt interdicta, extra unicam comestionem, sunt in jejuniis.*
6 *De præcepto jejunij non est unica potatio, sed tantum unica comestio.*
7 *Finis Jejunii est afflictio carnis.*
8 *Caro magis affligitur ex tolerantia sitis, quam ex tolerantia famis.*
9 *Potus ordinatur ad distributionem ciborum, non ad nutritionem.*
10 *Ecclesia imponens jejunium, non intendit Animæ vel corpori detrimentum afferre.*
11 *Ad sitis tolerantiam cur non obligemur in jejuniis.*
12 *Facilius toleratur fames, quam sitis.*
13 *Vini potus extra cibum in jejuniis, an recte ab Ecclesia permittatur.*
14 *Vini potus videtur de directo contrarius intentioni Ecclesiæ, quam habet imponendo jejunium.*
15 *Vinum nutrit.*
16 *Vini potus Venerem stimulat.*
17 *Jejunium ad carnis afflictionem institutum.*
18 *Cur unica comestio singulis diebus jejuniorum sit ab Ecclesia ordinata.*
19 *Famem vini potio tollit.*
20 *Facilius est repleri potu, quam cibis.*
21 *Vini usus in jejuniis erat antiquitus interdictus.*

22 *Vini potus extra cibum permiſſus ob conſuetudinem.*
23 *Intētio naturæ in potu eſt diſtributio alimenti ſolidi.*
24 *Potantis intentio in potu eſt levare ſitim.*
25 *Vinum conceditur ratione potus, non ratione alimenti, & num.* 30.
26 *Vinum excitat luxuriam per modum alterantis.*
27 *Immoderatè bibens, ac præbens luxuriæ occaſionem ieiunii meritum perdit.*
28 *Eccleſia concedendo vini potum, non intendit, ut per illum famis incommodum expellamus, ſed ut ſitim levemus.*
29 *Vinum inter ea connumeratur, quæ univerſim, & celeriter nutriunt.*

De Potu in Iejunio extra refectionem.

QUÆSTIO VI.

OMnes DD. in hoc conſentiunt, nemine penitus diſcrepante, potum, ut potum, extra cibum (nam & in potu, ut omnes nôrunt, aſſumuntur quædam quæ rationem habent alimenti) jejunium nullatenus frangere. D. Thom. 2.2. *quæſt.* 147 *art.* 6. Abb. *de Obſerv. jeiun.*, *numero* 3. Navarr. *de quinque præcept. Eccleſ. cap.* 2. *num.* 13. Azor. *Inſt. Moral. lib.* 7 *cap.* 11. *verſ. Septimo quæritur.* Leſſ. *de Inſt. & Iur. lib.* 4 *cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 10. Ant. Fernand. *in exam. Theol. mor. part.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 1. Vinc. Filiuc. *Moral. quæſt. tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 2. *n.* 42. & alij Canoniſtæ omnes. & ex noſtris Ioan. Alphonſ. à Fontech. *in Spec. Med. Chriſt. lu min.* 2. *pag.* 48. Circa quàm tamen materiam nonnulla ſunt inquiſitione digna, & primò, an rectè concedatur potus extra cibum in jejuniis. Secundò, cur Eccleſia tam indulgens ſit in potu, ut ad ſatietatem uſque bibere, & in cibo, & extra cibum abſque peccato permittat, quantum eſt ex parte jejunij. Tertiò, an vinum nutriat. Quarto, an dato, quod vinum nutriat, adhuc tamen, ſi extra cibum, horamque comeſtionis aſſumatur, jejunium non frāgat, & rectè ob id ſit permiſſum, & alia, ſiquæ occurrent. Et quoad primum, ratio dubitandi eſt, quia videtur potus nutrire, & de vino dicemus poſtea ſic, & de Cereviſia Mulſa, Zytho, & aliis quibuſdam arte factis potionibus, ſed ipſiſſimam aquam puram nutrire probatur ex pluribus auctoritatibus, quas aſſerūt Pet. Hiſpan. *in comm. ad lib. Iſaac. diat. cap. de Aqua.* Valleſ. *lib.* 6. *Contrad. cap.* 6. *Epithan.* Ferdin. *lib.* 1. *Theor.* 9. [Horſt. *tom.* 1. *pag.* 366. Mercat. *l.* 2. *de T. S. claſſ.* 2. *art.* 2. §. 20. ut & *Mercurial.* de vino & aq. c. 6. & videtur de mente Ariſtotelis. *Sect.* 1. *probl.* 13. ubi cauſam reddens, cur mutatio aquarum gravis ſit, aëris vero non eam affert, quod aqua corporibus alimento ſit, aër autem non. Sed & Baccius *de naturali Vinorum Hiſtoria, lib.* 3. *cap.* 4. *in fin.* etiamſi in *lib. de Thermis* aquam nutrire negaſſet, ibi tamen quaſi ſeſe retractans, aquam quoque poſſe nutrire firmavit. Vide tamen allata à Sanctorello *lib.* 6. *Anteprax. cap.* 4. ſed apertiſſimè aquam nutrire adſtruit Athenæus, *Deipnoſophiſt. lib.* 2. *cap.* 2. *in fin.* & alij quos citat eruditiſſimus & indefeſſæ lectionis vir, D. Zacutus *de Princ. Med. Hiſtor. lib.* 1 *lib.* 28. *quæſt.* 19. quibus adde, quod Piſces aqua nutriuntur. Ariſt. 8. *hiſt. Anim. c.* 2. [Adde *allegatum* Sanctorellum *l.* 16. *anteprax. cap.* 4. Melchior. Sebizium *lib.* 5. *de aliment. facult. probl.* 48. Lud. Nonnium *l.* 4. *de re ciboria cap.* 4. Bravo *p.* 734.] Cùm ergo aqua, quæ cōmuniſſimus potus eſt, nutrire poſſit, non videtur rectè extra cibum ejus uſus permiſſus, & multo minus quilibet alius potus, cū omnes magis quam aqua nutrire poſſint omnia verò quæ poſſunt nutrire, ſunt interdicta in jejuniis, extra unicam comeſtionem. Ad hanc objectionem breviter dicendum, quod potus, ut non nutriat, & aquam abſolutè non nutrire firmandum, ut communis eſt Medicorum, & Philoſophorum opinio, de qua teſtatur, præcitati Auctores, quibus & ipſi aſſentiuntur. Athenæo excepto, de quo non curandum.

Quoad ſecundùm reſpondent Canoniſtæ dicentes, nō eſſe de præcepto Iejunij unicam potationem, ſed unicā comeſtionē; at hoc illud eſt quod quæro, nam in idem recidit, nempe cur de præcepto jejunij non ſit abſtinentia à potu, ut abſtinētia à cibo extra determinatam horam, ita ut Eccleſia in conceſſione potus tam indulgens fuerit: nam cùm finis jejunij ſit afflictio, & maceratio carnis, ut toties diximus jam notiſſimum eſt, magis affligi carnē ex tolerātia ſitis, quàm ex tolerantia famis; ergo videbatur, debuiſſe Eccleſiam utroque medio uti ad eum finem aſſequendum, non verò famis tantùm tolerantiā.

Reſpondent alij, ut D. Tho. *loco ſapiſſimè citat. art.* 6. *ad* 2. ex quo eam reſponſionem acceperunt Leſſius, *loco aliàs adducto*, & Filiucc. *ab n.* 42. (& hæc reſpōſio magis ſatis-facit) rationē ejus rei eſſe, quia potus ordinatur ad diſtributionē cibotum, non verò ad nutritionē; quòd etiamſi nutriat, hoc eſſe per accidens. Hæc ratio eſt, ut dixi ſuperiori ſufficientior, ſed non ſatisfacit ad inſtantiā de tolerantia in Iejuniis, quia Eccleſia debebat in jungere utramque tolerantiam, fam's ſcilicet & ſitis, ad majorem corporum afflictionem, & caſtigationem: nam certum eſt, potum extra cibum non aſſumi ad diſtributionem ciborum, ſed tātummodò ad ſitis moleſtiam levandam. Habeo ergo ipſe Medicam rationem, quæ fortè undequaque ſatisfaciet, & quæ ſequitur. Dictum iam ſuperiùs non ſemel eſt, Eccleſiam in impoſitione Iejunij, non intendere Animæ, vel corpori detrimentum inferre. Idcircò non modò non permittit jejunium infirmis, ſed diſſuadet, *c. Non mediocriter. de Conſecr. diſp.* 5. eaq; ex cauſa non imponit jejunium plurium dierum, ſed unius tantum, *c. Non dico. ib.* quia ubi ratiùs comederemus, quàm ſemel, in ſpatio 24. horarum, ſtante conſuetudine comedendi bis, aut eo amplius in eo temporis ſpatio, promptè, & nōniſi cum periculo ægrotaremus. Hoc fundamento poſito, dico, Eccleſiam ab ipſo ſpiritu ſancto edoctā, rectè ad cibi abſtinentiam nos adſtringere, quia omni periculo vacat, & rectè etiam abſtinentia potus, & tolerantia ſitis nos abſolvere, quia ex ſitis tolerantia, maximè ſi immodica ſit, periculum imminet corporeæ ſalutis, cùm ſitis duo habeat incōmoda multæ conſiderationis, unum quidem dum toleratur, tunc enim ſpiritus inflammat, & febrem facilè poteſt accendere, atque eò procedere: ut Gal. nonnullos ex ſitis tolerantia mortuos viderit, ut narrat *lib.* 1. *de ſympt. cauſſ. c.* 7. alterū incommodū, quod etiam multiplex, eſt cùm poſt ejus tolerantiā, eam avidius extingere ſtudemus; tunc enim affatim aquam, ſeu aliud quid potulentum ingurgitantes, in mille non cōtemnenda ſympromata facilè incidimus, quorum nonnulla ad quatuor uſque enumerat Gal. *ubi ſup.* imò & ipſam mortem oppetimus, ut multis eveniſſe patet hiſtoriis cumulatis per Schenck. *l.* 3. *Obſ. tit. de Siti*, & præcipuè ex cauſa extinctū fuiſſe Valerium Cordum, invenem in re herbaria peritiſſimum, apud eundem ex Foreſto habetur; tandemque magnam ſitim etiam toleratam cauſare aliquando mortē, luculēter teſtatur Avic. 13. 3. *tr.* 2. *c.* 20. Ac ſāti monēti ſitis tolerātia eſt, ut Hipp. *Epid. l.* 6. *text.* 28. enumerans quædam ad ſanitatis cuſtodiam maximè obſervanda, atq; illa ad tria reducens ſitis tolerantiā præcipuè enumeravit, *ibi Panem cibus ſine laſſitudine, ſine ſiti*; & ob prædicta mirū nō eſt, ſi Medici indulgētiores ſunt ſuis ægrotis in potus, quā in ciborū erroribus, dicente Celſo. *lib.* 3. *c.* 6. *Neceſſe eſt tamen, quantò facilius etiam ſani famem, quàm ſitim ſuſtinent, tantò magis ægris in potione, quàm in cibis indulgere.* Ad hæc ergo incommoda, & pericula evitanda, Sancta Mater Eccleſia ad ſitis tolerantiam nos obſtringi noluit;

ſtante

ſtante præſertim cauſa evidenti ſitim excitante, & adaugente, ipſo ſcilicet jejunio, in quo patet ſitim fieri moleſtiſſimam ex ipſa experientia. Præterquam quòd ut Chriſtianæ Legis iugum ſuave experiamur; ad illud quoque eadem Piiſſima Mater Eccleſia reſpexiſſe videtur, ad faciliorem nimirum tolerantiam. Facilius enim toleratur fames, quàm ſitis. [vid. Moles *in Philoſoph. Naturali Sacroſanctí corporis Chriſti pag.* 101. & ex antiquis *Plutarchus*] ut notum eſt, & quæritur ejus rei cauſa ab Ariſt. *ſect.* 28 *Probl.* 5. qua facilitas non reſpicit ſolùm minorem anxietudinem, quam ex fame tolerantia percipimus, ſed etiam temporis durationem, nam faciliùs toleratur fames per tres dies, quàm ſitis per tres horas. Vnde *ibi* Ariſt. reddens cauſam hujus facilioris, & difficilioris tolerantiæ, dicebat, quòd ſitis res eſt magis anxia; facit enim multò majorem cruciatum ſitis tolerata, quàm fames, ut Plater. probat *in Quæſt. Med. Parad. & Eudox. cent. poſt. n.* 32. tam anxia enim res ſitis eſt, & tanto cum cruciatu affligit, ut nonnulli moti aliquando elegerint, ut ſeſe ab ea moleſtia liberare poſſent, ut ille apud Gal. *lib.* 7. *Meth. cap.* 8. quam anxietudinem in ſiti optimè inſinuavit Stat. *lib.* 4. *Theb. in fin.* dicens:

—— Non ora modò, anguſtiſque peruſti
Faucibus, interior ſed vis quatit aſpera pulſu
Corda, gelant venæ, & ſiccis cruor ager adhæret
Viſceribus, &c.

Ad cujus imitationem Poëta noſter Torq. Taſſ Hieruſ. *Cant.* 3. *St.* 61. ſic dicebat.

Vedi le membra de guerrier robuſte,
Cui nè camin per aſpra terra preſo,
Ne ferrea ſalma, onde gir ſempre onuſte,
Ne domò ferro à la lor morte inteſo,
Ch'or riſolute dal calore aduſte
Giacciono à ſe medeſme inutil peſo,
E vive ne le vene occulto foco,
Che paſcendo le ſtruge à poco.

Et prudenter idem Poëta ſitim peſſimum malorum vocavit *ibid.* dicens:

Ma pur la ſete el peſſimo dè mali.

Ergo hanc ſitis tolerandæ difficultatem præ oculis habens Eccleſia, ad libitum bibere quandocunque permiſit, eo ſolummodò contenta, ut mediocri, & rationabili famis tolerantiâ gliſcentem carnem, quoad fieri poteſt, compeſcamus. Quin & ad hoc Eccleſia facilè reſpexit, nempe ad remedium promptius & ſecurius pro carne & laſcivia edomanda, quod ex fame tolerata haberi quidem poteſt, non ſic autem ex tolerata ſiti, quæ ſanguinem potiùs accendit, ut jam dixi.

Sed quia videbatur, quod ſtante etiam hac Eccleſiæ indulgentiâ, debuiſſet ſufficere aquæ potus ad ſitim extinguendam, unde enumerata incommoda
13 evitaremus, idcirco dubitatur ulteriùs, an rectè etiam *vinum* permiſſum ſit, maximè extra cibum: ratio dubitandi multiplex, magni ponderis eſt; nam primò vini potus videtur de directo contrarius fini
14 in jejunio propoſito; cùm intentio jejunantis ea ſit oporteat, ut ſubtrahendo, ac demendo conſuetum, quotidianumque nutrimentum, corpus indigentiâ
15 nutrimenti caſtigetur; at hanc indigentiam vini potu maximè ad libitum, uſurpati evitare facili negotio licet, quia vinum nutrit. Imò ſolum inter omnes liquores vinum nutrit, ut probat Gal. *in lib. de Ren. aff. cap.* 6. minima namque eget alteratione, ut in ſanguinem vertatur, ut præcipuè de vino rubro & craſſo dicebat idem Gal. *libro tertio, de Alim. fac. cap.* 40. & de hoc dubitare perinde eſſet, ut, Baccij verba uſurpem *lib.* 1. *de Vinor. hiſt. cap.* 4, ac ſi de Pane verteremus in dubium, an nutriret, necne. Qui tamen de hac re plura ſcire deſiderat, legat ipſum Baccium, qui ex Hipp. & Galeni decretis idiſpsũ luculenter probavit. Cùm ergo vinum nutrimenti defectum reparare poſſit, & moderatam illam tolerantiam famis, inhibere, non videtur jure extra cibum permiſſum.

Secundò, quia vini potus Venerem ſtimulat, juxta illud Proverb. *cap.* 20. *verſ.* 1. *Luxurioſa res eſt vinum* 16
& illud Pauli *ad Epheſ. c.* 5. *verſ.* 18. *Et nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* Cujus rei notiſſimam experientiã habemus in Loth, qui vino inebriatus à proprijs filiabus non abſtinuit, ut narratur Geneſ. *cap.* 19 unde optimè dicitur ab Ovidio, *de Rem. Amor.*

Vina parant animos Veneri.

Adde quòd vinum hominem exhilarat, juxta illud Pſal. 103. *verſ.* 15. *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis*: & illud Proverb. *cap* 31. *verſ.* 6. *& ſeq. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo: bibant. & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.* & lib. Eccleſiaſt. *cap.* 40. *verſ. vigeſimo*, *Vinum & muſica lætificant cor & cap.* 31 *ſuperiori verſ.* 36. *Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatũ.* quod etiam clarè docet Iſaac *in diæt. part. in cap. de vino*, dicens. *quod vini bonitas non ſolum in corpore oſtenditur, ſed etiam in Anima operatur, facit enim illam obliviſci triſtitiam, & anguſtiam, datque ſibi lætitiam*, &c. at jejunium ad carnis afflictionem, & triſtitiam eſt inſtitutum: unde idcirco dicitur eſſe afflictio carnis ex abſtinentia ciborum, & ad hoc præcipuè emanant, ut carne afflicta, ſpiritus vividior 17
ad cœleſtium contemplationem dirigatur. Tertiò, ab Eccleſia unica comeſtio in ſpatio vigintiquatuor horarum inſtituta idcirco eſt, ut famis aliqualem tolerantiam experiremur; at ſi quod incommodum ex 18
fame emanat, id, ut dixi, vini potu facilè evitatur, juxta vulgatiſſimam Hippocr. ſententiam. *Aph. lib.* 2. *Aphor.* 21. *Famen vini potio tollit.* [Vid. Dieterici *ſatreum Hippocr.*] Neque ſolùm famis incommodum 19
vini potione evitatur, ſed etiã corpus facilè repletur, juxta alteram ejuſdem Hipp. ſententiã, *ibid. Aph.* 11. *Facilius eſt repleri pati quàm cibo.* Si quo autem potu facilè replemur, is certè vini potus, cùm vinum 20
maximè inter ea ſit, quæ univerſim & celeriter nutriunt, ex Gal. *comm.* 2. *Aph.* 18. Denique quia ob hæc omnia vini uſus in jejuniis ãtiquitus fuit interdictus à S S. Patribus, ut ex plurimorum auctoritate probat 21
Azor. *lib.* 7. *c.* 10. *verſ. Septimò quæritur.* Ex quibus videtur perperã in jejuniis permitti nunc vini uſum extra menſam, immò fortè & in ipſa menſa.

Quibus tamen non obſtantibus, dicendum videntur ex ratione, vini potum extra cibum, & cum cibo, in die jejunij ab Eccleſia tolerari: primò quidẽ propter conſuetudinem, ad quam reſpiciens Eccleſia facilè vidit, quòd nos ab incunabulis vino aſſueſcamus, leviſſimo negotio ab aquæ potu lædi inſigniter poſſumus; nam ob ciborum quadrageſimalium vel 22
difficiliorem coctũram; vel calorificam in pleriſque qualitatem, vel ob id quod unica vice plura aſſumamus, quã cõſueverimus, & idcirco majore potus quãtitate egeamus, facilè in jejuniis ſitim incurrimus. quam ſi aquæ potu extinguere velimus, ob deſuetudinem in difficilia ſymptomata labi poſſemus. Secundò, quia præcipua intentio potûs eſt deſtributio 23
alimenti ſolidi, unde cùm bibentis intẽtio primaria ea ſit, nihil nos movere debet, ſi ſecundariò, & per accidens potus quicunque eã intentione aſſumptus nutriat. Modò ad alimenti diſtributionẽ, maximè in aſſuetis multò melior eſt potus vini aquâ permixti, quàm aquæ per ſe: nam vinum ad hunc potiſſimùm finem inventum, ut aqua exceptum majorem illi penetrationem conciliaret, unde promptior fieret ſolidi alimenti diſtributio: hanc rationem attigerunt

Leſſius *loco cit.n.*10.& Filiuc.ex eo *ibid.n.*41.Tertiò,
24 quia intentio potãtis eſt levare ſitim,quod ab Eccleſia diximus jure fuiſſe permiſſum; at vinũ aquâ permixtũ magis levat ſitim, quàm aqua ſola per ſe. Igitur in jure optimo videtur uſus vini in jejuniis,etiam extra cibum, ab Eccleſia tolerari.

Et ad ea, quæ in contrarium opponuntur, dicendum videtur,Ad primum id, quod jam ſuperius dicebamus, vinum quippe concedi ratione potus, non ratione alimenti;quòd ſi nutriat, id ſecundariò fit,& per accidens: ad ſecundum reſpondet D. Bonaven-
25 tura,ex quo inter Medicos Ioan.Alphonſ.à Fontech. *loco ſæpe cit.* vinum excitare luxuriam, ſeu carnis concupiſcentiam per modum alterantis inflammando ſanguinem, & ſpiritus; at tales alterationes non
26 diu durant. Quia tamen inſtari poteſt, quòd etiam momentanea carnis concupiſcentia debeat evitari; & debeat omnino tẽtationis occaſio quælibet, quantum nobis licet,auferri,& idcirco etiam ſtante quod vinum hoc pacto concupiſcentiam excitet, debeat tamen evitari;præterquàm quòd nonnihil dubij habet ea aſſertio, & facilè contrarium defendi poteſt: addo reſpondendo ad hanc inſtantiã, quòd Eccleſiæ indulgentia ſe extendit tantùm ad ſitis extinctionẽ; at præter ejus intentionem evenit,ut bibens tam immoderatè ſeſe vino ingurgiret, ut exinde carnis ſti-
27 muli acutiores fiãt:neque enim ex moderato vini potu,& præcipuè ſi aquæ cõvenienti quãtitati ejus potentia edometur,luxuria accenditur,ſede ex ejus potu immoderato, & cùm meracius bibitur, unde cùm quis immoderatè bibens luxuriæ occaſionem præbet & intemperantiæ,ſeu gulæ peccatum incurret, & jejunij meritum perdet,D.Thom. *1.2.quæſt.157.art.6. ad* 2. His tamen non obſtantibus quærebat Leon. Iacchin. cur Cereri, & Baccho dediti minùs amore tententur, quod quidem prædictis contrarium videtur;ac profectò immoderata vini potio ſpiritus extinguit, ſanguinemque refrigerat, unde & Veneris ſtimuli obtunduntur.

Ad tertium videtur eadem reſponſio ſatisfacere
28 non enim intendit Eccleſia, ut vini potu famem repellamus, ſed tantùm ut ſitim extinguamus; at ſitis vino optimè diluto extinguitur, fames autem meraciore vino ſuperatur, ut ex Hippocratis verbis ſatis perſpicuum fit;neque illa imminet ex potu repletio, qui ſolùm ad ſitis extinctionem fiat.

Ad tertium principale dubium jam videtur ſatisfactũ: Vinum enim modò nutrit, ſed univerſim;
29 & celeriter nutrit,ut jam ſuperiùs dictũ eſt,& habet vicem alimenti intrò in corpus aſſumptum,ob familiaritatem, quam cum nobis habet, ut Gal. dicebat *de Rem. aff.cap.6.* imò addit Iſaac *in diet.part. cap. de vino*,nullum cibum inveniri aut potum, qui adeò ſit naturalis caloris confortativus, & augmentativus prout vinum, propter familiaritatis conſortium quod cum natura habet; & quia humanis eſt conveniẽs corpotibus ejus calor ſimilis eſt colori naturali, atque citò convertitur in naturalẽ & mundiſſimum ſanguinem, imò, ut addit ex Rufo, vinum turbidum clarificat ſanguinem, neque ſolùm intro aſſumptum, ſed etiam odoratum nutrire præ cæteris omnibus poteſt;ex hoc enim ſpiritus vivificat: quod ſatis probat quotidiana experientia, cùm eos, qui animo linquuntur, vel ſyncope, aut lipothymiâ deficiunt, nihil celeriùs in vitam revocet,quàm vinum naribus inditum, præcipuè ſi potens,ſit, & odoratũ,citiſſimè enim convertitur in ſpiritus, & calorem naturalem, unde ſpiritus recreantur;ut dixit Petr. Hiſp. *in comm. ad lib.* Iſaac.*de diet.part.cap.de vino.* Satisfactum quoque ex his videtur ad quartum principale dubium: etiamſi enim vinum nutriat non ut alimentum, ſed ut potus, eſt conceſſum ad ciborum diſtributionem & ad ſitis extinctionem.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium modò mitius & modò durius imponi poteſt*
2 *Ieiunium ab Eccleſia impoſitum videtur unius ejusdemque rationis.*
3 *Peccat mortaliter frangens jejunium cum eis, quæ ex proprio voto, vel ex alia ſimili obligatione tenetur non aſſumere in cibis.*
4 *Quæcumque legitimæ cauſæ excuſant à jejunio ab Eccleſia impoſito, eadem excuſare videntur ab alia quacunque obligatione,dic,ut num. ſeq.*
6 *Qui tenetur jejunare cum pane,& aqua an poſſit panem aut aquam aliquo modo alterare.*
7 *Aqua ſaccharata uti non poteſt qui tenetur jeiunare cum pane, & aqua.*
8 *Quod eſt mixtum non eſt ſimpliciter tale.*
9 *Ieiunium cum pane & aqua impoſitum, quem finem habeat.*
1 *Obligatus jejunare cum pane & aquâ, an panem aquâ incoquere poteſt.*
11 *Obligatus ad ieiunium cum abſtinentia ab omni cibo cocto,an poſſit panem aquâ incoquere, vel quibuſdam aliis cibis uti, qui coctura aſſervari ſolent ad longum tempus.*
12 *Obligatus ad ieiunium cum abſtinentia à piſcibus, an poſſit ſalſamentis uti.*

De Ieiunio impoſito cum pane, & aqua,& aliis ſimilibus.

QUÆSTIO VII.

IAm diximus Ieiunium poſſe imponi modò mitius, 1
modò durius, & hoc vel ex proprio voto, vel ex inſtituto Religionis, vel ex impoſita pœnitentia: nam jejunium, ad quod obligat Eccleſia, unius 2
generis eſt;neque enim prohibet modò hæc, modò illa, aut huic perſonæ hæc, illi vero illa, ſed æqualiter omni tempore, ſinguliſque perſonis eadem obſervanda præcipit, prohibendo certos quoſdam cibos multiplicem unico die refectionem, & antè horam determinatam aſſumptam. Particularia jejunia, nem- 3
pe quæ vel ex proprio,ut diximus, voto,vel quæ pro peccatorum ſatisfactione injunguntur, vel ex inſtituti particularis præcepto obligant, eam differentiã recipiunt,ut modò cibis quibuſdam, vel certo modo conditis interdicant, modo ſolis quibuſdam uti permittant, utputa leguminibus, & herbis, modò omnes prohibeant præter panem, modò etiam certum potum conſtituant, prohibendo vini, cereviſiæ, aut alios hujuſmodi potus. Vbi ergo quis ex proprio voto,vel ex pœnitentiæ impoſitione, ad ſimile aliquod jejunium teneatur, peccat contra votum, & inſtitutum Religionis voto confirmatum, & pœnitentiæ impoſitæ non ſatisfacit(ſi quid,quod particularis jejunij illius lex prohibuerit, in cibis aſſumpſerit. Videndum ergo quænam contra tales obligationes irrepere poſſint(quæ a Medico definiri expoſtulent)quæ hominem in peccatum agere facile ſit: ac præmittendum primò, eſt quod quæcunq; cauſæ 4
ex infirmitate legitimè excuſãt à jejunio ab Eccleſia impoſito, cædẽ excuſant ab alia cujuſcunque jejunij obligatione,niſi votum aut inſtitutum voto ſuſceptũ nominatim ad hoc obligaverint, ut nõ obſtãte infirmitatis excuſatione, jejunium ſervãdum ſit, quod an licitum, & quomodo, Canoniſtæ decidãt Ratio ejus rei evidens eſt, quia eadẽ militat in uno,quæ in alio, dico autẽ has cauſas legitimè, excuſare,& nõ teneri 5
ſic legitimè excuſatum ad proprij voti obſervantiã; aliàs autem non peccaret, ſi nonobſtante legitimâ

excuſa

excusatione, nollet catnibus uti, dummodò hoc eâ intentione faceret, ut se exerceret in virtutis studio, non autem ut propriæ vitæ noceret. Azor. *Inst. mor. lib. 5. c. 6. vers. in hac controv.*

His præmissis dubitatur, an qui ex qualicunque
6 obligatione tenetur ad jejunium cùm pane, & aqua, possit panem aliquo modo alterare; ut Sale, Anisо Fœniculo, Sacchato, aut alium potum aquâ suaviorem bibere, ut vina nonnulla factitia ex succis pomorum, Cerevisiam, Mulsum, vel aquam ipsam aliquo alio modo præparatam. Ratio dubitandi est, quia non videtur, dummodò præcipua materia potus sit Aqua, quicquam voto præjudicare, illam aliquo modo alterare, sicuti neque panem, maximè rebus, quæ vim condimenti habeant, nutrimenti, cùm intentio jejunium imponentis cum pane & aqua, sit tantùm nutrimentum minuere, at nihil nutrimenti addere videntur quædam, quibus panem, aut aquam alteramus, præcipuè verò Cinnamonum, Anisum, Fœniculum, & hujusmodi, quæ solum saporem meliorem conciliant, & flatus discutiunt. Quemadmodum ergo vini potus, quanquam nutrire potest, tamen ratione potus extra cibum in jejuniis est concessus; sic etiam videtur concedendum, panem, aut aquam aliquo modo conveniente alterare ei, qui obligatus est ad jejunium cum pane, & aqua.

7 Alia tamen ex parte Bald. *in c. etsi Christus de Iurejur. n. 9.* noluit licere ei, qui ad hujusmodi jejunium cum pane, & aquâ tenetur, Aquâ saccharatâ uti; multo minùs, inquâ ego, pane aliquo modo alterato.
8 Rationem afferebat ille, quia quod est mixtum, non est simpliciter tale; quod sita est, non videtur aquâ bibere, qui aquam saccharatam bibit, sic etiam de
9 pane dicendum. Ego Medici partes non transgressus dico, quòd intentio imponentis jejunium cum pane, & aqua, non modo est, ut cõsuetâ abstinentiâ, quæ ex communi jejunij observantia provenit, caro maceretur, sed ut multò majori majorem in modum castigetur, & affligatur: non solùm igitur vult minui varietatem ciborum, & selectiores non admitti; sed restringit se ad certum cibum, nempe panem, & ad certum potum, nempe aquam, & hoc non aliam ob causam, nisi ut ex tali ratione victus etiam eâ voluptas, quam in comedendo, & bibendo natura solet percipere, quantum fieri possit, minuatur. Non ergo respicit hæc obligatio minorem tantùm nutritionem, sed minorem etiam obligationem in assumptione cibi, & potus, unde magis corpus tristetur.

His ergo sic se habentibus, quandocunque obligatus ad jejunium cum pane & aqua ipsum panem aut ipsam aquam ad hunc finem alteraret, ut magis suavem hanc, aut illum redderet, aut ut majus nutrimentum ab uno, aut alterâ sic alteratis perciperet, proculdubio non satisfaceret obligationi; at si ad declinandam aquæ cruditatem, eam Cinnamomo, Anisо, Fœniculo, Coriandro, aut simili quapiam re præpararet, aut etiam ob stomachum panem simili modo alteraret, & in summa totum præstaret ratione medicamenti, non autem condimenti, neque nutrimenti, tunc non videretur facere contra obligationem, etiamsi per accidens suavior fieret utrumque sic alteratum. Satis enim esset, ut prima intentio esset, alterare utrumque aut alterutrum, ad effugiendum aliquod sanitatis incommodum, quod
10 posset aliàs ex ipsis provenire.

Sed utrum is, qui prædicti jejunij obligatione tenetur, posset panem aquâ incoquere & eo vice panis uti, aut etiam aquam incoquere, ut melior evadat; Dicendum videtur idem quod superiùs, quoad panẽ, quoad aquam enim nullum est dubium, neque enim suavior evadit aqua cocta, sed melior; & salubrior quàm cruda, neque suam naturam in illo modo mutat. Quoad panem autem si incoquatur, ut facilioris sis digestionis, licet; sed sit, ut minori cum displicentia comedatur, fortè non licèt; idemque videtur dicendum de quacunque panis coctura, ut si torreatur, vel alio modo decoquatur: nam semper ex coctura panis suavior evadit; nisi dicamus hoc esse levissimi momenti, neque conciliari majorem suavitatem pani ex alienæ rei admixtione, sed tantùm ex alteratione ab igne communicata. Dummodò ergo nullâ conditurâ in ejus decoctione utamur, ut si oleum admisceremus, vel acetum, vel defrutum, vel quid simile, poterit fortè panis quovis modo concedi. Obstabat tamen Filiucc. *Tract. 27. p. 2. c. 1. n. 31.* qui in jentaculis negat posse apponi panem coctum etiam simplici aqua, tametsi non excederet debitam quantitatem. Dicendum tamen est, rationem esse diversam; quia jejunanti cum pane, & aqua licet pane, & aqua semel in die se ipsum quantum libuerit nutrire, ac sustentare: at ei qui communi jejunio satisfaciens jentaculo utitur, fugienda ea sunt, quæ multum nutrire possunt, ut panis sic coctus: qui non solum ipse nutrit, sed etiam aquæ, in qua coquitur, nutritionem conciliat, ut addit Filiucc. *ibid.*

Sed dubitari potest ulteriùs, an qui teneretur je-
11 junare cum abstinentia à qualicunque cibo cocto, posset pane, ut suprà diximus, qualicunque modo cocto in cibis uti: & videtur dicendum, posse, attento quod obligans se ad eam abstinentiam, non intelligit nomine cibi cocti venire panem quomodocunque, dummodò in ejus coctura nullâ conditurâ uteretur, nam aliàs non posset.

Sed potestnè; qui teneretur ad jejunium cum ab-
12 stinentia à piscibus, salsamentis uti? Ratio dubitandi est, quia pisces, recentes magis nutriunt optùmque præbent alimentum, contra verò saliti, *ut infra.* Denique pisces recentes majori indigent conditurâ, at saliti per se absque alia cõditura ingeri possunt. Itaq; cùm intentio imponentis sibi, vel aliis tale jejunium, sit fortè prohibere cibos, qui magis nutriunt, & multa conditurâ indigent, non videntur salsamenta interdici debere. Tamen si ad rei naturam respiciamus, cum piscibus etiam salsamenta connumeranda veniunt, quia salsamenta aut pisces sunt, aut ipsorum piscium partes sale asservatæ; tametsi ergo nutritio ex salsamentis proveniens, & modica sit, & prava, ut testatur Oribas. *Coll. lib. 2.* non videtur tamen mutata omnino eorum natura. Dixerim tamen salsamenta concedi in hoc jejunio non posse, quia licet pisces sint, aut piscium partes, & quoad hoc non mutaverint naturam, tamen maximè mutarunt naturam quoad gustum, quoad nutritionem, & quoad quantitatem, & qualitatem alimenti. Et quoad gustum patet; quoad nutritionem hoc est, modum nutriendi, quia pisces recentes non multum in stomacho morantur, saliti contrà, recentes majorem, saliti minorem quantitatem alimenti subministrant; recentes bonum, saliti pravum nutrimentum præbent. Illud tamen non omittendum quòd cùm salsamenta ex piscibus appetitum valde excitare soleant, cavendum ne in comedendo mediocritatem excedamus, & jejunij leges transgrediamur; itaque cautiùs procedemus si ut plurimum his rejectis, fructibus quibusdam aut herbis utamur, ut *quæst. sit.* Deo annuente, docebimus. Multa alia, quæ circa hanc materiam occurrere possent quæ dubium aliquod excitarent, data operâ omitto, vel quia magis ad Canonistas, quàm ad Medicam pertineat ea decidere, vel quia minimi momenti cùm sint, operam ludere in iis tractandis facilè videret.

SVMMARIVM.

1 *De essentia ieiunij ita est abstinentia à carnibus, ut cum comestione earum nullâ alia ieiunii obligatio stare possit.*
2 *Dispensatus à majori obligatione multo magis dispensatus videtur à minori.*
3 *Non est dispensatus ab unitate comestionis, qui est dispensatus ad comestionem carnium.*
4 *Non censendus dispensatus ab una obligatione, qui est dispensatus ab aliâ.*
5 *Dispensatio duplex simpliciter facta, & secundum quid.*
6 *Licentia Medici requirit particularem mentionem ejus conditionis, qua dispensatur, absque aliarum dispensatione.*
7 *Qui ob præsentis morbi urgentiam dispensatur à ieiunio quoad carnes, censetur dispensatus ob omni ieiunii obligatione.*
8 *Dispensatus ad carnium comestionem ob timorem tantum futuri mali, non censendus ad aliquod aliud dispensatus.*
9 *Unusquisque tenetur ieiunare eo modo, quo potest.*
10 *Cautela in concedendis licentiis Medicis servanda.*

Dispensatus à Ieiunio quoad qualitatem ciborum, & præcipuè quoad carnes, an ab omni aliâ obligatione jejunij solutus censeatur.

QVÆSTIO III.

HÆc quæstio admodũ controversa est inter Canonistas, ita ut ob id in tres præcipuè classes divisi sint, ut refert Filiucc. *ubi aliàs, cap.* 3 *num.* 50.

1 Putarunt nonnulli tam esse de essentia jejunii abstinentiam à carnibus, ut cum comestione carnium nulla alia jejunii obligatio stare possit: unde eo ipso quòd quis dispensatus est ad comestionem carnium, dispensatus etiam censeatur ab omni alia obligatione jeiunii, ab unitate scilicet comestionis, & ab observatione horæ comedendi post meridiem. Vide Auctores hujus opinionis apud Azor. *ubi aliàs, cap.* 10. *vers. Tertio quæritur*, & apud supracitatum Filiucc. *ibid.* ac præterea D. Bonavent. & Martin. Ledesm. apud Ioan. Alph. Fontech. ex Medicis, *in spec. Med. Christ. tum.* 2. *propè princ.* ejus quoque opinionis fuit Azor. *ubi sup. vers. Arbitror igitur.* Roderic. *quæst. Canon. & Regul. Tom.* 2. *quæst.* 106. *artic.* 2. *n m.* 22. & idẽ sentire videtur ex nostris Baptista Codronch. *libro primo, de Christ. med. rat. cap.* 26. *in fin.* Ratio

2 videtur esse quia dispensatus à majori obligatione, videtur multò magis dispẽsatus à minori obligatione ejusdem generis, vel circa idem subiectum. At præcipua, & maioris momenti obligatio in jeiunio est abstinentia à carnibus, nam absque harum comestione consistit ieiunium, cum comestione verò nequaquam. Si ergo quis dispensatur ad comestionem carnium, multò magis dispensatus censendus ad repetitam comestionem; nam multò magis causa impediens ieiunium quoad qualitatem ciborum urget quam causa impediens reppetitam comestionem: poterit ergo urgentia prioris influere in posteriorem, quæ minoris momenti est.

Alij voluerũt, nullo modo dispensari à cæteris cõditionibus jeiunij, qui dispensatus est ad comestio-

3 nem carnium, & ratione adducunt superiori omnino oppositam, nempe non esse censendum dispensatum ab una obligatione, qui dispensatus est ab

4 alia, unde dispensatus ad ovorum comestionem, non dispensatur ab unitate comestionis, aut ab hora determinata comedendi, ut præcitati Canonistæ apud eundẽ Filiuc. Codronch. *ubi sup.* apud Filiucc. alios ejusdem sententiæ fautores vide; tenet & hanc sententiam Fernaud. *in exam. Theol. moral. part.* 2. *c.* 7. *§.* 2. *num.* 24.

Alij denique distingui malunt de dispensatione 5 simpliciter facta, & de dispensatione respectiva & secundum quid: nam ubi quis simpliciter est dispensatus ob naturæ insignem debilitatẽ, ad omnia censetur dispensatus; ubi verò respectivè, & ex eo solum, quòd timeat à cibis quadragesimalibus insignem noxam reportare, quod suæ naturæ & temperamento aut stomacho contrarij sint, tunc quidem non censetur ab ulla alia obligatione solutus, quàm à qualitate ciborum. Ita Lessius, *ubi aliàs, cap.* 2. *n.* 45. & cum

6 eo Filiucc. *ibid.* qui hanc opinionem verissimam esse concludit; juxta quam dicamus Medici, quod quæcunque dispensatio à quacunque conditione jeiunij, requirat particularem considerationem, ita ut teneamur in licentiis concedendis finem facere, an cum licentia comedẽdi carnes intelligatur annexa licentia bis in die, aut pluries comedendi, aut horam jejunij præveniendi. Primò ergo cùm quis ad carnes dispensatur, vel dispensatur ob urgentiã morbi præsentis, vel ob timorem rationabilem futuri, juxta commemorata à Lessio, & Filiuc. *ubi suprà.* Qui ob præsentis morbi urgentiam dispensatur, ab omni alia obligatione videtur. Ratio est, quia urgens morbus non modò requirit cibos, qui sint facilis concoctionis, optimi nutrimenti, & stomachum non gravantes, ne ob id natura abstracta cum morbo colluctari minùs possit, sed requirit etiam iteratam refectionem: cùm ab unica, si modica esset, vires 8 succumberent, si multa, opprimerentur, & in utroque casu naturæ maximum præjudicium inferretur. Hoc tamen intelligendum locum habere in morbo notatu digno, & maximè si sit cum febre. At ubi quis dispensatus sit ad carnes, ob timorem tantùm futuri morbi, non censendus ad aliquid ulteriùs dispẽsatus: & ratio est, quia causa, ob quam quis dispensatur ab aliqua jejunij obligatione, eatenus legitima est censenda, quatenus respicit incommodum notabile sanitatis ex ea causa proveniens, & idcirco qui ab unitate comestionis dispensatur, non promiscuè ad ciborum qualitatem dispensatur, nec qui ob stomachi eximium sensum horam prandij prævenire potest, dispensatur idcirco ad repetitam comestionem. Causa ergo similiter; ob quam quis ob timorem futuri morbi dispensatur ad comedendas carnes, non influit in aliquod aliud incommodum, quod provenire possit ex retardatione, aut unitate comestionis, non ergo legitimè excusat ab alterutra ex his conditionibus, aut ab utraque multò minùs; quia unusquisque tenetur jejunare eo modo quo potest. Navarr. *in manual. Confess. cap.* 21. *num.* 22. Roderic. *ubi suprà, num. eod.* Thom. Actius *de Infirmit. part.* 2 *verbo Quadragesima. num.* 2. Nullus enim immunis 8 esse debet in vigiliis, & jeiuniis, & Quadragesima ab ea carnis maceratione, quam sibi licet exercere absque evidenti sanitatis dispendio, ita ut si quis non possit à carnibus abstinere, quia pisces suæ naturæ contrarij sunt, abstineat saltem à multitudine refectionis, quæ propriæ sanitati non erit contraria, servet item horam jejunij ab Ecclesia determinatam ut carnem eo modo, quo potest, affligat. nam neque hoc contra hujus sanitatem fortè fuerit.

Ergo consultò factum puto in licentiis quas Me- 10 dici in Quadragesima concedere solent, ut hãc clausulam, in quibus necessaria videtur apponant, dummodò in cæteris præcepta jejunij servet quòd præcipuè advertendum, ubi licentia ovorum, & lacticiniorum tantùm concedatur; tunc enim, ut suprà

annui

annuimus, omnes Doctores in hoc conveniant, ut non censeantur ab aliis jejunii obligationibus soluti, qui tales licentias obtinuerunt, ut Canonistæ præcitati tenent apud eundem Filiuccium, & ex nostris Codronch. *ibid.*

SUMMARIUM.

1 *Antiquorum ieiunium fuit nostro multò durius.*
2 *Ientaculum cur ab Ecclesia permissum.*
3 *Nullus obligatur in ieiunio ad sitis tolerantiam.*
4 *Ientaculum cur ex causa somni concessum.*
5 *Ientaculum cur in ieiunio permissum, Medica ratio.*
6 *Cur Ecclesia non imperaverit, ut in jejuniis comederemus occidente Sole.*
7 *Cœna uberior multò magis damnosa quàm prandium.*
8 *Prandium an uberius cœnâ esse debeat.*
9 *Ientaculi quantitas qua esse debeat.*
10 *Parum pro nihilo habetur.*
11 *Ientaculi quantitas statera pondere definita, secundum aliquos.*
12 *Quantitas jentaculi non potest definiri.*
13 *In jentaculo non comedendum ad famem expellendam, sed ad nocumenta evitanda.*
14 *Ad evitandam sitim qua quantitas ciborum in jentaculo sufficiens esse possit.*
15 *Quantitas ciborum in jentaculo sumenda, quænam sufficiens esse possit ad somnum conciliandum.*
16 *Quantitas Ientaculi quanam esse debeat ad evitandam mutationem consuetudinis cœnandi.*
17 *Quantitas jentaculi quomodo ab aliis definita.*
18 *Consueti semel in die omni tempore comedere, an frangant jejunium jentaculum assumentes, vel quid extra consuetam comestionem.*
19 *Quantitas jentaculi aliâ ratione terminata.*
20 *Quibus cibis uti liceat in jentaculo.*
21 *Cibi qui sint minimi nutrimenti.*
22 *Panis in jentaculo cur concedatur.*
23 *Refectionem in meridie assumi solitam, in noctem differre quivis potest.*
24 *Ieiunij obligatio ea est, ut semel tantùm in die comedamus.*
25 *Ientaculo de manè sumpto cessat causa sitis, & somni*
26 *Causa consuetudinis comedendi bis in die non cessat in jentaculo de manè sumpto.*
27 *Cur non liceat jentaculum de manè sumere, cœnâ in noctem protractâ.*
28 *Ientaculum non jus, sed consuetudo excusat.*
29 *Consuetudo contra Ius introducta restringenda.*
30 *In jeiunio debet intervenire afflictio carnis.*
31 *Ientaculo de manè sumpto evitatur omne incommodum.*
32 *Cœnâ occidente sole ad satietatem assumptâ, homo non ita liber est sequenti manè a ciborum superfluitatibus.*
33 *Cœnâ uberiori nocte assumptâ, cessat alter finis Ieiunij, & qui, & num. seq.*
34 *Si ob aliquam urgentem causam liceat jentaculum manè sumere, ejus quantitas minuenda.*

De Ientaculo, seu collatione, vel refectiunculâ, aut Cœnulâ tam vespere quàm manè in jeiunio sumpta.

QUÆSTIO IX.

ANtiquorum jeiunium nostro multò duriùs fuisse certum est; nam illi, præterquam quòd, ut diximus, & vino abstinebant, semel tantùm in die comedebant, non ad satietatem, sed ad Naturæ solummodò sustentationem: à delicatioribus cibis, à gulæ blandimentis, à popinæ illecebris mentis, à ferculis tantò cum studio elaboratis, tanquam ab illicitis cibariis aliis quibuscunque sese cõtinebant; & præter unicam illam refectionem longè à meridie sumptam nihilum quidem in os ingerebant, forte & cuicunq, potui, nisi summâ urgente necessitate, parcebant, cùm carnem affligere, ac macerare, curiosiùs multò quàm nos satagerent. Nos multò blandiora jeiunia observamus; ac tantùm, ex mea quidem sententia, ab illis dissidentia, ut illorum respecta vix credibile ducam ab iis notabiliter carnem affligi. Horam comedendi primò multò magis prævenimus, satis enim habemus si circa meridiem comedamus; tunc refectionem assumentes non modò selectissimis cibis, & conditurâ quoque suaviorem saporem nactis, sed ad satietatem usque nosmetipsos infarcimus contra quàm nos admoneat Text. *in cap. Ne tales. de Conser. dist.* 5. Potum deinde vini & in comestione, & extra comestionem, non ad sitim modò levandam, sed ad delectationem quoque ad libitum accipimus: ac denique ne ex omissione cœnæ nostra corpuscula indigentiam aliquam patiuntur, ejus loco quedam parvâ cœnâ, seu quadam brevi refectione, (quam cœnulam od id vocant, vel jentaculum, sive refectiunculam, vel collationem) ante somnum utimur: quòd etiamsi cœnare, ut nostri mos est, tum vellemus, corpore à matutina refectione quasi nauseabundo, ventre à nimia repletione distento, medij mediosfidius disrumperemur. Quamobrem nisi Ecclesiæ Indulgentia obstaret, adeò contraria abstinentiæ in jejuniis observandis hæc cœnula, sive jentaculum videretur, ut incassum nos selegisse ciborum qualitatem diceremus, ut jeiunaremus. At vero quia Ecclesiâ permittente hoc fit, quam errare est impossibile, nos quidem, nisi intemperantia obstet, possumus optimè jeiunij leges servare, & ex hac observantia quàm plurimùm mereri cum hac ipsa ratione jeiunandi, comedendo scilicet circa meridiem ad libitum, bibendo etiã ad libitum, ad sitis tamen extinctionem, ac sumendo tandem vespere ante somnum hanc ipsam refectiunculam, ex patientia Ecclesiæ nobis permissam. Quoniam autem circa id nonnulla occurrunt dubia, investigandum primò de causa hujus Sanctæ Matris Ecclesiæ Indulgentiæ. Secundò de quantitate cibi quærendum, quam in jentaculo liceat absque jeunij violatione assumere. Tertiò de qualitate ciborum assumendorum. Quartò de hujus vespertini jentaculi cum matutino permutatione, an licita sit, & utrùm si sit licita, eædem conditiones observari in hoc, quæ in illo debeant, tam quoad qualitatem, quàm quoad quantitatem ciborum, & quid de hora assumendi hoc jentaculum de manè, si liceat.

Quoad causam ergo hujus Indulgentiæ Ecclesiæ, permittentis jentaculum, omnes Canonistæ conveniunt, eam esse unicam, quæ tamen duplex est nempe una respectu sitis, altera respectu somni: iam enim demonstravimus, nos non obligari in jeiuniis ad sitis tolerantiam ob nocumenta exinde provenientia. Cùm ergo necesse habemus aliquando potum assumere, & maximè cum in prandio uberiùs comederimus, quàm aliàs consueti simus, ne potus officiat stomacho, conceditur ut aliquid cibi præsumamus. Azor, *Inst. moral. lib. 7. cap. 8. vers. Quartò quæritur.* Causa autem somni conceditur jentaculum, quia cùm somnus fiat ab evaporatione alimentorum, jam deficiente materia evaporationis, deficit quoque somnus: at somno maximè indigemus, aliter Natura deficeret, idcirco omnibus viventibus sensu prædictis communis est somnus, aliquãdo enim omnia dormiunt, neque fieri potest, ut semper vigilent. Arist. *de somn. & vig. cap.* 1. Has causas, ut dixi Canonistæ afferunt, quibus tertiam ex Medica officina depromptam annectendam censeo: ea est quæ sequitur, nocumentũ scilicet, quod facilè provenire

poteſt ex totali cœnæ omiſſione iis, qnibus in die comedem ſunt aſſueti : ſatis enim luculenter demonſtratur à Medicis, & præ omnibus à cõmuni omnium præceptore Hippocrate, *in lib. de viĉt. rat. in acut.* & Gal. *in comment. 2. ejuſd. partic. 22.* quantopere lædantur ii, qui cùm cœnare conſuerint, cœnam
5 totaliter dimittunt. Et ex Ariſtotele Valleſc. Tarent. Medicus temporis ſui non pœnitendæ, neque aſpernandæ doctrinæ: *Ignorare* inquit, *non debes, quòd qui conſueverunt bis in die comedere, ſi retrahant ſe ad unam comeſtionem, certum ſibi eveniet nocumentum, libro 4. Philon. cap. 16.* Itaque à Spiritu Sancto edocta ſancta Mater Eccleſia permiſit conſuetudinem hanc irrepere, ut jentaculum aſſumamus, ne ex totali dimiſſione cœnæ Natura non aſſueta læderetur, & homo ægrotaret: maximè quia hæc mutatio erat repentina ſemel tantùm in die comedendi, cùm bis comedere ad ſatietatem uſque, aſſueti per anteactum tempus eſſemus, quæ mutatio quantùm noceat, docet idem Hippocr. *ubi ſup.* & Gal. & Valleſius *in comment. ſup. cit. part. 22. & ſeqq.* Ergo ut id periculi, cujus timor rationabilis quidem eſt, effugeremus, permittitur cœnula, ſive collatio vel refectiuncula, ex qua Natura veluti decepta cœnæ omiſſionem facilius, & nullo cum detrimento ſuſtineret. Puto itaque cum ſuperioribus cauſis à Canoniſtis aſſignatis, hanc etiam locum habuiſſe, nam ſolæ duæ illæ priores fortè in-
6 ſufficientes erant, quia ad evitandam & ſitim, & vigiliam, poterat Eccleſia impetare, ut in jejuniis comederemus occidente Sole tantùm, ut antiquitus in uſu fuiſſe dicit Ioſeph Angles *in ſecundum lib. ſentent.* & ex noſtris Valleſ. *lib. 2. de viĉt. rat. in acut. ubi ſup.* vel aliâ magis opportunâ horâ, & ad ſomnum alliciendum magis commoda. Ad hanc tamen inſtantiam eſt promptiſſima reſponſio, ac illa quidem multiplex. Prima, quia refectione ad noctem protracta, evitato inconvenienti, non evitabatur aliud, non enim evitato vigiliæ incommodo, cœna de nocte aſſumpta, evitabatur ſitis, quæ interdiu poterat moleſta eſſe, ſed hanc facilè tollebat ſomnus, qui cœnam excipiat, humectat enim, atque eo pacto ſitis cauſam adimit, juxta Hippoc. ſentent. *libro quinto, Apor. 27.* [Diterich. *Iatr. p. 451. & 909.*] Secunda, quia refectione ad occaſum Solis, vel ulteriùs pro-
7 tracta, non idcirco evitabatur incommodum, quod ex dimiſſione prandij imminebat, & in idem recidebat prandij dimiſſio, & dimiſſio cœnæ, quia in non aſſuetis utrumque pari damno eſſe poteſt, ut manifeſtè patet ex citata Hippoc. ſententia *in lib. de viĉt. rat. in acut.* Tertia, quia multo magis damnoſa eſt cœna uberior quàm prandium uberius: & ratio eſt, quia plurima evaporatio ciborum nocte aſſumptorum caput mirum in modum replet, neque ut inter-
8 diu capitis pori aperti ſunt, ſed iis nocturno frigore denſatis vapores incraſſantur, qui in pituitam verſi omnium malorum fons & origo exiſtunt. Scio in hoc eſſe aliquod dubium, & idcirco quam plurimos Medicos eam quæſtionem exagitaſſe, an prandium uberius cœna, vel cœna uberior prandio ſumi debeat, & pro utraque ſententia reperiri defenſores; & ſi ad hanc rem Auctores deſideras, vide Concil. *differ. 1. per tot.* Dinum *in tr. ad hanc quæſtionem dicato.* Arnald. Novic. *in comm. Schol. Salern. de conſ. valet. cap. 5.* Michaël Savonar. *de tuend. valet. cap. 26.* Andr. Thurin. *de Prand. & cœn.* Fuchſ. *lib. 2. Parodox. cap. 21.* Odd. de Odd *in lib. de cœn. & prand.* Iol. Alex *lib. 29. ſalubr.* Valleſ. *in Contr. lib. 6. cap. 7.* Epihan. Ferdin. *lib. 2. Theor. 8.* latiſſimè Card. *Contr. med. lib. 1. 18. & lib. de mal. Med. uſu. c. 8.* Petr. Tolet. *in paraſ. de prand. & cœn. rat.* [*Ol. Wormium* diſput. med. 8. controv. 6. *Plempium* de fund. Med. pag. 108.] & alios, ſed nunc non eſt fortè his locus. Concludamus igitur, prudentiſſimè ab Eccleſia inſtitutum, ut prandemus aliquando ſerius conſueto, & ne ſitim ultra modum tolerantes, eamque extinguere volentes potu læderemur, & ut ſomnus non impediretur, paſſam fuiſſe conſuetudinem hanc irrepere, jentaculum cœnæ vice aſſumendi, ut diximus; qua conſuetudine ſtante, etiam ceſſantibus, ac ſingulis prænominatis cauſis, jentaculo tamen uti poſſumus, conſuetudo enim excuſat: Azor. *ubi ſuprà* non obſtante contraria opinione, quæ vult, non eſſe licitum hoc jentaculum abſque neceſſitate, quam opinionem fuiſſe Antonini, Cajetani, Paludani, & aliorum, dicit Azor. *ubi ſuprà*: nam ſimpliciter, abſolutè, & aſque ulla neceſſitate eſſe licitum, tenent ex communiori Azorius *ibid. verſ. item ſumentes*, Leſſius *lib. 4. cap. 2. diſp. 2. num. 11.* Filiucc. *tract. 27. parv. 2. cap. 2. num. 25.* Auctores autem contrarium tenentes, conciliat Azor. dicens, quòd eorum opinio intelligenda eſt de jure, non conſuetudine.

Quoad quantitatem, quam pro jentaculo aſſu- 9
mere liceat, non dubium eſt ſecundùm Canoniſtas, eam debere eſſe modicam; nam idcirco voluerunt nonnulli DD. licitum eſſe, quia parum aſſumitur, parum autem pro nihilo habetur. Azor. *ubi ſupra, verſ. Quinto quæritur.* Licet hæc opinio non ſubſiſtat, 10
quia illud quoque parum, jejunium aliàs frangeret, ita Azor. & Filiucc. *ubi ſuprà num. 26.* ut ſi inter prandium, & jentaculum decimam partem cibi in jentaculo aſſumendi, quis aſſumeret, quamvis hoc
non modo parum, ſed quaſi nihil eſſet tamen jeju- 11
nium frangeret. Sed quantitatem alij diligentiùs determinarunt, & ſtateræ pondere definiri voluerunt: differunt tamen, quia alij non niſi ad quatuor uncias panis concedunt, ut Azor. *ubi aliàs, verſ. Octavò quæritur* alij ad ſex quoque eam extendunt, Filiucc. *ubi ſæpe, num. 32.* veritas tamen eſt, eam quantitatem 12
eſſe indeterminabilem; nec eſſe enim eſt eam eſſe majorem & minorem, pro ſubjectorum varietate, quæ variant temperamento, ætate, vitæ genere, viribus ſexu, pro varietate locorum, quæ variant ſecundùm quatuor primas qualitates, ſecundum aëris tenuitatem, & craſſitiem; pro varietate conſuetudinis, & pro varietate conditionis jejunantium. Nam calida temperamenta, ætates minores, vitæ genus laboriоſum, vires imbecilles, ſexus maſculeus majorem expoſcit quantitatem; frigida temperamenta, ætates conſiſtentes, primique vitæ genus deſes, & otioſum, vires conſtantes, ſexus fœmineus, minorem, Loca frigida, aëriſque tenuis, majorem, calida, aëriſque craſſioris minorem. Conſuetudo plura aſ-
ſumendi, multumque comedendi majorem; con- 13
traria, minorem, Nobiles majorem, ignobiles minorem, ob eandem fortè conſuetudinem, & ſic de cæteris. Nam ſi promiſcuè omnibus jejunantibus quinque vel ſex unciæ concedantur, multi eorum nullum jejunium ſervabunt, quia prægreſſo uberiori prandio, & à jentaculo non multum diſtante, ſex 14
unciæ ad ſatietatem explendam ſufficiunt.

Verumenim vero in hac quantitate determinanda ante oculos tres illæ cauſæ aſſignatæ habendæ, ob quas jentaculum conceditur, nempe ſitis, ſomnus, conſuetudo. Non enim ullo modo comedendum ad appetitum ciborum, & famem expellendam, ſed ad ſitis remedium, ut abſque noxa bibere liceat, & ad ſomnum conciliandum: Azor. *ubi ſuprà verſ. Octavò quæritur.* Addo ego, ad evitandam conſuetudinis mutationem, quam periculoſam eſſe jam diximus.

Itaque hoc poſito fundamento, dicamus primò, quòd ſiti urgente, parum omnino cibi ſufficiat ad nocumentum evitandum, quod ex potu abſque cibo

pro-

un provenire poſſet. Itaque reſpectu ſitis vix unciam
15 m aut alteram panis ſufficientem eſſe dixerim;
nte maximè, quod ob prandij ubertatem, & tardio-
m aſſumptionem adhuc cibus ſaltem totaliter à
omacho non deſcenderit in hora aſſumendi ien-
aculi. Cùm ergo jentaculum ob potum innoxiè
aſſumendum concedatur, certè quantitas à Cano-
niſtis aſſignata videtur minuenda.

Dicamus ſecundò, quòd etiam reſpectu ſomni ea
15 quantitas minuenda ſit; duo enim illa jam conſide-
rata quoad ſitim, conſideranda & hîc quoad ſomnum
primùm ſcilicet, prandij retardatio, ex qua ejus con-
coctio ita protrahitur ut adhuc poſſit in nocte ma-
teria aliqua evaporationis ſupereſſe, quæ ſomno
opituletur; ita ut modicâ de novo ſuperveniente, ea
evaporatio ſufficientiſſima ſit ad ſomnum concilian-
dum. Secundum eſt major copia ciborum in pran-
dio aſſumpta, quæ diututniori indiget concoctione;
& ſic etiam ex hac cauſa protracta concoctione;
facile eſt ſupereſſe materiam evaporationis ad ſo-
innum alliciendum. Hæc quidem extra jejunium,
quandocunque libeat, experire poſſumus habere
veritatem; ſi enim ultra conſuetudinem, ac copioſè
pranſi fuerimus, vel incœnati imus cubitum, vel mi-
nimâ refectione, ut panis buccellâ, cyathio uno,
aut altero potûs contenti ſumus; tamen non modò
bene dormimus; ſed conſueto multò ſuaviùs. Itaque
ſtante multitudine ciborum in prandio aſſumptorum,
& prandij retardatione, non tanta neceſſitas novi
cibi eſt in cœna, ob hanc cauſam, nempe ut dormire
noctu liceat: Videtur ergo reſpectu quoque hujus
cauſæ, quantitatem debere eſſe modicam in jenta-
culo, & minorem, quàm Canoniſtæ ſupracitati præ-
ſcripſerint.

16 Dicamus tertiò, quod etiam reſpectu conſuetu-
dinis bis in die comedendi, ſi ad tempus, & quanti-
tatem refectionis unicâ vice in jejunio aſſumptæ
reſpiciamus, multò minor cibi quantitas ſufficiens
ſit etiam à nobis præſcriptâ; non major, quia cùm
prandium valde prope conſuetam cœnandi horam
aſſumatur, & conſueto multo uberiùs; vel minima
quantitas ſatis eſt ad ſatisfaciendum huic conſuetu-
dini bis in die cibos aſſumendi; quia ſtomachus ad-
huc matutino cibo, vel prandio repletus, nullam ne-
ceſſitatem habet novum cibum appetendi. Con-
ſuetudo autem tunc nocet mutata, quando ſtomachus
indigentiam pateretur, aut ſaltem quando omnino
nihil aſſumeretur. Concludamus ergo ex his, quod
quantitas cibi in jentaculo aſſumendi ne jejunium
frangatur, tam reſpectu ſitis, quàm ſomni, & conſue-
tudinis, reſtringenda ſit ad modicum quid, quod un-
cias duas, aut tres ad ſummum non pertranſeat, ut
jam ſupra diximus.

Non defuerunt tamen, qui aliter hanc jentaculi
17 quantitatem determinaverint, volentes quartam, aut
quintam partem comeſtionis ordinariæ poſſe licitè
pro jentaculo inſervire. Filiucc. *ubi aliàs*, *num.* 33.
rationem ejus rei eſſe voluit, quia talis portio in
aliis rebus modica exiſtimatur, ut *ibi* per eum. Ego
licet diſparem credam eſſe rationem, tamen puto
quartam, vel quintam partem ordinariæ comeſtio-
nis penè in idem recidere, nempe in uncias quinque
vel ſex, in perſonis tamen, quæ moderatè cibari
ſolent: nam in quibuſdam dimidiam cœnam, in
aliis integram conſtituunt, in aliis verò quartam,
vel quintam partem ordinariæ comeſtionis libram, aut
majorem quantitatem tranſcenderet. Sed verè, ut
ſuperiùs jam dixi, definiri ea quantitas, propter varie-
18 tatem ſubjectorum, & conditionum ab extra eve-
nientium, nullo modo poteſt. Et quia nonnulli ſunt
qui conſueverunt ſemel in die comedere indifferen-
ter omni tempore, quæri poſſet, an hi ſumendo ali-
quid præter conſuetudinem ante ſomnum, jejunium
fregiſſe eſſent dicendi, quod Canoniſtæ decidant,
Certum eſt, ſi id facerent ob urgentem aliquam ne-
ceſſitatem, eos in hoc nihil delinquere; ſed quid ſi
ob comitatem, vel delectationem, aut quid ſimile?
num eos, ut cæteros, qui abſque neceſſitate jenta-
culum aſſumerent, conſuetudo excuſaret? Sed ad
penſum redeamus. An fortè unuſquiſque poterit
ſibi eam quantitatem in jentaculo aſſumendo præ-
ſcribere, quæ ſatis faciat commemoratis cauſis, abſ-
que eo quòd jejunium violetur? Et videtur hoc
maximè ex re eorum eſſe, qui largiori jentaculo no-
lunt conſcientiam ſimul cum corpore gravare, ſed
hoc ſine Medici conſilio nullus rectè determinabit. 19
Annon poſſet generalis quædam regula conſtitui
omnibus communis? hoc quidem jam dixi eſſe
impoſſibile: Sed quid ſi dicamus, quantitatem cibi
in jentaculo aſſumendi tantam eſſe poſſe, quantam
aſſolet unuſquisque in cœnæ principio in aliis die-
bus aſſumere, nempe, cùm acetaria primùm in men-
ſam veniunt? aut fortè cùm primò bibimus? Licèt
enim non omnes eandem victus ſervent rationem;
& unus poſt acetaria non bibat, alius verò pluri-
mum cibi, antequam bibat, aſſumat, tamen utplu-
rimùm non multum aſſimi ſolet; & poſt acetaria
bibimus, vel non multo poſt; ſolemus enim poſt ace-
tariorum cum pane aſſumptionem (cujus quantitas
ratiò excedit talem, quæ conſiderationè digna ſit)
potu primùm ſitim extinguere; hoc enim pacto
non ad famem expellendam, ſed ad ſitis moleſtiam
abigendam comedemus, & jejunium non violabi-
mus. Sed & in hac quantitate ſic definita adhuc eſt
difficultas; ergo indefinita relinquatur, & boni viri
arbitrio remittatur, cùm de particularibus eſt de-
terminandum.

Cæterùm, quoad qualitatem ciborum, quibus uti 20
liceat in jentaculo, concordant Azor. & Leſſius de-
bere eſſe talè, ut cibi non ſint ex iis, quibus utimur
in prandiis, & cœnis ad Naturæ ſuſtentationem, ſed
ex iis, quæ in ultima menſa venire ſolent, ut fructus,
condita ex ſaccharo, & quædam bellaria. Conce-
dit Azorius, *ubi aliàs*, *verſ. ſeptimò quæritur*, piſci-
culum minutum; majore ſeveritate utitur Filiuc-
cius quoad qualitatem, liberaliori in quantitate. Pa-
nem coctum, vel panem cum amygdalis, in ferculis
appoſitum, etiam in debita quantitate non admittit.
Vt hæc tamen exquiſitius decidantur, repetendum
id, quod alias dictum eſt, quantitatem cibi aſſu-
mendi non debere eſſe notatu dignam; unde & qua-
litatem talem eſſe oportet, ut quàm minimum vel
nullo modo nutriat. Ergo inter omnes cibos, mini- 21
mi nutrimenti ſunt herbæ, & fructus, atque utraque
profecto eò minus nutrire poſſunt, quo ſimpliciora
aſſumuntur, coctura enim, & conditura aptiora ad
nutritionem efficiuntur.

Sed cur, inquies, conceditur panis, qui & nutrit, 22
& ob familiaritatem multo magis quàm alius quivis
cibus, ſi evitanda ſunt in jentaculo, quæ inſigniter
nutriant? Quoniam, inquam, non evitaretur nocu-
mentum potus, niſi ſolidi quicquam in ſtomachum
ingereretur; Fructus enim, & herbæ, ſolidi quic-
quam vix habent; adde quod cum pane aſſumpti
innocentiores fiunt, ut ex Gal. aliàs dixi. Præter-
quam quòd & conſuetudo in hoc aliquid operatur;
fructus ergo, & herbæ pro jentaculo cum pane ad-
mitti poſſunt, & ſi quæ alia ſunt his ſimilia. Coctu-
ras tamen, & affectatas condituras non admitterem
niſi valetudinis cauſa, & multo minus piſciculum

minut

minutum, nam eadem portio concedi poſſet ex quibuſvis groſſis, & ſelectioribus piſcibus; nam quid refert groſſine, an minuti piſces ſint quoad nutritionem? non minùs nutriunt hi quàm illi, & Fortè melius præbent alimentum. Cum his fercula omnia à jentaculi menſa amoverem, & in ſumma omnem ciborum curioſam condituram; ut ſapidiores, aut magis nutritivi cibi evadant, fugere ſi ex mea ſententia debent, qui jejunij obligationi ſatisfacre volunt.

Reſtat denique de commutatione jentaculi verba facere, an nimirum liceat jentaculum de manè ſumere, refectione, vel prandio in cœnam commutato: nam quòd liceat, jentaculo omiſſo in totum, prandium in noctem differre, non eſt dubio locus. Ego
23 neque in hoc, neque in aliis quibuſque, tanquam Canoniſta ſententiam ferre ambigo, ſed tantùm ea quæ ad medicam ſcientiam pertinent, definire. jejunij obligatio ea eſt, ut ſemel in die comeda-
24 mus, jentaculum de jure non eſſe permiſſum jam diximus, ſed propter commemoratas cauſas toleratum ab Eccleſia, ita ut ex longa conſuetudine jam illicitum non ſit. Cæterùm ubi jentaculum
25 de manè aſſumitur, tam ſomni, quàm ſitis cauſam ceſſare (ob quas Canoniſtæ aſtruunt jentaculum tolerati) manifeſtum eſt. An autem ceſſet incommodum mutatæ conſuetudinis, quæ erat tertia cauſa à nobis adducta, determinandum: & non ceſſare palam eſt, quia ſtomachus retardatâ ciborum aſſumptione, & maximè ad multum tempus, pituitâ oppletur, languet, amarâ bile moleſtatur,
26 & mille alia incommoda perpetitur, ab Hippocrate recenſita, *in lib. de vict. rat. in acut.* Itaque non ceſſat hæc cauſa in jentaculo de manè ſumpto, unde hujus reſpectu admitti poſſet, & tunc quidem videretur tanquam medicamentum ratione tuendæ valetudinis aſſumi; ut ſic autem eſt licitum., Azor. *ubi aliàs, cap. 8. verſ. Sextò quæritur.* Et tamen ſecundum communiorem & veriorem opinionem, non licet jentaculum de manè ſumere, niſi urgente neceſſitate, Azor. *ubi proximè, in fin.* Leſſius *ubi ſupe, cap. 2. diſput. 2. numero 11. verſic. Item ſumentes.* Filiucc. *ibidem part. 2. cap. 2. numero 28.* etiam ſervata hora jejunij, & cæteris conditionibus requiſitis, ut proſequitur Azor. *ibi.* At cur hoc? Reſpondent nonnulli apud Azor. dicentes, quod jentaculum non jus, ſed conſuetudo, excuſat, ſed conſuetudo contra jus introducta reſtringenda eſt, non laxanda. Ergo non videtur permittendum jentaculum de manè aſſumere, etiam ſervatis jejunij legibus. Alij verò contra id opponebant, quòd per aſſumptionem jentaculi in meridie, & cœnæ de nocte, non mutatur ſubſtantia jejunij. Licet enim in jejunio unicam refectionem ſumere, & unicum jentaculum. Nihil ergo refert, ſi hæc de manè, illa de ſero ſumatur, vel è contra: & tamen Azor. priorem ſententiam amplectitur, tanquam tutiorem & veriorem, & violari credit jejunium, & mortaliter peccari, ſi abſque neceſſitate id fiat. Ego, quicquid ſit de peccato, (nam in his me non admiſceo) dico cur non videatur licitum, jentaculum manè ſumere. Afflictio carnis, quæ in jejunio ab Eccleſia affectatur, non tam ex qualitate ciborum provenit, quam ex diminutione conſuetæ cœnæ, ob quam corpus aliquâ inediâ maceratur. Dico ergo, quòd ſi jentaculum de mane ſumatur, omnino evitabitur omne inediæ incommodum, Ratio eſt, quia licèt parum de mane aſſumatur, illud tamen tempus, quod intercedit inter jentaculum & cœnam (maximè quia tum temporis cœna maturiùs apponitur) eſt adeò breve, ut quantumvis parum cibi accipiatur; omnino inediæ incommodum nos perſentire permittat, nec conſequenter finem jejunii aſſequi. Adde quòd debita cœna ad ſatietatem aſſumptâ, homo ſequenti mane multo minus indiget nova refectione, quia ſtomachus non eſt ita liber à ciborum ſuperfluitatibus præteritæ cœnæ. Vnde neque de mane tam ſolutus eſt ut mentem ad divinorum contemplationem liberè elevare poſſit, qui alter finis eſt ex iis, quos Eccleſia in jejunio inſtituendo ſibi propoſuit. Ergo ceſſante carnis maceratione, ceſſabit ſimul mentis elevatio ad divinorum contemplationem, ceſſabit & tertius finis in jejunio intentus, hoc eſt, ſatisfactio pro peccatis; erit enim jejunium hujuſmodi nullius meriti.

Illud autem omnino adnotandam duco, quòd dato etiam, quòd aliqua ex cauſa liceat cœnam protracta in noctem, ſub meridiem jentaculum aſſumere, majori ſemper rigore id permitendum, non modò quoad qualitatem ciborum, ſed etiam quoad quantitatem, ob rationem quam attulimus. Itaque ſi in refectiuncula noctu ſumpta licet aſſumere panis uncias quatuor uſque ad ſex de mane ſi ſumatur, vix uncias duas ad quatuor concederem, ut quantum fieri poteſt, ex abſtinentia homo carnem maceraret. Sed quid dicendum de tempore aſſumendi hoc jentaculum, ſi aliqua ex cauſa liceat illud manè aſſumere cœna ad noctem protracta? an licet illud de mane quandocunque aſſumere? An potius debemus determinatam horam ſervare nempe aut in meridie, aut à meridie, illo uti? Iam vero conſentaneum videtur, quod ſi jejunium tanto religioſius ſervamus, quanto ſeriùs prandium aſſumitur, ut aliàs dictum eſt: ſic etiam ſi contingat de mane jentaculo uti, cœnamque in noctem protrahere, teneamur horam jejunij ſervare, & illud ſaltem ad meridiem protrahere. Ac profectò videretur ſic decidendum: & ratio eſt, quia ſiquod incommodum corporale in jejunio perſentimus, id quidem maximè de mane experimur, cùm per noctem rectâ aſſumptorum ciborum digeſtione, ſtomachus jam, & inteſtina vacua reperiuntur, ita ut Naturâ facilè indigentiam expertâ, afflictio carnis ſequatur in jejunij obſervantia neceſſaria; at vero jentaculo ad libitum de mane ſumpto, eam indigentiam facilè licet evitare. Quamobrem nonniſi in meridie, aut poſt meridiem, videtur aſſumendum, quandocunque licuerit.

LIBRI QVINTI TITVLVS SECVNDVS

DE VVLNERIBVS.

Continens Quæstiones undecim.

I. Quid sit Vulnus, quid Vlcus, & quæsit inter ea differentia.
II. De Vulnerum differentia, de eorumque periculo, & securitate.
III. Vulnus ex sua natura non lethale, an incuria, vel ex alia occasione fieri possit lethale.
IV. Vulnera quæ usum Membri adimere, aut aliquod perpetuum impedimentum, vel deformitatem afferre possint.
V. De cõjecturis, ex quibus vulnus lethale vel non lethale fuisse judicatur, & primò de conjectura desumpta à tempore intermedio inter vulnus, & mortem.
VI. Examinantur aliæ conjecturæ, ex quibus probatur vulnus fuisse, aut non fuisse lethale.
VII. De Vulneribus venenatis, eorumque signis.
VIII. De sanguine manante ab Occiso coram Occisore, de ejus veritate, ac de præsumptione inde deducta contra homicidij reum.
IX. De articularium membrorum vulneribus.
X. De percussionibus sine sanguine, Pugnis, Ictibus, Alapis, Flagellationibus, Sacellationibus, & aliis læsionibus hujusmodi.
XI. Vulnera vivòne, an mortuo inflicta fuerint. Influmen, aut Mare demersus, vivúsne, an mortuus fuerit demersus. Item vivus, an mortuus quis fuerit suspensus. Fulminéne ictus, an per aliquam externam vim quis perierit.

SUMMARIUM.

1 *Materia de vulneribus est valde practicabilis.*
2 *Medicorum sententia exposcitur, cum dubitatur, an vulnus sit lethale, necne.*
3 *Inspectio Cadaveris hominis occisi absque Medici præsentia fieri non potest.*
4 *Pluribus deponentibus aliquem ex vulnere periisse, & duobus Medicis contrarium asserentibus; dicto Medicorum magis creditur.*
5 *Medicorum judicio statur circa remansuram cicatricem ex vulnere, & eius qualitatem.*
6 *Medici convocantur ad indicandum de debilitate, & deturpatione membrorum ex vulneribus.*
7 *Medici convocantur ad judicandum, an quis ex vulnere mortuus sit, vel ex alio morbo.*
8 *Vulnus est unitatis solutio.*
9 *Omnis morbus dicitur Vlcus.*
10 *Vulnus proprie quid. & num. seq. & 12. & 14.*
13 *Vulnus datur absque sanguine.*
14 *Vulnus, & Vlcus pro una eademque re aliquando accipiuntur.*
15 *Vulnus & ulcus exavicenna quomodo differant.*
16 *Vlcera sunt aliquando absque sanie.*
17 *Vulnus ab Vlcere quomodo differat, alia opinio.*
18 *Vulnus ex communi opinione quomodo differat ab ulcere.*
19 *Vulnus quando degeneret in Vlcus.*

Quid sit Vulnus, quid Vlcus, & quæ sit inter ea differentia.

QVÆSTIO I.

1 VTinam hæc materia de Vulneribus non esset præ cæteris omnibus, quas hactenus tractavimus, vel quas in posterum tractaturi sumus, practicabilis: maximè enim esse talem testatur experientia, & adnotant Iurisconsulti, Boër. ex Bart. *decis. 323. in princ.* nam profectò multò minora mala, ac pauciora homini ab homine impenderent detestabile autem est, tam avidos suæ ipsorum calamitatis, & ruinæ homines extitisse; ut tot ac tanta ingenia ad invicem sibi nocendum in suæ speciei exterminium excogitaverint; quorum ope (non intentis iis, quæ à casu imminent, & ab ipsa mortali natura miseriis) brevissimum hoc vitæ nostræ tempusculum magis magisque breve redderetur. Sed minùs dolendum mediùs fidius esset, si qui ferina crudelitate ducti in homines ipsos sæviunt, soli propriæ crudelitatis pœnas luerent; at deplorandum est, innocentes sæpiùs succumbere, nocentes majoribus sceleribus patrandis superesse, Sed his omissis, hujus argumenti necessitatem, & utilitate ostendere supervacaneum videtur. Est verò hæc materia mixta; Medica nempe, & Legalis Ad Medicos pertinet vulnerum naturam, & differentiam periculum ab iis immens, aut securitatem, remansuras cicatrices: deformitates, mutilationes, impedimenta cognoscere. Ad Legumperitos autem juxta Medicorum relationem fontes condemnare, insontes absolvere; idcirco cum dubitatur, an vulnus mortale sit, necne, Medicorum sententia exposcitur, eorumque judicio statur. *cap. significasti 2. de Homicid. cas. & vel.* Bart. *in l. final ff. ad l. Coroni. de sicar. & in tractat. de percuss. in princ.* Alexand. *in l. si ab hostib. ff. solut. matrimon. num. 9.* Abb. *in capite secundo, de Cler. percuss.* Clar. *lib. 5. pract. crimin. §. homicid. num. 34.* Iacob. de Bellov. *in pract. judic. tit. de quæst. & qual. torm. numero 219.* Bos. *in pract. crimin. titulo de Homicid. numero 115.* Damhouder. *practic. crimin. cap. 77. numero 21.* Andr Gaill. *lib. 3. & pract. observ. 111. num. 2. & 7.* Farinac. *Cons. 171. numero 7. & 28. lib. 2. & Quæst. 127. part. 4. numero 101.* vide hac de re latissimè Guazzin. *de def. reor. def. 4. cap. 11. numero 1.* & ex nostris idipsum testantur Langius *Epist. lib. 1. Epist 5.* & P. Andr.

2

& P. Andr. Canonher. ex pluribus Iuriſconſultis, *in proleg. ad Aph. Hipp. 93. verſ Scientia præſtantor.* [Conjungatur Celſus *lib. 5. c. 26.*] & eſſe communiſſimam opinionem affirmant Clarus & alij, vbi ſupra.

4 Vnde neque ipſius Cadaveris occiſi hominis inſpectio abſque Medicis fieri poteſt. Franc. Caſon. *de indic. præmiſſ. cap. 2. numero 6.* nam tanti valet in his Medicorum judicium, vt ſi plures teſtes, etiam multi deponant aliquem ex vulnere deceſſiſſe, & è contra duo tantùm Medici contrarium affirment, atque id negent, magis creditur dicto duorum Medicorum, quam quibuſcunque aliis: Corſett. *in ſingul. verbo Teſtis, numero* 4. Farinac. *quæſtione* 127. *part.* 4. *num.* 116. Guazzin. *def.* 4. *cap.* 12 *num.* 12.

Eodem quoque pacto de cicatrice ſtatur judicio

5 Medicorum, an ex vulnere remanſura ſit, necne, & cuius qualitatis futura ſit, idem Farinac. *vbi proximè, numero* 108. ad judicandum quoque, an membrum ex vulnere remanſurum ſit debilitatum, deturpatum, aut aliquâ aliâ ratione impeditum, Medici

6 convocantur. Caball. *Cent.* 3. *caſ.* 136. *numero.* 114 Majus quid eſt, quod ſequitur, nam ſecuta morte vulnerati hominis, Medici ad decidendum convo-

7 cantur, an is ex vulnere, vel potiùs ex alio quopiam ſuperveniente morbo mortuus fuerit. Zabarell. *in cap. Furioſ. num.* 14. *de homicid. caſ. & vol.* Alexand. *conſ.* 148. *num.* 2. *vol.* 2. Boër. *deciſ.* 323. *nmero* 10 Maſcard. *probat. concluſ.* 1034. *numero.* 6. *vol.* 2. Roland. *conſ.* 30. *n.* 27. *tom.* 3. & in ſumma de quibuſcunque ad vulnerum naturam, differentiam, & periculum pertinentibus, Juriſconſulti Medicos ipſos conſulunt, eorumque dictis maximè deferunt itaque de hac materia verba jam faciamus, & videamus primò quid ſit *vulnus*, quid item ſit *vlcus*; nam, etiá ſi vel rudibus ipſis puerulis quid ſit vulnus notum ſit, tamen ſcientificè id ſcire ad eruditos ſpectat. Definitur ergo Vulnus à noſtris Doctoribus dupli-

8 citer: primo modo latiſſimè, & ſic comprehendit omnem continui ſolutionem, ubicunque & quandocunque fiat; nam dicunt, vulnus eſſe unitatis ſolutionem, & ſic dicitur etiam ulcus; qua de re Apuleius Madaur. *de virt. herb. hiſt. cap.* 55. Vlcera ipſa vocavit vulnera ex ſe naſcentia. Sed hujus ſolutionis unitatis plures afferuntur differentiæ, in totot quot ſunt dif-

10 ferentiæ morborum, cùm Hippocrati omnis morbus dicatur ulcus, at quomodo id veritatem habeat, videndum apud Auctores infrà citandos; Sed magis propriè vulnus dicitur, ſolutio unitatis in carne, ita pluries Galenus *in Method. med, lib.* 3. *cap.* 1. *& 4. eius cap.* 1. *& de Cauſſ. morb. cap. vlt & de differ morb. cap.* 11. *& alibi alias.* Cæteræ verò ſolutiones continui in aliis partibus evenientes ſua quæque nomina ſortiuntur; ut patet apud ipſum Galenum, *locis citatis.* Tagaut. *lib.* 2. *Inſt. Chirurg. cap.* 1. Fallop. *in tract. de Vulner. cap.* 1. Veſal. *lib.* 3 *Chirurg. cap.* 3. Paræum *lib.* 8. *cap.* 1. Pigræum. *Chirurg. lib.* 3. *cap.* 1.

11 & alios omnes, *in tract. de vulner. in princ.* Sed recentiorum plerique, ut particularius, & magis propriè vulnus definirent, ſecuti Avicennam, & Guidonem de Cauliaco dixerunt, vulnus eſſe continui ſolutionem in carne de recenti factam, ſanguinolentam, & abſque putredine, ſic Joan. de Vigo *lib.* 3. *Chirurgia, tractat.* 1. *cap* 1. Tagaut. *loco cit.* Veſal *ibidem.* Paræus, & Pigræus, *vti ſupra.* Riolan. *Chirurg. ſect.* 3. *cap* 1. & denique Ranchin *in Pathol*

13 *univerſ. ſect.* 2. *cap.* 17. Quam tamen definitionem convellit & refutat Fallop. *vbi ſupra*, multis ex cauſis volens. Vulnus eſſe continui ſolutionem cæſim factam in qualibet corporis parte, ſive de recenti, ſive multo tempore, ſive cum putredine, ſive abſque putredine, ſive ſanguinolenta, ſine non; nam etiam abſque ſanguine fieri continui ſolutionem in partibus mollibus à re extrinſeca palàm eſt, 13 unde poteſt dari vulnus abſque ſanguine, vel ipſis Iuriſconſultis adnotantibus. Catal. de Boncomp. *de Syndic num.* 87. & ex noſtris Fallopp. *cit. lib. de vuln. cap.* 2. Verum enim verò Hieronym Fabrit. *lib* 2. *Chirurg. cap.* 1. præ cæteris videtur rei naturam ſuâ definitione attigiſſe, quæ huiuſmodi eſt: Vulnus eſt continui ſolutio in molli parte ab externo aliquo inſtrumento indicta; neque videtur deficere 14 à vulneris natura ſolutio continui, quæ cæſim facta non ſit, ut volebat Falloppius.

Sed quid interſit inter vulnus, & ulcus, non adeò perſpicuum eſt: nam apud Galenum utrumque indifferenter pro eadem re accipitur; ſive id ita ex ſe ipſe fecerit, ſiue id Interpretum vitio acciderit, quos 15 tamen (cùm plerumque viri fuerint eruditiſſimi) credibile non eſt toties, omneſque ſimul aberraſſe: quod etiam in Hippocratis libris eſſet mirandum, qui ſimiliter utrumque nomen confundit, cùm tamen manifeſtum ſit, inter ſe non parum differre, 16 ut docent ſupracitati Auctores. Quomodo verò differant, ipſi inter ſe differunt, ac diſcordes ſunt. Auicenna enim 2. 1. *doctr. cap.* 4. plagam, ſeu vulnus dici voluit, ſolutionem continuitatis in parte molli, inqua adhuc non apparuit pus; ulcus autem nominari, quando in ſolutione continui ſupervenit pus; cui videtur favere Hippocr. *de Ulcer.* dicens, *Eſt namque vlcus humidum.* Hanc ipſam opinionem ſecutus videtur Rio. an. *ſua Chirurg. ſect.* 2. *cap.* 1. quæ 17 tamen cæteris improbatur, & jure: quia dantur vlcera abſque ſanie, ut omnes norant; vnde falſum eſt, ſuperiorem opinionem eſſe Medicorum communem, quod voluit Amat. Luſitan. *Cent. 6. cur. vlt.* Erat tamen ad hoc facilis reſponſio dicendo; Vlcus ex ſua natura eſſe ſemper ſanioſum per accidens autem & ex aliqua cauſa non ad ulcus, ſed ad humores, & reliquum corpus pertinente aliquando non eſſe ſanioſum. Veſalius, & alii nonnulli Recentiorum voluerunt, Vlcus eſſe continui ſolutionem in carne ſine ſectione factam, cum deperdita quantitate, nam 18 vulnus eſt ſolutio in carne ſectione facta, & poteſt eſſe abſque deperdita quantitate. Sed hæc ulceris definitio non comprehendit omnes ulcerum differentias, cùm quædam ulcera ſunt, quæ ſectione procurata ſunt, ut ſunt ulcera quæ ex vulneribus non 19 conſolidatis relinquuntur. Communiſſima ergo opinio, & rationi magis conſona eſt, vulnus eſſe continui ſolutionem illatam, à re ſcilicet extrinſeca factam; ulcus verò innatam, ſcilicet à cauſa intrinſeca. Ea eſt opinio Galeni, *in lib. de Cauſſ. morb. cap vlt. claſſ.* 3. Theodor. Priſcian. *lib.* 1. *ad Timoth. cap.* 20. & poſt alios multos Petr. Sal. *in* 1. *Hipp. de morb. ſect.* 2. *text.* 78. & acceptatur hæc ipſa opinio à Iuriſconſultis, Gloſſ. *in l. Ob quæ vitia. § fin. ff. de Ædil. ed.* Cæpoll. *ibid. num.* 4. Boët. *cit. deciſ.* 227 *num.* 3. idque ſibi voluit Apuleius, ubi ſuprà, appellans ulcera vulnera ex ſe naſcentia, hoc eſt, à re intrinſeca facta, cùm alius vulnus ſimpliciter, continui ſolutio ſit à re extrinſeca procurata. Neque 20 obſtat, quod ſuprà dictum eſt, obſtare definitioni ulceris à Veſalio allatæ, quod ſcilicet nonnulla ulcera ab extrinſeca cauſa originem habere comperiantur, ut ea omnia, & ſingula abſque dubio ſunt, quæ ex vulneribus remanere ſolent: quia cum vulnus pertranſit terminum ſuæ vnionis, & conſolidationis, habito reſpectu naturæ ipſius vulneris, partis vulneratæ, & aliorum, tunc degenerat in ulcus,

quia

quia à corporis impuritate ejus unio impeditur, & ſic licèt, quà vulnus ad à te extrinſeca fuerit inflictum, quâ ulcus ab interna cauſa fovetur, & in eo caſu externa cauſa reſpectu vulneris eſt ſolùm cauſa proxima, nam reſpectu ulceris eſt cauſa remota; hujus enim proxima eſt, ut dixi, corporis impuritas, & humorum confluxus ad partem ulceratam: poteſt & ex hoc Veſalii definitio ad rectum ſenſum reduci, ut patet.

SUMMARIUM.

1 *Vulnerum differentiæ permultæ ſunt.*
2 *Lethalia vulnera quomodo diſtinguantur.*
3 *Vulnerum diviſio juxta eorum quantitatem.*
4 *Vulnerum quædam lethalia, quædam non lethalia, quædam autem indifferentia.*
5 *Vulnera de neceſſitate lethalia, quæ.*
6 *Vulnera ut plurimùm lethalia, quæ.*
7 *Vulnus poteſt eſſe ex his, quæ ſecundùm plurimum lethalia ſunt: & tamen vulneratus ſupereſſe.*
8 *Morbi nonnulli lethales ab aliquibus exſuperantur.*
9 *Gloſſ.* in l. Quòd ſi nolit. ff. de Ædil. edict. & Cæpolla *notantur.*
10 *Medicus non poteſt ſervare vulnus lethale. Falſũ ibi*
11 *Lethaliter vulneratus poteſt quoad vulnus ſanari, & tamen ex alio morbo tunc temporis decedere.*
12 *Lethalia vulnera ex partis præcipuè naturâ judicanda.*
13 *Natura partis vulnerata eſt præcipua cauſa periculi in vulneribus.*
14 *Vulnus ſimplex in carnoſa parte omnem ſecuritatem promittit.*
15 *Vulnuſculum in digito non judicatur mortale.*
16 *Ex omnibus vulneribus contingit homines mori.*
17 *Vulnus poteſt eſſe ſalutare, & tamen vulneratus decedere ex morboſo corporis apparatu, vel prævitate in vulnere; non ratione ſuæ naturæ, vel aliter.*
18 *Vulnuſculum non dicitur vulnus.*
19 *Vulnus leve non præſumitur mortale.*
20 *Vulnuſculum leve, quomodo poſſit eſſe mortale.*
21 *Vulnera cor ledentia de neceſſitate ſunt lethalia.*
22 *Corde vulnerato non poteſt homo ſupereſſe niſi ex miraculo.*
23 *Vulnera de neceſſitate lethalia.*
24 *Vulnera ut plurimùm lethalia, quæ.*
25 *Vulnus circa umbilicum ut plurimùm lethale.*
26 *Vulnera non lethalia, quæ.*
27 *Vulnera lethalia ex ipſorum qualitate.*
28 *Senum vulnera a cæteris paribus periculo magis proxima; quam alias ætates degentium.*
29 *Mulieres graviores ictus, & graviora vulnera patiuntur, quàm viri.*
30 *Temporis conſtitutio facit ad ſecuritatem, & periculum vulnerum.*
31 *Capitis vulnera Florentiæ, & Bononiæ maximè lethalia; Romæ, & Raguſii non ita.*
32 *Vulnerans infirmum, eoque decedente, tenetur de homicidio, etiamſi vulnus non fuerit lethale.*
33 *Qui cauſam damni dat damnum feciſſe videtur.*

De Vulnerum Differentia, de eorumque Periculo, & Securitate.

QVÆSTIO II.

1 VUlnerum differentiæ permultæ ſunt, nam quædam differunt reſpectu partium vulneratarum, unde quædam in capite, quædam in collo, quædam in thorace, quædam in ventre, & ſic de cæteris. Quædam differunt reſpectu qualitatis, unde quædam ſimplicia, quædam compoſita, quædam cum contuſione, quædam abſque contuſione, & ſimiliter de aliis. Alia differunt reſpectu periculi, & ſecuritatis, vel impedimenti remanſuri, & ſic quædam lethalia, quædam non lethalia, quædam nullum affe-

runt poſt ſanationem impedimentum, quædam verò membra poſt ſanationem vel impedita, vel debilitata, vel deturpata relinquunt. Lethalium porrò 2
quædam de neceſſitate interficiunt, quædam ut plurimùm, non lethalium quædam nunquam lethalia, quædam ſecundùm plurimum. Alia differunt reſpectu inſtrumentorum vulnerantium, atque hac ratione quædam cæſim inflicta, quædam verò punctim, quædam cum armis contundentibus, quædam ſecantibus, quædam diſcerpentibus, & alia alio modo. Præterea differunt vulnera juxta quantitatem, 3
atque hoc pacto quædam magna, quædam parva, quædam mediocria, quædam item penetrantia, ſeu profunda, quædam lata, & ſuperficialia; ac tandem pleriſque aliis modis vulnera inter ſe differunt. Sed nos pro Juriſconſultis non omnes differentias hic exquiſito examine, ut ex re Medicorum eſſe ſolet, percurrere intendimus, ſed eas tantum modò, quæ ad eorundem Juriſconſultorum negotium magis facere videntur; juxta quam intentionem cum Fortunio Fideli *lib. 4. Relat. Medic. cap. 2.* & aliis dicamus, Vulnerum quædam eſſe le- 4
thalia, quædam indifferentia: quòd aliquando lethalia ſint aliquando non, pro medentis induſtria, ægri natura, conſtitutione, ætate, robore, & obedientia, pro temporis ratione, pro regionum qualitate, & hujuſmodi, Gal. 5. *Aphor.* 65. Lethalium porrò, ut diximus, alia ſunt de neceſſitate lethalia, quòd omnino naturaliter interimant, alia non neceſſariò, ſed ut plurimum occidunt.

Vulnera de neceſſitate lethalia ea ſunt, quæ omnem medelam effugientia brevi temporis ſpatio vitam adimunt, ut notat ex Juriſconſultis Farinac. *de Homicid. quæſt.* 126. *num.* 5. Lethalia ſecundùm 6
plurimùm ſunt ea, quorum curatio ſecundùm plurimum malè ſuccedit, & difficilis eſt, non quòd ſemper interficiat, adnotante ex ipſis Juriſconſultis Barboſ. *in Collect. Doct. tit. 12. cap. 18. num. 7. Tom.* 2. nam poteſt quidem vulnus eſſe ſecundùm plurimum lethale ex ſua natura, & tamen vulneratus ex 7
vulnere convaleſcere, ut ipſi Iuriſconſulti notarunt Gloſſ. *in l. Cùm aliter. §. ſi Dominus ff. de Senat. Conſ. Syll.* Royz *deciſ. Lituan. 1. num.* 247. Tiraq. *de Retract. §. 15. Gloſſ. 2. num. 12.* & de Leg. Connub. *l. 2. num. 29.* Guazzin, *ad def. Reor. def. 4. cap. 11. num. 6.* ex Medicis Tagaur. *lib. 2. Inſt. Chirurg. cap. 3.* Codronch. *in Method. Teſtif. cap. 4.* quemadmodum etiam aliqui morbi, tametſi lethales ſuâ naturâ, ſint, à nonnullis exſuperantur. Facit Hippocratis auctoritas *lib. 1. de morb.* Codronch *ubi ſuprà cap. 3.* Proſper. Martian. *in Not. ad lib. 1. de morb. mul. verſ.* 155. Non eſt ergo abſolutè verum, quod Gloſſ. *in* 8
l. Quòd ſi nolit. ff. de Ædil. ed. in verbo *Adhibuit Medicum*, & Cæpolla *ibid. §. ſi Mancipium, num.* 13. & ex hoc Boërius *quæſt. 323. num. 10.* dicebant, 9
Medicum nimirum non poſſe ſanare vulnus mortale; quia ſunt quædam vulnera, quæ ex ſe & ex ſua natura occiderent, quæ tamen adhibitis opportunis remediis ſanantur, Fortun. Fidel. *lib. 4. Relat. Med. cap. 2.* quinimò poſſibile eſt vulneratum le- 10
thaliter à vulnere liberari; & omnino ſanari, & tamen ex morboſo corporis apparatu, vel ex novo ſuperveniente undecunque morbo decedere. Val- 11
leſ. *in 5. Epidem. text. 16. in fin.* & facit pro Juriſconſultis Guazzin. *ad def. Reor. def. 4. cap. 11. num. 8.*

Lethalia ergo vulnera ex quibus judicentur, licet videre apud noſtros auctores omnes, *in tract. proprio de vulneribus, in princ.* præcipuè verò apud Recentiores, ut Tagautium, Fallopium, Paræum, Pigræum, Hieronymum Fabritium, (Sennertum, Suevum, Sebizium, Hermanum Corbejum) & pleroſ- 12

que alios,& inter Juriſconſultos præ omnibus apud Farinac.*loc.cit.quæſt.* 127.*part.* 3.*à num.* 38.*ad plures ſeqq.* Ex quorum ſententia, lethalia vulnera judicanda primò, ac præcipuè ſunt ex natura partis vulneratæ,dehinc ex vulneris qualitate, ex ejuſdem quantitate ,ex ætate patientis, ex ſexu , ex temporis conſtitutione , ex loci conditione ,ex ſtatu ipſius vulnerati , ex qualitate armorum vulnerantium , ex accidentibus de natura ſua vulneribus ſupervenire conſuetis , ex aliiſque nonnullis conditionibus ab extra advenientibus. Sed, ut dixi , natura ipſius
13 partis vulneratæ præcipua cauſa eſt periculi & ſecuritatis ipſorum vulnerum, ut prudenter ſentit ex Hippocr. documentis, Fortun. Fidel. *ubi ſuprà , cap. eod.* cætera enim omnia per accidens ad id concurrunt, ut palam eſt ; cùm hæc , ſiquidem vulnera lethalia ex partis natura ſint, faciant ad mortis acceleration em, aut retardationem ; aut ſi lethalia non ſint, poſſint ea reddere minoris , vel majoris ſecuritatis;facilioris , aut difficilioris curationis; ut exem-
14 pli cauſa, vulnus ſimplex in carnoſa parte omnem ſecuritatem, quantum eſt ex ſe , ſolet promittere. Codronch. *in Meth. teſtif. cap.* 4. quale eſſet vulnus in carnoſa parte brachii, notantibus ex Juriſconſultis Farinac.*Conſ.crimin. lib.*2. *conſ.* 81. *num.* 6. & Guazzin. *defenſ.* 4. *cap.* 11. *num.* 10. Quòd ſi idipſum vulnus magnum ſit , ſi accedat conſtitutio temporis prava,ſi æger ſit debilis , ſenex , aut valetudinarius, ſi arma fuerint venenata,hoc ipſum, inquam vulnus in hac eadem carnoſa brachii parte inflictum,quod aliàs tutum erat , evadet dubium, & lethale. Exemplum habemus in Artabano , quem Juſtin. *hiſtor. lib.* 42. narrat vulnere in brachio accepto deceſſiſſe , & idem aliàs aliis eveniſſe notat Menoch.*de Arbitr. Jud. lib.*2. *caſ.* 275. *num.* 12. eodem quoque pacto vulnuſculum in digito non judicatur mortale. Guazzin. *ubi ſuprà, num. eod.* & ta-
15 men Eques quidam in digito medio ſiniſtræ manus vulneratus periit referente Cardan. *in* 5. *lib. Aphor.* 2. [atque Spigelius, recitante Horſtio *tom.* 2. *pag.* 103.& 464] quod non tam ex natura partis , cujus reſpectu tutum erat, ſed ex aliquo prædictorum ac-
16 cidentium eveniſſe putandum eſt. Hinc dictum ſapienter , ut in cæteris omnibus , ab Hippocr. eſt *lib.*2. *Prædict.* quòd ex omnibus vulneribus contingit homines mori , quod etiam admonet Valleſ.
17 *comm.* 5. *Epidem. text.* 16. *in fin.* Paræus *lib.* 8. *oper. ſuor. cap.* 4. Codronch. *in Meth. teſt. cap.* 4. & alii. Quia,ut inquiunt, poteſt vulnus eſſe ſalutare, & tamen vulneratus vel ob morbo[illegible] corporis apparatum , vel ob occultam quandam læſorum , circumſtantiumque corporum cacoëthiam decedere , vel aliis etiam accidentariis ex cauſis , ut procedente ſermone dilucidiùs declarabimus. Unde etiamſi quoad magnitudinem vulnuſculum in conſideratione nullo modo habeatur , ita ut neque vulneris nomine dignetur, *l.*1. *§. ſed ſciendum. ff. de Ædil. ed.* Corſett. *de Minimis , quæſt.*1. *num.* 23. Verall. *de-*
18 *ciſ.* 140. *num.*3. Tiraq. *de Iud.in reb. exig. notab.* 10. quemadmodum neque morbus levis dicitur morbus,neque fabricula dicitur febris , argum.*l. Ob qua vitia §. final.ff.de Ædil. ed.* aliàs à me adductt. & facit ex noſtris P. Andr. Canonher. *in primum Aphor. lib.*1. *pag.*565. *verſ.ſicut levis febricula.* Unde ob ſui modicam æſtimationem leve vulnus non præſumi-
19 tur mortale. Catal. de Boncomp. *de Synd. num.* 85. Farin. *conſil.* 171. *num.* 4. *num.* 46. *lib.* 2. Tamen reſpectu partis læſæ utrumque poteſt eſſe de neceſſitate lethale , ut ſi Cor attigerit , aut ſi ad internas alias nobiliores partes penetraverit , aut ſi acum in
20 nervoſam particulam profondè adegeris , quale exemplumhabemus apud Hippocr. *5. lib. Epid.text.* 44.ſutoris illius ſolearum veteramentariarum , qui pupugit ſe acu juxta genu , & tertiâ die à vulnere mortuus eſt ; ſic & Ariſto apud eundem Hippocr. *lib.*7.*Epid. text.* 97. ex vulnere digiti pedis gangrænâ ſuccedente mortuus eſt , quod fortè nervoſam partem læſiſſet. [Sic apud eundem Philiæ puer ex ſola oſſis denudatione in fronte mortuum eſt 9. die. Zano vero ex ulcere in tibia , Puer autem Theodori ex oſſis denudatione 23. die Conjung. Foreſtus *l.* 6. *obſ.* 49. 50. Horat. Augenius , Sebizius apud Sievum *pag.*7. Hildanus *Cent.*1.*obſ.* 21. 5. *obſ.* 2. 85. *Matthæus quæſt.* 27.] Quæ exempla ſatis declarant , vulnus aliquando eſſe quidem reſpectu magnitudinis parvum , ſed reſpectu partis vulneratæ maximum, quia mortem facillimè accerſit. Paræus *lib.* 9. *cap.* 9. ergo partis natura præ ceteris omnibus vulnerum conditionibus venit conſideranda , juxta quam ſecundùm Hippocratis , cæterorumque Medicorum omnium decreta , & ſecundùm ipſam rerum magiſtram experientiam ; lethalia vulnera de neceſſitate ſunt , quæ Cor quomodocunque læſe- 21
rint , cùm viſcus hoc nobiliſſimum continui ſolutionem non patiatur , ut communis eſt Medicorum opinio ; & tamen reperta ſunt aliquando in Corde ulcera antiqua , cum quibus homo potuerit per longum tempus ſupervivere , quale repertum eſt in Corde inſignis cujuſdam furis , de quo Beniven. *de Abd. curat. cap.* 8. Quinetiam narrabat Nobili cuidam viro,ex quo ipſe audivi , Proſper Cecchinus Chirurgus Romanus , caſum hujuſmodi ſupra omnem admirationem. Moniacus quidam Sacerdos cùm furore ductus ſe primùm caſtraſſet , imò univerſum penem cum ſcroto , & teſtibus abſcidiſſet , in eodem furore perſiſtens , acubus quibuſdam fortibus pectus ſub ſiniſtra mammilla ſibi transfodit , tandemque poſt nonnullos dies quinque nimirum aut ſex , ab hiſce vulnuſculis illatis vitam , quam oderat , facilè amiſit. Aperto cadavere , acus omnes ad cordis ſubſtantiam penetraſſe repertæ , cum quibus tamen potuit per nonnullos dies ſupervivere. Hoc quidem mirabile auditu eſt:nam pro raro quodam eventu videtur Gal. *5.de loc.aff. cap.*1. enarraſſe , quòd nonnulli corde vulnerato , vulnere tamen ad ventriculos non penetrante , non ſolùm eâdem die, ſed ſequente etiam noctu tantùm vixerint , ſed & alia exempla ſimilia vide apud Schenckium *l.* 2. *Obſerv. tit. de Corde.* Hæc autem ita perſuaſa ſunt Hollerio , ut voluerit *Comm.* 6. *Aphor.* 18.vulnera, ſi tantùm pulpam , vel carnem cordis attingant, non neceſſariò interimere : quod tamen aliis perſuaſu difficile eſt , quia quamcunque cordis particulam quomodocunque attigerit vulnus , coaleſcere ob continuum motum non poterit, & facillimè inflammationem excitabit , & exinde alia ſymptomata , quæ neceſſariò Animal , ſi non ſubitò , ſaltem non
multò pòſt interficient : nam quomodocunque ſit, 22
quòd aut eadem horâ , ac momento , vel ſubſequenti die, vel etiam poſt duos , aut tres , qualecunque cordis vulnus interficiat , nobis ea concluſio rata , ac firma maneat , quòd talia vulnera neceſſariò interimant,ita ut rectè à Fallop. dictum ſit , *in lib. de vulner. cap.* 6. quòd vulnerato Corde non poteſt homo vivere niſi miraculosè : & ejus aſſertionis rationes apud ipſum vide , licèt non ſit neceſſarium illicò à vulnerato corde hominem , ſive quodcunque animal commori , ut ex hiſtoriis relatis per Schenckium , *ubi ſuprà* , evidentiſſimè patet , & ex alia à nobis commemorata. [ita Bartolinus *diſſert. de Lacte Chriſti p.*135.136.quendam corde vulnerato aliquot dies ſupervixiſſe.] Quinimò ſcimus , quòd avulſo corde integro , & arteriæ magnæ truncoante avulſionem optimè alligato , animal per aliquod

quòd temporis ſpatium vivere poteſt, ut multi ex Anatomicis oculati teſtes ſunt, & quandoque ipſe etiam vidi. Sed & Galen. 2. *de Decr. Hippocr. & Platonis*, pluries obſervatum memorat, in ſacrificiis victimas avulſo corde, & clamaſſe, & aufugiſſe, donec ſanguine toto effuſo concíderent. Ex quibus patet, adeò evidentem mortis cauſam eſſe Cordis vulnus, ut non obſtantibus quibuſcunque, vel vulneribus aliis cujuſcunque partis, vel morbis aliis certò interimentibus, ſemper ad hoc ſit referenda cauſa ipſius mortis ſubſecutæ.

Sed proximè à Corde, periculo certiſſimo hominem exponunt vulnera quæcunque inſignia, quæ
23 Cerebrum, Jecur, Diaphragma, Stomachum, Ventriculum; Aſperam Arteriam, Venam, itemque Arteriam magnam, Pulmonem, Lienem, Fellis veſicam urinariam, tenuia inteſtina, præſertimque jejunum, Renes, & temporales muſculos læſerint. Adnotandum tamen, ad hoc ut vulnus de neceſſitate interimat his partibus inflictum, requiri non modò ut eas quomodocunque læſerint, ſed etiam ut ad eas earundem partium particulas pervenerint, quæ vel quoad uſum, vel quoad ſenſum, vel quoad nobilitatem, ſunt præſtantiores, ut Galen. *Comm. 6. Apor.* 18. docet, & vide commentatores in Hippocr. *lib. 6. Aphor. eod.* Nam exempli cauſa, licèt Cerebrum inſigniter læſum ſecundùm ſuam ſubſtantiam mortem afferat, hoc quidem ut plurimùm veritatem habet, at non ſemper, & de neceſſitate, niſi ad baſim penetraverit vulnus, tunc enim neceſſariò occidit. Galen. *ibid.* Celſ. *lib. 5. cap. 26.* Fallopp. *de Vulner. cap. 6.* & idem pulmonibus, hepate, & reliquis partibus vulneratis eſt dicendum; atque hoc pacto intelligendi ſunt Auctores, quando vulnera aliquarum partium pro deſperatis, & incurabilibus pronuntiant, ut de renibus Ruland. *Chirurg. lib. 3. cap. 36.* dicebat, curam eorum potiùs divinæ gratiæ, & beneficio committimus naturæ, quàm operi noſtro. Sed de his omnibus vide peculiariter Fallopium, *ubi ſuprà.* Et ex his apparet, non eſſe ſimpliciter verum exemplum allatum à Farinac. *de Homicid. quæſt. 126. num. 5.* de vulneribus, quæ ad mortem certò, & omninò terminantur. *Quemadmodum*, inquit, *ſunt quæ cerebrum tangunt*: ut enim dictum eſt, non modò evadunt interdum leviter in cerebro vulnerati, ſed etiam iis, qui ex iiſdem vulneribus aliquam ipſius cerebri ſubſtantiam amiſerunt, ut caſu, de quo Galenus, & aliis eveniſſe certum eſt, quorum hiſtorias vide, ſi libet, apud Schenck. *lib. 1. Obſerv. tit. de Cerebr.* [Cardan. *in aphor. p.* 625. Crucium *cent. 2. p.* 160. Sennertum *part. 1. pag.* 161. Carolum Guilielmum *in aphor. p.* 225. Horſtium *t. 2. pag.* 56. 59. 61. 63.]

24 Porrò ut plurimùm lethalia vulnera ſunt ea omnia, quæ prædictas omnes, ac ſingulas partes, corde excepto, non inſignitèr læſerint, ſed non penetraverint ad intimiora. De diaphragmate tamen, ſeu Septo tranſverſo dubium eſt apud Fallopium, qui ex Galeno *loco citato* dicit, diaphragmatis vulnera aliquando fuiſſe ſanata, ipſe autem de neceſſitate interficere aſſerit, propter continuum, & nunquam deſinentem motum. Mihi quidem non videtur Galenus hoc dixiſſe, quod illi imponit Falloppius, ſed potiùs contrarium, nam & cordis & diaphragmatis vulnera agglutinari non poſſe, ex jugi eorum motu fatetur; *in principio* autem ejus *commenti* dicebat, cordis vulnera lethalia de neceſſitate eſſe, ut eſt in confeſſo apud omnes, non tamen in aliis partibus & membris, ab Hippocrate *inibi* enarratis, æquè recipi vulnus quodcunque mortem afferre; hoc eſt, non omnes in hoc convenire, ut vulnera aliarum partium ſint de neceſſitate æquè lethalia, ac vulnera cordis. Certum igitur ſit, vulnera diaphragmatis, etiam non magna, interimere, quia & jugem habet motum, propter quem & ſanguinis ſuppreſſio, & agglutinatio impeditur, & nullo negotio inflammationem concepit, & habet ſenſum exquiſitum, ob quem dolores mirum in modum exacerbantur. [Foreſtus *l. 6. obſerv.* Vidus Vidius *p.* 365. *lib. 8. c.* 15. Glandorpius *in ſpeculo Chirurg.*] Sed & ſpinalem medullam vulnera lædentia, lethalia de neceſſitate ſint, notatu digna aliàs ſint, quoad eorum magnitudinem, ſin minùs, ut plurimùm interficiunt, ut omnium magnorum articulorum præcipuè vulnera faciunt. Guid. Cauliac. *ſua Chirurg. tract. 3. doctr. 1. cap. 1* Paræus *lib. 9. cap. 39.* quia ſemper ſint cacoëthica, & maligna. Galen. 4. *Method. cap. 6.* Tragault. *lib. 2. Inſtit. Chirurg. cap. 3.* Riolan. *Chirurg. ſect. 3. cap. 2.* Foreſt. *lib. 6. Obſerv. 2.* Veſicam item urinariam neceſſariò mortem afferre volunt, quandocunque in parte muſculis, & carne carente vulnus fuerit; ſed de his omnibus conſulendus præ cæteris Fallopp. *ubi ſuprà*: nam hæc dicendum potiùs frequentiùs, quàm alia quædam vulnera occidere, & ſic multò rariùs ſanari, quàm quæ ſecundùm plurimum lethalia ſunt judicata; non quòd verè de neceſſitate interimant. Sed & lethale ſecundùm plurimum vulnus eſt, circa umbilicum duobus vel tribus digitis in circuitu inflictum, & hoc, ut inquit Arcæus *de cur. vuln. lib. 2. cap. 4.* & Fortun. Fidel. 25
lib. 4. Relat. cap. 2. ob nervos, qui in umbilicum pertingentes ea loca percutiunt: & hoc fortaſſe ſibi Homerum voluiſſe putaverim, qui Medicus fuit, & Chirurgus, quantum nonnulli aſtruunt, *Iliad. lib. 13.* in illis carminibus:

Meriones porrò abeuntem inſequens percuſſit haſtâ
Pudenda inter, & Vmbilicum, ubi maximè.
Fit plaga gravis ærumnoſis hominibus.

Et idipſum ſignificaſſe puto Torquatum Taſſum noſtrum, *in ſua Hieruſ. Cant 9. S. 68.* cùm inquit:

Poi fere Albin la'ue premier s'apprende
Noſtro alimento.

In cujus rei confirmationem non conticebo id; quod de iis, qui vivi excoriantur, à nonnullis relatum eſt, non mori nempe niſi umbilico ſecto. Legi hoc apud Leonem Africanum *in ſua Africa*, ex quo, & ex Scaligero refertur à Riolan. *lib. 2. Anthropograph. cap. 10.* imò Andr. Laur. *Anat. lib. 7. cap. 19. in fin.* ſimpliciter ſecto umbilico homines perire dicit, & conſueviſſe barbaros umbilicum orbiculatim ſecare, *Nam eo*, inquit, *reſecto ſtatim pereunt ſuffocati, concidente enim umbilicali vena hepatis vinculo, collabitur hepar, à quo trahitur diaphragma princeps reſpirationis organum.* Hæc ille. Et in enunciatione vulnerum lethalium hæc ſufficere poſſunt. Non lethalia 26
verò ſunt, quæcunque nullam ex his partibus attigerint, quæ ſimplicia fuerint, in parte ignobili, & obtuſo ſenſu prædità, quæ quantitate fuerint modica, in juvene robuſto, cùm armis incidentibus potiùs, quàm alterius generis inflicta.

Lethalia autem ex qualitate ipſorum vulnerum 27
judicantur, quæ cum contuſione ſunt, quæ magis compoſitas, & plures partes naturâ diverſas læſerint; ſic & quantitatis reſpectu, majora magis lethalia, quantum eſt ex hoc, minora minùs, & mediocria medio modo ſe habent. Cùm autem triplex quantitas ſit, vulnera quæ magis profunda, & penetrantia ſunt, minùs profundis, ſuperficiariis, & non penetrantibus ſunt magis periculoſa; ſic quæ in longum, aut in latum ſeſe extendunt, cæteris paribus minùs periculoſa iis, quæ magis profunda ſunt, & quæ rotunda, & in orbem ſe pandunt, cæteris magis periculo maxima, quòd hæc multo difficiliùs conglutinentur,

nentur, & idcircò sanguinis effusionem, inflammationem, & dolores in longum protrahunt, unde mors facilius succedit. Quin etiam respectu qualitatis armorum, nonnulla magis, aut minùs lethalia sunt. Si enim arma fuerint pungentia, hamata, ferrata, & hujusmodi, evidentiùs periculum afferunt quàm si simpliciter incidentia sint. Jo. de Virgo, *ubi suprà*. Fortun. Fidel. *ibid. cap.* 4. Si ea item fuerint contundentia, pejoris naturæ, ac magis lethalia vulnera infligunt: quamobrem vulnera sclopetorum, & aliorum id genus armorum, ob idipsum præter alias causas pejota sunt, quàm cum simplici ferro accepta. Venenata etiamsi fuerint arma quomodocunque, & qualecunque vulnus efferant, lethale est, ut *in sequenti quæstione* docebimus. Ætatem quo-
28 que vulnerati in considerationem venire oportet nam vulnera in senibus, cæteris paribus, periculo magis proxima, minùs puerorum, & robustorum juvenum, ob vegetum calorem, ut cum Gal. Medici omnes imò cum ipsa experientia sentiunt. Quin & sexus si consideretur, certum est, fœmineum facere ad majorem vulnerum securitatem, quia fœminæ
29 multò graviores ictus, & vulnera perpetiuntur, & ab his faciliùs sese extricant, quàm viri, adnotantibus etiam Jurisconsultis. Gloss. *in l. Nihil interest, in verbo, tam gravia ff. ad l. Juliam de Adult.* cum plerisque aliis, adductis à Tiraq. *de leg. Connub. l. 9. n.* 225. nam & alios etiam morbos difficiliores patiuntur quàm viri, ut dixi aliàs *lib.* 4. *harum Quæst. tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 18.

Temporis etiam constitutio facit ad majorem, vel minorem vulnerum securitatem: magis enim
30 periculosa in constitutione frigida & humida, quàm in quavis alia; licèt Hippocr. *de Cap. vuln.* dixerit, eos qui in capitis vulneribus parituri sunt, magis vivere, & longiori tempore in hyeme, quàm in æstate, pessimum omnium tempus autumnale judicatur. Fort. Fidel. *ubi aliàs, lib.* 4. *cap.* 2. Locorum quoque respectu vulnera magis aut minùs periculosa. Unum, idemque ejusdem partis vulnus, in hoc loco utplurimùm lethale, in illo utplurimùm non lethale. Vulnera capitis, quod pro exemplo sit, Florentiæ & Bo-
31 noniæ maximè lethalia, Romæ verò, & Ragusii non ita. Florentiæ, & Bononiæ (inquit Amatus *Cur. med. cent.* 6. *cur. ult.*) ita capitis vulnera periculosa sunt, ut ratò capite vulneratus sanetur; in hoc vero saxo Ragusæo contrario modo evenit, vix enim ex facto, & comminuto capite ægrotus decidit, imò plerumque convalescit. Idem de Ferraria testatur Joseph. Quercet. *de Vulner. Sclopet. cap.* 3. In summa autem, ut universaliter loquamur, in editis locis, apertisque, aëriisque tenuioris, capitis vulnera difficillimè, crurum facillimè sanantur, contrà in locis calidioribus, humilioribus, crassioriisque aëris, vulnera capitis facillimè, crurum difficillimè ad sanationem perducuntur: cujus rei causam quærit Prothus Casul. *lib.* 1. *Ætiolog. num.* 290. Atque ea quidem manifesta est; nam Aër editorum locorum, ob frigiditatem & tenuitatem, vulneribus capitis inimicus, ob siccitatem vulneribus crurum amicus: contrariæ causæ in diversis locis contrarios effectus producunt.

Ex statu denique vulnerati præcedenti vulnus, accipitur conjectura majoris, aut minoris periculi. Quæ enim vulnera in corporibus fiunt, & morbosis, & cacochymis, in convalescentibus, valetudinariis, vel morbis de facili obnoxiis, & hujusmodi personis magis absque dubio periculosa; & idcirco prudenter Jurisconsulti voluerunt vulnerantem infirmum, si ille decedebat, teneri de homicidio, etiam vul-
32 nere non existente mortali. Damhoud. *in Enchirid. rer. crimin. cap.* 87. *num.* 40. & adducti per Thom. Actium *de Infirm. part.* 2. *verb. vulnus num.* 1. *& seqq.* licèt contrarium velit Caball. *de omn. gen. hom. num.* 330. Sed ratio videtur militare pro affirmativa; dato enim quòd vulnus non mortale possit fieri mortale ex corporis impuritate ipsius vulnerati, videtur vulnerans dedisse proximam causam morti, ut in casu, de quo Manard. *lib.* 6. *Epist.* 1. in quo cùm supervenerit vulnerato, duobus vulneribus læso non quidem mortaliter, ut ipse probat, erysipelas, ob corporis impuritatem, mortuus est decimâ quartâ; & cùm unusquisque huic periculo subjici possit, nempe corporis impuritati, non videtur ullo modo excusandus vulnerandus, maximè si deliberato animo occidendi vulnerasse constet, si vulneribus non mortalibus existentibus, vulneratus ex corporis impuritate decedat, ex qua tamen, absque acceptione vulnerum, non decessisse; nam qui causam damni dat, damnum fecisse videtur, ut ipsis Jurisconsultis notissimum est; quibus hæc decidenda relinquantur, non enim sunt undequaque à dubio exempta per superiora.

SUMMARIUM.

1 *Vulnere existente lethali non excusatur vulnerans ex malo regimine, aut negligentia, vel imperitia Medici.*
2 *Vulnere lethali existente præsumptio mortis est ex vulnere, non obstantibus quibuscunque.*
3 *Vulnus si sit indifferens, & vulneratus suâ negligentia, vel ex Medici culpa periit; vulnerans non tenetur de occiso.*
4 *Vulnere non existente de certo lethali præsumptio est vulneratum non decessisse ex vulnere. Amplia, ut n. seq. declara, ut ibi.*
6 *Vulnus ex sua natura non lethale potest incuriâ, vel aliâ occasione fieri lethale.*
7 *Ex quibuscunque vulneribus homines perire contingit.*
8 *Causæ ex quibus vulnus, quod ex sua natura non est lethale, fieri potest lethale.*
9 *Culpâ Medici quomodo vulnus non lethale, fiat lethale.*
10 *Culpa ægroti quomodo succedat, ut vulnus non lethale, fiat lethale.*
11 *Medicum non adhibere, vel adhibere imperitum, paria sunt.*
12 *Non quilibet error vulnerati culpari potest, ad hoc ut vulnus non lethale, ejus culpâ mortem accersisse dicatur.*
13 *Vulnus non lethale quomodo ex culpa constitutionis corporis ipsius vulnerati fiat lethale.*
14 *Morbosus corporis status in vulneratis magnificiendus est.*
15 *Vulnera in quibusdam morbis difficulter sanantur.*
16 *Externâ culpâ quomodo non lethale vulnus occidat.*

Vulnus ex sua natura non lethale, an incuria, vel ex alia occasione fieri possit lethale.

QUÆSTIO III.

SEd eorum verborum occasione, quæ in fine superioris Quæstionis attulimus, videndum in præsenti, an vulnus, quod ex sua natura nequaquam lethale sit, possit incuriâ medentis, vel ipsiusmet vulnerati, ab extra, & per accidens fieri lethale, & cum effectu hominem è medio tollere, [Sennertus *lib.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. *pag.* 373.] hoc enim pro Jurisconsultis videtur valdè scitu necessarium, qui etiamsi quando vulnus est ex sua natura mortale (& maximè, inquam, quando de certo est mortale) non excusetur vulnerans ex malo regimine, aut ex negligentia, & imperitia Medicorum, sed omnino de ho- 2
micidio teneatur, Clar. *lib.* 5. *sentent.* §. *homicidium, num.* 33. qui de communi testatur Andreas Gail. *Observ. lib.* 2. *obs.* 111. *num.* 21. Farinac. *cons.* 100. *num.* 3
17. *& quæst.* 126. *num.* 12. quia dominatur præsumptio,

ptio, quòd vulneratus ex vulnere decesserit *l. Aiet lex. §. quid si mortiserè ff. ad l. Aquiliam.* Adducente Jo. Aloys. Ricc. *in prax. var. resol. 194. n. 3.* Tamen si vulnus fuerit indifferens ad sanitatem, & mortem, & vulneratus Medicum non adhibuerit, aut adhibuerit quidem, sed imperitum; aut si suâ ipsius negligentiâ & inobedientiâ mortuus fuerit, tunc vulnerans de homicidio non tenetur, cùm suâ ipsius culpâ reputetur mortuus, Joan. Trigonius *singul. 67. num. 1.* Pet. Ravenn. *singul. 797* Caball. *Cent. 3. cas. 248. n. 40.* latè Farinac. *ubi supra, num. 20.* Guazzin. *defens. 4.*

4 *cap. 10. num. 12.* semper enim præsumptio militat, quòd vulnere non existente de certo lethali, vulneratus non decesserit ex vulnere, Farinac. *cons. 121. lib. 2. num. 1. & 27.* & ex Medicis Codronch. *in method. testif. cap. 4.* & Fortun. Fidel. *Relat. lib. 4. cap. 2.* & facit text. *in l. si ex plaga, ff. ad l. Aquiliam.* ab ipso Fortunato nostro adducta. Imò volunt

5 multi relati per Guazzin. *ubi supra, num. 13.* hoc procedere quandocunque, etiamsi fortè vulnus ex sua natura secundùm plurimum occideret; licèt contrarium in utroque casu sentiat Boër. *quæst. 323. num. 8.* cum aliis ibi per eum adductis, quorum tamen sententia, saltem in priori casu, videtur omnino moderanda. Ac profectò præsumptio mortis ex vulnere debet sumi non simpliciter ex vulnere, sed ex aliis quamplurimis cum vulnere adjungi solitis, ut jam diximus. His ex causis scire magnopere expedit, an id succedere possit, & ex quibus causis,

6 & quoad primam partem facilè est respondere, quippe cùm apertissimè id decidatur per *l. Qui occidit. §. si vulneratus ff. ad l. Aquiliam*, & id fieri posse quandocunque, docent ex Jurisconsultis Corneus *cons. 283. lit. L. vol. 3.* Damhoud. *in Enchirid. rer. criminal. cap. 75. num. 2.* facit pro Medicis Valles. *in 5. Epidem. text. 97.* & casus à Langio narratus *lib. 1. Epist. 5.* & alter relatus à Monard, *de quo supra*,

7 & idcirco, ut jam non semel dixi, ab Hippocr. prolatum est, ex quibuscunque vulneribus homines aliquando decedere, nempe etiam ex minimis, & non lethalibus: & facit ad hoc pro Jurisconsultis, id quod dicebat Bartol. *de percuss. num. 8.* quod scilicèt quandoque quis moritur de levi vulnere, de quo alius non moreretur, id quomodo, & quibus ex causis succedere possit, docet Fortun. Fidel. *lib. 4. de Relat. Med. cap. 2.* Dato igitur, quòd id succedere possit, videndum quæ causæ ad hoc concurrant,

8 quæ reducendæ ex mea sententia, vel ad Medicum, vel ad ægrotum, vel ad externa. Nam quoad Me-

9 dicum, vel Chirurgum vulnus non lethale aliquando occidit, si ex ignorantia ille non noverit vulneris qualitatem, ut in casu, de quo Langius, ubi proximè, ubi Chirurgus sanciatum in capite equitem cum cranii fractura, vulneris exiguitati fisus, cranii fracturæ nullo modo medicatus est, unde vulneratus ob eum errorem è medio sublatus est, aliàs non periturus. Non dissimilem casum habes apud Forest. *lib. 6. Observ. 2.* de vulnere non lethali, ex quo tamen æger culpâ Medici interiit; eadem enim ratione, si Medicus nescierit remedia opportuna adhibere, aut adhibeat contraria ægrum perimit; si item phlegmonem, spasmum, sphacelum, doloris acerbitatem, & alia hujusmodi accidentia, corporis purgatione tam per pharmaca, quàm per sanguinis repetitas evacuationes, non prohibuerit, aut prohibere non curaverit, si secare ubi opus fuerit, nesciverit, aut non quantùm oportuerit, secaverit, ut in casibus ab Hippocr. relatis, 5. *Epid. text. 17.* & 28. si manantem item sanguinem supprimere ignoraverit; aut quid omiserit ad curam necessarium; aut quid etiam cum maximo ægroti damno fecerit, quod non facere præstitisset, ut secare ubi opus non fuerit, quemadmodum Medicus quidam proximis diebus faciendum inculcabat in levissima quadam capitis percussione absque fractura, ex qua æger nihil detrimenti reportaverat; tunc, inquam, ex Medici imperitia, & negligentia vulnus non lethale facilè occidere poterit. [V. Horstium *t. 1. p. 59.*]

Quoad ægrotum, manifestissimum est, quod ejus 10
culpâ idipsum potest succedere, ut si Medicum non adhibuerit, vel adhibuerit imperitum, cùm paria sint, Medicum non adhibere, aut adhibere imperi- 11
tum, Gloss. ex qua Farinac. *de Homicid. quæst. 120. sect. 4. num. 76.* Corrar. *de Med. & ejus off. part. 4. num. 161.* Thom. Act. *de Infirm. part. 1. cap. 47 num. 30.* Quia præstat, Medicum non habere, quàm malum habere, Rod. à Castr. *in Med. Polit. lib. 1. cap. 7.* Si item medicamenta opportuna sibi adhiberi non permiserit, aut quicquam moliri circa se renuerit, quod erat ad sanationem necessarium, si contra Medicorum sententiam aëri sese exposuerit, ut Telephanes apud Hippocr. *lib. 7. de morb. vulg.* aut si quomodocunque in usu sex rerum non naturalium insigniter peccaverit, Farinac. *dict. quæst. 127. num. 87. & seqq.* Non tamen quilibet error vulnerati jure cul- 12
pari in hac re potest, sed debet esse notabilis, ut prudenter monet Farinac. *quæst. 126. num. 25.* Guazzin. *ubi aliàs, cap. 8.* & eò, inquam, insignior, quò magis leve, ac tutum vulnus à peritis judicatum fuerit, tunc enim talis sit oportet negligentia, ac tales errores in victu, & medela, ut evidenter constet, ex eorum vitio ægrum succubuisse. At tunc quidem debent periti de his erratis peculiariter judicare, ac nominatim determinare, quòd hic error cum hoc vulnere, etiamsi non esset mortale, potuerit mortem accersere, & videtur quidem hoc maximè attendendum.

Potest insuper etiam ex culpa constitutionis cor- 13
poris ipsius vulnerati, vulnusculum aliquando nullius momenti, ipsum ad interitum trahere, & multò magis, si vulnus non esset omnino aspernabile, licèt salutare, ut insinuatur ab Hippocr. in casu Hippocomi Palamedis in Larissa, *lib. 5 Epid. text. 16. in fin.* per
illa verba, *Vlcus autem malorum causa nulla erat*, 14
quod Vallesius *in comm.* exponit; vulnus non fuisse lethale, sed salutare. Est autem tanti faciendus morbosus hic corporis apparatus in vulneribus, ut non solùm in mediocribus, sed etiam, ut dixi, in minimis, ejus maxima ratio sit habenda, cùm facilè ex ejus culpa possit minimum vulnus, & omninò salutare cacoëthiam, & pravitatem contrahere, ex qua deinceps ægrum, perire facillimum est; idcircò in ca- 15
checticis, elephanticis, hydropicis, phthisi, vel marasmo, aut non levi gallica lue affectis, vulnera etiam simplicia haud facilè sanantur, ac sæpe non sanantur; verba sunt Parei *lib. 9. suor. oper. cap. 10.* sed multò ante illum Hippocr. *lib. 6. Aphor. 8.* Ulcera in hydropicis facta difficulter sanari tradidit.

Quoad externa tandem multa sunt, quæ mortem 16
ex non lethali vulnere afferre possunt, nempe ipsa armorum qualitas, aër externus, regio, temporis constitutio, & alia, de quibus in superiori quæstione jam locuti sumus: quæ utrùm ejus momenti existimanda sint, ut reum ab homicidio excusare possint, non leviter dubitandum; illud certum est, non esse hæc talis ponderis, ut promiscuè in quocunque levissimo vulnere mortis causa esse possint, in mediocribus tamen vulneribus multùm cooperari non hæsitandum, ex quibus Jurisconsulti cætera decidere possunt, quæ ad id negotium facere videntur.

SUMMARIUM.

1 *Hominem vulnerantes juxta exitum vulneris pœnas luunt.*

2 *Non caret culpâ Medicus, qui futura impedimenta ex vulnere non prædixerit.*
3 *Vulnera de necessitate, aut secundum plurimum lethalia relinquunt hominem, qui ex iis fortè evaserit, debilitatum & multò deterioris conditionis.*
4 *Eos, qui crassos nervos sauciatos habent, necesse est claudos fieri. Declara hoc dictum, ut n. seq. & Limita regulam hanc, ut n. 6.*
7 *Membri abscissio, etiamsi reparetur, ejus usum omnimodum in posterum tollit.*
8 *Capitis magna vulnera reddunt hominem infœcundum, & aliquando ad coitum impotentem.*
9 *Vulnera in quibus cerebri substantia quantulacunque deperditur, hominem in animalibus functionibus ad eam cerebri partem attinentibus læsum relinquunt.*
10 *Occipitis vulnera utplurimùm cacitatem inducunt.*
11 *Ex temporum vulnere oculus aliquando amittitur.*
12 *Vulnera superciliorum aciem oculorum obtundunt, vide circa ejus rei veritatem, n. seq.*
14 *Vulnera superciliorum palpebras relaxant, visumque impediunt.*
15 *Asperæ Arteriæ vulnera non uniuntur, & usum loquendi, si magna fuerint, impediunt.*
16 *Utriusque Recurrentis nervi abscissio aphonum, hoc est, sine voce hominem reddit; alterutrius autem, perpetuò raucum facit.*
17 *Thoracis vulnera penetrantia fistulam relinquunt.*
18 *Cicatrix quid.*
19 *Cicatrix vel sanitati officit, vel pulchritudini, vel utrisque.*
20 *Cicatrix propriissimè pulchritudini obest.*
21 *Maculæ in facie indigniùs feruntur quàm alibi.*
22 *In facie nullas signari potest, ex Legum edicto.*
23 *Cicatricum differentia.*
24 *Vulnera magna, ac profunda magnas cicatrices faciunt.*
25 *Vulnera cum deperditione substantiæ, & præcipuè ossium cavas cicatrices relinquunt.*
26 *Cicatrices aliquando medentis culpâ magis deformes ex vulneribus relinquunt.*
27 *Cicatrices magis deformes respectu partium quæ.*
28 *Cicatrix in loco, in quo pili nasci solent, locum glabrum in futurum relinquit.*

Vulnera quæ usum Membri adimere, aut aliquod perpetuum impedimentum, vel deformitatem afferre possint.

QUÆSTIO IV.

1 HOminem vulnerantes juxta exitum vulneris (nam omitto alia considerare) pœnas dare debent ex legum sanctione; aliter enim puniendum decernunt illæ eum, qui vulnerando occidit aliter eum, qui usum alicujus membri vulnerando adimit, aliter eum, qui turpem cicatricem inducit, aliter denique eum, qui solius vulneris incommodum præbet, & solam injuriam vulnerando infert. Itaque necessarium videtur manifestare, quibus ex vulneribus talia impedimenta, vel cicatrices expectare conveniat, cùm jam de iis, ex quibus mors timenda est, abundè locuti simus, nam non modò factum impedimentum dijudicare, sed futurum quo-
2 que prædicere Medicus tenetur, & culpâ carere non videtur, quandocunque si talia impedimenta subsecutura no prædixerit, ut monet Galenus *lib. 1. de Anatom. Admin. cap. 3. class. 1.* Itaque antè nonnullas generales Regulas tradamus, deinde ad particularia membra, nempe à capite ad pedes usque descendente, id pro viribus manifestum faciamus, quod quærendum nobis proposuimus.

Sciendum ergo primò, vulnera omnia ex primo capite periculosa, nimirum quæ nobiles partes, aut 3
exquisiti sensus, aut magni, & præcipui usus læserint, videntur saltem ut plurimùm, & quasi necessariò hominem occidere: quòd si fortè fortuna ex iis convalescat, necesse est eum, per totum quod restat vitæ curriculum, debilitatum, ac multò deterioris conditionis fieri, quàm antea fuerit, non modò quia apparentem aliquem membrorum usum adimere aut impedire possunt, aut aliter corpus labefactare, sed quia eæ ipsæ partes debiliores de necessitate redditæ, cùm ad vitam omnino sint necessariæ, vitæ ipsi maximopere præjudicare, ipsamque breviorem, propter usus earum deteriorationem, reddere apta nata sint. Hoc omnibus Medicis est acceptissimum, nec ulla controversia disputabile, & facit inter infinita propemodum exempla illud, quod adducitur à Valesco Tarent. *lib. 1. Philon. cap. 1.* de capitis vulneribus in quodam milite, [& Sennertus *l. 2. cap. 13.* in quodam studioso in diaphragmate læso.] & eodem modo de reliquis partibus nobilibus exemplificare licèt.

Secundò eos, qui crassos nervos sauciatos habent, 4
necesse est claudos fieri, sic & si musculorum capita sauciata fuerint, vel musculi per transversum, vel tendines abscissi. Hæc regula est Hippocr. *1. de morb. sect. 2. text. 5. & 6. in Coac. prænot. num. 508.* & confirmatur quoque ab aliis. Tagaut. *lib. 2. Instit. Chirurg.* 5
cap. 3. & si quispiam desiderat peculiariter scire, qui nervi, aut musculi, aut tendines læsi, cujus partis impedimentum afferant, consulat de hoc Fortun. Fidel. *lib. 2. Relat. cap. 5.* ubi plura habentur. Sciendum verò, ex Petro Salio, *in priorem Hippocratis locum*, quòd illud, Necesse est claudos fieri, non est intelligendum solùm de eo crurum impedimento, seu depravatione, quam claudicationem nominamus, sed intelligendum est quoque per ea verba, quòd ex tali nervorum, tendinum, seu capitum musculorum abscissione, aut sauciatione membri, ad quod pertineat talium nervorum, capitum musculorum, ipsorumque musculorum, ac tendinum usus, depravetur, aut deperdatur motus.

Limitandum tamen dictum hoc quoad musculos, ut doctè admodum monet Fortunatus, *ubi sup.* quia membri motum, atque usum petire, ac depravari, ex abscissione aut læsione musculi verum est, quando membri functio unico musculo perficitur; si enim pluribus perficiatur, & alter tantùm musculus lædatur, aut abscindatur, tunc nequaquam necesse est actionem partis prorsus perire, aut insigniter depravari, sed tantùm debilitari. De particularibus autem musculorum functionibus, & læsionibus ex eorum vulneribus provenientibus, si quis magis peculiarem habere cupit cognitionem, Anatomicos consulat in tractatu de musculis, & præcipuè Gal. *in lib. de Muscul. dissect. & de mot. Muscul. & l. 4. & 5. de Anatom. admin. class. 1. & alibi ibi.* Vesal. *lib. 2. de hum. corp. fabr.* Andr. Laur. *Anatom. lib. 5.* Columb. *Anat. lib. 5.* Riolan. *Anthropograp. lib. 5.* & Anatomicos alios, & ex aliis Fort. Fidel. *ubi suprà.*

Tertiò, membri cujuscunque aut totalis, aut ma- 7
xima ex parte abscissio, etiamsi reparari per naturæ miraculum posset, semper tamen omnimodum usum illius membri impediet; quod amplia, etiamsi (ut dixi) non totaliter, sed magna ex parte illud membrum esset abscissum; & ratio est, quia in totali abscissione nervos, arterias, venas, musculos illi membro opitulantes abscindi magna ex parte, aut in totum necesse est; quorum instrumentorum plura abscissa, denuò coalescere non possunt Hipp. *6. Aphor. 19.* & in Coac *prænot. num. 504.* & ibi omnes Doctores. Quod etiamsi aliquo modo reuniri contendas,

tendas, quia tamen ex cicatrice, & callo impeditur transitus sanguinis, & spirituum ad subjectum membrum, semper motus, & sensus ejus membri, alteruter, aut uterque simul aboletur.

8 Cæterùm quoad particularia, sciendum primò à capite incipientes, quòd omnia ejus vulnera magna, cum periculo evidenti, & exitialia, nisi occidant, præter id, quòd diximus, quòd relinquunt hominem maximè debilem, vitamque ipsius reddunt breviorem, faciunt etiam sterilem, & aliquando
9 etiam ad coitum impotentem, ut notat Marcell. Donat. *lib. 4. hist. Med. mirab. cap.* 18. Præterea si cerebri substantiam vulnus attigerit; & in causa fuerit, ut ejus substantiæ aliquid fuerit deperditum, necesse est hominem in animalibus functionibus insigniter, licèt non semper eodem modo, & eâdem læsionis specie labefactatum iri, prout deperdita substantia ad hujus, aut illius conjugationis nervorum originem, aut progressum spectabit. Andr. à cruce *lib. 1. Chirurg. cap.* 14. quod Hipp. & Gal. auctoritati, & experientiæ innititur, & vide, si libet plures historias hujusmodi apud Schenck. *lib. 1. Observat. de Vulner. capit.* ex quibus elicies, nonnullos homines ex his vulneribus resolutos aliqua in parte remansisse, alios cæcos, alios strabones, alios surdos, alios memoriâ orbatos, alios denique mutos, alios fatuos & stolidos: & licèt nonnulli omnino etiam convaluerint, tamen aliquod notabile incommodum in ipsa vita breviore facta effugere non potuerunt, ita ut regula pro indubitata sit acceptanda.

10 Verùm circa partes ipsius capitis particulares sciendum, occipitis vulnera utplurimùm cæcitatem inducere, cujus rei causam quærit, & affert Epiph. Ferdin. *libro primo, Theorem.* 51. *quæst.* 44. & vide de hac re plura apud Marcell. Donat. *Med. hist. mirab. 2. cap.* 11. neque ab re ad hoc adducam legalem textum *in l. sed & si quemcunque* §. *si magister ff. ad l. Aquiliam*, ubi Tutor puero discenti, in-
11 genuo filio familias, parum bene facienti quod demonstraverat, formâ calcei cervicem ita percussit, ut oculus puero perfoderetur: vides enim quam bene hic textus aptetur ad rem nostram. Sed & idem Epiph. *ubi proximè, quæst. seq.* idem in altero oculorum evenire ex temporis vulnere asseverat, nempe dextrum oculum occæcatum fuisse ex tempore dextro vulnerato, sinistrum ex sinistro. Sed de hac materia, nempe de temporum vulneribus, vide Lang. *lib. 1. cap.* 10. Hippocr. ulteriùs *in Coac. prænot. sent.* 510. aciem oculorum obtundi iis
12 ait, qui in superciliis, vel paulo altiùs vulnera acceperint, & in amaurosim, hoc est, visus obscuritatem eos incidere, & quod magis consideratione dignum censetur, quò vulnus, inquit Hippocr. recentius est, eo magis vident, inveterascente autem, aut tardante cicatrice magis obtundi solet. Qui verò ejus rei causam noscere cupit, Duretum consulat in ejus loci *commento*. Et quamquam hoc etiam ex recentiorum experientia veritatem habere confirmatum est, tamen Fortun. Fidel. *ubi suprà*, est
13 propriis quotidianis, observationibus, nihil unquam tale sibi successisse testatur. Ego quid in hac re pro Hipp. dicam, non habeo, nisi id secundùm plurimùm succedere eo modo velimus: ob rationes, de quibus Duretus *in comm.* & Hollerius ab ipso Fortunato adductus. Modus fortasse læsionis ex ipsis vulneribus emanans considerandus, non enim æquè in omnibus succedere par est, ut Medici noverunt.

Paræus porrò *lib. 9. cap.* 23. dicebat, vulneratis
14 superciliis aliquando ita lacerari musculos palpebras moventes, ut ægri sanitati restituti, dum aciem oculorum in rem aliquam intendere student, cogantur ipsas palpebras propriâ manu attollere, quod impedimentum alicuius considerationis existimandum. Membranæ insuper oculorum dissectæ, præter alia multa symptomata, quæ inducunt etiam persanata, visui maximè officiunt, ob inductam cicatricem. Pigræus *lib. 4. suæ Chirurg. c.* 11. quamquam Gal. *lib. 1. de caus. sympt. c.* 2. & alii apud Schenck. *lib. 1. Observat. de oculis*, videtunt discissa membranâ, & humore albugineo exeunte, ægros visum recuperasse.

Asperæ Arteriæ vulnera non uniuntur; quin
15 etiam usum loquendi, si magna fuerint, impediunt, licèt Paræus *lib. 9. c. 29.* narret, se duos homines hac in parte vulneratos, ex aphonis vocales reddidisse: sed hi spatio trium vel quatuor dierum interierunt. Pigræus tamen *ubi sup. c.* 12. narret cujusdam viri historiam, qui eo loco vulneratus, sanatus quidem fuit, sed orificium vulneris apertum remansit,
16 ex quo biennio tantùm supervixit. [addi & referri huc potest *Laryngotomia* apud Fontan.] Sed etsi nervi recurrentes vulnerati fuerint, & abscissi, hominem aphonum, & absque loquela remanere necesse est, absque ulla spe illam unquam in futurum recuperandi: quòd si alter tantùm dictorum nervorum sauciatus aut dissectus fuerit perpetuæ raucedinis incommodo homo molestabitur, & semivocalis efficietur. Paræus *ubi alias*, Pigræus *ib. l. 3. c. 1.*

Thoracis vulnera penetrantia fistulam relinque-
17 re, & uniri nequaquam posse, communis est Medicorum opinio, de qua testantur Arcæus *de cur. vuln. lib. 2. cap. 1.* & Alvar. Nonn. *in annotat.* Cardan. *lib. 5. Aphor. 2.* Fallop. *de Vulner. cap.* 28. & ante hos omnes Bertaphalia *de Vulner. tract. 2. cap.* 2. ob eam causam homo ex his vulneribus licèt aliquando per annos supervivat, tamen denique tabidus moritur. Verùm idem Arcæus *ibid.* huic communi Medicorum sententiæ contrariatur: credit enim thoracis vulnera posse perfectissimè sanari, & omne futurum tabis incommodum facilè evitari, si diligenti operâ Medicus usus fuerit, cujus utplurimùm incuriâ, ac insciti eas molestias ab iis vulneribus relinqui affirmat: tradit autem ipse rectam rationem hujus curationis.

Porrò hic de cicatricum incommodo aliquid di-
18 camus, quid autem sit cicatrix manifestum est, vestigium quippe eam esse dicimus solutæ unitatis prægressæ ex contracto callo, in extremæ cutis unione apparens. Quæ definitio consona videtur dictis Gal. *lib. 14. Method. medend. cap.* 18. & huic non dissimilem affert Fortunat. Fidel. *lib. 2. Relat. cap.* 1. apud quem plura de hac materia habentur. Nos dicamus, cicatricem vel sanitati officere, vel pulchritudini: vel utrisque simul: non enim dubium est, quod aliquando cicatrix corporis functionibus obesse possit. Vide qui tumo-
19 rem propè podicem patiebatur, cui cum maturus jam præcideretur, ex cicatrice dehinc eâ in parte relicta, perpetuo tenesmo magna cum molestia afflictus est. Mulieres etiam ob cicatricem in utero relictam steriles fieri, ex Hippocr. auctoritate patet *in lib. de morb. mul.* & sic aliæ cicatrices in aliis partibus, ut in oculi tunica, de qua jam diximus, visui incommodare, in buccis, partibusque proximis loquelam impedire, & in aliis partibus aliàs lædere possunt. Sed propriissimè, ut
20 rectè existimat Fortunatus, cicatrix pulchritudini obest, cujus cùm præcipua sedes facies sit, idcirco
21 indigniùs ferri majorique dedecori (ut Plutarch. *in Policita ad Trajanum* dicebat) haberi solent verrucæ, ficusve in facie, quàm notæ, nævi, atque mutilationes in reliquo corpore, quod etiam ex

Hipp. *in Coac. prænot. cap.* 11. *part.* 3. Duretus firmabat, qua de re ſancitum eſt *in l. ſi quis in metallum. C. de Pœnis*, quam ex noſtris adducit Talliacot. *lib.* 1. *de Cur. Chirurg. cap.* 3. ne quis in facie ſignetur: tanti fecerunt legiſlatores faciei humanæ decorem: & Plato *lib.* 9. *de Leg. in fin.* vulnera quæ turpitudinem relinquant (qualia maximè ſunt quæ in facie cicatricem relinquunt) inſanabilibus vulneribus æquavit, & eandem pœnam in utriſque delinquentibus impoſuit. Cicatricum autem differentiæ
22 multæ eſſe poſſunt, omnes tamen huc tendunt, ut magis aut minùs conſpicuæ aut deformes ſint. Quæ enim majores ſunt, magis inæquales, duriori collo obductæ, magis cavæ, aut eminentes, magis conſpicuæ item ſunt, & ſic etiam magis decoti ac pulchritudini officiunt: contrà quæ minores, æquales, leviter junctæ, neque cavæ, neque eminentes, minùs conſpicuæ ſunt, & idcirco parum pulchritudini obſunt. Et hæc regula generalis eſt quoad, omnes omnium partium cicatrices, nam reſpectu partium longè aliter ſe res habet. Quales autem
23 cicatrices ex vulneribus remanſuræ ſint, ipſa vulneris natura, ac forma declarat. Vulnera magna ac profunda, magnas cicatrices relinquunt: inæqualia, & ferro non incidentes, ſed hamato, vel ferrato, aut quomodocunque inæquali inflicta, cicatrices etiam faciunt inæquales, & diſtortas. Quæcunque etiam vulnera cum deperditione ſubſtantiæ partium, ac præcipuè oſſium fiunt, cavas cicatrices, facere certum eſt, & demonſtrat. Hippocr. Auctoritas
24 *lib.* 6. *Aphor.* 45. & hæc à natura ipſius vulneris dependent: Aliàs autem culpâ medentis cicatrices ex vulneribus magis deformes reliquuntur, ut ſi aſperè tractentur, ſi lentè, & parum bene ſuantur, aut ſi ſuantur ubi opus non ſit, ſi ante opportunum
25 tempus diſſuantur, ſi medicamenta nimis, ac præter exigentiam denſantia applicentur, nam ad hæc omnia advertere debent, qui vulnera curantes remanſuræ cicatricis providentiam quoque habent.
26 Ad cujus negotii aſſecutionem Chirurgus quidam, ut relatum eſt, ſolebat vulnera inter ſe nulla conſuere, ſed ipſorum vulnerum labris optimè, ac quantum arctiùs fieri poteſt inter ſe unitis, aptiſque auxiliis in ea unione ad conveniens temporis ſpatium retentis, cicatrices efformare ſolebat elambendo propriâ linguâ, & ſic nullo modo à ſanato vulnere conſpicuæ erant.

27 Non dubium denique eſt, quod faciei cicatrices reſpectu aliarum partium magis deformes exiſtimandæ, Duretus *in Coac. prænot. Hipp. tract.* 2. *cap.* 2. *de Vuln. & fiſt. partic.* 3. quòd facies omnium partium pulcherrima ſit: ita ut majoris æſtimanda ſit minima cicatrix in facie, quàm maxima in quavis alia parte. Sed & reſpectu partium ipſius faciei, una cicatrix, & magis conſpicua, & magis deformis quàm alia eſſe ſolet, & circa id plura attulit jam ſæpe adductus Fortunatus, *loco proximè allegato*, cujus verba huc transferre libet. *Ergo*, inquit, *quæ in naſo apparet cicatrix, quantum ad partium ornamentum ſpectat, omnium maximè deformis eſſe mihi videtur, datâ nimirum in reliquis paritate: proxima verò quæ in malis, quas priſci genas appellant, & quæ, ut ait Plinius, pudoris ſedes eſt, ac maximum ruboris indicium: tertio loco quæ in buccis, niſi cum barbæ tegumento deliteſcit: quartò, quæ in labiis: poſtea quæ in oculis: deinde verò quæ in fronte apparet, ac quæ tandem in auribus.* Hæc Fortunatus, in cujus dictis licèt aliquæ difficultates eſſe poſſint, quarum nonnullas ipſe proponit, eæ leviores ſunt, neque ejus momenti, ut remorari nos ampliùs debeant.

Illud unum addam, cicatricem in loco, in quo pili enaſci ſolent, relictam, hoc præ cæteris cicatricibus incommodum afferre, ut glaber locus perpetuò appareat, quod quam faciat deformitatem, omnes norunt. Glabra verò loca cicatrice obducta remanent, ob ipſarum cicatricum calloſitatem & duritiem, quam mollis pilus perforare non poteſt. Sed cur, inquies, in aliis animalibus pili in cicatricibus naſcuntur, quod etiam teſtantur Card. *lib.* 7. *de variet. c.* 4. Num, quia duriori pilo dotantur? ſed profectò hoc locum in omnibus non habet: aliam igitur cauſam venari oportet. At qui plura de hac materia deſiderat audire, ad Fortunatum recurrat, qui ſummâ diligentiâ hæc percurrit.

SUMMARIUM.

1 *Conjectura deſumpta à tempore inter vulnus & mortem, Quòd vulnus fuerit lethale, aut non lethale, parem habet neceſſitatem, & difficultatem determinationis.*
2 *Certus terminus pro vulnerum ſecuritate aſſignari non poteſt.*
3 *Vulnera capitis quadrageſimo, aut ſexto ſupra quadrageſimum, tranſacto, periculum non afferunt.*
4 *In vulneribus qui termini periculi aſſignari ſoleant.*
5 *Vulnera capitis ad centeſimum, & ultra, periculoſa.*
6 *Vulnera capitis quouſque periculoſa.*
7 *Vulnere exiſtente lethali non attenditur ullum tempus mortis.*
8 *Iudicis arbitrio relinquitur ad quodnam uſque tempus ulnus dici potuerit mortem attuliſſe.*
9 *Judex in determinando hoc tempus debet ſuum arbitrium ex Medicorum dicto moderari.*
10 *Non poteſt unica temporis determinatio in ſingulis vulneribus aſſignari.*
11 *Vulnera ſincipitis magis periculoſa, & breviori tempore occidunt, quàm in occipite.*
12 *In vulneribus lethalibus videtur terminus acutorum morborum acceptandus.*
13 *Decedens intra triduum ab accepto vulnere, præſumitur ex vulnere mortuus, quibuſcunque non obſtantibus, Amplia, ut n. ſeq.*

De conjecturis ex quibus vulnus lethale vel non lethale fuiſſe judicatur, & primò de conjectura deſumpta à tempore intermedio inter vulnus, & mortem.

QUÆSTIO V.

QUoniam ſæpiſſime occurrit, quod homicidæ, vel qui homicidii accuſati reperiuntur, opponunt de Vulneris inhabilitate ad occidendum, & mortis cauſam, aut in ipſius ægroti negligentiam, & intemperantiam, aut malum habitum, & ſtatum valetudinarium, aut Medicos, & Chirurgos, aut in novum aliquem morbum, aut in aliud quid ab extra adveniens conjiciunt, idcirco ſummâ, ac exquiſitâ diligentiâ Juriſconſulti conjecturas aliquas proponunt, ex quibus faciliùs in veritatis cognitionem deveniamus, ac realiter cognoſcamus, utrùm mors ex ipſo vulnere, quod verè lethale extitiſſet, an ex alia quacunque cauſa originem traxerit: quas conjecturas mirâ diligentiâ proſecutus eſt Farinac. *quæſt.* 127. *part.* 2. *a num.* 28. *ad plures ſeqq.* eas tamen omnes examinare, & longum eſſet, & extra rem noſtram, cùm earum plures ad Medicum negotium non faciant. Examinemus ergo eas, quæ & ad nos pertinent, & majoris momenti ſunt: & præ omnibus quidem ea magnifacienda videtur, quæ à tempore deſumitur, quam- 1
obrem de hac primùm verba faciamus. Habet autem ejus rei deciſio parem, & difficultatem & neceſſitatem: difficilis enim eſt tum ob vulnerum ipſorum multiplicem differentiam, tum ob variam individuorum conſtitutionem & naturam, tum ob infinita propemodum ab extrà vulneribus accidentia, ob quorum culpam vulnera aliquando citiùs,

aut

aut ſeriùs occidunt, & citiùs quoque, aut ſeriùs ſanantur, quàm deberent. Quin etiam difficile hoc punctum facit diſſidentia Auctorum cùm Medicinæ tum Juriſconſultorum, qui in tempore ſecuritatis vulnerum ſtabiliendo diſcordes in ſe mirum in modum extiterunt: cujus rei potiſſima cauſa eſt particularium caſuum eventus, quibus obſervatum eſt, vulnera modò procraſtinare, modò accelerare mortem, etiamſi unius ejuſdemque naturæ ſint, unde certum terminum pro eorum ſecuritate aſſignari poſſe nonnullis impoſſibile viſum eſt. Sed tamen hujus difficultatis ſolutio maximè videtur 2 neceſſaria, quia iniquum eſt, & contra Juſtitiam fontes aliquando abſolvi, multò magis iniquum, & contra humanitatem inſontes ſupplicio affici, ut facilè utrumque evenire poſſet, ubi brevius, & longius, quàm in rei veritate ſit, id temporis conſtituatur: quamobrem valde in hoc elaborandum, ut veritatem, ſi fieri poſſit, aſſequamur.

Communis ergo opinio, de qua teſtantur inter Juriſtas Ang. *in l. unic. C. de emend. ſerv.* ex quo Clar. *in libro quinto, ſent. §. Homicidium n.* 35. Boër. *quæſt.* 32. *ſub numero undecimo.* Andr. Gaill. *libro ſecundo, Obſerv.* 111. *num.* 13. Guazzin. *ad def. reorum, def.* 4. *c.* 10. *num.* 1. *ſeqq.* & alii per eum relati, & inter Medicos Guido Cauliac. *ſua Chirur. doctr.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. Marcell. Donat *ſua hiſtor. Med. mirab. lib.* 5. *c.* 4. & alii, eſt vulnera Capitis (quæ præ cæteris ſuſpecta proculdubio ſunt) quadrageſimo die, aut ad ſummum quadrageſimo ſexto tranſacto, non ampliùs periculum afferre. Nonnulli tamen Medicorum, ut idem Guid. Gauliac. *ubi ſupra* Tagault. *lib.* 2. *Inſtit. Chirurg. c.* 1. & inter & Juriſconſultos ex eodem Guidone Boërius, *ubi proximè*, & alii tam 4 ex Juriſconſultis, quàm ex Medicis, in vulneribus, ac præcipuè capitalibus, tres conſtitui terminos voluerunt, nempe ſeptimam, nonam, vel decimamquartam, & Quadrageſimam, juxta terminos aliorum morborum acutorum: non deſunt autem qui eos terminos longiùs multo protrahunt: Nam ex 5 Medicis Marcell. Donat. *ubi ſupra*, vulnera capitis etiam poſt centeſimum, & ad 130. uſque periculum afferre inculcabat. Sed de hac temporis determinatione plures refert opiniones Farinacc. *quæſt.* 126. *num.* 11. *& quæſt. ſect. num.* 33. *& ſeqq.* nam alii etiam poſt octo menſes vulnus poſſe periculum afferre decreverunt: alii etiam poſt annum, quin aliis etiam 6 poſt integrum triennium. Sed ex noſtris quoque Fallop. *de Capit. vulner. cap.* 45. dicebat aliquos ex illis perire, poſt duos aut tres annos. Eam ob rem eò res devenit, ut nonnulli apud Farinac. *ubi proximè*, non attendi tempus voluerint, ſed ſi vulnus ex ſua natura fuerit lethale, vulneratus proceſſe- 7 rit, ut inquiunt, de malo in pejus, & tandem mortuus ſit, ſemper dicendum eſſe, illum ex vulnere mortuum fuiſſe. Hippol. de Marſil. *in l. ſi in rixa num.* 63. *& ſeq.* Boër. *ubi ſupra n.* 10. relati ab ipſo Farinaccio.

8 Communis autem Juriſconſultorum opinio, de qua ille, eſt eam rem Judicis arbitrio decidendam eſſe: quam tamen opinionem prudenter quidem moderatur Farinacc. *ibid. num.* 50. *& ſeqq.* volens in hoc Judicem debere ſequi Medicorum, aut Chirurgorum ſententiam: & jure quidem optimo, quomodo enim arbitrabitur Judex ex ſe in re, quam prorſus ignorat? Quamquam enim ſcientiſſi- 9 mus Legum fuerit, & exquiſitè, quantum ad Juriſconſultum pertinet, de ea temporis conditione determinare ſciverit, naturam tamen particularium individuorum, cujus reſpectus habendus in ſententia ferenda, nunquam ut Medicus callere poterit, qui etiam in hoc caſu requiritur, ut ſit magnæ experientiæ: nam contingit juxta eorundem individuorum naturam, mortis aut ſalutis, periculi aut ſecuritatis termino variari; neque ſolùm corporum particularium naturas, ſed partium quoque vulneratarum, adhibere in judicio oportet, quod quanam ratione per ſe determinare abſque Medicorum ope Judex poſſit, ego quidem non video. Quicquid autem ſit de hoc Judicis arbitrio, palam illud eſt, nequaquam fieri poſſe, ut hæc temporis determinatio poſſit unica in omnibus vulneribus 10 aſſignari, & indifferenter in unoquoque ſubjecto, imò neque in una eademque parte: de neceſſitate enim ob plures ab extrà accidentes cauſas eam variari oportet: Alius enim terminus alligandus eſt in ſimplici capitis vulnere, quod ſolam cutem cum modica cranii læſione violaverit, alius ſi cranium fiſſum, aut cerebrum concuſſum fuerit, alius ſi Meninges, ſeu cerebri cooperientes membranas laceraverit, alius ſi ad cerebri ſubſtantiam, alius ſi ad ventriculos uſque, & intimiores partes penetraverit: item alius ſi ſinciput, alius verò ſi occiput læſerit, cùm in illo magis periculoſa vulnera ſint, & breviori tempore occidant, quàm in hoc. Hipp. 11 *de vuln. Cap. in prine.* Amat. Luſitan. *Curat. Med. cent.* 6. *cur ult.* Quinetiam alium terminum requirunt vulnera Capitis, alium Pectoris, alium etiam viſcerum inferiorum, alium magnorum articulorum, & ſic de cæteris. Cùm ergo in infinitum particularia variari contingat, variari etiam in infinitum hos ipſos terminos neceſſe eſt. Sed ſiqua conjectura ex tempore inter vulnus, & mortem deſumi poteſt, ad hoc ut vulneratus ex vulnere præſumatur mortuus, non autem ex alia cauſa, aut vice verſa, profectò terminus acutorum morborum in vulneribus lethalibus, & periculo proximis præ cæteris videtur acceptandus: [Confer Hippocratem *in Coacis libr. de capit. vuln. & 4. popul.*] intra quem terminum vulnerato decedente, ſemper quantum eſt ex hoc, debet dici ex vulnere mortuus, & ſemper præ- 12 ſumptio pro vulnere eſſe debet: Et ratio concluſionis eſt, quia ſtante cauſæ evidentiâ, quæ influit in futuram mortem, conjuncta cum ſufficientia ejuſdem cauſæ, non debet culpa mortis in aliam minùs evidentem, aut minùs ſufficientem cauſam conjici, quod maximè procedit in vulneribus ex primo capite, aut ſecundùm plurimum lethalibus. Contraria verò cauſa militat tranſacto prædicto termino, & contraria inde ob id conjectura debet emergere: quia jam & ab evidentia, & à ſufficientia cauſæ illa deficit, neque tam promptè influit in mortem: præterquam quòd in diuturniori tempore veriſimilius eſt novam cauſam irrepſiſſe, quàm in breviori: quia & plures ab extra irruunt, & ipſi ægrotantes tædio docti faciliùs in aliquem errorem labuntur, ex quo mors ſubſequitur.

Illud abſque dubio procedere omnino debet, quòd decedente vulnerato intra triduum, & multò 13 magis eâdem die, præſumatur mortuus ex vulnere, non obſtantibus quibuſcunque. Farinac. *Conſ. Crim.* 100. *num.* 16. & ratio eſt, quia vix dari poteſt morbus acutus, qui vulneri non ex culpa vulneris ſuperveniat, qui tam brevi ſpatio hominem è medio tollat. Ego quidem non modò hanc concluſionem pro veriſſima recipio, ſed non abſque ratione ampliandam cenſeo, ad ſeptimam uſque extendendam: quia etiamſi non ſit impoſſibile, perdifficile tamen videtur intra hunc poſtetiorem quoque terminum tam acutum morbum, qui non ex vulnere procedat, irrepere, ut intra ſeptimum occidat, eo quòd utplurimùm in vulneribus maximè non aſpernandis, vel ex ſe, vel ex

arte,

atte,& aliquando ex utriuſque cauſa, ſtatim in ipſa vulnerum acceptione, vel paulo poſt multum ſanguinis evacuetur: ex qua evacuatione non eſt dubium, retardari nullo negotio poſſe qualemcunque imminentem acuti morbi impetum, præcipuè cùm antequam morbus ſe prodat, facta ea evacuatio fuerit. Relinquo alia præſidia, ut plura diverſionum genera, quæ cùm pro cura vulneris exerceantur, facilè poſſunt futurum morbum inhibere, aut ſaltem ejus impetum retundere, & ex acuto minùs acutum facere, ita ut nullo modo poſſit intra ſeptimam, ut acutiſſimi ſolent morbi, occidere. Sed circa hanc temporis conjecturam, vide nonnulla alia *in quæſt ſeq. n.* 19. *& ſeq.*

SUMMARIUM.

1 *Conjectura lethalitatis vulneris ex natura partis deſumpta præ cæteris eſt urgens.*
2 *Partis natura per ſe ſola reddit vulnus lethale, aut tutum.*
3 *Ex partis natura deſumitur certiſſima conjectura qualitatis ipſius vulneris.*
4 *Conjectura vulneris lethalis ex qualitate, & quantitate vulneris.*
5 *Simplex vulnus tutum eſt.*
6 *Vulnus quantò minus, tantò tutius.*
7 *Magna vulnera etiam in ſimplici carnis periculo non videntur vacare.*
8 *Ex ſimplici magnitudine vulnera redduntur lethalia.*
9 *Conjectura ex qualitate armorum.*
10 *Vulnera ære inflicta tutiora.*
11 *Conjectura deſumpta ex armorum venenatione eſt urgentiſſima.*
12 *Conjectura ex fama publica.*
13 *Vulneratus non præſumitur mortuus ex vulnere, quod Medici judicarunt non eſſe mortale.*
14 *Conjectura ex natura, & perſeverantia accidentium.*
15 *Paria ſunt ex vulnere, aut ex morbo à vulnere cauſato aliquem decedere.*
16 *Percutiens infirmum, vulnere etiam non lethali exiſtente, tenetur, infirmo decedente, de homicidio.*
17 *Conjectura quod vulnus non fuerit mortale, deſumitur ex remiſſione accidentium.*
18 *Vulnerato poſt triduum ſurgente è lecto, ambulante, vulneratis non tenetur illo decedente niſi de vulnerato.*
19 *Vulneris accidentibus remiſſis, non præſumitur vulneratus ex vulnere mortuus. Contrarium n. ſeq. Declara ut num.* 23.
21 *Recidiva facit conjecturam vulneris lethalis.*
22 *Morborum, & vulnerum remiſſio triplex.*
24 *Supervenientia malorum accidentium facit præſumptionem vulneris lethalis.*
25 *Status valetudinarius vulnerati poſt vulneris ſanationem facit conjecturam, vulnus fuiſſe lethale.*
26 *Vulnus non fuiſſe lethale conjicitur ex vulneris conſolidatione.*
Limita hanc conjecturam, ut num. ſeq.
28 *Vulnus quanto tempore apertum manere debeat.*
29 *Vulnus ante tempus fuiſſe conſolidatum ex quibuſnam conjici poſſit.*
30 *Farinacii conjectura de vulneris lethalitate examinatur, & num. ſeq.*

Examinantur aliæ conjecturæ, ex quibus probatur vulnus fuiſſe, aut non fuiſſe lethale.

QUÆSTIO VI.

SEd præter conjecturam à tempore deſumptam, quòd vulnus lethale aut non lethale fuerit, vel melius, quòd cauſa mortis vulnus extiterit, aut non extiterit, ſed aliunde dependentiam habuerit, alias permultas afferunt præſumptiones, ac conjecturas Juriſconſulti, quas, ut dixi, exquiſitiſſimè proſequitur Farinacc. *in ſæpe citata quæſt.* 127. *à n.* 2. *ad plures ſeqq.* Has etiam nos majoris doctrinæ gratiâ proſequemur: ut quemadmodum Juriſconſulti in veritate indaganda munus ſuum explent, ſic & nos in eundem ſcopum conſpirantes noſtram provinciam abſolvamus.

Secundam ergo conjecturam, ſeu præſumptionem deſumunt ex partis vulneratæ natura: nam profectò hæc una præſumptio præ omnibus videtur urgere, cùm verè partis ipſius ſola natura vulnus reddat lethale, aut tutum, ut prudenter admonet Fortun. Fidel. *lib.* 4. *Relat. c. ſecundo, in princ.* & dixi etiam *ſupra, quæſt.* in quam ſententiam conſpirare etiam videtur Salius *in primum de morb. ſect.* 2. *text.* 7. Itaque licèt Medici contendant, ac profectò ſatiſſima cum ratione, non ſolùm ex partis læſæ natura vulnera reddi lethalia, ſed ex quamplurimis aliis rebus, tamen cætera pro nunc poſthabeamus, & id tantùm, quod in præſenti negotio pro Juriſconſultis facit afferentes, dicamus, quòd omnium evidentiſſima ac certiſſima conjectura abſque ulla hæſitantia deſumi debet ex natura partis vulneratæ, quæ ſi in illarum numero fuerit, quæ vulneratæ hominem perimere de certo ſolent, aut ſaltem utplurimùm, præſumptio debet eſſe, vulnus mortis cauſam extitiſſe. Si de hac ergo conſtabit, onus probandi contrarium incumbet ei, qui contra hanc conjecturam opponit: nam quæcunque in contrarium urgeant, niſi evidentiſſimè probentur, videntur præ hac præſumptione ne flocci quidem facienda. Quamobrem etiamſi opponeretur notabilis negligentia vulnerati, & errores tam ipſius vulnerati in victu, quàm ipſorum Medicorum in medendo, ſeu quodcunque aliud, in quod rationabiliter mortis culpa reiici poſſet, tamen remanente ſemper habilitate vulneris ad occidendum ex partis ipſius natura præſumptio hæc aliis omnibus prævaleret, & tantò magis quantò nobilior eſſet pars vulnerata, & quantò intimiùs ad ipſam parte vulnus penetraſſet.

Tertiam conjecturam deducunt Juriſconſulti ex qualitate & quantitate vulneris Nos qualitatem à quantitate diſtinguamus. Qualitas vulneris facit præſumptionem, quia ſi ſimplex vulnus ſit, tutum eſt, quantum eſt ex hoc, ſi compoſitum contrà. Simplex dicitur in ſimplici parte carnoſa inflictum, & ſimplici inciſione factum: compoſitum in parte factum, quæ ex pluribus partibus ſimplicibus compoſita, & ipſas omnes, vel earum plures obſidens, aut cum contundenti inſtrumento, vel non ſimpliciter inflictum, & hujuſmodi.

De quantitate quoque idem eſt dicendum: quantò enim minor continuitatis ſolutio fuerit, eò major præſumptio ſecuritatis invaleſcit, adeò ut, ſicut aliàs dictum eſt, vulnuſculum non modò non præſumatur lethale, ſed neque ullum habere in ſe delictum: contrà vero magna vulnera etiam in ſimplici carne, cùm periculo non vacent, præſumptionem aliquam faciunt, quòd vulnus mortis cauſa eſſe potuerit, nam abſque ratione Foreſt. *lib.* 6. *obſ.* 7. *in Schol.* ex ſimplici magnitudine vulnera reddi voluit lethalia: conſentaneum enim eſt in magnis vulneribus magnam fieri ſanguinis effuſionem, & accidentia majora, & vehementiora ad ea conſequi, quàm in minoribus: præterquam quòd ratò, aut nunquam magnum vulnus abſque multorum vaſorum inciſione eſſe poteſt. Facit pro Juriſconſultis *text. in l. vulneris ff. de iniuriis, & fam. lib.* ubi vulneris magnitudinem dicebat facere atrocitatem, quo loco de ſimplici magnitudine quantitativa locutus eſt textus nam de qualitativa in ſequentibus verbis

verbis loquitur cùm dicit. Et non nunquam locus vulneris, (adde ex Gloſſa, facit majorem atrocitatem) nimirum pars ipſa vulnerata.

9 Quarta conjectura apud eoſdem Juriſconſultos deſumitur ex qualitate armorum, de hac Felinus *in cap. ſignificaſti, lib. 2. de homic. vol. & caſ. num. 8.* & 10. Maſcar. *de probat. concluſ. 1073. num. 9. tom. 2.* quæ-
10 dam enim arma, ut aliàs diximus, pejora, & magis periculoſa vulnera faciunt, quemadmodum alia contrà minus periculoſa: nam exempli gratiâ, vulnera ære inflicta benigniora ſunt; citiuſque ſanantur, cujus rei cauſam quærit Ariſtot. *lib. 1. probl. 35.* at contrà ſi ferrum rubigine obſitum fuerit, vulnera inde maligniora fiunt. Fortunat. Fidel. *lib. 4. Relat. cap. 4.* Sic vulnera ſclopo, tormentariiſque inſtrumentis facta, cæteris pejora cenſenda, ut aliàs dicemus, datâ tamen paritate in cæteris conditionibus. Idcirco hæc conjectura cum aliis adjuncta aliquid operari poſſet, licèt ipſa
11 per ſe magni momenti exiſtimanda non eſſet: niſi conſtaret arma ipſa fuiſſe venenata, tunc enim hæc præſumptio eſſet adeò urgens, ut ex ſe ipſa ſola facere poſſet evidentiſſimam conjecturam, quòd vulneratus ex vulnere mortuus fuerit, etiam cæteris omnibus conjecturis, & præſumptionibus in contrarium facientibus, ipſius quoque partis naturâ, quæ omnium urgentiſſima eſt, non obſtantibus: ſed de hac re longioribus in particulari quæſtione pertractabimus.

12 Quintam conjecturam, quæ tamen Medica non eſt, ſed merè ad ipſos Juriſconſultos ſpectat, deſumunt illi ex fama publica: ſed quemadmodum, vel ipſis Juriſconſultis aſſerentibus, vulneratus non præſumitur mortuus ex vulnere, quod Medici ju-
13 dicarunt non eſſe mortale, Menoch. *de Arbitr. lib. 2. cent. 3. caſ. 374. n. 11.* ſic non obſtante etiam famâ publicâ id procedere debet, plus enim credendum, ut aliàs dixi, duobus Medicis, quàm mille aliis contrarium aſſerentibus: nam aliquando Idiotæ, & vulgus hominum vulnus conſpicientes magnum cum magna ſanguinis effuſione, vulnerato poſtmodum decedente etiam poſt multos dies, judicant ex vulnere fuiſſe mortuum, & ſic totâ civitate, vel vicinià, vel majori parte idem dicente, emergit fama publica: quæ in hoc caſu minimè probabit, contrarium aſſerentibus Medicis, qui vulnus non ex magnitudine, & magna effuſione ſanguinis, ſed ex qualitate judicant, & naturâ partis vulneratæ, ut jam diximus.

14 Sequitur ſexta conjectura, quæ & ipſa urgentiſſima eſt, deſumiturque ex natura, & perſeverantia accidentium: ſi enim vulneratus febre correptus fuerit, dolore, ſpaſmo, & his non diſſimilibus ſymptomatibus, & hæc quidem ſemper perſeveraverint, atque æger in deterius labatur, quouſque tandem diem obeat, tunc omni procul dubio ex vulnere mortuus eſt præſumendus: contrà verò ſi evenerit, contraria militat præſumptio. Facit Manard. *lib. 6. Epiſt. 1. in 1. ſupp.* tametſi verò Fortun. Fidel. *loco ſæpius cit. in fin.* hanc ſententiam improbet, ex hoc, quòd poſſit dari leve vulnus, ac omni ex parte totum, ex quo vulneratus ſemper in deterius labatur, ac tandem pereat, ut ſi cacochymiâ laboraverit vulneratus, & ex hoc vulnus illud perpetuum dolorem excitaverit, & inflammationem contraxerit, quemadmodum etiam ſi debilis ex ſua natura pars hujuſmodi vulnus acceperit, vel ob imbecillitatem vulnus prava accidentia excitando mortis cauſa fuerit: ad hoc tamen ego reſpondeo (quicquid ſit de hoc, an nimirum mortuus dicatur aliquis ex illo levi vulnere; necne, ita ut vulnerans de vulnerato tantùm, & non de occiſo teneatur, aut contra, hoc namque aliàs diſcutiam) quòd dummodo conſtet accidentia ex vulnere ipſo originem habuiſſe, & ſemper uſque ad mortem perſeveraſſe, ſemper ex vulnere præſumi debeat mortuus vulneratus. Quod enim in ſano corpore haberet ſe ut cauſâ remota, & eſſet ſolùm occaſio mortis, quandocunque novus morbus ſupervenireret: in corpore cacochymo, debili, valetudinario, habet ſe ut cauſa proxima, & efficiens, cùm abſque tali vulnere nunquam ille, qui vulneratus eſt, deceſſiſſet, quod in ſano homine non habet locum, quia etiam abſque tali vulnere, ſuperveniente malignâ febre, ſeu aliò quocunque morbo lethali, mori abſque dubio poterat; nam accidentia hujus novi morbi, quemadmodum ſunt improportionata ſalutari vulneri in homine ſano, ſic ſunt proportionata etiam levi vulneri in corpore morboſo. Non enim ſi ex cacochymiæ vitio vulnus non lethale efficiatur lethale, dici poteſt novus morbus ſupervenìſſe; quia ſic fert conditio corporis cacochymi, ut etiam leve, ac ſalutare vulnus prava accidentia excitare, & mortem afferre aptum ſit. Exemplo ſint ulcera ipſa etiam non maligna, quæ licèt in ſano corpore facilè ſanentur, ſi corpus occupaverint hydrope affectum abſque eo quod novus morbus adveniat, ſed ex ſola particulari conſtitutione ejus corporis hydrope affecti, ægerrimè ſanantur. Facit pro his caſus, de quo Horat. Augen. *lib. 9. Epiſt. 3.* nam is, qui vulnus acceperat, valetudinarius erat, & ob id, licèt ex ſua natura vulnus illud lethale non fuiſſet in alio ſubjecto, in illo non erat dicendum abſque periculo eſſe. Quamobrem nequaquam in eo caſu procedere crediderim Augenii opinionem, contendentis, vulneratum illum ex alio morbo periiſſe, non ex vulnere: ſatis enim eſt, quòd in hoc ſubjecto hujuſmodi vulnus non vacet periculo, ſic enim ſemper vulnus influit in mortem, cùm valetudinarius ille non vulneratus etiam ex levi illo vulnere non fuiſſet mortuus. Quòd ſi dicas, ex vulnere valetudinem fuiſſe adauctam, imo vulnerati ſtatum mutatum, tunc dico, quòd quemadmodum abſque infirmitate non eſſet ſecuta mors, ſic neque abſque vulnere infirmitas, Bart. *de percuſſ. num. 5.* paria verò ſunt ex vulnere, aut ex morbo à vulnere 15
cauſato aliquem decedere. Idem Bart. *ibid. num. 1.* Boërius *deciſ. 175. num. 10.* Facit pro Medicis Galen. *de cauſ. Procatarct. cap. 2.* ubi non lethali, vel mediocre vulnus in corpore imbecillo mortis cauſam fuiſſe contendit, refellens eos, qui in imbecillitatem cauſam mortis rejiciebant. Unde non abſ- 16
que ratione apud nonnullos Juriſconſultos invenio, quòd percutiens infirmum, non exiſtente etiam vulnere lethali, ſi ille decedat, teneatur de homicidio. Damhouder. *in Enchirid. rer. crim. cap. 87. num. 40.* licèt contrarium teneat Caball. *de omni genere homicid. num. 530.* quod tamen declarandum videtur: nam vel infirmitas erat omnino lethalis, & quaſi deſperata, & tunc Caballi opinio poſſet utcunque procedere: at non exiſtente infirmitate lethali, & poſt vulnus ægro in pejus lapſo, opinio Damhouderii videtur acceptabilior. Ad quid autem verè teneatur vulnerans in his caſibus, poſtea cum Juriſconſultis pleniùs diſcutiam. Contraria porrò 17
conjectura, nimirum quòd vulnus non fuerit lethale, deſumitur ex remiſſione accidentium, & ex eo quòd vulneratus melius habuerit, licèt deinde recidivans mortuus fuerit. Circa quàm conjecturam adnotandum eſt, nonnullos Juriſconſultos, voluiſſe,

quòd

quòd ſi vulneratus poſt triduum ſurrexerit à lecto, & ambulaverit, vulnerans jam ultra non teneatur de occiſo. Petr. Raveno. *ſing.* 795. tanquam ſi non præſumatur ex vulnere mortuus, & videntur omnes in hoc concordare: quòd ſi accidentia vulneris 19 ceſſaverint, aut magna ex parte remiſerint, non præſumatur vulneratus mortuus ex vulnere. Damhoud. *in Enchirid. rer. crimin. cap.* 77 *n.* 10. Menoch. *de arbitr. caſ.* 275. *num.* 9. Farinac. *loco ſapius cit.* cum adductis ibi per ipſos, & de hujuſmodi tam Juriſconſultorum, quàm Medicorum communi opinione teſtatur ex noſtris Fortun. Fidel. *lib.* 4. 20 *relat loco proxime cit.* qui tamen hanc ſententiam omnino improbat eâ ratione ductus, quòd ægritudines malignæ, & ipſa quoque maligna, & pernecantia vulnera aliquando remittant: imò habent hoc proprium, ut ex Gal. *comm.* 2. *in* 1. *Epidem. text.* 25. ille addit, ut remittere videantur, ac de hinc repente recrudeſcant, hominemque è medio quaſi 21 inopinatò tollant. Difficultatem quoque auget id, quod ipſimet Juriſconſulti ex recidiva conjecturam deſumunt, quòd vulnus fuerit lethale, & quòd vulneratus ejus culpâ deceſſerit ob recidivam. Farinac. *quæſt.* 127. *n.* 77. quæ de directo contraria videntur iis, quæ circa hanc conjecturam ipſorum ſententia ſuperiùs allata ſunt.

22 Ad hujus difficultatis deciſionem videtur dicendum, triplicem conſiderari poſſe tam cæterorum morborum, quam vulnerum remiſſionem: unam quidem veram & realem: alteram apparentem tantùm, & non veram: tertiam veram quidem, at non completam, ſed imperfectam. Prior dependet ex omnimoda victoria Naturæ ſupra morbum, ex vera ac totali humorum coctione, & ex robore virtutis naturalis caloris. Secunda dependet potiùs ex Naturæ ſuccumbentia, quæ quoniam defatigata, & à morbo debellata, ipſius morbi ferociæ jam victa cedens, non ampliùs cum ipſo morbo colluctatur: at pugnâ Naturæ cum morbo quieſcente: remittuntur etiam ſymptomata: quæ non niſi ab ea, & in ea fiunt, & ſic videtur morbus remitti, cùm tamen validior in dies evadat. Tertia dependet ex victoria quidem Naturæ ex una parte, quòd aliquam horum peccantium portionem concoxerit, & morbo ſuperior exiſtat, ſed remanente adhuc morbi radice cum prava aliqua qualitate, quam à principio habebat, quæ de hinc repullulans recidivas facit, & ut plurimùm interficit, quia ut Avic. dicebat, *morbus in radice eſt fortis, & virtus infirmi debilis.* 23 Quando ergo dicitur, quòd remiſſio accidentium facere debeat præſumptionem, quòd vulnus non fuerit lethale, intelligitur juxta priorem modum de vera & reali remiſſione, non de ficta & apparenti, aut de incompleta & imperfecta, quia in utraque harum poſteriorum ſubeſt morbi, ſive vulneris pravitas, quæ latere per aliquod temporis ſpatium facilè poteſt, deinde autem ſeſe prodere. His ſic ſe habentibus, in vera accidentium, & morbi remiſſione recrudeſcente morbo, ſeu vulnere, ſemper præſumptio eſſe poterit adventus novæ cauſæ: at in remiſſione non vera ſed apparenti, non completa ſed incompleta, hoc non habet locum, & idcirco ſi accidentia vulneris remiſerint quidem, ſed vulnus nunquam ſanationis, ſeu conſolidationis ſigna commonſtraverit, tunc ſemper præſumptio militare debet, quòd mors ex vulnere excitata ſit, etiamſi poſt remiſſionem ſimptomatum æger triduum, aut majus aliquod tempus extra domum exierit, & ambulaverit, remanente tamen ſemper vulneris ſtimulo, quod facilè fieri poteſt in tertia ſpecie remiſſionis morbi, de qua diximus.

Septimam conjecturam, & ſequentes accipiunt 24 Juriſconſulti ex ſupervenientia doloris, ſpaſmi, vomitus, & aliorum accidentium, quæ priùs non aderant, & ex eorumdem accidentium qualitate. Apud nos unica erit hæc conjectura, quam deſumi dicimus ex ſupervenientia quorumcunque malorum accidentium, quæ ad lethalia vulnera conſequi ſolent, cùm hominem è medio tollunt. Conſentaneum enim eſt, quòd prava & maligna accidentia ex mala cauſa ac gravi originem ducant, neque videtur veriſimile, quòd leve vulnus, aut levis morbus, aut alterutrum, cùm in ſalutem tendit, hujus generis accidentia poſſit producere: imò eorum apparentia ita teſtatur de morbi & vulneris gravitate, ut lethalium morborum, ac vulnerum hæc ſint veri characteres, & ſigna, ut loquimur Medici, Pathognomonica, ac demonſtrativa. Cùm ergo hæc ſuperveniunt, neque alia cauſa evidens ac manifeſta apparet, cujus culpâ eveniant, præſumptio concomitantiæ, vel ſupervenientiæ horum ſymptomatum erit & efficaciſſima, & firmiſſima, quòd vulnus ex ſe, & naturâ ſuâ fuerit lethale. Sunt autem hæc accidentia ſpaſmus, dolores pervicaces & atrociſſimi, febris ardens, inflammatio, tumoris retroceſſio, vomitus indefinens, ſyncope, ſanguinis fluxus, qui cohiberi non poſſit, delirium, inappetentia deplorata, exitus cibi, vel potûs, vel fæcum, vel urinæ per alienas vias, & alia quàm plura hujus claſſis Medicis notiſſima: quæ quidem quantò plura, & graviora erunt, tantò magis conjecta ab eorum adventu deſumpta abſque dubio urgebit.

Decimam ſeptimam conjecturam accipi dicunt 25 ex ſtatu valetudinario ipſius vulnerati poſt acceptum vulnus: hoc fit, ut jam ſuperiùs adnotatum eſt, remanente ſemper vulneris ſtimulo: patere tamen debet, vulneratum in ea valetudine diu perſeveraſſe, ob ipſius vulneris culpam: nam ſi exempli cauſa, ob plurimam & immoderatam ſanguinis effuſionem ex ipſo vulnere diu valetudinarius permanſiſſet (nam, ut ſatis ſuperque etiam nolentes experiuntur Medici quidam Hæmophili, multa ſanguinis evacuatio maximè diuturnas facit convaleſcentias, neque patitur homines ſeſe recolligere, labantibus ſemper viribus, ob ſpirituum inopiam) tunc id non fieret primario vulneris vitio, & conſequenter ea valetudo non faceret præſumptionem, quòd mors ex vulnere ſucceſſiſſet. Idcirco patere debet, quòd vulneratus ob id valetudinarius vixerit, quia vulnus ex ſua natura pravum erat, & idcircò conſolidari non potuerit, idcirco pus laudabile non emiſerit: ob eandemque cauſam dolore nunquam vacaverit, febriculam ſemper adjunctam habuerit, vel continuam, vel interpolatis etiam diebus inſultum facientem, & alia ad hunc modum, tunc enim verè dici poteſt, valetudinem ab ipſo vulnere dependentiam habuiſſe, & ſic ea præſumptio mirum in modum urgebit. quod procedit, etiamſi vulnus non fuiſſet lethale, ſed fuerit ex eorum numero, quæ utplurimùm ſalutaria cenſentur, licèt aliquando, ſed ratò occidant.

Decima octava conjectura, ex qua præſumitur, 26 vulnus non fuiſſe lethale, accipitur ex vulneris conſolidatione. Facit pro hac conjectura Bart. *ubi ſuprà, num.* 3. Ratio autem ejus rei in propatulo eſt, quia manente aliquâ pravitate, vel externâ quadam re in ipſo vulnere, nunquam conſolidari potuiſſet. Cùm ergo nihil præter naturam ſeſe obtulerit,

quòd

quod vulneris consolidationem impedierit, evidentem conjecturam facit, quòd vulnus salutare extiterit. Limitanda tamen hæc præsumptio, quod cesset, ubi consolidato vulnere accidentia ipsius vulneris, vel non remiserint, vel etiã de novo prehenderint: quippe cùm aliquando impetiti quidam operatij, Chirurgorum nomine indigni, ante debitum tempus vulneris consolidationem medicamentis validioribus, & inopportunis procurent, & materiam à vulnere emanantem inhibeant, ægrumque eo errore è medio tollant, in quo casu, nempe quando ante debitum tempus vulnus, vel ex arte vel ex se consolidatum est utrumque enim succedere potest, non obstante quod contrarium allatum sit in principio hujus conjecturæ, (non enim illud habet omnimodam veritatem) prædicta conjectura non habet locum. Ad quodnam autem tempus vulnera aperta manere debeant, decidi firmiter 28
non potest, quia permulta sunt quæ tempus hoc minuere, & augere possunt, ut vulneris magnitudo, ejusdem qualitas, vulneratæ partis natura, vulnerati ipsius ætas, habitus, temperamentum, corporis constitutio, & alia quamplurima, quæ optimè norunt Medici, quorum judicium in his requirendum. Non deest autem aliqua conjectura ex qua elici possit, vulnus ante tempus fuisse consolidatum, ut est, quæ ab accidentibus ipsius vulneris denuò repullulantibus desumitur, vt febris reversio, dolor, seu punctura in parte læsa, ejusdem partis torpor, & gravitas, ac impotentia, & alia hujusmodi, quæ in tali casu apparere consueverunt; ut Medicis exploratum est, & facit pro Iurisconsul- 29
tis Bart. *de percuss. n.* 5.

Denique Farinacius, cujus ordinem (quod is videatur præ omnibus hæc luculenter pertractasse in his, quæ hactenus scripsimus, secuti sumus. *Cons. Crim. lib.* 2. *cons.* 171. *num.* 4. *& num.* 46. aliam videtur adducere conjecturam, quod vulnus mortale, 30
aut non mortale exstiterit: Vult enim, quod si accidentia illico succedant, & in continenti, præsumatur vulnus fuisse mortale: si vero non in continenti, sed post aliquot dies, tunc contraria præsumptio vigeat, quod mortale non fuerit. Hæc tamen cõjectura ex mea sententia nihil in se momenti habet, cum etiam in vulneribus salutaribus sæpissime accidentiã alicujus ponderis, & aliquando gravia, à principio prehendant, & in lethalibus ad tertiam, aut quartam retardare soleant, ut ex plerisque historiis ab Auctoribus relatis, & ex quotidiana experientia notissimum sit. Negari quippe non potest, quod si accidentia ab initio prehendant (ut in pravis capitis vulneribus evenire dicebat Hippocr. *de vuln. cap.*) & indies augeantur, vulnus tunc maximè lethale fuisse jure sit præsumendum. Non tamen inde sequitur: quod si à principio non prehenderint, vulnus fuerit salutare. Neque etiam verum id est, quod idcirco lethale fuerit, quia à principio accidentia 31
mala pullulaverint. Itaque si Farinacij dictum simpliciter intelligatur, tanquam nulla ratione fultum, reijciendum omnino videatur, maximè cum penè omnibus vulnetibus id familiare sit, ut tertia aut quarta die recrudescant, & tunc tempotis facilè febres appareant, inflammationes vigeant, & dolores exacerbentur, ut Hippocrates docet, *in lib. de fract. non longè a fin.* unde est illud in Sacris, *Et ecce die tertia, quando gravissimus vulnerum dolor est. Genes. cap.* 34. Et hæc de conjecturis, seu præsumptionibus, quod vulnus, cum quo quis decesserit, lethale fuerit, aut non lethale. Nonnulla autem ad Medicam non pertinentia silentio omnino præterij, ne in alienam messem falcem immittere existimer.

SVMMARIUM.

1 *Qui venenatis armis hominem occidit non modo de homicidio, sed de veneno tenetur.*
2 *Qui veneno occidit, proditoriè dicitur occidere: sic & qui armis venenatis.*
3 *Venenum per vulnus inditum multò majorem vim obtinet, quam epotum.*
4 *Arma venenari non est novum.*
5 *Vulnera telopo inflicta, vel alio simul instrumento venenositate non carent, Contrarium n. seq.*
7 *Venenosa faciunt arma tudia, & rubiginosa.*
8 *Signum familiarissimum vulneris venenosis armis inflicti.*
9 *Vulnera venenata dolorem excitant acerbissimum.*
10 *Ex vulneribus venenatis gravis odor elevatur.*
11 *Alia præsumptiones vulneris venenosi.*

De Vulneribus venenatis, eorumque signis. QUÆSTIO. VII.

QVi datâ operâ venenatis Armis hominem aggreditur, ac vulnerando occidit, non modo ex mea sententia, de homicidio teneri debet, sed etiam de veneno: quod an hactenus à Iurisconsultis animadversum fuerit, nequaquã assecutus sum. Quemadmodum vero qui veneno occidit, proditoriè dicitur occidere, ut dixi aliàs *lib.* 2. *quæst.* 1. *n.* 5. sic qui ex proposito armis venenatis hominem occidit, eodem proditoris nomine insigniri ex mea sententia debet, & majori fortè pœnæ subjiciendus, quam qui simplicibus armis eodem modo delinquit: maximè quia cum deliberato animo occidendi hominem aggressus videatur, quod satis sit hominem hujusmodi armis qualitercunque vulnerare, ut succumbat. nam ut Lucan. *libro* 8. *de Bello Phars.*

Sed multo saturantur tela veneno.
Vulnera parva nocent, satumque in sanguine summo est.

Et Torq. Tass. noster suæ *Hieruf. Cant.* 16. *Sat.* 88.

E'l ferro armato di veneno hauranno.
Perche mortal stad l'ogni piaga il danno.

Et ratio hujus dicti est, quia, ut Card. *libro* 2. *de venen. cap.* 6. dicebat, *Venenum per vulnus inditum multo majorem vim obtinet, quam epotum, illico enim per venas ad cor penetrare facillime potest.* Quamobrem hæc Iurisconsultis decidenda propono qui ut in judicando fontes debitis pœnis afficere valeant cognoscere debent an arma, quibus percussor usus est, veneno forte infecta fuerint: non enim novum est hoc, aut inusitatum, Arma venenari, cum antiquitus id apud multos populos in usu fuerit. Testis ejus rei antiquissimus ante omnes Hesiodus est *in Herc. Clypeo*, in his carminibus:

Accingit phareträm, cui plurima spicula diris
Artibus, & variis inerant imbuta venenis.

[& Ovidius l. 3. Trist.

Et volucri ferro tinctile virus inest.]

Sed & Nicand. *in Alexipharmacis*, hæc in hujus rei confirmationem habet:

Isto Gerrai Nomades, populusque rapacem
Qui colit Euphratem, armant sua tela veneno.

Et Virgil. *lib.* 9 *Æneid.*

Quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrumque armare veneno!

Et *lib.* 10. *eiusdem:*

Te quoque magnanime viderunt, Ismare, gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno.

Quinetiã Strabo *lib.* 15. *Georgraph.* Oeunt inquit, apud

apud Oritas lethiferis venenis ſagittas præuſtas illini: & Plin. *lib.* 18. *c.* 1. Nos, inquit, & ſagittas ungimus, ac ferro ipſi nocentius aliquid damus. Faciunt & Lucani, & Taſſi carmina ſuprà citata. Sed & ſuperiori ætate apud Indos, plures populi reperti ſunt qui eo armorum genere utebantur, contra quorum venenum nullum excogitari poterat remedium, unde ſauciati non multo poſt ab accepto vulnere, rabidi moriebantur. Sed hæc à nobis longè abſunt: non caret hoc noſtrum hemiſphærium eâ malitiâ, & idcirco plures Chirurgorum peculiariter verba fecerunt de vulneribus venenatis. Sed & noſtris hiſce temporibus quædam arma ignivoma ſunt (de quorum inventione, ſi libet aliquid peculiariter ſcire, vide Hieron. Magg. *l.* 1. *Miſcell.* 1.) de quibus
5 hac occaſione aliquid aſſeram, eo quod exiſtimaverint aliqui doctiſſimi viri, vulnera his armis illata venenoſa eſſe, quia ignis in his pulvere quodam excitatur, qui nitrum, & alia nonnulla excipit: hunc autem eſſe venenoſitatis cauſam plures Medici fatentur, tametſi non defuerint, qui nullam ab eo pulvere venenoſitatem communicari voluerint. Ita Lang. *l.* 1. *Epiſt.* 9. Bartolom. Magg. *de vulner. Sclopet.* Paræus *lib.* 10. *Chirurg. in princ.* contra ſentientibus Ioan. de Vigo *in tr. comp. c. de vuln. venen.*. Alphonſ.
6 Fert. *de Sclopet. vulner. & aliis nonnullis.* [Conjungatur Sennertus *l.* 5. *pag.* 486.] ſed quomodocunque ſit; nos de his armis venenatis non loquimur, quemadmodum neque ab iis vulneribus, quæ venenoſitatem concipiunt ex amorum ruditate, quæ enim talia ſunt, ut, quæ ſunt deſquamata, aut rubiginoſa, vulneta venenoſa faciunt, aut venenoſis ſimilia, ut ſuprà dixi, & Cardan. voluit *lib.* 2. *de venen. c.* 6. ſed loquimur tantummodo de armis, quæ data opera veneno aliquo imbuuntur, ut qualecunque vulnus faciant, omnino occidant, hoc enim facillimè præſtant, cum multo majorem vim obtineat, ut dixi, venenum per
7 vulnus inditum, quam epotum, ita ut exigua quantitas in telo adhibita ſufficiat, in potu eadem quantitas ne noceat quidem aſſerente Card. *ubi proximè*, rationem vide apud ipſum Card. ex quo etiam advertendū quod multa venenoſa arma reddunt, quibus facile animalia bruta conficiuntur, quæ tamen veneno homini non ſunt, in ipſis armis adhibita, de quibus apud ipſum vide. [Adde Malitioſam venenatam ſcarificationem Sennerti *l.* 5. *pag.* 507. & Horſtij *c.* 2. *pag.* 431.

8 Habent ergo hujuſmodi vulnera peculiaria ſigna aliis vulneribus non familiaria: ſed familiariſſimum omnibus eſt, quod vulneri ſtatim animi defectum, ac illum quidem notabilem, & frequentem patiantur. Fallopp. *vuln. c.* 8. Paræus *lib.* 20. *c.* 5. afferunt etiam & Cordis ipſius palpitationem Car. *l.* 2. *de ven. c.* 6. habent præterea illud communiſſimum, ut vulnerati tanquam marmor rigeant atque inſtar cadaverum tactu ipſo frigidiſſimi perſentiantur, etiamſi ab animi deliquio ſeſe recolligant, ut docet idem Paræus *ibidem* qui ejus rei rationem eſſe dicebat, non quidem ob veneni ipſius frigiditatem, quia non omnia venena frigida ſunt, quin pleraque ſint calidiſſima, ſed ob id, quod nativus calor in ipſo inflicti vulneris, ac veneni articulo ſeipſum univerſum ad intima, & penitiora cordis retrahit, tum tuendi ipſius principis viſceris gratia, nempe cordis, tum quis à veneno cujuſcunque tandem generis illud ſit calor ipſe nativus mirum in modum diſſipatur, tum etiam quia, addam ego, idem calor refugit è veneno, tanquam à re ſibi averſiſſima, & inimiciſſima.

Sed præter hæc hujuſmodi vulnera dolorem excitant conſueto acerbiorem, etiamſi neque pars exquiſiti ſenſus ſit, neque ipſa vulnera magni momenti exiſtant: eſt autem eorum vulnerum dolor ſpecie ab aliis non nihil differens, eſt enim punctorius ac veluti ſi acubus ea pars vellicaretur, ut notat idem Paræus *l.* 10. *c. ult.* Card. tamen *loc. cit.* ſimplicem doloris vehementiam adducit, & cum Galeno dolores ex venenis malignos eſſe dicit, nempe, inquam, moleſtiſſimos, eaque inducentia ſymptomata, quæ à ſumma doloris acerbitate provenire ſolent, vitalem nempe virtutem cum cæteris omnibus proſternentia. Caro cum his, inquiunt & Paræus *ubi proximè*, & Card. *ibidem* & Codronch. *in Meth. teſtific. c.* 5. pallet, liveſcit, cum ſignis quibuſdam necroſeos, corruptionis, & pravitatis, & hoc ob corruptionem ab ipſo veneno partibus introductam, quod etiam Nicander adnotavit *ubi ſuprà*, dicens:

Quæ poſtquam hæſerunt, & non ſanabile vulnus
Inflixere, caro livet, virusque putreſcit
Vipereum atque cutis ſe tabo facta reſolvit.

Familiariſſimum quoque eſt his, qui à venenato ferro percuſſi ſunt, vertigine affici, cùm ob validum motum in ſanguine factum, tum etiam ob ipſorum venenorum naturam, quæ maximè ſi calida ſint, per ſe evaporant ad caput, ſi frigida à calore ipſo actuata, tum ob conſenſum, ad ipſum caput per nervos, & alia vaſa cum toto corpore.

Eſt præterea aliud ſignum maximi quidem momenti, nimirum quòd ex hiſce vulneribus gravis odor elevatus, Card. *ubi ſuprà*, & hoc quia venena omnia, aut plurima ſaltem eorum, mali odoris ſunt, unde is facilè communicatur vulneri, qui etiam odor ob citam partis corruptionem adaugetur. Verùm ſi à principio vulneris, is odor pravus & gravis appareat, jam quaſi certi eſſe poſſumus de hoc, ob rationem prædictam. Admirationem omnem exuperat, ſi ullam habet veritatem, id quod Gard. *ubi alias*, narrat, nempe telo, vel enſe, quo quis percuſſus eſt, aëri ſub dio expoſito, vulneratum graviter torqueri. Addit medicamento eſſe unguentum quoddam (miraculum miraculo ſubnectens) quo ipſum telum, vel enſis illinitur, cujus deſcriptionem inibi habes, ſi videre libet. [Conjunge Theatrum Sympatheticum in 4. Noribergæ excuſum de Vnguento Armar. & Pulvere Sympath.

Alia verò nonnulla circa qualitatem ſignorum videnda apud ipſum Card. *loc. ſæpius cit.* & in ſumma, quotieſcunque ad leve vulnus, vel aliàs non lethale, neque habens juſtam cauſam excitandi magna ac terribilia accidentia, ſequuntur ea, quæ prædicta ſunt, & alia his non diſſimilia, & qualitati vulneri maximè diſproportionata, & maximè poſt modicum temporis à vulneris acceptione, tunc de venenoſitate ſummo jure ſuſpicari licebit: quemadmodum etiam eadem ſuſpicio rationalis eſſet, ubi vulnus eſſet quidem lethale, ſed accidentia non eſſēt ipſi proportionata, ut ſi ad vulnus lethale quidem, ſed non magnum, & ex primo capite lethale ſequeretur fortis ſyncope, totius corporis frigiditas, & partis cita corruptio, & nigrities: etiamſi enim diſconveniens non ſit ſequi ſyncopen ad capitis vulnus, & cætera commemorata accidentia, tamen non videntur proportionata mediocri vulneri, etiamſi lethale ſit, & maximè à principio.

SUMMARIUM.

1 *Cadaver occiſi coram occiſore eominus ſtante ſanguinem effundit.*

2 *Sangui-*

1 *Sanguis ab occiso quando effundatur coram occisore.*
3 *Sanguis unde emanet à cadavere hominis occisi coram occisore, & n. 4.*
4 *Sanguinem quonam modo exire à cadavere occisi veluti coram occisore.*
5 *Sanguis an ex omnibus cadaveribus occisorum effundatur.*
6 *Sanguis ex cadaveribus occisorum, coram quibus personis effundatur.*
7 *Sanguis ex quibus cadaveribus prosilire soleat.*
8 *Germaniæ mos in persequendo occisore occulto.*
9 *Sanguis ab occiso an simplici præsentiâ occisoris effundatur, vel aliud requiratur.*
11 *Deuteronomij locus.*
12 *Sanguinis ex Cadavere occisi profusio coram aliquo an sit sufficiens indicium ad torturam.*
13 *Cadaver occisi sanguinem effundere coram occisore, an realiter verum sit.*
14 *In cadavere occisi servatur ad aliquod tempus calor, & spiritus quidam inimicitiæ.*
15 *Cadaver occisi quanam ratione sanguinem effundat coram occisore, ex Libavio.*
16 *Effectus quicunque realis & naturalis suas habere debet causas proportionatas.*
17 *Naturalis effectus in pluribus; & secundùm plurimum eodem modo fit.*
18 *Sanguinis effusio ex cadavere occisi coram occisore, an à Deo ex miraculo fiat.*
19 *Miracula esse debent ad fidei corroborationem.*
28 *Multa sunt peccata homicidio graviora.*
21 *Deus est liberum quoddam agens, miracula ad proprium libitum operatur.*
22 *In his, quæ miraculo fiunt, nulla conditio requiritur à parte rei, circa quam fit miraculum.*
23 *Miracula fiunt opera undiquaque perfecta.*
24 *Sanguinis effusionem ex cadavere occisi coram occisore, à Dæmone non fieri.*
25 *Sanguinem ex Cadaveribus aliquando emanare res est naturalis.*
26 *Cadaver occisi coram occisore aliquando cruentasse, fuit quid per accidens.*
27 *Ex cruentatione Cadaveris occisi coram occisore, nullum indicium desumere licet contra aliquem.*

De sanguine manante ab Occiso coram Occisore, de ejus veritate, ac de præsumptione inde deducta contra homicidii reum.

QVÆSTIO VIII.

TAntam fidem adhibuerunt nonnulli docti viri huic seu suppositioni, seu impositioni, ut de eius veritate dubitare temerarium primâ fronte videri possit: sed antequam ad eam rem discutiendam pro veritate accedamus, facti series enarranda est, nimirum, quo pacto eam rem fieri sibi plerique persuadeant. Dicunt ergo, quòd si aliquis ex inflicto ab inimico vulnere decedat, & percussor ad eius cadaver cominus accedat, tunc è cadavere sanguis percussorem versus prosiliat. Variant tamen mirum in modum eius facti enarratores circa multa: & primò circa tempus à morte vulnerati computandum, cum plerique nonnisi post septem aut octo, vel ad summum decem, aut duodecim horas, talem sanguinis ejaculationem fieri contendant, post illud verò tempus nequaquam, refrigescente fortè affatim sanguine evanescentibusque spiritibus. Alij ad tertiam diem fieri talem ejaculationem credunt: alii nullum tempus determinatum habent; sed quandocunque cadaveri occisor præsentetur, sanguinem effundi autumant.

Variant secundò circa subiectum, ex quo sanguis emanare dicitur: nam potior pars ex ipso cadavere occisi, & ex vulnere ipso emanare vult, nonnulli ex naribus, oculis, ore, aliisque partibus cadaveris, alii ex iisdem partibus occisoris: nonnulli & ex cadavere occisi per vulnera, & ex occisore simul pernares. Variant tertiò, circa modũ emissionis sanguinis ex cadavere. Aliqui cadaver occisorem versus ejaculari sanguinem dicunt: stillare tantùm ajunt alii ab ipsis vulneribus: alij abullire potiùs, ac fermentari in venis, unde extra venas prosiliat. Variat quartò, quia multi id indifferenter in omnibus evenire dicunt, sive occisor per errorem, ac casu vulneraverit hominem, sive data operâ, sive cum impetu & cum ira, sive absque tumultu & iræ fervore sive ferro, sive quocunq; alio modo quis succubuerit. Variant quintò, quia alij coram occisoribus tantùm cadavera sanguinem stillare, aut ejaculari dixerunt: alij coram propinquis quoq; & amicis, quin & coram iis quoque qui occisi ipsius misereantur. Variant sextò, quia nonnulli ab iis tantùm cadaveribus emanare sanguinem volunt, quæ ferro extincta sunt; alij, ab iis etiam quæ qualicúq; modo sublata sunt sive aquis submersi sint, sive laqueo strangulati sive veneno necati. Quinimò, ut in iis rebus evenire solet, quæ ab erronea potiùs hominum opinione, & à casu, quàm à rei natura, & facti veritate dependentiam habent, eò devenit in hoc persuasionis futilitas, ut alia mira permulta circa hoc ipsum factum efficta enarrentur.

In Germania ferunt id moris esse, ut cum Iudices eâ ipsâ die, quâ aliquis interemptus reperitur, experientiam de occisore sumere eo modo, quo iam dictum est, non possunt, Occisi pollicem unâ cum musculosa ipsius propinqua parte Manus abscindunt, & servandum curant ad decem, duodecim, quindecim, aut plures dies. Interim siquis de homicidio suspectus in carcerem conjiciatur, vel quomodocunq; in Iustitiæ manus perveniat, pollicem observant, quem in eodem cubiculo, ubi suspectus custoditur, asservandum curant: tunc si cruentaverit, salvam rem habent, inquisitumq; tormẽtis subiiciunt, & ad ulteriora, prout visum de Iure fuerit, procedunt. Hoc factum ira se habere narraverat jã mihi Io. Faber Lynceus, de quo aliàs, qui & ipse Germanus erat; & patrios mores optimè callebat: sed confirmavit dehinc idipsum testimonio Neovald. *in exeg. Sagar.* apud Kornmann. *de mirac. mort. part. 9. c. 23.* cui experientiæ non nihil consonare videtur, id quod Libavius *de Cruentat. cadaver. Theor. 158.* dicebat, nimirum manum pridem tostã, repositamque, præsente post cæsore cruentasse.

Tradit præterea idem Libavius *Singul. part. 2. tract. 5.* non modò sanguinẽ ex cadavere occisi coram occisore aliquando effundi, sed etiam ut dixi, ex naribus, aut aliunde ab ipso occisore corã cadavere prosilire. Quin evenisse memorat, ut etiam instrumenta, enses nimirum lanceæ, falces, pugiones, & alia permulta id genus homicidæ præsẽtata sanguinem exudaverint. Denique non uno modo in ea re vacillant scriptores: nam aliqui non simplici apparitione percussoris volunt à Cadavere sanguinem emanare, sed nonnullis ante execrationibus pronuntiatis, & corporis acclinatione versus cadaver occisi, & motu manuũ, ac tactu vulneris, ut narrat idem Libavius *de Cruent. cad.* cui enarrationi non nihil favere videtur Sacer Textus, *Deutero omii c. 21.* ubi ad ostendendam populi innocentiã super cadavere hominis occisi, & in agro, extraque civitatem reperti, nonnullis cæremoniis præmissis seniores, & majores Civitatis tenebantur accedere coram interfecti cadavere, ut ibi videre est.

Non desunt autem, ut in principio quæstionis dicebam, mille doctissimi viri, qui non solùm his fidem habent, sed etiam experientias adducunt, cujus frequentiã eam rem probaram fuisse contendunt, ut inter Iurisconsultos Boërius *decis. 166. num. 1.* cum aliis *sibi* per eum adductis, Menoch. *de*

arbitr. Jud cent. 3. caſ. 270. lib. 2. Theſaur. *deciſ. 175.* & alii per eos relati, & per noſtrum Libavium, *in lib. de Cruent. cadaver.* & Marcell. Donat. *lib. 2. hiſtor. Med. mirab. cap. 1.* & inter Medicos Lang. *lib 1. Epiſt. 40.* Taddæus *in Iſag. Joan. cap. 10.* Lemnius ab ipſis quoque Iuriſconſultis relatus *lib. 2. de Occult. nat. mirac cap. 7. Concil in 7 probl. Ariſt. probl. 6.* Valeriol. *lib. 2. Obſ. 7.* & 9. Hildebrand apud Horſtium, *Epiſt. ſect. 9.* Gal. Marc *de doct. promiſc. cap. 22.* citatus Libavius *in lib.* ad hanc rem dicato, & aliis: & ex aliis profeſſoribus Sprenger. *in mall. Malef p. 1. queſt. 2.* Cæl. Rhodigin. *lib. 3 lect. Antiq cap. 12.* Delr. *diſquiſit. Magic. lib. 1. cap. 2. queſt. 4. verſ. ſexto cadaver.* & *comm. in Senec. Octaviam, num. 117. cum pleriſque ibi citatis.* Majol. *in dieb. Canic. colloq. 1 part. 1.* Koruman, *de mirac. mort. part. 9. cap 23.* apud quos, alios Auctores cujuſcunque facultatis citatos habes: & eſſe tandem hoc Medicis perſuaſiſſimum dicit Petr. Andr. Canonher. *in 1. Aph. 1. pag. 429. verſ. Quod verò.* apud quem etiam alios Auctores relatos habes, & vide plura ad hoc apud Farinac. *in pract. & Theor. crim p. 1. tom. 2. quæſt. 52. à num. 154 ad 199.* Quinetiam ex Clariſſimo Viro Stephano Roderico Caſtrenſi, per familiares epiſtolas, habeo exemplum hujuſmodi veritatem atteſtans: aliudque magis recens per familiares item epiſtolas ab Eruditiſſimo Viro Franciſco de Curtis, qui *in ſuis epiſtolis* Ipropediem in lucem prodituris, de hac ipſa re diligentiſſimè ſcripſit. Præ omnibus autem, Iuriſconſultorum nonnulli adeò hoc ſibi perſuaſum habent; ut ex eo caſu velint deſumi contra ſuſpectum homicidii tale judicium, quod ſit ſufficiens ad torturam, quemadmodum ex magis communi Doctorum ſententia dicit Theſaur. *d. deciſ. n. 2.* quinimo alii hanc præſumptionem tanti fecerunt, ut ab ea experientia non eſſe recedendum dicant, ut per Afflictum, & alios ab ipſo Theſauro relatos. (Vid. Euſebius Nirembergius *p. 2. cur. Phil. l. 1. c. 46.* Paris de Puteo *oracl. de ſyndicatu, verbo tortorum cap. 3.* Hippolitus de Marſiliis *in pract. criminali, §. diligenter. num. 181.* Chaſſaneus *in tract. de indiciis cap. 3.* Hieronymus Maggius *lib. 5. miſc. cap. 5.* Maſcardus *de probat. l. 2. conſ. 86.* Merſennus *in c. 4. Geneſ.* Coſtæus *lib. 4. diſquiſit. Phyſ* Nic Florentinus *l. 5. pr. 1. cap. 6.* Bodinus *lib. 2 cap. 3. de mag. dæmon.* Antonius Gomez *tom. 3. var. reſol. cap. 13.* Joan. Fragoſii *in gloſſa queſt. 76.* Fr. Ranchinus *de cruent. cadav.* Engelius *in itiner p. 173.* Saurius *in diario p. 343* VVeinrichius *de ortu monſtr. cap. 17.* Thomas Cantipratanus *l. 1. miſc. c. 16.* & *l. 2. cap. 29.* Lud. à Paramo *l. 2. de officio S. Inquiſ. t. 2. q. 8. art. 25. ad 27* Joan. nes Talentenius *l. 4. c. 14.* Nymannus *de mag. q. 7.* Moles *c. 14. dub. 3. p. 271.*)

11 Non deſunt tamen aliâ ex parte, qui neque ullum indicium ex hoc deſumi voluerint, neque facti veritatem admiſerint, ſed illam omnino detrectaverint: inter quos præcipuè Vairus eſt. *lib. 2. de faſcin. cap. 10.* inter Iuriſconſultos Hier. Mag. *Miſcell. lib. 4. cap. 5* & inter Medicos Gregorius Hoſtius *in lib. ad hanc rem dicato*, de quo habet ille mentionem *cit. lib. Epiſt. ſect 9.* nam ego illum non vidi. (Exſtat tractatus hic de *Cruentatione Cadaverum*, Greg. Horſtii, in Oper Medic. tom. 1 pag. 136. *Confer.* tom. 2. pag. 234. & pag. 485. *Adde* Theatrum Sympatheticum jam modo allegatum) Sed & ipſe Libavius, *de Cruent. cad. poſit. 5.* hanc experientiam non eſſe exactè exploratam fatetur. Nos primò ſuppponemus facti veritatem, ut videamus quas cauſas nonnulli doctiſſimi viri commenti circa hoc

13 ſint. Plerique ergo, ne omnes dicam, in hoc conveniunt, quòd in cadavere occiſi ſervetur per aliquod tempus, nempe per horas octo, vel decem, vel ad ſummum viginti quatuòr, calor, & ſpiritus quidam inimicitiæ, qui potens adhuc ſit ad bilem commovendam, unde præſente occiſore facto impetu in ſanguine, is per vulnus 14
in occiſorem proſiliat. De hoc ſpiritu inimicitiæ videtur ante omnes aliquid inſuiſſe Plato, qui *lib. 9. de Leg.* dicebat, *Animas interfectorum iraſci interfectoribus.* Videtur quoque idem inſinuaſſe Lucret. *lib. de rerum Nat. non longè à fin.* cujus carmina omnes ad hoc adducunt, quæ ſequentia ſunt,

Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu,
Et ſi comminùs eſt, hoſtem ruber occupat humor.

Sed de horum carminum ſenſu infrà. Sequuntur Tadd. *ubi ſuprà* Marſil Ficin. *in comm. ad Platonis conviv. orat. 7. cap. 5.* Cæl. Rhodig. *ubi ſupra.* Sed Taddæus addidit, ſpiritum hunc inimicitiæ egredi ab occiſore in occidendum in ipſo occidendi actu: præſente dehinc occiſore, ſpiritum illum ad ſuum totum, nempe ad occiſorem remeare, ac proſilire, eoque motu ſanguinem è cadavere effundi: quam opinionem ſecuti etiam videntur Spreger. *in mall. Malef. part. 1. quæſt. 2.* Majol. *in dieb. canic. ubi ſup.* & alii. Sed Galeott. Mart. *de doctr. promiſc. cap. 22.* altiùs ſpeculatus voluit, non modo occiſoris ſpiritus in ipſo occidendi actu in ipſum occiſum convolare, ſed etiam hominis trucidandi ſpiritus in occiſorem: ex quo fit, inquit, ut cùm ille occiſus eſt, & ſanguis jam frigefactus fluere deſierit, comparente occiſore, ſpiritus utriuſque diverſo motu agitentur, & quilibet ſuum corpus repetens motum faciat, unde & hominis occiſi ſpiritus redeuntes, ſedemque ſuam repetentes, & occiſoris recedentes, ut ad corpus redeant, faciunt motum ejus rei, quam habitant: habitant autem ſanguinem, & hoc pacto jam frigidior ſanguis, & ad fluxum ineptus ab occiſoris, & occiſi ſpiritibus vi multiplicatâ, rurſus fluitat, eſtque illi tantus proprii corporis af- 15
fectus, ut plerumque latitantem hominem ſed proximè exiſtentem, intra tempus, quod aſſignavimus, tot enim horis vivunt, recognoverint, & repetiverint: hoc autem non in omnibus occiſis, ſed in pleriſque evenit, quoniam quorundam Natura ita debilis eſt, ut eorum ſpiritus uno momento conflaceſcant. Hæc Galeottus: cujus ſententia quam habeat probabilitatem alii viderint: ego in illa explodenda plura verba non abſumam, cum præſertim ſatis jam exploſa ſit à Hier. Magg. *ubi ſuprà.*

Libavius *libro* aliàs citato *de Cruentatione Cadaverum*, aliter hanc rem commentus eſt: voluit enim, quòd occiſore coram occiſi cadavere præſente, ejus imaginatio validè commoveatur, & de ipſo interfecto intensè eo cogitante, ſpiritus facilè ad interfectum directi inde vapores quoſdam educant, cum quibus etiam ſanguis proſiliat versùs occiſorem, unde ſpiritus illi decidunt. Atque hæ ſunt opiniones, quæ circa hanc rem circumferuntur, quarum quænam majorem habeat probabilitatem, videant ii, qui commentationi huic fidem habent: nam ego, paratus aliàs ſententiam mutare, multas in ea difficultates invenio. Mirandum valde cenſeo, Antiquiores de tam abſtruſa re, & quæ quotidianâ experientiâ ſin horas, ne in momenta dicam, poſſet innoteſcere, nihil

quicquam

quicquam firmi, aut ſaltem effatu dignum literis mandaſſe. Scio ad hoc ădduci ex Homero locum, 17, *Iliad.* de Euphorbi Cadavere, cujus hæc verba:

Luſtravit (Hector (oculis deinde per ordines, illicò autem cognovit.

Illum quidem auferentem inclita arma, hunc autem in terra

Iacentem: fluebat verò ſanguis per vulneratum vulnus.

Mihi tamen hæc nimis diſtare à re propoſita videntur: nam quid mirum Menelao ſatagente Euphorbi cadaver armis expoliare, primùm ab ipſo occiſi, quod.

Flueret ſanguis per vulneratum vulnus.

Sanguis quidem fluidus ex ſua natura eſt, & facilè per apertum vulnus ex ſe effunditur. Adducuntur & ad hoc ipſum Lucretii ſuprà relata carmina, quæ an ad rem hanc quicquam faciant, Deus ſcit, [vid. *Nardius*, [loquitur ibi Poëta de Amoris libidine, redditque cauſâ, quare tantopere inhiat amans ejigere ſemen in hominẽ, cujus amore ſaucius eſt, inquit ergo,

irritata tument loca ſemine, ſitque voluntas
Ejicere id, quò ſe contendit dira libido:
Idque petit corpus Mens, unde'ſt ſaucia amore:
Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, & illam,
Emicat in partem ſanguis, undè icimur ictu,
Et ſi comminus eſt, hoſtem ruber occupat humor.
Sic igitur Veneris, qui telis accipit ictum,
Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier toto ſactans è pectore amorem.
Vnde feritur eò tendit, geſtisque coire,
Et ſacere humorem in corpus de corpore ductum,
Namque voluptatem præſagit multa cupido.

Senſus ergo, ut patet, horum carminum is eſt:
16 Quemadmodum vulnerati ſuper ipſum vulnus cadunt, & ſanguis verſus illam partem fluit, unde ictum experimur, ita ut hoſtis, ſi propriè ſit fluentem ſanguinem excipiat, eodem quoque pacto in Amoris vulneribus evenit, &c. & his quidem eſt germanus ſenſus carminum Lucretii, ut teſtatur Martinus Delr. *in Senecæ Octaviam, ubi ſuprà.* Quorum tamen ſententia, cùm non omnino ad rem prolata videatur, idcircò voluit Lambinus in hujus loci commentario, tres illos verſus, ut ſpurios, & minimè Lucretianos, eſſe delendos, quod neque ſententia, neque locutione Lucretio digni eſſent. [*Nardius* refutat *Lambinum.*] Quomodo ergo id miraculum ex his carminibus expiſcari aliqui tentaverint, ego non video. Sed ulteriùs mirandum quoq; mirum in modum de Philoſophis eſſet, cùm Ariſtoteles, Alexander, Plutarchus, Seneca, & alii, quæſtiones quasdam naturales præhac ne floti quidem faciendas, longioribus fortaſſe, quàm opus fuerit; proſecuti ſint, ex quibus neque ulla inſignis utilitas percipitur, neque novi quicquam circa ſcientiam emanat. Multò magis mirandum eſſet, Recentiorum nonnullos inveſtigandi occultiores, & ſecretiores rerum cauſas aviditſimos, ac nova quædam veteribus incognita proferendi cupidos, vel incuriâ, vel data opera, tanti momenti rem aut omnino ſilentio involviſſe, & ſicco, ut ajunt, pede tranſegiſſe, aut nihil effatu dignum de ea potuiſſe, ut Fernelius, Fracaſtorius, Cardanus, Cæſalpinus, & alii multi, quorum nullum, quantum ego hactenus aſſequi potui, de ea re mentionem habuiſſe comperi. Sed tamen peccaverint, ac negligentes fuerint tam vetuſtiores, quàm recentiores Philoſophi, & cùm de ea re diſceptare debuerint, ob rei difficultatem omiſerint: videamus jam nos, an aliquam veritatem id habere poſſit: Neq; fluvium, quòd quilibet naturalis, ac realis effectus habere debeat ſuas proportionatas cauſas, à quibus producatur, & quod eæ cauſæ neceſſariò ſint, vel naturales, vel ſupernaturales. Si ergo hunc effectum à nulla ex his cauſis dependere poſſe probemus, probatum inſimul erit, non eſſe hunc effectum quid reale, ſed imaginarium, & rationale quoddam ens ab hominibus effictum, vel ad omne pejus quid ex accidenti eveniens, aut ex miraculo: nam aliquando factum non negandum, ne fidem viris doctiſſimis, ac magnæ auctoritatis, qui eam rem inſpexerint, denegemus. Factum tamen eò fine & naturali quadam antipathiâ, & energiâ ego hactenùs non admitto. Primò autem à cauſa naturali non eſſe probatur: ſi enim ab ea dependeret, cùm ad hanc diſpoſitam ad agendum, & requiſitis diſpoſitionibus extra illam præſentibus in ſubjecto, ſequatur de neceſſitate effectus, niſi à majori virtute impediatur, ſequeretur quòd in omni caſu, hic affectus appareret, aut ſaltem ut plurimùm, (nam in naturalibus effectibus producendis nullum ut plurimùm ineſt impedimentum (At neque in omnibus, neque in pluribus, ſed in perpaucis talem effectum apparere, vel ipſi hujus facti aſſertores fatentur, Lemn. *ubi ſupr.* Galeot Mart, *ibid.* Libavius *loc. tot.* & cæteri. Neque valet cauſa impediens hunc effectum à Galeotto allata, nimirum quòd in multis effectibus hic non ſequatur, quòd vegeto calore deſtituantur: hoc enim gratis dictum eſt, præterquam quòd ejus ſententia de cauſa hujusmodi agente neq; acceptabilis eſt, neq; ullo modo rationi conſona, ut ſuprà dixi is eſt, neq; ullo modo rationi conſona, ut ſuprà dixi. Addo quòd naturales effectus utplurimùm, & ſecundùm plurimum eodem modo fiunt, ut aliàs ex 17
Philoſopho dictum eſt, de raro autem ab accidentali aliqua cauſa impediuntur: deberet autem, ſpiritus ille, etiamſi validus non ſit, pro ſua energia operari. Si enim vegeto ſpiritu ſanguis in hoſtem proſilit, ex minùs vegeto deberet tantùm effluere, & ea maximè debili ebullire, ſeu aliquo modo effervescere, ac commoveri. Cùm ergo poſitis diſpoſitionibus, & cauſa habili ad agendum, in plerisque non ſequatur affectus quem ſperamus; dicendum vel illum effectum ex tali cauſa non dependere, vel non eſſe ſecundùm naturæ ordinem; ſed per accidens, ſi aliàs ſemel aut bis cum iisdem diſpoſitionibus ſucceſſerit. Non ſolo autem teſtimonio prædictorum Auctorum probatur, talem effectum non ſequi ſecundùm plurimum ad aſſignatam cauſam, ſed multò magis evi- 2
denter quotidiana experientia: aſſignata enim cauſa non habet ſolùm in hominibus locum, ſed in quibuscunque animalib. brutis, cùm in his quoq; facillimè & procreari & effervescere poſſit inimicitiæ ille ſpiritus. At quis eſt, qui adnotaverit mactata animalia coram lanionibus cruentare? & tamen hos præſentes ſemper habent, & illicò à mactatione, & non multò pòſt. Sed eſto, non poſſint bruta hujusmodi ſpiritum inimicitiæ concipere; quis obſervavit unquam cadavera eorum, qui manu carnificis interimuntur, in ipſum carnificem cruorem ejaculari? At, inquies, non adeſt hic ſpiritus ille inimicitiæ aut carnificis adverſus damnatos, aut damnatorum adverſus Carnificem. Bene dicis, ſed cur infantem à Matre ſuffocatum cruentare dicunt, num hic inimicitiæ ſpiritus in infante adverſus Matrem, aut Matris adverſus infantem reperitur? Cur ii quoque qui aqua ſubmerſi pereunt, etiam poſt duos, aut tres dies à morte coram parentibus propinquis, & amicis cruentant, ut aſſerunt? At negabis & illud de infante, & hoc de aqua ſubmerſis: At ego, & cum his etiam & de occiſis quod jactatur à te, negabo,

cur enim si primum admittendum, & hoc non admittemus; Non videtur ergo quòd à causa naturali hic effectus fieri possit. Sed specialiter non posse illum effectum à spiritu inimicitiæ produci patet, quia oporteret dari in cadavere potentiam quandam cognitionem, quæ sanguinem in occisorem dirigeret imò quæ cognosceret illum esse præsentem, imò & in rationabili distantia, non enim sanguis prosilit si hostis stet eminus. At ubi habitabit hæc virtus cognitrix? cujus animæ facultas erit, cadavere omni animâ expoliato? Deinde si tantum potest inimicitiæ spiritus in cadavere hominis occisi, ut sanguinem proliciat, & occisorem versus ejaculetur, quid non poterit idem spiritus inimicitiæ in vivo homine? Cur ego obviam sibi ipsis factis acerrimis duobus inimicis sanguis illis ex oculis, ex naribus, ex ore, aut ex quibusve corporis partibus, unius adversus alium non prosilit? aut cur vulnerato ad mortem homine, dum adhuc vivit, non multò majori impetu sanguinem in præsentem percussorem prosilire contingit? An credis fortè post mortem vehementiores, ac magis vegetos spiritus illos esse in cadavere occisi, quàm in vivo homine, adhuc odio, iræq; fervore gliscente? Deniq; si spiritus hic inimicitiæ tam fervens est, ac tantum energiæ habet, ut sanguini communicare possit motum, multò magis communicare potest cadaveri ipsi calorem, & sic cadavera occisorũ deberent esse cæteris calidiora, saltem, inquam, respectu partis in qua asservari spiritum illum contendis, aut saltem sanguis durante spiritu illo calidus permanere deberet, aliter congelabitur, & erit omnino ad motum ineptus, etiam remeante duplâ spirituum quantitate in cadaver. Igitur cùm hæc causa invalida sit, neq; sufficiens proportionata reperiatur, & effectus tam rarò appareat, & omni evidentiâ carere videatur, dicendum videtur, neque effectum hunc realem esse, neque consequenter posse causam ejus, quod nequaquam est, in natura assignari.

Sed quia aliquando factum non negavimus, dicemusne à Deo hunc effectum esse? Minimè gentium si velimus de necessitate à Deo fuisse, & esse quandocunque licet id sentire nonnullos ex præcitatis Auctorib. sciam, & inter Medicos Thom. Fien. *de viis. Imagin. quæ.* 14. & alios apud Petr. Andr. Canonher. *lib.* 1. *Aphor.* 1. *pagina* 429 *v. Sic ut multi Medici.* Licèt enim ex voluntate Dei hoc possit facillimè succedere, & speciali ipsius permissione, tamen ab eo non esse quandocunque dicendum si modò unquam est. Jam enim per causas naturales non fieri, ejus permissu, patet: sed neque supernaturali agendi modo & ex miraculo id facit, quia miracula sunt ad fidei corroborationem, ut alias dixi: at hoc nihil ad fidem, nam & apud infideles idipsum succedere non negabis, quibus fides nota non est. At dices, fieri propter justitiam. At inquam, justitia omnia peccata pro eorum gravitate punienda vult: at multa sunt peccata homicidio graviora, in quib. tamen propalandis nullum intervenit miraculum. Deinde homicidium unum altare gravius est, ferro occidere hominem minùs grave, quàm veneno, aut alio modo, cur ergo non semper occisa quomodocunque cadavera coram occisore cruorem emittunt; Addo deum esse liberum agens, & miracula ad proprium libitum operari, & idcircò non posse cogi ab eventum frequentiâ ad miracula faciendum, & interrumpendum Naturæ ordinem: imò, si qui clarissimè ostendit, in ea re miraculum non intervenire, hoc illud est, quia fit sanguinis emissio ad nostram voluntatem, cum occisorem coram occisi cadavere sistimus. Præterà in his quæ miraculo fiunt, nulla requiritur conditio à parte rei circa quam fieri debet miraculum, cùm miraculum fiat à potentia infinita Si ergo cruoris emissio ex cadavere miraculose fit, non modò fieri debet post horas determinatas octo nempe, vel decem, sed quandocunque neque solùm in cadavera hominis ferro sublati, sed in quocunque quomodocunque enecto, neque solùm si percussor stet eminus, sed etiam, si sit emimus. Deinde cùm miracula sint opera unde quaq; perfecta & hæc sanguinis ex cadavere ejaculatio ad hunc finem fiat, ut occisor patefiat, cur sanguis non prosilit multâ vi contra occisorem etiam emimus stantem, & procul inter alios spectatores, sic & miraculum esset evidentius, & illius finis melius haberetur. Neq; desunt permulta alia, quæ contra hanc sententiam faciunt: sed jam hæc prætermitto. Nec; majorem probabilitatem habere videtur ea opinio, quæ vult id accidere Dæmonem operâ: Non enim videtur ad ullum finem id Dæmones velle: nam cur velint? num ut sontes sceleris sui pœnas luant? Sed & hæc sententia ab aliis reprobata est concludentissimis rationib. & circa exclusionem quarumcunque causarum supernaturalium, vide quæ affert Libavius *in tractatu prædicto & in positionibus, à n.* 46. *ad* 65. *& sepp.* ubi etiam occisorum animas ab earum causarum numero repellit: nam non defuerunt qui hanc causam hujus effectus commenti sint, quorum opinioni favet insulsa quædam Antiquorum persuasio de qua Martin. Delr. *in Sen. Octaviam, n.* 117. credebant quippè illi occisorum animas nocturno tempore homicidas persequi, ac vexare.

Sed unde obsecro emergere potuit commentum hoc de cruentatione cadaverum occisorum coram homicidis? Novum profectò non est, ex cadaverib. quibuscunq; post horas nonnullas ab interitu, quin etiam postridie, aut die tertiâ à morte sanguinem emanare, nam facillimè, quovis motu agitentur, cruentare fatetur Plater. *cent post. q.* 8. & Libavius, *ubi supra, posit.* 10. An non quotidie in iis, qui apoplexia, squinantia, lethargo, Phrenidie, aut suffocante aliquo morbo, aut ex malignis pestilentibus perierunt, & ex narib. & ex ore, & ex oculis quoq; interdum, & ex auribus sanguinem fluere conspicimus? Ad quod coram propinquis id fiat, per accidens est: nam propinquos cadaveri hominis assistere est ne quid novum? Item quod puer à matre suffocatus, aut aqua submersus coram matre, vel amicis cruentet: sic & per accidens evenisse existimaverim quod aliquando cadaver occisi coram occisore cruentaverit, non per antipathiam, aut quamvis aliam naturalem causam, ut sentire quoque videtur Plater. *ubi proximè, q.* 8.

Unde his sic se habentibus, nullum unquam desumi debere indicium ex hoc contra aliquem firmandum, neq; ex hoc posse judices ad alicujus rei executionem devenire reo præjudicialem, cùm etiam coram insontibus & homicidii illius nesciis sanguis ex cadavere, levi ex causa emanare possit. Non tamen pertinaci animo negare in animum induxi meũ omnem ejus rei realitatem, sed si ut, erroribus, certioribusque experientiis, firmioribusque rationibus ea res innotescet, sententiam mutare paratus sum. Ex re interim Medicorum futurum existimo, ut hæc experientia omnino infirmetur, & evanescat, nam si vera manifestabitur: hinc quot Medici ex eo judicio suorum ægrorum occisores deprehensi, homicidii pœnas luent? [Vid. Rejes pag. 227. & seqq]

SUM

SVMMARIVM.

1 *Valuera capitis præ cæteris notanda.*
2 *Vlnera capitis etiam leviſſima negligenda non ſunt.*
3 *Hippocratis dictum de capitis vulneribus examinatur.*
4 *Idem os poteſt findi, & frangi.*
5 *Caput vulnerari poteſt in una parte, & cranium findi in parte adverſa.*
6 *Nonnulla locum habent in capitis vulneribus quæ minimè producere debent in vulneribus aliarum partium.*
7 *Poſt quadraginta dies non dicitur qui ex ulnere mortuus quod tamen non habet locũ in vulneribus capitis.*
8 *Vulnera capitis, etiamſi prava ſint, periculo non vacant.*
9 *Simplices etiam capitis percuſſiones non contemnendæ.*
10 *Præſumptio deſumpta ex remiſſione accidentium quod vulnus fuerit tutum, non habet locum in vulneribus capitis.*
11 *Thoracis vulnera habent tempus ſuæ ſanationis multo longius, quàm alia.*
12 *Magnorum articulorum vulnera ſecuritatis tempus habent. cæteris vulneribus magis diuturnum*

De particularium morborum vulneribus.

QVÆSTIO X.

1 HActenus de vulneribus univerſaliter locuti ſumus, ſunt autem quædam in particularibus, de quibus maximè ſermonem habere oportet. Ac primò de vulnerib. capitis, quæ præ cæteris omnib. di-
2 gna ut notentur exiſtimanda: habent enim quid peculiare; ac omnino diverſum à plerisque aliis vulneribus; alia enim vulnera etiamſi non contemnendæ magnitudinis ſint, negligi tutiùs poſſunt, quàm leviſſima capitis vulnera, quæ nequaquam negligenda eſſe, monent cum Hipp, ex noſtris Hor. Auhen. *Epiſtol. lib. 9. Epiſt. 3.* Hieron. Fabrit. *lib. 2. Chirurg. c. 15.* & Fortun Fidel. *lib. 4 Relat. c. 2.* & ex Juriſconſultis Farin. *q. 126. n. 196. & 9 ſeq. n. 53.* Non igitur craſſa Minerva accipiendum Hipp. dictum, *de loc. in Hom.* ubi dicebat: *In capitis de vulnerib. ſi os quidem fractam ſit, & contritum, periculo vacat; ſi fiſſum & fiſſura intrò procedat, periculo plenum.* Prima enim
3 ejus ſententiæ pars ita accipi debet, ut eo periculo vacet capitis vulnus, quando os fractum, quòd aliàs ex fiſſura impendere, non quòd omnino periculo vacet: Vel dicendum eſt, Hippocratem locutum eſſe comparativè, volens inuere multò majori periculo eſſe in capitis vulnere cranii fiſſuram, quàm fracturam. Non valeret ergo dicere, in hoc capitis vulnere os fractum eſt, ergo nullum adeſt vitæ periculum: quia præterquam quòd poteſt reſpectu unius partis vulnus eſſe ſalutare, reſpectu autem alterius lethale, idem os etiam frangi, & findi eodẽ vulnere quid obſtat: nam cranium laminis conflatur, &
4 ideò poteſt ſuperior lamina frangi, inferior verò findi. Quinetiam notum eſt, & ab Amato Luſit. *Cur. vend. cent. 6. cur. ult.* ex Hipp. ſententia contra Paul. pro Galeno ipſo probatum caput vulnerari poſſe in
5 una parte, & cranium findi in parte adverſa, quod malum contrafiſſura dicitur, quam etiam alii Medici fieri poſſe docuerunt, citati à Fallopp. *in l. b. Hipp. de cap. vuln. c. 14.* & commoſtravit aliàs idem Amatus *Cent. 3. Cur. 42. in Schol.* contra quam tamen opin. noviſſimè fuit Æmil. Pariſ. *de Micr. ſubtil. lib octavo, exercit. primâ, capite quinto.*

His ſic ſe habentib. certum ſit nonnulla habere locum in capitis vulnerib. quæ in aliis non proce-
6 dant. Ac primò quoad tẽpus ſecuritatis de quo jã longiorib. locuti ſumus, dicendum, quòd licèt comm. opin. locum habere poſſit utplurimùm in cæteris vulnerib. nimirum, quòd poſt quadraginta dies non dicatur quis ex vulnere mortuus, ea tamen in vulnerib.
7 capitis locum non habeat. Quia, ut jam probavimus etiam poſt centeſimum, & ultra hæc periculum afferunt: & ratio ejus rei multiplex eſſe poteſt, nempè quòd externis injuriis caput præ cæteris partib. ſit expoſitum, quòd excrementis plurib. abundet, quòd nervorum, & ſenſuum omnium principium & origo in ipſo ſit per quod totum corpus rigitur & ſuſtentatur; unde & à toto evaporationes ſuſcipit, ex quibus fit, ut facilè malũ contrahati & facilè etiã in eo concepti morbi magni evadãt, qui & ſenſibiles partes maximopere afficere & exinde magna ſymptomata excitare valeant, ut reſolutionẽ convulſionem, dolores acerbiſſimo, ac pernecãtes, & id genus alia.
8 Quoad magnitudinem, vulnera capitis habent etiam hoc ab aliis peculiare, quòd etiamſi minima ſint non idcircò, ut in aliis partib. dici poſſunt pericula vacare, ut ſupr. ex Hipp. & aliis dixi, quibaddo ex Medicis Hieronym. Fabrit *lib. Chirurg. c. 15.* & ex Juriſconſultis Farin. *q. 126. n. 196.* Ratio ejus rei tota dependet ex dubio, ne cranium læſum ſit, quòd hoc aliquando læſionem ſentiat etiam cute externa non vulnerata, nullaq; in ea facta ſolutione continui apparente; unde quandocunque caput vi, & impetu, & à re dura vulnerantur, etiamſi vulnus minimum exiſtat, ob prædictum timorem periculum adeſt. Quinimò licèt ex conciſio Hippocratis mul-
9 tum faciat, ut Medicus cognoſcat quo inſtrumento, quantâ vi, & per quodnam ſpatium vulnus ſit inflictum, & multa id genus alia, tamen interdum etiam ſimplices, ac leves capitis percuſſiones cranio noxam communicant, unde nullo modo contemnendæ nam præter cranii fiſſuras, contuſiones, & fracturas, poteſt ex ſimplici ictu cerebrum commoveri, & homo exinde epilepſia, reſolutione, aliisque ſotmidandis ſympt omatib. moleſtari. & mortem denique obire, ut exemplo patet in caſu Virginis Nerei, apud Hoppocr. *lib. 5. Epid. 1 xt. 49.* & in aliis ab aliis auctoribus adductis.

Tertiò, ea concluſio quòd ſi vulneratus poſt non- 10
nullos dies meliùs habuerit, & accidentia remiſerint nõ præſumatur, ſi dehinc moriatur, ex vulnere mortuus ut ſuperiorib. quæſt. jam probavi, non procedit neq; habet locum in vulnerib. capitis; nam aliquando in hiſce vulnerib. accidentia remittunt quidẽ, ſed vulneris fomes ſemper remanet, vulnere exiſtente notabili: ex cujus cauſa ipſum caput debilitatem facilè in ſua cauſa eſt, ut vulneratus denuò ex ipſius vulneris culpa recidivet, & tandem moriatur. Et licèt id commune eſſe malignis quibuscunq; vulneribus jam dixerint, ut aliqualiter in ſanatione euntib. dehinc ſuam denuò malignitatem prodant hoc præterquam quòd in vulnerib. capitis præcæteris locum habet, etiam absque eo quod pravitate nulla dorentur, hoc in hujus partis vulnerib. habet locum; ut ex hiſtoriis patet, & exemplis, quorum nonnulla videapud Marcell. Donar. *loco ſupr. cit.*

Quartò, thoracis vilnera, quoad tempus, intra 11
quod debeat dici quis ex vulnere mortuus, habent procul dubio non modò longiùs, ſed penè indeterminatum tempus. Quandocunque enim hæc vulnera ſanata non fuerint, in fiſtulam degenerantia vitæ inſidiantur, aut æger tabidus moritur poſt eorum

ſanationem, ita ut ſemper ex vulnere dici debeat mortuus: & licet hoc contingere poſſit in aliis quoque vulnerib. nimirum quòd ad ſanitatem perduci non poſſint, ita ut ex eorum vitio tandem æger vita fungatur, non eſt hoc ex partis vulneratæ natura, ut in Thoracis vulnerib. uſu venit, quemadmodum aliàs dictum eſt.

Quinto, eadem ratio militat in vulnerib, articulorum, præcipuè magnorum: nam & hæc ex ſui natura ſemper, aut plurimùm malignitatem adjunctam habent ut patet etiam ex ſuperiorib. Qua de re neq; in his locum habebit terminus 40. dierum, qui ſecuritati vulnerum aſſignantur, quia hæc in locum protracta, & pravitati aſſociata, quandocunq; etiam poſt longiſſimum tempus interimere poſſunt.

SUMMARIUM.

1 *Vulnus eſſe poteſt ſine ſanguine.*
2 *Omnis continuitatis ſolutio dicitur vulnus.*
3 *Pugno & Alapa quis impetitus aliquando interiit*
4 *Percuſſiones, ictus, pugni. alapæ, & huiusmodi an mortis cauſa eſſe poſſint. Diſtingue, ut n. ſeq.*
6 *Si quis pugno aut alapa impetitus intereat, percuſſor non ordinaria pœna homicidii puniendus.*
7 *Pugno percutiens non præſumitur habuiſſe animum occidendi.*
8 *Flagellatio quomodo mortem afferre poſſit.*
9 *Fuſtibus, flagellis, aut ſaccullis arenâ refertis occiſi quomodo cognoſci poſſint, & n. ſeq.*
11 *Sanguinis rejectatio per os, & alias partes, an ſit ſufficiens ſignum flagellationis &c.*
12 *Sugillationes, vibices, ſtigmata, & huiuſmodi, an ſint ſufficientia ſigna flagellationis, &c.*
13 *Differentia ſugillationum ex percuſſionibus, & ex cauſa interna emanantibus. Ratione differentia vide n. ſeq.*
15 *Alia differentia inter has, & illas ſugillationes.*
16 *Tertia differentia.*
17 *Vaſorum internorum diſruptio quomodo differat in hoc, aut illo caſu.*

De percuſſionibus, ſine ſanguine, Pugnis, Ictibus. Alapis, Flagellationibus, Saccellationibus, & aliis læſionibus huiusmodi.

QUÆSTIO X.

1 VUlnus eſſe poſſe, ac dici etiam abſq; ſanguine jam in ſuperiorib. dictum eſt, omnis enim continuitatis ſolutio dicitur vulnus unde & percuſſiones flagellationes, & ſaccellationes; aliæq; læſiones abſque ſanguine factæ inter cætera vulnera connumerari poſſunt, ac de his nunc ſermonem habeamus: ſi quidem circa hæc quamplurima occurrunt dubia non minùs enodatione difficilia, quàm ſcitu neceſſaria, cùm aliquando ad huiusmodi percuſſiones, ictus, pugnos, alapas, flagellationes, ſacellationes, & id genus alias læſiones, ſoleat ſuccedere febris, & partium putrefacto, interiorum venarum ruptio & laceratio, cerebri commotio, & exinde etiam mors; quinimò eveniſſe non ſemel compertum eſt, ut pugno, aut alapas quis petitus interiit, ut eſt caſus apud Hipp. de
3 quo ſuprà, filiæ Nerei, quæ muliercula amica lata manu percuſſa ſecundùm ſinciput, nona periit, & apud Beniven. *de Abd. cur. c. ult.* caſus juvenis, qui alapa percuſſus, illicò apoplexiâ prehenſus interiit, & alterius apud eund. *ibid.* qui pugno impetitus, interemptus eſt, nec deſunt alia quamplura his ſimilia. In quib caſib. dubitari aliquando poteſt, an percuſſiones, ictus pugni, alapæ, & id genus alia eſſe potuerint ac cum effectu fuerint proxima cauſa mortis; ac primò nulli dubium eſſe debet, quòd ubi percuſſiones, & ictus hi validi fuerint quacunque in parte, præterquàm in acubus, (voco artus hic brachia, & crura) ſed præcipuè in Capite, in Stomacho, in Pectore,
4 & in regione Hepatis, poſſunt eſſe proximæ cauſæ mortis, etiamſi nullum ab extra appareat nocumentum, & nulla continuitatis ſolutio. Hoc autem in prænominatis partibus facilè fit ob rupturam & laceracionem internorum aliquorum vaſorum, aliquando ob exquiſitum partis ſenſum, ut in ſtomacho, præcipuè ſecundùm os, in capite tum ob prædicta, tum etiam ob cerebri validam concuſſionem, ex qua Epilepſiam, Apoplexiam, Catochum, Lethargum, & huiusmodi affectus ſuſcitari facillimum eſt, admonente quoque Fortun. Fidel. *lib. 4. Relac. c. 5.* at ubi ictus, & percuſſiones non ita validæ ſint ut in enarratis caſibus, nam latâ manu, aut etiam pugno percuti non magnum quid eſt, tunc res dubio non vacat; neq; enim videtur hæc cauſa ſufficiens ad mortem accerſendam, imò neque ad magnum morbum excitandum.

5 Dicendum ergo videtur, quòd diſtinguendum ſit non modo à fortitudine inſtrumenti, quo in percuſſione utimur, ſed etiam ab ipſâ fortitudine percutientis, & à valetudine ictus, ſeu percuſſionis, & à ſtatu ipſius, qui percuſſus eſt, nempè à fortitudine, & debilitate non ſolùm ſecundùm totum, ſed etiam ſecundùm partem percuſſam. Inde ſi percuſſor fuerit vir membra habens multo roboræ, & duritie prædita, aut valido inſtrumento percuſſerit, contrà verò vapulans debilis ſit, maximè ſecundùm eam partem quæ vapulaverit ut, in caſu puellæ illius, de qua Hippoc. tunc dicendum, tales percuſſiones eſſe proximas cauſas ipſius mortis, excitando dolores, & inflammationes in parte vapulante, & in capite concuſſiones, ex quib. facilè ſequitur mors. Si verò percuſſor mediocri robore prædictus ſit, & cætera mediocriter ſe habeant, ſed qui vapulaverit debilis exiſtat, tunc quia remotior cauſa videtur hæc: inſufficiens quidem judicanda ad immediatè mortem accerſendam, neq; tamen ſine omni culpa ex cauſa eſt, quia poteſt humores commovere, & exinde febrem, aut alium quendam morbum excitare, ex quo etiam temporis ſucceſſu mors ſubſequatur. At ubi is quis vapulaverit fortis fuerit, & à forti percuſſore vapulaverit aut debilis à debili, & tunc non videtur ſufficiens cauſa proxima mortis in hoc ſecundo, in primo autem caſu, dubio aliquando non vacabit.

6 Scio autem in his omnib. caſib. etiam ſecuta morte, percuſſores non ordinariâ pœna puniri, ſed mitiùs ex eo quòd non præſumatur eo modo percutiens habuiſſe debilitatum animum occidendi. Facit *l. 1. §.* 7 Divus Hadrianus, *ff. ad l. Cornel. de ſicar.* Bart. *de percuſſ. n. 7.* quanquam ſacer Textus *Exodi c. 21. v.* 18. tacitè videtur damnare percutientem lapide, vel pugno, ſi inde mors ſecuta ſit, inquit enim: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſed jacuerit in lectulo ſi ſurrexerit, & ambulaverit foris ſuper baculum ſuum, innocens erit qui percuſſerit, &c.* quaſi ſi vapulans deceſſerit, percuſſor innocens futurus non ſit, ſed quicquid ſit de hoc, quod ad Juriſconſ. pertinet; certum eſt aliquando tales percuſſiones, nempè calcib. pugnis latè manu, ictib. & huiusmodi factas, poſſe eſſe proximam mortis cauſam, ut diximus.

8 Cæterum flagellatio ſi multa, valida, & cum validis flagellis extiterit, aut verberatio robuſtis baculis à robuſta manu celebrata, poteſt utraq; mortem afferre, quanquam neq; flagellatio, neq; verberatio cum baculis, aut fuſtib. videntur animo occidendi fieri, utrùm autem id delinquenti in his caſibus.

ſuffra

ſuffragari poſſit ; Iuriſconſulti videant. At contrà ſaccellationes ad talem finem inventæ, ut homo ſuccumbat, & mortis cauſa palam non fiat: neque enim huiuſmodi ſaccellationes veſtigium in exterioribus relinquunt, quia æqualiter univerſos externos muſculos conterunt, & unico colore inficiunt non multum à naturali diſtante, nec maculas relinquunt, ſed internas venas, ac vaſa diſrumpũt, & lacerant, unde facilè ſaccellati intereunt.

Verum enim verò difficultas eſt in cognoſcendis iis, qui flagellis, fuſtibus, aut ſacculis arenâ refertis vapulantes perierunt, nam aliquando hoc
9 vertitur in dubium, & magni intereſt ſcire. De hac re, ut de pleriſque aliis diligenter diſceptans Fortun. Fidel. *lib. 4. Relat. cap. 5.* nihil certi in ea re firmari poſſe ingenuè faſſus eſt, ac profectò non abſque ratione; duo enim potiora ſigna, ex quibus id, quod quærimus, coniicere liceret, fallacia, & incer-
10 ta omnino ſunt, ut rectè ille concludit, ea ſunt ſanguinis per os, aut aliquam aliam partem rejectatio, non ſolùm dum adhuc flagellatus, vivit, ſed etiam poſt mortem, & vibices, ſuggillationes, Ecchymomata, Stigmata, Maculæ, ſeu quomodocunque appelles, in corpore, & muſculoſis præſertim partibus: nam ſanguinis rejectatio, quæ per os, vel nares vel aures vel etiam per oculos, aut per inferiorem ventrem vel per utinæ quoque vias fieri in his caſibus ſolet, neque ſemper contingit, neque etiam tantùm in hoc caſu ſuccedit: contingit enim
11 ubi ictus, ſeu percuſſiones hujuſmodi corporis pars fuerit paſſa, quæ magnis venis, atque arteriis ſit inſignita, contrà verò ubi nulla id genus vaſa exſtiterint: non eſt autem ſemper flagellationis ſignum, quia etiam ex aliis cauſis ſolet contingere, ut videre eſt in his, qui Apoplexiâ, Epilepſia, Squinantiâ, aut ſuffocante morbo, malignâ febre, vel peſtilentia intereunt.

Quoad ſuggillationes, vibices, Ecchymomata,
12 veſtigia, ſtigmata, maculas, & hujuſmodi, certum eſt, quòd eandem incertitudinem ex iiſdem prorſus cauſis habent; quia non ſemper talia apparere eſt neceſſe: ut diximus, & apparent ex febre malignâ, ac peſtilentiali, non modò in vivis, ſed etiam in mortuis poſt aliquot horas, imò poſt unum aut alterum diem à morte; quamobrem rectè videtur concludere ex his Fortunatus, nihil certi in ea re decerni poſſe.

13 Ego vero contemplatus aliquando ſum, neque rationi diſſonum mihi viſum eſt, quod diverſa ratio eſt, ubi ſanguis per vim, nempe flagella baculos fuſtes, ictibus, verberibus, flagellationibus, percuſſionibus à diſruptis, laceratiſque venis profunditur, & exinde ſuggillationes, vibices, aut ſtigmata fiunt ab ea in qua ex morbi malignitate, & impetu talia apparent: & idcircò licèt in externa facie eandem lividitatem, eundemque colorem hæ ſuggillationes, & vibices præ ſe ferant, tamen ſi ad ſectionem veniamus, cutemque ipſam ſcindamus, manifeſtè, ut exiſtimo, apparebit differentia inter utrumque caſum: nam ubi ab externa vi diſruptæ venæ ſanguinem evomerint, facilè deprehendetur ſub cute craſſus, ac concretus cruor ex ipſa venarum, aliorumque vaſorum dilaceratione; quod quidem ubi ex maligna febre, aut alia ſimili interna cauſa vibices apparuerint, non habebit locum ſed tantùm color ipſius cutis, & fortè ſubjacentis carnis in livorem mutatus apparebit: & ejus aſſertionis rationem habeo in promptu quia ubi ex cauſa externa ſanguis effundatur, venarum capitula dilacerata ac diſrupta, facilè, quem continent ſanguinem, etiam craſſum ad vicinas cavitates transfundunt, qui extra vaſa ſubitò concreſcit; at ubi ex 14
cauſa interna vibices fiant, neque lacerantur, neque adaperiuntur capita vaſorum, ſed per ipſa veluti reſudat tenuior ſanguinis pars, quæ à putreſcentibus humoribus elevata, ob turgentiam, & maximam ſui copiam, vel pravam qualitatem, & acrimoniam ad cutim erumpit: quamobrem non neceſſe eſt in hoc caſu apparere ſub cute craſſum illum cruorem, neque etiam evidentem vaſorum lacerationem, ut in priori.

Addo his aliam differentiam ex colore ſugilla- 15
tionum, ac vibicum deſumptam: nam ſi à cauſa externa fiant, color eſt plerumque maximè livens ad nigredinem vergens, & temporis ſucceſſu ex viroté palleſcens. At ubi fiunt à cauſa interna, tunc color ut plurimùm non adeò liver, licèt aliquando nigricet, & non immutatur, ſed temporis ſucceſſu ſenſim deliteſcit, & obliteratur. Ratio ejus rei deſumitur ex tenuitate & craſſitie materiæ, ſeu ſanguinis, qui ſuggillationes excitati in cauſa enim interna, quia tenuior, facilè ex ſe ipſo digeſtus ſuggillationes evaneſcunt; at in externa ob ſui craſſitiem tam citò reſolvi non poteſt, ſed virorem contrahit, quòd putrere incipiat. Priorem tamen conjecturam ego rationi tantùm innixus aſſero, cum adhuc in experientiam non traxerim, propono tamen tanquam quid veriſimile, & rationi conſonum, & quod à Medicis veritatis amatoribus experientiâ vel confirmandum, vel explodendum ſit; ſi minùs illi reſpondeat; nam ſi hæc vera apparebunt, jam evidentiſſima ſigna habebimus, ex quibus veniamus in cognitionem certam ejus rei, quam quærebamus.

Aliud quoque ſignum probabile haberi poteſt, quod Felicis Plateri eſt, *Obſer. ſuar. lib. 3. tit. de deform.* Eſt autem, quòd vibices, & ſugillationes in 16
his, qui ab externa cauſa ex percuſſionibus interierunt, non indifferenter in quacunque parte, ſed iis antùm quæ percuſſionibus fuerunt obnoxiæ, inveniuntur; at ubi ab interna cauſa originem ducunt, in quacunque parte apparent, etiam in extremis artubus, & interdum, inquem etiam ſub capillis aliiſque locis, qui à percuſſionibus ſunt immunes.

Major difficultas eſt de vaſorum internorum 17
ruptura, cùm hæc in utroque caſu verè dirumpi, & lacerari poſſint, & ex illis ſanguis ad cavitates effundi. Quamobrem ex ſanguinis rejectatione nihil certi videretur diſcerni poſſe, niſi quòd ruptura à cauſa interna facta, cauſam habere debuerit aut longam, ut tuſſim longam longumque deſcenſum actium, ſolorumque humorum ad pectus, aut maximè efficacem, & evidentem, ut validiſſimam tuſſim, aut aliam evidentem morbum; at hæc quidem facilè interrogationibus, aliiſque indiciis haberi poſſunt. Forte ubi externa vis incauſa ruptionis vaſorum fuerit, plura vaſa ſimul diſrupta, ac lacerata comperiemus, quàm ſi ab interna factum id fuerit.

SUMMARIUM.

1 *Signa demonſtrantia vivo, vel mortuo inflicta;*
2 *Vena in eo, qui vivus vulneratus eſt, ſanguine vacua contra in eo qui jam mortuus fuerit vulneratus.*
3 *Aliud ſignum ejus qui vivus vulneratus eſt.*
4 *Aqua ſubmerſi moriuntur ob cohibitã reſpirationẽ.*
5 *Signa in eo, qui vivus ſuſpenſus eſt.*
6 *Signa obſervata in eo, qui per vim ſuffocatus eſt.*
7 *Fulmine percuſſi ſigna.*
8 *Cadavera fulmine icta à feris non deguſtantur.*
9 *Cadavera fulmine icta putrefactioni nõ ſũt obnoxia*
10 *Cadavera fulmine icta leviora evadunt.*

Vuneta

Vulnera vivone, an mortuo inflicta fuerint; in flumen, aut mare demerſus, vivuſne, an mortuus fuerit demerſus. Item vivus, an mortuus quis fuerit ſuſpenſus. Fulmineneictus an per aliquam externam vim quis perierit.

QVÆSTIO XI.

QUæritur aliquando cùm reperitur cadaver hominis occiſi, qui vulneribus confoſſus videtur, utrum vulnera illa vivo adhuc homini, an mortuo fuerint inflicta; à qua quæſtione brevit r, ſed prudenter ſe expedit Paræus *in Renunciatio ibus*, ac duo affert ſigna, primò colorem ipſorum
1 vulnerum, qui ubi vivus homo vulneratus fuerit, rubet eſt, & ipſa vulnera cruenta cernuntur, mortuus verò ſi fuerit vulneratus contrà, inquit, neque rubra, neque cruenta ſunt. Secundò, vulneris labra dicit eſſe tumida, ac livida, ſi vulnus vivo homini ſit inflictum, ubi verò mortuo inflictum ſit, labra neque tumida, neque livida ſunt, ſed potiùs inquit, albida & flaccida; id autem fit, ut prudenter addit ille, ob concurſum humorum, ſanguiniſque in vivente homine, qui concurſus nequaquam accidit in mortuo. Porrò neque ex rationabili diſcurſu, neque ex propria experientia
2 quicquam ego habeo, quod huic Paræi documento addam; niſi dicam, venas in eo, qui vivus ſauciatus eſt, ſanguine vacuas, ac flaccidas, & in ſe ipſas concidentes reperiri, in eo verò, qui jam mortuus eſt vulneratus, ſanguine oppletas. Id fit quia in vivo ſanguis facilè per vulnera excurrit, cùm fluidus ſit & extra corpus exilit, in mortuo verò non ita, quia concreſcit.

Sed hac occaſione ſumptâ, alia nonnulla, quæ in dubium circa mortuorum cadavera venire poſſunt, diſcutiamus. Dubitatur ergo ulterius, num qui ex aquis mortuus emergit, vivus, an jam vita orbatus
3 in aquas ſubmerſus fuerit. Movent hoc dubium Paræus *ubi ſupra*. Fortun. Fdel. *lib.* 4 *Relat. c.* 4. & Roderic. Caſtrenſ. *in med. Polit. lib.* 4. *c.* 11 atque omnes unanimiter in his ſignis conveniunt; primùm eſt, quòd qui ſubmerſus vivus eſt, ventrem totum aquâ plenum ac tumentem habet; ſecundum eſt, quòd illi muccoſa quædam excrementa è naribus, ſpumoſa verò ex ore prodeunt, illa ob ventriculorum cerebri obſtructionem ab aqua, & à cohibita reſpiratione factam, hæc ob eadem reſpirationem vi cohibitam, & aëris violentum egreſſum cum impetu ex pulmonibus, & ſpiritualibus partibus: moriuntur enim qui aquâ ſuffocantur, ob
4 cohibitam potiùs reſpirationem, quàm ob aquæ copiam, quæ ab illis ingeſta fuerit, ut aliàs quaque monuimus.

Tertium ſignum eſt, quòd is, qui vivus in aquis ſubmerſus eſt, atque ibi ſuffocatus, extremos digitos attritos, & excoriatos habet, ex eo, quòd mortem quâ datur evitans, obvia quæcunque, ſaxa nempe ſcopulos, terra in ipſam, datur attingere, veluti furibundus tentat arripere, arenamque ipſam effodit: in eo autem qui mortuus in aquas dejectus eſt, nihil tale conſpicitur: nam ut iidem auctores proſequuntur, neque alvus tumet, quòd viæ omnes, & ductus in mortuo ſubſidant, & aquæ ingreſſum non admittant, neque ſpumam ex ore, aut mucum ex naribus emittit, quòd nulla fuerit illi neceſſitas cohibendi ſpiritum, cùm reſpirare non cogeretur: neque digiti in illo attriti conſpiciuntur, nequeenim mortuus amplius cum morte colluctatur. Hæc illi, quibus aquieſcendum videtur, cùm rationi conſona ſint, & experientiis fortè ab illis confirmata, propriæ namque mihi deſunt.

De eo quoque qui ſuſpenſus reperitur, dubitari poſſet interdum, num vivus adhuc, aut jam mortuus ſuſpenſus fuerit, movent & diſcutiunt hoc ipſum dubium Paræus & Fortunatus *ubi ſupra*, atque eorum uterque eadem affert: ſunt autem ab iis allata quæ ſequuntur. Qui vivus ſuſpenſus eſt, funis, vel laquei veſtigium in jugulo ſervat, quod vel rubedine, vel fuſcedine aut livore; vel nigredine erit inſigne: rugoſam inquit Paræus, & contractam apparere circunſtantem cutem, ob eam, quam funis fecerit, compreſſionem. Aſperæ Arteriæ caput ſæpè lacerum, ac contrarium videtur, luxataque, & ſuo loco mota ſecunda cervicis vertebra: livore etiam faciei, crurum brachiorumque conſpicuum id fiet, & thoracis ipſius tumore. Spumam etiam in his ex ore, & mucum ex naribus, veluti in ſuperiori caſu dictum eſt, & in omnibus ſuffocatis apparet, in hoc ipſo notabimus, ut Paræo placet. At Fortunatus plenam, & indubitatam ejus facti notitiam deſumit ex diſſectione pectoris, quòd pulmones veluti purulenta ſpuma turgeant. His addam ego linguæ craſſitiem, & nigritiem, & aliquando prominentiã extra oris ſputa, & Ecpieſmum, nempe oculorum expreſſionem, ob intercluſi ſpiritus anguſtiam, & violentiam, ut quotidie adnotare licet in his, qui Juſtitiæ mandato à carnifice ſuſpenduntur, ac ſtrãgulantur. Vrinã, dicit Fortunatus ſeſe aliquando perfundere eos qui vivi ſuſpenſi fuerint. Quin, inquam, adnotatum eſt virile membrum in his aliquando erigi, ac tendi fortè & ſeminis ejaculationem contingere interdum, non eſt abſurdum; nam & hanc in Epilepticis fieri notum eſt: at & in ſtrangulatione ſpaſmum fieri quis dubitat; Evenient ergo hæc quòd viâ per hos, & ſuperiora ſpiritui intercluſa, is ad eas partes ſeſe impetuosè conferat, eaſque tumefaciat, ac tendat.

Eadem ſigna, inquit Fortunatus, obſervare licebit in iis, quibus quoquo modo per vim ſpiritus 6
intercluditur, exceptis veſtigiis illis, quæ à fune, vel laqueo relinqui diximus, quando ex ejus vi quis ſuffocatur. Ego verò rationi conſonum exiſtimo, non ita tumefieri partes circa collum & guttur. Vertebram certè ſuo loco in his, ut in illis non moveri, in dubium verti non debet. Lividas tamen quaſdam maculas totum corpus deturpantes tam in his, quàm in illis conſpici neceſſe eſt, ob rationem, de qua Fortunatus. At ubi quis jam mortuus fuerit ſuſpenſus, neque funis, ſeu cujuſcunque laquei generis veſtigium ullum circa collum apparebit, neque cætera quæ memorata ſunt, conſpicua fient: maximè verò cadaveris color nihil immutabitur, neque livorem ullum aut ſecundùm faciem, aut ſecundum commemoratas alias partes contrahet, neque tumor ullus circa guttur, vel linguam, vel faciem, aut pectus apparebit, neque oculi tumidi, nec aliud quicquam eorum, quæ dicta ſunt.

Perquiruntur tandem aliquando ſigna fulminis in eo, qui mortuus in aliquo ſolitario loco, extra habitata loca, & urbes repertus, neque ullum veſtigium vulnerum, aut ſtrangulationis aut alterius mortis generis alias conſueti ſervat, præſumiturque hunc fuiſſe à fulmine ictum, & tunc nonnulla ſigna ad id cognoſcendum aſſeruntur à Paræo, *ubi alias* & Fortunato, *l.* 4. *cap.* 6. quorum duo priora cuilibet fulmini communia ſunt, admonente Fortunato. Primum ergo ac maximè quidem evidens ſignum eſt odor, quem ſpirat Cadaver, qui gravis profectò eſt ac ſulphureus, ex quo fit, inquit Pareus, ut hujuſmodi cadavera neque ab avibus degluttentur, relinquitur autem hujuſmodi gravis, ac ſulphureus odor

non

non modò in cadaveribus, ſed quibuſcunque rebus à fulminis ictis, Seneca teſtante *lib. 2. Nat. quæſt. 53.*
8 Perſenſi, cum per æſtatem animi cauſa Viterbij adhuc adoleſcens commorarer cum avunculo meo, cujus memoria in benedictione ſit, ejuſmodi odorem ex fulmine, quod noſtras tetigit ædes prope arcem ante Eccleſiam D. Fauſtini, qui tam gravis fuit, ut facilè mihi gravem capitis dolorē excitaſſet; niſi mihimetipſi proſpexiſſem. Itaque odorem hunc, ut dixi, non ſolùm ex cadavere exſpirare compertemus, ſed etiam ex veſtimentis, & ex ipſa quoque circumſtante terra, & quibuſque rebus prope adſtantibus. Secundum ſignum color ipſius cadaveris eſt; contrahunt enim quæcunque cadavera fulmine icta fuſcum quendam colorem eâ præcipuè in parte: quam fulmen percuſſerit. Hæc ipſa duo ſigna conſpicua fuerunt in hiſtoria relata à Iacobo Iavello *in ſua quadem epiſt. ad Ferd. Angel. Farg.* quæ impreſſa eſt poſt ejuſdem Medicinæ compendium, & digna eſt conſideratione, ubi traditur brevis cura eorum, quos fulmen percuſſerit.

Tertiò dicit Paræus, aliquando nullum vulneris veſtigium in cadavere apparere, ſed tamen, ſi diligenter introſpiciatur, oſſa comminuta, ac confracta in ea parte, quæ icta eſt, animadvertentur. Adnotandum tamen eſt, non omnes perire ab ictu ipſius fulminis, ſed aliquos à ſolo pavore extingui. Proth. Caſul. Ætiol. *lib. 1. n.* 112. In his autem hæc inquiſitio ſuperflua eſt, ſicuti etiam & ea, quæ ex immutato coloris cadavere deſumitur; relinquitur autem ſolus odor gravis & ſulphureus, de quo diximus. Si tamen in percuſſis aliqua pars vulnerata appareat, eam ex Plinij ſententia reliquo corpore longè frigidiorem perſentiri dicit Paræus; quod etiam ex eodem Plinio refert Majol. *Dier. Canicul. colloq. 1. part. 1.* & Petr. Crinit *de honeſt. diſcip. lib. 9. cap.* 12 ejus rei cauſam quærit, ac reddit idem Proth. Caſul. *ubi ſuprà. num.* 152. abſumique, inquit, ſpiritus à fulmine, maximè in ea parte, quæ icitur, unde ea quaſi incineratur, [vid. Nardium *animadv. 29. probl.* 22.] Non tamen admittit Fortunatus, quòd in cadaveribus fulmine percuſſis contuſio aliqua, aut oſſium ſemper comminutio fiat, cùm fulmen ſolidum, quid non ſit, ſed ſpiritus quidam vel tenuis & clarus, & ob id non adurens, vel ſpiſſus & fumidus, & ob id incendio abſumens; contundere itaque oſſa, aut frangere, aut comminuere non poteſt, quod conſonare videtur cum opinione Caſulani.

Quartò, homo à fulmine percuſſus cadit ſuper partem quæ icta eſt, & convertitur in partem, unde fulmen venit, quod tamen nequaquam verificatur in hiſtoria relata per Cardan. *lib. 8. de variet. c. 43.* nam cùm in Lemno Inſula, ubi Inſulæ cornu dividitur, octo Meſſores ſub quercu cœnarent, à fulmine percuſſi, atque exanimati manſerunt ſub ea ſpecie, qua diſcubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere, cumque nigri omnes eſſent, imaginem totidem ſtatuarum repræſentabant. Illud etiam obſervatum eſſe ajunt, quòd ſi dormiens homo ictus ſit, oculis apertis reperiatur; ſi vigilans cluſis. At unde hoc? Dormiens ad fragorem expergiſcitur, oculoſque aperit; vigilans ad terrorem concuitur, oculoſque claudit, ob timorem præſentis mali. Putant autem nonnulli, dormientes fulmine non percuti, ejuſque
9 rei cauſam aſſignat Proth. Caſel. *ubi ſuprà, n. 9.* quod tamen an veritatem habeat, prorſus ignoro.

Addebat inſuper Paræus ex Philippo Comineo, cadavera fulmine extincta non eſſe reliquorum inſtar putrefactioni obnoxia, quod etiam admittunt Proth. Caſul. *ubi ſuprà. num.* 8. & Iun. Paul. Graſſ. *quæſt. Nat. & Medic. n.* 34. qui idcirco damnari dicit Euripidis Poëtæ Clymenem, quæ Phaëtontem de Cœlo tactum in vallibus putreſcere ceciderit. Seneca tamen *l. 2. Nat. quæſt. c.* 31. ex quo etiam Fortunatus *ibid.* ea verminationem intra paucos dies pati affirmavit. Quid experientia doceat, adhuc ignoro: ſi contendendum ratione ſit, cum priore opinione, ſentirem, ob ſulphuris vim cadaveribus communicatam, & exiccationem à fulmine conciliatam: quæ opinio Conſulano quoque, *ubi ſuprà*, & Iunio Paulo Craſſo accepta eſt. Quòd ſi hæc veritatem habent, inter alia hoc erit ſignum evidentiſſimum, quòd is, cujus cadaver eſt, fulmine fuerit peremptus, non verò alio mortis genere.

Eſt ultimo loco aliud ſignum à Fortunato allatum, quod hujuſmodi cadavera levia evadant, ob 10
humorum conſumptionem à fulmine factam. Quod ſignum in hoc caſu videtur magnifaciendum, cùm aliàs cadavera ſeipſis graviora evadant, ut notum eſt. Volunt nonnulli abſumi in his interiora omnia viſcera, quod obſervatum aliquando experientia eſſe, oculatos teſtes habeo; in omni tamen fulmine idem evenire, omnino à vero alienum eſt. Notum tamen aliâ ex parte eſt, fulmina nonnulla interna abſumere, externis intactis, & infantem in utero perimere, ſalvâ matre. Et hæc de Vulneribus dicta ſint, & de his, quæ argumenti ſimilitudo, ut unâ pertractarentur, expoſcere videbatur.

SVMMARIUM.

1 *Caſus plures eorum, qui ex eodem infortunio, & violenta cauſa perierunt.*
2 *In omnibus caſibus, bello excepto, illi omnes, qui ſimul moriuntur, commune habent, ut ſuffocati pereant, & n. 10.*
3 *Sub ruinis oppreſſi ob auguſtiam ſpiritus moriuntur.*
4 *Aqua ſubmerſi non ex copia aquarum ebibitarum, ſed ex ſpiritus interceptione ſuffocati pereunt.*
5 *Incendio eodem extincti ſuffocantur priùs, quàm à flammis comburantur.*
6 *Qui à putridis vaporibus, & exhalationibus extinguuntur, ſuffocati pereunt, & quomodo, num.* 8.
7 *Apoplectici tum demum moriuntur, cùm reſpirare amplius non poſſunt.*
9 *Peſte ſublati quomodo ſuffocentur.*
10 *Fulmine icti vel ab ipſius fulminis violentia, vel à pavore ſuffocati intereunt.*
11 *Suffocati videntur interdum mortui, licèt adhuc vivant.*
12 *Eadem ex cauſa ſuffocatis pluribus, unus diutius, quam alius, non per momenta & horas tantùm, ſed per dies vivere poteſt.*
13 *Conjectura, ex quibus haberi poſſit, quis priùs, aut poſteriùs perierit, ubi plures ex eadem cauſa ſint extincti unde habeantur.*
14 *Conjectura deſumpta ex ætate.*
15 *Ex corporis temperamento qua conjectura deſumi poſſit.*
16 *Ex habitu qua conjectura deſumatur.*
17 *Ex majori, vel minori virtutis robore, quanam conjecturâ deſumenda.*
18 *Ob virium robur nonnulli diutiùs vivunt in morbis lethalibus, quàm deberent.*
19 *Ex ſexu quanam conjectura habentur.*
20 *Mulieres in reſpiratione muliò minùs læduntur, quàm viri.*
21 *Conjectura deſumpta ex animi paſſionibus & maximè ex timore.*
22 *Ex vehementi, ac improviſo timore nonnulli interierunt.*
23 *Eminente cauſa habili ad concitandam mortem, priùs aliquando à timore, quàm à cauſa violentia nonnulli extinguuntur.*
24 *In paritate cauſa interimentis, timidiores citiùs interire præſumendum.*
25 *Mulieres cur timidiſſimæ.*
26 *Vire, ac muliere eodem incendio, naufragio, ruina, præcipitio ſublatis, virum ſupervixiſſe veriſimilius eſt ob animi fortitudinem.*
28 *Ex ſanitate & ſtatu morboſo quanam conjectura haberi poſſit.*

29 Quibuſ

29 *Quibus ex morbis præſumendum citius interiiſſe illis affectum, quam alios, qui ſimul ex eadem cauſa perierunt.*
30 *Conjectura deſumpta ex cadaverum obſervatione in duas claſſes diviſa.*
31 *Primæ claſſi coniectura ſint potiùs ſigna evidentia præventionis mortis in cadavere obſervata.*
32 *Magis urgent coniectura, vel ſigna prædicta, quam quævis alia coniectura, ſeu præſumptiones.*
33 *Coniectura ſecundæ claſſis, deſumpta ab obſervatione cadaverum, ex quibus habeantur.*
34 *Coniectura deſumpta ex cadaverum calore, vel frigiditate, & ſimilibus qualitatibus.*
35 *Coniectura deſumpta ex cadaverum maiori, vel minori caliditate, maximè habet locum in iis, qui in bello periérunt.*
36 *Corpora obeſiora frigidiora ſunt quam graciliora.*
37 *A frigiditate membrorum rigiditas.*
38 *Conjectura deſumpta ex cadaverum colore.*
38 *Cadavera quædam non longè ab obitu recaleſcunt, & ruborem concipiunt.*
40 *Conjectura deſumpta ex cita vel ſera cadaverum putredine quantum afficiat.*
41 *Sanguine prædita animalia citiùs putredinem concipiunt.*
42 *Inter eos qui ſimul pereunt, quando verum ſit illum aliis pervixiſſe, cuius cadaver ſerius putreſiat.*
43 *Cadavera eorū, qui tormentario inſtrumento ſublati ſunt, citiùs putreſcunt, quam eorum qui ferro ſunt perempti.*
44 *Morbi genus, ex quo homines ſunt extincti multum facit ad citam vel ſeram cadaverum putrefactionem.*
45 *Cadavera eorum, qui tabido & ſicco morbo pereunt exſiccantur, eorum vero, qui calido, & humido extinguuntur putreſiunt.*
46 *Propria, ultima, ac vera corporum putrefactio exſiccatio eſt.*
47 *Putredo communiter accepta non eſt ultimus finis corporum, ſed tendit ad ultimum finem qui eſt exſiccatio.*
48 *Coniectura deſumpta ex oculorum obſervatione quantum afficiat.*
49 *Oculi etiam defuncto homine per aliquod rationale tempus vitæ quoddam ſpecimen præ ſe ferunt.*
50 *Ab oculis habentur in morbis perſpicuè ſigna ſalutis aut mortis.*
51 *Criſtallinus humor ſecundum omnium DD communem opinionem, præcipuum videndi inſtrumentum.*
52 *Ex cadaverum fœtore quanam conjectura deſumi poſſit, quantumque afficiat.*
53 *Fœtor eſt ſoboles putredinis.*
54 *Nihil evidentius cadaverum putrefactionem atteſtatur quam fœtor ex illis emanans.*
55 *Fœtoris dantur aliqui gradus pro ratione & intenſione ipſius putredinis.*

Pluribus ſimul, eodemque caſu extinctis, qui citiùs, qui poſterius expiraverit.

QVÆSTIO XII. & VLTIMA.

1 NVllum aptiorem locum in toto hoc volumine inveni, in quo dubium quoddam à Iuriſconſultis exagitatum; & ab acutiſſimo Legum perito mihi in mentem redactum; aliaſque ex negligentia, ut ingenuè fatear, prætermiſſum diſcutere liceret, quam hunc ipſum, quem elegi. Erat autem propoſitum dubium ejuſmodi, ex quibuſnam ſignis, præſumptionibus, vel conjecturis poſſit notitia haberi, quiſnam ex iis, qui ſimul ex eodem caſu perierunt, priùs, qui poſterius Animam exhalaverit. Exemplum proponebat ille quorundam, qui ſuo ruinis veteris cujuſdā ædificij oppreſſi vitam cum morte commutaverant. Ac vero huic infortunio ſimilia alia permulta evenire poſſunt, quæ eandem dubitandi anſam nobis præbeant celerioris, vel tardioris interitus unius, quàm alterius ipſi que Iuriſconſulti nonnulla ad hoc adducunt exempla: nam & naufragio eodem ſubmerſi, idem dubium excitare poſſunt ſic &, ſi plures perſonæ eodem incendio arreptæ intereant, eidem ambiguitati cauſam dabunt, necnon etiam qui ab alto ceciderunt, eodemque præcipitio interierunt; aut ubi in eodem cubiculo plures perſonæ permanentes, & ad noxium frigus depellendum focum ex carbonibus accendentes, ex eorundem carbonum fumo fuerint ſtrangulatæ, ut ſæpe ſæpiùs in dies evenire experimur, eandem dubitationem in medium producere poſſunt. Simile quid aliàs accidiſſe ex apertis foveis, vel puteis in quibus frumenta aſſervantur, quorum exhalatione plures ex circumſtantibus aliquando ex ſubitaneo caſu interiiſſe, non unica, ſed multiplici experientia conſtat, quod etiam ex cloacarum quarundam, ac cavernarum tetris malignis, ac venenoſis evaporationibus, iis qui ad eas minùs caute acceſſerint pluries experti ſunt. Eadé dubitatio fatigare nos poteſt circa eos, qui ſimul eodem naufragio ſubmerſi ſunt in aquis, quo mortis genere, veluti etiam eo, quod à ruinis evenire diximus, deos uſos in ſcelerum ultionem, ex Antiquorum opinione eruditè ſatis commóſtrat Petrus La ſana I.C. Neapolitanus *in ſuo Cleombroto, vel de iis qui in aquis pereunt, cap.* 2. Nec minus gravem excitare poſſunt dubitationem ij, qui ſimul ex Peſte obierunt, quo tempore non ea viget morientium cura, quæ aliàs vigere ſolet, ac vix habent morientes qui eos lacrymis proſequantur, unde Ovid. *metam. lib.* 8,

Qui lacryment, deſunt, in fleteaque vagantur
Natorumque virumque animæ iuvenumque ſenumque.

Vnde evenit ut qui ſuperſunt ſciant quidem quinam perierint, non autem quando perierint in una eademque domo, aut familia. Sed & inter alios caſus, leges de iis dubitationem movent, qui ſimul in bello occubuerunt. Idemque eſt de iis, qui aggreſſu graſſatorum occiſi remanſerunt, ut eſt caſus apud *Peregrin. Conſ* 99. *lib.* 6. Poteſt & idem caſus habere locum in iis, qui eodem veneno potionati non multo intercedente tempore extincti ſint; & cùm omnes ſimiles caſus hic, cómemorare non vacet, de iis tandem qui ab uno eodemque fulmine percuſſi vita fuerint orbati, idem dubium inſurgere poſſet, ut eſt caſus apud *Vinc. de Franc. deciſ.* 454. Quantopere autē interſit prædicti dubij, quandocunque occurrit deciſio, docet poſt alios Menoch, *de Præſumpt. lib.* 6. *Præſumpt.* 50. *per tot.* Sed & ante illum plerumque Iuriſconſulti quæſtionem hanc agitarunt, ex Medicis autem, quod ſciam, nullus, ne verbum quidem: Antequam ergo ad hæc decidenda veniamus, & præſumptiones, vel conjecturas, & ſigna enumeremus, ex quibus ejus dubitationis ambiguitatem eluere poſſimus, hoc fundamentum imprimis faciendum eſt, ſcilicet, quòd in omnibus penè, ac ſingulis prædictorum caſuum, ſi bellum, & venenum excipias) quicunque intereunt 2
nulla alia evidentiori ex cauſa intereant, niſi ex cohibita reſpiratione, ob quam tē cùm ipſum cor nativi caloris fons eventilari non poſſit, neceſſe eſt vitam finiri. Quod quidem admirari deſinant ij, qui Medicinam non profitentur, aut recto diſcurſu non ſufficiunt ad rerum veritatem aſſequendam, cujus occaſione ſibi perſuadere nequaquam poſſunt, quanam ratione id ſuccedere indifferenter indictis caſibus poſſit: ſed revera non alio modo id contingere, quæ ſequuntur indubiè demonſtrabunt. Hoc ergo fundamentum idcirco primo loco jecimus, ut notum habeamus, quòd facta comparatione celerioris, vel tardioris mortis unius, reſpectu alterius ſemper ea præſumptio aliis quibuſcunque prævalere debet, quæ deſumitur ex majore, vel minore læſione ipſius reſpirationis, ut procedente ſermone palam fiet interim edocendū eſt,

quonam

quonam pacto id in propoſitis caſibus eveniat, ut firmavimus.

3 Quoad illos ergo, qui ſub ruinis perierunt, nulla hæſitatio intervenire poteſt, ne apud plebeios quidem: nimis enim certa ea res eſt, ſi modo nulla major cauſa, aut violentior, quàm ipſa morborum ruina acceſſerit, ut exempli gratiâ ſi ab ipſa ruina caput contritum, ac comminutum fuerit, vel quocunque alio modo violentiam oppreſſionis ab ipſa ruina imminentis, alia violentior cauſa prævenerit. Ex ſola ergo oppreſſione ſub ruinis concidentes idcircò mori, quòd reſpirare non poſſint, certum eſt, quàm quod certiſſimum, ita ut aliis probationibus, aut teſtimoniis ad eam rem pro vera comprobandam, haudquaquam opus eſſe exiſtimandum. Difficilius,
4 & multò minùs perſuaſibile videtur, idipſum adſtruere de iis, qui in Aquis ex naufragio, vel quomodocunque pereunt: perſuaſiſſimum enim habet vulgus, eos ob multam aquæ copiam ingurgitatam perire, cùm tamen non ita ſeſe res habeat; moriuntur enim, quia in illis reſpiratio impeditur, quod admonui alias *lib.* 4 *Tit.* 1. *q.* 11. *n.* 28. ex Plateto *in q. Med. Paradox. n.* 55. cui nunc addo Petrum Laſena, J.C. Neapolitanum Eruditiſſimum, *in ſuo Cleombroto, ſeu de iis, qui in Aquis pereunt, c.* 8. in qua opella, ut hoc obiter dicam, ſatis ſuperque oſtendit ille, quanti ſit ejus doctrina à doctoribus æſtimanda. Itaque non differre mortem eorum, qui in aquis ſubmerſi ſint ac pereant, ab ea quæ per reſpirationis impedimentum aliàs homines è medio tollit, palam ſit, cum veluti proſequitur Paterius, qui in aquis naufragantur, aquam deglutire inviti non ſoleant, ſed reſpirationē inniti remorantur, tandemq; pereunt, quod ipſe experientiâ comprobavit, quia in diſſectis eorum cadaveribus, qui in Aquis ſunt ſuffocati, parum quid aquæ in ventriculis reperiſſe ſe teſtatur, quin & in eis, qui reviviſcunt, & ut aquam ebibitam evomant inverſo corpore, nempe pedibus ſurſum ſublatis, capite autem deorſum demiſſo fiſtuntur, aquam efflaentem ex veſtimentis potiùs, quam ex ventriculo fuiſſe ejectam, non ſemel animadvertit.

Adhuc autem major dubitatio excitari poſſet de
5 iis, qui ex incendio perierunt: videretur enim nullum habere locum hîc ſuffocationem ob interceptam reſpirationem ſuccedens, ſed potiùs exiſtimandum ab excedenti flammarum ardore illos abripi, atque abſumi, antequàm ulla reſpirationis difficultas ſuccedere poſſit. Sed contrario omnino modo ſeſe res habet, in nullo alio namque caſu id genus mortis, nempe ſuffocationis, magis habet locum, quam in hoc: nam reſpiratio non ad alium potiorem finem à Natura eſt inſtituta, niſi ad cordis calorem attemperandum, ac refrigerandum. Galen. *in lib. de Vtil. Reſpirat. c.* 3. licet & ad nutritionem quoque, & ad ſubminiſtrationem pabuli ipſi Cordi inſerviat, quem uſum multò potiorem eſſe, quam refrigerationem, & fuliginum expurgationem, probat Felix Plater *in q. Phyſiol. num.* 10 modò certum eſt, nihil promptiùs aut citiùs impedire poſſe uſum reſpirationis, quam ſummum illud cauma à flammis exardentibus excitatum: unde licet in aliis ſuffocationem generibus homines aliquando abſque reſpiratione videantur permanere, & omni vitâ orbari, cùm tamen mortui non ſint; immò aliquando ad vitam redeant, ut inferiùs dicam, quia non omnino extincta eſt omnis reſpirationis materia; tamen hoc in iis, qui ob incendium ſuffocantur, nunquam evenire poteſt, quia ſuffocatio in his fit, à totali conſumptione ſpirituum ab ipſo flammarum ardore factâ non ab oppreſſione, ſi obſtructione viarum ad [illegible] quia non

consentaneum eſt, vitales ſpiritus illos tenuiſſimos ab exœdenti ardore multò antè abſumi, quam ſolidiores partes: atque eâ ratione fit, ut homines ab incendio non comburantur, ſed ab incendii vi, ut dixi, ſuffocati pereant, ob cohibitam reſpirationem; vel ſiquidem corpora comburantur, pereant tamen ob eam cauſam antequam comburantur; quod obſervari facile poteſt, ubi hujusmodi incendii caſus interveniat, nam conſpicere licet cadavera à flammis intacta, ſed ab earum impetu, & exurenti vapore ſuffocata.

De iis porrò qui pariter unà ex fumo carbonum, 6
ex cloacatum, vel puteorum, cavernarumve putridis, tetris, ac malignis exhalationibus perierunt, nulla hæſitatio excitari debet, quin conſtet eos ex cohibita reſpiratione periſſe: certum enim eſt, eos omnes eodem modo affici, veluti Apoplectici afficiuntur, immo omnes hi pro Apoplecticis à Medicis habentur, qui tum demum extremum ſpiritum emittunt, cum ad id deveniunt, ut reſpirare ampliùs non poſſint; idcircò enim Hippocr. *lib. de Coac. prænot. ſect.* 3. *text.* 4 dicebat, *in Apoplecticis à ſpiritus anguſtia ſudor repentinus mortem ſibeſſe oſtendit*, ſit enim ſudor à ſuffocante jam, & calorem extinguente ſpiritus anguſtia, ut exponit Duretus *in comm.* quod etiam ex Galen. habetur *lib.* 3. *de loc. aff. c.* 10 atq; id qua ratione fiat, docet ille luculenter *ibid.* licet forte contrarium verius videri poſſit iis, qui in reb. Medicis non admodum experti ſunt; quippè cùm pateat omnib. Apoplexiam affectum eſſe ipſius cerebri, ſecundum ejus cavitates ſeu ventriculos animalium ſpirituũ fontes quomodo ergo fieri poteſt, ut non ob cerebri affectionem, ſed ob cordis potiùs culpam Apoplectici moriantur; & tamen eo modo ſeſe rem habere, ſatis clarè, ut dixi, docet ille. Quemadmodum igitur Apoplexia fit à ſanguine, vel à frigidis, craſſiſque humoribus cerebri ventriculos obſtruentibus unde abſcinditur omnis influxus Animalium ſpirituum ad quaſcunque ſubjectas partes ita ut omnes ſenſu, & motu priventur; unde & ſpiritualia quoque inſtrumenta à ſuo motu ceſſant, & homo ſuffocatur: ſic & non aliter idem ſuccedit, ubi à Carbonum fumo, à vaporibus vini, vel Cereviſiæ vel ab aliqua quacunque exhalatione terra craſſa & maligna eadem obſtructio ſuccedat, ex qua cum aliis partibus, etiam eæ quæ ad reſpirationem deſtinantur à motu ceſſant, atque hoc pacto homo reſpirare non potens mortem obit, unde non ſecùs ac Apoplectici hi omnes, ac ſinguli ſuffocati intereunt. Paræus *de Renunc.*

Verumenimverò ſi qui ab enumeratis caſibus jure eximi poſſe videantur, ii fortaſſe erunt quituno, eodemque tempore modica mora intercepta ex Peſte perierunt, hos enim non facile affirmabimus ſuffocatos periſſe.

Subeunt tamen & hi eandem aleam, ut ſuperio- 9
res, licet negari nullo pacto poſſit plures alias cauſas ad eorum interitum concurriſſe, nam nemo inficias ibi Peſte affectos ex pravitate & malignitate peſtilentis veneni ſuccumbere: ſed & huic pravitati interficienti efficatior forté cauſa adjungitur, contrarietatis nempè, & improportionalitatis pabuli ipſius cordis, quod ab infecto Aëre attrahere in momenta, & indeſinenter cogitur, hinc ergo ſuffocatio, & extinctio tandem caloris vitalis.

Denique eos etiam, qui à fulmine extinguuntur, 10
ſuffocatos periſſe neceſſe eſt, ipſa enim fulminis violentia confertim, & dicto citiùs ſpiritus abſorbens, & abſumens, in cauſa eſt, ut homo, vel quodcunque animal reſpirationis particeps, reſpirare ampliùs

non poſſit ; præterquam quòd plurimos non à fulminis ictu interire conſtat,ſed à pavore. Prot.Caſul. *Ætiolog.lib.*1.*num.*11. ob quem ſpiritus ad cor cum impetu,ac tumultuariè accurrentes calorem naturalem obruunt, ac ſtrangulant, cùm reſpiratio neq; ad ipſum refrigerandum, neque ad illum à fuliginibus vindicandum ſufficiens tunc temporis eſſe poſſit; ſuffocatur ergo, & perit.

Superioti fundamento id addo, quòd omnib. hiſce,qui aliquo ex commemoratis modis ſuffocantur, id commune eſt, quòd aliquando ob interceptam 11 totaliter,ut videtur,reſpirationem, mortui apparent. ac pro mortuis aliquando efferuntur, ac tumulo etiam demandantur, cùm tamen verè adhuc ſpirent, & vivant, & aptis remediis adjuti interdum reviviſcant;quod non ſolùm de his, quos commemoravimus, ſed de aliis quoque quomodocunque ſtrangulatis, aut funè, vel laqueo ſuſpenſis non ſemel eveniſſe conſtat, ut videre eſt apud Joan. Schenck *in ſuis obſervat.de Apoplexia.lib.*1. *& libr.* 2.*tit. de ſuffocat.* & alios Narrat.Gregor. Horſtius *lib.* 7.*de Hiſt. Med.mir. addit. ad Marcell. Donat.lib.* 6. Latronem quendam furcæ deſtinatum,ac ſuſpenſum , ejuſque cadaver ad Anatomiam deſignatum, antequam Anatomicus manus admoveret , vitæ ſenſum aliquem præbuiſſe,& remediis adjutum revixiſſe , licet deinceps ob nova ſcelera poſt aliquot annos iterum fuerit ſuſpenſus , in quem certè videtur apertiſſimè dictum ab Horatio :

Naturam expellas furcâ, tamen ipſa recurret.

Idem quoque ad aliis acciditſſe non dubiæ fidei teſtimonia referunt;ſed in his qui ſuſpenduntur , evenire id poteſt ob non ſatis impreſſum laqueum,in aliis autem ſuffocatis poteſt ex majori virtutis robore, ac præcipuè cordis , & partium & ſpiritualium fieri. 12 Et ex his deducere licèt , non tantùm poſſe unam perſonam per aliqua momenta, aut per tempus non admodum notabile alteri , vel aliis ſupervivere , ubi plures ex eadem cauſa ſimul intereant , ſed etiam ad plures horas, immò & dies , nam aliquos aquâ ſubmerſos poſt quadraginta octo horas revixiſſe teſtatur *Alexand. Bened.libro* 10.*c.*9.*de cur morb.*quod ad rem noſtram maximè facere videtur.

His ergo prælibatis,accedendum jam ad detegenda ſigna,conjecturas , & præſumptiones , ex quibus haberi aliqua notitia poſſit , quis eorum citiùs , quis ſeriùs obierit, qui ſimul ex eodem caſu,& infortunio perierunt , puta Ruinâ, incendio, naufragio,ſuffocatione quacunque,Præcipitio,fulmine,Bello, Aggreſſu,aut ſimili quopiam accidenti.

Cùm autem plures ſint , & eſſe poſſint hæ conjecturæ & præſumptiones , primò in legales , & Medicas eas dividam;Ego igitur eas tantùm percurram, quæ ex Medica ſpeculatione haberi poſſunt, cæteras quæ ad Juriſconſultos ſpectant , intactas omnino omittens,illiſque decidendas relinquam, ſciens, illos eam rem determinare multò diverſa ratione , quàm nos faciamus ; determinant enim pro varietate effectuum , qui offeruntur. Earum verò , quæ ad Medicum ſpectant (quarum vix unam , aut altetam viſi ſunt illi mihi attingere)nonnullæ ex convenienti ratiocinio habentur, fundato in ſtatu , & conditione perſonarum , quæ ſimul perierunt ; aliæ verò habentur ex obſervatione ipſorum cadaverum,quando ad manus ſunt , ita ut obſervari poſſint. Igitur 13 quoad conjecturas , & præſumptiones eliciendas ex rationabili diſcurſu , eæ haberi poſſunt ex ætate , temperamento , ex habitu corporis , ex ſexu , ex viribus , & ex animi paſſione , nempe ex timore.

Et quoad Ætatem dubium eſſe non debet , datâ paritate cauſæ interficienti, & in pari efficacia , te- 14
neriores ætates infantiam nempè ac pueritiam , & impubertatem , vel uſque ad undecimum annum ſecundùm plurimum , aliaque ex parte maturiores, nempè ſenectutem , & decrepitatem , conjecturam non omninò inefficacem facere poſſe præventionis mortis , ſi cum aliis ætatibus comparentur , nempè pubertate, Adoleſcentia, juventute,virilitate, ac primo ſenio : Et ratio videtur evidens ; quoad ſeniores enim,& decrepitos,cùm perpaucis ſpiritibus, & modico calore dotentur;neceſſe eſt illos,illumque leviſſima ex cauſa extingui, ac in auras evaneſcere,unde per multò minus temporis ſpatium poterunt interimenti cauſæ reſiſtere, quam juvenes,aliiſque in ætatibus degentes, quæ ſpiritibus, & calore ſuperabundant,& ſic in paritate cauſarum præſumendum erit, celerius vitæ ceſſiſſe ſenes ac decrepitos, quam alios quos commemoravimus.

Non diſpar ratio videtur militare in tenerioribus ætatibus pubertate minoribus , licet enim proximi ſuo ortui ſint,& multo calore abundent,obruitur tamen ille à nimis excedenti humiditate,ex cujus cauſa citò virtus eorum exolvitur. Gal. *de cur. rat. per ſang.miſſ.c.*10.unde fit,ut accidente aliqua contraria cauſa , & quidem violentiſſima inſidiante ipſorum virtuti,minùs reluctari poſſint quàm puberes,juveneſque ac viri & in primo ſenio conſtituti. Quamobrem prudentiſſimè obſervo determinatum à ll. iterum, atque iterum , ut ibi duo ſimul ex eadem morte pereant , ſemper præſumatur is priùs deceſſiſſe , qui in ætate teneriori degebat nempè ante pubertatem. Ita habetur *in l. Qui duos §. ult. ff. de reb. dub.* ubi ſpeciatim Puberem Patri ſupervixiſſe , impuberem contrà priùs deceſſiſſe in eo caſu præſumitur,quæ differentia habetur etiam *in l. Cum puberem,& 1.ſeq.ff.d eod.*ſic etiam & *in l. Inter ſocerum , ff. de Pact. dot.* Infantem puerum prius Matre obiiſſe ex naufragio præſumitur,& has omnes ll.ad hoc adducunt DD.& præcipuè Menoch.*de præſumpt. lib.*6. *Præſumpt.*50.*n.*30.nec abire Franch. *dec.* 454. in caſu illo,ubi à fulmine Mater cum duobus filiis minoribus fuerat extincta, decidebat Matrem præſumi filiis ſupervixiſſe , ſecundum naturam enim hæc ſuccedere dicunt, ut ibi per eundem Monochium , & multò clarius per Peregrin.*Conſ.*99. *num.*10.*libro* 6. qui etiam ex Medicorum auctoritate ſuas rationes confirmat. Facit & ad hæc comprobanda text. *in l. ex facto,§.ſi quis autem ff. ad ſenat. con. Trebellian.*ubi cum dicitur,quòd Patre , & filio ſimul naufragio , ruinâ,aggreſſu pereuntibus,non eſſe veriſimile filium Patri ſupervixiſſe , de filio impubere eſt intelligendum, gloſſa *ibi in verb.filium ejus* Addentes *ad deciſ.Vinc. Franch. dec.* 454. *num.* 1. Secundum rationem igitur,& ſecundum ll. auctoritatem , ex ætate talis conjectura deſumetur , ut quantò infra Pubertatem magis Puer eſt , & quantò ultra ſenium homo eſt tantò urgentiorem conjecturam præbeant celerioris mortis reſpectu eorum, qui ſimul perierunt,& in ætate roboſtiori degebant.

Secunda conjectura , neque omninò inanis , elici poteſt ex temperamento : Certum enim eſt perſonas , quæ laudabiliori temperamento dotantur, majorem 15
reſiſtentiam facturas contra vim cauſæ interimentis eaſque diutius vitam protracturas, quàm quæ contrarium , nec laudabile temperamentum ſortiuntur : Manifeſtiſſima enim res eſt,temperamentum,quo quis dotatur,ut in cauſa eſſe,ut facilè,vel difficilè patiatur Galen.*in primum de morb. vulg. ſect.* 2.*p.* 7. Temperamenta autem,quæ ad hunc effectum meliora ſunt,

erunt

erunt calida & humida, ex quib. ſanguineum reſulta, & calida & ſicca, ex quib. bilioſum, hæc enim majore, & laudabiliore ſpirituum copia, tum conſequenter magis vegeto: ac vivaciore calore affluunt, qui inſuper ex abundantia frigidorum & ſuperfluétium humorum non obruitur, nec præpeditur, unde diutius cum inimica cauſa luctari poſſunt, ac in longius contra ejus vim ſpiritum protrahere: non dubiũ tamen eſt, his multo melius eſſe corpus temperatum in hoc enim nullus alicujus humoris, qui calorem immutare queat, aut minus aptum ad reſiſtendum reddat; exceſſus, ut in ſuperiorib. obſervari poteſt. Ex oppoſito ob contrarias cauſas frigidum & humidum, aut frigidum & ſiccum temperamentum, quæ corpora faciunt pituitoſa, aut melancholica, minùs reſiſtere par eſt, atque idcircò multò citiùs, quàm ſuperiora efficiunt, ut homo è vita excedat.

16 Tertia conjectura, ſeu præſumptio deſumi poteſt ex habitu corporis, quæ quidem non nimium facienda, ſed cum ſuperiori æqualis robotis æſtimanda; non ex bona temperatura bonus quoque habitus ut plurimum prodire à natura conſuevit, ac tantundem eſt, hominem bona habitudine dotatum dicere, ac ſi dicas illum eſſe undequaque ſanum, bona enim habitudo ipſa ſanitas eſt, Galen. *de bon. habit. in princ.* & multò prolixiùs *in lib. ad Thraſybul. c.* 1. 2. ut ibi & alibi etiam doceat, quid differat bonus habitus à ſanitate: eſt autem bona habitudo, quæ media eſt inter gracilem & obeſum. Modò conſtat ex ſententia Hippocr. *lib.* 2. *Aphor.* 44. eos, qui corpore obeſiore ſunt, citiùs interire, quàm qui gracili, ejus rei rationem reddit Glen. *in comm.* dicens ob anguſtiam viarum eorum calorem proximum eſſe extinctioni: Quemadmodum ergò obeſiores ex naturali cauſa, nempè ex viarum naturali anguſtia citiùs pereunt, quàm graciliores, eodem modo ubi cauſa violenta aliquando opprimentur, citiùs ſuperabuntur, & minùs reſiſtent, quam gracliores, quia accidentalis illa cauſa violenta adaugens vim cauſæ naturalis, facit, ut eorum calor citiùs extinguatur, quàm in gracilibus. Licet autem commentatores prædicti Aphoriſmi, duas ſpecies obeſitatis conſtituunt, unam nempè naturalem, ex temperamento frigido & humido provenientem, aliam verò adſcititiam, quæ per accidens ex nimio cibo & potu, vel alia quavis ex cauſa, quæ cum calido temperamento ſtare poteſt, & Aphoriſticam illam ſententiam de priori obeſitate velint intelligi, non de poſteriori; quia in priori tantùm, non in poſteriori, reperitur naturalis illa vaſorum anguſtia, de qua Galenus, quæ ob temperamenti rationem frigiditate inſignis, emergit: tamen in caſu noſtro indifferenter procedere dixerim de quibuslibet obeſis, ſive à natura tales ſint, ſive ab accidenti. Itaque in paritate cauſarum opprimentium, & ſpiritum intercludentium, ac reſpirationem remorantium, citius ab illis ſuperabitur obeſus quicunque comparatione gracilioris, vel aliorum, qui habitus non tam obeſi ſunt. Adeſt etiam à natura ipſa viarum anguſtia, ſic in iis, qui ex accidenti obeſiores evaſerunt, adeſt earum viarum anguſtia ex accidenti, ob id, quòd ab ipſa pinguedine luxuriante viæ compreſſæ anguſtiantur, unde conſequens eſt, obeſos quoſcunque minus reſiſtere poſſe cauſæ ſuffocanti, quàm diſſimili habitu inſignitos, & ſic multò citiùs illos vitæ cedere neceſſe eſt, quàm non obeſos. Apertiſſimè autem patet, quoſcunque obeſos quantocunque calore affluant, viarum ac ductuum anguſtia premi, cum videamus illos ſpiritum ægrè ducere, & minima ex cauſa in illis reſpirationem lædi. Non negaverim tamen, quòd facta comparatione corporum obeſorum ex natura, & ob temperamenti frigiditatem; cum is corporibus, quæ cùm calidiore temperamnto ex accidenti obeſa evaſerunt, ſemper in paritate cauſæ lædentis, facilius ac citiùs deficere, ac vitam obire obeſa ex natura, ob caloris pauperiem, cùm contrà ex accidenti, ob caloris fortitudinem, magis reſiſtere poſſint.

Quarta conjectura, quæ urgentiſſima eſt, deſumi poteſt ex majori, aut minori virium labore: vires enim præ cæteris quibuſque cauſis contra qualſcunque præternaturales; ac violentas causas reſiſtere palam eſt; ex iis enim major, ac magis vegetus calor arguitur: ita ut ubi vires adſint, ſemper præſumptio debet eſſe ex parte ipſarum, quòd majorem reſiſtentiam fuerint violentæ, ac pernecânti cauſæ, idque tantopere operatur, ut conjectura deſumpta ex viribus omnes alias invalidet, nam per ſemetipſam non ſolum plurimum operatur, ſed inanem omninò reddit aliarum omnium urgentiam; unde dato ab una parte homine jam ſene, temperamenti non omnino laudabilis, habituſque non undequaque boni, qui tamen robuſto ſit corpore, & cruda vitidique ſenectute fruatur, aliaque ex parte poſito juvene temperamenti optimi, & habitus laudabilis, virib. tamen imbecillibus, in paritate cauſæ lædentis, præſumendum erit magis ac diutiùs reſiſtere potuiſſe ſenem illum, quam hunc juvenem, & ſic ſenem inveni ſupervixiſſe, eodemque modo de cæteris. Nam idem etiam evenit in morbis lethalibus, dicente Gal. *in libro tertio, Epidem. agr.* 2. *part.* 1. Ob virium robur nonnulli diutius vivunt, quàm deberent, & ſic è contra nonnulli in ſimilibus morbis ob 18
virium imbecillitatem citius intereunt, quàm deberent.

Itaque maxima, ac præcipua ratio in his caſibus habenda virium eſt, cum ſemper imbecilliot præſumatur prius mori. *Jaſon. in L. Filius-familias, ff. de lib.* & Poroh. *in* 2. & ad eaundem imbecillitatem reſpexiſſe etiam *ll. in l. quòd de pariter, ff. de reb. dub.* dicit Bartol. ibidem, ſemperque ubi ex æquali impetu, inquit Peregr. *Conſ.* 99. *num.* 160. *lib.* 6. pariter illato in perſonas inæqualium virium, præſumptio eſt contra imbecilliorem, unde ipſæ quoque *ll. in alias cit. l. qui duos l.* 1. *l. ff. de reb. dub.* ſemper videntur reſpexiſſe ad virium robur, & imbecillitatem, & idcircò Puberem Patri ſupervixiſſe, impuberem Patrem morte prœveniſſe, in pari cauſa interimente, veriſimilius voluerunt eſſe. Prudenter igitur Socin. Sen. in caſu, de quo Soc. Jun. ex quo Menoch. *de Præſumpt. libro ſexto, cit. præſumpt.* 52. *numero* 27. in quo ex ruina ultra quam plurimas perſonas perierat Pater, natura fortis, & robuſtus, ſimul cum filia tredecim annorum, naturę imbecillioris, determinavit pręſumendum eſſe, priùs deceſſiſſe filiam ob multas conjecturas, inter quas maximè urgebat naturę debilitas ex parte puellę, & fortitudo ex parte Patris: neque alia ex cauſa pubere, & impubere ſimul ex eodem caſu pereuntibus, pręſumi impuberem prius obiiſſe ob virium imbecillitatem, jureconſultum determinaſſe dicit Covarr. *libro* 2. *Var. reſ. cap.* 7. *n.* 2.

Cęterùm ex ſexu quoque non infirma prorſus conjectura haberi poteſt, quę quinta erit in ordine, cùm abſque ulla hęſitantia liceat affirmare, virilis ſexus homines, & ob laudabilius temperamentum, & ob magis vegetum calorem, & ob firmiores vires, & ob majorem Animi fortitudinem, magis reſiſtere poſſe violẽtiæ ac inimicæ cauſæ, quã ſexus fœminini. Facit pro Juriſconſult. *text. in l. Qui duos, §. ſi* 19

Mæritus, ff. de reb. dub. Covarr. *Var. reſol. lib. 2. cap. 7. num. 2.* Tiraq. *de leg. Connub. l. 8. num. 55.* Addent. *ad Franch. deciſ. 454. num. 3.* Sed circa hoc, non contemnendum in multis caſibus intervenire poteſt dubium, ſi veritatem habet, ut habere probavi, concluſio in principio hujus quæſtionis firmata, nempe, quod omnes ac ſinguli, qui in propoſitis, aut ſimilibus caſibus, naufragio ſcilicet, ruinâ, præcipitio, incendio, ſuffocatione, & id genus aliis, (excepto bello, rixâ, hoſtium aggreſſu, graſſatorum inſultu, aliiſque caſibus, in quibus homines ferro, aliiſve bellicis inſtrumentis occumbunt) moriuntur ex auguſtia ſpiritus, & impeditâ reſpiratione intereunt: ex qua concluſione illud etiam deducitur, quòd qui minùs in reſpiraione læduntur, cùm magis violentiæ cauſæ opprimentis reſiſtere poſſint, diutiùs vivant, ac ſeriùs extremum ſpiritum emittant, quàm qui in reſpiratione magis læduntur, & idcircò minùs reſiſtere poſſunt. Modò illud certum eſt, mulieres ex reſpiratione multo minus lædi, quàm viros, unde eſt, quod etiam eliàs adnotavi, quòd Aſthmate magis de ratò prehenduntur, & ab ea faciliùs liberantur, quàm viri, ut docet Meſuë *in ſua Pract. ſect. 1. partic. 2. ſumm. 2. cap. 1.* Savonarol. *in pract. magna tract. 6. cap. 10. in dubiis, dub. 1.* Alexand. Bened. *Pract. lib. 8. cap. 24.* Quod ita evenire ob pectoris latitudinem dicendum, à natura enim ita inſtitutum eſt, ut mulieres lato pectore dotarentur, ob prolis nutritionẽ: Conſequens ergo eſt in paritate cauſarum reſpirationem lædentium, ipſamque omnino abſcindentium, magis ob hæc reſiſtere mulieres, quàm viros, & ſic in dubio præſumi debet mulierem ſupervixiſſe viro. Sed his non obſtantibus, contrarium habere veritatem certum eſt: nam præter plures alias cauſas, potentes mortem accelerare in muliere reſpectu viri, qui ſimul aliquo ex prædictis caſibus oppreſſus fuerit, illa una prævalet, quæ reſpicit vires, in qua conditione quantum excedant viri ipſis mulieribus, non eſt qui ambigat.

Sexta conjectura deſumitur ex animi paſſione, nempe ex Timore, & eſt quidem magni momenti, & ex mea ſententia urgentiſſima: palam enim eſt; in paritate cauſæ interimentis, faciliùs ac citiùs interire pavidos ac timentes, quàm qui ſunt Animo fortiore: nam ipſemet Timor per ſe cauſa efficaciſſima mortis aliquando eſt, multiplicique experientiâ conſtat plures homines ex ſubito timore interire, unde Lucret. *lib. 6. de Rerum Nat.*

Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpè homines.

Quod etiam pluries teſtatus eſt Galen. ſignantes *lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 5.* in iis verbis: *Ex ſubito etiam timore nonnulli ſam interierunt, cùm ſcilicet Animulus eorum naturaliter imbecillus, vehementi paſſione detentus, ſemel & confertim extinctus eſt, & ſuffocatus*: idemque teſtatur *lib. 5. de loc. aff. c. 1. & lib. 12. Method. med. cap. 5.* idque fit, quia timor illicò dejicit virtutem idem Gal. *cit. lib. 2 de ſympt. cauſ. c. 2. & libro de tremor. c. 3.* Animi verò eſſentia facilè diſſolvi poteſt in iis, quibus vitale robur infirmum eſt. Animæ autem affectiones ob imperitiam fortes. Idem Gal. *cit. lib. 5. de loc. aff. cap. 1.* Ex timore enim ſyncope excitatur, unde pulſus illicò minimè fiunt, & maximè imbecilli, ut idem dicit Gal. *loco citat. de ſympt. cauſ.* ac poſtmodum omninò abſcinduntur, ſequiturque mors, hinc fit, ut in timore attoniti evadamus. Gal. *in libro 7. Aphor. 14.* quod elegantèr expreſſit, ut ſui moris eſt, Torq. Taſſ. *ſua Hieruſ. cant. 20. ſt. 104.* in perſona Solimani, hoc carmine.

Lo ſtupor diſpavento, è d'horror miſto,
Il ſangue, e i cori à i circoſtanti aggiaccia,
E Soliman, ch' il colpo eſtranio ha viſto,
Nel cor ſi turba, è impallidiſce in faccia;
E chiaramente il ſuo morir previſto.
Non ſi riſolve, & non ſa quel ſe faccia,
Coſa inſolita à lui.

Immò interdum ex timore tantopere afficimur, ut non recordemur eorum, quæ in ipſo timore geſſimus, eodem Gal. teſte *lib. 2. de mot. muſc. c. 6.* quia extra ſenſus præ timore rapimur: Sed quod magis ad rem noſtram facit, illud eſt, quòd in hiſce caſibus horribilibus & ex improviſo advenientibus, homines ex timore, priuſquam ex violentia cujuſcunque cauſæ intereunt. Patet in fulmine, quo licet nullam aliam poſſimus excogitare violentiorem cauſam in occidendo, tamen multi ante ex timore, quàm ex ejus vi intereunt, ut ſuperius quoque dixi ex Prot. Gaſul. *libro 1. Æriolog numer. 11.* & ſimile quid affirmare licet in quibuſvis ſimilib. caſibus, ubi ſubitus timor improviſæ, ac inevitabilis mortis irruat. Hinc non ſemel factum eſt, ut aliqui leviter vulnerati tamen obierint in ipſa vulneris acceptione ob timorem ipſius mortis, licet aliquando id ipſum ex Ira, & extandeſcentia evenerit, & vide, ſi libet, aliquos caſus Relatos à Dan. Sennert. *in ſua Pract. lib. 5. part. 4. c. 3.* Maximè ad rem Franciſc. Balduccius Poeta Siculus: *in ſuis Lyricis.*

Come talora à reo di morte avvenne,
Qualhor tutto di ghiaccio
Su'l collo ignudo havea l'aſpra bipenne,
Che tant oſto, ch'ei ville
Per le mani homicide
Aſtemuto coltello il fil reciſo,
Fu dal timor pria, che dal ferro uccíſo.

Ergò qui timidiores ſunt; alios in morte præveniunt, ob ipſius timoris evidentes effectus; idcircò pueri, ob rerum in experientiam ex quavis occaſione facile timentes, in Epilepſiam aliquando labuntur, ac etiam mortem obeunt, ut experientiâ teſtatur & docuit etiam Hippocr. *in lib. de morb. ſacr. text. 11* Sunt autem pueri, ut notum eſt, ita timidi, ut etiam res minimas, ac nullo modo timendas, timeant etiam ipſas tenebras, quibus præſentibus horrent, unde Lucret. *lib. de Rer. Nat.*

— *Sic nos in luce timemus*
Interdum nihilo quæ ſunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntq; futura.

Quo etiam Galen. dicebat *libro 3. de loc. aff. cap. 7.* & alibi.

Poſt pueros autem timidiſſimæ mulieres ſunt quod illis contingit, non multùm quia minorem habent rerum experientiam, & à Natura frigidiorem ſanguinem ſortiuntur, ſed etiam quia eandem frigiditatem indiſinenti otio, ac deſidia fovent: augetur autem à deſidia, & otio timiditas, ab exercitio vero & laboribus creſcit virilitas. Verba ſunt Hippocratis *in lib. de Aer. Aq. & loc. num 54.* refrigeratur enim ab otio ſanguis, ab exercitio calefit, à refrigeratione autem timiditas, ab excalfactione virilitas. Timidiora enim animalia ex frigidiore, & aquoſiore ſanguine fiunt, & ipſe metus magis refrigerat. Ariſt. *lib. 2. de Part. Anim. cap. 4.* Sed mulieres eſſe præ viris timidiores, univerſus hominum conſenſus abſque ulla hæſitantia admittit, quod etiam aliis fœminis commune eſſe idem fatetur Ariſt. *lib. 4. de Hiſtor. Anima. cap. 1.* & ad hoc videndus, ſi quis plura deſiderat, inter Jutiſconſultos Tiraq. *in ll. Connub. l. 9. numero 158.* Idcircò ergo ubi vir & mulier ſimul eodem naufragio, incendio, ruina, præcipitio,

abrepti

obrepti fuerint (nisi aliunde manifestiora, & contraria indicia, aut urgentiores præsumptiones habeantur) fœminam præcoctori morte subiatam fuisse est sumendum: facit *text. in l. cui duo, ff. si Maritus, ff. de Reb. dub.* quia cùm multò magis quàm vir, timida ex sua natura sit, citius à tam violenta, ac repentina causa extingui potuit, ipso eodem timore ad mortem cooperante.

28 Denique septimò, & ultima conjectura desumitur ex sanitate, vel statu morboso eorum, qui ex eadem causa simul perierunt: Rationi enim consentaneum absque dubio est, morbosum hominem esse sano debiliorem, & ob id morbosum promptius cedere violentiæ causæ interimentis, cùm ob morbum sufficienti robore ad resistendum non doteatur, quàm sanum, qui vires integras habet, & intactas, & ab aliis præternaturalibus causis nullo modo labefactatas. Unde hæc conjectura pari passu incedit cum conjectura desumpta ex viribus, estque ejusdem roboris cum prædicta, aut paulò minoris; atque idcircò in casu, de quo Socin. Junior, determinatum à Socino Seniore videmus multa cùm ratione, filiam pubere sed valetudinariam, ante Patrem licet senem, sed sanum ac robustum, decessisse ex eadem ruina. Verum est in his casibus operari speciatim unum magis morbum, quàm alium, non est negandum. Universaliter autem tantò magis culpari absque dubio debet morbus, quantò magis ex sui natura vires dejicit, & sic magis debilem esse existimandum hominem febre maligna corruptum, quàm febre non maligna, licet continua & lethali, quia vires à morbi malignitate majorem multò in modum dejiciuntur. Sed præ cæteris ponderandi hîc ii morbi sunt, qui Cordi, ultra febrem, & spiritualibus partibus sunt inimici; suntque earum partium essentiales, ac proprii morbi, ut animi defectus, lipothymia, syncope, asthmatis species omnes, omnesque alii pectori familiares, cùm minimo negotio à causa superveniente, ac ipsi etiam respirationi, & spiritalibus partibus adversissima optimi præ aliis, ac multò promptius, & citius ii debeant, qui similibus morbis vel de præsenti conflictantur, vel ob aliquam naturalem, vel adscitiam dispositionem iisdem sunt obnoxii. Neque prætereundi tamen sunt Capitis, aliarumque præcipuarum partium morbi vehementes, ac præsertim frigidi, qui tantò facilius est eos, qui his morbis detinentur, aut illis obnoxii sunt, à ruina, naufragio, præcipitio, aliave simili violenta causa opprimi, quantò magis eorum calor à prædictis morbis labefactatur, ex quo imbecilliores ac timidiores illos fieri necesse est. Itaque si exempli gratiâ Pater cum filio pubere, ac etiam juvene Asthmatico, eadem ruina opprimatur, præsumendum est, filium ante Patrem expirasse: angustiari enim oportuit multò magis in respiratione filium ob perpessum morbum, & sic vitam multò citius in illo fuisse terminatam; quàm in Patre: & hæ quidem sunt conjecturæ, seu præsumptiones alicujus momenti mihi visæ, ex quibus in dubio elici possit notitia, quis priùs, quis posteriùs decesserit ex iis, qui simul ex eodem infortunio perierunt, quantùm ad medicam speculationem pertinent, quantumque ex decenti ratiocinatione visum est haberi posse.

29 Sed præter prædictas conjecturas videndum ulterius, an adhuc aliqua remaneant, quæ prædictis tutoria sint, vel possint saltem easdem conjecturas, ac præsumptiones coadjuvare, & validiores efficere. Non dubium ergò est, quod si liceat observare Defunctorum cadavera, saltem non longè ab obitu, ut per unum, aut alterum diem, aut ad summum tertia, nonnulla inde elicere indicia possimus, ex quibus in ea re multò tutiùs ac certiùs pronunciare liceat, & quamvis Jurisconsultos de his nihil litteris mandasse animadverterim, ego tamen ex Medico penu nonnulla depromam, quæ, ut spero, non erunt ab ipsis Jurisconsultis omnino rejicienda, sed recipienda potiùs, & cum iis, quæ ipsi attulerunt, conjungenda, qui poterunt etiam, si quæ his addenda sunt, addere, demenda demere, si corrigenda, corrigere.

Ex cadaverum ergo observatione, si quando ob- 30
servari possint, primò haberi possunt indicia, ac signa quædam, quæ irrefragabilia sunt, & omnino indubia, ita ut non pro conjecturis, vel præsumptionibus, sed pro certissimis, & manifestissimis probationib. haberi debeant: secundò ex eadem cadaverum observatione quædam conjecturæ elici possunt, quæ licet non adeò tutæ certæ sint, multò magis tamen fortasse urgent quàm faciunt aliæ, de quib. in superiorib. verba fecimus, nam illæ, ut verum ingenuè fateamur, non possunt rem per se evidenter, concludenterque comprobare, cùm disjunctæ quidem parum quid operantur, conjunctæ verò non omnino probant propter individuorum varietatem: sed signa, de quibus hîc primò mentionem habui, concludentissimè probant, conjecturæ verò aliæ recensendæ partim quidem semiprobabiles sunt, neq; omnino aspernandæ; partim autem magna ex parte probabiles, aut saltem, ut mihi videtur, multò urgentiores, quàm quæ ex Jurisconsultis allatæ sunt.

Verumenim verò circa signa, & indicia illa in pri- 31
mo loco reposita parum quid est, quod afferri debeat ad omnia enim supplere potest si unicâ conclusione quicquid circa ea dici posset comprehendamus, nempè quod inter eos, qui simul ex eodem casu moriuntur, ille omnino cæteros morte prævenerit, in cujus cadavere plures, graviores, majorisque momenti læsiones præter eas, quæ aliis communes sunt, observabuntur; è contrà verò ille aliis supervixerit, in cujus cadavere, aut nullæ præter communes, aut potiores, minusque graves minorisq; momenti læsiones apparebunt. Exempli gratiâ, si præter oppressionem ab ædificii ruina perpessam, omnibus qui sub ea extincti sunt, communem, unius personæ cadaver reperiatur nullâ labe contaminatum, alterius verò vulnere gravissimo confectum, Tertiæ verò etiam capite confracto, ac penitus comminuto, quis locus dubio esse potest, quo minus priorem illam personam duabus aliis supervixisse affirmemus, secundam verò supervixisse Tertiæ, ac Tertiam denique omnium primam animam exhalasse? Sic etiam ubi plures personæ eodem incendio fuerint extinctæ, & unius cadaver suffocatum tantùm ab incendii ardore comperiatur, alterius verò magis in flammis exustum. Tertiæ verò capite omnino, & corporis parte aliquâ insigni torrefactum atq; absumptum, certe eadem consideratio habebit locum, & hanc postremam personam ante alias expirasse, mox secundo loco reponsitam, ac tandem primam iis duabus superviventem, spiritum ultimo loco emisisse affirmabimus: sed & in iis, qui ex aliis causis similibus mortem obeunt, eadem observatio locum habet; exemplo præ aliis ii sint, qui simul ex eadem Peste sublati sunt (cum fortè major dubitatio in iis insurgere possit) nam ubi cadaver unius nullum, vel aliquod malignitatis, ac summæ putredinis signum præbeat; alterius verò exanthematibus, seu periculis, & partium livore, & nigrore fuerit conspicuum, ac Tertii denique malignis ulceribus, ac fœdissima putredinis illuvie scateat, asseveranter confiré (i

hominum ultimo loco commemoratum, celeriùs multo obiiſſe, quàm alios, & primo loco nominatum diutius vitam protraxiſſe, ac cæteris ſupervixiſſe, medio autem modo ſe habuiſſe ſecundum, utpote qui ultimo ſupervixerit, & primum morte præverterit; pro majori enim, aut minori, & magis, aut minus intenſa malignitate, & putredine, cæteris paribus, unum ægrotum alteri ſupervixiſſe, aut priùs deceſſiſſe omnino verum eſt, ſecundum quod majorem, aut minorem reſiſtentiam facere potuerint.

Inter hæc non erit omittenda aliqua conjectura à cauſæ interimentis vi deducta, ſecundùm enim majorem, aut minorem agendi virtutem majorem aut minorem potuiſſe homines reſiſtentiam facere conjectamur: nam exempli gratiâ, majorem agendi fortitudinem habebit incendium in eos, qui illi propinquiores ſunt, quàm in eos qui longius abſunt, & ſic conſentaneum erit eos, qui incendio proximiores fuerint, deceſſiſſe celeriùs, quàm eos, qui ab incendio magis aberant; eodemque pacto majorem violentiam exercebit vapor malignus puteorum, cavernarum, ſimiliumque rerum in eos, qui proprius adſtiterint, quàm in eos, qui ab exhalante vapore magis diſtabant, & ſic non ſequens erit priores illos vitâ celeriùs deceſſiſſe, hos verò illis ſupervixiſſe: ſimiliter ubi plures in domicilio ex fumo carbonum extinguerentur cum aliis in proximo domicilio diſcumbentibus, certum erit illos priùs animam exhalaſſe, qui in eo ipſo domicilio jacebant, in quo carbones manebant accenſi, ac deinceps illos, qui in domicilio proximo reperiebantur, cùm cauſa interimens majori, ac celeriori violentiâ opetata ſit in priores, quàm in poſteriores.

32 Quæ quidem indicia, & obſervationes, adeò ex mea ſententia urgent, ut non obſtantibus quibuscunque in contrarium, ſemper præſumptio celerioris interitus ejus perſonæ ſit, quæ à cauſa violenta magis lædi potuit, unde dato quòd homo ætate juvenili temperamento optimo habitu bono, ſanus, ac viribus integris, dono ardente incendio, fuerit magis vicinus, quàm alius ætatis ſenilis, temperamenti non laudabilis, habitus non boni, valetudinarius, & viribus imbecillibus præſumendum ſemper ob cauſæ violentiam, & in juvenem magis promptam ad agendum, hunc juvenem priùs deceſſiſſe, quàm illum ſenem.

33 Proximè à prædictis ſignis, ſeu indiciis, ſequuntur conjecturæ nonnullæ, urgentes quidem, ab ipſa quoque cadaverum obſervatione petitæ, comparatione ſemper facta unius cadaveris ad aliud. Deſumuntur, ergo hæ conjecturæ à qualitate ſenſibili eorum cadaverum, prout magis vel minùs calida, vel frigida, magis aut minus rigida, magis aut minùs flexibilia; oculis, prout magis vel minus obtenebrari apparent; à colore, prout magis ad fuſcedinem, aut nigredinem vegit; ab odore, prout magis aut minus gravem expirant, à putredine, prout promptiùs, aut ſeriùs accedere conſpicitur.

34 Quoad qualitates ergo ſenſibiles caloris, vel frigoris, certum eſſe videtur, quòd, ubi cadaver unius perſonæ, quæ ſimul cum aliis ex eadem cauſa occubuerit, fuerit repertum, adhuc calore omni non deſtitutum, cæteris aliarum perſonarum penitus calore orbatis, ac mortali frigiditate rigentibus, perſona illa cæteris ſupervixerit. Nonnulla tamen hic animadvertenda veniunt; & primò animadvertendum, cadavera juvenilia (quod etiam vulgo non incognitum puto) diutius calidiora ſervari, quàm ſenilia: promptiùs enim evaneſcere neceſſe eſt calorem imbecilliorem, quàm fortiorem; & ſic non operaretur hæc conjectura quicquam, facta comparatione inter juvenem, & ſenem, ambos ex eadem cauſa, unum non multò poſt alium extinctos. Fieri ſiquidem poteſt, ut juvenis animam celeriùs expiraverit, quàm ſenex, & tamen ejus cadaver diutiùs calidum permaneat quàm cadaver ſenis. Ergo concluſio inteliigenda eſt, locum habere, cæteris paribus, nam aliàs ad alias conjecturas, & ſigna confugiendum, neque huic uni tantùm ſtandum eſt.

Secundò animadvertendum, aliquam etiam in hoc differentiam fieri debere reſpectu morbi, quo perſonæ perierunt, quando dubium eſſet, duobus ſimul ex morbo pereuntibus, quis eorum alteri ſupervixerit, ut in Peſte evenire poſſe ſuperius annuebam. Qui enim ex putrida febre, aut ex convulſionibus moriuntur, calidi permanent. Gal. *libro 1. de Præſag. ex Pulſ. cap. 4.* ut notandum eſt in puero quodam Hydropico, ab Hippocr. *lib. 4. Epid. text. 81.* cujus cadaver, non obſtante Hydrope, morbo utpote frigido, quò detinebatur, per multum tempus calidum permanſit, quia non ex Hydrope, ſed ex maligna, atque acutiſſima febre cum convulſione periit, ut percurrit Vall. *in comm.* contra autem qui ex ſyncopo obeunt frigidi obeunt, idem Gal. *ibid.* nam ipſimet ægrotante ſyncope affecti etiam viventes frigidi ſunt, ut id Gal. *ibid.* Sed & alii morbi dantur, cum quibus morientes, calidi ad aliquod temporis ſpatium conſervantur, licet univerſim frigidiſſimi exiſtant, immò in frigiditate tantopere excedant, ut ſimul rigeant intenſiſſimè, ita ut, veluti Plutarch. dicebat *in libell. Vit. Aqua, &c.* novacularum aciem hebetare ſoleant. Sed hæc, ut dixi non habent locum niſi in iis, qui eodem tempore ex morbo perierunt; nam in cæteris caſibus, in quibus omnes defuncti ab eadem violenta cauſa ſublati ſunt eodemque mortis genere, nempe ſecundùm plurimum ſuffocatione, non poteſt hæc differentia animadverti, ſcilicet quòd aliqua defunctorum cadavera ad aliquod ſaltem tempus calida permaneant; quædam verò illico ab exceſſu, immo & ante mortem frigeſcant, cùm omnia pariter ob eandem cauſam frigida eſſe debeant, ex eo quod ſuperius dictum eſt, quod corpora eorum, qui ſyncope correpti pereunt, frigida illicò evadant, at ex ſuffocatione ſyncope ſuccedit. Erit ergo par ratio in omnibus, ex parte generis ipſius mortis, impar tamen ex parte particularis naturæ, & caloris peculiaris ipſorum defunctorũ; licet enim, ut dixi, omnia ac ſingula frigida eſſe debeant, conſiderati tamen poterit ſecundùm magis & minus, atq; hoc pacto ille, cujus cadaver minus frigidùm apparet, cæteris ſupervixiſſe, ille autem cujus cadaver magis frigidum obſervabitur, alios morte prævenisſe præſumendus. Sed hæc conjectura levior ut plurimum cenſenda; non levis autem reſpectu eorum, qui ſimul in bello, vel hoſtium aggreſſu, vel graſſatorum inſultu occiſi ſunt, cæteris tamen paribus, nam illud in his caſibus adnotandum, quod frigiditas major, aut minor reſultare poteſt ex accidenti, ex majore, vel minore ſanguinis effuſione: quamobrem facillimè dari poteſt caſus, quod unus lethaliſſimo vulnere impetitus non multum ſanguinis effundat, alter verò non tam lethali vulnere perſtrictus, immò forte vulnere ſalutari, copiam maximam ſanguinis emittat, & inde pereat, utriuſque autem animam exhalantibus, ille ob vulneris lethalitatem, hic ob effuſam ſanguinis copiam: prioris cadaver, etiamſi multo ante fuerit anima deſtitutum 35

poterit

potetit ad longiuſculum temporis ſpatium calidum permanere, poſterioris autem licet per horas ſupervixerit, illicò refrigerari ob ſucceſſam ſyncopen, & nimiam ſanguinis ejecti copiam. At verò in pariture vulnerum, ille cujus cadaver diutius calidum perdurabit, ſupervixiſſe illi dicendus cujus cadaver citius frigidum evaſerit. Sed tamen ſemper ea conſiderario habenda, ne defuncti illi magnopere inter ſe differant, naturâ, temperamento, ætate, habitu corporis, & id genus aliis conditionibus, de quibus jam ſuperius meminimus: natu juvenis cadaver diutiùs calidum à morte conſervari par eſt, quàm cadaver ſenis, & illius qui temperamento eſt frigido, & ſic de cæteris: & tunc in ea dubitatione ad alias conjecturas confugiendum.

36 Tertiò videtur in hoc obſervandum, & quòd corpora obeſiora frigidora ſunt, quàm graciliora, quia tantumdem hæc excedunt in calore illo primogenio quantum priora in ejuſdem caloris imbecillitate: hoc autem verificatur magis de obeſitate naturali, quàm de accidentali, naturalis enim, ut ſuperius annuimus, ex ipſa caloris parcitate provenit, accidentalis verò poteſt etiam cum notabili calore conſiſtere; & tamen copora gracilia, quia calorem habent cum ſiccitate conjunctum, ac vehementem, & acutum, nec à ſuperfluente humiditate hebetatum, ſemper in morte poterunt diutius illum conſervare quã corpora obeſa, etiamſi ex accidenti obeſa evaſerint: quia tamen obeſa quæcumque celeriori putrefactioni ſunt obnoxia, fieri poteſt, ut eam ob cauſam extraneum calorem concipientia, qui putrefactionem accerſit, recaleſcant. Differre tamen rationabile eſt, hunc putredinalem calorem à calore naturali, cujus reliquiæ adhuc in defuncti cadavere interdum percipiuntur.

Itaque videndum, quantum hæc conjectura valoris habeat, cùm facilè evenire poſſit, ut decipiamur; nam fieri poteſt, ut homo corpore obeſiori alios morte prævenerit, & tamen poſtridie ejus cadaver putredinalem illum calorem concipiat, ita ut tangentibus calidum percipiatur. Si ergo tem ex hoc tantùm, nempè ex cadaveris calore expendamus, omnino decipiemur, judicantes hominem illum, cujus illud cadaver eſt, aliis, quorum cadavera frigida perſentiuntur, ſupervixiſſe, idcircò ergo putredinali huic calori non fidendum, qui ſatis ſeipſum manifeſtabit ipſa cadaveris putredine, corruptione ac fœtore, quæ maximè obſervabuntur ad ungi reliquis naturalis caloris, ſi quæ in cadaveribus defunctorum relictæ fuerint, & in ſumma, ubi corpora à putrefactione illæſa ſerventur (quod etiam poſt notabile aliquod temporis ſpatium poteſt contingere, ut per unum aut alterum diem, magis & minùs, pro cauſarum putrefacientium abſentia, vel præſentia) illum cujus cadaver magis in calore excedere obſervabitur, cæteris paribus, veriſimile eſt aliis ſupervixiſſe maximè ſi nihil aliud ob aliquam particularem conditionem obſtiterit.

37 Quarto obſervandum, quòd à frigiditate ipſorum cadaverum provenit poſtmodum partium omnium, ac membrorum rigiditas, quæ quidem tanta aliquãdo eſt, ut ne ipſis cutis novacula ſcindi poſſit, ut ſuperius ex Plutarcho adnotatur quia ſi id experiamur, ejus acies potiùs hebetatur quàm ultro in cutem adigi poſſit; ſic etiam, ſi membra aliquâ ratione flectere velimus, potiùs ob eandem rigiditatem cadaver diſrumpemus: cujus rei cauſam ſiquis ſcire deſiderat, ad Ant. Sanctorell. virum doctiſſimum confugiat *in lib. de Medic. defunct. cap.* 8. hanc tamen membrorum rigiditatem majorem, & minorem eſſe poſſe, ac majorem vel minorem in uno cadavere adnotari quàm in alio, certum eſt: nam ad hoc etiam facit habitus, ætas, temperamentum, ſexus, mortis genus, locus in quo reponuntur, & id genus alia. Siquidem corpora gracilia, ac exucca, ætate provecta & multo magis ſenili, temperaturæ ſiccæ, ſexus virilis incendio, aut bello extincta loco frigidiore aſſervata, magis ac promptius frigeſcent ac rigeſcent, quàm corpora obeſiora, ſucci plena, ætate teneriori, temperaturæ humidioris, ſexus fœminini, in aquis ſuffocata, & loco calidiore expoſita: Eaque de re in hac quoque conjecturâ deſumendâ, habenda ſemper ratio, ut in cæteris, differentiarum ipſorum cadaverum, in comparatione unius ad alterum: pueri ſiquidem corpuſculum, etiam poſtridie à morte, molle ac tractabile permanebit, ſenis verò cadaver illicò à morte rigebit; & tamen puer multò ante ſenem vitam obierit Obeſa corpora molliora, ac flexibiliora membra ſervabunt ad multò longius tempus quam graciliora; ſic etiam temperaturam humidiorem habentia corpora non tam citò rigebunt, ut quæ ſiccioré obtinent, nec fœminea cadavera tam citò ex frigiditate rigiditatem contrahent membrorũ, ut virilia, et ſi eod. momento ambo deceſſerint. Igitur cùm obſervabimus membrorũ rigiditatẽ in cadaverib. ex eaq; conjecturam elicere liceat, unum aliis ſupervixiſſe, vel celerius obiiſſe, ſemper cenſendum, eam validam eſſe cæteris paribus, non indifferenter in omnibus.

Ex colore quoque ipſorum cadaverum deſumi poteſt aliqua conjectura celerioris mortis, vel ſuperviventiæ; quæ enim longius à vitæ diſceſſu abſunt, multò magis tetrum, luridumq; colorem, & exviteſcentem, vel livore, vel nigrore conſpicuum obtinebunt; contrà quæ magis recenter animã ſua deſtituta, minùs pravo colore, & adhuc à vivente non intotum alieno dotabuntur; licet enim, cùm mortuus homo eſt, cadavere ejus illico pallorem contrahat, ac colorem induat, quo ipſam mortem præ ſe ferat, unde illud Virg. *Æneid. libr.* 3. 38

—— *Et pallida mortis imago*:

Et Torq. Taſſi *Hieruſ. cant.* 5. *ſt.* 32.

Steſo Gernando il crin di ſangue, è'l manto,
Sordido, è molle, è pien di morte il viſo.

Tamen ipſe idem color in horas magis intenditur; magiſque offuſcatur, ita ut comparatione facta inter duo cadavera, quæ viciſſim ſpiritu fuerunt orbata, & unum per horas poſt aliud facilè licebit obſervare; & ex carnium colore conjectare, quodnam alteri ſupervixerit: colorem enim illum mortuis familiarem tantò magis fuſcum, ac deteriorem fieri neceſſe eſt quantò longiùs ab exceſſu naturalis caloris obierit; nam tantò magis approximatur putredini, cujus ſoboles & propago ipſe color, intetrum ac lividum immutatus eſt. Itaq; cum in cadaveribus de recenti vitã orbatis, nondum ex toto, ac omni ex parte evanuerint quædam naturalis caloris reliquiæ, ex propria earum prælentia colorem non tantopere immutari contingit, quantopere immutatur, cùm jam reliquiæ illæ penitus evanuerint, nam ſuccedente calore putredinali coloris mutationem fieri neceſſe eſt in magis atrum, & extinctioni conformem.

Non prætereundum tamen hic id, quod etiam ſuperiùs ex Felic. Plater. *Quæſt. Medic. Parad. num.* 8. dixi, & quod adnotavit etiam Valleſ. *in comm. lib.* 7. *Epidem. ext.* 87. *inf.* nempè quædam cadavera aut illico ab obitu, vel etiam poſtridie denuò recaleſcere, ac ruborem quoque maximè ſecundùm carnoſiores partes contrahare ex quo nõ difficile eſſet nos in judicando decipi, qualenam cadaver priùs expiraverit, 39

quale verò poſterius; cùm fieri poſſit, ut cadaver illius, qui prius animam exhalaverit, die ſequenti ruborem contrahat, & recaleſcat, altero illius, qui poſterius obiit, frigido, & mortali colore permanente. Sciendum tamen (quod etiam antea admonebam) recaleſcentiam illam cadaverum non ex aſſervatione, & reliquiis naturalis caloris emanare, ſed ex calore putredinali, & ex vaporibus ab ipſa putredine ſublatis; conſequens ergo erit alia nonnulla putrefactionis indicia ſimul eluceſcere, atque hoc pacto tunc magis habebit locum conjectura deſumpta à magis cita celeriori putredine.

Circa quàm tamen multò major, & inextricabi-
40 lior quæſtio inſurgere poteſt, quia, ſi ſecundùm vulgus ſentire velimus, certum eſt, cadavera, quæ citius putrefiunt, citius etiam ſpiritu & calore, & conſequenter vita fuiſſe deſtituta, quàm ea quæ ſerius putrefactionem concipiunt. Sed hæc communis hominum perſuaſio, licèt ſecundùm plurimum vera eſſe poſſit, non eſt tamen undequaque vera, quia ex particulari natura fit, ut cadavera quædam diutius, quædam breviori tempore incorrupta permaneant, pro majori, aut minori diſpoſitione ipſorum ad putredinem, quæ diſpoſitio reſpicit temperamentum, habitum, ætatem, ſexum, mortis ſpeciem, & id genus alia, ut aliàs dixi *lib. 4. ſuperiori, tit. 1. q. 10. n. 16. & ſeqq.* Itaque fieri poteſt, ut cadaver illius, qui temperaturâ ſanguineâ dotatus fuerat, citiùs putrefiat, licet ſerius expiraverit, & examinatum fuerit, quàm cadaver alterius, qui temperatura calida & ſicca dotatus erat, & ob id ſerius putrefiat, licet citius vita fuerit orbatum, cum pateat, ut eo in
41 loco dixi, ſanguine prædita animalia citius putreſcere, calida verò, & ſicca corpora, vel etiam frigida & ſicca longius ab obitu incorrupta ſervari. Eodem quoque pacto quoad alias conditiones evenire poteſt, ut cadaver fœminæ, quæ poſt marem ſpiritum emiſerit, celerius putrefiat ob ſexus conditionem, qui nimia abundat humiditate, quàm cadaver viri, qui multo entè extinctus fuerit; eademque ratione & de ætatibus, & de aliis quibuſque conditionibus eſt determinandum. Unde rebus ſic ſtantibus, hæc conjectura accepta ex celeriori, vel tardioti putrefactione non erit indifferenter admittenda, neque ejuſdem roboris cenſenda, niſi facta comparatione inter cadavera, quæ perſonarum fuerint ætate, temperamento, habitu, ſexu, mortis genere, & id genus
42 aliis conditionibus inter ſe aut ſimilia, aut non multum diſtantia; tunc enim verum erit dicere, inter eos, qui ex una, eademque cauſa ſimul extincti ſunt, puta ruina, incendio, naufragio, præcipitio, ſuffocatione, & id genus aliis, illum cæteris ſupervixiſſe, cujus cadaver magis illæſum, & incorruptum videtur ſervatum, contrà verò illum cæteros morte præveniſſe, cujus cadaver à putredine promotius, ac majorem in modo videtur labefactatum.

Prætermittendum tamen non eſt, quòd hujus conditionis reſpectu, non parva differentia eſt inter illũ, in bello, vel hoſtium, aut graſſatorum aggreſſu, ex vulnere à tormentario inſtrumento inflicto occiſus eſt, & illum qui ex ferro periit, nam paret, & aliàs adnotavi, ejuſque rationem evidentem reddidi, quòd corpora tormentariis illis inſtrumentis ſublata citiſſimè præ aliis putredinem concipiunt, quod ex Ambroſ. Paræi, Alphonſ. Ferri, Batholom Maggii, P. Pigræi, aliorumque Chirurgorum. expertiſſimo-
43 rum autoritate tunc comprobavi. At quæ ferro occiſa ſunt, non tam facilè putreſcere, ratione, de qua *ibi*, firmavi, quam etiam Stephani Roderici Caſtenſis eſſe dixi. Unde conjectura nihil operabitur, ubi de duobus, ſimul & eodem bello interfectis quæſtio ſit, unus eorum ferro occubuerit, alter verò tormentario inſtrumento, cùm hic potuerit quidem illi ſupervivere, & tamen ejus cadaver citius putredine marceſcere. Occurrentibus ergo id genus dubiis, ad alias conjecturas, hac omiſſa, confugiendum.

Multum autem (ut neque hoc etiam ſilent o præteream) facit ad citam, vel ſeram cadaverum putrefactionem, morbi genus, ex quo ſublata fuerint, 44
quod etiam annuebam *ſup. n. 34.* conſtat enim, ut ibi dixi; corpora ex morbo calido & ſicco intereuntia, ut ex febre ardenti, hectica, aut ſimilibus ferò putreſcere, contra quæ contrariæ naturæ morbo, & maximè in quo magna putredo vigeat, ut Peſtis eſt, vel febris maligna, extinguuntur: Nam ipſa eadem corpora peſte detenta, dum adhuc vivunt corruptionem ac putredinẽ magnam præ ſe ferunt, nam ea de cauſa fœdus in illis ſpiritus ab ore emanat, ac ab ipſo corpore, & tã gravis aliquando eſt ut nonniſi ex putrefacto cadavere expirare videatur, quòd ſcitè adnotavit Lucret. *lib. 6. de Rer. nat.* ſequenti carmine.

Sipiritus ore foras terrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadavera ſitu.

Immò ipſam putredinem in adhuc viventium corporibus ad tantam malitiam perveniſſe aliquando compertum eſt, ut genitoles partes, vel manus, vel pedes jam marceſcentes præcidere opus fuerit, ne putredo jam à morbo concepta ſi univerſum corpus ſerperet, quod neque deſtitit adnotare idem Lucret. *ibid.* dicens:

—— Tamen in nervos hic morbus, & artus
Ibat, & in partes genitales corporis ipſos,
Et gravitèr partim metuentes limina lethi.
Vivebant ferro privati parte virili,
Et manibus ſine nonnulli, pedibusq; manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim.

Quæ quidem ærumnæ ex Hipp. *lib. 3. epid. text. 22.* & 45
ex Theucidyde referuntur in peſte Athenienſi accepiſſe à Jo. Nardio *in com. ad præcit. Lucretii carmina.*

Sed ad rem noſtram, exſiccari potius dixi cadavera eorum, qui calido & ſiſco morbo extinguuntur, putreſcere autem cadavera eorum, qui morbo calido & humido examinantur. Sed ipſa quoque excicatio putrefactio eſt, immò propria, ac vera omnium cor-
45 porum putrefactio exciccatio eſt, ſiquidem tum demum in totum perire viventia omnia dicendum eſt, cùm omni primigenio humido abſumpto ad extremam exiccationem deveniunt, ac tunc deſinere ulterius eſſe, unde hæc vera putrefactio eſt. Quòd verò calida & humida corpora ante exiccationem, putrefactionem illam communiter acceptam experiantur, videantur que, ut Virg. dicebat *lib. 3. Georg.*

—— Turpi dilapſa cadavera tabo.

& quod etiam Ovid. aſſerebat, nempe quòd

Dilapſa liqueſcant

lib. 7. Metam. idcircò evenit, quia facilius concipiunt calorem extraneum, qui agens in humidum, putredinem hanc communiter vocatam accerſit; quę tamen, ut dixi, non eſt finis ultimus, ac ultima mors corporum, (quę quamdiu calore aliquo participant, etiam putredinali, videntur aliquo modo eſſe, & vivere] quia tendit ad ulteriorem putrefactionem nempe ad exiccationem, quę propriè eſt ultima putredo, & conſumptio, quaſi annihilatio quorumlibet corporum, omnia enim quę putrefiunt, tandem in fimum & cinerem extabeſcunt, Fern. *li. 2. de Abd. rer. cauſ. c. 10.* quamobrem optimè Eccleſia ſancta, cùm comminatur homini ultimum finem, illud profert: *Cinis es, & in cinerem reverteris.*

Porrò

49 Porrò oculorum obſervatio in cadaverib. non ſolùm inanis cenſenda non eſt, ſed magni quidem faciendæ; nam eorum naturalis conſtitutio qualis in cadaverib. requiritur, vel quàm proximè ad naturalem conſtitutionem accedens, ſignum præbere poteſt non omnino, nec in totum extinctarum reliquiarum naturalis caloris, & ſic non multò ante, corpus illud mortem obiiſſe; contrà illud, quod à requiſito ſtatu naturalis magis recedit. Quod verò aliàs ex Plinio dixi *ſuæ nat. hiſt. lib.* 18. *c.* 6. nimirum, Augurio eſſe, quòd homo ex morbo non ſit moriturus, quamdiu oculorum pupillæ intuentium imaginem reddant, unde *lib.* 11. *eiuſd. nat. hiſt. c.* 17. dicebat, oculos primùm mori, cor ultimo loco, vanè omnino eſſe oſtendit, quòd non ſolùm in iis, qui ex eo morbo non periclitantur, ſed in iis etiam qui & periclitantur, & in jam vitâ functis pupillæ intuentium imaginem ſemper reddant, licèt tantò obſcutiorem, quantò magis à morte diſtant, quouſq; eorum cadavera imputria ſervantur; poſtmodum enim accedente putredine, vel exiccatione, ſpiritu buſq; iis omninò evaneſcentibus, qui partis proprii ſunt oculi magis magiſq; offuſcantur; tametſi ex quo homo moriturus; eſt ac morti proximus, oculi fulgorem omnem remittant; tandemque amittant. Valleſ *in lib.* 5. *Epid. text.* 57. *inf.* ita ut amplius eam imaginem intuentib. nullo modo reddere poſſint. Inane ergo augurium captatur ex apparitione imaginis intuentium in ægrotorum pupillis cùm ea etiam in mortuis per aliquod ſaltem tempus non omnino obliteretur. Unde ſequitur falſitas etiam alterum ſententiæ, quòd oculi primùm moriantur cùm contra dici poſſit, ultimos mori, cùm etiam in mortuis aliquos lucidos ſpiritus retinere eos experiantur. Itaq; cadaver illud, in quo licet obſervare oculos non omnino offuſcatos, ſed tantiſper adhuc intuentium imaginem reddentes conjecturam non levem faciet, hominem, illum cujus cadavet illud eſt, cæteris ſupervixiſſe, qui ex eodem caſu perierunt, & quorum oculi omni ex parte obſcurati, tenebriſque obducti conſpiciuntur omnique luce & diaphanitate ita orbati, ut nullam intuentium imaginem reddere obſerventur.

Neq; mirum videri debet, quòd præ cæteris corporis partib. oculi, homine etiam defuncto per aliquod tempus rationabile, neſcio quod vitæ ſpecimen adhuc præ ſe ferant, hoc enim à tenuitate, & perſpicuitate partium oculos componentium derivari certũ eſt, ut præcipuè humores ſunt, quos omnes lucidos ac perſpicuos eſſe, præter alios Anatomicos docet Fallop. *inſtit. Anat. tract.* 11. *c. de ocul.* inter quos præcipuè emicat humor chryſtallinus, qui producitur à natura è ſeminis portione pellucida, ſimul atq; oculorum fundamenta locat. Joan. Vveſling. *in ſyntagm. Anat. c.* 15. unde tanta perſpicuitate dotatur, ut optimi chriſtalli modo pellucidiſſimus ſit, & ab ipſis oculis exemptus, vitri alicujus modo omnia, quib. imponitur, impenſè quorundam ſpecillorum ritu adaugeat. And. Veſal. *lib.* 7. *de hum. corp. Fabr. c.* 14. Reald. Columb. *Anat.* 10. Joa. Riol. *Anthropograph. lib.* 6. *c.* 43. *de humorib.* Omnia etiam corpora, quæ maxima aqueam naturam retinent pellucida ac diaphana, ſeu tranſparentia ſunt, ut ipſa aqua, niſi aliunde vitietur, ac ex eo vitio craſſior evadat, ut de Aqua Maris evenit, quæ ob intuentium imaginẽ non reddit, unde Virgilium erroris redarguunt nonnulli cũ Coriodonẽ introducit de ſe ipſo loquentẽ, ac dicentẽ *ecloga* 2.

Nec ſum adeò informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare.

Sed quomodò excuſari poſſit Virgilius, alii videbunt certum eſt Maris aquam tranſparentem non eſſe, neque intuentium imaginem reddere, ut corpora diaphana faciunt, & humores, ex quib. oculus componitur. Sed neq; in hac re deeſt aliquid, quod nos in aliquam ambiguitatem ducere poſſit, circa huius conjecturæ validitatem, cùm pateat alios aliis majorem, ac minorem oculorum alacritatem, & perſpicuitatem à natura fuiſſe ſortitos; nam de Auguſto, & de Tiberio, & de Alexandro magno, aliiſq; legimus, habuiſſe, ultra quèm credi poſſit, oculos vividos & alacres, idq; ob majorem à natura illis impertiram ejus inſtrumenti perſpicuitatem, & ſplendorem. Sed hoc præterquam quòd eſt de ratò contingentib. non eam facere poſſe differentiam exiſtimandum, inter unum & aliam perſonam quæ conſiderabilis ſit, & idcircò nullam in ea re excitare poſſe difficultatem & tamen ſi defunctæ perſonæ, de quib. ferendum eſt judicium inſigniter inter ſe differant; ætate, temperamento, & id genus aliis conditionibus debet ex mea ſententia aliqua ejus rei conſideratio haberi, cùm omnino ex rei natura contingat promptiùs offuſcari oculos, in cadavere defuncti ſenis (in quo etiam vivente offuſcati reperiuntur) quàm in cadavere defuncti juvenis aut tenuioris ætatis hominis: & ſic, non habitâ ratione hujus differentiæ ætatis, male fidere licebit huic conjecturę, cùm potuerit in ſene promptiùs oculus offuſcari, licet inveni ſupervixerit.

Quicquid autem ſit de his, quæ hactenus attulimus, illud certum eſt ex teſtimonio Medicorum, Gal. maximè *in* 6. *Epidem comm.* 3. *text.* 28. Animalem ſpiritum luminoſum à cerebro in oculos plurimũ proficiſci, unde fit, ut ab oculis ipſis in morbis ſigna potiſſima, habeantur ſalutis vel mortis, roboris, vel imbecillitatis virtutis; quia pro totius corporis valetudine oculi clarè oſtendunt, qualis ſtatus ſit ſanitatis, & morbi, quod ex nulla alia corporis parte evidentiùs haberi poſſe notat idem Gal. *loco cit.* Unde plures Hippocr. ex videndi vi pereunte mortis inſtantiam prognoſticat, ut *in Coac. Prænot. ſect.* 1. *text.* 78. & alibi: & tamen licet oculus mortis indicia primus omnium cæterorum membrorum præbeat ultimus omnium moritur, ut jam diximus. Stante ergò humoris chriſtallini (qui præcipuum videndi inſtrumentum eſt, ut cum Galeno ſentiunt Anatomici omnes) naturali perſpicuitate, ac claritate, quam à ſua conſtructione habet, independenter à calore & ſpiritu, ita ut etiam in mortuo homine, immò ab ipſo cadavere ſeparatus eandem perſpicuitatem ac claritatem retineat, & poſſit fortè tanquam cryſtallus, ſi aliquâ re à poſteriori parte obducatur, non minùs quàm ſpeculum, imagines intuentium reddere, mirum eſſe non debet, ſi etiam in ſuo loco conſervatus in homine vitâ functo intuentium adhuc imaginem aliquatenus reddat, licet ob aliarum forè partium offuſcationem à morte contractam & ob ſpirituum carentiam, non tam exactè id faciat, ut in vivente homine. 50

Denique ex cadaverum fœtore majori, aut minori dèſumi poteſt alia conjectura ad probandum, quis eorum, qui ſimul ex eadem cauſa perierunt, celeriùs, aut tardiùs obierit. Loquor autem hic de fœtore, qui à cadaveris putrefactione ſublevatur, non de eo, qui vel ab excrementis, vel aliunde in nuper etiam defunctis emanare ſolet: nam ille fœtor, non hic eſt, qui ſoboles eſt putredinis, ut notum eſt ex Gal. *in prognoſt. comm.* 2. *text.* 42. Joan. Fernel. *libr.* 2. *Patholog. cap.* 5. *& libro* 2. *Abd. rer. cauſ. c. decimo*, Licet enim fœtor etiam ex vivente corpore emanare poſſit, ut in iis qui peſte laborant, interdum evenire, ſuprà dixi, & ex Lucretii carmine comprobavi: tamen id non habet locum in ullo ptopoſitorum caſuum 51

ſuum,ſi Peſtem excipias; in quib. mors non à ſebre, & ab intenſa putredine provenit; ſed impoviſa, ac ſubita violentia, vel ex ferro, aliove inſtrumento ſanguinẽ hauriente,vel ex alia cauſa ſpiritum intercipiente:unde nullus inde à prægreſſa putrefaciente cauſa fœtori eſt locus, qui in vivente emanare poteſt, ſed tantummodò fœtori,qui ex cadaveris putrefactione, elevatur,quæ putrefactio tantò citiùs conſpici obſervatur in uno, quàm in alio cadavere, cæteris paribus,quantò citiùs unus homo extinctus eſt, dummodò,ut jam admonuimus,rbtio habeatur ipſorum cadaverum,quoad temperamentum, ætatem,habitum,ſexum, & alia id genus.Licet autem hæc conjectura à cadaverum fœtore deſumpta videatur coincidere,atq;una eademque eſſe cum conjectura deſumpta ex eorundem cadaverum putrefactione, tamen hæc per ſe majus aliquid operatur. Cùm enim putrefactionis indicia ex aliis quibusdam reb.haberi poſſint ut ex partium livore,aut nigredine,præcipaè verò nonnullarum, ut narium,aliarumque extremarum partium,& ex aliis, tamen nihil evidentius illam atteſtatur, quàm fœtor ex ipſo cadavere emanans;quippè cùm ille ad partium internarum incipientem putredinem illicò ſequatur, quæ citiſſimè præ aliis putreſcunt,de naturalibus maximè intelligendo: unde tanquam prædictæ putredinis ſignum primum,& ante alia,fœtor ſe conſpicuum facit,quia ſtatim atq;calor extraneus in ipſas partes ſuas vires exercere incipit, elevat ab ipſis vapores putridos, ac peſſimè olentes,unde fœtor adſtantium nares inficit.

Sed ipſius quoq;fœtoris dantur aliquæ differentiæ, & aliqui gradus,pro ratione & intentione ipſius putredinis. Minimum, ac minùs gravem exhalant cadavera,quæ per exiccationem tabeſiunt,& tandem abſque alia putrefactione infimum ac cinerem abeũt. Maximũ,ac graviſſimum, quæ tabe diſſluunt, & ſaniem generant;ex his enim tantus, ac talis interdum fœtor emergit,ut homines cæteraq; animalia conſternere ſit aptus; talis ſit in iis,qui ex morbo à ſumma putredine proveniente extinguuntur, ut in malignis febrib.& in peſte evenit;corpora nãq; his morbis ſublata, fœtoris ex ſpiratione ipſas beſtias, aveſq; quæ turmatim aliàs ad cadavera accurrunt,eaq; aviditſimè devorant,à ſe abigunt, vel ſi proprius accedant,petimunt. Unde Lucret. *lib.6.de rer.nat.*

Multaque humi cùm inhumata jacerent corpora ſuprà.
Corporibus, tamen altivum genus, atque ferarum
Aut procul deſiliebat, ut acrem exiret odorem,
Aut ubi guſtarat, languebat morte propinqua.

Et Ovidius *lib.7. Metamorph.*

Omnia languor habet, ſylvisq; agrisq; viiſque
Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ.
Mira loquar, non illa Canes, avidæ; volucres,
Non cani tetigere Lupi,dilapſa liqueſcunt,
Afflatuque nocent, & agunt contagia latè.

Ubi ad confirmandum illud, quod diximus, de majori,ac magis gravi fœtore exſpirante ex cadaveribus, quæ ſanie diſſluunt, nota modum loquendi ipſius Poëtæ *ibi*:

Dilapſa liqueſcunt,
Afflatuque nocent.

Recedit autem ab hac fœtoris gravitate eorum cadaverum odor, quæ ſitum contrahunt; ſed ad eam proprius accedit fœtor eorum, quæ verminationem concipiunt abſque ſanie. Atque in ſumma, quæ ex cauſa naturali promptiùs putrefiunt, ut ex conditione ſexus, habitus,temperamenti,ætatis non tam horribili fœtore conſpicua ſunt, veluti quæ ex præternaturali cauſa, ut ex febre maligna, vel ex peſte in putredinem abeunt.

LIBRI QUINTI TITULUS SECUNDUS

DE MEMBRIS, EORUMQVE MVTILATIONE & debilitate.

Continens Quæſtiones ſeptem.

I Membrum quid ſit, & quænam propriè membra ſint in corpore.
II. De mutilatione, impedimento, & debilitate membrorum.
III Mutilata membra an reparari poſſint.
IV. De Naſo, Auribus, & Labiis.
V. De Oculis,Barba,Dentibus, & Lingua.
VI. De Manibus, Pedibus & Digitis.
VII. De Pene, Teſtibus & Mammillis.

SVMMARIVM.

1 *Membri mutilatio irregularitatem inducit.*
2 *Mutilatio partis alicujus membri non facit irregularem.*
3 *Mutilans membrum ſit irregularis, mutilans membri partem non.*
4 *Ad decidendum an membrum mutilatum, vel debilitatum ſit, Medici convocantur.*
5 *Membrum vel propriè dicitur, vel improprie.*
6 *Omnis pars organica membrum dicitur lato modo.*
7 *Membrum ex Avicenna quid.*
8 *Membrum propriè, & ſtrictè quid ſit, & numero ſeq.*
10 *Membra humani corporis quæ.*
11 *Mammilla in fœminis non eſt membrum.Contrarium, ibid.*
12 *Hominem caſtrans non ſubjicitur pœna mutilantis membrum, ſed majori.*
13 *Teſtes habent diſtinctam operationem, & inſignem ac perfectiſſimum.*
14 *Penis non eſt vocandus membrum.*
15 *Ejaculatio ſeminis, & erectio, Penis operationes ſunt, ſine quibus conceptio fieri non poteſt.*

Membrum quid ſit, & quænam propriè membra ſint in corpore.

QUÆSTIO I.

TAm Pontificii, quàm Cæſarei Juris peritis hæc materia communis eſt,illi enim non modo in iis qui ad ordines promoveri cupiunt, ſacros præſertim, membrorum integritatem, & naturalem formoſitatem requirunt, ſed etiam quam irregularitatem inducat membrorum mutilatio tam in mutilato, quàm

in mutilante diſcutiunt, ac determinant: quamobrē
2 dubitant aliquando, an aliqua corporis particula
propriè integrum membrum ſit, necne, & pars tan-
tum membri; quia membri mutilatio irregularita-
tem quidem inducit, ut eſt notiſſimum. Barboſ. *de*
3 *off. & poteſt. Epiſc. Alleg.* 42. *n.* 10. *p.* 2. at mutilatio
partis alicujus mēbri, non ita: Idē Barboſ. *ib. n.* 12.
4 Eodem quoq; icto, qui aliquē membro aliquo mu-
tilaverit, incurrit irregularitatem, ut Canon. notunt;
qui verò tantummodò membrum debilitat, nequa-
quā Capell. Tolof. *q.* 208. *n.* 3. in decidendo ergo,
an membrum mutilatum ſit, vel aliquo modo debi-
litatū, aut impeditum, Medici tanquam periti con-
vocantur, Caball. *Reſ. Crim. cent.* 3. *c.* 236. *n.* 114.

Sed & Cæſarei Jurisconſulti ad pœnas condi-
gnas delinquentibus irrogandas, & ad alia permulta
de eadem materia multa perquirunt, ut in proceſſu
diſceptationis manifeſtum fiet. Meritò ergo nos, ut
utriſque rem gratam faciamus, hoc argumentum
inter alia nobis pertractandum ſuſcepimus: viden-
dum ergo generaliter primò, quid ſit membrum, de
hinc ad particularia accedemus, & ea quæ ad hoc
argumentum ſpectare videbuntur, quoad fieri pote-
rit, acuratiùs pertractabimus.

5 Membrum igitur, vel propriè dicitur, vel impro-
priè, & abuſivè, improprie, ac lato modo omnis or-
6 ganica pars membrum dicitur, ita Ariſt. *lib.* 1. *de hiſt.*
Anim. c. primo, Galen. *lib.* 1. *de uſu part. c.* 1. & cum
his Fortun. Fidel. *libro ſecundo, de Relat. Med. cap.* 8.
& inter Jurisconſultos Covarruvias ex Cicer. *Re-*
lect. p. 3. *de homicid. Init. n.* 8. Caball. *Reſol. Crimin.*
cent. 3. *c.* 236. *n.* 4. Guazzin. ad defenſ. Reor. *def.* 35,
cap. 6. *n.* 1. & ſic auctoritate Avicennæ 11. *doctr.* 5.
cap. unic. in princ. definitur membrum à Conc. *diff.*
38. quòd ſit corpus ſolidum, quod ex humorum ge-
neratur commixtione? vel quòd ſit pars animalis in-
ſpiſſata, ex humiditatibus genita, naturæ vitib. inſi-
gnita. Quæ quidem definitiones adeò genericæ ſunt,
ut non modò Manus, & Pedes comprehendant, ſed
& digitos, Naſum, Auriculas, Dentes, Ungues, ac
7 deniq; quaſcunq; corporis particulas, dūmodo actioni alicujus deſtinatæ ſint: nam idcircò organicas, nō
ſimilares partes, membra appellavit Ariſtoteles, ut
ex eo notat Andr. Laur. *libro primo, Anatom. q.* 1. ſic
etiam Galen. *loc. cit.* & ſic etiam Jurisconſultos
Membri nomine uſos eſſe teſtatur ipſe Fortun. Fidel.
ubi proximè. Strictè tamen, ac propriè, & in germa-
na ſignificatione, Membrum dicitur ea corporis pars
quæ perfectam edere poteſt actionem, & quæ di-
ſtinctam habet ab aliis operationem. Gal. *lib.* 1. *Me-*
8 *thod. med. cap.* 6. Fortun. Fidel. *ubi ſupra.* & inter Ju-
risconſultos ex Ariſt. & aliis Jurisconſultis Covar-
ruvias *loco jam cit. n. eodem.* Barboſ. *de off. & poteſt.*
Epiſc. allegat. 42. *n.* 11. *p.* 2. vel dicamus, quòd mē-
brum ſit certa corporis pars ad perfectam actionem
edendam deſtinata, quā pereunte actio illa in anima-
li reſpectu ejus partis deſtruitur, Covarr. *ubi ſupra,*
9 ex Bald. & aliis, ſic oculus ad videndum, manus ad
apprehendendum, pedes ad ambulandum, lingua ad
loquendum, quarum partium unaquaque pereunte, ea
actio ex parte ſui totaliter perit: neq; enim animal
ſine oculo videre, neque ſine manibus homo opera-
ri, neque ſine pedibus ambulare, aut abſque lingua
unquam loqui poteſt; unde miraculo proximum eſt,
quod Schenk. *in Obſerv. lib.* 1. *tit. de Ocul.* narrat de
quodam cæco ſpecies viſibiles per nares percipiente
licet non adeò hoc ſit impoſſibile, quin potuerit ex
narib. ad ipſos oculos, aliàs perfectè organizatos, &
tantùm ab extra ex palpebrarum coalitu impeditos,
viſibilium ſpecies pervenire, aut lumen ipſorum ocu-
lorum per narium ductum lumini externo conjun-
gi, ad viſibilia percipienda. At non ſicut de oculo,
ita evenire de digitis, de Narib. de Auriculis, aliisque
hujusmodi dicendum eſt, quia propriam actionem,
aut perfectam non habent, non etiam unico digito
abſciſſo, manus apprehendere, & operari poteſt; na-
ribus etiam obtruncatis, raptiſque auriculis, homo
& reſpirare, & olfacere, & audire poteſt.

Cùm ergo præmiſſa veritatem habeant, membra 10
noſtri corporis dicenda ſunt primò Manus, deinde
Pedes, ab his Oculi, poſt Lingua, dē hinc in viris Te-
ſtes, in fœminis mammillæ, nam neque ſine teſtibus
ſemen, neque ſine mammillis lac conficere poteſt
fœmina, cùm ad has, perfectas illas quidem, actiones 11
edendas, hæ partes ſint à natura conſtructæ, ac de-
ſtinatæ, ut doctè ac luculenter demonſtrat Fortun.
Fidel. *loc. cit.* quanquam Gal. *lib.* 1. *de uſu p. c.* 8. inter
præcipua membra, mammillas connumerare viſus
non eſt, ſed quicquid ſit de ejus opinion. optimè his
membri definitio jam allata videtur convenire. Sed
de Mammillis Jurisconſulti apertiſſimè ſentiunt:
nam Covarr. *ubi ſupra*, contra Bald. opin. & Farin. *in*
Append. de immunit. Eccleſiæ, cap. 16. *n.* 149. volue-
runt mammillam in fœminis non eſſe membrum
propriè dictum, at magis ex mea ſententia Baldo aſ-
ſentiendum, qui Philoſophus erat, ſciebatque Mam-
millam in fœminis habere diſtinctam operationem,
eamque deſtinatam eſſe à natura, ut diximus, ad lac
conficiendum, itaque ſtrictè ac propriiſſimè mem-
brum vocanda eſt, Fortun. Fidel. *ubi ſupra.*

Sed teſtib. nullam mentionem apud Jurisconſultos 12
invenire mihi licuit, ex qua circa hoc expiſcari eo-
rum ſententiam potuerim. Scio ſolùm majorib. pœ-
nis tam ſpiritualibus, quàm temporalib. ſubjici eum,
qui hominem caſtraverit, quàm eum, qui membrū
aliquod mutilaverit Menoch. *de Arbitr. Jud. lib.* 1. ex
quo Tho. Act. *de Inſirm. p.* 1. *c.* 5. *n.* 9. quod an apud
Jurisconſultos ob id procedat, quod non ſolùm Te-
ſtes inter membra computentur, ſed cæteris mem- 13
briſ præſtent, exploratū adhuc non habeo: ſatis au-
tem nobis ſit, Teſtes habere diſtinctam operatio-
nem, atque illam quidem inſignem, ac perfectiſſi-
mam ſeminis ſcilicet conficiendi, at longiorib. pro-
ſequitur Gal. contra Ariſt. *lib.* 1. *de ſemine* atq; idcir-
co membra dici debere, præſertim quia præter jam
cōmemoratam operationem, virilem quoq; vigorem
in Marib. tuentur, cùm illis abſciſſis, Mas fœminæ ſi-
milis quoad prædictum Animi vigorem evadat.

Idem quoq; dubium intercedit de Pene: at neque
de hoc Jurisconſultos locutos fuiſſe comperi, ſup-
ponentes fortaſſe, non eſſe revocandum in dubium,
An hæc pars membrum ſit, cùm pater ſit omnium
membrorum, & habeat ejus nominis immemorabi-
lem poſſeſſionem, unde per Autonomaſiam Mem-
brum ab omnibus appellatur, ſed inter Medicos jam
ſæpiſſimè in his quæſtionibus adductos, & addu-
cendus Fortunatus Fidelis litigioſam fecit Peni 14
hanc poſſeſſionem, quā per omnia præterita ſæcula
Membri nomine potitus eſt. Dicebat autem doc-
tus hic Auctor, Penem non eſſe vocandum mem-
brum, eo quòd non habeat conditionem ad Membri
naturam requiſitam, diſtinctam nempè, ac perfectam,
ſeu primariam operationem, quia neque erectio,
neque ſeminis ejaculatio, abſolutè, ac primariæ
actiones videntur, ſed utraque famulatrix potius eſt
ipſius conceptionis: utitur enim natura hac parte
veluti canaliculo quodam, per quem animal ſemen
ejaculetur, ut inde conceptio fiat. Quemadmodum
ergo Nares, ſeu ipſe Naſus Membrum non eſt,
quòd nullam operationem habeat, ſed tantùm ad de-

corem

corem fabrefactus à natura ſit, & ut tanquam per ductum cum minori indecentia Cerebri excrementa expurgarentur, idem de Pene firmandum videtur. Sed videat Fortunatus, ne infortunatus evadat, ſi de turbata poſſeſſione accuſatus ab ipſo Pene in judicium trahatur; quamobrem prudenter agit, cùm hanc nominis poſſeſſionem non inficiatur, ſed ingenuè confitetur, quâ quidem non videtur tam ex abrupto exſpoliandus, præſertim, quia videtur ejus poſſeſſio juſta; quod enim contra adducit Fortunatus, non eſſe nempè erectionem, & ſeminis ejaculationem tales operationes, ut ex iis membri nomine Penis dignandus ſit, quia utraque actio eſt, quæ aliis famulatur, ego quidem partim admitto, partim verò nequaquam: admitto, quatenus ejaculatio fit quidem per Penem, non autem abſolutè à Pene, non admitto quatenus abſq; ejaculatione; & erectione conceptio fieri non poteſt, erectio autem terminatur in ipſum, & ejaculatio ut dixi, fit per ipſum: cõceptionem autem non poſſe ſuccedere abſq; utraq, actione, latiùs probavi *lib. 3. quæſt. Tit 1. q. 8.* Nihil autem me movet, quòd hæ non ſint ita perfectæ operationes, ui per ſeipſas naturæ intentioni ſatisfaciant, ſed deſtinentur ad ulteriorem finem, & ut ille dicit, alteri famulentur, quia hoc non videtur impedire, quòd ſit vocandus membrum, cùm ſatis videatur ſi actio à tali parte celebrata, ſit in ſuo genere perfecta; itaque jure gaudere debet Penis nomine membri, neque membrum membri nomine videtur defraudandum. Illud obiter addam hîc ex Riol. *Antropograph. lib. 1. c. 31.* Penem magnum, durum ac ſtolidũ ingenium denotare. At unde hoc? Nam natura in conformatione naturalium partium intenta, in animalium conformatione abſumpta, & in iis luxurias, non ſufficit ad perfectum vigorem animalibus conciſiandum?

SUMMARIUM.

1 *Mutilatio non eſt idem apud Medicos, quod apud Juriſconſultos.*
2 *Mutilata membra apud Jurisconſultos quæ dicantur.*
3 *Mutilata membra quæ dicantur apud Medicos.*
4 *Mutilum membrum non vocandum, ex quo aliqua pars præciſa non ſit.*
5 *Mutilata membra ſunt quæ aliquo modo ſunt præciſa.*
6 *Mutilatum membrum quodnam verè dicendum.*
7 *Ad veram mutilationem tria requiſita.*
8 *Mutilatio non eſt abſque deformitate.*
9 *Mutilationis præcipua conditio eſt membri obtruncatio.*
10 *Mutilatio tam à natura, quam ab Accidente eſſe poteſt.*
11 *Deformitas eſt aliquando abſque mutilatione.*
12 *Notabile impedimentum præcipuæ actionis alicujus membri ſemper inducit irregularitatem.*
13 *Medici convocantur ad judicandum, an membrum debilitatum, vel impeditum ſit.*
14 *Eadem ejuſdem membri mutilatio, vel debilitas, diverſo modo æſtimatur in diverſis perſonis.*
15 *Amplia prædictam concluſionem, ut hic.*

De mutilatione, impedimento, & debilitate Membrorum.

QUÆSTIO.

QUanquam membri mutilatio in ſuo vero ſenſu non eſt eadem apud Medicos, quæ eſt apud Jurisconſultos, tamen Jurisconſultorum acceptione, 2
hîc utemur, nam hæc magis in conſideratione habenda in caſu noſtro: apud Jurisconſultos enim mutilata membra appellantur, quæ præciſa & obtruncata aliquo modo ſunt. Auguſt. Barb. *de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 42. num. 10.* Sed apud Medicos ampliot 3
multò eſt mutilationis acceptio, non modò enim quæ amputata ſunt membra mutilata dicuntur, ſed quæ deformitatem, & impedimentum afferunt, & ipſius faciei partes, & aliæ ſecundum tria genera mutilationis à Fortun. Fidel allata, *libro ſecundo Relat. c. 7.* Immò etiam quæ ex morboſa cauſa à proprio opere deſiſtunt, etiamſi neque ullam partis præciſionem neque ullam deformitatem patiantur, ut probat ex Hippocratis mente Petr. Sal. *in lib. 1. de morbis ſect. 1. text. 5.* & Marſil. Cagnat. *lib. 1. var. obſervat. c. 2.* licèt ſupra citatus Fortunatus *ibi* hanc opinionem 4
rejiciat nolens vocari mutilum membrum, ex quo aliqua pars præciſa non ſit.

Ac profectò videtur, juxta Fortunati doctrinam, tale membrum vocandum eſſe potiùs imbecillum, 5
quam mutilum, æquivoca enim potiùs, quàm univoca & propria mutilatio hæc Salii, & Cagnati videri facile poteſt. Nos ut, dixi, ſecundùm Jurisconſultorum ſenſum, mutilata ea membra appellabimus, quæ aliquo modo præciſa ſunt: ſed quia ad hoc ut 6
membrum aliquod verè mutilatum dicatur, non ſufficit quilibet cujuscunque quantitatis partis ipſius membri præciſio, idcircò dicamus, quòd quandocunq; præciſio, ſeu amputatio partis alicujus membri ipſius uſui, vel pulchritudini inſigniter obſit, tunc membrum verè mutilatum dici debeat; ſed differentia eſt in hoc, quia ad hoc ut partis præciſio uſum membri adimere, vel impedire poſſit, notabilis eſſe debet, ſed ad hoc ut pulchritudinem amittat etiã minima præciſio ſufficiens eſt, & ex ea pars mutilata dicitur; ut ſi vel ipſa Naſi cuſpis præciſa ſit, ex eo enim quòd in facie, & in parte maximè decori deſtinata, Naſum ipſum reddit mutilatum. Atque hoc pacto videndum Jurisconſultis eſt an ex hoc capite, is qui eo modo eſſet mutilatus, vel alium mutilaſſet, irregularitatẽ incurreret; etiam nihil incommodante eâ præciſione aliquam corporis neceſſariam 7
ſed tantùm formam deturpante. Sed circa id notandum, quòd Fortunatus Fidel. *ut ſæpè*, volebat, ad veram ſcilicet, & exquiſitam mutilationem alicujus membri, tria requiri, adſciſſionem ſeu obtruncationem alicujus membri, vel partis ipſius membri, a- 8
ctionum ipſius membri impedimentum, ac demũ; deformitatem; hanc verò poſtremam præ omnibus re- 9
quiri, ita ut nulla vera mutilatio ex ejus ſententia ſit, quæ deformitatem non inducat. Videtur tamen præcipua conditio eſſe membri obtruncatio, cùm deformitas eſſe poſſit abſque obtruncatione partis, obtruncatio verò abſque deformitate nequaquam, nam ipſa obtruncatio deformitatẽ inducit. Idcircò membrum poteſt eſſe quidem deforme, abſque eo quòd ſit mutilum, quod non videtur controvertendum, licet nunquam futurum ſit mutilum abſq; partis obtruncatione; quæ quia per ſeipſam comitem habet deformitatem, idcircò videtur hæc conditio multò majoris momenti exiſtimanda, quàm deformitas, & actionis impedimentum: non enim à deformitate dependet vera mutilatio, ſed ipſa membri præciſio, at contrà, ut dixi, à membri mutilatione dependet deformitas, & actionis impedimentum.

Cæterùm mutilationem tam à natura eſſe poſſe, 10
quam ab accidente, notum eſt, & idcircò quærebat Hip. *in lib. de Genit.* unde fit, quòd ex mutilatis partibus (non tam ex accidente, inquam quam à natura)

aliquando

aliquando sani, aliquando autem mutilati filii nascantur, nempe quòd ex parentibus aliquo membro, vel membri parte orbatis filii eodem vitio aliquando insigniti nascantur, privati scilicet eo ipso membro, vel membri parte, quæ in parentibus deficiebat.

11 Porrò quemadmodum deformitas interdum esse potest absque mutilatione, sic & impedimentum alicujus membri absque vera mutilatione partis, nempe præcisione esse potest. Impediri autem potest membrum duplici modo, uno ne sibi destinatum officium ullo modo in posterum exercere possit, altero ne tam facilè, & expeditè, ut à natura fit. Relinquo tertium modum, quando depravatè membrum suo officio fungi cogitur. Utrumque autem impedimentum, & à natura esse potest, & ab accidente; neque solùm ex vera mutilatione, partis scilicet privatione; vel naturali, vel accidentali, sed
12 ex aliis quoque causis. Circa quæ animadvertendum, quòd notabile impedimentum præcipuæ actionis alicujus membri, ut oculi in vivendo, linguæ in loquendo manus in apprehendendo, pedis in ambulando, semper inducit irregularitatem, juxta notata à DD. *in tit. de Corp. vitiat.* Notabile autem impedimentum dico, quando membrum suo officio, aut nullo modo, aut nonnisi ingenti cum difficultate fungitur, aut cum est in operando magna ex parte debilitatum, & satis diminutè operatur, ut si lingua nullo modo loquelam formare possit, aut possit quidem, sed cum tali difficultate, ut multum temporis in loquendo, & exprimendo animi sensum, & verba ipsa absumat, aut ita debiliter operetur, ut verba vix distinguat, & sic de cæteris; aliter enim debilitatum,
13 & imbecillum potius dicitur. Ad determinandum autem, an membrum verè impeditum, vel tantùm debile redditum sit, convocantur ipsi Medici, Caball. *Resol. crim. Cent. 3. cas. 236. num. 114.* etiamsi idipsum cuilibet parete facilè existimemus, cùm levi negotio videatur à quovis etiam imperito percipi posse, utrùm membrum aliquod suas actiones naturaliter, fortiter aut debiliter exerceat.

14 Adnotandum præterea est eandem unius ejusdemque membri mutilationem, ad debilitatem, non eodem modo æstimari in una persona, ac in alia; unde si Pictori, qui manum industria utitur, vel Fidicini, qui etiam singulis digitis fides mirabiliter pulsat, digitus amputetur, majoris facienda hæc digiti amputatio in his artificibus quàm in aliis Gab. *ubi sup. n.* 121. imo inter ipsos artifices, majoris æstimanda læsio ejusdem partis in uno, quam in alio, ut ex prænominatis majoris æstimanda amputatio unius digiti Fidicinis, quàm pictoris; nam etiam uno digito obtruncato Pictor non multo cum incommodo operari potest; & ego Pictorem vidi, qui in una manu quatuor minores tantum digitos habet, nam majori, Pollice nimirum caret; in altera duos tantum, Pollicem, & Indicem, & tamen non omninò malè etiam exiles picturas palmo non majores exprimit. Eodem quoq; pacto si Musico, vel potius cantori tantisper linguam præcidas, ad majus damnum teneberis, quam si cuivis alteri eandem inferas injuriam, quia non solum hoc veritatem habet in præcisione totius membri
15 sed etiam in præcisione partium, quæ tali membro inserviunt, ut si nervos manus Pictoris, vel Militis, aut alterius similis personæ sauciaveris, vel dentes Musico, aut Concionatori excusseris, cum quilibet nervus læsus ad manum pertingens ipsam manum reddat debiliorem, & dentes excussi magnopere, & insigniter Musico in canendo, & Concionatori in orando obsint.

SVMMARIUM.

1 *Membra propriè dicta si præcisa sint, restitui non possunt.*
2 *Mutilati membri reparatio an quicquam suffragari debeat ei, qui illud mutilavit ad pœnæ mitigationem vide dum. 2.*
3 *Falsum est præcisas in totum partes ad sua principia reuniri posse.*
4 *Medici restaurari docent nonnulla membra deperdita.*
5 *Restauratio membri non caret tædio, & periculo.*
6 *Lingua mutilata reparari non potest.*
7 *Mutilata membra habentes, si ea recuperent, videntur ab irregularitate progressa immunes.*

Mutilata membra an reparari possint.

QVÆSTIO IV.

MEmbra propriè dicta reparari non posse, non controvertitur, licet ingeniosissimi quidam 1
Medici, ac Chirurgi, inter quos præcipuè ex recentioribus Paræus est, plura machinati sint non modò ad turpitudinem, quæ ex mutilatione provenit contegendam, sed etiam ad præcisi membri usum quadantenus, & utcunque recuperandum. Ad hanc intentionem plura proponit idem Paræus *in lib. de deficientium supplemento, per totum*, ubi non modò factitias manus, effictaque crura, sed etiam factitios Oculos, Dentes, Auriculas, Labia, Nasum, & si quæ alia sunt, quæ deficiunt, effotmare, & in usum trahere docuit. Sed hæc nihil ad rem nostram, aliæ tamen corporis particulæ sunt, quæ resecatæ dubium excitant, an recuperati possint, quod non videtur omnino vanum pro Jurisconsultis discutere: ex his enim illi facilè determinare potetunt, an quicquam suffragari possit ei, qui alicui membrum vel aliam partem mutilaverit, ad pœnam mitigandam, vel ei cui præcisum, vel præcisa sit, ad irregularitatem evitandam. Non revocatur autem in dubium, an ipsæmet partes in totum præcisæ denuò 2
possint ad sua principia reveniri, hoc enim vanum simul, ac falsum est, & jure Lanfranc. *suæ Chirurg. tract. 2. cap. 2.* eos deridet, mendacii impuden- 3
tissimi arguunt, qui affirmare audent, aliquos portasse Nasum incisum in manu, qui illis postea fuerit in suum locum restitutus, quod, inquit Lanfrancus, est maximum mendacium, quoniam vitalis spiritus in continenti perit, nutritivis similiter, & motivus. Alia ergo via est ad restitutionem aliquarum partium mutilatarum, de qua tamen non liquet, an tentari possit, necne. Nam profectò si Hippocrati, & antiquis omnibus credendum sit, videtur hoc, quod proponitur, impossibile, ut executioni demandetur; quippe cum partes, quas reparari posse aliquis promiserit, Nasus sint, Auriculæ labia; ac de prioribus certum est quod renegari non possint, cum partes cartilagineæ sint; de labiis, fortè tolerabile esset (licet & hoc impossibile plurimis hominum videatur) quia sanguineæ partes sunt, quæ restaurari aliquo modo possunt.

Quibus tamen non obstantibus, eò procedit Medicinæ nobilitas, & Neotericorum Medicorum ingenium & industria, ut non solum has partes ut- 4
cunque restaurari posse ipso opere commonstraverint, sed etiam de novo efformari, atque ita affabrè fieri, ut naturam ipsam imitatorum suorum operis pudeat, atque iidem ipsimet invidiosi evadant. Mirum enim est quantâ solertiâ nonnulli Chirurgi præmonitata membra, vel potius particulas deficientes de novo efformaverint, in cujus doctrinæ gratiam doctissimum librum edidit Gaspar. Talliacotius Bononiensis, *de Curtorum Chirurgia per insitionem* inscriptum, ubi ejus operationis præcepta, &

modum tradidit ; quin & ipſe pluribus experientiis eam ipſam operationem confirmavit. Nec defuerunt alii, qui feliciter hanc operam navarunt, & præ omnibus celebris eſt Branca Siculus, cujus dexteritatis in hac operatione multi medici mentionem habuerunt. Sed & de hac Chirurgica adminiſtratione copioſiſſimè ſcripſit alter Medicus Bononienſis, nempe Joannes Baptiſta Corteſius *Miſcellan. Med. decad. 3. per totam.* Meminit & de hac ipſa re Paræus, *ſuæ Chirurg. lib. 22. cap. 2.* ubi quendam vidiſſe ſe teſtatur, qui Naſum cum magna amicorum admiratione hac arte recuperaverat.

Illud negari non poteſt, eam operationem non carere & longo tædio, & periculo, ut teſtis eſt 5 idem Paræus ubi proximè, licèt ipſe Talliacotius, & cum eo idem Joan. Baptiſta Corteſius, contrarium omnino probare nitantur, & maximè prior *lib. 1. prad. oper. cap. 22.* Credo tamen, quod multo facilior ea operatio indies futura eſſet, ſi modo frequenti exercitatione Chirurgi confirmentur. Habet, tamen hoc ipſum, præter tædium, & periculum, aliud incommodum, quod ab ipſis Talliacotio, & Corteſio notum fuerit, exploratum non habeo dumnodo veritatem habeat, & experientiæ ſit conforme ; illud eſt, quod quandocunq; tam ex alio corpore, quam ex proprio, Nares aut aliæ deficientes partes reficiuntur, pereunte homine eo, ex quo teſtaurata pars eſt deſumpta, ipſa pars reſtaurata in vivo homine cum demortui cadavere commoritur ac emarceſcit. Ita autem in rei veritate evenire narrabat ex neſcio cujus auctoritate Petrus Caſtellus Medicus accuratiſſimus, cujus aliàs his in quæſtionibus mentionem habui. Quod mihi non adeo difficile perſuaſu eſt, ſi modo alia permulta his admirabiliora, quæ tanquam veriſſima narrantur mendacio non laborant. Unum addam, quod, ob rei ſimilitudinem, hoc ipſum confirmare poteſt. Narrat Joannes Bodinus *lib. 3. ſui Theatr.* experientia frequenti confirmatum fuiſſe, quòd ſi Veres, aut Canes ex quibus Scrophæ, aut Catellæ utero gerunt, occidantur, abortus in fœminis ſequitur. Quidquid autem ſit de harum rerum veritate, incommodum prædictum facilè evitari poteſt, ſi de proprio corpore hæ particulæ reficiantur, cætera verò non ita, ut apertiſſimè videbit qui reſtitutionem hanc prædictarum particularum per inſitionem factam conſiderare volet apud eoſdem, Talliacotium, & Corteſium, latè de ea diſſerentes.

Sed ut dixi non omnia membra ea ars reparare poteſt ; nonnulla enim ob multam partium ea componentium diverſitatem, reparari nullo modo poſſunt, ſed ea tantùm, quæ ex ſimplici carne effingi, 6 patiuntur, ut prædictæ partes ſunt, Naſus nempe Aures, & labia. Et quanquam eo modo ſeſe res habet tamen mutilata Lingua ob ſitum, quem habet, reparari non poteſt, non quod nova regeneratio deficientis ipſius partis fieri in ea, ut in prædictis, non poſſit ; tamen & ad uſum deperditum amputatæ in parte linguæ recuperandum, ingenioſum quoddam inſtrumentum Ars excogitavit, cujus figuram atque uſum deſcripſit atque edocuit Paræus *lib. jam citato cap. 5.* quod utrum ſatis ſit ad evitandam irregularitatem, in eo qui mutilatus eſt Juriſconſulti vide- 7 rint. In cæteris profecto caſibus evidens videtur militare ratio quod patientes ab irregularitate debeant eſſe immunes, quia nonniſi ob inſignem deformitatem irregularis evadit is, qui Naſo, Labiis, Auribus mutilatus eſt ; at huic deformitati ſatis Artem ſuccurrere poſſe, & cum effectu eam omnino tollere jam ſuprà oſtendimus. Utrum autem id ſuffragari quicquam poſſit ei qui aliquem Naſo, Labiis, Auribus mutilaverit, ad leviorem pœnam dandam, aliquid ſcrupuli habere poſſet : quod tamen facile diluitur, ex operationis difficultate, tædio & periculo ; præterquam quòd non videtur, ex mea ſententia, delinquenti ſuffragari debere quòd proprio ingenio, & labore ſe mutilatus ab ea deformitate vindicaverit, cùm delinquens, quantum in ſe eſt, delictum conſummaverit. Sed annon idem eſt in eo, qui aliquem lethaliter vulneravit, qui tamen ſumma cura & diligentia adhibita mortem evaſit ? nam vulnerans etiamſi, quantum in ſe eſt hominem occiderit, tamen niſi hic moriatur, de homicidio non tenetur. Sed hæc ad Juriſconſultos diſcutienda remittantur.

SVMMARIUM.

1 *Naſus an ſit membrum.*
2 *Naſus ex Farinacio eſſe membrum proprie dictum.*
3 *Naribus mutilatis ea omnia ac ſingula locum habent, quæ in cæteris mutilatis membris.*
4 *Naſi abſciſſio irregularitatem inducit.*
5 *Naſum abſcindens tenetur majori pœna quàm teneatur abſcindens membrum.*
6 *Majori dedecori eſt Naſi abciſſio, quàm manus.*
7 *Naſus nullum habet officium proprium.*
8 *Naſus non eſt adoratus inſtrumentum, & num. ſeq.*
10 *Naſus non videtur inter membra connumerandus. Contrarium num. ſeq.*
12 *Naſus eſt primum reſpirationis inſtrumentum.*
13 *Naſus eſt veluti modulator decoris & pulchritudinis.*
14 *Facies in homine omnium partium pulcherrima.*
15 *Homo ſublunarium omnium creaturarum pulcherrima.*
16 *Naſo ſolus homo datur.*
17 *Ægyptii Adulteras mulieres Naſo mutilabant.*
18 *Naſus retortus ac deformis magna ex parte tum mores, tum mentis propoſitum retortum perverſumque denotat.*
19 *Naſus quoad fortitudinem inter cæteras partes principatum obtinet.*
20 *Ex Naſi abſciſſione diſſolvuntur ſponſalia, etiam juramento firmata.*
21 *Sponſalia juramento firmata an reintegrãda Naſo refecto.*
22 *Auris inter membra connumeranda ex aliorum opinione.*
23 *Auris eſt auditus inſtrumentum.*
24 *Auris non eſt membrum, quod non habeat diſtinctam operationem, & num. 27.*
25 *Auricula abſciſſio non inducit irregularitatem. Declara, ut num. ſeq.*
28 *Aurem abſcindens tenetur pœna incidentis membrum.*
29 *Aurem abſcindens in Eccleſia non gaudet immunitate Eccleſiæ, ſicuti neque abſcindens aliud membrum.*
30 *Labia non ſunt membra.*
31 *Os diſtortum, & Labia corroſa irregularem faciunt.*

De Naſo, Auribus, & Labiis.

QVÆSTIO IV.

DE Naſo non abſque ſummo jure peculiariter conſiderandum, de quo primò dubitatur, an 1 membrum ſit, necne : in qua dubitatione plures videntur in partem negativam inclinare. Et Ratio eſt, quia non videtur propriam, ac perfectam habere operationem. Fortun. Fidel. *loco ſæpe citato*, ſed Ariſt. *lib. 1. de part. Anim. cap. ult.* Naſum inter membra connumerat, & ex Juriſconſultis Farinac. *in append.* 2 *de immunit. Eccleſ. cap. 16. num. 249.* Naſum inter membra propriè dicta connumeravit, neque eſt dubium, quòd Naſo mutilato, ea omnia locum 3 habeant, quæ in cæteris mutilatis membris locum 4 habere diximus. Nam Naſi abciſſio præ cæterarum partium abſciſſione irregularitem inducit. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. Alleg. 42. num. 33. part. 2.* & in eum qui Nares abſcidit non modo pari 5 ratione, ut in eum, qui aliud quodcunque membrum abſcidit, ſed majori ſeveritate animadvertitur, non

ob

ob id tantùm, quod hæc pars unica in noſtro corpore ſit, & nequaquam duplicata, ut Oculus, Manus, Pes, Auris, Labium, ſed quia realiter majus multo dedecus affert abſciſſio Naſi quam alterius cujuſcunque partis etiam ipſius Manus. Pariſ. à Put. *de Re milit. lib. 8. capite Quand. unus effod. ocul. alter. & alter abſcid. Naſ.* Videtur ergo quod quæcunque Leges de Membris, de eorumque mutilatione ſanciverunt, rectè ad Naſum quoque ſint transferendæ. 6

Qui tamen negant, Naſum eſſe membrum, dicunt, illum nullum habere, ut dixi, proprium officium, niſi quod tanquam per tubulum cerebrum per ipſum expurgatur, unde deducunt uſum ipſius eſſe exiguum: ut ex Medicis idem Fortun. Fidel. *lib. 2. Relat. cap. 1.* & ex juriſconſultis idem Pariſ. à Put. *ubi ſuprà, num. 2.* nam neque odoratus inſtrumentum Naſus eſt, quanquam Idiotis, imò, & Doctis nonnullis tale exiſtimatur. At ab eodem Pariſ. à Put. *ibid.* & Fariuac. *Fragm. Crimin. lib. 1. part. 2. num. 587.* Naſus habetur inſtrumentum odoratus: qui habent etiam pro ſua opinione Ariſtot. 2. *de Anim. & in lib. de Senſ. & ſenſ.* Averroëm 1. *Collect. cap. 11.* & ex Recentioribus Medicis Valleſium, *Contr. lib. 2. contr. 26.* à quo nova nonnulla argumenta contra Galeni ſententiam allata ſunt. Quinimo videtur apertè conſentire. Hippocr. quem ante omnes nominare decebat, *lib. 1. de Diæta. Naſus*, inquit, *odores, lingua ſuavia, & inſuavia diſcernit.* Sed & communis hominum conſenſus id ipſum videtur confirmare: cùm enim de odoratu quicquam proferimus, ad Naſum omne referimus. Sic Catullus ad Fabullum, ut melius odoretur: 7 8

Quod tu cùm olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, Naſum.

Naſo etiam odores non deprehendere dicimus, non alia corporis particula Horat. *lib. Serm. ſat. 2.*

Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia Naſus
Illis nullus erat.

Unde videtur ex his, quod Naſus habeat propriam ac perfectam operationem, nempe odores judicandi. Et tamen unica experientia omnia quæcunque opponuntur, videntur refelli (nam de vulgi modo loquendo non curandum) ea eſt, quod ii, qui obſtructum os cribroſum habent, ut nonnullis ex pertinaci Gallico morbo, vel ex contumaci coryzâ eveniſſe ſcio, nullum odorem perſentiunt cum tamen nares maximè patentes habeant, quod etiam experiri quotidie licet in familiari gravedine, in qua ſenſus odoratus aliquando omnino aboletur, licet in hoc caſu non ab re ſuperabundantem humiditatem ipſis naribus communicatam cauſari liceat. Sed de hac quæſtione qui plura deſiderat, videat Nicol. *Serm. 3. tract 1. cap. 7.* & Cardanum *Contrad. Med. lib. 2. tract. 6. contr. 9.* ubi copioſiſſimè de his diſſerit, ac variis quæſtionibus recenſitis, rei veritatem venatur, & aſſequitur. Sed & præter ab eo allata, videnda quæ affert Laurent. *lib. 11. Anatom. quæſt. 12.* & Valleſ. *ubi ſuprà.* Nobis id pro nunc ſcire ſatis ſit. Naſum nequaquam eſſe odoratûs inſtrumentum, ut Medici, qui rem intimius perſcrutati ſunt, ex Autopſia docent; quam concluſionem longioribus probat Galen. *in libro de Inſtrument. Odor.* contra ipſum Ariſtotelem diſſerens, *operum ſuorum Claſſ. 1.* probant hanc ipſam Anatomici omnes recentiores, inter quos ſi libet, vide Laurentium, *ubi ſupra.* Cùm ergo Naſus nullam habeat propriam operationem, non videtur inter membra connumerandus. [Conjunge Exc. Sneideri *Catarrh. hiſtor.*] 9 10

Verum enim vero, ſi quæcunque ad Naſi officium ſpectant diligenter examinabimus, haud indignum omnino Membri nomine Naſum dijudicabimus; miſſum enim faciam, quod per Nares mucus à Cerebro detinetur, aliàs cum maxima indecentia proditurus; quod locutionis venuſtati, & concinnitati ſoni mirum in modum conducat, ut ex iis facilè elicitur, qui nares obſtructas habent, vel iis ipſis privantur; & quod alias nonnulla præſtet utilitates, de quibus Laurentius *loco citato*, & Talliacot. *lib. 1. de Curt. Chirurg. cap. 5. & ſeqq.* unicum quoque munus prætermittamus, quod ſatis eſſet ad id nominis illi conciliandum, quod nempe ſit primum reſpirationis inſtrumentum. Galeno ipſo aſſerente 11. *de Uſu part. cap.* 11. ex quo Rabi Moyſes *Aphor. ſect. 3. Aphor. 24.* & Anatomicis omnibus profecto illud unum omnium optatiſſimum Naſi munus eſt, ut ipſius decoris & pulchritudinis veluti modulator quidam exiſtat. An non hæc propria ipſius Naſi actio eſt & præcipua & perfecta? Cùm enim in homine omnium partium pulcherrima facies ſit, huic profecto per ipſum Naſum tota pulchritudinis vis, & energia conciliatur, cum per hanc maximè partem hominis facies aut formoſa, aut deformis evadat. Meletius *de Nat. hom. cap. de Naſo.* Quamobrem jure, cum homo ſublunarium omnium creaturarum pulcherrima exiſtat ſola quoque Naſum peculiarem habuit, cùm cæteris animantibus aut omnino denegatus ſit, aut non ita conſpicuus datus: ita ut proprie ſolus homo Naſo dotetur: Andr. Laur. *ubi ſupra, c. 14.* Hinc non abſque ſummo jure Ægyptii adulteras mulieres Naſo mutilabant, ut in eis ea pars plecteretur, per quam facies magis honeſtata amantes in adulterium allicere poterat, ut ex Franc. Patritio *lib. 4. de inſtit. Reip.* Refert. Jo. le Cerier *de primog. lib. 1. quæſt. 2. num. 9.* & inter noſtros ex Diod. Sicul. Mac. Ant. Ulmus *de Phyſiol. Barb. hem. ſect. 3. cap. 4.* Unde recte aliquando Naſus pro tota facie ſumitur. Juven. *ſat. 6.* 11 12 13 14 15 16 17

—— Quænam eſt hic culpa puellæ
Si tibi diſplicuit Naſus tuus?

Sed & partem hanc præ omnibus pulchritudini inſervire, facile inſinuatur in Sacris. *cap. 21. Levit verſ. 18.* cùm enim in electione Sacerdotum, pulchritudinis magnam rationem habendam eſſe ſanciretur, non modo eos ab Altaris miniſterio repellebat lex qui Naſo prorſus carerent, ſed eos quoque, qui illum vel nimis parvum, vel nimis magnum, vel obtortum haberent: quia non modo, ut dixi, hæc pars ad pulchritudinem facit ſi rectè conſtituta ſit, ſed etiam animi veluti quædam nuncia eſt, & ubi valde retorta, aut deformis ſit, magna ex parte tum Mores, tum Mentis propoſitum retortum perverſumque denotat. Polemon. *in Nat. ſign. Interp. cap. de Naſo*, & Hippocrates noſter ex acuto Naſo, ac parvis oculis, rufo capillitio adjuncto pravitatem arguit, 2. *Epidem. ſect. 5. text. 1.* ubi Valleſius *in comm.* non ex rufo capillitio, ſed ex acutis naribus tali capillitio adjunctis, & parvis oculis pravitatem denotari dicit. Maximè ergo vituperatur Naſi deformitas, tanquam pravi animi ſignum unde Horat. *in art. Poet.* 18

—— Hunc ego me ſiquid componere curem,
Non magis eſſe velim, quam parvo vivere Naſo.

Igitur cum quaſi proprium munus hujus particulæ ſit faciei decorem tueri, imo cum ipſa per ſe ſola ſit pulchritudinis moderatrix quædam, jure merito non ſolum Membri nomine digna eſt, ſed inter alia membra quoad hoc, principatum obtinere dicenda, cùm majus dedecus: ac magis in-

19 ſignis deformitas reſultet ex Naſo non modò mutilato, ſed malè etiam conformato, ut ſuperius demonſtratum eſt, atque cà de re hujus partis mutilatio præ omnibus aliis mutilationibus ſemper turpiſſima, ac inhoneſtiſſima habita, eſt, quod prudenter inſinuavit Virg. de Deiphobo loquens, *lib. 6. Æneid.* his carminibus:

Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere Nares.

Ubi loci Narium ſolummodo vulnus inhoneſti Epitheto inſignivit, non aurium, non manuum, non oris ipſius, ut demonſtraret id quod innuebamus, & pro omnium maxima contumelia illud minatur Deus per Ezechielem *cap. 23. verſ. 25. Naſum tuum, & aures tuas præcident.* Quamobrem non eſt mirum, ſi tanti fiat à Canoniſtis ea turpido, quæ ex
20 mutilato Naſo provenit, ut ob eam diſſolvi permittant ſponſalia, etiamſi juramento firmata ſint, Sanchez *de Matrim. lib. 1. diſp. 57. num. 1.* Sed non a-
21 ſpernanda dubitatio hìc oritur ab ipſis Canoniſtis decidenda, num ſcilicet reparato Naſo, ut ex Arte fieri poſſe jam patet [apud Talliacotium, & Ulmum, qui in hoc opere uſus eſt Jacobo Zenaro, *pag. 253.* & de hac re monuiſſe ſeipſum Talliacotium, prodit *allegata pag. in Phyſ. Barba.*] ſponſalia redintegrati debeant, cum juramento firmata ſunt. Illud enim certum eſt, ceſſante cauſa, ob quam ſponſalia juramento firmata ſolvi permittuntur, nempe ea turpitudine, quæ ex mutilatione Naſi proveniebat, per novam ipſius Naſi reparationem, nihil jam impedimento eſſe poſſe, quin jurata ſponſalia ſuum effectum ſortiantur; ſed an hoc ſufficiat, ipſi videant.

De Aure porrò idem dubium intercedit quod de Naſo, utrum nempe membrum ſit, necne: nam ex Juriſconſultis Gloſſ. *in cap. ſingula. verbo. Oculus. 89. diſtinct.* & poſt alios Farinacc. *de Immun. Eccleſiaſt. loco jam alias citato.* Aurem inter membra connumerarunt. Quinimò ex Medicis Galenus,
22 *in lib. de Inſtrum. Odor. ubi ſuprà.* Aurem dicebat
23 eſſe inſtrumentum auditus, unde cum habeat propriam, ac perfectam operationem, inter alia membra jure connumeranda videretur. Aliâ tamen ex parte inter Juriſconſultos Covar. *Relect. part. 3. de Homicid. inii. num. 8.* & ex aliorum auctoritate Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 41. num.*
24 *39. part. 2.* & ex Medicis Fortunat. Fidel. *abi alias lib. 2. cap. 8.* Aurem membrum eſſe apertiſſimè negarunt, ex eo quod non habeat diſtinctam operationem, quæ enim ei tribuitur, Auditus nimirum, ſua non eſt; volunt ergo hanc particulam eſſe tantum ad decorem factam: Et ad id quod Galenus, *ubi ſuprà.*, affirmabat, reſpondendum voluit, ipſum non intellexiſſe de Aure externa, ſeu toto meatu auditorio, hic enim verè eſt inſtrumentum auditus. Quanquam negari non poteſt, ipſas etiam Auriculas ad meliorem ſoni editionem conferre; nam illis abſciſſis non amplius exactum ſonum, ſed inſtar fluentis aquæ per auditum percipimus, ut notat Hieronym. Fabrit. *de Org. Audit.*
25 *part. 3. cap. 2.* Non mirum ergo eſt ſi apud Canoniſtas Auriculæ abſciſſio non inducat irregularita-
26 tem. Covarr. *ubi ſuprà, ſub. n. 8* quod declarandum, dummodo vitium contegi capillis poſſit. Navarr. *lib. 5. conſ. 75. num. 1.* & ex eo Barboſ. *ubi alias num.*
27 38. Quapropter non eſt in rei veritate Auris membrum, licet aliquando à Juriſconſultis inter membra connumeretur, nam id ab ipſis fit, ubi de partium mutilatione loquuntur, in quo caſu bene dicitur, Aurem eſſe membrum, quia abſcindens 28
Aurem iidem pœnis ſubjicitur, quibus ſubjicitur abſcindens membrum; unde etiam in Auris ab- 29
ſciſſione habet locum id, quod in abſciſſione membri, quoad immunitatem Eccleſiaſticam, quà abſcindentes membra in Eccleſia non gaudent, ut Farinac. *ubi ſupra.*

Labia denique membra non eſſe, certum eſt. For- 30
tunat. *ubi ſæpe ſ* ſed quantum & ipſa ad decorem valeant, nemo eſt qui non noverit, unde non minori dedecori ſubjicitur is, cui labia abſciſſa ſunt, quam cui abſciſſus Naſus eſt, ut demonſtrat Talliacot. *lrb. 1. de Cur. Chirurg. cap. 11.* cum ipſum os ab ipſis labiis concinnatum, ſit faciei para pulcherrima; præterquam quod Labia ipſa ad locutionis concinnitatem conferunt, ut Democrit. *in libell. de Naturibum.* & Talliacot. *ubi ſupra.* & Cæl. Rodig. *lib. 3. Lect. Antiq. cap. 31.* docent: ſed & ipſa Labia diſciſſa id ipſum demonſtrant, cùm loquelam ab eorum diſciſſione depravari, experientia comprobatum ſit Trincavell. *de vat. cur. morb. lib. 6. cap. 11.* habent etiam labia alias utilitates, quas omnes doctiſſimè percurrit Talliacot. *ubi ſupra. cap. 9.* os autem ipſum, quod Labiis, ut dixi, circumſcribitur Gratiarum ſedem eſſe apertiſſimè cecinerunt Poëtæ Addo, quòd partes ſunt maximè conſpicuæ, quibus abſciſſis Dentes, & Oris intimiores receſſus cum magno dedecore, & turpitudine facilè patent, ob quam abſque dubio irregularitatem inducunt, nam & os diſtorum, & labia ipſa corroſa, quod multò minus eſt, hominem irregularem faciunt. Barboſ. *ubi alias, num. 34.* Quid autem tam in his, quam in Au- 31
riculis, ubi reparentur, dicendum ſit, Juriſconſulti determinabunt.

SUMMARIUM.

1 *Oculus membrum nobiliſſimum.*
2 *Oculorum exenſio inſignem inducit deformitatem.*
3 *Luſcus eſt qui altero eſt captus oculo.*
4 *Luſcus, ſeu monoculus eſt irregularis.*
5 *Oculorum expreſſio inſignem affert deformitatem.*
6 *Uvea deſcenſus inſignem deformitatem inducit.*
7 *Ophtalmia contumax inſignem affert deformitatem.*
8 *Ægritudines Oculum in qualitate vel quantitate inſignite immutantes, deformitatem & incommodum afferunt*
9 *Pupilla dilatatio viſui incommodat.*
10 *Barba ad decorem facta: & ad virilitatem denotandam.*
11 *Barbæ carentia pravitatem denotat.*
12 *Barbam mulieres nonnulla emiſerunt.*
13 *Barba mulieribus dedecori eſt, barbæ carentia viris ignominioſa.*
14 *Barbam alicui expilare realis injuria eſt.*
15 *Barbam incidens tenetur pœnâ incidentis membrum, declara, ut num. 38.*
16 *Barba eſt membrum contrarium ibi, & n. ſeq.*
17 *Barba neceſſariò conſequitur virtutem generatricem maſculinam ſpeciei humanæ.*
19 *Dentes an ſint membra.*
20 *Dentes excutiens non tenetur pœna incidentis membrum.*
21 *Lingua cum pars ſimplex ſit, ad duplex tamen munus deſtinata.*
22 *Lingua ad locutionem, & ad guſtum eſt fabricata.*
23 *Lingua quas utilitates præſtet.*
24 *Cœpolla notatur.*
25 *Lingua nobilitas cæterorum omnium membrorum nobilitatem exuperat.*
26 *Per linguam homo à cæteris magis differt animalibus, quam per alia quæcunque membra externa.*
27 *Lingua extrema pars præciſa facit hominem balbutire.*
28 *Lingua præciſa denuò excreſcit.*

De Oculis, Barba, Dentibus, & Lingua.

QVÆSTIO V.

OCulus membrum Nobiliſſimum, & officium habent præ cæteris vitæ iucundum, non modò ad corporis ſalutem, & incoluminatem animali
1 datus, ſed homini etiã ad mentis cognitionem opitulatur, vt dicebat Leo Hebræus *dial.* 3. *de Amore, non longè à principio.* & tamen cum tanta nobilitate prædituſ ſit, non ſolùm vt cætera membra mutilationem, cùm excutitur, aut vulneratur, patitur, ſed plura multo incommoda perpetitur ob quorum cauſam multa ipſis Iuriſconſultis conſideranda veniunt tam in Pontificij quam in Cæſarei Iuris adminiſtratione. Sed prætermiſſa pro nunc de ſingulis oculorum morbis inquiſitione, de iis tantùm loquamur, qui vel inſignem deformitatem afferunt, ob quam irregularitas inducitur, vel maximum incommodum in viſione cuius cauſa aut irregularitatem quoque incurrant ij qui ſit affecti ſunt, aut ij;, qui eos affecerunt debitis pœnis veniant plectendi, Morbi igitur oculorum, qui inſignem deformi-
2 tatem afferunt, ſunt primò oculorum excuſſio, aut amborum, aut alterutrius: non modo enim oculus pars conſpicua eſt, & defectum in facie illico prodit, ſed ob ſui nobilitatem ac tranſparentiam, maximam inducit ex ſui carentia deformitatem in ipſa facie, quamobrem iure Monoculus, vel Luſcus (nam Luſcum eſſe, qui altero captus eſt oculo, iam docuimus *lib.* 2 *harum Quæſtionum, Titul.* 3. *q.*
3 10. *n.* 4. (eſt irregularis, neque poteſt ad ordines pro-
4 moveri. Barboſ. *vbi ſapè, Alleg.* 42. *n.* 29.

Secundò deformitatem inſignem affert Oculorum expreſſio, & tantò magis inſignem, quantò
5 major eſt, nam aliquibus totus ipſe oculus foras proſilit, itavt horrorem intuentib. incutiat: ergo & hic morbus ob eadem cauſam videtur inducere irregularitatẽ: etiamſi aliàs viſus integer ſeruaretur. Dixi autem ſuperioribus libris morbum hunc vocari Ecpieſmum, & oculorum procidentiam, quanquam nonnihil inter ſe hæc duo differant, quæ deformitas tametſi maior proveniat ex ambobus oculis, tamen ex alterutro quoque proveniens inſignis eſt, ita ut ſufficientiſſima videri debeant ob eandem inſufficientiam inducendam ad ordines ſuſcipiendos.

Tertiò, parem penè deformitatem inducit aliuſ
6 morbus, qui Græcis Proptoſis dicitur, Latinis Vveæ decenſus; ſed hic præter deformitatem etiam viſui maximopere incommodat. Cùm tamen eius morbi quatuor enumerent ſpecies, ſecundum maiorem aut minorem deſcenſum ipſius Tunicæ, quæ Vvea dicitur de quibus Practici, & Arabes præ omnibus illam procul dubio maiorem deformitatem, maiuſque impedimentum afferre par eſt, in qua deſcenſus maior ſit, & eſt ea huiuſce morbi ſpecies, quæ Clavus dicitur, de qua *lib.* 2. *har. quæſt tit.* 3. *quæſt.* 15. *num.* 2.

Quarto, Ophthalmia, ſeu Lippitudo, quæ contumax ſit, inſignis, & diuturna, præter deformitatem, habet ſecum notabile incommodum, præſertim ſi
7 cum magno tumore, & inflammatione ſit coniuncta, & idcirco ex aliorum ſententia hic morbus his conditionibus aſſociatus inducit & ipſe irregularitatem. Barboſ. *lec. citat. n.* 3. & facit Textus *in Lege Veteri. c.* 21. *Lenit. verſ.* 18. vbi Lippus à miniſterio
8 altaris excluditur.

Quinto, notabilem deformitatem, neque minus incommodum afferunt quæcunque aliæ ægritudines, quæ ipſum oculum aut in qualitate, aut quãtitate immutantes, viſui inſigniter obſunt, ut tumores, Panni, Maculæ, Cataractæ, vel ſuffuſiones, & aliæ id genus.

Sexto, Pupillæ dilatio præter deformitatem, quæ tamẽ inſignis eſſe non ſolet, viſui incommodat eiuſ- 9
dem conſtrictio minorem deformitatẽ, minus quoque incommodum viſioni affert. Sed nulla earum paſſionum talis videtur, ut ex illis quis irregularis evadere debeat, niſi valde notatu digna ſit, & in utroque oculo, & viſioni maximopere obſit, quemadmodum neque ſtrabositas in culpa eſſe videtur; licet apud aliquos pravitatem morum denoter, viſui tamen minus incommodat, niſi eius ſpeciei ſit, in qua viſibilia geminata apparẽt, de qua alias locutus ſum; ſed neque hoc incommodum tale eſt, vt irregularem hominem facere debeat. De cæcitate autem, & viſus obſcuritate, aliiſq; paſſionibus, quæ in totum viſum adimunt, nihil attinet dicere, quod nullum dubium ex his intercedere videatur, quo minus hominem irregularem faciant.

De Barba iam verba faciam, in qua Antiquiores & mœſtitiæ & letitiæ ſignum ponebat; cum enim quicquam mæſtitiam requirens, acciderat, ut maiorum & propinquo mors, aut ſiniſtri aliquid evenerat, barbam demittebant, id eſt, non tondebant; cuius rei nonnulla teſtimonia habes apud Cuiac. *Obſerv. lib.* 9. *cap.* 5. Hæc igitur licet D. Auguſt. *lib.* 22. *de Ciuit. Dei. cap.* 34. videatur ad deco- 10
rem tantum facta, tamen & ad virilitatem, & virtutem virilem oſtendendam, viris à natura conceſſa Vlmus *de Phyſiolog. Barb. hum ſect.* 3. *c.* 2. vnde eius carentia ex aliquorum opinione pravitatem deno- 11
tat: nam pilorum paucitas caloris nativi monſtrat pauperiem, argumento ſint Eunuchi, & Mulieres, tam illi enim, quam hæ, Barba ob prædictam cauſam caruere, licet & Eunuchi poſt pubertatem execti (ſi modo Eunuchi merentur vocari) Barbam interdum emittant: Vlmus *vbi, ſuprà cap.* 12. & mulieres nonnullæ, quibus menſtrua ante debitum 12
tempus ſubſtiterunt, barbam produxerint, ut eſt geminus caſus apud Hippocr. *lib.* 6. *Epidem. in fin.* de Phaëtuſa Abderita Pythei coniuge, & de Namiſia in Thaſo uxore Gorgippi, utraque enim muliebribus deſtituta, barbam emiſit; jam & hic præteritis diebus viſa eſt mulier quadragenaria prælongâ, ac hiſpidiſſima barbâ donata, cuius hiſtoriam habes etiam apud Io. Fabr. *in l. de Anim. Ind. c. de Stellion nova Hiſp. & in l. ſeq.* hunc noſtrum *q. vlt.* Permulti inſuper alii caſus ab aliis quoque huic ſimiles, obſervati ſunt. & præcipuè à præcitato Vlmo, *vbi proximè. c.* 11. ubi nonnullas iucundiſſimas hiſtoria habes, duas præſertim duarum puellarum, quartum una nono, altera decimo barbam emiſit, quæ inſignitèr in anbabus ætate procedente crevit, quas hiſtorias referre non vacat apud ipſum eas vide, ſi libet, ut alias quoque apud Riolanũ *l. de Hermaph. c.* 6. Illud non omittam ob rei novitatẽ, quod ex Boccario refert Maiol. *dier. Can. coll.* 16. *par.* 1. & confirmat Riol. *vbi ſupra* in Æthiophiæ monte quodam cui Climax 13
nomẽ eſt fœminas degere prolixis barbis. Sed quæmadmodum, ut diximus, barbæ carentia viris eſt maximè ignominioſa, quia Ovid. 13. *l. Metam. Fab.* 8.

Barba viros hirtaque decent in corpore ſeta.

Ita mulieribus barbæ productio inſigni dedecori eſt, cujus rei cauſam require à Leonard. Jacchin. *Quæſt Natur. num.* 62. Eam ob rem apud Iuriſconſultos barbam alicui expilare, realis iniuria eſt. Oi- 14
not. *in §. Sed & lex Corinthia. ff. de Iniuriis. n.* 8. Hinc ad denotandum futuram Hebræorum ignominiam Sacra Scriptura per Iſaiam *cap.* 15. *verſ.* 2. *In cunctis*

inquit, *capitibus ejus calvitiũ, & omnis barba radetur.* Ea de cauſa tolerare non potuit David Rex ſimilem injuriam Legatis ſuis illatam ab Hannone Rege Ammonitarum, qui raſerat eorum unicuique barbæ dimdium, ut narratur *Paralipp. cap.* 10. Additur enim 1. *Paralip. cap.* 19. *Grandem enim contumeliam ſuſtinuerant.* Unde eſt quod apud Juriſconſultos incidens barbam per ignominiam, tenetur pœnâ incidentis membrum, ut ex Bald. *in l. Reos. n.* 6. *C. de accuſat.* Menoch. *lib.* 2. *de Arbit. cap.* 392. *num.* 32. ex quo videtur Baldus inferre, quod Barba ſit membrum, ſed alii Juriſconſulti barbam non eſſe propriè membrum fatentur, ſed in genere tantum acceptam. Guazzin. *ad defenſ. Reor. def.* 33. *cap.* 6. *num.* 5. Alii neque proprièe, neque impropriè eam dici membrum volunt, ut idem Guazzin. *ibid.* ex Soccini ſententia, *in c. ad audientiam, num.* 101 *de Homicid. in* 6. Quæ poſtrema opinio veriſſima eſt, & ab ea videtur de hoc dubium moveri, imo apud Medicos de hoc ambigere ridiculum eſſet: non ſolum enim membrum Barba non eſt, ſed neque pars alicujus membri, non ſecus ac extremi unguiculi, qui quotidie forcipibus reſecantur; etiamſi Concil. *differ.* 38. auctoritate Hali. 2. *Techn. comm.* 32. dixerit manifeſtum eſſe, quod capilli, & ungues ſunt ingredientes in numero membrorum, ſed hoc impropriiſſimè dicitur, & prout omnem ſubſtantiam induratam vocamus membrum ad differentiam humorum, qui ſubſtantiæ fluidæ ſunt, at proprie loquendo non eſt de hoc ambigendum. Neque valet argumeneum Baldi, quod barba ſit membrum, ex hoc, quod barbam incidens teneatur pœna incidentis membrum, quia hoc intelligendum habere locum propter injuriam illatam, & dehoneſtationem, nam maximi contempti eſt barbam vellere, ita ut proverbium abierit pro contemptu ſignificando, ita Horat. *lib.* 1. *Serm, ſat.* 3. *in fin.*

——— *Vellunt tibi barbam*
Laſcivi pueri, quos tu niſi fuſte coerces,
Urgeris turpis circum teſtante, miſerque
Rumperis

& Perſius *ſat.* 1.

——— *multum gaudere paratus,*
Si Cynico barbam peculans Nonaria vellat.

Non quod barba ſit membrum, nam, ut diximus, ad nihil inſervit, niſi ad decorem, & ad virilitatem oſtendendam, quanquam Plater. *Quæſt. Med. Parad. cent. Poſth. num.* 6. ſolum poſteriorè hanc cauſam admittat, & priorem rejiciat, cujus etiam opinionis multo ante fuerat Concil, *diff.* 54. Talliacot. tamen *lic.* 1. *de Curt. Chirurg. cap.* 1. tam priorem, quam poſteriorem cauſam admittit. Addit his Ulmus *in lib. de Phyſiol. barba hum. ſect.* 3. *cap.* 6. quod barba, cum ſit faciei pars, & quæ neceſſario conſequatur facultatem generatricem maſculinam humanæ ſpeciei, eſt index temperamenti organorum deſervientium eidem facultati, ac præcipuè teſtium ad quod etiam in lib. inſcripto *Uter. Muliebr. ſect.* 2. *c.* 5. adducit teſtimonium Gualnerii. At ne ego horum temperamentum magis à pilis pubis deſignari crediderim, non negaturus ad idipſum Barbam collimare; (licet eâ multi populi Occidentalium Indiarum prorſus careant) præcipuam tamen cauſam virilitatis denotationem fuiſſe credo; cum enim homo minimè nudus incedat, debuit ex facie, parte nimirum maximè conſpicuâ & derectâ, virilitas cognoſci; & eâ de re Barba nunquam in homine deficit, etiamſi ſeneſcat, non obſtante quod ſecundùm reliquas partes pili defluviom patiantur. Ego id fieri ob majorem tenacitatẽ pilorum ipſius barbæ, quam cæterorum puto, unde idcirco etiam cauſa morbifica irrepente, barba minus patitur defluvium, quàm pili aliarum partium, ut Foreſt. Obſ. *lib.* 8. *num.* 8. *in Schol.* teſtatur; vel forte acribus evaporationibus ab inferioribus aſcendentibus non adeo ſunt pili barbæ obnoxii, ut Capitis, quam etiam cauſam ad hoc problema enodandum affert Proth. Caſul. *Ætiol. lib.* 2. *num.* 307. Sed quid de reliquis partibus dicemus?

Cæterum Dentes membra non eſſe communis ſententia eſt Caball. *Reſol. Crimin. cent.* 3. *caſ.* 236. *num.* 12. & 118. Guazzin. *ad def. Reor. def.* 33. *cap.* 6. *num.* 9. Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. alleg.* 42. *num.* 36. *part.* 2. ex noſtris Fortun. Fidel. *lib. Relat. cap.* 8. Quanquam autem Dentes multas præſtent utilitates, & præcipuè maſticationem perficiant, locutioni opitulentur, & ad oris quoque decentiam, ac decorem conferant, non tamen aut aliorum membrorum, quæ proprièe membra dicuntur, aut eorum quæ impropriè, ſed conſpicuæ partes ſunt, utilitatem, & decorem æquiparant: Quamobrem jure optimo videtur decidendum, quod qui hominem edentaret (eſt autem edentare, dentes excutere, Plant. *in Pſeud. Act.* 5. *Sc.* 2.

Nimis velim homini impudentiſſimo malas
edentaverint)

non eſſer pœnâ dignus incidentis membrum præterquam quod tam utilitas in locutione, quæ ab ipſis provenit quam decor oris ex illis proficiſcens, facillimè factitiis dentibus reparatur, dũmodo omnibus omnino orbatus homo non ſit, ut cunctis eſt notiſſimum, & docet Paræus *in l. de defic. ſupp. c.* 3. licet factitiorum dentium uſum antiquum fuiſſe pareat ex ſalſis Martialis carminibus, & præcipuè *lib.* 5. *n.* 44. in Thaidem & Lecaniam, ubi hæc habet;

Thais habet nigros niveos Lecania dentes,
Quæ ratio eſt? emptos hæc habet, illa ſuos.

Et in Læliam *lib.* 12. *num.* 23.

Dentibus, atque comis, nec te pudet uteris emptis;
Quia facies oculo, Lælia? non emitur.

Et lib. 14. *num.* 56. ubi dentificium, nempe medicamentum, quo dentes expoliuntur, alloquitur edentulum:

Quid mecum eſt tibi? me puella ſumat,
Emptos non ſoleo polire dentes.

Lingua denique inter cætera omnia membra ſimplex ſola eſt, ad duplex tamen munus deſtinata, cum cætera membra duplicata ad unicum deſtinentur: ipſa namque ad locutionem, & guſtatum fabricata à natura eſt. Ariſtot. 2. *de Part. Anim. cap.* 56. Galen 11. *de uſu part. cap.* 10. & *alibi ſæpe.* Laurent. *Anatom. lib.* 11. *cap.* 18. licet Galenus ibidẽ geminam & ipſam linguam, ut cætera membra, eſſe dicat; quod ea de cauſa dictum ab ipſo eſt, quia linguæ corpus per lineam quandam in dextram, & ſiniſtram partem dirimitur. Sed extare populos quosdam, qui duplicem, vel bifidam linguam habeant, & ob id pluribus ſimul eodemque tempore reſpondeant, narrat ex Diod. Maiol. *dier. canicul. part.* 1. *coll.* 2. de cujus rei veritate quicquid ſit, certum eſt, nos unicam linguam obtinere, cujus præter commemoratas aliæ extant utilitates, maſticationi enim, deglutitioni, & ſalivæ quoque expulſioni opitulatur. Qua de re merito irridendus videtur inter Juriſconſultos Cæpolla, qui contendit *quæſt.* 8. *num.* 2. ut refert Caball. *Reſol. crimin. cent.* 3. *caſ.* 236. *num.* 9. linguam non eſſe membrum, cum non unius, ſed plurium membrorum officio per ſe fungatur. Unde ejus tanta nobilitas eſt, ut omnium cæterorum membrorum nobilitatem

longè

longè exuperet, quippè cùm alia soli corpori inserviant, hæc corpori simul & Animo, magis tamen
25 Animo, quod ejus nuncia sit, & interpretes, ut dicebat Democritus *in lib. de Nat. hum.* & alii adducti *lib. 2. tit. 5. q. 8.* Unde Horat. *in Art. Poëtic.*

Post effert animi motus interprete linguâ.

nullumque membrum ferè est per cujus operam
26 homo à cæteris animantibus differat, ac per ipsius linguæ officium, nempe per locutionem, cujus industria tot hominibus utilitates aliàs perituræ in scientiis addiscendis emanant: sed de ejus nobilitate plura Cælius Rodrig. *lect. antiq. lib. 3. cap. 31.* & nonnulla attuli ego ipse, *loco proximè citato*, & tamen, cùm tantæ mobilitatis membrum sit præ cæteris membris, oblæsiones, & mutilationes per-
72 ferre solet, cum etiamsi amputetur, nihil ferè vitæ obsit, ut cum Gal. testatur Lang. *lib. 1. Epist. 4.* & ego aliàs me cognovisse experientia dixi. Quoad hujus verò partis præcisionem, notandum censeo, quòd extrema ejus pars tantùm præcisa balbutientem quidem hominem reddit, non omnino mutum, ut in præcitata historia à me notatum est: si tamen penitus abscindatur, tunc quidem loquelam penitus perire necesse est. Quod autem Justinianus Imp. *l. 1 in princ. Cod. de off. Præf. Prætor. Aphr.* ait se vidisse venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis pœnas suas loquebantur, & quæ in annot. ad hunc locum de aliis ex aliis auctoribus affert Cujac. *lib. 19. Obs. cap. 6.* ex quo Tom. act. *inf. cap. 21 in fin.* non potuisse naturaliter fieri, sed tantùm supernaturaliter, & ex miraculo probatione non egeat, & facit maximè quod idem Cujac. *in fi.* addit, nimirum nonnullos, quibus Honorius Vandalorum Rex linguas radicitus præciderat, loquelam tamen habuisse integram, ac si linguam haberent, præter duos, qui cùm se scortis commiscuissent, loqui ampliùs non potuerunt. Quemadmodum & alius, qui mutus natus, cùm lingua illi fuisset abscissa loqui cœpit, non aliter ac si lingua impedimento illi fuisset ad loquendum, & sic refutavit Arrianorum impietatem.

28 Noto ulterius, quòd ipsa lingua præcisa denuò excrescere videatur, ita ut si modice præcisa sit, sperandum facilè sit temporis progressu hominem magis expeditè, ac libere locutorum, tanquam si lingua nullo modo unquam fuisset præcisa. Hoc ita invenire posse, & experientia prænominata me docet, de qua *loco cit. n. 4.* & ratio confirmat, cùm lingua carnosum membrum sit, caro autem deperdita facile regenerari possit quòd sanguinea pars existat. Jam verò etiam absque ullo morbo nonnullis linguam excrevisse notavit Gal. & cum eo alii. Num autem hoc quicquam suffragari possit linguam abscindenti, Jurisconsultis discutiendum relinquatur: sicuti & illud, an modica linguæ præcisio, ex qua homo balbutiat, aut tardiùs loquatur irregularem faciat.

SUMMARIUM.

1 *Manus multis membris nobilitate, & utilitate præcellit.*
2 *Manus Sapientiæ, & Rationis ministra.*
3 *Manus non solùm sua officia complet, sed defectum aliorum membrorum supplet.*
4 *Membrum simpliciter prolatum Manum significat.*
5 *Statuto imponente pœnam amputationis membri de manu est intelligendum.*
6 *Manum abscindens, vel debilitans, majoris damni causa est, quàm si quodvis aliud membrorum abscindat, aut debilitet.*
7 *Manus quanam pars verè sit.*
8 *Digitos amputans, manum abscidisse dicendus est.*
9 *Pedes sunt membra maximè necessaria.*
10 *Pedum beneficio solus homo erectus stare potest.*
11 *Magis inutilis videtur homo pedibus orbatus, quam orbatus manibus.*
12 *Digiti membra non sunt.*
13 *Manus præcipua actio, & utilitas in digitis est.*
14 *Digitorum singulorum in singulis actionibus necessitas.*
15 *Pollicis, & Indicis simul amputatio æquiparatur amputationi totius manus.*
16 *Digitorum major & minor utilitas pro ordine quem tenet.*
17 *Statio & ambulatio non perit, etiam amputatis omnium pedum digitis.*
18 *Pedum digiti ad eorum tantum stabilimentum procreati.*

D. Manibus, Pedibus, & Digitis.

QUÆSTIO VI.

MAnus plerisque aliis membris nobilitate, & 1
utilitate præcellit, unde proprium ac convenientissimum Animalium sapientissimo homini datum hoc instrumentum est, ut Galen. *libro primo, de usu part. cap. 3.* & alibi scriptum reliquit. Hoc 2
enim unico instrumento, veluti rationis satellite, ipsa Ratione dictante cætera animalia domat, ut ex eodem habetur *lib. 11. ejusd.* Sunt enim Manus Sapientiæ, & Rationis ministræ, ut dicebat Cæl. Rhodig. *lib. 4. Lect. Antiq. cap. 3.* sine quarum auxilio veluti emortuus homo, & inermis omnino existens, facilis præda sævioribus feris futurus erat; & quocunque bruto infelicior, ut *ibid.* addebat Cælius, Summo ergo summi Opificis beneficio Manus homini traditæ, quibus non modo ipse sibi in necessariis opem ferret, sed & cæteris animantibus auxilio quoque esset: qualis namque esset Terræ hujusce facies qualem expiraret horrorem, quam inhabitandi opportunitatem Animantibus ipsis exhiberet, nisi hominis manibus coleretur, ac custoditetur: ex quibus & hujus Instrumenti excellentia, & nobilitas, & utilitas facile innotescit. Addam & illud non solum Manus in suo proprio munere præstare, sed aliorum etiam membrorum defectum aliquando supplere. Oculo in tenebris, aut ex cæcitate non videnti, Manus ipsa præcedens aut errantes dirigit gressus, aut vacillantes baculo substinet, & per ipsam offendicula quæque obvia evitantur: Lingua non 3
potente aut ob morbum, aut ob externi alicujus idiomatis ignorantiam Mentis conceptus exprimere, Manus ipsa ita Linguæ officio fungitur, ut Mutos viderim quæcunque alii homines Lingua Manibus facillimè significare, & vivit adhuc sexagenarius, ut ætate etiam major homo à nativitate mutus qui prægressas sui temporis historias mirâ industria ita enarrat, ut facillimè quæcunque velit audientibus commonstret. Quinetiam internas Cordis preces manibus Deo porrigimus, & incorruptæ fidei pignus manibus alter alteri damus: quamobrem rectè tam supplicantis, quàm fidem præbentis symbolum manus ipsæ sunt, quemadmodum & liberalitatis, ut videre est apud Pier. Valer. *lib. 25. de Hierogl.* sed qui plura de hujus 4
membri præstantia scire desiderat, consultat Aristotelem 4. *de Part. Anim. cap. 10.* Cicer. *lib. 2. de Nat. Deor.* Calen. *in lib. de usu part. & de Anatom. admin.* & Anatomicos etiam omnes. Cæl. Rhodig. *loco suprà cit.* & præ omnibus Fortunat. Fidel. *libro secundo, Relat. cap. 6.* Videnda quoque apud Mercurial, *lib. 3. variar. lect. cap. 20.* nova ac perpulchra quædam sententia Georg. Nylleni de Manus præstantia. Illud hoc in loco non prætermittam; membrum scilicet simpliciter prolatum apud Jurisconsultos plurimùm Manum significare, dicentibus ipsis, quòd statuto imponente pœnam amputationis 5

membri, de manu ſit intelligendum. Petr. Raven. *ſingul.* 312. Caball. *Reſol. Crimin. cent.* 3. *caſ.* 237. *n.* 19. quod etiam ex noſtris ad notavit idem Fortunat. *ubi ſub.* ex Ang. *de Malef.*

Cum tanta ergo ſit hujus membri nobilitas, & neceſſitas, ac tantopere alius ſupereminеat, jure optimo ejus partis læſio, & amputatio præ aliis magnificienda videtur: neque forte pares, ſed majo-
6 res pœnas dare deberet is, qui manum amputaret, quam qui aliud quodcunque membrum: quia manum abſcindens, vel debilitans majoris damni cauſa efficitur, quam qui quodvis aliud membrum abſcindit, aut debilitat.

Adnotandum tamen ex Fortunato noſtro, *ubi ſupra*, quod quamquam Manus ea pars verè eſt, quæ
7 cubito anhectitur, & ex carpo, meta carpio, & digitis compoſuitur, & propriè ſumma manus, vel extrema manus dicitur (nam manus ſumitur apud Medicos aliquando pro toto brachio, ut probat Manard. *Epiſt.* 3. *l.* 15) tamen quia ipſius uſus potiſ-
8 ſimum in digitis viget, ideirco ſi digitos amputaveris, totius manus utilitatem ſuſtuliſſe dici poteris.

Sed & Pedes membra ſunt maximæ neceſſitatis licet nobilitate à cæteris pleriſque exuperentur: ſunt enim abjectæ partes in animali ut patet, Gal.
9 *lib.* 3. *de uſu part. cap.* 10. tametſi viſum aliquando ſit pedes manuum induſtriam æquiparaſſe, quippe cum nonnulli homines manibus deſtituti, Pedibus non minus quam manibus officia omnia, ac miniſteria homini neceſſaria præſtitiſſe reperti ſint; cujus rei imprimis teſtis eſt Alex. Bened *libro primo de diſt. part. corp. hum. cap.* 2. Vidimus, inquit, mulierem ſine brachiis natam, pedes pro manibus ad nendi, ſuendique artem habuiſſe: Paræus *lib.* 24. *operum ſuorum, qui eſt de Monſtris. c.* 6. cujuſdam viri meminit, qui brachiis carens, pedibus edebat, bibebat, chartis luſoriis, ac talis colludebat, iisdemque, ut credo, furabatur, nam, ut ille addit, Latro, & ſicarius deprehenſus, ex cruce ſtrangulatus rotæ affixus eſt. Idem etiam ibidem de muliere mentionem habet ſine brachiis nata quæ nihilominus ſecabat, nebat, ſuebat, & pleraque alia quaſi manus haberet perficiebat, de qua etiam licet. *lib.* 2. *de Monſtr. cauſ. cap.* 2. de hac etiam forte Mercat. *lib.* 3. *cap. de ſteril. & pragnant affect.* de duobus ſimilibus meminit Roderic. à Caſtr. *de morb. mult. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. qui ambo litteris operam navabant, de quibus etiam Bauhin. de Hermaphrod. *lib.* 1. *c.* 8. Sed & Cardan. *lib.* 17. *de ſubtilit* ſuperioribus ſimilem ſe vidiſſe virum narrat: hanc ipſum Scaliger, in Cardan. *exerc.* 336. Antonium vocatum memorat, & Neapolitanum extitiſſe, de quo etiam Marc. VVeintich. *de ort. Monſtr. cap.* 37. ſed & ſupra citatus Card. *de variet. lib.* 12. *cap.* 62. Mexicanos jaculatores pedibus ea agere narrat, quæ alii vix manibus facere ſolent. Sed & nos oculati hujus experientiæ teſtes ſumus, nam anno 1624 comparuit hic menſe Novembris vir quidam ſine brachiis, cui nomen erat Petri, natione Lucernen, qui non modo pedibus edebat, ac bibebat, teſſeris ludebat, nebat, & alia quamplura faciebat, ſed quod mirum duxeris, muſica inſtrumenta nonnulla ex arte pulſabat; ac tractabat. Quinetiam anno 1627. ſimilis mulier hic viſa eſt, quæ eadem omnino faciebat, etiam muſicalia inſtrumenta ex arte tractans, eratque, ut credo, nam omnino expertum non habeo, natione Germana: habes etiam *in fine ſequentis libri harum Quæſtionum, Tit. de Monſtris*, Adoleſcentuli hiſtoriam, ſine brachiis nati, qui eadem omnino præſtabat, & nonnulla adhuc ediſcebat, de aliis quoque ſimilibus viris, aut mulieribus ſine brachiis ſcribentibus, pingentibus ſcolpos explodentibus, ac alia multo admirabiliora operantibus, meminit ex propriis obſervationibus Plater. *ſua Pract. lib.* 3. *de deformat.*

Quis ergo non videt ex his, quo pertingat divinum hominis ingenium? qui etiamſi manibus caruiſſet non omnia dicam, ſed per plura eorum, quæ nunc manibus perficit, pedibus ipſis operari didiciſſet: nam & habet ipſe Pes aliquam apprehenſionem ad ipſius manus ſimilitudinem. Gal. *de uſu part. lib.* 3. *cap.* 5. ob quam ad plura eorum, quæ diximus, aptus eſſe poſſet, non minùs quàm manus ſi modo exercetetur, & uſus ac neceſſitas id expoſceret, ut in his, de quibus ſupra enarravimus, quorum alicui ſi quis pedem abſcidiſſet, manum abſciciſſe dici potuiſſet, cùm paris utilitatis eſſet pes in hoc cujus eſſe ſolet manus in aliis. Sed hæc profectò Pedi non ſunt connaturalia: inſerviunt enim pedes ad itionem tantùm, quorum tamen beneficio ſolus homo inter animalia ſtare poteſt, & cœlum intueri. —— *& erectos ad ſidera tollere vultus.*

Quanto autem incommodo pedibus homo careat, vel altero vel utroque, ii ſciunt, qui id infor-
10 tunii vel à Natura, vel ab accidente perpetiuntur. Neque facile pronunciari poteſt quidnam, majori incommodo ſit, manibus, aut pedibus carere: nam ſiquidem illud contemplabitur, quod ſuprà dicebamus, pedibus plura eorum, quæ manibus operamur, effici neceſſitate urgente, non eſt alia ex parte, quòd ſperes deficientibus pedibus, manus eorum vicem gerere poſſe, & licet nonnulli viſi fuerint, qui manibus pro pedibus uſi ſint, adnotante Foreſt *lib.* 6. *Obſervat. c.* 6. nunquam id ſolis manibus ſuccedere potuit, ſed genuum auxilio neque tamen ſine incommodo, & dedecore, ut notum eſt adde his, quod magis inutilis videtur homo pedibus orbatus, quòd aliena ope indigeat, neque
11 ſuum infortunium; ac deformitatem celare aptè poſſit, ut ii qui manibus carent, quorum aliquos interdum adnotabis adeo ſuo dedecori conſuluiſſe, ut propriis defectus nullam omnino notam præ ſe tulerint. Unde & in hanc ſententiam multa adducit Paris à Puteo, *de re militari, rubr. Quando unus percutitur in brachio, &c. num.* 4. Forte igitur non minori pœnæ ſubjiciendus videretur, qui pedem abſcinderet, quam qui manum mutilaret, niſi hujus nobilitas aliquid obſiſteret, quam tamen æquipararet damnum quod ex pedibus abſciſſis reſultaret, cùm ut dixi, magis inutilis homo fiat ex horum deperditione. Illud tamen veritatem habere non diffiteor, quòd minus infortunium exiſtimandum ſit minorque deformitas, carentia unius pedis, quam carentia unius manus: at contra carentia utriuſque pedis majori dedecori, & infelicitati adjudicanda, quàm carentia utriuſque manus, licet ambulatio tollatur ex unius cruris carentia non enim duplicitatis utilitas aliorum membrorum, nempe quod uno oblæſo, alterum actioni deſtinatæ ſupplere poſſit, locum habet in duplicitate pedum, vel crurum, quia ad ambulationem unius pes, vel crus inſufficiens eſt, & omnino duo
12 requiruntur, ut Hieron. Fabric. *de mot. local. Animal. lib. de Greſſu.* Digiti denique tametſi membra propriè non ſint, ut communis eſt opinio, Bart. *in l.* 2. *ff. de publ. Jud. num.* 13. Dec. *in l. ſi fugitivi. C. de ſervis fugit. num.* 26. Gonzal. *var. quæſt. c.* 22. *num.* 13. & ex noſtris Fortunat. *libro ſecundo, Relat. cap. octavo.* tamen, ut ſuprà dixi, & Galenus firmat *libro tertio, de uſu part. cap.* 10. & ex ipſo

idem

idam Fortunat *ibid.* præcipua manus actio, & utilitas in digitis omnino locata eſt. Igitur licet ſinguli per ſe membra non ſint, omnes tamen ſimul omnem membri neceſſitatem complent, eam nempe quæ ex manuum opera dependet: & his non obſtantibus, quilibet eorum per ſe (de manus digitis loquor) adeo deſtinatæ cuidam actioni inſervit, ut læſo, vel abſciſſo, facili negotio ea actio vel pereat vel depravetur, vel debilitetur. Omnium ſumma
13 neceſſitas in apetehenſione Pollicis, & indicis in ſcribendo, delineando, pingendo, ac in actionibus penè omnibus, & rectè Gal. & Avicenna, & cum eis Fortunatus, ipſum Pollicem quatuor reliquis ſimul oppoſitis utilitatem æquivalentem præſtare dixerunt, & idcircò parva manus vocatur, an certe Pollicis ſumma neceſſitas. Sed Pollicis, & Indicis ſimul amputationem, totius manus amputationi æquiparatem: videntur enim tres poſteriores digiti, Medius nempe, Annularis, & minimus,
14 potius priorum, Pollicis ſcilicet, & Indicis operationes coadjuvare, quam per ſe quicquam effatu dignum præſtare. In quibuſdam tamen muſicis inſ
15 ſtrumentis pulſandis Pollicis minimus uſus, ſummus Indicis, Medii, & Annularis, qui & Medicis dicitur: Minimi, ſeu Auricularis in omnibus minimus uſus eſt. Ac veritatem profecto illud habet, digitorum utilitatem majorem, aut minorem eſſe, pro ordine quem tenent, nam eorum minor ſemper utilitas, qui à Pollice magis in ordine diſtant: Itaq; rectè Pollicis, & Indicis carentia irregularitatem inducit: Medii, & reliquorum duorum, non ita, Barbof. *in Coll. Doct. lib.* 1. *tit.* 20. *c.* 6. *n.* 3.

16 Digitorum Pedum non eadem ratio eſt, neque in utilitate, neque in damno. Omnes Pedis digiti ſi abſciſſi fuerint, ſtatio, & ambulatio non idcirco omnino peribunt, ſed depravabuntur, magis forte, quam ſtatio, & ambulatio. Nam ego deperditis ex nimio frigore digitis Pedum, ſtantem hominem & ambulantem vidi: licet in curſu credam illum non
17 perinde valere, quod non ita ſtabiliter pedes firmare poſſit: nam in motu progreſſivo ſemper alter Pedum in terra obfirmatur, alter autem movetur: at
18 in pedis ſtantis obfirmatione, præcipuè ſi motus ſe moventis celer futurus ſit, plurimum conducunt ipſi digiti: itaque non credo, ut dixi, quod, abſciſſis Pedum digitis homo currere tutò poſſit. Ex unius autem digiti Pedis amputatione non tantum incommodi in ſua actione Pedi reſultare, quam ſit ex unius digiti Manus, palam eſt. Bene tamen procedit, quod majus damnum ex majoris digiti, quam ex cæterorum cujuslibet amputatione Pes conſecuturus ſit: & ſic incipiendo ab eo, qui Pollici manus reſpondet, damnum ſemper majus eſt ex amputatione digiti, qui illi magis vicinus eſt. Quoniam vero Pedum digiti ad eorumdem tantum ſtabilimentum, non ad aliam quampiam actionem ſunt procreati: Alex. Bened. *In hiſtor. corp. hum. c.* 2. idcirco tanto antecellit læſio digitorum ipſius Manus læſionem digitorum ipſius Pedis, quanto actio Manus præſtat actioni Pedis.

SUMMARIUM.

1 *Penis eſt pater omnium membrorum.*
2 *Abſque pene an fieri poſſit generatio.*
3 *Caſu precidens membrum in rixa, cur minori pœna videretur multandus, quam precidens aliud membrum.*
4 *Teſtes membrum ſunt.*
5 *Teſtes abſcindens, aut conterens, tabefaciens tenetur pœnâ l. Cornel de Sicar.*
6 *Caſtrantes vel abſcindendo, vel contundendo, vel tabefaciendo Teſtes, fiunt irregulares.*
7 *Mammilla membra ſunt.*
8 *Par injuria infligitur in abſciſſione mammillarum in fœminis quæ abſciſſione cujuſcunque membri.*

De Pene, Teſtibus, & Mammillis.

QUÆSTIO VII.

PEnis, cujus nomina per plura, ac propemodum innumerabilia ſunt, familiariſſimum nomen Membri eſt, neque injuriâ illud ſibi addixit, quia pater eſt omnium membrorum. Ejus neceſſitatem 1
eſſe propter generationem, ſatis ſuperque notum unde major jactura eſſet in amputatione illius, ubi homo generationi ſtuderet, quàm ſi caſtam, & cælibem degeret vitam.

Quæſitum autem jam à me eſt, *lib.* 3. *ſuperiori, q.* 2
tit. 1. an abſque Pene fieri poſſit generatio: & viſum eſt concludendum negativè, ob rationes ibi adductas: non tamen idcirco dictum illud eſt, quòd Penis vim habeat in generatione ullius cauſæ niſi inſtrumentariæ, vel quòd quicquam conferat ad generationem, aut in procreatione, aut in confectione ſeminis, aut in alia quapiam re, præterquàm in apta, & convenienti ejaculatione ipſius ſeminis in uterum: neque enim (licèt ejaculatio non fiat ab ipſo, ſed per ipſum) abſque ejus opera unquam virile ſemen ad uteri intimiora perveniret, quantacunque attractrice facultate, & virilis ſeminis aviditate, ac bulimo uterus conflagraret. Unde admirationi multæ mihi fuerunt hiſtoriæ aliàs ex S. Thoma relatæ, & ex aliis, ex quibus habetur, mulieres nonnullas ex ſemine propè vas effuſo concepiſſe. Nec minorem admirationem mihi incuſſit præteritis hiſce diebus Excellentiſſ. atque Illuſtriſſ. D. D. Jo. Antonius Urſinus, Dux S. Gemini, qui ſeriò mihi affirmavit, ſponſam quandam gravidam fuiſſe effectam ex ſola pollutione ſponſi prope vas, abſque ulla omnino membri introniſſione: nam habuit Excellentiſſ. D. in caſtro quodam, ſuo dominio ſubjacente, hujuſmodi caſum, & omnibus diligentiſſimo, ac exquiſito examine perquiſitis rem ita ſe habere comperit: quòd cùm ſit ex ratò contingentibus, me à mea opinione avellere non poteſt, qui ſciam os uteri internum ab externo diſtare digitos ſeptem, aut octo plus minùs, neque poſſibile eſſe os illud internum tantopere irruere ad ſemen virile deglutiendum. Præterquam quod neceſſe eſt, ſemen extra vas effuſum, exterum aërem tangere, unde illicò, & abſque ulla mora momento inquam, ſpiritus omnes evaneſcere neceſſe eſt, & ſemen etiam ab utero eo modo attractum infœcundum fieri: addo quòd impoſſibile ſit fieri concurſum amborum ſeminum, quem eſſe omnino neceſſarium jam aliàs probavimus. Ac in præcitato caſu pleræque concurrunt conditiones, quæ in aliis deſiderantur: unde fortè hic poſſibilis eventu fuit, cæteri nequaquam.

Sed his omiſſis, cùm, ut dixi, nullius potiòris uſus ſit membrum hoc, quàm ad coadjuvandum generationem, ex cujus privatione conditio individui, quantum eſt ex ſe, non deterioratur, videndum idcircò eſſet, an ob id quicquam leniri pœna debeat 3
in eo, qui tale membrum præcideret, dicendumque fortaſſe, (nam hoc ad Juriſconſultos pertinet decidere) quòd ubi caſu id contingeret, nempe quod duobus rixantibus alter alteri membrum præcideret inter rixandum, minor pœna eſſet imponenda, quàm ſi manum aut aliud quoddam membrum magis ad invidui bonum neceſſarium, aut quod magis faciem decoraret, præciſſet: ſi modo in rixa aliqua ratio habetur hujus differentiæ. At ſi id per injuriam, & data opera factum ſit, aliter

forte dicendum, nam maxima injuria hæc videtur de qua jurisconsulti videant.

Cæterum Testes membrum esse jam suprà probavimus, & eos abscindentes subjici pœnæ lege 4
Corneliæ de Sicar. patet *in l. Lege Cornelia §. Idem Divus Hadrianus ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Quod quidem licèt non ex hoc capite procedat quod membrum quis præciderit, tamen & hoc cũ alio capite nonnihil operatur: est autem quod abscindentes testes, virilem omnem vigorem adimimus, & in mu- 5
liebrem naturam virum abire cogimus, non sine jucunditatis vitæ, & ejusdem longitudinis deterioratione: quamobrem non modo qui vere Testes abscindunt, sed etiam qui eos conterunt, aut arte aliqua tabefacere cogunt, pœnæ ejusdem Legis Corneliæ subjiciuntur, *ut in l. Ii quoque. ff. eod.* in qua Thlibias, ac Thlasias facere id importat, ut aliàs dixi *lib. 2. tit. 3. q. 7. n. 36. & seqq.* Unde sequitur ex mea sententia (quod non abnuentibus Jurisconsultis dictum volo) quòd tamen castrenses, nem- 6
pe abscindentes Testes, quàm eos conterentes, aut tabefacientes irregulares evadant. Itaque non video quàm licitè Sacerdotes nonnulli castrationem puerulis suadeant, eorumque parentibus Auctores fiant illos castrandi, ut non multis abhinc diebus aliquos præstitisse notare licuit: nam licet castratio ob sanitatem procurata, & ob eandem sanitatem recuperandam persuasa, irregularitatem non faciat, tamen id habet locum ubi per alia remedia sanitatem recuperare non crediderim licitum esse, absque eo quod irregularitas incurratur, in modica, vel levi ruptura castrationem suadere, vel admittere, quod illi Sacerdotes præstiterunt. Sed hic obiter de severitate Veteris legis in mentem venit, quæ mulierem apprehendentem virilia ejus qui cum marito rixabatur, abscissione manus, absque ulla misericordia plectendam jubetur *Deuteron. c. 25. verf. 12.*

Mammillas denique membrum in fœminis esse, 7
quod lacti conficiendo sit destinatum, jam in principio hujus tituli firmatum est. Id tamen discriminis intercedit inter alia membra, & mammillas, quemadmodum etiam de pene dixi, quod actio, ad quam destinatæ mammillæ sunt, non in ipsius individui utilitatem sed potiùs in speciei conservationem à Natura sit institutæ, quod an aliquam pœnæ differentiam constituere debeat inter illum, qui alia membra, & eum qui mammillas præcidit, jurisconsultorum esto judicium: Credo tamen, parem inferri injuriam in abscissione mammillarum & cujuscunque membri dummodo studio, ac datâ opera membrum qualecunque abscindatur, cujus injuriæ non esse minorem æstimationem in mammillarum quoque præcisione, vero consentaneum puto.

LIBRI QUINTI

TITULUS QUARTUS,

DE AERE, AQUIS ET LOCIS.

Continens Quæstiones septem.

I. De boni, ac mali aëris conditionibus. & signis.
II. De Aquis, earumque bonitate, & vitio.
III. Quæ servitutes Aquis impositæ ipsarũ Aquarum bonitati præjudicare possint.
IV. De Locorum salubritate, & insalubritate.
V. Quænam, & quo tempore tuta Aeris, & locorum mutatio, quæ verò non tuta.
VI. Quæ incommoda sanitatis ex importunis ædificiis vicinis habitantibus immineant.
VII. De Cloacis, Aquæductibus, Canalibus, Horreis, Hortis, Pomariis, Furno, Fornacibus, Sterquiliniis, Latrinis, Stabulis & de Artibus immundis.

SUMMARIUM.

1 *Prædia ratione salubritatis aëris majoris æstimantur.*
2 *Minori conceditur restitutio adversus alienationem Prædii ratione salubritatis aëris.*
3 *Aeris intemperies est justa causa non immorandi in aliquo loco.*
4 *Aeris insalubritas à pleriſque rebus excusat.*
5 *Aer respectu unius personæ aliquando salubris, & respectu alterius insalubris.*
6 *Aeris summa necessitas viventibus est.*
7 *Nihil est quod magis efficax causa morborum hominibus existat quam ipse aer.*
8 *Aeris bonitas ex quibus rebus consideretur:*
9 *Aer quoad substantiam debet esse tenuis.*
10 *Aer ex perflatione ventorum quomodo affici debeat.*
11 *Aer Civitatum crassior est.*
12 *Aer salubris ex Cœli aspectu quomodo fiat.*
13 *Aer quomodo bonus reddatur ex Solis illustratione.*
14 *Sol est, qui aërem rectificat.*
15 *Aeris salubritas ex absentia quarundam rerum quomodo habeatur.*
16 *Aer morbosus quomodo fiat.*
17 *Aer an possit putrescere.*
18 *Ad aërem pestilentẽ accedere nullus tenetur. Amplia n. seq.*
19 *Limita ampliationem hanc, sic ubi aer non sit pestilens. Sed tantùm intemperatus. n. 23.*
20 *Aer qui secundum primas qualitates peccat aliquando id à sua natura habet, aliquando ab accidente.*
21 *Aeris mediocris excessus in primis qualitatibus per accidens satis est insufficiens causa, ut aliquid ejus respectu concedatur, vel immutetur.*
22 *Aeris magnus excessus in primis qualitatibus quando excusat à residentia, & ab aliis quibusdam.*
24 *Aeris intemperies excusat Episcopum à residentia. Limita, ut n. seq. declara ut n. 27.*
26 *Aer ex natura sua distemperatus non emendatur.*
28 *Aer distemperatus an excuset à contumacia.*
29 *Commoratio diuturna in loco valde distemperato potest à contumacia, & ab aliis quibusdam excusare.*
30 *Aer intemperatus æstivo tempore magis suspectus.*
31 *Æstas quando dicatur.*
32 *In excusatione à proscriptione, & aliis ob aerem malum, attendenda conditio personæ excusandæ.*
33 *Loci conditio ex quo quis discedit, & illius ad quem accedit considerandæ.*
34 *Aeris boni conditionibus respondet Incolarum prospera valetudo.*

De

De boni ac mali Aëris conditionibus, & ſignis.

QUÆSTIO I.

HIppocrates noſter librum edidit hoc titulo inſignitum, in quo ſapienter, ut ſui moris eſt, de Aëris, Aquarum, & locorum Natura multa edocuit. Ego in ordine ad meas haſce materias Medico-legales, de iis ipſis diſſerere in hoc Titulo eandem inſcriptionem habente decrevi: cùm plura ſint quorum occaſione Medicorum judicium circa hæc à Legum peritis exquiri poſſit. In dubium enim vertere aliquando illis occurrit, an locus aliquis, puta Civitas, vel Caſtrum aliquod, vel ruſticum aut urbanum prædium, vel habitatio ſalubri aëre fruatur, necne: aut comparatione facta inter unum
1 locum, & alium, quiſnam eorum ſalubrior ſit, cùm ratione ſalubritatis Aeris majoris æſtimetur aliquod prædium, domus, aut fundus, quam alius, ut per Cœpol. *de ſervit. ruſt. prad. c.* 43. *n.* 4. ex quo Pariſ. *de reſignat. benef. l.* 5. *q.* 3. *n.* 252. Facit Rota *in Romana, ſeu Tudertina educationis* 14. *April.* 1616. *coram Pirovano, quæ eſt deciſ.* 589 *part.* 5. *tom.* 2. *Rec. n.* 6. &
2 7. & ratione etiam mali aeris fundus emptus redhiberi poſſit, *l. etiam in fundo. ff. de Ædil. ed.* nam ejuſdem ſalubritatis Aëris ratione conceditur Minori reſtitutio adverſus alienationem, fundi vel prædii, ut per Ripâ *in tr. de peſt. part.* 3 *par.* 1. *n.* 3. inter qualitates enim optimi prædii connumeratur ſa-
3 lubritas: ſunt enim bonitas, ſalubritas, amplitudo, *ut in l. Quid aliud, ff. de Rer. & verb. ſign.* Præter hæc volunt Juriſconſulti, Aeris intemperiem eſſe juſtam cauſam non immorandi in aliquo loco, & non reſidendi ibidem, & eadem Aëris ſalubritas pro legitima cauſa acceptatur in excuſationem in pleriſque ut per eundem Pariſ. *ubi ſupra, n.* 246. *& ſeq. Hoſtienſ. in ſumm. tit. de Conjug. Servor. n.* 5. *in fine*, *Henr. Boubic in c. de illis n.* 2 *verſ. & dico de Sponſa-*
4 *lib. Capiblanc. de Jur. Baron. Pragmatic. qq. ſuc n.* 51. *verſ. limita.* Sanchez *de Matrim. lib. diſp.* 40 *num.* 3. Farin. *de delict. carn. q.* 14. *n.* 181. *Capella Thol. dec.* 87 *n.* 1. *v. niſi aliud* & per Maſcard. *de probat. concl.* 10. *n. ult. part.* 1. & per Thom. Actiũ *de infirmit. cap.* 41. *num.* 2. *& ſeq. part.* 1. Rota *in Tridentina Matrim.* 27. Junii 1646. *coram Rod. Celſo.* In quibus caſibus hæſitantibus Juriſconſultis de Aëris ipſius qualitate ejus rei deciſio ad Medicos per ipſos defertur,
5 Quin etiam occurrit aliquando, quod, alicujus loci Aer, ſit quidem ex ſui natura ſalubris & laudabilis, ſed reſpectù alicujus perſonæ, quæ in eo reſidere cogitur, putà Epiſcopi, Parochi, Canonici, & hujuſmodi, aër ille ſit omnino inſalubris & illaudabilis: nam, exempli gratiâ, Tuſculanus aër, vel Tiburtinus optimus eſto; at ſi qui Tibure, vel Tuſculi reſidere debet, gracilis ſit, pectoris anguſti, & partium ſpiritualium affectibus laboret, putà Aſthmate, Phthiſi, Tuſſi longâ, ac moleſtâ, & hujus generis aliis, vel ex morbo Gallico dolores junctura-rum, ac membrorum patiatur, vel jam ſit ſenex in ſecunda parte ſenectutis, tunc quidem ejus reſpectu non modo Tuſculanus, & Tiburtinus Aër eſt inſalubris, ſed etiam maximè nocuus, & pro his quidem verificabitur illud. *In medio Tibure Sardinia eſt*, utpote qui ex commoratione in hujuſmodi aëre facili negotio poſſint è medio tolli, morbis adauctis, & exaſperatis. Tunc ergo intrat dubium pro Canoniſtis, an hujuſmodi perſonæ diſpenſari poſſint à reſidentia, & an reſignare poſſint: & affirmativam ſententiam eſſe communem, tenet Pariſ. *ubi ſup. n.* 244.

Sed & idem dubium intervenit, ubi Monialis ob Monaſterii malum Aërem, vel ſuæ naturæ, & valetudini contrarium, perpetuò ægrotat: nam & de hac dubitatur, an poſſit in aliud Monaſterium tranſire, & poſſe credunt nonnulli, quos refert Thom. Actius *de Infirmit. ubi ſupra. num.* 6. & ego dixi ad hoc propoſitũ nonnihil, *libro tertio, tit tertio.* Eodem quoque pacto circa bonitatem aquarum, earum emendationem ac depravationem, multa occurrunt Juriſconſultis nonniſi ex Medico fonte diluenda, ut ex pluribus idem Thom. Act. *ubi ſupra num.* 7. *& ſeqq.* apud quem alia nonnulla ad hoc ipſum caput pertinentia habes. Quin etiam contingit quoad locorum conſtructionem aut deſtructionem multa perquiri, aut de nonnullis dubitari, quæ ipſa loca inſalubriora reddunt, removendis, ut de Silva, quæ ſalubrium ventorum incurſum prohibeat, cædenda, aut de monte, qui eorundem ventorum acceſſum, aut Solis illuſtrationem impediat, diruendo, aut de impedimentis quæ ſibi invicem locorum & Civitatum ædificia præbere poſſunt, prohibendis, ut in Romana Tramontanæ, vel altius non attollendi, ut in Midiolanenſ. Sancti Ambroſii nuperrimè factitatum eſt: quibus ex cauſis non videbatur hoc argumentum oſcitanter prætereundum.

Primo ergo de Aëre videndum, qualis eſſe de- 6
beat, ut ſalubris ſit, deinde quibus ex cauſis malus, & morboſus evadat, & quænam inter has ipſas cauſas potiores exiſtimandæ. Neq; mirandum eſt, quòd tam exquiſita proponatur Aëris conſideratio, quia tanta ejus neceſſitas cunctis viventibus eſt, ut poſſibile quidem ſine alio nutrimento externo cibi, aut potus, unicuique ad aliquot dies, imo ad menſes, & ad annos vivere, ſine Aëris verò nutrimento nulli ne momento quidem, experientia commonſtrante & aſſerente Hipp. *in libell. de flatib.* & notante etiam ex Juriſconſultis Oneiac. *lib.* 2. *Colloq. mixt. c.* 5. *n.* 2. Quin etiam cuilibet notum eſt, quantum interdum exitioſæ ſint Aëris mutationes, nec ſine ratione, & experientia dicebat Rota *in Rom. officii manutatiatus* 1637. *coram Pamphilio n.* 10. Aëris mutationem æſtivis temporibus ponere 7
in dubio vitâ illius, qui aërem mutat, unde *ibi n.* 15. additur quod acceſſus ad urbem à civitate Neapolis de menſe Auguſti, & Septembris adeò periculoſus, ut ferè nullus venientium mortem evadat: ſed ſuperfluæ omnino ſunt auctoritates, ubi ipſa experientia ejus rei nos quotidie admonet. Cum ergo velimus nolimus, Aëris beneficio uti perpetuo cogamur, nihil ex conſequenti eſſe poteſt, quod nobis ſalutis, aut morbi cauſa paratior exiſtat, quam ipſe Aër, pro ipſius bonitate, ac vitio. Multum ergo conducet ejus bonitatem ex manifeſtiſſimis ſignis cognoſcere. Bonitatem autem Medici omnes Hipp. 8
ſecuti, *lib. de Aër Aq. & Loc.* ut Gal. Antillus, Athenæus, & alii apud Oribaſ. *Collect. lib.* 9. & Avic. 2. 1. *doctr.* 2. *c.* 11. Haly abb. *Theor. lib.* 5. *cap.* 5, Iſaac *l.* 5. *Theor. c.* 2. cæteriq; omnes, ex quibus poſtremus in ordine ad hanc ipſam materiam Fortun. Fidel. *Relat. Medic. lib.* 1. & inter Juriſconſultos Ripa. *in tract. de peſt. part.* 3. *part.* 1. *ad num.* 5 *ad ſeq. plures.* conſideraturæ, ex ejus ſubſtantia, ex perflatione ventorum ex aſpectu Cœli, ex Solis illuſtratione, & ex abſentia nonnullarum rerum; quæ præſentes ipſum facilè contaminare poſſunt, ut videbimus, cum de malo aëre tractabimus.

Ac primo, quoad ſubſtantiam, aër debet eſſe te- 9
nuis, & porus: cognoſcitur autẽ tenuis, ex Avicenna *ubi ſupra*, & Iſacc. *loc. cit.* ubi cito refrigeretur, ac citò

quoque

quoque calefiat, nimirum cito refrigeretur, recedente Sole, calefiat autem quamprimum accedente, non ſecus quam aquæ tenuitas, & levitas, ſoleat probari, de qua Hipp. 5. *Aph.* 16. Sed & ipſa Solis illuſtratio, aëris arguit tenuitatem, (niſi ex vicino ſolo, aut ex vicinis aquis vapores craſſos, ac malos extrahens aerem inficiat) attenuat enim per ſe ſuo calore, & puritatem conciliat, craſſos vapores aliunde contractos abſumit, contra vero, ut ex Athenæo habet Oribaſ. *lib.* 9. *Collect. c.* 5. Aër, qui multum in umbra eſt caſſior eſt ac frigidior.

Et perflatione ventorum aer magis aut minus
10 ſalubris efficitur, in univerſum autem aër à ventis perflatus, & motu perpetuo agitatus, ſalubrior cenſetur, non ſecus enim ac ipſa aqua, aër qui motu caret, craſſior & magis turbidus evadit, ac putris & ſuffocans fit, ut is eſt, qui celſis undique montibus incluſus perflatum nullum à ventis recipere poteſt. Gal. *loco cit.* atque ea de cauſa aër civitatum craſſior fit non ſolum, inquit Athenæus, quod in ſeſe cogatur, ex eo, quod nullo motu cieatur, ſed ex eo etiam, quod multo tempore in umbra ſit, & multo
11 magis, quod plurimæ, atque omnis generis exhalationes ex urbe in aëtem ipſum eleventur. Unde Avicenna *ubi ſup.* Si fuerint, inquit, venti multi ſibi ſuccedentes, quos non refrænaverint montes, aër erit magis à putrefactione ſalvus: nam venti, ut Hipp. noſter dicebat, *in lib. de morb. ſacr.* ex omnibus rebus, atque adeo ex ipſis hominibus humiditatem & tenebroſitatem excernunt. [Plura de Ventis & illorum actione. *vide* apud Quercetan. Veieranum, Mercatum, Peramatum, Coſtæum, Baconum.]

Ex aſpectu Cœli aër dicitur ſalubrior, cum ille
12 Orientalis eſt: inſalubris cum Occidentalis, minus inſalubris Occidentali Auſtralis, adhuc minus Auſtrali Borealis: in ò verius hic, Orientali excepto, cæteris ſalubrior, nam ſalubertimus eſt Orientalis, inſalubertimus Occidentalis: Orientali autem in ſalubritate magis proximus Borealis, ſicut in inſalubritate magis proximus Occidentali Auſtalis, etiamſi diverſa omnino in ſingulis ratio ſalubritatis, & inſalubritatis exiſtat. Nam exoriens Sol ea in parte aërem illico attenuat & expurgat, ſuperfluitates omnes abigit, & aërem facilem perſpiratu reddit, contra vero occidens Sol plures vapores eam in partem cœli elevat, neque abſumere eos poteſt, propter, caloris jam elanguentis defectum: imo iidem vapores ſupervenientis noctis frigiditate denſati, inibique permanentes aerem incraſſant ac contaminant, & perſpiratu difficilem reddunt. Meridionalis vero aſpectus, ob Solis vigorem, & longam ac perpetuam toto annuo curſu in eodem loco moram, Aërem habet æſtuoſum, non tamen ita facilè, ut occidentalis, putreſcentem, hic enim humiditate, ille ſiccitate excellit, Borealis vero poſt Orientalem ſalubrior idcirco eſt, quòd à Botealibus ventis per eam partem flantibus aër attenuatur, & expurgatur, puriorque fit, cum tamen ob excedentem frigiditatem ac rigorem, ſpiritualibus partibus infeſtus habeatur. Quæ omnia juxta Hippocratis doctrinam, *præcitato lib. de Aer. Aq. & loc.* prolata ſunt. [qua de re Vide Alemannum, B. Baldinum, C. Flavium, Cl. Galenum, H. Cardanum, L. à Sotto, L. Septalium, Th. Zvvingerum, Martianum & alios *Commentatores* Hippocrateos.]

13 Ex Solis porrò illuſtratione, aër, ut diximus, purior evadit, ac tenuior & idcirco quantò longiori tempore a ër in umbra eſt, & ab illuſtratione radiorum Solis impeditus tanto frigidior, craſſior, turbidior, & perſpiratu difficilior eſt: Sol enim, in- 14
quiunt Avicenna & Iſaac, *loc. ſup. cit.* eſt qui aërem rectificæ, quod etiam ex Athenæo patet, *loc. ſup. allegato.*

Denique ex abſentia & privatione, nonnullarum 15
rerum aër bonus cenſetur, id eſt, qui neq; ſtagnorum neque paludum halitu inficitur, neque ex profundo aliquo ſpecu pernicioſam auram exhalante pravam aliquam recipit impreſſionem. Qui neque ex Cloaca magnam precipuè aliquam Urbem, aut numeroſum exercitum expurgante vitium contrahit: qui neque ob lacus, aut fluminis viciniam nebuloſus ſit, qui neque ex animalium immunditie, neque de fimo aut putredine olerum, & ſimilium rerum coinquinetur, is etiam, ut bonus ſit, cœmeteria, & ſterquilinia vicina non habeat, & in ſumma ea omnia ab eo longè abſint, quæ pravis vaporibus, & exhalationibus ex ipſis elevatis, inficere illum poſſint, ut præcipuè aquæ ſtagnantes ſunt, ubi in iis linum, aut Cannabis æſtivo tempore macerentur: ſed & idem vitium, ſecum afferunt aquæ minerales, & terræ ſimiles, eæ præcipuè, in quibus argentum vivum præ cæteris metallis effoditur. Artes etiam quædam immundæ, ut Coriariorum ſunt, Lanionum, & hujuſmodi, ſuâ vicinitate proximum aërem labefactant: idemque incommodum afferunt horti, & Pomaria ubi frequentia ſint: præterquam quod arbores ipſæ & Solis illuſtrationem, & ventorum perflatum impedire facilè poſſunt, præſertim ſi magnæ ſint, ſi denſæ, ſi prælatæ, ſi frequentes: unde in hujuſmodi aere neque homines longo tempore vivunt, & morbis maximè ſunt obnoxii neque aves multæ in eo conſpiciuntur: nam ſi verum eſt quod Card. *lib.* 10. *de ſubtil.* dicebat, Aër bonus Avium omnis generis copiâ abundat, non bonus ſterileſcit. Ut ergo ſummatim dicamus, quicunque aër contrarias jam prædictis habet conditiones, malus eſt judicandus, & eò inſalubrior, quo plures numero, & efficaciâ potentiores ipſæ cauſæ fuerint: peſſimus enim exempli gratiâ erit, qui ſubſtantia craſſus eſt, & impurus: qui nullis ventis perflatus, qui ad Occidentem eſt, qui à Sole parum illuſtratur, & in umbra plurimum eſt, qui vicinitatem paluduum, & ſtagnantium aquarum, ſimiliumve rerum habet: minus pravus cenſendus, qui licet tardè illuſtretur à Sole, & ad Occidentem ſit, aut ad Meridiem, à ventis tamen perflatur, & nullam habet pravarum rerum vicinitatem, omnium minimè malus, qui aſpectum exempli cauſa bonum non ſortitus, tamen ab aliis conditionibus bonis non longe diſcedit, & ſic de cæteris.

Utrum autem aquarum affluentia ad aëris ſalubritatem conferat, necne, in ſequentibus diſcutiendum: nunc, breviter videndum, quænam cauſæ magis aptæ ſint ad ipſum aërem ita morboſum reddendum, ut facile ſit in eo commorantes promptiſſimè ægrotare: quæ item remedium, & emendationem admittant, quæ non: quæ per aliquod temporis ſpatium abſque notabili nocumento tolerari poſſint, quæ ne per diem quidem: hæc enim ut decet, determinata, maximè faciunt ad eas omnes difficultates enodandas, quæ in principio hujus quæſtionis ſunt propoſitæ.

Quoniam verò ad rem Juriſconſultorum non ſpectat tam exquiſita aëris dignotio, præteritis iis, quæ huc pertinere non videntur, dicamus pro Juriſconſultis, Aërem veſè morboſum, nempe qui 16
homines facillimè reddit morbis obnoxios, eos

præcipuè

præcipuè, qui in eo vivere assueti minimè sunt, vel simpliciter alter tum esse, & peccare etiam secundum qualitates manifestas, vel peccare etiam secundùm qualitatem aliquam occultam in aëre, qui hoc modo peccet, neque homines, neque ullum fortè animal, quod respiret, (respirare autem omnia quæ vivunt est manifestum (vivere posse longo tempore probatione non eget. Idcirco hujusmodi aër, qui talis à Natura sit, non datur, sed datur bene talis ex accidenti; licèt enim agitatum sit inter philosophos & Medicos, an *aër putrescere possit*, negantibus id nonnullis, & præcipuè Arist. *lib.* 25. *probl.* 20. tamen putrescere ita posse, ut pernecabilis, & extialissimos viventibus evadat, concludit Claudin. *Respons. Medic.* 1. [Horstius *part.* 1. *p.* 337. *con ung.*
17 Quercetanus & Mercatus.] Dato ergo quòd aër putrefactus sit, & hoc per Medicorum testimonium constet, & multò magis per frequentem, & irreparabilem, ac citam hominum mortem, cæterorumque etiam animalium, notissimum est hanc causam esse urgentissimam, ac tantæ efficaciæ, ut vel minima, ac brevis ejus aëris inspiratio possit de facili (non dico de necessitate, nam sunt qui etiam ad aliquod tempus sani in hujusmodi aëre degunt, licet temporis diuturnitate & ipsi succumberent, perseverante aëris malignâ illâ ac venenosâ qualitate) hominem interficere, vel saltem hominem manifesto vitæ periculo exponere: quamobrem nullum hoc in casu dubium esse debet, quin per leges & Jura, & ab eo fugere iis, quibus aliàs licear, concedatur, & ad eum accedere nullus
18 omnino, ac nulla prorsus ex causa teneatur: cùm & ipsi Jurisconsulti concedant, quòd accedere ad aërem, seu locum pestilentem sit tentare Deum, ut ex Ripa, & Prævidello dixi, *lib.* 3. *tit.* 5. *quæst.* 1. *n.* 8.
19 quod ampliandum videtur, ut neque teneri debeat quis accedere ad vicinum locum per conventem distantiam, ubi aërem esse putrefactum illius loci constet, & acquisivisse, quam diximus, pravitatem, & venenositatem. Ratio amplitationis est, quia aër ex sua natura mobilis est, & de momento in momentum potest ab uno loco in alium viciniorem non depos à pravâ illa qualitate transire: nam si longius progrediatur, potest ab aëris novi affluentia, in quem irruit, facile edomari, & venenositatem contractam deponere, & sic loca, quæ à pestilenti aëre distant, idcirco tuta sunt, non verò quæ illi sunt propinqua: unde est, quod pestes, quæ ab aëre sic putrefacto originem ducunt, (ubi quidem causa putrefactionis universalis sit, non particularis) parum durent in uno loco, sed extialissimæ sint, & ab una regione in aliam quasi ignis flamma perreptent, viventia omnia inevitabili Mortis falce demetendo.

Ampliandum ulterius hoc dictum, ut neque teneatur quis accedere ad locum sanum, ubi per infectum transire debeat: ratio est, quia facilè in transitu infici & ipse potest: unde non sine causa suspecti sunt non modò habitantes loca infecta, sed etiam per ea transeuntes Foller. *in tract. pro custod. Pestis, n.* 165.

20 Sed aër, qui ptiori modo, nempe secundum qualitates manifestas peccat, aliquando id à sua natura habet, aliquando ab accidente: si ab accidente vel excessus est modicus, vel mediocris, & de neutro multum videtur curandum: quia vel facilè
21 emendatur, vel non potest insigniter lædere: ac saltem non offertur quicquam consideratione dignum, quod ad rem nostram faciat, cum insufficiens causa videatur, ut aliquid ejus respectu immutetur, quod ad consuetum ejus spectare possit, nisi conditio personæ, quæ in tali aëre commorari debeat aliquid peculiariter consideratione dignum offerat, ubi excessus, sit mediocris, vel alia magis particularis causa urgeat, cujus respectu etiam mediocris hic excessus in consideratione habendus sit. Verumenim verò ubi hic excessus sit ultra mediocritatem, tunc licèt non cum tanto impetu lædat, quanto facit his qui compotruit, & venenositatem contraxit, tamen insigniter lædere quemcunque is quoque potest. Licebit ergo & ad hoc fugere, ubi Epide- 22
miam, aut pestem excitaverit, non secus ac diximus de priore. Non tamen procedere debet, ex mea 23
sententia, in hoc casu ampliatio illa, quòd neque ad vicina loca sit tutus accessus: & ratio hujus restrictionis, vel limitationis est, quod liquidò constat, hanc alterationem in primis qualitatibus facilè refringi posse à contrariis qualitatibus vicini aëris: quinimò hæ ipsæ qualitates ipsa aëris agitatione refringuntur, ac evincuntur: unde ipsi aliquando salubrium, vel contrariorum ventorum flatus omnem acquisitam jam nocentem qualitatem subitò domant, atque immutant. [vid. Horst. tom. 1. alleg. pag. 356. [Quamobrem licet aëris intemperies 24
excuset episcopum à residentia ex iis, quæ notat Parisius *lib* 5. *de resign. benef. quæst.* 3. *num.* 247. tamen non procederet hoc, ubi non esset intempe- 25
ries universalis omnium locorum ipsius Diœcesis, teneretur enim residere ubi esset aliquis locus, in quo aër non esset adeò intemperatus, ut declarat idem Paris. post *num.* 251. Neque valeret oppositio, quòd & hic esset vicinus loco intemperatissimo, nempe suæ civitatis, & quòd ob vicinitatem facilè timeri posset infectio; quia hoc in hujusmodi casu non procedit ex suprà adductis.

Quod si à natura aër distemperatus sit, tunc qui- 26
dem nullo modo emendatur, & non assuetum in illo vivere promptissimè lædere potest, unde facilè ubi talis sit, procedent ea, quæ in principio quæstionis attulimus, nimirum eius causa intrare excusationem in nonnullis casibus, ut ibi videre est, quæ tamen, quia in quovis aëris vitio omnia locum non habent, sigillatim examinanda videntur: & quoad 27
excusationem à residentia, non est dubium, illam procedere in notabili aëris vitio, quod à natura sit 28
quia promptissima causa ea est ad morbos concipiendos: at quoad excusationem à contumacia, non ita palam est, maximè in quacunque aëris intemperie: quemadmodum & quoad executionem à perjurio, & à cursu proscriptionis, in quibus casibus videant Jurisconsulti, An excusatio procedat in aëre tantum pestilenti, cùm hîc causa sit nimis efficax, & subitanea, quam declinare, nisi fugâ, & absentiâ non licèt, unde ne momento quidem, in eo commorari tutum est: aër simpliciter intemperatus non est tam activa causa, & impetuosa, quin in ipso per aliquot dies commorari non possimus, absque alicujus morbi notatu digni contractione, etiamsi de facili posset & capitis gravedinem, corporisque torporem, ac relaxationem, aut aliud quoddam simile, vel suæ intemperantiæ conveniens incommodum excitare, pro quibus omnibus faciunt quæ adducit Mascard. *de Probat. concl.* 20. *n.* & *seqq. tit.* 1.

Limitanda tamen videntur prædicta juxta ea quæ sequuntur: nam primò ubi commoratio in loco valde intemperato esset diuturna, (diuturnam voco, quæ spatium decem dierum pertransiret) excusatio suum locum habebit. Secundò, ubi anni tempus sit magis suspectum, nempe à solstitio Æstivo ad Æquinoxium Autumnale; tunc bene procedet excusatio: Aër enim, qui ex sua Natura sit valdè intemperatus, tunc temporis induit quandam venenositatem, ac quasi pestilens efficitur

dicitur verò hoc tempus ab Aſtrologis Æſtas, ſed Juriſconſulti Æſtatem largo modo accipientes, ab Æquinoctio verno ad Autumnale eam extendunt, ut patet *per l. 1. § Æſtatem, ff. de Aqua quotid. & Æſtas* licèt Gloſſ. *in l. unicam, § Æſtas, ff. Ne quid in flum. publ. verbo refertur*, illam reſtrinxerit ad tres menſes: tamen Medicis dicitur, quandocunque calor & ſiccitas exuperare incipiunt, uſquequò calor remittat, & frigus cum ſiccitate prædominetur, etiamſi ante ſolſtitium Æſtivum per aliquot dies id fieret, aut per Autumnale Æquinoctium perduraret, an brevius etiam fieret ex adventu poſt Solſtitium prædictum, & breviori duratione deſinendo ante prædictum Æquinoxium: nam Medici ab anni, ſeu temporis temperie menſurant, ac diſtinguunt mutationes tempeſtatum ipſius anni.

31

32 Tertiò, conditio perſonæ excuſandæ attendenda eſt, cùm nonnullæ ſint, quibus aër malus aliquando non modò non nocet, ſed valde juvat nam & aliquos, ut ex nonnullis morbis convaleſcant, in aërem craſſum, atque aliàs intemperatum relegamus, ad quod facit illud Celſi *libro ſecundo ſuæ med. c.* 1. Peſſimum cœlum eſt, quod ægrum fecit, adeò ut in id quoque genus, quod naturâ pejus eſt, in hoc ſtatu ſalubris mutatio ſit. Non ergo procederet excuſatio in ea perſona, quam conſtaret hujuſmodi aëre incolumiter uti poſſe, vel aliquando etiam uſum.

Quartò, conſideranda loci conditio: ex quo quis diſcedit, & illius ad quem accedit: poteſt enim hic, qui eſt terminus ad quem, vel eſſe ipſi aëri, qui eſt terminus à quo, in pravitate par, vel etiam illum in bonitate excedere, ac tunc quidem nulla excuſatio haberet locum.

33 Sed præter commemorata nonnulla alia ſigna ab extrà afferenda, antequàm huic quæſtioni finem imponamus, quæ ipſius aëris bonitatem, aut pravitatem arguant, quæ ab ipſa habitantium conſtitutione deſumuntur, & habentur ex Hippocr. *in ſepiſſime addu&to lib. de aër aq. & loc.* & verè à Palladio *lib. 1. de re reſt. tit.* 3. dictum eſt, Aëris boni conditionibus reſpondere tandem ipſorum incolarum valetudinem, quæ ſi proſpera ſit, ac firma, nullique familiari morbo teneatur, aër optimus cenſendus eſt: at ubi inſalubris habetur, ibi homines longioris vitæ nullos, aut perpaucos admodum eſſe neceſſe eſt, ita ut & citò conſeneſcant, & in ſexageſimo ad ſummum pereant. In vivis autem degentes malè colorati ſunt, ac morbis plurimis obnoxii, præcipuè verò viſcerum obſtructionibus, Cachexiæ, ſingulisque Hydropis ſpeciebus. Ubi craſſus ſit, & humidior, ſomnolenti homines ſunt, & ingenio utplurimum tardi, ac corpore ſegnes, unde ad labores inepti, invidi præterea ſunt, maligni, & inſidiatores, aſpectu turpi ac tetrico, colore ex albido flaveſcente. Quod ſi aër nimis æſtuoſus ſit, & calidus, ibi ardentibus, per æſtatem præcipuè, homines conflictantur, ex acutiſque utplurimùm morbis juniores intereunt, & alia ad alias aëris intemperies ſequuntur incommoda, de quibus non eſt, quod plura addamus: multa tamen ſunt, quæ ad hoc ipſum argumentum de aëre pertinerent, quæ paſſim in hoc titulo ob materiæ contiguitatem habentur.

SUMMARIUM.

1 *Aquarum conſideratio præferenda conſiderationi de aere.*
2 *Nulla ex omnibus rebus tantum videtur habere ad vitam neceſſitatis, quantum aqua.*
3 *Aqua unde dicta.*
4 *Aer ſimpliciter ad vitam neceſſarius.*
5 *Aqua promptius inficit aërem, quàm è contra.*
6 *Omnis morbus curari poteſt ſolo aquæ potu.*
7 *Aquarum conſideratio quanam ratione Juriſconſulto neceſſaria.*
8 *In locorum mutatione plures malè afficiuntur ex aquæ mutatione potius quàm ex aëris.*
9 *Peſte vigente ad Judices pertinet de aquarum bonitate eſſe ſolutos.*
10 *Ex ſolo aliquando pravarum aquarum vitio peexcitatur, & excitata conſervatur.*
11 *Aquæ trium ſenſuum judicio optimæ cenſendæ.*
12 *Aqua optima elementaris aquæ naturæ quam proximè accedere debet quoad ſimplicitatem.*
13 *Aqua impermixta optima.*
14 *Aqua omnium ſenſuum judicio examinata.*
15 *Aqua nullius odoris, nullius ſaporis, nullius coloris optima. Contrarium, n. ſeq. ex Hipp. declara, ut num. 17.*
18 *Levitas in aqua quomodo conſideranda.*
19 *Aquæ inter ſe nullo penè momento differunt. Contrarium. Ibid.*
20 *Statera judicium in aqua examinanda non explodendum.*
21 *Una atque eadem aqua ſeipſa aliquando levior aliquando gravior.*
22 *Aqua bonitas in hoc uno maximè conſiſtit, ut citò hypocondria permeet.*
23 *Signum bonitatis aquæ, quod deſumitur ex habitu, & membratura eorum, qui ex ea bibunt, omnibus anteferendum.*
24 *Ad aquæ bonæ explorationem animalium jecinora inſpicienda ex iis bibentium.*
25 *Celeberrimum experimentum bonitatis aquæ ex ita calefactione, & cita refrigeratione, & quomodo hoc experimentũ in uſum trahatur n. ſeq.*
27. *Aliud experimentum bonitatis aquæ, ex facili leguminum, & quarumcunque rerum coctura.*
28 *Tertium experimentum ex modica vini tolerantia: quomodo interpretandum hoc experimentum ex Septalio, n. ſeq. Nova interpretatio circa idem experimentum n. 30. alia n. 31.*
32 *Experimentum bonitatis, vel pravitatis aquæ ex vaſe aneo.*
33 *Aqua pura in fundo vaſis reſidentiam non facit.*
34 *Ardoini experimentum ex lixivio aquæ admixto*
35 *Ligna in aquã pravam injecta, tubera concipiũt.*
36 *Avicennæ experimentum.*
37 *Cardani experimentum.*
38 *Maſinii conſideratio de aquæ bonitate.*
39 *Jonberti experimentum.*
40 *Quædam aquæ duplo majus pondus ferunt hyeme quàm æſtate.*
41 *Idem navigium majora ſuſtinet pondera in mari, quàm in flumine.*
42 *Navigia tantum ponderis ſuſtinent, quantum eſt pondus aquæ quod capere poſſunt.*
43 *Aquæ ſummæ levitatis.*
44 *Aquæ exploratio ex herbarum quarundam adnaſcentia.*
45 *Nota bonitatis aquarum ex parte deſumpta ad quam fluunt.*
46 *Terra metallifera pravas omnino aquas gignit.*
47 *Ex luto aqua inficitur.*
48 *Aquæ peſſimæ quæ.*
49 *Aquarum potabilium genera.*
50 *Stagnans, & paluſtris aqua omnium deterrima.*
51 *Lacuſtris aquæ conditio.*
52 *Aquæ Nili præſtantia.*
53 *Quanam aqua melior, fontana an pluvialis.*
54 *Fluvialis aqua omnium optima, ex Card.*
55 *Pluvialis optima, cum conditionibus requiſitis.*
56 *Legumina in aqua pluviali facilius coquuntur, quàm in fontana.*

57 *Cita putrefactio pluvialis aquæ nihil demit de ejus bonitate.*
58 *Aqua citò putrescens optima.*
59 *Optima aqua citò calefit, & citò frigefit.*
60 *Quicquid corrumpitur, alteratione ad contraria corrumpitur.*
61 *Fontana aqua cur non corrumpatur.*
62 *Aquæ tempore pestis facile inficiuntur.*
63 *Prima aquæ emendatio destillatione.*
64 *Aquarum qualecunque vitium coctione emendatur Contrarium, n.66.*
65 *Aquas coquere antiquus etiam solebant.*
67 *Galenus quas aquas excoquendas jubeat.*
68 *Coctione & vitium aquarum emendatur, & levitas augetur, & n. 70.*
66 *Aquæ coctione semper attenuantur.*
71 *Aqua pura non datur.*
72 *Pestis tempore quomodo emendanda aqua.*
73 *Joubertí ratio in emendandis aquis.*
74 *Stagnantium aquarum usus tempore pestis imprimis fugiendis.*
75 *Aquæ haustu assiduo perficiuntur.*
76 *Franciſci Mariæ de Monte, Card. aquarum purgandarum ratio.*
77 *Aquarum pravitas non excusat à residentia.*

De aquis, earumque bonitate, & vitio.

QUÆSTIO. II.

1 AQuarum considerationem non modò magni momenti esse, sed considerationi de aëre esse præferendam, non absque ratione dicebat vir clarissimus Ludovicus Saxtalius, *in emunctissimo commentario suo in Hipp. de aër. aq. & loc. comm. 1. text. 3.* & facit pro eadem opinione inter Jurisconsultos Ripa, qui ex Vitruvio *lib. 8. cap. 4. in tract. de Pest. part. 3. partic. 1. num. 6.* Nulla, inquit, ex omnibus rebus tantum videtur habere ad vitam necessitatis, quantum aqua, quod Aristot. dicto consonat, *4. de gener Anim. cap. 2.* & facit
2 etiam ad hoc Bacc. de Tiber. *lib. 1. in præfat.* & quidem plurimum momenti aquæ ad sanitatem conferunt, ut ipse Hipp. *cit. lib.* dicebat: sed hanc aquarum necessitatem mortalibus summam esse, longioribus percurrit Bacc. de Therm. *lib. 1. cap. 1. & in cit. præfat. lib. 1. de Tiber. aq.* unde injuriâ antiquitùs aquam Lixam fuisse appellatam memorat Calcott Mart. *de doctr. promisc. c. 28.* ut ea nempe res, addit ille, à qua vivimus: & jure à Pindaro vocata est omnium rerum optima. Imò non inepte aliquos locutos testatur Masin *de Gelid. pot. abus. lib. 1.*
3 *c. 13.* cùm aquam dici inde volunt, quasi aqua, id-est: sine qua vivere non possumus.
4 Addam autem ego rationem, cum majoris considerationis debeat esse aqua, quàm aër, nam contrarium omnino videtur verius, cum aër ad vitam, sit simpliciter magis necessarius, ut patet per superiora. Tamen quia aër uniformis magis videtur respectu aquæ, neque tot ob id, ac tantas suscipit differentias, neque etiam ab extra suscipit, nec susceptas retinet impressiones, ob suam tenuitatem, & continuam agitationem: contra verò aqua, neque eam tenuitatem sortitur, ac maximè discontinua est, & à seipsa, nempe à suomet elemento, ac toto disjuncta, unde & ob eam quoque causam magis alterationi ab extrà obnoxia est, ex terræ ipsius proprietate, & exhalationibus: inde fit ut exquisitiori examine egeat aqua, quàm aër: atque ita medius fidius Hippocrates noster insinuasse videtur *in lib. ad hanc rem dicato*, cùm de aquarum natura multò plura habeat, quàm de ipso aëre. Sed vide ad hoc Arist. *libro 1. problem. 15.*

Habet præterea id magis considerabile aqua, quam aër, quia promotiùs aqua inficit aërem, quàm è contra, nam & aër malus fit à pravis aquis, ut dicebat Cardan. *in lib. de qua.* Et si bonæ, addit sine aquæ, aër malus esse non potest: quam tamen partem non undequaque recipiendam censeo. Præteribo autem id, quod idem Card. *in eo tract.* probare nititur, nimirum omnem morbum curari posse solo aquæ usu, quod de aëre quidem tam facile persuadere nequaquam licebit.

Cæterum, ad rem Jurisconsultorum hanc quoq; 7
considerationem pertinere, multis nominibus manifestum fit: nam dubitari potest, an bonarum aquarum penuria sit justa causa non residendi in 8
aliquo loco: quia notissimum est, & Hippocratis auctoritate firmatum *in sepe cit. lib.* plures homines multò magis affici in mutatione locorum ob aquarum, quàm ob aëris qualitatem. Ubi insuper pe- 9
stis urget, ad Judices, & Gubernatores pertinet de aquarum bonitate sollicitos esse, & earum vitia 10
emendanda curare, cùm ex solo pravarum aquarum vitio aliquando pestis excitetur, & excitata conservetur, ut dixi aliàs *lib. 3. tit. 2.* & notat Cardan. *lib. 1. de venen c. 9.* Præterea dubitari potest apud Jurisconsultos, an liceat sine præjudicio bonitatis ipsius aquæ, in fundo, in quo aquâ est, fodere, putare, ædificare, aut aliud quid agere, ex quo aqua aliquam mutationem suscipiat: tunc enim rationabilis timor intrat, ne aqua inquinetur, vitietur, deterioretur, corrumpatur. *ad text. in l. 1. §. Labeò putat ff. de aqua quotid & æstiv.* quin & in aqua ducenda attendi semper jubent Il. ne aquæ bonitati, quâ cæteri rivales feruntur, præjudicetur, *ut per l. hoc jure, §. Is qui jus aquæ & §. seq. ff. eod.* sed & de rastagnatione alicujus fontis, vel rivi, vel fluminis dubitari potest, an ipsi aquæ, aut etiam aëri nocere possit, & aliæ permultæ occurrere possunt dubitationes Jurisconsultis circa aquas, à Medicis diluendæ.

Ad rem ergo accedentes primo loco de bonæ, ac laudabilis aquæ conditionibus loquamur, de hinc de notis hujusmodi bonitatis. Secundò, de aquarum inter se comparatione. Tertiò, de earundem emendatione cùm pravæ sunt, & maximè tempore pestis, & Epidemiæ. Ultimò proposita dubia, quantum ad Medicum pertinet, discutienda.

Et quoad primum, Hippocrates ante cæteros omnes, *in opere præcitato*, bonæ aquæ conditiones quasi per epilogum attulit, cùm secundum trium maximè sensuum judicium pluvias aquas optimas esse dixit, quòd judicio tactus sint levissimæ, judicio gustus dulcissimæ, judicio visus tenuissimæ, & limpidissimæ. Magis copiosè tamen bonarum aquarum conditiones sic enarrabat *ibidem*. Optimæ 11
sunt quæcunque ex similibus locis, & terreis collibus fluunt: hæ enim & dulces sunt, & albæ, & vinum ferre quàm minimè possunt: hyeme autem calidæ scaturiunt, æstate verò frigidæ: tales enim erunt, si fuerint ex profundissimis fontibus: maximè verò eas laudare oportet, quatum fluxiones ad Solis exortum erumpunt, & maximè ad æstivum oportet enim claras esse, fragrantes, & leves. Ex quibus Hippocratis verbis deducuntur eæ omnes conditiones, quas alii Medici & Professores post illum attulerunt: percurrunt autem eas diligentissimè Gal. *1. de san. tuen. & in lib de bon. Aq.* Avic. *1. 1. tract. 3.* Isacc. *in lib. diæt. part. cap. proprio de Aq.* Vitruvius *lib. 8.* & alii plerique antiquorum: ex recentioribus autem Andr. Thor. *in libell. de bon. aq.* Lang. *lib. 1. Ep. 44.* Georg. Agric. *lib. 1. de his quæ fluunt. ex Terr.* Joubert. *decad. 1. parad. 5.* Card. *lib. de Aqua.* Epiphan. Ferdin. *lib. 1. Theor. 13.* Pamphil. Hetilac. *in lib. 2. de Aqua.* Franc Scacc. *de Sal. pot.*

v. 12. & ex Juriſconſultis Ripa *loco ſuprà cit. à num.* 5. *ad plures ſeqq.* Summatim verò omnes laudabilis aquæ conditiones in aqua conſiderabiles in unum perſtringet, qui hanc unam ob oculos ponet, nempe impermixtionem, aut ſimplicitatem, non quòd idcirco, ut male ſentiunt nonnulli Medici, ſimilis eſſe debeat in ſubſtantia, & ſuis qualitatibus aquæ elementari, nempe quòd frigidiſſima ſit, &
12 humidiſſima, nam contrà valdè frigidæ aquæ improbantur, & fortè aquam, quæ diſtributioni ciborum inſervire debet, potiùs temperationem quandam caloris, & frigoris habere oportuit, quàm ſecus, ut probat luculenter Card. *cit. lib. de Aqua.* Et idcirco rectiùs videtur dicendum cum Baccio *lib.* 1. *de ap. Tiber.* quod aqua optima ſubſtantiâ ſimilis eſſe debeat aëri, quam aquæ elementari, quia debet eſſe levis, & facilè alterabilis, quod & inter Juriſconſultos ex Plinio adnotat Tiraq. *de Nobilit. cap.* 31. *numer.* 194. contrà autem elementaris aqua à frigore ponderoſitatem haberet, & difficulter alteraretur. Ergo ut ſit levis, & facilè alterabilis aëri ſimillima ſit oportet, nempe tenuis, & impermixta: huc enim pertinent quæcunque Hipp. & cum eo cæteri omnes Doctores de ſignis bonitatis aquæ attulerunt, ut ex ſuperiotibus, & ex iis quæ ſequuntur, luculen-
13 tiſſimè patet: neque enim ad alium potiorem finem hæ conditiones in aqua perquiruntur, niſi ut per eas ſciamus, an corpori noſtro ſalubris futura ſit, necne: at tunc maximè ſalubris eſt, cùm eam unicam conditionem, ſimplicitatis, & impermixtionis ſortitur, quippe cùm tunc aqua citò ſ. ermeet, ſtomachoque idcirco gravis non ſit, & in hypochondriis non moretur, quod ab aquæ bonitate ſolùmmodò attendimus. At verò, quia neceſſe habemus ante experimentum capiendum in ipſis animalibus, hominibus præſertim, de ipſius aquæ condit ione pronuntiare, ad aſſequendam prædictam impermi xtionem adducuntur nonnullæ conditiones, quæ maximè ad ſenſuum ſingulorum judicium exa minandæ ſunt, quia colore, ſapore, odore, tactu, addam etiam & ſonitu, bonas à malis ſecernere
14 licet: nam tametſi, ut ipſum quoque imperitiſſimum vulgus jactat, bona aqua nullius coloris, nullius odoris, nulliuſque ſaporis ſit oporteat, tamen Hippocrates & colorem, & odorem, & ſaporem in optima aqua deſiderare videtur: nam colore voluit eas eſſe albas, ſapore dulces, odore fragrantes, & quoad tactum deſiderat eas eſſe æſtate frigidas, hyeme calidas. Sed quoad priores tres conditiones, quomodo intelligendus
15 ſit Hippocrates, optimè poſt alios declarat doctiſſimus Septalius *comm.* 3. *cit. lib. partic.* 16. & ad
16 commune, ac vulgare dictum Hippocratis ſententiam accommodat: nam cùm vellet Hippocrates laudare in aqua nonnullas qualitates juxta tres prædictos ſenſus, ea ſenſibilia nominavit, quæ magis ipſos ſenſus delectant, nempe inter
17 colores albedinem, inter ſapores dulcedinem, inter odores fragrantiam: non quòd verè aqua aut alba, aut dulcis, aut fragrans eſſe debeat: quomodocunque enim eſſet, ejus ſimplicitatem, & impermixtionem alienis rebus inquinatam denotaret: at quantò magis impermixta cum aliis rebus aqua eſt, eò magis pura, melior abſque dubio eſt. Ejus ergo color laudabilis in pellucidítate, & diaphanéitate, ſeu tranſparentia conſiſtit, quæ eſt quaſi omnis coloris privatio: ejus ſapor in privatione cujuſcunque ſaporis: ejus odor in cujuſcunque item odoris privatione: Quoad ſenſum verò tactus, duas conditiones videtur afferre Hippocrates: unam, quòd æſtate frigidæ ſunt, hyeme calidæ, & hæc ad primas qualitates pertinet: ſecundam, quod ſint leviſſimæ: ſed levitatem hoc in loco non uno modo omnes accipiunt: nam aliqui volunt, hanc levitatem accipiendam eſſe ad pondus, ex quo ipſius aquæ denſitatem, aut tenuitatem argui di-
18 cunt: alii malunt levitatem hanc accipiendam eſſe reſpectu ventriculi: nempe quæ ventriculo levis ſit, & illum non gravet, de qua quæſtione vide Septalium, *ubi ſuprà*: Cum quo dicamus, utrumque ſenſum habere hanc levitatem, cùm aqua optima, & pondère leviſſima ſit oporteat, & ſtomacho etiam levis. Neque valet quod dicitur, quod aquæ nonnullæ malæ, ſint pondere æquales aquis optimis: quia poteſt quidem aqua, quoad hanc conditionem ad pondus, levis eſſe, & ſic bona: quoad alias tamen conditiones, eſſe mala: & tamen hæc conditio, nempe levitas quoad pondus ſtateræ, eſt maximi facienda, ut plerique Auctores probant, & præcipuè Joubert. *cit. Parad.* 5. *lib.* 1. unde mirari ſubit Plinium *Nat.* 19 *hiſt. lib.* 31. *cap.* 2. & Senecam à Card. adductum *in lib. de Aq.* aſſerentes, nullo penè momento ponderis aquas inter ſe diſtare: quod & Eraſiſtratum ſenſiſſe memorat Athenæus *lib.* 2. *Dipnoſoph. cap.* 2. eo argumento ductum, quòd Amphiarai, & Eretriæ aquæ collatæ, quarum hæc eſt bona, illa mala, nulla prorſus ponderis differentia inveniatur. Sed ego præterquam quòd contrarium ſentiunt cùm doctoribus omnibus (quorum omnium inſtar Celſ. ſit, *lib.* 2. *ſua med. cap.* 18.) vel ipſæ Aniculæ, noto apud Strabonem *lib.* 15. *ſua Geograph. in fin.* Perſas Reges aquas ex Eulæo fluvio ſibi aſportandas curaſſe, quòd ea omnium aquarum eſſet leviſſima, & hanc levitatem ſtateræ judicio examinatam inſinuat, addens, Atticum acetabulum ejus aquæ drachmâ minus pendere. Eſt autem acetabulum menſuta quindecim drachmarum, teſte Plinio *lib.* 21. *cap. ult.* & ſic quintadecima parte minùs cæteris melioribus aquis ponderabat. Parthos autem Reges ch eodem Eulæo flumine, & Choaſpe bibiſſe, fortè ob eandem levitatem, teſtis eſt idem Plin. *lib.* 31. *cap.* 3. Sed & apud Athenæum *lib.* 2. *Dipnoſph. cap.* 2. illud habetur, Qui fontis Pirenes dicti in Corintho aquam ponderavit, omnibus aquis totius Græciæ leviorem invenit. In Tuſcia mediterraneâ Volaterræ in regione, quam 20 appellant Monte Ruffoli ad montis radices fons aquæ dulcis emergit, quæ pondere comparata aliis qubiuſcunque aquis leviſſima eſt, ita teſtantur F. Leandr. Alber. *in ſua Italia.* Itaque ſatis perſpicuum hinc ſit, ſtateræ judicium non eſſe tanquam futile explodendum in aquarum examine, ut nonnulli voluerunt: nam & ratio idipſum ſuadet, dicente Rufo apud Oribaſium *lib.* 5. *Collect. cap.* 3. Quæ pondere levis eſt, ſemper terræ impermixta eſt, quæ verò gravis terræ ratione plus gravat: qui ſubſcribunt alii, & præcipuè Rhaſis ad Almanſ. *lib.* 3. *cap.* 4. Plinium autem contrarium ſenſiſſe mirandum eſt, nec minus mirandum de Seneca licèt Plinium tueri conetur Alexand. Petron. *dial.* 1. *de re Med.* in quo aquas inter ſe pondere diſtare aſtruit. Imò conſtat tantopere nonnullas aquas aliis pondere eſſe leviores, ut craſſioribus ſupernatent, ſi quando unum, eundenique alveum ſortiantur. De Titareſii aqua Homet. *Odyſſ. lib.* 2. ſic.

Quique circa deſiderabilem Titareſum colebant.

Qui in Peneum dimittit puriſſimam aquam.

Neque

Neque ille Peneo commiscetur argenteos vertices habenti.,
Sed ipsum desuper supernatat veluti oleum.

& Lucan. *lib. 6.*

Solus in alterius nomen cùm venerit undæ,
Defendit Titaresus aquas, lapsusque supernè,
Gurgite Penêi pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem.
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, superúmque sibi servare timorem.

Et ne hoc poëticè dictum putes, Boryſtenis, aqua, inquit Athenæus *loco jam citato*, quibuſdam temporibus eſt violacea, quamvis valdè tenuis, cujus rei illud eſt argumentum, quod in Borealibus ſupernatat ob levitatem : habes & rei plura exempla apud Georg. Agric. *de his quæ fluunt ex terr. lib. 1. tranſ. princ.* & apud Bacc. *de Tiber. lib. 1. cap. 2.* Sed ex Agricola illud addam, non modò aquas inter ſe pondere diſtare, ſed unam, eandemque aquam juxta temporis diver-
21 ſitatem ſeipſa leviorem, aut ponderoſiorem eſſe, in tantum, ut quædam aqua, de qua ille, juxta Metalla Pangæi montis in Thracia, æſtate tertiâ parte minùs ponderet, quàm hyeme : in cujus rei confirmationem eſt Athenæi teſtimonium, *jam ſæpe citato loco*, ubi hæc habet : *Earum aquarum, quæ ſunt apud Metalla circa Pangæum hyeme vas ducens habet nonaginta ſex proportionem : at æſtate quadraginta ſex, & ſic eſt pluſquam dimidia parte minor hæc proportio.*

Sed addidimus, ut ad omnium, ac ſingulorum ſenſuum examen aqua perfectiſſimè judicaretur, etiam ſenſum auditus : nam laudabilis aqua cùm fluit, aut ab uno vaſe in aliud tranſfunditur, non debet inſtar Olei fluere, ac lenta eſſe, nullumque penitus ſonum edere : tunc enim valdè prava aqua cenſenda, quia craſſa eſt & unctuoſa, imò pleræque aquarum cùm corrumpuntur, eam ſubſtantiæ conſiſtentiam ſortiri ſolent, unde apud Columellam *libro 1. de Ruſt. cap. 5.* vituperatur, quæ pigro lapſu repit, & inter alia vitia, quæ Tiberinæ aquæ objiciuntur, illud eſt, quod inſtar Olei lentè, & abſque ullo ſonitu fluat. Bacc. *de Tiber. Aq. lib. 1. in argum. contra bonit. Tiber. ex eff. arg. ult.* Sed neque ſtrepitûm, aut ſtridorem edere debet aqua cùm fluit, aut cum tranſfunditur de uno vaſe in aliud, quia tunc graviorem eſſe patet, & terræ admixtam : unde frigida, quia magis craſſa, quàm calida, quæ calore jam attenuata eſt, magis obſtrepit, cujus rei cauſam quærebat quoque Ariſtot. *problemat.* 10. ex quo Alex. Petron. *libro 1. de Aqua Tiber. capite* 13. imò frigidam calidâ acutiùs in decurſu ſuſurrare, etiamſi ex eodem foramine fluant, dicebat Galeott. Matt. *de doctr. promiſc. cap.* 18.

Verum enim verò, ut innuiſſe jam ſuperiùs mihimetipſi videor, aquæ examen ad omnes, &
22 ſingulos ſenſus non per ſe requiſitum, ſed ad explorandam ipſius aquæ bonitatem, quæ tandem in hoc uno conſiſtit, ut prædiximus, & hypochondria citò permeet, ac viſcera, & vias omnes citiſſimè penetret, eaſque neque diſtendat, neque gravet, neque ullâ malâ qualitate afficiat : licèt enim quævis aqua plures earum conditiones ſortiretur, & tamen hypocondria difficulter permaneret, nunquam bona eſſet dicenda, Gal. *libro 1. de ſan. tuend.* contra verò aliquâ ex prænominatis conditionibus deficiente, ſi ipſa hypochondria facilè permeet, optima dicenda eſt, ut elicitur ex Gal. apud Oribaſ. *libro 5. Collect. cap. 1.* Quammobrem cùm hoc nonniſi ex confirmata ex- 23
perientia poſſit innoteſcere, idcirco omnibus ſignis, quæ in optima aqua deſiderantur, illud anteponendum, quod ex habitu, & membratura, & laudabili colore, & optimâ partium quarumcunque diſpoſitione Incolarum ex ea bibentium deſumitur. De hac enim Vitruvius *libro 8. cap. 5.* Pallad. *libro 1. de re ruſt. tit 4.* & ex priore Lang. *lib. 1. Epiſt. 44.* ex poſteriore Joubert. *ubi ſuprà*, & inter Juriſconſultos Ripa *de Peſt. part. 2. partic 1. num. 13.* Maſcard. qui & Ripam adducit *de probat. concluſ. 122. num. 1. tom. 1.* Incolis ergo, prout in conſideratione de aëre diximus, laudabili colore dotatis, corpore curato, ac bene habito exiſtentibus, nullis patriis, ſeu indemiis morbis obnoxiis, non viſcerum obſtructionibus, Cachexiæ, Gibboſitati, Strumis, Gutturoſitati, Tuſſi, Aſthmati, Bronchocelæ, Lippitudini, Fatuitati, Lithiaſi, aut veſicæ vitiis, crurum debilitati, Herniæ cujaſcunque ſpeciei, Hydropiſi, & hujuſmodi, non contemnendum elucet indicium bonitatis aquarum, quibus tales incolæ in potu utuntur ; At è contrà, ubi aliqui ex enumeratis morbis ſint illis familiares, contraria militat præſumptio pravitatis ipſarum aquarum : ex potu enim aquarum cùm vitioſæ fuerint, pullulant utplurimum ex prædictis morbis nonnulli, ut Medicis eſt notiſſimum. Baccius, & Bruyerinus ad hoc ipſum adducti, *lib. 2. tit. 3. quæſt. 11. num. 20.* Scaliger. *exercit 6. in Card. de ſubt.* & ex Juriſconſultis præter Maſcard. ibidem relatum, Ripa *in tract. de Peſt. partic. 1. part. 3. num. 15.* Et quod de hominibus dictum eſt : ad bruta etiam tranſferri debet, ex quibus certior deſumitur experientia, cum in iis, quæ ad victus neceſſitatem mactantur, jecinora conſpiciantur, ſi optimè conſtituta ſint, neque ullo tumore, neque fluiditate, neque aquoſitate, neque lividis maculis inſignita, aut quomodocunque commaculata ſint : quam experientiam antiquioribus familiarem fuiſſe teſtatur Vitruvius *lib. 1. cap. 4.* & videtur quidem utrumque hoc experimentum ſummi momenti eſſe, licèt in unum concidant : ſed quia offertur aliquando nova aqua, de qua nulla adhuc experientia deſumpta eſt, non deſunt alia experimenta ad ejus bonitatem, aut pravitatem propalandam.

Celeberrimum eſt, & omnibus anteferendum, quod noſter Hippocr. & *loco ſæpe cit. & lib. 7. Aphor. 26.* & eum ſecuti Celſus, Galenus, Paulus, Rufus ex quo Oribaſius, Aëtius, Avicenna, & cæteri omnes ipſeque etiam Auctores *de re Ruſt.* ut Palladius *loco ſuprà cit.* afferunt, ex celeri excalfactione, & refrigeratione ipſius : hoc enim cæteris quibuſque bonitatis ſignis præfert 24
Rufus apud Oribaſ. *lib. 5. cap. 3.* quantò enim citiùs aqua ab externa cauſa alteratur, tantò magis tenuis cenſetur, & idcirco melior : non enim ad aliud quid innotendum, experimentum hoc à ſenſatiſſimo viro Hippocrate nobis ob oculos propoſitum eſt, niſi ut per illud exploratam haberemus aquæ tenuitatem : nam hoc multò magis induſtrium, & ingenioſum, imò fortè multò certius experimentum eſt levitatis aquarum, ut Gal. *in comm ejus Aphor.* proſequitur, quàm commune experimentum ex ſtatere deſumptum :

maximè quia hoc ex ſtatera perquiſitum, tutum nequaquam eſt, quia potabiles non multum interſet ſe ponderoſitate diſtant, ut ſupra ex Plinio dixi, licet nonnihil diſtent: ſed poteſt una aqua æqualis eſſe alteri in pondere ad ſtateram, & hæc quidem bona eſſe, illa verò mala, nam hæc aliquibus vitiis ſcatebit, quibus facile carebit illa. Itaque multò magis tutum hoc ad aquarum bonitatem, & tenuitatem dijudicandam quod ex cita, aut tarda excalfactione, vel refrigeratione
16 deſumitur. Sed non ſolum excalfactione ad ignem ipſius aquæ, & refrigatione poſt remotionem ab igne, id experiri debemus, ſed etiam refrigeratione, & excalfactione juxta anni tempeſtates, nam optima aqua hyeme calet, æſtate frigeſcit, ut jam diximus, & omnes cum Hipp. docent.

17 In idem cum ſuperiore videtur coincidere alterum experimentum, quod accipitur ex facilitate, aut difficultate coctionis quarumcunque rerum, ſed præcipuè leguminum in ipſa aqua: de quo experimento, & Medici penè omnes, & Ripa ex Juriſconſultis *ubi ſuprà*, loquuntur: id ſit, ut ſuperiora, ex tenuitate ipſius aquæ, quæ & facilè calorem contrahit, & facilè in ſubſtantiam rerum coquendarum ſeſe ſuâ tenuitate inſinuans, ipſe facilè edomat, ac percoquit: contra ubi craſſior eſt, tantò difficultiùs in ipſam excoquenda rum rerum ſubſtantiam penetrare poteſt.

18 Præter hæc autem Hippocrates noſter, aliud experimentum, atq; illud quidem pulcherrimum, & vulgo admirabile affert bonitatis aquæ, illud eſt modici vini tolerantia. Hoc nonnulli docti viri (ne vulgi tantùm opinionem admireris) nequaquam intelligere potuerunt, ita ut Hippocratis ſententiam pervertere conati ſint, ut teſtis eſt doctiſſimus vir Septalius in hunc locum. Neq ue videntur excuſatione digni, cùm Rufus apud Oribaſ. *loco ſuprà cit.* apertiſſimis verbis hanc Hippocratis ſententiam repetierit, dicens, quòd bonæ aquæ vino perexiguo temperantur, & non multò poſt, *Et ita non multo vino ad eas attemperandas opus erit.* Non videtur tamen, his Rufi dictis non obſtantibus aliquibus vero conſentaneum, quod aqua temperetur & dometur vino, ſed potiùs contrà, quod vinum aquâ edometur & refringatur, unde Catull. *ar m.* 27.

——*Hinc abite lymphæ,*
Vini pernicies.

Neque enim in aqua videtur eſſe, ut in vino, vis illa, quæ ipſius aquæ attemperatione extinguitur, præterquam quòd vinum, ut Gal. dicebat *lib.* 7. *Meth. cap.* 6. habet facultates omnino vitiis aquæ contraria, quibus ea omnia evincere ſuâ admixtione poteſt. Ludovicus Septalius ut non minùs in præſenti ætate, quàm ſemper ſcientia inſignis, hunc locum ita interpretatur, ut aquam modicum vinum ferre intelligatur, eam ſtatim ac facil-
19 limè vino admiſceri, quantumvis parum ei ſuperinfundatur. Hoc enim aquæ maximam tenuitatem oſtendit: & idcirco aquæ nonnullæ, ob id quòd craſſiores ſint, vino difficulter admiſcentur, aut nullo modo. Talem putaverim eſſe aquam illam fluvii Dianæ apud Camerinam in Sicilia, quæ vino nullo modo admiſcetur, ut Solin refert, *de ſit orb. cap.* 10. ex quo Majol. *Dier. Canic. Colloq.* 11. nam quod additur, vino miſceri non poſſe, niſi à pudica muliere hauriatur, commentitium puto. Similis aquæ meminit Athenæus *cit. lib.* 2. *cap.* 2. *In Teſeo*, inquit, *fons eſt, cujus aqua vino non miſcetur.* Sed Septalii ad Hippocratis locum interpretatio, ingenioſa quidem eſt, & idcirco mihi maximopere arridet: quid tamen ſi hoc addatur, quòd non ſolùm ob facilem admixtionem aqua dicatur modicum vinum ferre, ſed etiam quia ipſius vini ſa- 30
porem non infringit? Exempli gratiâ: ſi aquæ tenuiſſimæ, ac optimæ, libræ, unciam unam vini admiſceas, præterquam quòd facilè admiſcebitur, adhuc magis vini ſaporem retinebit, quàm ſi deterioris aquæ pari quantitate vini duplam quantitatem prædictæ excipias: quia in hac vinum ſuum ſaporem citò, ac facillimè amittet: & hoc quidem non aliunde fit, quàm ex aquæ tenuitate, aut craſſitie. An non inter optimas aquæ conditiones illa eſt, ut omnis ſaporis expers omnino ſit? Si ergo vinum optimæ aquæ admiſceas, nequaquam vini ſaporem ſuo ſapore, quo prorſus caret, alterabit. Quantumvis ergo modicam vini quantitatem aquæ infundas, vini ſaporem percipies: nam ſi aqua vini ſaporem alterabit, tantò magis prava judicanda, quantò magis alterabit, quia tanto inſignior ſapore eſt, quò magis poteſt vini ſaporem evincere, & edomare: nam ſapor quicunque, ab admixtione fit alienæ ſubſtantiæ in ſimplici corpore, unde eo minùs impermixta aqua eſt, quo magis ſaporem aliquem præ ſe fert, quod & proſequitur Georg. Agric. *lib.* 1. *de iis, quæ ex terr. fluunt, in princ.*

Non deeſt tamen altera ratio interpretandi hoc Hippocratis dictum, quamquam ſuperior interpretatio rei naturæ maximè accommodetur. Fortè enim modicum vinum bonas aquas ferre dixit, ex eo, quòd homines vino utantur, vel uti ſaltem debeant, ad aquas corrigendas, ſiquas noxas habeant: 31
quantò ergo aqua laudabilior eſt, & magis impermixta, tantò minore vini quantitate ad ſui correctionem indigebit, quod videtur innuere Rufus apud Oribaſ. *ubi alias, ibi, Et non multo vino ad eas attemperandas opus erit.*

Cæterùm ab aliis Auctoribus, ad detegendam aquæ ſalubritatem, & tenuitatem, ex qua videtur dependere univerſa ipſius aquæ laus, adducuntur alia experimenta. Vitruv. *lib.* 9. *Architect. c.* 1. & 2. ex quo Lang. & Joubert. *locis citatis*, & Card. *in lib. de aqua*, ex Medicis: & ex Juriſconſultis Ripa, 32
ubi ſupe, hoc adducunt: In vas æneum aquam projiciunt, ſi maculas reliquerit, prava eſt, ſin minùs, bona. Ejus rei rationem, quæ univerſaliter ſatisfaciat, nullam in promptu habeo, neque præcitati Auctores ullam afferunt. Fortè non omne aquarum vitium hoc experimentum detegere poteſt, ſed illud tantùm, quod contraxerint ex admixtione nonnullorum metallorum, & mineralium, quæ cùm ipſi aquæ utplurimum communicent vel aciditatem, vel ponticitatem quandam, per hanc facilè poſſunt vaſa prædicta ab aqua inſici: nam & acria omnia, ac ponticitatem ſortita facilè ea vaſa inficere conſpicimus. Et licet tam ponticitatem, quàm acredinem mineralium admixtione contractam, guſtu ſenſus faciliùs poſſe innoteſcere contendas, tamen hoc non ſemper verum eſſe dicam: nam aliquando admixtio non multa eſt, neque tanta, quæ ſapore ſe prodat pontico, aut acri: aut ſi multa ſit, ab aliis rebus admixtis poteſt evinci: unde poterit, abſque eo quòd ſapore ſe prodat, ponticitas, aut acredo ipſa inficere: non enim à ſapore, ſed ab ipſis metallis, vel mineralibus inficiuntur.

Aquæ

33 Aquæ item puræ, & impermixtæ nullam in fundo reſidentiam faciunt, & quanto majorem relinquunt, tantò deteriores; & idcircò non adeò laudanda aliquibus viſa eſt aqua Tiberina, cùm multùm reſidentiæ faciat, & vix ſex menſium ſpatio repurgetur, ut multi teſtantur. Maſin. *de gelid. pot. abuſ. libro primo, capite decimo tertio ex Petron. libro ſecundo de vict. Roman. capite ſexto.* Bacc. *de Tiber. libro primo in argum. contra bonit. aq. Tiber. argum.* 6. quanquam hanc ipſam Cardan. *lib.* 2. *de ſubtil.* & Alex. Petron. *de aqua Tiber.* inter optimas connumerant.

34 Sed ad probandum, an aqua terreas partes commixtas habeat, Ardoin. *libro ſecundo de ven. capite vigeſimo quarto.* pulcherrimum hoc experimentum adducit. Purum lixivium ad rationabilem quantitatem aquæ permiſcet, cujus experientiam deſumere ſatagit; ſi enim aqua turpida fiat, prava eſt, namque illicò facit reſidentiam, vigore lixivii terreas partes, quæ antè ita mixtæ erant cum aqua, ut non diſcerni, nec ſecerni aliàs poſſent, in fundo deponens.

35 Addebat etiam Vitruvius, *loco proximè allegato*, quòd ligna in aquam projecta, ſi tubera concipiant, eam pravam eſſe oſtendunt. At unde hoc? Num quia putredinem ſimplicia corpora per ſe non excitant; at tubera ex quadam putredine pullulant. Ergo aquam tunc non ſimplicem eſſe, ſed alienis rebus permixtam, ex conciliata ligni putredine, manifeſtum eſt.

36 Avicenna 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 16. cùm duas, vel plures aquas inter ſe comparare vult, & meliorem eligere, pannos lineos, vel laneos, qui tamen omnes ejuſdem ſint conditionis, in ipſis aquis madefacit, deinde omnes æqualiter; exſiccari permittit, nam aquam meliorem eſſe judicandam docet, cujus pannus poſt exſiccationem levior alteto, vel
37 aliis eſt. Cardanus autem *in libro de aqua*, laneos, vel lineos pannos ſimiliter madefieri, & exſiccari permittit, obſervatque, an ullam maculam contraxerint; nam ſi contraxerint, pravitatis ſignum eſſe docet.

Ingenioſum præterea eſt Jouberti experimen-
38 tum, *loco aliàs citato*. Ligneum cylindrum in varias aquas projicit, nam eam, in quam celeriùs deſcendit, tenuiorem eſſe adſtruit; quod vero repugnare non videtur; nam quò magis craſſa aqua eſt, eò difficiliùs in eam projecta ad fundum deſcendunt.

Non omittenda autem duo ſigna in aquæ bonitate dignoſcenda, conſiderata à Maſinio, *lib.* 1. *de gel.*
39 *pot. abuſ. cap.* 16. Quorum primum eſt, quòd aqua dum excoquitur, ſpumam generat candidam; ſecundum ſignum eſt eiuſdem ſpumæ cita diſſolutio, cùm aqua refrigeſcit. Utriuſque ſigni ratio evidens eſt, nempe tenuitas ſuæ ipſius ſubſtantiæ, ut apud ipſum patet.

Sed ut ad Jouberti experimentum revertar, in ejus confirmationem videmus quasdam aquas (& cur non omnes etiam dicimus?) duplo majus pon-
40 dus ſuſtinere hyeme, quàm æſtate, non ob aliam fortè quàm præadductam cauſam: nam Plutarch. *de cauſ. nat. mir. num.* 7. Theophraſtus, inquit, auctor eſt, in Thracia non longè à Pangæo fontem eſſe, [de quo ſupra ex Athen. & Georg. Agric.) qui hyeme æquali ſcaturigine plenus, pondus duplo majus, quàm æſtate ferre poteſt. Quod autem addit, denſitas, unde navigia fluviatilia tardiora reddit, indicium eſt, quod & onera longè graviora hyeme ab his fieri ſoleant. Hæc Plutarchus. Quinimò Mare ob ſui craſſitiem navigia magna ſuſtinet: Plin. *lib.* 2. *cap.* 103. & eodem Jouberto aſſerente, & præter illum Gomeſ. *de Sale, lib.* 1. *in fin.* imò adnotante ante hos fortè Cardano *lib.* 2. *de ſubtilit.* majora ſuſtinet pondera idem navigium in Mari, quam in flu-
41 mine, ob eandem ipſam rationem. Suſtinet autem
42 ſemper tantùm ponderis, quantum eſt pondus aquæ, quod capere poſſunt. Itaque ſi fluviales aquæ capiant centum millia pondo cymbæ in flumine, jam in Mari capient decem ſupra centum millia; nam & aquæ Marinæ, quam capere poterunt, erit idem pondus. Non eſt ergo dubium, quòd
43 aquæ quantò ſint leviores, tantò minùs pondera ſuſtineant; imo nonnullæ aquæ tantæ ſunt levitatis; ut nihil omnino ponderis ſuſtinere valeant; qualis eſt Fons, vel Lacus apud æthiopes Macrobios appellatos, de quo Herod. *in Thalia, vel libro* 3. & Pompon. Mela *de ſit. orb. lib.* 3. cujus aqua loti efficiuntur perinde atque inuncti violam redolentes; adeò verò ad ſuſtinenda quæ incidunt, aut immittuntur infirmus, ut folia etiam proximis deciſa frondibus non innatantia ferat, ſed paſſim, & penitus accipiat; tantæ lævitatis hæc aqua eſt unde non mirum, ſi eâ utentes in potu, admodum longævi ſint, & idcircò Macrobii, id eſt, longævi appellentur. Idem de Syderi, ſeu Sibici lacu Indorum; qui fortè idem eſt [refert Bartholom. à Clivol. *lib.* 3. *de Baln. cap.* 16. Sed quemadmodum aquæ reperiuntur, ut diximus, tantæ levitatis, ut nihil omnino ſuſtineant, ſic aliæ ſunt tantæ craſſitiei, ut omnia pondera ſuſtineant, ut eſt Arethuſæ lacus, in quem Tigris influit, de quo Plin. *lib.* 6. *cap.* 27. & lacus Aſphaltites in Judæa, de quo idem Plin. *libro ſecundo, capite centeſimo tertio* ubi & de eodem Arethuſæ lacu meminerat. Sed hæc obiter.

Arguit præterea vulgus hominum, & Medico-
44 rum nonnulli, aquæ bonitatem, ex adnaſcentibus quibusdam herbis, ut Adianto, Hepatica, Phyllitide, & ſimilibus: quod indicium bonitatis fallax eſſe, demonſtrat adnaſcentia & multitudo earundem herbarum apud aquas maximè pravas & vituperandas. Sed de hac re Rufus apud Oribaſ. *loco aliàs citato*, ita ſcriptum reliquit: Herbæ quandoque etiam valde aquam corrigunt; tale autem eſt Sium, Nepita, & Adiantum, etenim hæ plurimæ rivis innaſcuntur, quæ quidem bonam aquam vitiant; malam verò alioquin juvant, cùm ab eis quoddam quaſi medicamentum aquæ impertiatur. Quòd ſi hæc Rufi ſententia vera eſt, ſemper herbarum ad naſcentiam improbandam jure cenſet Cardan. *in libro de aqua*, non obſtante quòd ex hujusmodi adnaſcentibus herbis medicam virtutem aquis impertiri concedat.

Cæterùm non poſtrema bonitatis nota in aquis
45 ea eſt, quæ à parte, in quam fluunt deſumitur: nam & hanc plurimi feciſſe videtur Hippocrates, qui optimam putat, quæ ad orientem excurrit; & ratio in promptu eſt, cùm exoriens Sol ſuo moderato calore aquas excoquat, & expurgat. Quæ ad Septentrionem fluunt, quanquam dulces, immoderatè refrigerant; nam à Sole non aſpiciuntur. Quæ ad Occidentem vergunt, imputæ ſunt, frigidæ, ac duræ, quòd Sol ob impotentiam eas ſuo calore defæcare non poſſit. Quæ ad Meridiem, ob caloris vehementiam ſalſæ ſunt, & æſtuoſæ; & ob id quòd tenuiores partes Sol abſumit, craſſiores. Cardanus tamen *citato loco de aqua*, optimam, ac ſalubertimam cenſet, cujus ortus

eſt, & procul ab Oriente, & in calida regione: calorem autem aquam depurare, eamque nunquam pestilem craſſeſcere, jam dictum eſt; unde verò conſentaneum videtur, quòd magis ab ejus calore excoquatur ac depuretur, quæ magis à Sole aſpicitur. Unde ſtante veritate hujus ſententiæ Cardani, putaverim non in omnibus mundi regionibus indifferenter dictum Hippocratis verum eſſe. In meridionali enim, ac æſtuante regione, fontem ad Septentrionem fluere non erit omninò fortè improbandum, quemadmodum experimento conſtat, Nili aquam ad Auſtrum excurrentem optimam eſſe, ut ex Oribaſio notat Septal. *comment. tert. in Hippocrat. de Aer. Aq. & Loc. partic. vigeſim prim.*

46 Conſideratur quoque præter hæc Terræ, ex qua aqua fluit, conditio: nam omnium conſenſu terra metallifera pravas omnino aquas gignit, ſic & bituminoſa, & quæcunque impura eſt, & aliorum extrancorum corporum miſcellâ vitiata. Unde miror quomodo Theophraſtus apud Athenæum *citato libro ſecundo Dipnoſoph. capite ſecundo*, dixerit, Nili aquam ob nitroſam admixtionem, ventrem ſolvere bibentibus, & tamen dulciſſimam eſſe dicit: nam & ſaporem, & ſalubritatem Nitrum alterare facili negotio poteſt. Sed his omiſſis, terra laudatur Argilloſa, Glarea, Creta clara, & ſimiles. Lutoſa à Hieronym. Manfred. *de Nat. hom. capite ſecund.* ab Alemann. *in comm. ad lib. de aër. aq. & loc.* laudata, reproba-
47 tur à Septal. *in comm. tert. ejuſdem lib. partic. decima ſexta*, & jure, nam ex luto aqua ſine dubio inficitur, malum odorem concipit, & torpida ac craſſior evadit, unde rectè Plinius limum eſſe vitium aquarum voluit; per argillam autem, & glaream aqua veluti excolatur, & à craſſioribus partibus, ſi quas habent, repurgatur. Id commodi à petroſis ſcaturiginibus non habetur; ſed aquæ ab eis emanantes frigidæ ſunt, & idcirco crudiores; magis adhuc crudæ his, & magis frigidæ, quæ ex ſaxeis collibus fluunt, de hac tamen re audiendus Plinius *libro trigeſimo primo, capite tertio*, ex quo nonnulli ex præcitatis, & Fortunat. Fidel *libro primo, capite primo*; is enim magis diſtinctè loquitur, modo qui ſequitur. Aqua ſemper dulcis in Argilloſa terra, frigidior in Topho, namque & hic probatur, dulces enim levesque facit, & colando continet ſordes: ſabulum exiles, limoſasque promittit, Glarea incertas venas, ſed boni ſaporis. Sabulum maſculum, & arena cabunculoſa certas, ſtabilesque & ſalubres, rubra ſaxa optimas, ſpeique certiſſimæ, radices montium ſaxoſæ hoc ampliùs rigentes; oportet autem fodientibus humidiores aſſiduè reſpondere glebas, faciliusque ferramenta deſcendere. Conſiderat etiam Rufus præter hæc ipſius terræ qualitatem, juxta planitiem, aut montuoſitatem: terra enim plana ad effluxiones aquarum deterior; colles verò, & montes potiores ſunt. Id inde fit, & quòd à craſſioribus vaporibus à Sole ex adjacente, atque imò ſolo elevatis, magis liberi ſunt, & aqua majorem motum habet; in plana terra contra: nam ibi elevati vapores craſſi reſident, & aquis permixti eas inficiunt, & ipſæ aquæ ſegniori curſu feruntur, quamobrem utplurimum in his multi ſunt putei foſſiles, & reſides fontes, Hæc Oribaſius ex Rufo, *loco citato*.

Sed recenſitis jam conditionibus & indiciis optimæ aquæ, illud dubii inſurgit, quænam aqua potior, ac ſalubrior hominibus ſit, factâ com- 48
paratione inter diverſa genera aquarum. At prætermittimus de aqua ex nive, aut glacie, grandine, rore, & ſimilibus loqui, nam qui diligentem, ac exquiſitam aquarum omnium hiſtoriam & conditionem peculiarem deſiderat, Georgium Agricolam legat, *in libr. de his quæ è terra fluunt libro primo & ſequentibus*. Pamphil. Herilac. *de Aquis*, & plures alios ex jam citatis auctoribus. Medicis: Jurisconſultus autem adeat Tiraquell. *de Nobilit. capite trigeſimo primo, numero decimo octavo & ſequentibus*. ſed commemoratas omnes peſſimas eſſe notum eſt, & docuerunt omnes. Hippocrates *libro toties citato*. Rufus apud Oribaſium *Collect. libro ſeptimo, capite ſecundo*. Macrob. *libro ſeptimo Saturnalium, capite duodecimo*. Aulus Gell. ex Ariſt. *Noct. Attic. libro decimo nono, capite quinto*, & alii plerique. Sed nivalem glaciali pejorem facit idem Hippocrates *ibidem*. Nivali tamen pejorem eſſe eam, quæ ex grandine fit, probat Georgius Agricola, *ubi ſupra, libro tertio*, & Pamphil. Herilac. *loco citato, libro primo, capite decimo*.

Mirandum tamen eſt, Athenæum *libro ſecundo Dipnoſoph. capite ſecundo*. Aquas ex nive, & glacie tanquam optimas laudaſſe, contra omnium Medicorum ſententiam, eâ ratione fiſum, quòd leviores ſint, & præcipuè quod glacies leviot aquâ reliquâ reperiatur; quo tamen argumento Hippocrates utitur ad probandam ipſius aquæ & glaciei pravitatem; idcirco enim levior, quia frigore congelatâ aquâ, tenuiores partes exhalant, unde nunquam eadem fuerit quantitate aqua ex glacie liquefacta, quâ erat antequam congelaretur.

Prætermiſſio ergo de hujusmodi aquis loqui, 49
cæteræ aquæ reducuntur ad hæc genera, nempe ad fontanam, pluvialem, fluvialem, putealem, lacuſtrem, paluſtrem ſeu ſtagnantem. Neque dubium eſt, quòd poſteriores hæ de loco cedant, & principatum duabus prioribus concedant, quæ tamen de eodem principatu inter ſe certant. Scio autem in multò plures claſſes dividi poſſe aquas, quod exquiſitè præſtiterunt Auctores citati, & maximè Pamphil. Herilac. *libro primo de aquis per terram*. Nobis ſupradicta diviſio ſufficiens pro nunc videtur.

Stagnans igitur, & paluſtris aqua, prædicta- 50
rum omnium deterrima, longiſſimè enim abeſt ab iis conditionibus, quæ in optima aqua deſiderantur; nam craſſa eſt, odore gravi, æſtate calida, hyeme frigida, & in ſumma, quod peſſima ſit, in hominum uſum non venit. *Lacuſtris* ab 51
hac ſuccedit, non adeò quidem prava, ſed bonitate, levitate nempe, & tenuitate aliis longè cedens. Poſt hanc ſequitur *putealis*, & ipſa non admodum ſana, crudiuſcula enim, & frigida, cùm vel motu careat, vel non magnum habeat, & à Sole excoqui ac defæcari difficulter poſſit. *Fluvialem* poſt hanc reponunt plerique; bonitate enim omnes commemoratas exuperat, ſed *pluviali*, & fontanæ poſthabenda. Quanquam hoc in univerſum veritatem non habet, quia cùm particulares aquæ quorundam fluminum, ac fontium inter ſe comparantur, hoc nequaquam verum eſt: Aqua nempe Nili adeò præſtans eſt, ut non ſolùm ex proprio alveo hauſta, ſed 52
ex paludibus ab ipſo Nilo efformatis optima cenſeatur, teſtante id Rufo, *loco ſæpe citato*. Non

deſunt

deſunt idcircò qui univerſim hominum aquas improbent, ut præcitat. Pamphil. Heril. *libro primo de aqua, capite decimo*, de fluviali tamen aqua inferiùs aliquid dicemus. Nunc cæterarum omnium conſideratione omiſſa, ad *fontanam*, & pluviam accedamus, quarum utraque ſuos habet fautores, acerrimè pro alterutrius principatu defendendo inter ſe dimicantes. Nos brevibus hanc quæſtionem tranſigamus, ne ſi taciti eam prætereamus, in aliquo defeciſſe videamur. 53 Jam autem hanc ipſam quæſtionem luculenter exagitarunt plures docti viri, & ut vetuſtiores omittam, præ cæteris Andr. Thurin. *in libro de aquarum bonitate*. Valeriol. *libro ſecundo locor. commun. capite ſeptimo*, Laurent. Joubert. *decad prima, Parad. quinto*, Epiphan. Ferdin. *libro primo, Theor. decimo tertio*, Claudin. *de ingr. ad infirm. in append. ſectione prima*, Mazin. *de gelid. pot. abuſ. libro primo, capite decimo tertio*. Septal. *comm. tertio, in Hippocrat. de aër. aq. & loc. partic. trigeſima tertia*. Bruyer. *de re cibaria libro decimo ſexto, capite nono & ſequentibus*. Scacc. *de ſal. pot. capite duodecimo*, & noviſſimè D. Zacutus *de Princ. Medic. hiſtor. libro primo, hiſtoria ſeptima, quæſtione ſexta, capite duodecimo*, & alii permulti, inter quos Andreas Thurin. pro fontana dimicat, & eam opinionem facit Medicorum communem, de qua re tamen dubito, cum fortè neque plures numero, neque majoris auctoritatis Medici pluviam præferant, quorum multi ab ipſomet Andrea Thurin. adducuntur. Licèt enim pro fontana ſit Galenus *prim. de ſanitate tuenda capite undecimo*. Avicenn. *ſecund. prim. doctrin. ſecund. capite decimo ſexto*. Rabi Moyſes *Aphoriſmorum ſectione decima nona, Aphoriſm. vigeſimo nono*. Aver. *quart. Collig. capite trigeſimo octavo*. Varro *de re ruſtica libro primo, capite decimo quarto*; & ex recentioribus Valeriol. *loco citato*. Gal. Matt. *de doctrin. promiſc. capite vigeſimo octavo*. Cardan. *libro ſecundo de ſubtilit.* Septal. Maſin. Ferdin. Scacc. *locis jam adductis*. Fortunat. Fidel. *libro primo Relat. Medic. capite primo*. Michael. Savonar. *de ſanitate tuenda capite duodecimo*. & ex ſententia Hippocratis & aliorum auctorum aſſertione, Gazius *in flor. capite ducenteſimo quinquageſimo tertio*, & alii permulti, tamen *pluviam* præferre Hippocrat. plures exiſtimant, ac contendunt; ſed apertiſſimè pro ea ſunt Celſ. *libro ſecundo, capite decimo octavo*. Plutarch. *de Cauſ. nat. numero ſecundo*. Columell. *libro primo de re ruſtica capite quinto*. Iſacc. *libro quinto Theor. capite nonageſimo nono*. Halyabb. qui etiam ex Hippocratis ſententia loquitur. *Theor. libro quinto capite vigeſimo nono*. Michael Savonar. *de conſervanda valetudine capite duodecimo*. ex Hippocrat. Matthiol. *in quint. Dioſcorid. capite decimo quarto*. Joubert. *loco ſæpe citato*. Alex. Petron. *de aqua Tiber. libro primo capite ſeptimo*. Claudin. *de ingr. ad infirm. in append. ſectione prima*. Bruyerin. *de re cibaria libro decimo ſexto, capite ſeptimo*. & noviſſimè D. Zacutus, *ubi ſuprà*. Quin etiam communem hanc opinionem Medicorum faciunt Gazius ex Averr. *in flor. cor. capite ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo*. Iſaac. *cap. de diſt. vin.* Petr. Hiſpan. *in comm. ad libr. Iſaac. diet. partic.* Savonar. *ubi proximè*, & alii. Sed tam priores, quam poſteriores, Hippocratem in ſuam ſententiam trahere conantur, ſed priorum plerique eâ conditione fontanam magis laudant, ſi modò pluvialis cruda aſſumatur; nam pluvialem coctam fontanæ præferre non dubitant, ut Septalius, & Fortunatus, immò ipſe etiam Hippocrat. ut videtur manifeſtiſſimè.

Non deſunt autem, qui ambabus hiſce aquis inter ſe de principatu litigantibus, illud adimant, ac tertiæ, *fluviali* nempe, adjudicent: hi ſunt Cardan. & Biccius. Nam Cardan. *in libro de aqua*, Omnium, inquit aquarum ſalubberrima, & optima eſt fluviorum, quorum alveus eſt profundus, & terreus, non limoſus tamen, cujus ortus eſt procul, & ab Oriente, atque in calida regione, & motus lenis; ſic enim optimè à Sole excoquitur, & quæ ſequuntur. 54 Sed & Baccius non ſolùm huic opinioni adhæret, ſed eam ſtrenuè tuetur, *lib. 1. de aqua Tiber.* Quia tamen magis controverſa eſt alia opinio, de hac ulterius loqui omittamus, & ad litigioſam illam definiendam accedamus.

At difficile quidem omnino eſt in tanta Auctorum diſſenſione veritatem determinare. Si aquam optimam fontanam pluviali optimæ comparemus, nempe que ſuo tempore collecta ſit, & putredinem non conceperit, neque ulla alia ratione ſit alterata, fortè pluvialem victoriam ferre enunciabimus. 55 Ceterum quidem illud eſt, in qua pluvia legumina, multò facilius excoqui, quam in fontana: 56 quod non aliunde provenire dicendum eſt, niſi ex majore pluviæ aquæ tenuitate. Cardan. *in libro de aqua*, Proth. Caſul. *libro primo Ætiolog. numero centeſimo vigeſimo quinto*. At verò quia fontana magis ad minus plerumque eſt, & incommodum citæ putrefactionis non habet, ſed ſervetur ob continuam ipſius renovationem incotrupta, idcirco præ cæteſti in uſum convocandam jubent Auctores. Quod verò de aſtringentia pluvialis aquæ opponitur, nihil obſtare ejus bonitati debet; non enim idcirco, ſi Hippocrat. & bonis omnibus fidem habemus, & ipſi experientiæ aſſentimur, in ſtomacho, aut hypochondriis moratur, ſed omnium facillimè deſcendit, & ſua adſtringentia potiùs ſtomachum 57 & viſcera roborat. Quod verò putrefiat citiſſimè, hoc nihil demit de ejus bonitate, ut omnes ſentiunt, neque nos comparavimus eam, quæ fuerit putrefacta cum fontana, tametſi & de hac cita putrefactione non concordent auctores: nam Cardanus *libro ſecundo de ſubtilitate in fin.* dicebat, Aquas leviſſimas in omni genere tutiores eſſe, & ſeriùs putreſcere. Cùm tamen idem ipſe *in libro de aqua*, facilè putreſcentes aquas probari dixerit, niſi aliud obſtet. Sed & Alexand. Petron. *ubi ſuprà*, nominatim de aqua pluvia dicebat, eam nequaquam putreſcere; cui tamen contrarius eſt Bacc. *libro primo de aqua Tiberin.* Prætereà Rufus apud Oribaſ. *libro quinto Collect. capite tertio* dicebat, Solas paludes Ægyptias, inter omnes, quas ipſe noverit, ſalubres eſſe; rationem reddit, Quia hyeme aqua non putreſcit, ſiquidem non ſupercalefit: & Athenæus *libro ſecundo Dipnoſoph. capite ſecundo*. In Cappadocia, inquit, fertur aqua eſſe optima, & quæ non corrumpitur, etiamſi non fluat, niſi currat ſub terram. Si ergo hujuſmodi aquæ, & Nili præſertim, cùm optimæ ſint, non putreſcunt conſentaneum eſt aquas, quæ optimæ ſunt, non putreſcere. Verùm & Dioſcorides *lib. quinto de Met med. capite decimo quarto*, brevibus, ſed dilucidis verbis bonæ aquæ conditiones perſtringens, ultimo loco eam minimè computreſcere dixit, & 58 Matthiol. *in comm. ad prad. Dioſcorid. locum*, Tiberis aquam eo nomine laudaſſe videtur, quòd fictilibus

alïet

aſſervata,ac defæcata, ad centum, & plures annos perduret incorrupta,quòd etiam Georg.Agric. *lib.1. de nat.com quæ eſſ.ex terr.* firmabat. Sed & Pluviam omnium minimè de facto putreſcere,adſtringentia, quam in illa omnes adnotarunt, docere poteſt: & tamen contrariatur his communis Medicorum opinio, omnes enim uno ore fatentur, aquam optimam citò putreſcere, & pluviam ob idipſum quòd cito putreſcat,optimam eſſe cenſendum;fit namque putrefactio, ut declarant unanimiter Auctores omnes,ob multam aquæ tenuitatem,ob quam externæ cauſæ corrumpenti facilem aditum præbet.Sic Paul *lib.1.cap.50.* Iſaac.Halyabb. Gazius,Manfred.Bacc. D.Zacutus,& alii.Ac profectò quanam ratione ſubterfugium quærere poſſint.Card. & Petronius,non video,cùm uterque aliâ ex parte concedat optimam
59 aquam,& ſignanter pluvialem,citò caleſcere,& citò refrigeſcere,quod,ut dixi,non tam de calore igneo quàm aëreo intelligendum, nempe volunt eſſe facile ab externa cauſa alterabilem;at facilis alteratio facilem viam monſtrat ad corruptionem; quicquid enim corrumpitur, alteratione ad contraria corrumpitur.

60 Dices autem, negari non poſſe, fontanam eſſe laudabilem;& tamen hanc difficulter corrumpi.Ad
61 hoc dico,fontanam aquam ob aſſiduum fluxum & motum,non pati corruptionem; contrà verò ciſternam ex aqua pluvia collectam, ob id quod motu careat,faciliùs corrumpi: nam fortè etiam fontana, ſi bona ſit, eodem modo collecta & aſſervata,corruptionem pateretur, ut de aliquibus evenire ſentit Bacc. *loco ſuprà citato*, præterquam quòd non valet hæc deductio, ut prudenter admonet *ibid.* Bacc. nempè quòd cùm putefactio ſit ſignum bonitatis aquæ;omnis aqua,quæ non corrumpitur, bona idcirco non ſit:eſt enim conſequentia,ut ille addit, à particulari ad univerſale,quæ falſiſſima eſt. Vt ergo quæſtionem abſolvamus,dicendum videtur, citam putrefactionem eſſe quidem ſignum bonitatis aquæ non tamen univerſale, & inſeparabile, nam & optimæ quædam aquæ non putreſcunt, ut ex ſuperioribus patet.

Tertio loco,de pravarum aquarum emendatione diſſerendum:Expedit enim Reipublicæ, ut qui gubernant,& Jus adminiſtrant,id non ignorent, maximè cùm tempore peſtis urgeat laudabilium aquarum neceſſitas, & remotionis pravitatis ipſarum, quæ in potu veniunt,& quæ etiam in alios uſus:nam & quæ ipſæ eo tempore facilè inficiuntur, & niſi emendentur, peſtem ad longum tempus fovent. Cardã. *in cit.lib.de Aqua*, ante omnia ponit deſtillationem, poſt hanc percolationem, tertio loco tranſfuſionem per arenam cum decoctione per tranſfu-
62 ſionem ad tertias; ſed deſtillatam aquam ex ſua na-
63 tura optimam,& per manicam Hippocratis, quam vocant,dehinc transcolatam, ſedimentum reliquiſſe, non ſemel fuiſſe ſe expertum teſtatur Illuſtriſſ. vir.D.Julius Mancinus,de quo aliàs.Verum enim ve-
64 rò putarunt plerique Medicorum, aquarum omnium qualecunque vitium emendari ipſarum aquarum
65 decoctione; Aquas autem decoqui (ut obiter hoc dicam) pervetuſtum inventum eſt,ut patet ex nonnullis auctoribus;præcipuè Herodoto (nam Hipp. relinquo) apud Mercurial. *var.lect. lib.1. cap 8.* & apud Scaccum *in lib.de ſal.pot c.3.* Hoc autem dixi quia nonnullos Medicos offendi, qui ex Plinii auctoritate *lib.31 ſuæ hiſt.nat.c.3* inventum hoc decoquendi aquas Neroni adſcribunt. Ut verò Plinius non id ſibi voluit,ſed quod Neroni tribuit, eſt,decoctam aquam in nivem demiſſam refrigerare ad majores delitias,unde Juvenalis *Sat.5.*

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Sed his omiſſis,coctione aquæ vitia omnia emendari,videtur ſentire Plin. *ubi ſuprà.* Omnem utique inquit,decoctam utiliorem eſſe convenit, & deinceps vitioſæ aquæ remedium eſt, ſi decoquatur ad dimidias partes. Quam tamen opinionem, ut fal- 66
ſam,pluribus refellit Joubert. *Parad.5.decad.1.* & Ludov.Mercat. *de recto præſid.uſu lib.1.cap.2.verſus fin.* & alii apud D.Zacutum *de Princ.Med.hiſt.l.1. hiſt.7.quæſt.6.* nec injuriâ,quia conſentaneum rationi videtur,quòd aqua tenuis naturæ,ut pluvialis,& fontana eſt,cum requiſitis conditionibus, potiùs coctione craſſeſcant; exhalare enim ignis virtute tenuiorem ipſarum portionem, jure videretur concedendum.Quamobrem Joubertus Gal.ſecutus *comm.* 67
quarto in 6. Epidem part.14. & Mercat. *ubi ſuprà.* tria tantùm genera vitioſarum aquarum coctione emendari, ac meliores, ſalubriores reddi vult; paluſtrium nempe primum, limoſarum, lutulentarum,graveolentium, aut aliâ conſpicuâ ac maximè inſigni, ac ſenſibili qualitate notarum; ſecundum earum, quæ ſtomacho graves ſunt, aut hypochondria inflant.Tertium earum,quæ crudæ ſunt.Cæteras verò aquas,ſi quid vitii habent,coctione emendari minimè poſſe credit. Communis tamen Medicorum opinio eſt, decoctione non ſolum omne aquæ vitium emendari,ſed ipſas ſalubres aquas reddi ſalubriores; nam negatur omnino aquas decoctione craſſeſcere; cùm ſi quid veritatis hoc haberet,jam neque vitioſis aquis decoctio remedio eſſet, quia tenuiores earum partes,ut cæterarum in vapores abirent,craſſiores remanerent. At contrà patet, 60
coctione ſemper aquam magis attenuari, ſemperque ſuam formam retinere. Sed vide quæ ad hanc rem afferunt Petr.Hiſpan. *in comm.ad lib.dict.parti cul.* Iſaac. *cap.de aqua.* Septal. *in Hipp de aër.comm.3. part.33.* Pamphil.Herilac. *lib.4.de aquis,c.11.& ſeq.* & Franc.Scacc. *de ſal.pot.cap.13.* & noviſſimè D.Zacutus, *ubi ſuprà.* Unde idem Septalius etiam pluvialem, ut melior efficiatur, excoquendam præcipit, Hippocratis præceptum ſecutus; qui apertiſſimis 69
verbis quamquam ſummopere pluviam aquam laudaverit, tamen coquendam eſſe voluit: coctione namque adeò perfectam reddi dicit, ut etiam optimam fontanam exuperet, cùm tamen non decoctam,inferiorem bonitate ipſa fontana faciat.Concedit verò,his non obſtantibus, idem Auctor *lib.5. de Peſt.cap.7.* aquam fontanam,aut pluvialem indifferenter ſine coctura.

Dicamus itaque cum cæteris omnibus,coctionem 70
aquam quamcunque ſemper perficere, cùm quantumcunque optima aqua ſit, pura omnino non ſit neque enim datur aqua pura,ut dicit Tadd. *in Iſag. cap.3,ſtrope fin.* coctione ergo quæcunque aqua deputatur:unde fit,quòd ſemper, etiamſi perfectiſſima ſit,poſt coctionem relinquat in fundo vaſis, in quo 71
decoquitur,terrei aliquid,teſte Gal.1. *de ſimpl.med. fac. cap.4.* attenuatur enim aqua cùm decoquitur attenuatâ craſſiores partes ſubſidere neceſſarium eſt.

Quomodo autem emendandæ ſint aquæ tempore Peſtis, non difficile eſt determinare:cocturam enim ante omnia proponimus,ignis enim ſuo calore omne aquæ vitium etiam ab aëre peſtilente contractum excutere poteſt: cocturam ergo quam maximè tunc deſiderarem in qua pluvia, quæ eſſet eo tempore collecta; nam poteſt facillimè, ſi aër ſit infectus

infici etiam aqua, quæ ab aëre provenit. Præterquàm quòd jam dictum eſt, pluviam aquam facillimè putreſcere. Ut ergo ſuſpicionem hanc effugiamus, ne corpora ad putredinem diſponat, eam coctione emendabimus.

73 Sed & aliæ traduntur rationes, quibus aquarum vitia corriguntur. Sunt qui Anethum in aquas injiciant, alii farinam, aut amylum, hæc enim fundum petentia aquam clarificare dicuntur, ſi turbida ſit. Joubertus Amaranthi florem in aqua intabeſcentem, illam ſalubrem reddere, & vini colore tingere docet. Idem præſtare dicit Oxalidis radicem, nobis Acetoſæ dictæ: hanc malim tempore peſtis; quo etiam tempore plura ad hanc intentionem uſurpari poſſunt in aquis incoquenda, quæ conſultò

74 prætermittimus. Illud monendum eſt, ut aquarum omnium ſtagnantium, & reſidum uſus; omnino tunc temporis evitetur, ac magiſtratus præcepto interdicatur, & inhibeatur, ac, ſi fieri poſſit, etiam domeſtica animalia ab earum potu arceantur. Siqui verò putei in civitate ſunt, aut ciſternæ, harum aquæ continuâ agitatione, & motu perpetuo, atque indeſinenti hauſtu, etiamſi pro neceſſitate non fiat, putiores & tenuiores reddentur: nam & ad aquæ pra-

75 vitatem emendandam, Auctores omnes tam antiqui, quàm moderni frequentem hauſtum conſulunt, ut Rufus, Avicenna, & omnes ſupracitati, imò & vulgus ipſum.

Non conticebo autem modum quendam, pluribus fortè ignotum, quo aquæ quæcunque abſque coctura, abſque deſtillatione, & abſque ullius alienæ rei admixtione tenuiſſimæ, ac ſaluberrimæ reddantur, quo utebatur Illuſtriſſ. D. Cardin. Franc. Maria de Monte, qui plurimùm Chymicis magiſte-

76 riis delectabatur. Habebat enim duo vaſa ad inſtar duorum mortariorum ex ſaxo Olandico, ſeu potiùs ex petra, capacitatis, ut credo, librarum centum viginti, vel, ut noſtro more loquar, *di boccali venti*, plus minùs. Hæc enim menſura ſex libras habet. Horum unum aquâ repletum alteri ſuperimponebatur, nam aqua in eo contenta guttatim convenienti quodam temporis ſpatio in ſuppoſitum vas deſcendebat; ſub hoc alterum vas, cujuscunque materiæ libuiſſet, ſupponebatur, quod aquam ſimiliter ex ſecundo vaſe guttatim fluentem excipiebat. Non erant autem vaſa hæc ullibi perforata, ſed naturali quadam poroſitate aquam contentam ſenſim remittebant. In utriuſque autem mortarii fundo ſemper terret aliquod notabile plus minùs reſidebat, poſt aquæ tranſfuſionem, etiamſi aqua immiſſa optima aliàs cenſeretur, nam & Tiberinam jam deputatam, & Virgineam, & alias his non inferiores, eadem excrementa poſt ſe relinquere compertum eſt. Sed aqua tandem eo modo per hæc vaſa tranſfuſa, ac transcolata, tantæ tenuitatis erat, ut dicto citiùs hypochondria ebibita permearet. Eâ ſe uſum in colico dolore cum optimo ſucceſſu ipſemet Illuſtriſſimus D. Cardinalis mihi non ſemel teſtatus eſt: urinam enim citiſſimè provocabat.

Sed jam ad dubia accedendum, quæ diſcutienda diximus, quæ, ne hæc quæſtio in longum jam progreſſa tædium Lectori pariat, in ſequentem rejiciamus, ſi modò nunc illud tantummodò decidamus,

77 Aquarum pravitatem, quæcunque tandem illa ſit, non poſſe dare juſtam cauſam non reſidendi, aut commorandi in loco aliquo: non quia multum non conferant aquæ bonæ ad ſalutem; ſed quia facilis eſt earum, ſi pravæ fuerint, emendatio, ut ex ſuperioribus jam notum eſt.

SVMMARIVM.

1 *Non omnes ſervitutes poſſunt quibuſvis aquis indifferenter imponi.*
2 *Communiſſima aquæ ſervitus eſt hauſtus.*
3 *Hauſtus aquæ ejus bonitati non officit, ſed prodeſt.*
4 *Publica aqua cur privata melior.*
5 *Nulla ſervitus imponi poteſt, ubi alterius intret præjudicium.*
6 *Aquæ puteales, & ciſternales quomodo detrimentum à vicinis cloacis patiantur.*
7 *Si Cloaca, vel latrina noceat puteo, vel Ciſternæ vicini, habet hic actionẽ contra Cloacæ dominũ.*
8 *Civitatum putei cur inſalubres.*
9 *Stagnum, Palus, Lacus quid ſint.*
10 *Servitutes quæ lacubus, & hujuſmodi aquis imponi poſſunt.*
11 *Irrigatio aquarum bonitati non officit.*
12 *Pecudum appulſus poteſt eſſe cauſa alicujus nocumenti in aqua.*
13 *Piſcatio quid in aquis operetur circa bonitatem.*
14 *Piſcationum genera plura.*
15 *Piſcatio medicata quæ.*
16 *Balneatio quid operetur in aquis.*
17 *Cloacarum, Aquæ ductuum, & Latrinarum expurgatio aquis maximè officit.*
18 *Immunditierum projectio aquis damnoſa.*
19 *Lavatio pannorum, & hujuſmodi, an aquis damnoſa.*
20 *Lini, Cannabis & Sparti maceratio aquas inficit, & ipſum aërem.*
21 *Servitutes eatenus imponi permittuntur, quatenus in alterius incommodum non fiant.*
22 *Mala ſervitus quæ incommoda habeat.*
23 *Reſtagnatio aquæ ipſius bonitati officit.*
24 *Fluentes aquæ minùs promptè inficiuntur, quam reſides.*

Quæ ſervitutes Aquis impoſitæ ipſarum Aquarum bonitati præjudicare poſſint.

QVÆSTIO III.

1 NOn omnibus Aquis indifferenter eædem ſervitutes imponi poſſunt, cùm earum aliæ fluentes ſint, aliæ verò reſidentes, & earum quæ reſides ſunt, aliæ ſint puteales, aliæ ciſternales, aliæ paludales, aliæ ſtagnantes, aliæ lacuſtres; & fluentium aliæ ſint fontanæ, aliæ rivales, aliæ torrentinæ, aliæ fluviatiles, aliæ marinæ. Non omnes ergo eaſdem 2
ſervitutes pati poſſunt, ut cuicunque notum eſt. Vi- 3
detur tamen communiſſima aquarum ſervitus eſſe ſervitus hauſtus, de qua id pertinet ad Medicum dicere, quòd hauſtus aquæ cujuscunque non modò nihil demit de bonitate aquæ, ſed maximopere addit bonitati, ut omnibus notum eſt, & adnotat Joubert. *loco ſæpe citato*, & ſuprà dictum eſt ex communiſſima hominum: & Doctorum omnium ſententia: Inde enim fit, ut publica aqua melior multò ſit, quàm privata, ut ille ex Plinio dicebat. Idcirco ad detrectandam hanc ſervitutem aquarum, nunquam poterit hæc cauſa adduci, quòd nimirùm earum bonitati præjudicetur; quod non tam procedet in quacunque aqua non laudabili, ſed etiam in optima; nam hauſta fit minùs mala, & bona fit melior. Quòd verò ſervitus hauſtûs imponi non poſſit ubi 4
aqua non ſit perennis, vel ſi imponatur, perpetua eſſe non poſſit, hoc eſt quòd aqua toto anno inſerviat, hoc nihil ad nos, ſed ad Juriſconſultos merè pertinet, qui ſatis ſciunt, *per l. Imper. ff. de ſerv. Ruſt. prad.* nullam ſervitutem imponi poſſe, ubi alterius intret præjudicium.

Jam verò putealibus aquis, ciſternalibus, & hu- 5
jusmodi, nullam aliam ſervitutem imponi poſſe, præter hauſtus, patet: poteſt tamen evenire, ut ex

ipſis, earumque bonitati damnum inferatur, ut ſi cloaca, aut latrina, aut alterutrius fiſtula conſtruatur puteo, aut ciſternæ adeò vicina, ut aquam aliquo modo inficiat, non tam penetratione immunditierum, quàm ſolâ evaporatione, & exhalatione, quâ ipſam aquam inficere, & odorem abominabilé reddere poſſit. Imò non ſolùm communicando odorem malum, ſed ſimplici evaporatione, ſolâque vicinitate, poſſunt Cloacæ, præcipuè magnæ, & latrinæ, & cætera id genus, ciſternæ, ſeu putei aquis officere: quo caſu abſque dubio, ut mihi rationabile videtur dari debet actio, quæcunque illa ſit, domino aquæ contra Cloacæ, aut latrinæ conſtructorem, aut dominum, qui cogi poſſit ad reficiendum latrinam, ſeu cloacam, vel ad eam deſtruendam, ita, & taliter quod non noceat puteo, vel ciſternæ vicini, ex adductis
7 per Cæpollam *de ſervit. Vrb. prad. c. 65. num. 7.* Nam jure quidem merito Fort. Fid. ex noſtris toties à me adductus, *lib. 1. Relat. med. cap. 1.* adſtruit, civitatum puteos hac una ex cauſa inſalubres eſſe; facilè enim fit, ut ob cloacarum, & latrinarum multitudinem aquæ earum inficiantur.

8 Plures porrò ſervitutes imponi poſſunt cæteris aquis quibuscunque, ſed antè de his, quæ ſtagnantes, aut reſides vocantur, loquamur, ut Stagna ſunt, Paludes, Lacus, Piſcinæ. Quid autem differant hæc inter ſe, ſi ſcire deſideras, vide text. *in l. unic. §. Lacus, & §. ſeq. ff. Ut in flum. publ. navig.* quanquam mihi non
9 ſatisfaciunt Ulpiani definitiones: nam libentiùs dixerim, Lacum eſſe collectionem aquarum ab extrinſeco principio, vel ſaltem perenni erumpentium. Paludem, aquarum collectionem ab extrinſeco, non tamen fluente, aut vivo. Stagnum eſſe item ab extrinſeco, ſed fluente, & vivo, vel cum Georg. Agric. *lib. 3. de his quæ fluunt ex terr.* Lacum eſſe collectionem magnam aquarum, Paludem exiguam, &
10 minimè profundam. Servitutes autem, quæ his aquis imponuntur, de quibus ad nos loqui pertinet ſunt hauſtus, de quo jam univerſaliter locuti ſumus, irrigatio, pecudum appulſus, piſcatio, balneatio, cloacarum, & aquæductuum quorumcunque expurgatio, immunditierum projectio, pannorum, & quarumcunque rerum expurgatio, Lini Sparti, Cannabis, & ſimilium rerum maceratio, & hujus generis
11 aliæ nonnullæ. Et de irrigatione quidem dubium eſt, quòd (demptâ aquæ ipſius imminutione, ſi ulla dictarum aquarum potui inſerviat) nihil earum bonitati officit, imò verius prodeſt, cùm reſidem, & omni motu carentem aquam aliquo modo commoveat atque expurget, dummodò non modica ſit, & fundum luteſum, ſive limoſum habeat, qui facilè ex motu in aqua concitato, & ipſe commotus
12 aquam impuriorem reddat. Pecudis appulſus poteſt eſſe cauſa alicujus nocumenti, ſi pecus ejus generis ſit, quod aquas exturbare potando ſolet, aut etiam pedibus imum fundum dimovendo, quale maximè porcinum, & bubalinum eſt, alias autem non.

13 Piſcatio, ubi aqua fluens non ſit, ut in his, de quibus loquimur, aliquid bonitatis aquæ demere poteſt, & tantò promptiùs, quantò aquæ copia minor eſt, & piſcium affluentia minor; ipſi enim piſces ipſammet aquam perpetuò agitant, quod aquæ bonitati conferre jam ſæpe dictum eſt; præterquam quòd etiam immundities ingurgitant, & aquam ipſam expurgant.

14 Admonendum tamen, plura eſſe piſcationum genera, ut notum eſt: Quædam enim hamis filo, vel funiculo calamis, vel arundinulis alligato fit, & idcirco Retinahens, à retrahendo, ſeu Hamorrahonia, vel Hamatoria piſcatio ab hamis dicitur: Quædam vario Retium, Naſſatum, Sagenarum, Verriculorum, Plagulatum, Tragularum, & hujusmodi aliorum rerum genere, & hæc à retibus Retiaria, ſeu Retinacularia dicitur. Quædam autem ſatiſſis fit, fuſcinis, aut armis quibusdam vibratis, ut bidenti, vel tridenti, & hæc ea de cauſa dicitur Tridentia, vel Fuſcinalis. Quædam baculis celebratur, quibus percuſſi piſces, & ementati facilis præda piſcatoribus fiunt, dicitorque idcirco hæc *percutiens*. Quædam etiam igne fit, ob id Igniferia, ſeu Igniaria dicta, & de his nonnulla Mart. Delt. *in Senec. Hercul. Fur. num. 157.* alia quædam aliis ingeniis fiunt, quæ mihi ignota ſunt. Sed & quædam piſcatio fit aquam ipſam inturbidando, ſic enim piſces quidam ex ea aquæ turbatione ſuffocantur, & præcipuè Anguillæ, de quarum piſcatione ea ratione celebrata Athenæus *lib. 7. Dipnoſoph. cap. 17.* Alia piſcatio medicamentis fit, quæ à Plut. *in præceptis connub. num. 4.* ob id damnatur, quòd piſces labefacter, & eos menſæ non aptos reddat: hæc idcirco Medicata dicta à Cæl. Rhodig. 15
lect. Antiq. lib. 28 cap. 11. fit enim herbis quibusdam ut Thapſo barbato ſecundùm Avicennam *lib. 2. tract. 2. cap. 480.* ſi modò apud ipſum id ſignificat voxilla *Mebezeheregi*, quod credo, quia concordat cum eo, quod dixit Ariſto. ex quo Bruyerin. *de re cib. lib. 18 cap. 7.* quòd piſces herba Verbaſco mortiantur ſicque à Phœnicibus capiantur, & herba quadam, quam Moram vocant, gravis odoris, & hellebroro aut paſtis, quibusdam in aquam conjectis, qualis ea eſt, quæ rotundæ Ariſtolochiæ radicem calce admixtam excipit, ad quam cupiditate mirâ advolant piſces, ſtatimque exanimati fluitant. Plin. *lib. 25. c. 8.* unde facilis præda ſunt piſcatoribus; aliàs iisdem medicamentis omnino interimuntur, ac præcipuè baccis quibusdam, quas *coculas Orientales* [nuces vel baccas Coculas] vocant; his enim [ſi miſceantur cum caſeo putrido & pipere longo] non modò piſces extra ſe rapi, ſed etiam, ut dixi, perimi (niſi ipſis affundatur nova & recens aqua ſalubris) probat Codronchius *in tract. de baccis orient. & antim.* Alia nonnulla medicamenta ad hanc ipſam piſcationem apta, apud Bruyerin. *loco citato* habes.

Sed quemadmodum cætera piſcationum genera nihil videntur in ſe vitii habere, ſi id, de quo meminimus, excipias: Ita quæ *Percutiens* dicitur; & quæ turbulenta dici poteſt, ab inturbidandis aquis, ex uno capite; & poſtrema, quæ *Medicata* dicitur ex alio, vitio non carent, & ſuſpectæ aliquo modo ſunt: Percutiens quidem, & turbulenta ex eo, quòd aquas conturbent; Medicata autem, quia ea, quæ in hunc uſum trahuntur medicamenta, utplurimùm pravâ qualitate prædita ſunt, ut baccæ dictæ, Tithymalorum omne genus, & præcipuè illud, quod Plin. *lib. 26. cap. 8.* Platyphyllon, vel Corymbiten, ſeu Amygdaliten vocari tradit, & peculiariter piſces necare. Lactuca ſylvatica, vel Caprina, de qua idem Plin. *lib. 20. cap. 70.* Mora illa herba, Helleborus Verbaſcus, & alia id genus, quamobrem utrumque genus piſcationis prohiberi facilè poteſt, & maximè hoc poſtremum; quod multò magis habebit locum in rivis, & aquis, quæ vel modicæ ſunt, vel leni aut nullo motu cientur. Jam verò aliàs dixi Solonis conſilio Pliſtim fluvium helleboro infectum fuiſſe, ut Cyrræi inde bibentes interficerentur, quod ſucceſſus comprobavit. Quamobrem omnino ſuſpecta hęc piſcatio eſt, ubi aqua potui inſerviat. Addo his, quòd quanquam, ex opinione Codronchii, prędictæ baccæ à veneni natura longè abſint, & idcirco minùs quàm cætera medicamenta ſuſpecta eſſe debeant, tamen alio nomine mirũ in modum, ubi aqua modica ſit, nocebunt; nimirùm quia cùm piſces iis baccis enecti, niſi illicò capiãtur, facillimè putreſcãt

ut idem

ut idem Codronchius fatetur, cùm facillimum ſit non omnes enectos piſces piſcatorem prædati poſſe, facillimum etiam erit, aquas à corruptis piſcibus viciari.

16 Balneatio in aquis potabilibus aliquando fit, ac profectò nihil offertur de ea dicendum conſideratione dignum; quanquam enim in quibuſdam fluminibus, ut in Tyberi noſtro, quorum aqua pro potu inſervit, balneantur nonnulli, qui ſcabie, pruritu, puſtulis, impetigine, lepra, & ſimilibus morbis ſunt infecti, quia tamen aquæ magnæ ſunt, & motum indeſinentem habent, nihil ipſis offici conſentaneum eſt, at ſi in aquis quibuſdam fiant alvei non ita capacis, nec motu perenni inſignibus hujuſmodi balneationes non erunt omnino à ſuſpicione liberæ.

17 Cloacarum, Latrinarum, & Aquæductuum, & hujuſmodi ſætinarum expurgatio ubi reſides aquæ ſunt mirum in modum quantumvis magna ſit aquarum collectio, obeſſe illarum bonitati poteſt; imò eas omnino inficere, ita ut non ſolùm pro potu inſervire minùs poſſit, ſed etiam ita ut aërem ipſum contaminent, & vicinæ civitati, ac propinquis locis ſummopere obſint. Neque tamen dicendum, non nocere quicquam ubi aquæ fluentes ſunt; inficitur enim ex ea cauſa ipſe fluminis, rivorum, ac fontium alveus, & inde malam ſuſcipere poteſt qualitatem, præcipuè ſi perennis ſit hujuſmodi expurgatio: nam etiamſi aqua ſemper fluat, ſemper etiã influit in aquam ſentinarum & cloacarũm immunditiæ, à qua quædam nonniſi prava exhalatio elevata non aquæ modò inſinuatur & commiſcetur, ſed, ut dixi, alveo etiam communicatur, unde aqua ipſa ſemper ſuſcipit pravam impreſſionem, cùm tamen hoc nullum videatur habere remedium, quia civitates per Cloacas, & ſentinas expurgantur, & hę nonniſi per magna flumina, ut patet; niſi id remedii proponatur ut hujuſmodi cloacæ nonniſi flumine longè progreſſo extra civitatem, ſuas immunditiæ deponant in ipſum flumen. ita ut pars ſuperior fluminis, civitati pro potu inſerviens libera remaneat, ac minimè infecta.

Non minùs damnoſa eſt immunditiarum projec-
18 tio, quæ tamen reſpectivè ad diverſas aquas poteſt eſſe magis aut minùs damnoſa; nam ſi reſides ſint, ſi copiâ modicæ, ſi omni penitus motu carentes, tantò magis erit damnoſa; contra verò tanto minùs, quantò majorem impetum aquæ habebunt. Idem quoque dicendum eſt de pannorum, & quaruncunque rerum lavatione, cùm & immunditiæ ab iis
19 proficiſcens non minùs aquas inficere poſſit, quàm quæcunque alia; præſertim ſi reſides ſint, quamobrẽ ſuſpecta & hæc tantò magis erit, quanto aquæ minores, & tardiore motu dotatę fuerint. Illud admonendum majorem noxam aquis conciliari, ubi in lavatione pannorum, & expurgatione quaruncunque rerum, aquam reſtagnari ob commodum lavantium permittatur; nã etiamſi aqua fluens ſit, tamen remoratione, & reſtagnatione hujuſmodi infecta, poteſt inde bibentes, neque advertentes inficere. Atque in omnibus jam prædictis, (de aquis præcipuè fluentibus) illud notum eſt, noxas aquis communicatas magis pertinere ad eos, qui inferiorem fluminis, vel rivi, vel cujuſcunque fluentis aquę liquorem potant, quàm ad eos qui in ſuperiore parte ſunt.

20 Cæterùm Lini, Cannabis, Sparti, aliarumque ſimilium rerũ maceratio duplici ex cauſa ſuſpecta eſt: nam & aqua mirum in modum inficit, ita ut eam venenoſæ naturę reddat, & aëri etiam pravam communicat qualitatem; quamobrem niſi in aquis fiat, quę pro potu hominum, & aliorum domeſticorum animalium non inſerviant, & longè valde à civitate, &

locis habitatis, nequaquam permittenda, quin immò quandocunque hæc ſervitus aquæ vicini imponatur, & quomodocunque, nempe clam, vi aut precariò; removeri per actionem quamcunque debere credo; quòd non eſſe debeat dubitationis locus: ſemper enim impoſitæ ſervitutes catenus permittuntur, quatenus alterius incommodo, & damno non ſunt, ut ex legum autoritate jam dixi.

Denique Molæ ſervitutem non modò abſque diſ- 21
pendio bonitatis ipſius aquæ imponi poſſe exiſtimo, ſed ad eandem aquæ bonitatem, præſertim ſi motu careat, nonnihil conferre, ob perennem agitationem credendum eſt.

Eædem autem ſervitutes, quæ aquis immobilibus 22
ſeu ſtagnantibus imponuntur, poſſunt & fluentibus aquis imponi: in quibus id primùm animadvertendum, ne impoſita ſervitus, quæcunque tãdem illa ſit, in cauſa ſit reſtagnationis ipſius aquę, tunc enim ejus 23
bonitati præjudicaretur, maximè reſpectu eorum, qui ſuperiorem partem habitarent, & aëri quoque noceri poſſet; quæ reſtagnatio maximè habet locum in Mola conſtruenda, plurimùm enim hoc damnum à Molis inferri obſervatur. Illud verò peculiare habent fluentes aquæ, ut minùs promptè inficiantur, quàm reſides, quemadmodum jam annuimus, itaque majot ſuſpicio infectionis eſt in aqua reſide, quę pro potu inſerviat ex minima cauſa, quàm in aqua fluente ex magna: mirum enim in modum curandum, ne reſidi aquę quicquam vel minimi momenti admiſceatur, quod ipſius bonitati contrarietur, cùm enim parum bona ſit, facilimè ex quavis minima cauſa, ſi quam habet bonitatem amittens, pravâ qualitate inficitur.

SUMMARIUM.

1 *In locis quæ conſideranda.*
2 *Civitas, vel locus qualẽ Cœli aſpectũ habere dicatur.*
3 *Aſpectus Cœli quadruplex.*
4 *Oriens, & Occidens non ſemper idem.*
5 *Orientalis aſpectus omnium ſaluberrimus.*
6 *In regione Septentrionali Meridionalis aſpectu omnium aliorum maximè laudabilis.*
7 *Ædificia non idem incõmodum in diverſis regionibus invicẽ ſibi præſtare poſſunt, etiamſi eundem ſitum ſortiantur, & eundem Cœli habeant aſpectum.*
8 *Ventorum quænam ſit ratio reſpectu ſalubritatis.*
9 *Venti mutant naturam ex natura regionis, per quam tranſeunt.*
10 *Humiliora loca sẽper editis, ac ſublimibus poſthabẽda*
11 *Loca ſicciora ſemper ſalubriora.*
12 *Vicinum mare quomodo loca proxima afficiat.*
13 *Loca in Lacubus, vel prope lacus ſita improbantur.*
14 *Flumina vicina loca quomodo afficiant.*
15 *Terra qualitas ad locorum ſalubritatem quæ faciat.*
16 *Aquarum copia non faciat ad locorum ſalubritatẽ.*
17 *Terra nuda quæ, & quid conferat ad ſanitatem.*

De Locorum ſalubritate, & inſalubritate.

QUÆSTIO IV.

NOn accipimus hîc loci nomẽ in eo ſenſu, quem accipit Text. *in l. Locus ff. de ver. & verb. ſignif.* neque ut accipiunt Philoſophi, quòd ſit ultima ſuperficies cõtinentis immobilis Ariſt. 4. *Phyſ. text.* 41. ſed loca vocamus, quęcunque hominum habitationi inſerviunt, non ſolùm particularis alicujus familię, vel individui, ſed etiam totius civitatis, Terrę, Caſtri, aut etiam Provinciæ, & univerſitatis, hęc enim loca & ipſa dicũtur; cùm locus vel ſit proprius, vel communis, ut nonnulli Philoſophi dicunt, & ex Juriſconſultis doctiſſimus Loth. *l. 1. de re benef. n.* 30. *num.* 2. vel triplex eſt proximus, remotus, & remotiſſimus, Tolet. *in* 4. *Phyſic. cap.* 5. *text.* 49. *quæſt.* 8.

Ergo nos de loco, ut eſt communis, aut remotus, vel remotiſſimus, verba facimus, prout etiam ab Hipp. acceptaea vox eſt, in lib quem *de aër. aq. & loc.* inſcripſit, nam& de Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, Provinciarum, & de privatorum tam urbanorum, quàm ruſticorum prædiorum ſalubritate, & inſalubritate agimus, qua occaſione ea omnia, quæ ad hoc propoſitum facere videntur, pertractabimus, ut in ipſius quæſtionis proceſſu palam fiet. Et quoniam plura eorum, quæ hac ſpectant in priore hujus Tituli quæſtione enarrata ſunt, ne eadem bis absque ulla neceſſitate repetantur, inde multa deſumenda huic quoque quæſtioni aptanda, ut quicunque non omnino torpentis ingenii lector per ſemetipſum facilitare poterit.

Ergo in locorum conſideratione quadam univerſali plura ſe offerunt examinanda, aſpectus nempe Cœli, ventorum incurſus, altitudo, vel planities, Terræ ipſius qualitas, nonnullarum rerum vicinitas, & alia permulta, ut videbimus. Dicitur autem Civitas, vel locus illum Cœli aſpectum habere, quem liberiorem obtinet, vel dicitur Civitas, aut locus eam Cœli partem aſpicere, unde patentior locus, vel civitas eſt, neque à vicinis montibus aditus illuſtrationi Solis, vel incurſui ventorum impeditur: unde eſt quòd civitates planæ & æquales, nullam Orbis partem verſæ utique dicantur, Gal. apud Oribaſ. *libro nono, Coll. cap.* 10. ita ut, quemadmodum idem addebat, aſpectus maximè conſideretur in Urbibus, quæ altis in locis ſunt condite; nempe quia montes ſuo dorſo, ut ita dicam, ab una Civitatis parte, aut Solis illuſtrationem, aut ventorum incurſum impediant; ab alia verò parte Urbs è contra, ad Solis radios, & ventorum incurſus pateat, & quaſi faciem alicui ex Cœli partibus diſcooperiat. Notiſſimum autem cuicunque eſt Cœli aſpectum quadrupliciter variari, juxta quatuor Cœli ipſius, ſeu mundi partes: univerſum enim hunc mundi globum in quatuor partes æquales dividunt Mathematici, quarum unaquæque nonaginta gradibus conſtat, cùm totum ſphæricum circulum in trecentas ſexaginta partes æquales diviſerint, quos gradus nominant.

Prima ergo pars Orientalis dicitur, ab ea enim parte Sol exoritur, ſecunda in ordine dicitur Meridionalis, quòd ſol in ea parte exiſtens meridiem faciat, vel in medio diei itinere Sol ad eam partem accedat, tertia dicitur Occidentalis, cùm peream partem Sol occidat; quarta denique dicitur Borealis, à Borea vento ex ea parte ſpirãte, vel Septentrionalis à ſtellis quibuſdam polaribus, quæ ſeptem Triones vocantur quod ſeptem numero ſint, quæ cum aliis viginti minoribus Urſæ majoris figuram effingunt.

Illud verò notandum eſt, quòd Oriens, & Occidens non ſemper idem ſunt, ſi ſtrictè Orientem, aut Occidentem pro ea præciſa Cœli parte accipias ubi ſol oritur, aut occidit, quia ſingulis diebus punctum variat tam Ortus, quàm Occaſus, & à puncto quodam cardinali, ut exempli gratiâ, à primo gradu Cancri incipiens vagatur, cùm oritur per totum eum tractum Orientalem, quem gradibus conſtare nonaginta diximus, efformans ſuprà noſtrum horizontem ſemicirculos ſingulis diebus minores, infra horizontem autem majores, quouſque ad Capricornum perveniat, tunc enim ſemicirculos vice verſa ſupra horizontem efformat ſingulis diebus majores, infra horizontem minores: eodem quoque pacto variare in occaſu neceſſe eſt. At Meridies nunquam evariat, quia ſemper Meridies in ea parte cœli eſt, quam interſecat circulus, quem meridianum ex hoc vocans, cùm enim Sol præcisè ad eum circulum pervenerit, tunc fit Meridies quia nullam habet is circulus latitudinem; evariat quippe quoad altitudinem, quia & ipſe circulus ſuam longitudinem habet, ut cæteri omnes in ſphæra efficti, trecentorum ſexaginta graduum, & tamen hæc ipſa cœli pars, quæ Meridionalis dicitur, eandẽ habet latitudinem nonaginta ſcilicet graduum, ſicuti etiam & Septentrionalis, quæ & ipſa nullam recipit evariationem, nunquam enim Sol ad illam accedit. Prout ergo ad alteram ex his quatuor Cœli partibus locus aliquis patet, dicitur habere talem, aut talem aſpectum juxta ejus patris denominationem. Ex quibus aſpectibus ſaluberrimus juxta Hippocratis, & aliorum omnium doctrinam, Orientalis eſt, ſecundum locum obtinet Septentrionalis, poſt hunc ſuccedit Meridionalis, qui à bonitate jam videtur recedere; peſſimus Occidentalis: nec diſſentit ab hac Medicorum ſententia Vitruvius *libro primo, cap.* 4. Dicamus ergo duos aſpectus ſalubres judicari, inſalubres alios. Orientalis ſaluberrimus ob caloris temperiem, unde Veri aſſimilatur, quod cùm ex Hippocr. 3, *Aphor.* 9. ſi luberrimus ſit, & minimè lethale, & loca orientalia ſaluberrima ſunt, & ſiquidem Incolæ morbis nonnullis ex accidenti prehendantur, ii minimè lethales ſunt. Septentrionalis aſpectus eam ob cauſam ſalubris, quòd nativum calorem in ſeipſum recolligi impellens, robur illi conciliat, unde homines Septentrionalia loca incolentes robuſtiſſimi, & maximè longævi. Meridionalis Septentrioni opponitur, quamobrem ex tali aſpectu calor nativus imbecillus redditur in animalibus, eorumque corpora ob viarum latitudinem facilè reſolvuntur, & ob æſtuantem calorem febribus facilè corripiuntur. Jam verò Occidentalis inſaluberrimus idcirco eſt, quòd contrarius Orientali exiſtens, contrarios effectus in corporibus producat, & aſſimilatur Autumno, qui inter Anni partes morborum eſt feraciſſimus, atque illis quidem aut longis, aut lethalibus. Ac de omnibus his, vide quæ docet Hippoc. *in lib. de aër. aquis, & locis*, cujus doctrinæ prædicta ſunt innixa. Et hæc univerſaliter quidem dicta ſint, & ſimpliciter conſiderato ex ſe cœli ipſius aſpectu, vel dogtione; at de particularibus aliter conſidetandum, quia ſi de his aſpectibus loquamur reſpectu hujus, aut illius loci, aut civitatis, aliter determinandum: neque enim tunc in particularibus prædicta verificantur, cùm ſicuti & rationibus, & auctoritatibus, & experimentis facilè probatur (& vide quæ ad hoc affert. Fortun. Fidel, *loco ſupe cit*) in regione Septentrionali, ubi frigoris rigor maximè corpora infeſtat, Meridionalis aſpectus eſt magis laudandus, poſt hunc Orientalis, deinde Occidentalis, peſſimus erit ipſe Septentrionalis; in Meridionali verò ubi æſtuans calor nativum diſſipat calorem, Septentrionalem Orientali præferimus, poſt Septentrionalem fortè Occidentalem, ab hoc Orientalem, & ſic obſervatum adnotabis apud Vitruvium *lib. 6. ſuæ Archit. cap.* 1. in conſtructione particularium ædificiorum. Hinc fit, ut non idem incommodum ædificia ſibi invicem præſtare poſſint in diverſis regionibus, quanquam eundem aſpectum ſingula in ſingulis ſortirentur: nam in regione Septentrionali domus, quæ ab adverſo ædificio ita impeditur, ut Meridionalem aſpectum ipſi impediat, majus proculdubio damnum ſentire dicetur; quàm ſi eundem aſpectum illi interdiceret in regione Orientali, aut Meridionali; ſic in regione Meridionali majus damnum accipiet meum ædificium à tuo, ſi Septentrionalem aſpectum meo impediat; quàm ſi alium quencunque, & ſic de reliquis

Semper

Semper enim maius damnum inferunt ſibi invicem ædificia non promiſcuè ex impedimento cuiuſcunq; cœli aſpectus; qui ſimpliciter, & ex ſua natura ſalubris iudicetur, ſed eius, qui in particulari quadam regione ſalubrior cenſendus.

De ventis autem diverſa conſideratio eſt, Occidentales enim omnium ſaluberrimi exiſtimantur, ab his Septentrionales ſeu Boreales, poſt hos à bonitate iam recedere dicuntur Orientales, dehinc multò magis Auſtrini, ſeu Meridionales. Occidentales enim inſitum calorem viventibus omnibus fovent. In eorum numero eſt Zephyrus, qui Favonius, & eſt inter Occidentales maioris momenti, & dicitur à Plinio *lib. 6. Nat. hiſt. cap. 25.* genitalis mundi ſpiritus, vnde Lucret. *lib. 1. de rer. nat.*

Et reſerata viget genitabilis aura Favoni.

Septentrionales vero, quod corporum ſuperfluitates expurgent atque exſiccent, & exteriores cutis poros denſando, nativum calorem ad interiora compulſum robuſtiorem faciant, merito poſt Occidentales laudantur. Ex horum numero Eteſiæ ſunt, ab ortu æſtivo ſpirantes diebus canicularibus, & ob eorum frigiditatem eo tempore æſtus maximè grati. Dicuntur etiam Prodromi; de quorum natura vide Ariſtot. *libro ſecundo, Meteor. cap. 2.* & Plin. *lib. 18 cap. 19.* & Ioan. Bapt. Portam, *lib. 1. de aer. tranſm. c. 22* Orientales quod humidi, ſint neque idcirco emendare corporum vitia ſint apti, ſed illa potius ad putredinem diſponere, inſalubres habentur, hiſque magis inſalubres Meridionales, Auſtrini dicti, quod caput gravent, ſenſus hebetent, calidaque ac humida eorum temperie putredinem promptè accerſant. Sed & in ventorum conſideratione particularium ratio habenda, ut rectè monet Fortunat. *lib. 1. Relat. cap. 1.* l. & bravo *pag. 48. 49. reſolut. Medic. p. 1. diſput. 3 ſect. 2. reſolut. 4* nam & ex iis ipſis venti ſunt, qui cum aliis omnibus ſint ſalubres, quibuſnam tamen populis ſint inſaluberrimi; contra vero alii ſunt, qui cum inſalubres pleriſque populis exiſtant, ſalubres aliàs aliis nonnullis eſſe ſolent. Sunt & præter hos venti quidam particulares quorundam locorum, qui ea 9 loca perflant ac percurrunt, modò maximo cum populorum damno, modo vero nonniſi cum magno ſalutis commodo, de quibus vide quæ Fortunatus habet, *loco ſupra cit.* nam de particularibus omnibus diſſerere præſentis loci non eſt: illud quivis noſſe poteſt: quod etiamſi ventus aliquis ſit alicuius loci particularis, tamen in conſtructione Ædificiorum & quorumcunque locorum, eius ſumma ſit ratio habenda.

Mutant præterea ſuam propriam naturam venti ex regionis natura, per quam tranſeunt & pro accidentali quadam eiuſdem diſpoſitione; quamobrem facilè evenit, ut ventus ſuâ natura frigidus fiat per accidens calidus, & ſic ex ſalubri fiat inſalubris, Poteſt contrario modo evenire, ac fortè non abſque ſumma ratione ſenſatiſſimus vir Hipp. omnibus ventis eandem tribuit Naturam humectandi, & refrigerandi, quam tamen mutari contingit ex regionum, & locorum ſitu, per quæ ad regiones quaſque obveniunt: ita ille, *2. de vict. rat. in princ.* ſed hæc alterius conſiderationis ſunt.

10 Cæterum locorum poſitio quoad altitudinem & planitiem, maximè in conſideratione habenda, ſemperque humilia loca editis, ac ſublimibus poſthabita, ut ex Athenæo, Antyllo Oribaſ. *libro nono. Collect. cap. 12.* Fortun. Fidel. *vbi ſupra*, & ex Iuriſconſultis Ripa ex Vitruvio *in tract. de poſt. part. vult part. prima, numero quinto*, nam conſtat & magis ſanos, & diutius in editis locis homines vivere quam in humilibus, cuius rei rationem quærit Ariſt. *libro 14 problem. 7.* Sed & ipſa ſublimia, edita, ac montana loca adhuc inter ſe quoad ſalubritatem differunt; namquæ ſiccIora ſunt, ſemper ſalubriora cenſentur Oribaſ. ex Athen. *vbi proximè* Eius rei cauſa maximè in promptu eſt; quia ſublimia loca, 11 ac montana à Sole facilè illuſtrantur, unde in umbra parum ſint, à ventis maximè perflantur, & ab infimis, craſſiſque exhalationibus libera penè ſunt, cum ad ea tales exhalationes pervenire non poſſint, aut ſiquidem perveniant, facillimè & à Sole diſſolvuntur, & à ventis diſſlantur, unde moram in illis ttahere non poſſunt; quę omnia quantum momenti afferant ad aeris, & locorum ſalubritatem, & iam diximus, & vulgus imperitiſſimus non ignorat.

A vicinitate quoque Maris, aut aliarum nonnul- 12 larum rerum loca magis aut minus ſalubria fiunt. Conſtans apud omnes non doctos ſolum, ſed quoſcunque viros opinio eſt, pleraque loca ex maritimis ſalubriora eſſe; quam Mediterranea, ut ex Athenęo Oribaſ. *vbi ſupra*, contra vero loca, quæ ſtagna, paludes, piſcinas, aliaſque collectiones aquarum non fluentium, aut ſimile quid vicinum habent, multis ex cauſis ſunt morboſæ, cum ſemper enim ſunt in vitio, tum vero æſtate ſunt peſtilentia. Verba Antylli ſunt apud Oribaſ. *loco cit. capit.* 11 Quod vero pro ratione poſita nonnulla loca dicat Vitruvius, *libro primo, cap. quarto*, ſi in paludibus Mœnia conſtituta ſint, & paludes ſecundum Mare fuerint, fortè non undequaque recipiendum, ſi ſalubritati proſpicimus, non obſtantibus conditionibus, quas ille ineſſe deſiderat, ut ſalubres ſint; nam neque exempla ab ipſo adducta pro ipſius opinione faciunt, ſed potius contraria ſunt, cum Ravenna, Altinum, Aquilegium, nonniſi propter paludes huiuſmodi aëris in ſalubritate infeſtentur, & quanquam Daniel Barbarus *in eius loci commento* mutatas eſſe Naturæ vices dicat, cum Vitruvii tempore ſalubria ea loca fuerint, quæ nunc inſalubria ſint, tamen illud mihi perſuaſerim, quod licet per aliquod tempus ſalubritati aëris officere non poſſint eæ paludes de quibus ibi Vitruvius, nempe quouſque motionibus à Maris tempeſtate concitantur, & novam aquam ab ipſo Mari recipiunt, tamen non eſſe id perenne & ſtabile, ipſa exempla à Vitruvio adducta ſatis commonſtrant.

Sed & loca quæcunque in lacubus ſita ſunt, vel lacubus propinqua, eadem penè vitia habent; humidiora enim ſunt, & craſſis evaporationibus obnoxia; quæ nequaquam facili negotio, aut Solis illuſtrationi, aut ventorum flatibus cedere ſolent. Quomodo tamen flumina, præcipuè magna, vicina loca afficiant, ex Athenæo explicat Oribaſ. *vbi alias* 14 Si enim inquit, loca ſiciſſima ſint, & flumina temperata (nempe, inquam, non producentia ſtagna; aut aliud quicquam, quod nocuum eſſe poſſit, neque curſus lenitate, ac tarditate, aut aquarum craſſitie & pravitate ſint inſignia) fiunt quidem temperatiſſima; at ubi excedant, non parva fit ad morbos gignendos acceſſio. Hoc autem ita ſe habere experientia conſtat, nam in civitatibus humidioribus, ut Roma eſt, per quas flumina magna percurrunt, ſemper habitationes prope ipſa inſalubriores, quod ob aquæ vicinitatem humidiores etiam reddantur, quam Loci natura ferat, & quod etiam in humilioti parte Civitatis ſint; ad ipſas namque facilè immunditierum, quæ in flumina proiiciuntur perveniunt exhalationes, & totius civitatis quædam ſentina ſunt, cum ad decliviorem ſemper

partem, & ad ipſa flumina Latrinæ : Cloacæ, & Sentinæ, & Aquæductus, & cætera id genus tendant, & in ipſa exonerentur. Contra vero in una eademque civitate ſi quæ loca edita ſunt, & ab huiuſmodi evaporationibus, & exhalationibus libera, etiamſi per ſe ipſa civitas aëris ſit omnino ſalubris, tamen ibi aër eorum locorum ſit ſalubberrimus.

Porro Terræ ipſius qualitas ad locorum ſalubri-
15 tatem multum facit, de qua etiam peculiariter conſideravit noſter Hipp. *in lib. aëres &c.* & alii auctores prænominati. Nudam, & aquis carentem, cum ſicca ſit, ſalubriorem eſſe non hæſitandum, metalliferam tamen eſſe non debet, quia talis mala ob id exiſtimatur quod etiamſi ſicca ſit, ſuffocans tamen evadat, ut ex Antillo Oribaſ. *ibid.* quæ vero plantis conſita eſt minus (inquit Athenæus apud eundem Orib.) perflatur minuſque à Sole illuſtratur, quàm nuda; quocirca per hyemen umbroſa eſt, ac frigida, per æſtatem vero difficulter à ventis perflatur, ſuffocanſque eſt, & ob eam cauſam reſpirationem habitantibus deteriorem parat.

16 Verum enim verò an ad locorum ſalubritatem, vel inſalubritaté potius faciat aquarum copia, non tam in ipſa civitate erumpentium, quàm aliunde deductarum, ut, exempli gratia. hic Romæ tanta fontium ubertas, ut nulla platea, nullus vicus, nulla via, nulla domus ſit, quæ fonte, immò fontibus non decoretur, præterquam quod Tyberis eam mediam præterfluit ac innumeris puteis, & ciſternis abundat, ſi quid unicæ huic experientiæ fidendum eſt, dicendum videtur nonnihil ad ſanitatem conferre, cum palam ſit ab eorum fontium deductione, à Paulo V.P.M. mirum in modum adaucta, & affectatâ, urbem Romam ſanitate nunquam intermiſſa gaviſam. Fortè aquarum frigiditate aëris æſtus, præcipuè per æſtatem, temperatur, quod maximè patet in ea urbis parte, quæ trans Tyberim, & inter Adriani Molem, & Vaticanum eſt, quæ cum præ aliis urbis regionibus æſtuoſa eſſet, ab huiuſmodi fontium deductione æſtum remiſit, & morbis multo minus videtur obnoxia, licet in præſenti anno valde morboſa fuerit, ſed eius rei cauſa non tam fontium extitit ubertas, quam pluviarum aquarum proventus, quæ nequaquam, ut neceſſe fuiſſet, per cloacas, & alios ductus expurgantur, ac eâ de re fontium tanta ubertas huic cauſæ, quaſi manus dedit, & morbos mirum in modum adauxit, qui neque hyeme iam penè prægreſſa remiſerunt. Sed profecto non eſt ex re Medica unicè experientiæ acquieſcere, quamobrem in ea re decidendâ locorum conſideratio habenda, ac iuxta eorum naturam circa id pronunciandum. Fontium affluentia in locis ſuâ natura calidioribus, & ſiccioribus, aut ſaltem humiditate non inſignibus, non videtur vituperanda, ſed potius laudanda, & affectanda; in locis vero humidioribus, ac frigidioribus nequaquam videtur expetenda.

17 Quænam porro affectiones ex quibus terræ qualitatibus pullulare ſoleant, apud Oribaſium videre licet; nobis innuiſſe ſatis ſit cum Fortunato, quamcunque terram, quæ ſicciore ſit temperamento, & aquis, aboribuſque careat, ut ea, quæ nuda dicitur, quemadmodum lapidoſa eſt, argilloſa, macra, & huiuſmodi, ſanitati magis eſſe accommodatam, quam contrariis qualitatibus inſignem.

Domorum autem privatarum ſalubritas & inſalu-
18 britas, ex iiſdem pene rebus dependet, ex quibus locorum & civitatum; ſed quia non modo tantiſper evariant inter ſe, ſed multa in conſiderationem venire poſſunt reſpectu vicinorum ædificiorum, idcirco quod ad eorum negotium pertinere videatur, in eam quæ proximam ſequitur quæſtionum reiiciemus; nunc ante quæ ad locorum conſiderationem ulterius ſpectant, proximâ quæſtione diſcutiemus.

SUMMARIUM.

1 *In locorum mutatione plura conſideranda.*
2 *Vitra aëtem qua conſideranda, in locorum natura examinanda.*
3 *Mutationes omnes cavenda.*
4 *Mutatio non modo periculoſa ex ſalubri in inſalubrem, ſed etiam ex inſalubri in ſalubrem.*
5 *Tenera ætas aëris mutationem facilius ſuſtinet.*
6 *Temperamenta, & ætates quomodo ab Aëris varietate afficiantur.*
7 *Anni tempus maximè advertendum in locorum mutatione*
8 *Mutationes locorum non tam ratione Aëris, quam mutatione Aquarum noxia.*
9 *Inſalubritas qua ex Intemperantia procedit incorrigibilis.*
10 *Aquarum vitium non eſt ſufficiens cauſa non reſidendi*
11 *Patrius Aër ſemper aliis præferendus, contrarium numero ſeq.*
12 *In patrio Aëre conſideranda latens quædam energia.*
13 *Contraria contrariis curari quomodo intelligendum.*
14 *Patrius Aër quomodo præferendus.*
15 *Peſſimum cœlum eſt, quod ægrum facit.*

Quænam, & quo tempore tuta Aëris & locorum mutatio, quæ vero non tuta.

QUÆSTIO V.

DE hac materia copioſiſſimè ſcripſit iam ſæpè adductus Fortú. Fidel. *Relat. lib. 1. cap. 2.* ex quo nonnulla ad hanc rem facientia tranſcribam, libenter vero ad eum lectorem meum remiſiſſem, ſi per ſcribendi neceſſitatem licuiſſet, cum paucula quædam addi poſſint his, quæ ab ipſo allata ſunt, licet nos, non ut ille, exactam de ea re doctrinam tradere cogamur, ſatis enim ſuperque erit, ſi brevibus innuamus, ex qua locorum mutatione in quæ loca, quo tempore, quibus ætatibus, quibus morbis, quibus temperaturis immineat, aut manifeſtum vitæ periculum, aut rationabile, vel certum quoque adverſæ valetudinis diſcrimen, aut altetutrius ſaltem non irrationabile dubium, hoc namque pacto Iuriſconſultis faciemus ſatis, quibus in Iuſtitia miniſtranda id tantum ſcire neceſſe eſt.

In locorum igitur permutatione plura veniunt 1
conſideranda nempe primo terminus, à quo quis ſe movet: ſecundo terminus, ad quem ſe confert: tertio, viæ longitudo, quarto, collatio ipſorum locorum quæ pro terminis conſtituuntur; quinto perſonæ ipſius, quæ locum mutat, conditio, nempe temperamentum, ætas conſuetudo, valetudo, & alia id genus Et quoad loca, tam ad illa, quæ ſe habent ut termi- 2
nus à quo, quàm ad illa, quæ ſe habent ut terminus ad quem, non conſideratur tantum ipſius aeris conditio & natura, ſed cibi & potus ratio, diverſitas inſtitutionis vitæ. & alia quæ in magnis mutationibus conſiderationè digna ſunt. Itaque ab Hippocratis ſententia *lib. 6. Epid. ſect. 3. text. 24.* cú Fortunato exordiamur, dicentes, Mutationes omnes eſſe 3
cavendas, quod ſemper periculoſæ ſint: quo vero maiores, & breviori tempore factæ, nempe magis ſubitaneæ, & plurium rerú reſpectu, eo magis proculdubio periculo ſubijciunt. Si itaque in locorum mutatione non modo aëris natura plurimum evariet, eius loci, qui eſt terminus à quo, ab illo qui eſt terminus ad quem, ſed etiam cibi & potus ratio, & vitæ inſtitutio, & indumentorum uſus

cum

cum aëre ſit immutandus, tunc certiſſimo periculo eam eſſe obnoxiam manifeſtiſſimum eſt. Quod ſi præter hæc, mutatio facienda ſit nullâ habita temporis anni ratione, nullâ ætatis, aut temperamenti, aut valetudinis ejus, qui locum mutat, conſideratione, tunc tantò magis certo periculo hominem ſubiici dicendum eſt. Quod non modo intelligendum, ubi è ſalubri loco in inſalubrem, mutatio fiat, aut ubi ex optima victus ratione, & ex optimorum
4 ciborum, & potuum uſu in pravum victũ, & noxiorum eduliorum, ac potuum uſum tranſitus fiat, ſed etiam, ut ex Celſi verbis inſinuatur, *lib. cap.* 3. ubi contrà è malo in bonum fiat mutatio, ut ſi ex aere maximè craſſo ac calido, in tenuiſſimum, & frigidiſſimum, ex uſu panis fabacei, hordeacei, vel alterius cujuscunque frumenti præter triticei, in uſum panis optimi triticei, & ex potu aquæ in vini potum, & ex comeſtione herbarum, frugum, & ciborum parum nutrientium in comeſtionem carnium, aliorumque eduliorum multi nutrimenti, aut ex vita laborioſa in ſedentariam, aut ex ſedentaria in laborioſam fiat mutatio, ſemper eò magis periculoſa, ut diximus, quo major eſt, & quo magis repentina, & quo plurium rerum reſpectu. Quod maxime notandum, contra vulgarium hominum, imo & vulgarium quorundam Medicorum opinionem, quâ perſuaſum habent, nullum habere in ſe periculum eam mutationem, quâ ex malo aëre in bonum, aut ex malo victus regimine in laudabile pertranſitur. Diverſa tamen eſt tati o reſpectu ætatum, quippe cùm quo magis tenera ætas eſt, eò facilius haſce mutationes ferrè poſſe abſque ſubitaneo & evidenti periculo videtur,
5 eo quod cæteris paribus, Natura non ita præteritæ victus rationi alligata, atque aſſueta ſit, præterquã quod nativus calor, vegetus adhuc & fortis, promptius occurrentem contrarietatem exuperare valet: contrariis autem omnino ex cauſis (licet omnibus ætatibus abſolutè loquendo magnæ mutationes noxiæ ſint) ſenectus præ omnibus ab iis læditur: non dubito autem, quin in particularibus decidendis, plurium eorum, quæ diximus, ratio habenda ſit, ſed tamen ſimpliciter loquẽdo ea videtur eſſe rei veritas

Sed præ omnibus non omittenda ſimul cum ætate temperamenti, habitudinis, & valetudinis conſideratio, cum evidentiſſime pateat, ſenes, eosque qui frigido, & ſicco temperamẽto ſunt, graciles, & quoſdam valetudinarios, ut Aſthmaticos, Phthiſicos, Hecticâ febre detentos Arthriticos, & alios nonnullos à frigido, ac tenui aere ſummopere lędi; contra verò juvenes, & qui calido humidoque temperamento dotantur, habitu plenos, ac pingues, proſperam valetudinem ſortitos, aut valetudinarios quoſdam, ut longâ febre detentos, viſcerum obſtructionibus obnoxios, capitis defluxionibus quibusdam moleſtatos, & id genus alios, ab eodem aere ſummopere juvari. Vniverſim autem magis eſſe periculoſas eas mutationes, quæ ad loca calidiora fiunt, quàm quæ ad frigidiora, notat ex Vitruvio Fortunat. *lib.* 1. *cap.* 2. & ratio eſt, quoniam, inquit Vitruvius, quæ à frigidis regionibus corpora traducuntur in calidas, non poſſunt durare, ſed diſſolvuntur; quæ autem ex calidis locis ſub Septemtrionum regiones frigidas non modò non laborant in mutatione loci valetudinibus, ſed etiam confirmantur.

Verùm maximè inter ea, quæ adnotanda diximus in locorum mutatione, eſt ipſum anni tempus; periculoſa enim ea mutatio eſt, quæ in æſtate, & calidio-
6 ri tempeſtate fit? habetque eandem rationem, quam in regionibus conſideravimus: minus periculoſa imo etiam undequaque tuta, quæ hyeme fit, & frigidiore cœli conſtitutione, quippe cùm ipſum extremum cæli frigus, ipſaque frigida anni tempeſtas aerem omnem, etiam pravum & peſtilentem, perpurgare ſoleat, unde etiam ex ſalubri, puro ac tenui in inſalubrem, impurum, ac craſſum aerem abſque periculo eo tempore mutatio fieri ſolet. Imo in ipſo quoque peſtilenti tempore, minori cum periculo ad loca peſtilentia acceditur hyeme, & frigidiore tempeſtate, quam alio quovis tempore: non tam quia externæ cutis pori obſerati ab externo aere ambiente minus contagium ſuſcipere poſſunt, quam quia ipſe aer ab excedente frigore, vel omnino à putredine vindicatur, vel ſaltem ab ulteriore putrefactione coërcetur concipienda. 7

Sed & illud maximopere advertendum, quod monebat idem Fortunatus, ſed ab ipſo præceptore 8
Hippocrate, multo ante adnimadverſum, nimirum locorum mutationes non tam ratione aeris, & ipſorũ locorum natura fieri periculoſas, quàm ex mutatione aquarum, & intempeſtivo cæterarum rerum non naturalium uſu, quod & nos alias admonuimus. Non erit ergo ſemper culpandum aëris vitium, ſed 6
videndum, ne ex intemperantia, aut inconſideratione ejus perſonæ, quæ locum mutat morbus irrepat, cum is error ſit corrigibilis, & idcireo non poſſit præbere juſtam cauſam non reſidendi in illo loco, vel reſignandi beneficium, & hujusmodi, quemadmodum neque ſufficiens cauſa non reſidendi, aut reſignandi beneficium erit, ſi valetudo ex aquarum vitio originem habeat, nam & hoc vitium 10
eſt de facili corrigibile, ut patet ex ſuperioribus, cum de aquarum pravarum emendatione diſſeruimus.

Movet præterea Fortunatus hujusmodi dubium, an ſemper patrius aer cæteris in bonitate ſit præferendus, quod ſæpè uſuvenit & abſolutè à nonnullis ſententia pronunciatur definiendo, ſemper patrium 11
aerem eſſe aliis præferendum, ſemperque morbis quibusque, Chronicis præſertim, opitulari. Putat tamen Fortunatus, ac prudenter quidem alterâ ex parte quantum mea fert opinio, hoc non eſſe perpetuo verum, dato etiam quod ſemper veritatem habeat, morborum incommoda minus ægrè in patria tolerari, quam extra patriam; cæterum patrium aerem in tantum poſſe quibusdã morbis juvamento 12
eſſe credit, in quantum intemperiei ipſius morbi cõtrariatur; itaque ſi calido quis laboret morbo, & patrius aer frigidus ſit, profectò tunc illi proficuum futurum credit, qui ob ſanitatem recuperandam in patriam redire deſiderat, ſin vero patrius aer calidus ſit, & inſtet infirmus in patriam remeare, quod aer patrius ſibi familiaris ſanitatẽ ſit reportaturus, tunc negat Fortunatus id pro infirmi deſiderio ſucceſſu- 13
rum, verum in aere patrio præter manifeſtas qualitates, quibus morbo contrariari poteſt, conſiderandum mediusfidius cenſeo latentem quandam energiam, & familiaritatem, ſeu ſympathiam, cujus beneficio inſitum calorem recreare, ac roborare in tantum poſſit, ut facilius quoſcunque morbos evincat, abigat. Nam licet facile ſit demonſtrare, habere ſemper veritatem eam propoſitionem, quod contraria curentur contrariis, non tamen ſemper curatio per medicamenta & præſidia fit, quæ manifeſtis qualitatibus morbo, ejuſque cauſæ contrarientur, ſed aliquando ea in uſum trahuntur, quæ ob occultam quandam virtutem ipſum calorem nativum, & vires ægrotantis confortare, ac roborare valent, ſic enim ipſa Natura per ſe abſque alio artis præſidio pravos humores rectificat, corrigit, concoquit, exu- 14
perat, abigit; coctiones omnes meliores efficit,

ſingulas corporis virtutes roborat, unde poſtmodum tranquilla ſanitas emergit. Aërem verò patrium, quique tandem ille ſit, peculiarem hanc facultatem ſortiri, ut nativum calorem vegetet ac roboret, ipſa docet quotidiana experientia: præterquam quod ipſum à ſimili facillimè probatur; nam ſunt qui optimos, & euchymos cibos in pravos vertunt humores, cùm aliàs non ita bonis aſſueti ſint; hos ad minus bonos tranſire permittendos, ſi ægrotaverint, quis negabit? Illud tamen controverti non poteſt, quòd ſi aër patrius multum excedat ita ut aër ubi quis ægrotat, optimus ſit, purus, tenuis temperatus vel moderatè frigidus, & in ſumma ſalubertimus, patrius verò impurus, craſſus, diſtemperatus, calidus, & in ſumma inſalubertimus, tunc quidem ineptum eſſet conſilium, ob id tantùm, quod patrius ſit pravum aërem bono præferre, & ex optimo in peſſimum; ob ſanitatem recuperandam, ſe conferre. Quod maximè procedit, ubi etiam peregrinus aër ex longa mora in ipſo contracta, jam familiaris & ipſi ægrotanti evaſiſſet; nam ſi modico tempore in peregrino aëre æger moram traxiſſet, & fortè ex nimia diſſimilitudine ad patrium aërem ægritudo irrepſiſſet, non eſſet in hoc caſu dubitandum, quod ad patrium aërem remeandum eſſet, etiâſi peregrinus optimus, patrius vero peſſimus eſſet. Verumtamen cùm aër non multum bonitate cedit ei, in quo quis ægrotat, etiamſi morbo non eſſet undequaque contrarius, patrium præferendum cenſerem; quod non ſine exemplo ab Hippocrate mutuato, & ſuperius repetito; dictum volo, qui *lib. 2. Aphor.* 38. paulo deteriorem cibum aut potum, ſuavem tamen, meliori, ac minus ſuavi præferendum jubet, non alia quidem ex cauſa quàm quia natura magis gaudet iis, quæ ſibi grata, ac familiaria ſunt; quod etiam in aeris delectu locum habet qui etiamſi paulo deterior ſit, tamen ſi patrius eſt, ob id magis gratus, meliori, ac ſalubriori eſt præferendus: nam & illud etiam in aere, in quo quis ægrotare cœpit, conſiderandum, quod Celſ. *lib. 2. ſua Med. cap.* 1. monebat, *peſſimum nimirum cœlum eſt, quod ægrum fecit*: non enim hæc aeris, in quo quis ægrotare cœpit, malitia, manifeſtas ij ſius aeris qualitates eſt referenda, hoc namque non ſemper uſuvenit, ut morbus ſit in manifeſtis qualitatibus ipſius aeris, in quo quis ægrotare cœpit, & ut ea de cauſa morbus ab ipſo aere, & foveri & adaugeri valeat; ſed referenda eſt vel ad latentem quandam energiam ipſius aeris, vel ad contrarietatem fortè quam habere poteſt is aer, etiamſi optimus ſit, cum eo qui ægrotat, ut explicat Hieron. de Rubeis, *in hunc Celſi locum*. Si ergo aer laudabilis poteſt peſſimus eſſe, reſpectu cujusdam individui, poterit & illaudabilis etiam eſſe ſalubris reſpectu alterius: quod etiam verbis prædictam ſententiam ſubſequentibus inſinuabat Celſus, ſubdens, *Adeò ut in id quoque genus, quod Naturâ pejus eſt, in ſtatu ſalubris mutatio ſit.* Cùm ergo liceat in pertinaci morbo, ex Celſo, bonum aerem in pejorem ſimpliciter cõmutare, tantò magis licebit, ubi concurrat cum hoc naturalis quædã familiaritas, & ſympathia, qualiter in patrio aere uſuvenire palam eſt. Ubi ergo non ſit magna, & valde notabilis bonitatis diſparitas, inter aerem, in quo quis ægrotat, aut comoratur, & patrium, ſemper dixerim pro ſalute cuſtodienda, aut recuperanda patriũ eſſe tutiorem. Fortunati verò ſententiam locum habere in caſu, in quo manifeſtis qualitatibus contra morbum pugnare oporteat, & aer patrius inſigniter iisdem qualitatibus morbũ fovere poſſit, ita ut periculũm inde certum emerſurũ, pro certo ſit tenendũ.

SUMMARIUM.

1 *Actio, quid dicitur novi operis nũciatio, quid operetur*
2 *In ædificiis conſtruendis contigua quæ conſideranda.*
3 *Actio de novi operis nuntiatione non datur contra ædificia jam conſtructa, ſed de novo conſtruenda.*
4 *Ædificia tã contigua, quam ſibi adverſa quo magis attolluntur, magis invicẽ ſibi incõmodare poſſunt.*
5 *Vnicuique licet ſuum ædificiũ alterius tollere uſque ad cœlum.*
6 *Servitus negativa, ſeu affirmativa quid.*
7 *Quò magis anguſta viæ ſunt, eò magis ædificia ſibi invicem adverſa, ſibi incommodant.*
8 *Quò magis viæ tortuoſæ ſunt, eò magis ædificiis ſibi invicem incommodant.*
9 *In civitatibus viarum latitudo, & rectitudo, cum longitudine conſideratur.*
10 *Ædificia circa quæ ſibi invicem incommodant.*
11 *Proſpectus ad ſanitatẽ nihil facit, niſi per accidens*
12 *Luminum triplex genus.*
13 *Majus incommodum inſurgit ex privatione luminis, quam ex privatione perflatus ventorum.*
14 *Luminum diverſorum diverſa utilitas.*
15 *Majus incommodum emergit ex ædificio, quod Orientem Solem, quam ex eo, quod cœlum mediantem, aut occidentem impediat.*
16 *Dies artificialis quodnam tempus dicatur.*
17 *Anni tempus maximè conſiderandum in decidendo incommodo ex ædificio proveniente.*
18 *Ædificia quomodo reſpectu ventorum ſibi invicem incommodent.*
19 *Servitus altius tollendi ſi detrectetur, quomodo afficiat reſpectu ventorum.*
20 *Venti nonnulli per rectam lineam ſpirantes ſalubriores, alii minus ſalubres.*
21 *Publica ædificia, Opida, Civitates, & hujuſmodi, quæ impedimenta accipere poſſunt ex vicinis.*
22 *Major ratio habenda publici intereſſe, quã privati.*

Quæ incommoda ſanitatis ex importunis ædificiis vicinis habitantibus immineant.

QUÆSTIO VI.

IN hac quæſtione offertur materia ſatis practicabilis, de qua Jurisconſulti nonnulla, ſed pauca habent, ſub titulis de ſervitutibus, tam communibus, quàm urbanorum, & ruſticorum prædiorum, & in tit. *de oper. nov. nunc. in lib. ff.* & in tit. *de ſervit. & aq. Cod.* Occurrit enim ſæpiſſimè in ædificiis conſtruendis, in nonnullisque aliis circa particulares domos peragẽdis, dubitare de incommodis, quæ vicinis ex tali conſtructione, aut rerum actione emergere poſſunt, ac tunc ipſis vicinis cõpetit Actio, quæ dicitur novi operis nunciatio, quâ ſibi cavere licet, ne quid vicinus in præjudiciũ ſui innovare valeat circa ædificia ſuis contigua ut in tit. ipſo *ff. de operis novi nunciatione* manifeſtum ſit. In harum verò pleriſque occaſionibus Medici advocantur in conſilium, ut cum ex conſtructione alicujus muri, vel parietis, vel ex elevatione alicujus ædificii, vicini domui obeſſe contingit, impediendo Solis illuſtrationem ab aliqua domus parte, vel aeris ipſius à ventis perflationem, ob quas cauſas domus ipſa vicini inſalubrior in poſterum futura ſit, vel cum ex demolitione veteris muri, vel cujuscunque ædificii, vel ex Sylvæ cæſura privata domus, vel Civitas aliqua nocumentum recepturа eſt, quod inſalubriorem Cœli aſpectum habitura exinde ſit, vel quod inſalubrioti vento perflatum ſit receptura, & ſic de cæteris, ut videbimus.

Itaque nos quantum ad Medicos pertinet, dicamus, in ædificiis quibuscunque, ſed præcipuè in urbanis, cõſiderari debere ipſorum ædificiorum altitudinem, vicinitatem inter ipſa intercedentem, viarum ea dirimentium

mentium dimenſionem, ſpatia in ipſis ædi- iis ad lumen, aut ad proſpectum, vel ad commodum aliud, vel ad pulchritudinem, & magnificentiam, vel ad horum nonnulla, aut ad omnia ſimul relicta, ut feneſtræ ſunt, portæ, angiportus, xyſti, cohortes, ambulacra, ac præterea nulla alia ad ipſa attinentia, vel ipſis contenta, ut Hortus, Pomaria, Fontanæ, Ciſternæ, putei, Camini, Latrinæ, & alia permulta. Ex quibus omnibus, ut dixi, videndum, quæ incommoda vicinis ædificiis emergere poſſint: nam ſi incommodo ſint, poterunt prohiberi ne fiant, ne conſtruantur: neque enim ſi jam facta, aut conſtructa ſint, competit ea actio, quæ 3 novi operis nunciatio dicitur, ut patet *per l. 1. 2. ff. de oper. nov. nunc.*

Primò igitur, quoad ædificiorum altitudinem, hæc ſit concluſio, Quò magis ædificia vel ſibi contigua, vel adverſa attolluntur, eò magis ſibi ſibi 4 invicem incommodare poſſunt, tam quoad lumen, quàm quoad ventorum perflatum, atque etiam ad pleraque alia; unde & poteſt prohiberi vicino, ne altius tollat, & cogi poteſt ad altius tollendum, nam & quanto minus attolluntur ædificia vel contigua, vel adverſa, tantò magis patet aditus aut inſalubri vento, aut Cœli aſpectui non laudabili: non enim ex eo quòd unicuique regulariter liceat ſuum ædificium tollere altius uſque ad Cœlum, *ut per l. Altius quidem, & l. ſeq. C. de ſervit. & aq.* & per alias 5 adductas à Cæpoll. *de ſervit. ruſt. præd. cap. 11. num. 4.* idcirco non licet ex juſta cauſa, & dominio hanc ſervitutem altius non tollendi vicino imponere; plures enim ſunt, & eſſe poſſunt, cauſæ, ob quas noceri mihi contingit, ſi tuum ædificium meo contiguum, vel adverſum altius extollas; quod nocumentum ut evitem, poſſum, ſi jus habeam, tuo ædificio hanc ſervitutem imponere, ut altius non tollatur; nihil enim aliud eſt ſervitus negativa, niſi pro- 6 hibitio ad ædificium, vel prædium pertinens ejus, quod aliàs liceret, ſicuti affirmativa coactio ad ea præſtanda, quæ in domini voluntate ſunt. Porrò notiſſima eſt ſuperior concluſio, & idcirco probatione non eget, & procedit etiam quoad vicinitatem, nam quò magis ſibi invicem vicina ædificia ſunt, eò magis ſibi invicem obeſſe neceſſe eſt.

Secundò, quoad viarum dimenſionem ſimilis concluſio efformari poteſt; nam quò magis auguſtæ 7 viæ ſunt, tantò ædificia ex adverſo poſita ſibi invicem incommodant, & quoad lumen, & quoad aëris perflatum, & quoad Solis reflexum. Ratio eſt, quia quantò propinquius unum ædificium alteri eſt, tantò magis in umbra illud eſſe neceſſe eſt, quod ad Occidentem, vel Septentrionem vergit; tantò minus etiam, quod alteri ſubeſt, à ventis perflatur, qui ab ea parte eminentioris nempe ædificii ſpirant: nam linea, per quam venti feruntur, in imminens ædificium terminatur, neque pertingere poteſt ad ædificium ſubjectum, ſed illud præterit, unde hujus aër ab ejus venti perflatione immotus permanet; ſed & tantò magis contra poſitum ædificium à reflexis Solis radiis, & calefieri, & illuminari contingit ob vicinitatem; reflexi enim radii quantò magis ad diſtans extenduntur, tantò magis propriam vim remittunt, ut experientiâ patet.

Tertiò, quo magis tortuoſæ, & flexuoſæ viæ ſunt, 8 eò magis ædificia tam contigua, quam adverſa, ſibi invicem & quoad lumen, & quoad ventorum perflatum, & quoad reflexum officere contingit: quod tantò promptiùs evenit, quantò viæ ſunt anguſtiores; nam præter ſupradicta in ſecunda concluſione, accedit hîc quoad ædificia Soli oppoſita cùm tortuoſa ſint, majorem umbram faciunt, cùm recta minorem faciant, quòd illa majus, hæc multo minus ſpatium occupent: eſt enim linea recta omnium breviſſima, cumque tortuoſa ædificia majorem extenſionem habeant reſpectu diverſarum partium ipſius cœli, plures etiam ventorum flatus impedire ea oportet; & ſiquis ad eas perveniat, ob eandem tortuoſitatem non habens exitum, aëremque agitando, plures quaſi ventos efficit, qui nequaquam aëris ſalubritati ſunt accommodi. Quin & reflexum radiorum Solis moleſtiorem ab his tortuoſis ædificiis fieri contingit, quòd Solis radii in unum coëuntes, magis uniti cùm eorum curvos parietes feriunt, majorem vim ſortiti in adverſas habitationes majori cum vehementia reflectantur. Itaque prudentiſſimè his ex cauſis Oribaſ. *lib. 9. collect. cap.* 20. & ex ipſo Fortun. *cap.* 1. viarum latitudinem, & rectitudinem in civitatibus deſiderat; ſed & longitudo erat addenda, nam viarum frequentia brevitati conjuncta earundem tor- 9 tuoſitati æquiparanda eſt: neceſſe enim eſt vias breves numero multiplicari, & ſic ſeſe mutuò interſecare, ac veluti obices ſibi mutuo fieri. Nec minus nocet viarum tortuoſitas quoad aërem; nam ex ea cauſa non obſcurè aërem turbari, ex Sabino dicebat Oribaſ. *vbi ſupra*, ob flexus ad ventos ipſos obliquos, unde cùm unus vêtus ſpirat, multos fieri accidit, eoſque pugnare inter ſe; nam ventus per rectum fluit, at viæ non ſunt rectæ, ergo incidens in eas, quæ exitus non habent, ventus non ingreditur; quia ei nulla ibidem patet via, aërem verò, qui in ea via eſt collidit, & undabundans per flexus, eaſque vias quæ exitus habent, jactatur, quandoquidem aliter ab aliis atque aliis inflectatur, & refrigatur; à quibus autem vibratus circumfluit, & ſæpè viciſſim fertur, in eis ad eadem loca debilis fluit, & undoſus ſeſe jactat, à quibus verò in alios conſtitutos mittuntur, contrarias ſpirationes faciunt, ut lumen luminis reflexum, ad pares enim angulos ſemper reflectitur, & quæ ſequuntur. His tamen non obſtantibus, Urbe Roma Neronis fraude incendio abſumpta, cùm illa inſtaurandam curaret, ut pulchriorem redderet, latis viis illam conſtruens multis probatum non eſt; nam erant, inquit Tacitus *lib. 15. Annal. curſ. med.* qui crederent, veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perindè ſolis vapore perrumperentur, at nunc patulam latitudinem, & nulla umbra defenſam graviore æſtu ardeſcere.

Et quoniam, ut ex ſuperioribus patet, incommoda quæ ex proximis ædificiis invicem emanant, in uno eodemque genere majora & minora eſſe poſſunt, determinandum idcirco, quodnam majus ſit, facta comparatione, & inter incommoda diverſi generis, & inter ea quæ ejuſdem generis ſunt. Diximus autem ædificia ſibi invicem incommodare poſſe, & circa proſpectum, & circa lumen, & circa aëris per- 10 flationem, & circa ejuſdem puritatem, & bonitatem; ſiquæ autem incommoda ex aliis rebus ad ædificia attinentibus emergunt, adhæc reduci poſſunt. Iam verò proſpectum omnium minimè ad ſalubritatem conferre, notum eſt, ad amœnitatem enim ſolùm in- 11 ſervit, licèt per accidens ad alia inſervire poſſit: majuſne autè ſit in commodum ex privatione luminis inſurgens, quàm illud quod ex privatione perflatus aëris emanat, non videtur difficulter terminari poſſe, ſtante ejus concluſionis veritate, quam aliàs induximus. Solem eſſe, qui aërem rectificat. Dicamus tamen, luminis conſiderari poſſe triplex genus, 12 juxta Mathematicos, qui primum vocant primarium, ſecundum ſecundarium, tertium tertiarum. Primum illud dicunt, cùm illapſus ſunt radioſi,

nempe inquam lumen ab ipſis radiis primò factum, ſecundarium illud, quod eſt in loco illuſtrato ab illapſu eorundem radiorum per totum cubiculum. Tertiarium, cùm ex ipſo loco illuſtrato lumen recipit alius locus per ſe non luminoſus. Ergo ad negotium noſtrum magis facere crediderim, ſi dicamus, à Sole nos habere lumen vel mediatè, vel immediate. Immediatè, vel per directum, vel per obliquum, ſeu
13 transverſum; mediatè per reflexum luminis immediati, vel rectâ, vel obliquè. Quibus ſtantibus dicamus, quòd majus ſit incommodum ex parte privationis luminis immediati, ſive illud directum ſit, ſive transverſale, vel obliquum, quàm ex parte privationis perflatus ventorum. Quod perſpicuum fit, quia lumen alterutrum facilè emandare poteſt quicquid vitii aër contrahat ex immobilitate, & privatione perflatus ventorũ, at ventus nõ poteſt è contra tam facilè emendare incommodum proveniens ex perpetua umbra, quæ aërem ipſum frigidiorem, & humidiorem, ac conſequenter inſalubriorem facit: nam hoc incommodum potiùs augetur ab aeris perflatu, quàm tollatur, præterquam quòd etiamſi ab uno vento aer perflari ab alio, at de Solis illuſtra-
14 tione nequaquam idem evenire poteſt. Non videt r tamen parem habere utilitatem lumen mediatum, per reflexum habitum ſive obliquum, ſive rectum, ut ejus privatio æquiparari poſſit privationi perflatus aëris, & maximè ſi impediatur ventus aliquis ſalubris; niſi obſtet quòd & lumen etiam mediatum, & maximè rectum calefaciendo aërem poſſit aliquo modo perpurgare; unde dicendum potius videtur, multò minus incommodare privationem luminis per reflexum, reſpectu privationis perflatûs aëris, quàm privationem luminis cujuſcumque reſpectu ejusdem perflatus aëris.

Sed hæc de incommodis, & nocumentis diverſæ
15 ſpeciei inter ſe comparatis; nunc de iis, quæ ejuſdem generis ſunt, dicamus, majus incommodum emergere ex ædificio, quod Orientem Solem, quam ſi eundem in Meridiano exiſtentem, aut Occidentem
16 impediat, unde diviſa tota artificiali die in quatuor partes, (eſt autem dies artificialis illud temporis ſpatium, in quo Sol eſt ſupra Horizontem, ſicuti nox artificialis illud, in quo Sol eſt infra Horizontem, ut per auctores in Sphæram Clavius *in 1. cap. de Sphær.* cùm agit de Horizonte, vel eſt tempus à mane ad veſperam, ut Gloſſ. *in l. More Romano ff. de feriis.*) majus nocumentum afferet ædificium, quod impediat vicino Solis illuſtrationem in prima diei parte, dehinc quod in ſecunda, & ſic de reliquis; nam minimè omnium incommodat, quod Occidentem impedit Solem, ut jam ex ſuperioribus liquet. Cum his tamen revocandum in mentem eſt, quod de peculiari regionum natura aliàs diximus, quia in temperatis procedent quidem ea quæ diximus, in calidioribus minus damnum emerget ex impedimento illuſtrationis Solis in meridie exiſtentis, contrà in frigidioribus majus.

Sed & circa hæc anni tempus multum momenti habet; nam, ut aliàs dictum eſt, non ſemper Sol in eodem Cœli puncto præcisè oritur, aut occidit,
17 neque ſemper eandem cœli mediationem habet: in ortu enim, aut occaſu ſpatiatur per totum tractum illum, qui comprehendit quartam totius circuli partem, & inde oriens, aut occidens dicitur; in mediatione verò cœli habet majorem, & minorem elevationem, ut notum eſt: itaque, ut exemplis agamus, majus damnum emergit ex impedimento orientis Solis hyberno tempore, quàm æſtivo ex uno capite, ex alio contrà; item majus ex impedimento Solis mediantis cœlum hyberno, quàm æſtivo tempore, & ſic de cæteris.

De ventis porrò eadem eſt conſideratio; nam pro ipſorum ſalubritate, vel inſalubritate poteſt ædifi- 18
cium, quod altius extollitur, magis aut minus proximo, aut adverſo obeſſe; nam ſi ædificium quod contra meum extollitur, vel meo contiguum, impediat ventos Occidentales omnium ſalubertimos, majori incommodo proculdubio mihi erit, quàm ſi impediat ventos Septemtrionales; magis etiam nocebit, ſi impediat Septentrionales, quàm Orientales, aut Meridionales. Et quemadmodum hæc conſiderata ſunt 19
reſpectu ſervitutis altius non tollendi, ſic conſiderate ea licèt reſpectu ſervitutis altius tollendi: nam ſi ædificium contra meum poſitum altius non tollatur, & ab ea parte Meridionales vel Orientales venti ædificium meum impetant, majori mihi damno erit, quàm ſi ab eadem parte Septentrionales, vel Occidentales ſpirarent. In ſingulis tamen caſibus videndum, an venti ad ædificium, ſervitus debetur, per rectam lineam, vel per obliquam, aut transverſim, & per reflexum accedant: nam aliqui per rectam lineam ſpirantes ſalubriores, alii minùs ſalu- 20
bres; ſunt enim qui ſalubriores evadant, ſi vel per obliquam ſpirent, vel aliquo modo refracti ad nos perveniant. Sed quæ in particularibus ædificiis di- 21
ximus, ad publica, & univerſalia loca quoque transferenda, nempe ad Oppida, Tertas, Villas, civitates, Provincias; nam & hęc loca à vicinis ſylvis, vel 22
montibus, vel aliis quibuſcunque obicibus eadem incommoda reportare poſſunt, vel à Sylvarum cæſura, & montis deſtructione, vel à Sylvæ plantatione, & montis, vel arcis conſtructione, quæ privata ædificia inter ſe ſibi communicare dicimus cùm non attolluntur, cùm tolli non deberent. Quòd verò major ratio habenda ſit incommodi, quod ex publico, aut privato impedimento publico loco emanat, quàm ejus quod privato non eſt quod longioribus demonſtremus, nam non ipſis Legumperitis ſolùm eſt notiſſimum *per l. pupillo §. ſiquis rivos ff. de nov. oper. nunc.* ſed & aliis quibuscunque, & facit ex Medicis Rodetic. Caſtrenſ. *de Med. Polit. lib. 1. cap. 12.* alia tandem nonnulla quæ huc pertinent, in ſeq. quæſtione diſcutiemus.

SVMMARIVM.

1 *Res quasdam penes ſe, ac ſuum ædificium habere, ſervitus quædam eſt.*
2 *Cloacæ ſpectant ad publicam utilitatem.*
3 *Cloaca quid.*
4 *Cloaca quantò major, eo magis damnoſam ſervitutem facit.*
5 *Major ſervitus eſt Cloacæ inferius os, quàm ſuperius penes ſuum ædificium habere.*
6 *Cloacæ mundæ, ac liberæ ſint oportet.*
7 *Cloacas purganti vis fieri non poteſt.*
8 *In Cloacam publicam nihil immitti poteſt, quod ejus uſum deteriorem faciat.*
9 *Aquæductus, & Canales quodnam afferant incommodum*
10 *Horrea duplicis generis, & quodnam afferant incommodum.*
11 *Horti quomodo vicinis officiant.*
12 *Pomaria quomodo damno ſint.*
13 *Prata quodnam incommodum afferant.*
14 *Furnus an damno vicino ſit.*
15 *Fornaces quodnam afferant incommodum.*
16 *Sterquiliniorum damna.*
17 *Stabula an damnoſa.*
18 *Immunda Artes quantum Civitati noceant.*

De

De Cloacis, Aquæductibus, Canalibus Horreis, Hortis, Pomariis, Furnis, Fornacibus, Sterquiliniis, Latrinis, Stabulis & de Artibus immundis.

QUÆSTIO VII.

SVnt quædam in Civitatibus, quæ omnino neceſſaria incolis ſunt, abſque eorum præſentia plurimum incommodi ſubituris, quæ tamen vel immunditie, vel illuvie, vel pravis evaporationibus ab ipſis aſcendentibus, vel aliqua alia ex cauſa vicinorum ſanitati facilè obeſſe poſſunt, idcirco huiuſmodi res penes ſe, ac ſuum ædificium habere, ſervitus quædam eſt, ut patet multoties per ll. *in tit. de ſervitutibus*

1 Horum tamen ſingula enumerare ſupervacuum eſt, ſed vt ad aliquorum exemplar de cæteris iudicare liceat nonnulla hic videntur recenſenda.

Frequentes ergo in Civitatibus Cloacæ ſunt, & eo frequentiores, & maiores, quo magis populoſa, & magis capax Ciuitas eſt: nam pertinent quidem Cloa-

2 cæ ad publicam utilitatem, *l. 1. Quia autem ff. de Cloac.* Quid ſit autem Cloaca, definitur à ll. *id ead. l. 1. §. Cloaca*, ſic: Cloaca eſt locus concavus per quem

3 colluvies quædam fluunt. Sed lex, ut apertiſſimè patet ex ipſiuſmet ſubſequentib. verbis, Cloacæ nomen ſatis genericè accepit, prout & Tubum, & Fiſtulam continet: imò ſic definita pro aliis quibusdam accipi poteſt. Sed quicquid ſit de hoc, in Cloacis non modò conſideranda concavitas illa, quæ veluti canalis quidam eſt, per quem aquæ projectitiæ & pluviæ, & quælibet viarum immundities in flumen, vel alium quemlibet locum expurgantur, ſed etiam duplex terminus, à quo nempe, & ad quem vel ſuperius, inferius ipſius Cloacæ foramen, aut os, nam per ſuperius, quod terminus à quo dici poteſt, omne immunditiarum genus receptum, ac per cavitatem delatum per inferius, quod terminum

4 ad quem vocamus, in alium locum, vt in flumen, vel in maiorem aliquam Cloacam demittitur, Conſideranda quoque ipſius Cloacæ magnitudo, & capacitas quædam enim earum magnæ ſunt, quædam parvæ, quædam maximæ, ut quæ alias expurgant, qualis erat Romæ: his conſideratis dicendum, quod Cloaca quanto maior eſt, tanto oneroſiorem, & magis damnoſam ſervitutem inferat; cùm quanto maior eſt tantò maior copia exhalationum, & putredinoſorum vaporum inde elevata, vicinas ædes inficiat: præterquâ quod propinquas habitationes, & vicina loca atque ea quoque, per quæ eius ductus pertranſit humidiora, & minus ſalubria proculdubio efficit, & in ſumma ex Cloacæ propinquitate ſemper damnum aliquod aëris ſalubritati majus vel minus, pro

5 ipſius magnitudine emergit.

Cæterum maiori damno eſt Cloacæ inferiorem exitum quam ſuperiorem prope ſe habere; & ratio eſt, quia locus, in quem Cloaca immundities deponit ſemper earundem immunditierum reliquiis ſcaret, &

6 ſic multo magis magiſque indefinenter aerē proximum infici inde contingit; contra vero ſuperius foramen, licet aliquando iiſdem immunditiebus ſcateat tamen, vel à frequenti pluvia, vel ab hominum ipſorum diligentia facillimè expurgatur, & ab eo incommodo vindicatur præterquam quòd hoc ipſum edicto cavetur, nempe ut Cloacæ liberæ ſint, & mūdæ, cùm hoc ad ſalutem publicam pertineat, ut *l. de pupillo §. ſi quis rivos, ff. de nov. oper. nunc & iam cit. l. 1. ff. de Cloacis.* unde vertatur utrobique per l. ne purganti, aut mundanti Cloacas vis fiat; etiamſi ad ædes alienas Cloaca pertingat; nam habet liberam actionem, qui Cloacam mundare vult etiam per ædes alienas, dummodo reſtituat Domino, ac reſiciat, quòd operis vitio factum eſt; ex quibus palam eſt, quanti fiat à ll. damnum, quod ex Cloacis non ſolùm vicinis, ſed vniverſæ civitati emanare poteſt. Quod ut melius demonſtrarent, veritum per ipſas eſt, ne quid in publicam Cloacam immittatur, neve quid in ea fiat, ex quo Cloacæ uſus evadat deterior, ut ſi in eadem cadavera brutorum, vel illuvies alias quis immittat, quæ Cloacæ ductum, & ipſius expurgationem remorentur: nam hoc modo augentur putredinoſæ exhalationes ex ipſa Cloaca, & Civitatis aër facili negotio inficitur.

Aquæductus, & Canales (habita ſemper ratione 9
eorum magnitudinis (ſi puram aquam contineant, nullum habent in ſe incommodum, ſi hoc unum excipias, quòd ædificiis & habitationibus humiditatem communicent, & eam ob cauſam illas reddant inſalubriores; quod ſi etiam imputam aquam contineant, & illuvie ſcateant, non ſecus ac ipſæ Cloacæ etiam pravis exhalationibus poſſunt eſſe moleſti. 10

Horrea duplicis generis, quantum mihi conſtat, eſſe comperi, triticum enim vel in quibuſdam ædificiis ad hoc conſtructis, aut domiciliis aſſervatur; quæ propriè vulgo granaria dicuntur, & frumētariæ cellæ, vel ſerventur in ſubterraneis foveis ad eum effectum excavatis utrumque genus noxam afferre vicinis poteſt; non enim ignotum eſt, quod ab ipſo tritico prodit exhalatio quædam moleſta, præterquam quòd cùm in granariis aſſervatur, frequenti agitatione indiget, ne teredinem concipiat, aut ſuperexcalfiat, aut à quibuſdam aliis animalculis exedatur: in frequenti vero illa agitatione pulvis ab ipſo elevatur, qui quam ſit noxius, nullus eſt qui neſciat. Sed maius multo incommodum afferre granaria quæ in puteis ac foveis fiūt, declarat aeris pernicies, quæ ab his exhalat cum aperiantur, ut frumenta inde eximantur. Quod optimè noverunt propriâ experientiâ edocti, ii qui improvidè, & abſque ulla cautela in ipſas frumentarias foveas deſcendunt antequàm pravus ille āer in illis incluſus prorſus exhalaverit. Quamobrem non modo prohiberi vicinos poſſe exiſtimavetim, ne tales frumentarios puteos conſtruant, ſed etiam ut jam conſtructos deſtruēdos curent. Cellæ vero ad eundem finem fabricatæ in magis apertis civitatis locis, & in extrema ipſius parte longè ab incolarum habitationibus conſtruendæ ſunt licet non tam noxiæ, ut prænominati putei, eſſe poſſint.

Horti nonnullis nominibus vicinis officere poſ- 11
ſunt, quoad ſanitatem; non modo enim pravis exhalationibus ex ipſis plantis hortenſibus elevatis noxii ſunt, ſed etiam ſtercoratione, quibus indigent, nocent, vt elicitur ex Gal. 3. *Epid. comment. text.* 14. ex quo Fortun. *Relat. lib. 1. cap. 1.* Addo hic quid continuâ irrigatione aerem reddunt humidiorem, qui cum apricitate iam calidus exiſtat, inde calidæ & humidæ naturæ effectus, facillimè putredinem acerſit, & in cauſa eſt, ut illum inſpirantes promptiſſimè putridas febres concipiant, obſtructiones, cachexiam: hydropem, & alios huiuſmodi morbos, ut obſervare ſæpe licet in ipſis hortorum cultoribus.

Pomaria autem neque tam aſſiduâ indigent aqua- 12
tione, neque tam perenni ſtercoratione, ſed quoniam Solis illuſtrationem impediunt, aerem frigidiorem, & humidiorem reddunt, & minus ſana ob id ipſum & ipſa evadunt. Neque aliam ob cauſam conceſſiſſe puto ll. *in l. 1. ff. de arb. cad.* ut ſi arbor ex

ædibus tuis meis ædibus impendeat, eam te invito mihi cedere liceat, quia poteſt aliquo modo mihi nocere.

13 Sed & Pratum (nempe locus in quo ad fructum percipiendum falce opus eſt. *l. Pratum. ff. de rer. & verb. ſignific.*) inſalubrem aërem facilè ſua humiditate reddit: vnde ſi cùm agrum reſtibilem haberes propter meum prædium, pratenſem illum effeciſti, videndum an iuſtam actionem contra te intentare ob prædictam cauſam mihi liceat, quam Iuriſconſulti decidant.

14 Furnus ad panes coquendos, licet nullum, aut modicum videatur in ſe vitium habere, attenta tamen loci conditione poteſt aliquando vicino & tædium, & inſalubritatem aëris afferre, ut ſi regio calidiſſima, ſi Domus meridiei expoſita, & cætera ad hunc modum.

15 Fornaces autem multum vitij in ſe habere palam eſt, & miror in media civitate nonnullos ad calcem etiã excoquẽdam permitti, nam quæ ad figulina vaſa percoquenda, aut ſcyphos, cululloſque Chryſtallinos, vel vitreos, aliaque permulta vaſa effingenda conſtruantur, non tantum noxæ habere crediderim at illæ, nempe quæ ad nitrum aut calcem excoquendam inſerviunt, duplici nomine inſigniter vicinis officiunt; primo, quia aërem notabiliter excalfaciendo illum æſtuoſum reddunt & ſuffocantem; ſecundò, quia evaporationibus à calce ſublatis ipſum aërem labefactant, qui inſpirantium pectoribus maximè eo modo evadit. Illud veritatem habere quivis novit, temporis & anni rationem eſſe habendam,

16 cùm hyberno tempore minùs, æſtivo maximè noxiæ eæ fornaces ſint.

Sterquilinia poſſe & ipſa facilè ſanitati officere non eſt dubium: putridum enim vaporem aſſiduè exalant, unde æſtivo tempore valde ſuſpecta eſſe debent, curandumque ut ſæpiſſimè mundentur, ob eam cauſam videndum Iuriſconſultis eſt, an prohiberi à vicinis poſſint, etiamſi per longum tem- 17
pus huiuſmodi ſervitus duraſſet, non tantum ob privatum intereſſe, quam ob publicum: periculum enim eſt, ne civitatem inficiant, maximè ubi alias ſuſpicio eſſet peſtis, non permittenda ergo niſi extra habitata loca. Sed & ſtabula nonnihil vitii habent niſi quotidie à ſimo emundentur, is enim in cumulos aggeſtus, & ſuperexcalfactus putrorem concipit & facilè cum inde eximitur, aërem poteſt inficere, nonnullis autẽ vicinis eã ob cauſam capitis dolorem excitari, aliquando etiam febrem expertus non ſemel ſum; de latrinis non eſt quod quicquam addam nam eas moleſtas eſſe, & ſanitati, & mundiciei, non eſt qui neſciat. 18

Denique immundas artes, nempe quæ fœtorem excitant, quantum publicæ, & privatæ ſaluti noceant, norunt omnes: idcirco quædam earum, ut contraria eſt; & huic affines, fides ſeu Chordas pro inſtrumentis muſicis ex animalium inteſtinis præparantes, & quæ ſevaceas candelas fabricant*, carnificina, & id genus aliæ in locis ſeorſum ab aliis collocandæ, ut hic Romæ de prioribus fit, ubi prope Tyberim habitant, ut fluminis commoditate proprias domos expurgent, & ut ſua ipſorum arte publicæ ſanitati non noceant; nam ſi artem exercere per quam malus odor vicinis fiat, etiam in domo ſua prohibetur quis exercere. Cæpoll. *de ſervit. urban. prad. capite* 48. *numero* 3. Quantò magis huiuſmodi artes prohiberi debent, quæ cum fœtore etiam aërem inficiunt? Et de his, quæ ad huius Tituli argumentum facere videbantur, hæc ſatis ſunto.

FINIS TOMI PRIMI.

PAULI

ZACCHIÆ

ROMANI,

TOTIUS STATUS ECCLESIASTICI

PROTO-MEDICI GENERALIS,

QUÆSTIONUM

MEDICO-LEGALIUM

TOMUS SECUNDUS,

CONTINENS

LIBROS VI. VII. VIII. & IX.

Editio Nova, à variis mendis purgata, paſsimque interpolata; & novis recentiorum Authorum Inventis ac Obſervationibus aucta.

Curâ JOANNIS DANIELIS HORSTII, diverſorum S. R. I. Principum Archiatri, & Collegij Medici Mœno-Francofurtani Senioris.

Præter Indicem Librorum, Titulorum & Quæſtionum, annexus eſt Index Rerum Notabilium locupletiſſimus.



LUGDUNI,

Sumptibus ANISSON & JOANNIS POSUEL.

M. DCC I.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

PAULI

ZACCHIAE

ROMANI

TOTIUS STATUS ECCLESIASTICI

PROTO-MEDICI GENERALIS,

QUÆSTIONUM

MEDICO-LEGALIUM

TOMUS SECUNDUS.



LUGDUNI,

Sumptibus ANISSON & JOANNIS POSUEL.

CUM PERMISSU SUPERIORUM

INDEX LIBRORUM, TITULORUM, ET QUÆSTIONUM MEDICO-LEGALIUM Tomi Secundi.

LIBRI SEXTI

TITULUS I.

De Medicorum erroribus à Lege punibilibus.

QUÆSTIONES.

I. MEDICI nomine qui veniant hic, quot modis errare Medicus dicatur, & quinam errores sunt à Lege punibiles. 443
II. In quibus casibus Dolus, in quibus verò ignorantia, in quibus denique Negligentia præsumi possit. 445
III. De erroribus Medicorum Rationalium, & primò de iis, qui ad mores & scientiam spectant. 447
IV. De erroribus omissionis ad Consilia spectantibus. 449
V. De erroribus commissionis ad Consilia spectantibus. 452
VI. De erroribus omissionis circa operationem. 456
VII. De erroribus commissionis circa operationem. 458
VIII. De erroribus tam in omittendo, quàm in committendo ad mercedem spectantibus. 465
IX. De Chirurgorum, aliorumque similium Artificum erroribus. 468
X. De Aromatariorum, & Seplasiariorum erroribus. 471
XI. De Empiricorum, & Chimicorum erroribus. 473
XII. De Obstetricum erroribus. 474
XIII. De assidentium, seu ministrantium erroribus. 476

TITULUS II.

De Tormentis & Pœnis.

QUÆSTIONES.

I. Tormentum, Quæstio, Tortura, Pœna quid. Tormentorum quot genera, quot item genera Pœnarum. 477
II. De Gradibus Torturæ, & de Carceribus. 482
III. De Tormentis in specie, & primò de Tormento funis, 484
IV. Quænam impedimenta in causa esse possint, ne rei chordæ Tormento subjiciantur. 487
V. De Tormento Vigiliæ. 491
VI. Reos in Tormentis deficere ex quibusnam signis cognosci possit. 492
VII. De Taxillis, Sibillis, & Ferula. 493
VIII. De pœnis. 494

TITULUS III.

De Præcedentia inter Medicum & Jurisperitum.

QUÆSTIONES.

I. Quid sit Honor, quid Præcedentia, Honor major uni, quàm alteri, cur debeatur in Republica. 496
II. Objecta in Medicinam, & Medicos. 499
III. Objecta in Leges, & Legumperitiam. 503
IV. Respondetur iis, quæ contra Medicinam, & Medicos objecta sunt. 506
V. Satisfit ad ea, quæ contra Jurisprudentiam, ejusque Professores objiciuntur. 513
VI. Lex quomodò orta, Politica unde originem traxerit, unde item Jurisperitia. 515
VII. Vocum ac terminorum elucidatio. 517
VIII. Decidendæ quæstionis ratio ostenditur. Objectis in contrarium respondetur. 518

LIBRI SEPTIMI

TITULUS I.

De Monstris.

QUÆSTIONES.

I. DE Monstri, Ostenti, Portenti, Prodigii appellatione, Monstrum quid, & quotuplex. 525
II. De causis generationis Monstrorum. 531
III. Quæ monstra ex diversis specie animalibus progigni possint, quæ non; quæ item ex humana specie possibilia, quæ non. 534
IV. Quæ monstra in humana specie rationalem animam sortiantur, quæ non. 541
V. Bicorpora Monstra, & quæ principaliora membra duplicata habent, pro unicone homine, an pro gemino habenda. 542
VI. Quæ Monstra vitalia, quæ non vitalia. 544
VII. De partu ex Incubis suscepto. 545
VIII. De Hermaphroditis. 549
IX. Novæ Monstrorum aliquorum historiæ, & alia circa hanc materiam scitu digna. 556

TITULUS II.

De Officiis divinis.

QUÆSTIONES.

I. Quænam requirantur in recitandis Officiis divinis, quæ item in Missa dicenda, vel audienda. 562
I. Quinam morbi excusare possint à privata divinorum recitatione. 564
III. De recitatione publica in Choro facienda. 572
IV. Qui recitare Officia divina non possunt, an teneantur alium recitantem audire, & quænam etiam ab auditione recitanda hominem excusare possint. 575
V. Qui morbi Missæ dicendæ, quive audiendæ impedimento esse possint. 576
VI. Medica præcepta in recitandis divinis Officiis iis servanda, quibus recitatio ob aliquem morbum nexia quoquo modo esse posset. 578

TITULUS III.

De Debito Conjugali.

QUÆSTIONES.

I. Quando, quantum, quomodò debitum conjugale sit reddendum. 580
II. De his, quæ virum à redditione debiti excusare possint ex parte sui. 590
III. De his, quæ Vxorem à debito reddendo excusant ex parte sui. 595
IV. De his, quæ vel alterum, vel utrumque Conjugem prohibent exigere. 599
V. De his, quæ Conjuges à redditione debiti excusant ex parte alterius. 602
VI. Examinantur nonnulla, quæ secundùm Canonistas in usu Matrimonii cum peccato inter Conjuges contingunt. 605

TITULUS IV.

De Stigmatibus Magorum.

QUÆSTIONES.

I. Quid sint Stigmata, de quibus hic, & historica eorum disquisitio. 609
II. Utrum ejusmodi naturæ Stigmata dari possint. 612
III. Rationes nonnullæ in Stigmatum defensionem producuntur, illisque occurritur. 615
IV. Naturâne, an Arte caro viventis hominis ita affici possit, ut puncta dolorem non sentiat, nec sanguinem effundat. 616
V. Ex præcedentibus quid eliciendum. 621

LIBRI OCTAVI

TITULUS I.

De Irregularitate.

QUÆSTIONES.

I. IRregularitas quid, & quotuplex, & quænam circa eam Medicus considerare possit. 621
II. De Irregularitate spirituali, & utrum Medicinæ exercitium inducat Irregularitatem. 623
III. De Irregularitate ob causam morbi, in genere. 625
IV. De morbis magis specialiter, & primò de iis qui secundùm Canonistas ad animum spectant. 626
V. De Epilepsia, & Apoplexia. 629

VI. De

Index Lib. Tit. & Quæst.

VI. De cæteris Morbis, ex quorum culpa homo evadit irregularis, & primò de morbis capitis. 632
VII. De vitiis Oculorum. 634
VIII. De Nasi vitiis, Aurium, ac Labiorum. 637
IX. De vitiis Oris, Palati, Dentium, Gingivarum, & Linguæ. 640
X. De vitiis Pectoris partiumque cæterarum spiritualium. 641
XI. De Stomachi, seu Oesophagi, & Ventriculi vitiis. 643
XII. De vitiis Intestinorum, Hepatis, & Lienis. 644
XIII. De Renum, & Vesicæ Urinariæ vitiis. 646
XIV. De vitiis Membrorum generationis. 647
XV. De externarum partium vitiis, & primò de vitiis Capillorum, Cutis, Capitis, Colli, Spondilium, & Vertebrarum. 649
XVI. De faciei, & conspicuarum partium Cicatricibus, Maculis & Defœdationibus. 650
XVII. De vitiis Brachiorum, Pedum, & Manuum, ac Digitorum. 651
XVIII. De Crurum, & ambulationis vitiis. 652
XIX. De membris superfluentibus. 653
XX. De Podagra, & Arthritide. ibid.
XXI. De Scabie, & Lepra, cæterisque cutis infectionibus. 654
XXII. De Morbo Gallico. 656
XXIII. De Febre & Peste. 658
XXIV. De Irregularitate Fœminarum. 659

TITULUS II.

De Remediis Medicis.

QUÆSTIONES.

I. Quænam sint remedia Medica; quænam personæ circa eorum usum errare soleant. Infimus an, & in quibus casibus teneatur Medico obedire. 661
II. Diætetica. 664
III. Pharmaceutica. 667
IV. Chirurgica. 668

TITULUS II.

De Clausura Monialium.

QUÆSTIONES.

I. Quid sit clausura, utrum noxia, & quibus ex causis Moniales possint à Clausura exire. 671
II. Utrum præter Pestem, & Lepram alii morbi sint justa causa exeundi à Clausura. 675
III. Vigente Peste, aut Leprâ in aliqua Clausura, sanæne, an infirmæ ab ea exire permittendæ. 680
IV. Moniales Leprâ, vel Peste infectæ, & à Clausura dimissæ, si sanentur, quandonam revertí ad Clausuram teneantur. 682
V. De Monialibus, quæ ex culpa aëris ipsius Clausuræ infirmantur, & in quibus casibus videatur adesse justa causa relinquendi Clausuram. 684

LIBRI NONI

TITULUS I.

De Fœtus humani animatione.

QUÆSTIONES.

I. Quid semen? Quid Anima? p. 686
II. Semina quorumcunque viventium, homine excepto, propriam ex traduce à progenitoribus recipere. 688
III. Animam Rationalem ex traduce non esse. 691
IV. Animam Rationalem de novo creari, & infundi. 697
V. Fœtum humanum nullo unquam tempore alia anima dotari nisi Rationali, eamque in ipso primo conceptionis momento à Deo creatam & infusam recipere. 699

TITULUS II.

De Fœtu exsecto, seu de Partu Cæsareo.

QUÆSTIO UNICA.

I. Appendix ad Titulum secundum Libri primi Quæstionum Medico-Legalium, post Quæstionem quintam. 708

TITULUS III.

De impedimentis coëundi, & generandi.

Ad Titulum Primum Libri Tertij Quæst. Med. Leg.

QUÆSTIONES.

I. De impedimentis copulæ carnalis in vito: & primò de impedimento ob ætatem minorem, aut majorem. 717
II. De impedimento coitûs ob frigiditatem & maleficium. 720
III. De impedimento copulæ ob membri magnitudinem, & alia vitia præter naturam. 727
IV. De impotentia copulæ ex morbis aut præsentibus, aut prægressis. 729
V. De impedimento ex parte mulieris. 733
VI. De impedimento generandi ex parte viri. 737
VII. De impedimentis generandi ex parte mulieris. 741

TITULUS IV.

De Resignatione Beneficiorum.

QUÆSTIO UNICA.

De variis causis resignandi Beneficia Ecclesiastica, de quibus Medici consulendi sunt. 743

TITULUS V.

De termino sumendo experientiæ eorum, qui de Peste suspecti sunt.

QUÆSTIO UNICA.

De Peste, & Contagio. Ad ornatum Tituli 3. Libri 3. Quæstionum Medico-Legalium. 747

TITULUS VI.

Ars conficiendi sericum an tempore Pestis sit excludenda à Civitate tanquam ars immunda.

QUÆSTIO UNICA.

Appendix ad Titulum tertium Libri tertii Quæstionum Medico-Legalium. 750

TITULUS VII.

De Tabacco.

QUÆSTIO UNICA.

De Jejunio, & Quadragesima: ad ornatum Tituli 1. Libri 5. Quæstionum Medico-Legalium. 752

TITULUS VIII.

De Chaccolata, & Aqua Vita.

QUÆSTIO UNICA.

De Jejunio, & Quadragesima, ad Tit. 1. Lib. 5. Quæstionum Medico-Legalium. 756

TITULUS IX.

De morbis impedientibus Eucharistiæ sumptionem.

QUÆSTIO UNICA.

Variæ morborum species considerantur, ex quibus non debet Parochus Sacrosanctam Eucharistiam eis laborantibus ministrare. 758

TITULUS X.

De Dissolutione Matrimonij, Divortio, Tori separatione, & Solutione Sponsalium.

QUÆSTIONES.

I. Quid sit Matrimonii dissolutio, quid Divortium, quid Tori seperatio, quid Dissolutio Sponsalium. 761
II. De Dissolutione Matrimonii ob impedimentum consummationis non amovibile. 763
III. De Divortio. 767
IV. De Tori separatione. 769
V. De Dissolutione Sponsalium. 770. & seq.

TITVLVS XI.

De Semine fœmineo.

Appendix ad Titulum tertium Libri septimi Quæstionum Medico-Legalium. 774

TITULUS XII.

De Primogenitis.

QUÆSTIONES.

I. Quis dicatur Primogenitus. 777
II. Priorem conceptum ultimò nasci, quæ ratio persuadere possit. 778
III. Ex Naturæ ordine priorem conceptum, priorem nasci. 779
IV. An ex accidenti evenire possit, ut posterior conceptus prior nascatur. 781
V. In dubio quis ex Gemellis prior natus præsumendus. 782
VI. Quis ex Gemellis ab utero matris exsectis præsumendus prior natus. 783

QUÆSTI

QVÆSTIONVM MEDICO-LEGALIUM LIBRI SEXTI

TITULUS PRIMUS,

DE MEDICORUM ERRORIBUS A LEGE Punibilibus.

Continens quæstiones tredecim.

I. Medici nomine qui veniant hic, quot modis Medicus errare dicatur, & quinam errores sint à lege punibiles?
II. In quibus casibus dolus, in quibus vero ignorantia, in quibus denique negligentia præsumi possit?
III. De erroribus Medicorum Rationalium & primò de iis, qui ad mores, & scientiam spectant.
IV. De erroribus omissionis ad consilia spectantibus.
V. De erroribus commissionis ad Consilia spectantibus.
VI. De erroribus omissionis circa operationem.
VII. De erroribus commissionis circa operationem.
VIII. De erroribus tam in omittendo, quàm in committendo, ad mercedem spectantibus.
IX. De chirurgorum, aliorumque similium artificum erroribus.
X. De Aromatariorum, & Seplasiariorum erroribus.
XI. De Empiricorum, & Chymicorum erroribus.
XII. De Obstetricum erroribus.
XIII. De Assidentium, seu Ministrantium erroribus.

SUMMARIUM.

1 *Medici nomine qui veniant.*
2 *Medici nomen latè patet.*
3 *Medicus ab omni pœna liber est, si, qui ab ipso curatur, ipso invito moritur.*
4 *Medici culpa nunquam præsumitur mortuus infirmus.*
5 *Medicus erat omittendo & committendo.*
6 *Medicus tam omittendo, quàm committendo tripliciter errare potest.*
7 *Culpa fociam habet pœnam.*
8 *Pœna debetur propter culpam.*
9 *Culpa quid.*
10 *Culpa quotuplex.*
11 *Culpa sequitur aut dolum, aut negligentiam, aut ignorantiam.*
12 *Cum ignorantia dolus fere non videtur.*
13 *Nulla ignorantia est causa peccati, nisi per accidens.*
14 *Dolo deficiente, deficit culpa, gravior saltem.*
15 *Dolus dicitur tam in malo, quàm in bono.*
16 *Dolus duplex.*
17 *Dolus quid.*
18 *Negligentia solummodò in erroribus omissionis videtur consistere.*
19 *Negligentia quid.*
20 *In omittendo non intervenit dolus verus. fallit in Medico.*
21 *Ignorantia quid,*
22 *Ignorantia prima species.*
23 *Ignorantia species altera.*
24 *Dolone, an ignorantiâ errare dicatur is, qui ultra suam capacitatem operatur.*

Medici nomine qui veniant hîc. Quot modis errare Medicus dicatur, & quinam errores sint à lege punibiles.

QUÆSTIO I.

DE Medicorum erroribus, inter Miscellanea, verba facere brevioribus decreveram, cùm maximè multa sparsim in hisce quæstionibus occurrerint ad hoc ipsum argumentum pertinentia, cùm tamen Hippocraticæ, solidæque doctrinæ studiosissimus vir, D. Angelus Colius, meique amantissimus admonuisset, præstabilius fore in unum, quæcunque ad hanc materiam faciunt, recolligere, tam insignis viri, tamque amici consilium acceptandum duxi; quamobrem titulum hunc, cui de Medicorum erroribus nomen feci, huic argumento dicavi; non tamen de omnibus Medicorum erroribus hic agendum, sed de iis tantùm, qui vel ex dolo, vel negligentia, vel ex ignorantia ab illis in infirmos, vel in quoscunque homines medendi causa patrantur, & qui punitionem à lege reportant; non solùm, inquam, à lege civili, sed à Canonica etiam, eo quòd Medicum peccati reum faciant.

Sed Medici nomine abuti nos hic oportet, neque enim solummodò de verè Medicis, nempe de iis, qui Rationales dicuntur, eo quòd Philosophiæ principiis innixi Medicinam exercent, loqui non hoc in loco debemus, sed de quibusque, qui quo-

quomodo in ægrorum, aut quorumcunque hominum curatione, vel in medicamentorum præparatione, & adminiſtratione ſeſe immiſcent, ut primo loco Chirurgi ſunt, Phlebotomiam exercentes, hoc eſt ſanguini detrahendo quocunque modo deſtinati, Aromatarii, Seplaſiarij, Empirici, & Chymicorum genus omne procaciſſimum, neque ſolum viri, inter quos etiam, & aſſidentes, aut miniſtrantes infirmis, ſunt, ſed etiam ipſæ viliſſimæ mulierculæ, aut ut viri infirmis miniſtrantes, aut medicamenta aliqua diſpenſantes, aut obſtetriciam artem exercentes; omnes enim hi abuſive Medici nomine veniunt; unde eſt quod *in l. ſi duas. §. Grammatici ff. de excuſat. Tut.* Circulatores etiam vocen-
1 tur Medici. Ripa *tr. de Peſt. par. ult. part. 2. n. 3.* Magon. ex Bald. *deciſ. 564. n. 3. p. 4.* Cuiac. *in lib. 3. recept. ſentent.* Paul. *tit. 6. de Legat.* Cartar. *de Med. part. 3. n. 117.* nomen enim Medici latè patere teſtatus etiam ex noſtris Gal. eſt, *in lib. ad Tranſib. c. 24.* immo erant antiquitus multo plura Medicorum ge-
2 nera, quam nunc ſint; quia notiſſimum eſt, & apud Herodotum auctorem vetuſtiſſimum *lib. 2.* comprobatum, antiquitus Medicos extitiſſe, qui uni tantùm corporis parti mederentur, dicebanturque ex hoc Auricularii, Ocularij, Dentarij, de qua re videndus Mercurial. *lib. 2. var. lect. c. 8.*

Sed his omiſſis, ad Medicorum errores accedamus qui quidem non videntur prima fronte reportare ullam à Lege punitionem, quia ut Plato *l. 9. de*
3 *Leg. verſ. med.* ſancivit, Medicus ab omni pœna ſolutus eſſe debet, ſi is, qui ab ipſo curatur, ipſo invito moritur. Neque diſſentiunt noſtræ leges, Text. *in l. Illicitas. §. ſicuti. ff. de off. Præſid.* Ripa *ubi ſupra num. 70.* & facit etiam ex noſtris Gal. *in primum*
4 *pregnoſtic. in princ.* nunquam enim Medici culpa præſumitur mortuus infirmus. Ripa *loco citato, num. 75.* Sed hæc primo nec in omni Medico, nec ſemper locum habent, quia de rationali tantum Medico intelligenda & quandocunque culpa abeſt, ut elicitur ex iiſdem verbis Textus *citati l. Illicitas.* Ut ergo ſciamus, quandonam Medicus puniri poſſit diſcutiendum primo eſt, quot modis errare Medicus poſſit, quod vero de rationibus Medicis dicemus etiam cæteris erit commune.

Poteſt igitur Medicus; quicunque is ſit, aut miniſter Medicorum, ut quilibet alius homo, primo aut
5 omittendo, aut committendo errare; quod inſi-
6 nuatur *à l. Qui non facit. ff. de reg. Jur.* omittendo enim peccat, qui non facit ea, quæ facere debet: committendo qui facit ea, quæ facere non debet,
7 ſed tam omittendo, quam committendo triplici ratione Medicum errare contingit, dolo nempe, vel
8 malitiâ, ignorantia, & negligentiâ, in omnibus enim his culpa intervenit, culpa vero ſociam habet pœnam; quemadmodum meritum ſocium habet præmium: nam pœna debetur propter culpam D. Thomas *1. 2. q. 87. art. 2. in corpore* & *2. 2. q. 108. art. 4.* Eſt autem culpa inordinatio voluntaria, vel pri-
9 vatio boni, idem Thom. *1. prima, quæſt. 48. art. 7.* vel ſecundùm Bat. *in l. Quod Nerva ff. Depoſit. numero ſexto, & ſeq.* eſt deviatio à Legis diſpoſitione: circa quas definitiones qui plura ſcire deſiderat, aut noſſe, quot & qualia ſint culpæ genera, præ cæteris adeat Molinam *de contract. diſp. 203.* Farinac. *Theor. & pract. crimin. part. 3. quæſt. 88. a num. 48. ad ſeqq.* nobis ſatis ſit dixiſſe, quod ſecundum aliquos culpa triplex eſt, lata nimirum, levis, & leviſſima, ſecundum
10 alios tamen eſt quintuplex, hoc eſt, latiſſima, latior lata, levis, & leviſſima, de qua re præter quamplurimos videndus Bart. *ubi ſuprà*, & inter modernos Farinac. *loco citato*, ex Juriſconſultis, & alij, & ex Canoniſtis Azor. *lib. 6. Inſtitut. moral. p. 3. cap. 4.*

Sed etiamſi culpa ſequatur, ut, dixi, dolum, aut negligentiam, aut ignorantiam, non permiſcuè ta- 11
men id de omni culpa firmandum: nam ex dolo quidem manifeſto, culpa emergit latiſſima, ex dolo autem præſumpto, culpa latior; ex alio vero quocunque dolo, quodcunque culpæ genus poteſt emergere pro doli quantitate, quemadmodum etiam ex negligentia. Sed ex ignorantia per ſe, non videtur niſi lata culpa, levis, & leviſſima ſuccedere poſſe, quia cum ignorantia non videtur ſtare dolus nec manifeſtus, inquam, neque præſumptus, quia 12
cum dolo ſemper conjuncta malitia, & vafrities, quæ aliquo modo contraria eſt ignorantiæ; unde 13
ſecundum D. Thom. *1. 2. q. 76. art. 1.* nulla ignoran- 14
tia eſt cauſa peccati niſi per accidens: deficiente igitur dolo deficit etiam culpa gravior ſaltem, nempe latiſſima, & latior, in quorum altera, ut dixi, eſt dolus manifeſtus, in altera dolus præſumptus. Sed videndum, antequam ulterius progrediamur, quid ſit dolus quid item ignorantia, quid negligentia.

Sed primo ſciendum, Doli vocem eſſe æquivo- 15
cam ac malum & bonum ſignificandum, unde quando dolum dicimus, epithetum addimus mali, vel boni, ut *ff. de dolo malo. l. 1. ibi*, quæ dolo malo eſſe facta dicuntur. Plaut. *in Rudente, act. 5. Scen. 4.*

Nil dolo malo inſtipulatus ſis.

Terent. *in Eunuch. Act. 2. Scen. 3.*

—— *Æquum eſt fieri, ut à me ludatur dolis.*

Et *Act. 3. Scen. 3.*

—— *Jam tum erat ſuſpicio,*
Dolo malo hæc fieri omnia.

Virgil. *lib. 1. Æneid.*

Nec latuere doli fratrem Iunonis iniqui.

Et *lib. 4.* ejuſdem.

Annuit, atque dolis riſit Citherea repertis.

Et *ibid.*

Una dolo, Divum ſi fœmina victa duorum eſt.

Cum igitur dolus duplex ſit, malus nempe & bonus ut *l. 1. §. non fuit. ff. de dolo malo.* D. Thom. *2. 2.* 16
quæſt. 55. art. 4. ad primum. & ex Medicis, Io. Alph. à Fontech. *in ſpec. Med. Chriſt. lum. 3. in princ.* hic de malo loquimur, qui *in ead. l. 1. §. 2. alibi*, & apud Cicer. *lib. 3. de off.* & alios, & ab eod Io. Alphonſ. à Fontech. ex noſtris definitur, quod ſit machinatio 17
quædam ad decipiendum alterum adhibita; ita etiam Bart. *in prædicta l. n. 12.* & noviſſimè Farinac. *Theor. & pract. crimin. part. 3. q. 88. num. 1. & ſeq.* & ex Canoniſtis Azor. *lib. 6. inſt. mor. cap. 4. p. 3.* Molina *de Contract. diſp. 294. num. 4.* Aliam definitionem doli generaliter ſumpti attulit Leſſius *de juſt. & jur. lib. 1. cap. 2. dub. 4. num. 25.* eſt hujuſmodi, Dolus eſt aſtutiæ executio ſive verbis, ſive factis, quæ licet eadem ſit cum ea, quam attulit Molina de dolo latè ſumpto, eſt tamen brevior, quod definitioni eſt convenientius.

Tam in erroribus autem commiſſionis, quam 18
omiſſionis, & dolus & ignorantia ſubeſſe poteſt, ſed negligentia in erroribus tantum omiſſionis intervenit; conſiſtit enim in defectu, cum deficiat ab actu præcipiendi per defectum promptæ voluntatis D. Thom. *2. 2. q. 52. art. 2.* dicique idcirco ex mea ſententia poteſt, Prætermiſſio faciendorum ex animi ignavia, atque ea de re voluerunt nonnul- 19
li Juriſconſulti apud Farinac. *pract. crim. pract. 3. q. 88. num. 31.* in omittendo non intervenire verum dolum, ſed tantum præſumptum: quod tamen, maximè cum de Medicis agitur, eſt falſum, quia 20
Medicus ex vero dolo poteſt aliquid omittere, ut ſi in pleuritide, aut magna febre, aut ſimili morbo, abſque

absque ulla causa sanguinem detrahere omittat, aut si ei, qui venenum sumpsit deleterium, proprium alexiterium non præbeat, ut à morbo, & veneno homo evictus mortem obeat.

21 Ignorantia porrò lato modo sumpta est rei scibilis inscitia; stricti\u00f9s autem dici potest, Eorum, quæ scire tenemur, inscititia, ut elici potest *ex l. 3. C. per quas personas, ibi,* & forsitan ignorat, & nescit, cuius licet multiplices species tradantur à D. Thom. 2. 2. *q. 74. art. 1. ad 2. & alibi,* & à DD. *in l. 1. ff. de iur. & fact. ignor.* tamen ad rem nostram dicamus, eam

22 esse duplicem, unam quidem, qua quis ignorat ea, quæ scire tenetur, & sine quibus non potest debitum exercere, saltem secundùm communem similium hominum solertiam; & hæc habet profectò coniunctum peccatum, D. Thom. 22. *q. 76. art. 6.* & in hac est strictior culpa, & punibilis idcirco est, immò potest ea intervenire culpa latissima, non quidem ex

23 parte ignorantiæ per se, sed ex summa negligentia; alia verò ignorantia est, quà quis ignorat ea quæ ultra communem aliorum capacitatem sunt, & in hac certè intervenit levis culpa, & idcirco in nostro casu nullo modo est punibilis.

Illud autem iure quærendum hîc videtur, num

24 dolo, aut ignorantia errare dicendus sit is, qui ultra suam capacitatem aliquid operatur; hoc enim maximè usuvenit in casu nostro, cùm ut plurimum omne cæterorum Medicorum genus rationali excepto, multa audacter, ultra id quod novit, circa infirmos machinari tentet, & multoties gravi damno ipsis existat, imò etiam & exitio. Licèt autem hi per audaciam delinquere soleant, quæ ex ignorantia consequitur, dolo tamen peccare ut plurimùm solent, maximè cùm quid machinantes, quod ipsi ignorant, & ignorare se cognoscunt, & tamen, ut aliquid lucri faciant, & pecunias à credulis extorqueant, vel ut nomen sibi apud eos acquirant, promittentes quod præstare non possunt, ab operando non desistunt; videntur ergo tanquam dolosi puniendi.

Ex his igitur patere iam credo, quinam errores à lege punitionem reportare debeant, videntur enim, quicunque dolum, coniunctum habent, & maximè verum, & apud canonicas leges reos homines efficere, & pœnas apud civiles luere debere. Qui autem ex negligentia proveniunt, si magna sit, etiam à civili lege puniti posse, & à Canonica expiari; si modica apud civilem quidem in consideratione non haberi apud Canonicam non prorsus pœnæ esse immunes. Eodem modo & ignorantia, si magna & affectata sit, apud utramque legem esse punibilem, sin minùs à Pontificia tantùm in ea leviter animadvertendum.

SUMMARIUM.

1 *Infirmo ex ignorantia Medici decidente, non potest Medicus pœna corporali puniri.*
2 *Infirmo Medici dolo pereunte Medicus pœna mortis puniendus.*
3 *Magna negligentia culpa est.*
4 *Idcirco dolo peccans in ægrotum proditorie agit.*
5 *Medicus ægrum veneno interimens non est proditor. Contrarium ibi.*
6 *Ignorantia, quando præsumi possit, Medicum errasse.*
7 *Secunda præsumptio erroris per ignorantiam patrati.*
8 *Tertia præsumptio.*
9 *Quarta præsumptio.*
10 *Quinta præsumptio.*
11 *Sexta præsumptio.*
13 *Negligentia quando præsumi possit.*
14 *Dolus quando præsumatur.*
15 *Secunda doli præsumptio.*
16 *Tertia doli præsumptio.*
17 *Quarta doli præsumptio.*
18 *Doli præsumptio ex maxime affectata negligentia.*
19 *In Medicis omnibus præter Physicos, semper ignorantia præsumi potest.*
20 *Progressio, aut immutatio eorum, quæ à superiori arrisis præcipiuntur, à minori facta, dolosa præsumenda.*

In quibus casibus Dolus, in quibus verò Ignorantia, in quibus denique Negligentia præsumi possit.

QUÆSTIO II.

NOn esse parem culpam in omnibus Medicorum erroribus, est notissimum, ac consequenter patet, non esse parem pœnam omnibus infligendam: nam si Medicus per ignorantiam peccaverit, maximè affectatam, puniendus quidem est, sed tamen illum pœna corporali puniri posse non conceditur. Facit auctoritas Pauli Jurisconsulti, *lib. 5. recept. sentent. tit. 23. ad l. Cornel. de Sicar.* & probant Ripa *de peste, part. 2. part. ult. num. 70. & seqq.* Utsil. *ad Afflict. decis. 123. numero quarto*, Quod tamen contrario modo evenit, ubi dolo Medicus erraret. *l. Illicitas §. sicuti. ff. de off. 2. Præsid.* quia tunc pœna mortis esset dignus, ut est notissimum. Sic etiam graviter puniendus venit Medicus, ubi suâ negligentiâ periret ægrotus, qui magna negligentia culpa est. *l. Magna ff. de rer. & verb. signif.* Sed multò graviùs puniendus, cùm dolo peccat, nam Medicus in ægrotum dolo peccans, ex mea sententia proditorie agit, cùm proditorie agere sit, unum actibus ostendere, & aliud in mente gerere. Bartol. *in l. Respiciens. §. delinquunt. ff. de Pœnis.* At Medicus ægroto se amicum in actibus ostendit, illi promittens ex oblatis medicamentis sanitatem, & tamen in mente aliud habet; unde illi vel adhibet medicamenta contraria, & noxia, vel non adhibet opportuna; & si proditor dici potest quicunque sub prætextu amicitiæ, & bonæ voluntatis hominem graviter decipit, & maximè qui occidit, certè Medicus dolo in ægrum peccans proditor dici potest; æger enim illum tanquam amicum ad suæ sanitatis custodiam convocare, & ille sub hoc prætextu eius vitæ insidiatur: quamquam scio aliter à Legum peritis accipi Proditoris nomen, unde ea de re non vult Carrar. *Med. p. 2. n. 342.* Medicum etiam veneno ægrum interimentem debere dici proditorem. Sed ego ad rei naturam, non ad nomen, aut aliorum opinionem respicio. Sed quid plura? Si veneno occidens, etiamsi non sit Medicus, proditor est, ut ex Bald. & aliis dixi. *lib. 2. quæst. 1. num. 5.* & notavit ex nostris Franc. Ranchin. in Hippocr. *iusiur. l. 4. rubr. an liceat Medicis, &c. vers. non tamen contra.* Bos. *in pract. crim. tit. de Homicid. num. 14.* quantò magis si Medicus ille sit? necesse igitur ex his omnino videtur, scire quandònam, in quibusque casibus præsumi possit, Medicum dolo in ægrotum errasse, quando item potiùs negligentia, quando autem ignorantia. Circa quæ dici potest primò, quòd Medicus in utroque errorum genere, tam commissionis, inquam, quàm omissionis, præsumi primo potest ignorantiâ peccasse quandocunque morbus aut casus ostenditur, qui rarò evenit, aut quem ipse Medicus raro, aut nunquam vidit; unde Medici iuniores, qui in studiis, artisque operibus non multum sese exercuerunt, cùm cæteris audaciores sint, facilè per ignorantiam errant, negligentes

ſeniores, & magis expertos Medicos convocare; ad quod quidem ſub pœna mortalis peccati tenentur, ut ſuo loco dicemus. Extat huius erroris exemplum, apud Amatum Luſitan. *curat. med. cent. 6. cur. 81.* relatum ex ipſo Amato, à Doctiſſ. viro, Marco Aurelio Severino, Medico & Chirurgo Neapolitano, in opere verè recondito, cui titulum fecit, *De recondita abſceſſuum natura*, *l. 4. cap. 7.* in quo caſu Medici illi, qui nunquam ſpirituoſum tumorem viderant, cùm raro etiam ab aliis videri ſoleat, illum adaperientes, ægro manifeſtam, ac repentinam mortem conciliarunt.

7 Secundò, cùm Medicus aliquod medicamentum in uſum trahit, quod cum morbo, cui adhibetur, habet inſignem aliquam contrarietatem non vulgariter notam, ob quam æger periclitatur, ut apud eundem Amatum quidam Medicus, Acetum in colica paſſione præbens, necis cauſa extitiſſe dicitur: neſciebat enim Medicus hic hanc aceti contrarietatem cum dolore colico, & cum quibuſcum que ventris doloribus; quos excitare conſuevit, & in ſimilibus etiam doloribus improbatur, maximè in mulieribus, aceti uſus, ab Hipp. *l. 3. de vict. rat. in morb. acut. n. 78.* ſcioque exhibitione ſpiritus vitrioli acide ad febrem, mulierem hyſtericis doloribus obnoxiam, ſpatio viginti quatuor horarum à Medico ſublatam volvulo excitato.

8 Tertio, præſumi poteſt per ignorantiam Medicum peccaſſe in iis morbis, in quibus cùm adſit indicans remedium aliquod neceſſarium, ac generoſum, adeſt alia ex parte aliquid multò fortius prohibens, ut, exempli cauſa, ſi adſit febris continua & magna, indicans ſanguinis miſſionem, aliâ verò ex parte adſit notabilis fluxus ventris vires maximè deiiciens, & tamen Medicus ſanguinem mitteret, & æger ex hoc ſuccumberet, certe præſumptio eſſe poteſt erroris per ignorantiam patrati. Eodem modo in his caſibus ufuveniret, in quibus præſente indicante generoſum aliquod & maximè neceſſarium remedium, contrà adeſſet prohibens aliquod leve, & Medicus pluris faceret prohibens leve, quàm indicans forte, ut ſi æger ſumma plenitudine moleſtaretur cum febre, quæ indicaret ſubitam purgationem, alia verò ex parte adeſſet levis aliqua diarrhœa, quam Medicus iudicans eſſe prohibens ſufficiens, abſtineret ab exhibitione medicamenti; aut ſi in ardente febre ob levem aliquem fluxum, aut levem errorem in Veneris uſu, præcipuè in aſſueto, (qui error vulgo eſt frequentiſſimus) omitteret ſanguinis miſſionem, certè tunc cùm facillimum ſit, non expertum Medicum quibuſdam univerſalibus regulis confiſum, fortiora indicantia pro levioribus, & leviora prohibentia pro fortioribus iudicare. Habes in hoc genere errorum exemplum apud Altimar. *in lib. med. hum. corp. morb. cap. 74.* ubi Medici quidam in dyſenteria cum inflammatione, in qua ſanguinis miſſio erat fortiter indicata à dolore, à febre, ab inflammatione, iudicantes ventris fluxum eſſe fortius prohibens, quàm eſſet indicans dolor magnus, inflammatio febris, eam prætermiſerunt, unde duo ægri ſic tractati perierunt, cùm alter graviori dyſenteriâ afflictus ſanguinis miſſione fuerit liberatus, ut percurrit idem Altimar. *ibid.*

Quartò, ignorantia præſumi poteſt, quando in morbis adeſt inſigne quoddam ſymptoma, ad quod Medicus totam curam dirigens, principalem morbum omnino negligit; veluti imperitiſſimi Chirurgi apud Lang. *lib. 7. epiſt. 4.* qui circa ſymptomata morbi curanda defatigabantur, neſcientes ea nonniſi ablato morbo auferri poſſe, eo quòd morbus eſſet cauſa ſymptomatum. Sed è contrario ignorantia præſumi poteſt, quando Medicus curat morbum, & negligit magnum aliquod ſymptoma, quod ob ſui pravitatem univerſam curam ad ſe deberet attrahere? ſit præteritis annis evenit cuidam Medico, qui cùm in Nobili curaret Tertianam ſimplicem & intermittentem, cuius paroxyſmo moleſtiſſima cardialgia aſſociabatur, ille in ipſam febris acceſſionem culpam coniiciens, nihil omnino curæ illud ſymptoma habebat; immò contendente me, maximam habenbam eſſe eius ſymptomatis rationem, ægrumque ob bilis ad os ſtomachi irruentis morſum ante acceſſionem, immo in ipſa acceſſione eſſe cibandum, quaſi conſilium meum irridens, ægrum in ipſa acceſſione expirare vidit. Ego autem alios ægros ab his pernecabilibus ſymptomatibus, immo ab ipſa morte revocatos vidi, opportunè eis in ipſa acceſſione cibos offerens, ut Galenus ipſe aliàs factitavit.

Quintò, per ignorantiam præſumi poteſt pec- 10
caſſe Medicus, quandocunque motum aliquem ſymptomaticum à morbi vi excitatum pro critico iudicat, & à natura profectum, quamobrem aut illum negligit, aut etiam coadiuvat, ſequens pravum illum morbi, non Naturæ motum: cuius erroris luculentum exemplum habemus apud Galen. *in primum Progn. text. 4.* ubi iuvenis quidam Medicus infirmum ſyncopticè ſudantem in balneum demiſit, & ſudorem maiorem in modum excitans, ægrum extinxit? cui par fuit error provectioris alterius Medici, cuius nomini parco, annis præteritis, qui alium ægrotum ſimiliter diaphoretico ſudore reſperſum ſtragulis coopertum ſuffocavit.

Sextò ignorantia Medici præſumi poteſt in mor- 11
bo, qui cum eſſet pernecabilis à principio levis apparuit, unde Medicus eius levitati confiſus, nullum notabile præſidium contra eius perniciem in principio adhibuit. Huius erroris exempla multò plura in dies offeruntur, quàm oporteat; in quibus interdum habet etiam locum negligentia, præcipuè ſi aliquod notabile ſymptoma à principio appareat, ex quo Medicus, ſi debitâ ſolertiâ & diligentiâ eſſet uſus, facilè in pernicioſioris morbi cognitionem venire potuiſſet. Ut ſi, exempli gratiâ, febris principio quidem apparuerit parva, ob moderatum externarum partium calorem, ob abſentiam inſignis alicuius doloris, ob ſomnum, & cibum ſufficienter ſumptum, & ſimilia, ſed pulſus fuerit celerrimus, ac parvus, & adfuerit ſitis moleſta cum inordinata corporis iactatione, ad quæ Medicus à principio non adverterit, tunc enim tantò magis negligentiæ inſimulandus, quantò hæc ſymptomata magis conſpicua fuerint.

Iam verò aliàs dixi, Negligentiam non habere 12
locum niſi in erroribus omiſſionis, cùm ipſa ſit prætermiſſio agendorum, & tamen cum negligentia maximus ineſſe poteſt dolus, ut videbimus cùm de dolo agemus.

Sed negligentia, quæ nec doloſa ſit, nec affe- 13
ctata, præſumi poteſt, cum lentè Medicus proceſſit in morbo præcipiti, ſed non à principio tali, licèt gravis eſſet, ut tardè medicamenta admovendo, aut admovendo leviora, ſanguinis detractionem protrahendo, aut quantum detrahere oportuit, non detrahendo, aut ſi vice evacuationis

nis ſanguinis per venæ ſectionem, contentus fuit cucurbitulis ſcarificatis, ſimiliter in reliquis.

Dolus autem præſumi poteſt tam in committendo, quam in omittendo: & primo præſumi po-
14 teſt in committendo: quandocunque Medicus relictis medicamentis tutioribus, & quæ magis ih quotidiano uſu ſunt, recurrit ad minus tuta, & inuſitata (& maximè ſi illi ipſi antehac in uſu non fuerint) ut ſi in levi morbo, veluti levis eſſet febris, uteretur ſtibio, Elleboro, Mercurio, aliisque quibus de raro, & in magnis morbis, & ſumma urgente neceſſitate utimur.

Secundò, ſi remedia ſint multum improportio-
15 nata ægri naturæ, morbo, ætati, anni tempori, tempori item morbi, dolus præſumi poteſt: ut ſi exempli cauſa, ægro debili, vigente morbo, ſeni, in media hyeme, morbo frigido affligente, plurimum ſanguinem detraxerit, aut ſi vomitum in ſumma ſpiritus reſpirationiſque anguſtia in magnis anni rigoribus, ægro non aſſueto, nec facilè vomenti, & anguſti pectoris, forti medicamento ac violento provocaverit; facile enim eſt ægrotum ab ipſo medicamento ſuffocari, vomitus enim morbis pectoris eſt contrarius.

Tertio, ſi nonnulla generoſa præſidia ſummam
16 requirentia corporis purgationem, atque exactam humorum expiationem, nullâ præcedente purgatione, adhibeat, ut ſi Thermales aquas maxime ad alterandum exhiberet, corpore cacochymo exiſtente, aut ſi nec per ſanguinem, nec alio modo expurgato ægri corpore, ſummè plethorici, valido ac forti linimento ſcabiem curare tentaſſet: ſcimus enim multos ex ſimilibus linimentis vitam cum morte ex improviſo commutaſſe, alios in difficillimos morbos incidiſſe, & ſic placet percurrere nonnulla exempla eius rei apud Amat. Luſit. *Cur. med. cent.* 2. *cur.* 23. ſic etiam & in aliis caſibus exemplificare licet, infiniti enim eſſe poſſunt huiuſmodi caſus, in quibus ad horum ſimilitudinem dolosè Medicus erraſſe præſumi poteſt.

Quarto, ſi Medicus moveat, quando non de-
17 beat, ut ſi purget in ſtatu morbi, incoctis omnino exiſtentibus humoribus, & præcipue ſi utatur medicamento cathartico, & eradicante; ſi item moveat in diebus criticis, qui præ cæteris ſunt conſiderabiles, & maximè ſi nullâ apparente ſaltem cauſa ad hoc motus fuerit, Quando autem liceat, & an liceat movere in diebus criticis, longioribus demonſtrat Cardan, *lib. primo. Contrad. Med. tract.* 3. *contr.* 7. Subvenit vero id, quod Ariſtot. narrat, *lib.* 3. *Politic. cap.* 11. apud Ægyptios nempe non licuiſſe ante tertiam diem movere, quod ſi antea moviſſet Medicus, periculo id faciebat ſuo: ſed & de hac ipſa re, an nimirum liceat in morbis à principio medicari, idem Cardan. *ibid. tract.* 6. *contrad.* 16. Notiſſima certè eſt Hipp. ſententia 2. *Aph.* 29. In principiis morborum, ſiquid tibi videtur movendum, move: quæ ſimilibus aliis ſententiis eſt confirmata; quomodo tamen intelligenda ſit; & quomodo contrariis Hippocratis aſſertionibus concilianda, apud expoſitores videndum.

18 In maxime affectata negligentia dolus etiam verus, ut dixi, ineſſe poteſt, idque tunc præſumere licet: quandocunque in morbo notiſſimo facilisque cognitionis, & præcipiti, remedia valentiora, & proportionata prætermittuntur; coincidit vero hic error negligentiæ cum errore in omittendo, per dolum patrato. Procedit autem id non ſolum quando morbus eſt notus, ſed etiam quando remedia ſunt nota, ita ut per ignorantiam præterm**i**ſſa præſumi non poſſint, ſicuti ſi in acutiſſima pleuritide, in ſuffocante angina, in magna & ardente febre, aliiſque ſimilibus morbis, & inflammationibus, ſanguinis miſſio prætermittatur, nullis contra indicantibus eam prohibentibus. Ac denique errores magni ſemper debent ſecum habere doli præſumptionem, ſi eos ex ignorantia proceſſiſſe non ſuſpicandum.

Sed hæc locum præcipuè habent in rationalibus 19
Medicis, nempe Phyſicis; eorum tamen exemplo in nonnullis alii quoque errores advertere poſſumus, nam neque omnium errores cæterorum Medicorum recenſere, neque etiam omnes ipſorum Medicorum rationalium licet. In cæteris profecto ignorantia plerumque præſumenda, quandocunque propriam ſufficientiam prætergrediuntur, & ſeſe iis immiſcent, quæ eorum captum exſuperant, ut indies animadvertimus, Barbitonſores, Aromatarios, Seplaſiarios, Chimicos irrationales, audaciſſimos Empiricos, Circulatores, Obſtetrices, & mulierculorum genus omne per ingnorantiam peccare; quæ tamen, quia ſemper comitem habet audaciam, nulla excuſatione viderur digna; ſed in iis, quæ ad eos proprie ſpectant prætergreſſio, aut immutatio eorum, quæ à ſuperiori artifice præcipiuntur, malitioſa præſumi poteſt: de his tamen peculiarius in propriis quæſtionibus agendum.

SUMMARIUM.

1 *Medicus inter avaros connumeratur.*
2 *Medici ſunt invidi.*
3 *Medici ſunt detractores.*
4 *Ignorantia punibilis in Medico quæ ſit.*
5 *Ignorantia in Medico habet cum ſe eminentem peccatum*
6 *Medicus peccat per ignorantiam latam culpæ committit*
7 *Medicus peccat ſuperbe promittendo certam ſalutem.*
8 *Loquacitas in Medico reprehenſibilis, & quando ſit punibilis.*
9 *Medicus requiſitus ad veritatem propalandam, quando teneatur eam propalare.*
10 *Medicus in caſibus dubiis alios Medicos ſocios renuens mortaliter peccat.*
11 *Medicus ſententiam mutare nolens, ne erraſſe videatur graviter delinquit.*
12 *Morbum ſalutarem dubium faciens, & verbis aggravans, peccat.*

De erroribus Medicorum rationalium, & primo de iis, qui ad mores & ſcientiam ſpectant.

QUÆSTIO III.

MEdicos in quovis peccati genere, ut cæteri hominum faciunt, delinquere contingit, ſed habent tandem tamen vitia quædam peculiaria, quæ ipſis ab arte, quam profitentur, emanare creduntur, licet hoc nequaquam veritatem habeat, præcipuè tamen Avaritia tam familiaris illis eſt, ut non metito (quod non ſine honeſto rubore fateri cogor) inter avaros à Juriſconſultis connumerentur, ut alias dixi. 1

Invidiâ præterea perpetuâ, & irreparabili detinentur, unde non omnino extra rationem Conciliat. *diff.* 4. dixerit, Medicum eſſe invidiæ pelagus inexhautum, de hoc tamen vitio non mirandum, nam ſemper inter pares invidia, & ut Heſiod. *in Theog.* 2

Faber Fabro invidet, & Figulus Figulo.

Inde fit, ut Medici detractores ſint, in qua re
3 illos graviter errare, ſive id iure faciant cum veritate detrahentes, detegendo æmulorum veram ignorantiam, morum perverſitatem, conditionis vilitatem, ſive falſo id præſtent, notiſſimum eſſe cenſeo, & admonet Navarr. *in Manual. cap.* 25. *numer.* 60. & 64. & Carrat. *de Med. part. ſecunda, num.* 352. & ex noſtris Codronch. *de Chriſt. Med. rat. libro primo. cap.* 35. Siluat. *in cap. octavo.*

De his tamen erroribus, ſive peccatis, ad nos non multum pertinet verba facere; de iis diſſerendum, quæ Medicus ut Medicus patrare ſolet: & primo quidem ſeſe offert Ignorantia, quæ in Medico eſt iure punibilis, quia cauſa eſt omnium aliorum
4 errorum. D. Thom. 2. 2. *q.* 76. *art.* 2. *ad ſecundum*, quod intelligitur de ignorantia affectata ex ſumma diſcendi negligentia, cuius ignorantiæ unusquisque ſibi cauſa eſt, unde quadrat illud. Ariſt. *lib.* 1. *magn. moral. cap.* 3. *Quod quandocunque perpetrandi aliquid abſoluta fuerit ignorantia, id non fit conſulto, & proinde ne quidem affert iniuria; at cum ipſe ſua cauſa fuerit ignorantia, perpetrarique quicquam ex ignorantia, cuius ipſe exiterit cauſa, is plane afficit iniuria, & eiuſmodi iure criminis arguetur.* Hæc Ariſtoteles: Neque dubium eſt, quod ſi, cum te tanquam perito in arte utar, in me per ignorantiam affectatam quicquam perpetraveris, me iniuria afficias, cum talem te mihi præſtiteris, qualis non es, in dolo ergo es, Ripa ex Jacob. de
5 Aret. *intr. de peſt. part.* 2. 1. *part, num.* 67. unde graviter Medicum peccare tali ignorantia dotatum dicunt Codronch: & Silvat. *loc. ſup. cit.* Quæ tamen, ut dixi, locum habent in ignorantia affectata, nempe per quam ignorantur ea, quæ communiter ſciunt, ac ſcire debent omnes ſimiles artifices; alias enim non idem pœnæ ſubiiceretur, neque tam graviter peccaret Medicus, qui ignoraret ea, quæ alij Medici excellentes tantum ſciunt, & multo minus, ſi ignoraret ea, quæ ſciunt ſolum Medici excellentiſſimi. Quemadmodum enim ex priori Ignorantia lata culpa reſultat, ſic ex ſecunda levis tantum, & ex poſtrema leviſſima; ſed hæc magis ad Morales Theologos, ſeu Canoniſtas pertinent, & videndus ſignanter Azor. *lib.* 6. *Inſt. moral. cap.* 4. *part. tertia.* Itaque hoc modo videtur accipiendum Bertoli dictum, *in l. Quod Nerva ff. Depoſit. numer.* 18. cum ſimpliciter pronunciavit, Medicum in arte ſua
6 committere latam culpam, quando peccat per ignorantiam. Quas vero ſcientias, attesque callere debeat Medicus, ſine quarum aliquali ſaltem notitia bonus in ſua arte eſſe non poſſit, immo etiam peccet, Medicinam abſque tali cognitione exercendo, docuerunt nonnulli DD. præ cæteris autem exactiſſimè Roderic. à Caſtr. *in Med. Polit. lib.* 2. *cap.* 1. *& ſeqq.*

7 Ignorantiam conſequitur ut plurimum alter gravis error, ſuperba nempe promiſſio ſuis ægrotantibus certæ ſalutis: nam hoc vitium proprium eorum eſt, qui minus in arte valent, & qui neſciunt Hippocratis aſſertionem, *in lib. de dec. hab num.* 6. *Medicina multum poſſe ſibi non arrogat.* Eſt ergo hic error contra ipſam etiam artem, præterquam quod non ſine peccato patratur, ut ex Medicis admonent Thom. Eraſt. *in diſput. contra Paracel. part.* 1. *pag. mihi* 184. & Roderic. à Caſtr. *lib. cit.* 3. *cap.* 7. & ex Juriſconſultis Ripa, *in tract. de peſt. tit. de remediis præſervat. numero* 95. Sed præter Medicos hoſce rationales, craſſioris Mineruæ, reliquum Medicorum vulgus, & maxime audaciſſimi Empirici, & procaciſſimi illi Chymici, qui ſuæ ipſorum Artis promiſſa ratione moderari neſciunt nihil eſt, quod ſibi ſuiſquam ægrotis à ſuis remediis non promittant, etiam æternam vitam, ſi obgannire ad libitum poſſent, ignorantes naturæ noſtræ imbecillitatem, ac fluxibilitatem, & remediorum fallaciam, fidentes tantummodo iis, quæ apud ſcriptores reperiunt, vel quæ ſibimetipſis inaniter perſuadent, ſomniisque quæ ipſi ſibi fingunt, quibus poſtmodum ne per ſomnium quidem ſimilis reſpondet effectus.

8 Loquacitas porro in Medico, maxime rationali, reprehenſibilis eſt, & circulatoribus aliisque huius farinæ hominibus digna, iisque relinquenda, tunc autem iuſtis pœnis mulctanda, cum ſecreta ſibi commiſſa, quæ detecta in damnum, aut ignominiam alicuius perſonæ emanare poſſunt Medicus detegit; unde ad hoc iuramento ſeſe obſtringit Hippocrates noſter, *in ſuo iureiurando* ex quo id ipſum deſumentes adnotarunt alij Medici, Codronch. *de Chriſt. med. rat. lib.* 1. *cap.* 7. Silvaticus *in Medico, cap.* 8. Ranch. in ipſum *Hipp. iusiur. leg.* 8. qui optimè addebat, quod quemadmodum animarum Medici, nempe confeſſarij, teneantur animæ morbos, quibus eorum ægri detinentur, ſilentio tegere; ſic & Medici, qui corporis morbis medentur, eos, quibus ſui ægroti afficiuntur, non debent, ſi patefacere eos non expediat, propalare.

Sed dubitari hic poteſt, an ſi Medicus requiratur in aliquibus caſibus ad detegendam veritatem 9
quæ celata in præiudicium requirentis, aut alterius perſonæ redundaret, teneatur contra hoc iuſiurandum facere: loquor autem extra iudicium, nam in iudicio tenetur omnino veritatem detegere, Codronch. *ubi ſup. lib.* 1. *cap.* 38 Siluat. *de Med. cap.* 8. iuramento enim ad hoc obſtringitur, Dabo autem in hac re exemplum: Vir ſit qui uxorem ducere velit, à Medico, qui mulieri quam in uxorem petit, medetur, exquirit, an morbo aliquo & præcipue contagioſo, laboret; poſtulat item alter in religionem aliquam recipi, & ſuperior Medicum conſulit, an hic tali morbo laboret qui ingreſſum religionis impedire illi poſſit, & ſic in cæteris; in quibus omnibus caſibus Medicus, aut ſecreta ſibi commiſſa detegere, aut celare cum alterius præiudicio cogitur, ſed huius quæſtionis deciſio non ad nos, ſed ad Canoniſtas pertinet.

Præterea Medicus, qui in caſibus dubiis alios Medicos ſocios tenuit, mortaliter peccat, ut ex 10
Toleto dicit Thom, *Act. de Inf. part.* 2. *verbo Medicus, numero.* 8. Utrum autem poſſit Medicus (quod in quotidiano uſu eſt) pro ſocio tenuere alium Medicum, quem novit quidem plurimum in arte valere, ut alium convocet magis ſibi gratum, aut amicum, certè in dubium verti poteſt; ac profecto ſi veriſimile ſit, hoc in præiudicium ægrotantium futurum, certum eſt, quod nullo modo liceat, & idcirco peccare nos Medicos dixerim in hac conſuetudine; de gravitate vero peccati ad me non pertinet quicquam determinare, de ea igitur nihil addo. Scio tantum ex Medicis Silvaticum *ubi ſupra cap.* 13. voluiſſe Medicum mortaliter peccare, quandocunque odio, aut invidiâ doctiorem ſocium in curam non admittit, aut minus aptum & minus doctum, ob amicitiam, aut ob aliquem alium finem advocandum curat: ſed magis accuſandi qui bonos, ac doctos invidiâ aut odio reſpuunt; maximus enim perverſitatis cumulus eſt, optimis viris inimicum eſſe, ut Plutarch. dicebat *in lib. de diff. int. od. & Invid.*

Adver

Adverte tamen non ſolum non errare, ſed maximè ſecundum Canonum conſtitutionem facere, qui Medicum Judæum, aut alium quemcunque extra Chriſtianam Religionem, aut etiam Hæreticum in ſocium tenuit; nam acceptando huiusmodi Medicos in ſocios, mortaliter peccat ut omnes Canoniſtæ docent, & ex Medicis Cordronch. *lib. 1. de Chriſt. med. rat. cap.* 35. & Mercurius *lib.* 2. *Err. popul. cap.* 18.

Graviter inſuper errat Medicus, lethalisque
11 peccati reus efficitur, qui ne ſententiam ſuam mutans erraſſe videatur, commiſſos errore fateri recuſat, & eos acriter defendit; & tantò magis grave peccatum committit, quantò maius præiudicium ex hoc ſuis ægrotantibus emanare poteſt. Codronch. *ubi ſupra, libro primo. cap.* 11. *& ſeq.* Silvat *ibid. cap.* 8. Quod quidem peccatum ad ſuperbiam referri debet, à quo certè ſeſe abſtinerent, ſi in mentem revocarent, fieri non poſſe ut nunquam erremus, & idcirco non repetiri Medicum qui non peccet, ſed illum ſummâ laude dignum putat Hippocrates, qui parum peccet. Non eſt ergo ex hoc indecorum Medico, ſi quando erret, errores ingenuè fateri, nam & ipſe Hippocrates, & Galenus, & alij Medicinæ Proceres ſuos errores fateri non erubuerunt, quos imitari ſi quis erubeſcat, dicat priùs erubeſcere, quod non imitetur: ſed de hac re qui plura ſcire deſiderat, adeat ex Juris conſultis Tiraq. *de Nobilit. cap.* 31. *num.* 50. *& ſeqq.* & ex Medicis Sanctorell. *lib.* 13. *ſuæ Anteprax. cap. ult.* & Zacut. *de Princ. Medic. hiſt. numero.* 79. *dub.* 50.

12 Denique ex Medicorum vel ſuperbia, vel avaritia fit, ut morbos leves, tutos ac ſalutares, graves, dubios & periculi plenos faciant: nam vel ut eorum ſolertia & potentia in arte magnificetur, & inanem gloriam apud homines conſequantur, vel ut largiùs ab ipſis ægrotantibus de morte timidis remuneretur, hoc facere conſueverunt? ſed in utroque caſu homines malitioſè decipiunt: de quo errore vide ſupra citat. Sanctorell. *libro eod. cap. decimo.*

SUMMARIUM.

1 *Medicus ante omnia tenetur infirmis ſuadere confeſſionem*
2 *An teneatur in quolibet levi morbo, & num.* 4 *Dicendum ut num.* 5. *& 6.*
3 *Ægritudines ferè omnes in principio leves.*
5 *Levis morbus ad hunc affectum quis dicatur, & ſeq.*
9 *Confeſſionem an in prima ſemper viſitatione Medicus ſuadere teneatur.*
10 *An Medicus poſſit per alium ægros ad confeſſionem adiortari.*
11 *Medicus an, & quomodo teneatur certiorare, utrùm infirmus obedierit, necne*
12 *Ægro non obediente, an Medicus teneatur eum deſerere.*
13 *Medicus an ultra confeſſionem, teneatur etiam infirmis ſuadere vatici aſſumptionem.*
14 *Medicus an teneatur mortem quoque ſuis infirmis nunciare.*
15 *Medicus an teneatur abſentes infirmos, ipſum conſulentes ad confeſſionem hortari.*

De erroribus omiſſionis ad conſilia ſpectantibus.

QUÆSTIO IV.

1 MEdicus ad infirmos curandos vocatus, ante omnia tenetur illos ad confeſſionem hortari, quod omittendo mortaliter peccat, ut omnes Canoniſtæ *in cap. cùm infirmitas, de pœn. & rem.* & omnes Catolici Medici docent; nam & ipſi Medici cùm Doctoratus lauream conſequantur, ad hoc preſtandum iuramento ſeſe obſtringunt. Sed circa eam rem nonnulla dubia occurrerunt. Primò, an hæc obligatio Medicos devinciat in quolibet morbo, etiam levi. Secundò, an poſſit Medicus huic obligationi per alium ſatisfacere, ut puta per Propinquos, per Parochum, per Amicos per Religioſos. Tertiò, an infirmo non obediente teneatur Medicus iuxta iuramenti formam illum deſerere. Quartò, an teneatur etiam ſuadere ægro Viatici, cæterorumque Sacramentorum aſſumptionem. Quintò, an etiam mortem infirmis nunciare debeat. Sextò denique, an abſentibus etiam infirmis, qui ab ipſo conſilium quærunt, debeat confeſſionem ſuadere.

Et quoad primum Cartar. *de Medico*, ex multis DD. auctoritatibus ab ipſo adductis, *part. 4. à num.* 28. *ad ſeqq.* & ex Medicis Codronch. *de Chriſt. med. rat. lib. 1. cap.* 17. voluerunt, Medicum teneri in quo- 2
libet morbo etiam levi, infirmis ſuadere confeſſionem, ad quod etiam nonnullas rationes adducunt quarum primam nos ampliando ac declarando dicimus, quòd conſtitutiones Pontificiæ præcipientes Medicis, ut confeſſionem infirmis ſuadeant, lo- 3
quuntur in principio cuiuſcunque ægritudinis: at ægritudines in principio omnes videntur leviores, iuxta id quod docet Hippocrates *lib.* 2. *Aphor.* 30. *Circa principia omnia leviora*: unde facilè daretur caſus, ut indies uſuvenit, quòd infirmitas à Medico levis iudicaretur, & ægro ad confeſſionem non compulſo, in augmento vel periret, vel deliraret, vel obmutesceret, vel ſtrangularetur, & ſic non poſſet ampliùs Sacramento pœnitentiæ muniri. Ne ergo in huiuſmodi inconveniens labantur, illicò à principio in quolibet morbo debemus ægros ad confeſſionem compellere. Nam erit, exempli gratiâ, qui leviter in faucibus dolebit, & fortè etiam febricitabit, huic ſi confeſſionem quamprimùm non ſuadeas, poterit interdum paucarum horarum ſpatio ſquinantiâ ſuffocari; aut ita ſtrangulari, ut ſpiritus viâ intercluſâ loqui nullo modo poſſit, & ſic de cæteris. 4

Aliâ tamen ex parte poſt Navarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 61. *verſ. Tertiò peccat.* M. Antonin. *lib.* 1. *Var. reſol., caſ.* 30. *reſol. ultim.* Actius *de Infirmitate part.* 2. *verbo Medicus. num.* 6. & ex Medicis Jo. Alphonſ. à Fontech. *in ſpec. Med. Chriſt. lum.* 1. *pag.* 8. *verſ. Quartò tenetur.* & Gaſpar. Triſtand. *de Cler. Medic* §. 33. firmarunt Medicum in periculoſo tantùm morbo, non in levi, eâ obligatione teneri. Nam alias videretur, ut ex Caietano dicebat etiam Codronch. *ubi ſupra*, ea res ludibrio, & deſpectui non deſtitui, ſi in quocunque levi morbo ægri cogi deberent ad confeſſionem, nimiſque durum eſſet ad id ſemper Medicos teneri, ſub eadem pœna, quâ in gravioribus caſibus teneatur, ut ex Roſella addebat idem Actius *ubi ſupra*.

Ergo in hac re Medici ſolertiâ & prudentiâ opus eſt, quâ neque in conſtitutiones pontificias illum peccare contingat, neque eam rem alia ex parte deſpectui haberi. Dicendum itaque primò, quòd etiam ſi morbus in principio levis appareat, & Medicus ex magnitudine apparatus morbi ſi, & ex vi, & magnitudine prægreſſarum cauſarum, ex aliiſque 5
medicis coniecturis, probabiliter timeat illum gravem futurum, teneatur omnino in ipſo principio confeſſionem ſuadere, etiamſi ſperaret fieri poſſe, ut opportuno aliquo medicamento poſſet morbi gravitas evitari, imperuſque obtundi: aliàs autem in levibus morbis Medicum non teneri.

6 Secundò dicamus, quòd, quandocunque morbus habeat coniunctam febrem, etiam intermittentem, Medicus teneatur omnino ad huius præcepti obſervantiam; & ratio eſt, quia tametſi morbus cum tali febre levis videatur, rationaliter tamen ſemper timendum, ne gravis fiat, cùm febris quæcunque, ut aliàs ex Gal. dixi, ſit cauſa, & ſignum pernicioſiſſimum.

Sed dubitari generaliter poteſt, quandonam 7 morbus ad hunc effectum debeat dici levis: & dicamus Tertiò non ſatis eſſe, ut dicatur levis, quòd ſit dubius, immò neque ſatis eſſe, quòd ſit ſecurus à morte, quia conſtitutiones Pontificiæ, ſacrique Canones non ob id tantùm iubent, ut Medici impellant infirmos ad confeſſionem, ne abſque pœnitentiæ Sacramento decedant, ſed etiam ut illi occaſione infirmitatis, medio eo Sacramento convertantur ad Deum Creatorem ſuum, & recedant à via ſua mala. Non debent ergo Medici deſerere hanc occaſionem, ſub prætextu levitatis morbi, quam ab Eccleſia arripere iubentur.

8 Quartò dicamus, levem morbum in hoc caſu, & ad hunc effectum dicendum eſſe, qui neque ulli vitæ periculo hominem ſubiicit, neque ſuâ longitudine hominem ad multum tempus iacere cogit, ut qui non pertranſit tertiam, vel quartam diem, aut ad ſummum ſeptimam. Sed videnda quæ ad hanc ipſam rem affert Mercurius, *lib. 3. Error. popul. cap. 4.* ubi præcipuos morbos enumerat, in quibus Medicus tenetur huic obligationi ſatisfacere. Sed dubitatur ulteriùs, num Medicus teneatur in prima viſitatione id præſtare. Navarr. ex Canoniſtis, *ubi ſuprà*, voluit teneri, antequàm Medicus ægris medicamenta præſcribat, & videtur idipſum apertiſſimè iniungi *in cit. cap. cùm infirmitas, ibi. ante omnia*: & ita videntur tenere cæteri Canoniſtæ; & ex Medicis Co-
9 dronc. *ubi ſuprà*, voluit teneri in principio curationis. Nos, ſi quid in hoc cum Canonibus pronunciare poſſumus, dicamus, quòd, quanquam ſaluberrimum conſilium ſit, in principio curationis huic obligationi ſatisfacere, tamen nequaquam peccat Medicus, ſi antequàm tertia dies pertranſeat, obligationi ſatisfacere ægrum curet, nam per tres dies licet ægrum viſitare, etiamſi pœnitentiæ Sacramento ſeſe non muniverit: primâ ergo die licebit morbum obſervare; ſecundâ, confeſſionem ſuadere; tertiâ inviſere, an æger obedierit, necne, & hoc niſi maior urgeat neceſſitas, ut ſi morbus eſſet præceps, tunc enim abſque ullo dubio in prima viſitatione, antequam quidquam præſcribamus, tenebitur ad confeſſionem ſuadendam: Aliàs, ſervatis quæ diximus, poſt tertiam diem ad ægrum, qui non obedierit, non redibimus. Licèt certè, ſi iuxta formam Juramenti, quod ſuſcipimus, ſit procedendum, ſemper ante omnia debeamus huic debito ſatisfacere, ea enim ita habet, *Omnes, qui ad manus meas devenient, primum ad penitentia Sacramentum ſuſcipiendum hortabor, alias poſt tertiam diem niſi confeſſi fuerint, non redibo.* Nullâ tamen neceſſitate cogimur ad ſequendum indifferenter in quovis caſu Navarri & Codronchij conſilium, licèt optimum ſit, volentium teneri omnino Medicum ante ullius remedij applicationem ægro confeſſionem ſuadere; abſque peccato enim, ut credo, poterit ille medicamenta primò præſcribere; & deinde aut immediatè poſt, aut in ſecunda viſitatione ægrum ad confeſſionem hortari, niſi maior urgeat neceſſitas.

Vertitur ſecundò in dubium, an Medicus huic obligationi poſſit per alium ſatisfacere, ut per Parochum, aut per Propinquos, Amicos, Aſſiſtentes, Religioſos, & ſimiles. Nau. *ubi ſup.* & alij apud Codronch. *ibid.* & Gaſp. Triſt. *de Cler. Med. §. 55.* affirmativam ſententiam ſequuntur, Pro quibus videtur facere protrita Reg. 72. *in ſexto.* Sed hoc impugnat idem Codr. *ibid.* nec immeritò, quia præceptum obligat ipſos Medicos ad ſuadendum ægros ad huiuſmodi Sacramenti ſuſceptionem? propinqui verò, & aliæ perſonæ poſſunt, ut idem Codronch. addit, in eâ re negligenter ſe gerere, & ſic obligationi non erit ſatisfactum, & tamen Navarra eximit Medicum à peccato, ſi illi, quibus hanc provinciam Medicus demandaverit, negligentes fuerint. Mihi autem, ſi quid in hoc pronuntiare licet, nimis indulgens videtur Navarra? nam præterquam quòd regula illa, *Qui per alium*, non habet locum hîc, intelligi etiam poſſet, quatenus haberet locum, veram eſſe quando nulla intervenit diſparitas actionis inter facientem, & iubentem facere; at hîc eſt omnino diſpar ratio, quia multò maiorem efficaciam habet ſuaſio Medici tunc ad confeſſionem, quàm cuiuſcunque etiam Parochi, aut Religioſi; primo quia infirmus Medico indigens, tanquam Deum illum veneratur, illique in omnibus obtemperare ſatagit; ſecundò, quia æger ſciens Medicum hoc ex debito ſuo facere aliàs non poſſe ad eum redire, niſi obedierit, libentiùs, ac promptiùs obedit, quàm ſi quivis alius eius rei ipſum admoneat; videretur ergo dicendum, ſalvo ſemper ſaniori iudicio, non eximi Medicum à peccato, niſi per ſemetipſum huic obligationi ſatisfaciat: in qua ſententia confirmor ex verbis Panorm. *in cit. cap. cùm infirmitas de Pœnit. & Remiſſ. numero. 2.* qui vult, quòd cùm præcipitur Medico, quòd moneat & inducat, hoc debeat intelligi cum effectu, & cum efficacia; non enim ſatis eſt ſimpliciter monere ægrotum, & multo minùs monere per alium, quia hoc non eſt cum effectu monere, & impellere ægrum ad confeſſionem.

Sed quomodo certior fieri debet Medicus, an æger obtemperaverit, & pœnitentiæ Sacramento ſeſe muniverit? an ad ſuæ conſcientiæ exonera- 10
tionem ſufficit, ægri, vel aſſiſtentium dicto ſtare; an potiùs tenetur ut aliâ certiori viâ hoc habeat manifeſtum? Jo. Alphonſ. à Fontech. *ubi aliàs, lum. 1. pag. 8. verſ. Quartò tenetur.* & Gaſp. Triſt. *ubi ſuprà*, voluit, teneri Medicum de hoc per fidem Parochi, vel confeſſarij in ſcriptis certiorari; ad quod etiam videntur Medici obligari, ex decretis Summorum Pontificum non multis antè annis emanatis, quibus obedire tenetur; aliàs videbatur ſufficere, quomodocunque de ea re non dubiam cognitionem habere.

Dubitatur tertiò, an ſi æger in hoc Medico non 11
obtemperaverit, Medicus debeat ſub pœna peccati illum deſerere. Navarra cum Summiſtis. Carrar. *de Med. part. 4. numero. 55.* & Actius *de Infirm. part. 1. cap. 45. num. 33.* & ex Medicis Gaſp. Triſtan. *ubi ſuprà*, exiſtimant ægrotum non eſſe deſerendum, quia Medicus peccaret contra charitatem. Contra hos tamen pugnat ex Medicis Codronch. *ubi ſupra*, qui vult tranſacto triduo omnino ægrotum eſſe deſerendum, niſi obedierit: Certè, inquam, niſi Medicus cogatur ſub pœna peccati infirmum non obedientem deſerere, fruſtratoria fuit eius clauſulæ appoſitio in iuramento, quod à Medicis ex conſtitutionibus pontificiis præſtatur, quòd poſt tertiam

diem

diem ad ægrum non redibunt, qui huic debito non ſatisfecerit. Satis ergo erat iniungere Medicis ut ſub pœna peccati ad confeſſionem ægrotos ſuos hortarentur. Itaque ſi fruſtratoria ea iuramenti verba eſſe non debent, Medicus omnino medius fidius tenetur ad eorum adimplementum. Unde idem Codronchius, qui acriter hanc opinionem tuetur, reſponder ad id quod dicunt, Medicum non teneri deſerere infirmum, qui non vult obedire, Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendo, ex eo quod peccaret contra charitatem, dicitque quod multo magis fortè peccaret contra charitatem, ſi cum ſuæ ipſius animæ detrimento, pontificio mandato, & iuramento non ſatisfaceret; additque, Pontifices nihil potuiſſe præcipere contra charitatem: Deſerere ergo infirmum inobedientem in hoc præcepto, non eſt contre charitatem Alij diſtinctione in hoc caſu uſi ſunt, volentes quod ſi ſuppetat copia aliorum Medicorum, teneatur Medicus infirmum deſerere; ſin minus non teneatur. Sed id ad quod unus tenetur, tenebitur & alius; omnes ergo Medici, poſtquam ægrum ad confeſſionem fuerint hortati, debent non obtemperantem deſerere. Ego quidem, ut libere ſenſum meum patefaciam, nimis rigoroſam ac duram oxiſtimo Codronchij ſententiam, & omnino, ſi quid mihi in hoc pronunciare licet, dixerim, quod quandocunque immineat evi dens vitæ periculum, ſi Medicus deſerat infirmum, non debeat illum deſerere, immo puto quod peccaret deſerendo; in aliis autem caſibus, quando videret pertinaciam infirmi, credo quod omnino teneretur illum deſerere, & maximè ſi adſit copia aliorum Medicorum: hoc tamen pertinet ad Canoniſtas decidere.

13 Inſurgit quarto alia dubitatio, num ſcilicet in morbo præcipiti, & periculi pleno, teneatur Medicus ultra confeſſionem, etiam ad Viatici aſſumptiorem ægrum hortari. Mercur. *lib. 2. Err. popul. cap. 25.* vult etiam ad hoc Medicum teneti, Ego Canoniſtarum nullum offendi, qui ad hoc Medicum obligatum dicat; neque iuramentum, quod in Doctoratus laurea aſſumenda præſtamus ad hoc nos obſtringit. Et tamen licet Medicus non teneatur ſub pœna peccati, & ex proprio officio, ſi Parochum, Religioſos, Confeſſarios, aſſiſtentes, propinquos, amicos, & ipſum ægrum in hoc negligentes videat, ſaltem ex charitate tenetur, ne ægrum ipſum tam pretioſo animæ remedio ſub finem vitæ defraudet, ex quo quot, & quanta eius ſaluti beneficia conſequantur, nullus ſanæ fidei homo eſt, qui neſciat. Adde quod ſacramenta hæc non minus corporis, quam animæ ſaluti ſint proficua. Ac profecto etiam ad corporis ſalutem procurandam à Medico proponi tanquam remedia tutiſſima poſſunt, antepoſita ſemper animæ ſalute: quia certum eſt, morbos animæ etiam corpori officere, arg. *text. in cap. cum infirmitas, ſæpe citato.* At nihil eſt, quod animum peius afficiat, quam conſcia delictorum mens. Quis autem eſt, qui aliquando in ſe ipſo non ſit expertus, quantopere poſt ſacramentalem confeſſionem, & multo magis poſt ſacratiſſimæ Euchariſtiæ aſſumptionem, ſeipſo lætior & alacrior exiſtat? Videtur enim anima depoſitâ graviſſima, ac pernecanti peccatorum ſarcinâ, recreari ac reſpirare, & ex hoc ipſiſſimum corpus à morbis levari.

14 Quinto dubitatur, an Medicus teneatur etiam mortem infirmo nunciare. Navarra ex Canoniſtis, *ubi alias, numero* 63. & ex Medicis ſæpe adductus Codronch. *ibidem cap.* 19. & Jo. Alphonſ. à Fontech. *in ſpec. med. Chriſt. lumin. 1. verſ. Rogabis forſitan,* ponunt aliquos caſus, in quibus volunt Medicum teneri, nempe cum ſperatur ex hac denunciatione Medici infirmo facta aliquod magnum bonum ſubſecuturum Mercur. *lib. 2. Err. popul. cap. 25.* vult Medicum teneri denunciare mortem, ſaltem propinquis, & adſtantibus, ad ſcandala evitanda. Ego quæ addam, ſicuti & ſuperius allata omnia, Canonicæ cenſuræ ſubiicio, & meam tantum opinionem profero, non ut pro vera, ſi minus vera ſit, recipiatur. Dico igitur, non videri ad Medicum pertinere, mortem aliquo modo ægro nunciare, niſi fortè ab ipſo ægto, ut fit, inſtanter ob ſuæ animæ ſalutem, de hoc interrogetur; aut ſi nulla alia via ſit qua magnum ſcandalum evitari poſt ægri mortem poſſet, licet ſufficeret etiam eo caſu per alium hoc ægro denunciare. Satis ergo ſe ab omni culpa immunem Medicus reddet, ſi Parochum, Sacerdotes, Propinquos, aſſidentes, amicos eius rei admonuerit. Et ratio eſt, quia Medicus corporeæ ſaluti præpoſitus, dummodo ſatisfaciat debito de ſuadendo confeſſionem, quod ipſe æger ſcit ad Medicum pertinere, ſi mortem quoque ab eo ſibi denunciari videat, à quo ſalutem expectat, abſque dubio inſolito timore ac terrore afficietur, fortè etiam irâ, & excandeſcentia in ipſum Medicum commovebitur, & mortem accelerabit, ſcioque infirmos nonnullos Medicis hæc nunciantibus, & teſtamenti confectionem ſuadentibus iratos, & animum deſpondentes reſpondiſſe hoc ad Medicum non pertinere; alios omne in poſterum remedium recuſaſſe, & alia inde mala ac ſcandala eveniſſe. Licet ergo Chriſtianus Medicus non debeat (quod Galen. volebat *comment 4. in ſextum Epid. text. 8.*) certam incolumitatem ægro polliceri, quando adeſt aliquod vitæ periculum, ne ſpe corporeæ ſalutis, à ſalutis æternæ deſiderio diſtrahatur nunquam tamen debet certam mortem enunciare, (niſi aliquid maius urgeat) ſed hoc Parocho, confeſſariis, religioſis. Præſtandum relinquere; cui ſententiæ videtur adhæſiſſe Actius *de Infirm. cap. 43. num. 16. & ſeqq.* & ex Medicis doctiſſimis Gabriel. Fonſeca *in ſua Med. œconomia, cap. 11.*

Ultimo dubitatur, an Medicus abſentes infirmos, qui ipſum conſulunt, teneatur ad confeſſionem ſcriptis, vel nunciis hortari. Hoc dubium à Canoniſtis eſt prætermiſſum, illudque movent ex Medicis Codronch. *ubi ſæpe. cap. 18.* & Mercur. *ubi alias, lib. 2. cap. 25.* & uterque in affirmativam ſententiam inclinat, & ad hoc ſub pœna lethalis peccati volunt Medicum eſſe obligatum. Horum Medicorum conſilium pium quidem eſt homini Chriſtiano acceptandum; ſed quod Medicus mortaliter delinquat hoc omittendo, nimis durum eſt, & falſum credo, quia ex forma iuramenti obſtringimur ad illos tantum hortandos & impellendos ad confeſſionem, ad quos in lecto iacentes accedimus. Sed & de hoc, ut de ſuperioribus, Canoniſtæ determinare debent 15

SUMMARIUM.

1 *Medicus an tuta conſcientia poſſit abſentibus infirmis mederi.*
2 *Medicus non poteſt quicquam contra animæ ſalutem ægris ſuadere.*
3 *Infirmitas corporis ab infirmitate animæ*
4 *Cautus ad corporis ſalutem nu à Medico ſuaderi poſſit.*

5 *Coniugatis an poſſit Medicus coitum ſuadere.*
6 *Medicus tenetur præſcribere remedia certa, non dubia.*
7 *Coitus licitus à Medico ſuaderi poteſt ex cauſa ſanitatis.*
8 *Actus venereus inter coniugatos licet non ſit actus virtutis, non eſt contra virtutem.*
9 *Coitus coniugalis etiam abſque ulla ſpe generationis non eſt illicitus.*
10 *Coitus moderatus eſt ſalubris, & cauſa curativa multarum agritudinum.*
11 *Accubitus cum virginibus cauſa ſanitatis, aut cum iuvenibus vitulis, an ſuaderi poſſit.*
12 *Pollutio cauſa ſanitatis an procurari poſſit.*
13 *Pollutio voluntaria eſt peccatum mortale.*
14 *Ebrietas à Medico cauſa ſanitatis an ſuadenda.*
15 *Ebrietas ad nonnullos morbos curandos laudata.*
16 *Medicus non debet ſuadere Ebrietatem.*
17 *Ebrietas ex aliis rebus quam ex vino, aut ceruviſia, an à Medico ſuadenda.*
18 *Circa itinnium quod nam conſilium dare poſſit Medicus remiſſivè.*
19 *Ceſſationem à recitatione divinorum efficiorum quando conſulere Medicus poſſit remiſſivè.*
20 *Virginitatem diſſuadere an poſſit Medicus. Decidend. ut num.* 23.
21 *Actus Matrimonij non ſolum eſt licitus, ſed etiam meritorius*
22 *Virginitas in ſtatu politico perniciosa, falſum.*
24 *Coniugium præferre virginitati eſt haereticum.*
25 *Matrimonium eſt quidem licitum ſed non comparandum ſtatui virginali.*
26 *Medicus in iudicium tanquam peritus vocatus, peccat mortaliter falſa referendo.*

De erroribus commiſſionis ad conſilia ſpectantibus.

QUÆSTIO V.

PRimo ſeſe offert dubium iam diu agitatum, an nimirum poſſit Medicus ex arte primo, dehinc etiam an tuta conſcientia abſentibus mederi, ac conſilium dare: & Codronch. *lib. 1. de Chriſt. med. ratione cap. 5.* rei difficultatem in hoc puncto oſtendens, in negativam ſententiam ire videtur: quod ſi aliquando Medico liceat, tunc voluit illum tutiora, & clementiora medicamenta debere præſcribere, validioribus omnino prætermiſſis. Neque dubium eſt, ut elicitur ex Galeno *in documento de Puer. Epil.* quod abſentibus conſilium dare, eſt unde quaque difficile, ac omnino periculoſum. Codronchij tamen ſententiam poſſumus aliqua ex parte moderari, dicendo primo, quod quandocunque Medicus ab aliis Medicis, vel à perſonis expertis certior fiat de natura, & accidentibus morbi, de temperamento & viribus ægrotantis, & de aliis ad hoc neceſſariis, poſſit & ex arte, & tuta conſcientiâ abſentibus mederi, & quæcunque medicamenta indifferenter præſcribere, ut indies à quibuscunque Medicis factitari abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo obſervamus.

Secundo dicendum, neque tuta conſcientia, neque ex arte Medicum poſſe abſentibus mederi, ſi aut incertam & dubiam, aut non ſufficientem relationem eorum habeat quæ diximus; quomodo enim curabit morbum, quem non cognoſcit, aut ægrum iuvare aliquo modo poterit, cuius naturam & vires ignorat? Poterit tamen quædam generalia præſcribere, ut quæ pertinent ad vitæ rationem ſaltem aliqua, quædam item medicamenta clementiora, ut dicebat Codronchius; quin etiam & ſanguinis miſſionem, dummodo nonnulla prius ipſe interroget, & alia etiam admoneat, ut de viribus ægrotantis, de ſymptomatibus quibus affligitur, de ſexu, de ætate, de vitæ inſtituto & ſimilibus, & admoneat inſuper, ne præceſſerit ulla inſignis evacuatio, aut veneris immoderatus uſus, & alia, quæ poſſint ſanguinis miſſionem impedire.

Præterea Medicus, ut omnes Canoniſtæ admonent, & cum Canoniſtis Medici omnes catholicè ſentientes, non poteſt quicquam, quod contra Animæ ſalutem ſit, ægro ſuadere; ſic expreſſiſſimè cavetur *in cap. cum infirmitas, de Pœnit. & remiſſ.* in hæc verba: *Cæterum, cum anima ſit multo pretioſior corpore ſub interminatione anathematis prohibemus ne quis Medicorum pro corporis ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur.* Quod non deſiterunt etiam admonere ipſi Medici. ut Foreſt *lib. 4. Obſ. Chirurg. obſ. 6. in ſchol.* Codronch. *l. 1. de Chriſt. mei rat. c. 20.* Gaſp. Triſtan. *de Cler. Med. §. 36.* Quâ occaſione ſumptâ dico, Medicinam, ſi res intimius perſcrutatur, non quærere ſimpliciter corporis ſanitatem, ita ut anima non ſit ſollicita, imo potius contrarium quærere, nempe coporis ſanitatem, ad hoc ut animus valeat,

——— *& ſit mens ſana in corpore ſano.*

alias in caſſam laboraret, non ſolum quia corporis infirmitas originem trahit aliquando ab infirmitate animi, *text. in cit. cap. cùm infirmitas:* unde non remoto morbo animæ, non induceret ſanitatem, Sed etiam, quia nulla poteſt vere dici ſanitas adeſſe ubi anima ſana non ſit: ergo de neceſſitate Medicina debet quærere Animæ ſanitatem, & ſanitatem corporis ad animæ ſalutem dirigere. Qui igitur ut corporis ſanitati conſulat, animæ ſanitatem negligit non in præcepta modo divinæ legis peccat, ſed veræ etiam Medicinæ, ut Anathema habendus. Quanquam autem Medicum nos pro ſanitate corporis tantum conſulamus, certe ſi pro ſanitate quoq; animæ, in his quæ ad eum ſpectant, conſulerem, non minora prædia ab ipſo in animæ, quam in corporis ſalutem reportaremus. Sed quotusquisque homo eſt, qui ad animæ morbos auxilium à Medico expoſcat? Deplorandum quidem eſt, quod neglectis omnino auxiliis, quæ ad animæ morbos Medicina ſuppeditare poteſt, ſola ea expetamus, quæ corporis ſaluti proſpiciunt, Sed de his, longioribus egi *in libr. 6. de animi paſſionibus, ac morbis de eorumque cura tam Phyſica, quam morali*, vulgari ſermone exaratis.

Cæterum cum multa ſint quæ Medicus contra animæ ſalutem hominibus ſuadere poteſt, aut de omnibus, aut de pleriſque, ſaltem ſingulatim agendum.

Dubitatur ergo primo, an Medicus poſſit ad alicuius morbi curationem, aut etiam ad evitandam mortem, ægro coitus uſum ſuadere, omnesq; DD. unanimiter dicunt, non poſſe, quod in tantum eſt verum, quod non ſolum quotidianis experientiis verbiſque explicitis, ſed etiam implicitè & conditionaliter, ut declarat cum aliis Navarra, *loco citato.* Et ego quidem non modo exiſtimaverim peccare Medicum conditionaliter loquentem, ut Navarra dicit, *Ego hoc tibi non conſulo, ſed ſi tale quid faceres, ſanaveris:* ſed etiamſi cum hac exceptione loqueretur, *Niſi peccatum obſtaret, coitus uſus tibi ſanitatem reſtitueret.* Quia quantum eſt ex parte ſui, Medicus conſilium etiam per hæc verba dare videtur, & facile dare poteſt occaſionem peccandi antepoſita ſanitatis recuperatione, & voluptate propoſiti remedij. Hæc autem habere locum in coitu illicito nemo inficiatur: ſed dubitant nonnulli, an etiam licitum coitum Medicus poſſit coniugatis ſuadere. Turrecremata, ex quo actius *de Infirm. p. 1. cap. 44. numer. 26.* dicit non poſſe ſaltem abſque peccato veniali: quod tamen cæteri non videntur admittere; quia volentes Medicum non poſſe ſuadere coitum, omnes loquuntur de illicito. Ita poſt alios

Navarra,

Navarr. *ubi aliàs*, *numero* 62. Leſſ. *de Iuſt. & Iur. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. Carrar. *de Med. p.*4. *num.* 63. Carranz. *de part. cap.* 20. *quæſt.* 8. & ex Medicis Codronch. *ubi ſæpe lib.* 1. *cap.* 20. Mercur. *lib.* 7. *error. popul. cap.* 41. Ratio tamen videtur adduci poſſe
6 pro Turrecrematæ opinione, atque ea eſt, quòd Medicus, ut ſuo loco probabimus, tenetur præſcribere remedia tuta & certa, non dubia, & quæ periculo poſſunt hominem exponere: ſed tale remedium eſt coitus, quia ſemper noxius nunquam ſalutaris, aut tam de raro proficus, ut jure ſuſpectus eſſe poſſit. Quòd autem ſit noxius multa, ne infinita dicam, probare poſſunt, quæ tamen datâ operâ relinquam. Celeberrimum eſt Cliniæ Pythagorici dictum, Venerem tunc eſſe exercendam, cùm quis damnum aliquod ſubire vult, vel ut alij, cùm quis ſeipſo deterior eſſe deſiderat. Si quis autem plures rationes, & auctoritates percurrere velit, demonſtrantes coitum eſſe ſemper noxium & inſalubrem, adeat ex Juriſconſultis Cagnol. *in Epiſt. de Vita & reg. hon. Princ. num.* 137. & Tiraq. *de Nobil. cap.* 31. *num.* 195. *ad ſeqq. & de leg. Connub. Gloſſ.* 1. *part.* 10. *à num.* 6. *ad quamplures ſeqq.* multa, ne omnia dicam congerentem, & poſt eum Carranz. *de part. cap.* 20. *quæſt.* 8. & ex Medicis poſt antiquiores, Nicol. *ſerm.* 6. *tract.* 2. *cap.* 5. Cagnatum *lib.* 1. *Obſ.* 1. Rod. à Caſt. *lib.* 3. *de nat. mul. par.* 1. *cap.* 3. & noviſſimè Antonium Sanctorell. *lib.* 17. *ſua Anteprax. cap.* 5. & ex aliis profeſſoribus Cæl. Rodig. *Antiq. lect. lib.* 15. *c.* 4. *& ſeq.* Quod autem multi dicunt, Venerem aliquibus morbis prodeſſe, & quod ipſe Hipp. 6. *Epidem. ſect.* 5. *text.* 22. coitum dixerit eſſe utilem morbis ex pituita, & Ariſt. *lib.* 4. *problem. cap.* 31. utilem eſſe morbis melancholicis, & iterum Hipp. *lib.* 1. *de rat. vict.* præceperit Venereis eſſe magis utendum in aquæ acceſſionibus, minùs in ignis incurſionibus, & qui firmaverit quoque *lib.* 7. *Epidem. inf.* Dyſenteriam à turpi ſcortatione ſolvi: quod & Amat. Luſit. experientiâ confirmavit, *cent.* 1. *curat. med. cur.* 17. hæc inquam omnia videntur à pleriſque bene ſentientibus ſatis refutata, ac confutata. Nunquam ergo coitus à Medico eſt ſuadendus, quantumvis aliàs licitus exiſtat.

His tamen non obſtantibus, dicendum videtur,
7 ſalvo ſemper meliore judicio, licitum coitum pro ſanitatis remedio à Medico ſuaderi tutâ conſcientiâ poſſe: ſi enim coitus eſt licitus, non ſuadet Medicus rei illicitæ operam dare; poteſt ergo coitum ſuadere. Licet enim actus venereus inter conjuges non ſit actus virtutis, non eſt tamen contra virtutem, imò licitus actus eſt, & laudabilis, ſi debito modo, & ad non malum finem celebretur. D. Tom. 2. 2. *quæſt.* 153. *art.* 2. imò, ut addit, non eſt minùs licitus coitus ad ſuſtentationem humanæ ſpeciei, quàm delectatio in cibis ad con-
8 ſervationem individui. Neque ſolùm licitus eſt coitus inter conjuges, ſed eſt etiam actus meritorius, ſi in gratia fiat, & debitis circumſtantiis non deſtituatur. Sanchez *de Matr. libr.* 9. *diſp.* 1. *num.* 3. Inde non video, quomodo locum habeat opinio Io. Brunelli *de ſponſ. matrim. conc.* 9. *numero* 12. volentis, quod actus concubitus ad evitandam incontinentiam & fornicationem cum alia muliere, ſit cum propria uxore peccatum veniale: ſed his ego me non immiſceo. Licet autem inſtari poſſit, quòd quando coitus à Medico ſuadetur, non ſuadetur ad hunc finem, nempe ad generationem, ſed ad alicujus morbi ſanationem; tamen reſpondendum, quòd ſatis ſit, ſi finis principalis copulæ ſit generatio, licèt cum hoc ſequatur, quòd ſit remedium alicujus infirmitatis: neque enim à Medici conſilio impeditur principalis ille finis, tunc enim non liceret coitum ſuadere, licèt coitus conjugalis etiam abſque ſpe futuræ generationis non ſit ullo modo illicitus, ut eſt coitus inter valde 9
ſenes, & coitus cum prægnante, cum qua nulla ſecundum plurimum ſpes eſt novæ generationis, donec uterum geſtet; & tamen coitus huiuſmodi ſunt liciti, habet enim copula conjugalis præter finem generationis, alios bonos fines ab ipſis Theologis, & Canoniſtis enumeratos, & à Rota *in Piſaurenum localium Lunæ* 22. *Junij* 1648. *coram Arguelles*, & inter Medicos à Moxio *de cur. morb. mul. per vena ſect. l.* 2. *cap.* 10. Coitum verò moderatum eſſe ſaluberrimum, & cauſam curativam multarum ægritudinum, poſt Gal. *lib.* 6. 10
de loc. aff. cap. 5. Aët. *ſerm.* 3. *cap.* 5. & Avic. Conſtantin. Haly, & alios antiquiorum dicit Tadd. Florent. *in Iſag. Joann. c.* 30. & Nicol. *ſerm.* 6. *tract.* 2. *cap.* 4. & latè demonſtrat Concil. *differ.* 124. Roderic. à Caſtr. *de Nat. mul. cap.* 3. *lib.* 1. & noviſſimè Franc. Ranchin. *de morb. Virg. ſect.* 3. *cap.* 2. *& de morb. ſenum. ſect.* 1. *cap.* 10. & Sanct. *in meth. vitand. err. lib.* 4. *cap.* 9. neque deeſt ex Juriſconſultis, quem adducam, abundè de ea re diſſerentem, Tiraq. *de leg. Connub. leg.* 15. *Gloſſ.* 1. *à n.* 73. *ad plures.* Unde verum non eſt, coitum ſemper eſſe noxium, nunquam ſalutarem, quia, ut ex Rufo Aëtius, *loco ſuprà citato*, Naturale opus coitus eſt, nullum autem ex naturalibus operibus nocivum eſt; & omnium quæ ſuperfluunt ſalubris ſuo tempore eſt evacuatio, quia Naturam veluti à ſarcina ſublevat, quæ aliquando ex ſe, ipſum ſuperfluentem ſanguinem, & ipſiſſimum ſemen non modò abſque noxa, ſed maximo cum commodo ſponte excernit, utpote quæ per eas excretiones hominem aliquando ab imminente morbo, & ab ipſa morte vindicare ſoleat: & ſi coitûs intermiſſio tantopere nocet, ut demonſtrat Hippocr. *in lib. de his, quæ ad virg. ſpectant*, & Gal. *lib.* 6. *de loc. aff. cap.* 5. & cum his Epiph. Ferdinan. & Sanctorius *locis ſuprà adductis*, certè reditus ad coitus uſum ab his nocumentis hominem liberabit.

Aliud inſuper inſurgit poſt hoc dubium, an liceat 11
Medico ſenibus accubitum puellarum virginumque ſuadere, quemadmodum vetulis accubitum cum invenibus, vel adoleſcentulis ad aliquem morbum profligandum, ut Medici, vel ſervi ſuaſerunt Regi David jam ſenio confecto, ſacrâ ſcripturâ narrante *lib.* 3. *Reg. in principio*: Quòd enim accubitus invencularum ſenibus, & juvenum vetulis ſit ſalubris, præter experientiam teſtem, probatur ratione à Franciſco Ranchin. *de morb. ſen. ſect.* 1. *c.* 8. demonſtrante quonam modo hic accubitus, hujuſmodi perſonas iuvare poſſit. In hoc dubio decidendo, remedij ſuſpicio ante omnia præ oculis habenda, etiamſi præcipitatæ ætatis hominibus ſuaderetur; quanquam enim certi eſſemus de impotentia conclamata hominis, tamen certi eſſe non poſſumus, an aliquam ſiniſtram cogitationem in ſene hic accubitus excitare poſſet, & ſic cùm non ſolùm evitare debeamus conſilia, quæ peccata ſuadent, ſed etiam ea quæ dant, aut dare poſſunt occaſionem peccati, concludendum à Medico non poſſe tale remedium tutâ conſcientiâ proponi, ſed eſſe potiùs in alia ſimillima remedia commutandum, de quibus idem Ranchin. *ibid.* niſi adeò tenellæ ætatis pueros, & puellas in hac occaſione aſſumendas curaremus, ut omnis peccati ſuſpicio omnino evaneſceret,

Sed

Sed circa Veneris uſum aliud dubium non prætermittendum excitatur, an liceat nimirum ob ſanitatem recuperandum pollutionem procurare; videtur autem prima fronte in caſſum de hoc dubitari, quia ſi coitum ſuadere non licet, multo minus procurare pollutionem, cum pollutio voluntaria ſit peccatum mortale, ut ex communi Leſſius *de Inſt. & Iur. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 14. *in princ.* Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 17. *num.* 16. Sed inſtatur, an liceat ſaltem ad evitandam mortem, ut maxime in hyſtericis mulieribus, quæ ſuffocantur, & aliquando ex procurata ſeminis emiſſione reviviſcunt, ut in vidua, de qua Gal. docet. *lib.* 6. *de loc. aff. c.* 5. Sunt enim ex Canoniſtis, qui hoc in aliquibus caſibus licitum eſſe exiſtiment. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſt.* 17. *num.* 19. *Tom.* 3. relatus per Moxium ex noſtris *lib.* 2. *Method. med. morb. mul. per ven. ſect. c.* 17. & ita ſe alias ſenſiſſe fatetur Codronc. *lib.* 1. *de Chriſt. med. rat. cap.* 11. Tutior tamen ſententia de hoc in nullo caſu unquam licitum eſſe, Leſſ. *de Inſt. & Iur. libro* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *num.* 61. & ex Medicis idem Codronch. *ibid.* Ranchin. *de morb. virg. ſect.* 3. *cap.* 2. Moxius *ubi ſupra*, qui acriter impugnat Sanchez opinionem, ejuſque argumentis pro ſua opinione allatis ſatisfacit.

Præterea dubitatur an Medicus poſſit abortum ſuadere, [vide Horſt. *tom* 3. *Pag.* 99. & 100. Reies *pag.* 380.] & abſolutè loquendo omnes negant. Dubium tantum eſt, ut in ſuperioribus caſibus, an id pro recuperanda ſanitate, aut ſaltem pro evitanda morte interdum licere poſſit; de qua re, quia magis opportuna in ſequentibus offeretur occaſio, eo loci ejus rei determinationem reiiciemus; quemadmodum & aliam non abſimilem, an liceat ſuadere ſterilitatem.

Quæritur ulterius, an licitum Medico ſit hortari aliquem ad ebrietatem, pro remedio alicujus morbi: & primo videtur quod non, quia ebrietas peccatum inducit, & eſt illicita? quia & corpori noxia eſt, & animæ etiam officit, reddit enim partem animæ rationalem hebetem ac turbidam, ut Gal. *lib.* 2. *de ſanit. tuend. c.* 11. & *lib.* 4. *ejuſd. c.* 4. & poſt eum D. Tom. 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 1. *in c.* dicebat, unde Horatius *ſerm. lib.* 2. *ſat.* 2. de crapula loquens.

Atque affigit humi generoſæ particulam auræ.

Et ut cætera prætermittam, ebrietatis nocumenta & multa & maximi ponderis eſſe, qui cognoſcere deſiderat, videre poterit Plat. *lib.* 1. *de Leg. verſ. f.* Senecam, *in Epiſt. n.* 83. & inter Juriſconſultos, Hoſtienſ. *in ſumm. lib.* 1. *tit. de temp. & qualit. ordin. n* 27. Tiraq. *de leg. Connub. lib.* 15. *Gloſſ.* 1. *n.* 146. *& ſeqq.* Leſſ. *de Inſt. & Iur. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 3. & poſt alios Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 26. *part.* 2. *num.* 10. & Medicis Practicos omnes *in propriis capitibus*, & præ cæteris Foreſtum. *lib.* 7. *obſ.* 25. Silvat. *in controv. n.* 14. Ranc. *Pathol. ſect.* 2. *c.* 15. & plura dixi alias *l.* 2. *harum. Quæſt. tit.* 1. *q.* 11. Cum ergo ebrietas ſit adeo noxia, non videtur pro remedio ſanitatis à Medico uſurpari poſſe.

Verum enim vero ebrietas alia ex parte cum à Philoſophis, tum à Medicis pro multarum ægritudinum remedio laudatur, nam Hipp. 1. *lib. de intern. aff. num.* 19. *in Renum morbo*, Si morbi, inquit, initio acceſſerit, vinum Mendæum album dilutius quam primum, per diem potui exhibere oportet, & inebrietur, quoad ſanguis ex naribus plurimus prorumpat. Plato quoque *dial.* 1. *de leg. trans. med. iterumque ibid. verſ. final.* ebrietatem videtur commendare, dummodo modus adhibeatur. Quinetiam Seneca *lib. de Tranquill. Anim. cap. ult. in fin.* Ebrietatem apertiſſimè ſuadet ad vitæ jucunditatem, magnorum virorum exemplo, qui ut curis levarentur aliquando ſeſe inebriabant: & ex aliorum Medicorum teſtimonio pro remedio oportuno nonnullorum morborum ebrietas proponitur, & vide quæ in hanc rem attulit ex Avicenna, Haly, Gordonio & aliis Nicol. *tract.* 2. *ſerm.* 5. *cap.* 9. & ex Neotericis Silvatic. *loco ſupra cit.* & Ranchin. *ibid.* Quibus addendum, quod D. Thom. 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. *ad* 3. apertè firmat, quod multum comedere & bibere, ad hoc ut vomitus provocetur, non eſt peccatum, & manifeſtè Leſſ. *de Inſt. & Iur. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 3. & Paul. Laymann. *lib.* 3. *Theol. Moral. ſect.* 4. *num.* 4. cum aliis docent, quod inebriare ſe non voluptatis cauſa, ſed valetudinis recuperandæ gratiâ, ſi in aliquo caſu opportunum medium eſſe videatur, non ſit illicitum [Vide Horſt. tom. 3. pag. 18.]

Sed his non obſtantibus, dicendum videtur, Medicum non poſſe directè ſaltem pro remedio ſanitatis ſuadere alicui ebrietatem; & ita tenet ex Canoniſtis Navarr. *ubi alias, num.* 62. & ex Medicis Gord. *in lib. p.* 2. *cap.* 21. & Codronch. *ubi ſæpe lib.* 1. *c.* 20. & Silvatic. *in Controverſ. loco jam addu&o.* addendæ ſunt ad hoc nonnullæ rationes: Medicus non poteſt quicquam ſuadere quod ſit contra animæ ſalutem, ut probavimus, nempe quod ſit peccatum, & maxime mortale, ſed inebriare ſe eſt peccatum mortale D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 1. & 2. Ergo Medicus non poteſt alicui ſuadere, ut ſeſe inebriet: Et ad inſtantiam, quæ fieri poteſt, quod tunc Medicus conſuleret quid contra animæ ſalutem, quando conſuleret ebrietatem ob voluptatem, non vero ob finem recuperandæ ſanitatis: reſpondetur, quod, quemadmodum non licet mediante aliquo peccato mortali, ſeſe etiam ab imminente morte liberare, ſic non licet conſulere ebrietatem propter ſanitatem, cum inebriare ſe, ut dictum, ſit peccatum mortale. Præterea Medicus non debet uti remediis dubiis & quæ cum periculo vitæ in uſum trahantur, ſed tale remedium eſt ebrietas, quia aliquando excitat apoplexiam, & occidit, juxta vulgatam Hippocrat. ſententiam, *lib.* 5. *Aphor.* 5. *& alibi*. Ergo ebrietas non eſt à Medico pro remedio morborum uſurpanda, quia, ut Gordon. addit, ante vomitum poſſet homo incurrere Apoplexiam.

Neque valet inſtantia, quod ſi ebrietas, fiat eo fine, ut vomitus provocetur, & non ad voluptatem ut dicebant Leſſius, & Laymann. & alii, non ſit peccatum, quia, ut optimè D. Thom. *ubi proximè. art.* 2. *ad* 3. non eſt neceſſarium ad vomitum provocandum, ut quis ſeſe inebriet; nam ad hunc finem ſatis eſt affatim comedere, & bibere citra ebrietatem præterquam quod, ut addit, aquâ ipſa tepidâ facillimè vomitus provocatur. Addamus & nos, mille alia remedia non tam generoſiora, quam leviora poſſe ad provocandum vomitum in uſum trahi: de quorum natura, & qualitate luculentiſſimos tractatus parat jam ſolertiſſ. Medicus Petrus Caſtellus *in libris de vomitoriis*. Itaque non excuſatur ut D. Thomas addit, à peccato, quia eo fine nempe ad vomitum procurandum ſeſe inebriat; & quidem rectè, quia per ebrietatem uſum rationis amittimus, per quam ſecundum virtutem operamur, & peccata declinamus. Sed cum hæc locum habeant in ebrietate, quæ vino excitatur, alia potione vini naturam æmulante, ut Cereviſia eſt, Sicera, Hala, Zyrhum & ſimiles potus; inſtari poteſt, an quibusdam medicamentis licite poſſimus ebrietatem provocare: & antequam de hoc quicquam determinemus, placet afferre id, quod Herodot. *lib.* 1. *non longè*

à fin.

à fin. narrat ; nempe pomum, ſeu fructum quendam igni iniectum, circumſtantes omnes ſeſe calefacientes ſuo odore inebriare ; nec deſunt alia quæ ſolo odore eundem effectum apta nata ſunt producere, de quibus non eſt hîc locus ut loquamur. Ad dubiũ dico, quòd licèt peccatum in ebrietate conſiſtat formaliter in exceſſu potus cauſa voluptatis, uſque ad rationis perditionem, D. Thom. *ubi ſuprà art.* 1. Leſſ. *loco cod. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 3. *n.* 13. crediderim tamen non licere privare ſe aliquo modo rationis uſu ; ad quemcunque finem id fiat : quia per privationem uſus rationis ſimiles evadimus brutis, quod eſſe maximum malum, idem Leſſius dicebat *ubi ſuprà, num.* 17. & tamen ipſe vult, quòd non ſit peccatum, inebriare ſe aliquibus medicamentis, aut etiam vino, dummodò non fiat cauſa voluptatis, quæ ſimul ſtare poſſe non videntur, ſi modò ebrietatis peccatum non conſiſtit tantùm in exceſſu potus propter voluptatem, ſed in ſpontanea privatione uſus ſuæ ipſius rationis. Ergo ſi quis aliquo medicamento ſeſe inebriet, cùm habeat fortè alia & meliora, negligens per aliquod tempus privare ſe rationis uſu, videant Canoniſtæ an peccet, quantumque peccet. Plura autem ſunt medicamenta, quæ inebriare hominem poſſunt, ut Ambarum cum vino aſſumptum, lignum Aloës, ſolanum maniacum, Crocus, Lolium, Aniſum, Lupulorum decoctum, aquæ ſtillatitiæ ex hordeo, aliiſque granis, & Tabacco, & alia quæ recenſet Daniel Sennert. *lib.* 1. *pract. p.* 2. *cap.* 6. Sed placet notare Medicum errorem Leſſij, qui de Tabaco pronunciavit, eſſe de genere narcoticorum, & frigidam ſtirpem : quod tamen falſum omnino eſt, cùm ſit calida, & ſuâ acrimoniâ ſternutamenta moveat ; aliaque efficiat, quæ acrium medicamentorum propria ſunt, ut videre eſt apud Nicolaum Monardum *de ſimpl. medic. Ind. Occid. cap. proprio*, qui Tabacco calidæ & ſiccæ naturæ in ſecundo gradu conſtituit.

18 Excitatur præterea dubium de conſiliis dandis circa Jejunij obſervationem, & circa comeſtionem carnium, aliorumque ciborum certis diebus interdictorum, quandonam liceat Medico infirmis ſuadere, ut à jejunio ſeſe abſtineant, & ut carnibus, quando aliàs non liceret, veſcantur ſed de hac re plura, ac quæcunque occurrerunt, attuli *lib.* 5. *ſuperiori, titulo primo per totum.*

Præter hæc in dubium vertitur, an poſſit Medi-
19 cus ſine peccato, infirmo ſuadere ceſſationem à recitatione divinorum officiorum, ab auditione Miſſæ, à ſimilibuſque obligationibus ab Eccleſia, vel à particulari quoquam inſtituto requiſitis ; ſed & de hac re ſeorſum agere operæ pretium duxi, nimis enim excreſceret præſens titulus, & maximè hæc quæſtio, ſi omnia de hac re dicenda in præſentiarum diſcuterentur.

20 His ergo omiſſis, videamus quid ſentiendum de conſilio dando circa virginitatem diſſuadendam : nam videretur hujuſmodi conſilium non eſſe illicitum, quia ſuadendo virgines ad nubendum, non
21 ſuademus ad aliquod pravum opus, quod ſit peccatum, quia actus Matrimonij non ſolùm eſt licitus, ſed eſt etiam meritorius, D. Thom. 2. 2. *q.* 153. *art.* 2. & conjugium eſt ex rebus maximè licitis, quia multa bona ſecum affert, quæ enumerat D. Auguſt. *in lib. de bono Coniug.* Si ergo Medicus poteſt licita ſuadere poterit etiam ad conjugium, tanquam ad rem licitam, virgines hortari. Immò non ſolùm poterit virginibus ſuadere conjugium, ſed fortè etiam diſſuadere virginitatem, tanquam rem maximè inſalubrem, quia mulier nata eſt ad fœtus generandos, & quandocunque ab eo fine diſtrahatur, morbis fit valde obnoxia, maximè quia in ejus corpore aggregatur ſuo tempore materia ſeminalis ad generationem deſtinata, quæ in corpore retenta, neque ullo modo per coitum expulſa, mille mala ſymptomata, ac mille morbos gignit, ut demonſtrat Gal. *lib.* 6. *de loc. aff. c.* 5. ex quibus mulieres periclitari quotidiana experientia docet,

Adde quòd virginitas in ſtatu Politico videtur 22
pernicioſa, cùm tendat ad interitum populorum, & totius generis humani abſumptionem, ut proſequitur Franc. Ranchin. *de morb. virg. ſect.* 1. *cap.* 12. ergo non ſolùm licitum eſt diſſuadere virginitatem Medico, ob id quòd noxia inviduis ſit, ſed etiam ob bonum publicum, quod abſque dubio privato ante ferendum.

Denique vigines multis ac difficillimis morbis conflictantur, quos percurrit Hipp. *in lib. de morb. virg.* his autem ſumma medela atque unicum remedium eſt, ut matrimonio iungantur ; quemadmodum conceptis verbis ipſe Hippocrates præcipit *loco cit.* cujus præceptum quàm utile, quàm ad rem ſoleat eſſe, ſatis ſuperque declarat quotidiana experientia ; vix enim viro junctæ virgines valetudinariæ, morboſæ, debiles, & vitam miſeram ducentes, ſanæ, vegetæ ac robuſtæ evadunt, omnibuſque morbis, quibus affligebantur, facili negotio ſe extricant.

Dicendum eſt, aliud eſſe diſſuadere virginitatem, 23
& hortari virgines, ut potiùs conjugalem ſtatum, quàm virginales eligant ; aliud illas, quæ aliàs virginalem ſtatum non elegerunt, ſed quandocunque detur caſus nubere propoſitum habent, ſuadere ut quamprimùm nubant : hoc enim illicitum non eſt. At diſſuadere virginitatem his, quæ virginalem ſta- 24
tum elegerunt, & præferre conjugium virginitati, & omni ex parte illicitum eſt, & hæreſim ſapit, ejuſque erroris damnatus fuit Jovinianus, qui inſuper exiſtimabat, non majoris eſſe meriti ſtatum virginalem, quàm conjugalem, ut ex D. Hieronymo tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 152. *art.* 4. Hoc ergo illicitum eſt quacunque ex cauſa fiat, etiam ad recuperandam amiſſam ſanitatem, imò etiam ad evitandam mortem, tametſi non fieret hoc, quia ita ſentiremus, ſed ſolùm ad diſſuadendas virgines ab earum ſancta opinione, & à laudabili illo propoſito permanendi in ſtatu virginali.

Ad difficultates autem, quæ pro contraria ſen- 25
tentia proponuntur, facile eſt reſpondere : & ad primam dicimus, concedere nos conjugium eſſe licitum, ſed non ob id eſſe anteferendum, imò ne comparandum quidem ſtatui virginali : unde etiamſi liceat ſuadere matrimonium, non idcirco licet diſſuadere virginitatem.

Ad ſecundam dicendum cum Ranchino, *ubi ſuprà, cap.* 11. falsò ſupponi virginitatem eſſe noxiam, & inſalubrem, quia experimento quotidiano habemus Religioſos omnes, & caſtam vitam degentes ; magis ſanos vivere, quod de viris non eſt dubium, de fœminis autem hoc verificatur ſecundum plurimum. Neque ob id quòd ſuſpicemur uni, aut alteri obeſſe, ideircò, ſi ſecundùm plurimum non obeſt, dicendum eſſe rem noxiam & inſalubrem. Addendum etiam, quòd ſi nocumenta ex continentia hujuſmodi perſonarum corporibus aliqua reſultare poſſunt, habent aliâ ex parte opportuniſſima remedia, ut eviteutur, ſicuti jejunia ſunt, orationes, corporis macerationes, & alia id genus.

Ad tertiam difficultatem reſpondendum cum D. Thoma, *ubi ſuprà, art.* 2. *ad* 1. virginitatem nequa-

quam tendere ad generis humani interitum, cùm ſit tantummodò aliquarum perſonarum, non totius multitudinis, unde poteſt per alias perſonas genus humanum propagari, neque neceſſe eſt id ipſum per ſingulas quaſque perſonas fieri.

Ad quarum dico, bene quidem procedere, quòd coitus licitus, nempe conjugalis, poſſit pro alicujus morbi remedio à Medico ſuaderi; ſed non ſequi idcirco diſſuadendam eſſe virginitatem, tanquam quid noxium, aut conjugali ſtatui poſtponendum, etiamſi corpori noxia eſſet. Hippocrati tamen, qui virginitatis bona non cognovit, licuit virginibus ſuadere, ut quam primùm viro jungerentur; nobis haudquaquam licere debet, qui cùm ea bona cognoſcamus, virginitatem ſemper conjugio præferre debemus, ad eamque potiùs, quàm ad hoc homines hortari, quandocunque de ea re nos conſulere ſatagunt.

26 Ad conſilia denique ſpectare dici poſſunt, ea omnia, circa quæ Medicus in judiciis tanquam peritus conſulitur, & nulli dubium eſſe debet, quòd etiam in his multipliciter peccare poteſt, ſed illud certiſſimum eſt, ſemper mortaliter peccare, quandocunque falſa referet, non ſolùm ſi hoc faciat medio juramento, nam tunc eſſet etiam periurus, ſed etiam ſi nullo juramento adſtrictus id faceret, & tunc maximè cum ejus relatio in alicujus perſonæ, vel ipſiuſmet Juſtitiæ præjudicium redundaret: etiamſi id præſtaret ſub pietatis prætextu, ut ſi, ne quis ad ultimum ſupplicium damnetur, referret vulneratum ab ipſo damnando, non periiſſe ex vulnere, ſed ex alio morbo, aut non periiſſe aliquem ex aſſumpto veneno, licèt ex artis ſuæ peritia contrarium eſſe verum cognoſceret: peccat enim abſque dubio Medicus contra Juſtitiam. Codronch. *lib.* 1. *Chriſt. med. art. c.* 38. de qualitate autem, & gravitate peccati ad Canoniſtas pro conſilio confugiendum.

SUMMARIUM.

1 *Medicus relinquens infirmum ante abſolutam curationem, ſi ille ob id decedat, punendus, & peccat mortaliter. Amplia num.* 2. *in ægroto etiam non ſolvente aut deſperato.*
3 *Medicus an poſſit deſerere infirmum ſuis præceptis non obedientem.*
4 *Medicus non poteſt recedere à loco infecto, ſi ſit à publico conductus.*
5 *Medicus an poſſit cogi ad medendum.*
6 *Medicus à publico conductus non tenetur ad caſus peſtilentes.*
7 *Medicus vocatus non poteſt negare opem ſuam afferre. Amplia, ut n.* 9.
8 *Fides, quam habet infirmus in Medico, magis operatur in ſalutem, quàm medicamenta.*
10 *Medicus morbum protrahens mortaliter peccat, & tenetur ad mercedis reſtitutionem.*
11 *Medicus celans remedium utile, & expertum, an dicatur peccare.*
12 *Medicamenta magis tuta.*
13 *Medicus conductus peccat ſatisfaciendo per alium debito ſibi intuitu.*
14 *Medicus graviter peccat negligendo ſua ipſius artis præcepta.*
15 *Medicus ſtudia negligens, peccat mortaliter.*
16 *Medicus qui tardè viſitat ægrotantes, quomodo peccet.*
17 *Medicus an poſſit deploratos relinquere.*

De erroribus omiſſionis circa operationem.

QUÆSTIO VI.

PLures caſus occurrunt in hoc errorum genere 1 multâ animadverſione digni, quorum primus eſſe poteſt, quando Medicus ante abſolutam curationem infirmum deſerit, & ille ob eam cauſam ex eo morbo decedit, aut ſaltem magno vitæ periculo ſubjicitur, aut morbus prolongatur; tunc enim culpæ reus efficitur, ut apertiſſimè elicitur *ex text. in l. Præterea, Inſt. de lege Aquilia*, ubi Medicus, qui ſervum ſecuit, & de hinc ejus curationem dereliquit, & ob id ſervus mortuus eſt, damnatur; & in ſimilibus caſibus Medicum mortaliter peccare firmat Navarr. *in man. Conſeſſ. c.* 25. *n.* 61. & venit puniendus. Cartar. *de Med. p.* 2. *n.* 85. Caroc. *de loc. & cond. q.* 16. Actius *de Infirm. c.* 47. *n.* 45. Inde non videtur multa reprehenſione dignus Alexander Magnus, qui Glauconem Medicum cruci affixit, quòd Hephæſtionem infirmum deſeruiſſet, ut quibuſdam ſpectaculis intereſſet, unde in cauſa fuit, ut Hephæſtio non ſervatâ debitâ victus ratione obierit, ut refert Plutarch. *in vita ejuſd. Alex.* & ex ipſo Mercur. *in lib.* 2. *Error. popul. cap.* 3.

Neque ſolùm Medicus peccat, & ſine gravi culpa 2
non eſt, deſerendo infirmum ſimpliciter, ſed etiam deſerendo infirmum, qui non ſolvat, Caroc. *ubi ſuprà*, Actius *ibid.* quod procedit, etiamſi infirmus ſit deploratus, de qua re infrà.

Sed poteſtne Medicus deſerere infirmum, qui ſuis 3
præceptis non obediat? communis certè Medicorum ſententia eſt, ægrotos, qui Medico inobedientes ſunt, eſſe deſerendos. Videtur tamen dicendum, quòd ſi ægrotus in rebus levioribus ſit inobediens, non ſit ullo modo deſerendus, ſi verò delinquat in gravioribus, ac pertinaciter in pleriſque contra Medicorum præcepta ſe gerat, omnino deſerendum eſſe; ut, exempli gratiâ, ſi ſitim æger tolerare omnino nolit, ſi quidpiam noxium tantiſper deguſtet, ſi ſomno pauliſper extra horam indulgeat, ſi ſæpius os colluat, & ſic de cæteris, non eſt ob hæc deſerendus; non enim hæc tanti momenti ad curam ſunt, ut ſanitatem multum impedire poſſint, at ſi vino abſtinere nolit, ſi potum præter modum aſſumat, ſi noxios cibos ingurgitet, ſi medicamenta aſſumere nolit, deſerendus abſque dubio eſt, nam quid boni ex Medica ope expectare poteſt, qui Medicinæ præceptis tantopere eſt contrarius?

Secundus caſus eſt, cùm Medicus recedit à loco 4
infecto, ut ne infectis medendo, ipſe etiam inficiatur, quod quidem locum habet, quando Medicus eſt à publico conductus, Covarr. *de Med. part.* 2. *n.* 92. Actius *de Infirm. part.* 1. *c.* 42. *n.* 15. nam aliàs Medicus non conductus non poteſt cogi ad medendum, Carrar. *ibid. n.* 91. Sed videndum eſſet, an Medicus ex hoc, quòd nonnullis gaudeat privilegiis & exemptionibus, teneatur idcirco, etiamſi non ſit à pu- 5
blico conductus, etiam nolens mederi tempore peſtis, & aliter faciendo amittat ea privilegia, aut aliter veniat mulctandus. Ac profectò cùm hujuſmodi privilegia non alio intuitu Medicis conceſſa videantur, niſi quia publicæ ſalutis curam gerant, *argum. l.* 1. §. *Medicorum. ff. de var. & extr. cognit.* videretur tunc maximè eos teneri, ac cogi poſſe ad medendum, quando maior urget neceſſitas publicæ ſalutis, ut peſtis tempore uſuvenit. Et tamen ſi Medicus, etiam à publico conductus, non tenetur ad caſus peſtilentes, Corneus *conſ.* 347. *vol.* 1. ex quo idem Carrar. *de Med. p.* 3. *n.* 60. & *ſeqq.* multo minùs videtur teneri non conductus; ſed forte concedi poſſet non poſſe Medicum cogi tempore peſtis ad medendum gratis, ſed oblatâ convenienti mercedi cogi 6
poſſe ob rationem prædictam, quæquidem veritatem habebit, ſi quis etiam cum propriæ vitæ diſcrimine tenetur aliis ſubvenire, quod non credo, licèt de Medico conducto non ſit verum, quòd non teneatur ad caſus peſtilentes, ſed quòd non teneatur pro eodem ſalario, ut ex eodem Corneo dicit idem Carrar. *ubi ſuprà.*

Tertius

7 Tertius casus est ; cùm Medicus vocatus negat opem suam ægroto afferre , quod fortè procedere debet, etiamsi in loco esset copia aliorum Medicorum , ægrotus tamen maximam fiduciam in ipso haberet ; & ratio esse potest , quia denegando opem suam infirmo , qui multum in eo confidit, impedit Medicus
8 aut omnino , aut in parte, ejus curationem, quia magis operatur fides , quam infirmus in Medico habet, in ejus salutem , quàm ipsa medicamenta , ut post Galen. 1. *Progn. in Princ.* & Avic. 6. *Natural.* firmat Galeort. Matt. *de doctr. promisc. c.* 15. & Laur. Joubert. *lib.* 1. *Err. popul. c.* 12. Quia tamen nimis onerosum esset Medicos in hoc gravare , ut vocati peccarent , recusantes ad ægrotum multum in ipsis fidentem accedere : dicendum uideretur , Medicum satisfacere huic obligationi, si saltem unâ, aut alterâ vice accedat , suppetente aliorum Medicorum copiâ.

Amplianda autem principalis conclusio , ut pro-
9 cedat, non solùm quando Medicus negat opem suam homini Christiano ipsam imploranti, sed etiam si neget personæ extra fidem positæ. Ità Io. Alphonsi. à Fontech. *in spec. Med. Christ. lum.* 1. *pag.* 6. & in hanc ipsam sententiam consentit Roderic. à Castr. *lib.* 3. *Med. Polit. cap.* 5. qui non solùm Barbaris, sed & ipsis hostib. petentibus debere nos subvenire affirmat ; immò hoc in tantum esse verum probat , ut etiamsi ingrati in Medicum sint , tamen firmet non esse expellendos. Neque valet quod ex Hippocrate opponitur , qui recusavit Persas tanquam barbaros pestilente morbo afflictos curare, ut patet ex *ejus epistola ad Histanem Artaxerxis præfectum* ; imò ipse , quasi de hoc gloriaretur , ad Abderitas scribens , *Regionem* inquit, *Græcæ inimicam malo morbo liberare recusavi* ; neque enim erat Hippocrates Christiana charitate , ut nos esse debemus , munitus. Multò profectò meliùs Scribonius Largus , *in præm. lib. de comp. med.* non fortunâ , neque personis homines æstimat , sed æqualiter omnibus implorantibus , auxiliis suis subventurum se pollicetur , & Amatus Lusitan. quanquam fortè Christiana charitate non motus , quod de Christiana fide non bene sentiret , in suo jurejurando cujusvis religionis hominibus æqualiter operam suam se præstitisse juramento solemni confirmat. Si ergo Medicus peccat, denegando auxilium personæ extra religionem christianam positæ: multo graviùs tunc erraret , quando assumens curate infidelem , ejus curam negligeret ; graviſſimè porrò , si medicamenta saluti contraria adhiberet , nec minori pœnæ subiiceretur , quàm si in Chtistianum hominem peccasset.

Quartus casus est, cùm Medicus , ut morbum pro-
10 trahat , remedia salutaria adhibere negligit, aut tardè adhibet : tunc enim non solùm peccat mortaliter , sed tenetur etiam ad restitutionem mercedis & est fur manifestus : Carrar. *de Med. part.* 2. *n.* 70. & ex Medicis Codronch. *lib.* 1. *cit. c.* 10. Hoc autem est maximum malorum Medicorum erratum , ex conclamata avaritia originem ducens , quod tamen in bonum Medicum cadere nequaquam potest ; sed neque malos Medicos, licèt id machinentur, nempe morbos protrahere , perficere posse , abundè demonstrant Joubert. *Err. pop. lib.* 1. *c.* 3. & Mercur. *lib.* 2. *Err. pop. cap.* 27.

Quintus casus est, cùm Medicus celat remedium ,
11 quod utile expertus est ad aliquam infirmitatem , & maximè si esset communis & popularis, illudque pro secreto habet , & non propalat. Neque valet dicere , quòd non teneatur Medicus sua secreta propalare , publicique juris facere, quia hoc redundat in ejus præjudicium, quia minùs ex illis lucrabitur ; ultra quod enim est contra Medici dignitatem remedia secreta habere, neque probi Medici talia secreta habere debent , ut optimè admonet optimus senex Septalius *lib.* 1. *suarum caut. n.* 14. magis certè attendendo in publicæ utilitati , quàm privatæ. *l. pupill. §. si quis vicos. ff. de novi oper. nunc.* Si ergo Medicus aliquod remedium aliis non cognitum habeat, expedit Reipublicæ, ut propaletur ; nam vel illud remedium est verè utile & salutare , & sic cessare debet particularis Medici utilitas ob publicam utilitatem ; vel non est in 12
veritate tale, & tunc etiam expedit, ut propaletur ne hujusmodi Medici , qui ut plurimùm aut imperiti sunt aut merè Empirici , vanis suis promissionibus & miraculis homines decipiant, ut quotidie fieri observamus. Quam inanis enim est , Deus bone , hæc secretorum remediorum persuasio ! & tamen non in vulgus tantùm , sed in cujuscunque generis viros , immò (inquam) in ipsos Medicos irrepsit. Sed quis est qui negare audeat, medicamenta quò magis sunt experta, & meliora, & tutiora esse, minùs autem bona ac minùs tuta, quo minùs experta fuerint ? & tamen secreta aliis medicamentis ab omnibus præferuntur ; cùm quò magis secreta sunt , eò minùs experta ea esse oporteat : ergo & minùs tuta & minùs bona secreta aliis medicamentis sunt. Sed vide hominum insaniam , quod peregrinum est , necdum constat , (inquit Hipp. *de fract. in princ.*) an utile sit , consueto, quod jam norunt utile esse, anteponunt, quòdque ab usu communi abhorret , ei quod est probè cognitum.

Sextus casus est , cùm Medicus à publico conduc- 13
tus per semetipsum non satisfacit muneri sibi injuncto , sed servit per substitutum, quia cùm dicatur electa ejus industria , tenetur ipse per se inservire. Corrar. *ubi alias, p.* 3. *n.* 11. quod videndum, an procedat indifferenter in omnibus casibus , quia facilè evenire potest , ut substitutus sit majoris pretij & valoris , quàm substituens ; & tunc videretur , quod cùm hoc non emergeret in damnum , sed potiùs in utilitatem conducentis , non esset hoc Medico conducto interdicendum.

Septimus casus est , cùm Medicus suæ ipsius artis 14
præcepta negliget , & omittit secundùm ea operari , quia medicamentis non fidit, neque iis , quæ Medicina per ea promittit , fidem habet ; nam præterquam quòd magis debet tribuere universo sapientum hominumque consensui , quàm propriæ opinioni ; dato quòd ejus persuasio vera esset , ipse diceretur homines decipere exercendo Medicinam , & mercedem laborum suorum ob ejus administrationem ab illis exigendo , & teneretur ad restitutionem. Debet ergo Medicus arti suæ fidere, & ejus præcepta solertissimè exequi, aliàs graviter delinquit. Navarr. *in Manual. cap.* 25. *n.* 60.

Octavus casus est , quando Medicus studia dimit- 15
tit , negligitque etiam in difficilioribus casibus auctores evolvere , fidens tantùm propriæ scientiæ & experientiæ : cùm enim indies novi morbi emergant , & iidem morbi in diversis personis naturam evariando , evarient etiam medendi rationem , quia & temperamentorum, & ætatum , & sexuum , & regionum , & institutionum in victu , & consuetudinum, & complicationis morborum , & symptomatum , aliarumque plurimarum rerum variatio in hoc operetur , nunquam Medicus debet ita fidere anteactis experientiis, ut putet non indigere se novo studiorum labore , novaque in novis præcipuè morbis speculatione.

Nonus casus est, cùm Medicus negligenter se ge- 16
rit in Ægrotantium visitatione. Navarr. *ubi supra*, &

maximè ſi ex ejus negligentia ægrotos aliquid damni reportare cognoſcat. ut verbi gratiâ, ſi ſeriùs viſitet, quàm oporteat,& tranſactâ iam oppprtunitate applicandorum remediorum, ita ut ea procraſtinare cogatur, non ſine ægrotantium evidenti damno. In quem errorem facile dilabuntur, qui principibus viris medicinam facientes aliquando leviter ægrotantibus, tenuioris fortunæ homines graviter & ad mortem ægrotantes, ut illis accuratiùs inſerviant, tranſcurrunt.

17 Ultimus caſus eſt, cùm Medicus deploratos relinquit,de hoc enim maximè hæſitatur,an licitè fiat, necne. Nam primò & ratione, & auctoritate probatur id licere. Ratione, quia incaſſum Medicus videtur inviſere ægrotantes remediorum incapaces, quales ſunt deplorati; ſatius ergo eſt, ne obiiciatur illud, *Amice ad quid veniſti?* hujuſmodi ægrotantes ſolo prognoſtico relinquere. Secundò, quia viſitatio Medici, cùm ægroti ſunt in extremo vitæ, poteſt eſſe noxia ſaluti animarum; cùm enim in eo ſtatu poſiti debeant à præſentis vitæ amore ſeſe alienare, ut ſpe futuræ vitæ ſeriò conceptâ ad Deum toto corde, totaque mente convertantur, certum eſt ex Medici viſitatione, illos à deſiderio ſalutis æternæ ob ſpem ſalutis corporeæ, ac temporalis diſtrahi. Tradendi ergo ſunt tales infirmi teiigioſis,qui animæ medeantur, & ipſius æternæ ſaluti proſpiciant,quantum in ipſis eſt. Tertiò, quia ſi deploratis remedia admoveamus, poteſt fieri in præjudicium aliorum ægrotantium, quia remedia, quæ adhibentur in iis, qui de proximo ſunt morituri, infamantur, & malè impoſterum apud cæteros homines audiunt, ita ut non permittant Medicos ampliùs illis uti, quod ne fiat, deplorati potiùs ſunt ſolo prognoſtico relinquenti.

Probatur ulterius idipſum auctoritate,quia Hipp. *in lib. de Arte*, de eſſentia medicæ artis dixit, eſſe eorum, qui à morbo victi ſunt;curam non aggredi, Manifeſtè etiam Gal. 2. *Aphor.* 29. *&* 11. *Method. cap.* 10. *&* 4. *de rat. vict.* 12. idipſum inculcavit, volens in eis ægrotis inviſendis Medicum ſolo prognoſtico uti debere: quod etiam videatur ſentire Celſ. *lib.*5.*cap.*26 atque eandem ſententiam ſequitur ex recentioribus Card. *libro primo*, *Contr. Med. tr.*5. *contr.* 9.

Pro hujus dubij reſolutione, videtur dicendum cum recentioribus, nempe cum eodem Cardan. *de mal. med. uſu. cap.* 47. Roderic. à Caſtr. *libro tertio*, *Med. Polit.cap.*17.Codronch. *de Chriſt.med.rat.lib.*1. *cap.*7 Mercur. *lib.*3.*Error. populi c.* 27. & noviſſ. Zacuto *de Princ. Med. hiſtor. n.* 63.*dub.* 41. & cum ſolertiſſimo Medico, & hîc Romæ magno cum applauſu medicinam faciente, Gabriel. Fonſ. *in ſuâ Med. œcon. cap. undecimo*, deploratos, immò etiam de proximo morituros, nullo modo uſque ad extremum vitæ ſpiritum eſſe deſerendos, maximè ſi mente conſtent, dummodò eâ cautelâ utamur, ut prognoſticum,& noſtram viſitationem ſubſequatur immediatè, & præcedat, omnium, & quorumcunque etiam minimorum remediorum admotionem. Ad primam autem rationem in contrarium dicendum,nunquam Medici viſitationem poſſe eſſe inanem & ſuperfluam, quia etiam in eo ſtatu poſitis poteſt ſecundum eorum exigentiam ea præſcribere, quæ iuvare maximè,nocere nunquam poſſunt. Præterquam quòd nunquam tam certi ſumus de mortis eventu,quin aliqui etiam ex deploratis præter ſpem non evadant,ut aliàs ex Medicorum auctoritate dixi, Avic. 4.4.*tract.*2.*cap.* 10. Ad quod etiam auctoritas Juriſconſultorum adduci poteſt, ne ea ullâ in te deficiat. Gaill. *pract.Obſerv. lib.* 2. *obſ.* 111.*num*:14. Quin etiam poteſt Medicus viſitando ægrotum moribundum ſaltem nonnulla prohibere, quæ mortem accelerare poſſunt.

Ad ſecundam rationem in contrarium dicendum, quòd ſi Medicus cautus fuerit in prædicendo mortis eventum de proximo, etiam ipſi ægroto,ſi ita expediat, nunquam animæ aut corporis ſaluti præjudicium afferet. Ad tertiam dicendum, Medicum omnem calumniam facilè evitare,& ſui ipſius, & remediorum quæ præſcribit, propalando verum prognoſticum futuræ mortis. Ad auctoritates dicendum omnes loqui de iis,qui jam jam extremum ſpiritum ſunt exhalaturi,ut ex Galen. dicit Cardan. *in cit. lib. Contrad. med.* vel dicamus cum eodem Cardan. *in alio cit. loc. de mal. med. uſu*, intellige de Medico de novo accedente, non de illo,qui à principio curam ſuſceperit; & in ſumma tutius eſſe cum recentioribus in hac re ſentire.

SUMMARIUM.

1 *Medici ad ſenium deducti,& defectum interiorum ſenſuum iam habentes, medendi artem non debent exercere.*
2 *Medicus qui ſequitur opiniones dubias, incertas, novas, graviter errare videtur.*
3 *Medicum etiam doctum, qui non aſſumpſit inſignia doctoratus, mederi non poteſt.*
4 *Medicus abſque ſufficienti ſcientia artem exercens graviter errat.*
5 *Medicus peccat curando morbum antequam eum cognoſcat. Limita ut num ſeq.*
7 *Medicus errat, qui medicamenta nova & non experta in uſum trahit.*
8 *Melius eſt anceps remedium experiri quàm nullum.*
9 *Medicus peccat ſi plures ægrotos, quàm poſſit diligenter curare, curandos ſuſcipiat.*
10 *Medicus graviſſimè peccat, ſi medicamentum præſcriptum pro non bono cognitum mutare renuit.*
11 *Medicus peccat, qui ut ſenior Medico, vel amico morem gerat, medicamenta ab ipſo propoſita, & qua minus opportuna cognoſcit, tamen acceptat.*
12 *Medicus peccat, ſi medicinam non ſecundùm Artis præcepta, ſed ſecundùm locorum conſuetudinem exercet.*
13 *Medicus graviſſimè peccat porrigendo medicamenta abortiva.*
14 *Abortum procurare ob matris ſalutem, an licitum.*
15 *Abortum quando liceat procurare ex Moxio num. ſeq.*
17 *Gravida an liceat ſanguinem ex pede detrahere.*
18 *An liceat intra puerperij terminos cathartica medicamenta præſcribere.*
19 *An liceat exhibere medicamenta ſterilitatem procurantia.*
20 *An liceat morbum provocare, ut alium morbum curemus.*
21 *Medicamenta ad malum aliquem finem præſcribere, error graviſſimus.*
22 *Medicamenta venenoſa præſcribere, grave peccatum.*
23 *Medicamenta ſuperſtitioſa præſcribere, eſt grave peccatum.*
24 *Imagines Aſtrologicè fabricatæ an ad alicuius morbi curationem à Medicis in uſum trahi poſſint.*
25 *Medicus, qui pauperi medicamenta pretioſa præſcribit, aut divitì non neceſſaria, peccat.*
26 *Peccat Medicus præſcribendo, medicamenta corrupta & obſoleta.*
27 *Morbo incurabiles an curandos ſuſcipere Medicus poſſit, die ut n.*19.
28 *Medicus curando morbum incurabilem nulli facit injuriam.*
30 *Medicus excedens in morbis deſperatis & incurabilibus noxia ab ægrotis deſiderata, peccat.*
31 *Medicus an poſſit curare ſeipſum.*

De erroribus commiſſionis circa operationem.

QUÆSTIO VII.

IN hoc errorum genere placet primò connumerare communem Medicorum omnium penè errorem, qui cùm ad ultimam jam ſenectutem pervenerint, & ſenectutis incommodis quæ ad rationis uſum & ingenij ac memoriæ perſpicaciam ſpectant, moleſtentur,ita ut jam ad medendum inepti ſint,ta-

men

men ob avaritiam, quæ Medicorum & ſenum peculiare vitium eſt Medicinam facere non deſiſtunt quod aliquando gravi cum ægrorum damno fieri experientia ipſa quotidiana docet; ob memoriæ enim præcipue torporem, in mille non contemnendos errores maximâ cum hominum pernicie impingunt: Optimè ergo horum conſcientiæ conſultum putaverim, ſi, cum ſe memoria atque iudicio deficere ex ætatis vitio ſenſerint, vel omnino à medendo ſeſe abſtineant, vel multa circumſpectione utantur, ne propriam animarum & alienæ ſalutis detrimentum, contra quam teneantur, medicinam faciant.

2 Cæterum ante alia ſtatuendum, quod Medicus qui in medendo incertas, novas, dubias & extra quotidianam praxim exiſtentes opiniones ſequitur gravem errorem committit, cum ex conſcientia teneatur ſequi ſententias certas, ſecuras, & communiores: Paulus Layman. *libro primo. Theol. mor. tractat. 1. c. quinto, num. 15.* quod ſecundum plurimum intelligendum, quia interdum poteſt Medicus è communi practicandi modo recedere, ob particulares aliquos reſpectus, ut exempli gratia, ſi fluentibus menſtruis præcipiti ac ſuffocante ſquinantia mulier capiatur, poterit in eo caſu Medicus contra communem praxis uſum ex ſuperioribus venis ſanguinem mittere. Contra vero damnandi & puniendi etiam ſunt Medici illi qui remedia quædam celeberrima apud Medicinæ artem omni ſæculo canonizata reſpuunt, & ob propriam quandam hæreſim ea maximo cum ægrorum præiudicio, prætermittunt, abſurdis quibusdam & inſultis rationibus inhærentes quæ ne dignæ quidem ſunt, quæ in medium proferantur. Tales ſunt qui ſanguinis miſſionem negligunt, aut à veſicantibus medicamentis in omni morbo aborrent: ſed hi errores ad omiſſionem pertinent: ad commiſſionem pertinet ille, ſanguinem præter modum, ultra vires, extraq; morbi exigentiam detrahere aut violenta & cathartica medicamenta, abſque ulla urgente neceſſitate præſcribere; videmus enim indies ex utroq; errore infirmos periclitari & novimus hic Romæ Medicos, qui miſeris ægrotantibus uſque ad ſpiritus exhalationem ſanguinem detrahebant indifferenter in omni morbo in quocunque morbi tempore: imo & in quocunque tempore particularis acceſſionis, nullo delectu nullaque ſibi intentione propoſita, & aliquando in morbo vigeſimum diem non excedente vigeſies ægros phlebotomaſſe comperimus: vidimus eos robuſtiſſimos invenes carnificino hoc conſilio è medio ſuſtuliſſe, vidimus eos moribundis quoq; animamque de proximo exhalaturis ſanguinem detraxiſſe, eâ ratione nonniſi multo cachinno excipienda, ut ſuavius morerentur: ac denique vidimus ex his Medicis alterum, alias non aſpernanda doctrinâ imbutum, ſeipſum ingulaſſe; poſtquam enim copioſiſſimâ ſanguinis miſſione, florenti adhuc ætate, arthriticis doloribus ſeſe obnoxium reddidiſſet, quos iterum non alio remedio, quam repetitâ ac frequentatâ ſanguinis miſſione curabat, & veluti cachecticum habitum indoiſſet tandem per tredecim vices in ultimo morbo ſibi ſanguinem detraxit & maximè in die mortem præcedente ad uncias decem & octo, ut relatum ab aliis amicis Medicis mihi eſt. Certe pertinax huius Medici perſuaſio helleboro indigebat. Peccabat ergo hic graviſſimè in ægrotos, & graviſſimè item peccavit in ſe, ſed ſui peccati pœnas luit. Quod autem de ſanguinis miſſione dictum eſt, procedit etiam in exhibitione fortium medicinarum, quæ in uſu de raro ſunt, ex quorum exhibitione in dies homines periclitari notamus, ut Antimonium, Helleborum, Mercurius, & alia huiusmodi, quæ tamen à Medicina me eliminare nullus exiſtimet, ſed tantum frequentem eorum uſum abſque neceſſitate urgenti uſurpatum vituperare, idemq; ſenſeo de quibuscunq; aliis medicis auxiliis quæ in ſumma ſecundum communiorem opinionem non ſecundum aliquam particularem hæreſim adminiſtrare decet, ita ut neque nimius, neque nimis parcus, ubi morbus requirat, eorum uſus ſit. Jam alium quendam Medicum, craſſioris Minervæ hominem novimus, qui robuſtiſſimis iuvenibus, in morbis maximè ſanguinis evacuationem requirentibus, nullo contra indicante prohibente, unam aut alteram ſanguinis unciam detrahebat. Prodicus item apud Hippocr. *6. Epid. ſect. 3. text. 27.* Febricitantes interficiebat curſibus, lucta, & calidis fomentis: contra omnem ergo rationem, & contra communem Medicorum aliorum opinionem tentabat hic calefaciendo febrem ſuperare, addens laborem labori, & auxiliis ipſi febri inimicis febrem propulſare volebat: plectendus ergo erat hic, & à Medicina facienda prohibendus.

Præterea Medicus, etiamſi doctus ſit, mederi non poteſt, niſi Doctoratus inſignia aſſumpſerit. Joan. Alph. à Fontech. *in ſpec. Med. Chriſt. lum. 1. verſ. Dubitari tamen.* & ſi medeatur, plecti iure poteſt, quia tenetur pœnâ falſi, cum ſe doctorem præbeat, immiſceat ſe in actibus Doctorum, cum Doctor non ſit ut ex Franc. Mar. dicit Carrar. *de Med. part. 3. n. 147.* ſed Jo. Alphonſus ſupracitatus reſtringit hoc, ut non procedat in caſu neceſſitatis. Ego tamen non video quo ex capite id procedat, cum Doctoratus nihil addat ſcientiæ & ſufficientiæ ipſius Medici: niſi ergo aliquo alio ex capite id peccatum exiſtat, ex hoc tantum non exiſtimaverim Medicum in ſcientia ſufficientem peccare, ſi abſq; Doctorat. inſignibus medeatur, ſatisq; eſſe puto ſi corporali aut pecuniaria pœnâ mulctetur, abſq; hoc quod etiam cenſuræ canonicæ ob peccatum ſubiiciatur; niſi dicamus ex eo quod contra Leges facit, illum peccatum non evitare.

4 Peior multo, ut credo, illorum error, graviusque abſque dubio peccatum eſt, qui Doctoratus inſignibus aſſumptis, abſq; ſufficienti tamen ſcientia, medendi artem exercent. Navarr. *in Man. c. 25. n. 60.* Codronch. *lib. 1. de Chriſt. med. rat. cap. 1.* in quibus Doctoratus inſignibus conferendis huiusmodi perſonis inſufficientibus, graviter peccant ii, quib. tale munus eſt demandatum. Quibus vero ſcientiis inſtructus eſſe debeat Medicus, qui boni Medici nomen mereri debeat, & qui tutâ conſcientia velit Medicinam facere, docuerunt abundè, & antiqui, & recentiores Medici, ſed præ omnibus vide, ſi libet Roder. à Caſtro, *in Med. Polit. lib. 2. c. 1. & ſeqq.*

5 Medicus inſuper qui & ſufficienter doctus eſt; & Doctoratus inſignibus ornatus, poteſt interdum in operationibus medicis errare, & primo cum antequam morbum cognoſcat, illum curare aggreditur: Idem Navarr. *ibid. num. eod.* ex Medicis Codronch. *ubi ſupra libro 1. cap. 2.* Mercur. *lib. 2. Error. popul. cap. 25.* Joan. Alphonſ. à Fontech. *loco cit. lumin 1. verſ. dubitabis forſitan.* unde miror, quomodo ſupra citatus Navarr. *ibid.* voluerit licere ei, qui diuturnam experientiam habet, mederi aliquibus morbis, etiamſi regulas Medicinæ ignorer, neque enim poteſt quis abſq; Medicinæ præceptis ex ſola experientia morbum cognoſcere: ſi ergo non cognoſcit, non poteſt morbum curare; experientia enim quam fallax ſit, ſatis docuit Gal. *in 3. Apor. 11.* & poſt alios luculenter Sanctor. de Sanctor. *in method. vitand.*

vitan.derr.lib.12.cap.5.& 6. Oportet ergo antequam Medicus curationem aggrediatur, morbum cognoſcer e. At ſi ex Navarra, ſatis eſt experientia, nihil intereſt morbum cognoſcas, necne, & ſic pené omnes Medici poſt aliquam acquiſitam experientiam, abſque eo quod morbos cognoſcant, mederi poterunt. Sed contra hic error, mederi nempe alicui morbo antequam illum cognoſcas, tanti æſtimandus eſt, ut Medicus ſemper in gravi culpa ſit, ſi æger à morbo ſuperetur, quem ille non cognoverit, Hipp *in lib.affect.n.*12.& ratio eſt, quia ut Avic. *lib. 4. fen.4.cap.1.* dicebat, non cognito morbo melius eſt illum naturæ permittere, quæ fortè illum curabit, quam medicamentis illam à curatione abſtrahere: ſi ergo in morbo non cognito naturam medicamentis à ſanando abſtrahis, hominem certè datâ operâ occidis.

6 Nota tamen quod etiam non cognito morbo poteſt Medicus aliqua præſcribere: nam Hippocr. *in lib. de loc. hom. num.* 46. Præcipit, non cognito morbo levius aliquod medicamentum præbendum, & Avic. non cognito morbo victum eſſe attenuandum docet; leviora etiam nonulla medicamenta, ut clyſteria, fomenta, inunctiones & huius modi pro exigentia licet in uſum trahere, etiam non cognito morbo, quæ tamen & ipſa leviora ſint, & nullâ inſigni qualitate dotata, in reliquis autem morbus Naturæ committendus, ut proſequitur Heurn. *lib. 3. Method.ad prax. cap.* 27. & de hac ipſa re vide Silvat. *contr.* 16. & Sanctorell. *lib.* 14. *ſua Antepraxis cap.6.*

7 Cæterum in hoc etiam errorum genere implicatur Medicus, qui medicamenta nova, & non experta in uſum trahit, cum habeat experta & communi uſu recepta; & hoc ſumma cum ratione, quia nihil in medicina maioris faciendum, quam experientia ſcientiæ aſſociata, cum nihil æque ad ipſam curandi rationem conferat. Celſ. *in proœm. ſuæ Med.* Qui ergo novis utitur medicamentis experta relinquens, videtur experientiam negligere: graviter ergo errat, ut omnes DD. dicunt. Codrochn. *lib. 1. cap. 6.* Mercur. *lib. 2. Err.popul. cap. 25.*& Joan. Alphonſ. à Fontech. *in ſpec. lum. 1. pag.* 30. quod etiam non deſtiterunt admonere Canoniſtæ, cum dixerunt, Medicum teneri præſcribere medicamenta, quæ ſecundum artem novit certo proficere Innocent. *in c.Tua. extr. de Homicid.n.* 3. imo tam experta voluerunt eſſe medicamenta, ut ſi dubitet Medicus, an aliquod medicamentum profuturum ſit, necne, voluerint, potius illum dimittere debere ægrum: in manus Dei, quam periculo mortis experimento exponere, Navarr. *in Manual. cap.cit. 29. num.60.* Carrarius *de Med. part. 4. num.* 55. Actius *de Inf.part. 2.in proœm.num.* 10.

8 Circa quam tamen DD. opinionem inſurgit aliquod dubium, cum Hipp. *in lib. de loc. in hom. num.* 36. in morbo lienis, qui præ febre factus ſit magnus, periculum facere iubeat, ventris inuſtionibus, & æquæ eductione, quæ periculo non vacant. Sic & alias in aliis morbis dubia quædam medicamenta proponit, quia videtur ſatius eſſe anceps remedium experiri, quam nullum, ut Celſ. dicebat, *lib. 2. ſuæ Med. cap.* 9. unde, In morbo (inquit) Apoplexiæ, ſi periturus videatur qui laborat, niſi temeraria quoq; via fuerit adiutus, eſt etiam ad temerariam remedium tranſeundum, ſanguinem eo caſu mittendum ſuadet, licet anceps omnino remedium ſit, aut liberat enim, aut occidit. Adde, quod ſi non licet ex Chriſtiana pietate deploratos ſolo prognoſtico reinquere, non licet etiam à medicamentorum adhibitione deſiſtere; tunc autem omnia dubia ſunt, omniaque cum periculo adminiſtrari certum eſt.

Præterea ſi medicamentis certo profuturis, & non aliis uti licet, Medicina acta res eſt, cum nullum omnino medicamentum certo profuturum ſciamus, ſed coniecturaliter profuturum exiſtimemus; atque idcirco videmus ſæpius quam oporteat, cum tutiſſimis quibusdam medicamentis homines perire; nam quos videmus cum levi medicamento manna, aut ſyrupo roſato ſolutivo, aut cum exigua ſanguinis miſſione, aut cum aliis eiusmodi auxiliis imo & cum iis, quæ ad ipſam naturam roborandam miniſtrantur è vita excedere? Aut ergo omnia medicamenta ſunt abdicanda; aut omnibus etiam dubiis utendum.

Videtur tamen reſpondendum, quod medica remedia, aut ſunt ut plurimum & ſecundum plurimum ſalutaria, quia cum his ut plurimum, & ſecundum plurimum ægri à morbis ſeſe vindicare ſolent, aut ſunt ut plurimum, & ſecundum plurimum damnoſa, non tamen ſunt temeraria, ſed aliqua ratione fulta, quia cum his de raro homines ſaluantur; vel tandem ſunt indifferentia, quia experta non ſunt, & cum hoc ſunt etiam temeraria. Prioribus ſemper & in omni morbo uti licet, ſecundis de raro & maximâ cum cautelâ, poſtremis nunquam: Atque de his intelligendi DD. cum prohibent dubiis medicamentis eſſe utendum. Puniendi ergo ſunt, qui talia medicamenta adhibent, quod plerumque faciunt temeriſſimi Emperici & Chymici irrationales, aliique id genus homines, ad tollendos è medio cæteros homines nati. Ad Hippocr. autem, & Celſi auctoritatem dico, illos intelligere de medicamentis in ſecundo genere, non in tertio. Adinſtantiam dico deploratos non licet deſerere, ſed non idcirco licet temerariis medicamentis, paramq; expertis uti. Et ad alteram inſtantiam dico; ſatis eſſe Medico, ſi medicamenta, quibus utitur, cum ratione adhibeat, & conjecturaliter ſciat ac ſperet, ea proficere poſſe; licet eadem in aliquibus aliquando fuerint damnoſa.

Notandus autem inter alios errores ad opus attinentes, qui committendo patrantur, ille, quando Medicus plures infirmos uno eodemque tempore curandos ſuſcipit, quibus omnibus accuratè & exactè, ut iubet, auxilium afferre non poteſt; hoc enim primo contra Artem ipſam eſſe admonuit Cel. *lib. 3. cap.* 4. dicens; *Ex his autem intelligi poteſt, ab uno Medico multos non poſſe curari*, & vide apud illum eius dicti rationes: & eſt etiam hic error contra conſcientiam, quod non tacuerunt ex Medicis ipſis Codronch. *ubi alias, lib. 1. c. 15.* Mercur. *ibid. cap. 25. lib. 2.* Roderic. à Caſtr. *in Med. Polit. lib. 3. c. 19.* & ex Juris conſultis Ripa *in tr. de Peſt. part. vel.part. 2.n.* 49. In quibus tamen caſibus liceat pluribus, uno eodemq; tempore mederi, vide apud ipſos. 9

Verum enim vero præ cæteris ille error eſt maximè punibilis quando Medicus præſcriptum medicamentum, quod pro minus bono, minusque opportuno deinceps cognovit, adhibet tamen & mutare renuit, ne imperitus, aut inconſtans videatur. Codronch. *l.cap.* 11. Et certè dubium ex mea ſententia non eſt, quod Medicus in hoc caſu, eiuſdem peccati reum ſe facit, & eadem pœna dignum, ac ſi à principio per dolum malum medicamentum aut morbo non conveniens præſcripſiſſet; cum anteponere omnino teneamur hominis ſalutem falſæ noſtræ perſuaſioni de exiſtimationis amiſſione; quam tamen facile tueri Medico licet, quandocunq; hic caſus eveniat. 10

Sed

11 Sed & ille error non contemnendus est quando Medicus,ut seniori Medico, aut amico morem gerat medicamenta ab illo proposita, & quæ ipsæ pro non opportunis cognoscit in suorum ægrorum curatione admittit, maximè si in sua potestate sit illa commutare. Licet ex Canonistis Azor. *Instit. moral. part.* 1, *lib.* 2. *cap.* 17. *vers. undecimo quæritur*, voluerit Medicum non peccare,si contra propriam opinionem ex probabili aliorum sententia,licèt nec communi, nec aliis probabiliore, medicamentum ægroto porrigit; sed hic est diversus casus,maximè supposita probabilitate sententiæ aliorum, in quam Medicus eâ probabilitate ductus,potest tutâ conscientiâ descendere: sed in nostro casu nulla supponitur sententiæ probabilitas, imò supponitur, Medicus cognoscere alterius opinionem pro falsa,& tamen,ut non contradicat seniori,aut amico,in illam consentit:absq; dubio graviter peccat, & tenetur ad damna, quæ inde ægroto emanare possent; & si quidé ob id æger periret,etiam ipse esset magis homicidij reus, quàm alij; non alia ex ignorantia peccassent,ipse verò scienter.

12 Huic errori affinis alius est, cùm Medicus artem exercet non secundum quod Ratio, & ipsius artis dictant præcepta, sed prout locorum fert consuetudo: quem errorem reprehendit Cardan. *in lib. de mal. med. usu. cap.* 14. Nam licet multum attendendum sit ad locorum & civitatum naturas, & secundum earum differentias opporteat medendi rationem variare: tamen nullo pacto sequi debemus malas consuetudines à vulgo ipso,vel ab imperitis Medicis introductas, immò tenetur pro viribus malas omnes & damnosas hujusmodi consuetudines à medendi ratione eradicare, bonas verò de novo introducere, ad jam introductas autem multum quidem respicere oportet, ne erremus, sed nunquam ob loci consuetudinem absque ratione mederi.

13 Porrò circa alios errores primùm ille valde notandus, cùm Medicus præscribit medicamenta ad abortum provocandum: in qua re quam grave peccatum committat Medicus,non est qui nesciat. Apud vetustiores scilicèt Philosophos non videbatur ea res magni momenti,quia Aristoteles *lib.* 7. *Polit. cap.* 6. licitum facit ad minuendum filiorum numerum, abortum provocare, antequam fœtus ad sensum & vitam perveniat; quod & à Medicis aliis ex causis factitatum novimus, nam Hippocr. noster, vir (quantum dicere de Ethnico homine licet) piissimus,ab hoc opere sese non abstinuit; procuravit enim abortum in ancilla quadam, ut ipse refert. *in lib. de Nat. Puer. n.* 4. quod tamen de præsenti, & divinis, & humanis legibus nobis est interdictum, *c. consuluisti il.* 2. *q.* 5. *l. Cicero.* § *sed si quam ff. de Pœnis*; pro homicida enim habetur, qui procurat abortum, & idcirco fit irregularis. Nicol. Plovius *de irregul. n.* 21. quod notavit etiam ex Medicis Moxius *lib.* 2. *de med. morb. mul. per ven. sect. c.* 14. & humanis ergo, & vidinis legibus expiandum hujusmodi peccatum est, quia gravissimum. Navarr. *in Manual. c.* 35. *n.*63. & ex nostris Moxius *ubi suprà*, Roderic. à Castr. *lib.* 3. *de morb. mul. part.* 2. *cap* 21.

14 Dubium tamen erat, an pro cura alicujus morbi, & Maximè lethalis,quo mater affligatur, liceat opportunis medicamentis fœtum abigere, ut mater salvetur non defuerunt enim ex gravissimis Doctoribus aliqui, qui id licere voluerint, ut Caietan. in 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *ad.* 1. relatus à citato Moxio *ubi suprà cap.* 17. & alij Canonistæ apud eundem Moxium Torreblanca *Damonom. lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 10. cum aliis ibi per eum adductis, sed & Menoch. *de Arbitr. Iud. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 357. *num.* 20. ejusdem sententiæ fuisse videtur,licet voluerit, non esse ab omni pœna immunem qui etiam ad hunc effectum abortum procuraverit.

Alij tamen distinguendum existimarunt in fœtu animato & non animato in illo enim dixerunt non esse licitum provocare abortum, in hoc autem licere. Ita Navarr. *in Manual. c.* 15. *n.*62. qui tamen apud Sanch. *ubi suprà* retractare suam sententiam videtur, Azor. *Instit. mor. lib.* 2. *c.* 4. *part.* 3. Less. *de Iust. & Iur. lib* 2. *c.* 9. *dub* 10. *n.* 60. Sanch. *de matr. lib.* 9. *disp.* 20. *n.* 9. Paul. Laymann. *lib.* 2. *Theol. Mor. tract.* 3. *part.* 3. *c.* 49. & ex Medicis Epiphan. Ferdin. *lib.* 3. *Theor.* 11. & alij ex citatis pro superiori sententia. Sed hæc D. Antonini,& aliorum est,ut Lessius,& Torreblanca referunt, eamque ex nostris longioribus tuetur, & plures auctores ad eam corroborandam adducit. Moxius *lib.* 2. *de morb. mul. cit. cap.* 16, *vers. si hæc conclusio*, & de hac etiam meminit Ranchin. *in Hipp. jusjur. leg.* 5. *vers. secunda opinio.*

Alij tandem absolutè negarunt, ullo modo,aut ad ullum finem etiam ad servandam matris salutem, licere abortum procurare. Mercur. *lib.* 1. *de morb. mul. c.* 2. *in fin.* Hucher. *de Sterilit. lib.* 3. *cap. de concept. prohib.* Silvatic. *contr. med.* 82. Ranch. *ubi sup. vers. Tertia opinio.* Codronch. *lib.* 1. *cap.* 22. Marcur. *lib.* 2. *Err. popul. c* 26. Roderic. à Cast. *de morb. mul. ubi sup. in scholiis.* Videndus etiam Cortes. *miscell. med. decap.* 10. *q.* 10. & ultimo loco Daniel Sennert. *lib.* 4. *suæ Pract. sect.* 5. *c.* 3. *q.* 5. & ex Jurisconsul. post alios,quos cumulat novissimus Carranz. *de Part. c.* 26. *n.* 47. Inter cæteras autem rationes quæ persuadere possunt, licere aliquando abortum provocare, illa certè magni facienda, quòd cùm prægnantia aliquibus fœminis ita lethalis sit, ut nisi abortiant, eas una cum fœtu petire sit necesse, ut ex Hippocr. habemus *in lib. ad mu. pertinentibus*, videtur non solùm licere, sed æquum esse,ad matrem saltem salvandam, abortum procurare.

Moxius, *ubi suprà cap.* 16. concedens posse ad matris salutem procurandam abortum provocari, 15
distinguit tamen gravidationis tempora, ac duobus tantùm temporibus id licere asserit, ante animæ nempe infusionem, hoc est, in primo mense ob rationes ab ipso allatas, & in septimo, nono & decimò, quia tunc,inquit, fœtus etiamsi per vim ab utero extrudatur, vivere tamen potest, aut saltem non defraudatur vitâ animæ, quia vivus nascitur & baptizari potest.

Ad has tamen rationes facilè respondetur, & ad priorem dico, quòd multò potiori ratione destruitur, quia medicamenta, abortiva magnam inferunt violentiam, ob quâ ab utero fœtum extrudunt, unde etiam matri vim faciunt; non potest ergo procurari abortus,nisi & fœtui simul, & matri vis inferatur. Hinc est,quod hæc operatio nulla ex parte ita secura esse possit ut provocato abortu certa secutura sit matris salus, quæ dum abortum provocamus, manifesto vitæ periculo exponitur,cum frequens experientia commonstret, & hujusmodi medicamentis mulieres mortem obiisse, & est medicis præ aliis notissima historia ab Hippocr. enarrata, *lib.* 5. *Epid. text.* 5. mulieris pharmacum corruptorium assumentis, ex quo quarto die mortua est. Simile quid evenit Domitiæ Domitiani Imperatoris ex fratre nepti, periit enim ex abortivo medicamento referente Suetonio in Domitiani vita, *cap.* 22. Adde quòd in usu horum medicamẽtorum non solùm timetur mors corporalis ipsius pueri, sed etiam mors æterna, ut bene advertit ex Canonistis Azor. *Instit. mor. lib.* 6. *c.* 14. *q.* 3.

Neque Moxij opinio quicquam de periculo de-

mit,immò ex parte auget, dum grandiore exiſtente fœtu abortivis medicamentis utitur : tantò enim maior violentia infertur,& tantò valentiora medicamenta ad abortum provocandum requiruntur, quantò fœtus maior eſt. Sed neque recentiore exiſtente fœtu quicquam certi ſtabiliri poteſt, quandonam animatus exiſtat, ſi tam varias auctorum opiniones examinemus, nam & tertia die animam infundi aliqui voluerunt, quando vix ſuſpicio conceptionis poteſt irrepere.

16 Vera ſententia hærens Conſtitut P.R.Sixti Quinti,de qua nonnulli ex præcitatis Medicis, eſt, nunquam licere directè procurare abortum, etiamſi proponatur matris ſalus, quæ periclitetur, niſi provocetur abortus,indirectè tamen non eſt prohibitum, pro matris ſalute dare cauſam abortiendi, dummodò totis nervis innitamur ne fiat, ita ut ſi fiat, ſit præter noſtram intentionem. Directè autem provocare abortum, eſt, propoſita ſibi hac intentione, medicamenta ad eam aſſequendam præbere. Indirectè, eſt porrigere medicamenta ad aliquem morbum ſanandum ab ipſo morbo requiſita, etiamſi ex eorum uſu timeatur abortus, ut ſunt medicamenta ventrem ſolventia,clyſteres, ſanguinis detractio, & alia hujuſmodi præſidia, in quorum tamen uſu ſemper etiam cavendum, ut quantùm fieri poteſt, tam fœtus, quàm matris vita ſalvetur, & ita prudenter determinat inter Canoniſtas, Sanchez *de Matrim. libro nono, diſp.* 20. *num.* 14. Prætereo autem ſciens alias nonnullas ſecundarias dubitationes hîc annectendas, nempe an gravidas purgare, an phleboromare liceat, an clyſteres adhibere & alia medicamenta præſcribere, quæ abortui cauſam dare poſſunt hæc enim etiam poſt alios pleroſque breviter, ſed bene tractavit Daniel Sennert. *lib.* 4. *ſua Pract. cap.* 3. *ſect.* 5. *q.* 1. *& ſeqq.*

17 Sed licebitne in morbis gravidatum ſanguinis evacuationem requirentibus, illum ex inferioribus venis detrahere ? Ratio dubitandi eſt, quia etiamſi liceat gravidæ, urgente morbo, ſanguinem mittere, id nunquam fieri debet ex inferioribus partibus; nam ſi tantum nocet ex ſuperioribus miſſus, ut ex ea cauſa mulier facilè abortiat,ex Hipp. *lib.* 5. *Aphor.* 31. quantò magis nocebit ſanguinem detrahere ex inferioribus venis,ex quibus alimentum fœtui ſubtrahitur & menſes cientur, Cùm ergo tam de directo,ac tam promptè abortum provocare poſſit ſanguis ex pedibus miſſus, nunquam in gravidis mittendus,ſed aut alia auxilia tentanda,aut potiùs ægrâ dimittere debemus in manus Dei, quàm tam ancipiti, immò periculi pleno remedio uti, ut aliàs ex Navarra,aliiſq; Canoniſtis dixi faciendum. Quibus tamen non obſtantibus Raphaël Moxius *lib.* 2. *de morb.acut.Gravid. per ven. ſect. cur. cap.* 20. Ubi hanc quæſtionem exagitat, in partem affirmativam inclinat, & rationes ab eo adductas apud ipſum vide. Hanc ipſam opinionem tuetur doctiſſimam Zacutus, *lib.* 1. *de princip. Medic.hiſt. quæſt.* 11. Ego certè, niſi ab ea me deterreret vulgi perſuaſio, & aliorum Medicorum præcipuè ignorantium calumniæ, pro inconvenienti non haberem, in nonnullis caſibus maximi ponderis, & urgente morbo, ad earum venarum ſectionem venire, ut Moxius & præcitatus Zacutus conſulebant, dummodò fœtui aptis remediis ; providererur, ut quàm minimum fieri poſſet,ab ea ſanguinis miſſione læſionem ſentiret.

18 Sed aliud non minoris momenti dubium excitatur ab eod.Moxio *lib.* 3. *cap.* 47. & à Silvat. *contr.* 86. hic diſcutiendum, an liceat nempe intra puerperij terminos medicamenta cathartica præſcribere; quam quæſtionem poſtquàm uterq ; multis hinc inde deductis & rationibus, & authoritatibus exagitavit,in affirmativam partem inclinat, veriſſimamque, eorũ ſententiam puto, multaſque mulieres in puerperio perire crediderim,ob nimis religioſè Medicis evitatam medicamentorum ventrem ſubducentium aſſumptionem. Quæri inſuper hîc non ab re poteſt, an cæſarea ſectio celebrari abſque peccato poſſit, eſt autem ſectio cæſarea, viventis matris in ventre ſectio,ut fœtus inde aut vivus, aut quomodocunque eximatur. Certè cùm operatio periculi plena ſit,non videtur temerè celebranda ; immò cùm utplurimùm inde matris mors ſuccedat, quia paucæ admodum ex his, quæ hoc modo ſecantur, ſalvari ſolent, dicendum videtur, non poſſe fieri abſque peccato gravi, cùm, ut aliàs dictum eſt, remedia quibus utimur, debeant eſſe tuta, aut ſaltem ſecundùm plurimum talia. Sed his non obſtantibus, dicendum videtur, hujuſmodi ſectionem eſſe licitam ; & ratio eſt, quia, etiamſi velimus eam eſſe periculoſam, tamen certiori periculo exponitur ipſa mulier, niſi ſectio fiat,quia certò non facta peribit, ſecta autem & ipſa,& aliquando ipſe fœtus vivere poteſt; nam non eſt verum,has mulieres ut plurimùm perire, quia, ſi expertiſſimis Medicis ac Chirurgis credimus, plures earum quæ ſecantur, ſalvari ſolent. Sed de hac materia vide Rouſſetum *de Partu Cæſar.* & Bauhin. *in ejus appendice*, & præ omnibus vide quæ doctè & eleganter de hoc argumento ſcripſit Pater Theophilus Raynaudus, *in lib. cui Titulus. De ortu infantium contra naturam per ſectionem cæſaream :* ubi diligenter omnia ad hæc pertinentia diſcuſſit, quæ ad Theologum diſcutere ſpectabat.

Cæterùm cùm jam determinatum ſit, conceptum jam factum nunquam eſſe corrumpendum, 19
aliud inſurgit dubium ; an impedire liceat ne fiat, hoc eſt,an ſterilitatem poſſimus abſq ; peccato procurare. Et primò nobis ſcrupulum in hac re movet Hippocratis auctoritas, qui non ſemel *in libb. ad mulieres ſpectantibus* oſtendit ; eſſe ex eis aliquas, quibus conceptus funeſtus eſt, unde & medicamenta ſterilitatẽ inducentia his præſcribit ; ad cujus exemplum nobis quoque fas erit, ſi urgens ſeſe ferat occaſio,idem iiſdem medicamentis procurare : nam ſi è plurimorum DD. ſententiâ, licet procurare abortum non adhuc animati fœtus, multò magis licebit ad evitandum vitæ periculum infœcundas mulieres reddere, quæ ex facta conceptione periclitari poſſunt : & maximè cùm id multo minori cum periculo fiat, quàm jam factum conceptum interimere, ac per vim ab utroque expellere. Sed Text. clarus eſt *in cap. aliquando*, 32. *quæſt. ſecunda*, ſimpliciter loquendo, & ad malum finem nunquam licere ſterilitatem inducere. Sed an ad mulieris ſalutem procurandam liceat, inter Canoniſtas Paul. Laymann. *libro tertio, Theol. Mor. tract.tertio,part.*3.*cap. quarto, quæſt.* 2. *n.* 2. & Codronch. ex Med. *lib.* 2.*cap.*25.expreſsè tenent, quòd in hoc mortale peccatum interveniat, ad quemcunque finem fiat. Medici tamen plerique cùm ad prædictum finem, ad evitandum nimirum vitæ periculum, ſterilitas procuratur, licitum eſſe voluerunt. Mercurial. *libro primo, de morb. mul. cap.* 2. Hucher. *de Sterilit. libro tertio, cap. proprio.* Epiphan. Ferdin. *libro tertio theorem.* 11. Roderic à Caſtrenſ. *de Morb. mul. libro tertio, cap. ſecundo, in ſchol.* Moxius *libro ſecundo,cit. cap.* 16. Ad malum autem finem nunquam licere omnes conſentiunt, ut poſt alios Ranchin. *in Hippor. Iuſjur. l.* 5. *quæſt. ſecunda*, & ſic videtur intelligenda Bulla Sixi Quinti. de qua præcit. Codronch. dum

eãdem

eadem pœna eos puniri vult, qui abortum procurant, quique ſterilitatem inducunt.

Sed cum ſterilitas in muliere morbus ſit, ſiquidem liceat ſterilem mulierem facere ad alios morbos evitandos licebit etiam morbum morbo curare, quod an liceat dubium eſt: videntur enim omnino contra Medicinæ finem, & intentum, quod eſt ſanum facere; at uno morbo alium curare non eſt ſanum facere, ſed tantum morbum mutare, & tamen cum natura, cuius documenta ſequi debemus, & cuius miniſtri medici ſunt, ſæpe morbum morbo curet, ut Galen. aſſevetat *lib. 6. Epidem ſect. 6. comm.* 8. cur non licebit Medico naturan rectè operanten imitari? *Prudentis* inquit Celſus. *lib. 3. cap. 9. Medici eſt, novare interdum, & augere morbum, & febres accendere*; & à vetuſtioribus quidem Medicis ad hoc abſque ullo ſcrupulo ſuademur: ſed qui de hac materia ſcire ulterius deſiderat, adeat Valleſium abunde eam tractantem, *libro octavo*, *Contr.* 10. & noviſſimum Zacut *libro primo*, *de Princ. Med hiſtor.* 34. *quæſt.* 23. Vera ſententia eſt, quod ubi Medicus ſecurus ſit quod de novo factus morbus aut mitior, aut tutior priori ſit futurus, aut ſaltem impetum vetuſtioris novus refrænare poſſit, tunc non in conveniens, nèq; illicitum ſit morbum morbo curare. Sic ulceribus excitatis, mille morbis ſuccurrimus; ſic, excitatâ febre, repentinam ab Apoplexia comminatam ruinam evitamus. At procurando ſterilitatem non procuramus morbum, qui vitæ ullum afferat præiudicium, eius que provocatione maiores morbos, ex quibus mulieribus vitæ periculum impendet, declinamus. In viris certe ſterilitas ad nullum bonum finem procurari poteſt, niſi fortè extremâ ſeminis refrigeratione tentaremus veneris ſtimulos cohibere; quod an liceat meum non eſt determinare.

12 Quemadmodum autem non licet ad malum finem ſterilitatem procurare, immo neque ut ferendæ ſobolis laborem mulier ſimpliciter evitet ſic neque ad aliquem malum finem licet ullum medicamentum Medico aut præſcribere, aut patefacere, quod ad proximum fallendum, ad virginitatem reparandam, ad coitum ſtimulandum, ad ſomnum inducendum, ad lac exſiccandum, ad delectationem in coitu augendam, ad generationis membra incraſſanda & ad alia id genus aptum ſit. Hæc enim omnia illicia ſunt, ſi eâ intentione fiant, ut interim aliquis illicitæ cuipiam rei operam dare poſſit, & de plerisque Codronch. *ubi alias*, *c.* 22. *& ſeqq.* & Mercurial. *libro ſecundo*, *Error. Popul. cap.* 25. & licet poſt factum aliquando Medicus poſſit aliqua ex his præſcribere, ut medicamenta virginem ſimulantia in puellis iam devirginatis, & lac exſiccantia in his quæ pepererunt, & celare puerperium deſiderant: tamen videndum, ne hoc in alterius præiudicium aliquo modo eſſe poſſit.

Sed & illud ſcrupulum movet, an Medicus tutâ conſcientiâ poſſit commotica medicamenta, ſive ad decorem mulieribus facientia præſcribere, aut commonſtrare: In quo dubio advertendum, quod nos de iis medicamentis agimus, quæ coſmetica dicuntur? hoc enim à commoticis, ſeu comptoriis differunt in hoc, quod coſmetica reſpiciunt naturalem, ac veram pulchritudinem; commotica, & comptoria falſam, adulterinam atque fictitiam, ac propriam meretricum, licet apud Juvenal. *Sat.* 6. Coſmetæ dicantur artifices quædam mulieres, alias mulieres funis exornantes, ibi.

—— *Ponunt Coſmeta tunicas.*

Sed quemadmodum de illis non dubitatur, quod ſint licita, & Medico convenientia, ut demonſtrat Mercurial *de Decora cap primo* ſic de his certi eſſe debemus, quod Medico ſint indigna, ut Gal. 1. *de Med. cap. ſecundo* dicebat, & non ſine peccato aut præſcribantur, aut adminiſtrentur; cavetur enim expreſſè *per text. in cap. fucare. de conſecr. diſt.* 5. ne mulieres ſeſe huiuſmodi medicamentis pulchriores reddere ſtudeant.

Sed & in præſcribendis medicamentis venenoſis 13
etiam ad bonum finem, errare Medicos contingit cum ea non rectè præparata exhibent, aut nullâ urgente neceſſitate, maximè cum meliora, & tutiora non deſint. Licet enim plures claſſicorum Medicorum venenoſa quædam medicamenta exhibenda doceant, & Cardan. *libro de mal. med. uſu*, *cap.* 77. probaverit, errare Medicos, qui venenoſa medicamenta, immo ipſa venena ab uſu medicinæ eliminant: tamen id ſanâ mente intelligendum, ut hæc in ſumma neceſſitate, aliis æqualis virtutis deficientibus, aut ad manum non exiſtentibus, aut non ſufficientibus, exhibeantur; non autem tam frequenter, ac tam facilè, ut aliqui, ac præcipuè Chymici & Empirici procaciſſimi factitare ſolent, ut docet etiam Franc. Ranchin. *in Hipp. ius iur. l.* 5. Quambrem non deberet ab omni pœna eſſe immunis, qui minus cautè hæc medicamenta propinans ægrum occideret, contra id quod voluit Grill. *de Sortileg. cap. duodecimo num.* 13.

Præterea non abſque magno delicto fit, ut Medici medicamenta ſuperſtitioſa præſcribant; neque 23
enim obid, quod ad bonum finem ordinentur, nempe ad recuperandam ſanitatem, licet idcirco Medico illis uti: D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 2. eumque errorem pluribus inſectatur Io. Heurnius, *libro tertio. Method*, *ad præx. cap.* 28. quem vide, & de hoc etiam Codronch. *de morb. venef. libro tertio*, *cap.* 15. *& libro ſecundo*, *de Chriſt. med. rat. cap tertio* Mercur. *libro quarto. error. popul. cap.* 13. & præter Medicos Grilland. *de Sortil. q.* 6. Spreng. *in mall. maleſ. part.* 2. *q.* 2. Delrius *lib.* 6. *diſquiſit. Magic. cap.* 2. *ſect.* 1. *q.* 1. *& ſeq.* Actius *de Infirm. c.* 44. Torrebl. *Dæmonolog. lib.* 2. *cap.* 50.

Sed quid dicendum de Imaginibus aſtrologicè fa- 24
bricatis, ad aliquos peculiares morbos propellendos? Certe non modo hæc à nonnullis Medicis admittuntur, ſed maxime celebrantur, & videndi præ cæteris Arnald. Villanovan. & Galeott. Martius *de doct. promiſc. cap.* 24. quin etiam à quibusdam ex Canoniſtis admittuntur, à Caietan. apud. Suares *libro ſecundo de ſuperſtitione*, *capite* 15. *num.* 16. Sed de his remittam me ad ea, quæ definiunt cum D. Thom. Martin. de Atles *de ſuperſtit.* Suarez. *ubi ſupra*, *numeris ſeqq.* Martin Delir. *lib.* 1. *Diſquiſit. Mag. capite* 3. *quæſt.* 1. Torreblanca *libro* 1. *Dæmonolog. cap.* 7. & ex noſtris Heurn. *loco ſupra citato*, & Thom. Eraſt. *in diſquiſition. contra Paracelſ. part.* 1. que longioribus eam rem diſcuſſit, cum quibus concludam, quod cum in his ſemper concurrat tacitum pactum cum Dæmone, ut D. Thom. dicebat, ex quo citatus Martin. de Atles, huiuſmodi Imaginibus uti ſit omnino grave peccatum, ac debitâ pœnâ mulctandum: Nec multum intereſt, an hæ imagines aſtrologicè, an magice fabricatæ ſint, cum, ut Eraſt *ubi proximè*, dicit, nullum inter illas aliud intercedat diſcrimen, niſi quod in his apertè invocantur Dæmones, in illis tacite occultisque characteribus, ut pacti ſignis, invitantur & admonentur.

Sed neque ſatis eſt ab his medicamentis; nempe 25
ſuperſtitioſis, venenoſis, commoticis, aliisque, de quibus ſupra, præſcribendis, ſeſe Medico abſtinere, ſede iam in præſcribendis medicamentis bonis, atque op-

que opportunis errat, cùm ægroto pauperi medicamenta pretioſa & magni valoris præſcribit, tantoque graviùs errat, quantò facilius id præſtat, ut aromatariis rem gratam faciat, nam neque ipſis divitibus adhunc finem poteſt ſimilia medicamenta exhibere; de qua re vide allata à Codronch *lib. 1. de Chriſtian. med. rat. cap. 32.* cum quo errore coincidit etiam ille, quando plura medicamenta quàm oporteat, Medicus ad eundem finem præſcribit, de quo ſuprà; in quo etiam intervenit peccatum, & tenetur ad reſtitutionem. Navarr. *in manual. cap. 25. num. 64.* Codronch. *loco cit.* Quod amplia procedere, etiamſi ad eum finem non fieret, ſed ut abundare ſe remediis Medicus oſtenderet, aut ut tantò maiorem ſe curam ægrotantis gerere hoc modo commonſtraret, ut iuniores maxime faciunt.

26 Notabili quoque errore implicatur Medicus, qui medicamenta corrupta & obſoleta ægrotantibus exhiberi permittit. Navarr. *ubi ſupra, num. 61.* in quem errorem non ſolùm labitur, quando datâ operâ, ut aromatario rem gratam faciat, ea medicamenta adminiſtrari curat, in quo caſu non ſolùm peccat, & punitione dignus eſt, ſed ad reſtitutionem cogendus, & ad damna reſarcienda, verùm etiam quando per Medici negligentiam aromatarius ea medicamenta exhibet: ſed tantò maius illud, quàm hoc delictum eſt, quantò punibilior dolus eſt, quàm negligentia: ſed videnda quæ circa hoc afferunt Card. *de mal. med. uſu, cap. 11.* Codronch. *lib. 1. de Chriſt. med. rat. cap. 9.* Mercur. *lib. 2. err. popul. cap. 25.* & ex Juriſconſultis Guibertus *queſt. Jurid. cap. 26. n. 55. & ſeqq.* Verum enim verò decidendum in hoc dubio eſt, an Medicus ſemper, & in omni caſu, quantumque in culpa ſit: nam certè & nimis rigoroſum, & impoſſibile inſimul eſt, Medicum teneri ad deligenda omnia & ſingula medicamenta, quæ in ægrotorum ſalutem adhibenda ſunt, neque fieret hoc abſque ipſorum ægrorum incommodo, quia vix uni ægroto unius Medici opera ſufficeret; ſatis ſuperque mihi videtur, ſi Medicus diligens ſit in his, quæ maioris momenti ſunt, & in morbis magnis, in quibus minimus error eſt exitialis, aliàs unuſquiſque debitum ſibi iniunctum adimplere debet, neque tenetur Medicus id, quod aromatario demandatur, tam rigoroſè ſupplere, ut ipſe Aromatarij vices gerere debeat, deligendo omnia ac ſingula medicamenta, ut aliqui voluerunt: qui omnino ignorant, quàm operoſum futurum eſſet, Medicum in electione ſimplicium, in confectione medicamentorum, in eorum præparatione, eorumque adminiſtratione ſemper, & ubique intereſſe; ad impoſſibile ergo Medicos obſtringunt, eoſque à melioribus operibus diſtractos volunt.

27 Cæterùm dubitatur, an erret Medicus ſuſcipiendo curam morborum deploratorum, & incurabilium. Præcipit enim Hippocr. eorum qui à morbo victi ſunt curam non eſſe aggrediendam, unde iure Card. *lib. de mal. med. uſu, c. 1.* reprehendit Medicos illos, qui inſanabiles morbos curandos ſuſcipiunt, eamque rationem pro hac ſententia adducit, quod morborum incurabilium cauſæ ſunt habituatæ ac confirmatæ; non eſt ergo poſſibile eas removere, aut in totum tollere; ergo nec minuere, quia ſi liceret minuere, liceret etiam longiori curatione in totum tollere; incaſſum ergo Medicus tales morbos aggreditur, cùm ſanare non poſſit: unde, ut proſequitur, exemplo occultorum cancrorum, tales morbi non ſunt curandi, quia quod Hippocr. dixit, cancros occultos non curare melius eſſe, de omnibus conſimilibus morbis, intellexit. Addamus, quòd ſi concedamus, verum eſſe Cardani dictum, Hippocratem nempe voluiſſe ſuam ſententiam locum habere in omnibus morbis incurabilibus, huiuſmodi morbi non ſolùm non debeant à Medico curari, quia eos ſanare non poteſt, ſed etiam quia curando obeſt, nam, ut addit Hippocrates, *curati, facilius intereunt, non curati diutius perdurant.* Errant ergo qui incurabiles morbos curandos ſuſcipiunt, ut concludit poſt nonnullos & vetuſtiores, & recentiores Roderic. à Caſtr. *lib. 3. Medic. Polit. c. 19.* qui etiam quales hi morbi ſint docet. Aliâ tamen ex parte & humana, & chriſtiana pietas permittere non videtur, homines, qui auxilium à nobis implorant, pro deſperatis contemnere, ſed perſuadet aliquo modo adiutrices manus admovere, & falſa etiam ſpe à ſumma vitæ deſperatione diſtrahere. Etiamſi enim Medicus nihil opis medicamentis afferre poſſit, ejus tamen præſentiâ, ac mollioribus verbis, & colloquiis ſolet morbi ſimul, ac vitæ tædium lenire; præterquam quòd etiamſi Medicus non poſſit ſanare tales morbos iam incurabiles, & ſanitatis incapaces redditos, poteſt tamen aptis auxiliis prohibere ne invaleſcant, & maiores 28
fiant, atque deteriores; poteſt & ſymptomatibus nonnullis occurrere, quæ morbos intolerabiliores reddere ſolent; poteſt denique victus rationem præſcribere, etiamſi morbum medicamentis non aggrediatur. Adde quòd Medicus curando morbum deſperatum ac incurabilem, nulli facit iniuriam, D. Thom. *p. 2. q. 71. art. 3. ad 1.* unde certum eſt, Medicum non peccare curando tales morbos, ut Advocatus defendendo litem iniuſtam, per ea, quæ affert Ripa *in tract. de peſt. part. ult. partic. 2. n. 93.* & Thom. Actius *de infirmit. p. 2. v. Sanitas. n. 1.*

Dicendum ergo in hoc caſu, triplicem eſſe morbo- 29
rum curationem; unam præſervantem, aliam curantem, ſi curabiles ſint, aliam prohibentem ne deteriores fiant, cùm ſunt incurabiles, quæ palliativa dicitur. Prima non habet locum in caſu noſtro ſecundâ Medicus uti non debet, tertiâ poteſt, ut concedit etiam Cardan. *ubi ſupra*, ſed concurrere debet ea conditio, ut Medicus ante omnia morbum pro incurabili pronunciet, ut ex Juriſconſultis Actius *ubi ſupra*: & ex Medicis dicit Codronch. *lib. 1. cit. c. 30.*

Sed circa curationem ſimilium morborum fre- 30
quentiſſimè Medici cum vulgo errare conſueverunt, concedendo infirmis quæcunque deſiderant, etiam quæ contra morbum faciunt, ægrotis in omnibus gratificando; eius autem erroris Medicos inſimulant, Codronch. *ubi ſupra, lib. 1. c. 8.* Mercur. *lib. 3. Error. popul. cap. 25.* Jo. Alphonſ. à Font. *in ſpec. Medicin. Chriſt. lum. 1. pag. 30.* & eorum ſententiæ rationes vide apud ipſos, præcipuè apud Mercurium.

Ultimo loco videndum, an Medicus curando ſe- 31
ipſum, aut ſuos, ut filios, parentes, fratres aliquo modo erret; & in hoc quidem vulgi opinio eſt, hoc Medico non licere: quam opinionem ſequitur Roder. à Caſtr. *lib. 3. Med. Polit. c. 15.* At ego quidem, ut ex mea ſententia loquar, magis imprudentiæ, quàm peccati cuiuſpiam inſimulandum cenſeo, qui ſibi ipſi in gravioribus præcipuè morbis medetur. Quoniam autem nimis operoſum eſſet, nimiſque volumen hoc excreſceret, ſi omnes ac ſingulos Medicorum errores, & ſignanter qui ad hoc genus pertinent, peculiari ſermone percurrere tentaremus, de his ſatis ſit mentionem habuiſſe, cùm alij plerumque minoris momenti ſint, nec digni, de quibus hîc verba fiant.

SUMMARIUM.

1 *Medicus minoris faciens medicinam ſolitâ mercede, quomodo erret.*

2 *Medicus an licitè mercedem accipiat.*

3 *Medicus an paciſci poſſit de mercede. Dic, ut num ſeqq. 4. 5. 6.*
7 *Medicus errat, expoſtulando nimiam mercedem.*
8 *Medicus pauperibus ſuæ mercede tenetur mederi.*
9 *Medicus ſi quid à pauperibus extorqueat: tenetur ad reſtitutionem.*
10 *Pauper quis dicatur ad hunc effectum, ut Medicus teneatur ei gratis mederi.*
11 *Medicus an vocatus à pauperе ſemper teneatur accedere.*
12 *Medicus non ſolum tenetur pauperibus gratis mederi, ſed illis de ſuo elargiri.*
13 *Medicus tenetur mederi gratis diviti, nolenti ob avaritiam curari.*
14 *Medicus à publico ſalariatus, ab agrotis non poteſt aliquid accipere.*
15 *Medico an liceat mercedem ante inceptam curationem exigere.*
16 *Medicus an licite accipiat mercedem in diebus feſtis.*
17 *Mercedis pro opere accepto reddi illud opus ſervile.*
18 *Curare, infirmos non eſt ſervile.*
19 *Quæ dentur Medicis dicuntur honoraria, non mercedes.*
20 *Medicus an in morbis incurabilibus & de periculis, licite mercedem accipiat.*
21 *Medicus an teneatur ad reſtitutionem, agro mortuo, nihil de periculo aut incurabilitate, ipſo prædicente.*

De erroribus tam in omittendo, quam in committendo ad Mercedem ſpectantibus.

QUÆSTIO VIII.

ERrores, in quos dilabi Medicum contingit circa mercedem, in omittendo pauci numero ſunt multi in committendo: Unicus enim tantum conſiderari poteſt in omiſſione, atque is eſt, cum 1
Medicus minoris facit Medicinam mercede ſolitâ errat enim Medicus qui hoc in præiudicium aliorum Medicorum redundare poteſt, per ea quæ adducit Carrar. *de Med. part.* 3 *num.* 219. *& ſeq.* Unde vilis quidam conditionis Medici, qui ut ſeſe in ſervitutem alicuius Principis, aut nobilium, potentiumque virorum, vel loci alicuius publici, ut Hoſpitalis, aut Monaſterij, aut Collegii inſinuent, pro minima, aut nulla mercede ſeſe ultro offerunt, videndum an quicquam, & quantum delinquant, & maximè ſi hoc in præiudicium alterius Medici, qui actu pro maiore mercede inſervit, emanare poſſit. Illud certum eſt, hos à cœtu nobilium Medicorum eſſe ablegandos, nam non ſolum Medico nobili id patrare non licet, ſed neque honeſtam mercedem ultro oblatam tenere, ut admonet optimè de Medicina meritus Lud. Septal. *lib.* 1. *Cant. Med. num.* 20.

Circa errores autem commiſſionis, in hoc ge- 2
nere primo ſeſe offert dubium, an pro morborum ſcilicet curatione licitè Medicus mercedem poſſit recipere. Movent hoc dubium multi I.D. Sotus, & Navarr. apud Carrar. *de Med. part.* 2. *num.* 35. Ripa *in tractat. de peſt. par. ult. partic.* 2. *num.* 94. *& ſeqq.* Caroc. *de loc. & cond. part.* 2. *quæſt.* 1. *rubr. de Medico.* Gaſpan. Triſtan. *de Cler. Med.* §. 16. Ratio pro negativa ſententia huiuſmodi affertur: Spiritualia non poſſunt ullo pretio abſque ſimoniæ peccato vendi: ſed Medina, ſive donum curationum, eſt quid ſpirituale; non videtur ergo abſque peccato, mercedem pro eo recipere. Præterea ipſe Hippocrates populo Abderitano ſcribens, *Neque*, inquit, *viri Abderitæ, argentum per vim mihi obtrudite, ſed libera artis libera eſſe ſinite opera; qui vero mercedem capiunt, hi ſcientias ſervire cogunt, velut captivas ex priori libertate ipſas facientes.* Quamobrem idemmet piiſſimus ſenex, ad eos, ut curaret Democritum, abſque ulla mercede contendit. Quinimo apud eundem non modo indecens, & illiberale eſt mercede medicinam facere ſed res impia, ſic enim addit *ibidem*, dicens: *An non reputatis æquale peccatum eſſe hoſtes ſervare, & amicos mercede curare?* Non mirum ergo eſt, ſi Æſculapius à Iove fulmine ictus ſit, quod ob avaritiam Medicinam mercede exerceret, ut ex Pindaro, & aliis tradit Tiraq. *de nobil. cap.* 31. *num.* 22. *& ſeqq.* Addendum ex Carocio *de loc. & cond. part.* 2. *rubr. de Med. q.* 1. *cum.* 5. quod Medici ratione exercitii multis gaudent privilegiis, quæ loco mercedis eorum laborum cedere debent; non poſſunt ergo aliam mercedem recipere.

Sed contraria opinio eſt communiſſima, & vera; licite nimirum Medicum mercedem recipere ab ægrotantibus, quibus medetur. Quod primo elicitur ex ſacro Textu, *Exod. cap.* 21. *verſ.* 19. *Innocens erit qui percuſſerit, ita tamen ut operas, & impenſas in Medicos reſtituat.* Dum enim iubet mercedes Medicis ſolvendas per vulnerantem, non dicendum, illicitam rem præcepiſſe. Et *Eccleſiaſt cap.* 3. *verſ.* 1. Honora Medicum, ibi. *A rege accipiet donationem.* Secundo patet ex text. legali *in l. Medicos. C. de Profeſſ. Med.* Ibid. *Mercedes etiam eis, & ſalaria reddi iubemus.* Immo tam iuſtè accipiunt Medici mercedem, ut pro ea præferantur omnibus creditoribus *Gait. de Cred. cap.* 4. *quæſt.* 11. *numero* 1566. Ad rationes autem in contrarium reſpondetur, ad primam, Mercedem à Medico non recipi pro quapiam re ſpirituali, nec pro ipſa ſanatione; quale enim eſſet præmium par ſanitati? Sed tantum pro labore, quem Medicus in curando impendet, ut etiam evenit in iis, qui aliquas ſcientias docent, qui non pro ipſa ſcientia ſalaria recipiunt, hoc enim eſſet ſimoniacum; ſed pro labore in ipſis edocendis ſuſcepto. Hipp. autem loquitur de mercede, quam per vim exigit Medicus, non de ea, quæ ab amicis, & benevolentibus grati animi ergo ultro libenter offertur; unde idcirco *in lib. de Præcept.* monet Medicum, ut in exigenda mercede omnem deponat acerbitatem. Ad ſecundam dico, quod privilegia, quæ conceduntur Medicis ratione exercitii non tollunt, quin mercedem recipiant, nam poſt conſtitutas ipſis mercedes ab imperatoribus, ea privilegia inſuper ſunt conceſſa.

Secundo ſeſe offert aliud dubium, an ſcilicet erret Medicus paciſcendo cum infirmo de mercede. Hipocrates *primo loco ſupra cit.* non ſolum licere voluit Medico hoc pactum inire, ſed omnino de mercede debere ipſum paciſci, ob rationes inibi ab eo adductas, *num.* 4. Unde apparet falſo Cuiacium *in comm. ad l. Juſtiniani lib.* 10. *tit.* 52. *l.* 8. dixiſſe, pactionem Medici cum infirmo, eſſe contra Hippocratis iusiurandum; nihil enim ibi Hipp. habet de mercede; Cum ergo hoc in loco concedat Medico, ut paciſcatur cum ægroto de mercede, non erit hoc pactum contra eius dogmata Sed non defuerunt alii poſt eum Medici, qui id ipſum admiſerint. Sed pro negativa videtur abſolutè facere Text. *in l. Medicus. ff. de var. & extraord. cogni. & l. Archiatri. Codic. de Profeſſ. & Med.* ibi *Quos etiam ea patimur accipere, quæ ſani offerunt pro obſequiis, non ea quæ periclitantes pro ſalute promittunt.* Ubi nota, quod illa verba, *Etiam ea*, non referuntur ad ſalaria, contra id, quod voluit Gloſſa hic, ſed ad verba ſubſequentia, nempe etiam ea, hoc eſt Præter ſalaria, etiam ea quæ ſani offerunt; & alias permultas DD. auctoritates pro negativa partè adducit Ripa *de Peſt. part. vl. partic.* 2. *numero* 86. & Coroc. *de loc. & cond. part.* 2. *rubr. de Medico. quæſt.* 4. *num.* 4. & vide ex Canoniſtis Azo-

rium

rium, *Inſtit. moral. lib. 6. cap. 14. quæſt. 3.* & ex noſtris in eandem ſententiam venit Septal. *lib. 1. caution Medic. n. 21.* Multa tamen pro parte affirmativa adducit Caroc. *ubi ſuprà, n. 5.* & Gaſpar Triſtan. *de Cler. Med. §. 34.* Ut autem hoc dubium diluatur, nonnulla conſideranda: ac primò videndum, de quibus Medicis loquamur, cùm non ſolùm de Phyſicis intelligi poſſit hoc Medici nomen, ſed de Chirurgis, Empiricis, Chymicis, ac quibuſcunque aliis, quos nomine Medici venire diximus in huius tituli principio. Secundò videndum, an indifferenter de omnibus morbis ſermo ſit, an de aliquibus tantùm; cum pactum aliquando poſſit habere locum, aliquando non. Tertiò conſiderandum, differre Phyſicorum mercedem à mercede aliorum Medicorum: nam quod Phyſico tribuitur, dicitur honorarium, ut infrà dicemus; quod aliis tribuitur, dicitur merces.

4 His ſic ſe habentibus, dico, cæteros omnes Medicos, Phyſico excepto, poſſe de mercede cum infirmis paciſci, eorum enim opera ſunt ſervilia, non minus ac ſint opera aliorum artificum mechanicorum, nam & ipſa Chirurgia, quæ cæteris ſupereminet, mechanica eſt, niſi à Phyſico exerceatur, aut ſi omiſſa ratione ſuum opus efficiat empiricorum more, ſoli experimento fidens: licèt communiter ipſa Chirurgia, etiam rationalis, pro mechanica habeatur. Franch. *deciſ. 564. part. 4. num. 10.* aut ſaltem licèt mechanica non ſit, quando iungitur rationi, & tunc maximè cum à Phyſico exercetur, quia nullo modo hominem inhoneſtat, ut probat Roderic. à Caſtr. *Med. Polit. lib. 2. cap. 3.* & Septalius *lib. 8. Caut. Medic. num. 1.* tamen pari paſſu cum Medicina phyſica in dignitate non incedit.

5 Dico ſecundò, quòd nullus Medicus paciſci poteſt cum infirmo, ſi morbus eſt acutus, aut urgens, ſed tantùm quando eſt diuturnus & inducias præbet. Ea fuit Hippocr. mens *in Præception.* & ex Medicis neotericis idem ſenſerunt cit. Roder. à Caſtr. *l. b. lib. 3. c. 21.* & Septal. *lib. 1. Caut. n. 21.* qui hoc non ſolùm indecens, ſed impium eſſe pronuntiat: *Impium eſt*, inquit, *magno morbo urgente, de mercede paciſci.* Unde Text. *in l. Medicus, ff. de var. & extr. cognit.* illius Medici avaritiam reprehendit, & emendari iubet, qui periculum amittendæ viſionis in ægro procuraverat, & eo periculo urgente ægrum compulerat, ut poſſeſſiones ſuas ſibi venderet, *Incivile*, inquit textus, *factum Præſes provinciæ cœrceat, remque reſtitui iubeat.*

6 Tertiò dico, quòd contra omnem Phyſici dignitatem eſt, de mercede cum quocunque ægroto, quocunque in morbo, aut quocunque in tempore non ſolùm paciſci, ſed verba qualiacunque movere; ex dignitate enim Medici eſt, mercedes, ſiquidem dentur, accipere & non recuſare; ſi autem non dentur, non exigere, ut Soran. Epheſ. *in Art. Med. Iſagog. cap. 3.* dicebat: & ratio eſt, quia quod Phyſico tribuitur pro morborum curatione, non eſt, ut dixi, merces, ſed honorarium, ut meliùs, & affluentiùs ſuo loco; at cùm de mercede cum ægro, pacto convenis, tunc amittit nomen honorarij & acquirit nomen mercedis, & ipſe Phyſicus mercenarius evadit, & ſuæ ipſius Artis dignitatem inquinat; relinquendum ergo mechanicis eſt, ut de mercede paciſcantur. Sed quia aliquando impingimus in homines ingratiſſimos, qui accepto beneficio, nullam beneficij Medico gratiam habent, immo potiùs illum tanquam Dæmonem odio proſequuntur (nam idcirco proverbio circumfertur, Medicum trifrontem eſſe. Angeli nempe faciem gerit, cùm curat hominis cùm inter alios verſatur; Dæmonis, cùm ægro, qui non ſatisfecerit, poſt curationem fit obviam, quod eſt celebre apud Juriſconſultos, Caroc. *ubi ſuprà, q. 4. in fin.* & ex Medicis Roderic. à Caſtr. *ubi ſuprà, c. 21.*) hinc fit, ut interim Medicus cogatur mercedem exigere, in qua re contingit eum errare, cum nimiam mercedem expoſtulat, Navarr. *in Manual. c. 25. n. 64.* Caroc *ubi ſuprà. q. 11.* & ex Medicis Codronch. *lib. 1. c. 29. in fin.* Sed certè non eſt in manu Medici in hunc errorem impingere, nam quantumcumque ipſe expetat, vix habebit, qui dimidium æqui rependat; utinam & hoc aſſequeretur! incidimus in tempora, cum maxime deploranda eſt inhumana hominum in Medicos voluntas, ſed hæc ſilentio contegere ſatius duco. Adverte tamen, non eſſe præter Medici dignitatem cum Principibus viris, communitatibus, univerſitatibus, lociſque publicis de mercede annua convenire: ſed & dari poſſunt caſus, in quibus etiam non ſit extra Phyſici dignitatem de mercede paciſci, qui videndi apud citatum Rodericum.

Porro etiamſi Medicus mercedem non recipiat ſæpiſſimè à quibus debet, eſt, quando à quibuſdam nihil recipere debeat; tritum enim eſt, Medicum teneri pauperes gratis curare, etiam ex præcepto Hippocr. *in præcept. n. 5.* & iuramento ſeſe ipſe Medicus ad hoc obſtringit, cum Doctoratûs lauream conſequitur, & eſt communiſſima DD. opinio, & vide tam Canoniſtas, quàm cæteros allegatos ad hoc per Caroc. *de loc. & cond. par. 2. rubr. de Med. q. 3. à n. 5. ad ſeqq.* & ex Medicis Codronch. *lib. 1. c. 29.* Roder. à Caſtr. *lib. 3. cap. 21.* Mercurius *lib. 2. Error. popul. c. 24.* & Gaſp. Triſtan. *de Cler. Med. §. 16* Quòd ſi quid à pauperibus Medicus extorqueat, tenetur ad reſtitutionem, Carrar. *de Med. p. 2. n. 60.* Sed hoc an procedat, ſi accipiat à iam ſanatis, dubitari poſſet; nam text. *in l. Archiatri. C. de Profeſſ. & Med.* videtur permittere Medico à ſanis factis accipere. Non 9
loquitur tamen ibi ſpeciatim de pauperibus, ſed generaliter de quibuſcunque hominibus Fortè à paupere, etiam ſano facto, non poteſt quicquam accipere, niſi fortè res modicas, aut comeſtibilia non notabilis valoris. Sed videndum eſſet, quiſnam ad hunc effectum pauper dici debeat, & certè quemadmodum ad pleroſque effectus, arbitrarium dicitur eſſe, quis vocari debeat pauper, ex adductis per Menoch. *de Arbitr. lib. 1. cent. 3. caſ. 65. num. 7.* & per Surd. de Alim. *tit. 9. q. 37. in principio*, fortè & ad hunc effectum id arbitrarium eſſe deberet. Sed num de hoc 10
Medicus ipſe erit arbiter? an potiùs pauper hîc ſtrictè accipi debeat pro eo, qui non habet unde vivat? ut idem Surd, *ibid.* quod hîc videretur magis habere locum, quam quod dicit Gail. *lib. 1. practic. obſerv. 43. n. 13.* pauperem dici ſcilicet extremâ paupertate laborantem, & qui iuramentum paupertatis in camera præſtitit; ſed quid de illo, qui cùm non habeat divitias unde vivat, poteſt tamen ſuâ induſtriâ vivere? certè enim cùm infirmitas impediat, ne quis ſuâ induſtriâ vtatur, hic pauper ad hunc effectum erit dicendus.

Sed teneturne Medicus ea obligatione, ut quan- 11
docunque à paupere ad medendum vocatur, accedere teneatur? Nimis oneroſum medius fidius eſſet, Medicum ad hoc teneri, quia pauperes & multi ſunt, & ſæpe ægrotant; multoque magis oneroſum eſſet id, ad quod illum obligant nonnulli ex noſtris Doctoribus, nempe quòd non ſolùm teneatur pauperibus mederi, ſed etiam de ſuo illis elargiri. Ita unanimiter Codronch. *lib. 1. de Chriſt. med. rat. cap. 29.*

Roder.

Roder. à Caſtr. *lib.* 3. *Med. Polit. cap.* 21. & Mercur. *lib.* 2. *Exhr. popul. cap.* 24. ex Navarr. Dicendum itaque utdetur, cum eodem Navarr. *in manual. cap.* 25. *num.* 64. deberi hanc Medicorum obligationem reſtringi ita, ut dicantur teneri, concurrentibus tribus conditionibus. Prima, quod probabili-
12 ter exiſtiment pauperem moriturum, niſi ei Medicinæ præſidiis ſuccurrant. Secunda, quod non adſit alius, qui id faciat. Tertia, quod nullus reperiatur qui pro eo mercedem ſolvat: ſi enim hæ conditiones ſimul concurrant, non ſolum, ex mea ſententia, tenetur Medicus pauperi mederi, & ſi non medeatur mortaliter peccat, ſed tenetur etiam de illius morte, ſi periclitetur; quia ſi, qui Medicum ægrotanti non adhibet, dicitur morti cauſam dediſſe, Surd. *de Aliment. tit.* 4. *quæſt.* 5. *num.* 9. multo magis ipſe Medicus dicendus eſſet dediſſe cauſam morti, ſi ægro, quem tenetur ſub pœna peccati curare, non medicatus fuerit, cum in hoc aliena opera non indiguerit, ſed propria tantum. Illud certum eſt non teneri Medicum, ſi adſint alii Medici; & multo minus, inquam, ſi pauperes habeant unde eorum neceſſitati ſubveniant, veluti ſunt Xenodochia publica ad hunc effectum conſtructa, in quibus rectè & pro eorum ſtatu, & conditione commodè curari poſſunt.

Sed illud multo durius videri poſſet, Medicum
13 præter pauperes, teneri etiam curare gratis divitem nolentem, aut avarum, qui ut Medico mercedem non ſolveret, curari recuſaret. Et tamen hæc opinio videtur eſſe Doctorum communis. Abb. *in cap. Ad Aures de Æ. & qualit. num.* 7. Ripa. *de peſte part. ult. partic.* 2. 105. Navarr. *loco ſupra citato.* & ex Medicis Codronch. *lib.* 1. *cit. cap.* 34. Rigor tamen huius opinionis temperatur eo, quia poſt celebratam curationem, etiamſi Medicus nolentem curaverit, datur ipſi Medico actio exigendi mercedem ab infirmo iam ſanato, ſive ab illius hæredibus, ſi ille deceſſerit, ut per Navarr: *ibid.* Afflict. *deciſ.* 123. & ibi Urſillus *num.* 2. Magon. *deciſ. Flor.* 11. *num.* 2. & plurimi apud Caroc. *de loc. & cond. part.* 2. *rubr. de Med. quæſt.* 2. *à num.* 4. *ad ſeqq.* quod etiam eleganti dialogo proſecutus eſt Gulielm. Onciac. *Colloq. mixt. cap.* 6. *in fin.* & ex noſtris Codronch. *ubi alias lib.* 1. *cap.* 29.

Porro autem, ultra commemoratum errorem, quando Medicus accipit à pauperibus, vel eis mederi abſque mercede recuſat, in alium ſæpiſſime labi
14 ſolet, cum à publico ſalariatus, ab ægrotis aliam mercedem, aut donaria accipere non veretur: hoc enim peccatum eſſe voluerunt multi, quia nemo debet ultra conventam mercedem aliquid accipere, ad quod videtur facere Textus *in l. Neceſſarios §. final. ff. ad ſull.* Ripa *tract. de peſt. part. ult. partic.* 2. *à num.* 112. *ad ſeqq.* Navar. *loco ſæpe adducto. n.* 64. Mynſing *Obſervat.* 75. *cent.* 2. Carr. *de Med. part.* 3. *num.* 93. & ex Medicis Codronch. *ubi ſæpe cap.* 28. *lib.* 1. ſed contra aperte eſt Textus *in l. Archiatri, C. de Profeſſ. & Med.* ubi Medico à publico ſalariato conceditur accipere à ſanis factis quæ in obſequium offeruntur, qui textus eſt clariſſimus, ut mihi videtur, licet à Juriſconſultis non ita exponi, ut verba ſonant, notaverim. Hortantur enim ibi Imperatores ipſos Medicos Archiatros, quibus annonaria commoda à populi commodis miniſtrantur, ut honeſtè obſequi tenuioribus malint, hoc eſt, ut ſine mercede tenuioribus medeantur, à quibus nihil accipiant, neque accipere debent, cùm à publico ſalaria habeant, quam turpiter ſervire divitibus, hoc eſt, quam cum mercede ipſis divitibus, qui habent unde dent, ſervire, quod turpe eſt; quia non debent, etiamſi offerant, accipere: & intentio legis eſt hortari Medicos à publico ſalariatos ad medendum tam pauperi, quam diviti, contentos publico ſalario, additurque; *Quos etiam ea parimur accipere, ſani offerunt pro obſequiis*, ſcilicet contenti ſumus, ut ultra ſalaria ex publico accepta, poſſint accipere ea, quæ ſani offerunt vel ſalaria, vel quæcunque ea ſint; neque enim hæc vocanda eſſe ſalaria voluit Gloſſa hic, ſed donaria, quia ſponte à ſanis factis pro obſequiis offeruntur.

Præter hæc dubitatur, an Medico liceat mercedem ante inceptam curationem accipere, Ratio du- 15
bitandi eſt, quia merces reſpicit iamfactum laborem; non videtur ergo deberi niſi poſt curationem ita decidentibus Juris conſultis, de qua re vide poſt Ripam. *de peſt. ubi alias, num.* 125. *& ſeq.* & Cagnol. *in l. Diem. functo. ff. de off. Aſſeſſ. n.* 131. Caroc. *de loc. & cond. part.* 2. *rubr. de Med. queſt.* 5. vide inſuper ea quæ de paciſcenda mercecede iam dixi.

Aliam ultra prædictas dubitationem movent Juriſconſulti, an nimirum Medicus debeat habere 16
mercedem in diebus feſtivis: Et pro negativa faciunt ea quæ artulit Ripa *loco ſupra citato tit. de remed ad cur. peſtem, num.* 131. & poſt eum Magonius *deciſ. Flor.* 11. *n.* 8. & ratio eſt, quia in diebus feſtivis laborare, aut ſervilem operam facere non licet ex tertio præcepto Decalogi; ſatis autem apparet ſervilis opera, infirmos curare accepta mercede, ex iis, quæ affert Suarez. *lib.* 2. *de dieb. feſtis, cap.* 19. *num.* 5. Quin etiam nulla mercede accepta, non licet in his diebus curare, unde idcirco Chriſto Domino indignatus eſt Archiſynagogus apud Lucam *cap.* 13. *verſ.* 14. quod diebus feſtivis, nempe Sabbatho mulierem illam curaſſet, curare enim eſt ſervire alteri ad corporis ſalutem recuperandam, cum ergo hoc ſit opus ſervile non exercendum in diebus feſtivis, ſed dato etiam, quod, quia tendit ad alterius ſalutem, morborum curatio exerceri poſſit, ut 17
D. Thom. dicit, 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3. tamen id intelligi debet, ſi abſque mercedefiat; mercedis enim pro opere acceptio facit illud ſervile, cum mercedem accipiens, ſui ipſius venditorem faciat ut ex Xenophonte *in libr. de dict. & fact. Socrat.* refert Peregr. *in Apolog ad verſ. Philoſoph. & Med calumn. pag.* 190.

Sed contra eſt conſuetudo non præter rationem 18
introducta: & ad ea, quæ opponuntur dicimus quod curare infirmos non eſt opera ſervilis, ut per D. Thom. *ubi ſupra*, vel ſi ſit ſervilis ſecundo modo non eſt prohibita in diebus feſtivis. Non obſtat quod Medicus laboret in medendo, quia labor ille non eſt corporalis, etiamſi enim indigeat labore, & corporis motu, ut ægrotos inviſat, hoc eſt per accidens, quia Medicus, ut àlias ex Platone dixi, non corpore corpus curat, ſed animo. Non obſtat inſuper, quod pro curatione accipiat mercedem, quia quod recipit Medicus ab ægrotis non eſt propriè merces, ſed honorarium, daturque illi pro obſequio, *l. Archiatri. C. de Profeſſ. & Med.* dicique Medicorum mercedes honoraria, patet, *ex l.* §. 19
proinde. & l. in honorariis. ff. de var. & extr. cognit. c. Non ſané. 24. *diſt.* 5. & notat Rodericus à Caſtr. *in Med. Polit. lib.* 3. *cap.* 21. & Gaſpar. Triſtan. *de Cler. Med.* §. 28. unde illud Cicer. apud eund. *lib.* 16. *Epiſtol.* 9. & apud Peregrin. *ubi proximè, Curio miſſ ut Medico honos habeatur.* Sed dato etiam, quod id, quod Medicis datur, eſſet merces ſic propriè dicta, tamen opus non ſervile fieri poſſe pro mercede

etiam in feſto, dicit Suarez *lib. 2. de dieb. feſt. cap. 19. num. 10.* & ſi opus ſervile ex neceſſitate fieri poteſt pro mercede etiam in diebus feſtis, ut ibidem Suarez *num. 9.* quanto magis fieri poteſt opus, quod eſt pro hominum ſalute tam neceſſarium? Sed mercedem facere hoc opus ſervile falſum eſt, nihil enim de Medicinæ dignitate mercedem demere, demonſtrat Valleſ. *in ſacr. Philoſoph. cap. 74.* licet abſolutè falſum ſit ex mercede opus evadere ſervile, ut probat Suarez *ubi ſuprà, num. 6.* Cùm ergo Medicus neque corporis labore curet, neque mercedem pro curatione dicatur accipere, etiamſi aliquid accipiat, poteſt abſque ullo ſcrupulo etiam diebus feſtivis quæ ab ægris offeruntur accipere, & ſic concludit Ripa, *ubi ſuprà num. 132.* cuius conſilium laudandum, quòd Medicus accipiat à ſponte dantibus, quemadmodum in conſuetudine eſt, etiam in diebus feſtivis nihil tamen ipſe in hiſce diebus expectat à non ſponte dantibus. Unde Magon *deciſ. Flor. 11. num. 6.* in conſtituendo ſalario cuidam Chirurgo, qui per octo menſes infirmum quendam curaverat, detrahi dies feſtivos.

Denique dubitatur, an in morbis deſperatis, & incurabilibus Medicus licitè mercedem recipiat: Et videtur quòd non, quia nemo debet recipere mercedem laboris quem inceſſum ſciebat ſe inſumere; ſed ſic eſt, quod in deſperatis, & incurabilibus morbis Medicus ſcit; ac manifeſtè cognoſcit, ſe fruſtra laborem ſuſcipere in curandis; ergo non debet ex eo labore ullam mercedem recipere. Contra tamen D. Antonin. ex quo Actius *de infir. verſ. ſalarium.* Voluit Medico deberi ſalarium, etiam pro morbo deſperato, ac inſanabili: communis tamen Doctorum opinio eſt debe i, quandocunque Medicus morbum talem eſſe pronunciaverit, aliàs verò non deberi. Ita ex noſtris Codronch. *lib. 1. ſæpe cit. cap. 30.* & Mercur. *lib. 2. Errorum popul. cap. 5.*

Sed quænam requiruntur ad hoc, ut Medicus, moriente ægroto, à culpa ſit immunis, & licitè mercedem accipere poſſit? Gail. *lib. 2. Obſer. 111. n. 25.* quatuor requiri dicit: primò ne excedat limites ſuæ profeſſionis, ſecundò, ut ſit peritus in Arte; tertiò, quod diligentiam adhibuerit; quartò, quòd recta inſtituerit victûs rationem. Nos dicamus neceſſe eſſe, ut morbum cognoverit, ut periculum prædixerit, ut diligentiam, in omnibus ad curam ſpectantibus, adhibuerit.

Sed hîc inſurgere poteſt dubium non contemnendum, an nimirum Medico de periculo nihil annunciante, ægroque mortuo, debeat Medicus acceptam mercedem reſtituere; ſi enim vera eſt citata Codronchij, & Mercurij opinio, quòd tunc licitè accipiat, quando periculum, aut inſanabilitatem prædixerit; certè ſi non prædixerit, illicitè accipit; illicitè verò acceptam teneri nos reſtituere quis dubitabit? & tamen cùm Medicus laborem inſumat, ſemperque eum finem ſibi proponat, ut ægroto aliquid adiumenti ferat; etiâſi illicitè acceperit, quòd mortem aut inſanabilitatem non prædixerit, licitè tamen accepiſſe ob laborem, eſt dicendus. Sed hæc decidere ad me non pertinet, ad eos ergò, ad quos pertinet, eius dubitationis deciſio remittenda.

SUMMARIUM

1 *Primus error Chirurgorum.*
2 *Secundus error.*
3 *Tertius error.*
4 *Quartus error.*
5 *Chirurgi an teneantur infirmos ad confeſſionem hortari.*
6 *Chirurgus peccat conſulendo quicquam contra ſanitatem ſalutem.*
7 *Chirurgus ut Phyſicus errat in agendo omittendo, & committendo.*
8 *Chirurgus circa mercedem quomodo peccet.*
9 *Chirurgus tenetur pauperibus gratis mederi.*
10 *Chirurgus an in diebus feſtivis curare poſſit, & an iiſdem diebus mercedem accipere.*
11 *Quisquis abſque ſufficienti examine medetur, peccat.*
12 *Artifex excedens limites ſuæ capacitatis, peccat.*
13 *Culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti.*
14 *Magna culpa dolus eſt.*
15 *Artifices errantes in manualibus operibus puniri poſſunt.*
16 *Magna negligentia culpa eſt.*
17 *Phlebotomantes, hoc eſt, ſanguinem detrahentes, unam venam pro alia ſecantes, peccant.*
18 *Non omnes vena eadem promptitudine corpus evacuant.*
19 *Detrahentes ſanguinem abſque Phyſici licentia, errant, & ſunt puniendi.*
20 *Gravis error eſt, ſanguinem aliâ ratione detrahere, quàm quâ Phyſicus inſſerit.*
21 *Errant detrahentes ſanguinem in maiori, aut minori, quantitate, quàm phyſicus præceperit.*
22 *Errant detrahentes ſanguinem alio tempore, quàm quo Phyſicus voluerit.*
23 *Conſilium dando quomodo errent ſupradicti artifices.*

De Chirurgorum aliorumque ſimilium artificum erroribus.

QUÆSTIO IX.

IN hac Quæſtione, de Chirurgorum erroribus primò agemus, deinde de erroribus phlebotomantium, omniumque qui aliquo modo chirurgica opera exercent, ſanguinem quocunque modo detrahendo, leviora vulnera curando, tumores ſimplices, ulcera ſuperficiaria, & alia id genus. Sed Chirurgos, cùm ad rationales Medicos quàm proximè accedant, in plurimos eorum errorum impingere contingit, in quos ipſos Phyſicos dilabi iam enarravimos, ut deinceps monſtrabo. Sed præ cæteris familiaris Chirurgorum error eſt, abſque præcedenti ſtudio, & neceſſaria rerum cognitione, & abſque ulla theoriæ ſcientia, Chirurgiæ ſeſe addicere, ſolaque praxi contenti eſſe; quod quidem ipſis eſt tam peculiare vitium, ut vix ex decem unum aut alterum reperias, qui in theoricis ſit vel mediocriter inſtructus: quod etiam de ſui temporis Chirurgis deploravit Galenus *lib. 3. de Anat. admin. c. 1.* unde non mirandum ſi etiam in his curandis, quæ ad ſenſum patent, ſæpiſſime hallucinentur, idcirco non abſque ſumma ratione nominatim ob malè adminiſtratam curationem, à ll. puniuntur. *text. in §. præterea Inſt. ad l. Aquiliam:* minori enim excuſatione dignus videtur Chirurgus, ſi erret in his, quæ ad ipſum pertinent, quàm Phyſicus, qui etiamſi per ignorantiam erret, excuſatur, *arg. l. Iliciras §. ſicuti. ff. de off. Præſid.* & ratio eſt, quia Phyſicus in curandis morbis cogitur uti coniecturis, tam in eius dignotione, quàm in curatione, ſaltem ſecundùm plurimum, quod etiam ſecundùm plurimum non evenit de Chirurgis, qui præſertim in operibus manualibus ſi per ignorantiam peccent puniendi veniunt de ignorantia; licèt etiam Phyſici, qui perperam medicamentum dedit, ignorantia impunita remanere non debeat, *ut per cit. text. in §. Præterea. Inſt. ad l. Aquiliam.* Valde autem turpe eſt, inquit Hipp. *lib. de Med. n. 5. non obtinere à Chirurgia quod velis.* Et ſi hoc turpe eſt, non ſine culpa Chirurgi eſt, & idcircò pœna dignum.

Errant autem peculiariter Chirurgi (niſi ſimul & Phyſici ſint) cùm ultra limites ſuæ ipſorum artis progrediuntur, & in iis ſeſe immiſcent, quæ ultra eorum capacitatem ſunt, ſicuti in medendis morbis internis, quorum cognitionem ipſi neque habent, neque ſine Philoſophiæ ſcientia habere poſſunt

ſunt; ex hac enim habetur cognitio naturæ ipſorum morborum cauſarumque ipſos progignentium; & idcircò cùm mortaliter peccare dicatur Medicus, qui medetur morbo non cognito, ut aliàs dixi, tantò magis peccabit Chirurgus, qui & morbum, non cognoſcit, & facit quod facere neque debet, neque poteſt.

3 Errant inſuper iidem Chirurgi (niſi ipſi Phyſici etiam ſint) cùm Phyſicos non advocant, in morbis etiam ad eorum artem, & ad ipſam operationem ſpectantibus, qui tamen Phyſici præſentiam requirunt, ut Chirurgi illi apud Lang. *lib. 1. Epiſt.* 4. qui non ſolùm non advocabant Phyſicos, ſed Phyſicorum munere audacter fungebantur febrem ardentem curantes.

4 At quia Tumorum, Vulnerum ulcerum, Fracturarum, aliorumque morborum curatio perfici à Chirurgis non poteſt, niſi corpus ut decet expurgetur; cùm hoc ab ipſis fieri non poſſit, neceſſarium eſt, atque ex juramento tenentur, Phyſicos advocare, qui interna cauſa inſpecta quæ morbum fovet, ipſam removeant, eâ enim non remota, incaſſum Chirurgi inſudant eos morbos ſuperare, qui tamen utplurimùm Phyſici præſentiam valde reformidant, non ex eo ſolùm, quia craſſos eorum errores ſæpe detegat, ſed quia morbus amota cauſa celeriorem ſortitur curationem, quod ex re eorum non eſt, qui lucro inhiantes (de malis & avaris, non de bonis loquor) morbum ad longiſſimum tempus protrahi deſiderant.

Sed in indagandis reliquis Chirurgorum erroribus qui punitionem ab alterutra lege reportare deberent, ſatius eſt eundem ordinem ſequi, quem in Phyſicorum erroribus ſervavimus. Primò ergo dubitari poteſt, an Chirurgus, ut Phyſicus teneatur ægrotantes ſuos ad pœnitentiæ Sacramentũ hortari, dicendumque videtur in eadem obligatione illum quoque eſſe, cùm & juramento in Doctoratu conſequendo ad hoc ſeſe obſtringat, quod intelligendum quando ſolus curat, nam ſi adſit ſimul Phyſi-
5 cus, videtur ab ea obligatione immunis, & ratio eſt quia major videtur eſſe obligatio Phyſici ex hoc, quia morbi, qui Phyſici præſentiam requirunt, ſunt magis periculo proximi, quàm ij, quibus ſolus Chirurgus ſufficit, cùm ergo Phyſicus & ſit primus in dignitate, & multò meliùs quàm Chirurgus morborum pericula cognoſcat, magis ad ipſum ſpectare videtur ægros ad confeſſionem hortari, quam ad Chirurgum, ubi ambo in eadem cura ſint eodem tempore vocati; aliàs videretur incumbere hoc onus ei qui primus vocatur. Sed quid ſi Chirurgus videat Phyſicum in ea re negligentem? Exiſtimarem teneri Chirurgum, aut Phyſicum admonere, ut ſuo munere fungatur, aut etiam ipſum ægrotantem hortari, ut huic obligationi ſatisfaciat. In cæteris autem, in quibus diximus *quæſtione per totam*, Phyſicum errare omittendo exequi ea, quæ ad ſalubria conſilia ſpectant, poteſt etiam & ipſe Chirurgus delinquere in iis, quæ ad illum ſpectant; quamobrem ad eam quæſtionem recurrendum.

Sed & circa ea, quæ committendo Phyſici pec-
6 cant in conſiliis dandis, peccare & ipſi chirurgi poſſunt. Et primò non minùs quàm Medicus peccat chirurgus, ſi quicquam contra animæ ſalutem ægris vel ſanis perſudeat, de quibus omnibus videnda, quæ *ſuperiori quæſtione quinta, per totam*, attulimus. Illud unum peculiariter de chirurgis determinandum venit, an poſſint ipſi ſuam ſententiam dicere, & conſilium dare circa Jejunij obſervantiam, circa ceſſionem à recitatione divinorum officiorum, & circa hujuſmodi alia dicendumque videtur, quòd cùm de his impedimentis determinare ſpectet ad ſuperiorem ſcientiam, quæ exactè cognoſcit morborum naturam, cauſas illos excitantes, particulares hominum temperaturas, ipſorumque vites, & tolerantiam, aliaque id genus, non poterit chirurgus, ut talis in his conſilium ullum dare, quia ejus captum tranſcendunt. Debet ergo ægros ad Phyſicos remittere, niſi cauſam ob quam quis diſpenſari ad hæc debeat, ſit nimis evidens, tunc enim fortè poterit circa hoc conſilium dare, quia etiam abſque ejus conſilio præſente cauſa evidente, æger poteſt licitè ſeipſum diſpenſare. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. Fortè & idem habet locum, ultra jejunij obſervantiam, in aliis quibuſdam obligationibus.

Sequuntur porrò errores in opere tam commit- 7
tendo, quàm omittendo patrati, in quibus non minùs quam Phyſicus, etiam Chirurgus implicari poteſt, & de his videndæ *quæſtiones ſexta, & ſeptima.*

Sed & circa mercedis receptionem, eodem modo 8
Chirurgus, & Medicus per omiſſionem errare poteſt. Chirurgo autem nonulla licere potiùs, quàm Medico certum eſt: de Chirurgo enim non dubitandum, quòd cùm opus faciat ſervile, mercedem nulla hæſitatione poteſt accipere: unde paciſci illum de mercede poſſe. *ſuperiori quæſtione* diximus; ſed tenebiturne, ut Phyſicus, pauperibus gratis mederi? in hac re poteſt eſſe dubium, quia Phyſicus nullum impendit corporis laborem in curandis ægris, niſi per accidens, & quod ab illis accipit; non accipit tanquam mercedem laboris corporei, quem in illis curandis aſſumpſerit, ſed tanquam honorarium, & pro obſequio, ad quod jure non debent adſtringi pauperes; ſed divites. Chirurgi autem utuntur labore corporis, dum vulneribus medentur, dum luxata ad ſuum locum impellunt, dum ſecant, urunt, aliaque id genus opera moliuntur: at nemo teneri 9
videtur pro altero gratis laborare. Quibus non obſtantibus dicendum videtur, ad idem teneri Chirurgus, unde idem in doctoratu conſequendo juramentum ſuſcipiunt, & ad id, quod dicitur neminem teneri pro altero laborem gratis ſuſcipere, reſpondendum, verum eſſe univerſaliter, ſed fallere in Chirurgo, ratione doctoratus.

Dubitari porrò ultra hæc poteſt, de Chirurgo 10
multò rationabiliùs, quàm de Phyſico, an poſſit diebus feſtivis mederi; & dato quod poſſit, an licitè accipiat mercedem. Ratio dubitandi eſt eadem, quæ ſuprà, quia Chirurgi opera ſervilis eſt, & laborem corporis requirit, ſed in diebus feſtivis præcipimur abſtinere ab omni opere ſervili; ergo Chirurgus diebus feſtivis non debet mederi. Dicendum tamen, quòd licèt curare manuali operi, ſit quid ſervile, videtur tamen eſſe permiſſum, etiam in diebus feſtivis, quia impenditur in hominum ſalutem, ut manifeſtè D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3. Sed quoad mercedem majus poteſt eſſe dubium; ſed idem videtur dicendum, quod de Phyſico diximus, non eſſe nempe illicitum accipere mercedem etiam in diebus feſtivis à ſponte dantibus; abſtinendum tamen in his diebus feſtivis à petenda mercede, ob religionis reverentiam, non ob vanam aliquam ſuperſtitionem, quod Judæis ipſis omnium hominum ſuperſtitioſiſſimis eſt familiare, licèt Suar. *lib. 2. de dieb. feſt. cap.* 19. *num.* 10. ex Cajet. concludat, non eſſe contra obſervantiam feſti locare operas ſuas in illo die, etiam pro mercede, quando aliàs tales operæ non ſunt in feſto prohibitæ, vel ex cauſa legitima permittuntur.

Poſt Chirurgos aliud ſequitur hominum genus,

Chirurgis quidem affine, ſed in dignitate, ob doctoratum quem aſſequuntur Chirurgi, longè illis inferius; nàm Chirurgus doctoratus honorem conſequitur, ut per Franch. *deciſ.* 365. *n.* 11. *& ſeq.* ſed hujuſmodi artifices in nullo dignitatis gradu ſunt, Chirurgiæ tamen aliquam partem, ſed infimam exercent, cum licentia alicujus Collegij, vel Principis auctoritate. Eorum aliqui ſanguini ſolummodò detrahendo; cucurbitulis aut cum ſcarificatione, aut ſine ea affigendis habitudinibus applicandis inuſtionibus ſimplicibus faciendis ſe deſtinant: aliis ſimplicibus vulneribus, aut ſimplicibus tumoribus leuioribuſque continui ſolutionibus medendis, luxatiſque oſſibus reſtituendis; alij etiam magis compoſita vulnera, & machinationes majorem ſolertiam, & cognitionem requirentes tractant: de quorum omnium commiſſionibus erroribus nunc aliqua dicenda.

Et primò notum eſt, quòd quiſquis abſque præcedente examine, & ſufficienti cognitione rerum, & abſque Superiorum licentia, curandum aliquem ex prænominantis morbis ſuſcipit, non ſolùm pœnis per Medicos, ad quos pertinet, indictis, ſe ſubiicit, ſed gravis etiam peccati reus ſit, quia ſi Phyſico etiam perito non licet abſque doctoratu mederi, ut *quæſtione ſecunda* dixi; multo minùs licere debet his, qui ut plurimùm ſunt craſſioris Minervæ homines, nulliuſque intelligentiæ, abſque expreſſa licentia, quam ſemper examen præcedere debet, prædicta machinari poſſe.

Secundò, horum ſinguli frequentiſſimè in eum
12 errorem impingunt, quòd excedunt limites propriæ capacitatis, & licentiæ ſibi conceſſæ, in qua re & graviter etiam peccare, & ſi aberrent, puniri etiam poſſe, manifeſtum eſt, quia in culpa ſunt; culpa enim eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti, *l. Culpa*
13 *eſt ff. de Reg. jur.* Cùm verò hæc culpa ſit gravis & magna, quia incurritur cum periculo ſalutis ipſorum hominum, doloſa dici debet, *l. Magna. ff. eod. ibi. Magna culpa dolus eſt.* Ad cautelam ergo in licentiis, quæ ſimilibus perſonis conceduntur, ſpe-
14 ciatim morbi nominari debent, quibus mederi illis conceditur, negatâ licentiâ medendi aliis ibi non expreſſis.

Tertiò, aberrant aliquando hujuſmodi perſonæ
15 in ipſis manualibus operibus; & ſi error ſit inſignis punibilis abſque dubio eſt, pro ejus majori aut minori gravitate: talis eſt cùm incidentes mediam, ſive communem dictam venam, ſubjectum nervum pungunt, ut evenit Chirurgo illi, qui Carolo Nono Galliarum Regi eam venam incidere volens, nervum pupugit, ex qua læſione Rex nonniſi poſt trimeſtre ſpatium ſanatus eſt, ut Paræus narrat, *lib. 9. ſui operis c.* 38. & ſic Phlebotomus ille apud Amatum Luſit. *cent.* 3. *curat.* 35. ex cujus errore æger vita functus eſt, in quem errorem turpiter lapſum vidi audaciſſimam Pharmacopolam, qui ſanguinem etiam detrahebat, qui robuſtiſſimum juvenem eo errore è medio ſuſtulit. Sic & cum ſubjectam arteriam venam jecorariam aperientes, incidunt, & in cauſa ſunt, ut Anevryſma excitetur; & cùm partes inurentes capita muſculorum, & nervos ſubjectos lædunt, aut tumorem aperientes eandem noxam ægris conciliant, unde in cauſa ſunt, ut partiũ mo-
16 tus in futurum aut diminuantur, aut depraventur, aut etiam in totum amittantur. Ideirco autem errata hæc punitione digna videntur, quia facilè adhibitâ diligentia evitare poſſunt; magna ergo Artificis negligentia præſupponi poteſt quæ quidem culpa eſt, *l. eod. ff. eod.* Pro his in judicium trahi poſſunt & in eos dignâ pœna animadvertere licebit, de cujus qualitate ad me non pertinet, ſed ad judices determinare.

Quartò hujuſmodi artifices in ſanguine detra-
17 hendo multis erroribus implicantur, & primò cum unam venam pro alia ſecare negligunt, ut ſi hepaticam pro cephalica, aut medicam pro hepatica ſecuerint contra id quod Phyſicus præceperit; quia licèt nonnulli Doctores in ea opinione fuerint, quod parum referat ex qua vena ſanguinem detrahas, quia omnes æqualiter corpus evacuant, aut nihil ſaltem referre credant quam ejuſdem partis venam aperias dummodo ejus partis ſit, quam Phyſicus juſſerit, nempe ſi dextram in ſuperioribus, dextram ſuperiorum partium incidas, ſi ſiniſtram inferiorem, inferiorum partium ſiniſtram, & ſic de reliquis: tamen certum eſt, quod demonſtrat etiam Gal. *com. 2. in lib. de vict. rat. in acut. text. decimo*, non omnes venas eâdem celeritate, & promptitudine omnes corporis partes indifferenter aut totum eva-
18 cuare; & patet experientia, in quibuſdam particularibus caſibus magis opportunum eſſe hanc, aut illam potiùs venam ſecare, & commodiùs, & promptiùs partem affectam juvare; non eſt ergo hic error abſque animadverſione tranſigendus.

Sed ſuperiori adducto errato, multò majori cenſurâ dignum eſt, cùm Phlebotomus ſanguinem de-
19 trahere audet abſque ulla Phyſici licentia, præterquàm quòd enim hoc illis per edicta, & conſtitutiones omnium Collegiorum prohibitum expreſsè eſt, facile in grave damnum alicujus perſonæ in hunc errorem labi poſſunt, cùm enim neque hominum temperaturas, neque partium diſpoſitiones, neque morborum, neque cauſarum eſſentiam, neque virium robur, neque alia neceſſaria cognoſcant, impoſſibile eſt illos non errare, & fortuitò fit quòd non errent, & ex hominum, quibus ſanguinum detrahunt infortunio.

Sed gravior multò error ille eſt, cùm omiſſo, aut
20 neglecto Phyſici præcepto jubentis venæ inciſionem, illi aut per ſcarificatas cucurbitulas, aut per hirudines ſanguinem detrahunt, aut contrà, jubente Phyſico, ut ſcarificatæ cucurbitulæ applicentur, earum loco hirudines admovent, aut venas aliter aperiunt. Eſt autem hic error tantâ animadverſione dignus, ut inde facilè ægrorum mors aliquando emanare poſſit, & ſiquidem hoc, aut aliud notabile damnum ob illum ſuccedat, non debet ullum eſſe dubium, quin iſti artifices in culpa ſint; qui qualiter, & quatenus ſint puniendi, ipſi Juriſconſulti meliùs determinabunt.

Quinò, errant inemendabiliter hi artifices, in
21 quantitate ſanguinis detrahenda, juxta Medici præceptum; quique cùm ſemper eam excedant, & aliquando inſigniter prætergrediantur, itaut dixerim ex hoc ægros aliquando ſuccubuiſſe. Nam memini artificem quendam ex his, juſſum à me ſanguinem ex ſalvatella cujuſdam febricitantis ad uncias quatuor detrahere, illum ad libras duas detraxiſſe, ex quo adeò refrigeratus æger eſt, ut cachecticus factus intra bimeſtre ſpatium obierit. In hunc errorem hi volentes impingunt, eâ ratione perſuaſi, quòd ſanguis ater, niger, craſſus, aduſtus, malus, peſſimus ſit; quam cantionem de quocunque ſanguine canunt, quia boni, aut mali ſanguinis qualitatem ne per ſomnium quidem agnoſcunt, ſed etiãſi agnoſcerent, neſciunt ignari, neque perſuaderi poſſunt, in tanto minori quantitate ſanguinem eſſe detrahendum, quantò impurior, ac deterior exiſtit, qua tunc manifeſto ſigno apparet, ſpirituum paucitatem

ſub

ſubeſſe, & facilè hinc poſſe vites collabi, ita admonente Fernel. *lib.2. Meth.med.cap.17.*& doctiſſimo ſene noſtro Septal. *lib.4.caut. Med.numer.2.* Licèt autem graviter peccent hi in maiori copia ſanguinis detrahenda, quam Medicus præſcripſerit, non tamen ſunt ſub errore immanes, ſi minorem detrahant; nam & hoc in notabile interdum ægrotantium præiudicium eſſe poteſt, nam & in hunc errorem hos ipſos aliquando labi comperies, cum ut pro doctis habeantur, ægrotantium vires ipſi metiri volunt, & ſi Medicus ſemilibram ſanguinis detrahi iuſſerit, ipſi vires languentis debiles eſſe pronunciantes, ad tres tantùm uncias detrahent, & interdum cum evidenti ægro-
12 rum periculo.

Sextò errant iidem artifices circa tempus mittendi ſanguinem, ut Medicus præcipiat venam ſecari ſummo manè, illi propè meridiem ſecent; aut ſi iuſſerit ſecandam venam hodie illi in craſtinam diem opus reiiciant. Hoc enim maximi refert, præcipuè in febribus, in quibus aliquando neceſſe eſt evitare ipſarum febrium aeceſſiones, inſultus, incurſiones, nam prope hæc tempora venam ſecare eſt hominem è medio tollere. Adde quod aliquando procraſtinatio in cauſa eſſe poteſt, ut æger ſuccumbat, etiamſi ſit aliquarum tantùm horarum, ut uſuvenire poteſt in præcipitibus nonnullis morbis, qualis eſſet acutiſſima pleuritis, ſuffocans ſquinantia, aut alia pernecabilis inflammatio interna. Debita ergo ſeveritate in hunc errorem animadvertendum, & Medici quidem culpam in his caſibus evitare debent, urgendo, ut
13 ſanguis quamprimùm detrahatur.

Sed videamus tandem, num circa conſilium dandum id genus hominum quicquam peccare poſſit, quod vel temporali, vel ſpirituali pœnæ, aut utrique ſubiiciatur. Notum autem eſt, ad eos non pertinere, ullum conſilium ægrotis date, ſed ad Phyſicum, qui vitæ inſtitutum præſcribit, & idcirco nihil peccant hi, omittendo aliquid conſulere, cum nihil teneantur conſulere; ſed committendo ſæpiſſime, ac graviter, ob eorum audaciam peccant; dant enim & ipſi interdum prava aliqua conſilia, ut circa abortum procurandum, circa coitum exercendum; vel circa aliquid ſimile, in quibus duplici ex capite veniunt punjendi, primò quod tranſgrediantur proprium capacitatem, & facultatem eis conceſſam, immiſceantque ſe in iis quæ ad eos non pertinent. Secundo, quod conſulant ea, quæ contra animæ ſalutem ſunt. Denique circa horum artificum mercedes, quando, & à quibus accipere poſſint, idem videtur dicendum, quod in ſuperioribus de Chirurgis dictum eſt.

SUMMARIUM.

1 *Aromatarij quomodo errent circa peritiam.*
2 *Aromatarius non habens ſufficientes divitias ad exercendam artem graviter peccat.*
3 *Circa electionem medicamentorum quomodo errent aromatarij.*
4 *Circa medicamentorum quæ Medici præſcribunt quantitatem, quomodo delinquant aromatarij*
5 *In compoſitione medicamentorum aromatarij quomodo errent, &* n. ſeq.
7 *Circa medicamentorum durationem quomodo errent.*
8 *Circa uſum medicamentorum quomodo errent.*
9 *Circa recipiendas viſitationes Medicorum, aromatarij, quâ ratione errent.*
10 *Septaſiorum errores.*

De Aromatariorum & ſeplaſiariorum erroribus.

QUÆSTIO VIII.

QUàm multiplici errore implicentur, & implicati poſſint Aromatarij in propria arte exercenda, non eſt quòd pluribus demonſtrare laborem, ſatis fuerit ſi nonnulla generaliora in medium proferam, ex quibus lectores facilè in cæterorum cognitionem devenire poſſint. Sed horum artificum delicta licet reſpectu variarum rerum conſiderare, ut primò reſpectu peritiæ; ſecundò reſpectu facultatum, quibus affluunt; tertiò circa electionem & qualitatem medicamentorum; quintò circa præparationem; ſextò circa compoſitionem; ſeptimò circa eorundem commutationem; octavò circa eorum ætatem; nono circa uſum; decimò circa aromatariarum viſitationes.

Ut ergo à primò incipiamus, certum eſt mortaliter 1
peccare Aromatarium, non minùs quàm Medicum & Chirurgum, cùm abſque ſufficienti peritia pharmacopœam exercere aggreditur; in quibus autem, & de quibus ſit hæc peritia, ſaris docuerunt ij, qui de huiuſmodi arte præcepta tradiderunt; ex quibus antequam Aromatarius ad eam artem ſeſe accingat, ediſcendum, quænam cognoſcere oporteat: neque id ſolùm ſufficere putandum, ſed maximè neceſſarium eſſe ſub ſolerti eius artis magiſtro ſeſe exercuiſſe, à quo poſtquam idoneus iudicatus fuerit, poterit conſueto, ac diligenti examini ſe ſubiacere, quæ ſi minus præſtiterit, gravi illum errore detinere certum eſt, cuius complices & participes illi fient; qui ad pharmacopœam exercendam eum tanquam idoneum admiſerint, etiamſi non ſit.

Secundò graviter errat ille, qui pharmacopœam 2
exercere aggreſſus, ſufficientibus divitiis non affluit quibus Aromatariam rebus neceſſariis, & oportunis inſtruere poſſit; ad hoc enim teneri quemcunque Aromatarium, ex Medicorum auctoritate, ſaris reſtantur omnes qui Antidotaria, aut de huiuſmodi arte libros ediderunt, & inter alios ita eos obligati dicunt Val.Cord. *in princ ſui antid.* & Caleſt. *part.1. ſuar.obſerv.in princ.* Et hoc ſumma cum ratione, quia nunquam fieri poteſt, ut abſque mediocribus ſaltem divitiis Pharmacopola ſuum munus rectè, & ut decet, exercere poſſit in hac arte; in qua tam facilè poteſt artifex hominem decipere. Paupertas autem, licet in homine aliàs non malorum morum, nec pravæ propenſionis, multa contra artem ſimul, & contra conſcientiam, & contra hominum ſalutem machinari, non docet modò, ſed cogit, quia ut moraliſſimus Poëta noſter Patriarcha dicebat.

——— *Il proverel deſtino*
Tiene ad arte valor; ch' in meglior ſtato
Haurìa'n altrui biaſmato.

Imò & in ſtatutis Aromatariorum exſtat Bulla Julij Tertij, ſi rectè memini, quæ obligat quemcunque, qui Aromatariam inſtituere velit, ut habeat quingentos nummos aureos, quos in eam impendat. Itaque qui ſuæ indigentiæ ſibi conſcius, tamen non abſtinet ab hac arte exercenda, perpetuò occaſionem peccato præbens ſe animæ periculo evidenter exponit.

Tertiò, Aromatarij ſæpiſſimè delinquunt circa 3
electionem & qualitatem medicamentorum, quibus utuntur, eligendo vetuſtiora, & obſoleta, & quæ nullius valoris ſunt, ut viliori emant, vel de novo emint, coganturque ea, quæ habent proiicere; quod peccatum tam grave eſt, ut præterquam quod gravibus pœnis ſe ſubiiciunt, ut dicit Act. *de Inſtr.c.21. n.25.* ſi ex hoc mors alicuius ſequatur, rei mortis efficiantur. Cartar. *de Med. & eius off. part.4. num.143.* neque ſolum errant aromatarij, trahentes in uſum medicamenta iam vieta & obſoleta, ſed etiam non eligendo inter bona meliora & inter ſelecta ſelectiora;

quia in hoc maximè ac præcipuè conſiſtit aromatariæ ſolertia & diligentia, à qua ſi deficiat, manifeſtum eſt illum errare; neque debet eſſe contentus mediocri diligentiâ uti, ut bona inveniant, ſed ſummam adhibere debet, ut optima inveſtigare queat.

4 Quarto, circa quantitatem medicamentorum errant Pharmacopœi, vel in componendis medicamentis officinalibus, vel in expediendis Medicorum ordinationibus, quas receptas vocant: in utroque enim caſu ſi minorem, aut maiorem quantitatem in uſum trahant, quam Medici præſcripſerint, in magnum, & non nihil faciendum errorem labuntur, cum poſſint eſſe notabilis damni cauſa, aut periculi vitæ earum perſonarum, quæ talia medicamenta aſſumunt. Jam non ſemel eveniſſe ſcimus, ægros ex huiuſmodi pharmacopœorum errore evidenter periclitatos? dum enim ſatagunt hi, ut medicamenta ſuum effectum ſortiantur, doſim quorundam ſimplicium iterum augendo id ſe conſecuturos autumant, ut, exempli gratia, in opiatis opium augendo aut in medicamentis ſolventibus augendo ſolventia; ex quibus factum aliquando eſt, ut ægri in lethargum, vel in ſuperpurgationem, ex alterutro errore lapſi ſint. Ægro cuidam D. Baltaſſat Bonannus, vir non vulgaris Doctrinæ, nec vulgari laude dignus, medicamentum quoddam ſatis ad rem præſcripſerat, quo aſſumpto æger toties egeſſit, ut animam iam agere videretur. Medicus ægrum inviſens, præter opinionem toties leve medicamentum, ac tanta cum virium daiectione, alvum moviſſe comperiens, quid eſſet ſuſpicatus, ad pharmacopolam properat? apud ipſum conqueritur de medicamento illi ægro tanti dato, quod nihil omnino alvum deiecerit: tum audax pharmacopola, miror, inquit, eius rei, cum medicamento à te præſcripto, ut promptius ſolveret, diagridium commiſcuerim. Sic ſolertiſſimus Medicus procaciſſimi artificis dolum detexit, & opportunis auxiliis ſuperpurgationem compeſcuit; multo autem libentius, ut cuiuscunque doli hoſtis acerrimus & æqui amantiſſimus, ignari illius artificis audaciam compeſcuiſſet.

Quinto, in componendis medicamentis multis
5 modis errant aromatarij, tam in electione medicamentorum, eorumque qualitate, de qua ſuprà, quàm in quantitate, & in modo compoſitionis. Nam circa electionem, & quantitatem, non poteſt aromatarius abſque gravi culpa, nulla cauſa cogente, nullaque urgente neceſſitate, medicamenta à Medicis præſcripta commutare, & quid pro quo abſque Medici licentia accipere. Jo. Alphonſ. à Fontech. *in ſpec. Med. Chriſt. lum.* 1. *p.* 38. *in fin.* tametſi enim ſancitum iam à multis doctiſſimis Medicis ſit, quid in defectu unius medicamenti aſſumere debeamus, quod ad deficientis naturam quam proximè accedas, & vires imitetur, tamen diligens aromatarius in hoc non debet eſſe facilis, ſed tenetur omnem operam impendere, ut ipſa medicamenta auctoribus præſcripta inveniat; quod ſi diligentia adhibita tamen non inveniat, tunc excuſari poteſt, ſi accipiat quid pro quo, id eſt, unum pro alio. Ratio eius rei eſt, quia licet medicamenta ſubſtituta, ſeu ſuppoſititia ſimilem ſortiantur naturam & vires, cum iis quibus ſubſtituuntur, & ſimilia ſint, non ſunt tamen eadem, quia ſimile non eſt idem; neque fieri poteſt, ut in aliqua re ab illis non deficiant, ſemperque ſuppoſititia hæc medicamenta in virtute inferiora cenſenda ſunt iis quibus ſunt ſubſtituta, unde auctores non ſubſtituta ſed ea, quibus ſubſtituuntur, elegerunt.

Sextò, circa compoſitorum medicamentorum compoſitionem quantopere errent interdum mali artifices, facilè norunt, qui de ea re particulariter verba fecerunt, quorum omnium inſtar ſit in omnibus Medicinæ operibus exercitatiſſimus Medicus, Petrus Caſtellus, qui in ſuo *novo Antidotario*, anno 1634. edito, exquiſita diligentia edocet, quo modo hæc medicamenta componi debeant, & quanam ratione aliquando errare Aromatarios contingat, tam in electione, & in præparatione, quam in commixtione ſimplicium, & in coquendo, & fermentando, & conſervando compoſita. Malorum autem artificum errores, ſolertes, exercitatique Medici & aromatarij non ſemel deprehendunt, tenetur autem ipſe Aromatarius ſi errores non ſint emendabiles, ſi ſint notatu digni compoſita abiicere; quod ſi non abiiciat, toties mortaliter peccat, quoties iis utuntur. [Adde Schroderum & Zvvelfferum, *viros clariſſimos.*]

Septimo, delinquunt circa medicamentorum tam 7
ſimplicium, quam compoſitorum durationem, & quidem enormiter: quia ne abjicere cogantur, ea poſt expiratum terminum durationis eorum, adhuc in uſum trahere non deſiſtunt, eaque magno cum Medicorum dedecore, & gravi cum ægrorum damno illis adminiſtrant; certum autem eſt huius modi viros tanquam ſicarios eſſe habendos, & ſumma cum ſeveritate eſſe puniendos, in his enim malus dolus intervenit, quia cum optimè noverint, quanto tempore medicamenta integra virtute ſervari poſſint, ſciantque ea ob id non eſſe bona, ſed mala & nullius pretij, tamen hominum ſalutem nihili facientes, ob avaritiam illis uti non deſiſtunt, Qui tamen de medicamentorum duratione certior fieri cupit, præter auctores Antidotariorum, recurrat ad ſupra nominatum Petrum Caſtellum, de hac re ſeorſim in particulari libro diſſerentem.

Octavò, circa uſum medicamentorum errant 8
Aromatarij, quando iis ex ſe utuntur abſque Medicorum licentia, neque ſolum puniendi cum ad malum finem id faciunt, ſed etiamſi ad bonum. Idcirco reſpectu prioris, prohibentur abſque ſufficienti licentia vendere, aut præbere medicamenta venenoſa, ſolventia, opiata, abortiva, & huiusmodi alia, *per l.* 3. *§. alio S.C. ff. ad l. Corn. de ſicar.* licet enim ibi ſolummodo venenorum commercium, & aliquorum tantum interdicatur, tamen omnibus ſimilibus, eorum exemplo, Legislatorem interdixiſſe, non eſt ambigendum, quod ex ipſius Textus verbis palam eſt, ut admonui alias *lib.* 2. *harum Quæſtionum tit.* 2. *q.* 12. *in princ.* Reſpectu etiam poſterioris nempe quando ad bonum finem fit, aromatarii ſunt puniendi, ſi id abſque licentia faciant, quia transgrediuntur propriæ artis limites, ex qua transgreſſione mille errores, & his multo plures pullulare poſſunt.

Denique quia laudabili conſuetudine introduc- 9
tum ubique terrarum eſt, ut ſemel in anno ſaltem, ab aliquo Collegio Medicorum, vel eius aliquo idoneo miniſtro, Aromatariæ omnes viſitentur, ut Aromatarij eas opportunis, bonisque medicamentis inſtructas ſufficienter habeant, fit inde ut pharmacopolæ malitiosè admodum in ea re errent; cum enim norunt propriam apothecam eſſe viſitandam, medicamenta, ſi quæ mala habeant, celare ſtudent, & ea interim ab aliis, ut etiam quæ deficiunt, mutuantur; decipiuntque hoc pacto miniſtros ipſos viſitantes, pœnamque deficientium & malorum medicamentorum effugiunt, in hominum perniciem ea poſtmodum adhibituri.

Poſt Aromatarios de Seplaſiariis agendum, qui & ipſi multipliciter errare poſſunt tam in colligendis, quam in conſervandis & vendendis ſimplicibus; debent enim ex ſuo tempore, ac debito ex loco colligere,

conve-

conveniente item loco reponere, ac conſervare, & ubi opportuerit, ſiccare: neque longiori tempore ea venalia habere, quam par ſit: in quibus ſi quid notabiliter peccaverint, culpæ rei efficiuntur, cum & in grave interdum damnum hominum illis utentium, eorum errores emanere poſſint, Non adhibita enim diligentia, quæ in ea re deſideratur, hujuſmodi ſimplicia, aut propriam virtutem amittunt, aut ſaltem remittunt, aut etiam aliquando contrariam induunt naturam, quæ nocere magis, quam juvare eſt apta. Poſſunt inſuper & hi, ut aromatarii, aliique id genus artifices, errare vendendo medicamenta venenoſa, ſolventia, ſomniſera, abortiva, aut alia mala qualitate inſignia. Quin & ſi aliis hominibus ad malum aliquem finem horum medicamentorum virtutem commonſtrent, graviter delinquunt & debitam ejus delicti pœnam reportare debent.

SUMMARIUM.

1 *Empirici toties errant, quoties ſeſe in curandis hominum morbis immiſcent, & n. 4.*
2 *Empirici ab omni ratione alieni.*
3 *Empirici antiqui ſua remedia ex triplici fonte deprimebant.*
5 *Empirici licentiam diſpenſandi aliquod medicamentum habentes, ſi illud aliis morbis adhibeant, quam iis pro quibus licentiam habent, puniendi.*
6 *Circulatores audire & ab illis medicamenta emere, eſt peccatum.*
7 *Chimicorum peritia ſuis principiis, & rationibus innixa.*
8 *Chymici ſuperbè ſanitatem à ſuis medicamentis hominibus promittunt.*
9 *Chymici dupliciter errare poſſunt.*
10 *Chymici quomodo errent in adminiſtrandis ſuis medicamentis.*

De empiricorum & chimicorum erroribus.

QUÆSTIO VII.

1 QUotquot actiones Empirici faciunt, immiſcendo ſe in curandis hominum morbis, tot errores eos patrare tam certum eſt; quam quod certiſſimum. Si enim vera eſt jam ſæpe adducta Canoniſtarum omnium opinio, quam ſequuntur etiam Medici, quod ſub pœna mortalis peccati non poſſit ullus Medicus, antequam morbum cognoſcat, medicamenta adminiſtrare, certè Empirici quoties medicamenta adminiſtrant, toties peccato mortali ſubjiciuntur, quia medentur non cognito morbo, nec cauſa inquiſita. Galen. *in Introd. ſeu Med. cap.* 3 & tamen aberrare in ſalutis propriarum animarum, cæterorumque hominum perniciem permittuntur: ac mirandum, me hercle, quomodo non quivis videat, Empiricos non poſſe quicquam, niſi ex caſu, in hominum ſalutem afferre: quia ſiquid ſalutare hominibus futurum eſt, profecto ratione aliquâ inveniendum eſt futurum ſalutare: ſed empirici à ratione ita ſunt alieni, ut ei ſint inimici manifeſti, quia nihil aliud ſatagunt, niſi ut, quæ ratione inventa ſunt, deſtruant, ut inculcat Gal. *lib.* 1. *de*
2 *Alim. fac. in princ.* Quod ſi vetuſtiores Empirici, qui tamen aliquibus præceptis ſuæ ipſorum artis nitebantur, & ſecundum ea operabantur, ut pluries demonſtrat Gal. & præcipuè *in Introd. ubi ſupra & de opt. ſecta ad Thraſib. cap.* 20. tam inſigniter errabant, tanque irrationabiles erant, ut eos idem Gal. lapidibus aſſimilaret, quid dicemus de noſtri temporis Empiricis, quos ex ignorantia & temeritate progenitos eſſe deierarem, qui licet illi tam à ratione alieni eſſent, tantopere illis ipſis ſunt ratione inferiores: ut demonſtrat Sanctor. de Sanctor. *lib.* 12. *de vit. error. cap.* 5. Illi quidem tres fontes conſtituebant, ex quibus remedia depromebant, propriam nempe inſpectionem, hiſtoriam & analogiſmum: noſtri neque ullum hujuſmodi fontem conſtituunt: neque unde remedia depromant, noverunt, neque quæ agenda ſunt ad aliqua capita referre 3
ſciunt: neque tandem cognoſcunt, quam tantopere in ore haben experientiam: quæ ſatis poſt Galenum, & alios demonſtrata ſunt à præcitato Sanctorio. *ubi ſupra.* Sed unde obſecro tanta hominum patientia in hoc ignaro hominum genere tolerando? Num quia facilè in aliis patimur ea quæ nos etiam patrare ſatagimus? unusquisque, enim, occaſione præſente ſe pro Medico jactare poſſe deſiderat, unusquisque, etiam ſuas in morbis anteponit experientias, neque ullum hominum genus eſt, etiam mulierculis ipſis, viliſſimisque aniculis non exceptis, quod non habeat ad certas quasdam ægritudines ſuas remedia expertiſſima, quorum auxilio certo certius morbi illi curantur: tanta eſt in omnibus, medicum ſe aliis oſtentandi, prurigo.

Quoniam verò præter meum eſſet inſtitutum, eorum, qui verè Empirici ſunt, errores proſequi, hancque ſectam (ſed quid ego ſectam dixi? turbam potius dixerim) ab iis metu pœnæ deterrere, de ipſis plura non addam, omnia enim mihi dixiſſe videor, cum toties errare eos firmavetim, toties manum, 4
ad medendum admovent: certumque, eſſe debet, quod ſi quid damni tales homines ex ſuis medicamentis cæteris inferunt, de damno tenentur, & ſi quem medicamentis ſuis occiderint, tenentur etiam de homicidio. Quia tamen eorum nonnulli ſunt qui à quibusdam Collegiis, vel ſupremis Principibus licentias reportant, certa quædam medicamenta venalia habendi (an id autem iis tutâ conſcientiâ 5
concedatur, illi videant ad quos pertinent) de his particulariter dicendum, quod quandocunque ſua remedia ad alios morbos, quam ad expreſſos in ſuis licentiis adhibeant, ſeveriſſimè ſunt puniendi & hujuſmodi licentiis privandi. Sed quis eſt, qui procacem eorum loquacitatem in circulis compeſcat? quodcunque remedium ab eis diſpenſatum, ad omnes ac ſingulos morbos fugandos valet, & ſi iis liceret, etiam ad mortuos ſuſcitandos illud valere, dejerantes affirmare non dubitarent: nihil prorſus eſt, quod ſuis hiſce inſulſis remediis ſummâ temeritate non audeant intentare, ac verboſa quadam, naturalique loquentiâ credulos pleroſque ex plene, imo & alios homines ad ea coëmenda non alliciunt modo, ſed pene cogunt. Verum tales homines, quos Cir- 6
culatores & Ceretanos vocamus, audire, ab illisque medicamenta emere, peccatum eſſe, ex D. Thomæ auctoritate luculenter demonſtrat Mercur. *lib.* 4. *Error. popul. c.* 8. ubi & rationes hoc affert.

Empiricis proximum aliud genus hominum eſt, ipſis empiricis non minus procax, quod chymicum dicitur: per quos illos artifices intelligo, qui cum nullam habeant Philoſophiam, aut rationem, cui innitantur, ſed ſolum deſtillandis ac ſuo modo præparandis medicamentis deſtinati, audent tamen quæcunque, ſe offerat occaſio, manum admovere: alias autem ii, qui cum ratione chymicis remediis utuntur, etiam aliàs quàm de cæteris faciant, laudandi ſunt, non vituperandi, quod Medicinæ præſidia augeant. Sed ignarum illud genus hominum ſuis remediis tantopere fidit, ut nihil ſupra. Medicamenta omnia rectificare, & purum ab impuro ſeparare autumant ſolisque, rerũ ſubſtantiis nullâ labe, nullaque, fæcum illuvie conſpurcatis uti ſe credunt, tantisque elogiis ſua hæc medicamenta extollunt, ut minimum, quod præſtare poſſe affirmant, ſit morbos

quoſcunque etiã incurabiles ac deſperatos citò, tutò, iucundè ſanare: majora multa promittunt, jam morti proximos ab orci faucibus eripere, vitam ad longum tempus protrahere, parumque abeſt, quin ſuis remediis homines beatos efficere affirment, tantùm omnia divina, vitalia, cœleſtia ſunt quæcunque proponunt.

Quoniam autem Chymicorum peritia ſuis principiis, & rationibus innititur, nolim idcirco putet quisquam, me Chymiam à medicina eliminare, imò in nonnullis etiam eam maximè proficuam agnoſco: velim tamen chymica remedia debitâ diligentiâ à ſuis artificibus præparata, à rationalibus Medicis tractari non autem ab irrationalibus quibuſdam ac procaciſſimis mechanicis, qui putant ſe non minùs ſcire eorum medicamentorum præparationem, quàm uſum: quod tantùm à vero abeſt, ut hac audaciâ impulſi, in mille errores in hominum perniciem in dies laborantur, cùm neque morbos cognoſcant, nec modum utendi ſuis medicamentis quibus tantopere fidunt, ut in deteſtandum illum errorem eos incidere contingat, cujus in principio nonnullos quoque rationales Medicos inſimulavimus, nempè quòd ſuperbè ſanitatem hominis promittant, ita ut ſummæ Dei potentiæ detrahere videantur. 7

Sed præpter hunc errorem dupliciter peccare poſſunt Chymici, primò in iis, quæ ad ipſam chymicam artem propriè ſpectant, quæ cùm pars quædam 8 pharmacopœæ ſit (de operativa loquor) non minus 9 hi, quam pharmacopœi errare ſolent, & in electione, præparatione, & aſſervatione medicamentorum tam ſimplicium, quam compoſitorum, & aliis in omnibus in quibus pharmacopœos errare diximus. Secundò, errare poſſunt circa eorundem medicamentorum adminiſtrationem, & hoc modo dupliciter, vel adminiſtrando ea per ſe abſque ulla Phyſici licentia, vel adminiſtrando cum licentia, ſed non ut Phyſicus jubet: primo modo Chymici ſemper gravius errant duplici ex cauſa, prima, quia morbos, quibus ea adhibent, non cognoſcunt, ſecunda, quia non norunt tempus adhibendi. Advertendum tamen, me ſemper loqui de chymicis mechanicis, & qui Rationem non ſequuntur, qui ea tantùm medicamenta præparare, non ut ratio poſtulat, in uſum trahere norunt: aliàs enim Medici rationales Chymiæ addicti, qui & morbos, & tempora morborum, cognoſcunt medimentorum, quibus utuntur, naturam ſciant etiam incommoda ab illis provenientia evitare, neque promiſcuè, ut illi faciunt, & indifferenter in omnibus morbis iis utuntur, cum nonnullos irritare potiùs, quàm ſanare poſſint.

Secundo modo in adminiſtrandis ſuis medicamentis errant Chymici, cùm ea adminiſtrant ex licentia Phyſici, ſed non, ut Phyſicus præſcripſerit, & in ea quantitate quam juſſerit, aut cum circunſtantiis, quas ille deſideraverit: quocunque enim ex his modis ſua remedia adhibeant, culpæ rei efficiuntur maximè ſi quid inde damni aſſumentibus emanare poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Mulierculæ etiam ſub nomine Medici veniunt.*
2 *Obſtetrices poſſunt, ut Phyſici in conſilio, in opere mercede recipienda errare.*
3 *Obſtetrices quomodo errent, cùm mulieres extra prægnantiam, & partum tractant.*
4 *Obſtetrices quomodo in prægnantes errent.*
5 *Obſtetrices non debent medicamenta ad prægnantiam experiendum adhibere.*
6 *Obſtetrices quomodo errant in parturientes, & puerperas.*
7 *Obſtetrices quomodo errent in fœtum.*
8 *Obſtetrices quomodo errent in fœtum ſimul, & puerperam.*
9 *Obſtetrices per negligentiam quomodo errent.*
10 *Obſtetrices tenentur veram baptizandi formam callere, aliàs toties peccant graviſſimè, quoties recens natos baptizare, aggrediuntur.*
11 *In præſcriptione villus puerperarum quomodo delinquant obſtetrices.*
12 *Obſtetrices orant quicquam per os exhibendo.*
13 *Obſtetrices an teneantur parturientibus confeſſionem ſuadere.*
14 *Obſtetrices peccant in judicio falſum referentes.*
15 *Omittendo circa operationem quomodo errent.*
16 *Obſtetrices nimis vetulæ, & impotentes, errant artem exercendo.*
17 *Mulieres an abſque licentia obſtetricis officium exercere poſſint.*
18 *Obſtetrices, plures parturientes in cura ſuſcipientes, quàm quibus ſatisfacere poſſint, errant.*

De Obſtetricum erroribus.

QUÆSTIO VI.

MUlierculas etiam ſub nomine Medici comprehendi, jam ab initio hujus tituli firmavi; ſed 1
earum aliquæ ſub Empiricorum genere continentur, nempe quæ, ut Empirici factitant, nonnulla medicamenta ad quoſdam morbos adminiſtrant, de quarum erratis non aliter quàm de erratis ipſorum Empiricorum ſentiendum: ſed aliæ obſtetriciam artem exercent, licèt omnes fœmineâ audaciâ, & ignorantia ductæ, etiam medicamenta nonnulla adminiſtrare ſoleant: ſed nos de iis tantùm nunc erroribus hîc agemus, quos hæc in officio Obſtetricis patrare poſſunt, ob quorum culpam, vel punitionem à civili lege reportare debeant, vel peccatum incurrere: de qua re licèt copioſiſſimè ſcripſerint plurimi Doctores, & præ omnibus ex Neotericis Mercurius, *in lib.* cui titulum fecit, *la Commare, & lib. 6. Err. popul.* tamen non deſiſtam ego, quæ ad meum argumentum faciunt, hîc adjungere, ne ex eorum omiſſione, mancum in hac parte fuiſſe me, quisquis ſit, exiſtimet.

Obſtetrices ergo cùm ſint cæterarum mulierum, præcipuæ fœcundarum, earumque quæ marito junguntur, Protomedicæ, non aliter quam Phyſici 2
poſſunt in conſilio, in opere, & in receptione mercedis, committendo, & omittendo delinquere. Vel ergo obſtetrices extra prægnantiam, & partum, mulieres tractant, vel in prægnantia & partu. Extra prægnantiam, & partum multipliciter ac inſigniter errant obſtetrices uno ex commemoratis modis, ut cùm contra animæ ſalutem quicquam mulieribus perſuadent, ut non licitum coitum ad ſuſcipiendos liberos ex alio, quàm ex proprio viro, uſum vani alicujus & ſuperſtitioſi remedij ad eundẽ finem ſuſcipiendæ prolis, vel alium quemcunque, aut cum medicamenta coitus deſiderium excitantia commonſtrant, aut viri vel proprij, vel cujusvis amorem conciliantia, cùm corruptarũ virginum integritatem reparare docent, vel lac à partu exſiccare vel ſterilitatem inducere, & conceptum impedire, cùm medicamenta genitalium laxitudinem conſtringentia adminiſtrant, cum fucos & coſmetica ipſis mulieribus parant, vel indicant, & alia hujuſcemodi ad malum finem adhibent: in his enim omnibus quantopere ipſæ propriam conſcientiam aggravent, non meum eſt demonſtrare.

In prægnantes porrò non minùs, imò multò magis graviter peccant, cùm vel aliquid facere, vel aliquid aſſumere, aut aliomodo adhibere ad abortiendum eas mulieres docent, quas minimè gravidas eſſe docet. Ubi notandum eſt, quòd quamquam ex multoũ ſententia, Medicus poſſit ob matris ſalutem abortum non animati fœtus procurare, tamen obſtetrici

id

id nunquam omnino licebit, ita ut nullâ excusatione digna sit, siquando in tale facinus fuerit lapsa quia suam capacitatem prætergreditur.

5 Sed neque tutâ conscientia potest obstetrix ad detegendum, an mulier gravida sit, necne, aliqua medicamenta propinare, aut supponere, aut aliter adhibere, hiusmodi fœminis familiaria, ut, exempli gratiâ, Aquam mulsam à cœna exhibitam, anisum tenuissimè tritum & aquâ dilutum, allium, netopum, galbanum supposita, & alia his similia, suffitus, aliaque id genus, quorum licet plura ab Hippocrate primo & mox ab aliis tam vetustioribus, quam recentioribus proponantur, ab aliis tamen pluribus reiiciuntur, eo quod omnia huiusmodi experimenta periculi plena sint cum facillimè abortui causam dare possint.

6 Porrò autem in parturientes, obstetrices errant dupliciter, vel in eas solum, vel in fœtum: In fœ-
7 tum primò, cum ipsum perire permittunt, vel dolo occidunt, evenit enim aliquando fœtus nasci parentibus ipsis invisos, ut cum nascuntur monstrosi scioque ipsas obstetrices, cum tales nascuntur, à parentibus petere an umbilicus illis alligandus sit, vel non alligandus, sed sic permittendus, ut fœtus non vivat: aliquando etiam matres cælari partum volunt, & sic ab ipsis obstetricibus nefario ausu auxilium reportant, fœtum enim in ipso ortu, & exitu ab utero facilè illis est necare: atque in his casibus eas tanquam homicidas esse puniendas non est dubio locus. Neq; obstat, quo ad partum monstrosum, quod monstrum possit impune occidi, ut dicam *alias. tit. de monstris in princ.* quia non indifferenter de quolibet monstro est intelligendum, & qualisnam fœtus monstrosus ad hunc effectum possit dici monstrum, videndus Menoch. *lib. 2. de arbitr. iud. n. 28.*
8 *& seqq.*

Errant porro & in fœtum, & in puerperam obstetrices, cum in actu pariendi verba superstiosa proferunt, aut superstitiosa etiam remedia adhibent ad partum accelerandum, vel cum superstitiosos actus quosdam faciunt quibuscum semper vel implicitè, vel explicitè Dæmonis opera interveniat, videant quam pessimè cum puellis agant, dum in primo eorum ortu Dæmonem in parrocinium advocant. Christiana igitur & prudens obstetrix hæc cane peius & angue effugiat & invocato semper Dei, Deiparæque Virginis præsidio, operi sibi impositio incumbat, & si quibus remediis sit utendum, physica tantum sint nulla omnino superstitione suspecta.

Peccant ulterius obstetrices, cum debitam diligentiam non adhibent in adiuvandis ipsis parturi-
9 entibus, ut partus facile succedat, tam ex parte fœtus quam ex parte matris. Et quia ad debitam diligentiam adhibendam multa experientia opus est: hinc fit, ut obstetrices, quæ nulla præcedente exercitatione & observatione, ex aliis senioribus obstetricibus petita, ad hoc munus deveniunt, mortaliter peccent, quoties cunq; illud exercent, etiamsi bene exeçceant: quia semper paratæ sunt dare causam magno vitæ periculo mulierum, cum recte administrare nesciant, & siquid insoliti eveniat, evitare aut corrigere non sint aptæ. Quæ vero errata, & cuius momenti ex hoc emanare possint, latè demonstravit Mercur. *loc. sup. cit.* Sciat ergo diligens obstetrix optimèq; calleat non solum naturalem partum, sed etiam contra naturam adiuvare, expertaq; sit in omnibus, & ad partus actionem, & ad fœtus, puerperæq; custodiam, & symptomata puerulis nuper natis, aut puerperis ipsis evenientia pertinent, in quorum omnium non opportuna aut nimis tarda, vel nimis præcipitata administratione, maximi momenti errores intervenire, indies adnotantur.

Verum post hæc, imò ante hæc omnia teneatur christiana obstetrix debitam ac veram baptizandi 10
formam ut decet, scire, quam si non exquisite calleat, mortaliter absque dubio, & gravissimè toties peccat, quoties baptizat. Navarr. *in Manual. c. 11. num.* 7. Patet enim quanta mala ex hac obstetricum ignorantia non fragilibus puerorum corpusculis, sed ipsorum animabus immineant: neq; enim baptizatus dicitur, qui non est baptizatus sub vera baptizandi forma à catholica Ecclesia præscripta: unde certum est, tales sic baptizatos vitæ æternæ bonis defraudari, quod in casu nostro ex ipsarum obstetricum culpa sit, digna animadversione expiandæ.

Præterea peccant obstetrices in præscribendo 11
victu puerperarum, contra id, quod Medicis placere noverunt: consueverunt enim audaculæ istæ mulierculæ ex proprio marte multa contra Medicorum dogmata præscribere, sibimet ipsis persuadentes multo plura se Medicis cognoscere, & idcirco Medico præcipiente puerperæ abstinentiam à vino, aut iubente dandum esse vinum leve, & oligophorum, iliæ contra & vinum propinant, & illud quidem potens ac meracum: ex quo fit, ut facilè genitales partes, ob extraneum conceptum calorem in partu, in phlogmatione tententur: sic etiam Medico in nonnullis casibus tenuem victum præscribente, ut quando puerperæ retinentur partus purgamenta, & quando interdum ob id ipsum magna simul febre detinentur, ipsæ contra victum non solum plenum, sed plenissimum instituunt, & in causa sunt ut febre aucta, puerpera in vitæ periculum deveniat. Reprimenda ergo earum audacia est, & siquid contra Medicorum præcepta pertinaciter peccare inveniantur, severissimè puniendæ, & officio obstetricis privandæ, maximè quandocunq; constet, ipsas etiam à Medicis admonitas ab iis erroribus non destitisse.

Errant etiam eædem mulieres non leviter, cum 12
puerperis, aut aliis quibuscunque fœminis quicquam per os notatu dignum exhibere audent: hoc enim ipsis nullo modo permittendum, quia ignorant individuorum, morborumq; ac Medicamentorum naturam & quicquid machinantur, casu faciunt: sed hic error est illis communis non solum cum mulierculis aliis, sed etiam cum ineptissimis empiricis, cum quibus & ipsæ, ut decet, veniunt 13
mulctandæ. Quia tamen obstetrices in iis, quæ ad earum munus pertinent, parem cum Medicis aleam currere videntur, determinandum ulterius de quibusdam erroribus, qui cum erroribus Medicorum rationalium facilè conveniunt: & primo quoad consilia videndum esset an teneantur obstetrices, mulieres cum partui sunt vicinæ, aut quæ in ipso partu periclitantur, ad sacramentalem confessionem suadere, quia licet actio partus sit naturalis ex se, tamen adeo de facili præter naturam evadit, & tam promptè exitialis fit, ut iure mulier in partu existens dicatur vitæ periculo exposita, in quo casu eas pœnitentiæ sacramento sese munire conveniens est: cum ergo Medici teneantur eis quorum curam suscipiunt, & maximè quando morbis exitialibus subiiciuntur, confessionem suadere, eodem modo obstetrices videntur teneri parturientibus eandem confessionem iniungere. Erant medius fidius obstetrices ad hoc, medio iuramento obstringendæ, antequam illis licentia

impertire

impertiretur in eo munere ſe exercendi, cum tamen neque ullum tale, neq; aliud ſimile iuramentum præſtent. Ex mea vero ſententia præſtaret, non ſolum ad hoc, medio iuramento obligare, ſed etiam ad multa alia quæ ipſæ facillimè, & abſq; ullo ſcrupulo contra proprium conſcientiam patrare ſolent. Jurarent ſaltem; nulli ſe mulieri abortum conſulturas, medicamenta ad ſterilitatem conciliandam, aut ad alium quemlibet malum finem non exhibituras, pueros naſcentes nonniſi iuxta Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepta excepturas, eoſq; ſecundum eadem præcepta, quatenus opus fuerit, baptiſmatis lavacro aſperſuras, omnem ſe ſuperſtitionem non tam in actu partus, quam baptiſmi, & in alia quacunq; occaſione relicturas.

Cæterum quia obſtetrices aliquando tanquam peritæ in iudicium vocantur, ut in multis, quæ ad eas pertinent ſecundum earum peritiam, ſententiam ſuam propalent, ut cum quæritur de alicuius virginis integritate, aut cum de mulieris impotentia ad copulam, aut cum dubitatur, an mulier in utero habeat, necne & in aliis permultis, certè non dubitandum, quod etiam de aliis Medicis firmavimus in eis habere locum: peccare nempe eas mortaliter quoties cunque contra veritatem, & contra id, quod ex propria peritia ſentiunt, Judici relationem faciant: quod peccatum eo magis grave magisque punibile eſt, quo magis in particularium hominum, vel ipſius iuſtitiæ præiudicium, earum votum emanat. 14

Verumenim vero circa operationem errant obſtetrices, ſi parientem in neceſſitate poſitam quacunq; occaſione relinquant, & maximè ſi hoc faciant, ut ditiori ſerviant: tantundem enim eſt, ac ſi Medicus infirmum ante abſolutam curationem deſerat, quem magnæ culpæ reum fieri, *ſupra quæſt. 6.* dixi. Si ergo ob abſentiam obſtetricis, quæ illam reliquerit, mulieri in partu poſitæ quicquam ſiniſtri eveniat, non minus illa punienda, ultra mortale peccatum, quod etiam illam incurrere eſt veriſimile, ut de Medicis etiam cum Navar, dixi, *loc. cit.* 15

Sed hic error omiſſionis eſt, commiſſionis eſt qui ſequitur nimirum quando obſtetrices iam vetulæ & invalido corpore obſtetricio muneri ineptæ tamen ab eo ſeſe lucro inhiantes obſtinere recuſant, ex hoc quamplurimis non contemmendis erratis occaſionem dare poſſunt quæ in notabile tam parientium, quam fœtuum præiudicium reſultare poſſunt, & maximè in caſibus difficilioribus, quando maximè & fœtus, & matres obſtetricum alacritate, robore, perſpicacia, ac dexteritate indigent, contra quam illæ ſeſe eis præbere poſſint, quia ex ſenio effœtæ iam ſunt: viribusq; debiles, inertes ac tardæ, neq: poſſunt, ut decet, tanta neceſſitate urgente, opem ferre. Non negaverim tamen, ſi iudicio polleant, ut altera iuniore, ac robuſtiore fœminâ ad manualia opera ſubſtitutâ, ipſæ præſentes conſilio & fœtam, & fœtum, & iuniorem obſtetricem coadiuvent, quam etiam inſtruant quanam ratione ſeſe in eo caſu gerere debeat. 16

Determinandum autem erat, an mulieres obſtetricis munus exercere abſque eorum licentia poſſint, ad quos pertinet illam impertiri, nempe Medicorum, qui de Collegio Civitatis ſunt, ac profecto cum licentia concedatur præcedente examine, ex quo apparet, an tali officio idoneæ ſint, necne non poſſunt abſque licentia obſtetricem exercere, & ſi quicquam locum habet hic ſimilitudo, quemadmodum Medicus abſque Doctoratu non poteſt mederi, ut dixi *ſupra quæſt ſeptima.* ſic neq; obſtetrix eo officio fungi abſque licentia poterit: excipiendi tamen caſus neceſſitatis, in quibus unaquæque mulier obſtetricem exercere tutâ conſcientiâ poteſt, quemadmodum & Medicum non doctoratum, in caſu neceſſitatis, poſſe mederi volunt DD. 17

Nec minus quam errent ipſi Medici, qui plures infirmos curandos ſuſcipiunt & omnibus debitam opem ferre non poſſunt, peccant & ipſæ obſtetrices, ſi plures parturientes, quibus accuratè ſubvenire non valeant: debent enim omnino illas relinquere, ut alias convocent, quæ obſtetricari illis poſſint & ſolum iis inſervire, quas ſuâ ſe ſolertiâ iuvare poſſe cognoſcunt: aliter ſi ex hoc alicui damnum aliquod reſultaverit, immunes à culpa non ſunt. 18

SUMMARIUM.

1 *Infirmis aſſidentes veniunt hic ſub nomine Medici.*
2 *Errata aſſidentium in quibus conſiſtant.*
3 *Summa artis medicæ difficultas unde?*
4 *Aſſidentes quomodo errent circa adminiſtrationem medicamentorum.*
5 *Circa victus rationem quomodo errent aſſidentes.*
6 *Aſſidentes errant negligendo convocare Parochos.*

De Aſſidẽtium, ſeu Miniſtrantiũ erroribus

QUÆSTIO. X.

HI quoque, qui infirmis aſſident, aut illis aliquo modo miniſtrant, ſub Medicorum cenſu pro nunc venire debent, nam & hoc multis erroribus implicari non advertentes contingit, qui etiam à legibus punitionem reportare deberent, quod etiamſi de facto non fiat, non eſt ideirco quod aliquando grave & mortale peccatum non incurrant. Omnia vero horum hominum errata conſiſtere videntur in exequendis quæ Medici præceperint: itaque aut omittentes eâ quæ illi iubent aut facientes ea, quæ illi vetuerint, errare ſolent; factum autem aliquando eſt, imo & quotidiè fit, ut ob aliquem huiusmodi miniſtrantium aſſiſtentiumve errorem ægri plurima damna perpetiantur, & interdum etiam vitam cum morte commutent: eam ob rem inter præcipuas artis medicæ difficultates hanc agnovit, de ea tantopere benemeritus ſenex noſter Hippocrates, *lib. 1. Aph. 1.* quod non ſufficiat Medico, ut rectè operetur, ſeipſum præſtare opportuna facientem, ſed neceſſe etiam ſit, ut & ipſi ægri, & aſſidentes, illisque miniſtrantes, & exteriora in ſalutem ipſorum conſpirent, faciendo quæ ad eorum ſalutis acquiſitionem pertinent. 1 2 3

Graviter ergo peccant multi, qui vel remedia à Medicis propoſita in ægrorum utilitatem renuunt quod, exempli gratia, nimis implacida illis videantur vel quod illis non probentur, vel ea ſecundum Medicorum præceptum non adhibent, ut iubente Medico, ſanguinis extractionem ex venæ ſectione, ipſi cucurbitulas malunt ſcarificatas applicari, vel hirudines, improbantes venæ ſectionem ægri debilitatem cauſati, aut præteritum veneris uſum, aut aliud quid: ſic & ſi Medicus purgans medicamentum præſcribere voluerit, ſtomachi ſubverſionem, eiusque imbecillitatem in medium afferentes, in cauſa ſunt ut æger medicamentum non aſſumat, unde debitis auxiliis defraudatus, aut vitæ periculum ſubit, aut ſaltem in longum prottahitur. At narrari vix poteſt, quantopere 4

vulgares

vulgares hi Doctores ægris assidentes ipsis dispendio sint, nisum aliquod dubium in medium non afferant, & quod peius est semper se præ Medicis ipsis sapere sibi persuadent.

5 In victus porrò ratione quàm frequenter non leviter errent, vix possibile dictu est, & maximè mulieres, quæ præcipiente Medico victum tenuem, ipsæ semper pleniorem exhibent, sempet, æternùmque ægri debilitatem, numquam plenitudinem pertimescentes. Res autem à Medico vetitas, ut ægro mortem gerant, passim offerunt: sed non considerant, quòd si ex eorum errore æger decedat, ipsi ejus mortis rei efficientur, & idcirco etiam irregularitatem incurrunt, ut post Innoc. & alios DD. dicit Covar. *in 2. part. rel. §. 4. rubr. de Hom. n. 3. vers. ex his etiam.* Non enim de raro fit, ut horum aliquis ægro obtemperare studens, ipsum è medio tollat.

6 Cæterùm assidentes ægrotis, eisque ministrantes peccare non est dubium, si negligentes sint in convocandis parochis & sacerdotibus, qui ipsis ægri opportunè Ecclesiæ Sacramenta ministrent: quod multo magis habebit locum, si de his à Medico admoniti, jussa non exequantur: quod enim ex se ad hoc teneantur sub pœna mortalis peccati ego quidem affirmare non ausus fuerim, quòd ad me hæc non pertineant, sed ad Canonistàs decidere. Certè si, quisquis sit, Medicum, cæterosque negligentes videat in suadendo ægro confessionem, & in aliis ad animæ salutem spectantibus procurandis, & tamen ipse idipsum negligat, cùm aliquid in his præstare possit, non est ex mea sententia (si tamen in his mea sententia locum habet) à peccato immunis. Et hæc de Medicorum erroribus, ab utraque Lege punibilibus, dicta sufficiant.

LIBRI SEXTI

TITULUS SECUNDUS

DE TORMENTIS ET POENIS.

Continens Quæstiones octo.

I. Tormentum, Quæstio. Tortura, Pœna quid? Tormentorum quot genera, quot item genera Pœnarum?
II. De gradibus Torturæ, & de Carceribus.
III. De Tormentis in specie, & primo de Tormento funis.
IV. Quænam impedimenta in causa esse possint, ne rei chordæ tormento subjiciantur.
V. De Tormentis Vigiliæ.
VI. Reos in tormentis deficere; ex quibusnam signis cognosci possit.
VII. De Taxillis. Sibillis, & Ferula.
VII. De Pœnis.

SUMMARIUM.

1 *Non omnia tormenta, neque omnes pœnæ indifferenter omnibus hominibus infligi possunt.*
2 *In tortura agitur de hominis salute.*
3 *Medici circa tormenta infligenda consuluntur.*
4 *Pœnæ temperantur ob ætatem & morbum.*
5 *Tormentum est corporis cruciatus.*
6 *Tormentum propriè hic quid sit?*
7 *Quæstio, Tortura, Tormentum synonyma.*
8 *Quæstio quid sit?*
9 *Tortura quid sit?*
10 *Tormenta, quæ nunc sunt in usu quatuor sunt, & quanam sint?*
12 *Tormenti nomine simpliciter prolato, de chorda intelligitur.*
13 *Rei tra torquendi, ut salvi & illæsi, vel innocentia, vel supplicio servantur.*
14 *Tormentis, verberibus, aut virgis rei non sunt interimendi.*
15 *Tormenti chordæ descriptio.*
16 *Fidicula quid?*
18 *Chordæ tormentum infligitur aliquando per unum brachium.*
19 *Vigiliæ descriptio.*
20 *Descriptio Tormenti Taxillorum.*
21 *Descriptio Tormenti Sibillorum.*
22 *Tormentum fumi.*
23 *Tormentum sitis.*
24 *Vigiliæ tormentum in ejus inventionis principio quomodo venerit in usum.*
25 *Ignis tormentum.*
26 *Tormentum aquæ.*
27 *Tormentum ex aceto.*
28 *Tormentum ex scarabeo.*
29 *Tormentum ex sale & capra.*
30 *Tormentum ex sale & linteo*
31 *Pœnarum divisio.*
32 *Temporalis pœna quid? quid item spiritualis?*
33 *Corporales pœnæ quæ?*
34 *Capitales pœnæ quæ?*
35 *Pœnæ non capitales corporis afflictivæ quæ?*

Tormentum, Quæstio, Tortura, Pœna quid, tormentorum quot genera, quot item genera pœnarum.

QUÆSTIO. I.

1 ERrorum inquisitionem tormenta manent, delicta pœnis expiantur, jure ergo post tractatum de erroribus, seu delictis Medicorum, de tormentis & pœnis agendum, de qua materia cum inter miscellanea differere decrevissem, & plura jam exaratsem, visum est tractationem justæ quæstionis modum nimis excedere, unde coactus calculum reducere, seorsum de iis agere oportuit, & unicam quæstionem in plures dividere, eis in unum titulum redactis. Videbatur autem hoc argumentum à Medico pro Jurisconsultis de necessitate tractandum, quia cum tormentorum & pœnarum plura genera & plures gradus sint, non omnia indifferenter, & in quocunque gradu indifferenter omnibus infligi possunt: fit enim interdum, ut vel ob ætatem, vel ob naturæ debilitatem, vel ob aliquam aliam conditionem rei, huic aut illi tormento sint inepti, aut illud in hoc, aut illo gradu non sustineant, alias ex eo tormento in eo gradu inflicto perituri, sic & de pœnis dicendum: quorum omnium maximè cùm in tortura, hoc est, in tormentorum impositione agatur de hominis salute, ut dicit Farinac. *In pract. crim. q. 37. part. 2. tit. de Ind. & Tort. num. 4.* de iis autem, quæ ad hominum salutem pertinent,

pertinent, præ omnibus Medicus eſt ſollicitus, *arg. l. 1. §. Medicorum, ff. de var. & extr. cognit.* Hinc eſt quod in tormentis infligendis, ſi torquendus alleget aliquam infirmitatem, ex qua ineptum tormento ſe dicat, Medicorum ad hoc judicium expoſcitur, ut poſt alios dicit Farinac. *ubi ſupra, q. 41. num. 93.* ſic etiam reo deficiente in tormentis 3 Medicus ad determinandum convocatur, an ultu. rius ſine periculo torqueri poſſit, necne. Ambroſin. *de med. form. proceſſ. lib. 4. cap. 14. num. 11.* & utrum tortus ex immoderato tormento obierit, ſtatur etiam Medicorum judicio, per Farinac. *ibid. quæſtione 37. num. 141.*

Sed ut palam fiat de quanam re futurus nobis ſit ſermo, videndum eſt primo, quid ſit tormentum, quid item Quæſtio & Tortura, qui termini pluries progrediente ſermone occurrere debent: quid denique ſit Pœna, nam & de pœnis hic agimus, quod 4 inter cauſas propter quas pœnas aliquando eſſe temperandas jubent leges, recenſeatur etiam ætas & morbus: itaque de his quoque agere operepretium eſt.

5 Tormentum igitur, ut omnibus manifeſtum eſt corporis eſt cruciatus: ex Juriſconſultis autem Boſ. *in pr. crim. tit. de Tort. n. 14.* dixit, Torturam, vel Tormentum eſſe magnum corporis dolorem, omnis ergo dolor, dummodo ſit magnus, hoc modo tormentum, aut tortura dicetur, ſed propriè 6 tormentum accipimus pro cruciatu ab extrinſeco per vim inflicto, proprioſſimè vero hîc intelligimus pro cruciatu à Judice illato, ad veritatem ex reis indagandum: quæ tamen definitio minus bona videri poſſet ex hoc, quia non ſemper inquiſitione à Judice per tormenta facta, ad veritatem ex reis eruendam, intervenit cruciatus, cum minæ & terror à Judice incuſſus, & conductio ad locum tormentorum, & ſimplex ſpoliatio, & alligatio rei, dicatur Tortura, & inter gradus torturæ connumeretur. Clar. *lib. recept. ſent. quæſt. 64. num. 30.* Farinac. *in pract. crimin. quæſt. 38. num. 34.* Guaxzin. *ad def. Reor. def. 30. cap. 22. num. 3.* & tamen in his nullus intervenit dolor, aut ſaltem non magnus. Dicendum tamen videtur, quod DD. hæc omnia voluerunt eſſe impropriè tormenta, unde gradus quosdam, & rudimenta tormentorum ea eſſe determinarunt, & largo modo tantum eſſe torturam. Farinac. *ibid. n. 43.*

Sed & quæſtio, & tortura, & tormentum ſynonyma ſunt, atque unum idemque apud Juriscon- 7 ſultos ſignificant, ut ex Gloſſ. & aliis dicit Chartar. *in practic. interr. reor. lib. 4. cap. 1. numer. 2.* Quæſtio enim dicitur inquiſitio veritatis per tor- 8 menta. *l. Item apud Labeonem, §. Quæſtionem, ff. de Injur. & fam. libell.* propriè quæ in ſervos fiebant, teſte Sigonio *lib. 2. de Jud. cap. 14.* Quæſtiones inquit fuerunt teſtimonia ſervorum vi tormentorum expreſſa, & ſic eo nomine utitur Cicero pluries, ut in locis adductis ab eodem Sigonio *ibid.* qui etiam quæſtionem veram dicebat *lib. eod. cap. 4.* Judicium publicum. Tortura quoque idem importat, cum dicatur eſſe corporis cruciatus ad 9 eruendam veritatem, Abb. *in cap. cum contempl. de reg. Jur.* Brun. *de Jud. & tort. part. 2. cap. 1. num. 1.* Grilland. *de Quæſt. & tort. dub. 1. num. 3.* Carrer. *in pract. crimin. in princ. num. 171.* unum ergo, idemq; hæc omnia ſignificare videntur: quotiescunque enim Judex, ut facti veritatem à reis eliciat, illos tormentis ſubiici mandat, tunc intelligitur quæſtio, quæ & tortura *d. l. apud Labeonem. §. Quæſtionis verbo.*

10 Cæterum Pœna dicitur ſatisfactio pro delicto à Lege, vel à Legis miniſtro impoſita. Azo *in ſumma rubr. de Pœnis, num. 1.* quæ quidem definitio optima videtur, cum comprehendat quodcumq; velis pœnarum genus, non inquam ſolum quæ temporales ſimul & corporales ſunt, ſed etiam pecuniarias, quæ corporales non ſunt, & alias quascunque quinimò etiam ſpirituales, nam & ſatisfactiones impoſitæ à confeſſariis, tanquam primæ ac ſupremæ Legis miniſtris in ea definitione comprehenduntur, & pœnæ, ſeu pœnitentiæ dicuntur, de quibus tamen cum verba facere ſit neceſſarium, pro iis, quæ ad noſtram facultatem ſpectant, id quidem in alium opportuniorem locum rejiciemus.

Tormentorum porro, quemadmodum & pœnarum quamplurima ſunt & eſſe poſſunt genera: ſed neque poſſibile eſt de omnibus mentionem habere neque ad rem noſtram neceſſarium: de iis enim ſolummodo tormentis & pœnis nobis differendum, in quibus infligendis aliquando Medicorum judicium expoſcitur. Unde eâ de cauſa relinquam dâta operâ de iis tormentis, aut pœnis quicquam afferre, quæ de præſenti in uſu non ſunt, niſi de paucis & per tranſennam id fiat: nam pluribus apud vetuſtiores tormentis rei torquebantur, quam nunc fiat & illis quidem jam atrocibus & immanibus, ut intolerabili cum dolore ac cruciatu, aliquando etiam cum membrorum mutilatione, uſusque eorum deperditione adhiberentur, qualia erant ea, quæ præcipuè in SS. Chriſti Martyribus excruciandis in uſum trahebantur, de quibus abundè Anton. Gallon. *in lib. ad hoc dicato.*

Sed tormenta, quæ modo in uſu ſunt, quatuor 11 tantum eſſe, teſtantur recentiores, nempe tormentum funis vel chordæ, tormentum vigiliæ, taxillorum, & ſibillorum: omnium tamen uſitatiſſimum & frequentiſſimum eſſe tormentum funis, DD. unanimiter fatentur, Carrer. *in pract. crimin. in princ. num. 178.* Chartar. *in ſua pract. interr. reor, lib. 4. cap. 1. num. 4. & 6.* Farinacc. *quæſt. 38. num. 61.* Ambroſin. *de mod. form. proceſſ. in fin. lib. 4. cap. 1. num. 2.* & ex Medicis Fortun. Fidel. *lib. 2. de* 12 *Relat. Med. cap. 3. in princ.* & idcireo tortutæ nomine ſimpliciter prolato, de hoc intelligi dicit Ambroſin. *ibid. cap. 8.* Ratio vero cur horum tandem tormentorum tantum uſu acquieverint Judices ita ut novorum uſum interdixerint, ut poſt alios dicit Chartar, *ubi ſupra num. 7. & 9.* Farinac. *ibid. num. 55. & ſeq.* ea eſt, quia cum rei in quæſtionibus 13 exercendis ita torquendi ſint, ut ſalui & illæſi innocentiæ vel ſupplicio ſerventur, ſic diſponentibus Legibus, *in l. Quæſtionis modum, ff. de Quæſtion.* quam ſequuntur omnes DD. Guido à Suzar. *de Jud. & tort. num. 3.* Cartar. *ubi ſupra, num. 53. & quæſt. 41. num. 93.* & ex noſtris Fortun. Fidel. *ubi proximè, in princ.* cumque expreſsè prohibitum à Lege reperiatur, ne tormentis, verberibus aut virgis rei ſint pro pœna interimendi *l. Aut damnum §. hoſtes autem ff. de Pœnis*, nullum tormentum adin- 13 ventum eſt, quo magis, aut melius id conſequi liceat, quod Judices intendunt (nempe abſque vitæ diſpendio per cruciatus veritatem ex reis elicere) quam prædictis quatuor tormentorum generibus, & maximè funis, quia hæc inferendo multum dolorem, & cujus acerbitate coguntur tei inviti veritatem propalare, non admodum corporis ſaluti incommodant, ut de chorda præcipuè dicebat idem Fortuna. *ibid. in princ.* licet ex Juriſconſultis Brunus *in tract. de Jud. & Tortur. part. 2. capit. 2. num. 6.* dicat, multa pericula ſolere evenire ex funis tormento, quæ tamen prudentiâ,

ac

ac ſolertia, & præcautione ipſius Judicis facilè evitari poſſunt.

Horum autem tormentorum deſcriptionem, atque illam quidem integram, quantum in me erit lectori meo & maximè Medico, qui nullam de eis notitiam habeat, ex proprio marte talem dabo. Chordæ igitur tormentum nulli non notum hoc
15 modo infligitur. Reo denudato brachia retro in dorſum contorquentur: inuicemque ſuperpoſita tenui, ſed coriaceo vinculo digitum latitudine non æquante, quod vocant, *la ſtringa*, arctiſſimè ſupra carpum, ſeu brachiale obligantur: dehinc craſſiori vinculo ſimiliter coriaceo, ſed tereti iterum ſuper primum vinciuntur, atque per hoc ſuni ex alta trochlea pendenti reus alligatur, tum per trochleæ cutriculum ſurſum trahitur & pendulus eo modo ad Judicis libitum relinquitur. Aliquando reo uſque ad trochleam ſublato, funis relaxatur, reuſque ſuo pondere labi deorſum permittitur, ita ut ſuſpenſus à terra remaneat, quod interdum repetitur bis, aut ter: ſed quia non ſatis, aliquando eſt ſimplex ſuſpenſio, neque repetiti ictus, multa Judices machinantur ad majorem cruciatum reis inferendum, ut funis quaſſationes, pondera rei pedibus appenſa, compedes, urcei aqua pleni, baculus divaricandis ac diſtrahendis pedibus inditus, & alia hujuſcemodi: ſed præ omnibus, ſuperioribus temporibus in uſu erat aqua frigida in dorſum projecta, de quibus omnibus ſuo loco abnndè diſſeremus.

Cæterum hoc tormentum novum non eſſe,
16 unanimiter DD. omnes teſtantur, ſed veteriſſimum, vocatumque apud veteres, fidicularum nomine, ut *in l. Decuriones, C. de quæſtion. & l. Nullus. C. ad l. Julian. Majeſtatis*: ac de eo etiam meminit Cæl. Rhodi. *Antiq. lect. lib.* 10. *cap.* 5. inter alia tormenta veteribus uſitata: ſed de hac voce, fidiculæ, maximum interveniit dubium, cum non conſtet quid verè eſſent: certum eſt fidicularum nomen diminutivum eſſe à fidibus, fides autem chordas nerveas eſſe quibus in aliquibus muſicis inſtrumentis utimur, Terent. *in Eunuch. act.* 2. *Scen.* 2.

Is ubi hanc forma vidit honeſta virginem,
Et fidibus ſcire.

Virgil. *lib.* 6. *Æneid.*

Si potuit manes accerſere Conjugis Orpheus,
Threicia fretus cithara, fidibuſque canoris.

Sumitur & hoc nomen pro ipſo quoque inſtrumento muſico. Fidiculæ ergo ſunt & ipſæ nerueæ quædam vincula, quibus reorum brachia dum tormentis ſubiiciuntur, alligari ſolent: imò & iis ipſis in aliis tormentis infligendis antiqui utebantur, ut in eculeo maximè teſtatur Sigon. *de Judiciis l.* 3, *c.* 18. Sed aliam eſſe magis uſitatam ac propriam fidicularum ſignificationem dicit Martin. Delr. *in comm. Troad. Senec. part.* 2. *n.* 560. & Ant. Gallon.
17 *de cruciat. Mart. c.* 3. *pag.* 57. eſſe nempe fidiculas ungulas, quibus torquentur in eculeo appenſi, & alia de hoc nomine vide apud ipſos: ſed & Calepinus utramque ſignificationem amplectitur. Apud Sueronium certè fidicularum nomen, *in Tiberio. c.* 62. (qui locus ab illis etiam adductus eſt) male aptari poteſt ungulis ferreis, ſed bene convenit parvis funibus (& forte nerveis, qualibus in muſicis inſtrumentis utimur) quibus Tiberius aliquos largameri potione per fallaciam oneratos, veretris deligatis fidicularum ſimul, hoc eſt, ſtrictura nerveorum funiculorum urinæque tormento diſtendebat.

Sed quicquid ſit de prædictis, certum eſt, chor- 18
dæ tormentum non idem eſſe cum tormento eculei, ut notat Alciat. *lib.* 10. *Paverg. c.* 14. (nam aliqui hoc nomine chordæ tormentum appellant, ut Fortunatus) quod ſatis patet per ea, quæ afferunt Sigonius *lib.* 3. *de Judiciis, c.* 18. & Anton. Gallonius *de cruciat. Mart. cap.* 3. quale autem tormentum eſſet eculeus, videndum apud eoſdem. Illud tantum addam, eculeo uſos fuiſſe veteres in quæſtionibus, culeo vel culleo (utròque enim modo ſcriptum reperio) ad pœnam parricidii, erat autem culleus ſaccus, in quo includebatur parricida cum ſimia, gallo cane & ſerpente, & in mare proiiciebatur, vel in flumen, ut *Inſtit. de pubi. jud.* §. *alia, deinde lex.* unde Juvenalis, *Sat.* 8.

Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, non ſerpens unus, non culleus unus.

Et *Sat.* 13.

Et deducendam corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.

Sed de chordæ tormento nunc hæc ſufficere exiſtimo: ad alia tranſeundum, dummodo non prætereamus, quod præſente aliquo impedimento in alterutro brachio ipſius rei, torquetur per brachium tantum ſanum, ut poſt Brun. *de Ind. & tort. par.* 2. *c.* 2. *n.* 6. Farin. *citata quæſtione* 38. *num.* 63. & Guazz. *ad defenſ. Recr. def.* 30. *cap.* 20. de qua re peculiariter eſt ſuo loco conſiderandum. Qui cruciandi modus etiam apud Tyrannos in uſu fuiſſe in SS. Martyribus torquendis teſtatur Gallon. *de cruciat. Mart. cap.* 1. *pag.* 8.

Secundum tormentum, quo in præſentiarum utuntur, illud eſt, quod tormentum vigiliæ nominant, quod quidem ex nonnullis conditionibus atrocius multo videtur, quam tormentum funis: eſt autem hoc tormentum hujuſmodi. Reus in totum denudatus, illique pilis omnibus etiam recon- 19
ditarum partium deraſis, brachiis verſus ſpinam retro contortis, ut in tormento chordæ, alligatur tanquam fune torquendus. Tripes tum ſcamnum in promptu eſt, quod captram, vel equum, vel vulgo, *il Cavalletto* nuncupant, ſexipedalis altitudinis, cujus ſummitas ex quadrangulati tabula lignea, eſt pollicaris craſſitudinis, latitudinis undique bipalmaris: ejus tabulæ ſuperficies plana quidem in totum non eſt, ſed ſenſim, paulatimque verſus medium ex ſingulis lateribus ſeſe elevans, in obtuſum angulum deſinit ſeu potius obtuſam planitiem efformat. Reus eo modo chordæ ex trochlea pendenti alligatus hic ſedens ſiſtitur. Lata inſuper faſcia ad pectus inditur, ac retro in proximo pariete firmatur, uterque humerus muris hinc inde à lateribus exiſtentibus longo funiculo medius deligatur: tum ad pedes longus inditur baculus ipſos pedes divaricans, ne eos reus jungere poſſit: hic baculus per alium funiculum, quo medius ligatus, ſurſum elatus pedes etiam & crura rei attollit, adverſoque parieni fitmatur. Hoc modo relinquitur miſellus per decem, duodecim, quindecim, aut viginti, & plures horas ad Judicis libitum, niſi delicta confiteatur, eâ tamen cautelâ adhibitâ, ne brachia retro contorta per craſſiorem funem trochleæ appenſum nimis extendantur, fit enim, ut miſeri rei multum extenſis brachiis de vita periclitentur, ut notat Farinac. *quæſtione* 38. *numer.* 61. ubi plures ex nimia brachiorum extenſione in ipſo tormento periiſſe narrat. Alias autem ex tormento, licèt magnum dolorem ac cruciatum, multumque laboris ac moleſtiæ rei percipiant, nullum tamen vitæ periculum

incurrunt, niſi quid obſtet, ut aliqua membrorum principalium debilitas, morbi aliqui peculiares, corporis habitus & diſpoſitio, ætas, aut quid ſimile, ut ſuo loco videbimus.

Sed ubi adſint aliqua impedimenta, ex quibus neque chordæ, neque vigiliæ tormento rei ſupponi poſſint, tertium tormenti genus in eorum locum ſuccedit, quo de præſenti Judices utuntur, quod Taxillorum appellant, vulgo autem *la Stanghetta* de quo alios Farinac. *quæſt.* 28. *n.* 67. quod ſic deſcribam.

Reus, ut opportunum videtur, alligatur nudisque pedibus in terram prope deſtinatum parietem proſternitur. Taxillos tum ferreos binos paratos habent, quatuor digitorum latitudinem undique æquantes, digitalis craſſitudinis, atque in medio excavatos quantum malleolorum alterutrum capere poſſint: eſt tamen inferior taxillus ob id, eo qui ſuperponitur interno malleolo major, Supponitur ergo major taxillus reo pedem porrigere coacto, ſuperponiturque minor ſuper dictum internum malleolum. Tum in pariete foramen eſt quatuor digitorum latitudinis, in quo ligneum repagulum ac forte inditur, ejuſdem latitudinis, craſſitudinis digiti craſſioris, longitudinis vero quatuor, vel quinque palmorum. Tum tortor repagulum ſuper taxillos validè premit, iteratque ad Judicis voluntatem premere, ex quo dolor atrox quidem & notabilis excitatur: eſt enim pars compreſſa maximè ſenſibilis.

21 Denique in debilibus, fœminis ac pueris leviori tormento ad præſens utuntur, quod ſibilorum vocant, de quo idem Farinac. & adducti per eum *ibid. n.* 68. quod tormentum an idem ſit cum eo, quod digitalia Antiqui nominabant, de quibus ex Synoſio Mart: Delr. *in Senec. Troad. par. vlt. n.* 590. ego ingenuè fateor me ignorare, cum quale tormentum illud eſſet, apud neminem invenire licuerit. Noſtrum autem hoc modo repræſentabo. Lignea paxilla habent numero ſex, longitudinis octo tranſverſorum digitorum, torno fabricata ex forti ligno, maximè verò ex buxo: pollicaris ſunt craſſitudinis, capitulo oblongo & utrinque capitata, & in utroque capitulo perforata. Quod inter utrumque capitulum eſt, in cochleæ modum eſt affabrefactum utrinque autem per capitulorum foramina forti funiculo conjunguntur, ipſaque funiculi capita currenti modo copulantur, Reus ergo coriaceo vinculo illo, quod diximus appellari. *La Stringa*, alligatis manib. ſimul ſuper brachiale, in orantis ſpeciem, ante Judicem ſiſtitur: Tum ſinguli praxilli in ſingulis digitorum interſtitiis inponuntur, ita ut duo poſtremi extra utriusque manus interſtitia digitos comprehendant, hinc tormentarius validè funiculum attrahens, nodumque coarctans, digitos comprimit cum non aſpernabili dolore, iteratq; ad Judicis mandatum premere, eo interim inſtante, ut veritatem propalet. His jam deſcriptis tormentis ad præſens, hic maximè, Judices in quæſtionibus utuntur, Sed & vetuſtiores, & anteactæ quoque ætatis homines, aliis quampluribus tormentis utebantur, quorum aliqua ob eorum levitatem alia ob atrocitatem ab aula receſſerunt: horum plura recenſet Brun. *de Indiciis, & Tort. part.* 2. *n.* 6. Quorum nonnulla hic, cum parvulis quibusdam aliis, non ad alium effectum recenſebo, niſi ut apertum fiat quantâ nunc levitate, reſpectu præteritorum temporum Juſtitia exerceatur: licet quæ recenſebo, vix minima pars ſint eorum, quibus antiquiores, & tyranni præſertim, in ſanctos Chriſti Martyres utebantur.

Crudelitatem nimiam ſapiebat illud quod, fame exercebant, ſubtradendo ad nonnullos dies quotidianum victum, donec famis impatientia reorum pertinaciam ſuperaret. De hoc tormento memnit etiam citatus Brun. *ibid. cap. eod. num.* 1. & Carrer. 22
in pract. crim. tract. 2. *de Ind. & tort. num.* 180. Hoc autem tormentorum grave quidem erat, ſed nonniſi ad certum tempus periculoſum, cujus tamen termini non poſſunt in particularibus aſſignari, ſed de ea re plura dixi *lib.* 4. *ſuperiori. tit.* 1. *quæſt.* 7. *à n.* 4. *ad plures ſeqq.*

Sed hoc multo immanius erat, multoſque magis 23
intolerabile tormentum, ſitis: curabant enim, ut reo quantum vellet ciborum, ſalitorum præcipuè, ad comedendum ultro daretur, potu omnino denegato. Hic quidem cruciatus erat maximæ conſiderationis, quia quantumvis magnus eſſet is, qui ex fame proveniebat, nunquam æquare potuit cruciatum provenientem ex ſiti. Cur autem id ita in rei veritate ſe habeat, dixi alias *lib.* 5. *tit.* 1. *quæſtion.* 5. *n.* 12. Sed erat fortè hoc tormentum ſuſpectum, cum ſitis à nonnullis facile ad multos dies toleratur, imo acceptum habeamus, multos toto vitæ curriculo nihil bibiſſe, ut patet ex hiſtoriis relatis per Schenc. *lib.* 3. *Obſerv. tit. de ſiti.* nam aſitos quidem per aliquod longum tempus nonnullos fuiſſe ſatis compertum eſt, ſed toto vitæ curriculo eminem, ad ipſos tamen per totam vitam nonnullos, ut dixi, fuiſſe conſtat, & teſtantur etiam Alexand Bened. *lib.* 11. *pract. c.* 17. & Bruyrin *de re cib. libr.* 16. *cap.* 6. & præter allatos à Schenckio, recenſetur alia obſervatio ex Platero Marchionis cujuſdam, à doctiſſimo Daniel. Sennert, *lib.* 3. *conſummatiſſimæ ejus practicæ, part.* 1. *ſect.* 2. *c.* 6.

Mitius multo prædictis erat in natalis ſui primordiis, tormentum vigiliæ: Reus enim in ſcamno 24
ſedere juſſus, abſque ullo fortaſſe falcimento, per quadraginta horas neque ſe movere, neque dormire permittebatur: (fortè etiam nonnullis ingeniis utebantur, ut ſomnolentum redderent ut maximè ſi poſt largiorem cænam, & uberiorem potum tormento reum ſubieciſſent) apponebantur enim hinc inde cuſtodes, qui illum dormire tentantem expergefacerent: eo etenim tædio, & moleſtiâ mirum in modum reus exagitatur, promiſſa ſibi quiete illectus, veritatem propalabat: nam hoc tormento nullum efficacius aut præſtantius, minusve noxium eſſe, rectè dicit Mart. Delr. *in Senec. Troad. part.* 2. *num.* 560. *in fin.* neque aliter ſe primum eo tormento uſum dicit Marſil. & poſt ipſum quotquot DD. de eo verba faciunt, & maximè Farinac. *ubi ſupe n.* 70. Sed Judicium modernorum ſolertia, vel ſeveritas pertinacitate delinquentium, & facinorum immanitate concitatorum, tormenti atrocitatem indies novis ingeniis adauxit, ita ut ad id deducta res fuerit, ut coacti fuerint Principes ejus tormenti pernecabilitatem aliqualiter moderari, & modum Judicum crudelitati præſcribere, ne miſeri rei, ut ſæpe factum eſt, inter quæſtiones decederent.

Sed non contenti præteritorum ſæculorum Ju- 25
dices fame, ſiti, vigilia reos cruciare, etiam igne & aqua in quæſtionibus uſi ſunt. Igne autem, duplicimodo, aliquando enim nudis pedibus accenſos carbones reos calcare cogebant, atrox certè ſuplicium non tormentum, ex quo in poſterum inutiles miſeri evadebant, uſu pedum omnino orbati. Alias (& hoc erat magis in uſu, nam illo tyranni præcipuè in SS. Martyribus cruciandis uſi ſunt, de quo

Gallon,

Gallon. *cruciat. Mart. cap.* 7. & 8.) Reorum pedes porcina pinguedine perunctos, magno igni appropinquandos curabant, ipſis, ut par erat, arctiſſime vinctis, ne loco dimoveri poſſent. Ab humanitate & hoc nimis alienum, nam & ab hoc non ſecus quàm à priori plerumque homines ad pedum uſum inhabiles reddebantur, ut geminus teſtatur apud Bernardin. *in ſchol. ad Ambroſin. tract. de modo form. proceſſ. lib.* 4. *c.* 8. unde jure ab eo abſtinendum de præſenti ſuadet, cum eod. Ambroſin. *eod. c.* 8. *n.* 11. idem Bernardin. *ibid.*

Aqua etiam dupliciter reos cruciabant. Carnificinum illud erat, cùm reo manibus, pedibuſque
26 funi alligatis compreſſoque naſo, aenum aqua plenum in os infundebant, dehinc alterum atque alterum, uſque ad ſeptem & ultra. Strangulationis in his facile imminebat periculum, præter alia mala inde ſecutura. Ea ratione reos torquere conſueviſſe veteſtiores, ex Jo. Millæo teſtatur Chartar. *lib.* 4. *Pract. inter. reor. cap.* 2. *n.* 3. ſed Brun. *de Ind. & tort. part.* 2. *quæſt.* 2. *n.* 6. conſueviſſe dicit, aliquos aquam in reorum nares infundere ore obſtructo: alios verò non ſimplici aqua uſos, ſed calce immixta, quod cum multo majori moleſtia, majori periculo reos ſubiiciebat & majorem hominum impietatem arguebat. Neque hoc inferius tormentum illud fuiſſe crediderem, quod aceto, vel aqua aceto immixto exercebant, eodem modo, nempe vel ipſum acetum, vel poſcam meraciorem in nares infundendo: hoc in ſervis plectendis
27 utebantur, ut patet apud Ariſtophanem, quem refert Laurent. Pignor. *de ſervis, pag.* 14. Patrem hoc cum ſuperioti habuiſſe & moleſtiam, & periculum crediderim.

Ridiculum illud medius fidius erat, ſed tædij
28 plurimum habuiſſe exiſtimo, quod Scarabæo fiebat, de quo tormento Brun. *ubi proxime.* & Bellovis. *in pract. Indic. part.* 2. *rubr. de Quæſt. num.* 48. denudato atque alligato reo, vivis ſcarabæus ſupra ventrem, ſeu in umbilico ponebatur, inde catino vel cyato intercludebatur, ut inde egredi non poſſet: mirum enim eſt quantum moleſtiæ animalculum illud afferre eo modo poſſit: ſed quid mirum de ſcarabæo dixi? qui id non credit in mentem redigat, quantum moleſtus ſit pulex in aure incluſus.

Multo magis moleſtum fuiſſe exiſtimo, quod
29 ſequitur tormentum, neque tamen multum habuiſſe periculi, ſi modus adhiberetur. Reo diſcalceato alligatoque, mutiâ, ſalitâ nempe aqua pedes madefaciebant: fortè etiam ſale plantis confricatis, ipſoque in in ſcamno optime vincto, ne loco dimoveri poſſet, capram ad ejus pedes lingendos admovebant: fiebat enim, ut capra ſalis aviditate allecta propriæ linguæ ſcabritie plurimum tædij eo linctu
30 afferret, neque facilè tolerabile, neque enim ſolùm tædium, ſed dolorem attuliſſe vero conſentaneum eſt, cum carnem aliquando uſque ad oſſa corroderat. De hoc tormento meminit Brun. *ubi ſupra*, & ex recentioribus Gomeſius *de Sale, lib.* 2. *n.* 28. quid & aliud tormentum ex ſale factum deſcribit hoc modo. Tum aliud longè gravius, quod miniſtro ſale tendit ad ſtrangulationem: fit enim magno quodam linteo ſale & aqua madefacto, quod in os, & guttur ſupplicis ingeritur: cui ob id maximè adhibetur ſal, ut hujus ſapore duce major fiet tum in gutture hiatus, tam in guſtu appetitio, indeque facilior lintei inſinuatio, unde præ anguſtia ſpiritus aut timeatur ſuffocatio, aut ferè ad animi uſque deliquium reus torqueatur: Hæc Gomeſ. Sed Belloviſ. *ubi ſupra*, *n. eod.* de hoc tormento memoriam habuit, ſimplici linteo aquâ madefacto fieri ſolito: apud quem etiam alia tormentorum genera jam exoleta videre licet, quorum etiam nonnulla videnda apud Delr. *in Seneca Troaden. n.* 560. & apud Gallonium plura *lib. de cruciat. SS. Martyrum*: & alia ex aliis hîc commemorare poſſem, ſed ne inanem operam ſumpſiſſe videar, de his plura non addam.

Cæterum pœnarum genera quamplurima ſunt, eorumque plura recentur in text. *l. ſi quis fortè*, §. *final. & ll. ſeqq. ff. de Pœnis*: nobis tamen de nonnullis tantùm verba facienda, meo modo pro nunc ſic dividam. Pœnæ vel ſpirituales ſunt, vel temporales. Temporales voco à Judice quocunque, ſive is laicus ſit, ſive eccleſiaſticus, pro delictis publicis inflictas. Spirituales voco à Dei miniſtris, nempe 31
à confeſſariis, vel aliàs ab eccleſiaſticis Judicibus impoſitas, in peccatorum nonnullorum ſatisfactionem, quas propriè pœnitentias vocamus de 32
quibus tamen ſeorſim inter miſcellanea, verba faciam, unicâ ad hoc quæſtione dicatâ. Pœnarum autem temporalium corporales aliæ, aliæ pecuniariæ. Corporales voco non eas ſolùm, quæ ſunt corporis afflictivæ, ſed eas etiam, quæ vel libertatem adimunt, vel civitatem, vel etiam honorem. Quarum aliæ capitales ſunt, aliæ non capitales. Capi- 33
talium aliæ civiles: aliæ ſimpliciter capitales. Non capitalium aliæ ſunt corporis afflictivæ, aliæ non. Simpliciter capitales ſunt, quibus imponitur ultimum ſupplicium. Civiles, cùm inferunt ſummam capitis deminutionem abſque ſanguine, ut eſt exilium perpetuum, bonorum & libertatis amiſſio, carcer perpetuus, deportatio, in quibus rei, tanquam, ſi ampliùs in humanis non eſſent, habentur, ut eli- 34
citur *ex l. Rei ff. de Pœnis*, & *l. licet ff. de verbor. ſignif.* Non capitales corporis afflictivæ ſunt fuſtigatio, verberatio, membri abſciſſio, tortura ad pœnam data, & aliæ ad hunc modum. Quæ corporis afflictivæ non ſunt, exilium eſt ad tempus, carcer ad tempus pro pœna injunctus & hujuſmodi: de quarum nonnullis, quæ ad noſtrum argumentum facere videntur, ſuo loco & tempore diſſeremus.

SUMMARIUM.

1 *Tormenta eadem non ſemper uno eodemque modo infliguntur.*
2 *Tortura eſt remedium ſubſidiarium pro veritate in Judiciis eruenda, quando aliàs haberi non poteſt.*
3 *Tortura gradus quot.*
4 *Primus tortura, gradus.*
5 *Pregnans non poteſt torqueri.*
6 *Pueri & decrepiti an torqueri poſſint.*
7 *Timor terror animi defectum extiuat.*
8 *Puerpera an poſſit torqueri.*
9 *Mulier menſtruata an torqueri poſſit.*
10 *Mulier menſtruis fluentibus non eſt torquenda.*
11 *Secundus tortura gradus, & qui ab eo debeant eſſe immunes.*
12 *Tertius tortura gradus.*
13 *Triſtitia ſenibus inimiciſſima.*
14 *Quartus tortura gradus.*
15 *Quintus tortura gradus.*
16 *Carcer eſt quadam tortura ſpecies. Contrarium n. ſeq.*
18 *Carcer propriè eſt tormentum.*
19 *Carcer non facit quæſtionem.*
20 *Qua Medico conſideranda, cùm judicium ferre debet, an quis in carcere abſque periculo detineri poſſit.*
21 *Quomodo pronuntiare debeat Medicus circa detentionem reorum in carceribus.*
22 *In carcerato ob levem cauſam, levis infirmitas ſufficere debet ad illum ex carcere eximendum.*
23 *In carcerato ob gravem cauſam, levis infirmitas non ſufficit ad illum liberandum.*

24 *Gravis morbus in quib. cauſa excuſare carceratum poſſit.*
25 *Infirmitas graviſſima quando excuſet.*

De gradibus torturæ, & de carceribus.

QUÆSTIO II.

1 Licet vero de præſenti, nonniſi quatuor ſuperius deſcriptis tormentis quæſtiones fiant, non tamen ſemper eadem tormenta eodem modo infliguntur, ſed aliquando mitius, interdum atrocius, alias autem atrociſſimè, quoniam etiam delicta, ipſique delinquentes non ſemper unius ejuſdemque conditionis ſunt. Delicta enim aliquando ſunt leviora, interdum graviora, alias graviſſima & atrociſſima, ita ut tormentorum & pœnarum atrocitas illorum atrocitatem nunquam æquare poſſit. Sic & delinquentium malitia, delinquendi conſuetudine, ſtatu, ætate, fortitudine, ſexu, fragilitate, multisque aliis conditionibus alii ab aliis ſuperantur. Cum ergo tortura remedium ſit ſubſidiarium pro veritate in judiciis eruenda, quando alias haberi non poteſt, ut manifeſtè elicitur ex textu *in l. Edictum, ff. de Quæſtionibus*, & ex aliis 2 tam Legum, quam DD. auctoritatibus à Farinac. poſt alios adductis, *in pract. crim. quæſt.* 40. *num* 3. hinc eſt, quod Judices in quæſtionibus, non ex abrupto ad tormenta devèniunt, ſed gradatim procedont, incipientes primo ab admonitionibus, dehinc deſcendendo ad minas & ad terroris incuſſionem, ſucceſſivè ad deductionem ad locum tormentorum, poſt hoc ad corporis denudationem, tum poſtmodum ad alligationem, de hinc ſenſim ad aliqualem, ſed levem torturam, poſt hanc ad graviorem, tandem ad graviſſimam. Itaque à DD. conſtituuntur varii torturæ gradus, & à pluribus plures per quos ſenſim volunt eſſe ut plurimum procedendum niſi quod obſtet.

Alii vero maluerunt torturam in tres gradus 3 diſtingui, in levem ſcilicet, gravem & graviſſimam: alii autem diviſerunt in quinque gradus quæ quidem diviſio Medico magis cognitu eſt neceſſaria, ut judicium ferre poſſit, an reus torturæ ſubiiciendus ſit necne, cum non ſatis ſit aliquando negativè, aut affirmative abſolutè reſpondere, ſed neceſſe ſit diſtinguere, quo torturæ genere, ac quo torturæ gradu poſſit, aut non poſſit cruciari, nam multi graviſſimam torturam ſuſtinere non poſſunt, qui tamen gravem ſuſtinerent: alii neque ipſam gravem, ſed levem: alij neque levem, ſed leviſſimam: alii ne leviſſimam quidem, imo nec minas & terrorem. Examinemus ergo torturæ ipſos gradus juxta poſtremam diviſionem, quæ magis ad rem noſtram facere videtur, ut ſciamus quænam prohibeant quæſtionem in uno aut altero 4 torturæ gradu fieri. Primum ergo gradum cum nonnullis DD. faciamus, cum Judex minatur reo tormenta, ipſumque terrere ſtudet, ad veritatem ab illo eliciendam, & ab hoc primo torturæ gradu (licet abuſivè tortura dicatur) nemo excipitur, niſi mulier utero gerens, ut unanimiter ſentiunt DD. omnes, Carrer. *in pract. in princ. num.* 180. Fari- 5 nac. *quæſt.* 38. *num.* 84. quem adduxi alias *lib.* 1. *tit.* 3. & hoc ſumma cum ratione, quia ſi gravidam deterreas, fœtum abiicere facilè coges. Cæteri autem à terrore & minis non fiunt immunes, licet torqueri non poſſint, ut impuberes, ſenes, lactantes. Boſ. *in pract. crimi. tit. de Ind. & tort. num.* 121. Carrer. *ubi ſupra.*

Sed non videtur tam abſolutè de ea re, quoad pueros & decrepitos eſſe pronunciandum: nam error incuſſus puero, aut decrepito periculo non vacat: facilè enim pueri perterriti, & maximè tenerioris ætatis, in epilepſiam, aliaque mala derepente incidunt, ſenes autem facili negotio in apoplexiam, aut in animi defectum, cum timor & terror ex ſui natura animi defectum excitare ſint apti Gal. *lib.* 1. *de art. cur. ad Glauc. cap.* 14. *&* *lib.* 2. *de Sympt. cauſ. cap.* 5. quod maximè efficere 7 poſſunt in ſenibus, ob caloris pauperiem. Cavendum ergo in his ætatibus; ut quanto magis teneræ & quando magis præcipitatæ fuerint, tanto cautius tantoque minor terror incutiatur. Monendum inſuper, ut hic terror non ſit repentinus, quia infirmæ ejuſmodi ætates illum vix ſuſtinere poſſunt, factumque interdum eſt, etiam in robuſtioribus ætatibus, ut aliquæ ex repentino terrore, aut timore interierint, ut narrat Gal. *ubi proxime.* Lenius ergo in primis Judex procedat, dehinc ſenſim ad graviores minas prorumpat.

Sed cum dixerimus prægnantem terreri non 8 poſſe, num & puerpera, hoc eſt, quæ de recenti peperit, terreri debeat? Hoc à Juriſconſultis intactum video: Dicamus ergo nos, diſtinguendo, aut enim puerpera eſt in primis diebus ſui puerperii, & tunc nullo modo eſt terrore afficienda, qui terminus erit decem, aut ad ſummum quindecim dierum. Ratio eſt, quia ex terrore, & timore maxima fit ſanguinis commotio, de directo contraria ei, quæ fit in puerperio: in puerperio enim ſanguinis motus tendit ad exteriora per uteri venas: in timore ſanguinis motus recurrit ad interiora, & maximè verſus cor, & ſic puerperia facili negotio retinentur, quæ retentio quam diſcriminis plena ſit, noverunt Medici. Sequentibus vero diebus, cum terror incuſſus tanto periculo hominem non exponat, erit, dummodò neque magnus ſit, neque repentinus, magis tutus.

Sed poſtquam purgationibus puerperii tempore 9 fluentibus mulier non poteſt terreri, poterit ne menſtruis purgationibus fluentibus mulier terreri? Videretur enim eadem ratio in utroque caſu militare, quia etiam in menſtruata fieri poteſt recurſus ſanguinis ad ſuperiora, & inde plurima mala enaſci mulieri exitialia; ſed dicendum, non eſſe parem rationem, nam multo promptius, & majori cum pe- 10 riculo ex retentione puerperii morbi adveniunt quam ex retentione menſtruæ purgationis, ut adnotavit alias ex Gal. *lib.* 1. *tit.* 4. *q.* 4. *n.* 49. Illud tantùm adnotaverim hîc, mulierem menſtruis fluentibus non eſſe torquendam, quia ex dolore, & labore, aut ſubita ac repentina retractio fieret ad ſuperiora fluentis ſanguinis, aut major venarum adapertio: præterquam quod facilè tunc ea occaſione poſſet mulier animo deficere & alia ſymptomata non ſine vitæ periculo incurrere.

Secundus torturæ gradus erit, cum reus dedu- 11 ctus ad locum tormentorum ſpoliatur, manibusque ut fit, vinctis, tormento quaſi tunc torquendus applicatur, judice jam minitabundo inſtante, ut antequam tormenta experiatur, veritatem prodat. Certum autem eſt, eos, qui primo gradu torqueri non poſſunt, neque etiam ſecundo eſſe torquendos, cum majora ex hoc, quam ex illo pericula immineant: majori ergo cautione his uti debemus: nam fortè neque valetudinarii, ſi multum debiles ſint & tenuis complexionis neque notabili morbo affectos, & maximè non aſpernabili febre, aut acuto aliquo morbo, ad hunc uſque terminum torquendi, vel potiùs deterrendi. Excipio tamen chronicos quosdam morbos, ut hydropem, cachxiam

febres longas, ſed leves, morbum gallicum arthritim & alios hujuſmodi.

12 Et hæc multò magis procedere deberent in tertio torturæ gradu, cùm reus denudatus, & vinctis manibus, tormento jam exponitur, licèt actu non torqueatur, ſed ſic in tormento tantiſper detinetur, & certè nulla hìc occurrit dubitatio de prægnanti & de recenter enixa aliiſque ſupra commemoratis, ſed de pueris & ſenibus, cùm alter in ætate proceſſit, attingens decimumquartum annum, aut non longè ab eo diſtans, alter autem nondum ita præcipitatæ ætatis eſt, ut adhuc omnino viribus deſtitutus videatur: & ego quidem in puero jam provectiori, nempe ſaltem duodecimum annum prætergreſſo, nihil extimeſcerem. In ſene autem, etiam non præcipitatæ ætatis, caute agerem: neque enim dubium eſt, quantopere animus tum exagitari poſſit, quantoque mœrore ſenex affici, unde facilè eſt illum aliquid mali non aſpernabilis pati: nam triſtitia ſenibus inimiciſſima, quia, ut ex Galeno dicebat Ranchin. *de mo. b. ſen. ſect. 1. cap. ult.* debilis natura ſub valido affectu oppreſſa ſtatim ſuffocatur: ut enim flammula morientis lucernæ à violentiori quavis aura facilè extinguitur, ſic & vi-

13 ta ſenilis à vehementiore animi commotione. Prudenter ergo Boſ. *tit. de Tort. n.* 122. non eſſe audaciter cum pueris & ſenibus ad hæc deveniendum monet. Quia tamen robur vitium, non ex annorum numero in particularibus menſurari poteſt, & hominum conditio eſt diverſa, idcirco hæc Judicis arbitrio relinquenda.

14 Quartus torturæ gradus eſt, cùm reus jam actu,

15 torquetur, cui ſuccedit quintus gradus, cùm non ſolùm torquetur, ſed ad atrocitatem tormenti augendam multa adhibentur, ut detinendo ipſum, in tormento ad longum tempus, proiiciendo aquam frigidam in dorſum alligando lignum intra pedes ne eos jungere poſſit, quaſſando funem in chordæ tormento, aut dando ictus, imponendo pondera in extremis pedibus & faciendo alia nonnulla, de quibus in ſequentibus videbimus. Nunc de hoc quarto gradu torturæ dicamus, quòd ad eum non poſſunt judices abſque periculo devenire in febricitantibus quacunque febre niſi eſſet levis quartana, & tunc in diebus interpolationis, in hæmoptoicis, nempe in iis qui ſanguinem expuunt, in valetudinariis, in debilibus & hujuſmodi quæ omnia clariora evadent, cum procedente ſermone de tormentis in ſpecie loquemur.

16 Quoniam autem carcer dici poteſt torturæ ſpecies quædam, ut ex Baldo Pariſ. à Put. *de ſyndic. verb. Tortur. 1. n.* 27. & Farinac. *quæſt.* 27. *num.* 1. antequam de tormentis propriè dictis in ſpecie

17 agamus, de carcere loquamur: licèt ſciam voluiſſe nonnullos alios DD. Carcerem non eſſe ſpeciem torturæ, per ea quæ affert Clar. *quæſt.* 64. *lib.* 5, §. *final. n.* 31.

Sed in rei veritate, carcer dici poteſt tormentum

18 corporis & animi; unde idcirco dicitur infernus & ſepultura vivorum. Farinac. *ubi ſuprà, n. eod.* imò carcer durus quæſtioni æquiparatur: Boſſoviſ. *in pract. Iudic. part. 2. rubr. de quæſtione & qualit. term. num.* 5. & jure, quia ex carceris dutitie non minùs elici poteſt per vim veritas à reis, quàm ex dutitie tormentorum.

19 Clarus tamen intellexit fortè carcerem non facere quæſtionem, & conſequenter non eſſe facere quæſtionem, & conſequenter non eſſe torturæ ſpeciem.

Quæri igitur poteſt aliquando à Medico, ut ſæpe

20 ſæpius etiam in civilibus cauſis uſuvenit, an quis abſque vitæ diſpendio in carcere detinere poſſit, qui antequam de ea re judicium ferat, & cauſam, ob quam quis detinetur in carcere, & morbum quo affligitur conſiderare debet. Cauſa ergo vel eſt civilis, vel criminalis, item vel eſt levis, vel gravis, vel graviſſima. Levem voco, cùm quis detinetur in carcere pro aliquo levi delicto, quod vel pecuniaria, vel leviſſima aliqua pœna expiare ſoleat. Gravem, cùm pro delicto reus gravi pœna corporis afflictiva, aut etiam capitali, ſed non ultimi ſupplicij, aut privatione bonorum, ſaltem magna ex parte, eſt mulctandus. Graviſſimam, cùm delictum pro quo cuſtoditur, ultimum ſupplicium expoſcit.

Eodem modo infirmitas, qua carceratus detinetur, vel eſt levis, nempe quæ neque de præſenti, neque in futurum etiam, in ipſis carceribus reo manente, quicquam timeri poſſit, ne ejus incolumitati notabiliter præjudicet, ut eſſet levis ſtomachi, aut infimi ventris dolor, ſcabies, tumor aliquis ſimplex, vulnuſculum, & id genus alia: vel eſt gravis, nempe quæ conjuncta eſt cum aliquo vitæ periculo etiam dubio, vel quæ cùm non ſit talis, poteſt fieri talis, ex mora in carcere, aut ex ſua natura, ut tertiana febris etiam intermittens ac ſimplex, & multò magis duplex, aut quotidiana intermittens, quartana quæcunque, & alij non diſſimiles morbi, qui licet ab omni periculo ex intermittentia & maximè longa, ut in tertiana & quartana, videantur immunes, facilè ex procatarctica aliqua cauſa, ut eſt ipſe carcer, poſſunt ex tutis periculi pleni evadere. Vel tandem infirmitas eſt graviſſima, id eſt, cum manifeſto vitæ periculo, quales ſunt febres continuæ omnes, morbi acuti & hujuſmodi.

His ſic examinatis & diſtinctis, ac conſiderata inſuper carceris qualitate atque duritie, Medicus 21
in hac re ita interrogatus judicium ferre poteſt, ſubſequentibus univerſalibus concluſionibus, ac determinandum de particularibus, manuductus. Levis infirmitas nullum affert impedimentum, quominùs quis in carcere non nimis duro detineri poſſit: neque enim ob ſui levitatem, ullum à carcere fomentum recipere poteſt, ſed à natura antequam vires acquirat, facilè ſuperatur: idcirco levis morbus nomine morbi dignus non cenſetur. *l.* 1. §. *ſed ſciendum, ff. de Ædil. ed.* & ex noſtris Gal. *lib. de conſtit. Art. cap.* 19. *in Iſagogic.* quæ quamquam vera ſunt tamen ſecunda hæc concluſio formari poteſt, in levi cauſa etiam levem infirmitatem, niſi ſit leviſſima debere dare cauſam excarcerationi. Etſi enim ratio notabiliter prognoſticari poſſit, nihil ex 22
tali infirmitate eſſe timendum, attenta, cauſæ levitate & incertitudine, quam habemus in quibuſlibet leviſſimis morbis apparatus corporis ægrotantis, levis morbus reſpectu levis cauſæ gravis dici poteſt ad hunc effectum: quod tantò magis habere locum, quantò infirmitas etiam levis magis protraheretur, nam nunc dubitationi locum non facerem: quia cum in carcere detenti multa incummoda patiantur, non ſolùm quoad ea, quæ in victu neceſſaria ſunt, ſed etiam quoad res ipſas non naturales & maximè ad aërem, qui in carcere non poteſt eſſe niſi teterrimus, cùm ſit locus immundus, & horribilis, ut dicit Bald. *in tract. de carcer. cap.* 1. *num.* 2. & Farinac. poſt alios *ibid. num.* 2. & ex noſtris Baptiſta Codronch. *in method. teſtif. cap.* 2. & idcirco mala manſio ab ipſis juriſconſultis appelletur Farinac. *citata. q.* 27. *numero primo*, hinc eſt, quòd etiam levis morbus ſi perſeveret, ita urgere poteſt, ut facilè carcerati vitam in diſcrimine ponat.

Sit tertia Concluſio : Levis infirmitas in caſu gravi, & multo minus in graviſſimo, non debet excuſare hominem à carceris cuſtodia : ſecundum juſtitiam enim videtur, ut graviter delinquentes, etiam cum aliquali vitæ incommodo, & diſpendio (licet in levi infirmitate adeſſe non præſumitur) in carcere cuſtodiantur, ut delictorum ſuorum condignas pœnas reportent.

Quoad infirmitatem porro gravem, eo modo quo dixi, ſit quarta concluſio, quo jure excuſare debeat in omni cauſa civili & in criminali gravi, & multo promptiùs in levi : & hoc non abſque ratione & auctoritate dico : quia non æquum eſt carceratos etiam pro delicto gravi, ob carcerum incommoditatem in ipſis carceribus periclitari, ut ex Follerio dicit Farinac. *q.* 33. *n.* 87. Quòd ſi hoc verum eſt, cùm ex infirmitate gravi eo modo, quo gravem hîc accipio immineat juſtus & rationabilis timor, ne ex mora in carcere infirmitas illa hominem è medio tollat, jure poterit excuſare. Rationabilis autem timor non modò apparet ex parte & ex natura morbi, qui aptus eſt interdum in mortem terminari, ſed ex aliis pleriſque conditionibus, ut ex malo carceris aëre, ex ineptitudine miniſtrantium & medicamentorum non opportuna exhibitione, ex gravibus infirmi pathematis, quæ omnia cum pleriſque aliis facilè ad ægri interitum etiam in infirmitate aliàs non lethali, ſed tamen gravi, conſpirare conſueverunt.

Multò magis ergo à carcere excuſabit infirmitas
25 graviſſima, etiam in delicto gravi : quia quæ in infirmitate gravi venire dixi multò magis locum habent in graviſſima, & multò promptiùs ad ægri mortem cooperantur ; quàm in gravi : atque ea de cauſa acceptiſſimum apud Medicos, graviſſimos morbos, quales acuti omnes ſunt, in carceribus nonnulli, ſummâ cum difficultate, & cum evidenti ægrorum diſcrimine, curari poſſe, ut demonſtrat Baptiſta Codronch. *in method. teſtif. c.* 2. *per totum.*

Ultrùm autem graviſſimorum delictorum rei, ob graviſſimas hujuſmodi infirmitates à carceribus extrahi debeant, ego quod ad me non pertineat, non determino. Videtur Farinac in negativam ſententiam abire, *loc. cit.* ibi, *Niſi graviſſimis criminis qualitas, vel indiciorum multitudo repugnaret*, Mihi ſatis ſuperque eſt admonuiſſe, in carceribus detentos, morbo periculoſo aut acuto laborantes, facilè & promptè interire, difficillimè & ægerrimè ad ſalutem perduci, cùm ob in opportunam remediorum adminiſtrationem, tum ob vehementes animi paſſiones, & maximè timorem & mœrorem, quæ, quid aliud, infelicem morborum exitum promittunt.

SUMMARIUM.

1 *Inter tormenta frequentius eſt tormentum funis.*
2 *Chorda ſubtilis majorem infert dolorem, quàm groſſa.*
3 *Index debet uti cautione circa tempus intermedium inter ligaturam rei & elevationem in tormentum.*
4 *Suſpenſio majorem cruciatum affert, quàm ictus. Contrarium ex Fortunato.*
5 *Quaſſationes minùs periculoſæ, magis doloroſæ. ictus contrà magis periculoſi, minùs doloroſi.*
6 *In nullo delicto dantur ultra tres ictus.*
7 *Teſtamentum funis per unum brachium inflictum an magis moleſtum, aut magis periculoſum, aut magis doloroſum.*
8 *Ictus in tormento funis per unum brachium inflictus magis periculoſus, quàm inflicto per utrumque brachium.*
9 *Quibus ingeniis Judices funis tormento atrocitatem augere ſoleant.*
10 *Cur poſt refrigerationem à priori torturâ, major fiat cruciatus in ſecunda.*
11 *Parum à terra elevatus in tormento majorem dolorem experitur, quàm multum elevatus.*
12 *Cur ex abraſione pilorum rei facilius confiteantur.*
13 *Chorda non poſſunt rei torqueri ultra horæ ſpatium.*
14 *Tortura repeti non poteſt.*
15 *Reus non poteſt torqueri continuatis diebus.*
16 *Spatium inter unam torturam, & aliam, quantum eſſe debeat. Dic, ut n. ſeq.*
18 *In chorda tormento quanam partes præ cæteris patiantur.*
19 *In chorda tormento humeros laxari falſum.*
20 *Chorda tormentum pectori inimiciſſimum.*

De tormentis in ſpecie, & primò de tormento funis.

QUÆSTIO III.

INter tormenta, quæ in uſu non ſunt, frequentius & uſitatius eſt tormentum funis, ut jam ſuperiùs dixi, quia cùm magnum inferat dolorem ac cruciatum, hominum ſaluti nequaquam officit, & idcirco Judices ubique terrarum eo utuntur in quæſtionibus ; in eo tamen infligendo multa offeruntur conſideranda, quæ ad ejus tormenti majorem aut minorem tolerantiam facere videntur, unde magis aut minùs ab eo in particularibus perſonis abſtinendum Judicibus eſt, qui animum ad hoc advertere debent, ut majorem aut minorem dolorem ex tormento reus percipiat, quò major aut minor ejus apparet tolerantia : nam exempli gratia, chorda ſubtilis majorem multò infert cruciatum, quàm groſſa, Carrer. *in pract. crimin. in princ. n.* 167. Gravat. *in addit. ad Clar. q.* 64. *libro quinto, litt. a.* Farinac. *quæſt.* 37. *num.* 62. In debilibus ergo, in pueris, in ſenibus, in juvenibus aut viris, in ſanis ſubtili ; & ſic de cæteris, & idcirco prior illa ligatura, quæ tenuiori vinculo coriaceo fit, quod dixi vocari, *la ſtringa*, videndum an in prioribus moderari debeat, ne tam atrociter torquendo cruciet, nam eam tanti facit Farin. *ubi ſupra, num.* 38. *& quæſt.* 41. *num.* 19. ut eam ipſiſſimo tormento æquiparet, quin & in priori loco *num. ſuperiori* dicebat hanc ligaturam tam atrocem eſſe, ut carnem dilaniet uſque ad oſſa : itaque cum ipſa atrocitate tormenti Judex hanc quoque computare debet, eamque in certis perſonis magnifacere.

Eadem cautione utendum circa intermedium tempus, quod intercedit inter ligaturam & elevationem, quippe cùm ſi diuturnum ſit, erit maximæ conſiderationis, ut idem Farinac, animadvertit *d. q.* 38. *n.* 38. Medicus autem conſiderabit in hoc partium tam arctè vinctarum intumeſcentiam : & quid ſuccedere poſſit, præcipuè in aliquibus perſonis debilibus, cum ex Avicenna habeamus, 4. *primi, c.* 20. nonnullos ex forti ligatura aliquando periclitatos in phlebotomia facienda, quid autem in hac tam arcta ligatura, & tam diuturna evenire poteſt, & maximè ſi poſt diuturnam hanc ligationem funi appendatur, ibique per notabile ſpatium detineantur ? Videat ergo, ne eos, quos à tormento eximi debere judicat, ſed ligari permittit, pari tormento exagitari faciat, ac ſi fune torquerentur, ſuper longum ſpatium ligati permanere permittantur, aut in aliquod periculum eos conjiciat.

Præterea cùm in hoc tormento, ut dixi, rei aut ſimpliciter ſuſpendantur, aut etiam concutiantur, vel quaſſentur, fune, cui appenduntur, agitato : aut denique ictu à ſummo trochleæ præcipites deorſum labi permittantur, ſuſpenſi tamen à terra remanentes, voluerunt Juriſconſulti, ut poſt multos Farinac. *loc. cit.* ſuſpenſionem majorem cruciatum afferre, quàm ictus : cùm tamen ex Medicis Fortunat. Fidel. *libro ſecundo, Relat. c.* 3. contrarium firmare videatur,

videatur, dicens, in ſimplici ſuſpenſione moleſtiæ quidem plus, minus doloris ineſſe, in concuſſione minus moleſtiæ, plus autem doloris, Ego quomodo horum Dd. auctoritatem conciliare poſſim, non habeo: mihi certè Medici opinio ſit veriſimilior, quia maior fit violentia in ictibus, quam in ſimplici ſuſpenſione; maior igitur unitatis ſolutio, & ex conſequenti maior cruciatus, quia ex maiori & violentiori unitatis ſolutione, maiorem fieri non eſt dubium. Farinac. ut mihi videtur, moleſtiam à dolore non ſeiunxit, ſed unum idemque eſſe voluit, & ſic eius ſententia vera eſſe poteſt, quia ſumma moleſtia, quæ percipitur in ſuſpentione dolori aſſociata, ſuperat abſque dubio moleſtiam & dolorem in ictibus perceptum. 5 Controverti illud non poteſt, quod idem Farinac. *d. quæſt.* 38. *num.* 54. dicebat, quaſſationes nimirum minus eſſe periculoſas, magis tamen doloroſas, quam ictus; utroque autem minus periculoſa eſt ſimplex ſuſpenſio, unde quaſſationes, ſeu concuſſiones, & ictus vitandi in certis caſibus, de quibus 6 poſtmodum agemus, Et ea de cauſa, ob imminens nempe Periculum ex iteratis ictibus non poſſunt multoties repeti, ſed in quocunque delicto, & in quacunque quæſtione, etiam atrociſſimis, non dantur ultra tres ictus, poſt vetuſtiores Parinacc. *ibid. num eodem.* Ambroſin. *de mod. form. proceſſ. in fin. lib. 4. cap. 4. num. 6.* Conſiderabile tamen maximè in ictibus eſt utrum ab altiori, vel humiliori loco inferantur, cum quanto ex altiori loco inferuntur, tanto maiorem vim reus patiatur, tantoque maiori vitæ periculo exponatur; cui rei ex mea ſententia terminus eſſet præſcribendus, neque temerè ex qualibet altitudine ictus inferendi.

Quoniam autem evenit aliquando, quod reus altero brachio eſt impeditus, & idcirco per unum tantum brachium torquetur, ut in uſu eſſe teſtantur. Brun. *de Ind. & tort. part. 1. cap. 2. n. 6.* Farinac. 7 *d. quæſt. 38. num. 63.* Guazzin. *ad def. reor. def. 30. cap. 20. num. 7.* & alii, videndum eſſet an hic torquendi modus ſit magis, vel minus periculoſus, & an maiorem vel minorem moleſtiam & cruciatum inferat; nam ſi magis ſit periculoſus, magis item moleſtus, & doloroſus, certe cautius à Judice in eo infligendo procedendum eſſet neque poſſet fortè per tantundem temporis in tormento reos detinere, ut quando per utrumque brachium torquentur.

Sed contrarium mediusfidius verius videtur nempe tormentum funis per unum brachium inflictum & minus moleſtum, & minus doloroſum, & minori periculo ſubiectum eſſe. Nam præterquam quod (hoc enim ad multo maiorem cruciatum facit) brachia ſic non contorquentur, certum eſt partes numero 8 pauciores malè habere, & minorem multo ſpiritus anguſtiam fieri. Illud maximè in hoc caſu conſiderabile eſt. Ictus maius afferre periculum, quam cum per utrumq; brachium rei torquentur: quia cum corporis pondus ab unico brachio ſuſtentetur, ſi per ſe ex alto labi permittatur, ſuſpenſumq; remaneat, totam vim unicum brachium ſuſtinet, & ſic impoſſibile eſt quin ligamenta, nervi, muſculi, & muſculorum capita in ea parte lacerentur, ac diſcindantur, unde in poſterum homo brachii illiuſuſum vel totum, vel in partem amittat; præterquam quod alia pericula ex ea re imminere poſſunt ut rupturæ venarum & dilatatio arteriarum, in ea potiſſimum parte quæ alligatum brachium reſpicit; cavendum ergo duxerim ab ictibus, præcipuè violentis in hoc caſu, & potius quaſſationibus utendum, quæ cum ab omni periculo immunes ſint, ſufficientes exiſtimandæ ad reum, quantum neceſſitas requirit, cruciandum.

Cæterum in hoc tormento infligendo Judices, ut 9 alias dixi multis utuntur ingeniis, ad moleſtiam & cruciatum augendum; tale illud eſt, cum baculum inter utrumque pedem rei in func pendentis immittunt, ne eos ſimul iungere poſſit, quod quanta cum moleſtia fiat teſtatur poſt alios ſæpe adductus Far. *loc. cit. n.* 65. Non diſſimile eſt cum compedes, vel pondus aliquod reorum pedibus appendunt, dum in fune ſuſpenſi manent; nam & ex hoc maior dolor. neque impar moleſtia concitatur, & idcirco his non utuntur niſi in delictis atrociſſimis, eorum atrocitate tormentorum atrocitatem expoſcente. Sed non ſatis ad hoc eſt delicti atrocitas, niſi ſimul robuſtus rei vigor ad eam tormentorum atrocitatem ſufferendam ſufficiens exiſtat; quia quantumvis atrocia delicta ſint, nunquam tormentis rei poſſunt enecari, cum illis uti liceat pro quæſtione, non pro pœna, ut aliàs dixi; ſunt ergo hæc in debilibus: & inſufficientibus evitanda.

Superat autem eius tormenti hac ratione inflicti 10 ſævitiem id, quod nonnullos Judices facere dicunt Carrer. *in pract. crim. in princ. num.* 189. ex Parid. à Put. *de Synd. cap. 4. num.* 6. & poſt hos Farin. *ubi alias num.* 66. imperare nempe reos iam tantiſper tortos à tormento deponi, ac permittere eos à prægreſſo labore ſuperexcalfactos refrigerari, refrigeratos denuo tormento ſubiicere, duplicato in tormento ex prægreſſa refrigeratione mirum in modum dolore, At cur hoc? In priori tortura corpus inſigniter excalfit, pori adaperiuntur, nervi, nervoſæque omnes partes, & quæcunque nervorum naturam æmulantur, relaxantur; ſuperveniente mox frigore, & per iam patentes poros facile ad eas partes ſeſe inſinuante, illæ obrigeſcunt; poſt ex novo tormento maiori multo cum cruciatu eas diſtendi, ac divelli neceſſe eſt; unde non fit hoc abſque periculo diſruptionis, evulſionis, & lacerationis vaſorum, & patientium particularum? quamobrem non immerito & hoc ab uſu receſſit, quemadmodum & proiectio frigidæ in rei dorſum, quæ ob eandem ipſam rationem parem ſuperiori infert cruciatum.

Conſiderabile & illud in hoc tormento eſt, quan- topere nempe reus à terra elevetur: nam parum à 11 terra elevatus maiorem experitur dolorem, quàm qui magis elevatur, ob rationem à Dd. adductam, de qua re non ſiluit etiam Fort. noſter *loc. cit.* eandem afferens rationem, quæ talis eſt: nam dum multa vi terræ inniti ſuſpenſi rei contendunt, atque in hoc uno totis nervis incumbunt, partes magis diſtenduntur, ac ſeipſos plurimum exagitant, atq; dilacerant, etenim quo propius id laboris ſolamen cernitur, quod inhibetur, eò magis potiundi ſollicitat deſiderium: Ita Fortunatus, & ex Jurisconſultis Carrer. *in pract. crim. in princ. num.* 178.

Sed antequam ulterius, progrediamur, quæri po- 12 teſt hic cur abraſio pilorum id operari videatur, ut rei facilius à tormentis victi, veritatem confiteantur? Ita enim ſeſe rem habere dicit ex Parid. à Put. Carrer. *ubi proxime*, & ex aliis Flam. Chartar. *in pra ctic. interrog. reor lib. 4. c. 1. n. 222. verſ. Quinto capillos capitis.* & Ambroſin. *de mod. form. proceſſ. in fin. l. 4. cap. 7. n.* 6. Mihi quidem, ut veritatem ingenuè fatear, nulla de ea re phyſica ratio, quæ ſatisfaceret, in mentem venire poterat. In ſacris quippe robur in capillis adnotatur, ut Samſone, *Judic. cap.* 16. cui, abraſis capillis omnis vigor; & fortitudo redibat. ut ibi *verſ.* 19. Apud Potëas etiam, ut apud Ovid. *Metam. l.* 8. *fab.* 1. Niſus ſuperari ab hoſtibus non poterat, niſi ei crinis è capite abſcinderetur, quod ubi à Scylla eius filia factum, facilè à Minoë ſupe-

p'ratus eſt. Sed cum id in Samſone fuerit ſupernaturale, in Minoe, & aliis fabuloſum, non habet locum in caſu noſtro ſicuti neque id, quod alij Poetæ fabulantur, quoſdam nimirum vitâ excedere non potuiſſe, niſi illis crinis abſcinderetur. Quaſi abſciſſo crine omnis vigor evaneſceret: ut de Didone Virg. *lib.* 4. *Æneia. ibi.*

Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat.
Sed miſera ante diem ſubitoque accenſa furore.
Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco
Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo ſole colores.
Devolat, & ſupra caput adſtitit, hunc ego Diti
Sacrum juſſa fero, teque iſto corpore ſolvo.
Sic ait, & dextra crinem ſecat, omnis & unà
Dilapſus calor atque in ventos vita receſſit.

Certè coma raſa abiicit animum; idcirco moris fuit apud veteres in coniunctorum funere comam deponere, aut tondere, aut etiam evellere, ad demonſtrandam ſummam animi abiectionem, unde apud Homer. *Odyſſ. lib.* 4.

—— *indigno nec quicquam.*
Flere quicunque mortuus fuerit mortalium & fatum obierit.
Hoc nimirum munus eſt ſolum miſeris mortalibus
Tondereq; comam, profundereq; lacrimas à genis.

De qua re plura vide apud Delrium *in com. ad Sen. Hyppolit. n.* 1177. In Sacris. etiam *Deuter. c.* 21. *v.* 12. ſi quis captivam ducere in uxoren vellet præcipiebat, ut eam in propriam domum introductam curaret, ut raderet cæſariem, ad animum eius, ut credo abiiciendum: unde apud veteſtiores tam Græcos, quam Latinos, omnes ſervi caput radebant, referente Pier. Valer. *lib.* 32. *Hieroglyphicorum. c. de Coma.* Sed pilos fortitudinem, & audaciam afferre certum eſt; Unde illud Ovidii *Metamorph. lib.*

Barba viros, hirſutaque decent in pectore ſeta,

Et illud Iuvenal. *Sat.* 8.

Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum.

Nam mulieres, & Eunuchi, qui pilis, ut cæteri, ſecundum totum corpus minus abundant, timidiores etiam cæteris hominibus ſunt imo inter cæteros piloſos eſſe audaciores notiſſimum eſt. Idcirco apud Græcos conſuetum fuiſſe comam nutrire, in fortitudinis ſignum, teſtatur idem Pier. *ibidem* unde nullum Heroum, qui bello Troiano interfuerunt abſque comæ laude Homerus reliquit, ut percurrit Sineſius ex Dione. *incal virii encomio prope principium* Superſtitioſum quid ineſſe putant iudices in ipſis pilis, illis abſcondi poſſe remedia quædam, & characteres ad tormenta ſuſtinenda. Ego, quicquid ſit de hoc, putabam nonniſi ex tormentorum atrocitate venire, ut rei, poſtquam illis pili abraſi fuerint, veritatem confiteantur: nam pili vel abraduntur
13 poſtquam Rei iam alias torti fuerunt, & viſi ſunt tormentum floccifacere, vel cum vigiliæ tormento ſunt ſupponendi, & in utroque caſu ob tormentorum atrocitatem vix unquam rei conſtantes ſunt in deneganda veritate: & quoad primum teſtatur Paris à Put. *And. de Iſern. ubi ſupra n. eod.* & poſt hunc Chartar *in pr. interr. reor dib.* 4. *c.* 1. *n.* 192. rarò accidere, quod ſemel tortus iterum torturæ expoſitus non confiteatur; & quoad ſecundum aſſeverat Farin. *cit. q.* 38. *n.* 71. perpaucos eſſe, qui à tali tormenti acerbitate non vincantur, quia ut addit; eſt inſupportabile tum ratione temporis, tum ratione imenſi cruciatus & doloris: Verum cum prædictis non contentus adhuc cauſam eius rei, quæ magis ſatisfaceret, inveſtigarem, cum quodam Judice de vigiliæ tormento verba faciens, retulit, Reos capillis deraſis in ipſo tormento ſummam, atque intoler-abilem moleſtiam ex capitis frigore percipere 14
Ergo conſentaneum vero eſt, per adapertos poros, in locis in quibus pili abraduntur, & maximè in capite, externum frigus ad interna, in eo labore & agone, non niſi ſummo cum tædio penetrare, atque eo modo in cauſa eſſe, ut rei eo tædio, cruciatibus, quos perpetiuntur, adiuncto victi vel nolentes veritatem fateantur.

Offertur inſuper adnotandum tempus tam continuum, quam diſcretum quo rei torquentur: Quoad tempus enim continuum, convenit inter omnes Dd. 15
non poſſe eſſe longius ſpatio unius horæ. Chart. *loc. cit. l.* 4. *c.* 1. *n.* 113. Ambroſ. *ubi alias, c.* 3. *n.* 2. & ibi Bernar. *in ſchol.* Far. *cit. q.* 38. *n.* 54. Guaz. *def.* 39. *c.* 22. *n.* 8. licet aliquando ultra per horæ quadrantem in atrociſſimis ſit illatum, teſte eodem Farin. *ibid.* Sed certè conveniens eſt & ſufficiens ad ſummum, horæ ſpatium, & prudenter hoc tempus moderati ſunt Judices; quia cum maximè & inſigniter in hoc tormento lædatur reſpiratio, cum tantopere in tormento rei defatigentur ut notat Fortunat. *ubi ſupe* cumque reſpiratio tam neceſſaria ſit ad fovendum cordis calorem, ſignanter ubi corpus tantopere laborat, certum eſt, ſi ad magis diuturnum tempus tormentum proferatur, in pluribus, ne in omnibus dicam, periculoſiſſima ſymptomata, & vitæ etiam extinctionem producturum, habita etiam conſideratione intenſi cruciatus, quem rei perpetiuntur; viderunt ergo illi, quod ultra hoc ſpatium illos torquere, erat Legum ſanctionibus contrarium, quæ Reos aut pœnæ, aut innocentiæ incolumes ſervati præcipiunt,

Quoad tempus diſcretum, conſideratur ſpatium inter unam & aliam torturam, & torturæ ipſius repetitionem: & quoad primum (nam an, & quando 16
repeti poſſit tortura, ad me non pertinent decidere ſed illud tantum ſcio, regulam eſſe in iure, quod tortura repeti non debeat, Brun. *de ind. & tort. p.* 2. *c.* 5. *n.* 59. Carrer. *in pr. crim. in prim. n.* 188. Farinac. *ubi ſupra, n.* 32. Guazz *de def. loc. cit. c.* 23. *n.* 11) communis Dd. opinio eſt, quod Reus torqueri non poſſit continuatis diebus. Farinac. *ubi. mox, n.* 105. cum pluribus *ibi* per eum adductis Guazz in. *ibid. n.* 11. & hoc non abſque ratione, quia cruciatus tantopere excederet, ut ſuſpectus eſſe poſſet in eruenda per vim veritate & periculo non vacaret. Eadem enim ratio hic militaret, & magis etiam urgeret, quam militare dixi, cum Reus pauliſper tortus refrigerari permittitur, & dehinc iterum tormento exponitur quod ob immodicum cruciatum evitandum cenſent Doctores. Quoad ſecundum vero nihil certi determinatum reperio. Blanc. apud Farinac. *ubi proxime*, interſtitium inter unam & aliam torturam videtur conſtituere triduanum. Sed Paris à Puteo *de Synd. verſ. Tort.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. de quorundam Judicum conſuetudine locutus, dicebat tale ſpatium debere eſſe octo, aut decem, aut plurium dierum. Exnoſtris autem Fortunatus *ubi alias*, refert Juriſconſultos conſueviſſe, ſi quando funis tormentum reperi debeat, quadraginta dierum ſpatium interponere, quod apud neminem eorum, quos, vidi, adhuc inveni; ſic forte utuntur in Sicilia. Illud certum eſt, debere conſiderari qualitatem torturæ prægreſſæ, & Rei torquendi vires, aliasque concurrentes conditiones antequam de tempore intermedio quicquam determinetur: Poterit. enim illud longius, aut brevius eſſe pro torturæ prioris maiori aut minori gravitate

vitate,pro Rei maiori, aut minori robore, & ſic de cæteris; neque dubium eſt,quod quanto magis una diſtabit ab alia tanto minus cum periculo ſecunda infligetur, & quantò minùs diſtabit, tanto cum maiori periculo; licet etiam poſt octo, aut decem, aut plures dies,ut teſtatur Paris à Put. *loc. cit.* tortura tepetita tantum inferat cruciatum, ut quantumcunque teus copore, & animo ſit induratus, veritatem confitetur.In hac re ſi Medicorum iudicium requiratur, tale ex mea ſententia eſſe debet univerſaliter loquendo, non debere Reum ante quindecim dies de novo tormento exponi, niſi Judex ob criminum immanitatem, atrocitatem tormentorum affectare cogatur:nã alias periculum eſt,ne in ſecunda tortura ante hoc tempus illata, nerui, venæ, arteriæ & capita muſculorum diſrumpantur, ipſique muſculi lacerentur, & inſigniter debilitentur, maximè in pectore,ut ſunt qui brachia ad pectus adducunt, ut in nonnullis ex tormenti acerbitate eveniſſe teſtatur Fortunatus noſter. *ubi alias.*

Conſiderandum inſuper Medico, quænam par-
18 tes corporis in hoc tormento præ cæteris crucientur, ac malè ex tortura afficiantur; & certe humeros præcipuè dolorem excipere non eſt ambigendum, & maximè ſecundum articulos, quibus ſcapulis coniunguntur. Quamobrem exiſtimant omnes
19 homines,humeros in hoc tormento luxari, quam tamen opinionem ob impoſſibilitatem hujuſmodi luxationis, falſam eſſe dicit idem Fortun. Fidel. *loco cit.* probatque ulterius eâ ratione, quod recenter à tormento depoſiti brachia quoquo verſum moveant; quod facere abſque dubio non poſſent humeris aliquo modo luxatis. Humeri quidem luxationes perraras eſſe, & eventu difficiles notiſſimum Medicis eſt, licet Gal. plura genera luxationis humeri agnoſcat, & nonnulli ex Avicennæ, aliorumque auctoritate, tria genera luxationum in humeris conſideraverint,& alii etiam quatuor, ut Paræus *lib. de luxat.* tamen Hippocrates apertiſſimis verbis negat humerum poſſe, præterquam unica ratione nempe in alam luxari. Ita *lib. de Artic. in princ. & in Mochlico prope princ.* imo contra alios Medicos contrarium ſentientes diſputat. Et cum hæc luxatio ex chordæ tormento requaquam fieri poſſit, ſequitur ut nullo modo ex tormento luxatio ſequatur, & tamen in uſu quotidiano eſt,ut Reo à fune depoſito brachia per tortotes reaptentur,quaſi ſuo loco mota ſint,ſed id fieri credo, ob iam perpeſſum dolorem,nam & cum à vigiliæ tormento deponuntur in quo brachia non luxari certum eſt, brachia ob prægreſſum dolorem & ligaturam ac immobilitatem per cuſtodes ex Judicis mandato reaptantur.

Sed præter dolorem, quem humeris, eorumque
20 articulis,ac iunctutis, quæ cubito manum iungunt tortura chordæ infert,pectori inſuper eſt inimiciſſima ſpirandique difficultatem, & plurimam ſpiritualibus affert moleſtiam; quia retro extenſis brachiis,ſurſumque muſculos, qui illa ad pectus adducunt, attrahentibus, & alia ex parte corpore pendulo ſuo pondere illos retrahente, fit moleſta anhelitus difficultas, urgente maxime reſpirandi neceſſitate ex labore in tormento perpetrato: neque idcirco aliæ partes à dolore & moleſtia ſunt immunes, quia totum corpus compatitur, & dolores & moleſtiæ non ex ſolo tormento augentur, ſed ex plerisque, quæ in ipſo tormento ſuperveniunt, quæ alias minimi momenti viderentur, exemplo ſit ſudor in guttas ex capite emanans, quem aliquando ad ſummum naſi apicem decurrentem tam moleſtum miſeri rei experiuntur,veluti mihi,nonnulli retulerunt, ut magis moleſtum ipſo cruciatu fuiſſe dieraverint.

SUMMARIUM.

1 *Impedimenta ob quorum cauſam quis torqueri non debeat unde deſumantur.*
2 *Impedimentum ex ætate.*
3 *Impuberes torqueri non poſſunt.*
4 *Impuberes habilitati à ſtatuto ad teſtimonium dicendum torqueri poſſunt.*
5 *Senes torqueri non poſſunt.*
6 *Senex ad hoc ut torqueri non poſſit, quis dicatur.*
7 *Morbi reſpicientes totum ob quorum cauſam rei tormento chordæ non ſunt ſubiiciendi.*
8 *Morbi particulares ſimiliter impedientes tormento chordæ Reum poſſe torqueri,& num. ſeq.*
10 *Articularib. morbis obnoxii ab hoc tormento an eximendi*
11 *Gallico morbo affecti an à chorda ſint immunes.*
12 *Impedimenta reſpicientia partium diſpoſitionem, ob quorum cauſam Rei non poſſunt torqueri.*
13 *Cauteria in brachiis an excuſent à chordæ tormento,*
14 *Impedimenta corporis habitudinem reſpicientia,ex quorum cauſa Rei non ſunt torquendi.*
15 *valetudinarii, & debiles torqueri non poſſunt.*
16 *Qui de recenti comederint, vel biberint, non poſſunt torqueri*
17 *Tormento ſubiiciendi per decem horas ieiuni eſſe debent. Die, ut num. ſeq.*
19 *Mulierum quænam chordæ tormento non ſunt torquendæ.*
20 *Puerpera non poteſt torqueri.*
21 *Lactantes non ſunt torquendæ.*
22 *Mulieres cur facilius chordæ tormentum ſuſtineant, quam viri.*

Quænam impedimenta in cauſa eſſe poſſint, nec rei chordæ tormento ſubiiciantur.

QUÆSTIO IV.

IMpedimenta huiuſmodi conſiderari poſſunt vel ex parte ætatis, vel ex parte morborum, vel ex 1
parte conſtitutionis & habitudinis corporis, Ex parte ætatis, vel quia eſt nimis tenera, vel nimis præcipitata Ex parte morborum, qui vel reſpiciunt totum, vel partes. Ex parte conſtitutionis corporis vel totius, vel partium.

Quoad ætates ergo primo ſeſe offert ætas, quæ præcedit pubertatem, & eſt regula apud Juris conſultos deſumpta *ex l. de minore* 14. *annis ff. Qu.* de 2
qua omnes Dd.etiam teſtantur, quod impuberes, extendendo hanc ætatem ad. 14. annos,torqueri non poſſint. Brun. *de Ind. & tort. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. Bellovi*ſ.in pract. Iudic. tit. de Quæſt.n.* 13. Clar.*lib.*5. *recept.ſent. quæſt.*64,*num.* 20. Carrer. *in pract. crimin. in princ. n.* 180. Guilland. *de Quæſt. & Tort. quæſt.* 6. *num.* 4. & poſt alios veteſtiores Chartar. *ubi alias lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 43. Farinac,*quæſt.* 41. *num.* 16. & Guazzin.*ad def.reor.def.* 30. *c.* 11. *in princ.* & ex Medicis Fort. Fidel. *loco. ſæpius.cit. rub. Cuius ætatis &c.* Sed nota Dd. velle impuberes eximi quidem ob ætatem teneriorem ab omni tormento, ſed ſi à ſtatuto habilitentur ad teſtimonium dicendum (fortè quia 3
tum malitiam ſuperabundare credendum eſt) poſſe torqueri.Bart.*in d. l. minore* Farinac. *d. q.* 41. *num.* 22. Quod quam bene ſit prolatum,ego non video, quia 4
licet habilitatio ad teſtimonium dicendum, fiat alicubi, ob maturius advenientem in hominibus animi vigorem,& quia ut Perſ. *Sat.*4.

——— *Ingenium,& rerum prudentia velox.*
Ante pilos venit,dicenda tacendaque callent.

Tamen hoc non facit,quod poſſint eſſe habiliores ad tormenta toleranda, quia hæc tolerantia reſpicit vigorem, & robur corporis, non animi; nam poſſunt quidem alicubi terrarum pueri maturius quartodecimo anno eum animi vigorem habere, quem alibi vix quartodecimo adipiſcuntur, ſed non idcirco hinc ſequitur, quod debeant eſſe validiores, ita ut

tormenta facilius tolerare poſſint; licet, ut ingenuè dicam, videtur in omnibus robur animi ſequi ad corporis robur. Sed tamen prudenter moderati ſunt prædictam ſententiam iidem Dd. quod hoc ſit intelligendum de tormentis leviotibus, ut fernla, vel ſcutica: nam ea regula, quod minores torqueri non poſſint, maximè intelligenda habere locum in tormento funis, quia ut Fortunatus dicebat, & inſimul ipſa ratio dictat, impuberibus adhuc corpus non eſt iam firmiter ſuis articulis compactum, neque ita nervorum duritie munitum, ut ex hoc tormento non inſigne damnum, ac certum ſalutis detrimentum ſint reportaturi. Unde ex hoc idem Fortunatus (& maximè quia pubertas non eodem tempore in omnibus advenire ſolet) illam ad decimum octavum uſque annum extendit: vult, inquam, chordæ tormento non poſſe adoleſcentes ante hunc terminum cruciari: ſed quæ à Jure determinari non poſſunt, Judicis requirunt arbitrium. Itaque particulares naturas ipſe, requiſita, ſi libet Medici ſententia, antea conſiderans, aptas vel ineptas ad huius tormenti tolerantiam iudicabit: quod ſatis ſuperque illi notum eſſe poteſt ex compagine, & fortitudine membrorum, ex aſpectu & corporis habitu.

5 Quoad ſenes etiam, prottita regula eſt apud eoſdem Jurisconſultos, *ex l. ſi quis gravi. §. ignoſcitur ff. ad SC.* Syllanian. & Claud. (qui text. an ad hanc rem faciat, ipſi videant) eos torqueri non poſſe. Bellovi. *ubi ſupra. num.* 13. Brun. *loco. cit. par.* 2. *cap.* 4. *num.* 18. Carrer. *ibid. num. eod.* Farinac. *cit. quæſt.* 41. *num.* 24. Guazzin. *adducta def.* 30. *c.* 12. *num.* 2. & ex Medicis idem Fortunat. *ubi alias. rubr. eod.* & hoc nonnulli voluerunt locum habere in omni tormento, etiam levi. Boſ. *in pract. crim. tit. de tort. n.* 20. Farinac. *ubi ſupra. num.* 29. *in fi.* Sed hoc non debet in omnibus indifferenter procedere, quia niſi præcipitatæ ætatis ſint, & viribus effœtis, non video cur non poſſint ſaltem levioribus tormentis cruciari. Quinam autem ad hunc effectum dici debeat ſenex recte à Ju-
6 ris conſultis definitum puto, quod Judicis arbitrio relinquatur, ut per eund. Farinac. *ibid. num.* 28. Sed qui terminum aliquem præfigunt, extendunt illum ad ſeptuaginta annos, ita idem Farinac. *loco citato num.* 25. ſed Fortunatus noſter (licet nihil certi ex Juriſconſultorum monumentis potuiſſe ſe elicere circa hoc dicat, fortè quia noluit inhoc tempus conterere, aut neceſſariis libris carebat) ſenex à ſexageſimo tertio anno à tormentis facit immunes, ratio eius termini eſt; quod omnis ætatum ſeries ut ex noſtro Hippocrate patet, per annorum ſeptimanas progreditur, unde in ſeptimana ſequenti annum ſexageſimum tertium, ſenes plerumque viribus omnino deſtituuntur, & ad omnem laborem inhabiles fiunt, quod corpore & animo langueant: ſed melior eſt Juriſconſultorum ſententia, quia nullus certus terminus in ulla re, & præcipuè in ætatum mutatione poteſt in particularibus aſſignari, & ſic Judicis arbitrium in hoc intervenire debet; erit enim qui ſexageſimo tertio ætatis anno vegetior, & robuſtior erit alio, qui nondum quinquageſimum exceſſerit. Difficilius autem omninò, ob allatam à Fortunato rationem, Judices eo termino tranſacto ſenes torquere debent, & omnino levius.

Porrò impedimenta ex parte morborum quam-
7 plurima ſunt, cum multiplex item eſſe poſſit morbus, ex quo quis torqueri impediatur: & primo morbi reſpicientes totum, erunt febres quantulæcunque ſint: Quia in chordæ tormento maximè ſpiritales partes afficiantur, & plurimus in illis calor ex moleſto tormenti labore excitetur, periculum eſt, ne ex calore etiam minimo magna febris accendatur. Sed utrum excuſare debeat ſimplex tertiana intermittens, aut ſimplex quartana ſaltem in diebus intermiſſionis, dico, quod debeat excuſare & maximè tertiana, ob id quod corpus facilè ex incaleſcentia à tormento & labore facta, & calidiſſimis humoribus iam putreſcentibus refertum, maiorem de facili poteſt calorem concipere, & ex ſimplici tertiana continuam, imo acutam febrem excitare. Minus quidem periculi eſſet in quartana: in qua humores prædominantur frigidiores, ſed tamen, niſi admodum levis ſit idem ex ea periculum impendet, quod quidem maius erit ex hoc, quod quartana ex ſimplici continua facta eſt maximè periculoſa, ut Celſ. teſtatur *lib.* 3. *c.* 15. Eadem autem ratio eſt de ſingulis morbis, qui febrem comitem habent neque enim in hoc negotio quicquam refert, utrum accidentalis febris ſit, quia in utroque caſu par imminet periculum.

Cæterum alii morbi, qui impedimento ſunt, ne 8
Rei huic tormento ſubiici poſſint, à capite enumerandi ſunt eiuſdem capitis inſignes dolores, vertigines, & apoplexia, epilepſia, nempe, inquam, cum Rei alias apoplectica, aut epileptica ſymptomata pati conſueverunt, eiuſdem tumores & vulnera non præſentia ſolum, ſed etiam à multo tempore prægreſſa, præcipue ſi inſignia extiterint. Poſt hæc ſquinantia, ſi ei homo facilè ſit obnoxius, vulnus trachææ, vel adiacentium partium præſens, aut prægreſſum, earundem partium tumores non aſpernabiles, dehinc omnes pectoris morbi notatu digni, præter, & ultra eos, qui febrem adiunctam habent. Adnumeranda & hîc eſt tuſſis longa, rebellis & moleſta, aſthma & omnis ſpirandi difficultas, catarrhus moleſtus, & maximè tenuis & ſalſus. Præſentia aut prægreſſa pectori vulnera, & ulcera notatu digna, & præcipuè fiſtuloſa; venarum quæcunque ſolutio continui, ſive, inquam, ſciſſæ, ſive apertæ, ſive ruptæ, ſive exeſæ ſint, raucedo perpetua, empyema, phthiſis, & ſi qui alii ad pectus ſpectant. Cum quibus adnumerandi etiam cordis morbi, vel minimi momenti, ut eius palpitatio, tremor, lipothymia ſyncope.

Pectoris morbos ſequuntur morbi ventriculi, ut 9
dolores, vomitus, frequens & moleſtus, cardialgia, tumor, & alii non aſpernandi. Hos ſequuntur cæteri morbi infimi ventris, inter quos connumeranda aqua intercus, hydrops dicta, maximè iam confirmata, herniarum ſpecies omnes, niſi ſubligaculis, aliisque ingeniis imminenti periculo occurratur: licet cùm hernia, ſive ruptura eſt inteſtinalis & magna, tutum non ſit his remediis fidere, & licet Fortun. *ubi aliàs*, admiſerit ad ſuſpenſionem & concuſſionem etiam aliquos hernioſos, habitâ cautelâ prædictâ, tamen neque magnos tumores illos pati, neque multum adapertos eſſe voluit. Et adverte, quod nullus hernioſus debet ictibus torqueri, licet illè ad concuſſionem hos admittat; quæ videtur apud ipſum ictum ſignificare, non quaſſationem; nam ut patet, quaſſatio differt ab ictu, quam differentiam non videtur Fortunatus cognoviſſe.

Qui articularibus doloribus, & ſignanter partim 10
ſuperiorum infeſtati ſunt, ab hoc tormento videntur excuſandi, quia facilè eſt acerrimo dolore in læſis particulis excitato, eas inflammari, & ob externæ cauſæ violentiam in gangrænam faceſſere, concurrente præſertim partium debilitate, ac caloris inopia & eſſet mehercle ſatis ſuperque, ſi ad iudicantium ipſorum libitum dolores arthritici in Reis excitari poſſent

poſſent, qui pro tormento inſervirent, nam permultos eorum medius fidius cogerent ad confitendum, etiam nolentes, veritatem neque ullis aliis ad hunc finem tormentis egeremus tam acerbos, tamque atroces dolores illos articulares eſſe clamant podagrici, & arthriticorum omnis turba. Non tamen conticendum eſt, quod Guill. Fabrit. *Obſ. Chirurg. cent.* 1. *obſ.* 79. narrat plurimos ſcilicet ex tortura ab arthriticis doloribus, & à podagra fuiſſe liberatos, quod ſi ita eſt, iam non eſſet timendum, quia ſuo potiùs commodo, quàm incommodo arthritici torturæ eſſent exponendi.

Gallico morbo affectos Juriſconſulti ab hoc tor-
11 mento excipiunt, ita Chartar. ex Decian. *lib.* 4. *pract. interr. reor. c.* 2. *nu.* 112. Farinac. *quæſt.* 38. *num.* 33. *in fin.* & Guazzin. *ad def. reor. def.* 30. *cap.* 4. *num.* 25. Sed hoc certè indifferenter in omni Gallico morbo non habet locum, neque veriſſimile eſt id ſibi voluiſſe Dd. ut quicunque gallicus morbus Reos à tormento excuſet, cùm ergo id ipſi non definiverint, nempe cuius qualitatis morbus eſſe debeat, ad hoc ut Reus torqueri non poſſit ad nos pertinet hoc determinare, cùm ex arte notum habeamus, quandonam imminere poſſit ex hoc morbo periculum, ſi Reus huic tormento exponatur; dicendumque tunc periculum notabile illum minitari, cùm gravia ſymptomata ſecum affert, ut ſunt artuum dolores maximè noctu moleſtantes, ulcera cacoëthica & maligna, tumores ſimilis naturæ, quos gummata vocant, oſſium caries capitis dolores gravantes, noctuque ſimiliter exacerbari, corporis conſumptio, maraſmus, lenta febricula, & id genus aliâ: nam & poteſt ex ſuprà nominatis morbis aliquem excitare, cùm nullum prorſus genus morbi ſit, quod à gallico ſeminio excitari non poſſit & cui non poſſit morbus gallicus aſſociari. Verumenimverò neque in hoc poteſt quicquam certi determinari; unde & arbitrio iudicantium hoc ipſum moderandum cenſeo, addito Medicorum conſilio.

12 Cæterùm impedimenta, quæ artuum diſpoſitionem reſpiciunt, enumerantur à Fortunato, ubi aliàs. Et primò eſt brachiorum debilitas, ex prægreſſa eorum effractione, modò non acciderit ante pubertatem, quia fractura ante eam ætatem eveniens non, ſolùm facilè ſanatur, & propriè quidem ſanatur Avin. 5. 4. *tract.* 1. *cap.* 1. ſed oſſa ad conveniens, imò ad maius etiam robur redire ſolent: poſt pubertatem autem contrario modo evenit: unde ſuſpendi quidem tales permittit Fortunatus, ſed ea cautela adhibita, ut ſi inſolitus liuor in pendentis Rei brachiis animadverteatur, illico deponatur à tormento, ſed nimis certè ille rigidus eſt, qui periculi experientiam in Reorum caput facere permittit. Neque dubium eſt, id periculi imminere, ne iam effracta oſſa iterum frangantur, ſatiſque hoc videtur ad exemendum Reum ab hoc tormento. Sed & vulnera inſignia brachiorum iam perpeſſa, eandem afferunt executionem pro Reis, quia non permittunt brachia extendi, & periculum eſt, ne ad extenſionem coacta diſrumpentur. Neque articulorum tantùm ſed aliarum quoque partium ipſorum brachiorum, & præcipuè magna & tranſverſim inflicta vulnera, in quibus par eſt, venas, arterias, capita, muſculorum, nervos fuiſſe reciſos, ob eandem ipſam cauſam Reos hoc tormento cruciari non permittunt, fiunt autem hæc ex magnis cicatricibus relictis, ſatis intuentibus conſpicua.

Voluerunt inſuper ex Juriſconſultis Bernardin.
13 *ad Ambroſ. de mod. form. proceſſ. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. 3. *in fin.* & ex Medicis iam millies citatus Fortunatus, *loco eodem*, à tormento hoc ſervandos quoque eos immunes, qui ulcuſcula in brachiis, quæ fonticulos, & cauteria vocant, geſtare ſolent; dilacerari enim brachia dicit. Fortunatus, maximè ſi ex longa talium fonticulorum geſtatione, ut uſuvenit, brachia ſint emaciata, quemadmodum fœminæ cuidam eveniſſe teſtatur, unde Reorum malitiam notat idem Bernardin. *ubi ſupra* qui ut ſe ab hoc eximant tormento, huiuſmodi cauteria ſibi in brachiis excitant. Tumores etiam in brachiis notatu digni idem impedimentum afferunt, teſtante eodem Fortunato *ibidem*, de quibus multò minus intercedere dubium debet, quàm de fonticulis prædictis, cùm periculum, ut mihi videtur, ex his evidentius ac certius emanare poſſit.

Sed & inter cætera impedimenta ea connumera- 14
vimus, quæ corporis diſpoſitionem, ac habitudinem reſpiciunt, ut eſt imprimis nimia, & luxurians obeſitas, & turgida membrorum, ventriſque inferioris compago. Neque video quid ad hoc faciat Fortunati diſtinctio, qui voluit non de omni obeſitate hoc verum eſſe, ſed de illa maximè, quæ à natura, & à prima ætate advenit, niſi quod in his, qui procedente ætate pingueſcunt, calor naturalis maior, & vaſa ampliora in illis verò, qui à natura pingues ſunt, minor abſque dubio calor eſt, & vaſa anguſtiora reperiuntur, ita docente Galeno *comm.* 2. *Aphoriſm.* 44. unde periculo maiori exponuntur, ſed non ob id à periculo ſunt immunes qui per accidens pinguescunt; quia admodum obeſi non ob id ſolùm ſervantur ab hoc tormento immunes, quia periculum ſit ne prænimia corporis mole muſculi lacerentur & venæ, & vaſa quæcunque diſrumpantur, ſed etiam, ut addit Fortunatus, quia omnes hi difficultatem reſpirandi patiuntur, ob quam non ſolùm à concuſſione & quaſſatione, (pro quibus ille ictus intelligit) ut vult, hos eximerem, ſed etiam à ſimplici ſuſpenſione, & maximè ad longum tempus, quia & ſimplici quoque ſuſpenſione inſigniter reſpirationem lædi conſtat; præterquam quòd apoplexiæ & ſyncope eſſe nimis obeſos obnoxios palam eſt, quam etiam ob cauſam non ſunt huic tormento ſubiiciendi. Inepti præterea huic ſupplicio, qui pectus habent anguſtum, humeroſque ac ſpatulas eminentes & alati ob id vocantur: præterquam quod enim huiuſmodi habitudinis homines quamplurimis morbis ſunt obnoxij, ut phthiſi, empyemati, hecticæ febri, ſanguinis ſputo, & ſimilibus, difficultatem etiam reſpirandi ingentem in tormento patiuntur, eo quòd non tantum aëris attrahere præ thoracis anguſtia valeant, quanto in eo labore indigerent.

Sed neque valetudinarij & debiles funis tormen- 15
to apti ſunt, cum utrique præ imbecillitate facilè poſſint deficere: facilè item eſt eos novis ægritudinibus ex ea violentia prehendi, non ſine manifeſto vitæ diſpendio: ſed quinam ad hunc effectum debeant dici debiles, & qui valetudinarij non ita in promptu eſt. Signa equidem, ex quibus valetudinarij deprehendi poſſint, iam percurri *lib.* 5. *tit.* 2. *quæſt. ult. num.* 7. Sed in hac ipſa re Judicis arbitrium requiri non eſt dubium, quod requiſita Medicorum ſententia ferre debet.

Ad corporis diſpoſitionem ſpectat ieiunuſne, an 16
ſatur homo ſit, & omnes Judices ea cautione utuntur, non tormento ſubiiciendi, qui de recenti comederint, aut biberint. Pariſ. à Put. *de ſynd. var. Tortura* 3. *cap.* 4. *nu.* 11. Clar. *lib.* 5. *Recept. ſen. quæſt.* 64. *num.* 29. Chartar. *in pract. interr. Reor. lib.* 4. *cap.* 1. *num. ult.* & ibi Bernardin. *in ſchol.* Farinac. *quæſt.* 30 *num.* 32. Guazzin. *ad def. Reor. def.* 30. *cap.* 4. *num.* 20. & ex

Medicis

Medicis Fortunat. *loc. ſæpè cit.* Rationem huius cautionis Juriſconſulti dicunt eſſe ne ſtomachus ſubvertatur : ita quoque & ipſe Fortunatus, quia moleſtiſſimus eo tempore eſſet vomitus. Sed aliæ urgentiores cauſæ ad hoc concurrunt, compreſſio primò partium ſpiritualium ex ventriculi plenitudine & præcipuè ſepti tranſuerſi ; quam tamen cauſam non admittens Fortun. videtur apertiâ fronte Gal. contraria, *lib. 6. de loc. aff. c. 5 aranſ. med.* dicenti. Etenim cùm aliquis ſe impleverit, ventriculus intumeſcens plane videtur ſeptum tranſverſum comprimere, atque hanc ob rem ſpiratio redditur celebrior : qua unuſquiſque hoc in ſeipſo facile ſæpiùs expiretur, conceſſerim quidem Fortunato, non quantulocunque cibo ingeſto ventriculum ita tumefieri, ut ſeptum tranſverſum comprimere poſſit, ſed multo. Quoniam ergo in hoc tormento reſpiratio plurimùm læditur, ut iam ſæpiſſimè diximus ; ſi Rei, qui de recenti ſe cibis & potib. impleverint, illo torqueantur maiorem multò, & non abſq ; periculo reſpirationis difficultatem incurrerent. His addendum impedimentum ex vomitu proveniens, de quo alij loquuntur ; cùm enim facilè fit poſt ciborum aſſumptionem, per agitationen in tormento factam, nauſeam & vomitum excitari, ſuffocationis periculum abſque dubio immineret, quia in tormento pectus ob violentiam muſculorum compreſſionem compreſſum, minùs liberè reſpirare poteſt ; dehinc maior ex labore in tormento fit reſpirationis neceſſitas unde ſuperveniente vomitu, & ob motum ſurſum maiorem in modum pectus comprimendo, & laborem, & reſpirationis neceſſitatem augendo dolorem etiam ob agitationem ab eo factam addendo, homo facillimè exitio exponeretur, ſtante inſuper quod vomitus pectori ſui natura ſit inimicus, ut dicit Avic. *lib. 1. fen. 4. c. 14.*

17 Optimo igitur iure præcipiunt Juriſconſulti, ut Rei per decem horas cibum aut potum non aſſumpſerint, ſi tormento ſubiiciendi ſint quæ tamen terminum multi ad pauciores horas reſtringi voluerunt ; licet plures in decem conveniant, ut Pariſ. à Put. & Clar. volunt : nonnulli dicunt ſufficere ſeptem, ut Ambroſin. Alia etiam ſex aut quinque, ut Farinat. & nonnulli alij apud Fortunatum. Sed ex Juriſconſultis Bernardin. *loco citat.* & ex Medicis Fortunatus ipſe, *ibidem.* longiori ſpatio, decem nempe horarum, adhærent, & tutiùs ex mea ſententia procedunt, licet narrat Fortunatus, bis ſe vidiſſe Reos proximè à cibo tortos, nihil inde nocumenti reportaſſe ; non idcirco tamen hæc exempla videntur ſequenda, ſi cum debita circumſpectione in re tanti momenti procedere in animo ſit.

Sed in hac ipſa re eſt, aliquid maximâ conſideratione dignum, nempè quòd ſi in omnibus indifferenter per decem horas à cibo expectes, ante-
18 quam tormento eos ſubiicias, ſummus error aliquando intervenire poterit ; cùm enim ſint quidam homines eius inſtitutionis & habitudinis, ut cibos facilè conficiant, & ieiunium difficillimè ferant, quales ij ſunt, quos picrocholos, id eſt bilioſos nominamus, certè ſi poſt decem horas à cibo hos tormento ſubiicias, ex hac una cauſa poterunt inter tormenta levi negotio deficere : itaque Judex in his minus temporis ſpatium obſervabit, & ut eos ex aliquibus ſignis cognoſcat, & non decipiatur, ſciat hos plerumque eſſe habitûs gracilis, coloris pallidioris, ad citrinitatem vergentis, vel etiam ad fuſcedinem, ſtaturæ aut procerioris, aut etiam puſillæ, cholericæ naturæ nempe ad iram promptæ. Cùm his etiam anni tempus conſiderandum eſt, diffidliùs enim uno, quam alio tempore homines ieiunium tolerare poſſunt ; ſic & de ætatibus quoque conſiderandum cùm una quàm alia difficiliùs ferat ieiunium, ut patet ex Hipp. 1. *Aph.* aliorumque Medicorum auctoritate.

Denique mulieres ſi utero gerant, ſi puerperia 19
habeant, aut ſi lac præbeant à tormento hoc excipiuntur, & multo magis. Et quoad prægnantem textus eſt *in l. Prægnantis, ff. de pœnis* à Dd. adductus qui tamen de tormentis non loquitur. Brunus *de Ind. & Tortura, part. 2. c. 2. n. 6.* Belloviſ. *in pract. Judic. tit. de Quæſt. n. 7.* Clar. *lib. 5. Recep. quæſt. 64. n. 22.* Carrer. *in pract. crim. in prin. n. 180.* Farinac. poſt multos *q. 41. n. 78.* & hoc procedere in quocunque prægnantiæ tempore non eſt dubium, ut dicit idem Farinac. *ibidem num. 38.* & Fortun. Fidel. *loco ſæpe allegato.*

Concordant etiam omnes de puerpera, nempe 20
de ea quæ novo peperit, quam per quadraginta dies dicunt torqueri non poſſe. Ratio aſſignationis eius termini conveniens quidem videtur, non quod ob innaturarum nonnullarum ſeparationem aut oſſium motionem, neceſſe ſit tot diebus expectare, ut idem Fortunatus voluit, neque ſolùm quod purgationes puerperij per quadraginta dies durent, quia in pluribus ad tam longum terminum non producuntur, ſed quia etiam ceſſantibus puerperiis adhuc venæ hiant, & apertæ ad hoc uſque tempus in pluribus remanent, ad expurgandas quaſdam ſuperfluitates in uteri ſubſtantia à partu relictas. Evenire igitur facilè poteſt, quod venæ in tormentis adhuc magis adaperiantur, & ſanguinis fluorem, aut alium etiam non minùs periculoſum morbum excitent, & præcipuè hyſtericos, ſeu uterinos dolores, quos ipſos chordæ tormento atrociores eſſe aliquando ipſa docet experientia. 21

Sed & lactantes non ſolùm ratione infantis, ſed ratione etiam ſui ipſarum exceptæ ab hoc tormento ſunt ; fieri enim poteſt, ut ex tormenti violentia, & ſanguinis ad mammas decurrentis, (ſi modo ex ſanguine lac generetur quod non infimis rationibus improbatur) & ipſum lac, quod iam ad mammas delatum eſt, per totum corpus diſpergatur, unde & dolores & febres non contemnendas excitari poſſe certum eſt : præterquàm quòd, ut dicit Fortunatus, bona ſanguinis parte in lactante ad mammas decurrente, fit, ut ipſa mulier minori ſanguinis copia abundet, & ea de cauſa debilis reddatur. Sed ego hoc ſuppoſitum falſum exiſtimo, non enim video nutrices ſeipſis fieri debiliores, & idcirco non ex ſanguine lac fieri cenſendum, quomodo enim integras ſanguinis libras, imò binas ſingulis diebus ex nutrice ad annos elicies ? Sed nunc non datur his locus. Obſecro, lector humaniſſime, vide quæ pro hac opinione affert cumulantiſſimè Proſper Martianus ad lib. Hipp. *de nat. puer. verſ. 250 & alibi, in commentariis ejuſdem Hipp.*

Sed his omiſſis ſuperioribus rationib. allatis pro 23
lactantibus, quod torqueri non debeant hoc maximè chordæ tormento, addam etiam, quod longo tempore ieiunæ permanere non poſſint, paſtas autem illas torquere, ut alios homines, eſt periculoſum ; ſi ergo eas impaſtas per decem horas ad tormentum duxeris, animi deliquio, lipothymia, ſincope facillimè prehenduntur ; ſi paſtas, eas in illa petricula coniicies, de quibus iam locuti ſumus.

De mulieribus autem cùm ſermo ſit, illud opportunè fieri poteſt, cur ſit, quod chordæ tormentum faciliùs ſuſtineant, quàm viri ? Ita tradit ex Juriſcon-

ſultis

ſultis Ant. Scap. apud Chartar. *in practic. inter rog. Reor. lib. 4. cap. 1. num. 210.* & ex Medicis Fortunatus *ubi ſupr*, & confirmat experientia, & communis hominum aſſenſus Ipſe Fortunatus hoc ex eo evenire credit, quod non adeo moleſtentur à reſpirandi difficultate in ipſo tormento, ut viri, quia pectus multo latius obtinent; unde addam quod etiam extra tormentum reſpirandi difficultatem facilius tolerant, quam viri. Aretæo teſte, *lib. 1. Acutor. c. 11.* oportuit namque à natura mulieri latius pectus donari ob prolis nutritionem. Sed interdum non tantum ex hoc fit, ut in confitenda veritate ſint pertinaciores, ſed quæ ſumma animi pertinacia dotantur, quippe quæ fruſtatim ſe concidi libentius eligant, quam contra id facere, quod in animo obfirmaverint ſuo, cujus muliebris vitij teſtis eſt communis hominum opinio. Sed de hac re vide, quæ affert Tiraquell. *in leg. connub. l. 9. à num. 34. ad plures ſeqq.* Ægyptii, ut hoc per tranſennam dicam, à natura tanta animi pertinacia dotantur, ut tormenta patientiſſimè ferant, & in quæſtionibus torti, potius motiantur, quam veritatem prodant, teſte *Aelian. lib. 7. var. hiſtor. cap. 18.* At unde eſt, ſi hoc tormentum facilius ſuſtinent, quod plerumque facilius quam viri, quæ perpetraverint, confiteantur? Nam ita firmat Tiraquell. *ubi ſupra, num. 146.* & Ambroſin. *de mod. form. proceſſ. lib. 4. cap. 6. num. 2.* & idcirco volunt, ut teſtatur Paris à Put. *de Synd. verb. Tortura 2. cap. 2. num. 3.* & idem Ambroſin. *ibidem* quæſtionem eſſe primo à muliere incipiendam, quod facilius confiteantur. Anne timiditas animi vincit pervicaciam? an forte impoſſibile eſt, fœminam, quæ novit tacere, an utrumque ſimul in ea re aliquid operari dixerim?

SUMMARIUM.

1 *Vigilia tormentum atrocius quam chorda.*
2 *Qua pariet in Vigilia torqueantur.*
3 *Quæcunque impediunt chordæ tormentum, impediunt etiam tormentum vigiliæ.*
4 *Peculiares morbi, qui vigiliæ tormentum rei infligi non permittunt.*
5 *An vigiliâ torquendi, comedere aut bibere poſſint, antequam tormento exponantur.*

De Tormento Vigiliæ.

QUÆSTIO V.

ATrocitatem Tormenti, de quo jam locuti ſumus, ſuperat, ut dixi, non ratione doloris tantum, qui inſupportabilis eſt, ut dicit Farinac. *quæſt. 38. num. 71.* verum etiam ratione temporis, quo detineri in tormento Rei ſolent, ſuperat, inquam, abſque dubio alterum tormentum, quod Vigiliæ nuncupant, & cujus deſcriptionem jam dedi *quæſtione prima*, in quo tormento infligendo, non aliter quam in ſuperiori plura veniunt conſideranda; & prima quæ de ligatura, & de tempore intermedio inter ligaturam & torturam, cum eadem hic ſint, omnia etiam in hoc locum habent: non aliter enim Rei tractantur, quam ſi chordæ tormento eſſent ſubiiciendi brachia tantum in hoc non tahtum attrahi & extendi poſſunt, ſaltem inſigniter, quia hoc eſſet manifeſto Reorum exitio, ut ex Farinacio alios dixi. Sed tamen aut parum, aut multum, quatenus hujus tormenti qualitas fert, extendi ſolent. Dolor in utroque caſu acerbus, ſed in poſtremo pernecabilis & notatum experientia eſt, de qua teſtatur Farinacius, plures ex hoc in ipſo tormento periiſſe: nam non modo cooperatur hic tam inſignis, ac tam diuturnus dolor, qui aliquando pertranſit ſpatium quindecim ac viginti horarum, ſed etiam ſpirandi difficultas, quæ cum tanto dolore ac labore, cum tanto totius corporis, ac tam varii! generis cruciatu non poteſt hominem non multum lædere.

Cæterum in hoc tormento totum ferè corpus ſuum particularem cruciatum experitur: torquentur enim diverſæ partes, & pene omnia corporis membra, ſive artus præcipui, ut brachia, quia retro contorta, arctiſſima ac doloroſiſſima alligatione vincta per longum tempus detinentur: crura, quia ſummo cum incommodo diſtracta, ac tam moleſto ſitu collocata, omnibus inferioribus partibus cruciatum communicant pectus item, & univerſus torax, infimuſque venter ſuum particularem dolorem & anxietudinem experiuntur; ſed maximè omnium os ſacrum coccyx in eo cruciantur, cum univerſa corporis moles ſuper ipſam decumbat, & ipſæ oſſis ſacri, ac coccygis partes ſuper obtuſam illam & acuminatam planitiem non anetali moleſtiâ ac cruciatu incumbant. Succedit his omnibus moleſtia ex vigilia ipſa, cum dormire neque poſſint rei, neque permittantur: immo hoc uno incommodo famoſum erat hoc tormentum in ſui natalis exordiis, ut alias dixi; auget autem mirum in modum dolores & moleſtias ipſa vigilia, & corpus multo magis debilitat; ut notum eſt.

Cum ergo hoc tormentum non eadem modo incommoda, ſed etiam multo majora, & numero plura afferat, quam tormentum funis, etiamſi tempore illud non tantopere ſuperaret, certè hujus moleſtia & atrocitas, moleſtiam & atrocitatem illius æquaret; cum vero tantoperè illud exuperet, ſuperfluum eſt aſſeverare hoc illo eſſe pari cum cautela infligendum, imo maiori, ut monet Farinac. *quæſt. 38. num. 17.* Atque idcirco dubium eſſe non debet, quod omnia ea, quæ impediunt, ne quis chordæ tormento cruciari poſſet, multo magis impedimento erunt, ne quis huic tormento ſubjiciatur; niſi brachiorum quædam' impedimenta excipere velis, quæ tamen ego, reſpiciens ad cruciatus diuturnitatem, non exciperem. Quinimo leviores aliquos morbos, qui fortè chordæ tormentum non ſufficienter impedire videntur, ut eſſet leviuſcula tertiana ſimplex, aut etiam quartana, certè ab hoc tormento excuſare dixerim, quia tameſi inter unam & aliam quartanæ febris acceſſionem longa ſint interſtitia nempe duorum dierum, tamen nimis violenta ea tormenti cauſa eſt neque fieri poteſt, ut tam violenter, & tam longo tempore agendo ex intermittente continuam febrem non faciat, in corpore tam ad concipiendum febrilem calorem diſpoſito; atque eadem ratio militaret, me judice, in omni vel leviſſima febricula, & in quibuſcunque aliis levioribus morbis: unde eadem cauſa, quæ inſufficiens videtur ad impediendum, ne quis fune torqueatur, ſufficiens evadet ad impediendum, ne quis tormento vigiliæ crucietur.

Sunt tamen præter enumeratos morbos in ſuperiori quæſtione, alii nonnulli, qui peculiariter impedimento ſunt, aut eſſe poſſunt, ne rei huic tormento exponantur, quales illi omnes ſunt, qui infimam ſedem circumiacentesque partes obſident, ut tumores ſunt ſive apoſtemata eorum locorum, dolentes, aut tumentes, aut ulceratæ, aut fiſtuloſæ hæmorrhoides: quæ quidem, venæ quædam cum ſint, numero quatuor, quarum duæ à ſplenetico ramo, duæ ab epigaſtrico deſcendentes ad extremum podicem ſe conferunt, interdum inflammantur, apoſtemantur, ulcerantur, & fiſtulas concipiunt, & quocunque ex his modis afficiantur, ſufficientiſſimum impedimentum præbent, ne Rei torqueri hoc ſupplicio poſſint

poſſint, quia facillimum eſſet ex tormenti violentia nova apoſtemata & inflammationes gigni, aut iam factas in gangrænas abire, & malam qualitatem induere, quemadmodum etiam & in eorum ulceribus evenire poteſt; imo & in ſimplici earum venarum apertione. Neque ſolum hoc locum habere debet cum de præſenti morbi Reos moleſtant, ſed etiam ſi conſtet de facili illis moleſtari ſolitos, de qua re cum nihil apud quenquam ſcriptum reperierim, certè peculiarem haberi mentionem decuit; licet de Tormento vigiliæ neque Juriſconſultis, neque alius quiſquam quicquam effatu dignum afferant, ſi modum, quo infligitur, & tormenti atrocitatem, de qua teſtantur excipias. At de impedimentis quæ excuſare Reos poſſint, nihil omnino habent, ſupponendo fortè id quod dixi, nempe quod omnia ea, quæ à chorda excuſant, multo magis à vigilia, ſed hæc quæ addidimus, excuſant à vigilia, non autem à chorda.

Sed & illud peculiarem animadverſionem in hoc tormento expoſcit, quod ſi in hoc quoque tormento infligendo ea cautela adhibeatur, ne Rei per octo aut decem horas quicquam comederint, aut biberint, cum tormento ſunt ſubiiciendi, neceſſarium omnino erit pleroſque, ſi longo tempore in tormento detineantur, ex inedia deficere, maximè autem iuniores & habitu graciles, qui ieiunium difficulter ferre poſſunt: in his enim cum ex labore & dolore quem in tormento perpetiuntur, fiat multa ſpirituum reſolutio, ſi alia ex parte ieiunium & ante torturam, & in ipſa tortura perpeti cogantur, facili negotio animi defectus, lipothymia, ſyncope, & ipſa tandem mors ſuccedere ipſis poteſt, niſi oportunè hoc incommodum declinetur. Quamobrem rectè conſultum puto, ſi minus temporis ſpatium intercedat inter comeſſionem & tormentum, & fortè non maius quinque horarum, maximè in calidioribus naturis & in his, qui habitus ſunt gracilioris, quod tanto magis, ac tutius executioni demandari poteſt, quanto in hoc tormento non fit tam violenta corporis agitatio, ut in chorda; unde minor etiam occaſio adeſt excitandi vomitum, ex quo etiam minus periculum in hoc, quam in illo impendet. Quin & in ipſo tormento non inconveniens duco Reis aliquid offerre, ſi deficere clament, aut Judici ita videatur, quod tamen ſtomachum gravare non poſſit, ut eſſet iuſculum carnium, vel panis buccella vino madefacta, vel aliquid ſimile; vel permittendum, ut vini modicum ſorbillent, quod executioni aliquando à non imprudentibus Judicibus demandari acceppi.

SUMMARIUM.

1 *Judex reus mortis efficitur, ſi reus in tormento ex ſua negligentia moriantur.*
2 *Judex quando teneatur de homicidio, ſi reus in tormentis decedat.*
3 *Ad cognoſcendum an reus in tormento deficiat, quænam attendere Judex, debeat.*
4 *Quomodo ſuccurrendum his, qui in tormentis deficiunt.*
5 *Admonitio circa reorum torquendorum medium.*

Reos tormentis deficere, ex quibuſnam ſignis cognoſci poſſit.

QUÆSTIO VI.

1 EVenit interdum in infligendis tormentis, ut vel nullum appareat impedimentum, vel nullum à Reis apponatur; vel ſi opponatur, ſufficiens à Judice, vel à Medico ad hoc convocato non exiſtimetur, vel ut verè nullum impedimentum adſit, unde Rei tormentis expoſiti manifeſtiſſimi periculi aleam ſubeant, defectu animi, vel ſimili aliquo ſymptomate correpti, ita ut niſi illico à tormentis deponantur, & quam citiſſimè illis ſuccurratur, acta de ipſis res ſit: hoc autem magni momenti quidem eſt, tum quia de vita hominis agitur, tum etiam, quia ſi in hoc iudicis culpa interveniat, qui nimis in tormentis exceſſerit, aut diligentiam non adhibuerit, nec peritos convocandos curaverit, antequam Reum tormento ſubierit, neque opportunè iam deficere incipientem à tormento depoſuerit, ipſe 2
Reus mortis efficitur: de qua re, ſi quis plura ſcire deſiderat, conſulat Farinac. abundè de ea re differentem *quæſt. 57. à n. 112. ad plures ſeqq.* ubi quando, & inquibus caſibus hoc habeat locum, ſufficienter docet. Inter cætera vero, quæ ille habet, hoc eſt, tunc nempe Judicem teneri de homicidio, quando Reum ultra eius tolerantiam torquere non deſiſtit, ſed in torquendo modum excedit: quod tunc uſuvenit, quando apparentibus nonnullis ſignis, quæ demonſtrare poſſunt tormentum excedere Rei tolerantiam, Judex tamen illum ulterius torquet. Neceſſarium igitur eſt videre, ex quibuſnam ſignis cognoſcere liceat, quando Reus ex tormentorum atrocitate deficere incipiat; quæ quidem ſigna nimis ſuccinctè, & concisè affert Ambroſin. *de mod. form. proceſſ. lib. 4. cap. 14. num. 4.* ex quo etiam, ſed nihil luculentius Guazzin. *ad def. Reor. def. 30. cap. 12. num. 3.* Accuratius, ſed breviter recenſentur à Fortunato *loco ſæpiſſimè citato.* Judex ergo ubi aliquid mali ſuſpicetur, vel quod exiſtimet Reum eſſe debilis naturæ, vel quod in medium attulerit aliquod impedimentum, quod ipſe Judex pro inſufficienti duxerit, vel quod tormenta ſint nimis atrocia, vel præſcriptum tempus excedant, tunc primo ad faciei, & totius corporis colorem attendat, qui ſi in palloren manifeſtum convertatur & appareat iam in Reo cadaveroſa penè imago; ſi dehinc etiam liveſcere faciem, pectus & brachia conſpexerit, tum tanto magis de futuro animi defectu dubitans, maiore circumſpectione & maiore attentione Reum conſiderabit, tum etiam
ad illum tangendum accedet, vel tangendum curabit, ad explorandum, an refrigerari ſecundum frontem, aut tenuiter ſudare comperiatur; quibus ſi acceſſerit vocis defectio, vel interceptio, crebrior anhelitus, & ſumma reſpirandi difficultas, aut ſi guttur, & collum præter modum intumeſcere videatur, ſi ungues liveſcant, & ſi cætera omnia membra quæ maximè ſoluta habet, diſſolvi, ac quaſi præmortua concidere adnotentur, iam magis de ea re ſollicitus erit. Quod ſi iam frigido, ac tenui ſudore frontem, vel nimium copioſo, & tepidiore corpus totum diffluere comperiat, ſi iam ſummus præſens ſit corporis languor, ſi palpebræ concidant, ſi ſtertat, ſi ſpumam ex ore emittat, Reus iam prope mortem eſt, niſi confeſtim illi opem feras. Neque debet Judex hæc expectare, difficile enim eſſet hominem à morte eripere, antequam à tormento deponeretur, & apto in loco collocaretur; priora ergo ſigna animadvertens, ſeſe ad deponendum reum à tormento accingat. Quod ſi ea quæ ſecundo loco recenſuimus adnotaverit, illico, nullaque interpoſitâ morâ deponendum iubeat, aptisque auxiliis illi ſubveniat, quæ mox recenſebimus. Et licet Rei multa affingant, atque plura effingere poſſint, ut Judici perſuadeant, ne ulterius ipſos in tormentis detineant ut vocis defectionem crebram ac difficilem reſpirationem, ſtertorem, languorem, ſpumæ exitum ab ore, & alia id genus, tamen neq; pallorem, ad fœdum illum, cadaveroſumque corporis aſpectum ſibiad libitum & quantum voluerint, &

ex quibus partibus voluerint exſudare, neque alia nonnulla ſimulare, quæ in vero, & non ficto animi quocunque defectu evenire ſolent, ut admonui alias *lib. 3. tit. 2. q. 6. n. 9.*

4 Videtur autem maximè ad nos pertinere, ut demonſtremus, quanam ratione ſuccurrendum his ſit ſymptomatibus, ſi unquam ex tormento eveniant: & primò Rei quantocyus à tormento deponendi, & undique à vinculis ſolvendi, placideque tractandi, & ſi fieri poteſt, mollibus ſtragulis excipiendi; ſin minùs quieſcere aliquo in loco quàm minimè incommodo permittendi; tum aquâ frigidâ leniter inſpergendi, vel roſacea in faciem proiicienda; acetoitem roſaceo tempora, nares & pulſus madefaciendi, aliiſque non diſſimilibus ingeniis teſtaurandi, quibus uti plerumque Judices teſtatur Ambroſin. *ubi ſuprà, lib. 4. cap. 14. num. 11.* quæ tamen leniora ſunt reſpectu violentiæ prægreſſæ cauſæ; quamobrem neceſſitate urgente, nempe ſi Rei iam defecerint, & in manifeſtam ſyncopen lapſi fuerint, neque tamen à tormentis depoſiti, & prædictis adjuti in ſe redierint, tunc abſque dubio Medicus convocandus, ſed interim ſi vocatus Medicus præſtò non adfuerit, quia in mora ſummum in hoc caſu periculum, panis buccella vino generoſo intincta offeratur, ſi modò porrectam aſſumere poſſint, vinum ipſum malvaticum, aut aliud généroſum in os ingeratur, vel aquæ vitæ, tantillum ex Cinnamomo, aut Caryophyllis; aut ſimili, iiſque etiam facies, pulſuſque omnes madefiant; quinimò & petiâ eo vino madefactâ, ac repente teſtes involvantur. Stomacho etiam cruſta panis eodem vino calido madefacta apponatur, odoribus etiam graviſſimis ſpiritus recreentur; nam mali odores in hoc caſu omnino fugiendi, & idcirco reprobandum nonnullorum Juriſconſultorum conſilium, volentium, ut malis quibuſdam odoribus Reos excitare procuremus; cùm enim ſyncope hîc ex ſumma, ac confertim facta ſpirituum diſſolutione eveniat, vitanda ea omnia, quæ aut ſpiritus ipſos diſſolvere, aut turbare poſſunt; quamobrem nec cucurbitulis, nec fortibus ligaturis, nec doloroſis ullis remediis utendum, ſed placidis ac mitioribus tractandum, omniaque ſine mora adminiſtranda ei ſunt, cui ſalus hominis cordi eſſe debet.

5 Admonendum autem hîc etiam quod *ſuperiori quæſtione* admonuimus, nempe quòd cùm conſueſcant Judices, homines per octo aut decem horas ieiunos tormentis exponere, aliqui ex ea ſola occaſione in prænarrata mala incidere poſſunt, & maximè ſi longo tempore in tormento detineantur, ut abſque dubio in Vigiliæ tormento evenit: idcircò cùm Judex aliquid ſimile ſuſpicatus fuerit, rectè conſultum puto, ſi aliquod lignum etiam leve ex his, quæ recenſuimus, demonſtrantibus futurum animi defectum, adnotaverit, ut Reum cogat aliquid aſſumere, veluti buccellam panis vino intinctam, aut quid ſimile; aut ſi tormentum futurum ſit diuturnum, aliquod maioris momenti, ſic enim de facili hoc inconveniens evitabit.

SUMMARIUM.

1 *Taxillorum tormento non multum fidunt Judices.*
2 *In maximè debilibus etiam Taxillorum tormentum evitandum.*
3 *Morbi peculiares impedientes hoc tormentum.*
4 *Sibillorum tormentum omnium leviſſimum.*
5 *Sibillorum tormentum quanam impediant.*
6 *Ferula proprium puerorum tormentum.*

QUÆSTIO I.

1 TAxillorum tormentum in locum atrocioris tormenti adhibetur, vocaturque vulgò, *la Staughetta*, à repagulo ligneo, quo tormentarij in eo infligendo utuntur, ut ſuo loco dixi, Ei autem Judices non multum fidere videntur, imò periculoſum eſſe dicunt, utpote quod non poſſit ſua acerbitate, quæ multa non eſt, Reos cogere ad veritatem propalandam; id circo ipſe etiam Farinac. *in ſæpe citata quæſt. 38. num. 67.* hoc tormentum parui pendit, affirmans perpaucos eſſe, qui ob eius efficaciam quicquam fateantur; cùm tamen alia ex parte Bernardin. *in ſchol. ad Ambroſin. lib. 4. cap. 1. num. 2.* ſeriò affirmet, Taxillorum uſum eſſe verè inhumanum, ac rigidum. Quanam ergo ratione hanc horum Dd. contrarietatem conciliabimus? Farinaccio certè in his plurimum deferendum exiſtimaverim; ſed ſi alia ex parte conſiderabimus modum ipſius cruciatus, membrum quod cruciatur ſenſu exquiſitiſſimo præditum, articulum nempe inſignem, aliaſque partes eam partem componentes, negati nullo pacto poterit, dolorem non poſſe non fieri in hoc tormento atrociſſimum, neque iis inferiorem, qui in aliis tormentis excitatur; iam à Tormentario accepi, poſſe ſe Repagulum calcando quantum vellet, malleolum ipſum minutim confringere. Sed quia neque ad longum tempus Rei eo tormento cruciantur, & in miniſtrorum poteſtate eſt, mitiùs, aut atrociùs Reos torquere, qui ſtrenis & blanditiis cùm licèt, eos corrumpunt, idcirco eo nomine ſuſpectum eſt: aliàs enim hoc non minoris facerem, quàm ipſum chordæ tormentum, quia ſaltem intenſivè in hoc fit maior cruciatus, licèt in illo fiat maior moleſtia. Atque ea de re puto & in hoc tormento infligendo plura conſiderari poſſe legitima impedimenta, quibus præſentibus, Judex ab eo abſtinere debeat, ne, ſi non obſtantibus his impedimentis, eo utatur, impietatis crimine defœdetur, & hominis ſalutem parvipendere videatur. Ac profectò, cùm 2
hoc tormentum, ut dixi, tunc in uſum à Judicibus covocetur, cùm aliis præ Rei debilitate, aut aliqua infirmitate, & legitimo impedimento uti non licet, videndum ne inſigni debilitate præſente id faciant: nam & ex hoc periclitari Reus poſſet, maximè ſi debilitas ex prægreſſo morbo ſit; neque etiam præſente quacunque febre, niſi eſſet aſpernabilis ob eius exiguitatem, neque in ullo morbo, qui febrem adiunctam habeat, niſi fortè inſimplici quartana. In omnibus enim prædictis caſibus & vires affatim concidere, & febres ex doloris acerbitate mirum in modum augeri poſſunt, quia dolor, & præcipuè vehemens, qualis in hoc cruciatus eſt, vires exolvit, Gal. 12. *Method. c. 1. & alibi.* dolor item magnus corpus inflammat, humores accendit, inflammationeſque ea de cauſa inducit, Galen. *comm. 3. de fract. text. 21.* & maximè dolor ex colliſione & compreſſione proveniens, qualis ex hoc tormento fit, ut idem Galenus docet, *ubi ſuprà, comm. 1. text. 24.* itaque non temerè ita affecti hoc tormento cruciandi.

Sed morbi, qui peculiariter impedimento eſſe 3
poſſunt, ut huic ſupplicio Rei ſupponantur, ſunt qui ipſas inferiores partes, tibias nempe, pedeſque exercent: ut tumores, ſive apoſtemata, vulnera maximè inſignia, ulcera notatu digna, varices, dolores podagrici, qui pedis propriè articulos moleſtant; qui quidem non ſolùm ſi præſentes ſint, impediunt huius tormenti uſum, ſed etiam ſi Reus aliàs illis fuerit obnoxius; non ſic autem cæteri ſupranominati morbi, niſi ſumma remanſiſſet partium debili-

tas. Tanto magis autem attendendum in hoc Judici exiſtimaverim, quanto hoc tormentum in ſenibus facilius uſurpari ſolet, qui propter graviorem ætatem chordâ, aut vigiliâ torqueti non poſſunt, ut dicit Fatinac. *ubi ſupra.* At ſenes ſi quibus morbis ſunt obnoxij, maximè podagram habent familiarem, ut experientia teſtatur, & cum Hippocr. *lib. 3. Aphor. ult.* omnis Medicorum ſchola: id autem non aliunde ſit, niſi quia articulos valde infirmos habent, & pluribus humoribus crudis, ac pituitoſis abundant, qui facile ad eas partes, tanquam cæteris & debiliores, & decliviores decurrunt; itaque caute agendum cum ſenibus in hoc tormento.

Sibilli & ipſi in locum maiorum tormentorum
4 uſurpantur, leviſſimum omnium tormentorum cenſetur, quod non tam ratione ipſius inſtrumenti quo infligitur, evenire credo, quod alias graviſſimum inferre poſſet dolorem, quam ratione modi torquendi; nam funiculus, quo Sibilli ſimul alligantur, & quem coarctando digiti preſſi cruciatum maiorem, aut minorem percipiunt pro maiori, aut minori preſſura, non videtur tantopere attrahi poſſe, tantave violentia digitos premere, ut licet notabilem dolorem excitent, intolerabilem faciant, aut parem illi, qui Taxillis inferri poteſt. Præterquam quod etiam in hoc, ut in Taxillis, Tortorum fraus intercedere facili negotio poteſt, qui funiculum valide attrahere ſimulantes, lentius attrahunt, & interim Reum ad vociferandum ſtimulant, ne fraus detegatur, ut magno cruciatu affici videatur. Et tamen benignius ac levius tormentum hoc fuiſſe anteactis temporibus crediderim, eo quod, quantum aſſequi potui, nonniſi virgas quasdam inter digitorum interſtitia intermittebant, debine vinculo aliquo, aut funiculo digitos conſtringebant, ut recitat Brun. *de Ind. & tort. part. 2. quæſt. 2. num. 6.* Sed noſtra hac tempeſtate virgæ illæ in ligneos ac præduros paxillos abierunt, quales retuli, cochleæ in modum fabrefactos; & quia ex buxo fiunt, ligno nempe duriſſimo, cochleares illi circuli multum cruciare ſunt apti, quod non crediderim obtinuiſſe antiquiores ſibillos. Forte etiam non ambas ſimul manus iunctas, ut ad præſens ſit, tunc temporis alligabant.

5 Porro hoc tormentum abſque periculo præ cæteris omnibus adhibetur; ſed tamen ſi ullus adſit extremæ manus peculiaris morbus notatu dignus, ut maximè chiragra eſt, ab eo certè abſtinendum; periculum enim eſt, ne doloris acerbitate materia ad patientes particulas plurima cum violentia attrahatur, & notabilem excitet tumorem, & inflammationem, quæ facile gangrænoſam ac pravam naturam ob partis debilitatem inducere poſſit, aut aliquem alium morbum, qui licet difficulter talis fieri poſſit, ut lethalis evadat, tamen videant Juriſconſulti, an impedimento huic tormento infligendo eſſe debeant.

Ferula tandem, virga, ſcutica proprium tormentum puerorum eſt, quo non ſolum Judices, ſed multo frequentius minaces Ludimagiſtri utuntur, unde illud Juvenal. *Sat. 1.*

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.

pro eo quod eſt, pueritiam evaſimus, & Martial. *lib. 10. num. 62.* Ludimagiſtrum alloquens:

Scutica quæ loris horridis Scytha pellis,
Quâ vapulavit Marſyas Celenus,
Ferulaque triſtes ſceptra pædagogorum
Ceſſent

Ferula vero & ſcutica leviora ſunt, flagella ſunt gra-
6 viora: nam ferula & ſcutica in pueris & mitioribus delictis; flagellis in viris & atrocioribus utebantur unde illud Horat *lib. 2. Serm. Sat. 3.*

Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello;
Nam, ut ferulâ cædes meritum maiora ſubire
Verbera, non vereor.

Sed & ad plectendos ſervos antiqui his quoque inſtrumentis utebantur: unde idem Juvenal. *Sat. 6.*

—— Hic, frangit ferulas, rubet ille flagellis.
Hic ſcutica.

Notum vero eſt nullum habere hoc tormentum in ſe vitium, niſi illud animadvertendum ducas, quod adnotavit Chart. *lib. 4. pract. interr. Reor. cap. 1. num. 49.* ſcilicet non indifferenter omnes pueros ferula, aut ſcutica cædi poſſe, quia excipi debent infantes, nempe illi, qui nondum ſeptennium exceſſerunt; & videtur hæc cautela non eſſe ſuperflua ſed poſt prædictum tempus, dummodo magnus terror illis non incutiatur, & vapulatio ſit moderata, non eſt quid quod prohibeat, quo minus vapulare debeant: ſi tamen unquam caſus detur, in quo neceſſe ſit ante duodecimum annum puerum torquere.

SUMMARIUM.

1 *Pœnarum diviſio.*
2 *Exilium perpetuum an ſit pœna capitalis.*
3 *Exilium à relegatione quid differat.*
4 *Morbi ex aeris vitio periculoſiſſimi.*
5 *Carcer pro pœna de iure civili prohibitus.*
6 *Carcer, in quo Rei ob aeris malitiam perire poſſunt, eſt prohibitus.*
7 *In damnatione ad triremes quæ animadvertenda.*
8 *In fuſtigatione quid conſiderandum.*
9 *Membri abſciſſionem quæ prohibeant.*
10 *Fuſtigati, & ii quibus membrum eſt abſciſſum quomodo tractandi.*

De Pœnis.

QUÆSTIO VIII.

POEnarum genera quam plurima & eſſe dixi, & 1
multo plura eſſe poſſe: omnia tamen in duo genera generaliſſima diſtinxi, in pœnas temporales ſcilicet, & ſpirituales. De ſpiritualibus breviter inter miſcellanea pertractare decrevi; nunc de temporalibus, quarum alias eſſe dixi pecuniarias, alias corporales, de prioribus nihil ad nos: poſteriorum aliæ ſunt capitales, aliæ non; Capitalium aliæ ad ultimum uſque ſupplicium procedunt, (de quibus nihil omnino eſt à nobis dicendum) aliæ non, de quibus perpauca ſunt, quæ per nos admoneri debent; eæ autem, ut dixi, aut ſunt ſimpliciter capitales, ut exilium perpetuum, Triremes perpetuæ; aut non capitales, ut fuſtigatio, membri abſciſſio, exilium ad tempus, Triremes ad tempus. Relinquam autem, ne ultra ſepta meæ artis tranſiliam, diſputationem illam, ad Juriſconſultos tantum pertinen- 2
tem, an nimirum exilium perpetuum, & carcer perpetuus, & ſimiles pœnæ capitales ſint, necne; quia multi in affirmativam, plerique in negativam ſententiam abeunt, communiorem ergo pro veriori ſupponam, priores nimirum capitales eſſe, poſteriores nequaquam; neque ad hoc ullas afferam auctoritates, cum huius puncti deciſio nihil ad ea quæ tractamus, conferre poſſit.

De exilio igitur nihil adderem; niſi cum exilio relegationem etiam comprehenderem, quia quandocunque eſſet in poteſtate exuli ſeſe adhanc, aut illam regionem conferre, nihil difficultatis eſſet, quod quæcunque perſona, & quandocunque, niſi aliud 3
obſtaret, in exilium mitti poſſet. In relegatione autem coguntur, ut exiſtimo, ipſi damnati in ea regione permanere, ad quam relegantur, quæ ſi ætis fuerit

rit mali & contrarij alicui morbo, cui relegatus sit obnoxius, vel si ob eiusdem aëris vitium in morbum aliquem incideret, dubitari posset, an locus relegationis esset in salubriorem mutandus in quo dubio quid esset resolvendum, ego, quod ad me non spectet, non determino; sed illud admonere, quod ad me duntaxat pertinet, non desistam, quòd morbi, qui ex aëris vitio eveniunt, & periculi pleni sunt, & cum summa difficultate sanabiles; unde quandocunque per Medicos requisitos pateret, locum relegationis esse pravi aëris, vel contrariæ omninò naturæ, habitudini, aut morbis, quos relegatus patitur, idem esset eò Reum relegare, ac illum securi percutere aut alio modo occidere; cui impedimento, an, & quando, & in quibus casibus sit attendendum, ipsi Jurisconsulti diiudicent.

Eadem consideratio esse potest in damnatione ad perpetuos carceres, licet de Jure civili hæc pœna sit
5 prohibita. *lege Aut damnum §. solent. ff. de pœnis.* Bal. *de carcer. c. 1. n. 3.* & vide Cujac. *lib. 14. Observ. c. 34.* sed si quando nunc imponatur, certum est prohibitum esse carcerem, in quo Rei ob aëris malitiam
6 perire facilè possint, Farinac. *q. 27. n. 97.* Quod si veritatem habet etiamsi carcer non esset ex se pravi aëris (si modò idem observandum in carcere qui ad custodiam, & in eo qui ad pœnam inservit) sed tamen eius naturæ, ut damnato præsentaneum vitæ periculum afferret absque dubio esset in minùs malum permutandus; quod si habet locum in damnato ad carceres perpetuos, multò magis habebit locum in his qui ad tempus aut non pro pœna, sed in custodia detinentur. Quinam autem morbi ab ea custodia excusare, & quando hominem possint, iam aliàs determinavimus.

De damnatione ad Triremes eadem, imò multò
7 maior consideratio habenda: si enim necessarium esse dicant Jurisconsulti, attendere ad ullum futurum vitæ periculum, in his, qui ad eas in perpetuum damnantur, multò magis necessarium esse firmabunt, attendere ad idem periculum in his, qui damnantur ad tempus. Itaque debiles convalescentes valetudinarij, magno morbo capitis pectoris, aut cuiuscunque alterius partis detenti, quos alias recensuimus, Gallicæ infectioni, arthriticis doloribus herniis quomodocunque obnoxij, Triremibus sunt inepti. Ætatem quoque tam teneriorem, quàm provectiorem in considerationem venire debere, notius est quàm ut à me ulteriori oratione moneri debeat, quia triremes fortes homines & sanos requirunt, ut notat ex Jurisconsultis. Act. *de Infirm. p. 2. verb. Triremes, n. 1.* ubi ad triremes damnatos, si sint infirmi, dimittendos esse voluit, dato substituto.

Cæterum fustigatio, quæ & fustuarium dicitur, habet etiam aliquid considerationè dignum: nam si
8 multa, ac sæva futura sit, in debili tuta esse non potest, neque in febricitante, neque in phthisico, neque in hectico, neque in eo qui insigni aliquo pectoris morbo laboraverit. Quin etiam tuta non est,
9 si gravi stomachi imbecillitate, aut cordis tremore, aut lipothymia, aut syncope, aut alio notabili cordis affectu fustigandus invadi sit consuetus.

Sed & membri abscissio multo magis in sensu habenda, neque ubi homo insigni morbo laboraverit, infligi absque præsentaneo vitæ periculo potest; quin & robustas requirit vires, nam & ipsi Medici vix audent membrum etiam demortuum abscindere, nisi summus corporis vigor adsit; quamobrem morbi omnes notatu digni, quos alias nominavimus, etiam in hac pœna infligenda impedimento esse possunt. Quodnam autem membrum abscindendum, si quod à statuto præcipitur, tantùm utile sit, aliud autem inutile, ut si statutum iubeat
10 amputari dextram, Reus autem sinistram habeat aridam, apud Jurisconsultos videndum.

Remanet tandem, ut Medici officio pellecti doceamus quæ cura in fustigatis, & in his, cui aliquod membrum abscinditur, sit adhibenda, & quoad fustigatos diversa auxilia proponuntur à Paulo *lib. 4. cap. 12.* & Avic. *44. tract. 2. cap. 7.* & aliis ex Arabibus, à Bertapalia *de apostem. c. 15.* à Jo. de Vigo *suæ Chirurg. lib. 9. cap. 15.* Omnes autem maximè laudant ovillam pellem detractam, calentemque super impositam. Vigo sanguinem primò detrahit, pòst cum aliis (qui universalia supponunt) præbet Rhabarbarum pundo unius drachmæ, cum Rubia tinctorum & Zingibere, ad scrup. 1. cum aqua Scabiosæ. Datur & Bolus Armena & Terra sigillata, & Mumia, & Rhaponticum, & decoctum Cicerum rubrorum excorticatorum, & alia quæ ad eos, qui ex alto cadunt, aut violenter in aliqua dura corpora impingunt, ab auctoribus præscribuntur. Extrà apponitur cerussa, lithargyrium, pulvis myrtillorum Rosarum, camomillæ, oleum rosaceum, myrtinum, chamæmelinum, & alia apud illos vide, apud quos etiam curam habes, quæ servari debet in amputatione membrorum præcipuè autem eam require apud eundem Vigonem *lib. 9. cap. 31.* & apud Paræum *lib. 11. cap. 20.*

LIBRI SEXTI

TITULUS SECUNDUS.

DE PRÆCEDENTIA INTER MEDICUM & Iurisperitum.

Continens Quæstiones octo.

I Quid sit Honor? quid Præcedentia? Honor maior uni quam alteri cur debeatur in Republica?

II Obiecta in Medicinam & Medicos.

III Obiecta in Leges & Legumperitiam.

IV. Respondetur iis quæ contra Medicinam & Medicos obiecta sunt.

V. Satisfit ad ea, quæ contra Jurisprudentiam, eiusq; Professores obiiciuntur.

VI. Lex quomodo orta: Politica unde originem traxerit, unde item Jurisperitia.

VII. Vocum ac terminorum elucidatio.

VIII. Decidendæ quæstionis ratio ostenditur Obiectis in contrarium respondetur.

SUMMARIUM.

1 *Honor quibuſcunque præſentis vitæ bonis, & ipſi quoque vitæ eſt præferendus.*
2 *Civitas ſine legibus placere non poteſt.*
3 *Sine lege homines vivere non poſſunt.*
4 *Quidquid ex multa hominum ſocietate boni emergit, à legibus dependet.*
5 *Præcedentia eſt honoris ſpecies.*
6 *Honor quid ſit.*
7 *Præcedentia quid, & num. 27.*
8 *Præcedentia quid, ex Legumperitis.*
9 *Præcedentia conſiſtit in actu recipiendi honorem.*
10 *Præcedere quid?*
11 *Homines honorantur propter virtutem.*
12 *Virtus bonum facit habentem.*
13 *Virtuti cur debeatur honor.*
14 *Virtutes non ſunt omnes unius generis.*
15 *Una virtus eſt major altera.*
16 *Virtus eſt tanto altera major quanto majoris boni eſt effectiva.*
17 *Virtuti magis proprium eſt honeſta agere, quam non agere turpia.*
18 *In Republica quis præcedere debeat.*
19 *Multa honorantur præter virtutem.*
20 *Omnia honorantur in ordine ad virtutem.*
21 *Dominari debet qui juſtiſſimus eſt.*
22 *In mundi primordiis honorabantur præ cæteris qui virtute excellebant.*
23 *Quod honorentur nobiles, à prima majorum virtute ſit.*
24 *Honor tangit poſteros, laus autem eorum tantum eſt, quorum eſt virtus.*
25 *Generis virtus eſt nobilitas.*
26 *Propter ætatem majorem cur honorentur homines.*
28 *In Republica magis honorandi, qui virtute præcellunt.*
29 *Ars & ſcientia nobiles unde dicantur.*
30 *Nobilitas ſubtilis à philoſophis accipitur tanquam quid cum bono convertibile.*
31 *Verum & bonum convertuntur.*
32 *Animi bonum corporis bono anteferendum.*

Quid ſit Honor? quid Præcedentia? Honor major uni, quam alteri cur debeatur in Republica?

QUÆSTIO I.

1 QUanta Honoris cura cunctis hominibus eſſe debeat, ipſius Honoris pretium facile commonſtrare poteſt, tale enim tantumque eſt, ut jure merito Honor quibuſcunque præſentis vitæ bonis etiam ipſi vitæ ſit præferendus; quia eſt omnium bonorum externorum maximum, Ariſt. *lib. 4. moral. Nicom. com. 3.* cætera namque caduca ac fragilia, Honor perenne ac divinum bonum eſt, Platone teſte *lib. 5. de Legib. in princ.* Ne ergo non tam excellens bonum paruipendere me, quisquis ſit exiſtimaret, quod facilè contingere potuit, ſi artis quam profiteor, honorem negligere credidiſſet, qui eam à detractantium calumniis indefenſam me reliquiſſe obſervaſſet, non erat à me ſilentio involvenda controverſia, quæ inter Juriſconſultos & Medicos viget, aut prætereunda, dum utrique propriam & ſuæ ipſorum artis exiſtimationem tueri ſatagunt Deſerere enim meam ſimul cauſam, & honorem viſus eſſem, ſi dum omnes ac ſingulas quæſtiones Juriſconſultis ac Medicis communes hiſce meis ſcriptis exagito, hanc unam tacitus præteriiſſem, & omni ex parte neglexiſſem, quod ex animi magis ignavia, quam ex alia quavis honeſtiore cauſa factam Ariſtarcus aliquis judicaſſet. Pace igitur Juriſconſultorum, licet mihi cum ipſis in arenam deſcendere; etiamſi enim è pugna cedere victo mihi contingat, otioſus tamen, & inhonoratus cedere non cogar. Sed utinam inter litterariæ palæſtræ limites ſeſe continentes Juriſconſultorum nonnulli, dum de Honore cum Medicis contendunt, ad convitia & vilipendia non hominum dicam, ſed divinæ, ac artis artium omnium nobiliſſimæ, Deique dono hominibus conceſſæ transgreſſi, ſuum ipſorum honorem non defœdaſſent. Dolendum mediusfidius magis, quam redarguendum eſt, viros prudentiſſimos, & qui prudentum epitheto non injuria ſe decorari volunt, dum æmulatione excitari cum Medicis pugnant, ad deſpectum & deriſionem æmulorum proſiliiſſe, ac frivolis quibuſdam cavillationibus, injurioſisque verbis Medicos laceſſiſſe, medicos, inquam, viros (abſit verbo invidia) vel ipſa ſuperni Opificis ſapientia dictante, ſummo honore & collaudatione digniſſimos.

Utinam ergo æquo animo pugnantes extra litem vagati non eſſent, poterant fortaſſe aliquâ ſaltem ex parte victoriam vel ipſis æmulis judicibus reportare; nunc vero quæſtionibus literariæ modum prætergreſſi, & ad ea, quæ ad rem minimè ſuam faciunt, ſeſe conferentes, inanibus argumentatiunculis frigidisque argutiis, inſulſisque ſalibus ſegniter adverſarios laceſſentes, de jure ſuo cecidiſſe, merito judicari poſſunt; ita ut niſi in integrum reſtituantur, vix illis locus ad oris apertionem ſit relictus. Verumenimvero aliter cum ipſis decertare mihi in animo eſt. A page à me non modo doctos vitos, ſed ne eos quidem, qui doctorum nomine quomodocunque inſigniuntur, aliter, quam ſummo cum honore excipere: abſit de illis aliter, quam ſumma cum modeſtia, ac reverentia loqui, longe tandem à me ſit quicquam contra eorum exiſtimationem proferre; hoc enim perſuaſiſſimum mihi eſt, eum, qui doctos viros, aut doctrinas, bonaſque aliquas artes negligit, deſpicit, irridet, ultro eſſe inhonorandum, deſpiciendum, irridendum, imo & puniendum. Ego vero, licet profeſſione Medicus ipſos Juriſconſultos in hac cauſa æmulos habeam, non tamen ea de re ipſos deſpectu, aut irriſione, ſed multo honore dignos pronuntio, Leges autem, & Legum peritiam (licet hæc cum Medicina de dignitate contendat) tanti faciendas exiſtimo, ut non modo cum Platone ſentiam, *in Critone.* dicente, Civitatem ſine legibus placere non poſſe *& 2. de Leg.* inculcante, Civitatem ſine lege nullo loco eſſe habendam, tanquam ſi non eſſet: ſed addam etiam quod, quemadmodum ſine lege vivere homines non poſſunt, eodem Platone teſte *in dial. qui inſcribitur, Hippias major*; ſic quidquid boni ex mutua hominum ſocietate emergit, ab ipſis legibus dependet abſque ipſis omnino, affatimque ruiturum, nulloque modo, neque per ullum tempus duraturum. Quod ſi quis tam perfrictæ frontis homo ſit, qui leges ab hominum ſocietate ablegandas eſſe velit, aut eas, earumue conditores, miniſtros & interpretes ullo modo iniuriis laceſſere, jurgiisque contra eas aut eos inſurgere audeat, ſciat is per me, ſe omne publici boni fundamentum deſtruere, ipſumque publicum bonum ab hominum communitate eliminare, cujus origo & præcipua cauſa ipſæ leges ſunt, & ad cujus boni tutamen, & perpetuitatem non minus leges, quam earum miniſtri, & interpretes, neceſſarii omni ex parte exiſtimandi, ac ipſum tale ob meritum ſummo ſupplicio, tanquam humani, ac publici boni acerrimum hoſtem eſſe afficiendum. Eam igitur ob cauſam quantum leges, earumque conditores, & miniſtri honoris mereantur quantumque ab hominibus obſervandi, nullus ſanæ mentis homo non novit. Ergo leges, earumque conditores, & miniſtri in debito honoris gradu etiam per nos manutenendi, & dum ex eorum,

2 3 4

numero

numero aliqui nobiſcum de honore pugnant, ſi ita ratio, & Juſtitia expoſtulat, locus illis cedendus eſt: ſin minus ſecundum rationem, & iuſtitiam videatur, cauſam noſtram omni cum modeſtia tueri ſtudeamus ſolidas ac firmas augmentationes, non ineptas argutias, aut vanas quasdam deductiones, vel contumelioſa verba extra rem pro noſtra tutela adducentes, quin imo adverſarios ipſos in debito horis gradu tueamur, ut tanto glorioſior victoria, ſi quæ ſperari poſſit, futura ſit.

Sed antequam cum ipſis congrediamur, duo nobis præſtanda ſunt: primo videndum, quid ſit honor, quid præcedentia, nam de his contentio eſt, quibuſque ex cauſis uni perſonæ in republica maior quam alteri honor debeatur, Secundo, calumnias quaſdam, ac contumelias, quas in utramque artem, ſeu ſcientiam vel ipſi Profeſſores veriſſimi inter ſe, vel alij quicunque evomunt, refellere ac confutare oportet, ipſos que detractores mendacii convincere: nam deinceps artes ipſas & artifices inter ſe placide comparabimus, & ex his quæ deducuntur victoria facilè cedet his quibus de iure convenit.

5 Cum ergo præcedentia ſit honoris ſpecies delati in aliquem reſpectu & in relatione aliarum perſonarum, quæ ſimul honorantur, videndum primo quid ſit honor. Et ut ab hoc puncto breviter me expediam & ad immediata me conferam, relictis pluribus honoris definitionibus ex Ariſtotele, D. Thoma, & aliis relatis per Caſſanæum *in Catal. Glor. mund. part.* 1. *conſ.* 1. & per Leonell. *de Præced. Homin. quæſt.* 1. *art.* 2. & per noſtros Philoſophos in Ethicis, dicamus cum Ariſtotele, honorem eſſe exhibitionem reverentiæ in virtutis teſtimonium:
6 vel dicamus quod honor eſt ſignificatio quædam excellentiæ virtutis per actus civiles, præſtita in eum qui honoratur. Eſt enim honor quid pertinens homini prout ſociabili & in ſocietate viventi idcirco prudenter ex Baldo doctiſſimus Juriſconſultus Melchior Lotherius, in ſuo conſummatiſſimo opere *de Beneſic. libro primo, quæſt.* 16. *num.* 13. definivit, honorem eſſe recognitionem maioritatis cuiuſdam, quæ à perſona perſonæ debetur. Licèt ut ingenue fatear non ſemper honor conferatur in ſignun maioritatis, quinimo multoties honor à maiori in minorem confertur. Malim ergo dici eſſe recognitionem & ſignificationem virtutis, quam dixi per actus civiles præberi: ſiquidem honor confertur etiam à ſummis Regibus, Imperatoribus, Pontificibus, privilegiis, indultis, ac ſimilibus rebus, vel confertur ab iisdem aliis perſonis maioribus, minoribus, paribus per eoſdem actus civiles: ſiquidem in colloquiis, in congreſſibus, in ſeſſionibus, & in aliis occaſionibus huiuſmodi, quinetiam & in ſcribendo per epiſtolas, aut alias manifeſtamus qualis debeatur ſignificatio virtutis, perſonæ quam honorare intendimus: cuius rei exemplum unam, aut alteram ex Sacris afferam, relictis aliis: ſic Joſeph à Pharaone per multos huiuſmodi actus honoratur, *Geneſ. c.* 41. ſic & Mardochæus ab Aſſuero honoratur per plures ſimiles actus, proclamante Aman. *Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare. Eſther. cap.* 6. Utimur & in præbenda hac ſignificatione certis quibusdam verbis, loci dignioris ceſſione, titulis quibusdam ac nominibus id quod volumus atteſtantibus unde pro eorundem actuum conditione, honor maior aut minor haberi dicitur, ut appoſitiſſimè demonſtrare poſſunt duo illi Regis Ægipti Oratores, apud Torq. Taſſum, *Hieruſ. Cano.* 2. *St.* 61 *& ſeqq.* quorum alter parum, alius vero multum honoris Godefredo deferens, per externa ſigna id ſignificant, dicente Poëtâ.

Picciol ſegno d'honor gli fece Argante,
Quaſi huom, ch'ad altero badi, è non curante.
Mala deſtra ſi poſe Alete al ſeno,
E piego'l capo, è chino à terra i lumi,
Et l'honorò con ogni modo à pieno,
Che di ſua gente portino i coſtumi.

Cum ergo hæc exhibitio reverentiæ, vel honoris ſignificatio, poſſit eſſe maior & minor, fit ut, cum plures perſonæ veniunt honorandæ, in eam, quæ magis honorari meretur, aut ob excellentiorem virtutem, aut quia ſic nobis videtur, maiorem ſignificationem per eosdem actus præbemus, ut collocatione in loco digniore & eminentiore, aſſurrectione, & conceſſione ut primo, aut ultimo loco loquatur, obviatione, aſſociatione & ſimilibus atque hæc perſona dicitur tunc cæteris præcedere hoc eſt, in honoris receptione cæteris præire:
7 Unde paret, quod præcedentia, eſt prælatio unius perſonæ ad aliam in honoris publici exhibitione, vel eſt majoris honoris acceptio in comparatione ad aliam perſonam ſimul honorandam. Quæ definitiones magis rei naturam attingere videntur, nî
8 fallor, quam allata à Leonello, *d. tract. de Præced. q.* 3. *art.* 3. nempe quod ſit quædam qualitas, qua unus homo eſt maior altero: habet enim hæc definitio multas difficultates, præterquam quod obſcura eſt, cum non ſemper ex præcedentia fiat, ut unus ſit altero maior, ſed ut appareat eſſe: cumq; è contra quis habere poſſit hanc qualitatem, ut ſit maior altero virtute, divitiis, potentia, nobilitate, populi favore, & tamen illum non præcedat: & illa qualitas poteſt multa reſpicere: poterat ergo addi ſaltem, in honore. Imo etiamſi unus ſit maior altero in ho-
9 nore, non tamen dicitur habere præcedentiam, cum præcedentia conſiſtat in ipſo actu receptionis honoris maioris, & maximè quidem publici, reſpectu aliarum perſonarum, quæ ſimul honorantur: & conſideratur etiam in honore eiuſdem generis, vel qui ſimilibus perſonis, nempe dignitate convenientibus; aut ſaltem non prorſus inæqualibus confertur; ut Regibus inter ſe, Regibus & Du-
10 cibus, Cardinalibus & Regibus, Cardinalibus & Epiſcopis & Abbatibus, & ſic de aliis. Sed quicquid ſit de Leonelli definitione, illud manifeſtiſſimum eſt, quod præcedere eſt præ aliis honorari, aut alios in honoris collatione anteire, & præcipuè cum honor publicè confertur.

De honoris porro variis generibus, & præcipuè de eo, ſub quo continetur præcedentia, quæ reſpicit honorem uni perſonæ præſtitum in comparatione alterius, nihil addo quod nimis longum ſermonem id argumentum requireret, & quod minus ad rem noſtram faciat, eſt enim alterius conſiderationis.

Cæterum honorem deberi virtuti, manifeſtum
11 eſt, Ariſtot. *in Mor. ad Nicom. libr.* 4. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 145. *art.* 1. *ad* 2. & ex Juriſconſultis doctiſſimus Melchior Lother. ex eodem D. Thom. *libr. primo, de Benef. quæſt.* 16. *num.* 22. Et idcirco, ut idem Ariſtot. *ibid. cap. tertio.* revera ſolus bonus eſt honorandus, atque inde fit, ut homines maxime honorem affectent: ob id enim, inquit idem Ariſt. *ibid. cap.* 5. *libro primo*, ſectari honorem homines videntur, ut ſe ipſi bonos eſſe credant. Cum ergo virtus bonum faciat habentem, D. Thom. 22. *quæſt.* 47. *art.* 1. *ad* 3. & honor debeatur virtuti, qui honoratur, bonus reputabitur: nunquam enim vilipendere oportet, ut dicebat Plat, *tit. de Leg.* an boni eſſe, aut ſecus aliis

13 videamur : licèt præ omnibus curandum ſit non ut boni videamur, ſed ut privatim & publice ſimus, eodem Platone aſſerente *in Gorgia*. Quâ verò ex cauſa virtuti honor debeatur, ipſemet Ariſt. *loco ſuprà cit. lib.* 2. declaravit, nimirum quia eſt alicuius boni effectiva, imò, ut Plautus *in Amphitr. Act.* 2. *ſc.* 2.

14 —— *Omnia adſunt bona quem penes eſt virtus.*

Cùm verò & virtutes non unius generis ſint, & bona item diverſi ſint generis, & unum ſit melius & 15 excellentius altero, una etiam virtus erit maior altera, quòd bonum ex ea emanans, maius fuerit altero, quod à minore virtute procedit. Si ergo quò 16 maioris boni eſt effectiva, eò maior virtus cenſenda, maior virtus, exempli gratiâ, erit magnificentia, quàm liberalitas, ſiquidem maius bonum in ſuo genere ex illa, quàm ex hac haberi palam eſt, maior & dignior item Juſtitia erit, quàm temperantia cùm bonum ex Juſtitia emanans, maius & magis communicativum exiſtat, quàm quod procedit ex temperantia. Ergo & maiore honore digna erit Magnificentia, quàm liberalitas, & Iuſtitia quàm temperantia : & conſequenter maiorem honorem conſequi debet magnificus, quàm liberalis : & maiorem Juſtus, quam temperatus, & idem procedere in omnibus ac ſingulis virtutibus, eſt acceptiſſimum. Unde ſapienter Plato *libro quinto, de Republ. in princ. Honorandus*, inquit, *certè eſt, qui nihil iniuſtè agit : qui verò nec alios id facere patitur, duplici honore, imo etiam magis eſt honorandus : ille enim uno, hic multis hominibus præſtantior eſt : & qui aliis bonis abundat, qua in alios transfundi poſſint, ſi cæteros participes efficit, tanquam vir ſummus honorandus.*

17 Hæc Plato, & quidem optimè, nam cùm virtutis magis proprium ſit honeſta agere, quàm non agere turpia, ut Ariſt. dicebat, *lib.* 4. *eorundem Moral. cap.* 1. magis item proprium virtutis eſt, in alienum bonum, & in commune, quàm in proprium aut particulare redundare : quia honeſta agere ſimpliciter ac poſitivè in alienum ſemper bonum redundat : non agere turpia, non ſimpliciter, quia id poſitivè bonum non eſt : nihil enim boni poſitivè mihi evenit ex hoc, quòd meas divitias non fureris, at ſi tuas mihi impertiaris, hoc quidem po- 18 ſitivè bonum eſt. Ex quibus ſequitur, quòd qui magis utilis Reipublicæ eſt, honeſtè & ex virtute operando, in honore aliis præcedere debet, cùm maioris boni cauſa exiſtat.

Dubium tamen facere poterat id quod dictum eſt, honorem ſoli virtuti deberi, & propter eam tantùm homines honorari, cùm pleraque alia ſint, quorum cauſa homines honorantur, & quibus iure optimo honor deberi videtur, ut eſt potentia, dominatio, 19 nobilitas, ſexus, ætas, divitiæ, & alia nonnulla : cum effectu enim videmus honorari potentes, & qui cæteris dominantur præ aliis omnibus : ergo potentia honoratur magis quàm virtus. Imò hoc iure fieri, vel Platone iudice *libro quinto, de Repub.* patet. *Qua dominantur*, inquit, *præ illis, qua ſerviunt, ſemper ſunt honoranda :* unde illud in Sacris : *Proverb. c.* 4. *verſ.* 28. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Sic etiam de aliis rebus ſuprà nominatis conſtat, eas honorari non minùs quàm honoretur virtus.

20 Si tamen animum advertamus, omnia quæcunque honorantur, non reſpectu ſui ipſorum, ut virtus, ſed in ordine ad ipſam virtutem, honorati comperiemus, & ſic propriiſſimè ſoli virtuti debetur honor per ſe, cæteris autem rebus non per ſe, ſed quatenus virtuti vel inhærent, vel inhærere debent : quia dominantes & potentes in tantùm honorantur, in quantùm dominatio & potentia cum Juſtitia pari paſſu incedere debent, cùm qui dominantur, Juſtitiam ſimul populis adminiſtrent : neque Juſtitia propter dominationem & potentiam, ſed è contra hæ 21 propter Juſtitiam honorantur : dominari enim debet inter homines, qui Juſtiſſimus eſt. Sic etiam de nobilitate diſſerendum : nam primi nobiles in aliqua civitate, aut communitate, aut priùs in mundi primordiis, quando nullus alteri præibat, ſed erant omnes genere æquales, ij exiſtimati ſunt, qui alios virtute excedebant, Senecâ optimè id dicente, *in Epiſt. num.* 90. & ſic iis honor propter virtutem 22 habebatur. Poſtmodum in abuſum converſa ea conſuetudo eſt : cùm enim tunc, qui erant virtute cæteris excellentiores, honore, potentiâ, dominio, & divitiis potiti eſſent, filios ac deſcendentes ſuos earundem rerum hæredes reliquerunt, quorum plurimi divitiis ac potentiæ fiſi, virtute neglectâ, honorari tamen, ut progenitores voluerunt, fucatam quandam generis nobilitatem adinvenientes ex maiorum virtute & gloria emanantem, quæ in rei veritate imaginaria potiùs, quàm realis quædam res eſt : unde rectè Plato *in Theæteto, Nobilitas apud Philoſophum virum abſurda quædam curioſitas appareret : Non enim*, ut Seneca *in Epiſt. num.* 44. dicebat, *facit nobilem, artium fumoſis imaginibus plenum : nemo in noſtram gloriam vivit, nec quod ante nos fuit noſtrum eſt : animus faciat nobilem, cui ex quacunque conditione ſuprà fortunam ſurgere licet.* Et rectè alter Seneca, *in Herc. fur. Act.* 2. ſub perſona Lyci.

Non vetera patriæ iura poſſideo domus
Ignavus hæres, nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus :
Sed clara virtus. Qui genus iactat ſuum
Aliena laudat.

Cui concinit id, quod prudentiſſimè Juvenalis, *Sat. octava.*

—— *Miſerum eſt aliena incumbere famæ.*

Quòd ergò honorentur nobiles, non ex nobilitate, ſed ex prima maiorum virtute ſit : nam honor tangit 23 poſteros, laus verò eorum ſolùm eſt, quorum eſt virtus, ut poſt alios Philoſophos dicebat Valleſ. *in* 24 *lib. de ſacr. Philoſoph. c.* 74. Habet tamen medius fidius id ſaltem nobilitas ſibi proprium, ut faciant præſumptionem pro ſe excellentiæ virtutis, & quòd boni filius bonus futurus ſit, cùm generis virtus ſit nobilitas, Ariſtot. *lib.* 3. *Polit. cap.* 8. & ut rectè Plato *in Alcibiad.* 1. Meliores eſſe naturas in nobili gene- 25 re, conſentaneum eſt, quàm in ignobili : unde idcirco nobilitas refertur ad bonitatem generis, cùm nobile id ſit, quod ex bono prodiit genere, ut Ariſtot. dicebat 1. *de hiſt. anim cap.* 1. & ſic ſemper refertur ad virtutem.

Sed & propter ætatem honorantur homines, non 26 ob ipſam tantùm ætatem, quantùm ob id, quòd ætate maiores iuniores, & minores prudentiâ, conſilio, virtute prævertant, aut prævertere debeant, idemque dicendum de ſexu, nam maſculinus eandem ob cauſam præfœminino honoratur, cùm virtus propriè virorum ſit. Sed & divitiæ, licèt immeritò, honorantur, nam ut Plat. 9. *de Repub.* dum divitiæ & divites honorantur, & virtus & boni contemnuntur. Honorantur tamen & ipſæ ex eo, quòd bonorum, & eorum, qui virtute pollent, eſſe deberent : per abuſum tamen honorantur propter utilitatem, quam ab illis ſibi homines emanare ſperant : ſimulatus ergo hic honor eſt, non verus, qui ſemper & ubique locorum ad virtutem refertur,

refertur,& eius intuitu habetur : & præcedentia,quæ est, ut diximus, collatio vel perceptio maioris honoris respectu alterius, refertur ad maiorem virtutem minori comparatam.Unde à primo ad ultimum concludendum videtur, in honoris collatione in
28 Republica, illum debere præ cæteris honorari, & inter alios magis honorari, quod idem est ac præcedere, qui virtute alios præcellit : ex hac enim non solùm homines meliores dicendi respectu sui, sed etiam respectu Reipublicæ, quòd maioris boni illi causa esse possint : idemque procedere debet in scientiis, & artibus : Nam quantò maius bonum per ipsas consequimur, tantò sunt illæ præstantiores & nobiliores, & tantò maiore honore dignæ. Neque contra hoc facit id, quod Aristot. *de Anim. text.*1.D.Thom.2.2.*q.* 182. *art.* 1. Conciliat. *diff.* 5. *vers. propter tertium.* Valles. *de sacr. Philos. c.* 74. Roderic. Castrens. *in Medic. Polit. lib.* 1. *c.* 12. Epi-
29 phan. Ferdin. *lib.* 1. *Theor.* 1. & ex Iurisconsultis Cassanæus, & adducti per ipsum *in Catal. Glor. mund. p.* 10. *consid.* 25. nempe quòd ars & scientia nobilis dicatur ex subiecti præcipuè nobilitate, aut propter demonstrationis certitudinem, aut propter utrumque : nam in idem recidit quod dicebamus, quia subiecti nobilitas apud Philosophos, accipitur pro bonitate eiusdem, & nobile tanquam quid cum
30 bono convertibile, & idcirco scientia, quæ versatur circa nobilius subiectum, magis est honoranda, quia maius bonum sibi pro fine proponit. Certitudo etiam demonstrationis in tantum facit scientiam honorabiliorem, in quantum est maioris boni effectiva, quia perducit nos ad certam & infallibilem rerum cognitionem, & facit nos certissimo tramite invenire veritatem eorum, de quibus est speculatio : absque veritatis autem inventio-
31 ne nequaquam boni quicquam ex artibus & scientiis assequi possumus : nam si quid bonum est id etiã verum sit oportet : cùm verum & bonum convertantur & scientia veritatis scientia boni sit. Plat. *in*
32 *Parmen.* Subiectum autem scientiarum illud præire cæteris debet, quæ animum respicit, animi enim bonum corporis bono anteferendum esse, nullus est qui ambigat.

Et hæc pro fundamento sint decidendæ quæstionis : ante cuius determinationem operæpretium duco, ut iis calumniis in medium allatis, quibus tam Medici, quàm Iurisconsulti, & tam Medicina quàm iurisprudentia lacessuntur, eas omnino diluamus, ne ad nugas, in ipso pugnæ fervore, converti nos oporteat, & ab ea diverti : quia dum frivola alterius partis iurgia potius, quàm oppositiones altera conatur repercutere, à solido & rationali discursu ab utrisque deviatur,nec optatus finis, interim incassum tempore præterlabente, quæstioni imponitur.

SUMMARIUM

1 *In Medicam artem ruunt multi invehuntur.*
2 *Artifices nomine plurimi re autem perpauci.*
3 *Ignorantia semper audaciam comitem habet.*
4 *Medicinæ origo ignota.*
5 *Medicinæ origo ex peccato.*
6 *Medicina ex hominum intemperantia.*
7 *Non est opus Medico bene valentibus.*
8 *Medicina est superflua.*
9 *Medicina est noxia.*
10 *Medicina religioni contraria.*
11 *Medicina ars vana & inconstans.*
12 *Medicina est ars, in qua plus valet experientia quàm ratio.*
13 *Medicina est ars mechanica.*
14 *Nisi Medici essent, nihil esset stultius Grammaticis.*
15 *Bonus Medicus esse non potest, qui non sit malorum morum.*
16 *Medicorum vitia.*
17 *Medici dicuntur ex eo, quòd homines è medio tollant.*
18 *Medici sunt superbi.*
19 *Avaritia proprium Medicorum vitium.*
20 *Invidia proprium Medicorum vitium.*
21 *Medicus est ignobilis.*
22 *Medicus an æquiparetur doctoratus dignitatem, non est certum.*
23 *Medicus computatur inter viles artifices.*
24 *Medici exercitium acquisitus solis servis exercendum relinquebatur.*
25 *Medici dicuntur parabolani.*
26 *Medici non sunt maioris valoris, quàm obstetrices.*
27 *Medicus, Mendicus.*

Obiecta in medicinam & Medicos.

QUÆSTIO II.

SEd plurimùm mehercle excresceret nostra oratio,ita ut iustum volumen ob idipsum, multoque maius exposceret, si singula quæque à Iurisconsultis, aliisque nonnullis Professoribus in medicinam & Medicos obiecta, hic discutienda proponeremus : mirandum enim est, quantopere multi in nobilissimam hanc artem, atque in eius studiosos invecti sint : cuius rei causam aliquando mecum ipse perscrutatus, non unicam in singulis detractoribus esse comperi. Ante omnia autem ipsius artis 1
præstantiam, & difficultatem id operari certum est, nam solet accidere, inquit Ptolom. *de Iud. Astr. in præm.* ut artes difficiliores vulgi iudiciis vituperentur ac facilè evenit, ut homines in aliis ea contemnant, quæ ipsi ignorant. Sed fit præterea, ut nonnulli medicinam & nunc aspernentur, & aliàs aspernati sint, ob odium & æmulationem ipsorum artificum, & in horum censu fuit fortè Plinius, qui vel ob particulare, quo nonnullos Medicos prosequebatur, odium, vel quia ipse in recensione suæ naturalis historiæ multa attulisset à contemporaneis suis Medicis vel reprobata, vel illis minùs accepta, il eos acerbè invectus est : sed dum ipse in alios invehitur, propria vineta cædere videtur : multa enim bona eius historia habet ad medicam facultatem pertinentia, & cæteris magis humano generi utilia, atque proficua. Sed videnda quæ contra Plinium affert Joan. Filesac. Theologus Parisiensis *lib.* 2. *select.* in medicinæ defensionem.Verùm & in hoc eodem numero Iurisconsulti nonnulli sunt, qui dum artis huiusce gloriam ac præstantiam transversis oculis intuentur,& Medicos ipsos in honoris causa æmulos sibi esse dedignantur, contra artem & artifices obloquentes,se ipsos, & Iurisprudentiam eâ ratione extollere se putant : neque enim aliâ viâ sibi succedere posse vident eorum aliqui, honoris palmam obtinere, quàm affectatâ quadam æmulorum depressione.

Alij sunt qui medicinæ & Medicis malè volunt, ob improsperos successus, qui sibi ab illis prodierunt, ut charæ alicuius personæ, putà filij,uxoris, parentis, amici interitus, & huiusmodi. Anne iniquissimi hominum ij sunt, qui ab arte exposcunt quod eius potentiam exuperat, nimirum, ut eos qui à morbo vincuntur, ad sanitatem revocet:quod tantundem esset, ac si iam mortuum hominem ad vitam revocari ab ea expeteres, quod non humanæ alicuius artis præsidio, sed supernaturali tantùm Dei potentiâ potest succedere. Atque his affines sunt, qui medicinam & Medicos idcirco infectantur, quia morbis longis & incurabilibus detenti, non possunt,ut optarent, artis huiusce beneficio ab illis allevari.

Alij verò(quibus iustior forte huius simultatis causa una ex parte offerter)in hanc artem invehuntur, quòd

quòd artificum multitudinem ſupinâ ignorantiâ in-
2 ſignium exoſam habeant. At verò iniuſtè agunt qui hominum peccata in artem retorquent, & qui ob unius culpam omnes condemnant. An non in quibuſcunque artibus exercendis idem uſuvenit, ut artifices nomine quidem complures ſint, re autem perpauci ipſo Hippocrate atteſtante in lege? An non idipſum in Juriſprudentiæ profeſſione contingere, ipſi quoque Juriſconſulti confitentur? Iniquum autem eſt, ut Ptolomæus dicebat *lib. 1. de Jud. nat. c. 1.* Arti adſcribere errata, quæ ab imbecillitate Profeſſorum oriuntur.

Sunt præterea nonnulli, qui artem hanc præclariſſimam & artifices irrident ac deſpiciunt, quod à natura optimum ſortiti temperamentum, & ideirco morbis quàm minimè tentati, propriæ prudentiæ ſanitatis ſuæ incolumitatem acceptam referentes, cæteros hominum, qui deterius temperamentum ſortiti & imbecilliori naturâ muniti morbis ob eam, aut aliam quamcunque cauſam faciliùs conflictati, medicinâ & Medicis indigent, cum ſuis præceptis & medicamentis deridentes, naſoque, ut dicitur, adunco ſuſpendunt, tanquam fatur homo, qui famelico eſcam ad ieiunium frangendum quærenti exprobaret. Et tamen ij ipſi, velint nolint, dum medicinam contemnunt, eius neceſſitatem & utilitatem facto ipſo confitentur: nam aut aliquid faciendo, aut prætermittendo, ſani vivunt, ut Hipp. demonſtrat, *lib. de Arte.* Huius claſſis iam fuit Cato ille, Medicorum, imò (inquam) doctorum omnium hoſtis acerrimus, qui tamen ſuæ inſcitiæ pœnas dedit, cùm filium & uxorem ſuâ ignorantia perdiderit, non obſtante, quòd de ſe, ſuaque prudentiâ (ut eorum, qui ignorantiâ pollent, mos eſſe ſolet) tam magnificè ſentiret, ut gloriaretur, ſcire ſe ſuis præceptis familiam ſuam ſervare incolumem, contemptâ omni Medicorum ope, ut Plutarchus *in eius vita* teſtatur. Sed quid mirum, hominem qui tunc & imperitus eſſet, & literas odiſſet, tantopere de ſua ſcientia extolli? annon
3 ignorantia ſemper audaciam comitem habet, ut Hippocr. ipſe *in lib. qui inſcribitur Lex*, teſtatum reliquit? At verò ſiqui alij huius ordinis ſunt, nempe qui medicinam ob id inſectentur, quòd ipſi eâ non indigeant, imprudenter omnino facere videntur, dum naturæ indigentiam ab uno individuo metiti, ad reliqua omnia transferre conantur. Sed illud pro certo & quotidianâ experientiâ docti, vel iurati affirmare Medici poſſumus, nullum genus hominum turpiter unquam labi & in irreparabiles propriæ, vel alienæ ſalutis errores præcipites dari, quàm vulgarium huiuſmodi doctorum turbam, qui dum ſuam ſapientiam deregere & oſtentare pruriunt, craſſæ & impudentis ignorantiæ notas manifeſtiſſimas præbent: nam non ipſe ſolus, neque ſemel vidi huiuſmodi farinæ homines ſelectis quibuſdam ſuis, ut plurimùm abſurdiſſimis medicamentis, vel ineptis quibuſdam & inanibus omninò præceptis, dum ſanitatem reſtituere quibuſdam ſtuderent, eos è medio evidenti facto ſuſtuliſſe: neque longè quærendum exemplum eſt: nam ipſe Cato, ut dixi, in filio & uxore eius rei periculum fecit.

Cum his pari paſſu procedunt, qui nauſeabundi hanc artem ipſoſque artifices reſpuunt, ut univerſis hominibus magis ſapere videantur: & ob hoc ipſum, Catonem inimicum nos habuiſſe certum eſt, fortè & alios, quos nominare quidem volo, ſciolos maximè quoſdam recentiores. Ij tamen quicunque ſint, qui præ aliis ſapiunt, ne interdum cum magno ſuo malo proprię ſapientiæ vires in ſe ipſis experiuntur, cæteriſque deriſui ac deſpectui in futurum ſunt. Sed accedamus iam ad ea, quæ vel omnes prædicti ſimul, vel eorum aliqui contra medicinam & Medicos obloquuntur, ut deinceps, ea refellere liceat, & primò videamus quæ contra artem, dehinc quæ contra artifices obiiciuntur, vel obiici poſſunt: nam & ego in hoc illis manus dabo.

Circa originem primò medicinæ nonnulli eam 4
criminantur ac deſpiciunt, volentes eam eſſe ignotam, ut quidam ex recentioribus Juriſconſultis contendit, qui vel auctores non legit, quod credo, vel legiſſe diſſimulavit: illud ignorantiæ aut conclamatæ negligentiæ: hoc malignitatis indicium eſt. 5
Aliis, qui magis ad rem ratiocinari norunt, affirmare liceret, illam à peccato derivaſſe, ut ex Theologorum auctoritate probat Daniel Vlierden. *in Libell.* | *Quòd Medicus non corpus ſolum ſed animum etiam curat:* nam omnes morbi, & ærumnæ humano generi familiares, circa quorum curam medicina verſatur, ſunt pœna peccati à primo homine in terreſtri paradiſo patrati: nam in ſtatu innocentiæ neque morbis eſſet conflictatus homo, D. Thom. 1. 2. q. 5. *art. 5.* neque ex conſequenti medicinâ indiguiſſet, quod confirmat illud *Eccleſiaſt. cap. 38. verſ. 15. Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit illum, incidet in manus Medici.* Adde quòd etiamſi hoc non haberet 6
veritatem, certum tamen eſt, medicinam à peccato originem duxiſſe: quia omnis medicina circa morbos ſanandos ex intemperatia pullulat, Platone aſſeverante, *lib. 3. de Rep.* aliter cum temperantia homines ſani viverent, neque medicinâ egerent: unde Ægyptij ex eo quod à ciborum affluentia & ab ipſa intemperantia, omnem morborum congeriem naſci crederent, ſeſe ſingulis menſibus per triduum purgare aſſueverunt, ut narrat Herodot. *in Euterp.* Ergo ſublatâ intemperantiâ, tolletur prorſus me-
dicina, quia homines ſani vivent, ſani verò medi- 7
cinâ non indigent, iuxta illud in Evangelio Marci, *cap. 2. verſ. 17. Non eſt opus bene valentibus Medico, ſed malè habentibus,* cui conſonat illud Ovidij *lib. 4. Triſt. eleg. 3.*

Si valeant homines ars tua, Phœbe, iacet.

Unde Celſus *libro primo ſua Medic. cap. primo, Sanus homo, qui & bene vivit, & ſua ſponte eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque lanæliptâ egere:* idemque comprobat Pauſaniæ dictum apud 8
Plutarchum *in Apophtheg. Lacon.* Ne Medici quidem apud ſanos, ſed ubi ſunt ægroti, verſati conſueverunt. Plura autem circa hoc propoſitum, vide apud Tiraq. *de Nobil. cap. 31 à n. 494. ad ſeqq.* Et tamen etiamſi intemperanter vivant homines, & medicina intemperantiæ vitiis occurrere procuret, ſuperflua quoque & ad nihil utilis videtur: quia cùm cætera etiam animalia non minùs quàm homo corruptioni ac morbis ſubiiciantur, tamen nulla ex illis medicina utantur, ſuperfluus etiam erit eius uſus in homine, quia natura ex ſe ipſa morbos curat, vel ipſis Medicis non tergiverſantibus. Hipp. *6. ad morb. vulg. ſect. 5.* quæ ergo curat morbos per ſe in aliis animantibus, curabit etiam in homine. [An Medici aliquando Româ pulſi ſint, vid. Reies *pag. 1. Camp. Ely.*]

Neque ſolum ſuperflua, & inutilis medicina ha- 9
betur, ſed noxia, & mortifera, ut deblaterat quidam craſſioris minervæ Juriſconſultus: quod comprobant nonnulla ſapientum dicta, ut illud Pauſaniæ apud Plutarch. *ubi ſupra* qui interrogatus cur Medico cuidam detraheret, cùm ab eo iniuriâ non eſſet affectus, Quia, inquit, ſi de illo periculum feciſſem,

neque

nequaquam viverem : & illud quod ſequitur, quo Medico, qui ei gratulabatur, quod ſenex factus eſſet reſpondit, Quia te Medico non ſum uſus ; & tertium quo firmabat, illum optimum eſſe Medicum, qui ſuos ægrotantes tabeſcere non ſineret, ſed quam primum ſepeliret, quaſi nonniſi noxa, & damnum à Medici opera proficiſci poſſit, de qua vide Royz. *dec. 1. Lituanica, n. 89. & ſeqq.* quæ omnia cum aliis nonnullis referentur etiam à Tiraq. *ubi ſupra.*

10 Sed quod adhuc magis quid eſt, medicinam religioni eſſe contrariam patet apertiſſimè ex ſacris Canonibus, *cap. Contraria diſtinct. 5. de Conſecr. in 3. part. Decret.* & probatur etiam ratione, quià multa contra ipſius religionis dogmata Medicina & docet, & operatur : Jeiunium ab illa tantopere commendatum, tanquam inſalubre ac noxium vituperat, virginitatem rem apud illam ſanctiſſimam, continentiam rem tam honeſtam reiicit, ac diſſuadet, gulæ illectamenta, veneris irritamenta, contra ipſius religionis conſilia procurat, nam ſuis remediis languentem appetitum excitare, ſopitam venerem irritare, mulieres ipſas libidinis inſtrumenta ita fucis exornare ſtudet, uthomines ad ſui concupiſcentiam alliciat : quæ omnia cum in animæ detrimentum ſint, quam ſanctiſſimæ religioni contraria exiſtant ſuperfluum eſt explicare. Sed quid quod ipſi quoq ; ſapientiæ & omnium, ac ſingularum artium, & ſcientiarum acquiſitioni medicina impedimento eſt, aſſeverante Platone, qui & ipſe Medicus erat *lib. 3. de Republic. verſ. med.*

Cum igitur Medicina & ſuperflua ſit, & noxia, & religioni contraria, & animæ bono, cur non ab
11 hominum ſocietate exulare permittiur ; nam & cum his omnibus vana etiam eſt, quod ſatis ſuperque eius inconſtantia & incertitudo demonſtrare poterat : quid certi enim boni promittere poteſt ars, quæ incertam habet veritatem ? nullam artium eſſe magis inconſtantem, dicit Plin. *29. ſuæ Nat. hiſt. cap. 1.* adeo namque inconſtans eſt, ut pro ingenio eorum qui in ea excellunt, ſingulis ætatibus immutetur, nam famam, ut addit, novitate aliqua Medici aucupantur, unde Platone aſſeverante *dial. 3. de Repub. tranſ. med.* diverſa erat medicina tempore Æſculapii ab ea, quam ſuo tempore Medici exercebant, quam tanquam nimis operoſam & difficilem vel ipſe Plato *ibid.* damnabat. Quid autem ſi eam, quæ nunc eſt in uſu, Plato cognoſceret, an non Fabii illis conſilium univerſis hominibus daret, de quo ipſe, ut relictis Medicis, quod non eſſet ſibi otium ad ægrotandum, naturæ ſeſe committerent ? Recte enim medius fidius facere viderentur, quis enim tam prolixam medendi rationem pateretur, cum ant quitus unico medicamento ſolvente, aut vomitorio, aut alio ſimili curationes unico die abſolverent, quas nunc ne mille quidem medicamentis, ac ne per annum quidem abſolvere Medici norunt ; Non poteſt ergo realem ullam veritatem ars promittere, quæ pro hominum voluntate ſua præcepta immutat. Sed vide inſuper quæ præ cæteris affert de hæc medicinæ inconſtantia Royz. *deciſ. Lituan. 1. n. 82.*

Confirmat ſuperiora, quia medicina non eſt inventa ratione, ſed experientia abſque ulla ratione, ut ex Ariſtotelis & Galeni teſtimoniis teſtatur Argenterius, contra quem tamen pugnat Epiphanius Ferdin. *Theor. libro primo. Theor. 1.* idcirco à Juris-
12 conſultis non iniuria dicitur, quod medicina ars eſt, in qua plus valet experientia, quàm ratio. Rip. *tract. de Peſt. part. ult. part. 2. num. 16.* Quæ igitur veritatis aſſecutio ſperari poteſt ab arte, in qua ratio veluti exulat, neque per eam licet homini ad finem eius, quod quærit, devenire, ubi & ipſam ratiocinationem homini propriam ad nihilum valere experimur ? Ubi enim eminet experientia eminet rationi contraria, cedere ipſa ratio cogitur. Rectè igitur Macrob. *lib. 7. Saturnal. cap. 15.* Medicina inquit, Phyſicæ partis extrema fæx eſt, (quam amarulento ore id profert :) cui ratio cum teſteis terreniſq; corporibus : ſed quid rationem nomi- 13
navi, cum magis apud ipſam regnet coniectura, quam ratio ? Jure ergo inter mechanicas artes & maxime abiectas connumeranda videtur, ex Ariſtot. *1. de Anim.* Averr. *comm. 17. & 1. Collig. cap primo,* & ex Juriſconſ. Carrar. *de Med. part. tertia, numer. 14.* & idcirco non mirum eſt, Cardanum *in libello de libris. propriis,* hæc habere : At medicina, ſi qua alia (gloria, quæ illam comittatur, exceptâ (tota ſervilis eſt, plenaque laboribus & incommodis, ſolicitudinibusque immenſis ac anxietatibus, &, ut vere fatear, ingenuo viro indigna, ut non mirer, olim ſervorum fuiſſe hoc exercitium. Unde neque mirandum, Hippocratem *lib. de ſtatibus* faſſum eſſe, hanc artem eſſe ſordidam, ut ſomniat Tiraq. *loc. cit. de Nobil. num. 415.* neque mirum, eſt eam ab auctoribus claſſicis nullo honore dignari, & à Virgilio ingloriam, ac mutam artem vocati, 12. *Æneid.* ibi :

Ille poteſtates herbarum, uſumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

ubi loci mutas artes dixit, id eſt, occultas & gloriam non afferentes, præcipuè muſicæ, vel poëſi potius aut rei bellicæ comparatas, ut exponit Aſcenſius & alij.

Sed quot, & quanta, Deus bone, contra Medicos obiiciuntur ! nihil boni habet homo, quod iudicio horum medicinæ oſorum non amittat, ſi Medicus profeſſione ſit : ſcientiæ, bonorum morum, nobilitatis, omnis que honoris Doctoratus ipſius, animæ denique iacturam facere eum, qui medicinæ ſe addicit, ſerio affirmant iatromaſtiges quidam, tantum in illis poteſt maledicendi prutitus ille, & en-
tuſiaſmus, ad quem ab huius artis odio rapi ſe 14
permittunt. Quoad ſcientiam enim in tantum deſpicitur Medicus, ut ab Athenæo illud prolatum ſit, Niſi Medici eſſent, nihil foret ſtultius Grammaticis, quaſi medicinæ ſcientia ſtultitia quædam ſit, non ſcientia.

Quoad mores vero Medici ita taxantur, ut nullus hominum in peiori conditione ſit : quod peſſimum omnium eſt, ipſi iidem medicinæ profeſſores non poſſe eſſe bonum Medicum affirmant, qui non
ſit malorum morum, ita Concil. *diff. 7. verſ. pro-* 15
pter tertium, in fin. quaſi ars ipſa morum pravitatem comitem perpetuam habeat. Sed multo clarius Medicorum quaſi congenitos mores ad vivum depin- 16
xit *idem Conciliator, ibid* Æmuli, inquit, ſunt, detractores, oblocutores, elati, ambitioſi, loquaces, ſcientiæ alicuius & laudis deteſtatores, negligentes, luxurioſi, vinolenti, aleatores, pecuniæ, vanæ gloriæ, & ſuperbiæ inhiantes, Dei etiam incultores, omnifariamque ſpernentes : & his non inferiora retulerat, *diff. 1. verſ. propter primum,* Medicus dicebat ille, eſt invidiæ pelagus inexhauſtum, detractionis organum, indefenſæ aut indefeſſæ ambitioni perforata clepſydra, alienæ veritatis garrulus prædictor, ignorantiæ propriæ conſtantiſſimus inconfeſſor, inexcuſabilis infirmorum neglector. Quid ergo ab alienæ profeſſionis hominibus de Medicorum moribus ulterius audire expectamus ? Minima ſunt, horum reſpectu : quæcunque

Juriſcon

Juriſconſulti & præcipuè Tiraq. *de Nob. c. 31 n. 137. & ſeqq.* aut quivis alius contrà Medicos proferre poſſunt : ſed tamen & ipſi ex proprio penu contra nos nonnulla depromere tentant. Impietatis nos primùm criminentur, quod homines è medio officiosè tollamus, [vid. Camer. *oper. ſuccif. ſ. 3. c. 7.* 17 *cent. 1.* Panciroll. *rem. t. 1. p. 2.*] ita ut non aliunde nomen Medici ſit deductum, Carrat. *de Med. part. 1. n. 13.* de nobis enim dicitur à Plinio, *Experimenta per mortes agunt, Medicoque hominem occidere ſumma impunitas eſt.* Inde etiam Medicos dici Archiatros volunt, quòd ſint auctores, & principes omnis mali, ut quidam Juriſconſultus, cuius nomen proferre nolo, dicit, qui, quicquid illi in buccam venit, obloquitur inſulſiſſimè, minimè gnatus eorum quæ profert, de qua tamen voce vide quæ affert Mercurial. *libro quarto, var. lect. c. 1.* & Cagnat *libr. ſecundo, var. obſerv. c. 15.* & Juriſconſultis Cuiac. *in comm. ad lib. 11 C. Juſtinian. l.* 18 *Medicos.* Sed & ſuperbiæ taxantur Medici, quia ſemper novitate aliquâ famam nominis aucupantur, ut ex Plinio dixi. Avaritiam portò tam propriam 19 eſſe Medicorum volunt, ut iure connumerentur inter avaros. Maſcard. *concl. 150. n. 3.* Ac profectò nullum obiectorum criminum in maiorem me erubeſcentiam coniecit, quàm obiecta avaritia, quæ quidem tanquam in propria ſphæra, in pluribus Medicorum reſidere conſpicitur. Quin & ipſum medicinæ inventorem ac Deum Æſculapium hoc vitio laboraſſe ferunt, ob illudque à Joue fulmine ictum, ut aliàs dixi, licèt pateat Virgilij auctoritate, 7. *Æneid.* Æſculapium à Jove fulmine interemptum ob id, quòd Hippolytum in vitam revocaſſet, ut patet in his ſeqq. carminibus.

Namque ferunt famâ Hippolitum poſtquam arte nefanda
Occiderit, patriaſque explerit ſanguine pœnas,
Turbatis diſtractus equis, ad ſydera rurſus
Æthereа, & ſuperas cœli veniſſe ſub auras :
Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis,
Fulmine phœbigenam ſtygias detruſit ad undas.

Et pleraque alia, ut ad rem revertar, de tam inemendabili Medicorum avaritia à Juriſconſultis ſunt prolata : ſed ſatis ſit adducere quæ ſequuntur, ex Caroc. *de loc. & cond. part. 2. rubr. de Med. quæſt. 5. numero quinto.* Nihil inquit, hodie Medico magis avarum, utinam falſa diceret ſecundùm plurimum) omnes enim ſitibundi, & reputant ſe mereri plus ultra dimidium iuſti pretij, & pluſquam parabolani ſunt, nec ſalmæ denariorum phantaſticos ſatiarent : Quid ergo de medicina & Medicis iactat Hipp. *in lib. de Orn. Med.* dicens, Nam omnia, quæ ad ſapientiam requiruntur, inſunt in medicina, argenti contemptus, &c. & Gal. *in lib. quòd Opt. Medicus ſit & Philoſophus*, oportet Medicum eſſe contemptorem pecuniæ, & quæ ibi ſequuntur. Imò illud certum eſt, quòd ubi argentum, aut lucrum non eſt, nec Medicus venire vult, ut dicebat Gaſpar. Triſtan. *de Cleric. Med. §. 16.*

20 Invidiam portò eſſe Medicis connaturale vitium : idque in proverbio eſſe, dicit ex noſtris Franciſc. Ranchin. *de conſult. med. c. 3.* ſed & Medicorum hæreditaria etiam eſt ſuperbia, & avaritia, de quibus iam diximus : ut teſtatur ex Medicis ipſis Roderic. à Caſtr. *in Med. Polit. lib. 3. cap. 2.* & ex Juriſconſultis Tiraq. *cit. cap. 31. de Nob. num. 437. & ſeqq.*

Præterea habetur Medicus pro ignobili, ut con- 21
tendit Faber. *deciſ. 9.* ex quo Ricc. *collect. 147. part. prima*, qui tamen neſcire medius fidius videtur, quid ſit nobilitas, neque addam, hoc de Fabro mitum non eſſe. Quinetiam Medicus in tam vili conditione eſt, ut Doctoratus gradum aſſequatur, necne, dubium adhuc ſit : litigant enim de hoc Juriſconſulti nonnulli, quorum nomina prætereo, qui tunc, quod volunt contra nos probare, verum eſſe ſibi perſuadent, cùm conditionem noſtram viliorem faciunt, an verò ullum ea rationis habeant fundamentum, necne, id illis curæ non eſt : nam ſatis ſuperque habent, ſi nonnulla verba alicuius legalis textus, vel alicuius Doctoris, ad id quod dicunt, per ſummam 23
vim accommodare poſſint. Computatur ergo ob prædicta Medicus per ipſos inter viles artifices, argumento *l. Artifices. C. de excuſat. Artif.* & iure, nam adeò vilis Medicorum profeſſio eſt, ut cuilibet liceat medicinam exercere, & nomen Medici etiam non doctoratis conveniat, neque ſolùm chirurgis, quod æquiori animo ferendum eſſet, ſed & cuicunque, ipſis obſtetricibus ac quibuſcunque quovis modo medicinam quamcunque exercentibus, ſed & veterinariis, & circulatoribus, & huiuſmodi perſonis abiectiſſimis Medici nomen aptetur. Ripa *ubi ſuprà, num. 11. & ſeqq.* Quini- 24
mò tam vile eſt Medici exercitium, ut antiquitus ſolis ſervis faciendum relinqueretur, argumento *l. 1. §. ſin autem aliqua art. C. de comm. ſerv. manumiſſ.* quod & Card. teſtatur *in lib. de libris propriis.* Ac de facto patet ipſos ſolos medicinam feciſſe apud Romanos : ſed etiam apud Ægyptios id ipſum in uſu fuiſſe, demonſtrare poſſunt ſacri textûs *Geneſ. cap. 9.* verba, in quibus habetur Joſeph præcepiſſe ſervis ſuis Medicis, ut conderent patrem. Plura etiam adduci potetant ad demonſtrandum id ipſum Romanis familiare fuiſſe, ſed ſatis ſit una, aut altera auctoritas, ut illa ex Suetonio decerpta, apud quem *in Caligula, cap. 8.* Auguſtus ad Agrippinam ſcribens, *Mitto*, inquit, *præterea cum eo ex ſervis meis Medicum, quem ſcripſi Germanico, ſi vellet, retineret*, & altera, *in Nerone, cap. 2.* ubi narrat Suetonius, Cnéam Domitium hauſtum venenum pœnitentiâ mortis evomuiſſe, Medicumque ſervum manumiſiſſe, qui idem ſibi prudens ac ſciens minùs noxium temperaſſet. Pluribus etiam antiquis inſcriptionibus, cæteris relictis, quas ex Pignorio communicavit mihi Doctiſſimus vir Leo Allatius, (Vir, inquam, magis inter eruditos notus, quam ut à me notior fieri poſſit, quibus omnibus ſummo decori & utilitati eſſe, ſatis eius monumenta typis commiſſa, ac propediem committenda declarant) id ipſum commonſtrari poteſt, ut illa eſt apud prædictum Pignorium, *de ſervis, pag. 40.*

CRESTÆ CONSERVÆ, ET CONIVGI CELEDVS ANTINOVS DRVSI MEDICVS CHIRVRGVS.

Et aliæ, quas apud ipſum vide : ubi etiam pleraque notatu digna reperies, de ſervis Medicis. Et ne omnia ex aliis tranſcribere videar, cætera nonnulla circa hoc videnda apud Tiraqu. *ubi ſupè, n. 410.* illud tantùm addam, Archiatros ipſos, qui principes Medicorum erant, inter ſervos fuiſſe connumeratos, ex Pignorio *ubi ſuprà, p. 43.* licèt illi contrarius omnino ſit Text. *l. Archiatri.* Ac denique tam deſpectum atque abiectum Medici nomen eſt, ut unicuique liceat appellare ſe Medicum & ſtultum, ut ibid. Ripa, *num. 10.* Sed & ipſos vetè Medicos,

nempe

nempe qui cum Philoſophiæ, medicinæ quoque doctoratum aſſecuti, artem ſuam decenter utcunque exercent, minimi pretij eſſe, præter allata, illud declarat, quod à lege quaſi per contemptum parabolani appellentur, ut omnes pene Juriſconſulti fatentur, argumento *l. parabolani. C. de Epiſc. & Cleric.* & cur, & unde vocentur Parabolani, vel ſimili nomine, explicat Tiraq. *ubi aliàs, n.* 421. quod etiam adnotarunt ex noſtris Roderict. à Caſtr. *lib.* 1. *Med. Poli. cap.* 10. & Canonher. *in prolegom. ad Hippocr. Aphor. pag.* 77. *verſ. obiicies* 16. Quid mirum ergo Medicos non majoris valoris haberi, quam obſtetrices, Gloſſ. *in cap. non ſane* 14. *q.* 4. *in verſ. Nec Medico.* Ripa *ubi ſupra num.* 106. & ex noſtris idem Roderic. à Caſtr. *ubi mox.* Ob hæc omnia etiam ad vilipendium & deriſionem Medicorum quidam [illegible]ulgrediuntur & Medicum in modo excedentem, M[illegible]icum, deficientem, mendicum vocari dicunt, Cartar. *de Med. par.* 1. *n.* 13. Ad quod poterant illud Plauti *in Rudente act.* 5. *Sc.* non abs re addere.

— *G. Quid tu, num Medicus quæſo es?*
L. Immo adepol una litera plus ſum quam Medicus
G. tum tu.
Mendicus es.

Hæc & his etiam peiora in nos Juriſconſulti aliique obiiciunt, & alia præterea quammolta, neque pudet prudentes viros hujuſmodi pueriles nugas in ſpretum tam nobilis artis, eorumque profeſſorum in medium afferre: cujus rei cauſa ego quidem Deum hominesque teſtor, vicem eorum doleo, malè enim ex hoc in perpetuum audituri ſunt apud cordatos viros, & qui ſolidam ſapientiam, non futilem, & ex commentario profitentur. Ac profecto, ſi liceret mihi tam turpem, deformemque maculam ab illis delere, næ ego quam promptiſſimè id præſtarem, ut qui Juriſconſultos tanquam prudentes viros multum recolendos cenſeam; unde ob hanc ipſam cauſam, nempe ut quæ contra eos, eorumque peritiam obiiciuntur (non ut par pari referatur) refellere; ac confutare liceat, ea non ſecus ac de iis, quæ contra medicinam & Medicos opponuntur, hactenus præſtiti, hic proponam; quod licet ipſi per ſe ſatis ſuperque præſtiterint, tamen facere non deſiſtam, ut meum erga illos obſequium experiantur, quod æquibonique conſulant ſummopere exopto, atque ab ipſis enixe expoſtulo. Si quid tamen contra eos ob ſcioli alicujus culpam exciderit, quod contra eorum exiſtimationem videatur, ego quidem licet factum nollem, prohibere tamen apud alios non potero, qui forte cum maledictis in nos noſtramque artem nullum finem aliquos facere advertant, non ſe continere poterunt, quin acerbè iis reſpondeant, quia læſerunt prius.

SUMMARIUM.

1 *Legum origo ex hominum malitia.*
2 *Lex juſto non eſt data.*
3 *Nullus per leges humanas bonus evadit.*
4 *Leges naturæ contrariæ.*
5 *Lex non dotat neque inſtruit hominem ad virtutem*
6 *Lex à ligando dicta.*
7 *Lex habet vim coactivam.*
8 *Juris nomen à jubendo, non a Juſtitia.*
9 *Legibus carere hominibus præſtaret, & cur.*
10 *Boni non ſunt ſub lege.*
11 *Lex eſt per ſe muta.*
12 *Imperatores legibus non obſtringuntur.*
13 *Leges à ratione elongantur.*
14 *Leges etiam ſine ratione latæ ſunt ſervandæ.*
15 *Leges per ambages loquuntur.*
16 *Lex clara eſſe debet.*
17 *Legibus ob earum obſcuritatem fides derogatur.*
18 *Leges uni eidemque populo latæ inter ſe contrariæ.*
19 *Juriſconſulti erubeſcunt ſine lege loqui.*
20 *Mundus aliquando fuit ſine legibus.*
21 *Multa regna Jure & Juriſconſultis carent.*
22 *Ubi Juriſconſulti multi ſunt, ibi male conſtitutam eſſe civitatem indicium eſt, ex Plutarcho.*
23 *Impoſſibile eſt hominem injuſte operari, ſi ſecundum leges factus.*
24 *Leges plerumque malæ.*
25 *Lex intravit, ut ſuperabundaret delictum.*
26 *Juriſperitia neque ars eſt, neque ſcientia.*
27 *In Hiſpania Legumperitus venit maximè ſub nomine literati.*
28 *Leges inſufficientes ad eum finem conſequendum, quem ſibi conſtituunt.*
29 *Mala auferendo auferuntur etiam multa bona.*
30 *Leges inconſtantes.*

Objecta in leges & legumperitiam.

QUÆSTIO III.

PLurima ſunt quæ contra leges & legumperitiam ejuſque profeſſores obiiciuntur; quorum ego perpauca hic proponam, atque ea fortè tantum, quæ non diſſimilia videntur his, quæ ante contra medicinam & Medico objecta ſunt. Originem primo legum, hominum fuiſſe malitia, calumniatores pro certo habent, juxta illud Platonis *de Leg.* relatum à Macrob. *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 17. Leges bonæ ex malis moribus procreantur. Quod etiam explicatum eſt à Lucretio, *l.* 5. *de rer. nat.* in his carminibus. 1

Nam genus humanum defeſſum vi colere avum.
Ex inimicitiis languebat, quo magis ipſum
Sponte ſuâ cecidit ſub leges, arctaque jura.

Et ideirco legibus vivere naturæ pravitatem & imperfectionem arguere recte ex Philoſophorum ſententia dicebat Peregr. *in Apolog. contra Med. Calumn.* immo eodem Platone aſſerente, *lib.* 9. *de Leg. non longe à fin.* Nam profecto, inquit, ſi quis hominum divinæ ſortis favore, eâ naturæ præditus eſſet ut cognoſceret publicum bonum, ad idque generosè ac ſemper intenderet, nullis Legibus ſibi dominatutis egeret: quod Platonis dictum multo magis roborat D. Pauli auctoritas, 1. *ad Timoth.* 1. *verſ.* 9. *ibi Sciens hoc, quia lex juſto non eſt poſita* 2 Et videtur quidem ita eſſe, nam ad quid eſſent neceſſariæ leges, ſi homines & bene viverent ex ſe, & ratione omnia facerent? contra autem legibus opus eſt ubi mali mores vigent, unde Jac. *lib.* 5. *Annal.* & corruptiſſimâ republica plurimæ leges. Præterquam quod leges non compellunt homines ad bene faciendum (de humanis loquor) ſed male facere prohibent, Felin. *in prooem. Decret. cap. Rex pacificus, n.* 1. ubi videnda alia nonnulla ad hoc facientia. Ergo ubi homines ex ſe à male faciendo abſtineant quod longe facilius eſt, quam bene facere, leges ad nihil videntur neceſſariæ, & ſic à malitia ſola hominum originem ducunt. Adde his, quod, ut Cardan. dicebat *in lib. de Socr. ſtud.* Nullos per leges humanas bonus evadit, ſed bene ex ipſarum 3 metu à male patrando retrahitur. Cum ergo à malitia dependeant, & bonos homines facere non ſint aptæ, venerandæ magis videntur, quam laudandæ. Præterquam quod leges vim naturæ noſtræ inferunt quia illi ſùt contrariæ; quo non diſſitetur Plato optimus Legiſlator *in Gorgia* dicens *Lex & natura inter ſe contraria plerumque ſunt*, unde Hipoc. noſter *in lib. de Aer. Aq. & Loc. num.* 41. *Ut enim*, inquit, *quiſque maxime à natura virilis, & magnanimus eſt, ita plurimum ejus natura leges averſatur*; & ideirco ab eodem Platone *in Protagora* dictum eſt, *Lex quæ tyrannus eſt hominum mentes præter naturam cogit*

Ac vere quidem tyrannus dici poteſt lex, cum vitæ dulcedini ac hominum libertati tantopere ſit contraria, eoſque per vim ſibi ſubiiciat, at Lucret. *loc. cit.*

Unde metus maculat pœnarum præmia vitæ.

Et Ovid. *lib.* 10. *Metamorph.*

—— *Humana malignas*
Cura dedit leges, & quod natura remittit,
Invida Jura regant.

Et illud Portæ noſtris in ſua Tragicomœdia,

O troppo dura legge.
Che la natura offendi.

Neque hoc ex abundanti dictum ab effrænata libidine eſt, quia in rei veritate lex multis nobis interdici qua à natura, immo inquam, ab ipſo Deo permittuntur, Coninch. *de Sacr. Tom.* 2. *diſp.* 20. *dub.* 11. *num.* 110. neque dubium eſt, quod lex naturæ violentiam infert, unde D. Paul. *ab Romanos, cap.* 7. *verſ.* 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, & non extra rem Card. *l.* 7. *de variet. c.* 40. *Quod vero lege & conſuetudine conſtat, violentum quid habet.*

A fine porro à legibus intento non videtur legum peritia in bonitate cum aliqua ſcientia comparanda quia ſcientia eſt de reliqua veritate, & docet atque inſtruit homines ad ejus inventionem, & ad virtutem; at vero lex non docet ullam veritatem, neque inſtruit homines ad virtutem: ſed tantummodo imperat, vetat, permittit, retrahit, punit. *l. Legis virtus de ff. Leg.* D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 2. *art.* 2. Suarez *de Leg. l.* 1. *cap.* 15. & ad hunc maxime finem factæ ſunt leges, ut hominem, metu earum, coërceretur audacia, ut ex Iſidoro idem D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 1. & ex Medicis Petr. Andr. Canonher. *in proleg. ad Hippocr. Aphor. cap. pag.* 73. *verſ. ſexto à fine.* Unde lex à ligando dicta eſt, quia ligat, & obligat ad agendum, retinetque ne faciant, D. Tho. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 1. Licet ſciam Ant. Auguſt. & ex Cicer. & ex legalis textus auctoritate velle, leges dictas eſſe à legendo & plures alias tradi ejus nominis etymologias, ut videre eſt apud citatum Suarez, *de Leg. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. ſed quomodocunque ſeſe ea res habeat circa nomen, certum eſt legem habere vim coactivam, D. Tho. *ibid. quæſt.* 66. *art.* 5. unde aliqui prudentes quidem voluerunt Juris nomen non à Juſtitia, ut Ulpianus volebat, ſed à jubendo deductum, ut probat Hieron. Magg. *lib.* 4. *Miſcel. cap.* 1. quod quidem, ſi Cardano in his credere par eſt, verificatur de quacunque lege, quia divina metu homines cogit eſſe bonos, humana nonniſi vi; ſed quotuſquiſque homo eſt, qui inficiari poſſit, quod præſtaret homines legibus carere ut ex ſeipſis, volentes & à natura boni efficerentur, non autem nolentes, & per violentiam? D. Thom. *ubi ſupra, quæſt.* 95. *art.* 1. quod & Tiren. *Eunuch. Act.* 1. *Scen.* 1. dicebat.

—— *Nam præſtet.*
Sua ſponte rectè facere, non alieno metu.

Melius enim, ut proſequitur D. Thom. *ubi proximè* inducuntur ad virtutem homines bene diſpoſiti monitionibus voluntariis, quam coactionibus, & idcirco rectè ab ipſo *ibidem* additum eſt, Bonos non eſſe ſub lege, ſed tantum malos; & multo magis ad rem noſtram Ariſtot. 3. *Polit. cap.* 9. ubi loquens de hominibus, qui in Republica cæteros longè virtute antecellunt, dicebat, in hujuſmodi viros non eſſe poſitam legem, *Ipſi enim*, inquit, *Lex ſunt*: etenim ridiculus foret, qui illos legi ſubiicere conaretur quibus verbis conſonant D. Pauli verba jam citat. 1. *ad Tim. Sciens hoc, quia lex juſto poſita non eſt, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, & parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, periuris*, &c.

Videtur inſuper ſuperflua legum latio, quia leges per ſemetipſas mutæ ſunt, & nihil operantur, & ad nihil utiles ſunt, niſi lex viva illis vitam & robur conciliet. Ergo ſatis ſuperque eſſet ſi lex viva, quam principes, Reges, Dominatores, & Magiſtratus repræſentant (Mutus enim magiſtratus eſt lex, ſicuti viva lex eſt ipſe magiſtratus, Ariſtot. *lib.* 5. *Ethic. cap.* 4 Cicer. *lib.* 3. *de leg.* Gloſſ. *fin. in l. More major ff. de Juriſd. omn. Jud.*) bona eſſet, ac juſta: Nam ſi Rex bonus fiat, ut dicebat Card. *ubi ſupra* ſtatim omnes fermè, vel etiam ſine legibus, aut præmio ullo impoſitione boni fiunt. Juxta illud Senecæ *in Thyeſt. act.*

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

& ante legumlationem, legis vivæ arbitrio, & exemplo populi regebantur, ut ex D. Auguſtino, qui ex Juſtino id refert, dicit Suarez, *libro primo. de leg. cap.* 7. *num.* 10. At cum ipſi Reges & magiſtratus aliquando mali ſint, quippe cum multa licere ſibi velint, quæ aliis non licent, ut aliena bona furripere, mulieres alienas ſubigere, injurias ad libitum & ſine modo uleiſci, & alia permulta, quæ animi elatio & intemperantia dictat, hinc fit ut leges conſtituantur, quibus inhibeantur cæteri hominum ea facere, quæ ipſi ſibi licere volunt neque enim Reges Imperatores, & Dominatores legibus, quas aliis ponunt obſtringuntur. *l. Princeps ff. de leg. & ſen. conſ.* quam & D. Thom. adduxit 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. Quomodo autem fieri poteſt, ut eadem lex, quæ norma debet eſſe & regula aliorum, ſine lege, & norma, & regula vivere debeat; & tamen id plerumque uſu venit, ut ipſa lex viva ipſius legis deſtructio ſuo exemplo ſit Quamobrem cum lex multa & inutilis per ſe exiſtat, & lex viva non ſolum illi vitam dare non ſit ſufficiens, ſed potius illi vitam adimat, præſtabilius atque optabilius eſt, homines abſque lege omnino vivere.

Præterea leges à ratione plerumque elongantur, nam & Plutarch. *in lib. de ſer. num. vind.* dicebat, in principio leges, quas ferunt homines, neque rationabiliter, neque undique æquitati conſonæ ſunt: quod non diffitentur ipſi legum conditores, & ſi libet, vide allata à Suarez *libro* 3. *de leg. cap.* 12. *numer.* 2. ubi pleraſque leges in tantum injuſtas eſſe dicit, ut etiam actus pravos non tantum permittant quam foveant. Unde hoc ipſum in ſe veritatem habere noſcentes ipſi legumlatores, ſanxerunt, leges etiam ſine ratione, & contra juſtitiam, & æquitatem, immo duriter latas, ſervandas eſſe *l. Proſpexit in princ. ff. Qui & à quibus man.* ex qua Marant. *in ſpec. Aur. part.* 3. *num.* 102. *l. Non omnium & l. ſeqq. ff. de Leg. & Sen. Conſ.* videtur autem hæc ipſa lex contra æquitatem & injuſta. Quod ſi reſpondeas, nunquam leges eſſe injuſtas aut duras, ſed tales nobis videri, quos latet ratio, ob quam dictæ leges eo modo latæ ſint cum multarum legum nulla ratio reddi poſſit, cur ita ſint latæ, *eadem l. Non omnium* D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 2. tunc alia legum imperfectio, & magni quidem momenti pullulat, quod ea quæ dicunt, per verborum ambages, ac quaſi per nebulam tradant, ita ut ne Apollo quidem Aliquando earum ſenſum aſſequatur, contra id quod deſiderabat Iſidorus, ex quo idem D. Thom. *ubi ſupra, artic.* 3. quod nimirum lex clara & manifeſta ſit:

nam

16 nam ex ejus obſcuritate tanta interpretum copia, tam inexplicabilis opinionum confuſio, tanta auctorum circa verborum intelligentiam contrarietas emergit, atque illa tam perpetua neceſſitas, ut quem admodum Juvenas. *Sat.* 5.

——— *veniat de plebe rogata*
Quis Iuris nodos, & legum ænigmata ſolvat.

17 Hinc deteſtabile prorſus vitium ipſis legibus irrepit, ut illis fides derogetur, neque illis credatur, niſi Doctorum auctoritatibus comprobentur, Gratiam. *diſcept. for. cap.* 257. *num.* 53. *Tom.* 2. ex quo etiam Fontanell. *de pact. nupt. claus.* 7. *Gloſſ.* 2. *part.* 9. *n.* 29. *Tom.* 2. unde meritò apud Guillielm. Onciac. *libro ſecundo, Colloq. mixt. cap.* 17. Pancus Juriſconſultus Medico cedens, ingenuè profeſſus, eſt auctorum multitudine variè inter ſe diſſidentium, veram rectamque Juris rationem vix ſubſiſtere; & quod præ omnibus deplorandum eſt, aliquando ipſi Doctores, qui leges interpretandi poteſtatem habent, aut ſcientiam, non ſecundum veritatem, ſed ſecundum proprium affectum eas declarant, celantes alios ipſam veritatem, unde jure merito his comminatur Chriſtus Dominus in Evangel. *Luc. cap.* 11. *verſ.* 52. *Væ vobis legumperiti, quia tuliſtis clavum ſcientiæ, ipſi non introiſtis, ac eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Inde denique fit, quod ſummopere damnandum, ut perrarò Juſtitia ſuum locum habeat; nam ut rectè idem Onciac. *ibidem cap.* 2. tam variorum interpretum ſubtilitatibus & opinionum conflictuum impatiens Juſtitia, ad ſuperos evolavit, terras relinquens.

Minus tamen hoc culpandum eſſet, niſi eadem contrarietas ipſaſmet leges exerceret: non modò enim diverſæ leges diverſis populis latæ, contrariæ inter ſe ſunt, permittentibus illis ea, quæ aliæ probent, & capitale delictum aliis judicantibus, quod apud illas modicâ pecuniarum ſummâ redimitur, ſed ipſæmet leges uni eidemque populo latæ inter ſe contrariantur: & de priori concluſione patet mille exemplis. Lycurgus adulterium non puniebat. Joan. Coraſ. *in l. Tertiam, ff. de Leg. & ſen. conſ. num.* 7. quod tamen à legibus noſtris maximè punitur, ut patet *ff. ad l. Iul. de Adult. & alibi.* apud aliquas gentes mulieres in hæredes admittuntur, etiam
18 ad feuda, apud alias autem nequaquam. Leges civiles ab Imperatoribus noſtris traditæ non obſervantur ubique, & præcipuè in Gallia, Suarez *lib. de leg. cap.* 8. *num.* 4. & habent inter ſe nonnullas contrarietates, & ſic de pleriſque conſiderari poteſt, de poſteriori verò concluſione, quòd eædem leges ejuſdem populi contineant aliquando inter ſe contrarietatem, patet ex Gloſ. *in Lex quibus cauſis, ff. de Leg. & ſen. conſ.* cùm tamen lex ubique eadem eſſe debeat, ſi è Juſtitia & veritate dependentiam habet, verum enim, bonum & unum convertuntur. Quid mirum ergo eſt, cùm ipſæ leges inter ſe ſibi contrarientur, Juriſconſultos quoque ſibi invicem contrarios eſſe? Hoc non inficiantur ipſi Juriſconſulti, Caccialup. *de Tranſact. quæſtion.* 12. Carrar. *de Medic. & ejus off. part. prima, numer.* 130. & adnotat ex noſtris Peregr. *in Apolog. contra Med. calumn. pag.* 5. *& pag.* 181. Facile ergo inde eſt, ut verum omnino ignoretur, unuſquiſque enim pro ſua fulcienda opinione textum ſatis habet. Cùm ergo legum auctoritas pro decidendorum
19 ratione ſit (erubeſcunt enim Juriſconſulti ſine lege loqui, ut notant ex noſtris Cardan. *in libello de lib. propr.* Roderic. à Caſtro, *libro primo, Medic. Polit. cap.* 12. Obic. *de nobil. Medic. dial.* 1. & ipſis eſt protrita concluſio) & leges in hanc, & illam partem trahi poſſint, eo quòd & obſcuræ ſint, & una alteri contraria, certè nihil inde aliud conſequi par eſt, niſi ut pleraque contra rationem & veritatem determinentur.

Verumenimverò præter ea, quæ jam adduximus ad demonſtrandum, nullam eſſe hominibus legum neceſſitatem, hoc etiam urgere videtur, quòd & mundus aliquando legibus caruerit, & tunc multò meliùs quàm nunc, cum rebus humanis actum ſit, cunctis rectiùs ac magis ſecundum Juſtitiam ex ſe viventibus: aureo namque ſæculo, in mundi nempe primordiis, nullæ leges fuerunt, inquit Joan. Coraſ. *in l.* 1. *ff. de leg & ſen. conſ. num.* 10. *verb. Delictum* quo nulla inter homines contentio, atque ita crimen nullum, ſed quiſque fidem, & rectum ſuâ ſponte retinebat: quod etiam Poëtæ demonſtrarunt. Lucret. *lib.* 5. *de rer. natur.* 20

Nec commune bonum poterant ſpectare, nec ullis
Moribus inter ſe ſcibant, nec legibus uti.

Et Ovid. *lib.* 1. *Metamorph.* luculentiùs idipſum educens.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat;
Pœna metuſque aberant, nec vincta minacia collo
Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine Iudice tuti.

Et ne hoc poëticè dictum credat aliquis, inter Hiſtoricos ſunt qui eadem habent, quorum ſatis ſit Tacitus *lib.* 3. *Annal. Vetuſtiſſimi*, inquit, *mortalium nullâ adhuc malâ libidine, ſine probo & ſcelere, eoque ſine pœna, aut coërcitionibus agebant, neque præmiis opus erat, cùm honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur*, & reliqua. Faciunt & ad hæc Ovidij carmina, *lib.* 1. *Faſt.*

Nondum Juſtitiam facinus mortale fugarat
Ultima de ſuperis illa reliquit humum.
Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat,
Nullus erat juſtis reddere Iura labor.

Sed fortè hæc longius ab hominum memoria abſunt quàm oporteret, ad ejus veritatis probationem; evidentius probari poteſt ex eo, quòd multa regna de præſenti, Jure & Juriſconſultis careant, ut teſtatur Roderic. à Caſtr. *ubi ſuprà*, qui & Mat- 21
thiam Corvinum ex univerſa Pannonia Juriſconſultos expuliſſe memorat, neque injuriâ, ſi Platoni credimus, (quem & ipſe Rodericus adduxit) dicenti, *Ubi Iuriſconſulti multi ſunt, ibi malè conſtituta eſſe civitatem indicium eſt.* Unde Lucianus *in dialogo* 22
de veritate, miſeros illos populos appellat, qui Juriſconſultorum arbitrio gubernantur; ac poſſe tandem abſque Juriſconſultorum ope civitates gubernari probat luculenter Petr. Andr. Canonh. *in prolegom. ad Hippoc. Aphor. pag.* 10. *verſ. Undecimo Principes poſſunt.*

Prætereamus autem, quod Cardanus dicebat 23
in Antigorgia, quòd poſſibile ſit, ut quis injuſtè operetur, ſi ſecundum leges faciat (quod verum eſſe dixeris, ſi D. Thomæ dictum, de quo infrà, verum eſt) & quod peius multò eſt, ut juſtè operetur, ſi contra ipſas leges operetur; & hoc, quia aliquando leges ſcriptæ continent injuſtitiam, D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 5. ex quo non ſolùm inutiles, ſed etiam damnoſas, leges eſſe patet; quamobrem idem Card. 24
in libell. de Sacr. ſtud. dicebat: *Cùm leges plerumque mala ſint, ut non ex malis bonos, ſed ex bonis malos potiùs efficere queant; tyrannica primum, rudes, barbaræ, omnes fermè ad malos homines efficiendos videntur ordinatæ.* Et ad hæc facere videtur illud D. Pauli *ad Rom.* 5. *verſ.* 20. *Lex autem intravit ut ſuper abundaret delictum;*

quasi positâ lege, sequatur homines frequentiùs delinquere, quàm ante legis positionem, cùm, quemadmodum idem D. Paul. dicebant *ibid. cap. 1. vers. 15.* ubi non est lex, nec prævaricatio, Et *c. 6. seq. vers. 14.*
25 *Peccatum vobis non dominabitur, non enim sub lege estis & cap. 7. vers. 8. Sine lege enim peccatum mortuum est.* & Seneca *epist. 90. Sed postquam surrepentibus vitiis in tyrannidem versa regna sunt, opus esse cœpit legibus.* Quæ si vera sunt; quis dubitare ampliùs debet, an leges superfluæ, inutiles, & damnosæ sint necne, an præstet homines illis carere?

Sed contra legumperitiam obiicitur ulterius,
26 quod neque ars sit, neque scientia, ex Arist. *6. Ethic. c. 5.* cum ejus principium non sit in re, sed in Principibus. Cassan. *in Catal. Glor. mund. part. 10. conf. 25.* Benius *de privileg. Iurec. part. 3. privil. 15. n. 2.* & ex nostris Epiphan. Ferdin. *lib. 1. Theor. 1.* Hippol. Obicius *de nob. Med. dial. 1.* Canonher. *ubi supra, cap. 1. par. 12. vers. Medicina est verè* Hoc patet, inquiunt, ulteriùs, quia & demonstratione caret & circa necessaria non versatur, unde Juristas scientificos non esse facilè sequitur: id enim solummodò sciunt, quod legis conditor jusserit, ut *ibid.* addebant Obicius; hoc autem non est scire, cùm rem per causam non cognoscant; unde coguntur Jurisconsulti, cùm quid probare volunt, ipsis legum verbis sese adstringere, nullam habentes intellectus libertatem, sed literæ tantùm inhærentes, & idcirco inter cæteros doctos, Legum peritum maximè venire nomine
27 literati in Hispania, dicebat Joa. Huart. *in examin. Ingen. cap. 11.* Iude fit, ut cum legumperitia omni contemplatione & speculatione sit spoliata, solâ memoriâ urgente, facillimè edisceatur, ita ut quemadmodum Cic. *pro Murœn.* ducebat, ex quo idem Obicius *ubi supra*, & Roderic. à Castr. *loc. cit.* mirum non sit, si triduo addisci possit. Quòd etiam si dixeris, Jurisprudentiam à scientia saltem dependentiam habere, tamen notissimum est, eam scientiam ex qua dependet, nempe politicam, esse minimam moralis philosophiæ activæ partem, quam inferiorem longè esse contemplativâ, quis dubitat? Probant id ipsum idem Obicius *ubi supra*, & Goynæus *in dial. Quod Philosoph. & Med. Iurec. deb. præced.*

28 Porrò leges sufficientes omnino sunt ad eum finem assequendum, ad quem latæ sunt: earum enim finis est hominem ad virtutem disponere & vitia corrigere, ut ex Arist. D. Thom. & aliis locis supra citatis plures testantur; at neutrum leges posse efficere, sed semper ab hoc fine deficere satis superque patet, quia neque ad omnem virtutem disponere possunt, neque omnia vitia corrigere, ut demonstrat D. Thom. *1. 2. quæ. 96. art. 2. & 3.* & testatur etiam Card. *in cit. lib. de Socr. stud.* & quod maximè ad rem facit, nullo conatu possibile est, ut per leges mala auferantur, quia auferendo omnia mala, multa simul bona tollerentur: D. Tho. *1. 2. quæst. 91. art. 4. & quæstione 96. art. 2.* At neque fieri potest, inquit Plato *in*
29 *Theæteto*, ut pereant mala, semper enim aliquid contrarium bono esse necesse est. Si ergo leges, quod pro fine sibi proponunt, assequi nullo modo possunt, insufficientes judicandæ & aliunde petenda est virtutum assecutio & vitiorum extirpatio.

Denique si medicinæ obiicitur inconstantia, mul-
30 to promptius obiici potest legibus & legum peritiæ, cum leges perpetuæ mutationi subiiciantur, quod etiam maximè facit ad probandum legumperitiam non esse scientiam; nam quæ ex scientia habentur, mutatione nequaquam subsunt, cùm scientia omnis sit immutabilis veritatis, versatur enim circa necessaria at leges sæpè mutari, vel ipsi Jurisconsulti fatentur, ipsissimi legislatores. Non enim, inquit Plato *lib. 4. de Leg.* minori mutationi subsunt leges, quàm multæ aliæ artes; multis enim ex causis novæ condantur, & iam conditæ mutantur. Hanc ipsam instabilitatem legibus inesse, testatur Gellius *Noct. Art. lib. 20. cap. 1.* dicens: *Non enim profectò ignorans legum opportunitates, & modelas pro temporum mutationibus, & pro Rerumpublicarum generibus ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus, immutari atque flecti, neque uno statu consistere? quia ut facies cœli & maris, ita rerum atque fortuna tempestatibus variantur.* hæc Gellius. Atque ea de re videmus plerosque legislatores vetustiorum leges abrogasse, ut Solonem fecisse scribit Plutarch. *in ejus vita*, abrogando leges Draconis, multasque hujusmodi legum mutationes, & abrogationes recenset Peregrin. *in Apolog. contra Medic. calum.*

Multa præterea essent, quæ contra ipsos Jurisconsultos ab aliis prolata in medium producere possem, ne tamen cum quibusdam calumniatoribus, obloqui contra quos minùs velim, fortasse videar, eâ silentio præteribo, & ad refellenda ea, quæ contra leges earumque peritiam obiiciuntur, accedam, si modo antè pro medicina & Medicis eâ confutavero, quæ primùm objecta sunt, ut in antecedente quæstione visum est; si quis tamen plura contra Jurisconsultos audire cupiat, præcitatos Auctores adeat, ac præ omnibus Petr. Andream Canonher. *in prolegom. ad Hippocr. Aphor. c. 1. per totum.*

SUMMARIUM.

1 *A Deo est omnis medela.*
2 *Medicinam emanasse ex peccato, falsum.*
3 *Ars medica maximè à natura inest.*
4 *Medicinam propter amorem à Diis hominibus concessam fuisse.*
5 *Medicinam non emanasse ex intemperantia.*
6 *Medicina duplex; ex D. Thoma.*
7 *Medicinam non esse superfluam.*
8 *Graviter peccare dicitur, qui Medico indigens, à Deo sanitatem expectat.*
9 *Medicorum auxilio sæpè sanantur, qui aliàs periturí erant.*
10 *Medici opera & medicamenta veniunt sub nomine alimentorum.*
11 *Medici hominum salutis curam gerunt.*
12 *Qui Medicum in infirmitate respuit, habetur pro furioso.*
13 *Ars multa potest, quæ non potest natura.*
14 *Medicina finis est sanitas.*
15 *Medicinam religiosis non esse contrariam.*
16 *Medicinam non esse inconstantem.*
17 *Experientia in medicina plurimi facienda.*
18 *Experientia quid?*
19 *Medicina ex Aristotele est ars mechanica.*
20 *Medicus corpus animæ curat.*
21 *Medicina cur ars muta à Virgilio dicta.*
22 *Medicina suos professores bonis moribus instruit.*
23 *Medicus semper prodesse, nunquam obesse cupit.*
24 *Melius est, Medicum esse bonarum morum, quàm perfectum artificem.*
25 *Medicus an nobilis.*
26 *Medicus an Doctoratus dignitatem consequatur.*
27 *Medicum non esse vilem artificem.*
28 *Homo dicitur tam vir, quàm mulier.*
29 *Lex dicitur medicina, & Iudices Medici.*
30 *Parabolani, apud leges, non esse Medicos.*

Respondetur iis, quæ contra Medicinam, & Medicos objecta sunt.

QUÆSTIO IV.

VErum contra hujusmodi tam Medicinæ, quàm Jurisperitiæ calumniatores acerbius sermonem acuere, ut meritum eorum esset, non est quòd laboré:

nam

nam ſatis ſuperque fuerit, ſi eos partim imperitiæ, partim vero mendacij redarguens, eâ pœnâ mulctatos videam, quæ imperitorum & mandacium eſt propria, nempe primo, ut diſcant, ſecundò, ut in poſterum fides omnis eorum dictis derogetur.

Sed ante omnia huiuſmodi calumniatoribus verba Hippocratis obiiciam, *in princ. lib. de Arte*, quæ ſic habent. *Qui ea, quæ ab altis ſunt inventa, inhoneſtorum verborum artificio contaminare contendit, neq; quicquam corrigit, ſed à peritis inventa apud imperitos traducit; is ſane prudentiæ exiſtimationem tueri velle non videtur, ſed potius naturam ſuam, aut ignorantiam malitioſe prodere*, & quæ ſequuntur. Et hæc univerſim dicta volo. Nunc ad medicinæ obiectiones diluendas deveniens; ad primam de ipſius origine; eam nobiliſſimam, ac clariſſimam eſſe, ſi infinita Doctorum teſtimonia ad probandum inſufficientia
1 ſunt; quorum plura vide apud auctores ſæpe citatos, & infra etiam citandos & apud Valeriol. *locor. comm. lib. 1. cap. 1.*) Sacræ ſaltem paginæ ſufficiens eſſe debet *A Deo eſt omnis medela. Eccleſ. cap. 38. verſ. 2.* Sed de hac re omiſſis iis, quæ à Medicis
2 abunde afferuntur, unum Tiraq. *cap. 31. de Nobil. num. 24. & ſeqq.* legendum proponam, & citatos à Carrar. *de Med. part. 2. in pr.* & ad id quod additur, eam ex peccato emanaſſe, dicam, facile hoc falſitatis convinci ex eo, quod Adam antequam peccaret Medicinæ ſcientiam habuerit, nam hoc inſinuatur *Geneſ. cap. 2. verſ. 19. & ſeqq.* ibi, *Formatis*, &c. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen eius, appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cœli, & omnes beſtias Terræ. Quid autem aliud eſt illud, omne quod vocavit, ipſum eſt nomen eius: niſi quòd Adam vocaverit omnia, omnibuſque nomina impoſuerit ſecundum naturam & virtutem à Deo illis tributam; & ſecundum proprietates, quas à Deo ſortita erant? Hoc quidem etiam Valleſ. confirmat *in l. de ſacr. Philoſoph. cap. 3.* hæc ipſa verba declarans. Neque tamen videtur dicendum, Deum poſt peccatum virtutes & proprietates viventibus tribuiſſe. immo potiùs in pœnam peccati ademiſſe. Patet id manifeſtiſſimè ex ceteris ærumnis, quæ conſecutæ ſunt peccatum. Si ergo ante peccatum inerat in ſingulis rebus ſua propria virtus, qua poterant homini prodeſſe, & Adam ante peccatum fuit omni naturali ſcientia & ſapientiâ divinâ inſtructus, ut probat, D. Thom. *1. 1. quæſt. 64. art. 3.* certe medicinam etiam fuit edoctus, unde medicina fuerit ante peccatum; non ergo ex peccato, immo ante creationem Adæ; quod longioribus probat Joan. Martinus, *de Med. antiq. c. 13.* quia ipſa ars medica maximè à natura
3 cum inſit, ut Hipp. *in lib. de flat.* dicebat, & ex Juriſconſulti Oneiac.: *lib. 2. Colloq. mixt. cap. 4. num. 1.* creatis rebus medicina ſuum eſſe eſt ſortita. Sed peculiariter Adam fuiſſe à Deo medicinam edoctum, notat ex Nicol. de Lyra inter Juriſconſultos Carrar *de Med. & eius off. part. 2. n. 24.* & ex Medicis Mercur. *lib. 1. Error. popul. cap. 11.* Sed quid ad citatum ſacri textus teſtimonium quicquam addimus? Non deſunt tamen prophanorum ſcriptorum vetuſtiſſimorum teſtimonia, unanimiter enim omnes conveniunt medicinam à Diis propter amorem hominibus fuiſſe tributam, ut ex Agathone refert Epiph. Ferdin.
4 *lib. 1. Theorem. 1.* & ex Herophilo Scribon. Larg. *de Comp. Med. in proœm.* Lang. *lib. 2.* & ex Juriſconſultis Tiraq. *loco cit. à num. 2. ad plures ſeqq.* Carrar. *ubi ſupra, par. 2. n. 16.* & vide plura ad hoc congeſta à Mercur. *lib. 1. Error. popul. cap. 11.* & Petr. Andr. Canonher. *in proleg. ad Hippocr. Aphor. c. 1. in princ.* & multo poſt *ibid pag. 19. verſ. Med. eſt ſcientia revelata*, ubi ex Pythagora & Apollonio Thyanæo probat medicinam vocati rem diviniſſimam, unde merito à Luciano, citante Tiraquello *ibid. num. 33.* vocatur Deorum doctrina, apud quem plura vide, ibi enim plures Deos connumerat, qui antiquis pro medicinæ inventoribus ſunt exiſtimati. Immo Ælian. *lib. 2. de Animal. c. 18.* Medicinam & omnia ad illam pertinentia Heroes tantum & Deorum filios à principio exercuiſſe, quin & ſuccedente tempore ſummos Philoſophos medicinam exercuiſſe idem Ælian. teſtatur. *lib. 9. var. hiſtor. cap. 21.* præcipuè autem Pytagoreos, ac præter hos Platonem & Ariſtotelem. ſed de hoc aliàs.

Quod additur ex Platone, medicinam ex intemperantia emanaſſe, diluitur levi negotio, quia ſi recte Platonis verba ponderentur, non id dicit, ſed intemperantiam ad leges refert, non ad medicinam, ut 5
prudenter adnotat Cagnat. præceptor meus *lib. 1. Obſerv. c. 21.* Sed eſto: ex intemperantia fieri, ut homines medicina interdum indigeant, hoc tamen ſemper ita eſſe, verum non eſt, cum extra intemperantiam multi pullulent morbi, & à natura etiam ipſa plurimi vigeant. Non ergo ex intemperantia originem ducit omnis medicina, quia etiam intemperantia remota, adhuc homo medicina indigebit. Non eſſe autem opus bene valentibus Medico, recte dicitur in Evangelio non tamen negatur, quod Medicus ullo modo ſit neceſſarius, quia etiamſi de præſenti quis non ægrotet, ſed ſanus ſit, & Medico non indigeat, poterit ob naturæ conditionem aliàs ægrotare & Medico indigere. Deinde Medicus non amiſſam tantum ſanitatem redintegrare poteſt, ſed præſentem 6
quoque conſervare: & relictis ad hoc probandum Medicorum auctoritatibus, id ſatis nobis declarat D. Thom. *3. part. Summ. quæſt. 80. art. 4. ad 2.* qui medicinam duplicem eſſe dicit: unam removentem morbum, aliam promoventem ad perfectam ſanitatem. Primam convenire dicit infirmis, ſecundam etiam vere ſanis. In Evangelio igitur dicitur ſanos non indigere Medico eo modo quo ægri, ſed alio, nempe non indigere Medico curante, ſed præſervante; ac ſanitatem cuſtodiente, quod etiam ex Juriſconſultis confirmat Carrar. *de Medic. & eius off. part. 3. num. 58.*

Quod ſuperflua non ſit medicina, ſed maximè 7
utilis ac cunctis hominibus neceſſaria, ipſa ſacra Scriptura (ſi quam fidem ſacra Scriptura apud contumaces hoſce medicinæ hoſtes aſſequi poteſt) apertiſſimis verbis teſtatur *Eccleſ. cap. 38. verſ. 1. Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim illum creavit altiſſimus*, & *verſ. 12. Da locum Medico, etenim illum Dominus creavit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria*; ubi nota illud: *Etenim illum Dominus creavit*, nam quæ maior ratio eſt, cur honores Medicum ob hoc quod illum Dominus creaverit, quam quemlibet alium hominem, cum omnes, ac ſingulos Deus creaverit? Certè illud inſinuatur per ſacrum textum, ſpeciali quodam favore & ob hominum indigentiam Deum Medicum creaſſe. Atqui nania ſunt quæ contra hanc ſacræ paginæ auctoritatem, ex propria ſententia profert Petr. Andr. Gamma. *tr. de ver. & excell. ſcient. leg. num. 56.* relatus, ac confutatus à Gaſpar. Triſt. *lib. de Cler. Med. §. 27.* Natura quippe noſtra alterationi & corruptioni obnoxia eſt, ita ut niſi per convenientia media aliquando illi ſuccurratur, facile ſuccumbat ac deficiat, neceſſaria ergo omnino ab ipſa natura eſt medicinæ opera, & in tantum neceſſaria & utilis, ut unuſquiſque teneatur in indigentia eâ uti, atque eâ non utens

videtur culpæ reus non minus, ac ſi in ſemetipſum manus iniiceret; unde graviter peccare dicitur, qui Medico, eiuſque auxilio indigens, illum non implorat, etiam ſi à Deo expectaret ſanitatem, D. Thom ex quo Canonher. *in proleg. ad Hipp. Aphor. cap.* 1. *pag.* 66. & notat ex Juriſconſultis Carra. *de Med. part.* 2. *num.* 21. nec id ipſum ſiluit Codronch. *de Chriſt. med rat. lib.* 2. *cap.* 2. & Peregrin. *in Apolog. contra Med. calumn. pag.* 181. & ad hanc ipſam rem citatus Canonherius Navarram adducit, hoc enim, ut inquiunt, eſt tentare Deum, cùm naturaliter eveniat, ut Medicorum auxilio ſæpe ſanentur, qui aliàs perituri erant, *cap. fin. de Pœnitent. diſt.* 7. Ripa *in tract. de Peſt. par. ult. partic.* 2. *num.* 1. & ex noſtris Raſis *lib.* 31. *Contin. tract.* 1. *cap.* 1. Codronch. *de Chriſt. med. rat. lib.* 2. *cap.* 2. Unde omnino erronea eorum deductio eſt, qui cùm dicunt, Deum eſſe auctorem omnis langoris & ſanitatis, in Dei manus ſe hominem tradere debere affirmant, cuius quoque voluntate aut mori, aut ſanari illum contingit non aliter quàm impij quidam hæreticâ pravitate notandi, de prædeſtinatis loquuntur; aiunt enim, nihili curandum nobis eſſe, malene an benè operemur, certum enim, inquiunt, eſt prædeſtinatum ſaluari, præſcitum condemnari. Sed ſi quis multa contra hunc errorem, quo homines medicinam ſuperfluam eſſe iudicant, ſcire deſiderat, legat Mercurium *lib.* 1. *Error. popul. cap.* 3. *& ſeqq.* Gaſpar. Triſtan. *de Cler. Med.* §. 31. per totum.

At verò parvifacienda omnino eſt ſingularium quorundam hæreſis potius, quàm opinio: ſatis nobis ſit, ex legum auctoritate, Medicæ artis eiuſque operum neceſſitatem oſtendere, quàm quidem inſi nuaſſe manifeſtiſſime videtur *in l. Cùm. Antiquitas, in princ. C. de Teſtam.* quàm ad hoc etiam adducit Benius *de privileg. Juriſconſult. partic.* 3. *privileg.* 55. *num.* 1. cùm in condendo teſtamento id reſpexerint; ne ex retardatione medicaminis, aut potionis æger periclitaretur, ex hoc ſignificare volentes, tantam eſſe huius artis neceſſitatem, ut aliquando ex retardatione & procraſtinatione remediorum, quibus ipſa utitur ad hominum ſalutem tutandam & recuperandam, eorum ſanitas in manifeſto ponatur diſcrimine.

His adde ad hanc ipſam neceſſitatem Medicorum, & ipſius Medicinæ demonſtrandam, quod Medici opera & medicamenta apud eoſdem Legum peritos veniunt ſub nomine alimentorum; quaſi non minùs cæteris alimentis ad vitam ſuſtentandam, quàm Medico & medicinis homo indigeat; idcirco; qui tenetur præſtare alimenta, tenetur etiam ſolvere Medico ſalaria, & medicamenta emere pro eo, cui alimenta debet, per ea quæ ex communiori ſententia adducit Surd. *de alimen. tit.* 4. *queſt.* 7. *numero.* 1. *&.* 3. 18. & poſt eum Carroc. *de loc. & caud. part.* 1. *queſt.* 17. *num.* 2. nam ut Surd. *ibi.* humanum corpus vix ſuſtineri poteſt ſine medicina, ideò cui alimenta debentur, medicinæ quoque ſunt præſtandæ, *& num.* 8. Qui enim medicinas ſubtrahit, vitam videtur ſubtrahere, & necare, ex *Gloſſa.* Ergo ſi neceſſitatem ullam habet ars, quæ ſalutis hominum curam gerit certè medicina eſt ſummè neceſſaria, vel ipſis ll. aſſerentibus *l.* 1. §. *Medicorum. ff. de var. & extr. cognit.* ubi Medicos ſalutis hominum curam gerere firmatur. Non ergo mirum ſit, ſi qui Medicum in infirmitate reſpuit, aut qui ei non obedit, furioſus non ſolũ apud ipſos Juriſtas, ſed etiam apud Theologos exiſtimetur, ut ex D. Antonio notat Tiraq. *de Nob. cap.* 31. *num.* 529. & Carrar. *de Med. part.* 4. *num.* 157. cum aliis *ibi* per eum adductis, & ex noſtris Raſis *lib.* 31. *contin tract.* 1. *cap.* 1. Codronch. *lib.* 2. *de Chriſt. med. rat. cap.* 2. & Gaſp. Triſtan. *de Cler. Med.* §. 27. quod veritati conſentaneum eſt, cùm rem ſuæ ſaluti tam neceſſariam reſpuat, aut contra ſuam ipſius ſalutem manifeſte faciat. Medici ſalutaribus præceptis non obediens. Imò multo fortius hoc ipſum probatur ex eo, quòd ſi quis mente conſtans Medico obedire reſpuit, peccat mortaliter, ut poſt Navarram, alioſque Canoniſtas probat Gaſpar Triſtan. *de Cler. Med.* §. 35. (licet hic velit non ſemper, ſed aliquando hoc verum eſſe) & Mercurius *lib.* 3. *Error. popul. cap.* 20. reprobant Innocentij & Hoſtienſis opinionem, volentium non teneri infirmum Medico obedire, quòd nullam habeat Medicus iuriſdictionem ſuper infirmum, quod quidem falſum eſt habet enim Medicus talem iuriſdictionem ſuper infirmum, ut cuiuſcunque qualitatis infirmus ſit, Medico ſit ſubiectus & Medicus contra illi liberè poſſit imperare: quod & innuitur ab Hippocr. *in lib. de Arte, num.* 12. Idcirco veteſtiores Medici ab Aſclepiade oriundi, teſtante Gal. *libro.* 1. *Med. cap.* 1. tanquam Duces militibus, & Reges ſubditis impetare ægris voluerunt, unde illud, *Medici Imperatoribus imperant*, ut ſuo loco latiùs dicam. Idcirco tam imperioſè Erminia apud Torq. Taſſum *in ſua Hieruſal. Cant.* 19. *St.* 161. Trancredum iubet quieſcere, & ſilere, ibi:

——Or te'l commando,
Come Medica tua, taci, & ripoſa.

Pugnat autem contra id quod diximus, teneri furioſum medicamenta reſpuentem, Royz *de iſ. Lituan.* 1. *à num.* 15. *ad plures ſeqq.* qui videtur extra Minervam quidem, & ex abrupto in Medicos invehi; *à num.* 72. *ad ſeqq.* Sed nulla cauſa eſt, cur aliqui medicinam & medicamentorum uſum excludant, niſi ut detegant imprudentiam ſuam, ut dicit Scribon. Larg. *in proœm. de comp. medic.* imprudentiaque maximè notari eos, qui medicinam contemnunt, ex ſacræ Scripturæ auctoritate ſatis patet, & percurrit idipſum Valleſ. *de ſacr. Philoſoph cap.* 74 Sed ad Royzium reſpondeo, qui in hoc puncto, quòd qui renuit medicamenta, pro furioſo ſit habendus, multa quidem affert erudite, hancque deductionem facit, ſi ex eo, quia æger renuit medicamenta, ideò iudicatur furioſus, quia videtur malle perire, quàm ope medicâ ſervari, quod dementis eſt, hinc deducere multo facilius licet, quòd quicunque mortem ſibi conſciverunt, furioſi extiterint, quod eſt falſum, ut ex quam plurimis hiſtoriis ibi collectis probatur. Sed non videt hic doctus Juriſconſultus, plures eorum, qui ſibi mortem conſciverunt, vere fuiſſe melancholicos & amentes. Sed dato quòd hi non eſſent tales, habebant aliquam iuſtam cauſam, ſana modo loquendo, quamobrem ſeſe interimerent, ut impatientiam vivendi, metum pœnæ conſcientiam delictorum, pudorem, & alia id genus; at qui reſpuit medicamenta, & per illa iuvari renuit, facit id abſque cauſa, & inde deduci poteſt eum furere ſaltem ſecundùm plurimum; ſed vide quæ ille affert *ibid. n.* 63.

At contra eos qui idcirco ſuperfluam eſſe medicinam probare ſe credunt, quòd non medicina, ſed natura ſit morborum ſanatrix, vel ipſo Hippocr. aſſerente & nullo Medicorum tergiverſante, craſſa eorundem ignorantia opponitur, cuius culpa non vident multa artem poſſe, quæ natura non poteſt, ut exempli gratiâ, medicina corrigere poteſt os fractum, non natura. Gal. *de Conſt. Art. c.* 12. *& ſeq. in Iſagog.* Multa item natura poteſt ab arte adiuta, quæ per ſe non poteſt idcirco in pleriſq; ars natura præſtantior

quæ

quæ non ſolum naturam imitetur, ſed modo coadiuvet, modo etiam ſuperet, ac ſæpè medendo plus quam natura gerit; verba ſunt Fernelii *lib. Method. med. cap.* 1. quod longioribus etiam probat Canonher. *in proleg. Aphor. cap.* 1. *pag.* 23. *num.* 48. Non negatur ergo, Naturam morbos curare, eâ enim repugnante omnia itrita: Hippocrates *lib. de Arte.* ſed artem plurimum naturam coadiuvare & quandoque eam ſuperare; nam facit, ut diximus aliquando quæ natura per ſe non poteſt, cum is, qui decederet abſque dubio non adiutus ab arte, ea adjutus mortem evitat; & qui non adjutus longo tempore ægrotaret, arte adiutus brevi à morbo liberatur & qui cum timore & periculo non adiutus ab arte à morbo liberaretur, ab arte adiutus tuto & abſque timore ſeſe recolligit, & qui tandem artis auxilio deſtitutus nonniſi moleſtiſſimis morbi veſtigiis contractis, ut membrorum mutilationibus, fiſtuloſis ulceribus, perpetua partium debilitate, & huiuſmodi, ab eo vendicaretur, artis præſidio morbum & omnia ejus veſtigia, & incommoda abigit, & integram ac iucundiſſimam conſequitur ſanitatem. Quod additur de brutis; quod medicinâ non utantur, non in ſpretum, ſed in laudem, & dignitatem medicinæ reſultat, quæ in hominis maxime utilitatem, ac in ipſius tantummodo uſum inventa eſt; quod ſi ob id, quia cætera animalia eâ non utantur, ſuperflua etiam pro homine ſit cenſenda, idem procedet etiam in uſu legum, & cæterarum ſcientiarum, & artium.

14 Sed calumniatores illos, qui artem hanc noxiam & mortiferam, contra Spiritus ſancti ſententiam, procaciter prædicant, mendacij & calumniæ convincit ipſe medicinæ finis, qui ſanitas, & ſalus hominum eſt, ita ut quæcunque Medicus agit, quæcunque diſponit, quæcunque mente evolvit, omnia in hominum utilitatem agat & exequatur, ſemper enim Medicus prodeſſe, nunquam obeſſe debet, ex artis præcepto, ut Hippoc. 1. *de morb. vulg.* & Gal. *ibi com.* 2. *text.* 50. dicebant; ſcientia enim hæc ſanandi, non nocendi ſcientia eſt. Scribon. Larg. *ubi ſupra* & idcirco vel Juriſconſultis confitentibus Medicorum opera valde utilis Reipublicæ, & magnam infirmis præſtat conſolationem. Scaccia *de ſent. & re ind. Gloſſ.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 34.

15 Religioni porro non modo non eſſe contrariam medicinam, ſed maxime conſonam, vel ex hoc uno capite probari poteſt, quod illi vitio dant, nimirum quod jejunium ab Eccleſia nobis aliquando iniunctum diſſuadeat? non enim medicina jeiunium ſimpliciter diſſuadet; ſed tale jejunium, nempe quod ſaluti corporeæ notabiliter obeſſe poteſt, & in hoc cum ipſamet ſentit Eccleſia, quæ & ipſa tale jejunium prohibet, ac condemnat, neque enim jejunium eſt ſemper laudabile, D. Th. *in* 4. *ſent. diſt.* 51. quia cum ex eo homo ita debilis efficitur, ut ægrotet & idcirco à neceſſariis & utilioribus operibus vacare cogitur, certè laudabile non eſt, *cap. non mediocriter de Conſ. diſt.* 5. inde fit, ut medicina laudanda ex hoc ſit, quia vituperat hoc jejunium, & illud, non ut opus virtutis, & ut ab Eccleſia injunctum, ſed ut opus indiſcretum, & illaudabile, & ut Eccleſiæ non acceptum, & ſic prius ex parte vitii, quam ex parte virtutis ſe tenens, alias enim jejunium à Medicis bene & catholicè ſentientibus ſummopere, ut opus temperantiæ laudatur. Quod ſi quidam Medicorum jejunium ſimpliciter, & præſertim quadrageſimale tanquam corporeæ ſaluti maximè noxium & pernecabile vituperarunt, nihili facientes animæ ſalutem: hi quidem ab univerſa Medicorum ſchola quæ Catholice ſentit, non ſolum falſitatis redarguuntur, ſed tanquam hæretica doctrinâ muniti, & ob id infamia notantur. Sed circa jejunium & ea, quæ dubitanda etiam de hac ipſa re occurrunt, ſi libet, vide quæ attulimus *lib.* 4. *ſuperiori, tit. q. maximè ſecund. per totam.* Et ne adverſariorum quisquam nobis auctoritate *text. in c. Contraria de Conſecr. diſt.* 5. inſultet, dicendum videntur textum non ſimpliciter pronuntiaſſe, quòd medicinæ præcepta ſint cognitioni divinæ contraria, ſed locutum eſſe de affectatis quibuſdam medicinæ præceptis, unde non dixit ſemper, ſed plerumque hæc affectata præcepta contraria eſſe cognitioni divinæ, innuere volens, ne multo cum ſtudio medicinæ hæc ſcrupuloſa præcepta obſervemus, atq; illis ita non mancipemus ut impediant nos à bonorum operum executione, juxta quem ſenſum exponitur hic textus à gloſſa hic vel dicamus, textum non accepiſſe verbum illud, *Contraria*; ſtricto modo, nempe quod poſito uno tollatur omnino aliud, ita ut unum ſit deſtructivum alterius, ſed late, quatenus unum in aliqua parte poteſt aliud impedire; hoc enim pacto affectata obſervantia præceptorum medicinæ impedit divinæ legis cognitionem & diſtrahit nos à præceptorum ejus executione; ſic ſi ſcrupulosè obſerves hoc medicinæ præceptum, ne aëri nubilo ac pluvio te exponas, impedimento tibi erit, ne ad divina officia audienda te conferas; aut ſi affectata quadam abſtinentia cibos mali ſucci reſpuas, jejunium, etiamſi ſanus ſis, non obſervabis: ſed hoc non eſt eſſe religioni contrarium quia non eſt hoc præceptum veræ medicinæ, ut etiam à minimis quibuſque te cuſtodias, ſed cujuſdam affectatæ Medicinæ. Alias autem vera medicina adeo religioni conſona eſt, ut Medico maximè ac præcipue timor Domini primum in omnibus ab ipſa arte imperetur, ut oſtendit Mercur. *lib.* 2. *Error. popul. cap.* 17. præterquam quod medicinæ contemplatio homines theologos facit, ut probat Joan. Piſtor. *in ſuo Microcoſ. cap.* 5.

16 De medicinæ porro inconſtantia quod obiicitur facile diluitur, cum medicina ſive ars ſit, ſive ſcientia, (nam de hoc pro nunc ulterius non loquar, videndus tamen Concil. *diſſ.* 3. & Card. *Contr. Med. l.* 1. *tract.* 5. *contr.* 4.) verſatur circa ea quæ immutabilia ſunt, & habet ſua principia, & propoſitiones univerſales ab intima Philoſophia, deductas, quibus innituntur omnia quæcunque docet aut actu operatur. Siquæ autem indies immutantur ab ipſis artificibus eatenus immutantur, quatenus principiis illis univerſalibus minus conſona videntur illis ipſis, qui hæc immutanda cenſent. Neque medicinæ ſolum hoc vitium eſt, ſed omnium, & quarumcunque artium & ſcienciarum, indies enim ab ipſis ſapientibus & artificibus nova quædam & aliis qui anteceſſerunt, incogitata inveniuntur, ipſis tamen principiis omnia innixa. At hoc in medicina evidentius apparet quia omnes indigent medicina, & habet illa omnium hominum oculos in ſe converſos. Cum tamen unus proponatur in medicina finis, nempe hominis ſanitas, non abſurdum eſt hanc pluribus mediis & inſtrumentis nos aſſequi poſſe; Idcirco fuerunt qui ſola diæta morbos curarent, fuerunt qui exercitio, fuerunt alij qui corpus purgatione, alij qui ſanguinis detractione, alij qui ſudorificis id perficerent, & ſuæ opinionis fundamenta & rationes tradentes, etiam novam medicinæ exercendæ methodum demonſtrabant.

Quod dicitur medicinam artem eſſe, in qua plus valet experientia, quam ratio, falſam eſſe demon- 17

ſtatur, quia licet plurimi facienda ſit in medendi arte experientia, ita ut ubi eminet experientia, omnis contraria ratio ſuccumbat, atque invalida evadat. Ratio tamen tanti momenti eſt in arte medica, ut experientia per ipſam rationem, & non aliter confirmetur; imo caſu aliquando, & temerè inventa, nonniſi ratione fulta cum ſecuritate in uſum trahantur: quod niſi talis ſit, temeraria prorſus, & periculi plena experientia eſt. Rationalis quidem ars medicina eſt, Philoſophicis principiis innixa, ratiocinatione plura invenit, & in experimentum trahit, & ea quæ rudis experientia, ac caſualis in uſum jam traxerit, meliora efficit, ad rationalem uſum diſponit, & magis tuta reddit, de quibus vide Concil. *diff. 5. verſ. propter tertium*, garriant ac obſtrepant, oblatrentque imperitiſſimi Empirici, rumpantur & ilia irrationabilibus Chymicis nudæ experientiæ pervicacicer fidentibus, nulla unquam experientia tuta, & omni ex parte utilis eſt, niſi ratione Phyſicâ ſit confirmata, ac poſtmodum in uſum tacta. Quinimò
18 non meretur experientia abſque ratione facta experientiæ nomen, ſed temerariæ potius operationis, cùm vera experientia, Remedij alicuius frequentatus uſus ſit, & ratione confirmatus.

Cæterùm cùm Ariſtoteles non ſemel Medicinam ſcientiam vocaverit, *ut lib. 5. Metaphyſ. c. 12. text. 20. & alibi*, id calumniatores ſilentio tegunt, & ad artis ignobilitatem demonſtrandam adducunt ejuſdem Ariſtotelis, & Averrois auctoritatem, connumerantium eam inter artes mechanicas: Ad quod reſpondent nonnulli, ut ex Juriſconſultis Carrar. *de Med. part. 3. num. 114.* non intelligi niſi de illa medicinæ parte, quæ conſiſtit in componendis medicamentis, nempe, inquam, de pharmacopœa, vel, addit ille, de chirurgia; ſed Ariſtoteles, inquit Averroës. *1. Coll.*
19 *cap. 1.* appropriat hanc artem inter mechanicas in virtute, (loquitur autem de medicina propriè dicta) hoc eſt, inquam, quia videtur habere conjunctum opus cum ſe, ut mechanicæ habent, non quòd ſit mechanica. Alij, ut Capivac. *in ſchol. 1. Aphor. primo. verſ. ſed cum ars ſit*: dicunt per hoc nomen *mechanicum*, intelligi ſolertem quandam, ac ſublimem machinationem, & idcirco Galenum quoque *in orat. ſuaſ. ad Art. cap. ult.* dixiſſe, medicinam eſſe artem liberalem, & maximè mechanicam. Galeni verba ita habent: *Cùm artium igitur duo prima genera ſint, alia nobiles, quæ in munere animi poſitæ ſunt, quas liberales vocant, alia ignobiles, quæ labore corporis tractantur, quas mechanicas appellant, ſatius exiſtimare debetis, ſi vos primo genere electo, aliquam ex liberalibus diſcatis, alia enim deſerere artificem in ſenectute ſolent: in primo genere ſunt medicina*, & quæ ſequuntur: ita ut miratus ſim, quomodo Capivaccius Galeni verba eo modo adduxerit, ut dixiſſe velit medicinam eſſe artem mechanicam, cùm contrarium dicam. Nam inficior tamen nomen hoc, *mechanicum* apud Græcos ſignificare id, quod ipſe Capivaccius ex Platone dicebat, nempe ſublimem ac ſolertem machinationem: cùm hoc clarè pateat, & ita loqui Græcos de quibuſdam, qui habent ingenium maximè ad ſpeculationem promptum, teſtatur Cæl. Rhod. *Antiq. lect. lib. 11. cap. 7.* Sed ad Ariſtotelis dictum revertor, qui nequaquam id ſibi voluit eo in loco, ut medicina inter mechanicas artes connumeretur, nam quomodo id voluiſſet, ſi mechanicæ omnes artes laborem corporis requirunt, teſte Gal. *ubi proximè*? At quis dixerit, medicinam labore corporis egere? Medicus, inquit Plato *libro tertio de Republ.* corpus animo curat, & rurſus, *Medici*
20 *non corpore corpus curant, ſed animo.* Quòd etiamſi detur medicinam corporis labore exerceri, tamen hoc nihil ad ejus nobilitatem præjudicare, ſed imò multum addere, abunde probat Canonher. *in prolegom. ad Aphor. Hippocr. pag. 77. verſ. obiicies 17.* Ariſtoteles ergo in citato textu dividebat conſiderationem de paſſionibus corporum diverſimodè; nam de quibuſdam inquit, paſſionibus, quæ non naturâ inſunt, conſiderare pertinet interdum ad fabrum & Medicum, nempe quia dixerat, ad Phyſicum pertinere de illis omnibus materiæ paſſionibus conſiderare, ab ea non abſtractis; de iis verò, quæ ſunt quædam paſſiones corporum inſeparabiles, ſed per abſtractionem conſideratæ, ad mathematicum; de iis verò quæ verè abſtractæ ſunt, ad primum Philoſophum. Non ergo ob id quòd Medicina, ut ars fabrilis & mechanica, conſideret aliquando paſſiones corporum, quæ naturâ non inſunt, idcirco mechanica dicenda eſt; neque enim id illud eſt, quod facit artem mechanicam, ſed labor corporis, quando eo indiget ars, ut exerceatur: medicinam verò inter mechanicas non connumerati, Lacedæmonij teſtantur, quibus, cùm non liceret mechanicas artes exercere, licebat tamen exercere medicinam, ut refert Ælian. *lib. 5. var. hiſtor. cap. 6.* alia autem ad hoc ipſum probandum, vide apud citatos Auctores, præcipuè verò apud Mercurium *libro primo, Error. popul. cap. 22.* Quod etiam ut demonſtrarent Athenienſes, cæterorum Græcorum, imò hominum tum temporis ſapientiſſimi, ſervos ad medicinæ ſtudia non admittebant, ut ex Proclo refert Tiraquell. *de Nobil. cap. 31. numero 526.* Sed deciſionem ejus quæſtionis ab ipſis legibus petamus: Notus eſt text. *in l. Medicus. C. de Profeſſ. & Med.* qui inter liberales artifices Medicos connumerat, & *in fin. ejus legis* ea habentur. *Mercedes etiam eis & ſalaria reddi iubemus, quò facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Accedat & Plutarchi auctoritas, *in princ. lib. de tuend. valet.* At medicina, inquit, ſic eſt de numero diſciplinarum liberalium, ut politie, ſplendore & iucunditate nulli ſit inferior.

Sed ulterius medicinam vilem, & abjectam eſſe ex eo probare nitebantur adverſarij, quòd à Vir- 21
gilio ars muta, & ingloria ſit appellata; ſed ſi Poëtæ verba æquâ lance ponderetur, nihil in artis hujus vilipendium inde deduci poteſt; comparabat quidem ille medicam artem cum poëſi, vaticinio, & muſica, dicens:

Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Jaſides, acri quondam cui captus amore.
Ipſe ſuas artes, ſua munera latus Apollo,
Augurium, citharamque dabat, celeresque ſagittas.
Ille, ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit, & mutas agi are inglorius artes.

Comparatione ergo poëſis, vaticinij & muſicæ medicina ars muta dicitur, quia poëſis, vaticinium, & muſica voce exercentur, medicina verò operatione, non verbis; languentes enim, ut Celſus dicebat, non eloquentiâ, ſed remediis curantur. Sed vide inſuper quæ ad hanc rem affert Mercur. *libro tertio Variar. lect. pact. cap. 13.* Sed cur, inquies, addit vocem illam, inglorius, niſi quia medicina talis ars eſt, ut nullam afferat gloriam? Cerè Virgilius locutus eſt reſpectivè ad poëſim, innuens non parem eſſe gloriam in medicina, quæ corpus à morte redimere ſolet, cum poëſi, quæ nomini immortalitatem conciliat, quod ſuæ ipſius arti blanditus falſus videtur; ſed eum locum aptiſſimè ſanè, & imitatione, & explanatione

natione illuſtravit Poëta noſter Torquatus Taſſus *Cant. 11. St. 70.* dicens.

Egi l'antico Erotimo, che nacque.
In riva al Po: adopra in ſua ſalute.
Il qual de libre, è de le nobil'acque
Ben conoſceva ogni uſo, ogni virtute;
Caro le Muſe ancor, ma ſi compiaque.
Ne la gloria minor de l'arti mute.
Sol cure torre à morte i corpi frali,
Et potea far i nomi anco immortali.

Nihil ergo in huiuſce aris contemptum pronuntiare voluit Poëta, neque veriſimile eſt, illum animo deprimendi eximiam hanc artem, quam ipſe profeſſus aliquando erat, ex carmina protuliſſe. Multò tamen magis ad rem videtur eorumdem carminum alia expoſitio, quâ ex Aſcenſio & Servio affert Obic *de nob. Med. dial.* 1. quam & ego tantiſper illuſtrabo ac dicam Virgilium de medicina illa locutum, quam empiricam vocamus, ut inde elicitur;

Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit.

non ergo doctrinam & ſcientificam cognitionem eſt ſecutus; unde merito additur.

—— *& mutas agitare inglorius artes.*

mutas quidem, quia in ſimplici operatione conſiſtunt inglorius, eo quod non ſecutus eſſet gloriam ſcientiæ ipſius medicinæ, ſed empiricæ, quæ per ſe ſine gloria? cum nullius ſcientiæ principiis innixa omni gloria deſtituatur: ac certè id vero conſentaneum eſt ſibi voluiſſe Virgilium, cum introducat Medicum manu operantem, & vulnus curantem? tales enim Medicos conſtat plerumque eſſe empiricos.

Sed iam ad ea, quæ contra ipſos Medicos obiiciuntur, reſpondendum, & primo illud monebo, nolle me particularium hominum vitia in cenſum vocare, eaque quæ vel excuſare, vel refellere, vel tueri, ſed ea tantum, quæ ab ipſa arte emanate in ſuo profeſſores creduntur? nam Medicum, non qualis eſt hic aut ille ab obiectis iniurus, ac oppoſitis calumniis vindicandum mihi propono, ſed qualis ex ipſius artis documentis eſſe debet? hic enim ſolus Medici nomine dignandus eſt. Athænei ergo primum inſulſiſſimum dicterium reijcere ſupervacaneum eſt, apud illum quiſquis ille fuerit, ut ſcurra locutus eſt, & ut talis pertractandus, nempe ut ſuo libitu garriat.

De moribus Medicorum illud aſſeveranter dicam, quod Medicus qui artis, quam profitetur, præ- 22
cepta, atque conſilia, in executionem demandare ſatagat, non modo bonis, immo optimis moribus inſtruetur, ſed ipſius quoque artis beneficio pravas quaſdam & à natura, vel ab accidenti furtim irrepentes propenſiones, facili negotio emendabit; bonas vero meliores efficiet, videat qui de his dubitat, quæ Hippocr. *in lib. de med. & dec hab. & alibi*, aliique claſſicorum Medicorum, ſcriptis de ea re mandarunt, & videat præcipuè nonnullos ex neotericis iam citatos, ut Heurnium, Codronchium, Mercurium, Silvaticum, alios; Juriſperitos autem videat Tiraq. *cit. cap. de nobil. num.* 313. *& ſeq.* nam facilè diſcet ex medicina non ſolum fieri homines in ſua arte doctos, ſed etiam in quocunque virtutum genere maximè inſtrui; quicquid in contrarium dicat Conciliator Petrus de Abano, de morbus Medicorum, licet non ex proprio, ſed ex alieno dicto maledicta illa contra Medicos effutiat, Quomodocunque tamen hoc ſeſe habeat, illud mihi ſatis ſuperque eſto, ſi ars ipſa nonniſi bonos artifices faciat, neque illis virij quicquam, ſed contra, ut dixi, omne virtutis genus communicare, ac conciliare ſit apta Relinquam virtutes quaſdam omnibus Medicis communes, ipſisque peculiares etiamſi alio nomine improbi videri poſſint, nempe pietatem quâ ſemper prodeſſe, nunquam obſſe deſiderant, & quâ alienos caſus ſuas faciunt eſſe triſtitias, ut Hippocr. *cit. lib. de Med.* & Soran. Epheſ. *in Iſagog.* dicebant, & huius pietatis intuitu 23
etiam clericis, & religioſis, ac ſacerdotibus licet medicinam exercere, ut probat Gaſp. Triſtan. *de Clerico Medico* §. 8. Relinquam humanitatem & manſuetudinem, quâ ſuos ægro excipere ac tractare ſolent, nam has Medico magis, quam alteri cuicunq; convenire & Hippoc. *locis citatis* docet & notat ex Juriſconſultis Ripa *in tract de Peſt. part. ult. partic.* 2. *num.* 60. Sed ne omnes Medicorum virtutes proprias enumerem, id tantum dixiſſe ſatis ſit; tanti momenti ab arte hac iudicari bonitatem in ſuo artifice, ut malit medicum eſſe bonum virum, quam 24
perfectum artificem ita Soran: Epheſ. *ubi proximè* quod etiam notant ex Juris conſultis Tiraq. *ubi ſupè n.* 313. & Carrar. *de Med. part.* 2. *n.* 63. ſed & facet textus *Eccleſiaſt. cap. trigeſimo octavo, verſ.* 11. *& ſeq.* Medicorum pietatem inſinuat, illis verbis, *Da locum Medico, etenim illum Dominus creavit. & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. Eſt enim tempus quando in manus illorum incurras, ipſi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & ſanitatem propter converſationem illorum.* Ubi monſtrat Medicos eſſe maxime Dei amicos, & quidemex artis ipſius præceptis, verus ac bonus Medicus ſemper Deum ante oculos habere debet, ita monentibus non chriſtianis ſolum, ſed ethnicis etiam quibuſcunq; auctoribus, ut ex quamplurimis probat Jo. Alph à Fontech. *in ſpec. Med. Chriſtiadum* 1. *in pr. Invocabilis igitur* Atq; ex dictis corruit omnis contra Medicorum pietatem obiectio. Quod vero de ſuperbia, avaritia & invidia eorum dicitur, nihil me movet, ſunt enim hæc individuorum vitia, de quibus non curandum non ita eos ars ſua componit, neque inſtruit ut tales ſint, ſed naturalis ac prava animorum propenſio tales efficit, á qua ne reclamante quidem ſuâ ipſorum arte relevare ſe poſſunt. Habent tamen, ſi ab exemplo quicquam profiſere volunt, ducem in his Hipp. qui ab iis vitiis tantum abfuit, ut ſatis fuerit chriſtiano Medico in moralibus eum imitari.

An porro Medicus, reſpectu ſuæ artis, nobilis ſit, 25
quod Faber inficiabatur, ii videant, ut Juvenalis verbis utar. *Stat.* 14.

—— *Quibus arte benigna.*
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Nam niſi homo à ſcientia nobilis fiat & à virtute, unde per te, Faber, nobilis evadet? At negabis Medicos eſſe ſcientes, & idcirco non eſſe nobiles firmabis, num contra ſacrum textum ſtare audes, dicentem, *Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnatum collaudabitur.* Quòd ſi neges medicinam eſſe ſcientiam, & Celſo fidem non habes, qui eam ſapientiæ partem apud antiquiores habitam fuiſſe memorat, unde Pallas ſapientiæ Dea, quæ ex Iovis cerebro proſiliit, Stygia dicta eſt. Medicinæ præclara. Ignoras profecto artem hanc ex omnium artium cognitione conſtare, ut ex Pilinio *lib.* 26. *c.* 2 dicunt Tiraq. *loco cit. n.* 75. Benius *de privil. Juvec. privil.* 55. *n.* 3. & Carrar. *de Med. part.* 1. *&* 41. ita ut medicina vera ſit encyclopædia.

Ridiculum præterea mediuſfidius eſt, quod in queſtione ponunt neſcio qui Doctores, qui puri puti 26
Juriſconſulti forte ſunt, num Medicus Doctoratus dignitatem conſequatur, & hoc tanto magis ridiculum mihi fit, quanto illi iiden Juriſconſulti Doctoratus dignitaté abſq; ullo controverſiæ principio ſibi adiudicant, an Medicis debeatur, in dubium revocant

quod

quod minimè præſtarent, ſi animum ad rei naturam & dechinc etiam advertere noviſſent ad Eccleſiaſtici prottita illa verba, *Honora Medicum propter neceſſitatem creavit enim illum Altiſſimus*, hoc eſt, Deus illum Medicum conſtituit: ita ut bene hinc deducat Obicius, *de Nobil. Med. Dial.* 1. Medicum â Deo primum Doctoratum adipiſci, creando illum Medicum, ſic enim verba illa intelligenda nonnullorum expoſitorum auctoritate demonſtrat; ſed hæc ſubtilitates quædam obolatiæ ſunt Doctorum forte obolariorum, licet enim plures Juriſconſultorũ ſcriptorum,& Philoſophi ſint, & viri eruditiſſimi quantum ego exiſtimo, in omnique ſcientiarum genere inſtructiſſimi,non idcirco eſt,quin illorum aliqui inter ſcriptores emergant, qui ex libro Doctores ſunt hi quia cæteris rudiores,audaciores etiam, & loquaciores ſunt & aliquando etiam de iis diſſerere audent, quorum cognitionen ex libro non habentes, ex proprio penu nonnulla depromunt inſulſiſſima bœotico ingenio digna,quale eorum eſt,á ſcientiæ quam profitentur dignitate alieniſſima,ut facile detegant craſſam, ac com emptibilem ignoratiam ſuam; ſed ſermonem contra hos acuere, tantundem eſt, ac in Bagoam loqui: hos igitur ſuæ imperitiæ relinquamus ad veros Juriſconſultos nempe re & nomine Doctores me converto, hi enim neque tam abſurdos ſcrupulos, neque tam ridiculas dubitatiunculas de Medicorum dignitate,aut doctoratu excitabunt,qui ſciunt Medicos apud Imperatores lege conſtitutâ inter comites primi ordinis connumerari, ducibuſque ac vicariis æquiparari,qui dignitates inter maximas Imperij recenſentur,de qua re vide quæ affert Jo. Fileſac.*lib.* 1. *ſelect.in defenſ.Med. adverſ. Plin.*

27 Illud quod tanquam quid maximi ponderis adducunt nonnulli,ad demonſtrandam vilem Medicorum conditionem, in medium afferentes legum auctoritatem Medicos inter viles artifices connumerantium, confutant nonnulli dicentes cum gloſſa textum loqui de Medicis brutorum, hoc eſt, veterinariis, ſeu mulomedicis. Cuiacius ibi intelligit, & pro Mulomedicis, & Medicis; Medicos autem dicit eſſe chirurgos. Ego concedam de quibuſcunque Medicis loqui,quod me nihil moveret, quia de eorum commodo agitur. Aliam tamen reſponſionem ad eum textum affert Petr. And. Canoncher. *in prolegom. ad aphor. Hippoc. pag.* 146. *verſ. Reſpondetur* qui & ad id, quod additur, ſervos etiam poſſe eſſe Medicos, luculentiſſime reſpondet *ibid. pag.*76. *ver. Obiſcies decimoſeptimo.* Sed an non ſervos medicinam exercentes contraponderare debent tot ſummi viri pro Diis ob id à veteribus habiti, tot Imperatores tot Reges,tot Pontifices, tot Legumlatores,tot eximij Philoſophi,qui & ipſi medicinam exercuerunt quorum omnium catalogum deſcribere ſuperfluum eſſet;ſed qui illum habere deſiderat, videat inter Juriſconſultos Tiraq. *in iam ſæpe cit. c.* 31. *de Nob.* & inter Medicos, præter plures ex citatis, prædictum Petr.Andr.Cononher.*ibid.pag.*6.*verſ. ex præſtantia.*

28 De nomine Medici, quod cuicunque licet uſurpare, nihil laboro, nam quid hoc ad Mercurium? Homo dicitur tam vir,quam mulier. *l. Hominis. ff. de verb. & rer. ſignif.* num idcireo eiuſdem conditionis & dignitatis mulier eſt, ut vir quicquam dignitatis ob id amittit,quod etiam mulier ut vir, homo appelletur?Sed ſi ex eo, quod nomen Medici etiam vilibus perſonis commune eſt, Medici dignitas diminuitur, cur non alia ex parte adaugetur ex eo, quod nomen Medici Deo ipſi tribuitur? Cur tacent calumniatores iſti medicomaſtiges,Chriſtum Dominum non modo ſe vocaſſe Medicum, ſed Archiatrum, hoc eſt, principem Medicorum, ut ex D. Chryſoſtomo *Homil.*6.refert Gaſp. Triſtan.*de Cler. Med.* 9. §. *in fi.* Imo & Medicum ſe hominibus præbuiſſe, ut ex Juriſconſultis præter alios referunt Tiraq.*de Nob. c.*31. *num.*291. Scaccia *de ſent. & re Ind. Gloſſ.* 3. *quæſt.* 1. Carrar. *de Med. in præfat. & part.* 2. *num.* 17. & ex noſtris Goynæus *in dial. Quod Med. Iurec. præc. deb.* Gaſpar. Triſtan. *ubi ſupra.* Petr. Andr. Canonher. *loco ſæpè cit ato.*Prætereunt data opera,qui calumniari gratis cupiunt, quod etiam Angeli Medici nomen aſſumant; nihil enim aliud importat Raphaëlis nomen,niſi Dei medicina, & quod ipſi Angeli Medici officium exercuerint, ut eodem Raphaële patet, Tobiæ *cap.* 12. *verſ.*12.*& ſeq.* & de Angelo movente probaticam piſcinam, & aliis, quæ unuſquiſque videre poteſt apud plures ex citatis auctoribus, & maxime apud Tiraq. *num.* 103. *& ſeqq.* Sed quid ego non ipſam legem medicinam vocari dixerim, & ipſos Judices Medicos, cum Plato *l.* 3. *de Republ.* Judices animo mederi firmaverit? & Plut. *de ſera Num. vind.* non aliter Jus vocaverit? quam animæ medicinam. De qua etiam re vide præcitatum Tiraquell.*ibid.num.* 316.*& ſeqq.*

29 Eandem ſapit ſubtilitatem, quam ſuperior obiectio, dicterium illud protritum apud Juriſconſultos,quod Medici non ſint maioris valoris, quam obſtetrices tantidem enim æſtimantur. Quod tamen ſatis refellit ex Juriſconſultis, poſt Ripam Carar. *de Med. part.*4.*n.*162. *& ſeqq.* & exnoſtris Roderic. Caſtrenſ. & Peregrin. *ubi alias*; Qui & ad id, quod 30 opponitur, Medicos apud leges vocari parabolanos ſatisfaciunt, & præter eos Scaccia etiam *loco ſupra citato*, *num.* 32. ad quod ipſe quoque habeo aliquid quod Juriſperitorum quorundam & maledicentiam reprimat, & ignorantiam detegat; apertiſſimè enim per ipſum textum legalem demonſtrare licet, parabolanos apud leges, pro Medicis non accipi, cum ut per ipſam legum ſanctionem liquet,parabolanorum electio (qui vere hoſpitalarij ſunt,ut præcitati auctores declarant, & comprehenduntur inter clericos ut per Cuiac. *in expoſit. Novell. conſt. Iuſtin. novell.* 3. qui & clarius qui ſint parabolani,vel parabolarij,exponit)pertinet ad Epiſcopum;at electio Medicorum pertinet ad Decuriones,ſeu Magiſtratus, ut clariſſime demonſtratur. *per l. primam. ff. de decret. ab Ord. faciend.*Carrar. *de Med. part.* 3.*in princ.* ſive pertinet ad Senatores ut idem *ibid.* proſequitur. Ergo ſi parabolani & Medici non ſunt eligendi ab uno eodemque genere perſonarum, parabolani & Medici apud leges pro iiſdem perſonis non accipiuntur;imo vitio dari poſſet ipſi legumlatori, quod hoc nomen pro Medicis uſurpaſſet abſque ulla occaſione, ac ne minimâ quidem neceſſitate, ſed inaniter omnino, ac præter rem, cum proprium nomen, & uſitatiſſimum haberet,& leges debeant uti vocibus claris, non dubiis & obſcuris,ut alias dixi. Atque hinc facilè evaneſcit inſulſa eorum ſcurilitas, qui Medicis hoc nomen imponi à legibus contendunt, quod multas habeant parabolas, & multa ſuis ægrotantibus polliucantur.Gloſſ.*in cit.l.Parabolani. C. de Epiſ. & Cler.* Ferd.Abdven. *contra Juriſp. vit.pag.* 12. qui & inſulſiſſimè Archiatro dicit, vocari eoſdem Medicos, quod auctores & principes omnis mali & mœroris credantur,neque adducens, neque ſciens deductionem huius vocis à creca voce *lacres*, de qua tamen ſi aliquid ſcire lector deſiderat, legat Mercurial. *l.* 4. *variar. lect. cap.* 1. ubi etiam declarationes quaſdam nonnullarum legum C. habet, & Marſ. Cagnat.*l.* 2. *variar.Obſer.cap.* 15. & ex Juriſconſultis Cuiac. *ad l.Med.C.de profeſſor.& Med.*

Sed

Sed iam cætera inaniter ſimul, ac procaciter in medicinam & Medicos prolata præteribo, ne aliena imprudentia me quoque procacem red dat, ac contra naturalem propenſionem acerbius, quam ferat, obloqui compellat; nam reſpondendum quidem interdum ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur, aliquando vero non reſpondendum ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiamur ei ſimiles ſecundum Sapientis ſententiam, *Proverb. cap. 16. verſ. 4. & ſeq.* Qui tamen cumulatius percurrere cupit reſponſiones omnes ad obiectiones contra medicinam & Medicos factas, videat præ cæteris
23 Petr. Andr. Canonher: *in proleg. citat. cap. 1. a pag. 40. ad plures ſeq.* & Mercur. *l. 1. & 2. Error, popul.* & ex Juriſconſultis Tir. & Carrat, cæteroſque tamen Medicos, quam Juriſconſultos ſupracitatos.

SUMMARIUM.

1 *Leges quomodo ab hominum malitia orta.*
2 *Lex à natura. & num. 4.*
3 *Lex & natura omnia ſibi ſubiiciunt.*
5 *Legis ſubiectum bono eſt dirigibilis in bonum.*
6 *Lex quid ex Cicerone.*
7 *Virtus eſt hominis propria.*
8 *Leges plurimum ad magnanimitatem conferunt.*
9 *Leges homines ad infuſam virtutem diſponunt & acquiſitam cauſſant.*
10 *Legibus homines cum Diis conſociantur.*
11 *Lex eſt Dei donum.*
12 *Leges humanæ omnes ab æterna lege.*
13 *Homo ſi per ſe bene viveret, non egeret legibus, quemode accipiendum.*
14 *Lex eſt regula humanorum actuum.*
15 *Quod leges aliquando ſint iniuſtæ, hominum peccatum eſt.*
16 *Leges ſine ratione latæ non dicuntur leges.*
17 *Lex etiam dura & iniuſta cur ſit ſervanda.*
18 *Legum obſcuritas hominum peccatum eſt.*
19 *Contrarietas legum eſt quid ex accidenti.*
20 *Lex ſemper cum mundo fuit.*
21 *Regna legibus carere non poſſunt.*
22 *Homo ſeparatus à lege eſt poſſimum animalium.*
23 *Juriſconſultorum multitudinem male conſtitutam civitatem offendere, quomodo accipiendum.*
24 *Leges ſuo fine non fruſtrantur.*
25 *Juriſperitiam non eſſe artem neque ſcientiam falſum.*
26 *De ratione legis eſt, ut iuſta ſit.*
27 *Inſtabilitas legum non facit inſtabilem ſcientiam condendi leges.*

Satisfit ad ea, quæ contra Juriſprudentiam, eiuſque Profeſſores obiiciuntur.

QUÆSTIO V.

NOn minoris certe impudentia taxandi ij ſunt qui contra Juriſptudentiam eiuſque Profeſſores, quam qui contra medicinam Medicoſque obloquuntur, & idcirco quæcunque in eius, eorumque deſpectum obiiciunt, tanquam falſa, nullaque ratione fulta, ſed ſumma cum temeritate prolata, confutanda, reprobanda, reiicienda, nam nemo qui mente præditus eſt, redarguerit vel leges, vel legiſlatores ut ex S. Syrillo dicit Suarez *lib. 1. de leg. cap. 3. n. 19.* Sed ad obiecta ſatisfaciamus.

Legum lationem primo ab hominum malitia originem duxiſſe opponebatur; quod quidem ſi de ea
1 parte intelligitur, quæ vitia, in dictis pœnis, reprimit, aut hominum ditimit controverſias, verum quidem utrumque erit, ſed ſi de ea, quæ mores dirigit, & viam fœlicitatis docet, falſum. Sed ſit quomodocunque nihil hoc demit de legum dignitate; unde-
2 cunque enim originem habeant, hominem ad Juſtitiam & Virtutem diſponunt. Sed quod opponitur certè falſitatis convincitur, quia lex ipſa à natura originem habet, contra illud, quod in oppoſitum addebatur, leges nempe eſſe naturæ contrarias, quod tantum à vero abeſt, ut ipſa natura nihil aliud ſit, niſi lex quædam in rebus creatis; unde tam lex, quam natura omnia ſibi ſubiiciuntur, vel noſtro Hip. aſſerente, *in pr. lib. de Gen.* An non à natura eſt, ut ſuum unicuique tribuatur? at hoc à legibus præcipuè intenditur. Sed quomodo dixeris legem ab hominum malitia originem duxiſſe, ſi Deus ipſe, ut Plutarch. *in lib. de doctr. Pr.* dicebat, Lex eſt tum antiquiſſima, tum exactiſſima? Unde rectè Cicero 3
libro tertio. Epiſt. 6. dixit, Legem ſimul cum mente divina ortam eſſe. Cum ergo Deus ipſe ſit conditor naturæ, non poterit naturæ eſſe contrarius: non fuerit ergo lex naturæ contraria.

Præterea legum peritia eſt philoſophiæ pars, & ex ipſa philoſophia immediatam dependentiam habet *l. 1. ff. de Juſtit. & Jur.* Zaſius *in l. 2. de orig. Jur. part. 3. num. 75.* neque hoc ab ipſis Medicis controvertitur Goynæus *in libell. Quod Philoſ. & Med. deb. præced. Juriſconſ.* Obicius *dia. 1. de nob. Med. in pr.* quod & multo ante Cicero *lib. 1. de Leg. prope principium*, firmaverat, dicens, *Juris diſciplinam ex intima Philoſophia hauriendam puto.* Cum ergo ita ſit, erit inſimul Juriſprudentia Sapientiæ pars, ita enim vocatur à Juriſconſulto *in l. 1. ff. Proinde. §. de var. & extr. cog.* ex quibus veritatem inſimul habebit Juvenal. dictum. *Satyr. 14.*

Nunquam aliud natura, aliud Sapientia dicit.

Non modo ergo leges non ſunt naturæ contrariæ, 4
ſed initium Juris ab ipſa natura proficiſcitur, ut teſtatur Cicero *libro ſecundo, de Invent. prope finem*, ex quo D. Thom. *1. 2. quæſt. 91. art. 3.* nam ante quamcunque conditam legem eſt in natura quædam naturalis lex, ut ſentit idem Cicero. *de l.* & D. Thom. ex quibus Suarez *de leg. libro primo. cap. 3. num. 9.* Quod ſi Plato aliquando dixerit, legem & naturam inter ſe plerumque contrarias eſſe, reſpexit ſolummodo ad naturæ propenſionem, & ad eam partem quæ illam tendentem ad malum retrahit à malo, nam 5
univerſim legis ſubiectum eſt homo dirigibilis in bonum maxime commune, aut hominum commune & in Deum, ſecundum ſacros canones. Lenaud. *de Doct. part. 3. quæſt. 1.* & ex noſtris Epiphan. Ferdinand. *Theorem. 1. lib. 1.* idcirco prudentiſſimè Cicero 6
lib. 1. de l. ſic legem definiebat. *Lex eſt Ratio ſumma in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria*: non enim aliud leges ſunt, ut pulcherrimè ex Seneca dicebat vir doctiſſimus Melchior Lotherius, *lib. 1. abſolutiſſimi ſui operis de re Benef. quæſt. 21. num. 47.* quam minis mixta præcepta, nimirum ut minis à malo retrahant, ut præceptis impellant ad bonum. Quandocunque ergo naturalis propenſio à bono retrahit, & ad malum impellit, abſque dubio lex illi contraria eſt, quæ naturæ pravitatem emendare ſatagit, retrahendos à contrariis, impellendo ad contraria. Alias autem lex ipſi naturæ conſona quia cum virtus ſit hominis propria, ut alias dictum 7
eſt, & lex diſponat hominem ad virtutem, Ariſtor. 5. *Et hic cap. 1.* non poteſt lex naturæ eſſe contraria, nam bonum cuiuſlibet virtutis eſt conveniens homini ſecundum rationem, ideò convenit ei naturaliter: D. Thom. *1. 2. quæſt. 147.* Ex vitio autem partis inferioris ſit, ut quanto magis viriles homines ſunt nempe partem iraſcibilem prædominantem ſortiti, eo magis à legibus averſentur, quemadmodum ex Hippocratis dicto opponebatur; & hoc fit, quia dominante iraſcibili homines à ratione ſunt alieni, contra vero ubi ratio prædominetur, leges plurimum ad magnanimitatem conferunt, eodem Hipp.

aſſerente

aſſerente *in lib. de Aer. Aq. & loc. num.* 54. neque ad
8 magnanimitatem ſolùm, ſed ad quaſcunque virtutes leges conferre palam eſt, retrahentes enim vel per vim homines à malo & impellentes ad bonum, conciliant illis habitum quendam cuiuſcunque virtutis & ut Ariſt. *lib.* 2. *Moral. Nicomach. cap.* 1. dicebat, aſſuefacientes faciunt bonos, imò ſiæc ut addit, eſt unius cuiuſque legiſlatoris voluntas; qui verò id non bene efficiunt, peccant. Et cùm virtus duplex ſit,
9 infuſa, & acquiſita, leges ad infuſam homines diſponunt & acquiſitam cauſant. D. Tho. *par.* 2. *quæſt.* 92. *art.* 1. *ad* 1. *& quæſt. ead. art.* 2. *ad.* 4. Ob hæc igitur tantùm leges excellunt, ut per eas conſociari homines
10 cum Diis putandum eſſe dixerit Cic. *loc. cit.* neque iniuriâ lex Dei donum vocatur à Juriſconſulto *in l. Nam & Demoſthenes. ff. de. l.* quem ſequitur Gloſſ. *in. l. Cum. in longi. §. ſin autem C. de præſcript. long. temp.* nam vel Galeno noſtro edocente *in lib. Quòd. Anim.*
11 *ſit id quod in utero eſt, cap.* 5. *claſſ.* 1. Leges ferre in primis Deorum eſt, ſiquidem rerum omnium pater inter Deos omnia lege diſponit: cui dicto ſimile eſt illud D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 93. *artic.* 3. quòd leges humanæ
12 (dummodo ſint quales eſſe debent, nempe ut rectæ rationis quippiam ſapient) omnes ac ſingulæ ab æterna lege originem habent.

Quanquam, autem leges non inſtruunt homines ad virtutes, ſed ad eas tantùm præceptis alliciunt, & vi ac metu à vitiis retrahunt: tamen lex ad hoc maximè inventa, ut actus humanos dirigat, & in quantum actus humani operantur ad virtutem, in tantum lex facit homines bonos D. Thom. *ubi ſuprà art.* 1. *ad* 1.

13 Quòd autem homo non egeret legibus, ſi per ſe bene viveret, verum fortè eſt, ſi ita accipiatur, ut intelligatur non egere lege illâ, quæ vi & metu retrahit homines à malis operibus, quæ coactiva dicitur, quia cùm homo per ſe bene operatur, oſtendit opus legis ſcriptum in corde ſuo, ut ex D. Paulo *ad Rom.* 2. D. Th. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. *ad* 1. Non ergo hic homo ſine lege viveret, ſed maximè ex lege, quia iuſtiſſimus eſſet, quod eſt ſecundum leges vivere, eſſet enim ſibimetipſi regula ſuorum actuum, ex qua regula vivendo ex lege viveret, quæ nihil aliud eſt quàm regula humanorum actuum, D. Thom. *ubi. proximè.* Quomodo autem intelligendum ſit D. Pauli dictum,
14 quòd lex Juſto poſita non ſit, vide apud Suarez *lib.* 1. *de leg. cap.* 19. *n.* 2. *& ſeqq.* apud quem vide alia ad hanc ipſam rem facientia.

Quod dicebat Plutarchus, leges ab hominibus latas æquitati & rationi conſonas non eſſe, & D. Th.
15 quòd leges ſcriptæ continent aliquando iniuſtitiam nequaquam peccatum eſt ipſius ſcientiæ ferendi leges, ſeu ipſarum legum, ſed eſt hominum peccatum, nempe legiſlatorum; quemadmodum non artis ſed Medici peccatum eſt, ſi remedia morbo præſcribat non convenientia; ſecundùm prædictam enim ſcientiam ferendi leges, hæ ſemper eſſe debent æquitati, & rationi conſonæ, quæ verò aliter latæ ſunt per errorem & malitiam abſque inhærentia eius ſcien-
16 tiæ, eiuſque præceptorum latæ fuerint, & huiusmodi leges, quæ ſine ratione latæ, non dicuntur leges, ſed ſcita tyrannica, ut ex Cicerone admonet ſupracitatus doctiſſimus Lotherius *lib.* 2. *de re benefic. quæſt.* 40. *num.* 20. neque ſunt cum effectu leges, ſed perverſitates potiùs legum, ut cum D. Thom. *ubi ſuprà, q.* 92. *art.* 2. *ad* 4. dicit Suarez *lib.* 1. *de leg. cap.* 9. quod notat etiam Jo. Huart. *in exam. Ingen. cap.* 11. & ad id quod additur, legem etiam iniuſtam, & du-
17 ram eſſe ſervandam, reſpondetur, hoc fieri ob ipſarum legum reverentiam, quibus obtemperare convenit. ne unâ ſpretâ cæteræ etiam vilipendio habeantur ſed alium ſenſum ad *l. Proſpexit*, quam adduximus, vide apud Melchior. Lotherium ex Jaſone, *ubi ſuprà, num.* 29.

Obſcuritas ipſarum legum, ſiqua eſt, vel hominum 18
peccatum eſt, vel ſtudio & ex induſtria procurata, ne ſi faciliores intellectu ſint, imperitis ac rudioribus communicentur, ab ipſiſque defœdentur, ut aliis ſcientiis, & præcipuè medicinæ eveniſſe conſtat; aliàs enim leges ſcribi debent ſermone maximè intelligibili, ut unuſquiſque cognoſcere poſſit quid lex iubeat, D. Tom. *ubi ſuprà. art.* 3. *quæſt.* 95. & notavit etiam idem Joan. Huar. *ibid.*

Contrarietas etiam & perplexitas legum eſt quid 19
ex accidenti; nam ſatis ſi nullam habeant dubitationem, & contrarietatem quoad legiſlatorem, etiamſi habeant quoad nos: Mart. *ſing.* 39. *num.* 1. Pro ſæculi verò novitate, ac temporum mutatione & conditione nova lex conditur, iam conditæ fortè contraria, & hoc ex arte, & ſecundum Juſtitiam fieri, non eſt quid vetet.

Quòd nulla idcirco videtur eſſe legum neceſſi- 20
tas, quia mundus aliquando ſine legibus exſtiterit, falſum eſt, ſi de lege abſolutè dicatur; eſt enim verum de lege ſcripta tantùm, nam lex ſemper dummodo fuit, & cum ipſo mundo, & cum ipſo homine nata eſt ita ut impoſſibile ſit illam ab eius corde aboleri. D. Thom. 1. 2. *quæſti n.* 90. *art. ſexto*, imò tam neceſſaria eſt lex homini, ut ſuppoſitâ eius creatione, lex ſimpliciter fuerit neceſſaria, neceſſitate finis, ut declarat Suarez *libro primo, de leg cap.* 3. *num.* 3. Non poteſt ergo homo ſine lege eſſe, ita ut ſiqui populi lege carere videantur, hoc nequaquam ita ſit quia, ut D. Paulus *ad Rom. Cap. ſecundo, verſ.* 14. et quo D. Thom. *ubi ſuprà, quæſt.* 90. *artic.* 3. dicebat, Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex. De Regnis, quæ legibus carent, 21
idem prorſus dicendum eſt, abſolutè enim carere non poſſunt eâ quæ cum natura ipſa exiſtit; quòd ſi deficiat lex ſcripta, ſupplet ipſa ratio naturalis, quæ legis loco habetur, D. Thom. *ubi ſæpe quæſtione* 91. *art.* 2. Ludovic. Roman *ſing.* 781. Quomodo verò ſubſiſteret mundus, aut homo ſine legibus viveret, ſi à feris tunc nihil differret, & facile iniuſtitiâ ſuâ ſeipſum abſumeret? Nam homo ſeparatus à lege 22
& iuſtitia, eſt peſſimum omnium animalium; habet enim arma rationis ad explendas concupiſcentias & ſævitias, ex Ariſt. idem D. Thom. *ibid. q.* 96. *art.* 1. per leges autem à feris homo maximè diſtinguitur in ratione vivendi, quia per eas iuſtitiæ adhæret, feritate exutâ unde Claudian. *in Manl. conſul.* Juſtitiam allocutus;

—— Tu prima hominem ſilveſtribus antris
Elicis, & fœdo detergis ſæcula victu,
Te propter colimus leges, animoſque ferarum
Exuimus.

Eaque de re primi Legiſlatores, ut Poëtæ fabulantur dicti ſunt leniſſe feras, ac moviſſe ſaxa, ut de Orpheo & Amphione, Horat. *in Art. Poët.*

Silveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum,
Cædibus & victus fœdo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidoſque Leones.
Dictus & Amphion Thebana conditor arcis.
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Quod idcirco dictum eſt, quia homines abſque lege viventes ipſis feris erant ſimillimi, imò & ſaxis nullo ſenſu præditis, tam à ratione erant alieni.

Neceſſe

Neceſſe,eſt, inquit Plato *libro nono, de Leg.* Leges hominibus ponere, ut ſecundùm leges vivant, nam ſi abſque his viverent, nihilo à feris atrociſſimis diſcreparent: cui dicto aptari quoque poteſt illud *Pſalm. 9. verſ. ult. Conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos, ut ſciant gentes quia homines ſunt*: quaſi dicebat, neceſſe eſt dari gentibus Legiſlatores, qui eas regant atque inſtruant, doceantque ſe à feris differre, & idcirco ſecundùm leges vivere debere.

23 Dictum Platonis de multitudine Juriſconſultorum, quod arguat malè conſtitutam civitatem, declarandum eſt, quòd intelligatur de iis Juriſconſultis, qui litibus fovendis ſolummodò apti ſunt & cavillationibus pugnantes plerumque contra iuſtitiam lites fovent: nam aliàs Juriſconſulti ſunt in civitate neceſſarij, non ſecus ac leges, de quibus Plutarch. *in problem. Rom. num.* 40. dicebat, maximum atque pulcherrimum iudicari in civitate legum bonitatem; & ſicuti corpus abſque anima vivere non poteſt, ſic neque civitas abſque legibus; hæ etenim ſunt anima civitatis, Cæl. Rhod. *Antiq. lib.* 18. *cap.* 19.

Ad obiectionem, quòd leges ſuo fine fruſtrentur,
24 quia neque ad omnes virtutes homines inſtruant, neque omnia vitia corrigant: Reſpondendum ex D. Tho. 1. 2. *quæſt.* 96. *a.* 2. *ad tertium*, quòd ſatis eſt, ſi leges dirigant homines ad eam virtutem, quæ ad commune bonum ordinatur, nam hoc ſibi proponunt, ſicetiam & de vitiis dicendum: & tandem quanquam omnia non faciunt, non idcirco improbanda quæ faciunt D. Thom. *ibid.*

Cæterùm Juriſprudentiam non eſſe artem, neque ſcientiam, ex eo quòd eius principium non ſit in re,
25 ſed in Principibus, haudquam verum eſt, quia etiamſi Principes ferant leges, ſemper tamen inhærent ipſi rei naturæ, prout ars, ſeu ſcientia ferendi leges dictat, ſemperque Principis voluntas eſt & eſſe debet aliquâ ratione regulata, ad hoc quòd legis rationem habet, alioquin voluntas Principis non eſt lex, ſed iniquitas potiùs quàm lex. Verba ſunt D.Th. *ubi ſuprà, quæſt.* 90. *artic.* 1. *ad* 3. *& quæſt.* 95. *art.* 2.
26 Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 22. *num.* 4. quod de ratione legis ſit, ut inhæreat ſcientiæ ac regulæ ferendi leges, & ſit iuſtitia & iuſtè lata, abunde præ cæteris, ut videtur, docet idem Suarez *lib.* 1. *de leg. cap.* 9. *per totum.* Cùm ergo lex ſit aliquid rationis, ut idem D.Thom. *eadem quæſt.* 90. *art.* 1. dicebat, non poteſt habere ſuum principium in mera Principis voluntate, quæ aliquando à ratione eſt aliena.

Inſtabilitas porrò legum non facit inſtabilem &
27 variabilem ſcientiam condendi leges, quæ in hoc præcipuè conſiſtit, ut iuxta temporum varietatem, & hominum conditionem, & iuxta aliorum ab extra accidentium opportunitatem, leges condantur nunc hoc, nunc illo modo, & quòd aliquando concedant, quæ aliàs negaverint, & contrà, & quòd peccata quædam, aliàs leviora & antecto tempore ut talia non animadverſa, nunc multâ ſeveritate puniant, & ſic de cæteris. Neceſſe enim eſt, ut leges generaliter ponantur, actiones autem circa ſingularia fiunt; unde pater quaſdam leges, & quandoque eſſe mutandas. Verba ſunt Ariſt. *lib.* 2. *Politic. cap.* 6. apud quem complura vide de legum mutatione, & alia apud D.Th. 1. 2. *quæſt.* 97. *per totam.* Facit pro Juriſconſultis *l. Jura. & legeſeqq. ff. de leg.* & notata à Suarez *l.* 1. *de leg. c. ult. per totum.* Non ergo inconſtantiæ inſimulanda eſt ſcientia ferendi leges, quia ex ipſius ſcientiæ præceptis fit, ut leges pro rerum opportunitate mutari aliquando debeant, imò & pro populorũ regnorumque varietate; una enim eademque lex non poteſt omnibus populis convenire, ſicuti unum idemque medicamentum diverſis ægrotantibus & ægritudinibus non convenit.

Sed quid ego incaſſum pro Juriſconſultis dimicare laboro? Satis ſuperque ex ſe ipſis calumnias quaſque, ſibi, eorumque profeſſione obiectas refellunt, ſeque, ſuamque artem accerrimè tuentur: unde ſiquis eſt, qui ad ea, quæ contra ipſos obiiciuntur, pleniorem deſideret ſatisfactionem, ipſos adeat, ac præ omnibus poſt pleroſque antiquiores, Caſſan. *in Catal. Glor. mundi part.* 10. *conſ.* 25. Tiraq. *de Nobili. cap.* 31. & adductos per Benium *de privil. Juriſconſ. privil.* 55. Carrar. *de Med. part.* 1. & alios quamplurimos, quos brevitatis cauſa omitto.

SUMMARIUM.

1 *Homo ex ſui natura eſt animal ſociabile.*
2 *Homo debuit ad commune bonum inſtrui.*
3 *Bonum civile non eſt ſimpliciter & per ſe bonum.*
4 *Homo abſque religione iuſtus eſſe non poteſt.*
5 *Religio eſt potiſſima iuſtitiæ pars.*
6 *Nihil Deo ſimilius, quam iuſtiſſimus homo.*
7 *Legis novæ & veteris convenientia.*
8 *Bonum commune quando conſervetur.*
9 *politicæ facultatis adinventio unde?*
10 *Lex ſcripta cur lata?*
11 *Lex ſcripta, muta ac mortua per ſe eſt.*
12 *Leges ferre quis debeat?*
13 *Legis vivæ neceſſitas.*
14 *Actiones hominum, circa quas iudicia occurrunt, ſunt de ſingularibus.*
15 *Actiones hominum in comunitate viventium ſemper ſunt ad alterum.*
16 *Juriſperitia inventio unde?*
17 *Juriſperitia finis.*

Lex quomodo orta, politica unde originem traxerit, unde item Juriſprudentia.

QUÆSTIO VI.

VIndicatis iam à maledicentium calumniis ambabus ſcientiis, nonniſi multâ laude & honore proſequendis, earumque profeſſoribus ab in iuſtè illatis iniuriis & obiectis vitiis, quantum nobis premiſſum fuit, liberatis, reliquum eſt, ut iam pacato animo, omnique prorſus pathemate undequaque depoſito, ad litem in hoc titulo propoſitam, dirimendam accedamus. At quoniam ego Medicus Medicorum partes tueri obligatus, ſuſpectus in ſententia ferenda haberi poſſum, ſi pro Medicis lata fuerit, ingrati autem ac perverſi animi vir, ſi contra Medicos, reclamante veritate, pronuntiaverim, rectè mediusfidius mihi conſultum puto, ſi ſententiam non ſuſpecto Judici ferendam relinquam. Quoniam autem re omni ex parte ſic indecisâ relictâ, videret poſt multum apparatum ac poſt multum exhibitum negotium, multamq; de nobis opinionem excitatam, nihil tandem in medium attuliſſe, eâ de re nollem undique mihi viam præcluſam eſſe, quo minùs pro veritate multa proponam, quibus perpenſis Judex, quiſquis tandem ille futurus ſit, faciliùs ſecundum Juſtitiam pronuntiare poſſit.

Ante omnia igitur operæpretium videtur voces quaſdam ac terminos in diſputationis proceſſu occurrentes declarare ac diſtinguere; ex confuſa enim eorum acceptione quamplurimos in iudicando errores emergere poſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum; atque hanc unam cauſam agnoſco, ob quam Juriſconſulti iniquam præ Jure ſuo cauſam Medicorum faciunt, tanq; impar proprio eorundem Medicorum Ius: nullâ etenim vocum diſtinctione,

aut terminorum liquidatione utuntur, ſed indiſtinctè omnia accipiunt, legem nempe aliquando pro politica, politicam pro Juriſperitia, & quod peius eſt, Juriſperitiam pro lege, ſic & legem vivam pro politico, politicum pro Juriſperito, & ſic de cæteris; quo etiam cùm de medicina verba faciunt, uſuvenit, confundentes interdum medicinam phyſicam cum Chirurgia, & quacunque aliâ mechanicâ, & quæ uni conveniunt alteri tribuendo. Nunc verò priusquam ad id, quod propoſuimus, accedamus, de earumdem legis, politicæ, Juriſperitiæ origine aliqua præmittamus, ex quibus quæcunque de terminorum explanatione afferemus, clariora evadent.

1 Homo igitur, cùm ex ſui natura animal ſit ſociabile, debuit abſque dubio in communitate vivere, quod neq; aquam ſuccedere poterat, niſi ad bonum illud dirigeretur, quod maximè ad communitatis

2 conſervationem faceret. Debuit ergo civilis homo ad commune bonum inſtitui, ut Civitates, Regna Reſpublicæ, & communitates bene gererentur, ac diu multumque, & ſi fieri poſſet, ad æternitatem uſque perdurarent. Sed quia bonum civile nonniſi

3 per participationem divini boni, non autem ſimpliciter, & per ſe bonum eſt, idcirco incaſſum homo ad humanum & civile bonum dirigebatur, niſi antè ad divini aſſecutionem diſponeretur: quia cùm lex deberet inſtruere hominem ad juſtitiam, certum eſt,

4 quòd abſque religione, quâ divinum illud bonum præcipuè conſequimur, juſtus eſſe non poterat; ipſa enim religio, quâ Deo tribuimus quod debemus,

5 eſt potiſſima pars Juſtitiæ D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 1. Si ergo antè homo in Deum dirigatur, tunc exercendo actus Juſtitiæ ipſi Deo ſimilis efficitur, qui vera juſtitia eſt, unde iure Plato *in Theæteto*, dicebat, *Nihil Deo ſimilius quam juſtiſſimus homo.* Igi-

6 tur cùm per humanam ſapientiam non poſſet homo dirigi in verum bonum, oportuit hoc à ſumma Dei ſapientia emanare, & ſic ipſe Deus pro temporum opportunitate, & pro maiori aut minori hominum perfectione, utramque legem condidit, veterem &

7 novam. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 5. quæ inter ſe ita conveniunt, ut nova non ſit conſtructio veteris, ſed eius perfectio, & complementum, iuxta illud in Evangelio, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.*

Poſtquam autem per legem divinam homo ad verum bonum dirigi erat aptus, ut ſciret dehinc tanquam civile animal in ſocietate vivere, oportuit ut regulam quandam haberet, ſecundum quam ea faceret, quæ ad civilis communiſque boni tutelam erant neceſſaria; tunc autem commune bonum tutum & illæſum ſervatur, cùm præſuppoſito antè Dei timore, alter alteri in communitate non nocet, & cùm ſuum unicuique tribuitur: in his enim maximè conſiſtit juſtitia, hæc præcipuè à legibus iubentur. *l. Juſtitia. ff. de Juſt. & Jur.* Quoniam autem hæc regula

8 rectè vivendi in communitate, ob populorum, regionum, morum, ac temporum, aliarumque rerum varietatem, non poterat ubique, ac ſemper eſſe una, idcirco inventa eſt ſcientia quædam, ex qua dicere liceret quænam vivendi regula huic aut illi populo, uni aut alteri reipublicæ, his aut illis regnis, communitatibus, univerſitatibus, ac civitatibus, hoc aut illo tempore, his aut illis moribus vigentibus, eſſet opportuna, quæ ſcientia politica dicta eſt, quæ non aliud intendit, niſi per rectam legumlationem, populorum, regnorum ac rerum publicarum optimam

9 gubernationem, ut diu durent & augeantur, & ſic varias leges ponere docet, ita ut non reſpublicas ad leges, ſed leges ad reſpublicas accommodandas demonſtret, Ariſt. *lib.* 4. *Ethic. cap.* 2.

Præterea oportebat homines in communitate viventes, notum habere quid agere, quod prætermittere deberent, ut omnes ac ſinguli ad commune bonum conſpirarent; idcirco regulam illam, quam 10 diximus, & ſecundùm quam homines vivere debeant, notificari illis aliquo modo oportuit, & præcipuè in ſcriptis tradi, quæ deinceps lex ſcripta dicta eſt, niſi enim aut ſcriptis, aut alio modo notificaretur, ignorantia præſumi poterat, & homines ab eius obſervantia excuſari. Idcirco lex niſi vel ſcriptis promulgetur, vel conſuetudine introducatur, nullius valoris eſt, D. Th. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. abundè Suarez *de leg. lib.* 1. *cap.* 11. *per totum.*

Sed cum his omnibus lex, etiam iuxta præcepta 11 politicæ tradita, ſcripta, aut quovis modo promulgata, infirma, ac nullius valoris adhuc erat, quia Politicus ut talis, non habebat poteſtatem in homines, ut eos ad conditas à ſe leges ſervandas cogere poſſet, nam lata lex per ſemetipſam muta ac mortua permanebat, & quæ ab hominibus nullo negotio aſpernarentur, debuit igitur is leges ferre, qui in popu- 12 los plenam haberet poteſtatem præcipiendi, vetandi, permittendi, puniendi, & ſic ad ſummos tantùm Reges & Imperatores pertinere debuit condere le- 13 ges. Suarez *de leg. lib.* 3. *cap.* 5. & 9. hi enim vim conciliare poterant, ac robur legibus dare à Politicis, & Legumlatoribus, ſecundùm eorum ſcientiæ principia traditis. Oportuit igitur præter legem illam mutam, ac mortuam ex ſe, dari legem vivam, quæ haberet in homines poteſtatem, ut præceptis, minis ac vi illos ad latæ legis obſervantiam alliceret, invitaret, cogeret, ſi oporteret. Quia tamen, ut aliàs 14 diximus, actiones, circa quas iudicia verſantur, ſunt particulatim, & numero infinitæ, ipſa lex viva non poterat ad omnia ſufficere, idcirco debuit alios homines ſuæ ipſius poteſtatis participes facere, qui vicem ſuam gererent, & eſſent tanquam leges vivæ particulares, ad hæc aut illa iudiciorum genera delinatæ, & ſic à ſupremis Imperatoribus, Regibus, Potentatibus & Magiſtratibus creari oportuit præſides, prætores, iudices, & huiuſmodi alios miniſtros maiores, & minores, prout neceſſitas & varietas indiciorum exigebat.

Præter hæc omnia, cùm, ut iam dictum eſt, actiones eſſent particularium, & leges univerſaliter eſſent poſitæ, hinc alia difficultas inſurgebat; nam 15 cùm hæ actiones hominis, prout in communitate maximè vivit, eſſent ad alterum, nempe vel ad alium hominem, vel ad ipſam iuſtitiam, divinam fortè, aut humanam reſpicientes, quaſi de neceſſitate oportuit ſæpè ſæpius in iudicando contentionem excitari inter eas perſonas, quarum ſunt, & ad quas ſunt hominum actiones, dum univerſales regulas à legibus traditas particularibus his actionibus applicare contingebat; ea igitur de cauſa neceſſe fuit dari 16 artificioſam quandam, aut ſi libet ſic appellare, rationabilem facultatem, quæ ex eiuſdemmet legis latæ principiis, & ex eius recta intellectione, quandocunque de particularibus hominum actionibus iuxta univerſalem legis diſpoſitionem determinandum, ac pronunciandum à Judice eſſet, ipſa dubia & difficultates pro alterutra parte pullulantes amoveret, & ſententiam pro ſe à Judice expoſceret, & hæc fuit Juriſperitiæ (quam nunc vocant) facultas, ſic appellata, quod iam conſtitutarum legum & conditi Juris peritiam profiteatur: nam quicquid in contrarium aliqui dicant, nihil hæc facultas ultra rectam legis intellectionem ſibi pro fine proponit, ut eius verba univerſaliter prolata particularibus caſibus & difficultatibus, ſiquæ pullulent, applicare poſſit, illiſque

ex

ex eiuſdemmet legis verbis ſatisfaciendo. Neque ad eam facultatem pertinet latæ legis cauſam reddere, aut cur ſic; & non aliter ſit intelligenda, ſed ſufficit illi, ſi per unam legem alteri ſatisfaciat; unde ſi finis ab hac facultate intentus propalandus ſit, certè alius non eſt, niſi recta legis intellectio, quatenus ad particulares caſus decidendos inſervire debet, non quatenus ad publici boni cuſtodiam tendit.

SUMMARIUM.

2 *Legis nomen ad multa aptatur.*
2 *Lex propriè quid?*
3 *Lex propriſſimè quid?*
4 *Lex eſt quid omnino à ſcientia legali diſtinctum.*
5 *Lex divina opus eſt divinæ ſapientiæ; civilis, humanæ.*
6 *Politica parit leges, leges Juriſprudentiam.*
7 *Legis definitio ab Ulpiano tradita examinatur.*
8 *Juriſperitia propriè quid?*
9 *Juriſprudentia propriè dicta, neque divinarum, neq; humanarum rerum cauſas ut principia perſcrutatur.*
10 *Præter Juſtitiam legalem, alia eſt multò potior Juſtitia.*
11 *Legi latæ, vel quomodocunque conditæ correſpondet lex viva, politica politicus, Juriſperitia eius Profeſſores.*
12 *Differentia inter Politicum & Juriſperitum.*
13 *Philoſophia eſt ſcientia rerum naturalium.*
14 *Medicina à philoſophia diſtinguitur tanquam pars à toto.*
15 *Medicus non eſt, qui non eſt philoſophus.*

Vocum ac terminorum elucidatio.

QUÆSTIO VII.

NE igitur ex vocum ac terminorum, quæ in diſputatione occurrunt, confuſione & indiſtincta acceptione decipiamur, ipſæ voces ac termini declarandi, ac inter ſe diſtinguendi, ut ſciamus de quanam re verba fiant, & cuinam conveniant quæ proferuntur, nam aliquando Juriſperitiæ & legis nomina confundentes, legis propria Juriſperitiæ tribuimus, & medicinæ nomen indiſtinctè accipientes, quæ chirurgiæ, aut inferiori arti conveniunt, veræ medicinæ aptamus, & ſic de cæteris: qui error non modò Juriſperitos maximè exercuit, ſed etiam Medicos nonnullos, qui de hac materia ſcribentes, terminos diſtinguere aut neſcientes, aut negligentes, non undequaque ſuſceptam provinciam adimplevére, ſed ad obiectiones Juriſconſultorum non plenè ſatisfacientes, dubiam ſuam victoriam fecerunt.

1 A legis ergo nomine incipientes, patet illud ad multa aptari; omnis namque regula, ad quodcunque rectè peragendum, aut pronuntiandum, lex dici poteſt, atque hoc pacto omnes non modò ſcientiæ ac facultates, ſed etiam viliſſimæ quæque artes, immò etiam, ſi quæ extra omnem artem peragi, aut ad aliquem præmeditatum finem deduci poſtulant, ſuas habent leges. Sic Hipocrates noſter cùm demonſtrare vellet, quæ in Medico requirantur, qui bonus futurus ſit, legem conſtituit, nempe regulam, quâ id ordine traderet; unde non iniuriâ idem Hippocr. *in lib. de Genit.* dixit, Legem omnia ſibi ſubiicere, quia per legem, hoc eſt, per regulam
2 quandam omnia diriguntur, ſed per antonomaſiam, ac propriè lex vocatur regula humanorum actuum, à Deo, vel ab homine tradita, quæ ipſum ad verum ac ultimum finem, aut ad commune bonum dirigit. Licet propriſſimè, & per ſe illa tantùm regula dicatur lex, & vera lex, quæ hominem ad ſuum finem, ac verum ultimumq; bonum dirigit, nempe ad Deum, & hæc eſt lex divina, cuius participatione civilis regula, quæ eundem hominem ad commune & civile bonum inſtruit, lex vocatur.

Sciens autem, ac volens ſilentio prætetibo huius 3
nominis legis deductionem, præterquam quòd enim plura de ea re paſſim apud plures Doctores occurrunt, qui de legibus ſcripſerunt, videor mihi nonnulla in ſuperioribus quæſtionibus attuliſſe, quæ nunc ſufficiant.

Hic porrò per legem accipimus utramque regulam, ſecundùm quam homo, vel civilis perſona, vel ut ad ultimum ſuum finem deſtinatus, ex Dei 4
aut hominis præcepto vivere debet. Illud autem ex his certiſſimum ſit, legis nomen accipi debere, ut quid omninò à legali facultate diſtinctum, ac per ſe exiſtens, tanquam opus quoddam ab artifice relictum, quod licet ab arte proficiſcatur, & ſecundum artem ſit, non tamen ipſum ars eſt, ſeu artifex: nam lex divina opus eſt divinæ ſapientiæ, civilis 5
autem humanæ, nempe ſcientiæ politicæ, veluti ſtatua ſtatuariæ, & ſanitas medicinæ; & hoc pacto non aliter lex à legis peritia, & ab ipſa quoque politica diſtinguitur, quam ſtatua à ſtatuaria, & ſanitas à medicina. Unde conſtat neque artem eſſe legem, neque ſcientiam, ſed opus quoddam ſcientificum, aut artificiale politicæ facultatis, atque hac ratione ſemper hîc à nobis legis nomen accipiendum, contra quàm eveniat apud Juriſconſultos, & alios, apud quos perperam pro ipſa legali ſcientia, nempe Politica, aut, quod magis ab re eſt, pro ipſa Juriſperitia accipitur; cùm tamen lex à legumperitia, & legumperitia à politica, & politica à lege, non aliter differat, quàm ſtatua à ſtatuaria, & ſtatuaria à marmoraria, & marmoraria à ſtatua; aut non ſecus quàm differat figura depicta ab ipſa arte pingendi, & ars pingendi à coloraria, & coloraria ab ipſa figura delineata; nam ſcientia politicæ leges parit, leges autem Juriſperitiam.

Idem error, qui intervenit in legis nomine, locum 6
quoque habet in Juriſcientiæ, Juriſprudentiæ, legumperitiæ, & Juriſperitiæ nominibus. Accipiuntur enim omnia indiſtinctè & indiferentur ab ipſis Juriſconſultis; præcipuè pro duabus facultatibus inter ſe toto cœlo differentibus. Ac profectò non videtur ab eo errore immunis fuiſſe Vlpianus *in l. Juſtitia. ff. de Juſt. & Jur.* in qua encomium potius, quàm definitionem Juriſprudentiæ tradidit, dicens, *Juriſprudentia eſt divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque iniuſti ſcientia*; neque 7
conſtat quid verè definire voluerint, politicamne aut Juriſperitiam, nam neutri applicaries definitio poteſt; utrùm autem applicari poſſit politicæ, pro nunc determinare non curo. Quòd Juriſperitiæ aptari non poſſit, patet, ſi ea quæ *ſuperiori quæſtione* retulimus, in memoriam rediguntur; neque enim eſt notitia divinorum aut humanarum rerum, cùm ad eam non pertineat eas cognoſcere; neque eſt iuſti, aut iniuſti ſcientia, quia neque omne iuſtum, aut iniuſtum eſt ipſius ſubiectum, neque rem per cauſam cognoſcit, cùm tantùm facultas ſit, ut ex ſuperioribus patet, quæ ex recta legum intellectione 8
emergentes lites dirimere apud Judicem contendit, aut ſit facultas, quâ ſecundùm univerſalem legum diſpoſitionem particulares hominum actiones apud Judicem tuemur: nam quicquid novit, ex regulis & canonibus habet, per quos leges ſunt latæ, huiusmodi autem habitus dicitur propriè peritia, non ſcientia, ut optimè ſingillatim de Juriſperitia verba faciens demonſtrat ex noſtris Hieronym. Capivacc. *de differ. doctrin. c. 2. prope finem.* Neque hæc facultas, ut dixi, de divinarum aut humanarum rerum natura cauſas, aut principia perſcrutatur, neque item eſt iuſti, aut iniuſti ſcientia, cùm cauſam non reddat,

cur hoc sit iustum illud iniustum, nisi quòd sic à lege
dispositum invenit; quod verò secundum legem est,
iustum dicitur, iniustum, quod contra legem. Licet
10 præter iustitiam legalem, alia sit potior Justitia quæ-
dam, de qua aliàs ita ut Jurisprudentia præterquam
quòd non est modo accepta iusti aut iniusti scien-
tia, non omne iustum, aut iniustum pro subiecto
habeat, ut iam dixi.

Quemadmodum autem huiusmodi facultatum
& operum ab iis emanantium nomina inter se tanto-
pere differunt, sic etiam Professores inter se differre
11 tam certum est, quàm quod certissimum; nam legi
scriptæ vel alio modo latæ, operi nempe scientifico
à politica emananti, respondet lex viva ab æterno,
ac sapientissimo politico Deo emanans. Politicæ
facultati correspondent politici & legum condito-
res; Jurisperitiæ verò Juriſperiti. Unde cùm de
dignitate hominum, professorumque quicquam re-
quiritur, ad earumdem scientiarum, & facultatum,
ac scientifici operis adminiculum id erit statuendum
cum maximè interfit inter Politicum, & Juriscon-
sultum. Politicus quidem legem condit, quantum
12 ad ipsum spectat, in universali, Jurisconsultus con-
ditam legem particularibus hominum actionibus
accommodat. Politicus constituendo leges innititur
moralis philosophiæ principiis, eius nempe partis,
quæ activa dicitur, quorum principiorum virtute
varias leges condit pro populorum, civitatum, re-
gnorum exigentia, innovat pro hominum malitia,
abrogat pro de novo emergentium necessitate, mu-
tat pro temporis opportunitate. Jurisperitus nihil
horum agit, sed tantum in constitutarum legum recta
perceptione insistit, ut quàm maximè fieri potest,
secundum earum mentem & dispositionem, partic-
ularium casuum dicisionem à Judice reportet, ita
ut Politicus opus construat, Jurisconsultus cons-
tructo opere utatur, eo modo quo diximus.

13 Nomina quoque philosophiæ & medicinæ ve-
niunt distinguenda, nam philosophia quidem scien-
tia est rerum naturalium, cuius multæ sunt partes,
& quarum una medicina est, & maximè speculativa,
& licet realiter medicina à philosophia distinguatur,
tanquam pars à toto ita ut medicinam nominan-
tes, non intelligamus eam pro scientia omnium re-
rum naturalium, sed quarundam, nempe earum, quæ
14 ad humani corporis salutem tendunt & recuperan-
dam spectant, tamen medicinæ nomine partem non
factivam tantùm, sed speculativam quoque compte-
hendimus; & licet hoc quoque medicinæ nomine
abutamur, comprehendentes per illud quamlibet
medicinæ partem, etiam mecanicam & sordidam,
tamen hîc medicinam accipimus in vero & pro-
priissimo sensu, pro facultate scilicet, quâ res natura-
les considerantur in ordine ad sanitatem corporis
humani; hoc enim pacto non solùm philosophiæ
pars est, sed ipsissima philosophia. Quamobrem &
15 Medici nomen strictè hîc accipiendum, nempe pro
Medico, qui Philosophus est, cùm verè Medici nomi-
ne dignandus non sit, nisi idem sit Philosophus; &
licet pro Philosopho intelligamus illum, qui rerum
naturalium scientiam habet, etiamsi Medicus non sit,
pro Medico hîc maximè non intelligimus illum, qui
mederi novit, nisi sit Philosophus, sed eum, qui cum
scientia rerum naturalium coniunxit scientiam me-
dicinæ; hic enim Medicus propriè est, cæteri impro-
priè, & per abusum Medici nominari, atque hunc
quidem cum Jurisconsultis comparare intendimus,
nam solus ad causam venit, cæteris Medicis, vel po-
tius pseudomedicis omnino sedentibus. Atque hoc
pacto de nominibus, quæ in quæstionis processu
occurrere debent, sentiendum, quod non reclaman-
tibus Jurisconsultis factum volo; si quam enim diffi-
cultatem afferre in medium eos sensero, pro viribus
ei satisfacere conabor.

SUMMARIUM.

1 *Honor debetur virtuti, & cur?*
2 *Bonum unum altero maius, quando est magis excellens.*
3 *Bonum commune maius bono privato.*
4 *Bonum magis necessarium dicitur maius bono minùs ne-
cessario.*
5 *Bonum magis apetibile maius est, quàm bonum minùs appe-
tibile.*
6 *Illa virtus est aliis præferenda, quæ maioris boni est effectiva
primò & per se.*
7 *Sanitas bonum est animo & corpori commune.*
8 *Lex supra omnes virtutes, omnesque scientias est hono-
randa.*
9 *Deus tanquam lex viva supra omnia honorandus; deinde
homines qui magis immediatè ipsam primam legem vivam
repræsentent.*
10 *Philosophia politica anteponenda.*
11 *Totum est melius & excellentius suâ parte.*
12 *Pars continetur in toto.*
13 *Philosophus Politico præcedere debet.*
14 *Politica medicina an præferenda?*
15 *Politicus an debeat præcedere Medicum.*
16 *Jurisperitia longè abest à Philosophia dignitate.*
17 *Medicina Jurisperitia anteponenda.*
18 *Bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum.*
19 *Bonum emanans à medicina est magis necessarium ad con-
sequendam felicitatem, quàm bonum emanans à Jurispru-
dentia.*
20 *Bonum emanans à medicina est per se appetibile.*
21 *Jurisperitia non est boni intentio causa per se.*
22 *Medicus ut Medicus, Jurisconsulto anteponendus.*
23 *Bonum emanans à Jurisperitia, est bonum particulare.*
24 *Judex non exercet Justitiam ut Jurisconsultus, sed ut repra-
sentat legem vivam, eiusque potestatis factus est particip.*
25 *Anima est pretiosior corpore.*
26 *Illa scientia nobilior, quæ habet nobilius subiectum.*
27 *Finis legalis scientiæ est conservare bonum publicum.*
28 *Illa scientia est nobilior, per quam humana vita melius di-
sponitur.*
29 *Illa scientia est nobilior, per quam homo fit magis obediens
Deo.*
30 *Jurisprudentia est divinarum & humanarum rerum co-
gnitio.*
31 *Lex est donum Dei.*
32 *Medicus non est maioris valoris quàm obstetrix.*
33 *Scientia legalis est nobilior medicinâ, quia faciliori modo ac-
quiritur.*
34 *Illa scientia est nobilior, quæ parit nobiliorem effectum.*
35 *Per scientiam legalem illuminatur mundus.*
36 *Legalis scientia prodest universis.*
37 *Sacerdotes præferuntur laicis.*
38 *Doctores Iuris sunt tanquam sydera in cælo.*
39 *Omnes aliæ artes sunt vilissimæ respectu Jurisprudentiæ.*
40 *Facultas legalis dicitur thesaurus.*
41 *Doctoratus medicinæ conceditur judæis.*
42 *Notarius præfertur medico.*
43 *Doctor Iuris præfertur, apud leges, Doctori Medico.*
44 *Juristæ subroganntur loco Dei.*

Decidendæ quæstionis ratio ostenditur. Obiectis in contrarium respondetur.

QUÆSTIO VIII.

QUæstionis huiusce decidendæ rationem com-
monstrare, non ut Judici mihi licere expero,
ed ut ingenuo viro pro veritate ea in medium affe-
renti, quæ ad verum litis iudicium promulgandum
facient. Diximus ergo in huius tituli principio, hono-
rem deberi virtuti, ex eo quòd sit boni alicuius effe-
ctiva, ideircò enim virtus dicitur bonum honorabile.
Arist. *Magnorum mor. l. 1. c. 3.* unde cum omnes virtutes
non sint uno modo honorandæ, sed una alterâ magis
certè

certè illa magis honorari debebit, quæ maioris boni erit effectiva, D. Thom. 22.*quæſt.* 117.*artic.* 6.*in corp.*

2 circa quo notandum primò, quòd unum bonum tantò poteſt eſſe maius altero, quantò eſt magis excellens ſic bonum animi maius eſt bono corporis, & bonum divinum maius, quàm bonum civile, unde maius etiam bonum eſt, quod emanat ex vita contemplativa, quàm quod emanat ex activa. D. Th. 1. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. & 2. 2. *quæſt.* 134. *art.* 3. & *ibid. quæſt.* 153 *art.* 2. *ad.* 4. & ſic virtutes quæ ordinant in bonum divinum, quia eſt maius, hoc eſt, magis excellens, aliis virtutibus præferuntur, Divus Tom. *ubi ſupra, quæſt.* 117. *art.* 6.

3 Secundò, bonum, quod eſt magis commune, eſt maius, quàm quod eſt minùs commune? atque hoc pacto bonum civitatis maius eſt, quàm bonum particularis alicuius familiæ, & bonum totius familiæ maius eſt, quam bonum individui, & ſic inter virtutes Juſtitia. quæ ordinatur in bonum commune, honorabilior eſt quam liberalitas, quæ tendit ad ordinandum propriam alicuius individui actionem circa poſſeſſionem, & uſum pecuniarum. Divus Tom. *loco citato.*

4 Tertiò, unum bonum eſt maius altero, quando eſt magis neceſſarium ad maius aliquod, aut ſupremum bonum aſſequendum; atque hac ratione maius bonum eſt quod reſultat ex lege divina, quia magis neceſſarium ad conſequendum æternum bonum, quàm quod reſultat ex civili. Eodem quoque pacto maius bonum eſt quod reſultat ex iuſtitia, quàm quod ex temperantia, quia magis neceſſarium illud eſt ad ſalutem aſſequendam, quàm hoc; per bonum enim emanans à Juſtitia, aſſequitur omnes alias virtutes, non ſic autem ex bono, quod emanat ex temperantia.

5 Quartò, bonum quod eſt magis appetibile, eſt maius, quàm minùs appetibile; nam bonum maius, neceſſe eſt ut ſit magis deſideratum. Ariſtot. 12. *Metaph. tex.* 12. loquor autem de appetitu rationali, & ſic fœlicitas eſt maius bonum, quàm ſanitas, cùm enim fœlicitas contineat in ſe cærera omnia bona præſentis vitæ, magis apetibilis eſt, quàm ipſa ſit ſanitas; & ſic bonum ſimpliciter eſt maius, quàm bonum ſecundum quid.

6 Secundò, notandum quòd illa virtus eſt præferenda, quæ bonum à ſe emanans cauſat primò & per ſe, illi, quæ ſimile, aut par bonum cauſat non primò & per ſe ſed ex conſequenti: ut exempli gratiâ liberalitas, ita aſſerente D. Th. *ibid.* licet primò & per ſe tendat ad ordinandum liberalis propriam affectionem circa poſſeſſionem, & uſum pecuniarum, tamen ex conſequenti tendit etiam ad bonum commune; ſed Juſtitia tendit primò & per ſe ad bonum commune; erit ergo Juſtitia honorabilior, quàm liberalitas; quod eſt ſecundum verba D. Th. *loco cit.*

7 Tertiò notandum ſanitatem non eſſe tantùm bonum corporis, quàm animi: non ſolùm, inquam, quia animus mortaliter dicatur infirmus & ſanitate orbatus, cùm vitiis inquinatur, & tunc ſanitate frui, cùm vitiis caret, & ſecundum virtutem operatur, ſed quia phyſicè ipſa ſanitas corporis etiam animi ſanitas eſt, ex bona enim corporis diſpoſitione animus actiones ſuas faciliùs efficit bonas, & naturaliter bonas meliores, contrà autem ex mala ipſius corporis diſpoſitione ſuas actiones, quantum eſt ex hoc, non ex neceſſitate, pravas efficit & naturaliter pravas peiores. Præterquam quòd dantur etiam morbi quidam animi peculiares, quod eſt notiſſimum. Itaque medicina cùm proponit ſibi pro fine ſanitatem, non intendit ſolùm ſanitatem corporis, ſed etiam animi: & idcirco dixerim ego, ſubiectum medicinæ non eſſe corpus humanum, ut ſanabile, ſed hominem, ut ſanabilem, quia & animo, & corpori medetur, non minùs quàm moralis philoſophia, cum hac tantùm differentiâ, quod medicina animo ſanitatem procuret, per ſua inſtrumenta removendo impedimenta, quæ malos mores homini conciliare poſſunt, moralis autem Philoſophia introducendo habitus virtutis convenienti inſtitutione.

His prælibatis, videtur dicendum primò Lex licet neque virtus aliqua ſit, neque ſcientia, ſed opus quoddam intellectualis virtutis, & politicæ facultatis, ſi de civililo quantur, ſi de divina autem, opus ſit quoddam divinæ ſapientiæ, tamen ſupra omnes virtutes, omneſque ſcientias eſt honoranda. Nam bonum, quod emanat à lege, maximè divina, eſt quolibet alio bono magis excellens, quia eſt divinum & æternum; eſt item magis commune, cùm lex propriè reſpiciat & cauſet bonum commune; eſt etiam magis neceſſarium, quia abſque lege nihil boni adipiſci licet; nam privatio legis divinæ privat homines acquiſitione boni divini, & privatio legis civilis privat homines bono communi & civili, ad cuius acquiſitionem ipſa lex ſupra omnia eſt neceſſaria; & propter hæc omnia, bonum emanans à lege, eſt etiam magis appetibile: quod bonum ipſa lex cauſat per ſe & immediatè, non ex conſequenti, aut per aliud. Eſt ergo magis honoranda, quàm cætera omnia. Quibus alia adiungitur ratio, cur lex ſupra omnia honorari debeat, & eſt quia neceſſe eſt illam dominari, nihil enim adeò, ut leges rectè poſitæ in civitate, dominari debet. Ariſtot. *lib.* 3. *Polit. cap.* 7. Quæ autem dominantur præcedere ea, ex Platone, debent, quibus dominantur. Quòd ſi optimi homines cæteris præire debent, ut ex eodem Platone aliàs dixi, certè leges, quia multo magis, quàm optimi homines conducunt Card. *lib.* 5. *de Sapient. tranſ. med.* præ omnibus honorandæ; unde rectè à Pindaro lex vocata eſt hominum Deorumque Regina, *l. Nam & Demoſthenes ff. de Leg.* Plutarch. *de doctor.* Cælius Rhod. *lib.* 18. *cap.* 19. 8

Quod verò de lege muta diximus, multò magis locum habet in lege viva, ac primò & principaliter in Deo, qui vera lex eſt, veruſque Legislator; Deus enim ſupra omnia ita eſt honorandus, ut illi in honore non ſolùm nullares, aut creatura præire debeat, quantacuque ſit, ſed neque ullo modo comparari. Secundò habet locum hæc concluſio in omnibus ſupremis potentatibus, qui legem vivam, ipſum nempe Deum repræſentant immediate, ut Pontifices ſummi ac ſupremi Reges, & qui ab aliis creaturis independentem poteſtatem habent. Tertiò habet locum etiam in minoribus Principibus & Potentatibus, quia à Deo quidem mediatè, à ſummis Potentatibus immediatè dependent. Quartò ſe extendit etiam ad quaſcunque perſonas, quæ legem vivam aliquo modo repræſentant, nempe ad eos, qui à ſuperioribus Potentatibus aut Principibus ad iudicia impartienda cæteris hominibus deſtinantur, participes facti eiuſdem poteſtatis, quam ipſa lex viva ſortitur; hinc enim omnes vivæ legis loco colendi, atque in honore cæteris perſonis præire debent, facta diſtinctione inter ipſos, ſecundùm eorum dignitates & gradus, ut patet. 9

Secundò videtur dicendum, quòd comparatis ſcientiis & facultatibus inter ſe, primo loco Theologiæ tributo, philoſophiâ cum politica deinceps comparatâ, abſque dubio philoſophia ſecundum locum à theologia teneat, & politicæ præferatur. Quod non ſolùm procedit, ſi univerſam philoſophiæ ſcientiam, 10

tanquam totum quid accipias, continens ſub ſe varias partes, & inter eas politicam, in qua te non eſt dubium, quia totum eſt melius & excellentius ſuâ parte; nam totum eſt perfectum, cùm illi nihil deſit, 11 Ariſtot. *lib. 3. Phyſic. textu 63. & ſequenti*, & pars continetur in toto *l. in toto ff. de Reg. Iur.* unde ſi quid habet boni ipſa pars, hoc ipſum habet & totum, ſed 12 procedit etiam, ſi diviſim eas ſcientias accipias, ac ſingulas tanquam unum totum per ſe, ſegregatâ à philoſopia ipſa politica, quia philoſophiæ bonum eſt magis excellens, eſt enim ſecundùm maiorem ſui partem ſcientia ſpeculativa, conducens nos ad veritatis cognitionem & ad aſſecutionem fœlicitatis; quin etiam & ad acquiſitionem quarumcunq; virtutum moralium, ut de quacunque ſcientia ſpeculativa dicit ex Alexandro Averr. *in Prol. 1. l. Phyſic.* Politica autem eſt ſcientia practica, & conſiſtit in operatione; deinde abſtrahendo politicam à reliqua philoſophia 13 morali, certè, reliqua moralis in eo excellentior eſt, quòd hominem multo meliùs ad omnem virtutem inſtruat, quod non facit politica, quæ tamen in eo quod reſpicit bonum commune, anteferri digna eſt: ſed eodem modo ſi Philoſophum cum Politico comparare libet extra communitatem ſumpto, vel in communitate, in qua Politicus actu regimini non ſit deſtinatus philoſophus debet præcedere, non tantùm quia & ipſe Politicus eſt, & poteſt quandocunque etiam ipſe regimini invigilare, immò & leges tradere cùm videamus legis latores omnes ſummos Philoſophos fuiſſe, ut alias dixi, ſed etiam, quia poteſt multò maioris boni Philoſophus cauſa eſſe, docendo populos viam virtutis, & veritatis inveſtigationem, viâque ad inveniendam veram felicitatem. Cùm autem Politicus præeſt, tunc Philoſophum cedere neceſſe eſt ob rationes alias allatas.

Tertiò videtur dicendum, quòd comparata poli- 14 tica, & medicina ab ipſa philoſophia abſtracta inter ſe, Politica ſit præferenda. Ratio eſt, primò quia politica habet pro fine bonum commune prout tale, & ſub ratione univerſalitatis; medicina autem quanquam aliquo modo poteſt dici habere pro fine bonum univerſale, non habet illud ſub eadem ratione, nec ut tale, ſed ut particulare. Neque valet contra hoc, quod obiicit Peregrin. *adverſ. Med. Calumn. pag.* 175. quòd etiam medicina bonum publicum pro fine habeat, & ut tale reſpiciat, curando, exempli gratiâ, Reges, Imperatores, Pontifices, perſonas publicas, patres familias, (addamus & nos integras civitates & provincias, ut quando eas à peſte, epidemiciſque morbis liberat, aut præſervat) quarum incolumitas in bonum univerſale redundat, quia hoc eſt per accidens; per ſe enim Medicus habet pro fine particulare huius aut illius bonum, nempe ſanitatem, per accidens autem fit, ut ſanitas huius, aut illius redundet in bonum publicum. Magis afficeret illud quod diximus de liberatione civitatum & provinciarum à peſte, aut alio quopiam morbo epidemico, quia verè tunc Medicus habet pro fine bonum publicum.

Secundò, quia bonum emanans ex politica, quæ eſt regnorum ac civitatum recta gubernadi ratio per optimarum legum poſitionem, eſt magis neceſſarium ad conſequendum commune bonum, quàm bonum emanans ex medicina; non autem ex eo quòd politica conſtituendo leges, animos curet, medicina autem corpora, quia & ipſa medicina non ſolùm animos curat, ſed multò magis corpora; verùm medicina particularem curam perficit, politica univerſalem animorum inſtitutionem reſpicit, in iis quæ ad leges ſpectant & civili homini conveniunt.

Sed quod de politica & medicina diximus; dubium eſt, an locum habeat inter Politicum & Medi- 15
cum. Ratio eſt, quia Politicus non immediata cauſa eſt boni communis ex legumlatione emanantis, quia quantumvis Politicus leges conſtituat, nullum illæ ſortiuntur vigorem, neque ullum bonum ex illis emanare poteſt, niſi illis à Rege, Imperatore, aut Pontifice vis legis concilietur; nam lex quidem non Politici, ſed Principis, opus eſt, Plutarch. *de doctr. Princ.* Suarez *de Leg. lib. 3. cap. 4.* apud quem *capite* etiam 9. videnda permulta ad hanc rem facientia. Cùm ergo Politicus non primò & per ſe cauſet bonum commune, certè in hoc Medico cedit, qui per ſe primò, & principaliter cauſat in homine animi & corporis ſanitatem, quantum artis potentia ſeſe extendit: unde eſt, quòd Medicus dogmata medica, & alia permulta in medicina mutare poteſt pro oblata occaſione; at Politicus, & multo minùs Juriſconſultus, leges mutare non poteſt. Auguſtin. Barboſ. *in Collectanea Doctor. Tom. 2. tit. 7. cap. 5. num. 2.* ex noſtris Roderic. à Caſtr. *in Medico Politico, lib. 1. cap. 12.*

Quartò videtur dicendum, quòd comparatâ Ju- 16
riſperitiâ cùm philoſophia (memor ſemper, quomodo acipienda ſit Juriſperitia) longè abſit illa à philoſophiæ dignitate, tum quia à philoſophia emanat bonum magis excellens, magis univerſale, magis neceſſarium ad maioris boni aſſecutionem, magis item appetibile, tum etiam quia philoſophiæ bonum cauſatur ab illa per ſe, primò, & non per aliud, neque ex conſequenti, quæ omnia patent ex ſuperioribus; nec quenquam credo poſſe hoc controvertere, quia dato etiam quòd Juriſperitia & politica ſunt unum quid (quod longè à vero abeſt, ut probavimus) tamen erit hoc etiam pacto Juriſperitia philoſophiâ inferior, ut de politica probavi, non ſolùm quia erit pars, cùm philoſophia ſit totum, ſed quia quicquid poteſt politica, poteſt etiam philoſophia.

Quintò videtur dicendum, quod comparatâ ea- 17
dem Juriſperitiâ, nempe quæ propriè Juriſperitia dicitur, cum medicina ipſa medicina, ſit præferenda: Primò, quia bonum emanans à medicina eſt magis excellens, quàm quod emanat à Juriſperitia. Quia bonum quod à medicina procedit, multò magis reſpicit veram fœlicitatem, quam bonum quod procedit ex Juriſperitia: à medicina enim emanat ſanitas, quam ad fœlicitatem magis conferre non eſt dubium, & maximè cùm ab ea procedat ſanitas animi & corporis. De ſanitate autem animi non eſt dubium, quòd eſt bonum magis excellens, quàm alia quæcunque bona hominis propria. De ſanitate verò 18
corporis patet, quia bonum corporis præmi net bono exteriorum rerum. D. Th. 2. 2. *quæſt.* 117. *art.* 6. Juriſperitia ergo tuetur quantum eſt ex ſe (nam in cauſando aliquod bonum, ſive particulare, ſive univerſale, non eſt in cenſu alicuius generis cauſæ, niſi fortè impulſivæ) bona exteriora, nempe divitia; Ergo medicina, quę tuetur ſanitatem, quæ eſt bonum corporis, dicitur cauſare maius bonum. Quod verò medicina cauſet etiam animi ſanitatem, abundè poſt Galenum *lib. de cognoſc. curand. Anim. morb.* & *lib. 1. de ſan. tuend. c.* 8. probatum eſt à pleriſque Medicis, & ſignanter à Daniel. Vlierd. *libell. adhanc rem. dicat.* Goynæus *tractat. Quòd Med. Iuriſperit. præced.* Canonher. *in proleg. ad Aphor. Hipp. pag.* 11. *verſ. Medici non ſolùm*, & ex Juriſconſultis Tiraq. *de Nobil. c.* 31. *n.* Carrar. *de Med. part. 1. n.* 55 *& alij.*

Secundò, quia bonum emanans à medicina, eſt magis neceſſarium ad conſequendam fœlicitatem, quàm

quam bonum emanans à Juriſperitia ; quia ſanitas præ omnibus exterioribus bonis eſt ad fœlicitatem conſequendam neceſſaria , & ob hoc , divitiæ ad ſanitatem ordinantur , non ſanitas ad divitias D. Th. 1. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. *ad* 1.

20 Tertio, quia bonum emanans à medicina eſt appetibile per ſe , magis ergo appetibile , quam bonum emanans à Juriſperitia , quod eſt appetibile in ordine ad alia , non per ſe : nam divitiæ per ſe bonæ non ſunt , ſed quatenus per ipſas ut voluptates , aut ſanitatem , aut honores , aut aliud quodcumque bonum conſequimur. Cum ergo artificiales divitiæ , quæ maximè ſunt materia circa quam verſatur Juriſperitia , ordinentur ad naturales , & naturales ad hominis ſuſtentationem, certum eſt , non eſſe quid appetibile per ſe , ut optimè explicat D. Th. *ubi ſupra. art.* 1.

21 Quarto , quia Juriſperitia non eſt cauſa boni intenti per ſe , immo neque eſt ejus boni ullo modo cauſa niſi per accidens ; medicina vero cauſat bonum intentum per ſe. Nam per ſe quidem medicina introducit , aut conſervat ſanitatem. Juriſperiti non per ſe conſervant divitias clientis, hoc enim ad Juſtitiam ſpectat , quæ reddit unicuique ſuum , Juſtitia autem à Judice adminiſtratur tanquam lex viva , aut habens poteſtatem à lege viva , & ejus vicem repræſentans ; quamobrem non facit hoc ut Juriſconſultus , quia etiamſi non ſit Juriſconſultus, Juſtitiam adminiſtrat , ſi legis vivæ poteſtatem habeat. Cum ergo bonum emanans à medicina tantopere exuperet bonum emanans à Iuriſperitia , in excellentia , in neceſſitate , in appetibile,& præter hæc cauſet bonum intentum immediate & per ſe , Juriſperitia autem bonum à ſe intentum cauſet per aliud , patet quod medicina Juriſperitiæ debeat omnino præferri : quod non ſolum procedit , ut vult Leonell. *de Præced. Homin. quæſtion. nona , artic.* 9. & 11. quatenus medicina continet contemplativam , ſed etiam quatenus eſt factiva , ob prædictas rationes.

23 Ex quibus videtur dicendum ſexto , quod Medicus , ut Medicus , non ut Philoſophus (nam de hoc ex ſuperioribus non eſt dubitandum) Juriſperitum præcedere debeat , quia Medicus maioris boni cauſa eſt in communitate , quàm Juriſconſultus , ut ex dictis patet ; procurat enim Medicus , & introducit ac parit , quantum ſeſe ſua facultas extendit , populorum & hominum ſanitatem per ſe , Juriſperitus autem nullum bonum in communitate cauſat , per ſe & immediate , ſed tantum per alium , & mediatè, immo vix dici poteſt ullo modo cauſa eſſe boni , quod intendi à ſua facultate exiſtimat , ſi rectè , & animi paſſione quacunque remotâ , rei natura penderetur. Sed Juriſperiti putant ex eo quod à judice dependet Juſtitia , & Juriſperiti in Judices conſtituuntur , Iuſtitiam à Juriſperitia dependere , quod falſum eſſe , ſatis ſuperque per ea quæ attulimus oſtenditur. Ac certè ſi exemplo per eos uti mihi in hoc liceat, facilius hoc ipſum demonſtrabo. Afferam autem illud ſeplaſiarii & Medici : nam ſeplaſiarius herbas, radices, aliaque ſimplicia colligit , ex quibus Medicus, relictis quæ ad rem ſuam non faciunt , & medicamentis compoſitis , eiſque infirmo oblatis ſanitatem amiſſam recuperat. Eodem modo Juriſperitus ex conſtitutis legibus ſeligit ea, quæ ad particularem aliquam hominis actionem tuendam apud Judicem ſunt apta , ipſique Iudici anteponit , tam Judex rejectis quæ ad rem non faciunt , ſecundum ea quæ ad rem faciunt Juſtitiam exequitur. Quemadmodum ergo ad ſanitatem cauſandam parum quid operatur ſeplaſiarius , immo nihil , & maximè cum herbas colligit , quæ ad medicamenta componenda non ſunt aptæ , & ſi quid operatur, tantum mediatè & per accidens , non immediatè , & per ſe , ſi profecto Juriſperitus in exercendo actus Juſtitiæ , nihil omnino per ſe,& primario , ſed per alium & ſecundario operatur , neque ullo modo dici poteſt cauſare Juſtitiam.

Sed dices nonne ad rempublicam , & ad bonum commune ſpectat , ut ſuum unicuique tribuatur ? at hoc ſibi pro fine proponit Juriſperitia , quomodo ergo negabimus , eam non intendere bonum commune ; Si ergo intendit bonum commune, præferenda medicinæ eſt , quæ intendit bonum particulare. At ego falſum eſſe reſpondeo , quod Juriſperitia intendat, ut ſuum unicuique, nempe omnibus hominibus tribuatur , quia intendit tantum , ut ſuum tribuatur (imo etiam quod ſuum non eſt) 23
huic , aut illi perſonæ , unde dato quod aliquod bonum ex ea emanet , non minus particulare eſt hoc , quam bonum emanans à medicina ; quia Jurisperitia tueri ſtudet famam , vitam , divitias particularium hominum , nam judicia ſunt de particularibus hominum actionibus. Oportere autem Juriſperitiam intendere ut ſuum non magis huic : quam illi tribuatur , ſed cui debetur ; hoc autem ad Judicem ſpectat , non enim magis uni , quam alteri favet, ſed indifferenter omnibus. Juriſperitia vero difficulter ſe ſalvare poteſt, quin ſimul & ſemel,& pro Juſtitia, & contra Juſtitiam defatigetur.

Et ſi de novo inſtes , quod Judices ſunt ipſi Juriſconſulti , unde patet Juriſconſultos exercere Juſtitiam,& per ſe eſſe cauſam communis boni in communitate , jam ego ſuperius reſpondi , Iudicem non exercere Iuſtitiam , ut Juriſconſultus eſt , ſed ut lex viva habens poteſtatem à ſuperiori Domino ; nam & abſque eo quod quis ſit Juriſconſultus , poteſt repræſentare legem vivam , & juſtitiam exercere , ſi à ſuperiori principe ad hoc delegetur , ut indies videmus in electione Proregum & præſidum provinciarum , aliorumque majorum Officialium qui aut non ſunt Juriſconſulti , aut per acceidens non quod de neceſſitate ad Juſtitiam miniſtrandam Iuriſconſulti eſſe debeant. Itaque Iudex , ut Iudex , non ut Juriſconſultus Iuſtitiam adminiſtrat.

Sed remanet tandem ſatisfaciendum nonnullis argumentis , à Juriſconſultis in ſui defenſionem allatis,quibus etiamſi pleniſſimè ſatisfecerint plerique Medici , tamen & ipſe ab hoc non deſiſtam,ne mancus , in parte fuiſſe videar : Illud tamen ante omnia præmonebo argumenta Juriſconſultorum , prout ab ipſis afferuntur , nullis omnino mutatis verbis , me allaturum , quod ideo dico , ne lector animadvertens terminorum varietatem & concluſionum fallaciam , eum mihi vitio vertat ; illi enim vix ex multis unum , aut alterum argumentum in forma probabili norunt afferre ; deſumam autem eorum formam à Cauſanneo , & Tiraquello. Primum ergo 25
eſt hoc Anima eſt pretioſior corpore & ſemper eſt, præferenda,ſed legalis cenſura eſt medicina animæ , & curat animam , ſic ſcientia legalis ; ſed medicina curat quandoque corpus ægrotum ; non ſemper, ergo ſcientia legalis eſt nobilior medicina. Extendit deinde argumentum etiam ad philoſophiam , quia licet philoſophia naturalis tendat ad cognitionem rerum & ad quandam fœlicitatem cognoſcendi, non tamen tendit ad beatitudinem animæ. Ergo, &c. Ad hoc argumentum ſatisfaciendum primo concedendo maiorem, animam nempe eſſe pretioſiorem corpore ;

ſed minor negatur, nam ſi per ſcientiam, aut cenſuram legalem accipias politicam, non eſt verum, quod ſit medicina animæ, quia ipſa non habet pro fine animæ ſanitatem ſed bonum commune, ponendo leges, quæ maximè facient ad boni communis aſſecutionem & tutelam, imò ſcientia legalis, & ipſa etiam lex civilis impotens atque inefficax eſt ad mores dirigendos. Suarez *de Leg. lib. tertio, cap.* 11. *n.* 8. & quod Plato dixit *libro ſexto, de Leg. tranſ. med.* Leges verſari circa animum bonis moribus imbuendum, intelligendum eſt de iis moribus, qui conveniunt homini civili, & qui faciunt ad boni communis conſervationem, non de iis, qui verè faciunt ad animæ beatitudinem. Quòd ſi dicas, hoc intelligi de ſcientia legali canonica, tunc ad utrumque ſenſum reſpondeo, quòd hoc non verificatur de ſcientia legali, ſed de lege; nam lex quidem, & maximè canonica eſt medicina animæ, modò ſcientia legalis à lege quantum differat oſtendimus. Anima autem virtutibus imbuitur, & ſana efficitur, exuperatis vitiis ex philoſophia morali; ex qua etiam docemur parere legibus: nam leges non inſtruunt homines ad omnes virtutes, ſed ad aliquas, moralis philoſophia ad omnes: unde videndum quàm audacter Caſſanæus extendat argumentum ſuum etiam ad philoſophiam; ridiculum enim eſt, aptare ſcientiæ legali, quæ quid ſit, ipſe non declarat, morum inſtructionem, & virtutum aſſecutionem, & eam adimere philoſophiæ morali; ſed is ignarus fortè erat eorum, quæ illa docet. Sed ulteriùs cùm argumentum procedere utcunque poſſit (quod detur per nos) in ſcientia legali accepta pro politica, ſeu ſcientia inſtruente hominem ad rectam legulationem, quid hoc ad Juriſperitiam? Quonam pacto Juriſperitia, quæ non aliud eſt, ut toties dixi, niſi facultas quædam, quâ juxta legum univerſalem diſpoſitionem patticulares hominum actiones tueri apud Judicem contendimus, eſt medicina animæ? quid Juriſperitiæ cum anima? ne per ſomnium quidem quicquam ad animæ ſalutem ſpectans habetur à Juriſperitia: ſed Caſſanæus, qui neſcio quàm bonus Logicus eſſet, terminos confundens eorumque naturam ignorans, deducit quicquid vult ex præmiſſis, quod quàm benè illi ſuccedat, videant qui in logicalibus ſunt magis verſati, quàm ipſe ſit.

26 Secundum argumentum eſt. Illa ſcientia dicitur honorabilior alterâ, cujus ſubjectum eſt honorabilius. Sed ſubjectum legis eſt Iuſtitia, & juſtitia eſt maior omnium aliarum virtutum. Ergo ſcientia legalis eſt nobilior artibus & medicinâ. Cujus argumenti maiorem propoſitionem libenter admittimus, majorem non negamus, concluſio declaratione indiget; nam quæ eſt hæc ſcientia legalis? Dummodò autem illam pro Juriſperitia non accipias, concedo totum argumentum. Adverte tamen Caſſanæe, te terminos etiam in hoc argumento confundere: nam quod in minori prædicatur de lege, in concluſione prædicant de ſcientia legali: millies autem dixi, legem eſſe diverſum quid à ſcientia legali. Utrùm autem legalis ſcientia habeat pro ſubiecto Juſtitiam, & quam Juſtitiam, prætermitto pro nunc diſcutere, cùm ſatis de hoc diſſeruerim ſuperiùs.

Tertium argumentum. Finis legalis ſcientiæ eſt
27 conſervare Rempublicam. Sed ad hunc finem non tendunt artes & medicina. Sed jam ad hoc argumentum patet reſponſio: nam legalis ſcientia, quæ habet pro fine conſervationem reipublicæ non eſt Juriſperitia; & quod addit Caſſanæus, civitatem non poſſe ſtare ſine Juriſperitia, falſum eſt: nam civitas non poteſt ſtare ſine lege, & ſine Judice, qui legis vivæ locum tenet, ſed Judicem non eſſe de neceſſitate Juriſperitum, jam probavi.

Quartum argumentum. Illa ſcientia eſt nobilior 28
perquam humana vita melius diſponitur: ſed per cenſuram legalem melius diſponitur humana vita, nam per leges homo homini prohibetur inſidiari, &c. Ergo. Mi Caſſanæe, vide, temet ipſum confundis, dum leges, ſcientiam legalem, cenſuram legalem, Juriſperitiam, Juriſperitum, politicam pro una eademque re accipis. Et ego iterum iterumque monebo hæc inter ſe differre. Ad argumentum igitur concedam majorem, minorem non nego, nam cenſuram legalem pro legibus videris accipere. Sed ſi inde inferre contendis Juriſperitiam eſſe nobiliorem medicinâ, malè audies apud Logicos; cum Juriſperitia non ſit lex, nec ſcientia legalis, eo modo quo ſcientiam legalem in præmiſſis accepiſti.

Quintum argumentum. Illa ſcientia eſt nobilior 29
alterâ, per quam homo fit magis obediens Deo & magis ipſi Deo conjungitur. Sed per legem nos efficimur virtuoſi, jungimur Deo, & ſumus filij ipſius Dei, &c. ſed per medicinam in nihilo Deo conjungimur, &c. igitur, &c. Videte Doctores mei, qui hæc argumenta in medium affertis, niſi antea in Logicis tantiſper vos exerceatis, ut ſaltem diſcatis terminorum varietatem in argumentis, difficile eſt vobis ſatisfacere. Dico tamen maiorem continere falſitatem, quia nequaquam verum eſt, quod per ſcientiam legalem fiamus Deo obedientes, ſed per leges, ut in minori; at per leges non magis fit obediens Deo nec magis ipſi Deo conjungitur Iuriſperitus, quam quivis alius homo. Sed vellem vos concluſionem per extenſum deduxiſſe; ſic ergo Iuriſperitia eſt nobilior medicina nam tunc etiam conceſſa majori, & minori negabimus conſequentiam, ob termini varietatem in præmiſſis & concluſione.

Sextum argumentum. Lex eſt humanarum re- 30
rum & divinarum cognitio, & medicina eſt tantum cognitio rerum naturalium & humanarum. Ergo excellentior eſt legalis ſcientia. Alias dixi, legem non eſſe cognitionem ullius rei, ſed eſſe opus quoddam ſcientificum; oportebat ergo dicere, quod ſcientia legalis eſt humanarum, & divinarum rerum cognitio, quod nullo modo eſt verum, ſed tranſeat. Ad concluſionem dico, non eſſe bonam, ſi de Iuriſperitia intelligatur, ſi de politica dicatur, tranſeat, ne moroſus videar.

Septimum argumentum. Lex eſt donum Dei, ut 31
medicina eſt inventa ab homine; ex quo ſequitur quod magis eſt honorandus Legiſta, quam Medicus. Diſcant Logici hanc argumentandi formam. Reſpondeo, concedendo primam antecedentis partem, negando ſecundam; vel ſi mavis, concedendo totũ antecedens, & negando quod inde ſequitur, nam termini variantur; cum ſi lex eſt donum Dei, non ſequatur Iuriſtam eſſe Dei donum, ergo non potes à lege transferre argumentum ad Legiſtam.

Octavum argumentum. Medici non ſunt majoris 32
valoris, quam obſtetrices, ex Gloſſ. *in cap. non ſane* 14. *q.* 4. *verbo Medicus*. Quid ergo hinc colligitis vos Doctores mei honorandi, Credo reſponſuros, quod cum Legiſta ſit magni valoris, debeat præcedere Medicum. Sed hoc non procedit niſi antea proberis Legiſtam eſſe majoris valoris, quam ſit Medicus; nam poteſt Legiſta, ſi Medicus non eſt maioris valoris quam obſtetrix, eſſe etiam minoris valoris, ſic non præcedit Medicum. Hoc tamen dictum veſtra gloſſa probatis, quod quam æquum ſit,

vos qui Juſtitiæ moderatores voſmet ipſos facitis, videte.

33 Nonum argumentum: Faciliori modo acquiritur ſcientia legalis, quam artis, aut medicinæ. Ergo videtur dignior. Sed nunc de modis, ac methodis doctrinarum vobiſcum diſputare non vacat. Si ex eo tamen quod faciliori modo acquiritur ſcientia legalis quam pro Juriſperitia accipitis, vultis eſſe ſuperiorem medicina & Philoſophia, quæ demonſtratione habentur: jam complures artes erunt nobiliores Juriſperitia, quia faciliori modo traduntur. Sed advertite, modum, per quem habetur Juriſperitia eſſe per regulas quaſdam, & canones ab ipſa lege traditas, qui habitus peritia dicitur, non ſcientia; apud eos qui ſcientiam à peritia diſtinguere norunt modo tantum eminet modus acquirendi Medicinam à modo acquirendi Juriſperitiam, quantum eminet habitus ſcientiæ habitui peritiæ.

34 Decimum argumentum. Illa ſcientia eſt alia excellentior, cujus finis excellentiorem producit effectum. Sed peritus in cenſura legali efficitur parens Imperatoris, & alij plures effectus emanant à ſcientia legali in legisperitos, qui nequaquam emanant à medicina in Medicos. Ergo. Si inter ea quæ per accidens & ea quæ ex rei natura ſunt, ullam noviſtis ponere differentiam, Doctores mei, Barbatia, Caſſanæe, & Tiraq. videretis argumenti veſtri energiam; ſed apud vos forte non diſtinguitur id quod per accidens eſt ab eo quod eſt ex rei natura. Hoc reſpondeo, dato quod cum effectu illico atque, Juriſperitiæ Doctoratum aſſequimini. Parentes, imo Proavi Imperatoris evaderetis. Sed unum ex hoc, Deus bone, quod Imperator Ulpianum vocaverint Parentem ſuum, id deduci vultis, quod omnes Doctores legum ſint Imperatoris parentes! Si his argumentis nobiſcum Juriſperiti pugnatis abſque dubio nos conficitis.

35 Undecimum argumentum. Illa ſcientia eſt nobilior, cujus ſplendore illuminatur univerſus orbis. Sed per ſcientiam legalem illuminatur mundus. Ergo. Sed quæ eſt iſta illuminatio mundi, quæ procedit à legiſperitia; niſi clarioribus terminis utamini, ego quidem quid reſpondeam non habeo. Illuminari mundum dixerim aliqua ſcientia præ qualibet alia, per quam aut veritas, aut felicitas acquiri communiter poteſt; ſed hæc ſcientia, legalis ſcientia non eſt & multo minus Juriſperitia, per quam neque ullam rerum veritatem, neque ullam fœlicitatem mundus adipiſcitur.

36 Duodecimum argumentum. Legalis ſcientia prodeſt univerſis, quia bonos invitat ad præmium, & malos prohibet à malo. Sed Medicina non prodeſt niſi ægrotis. Ergo melior, & honorabilior eſt ſcientia legalis. Ego jam probavi, Juſtum non indigere lege, ſcripta ſaltem, & ſanos lege indigere medicina. Nunc reſponde mihi Barbatia, ſive Caſſanæe, quomodo ſanus vivis? nonne hoc, aut illo modo vivendo, hæc omittendo, illa exequendo; At hoc eſt medicina egere. Num caput concutis num id inficiaris? Fac quæ omittere ſoles, omitte quæ facis, ambula ſub ſole, relinque omnino exercitium, omne imple te quantum potes cibis & potibus vel ſi mavis vere Medico non indigeres, decem totos dies à cibis abſtine, tum experieris an medicina egeas, etiamſi ſanus ſis, necne. At quod Chriſtus Dominus dixit non egere ſanos Medico, de Medico curante intelligendum, non de præſervante, ut ex Divo Thoma aliàs dixi. Sed quid tu tam prompte pronuntias, Juriſperitiam cunctis prodeſſe, medicinam perpaucis? Cur antequam id pronuntiares, non conſideraſti hominem antequam ſit, poſtquam eſt conceptus, illico, atque eſt in lucem editus, dum vivit, & poſt mortem quoque medicina egere? Num ignoras plura medicinam machinari, ut homo concipiatur, ut conceptus in utero angeſcat, ut auctus in lucem exeat, ut editus in lucem longo tempore ſanus vivat, ut vita functus ſaltem ejus reliquiæ diutiſſimè à corruptione immunes ſerventur? Quod nam genus hominum, quam ætatem, in qua regione, quo tempore obſervaſti medicinæ ope interdum, imo ſemper non iuvari? Sed id ingenuè mihi fatearis neceſſe eſt: quodnam genus hominum alterius ope indiget, Medicorumne, an Juriſperitorum? an me hoc cælare animum inducis? ego tibi id igitur patefaciam. Medicus Juriſperito raro, & ſolum ut civilis homo indiget, Juriſperitus Medico indiget ut homo & ut Juriſperitus; nam quoties in Judiciis exercendis Medici operâ uti veſtræ ipſæ leges coguntur & ipſi, Hoc manifeſtè ipſo facto patet, & notant ex Medicis Langius *l.* 3. *Epiſtol.* 6. Codronc. *in præfat. method. teſtif.* Fortun. Fidel. *in prin. Relat. Med.* Roder. à Caſt. *in Med. Polit. lib.* 1. *c.* 12. Canonher *in proleg. ad Hip. Aph. pag.* 10. & ex Juriſconſ. Carrar. *de Med. & ejus officio, in præf.*

Decimumtertium argumentum, Sacerdotes præferuntur Laicis, ſed Doctores legum dicuntur Sacerdotes. Ergo Doctores legum præferuntur Doctoribus artium, & medicinæ. Saltem probaſſes primo, Caſſanæe, Medicos non eſſe Sacerdotes, 37
aut non dici Sacerdotes: nam ego apud Ægyptios invenio Medicos fuiſſe Sacerdotes, de qua re meminit ex Medicis Langius *lib.* 2. *Epiſtol.* 3. & ex Juriſconſultis Tiraquell. *de Nob. cap.* 31. *num.* 292. Sed libenter concedam Medicos non eſſe Sacerdotes, num neque Juriſconſultos eſſe ſed tantum dici Sacerdotes affirmes.

Decimumquarum argumentum. Doctores Juris ſtant ſicut ſydus in cœlo. Ergo præferuntur Medicis. Ego autem ſydera pluries contemplatus, nullum eorum Legumperitum inveni: Ergo Juriſtæ non
præferuntur Medicis, imo inter ſydera cæli con- 38
numeratur Æſculapius & Chiron, qui fuerunt Medici, neque ibi connumerari reperies ullum Legumperitum. Aſtræam certè, nempe Juſtitiam ibi invenies, ob id quod nobiſcum ſtare noluerit, ſed ad cœlum aufugerit mortales relinquens, juxta illud Ovidij. *Metamorph. l.*

Victa jacet pietas; & virgo cede madentes
Ultima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Decimumquintum argumentum. Omnes aliæ artes per textum *in proœm. ff. §. duab. verb. quibus.* ſunt viliſſimæ, habito reſpectu ad ſcientiam Legalem. Ex quo ſequitur, quod habito reſpectu ad Do- 39
ctores Juris, Doctores artium, & medicinæ ſuccumbent. Huic textui dicit Barbatia, quod mundus reſpondere non poſſet. Ego autem invenio hominem, qui reſpondere poteſt, dicitque, textum non probare quod ſupponit? ergo concluſio eſt falſa. Et rectè *addentes* ad Barbatiam, qui fallaciam argumenti viderunt, dixerunt, hoc argumentum eſſe ab auctoritate Juriſconſulti, quod nullum eſt, ſecundum Philoſophum & veritatem.

Decimum ſextum argumentum. Facultas legalis dicitur eſſe Theſaurus, hinc Doctor Juris antecedere debet. Et ego conceſſo quod facultas Legalis non ſolum dicatur, ſed ſit Theſaurus, dico, multo majorem Theſaurum eſſe Medicinam; per quam alij Theſauri acquiruntur, & maximè Theſaurus ſanitatis ſine quod Theſaurus facultatis legalis acquiri non poteſt. Eſt ergo medicina, quia major Theſaurus, facultati legali anteponenda.

Decimum

Decimumſeptimum argumentum, Doctoratus Medicinæ conceditur Judæis, qui tamen non poſ-
41 ſunt aſſumi ad Doctoratum Juris: unde infert, quod Doctoratus Medicinæ non ſit dignitas. Debet ergo præferri Juriſconſultus Medico, qui eſt in dignitate. Reſpondendum, Judæos vivere ſub alieno dominio, nec poſſe ex ſe judicia exercere ideo ad Juriſperitiæ Doctoratum non aſſumuntur; admittuntur autem ad doctoratum Medicinæ [*Patavij* quidem, non autem *Bononiæ* nec in *Germania* aut *Gallia & Hiſpania.*] quam tamen nonniſi inter ſe aut alios Infideles exercere poſſunt. Hoc quidem illis à Summis Pontificibus & Imperatoribus an jure concedatur, videat Caſſanæus. Certum eſt Summos Pontifices & Imperatores non concedere non concedenda, aliàs aut injuſti, aut ignorantes erunt per Caſſanæum, qui dicet concedi ab ipſis, quia Doctoratus Medicinæ non eſt dignitas; at hoc in idem recidit, quia iidem, qui concedunt Doctoratus dignitatem Juriſconſultis, concedunt & Medicis. [Judæos autem non admittendos probant Langius *Epiſt.* 71. *t.* 1. Saxonia *in epiſt. ded.* An ad arcendam ab Urbe peſtem licitum ſit Sanitati præſidentibus opera uti Medici Judæi, fuſius exponit *in libello divino p.* 7. *cap.* 6. *pag.* 164. Philibertus Marchinus *ex* Sanchez, Romano, Armilla, Tabienna, Angello, Ricciullo Filino, Ripa & Azohio.

Decimumoctavum argumentum eſt ab ordine
42 litteræ; quod eſt validum in Jure: ſed ex ordine litteræ Notarius præfertur Medico, *l. fin. in princ. comm. de leg.* Ergo multo fortius Juriſta præfertur Medico. Si vero alibi Medicus præfertur Juriſtæ, ut multis locis citatis, ibi per Caſſanæum, arg. ſeq. reſpondent literam eſſe præpoſteratam? & hac reſponſione ſibi victoriam addicunt. Nos autem hæc reſpontione non dignamur, quemadmodum neque.

Decimumnonum argumentum, quod eandem vim deſumit ab ordine literæ, quia *in rubr. cap. de Profeſſoribus, & Medicis*, Profeſſor Juris Medi-
43 co præfertur. Quæ omnia tam inania ſunt apud nos, qui argumentorum vigorem multo melius, quam Caſſanæus cognoſcimus, ut riſu excipienda videantur.

Vigeſimum argumentum. Subrogatum ſapit naturam illius, in cujus locum ſubrogatur. Sed
44 Doctores Legum ſubrogantur loco Dei. Ergo præferuntur Medicis. Huius argumenti major per nos tranſeat, & ad minorem reſpondeo diſtinguendo, Doctores Legum ſubrogari loco Dei, ut tales negantur? ſubrogari ex eo quod majoribus potentibus ſic libet, concedo: nam & loco Dei ſubrogantur etiam, qui non ſunt Doctores, Legum immo præcipui magiſtratus, ut Proreges, Prætores, Legati Præſides provinciarum, & alij non ſunt de neceſſitate, ſed per accidens tantum aliquando Doctores. Legum. Nec ſolum id verum eſt, ſed notiſſimum etiam, vel ipſas fœminas, quæ Doctoratus dignitatem abſque dubio non aſſequuntur, interdum ſubrogari loco Dei, nempe quia loco legis vivæ deſtinantur ad regenda regna, & Provincias, & ſtatus & maximas urbes, quin habeat præterea nonnulla regna: ut maximè Hiſpaniarum talia inſtituta, ut ipſæ fœminæ non exſtantibus maſculis ad ea regna gubernanda abſolutè, & independenter ab aliquo ſuccedant. Dixi autem alias neceſſe fuiſſe in hominũ communitatem, & præter Legum quoquomodo latam, dari Legem vivam, quæ ad mutæ Legis obſervantiam homines cogeret, aliàs inanis omnino erat legumlatio. Modo lex viva non poteſt ad omnia ſufficere. Ergo oportet illam alios omnes facere ſuæ poteſtatis participes, & in ſui locum ad particularia judicia exercenda ſubrogare. Sæpè autem ſubrogantur, ſed non ſemper Doctores Legum, ex eo quod majorem habeant legum cognitionem, & tamen in iis, quæ ad alios profeſſores pertinent, ſubrogantur etiam alij Profeſſores, etiamſi non ſint Doctores Legum; ut in iis quæ ſpectant ad Medicos, ſubrogantur ab alia lege viva ad judicandum ipſi Medici, quin etiam in viliotibus artibus ac mechanicis, ut in fabrili, ipſi fabri ſubrogantur, in carpentaria Carpentarij, & ſic de ſingulis. Itaque ad minorem dico, quod ſi eam ita accipias ut velis ſolos Doctores Legum ſubrogari loco Dei, abſolutè nego; ſi non ſolos, concedo. Concluſio ergo non bene procedit, quia hic terminus, ſubrogari loco Dei, etiam aliis hominibus, & Profeſſoribus communis eſt. Addo aliam reſponſionem, concedendo totum Argumentum, ac dicendo quod habeat veritatem in iis doctoribus Legum, qui actu loco Dei ſubrogantur, at non probat procedere in illis, qui non actu ſubrogantur. Iam enim dixi, Judices, omneſque qui Juſtitiam adminiſtrant judicando, eſſe loco Legis vivæ, præ cæteris omnibus honorandos. Ergo ſubrogatio loco Dei, in cauſa eſt ut honorantur homines. Non ergo Juriſconſultus tunc, ut Juriſconſultus, ſed ut loco Dei ſubrogatus eſt honorandus.

Denique argumenta, quæ pro nobis non advocati in medium afferunt quidam Juriſconſulti, omnia reſpuimus; habemus enim nos multo potiora, ut ex ſupra ſcriptis deducere licet. Atque hæc ſunt; quæ pro rei veritate in Medicorum tutelam afferre placuit, Is autem de hac controverſia judicium ferat, qui omni pathemate nudatus; noſtræ argumentationis, allatarumque rationum vim atque energiam ponderare noverit, & qui omni animi affectu depoſito Legem à Politica, Politicam à Juriſperitia, Judicem, ſeu Legem vivam à Legumperito, & Legumperitum à Politico ſecernere facilè noverit.

PAULI

PAULI ZACCHIÆ
QVÆSTIONVM
MEDICO-LEGALIUM
LIBRI SEPTIMI
TITULUS PRIMUS,
DE MONSTRIS

Continens quæstiones novem.

I. De Monstri, Ostenti, Portenti, Prodigij appellatione, Monstrum, quid, & quotuplex.
II. De causis generationis Monstrorum.
III. Quæ Monstra ex diversis specie Animalibus progigni possint, quæ non: quæ item ex humana specie possibilia, quæ non.
V. Quæ Monstra in humana specie rationalem animam sortiantur, quæ non.
V. Bicorpora Monstra, & quæ principaliora membra duplicata habent, pro unico ne homine, an pro gemino habenda.
VI. Quæ Monstra vitalia, quæ non vitalia.
VII. De Partu ex Incubis suscepto.
VIII. De Hermaphroditis.
IX. Novæ Monstrorum aliquæ historiæ, & alia circa hanc materiam scitu digna

SUMMARIUM.

1 *Magna vis consuetudinis.*
2 *De Monstris considerare Jurisconsulto quoque necessarium est.*
3 *Monstrorum Naturam explanare, ac definire quænam monstra sint, ad Medicum, & Philosophum spectat.*
4 *Monstra quænam sint: iudicis arbitrio relinquitur.*
5 *Monstrum non rumpit testamentum.*
6 *Monstra appellatione filiorum non veniunt.*
7 *Partus ex sua natura non vitalis non rumpit testamentum.*
8 *Monstra vitalia non sunt.*
9 *Num prosit Mulieri ad hoc, ut Mater dicatur, si quid monstruosum sit enixa.*
10 *Monstrum an baptizari possit.*
11 *Monstrum ex incestuoso congressu hominis cum Bruto an nasci possit.*
12 *Monstrum impune occidi potest.*
13. *Monstra an sint resurrecturi.*
14 *Quacunque rationali animâ predita sunt, resurgere debent.*
15 *Recens natus fœtus pro marone, an pro fœmella sit baptizandus.*
16 *Monstrum bicorpus, an unus homo, vel duo.*
17 *Monstrum, Ostentum, Portentum, Prodigium, omnia videntur interdum pro eadem re accipi.*
18 *Monstra, Ostenta, Portenta, Prodigia unde dicta.*
19 *Monstra in solis viventibus contingunt.*
20 *Monstrum quid ex Aristotele.*
21 *Monstra sunt quæ contra naturam fiunt.*
21 *Monstrum ex Vvolfhardo quid, & n. seq.*
24 *Monstrum ex Capivacio quid.*
25 *Monstrum à Liceto definitum.*
26 *Monstrum propriè quid.*
27 *Non quilibet Naturæ error, nec quilibet recessus à figura bonitate facit monstrum.*
28 *Monstrum apud Legem quomodo accipiatur.*
29 *Ad naturalem corporis constitutionem, & figuræ bonitatem quæ requirantur.*
30 *Monstrorum genus duplex ex Capivacio.*
31 *Monstrorum divisio ex Liceto.*
32 *Monstrorum quinque genera.*
33 *Monstrorum primum genus eorumque à natura sunt.*
34 *Secundum monstrorum genus, peccantium in quantitate secundum totum.*
35 *Tertium monstrorum genus, eorum quæ deficiunt, aut superabundant in partibus.*
36 *Quartum genus eorum, quæ dissimilia sunt secundum partes à sua specie.*
37 *Quintum genus eorum, quæ dissimilia sunt secundum totum à sua specie.*
38 *Alia monstrorum divisio.*
39 *Monstrorum aut multiforme aut uniforme.*
40 *Monstrum divisio ex Vvolfhardo.*
41 *Monstrorum alia speciem mutant, alia non.*

De Monstri, Ostenti, Portenti Prodigij appellatione, Monstrum, quid, & quotuplex.

QUÆSTIO I.

TANTA est in nobis vis consuetudinis circa ea, quæ sensibus nostris, atque oculis maximè, in inferiore hac mundi Machina obiiciuntur, ut ea, quæ nunquam satis admirari deceret, ferè pro nihilo ducamus, ob id quòd indesinenter conspiciamus? contra multa, quorum nulla nos movere deberet admiratio, obstupentes contuemur, quòd ea rarò contueamur: tantillum vaporis in aëre accensi turmatim accurrentes admirabundi contemplamur. Solem, Lunam, Stellas, Cœlum ipsum oscitanter præterimus, & in cæteris omnibus eodem modo usuvenire & nos experimur, & docuit Lucret. *l. 2. de Rerum Nat.* his carminibus: 1

Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primùm
Difficilis magis ad credendum constet; itemque
Nil adeò magnum, nec tam mirabile quicquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paulatim, ut Cœli clarum, purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sydera passim,
Lunaque, & Solis præclarâ luce nitorem;
Omnia quæ nunc si primùm mortalibus adsint;

Ex

Ex improviſo ſeu ſint objecta repentè.
Quid magis his rebus poterat mirabile dici?
Aut minus ante quid auderent ſore credere gentes?
Nulli, ut opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet.
Quam tibi, jam nemo ſeſſus ſatiare videndi,
Suſpicere in Cœlis dignatur lucida templa.

Ad rem maximè Avic. *de Vir. Cord. tract.* 1. *c.* 10. ſi ignis, inquit, eſſet res difficilis inventionis, & de longinquis partibus afferretur, admiraretur utique vulgus de proprietate ejus ampliùs, quàm de proprietate corporum cæterorum, & inquireret attentiùs proprietatis cauſis ipſis, quàm de cauſis aliarum de proprietatum, quoniam ipſius operationes valdè mirabiles ſunt ſed propriùs ad rem accedentes, non eſt qui neſciat, quantùm nos moveat duorum hominum inter ſe non facilè diſtinguibilis ſimilitudo; ac tanta, & infinita effigierum varietas non inter homines ſolùm, ſed inter tot animalium, rerumque penè omnium ſpecies, ne afficere quidem videtur nos quicquam. Tantam naturæ ſolertiam in animalium generatione, tantum in membrorum compagine ordinem, & ſymmetriam, tantum vel in minimis ſtudium, ac nunquam penè à ſcopo aberrantem operam nauſeabundi negligimus, & nunquam intermiſſam ejus providentiâ rerum ſeriem pro nihilo ducimus; at caſu in alicujus individui formatione, neque ipſius, ſed alienâ culpâ irrepentem errorem quàm vehementer demiremur, quanto ſtupore contuemur, quàm anxiâ mente excipiamus, cur pluribus verbis ſignificare ſtudeam, cùm res ipſa ſe palam faciat? De Monſtris loquor, quorum contemplatio tant opere doctos viros defatigavit, ut nihil ſuprà.

2 Nos in præſentiarum, quia de illis conſiderare non
3 uno ex capite Juriſconſultis eſt neceſſarium, ut videbimus, de illis diſſeremus quia ad Medicum, & Philoſophum ſpectat eorum naturam perquirere, ac definire quænam verè monſtra ſint, quæ non, ut docet Mart. VVeinrich. *in l. de Ort. Monſtr. c.* 1. licet ex Juriſconſultis Men. *de Arb. Iud. l.* 2. *cent.* 5. *caſ.*
4 391. *n.* 28. hoc Judicis arbitrio relinqui voluerit; ſed palam eſt, arbitrari non poſſe Judicem, niſi cognitis iis quæ ad rei naturam, de qua arbitrium ferre debet, pertinent, quæ nonniſi ex Medicina, & Philoſophia haberi poſſunt.

Cæterum quot, & quanta occurrere poſſint dubia Juriſconſultis, circa hanc humanorum monſtrorum materiam, (de his enim tantùm, non de cæteris quibuſque mihi ſermo in præſenti habendus eſt) facilè
5 exiſtunt ipſis elicitur. Statuunt enim primo, Mon-
6 ſtrum non rumpere teſtamentum, argumento *l. Quod certarum eſt, in fin. C. de Poſth. har. inſt.* & ratio ea eſt, quam adducit Gloſſ. *ibi in verb. Monſtrum*, quòd Monſtra filiorum appellatione non veniant, *l. Non ſunt liberi ff. de ſtat. hom.* & aliam rationem ad id ip-
7 ſum affert Men. *ubi ſuprà n.* 27. nimirum, quemadmodum partus ex ſua natura non vitalis teſtamentum non rumpit, ut ex pluribus per ipſum adductis pa-
8 tet, *n.* 24. ita neque Monſtra teſtamentum rumpere debeant, ac hæreditatem adipiſci, quia vitalia non ſunt: quod auctoritate Ariſtotelis comprobat *l.* 4. *de Gen. anim. c.* 4. cui addi poteſt Alex. *l.* 2. *Probl.* 44. & Plin. *lib.* 7. *c.* 3. & idipſum ex recentioribus atteſtatus Par. *l.* 24. *c.* 2. Quòd, inquit, ut invitâ naturâ naſcũtur, ſic & vivunt: Et ſequuntur hanc ipſam opinionem ex Juriſconſultis Hier. Mag. *Miſcell. l.* 1. *c.* 10. & noviſſimus Alphonſ. à Carranza, *de Part. nat. & l. c.* 17. *n.* 23. qui omnes benè volunt, non eſſe hoc omnibus Monſtris commune; ſed malè Garranza, & omnino præter rem ad hanc opinionem firmandum Lucretij carmina attulit, *l.* 5. *de rer. nat.* ubi Poëta loquitur de quibuſdam monſtris, quæ eſſe in rerum natura jactantur, cùm tamen exiſtere non poſſint, & ita habet;

Qua neque floreſcunt pariter, neque robora ſumunt.
Corporibus, neque proficiunt ætate ſenecta.

Nam videtur hic Juriſta non percepiſſe eorum carminum ſenſum; dicit enim Poëta, Animal conſtans ex membris ſpecie differentibus non poſſe conſiſtere in rerum natura, ob id, quia animalia ſpecie diverſa neque eodem tempore augentur, neque uno eodemque tempore corporis robur adipiſcantur, neque uno, eodemque tempore ſeneſcunt, hoc eſt, ætates non eodem annorum curriculo percurrunt, nec ſimili Veneris ſtimulo moventur, nec conveniunt in moribus, & quæ ſequuntur; unde omnino extra Mercurium ab hoc homine ad id, quod probare intendit, ea carmina ſunt adducta, multoque meliùs, & magis ad rem ſuperiora adduxiſſet, ubi Poëta narrans quomodo in mundi primordiis animalia eſſent à natura creata, dicit eam primùm multa monſtra generaſſe: conatum tamen illius irritum fuiſſe, quia ea monſtra non vivebant, quod non haberent requiſita ad vitam, ſic ergo ait;

Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata eſt mira facie, membriſque coorta.
Androgynum inter utrum, nec utrumque, & utrinque
remotum.
Orba pedum partim, manuum viduata viciſſim;
Multa ſine ore etiam, ſine vultu caca reperta,
Vinctaque membrorum per totum corpus adhæſit,
Nec facere ut poſſent quicquam, nec cedere quoquam.
Nec vitare malum, nec ſumere quod foret uſus,
Cætera de genere hoc monſtra, ac portenta creabat,
Nec quicquam, quoniam natura abſterruit auctum,
Nec potuere cupitum ætatis tangere florem.

Sed hæc per tranſeunam dicta ſunto, præter ſuperiora autem, alia dubium excitant apud Juriſconſultos, in hac materia de monſtris, ut illud, non poſſit
9 mulieri, ſiquid prodigioſum, aut monſtruoſum ſit enixa, ad hoc, ut mater dicatur, & matris privilegiis ex filiatione ſibi provenientibus frui poſſit, quod adnotavit etiam ex noſtris VVeinr. *de Ort. monſtr. c.* 1. & habetur *in l. Non ſunt liberi, ſup. cit. & l. Quæret aliquis, ff. de verb. & rer. ſign.* quas & ille adducit.

Verum enim verò à Canoniſtis etiam, & Theologis dubitatur, an monſtrum baptizari poſſit, & negativè reſpondent, ut ex Archid. Men. *ubi ſuprà, n.* 26.
10 Unuſquiſque ergo facilè videt, quàm neceſſarium propter hæc ſit determinare, quinam partus verè monſtrum dici debeant, & qui non, ne Baptiſmus in incapacem conferatur aut ne eo capax defraudetur.

Maximi inſuper momenti dubium circa hanc ipſam materiam occurrit, quod non tam ſcitu neceſſarium eſt, quàm ſolutu difficile; dato enim; quòd ex homine fœtus naſcatur figurâ brutum referens vel ſecundum totum, vel ſecundum aliqua membra, aut quòd ex bruto naſcatur fœtus facie hominem referens, aut humanis aliquot membris dotatus, dubitatur, inquam, eo in caſu de inceſtuoſo hominis con-
11 greſſu cum bruto, ut aliquando eveniſſe certum eſt, & maximè in caſibus, de quibus citatus Maggius, & Par. *loc. cit.* ſed hic conceptus, an ex hujuſmodi congreſſu naſci poſſet, incertum eſt, ita vir, aut mulier tam nefariæ veneris rei condemnandi, an abſolvendi ſint, difficile ſit diiudicare, ſi peccatum ex ſe non confiteantur, cùm de facti identitate minimè conſtet, & Philoſophi plerique, ac præcipuè claſſici, tam ex veteribus, quàm ex recentioribus id inficientur.

Addendum his, quòd tantò magis urget ſciendi neceſſitas, quinam partus verè monſtrum dici debeãt, quantò Leges permittunt monſtra impunè à quocunque occidi, ut ex pluribus Men. *ubi ſuprà, n.* 27.
12

&

& noviſſimè Carranz. *ibi. numero* 22. & ex noſtris Vveinrich. *ubi aliàs. cap.* 41. apud quem alios Auctores citatos habes.

Præterea dubitant Theologi, an monſtra reſurrectura ſint, necne, & negat D. Bonau. *in* 4. *ſent. diſt.* 13 44. ex quo Vveinrich *ibid. tap.* 22. Quæ tamen quæſtio ex eo dependere videtur, an monſtra rationalem animam ſortiantur, necne, de qua re *infra*, 14 *quæſt.* 4. nam in dubium revocari non debet, quòd quæ rationali animâ dotata ſunt, reſurrectura ſint, ita tamen ut nihil deforme, aut indecorum habeant, ſic docente D. Auguſt. *de Civit Dei, lib.* 22. *cap.* 19.

15 Evenit etiam aliquando, ut dubitetur, an recèns natus fœtus pro mare, vel fœmella baptizandus ſit, nullis apparentibus ſignis alterutrius ſexus, ut eſt geminus caſus apud Bauhin. *libro primo, de Hermaphrod. cap.* 4. qui & *lib. eod. cap.* 4. *numero primo*, hoc idem quærit. Quinetiam alias permultas quæſtiones movet idem Bauhinus *eod. c.* 4. quæ tamen omnes ex eo dependere videntur, an fœtus virilis, aut muliebris conditionis exiſtat; itaque hac unâ deciſa, omnes deciſas habebimus.

16 Circa bicorporea tandem monſtra multipliciter dubitari contingit, duóne homines, aut potiùs unus ſint; & ſic; an pro uno, vel duobus baptizandi; an tanquam unus, vel duo in hæreditatem ſuccedere debeant, ſi ſuccedre modò poſſint, & alia permulta his non diſſimilia. De Hermaphroditis quoque quot, & quanta occurrant diſcutienda, in propria quæſtione manifeſtum fiet.

Cùm ergo ad tot, ac tantas dubitationes enodandas conferat ipſis Juris conſultis doctrina de Monſtris, ad eam pertractandam accedentes, ante omnia de nominibus diſceramus; dehinc quid verè Monſtrum ſit, videamus; mox alia permulta, quæ in proceſſu huius tituli occurrent, diſcutiemus.

17 Monſtrum igitur, Oſtentum, Portentum, Prodigium, licèt in propriiſſima acceptione multum inter ſe evarient, in frequenti ſermonis uſu quaſi ſynonyma ſunt, hiſque vocibus Antiqui indifferenter uſi ſunt, ut ex Juriſconſultis teſtatur Alciat. *in l. Oſtentum. ff. de verb. ſignif. numero primo*, & ex Medicis poſt multas adductas DD. auctoritates. Bauhin. *de Hermaphr. libro primo, cap.* 5. Hoc autem pacto nominatur, ſi Ciceroni fidem habemus, *lib.* 1. *de divina. & lib.* 2. *de Nat. Deor. in princ.* & D. 18 Auguſtin. *lib.* 21. *de Civit. Dei, cap. octavo*, (quibus adhæret Polydor. Virg *libro primo, de Prodig.*) quia monſtrant, oſtendunt, portendunt, prædicunt, & ita ab antiquis appellata, quòd maximè auguriis, aliiſque divinationibus eſſent addicti. Quamobrem immeritò videtur reprehendi Cicero à Liceto, quòd voluerit monſtrum dici ex eo, quòd futura præmonſtret: vult enim cibi potiùs ex hoc, quòd ab unoquoque unicuique commonſtretur: & facit pro Liceto, communis loquendi uſus, quodcunque enim valde rarum, & inſuetum nobis offertur dignum quod alteri commonſtretur, tam in genere boni, quàm mali, Monſtrum vocamus, quaſi dignum ut monſtretur alteri ab altero, ob malitiæ, vel bonitatis exceſſum. Sic aliquando pro convicio in peſſimos homines id nominis iactatur. Terent. *in Eunuch. act.* 4. *ſcen.*

—— *Unde habes veſtem? tacet?*
Monſtrum hominis, non dicturus?

idem *ibid. act.* 5. *ſcen.* 2.

—— *Monſtrum etiam ultro deriſum advenit*

Sed & optimis quibusq; rebus, ipſi quod; pulchritunini cùm valide excedit, hoc Monſtri nomen aptamus: unde Petrarcha noſter Lauram ſuam allocutus

O de le Donne altiero, & raro moſtro?

Homines quoque doctrinâ excellentes Monſtra ob hoc ipſum vocamus; hanc enim ob cauſam Monſtri nomine inſignitur ad præſens Reverendiſſi. P. M. Fr. Nicolaus Ricardius S. A. Palatij Magiſter digniſſimus, nec iniuriâ, quia ſi, quæ de raro eveniunt, ut Cicero *loco citato*, portenta ſunt, ſapientem portentum eſſe putandum eſt.

Quanquam autem hæc ita ſe habent, certè ego Latinæ Linguæ parenti maiorem, quàm Liceto fidem habeo: nam eſto, Monſtra futura non præmonſtrare, ut veritas ipſa docet, primi tamen illi Latinæ linguæ inventores, eo quòd ita opinarentur, Monſtra ſic appellari voluerunt. Abuti autem quoſcunque Auctores hac voce notiſſimum eſt, cùm, quod Prodigij, vel Oſtenti, vel Portenti potiùs nomen mereretur, monſtrum indifferenter vocitent. ſic Plaut. *in Aſinar. act.* 2. *ſcen.* 2.

—— *Pro monſtro extemplò eſt, quando qui ſudat; tremit.*

ubi monſtrum propriè prodigium eſſet dicendum quemadmodum & illud apud Virgil. 9. *Æneid.*

Troianos hæc monſtra petunt.

ſic etiam & à noſtris factitatum eſſe cognoſces. Taſſ. noſter Hieruſal. *cant.* 9. *ſtanz.* 13.

S'empie di Moſtri, è di Prodigi il Cielo.

Sed Leges in *l. Oſtentum. ff. de verb. & rer ſignif.* oſtenta in duo genera dividentes, Monſtrum fecerunt Oſtenti ſpeciem, ut in ipſo textu patet, & videat qui hæc luculentiùs pertractata deſiderat, Alph. à Carranz. de ea re diſſerentem, *lib. de Part. nat. & leg. cap.* 17. nam nos has de nominum, & vocum uſu nimis affectatas quæſtiones Grammaticis relinquimus, proprietatem tamen, & differentiam eorum tradunt præter vetuſtiores, inter Medicos Martin. Vveinrich. *de Ort. monſtr. c.* 3. Paræus *lib. de Monſtr. in Præfat.* Licet. *libro primo, de Monſtr. in princ.* & Bauhin. *libro primo, de Hermaphrod. cap.* 5. & inter Juriſconſultos Alciat. *ubi ſupra*, & noviſſimè Carranz *ibidem*, *in princ.* quanquam hi Auctores vix inter ſe conveniunt. Mihi, ut breviter ab his me expediam, placet Liceti opinio, quæ refertur etiam à Maiol. ſive ab adden. ad Maiol. *dier. canic. coll.* 4. *tom.* 2. & à citato Carranza, *ubi proximè*, *num.* 5. 19 ea verò eſt, Monſtra in ſolis animantibus contingere, & ſic propriè Monſtrum de his ſolis dici: in cæteris animâ carentibus portenta dici, oſtenta, prodigia; ſed præ cæteris Vveinrichius hanc horum nominum proprietatem proſequitur. Nos de humanis monſtris tantùm loquimur, vel quæ ex humana ſpecie originem ducunt.

Sed quid ſit Monſtrum, diverſimodè multi docuerunt. Ariſtoteles 3. *de Gener. anim. cap.* 4. monſtrum voluit eſſe conceptum vitioſum, & præter Naturæ intentionem procreatum, ita ut quandocunque 20 aliquid deficit, vel ſuperfluit in animantibus, monſtrum ex ipſo ſit. Ita præter alios Alciat. *in l. Quaret aliquis. ff. de verb. ſignif.* Carranza, *ubi proximè*, & ex Medicis Roderic. à Caſtr. *libro te tio, de morb. mul. cap.* 11. *part. prima*, unde eidem Ariſtoteli prima degeneratio conceptus in monſtrum eſt, cum fœmina concipitur, deficit enim fœmina à vitili perfectione, præterquam quòd præter Naturæ intentionem eſſe voluit, fœminam naſci, cùm illa ſemper intendat animal perfectum generare, quod tamen veritatem non habere, longioribus ego non demonſtrabo, cùm ſatis circa hoc nonnulli doctiſſimi viri inſudaverint, & noviſſimè Æmil. Pariſan. *libro* 3. *de Micrec. ſubtil. cap.* 3. *exercit.* 2. ſatis illud ſit,

quod etiamſi naturam velimùs deficere in generatione fœminæ, non idcirco fœmina monſtrum eſt, quia generatio fœminæ à natura intenditur ad ſpeciei propagationem, & conſervationem, non minus quàm generatio Maris, ita ut fœmina non minus quàm Mas, ſit in ſua ſpecie perfectiſſima creatura; aliàs non ex naturæ intentione eſſet ſpeciei conſervatio, nam ſi fœmina præter eius intentionem generatur, & conſervatio ſpeciei nonniſi per fœminam fieri poteſt. Natura nunquam conſervationem ſpeciei intendit, ſed tantùm individui prefectionem. Adde quòd ſi illico atque Natura à ſumma illa perfectione deficit, monſtrum gignere dici debeat, cùm illa intendat ſemper facere quod perfectius eſt, etiam cùm marem unum alio imperfectiorem facit, monſtrum generaſſe dicenda eſſet, quod nequaquam veriſimile eſt. Fœminam quippe mare imperfectiorem eſſe non eſt dubium, nam idcirco etiam Plato *in Timæo tranſ. princ.* voluit, animas eorum qui in vita exiſtentes, malè & præter Juſtitiam vixiſſent, in fœminea corpora, quaſi imperfecta, & monſtruoſa recipi; ſed quicquid ſit de hoc, Monſtri certè definitio ab Ariſtotele tradita, neque fœminæ aptatur, neq; monſtri verè dicti naturam explanare videtur, cùm alij conceptus vitioſi dentur, & præter Naturæ intentionem generati, quibus non convenit monſtri appellatio, ut Mola Vveinrich *de Ort. monſtr. cap.* 6. Varand. *libro ſecundo, de morb. mul. cap.* 5 [Adde Deuſingium *de fœtu Maſſipont. p.*109. Strauſſium *pag.* 180.]

Mercatus *libro tertio, de Steril. & Prægn. aff. cap.* 21 *ſeptimo*, Monſtra ea propriè vocavit, quæ contra Naturam fiunt: ſed hæc definitio multò magis manca videtur, quàm ſuperior, & confutatur à Vveinrichio *ubi proximè*; niſi dicamus, & hanc, & ſuperiorem genericas eſſe, & comprehendere quæcunq; in quacunque rerum generatione, & in quibuſcunque Naturæ operibus contra Naturam fiunt. At fortè Monſtrum contra Naturam non eſt, quia ab ipſa Natura habet eſſe, ut ex Ariſtot. elicitur *libro tertio, de Anim. cap. quarto.* & ſiquid in monſtro peccatur, 22 id culpâ potiùs aliarum cauſarum fit, ut latiùs infra dicam; licèt etiam Vveinrich. *ubi ſuprà* definierit, monſtrum eſſe. Naturæ erratum ab eo fine, quem ſibi in agendo propoſuit. Sed & aliam definitionem idem ex Medicorum ſententia affert, quæ eſt huiuſmodi. Monſtrum animal eſt in utero deformatum, 23 genitum præter naturam; corrupto aliquo generationis principio. Sed neq; hæc ſatisfacit, nam nullum principium generationis corrumpitur in his, quæ ſuperfluunt. Hieron. Capivac. *lib.* 4. *c.* 6. ſic de- 24 finivit: Monſtrum eſt animal in utero genitum à depravata formatione; At admodum de raro à depravata formatrice monſtrum fieri eſt compertiſſimum, nam neque in monſtris quæ mancum aliquod membrum habent, neque in his, quæ ſuperfluum, videtur quicquam formatrix facultas peccare, quia format pro materia ſibi ſubminiſtrata, quod poteſt, nam ſi non poteſt formare totum brachium, format humerum tantùm, & ſuperabundante ſibi materiâ ſuppeditatâ format pro uno, duplex caput, quod videtur potiùs illam commonſtrare ſatis vegetam.

Licetus *libro primo, de Monſt. cap.* 1. definivit, ut 25 ſequitur, Monſtra dicuntur quæ in ſubcœleſtium animantium genere non ſponte genita membrorum conſtitutionem perfectè primogenitorum ſtructuræ turpiter diſſimilem, ac rerum naturæ minimè conſentaneam ſortita fuere. Aliam huic non diſſimilem attulit *ibid. cap. undecimo*, quam *cap. ſeq.* explanavit, ut apud ipſum videre licet; quarum utraq; probari poteſt; ſed ſi liber, alias Monſtri definitiones apud ipſum, & Vveinrichium ex Medicis vide, & ex Juriſconſultis apud Carranz. *ubi ſuprà.* Sed ego quoque ad præſens negotium meam in medium afferam, & eſt huiuſmodi. Monſtrum animal eſt ita 29 genitum, ut à figuræ bonitate, & ſimplicitate ſuæ ſpeciei conveniente enormiter recedat. Animal dico eſſe, ut monſtrum à prodigio, & portento ſeiungam. A figuræ bonitate dico, ſumendo bonitatem figuræ pro ſymmetria, & proportione naturali, ut cùm deficit id quod neceſſarium eſt, ut cùm brachia, oculi, pedes, manus, aut aliæ notabiles partes deſiderantur, aut cùm ſuam naturalem figuram partes non ſortiuntur, aut cùm eædem partes ſuum ſitum non ſervant, veluti ſi brachium non humero, ſed lateri adnatum habeat, quale monſtrum peperit Latiſſæa mulier apud Hippocr. *libro quinto, Epid. part. prima*, (quam hiſtoriam redigit mihi in mentem D. Claudius Le Febvre, Medicus Hippocratis ſtudioſiſſimus) aut cùm caput in homine apparet aſininum, vel in equo humanum, & ſic de cæteris. Additum eſt, Et ſimplicitate, ut comprehendamus monſtra, in quibus membra ſuperfluunt, aut alia quædam pars, quæ eius ſpeciei individuis non convenit, ſuperadditur. Tale eſt monſtrum, homo caudatus, vel cornutus, aut cùm naturales ipſæ partes præter modum magnificantur: ut Gibboſitas in Camelo, & Indicis Tauris monſtroſa non eſt, imò neque duplex gibboſitas monſtroſa in Aſiaticis, vel Scythicis Camelis, ut in Africanis, quæ in homine, aut Tauris noſtris, aliisq; animalibus monſtroſa quidem eſſet. Quoniam verò non quilibet error, & receſſus à figuræ bonitate, & ſimplicitate, facit monſtrum, ut pes diſtortus, deficiens, aut ſuperfluens digitus, quicquid in contrarium velit Carranza contra Alciati opinionem, *d. cap.* 17. *num.* 65. & id genus alij receſſus, addita idcircò ſunt ea verba: Quod enormiter recedit. In hac enim enormitate receſſus à figuræ bonitate, & ſimplicitate, monſtroſitas conſiſtit, ſive monſtrum ex eo, quòd futura præmonſtret, ſive ex eo, quòd ab uno alteri commonſtretur, dictu velis, ad admirationem excitandam, quæ quidem ex hiſce modicis receſſibus à naturali ſtatu non inſurgit.

Et licèt propriiſſimè, & ſtrictè loquendo ita ſe res habeat, à Legibus tamen Monſtri nomen ſtrictiùs multo, imo ſtrictiſſimè accipitur, ad plures maximè 28 effectus: non enim apud ipſas ſatis eſt, ad hoc ut conceptus monſtrum dicatur, membra in eo duplicari, aut deficere, ſed requiritur, ut contra formam humani generis, & converſo more procreatum ſit, nempe ut humanam formam mutaverit, ut ſi caput habeat bovinum, vel toto corpore vitulum repræſentet, & aliter ad hunc modum prodigioſum appareat, ut apertiſſimè elicitur ex ipſiſmet Textus verbis *in l. Non ſunt liberi ff. de ſtat. homin.* & prudenter admonet Farinac. *tit. de homic. quæſt.* 120. *num.* 191. *fol.* 5. & notavit noviſſimè Carranza *ſæpe cit. cap.* 17. *num.* 21.

Cùm autem ad corporis naturalem conſtitutionem, & figura naturalis, & numerus, & ſitus aptus membrorum, & debita quantitas requiratur: ſi vel in quantitate, vel in figura, vel in numero, qui & ipſe diſcreta quantitas eſt, vel in ſitu membrorum animal enormiter vitietur, monſtroſum ſit. Duplicem tamen monſtrorum ordinem aliqui fecerunt, ut ll. primo *in l. Oſtentum ſup. cit.* unum eorum, quæ con- 30 tra Naturam fiunt, ſuperfluendo, aut deficiendo in partibus, alterum cùm quid prodigioſum naſcitur, nempe, ut Gloſſ. *ibi, in ver. videtur.* cùm effigiem mutant, neque eam ſervat, quæ ſuæ ſpeciei convenit.

nit. Sed ex Legum peritis Menoch. *lib. 2. de Arbitr. caſ. 491. num. 29. & ſeqq.* volens affetre ſigna; exquibus liceat animal monſtroſum dignoſcere, monſtra diviſit in ſex claſſes, ſed cum ea non dividat ſecundum differentias ſpecificas, eam diviſionem ſilentio prætereamus. Medici nonnulli, ut Capivacc. *loco ſupra cit.* dupliciter: ſed diverſo modo, quàm leges fecerint, diviſerunt, & unum dixerunt eſſe monſtrum ſecundum ſpeciem, alterum ſecundum com-
31 poſitionem. Secundum ſpeciem cum alterum animal à ſua ſpecie naſcitur. Secundum compoſitionem, cum fœtus peccat in plaſmatione. Sed D. Licetus *libro primo de Monſtris*, ea dupliciter diviſit, ſed diverſa ratione, nam unum genus fecit uniforme, aliud multiforme; quæ tamen genera ſubdiviſit in ſuas ſpecies, & utrumque in mutilum, aut excedens, aut difforme, aut informe, aut enorme; ex quibus facit decem monſtrorum ſpecies, quas apud
32 ipſum vide.

33 Ludovicus Mercatus *libro tertio, de pragn. & ſteril. aff. cap. ſeptimo*, Roderic à Caſtr. *libro tertio, de morb. mul. part. prima, cap.* 11. & Bauhin. *de Hermaphrod. libro primo, cap.* 15. quinque Monſtrorum genera conſtituerunt, unum eorum, quæ à Natura conſtituerunt, unum eorum quæ à Natura, & ſecundum Naturam ipſam ſunt; in quo comprehendunt nationes omnes, quæ notabili aliquo vitio inſigniuntur, ut præter quamplures Populos, de quibus Plin. *lib. 6. Nat. hiſt. cap.* 37. *& alibi.* & Strabo *Geograph. libro ſecundo*, ſunt qui à nonnullis recentioribus hiſtoricis fide dignis enarrantur, quales ſunt ij, quos cinina capita habere, & alij, quos caudatos eſſe, aliiſque enormibus figuris inſigniri recenſet Sigismund. Libet *in commentar. Moſcou.* & alij: de quibus multi hiſtorici de rebus Indicis ſcribentes.

Secundum genus faciunt eorum, quæ peccant in
34 quantitate ſecundum totum hinc; Gigantes in exceſſu, Pygmæi, Pumiliones, Nani, in defectu, ſed Gigantes, & Pygmæi comprehendi poſſunt in primo genere, quia à Natura, & ſecundum Naturam ſunt & de Gigantibus quidem alias. De Pygmæis Ariſt. 8. *de hiſt. anim. cap.* 12. Plin. *libro ſecundo. cap.* 3. Ælian. *lib.* 15. *de Anim. c. ult.* Strabo *Geograph, lib.* 2. *in pr.* & ex Poëtis Homerus *Iliad. lib.* 1. *in princ.*

Veluti clangor Gruum eſt in aëre ſupra.
Quæ poſtquam frigus effugerunt, immenſum imbrem,
Cum clangore illæ volant ad Oceani fluctus.
Hominibus Pygmæis cædem, & mortem ferentes

Et Ovid. *lib. 6. Metam.*

Altera Pygmea fatum miſerabile matris
Pars habet, hanc Juno iuſſit certamine victam
Eſſe Grues, populisque ſuis indicere bellum.

Et Juvenalis *ſat.* 13.

Ad ſubitas Tracum volucres, nubemque ſonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis,
Mox impar hoſti, raptusque per æëra curvis
Unguibus à ſæva fertur Grue: ſi videas hoc
Gentibus in noſtris riſu quatiare, ſed illic
Quanquam cadet aſſiduè ſpectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non eſt altior uno eſt.

Quæ quanquam videri poſſunt tanquam à Poëtis tradita fabuloſa, tamen naturales hiſtorici hæc pro veris admittunt; quin etiam Bernard. Hordon. Medicus ſuâ ætate magni nominis, & integræ fidei, *in Prognoſt part.* 2. *cap.* 7. Pygmæos ſe vidiſſe teſtatur non maiores palma manus. Ex quibus notandus videtur Carranza Juriſconſultus *de part. c.* 17. *numero* 59. qui nullâ ratione fretus, nullâ experientiâ fultus, Pygmæorum exiſtentiam fabuloſam eſſe affirmat, & Plinium, vide hominis ingenium, irridet, qui nonnulla de iis Populis tanquam vera recenſeat: ſaltem aliquam apparentem rationem in contrarium adduxiſſe, nam ſi ipſe nihil certi ex propria experientia afferre poteſt, non idcirco ob eius dictum, qui neque? Philoſophum ſe profitetur eſſe; neq; rerum naturalium indagatorem, neganda eſt Pygmæorum exiſtentia; at ſaltem Ariſtotelem mendacij redarguere tam inaniter non decebat, ſed antè eius verba ponderanda erant, quæ aſſertivè Pygmæorum exiſtentiam firmant: ſic enim *loco ſupra cit.* de his populis eſt locutus. Non enim id fabula eſt, ſed certè genus tum hominum, tum equorum puſillum, ut dicitur, eſt deguntq; in cavernis, & quæ ſequuntur. Saltem cum Alberto Magno dixiſſet, Pygmæos eſſe Simiarum genus, ne fidem gratis, & abſque ulla in contrarium ratione tantis viris de Pygmæis loquentibus adimere videtur; nam & Ariſtotelem non apertè dixiſſe, Pygmæos homines eſſe, ex præcitato textu volunt, cuius verba aliter, quàm Theodorus Gaza verterit, ſonare dicunt. Vidiſſet deniq; ſolidas quaſdam rationes à Cardano adductas *libro octavo, de variet. cap.* 40. ad improbandam hanc Pygmæorum fabulam; quæ probemne, an non; quod intendit Cardanus, non eſt hîc aptus locus ad inquirendum. Maiori multò cum modeſtia id ipſum negavit Torreblanc. *libro ſecundo, Damonolog. cap.* 31. *n.* 22. *& ſeqq.* de Pygmæis tamen plura Vvenrica. *de Ort. monſt. cap.* 21. & alia notatu digna Nic Nancel. *in Analog. Microc. lib. 7. part. 2. col. 9.* 49. qui quidem, ſi in rerum natura ſint, à Natura, & ſecundum naturam, ut dixi, ſunt, habent enim naturam hominibus eius regionis convenientem. Non ſic autem Nani, & Pumiliones in noſtris regionibus, qui deficiunt ſecundum totum, & conſtituunt ſecundum genus monſtrotum apud Mercatum, & alios DD. ſuprà citatos. Ut fuerunt fœtus illi Comitiſſæ Margaretæ trecenti ſexaginta quinque numero, qui maiores non fuerunt quàm magnus Manus digitus Pollex dictus; horum enim reſpectu nullus Pygmæus, aut Pumilio puſillus eſt, quamobrem alios Pumiliones, & Nanos prætereamus, quorum mentionem habent Maiolus *dier. canic. tom. 1. coll. 2.* Plater. *lib. 3. Obſerv. tit. de deform.* [Strauſſius *in fœtu. Muſſip.* 182. Bartolinus, & alij. Tyri præſidiarij apud *Ezechielem.* 27. an fuerint *Pygmæi*, vide Deuſingium *in ſecund. fœtus Muſſipont. pag.* 57. Quoad Margaretam *Comitiſſam Henneberg.* in pago Lauſdum extat ſequens marmorea tabula.

En tibi monſtroſum nimis & memorabile factum,
Quale nec à mundi conditione datum.

Margareta Hermanni Comitis Henrebergiæ uxor, quarti Florentini Comitis Hollandiæ & Selandiæ Filia, Guilielmi Regis Romanorum; ac poſtea Cæſaris ſeu Gubernatoris Imperij, atque Alitheiæ Comitis Hannoviæ ſoror, cuius Patruus Epiſcopus Traiectenſis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ, &c. Hæc autem Illuſtriſſima Comitiſſa anno XL. circiter nata, ipſo die Paraſceves, nonam circiter horam anno Milleſimo Ducenteſimo LXXVI. trecentos & LXV. enixa eſt Liberos, qui prius à Guidono ſuffraganeo Traiectenſi, omnes in duabus ex ære pelvibus baptizati ſunt. Quotum Maſculi quoquot erant IOANNES; puellæ autem omnes Eliſabethæ vocatæ ſunt. Qui ſimul omnes cum Matre, uno eodemque die fatis conceſſerunt; atque in hoc LAVDVNENSI templo ſepulti iacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam

fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros, quam rem ipſa admirata Comitiſſa dicebat, id per unum virum fieri non poſſe, ipſamq; contumelioſè reiecit. Unde hæc paupercula animo perturbata ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem præter Naturæ curſum obſtupenda quadam ratione ita factum eſt, ſicut in hac tabula in perpetuam huius rei Memoriam, ex vetuſtis tam manu ſcriptis, quàm typis excuſis Chronicis, breviter poſitum & enaratum eſt. Deus ille Ter maximus hac de re ſuſpiciendus, honorandus, ac laudibus extolleudus in ſempiterna ſecula, Amen.

Magis compertum eſt, quod de Gigantibus ſcribitur, licèt non minor de his ſit quæſtio, quàm fuerit de Pygmæis. Dubitatur enim de multis, nempe an unquam fuerint, aut de præſenti ſint Populi giganteæ ſtaturæ, unde primùm geniti, & huius modi: ſed verè fuiſſe gigantes, hoc eſt, Populos giganteæ ſtaturæ, habemus ex Sacris, *Numero. cap. trigeſimo, in fin. ibi: Populus, quem aſpeximus procera ſtatura eſt, ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enoc de genere Gigantæo, quibus comparati quaſi locuſta videbamur.* In libb. quoque Regum plurium Gigantum mentionem habemus, eoſq; verè fuiſſe præter ſacræ Scripturæ teſtimonia, teſtatur D. Auguſt. *lib. 15. de Civ. Dei, cap. 9.* & poſt alios vetuſtiores Perer. *in Geneſ. libro octavo, cap. 6.* Sed & Proavorum noſtrorum memoriâ Cannibales, & Patagones viſi ſunt giganteæ proceritatis populi, ut referunt Indicarum rerum ſcriptores omnes, & precipuè Ovied. *in utraque hiſt.* & Card. *de varie. lib. 8. cap. 43.* & alia permulta ad hoc vide apud Licet. *de Spon. viv. ort. lib. 4. cap. 7.* [Teſtatur idem multa *oſſa gigantea* inventa paſſim, uti teſtatur Barclaius *in Argen.* & puerum os ſenioris circa Vviſtadium effoſſum. Conjung. Gaſſendus in vita Peireſcij l. 3. & l. 4. p. 355.]

Non eſt ergo revocandum in dubium, an fuerint, & an eſſe poſſint Gigantes, ſed quærendum potiùs eſt, cur ſit, quòd non tam frequens eorum proventus nunc ſit, ut antiquis temporibus. Dantes Alighierius *Inferno, cap. 31.* ad Naturæ providentiam id refert in his carminibus.

Natura certo quando laſcio l'arte,
Di ſi fatti animali aſſai ſe bene,
Per torre lati eſſecutori à Marte,
Es'ella d'Eleſanti, édi Balene.
Non ſi pente, chi guarda ſottilmente,
Piu giuſta, é piu diſcreta la ſi tiene;
Che deve l'argomento della mente,
S'agginngi al mal volere, & alla poſſa,
Neſſun riparo vi puo far la gente.

Sed aliam eius rei cauſam poſt multos tam vetuſtiores, quàm recentiores, afferunt Hieron. Magg. *Miſcell. lib. 1. cap. 4.* & Licet. *ubi ſuprà*, & videntur omnes convenire in hoc, quòd id fiat, ob mundi ſenectam: quod videtur etiam inſinuari *libro 4. Eſdræ, cap. 5. verſ. 54. Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtaturâ eſtis præ his, qui ante vos, & qui poſt vos, minori quam vos, quaſi iam ſeneſcentes creatura, & fortitudinem inventutis præteremtes.* In hanc ipſam ſententiam venerunt aliqui Philoſophi, eamque ſic attollit Lucret. *lib. 2. de Rerum nat. in fin.*

Iamque adeò affecta eſt effataq; tellus.
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit.
Sæcla, dedit; ferarum ingentia corpora partu.

& quæ ibi ſequuntur, & Juvenal. *Sat. 15.*

Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.

Mihi tamen hæc ſententia veri ſimilis non ſit, nam ſi homo à prima mundi origine ſemper decreviſſet, aut etiam ſi iam multis ab hinc ſæculis, quando iam decreſcere mundum erat communior ſententia, decreſcere incepiſſet uſque ad præſens, res profectò ad Pygmæorum naturam vel iam eſſet redacta, vel tempore ſaltem non modò ad hanc, ſed ad locuſtarum magnitudinem redigeretur. Addo quòd Mundus non ex ſolo homine, ſed ex infinitis pene animalium, viventiumque ſpeciebus conſtituitur? unde non maior ratio eſt, cur homo decreſcat ſolus, cætera viventia non item, & tamen hoc in cæteris viventibus non obſervatur. Nam minima quædam, ſi ſemper decreſcerent, in nihilum abirent. Ad quod me confirmat illud *Eccleſiaſt. cap. 7. verſ. 11. Ne dicas, Quid putas cauſa eſt, quòd priora tempora meliora fuerunt, quàm nunc ſunt? ſtulta enim eſt huiuſcemodi interrogatio:* quod non tam ad hominum mores, quam ad cætera quæcunque refero. Alia ergo cauſa quærenda eſt cur de præſenti non tam frequenter Gigantes generentur, quam inveſtigare ad aliud tempus reiiciam, aliàs autem aliquando generantur, & ut multas ipſorum hiſtorias præteream à ſuprà cit. Hieron. Maggio *ibid.* à Maiol. *dier. canic. coll. 2. part. 1.* & Kornman. *de Mirac. viror.* & à Torrebl. *lib. 2. Damonol. cap. 31. num. 1. & ſeqq.* pauculas hîc ſubdam. De Senogallia Gigante Amat. Luſit. *curat. Med. cent. 5. cur. 95.* Iſte cubito cæterorum hominum ſtaturam excedebat, & huic proceritati ſingula membra proportionata obtinebat. Gigantem porrò novem pedum altitudinis vidit Mart. Delr. anno Sal. 1572. ut teſtatur *in Seneo. Tread. comm. part. 2. num. 91.* alium vidi Romæ ex S. Ginneſio oriundum anno 1600. præfato fortè non minorem. In principio anni 1631. viſum hominem memorat Bauhinus *lib. 1. de Hermaphrod. cap. 8.* octo pedum altitudinis, de quo etiam fortaſſe Plater. *ubi ſuprà*, qui & multò maiori admiratione dignam ſtaturam in medium affert cuiuſdam Gigantis, cuius oſſa in ditione Lucernenſi, ſi rectè memini, inventa ſunt. Hic, ut ex eorundem oſſium compoſitione computatum eſt, novendecim pedum proceritatem excedebat, hoc eſt triplo proceriorem communi hominum ſtaturâ, & pede inſuper maiorem. Sed hoc etiam multò magis vaſta Gigantum cadavera reperta aliquando fuiſſe, teſtantur plures hiſtoriæ à Maiol. Magg. Kornman aliiſque relatæ, quas apud ipſos vide. Mediolani tandem hoc præſenti anno 1638. oſſa cuiuſdam Gigantis cum nonnullis molaribus dentibus reperta: cuius Materiæ affini affinitate pellectus, hiſtoriam cuiuſdam pueri hîc ſubnectam, qui Neapoli natus anno 1630. menſe Febr. non maior, quàm cæteri recens nati pueri, ſeximeſtris in tantam molem crevit, ut ad decimum quartum menſem deductus altitudinem quatuor palmorum, totidemque craſſitudinem æquaret, omneſque iam dentes emiſiſſet.

Monſtrorum tertium genus faciunt illi, quoad particularem partium ſuperabundantiam, vel defectum, ut ſi cruribus animal omnino deſtituatur, qualem fœminam viderunt multi annis ſuperioribus, quæ à Circulatoribus circumferebatur. Hæc, ut audio, à nebulone quodam imprægnata, in partu periit. De hac fortè Licet. *lib. 2. de Monſt. cap. 2.* In eodem genere continetur Monſtrum quatuor cruribus, aut totidem brachiis dotatum, aut geminum obtinens caput, aut eo orbatum, & a cephalum, ut Populi illi, de quibus Plin. *libr. 5. hiſtor. nat. cap. 8.* Pompon. Mela *lib. 1. cap. 4.* Solin.

cap. 3. Aul. Gell. *lib.* 9. *Noct. Att. cap.* 4. quos se etiam vidisse testatur D. August. *serm.* 37. *ad fratres in Erem.* quæ cum aliis refert. Torreblanc. *Demonolog. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 4. hi sine cervicibus nati, oculos in humeris habent; tale fuit monstrum in Vascovia natum, de quo Paræus *lib.* 24. *cap.* 6. & aliud Vvirtembergæ anno 1525. de quo Paræus *lib.* 24. *cap.* 6. & aliud Vvirtembergæ anno 1525. de quo Licet. *ubi proximè.* Et tertium in Misnia ortum, de quo ex Fincelio idem Licet. *ibid.* & de alio simili meminit Vveinrich. *de Ort. monst. cap.* 25.

36 Quartum genus faciunt quoad dissimilitudinem secundum aliquam partem à sua specie, quale est monstrum humanum capite canino, ut Cynocephali esse narrantur, quorum unum ætate suâ ad Ludovicum Galliæ Regem delatum esse testatur Vincentius *lib.* 31. *cap.* 126. ex quo Torreblanc. *ubi. supra, num.* 21. vel quale fuit aliud canino capite, ex humano semine prognatum, & quod ex ferino genere, capite humano, aut humanis pedibus, ut Cæsaris Equus, de quo Plutarch. Plin. & alij, & Sueton. *in eius vita, cap.* 61. vel contrà ferinis pedibus ex humano, quales sunt Centauri, Satyri, Sphinges, & huiusmodi; vel qualis fuit puella pedibus asininis, si tamen unquam talia monstra exstiterunt.

Postremum genus ex eorum sententia est, quo-
37 ad dissimilitudinem totius à sua specie, qualis erat puella specie honestissimâ ex Equa suscepta, & alia item formosissima ex Asina, de qua mox, & puer ex Vacca, & Lepus ex Equa natus, cùm Xerxes in Europam exercitum traiiceret, & Columba ex muliere, de qua Ovid. *lib.* 7. *Metamorph. fab.* 12.

Transit & antiquæ Cartheia mœnia Cæ.
Quà pater Alcidamas placidam de corpore Natæ
Moraturus erat nasci potuisse Columbam.

Tale etiam fuit caput humanum ex ovo Gallinaceo genitum, serpentibusque pro crinibus dotatum, de quo Paræus *ubi supra, cap.* 2. quorum aliqua darine naturaliter potuerint, necne suo loco discutiemus. Monstrosissima quidem hæc præ cæteris omnibus, unde Juvenal. *Sat.* 2.

Scilicet horreres, maioraque, monstra putares,
Si mulier Vitulum, vel si Bos ederet Agnum.

38 Nos ad rem nostram, quia de humanis tantùm monstris verba fecimus, ea sic dividemus. Monstrum aut peccat secundùm externam formam, vel figuram, aut secundùm membrorum, vel totius quantitatem. Quod peccat secundum externam figuram, aut peccat secundum externam constitutionem, aut secundum situm, aut secundum substantiam membrorum. Secundum constitutionem peccat, si membra suam rectitudinem non servent, ut Nasus distortus, pedes contracti, oculi strabi, & id genus alia. Secundum situm peccat illud, in quo membra, & partes suum naturalem situm non servant, ut quod habet oculos in pectore, aut manum prope costas mendosas, ut illud Hippocrat. aut pedem in medio tibiæ connatum, ut illud, quod secuit Joan. Faber, de quo aliàs. Secundum substantiam membrorum peccat, quod habet aliquod membrum diversum ab humana specie, vel secundum totum ab humana specie distat, ut puer capite canino, vel bubulinis cruribus, aut equinis, vel ex muliere natus Canis, aut Lepus, aut ex Equa puella, & alia ad hunc modum. Quod peccat secundum quantitatem, aut est mutilum, aut excedens; utrumq; aut deficit, aut excedit in particulis membrorum, aut in membris ipsis, vel in partibus maioribus, ut capite, & cruribus, veluti si capite careat, vel gemino dotetur, vel quaternis crutibus, aut quaternis brachiis constet: vel peccat in quantitate secundum totum, ut Gigantes, & Pygmæi.

Aut etiam cum Liceto dicamus, monstrum esse 39
aut uniforme, aut multiforme, & utrumq; cum his omnibus prædictis coniungi potest. Sed & quod excedit, potest excedere in re suæ speciei non conveniente, ut si cornutus infans sit, aut caudatus, aut alatus, aut ungues habeat aquilinos, & alia his similia; nam hæc videntur omnia monstrorum genera, quæ in humana specie fieri possunt, comprehendere.

Non prætereunda tamen monstrorum divisio à Martino Vveinrichio allata, quanquam ad rem nostram minùs facit, etiamsi maximè ex re sua sit Monstrorum alia esse voluit divina, alia naturalia, 40
alia voluntaria, vel artificiosa, alia fabulosa. Magis ad rem nostram facit, quam deinceps affert; Monstrorum, inquit, alia speciem mutant, alia non mu-
tant; quæ non mutant, ea vel in intemperie insigni, 41
vel in conformatione degenerant, vel soluta unitate: in conformatione quadrupliciter, figura, numero, magnitudine, & situ. Quæ speciem mutant, sunt quæ morphen, & partium constitutionem speciei convenientem ex toto non habet, sed alienum quid repræsentant, eaque maximè inter cætera monstri nomine insignienda: quovis verò modo monstra dividas, dummodò differentias omnes comprehendas, ego nihil moror.

SUMMARIUM.

1 *Causa Monstrorum, aut Physica, aut Metaphysica.*
2 *Causa Metaphysica.*
3 *Physica Monstrorum causa.*
4 *Physica Monstrorum secundum omnia causarum genera considerata.*
5 *Deus aliquando, non semper, est Monstrorum causa, nisi permissiva.*
6 *Mali Angeli non semper monstrorum causa.*
7 *Monstra ex incubis, & succubis.*
8 *Generatio ex incubis & succubis facta, ex principiis naturalibus est.*
9 *Monstruositatis causa ex parte Dæmonis.*
10 *Cœlum non est monstrorum causa.*
11 *Semen quomodo sit causa monstrorum.*
12 *Miscella seminum diversorum specie animalium, an monstrorum causa esse possit.*
13 *Uterus quomodo sit monstrorum causa, & numero 15.*
14 *Uteri angustia quorum monstrorum causa esse possit.*
16 *Uteri tortuositas quomodo esse possit causa monstrorum.*
17 *Mulier quomodo sit monstrorum causa.*
18 *Imaginatio an esse possit monstrorum causa.*
19 *Imaginatio non tantum potest, quantum plerique sibi persuadent.*
20 *Omnis monstrorum proventus plerumq; ex parte seminis.*
21 *Monstra quæ excidunt, à semine superabundantia.*

De causis generationis Monstrorum.

QUÆSTIO II.

VArias, ac inter se dissidentes monstrorum causas Varij, ac inter se dissidentes Doctores attulerunt: plures tamen eorum duplex causæ genus 1
constituunt, Physicum unum, Metaphysicum alterum. Metaphysicas dixerunt esse aliquando Deum, 2
interdum malos Angelos. Physicas, semen ipsum conceptum, hoc aut illo modo malè dispositum, 3
uteri ipsius naturam & constitutionem, eiusdem angustiam, vel improportionatam amplitudinem, vel tortuositatem, mulierem ipsam, eiusque vehementem imaginationem, ac deniq; ipsum Cœlum. Licetus multâ diligentiâ has causas prosecutus est, secundùm quatuor genera causarum, nempe materiale, formale, efficiens, & finale, de quibus apud

pſum *lib.* 1. *de Monſtr. cap.* 6. *& ſeqq.* ſed non minori diligentiâ eaſdem cauſas conquiſivit Martin. Vveinrich. *in lib. de Ort. monſtr.* & Bauhin. *de Hermaphrod.* nonnullas etiam eorum recenſuit Joan. Hieronym. Bronſe. *de princ. eff. ſem. inſit. ſect.* 2. *capite* 18. & ne in his Juriſconſultus deſideretur, habes Alph. à Carranz. *in libro de Part. leg. & nat.* qui *cap.* 17. *à numero* 85. *ad ſeqq.* diligenter easdem cauſas dinumeravit, ad quem lectorem Juriſconſultum remitto, nam lectorem Medicum ad ſupracitatos relegaverim Auctores.

5 Ego in his prolixior non ero, ſed ad ea immediatè me conferam, quæ ad noſtrum negotium magis facere videntur. Quoad Metaphyſicas ergo cauſas, & primò quoad Deum, videtur dicendum, Deum pro cauſa Monſtrorum admittere, ſicuti aliquandò videtur neceſſarium, Delrius *lib.* 2. *diſquiſit. Magic. quæſt.* 14. ſic ſemper aliter, quà permiſſivè ad eorum generationem illum concurrere, & ſuperfluum videtur, & ab omni veritate alienum, ut doctè convincunt Martin. Vveinrich. *loco cit. cap.* 10. & Licet. *lib.* 1. *de cauſ. monſt. cap.* 1. quam opinionem ſecutus etiam eſt Polyd. Virgil. *lib.* 3. *de Prodig.*

6 Malos autem Angelos ſemper eſſe Monſtrorum efficientes cauſas externas, non eſt verum, ſed aliquando poſſe, non ſit per nos à vero alienum. Idem Vveinrich. *ibid. cap.* 11. Non videntur tamen Do-
7 ctores ullo modo explanare, quomodónam Dæmones ſint monſtrorum cauſæ, quippe qui tradant ſuccubos Dæmones viris ſuccumbentes, deciſum ab illis ſemen excipere, dehinc incubos factos mulieres comprimere, ex eo autem ſemine concipere ipſas mulieres, ac monſtra inde generari: quod tamen non videtur ullâ ratione conſequi de neceſſitate, quia generatio per ſuccubos, & incubos procurata (ſi modò id poſſibile ſit, videtur enim difficile, ne dicam impoſſibile) ex principiis naturalibus
8 ſit, ex ipſis nempe humanis ſeminibus invicem ad agendum, patiendumque ab ipſo Dæmone applicitis, at ſi hæc principia aliunde non impediantur, ſed in ſuo naturali robore, & energiâ conſerventur, non idcirco monſtroſos fœtus generare debent, quòd per Dæmonem in actum proximum generandi perducatur; nihil enim de ſuo Dæmon in generatione admiſcet, cùm ſubſtantia ſit ſpiritualis, & incorporea. Ergo huiuſmodi ſemina humana invicem concurrentia, & in actum generandi perducta, naturalem, ac inſitam ſibi virtutem generandi, nonniſi naturales partus procreabunt. Quòd ſi aliquo modo Dæmon eſſe poſſit monſtrorum cauſa, non magis fiet in conceptu ex ſuccu-
9 bis & incubis, quàm in quocunque alio conceptu per naturalem agendi modum, coniunctione nempe maris & fœminæ, ſuſcepto; in utroque enim caſu poteſt Dæmon læſionem aliquam ſeminibus, in actu ipſo concipiendi, vel poſtquam concepta fuerint, communicare, aut ipſum iam adultum in utero fœtum, quovis modo, permittente Deo, monſtroſum reddere, & non aliàs: ſed hoc fortè non tam de facili evenire poteſt; nos autem cauſas quærimus, quæ ut plurimùm in generatione monſtrorum concurrunt.

10 Quoad Phyſicas ergo cauſas, Cœlum inter eas admulum, contra aſtrologorum ſententiam, cumulatiſſimè reiicit Vveinrich. *loco ſuprà citato.* Reſtant igitur aliæ cauſæ ſuprà numeratæ, ante quarum conſiderationem non videtur ſilentio involvenda eorum opinio, qui, ut pleraque alia in hoc ſublunari mundo evenientia, monſtra caſu, aut fato contingere voluerunt. Facit Ariſtot. 2. *Phyſ. text.* 82. & illud Senecæ *Hippol. act.* 1.

—— *Maius eſt Monſtro vitium,*
Nam Monſtra Fato, moribus ſcelera imputes.

Adhærere huic opinioni videtur text. *in l. Quæret aliquis. ff. de ver. & verb. ſignif. ibi* Neque id, quod fataliter acceſſit, Matri iniungere damnum debet. Alciat. *ibid. numero* 3. Quam tamen ſententiam improbat Hieron Magg. *lib.* 1. *Miſcell. cap.* 20. Reiecto ergo ſimul cum ſuperioribus Fato, caſu, & omni accidentali cauſa pro cauſa Monſtrorum, reliquum eſt de cæteris cauſis conſiderare. Empedocles apud Plut. *lib.* 5. *de Plac. Philoſoph. cap.* 8. Monſtra propter ſeminis redundantiam, aut defectum, aut propter motus perturbationem, aut propter diviſionem ipſius in plures partes, aut propter 11
nutationem gigni pronunciavit. Neque dubium eſt, ſemen obtinere primum locum in genere harum cauſarum: & quantum ego exiſtimo, prædictæ eius Philoſophi ſententiæ inhærens, illud potiſſimam, & frequentiſſimam cauſam monſtrorum agnoſco. 12

Sed dubitatur, utrùm miſcella ſeminum diverſorum ſpecie animalium id poſſit, & de hoc in proptia quæſtione, eſt enim hic punctus magni momenti, & maximè controverſus.

Plerique autem pro Monſtrorum cauſa uterum 13
adduxerunt, cùm aut nimis parvus & anguſtus eſt, ita ut diſtendi in tantam capacitatem nequeat, quantum fœtus in ſui augmentum expoſcit; vel cùm idem uterus eſt nimis amplus & capax, ita ut ſemen undequaque amplexari non poſſit, & ſic non porens in ſeipſum coire, diffluat. Verumenim verò haud veriſimile ſit, vel anguſtiam, vel amplitudinem uteri unquam eſſe poſſe Monſtrorum, maximè inſignium, cauſam: nam quoad anguſtiam, certum eſt, 14
quòd ſiquod monſtrum ex ea cauſa generaretur, maximè generaretur id, quod peccat in defectu quantitatis ſecundum totum, ut Nani ſunt & Pumiliones; ſed hoc ob uteri anguſtiam ſuccedere non poteſt, nam dato quòd ſemen habeat inſitam virtutem aptam ad fœtus ipſius augmentationem, & diſtenſionem, ſecundum omnem corporis dimenſionem, ea otioſa nequaquam permanere poterit, ſed alterutrum conſequi neceſſe erit, aut abortiri fœtum, aut ſeptimeſtrem & ante debitum tempus naſci, ita enim docuit medius fidius Hippocr. noſter *in libro de Nat. Puer.* qui & ob eandem cauſam fœtus debiles naſci tradidit, *libro de Genitura, in fin.* vel in utero ipſo contabeſcere, cùm augeri prohibeantur. Sed neque uteri amplitudinem, pro cauſa monſtrorum acceptaverim, quia quantæcunque amplitudinis uterus ſit, debet, ſi ulla ſecutura eſt conceptio, ſuper ipſum conceptum ſemen recolligi, illudque arctiſſimè undequaque amplexari, ita ut ne minimum quidem vacui inter conceptum ſemen, & corpus ambientis uteri intercedat, aliàs impoſſibile eſt, ullam ſequi conceptionem. Si quid ergo in
culpa eſſe poſſit uterus in generatione monſtro- 15
rum, id fiet, cùm alia in parte calloſam duritiem contraxerit, quæ facilè impediat, ne ſecundum eam partem diſtendatur; inde enim fieri poteſt, ut membrum illi parti correſpondens vel non augeatur, neque ſaltem ad debitam magnitudinem perveniat, vel augeatur quidem, ſed obtortum evadat, aut aliàs malè conformatum, non potente utero ſeſe, ut dixi, ſecundum calloſam, induratam, aut ſcirrhoſam partem diſtendere.

Sed & uteri ipſius tortuoſitas inter monſtrorum cauſas adnumeratur à nonnullis DD. quæ an id poſ- 16
ſit,

ſit, adhuc non video, putaverim enim tortuoſitatem uteri potius conceptum impedire, quam monſtrum cauſare, militat enim hic eadem ratio quam ſupra de amplitudine ejus attuli; neceſſe enim eſt uterum ſuper conceptum ſemen recolligi, unde quantumcumque tortuoſus exiſtat, ſi ſequi debeat conceptio, rotundari, ut ita dicam, illum oportet, & in orbem ſuper ipſum ſemen coadunari, ut nullus externo aëri locus, aut cuivis rei eſſe poſſint; quod inconveniens ſequi neceſſe eſt, quandocunque uterus orbiculariter ſemen non amplexetur; datur, namque aliquod vacuum in aliis figuris inter ſemen, & uteri corpus, & ſic conceptio ſequi, aut ſaltem perfici non poteſt.

Mulier, denique ipſa pro cauſa generationis Monſtrorum maxime admittenda: hæc enim in-
16 concinno coitu, agitatione in eo actu celebrando, ac præcipuè in ſeminum emiſſione, aut illico ab ipſa conceptione, & motibus inordinatis, & laborioſis, crurumque inopportuna decuſſatione, & aliis mille modis, poteſt inſignem aliquam oblæſionem fœtui ipſi afferre, ac talem, ut ex ea monſtroſus in lucem edatur. Sunt & præter hæc in harum cauſarum cenſu, ipſius Mulieris pathemata, Animi vehementia & maximè ſubitanea, ita ut validum excitent humorum, ac ſpirituum motum: nam hoc pacto factum puto, quod habente quadam muliere in utero gemellos, & timore maximo perculſa, quod ex improviſo muliercula alia prægnantis ipſius capite arrepto, ludibunda alterius mulierculæ proximè adſtantis capiti illud allideret, gemelli frontibus cohærentes nati ſint; diſruptis namque ex valido motu, ut credo, membranis fœtus involventibus, ſi in diverſis includebantur, aut alliſis ſimul gemellorum tenerrimis capitulis, ſi unicâ continebantur, facile fuit eos ſimul ſecundum alliſam partem cohærere: ſic & alias evenire in aliis poteſt.

17 Reſtat ultimo loco inter Monſtrorum cauſas adnumerata imaginatio, quam plerique, ne omnes dicam, ex DD. acceptant, ut ex Juriſperitis, Gloſſ. *in l. Quæret aliquis, ff. de verb. & rer. ſign. in verb. fataliter* Damhoud. *in Enchirid. rer. crimin. cap.* 84. *num.* 29. & alii apud Torrebl. *lib.* 2. *Demonolog. cap.* 33. *num.* 42. & apud Cartanz. *de Part. cap.* 17. *num.* 86. & de Medicis plures è ſupradictis recenſiti. Ac plura quidem ex hiſtoriis monſtra referuntur, quæ in nullam aliam cauſam reiici poſſe exiſtimantur, quam in Matris imaginationem; quorum plura vide apud Thom. Fien. *de virib. imaginat. quæſt.* 13. & alibi eo in opere; hanc enim in omnibus, ſed maximè in Prægnantibus magnam habere efficaciam volunt; quod facile etiam declarant frequentes maculæ, quas fœtus in ipſo Matris utero ex ipſius Matris deſiderio, vel imaginatione vehementi alicujus rei contrahunt. Sed quemadmodum ego nonnihil utcunque Imaginationi tribuo præcipuè in Prægnantibus, ita vim talem ac tantam, qualem ac quantam aliqui illi concedunt, adimendam illi putaverim: nam ſi tantum poteſt imaginatio, quantum poſſe nonnulli ariolantur, huic quantam feneſtram ad monſtrorum generationem patefaciemus? nulla dies, nulla hora, nullum momentum abſque alicujus Monſtri ortu tranſigetur quæ tamen tam raro viſuntur, ut non ob aliam cauſam, tantam nobis admirationem incutiant: in quot enim abſurda, Deus bone, labitur in horas; & momenta Prægnantium imaginatio? At, inquies, plura concurrant neceſſe eſt, ad hoc ut Imaginatio in fœtu operetur, ut eſt ipſius Imaginationis vis vehementia, validus ſpirituum modus ex validâ aliqua Animi paſſione excitatus, ut ex avidiſſima cupiditate, ex improviſo terrore, ex inſigni diſplicentia, & hujuſmodi; tempus autem præciſum generationis ipſius fœtus, cum aut ſolum in actu ipſius generationis, aut dum adhuc fœtus tenerrimus eſt, ut in primis quadraginta diebus, aut primis tribus menſibus ab Imaginatione alterari aliquo modo poſſit, ut percurrit Thom. Fic. *de vir. Imag. quæſt.* 22. Quæ conditiones non tam de facili ſimul concurrunt ut tam frequenter monſtra generari debeant. Et tamen hæc mihi non videntur adeo connexione incompoſſibilia, quod non debeat multo frequentius apparere, ac ſimul ad ejus effectus productionem concurrere.

Maxime item mirandum eſt ſi Imaginatio tantum poteſt in immutatione fœtus, ac ſignanter in producendis quibuſdam maculis, ac ſtigmatibus (quod minimum eſt reſpectu generationis Monſtri) cur mille rebus, quas Prægnans mulier appetierit, avidiſſimeque deſideraverit, vix unius ſtigma in fœtu imprimatur: plura enim, & maximo cum fervore pluries appetere prægnantes conſpicimus, quibus partim ſua vota explent, partim autem carere coguntur, & tamen fœtus de raro ſignantur; certè ſi ſemper ſignarentur, eſſemus iam omnes Pantheræ corio maculoſiores. Sed cur Bruta ipſa, ea præcipuè, quæ palam coëunt, quotidie monſtra non generant, nempe fœtus ſuos ſuæ ſpeciei figura deformatos? habent enim imaginationem multo quam noſtræ fœminæ vehementiorem, ob id quod mulieres à ſuperiori facultate ab Imaginationis intentione diſtrahuntur, quod in illis non habem locum. Cur ergo Canes coram hominibus quotidie coëuntes & dominos ſuos præſentes, & in ipſo actu coitus, & conceptionis, & toto gravidationis tempore vel blandientes, vel objurgantes, minitantesve eos conſpicientes, indeſinenterque cum illis commorantes, catulos ſuos ſaltem tantiſper à ſua ſpecie immutatos non generant? aut cur ſaltem non pariunt ſimiles fœtus aliis animalibus, coram quibus aſſiduè coëunt, & cum quibus perpetuo commorantur, quorum ſpecies, eas in Imaginatione perpetuò ſervare: & facile illis obiici poſſe veriſimile eſt? imo non modo alterius ſpeciei animalibus ſimiles catulos non generant, ſed neque ipſis canibus, qui in ipſiſſimo coitus actu præſentes non modo plurimum ſunt, ſed petulanti ardore, alacrique ſalacitate fœminas maribus cohærentes ſuper inire ſatagunt; verùm parentibus ſimiles catulos generant, cum omnino concedendum, ex mea ſententia, ſit, plurimum fœminarum imaginationem à moleſtantium canum petulantia in ipſo coitu, eorum imagine alterari, & maximè tunc diſponi poſſe ad conceptus figuram alterandam, ſi id naturaliter Imaginatio poteſt, quod mihi difficulter perſuadetur: nam magis rationi conſonum duxerim, imaginationem poſſe ad libitum fœtum delineare, & formoſiſſimum effingere, quin & marem, & fœmellam pro ſuo arbitrio procreare, cur non poterit? An non facilius eſt, Imaginationem Naturæ in ſuo opere effingendo opitulari, quam ipſam per ſummam vim ab opere divertere, ac deviare? Naturam enim obſecundare, quam illi obſiſtere, multo facilius putaverim.

Denique ſi Imaginatio alterare poteſt conceptum & illum monſtrificum reddere, ut exempli gratia, conciliare illi figuram bovis, vel caput ranînum, vel hujuſmodi quid, vel id faciet in inſtanti, vel tempore quodam proportionato. In inſtanti non, quia

vel facit in quolibet inſtanti, vel in certo; ſi in quolibet, poterit jam de una figura fieri tranſitus in aliam, etſi in hoc inſtanti mater imaginata bovem, filio conciliet formam capitis bovinam, vel imaginata ranam, raninam, de hinc ſi imaginabitur Aſinum, fiet metamorphoſis de bove in Aſinum, vel ſi imaginabitur avem; fiet immutatio ranæ in avem, quod eſt ridiculum. Si vero id facit in certo inſtanti, vel facit ante fœtus formationem in primis ſeptem conceptionis diebus, (non enim ante hoc tempus, vel ſaltem ante tres dies, fœtus formantur, ſi Hippocrati credimus) vel poſt. Antè non quia imago ab Imaginatione communicata non poteſt in informi ſemine ſervari, ubi nulla adhuc conſpicitur partium differentia & diſcriminatio. Non poſt quia hic Imaginatio, quæ eſt cauſa per accidens, & momentanea, eſſet Natura fortior, quæ eſt cauſa per ſe, & immutabilis unde conſequens eſt, Naturam indeſinenti ſua operatione Imaginationis brevem, ac non propriam operationem evincere, & ſi quid communicare poſſet, ab illa obliterari. Interim notandus Carranza *lib. de Pœn. cap. 17. num. 91. verſ. Tertia cauſa principalis, & deinceps:* qui in omnibus ſuam ſententiam immiſcens, magnorum virorum opiniones audacter irridet ac refellit, non ullâ ratione, ſed ex propria aſſertione, nec, quod majori reprehenſione dignum eſt, ex adverſo oppoſitas rationes convincit, ut in hoc propoſito Joannis Huarti ſententiam, qua contemnit eorum opinionem, qui Imaginationi vim tribuunt ſignandi fœtum in Matris utero, reprobat; & audaciam notat, neque tamen ejus argumentis ſatisfacit; quod mirum non eſt, quanam enim ratione leguleius hic ſubtiliſſimis ejus Auctoris) rationibus ſatisfaceret; Magis prudenter Torreblanc. *lib. 3. Dæmonolog. cap. 33. à num. 48. ad ſeqq.* Huarti ſententiam examinans, illi tandem ut probabiliori adhæret; hoc enim pacto à doctis viris fieri ſolet. Quamobrem ex his concludã Imaginationem omnino à numero cauſatũ hic eſſe eliminandam. [Quantum vero poſſit imaginatio Prægnantum vide apud Horſtium *tom. 1. de ſimil. & diſſim. nat. tom. 2. de morb. mulier.* Marcell. Donatum *hiſt. mirab.* Deuſingium *ſecund. fœtus Muſſipont. pag.* 105. Digbæum *de pulvere ſympat. &* Laur. Strauſſium *epiſtol. ad Rigbæum de hoc pulvere ſcripta pag.* 139. Marcum Marci *Idearum operatric. Id.*

Cæterum cum varia ſint genera monſtrorum, & monſtrum ſit quid præter naturam, & per accidens ita genitum; non poſſunt omnia ad unam eandemq; 20 cauſam reduci, ſed neceſſe eſt unumquodque genus habere ſuam adæquatam, & proportionatam cauſam: & licet plerumque monſtra talia generentur ex parte ſeminum, tamen ipſa ſemina non ſem- 21 per eodem modo ſunt diſpoſita. Defectus ergo, & ſuperabundantia membrorum in monſtris, non aliam poteſt habere cauſam, quàm defectum, & ſuperabundantiam ſeminum. Tortuoſitas monſtroſa à mulieris inconcinno decubitu aut ab inconcinnitate in actu ipſo coitus dependentiam haber. Membrorum mutatus ſitus ex ſeminum, vel cyematis ipſius, vel effluxionis trepidatione & concuſſione originem ducet. Figura in maxime extraneas figuras degenerans, ſeminum, ſanguiniſque alentis vitium inſigne denotabit. Degeneratio in alteram ſpeciem, miſcellam diverſorum ſpecie ſeminum commonſtrabit: maculas quaſdam, ſi libet, ad imaginationem refert, ego ad ſanguinis ipſius vitium referrem, & ſic de ſingulis conſiderandum.

SUMMARIUM.

1 *Ex diverſis ſpecie animalibus tertium generari non poteſt*
2 *Proceſſus in infinitum à natura alienus.*
3 *Animalia ſpecie differentia quando cœuntia generare poſſint.*
4 *Homo à cæteris animalibus quantum differat.*
5 *Homo cum multis animalibus convenit in tempore ferendi uterum.*
6 *Propter formæ nobilitatem non poteſt ulla ſpecies cum humana commiſceri.*
7 *Maxima ſubſtantiarum diſſidentia impedit generationem inter Hominem, & Brutum.*
8 *Animalia ſpecie differentia cœunt & generant inter ſe.*
9 *Natura diſſidentia non ſemper impedit generationem inter animalia ſpecie diverſa.*
10 *Magnitudines diſparitas an generationem inter ſpecie diverſa animalia impediat.*
11 *Nullum animal naſci poteſt, niſi ſibi determinato tempore.*
12 *Homo ex Ariſtotele, in tempore ferendi uterum cum omnibus animalibus ambigit, contr. num. 14.*
13 *Proprietates naturales ſunt inſeparabiles.*
15 *Carranza notatur.*
16 *Proprietas naſcendi hoc magis, quam alio particulari, ac præciſo tempore, eſt individuorum, non ſpeciei.*
17 *Cur non idem omnibus individuis ejuſdem ſpeciei naſcendi tempus.*
18 *Fœtus quando naſcatur.*
19 *Monſtra non vivunt.*
20 *In natis ex diverſis ſpecie animalibus, quædam naturales parentum proprietates non ſunduntur, quædam non.*
21 *Cur ex diverſis ſpecie animalibus non poſſit ſemi generatio, alia cauſa reſpiciens eorum, & conſtitutionem genitalium.*
22 *Semen ex Galeno principium ſui motus non habet in diverſas ſpecies.*
23 *An ex Homine & Bruto ſequi poſſit generatio, peculiaris conſideratio.*
24 *Semihumanorum monſtrorum hiſtoria cur ſuſpecta videri poſſint.*
25 *Ut conceptus quicunque ex duobus ſeminibus ſequatur, neceſſe eſt ea ſemina miſceri tota per tota.*
26 *Quanam cauſa ab extra concurrere poſſint, quæ impediant, generationem inter hominem, & Brutum.*
27 *Concurſum, & commixtionem ſeminis humani, & Brutini in ipſo coitu fieri, nulla cauſa videtur impedire poſſe.*
28 *In quibuvis viventibus dari calorem quendam cæleſtem & divinum.*
29 *Calor vivificans humani ſeminis differt à calore ſeminis bellini, ſecundum majorem, & minorem perfectionem.*
30 *Calor magis perfectus non corrumpet, ſed vivificabit calorem minus perfectum.*
31 *Quale monſtrum ſecuturum eſſet ex commixtione ſeminis humani, & bellini, ſi quando fieret, non ſatis conſtat.*

Quæ Monſtra ex diverſis ſpecie animalibus progigni poſſint, quæ non. Quæ item ex humana ſpecie poſſibilia, quæ non.

QUÆSTIO III.

DE Monſtris, quæ ex diverſis ſpecie Animalibus progignuntur, multum inter Philoſophos ambigitur. Negant aliqui ex diverſis ſpecie animalibus tertium generari poſſe, & ratio pro his evidens eſt; nam quod ex duobus animalibus ſpecie differentibus naſcetur, aut cum ſuo compare generabit, aut non; ſi primum, dabitur hoc modo proceſſus in infinitum, qui à Natura eſt maximè alienus; indies enim novæ animalium ſpecies pullulabunt Si ſecundum, videbitur Natura fruſtra aliquid facere, & à ſuo fine deviare, qui cum is ſit, ut ſeipſam in ſpeciebus conſervet, non poterit illum ullâ ratione per hæc individua aſſequi. Sed huic opinioni, & 1

ratio-

rationi in ejus favorem allatæ refragatur experientia, nam nasci videmus animalia ex specie differentibus patentibus, quæ inter se aliquando generant, aliquando non, cujus rei testis instar omnium locupletissimus sit Arist. *lib. 2. de Gener. anim. cap. 5.* immò in ejusdem Aristotelis sententia volentis, fœminam non habere semen, sed tantùm subministrare suo sanguine nutrimentum semini masculeo, ex quocunque Mare fœminæ alterius speciei conjuncto, poterit testium facilè nasci; quid enim obstare potest, quo minus semen masculeum nutriatur sanguine cujuscunque fœminæ extrà Maris speciem.

Rationi in contrarium adducta satisfit dicendo, quòd alterutrâ ex suppositionibus admissa, neutra ex consequentiis sit necessaria: nam animalia ex patentibus specie differentibus orta, si inter se generent, non novam speciem generabunt, sed in primam redibunt; quòd si non generent, ut de Multis evenit, hoc non ex Naturæ fraude aliquid facere, quia intentio Naturæ est conservare se in individuis susceptis secundum ejus dispositionem, non in his, quæ præter ejus intentionem oriuntur. Aristoteles 3 *ubi supra*, & 4. *ejusdem, cap. 4.* quem plerique sequuntur, admittit quidem generationem inter animalia specie differentia sed tres concurrere conditiones ex necessitate, ad hoc ut inter ea sequatur generatio, voluit. Quarum prima est, ut naturâ non multum distent; secunda, ut magnitudine corporis non admodum impatia sint, tertia, ut utriusque gestationi uteri tempora concidant: sic Canes & 4 Lupi, Vulpes & Canes, Equi & Asinæ coeuntes, prolem ex coitu suscipiunt; sic etiam ex Avibus Perdices & Gallinæ, cùm in eis omnes prædictæ conditiones concurrant. Contrà verò ex homine, & Bruto non videtur posse sequi generatio defi entibus omnibus prædictis conditionibus. Homo quippe naturâ à Brutis, cæteris que quibuscunque animalibus tantum distat, ut cum nullo omnino conveniat. Temperaturæ enim bonitate omnia excellit, formæque immortalitate unicus inter cætera existit; Magnitudinem item, maximè propter corporis constitutionem & figuram, nulli par videtur. Quod magis palam fiet, si eorum, quæ maximè figuræ similitudine cum homine gaudent, qualitates, & conditiones examines: nam Homo solus bipes est, & erectus incedit, exterorum animalium propriissimè, & ex sua natura nullum. Solus Homo manus habet ad omnia opera aptissima cæterorum nullum, quanquam habere æquivocè dici possunt, ut dicit Card. *de Soer. stud.* Soli Homini capitis rotunditas, & amplitudo præ reliquo corpore, est connaturalis, soli Homini Nasus prominet, immo solus Homo Naso dotatur, ut ex Andrea Laur. dixi *lib. 5. superiori, tit. 3. quæst. 4. num. 16.* soli Homini cutis lævitas concessa, cæteris verò horum nihil. Quid de facie dicam, sede pulchritudinis, quâ propriè solum Hominem dotari firmant Doctores; And. Laur. *Anatom. lib. 11. cap. 1.* Talliacot. *lib. 1. de Chirurg. cap. 1.* Quid denique de aliis plerisque particularibus mentionem habeam, quæ hominem tantopere quoad magnitudinem, & corporis constitutionem, & figuram, à cæteris animalibus secernunt? ex his enim omnibus videtur constitutio, & figura Hominis cum constitutione, & figura aliorum animalium incompossibilis; quia videtur à Natura quodlibet semen determinatum ad conformandum totum hoc, & non alio modo, nempe tali, & non aliâ figurâ, hac, & non aliâ temperie, hoc, & non alio situ, hoc, & non alio numero, ita ut semen hominum nonnisi figurâ humanâ membra dotata conformare possit, etiam abstracta ab ip[illegible] semine formâ immateriali, & Equinum equinam, etiam abstracta à formâ totius: aliter videtur ex quolibet semine quodlibet animal, quoad externam figuram, generari posse, si foret indeterminatum ad certam figuram communicandam. Hoc autem importat illud Hippocr. semen rapere secum ideam omnium partium, quod optimè plurimum demonstrat Ludov. Marcat. *Consult. Medic. num. 20. vers. At cùm prorsus.* Non videtur ergo quòd semina commixta ex Bruto & humano possint generare unum quid, quod sit medium inter duo corpora, tantopere in tam multis conditionibus inter se dissidentia.

Sed præter hæc, homo tempora gestationis cùm 5
nullis habet communia, quod nullum, ut Aristoteli, aliisque placet, statutum tempus pariendi sortiatur. Si ergo cum nullis convenit, cum nullo commixtus generabit; cætera enim semina aut prævenient, aut subsequentur, quod ex semine humæno generabitur; & sic cùm simul nasci non possint, impossibile erit ea simul commixta generare.

Sed præ his maximè urgere videtur intrinseca 6
hominis forma, propter cujus nobilitatem nulla omnino species commisceri cum humana potest. Quomodo enim immortalis, incorruptibilis, cœlestis, cum mortali, corruptibili, & terrestri forma convenire in unum potest? aut quodnam tertium resultare ex utriusque principiis materialibus, quod partim corruptibile & mortale, partim incorruptibile & immortale existat? Hoc tamen ad aliam videtur pertinere quæstionem, nempe an quod nascetur ex tali seminum miscella formam hominis habiturum sit, necne? primùm autem videtur quærendum, an seminum commixtio in utero fieri possit, an potiùs unum quodque ab alio successurum sit; an ex commixtis ulla plasmatio fieri possit, an potiùs unum aliud corrumpet, ut infrà.

Nam Galenus quoque *lib. 3. de usu Part. cap. 1. in* 7
princ. hanc seminum miscellam ideò negavit fieri posse, quia propter maximam substantiarum dissidentiam, unum semen ab alio receptum corrumpi necesse sit; quin alias ad hanc ipsam generationem impediendam causas concurrere voluit; nam exemplo deducto ex animali nato ex Homine, & Equo, non constat quomodo tale animal, si nascatur, nutriri possit, cùm Homo ab Equo tam diversa sortiatur nutrimenta; item difficile est demonstrare, quomodo tale animal regeretur in gresso, in sessu, in actionibus. Quæ omnia nihil quicquam generationem in utero, nisi illa substantiarum dissidentia, sed vitam fortè extra uterum impedire possent: at hoc ad rem meam non facit; mihi enim satis est inquirere, an generari tale animal ex tali commixtione possit. Licèt ad ea, quæ Galenus affert non desit responsio: cùm enim ex his seminibus generetur tertium quid, particulare fortè nutrimentum habebit, particulatemque corporis constitutionem obtinebit, nam alias animalia non specie solùm, sed genere differentia commixta generant, ut infrà ostendam, in quibus tamen potiores causæ conceptum impedientes, & vitam extra matris uterum, concurrunt nam cùm tantopere distet modus nutritionis in ruminante à modo nutritionis in solidungulo, & tamen hæc duo simul juncta generent, animal ex tali conjunctione natum vivar, certum est impedimenta, quæ addocuntur ex parte alterutrius, non obstare generationi tertij

cujus

cujuſdam animalis, etiamſi maxima ſint, ut eſt illud quod intervenit inter ruminantia, & ſolidungula quoad nutritionem.

Non diſſimiles allatis ad hoc ipſum rationes attulit Lucret. *lib.* 4. *de rer. nat. & lib.* 5. ejuſd. *in ſubſequentibus carminibus.*

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo
Eſſe queat duplici natura, & corpore bino.
Ex alienigenis membris compacta poteſtas.
Hinc illinc parvis, ut non pari eſſe potis ſit.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoſcere corde.
Principio circum tribus actis impiger annis
Floret Equus, puer haudquaquam, qui ſæpe etiam tunc
Ubera mammarum in ſomnis lactantia quærit,
Poſt ubi Equum valida vires ætate ſenecta,
Membraque deficiunt fugiente languida vita.
Tum demum pueris, ævo florente, juventa
Occipit & molli veſtit lanugine malas;
Ne fortè ex homine, & veterino ſemine Equorum
Confieri credas Centauros poſſe, nec eſſe:
Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas cætera de genere horum,
Inter ſe quorum diſcordia membra videmus,
Quæ neque floreſcunt pariter, neque robora ſumunt.
Corporibus, neque proficiunt ætate ſenecta,
Nec ſimili Venere ardeſcunt, nec moribus unis
Conveniunt, nec ſunt eadem jucunda per artus

Exemplum quoque affert idem Poëta ab inſitione arborum deſumptum; quemadmodum enim impoſſibile eſt ex quibusvis arboribus inſitionem fieri, quæ fructifera ſit futura & maximè ſi fructus utriuſque inſitæ arboris naturam æmulari debeat, ita, immo multo magis difficile eventu eſt in permixtione animalium ſpecie differentium quorumcunque generationem ſequi poſſe.

Sed quia huic ſententiæ videbatur obſtare experientia, cum ex hiſtoriis fide digniſſimis habeamus monſtra hujuſmodi, habentia nimirum membra commixta diverſorum ſpecie animalium aliquando extitiſſe, Ariſtoteles huic inſtantiæ occurrit dicens, talia membra diverſa à propria animalis ſpecie, eſſe tantum per ſimilitudinem talia, non autem verè talia, nempe inquam non habere à forma ſua ſubſtantiali, à parentum ſcilicet ſemine deducta ut talia ſint, ſed ab aliqua accidentali cauſa: De iis autem intelligit, quæ ullo modo inter ſe convenire poſſunt.

Plures autem DD. cum Ariſtotele conſentiunt, & ne omnium catalogum hîc congeram, præter Averroëm ex vetuſtioribus 4. *de Gener. Anim. cap.* 4. eandem ſententiam tuentur ex recentioribus Marcell. Donat. *lib.* 2. *hiſt. Med. mirab. cap.* 1. Card. *de variet. lib.* 15. *cap.* 77. Euſt. Rud. *de med. hum. corp. aff. lib.* 2. *cap.* 59. Faciuntque pro Juriſconſultis nonnullæ Legum auctoritates apud Carranz. *de Part. cap.* 17. *ſub. num.* 71. *in fin.*

Alij denique voluerunt, animalia ſpecie differen-
8 tia quæcunque inter ſe coire, & generare poſſe: circa quod etiam fabulæ, ut puto, referuntur, ut illud eſſe crediderim, quod Leo African. Ex quo Majol. *dier. canic. coll.* 6. refert, Aquilas nempe Lupis in Africa commixtas generare, ex eaque commixtione neſcio quod animal oriri. Neque majorem habet veriſimilitudinem quod jactatur Hominem ſcilicet cum quibuſcunque brutis, & quod multo magis inveriſimile eſt, cum Avibus, & Piſcibus commixtum aliquando genetaſſe, ex tamque nefando coitu interdum fœtum conſueta hominis figurâ prodiiſſe, interdum autem membris ex utroque parente mutatis, alias tandem brutum figurâ patrem, aut matrem repræſentans, idque pro generantium ſeminum majori, aut minori virtute, & activitate; quam ſententiam ſequitur, & tuetur inter recentiores Licetus, *lib.* 2. *de cauſ. monſtr. cap.* 68. & maximè in ea parte, quæ credit hominem cum feris aliquando commiſceri, & generare; Ariſtotelem in teſtem advocat, qui tamen potius contrarium firmare videtur, ſic enim habet: Sed enim impoſſibile eſſe, ut tale monſtrum gignatur, id eſt, alterum in altero animal, tempora ipſa graviditatis declarant, quæ plurimum differunt in Homine, & Cane, & in Ove, & Bove. Licetus tamen alias ſuam ſententiam optimè tuetur, argumentis ex adverſo oppoſitis & contrariis Ariſtotelis auctoritatibus ſatisfaciens, ut apud ipſum unuſquiſque videre poteſt.

Nos priori ſententiæ, neganti abſolutè ex duo- 9
bus animalibus ſpecie differentibus ſequi poſſe generationem, jam ſatisfecimus. Difficultatibus nunc, quæ pro Ariſtotelis ſententia allatæ ſunt, ſatisfaciendum. Primò ergo, quod de Naturæ diſſidentia affertur, non videtur impendire hanc generationem, cùm videamus non modo ea animalia, quæ parum Natura diſtant, ut quorum unum ſilveſtre eſt domeſticum alterum, ut Sus & aper, Canis & Lupus, Aſinus & Onager, inter ſe coëuntia generare, ſed etiam quæ multo magis diſſidens in temperamento, in naturali propenſione, in corporis diſpoſitione, ut Canis & Vulpes (quanquam parum admodum diſſidere vult Card.) Canis & Tigris, Tigris & Panthera, Pardus & Leæna, Canis & Simia, & alia permulta. Prætereo Equum & Aſinum, quos natura multum diſſidere quis non dixerit, cum alter impiger ſit, ſuperbus, animo elato, curſu veloci, alter vero piger, humilis, animo demiſſo, greſſu tardo, ille bello aptus, hic nonniſi oneribus ferendis? Quis non dixerit illos plurimum natura diſſidere, cum unus calidiſſimi temperamenti ſit, alter frigidiſſimi? & tamen hæc Bruta inter ſe conjungi, & quotidie generare quis non novit. Sed omittamus Equum & Aſinum an non toto cœlo diſſident animalia, quæ ſub diverſo genere conſtituuntur, ut quæ ſub ſolidungulorum genere continentur, & quæ ſub genere ruminantium comprehenduntur? & tamen hæc inter ſe coire, & generare. Hippotaurus declarat, partus ex Tauro & Equa ſuſceptus, quem vidiſſe ſe teſtatur Jacob. Rueff. *libro* 5. *de muliebr. cap.* 3. & de quo Card. *libr.* 2. *de Med. contrad. tr.* 6. *contr.* 18. & quem in Gallia infrequentem non eſſe teſtantur nonnulli, & quem denique nos ipſi vidimus, ut ex hiſtoria, quam in ultima hujus tituli quæſtione habes, ſatis liquet. Et de eo etiam Pariſanus, *Nobil. exerc. de ſubtil. lib.* 1. *exerc.* 3. *cap.* 3. Sed & ſupra citatus Jacobus Rueffus *ibidem.* equam à cervo ſubactam pullum peperiſſe meminit poſteriore parte Cervo ſimilem, quem nullus alius equus curſu æquare potuit, ipſumque Ludovicus Rex à poſſeſſore dono accepit, cui ſimile vidimus etiam nos hic Romæ Franciſco Cardinali Barbarino dono miſſum ex Cervo & vacca natum, de quo mentionem habui *Tit. de monſtr. libro ſeptimo, in fin.* Cum ergo tanta Naturæ diſſidentia, quanta intervenit inter Solidungula & Ruminantia, non impediat inter ipſa generationem, certè non quælibet, ſed ſumma diſſidentia concurrere debet, ſi generatio inter hæc animalia fruſtrari debeat, & ideirco bene crediderim falſitatem continere quod de Aquilis cum

Lupis

Lupis coëuntibus refertur, aut de homine cum Avibus, aut Piſcibus commixto; hæc enim fabulam omnino ſapiunt, cum propter ſummam diſſidentiam in quibuſcunque rebus tam ad coitum, quam ad generationem, tam quoad temperaturas quam quoad corporis conſtitutionem, tam quoad victus rationem, quam quoad mille alia ſpectantibus, impoſſibile videatur ex illis ſequi poſſe generationem.

10 Altera conditio, quam deſiderabat Ariſtoteles erat corporum magnitudo non improportionata, quæ item maxima ſit oportet; alias enim inter ejuſdem ſpeciei individua, nullo impedimento eam eſſe conſpicimus; ergo nec inter animalia diverſæ ſpeciei; In humana certè ſpecie in dies animadvertimus prægrandes viros puſillas fœminas gravidas facere, & contra prægrandes mulieres à maximè puſillis viris, & pumilionibus impleri, in canino porrò genere catellam aliquando aſpicies à Moloſſo, ſeu Maſtino initi, qui quadrupla proportione in magnitudine illam exuperabit. Illud verum eſt, fœminam canem magnam à catello iniri non poſſe, ſed non omnino idcirco dicendum, inter hæc animalia ſequi non poſſe generationem, hoc enim ſolum per accidens eſt quia conjungi non poſſunt, & ſic in cæteris animantibus improportionata magnitudo impediet fortè Maris & fœminæ diverſæ ſpeciei conjunctionem, non tamen idcirco ſequitur, quod impediat ex ſua natura generationem, ſed tantum per accidens.

11 Verumenimvero præ omnibus conditionibus quæ inter animalia ſpecie differentia generationem impedire exiſtimat, maximi facere videtur Philoſophus differentiam temporis in utero ferendo. Patet enim nullum animal naſci poſſe niſi determinato, & ſibi conveniente tempore; quod ergo ex duobus ſeminibus ſpecie differentibus conflatur, quocumque tempore naſcitur, (dummodo non ex animalibus deciſa ſint, quæ uno eodemque tempore pariant) aut præveniet, aut retardabit ortum ex parte alterius ex ſeminibus, & ſic impoſſibile erit, ut vivat; at, inquam, non vivat, nam ego quæro, an naſci poſſit, non autem, an victurum ſit tale animal, necne. Sed neque ad vitam obſtare quidquam videtur,

12 quod opponitur: maxime in ipſius Ariſtotelis doctrina, & ſignanter inter hominem, & brutum; quia in ejus ſententia homo in uteri geſtatione cum omnibus ambigit; ergo cum omnibus etiam quoad uteri geſtationem conveniet: licet voluerint nonnulli DD. proprietatem hanc generandi filios, ſeptimo, aut octavo, aut nono, aut decimo, aut undecimo menſe, eſſe quorundam individuorum, quod falſitatis convincitur, ut alias dixi, quia idem homo eidem mulieri junctus modo ſeptimeſtres, aut nonimeſtres generat, non ſemper autem aut ſeptimeſtres, aut nonimeſtres, quod ſuccedere deberet, ſi hæc proprietas à Natura ineſſet, quippe cum hujuſmodi proprietates non ſint ſeparabiles. Sed ego

13 jam monſtravi, hominem in uteri geſtatione, huc

14 eſt in tempore ferendi uterum, non differre à cæteris animantibus, ſed habere ut cætera, ſuum ſtatutū patiendi terminum, conveniente latitudine dotatum ut alia quoq; ſortiuntur: quam ſententiam Cartanz. *de part. in Prolegom. num.* 7. tanquam minus aptè conſideratum reprobat. Vide autem in quas ineptias hominum audacia aliquando eos conficiat, quidque differant ſapientum ab aliorum ingeniis, Ste-

15 phan. Rodericı. Caſtrenſ. *in lib. Hipper. de Alim. part.* 4. & Daniel Sennert. *lib.* 4. *ſuæ pract. Medic. part.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 1. ambo Medici, & Philoſophi illuſtres, hanc meam ipſius ſententiam examinantes, ejuſque & contrariæ ſententiæ rationes ponderantes, illam tanquam communi probabiliorem acceptant, cæteroſque ad eam acceptandam invitant; hic homo autem, qui neque Philoſophus eſt, neque rationes meas aut voluit, aut novit ponderare, audacter eam reiicit, ac improbat, & quod magis deteſtandum eſt, ratiocinationem à me habitam, nonniſi multis in medium productis ſolidis quidem rationibus, ut prædicti DD. judicaverunt: neptam ineptiſſimè appellat. Sed hunc Jurii ſtam ſuæ in confutandis Philoſophicis aliorum ſententiis ineptitudini relinquamus: ad rem meam redeo, & ad Ariſtotelis rationem dicam, verum eſſe, debere unumquodque animal ſtatuto ſibi tempore naſci; nempe Equum menſe duodecimo, vitulum decimo, Elephantem biennio & ſic de cæteris; at quemadmodum quod ex Equo, & Bove progignitur; neque Equus vere eſt, neque Bos, ita ne- 16
que Bovis neque Equi tempore ſtatuto naſci debet, ſed habere illud oportet particulare, quoddam tempus ſui ortus, nempe quod ſatis fuerit illi ad acquirendam ſibi convenientem in utero perfectionem: hæc enim proprietas naſcendi hoc, aut illo tempore, etiamſi quoad univerſale tempus, ſit ipſius ſpeciei, quoad particulare, & præciſum ad dies determinatum, eſt ipſorum individuorum: non enim il- 17
lud tempus ob aliam cauſam à Natura ortui animalium eſt aſſignatum, niſi quia tanto tempore indigent, ut in utero perficiantur, ita ut inducem prodeuntia, & nutriri per os, & externi actis injuriis obſiſtere poſſint; & quia individua ejuſdem ſpeciei variant temperamento, viribus; parentum fortitudine, cœli temperie, & mille aliis conditionibus, idcirco terminus ille non eſt à natura idem in omnibus, ita ut omnia eodem die eademque hora, totidemque diebus ab utero prodeant, ſed latitudine quadam dotantur; atque hoc pacto calidiora individua ejuſdem ſpeciei citius naſcuntur quàm frigidiora; unde mas prior ut plurimum naſcitur, quam fœmina; robuſtiora etiam citius, debiliora tardius naſcuntur; quæ parentes fortes ſortiuntur, maturant exitum, quæ debiles, retardant; cœlo calidiore minoti tempore; frigore, diuturniore in uteromanent; & ſic de cæteris, idcirco hominem à nono affecto ad undecimum, Equum à decimo ad duodecimum, Aſinum & Bovem eodem modo, canem à ſpacio bimeſtri ad trimeſtre; ovem à quarto menſe ad quintum, alia alio tempore indeterminato ſemper, & determinato naſci deſtinavit; ut ex hiſtoricis naturalibus *loco citato*, comprobavi. Ani- 18
mal ergo, quod ex duobus ſpecie differentibus fuerit conceptum, naſcetur eodem modo, cum ad eam perfectionem pervenerit, quæ ſibi conveniens erit, aut naſcetur, cum illi defecerit à Matre alimentum, neque id obſtabit ejus ortui, viveretne poſſit, an non, non enim ex intentione Naturæ univerſali prognatum eſt, unde hac de cauſa Monſtra facilè intereunt, ut alias dum Philoſophis demonſtrabo idque ſibi 19
voluit Virg. *lib.* 6. *Æneid. ibi.*

Centauri in foribus ſtabulant.

ut ſentit Servius *ibi*, ex quo etiam Hieron. Magg. *loc. alias cit.* pro nunc tamen non id quærimus, an quod ex ſpecie differentibus animalibus plaſmatur vivere poſſit, necne, ſed an plaſmari poſſit, aut concipi.

Addo his quoad in natis ex diverſis ſpecie animalibus, cum ſemina miſceantur tota per tota, proprietates quædam naturales etiam confunduntur, neque facilè dices, quam proprietatem tam ab altero

parcn-

parente accipiant, ut ex uno potius quam ex alio accepiſſe affirmare poſſis: aliæ autem non ab utroque parente communicantur, ſed ab alterutro; ſic Mulus ex Equa, & aſina conceptus, habet ita ab utroque parente commixtam figuram, ut à quo magis acceperit, nequeas affirmare, à patre tamen accipit fortitudinem, à matre tolerantiam in laboribus: ſic & Hippotaurus in figura neutri ex parentibus omnino ſimilis, à matre tamen habuit ſpeciei characterem, nempè, ut potius ſolidungulus, quam ruminans naſceretur. Specificam ergo hanc differentiam naſcendi potius hoc, quam illo tempore ab utroq; parente natum recipere neceſſe nequaquam eſt, ſed ab alterutro; aut etiamſi contendas utrumque in hoc cooperari, naſcetur, ut dixi, peculiari quodam tempore, nempe cum perfectionem acquiſierit. At dices, unum quidem ſemen perfectionem tunc fortè acquiſierit, alterum tamen non, & ſic interibit; at ſit ſeminum fieri poſſit perfecta commixtio, ex duobus unum fieri neceſſe eſt, quod talem inducat proprietatem, ut tali tempore naſcatur. Redeundum ergo ad id, an ex hoc quod hæc ſemina perfici, & deduci in actum eodem tempore non poſſunt, eorum etiam commixtio impediatur; & ſic non quærendum de temporis diverſitate in utero ferendo, hoc enim nihil omnino ſeminum commixtionem, & conceptus formationem impedire poterit.

Sed præter impedimenta ab Ariſtotele allata, aliud non contemnendum inſurgit, ex quo inter ſpecie differentia animalia generatio ſequi non poſſit, idque eſt diverſitas conſtitutionis membrorum generationis, & varietas in coëundo. Maris enim, & fœminæ ejuſdem ſpeciei genitalia eâ proportione Natura plaſmavit, ut nullo negotio invicem aptari poſſint, atque eâ ratione cujus ſpeciei mares veretri craſſitudine dotavit ejuſdem fœminas vulvæ amplitudine ditavit; contra, cujus mares membri exilitatem obtinuerunt, ejuſdem fœminæ vulvæ anguſtiam ſunt conſecutæ: ſic & in longitudine eadem proportio in eadem ſpecie quæ ſi aliquando vitietur, conceptus facili negotio impeditur. Sic etiam ſiquibus maribus veretrum oſſeum dedit, ac ita efformavit Natura, ut in coitu tumefactum nodos quoſdam in medio excitaret, quibus cogeret illos cum fœminis cohærere, ejuſdem ſpeciei fœminis ita vulvam efformavit, ut retinendo Maris genitali apta eſſet; non ſic autem in aliis fœminis, quarum mares membro non ita conſtituto dotabantur. Itaque quanam ratione canis ovem inire poterit, aut etiamſi ineat, quomodo generabit, ſi in ipſa commixtione cum ove cohærere, ut ſua natura fert nullo modo poſſit; Putandum enim eſt, animalia, quæ inter ſe cohærentia coëunt, nequaquam generare poſſe, ubi neque ſimul cohærere, neque per conveniens tempus perſiſtere in coitu poſſint: canes enim, qui vel ſui ipſorum vitio, vel fœminarum in coitu adhærere non potuerunt, ſteriles fuiſſe experimento compertum habemus.

Eandem parit difficultatem genitalium conſtitutio quoad magnitudinem, nam quomodo Equus Vaccam ineat, cum ille membri craſſitie, hæc vulvæ anguſtia pro ſui moris capacitate ſit inſignis: aut quam viam reperiet Camelus ineundi Equam, aut aliam fœminam extra ſuam ſpeciem, aut etiamſi ineat, quomodo in emiſſione ſeminum à fœmina ſimul, & mare facienda concordabit? conſentaneum enim eſt calidiora animalia citius, ac promptius ſemen emittere, frigidiora ſerius. Sed & hoc cauſa erit per accidens impediens generationem inter duo animalia ſpecie differentia, quia impeditur generatio ex impedimento conjunctionis maris, & fœminæ. Nobis autem inquirenda intrinſeca cauſa impediens talem generationem in ipſis ſeminibus inhærens, nulla enim prænarratarum ſufficiens ad hoc ex ſua natura videtur.

Galeni quoque ratio ad hoc allata, cùm maximi quidem ponderis ſit, ad trutinam revocanda: ea eſt idcirco, impoſſibile eſſe ex duobus ſeminibus ſpecie differentium animalium generationem ſequi, quia ſemen principium ſui motus non habet in diverſas ſpecies, Quæ ratio licèt experientiâ convincatur, quia videmus ſemina Equi & Aſinæ, Hirci & Ovis, Tauri & Equæ commixta generare, habet tamen facilem reſponſionem, quia procedit quidem de quolibet ſemine per ſe ſeorſim ſumpto, neque enim Equinum ſemen poteſt habere motus ſui principium in diverſas ſpecies, neque aliud quodlibet: at ſi conflatum quoddam ex diverſis ſeminibus accipias, jam hoc habebit principium ſui motus ad gignendum tertium quoddam ex diverſis ſpeciebus commixtum, ob communicatam illi à ſeminibus virtutem; ex duobus enim ſeminibus, quæ ſunt partiales cauſæ conceptus, fit unum totum, quod eſt cauſa totalis ipſius; niſi ergo, ut Galenus addebat, quid impediat ſemina diverſa concipi, quia unum fortè aliud corrumpet, fœtum efformari ex ipſis, non erit ob eam rationem impoſſibile; habebit enim ſemen commixtum ex duobus ſeminibus ſpecie differentibus particularem quemdam motum ad talem aut talem figuram, aut talem & talem formam producendam; & non aliam: idque fiet pro exuperantium ſeminum virtute; quod enim magis exuperabit, plura conceptui tribuet, ſed partim ſemper ſuperare, partim ſuperari neceſſe eſt, cùm utrumque ſemen, ex doctrina Hippocratica & Galenica, habeat principium activum, & paſſivum, tam fœmineum inquam, quàm maſculeum, quod apud Medicos eorum ſequaces eſt acceptiſſimum. 22

Cæterùm particulariter eſt à nobis conſiderandum, an ex homine & Bruto ſimul commixtis ulla ſequi poſſit generatio; nam hoc, ut dixi, non ſolùm concedunt multi viri doctiſſimi, ſed etiam hiſtorias, de quarum veritate piaculum videtur ambigere, in medium producunt. Vidimus jam animalia multum natura diſſidentia inter ſe jungi, & generare, notiſſimumque eſt, quod de Africa jactatur, ab ipſo quoque Hippocrate noſtro ſeria perpetuò, & cera ſectante, (licet ille de Aſia loquatur, ponens nonnullas Africæ regiones in Aſia, ut expoſitores volunt) *libro de Aer. aq. & loc.* memoratum, ubi & ejus rei cauſam affert dicens, *Vincit enim in ipſis voluptas, quæ ratio eſt multiformes generari partus, præſertim in feris*; quod & Ariſtoteles fatetur *libro ſecundo, de Gener. Anim. cap. quinto*, notandumque illud in Hippocratis verbis, *Quæ ratio eſt multiformes generari partus, præſertim in feris*, quaſi diffiteatur, in aliis ſpeciebus, & in humana quoque, idipſum contingere. Plutarchus etiam *in libro cui tit. Quòd Brut. rat. utant. prope. finem*, manifeſtè manibus pedibuſque in affirmantem ſententiam ire videtur, quòd homo Brutis commixtus generare poſſit, dicens, *Etenim cum capris & ſuibus, & Equabus ſe commiſcere, & viri tentarunt, & fœminæ propter, ferarum mares in ſanierunt. Ex hujuſcemodi verò nuptiis, & Minotauri, & Ægipanes, &, ut ego quidem puto, Sphinges, & Centauri vobis oriuntur. In parallelis autem, numero 54.* ex Ariſtotele hiſtoriam enarrat Ariſtonis 23

Ariſto-

Ariſtonymi Epheſij Demoſtrati filij, qui Aſinæ ſeſe immiſcuit, & inde Onoſelen virginem ſpecie honeſtiſſimam tulit. & *num. ſeq.* de Fulvio Stella meminit Equam comprimente, quæ ex eo congreſſu Hipponam formoſiſſimam puellam peperit. Plinius prætereà *lib.* 7. *cap.* 7. Indos feras comprimere affirmat, & inde ſemiferos partus naſci tradit. Quin & *lib. eod. cap.* 3. ſub Claudio Cæſare ſe vidiſſe Hippocentaurum narrat ex Ægipto allatum, melle aſſervatum. Huic, inquit, anterior pars humana, equina poſterior erat. Non videtur autem conveniens Plinio in his, quæ ſe vidiſſe affirmat, fidem derogare, maximè cùm ipſe Imperator, ad quem ſcribebat, & alij permulti ex principibus viris tunc temporis poſſent ſcribentem falſitatis convincere. Sed & Ælianus Centauros admittere videtur, *lib.* 17. *de Animal. cap.* 9. & Onocentauram viſam ſe audiviſſe docet: quin *idem. lib.* 6. *cap.* 42. protritam illam hiſtoriam in medium affert Capræ ab adoleſcente paſtore adamatæ, & compreſſæ, ex qua puer natus eſt caprinis pedibus, ſed humana facie. Paſtorem autem dormientem ab hirco ob zelotypiam narrat occiſum.

Sed & Veronæ viſum Centaurum, & à viro quodam impunè interfectum, dicit Franc. Petr. *lib.* 4. *Memorab. tr.* 6. *cap.* 20. ex quo Coraſius, quem refert Menoch. *de Arbit. lib.* 2. *caſu* 491. *numero* 27. Multi ergo ex Recentioribus ob hæc concedere non recuſarunt ſimiles partus ex huius modi hominum cum feris commixtionibus ſuſcipi poſſe. Ut Cardan. *de variet. l.* 7. *cap.* 31. *verſ. Lupos eſſe Canes.* Jacob. Rueff. *de mulieb. libro quinto, cap.* 10. Mercat. *libro tertio, de ſter. & pragn. aff. cap.* 7. *& in conſult. num.* 20. Capivacc. *libro quarto, Pract. cap.* 6. Roderic. à Caſtrenſ. *de morb. mulier. part.* 1. *libro tertio, cap.* 11. Vveinrich. *de Ort. monſtr. cap.* 15. *&* 16. Andr. Laur. *Anatom. lib.* 8. *quæſt.* 14. Fortun. Fidel. *libro tertio, Relat. cap. ult.* Ambroſ. Paræus *libro* 23. *cap.* 12. Licet. *libro ſecundo, de cauſ. Monſt. cap.* 68. Bauhin. *de Hermaphrod. libro primo, cap.* 10. Sennert. *libro quarto, pract. part.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 10. Sebaſt. Naſ. *in pract. Meth. med. part.* 1. *ſect.* 2. *digr.* 2. *q.* [Reies *pag.* 326. *Horſt. Oper. medic.*] & ex Juriſconſultis Gloſſ. *in l. Quæret aliquis. ff. de verb. ſignif. verb. fataliter, & alij.* Hieron. Mag. *Miſcell. libro primo, cap.* 20. Torrebl. *Demonolog. libro ſecundo, cap.* 32. *num.* 10. & noviſſimè Alphonſ. à Carranz. *de Part. cap.* 17. *num.* 77. cum aliis ibi per eum adductis *num.* 91. *verſ. Quinta iſtarum* & ex aliis Profeſſoribus Polyd. Virgil. *lib.* 3. *de Prodig.* Martin. Delr. *libr.* 2. *diſquiſ. magic. quæſt.* 14. apud quem etiam nonnullas hiſtorias vide; relinquam Manilium, ex quo idem Delrius, & alios; omittam quoque Avicennam, *lib.* 18. *de Animal.* & cum his quoque ſentientem Cardanum, *lib.* 4. *de variet. cap.* 77. alioſque Aſtrologos, qui concedunt quidem talia monſtra naſci poſſe, non ad virtutem tamen ipſorum ſeminum, ſed ad Stellarum referunt. Conſultò etiam omitto nonnullos alios ſcriptores, qui ex hiſtoriis fide digniſſimis facti poſſibilitatem comprobarunt, quos tamen ſi quis legere deſiderat, auctores præcitatos evolvat, præcipuè autem Schenck. *in Obſervat.* Vveinrich. Licet. Paræum, Bauhinum [Caſtannedam, Torquemadam,] & alios. Solùm addam, fortè aliis quoque notam hiſtoriam, ſed quam ex manuſcripto quodam diario Paradis de Craſſis habeo, nempe Romæ in Regione Montium, mulierem fœtum ſemicanem edidiſſe regnante Leone Decimo. Et tamen nonnulli ex iisdem Auctoribus, qui id fieri poſſe conceſſerunt, aliâ negarunt, ut Plut. *in libello, qui inſcribitur. Quod non oporteat funerari*, ubi videtur pro impoſſibilitate generationem exiſtimare, in his verbis: *Minimè*, inquit, *Uſurariorum genus peſſimum inveniretur, quemadmodum neque Centauri, neque Gorgones.* Ad impoſſibilitatem etiam retulit idipſum Ovid. *lib.* 4. *Eleg.* 7.

credam priùs ora Meduſæ
Gorgonis anguineis cinctà fuiſſe comis.
Eſſe Canes utro ſub Virginis, eſſe Chimæram,
A truce quæ flamis ſeparat angue Leam.
Quadrupedeſque homines cum pectore pectora iunctos,
Tergeminumque virum, Tergeminumque canem.

Quin & Leges ipſæ ſimilium animalium ortus ad impoſſibile reducendos cenſuerunt, *ut* §. 1. *Inſt. de Inut. ſtipul. & l. ſi ita ſtipulatus. ff. de verb. oblig. & alibi*, ut per Torrebl. & Carranz. *loco. ſup. cit.*

Cæterùm non deſunt in hac re aliæ plures difficultates; & primò hiſtorias Centaurorum, aliorumque monſtrorum ſemihumanorum ſuſpectas 24
mihi mirum in modum facit eorumdem corporum conſtitutio, quòd nempe partim humana, partim ferina membra ſortirentur? nam primò hoc apertiſſimè commonſtrarat ſemina, ex quibus ſunt ge- 25
nerata, non fuiſſe tota per tota commixta; at niſi ſemina ita miſceantur, concipi in utero non poſſunt; aliter poſſet ex alterutro tantùm ſemine fieri generatio, quod eſt impoſſibile. Secundò, dato quòd ſemina ſint quidem commixta in utero, certè oportuit ea diſgregari, ut unumquodque ſibi appropriata membra generaret, atque unum exempli gratiâ generaret caput humanum, alterum verò pectus belluinum, & ſic mixtionem illam diſſolvi oportuit, ac invicem ſemina ſegregari, quod non eſt veriſimile. Tertiò neceſſe fuit dari duo agentia totalia in uno individuo, quod nequaquam concedendum, nam utrumq; ſemen oportuit à proprio agente regi ad hæc, & non alia membra, hoc & non alio charactere inſignita efformare; ſiquidem ſi ex utroque unum agens eſſet conflatum, membra commixta generaſſet, non hæc humana, illa belluina. Denique ſi ab experientia fides deſumenda eſt, numquam videmus animalia ex ſeminibus diverſæ ſpeciei enata, habere partim membra unius, partim alterius ex parentibus, ſed commixta, ita ut aut totum magis ad unius, quàm ad alterius ſimilitudinem accedat, ſed retineat tamen aliquid, aut certè ad nullius, hoc eſt, non magis ad unum, quàm ad alium; at nunquam ſcio repertum mulum capite equino, reliquo corpore aſinino, neque item Hippotaurum capite prorſus Taurino, corpore reliquo prorſus Equino, licèt *Iul. Obſeq. de Prodig. numero* 46. referat Fruſinone Agnum natum capite ſuillo; hæc tamen, & ſi quæ alia his ſimilia referuntur, fabuloſa puto, aut habere quandam ſimilitudinem, ut habent etiam quando ex diverſis ſpecie generantur, ad parentum imaginem, quam tamen, ut dixi, nunquam ſimpliciter, & abſque ulla convenientia cum altero repræſentant.

Denique, præterquam quòd de raro, immò rariſſimè fit, ut tam ab humano ſenſu deviet homo, ut ſe cum Brutis commiſcere in animum inducat ſuum, 26
exiſtimandum eſt quamplurima etiam in tam nefario coitu intervenire, quæ ſeminum miſcellam, & ex iis generationem prohibeant, ferarum nempe ipſarum inobedientiam, quæ ab aliis moribus extra ſuam ſpeciem ſubigi, aut cum alienis fœminis coniungi ſe non patiuntur. Hominis ipſius etiam extremâ laſciviâ gliſcentis abominationem, & verecundiam. Vindicis item divinæ, & humanæ

Legis timorem, necnon coëundi rationem, membrorum genitalium diſparitatem, cuius vis proclivitatis alterius in alterum, & reciproci amoris abſentiam, & alia id genus, quæ me maximè in eam opinionem manuducunt, quòd etiamſi ſæpe ſæpius contingeret tam horrenda, & abominabilis commixtio (quam D. O. M. ab humana progenie eliminet) nonniſi ſumma cum difficultate, aut fortè nullo modo ſuccederet generatio.

Sed neque hæc, licèt de facto generationem huiuſmodi prohibent, rei poſſibilitatem adimere
27 videntur. Quid ergo ad tam implicitam dubitationem reſpondebimus? Poſt ſeminum concurſum, quem nihil impedire poſſe, nemo eſt qui dubitet, videndum an quicquam ſit, quod eorum commixtionem poſſit prohibere. Subſtantiæ, vel materiæ diſſimilitudinem cauſari poſſumus. Et quoad ſubſtantiam, nimis certè diſtare videtur per-
28 fectio caloris ſeminis humani à belluini. At ſi in quibusvis viventibus calorem ineſſe quendam cœleſtem, ac divinum admittamus, quod demonſtrat præ cæteris Fernel. *lib. 4. Phyſiol. c. 1. & alibi*; calor ſeminis humani à belluini calore differet tan-
29 tùm ſecundum magis, & minus; non erunt ergo contrarij, ita ut ſemina commiſceri prohibeant; immò calor magis perfectus vivificabit, non corrumpet calorem inſitum ſeminis belluini, proprium enim videtur cœleſtis caloris vivificare, non
30 corrumpere. At nonne ſubſtantiarum diſſidentiam indicant experientiæ in medium productæ huiuſmodi miſcellæ, humani nempe, & belluini ſeminis; quippe cùm ex illis pateat, nequaquam mixta fuiſſe tota per tota, cùm partim generaverint membra humana, partim belluina, non promiſcuè commixta, ut in cæteris animalibus animadvertuntur, quæ ex parentibus ſpecie differentibus procreantur; Adde quòd anima, quæ eſt in ſemine humano, aut animæ facultas nimis diſtat à natura animæ, quæ deducitur ex ſemine belluino. Sed aliâ tamen ex parte non videtur ulla anima, aut ulla animæ facultas effingi in ſemine poſſe, quia facultas, animæ facultas eſt, unde ſi ulla adeſſet facultas animæ rationalis in ſemine humano, adeſſet & anima rationalis, quod non eſt veriſimile, ſed hæc longioribus proſequitur Thom. Fien. *libro de form. fœtus, quæſt. quinta*, Verùm quoad materiam, an fortè quia unum ſemen magis altero craſſum, tenue, frigidum, ſiccum, calidum, humidum, idcirco ſemina miſceri prohibentur? Certe neque hoc, ſaltem de neceſſitate, quia unum ſemen alterius qualitatem moderabitur, ſi commiſceri permittantur. Miſceri ergo ſemen humanum & belluinum, non eſt quid quod prohibeat. Dehinc in actum produci, & inde aliquam generationem ſequi, & quæcunque tandem illa futura ſit, adhuc non video quid impedimento eſſe poſſit. Quòd ſi hæc aut nunquam, aut tam de raro conſpiciantur, non facti impoſſibilitas, ſed cauſarum ex accidenti concurrentium impedimentum incuſandum. Quale vero monſtrum, qualiſve partus ex tali ſeminum commixtione naſci poſſit, utrum habens partim humana membra, partim belluina, an potiùs ita ſimul commixta, ut in aliis, quæ ex ſpecie diverſis parentibus orta videmus, conſpiciuntur, aut aliud quoddam animal, ingenuè fateor ancipitem me adhuc detineri, neque poſſe experientiâ orbatum (ſummum enim nefas in his experientia) quicquam certi determinari; quòd enim homo inde naſci poſſit, facilè non dixerim, & multo minùs quod bellua; Quid ergo concludendum? ſemina quorumcunque animalium, homine excepto, animam continere certum eſſe debet. Semina igitur eorum cum pari ſemine iunguntur, nempè Maris, & fœminæ aptum locum nacta in Piſces, in Aves, in animalia cætera abeunt, anima ipſa, quam continent, materiam ſeminum & ſanguinis materni informante, in Homine autem ſemen à Parentibus deciſum animam non continet, ſed ſpiritum tantùm diſponentem ſemina ad recipiendam animam rationalem à Deo, ſimul ac ſemina utriuſque iunguntur, infundendam. Modò. cùm ſemen alterutrius ex parentibus ſit tantùm partialis cauſa generationis, ex ſe nihil generat, ſed neceſſe habet iungi compari ſemini, ut homo indè generetur. Si ergo pro ſemine humano ſemen belluinum ex parte alterutrius concumbentis obvium fiat, non poteſt ſimul iungi, quia ſemen belluinum animatum eſt, habetque in ſe formam ſuæ ſpeciei propriam, nempè animalis illius, cuius eſt ſemen, & incapax ex hoc eſt ad recipiendam formam alienam, ſemen autem humanum habet diſpoſitionem ad recipiendam animam rationalem, non aliam, unde neutrum poteſt novam formam admittere, itaque non videtur, quod ex ſemine humano, & belluino poſſit quicquam generari. Sed illud non inficiari auderem, monſtro naſcente, ut natum aliquando iactant, quoquo modo commixta membra humana, & belluina habente, evidens indicium facere, ut nefarij inceſtûs Reus exquiſitiſſimis tormentis torqueri poſſit; Fortè enim D. O. M. ad tam ineffabile ſcelus expiandum, poterit permittere, ut ex infami huiusmodi commixtione aliquid naſcatur, ut eo indicio Reus debitas pœnas luat, ad hoc enim maximè pro Iuriſconſultis tota hæc retum ſeries pertinere videbatur; quod ſi quid aliud eſt, quod pro ipſis faciat, hinc etiam facilè recolligere poterunt.

SUMMARIUM.

1 *Neceſſitas ſciendi quanam monſtra rationali Animâ ſint prædita.*
2 *Fœtus ad aliquos effectus dici poteſt monſtroſus, ad alios autem non.*
3 *Monſtrum ad effectum quod baptizari poſſit quando dicatur.*
4 *Fœtus humanam figuram habens pro homine habendus.*
5 *Fera ex homine concipiens poterit in aliquorum ſententia generare aut hominem, aut ferum, ſic & mulier ex Bruto concipiens generare aut hominem, aut Brutum.*
6 *Ad hominis perfectionem videtur requiri figura humana.*
7 *Sola anima ſine corporis perfectione ſufficiente non facit hominem.*
8 *Quod formam hominis, id eſt, figuram non habet, rationalem animam habere non præſumitur.*
9 *Effigies externa eſt prædominantis ſeminis indicium.*
10 *Caput eſt præcipua rationalis Anima ſedes.*
11 *Fœtus humana capite pro homine habendus.*
12 *Totus homo in facie, & ſolus Homo facie dotatur.*
13 *Monſtra in dubio baptizanda.*
14 *Fœtus, humanus capite belluino an pro homine habendus.*
15 *Fœtus capite belluino quando homo exiſtimandus.*
16 *Monſtra ex homine, ab humana figura prorſus degenerantia in ſpeciem aliam, nihil humani habent.*
17 *Monſtri bicorporis alterum, quod videtur ſenſu carere, an homo ſit.*
18 *Monſtrum rationalem animam habere, ſi humanâ figurâ ſit præditum, an verum ſit.*

Quæ Monſtra ex humana ſpecie rationalem animam ſortiantur, quæ non.

QUÆSTIO IV.

PRoximum ab his eſt, ut videamus, quænam monſtra ex humana ſpecie quomodocunque enata

enata rationalem animam ſortiri pronunciare liceat, quæ non; ab hoc enim plura maximi momenti
1 dubia dependentiam habent, nempe an fœtus baptizandus ſit necne, an rumpere debeat teſtamentum, an ſuccedere debeat in paternis bonis, an impunè occîdi poſſit, & alia quamplura. Non enim,
2 etiamſi monſtroſus fœtus, ſit, ſemper eodem modo ad quoſcunque effectus pro monſtro habetur, ſed ad aliquos monſtrum dicitur, ad alios non. Simpliciter tamen Monſtrum dicitur, quandocunque aliquod enorme vitium habet, vel in exceſſu, vel in defectu, vel in conformatione membrorum. Ad
3 effectum autem quòd baptizari debeat, nunquam dicitur Monſtrum, quandocunque humanam figuram retineat, niſi fortè quando cum hoc, nullo ſenſu prædictum eſſet; quemadmodum ad effectum quòd poſſit impunè occîdi, non ſufficit quævis etiam enormis monſtroſitas, niſi enormiter à figura humana recedat, & verè homo dici non poſſit. An autem enormis læſio in exceſſu, vel in defectu membrorum impediat, in paternis, aut maternis bonis ſuccedant, Juriſconſultorum eſt definire: nam niſi illud ſit, quòd huiuſmodi fœtus pro vitalibus non habentur, & idcircò teſtamentum non rumpunt, non video quid in cauſa eſſe debeat, cur paternâ, aut maternâ hæreditate defraudetur; niſi fortè defectus eſſet enormis membrorum principalium, ut ſi monſtrum eſſet Acephalum, hoc eſt, ſine capite, tunc enim nequaquam palam eſſet, an homo eſſet, necne.

Videndum ergò quæ monſtra Animâ humanâ
4 dotentur, quæ non. Putarunt aliqui nullum in hoc dubium intervenire, quandocunque fœtus humanam figuram habeat: ita Fortun. Fidel. *lib. 3. relat. cap. ult.* in qua ſententia ſequitur, quòd Equa,
5 vel Bos poſſit generare verum hominem, nam poteſt etiam, ut credit, Equa, vel Bos homini conmixta generare fœtum, qui humanâ figurâ perfectiſſimè dotetur, nihilque Brutinæ retineat. Sic & Mulier ex Bruto concipiens, aliquando Brutum, aliquando Hominem generare poterit, ſicque ferunt Attilam Hunnorum Regem, ex cane, & muliere ſuſceptum, unde Torquat. Taſſ. *Cant. 17. Stanza 70.*

Ben ſi conoſce ad volto Attila il fello,
Che con occhio di Drago ei par, che guati,
Et ha faccia di Cane, & a vedello.
Dirai, che ringhi, è udir credi ilatrati.

In hanc ipſam ſententiam ita ex Juriſconſultis inclinat Torreblanca *lib. 2. Dæmonolog. cap. 33. à numero 22. ad plures ſequentes*, ut putaverit, Satyros, aliaque huiuſmodi animalia ſemihumanâ figurâ inſignita, & homines eſſe, & rationis participes, natoſque ex nefanda Hominum cum feris commixtione.

6 Videtur autem ad hominis perfectionem, corporis ſufficientem quandam perfectionem requiri, quia ſola Anima non facit Hominem ſine eiusdem
7 corporis perfectione. Plat. *in Convivio, & ibi* Ficin. *erat. 4.* Cic. *in ſomn. Scip.* & ex Juriſconſultis Baldus *in l. 2. in princ. C. de Poſt Hared. inſtituend.*

Unde apud Juriſconſultos, quod formam, id eſt,
8 figuram Hominis non habet, rationalem Animam habere non præſumitur, ut ex eodem Bald. Carranz. *de Part. hum. cap. 17. numero 25.* quandocunque ergo in externa figura humana elucet effigies,
9 etiamſi fœtus ex nefaria aliqua commixtione hominis cum Bruto naſceretur (ſi modò id in via naturæ ſucedere poſſit) fœtus ille Homo dici debet. Et ratio pro hac ſententia eſt evidentiſſima, quia externa effigies prædominantis ſeminis indicium eſt, ad cuius formatricem facultatem conſequitur: determinantur enim ſemina à ſua ſpecifica natura ad talem, & talem membrorum, corporiſque efformandam figuram, & non aliam, ut iam probavi.

Sed dubium hoc maximè procedit in his monſtris, quæ cum aliqua parte, vel aliquibus membris humanis mixta etiam habent membra belluina, ut eſſet Centaurus, Onocetaura, Satyrus: præcipuè autem dubitatur de iis, quæ caput humanum cum corpore belluino, aut belluinum cum humano corpore ſortiuntur; & circa id videtur facilis reſponſio, ſi de ſede principatus Animæ conſtaret, de qua cùm non ſit hîc aptus locus ad diſceptandum, cum Medicis me ſentire, imò cum ipſa Eccleſia catolica, dicam, (quæ, ut idem Fortunatus dicebat, ſacrâ. ac vitali Baptiſmatis aquâ caput reſpergit, non pectus,) ſi caput eſſe præcipuam rationalis Animæ ſedem firmavero; quam ſententiam, ut Medicos omittam communiter ei adhærentes, comprobat ex Juriſconſultis Carranza, *de Part. cap. 17. numero. 29.* Et ex his videtur dicendum, quòd ubi fœtus capite humano inſigniatur, præſumptio ſit latentis
11 Animæ rationalis: nam totus Homo in facie, ut
12 dicebat Maiol. *dier. canic. colloq. 2.* imò facies ſoli homini propria eſt, ut ex communi ſententia dicit Andr. Laur. *Anatom. libro undecimo, cap. primo*, & tamen, proh naturæ noſtræ infœlicitatem! Sub humana facie ferinum animum celari, an non quotidiè experimur? utinam aut animo facies reſponderet, aut ſaltem illud ſuccederet, quod in voto habebat Franciſcus Balduccius Poeta Sinulus in ſuis carminibus, nitore & lepore ſuſpiciendis, dicens.

Deh che non daſſi à noi cell altrui ſeno
Di Lince à guiſa penetrar gli arcani,
O per ampia feneſtra al manca lato
Mirar il cor ſuelato,
Pria che d'amor accor gli affetti inſani?
Oh qual vedrian celarſi
Sotto ſembiante human ſenſi inhumani, &c.

Et tamen conſtat, Monſtra quædam ſuperiores partes humanas habentia, inferiores belluinas, humani nihil habuiſſe, cùm neque humanam vocem ediderint, aut alio quocunque ſigno ſe homines prætulerint; unde cùm quæritur, an talia baptiza-
13 ri debeant, necne, non male forte diceretur, ſi modò id per Cannos liceat, ea ſub conditione eſſe baptizanda: nam eſſe omnino in dubio baptizanda, ex Petr. Gregor. dicit Carranz. *ubi ſupra, numero 31.*

At verò non quia præſumptio ex humana effigie deſumpta id operetur, ut cum ea coniungatur Ani-
14 ma rationalis, conſtat idcircò, an ſi fœtus humanus caput belluinum habeat, caninum putà, equinum, caprinum, vitulinum, quales plures habentur apud Iul. Obſeq. Arnald. Sorbin. Paræum, & alios, pro bellua ſit exiſtimandus, necne. Carranza *ubi ſupra, numero vigeſimoſeptimo*, voluit huiusmodi monſtra inter homines non eſſe connumeranda. At quidem, ſi nulla commixtionis ſuſpicio adfuerit ſeminis belluini, cur, quod ex humanis ſeminibus natum eſt, pro homine non eſt habendum, cùm hæc, ut aliàs ex Ariſtot. dixi, non ſint verè talia, ſed per ſimilitudinem talia? Ergo diſtinctione hîc opus eſt, ſi enim ulla affuerit commixtio
15 belluini ſeminis, pro homine non temerè huiusmodi partus eſſet habendus, alias autem omnino pro homine exiſtimandus, quod maximè procedet,

ſi etiam vox ipſa humana, & vagitus humanus erit.

Cæterùm alia monſtra, quæ interdum mulieres pariunt ab humana figura aliena, imò verò nonnul-
16 lorum aliorum animalium effigiem prorſus ſortita, ut ſerpentes ſunt, Bufones, Ranæ, Soleæ, Glires, Lepores, Tincæ, & ſi quæ alia id genus ſunt conſpecta, ex mulieribus genita (quæ omnia ad vitalis Molæ genera reducenda) in nullo cenſu habenda: nam non modò talia monſtra humani nihil in ſe habent; ſed neque perfecta animalia eius generis ſunt cuius effigiem præ ſe ferunt: Itaque de his nihil in medium afferendum, occîdi enim poſſunt & in ſterquilinia abiici.

17 Sed remanet adhuc dubitationi locus circa Monſtra quædam bicorporea, vel bicipitia, quorum alterum aliquando conſpicitur non modò cuiuſvis humanitatis expers, ſed etiam cuiuſvis ſenſus: tale vidimus hîc Romæ annis præteritis; adhærebat enim integro, & optimè quidem conformato puero (cuius hiſtoriam cum aliis nonnullis in fine huius tituli damus) alter imperfectus puer ſecundùm reliqua membra, ſed capite bene conformato, nullo tamen erat ſenſu præditus.

De huiuſmodi monſtris dubitari, inquam, poteſt, an utrumque rationalem animam ſortiatur, & ego quidem, ſi exemplo quod retuli, quicquam fidere licet, dicendum putaverim, imperfectum illum puerum, etiam ſi caput optimè conformatum haberet, nequaquam rationalem animam, imò fortè nec ſenſitivam fuiſſe ſortitum, aut hanc quidem admodum imperfectam: ſed fuiſſe puto inutile quoddam membrum nihil habens perfecti animalis, niſi augmentationem, & nutritionem: quomodo ergo tam imperfectum corpus, vix perfectionem conſecutum quorumdam imperfectorum animalium, ſenſu dilatationis & conſtrictionis inſignitum, rationalem animam ſortiri potuerit, quæ inſuper in eo lateret, nullâque ſibi propriâ operatione, imò ne inferioris quidem ullius animæ eſſe proderet, ego quidem non video: niſi ſufficere dixeris externam configurationem, ad hoc ut animâ rationali dotari præſumeretur, quod nullatenus admiſerim. Scio hunc puerum ſeorſim à perfecto fuiſſe baptizatum: an rectè, & ſecundum rationem id factum, neque affirmo, neque nego, quod enim Eccleſia Catolica in hoc determinet, expecto, cui & in hoc & in cæteris omnibus humiliter me ſubiicio.] Vide Strauſſi *Fœtum Muſſipontanum*, & Deuſingii *Secundinas Muſſiponti.*] Interim verò non magis me movet dehoc addititio puello dubitatio, quàm moveret me de aliis quibusdam ſuperfluis membris, quibus monſtra quædam inſigniuntur, aut de aliis corporibus, abſque capite tamen aliàs à perfecto homine prodeuntibus, & qualem hiſtoriam narrat Paræus *libro* 23. *cap. tertio*, & Amat. Luſit. *Curat. Medicin. cent.* 3. *cur.* 57 Vir enim erat is, de quo Paræus, ex cuius alvo veluti conſutus alter homo propendebat membris omnibus, capite excepto, abſolutus, erat autem vir ille quadragenarius, viſuſque eſt tum primùm anno Domini 1550. is verò, de quo Amatus, puer erat Illiricus ſexennis, boni ſanè habitus, exactè, ac perfectè omnia ſua membra habens, monſtrum tamen præ ſe ferens, quia ab eius umbilico thoracem verſus, alterum pueri corpuſculum deducebatur, abſque tamen capite, ſed duo habebat crura, duo brachia, ſed utraque immobilia, ano carebat, ſed ſcroto abſque didymis, (id eſt, gemellis teſtibus) ornabatur, non ſecùs ac pelle oblonga quadam glandis vice, per quam urina ferè ſemper deſtillabat, ſed puer cùm mingebat per hancquoque vivam urinam de repente emittebat: Foit autem hoc monſtrum Anconæ, anno 1552. Hactenus Amatus. Simillimum (forſè etiam idem, niſi temporis diverſitas obſtaret) illud eſt, quod à Langio deſcribitur, Argentinæ natum; anno 1556. de quo vide apud ipſum *libro ſecundo, epiſt.* 8. Francofurti viſum. Non diſſimile quoque illud eſt, de quo Beniven. *de abd. ac mir. ſanat. cap. ult.* quod Alexandra quædam mulier ex agro Mediolanenſi ſpectatum obtulit Florentiæ, cuius hiſtoriam ab ipſo require. Simile & illud de quo eſt Epigramma Pierrij Valeriani, quod mihi communicavit omnium bonarum literarum ſcientiſſimus D. Gaſpar de Simeonibus; & tale etiam illud denique eſt, cuius hiſtoriam attulit Plater. *libro tertio, Obſtit. de deform.* De quibus omnibus dubitari non poteſt, quòd & additamenta fuerint ex luxuriante ſemine enata, & quòd nullam, ne per ſomnium quidem, rationalis Animæ potentiam ſortirentur. Quamobrem quemadmodum hæc additîtia membra, vel corpora nihil dubij circa hoc pariunt; ſic etiamſi perfecta ſint, & capite dotata, & tamen nullum omnino ſenſum præ ſe ferant, ut illud, de quo agebam, rationali animâ non dotari, ſalvâ ſemper verioti ſententiâ, aſſeverarem

Et ex his deducendum videtur, abſolutè verum non eſſe, quòd ubi caput figurâ humanâ ſit inſignitum, monſtrum pro homine ſit habendum, ut volebat Fortunatus; nam non ſatis eſt ad hoc externa configuratio, ſed neceſſe eſt, ut propriis operationibus Animal ſe aliquo modo prodat, ut elicitur ex Ariſt. *lib.* 4. *Meteor. cap. ult.*

SUMMARIUM.

1 *Sedes Animæ in capite.*
2 *Omnes præcipuæ Animæ operationes à Cerebro.*
3 *Paſſionum diverſitas ſimul, eodemque momento in eodem animali vigens geminam animam in monſtris bicorporibus oſtendit.*
4 *Duplici corde nata bicorporea monſtra, unico tamen capite unicâ voluntate regantur.*
5 *Animal unicum ſi unicum cor habeat geminum, cùm geminum, ex Ariſtotele.*
6 *Geminum caput geminum facit animal, & num. 9. & 10.*
7 *Animal nullum duplici capite.*
8 *Cum gemino capite non reperiri geminum cor, contra Martinum Weinrichium.*

Bicorporea monſtra, & quæ principalior membra duplicata habent, pro unico homine, an pro gemino habenda.

QUÆSTIO V.

HUius quæſtionis deciſio cum ſuperioti in hoc convenit, quòd ex cognitione ſedis principatus Animæ & ipſa dependet: quam in controverſiam ad præſens revocare, neque temporis, neque ſcribendi opportunitas permittit. Statuamus itaque, ac ſupponamus, ut in ſuperiori quæſtione fe- 1
cimus, ſedem hanc in capite, hoc eſt, in Cerebro eſſe, ut verè eſt, cùm clariſſimè pateat, cætera viſcera, ipſumque Cor aliis multò præſtantius, ob Cerebrum facta, non è contra, Galen. *libro ſexto, de uſu part. cap. decimoſeptimo, & alibi.* vide quæ ad hoc præ cæteris affert Andr. Laur. *Anatom. libro primo, quæſt. quarta*, & noviſſimè Æmil. Pariſ. *de ſubtil. Microcoſmica lib. octavo, exerc.* 1. *cap. quarto*

Omnia

Omnia enim in conficiendo materiam inſudant, quæ dehinc nobilioribus Cerebri functionibus inſerviat: ab eo enim dependent, originemque deſumunt ſenſus omnes tam externi, quàm interni, ac ſinguli motus in animali perfectiores. Per Cerebrum actiones noſtras determinamus, atque ad hunc aut illum finem dirigimus, corpus quò libet movemus, quò libet trahimus, & hoc maximè quidem declarant veritatem habere Monſtra duobus capitibus inſignita, quomodocunque tandem in corpore ſituentur, quæ ſemper habent diſiunctas operationes. Conſpicitur enim ſæpè ſæpius in unico corpore bicipite, tamen diverſas uno eodemque tempore paſſiones dominari, atque uno eodemque momento voluntatem in diverſa rapi, alterum enim lætitiâ afficitur, mœrente alio; ridet unum, flente altero, loquitur, unum, altero tacente; dormit, alterò vigilante; blanditur, altero iratum præ ſe ferente, quin inter ſeipſa pugnare duo capita in uno corpore conſpecta ſunt, extatque de hoc Epigramma de gemellis connatis, (præter hiſtoriam ex Gisberto relatam à Maiol. *dier. canic. part.* 2. *coll.* 2.) à Franciſco Petrarcha *tr.* 6. *de rer. mem. cap.* 21. relatum, in quo præter alia hæc habentur:

Non verò nobis unus ſomnuſque cibuſque,
Nec riſus nobis, fletus & unus erat.
Unus membra dabat ſomno, ridebat & alter,
Surgebatque unus flens quoque & alter erat.

Hæc autem paſſionum contrarietas, ſimul & ſemel apparens, an accidere potuerit, ubi unica fuiſſet in ambobus anima, videant qui cor pro ſede rationalis Animæ poſuerunt. Nam contrà, ubi Monſtra unico capite dotata corpore duplici, duplicique corde nata ſunt, unicam, & à ſe ne latum quidem unguem diſcrepantem voluntatem habuiſſe compertum eſt; unico enim rectore, unicâ animâ in unico capite domicilium habente, gubernabantur. Tale monſtrum à Valleriola deſcribitur *libro primo, loc. comm. cap.* 18. à cervice infrà totum bicorporeum, & aliud ſimile deſcribitur à Paræo *libro vigeſimoquarto, cap. ſecundo*, & à Fortun. Fidel. *loc. ſæpe cit.* Itaque non obſtat Ariſtotelis ſententia, quòd Animal tunc unicum cenſendum ſit, cùm unicum cor habet, geminum cum cor geminum ſortitur: nam dicendum videtur, geminum caput geminum animal facere; quemadmodum enim Ariſt. ſententia vera eſſet, ſi Animæ principatus in corde reſideret, ut ille ſentiebat, ſi nobis, qui in capite, ut veritas perſuadet, illum collocamus, ex capitis geminatione geminum Animal emanabit.

Non deſunt tamen aliqua in naturalibus, quæ Ariſtotelicæ ſententiæ maximè opitulari videntur. Natura enim producit animalia, quæ ſecundum ſuam ſpeciem duplici capite dotantur, nullum autem, quod corde duplici inſigniatur, quia unicum animal cum duplici capite ſtare poteſt, non autem cum duplici corde, nam tunc eſſet duplex anima in unico corpore, quod nequaquam ſuccedere poteſt: neque obſtat id quod Ælian. 14. *de Animal. cap. ſexto*, narrat de elephantis quòd nempè duplici corde dotentur, nec quod ex Theophraſto Gell. *libro* 16. *Noct. Att. cap.* 15. Plinius *libro* 11. *nat. hiſt. cap.* 37. Ælian. *de Animal. lib. decimo, cap.* 35. Petr. Crinit. *de honeſt. diſcipl. libr.* 13. *cap. ſeptimo*, Maiol. *dier. canic. part.* 1. *coll.* 7. retulerunt, Perdicibus nempè in Paphlagonia bina corda eſſe, hoc enim falſum eſſe conſtat, & impoſſibile, ac fabuloſum demonſtrat Card. *lib.* 7. *de Variet. cap.* 36. & ego non maiorem veritatem habere credo, quàm quod ex Theopompo idem Gellius *ubi ſuprà*, & Ælianus *lib.* 7. *cap.* 27. tradiderunt, nempè Lepores in Biſaltia bina iecora habere.

Circa capitis tamen geminationem magis acceptum univerſum eſt, quod de Amphisbæna narratur, de qua Nicand. *in Theriac.* Solin. *de ſit. orb. cap. vigeſimo nono* Plin. *libro octavo, cap.* 23. Ælian. *libro undecimo, de Animal. cap.* 25. Maiol. *dier. canic. part.* 1. *coll.* 8. quam omnes firmant duplici donati capite, unde Lucan. *de Bell. Pharſ. lib.* 9.

Et gravis in geminum ſurgens caput Amphiſbæna.

Quinetiam Diod. Sicul. *lib.* 2. ex quo Maiol. *ibid.* de quodam animali meminit quatuor capitibus inſignito, & apud eundem Maiol. *part. coll.* 9. quorumdam Cancrorum viridi colore inſignitum mentio exſtat, qui bicipites ſunt, licèt unum caput altero maius habeant.

Sed hæc aut falſa eſſe, aut monſtroſa, & adhuc incomperta ſatis patet, & de poſteriori ſatis declarat quod à Leone Africano, ex quo Paræus *lib.* 24. *cap.* 22. unico capite ſit deſcriptum: de Amphisbæna porrò dubitat Avic. 6. 4. *tract.* 3. *cap.* 41. & ipſe Albert. Magn. *lib.* 25. *de Animal.* qui tamen aliàs videtur maximè credulus.

Neque ullam veritatem habet id, quod Marti. Vveinitich. *libro de Monſtr. cap.* 49. tradidit, nempe cum gemino capite, geminum cor etiam reperiri eſſe neceſſarium; experientia enim falſitatis hanc aſſertionem convincit, cùm ex Autopſia in diſſertationibus contrarium apparuerit, non ſemel, aut bis: nam Paræus de monſtro illo Lutetiano ità habet. Anno Domini 1546. mulier Lutetiæ ſexto gravitatis menſe fœtum peperit, geminum caput, bina brachia, & quaterna crura habente: eius mortui cadaver cùm diſſecuiſſem, unicum cor reperi. Quæ autem addit, à veritate, & communi Medicorum aſſenſu diſſona ſunt, ab Ariſtotele enim decipi ſe paſſus eſt, ex quo, inquit, ſcire licet, unicum eum infantem extitiſſe. Sæcunda, Fortunatus Fidelis *loco cit. libro tertio, cap. ult.* hæc habet. Proditum eſt à doctiſſimis quibusdam viris, atque ego ab oculatis teſtibus accepi, non multis abhinc annis Panormi monſtrum exortum fuiſſe duobus capitibus, ac reliquis membris ita conduplicatis, ut duos planè diceres, unicum tamen erat cor agglutinatis utrinque pectoribus, atque unicum tantum ſpatium efformantibus. Aliud monſtrum apud Paræum ſic ſe habebat. Anno Domini 1572. in ponte Sæo ad Andes oppidulo, prodierunt in lucem decimo die Julij, gemellæ fœminæ, cætera membris omnibus perfectæ, niſi quòd alterutrius manus ſiniſtra quatuor tantùm digitis erat diſtincta. Cohærebat autem anterioribus partibus, nempè à mento ad umbilicum uſque, qui ipſis unicus, uti & cor unum erat; hepar verò in lobos quatuor diviſum.

In puella etiam bicipiti, natâ anno 1544 menſe Januarij, de qua Cardan. *lib.* 14. *de variet. cap.* 77. cor unicum inventum eſt, licèt bifidum videretur: cuius rei quicquam non mirandum, quia gallum quiſpiam Diis ſacrificans, invenit cor duos vertices habens, Galen. referente 7. *de Anatom. admin. cap.* 11. tamen is gallus unicum erat animal. Sed non diſſimile prænarratis monſtrum fuit Lutetiæ natum, anno 1065. cuius hiſtoriam recenſet Riolanus filius, ex quo Licetus *libro ſecundo, de Monſtr. cap.* 10. quod coagmentatum fuit ex duobus puellis

amplexum mutuo ſterno, & ventre ad umbilicum uſque coniunctis, in quibus diſſectis repertum eſt cor, & iecur unicum. Sic & quod Heidelbergæ apud Neccarum flumen ortum eſt, anno 1544. deſcriptum ab eodem Liceto, ex duobus maſculis infantibus conſtabat, ventre conglutinatis, duobus capitibus, pedibuſque totidem: in cadavere horum diſſecto cor unicum extitiſſe compertum. Aliud apud Cœlium Rhodig. *lect. antiq. libro* 24. *capit.* 3. Id infans fuit biceps. Multa in eo mira. Quadrimeſtris primùm magnitudo, &c. natus eſt circa Idus Mart. 1514. cor quidem illi ſimplex, ut aſſolet, at Jecur duplex, ſicuti & Lien. Quinetiam Joan. Faber Lincus bicipitem vitulum annis præteritis ſecuit non longè ab Urbe natum, anno 1615. & unicum cor invenit, ut refert *in libro de. Animal. Ind.* ac denique monſtrum bicorporeum natum hic Romæ, anno 1631. circa Menſem Novembris unicum cor habebat, ut ex hiſtoria habetur in fine huius tituli annexa. Ex quibus exemplis, aliis pleriſque præteritis, quæ ad rem facere poſſent, perſpicuum ſit, caput geminum non habere de neceſſitate cor geminum, atque hoc pacto geminum caput geminum animal conſtituere neceſſe eſt, cùm appareat præcipuas animæ operationes diverſificari in geminatione capitis, non autem in geminatione cordis: nam ſi alia Monſtra conſideraveris, quæ ſub uno capite duo corda habebant, hanc ſententiam multò firmiorem iudicabis, quia ea unicâ voluntate, & unicâ Animâ regebantur. Licèt mirari ſubeat Cardanum *lib.* 14. *de variet. cap.* 77. aſſeverantem, plures bicipites infantes videri, qui autem geminum corpus habeant, atque unum caput, non ita, ipſum enim falſitatis convincunt ſequentes hiſtoriæ: Tale enim fuit monſtrum illud in Inſula obſcuri lacus in Ferratienſi ditione ortum, anno Domini 1579. ſub unico capite duo pectora, & reliqua ferè membra omnia conduplicata habens, de quo Licet. *lib.* 2. *de Monſtr. cap. cit.* hoc quidem unicum verè animal, non geminum dixeris. Talia etiam fuerunt monſtra illa, de quibus in fine ſuperioris quæſtionis locuti ſumus ex Amato, Paræo, & aliis. At geminum caput, ubicunque tandem ſituetur, (dummodò animalitatis particeps videatur, & non ut illud, de quo aliàs, ſola plantarum vitâ vivens) geminum animal conſtituit; & ita tenet ex recentioribus Sebaſt. Naſius *in ſpec. meth. med. part.* 1. *ſect.* 2. *digreſſ.* 2. *quæſt.* 5. nam & monſtra viſa ſunt unicum caput loco conſueto, & aliud in medio ventre ſortita. Tale viſum eſt, cætera perfectus homo, cuius è medio ventre caput inſigne extabat, nec ſecus quàm verum, ac ſummum Monſtri illius caput, hoc monſtrificum, & tanquam applicitum nutriebatur; ad virilem ætatem pervenit: duo ergo homines hi cenſendi erant, & ſeorſim unuſquiſque eorum baptiſmo fuit mundandus, ut ex Medicis concludit Fortunatus, *ubi ſupe.* & Sebaſt. Naſius *loco cit.* & ex Juriſconſultis Carranza *de part. cap.* 17. *numero.* 95. cum aliis ab eo adductis, ad quos Auctores, ſi plura lector audire deſiderat, illum remitto. Dubium tantùm reliquum erat de Monſtris bifrontibus, & quæ geminam faciem, ut Janus pingitur, habent. An pro duobus hominibus, vel pro unico habenda, & prudenter eam dubitationem reſolvit idem Sebaſt. Naſius, *ubi ſuprà*, quòd ſi diſtinctum habeant cerebrum pro duobus hominibus habenda, quia diſtinctio animarum elicienda ex diſtinctione perfectiſſimi organi, per quod proprias operationes exercere valeat. Ergo ſi diſiunctas hæ duæ facies operationes habebunt, & ſi ſingulæ ſuos ſenſus perfectos ſortiantur, duo cerebra habere coniectabimur, & duos homines eſſe.

SUMMARIUM.

1 *Monſtra ex ſua natura vitalia.*
2 *Monſtra cur in Matris utero facilè vivant, extra uterum intereant & num.* 4. 5.
3 *Monſtra cur non abortiantur.*
6 *Quæ monſtrà in ipſo ortu intereant.*
7 *Bicipitia monſtra, aut præcipuas partes geminatas habentia, non vivunt.*
8 *Quæ ex corrupta, & vitioſa materia monſtra generantur, non vivunt.*
9 *Quæ ob figuræ abſurditatem, difficultatem partus exuunt monſtra, non vivunt.*
10 *Quæ non iuſto tempore eduntur, non vivunt.*

Quæ monſtra vitalia, quæ non vitalia.

QUÆSTIO VI.

HAnc quæſtionem optimè, & prudenter diſcuſſit Martin. Vveinrich. *de Ort. Monſtr. cap.* 34. eiuſque diſcuſſio Juriſconſultorum maximi intereſt: & primò ea concluſio firma, ſartàque remanere debet, ab Ariſtotele canonizata *libro quarto. de Gen. Anim. cap.* 4. quæ generaliter vera quidem eſt, Monſtra ſcilicet ex ſua natura non eſſe vitalia; atque idcirco inanis omnino cenſenda Carranz. *de Part. cap.* 17. *numero* 33. audacter ſe in his, quæ ſua non ſunt', immiſcentis explicatio, & huius aſſertionis diſtinctio, quia non obſtante, quòd monſtra formam humanam obtineant, dummodò enormiter deformata conſpiciantur, vel quoad exceſſum, vel quoad defectum membrorum, vel quoad ipſam conformationem, utplurimùm, & ſecundum plurimum intereunt, ob rationes, de quibus infrà, quas leguleius homo hic penetrare non potuit. Sed antequam eas cauſas aſſignemus, illud diſcutiendum eſt, cur ſit nempe, quòd Monſtra facillimè in Matris utero vivant; ita ut augeſcant, & ad ultimos uſque menſes à Matre portentur, neque de facili abortiantur, ut firmat Cardan. *lib.* 12. *de ſubtil.* Audiamus ergo rationem ab ipſo Cardano allatam, cur Monſtra non abortiantur. Abortus, inquit, de raro fiunt, rariora Monſtra, Monſtrorum igitur abortus rariſſimi. Sed hoc non ſatisfacit ad dubium, non enim quærimus raritatem abortus Monſtrorum inter abortus quoſcunque, ſeu reſpectu quorumcunque abortuum, ſed raritatem abortus monſtrorum inter ipſa monſtra, & reſpectu monſtrorum, quia monſtra utplurimùm non abortiuntur, ut ipſe ſupponit; ſed ego ſuppoſitionem hanc veram non credo, nam & monſtra abortiva viſuntur non in minori numero, quàm Monſtra debito tempore nata; quin unam ex abortus cauſis puto eſſe monſtroſitatem fœtus, tanquam naturæ minùs acceptam, & minùs convenientem. Ad principale ergo dubium, cur ſcilicet Monſtra de facili intereunt, idem Cardan. *loco ſuprà cit*, dicebat, Principio quidem Monſtra facillimè in utero vivere, & abſolvi, quoniam generantur, & quæ generantur, non eiſdem cauſis etiam ſervari neceſſe eſt, quibus fiunt. Verùm, addit, cùm à Natura remota ſint, & imbecillia, & inſaluberrima, cùm primùm nata fuerint, intereunt, Vveinrichius, *loco ſuprà cit. cap.* 35. Monſtra in Matris utero convivere potiùs dixit, quàm vivere, habere nempe ex vita Matris unde vivant, & idcirco à Matre deciſa, & ex ſe non vivere.

In

In eam ego ſententiam venio, Monſtra & facilè abortiri, & ſi caſu augeſcant, deciſa à Matris utero non vivere: & illud quidem multas habet cauſas, multa enim concurrunt in prima monſtrorum plaſmatione vitæ de directo contraria: præcipuè autem ſeminum vitia, & dyſcraſia, vel diſſonantia inter ſe: eorundem vel luxurians copia, vel defectus uteri ac Matris, ſanguiniſque alimentalis vitioſa conſtitutio, caloris imbecillitas, & alia permulta. Non ergo ad perfectionem deduci poſſunt licet in eſſe ex talibus principiis deducantur, unde fota calore materno facilius, eo deſtituta difficilius vivere ea contingit.

6 Sed ad propoſitam in quæſtionis principio aſſertionem cum VVeinrichio reſpondeamus, ea maximè Monſtra vel in ipſo primo ortu, vel quamprimum ab ortu interire, in quibus princeps aliqua pars in totum abeſt, vel enormiter quoque tranſpoſita, aut læſa eſt, Ut quod VVittembergæ natum eſt anno 1525. de quo Licetus *lib. 2. de Monſtris cap. 2.* & aliud Villæ francæ in Vaſconia natum, anno 1565. de quæ Paræus *lib. 4. cap. 6.* & his ſimilia

7 Secundo, vitalia non ſolent eſſe, quæ præcipuas partes geminatas habent, ut quæ bicipitia, aut bicorpora ſunt, quorum plura variis temporibus concepto, ex quorum numero vix unum, aut alterum vitam ad perpaucos annos protraxiſſe compertum.

8 Tertiò quæ ex corrupta, aut vitioſa materia conflantur, & ea de re valde infirma atque infortuna ſunt; ut verbi cauſa, quæ ex humana in brutinam figuram degenerare ob id conſpiciuntur, & figurâ ſunt valde abſurda, ut quæ raninum caput aut caninum aſpectum ſortita ſunt, quale nobilis quædam primipara annis præteritis eſt enixa hic Romæ, & alia ad hunc modum.

9 Quarto, quæ ob abſurditatem conſtitutionis membrorum difficilem partum Matri conciliant, qualia ſunt quæ diximus, præcipuas partes geminatas ſortiti, quæ vix integra prodire in lucem poſſunt.

10 Quinto, quæ non juſto tempore eduntur, ſed hæc duo poſtrema non ob id intereunt, quod monſtroſa ſint, nempe ab intrinſeca cauſa, ſed ab extrinſeca; quia utraque cauſa hoc eſt, & partus difficultas, & abortus omnibus partubus etiam nihil monſtroſitatis præ ſe ferentibus eſt exitialis; cum neque ullus partus juſto tempore non editus, nec qui multum negotij matri in naſcendo faceſſit, ipſeque multum in ea ſe actione exagitat, vitalis eſſe conſueverit.

SUMMARIUM.

1 *Incubos, & ſuccubos dari.*
2 *Dæmones coitus voluptate, aut propagationis deſiderio non detinentur.*
3 *Dæmones ſemen habere, & fœcundos eſſe ridiculum.*
4 *Incubi, & ſuccubi non generant, & num. ſe. 75. & 6.*
7 *Seminis ſpirituoſa ſubſtantia illicò evaneſcit.*
8 *Mulieres dicentes ſe ex Dæmone concepiſſe, vel illuduntur à Dæmone, vel illa alios illudunt.*
9 *Gigantes an ex Incubis.*
10 *Pro filiis Dei in ſacra hiſtoria qui accipiantur, & ex quibus generati Gigantes.*
11 *Nati ex incubis an aliquid peculiare ob id habere debeant à cæteris hominibus.*
12 *Ex incubis non debere generari Gigantes.*
13 *Filius ex incubo ſuſceptus, hominis eſt, cujus eſt ſemen, non Incubi.*
14 *Nec quoad corpus, nec quoad animum quicquam peculiare habere debent nati ex incubis.*
15 *Sprengeri opinio reprobata.*

De Partu ex Incubis ſuſcepto.

QUÆSTIO VII.

DAri Incubos & Succubos Dæmones, qui ſub virorum ſpecie cum mulieribus, & ſub ſpecie 1
mulierum cum viris coitum exerceant, & alias firmavimus, & eam quæſtionem longioribus diſcutit Mart. Delr. *libro ſecundo diſquiſ. Mag. c. quæſt. 15.* & Perer. *in Geneſ. libro octavo, diſp. 3.* præter quamplurimos alios tam vetuſtiores, quam recentiores Theologos, & ex Juriſconſultis Torreblanc. *Dæmonolog. libro ſecundo, cap. 30.* & noviſſimè Cartanz. *de Part. cap. 20. queſt. 10.* Neque ob id, quod Dæmones Incubi, & Succubi fiant, coitus voluptate 2
vel propagationis deſiderio detineri illos dixeris ſed hæc ea de cauſa machinari, ut homines enormibus laſciviis, ac fœdiſſimis Veneris delectamentis irretiant, atque illaqueent. Dæmones enim, cum ſpiritus ſint, neutro horum moveri ad hæc patranda cenſendum; neque enim ſperma habent, neque ſucceſſionem in prole quærunt, cum immortales 3
ſint; unde deridenda Marci illius opinio, de qua præ cæteris Cælius Rhodig. *libro ſecundo. lect. Antiq. cap. ſexto*, volentis Dæmones ſemen habere, ac fœcundos eſſe. Licet autem apud citatum Delrium Cardanus ex Medicis, & Ponzinibus ex Juriſtis, & alij apud eundem Delr. *in comm. Herc. Fur. Senec. num. 447.* contrariæ ſententiæ adhæſerint, tamen, ut recte ille addit, minimi facienda eorum opinio. Quemadmodum neque nos à veritate amovere debent Martin. VVeinrich. *de Ort. monſtr. cap. 11.* Joan. VVierus apud Ronſſeium, & ipſe Balduin. Ronſſeius *de hum. vita primord. cap. 11.* qui acriter in hanc opinionem invehitur, abſurdam eam exiſtimant; neque etiam alij, ſiqui pro negativa ſententia ſunt, cum affirmativa ſit magis communis Doctorum, dequa teſtatur idem Delr. *ubi ſupra*, utrobique, & eam ſequuntur ex Medicis (nam Theologi magna ex parte conſentiunt) Symphor. Champer. *lib. 2. Pract. cap. 7.* Marcell. Donat. *hiſt. Medic. mirab. lib. 4. cap. 25.* Hucher. *de Sterilit. libro quarto, in fin.* Valleſ. *de Sacr. Philoſoph. cap. 8.* Codronch. *libro tertio, de morb. venef.* Fortunat. Fidel. *libro tertio. Relat. cap. ultimo.* Mercurius *in lib. cui titul. la Commare, 2. cap. 39.* Bauhin. *libro 1. de Hermaphrod. cap. 70. & ſeqq.* Heurnius *de morb. Capit. cap. 30.* Licetus *de monſtr. lib. ſecundo. cap. 73.* hanc ipſam ſententiam inſinuat Torquat. Taſſ. *Hieruſal. cant. 13. ſt. 4. ibi.*

Qui s'adunan le ſtreghe & il ſuo vago.
Conſciaſcuna di lor notturno viene,
Vie ſoprani nembi, echi d'un ſo o drago,
E chi forma d'un Hirco informe tiene,
Conſiglio infame, che fallace imago
Sual allettar di deſiato bene
A celebrar con pompe immonde è ſozze
I profani conuiti, è l'empie nozze.

Sed Heurnius, Paræus, & Roderic. à Caſtrenſ. & ex Juriſconſultis Ulric. Molit. *de Python. mul. cap. 6. & 10.* Hieronym. Magg. *Miſcel. libro 2. cap. 4.* Cartanz. *de Part. cap. 20. queſt. 10.* Incubos, & Succubos incumbere, & ſuccumbere hominibus credunt, & concedunt: ſed inde ſequi poſſe ullam conceptionem apertâ fronte negant. Torreblanca quoque *lib. 2. Dæmonolog. cap. 30.* anceps in ea re eſt. Verum undique priori opinioni adhærent Suarez

de ſuperſtit. lib. 2. cap. 16. num. 5. Cæſalpin. *in Dæmon. inveſtig. Peripat. cap. 14. & 19.* & alij Medicorum, & ex Juriſconſultis Grilland. *de Sortileg. quæſt. 7. num 12.* & nonnulli, quos tam Delrius, quam Bauhinus adducunt *locis ſupra citatis.* Conſentit etiam omnino ex parte, ut mihi videtur D. Thom. *in 2. ſentent. diſtinct. 4. art. 4.* dum quærit, an geniti ex hujuſmodi Dæmonum congreſſu ſint majoris virtutis, quam alij homines, & illi adhærent Sprenger. *in mal. maleſ. part. 1. quæſt. 3. & part. 2. quæſt. 1. cap. 4.* Barthol. Spin. *de Strig. cap. 6.* & ex recentioribus Cardin. Bellarm. apud Oſterman. *de Stigm. ſect. 7.* dum putat Antichriſtum eo modo naſciturum. Conimbricenſ. *in primum de Gener. capit. 4. quæſt. 10. art. 3.* eoſque ſequitur Petr. Hurtad. de Mendoz. *in ſua Philoſoph. tract. de Gener. diſputat. 1. ſect. 3. §. 22. & ſeq.* præterquam quod conſtat etiam ex Sagarum confeſſione, quæ inquiſitæ apertiſſimè faſſæ ſunt, ſe cum Dæmonibus concubuiſſe, & ex eis gravidas factas peperiſſe, ut maximè videri poteſt *in lib. de tribus Energum. in part. Belg. tract. 3. cap. 3.*

Sed certè hæc ſententia multis implicita eſt difficultatibus; atque eâ tandem tamen pro vera acceptatâ, datoque quod ex tali concubitu conceptio ſequi poſſit, de prole multa in quæſtionem veniunt, nempe an proles eo modo ſuſcepta ullis ſignis ab aliis hominibus diſtinguatur, deinceps cujus proles ſit dicenda; præterea an aliquid peculiare habeat à cæteris hominibus, non ſolum circa ea quæ ſpectant ad animum; ultra hæc, an inter ſe Succubæ, & Incubi coire conſueſcant, vel poſſint; an ſuſceptum ab homine ſemen fovere ita valeant, ut in perfectum fœtum evadat: dubia quidem magnâ ex parte inaniter, ex mea ſententia excitata.

5 Sed quoad conceptionem, abſurdiſſimum viſum eſt non modo Medicis quibuſdam, & Juriſconſultis; ſed nonnullis etiam ex Patribus, quos referunt Delrius, Bauhinus, & alij *locis ſupra citatis*, ex Dæmonum concubitu cum muliere ſequi poſſe generationem; hujuſque ſententiæ rationes, & in contrariam ſimul objecta, vide apud præcitatos Auctores; quemadmodum & rationes pro contraria facientes, & objecta in contrariam, præcipuè apud Perer. *in Geneſ. libro 8. cap. 6. diſp. 2. & 3.*

Ego quidem (licet alias *lib. 3. harum Quæſtionum. Tit. 1. quæſt. 8. num. 5. & 19.* ex communi opinione contrarium ſenſerim) niſi Sancta Mater Eccleſia aliter doceat, de facto non dari talem conceptionem, & partum exiſtimaverim, immo dixerim in
6 via Naturæ eſſe impoſſibilem, cum Dæmon non poſſit excedere naturæ creatæ vires. Non obſtante ergo ſummâ Dæmonis virtute, ac mirâ dexteritate, & incomprehenſibili, quàm dicunt, celeritate & cautela in ſeminibus à viro deciſis fovendis, illisque in actum producendis, generationem ex ejus concubitu ſequi poſſe non credo, quia ſpirituoſa feminis ſubſtantia non minori momento, cum à ſuo principio fuerit deciſa, & non illico inveniens vas
7 recepta, evaneſcit, & infœcundum redditur quod reliquum ex ſemine eſt, ut percurrit Perer. *ubi ſupra, diſput. 3. verſ. Hanc opinionem.* Neque crediderim unquàm celeritatem Dæmonis in ſemine adſportando, & injiciendo in uterum mulieris adæquare poſſe brevitatem temporis, quo ſeminis calor evaneſcit: neque enim in hoc exuperat Dæmonis potentia potentiam naturæ, quia ob ſui inenarrabilem tenuitatem, ſeminis ſpiritus contineri extra conveniens receptaculum, ne per momentum quidem poteſt; & tamen non credendum Incubum Dæmonem illico atque mulierem ſuperinit, ſemen in illius uterum projicere, ſed in ipſo actu coitus, ut eis majorem in modum obſequatur, eaſque mulieres oblectet, longiuſculo temporis intervallo inſiſtere, maximè cùm neceſſe ſit ad generationem etiam fœminæ ſemen concutrere, unde aliquanto tempore ad hoc ipſum opus erit, ut illa ſemen effundat; in quo tempore quis dicet adhuc ſeminis calorem, & ſpirituoſam ſubſtantiam in ipſo conſervari? Immo neceſſe eſt, omni calore, & ſpiritu illud deſtitui, indicioque ejus rei eſſe poteſt, quod, quæcunque ſagæ concubitum cum Incubis faſſæ ſunt, referunt ſe ſemen illorum frigidiſſimum expertas, ita ut diſplicentiam magis, quam delectationem inde ſint conſecutæ. Ad hoc reſpondet Delrius, *ubi ſupra quæſt. 15. argumento 3.* hoc non ſemper eſſe verum, ſed tunc ſolum, cum Dæmon pro tali à ſuccumbente muliere excipiuntur.

Sed quid dicendum ad id, quod ſupra innuebam, Dæmonem plurimum temporis abſumere debet in actu coitus, ut ſuas amaſias magis oblectet? Vel ergo non habet neceſſe eâ celeritate, quam dicunt, ad ſeminis conſervationem, vel ſi poteſt conſervare per dimidium horæ quadrantem, vel per minus etiam temporis ſpatium, poteſt etiam conſervare ad annos, ſi libuerit, quod non eſt veriſimile.

Non valent autem contrà adducta à Petr. Hurtad. de Mendoz. *in ſua Philoſop. tract. de Gener. diſp. 1. ſect. 3. §. 13.* immo inania ſunt, quæ ex Averrois fabula, & ex ſimilibus aliis, quæ nos alias multo, plura adduximus, deducere ille conatur. Magis urgeret quod Conimbricenſ. *loco cit.* ex D. Thom. & ipſe Petr. Hurtado addunt, poſſe Dæmonem efficere, ne ſpiritus illi ſeminis tenuiſſimi exhalent. Sed hoc non videtur poſſibile, quia ſi per quantumcunque modicum temporis poteſt Dæmon ſemen conſervare in ſuo vigore, (neque enim in inſtanti operari poteſt, ut probat Delrius *loco cit. quæſt. 10. verſ. Quarto nequeunt*) poterit, ut dixi, etiam ad longiſſimum tempus. Quin & fateri neceſſe eſt; poſſe etiam illum ſemini huic alimentum præparare extra uterum; & in ſententia eorum, qui ſemen mulieri denegant, poterit hoc ſemen in perfectum fœtum, & hominem deducere, cum facilius multo ſit illi conveniens alimentum ſubminiſtrare
8 quam in ſuo robore illud ſervare extra naturalia conceptacula: ſed hæc non videntur, factu poſſibilia, imo omnino inveriſimilia.

Ad confeſſiones autem ſagarum, quæ referunt ſe ab Incubo Dæmone compreſſas, & inde gravidas effectas, dehinc peperiſſe, dicendum videtur, quod vel illis Dæmon illuſit, vel illæ aliis illudunt. Nam poteſt Dæmon facere, ut ex ſe gravidas ſeipſas credant, ventremque tumentem effingere, dehinc tempore partus alienos fœtus undecunque ſubreptos illis ſupponere; vel eas ex homine prægnantes ita perſuadere, ut ex ſeipſo in ventre habere ſe credant. Atque ita ſalvari credo nonnullas hiſtorias, de quarum veritate non videbatur dubitandum, & ſic etiam fieri poſſe exiſtimo, ut Succubus Dæmon in utero habere ſe effingat, ac etiam ut ſuo tempore parere videatur, aſſumens, ut in ſuperiori, ſubreptitios pueros, & ſibi ſupponens, ut percurrit Delrius, *ubi ſupra.*

Ad exempla autem Antiquorum, quæ adducuntur in contrarium, efficta omnia eſſe dixerim, meraſque fabulas. Jovem modo in forma Tauri, nunc in forma Cygni, modo ſub ſpecie Aquilæ,

nunc

nunc mutatum in Amphitryonem, modo in Dianam, Martem sub forma Militis, alioſove Deos ſub aliis formis varias mulieres compreſſiſſe, neſcio quam facti realitatem nobis promittat, ita ut inde quicquam pro ſufficienti rei probatione deduci poſſit. Neque Platonis auctoritas *in Cratylo*, allata etiam à Delrio, *in comm. ad Hec. ſur. Senec. num.* 447. dicentis, Heroës omnes vel ex amore Deorum erga mulieres, vel ex amore Dearum erga viros eſſe progenitos, quicquam huic opinioni opitulatur, cum ille ſecutus ſit in hoc fabuloſas Poëtarum traditiones, licet hoc videatur conforme Sacræ Scripturæ narrationi de Heroibus, virisque potentibus, ac Gigantibus factæ.

Sed quæ de hujuſmodi viris fortibus, & Gigantibus Sacra narrat hiſtoria, conceptis ex congreſſu
9 filiorum Dei cum filiabus hominum, non intelligi de hoc Dæmonum Incuborum, & Succuborum concubitu, ut arbitratur Valleſ. *de ſacr. Philoſ. cap.* 8. & tenet univerſa Theologorum Schola ut teſtantur idem Delrius, *ubi ſupra*, & ex Medicis Roderic. à Caſtr. *de Nat. mul. loco cit.* Mercurius *lib.* 2. *della Comm. cap.* 39. & ex Juriſconſultis Hieronym. Maggius *lib.* 1. *Miſcell. cap.* 4. *in princ.* & licet D. Auguſtin. *lib.* 3. *de civit. Dei, cap.* 4. quaſi dubius hoc indeciſum reliquiſſet, tamen *lib.* 15. *ejuſdem, cap.* 23. eamdem quæſtionem reproponens, eam determinavit, docens, quinam per filios Dei in ſacra Scriptura accipi debeant. Cerè Conimbric. *loco aliàs cit. in* 1. *de Gen. & corr. cap.* 4. *quæſt.* 10. *art.* 3. & Pererius *in Geneſ. lib.* 1. *cap.* 6. *verſ.* 2. & Torreblanc. *Dæmonolog. lib.* 2. *cap.* 30. Joan. Seldenus, J. C. *de Diis Syris in proleg. cap.* 3. *& Ioan. Iacobus Boiſſard. de Magia, cap.* 7. & alij celeberrimam opinionem eorum in medium afferunt, qui per filios Dei, filios Seth intellexerunt per filias autem hominum, filias Cain, & rationes pro hac ſententia adducunt: quam ſequitur etiam ex noſtris Roderic. à Caſtr. *de nat. mul. lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 6. quæ tamen non ca-
10 ret difficultate, ſi quidem quicunque per filios Dei, homines qualeſcunque intellexerunt, illud inexplicabile, arduumque in hoc offendunt, quod demonſtrare nequeant, quanam potiori ex ratione hi homines, vel quod eſſent boni, vel quod eſſent ex filiis Seth, & vocarentur Dei filij debuerint generare Gigantes: Nam quod ſupponunt nonnulli, filios Seth fuiſſe ſtaturæ proceræ, & viribus præpollentes, non probatur, imo ſcimus Noë filioſque ex ſtirpe Seth, non diſſimiles ab aliis hominibus extiſſe, cum nihil habeamus memoriæ proditum in contrarium, ut habere nos neceſſe eſſet, præterquam quod filios aliis hominibus proceriores non generarunt: alias, cum omnes quotquot ſumus poſt diluvium ex Noë ſimus progeniti, vel omnes vel magna ſaltem ex parte giganteæ ſtaturæ eſſe deberemus. Neque magis ſatisfacit id, quod ex Hieron. Vecchietto *lib.* 3. *de anno primit. mund. cap.* 2. *in fin.* affert Carranz. *de Part. cap.* 17. *num.* 52. nempe Sacram Paginam vocaſſe quoſcunque homines, filios Dei; ex eo quod eſſent rationis participes, qui cùm ex mulieribus quaſcunque vellent, ſibi eligerent, & cum eis miſcerentur, cum maximè adamarent eas, quæ magis ſibi ſanguine proximæ erant, ut proprias filias, ſorores, matres, factum eſt, ut ex tanta delectatione uberrimum ſemen in coitu excernerent, & ſic generatent Gigantes; quod tam facilè dicitur, quàm facilè ab hoc Doctore in medium producitur; nam ſi ſic eſt quotieſcunque conjuges ſummopere in coitu delectantur ut inter amantes ſit, Gigantes deberent generari. Sed neque ex eo quòd eſſent robuſti & potentes, debuerunt generare Gigantes, nam non major cauſa eſt, cur in præſentiarum viri potentes, & robuſti, & anteactis ſimiliter temporibus non debuerint, ut tunc temporibus Gigantes procreare.

Multo minùs autem videtur concedendum, per filios Dei intelligi viros ſtaturæ proceræ, nempe Giganteæ; nam inane hoc eſſet, volente ſacro textu demonſtrare, Quanam ratione procreati ſint Gigantes; nam ſi jam erant homines Giganteæ ſtaturæ, quid novi jam demonſtrare debebat hiſtoria ſacra de eorundem generatione? Sed verè mihi videtur, ſalvo ſemper meliori judicio ſacram hiſtoriam id ſibi voluiſſe docere, quanam ratione Gigantes fuerint procreati, cùm antea omnes homines ad eam ſtaturæ non accederent: dicebat ergo, *Poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illaque generarunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi*; hoc eſt, cùm antea non extitiſſent Gigantes, procreati ſunt, poſtquam filij Dei congreſſi ſunt cum filiabus hominum, (aliàs Filij Dei in ſacra pagina ut *Iob. cap.* 1. *verſ.* 6. vocantur Angeli ipſi) Unde, ut verum ingenuè fatear, perdifficilis videtur ejus loci intellectio, & ad Theologos relegenda, nam quæ hactenus adducta ſunt, nullâ ex parte ſatisfaciunt. Videtur enim ſacer textus, innuendo quòd Gigantes generati ſint ex hoc congreſſu filiorum Dei cum filiabus hominum, aliquid nobilioris notæ, quàm hominibus conveniat, abſque dubio his Dei filiis tribuiſſe, ob quod non conſuetæ ſtaturæ, & virtutis homines, ſed Giganteæ, & virtutis eminentioris generaverint; quod quid ſit, cum, quæ allata ſunt, prædictis non conveniant, non eſt meum, ſed ſacræ Theologorum ſcholæ determinare. Nobis ſatis pro nunc ſit, plures negaſſe, atque eos quidem ſummæ auctoritatis viros, eo in loco ſacrum textum hujuſmodi Incuborum commercium cum hominibus inſinuare voluiſſe.

Sed demus, utcunque ex tali concubitu generationem ſequi poſſe, & ad ſecundum quæſitum reſpondeamus. Semen, ex quo mediante Incubo fieri ſupponitur hæc generatio, cùm ab homine ſit deſumptum, & nihil ei à Dæmone de ſuo communicetur, hominem generabit nihil omnino ab aliis hominibus differentem, ſed ei tantùm ſimilem, ex quo ſemen deciſum fuerit, vel Matri, in cujus utero conceptus, & ad perfectionem fuerit deductus. Niſi ergo vitium ullum in ſeminibus, aut materno ſanguine ſit, (quod tamen communicari poſſe à Dæmone ipſis ſeminibus, & ſanguini non inficior) fœtus ex hoc congreſſu ſuſceptus nullum peculiare ſignum habebit, quod illum à cæteris hominibus pro
11 nato ex Incubo palam faciat. Neque majorem
12 cauſam eſſe exiſtimaverim, cur Gigantes, ex hujuſmodi congreſſu aut aliàs nati ſint, aut naſci debeant, vel Heroës cæteris hominibus præſtantiores: oportet enim ſemè ab ipſo Incubo Dæmone aliquid majoris virtutis, & excellentiæ adipiſci, ob quod ad Heroës potiùs, & Gigantes generandos aptum eſſet, quàm ſemen conſuetæ conditionis hominum. Cùm ſemen igitur illud hominis ſit, ut dixi (nam Dæmones aut quoſdam, aut omnes ſemen habere, quis unquam firmaverit, niſi inſulſæ quorundam opinioni adhæreat, de qua poſt alios Peter. *in Geneſ. lib.* 8. *c.* 6. *diſp.* 2.) cerè ſecundum virtutem à patre ſemini communicatam, & ſecundum ejus virtutis gradum, fœtum fortem, aut debilem, magni ac proceri, aut parvi & puſilli corporis, quantum ad paternum

ſemen

ſemen ſpectat generabit, cum filius hominis ſit fœ-
13 tus inde ſuſceptus, non Dæmonis, qui generare nequit, ut poſt alios dicunt etiam Conimbr. *in 1. de Gener. cap. 4. quæſt. 10. art. 3.* & Petr. Hurtad. de Mend. *de Generat. diſp. 1. §. 12. ſect. 1.*

Scio quid D. Thom. *in 2. ſentent. diſt. 4. art. 4.* ex quo Spreng. *in mall. malef. part. 2. quæſt. 1. cap. 4.* qui in parte aſſentitur, & poſt alios ex noſtris Medicis Valleſ. *de ſacr. Philoſoph. cit. cap. 8.* & ex Juriſconſultis Torrebl. *lib. 2. Dæmonolog. cap. 31. num. 19.* attulerint: poſſe nempe Dæmones ſeligere humanum ſemen, non qualecunque, ſed robuſtiſſimum, calidiſſimum, & quantitate plurimum. Id vero eis facile eſſe conquirere deligendo homines robuſtos & calidos multoque ſemine affluentes, quibus ſuccumbant, deinde & mulieres ſimilis conditionis, quibus incumbant; ſic voluit Valleſius fuiſſe procreatos Gigantes illos de quibus in ſacris, ſed præterquam quod hoc gratis dicitur, cum jam nullus inficiari queat, quod generatio Gigantum, qualitercunque à Dæmone per applicationem ſeminum hujuſmodi naturæ procurata, virtute tamen hominum fiat, ſeu humanorum ſeminum, non ipſius Dæmonis, jam non major ratio erit, cur de præſenti Gigantes alicubi non generentur, quis enim inficiabitur, dari ubique terrarum robuſtiſſimos calidiſſimos, & multo ſemine affluentes viros, qui ſimilis naturæ mulieribus jungantur, & inde prolem ſuſcipiant? Concedam tamen quicquid ſibi aſſumit Valleſius, (licet de mulieribus contrarium videmus cùm eæ, quæ cum Dæmonibus congrediuntur, plerumque deformes, vetulæ, vietæ, cæteriſque debiliores exiſtant) ſed quid inde num ex hoc concubitu Gigantes generabuntur? at hoc de præſenti non videmus, cum videre nos aliquando eſſet conveniens. Num id ſibi voluit Valleſius, Dæmonem ex Gigantibus, qui in Mundo, ubicunque terrarum reperiantur, ſemina hujuſmodi furari? ſed & Giganteas fœminas quibus incumbat eligere illum oporteret, fortè enim aliæ fœminæ non tantum ſanguinis giganteo ſemini ſubminiſtrare poterunt, quanto, ut ad giganteam proceritatem fœtus deveniat indigebit. Fortè neque uteri aliarum Mulierum Gigantei ſeminis capaces erunt ſed nimis anguſti, ut in eorum cavitate giganteus fœtus augeri poſſit: licet nonnullos ex Gigantibus quos aliquando extitiſſe accepimus, ex parentibus naturæ etiam mediocris natos enarrant, & non admodum robuſtis; & præter aliòs Giganteæ ſtaturæ mulierem ex parentibus conſuetæ magnitudinis Romæ natam ſe vidiſſe teſtatur D. Aug. *de Civ. Dei. lib. 15. cap. 23.* Sed quid quod Giganteum ſemen ad Gigantes generandos ſufficiens non ſemper eſt? conſtat enim Samogethas homines corpore ut plurimum procero, ac prægrandi, perſæpè pumiliones generare, ut refert Card. *lib. 1. de varier. cap. 4.* Præterea, cum conſtet hiſce temporibus maximè vigere Incubos, & Succubos, & multo magis quam ſæculis retro actis, ut probat Spreng. *in mall. malef. part. 2. quæſt. 1. cap. 4. & alibi*, oporteret plures in præſentiarum Gigantes procreari, quam fuerint antè procreati, & tamen contrarium experimur.

Neque ergo quoad corpus, neque quoad animum, (ſi nihil aliud intervenire aliunde ſupponamus) nati ex congreſſu Incuborum cum mulieri-
14 bus, quicquam melioris conditionis, aut deterioris ſortiri debent, quam cæteri hominum, ſed pro ſeminum, & materni ſanguinis natura tam quoad corpus, quam quoad animum, ſibi debitas conditiones, ac propenſitiones habere. Unde duplici ex capite falſa apparet Sprengeri ſententia *loco cit. part. 2. quæſt. 1. l. cap. 4.* putantis & generationem talem eſſe poſſibilem, & prolem inde naſci à Dæmone infectam, & quod peius multo eſt, & à veræ Philoſophiæ dogmatibus alieniſſimum, putat quod malefica viro juncta; & ex viro concipiens, per maritum nempe imprægnata (hæc enim ſunt ejus verba) poſſit per commixtionem alterius ſeminis ab Incubo ſuſcepti fœtum inficere. Quod tamen qui ſic naſcuntur, aut naſci jactantur potius, ex Dei permiſſu ſint peioris naturæ & conditionis, ob hujuſmodi coitus abominationem, quam cæteri homines, ego non detrecto, ſed ſi in via Naturæ loquimur, certè non aliter ſeſe res habebit, quam quomodo tecenſui, ſi unquam talis generatio poſſet ſuccedere, quod non facilè admiſerim. Peioris conditionis aliquando poſſe eſſe puto, qui ex mulierculis, quæ cum Dæmonibus congrediuntur, orti ſunt, non quod inficiantur à Demone, ſed quod malitia matris faciat eos propenſos ad iniquitatem, non tamen cogat.

Denique Succubos, & Incubos inter ſe coire, aut Succubos ſemen fovere, ac enutrire poſſe, vel, ut cum Delrio loquar, ſuccubum Dæmonem ad debitam magnitudinem fœtum deducere, ac patere, aliaque his ſimilia perficere; neque ego credo, neque quemquam ſolidâ doctrinâ munitum ſibi perſuadere poſſe crediderim, & ſi quando accidiſſe narretur, Dæmonis illuſionem interveniſſe putarim.

SUMMARIUM.

1 *Hermaphroditi qui dicantur.*
2 *Hermaphroditorum quatuor ſpecies.*
3 *Alia Hermaphroditorum diſtinctio.*
4 *Tertia Hermaphroditorum diſtinctio.*
5 *Fœmina aliquando penem emiſerunt.*
6 *Hermaphroditorum à genitalium conformatione diſtinctio*
7 *Eorundem à potentia coëundi diſtinctio.*
8 *Eorundem diſtinctio generandi.*
9 *Baptizans fœminam putans ſe baptizare maſculum, fœmina non dicitur baptizata, & vice verſa.*
10 *Hermaphroditi an ſint monſtra, & numeris ſeqq.*
13 *Hermaphroditi nullo ſexu conſpicui in cenſu Eunuchorum habendi.*
14 *Hermaphroditi qui ſint irregulares.*
15 *An dentur, & qua ſint ſigna diſtinguentia marem Hermaphroditum à fœmina. & num. 16. & 17.*
18 *Quinam Hermaphroditi pro maribus, qui vero pro fœminis habendi.*
19 *Teſtes extra apparentes marem oſtendunt.*
20 *Excretio menſtrua cum carentia Teſtium facit evidentiſſimam probationem fœminei ſexus.*
21 *Mas an in fœminam degenerare poſſit.*
22 *Natura ſemper tendit ad perfectiora, dic autem ut numer. ſeq.*
24 *Hermaphroditus eodem tempore in utroque ſexu perfectus, an dari poſſit.*
25 *Seneca locus de fœminarum ſui temporis inhoneſtate, & laſcivia.*
26 *Adam, an fuerit Androginus.*
27 *Hæretica quorundam opinio de ſexuum indiſtinctione ante peccatum Adæ.*
28 *Ante Evæ formationem fœmina erat in viro.*
29 *Non eſt impoſſibile dari Hermaphroditum, qui agere, ut vir, & pati poſſit, ut fœmina*
30 *Impoſſibile eſt dari Hermaphroditum qui generet in ſe. & in alio.*
31 *Duplicem ſexum ſortiti, ratum unum, irritum alium habent ex Ariſtot.*
31 *Sodomia quid.*
33 *Adam debuit ſolus à Deo creari & cur, remiſſivè.*
34 *Duo genitalia ejuſdem ſexus in eodem animali cur non reperiantur.*
35 *Hermaphroditus an irregularis.*
36 *Hermaphroditi quando ſint irregulares.*
37 *Hermaphroditi omnes irregulares.*

De

De Hermaphroditis.

QUÆSTIO VIII.

1 DE Hermaphroditis alias incidenter verba feci, in hac autem quæſtione, ad quam propriè univerſum hoc argumentum ſpectare videtur, de illis ex profeſſo loquar. Dicuntur Hermaphroditi, qui ſexu ſunt indiſtincti, nempe qui vel neutrum, vel utrumque habere videntur, & hoc nomine hic comprehendi volo quoſcunque, qui aliquo modo in ſexus qualitate dubium excitare poſſunt. Horum autem quatuor ſpecies conſtituunt, quicunque de illis verba faciunt, ut ex vetuſtioribus Paul. *lib. 6. cap. 69. &* Avic. 20. 3. *tract. 1. cap. 43.* & ex recentioribus Manard. *lib. 7. epiſt. 2.* Paræus *lib. 24. cap. 4.* & inter alios Profeſſores, eandem habet diviſionem Cælius Rhodig. *lect. Antiq. lib. 15. cap. 10.* & ex Juriſconſultis noviſſimus Carranz. ex eod. Paræo. *de Part. cap. 17. num. 67.*

Conſiderant vero tres ſpecies in viris, unicam in fœminis: In viris prima eſt, cum in Perinæo (hoc
2 eſt, ſub radice Penis, in ſpatio, quod eſt inter ipſum, ſeu inter ſcrotum, & anum, hoc enim dicitur Perinæum, non Coles, ut malè Cælius ex Theodoro, Aretæus *lib. 2. Acut. cap. 11.* Gal. *comm. 3. in lib. Hipp. de Artic. part. 45.*) muliebre pudendum conſpicuum eſt. Secunda ſpecies eſt cum idem pudendum muliebre apparet in ſcroto habens exile foramen, & à quo nihil omnino prodeat. Tertia ſpecies eſt cum ibidem exiſtente eodem pudendo muliebri, ex ejus orificio urina effunditur, aut etiam aliqua excretio menſtrua. Et hæ ſpecies Hermaphroditorum dicuntur conſiderari in viris, quia ſic conſtituti pro viris habendi, neque dubium in ea re intercedere debet, neque forte de his Leges ambigere credendum, ut latius infra. Quarta ſpecies in fœminis conſiderata, (quod ſic conſtitutæ fœminæ verè ſint) eſt cum in ſuperna parte muliebris pudendi, nempe in ima pube, ubi magna pudendi rima ſuum deſumit principium, Penis aliquis, vel quid Peni ſimile apparet.

Sed multo accuratius nonnulli alij Doctores has
3 Hermaphroditorum ſpecies deſcripſerunt, de quibus luculenter Bauhinus *de Hermaphrod. lib. 1. cap. 4.* & Riolan. *de Hermaphrod. cap. 11.* Mihi tamen placet plures facere Hermaphroditorum diſtinctiones. Et primo Hermaphroditorum alij in primo ortu ſeſe produnt, alij inſtantibus primo menſtruis, vel quandocunque. Rurſus priorum alij in maſculino ſexu; alij in fœminino, alij tandem in utroque prævalent; quin & alij mareſne, an fœminæ potius ſint, non manifeſti fiunt, utroque ſexu, quod oculis uſurpare liceat, orbati. Poſteriorum plerique, ac
4 penè omnes dixerim, Mares ſunt, nempe qui in prima menſium eruptione mentulam exerunt, ut pleriſque eveniſſe eſt notiſſimum; Pauci quidem admodum ſunt prorſus fœminæ, ut quæ jam uterum geſtarunt. Sed tam ex validitate nativi caloris, quam adſcititij aucti inſuper ex diviſione coitus; menſtruorum intempeſtivo defectu, & hujuſmodi, ſimile quid virili membro exerunt, & ſemiviri apparent. Sed in prioribus Teſtes aliquando cum mentula exiliunt, in his vero mentula ſola, aut quid ſimile membrorum nempe, vel carnea excreſcentia, ſed molis exilis, teſtibuſque omnino deſtituta.

Præterea licet diſtinguere omnes Hermaphroditos quadrupliciter: primo à conformatione genitalium; ſecundo, à ſitu eorumdem; tertio, à potentia coëundi; quartò à potentia generandi. A genitalium conformatione diſtinguuntur, quia nonnulli neutrum ſexum ut Natura requirit, rectè conſtitutum habent; alij contra utrumque rectè ſaltem quoad externas partes; alii denique unum naturaliter rectè conformatum, alium nequaquam. A ſitu diſtinguuntur, cum alii ſexum habeant unum ſub alio, alij unum in alio, alij vero ambos lateraliter poſitos. A potentia coëundi diſtinguuntur, quia nonnulli ſunt potentes in alterutro tantum ſexu, alij in utroque, alij in neutro. Sic, eodemque modo diſtinguitur à potentia generandi: quæ omnia in proceſſu ſermonis exemplis & hiſtoriis illuſtrabimus.

In primo ortu multos apparuiſſe Hermaphroditos eſt notiſſimum, neque ulteriori indiget teſtimonio, quod vero fœminæ nonnullæ, vel quæ fœminæ apparebant, in Mares evaſerint; & ſic Hermaphroditos ſe inſtante pubertate, vel inſtantibus menſtruis prodiderint, non minoris famæ, quam de ſuperioribus hiſtoriæ teſtantur, quas hic tranſcribere ſuperfluum videtur.

Porro in quo ſexu prævaleant Hermaphroditi, palam fiet, cum de potentia coëundi loquar, & exempla, ac hiſtorias ad eam rem afferam. At eos Hermaphroditos Mares vere eſſe, quibus inſtantibus menſtruis virile membrum exilit, manifeſtum eſt, ut Areſcuſæ evenit apud Plinium *lib. 5. capit. 4.* Lucio Coſſitio, & aliis apud eundem, & ſuperiori ætate duabus ſororibus Salernitanis, de quibus Fulgoſius *apud Schenckium*, & Mariæ Pacechæ *apud Amat. Luſit. curat. med. cent. 2. cur. 39.* & aliis, quorum hiſtorias vide recollectas per Schenck. *b. 4. Obſ. in princ.* & per Bauhin. *de Hermaphrod. lib. 1.* & inter Juriſconſultos, per Maiol. *de Irreg. lib. 1. cap. 27. num. 6.* ita ut non injuriâ velit Licetus, hos non eſſe vere Androgynos, ſeu Hermaphroditos, ſed Pſeudoandrogynos, habuiſſe tantum maſculinum ſexum intus latentem, ob caloris pauperiem.

Quinetiam, addam ego eos quoque, qui in pubertate penem exerentes tamen in perfectos viros evaſiſſe non videntur, eſſe tamen verè Mares, ſed ob eandem caloris inopiam non potuiſſe virilia extra prorſus ac omni ex parte exilire, ut Annæ illi evenit, de quo in fine hujus tituli. Nimis tamen prima fronte refragari videtur tot experientiis, tantorumque clariſſimorum virorum teſtimoniis, Clementis Alexandrini Mercurial. *lib. 6. var. lect. cap. 20.* Mercat. *lib. 2. de virg. & vid. aff. cap. 10.* Nancelij *lib. 8. Analog. Microc. ad Macroc. cap. 8. verſ. Ego vero*, & Pinæi *de not. virg.* ſententia; quæ non admittit ullas unquam fœminas in Mares evadere, ſed id ſemper per Obſtetricum errorem contingere, aut aliquem Naturæ defectum, in quibuſdam autem penem nullum apparere, ſed uteri potius prolapſum fieri ex quo penem exercere videntur, quod maximè voluit Mercatus. At Galenum tam apertâ fronte Hermaphroditos negaſſe, ut dicit Carranz. *lib. de Part. cap. 17. num. 69.* omnino à vero abeſt. Loco enim ab eo citato *libro 2. de ſem. cap. 3. in fin.* id dicit, aliquos fictores Hermaphroditos effingere, qui utraque genitalia membra tam maris, quam fœminæ integra habeant. At abſurdiſſimum eſt, quod hic Juriſta addit, Galenum negaſſe adeo maris, & fœminæ divulſa membra eſſe poſſe, ut alia in maris, alia in fœminæ ſemine poſſint contineri: nam nihil omnino hoc ad rem ſuam facit, neque intellexit hic homo quid Galenus ſibi voluerit quod mirum non eſt de Leguleio hoc Philoſophicis contemplationibus ſeſe nu-

dacter immiſcente. Inibi certè Galenus contra Empedoclem diſputat, volentem divulſas partes in maris ; & fœminæ ſeminibus ineſſe, quod Galenus tanquam quid abſurdum, & impoſſibile refellit ; ſed quid hoc ad Mercurium, aut quid ad comprobandum Galenum Hermaphroditos negaſſe, eum adducit hic de ſeminum miſcella loquentem ?

Sed ad penſum noſtrum, certè fœminas (nempe inquam verè fœminas, non apparentes, ut ſuperio-
5 res) virile membrum, ſed quid illi ſimile aliquando emiſiſſe, etiam poſtquam non ſemel concepiſſent, teſtantur hiſtoriæ à Pontano relatæ apud Schenc. *ubi ſupra*, & apud Marcell. Donat. *lib. 6. hiſtor. Med. mirab. cap. 2.* & Bauhin. *loco cit.* has tamen pro fœminis ſemper habendas, non ſolum teſtari poſſunt Teſtium, Barbæ, & pilorum in locis conſuetis carentia, & alia, de quibus agam, cum loquar de ſignis diſtinctivis, ſed maximè perfectionem fœminini ſexus demonſtrat uſus venereorum per femineum ſexum, & multo magis conceptio. Satis ergo pro nunc id ſit adnotaſſe, mulieres ita in mares evaſiſſe ut pleriſque id Clitoridis beneficio ſucceſſerit, ut nonnulli ſentiunt Anatomici, & pluribus demonſtrat exemplis Joan. Riolan. *cap. 9.* unde non vere mares evaſerunt, cum neque verum Penem emiſerint, & teſtes illis foras non proſilierint.

Porro eorum Hermaphroditorum, quorum di-
6 ſtinctio deſumitur à genitalium conformatione, aliquos diximus neutrum ſexum rectè conformatum ſortiri, ut exemplo eſt Cingara, de qua Columb. *Anat. lib. 15.* & fratres illi duo, de quibus in fine tituli, quibus imperfectus uterque ſexus contigit. Aliquos etiam dixi nullum habere[inſignem ſexum qualis fuit fœtus ille, quem diſſecuit Joan. Fabet, in Xenodochio S. Spiritus ; his enim nullum ſexum præ ſe ferebat, licet dehinc fœmella apparuerit in diſſectione cadaveris, & geminum uterum habere. Tale etiam fuit monſtrum illud Dantiſcanum, de quo Joachim. Olhaf. apud Bauhin. *de hermaphrod. in fin.* Non diſſimilis etiam erat is Hermaphroditus de quo Hali Rodoam apud Schench. *lib. 4. Obſerv. in princ.* qui nullo ſexu erat conſpicuus, ſed aſpectu, & moribus ſimilis erat caſtrato : & apud Paræum habetur Monſtrum bicorporeum, nullo ſexu inſigne, & aliud ſimile natum eſt anno 1610. cujus hiſtoriam habes *in fin. hujus tit.* cui par fuit natum anno 1555. apud Licet. *lib. 2. de Monſtr. cap. 22.*

Utrumque autem ſexum quaſi recte conformatum habent, ſeu habere ſaltem videntur ij Hermaphroditi, qui in utroque ſexu ſunt potentes qualis fortè fuit Montui Hermaphroditus, de quo Bauhin. & Schenc. & qualis etiam fuit Aſinus, quem Romæ vidi, cujus hiſtoriam infra annectam. Notiſſimi tandem ſunt, qui alterutrum tantum ſexum conformatum rectè habent, ſed inter ſe in hoc differunt, quod, ut dixi, eorum alij Mares ſint, alij fœminæ, priores Androgynos, poſteriores Gynanthropos appellari ex Domino de Val dixit Riolan. *de Hermaphrod. cap. 12.* & huc referri poteſt ea differentia, quam primo ex aliorum ſententia attuli, & de his dicebat Ariſtoteles (cui fortè aliæ ſpecies cognitæ non fuerunt) eos alterum ſexum ratum, irritum vero alterum habere, quod tamen non undequaque verum eſſe volunt aliqui DD. nam experientiâ conſtat & utrumque ratum, & utrumque irritum habere eos poſſe, & de irrito non eſt dubium tamen Ariſtotelem dicamus intellexiſſe pro raro ſexu illum, cum quo homo poteſt generare, ſic enim verum eſt, quod utrumque ratum habere non poſſunt.

Sed & eodem quoque pacto diſtinguuntur Her- 7
maphroditi à potentia coëundi, ut diximus : nam neutro nonnullos valere Cingara Columbi, & Anna illa Pharmacopolæ filius, & fortè etiam Carolus, alter ex fratribus Sangeminianis, & alij apertiſſime demonſtrant. Utroque valere Montui Hermaphroditus, aliique oſtendunt ; alterutro vero nonnullos valere plura oſtendunt exempla, quæ minimè neceſſe eſt repetere, præterquam quod paſſim habentur.

A potentia item generandi diſtinguuntur Her- 8
maphroditi ; nam licet ut plurimum verè Hermaphroditi non generent, quia ſi in ſexu maſculino prævalent frigidiores tamen cæteris maſculis ſunt, & ideirco utplurimum imberbes, & glabri ; ſi in fœminino, calidiores quàm oporteat, unde menſtruis deſtituuntur, ut ex Haly tradit Marcell. Donat. *lib. 6. ſuæ hiſt. med. mir. cap. 2.* tamen hoc non eſt perpetuæ veritatis, quia nonnulli cum maſculino, alij cum fœminino ſexu generant ; cum utroque vero an ullus generaverit, vel generare poſſit, diſcutiemus infra : licet plerumque Hermaphroditi, vere inquam Hermaphroditi, in neutro ſexu potentes ſint, unde Auſonius *Epigram. 102.*

Mercurio genitore ſatus, genitrice Cythere.
Nominis ut mixti ſic corporis Hermaphroditus.
Concretus ſexu, ſed non perfectus utroque.
Ambiguæ veneris, neutro potiundus amore.

A ſitu denique, ut diximus, Hermaphroditi diſtingunutur nam, alij ſexum unum habent ſub alio poſitum, nempe vel maſculinum ſub fœminino, veluti Mulus ex Mula natus de quo Herod. *in Polimn. ſeu libro 8.* & homo quidam apud Ruffeum *libro 5. de Gen. hom. cap. 3.* & alius apud Bauhin. *lib. 1. de Hermaphrod.* vel habent fœmininum ſub maſculino, ut plerique habere conſpiciuntur, & qualem ſortiuntur utrique fratres Sangeminiani, alij vero ſunt, qui ſexum utrumque habent à lateribus poſitum, in quibus adnotarunt Doctores, quod ſexus, in quo prævalent, & quem ratum habent, ſemper à dextris ſitus eſt, irritus à ſiniſtris. Hoc modo conſtituebatur Daniel ille, & qui uxore ducta nunquam cum ea congredi potuit, interim verò à quodam commilitone impregnatus nocte intempeſta cum uxore accubans, ventris doloribus partum præcedentibus, fœmellam enixus eſt, quam ſola dextrâ mammiltâ lactavit, ſiniſtrâ lacte carente : erat enim huic ratus ſexus, nempe fœmininus, à dextris, maſculeus, irrituſque à ſiniſtris de hoc Bauhin. *lib. 1. de Hermaphrod. cap. 33.* Alij tandem ſexum unum habent in alio, vel uti ille, de quo in fine hujus Quæſtionis. Hi tamen ultimo loco recenſiti plerumque immo ſemper, fœminini ſexus ſunt ; in ipſo enim utero, ubi Clitoris apparet, vel etiam poſt urinarium meatum intro progrediendo, vel inſignem Clitorim, vel membro virili aliquid ſimile obtinent, quale ſortiebatur Scortum Romæ famoſum de quo in ſeqq. nonnihil. Atque his videor mihi omnes, & quaſcunque Hermaphroditorum ſpecies, ac differentias amplexus, quotquot unquam hactenus vel extiterunt, vel extitiſſe narratur ; de quibus tamen omnibus permultæ in medium afferri ſolent quæſtiones. Et primo, num inter monſtra hujuſmodi homines ſint recenſendi, ſecundo an dentur, & quænam ſint ſigna diſtinguentia marem Hermaphroditum à fœmina ; Tertio, quinam eorum pro maribus, qui vero pro fœminis habendi, non modo enim multum refert hoc, quoad Baptiſmum, quia ſi baptizans fœminam putans ſe baptizare maſculum 9
maſcu-

maſculinum nomen ei imponit, aut vice verſa, non dicitur fœmella illa, aut puerulus baptizatus, Petr. Gerard. *ſing.* 90. *n.* 2. Sed & circa hoc ea omnia in dubium venire poſſunt, circa mas à fœmina, & fœmina à mare diſtinctionem in Jure accipiunt. Quarto dubitatur, num quemadmodum ex iis, quæ fœminæ apparent, aliquæ in mares evaſerunt, ſic poſſibile ſit ex maribus in fœminas degenerare. Quinto, num dari poſſit Hermaphroditus utroq; ſexu perfectus. Sexto, quid ſentiendum ſit de Hermaphrodito circa corporis deformitatem, an ob eam ſcilicet inhabilitatem, & irregularitatem in aliquibus actibus celebrandis incurratur: & præter eas aliæ inſuper dubitationes proponi poſſunt, quas in ſermonis proceſſu diſcutiemus.

10 Sed quoad primam ex propoſitis, antiquitus Hermaphroditi pro Monſtris habiti, & idcirco tanquam ſiniſtri omnia auguria forent, in mare demergebantur, vel in inſulam deſertam deportabantur, vel aliâ quadam ratione, ut cætera Monſtra, expiabantur: ita factum teſtatur Livius, *decad.* 1. *lib.* 3. *& alibi.* Plin. *lib.* 7. *Nat. hiſt. c.* 3. quorum plures hiſtorias vide apud ipſos, quas etiam cum aliis pluribus habes recollectas per Schenc. *lib.* 4. *Obſervat. in princ.* VVeinrich. *de ort. Monſtr. c.* 50. Marc. Donat. *lib.* 6. *hiſt. med. mir. cap.* 2. Laur. *Anatom. lib.* 7. *q.* 8. Nancel. *lib.* 7. *Analog. Microc. ad Macr. c.* 1. Bauhin. *lib.* 1. *de Hermaphrod. c.* 35. & ex Juriſconſultis apud Tiraq. *de leg. Conn. Gloſſ.* 1. *lib.* 1. *part.* 1. *n.* 100. *& ſeq.* & noviſſimè apud Carranz. *de Part. c.* 17. *n.* 69. Sed & Plato *in Convivio*, *in orat. Ariſtophanis*, id ipſum videtur ſentire, cum nomen Androgyni, ſeu Hermaphroditi infame dicat, ſic etiam Lucret. *lib.* 5. *de rer. nat.* illos inter Monſtra enumerat:

Multaq: tunc tellus etiam portenta creare,
Conata eſt mira facie, membrique coorta,
Androginum inter utrum, nec utrumq; & utrinq;
remotum, &c.

Sed & Cicero *lib.* 1. *de divinat.* pro Monſtris iudicavit: Quid, inquit, ortus Androgyni, nonne fatale quoddam monſtrum fuit? Inter Recentiores quoque, Mercat. *lib.* 3. *de Steril. aff. cap.* 7. Martin VVeinrich. *de ort. Monſtr. ubi ſupra*, Roderic. à Caſt. *lib.* 3. *de morb. mul. cap.* 11. & Riolan. *de Hermaphrod. cap.* 2. ex Juriſconſultis autem Maiol. *de Irregul. lib.* 1. *c.* 27. *n.* 4. Torrebl. *Demonolog. lib.* 2. *c.* 17. *num.* 21. & Carranz. *ubi ſupra, num.* 68. in eandem ſententiam venerunt. Ac ſi verum eſt Ariſtotelis dictum *lib.* 4 *de Gener. Anim. c.* 4. quod aut deficere, aut ſupereſſe aliquid monſtroſum ſit, Hermaphroditi pro monſtris habendi.

Verumenim verò his non obſtantibus, Hermaphroditi monſtra non ſunt, nec pro monſtris à Le-
11 gibus habentur, ſed in virorum, vel mulierum cenſu reputantur, à quibus nihil habent peculiare, *l. Quæritur. ff. de ſtat. hom. l. Repetund. §. Hermaphrod. ff. de Teſtib. l. ſed eſt quæſitum in fin. ff. de lib. & poſth. cap ſi teſtis. §. Hermaphrodit.* 20. *quæſt.* 3. & ex earundem Legum auctoritate idem adſtruit ex Medicis Bauhin. *ubi alias cap.* 5. In hac controverſia Licet. *lib.* 2. *de Monſtr. cap.* 53. voluit non omnes Hermaphroditos indifferenter pro Monſtris habendos eſſe, ſed illos tantum, quibus neuter ſexus ob exilitatem perfectus eſt, aut quibus alter longè à ſuo naturali loco eſt tranſpoſitus: iuxta quam opinionem videtur dicendum, Hermaphroditos illos qui ſaltem alterum ſexum ratum, & recte conformatum habent non magis monſtroſos eſſe, quam eos quibus aliquis digitus manus, vel pedis ſuperflueret, vel quibus pes, aut manus, eſſet diſtorta, aut quid ſimile quid vitij haberent: hi enim monſtra dici non poſſunt, cum in monſtri conſtitutione requiratur inſignis, enormis læſio, ut iam diximus.

Itaque non ſolum in hoc ſenſu monſtra non ſunt 12
Hermaphroditi, qui in utroq; ſexu vel in alterutro tantum prævalent, ſed ad rem noſtram, nempe ut pro viris vel fœminis habeantur, & inter eos, vel eas locum obtineant, neque ij monſtra dici debent qui in neutro ſexu potentes exiſtunt, aut alterum etiam tranſpoſitum habent: ſi quæ enim turpitudo, ac monſtroſitas inde enaſcitur, parum quid facere videtur ad humanæ figuræ, vel cuiuſcunque detrimentum, apud leges autem hi tantum partus qui ſcilicet formâ humana deſtituuntur, pro monſtris reputantur, ita ut in numerum filiorum non veniant. Unde falſa apparet Carranzæ ſententia *lib. de Part. c.* 17. *n.* 66. volentis. Hermaphroditum eſſe propriè monſtrum, cum ad nullum effectum pro tali à lege reputetur, neque niſi latiſſimo modo, & impropriſſime apud Philoſophos pro Monſtro ſit iudicatus.

Adnotandum. tamen primo, eos Hermaphrodi- 13
tos, in quibus nulla ſexus diſtinctio apparet, in cenſu Eunuchorum eſſe habendos: ſervare enim hos huiuſmodi naturam patet experientia, cui ſuffragatur exemplum ex Haly Rodoam ſupra adductum: At quemadmodum Eunuchi fœmineæ naturæ accedunt, quoad animi robur, & corporis conſtitutionem: ita dixerim apud Judices hos Hermaphroditos non tam pro Eunuchis, quam pro fœminis habendos, & idcirco tanquam fœminæ ab iis omnibus eliminandos, à quibus fœminæ eliminari ſolent, aliaque ex parte ſiquæ leges pro fœminis favorabiles exiſtunt, pro his etiam facere exiſtimaverim.

Secundo adnotandum, hos ipſos Hermophrodi- 14
tos, ob naturæ imperfectionem, facile pro irregularibus exiſtimandos, quod Canoniſtæ videant; eos certè, qui in utroq; ſexu prævalent, non tam ob monſtrificam qualitatem, qua carere eos facile convinci poteſt ex ſuperioribus, quam ob ſcandalum irregulares eſſe manifeſtum eſt, ut percurrit Navarr. *Conſil. l.* 1. *tit. de Æt. & qual. conſ.* 8. *n.* 3. *tom.* 1. & Maiol. *lib.* 1. *de Irreg. c.* 27. *n.* 4.

Secunda dubitatio eſt, an dentur, & quænam ſint 15
ſigna diſtinguentia marem Hermaphroditum ab Hermaphrodita fœmina, & unde hæc ſigna petenda ſint. Navarr. *ubi ſup. n.* 4. voluit hæc ſigna haberi ex potentia, & rectè quidem hoc, non tamen rectè quod addit, ſtandum ſcilicet eſſe relationi ipſius Hermaphroditi, & multo minus recte quæ ſubiungit, nimirum ſtandum eſſe iudicio Medicorum. Quod tamen, inquit, in idem recidit, cum oporteat iudicare Medicos ſecundum ea, quæ ipſe de ſe aſſeruerit. In quam etiam ſententiam iis ipſis verbis ite ſe manifeſtum facit Sanchez *de Matrim. lib.* 2 *diſput* 16. *n.* 2. Ultima tamen hæc verba clarè oſtendunt, inſignes hos Doctores multa circa hoc ignoraſſe Medicis cognita: neq; enim deſunt nobis ingenia, abſq; eo quod ſtare debeamus relationi Hermaphroditi, quibus ipſius potentiam aut impotentiam, & inquo ſexu prævaleat, detegamus.

Itaque in propoſitis caſibus, quando nimirum ita exilis ſexus uterque eſt, ut modicam, vel quando nullus, ut nullam de ſe ſignificationem præbeat, vel contra ita uterque conſpicuus, ac bene efformatus ut parem habere virtutem cenſeatur, Medici plura ſigna habent, ad diſtinguendum potentiorem ab impotentiori, Navarræ, & Sanchez incomperta. Paræus ergo *lib.* 24. *cap.* 4. & ex ipſo, &

Liebautio Bauhin, *libro primo, de Hermaphrod. c.* 4. & Riolan. *de Hermaphrod. c.* 16. plura ad hoc aſſerunt, quæ omnia reducenda ad alterutrius ſexus proprietates, nam is, qui maiores, efficaciores, patentiores, & numero plures habet ſexus, prævalere
16 dicitur. Deſumuntur verò huiuſmodi proprietates ex mole vaſorum, ex eorundem conformatione, ex naturali ſitu ex viarum latitudine & anguſtia, ex adnaſcentibus pilis, ex incalefcentia maiori aut minori, in uno quam in alio: ſexus enim qui prævalet, mole ſemper eſt magis conſpicuus, qui irritus eſt minus, Sic etiam ſexus qui prævalet in conformatione ad naturalem formam ſemper magis accedit, & perfectior eſt, contra fit in alieno ſexu. Eadem quoque ratione prævalens ſexus ſemper naturalem, ac ſibi debitum ſitum ſervat, imperfectus nequaquam, maximè reſpectivè ad perfectiorem: unde fit quod ratus ſexus ſemper ut diximus, à dextris eſt, irritus à ſiniſtris, in his qui eos lateraliter conſtitutos habent: quin & in his, qui unum habent ſub alio, ſuperior ratus, inferior irritus, licet contrarium, ſed perraro aliquando eveniat. Pili in perfecto conſpicui ſunt, copiâ, & quantitate, in imperfecto vel nulli, vel copiæ, & qualitatis nullius momenti. In rato ſexu, vel potentiori viæ perviæ, & patentes ac penetrantes, in irrito, & impotenti impervia, auguſtæ, & minimè penetrantes. Quod ſi ambo ſexus imperfecti ſint, unus tamen reſpectu alterius, latitudine earundem viarum, & penetratione ſe manifeſtum facit: ac deniq; incaleſcentia ſemper ſit in ſexu, qui prævalet, aut ſemper promptior, & citior. Quam ſolamprædens oculis habens Navarra, & Sanchez cætera ignotare ſe patefecit, aut oſcitantes prætermiſiſſe: nam etiamſi in utroque ſexu incaleſcat aliquando Hermaphroditus ſecundum perfectiorem tamen facillimè, ſecundum imperfectiorem difficilius id illi contingit: aut ſi iuxta utrumq; frigidus homo ſit, is qui prævalet ſexus magis naturalem calorem ſervat, & venas magis conſpicuas habet: qui imperfectus eſt quaſi mortuus languere videtur, & mole etiam non conſiderabili præ perfecto eſt.

Sed & præter, hæc, alia nonnulla ad idem demonſtrandum collimant: habitus enim corporis virilis,
17 vox gravis, ac ſonora, animus ad virilia pronus, impiger, & pathematis viro dignis excitatus, pilli in mento, in Perinæo, ſeu Tauro, & ano, mammæ exiles, pectuſve excarne, capitis capilli hirti, breves & durioſculi, urinæ per Penem excretio, & multo magis ſeminis, Teſtes propendentes, & non prorſus ſpermendæ magnitudinis, aut ſaltem inguinibus adhærentes, virilem ſexum demonſtrant, & maximè teſtes extra apparentes. Contra habitus corporis muliebris mollis, & declinatus, vox exilis animus demiſſus, & paſſionibus muliere dignis implicitus, pili in mento, perinæo, in ano nulli, mammæ turgillæ, & pectus carnoſum, capilli capitis promiſſi, tenues, molles, longi, urinæ per conſueras muliebres vias excretio, per eaſdemque menſtruorum ſuo tempore facta expurgatio, vel apparens etiam ſanguinea evacuatio, Teſtes nulli, nullumq; alicubi eorum veſtigium ſe prodens, muliebris certè ſexus ſufficientia indicia ſunt: quod autem Marcell. Donat, *lib. 2. hiſt. Med. mirab.* ex Haly tradit Hermaphroditos non purgari, non habere ſemper veritatem, iam diximus.

Tertia dubitatio eſt quinam ex Hermaphroditis
18 pro maribus habendi, qui vero pro fœminis: quæ, dubietatio remaneret prorſus ſublata ex ſuperioribus, niſi darentur caſus, in quibus nullus ſexus apparet, aut uterq; apparet impefectus, aut aliquando apparent tantum Teſtes, membrum vero nullum: præterquamquod membra ſexum conformantia non ſunt cauſæ conſtituentes marem, aut fœminam, aut diſtinguentes inter ipſos, ut ex Ariſtot. probat Tadd. Flor. *in Iſagog. Ioan. cap.* 18. *in reſponſ. ad ſecundum, quæſitum tertii argumenti principalis.* Quod ſi ita eſt poterunt quippe apparere membra unius ſexus in eo, qui eſt contrarij ſexus, & idcirco non his ſolum fidendum, ſed iis maximè, quæ totum reſpiciunt.

In hac dubitatione illud unum ante omnia monendum, prædictis non obſtantibus, genitale extra ſe prodens, Teſteſque extra alvum prominentes oſtendere maximè animalia, quorum maſculis prominere ſolent, ſexus maſculini indicium enim faciunt temperaturæ totius calidiores, ipſiuſque nativi caloris vigorem, ac robur demonſtrent. Quemadmodum ex adverſo, horum abſentia ob contrarias cauſas, fœminas inducat, quantum eſt ex hoc: Teſtes enim ſic dicti, quod teſtimonium præbeant vilitatis: Andr. Laur. *Anatom. lib. 7. c.* 4. & ad horum ſimilitudinem vocantur etiam Teſtes hæ ipſæ partes in mulieribus, etſi in ipſis lateant. Et licet Cardan. *lib. 7. de varie.* 27. non habeti ſignum dixerit, quod manifeſtius maſculum obſtendat, quam genitale extra ſe prodens, tamen ex mea ſententia inſufficiens illud ad hoc per ſe eſt, niſi Teſtibus aſſocietur: nam & fœminas habuiſſe genitale extra ſe procedens patet ex hiſtoriis fide digniſſimis, quarum unam aut alteram vide in fine huius tituli. Circa Teſtes autem dixi, eos eſſe ſignum maſculeitatis, ut ita dicam, in animalibus, quorum maribus prominere ſolent, cum nonnulla eos habeant intus conditos, ut Aves. Hinc elicere hanc concluſionem poſſumus, quod quandocunq; Teſtes extra apparent, & ad ſenſum conſpicui ſunt dummodo eorum exilitas non id operetur, ut tanquam ſi abeſſent, pro nihilo ducantur, Hermaphroditus pro viro reputandus ſit: quod verum erit non ſolum ſi ambo Teſtes apparent, ſed etiam ſi unus tantum: atq; inſuper non ſolum verum eſt, cum etiam virile genitale apparet, ſed etiam ſi non appareat, qualis fuit puer apud Rueff. *lib. 5. de Concept. hom. c.* 3. & alter apud Schenc. ex Cneulino, *lib.* 8. *Obſervat.* Adde etiam quod in tantum operentur teſtes ad oſtendendam virilitatem cum extra prominent, ut hæc concluſio habeat locum etiamſi inſignis muliebris ſexus conſtitutio adeſſet: & in priori caſu habeo Rueff. Teſtimonium, nam ſuum illum puerum pro mare baptizatum fuiſſe narrat.

Secundo monendum, quod excretio menſtrua cum carentia Teſtium facit ſufficientiſſimam probationem fœminini ſexus, etiamſi plura alia vigerent pro ſexu maſculino, & etiamſi inſigne membrum virile adeſſet indicat enim excretio menſtrua internum hominis temperamentum, & muliebrium genitalium perfectam conſtitutionem, quâ ſtante impoſſibile eſt virilia genitalia ad eam perfectionem, uno eodemque tempore pervenire poſſe.

Porrò ex hac ipſa huius dubitationis deciſione 19
multæ æliæ dependentiam habent, quarum plures proponit inter Medicos Bauhin. *lib. 1. de Hermaph. c. ult.* & inter Canoniſtas, & Iuriſconſultos Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp.* 106. *&c.* Alphonſ. à Carranz. *de part. c.* 17. *n.* 68. & præter has aliæ, ut an matrimonium contrahere poſſint, an ad ordines admittendi, an ad teſtimonium dicendum, an ad feudi ſucceſſionem, an eorum miſeratio habenda, & id

genus

genus aliæ : quia quandocunque determinatum remaneat cuius ſexus ſint iudicati, illicò determinata remanent etiam quæcunque circa prædicta dubi-
21 tationem parere poſſunt.

Quarta dubitatio erat, num quemadmodum Hermaphroditi aliqui, fœminæ apparebant, in viros evaſerunt, ſic à contra poſſibile ſit eos, qui mares apparebant, in fœminas degenerare : nam aliqui non ſolùm hanc poſteriorem partem apertâ fronte negarunt, ſed priorem etiam, & aliàs dixi eius ſententiæ fuiſſe Clementem Alexandrinum, Mercatum, Pinæum, And. Laur. & Riolanum. Quoad hanc tamen
22 partem videntur hi contra communem DD. opinionem pugnare, quæ tamen communis opinio declaranda, ac moderanda videtur iuxta Laurentij, & Riolani opinionem. Quoad poſteriorem tamen partem, communis opinio eſt pro negativa : rationem afferunt, quòd Natura ſemper tendat ad perfectiora. Non deſunt tamen, qui & idipſum factum aliquando admittant, & fieri etiam poſſe, quod non eſt dubium, ſi modò factum unquam eſt : Primò Poëtæ, (qui aliquando fabulis ſecretiora Naturæ arcana contegunt) pluries id eveniſſe cecinerunt. Virgil. 6. *Æneid.* de Cœneo loquens.

—— *Et iuvenis quondam, nunc fœmina Cæneus,*
Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.

Et Ovid. l. 11. *Metamorph.* de Tireſia :

—— *Venus huic erat utraque nota,*
Nam duo magnorum viridi coeuntia ſiluâ
Corpora ſerpentum baculi violavera ictu,
Deque viro factus, mirabile, fœmina, ſeptem
Egerat Autumnos.

Et l. 4. eiuſdem de Scythone.

Nec loquar, ut quondam naturæ iure novato
Ambiguus fuerit modò vir, modò fœmina Scython.

Et ne hæc omnino fabuloſa, & impoſſibilia ducas, narrantur & ab Hiſtoricis nonnulli caſus facti poſſibilitatem arteſtantes, & hiſtoricè primùm locutus videtur Auſonius Gallus, vir conſularis, Poëta & Medicus inſignis, ut Lanxius teſtatur l. 1. *Epiſt.* 10. (licèt alij non hunc, ſed huius parentem Medicum fuiſſe dicant) in carminibus ſubſequentibus, quæ & ipſe recitat Langius, ad rem enim noſtram maximè faciunt.

Vaile Bana res nota, & vix credenda Poëtis.
Sed quæ de vera promitur hiſtoria :
Fœmineam in ſpecciem convertit maſculus Ales,
Pavaque de Pavo conſtitit ante oculos.
Cuncti admirantur monſtrum : ſed mollior Agna
Adſtitit in tenerum de grege verſa marem.
Quid ſtolidi ad ſpeciem nova novitatis hebetis ?
An vos Naſonis carmina non legitis ?
Cænea convertit proles Saturnia Cenſus,
Ambiguoque fuit corpore Tireſias.
Vidit ſemivirum fons Salmacis Hermaphroditum,
Vidit nubentem Plivius Androgynum.
Nec ſatis antiquum quòd Campana in Benevento
Unus Epheborum Virgo repentè fuit.
Nolo tamen veteris documenta accerſere famæ,
Ecce ego ſum factus fœmina de Puero.

Cuius Epigrammatis duo carmina, quæ poſtrema præcedunt, recitat ex Juriſconſultis Tiraq. *de leg. Connub. Gloſſ.* 1. *part. num.* 105. relictis aliis, & maximè diſticho poſtremo multum ad ſuam rem faciente, licèt nonnulla alia ex ſupradictis Virgilij, & Ovidij carminibus recitet, quæ tamen illi accepta non refero, ſed Auctoribus ſuis, quemadmodum neque alia plura hic adducta, ſi quæ ille habet : hoc dico, quia mei moris fuit ingenuè referre unicuique accepta, ea quæ ex lectione uniuſcuiuſque, vel etiam oretenus excerpo, quandocunque primum apud ipſum quicquam, quod ad rem meam, faciat, legerim, vel ab amicis confabulantibus audiverim, ut apertiſſimè patebit iis, qui opellas haſce meas critice in hoc perluſtrare voluerint, ſed hæc ineidenter. Habes præter adducta, ut ad rem redeamus, hiſtorias nonnullas Hermaphroditorum, qui & pro viris habeantur, & uxorem duxerant, vel monaſticam vitam cum Monachis tanquam viri vivebant, qui tamen in fœminas poſtmodum adierunt, & filios pepererunt, & in poſterum pro fœminis habiti ſunt : & vide, ſi libet, geminam hiſtoriam apud Licetum *lib. ſæpè cit.* 2. *de monſt. c.* 53. Sed quid prætereo Scytarum hiſtoriam ab Hippocrate viro ſenſatiſſimo, ac maximè veridico enarratam *in lib. de Aer. Aq. & locis* ? hi enim cum Mares naſcantur, mox evitari habitu muliebri in duuntur, & in muliebrem naturam abeuntes, muliebria quoq; munia obeunt, quos Herodotus *lib.* 1. hoc modo puniri à Diis meminit, ob direptionem templi Veneris Uraniæ in Paleſtina, vocariq ; dicit hunc morbum Theliam. Sed & arte mutari poſſe maſculum in fœminam patet : caſtratione enim id facilè aſſequimur, cum mas caſtratus fœminæ ſimilis evadat, ſicut alias ex Galeno dixi, ut interim Spori caſtrationem, & verſionem in fœminam à Nerone procuratam præteream.

Sed non deſunt etiam plura exempla etiam huius metamorphoſis, quæ in aliis animalib. à Natura apparent, atteſtantia facile & in hominibus ſuccedere poſſe Notiſſimum eſt quod de Hyæna narrant, de qua copioſiſſimè Gaſp. Bauhin. *in ſapiſſimè adducto libro de Hermaphrod.* 2. *cap.* 2. *& ſeqq.* qui etiam de Lepore, & de aliis quibuſdam animalibus ſexum mutantibus non tam fœmininum in maſculinum quod plerique admittunt, quam maſculinum in fœmininum, quod ferè omnes negant, mentionem habet, de quibus etiam Langius *ubi ſupra*, qui Cervos quoque in contrarium ſexum abire tradit quin & in utero Cervi, dum eviſcerarentur, repertum fuiſſe hinnulum teſtatur membranulis circumſeptum. Ex quibus non videtur extra Naturæ limites eſſe, ex Maribus fœminas fieri, quæ concluſio Galleotto Martio. *de doctr. promiſc. cap.* 18. adeo accepta eſt, ut non magis difficile credat propendentia[maris genitalia intro remeare poſſe, quam eadem intus latentia foras proſiliret & Jo. Huart. *in exam. Ingenior. cap.* 15. non ſolum huic opinioni aſſentitur, ſed commentitium etiam hoc addit, Pueris hoc evenire non modo cum extra uterum exiſtunt, ſed etiam in utero materno exiſtentibus & ex quibuſdam imaginariis ſignis id colligi poſſe autumat. Et hanc ipſam opinionem ſequitur ex Juriſconſultis Torrebl. *Dæmon. lib.* 2. *c.* 17. *à n.* 12. *ad plures ſeqq.*

Verumenim vero horum Doctorum vana, ac ridiculâ opinione non obſtante, dicendum id natura-
23 liter nequaquam poſſe ſuccedere. Ludovicus Vives *in lib.* 3. *de Civit. Dei, cap. ult.* hoc pro difficili reputavit, cum potius pro impoſſibili pronuntiare debuerit, ut Maiol. *dier. canic. coll.* 3. *part.* 1. & Delrius *lib.* 2. *diſquiſ. Magic. quæſt.* 22. qui ſicuti hoc à Natura fieri poſſe pro impoſſibili ducit, ſic neq ; factibile per Dæmonis potentiam probat : ſed vide quæ ad hoc afferunt Marcell, Donat. *lib.* 6. *hiſtor. med. mirab. cap.* 2. Riol. *de Hermaphrod. cap.* 13. & Nancel. *in Analog. Microc. ad Macrob. lib.* 8. *c.* 8 nam ſi quæ membrorum tranſmutatio realiter fieri poſſit, ea à colore proculdubio fiet, non à frigore, at calor impellit, diffundit, dilatat, non cogit, non

contrahit, non retrahit: ergo nunquam vi caloris membra, quæ foràs propendent, intrò remeabunt. Secundò, hic motus, (& dependet hæc ratio à priori) vel fiet à facultate Expultrice, vel Attractrice; non ab Expultrice, quia tendit ad contrarium motum, non ab Attractice, quia hæc attrahit id, quod in Animalis commodum faceſſit, cùm rectè operatur: ſed hæc attractio eſſet magis in animalis detrimentum, fieret enim ſuâ Naturâ, & in ſua ſpecie imperfectio. Tertiò, cùm in corpore animalis non detur locus vacuus, ſi genitalia, quæ foràs prominent, intrò remeare debeant, oportebit hæc alia corpora intus exiſtentia aut penetrare, aut impellere, & de loco ſuo expellere, & mille alia abſurda ſubſequentur, quæ ne admittamus, ſuperiùs allata concluſio ſarta tecta remanere debet, & ad hiſtorias à Bauhino recenſitas, (quarum veritatem retractare non decet, cùm per publicos tabellarios ad perpetuam rei memoriam earum aliquæ fuerint deſcriptæ, iuſſu eorum, qui tunc rerum potiebantur) dicendum, eos Hermaphroditos, licèt pro viris haberentur, quod fortè virile membrum eſſent ſortiti, tamen revera fœminas extitiſſe: unde ſequitur, nequaquam verum fuiſſe, quòd ex maſculino ſexu in fœmininum fuerint commutati: nam miles ille Germanus, nomine Danielis, cum uxore, cui ſeptem annos convixerat, nunquam congredi potuit, nimirum quia erat in maſculino ſexu omnino imperfectus, fœminino prævalente, quem ratum ac perfectum habuit, ut experientia ipſa comprobavit: atque hoc etiam pacto de aliis hiſtoriis ab ipſo Bauhino, & à Liceto ab aliiſque adductis ſentiendum. De cæteris verò animantibus maſculinum ſexum in fœmininum commutantibus, dicendum certi quicquam non haberi, ac proinde non debet ex his deduci rei poſſibilitas, de qua tamen vide Gaſpar Bauhin. *ubi alias*. De Scythis, Caſtratis, Eunuchis dicendum, non fieri in illis mutationem huiuſmodi, quoad membra generationis, ſed quoad corporis habitum, & animi vigorem, deinde privari Caſtratos virilibus, non indui fœmineis genitalibus: ad poëticas autem enarrationes quid dicendum, patet.

24 Quintò dubitatum eſt, an detur, vel dari poſſit Hermaphroditus uno eodemque tempore in utroque ſexu perfectus: quòd primò negatur apertâ fronte ab Ariſtotele *loco ſæpiſſime citato, de hiſtoria animalium*: vult enim in iis, qui utroque ſexu inſigniuntur, unum ſemper ratum, irritum alterum eſſe, cuius auctoritatem potior Medicorum pars videtur ſecuta, & ultimo loco Æmil. Pariſ. *de Subtil. Micros. lib. 3. exerc. 4. cap. 11.* contra quam tamen primò militat id, quod ipſemet Ariſtoteles & ex ipſo & Calliphane Plinius *lib. 2. Natur. hiſt. cap. 2.* in naturalibus evenire docuerunt, nempe ſupra Naſamones Androgynos eſſe vicibus inter ſe coëuntes, quibus dextra mamma virilis, ſiniſtra muliebris exiſtat.

De captis etiam idem Ariſtoteles, & ex ipſo Æmilian. *de Rumin. ſymagm. 5.* dicebat, Plurimis earum utrumque ſexum Natura conceſſit, quas hircinas vocant & Ælian *lib. 10. de hiſtor. Animal. cap. 47.* de Ichneumone loquens, *Ichneumoni*, inquit, *utriuſque ſexus participi à Natura tributum eſt, ut ſuo ſemine graviditatem, & partum aliis afferat, & ipſe quoque uterum ferat, & ex ſeſe pariat.* Relinquo quæ de Lepoſibus, de Cervis, de Hyæna, de aliis animalibus narrantur.

Secundò Avic. *libro tertio, ſen. 20. tract. 1. cap. 43.* accepiſſe ſe ſcribit, quòd ex Hermaphroditis aliqui ſunt, qui agant, & patiantur. Et licèt ipſe ſubdat, hoc non verificari, cùm ille tales non viderit, verificatum tamen videtur apud poſteriores. Montuus *de Medic. Theor. libro 1. cap. 6.* Ipſe, inquit, novi Hermaphroditum, qui ſegnioris ſexus, ſeu muliebris putabatur, viroque nupſerat, cui filios aliquot, & filias peperit, nihilominus ancillulas comprimere, & in his generare ſolebat. Sequitur apud Schenckium hiſtoria, quam apud ipſummet Auctorem antea legeram, nempe Mart. VVeinrich. *de Ort. monſtr. cap. 50.* de qua etiam Riolan. *de Hermaphrod. cap. 8.* & eſt huiuſmodi. Memorabile hoc anno 1461. in Scotiæ urbe quadam Androgynam ancillam herilem filiam in eodem lecto cubantem feciſſe gravidam: accuſatam facti apud Judices, ac vivam ſub terram defoſſam periiſſe. Alias etiam hiſtorias habes ibidem quarundam Mulierum, quæ plures quidem annos cum maritis conviventes, alias mulieres comptimebant. Mirabile & illud eſt, quod de Cervo illo ex Langio ſuperiùs tetuli. Sed Jo. Faber Lynceus *loco alias citato*, de Juvene Hermaphrodito in utroque ſexu potente mentionem habet his verbis. *Certorum enim mihi fide teſtimoniorum conſtat, fuiſſe egregiâ ſtaturâ, & venuſtâ facie Juvenem, qui modò gladium cingebat, modò colum tractabat, & agere, & pati poſſet.* Sed non pigebit Equi Androgyni hiſtoriam ex Cardan. *libro ſeptimo, de variet. cap. 33.* huc transfetre, quæ ſic habet. *Unum habebat is teſtem loco proprio, cum mammis tumidis: ut Equæ habent: inde vulvam proprio loco, & ex vulva Penis emittebatur. Hinniebat ad Equas, & forma maſculina erat, promptus, & erectus capite, craſſiore autem corpore, colore griſeo, ut vocant, caput magnum, Penis non maior palmo cùm illum exereret. Emptus aureis 36. Certum eſt, cùm averſo eſſet Pene, coire illum non potuiſſe.* Præterea idem Jo. Faber, Mutis Androgini, & fœtum in utero habentis hiſtoriam *loco citato* profert. Apud Riolanum quoque *de Hermaphrod. cap. 6.* Androgynum fuiſſe utroque ſexu potentem firmatur, quod optimè declaratur, quia cùm fœminea genitalia perfectè conformata haberet, per glandem tamen ſemen emittebat mediocriter craſſum, albumque. Licentius inſuper *lib. 2. de Monſtr. cap. 53.* ex Phlegone duas hiſtorias enarrat, alteram de Cinædo parturiente, alteram de ſervo militis ſimiliter parturiente. Quin etiam Leges tales Hermaphroditos admittere videntur, cùm concedunt Hermaphrodito ſexum unum eligere, alterius uſu illi interdicentes, quod teſtatur quoquæ; Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 106. num. 6. & ſeqq.* & ex noſtris Riolan. *ubi ſupe, c. 9.* concedunt; tandem eius rei poſſibilitatem Galeot. Mart. *ubi alias*, Paræus *lib. 24. c. 4.* Licet. *lib. 2. de Monſtr. c. 53.* Bauhin. *lib. 1. de Hermaphrod. c. 4.* & Jo. Faber *in lib. de Anim. Ind.*

Sed præter hæc, aliæ poſſunt adduci ad ipſum probandum experientiæ. Domeſticas Gallinas, quæ cæteris alacriores ſunt, in Galli maximè defectu cæteras Gallinas calcantes, & Galli cantum, & officium imitantes cuilibet conſpicere licet: quod & Marcell. Donat. adnotavit *lib. 6. de hiſt. med. mir. cap. 2.* Narratque Mercatus, Gallinam ex victoria contra Gallum parta criſtam exeruiſſe, & calcaria produxiſſe.

Tritum quoque eſt, fœminas nonnullas ſeipſas invicem inire, & ſemen in alias eiaculari, quod ne ſuſpicemur per conſuetas ſibi vias, nempe per vaſa ſeminaria ſuo ſexui conceſſa illis contingere,

audiamus

audiamus quæ Alſahar. *ſua pract. tract.* 25. *cap.* 1. dicebat, & quidem, inquit, Antiqui dixerunt, quòd huiuſmodi carnem (loquitur autem de Clitoride, ſeu de pene muliebri) in tantum eſt poſſibile creſcere, ita quòd aliquæ ſpermatizant cum ea, ut mares, & agunt cum aliis mulieribus: cui dicto conſonat Avicennæ dictum *loco ſuprà citato*, *cap.* 44. ubi mulieres, quæ deſiderium coëundi cum maritis explere non poſſunt, quòd ſegniores ſint in ſemine emittendo, dicit cum aliis mulieribus coire, remque veneream habere, quò ſeſe inter ſe ſubagitantes, ſemen expellant: & licèt non dicat Avicena eas per Clitoridem ſemen emittere, non deſunt tamen alii, qui id concedant, & vide nonnulla apud Riolan. *de Hermaphrod. cap.* 9. ubi & illud Martialis habes, *lib.* 1. *num.* 58. in Baſſam fricatricem.

Eſſe videbaris, fateor, Lucretia nobis,
At tu, proh facinus, Baſſa fututor eras.
Inter ſe geminas audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigioſa Venus.
Commenta es dignum Thebano agnimate monſtrum.
Hic ubi vir non eſt, ut ſit adulterium.

Et idem Martial. *lib.* 7. *n.* 96. *in Philenim.*

Ipſarum Tribadum Tribas, Phileni,
Rectè, quam futuis, vocas Amicam.

Quid autem fieret mulieri, quæ alterius mulieris ſemen eo modo emitentis conciperet? Dices concipi non poſſe, quia mulieres ſemen emittunt ad intra uterum, non ad extra: At hoc non ſemper verum eſt, nam & fœminas Clitoride inſignes, per eam, ut viros ſpermatizare, iam ſuprà probavimus, & interdum etiam per productiones vaſorum ſeminalium, de quibus Laurent. *Annat. lib.* 7. *cap.* 9 & alij, ſemen iaculari, maximè gravidas. Quin & nos gravidas foras ſemen emittere, teſtatu. Hippocr. *li. de Genit. num.* 5. in hæc verba. Emitit autem & mulier à corpore genituram, aliquando in ipſum uterum, qui ſane inde humidus evadit, aliquando foras, ſi uterus magis quàm opportunum eſt, hiarit. Fortè ad fundum ſuccubæ mulieris Incubæ ſemen pervenire non poſſe firmabis: At ſi dum gliſcit Veneris ardor uterus tantâ attractione dotatur, quanta DD. enarrant, cur non poterit Incubæ ſemen ſuccubæ uterus ad ſe attrahere. Dices iterum, nullam ſecuturam conceptionem, etiamſi ad fundum uſque uteri compreſſæ mulieres alterius ſemen pervenire poſſet. At ego hoc pro impoſſibili non duco, cum aliàs probaverim, mulieres ſuum ipſarum ſemen aliquando concipere abſque ſemine viri, & abſque coitu, ut in Molæ conceptione evenire plerique exiſtimant. At inquies ulteriùs, idem fieret ex duobus ſeminibus fœmineis ſimul commixtis. Fortaſſe inquam, non idem fieret, præcipuè cùm ſubagitatrices, & fricatrices hæ mulieres ex Hermaphroditorum genere multò calidiores ſint, quàm aliæ indicio ſit, eas ſemen craſſius habere, quàm fœminei ſexus conditio patiatur, & menſtruis plerumque deſtitui, abſumente maximam excrementitij ſanguinis portionem vividiore calore. Putant Hurtad. de Mendoz. *de Gen. & corr. diſp. ſect.* 5. *ſub.* 1. & Garzias Carrer. *in* 1. *Avic. doctr.* 7. *ſum.* 1. *diſp.* 36. *cap.* 5. ex hac coniunctione generationem poſſe ſequi, dummodo mulier neceſſariò ſemper ageret proprio ſemine, quod inficiatur Garzias. Hurtado enim non abſolute credit, hoc poſſibile eſſe: ſed hæc omittamus. Redit nunc mihi in mentem, (quod & ad hanc rem nonnihil facere videtur) id, quod mihi ſuperioribus annis bona fide enarratum eſt, mulierem nobilem, cui puer quidam inſerviebat, eius pueri amore aliquando detentam, quæ non tantum ab eo intra, quàm ipſum maſcula venere inire ardebat: habebat enim mentulam muliebrem minimo digito virili & craſſiorem, & longiorem: hanc multoties cum eo congreſſam, ut libitum eſt, laſſatam, non ſatiatam, deſiderio nequaquam expleto receſſiſſe, quod ſemen forte eâ ratione non poſſet emittere; itaque ad Naturæ viam ſemper regredi coacta, comprimendam ſe illi tradebat: ſic mihi narratum eſt, nec mihi hoc aliter, quàm ex aliena narratione conſtat, nam Lectori hæc pro veris imponere abſit, licet difficilia non videantur ad eius rei tamen facit illud Martial. *lib.* 7. *n.* 66. relatum quoque à Riol. *ubi ſuprà cap.* 9.

Prædicat pueros Tribas Philenis,
Et tentigine ſævior mariti
Undenas vorat in die puellas.

Scio Ulmum Patavinum *in lib. de Phyſiolog. Barbarum. ſect.* 3. *cap.* 4. hoc pro impoſſibili habere, & idcirco Senecæ locum *in epiſt.* 95. vel ut ipſe citat *lib.* 15. *epiſt.* 5. emendaſſe nixum, quòd non viſum illi ſit Senecæ dictum ullam ſortiri veriſimilitudinem: ſed apponamus hîc Senecæ verba, ut ſenſus illorum promptiùs innoteſcat. *Dii illas*, inquit, *Deaque omnes male perdant, adeo pervorſum commenta genus impudicitiæ, viros inneunt.* Ulmus igitur illud, *viros ineunt*, acipit eo, quod ſuprà de muliere illa nobili, & ſervulo retulimus, & quod de Philæni Martialis, hoc eſt, quòd mulieres viros ipſos pronos ſupergredientes Clitoride Penis vice uſæ maſculâ venere ineant: at hoc abſque dubio veriſimile non eſt, cùm paucæ admodum tam inſignem Clitoridem obtineant, ut id perficere poſſint: at Seneca de vitio fœminis ſui ſæculi familiari verba facit, præterquam quod idem Clitoridis ſitus ad hoc obſtaret: illud ergo, *viros ineunt*, non aliud meâ ſententiâ importat, quàm ſubiacentes, ac ſupinos viros ſupergredi, eoq; modo Venerem exercere, quod vitium & fœminis nonnullis, & viris familiare eſt, ſed non ſine eorundem virorum periculo: multos enim morbos accerſere poteſt, ut teſtatur Avicenna 20. 3. *tract.* 1. *c.* 11. Non eſt ergo, quòd Ulmus Senecæ locum emendaret, ut inveriſimilitudinem devitet, tantopere labotet: apud ipſum tamen plura vide ſcitu digna, ac pulcherrima quantum argumenti turpido permittit.

Sed mirum in modum ad comprobandum dari in Natura Hermaphroditum utroque ſexu potentem, & generantem, videtur facere id, quod in Sacra Geneſis hiſtoria in principio habetur, & mox *capite* 5. ubi primâ fronte apertiſſimè apparet, Deum creaſſe primum hominem Marem ſimul, & fœminam, ita enim *cap.* 1. *verſ.* 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos*, & deinceps *cap.* 5. *verſ.* 1. *Hic eſt liber generationis Adam in die, qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis, & vocavit nomen eorum Adam in die, qua creati ſunt.* Ex quibus videtur evidenter colligi poſſe, Adamum, cum primùm creatus eſt, fuiſſe marem ſimul, & fœminam, quod longioribus explicat Leo Hebr. *dial.* 3. *de Amor.* qui & Platonem Androgyni fabulam non aliunde intexuiſſe dicit, quàm ex hac ſacri textus enarratione.

Huic opinioni non minus erroneæ, quàm ridiculæ accedit Hæreſis ſub Innocentio Tertio orta, quæ affirmabat, ſexus non futuros diſtinctos, ſi peccatum Adæ non interveniſſet. De hac hæreſi ex Mart. Pol. Kornm. *de mirac. vivor. c.* 8. Maiol. *dier. canic.*

par. 1. *collog.* 3. & Riolan. *de Hermaphrod. cap.* 3. apud quem vide etiam *cap.* 12. erroneam quandam de hoc Domini du Val opinionem: nec deest inter jurisconsultos quem ad hoc adducam, nempe Alphonf. à Carranz *de Pac. c.* 17. *n.* 66. Ac profectò Platonem de Androgyno eam vel verè habuisse opinionem, vel quam ad allegoricum aliquem sensum traheret, & accommodaret, non est dubium, eiusque rei maximoperè admiratur Riolan. *ubi supra, c.* 3.

Favet etiam, vel favere posse primâ fronte vide-
28 tur huic opinioni de Adamo Androgyno, ratio subsequens: cùm enim ante Evæ formationem fœmina in viro esset, & ab eius latere fuisset desumpta, unde *cap.* 5. *Genes. vers.* 13. ipse Adam cùm primùm Evam videret. *Hoc*, in quit, *nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*, certè Adam utramque in se naturam continebat, fœmininam, inquam, & masculinam: in quam sententiam videtur ire Hucher. *de sterilit. lib.* 3. *cap. de Hermaphrod.* in his verbis: *Hæc sexuum mixtio in Adamo non fuit, tametsi sexu die creatus ipse sit mas & fœmina, de cuius latere fœmina avulsa sit.*

Adde quòd omnino palam est, Adam primò solùm fuisse creatum absque fœmina, non ut alia animalia, quæ omnia in distinctos sexus creata sunt: unde illicò illis communicata est à Deo virtus generativa, cùm illicò post eorum creationem sequatur in sacro textu: *Benedixit, eis Deus dicens, Crescite, & multiplicamini.* Si ergo cætera animalia Deus voluerat per generationem propagari, & idcircò efformaverat ea distincti sexus, non erat conveniens solum hominem creasse generativâ facultate orbatum, qui ob id, neque crescere, neque multiplicare posset, dicendum ergò, Adamum ita creatum, qui in se, & ex se generare, & multiplicare posset: unde ea de re in sacra historia apparet, Adamum absq; fœmina creatum, masculum & fœminam extitisse, & crescere ex se, ac multiplicare potuisse, sic enim habet litera in enarratione eius creationis, *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos, Benedixitque illis Deus, & ait, crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, &c.* Appatet insuper post creationem Adamum solum in Paradiso positum, eique soli præceptum datum non comedendi de ligno scientiæ boni, & mali: dehinc Deum, quòd non esset bonum, Adamum esse solum, formasse Evam. Unde videtur concludendum, Adam fuisse Andtoginum, & ea verba, *masculum & fœminam fecit eos*, de solo adamo tunc primum à Deo creato esse intelligenda: quam opinionem Martini Poloni fuisse refert Torrebl. *Dæmonolog. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 19. licèt is Auctor *in vita Innocentij Tertij* narrat, ut videtur, alienam opinionem, non suam.

Neq; frustrà illud appositum in sacro textu censendum, *Ad imaginem Dei fecit illum*, quia sicuti Deus quamlibet virtutem habet formandi, & creandi animalia, ut mas, & fœmina simul mixti, unde illud Orphei apud Apul. *de Mund.*

Iupiter, & mas est, & nescia fœmina mentis.

sic Adam ad eius similitudinem creatus est mas simul, & fœmina, sexusq; indistincti, ut habet potestatem ex se, & in se generandi, non ut alia animantia, quæ nullam habent potestatem huiusmodi per se, sed tantùm cum compare mixta.

Pro veritate primò, præcipuæ dubitationis, di-
29 cendum videtur primò, non esse omnino impossibile dari Hermaphroditum tantæ perfectionis in utroque sexu, ut agere, & pati possit: nihil enim videtur obstare, quo minùs genitalia ita affabrè facta sint, ut ad hunc usum sufficiat: unde non videtur historiis pleriſque id attestantibus fidem denegandam esse: licèt minus ad hanc rem probandam faciant, quæ superiùs de nonnullis mulieribus retulit, quas Tribades, Subagitatrices, fictrices, seu frictrices, vel fricatrices vocari dixi, & notat Bauh. *de Hermaphrod. l.* 1. *cap.* 4. & quas Alciatus quoq; ex Jurisconsultis Pathicas, & Tribades, & Subigatrices nominat *lib.* 10. *Paverg. c.* 11. (non pertinet tamen huc Tractatricis nomen, ut hoc obiter dicam, erant enim Tractatrices, quæ corpus fricabant. Pignor. *de Servis, pag.* 45.) quia huiusmodi fœminæ non sunt Hermaphroditæ, sed habent tantùm partem quandamsibi connaturalem, nempe Clitoridem, seu Testiginem, vel Nympham, aut Myrton, vel Hypodermin, aut quomodocunq; appelles, consueto maiorem, & ii signiorem. Ad eius tamen rei probationem non desunt alia, ut ex superioribus videre licet.

Dicendum secundò, impossibile esse dari Her- 30
maphroditum, qui utroque sexu adeò perfectus existat, ut per utrumq; generare possit, in se nempe, & in alio: & ratio est, quia unum, idemque semen non potest habere duos contrarios motus ad extra nimirum, & intra. Sed quid, si dicatur contra hoc, duplicem sexum habentem habere etiam utrumque semen, & unumquodque per se à suis vasis concoctum, conservatum, delatum, & ejaculatum? Hoc Alex. Bened. citante Marcell. Donat. *ubi supra*, negat fieri posse, rationem in contrarium vllam, neque ipse adducit, neque ego habeo: Impossibile enim est, inquit ille, reperiri in eodem corpore duo excrementa simul perfecta, nempe semen masculinum, & fœmininum. At hoc in idem recidit, nam cur, inquam, hoc est impossibile, cùm tam mas, quàm fœmina utrumque semen in se contineat, ex sententia Hipocratis, *in lib. de genit. & 1. de Dec. & alibi?* Et quid si ad allatam rationem, quòd impossibile sit, idem semen habere duos motus contrarios, dicamus, hoc verum esse in uno eodemque tempore, at habere eos motus vicissim, & successive, nequaquam esse impossibile? Sed esto pro nunc impossibile, quòd possit unus, idemque homo, seu aliud quodlibet Animal in se ipso, & in alio generare, quæramusque eius rei magis sufficientem rationem. Certè impossibile videtur, unum idemque individuum sortiri posse duplicem naturam inter se dissidentem, respectu totius: nam hæc proprietas generandi, vel in se, vel in alio, respicit universam individui Naturam, & temperamentum: nam generare in alio, ex vivido totius calore fit, generare autem in se, ex calore remisso, quæ non videntur simul stare posse.

Plures porrò rationes ex ipsa Anatomia, partiumque situ, & collocatione desumptas, ad eius rei impossibilitatem commonstrandam, adducit Riolan. *de Hermaphrod. cap.* 8. & constant. Varol. *lib.* 4. *Anatom. cap.* 4. ex quo Daniel Sennert. *suæ pract. lib.* 3. *part.* 9. *sect.* 1. *cap.* 3. Bene igitur pronuntiasse ex his Aristotelem dixerim, cùm duplicem sexum sortita animalia, semper ratum unum, irritum alterum habere voluit: nam ratum intellexit potentem ad generandum, irritum impotentem: non negaturus fortè succedere posse, ut utrumque ratum habeant quoad coëundi potentiam, ut iam dixi. Et ad Montui, aliorumq; historias respondendum censeo, fœminas illas quæ se ab Hermaphroditis gravidas factas asseverabant, ex aliis potiùs concepisse: & maioti excusatione tanquam deceptæ dignæ viderentur, se ex Hermaphroditis uterum gestare firmabant.

Ad

Ad Legum auctoritatem, cum jubent, Hermaphroditos sexum, quem libuerit eligere, quasi utrumque ita perfectum obtineant, ut in voluntate eorum sit positum seligere quo uti velint, pœnas imponendo, si quando propriæ electioni non steterint, ac contra fecerint altero sexu abutentes, dicendum id sibi voluisse, quod sexum, in quo potentiores sunt, eligant, & eo utentes ab altero abstineant, arbitrioque eorum id remiserunt, quia certum est, unumquemque sexum electurum, in quo se potentiorem experitur, & cujus usum Natura magis insinuat, stimulisque urget acutioribus
32 nam si irrito utantur, graviter peccant, Sodomiæ peccatum, vel huic saltem non dissimile committentes, quia Natura abutuntur, cum non possibile sit illos per irritum sexum generare; nihil enim aliud fortè est Sodomiæ peccatum, quam coitus cum compari sexu, vel non in vase naturali, ex quo impossibile sit generationem sequi: neque enim solum Maris cum Mare carnalis conjunctio Sodomiæ peccatum est, sed etiam fœminæ cum fœmina, Filiucc. *in 6. præcept. Decalog. tr.* 30. *c.* 8. *num.* 159. Farinac. *de delict. carn. q.* 148. *n.* 40.

Ad auctoritatem sacri textus respondendum, sacram historiam loqui ibi per anticipationem: primo enim narrat creationem per epilogum dicens, Deum creasse hominem masculum, & fœminam: deinde magis per extensum narrat, quâ ratione hominem masculum, & fœminam creasset; erat enim quædam ratio particularitatis, quâ creati fuerant, non enim, ut cætera animalia, sunt progeniti, sed videnda quæ in hunc locum. & pro responsione ad tam absurdam opinionem affert Nicol. de Lyra, *c.* 1. *v.* 27. & ad rationem, quod non videretur conveniens Adamum solum inter alia animantia creatum, fuisse generativa facultate privatum, respondetur Adam fuisse á Deo creatum, sed ita ut ex eo desumeretur, & formaretur Eva, cum postmodum generasset; & cur oportuerit ita, & non aliter fieri, declarat D. Thom. 1. *part. summ. quæst.* 92. *art.* 1. & ad illam tandem rationem de similitudine hominis cum Deo, dicendum, non respicere hanc similitudinem virtutem generativam, neque Deum fœminam, aut marem esse, Orpheum autem poëticè, & allegoricè locutum fuisse constat. Ex quibus jam concludendum omnino falsum,
33 imo ridiculum esse asseverare Adamum fuisse Androginum. Tandemque quis non videt ejus opinionis vanitatem, quod Adam creatus fuerit mas simul, & fœmina, ut in se, & ex se generare posset? nam ad quid hoc? Nonne oportebat Adamus Androgynum ab alterius semine in se generare, & ex se, ac proprio semine generare in alio nunquam si mas simul, & fœmina erat Adam, potuisset in se ex proprio semine generare? Hoc si nugari non est, quid est nugari? silentium ergo tam bardæ opinioni jam imponatur.

34 Sed incidenter hic pro Philosophis occurit quædam dubitatiuncula à Bauhino excitata, quæ est, cur quemadmodum Natura in uno eodemque animali duos diversos sexus effingit, nunquam tamen duos sexus similes in eodem efformet? Ego quidem, an hæc hypothesis veritatem habeat, valde dubito: nam ex Jul. Obseq. *de Prodig. num.* 84. habemus, anno ab Urbe condita 918. puerum ex ancilla natum quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, & duplici obscœno; & de hoc etiam fortè Maiol. *dier. canic. part.* 1. *colloq.* 2. ex eodem quoque Jul. Obseq. *n.* 101. anno 662. habetur. Mulierem duplici natura fuisse inventam Theani insuper Senecini infantem natum manibus quatuor, pedibusque totidem, capite & ventre uno binoque membro fœmineo, narrat Jacob. Rueff. *de mulier. lib.* 5. *cap.* 3.

Præterea ex VVeckero notat Schenck. *lib.* 4. *Observ. tit. de p. genit. in spec.* Bononiæ in publicis dissectionibus virum viri cadaver, quod duplicem habuit Penem; & Job. Faber, vir in indagandis Naturæ secretis ut alias dixi valde accuratus, monstrum dissecuit, de quo etiam supra; quod duplicem habuit uterum, cui singuli testes adhærebant, non duo, ut in cæteris, & Riol. *lib.* 2. *Anthropograph. cap.* 51. in Hermaphrodita puella duplicem matricem observavit, Quinetiam Oviedus, gravis Naturalis historiæ rerum Indicarum scriptor, *lib.* 15. *histor. gener. cap.* 9. Tiburonum piscium in Oceano degentium masculos duplici veretro dotari attestatur humani cubiti magnitudinem æquante, licet eorum fœminæ unicum habeant uterum: quod etiam testatur Cardanus *in lib. de libris propriis.* Sed idem Card. *de san. tuend. lib.* 3. *cap.* 65. Rajas duo foramina vulvæ habere narrat, quod addit, rarum & miraculi instar Quæ exempla falsam mihi reddunt, non suspectam modo superioris suppositionis identitatem, cujus tamen Bauhinus sequentem adducit rationem, quod si Natura duo membra ejusdem sexus efficeret in eodem animali, videretur frustra aliquid moliri, quod, est contra Aristotelem. Quæ responsio, quod pace hujus doctoris dictum volo, mihi non satisfacit, quia in organizatione corporum superfluentium, Natura operatur pro ipsius materiæ copia, efformans hoc, aut illud membrum superfluum ex exuberante materia, ne otiosa videatur; unde non major ratio est, cur non debeat efformare duplicem sexum ejusdem conditionis in eodem individuo, quam efformare tertium brachium, tertium crus, sextum digitum, quadruplicatas aures, & inanes aliis membrorum additiones: nam quis non videt hæc frustra à Natura fieri? Cur ergo, si hæc cum frustra fiant, fiunt tamen, duplex genitale ejusdem sexus fieri non poterit? & tamen certum est id adeo de raro contingere. An fortè quia Hermaphroditus ex seminibus efformatur, quæ æqualem virtutem masculeam, & fœmineam habeant in efformando fœtu ita ut neutrum superare contingat, sed unum, quodque operari quod potest.

Denique dubitatur, quidnam sentiendum sit de Hermaphrodito circa corporis deformitatem, an ea nimirum sit talis & ex ea irregularitatem incurrat, de qua materia videndus Maiol. *lib.* 1. *de irregul. cap.* 27. *per totum.* qui Hermaphroditos omnino 35
penè in omnibus facit irregulares: Itaque neque moniales fieri posse adstruit, etiamsi in sexu muliebri incalescant, neque ad ordines promoveri posse vult, etiamsi in sexu masculino sint potentes, licet illis characterem imprimi affirmet, neque etiam eos, de masculis loquor, ad Religionem admittit, quod etiam procedere vult, ubi neutrius sexus Hermaphroditus existeret. Notandum tamen, Majolum præsupponere hos Hermaphroditos, licèt in altero sexu magis incalescant, posse tamen etiam altero uti in quo casu non est dubium apud Canonistas irregularitatem incurri. Sed videndum, an Hermaphroditus, qui in virili sexu incalescit, & 36
fœmineum non solum inutilem habet, sed nullius usus, talem habeat deformitatem, quæ sit sufficiens ad hoc? Non videtur enim majorem deformationem habere talis Hermaphroditus, quàm si leviter in alia quadam corporis parte læsus esset, ut in sexti digiti superabundantia, vel minimi carentia; quod enim Arabes dixerunt, hanc esse affectionem valde turpem, ac verecundam, de his

non intelligendum. Antonius vero Fernan. *in exam. Theolog. moral. part.2.cap.10.§.71. interr.5.* nulla diſtinctione facta omnes Hermaphroditos dicit eſſe irregulares, quod an omnimodam habeat veritatem habeant, Alij Canoniſtæ videant.

Cæterum alia nonnulla, quæ circa hanc materiam quæri poſſunt, conſulto à me prætermitenda. Interim vero ab humaniſſimo lectore meo expeto, ut ſi quæ hic offenderit caſtis ipſius auribus minus congruentia, argumenti qualitatem excuſet, quod aliter tractari non permittit; ſciat tamen, nullam eſſe in verbis indecentiam, aut ignominiam, quæ ad laudabilem finem, & propalandam, rerum veritatem proferuntur.

SUMMARIUM.

1 *Monſtri Bicorporis hiſtoria.*
2 *Alterius Bicorporis Monſtri enarratio.*
3 *Bicorporis alterius Monſtri deſcriptio.*
4 *Monſtri abortivi delineatio.*
5 *Columba monſtroſa hiſtoria.*
6 *Viri ſine brachiis nati, pedibus non ſecus quam alij manibus omnia peragentes.*
7 *Puerulus monſtroſa lingua natus.*
8 *Anna Pharmacopola filius Hermaphroditus.*
9 *Ioannes ex S. Geminiano puer Hermaphroditus.*
10 *Carolus alter ex S. Geminiano puer Hermaphroditus.*
11 *Scortum caudatum.*
12 *Vulva muliebris puero in crure enata.*
13 *Mulier barba a.*
14 *Homo piloſus, & lenjuſmodi hominum ortus qualis.*
15 *Aſinus Hermaphroditus.*
16 *Muliercula pro Hermaphrodita habita.*
17 *Hermaphroditus alius pro muliere habitus.*
18 *Hippocauri hiſtoria.*

Novæ Monſtrorum aliquæ hiſtoriæ, & alia circa hanc materiam ſcitu digna.

QUÆSTIO IX.

1 PLacet tandem in hujus tituli calce monſtroſas nonnullas, & animadverſione dignas hiſtorias ad propoſitum argumentum pertinentes, non ex aliorum relatione, ſed ex propria obſervatione petitas annectere. Ac primo ſeſe offert Monſtrum bicorporeum, primo vidi hic Romæ, anno 1617. ſi rectè memini, dehinc iterum magis adultum anno 1623. natum eſt Genuæ, anno prædicto 1617. duodecimâ Martij, ex quodam Joan. Baptiſta Coloreto, & Peregrina ejus uxore, & eo quod pro gemino puero judicatum eſt, Lazari nomen uni, alteri vero Joan. Baptiſtæ inditum eſt in ſacro Baptiſmatis fonte, habebat autem ſe, ut ſequitur. Puer erat venuſta facie, aureo capillitio; & criſpo, optimi habitus, & coloris perlaudabilis, omnibuſque membris abſolutiſſimus, & nihil omnino à cæteris bene conformatis pueris diſcrepans. Huic alter adnatus erat puer prope oris ventriculi regionem, aut ſub mucronata pectoris cartilagine, cui adhærebat. Inter utrumque in ea adhæſione umbilicus apparebat. Poſteriori huic puero crus unicum erat ac brevius, quam ut crura perfectioris adæquare poſſet; ita ut perfectus imperfectum quaſi ſuſpenſum circumferre videretur. Vultu erat imperfectus hic incompoſito, ac deformi, licet nihil à perfecto in hac parte deficeret, carne tamen præditus erat ſuppallida. Caput illi erat craſſum, capillitium ut perfecto aureum, ac concinnatum; oculis captus erat, omnique ſenſu orbatus præterquam Tactus, læſus enim in ſeipſum contrahebatur; ejuſque læſionis expers perfectus videbatur, ſed imperfectus nullum aſſumebat nutrimentum ab extra, ſed perenni quodam motu os dimovebat, unde ſemper ſpuma quædam prodibat colore candicante ac lacteo. Erat etiam nonnullis dentibus inſignitus, brachia habebat mutila & imperfecta, quæ etiam ex ſe ipſo tantiſper movebat, ſexus erat maſculini, pene enim dotabatur, teſtibus tamen carebat.

Huic ſimile monſtrum ſuperioribus annis, nempe 2
1610. natum erat Coſignani menſis Martij die undecima, eſt autem Coſignanum in Tuſcia diœceſis Piſtorienſis, ortum ex juvencula Matre, cui nomen Ginevræ de magis, non maiore annis ſexdecim. Puelli erant ſexus indiſtincti, & ambigui, ideirco uni Joannis, alteri Matiæ nomen impoſitum eſt. Ad umbilicum uſque ſupernè optimè conformati, inde per Epigaſtrum ſibi invicem adverſi cohærentes, crura ad latera exporrigebant, quorum quidem alterum alteri deerat. Vixerintne, an non, ſatis compertum non habeo, utrumque lac ſuxiſſe non ſegnius, quam cæteri pueri faciant nuper nati, referebant. Monſtrum hoc non vidi; cui ſimillimum tamen monſtrum eſt, de quo Paræus *de Monſtr. cap.* 2. apud quem ejus imaginem vidi, nihil enim penitus ab hoc (cujus imaginem illico ab ejus natali accepi) differre videtur, niſi quod illud Paræi unico ſexu fœmineo dotabatur. Neque diſſimile eſt, quod Ovied. *lib.6.hiſtor. Ind.General.cap.* 11. ſe vidiſſe teſtatur, virgunculæ erant in anteriori parte ab ore ventriculi ab umbilicum uſque hærentes, cætera omnibus membris abſolutæ; natæ ſunt anno Domini 1533. decima Iulij, in civitate S. Dominici in Inſula Hiſpana, olim Hayti dicta, vixére diebus octo. Pater vocabatur Joannes Lopez, mater Melchioria.

Sed & anno 1633. hic Romæ 15 Auguſti, ex mu- 3
liercula Hebræa natum eſt monſtrum bicorporeum, prænarratis non diſſimile, quod tamen imperitus quidam Chirurgus, cum partus non ſuccederet, tanta vi ab utero detraxit, ut torum dilaceraverit, & inſimul uterum maternum attrahens, matri mortem attulerit. Non licuit eâ de re mihi omnia, ut dicebat, examinare; quæ autem adnotavi, hæc ferè ſunt. Duplici capite hoc monſtrum dotabatur, & unum in aliud converſum exſtabat, eratque unum maius altero, viſumque eſt ſe mutuò contigiſſe, & maius minus oppreſſiſſe. Hinc duo corpora videbantur à claviculis infrà cohærentia ad infimam uſque pubem; unicus prominebat in eorum medio umbilicus, duoque apparebant Teſticuli, qui non videbantur ullo ſcroto concludi, ſed hærebant inter ſpatium, quo in pube conjungebantur. Quatuor brachiis erat inſignitum inter ſe benè diſtinctis, ac decenter efformatis, ſicuti & totidem cruribus. Cavitatem unicam in Thorace conſpexi, & cor unicum obſervavi. Anus in neutro erat perforata, ſed & virga deeſſe viſa eſt, niſi à Chirurgo unà cum pluribus aliis partibus laceratam eſſe exiſtimem.

Infantem porrò abortivum vidi hic Romæ vige- 4
ſima-quarta Martij, anni 1624. erat fœmini ſexus, & ut tunc exiſtimavi, ſeptimeſtris: natus eſt, ut referebant, non longe ab Urbe. A claviculis infrà ex parte antica non malè conformatus, niſi quod tam crura, quàm brachia longiora multò haberet, quàm conveniret; brachium enim totum extenſum ultra genu non parum porrigebatur, cujus proportioni crura reſpondebant. Caput habebat prægrande, corporis molem ultra proportionem exuperans, figura rotundum, collo omnino carebat, unde claviculis ipſis implantatum videbatur. Facie erat tumida, & duo primores dentes erant in ore conſpicui. Totus pilis obſitus erat,

præter

præſertim ſecundum ſuperiores partes. Ea porro in parte, ubi frons capillos verſus terminatur, huic & inde duabus eminentiis dotabatur, erantque quaſi criſtæ quædam pelliceæ cornicula repræſentantia. Caput à poſtica parte carne, ſeu pelle erat detectum, quâ etiam ſpinalis medulla erat denudata; quæ duplex conſpiciebatur, Mater, ut paraboJani illi retulerunt, cum utero gereret, corpus adeò tumens habuit, ut admirationi eſſet, & illo ejecto, inſignem unà aquæ copiam ejecit. Cerebro caruiſſe dicebant, & cor ſurſum verſus fuiſſe ſitum, ſed hæc mihi non conſtant, niſi eorum relatione. Vidi hoc monſtrum ſeptima poſt die à quo mater illud ediderat, mirabile quidem, ac dignum profecto memoriâ maximè ſi vera ſint, quæ mihi ex auditu tantum, non ex viſu conſtant.

5 Quod ſequitur Monſtrum, licet humanum non ſit, habet tamen aliquod admirable, illudque hic Romæ vidi, anno 1618. Columba erat magnitudine cæteras Columbas parumper excedens, motu valida, ac magis ferox, quam Columbæ natura ferat. Hæc quatuor erat pedibus inſignita, quod quidem parvi feci, ſed habebat inſuper duo orificia, non unum ſub alio, ſub Coccyge, aut cauda, ut in aliis fit, ſed utrinque lateraliter poſita, per quorum utrumquæ fæces excernebat firmiſſimum indicium inteſtina quoque in illa fuiſſe duplicata, ſingulis menſibus ova pariebat, & tunc temporis pepererat, ſed ſui ſimilem pipionem nullum ediderat, præter unum, cujus ſceleton nobis circulator ille oſtendit. Huic erant poſteriora crura, quàm matri inſigniora, mater tamen, ut adnotavi, anterioribus tantum pedibus ambulabat.

6 Offertur poſt hæc vir ſine brachiis natus, quem hic Romæ vidimus, anno 1614. menſe Novembris huic nomen erat Petro, eratque natione Lucernenſis, conſiſtentis erat ætatis, pedibus nebat, teſſeris ludebat, inſtrumenta nonnulla muſica ex arte tractabat, & alia denique omnia, etiam quæ magis induſtriam manuum operam expoſcunt, & quæ cæteri hominum manibus, pedibus ipſe perficiebat. Alios nonnullos aliàs conſpectos huic ſimiles jam dixi, ut notat Maiol. *dier. canic. coll.* 2. *part.* 1. & de ſimili muliere, quæ hic conſpecta eſt, anno 1622. jam mentionem habui. Quinetiam anno, ſi rectè memini 1619. Romam ductus eſt puer annorum tredecim, natione Ligun, nomine Joannis, qui & ipſe multa aptiſſimè pedibus, cum manibus careret, perficiebat, etiam ſclopum explodens; huic Pedum digiti longiuſculi viſebantur, quam aliis hominibus eſſe ſoleant; valide quidem illis omnia apprehendebat, caput ea dexteritate pectebatè, quâ cæteri manibus faciant. Pedibuſque ipſis ad quamvis corporis partem perveniebat, ita ut ſeſe abſque alterius auxilio veſtibus indueret, & exueret, ad fœmoralia tantum ſolvenda non ſufficiebat. De ſimili quoque iuvene ſine brachiis, Salamanticæ Juriſprudentiæ operam navante, meminit ex Juriſconſultis ipſis Caranz. *de Part. cap.* 17. *num.* 18. Sed & Hiſpanus hic Romæ mihi notus eſt, qui utrumque brachium breve, ac mutilum ſortitus eſt, dextram manum quatuor tantum digitis inſignitam, ſed cubiti flexuram verſus obtortam habet, ſiniſtra duobus tantum digitis conſtat. Hic tamen Pictor eſt & licet in ea arte non excellat, mirum tamen eſt ipſum tam apte pingere, quam facit, cæteraque non minori induſtria, & agilitate peragere, quam quilibet alius homo.

7 Cæterum in anni 1618. principio, hic Romæ amico meo puerulus natus eſt maximè carnoſus optimeque efformatus, & in ſumma craſſitudine alios vel craſſiuſculos puerulos non parum excedens. Huic lingua extra os prominebat tribus ſaltem digitis, quæ etiam craſſiuſcula & latiuſcula erat; quam conveniret, ut cum illam exerebat, mirum erat quantopere extra oris ſepta promineret. Lac tamen optimè ſugebat, licet papillas requireret craſſiores & longiores, ſi enim exiliores, brevioreſque eſſent nequaquam ſugere poterat. Bimeſtri ſpatio annum exuperans, quatuor tantum dentes ediderat comme lebat tamen & bibebat, & verba nonnulla prout ætatis tenericudo fert, proferebat. Obiit non multo poſt, quo morbo, compertum non habeo.

Nonnulla quoque hic de Hermaphroditis adno- 8
tare ex propria obſervatione libet. Ac primum ſeſe offert Aromatarij cujuſdam filius, Anna dictus qui hic Romæ ex fœmina, vel cum fœmina appareret, decimo tertio ætatis anno mas apparuit. De eo nihil addam, quia notiſſimus hic fuit, & Joan. Faber ejus hiſtoriam diligentiſſimè intexuit *loco aliàs citato de Anim. Ind.* cum de Zuberti animalia agit, apud quem illam require. De eo etiam M. Ant. Ulmus Patavin. *in lib. de Phyſiolog. Barb. hom. ſect.* 5. *c.* 11. Illud non conticebo, credibile nullo modo eſſe hunc, antequam virilia foras illi proſilirent, per uterum urinam reddidiſſe, quo penitus caruiſſe illum, tam certum eſt quam quod certiſſimam; erat enim hic Anna mas, ſed imperfectus. Pene autem latente & virilibus, uteri ſpecies apparebat, unde per uterum mingere videbatur, cum per eaſdem ſemper vias minxerit. Hic, ut norunt omnes, imberbis ſemper permanſit, ac ſuperioribus annis à ruina ſuffocatus interiit; in tantam autem molem ejus corpus excreverat, ut duo mediocris craſſitudinis humana corpora ſimul, qualia tunc Natura produxit, mole æquaret, neque iam loco ſe dimovere poſſet.

Sed digni præ cæteris memoria ſunt germani duo 9
fratres Sabinenſes ex ſancto Gemino oriundi, quorum altero altero anno major eſt. Eorum unus, nempe Joannes: cum annis præteritis hydrope detentus eſſet, tandem convaluit. Hic puer erat, cum illum conſpexi, quatuordecim annorum, aſpectu magis fœminæo, quam virili, vultu verecundo, & frigidiuſculâ corporis temperatura, capillitio ex flavo albicante, ſtaturâ mediocri, habituque ſimili. Mammæ illi erant tenues, ſed ut mihi viſum eſt, turgidiuſculæ quam in puero ejus ætatis eſſe debent. Pili in corpore nullibi. In pube virili pudendum apparebat exile, ac breve, cum ſuo quidem præputio: ſed glandem non cooperiente: glans impervia omnino erat: magnitudo Penis minimi digiti extremum articulum parumper excebebat flaccidæ erat ſubſtantiæ, & nunquam erigebatur, ut ille ferebat & ut rationi conſonum exiſtimo, quod pervium non eſſet. Sub hoc pudendo exilis rima conſpiciebatur perineum in longum diſſecans, ut in fœminis, quæ quidem prope ipſum pudendum petula erat, inibi enim parvum exſtabat foramen, quod longum ſtylum admittabat, atque inde urinam ejaculabatur, cujus perpetuam patiebatur incontinentiam, ita ut ipſe ſæpè commingeret. Ejus Rimæ orificium non maius erat, quam ut ſcriptorii calami tenuis tenuiorem partem admittere poſſet. Prope hoc orificium rimam ipſam membrana interſepiebat, quæ videbatur facile inciſioni ceſſura. Non tamen ex ejus exciſione orificium maius evaderet, ab hoc interſepto rima Podicem verſus ſuperficialiter progrediebatur itaut labellis diductis ſubjecta tantum cutis appareat.

Teſtes

Teſtes in inguinibus exiles, & molliuſculi veluti glandulæ ea in parte adnaſcentes. Menſtruari cœpit anno decimo quinto, & fœminea veſte ob id indutus; unde dubitare contingit, an verè glandulæ illæ in inguinibus Teſtes eſſent, necne.

10 Carolus alter frater ætatis duodecim circiter annorum, aſpectu erat magis virili, ſtaturâ mediocri, & ætate conveniente, pilos in corpore nullos habebat: rima magna in naturali ſitu erat conſpicua, primoque intuitu Penis nullus conſpiciebatur, cùm intra Rimam lateret, & nonniſi labellis diductis ſeſe proderet: minor erat, quàm ut extremum articulum auricularis digiti æquare poſſet, glande donabitur, quæ ſimiliter ac in Joanne à præputio detecta, & imperforata viſebatur. Apparebat tamen in ipſius glandis veſtigio velut veſtigium quoddam foraminis. Sub Pene exile quoddam foramen apparebat, quod vix craſſioris aciculæ caput admittere poterat, per hoc urinam reddebat. Teſtes tactu inſignes in Rimæ labris ima in parte continebantur, & Gallorum teſtes magnitudine æquabant, compreſſi manum effugientes. Videtur autem Joannes non differre ab Hermaphrodito, quem Riolan. deſcripſit *in fine ſui libelli de Hermaphroditis.*

11 Scortum porrò Romæ famoſiſſimum, notum plerisque præteritis annis fuit, cujus nominis mariti gratiâ percendum duco, cui à teneriori ætate inſignis Clitoris obtigit, auricularis digiti magnitudine, quæ illi cùm concumbit, ſolet impedimento eſſe, præcipuè ſi coëundi deſiderio incenſa ſit, ut ab iis ipſis, qui eo uſi ſunt, accepi. Non videtur autem hic prætereundum, quod D. Baltaſſar

12 Bonannus, vir humanitate & doctrinâ inſignis (ex cujus copioſiſſima & inſtructiſſima Bibliotheca ſæpe, quæ mihi non ſupperunt, libri ſubminiſtrantur) de juvene quodam retulit, quem pauperculæ mulieris filium, ætatis annorum duodecim conſpexit, in reliquo corpore nullam omnino imperfectionem habentem; hic tamen in medio crure dextro in parte ſiveſtri, vel externa, prope Ilij os, vulvam ſortitus erat, non modò labellis, & rima conſpicuam, ſed etiam pilis obductam, omnibuſque numeris, quantum ab extra prominebat, abſolutam; nam labris diductis, nihil præter ſubiacentem carnem apparebat, neque ullum pervium foramen conſpiciebatur.

13 Mulierem inſuper ex Amatrice oriundam annis præteritis, cui nomen, ſi rectè teneo, erat Magdalenæ, viderunt plerique prolixa barba præmunitam piloque denſo ac duro, pectore toto ſatis hiſpido, mammis, ut ſexus fert, permagnis, tugoſis ac flaccidis. Huic menſtrua, ut ex ipſa accepi, annum circiter trigeſimum deſierant, vox tamen exilis, & fœminea ſervata eſt. Primùm ſub temporibus pilli eruperunt, mox in mento, & reliquis partibus. Ejus, hiſtoriam diligenter conſcripſit Joan. Fabet, *in lib. de Animal. Ind. cap. de Stellion.* illud in hac muliere adnotandum, animo ſemper illam extitiſſe virili, nam & cum hoſtibus pro marito non pugnare dubitavit, ut ipſe Faber teſtatur.

14 Et quia de Pilis mentio eſt, non abs re fuerit, de homine piloſo, quem idcircò ſilveſtrem hominem appellant, mentionem facere. Hic in aula Odoardi Cardinalis Farneſij commorabatur; eratque ejus Principis à cubiculo; licèt verò hoc novum non ſit, aliquid tamen ex occaſione, quod mihi, & fortè aliis novum erit, in medium afferam. Homo erat hic juſtæ ſtaturæ, & conſueta fortè proceritatis, in nulla re à cæteris hominibus diſcrepans, ſed faciem, univerſumque corpus tenui pilo, oblongo, promiſſo, ac ex flavo albicante obſitum habebat. Hic Scribæ amici mei ſororem in uxorem duxit, ex qua tunc nempe anno 1613. quatuor jam liberos ſuſceperat, quorum duo, mas unus, fœmina altera ſui ſimiles erant. Horum ortus aliquid novitatis habet, non omnibus compertum: nam cùm primùm in lucem eduntur, pilo nigro toto corpore conteguntur, non aliter quàm Hœdi coloris nigri; quod mihi in mentem revocat ortum Eſau, in ſacra Geneſ. *cap.* 25. de quo dicitur *verſ.* 25. *Qui prior egreſſus eſt rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus.* Hoc autem facti veritatem confirmare videtur; nonnullorum verò dierum ſpatio, quindecim nempe, ſi rectè memini, is pilus his ſic natis totus decidit, ac dehinc adoleſcentibus prius denuò emergit tenuis & mollis, quo univerſum corpus, ipſaque facies etiam ſecundùm tempora, & frontem conveſtitur. Hic ipſe autem vir, de quo verba fecimus, ex patre piloſo, & glabra matre natus eſt, ut ex Platero elicere mihi fas eſt, *lib.* 3. *Obſerv. tit. de deformat.* Verſabatur enim hujus pater in aula Henrici II. à quo hic, de quo loquimur, dono miſſus eſt, cum ſorore ſimiliter piloſa Duci Parmenſi in Flandriam, à Duce autem Parmenſi ejus fratre dono accepiſſe veriſimile eſt Odoardum Cardinalem Farneſium; de ortu tamen Platerus ne verbum quidem, quem tamen ita ſuccedere retulit mihi Scriba ille, amicus meus, frater, ut dixi, uxoris hujus viri.

Sed ad Hermaphroditos redeo, & ſuperioribus hiſtoriis tres adhuc annectenda enarrabo, priorem 15
de Aſino Hermaphrodito, de quo aliàs in hoc titulo, nam & bruta naſci utriuſque, & indiſtincti ſexus plures hiſtoriæ teſtantur. Neronem Equas habuiſſe Hermaphroditas, teſtis eſt Plin. *lib.* 11. *Nat. hiſtor. cap.* 49. de Cane & Equa Hermaphroditis habes apud SchencK. *lib.* 4. *Obſervat. in princ.* & de Agno Hermaphrodito Iul. Obſeq. *de Prodig. num.* 26. de Sue, Maiol. *dier. canic. coll.* 1. *par.* 1. de Cervo item Langius, & de Mure Faber, de quibus aliàs mentionem habui. Itaque Aſinus hic, quem hîc Romæ vidi, anno 1621. utroque ſexu erat inſignitus. Membro dotabatur ſatis craſſo, ut Aſinina natura fert, ſed obtorto, quale Hypoſpediæi habent: ſed & vulvam ſortitus erat quantum ab extrà prominebat, optimè efformatam, ejus tamen orificium minimum digitum admittebat; ſitus utriuſque genitalis qui aliis eſt familiaris; ſub podice enim rima magna extabat, quæ à ſuperiori parte verſus caudam per medios uſque Teſtes ad membri dimidium protendebatur, ſed conſuetum ſpatium prætergreſſum ſuperficialiter tantùm incedebat, ita ut membri dimium quaſi fiſſum in poſtica parte ab eadem rima appareret, & unicam rimam cum rima magna hæc fiſſura effingeret, Urinam non modò per Penem, ſed etiam per vulvam emittebat, arrigebat, & Aſinas calcabat, ſed inire eas non poterat ob prædictam membri tortuoſitatem. Hunc Aſinum circumferebat Imolenſis quidam circulator, vel fortè Forolivienſis Senex procerus, qui aquam quandam ad capitis dolorem venalem habebat, quæ illicò applicata, ut ille jactabat, dolorem quemcumque ſedaret; qui in malam crucem abiit, antequam illum diligentiùs de aliis permultis interrogare mihi licuerit, curabo, ſi in vivis eſt, ut omnia mihi innoteſcant.

Secunda hiſtoria eſt mulierculæ cujuſdam, quam 16
in Hoſpitali incurabilium conſpexi operâ, & humanitate D. Angeli Colij Senenſis, qui prædicto Hoſpitali præeſt, apud celebriores Medicos ſolidâ doctrinâ & maximè Hippocraticâ celebris & urbanitate acceptiſſimi. De hac inter Hermaphroditos mentionem habeo,

habeo, non quod affirmare pro certo velim, fuiſſe illam Hermaphroditam, ſed quod in ea re dubium aliquod inſurrexerit inter celebriores Urbis Medicos. Habebat ergo genitales partes ita conſtitutas Intra uteri labra ſupra meatum urinarium, verſus internum uteri oſculum procedendo, carnoſa quædam moles conſpiciebatur, ſpeciem virilis membri præ ſe ferens, craſſitudine virilis mentulæ mediocris craſſitiem excedens, longitudine, cum exerta erat, quinque tranſverſorum digitorum quantitate: in ſummitate corpus apparebat virilis membri glandi reſpondens, ſed præputio deſtituebatur, cujus vicem ipſa uteri pterygomata ſupplere videbantur, à parte ſuperna calloſæ erat ſubſtantiæ, ita ut ſuſpicio mihi irrepſerit, ne ex ulceribus cicatrices contraxiſſet, quod illa inficiabatur. Glans, ut ita dicam, tranſverſaliter perforata erat, ſed orificium minimum penè digitum admittebat; per hoc nulla urina reddebatur, ſed per meatum, unde cæteris fœminis ſolet effluere. Menſtrua illi, ut referebat, partim per hoc ipſum orificium, partim ſub eo ex intimiore, & inferiore uteri parte prodibant; nam ſub hac carnea mole pervius erat meatus valde exilis, qui indito in ejus molis orificium per ſiphonem vino mulſo aut alio quovis liquore, conſpicuus fiebat, per eum enim is liquor ex parte cum ſtatu quodam prodibat. Nymphæ hinc inde ab uteri labris admodum exiles erant. Moles hæc, quicquid eſſet, intra pudendi labra, ut dixi, deliteſcens, vel tuſſiente, vel tidente mulierecula ad duorum digitorum tranſverſorum quantitatem foras exiliebat (quod utero fortè uteri corpus eſſe denotare poſſet) cum vero arrigebatur, (quod contra, non eſſe uteri corpus teſtari poteſt) tenſa ac duta, ut retulerunt, evadebat, & in majorem molem exteſcebat. Ea mulieres alias ſe compreſſiſſe fatebatur, & per illam ſe ſemen emiſiſſe. quod mihi non conſtat. Tunc temporis per Glandis hujuſce orificium veluti gonorrhæam patiebatur, & in ipſa glande ulcuſcula apparebant nullo dolore inſignia, nam Chirurgos abſque ulla mulieris moleſtia, & foras molem illam manu educebat; & intro impingebat. Cum iniretur, ut ipſa enarrabat mentulæ virilis glans in ſuam ipſius glandem impingens, membrum muliebre ad uteri intentiora clauſtra impellebat; ex hoc factum eſt, ut trudente membro virili glandem muliebrem, ulcera, & gonorrhæam contraxerit, quantum ex ipſa accepi. Aſpectus fœminæ hujus muliebris, ſed vox craſſiuſcula, Mammæ etiam craſſiuſculæ, ac inter ſe pares, nec vultu erat ingrato, Pudendi rima non magna, imo mediocri minor, Clitoris quam minima, pili in pube non multi, in podice nulli. Patria erat Vicentina, nomen illi erat Franciſcæ H. anc fœminam nonnulli viri doctiſſimi Hermaphroditam eſſe voluerunt, & molem illam carneam virile membrum eſſe; alij voluerunt hanc pati uteri procidentiam, & molem illam eſſe uteri fundum inverſum, quorum opinioni favet Mercur. *lib. 2. de Virg. & Vid. aff. cap.* 11. qui mulierum mutationem in viros ad uteri procidentiam reducit Riolan. *lib. de Hermaphr. cap. 6.* caſum huic quam ſimillimum deſcribit, ejuſque opinionis eſt, molem illam fuiſſe in ſua illa fœmina quandam carnis exteſcentiam in ipſo matricis collo enatam, reprobatque Mercurialis opinionem, qui illam ad Clitorim reducit, cum hæc varium ab illa ſitum ſortiatur. Sed quo pacto ſimplex carnis exteſcentia eſſe illa potuit, ſi per eam mulier illa ſpermatizabat, ut ille refert, & ſemen craſſum, & album per eam ejaculabatur; Non ergo ſimplex carnis exteſcentia hæc fuit; quid autem fuerit, aliis diiudicandum relinquam; nam multa mihi aperiri vellem; antequam de hoc ſententiam meam pronuntiarem; præcipuè autem an hæc moles ab ortu mulieris apparuerit, an potius poſt aliquod tempus, & quâ occaſione, aliaque hujuſmodi. Quæ cum mihi non conſtent indeciſa ea res per me remaneat. Tertia hiſtoria ſequens eſt. Scortum vivit adhuc Romæ exoletum non ingrato aſpectu; habitus ſuccipleni, ſtaturâ mediocri, calidioris temperamenti, cui nomen eſt Eliſabethæ, patria Urbinas, ætatis annorum quinque ſupra quadraginta, quo nullum alium Hermaphroditum, ſexum habere utrumque tam bene diſtinctum vidi. Conſtituebatur autem quo ſequitur modo: Uterum, quoad externa, optimè conformatum habebat. mediocriſque magnitudinis, quinetiam deductis labris nihil ſe in conſpectum dabat quod à cæteris fœminis diſtaret: in ima tantum parte ipſius uteri prope Perinæum, labris deductis levis quidam, ac vix perceptibilis rubereulus apparebat, qui fœmina in venerem accensâ ſenſim ſucreſcens in verum penem evadebat, cujus longitudo ad quinque tranſverſorum digitorum menſuram ad ſummum aſcendebat, craſſitudinis erat pollicaris, ac fortè craſſioris, glandem abſque præputio habebat, ex carne molliori, ac ſpongioſa, ſed imperforatam; tantâ vero duritie erectus ipſe penis conſtabat, ut nullum virilem penem illi in duritie æquiparandum exiſtimem. Ad ejus radicem duo corpuſcula glanduloſa, veluti teſtes, fabam mediocrem communem æquantia, exſtabant. Puetos, & puellas calcandi erat avidiſſimum, & animo erat virili, ac maſculea audacia prompto. Filios nunquam concepit: à congreſſoribus iniri, ubi erecto penè perſiſteret, nullo modo poterat. Bis terve illud contemplatus, expetiſſimum Chirurgum Nicolaum Larchè, ad illud inviſendum convocavi. Ex cervo & vacca natum animal habet Eminentiſſimus Cardinalis Barberinus; ſtatura eſt magno cervo aliquanto majore, ore oblongo, cornibus vaccinis, inter nodiis tantum orbiculatim diviſis, colore nigricantibus; pilo eſt ex fulvo dilutiore; ferociam & velocitatem habet inſignem, pedibus eſt cervinis ſed craſſioribus. 17

Denique de Hippotauro aliquid dicam. Mulus erat, vel quomodocunque appellare libet, animal ex Tauro & Equa natum facie bovina, cætera à reliquis mulis non diſſimile, niſi quod tibias bovinas haberet, etiamſi pedibus & unguis equinis dotaretur. Ejus magnitudo communi, vel mediocri erat minor, pilo craſſo, ac duro, dentibus omnibus, tam ſuperioribus, inquam, quam inferioribus erat inſignitus, ob id neque ruminabat; vox illi indiſtincta erat inter mugitum & hinnitum, quam neque facilè explicabat, neq; tamen Mulorum ipſorum voci eam facile aſſimilaſſes. A matre tantum videbatur cætera omnia deſumpſiſſe, à patre perpauca, è Gallia, ubi frequentiora naſcuntur hæc animalia illum, attulit Cardinalis de Comitibus, ſi rectè teneo, & Scipioni Cardinali Burgheſio dono dedit. Viribus erat validis, greſſumque habebat firmum ac ſuavem. Vixit annis duobus ſupra triginta: vita functus eſt, quod fœnum, & duriores cibos mandere dentibus non potens, integros degluiret. 18

LIBRI SEPTIMI
TITULUS SECUNDUS
DE OFFICIIS DIVINIS.

Continens Quæstiones sex.

I. Quænam requirantur in recitandis Officiis divinis, quæ item in Missa vel dicenda, vel audienda.
II. Quinam morbi excusare possint à privata divinorum recitatione.
III. De recitatione publica in Choro facienda.
IV. Qui recitare Officia divina non possunt, an teneantur alium recitantem audire, & quænam etiam ab auditione recitandi hominem excusare possint.
V. Qui morbi Missæ dicendæ, quive audiendæ, impedimento esse possint.
VI. Medica præcepta in recitandis divinis Officiis, iis servanda, quibus recitatio ob aliquem morbum noxia quoquo esse posset.

SUMMARIUM.

1 *Officiorum divinorum nomine quæ veniant.*
2 *Ad divinorum recitationem quæ veniant.*
3 *Ab obligatione recitandi divina qui eximantur.*
4 *In dubia ægritudine an excusare debeat, Medicus consulendus.*
5 *Christiani omnes diebus festis de præcepto obligantur ad Missam audiendam.*
6 *Horæ Canonicæ septem.*
7 *Tempus recitandi notabiliter anticipare, aut remorari absque causa, sine peccato non fit.*
8 *Locus recitandi duplex.*
9 *In recitandi modo quæ considerentur.*
10 *In recitandis officiis divinis requiritur vocis expressio.*
11 *Attentio requiritur in recitando, & quotuplex sit.*
12 *Qualis nam vox requiratur in recitatione.*
13 *Oratio sine ulla attentione non dicitur oratio.*
14 *In publica recitatione requiritur præsentia in Choro.*
15 *In Missa celebranda major labor, quam in recitando divina.*
16 *In Missa audienda quæ requirantur.*
17 *Attentio in audienda Missa qualis esse debeat.*

Quænam requirantur in recitandis Officiis divinis, quæ item in Missa, vel dicenda, vel audienda.

QUÆSTIO I.

OFficiorum divinorum nomine non solum, quæ Horæ Canonicæ appellantur, sed & sacrosanctum Missæ sacrificium, & siquæ alia sunt, quæ certas aliquas personas ad sui auditionem, vel recitationem adstringant, hic comprehendi volo, nam hæc omnia, sed præcipuè Missam, venire sub officii divini nomine *ex Gloss.* dicit Alb. de Ferrar. *de Hor. Canon. num.* 26. Circa hæc autem non desunt quam plura, de quibus Medicus secundum ipsorum Canonistarum determinationem venit consulendus, undè æquè Medicis ac Canonistis scitu necessaria erunt quæ hic afferemus.

1

Cum ergo Clerici omnes in sacris constituti, sive beneficiati sint, sive non, & religiosi omnes utriusque sexus teneantur sub pœna mortalis peccati ad officiorum divinorum recitationem. Navar. *in Man. c.* 25. *n.* 97. ex Joan. And. Archidiacono Mic. Plov. *de Hor. Can. p.* 1. *q.* 1. Joan. de Lignan. *de Hor. Can. q.* 3. Alb. de Ferrar. *ubi suprà, n.* 8. Navarr. *de orat. c.* 7. *n.* 1. *in fin.* Intrat & in hoc præcepto, ut in aliis humanis, excusatio, ob corporis ægritudinem. Suar. *de virt. & stat. Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 19. unde eximuntur ab ea obligatione, qui absque notabili corporis damno ei satisfacere non possunt

2

5

ut communissima est opinio, ex Innoc. & Hostiens. Navar. *ubi supra, in Man. n.* 100. *& de orat. c.* 11. *n.* 1. Nicol. Plovius *ibid part.* 1. *q.* 4. Suarez *ubi proximè in eodem.* Azor. *Instit. Moral. lib.* 10. *cap.* 13. Filiucc. *q. mor. tract.* 23. *c.* 9. *in pr.* Tolet. *Inst. Sac. l.* 2. *c.* 14. *n.* 1. Cum vero infirmitas corporis aliquando vel levis sit, vel gravis; aliquando autem dubia, ac media inter gravem & levem, ita ut hæsitari possit, an homo ea infirmitate detentus aliquod notabile damnum reportaturus sit ex divinorum recitatione Medici judicium exposcitur. Nam levis infirmitas, quæ non impediat alias corporis actiones, dubium non parit, quod hominem non excuset; gravis autem non indiget Medici judicio, quia causa excusationis nimis parens est, & absque alia Medici definitione, aut Canonistæ dispensatione homines excusantur. Sed quando ægritudo est dubia, tunc communis Dd. sententia est, consulendum esse Medicum, & secundum ejus judicium faciendum esse. Ita Navarr. *ubi supra, in man. num.* 100. Azor. *loco citato.* Suarez. *ibid. num. eod.* Filiucc. *loco eod. num.* 293. Sanchez *Conf. moral. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 45. *numer.* 2. Roderic. *quæst. Canonic. & Regul. quæst.* 42. *art.* 7. *tom.* 2. Operæ pretium ergo est, ut tanquam Medici determinemus, quænam corporis ægritudines ita hominem male accipiant, ut ex recitatione divinorum notabile aliquod nocumentum elicere possit, in promptu enim simul erit, quando excusatio locum habere debeat, quando verò nequaquam. Et quia eadem excusatio intervenire solet in Missa, vel dicenda, vel audienda quandocunque homo ad horum alterutrum teneantur, de hac etiam re in ipso titulo differemus. Nota enim est obligatio, quâ Christiani omnes obstringuntur, ut singulis festis diebus missam audire teneantur, *per cap. Missas, & cap. Omnes, fideles. de consecrat. dist.* 1. Cum non audiendo mortaliter peccent. Navarr. *in man. cap.* 21. *num.* 2. *& de orat. & hor. Canon. cap.* 13. *num.* 18. At vero & ab hac ipsa obligatione soluti sunt, si aliquâ infirmitate detineantur, ob quam non possint absque notabili salutis incommodo illam audire, ut communiter omnes Dd. sentiunt Navarr. *ubi mox, num.* 3. Azor. *Institut. moral. lib.* 7. *cap.* 7. Tolet. *lib.* 6. *Instit. sac. cap.* 9. *num.* 2. Layman. *lib.* 1. *Theol. mor. tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. & in hoc quoque casu de infirmitatis qualitate an sufficienter excuset, necne, Medicus consulendus. Azor. *ubi proximè.* Qui tamen Medicus non eo fine in his casibus adhibetur, ut in-

4

firmos

firmos ab ea obligatione, aut aliâ quacunque abſolvat, quia non hanc habet ille auctoritatem tollendæ, aut minuendæ obligationis, ſed ad hoc, ut iuxta propriæ artis peritiam determinet, an cum hac, aut illa infirmitate æger notabile periculum incurrere poſſit, ſi ieiunet, ſi debitum reddat, ſi Officia divina recitet, ſi Miſſam dicat, vel ad eam audiendam ſe conferat. ita Azor. *loco citat.* & Suarez *ibid num. eod in fin.*

Ut ergo hæc determinemus, antè neceſſarium eſt palam fieri, quænam requirantur, ad ſatisfaciendum huic obligationi de recitandis Officiis divinis quæ item ad ſatisfaciendum præcepto de dicenda, aut audienda Miſſa. Et quoad primum in recitatione divinorum officiorum plura conſiderantur, ſed nos ea tantùm percurramus, quæ ad rem noſtram facere videntur, quæ ſunt tempus recitandi, locus & modus. Quoad tempus, cùm Horæ Canonicæ, ex quibus Officia divina conſtant, ſeptem ſint, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, veſperæ & Completorium, non dubium eſt, quòd habens diverſum recitandi tempus, iuxta ritum Eccleſiaſticum, quod tempus notabiliter aut anticipare, aut tardare abſque cauſa, volunt Canoniſtæ abſque culpa non eſſe. Navarr. *de Orat. cap.* 3. *num.* 54. Tolet. *lib.* 2. *Inſtr. Sacerd. cap.* 13. *num.* 3. Suarez *lib.* 4. *cit. cap.* 15. *num.* 12. maximè verò grave peccatum, ac mortale intervenire volunt in univerſali recitatione in choro facienda, ut Suarez dicit *ibid.* Itaque de hoc tempore nobis eſt peculiariter conſiderandum, cùm poſſit quis ratione ipſius tantùm rationabiliter impediri, ne in choro recitet. Quoad locum duplex eſſe poteſt, aut determinatus, aut indeterminatus; determinatus Chorus eſt, qui requiritur in publica recitatione in religioſis, aliiſque perſonis ad hoc obligatis. Quomodo verò huiuſmodi perſonæ obligentur recitare in Choro, & an aliquo modo peccent, aut quantum peccent, videndus eſt præcæteris Suarez *loco aliàs citato*, *lib.* 4. *cap.* 10. *præcipuè n.* 15. *& ſeqq.* ſed de his nihil ad nos. Indeterminatus locus eſt quicunque recitanti libuerit, nam in recitatione particulari, ac privata non aſſignatur locus certus recitandi. Tolet. *ubi ſuprà*, *cap.* 13 *num.* 5. Suarez *ibid. cap.* 17. *num.* 1.

Quoad modum recitandi, duo conſiderantur, nempe vox, & attentio, vel vox externa, & interna; hoc enim importare verba illa, ſtudiosè ac devotè, in præcepto recitandi apud Concilium generale *ex Gloſſ.* dicit Navarr. *de Orat. cap.* 13. *num.* 1. & ut communiſſima eſt Dd. omnium opinio in recitandis officiis divinis requiritur vocis expreſſio. D. Thom. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. *in corp.* Nicol. Plovius *de Hor. Canon. part.* 2. *quæſt.* 3. Joan. de Lignano, *ibid. quæſt.* 11. Alb. de Ferrar. *eod. tract. num.* 60. *& ſeq.* Suarez *lib.* 4. *cit. cap.* 7. *num.* 6. Tolet. *lib.* 2. *Inſtr. Sacerd. cap.* 17. Roder. *quæſt. Canon. & regul. quæſt.* 43. *art.* 4. *tom.* 1. & idcirco mentaliter tantùm recitando non ſatisfit obligationi. Roderic. *ubi mox.* Tolet. *ibid.* & ibi Victorell *verb. Niſi ore proferant*, ubi ea de cauſa dicit, malè nonnullos Dd. excuſare eos à peccato, qui mentaliter tantùm recitant. Rationes autem, cur externa vox in huiuſmodi orationis genere requiratur, vide apud D. Thom. *ubi ſuprà.* Tolet. *icid. num.* 3. Suarez *loco citato*, & alios. Sed requiritur etiam, ut diximus, vox interna, nempe attentio, quæ cùm triplex ſit. Navar. *de Orat. cap.* 13. *num.* 4. hoc eſt, prima circa verba, quando recitans attendit, ut ſingula verba benè & integrè, quantum eſt ex ſe, proferantur, ſecunda, quando attendit ad ſenſum verborum; & tertia, quæ attendit ad finem orandi, conſiderando ſe coram Deo præces fundere, Dd. volunt primam attentionem omnino eſſe neceſſariam, ſecundam nequaquam, quemadmodum neque tertiam, licet hæc ſit maximæ utilitatis. D. Thom. *ubi ſupra*, *art.* 13. *in corp.* Tolet. *loco citato*, *cap.* 13. *n.* 5. 6. & Suarez *ibid. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 8. & 13.

De utriuſque autem vocis externæ ſcilicet, & internæ qualitate definiri debet, qualiſnam ſit oporteat, & quoad externæ qualitatem diſtinguitur in eo, qui publicè, & in eo, qui privatim recitat: nam is, qui publicè recitat, ita debet vocem extollere, ut à populo intelligi poſſit; is autem, qui recitat privatim, debet vocem ſaltem ita exprimere, ut ſeipſum verba proferentem intelligat: de quibus videndus poſt alios præ omnibus abundè diſſerens Suarez, *cit. c.* 7. Quoad attentionem autem notandum quod etiamſi primo illo attentionis genere utens, de quo diximus, qui ſatisfaciat præcepto de recitando officio divino, non tamen idcirco, ut aiunt Dd. poteſt homo cum hac ſola attentione dirigere; nam cum multi, poſtquam ſeſe in huiuſmodi recitatione convenienti temporis ſpatio exercuerint, officium memoriter optimè teneant, abſque ulla alia attentione ad ipſam verborum expreſſionem, in qua ob iam acquiſitum habitum non errant, ſequeretur quod ſatisfacerent abſque ulla alia attentione, quod non eſt dicendum, quia oratio ſine attentione non poteſt dici oratio. Suarez *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. imo & ipſa voluntaria oratio ſine attentione mala eſt, Navarr. *de Orat. cap.* 12. *num.* 39. *& ſeqq.* & ſic, ſi qui recitat, non orat non ſatisfacit, ergo qui nullam habet attentionem non ſatisfacit: neceſſaria ergo eſt virtualis quædam attentio, nempe ut recitans habeat à principio propoſitum & voluntatem attendendi, & ſiquando involuntariè ſit diſtractus, & ſe diſtractum cognoſcat, debet ad eandem attentionem eodem propoſito redire. Navarr. *de Orat. cap.* 13. *n.* 13. *& ſeqq.* & Suarez. *ubi ſupra*, *num.* 7. *& ſeqq.* Itaque præſupponere debemus nos, teneri recitantem officium divinum, ut culpam evitet, ad hoc, quod diximus, nempe ut mente recurrat ad intentionem, quam à principio intendere debuit, ſi involuntariè aliquando diſtrahatur. Quæ cum ad negotium Medicum nonnihil faciant recenſenda omnino erant, nam hæc omnia conſiderare debet Medicus, qui ſuum iudicium ferre debet utrum recitatio divinorum officiorum poſſit ita huic, aut illi morbo, huic aut illi homini noxia eſſe, ut inde recitans notabile damnum reportare poſſit, tunc enim intrat ſecundum Canoniſtarum ſententiam excuſatio.

Eadem conſideratio adhibenda quoque eſt circa ea, quæ requiruntur in publica recitatione, & in Choro, & in dicenda vel audienda Miſſa. Nam in publica recitatione requiritur, ut iam diximus, præſentia in Choro, vel in loco determinato, tempus item determinatum, aut ſaltem magis determinatum, quàm in privata, vox elatior, ita ut non à ſeipſo tantum, ſed ab adſtantibus quoque intelligi poſſit. In Miſſa dicenda maior, intenſivè inquam, labor corporis; per horæ enim quadrantem quod minimum eſt, celebrans cogitur ſtare, qui ſitus laborioſus corpori eſt, magis multo quam deambulare, aut quomodocunque moveri, ut alias adnotavi. Requiritur ulterius maior attentio, neque enim ſufficit illud primum genus attentionis; vocis etiam requiritur intelligibilis prolatio à circumſtantibus, & ſiquæ alia ſunt, de quibus ſuo loco.

In audienda tandem Miſſa breviter dicitur illud requiri, corpore adeſſe, & mente attendere ad id, quod

quod in ſacro fit: ut Dd. dicunt, abſque eo quod quis intelligat, & comprehendat verborum, quæ in Miſſa dicantur, ſignificationem, abſque eo quod quis etiam auribus audiat eorum ſonum, abſque eo quod quis videat ea, quæ in ſacro fiunt, præcepto huic de Miſſa audienda diebus feſtis ſatisfacit corporis præſentia, & mentis attentione. Navar. *de Orat. cap.* 13. *n.*8. Tolet. *Inſtr. Sacerd. lib.* 6. *cap.* 6. quod etiam innuere voluit Poëta noſter Torq. Taſſus *ſua Hier. cant.* 11. *ſt.* 14. de huiuſmodi ſacrificio canens.

Humili intorno aſcoliano i primieri.
Le viſte i piu lontani almen v'han fiſſe,

De præſentia autem corporis non eſt, quod aliquid dicamus, de attentione vero volunt Dd. eam
17 debere eſſe talem, ut homo advertat ad id quod fit, neque data opera mente divagetur, faciendo actus attentioni contrarios, *ubi ſupra*, *num.* 1. Et in omnibus, ac ſingulis his commemoratis caſibus, infirmitatem, aut præſentem, aut quæ de facili timetur, præbere iuſtam excuſationem, aut non recitandi officia in Choro, aut non dicendi, vel non audiendi Miſſam, communiter decidunt Dd. omnes ubi de cauſis ab huiuſmodi obligationibus homines eximentibus verba faciant. Sed qualis debeat eſſe infirmitas, ut excuſet, ſi præſens eſt, aut iuſtum timorem inducat ſi præſens non eſt, unde legitima emergat excuſatio ad Medicum non minus quàm in ſuperiori caſu, de recitatione officiorum divinorum, pertinet iudicare; itaque de hoc in ſequentibus diſſeremus & primo agemus de morbis, qui hominem à privata recitatione excuſare poſſunt, ſecundum Medicinæ Canones, deinceps de iis, qui à recitatione publica illum eximere debent; tertio de iis, qui excuſant à Miſſa celebranda; ultimò de iis, qui excuſant à Miſſa audienda; poſt quæ alia nonnulla addemus ad hoc ipſum argumentum pertinentia: illud ante omnia Lectorem commonendo, me ſemper tanquam Medicum loqui, nolens ut hæc, quæ affero, vim Legis habeant, ſed ea potius Canoniſtarum iudicio ſubmittens, illud unum ſatis ſuperque mihi eſſe teſtatus, ſi ſecundum Artem, quam profiteor, ea quæ ſeſe mihi offerunt diſcutienda, determinavero.

SUMMARIUM.

1 *Morbus qui excuſare debeat à recitatione divinorum, qualis eſſe debeat.*
2 *Capitis dolor an excuſet.*
3 *Azorii opinio examinata.*
4 *Dolores quidam ſpeciales, qui excuſare poſſint. & n. ſeq.*
6 *Dolores capitis intermiſſiones habentes an ſemper excuſent*
7 *Dolores aurium, & dentium an excuſent,*
8 *Vertigo an excuſet.*
9 *Obtivio an excuſet.*
10 *Somnolentia innaturalis an excuſet.*
11 *Morbi nervorum qui excuſare poſſint,*
12 *Melancholia & inſania dilucida intervalla habens, an excuſet tempore intermiſſionis.*
13 *Catarrhus an excuſet.*
14 *Ophthalmia, & alij nonnulli oculorum morbi qui excuſent*
15 *Surditas an excuſet.*
16 *Narium hæmorrhagia an excuſet.*
17 *Mutitas, & alia quædam oris vitia quæ excuſent.*
18 *Gutturis affectus, qui excuſent.*
19 *Tuſſis an excuſet.*
20 *Aſthma an excuſet.*
21 *Sanguinis ſputum, Empyema, Phthiſis an excuſent.*
22 *Cordis tremor, palpitatio, Syncope an excuſent.*
23 *Cardialgia an excuſet.*
24 *Ventriculi affectus, qui excuſare debeant.*
25 *Sitis, quando excuſet.*
26 *Inteſtinorum affectus quidam qui excuſent.*
27 *Venarum hæmorrhoidalium affectus, qui excuſant.*
28 *Hepatis morbi, qui excuſare valeant.*
29 *Lienis affectus, qui excuſare valeant.*
30 *Renum affectus, qui excuſent.*
31 *Hernioſi an excuſentur,*
32 *Arthritici an excuſentur.*
33 *Febres intermittentes an, & quando excuſent.*
34 *Tumores qui, qua vulnera excuſent.*
35 *Fœmina in quibus morbis peculiariter excuſentur.*

Quinam morbi excuſare poſſint à privata divinorum recitatione.

QUÆSTIO II.

CUm palam fit ex ſuperioribus, quænam requirantur ad divinorum recitationem, poſſumus non magno negotio, illis perpenſis, determinare, quinam morbi ita huic obligationi impedimento eſſe poſſint, ut nonniſi cum gravi, & rationabili vitæ periculo liceat eis ſatisfacere, & cum ſuperius quoque dixerimus, levem morbum ſub hoc cenſu non venire, & gravem non indigere Medici indicio, remanent tantum nonnulli morbi conſiderandi, qui dubium excitare poſſent; dequibus ut determinemus, illud pro fundamento ſit oportet ex Canoniſtis deſumptum, quod morbus, qui iure hominem excuſare ab hac obligatione poſſit, talis eſſe debet ut illum ita impediat, ne abſque gravi ſalutis propriæ diſcrimine, aut abſque nimio dolore & corporis vexatione prædictum penſum perſolvere valeat ut poſt vetuſtiores Tolet. *l.* 2. *Inſtruct. Sacerd. cap.* 14. *num.* 1. Azor. *Inſtit. mor. lib.* 10. *cap.* 13. *in prin.* Sanch. *Conſ. moral. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 45. *num.* 1. Suarez *lib.* 4. *de virt. & ſtat. Relig. cap.* 28. *num.* 19. *Tom.* 2. Navarr. *de Orat. cap.* 11. unde non tam faciles Medici eſſe debent, ut pro quolibet morbo iudicent ægros excuſandos, ne in illos poſſit Nauarræ reprehenſio *loco proximè allegato*, quadrare, ut minus probi Medicij nomen negligere videantur. Sed non ſolum ſi morbus directe recitationi divinorum impedimento ſit excuſat, ſed etiam ſi indirectè Roderic. *quæſt. Canon. & Reg. Tom.* 1. *quæſt.* 42. *art.* 7. aut etiam ſi non de præſenti, & in ipſa recitatione, ſed etiam ſi in futurum rationabiliter timeri notabile periculum poteſt; idcirco morbi graves, quales acuti ſunt, & qui febrem continuam adiunctam habent, dolores inſignes, & maxime moleſti, nullum dubium, ut diximus, faciunt, ita ut neque Medici iudicio opus ſit ad decidendum, an ægri excuſentur, necne, quia palam & in promptu cauſa eſt, ex qua abſque dubio recitanti ſumma noxa emergere poteſt, quia ex continuata officij recitatione, ex attentione quæcunque tandem illa ſit, ex lectione, ex tempore etiam determinato facile inſurgere poteſt febrium augmentatio earundem rectudeſcentia, remediorum procraſtinatio, dolorum intentio, accidentium augmentatio atque id genus alia nocumenta, nam etiam hac multo leviores cauſæ ad ea ſufficiunt, ubi adeſt iam in corpore morboſa diſpoſitio. Sed de dubiis morbis iam ſermo inſtituendus, & difficultates, quæ eorum occaſione emergunt, diluendæ; in quibus enarrandis eundem ordinem ſequar, quem alias ſecutus ſum in aliis ſimilibus argumentis, nempe in quibus diſſerendum erat de morbis ab aliqua obligatione hominem eximentibus, vel ipſum ab aliqua alia reliberantibus. 1

Offert igitur primo ſeſe nobis conſiderandum capitis dolor, cuius cum plurimæ ſpecies ſint, & unus quidem gravis ſit, alius acutus, alius pulſans, alius terebrans, alius pungens, & unus quidem totus caput aggravet, alius vero aliquam ipſius partem, non poteſt generaliter eſſe vera Azorij opinio, *Inſt. moral. lib.* 10. *cap.* 13. *in princ.* volentis, capitis dodorem non excuſare à divinorum recitatione; imo ſi abſolutè & generaliter loquendum eſt; magis vera eſſe 2

contra-

contraria concluſio ; nempe quod dolor capitis debeat excuſare. Patet enim ex Medicorum auctoritate, ſermonem, cui propè accedit lectio, cum diſtincta voce, & intelligibili ſit, ut divinorum recitatione evenit) vim quandam habere, ut caput impleat, & gravitatem afferat Oribaſ. *lib. 6. collect. cap. 7.* unde patet, quod cum dolor indicet partem affectam, quia ubi dolor ibi morbus, recitatio officij noxia ex ſe eſſe poſſit capite quomodocunque dolente. Nec contra id facit, quod Mercurialis *lib. 6. de Art. Gymaſt. cap. 6.* ex Cælio Aureliano, & ex Seneca dicebat, nempe, quod clara lectio capiti nequaquam ſit nocua, ſed potius proficua, argumento quod Cælius eam præcipiat in capitis dolore. *l. 1. tard. paſſ. cap. 1.* & in mania *ibid. cap. 5.* & Seneca illa uſus fuerit ad refrenandas capitis diſtillationes? nam neutrius auctoritati multum in hoc fidendum, quia Cælius non abſolutè iubet in capitis dolore lectionis exercitium, ſed cum iam dolore ægri fuerint relevati, in inſaniâ autem lectione non utitur tanquam ad exercendum caput, ſed ad ſpiritus excitandos, & ad falſas perſuaſiones in ægro tollendas: Seneca autem amico deſtillationibus obnoxio claram lectionem ſuadet, ad exercendum potius pectus quam caput, quod in illis deſtillationibus affici credebat, ut videre eſt *epiſtol. 78.* Quamobrem recte idem Mercurialis *loco allegato* addit, ſermonem in capitis doloribus, aliiſque pluribus eius affectibus interdici; ac profecto ita ſecundum plurimum ſeſe res habet, non tamen ſemper; unde terminandum in quibus doloribus excuſatio ſit legitima, in quibus vero non. Primo autem dolores vel à cauſa calida ſunt, vel frigida, vel ſicca, vel humida, vel aliqua ex his compoſita. At certè in cauſa calida magis noxia recitatio, quam in frigida; & in ſicca, quam in humida; recitando enim divina caput calefit, & exſiccatur, & morbi cauſa augetur, at quemadmodum in cauſa calida, & ſicca, aut ex his compoſita eſt noxium, ſic in cauſa frigida, & humida, aut ex his compoſita, poterit eſſe proficuum, caput calefaciendo, & materiam dolorem cauſantem abſumendo. Quod etiamſi caput dicatur lectio implere, non eſt quod inde notabilis noxa timeatur; quia maior eſt utilitas, quæ excalfactione & exſiccatione provenire poteſt, quam damnum, quod expectari poſſet ex aliquali vaporum elevatione ad ipſum caput. His tamen omnibus non obſtantibus: dicendum videtur, ea locum habere in doloribus mediocribus; nam ubi vehementes fuerint, & moleſtiſſimi, etiamſi à frigida, & humida cauſa fuerint, & reſpectu ipſius moleſtiæ, & vexationis corporis, & reſpectu deiectionis virium, & aliorum ſymptomatum inde provenientium, ſufficientem cauſam præbebunt, ut homo ſibi timeat maius malum ex recitatione divinorum.

Non eſt autem opus particulares capitis dolores recenſere, ut conſtet, quinam excuſare poſſint, qui non? quia hoc ab eorum gravitate & levitate dependet. Itaq; nec quicquam intereſt, totumne caput doleat, ut in Cephalæa, ſeu Cephalalgia, aut ipſius pars, ut in Hemicrania, in Clavo: in omnibus enim, ac ſingulis eadem ratio habenda, maximè cum interdum magis periculoſi, ac moleſti ſint dolores capitis particulares, quam univerſales, ut ipſa docet experientia. Eodem quoque pacto nihil refert in hoc negotio, utram caput per idiopathiam, aut propriam affectionem, vel per ſympathiam, & conſenſum aliarum partium doleat? ex lectione enim, & recitatione divinorum facile dolor, qui proprius capitis eſt, augetur; qui non proprius eſt, proprius evadere poteſt, ob illud, quod innuimus lectionis incommodum, nempe quod vim habeat replendi caput. Notandum tamen quod dolor occupans tantum externam capitis cutem, ſicuti faciliorem habet exitum, quia facilius curatur: & minus affert periculum, ita etiam non facilè ab hac obligatione excuſare debet, niſi eſſet ſupra tolerantiam infenſus, præſertim cum in recitatione poſſit adhiberi modus ne noxia quibuſdam affectionibus ſit, ut in quæſtione propria dicemus.

Sed cum ex doloribus aliqui habeant ſuos inſultus & exacerbationes, ut febres habent, & notum ſit, quod aliqui morbi, qui per totum diem non affligunt, ſed intermiſſiones habent, non excuſent totaliter à divinorum officiorum recitatione, ſed ab ea parte tantum, cui tempus afflictionis impedimento eſt, Suarez *lib. 4. cap. 27. num. 27.* Filiucc. *tract. 23. cap. 9. num. 295.* videndum, an hoc etiam in doloribus locum habeat. Dicendumque in hoc, quod dolores vel ſunt magni & intenſi, vel mediocres item intermiſſio aut eſt magna, ut ſpatij unius diei, quòd dolor affligat de tertio in tertium, aut de nocte, & non de die, aut contra interdiu exacerbetur, noctu quieſcat, aut intermiſſio eſt modica ut paucarum horarum. Igitur dolores magni ſi modicam habeant intermiſſionem, iuſtum omnino impedimentum præbebunt non recitandi officia, etiam in ipſa intermiſſione, quia conſequens eſt morbum, & morbi cauſam augeri per huiuſmodi recitationem. Ubi autem intermiſſio ſit magna, etiamſi dolor ſit magnus, nulla noxa expectari poteſt ex recitatione facta tempore interpolationis, cum cautela tamen de qua ſuo loco. Si verò dolores ſint mediocres, & intermiſſio modica, adhuc non eſſet tutum recitare, quia facilè eſſet ex ea cauſa dolorem ex interpolato fieri continuum, & maiorem. Si verò intermiſſio ſit magna nulla cauſa eſt, quin abſque ullius noxæ timore recitari poſſit, quæ tamen locum habent in doloribus nobilium partium, nam cæterarum, niſi intenſiſſimi ſint, non eadem conſideratio habenda. Quod denique de dolore capitis diximus, locum etiam habebit in doloribus partium nonnullarum ipſius capitis, ut eſſent dolores aurium, aut dentium, qui aliquando ſunt acutiſſimi; ſed dolor aurium præcipuè, etiamſi tantam acutiem non ſortiatur, aſpernabilis non eſt, niſi eſſet omnino levis, dentium non ita; non enim tam proxima pars cerebro eſt, neque pars minatur periculum.

Poſt capitis dolorem ſequitur quoddam ſymptoma, Vertigo dictum, quod non modò aliqui ex alia quacunque occaſione prehendi ſolent, ſed ſunt qui ex ipſa lectione facilè in illud labantur, eſtque certè magni momenti affectus, tendit enim aliquando ad Epilepſiam, vel Apoplexiam, aut conſimiles morbos, Galeno aſſerente *comm. 3. Aph. 17.* confirmantibuſque DD. omnibus in ſuis practicis, capite proprio de vertigine. Eſt hic tamen conſiderandum, vertiginem quandam fieri à cauſa interna, quandam ab externa. Quæ ab externa cauſa fit, cùm facilè removeri poſſit, remota cauſa, nullo impedimento in recitando eſt, niſi eſſet ipſa lectio. Neque ob id quod quis ob capitis debilitatem faciè in vertiginem ex qualibet leviori cauſa incideret, idcirco magis excuſaretur dummodò eas cauſas removere, aut evitare poſſet, ad quod teneretur, ne illi eſſent impedimento, quo minùs huic obligationi poſſet ſatisfacere. Vertigo porrò, quæ ab interna cauſa fit, duplex item eſt, vel gravis nimirum, vel levis: utraque vel per conſenſum fieri poteſt, vel per eſſentiam, ut de dolore diximus. In vertigine gravi

gravi (nempe quæ hominem cadere in terram cogat , quæ diu duret, quæ frequenter prehendat) undecunque fiat , vel per propriam capitis affectionem , vel per alienam , locum omnino habet excuſatio. In levi,(non ita tamen , ut ob ſui levitatem in conſiderationem venire non debeat)ſi fiat per conſenſum,diſtinguendum:nam vel ſit ex cauſa aliqua notabili , & frequens, eſt,vel ſit ex levi cauſa,& frequens non eſt: in primo caſu periculum imminet , ne quotidiana:ac frequentata divinorum Officiorum recitatione vertigo invaleſcat , hominemque in peiores morbos conijciat:in ſecundo,ceſſat huiuſmodi periculum, levis enim cauſa facile eſt amovibilis.

In oblivione quoque , & memoriâ deperditâ non parvum intercedere poteſt dubium , an ex recitatione ullum notabile periculum immineat necne , cum enim omnis actio , quæ ab Animali fit , calorem naturalem defatiget, & in affectibus partium , & capitis præcipuè calor ſit imbecillis , ac ſuccumbat , ita ut præcipuæ eius virtutes corruant , videtetur non debere frequentata lectione , & attentione huiuſmodi calor defatigari , ne diminutus omnino evaneſcat. Contra tamen ſeſe res habet , quia vocis exercitatio in his affectibus ſummo iuvamento eſſe poteſt , dicente Hippocrate , *lib. 2. de Diæta , num. 16. in fine. Quicunque labores vocis ſunt , veluti ſermo,aut lectio, aut cantus , omnes hi animam movent,nota autem ſiccatur,& caleſcit,& humiditatem in corpore conſumit.* Itaque non modo divinorum recitatio non erit nocua in his affectibus , ſed apprimè proficua ad calefaciendas partes refrigeratas , & ablumendam exuperantem , atque excrementitiam humiditatem illa obſidentem : unde conferet his ſic affectis clarè legere , & vocem etiam intendere : nam vocis intentio ſumma prodeſt naturali calori excitando,pituitæ craſſæ tenaci eruendæ,& meatibus aperiendis , qua de cauſa refrigeratis corporibus calfieri indigentibus commoda eſt , verba ſunt Rabi Moyſis *ſect. 7. Aph. 54.* competet ergo divinorum recitatio , ſi quid aliud , in prædictis morbis. 9

In ſomnolentia item non naturali non modo non nocet recitatio,ſed quia,ut diximus , clara lectio humiditatem Cerebri exuberantem , ex qua ſomnolentia fit,evacuate,ac digerere eſt apta, potius utilis erit , quam ſecus : unde iure ab Oribaſio *lib. 6. collect. cap. 7.* dictum eſt , ſermonem (cuius vicem ſupplet clara lectio) aptum eſſe iis, qui præter modum ad ſomnum ſunt propenſi. Nec quicquam faceret , quod lectio poſſit hominem magis ſomnolentum reddere , ut deinceps dicemus , quia ubi in hoc debita cura adhibeatur , vocem intendendo , ſeſe dimovendo,ac deambulando , ſi opus ſit , aut alia quadam corporis actione ſeſe excitando : facile hoc incommodum evitatur , Maior difficultas eſt de præternaturali vigilia , an legitimè à recitatione poſſet excuſare. Nam primum vigilia , ubi modum excedat, malum portendit ; & quot , ac quanta incommoda , ſi ſuperexcedens , ac diuturna fuerit , parere poſſit docuerunt omnes practici in propriis capitibus ; neque hoc mirum videri cuiquam debet , quia ſomnus animalibus datus , ut anima quieſceret à magis laborioſis operationibus , neque ullum animal abſque ſomno ea de cauſa diutius vivere poteſt , virtute omni concidente. Secundo , recitatio divinorum cum aliqua ſaltem attentione facta , caput magis calfacere & exſiccare poteſt , & ſic morbificam cauſam notabiliter augere ; ex quibus videretur dicendum , vigiliam innaturalem , ubi diuturna ſit & moleſta, debere hominem excuſare à recitatione divinorum , ob evidens inde imminens ſaluti recitantis periculum. Sed alia tamen ex parte notum eſt, ex ipſa lectione aliquando ſomnum excitari , unde idcirco quæſitum eſt ab Ariſt. *l. 18. Problem. 1. & 7.* cur ſit quod lectio quibuſdam ſomnum inducat , alios autem pervigiles reddat. Quod quidem ex varietate naturæ ipſorum vaporum ad caput ſeſe elevantium , credendum evenire, in quibus enim humidiores ſunt & frigidiores ſomnum facilè excitant ; eos autem,in quibus calidi & ſicci ſunt,& acres , potius pervigiles reddunt. Licet & ipſius capitis in hoc craſis , tanquam cauſa concurrat. Dicendum , in his rationem particularium habendam ; ubi ergo quis longis ac moleſtis vigiliis afflictaretur , eiuſque eſſet naturæ , ut lectio , & recitatio illum magis inſomnem redderet,& ex vigilia debilitatem , ſtomachi cruditatem , aliaque ſymptomata incurreret , abſque dubio ex recitatione evidens timere poſſet periculum , eo affectu durante. Contra autem eſſet , ubi qui lectione ſomnum facilius arriperet , & ex vigilia nullius virtutis notabile reportaret incommodum. 10 11

Ab his conſiderari poſſunt morbi Nervorum, ut ex prægreſſa Apoplexia. Epilepſia , Patalyſis actu affligens,Spaſmus. Tremor , membrorum torpor , & ſi qui alij his ſimiles ſunt , qui dummodo prolationi omnino non incommodent , nullam reportare poſſunt noxam ex divinorum recitatione , quæ non ſolum in his morbis obeſſe non poteſt , ſed maximè prodeſſe , excitando partium calorem , & moderatè cerebrum , nervoſque exſiccando. Dixi autem dummodo omnino prolationi non incommodent , nam interdum huiuſmodi morbi nervos , & muſculos,aut linguam moventes , cæteraſque partes prolationi deſtinatas obſident , ipſamque prolationem vel in totum,vel ex parte impediunt , ſed niſi in totum impediant, debent infirmi omni conatu niti , ut verba proferant , & aſſiduâ prolatione partes illas expediant , quod quidem ipſa recitatione aſſequi facilè licet.

In Melancholiæ , & Inſaniæ ſpeciebus omnibus , quæ dilucida habent intervalla , quæri poſſet an excuſatio habeat locum , & videtur dicendum quod, non , quia ubi ægri ad rationis uſum reſtituuntur abſq; dubio huic obligationi videntur ſubiect , neque videntur aliquod inde notabile incommodum poſſe reportare. Imo potius aliquam utilitatem , veluti eſſet excrementitiorum , ac fumoſorum vaporum ad caput repentium diſſolutio , ipſius intellectivæ facultatis excitatio , calotis partium vivificatio,ſenis ad ſomnum propenſio , & huiuſmodi. At verò non poſſunt hæc ſimpliciter in omni affectu ſimili locum habere. Itaque diſtinguendum eſt inter ipſas dementias , nam vel frequenter reverſionem faciunt , vel de raro. Ubi frequenter revertantur , certum eſt ex quotidiana divinorum recitatione , ita poſſe Cerebrum lædi , ob calorem , & exſiccationem ex lectione,& attentione excitatam , ut ex interpolata fiat dementia continua , quod non niſi ſummo cum damno ſuccederet. Ubi vero dementia de raro prehenderet,ut ſemel in anno,aut bis , niſi alia maior cauſa urgeret , nullum timendum eſſet recitatione damnum ; ſi modo æger lectione ipſa non dementiret,ut aliquando evenit. 12

De Catarrho peculiaris conſidetatio habenda:vocо autem hic catharrum , deſtillationem à capite ad pectus , relictis aliis eius nominis ſignificationibus , eſt enim duplici ex reſpectu in magna conſideratione habendus;primo quia læditur in hoc affectu caput, tanquam pars mandans , cui frequentata lectio , & attentio quotidie in recitandis officiis requiſita, 13

poteſt

poteſt magnopere obeſſe? nam & Oribaſius, ut ex quo alias id ipſum reperij *lib. 6. Collect. cap. 7.* ſermo (qui eiuſdem naturæ cum lectione eſt, niſi quod ſermo interdum nulla attentione fit, lectio vero rarò ſine aliqua attentione) vim quandam habet, ut caput impleat, & gravitatem afferat, quin etiam vires diſſolvit. Secundo, quia in hoc ipſo affectu lædituꝛ pectus tanquam pars recipiens ex quo cum derivet vocis materia, frequentata lectio poterit ipſi magno nocumento eſſe ipſum pectus excalfaciendo, ac prebens illi occaſionem ut maiorem in modum irruentem cætarrhum ad ſe alliciat. Sed de catarrho, quoad hoc negotium, ita ratiocinandum. Catarrhus vel eſt maxime moleſtus, & indeſinenter affligens, vel eſt benignior, & toleratu facilior: de poſteriori nihil dicendum, cum in eo locum non habeat excuſatio; de priori autem notandum, illum aut eſſe cum capitis calore: materia ſalſa, atque acri, & tuſſi moleſta difficultate anhelitus & huiuſmodi, vel eſſe cum capitis frigiditate, vel non magno calore, & cum materia craſſa, ac viſcida; in primo caſu certe ex recitatione imminet certum ſalutis periculum, calefieri enim & caput, & pectus maiorem in modum ex lectione neceſſe eſt, materiam maiorem ſalſedinem, atque acredinem induere, tuſſim itritari & reſpirationis difficultatem augeri? unde evitare ægro non licebit, quin pulmonibus ulceratis in Phthiſin labatur. Contrario autem modo evenire certum eſt in alio caſu, nam ex quotidiana divinorum recitatione caput moderatè calefieri, & fluens materia per inſenſibiles poros digeri poteſt; quin & pectori hoc
14 modo ſuccurritur, fit ut videbimus, cum de morbis pectoris verba faciemus.

Accedendum vero iam ad Oculorum morbos, & primum in Ophthalmia gravitas, aut levitas morbi & accidentium conſideranda; de hinc etiam an reverſionem facere ſoleat, exacerbationes pati, & quam pertinax ſit ad curandum. Univerſaliter tamen illud ſciendum: quod cum Oribaſ. *l. 5. Collect. cap. 7.* dixerit, ſermonem lippientibus eſſe incommodum, certe multo magis incommoda erit lectio, & divinorum aſſidua, & quotidiana recitatio. Peculiariter autem Ophthalmia, ſeu oculorum inflammatio, quæ gravis ſit, maximè irritari poteſt ab officiorum recitatione, unde maior indies timenda ſymptomatum adauctio, viſus imminutio, & morbi vicinis partibus communicatio. In levi autem lippitudine, etiam ſi his periculis non ſit æque obnoxia ſi tamen de facili revertionem facere ſoleat timendum ex recitatione eſt, ne materia ipſis oculis infixa alios convocet moleſtos ipſorum oculorum affectus, ut Corneæ exulcerationem, ſuffuſionem, pupillæ dilatationem, aut etiam Tabem, & alios his non abſimiles. Hoc autem non accipendum ita, ut in quacunque ophthalmia locum habeat, ſed in ea tantum, quæ licet inflammatione, tumore, ac dolore non ſit graviſſima non idcirco tamen aſpernabilis omnino eſt; in levi enim quemadmodum comminata ceſſant pericula ita omnis ceſſat non recitandi excuſatio.

Succedunt alii oculorum morbi notatu digni, præcipue autem Suffuſio, Cataracta dicta Obſcuritas, ſeu, Amauroſis Nyctalopia, viſus debilitas, Imaginationes, qui omnes aut via in cæcitatem ſunt, aut cæcitatem inducunt, cuius periculi reſpectu à lectione abſtinere homines neceſſe eſt, & à viſionis quacunque defatigatione, & maximè ab ea, quæ fit lectione literarum minutiorum, quæ in his affectib. eſt ſuſpectiſſima. Si tamen aliàs quis maiorem officiorum divinorum partem memoriter teneret, tanto minus damnum ex recitatione reportaret quanto minor officiorum pars legendo recitanda ab eo eſſet. De viſus autem debilitate adnotandum, an naturalis ſit, vel adſcititia; naturalis enim (quæ tamen à præter naturali aliqua cauſa non eſſet adaucta) non parem timoris cauſam daret cum adſcititia, quam in tantum fovere poſſet aſſidua lectio & officiorum recitatio, ut tandem in perfectam cæcitatem terminaretur. Sed quomodo quis in viſus debilitate ſeſe gerere recitando debeat, ut quam minime, aut nullo modo ex recitatione lædatur, ſuo 15
loco dicemus.

Surditas, aut gravis auditus rectè, ut mihi videtur, à perſolvendo debitum recitandi divina, dicuntur non excuſare. Suarez *de virt. & ſtat. Relig. Tom. 2. lib. 4. cap. 27. num. 17.* quia cum ut plurimum hæc ſymptomata à frigida materia originem ducant, & lectio, ut ſæpè dictum eſt, poſſit caput moderatè calefacere, & exſiccare, nullum ex officiorum recitatione damnum, imo notabile iuvamentum ægri reportare poterunt. Nec contra hoc faceret, quod opponi poſſet, probando recitationem divinorum maximè poſſe eſſe noxiam in ſurditate, quia ſurditas detrimentum pulmonis eſt. Ariſt. *in Probl. ſect. 33. probl. 14.* at in vocis formatione laborat præcipue pulmo, utpote qui aërem, unde vox formatur, ſubminiſtrat; poterit ergo frequentata, ac quotidiana divinorum recitatio pulmonibus maiori detrimento eſſe, & cum pars hæc ſit ſummè ad vitam neceſſaria, conſequens etiam erit ex eius læſione notabile periculum imminere. Sed neque verum eſt, ſurditatem ſemper fieri cum detrimento pulmonum ut dicit Mercurial. *de morb. Aur. cap. 2.* neque etiam, ſi fieret clara lectio poſſet quicquam nocumenti pulmonibus afferre, ut luculentius de pulmonum ac pectoris morbis loquentes demonſtrabimus.

Sed & de Narium hæmorrhagia, ſeu de fluxu ſan- 16
guinis ex naribus, aliquid dicendum: cum enim, ut Oribaſ. dicebat *lib. 7. ſæpe cit. cap. 7.* ſermo, & conſequenter etiam lectio, ſi appertâ voce fiat his, quibus ſanguis ex naribus fluit, ſit nocua, quod etiam adnotavit Alex. Bened. *lib. 4. ſua pr. cap. 5.* non ab re determinandum videtur, quod ubi quis huic affectui ſit obnoxius, ita ut ſuperfluentem, & magna cum difficultate reprimibilem ſanguinem fundat, evidens vitæ periculum æger ſubeat, aliasque expertus ſit ab huiuſmodi cauſis, aut ſimilibus facile hunc fluxum revertì, abſtinendum illi ſit ex Medici conſilio, ab officiorum recitatione. At ſi fluxus neque frequens, neque diuturnus, neque multus ſit, ceſſante periculi evidentia, non debet abſtinere: nam etiamſi iteratus ſanguinis fluxus, undecunque fiat, poſſit hominem in Cachexiam, Hydropem, aliosque morbos coniicere, tamen modo adhibito in recitando, poteſt omne inconveniens, ac periculum evitari, ut recitando ſubmiſſa voce ac placidè, & cum aliis conditionibus, de quibus poſtrema quæſtione verba faciemus.

Quoniam vero vocis prolatio eſt præcipuè partium pectoris, oris, & linguæ idcirco non prætermittendum de harum partium affectibus loqui. Poſſunt ergo inter eos affectus, conſiderari mutitas, & loquelæ alia quædam vitia, oris inflammatio, ulcera, tumores, ſicut etiam & linguæ, eiuſdem oris diſtor- 17
ſio, ſeu Paralyſis, vel Cynicus dictus ſpaſmus, ſic etiam linguæ reſolutio, aut convulſio, & huius generis alij affectus. Et quoad mutitatem, dubio quidem locus non eſt quod cum ad ſatisfaciendum huic obligationi requiratur vocis prolatio, & muti hac ſint or-

bati, non videantur muti teneri ad recitandum. Sed proponam Canonistis, circa hanc materiam, dubium quoddam ab ipsis decidendum; nam evenit interdum linguam quibusdam præcidi; non quidem totam, sed aliqua ex parte, ex qua tamen omnino loquelæ, & prolationis usum amittunt: verùm Medicorum industria huic impedimento opem tulit quoddam instrumentum in usum trahens, (de quo Paræus *l.22.c.5.*) cuius ope lingua mutilata potest verba integrè ac benè proferre, non secus ac si mutila non esset. Utrum ergo qui sic loqui potest, aliàs non potest, tenetur ad divinorum recitationem? De sermonis autem tarditate, aliisq; loquelæ impedimentis, nihil quicquam addendum videtur; nam frequens sermo, lectio, recitatio, & huiusmodi actiones, potiùs iuvamento, quàm damno his affectibus esse possunt.

18 Oris inflammatio, nisi exigua adeò sit, ut aspernabilis iudicetur, recitatione certè irritari facilè potest, & hominem vitæ discrimini exponere, cùm inflammatio hæc sit etiam contiguis partibus, gutturi scilicet & faucibus communicabilis, unde pernecabilis squinantia excitari potest. Quoad ulcera, si magna sint, si malignitate aliqua insignia, aut exedentia, cum calore & rubore notabili, idem prosus dicendum, quod de simplici inflammatione diximus; aliàs si non magna sint, neq; maligna, neq; exedentia, neq; cum multo calore & rubore, nullum reportabunt à recitatione periculum, modo adhibito. Quod spectat ad tumores, distinguendum, nam si sint ex materia frigida, absque inflammatione, recitatio potiùs erit proficua, quàm damnosa. Si ex materia calida, & cum inflammatione, tunc coniungi solet illis febris, & recitatio erit timenda; maiorem enim in modum tumores augere, & inflammationem poterit non sine evidentiori vitæ periculo; quæ verò de oris affectibus diximus, linguæ etiam affectus debent comprehendere; eadem enim damna in iisdem casibus ex recitatione in linguæ affectibus emanare possunt. Cætera autem oris symptomata, de quibus mentionem habuimus, ut etiam linguæ, iuvari magis, quàm oblædi à vocis, quæcunq; illa sit, exercitatione possunt; & idcircò non modò prohibendi ægri non sunt à recitandis divinis officiis, sed cogendi ut recitent, sic enim & debito satisfacient, & non aspernabile remedium pro ægritudine depellenda habebunt.

Post Oris affectus considerandum est de affectibus Gutturis, ex quibus maiorem considerationem sibi vendicat inflammatio, seu illa Tonsillarum sit, sive Gutturis, sive musculorum quorumcunque Gutturis ipsius, aut linguæ. Ex his si Antiades, hoc est, Tonsillarum inflammationem excipias, reliquæ omnes, etiamsi non magnæ essent, sed tantùm mediocres, facilè ex recitatione adaugeri, & ita irritari possent, ut hominem iugularent; præterquam quod etiam caput ex ea repleri potest, & materiam inflammationi subministrare. Quoad Tonsillas autem, nisi febrem adiunctam habeant, aut insignem inflammationem facilè contiguis partibus communicabilem, nullo impedimento esse illas dicendum, quo minùs homo recitare officia tutò possit, præsertim si modum habeat in recitando.

19 A faucibus procedendum ad pectus, primusque affectus, de quo considerandum sit, est Tussis, non tamen quæcunque, sed quæ frequens sit, diuturna, & molesta, & maximè siccatin hac itaque cùm maximè afficiantur vocis instrumenta, videtur quòd recitatio admodum noxia futura sit, quia cùm ficca tussis vel à ficca intemperie, & exasperatione ipsius arteriæ asperæ fiat, vel à materia acri ac subtili, vel à vaporibus calidis atque acribus, certum est quòd, cùm recitatio apta sit pulmones, asperam arteriam, atque omnia vocis organa & calefacere magis, & exiccare, non possit ullo modo, nisi summè noxia esse, magis enim partes exasperabit & exiccabit, tussimque mirum in modum irritabit. Contrà tamen est Medicorum consilium, in tussi enim quacunque, sive ficca sit, sive humida, non solùm confert moderata lectio, sed etiam vehemens, qua de re Cels. *lib. 4. suæ Medicin. cap. 4. rubr. de Tussi.* Oportet, inquit, in Tussi *lectione uti vehementi, quæ primò impeditur à Tussi, post eam vincit:* Non modo ergo Tussi non nocebit divinorum officiorum recitatio sed maximo iuvamento esse poterit. Quia tamen aliquando Tussis excitari solet à materia fluente à capite ad pectus, cum ipsius capitis plenitudine, poterat in hoc casu dubium intervenire, quia caput ex lectione maiorem in modum repleri est consentaneum, & tussis causam adaugeri. Est verò Tussis, cùm pertinax ac molesta est, non tantùm sui causa maximè timenda, sed etiam quia propter eius pertinentiam, & vehementiam vasa pectoris disrumpi, pulmones, & alia vasa exulcerari, Phthisis inde accersiri, & alia mala periculi plena concitari possunt. Si itaque lectio capiti est noxia, & præcipuè si cum lectione aliqua coniungatur attentio, quia magnopere illud replet, & si repleto capite tussis augescit, tussi verò adaucta augescunt prænominata pericula, videretur in Tussi huiusmodi omnino ægris lectioni esse interdicendum. Altera tamen ex parte Seneca in seipso, ut refert in *Epistolis, n.78.* expertus est, assiduam lectionem sibi in hoc affectu contulisse, destillationibus enim ad pectus, & febriculis vexabatur, unde & amico eodem morbo detento suadet, ut clariùs legat, & spiritum, cuius iter & conceptaculum laborat, exerceat. Verùm distinguendum omnino in hoc casu est, nam vel caput laborat notabili intemperie calida cum materia calida, vel frigida. In calida intemperie lectio potest esse insigniter noxia, si frequens, si multa sit, in frigida contrà potest esse proficua: unde Senecæ consilium optimum erat, quòd caput amico esset frigidiusculum, materias crudas procreans, quæ vel motu, vel superexcalfactione, dum à capite ad pectus præcipitabantur, febriculas excitabant; itaque exercendo caput, & pectus, & materiæ illæ expugnari facilè poterant, ac digeri, caput exsiccari, ac roborari, pectoris viæ dilatari, atque expediri, & homo ad sanitatem perduci.

Congener affectus Tussi Asthma est, quod symptoma licèt plerumque à crassa, ac viscida materia fiat, aliquando tamen etiam à tenui excitari potest; Asthma verò, Anhelatio Latinis dicta, & suspirium Cælio Aurel. *Chron. l.3.c.1.* dicitur difficilis respiratio sine febri; quæ vel actu affligit, vel aliàs affligere hominem facilè solet: & aliquando quidem levis est vel mediocris, aliquando autem ita gravis, ut æger nonnisi erecta cervice possit respirare, & sicuti prior affectus Dyspnœa, secundus verò simpliciter Asthma nominatur, sic posterior, Orthopnœæ nomine insignitur; in quo morbo pro temporis ratione, & eius morbi gravitate diversimodè determinari possunt ea, quæ ad propositum spectant argumentum. Primò ergo Asthma, cùm familiare quidem homini est, non tamen actu affligit, nullum impedimentum illi præbere potest in legendo, loquendo, officia divina recitando; imò huiusmodi actionibus possunt pectus, & pulmones; cæteraque vocis organa ab ipsis superfluis, noxiisque materiis ita repurgari, ut in posterum Asthmaticus aut in totum accessiones devitet, aut saltem diminuat; & idcirco vociferationem Asthmaticis opitulari, rectè dixit 20

Antyllus

Antyllus apud Orib. *lib.* 6. *c.* 8. & Aſthmaticis omnibus ſuadent Practici, ut altiori voce legant. Alex. Bened. *Pract. lib.* 8. *cap.* 25. Difficultas maior eſt in Aſthmate cùm actu affligit, ſiquidem etiam tunc videtur proficua recitatio: expurgaret enim ipſos pulmones à materia in ipſis impacta. Dicendum tamen quòd aut paroxyſmus ita vehemens eſt, ut æger ſumma cum difficultate, & nonniſi erectâ cervice reſpiret, ut in Orthophnœa, aut non ita vehemens eſt: in priori caſu timor urget inflammationis, unde verendum, ne excitato ex recitatione divinorum maiori calore in pectore, æger in Peripneumoniam labatur: in poſteriori caſu is timor aut omnino ceſſat, aut ſaltem diminuitur ita, ut ex recitatione potiùs aliquod levamen, quàm noxa ſit expectanda.

31 Proximè ab his conſiderandum eſt de ſanguinis ſputo, Empyemate, ſive ſuppuratione, Phthiſi, quatenus ulcus Pulmonis eſt. Quoad ſanguinis ſputum, communis opinio Medicorum eſt, ſermonem, lectionem, & his multò magis vociferationem, eſſe mirum in modum his qui ſanguinem rejectant, incommodam, Oribaſ. *lib.* 6. *collect. cap.* 7. Alex. Bened. *lib.* 8. *Pract. cap.* 45. adeoque quamcunque oris actionem in loquendo verentur, ut nutibus uti potiùs ægros velint, quàm quovis locutionis modo. Cæl. Aurel. *lib.* 6. *Chron. c.* 13. quamobrem neque levi, ac ſubmiſſa voce facta recitatio omnis ex parte tuta judicanda, cùm maximè frequentari eam oporteat, ac indeſinenter repetit, imminet enim aut major vaſorum diſruptio, ſi aliqua præſens ſit, aut nova, ſi nulla adſit.

In Empyemate, Purulentia, Vomica, ſeu Collectione, periculoſa quidem, alio tamen ex capite, eſſe poteſt divinorum recitatio, nempe quia cum Empyemate plerumque febris conjungitur, humores in pectore decumbentes facili negotio excalfiunt, atque acrimoniam ſortiti, faciliùs Pulmones ulcerare poſſunt: itaque ea omnia religioſè convenit evitare, quæ aliquo modo pectus, & Pulmones excalfacere apta ſunt, inter quæ frequentata lectio connumeranda, quæ profectò multo magis locum habent in jam facto Pulmonis ulcere, hoc eſt, in Phthiſi, in qua ſemper ob eaſdem jam commemoratas cauſas periculoſiorem exiſtimarem recitationem, cùm magis locum habeant in Phthiſi, in qua certa iam febris fixa, & habitualis reperitur, cui quanto nocumento eſſe poſſit quæcunque à quacunque cauſa procurata Pulmonum, ſpiritualiumque partium excalfactio, nullus Medicorum eſt, qui neſciat.

Ex cordis affectibus hi præcipuè in hoc negotio
22 conſiderandi, tremor ſcilicet, Palpitatio, Syncope, qui quidem, ubi fuerint homini familiares, & de facili revertantur, quantumcunque leves ſint, evidens improviſæ mortis periculum minantur: unde convenit multâ cautelâ uti, ne vel minima ex occaſione repullulent. Cùm igitur recitatio divinorum officiorum poſſet in hoc aliquid operari, videtur jure omni ſtudio evitanda: præterquam quòd enim in his omnibus, ac ſingulis affectibus, fit confertim copioſa ſpirituum reſolutio, ex longa lectione, aut vocis quocunque uſu, ipſum cor primò, & per ſe enervatus, ejuſq; calore in auras evaneſcente, omnis ejus virtus concidit, unde ſyncope, & mors: conſtat enim (& teſtatur id ex Medicis, Oribaſ. *loc. jam ſæpe cit.*) ſermonem, cui lectio congener actio eſt, vires diſſolvere: quamobrem rectè ab omnibus Practicis in his, qui facilè reſolvuntur, quæcunque vocis formatio, ac quicunq; vel minimus ſonus prohibetur: quæ quidem cùm maximè locum habeant in paroxyſmis, aut non longè à paroxyſmis, dubitari poteſt, an in interpolationibus idem periculum urgere dicendum ſit: ac dicendum videtur, quòd ſi homo ſoleat promptè, ac frequenter aliquod ex prædictis ſymptomatibus prehendi, non omni periculo vacet recitatione, etiam extra proxyſmos, cùm facilè ex eo poſſint ſingula prædicta ſymptomata repullulare. At ſi nec tam promptè, nec tam frequenter prehendunt, ſed ex evidenti, ac notabili cauſa, & de raro, ut ſingulis annis, vel ſingulis anni tempeſtatibus, tunc certè recitatio non habebit ullum cum ſe periculum, præſertim ſi modus adhibeatur à recitante. Non imminet autem æquale periculum ex recitatione in Animi defectu, lipothymiâ dicto, niſi admodum frequens eſſet, & minimâ quacunque ex cauſa excitaretur: tunc enim facile eſſet in conſummatam ſyncopen progredi, & ex illa hominem à medio tolli.

Cordis affectibus quàm proximè gravitate, & 23
periculo accedit quoddam Oris ventriculi ſymptoma, variis nominibus appellatum, dicitur namque Cardialgia, & Cardiogmos, & paſſio Cardiaca, & Syncope ſtomachica, in quo effectu ob exquiſitum patientis particulæ ſenſum aliquando dolores, & triſtes quædam ſenſationes excitantur, tantæ anxietudini junctæ, ut hominem mirum in modum exagitent, nec loco ſtare permittant, & niſi citò opem feramus, morti addicant. Hæ paſſiones ſive plures numero ſint, ſpecieque differant, ſive unius tantùm ſpeciei ſint, à calida intemperie, cum acris & bilioſæ materiæ affluentia exoriuntur, quæ ipſum Os ventriculi, ſenſus acumine Cordi æquiparandum, vellicando ac lancinando, hominem in ſyncopen conjiciunt, cumque in his quoque multa, & confeſtim fiat ſpirituum reſolutio, vires illicò concidunt, unde ſyncope, & mors. Itaque urgentiſſima cauſa hæc eſt impediens omnem cujuſcunque generis laborem, ipſumque etiam ſermonem, & lectionem, nam & hanc vires diſſolvere, aliàs ex Oribaſio *loco ſæpè cit.* dictum eſt.

Itaque ſi in leviuſcula Tertiana, vel Quartana hoc ſymptoma, ut evenire aliquanto ſolet in acceſſionibus, vigeret omnino etiam in intermiſſionibus, abſtinendum eſſet à recitatione, ob imminens reverſionis periculum. Quod autem dicebat Azor. *Inſtitutionum Moralium lib.* 10. *cap.* 13. *in princ. tom.* 2. ſtomachi dolores non ſolvere hominem à recitatione divinorum, de hoc certè dolore non intelligendum: imò nec promiſcuè de quocunq; dolore, ſed de mediocri, ac tolerabili: aut de eo qui à flatu, vel à pituitoſa ac frigida provenit materia, quo caſu lectio potiùs proficere, quàm officere poteſt: at verò in dolore acutiori, & in eo, qui à calida, mordaci & biliſa materia provenit, nequaquam poteſt habere locum.

Conſiderandum ergo jam de aliis ipſius ſtoma- 24
chi, ſeu potiùs ventriculi affectibus quibuſdam, ut eruditas eſt, imbecillitas, vomitus, inflatio: in quibus interdum tam malè homines ſeſe habent, ut exangues, ac pallidi perpetuò appareant, ſpiritibus magna ex parte exhauſtis, nec de facili generabilibus: ex quorum affectuum cauſa videretur obligatus ad recitandum prohibendus eſſe à recitatione, ex qua majorem debilitatem cauſari, ſpiritusque magis exhauriri jam ſæpe dictum eſt. Aliâ tamen ex parte notum eſt, ut ex Antyllo Oribaſ. *libro ſexto, Collect. cap. octavo*, ſummopere à Medicis in his caſibus laudari vocis exercitationem, maximè per vociferationem: ſic enim Antyllus ibi, *Convenit autem* vociferatio *ſtomachicis, vomentibus, acidum ructantibus, ægrè concoquentibus, atque etiam*

accommoda eſt iis, quibus pituita redundat in corpore Et paulo poſt. *Iam vero iis, qui cibi faſtidio tenentur quique non alantur, conveniſ, præcipuè verò languidis Hydropicis, & Aſthmaticis, itemque refectionibus ex morbo accommodatiſſima eſt.* Videtur ergo, quod ſi vociferatio, quæ nonniſi inſigni cum labore fit, utilis eſt prænominatis ventriculi affectibus, multo tutior futura ſit ſimplex lectio, quæ abſq; inſigni labore facta, poteſt partium robur virtutem, & calorem adaugere, ſpiritus vividiores reddere, ſuperfluas ac noxias materias dirimere, & alias utilitates afferre his non abſimiles. Ac certè licet diverſa omnino ratio ſit vociferationis, & lectionis exiſtimandum tamen, etiam lectionem poſſe his affectibus opitulari, præcipuè cum in hominis poteſtate ſit vocem quantumlibet attollere, ad majorem partium exercitationem, & ad majorem calorem excitandum, quod quanam ratione præſtandum ſit, in propria quæſtione palam faciemus. Nonnihil tamen obſtare duo videbantur, attentio primum, quæ in recitatione requiritur: hæc enim quò major eſt, eó magis his affectibus infeſta eſſe poteſt: deinde hora recitandi, quæ non ſemper ita opportuna eſt, ut abſque omni noxa recitari poſſit. Sed hæc ego non tanti facerem ut hominem eorum cauſa à recitatione prohibendum cenſerem, nam attentio nunquam tanta eſt, ut notabile nocumentum poſſit afferre, neque item ſemper importuna recitandi hora, ſed plerumque opportuna: cum autem opportuna eſt, vocem extollere, magiſque exercere licet, cùm importuna, illam magis ſubmittere, atque hac ratione nihil omnino nocumenti inde percipiemus.

25 Sitis & ipſa ventriculi affectio eſt, & quidem moleſta, non ejus tamen gravitatis, ut ex ejus cauſa videatur ullum imminere periculum in divinorum recitatione: maximè cùm facilè liceat eam potu levare. Quia tamen fieri poteſt, ut hoc ſymptoma alicui morbo levi quidem ex ſe conjungatur, ut Tertianæ miti, aut alicui affectui qui per ſe non eſſet ſufficiens ad aliquod notabile impedimentum afferendum, ex quo quis recitando divina grave aliquod periculum incurreret: videndum eſſet tunc, an ſitis moleſtia damnum aliquod minari poſſet ex quo quis meritò eſſet à recitatione prohibendus: nam, exempli gr. ſi ſitis cum Tertiana levi conjungeretur, ex officiorum recitatione certè non ſolùm ſitis augeri, ſed febris etiam majorem in modum intendi, & ex miti immitis fieri, ex intermittente continua, & homo periclitari poſſet. Evenire & illud facilè ſolet, ut homo non tam facilè, ut neceſſitas ſumma requirit, poſſit illi ſuccurrere, quia interdum à potu quocunq; etiam minimo inſigniter læditur, tunc enim coactus ſitim tolerare, daret illi majorem cauſam recitando, & certe in utroque caſu non tam parvi facerem ſitis incommodum, ut non timerem, quod adaucto ventriculi calore homo aliquid majoris mali contraheret. Licet enim ſitis eſſet febris ipſius ſymptoma, tamen poſſet fieri cauſa irritans, & adaugens ipſam febrem, imo aliquando ſitis inter gravia ſymptomata ipſarum febrium recenſetur, & curam de ſe trahit: ex ejus namque magnitudine lingua, & fauces reſiccatæ inflammantur, excorianturque: cumque ad ejus medelam unicum proponatur ab Hip. remedium, *lib. 6. de morb. vulg. ſect.* 3. continere eos, ac tacere, profecto omnis lectio, & ſermocinatio prohibenda eſt, ſi periculum, quod imminet, evitandum ſit. Sed cum hæc locum tantum habeant in ſiti immoderata, & ingenti, & hæc ſemper ad majores morbos ſequatur, qui ex ſe impedimento recitationi ſunt, dicendum, nunquam ſitim per ſe poſſe inſigne periculum minari in recitandis divinis officiis.

Stomacho adhærent inteſtina, & idcirco poſt 26
ejus paſſiones de inteſtinorum affectibus verba facienda, qui præcipui ſunt eorum dolores, & varia fluxus genera, ut Lienteria eſt, Diarrhœa, Diſenteria: & poſt hos Teneſmus & Cholera. Et quoad dolores in duplici differentia hi ſunt: nam quidam Inteſtina tenuia exercent, Iliaci dicti, & morbus inde genitus, Ileos ac Ileo inteſtino, vel Chordapſus, aut Volvulus, aut miſerere mei: aliis inteſtinis craſſioribus ſunt infeſti, à Colo inteſtino Colici dicti. Item alij mitiores ſunt, alij verò mediocres, alij ob eorum acutiem intolerabiles. Dolores ergo Iliaci, quia ſemper moleſtiores ſunt, & inſigniter vires deiiciunt, etiamſi eſſent leviores (dummodo aliàs homo valentiùs ab illis angi conſueverit) facilè ex ſola divinorum recitatione irritari, aut mirabiliter augeri poſſent, dum aliquo modo affligunt: quod non fieret abſque multa corporis anxietudine, & evidenti vitæ periculo, cùm hujuſmodi dolores pernecabiles ſint, & levi negotio ob eorum atrocitatem hominem è medio tollant. Colici dolores cùm non adeò vehementes ſint, ſi leviores, aut etiam mediocres exſtiterint, nullo impedimento recitationi erunt: quinimò ex clara lectione fieri poſſet ut potiùs levarentur, quam intenderentur: ſed ſi magis acuti ſint, tunc certè dum actu affligunt maximè incommoda eſſet recitatio, adaugeri enim poſſent, aliiſque inteſtinis communicari, hominique exitio eſſe. In omni porrò fluxus genere (loquor autem ubi febris non adſit, nam præſente febre jam univerſaliter determinatum eſt, quid ſentiendum) conſiderandæ vires ſunt: quæ ſi inſigniter ex fluxu deiici, ac diſſolvi videantur, certè labor in recitandis divinis officiis ſuſceptus, ſaluti ægrotantium inimicus apertè eſt; at verò ubi vires conſtent, nihil quicquam is incommodare illis videtur: niſi fortè peculiare quid in Dyſenteria placeat determinare, in qua quia ulcus adeſt, inteſtinis à materia calida, acri ac mordaci inuſtum facile fieri poſſet, ut ex quotidiana, ac frequentata recitatione nimis excalfacti humores ulcus majus fieret, evidenterque creſceret, non ſine rationabili vitæ diſcrimine, quod locum habebit non in gravi ſolùm, ſed etiam in mediocri morbo, nempe qui dolore, fluxu, & aliis conditionibus non eſſet aſpernabilis.

In ultima Inteſtinorum parte hæmorrhoidales 27
venæ ſunt, quæ interdum inflantur, inflammantur, dolent, adaperiuntur, ſanguinemque in multa, & interdum in excedenti nimis copia effundunt Simplici inflationi, aut apertioni recitatio nihil quicquam obeſſe poſſet. Inflammationi, ſi magna eſt, officere aliqualiter poſſet, non tamen inſigniter. Ubi verò dolor urgeat, niſi magnus ſit & intolerabilis, nihil quicquam recitatio obeſſe poterit, aliàs nocua inſigniter eſſet, cùm hi dolores interdum ſint acutiſſimi, & vires inſigniter deiiciant. In apertione, ſi ſanguis in magna copia effundatur, duplici ex capite officiorum recitatio poterit ægrotis eſſe nocua, primò ob virium defectum, qui in omnibus ſanguinis evacuationibus inſignis eſſe ſolet: neque ob id quòd hic ſanguis per hæmorrhoidales venas evacuetur, dicendum in hoc caſu non adeò vires deiici, ut quando ex aliis venis effunditur, quia hoc habet locum ubi naturalis ille fluxus ſit, non autem ubi eſt morboſus: in hoc enim, ut experientia patet, ſanguis tenuiſſimus, atque optimus ſolet excerni. Secundò eſt nocua recitatio ratione apertionis

venarum

venarum, nam ex frequentata recitatione, sanguis magis excalfieri, & ad exitum fluxibilior reddi potest, & vasa etiam majorem in modum adapetiri: unde homo in non contemnendum morbum facilè dilabatur.

28 Cæterùm commomératis affectibus succedunt reliquorum naturalium viscerum morbi, & symptomata, & primò Hepatis, cujus ægritudinibus qui obnoxii sunt, Hepatici dicuntur. Hi calorem ipsius viscertitis debilem sortiuntur, quamobrem malè suo munere fungitur, crudumque sanguinem generat, neque rectè sanguificat unde fit, ut homines & malè colorari perpetuò sint, & viribus admodum imbecillibus: & tamen non ob id ex divinorum officiorum recitatione quicquam damni posse eos reportare existimandum, levis enim illa caloris exercitatio, totius corporis calorem excitare potest; & malè affecto etiam viscori succurere: idemque sentiendum videtur de obstructionibus ipsum hepar indesinenter exercentibus, quæ cùm ex crassis, crudis, viscidisque humoribus proveniant, juvari magis, quàm irritari à vocis illa exercitatione possunt: undè neque Icterici, morbo regio sive Arquato laborantes, ob id abstinere ab officiorum recitatione licitè possunt, cùm nihil habeant, quod ex ea propriæ saluti timere debeant, nam & illis potest opitulari potius, quàm secus: Cachecticis verò, aut malo habitu præditis, atque Hydropicis, si, ut Antyllus apud Oribas. *lib. 6. collect. c.* 8. constat convenire vociferationem, eo quòd ab illa subleventur, crudosq; ac superfluentes humores digerent, & nativum calorem exsuscitent, nulla causa est, quin etiam divinorum recitatio convenire non possit, nam & hæc modicè excalfacere ipsos potest, & actiones quascunque coadjuvare. Unicus Jecoris affectus est, cum quo ægri notabile nocumentum ex divinorum recitatione reportare possunt, atque is est hepaticus dictus fluxus, in quo quæ excernuntur, sunt veluti carnium lotura, quem DD. voluerunt esse affectum hepaticis ipsis familiarem, sed aliquando diversus omnino est, & siquidem aut familiaris hepaticis sit, aut ex se prehendat, semper à recitatione divinorum hominem prohiberet, ob noxam quæ inde certa saluti emergeret, tum quia vires debilitat, tum etiam quia fluxum irritat, & alia mala generare apta esset, quæ hominem facili negotio morti addicerent.

29 In Lienis affectibus eadem locum habere debent, sed in omnibus his, id quod jam aliàs monuimus, iterum repetendum, intelligi nempe hæc, ubi morbi febre vacent, nam alias pluribus morbis tam naturalia, quam quæcunque viscera, & partes, cum febre afficiuntur, qui maximæ considerationis sunt, & semper periculo juncti, & idcirco locum in his sibi vendicat universalis conclusio à nobis in hujus quæstionis principio proposita, de febribus, & morbis qui febribus copulantur. Illud tantùm hîc addendum quod febres quædam lentæ, ac diuturnæ, quæ tamen nullo symptomate, si calorem; & pulsus frequentiam excipias, conspicuæ sunt, & quæ præsertim à viscerum, meseraicarumque venarum obstructione dependent, excipiendæ sunt à communi illa conclusione, nisi fortè hecticæ suspicio irreperet, aut à tenuibus destillationibus à capite ad subiectas partes fierent, ut fieri interdum experientia docet.

30 Renes & ipsi gravibus morbis obnoxij sunt: nobis ad presens negotium proponendi tantùm sunt. Diabetica passio, calculus, sanguinis fluxus ab iisdem partibus, urinæ difficultas, & suppressio. In Diabete, quæ Hydrops matulæ, & urinæ profluvium dicitur, adest totius corporis consumptio, summusque vitium langor, & renum excedens calor, quamobrem recitandi labor insigniter in hoc affectu ægris potest officere: nam & vires prosternere magis poterit & spiritus absumere, & Renum calorem, præcipuam Symptomatis causam adaugere. In calculo nullum sese offert recitandi impedimentum, nisi dolore urgente, non quidem quocunque, sed gravi, in quo ob corporis anxietudinem nimis incommoda recitatio esset: eo tamen remittente, nullam ab ea noxam expectare licet. In hæmorrhagia, vel sanguinis fluxu ex ipsis renibus proveniente, eri mi, si fluxus non esset admodum copiosus, recitatio esset timenda: nam in modico facilè cautelâ habitâ omne incommodum evitatur: at si excedat, & præcipuè si magnus sit, profectò recitatio nullo modo tuta censenda est. Molestissima passio est urinæ difficultas, & tamen non habet in quo officiorum divinorum recitationem revereri possit, nisi summam corporis angustiam, animiq; insignem perturbationem. Quo omnia multò magis molesta sunt in totali illius suppressione, quam tanti faciendam censeo, ut nihil suprà: licèt recitatio in hoc quoque affectu minùs sit timenda, cùm nihil molestiæ ægrotantium saluti afferre possit, tamen impossibile esset hominem cogere ad recitandum, tantâ anxietudine hoc symptoma ægros exercet. Sunt præterea nonnulli ex connumeratis affectibus qui vesicæ quoque proprij sunt, ut lapis, urinæ difficultas, ejusdemque suppressio, idemque de his videtur determinandum, quod de superioribus determinatum est.

Herniæ species plures sunt, nulla tamen earum 31
in causa esse potest, quo minùs tutò divina ab Herniosis recitari possint, nisi exitus intestinorum præcipuè alium quempiam graviorem affectum excitaret, ut dolorem non aspernabilem, ventris torporem, calorem in parte præternaturalem, & hujusmodi: tunc enim quia facilè periculum inflammationis immineret, & dolor irritari posset, fugienda essent quæcunque quocunque modo causam majori morbo dare possent: inter quæ suum sibi vendicat locum labor in recitandis divinis officiis perpetratus. Non enim dubium est, affectas partes ejus occasione facillimè tumefieri, quod etiam, ubi dolor urgeat, ex simplici locutione evenire animadvertitur. Aliàs autem etiam si Hernia magna esset, & intestina majoris ex parte in scrotum prolapsa, nihil mali ex recitatione evenire potest, modo præsertim adhibito.

Arthritici dolores, etiamsi familiares homini 25
sint, non impediunt tamen divinorum recitationem, sed dum actu affligunt, & atrociores sunt, videndum esset, an ex recitatione notabiliter Arthritici lædi possent: at profectò non video quicquam eos inde lædi posse, ob corporis tamen summam anxietudinem, esset aliquid dolorum molestiæ condonandum. Imò ubi dolores etiam spinalis medullæ, collique articulos exercerent, cùm in his quilibet vel minimus capitis, aut oris motus soleat illos insigniter irritare, non essent omnino Arthritici ab evidenti noxa immunes, sed notabile vitæ periculum subirent, ne ex dolorum irritatione, inflammatio aliàs cunctis obsessis partibus familiaris adaucta, vicinisque partibus communicata squinantia, aliumve quendam graviorem affectum produceret, aliàs verò non tanti faciendi ejus generis dolores, ut in recitandis officiis divinis homo notabilis damni sit capax, quicquam reportare possit: imò ex hoc labore (cùm omnis corporis exercitatio plerumque impeditis articulis sit prohibita) commodè exerceri homo licet, & aliquam inde utilitatem reportare.

De febribus intermittentibus, dubitatum à Cano-
33 nistis est, an hominem totâ die excusent à divinorum recitatione, vel an potiùs teneatur homo in febris remissione, aut omnia, aut nonnulla ex divinis recitare: & videntur omnes in eam sententiam venire, quòd teneatur saltem eam officij partem recitare, quam potest, exemplificantque de Quartana, & Tertiana. Alb. *in cap.* 1. *n.* 10. *de celebra. Missar.* Azor. *Instit. moral. lib.* 10. *cap.* 13. *in princ.* Suarez *de virt. & stat. Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 23. Tolet. *lib.* 2. *Inst. Sacerd. cap.* 14. Filiucc. *Quæst. Moral. tract.* 23. *c.* 9. *n.* 295. Roderic. *Quæst. Canon. & reg. tom.* 1. *quæst.* 42. *a.* 1. 7. Quia tamen & natura, & status morborum mirum in modum diversificantur, & interdum morborum accidentia sunt majoris momenti, quàm ipsi iidem morbi, distinctione in his opus esse videtur: nam vel febres leves sunt, aut mediocris saltem vigoris: vel sunt fortes, & habentes validos paroxysmos. Sic etiam vel intermissio est certa, & longa, vel est dubia, ac brevis. Item in intermissione, cum ipsa febre remittuntur, aut omnino cessant accidentia febris, vel adhuc in ipsa intermissione, aut omnia, aut magnâ ex parte affligunt, vel alia ab ipsa febre relinquuntur, ut lassitudo magna est, debilitas, stomachi imbecillitas, nausea, subversio, inappetentia, vigiliæ, capitis dolor, & alia id genus. Ubi ergo interpolatio est certa, & longa, febrisque omni ex parte remittit, & cum eâ febris accidentia, eorumque nulla, aut pauca, neque magna remanent, nulla causa est, ob quam ægrotantes timere debeant divinorum recitationem: at contrà si interpolatio sit brevis, aut incerta, & præcesserint paroxysmi fortes, & post febrem remaneant accidentia febris, tunc quidem timendum est, ne febris adaugeatur, ne accidentia irritentur, ne ex intermittente continua fiat, ne homo tandem periclitetur. Et in Tertiana certè, nisi levissima sit, & notha, hæc omnia habere veritatem experieris: dependet enim, si exquisita ac vera sit, ab humore calidissimo, ac ferventi, maximamque habente activitatem, & facilè etiam ex minima occasione agitabilem, unde motus fieri solent vehementes, ita ut etiam cessante febre, plurima remaneant symptomata, quæ febre ipsa peiora existunt. In Quartana autem cùm interpolatio maior sit, nempe duorum dierum, si simplex sit, aut unius integri, si duplex, hæc non ita procedunt, licèt & ipsa, ubi vehemens sit, pessimè interdum ægros accipiat, consueatque ingentem lassitudinem, mœrorem ac tristitiam, debilitatem, viscerum obstructiones, inappetentias deploratas, & hujusmodi alia symptomata in intermissione relinquere.

34 Cæterùm quoniam etiam fœminæ religiosæ obligantur ad divinorum recitationem, habent & peculiares quosdam morbos, ex quorum culpa possunt ab ea recitatione notabile detrimentum reportare: de quibus tamen generaliter dicendum est, quòd nisi sint febribus, & vehementibus symptomatibus concomitæ, non facilè impedimento esse possunt divinorum recitationi. Una tantummodò, aut altera ægritudo est præ reliquis in fœminis, hujus rei respectu considerandæ, nempe fluxus menstruorum immodicus, & fluor albus ipsius uteri: Cum primo affectu, si notabilis sit, & non facilè amovibilis, recitatio profectò posset esse summoperè nocua, ut ferè omnibus immodicis hæmorrhagis esse solet: facilè enim fit, ut ex assiduo motu oris, partiumque vicinarum, etiamsi levis sit, venæ majorem in modum adaperiantur, & sanguinis motus concitetur. Influore albo, nisi admodum immoderatus sit, nequaquam æquale periculum imminet, sed adhibita cautela, poterit recitatio esse innocua. His addi potest dolor uterinus, & ipsius uteri suffocatio: in quarum ægritudinum prima dicendum, quod nisi doloris acerbitas obstet, recitatio non sit prohibenda: in secunda vero dicendum, quod, si ea passio sit insignis, & frequenter prehendat, omnino prohibeat hominem à divinorum recitatione: nam & maxima in ea anxietudo intervenit, & multa, ac confertim facta spirituum resolutio, ex qua summa corporis debilitas infirmas insigniter exerceat.

Postremo de Tumoribus, & vulneribus mentio 35
habenda: & Tumores quidem pro partis, quam obsident, natura, pro accidentium concomitantia, pro humorum ipsos excitantium qualitate possunt aut notabile nocumentum à recitatione reportare, aut immunes ab omni noxa esse: nam Tumoribus exempli gratia calidis, caput occupantibus, aut pectus, vel alias insignes corporis regiones, febribus concomitatis, doloribus, inflammationibus, recitatio certam afferre potest, ac insignem noxam: contra si frigidi sint, si ignobiliores partes obsideant, si levibus accidentibus associentur, recitatio nulli nocumento esse poterit: idemque de vulneribus videtur determinandum: quæ tamen magnitudine non sunt æstimanda, sed qualitate, & partium nobilitate: nam & leviuscula quidem capitis vulnera (nisi adeo exigua sint, ut aspernabilia judicentur) aut pectoris, aut aliarum nobiliorum partium, & ubi aliqua magna vena aut arteria continui solutionem patiatur aut si sanguinis rejectatio difficulter cohibeatur, non modo à simplici recitatione insigne damnum reportare possunt, sed etiam ex frequentato, ac levi sermone, & multo magis ex lectione.

Morbus deniq; Gallicus, cutaneæ infectiones, & alij quidam affectus, de quibus hic peculiaris mentio non habetur, aut ex se quidem nullam oblæsionem ex recitatione reportare possunt, aut si aliquibus symptomatibus, majorique morbo associentur, ad superiora capita reduci possunt: juxta quorum determinationem aut notabiliter oblædi à recitatione eos posse, aut non ita, ut sufficienter excusent nobis determinare licet.

SUMMARIUM.

1 *Morbi à privata recitatione excusantes, multo magis excusant à publica.*
2 *Morbi aliqui etiamsi prohibeant recitare, non prohibent adesse in Choro.*
3 *Vertigo levis an excuset à publica recitatione.*
4 *Melancholia, & Insania, an à publica recitatione excusent.*
5 *Epilepsia an ab eadem recitatione excuset.*
6 *Asthmatici à publica recitatione an excusentur.*
7 *Stomachi dolor, eruditas, & alij hujusmodi morbi, an à publicâ recitando excusent.*
8 *Calculosi à publica recitatione an excusentur.*
9 *Hernios an in Choro recitare cogendi.*
10 *Arthritici dolores an ab ea recitatione excusent.*
11 *In febribus intermittentibus an valeat excusatio recitandi in Choro tempore intermissionis.*
12 *Fluxus menstruus immodicus an mulieres à publica recitatione excuset.*
13 *Excusatio à publica recitatione locum habet in quibuscunque sanguinis evacuationibus immodicis.*
14 *Fluxus albus uterinus, an mulieres à publicè recitando excuset.*

De recitatione publica in Choro facienda.

QUÆSTIO III.

QUæ à privata recitatione divinorum idcirco 1
hominem excusare possunt, quia ex ea notabile

ejus

ejus ſaluti detrimentum immineat, multo magis excuſare videtur à publica recitatione in Choro: niſi fortè illud adnotare libeat, nonnullos ex prædictis morbis à recitatione quidem homines prohibere debere, quia ab ea inſigniter oblæderentur, qui tamen prohibere non poſſunt, quo minùs præ-
2 ſentes in Choro eſſe poſſint, ut exempli gratiâ Surditas eſt, Ophthalmia, Cæcitas, ſanguinis ſputum, ſtomachi dolor non actu affligens, & omnes penè morbi, qui etiam in interpolatione excuſare poſſunt, ob reverſionis periculum, & alij permulti. Ergo viſi ſimul & ſemel, qui eximitur à recitatione, eximatur ab interventu in Choro, (non inquam ab auditione recitandi, nam de hac re ſuo loco dicam) certè de hujuſmodi morbis eſſet peculiariùs conſiderandum. Cùm tamen hoc (nempe an excuſatus à publica recitatione, excuſetur etiam à præſentia in Choro) ſit mihi adhuc incompertum, neque ullam circa hoc Canoniſtarum determinationem viderim, de illis ulteriùs verba facere pro nunc ſuperſedebo, reiiciamque id ad eam ipſam quæſtionem de auditione recitandi.

5 Sed præter commemoratos morbos, qui excuſare videntur à privata recitatione, adhuc alij ſunt, qui non à privata, ſed à publica tantùm excuſare debent, de quibus aliquid peculiariter addendum. Diximus ergo levem vertiginem, ſed non frequentem, nullo modo impedimento eſſe, quin homo poſſit divina recitare: quod quidem non in recitatione privata tantùm, ſed etiam in publica locum habet. Dari tamen poteſt caſus (nec difficilis quidem eventu eſt) ut homo ex aliorum hominum frequentia, ex aëris excalfactione, ex cantu, ex luminibus, aliiſque hujuſmodi concurrentibus facilè vertiginem pateretur. Tunc ergo quia morbus non ſolùm ſemper repullulare poteſt, ſed ex frequentatione Chori majorem in modum adauger, certè homo ex tali recitatione nonniſi notabile nocumentum ſaltem proceſſu temporis expectare rationabiliter poſſet: nam, ut diximus vertigo præludium quoddam eſt majorum morborum, & ſi frequenter prehendat, etiamſi levis ſit, in eos tandem terminatur: at verò ſi vertigo levis ſit, neque ex hac cauſa irritetur, tunc certè non majus detrimentum homo reportabit a publica, quàm à privata divinorum recitatione.

Jam verò, præteritis aliis quibuſdam morbis,
4 Melancholia, & Inſania idcirco de ſe particularem ſpeculationem expoſcunt, quia, ut de vertigine diximus, evenire ſolet, quòd aliqui ex hac una cauſa, nempe ex publica recitatione, & ex hominum frequentia, facilè mente moveantur. Idcirco igitur, licèt in Melancholia, & dementia, cùm habent dilucida intervalla longa, ut ſex menſium, aut etiam integri anni, dixerimus non poſſe ægros notabiliter lædi à privata divinorum recitatione: tamen ubi interventus in Choro eſſet procatharctica cauſa reverſionis paroxyſmi, jam abſtinere omnino debent ægri ab hac publica recitatione, quia non ſolùm morbus reverteretur, ſed ægri in peiorem omnino ſtatum ſingulis diebus lapſi, tandem nunquam reſipiſcerent. Quæ quidem locum quoque haberent in Epilepſia, quam certè non aliam ob cau-
5 ſam ſacrum morbum vocari voluerunt aliqui, niſi quia in ſacris faciendis ipſorum hominum frequentia illi obnoxios moleſtare conſuevit, quemadmodum & ob idipſum Comitialis dictus eſt, vel quia cùm ægros prehendunt dum Comitia haberentur, Comitia dimittebantur: omittam autem volens alias cauſas, cur Sacer ab Auctoribus dictus ſit, re-
cenſitas præcipuè à Mercurial. *lib. 1. pract. cap. 36. in prine.* Eſſet ergo omnino evitanda publica recitatio ab Epileptico, dummodo ſoleat alias Epilepticis inſultibus moleſtari: non enim ex hoc quòd quis ſemel, aut iterum Epilepſiâ ſit correptus, quicquam timere ſibi debet ab hac publica recitatione, ſed ſi frequentiùs corripiatur, ac præcipuè expertus ſit eâ occaſione ſe concidere, tunc omnino abſtinere debet, quia facile eſt hominem in acceſſione ſuccumbere, ſi frequentiùs revertatur, ac fortiter.

Quoad Aſthmaticos, ſeu Anhelatores illud con- 6
ſiderandum an à motu lædantur, necne: ſunt enim qui vel leviſſimo motu facto, ſuffocari plane videntur, hi autem non tam ratione recitationis in ipſo Choro faciendæ, inſigniter oblædi poſſunt, quàm ratione motus. Neque ſolùm eundo, & redeundo, ſed etiam in aliis pleriſque corporis motionibus quæ in Choro fiunt: nam quoad ipſam vocem jam monuimus, ægros magis juvari, quàm oblædi poſſe à divinorum recitatione, neq; ob id, quòd in publica recitatione vox magis elevetur, expectandum idcirco majus nocumentum inde eſt, nam contrà pectus, cùm vox atollitur, expeditus à craſſis viſcidiſque materiis illud obſidentibus expurgatur, & reſpiratio liberior evadit: unde hujuſmodi ægri (niſi moveri prohibeantur, quod maximè in ipſis acceſſionibus habet locum) in Choro intervenire debent, ubi primùm publicâ recitatione in divinum cultum directa, & ex ea etiam notabile levamen ſuæ ægritudinis reportare poterunt, ſi ſtudioſè vocem attollant, atque pectus exerceant, facilè enim experientur illud ab excidentibus excrementis hac ratione expediri.

Stomachi dolor, qui moderatus ſit, ejuſdem crudi- 7
tas, & inflatio, nauſea, inappetentia, aliqua ejus ſymptomata à materia cruda dependentia non ſunt impedimento publicæ recitationis: cùm enim vociferatio, ex Antyllo apud Oribaſium, *loco ſæpe cit. c. 8.* calorem augeat, purget, firmet, & attenuet, ſolidaſque corporis partes robuſtas, puras, & offenſæ minimè obnoxias reddat, præſentaneo remedio his affectibus eſſe poteſt, quod & ipſe Antyllus paulò pòſt addebat dicens, *Convenit autem hac ſtomachicis, vomentibus, acidum ructantibus, ægrè concoquentibus, &c.* Unde quò magis ægri hujuſmodi in Choro vocem attolent, eò magis à circunſtante populo officia divina percipientur, & ſic ipſi magis debito ſatisfacient, ac magis etiam ab ipſamet recitatione juvabuntur. Eadem ratio eſt de Hydropicis, Cachecticis, crudiſque humoribus repletis, ac refrigeratis, imò, ut idem auctor dicebat, etiam de his, qui ex morbo refici debent: his enim omnibus accommodatiſſimam vociferationem eſſe inculcabat.

Qui calculo laborant, ut diximus, à privatâ reci- 8
tatione nihil quicquam oblæduntur, non ſic autem à publica. Intelligo autem de iis, qui doloribus Nephriticis ex calculo, aut veſicæ ex eadem cauſa moleſtari facilè ſolent, hi enim coactis vocem attollere, iiſdem doloribus facilè prehendi poſſunt, qui acutiſſimi, ac moleſtiſſimi ſunt, ob quorum cauſam abſtinere à recitatione deberent. Quod præcipuè haberent locum, ubi aliàs homo expertus ſit, ſe à vocis elevatione in prædictos dolores labi. Non tamen quicunque dolor conſiderabilis eſſet, ſed gravis, aut ejus naturæ, ut cum eo lapis motus facilè urinâ ſupprimeret, quo etiamſi abſque ullo dolore ex hac ipſa, cauſa, nempe divinorum recitatione alta voce factâ accideret, hoc eſt, ut urina ex moro lapide, vel craſſiuſculis arenulis ſupprimeretur, homo deberet omnino à recitatione abſtinere, qui

quam-

quanta mala impendeant ex urinæ ſuppreſſione, quantaque anxietudine homines in ea vexentur, unuſquiſque novit.

9 Hernioſum non eſt dubium à vehementioris voce, quâ in Choro opus eſt poſſe inſigniter oblædi, ſiquidem adaperiuntur magis viæ, & inteſtina, vel aliud quodcunque Herniam generans, ad locum rupturæ decidunt, unde non aſpernandum incommodum, ac morbus notatu dignus excitatur. Verum enimverò cùm hæc facile remedium ſortiri poſſe experiamur (nam ſubligaculis huic negotio aptis inteſtina, cæteraque à ventre ad rupturam decidentia ſuo in loco detinemus) nihil incommodi, quod notabile ſit ex recitatione etiam altiori voce facta ægri reportare poterunt: ſi tamen non obſtantibus ligaturis, ex levi occaſione inteſtina in ſcrotum prolaberentur, non eſſet ea res negligenda: facilè enim fit, ut inteſtina condoplicata in cauſa ſint, ne fæces excerni poſſint, quæ innibi induratæ & ſuperrexcalfactæ inflammationem, concitant, ægris exitialiſſimam: inde enim volvulus fit morbus carnifex, ac pernicioſiſſimus, ex quo homines frequentiùs ob ejus ferociam ſuccumbunt, quàm liberentur, & hoc quidem familiare Herniosis eſſe ut ex hoc ſymptomate pereant, teſtatur Paræus *libro 16. cap. 58.*

10 Arthritici dolores etiamſi actu affligant, neque exacerbari ex divinorum recitatione, neque graviorem morbum accerſere poſſunt, acutiſſimi ſint, & plures articulos obſideant, maximè autem ſuperiores, & præcipuè cervicis, tunc enim præterquam quòd motu quocunque irritari poſſunt, ex qua potiſſimùm cauſa ægri in Choro præſentes eſſe prohibentur, ipſa recitatio altâ voce facta poſſet non aſpernabile nocumentum afferre, nam non modò caput & excalfacere, & replere, & conſequenter univerſum corpus, ſed etiam humores proritate poterit, & promptiùs in articulos præcipitate, quin & ad ſpirituales partes, proximosque articulos eos demandare non abſque evidenti ſalutis diſcrimine.

11 Jam verò de privata recitatione in intermitentibus febribus locuti in ſuperiori quæſtione, determinatum eſt, quandonam ea noxa, aut innoxia eſſe poſſit: in publica verò recitatione multò magis militabunt quæ inibi concurrere diximus, quod ſpectat ad imminens ex recitatione periculum. Illud unum commonefacere hîc non relinquendum, quod in Tertiana quacunque etiam levi, & quæ certam, ac longam habet intermiſſionem, non modò quoad calorem febrilem, ſed etiam quoad accidentia, quæ febrem concomitantur: etiamſi homo pancraticè valeret, non poſſet ſine periculo majoris morbi in Choro officia divina recitare: & ratio eſt, quia cùm in Tertiana putredo accendatur in humore tenui, calidiſſimo, & facilè mobili, non levi negotio evenire poteſt, ut tam ex motu, quo indiget homo, ut ad Chorum ſe conferat, quicunque tandem ille ſit, cùm repeti debeat pluries ſingulis quibuſque diebus, quàm ex cantu, & recitatione alta voce factâ, ipſa bilis maiori cum impetu, ac celeriùs conſueto moveatur, ut calor in corpore increſcat, & in natura aliàs diſpoſita eadem bilis adaugeatur, ut paroxyſmi longiores fiant, ac fortiores, ut ſymptomata multiplicentur, & ut tandem febris ex ſimplici duplex, ex duplici intermittente continua fiat, & hominem è medio tollat. Quæ omnia tantò magis locum haberent, quantò eſſet Tertiana magis exquiſita: tunc enim bilis ſincerior magis ferociens, cum impetu movetur: unde multò magis hæc locum ſibi vindicabunt in juvene naturæ calidæ & ſiccæ, in fortibus paroxyſmis, in calore acri ac fervido, quàm in ſene, in natura frigida & humida, in mitioribus acceſſionibus, in calore magis remiſſo. Sed & in Quartana etiam pori circumſpectione videtur utendum: ubi tamen ſimplex eſt, recitare in diebus remiſſionis nihil obeſſe poteſt. Sed ſi duplex eſſet, non eſſet omni ex parte tutum recitare: quanquam enim integro die febris intermittit, ægri à præcedentibus acceſſionibus ſummè debiles, ac defatigati remanere ſolent, ita ut quiete opus habeant, ne ex labore, quicunque ille ſit, labefactata Natura febris quotidiana fiat: tunc enim in malis æger eſt, ut dicebat Celſus *lib. 3. c. 15.*

Sunt verò etiam in fœminis nonnulla, quæ ſeſe offerunt in hac occaſione conſideranda: maximè autem conſiderabiles in ipſis ſunt duo affectus, nempe menſtruus ſanguinis fluxus, cùm immodicus eſt, alter fluxus, albus dictus. De priori enim ſymptomate dubium non eſt, quòd recitatio 12
in Choro altâ voce facta poſſit illi ſummopere nocere, nam viæ magis adaperientur, ſanguis magis excalfiet, & ad motum concitabitur. Ubi ergo hic fluxus adeò ſuperfluus ſit, ut periculum minetur, & habere ſoleat acceſſiones quaſdam menſtruas, aut etiam minùs frequentes, non ſolùm timendum eſt, ipſo ſymptomate urgente, ſed etiam extra ipſius inſultum, maximè verò ipſo menſtruali fluxu ex naturæ præſcripto revertente: modicâ nempe occaſione hiantibus uteri venis, ſanguis ad exitum iritari, ac commoveri poteſt, & mulierem in commemoratum vitæ diſcrimen deducere. Quapropter illud etiam hîc adnotabimus, quòd, cùm in ſupe- 13
riori quæſtione admonuerim, in nonnullis ſanguinis expurgationibus etiam privatam recitationem ſummo detrimento corporeæ ſaluti eſſe, hoc multò magis locum habeat in publica recitatione, ex qua quælibet ſanguinis evacuatio præter naturam facta poteſt incrementum ſumere, hominemque evidenti vitæ periculo exponere, ſi modò ea evacuatio notabiliter ſuperfluat, nam aliàs ubi levis eſſet, inanis eſſet timor reportandi aliquid mali ab ipſa recitatione: dummodo excipiamus ſanguinis ſputum ex pectore, in quo tantâ circumſpectione procedendum Medico eſt, ut etiam ſimplici locutioni ægro interdicere debeat.

Quoad alium verò fluxum, quem album nomi- 14
navimus, dubitari non ab te poteſt, an publicæ recitationi impedimento eſſe poſſit, decernendumque id negativè, niſi is fluxus conſumptivus eſſet, & ex ejus cauſa mulier in maraſmum tendere videretur: tunc enim magis diſponeretur ex publica recitatione ad Tabem, ac promptiùs vitam, radicali humido omnino abſumpto, obiret.

SUMMARIUM.

1 *Qui non tenetur recitare, non tenetur alium recitantem audire.*
2 *Aliqui ſunt qui obligantur ad audiendum Horas Canonicas.*
3 *In audiendo ſuus eſt labor.*
4 *Labor in audiendo levis quando ſenſorium eſt bene diſpoſitum, Contrà ubi eſt malè diſpoſitum.*
5 *Dolores capitis acuti, & inflammatorij, ab auditione vehementiori irritari poſſunt.*
6 *Auris dolor, vel inflammatio, quandonam ab auditione excuſare poſſit.*
7 *Dolores oculorum, & dentium, an & quando excuſent.*
8 *Dolores ſi intermittant, tempore intermiſſionis non excuſant.*

Qu

Qui recitare Officia divina non poſſunt, an teneantur alium recitantem audire, & quænam etiam ab auditione recitandi hominem excuſare poſſint.

QUÆSTIO IV.

1 LIcèt communiſſima Canoniſtarum opinio ea ſit, non teneri eum, qui non poteſt officia divina recitare, alium recitantem audire, ut teſtantur Navar. *in manual. c. 25. n. 100. & de orat. c. 11. n. 6. & ſeqq.* Suar. *de vit. & ſtat. Relig. c. 17. n. 11. tom. 2.* Tolet. *lib. 2. inſtr. Sacerd. cap. 14. n. 1.* Summa Silveſtr. *verbo Horæ, n. 5.* Azor. *inſtit. moral. lib. 10. c. 15. verſ. Secundò quæritur.* Rod. *quæſt. canon. & reg. tom. 1. quæſt. 42. art. 10.* & alij: non defuerunt tamen, iiſdem aſſerentibus, qui contrariam opinionem, veriorem crediderint, ſignanter autem apud ipſos hanc opinionem ſequitur Girad. *in tract. de aſſid. oran. quæſt. 4.* eamque etiam amplectitur Nicol. Plovius *de hor. canon. quæſt. 4.* & pro ea Innocentium adducit, quem tamen cæteri omnes pro negativa citare ſolent. Sed quidquid ſit de hoc, non hac una tantùm ex cauſa agere etiam de iis impedimentis ſtatui, quæ homini juſtam præbere poſſint excuſationem, ne
2 audire recitantem teneatur, eo quòd totò auditûs ſenſu uti non poſſit: ſed etiam quia idipſum ad alia inſervire poterit: nam datur etiam in aliquibus obligatio audiendi Horas Canonicas, ut in Religioſorum laicis. Nav. ex Palud. *de orat. c. 11. n. 8.*

3 Eſt ergo & in audiendo ſuus labor: nam & ſua voluptas, & ſuus dolor eſt, ut patet, & adnotat quoque. Gal. *lib. 1. de ſympt. cauſ. c. 6. in princ.* Et ante illum Hippocr. *lib. 2. de diæta, n. 16.* conſequens igitur eſt, & in audiendo ſpiritus reſolvi, cùm & ex voluptate, & ex dolore ſpiritus reſolvantur, ex ſpirituum autem reſolutione conſequitur labor, & ea de cauſa ad laborem ſequitur imbecillitas, Gal. *com. 2. de vict. rat. in acut. text. 47.* rectè igitur inter cæteras exercitationes ac labores, quibus in victus ratione utimur, hæc etiam exercitatio, & labor connumeratur, quiper auditum fit, de quo poſt vetuſtiores copioſè ex Neotericis egit Marſil. Cagnat. *de ſanit. tuend. lib. 2. c. 14.*

4 Licèt autem labor, quem ſenſus auditus facit, levis omnino ſit, ubi objectum non ſit valde excedens vel in magnitudine, vel in frequentia, ut in ſono, ac fragore magno, in frequentata, ac alta aut aliàs minùs grata vociferatione, & in ſono maximè acuto, ac perenni, & minimè grato, & in ſumma in omni ſono qui huic ſenſui aut inſigniter diſpliceat, aut illum intensè afficiat: tamen id quidem verum eſt, ubi ipſum ſenſorium, ejuſq; origo, nempe caput, ſit bene & naturaliter diſpoſitum, aliàs autem ubi præter naturam aliquo modo ſe habeat, ac malè ſit diſpoſitum, tunc etiam ab auditione mediocris ſoni, imò etiam interdum lenis, aliaſque non ingrati, laborem ſubit, & malè habet, quemadmodum evenit etiam in ſenſu tactus: Ubi enim caro naturaliter ſe habeat, non ita promptè afficitur à quocunque ſenſibili: quando verò non naturaliter eſt diſpoſita, ut exempli gratiâ, in gravi vulnere, in inflammationibus, & hujuſmodi, tunc etiam à leniſſimo ſenſibili peſſimè afficitur, atq; intensè dolet, quod elegantèr inſinuabat. Torquat. Taſſ *in ſua Hieruſal. Cant. 12. ſtan. 85.* dicens in hæc carmina:

Qual in membro gentil piaga mortale
Tocca s'inaſpra, e'n lei creſce il dolore.

5 Quoniam ergo plures caſus dari poſſunt, in quibus ex ſola recitationis auditione homo notabilem læſionem reportare poſſit, certè omnino neceſſarium videtur de illis nonnulla in medium afferre. Et primò quidem dolores capitis acuti, ac inflammatorij, ex acuta ac calidiſſima materia ortum trahentes, etiamſi abſque febre eſſet, quod tamen de raro evenire ſolet, non minimum lædi à ſola auditione recitationis divinorum poſſunt: maximè autem id locum habet in recitatione publica, à qua etiamſi dolores ad eam acutiem, quam diximus, non devenerint, ſed tamen ſint magni, & moleſti, poſſunt notabiliter augeri, & majores facti morbum aliquem de certo pernecabilem accerſere. Quæ tamen locum non haberent in aliarum partium do-
6 loribus, ipſa aure exceptâ, cujus vel dolor, vel inflammatio, ſi notabiliter, & inſigniter affligant, à ſimplici auditione recitandi divina majorem in modum irritari poſſent: ut enim jam monuimus, licèt ſonus recitantis moderatus eſſet, quemadmodum eſt cantus in Choro factus, tamen organo tam malè diſpoſito exiſtente, etiam à moderato illo ſono, imò & à leviori, ubi maximè per aliquod notabile tempus frequentaretur, non aſpernabilem pateretur læſionem. Sed & aliarum quarundam partium ipſius capitis dolores tam malè interdum hominem accipiunt, ut à ſimplici ſubmiſſâ, ac levi allocutione irritari videantur, qualis eſſet dolor oculorum maximè pulſatilis qui vel ex ipſo aëris circumambientis motu videtur excandeſcere, ut in his, qui gravi Ophthalmia laborant, non infrequenter ex-
7 perimur. Quin & dentium dolor tam acerbus, & atrox interdum eſt ut ne levem quidem ſonum audire ægrum permittat: neque id mirum, cùm ipſe motus aër in partem doloroſam impingens, videatur ipſius doloris cauſam augere: neque profectò hæc tam levia ſint, ut ſaltem in vehementiori ſono, qualis eſt, qui ex cantu in Choro proficiſcitur, nullâ conſideratione digna ſint cenſenda.

8 Admonendum autem, quòd, etſi dolores ad magnam acutiem pervenirent, & tamen ſint periodici, & omnino remittant, non promptè ex hac ſola cauſa, nempe ex auditione aliorum in Choro recitantium, irritati, ac repullulare poſſunt: unde, cùm ex Canoniſtarum determinatione, morbi qui non perpetuò, ſed per acceſſiones, & circuitus affligunt, non excuſent hominem tempore intermiſſionis à recitatione divinorum, multò minùs profectò excuſabunt ab auditione recitandi: neque enim tam evidens, aut efficax cauſa auditio eſt, etiam mediocris ſoni, imò & vehementioris, ut Religioſorum in Choro canentium, ut inſignem dolorem etiam in homine aliàs diſpoſito, non tamen actu dolente, cauſare poſſit: cùm tamen dolores actu affligunt, & accerrimi inſimul ſunt, hæc ipſa cauſa, ut diximus, facilè poteſt eos ipſos dolores exacerbare, & adaugere, ob jam malè affecti inſtrumenti exquiſitorem ſenſum, & præternaturalem conſtitutionem. Quamquam, ut finem his imponam, nunquam datur caſus, in quo quis inſignem læſionem ex ſola auditione recitandi reportare poſſit, quòd non ſimul & ſemel ab aliquo majori morbo, aliave ex cauſa, ab eadem auditione excuſari non poſſit. Itaque ſuperfluum videtur, præter commemoratos, de aliis morbis mentionem peculiarem facere, maximè cùm excuſatio ab auditione vix unquam habere poſſit locum in recitatione privata; in publica verò ſemper plura concurrant, ob quorum cauſam multo faciliùs homo excuſatur, quàm ex hac, nempe ex læſione, quam ille, audiendo recitantes, contrahere poteſt.

SUMMARIUM.

1 *Sacerdotes obligantur ad celebrandum ſaltem in diebus ſolemnibus, & n. 3.*

2 *Infirmitas eſt ex legitimis cauſis impedientibus celebrationem.*
4 *Epilepſia quando prohibeat hominem celebrando.*
5 *Vertigo an prohibere debeat Sacerdotem à celebrando.*
6 *In aſthmate quando abſtinendum ſit a celebratione.*
7 *Sanguinis ſputum an impediat hominem celebrare.*
8 *Lipothymia, aut ſyncope quando impedire debeat celebrationem.*
9 *Cardialgia an impediat hominem celebrare.*
10 *Vomitus frequens, & ex levi cauſa quando impediat celebrare.*
11 *Febres quæ à Miſſa audienda hominem excuſare poſſint.*
12 *In intermittentia febris, quando excuſetur ager ab audienda Miſſa.*
13 *Medici non abſque peccato ſine neceſſitate medicamenta præbent diebus feſtis, & in cauſa ſint, ut illa aſſumentes Miſſæ non interveniant.*
14 *Dolores qui à Miſſa audienda excuſent.*
15 *Qui morbi ob aëris injuriam à Miſſa audienda excuſent.*
16 *Ob metum quomodo excuſentur, qui ſanguinis rejectionibus moleſtantur.*
17 *Qualitas motus, & quantitas conſideranda.*

Qui morbi Miſſæ dicendæ, quive audiendæ impedimento eſſe poſſint.

QUÆSTIO V.

1 MAnifeſta eſt Sacerdotum obligatio ad celebrandum ſaltem in diebus ſolemnibus, per ea quæ adducit D. Thom. *part. 3. ſum. quæſt. 82. art. 10.* & Navar. *in man. c. 25. n. 89.* & omnium item aliarum perſonarum obligatio ad audiendam Miſſam in diebus feſtis, qui de præcepto ſunt, per Eccleſiæ præceptum, ut omnes Canoniſtæ teſtantur. Navar. *in man. cap. 21. n. 1.* Summ. Ang. *verb. Miſſa, num. 57.* Summa Silveſtr. *verb. Miſſa, 2. n. 1.* Tolet. *Inſtr. Sacer. lib. 6. c. 8.* in utroque tamen caſu intervenire poſſunt legitimæ excuſationes, & juſta impedimenta, de quibus iidem Canoniſtæ, inter quæ ſuum obtinet locum infirmitas, de quo impedimento Medicus conſulitur, ad quem ſpectat determinare, quando ſit ſufficiens, quando verò non. De eo igitur in præſenti quæſtione verba faciemus, ac primò de iis, quæ impedire poſſunt Miſſæ celebrationem: deinceps de iis, quæ impedire poſſunt ejuſdem auditionem.

2

3 Quoad primum ergo notandum obligationem celebrandi non obligare Sacerdotes ſingulis diebus, ſufficit enim, eique obligationi ſatisfaciunt, ſi aliquando celebrent, ut ſaltem ter in anno. Quâ veritate ſtante, rari omnino morbi erunt, qui hominem legitimè excuſare debeant, cùm morbi rari ſint, qui indeſinenter affligant, & penè nulli, qui non aliquando intermittant: unde poteſt homo, qui de præſenti aptus non eſt ad celebrandum, poſt menſtruum, aut bimenſtruum ſpatium aptus eſſe: etenim decentius ſit in ſolemnibus feſtis celebrare, qui tamen tunc non poteſt, ſi alio tempore celebret, obligationi ſatisfaciet, dummodò ter in anno celebret, ut ego credo, nam hoc ad Canoniſtas pertinet.

4 Sunt tamen aliqui morbi graves quidem, qui vel ex hac una occaſione, ſi aliàs familiares ſint, poſſunt reverti, qualis primo loco eſt Epilepſia, quæ ſi inſignis ſit, ita ut homo in terram cadat cum ſtridore, membrorum diſtorſione, & ſpuma in ore, & hoc non ſemel acciderit, omnino hominem prohibet à celebrando, quod idcirco jure determinatum eſt, *in c. Nuper, cauſ. 7. quæſt. 2.*

5 Huic autem finitimus morbus eſt vertigo, cui ſi homo ſit ita obnoxius, ut facilè eâ prehendatur, ejuſque naturæ ſit, ut hominem ſtare non permittat, ſed aut quieſcere, aut in terram cogat concidere, & diu duret, motuſq; ejus ſit validus, ita ut omnia in gyrum convolvi appareant, profectò periculoſa celebratio eſſet, maximè quia vertigo hujuſmodi ſolet hominibus jejunis, ſtantibus, legentibus, aut aliquid attentiùs facientibus eſſe inteſta, quæ omnia in Miſſa celebranda concurrunt.

Timendum inſuper eſſet celebrare in Aſthmatis 6
ſpecie illa, quæ Orthopnœa dicitur, & quæ hominem ſuffocare videtur, ſi aliàs quis eâ de facili prehendatur, & præcipuè ex longiuſculo ſermone, vel vocis aliquali exercitatione, qualem oportet in celebrando intervenire. Sic & ſi ſtare quis non poſſit abſq; eo, quòd facilè in anhelationem, ſpirituſque anguſtiam labatur: nam ubi in celebrando, ſymptomatè prehenderetur, coactus celebrationem continuare, facilliimè in animi defectum impingeret, & vitæ evidens periculum ſubiret: quæ tamen non haberent locum in aliis leviotibus ſuſpirij, ſeu Aſthmatis ſpeciebus, licèt & in ipſa acceſſione, nempe ſi in ipſa celebratione acceſſio irrueret, valde incommoda futura eſſet celebratio, & nonniſi cum indecentia aliqua abſolveretur.

Sanguinis ſputum timoroſum quoque in hoc 7
negotio eſt, neq; debet homo ſe huic periculo exponere, ubi aliàs frequenter ſanguinem ex pectoris venis vel eroſis, vel ſciſſis, vel reſeratis excreet, maximè urgente adhuc deſtillatione ſalſa & acri ad pectus, tum tuſſi ſicca, & perenni: nam profectò facile eſt in ipſa celebratione, venas adaperiri, & ſanguinem ab illis effundi, aliquando in magna copia non ſine multo celebrantis dedecore, & tanti ſacrificij indecentia, neque ſine omni ejuſdem celebrantis vitæ periculo.

Lypothymiæ, aut ſyncopæ ſi quis frequenter 8
obnoxius ſit, à celebrando debet deſiſtere: nam & jejuno homine, & ſtante, & quoquomodo laborante irruere hi affectus conſueverunt: quemadmodum etiam & cordis tremor, ejuſdemque palpitatio, ex quorum cauſa promptè homo periclitari poſſet. Quæ quidem intelligenda, ut in aliis quibuſdam morbis admonui, ubi hujuſmodi affectus inſignes ſint, & frequenter, ac levi ex cauſa, & maximè ſtomacho vacuo: & homine diutius ſtante, aut attentè aliquid faciente, revertantur, ſyncope exceptâ quæ nunquâ ita levis eſt, quin ſit graviſſima: itaq; ſi his commemoratis ex cauſis aliquo modo ſe prodat, hominem à celebrando omnino prohibere debet.

Cardialgia quoque, in hac re, in cauſa habenda 9
eſt: tam atrox enim affectus eſt, tantaq; anxietudine hominem exercet, ut impoſſibile ſit cum inter celebrandum aut animo non deficere, aut inceptam ſacrificij celebrationem abſolvere. Vomitus etiam moleſtus, ac frequens fugiendus eſſet, ſi homo eo jejunus moleſtetur, nam aliàs ubi à cibo, vel longè à cibo, vel in quocunq; diei tempore provocaretur, nullum impedimentum præberet, quo minùs homo celebrare poſſet.

Cæterùm in Miſſa audienda tam parum laboris 10
impenditur, ut, niſi obſtaret corporis motus, quo indigemus, ut noſmetipſos ad locum ſacrum conferamus, vix ullus daretur morbus, ex quo quicquam notabilis periculi homini imminere poſſet in Miſſæ auditione: quia tamen abſq; eo motu huic obligationi ſatisfacere ſecundùm plurimos non permittitur, & ex ea cauſa plura in morbis accidere 11
poſſunt non contemnendum periculum portendentia, peculiariter venit conſiderandum, quinam ij morbi ſint, ex quibus id genus periculi ſe

expectan-

expectandum. Et primò quod de febribus aliàs diximus, locum etiam habere in hoc caſu poteſt, niſi aut leviſſimæ ſint, aut ſimul & leves, & interpolatæ, ut tertiana, & quartana: in quibus tamen certum eſt, quòd in diebus afflictionis nullo modo tutum ſit hominem è lecto ſeſe dimovere, & multò minus tutum extra domum prodit, ſi vehementiores habeant inſultus, & maximè in tertiana, in qua ob humoris ipſam excitantis naturam, & qualitatem, facillimè ægri aut in prava ſymptomata labi poſſunt, aut febris ex ſimplici duplex, ut continua fieri poteſt. Sed & in diebus quoque interpolationis, ubi tertiana non; omnino aſpernabilis, ſed aliquam habeat vehementiam, non caret periculo ſeſe movere, aut domo egredi: ſi tamen leviuſcula eſt, utrumque videtur periculo carere, niſi morboſus apparatus majus aliquod malum minaretur. In quartana, ubi laſſitudo non ſit adeò excedens, ut ipſa ſola per ſe prohibeat hominem loco moveri, non modo è lecto ſurgere, domoque egredi omni vacat periculo, ſed etiam ſeſe pauliſper exercere: itaque abſque incommodo poſſunt ægri Miſſæ intervenire.

12 Præterea in his febribus intermittentibus animadvertendum quòd cùm contingat in diebus interpolationis aut ſanguinem minuere, aut medicamentum per alvum purgans exhibere, atque id de neceſſitate fiat, quia periculoſum eſt in ipſa die afflictionis hæc præſtare, certè non careret gravi periculo, homines in his caſibus ſacrificij celebrationi intervenire, eâ enim occaſione facili negotio in ſyncopem, alioſque non contemnendos affectus labi poſſunt. At verò non abſq; peccato alia ex parte à Medicis fieri crediderim, ut in præſervativis 13 purgationibus præbentes medicamenta, aut ſanguinem abſq; neceſſitate extrahentes in diebus feſtivis occaſionem præſtent, ut homines Miſſæ intervenire non valeant, ipſoſq; etiam medicamenta aſſumentes, quibuſq; ſanguis extrahitur, non eſſe à culpa immunes credendum, cùm aliàs commodè poſſint feriatis diebus eadem medicamenta aſſumere, aut ſanguinem extrahere, quod pro Canoniſtis animadvertendum duxi, & multò magis pro ipſis Medicis, ad hoc ut in poſterum hoc inconveniens admoniti pro viribus devitent.

14 Cæterum dolores, qui motu irritari poſſunt, ad hoc ut notabile aliquod periculũ minentur, graves eſſe debent, & cum notabili anxietudine corporis aſſociati, quales ſunt, qui vel nobilem aliquam partem, vel exquiſito ſenſu præditam obſidere ſolent, & qui ſecum afferant alia non contemnenda ſymptomata, vel laſſitudines ingentes, inappetentias invincibiles, vigilias inſuperabiles & id genus alia: In his namque ſimilibuſq; eventibus facilè & dolores irritari, & ſymptomata adaugeri, & homo manifeſto vitæ periculo exponi poſſet. Tales eſſent dolores capitis acuti cum pulſu, oculorum caligine, vomiti, horrore, & hujuſmodi, ſtomachi vehementes cruciatus cum inappetentia, nauſea, lipothymia dolores colici, Iliaci, Nephritici, quando atrociſate ſunt inſignes, & alij his non abſimiles.

15 Præterea quidam morbi ſunt, qui non tam ex motus occaſione, quàm ratione externi ambientis periculum minari videntur, ſi homo illis affectus aëri ſeſe exponat: Hujuſmodi eſſet gravis Ophthalmia, quæ inſigniter irritari ab externi aëris injuriis poteſt, & hominem in peſſimum ſtatum conjicere quæcunque tandem ſit temporis conſtitutio: præcipuè autem hoc locum habet in Ophthalmia quæ & dolore & inflammatione ſit notatu digna. Talis etiam morbus eſſet grave Aſthmatis genus, etiamſi non actu affligeret, aut mediocre actu affligens, ut gente hyemis rigore. Et quamquam Celſ. *lib. 4. c. 4.* nihil magis conferre huic affectui adſtruit, quàm lentam ambulationem penè uſque ad laſſitudinem, docetque exercitationem ambulandi, currendique eſſe in eo neceſſariam, tamen cavendus ſemper aëris rigor eſt, ex cujus tantùm culpa hi affectus & recurrunt, & exacerbantur, & acutiores fiunt. Non diſſimile commemoratis eſt ſanguinis ſputum, quod etiam in magnis æſtatis fervoribus, & in horridis hyemis algoribus ſolet levi negotio recrudeſcere. Ubi proximus timor, ac rationabilis eſt, ne reverſionem faciat, omnino hujuſmodi temporis conſtitutiones declinandæ, ne homo mortis periculum eâ occaſione ſubeat.

Ex motu quoque rationabilis timor inſurgit in 16
omnibus ſanguinis fluxionibus, ſi nõ modò mediocres tantùm, ſed & excedentes ſint, qualis eſſet ſanguinis vomitus, narium hæmorrhagia, aut hæmorrhoïdum, aut menſtruorum in fœminis non naturalis evacuatio, cùm in omnibus ac ſingulis indici à Medico debeat omnimoda quies, & qualiſcunque motus, etiam lenis, diſcrimine notabili non vacet. Quin etiã cæteros fluxus, cùm ultra modum moleſtant, non eſſe ab omni periculo immunes in hoc negotio, certum eſſe debet: nam præterquam quòd motu irritentur, facilè ex ejuſdem motus cauſa ægrotantes in Lipothymiam, animi defectũ, ac ſyncopen labuntur, ex quibus aliquãdo improviſã illos mortem oppetere difficile omni ex parte non eſt.

In quibuſvis tamen caſibus, præter prædicta, 17
qualitas & quantitas etiam motus faciendi, ut homo ad ſacrificij locum ſe conferat, venit conſiderandа: non enim dubium eſt, quòd ubi motus modicus ſit, & cum parva agitatione, ut ſi lecticâ, aut Rhedâ quis ferri poſſit, major morborum vehementia requiritur, ut ex eo homo quicquam periculi reportari ſe poſſe timeat: contra ſi multus eſſe debeat: ut ſi Eccleſia longè diſtet, ſi propriis pedibus perficiendus, minor morbus ſufficiet.

SUMMARIUM.

1 *Vocis exercitatio inter alias corporis exercitationes connumeratur.*
2 *Lectionis commoda, & incommoda unde.*
3 *In lectione quæ notanda.*
4 *Lectio longè à cibo facta ſemper tutior, quàm proximè à cibo.*
5 *Characteres minuti caput, & oculos inſigniter fatigant.*
6 *Submiſſa vox, quam clara tutior: alta tamen in multis morbis maximè proficua.*
7 *Recitatio ſedendo facta tutior, quàm ambulando.*
8 *Qui capite imbecilli ſunt, qua obſervare in recitando debeant.*
9 *Qui Catharrho laborant, quomodo recitare poſſint.*
10 *Qui oculorum vitiis moleſtantur, quomodo debeant recitare.*
11 *Aſthmatici quomodo recitare debeant.*
12 *Qui ſanguinis rejectationibus tentantur, quæ obſervare debeant.*
13 *Qui animo facilè deficiunt, quomodo recitare poſſunt.*
14 *Stomachici quomodo debeant recitare.*
15 *Ventris doloribus obnoxij, quæ obſervare debeant.*
16 *Cacheclici, Hydropici, Obſtructi, quomodo poſſint tutò recitare.*

Medica præcepta in recitandis divinis Officiis, iis ſervanda, quibus recitatio ob aliquem morbum noxia quoquo modo eſſe poſſet.

QUÆSTIO VI.

1 INter cæteras corporis exercitationes Medici vocis exercitationem connumerarunt, eamque ad corporis ſalubritatem accommodantes, plura de ea re præcepta tradiderunt: inter alias autem de eâ ſignanter exercitatione meminerunt, quæ lectione fit, in quo genere comprehendere nobis licet divinorum recitationem. Quoniam ergo una ex parte in hac re urget hominis obligatio ad recitandum, ex alia verò timor corporeæ ſalutis amittendæ, cùm nonnullos contingat malè affici, & à divinorum recitatione facilè notabilem noxam reportare. Qui tamen auctoritate *c. contraria de conſecr. diſt. 5.* moti aut religionis amore: & Dei obſequentia pellecti, corpoream ſalutem animæ ſaluti poſtponunt, conſentaneum eſt his commonſtrare quonam pacto cum minima, aut nulla corporis injuria propriæ obligationi poſſint ſatisfacere: quod etiam, ſi obſervare velint nonnulli, qui levioribus ex cauſis à divinorum recitatione ſeſe excuſant, non tam faciles in poſterum erunt ad ſe ab ea obligatione eximendos, nec Prælati tam indulgentes erunt in illis diſpenſandis, qui tamen plerumque Medicorum relatione, ad pauca advertentium, & in hoc negotio negligentium acquieſcentes, ſubditos ſuos ab hoc vinculo exuunt.

Jam igitur in ſecunda quæſtione vidimus, quibus in morbis periculoſa eſſe poſſit divinorum officiorum recitatio: nunc, ut propoſitæ provinciæ ſatisfaciamus, aliquid breviter, ac generaliter de lectione dicendum, ut poſtmodum ſciamus quæ commoda, aut incommoda ab illa reportare liceat, & quomodo incommoda evitare, commoda procurare inde poſſimus. Ac profectò lectionis commoda, & incommoda, noxæ, & utilitates à variis rebus dependent, quæ aut ipſum hominem recitantem, aut
2 ipſam lectionem reſpiciunt. Quoad hominem enim videndum, an ſanus omnino ſit, an aliqua parte corporis laboret cujus partis reſpectu lectio illi
3 utilis, aut damnoſa eſſe poſſit. Quoad lectionem autem notatur qualitas ipſius modulationis vocis, tempus legendi, librorum qualitas & quoad res, quæ leguntur, & quoad characteres librorum, locus, ubi legitur, quantitas lectionis.

Quoad vocis namque modulationem, hæc aut alta eſt, & clara, aut ſummiſſa, & obſcura: item aut velox aut tarda: aut gravis, aut acuta: aliter enim corpus afficit una, quàm alia, & una quidem partes roborare, alia illas debiles efficere apta eſt, & ſic de reliquis.

Quoad tempus, lectio vel fit jejuno ſtomacho, vel à cibo: item vel fit de mane, vel in meridie, vel veſpere, vel noctu: item aut ante ſomnum, aut poſt ſomnum. Quoad qualitatem librorum, vel conſtant in characteribus minutis, vel groſſis, vel mediocribus in qua re alia quoque adnotari poſſunt. Quoad qualitatem rerum quæ leguntur, eæ vel ſeriæ ſunt & graves, vel ludicræ, vel jucundæ, vel moleſtæ, vel mentem abſtrahentes, & ſummam attentionem facientes, vel contrà.

Quoad locum legendi, is vel apertus eſt, vel clauſus vel Soli diſcoopertus, vel umbrâ contectus, vel calidus, vel frigidus, humidus, aut ſiccus, vel ventis bonis, aut malis perflatus, aut nullo vento agitatus. Quoad quantitatem denique lectio aut longa & multa eſt, aut brevis & modica: aut mediocris: item aut frequens, aut infrequens, aut una vice confertim facta, aut ſenſim, & repetitis vicibus.

Qui ergo, non obſtante aliquâ corporis valetudine, quæ illos excuſare poſſet, recitare divina officia volunt, ij, quæ inde incommoda eorum ſaluti provenire poſſunt, evitare deſiderant, has primò generales regulas, quæ ſequuntur, obſervent.

Minus damni ſemper habet ſecum lectio longè à 4
cibo facta, quàm immediatè poſt cibum: innoxia autem ſemper eſtante cibum. Nam quæ immediatè à cibo fit, præterquam quòd requiſitam attentionem habere non ſolet, ciborum concoctioni nocet, caputque multis vaporibus replet, quæ tanò facilius ſuccedunt, quantò attentiùs homo recitat, aut legit. Maximè igitur nocebit recitatio tunc facta, ubi caput doleat, aut excrementitiis humoribus ſit refertum, ubi oculi fluxionibus ſint obnoxij, ubi ſtomachus difficulter concoquat, & in aliis quibuſdam caſibus, de quibus in ſuperioribus.

Secundò litteræ vel characteres minutiores non 5
ſolùm oculos mirum in modum defatigant, quibus inimiciſſimi ſunt, ſed etiam caput ipſum, cujus aliquando dolores convocare ſolent: quapropter ſemper, atque in omni ætate, in omnique corporis affectione conducibilius, magiſque tutum eſt, craſſiorum characterum libris uti, præcipuè autem minutiores evitare debent, qui caput, & viſum debile ſortiuntur, & qui quoquomodo oculorum affectibus detinentur.

Tertiò, ſicuti ſubmiſſa vox nulli penè affectui 6
incommodare eſt apta, ita alta, clara, & acuta in aliquibus interdum noxia, in aliis etiam perutilis eſſe poteſt. In ſubmiſſa nulla humorum agitatio, nulla, aut ſaltem modica excalfactio ſuccedit: in clara, alta, in acuta major & minor agitatio, & notabilis capitis pectorisque, vicinarumque partium excalfactio exoritur. Quemadmodum ergo ſubmiſſa capiti tutior eſt, ita cæteræ interdum inſigniter illi obeſſe poſſunt. Eodem pacto ſubmiſſa pectori nunquam inimica, acuta aliquando inimiciſſima: clara, ſonora, & expedita amica plerumq; eſt. Idem quoque de lectione tarda, aut veloci aſſerendum: illa nihil aut propemodum, hæc aliqualiter interdum, plerumque autem inſigniter, præcipuè ſi ſimul clara ſit & velox, hominem exercere, & excalfacere apta eſt, & ſic aut nocua, aut innocua, quinimò dicam nonniſi utilis evadet.

Quartò, recitatio ſedendo aut quieſcendo facta 7
nullum habet ſecum ſalutis incommodum, niſi procumbendo, & maximè in dorſum fiat: ambulando autem, quemadmodum aliquando poteſt nocere, ita aliàs utilis eſſe poterit. Sic recitare ſub Sole ſemper nocuum, ſub umbra non ſemper nocuum, ſi modò neque multum denſa ſit, neque in loco frigidiori, aut humidiori fiat, exercitatione enim, & recitatione ſuccedit internarum partium excalfactio, & evaporatio ad externos cutis poros: unde ſi ambiens in frigidate excedat, pori conſtipantur, & vapores ad intra repelluntur, non ſine notabili ſatis nocumento. In humidiori autem loco pori adaperti ambientis humiditatem excipiunt, unde non contemnenda ſanitatis incommoda pullulant. Jacendo & maximè ſupinè recitare, habet ſecum notabile incommodum, in latus non ita. Et ratio eſt, quia ſupino jacente homine, magis laborant in reſpirando partes, cùm difficiliùs elevari poſſint: tantò magis autem eas laborare neceſſe eſt, ſi legere aut recitare modo homo velit: itaque in corporis affectibus erit hoc maximè noxium.

His ita diſpoſitis, ſanis ſuo juri relictis ſi qui ca- 8
pite imbecilli ſunt, quod facilè repletur, aut minima ex cauſa dolet, ij nullam noxam à recitatione reportabunt, ſi recitare vitent immediatè à cibo,

ſi

ſi recitent voce ſubmiſſa, in loco amœniori, & aperto, non ſub denſiori umbra, neque in loco nimiùm calido, aut nimis humido, ſi ambulantes, aut ſedentes recitent, ſi non velociter, ſed tardiuſculè: quæ etiam convenient iis, qui quoquomodo aliquâ capitis parte dolent, aut malè afficiuntur.

9 Qui catharrho tenui, ſalſo, ac ſubtili, calido, & acri laborant, leniter recitent, in loco frigidiuſculo, voce ſubmiſſiori, non jacentes, ſed ſtantes, leviter deambulantes: qui autem frigido, ac craſſo moleſtantur, concitatiori ſono, altaque ac clara voce recitare debent, in loco calidiori, ſtantes, aut ambulantes

10 potiùs quàm ſedentes, aut procumbentes. Qui oculorum vitiis obnoxij ſunt, characteres quærant craſſiores, ſub Sole non recitent, neque in loco valde claro: capite non inclinato, ſed reclinato potius: nihil enim æquè viſui obeſt, quàm caput in faciem pronum ſæpé habere, atque eo modo ſtare, aut legere, aut aliquid ſtudioſè operari, facilè namque ex capitis vacuitate ad ipſos oculos delabentes humores viſui majorem in modum incommodant: contra verò reclinato ad poſteriora potiùs recurrunt. Eadem fugiant qui frequenter Ophthalmia prehendi ſolent: & cum his fugiant etiam altiori voce, & contentiore, concitatioreque prolatione recitare, recitentque, tardiuſculè, ac ſubmiſſiori voce.

11 Qui Aſthma patiuntur, vocis exercitio, ut jam diximus, tutiùs quàm plerique alij uti poſſunt, idcirco altiori, ac alacriori voce, ac concitatiore recitare illis conducit, ſenſim ambulando potiùs quàm ſedendo, aut procumbendo: præcipuè autem evitare debent recitare ſupini jacentes, reſpirationi enim hic motus eſt maximè noxius. Frigidiora loca, aut æſtuoſa vitent, maximè autem Soli diſcooperta: hoc enim pacto & debito ſatisfacere, & ſaluti etiam corporeæ ſimul proſpicere poterunt. Qui

12 hæmorrhagiis undecunque fluentibus obnoxij ſunt, maximè autem qui ſanguinem exſpuunt, leni omnino voce, tarda ac ſubmiſſa recitare debent, ſedentes, aut in latus recumbentes potius, quàm deambulantes: Solem pro viribus evitent, & temperato loco, temperatiorique item diei tempore recitare procurent, niſi ad aliud ex præcepto teneantur. Quicunque animi defectum quomodocunque familiarem habent, quieſcentes recitare debent, voce ſubmiſſa, ac leniſſima prolatione, quàm minimum corpus recitando defatigantes. Hos omnino jejunos eſſe non conducit, ſed ſatius illis eſt aliquanto pòſt à cibo recitare, aut ſaltem ante recitationem aliquid præſumere. Qui ſtomachi imbecillitate, ac cruditatibus laborant, recitatione aptiſſimè corpus exercere poſſunt, & malè habenti ſtomacho commodiſſimè opitulari, nam ex Celſi conſilio *lib. 1. c. 8.* ſi quis ſtomacho laborat, legere clarè debet, poſt lectionem ambulare: quod paulo pòſt repetit. Alta igitur, claraque voce, ac concitatiori recitet, leniter ſub dio perambulando. Imò non ſola lectio ſtomachicis confert, ſed etiam vociferatio, teſte Oribaſ. *lib. 6. Coll. c. 7.* nam, ut ibi habetur (ſpeciatim vociferationem ſtomachicis conferre demonſtratur) vociferatio calorem auget, purgat, firmat, & attenuat: conſequens ergo eſt, ſtomachi cruditates per eam purgari, ejus calorem firmari, concoctionem meliùs ſuccedere, & inde alia bona emanare: unde proficua erit his, qui in

15 Choro recitare tenentur. Qui ventris doloribus ſæpè moleſtantur ex accumulatis cruditatibus prodeuntibus, non minùs quàm ſuperiores à recitatione juvari poterunt, & præcipuè à vociferatione, quæ in publica recitatione poteſt habere commodè locum. Hos etiam cum ſuperioribus jejunos recitare conducit, ut crudæ ſuperfluitates expeditiùs expurgentur, partium calore firmato. Cachecticis,

16 & Hydropicis eadem convenire non eſt dubium, quos, etiamſi capite firmiore ſint, ſub Sole recitare permittendum, monentes ut frigida & humida loca pro viribus declinent. Neque ſecus ſuadendum iis, qui viſcerum obſtructionibus, conſimilibuſque morbis conflictantur, præcipuè autem ubi ab infirmo calore, & à copia frigidorum humorum excitantur. Nam contra ubi calor viget, & humores calidiores abundant, contraria ſupradictis facienda: nempe leniter, ac ſubmiſſa voce recitare, quieſcendo potius, quàm ambulando, Solem, & calidiora loca evitando, & ſic de ſingulis: quæ etiam pro regula inſervire poſſunt, ſervanda in aliis morbis, qui homini moleſti eſſe ſolent.

LIBRI SEPTIMI. TITULUS TERTIUS.

De Debito conjugali.

Continens Quæſtiones ſex.

I. Quando, quantùm, quomodo debitum conjugale ſit reddendum.
II. De his, quæ virum à redditione debiti excuſare poſſunt, ex parte ſui.
III. De his, quæ uxorem à debito reddendo excuſant, ex parte ſui.
IV. De his, quæ vel alterum, vel utrumque conjugem prohibent exigere.
V. De his, quæ conjuges à redditione debiti excuſant, ex parte alterius.
VI. Examinantur nonnulla, quæ ſecundum Canoniſtas in uſu matrimonij cum peccato inter conjuges contingunt.

SUMMARIUM.

1 *Conjuges tenentur ad mutuam debiti traditionem, & negantes reddere debitum, abſque juſta cauſa, peccant mortaliter, & n. 4.*
2 *Modus concumbendi, qui generationem impediat, peccatum mortale inducit.*
3 *Conjuges non tenentur reddere debitum cum propria ſalutis detrimento.*
5 *Venus optimus diſſidij conjugalis Medicus.*
6 *Conjuges quando teneantur reddere debitum.*
7 *Copula matrimonialis, ſecundum aliquos, non eſt licita diebus feſtis.*
8 *Coitus quibuſdam temporibus maximè noxius.*
9 *Ex qualitate temporis quando vir à coitu ladatur.*
10 *Debitum quoties reddendum.*
11 *Exactio debiti vel tacita eſt, vel expreſſa.*

12 *Tacita exactio ex quibus signis deprehendi possit.*
13 *Immoderate petere non eodem modo dicitur vir, ut uxor.*
14 *Mulier an teneatur reddendo debito semen & ipsa emittere.*
15 *Filiorum procreatio est præcipuus Matrimonij finis.*
16 *Semen muliebre requiri ad generationem.*
17 *Fœmina neque habent, neque habere debuerunt semen, ex Aristotele.*
18 *Conceptio succedit absque ea voluptate, quam fœminæ in emissione seminis percipiunt.*
19 *Species rerum non miscentur.*
20 *Fœmina habet ut mas omnia instrumenta, quæ ad semen conficiendum, conservandum, ejaculandum requiruntur.*
21 *Qualibet res est propter suam operationem.*
22 *Seminis effectus iidem in fœmina, ac in mare.*
23 *Fœmina testibus abscissis non generat.*
24 *Fœminarum semen esse verum, & perfectum semen.*
25 *Generans geniti formam procreat.*
26 *Cujus est dare formam, illius est actio, quia forma est actio agentis.*
27 *In seminibus inest forma fœtus in potentia.*
28 *Forma non sequitur naturam materiæ.*
29 *Si fœmina non haberet activitatem in generatione, Natura nunquam intenderet generare fœminam.*
30 *Fœmina generatur per accidens.*
31 *Semen fœmina concurrit ad generationem ut agens, & ut materia.*
32 *Fœminæ quomodo absque voluntate cum proprio semine concurrant ad generationem.*
33 *Seminum unumquodque per se est partialis tantùm causa.*
34 *Semen fœmineum ex se absque masculeo non generat, quia non concipitur.*
35 *Beatissima Virgo fuit vera, ac perfectissima Christi Mater, ut omnes aliæ matres sunt.*
36 *Maria Virgo non mente solùm, sed etiam corpore fuit semper Virgo.*
37 *Christi Domini incarnatio partim naturalis, partim miraculosa.*
38 *Naturalis modus reddendi debitum quis sit, & n. 41.*
39 *Naturalem modum coeundi esse Venerem exercere à parte postica falsum: contra Lucretium & Mercurialem.*
40 *Naturalis modus concumbendi est qui magis facit ad generationem.*
41 *Deviatio a naturali modo concumbendi, utrum etiam sit culpabilis, in quibus nulla sperator generatio.*
43 *Coitus etiam licitus factus sola voluptatis causa peccatum infert, ex aliquorum Canonistarum.*
44 *Coitu non est ob voluptatem utendum.*
45 *Coitum Natura non instituit ad delectanda animalia sed voluptatem in coitu posuit, ut alliceretur ad coitum.*
46 *Non omnis deviatio à naturali concumbendi modo impedit generationem.*
47 *Potest deviari in concubitu à naturali modo, ad hoc ut sic facilius sequatur conceptio.*
48 *Ex parte tantum seminis potest fieri conceptio.*
49 *Generationem in nulla coeundi ratione impediri, dummodo coitus in naturali vase celebretur, falsum.*
50 *Ad concubitum in latus celebratum difficillimè sequitur conceptio.*
51 *Concumbendi quidam modi non solum conceptionem impediunt, sed etiam maximè efficiunt.*
52 *Quinam concumbendi modi magis, aut minus generationem impediant: qui item magis, aut minus sanitati noceant.*
53 *Concubitus, qui erectis hominibus fiunt conceptionem impediunt, & sanitati maximè nocent.*
54 *Qui modus præ cæteris conceptionem simul impediat, & sanitati pariter sit nocuus.*

Quando, quantùm, quomodo debitum conjugale sit reddendum.

QUÆSTIO I.

QUi sancto Matrimonij vinculo copulantur, cùm ad plura invicem præstanda, tenentur, tum vel maximè ex Justitia ad debiti conjugalis mutuam redditionem: eamque ob causam mortaliter peccant, quotiescunque hujusmodi debitum reddere absque legitima causa negant, ut ex communissima dicunt DD. Navar. *in Manual. c.* 16. *n.* 25. Sum. Sylvest. *p.* 1. *verb. debitum conjugale, n.* 1. Sanch. *de matr. lib.* 9. *disp.* 1. *n.* 4. Coninc. *de sacram disp.* 34. *dub.* 2. *n.* 17. Alphons. Vivald. *in candel. aur. p.* 1. *tit.* 17. *rubr. de reddit. deb. matr. n.* 5. Pontius *de matr. n.* 10. *c.* 2 *n.* 4. Bonac. *eodem tract. q.* 4 *punct. n.* 4. Multa autem circa hanc materiam à Canonistis pertractantur, de quibus cùm Medicus ex arte determinare possit illi ejus judicium requirunt: nam occurrit aliquando dubitare, an Veneris usus hoc, aut illo modo, qui à naturali recedat, celebratus, impedire possit generationem, necne, quia ubi generationem impediat, mortale intervenire peccatum volunt, nisi justa aliqua ex causa id fiat. Coninc. *ubi sup. disp.* 34. *dub.* 9. *conc.* 9 *num.* 80. & elicitur ex D. Tho. 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. Lessius *de just. & jur. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 13 *n.* 89. *v.* 3. Sanch. *de matr. disp* 16. *n.* 3. *lib.* 9. Pontius *ib. lib.* 10. *c.* 11. *n.* 2. Scire ergo perneccessariissimum videtur, & ex Medicis expetendum, quinam concumbendi modus aut prorsus, aut ex parte, aut faciliùs, aut difficiliùs conceptionem impediat. 1 2

Præterea quia, ut post alios ex Ricardo Pontius *ubi sup. n.* 2. Deus non vult conjuges invicem obligari in his, quæ contra rectâ Naturæ inclinationẽ sunt, quæ est prius, ante omnia seipsum servare, idcirco neuter eorũ, ejus mandatũ reddendi debitũ adinvicem, tenetur reddere cum propriæ salutis detrimento. Scot. *in lib.* 4. *sent. dist.* 3 *q. unic.* D. Thom. ex quo Sanch. *ubi sup. disp.* 24. *n.* 2. Pontius *loc. cit. c.* 14 *n.* 3. Coninc. *de sacr. disp.* 34. *dub.* 3. *n.* 20. Bonac. *ib. q.* 4. *n.* 6. & ex nostris Epiph. Ferd. *lib.* 3. *Theor. undecimo.* Verùm quando possit, & quale damnum ex coitu alterutri ex conjugibus evenire, absque dubio ad Medicum spectat determinare, ut firmabat idem Pontius, *loco cit.* Nonnulla insuper sunt, quæ sub mortalis culpæ reatu prohibent alterutrũ ex conjugibus exigere, aliquando etiã reddere debitũ: alia, quæ simul & reddere, & exigere, quorum etiã plura ad Medicũ pertinet considerare, ac pleraque alia quæ dubiũ faciunt, in ea re offeruntur, quorũ determinatio à Medico proferenda est: de hoc igitur argumento etiam Medico, quantum suã interest, pertractandum. 3

Jam verò in principio hujus argumenti ex receptissima Canonistarum sententia; imò ex divinæ sapientiæ decreto, monuimus, conjuges teneri ad mutuam conjugalis debiti redditionẽ: quam quidẽ vel quòd filiorum procreationem, vel quòd Justitiæ satisfactionem, vel quòd stimulorum venereorum refrenationem, vel quòd reciprocam conjugum dilectionẽ in Matrimonio spectemus ad eorum singula comperimus esse apprimè necessariam, nam constat ex ea, & non aliter, conjuges prolem sperare posse, nec aliter: aut alio modo Justitiæ debito satisfieri, neque ullo aptiori medio Veneris aculeos retundi posse, neque per aliud quodvis mediũ quàm per hoc mutuum conjugum amorẽ foveri, nam idcirco dictum est à Plutarch. *in præcept. connub. n.* 40. Venerem, 4 5

esse

eſſe optimum diſſidij conjugalis Medicum: debiti itaque Matrimonialis redditionē his omnibus Matrimonij finibus pleniſſimè ſatisfacere certum eſt.

Cùm ergo debitum à Conjugibus ſit omnino ad invicem reddendum, determinandum deinceps eſt, quando, quantum, quomodo ſit reddendum. Conſentaneum enim eſt, modum, ac regulam quandam in his tradendā eſſe, neq; indifferenter omni tempore, nec quantum alterutri libuerit, nec quomodo libuerit reddendum eſſe: ſed tunc tandē contra Juſtitiam, & rectum eos facere cùm à prædicta regula deficiunt. 6 Circa quando igitur abſolutè dicunt DD. conjuges teneri ad reddendū debitum quandocunque, ut ex D. Thom. Brunel. *de ſponſ & matrim. concluſ.* 8. *n.* 10. In tempore tamen conſiderari poſſunt variæ qualitates, primò autē aut tempus univerſale eſt, ut quod quatuor anni tempeſtates comprehendit aut particulare ipſius diei. Ulteriùs conſiderari poteſt tēpus, vel ut habens aliquam naturalem qualitatem, ut calidi, frigidi, humidi, ſicci, nocturnā aut diurnam, vel ut habens aliquam qualitatem ex accidenti, ut quod à prandio ſit, vel cœna, vel quod feſtū ſit, aut nefeſtum; de hac tamen poſteriori qualitate nihil ad Medicū conſiderare ſpectat, licèt ſupervacaneum non exiſtimen admonere, voluiſſe Canoniſtarum nonnullos copulam Matrimonialem non eſſe licitam diebus feſtis, ut multis probat Tiraq. *de leg. connub. lib.* 35. *gloſ.* . *n.* 111. *& ſeqq.* ubi etiam apud Gentiles id moris fuiſſe, ut feſtis quibuſdam ſolemnibuſque diebus uxoribus abſtinerent, teſtātur multæ ab ipſo recollectæ auctoritates, quas apud ipſum vide; nam ego ne aliena tranſcripſiſſe videar, etiam nonnulla à me ipſo adnotata hic prætereo, quæ & ab ipſo referuntur, ut illa Juvenal. carm. *ſat.* 6. 7

Ille petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitu, ſacris obſervandiſque diebus.

Si tamen circa id alia deſideras, vide Suar, *de vit. & ſtat. Relig. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 4. & Sanch. *de matrimon. lib.* 9. *diſp.* 11. apud quem etiam habes plures Auctores citatos, in varias ſententias abeuntes, ipſe verò adhæret Auctoribus quartæ opinionis, tenentibus, nullum eſſe peccatum exigere diebus feſtis, ſed eſſe tantùm de conſilio non exigere.

8 De qualitate autem temporis naturali conſtat, quibuſdam temporibus coïtum eſſe maximè noxiū, & Medici quidem laudantes pro coïtu tempus vernum, aliis anni temporibus ab eo abſtinere jubent, neque dubium eſt ſummis fervoribus, rigidiſque algoribus vigentibus notabile afferre nocumentum, maximè in non aſſuetis; ſed licèt de particularibus nihil quicquam certi determinari poſſit, tamen di- 9 cendum ex hac temporū qualitate, virum ſaltem, à conſueto parumper Veneris uſu remorari debere, quia ſi tam frequenter utatur in æſtate ferventi, in autumno intemperato, in hyeme rigida, ut in vere, certè non evitabit notabile nocumentū, quo ſtante juſta ex hoc excuſatio emergit: unde ſi exempli gratiā, conſuevit vir Venere uti ſingulis diebus abſque noxa, poterit æſtu aut algore vigente his ſingulis hebdomadis, aut moderatiori tempeſtate alternis diebus tutò illā uti, neque tenebitur, etiam petente uxore, frequentiùs uti, quia tunc dicetur uxor immoderatè, & indiſcretè exigere, periculo, de quo ſuprà ex redditione viro imminente. Sed hæc pro exemplo ſint, nam particularia juxta virium, temperamentorū ætatum, conſuetudinis, religionis qualitatē ſunt determinanda; nam unum temperamentū magis quàm aliud Veneris laboribus aptum, & una ætas aptior alia, & ſic de ſingulis, in omnibus tamē virium præcipua ratio habenda, & juxta earum robur de his ſententiā ferenda eſt. Illud tantùm addēdum eſt, accidentalem, ſed contrariam tēporis qualitatem, nempe quando hyems calida, æſtas frigida eſſet, poſſe etiam interdum juſto impedimento eſſe; non enim ex eo quòd naturalis tēporis qualitas ab accidentali temperari videatur, idcircò dicendū non magno nocumento coïtum eſſe poſſe; quia accidentales hujuſmodi qualitates extra naturam temporū prædominātes corporibus ſunt inimiciſſimæ, unde individuorum naturæ notabiliter ab eis læduntur, qua propter conſentaneum eſt, eas à coïtu tum temporis majorē in modum lædi. Ex accidenti etiā fit, ut tēpori aut peſtilentia, aut epidemia conjungatur, & communis Medicorum opinio eſt, tunc temporis vigente nempe aut peſte, aut epidemiā, coïtū eſſe ex magis lædentibus ſanitatem, ut dixi *lib.* 5. *tit.* 5. *q.* 4. *n.* 15. licèt non deſint, qui adſtruxerint, tunc temporis abſtinentiā à coïtu conſuetis eſſe perniciosam, & ex ea potiſſima cauſa nonnullos peſtē contraxiſſe.

Cæterùm circa quantum reddendum ſit debitum, duo ſeſe offerunt conſideranda, quantum nimirum diſcretum, & quantū continuū. Circa quantum diſ- 10 cretum, hoc eſt, quoties ſit reddendum debitum, dicunt Canoniſtæ, toties reddendum, quoties moderatè, & diſcretè exigitur; moderatè autē, & diſcretè exigere dicuntur conjuges, quoties qui reddere debet abſq; propriæ ſalutis detrimento reddere poteſt. Sed averte id, quod iidem Canoniſtæ admonere 11 non deſiterunt, exactionem nempe hanc vel poſſe expreſſam, vel eſſe tacitā, maximè ex parte mulieris: mulieres enim, de honeſtis loquor, vix eò procacitatis deveniūt, ut expreſſis verbis, aut actibus à viris ſuis debitum exigant, idcirco cùm non expreſsè exigunt, quibuſdam tamen ſignis, & verbis tacitè exigunt, viri tamen etiā hujuſmodi tacitæ exactioni tenētur ſatisfacere. Sanch. *ubi ſup. lib.* 9. *diſp.* 2. *num* 4. Coninc. *de ſacram. diſp.* 34. *dub.* 2. *n.* 17. Alphonſ. Vivald. *in candel. aur. part.* 1. *tit.* 17. *rubr. de reddi. debit. conjug. n.* 7. Videndū ergo quibus ſignis ac conjecturis dig- 12 noſci à viro poſſit hæc tacita uxoris exactio, quorum ſignorum, conjecturarumque nōnullas Medici ſubminiſtrare poſſumus; licèt profectò nunquā tam bardus homo ſit, quin ex ſe idipſum maximè ex cōſuetudine conjectari poſſit. Tamen ſolent mulieres cùm illis veneris libido inceſſit, viros circa amatoria facilè interpellare, zelotypiam cauſantur, ſeſe ultrò illis dedunt, illiſq; blandiuntur, corporis partes quaſi per incuriam denudatas apparere permittunt, pectus, & mammæ, & incaleſcunt, & tumentiores apparent, alacriores conſueto ſunt, facie rubent, oculi illis nitore fulgeſcunt, & ſi majori ardore coëundi detineantur, balbutire videntur, extra rem loqui, ac vix mente conſtare; loca illis inſuper incaleſcunt ac tumefiunt: quæ ſi viro nota ſint, diſſimulare jam, neque ad debitum opus devenire, omnino non curantis debito ſatisfacere hominis eſt. Sed etiam ex parte viri, qui verecundiā detineretur, reverereturque uxorē, tacitæ hujuſce exactionis proportionales conjecturæ, præter membri erectionem eluceſcunt, quibus etiam mulier admonita ex parte ſuā ita operari tenetur, ut vir, minutā verecundiā, debitum exigere tutò poſſit, quod facilè ſuccedet mulieris ipſius blandimentis & illectamentis, quibus virum excipere conari debet.

Adverte ſecundò, non parem eſſe rationem im- 13 moderatè petendi in viro ac muliere; cùm enim, ut luculentiùs dicemus ſuo loco, ut ex coïtu maximè diſſolvatur, ac debilitetur, neq; unquam illum exerceat ſine proprij ſeminis emiſſione, mulier autem contra parū debilitetur, & multoties abſque proprij

ſeminis effuſione venere uratur, ſit, ut exactio ex parte fœminæ immoderata dici poſſit, exempli gratiâ, ſi bis ſingulis diebus, aut etiam ſemel exigat, quæ tamen ex parte viri immoderata non diceretur, etiamſi decies ſingulis diebus exigeret, niſi tamen quid ex parte mulieris obſtaret.

Circa quantum continuum dubitatur primò, an vir teneatur copulam continuare, poſtquam ipſe ſemina verit, donec mulier quoque ſemen emittat; & idem etiam dubium occurrere poteſt circa uxorem, an nimirum teneatur ipſa poſtquam proprium deſiderium expleverit emiſſione ſeminis, virum expectare, qui emittat; ſed de utraque hac dubij parte dicam quæſtione ultima, cùm ea de re ſermo incidet.

14 Secundò dubitari poteſt, an mulier ita teneatur reddere debitum, ut, niſi ſemen emittat, non dicatur reddidiſſe, ſic & de viro dubitari poteſt, an dicatur debito ſatisfeciſſe, ſi cum uxore congreſſus quidem ſit, & illa ſemen emiſerit, ipſe verò nequaquam. Sed

15 de hac poſteriori parte alias. Quoad priorem, nempe quantum ad id, quod ad mulierem ſpectat, ratio dubitandi eſt, quia conjuges videntur teneri, quantum eſt ex ſe, procurare, ut ex eorum copula ſequatur generatio, cùm hic ſit præcipuus matrimonij finis; at hæc ſequi non poteſt abſque eo quòd mulier ſemine proprio in coitu concurrat; tenebitur ergo copulam continuare donec ſemen effundat, ut, quantum eſt ex ſe, ex eo congreſſu ſequatur generatio. Sed huic dubitationi reſpondendum videtur, ſalvo ſemper ſaniori judicio, aliud eſſe debitum reddere, aliud uti in matrimonio ad hunc finem, ut ſequatur generatio. Dicendum ergo, mulierem debito ſatisfacere, ſi cum viro congrediatur abſque eo quòd ſemé propriũ effundat, ſatiſq; eſſe, ſi ipſa ſemen datâ operâ non retineat ne ſequatur generatio, aut alio quocunque actu ipſam generationẽ impediat. Quod eſt peccatũ mortale. Sanch. *de matrim. lib. 9. diſp. 10. n. 1.* & licèt ubi ſpes eſt generationis mulier conari debeat, ut ſemen effundat, aliàs fruſtrà viro congreſſura, tamen obligationi reddendi debitum videtur ſatisfacere, ſi ipſa ſibi impedimento non ſit, ne effundat, quippe cum impediendo proprij ſeminis effuſionem, omninò impediret generationem, abſq; ea enim ſuccedere non poteſt; quoniã mulieris ſemen requiri ad generationẽ apud Medicos communiſſima ac receptiſſima ſententia eſt, ita ut mirari ſubeat

16 Pontium *lib. 10. c. 11. n. 3.* & Dianam *miſcell. tract. 3. reſol. 38* & alios firmantes, ſemen muliebre nõ concurre activè ad generationem ex receptiori Philoſophorũ & Medicorum opinione: Videntur enim hi Dd. quicunque tandem ſint, claſſicos Medicos, ac pleroſque Philoſophos non legiſſe: quia tamen video quamplurimos aliarum ſcientiarum Profeſſores eâ hæreſi detineri quod ſemen muliebre neq; activè concurrat, neq; ſit neceſſariũ ad generationem, lubet tantiſper in hac re immorari, ut Juriſperitis rem gratam faciam, quia hæc non adeò in promptu ex Medicis habent, breviter enim ea, quæ prolixè ab ipſis Medicis in hac materia producuntur, recenſebo, & ſi quid aliud circa hoc mihi occurrit, ut veritatis lumine in hac re & ipſi perfruantur.

Digreſſio de ſemine fœmineo.

LIcèt Philoſophi nonnulli, ante & poſt Ariſtotelem, negaverint fœminas ſemen habere, aut

17 quid ad generationem illud conferre, ipſe tamen Ariſtoteles præ cæteris hanc opinionem ſecutus eſt, eamque multis in medium productis rationibus pro viribus tueri ſtuduit: nam non ſolùm negavit fœminas ſemen habere, ſed probavit etiam nonnullis argumentis non debuiſſe habere, dicens: Si ſemen eſſet, menſtrua non eſſent, nunc autem ideò menſtrua ſunt, quia ſemen non eſt: quod verò à fœminis in coitu cum voluptate excernitur, non eſſe ſemen, ſed crudam quandã materiam credidit partis ipſius propriam, cùm ſemen contra ſi quid maxime concoctum. Neque debere fœminas habere ſemen, ulteriùs probavit, quia ſi haberent, vel concurreret ad generationem, ut agens, vel ut materia: non ut agens, quia cùm agens in generatione ſit ſemen maris, diſconveniens eſt uni materiæ, & uni affectui reſpondere duo agentia: neque ut materia, ſuperfluum enim eſt, menſtruis pro materia exiſtentibus. Nullo ergo modo ſemen fœmineum concurrere debuit ad generationem. Fruſtra ergo natura illud in fœmina procreaſſe, quod non eſt affirmandum.

Præterea ſi ſemen fœmineum ad generationem neceſſariò concurreret, nunquam fieret generatio abſque fœminæ voluptate; cùm neque ſemen abſq; voluptate emittatur, neque generatio abſque ſemine ſuccedat: ſed generatio ſuccedit ſine ea voluptate, quæ ex ſeminis expulſione fit. Ergo ſuccedit etiam ſine ſemine. Adde fœminam ſemen habentẽ 18 activitate dotatum, omnino ex ſe generare poſſe, nam non deficiente agente, neq; loco ad id apto, neque materia, quid impedimento eſt quo minus fœmina ex ſe ſuo proprio ex ſemine generare poſſit?

His argumentis & rationibus aliàs addiderunt, qui Ariſtotelem ſecuti ſunt Philoſophi, quas ego prætermitto, ne res brevibus hîc tranſigenda in lõgum protrahatur, ſed non relinquam adducere quæ protulit Scaliger, nempe ſubſequentia. Species rerũ 19 non miſcentur, & ex duobus entibus per ſe non poteſt unũ ens per ſe fieri. Ac verò concurrente utroque ſemine maris & fœminæ activè ad generationem, & ſpecies miſcerentur, & ex duobus entibus per ſe fieret unum, quod repugnat. Ex quibus elicitur, aut fœminam ſemen non habere, aut ſi habeat quidẽ, impropriè ſemen dici, quod ad generationem nihil conferat, aut ad ſummũ activè non concurrat. Verè tamen dictum eſt ab Æmil. Pariſ. *de microcoſm. ſubtilit. lib. 1. exercit. 6. c. 2.* Philoſophos hoſce poſt Ariſtot. non ex naturæ, ſed ex ejuſdem Ariſtot. libro hoc ſaxum volutare; non mirum ergo ſi tantopere à veritatis ſcopo aberraverint. Medici enim qui naturæ librũ in anatomicis diſſectionibus ſuſque deque evolverunt, multò faciliùs veritatem aſſecuti, eam aliis profeſſoribus propalare potuerunt, pleroſque tamen in Ariſtot. verba tam firmiter juraſſe comperies, ut ſenſui potiùs, quàm Ariſtoteli contradicere eligant. Qui verò particulariũ hominum opinionibus veritatem præferendam exiſtimat, audiat quæ à Medicis pro ejuſdẽ veritatis tutela in hac re in mediũ producuntur. Fœmina habet omnia inſtrumẽta 20 quæ ad ſemen perfectũ aptiſſimumq; ad generationem procreandum, potuerunt à natura fabrefieri; cùm autem à natura nihil fruſtrà fiat, ſed quælibet 21 res ſit propter ſuã operationem. *2. cæl. text. 17.* certè ne hæc inſtrumenta fruſtra facta dicamus, dicendum eſt, quòd fabrefacta ſint propter ſeminis confectionem, quæ propria eſt operatio eorundẽ inſtrumentorum. Cæterùm ita ſe rem habere ſenſus ipſe de mõſtrat; nam in fœminis ſunt primũ vaſa deſumentia meteriam ſanguinis venalis & arterialis à vena magna & arteria magna, ut in maribus, quã ad teſtes deducunt, qui in fœminis etiam, ut in maribus, eandẽ ipſam materiã recipientes, ulteriùs conficiunt ac concoquunt; licèt in nonnullis diſcrepent teſtes fœminei à maſculeis, ſcilicet figurâ, quia rotundiores, & compreſſiores; ſitu, quia intus hinc inde ad uteri latera conduntur; magnitudine, quia minores;

tempe

temperamento, quia frigidiores; ſubſtantia, quia molliores; ſtructurâ, quia ſimpliciores, unicam enim tunicam non quadruplicem ſortiuntur,& epididymide etiam molliore dotantur,nempe varicoſo quodam corpore teſti quaſi adſtante ad concoquendum, dealbandumque ſemen deſtinato, paraſtatas hæc corpora vocant. Sed præterea in fœminis adſunt item vaſa à ſuperioribus, quæ præparantia dicuntur,enata, vocataque deferentia, aut ejaculantia ad ſemen ejaculandum, ut in maribus deſtinata, quanquam hæc in fœminis ad uterum, in maribus ad veſicæ collum terminatur:nam marem oportuit extra ſe ſemen per Penem ejaculari,fœminam in ſe, nempe in proprium uterum. Nec ſolùm denique vaſa in fœminis apparent eadem, quæ in maribus, ſed etiam ipſiſſimum ſemen in teſtibus album, atq; exquiſitè, prout fœmineæ naturæ conditio fert, concoctum; & tamen his omnibus non obſtantibus adhuc contendunt aliqui,materiam illam ſemẽ non eſſe, ſed humiditatem quandam, crudamque materiam generationi ineptam, totq; vaſa ad hanc materiam elaborandam naturam procreaſſe volunt, ut ex ejus materiæ emiſſione etiam fœminæ voluptate perfunderentur, & per eam voluptatem ad venerem allicerentur. Minimi autem faciunt, 22 quòd hæc eadem materia eoſdem omnino effectus producat in fœminis, ac in maribus. Jam enim eâ turgente fœminas quaſi furiis actas marem appetere norunt; maribus commixtas ejus materiæ ejaculatione ſummâ voluptate perfundi ſciunt, eadem materia depoſita veneris deſiderium in ipſis,ut in maribus, refrænari notum habent; ejus multa effuſione ipſis etiam viribus deſtitui, ſpirituſque in ipſis diſſolvi, diſſimulare non poſſunt,quod etiam teſtatur Avic. 21.3. *tract.* 3.*c.*15. defraudatur enim earum corpus univerſum ſanguinis, & ſpirituum puriſſimâ portione, accedente etiam voluptate, quæ vel ſola idonea eſt ad vitales vires diſſolvendas,Galen. 1.*de ſem.c.*16. voluptates enim, quæ ad rem veneream ſpectant, omnium maximæ habentur, Athæneus, *Deipnoſoph. lib.* 12. *cap.* 1. & tamen adhuc pervicaci animo negant, ſemen fœmineum ſemen verè eſſe,ſed æquivocè ſemen eſſe volunt, & idcirco infœcundum. Verum enim verò à philoſophantibus in hoc maximè peccari deplorandum eſt,ut inter philoſophandum non, quomodo rerum veritatem aſſequantur,ſatagant, ſed quomodo ejus, aut illius ſapientis, aut præceptoris ſententiam pro vera tueantur:at hoc patrocinari medius fidius eſt, non philoſophari eſt; ſervimus quidem hoc pacto alieno ingenio, noſtro autem,veritati non invigilamus.Inde fit ut vel ipſum ſenſum negare aliqui ſint parati, dummodo præceptorum ſuorum ſententias falſas eſſe non fateantur. Quid mirum ergo, ſi neque prædicta, neque alia quamplurima, hujuſmodi farinæ homines à ſua pertinacia dimovere non poſſint? Fœmineos teſtes etiam æquivocè teſtes 23 eſſe volunt. Quòd ſi objicias ex eorum abſciſſione fœminam ad venerem non ſtimulari, non ampliùs generare, quemadmodum neque mas iiſdem abſciſſis, ad venerem agitur, neque generationi eſt aptus, promptam habent reſponſionem, id fœminis evenire ex læſione vicinarum partium, & retractione cæterorum vaſorum ad generationem facientium.

24 Porrò autem ſemen fœminarum verum eſſe, ac perfectum ſemen, materia primùm, ex qua fit, ſatis clarè demonſtrare poteſt: ſi enim, ut Ariſtoteles ipſe inculcabat, ſemen eſt quid ſummè ac perfectè concoctum,jàm cùm materia ſeminalis in fœmina deſumatur ex maximè concocto, & elaborato ſanguine, tam venali, quàm arteriali, quæ etiam in ipſis poſtmodum teſtibus majorem coctionem acquirit, patet eam materiam ſeminalem naturam eſſe adeptam eodem modo, quo ipſe idem ſanguis per eadem vaſa in maribus ad teſtes delatus in ſemen per ulteriorem concoctionem evadit. Itaque materia illa alba, quæ in fœminarum teſtibus reperitur, & quam per ejaculantia vaſa illæ in coitu effundunt, non ſolum non erit materia cruda, ut voluit Ariſtoteles, & cum eo plures ejus ſequaces, ſed erit materia quovis venoſo,ac arterioſo ſanguine magis, ac exquiſitiùs exçocta & elaborata. Cùm ergo hæc materia ſit omni optimo ſanguine perfectior, quantò magis perfectione ſuperabit ſanguinem menſtruum, cùm non è venoſo tantùm, ſed arterioſo ſanguine componatur? quod non videtur aſſecutus Petr. Hurtado & Mendoz. *de generat. & corrupt. diſp.*2.*ſect.*3.*ſubject.*1. qui credit ſeminis materiam ex venoſo tantùm ſanguine depromi;niſi per venoſum genus intelligat etiam arterioſum. Non deſunt verò,qui,ut ſuam opinionem tueantur, videntes non poſſe ſe negare fœminas ſemen habere, dixerunt, illud eſſe imperfectum; ſed contrà ex prædictis patet, ſemen fœmineum non minùs perfectè ſemen eſſe, quàm ſit ſemen maris; quemadmodum enim maſculeum ſemen, quia ex ſanguine calidori & robuſtiori deſumitur, & à vividiori calore conficitur, magis item calidũ, ac robuſtius eſt, magiſq;excoctum,& ſic ſemen fœmineum,quia ex minùs calido, minuſque robuſto ſanguine deſumitur, & à moderatiori calore perficitur, minùs item calidum, minuſque robuſtum eſt; ſed quemadmodum ſe habet ſemen maſculeum ad ſanguinem maſculeum, ita ſe habet ſemen fœmineum ad ſanguinem fœmineum: & quemadmodum non ob id, quòd minùs calidus ſit, minuſq; excoctus reſpectu maſculei,ſanguis fœmineus,ſanguis dici non meretur; ſic neque ſemen fœmineum, non ob id, quòd maſculeo minùs calidum,minuſq; exçoctum ſit,ſemen dici non debet,ſed imò eſt verum ac perfectum ſemẽ in ſuo genere,ut ſanguis eſt perfectus ſanguis. Licèt Reald.Columb. *de re anat. lib.* 12. aſſerat in fœminis ſemen reperiiſſe ſe adeò concoctum, album, ac craſſum, ut tale in viris non invenerit.

At verò non deſunt aliæ permultæ, ac maximi quidem ponderis rationes commonſtrantes, fœminas non ſolùm verum ac perfectũ ſemen habere,ſed illud eſſe ita generationi neceſſarium, ut & tanquã materia, & tanquam agens etiam in ea concurrat: & relictis his,quas Galenus,& alij in medium produxerunt, validiſſimas quidem,quæ per ſe convincere poſſunt, & quas unuſquiſque apud Auctores ipſos requirere poterit de hac materia ex profeſſo tractantes, quorum catalogum infrà habes, nonnullas ego philoſophicas cum Philoſophis certamen inſtituentes, ultrà productas producam.

Primò ergo, ſi fœmina non concurrit activè ad 24 generationem, falsò dicitur generare, quia non agẽs in generatione non generat,generare enim dicit actionem, unde forma eſt actio agentis, 2. *de anim. text.* 14. ubi Aver. & generans geniti formam procreat;3.*Phyſ. text.* 17.idq;dicitur generans quod dat corpori generato ſuam formam, & omnia conſequentia formam.Aver.8.*Phyſ.comm.* 32. & 3.*cæli comm.* 28. aut ergo fœmina non poteſt dici generare, aut ſi verè generare dicatur, dabit formam, generato, & ſic activè concurret ad generationem. Si ergo concurrat activè, certè non menſtruo, quod eſt tamùm materia: concurret ergo ſemine,

ut

ut mas. Præterea proponamus nobis ante oculos animal ex parentibus diverſæ ſpeciei genitum, ac ſemper illud veritatem habere comperiemus, hoc animal ſe tenere magis ex parte matris, quàm ex parte patris, ſic ex hirco, & ove naſcitur ovis, ex capra, & ariete capra, ex maſculo cane, & vulpe, vulpi proles, ex vulpe mare, & cane fœmina canina gignitur. Quod ut magis etiam palam fiat, ſume mihi animal natum ex parentibus diverſi generis, ut ex patre ruminante & matre ſolidungulâ, quale eſt mulus natus ex Tauro & equa, jam ſemper è talibus parentibus ſolidungulum fœtum naſci conſpicies. De eo autem, ne fabulam credas, teſtantur Jacob. Rueff. *lib. 5. de muliebr c.* 3. Card. *lib. 2. contrad. medic. tract. 6. contr.* 18. Pariſan. *nobil. exerc. de ſubtil. lib. 2. exerc. 3. c.* 3. quem nos etiam vidimus, ut teſtatur hiſtoria ſuperiori titulo enarrata. Tunc ergo
26 ſic arguo. Cujus eſt dare formam, illius eſt actio cùm forma ut diximus, ſit actio agentis; ſed ſpecificam formam fœtui ex hac conjunctione ſuſcepto tribuit mater: ergo matris fuit actio communicatio formæ.

Major quidem non controvertitur: minor probatur vel ipſo ſenſu demonſtrante, nam characterè ſpeciem fœtus hic à matre habet, ita ut potiùs ſolidungulus ſit, quàm ruminans. Ergo conſequentia eſt bona, quod communicatio formæ fuerit actio matris; ſed mater non concurrit ad agendum materiâ nempe menſtruo; concurret ergo ſemine.

27 Inſuper in ſemine ineſt forma fœtus in potentia, quæ per aliquod agens extrahitur de materia ad actum: retéro igitur ſupradicto exemplo, ſic arguo. Forma hujus fœtus vel erat in ſemine Tauri, vel in materia præſtita à matre in generatione. Non in ſemine tauri, quia eſſet magnum abſurdum affirmare, ſemina continere in potentia formas alienas nam ſic poſſet ex quolibet ſemine quælibet forma extrahi. Ergo forma erat in materia à matre deciſa & ſic materia generaret formam quod non eſt minùs abſurdum. Oportebit ergò quod cùm forma deducta ex ſemine, non ſit deducta ex ſemine patris, deducta fuerit ex ſemine matris, cum ſimilis procreata ſit formæ matris.

Ulteriùs forma aliquando ſequitur naturam ejus, quod mater in generatione ſubminiſtrat, ut patet non ſolùm in prædicto aſſumpto, ſed etiam in alio, quod eſt ipſius Ariſtot. *lib. 2. de gener. animal. c.* 4. & de quo Card. *lib. 2. contr. medic. contr.* 18. & eſt hujuſmodi, animalia ſpecie differentia, & tertium quid generantia, primo partus ſimiles edunt communi generis utriuſque ſpecie, quales ex vulpe, & cane generantur, aut ex perdice & gallinaceo, ſed tempore procedente diverſi ex diverſis proveniен-
28 tes, demùm formâ fœminæ inſtituti evadunt. Modò hoc non poteſt eſſe ex materia, quia forma non ſequitur naturam materiæ, *5. de gener. anim. c. 1. & alibi ſæpe*, Aver. *in 2. Phyſ. com.* 74. & 87. *& alibi*. Ergo mater ſubminiſtrat aliquid in generatione, quod non eſt materia, ſed habet vim agentis, quod eſt ſemen. Minoris propoſitionis illam partem quod forma non ſequatur naturam materiæ, defendit pluries ipſe Ariſtoteles contra antiquos, non debet ergo ab eo, vel ejus ſequacibus controverti. Forma igitur fœminæ non potuit ſeminibus communicari à mare alterius ſpeciei, quia nemo dat quod non habet, communicata ergo fuit à fœmina, & ſic fœmina in generatione habet vim agentis. Præterea in ovo ineſt duplex materia, altero pro nutrimento alterius, utrumq; velis, ita ut una ſit tanquam agens, alia tanquam materia; ſed utraque hæc materia ducitur à matre, quia etiam abſque ope maris in ovis utraque invenitur: Ergò mater non ſolùm ſubminiſtrat materiam; ſed etiam inſuper aliquid aliud, quod vim agentis habere conſpicitur. Etiamſi autem, Hier. Fabric. *in lib. de format. ovi & pulli, c.* 2. voluerit neutrum horum, hoc eſt, neque vitellum, neque albumen eſſe materiam ex qua vel naſcatur, vel incorporetur pullus, ſed utrumque eſſe tantùm materiam nutritionis pulli, tamen pro nunc communiſſima ſententia acceptata, quod alterum alterius in nutrimentum faceſſat, prædicta quidem rectè procedere debent.

Denique ſi fœmina nullam haberet activitatem 29
in generatione, natura nunquam intenderet generare fœminam, ponens enim activitatem tantùm, & dans vim generandi tantùm mari, ex parte ſui ſeminis, ſecundum ejus intentionem, quæ eſt ſimile ſemper generare ſibi ſimile, nunquam debuit generari niſi mas, fœmina autem caſu, & ex accidenti, quod non dubitat affirmare Ariſtoteles. Sed certè contra eſt, quia natura non magis intendit generare ma- 30
rem, quàm fœminam; oportuit ergo, ut fœmina fœminâ generare poſſet, haberet illam activitatem in generatione, quâ generaret ſibi ſimilem. De majori propoſitione nullum intercedere debet dubium; eſt enim conformis Ariſtotelis doctrinæ; unde facilè per ipſum conceditur, quod inde deduximus, nempe fœminâ caſu, & non ex intentione naturæ generari, quæ ſemper intendit perfectius; generatur enim ex ipſo fœmina, cùm maris ſemen deficit à ſua naturali perfectione; ob quem defectum mari ſibi ſimilem generare non poteſt. Sed minor probatur, qui enim intendit finem, intendit media ad finem, aliàs fruſtra intenderet finem. Sed natura in generatione intendit pro fine ſpecierum conſervationem, cùm idcircò animalibus data ſit generatio, quòd numero perpetuari non poſſint, *2. de gener. animal. cap.* 1. Ergo intendit natura etiam media ad hanc ſpecierum conſervationem; ſed hæc media ſunt tam mas, quam fœmina, cùm tam hæc, quàm ille ſint generationis gratiâ, ut ibidem habetur. Ergo natura intendit generare tam marem, quàm fœminam, neque fœmina caſu fieri dici poteſt. Si ergo fœmina à natura intenditur, neceſſe eſt, illam non minùs ac marem, activè in generatione concurrere, ut non præter naturæ intentionem ejus generatio ſuccedat.

Relinquam autem datâ operâ alia argumenta à Galeno primum, ab aliiſque adducta, ut quod ex ſimilitudine nati ad matrem deſumitur, quod maximè illuſtravit Apr. Ponc. Sanctacruz, & quod ex hæreditariis morbis à matre filio communicatis; & alia plura, videnda, ſi libet videre apud Galenum, præcipuè *in lib. de ſemine*. Quibus argumentis perſuaſi Medici penè omnes concluſionem hanc pro indubitata jam habent, ſemen fœmineum neceſſariò requiri ad generationem, nec ſolùm materialiter, ſed activè concurrere. Fuerunt certè nonnulli Medici, qui particulares quaſdam opiniones in hac re habuerint, & à communi deſciverunt, ut Alex. Bened. qui ſemen fœmininum ad ignobiliora membra ſpermatica efformanda neceſſarium agnoſcit; & Fab. Pacius, *qui in lib. Method. Med. Galeni, cap.* 3. conceſſit ſemina ambo requiri ad generationem, ſed volui eorum utrumque eſſe materiale tantùm generationis principium, effectivum verò voluit eſſe ipſius fœminæ, & uteri calorem. Nova certè opinio, ſed quam ille multis rationibus non omnino reſpuendis tueri conatur. Sic & Petrus Garzia, ut infra dicam, voluit fœmineum ſemen

habere

habere facultatem generativam, ſed imperfectam, neque ob id neceſſarium eſſe ſimpliciter ad generationem, cui opinioni videtur adhærere ex Canoniſtis Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp. 17. n. 9.* Liddelius etiam Scotus, *ut infrà*, neceſſarium eſſe credit fœmineum ſemen, non tamen habere activitatem, cui etiam opinioni videtur adhærere Riol. *Phyſiol. ſect. 7. cap. 5. & in arte curativa ſect. 4. c. 11.* Sed ego eorum, qui communiſſimæ opinioni adhærent, nonnullos, maximè ex recentioribus, recenſebo, ſi antè dicam ex Theologis Scorum *ſuper. 3. ſen. 4. q. unica*, non dubitare contra Ariſtotelem opinionem hanc tueri, cùm magis in hac credendum eſſe Medicis firmet, quorum præcipui, qui ad mentem venerint, ſequentes ſunt. Ac primò omnium præceptorum Hippocratem, ex quo alij hanc opinionem deſumpſerunt, & ejus interpretem Galen. prætermittam, licèt falsò Sanch. *ubi proximè*, ſibi contrarium eſſe dicat, cùm tamen nullibi, & ſignanter in duobus locis ab ipſo citatis Galen. is in contrariam ſententiam inclinaverit. Aët. *ſerm. 16. c. 6.* Avic. *3. 1 c. unico.* ſibi contrarius Iſaach. *lib. 3. theor. cap. 34.* Hali Abb. *lib. 3. theor. cap. 34.* Savonarol. *in pract. magn. tract. 6. cap. 21. rubr. 21.* Joan. Matth. de Grad. *in novum ad Almanſ. part. 2. cap. 29.* Franc. Pedemont. *ſua pract. partic. 4 ſumm. ſumma 4. ſect. 1. cap. 2.* Valeſc. Tarent. *in Philon. lib. 6. cap 10.* Gordonius *in Lib. 6. partic. 7. cap. 14.* Fernel. *Phyſiolog. lib. 3. cap. 6.* Capivac. *lib. 4. pract. cap. 3.* (quanquam hic Ariſtotelem tueri conetur, quaſi non ex profeſſo contra veritatem ſit) Trincavel. *lib. 11 pract. cap. 17.* Veſal. *lib. 5. de fabr. humau. corp. c. 15.* Valleriol. *loc. commun. lib. 1. cap. 17.* Maſſaria *lib. 4. pract. cap. 5.* Cardan. *lib. 2. contrad. Med. tract. 6. cont. 18.* Valleſ. *lib. 1. controverſ. 7.* Levin. Lemn. *lib. 1. de occult. nat. mirac. cap. 6. & ſeqq.* Joan. Heurnius *de morb. mul. cap. 5.* Mercat. *lib. 1. oper. ſuor. part. 4. art. 3. quæſt. 97.* Hucher. *de ſterilit. lib. 3. tit. de Conceptione.* Mercurial. *lib. 4. de morb. mul. cap. 5.* Vid. *de tuend. valet. memb. lib. 13. cap. 5.* Rotat. *in contrad. Gal. num. 134.* Andr. Laur. *anatom. lib. 8. quæſt. 5.* Plater. *de funct. laſion. lib. 2. cap. 19.* Euſtach. Rud. *att. Med lib. 2. cap. 59.* Reald. Columb. *anatom. lib. 12. in princ.* Balduin Roviſ. *de num. vit. primord. cap. 2.* Raphaël Moxius *in meth. med. morb. mul. lib. 2. cap. .* Ferdin. Euſtach. *lib. 2. theor. 58.* Varand. *de aff. mul. lib. 2. cap. 1.* Petr. de Paramat. *de ſemin. pag. 59. verſ. ſed jam quis hic ferat Ariſtotelem.* Joan. Bapt. Silvat. *controverſ. 79.* Roderic à Caſtr. *de nat. mul. cap. 3. & 4.* Petr. Garzia Carrer. *in 1. 1. Avic. doctr. 2. ſum. 1. cap. 2. diſp. 35. cap. 6.* (licèt hic velit ſemen fœmineum habere quidem facultatem generativam, ſed imperfectam, *unde diſp ſect. c 4.* non vult ideirco eſſe ſimpliciter neceſſarium ad generationem.) Liddelius Scot. *Phyſiolog lib. 1. cap. 13.* qui tamen activitatem fœmineo ſemini denegat. Stephan. Roderic Caſtrenſ. *de met. microc. lib. 2. cap. 1. 6. & 7.* Ant. Ponce Sanctacruz *in Hippocr. Philoſoph. text. 73.* Nic. Nancel, *in anal, microc. ad Macroc. cap. 8. probl. 4. & alib.* Æmil. Pariſ. *de microc. ſubtil. lib. 1. exerc. 6.* Daniel Sennert. *inſtit. med. lib. 1. cap. 6.* Sebaſt Naſius *in ſpect. med. part. 1. ſect. 2. tract. 1. diſgreſſ. 1. quæſt. 3.* Joan Gallego de la Serna, *de princ. gener. lib. 1. c. 25. & ſeqq.* qui tamen efficientiam negat fœminino ſemini. Acerrimè etiam ex recentioribus Philoſophis hanc opinionem tuetur Petr. Hurtad. de Mendoz. *de gener. & cor. diſp. 2. ſect. 5. ſub ſect. 1. & ſeq.* quæ & nonnullorum antiquorum Philoſophorum fuit, ut Pythagoræ, Democriti, Epicuri, teſte Plut. de Plac. *philoſoph. lib. 5. c. 3.* unde Lucret. *lib. 4.* Epicuri ſententiam ſecutus.

Et muliebre oritur patrio de ſemine ſæclum,
Maternoque mares exiſtunt corpore creti,
Semper enim partus duplici de ſemine conſtat:
Atque uti ſimile eſt magis id quodcunque creatur;
Ejus habet plus arte aqua, quod cernere poſſis.
Sive virum ſoboles, ſive eſt muliebris origo.

Neque deſunt ex Juriſconſultis quos pro hac opinione adducam, ut ex Canoniſtis Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 92. n. 9.* qui tam probabilem dicit hanc ſententiam, cùm ipſe credat non eſſe ſemen fœmineum ſimpliciter neceſſarium, ſed valde conferre ad generationem, ut in ſuperiori dixit Pontius *ubi. lib. 10. cap. 11. num. 3.* Diana *miſcell. tract. 3. reſol. 38.* & alij plerique. Torrebl. *damonolog. lib. 2. cap. 44. n. 4.* Carranza, *de part. c. 20. quæſt. 1. in miſcellan.* Sed jam ne tædio Lectori ſim tam prolixa Auctorum recenſione, alios tum Medicos, tum Philoſophos, tum etiam Juriſconſultos, huic opinioni addictos conticebo, & contrariæ faventes nonnullos enumerabo. Habet enim contraria ſententia Ariſtotelem auctorem, præter alios antiquiores Philoſophos: unde non mirum ſi aliqui tanti viri auctoritatem ſequi deſtinaverint. Sunt autem D. Thom. *3. part. quæſt. 31. art. 5. ad 3* Averr. *1. de gener. anim. c ult.* Avic *lib. 9. de animal. c. 1. & lib. 15. ejuſd. cap. 3.* (licèt ſibi contrarius videatur, *lib. 3. canon. ſen. 21. tract. 1. cap. 2.* & aliàs concedat fœminas verum ſemen habere, ſed efficientiâ orbatum) Soran. apud Oribaſ. *lib. 24. collect. cap. 31.* & in *Iſagog.* ſi modò item auctor eſt, *cap. 16.* Conciliat. *different. 17.* Thadd. *iſag. Joannit. cap. 9.* Ugo Senenſ. *2. tegniſc. de teſtib. text. 1.* Alex. Bened. *lib. 24. pract. cap. 1.* licèt is *lib. 1. de hiſtor. part. corp. humn. c. 23.* ex muliebri ſemine ignobiliora membra ſpermatica formari dicat. Et ultimo loco Proſper Martian. *in 1. de morb. mul. ſect. 1. veſ. 411.* qui tanti facit Ariſtotelis rationes, ut ob eas in hoc à ſuo Hippocrate diſcedere cogatur; omittam autem alios recenſere.

Sed argumentis in contrarium allatis ſatisfacere neceſſe eſt, ſatiſq; erit id de potioribus præſtare; nam pleriq; ex citatis auctoribus pleniſſimè ſingulis ſatisfecerunt. Primo ergò argumento dicimus, ſemen fœmineum concurrere ad generationem, ut agens, & ut materiam; & licèt maſculeum ſit præcipuum agens, eſt tamen per ſe impotens ad generandum, niſi fœmineo aſſocietur, neque ob id dici poteſt hoc modo dari duo agentia, duaſque materias unius ejuſdemque generationis, & effectus, quia ſeminum unumquodque ex ſe agens eſt incompletum, & partiale, & materia incompleta, & defectuoſa ſeminalium membrorum, ex commixtione autem utriuſque fit unum agens completum, totale, ac perfectum, aptumq; ad generandum. Vtrumlibet enim ſemen ex ſe ab utero exceptum nihil quicquam operatur, donec & quouſque ambo ſimul tota per tota miſceantur, nam tunc fit unum conflatum ex ambobus, quod unum agens eſt, una materia. Ejus rei manifeſtiſſimum ſignum eſt, quod ex utroq; ſemine generatum non unius tantùm ſeminis naturam ſequitur, ſed utriuſque cùm mixtum illud ex duobus unum quid factum ſit, quod peculiares effectus ſibi quidem proprios, ab hoc tamen, aut illo ſemine communicatos, producit. Itaq; videmus indies, filios aliquàdo in externa figura referre patrem, & tamen à matre habuiſſe morbos quoſdam hæreditarios, & è contra aliquàdo in externa figura referre patrem, in moribus referre matrem; interdum etiam ab utroq; habere hæreditarios morbos, & in figura neutrum referre; & ſic mille modis 31

pro

pro mixtionis ratione genitorum proprietates variari comperiemus, modò ab uno, modò ab altero ex ſeminibus communicatas, pro alterutrius exuperantia.

Quod additur, fœmineum nempe ſemen non poſſe in generatione concurrere tanquam materiam, quia ſuperfluum eſt, concurrentibus ut materia fœtus ipſis menſtruis, declaratione indiget; ſi enim loquamur de materia partium ſanguinearum, veritatem habebit (licèt non menſtruus, ſed optimus ſanguis ſit vera materia nutritionis fœtus:) ſi verò loquamur de materia partium ſpermaticarum, falſum eſt: nam ſanguis quidem ſanguinearum partium proportionata materia eſt, ſemen ſeminalium; itaq; duplicem dari materiam generationis reſpectu diverſarum partium, neque inconveniens, neque abſurdum eſt, ſed omnino neceſſarium, quando unam ſingulis inſervire non fuerit poſſibile.

Difficultatem illam, quòd fœminæ abſque voluptate illa, quæ ex ſeminis ejaculatione fit, aliquando concipiant, quod arguit etiam, eas concipere abſq; 32 ſemine, aliàs diluere tentavi, *lib. 3. tit. 1. quæſt. 5.* ſed Æmil. Pariſan. poſt alios, *nobil. exerc. lib. 1. cap. 2. exercit. 7.* Anatomes inſpectione demonſtravit, & rationibus confirmavit, quomodo contingat, ut mulieres ſine voluptatis ſenſu, & abſq; eò quòd ſeminis proprij ejaculationem perſentiant, concipere ſoleant; quod etiam mirum non eſſe dicit, cùm etiam viri licèt raro admodum, ſine voluptate ſemẽ ejaculentur, ſed certè in his, quæ abſque voluptate concipiunt, plura concurrere neceſſe eſt, ut id eo modo contingat, ſeminis nempe tenuitatem, locorum frigiditatem, ſenſus hebetudinem, viarum brevitatem, earundem amplitudinem, ſeminis non uſq; ad eas partes, in quibus delectatio, & titillatio viget, excurſum, ſed ad ipſum uteri corpus per ejuſdem cornua momentaneam tranſmiſſionem, aliquando etiam excedentem delectationem ex fricatione, & receptione ſeminis virilis, voluptatem in emiſſione proprij ſeminis obſcurantem, & alia nonnulla, de quibus vide peculiariter prædictum Pariſan. *loco cit.* Sed inter omnia placet reſponſum, quòd ſemen fœmineum tam præſto eſt aliquando in viciniſſimis uteri vaſis irruenti ſemini maſculeo, ut nullo penè motu opus habeat, ut cum illo permiſceatur, unde nulla excitatur tunc voluptas, quia voluptas ex titillatione fit, titillatio autem ex motu. Eſt etiam quando ſemen non confertim movetur, ſed veluti ſtillans à ſuperioribus partibus, & tunc quidem nullam ſecum affert ejus excretio voluptatem: nam videmus in Gonorrhœa etiam, in qua ſemen non confertim, ſed quaſi ſtillans excernitur, nullam fieri voluptatem.

Ad ultimum Ariſtotelis argumentum multi multa dixerunt, ſed inexpugnabile illud crediderunt Peripatetici, Satisfeciſſe certè debuit, quod à non- 33 nullis dictum eſt, ſeminum unumquodque per ſe eſſe tantùm partiales cauſas tum materiales, tum effectrices conceptus; conjuncta unam totalem, ac perfectam efficere generationis cauſam. Conſentaneum ergò eſt, quòd quanquam fœmineum ſemen ſit cauſa effectiva, & habeat promptam materiam, nempe & ipſius ſeminis, & fœminei ſanguinis, & locum ſortiatur convenientem & opportunum ad generationem, tamen cùm partialis tantùm cauſa ſit, non ſufficiens eſt ad generandum. Sed ad hanc difficultatem Peripateticorum, quæ validiſſima cenſetur, unico verbo reſpondeo: Cur, inquiunt, ſi fœmina utrumque principium habet, activum & paſſivum, ſub proprio ſemine in utero non generat? quia, inquam, ſemen ſuum non concepit. At fortè rides hanc reſponſionem? ſed audi, riſum amovebis. Etiamſi utrumque ſemen activè con- 34 currat ad generationem, maſculeum tamen majorem vim agendi habens excitat fœminei ſeminis activitatem. Sed circumſcripta hac potiori activitate maſculei ſeminis, & dato etiam, quòd parem activitatem habeat fœmineum, & quòd etiam poſſit ex ſe habere principium motus, adhuc non generaret, quia à fœmina non concipitur. Conceptio enim fit attractione ſeminis maſculei ad intra uteri cavitatem, & ejuſdem neceſſaria retentione. Modò uterus, ſemine proprio ad expulſionem properante, illud non attrahit (attrahunt enim partes id, quod eis deficit) imò expellit per vaſa ejaculantia ad uterum, ut obviam factum maſculeo ſemini, & cum illo commixtum generationem coadjuvet. Unde hinc providentia naturæ elucet, quo unico uteri motu, nempe attractione, ſimul & ſemel ad duo diverſa ſemina contrario motu ſe moventia recipienda, utitur. Dum enim uterus in ſeſe ad ſuperiora recolligitur, attrahendo ſemen maſculeum, inſimul ſemini fœmineo ab intrò advenienti occurrit, ipſumque ſimul cum maſculeo excipit, attrahit, retinet, fovet. Deficiente ergò ſemine maſculeo, nulla fit ab utero attractio, nulla item retentio ſeminis, imò expulſio proprij, & ſic nulla unquam ſuccedit ex ſolo fœmineo ſemine conceptio, etiam ſi ſolum ad conceptionem ſufficeret.

Remanerent autem adhuc nonnulla argumenta Scaligeri, Fabij Pacij, & Proſperi Martiani, quibus neceſſe eſſet ſatisfacere: Sed ad Scaligeri argumenta ſatisfaciunt Garzias in Avicen. *ſen. 1. lib. 1. doctr. 7. ſumm. 1. cap. 2. diſp. 36. cap. 3. ſub num. 13.* & Ant. Ponce Sanctacruz *de Hippocrat. Philoſoph. text. 73. in digreſſiuncula contra Scaligerum*, ubi etiam Fabij Pacij argumentis ſatisfacit. Contra quem etiam facit, quòd ſi ejus opinio eſſet vera, etiam calor extrinſecus poſſet habere in generatione vim agentis, quod eſt abſurdum; ſiquidem ovipara ſola incubatione pullos excludunt, imò & calore Solis, & ignis, pulli excluduntur, ut patet. At quomodo ſe habet calor uteri ad ſemina concepta in vivipariis, eodem modo ſe habet calor incubantis ad ova in oviparis: ſed calor uteri habet, ſecundum hanc ſententiam, vim agentis, ergo & calor incubantis, imò ignis, & Solis, & alterius etiam maris diverſi à propria ſpecie erit agens in oviparis, quod videtur maximè abſurdum. Ad argumenta Martiani ſatisfaciunt pleniſſimè quæ contra Ariſtotelem adduximus, cujus ipſe opinionem ſequitur, cùm tamen nihil de novo adducat; illud ſolummodò ab aliis nunquam memoratum attulit, ſemen fœminis idcircò datum eſſe, ut in congreſſu os uteri clauſum aperiretur, ita ut maſculeum ſemen ſtatim ingredi uterum poſſet. Sed pluribus agere contra hanc opinionem ſuperfluum eſt: illud tantùm non conticebo, quòd cùm mulier ſemen millies emittat, antequam ſemel concipiat, certè ſi ſemper os uteri aperitur, & ſemen deglutiat virile, alterum ex his ſubſequi neceſſarium eſt, aut ſemen virile retineri abſque eo quòd concipiatur in ipſo utero, aut uterum de novo aperiri, ut excidat; non primum abſque dubio, quia ſemen virile non conceptum corrumperetur. Non ſecundum, quia oportet os uteri ex alia, ac nova ſeminis emiſſione aperiri, aut ſaltem ex fluxu menſtruo, & ſic idem inconveniens ſequeretur, quouſque alterum ex his ſuccederet, nam, ut ille addit uterus à ſeipſo non aperitur.

Sed his omiſſis, adhuc non deſunt aliæ difficulta-

tes ex uberrimis ſacræ Theologiæ fontibus pullulantes, quæ communem Medicorum opinionem dubiam facere poſſent. Si enim velimus de naturæ neceſſitate fœminam cum proprio ſemine concurrere ad generationem, cùm ex Theologica veritate ſit notiſſimum, beatiſſimam Virginem fuiſſe veram, ac naturalem Chriſti Domini matrem, ut omnes
35 aliæ matres ſunt, ſequeretur inde, illam neque in conceptione, neque poſt conceptionem manſiſſe virginem, quod eſt falſiſſimum. Nam ſi ſeminis effuſione, carnalique veneris voluptate eſt polluta, virginitatem in ipſa ſeminis effuſione amiſit, quia, ſaltem materialiter, virginitas conſiſtit in immunitate
36 à delectatione venereorum per ſeminis reſolutionem. D. Thom. 2. 2 *quæſt. 152. art. 1. in corp.* At Maria Chriſti Domini mater non mente ſolùm, ſed etiam corpore, antè, & pòſt, & in ipſa conceptione ſemper virgo manſit, corporiſque etiam puritatem ab omni vel imaginario inquinamento carnali illibatam ſervavit; inconveniens ergò, ac indecorum eſt adſtruere, illam proprium ſemen in Jeſu Chriſti Domini incarnatione præſtitiſſe; Ergò contrarium erit verius, & cum illa quæ vera mater fuit, abſque proprio ſemine naturaliter conceperit, poterunt etiam aliæ matres abſque ſemine proprio concipere. Ad hæc reſpondent, ac undecunque ſatisfaciunt nonnulli ex Theologis, qui Medicorum opinionem tanquam veriorem ſequuntur, ut Scotus *in ſent. diſt. 4. quæſt un.* & alij citati per Petr. Hurtad. de Mendoz. *de gener & corrupt. diſp. ..ſubſect.* 3. & aliqua etiam attulerunt ex noſtris Peramat. *in append. ad lib. de hom. procreat.* ubi de Incarnatione, & partu Domini noſtri diſputat, Garzias *in primam* 1. Avic. *doct.* 7. *ſum.* 1 c 2. *diſp.* 35. *c.* 5. & Joan. Gallego de la Serna *de princ. generat. tr.* 1. *lib.* 1. *c. ult.* Dicam tamen ipſe etiam circa hoc, quæ tanquam Medicus eloqui non prohibeor, ut ad propoſitam difficultatem ſatisfaciam.

37 Chriſti Domini incarnatio partim miraculoſa fuit, partim autem naturalis: quæ autem peculiariter habuerit miraculoſa quæ verò naturalia abunde docet proximè citatus Petr. de Peramat. *in ea append. ad hoc dicata.* Ego ad hoc particulare punctum devenio, utrùm Maria Virgo ſemen in ejus conceptione præſtiterit, nec ne. Dico igitur hoc aut naturaliter proceſſiſſe, aut ſupranaturaliter: ſi ſupranaturaliter, non eſſet quærendus modus, vel ſi quærendus modus eſſet, hoc ad Theologos, non ad Medicos pertineret. Supplente enim Spiritu ſancto activitatem ſeminis virilis, in quamcunque materiam libuerit, quam ſemen muliebre præſtaret, agere potuit abſque ullo motu, qui poſſet carnali voluptate virginitatem commaculare.

Quòd ſi hoc naturaliter proceſſit, non aliter ſucceſſiſſe potuit, quàm in naturalibus aliis conceptibus eveniat, quantum ex parte ſeminis muliebris, quod aliquando ita præſens eſt in viciniſſimis uteri locis, in quibus fit conceptio, ut nullo motu opus ſit ad hoc, ut cum virili ſemine miſceatur; & ſic abſente motu, ceſſat titillatio, ex qua voluptas emergit, unde eſt quòd aliquæ, ut jam diximus, abſque ulla omnino voluptate, quantum eſt ex parte expulſionis proprij ſeminis concipiunt; quod & naturaliter in ſacratiſſima Virgine Salvatorem mundi concipiẽte eveniſſe potuit: & ſic, etiamſi proprium ſemen præſtiterit, nulla tamen labe illibatã corporis mentiſq; virginitatem violavit. Sed videnda inſuper quæ in ſecunda parte in Appendice de ſemine fœmineo attulimus, his non minus rei veritatem atteſtantibus.

Jam verò ad rem noſtram redeuntes, de modo, quo reddi debet conjugale debitum verba facienda: & Canoniſtæ quidem, ut Summa Armilla, *verb. debitum conjugale.* Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 16. *n.* 1. & alij, naturalem modum dicunt eſſe, ut mulier ſit ſuccuba, vir incubus, omnem autem deviationem ab hoc modo adverſari aliqualiter naturæ. Sed adverte, hos non apertè ſe explicare, nam mulier poteſt eſſe ſuccuba, & vir incubus, & tamen deviari à naturali modo; ut ſi mulier prona jaceat non ſupina: oportuit ergo meliùs ſe explicare, dicendo, naturalem modum concumbendi eſſe, ut mulier ſupina ſuccumbat, virque illam ſupergredietur ut Sum. Ang. 1. *p. verbo debitum conjugale, num.* 5. & Silveſtr. *verb. debitum conjugale, n.* 3. *part.* 1. licèt Mercurialis, quem retuli aliàs, *lib.* 3. *harum quæſt tit.* 3. *quæſt.* 7. *n.* 22. ex Lucretio, & Paulo voluerit, *lib* 1. *de morb. mulier. cap.* 2. *& lib.* 1. *variarum lect. cap.* 6. naturalem modum venerem exercendi eſſe, ut mulier prona à viro ineatur; nam quòd mulier ſupina virum admittat, magis voluptuoſum eſſe voluit, minùs autem ſecundùm naturam, quia homines hac ratione Venerem exercent ſtudentes magis voluptati: quam ex mutuis oſculis, & amplexibus, & mutuâ inſpectione percipiunt, quàm generationi, quæ faciliùs ſuccedit, ut cum citatis auctoribus credit, pronâ jacente muliere, & hoc pacto initâ, quàm ſi ſupina ineatur. Verum enim verò hanc horum Doctorum opinionem aliàs *loco cit.* confutavimus, & ex Anatomicorum quorundam auctoritate demonſtravimus, nequaquam verum eſſe, quòd faciliùs ſequatur conceptio eo modo, quàm hoc, quo communiter homines utuntur. Quod etiam faciliùs perſuadere poteſt id, quod *loco citato* dixi, nempe fœtum eo concumbendi modo conceptum, nunquam in exitu ab utero ſervari naturalem ſitum, & ſic ſemper maximum negotium parturiẽti matri faceſſere. Corruit ergo, corruente hac ratione, etiam erronea hæc opinio. Non eſt tamen negandum, in aliquibus caſibus interdum faciliùs ſequi conceptionem illa ratione congrediendi, quàm conſuetâ; nam experientia docuit Medicos, alioſque, nonnullas fœminas, quæ per multos annos ob matricis depravatum ſitum non conceperant, aut aliâ etiam ex cauſa, eâ ratione in Venere congreſſas, concepiſſe, patientes nempe ſe pronas per poſticam partem à viris ſuperiniri; quemadmodum & aliæ ſunt, quæ faciliùs in uno, quàm alio ſitu congrediẽtes concipiunt, quòd faciliùs virile ſemen excipiãt, ut deinceps, cùm occaſio dabitur, adjiciam: hæc tamen in quibuſdam particularibus per accidẽs eveniunt. Nobis autem quærendus eſt naturalis modus exercendi coitum: neque dubium eſt, illum, eſſe magis naturalem, qui magis facit ad conceptionem, 40 cùm fini à natura intento conſequendo magis adjumento ſit. Hunc ergo modum poſt Hippocrat. alioſque vetuſtiores, tradunt nonnulli Recentiorum, ut Mercat. *lib.* 3. *de mulier. & prægn. aff. cap.* 6. Rodet. à Caſtr. *lib.* 1. *de nat. mul. cap.* 3. & alij. Eſt au- 41 tem hujuſmodi, ut mulier in dorſum jaceat, divaricatis, acclivibuſque cruribus, capite tantiſper demiſſo, & vir illam ſic jacentem ſuperineat, hoc enim pacto, modicè elevato uteri oſculo, ipſe uterus promptius ad ſe virile ſemen allicere poteſt. & vir etiam faciliùs prope ipſum uteri oſculum internũ ſemen effundere, unde faciliùs ſuccedit conceptio. Quæcunque ergo alia coëundi ratio, aut in totum, aut ex parte impedire poteſt conceptionem, impediendo aut ne facilè virile ſemẽ excipiet, aut ne virile membrum tam de facili ad uteri interiora pervenire poſſit, aut alia quadam ratione, recedet à naturali

turali ratione, & habebit ſemper ob id in ſe delictum, ut ex Dd. nonnullorum opinione. D. Thom. *in 4. ſent. diſt.* 31. eſt quo Sum. Silveſtr. *verb. deb. conjug. n.* 7. Sum. Ang. *part.* 1. *verb. debitum conjugale, n.* 11. Unde præter allatas rationes, ex quibus coïtus à poſtica parte celebratus impedit generationem, eam inſuper eſſe voluit Rod. à Caſtr. *ubi ſupra*, quia vir non poteſt ob natium ſpiſſitudinem, & craſſitiem ad uteri intimiora ſuo inſtrumento pervenire; quanquam veritas eſt, hoc nullo eſſe impedimento, niſi natium ſpiſſitudo monſtruoſa eſſet; aliàs ſi mulier prona quidem ineatur, in ventrem tamen non recumbat, ſed ſuper genua, faciliùs pervenit vir ſuo membro ad uteri intimiora à parte poſtica, quàm ab antica; unde, quantum eſt ex hoc, nullo modo impeditur conceptio. Venerem hac ratione celebrando. 42 Sed antequàm ulteriùs progrediamur, quæri poteſt, (licèt hoc ad Canoniſtas pertineat) utrùm deviatio ab hac naturali ratione concumbendi, etiam in his culpabilis exiſtat, qui nullam omnino ſpem concipiendi habent, ut in decrepitis, aut in gravidis mulieribus, maximè poſt aliquot menſes, quando neque ſuperfœtationis ullum dubium eſſe poteſt Ratio dubitãdi eſt, quia quocunq; modo reddatur debitum, ſatisfit cuicunq; matrimonij fini; deviationem autem à naturali ratione celebrandi coïtum, in tantum conſtat eſſe culpabilẽ, in quantũ ex ea impeditur generatio. Pontius *de matr. lib.* 10. *c.* 11. *n.* 2. ubi ergo nulla ſpes ſit generationis, nihil intereſſe videtur utrùm hoc, aut illo modo concũbas dũmodò naturâ non abutaris, quod eſſet crimẽ peſſimum: nam, ut dixi, debito matrimoniali, & aliis, ſi quos fines matrimoniũ præter prolis generationem habet, abſqu; dubio ſatisfacere videris.

Ego, non ut ſententiam meam in his proferam, ſed per modum ratiocinandi, ad hoc dubium dicerem, quòd quandocunque deviatio à naturali ratione concumbendi nullâ honeſta ex cauſa fiat, ſed ob voluptatem tantùm, ſemper interveniat aliqua 43 culpa; & moveor ex eo, quòd etiam ſimplex coïtus naturali modo celebratus, factus tamen ſolâ voluptatis cauſa, peccatum infert, ſecundùm aliquos Dd. ſaltem veniale. Coninc. *de ſacram. diſp.* 34. *dub.* 1. *num.* 11. Adde ſeqq. Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 11. *num.* 4. Quantò magis ſi illicito modo ob ſolam voluptatem coïtus celebretur? quo tamen, vel Galeno noſtro teſte. *lib.* 6. *de loc. aff. c.* 6. non eſt homini 44 ob voluptatem utendum, licèt contrarium ſentire videatur Plutarch. *in lib. de ſanit. tuend.* ubi Veneris finem ſolam voluptatem eſſe voluit; ſed hic finis irrationalis medius fidius eſt, neque verus, nam coïtum natura non inſtituit ad delectanda animalia, ſed voluptatem in coïtu poſuit, ut allicerentur ad coïtum propter generationem. Iſaach. *lib.* 5. *theor. c.* 107. Halyabb. *lib.* 5. *theor. c.* 36. Et ex Canoniſtis idem Sanch. *ibid. n.* 6. qui & illud rectè addit à Medicis & Philoſophis deſumptum, non minus ſcilicet intendi à natura delectationem in cibis aſſumendis ad individui conſervationem, quàm dele- 45 ctationem in coïtu ad conſervationem ſpeciei. Sed quidquid ſit in cæteris animantibus, homini certè in uxore ex uſu matrimonij voluptas minimè quærenda; nam benè Verus Imperator, referente Cœlio Rhodigin. *lect. antiq. lib.* 28. *c.* 13. uxoris nomen, dignitatis, non voluptatis nomen eſſe aſſerebat. Relinquam nonnullorum Canoniſtarum opinionem, de qua Sum. Armill. *verb. debitum conjugale*, quòd qui non naturali concumbendi modo utuntur, videntur abuti Matrimonij Sacramento; de hac enim ratione ad me non pertinet conſiderare.

Licet autem unicam tantùm coëundi rationem eſſe dixerim propriè naturalem, ex eo, quòd ea præ cæteris ad conceptionem facere videatur, non eſt 46 tamen hoc ita accipiendum, ut quemadmodum ſuperiùs annuimus, omnis deviatio ab ea omnino generationi obſit, quia evenit aliquando, ut conceptio ex coïtu naturali ratione celebrato nullo modo ſuccedat; ſuccedat autem alia quacunque ratione; unde eam ob cauſam determinatum à Canoniſtis eſt, nullam habere in ſe culpam deviationem à na- 47 turali modo coëundi ad hunc finem, nempe ut faciliùs ſuccedat conceptio. Brunel. *de matrim. concluſ.* 8. *n.* 15. Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 16. *num.* 7. Alphonſ. Vivald. *in candel. aur. part.* 1. *tit.* 17. *rubr. de redd. debito conjug. n.* 11. quemadmodum neque culpabilis hæc eadem deviatio eſt, quandocunque ex alia honeſta cauſa fiat ut iidem Dd. dicunt *locis cit.* veluti ad evitandum abortum, vel cùm non licet ob corporum diſpoſitionem aſſuetâ ratione coïtum exercere. Hoc autem in tantum eſſe verum dicunt, quòd etiam ſi talis coëundi ratio impediret, ne mulier totum virile ſemen ſuſcipere poſſet, tamen dummodò ex cauſa fieret, non eſſet peccatum, quia non impediret generetionem; dicunt enim cum Medicis, quòd ex parte tantùm ſeminis ſuccedit conceptio. Sum. Armil. *part.* 1. *verb. deb. con-* 48 *jug.* Sum. Silveſtr. *part.* 1. *verb. deb. conjug. num.* 6 *in fin.* Sanch. *ubi ſupra, n.* 5. Diana *reſol. moral. par.* 3 *tract.* 4. *reſolv.* 204.

Adverte tamen, hîc neutiquam veram eſſe Canoniſtarum, ut ex Alberto Sum. Silveſtr. & Sanch. aliorumque opinionem, volentium generationem in nulla coëundi ratione impediri, dummodo coïtus in naturali vaſe celebretur; prudenter autem eam rejicit Pontius *de matrim. lib.* 10. *c.* 11. *n.* 2. & Medicorum ſententiæ ſeſe in hoc remittit; nam ſimpliciter loquendo, omnis deviatio à tradita illa naturali ratione conceptionem aut in totum, aut ex parte impedire poteſt, licèt per accidens interdum eveniat, ut eadem deviatio à naturali ratione conceptionem coadjuvet, aliàs aut prohibendo omnimodam vaſorum approximationem, aut os uteri conſtringendo, aut contorquendo, aut à ſuo ſitu dimovendo, aut virile membrum cogendo extra opportunum locum ſemen effundere, aut alio quocunq; modo hæc deviatio conceptionem impedit; quemadmodum eandem ob rationem cùm vel mulieris habitus, vel uterus, non naturali modo ſe habet, juvatur conceptio ex mutatione modi naturalis: ſic ventre alterutrius, vel amborum conjugum nimia pinguedine turgente, mulierem à parte poſtica inire idcirco conceptioni opitulatur, quia ex parte antica inire impedit approximationem convenientem membrorum, & ſeminis proventum ad uterum; à parte autem poſtica facilior approximatio, & promptior ſeminis ad uterum acceſſus. Sic etiam ubi uterus deſcendat, is idem ſitus magis facit ad conceptionem, quia muliere in faciem prona jacente, ſublatis lumbis, uterus in ſuum locum reverti poteſt, & ſic faciliùs ſequitur conceptio. Eo- 49 dem quoque pacto, utero in alterutrum latus vergente, prodeſt in adverſum latus jacentem mulierem comprimere, licèt conjugibus hoc modo, in latus ſcilicet congredientibus, aliàs difficulter, imò vix ullo modo ſequatur conceptio, quia ſemen in collum ipſius uteri effunditur, ut dicit Roderic. à Caſtr. *de nat. mul. lib.* 3. *c.* 5.

Sed præterquam quòd, ut dixi, ut plurimùm mutatio modi naturalis concumbendi impedit generationem: Contra id, quod cum aliis citatis Canoniſtis determinat Sanchez *loco citato*, *diſp.* 9. *num.... & diſp.* 20. *num.* 1. ſunt quidam concumbendi modi,

51 modi, qui non ſolùm conceptionem impediunt, ſed ſanitati maximoperè officiunt, quod quidem concumbentium culpam graviorem facere, fortaſſe non erit dubium. Tam ultrà autem proceſſit conclamata hominum laſcivia, ut nullæ propriæ ſanitatis ratione habita, non contenta iis, quas natura immiſcuit in coïtu, voluptatibus; majores ſuâ malitiâ quæſiverit; unde non uni, aut alteri, quos fortè ipſa natura dictare potuit, modo concumbendi acquievit, ſed multiplices adinvenit, potiùs ſilentio contegendos, quàm ſummo cũ pudore detengedos. Jam verò Cyrenem meretricem duodecim concumbẽdi modos habuiſſe, unde Dodecamechanos dicta ſit, ex Ariſtophanis interprete referunt Cœl. Rhodig. *lib.* 14 *c.* 8. Auctor *in adagiis.* & Tiraq. *de leg. connub. gloſſ.* 1. *par.* 1 *n.* 97. ex Suida, qui & Elephantidem quandã modos, & figuras, ſpecieſque & formas deſcripſiſſe, & concubituum ſchemata depinxiſſe narrat, quibus Tiberium Imperatorem cubiculo exornaſſe tradit Sueton. *in ejus vita, c.* 3. & de aliis etiam vide apud ipſum, *ibid.* Sed perdita quorundã hominũ petulantia ſuperiori ſæculo huic rei ita ſtuduit, ut de illis verificari potuerit Ovid. dictum. *lib.* 1. *de art. am. nd.*

——— *Venerem jungunt per mille figuras.*

Et illud Martial. *lib.* 12. *num.* 43.

Sunt illic Veneris nova figura.
Quales perditus audiat fmutor.

Et utinam hæc in præſentiarum non magis, quàm alio quovis tempore vigerent, fortaſſe non magis difficile fuit antiquitùs, quàm nunc ſit, enarrare,

——— *Quibus verbis concumbat quiſque, modis quot.*

Nos autem de his non abſque pudore inviti loquimur, non tamen abſque ſumma neceſſitate; pro Canoniſtis enim à nobis decidendum eſt, quinam modi concumbendi magis, aut minùs generationem prohibeant, qui item magis aut minùs ſanitati noceant, ut ipſi deinceps determinent, quantum concumbentes, & quando peccent.

52 Naturali itaque modo jam demonſtrato, dicendum eſt, ab eo omnium minimè recedere, nihilque ſanitati obeſſe coitum, in quo mulier inſtar quadrupedum initur prona jacens, elevatis cruribus; magis autem conceptioni obſiſtit, & magis item ſanitati mulieris obeſt, cùm illa in Venerem jacens demiſſis, extenſiſque cruribus Venerem exercet, pectori enim, & reſpirationi mulieris ſitus hic inimicus eſt, eo maximè in actu, in quo mulier multum ſe exagitat, atque ut Lucr. *lib.* 4.

——— *Exoſſata ciet omni pectore flatus.*

Vir autem non poteſt ob natium mutuam compreſſionem & ſpiſſitudinem, membro ad uteri intima penetrare. Conceptionem inſuper impedit, & viri ſanitati inſidiatur, ſi modo quidem conſueto concumbat, ſed vir aut alterutrum, aut utrumque uxoris crus propriis brachiis elevet, atque ſuſtentet, præterquàm quòdenim laborem adauget, ejus ſemen non rectà ad uteri internum oſculum, ſed ad ſuperiores colli ipſius uteri parietes ejicitur. Hinc ſequitur concubitus in latus, qui etiamſi niſi obeſſe alterutrius ſanitati videatur, conceptionem tamen omnino impedit, ſive illa ab antica parte, ſive à poſtica fiat; nullam enim in hoc differentiam agnoſco, quantum pertinet ad faciliorem, vel difficiliorem conceptionem; ventris enim extuberantia ab una parte, natium ab altera, & compreſſio ſubjacentis partis à ſuperiore, prohibent neceſſariam vaſorum approximationem; ſitus autem uterum in latus concidere cogit, ac ipſius oſculum conſtringit, ita ut minùs prompte virile ſemen poſſit excipere. Ex quo patet, magis recedere hunc modum à naturali, quàm Canoniſtæ putent, qui parum recedere exiſtimarunt. Sum. Ang. *p.* 1. *verb. deb. conjug. n.* 25. Sum. Silveſtr. *p.* 1. *verb. deb. conjug. n.* 6.

Subſequitur concubitus factus utriſque ſtantibus, 53
in quo conceptio impeditur, & ſanitas detrimenti plurimum elicit. Impeditur conceptio, quia os uteri & conſtringitur, & nimis extenditur, ut dicit Rod. à Caſtr. *loc. cit.* ſanitas labefactatur, quia cùm coïtus per ſemetipſum hominem debilem faciat, quandocunq; erectis hominibus ſit, majorem multò affert laſſitudinem. Oribaſ. ex Ruf. *lib.* 6. *collect. c.* 8. præterquam quòd diſponit corpora ad articulares morbos, & ad pleroſque alios; unde crediderim, ſi ulla culpa intervenit in mutatione modi, multò majorẽ (licèt contrà videri poſſit) ex hoc concumbendi modò conjuges incurrere, quàm ex ullo eorũ alio, quos jam tradidimus. Sed & coïtus qui ſedente alterutro ex conjugibus, vel utriſque ſit, laborioſus eſt & conceptioni contrarius nam ſedente muliere internum uteri oſculum conſtringitur, & vaſa, ſeu 54
inſtrumenta generationis debitè conjũgi non poſſunt; ſedente autem viro, eadem inconvenientia ſubſequuntur, quæ mox addemus numero proximo, ſedentibus autem utriſq; eadẽ inconvenientia adaugentur. Omnium maximè & generationem impedit, & noxius ſanitati viri concubitus eſt, cùm mulier virum init, nempè cùm vir ſuccubus eſt, mulier incuba. Avic. 20. 3. *tract.* 1. *c.* 11. Raſ. 24. *com. in c.* 1 præterquàm multos enim morbos, qui inde ſequi poſſunt, nullo modo conceptio eſt poſſibilis. Neq; ullã veritatem habet, quòd mulieres concipere poſſint, etiamſi membrum virile non intret per uteri clauſtra ob uteri facultatem attractricem, ut voluerunt Canoniſtæ. Sanch. *de matr. lib.* 9. *diſp.* 16. *n.* 3. decepti omnino ex eo, quod ſibi perſuaſerint ex ſemine projecto in balneo, aut in lecto, abſq; concubitu mulieres aliquando concepiſſe, quod eſt ridiculũ, & aliàs à me confutatum. Itaque hic modus uti à Medicis præ cæteris ad corporis ſalutẽ improbatur, ita præ cæteris ob ſalutem animæ à Canoniſtis videtur damnandus, quia omnino impedit prolis generationem. Unde videndum, an benè determinaverit Ungarel. *in addit. ad ſum. Ang. verb. debitũ conjugale, n.* 25. *lit. B. ex Aſten.* in hoc modo concumbendi, eo quòd nec mulier eſt apta ad ſemen ſuſcipiendũ, nec vir ad infundendum, intervenire peccatum mortale.

Et ex his apparet minus rectè Brunel *de ſponſ. & matrim. concl.* 8. *n.* 13. Sum. Angel. *par.* 1 *verb. debitum conjugale, n.* 11. Summ. Silveſtr. *verb debitum conjug. n.* 6. alioſque plures Canoniſtas determinaſſe, qualiſnam modus deviet à naturali concumbendi ratione; nam cùm deviatio à naturali modo tantò ſit magis contra naturam, quantò promptiùs impedit conceptionem, ut elicitur ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 12. Leſſ. *de juſt. & jur. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 12. *n.* 60. Sanch. *ubi* 5. *n.* 1. abſque dubio modus, quo quadrupedes utuntur, minimè deviat à naturali modo, quia minùs impedit conceptionem, ut jam probavi; contrà autem lateralis concubitus parum quidem deviat à naturali modo ſecundùm figuram, ſed maximè deviat quoad finem in concubitu intentum, quia ex eo difficillimè, aut nullo modo ſequitur conceptio. Brunel tamen, & cum eo Sanch. *ubi ſuprà* & alij Canoniſtæ, qui, cùm Medici non eſſent, neſciebant qualis modus magis, aut minùs conceptionem impediret, attendebant tantùm ad externam figuram, & ſic voluerunt concubitum illum belluarum more omnium maximè eſſe contra naturam, quod ex dictis falſum eſſe conſtat.

SUMMARIUM.

1 *Conjuges excusantur à redditione debiti, si ea in propriæ salutis detrimentum sit futura.*
2 *Venus, si quis alius labor, firmas requirit vires.*
3 *Quæ natura sint magis, aut minùs Veneri idoneæ.*
4 *Venerem melancholicis prodesse, quomodo veritatem habeat.*
5 *Morbis ex pituita Venus quomodo conferat.*
6 *Quæ ætates Veneri sint magis, aut minùs idoneæ.*
7 *Principum partium dyscrasia quomodo à Veneris usu prohibere hominem possit.*
8 *Mulieres magis quam viri æstate Venerem appetunt.*
9 *Anni temporis conditio quomodo virum prohibere possit à coïtus usu.*
10 *Quodnam tempus Veneris usui magis, aut minùs idoneum.*
11 *Coïtus quando exercendus, aut vitandus.*
12 *Inanitio quando coëunti possit esse noxia.*
13 *Jejunare an teneantur qui debitum reddere debent.*
14 *Conjux non potest se ita jejuniis macerare, ut impotens ad debitum reddendum fiat.*
15 *Qui jejunavit, an teneatur reddere debitum.*
16 *Labor quomodo excuset à reddendo debito.*
17 *Morbus est ex præcipuis causis impedientibus debiti redditionem.*
18 *Coïtus non præsumitur in valetudinario.*
19 *Coïtus ad sanitatem confert, & est causa curativa multarum ægritudinum.*
20 *Morbi ex pituita quando præbeant legitimum impedimentum utendi coïtu.*
21 *Detrimentum, quod timetur ex coïtu, debet esse notabile, ut excuset.*
22 *In frequentata debiti redditione sufficit morbus levissimus, ut excuset, contrà in rariori.*
23 *Febres, & morbi cum febre, à redditione excusant.*
24 *Dolores omnes insignes à debiti redditione legitimè excusant.*
25 *Morbi per circuitus revertentes, si sint notatu digni, excusant etiam in eorum intermissione.*
26 *Nervorum morbi qui excusent.*
27 *Morbi somnolenti, & insaniæ, quando excusent.*
28 *Qui morbi oculorum, & aurium excusent.*
29 *Qui morbi pectoris excusent.*
30 *Qui morbi partium naturalium excusent.*
31 *Morbi renum qui excusent.*
32 *Vulnera quæ excusent.*
33 *Tumores qui excusent.*

De his, quæ virum à redditione debiti excusare possunt, ex parte sui.

QUÆSTIO II.

EX præcedenti quæstione patet, quòd quamquam conjuges ex Justitia teneantur, sibi invicem reddere matrimoniale debitum, tamen excusantur, quandocunque redditio futura est cum propriæ salutis periculo.; unde non solùm non
1 tenentur eo casu reddere, sed reddendo, & exigendo mortaliter peccant. Pontius *de matrimon. lib.* 10. *cap.* 14 *num.* 2. & 3. & quia ad Medicum solummodò spectat dijudicare, quandonam coïtus possit esse ita noxius, ut notabili discrimini coëuntes exponat, circa hoc jure optimo Medicus venit consulendus Pontius, *ubi proximè, num.* 3. is enim causas, quæ maximè impedire possunt veneris usum investigans, multum Canonistas juvare potest in determinando, quænam legitimè excusent, quæ non.

Hujusmodi igitur causæ veneris usum notabiliter impedientes, considerari possunt vel respectu viri, vel respectu mulieris, vel respectu utriusque. Loquamur autem ante omnia de iis, quæ excusant virum reddere debitum uxori ex parte sui ipsius, dummodò ante omnia admoneamus, omnes hasce causas respicere magna ex parte virium robur: Venus enim, si quis alius labor, firmas requirit vires, 2
præsertim in vito; itaq; ubi vires ex coïtu notabiliter labefactatas iri suspicamur, jam præsens est legitima excusatio non reddendi debitum: vires autem vel ex sua natura debiles sunt, vel ex accidenti dejiciuntur. Ex natura quidem, ut ob temperamentum, vel ob ætatem, vel ob insignem aliquam principis partis dyscrasiam: Ex accidenti verò, vel ob temporis conditionem, vel ob morbum, vel ob inanitionem, vel ob laborem.

Quoad temperamenta, quæ ipsas individuorum 3
naturas dixeris, certũ est, & admonent etiam Medici, ut Galen. Oribas. Avicen. & alij locis jam adductis, quòd quemadmodum naturæ calidæ & humidæ veneri sunt maximè idoneæ, ita his contrariæ, nempe frigidæ & siccæ, omnino veneri ineptæ: ut enim illæ sanguine multo, & semine abundãt, & ob id validas vires habent, eodem quoque pacto hæ ob contrarias causas viribus sunt imbecillibus. Qui ergo imbecilles habent vires, inquit Galen, apud Oribas. *lib.* 7 *collect. c.* 27. ij à veneris usu ad summam infirmitatem deveniunt. Considerandum autem esset, quatenus, & quousque hujusmodi naturæ sufficiant ad coïtum, ita ut absq; periculo, saltem insigni possint debito satisfacere. Sed certè non possunt particularia determinari, quamobrem in hoc unusquisq; proprias vires, & Medicum consulere debet, adnotando ea, quæ aliàs ex coïtu, aut ex voluntaria, vel in somnis facta seminis evacuatione sibi acciderint, & quanam ratione in hoc se habuerit; universaliter tamen hæc ita determinari possunt: Calidas humisdasq; naturas omnium minimè, frigidas & siccas omnium maximè, ut diximus, à veneris usu lædi. Aver. *lib.* 5. *collig. c.* 12. unde & respectu temporis, & respectu ætatis, & respectu laboris, & respectu frequentationis ipsius coïtus, & respectu deniq; quàrumcunque causarum illæ aut nihil, aut parum, vel multum excusari possunt. Calidæ & siccæ naturæ licèt facilè resolvantur, medio tamen modo se habent, quia sanguine abundant, multoque spiritu & calore; unde facilè, quod facilè deperdunt, recuperare sunt aptæ Frigidæ & humidæ, eo quòd multo calore non abundent, his multò minùs veneri sufficiunt. Quanam autem ex ratione Aristot. & Rufus dixerint, venerem melancholicis prodesse, qui tamen naturæ sunt frigidæ & siccæ, ambigere licet;
dici tamen potest, non his, qui à natura, quòd pau- 4
cissimo calore sint dotati, sed his qui ex accidẽti, in quibus aliàs calor vigere potest, fiunt melancholici, veneré prodesse. Idem dubiũ etiam de Hippocr. ejusdemq; Aristot. sententia insurgere potest, quòd
dixerint, coïtum prodesse morbis ex pituita: nam si 5
sic est, videretur etiam dicendum pituitosis naturis, frigidis nempe & humidis, quæ multâ pituitâ abundant, veneré esse proficuam. Verumtamen non idem est dicere, veneré prodesse morbis ex pituita factis, & venerem prodesse naturis pituitosis; nam pituitosæ naturæ debili calore sunt præditæ & modico sanguine abundãt; at qui patiuntur morbos pituitosos, poterunt aliàs multo calore abundare, & sanguine, & vires integras fortiri: sic autẽ à veneris usu juvari poterunt evacuando per veneré pituitæ copiam, absque eo, quòd viribus destituantur, aut proprium corpus nocuâ refrigeratione labefactent.

De ætatibus autem ita cum præcitatis Doctori- 6
bus determinandum: Juventus quidem, quòd & spiritu,

ſpiritu, & calore, & viribus præ cæteris ſit prædita, præ cæteris quoque Veneris operibus vacare tutò poteſt. Ab hoc autem tempore, quod in hoc negotio à vigeſimo primo anno enumerare libet, quando jam corpus ſuum totale incrementum ſortitum eſt, ſuccedit procedendo uſque ad quadrageſimum, vel quadrageſimum quintum; ætas verò quæ huic ſuccedit, uſque ad quinquageſimum, vel quinquageſimum quintum, medio modo ſe habet; abhinc ita ætatem excuſare dixerim, ut legitimum impedimentum præſtet reddendi debitum, aut omni ex parte, aut ſaltem ex majori, ita ut ſi anteacta ætate quis reddere conſueviſſet bis ſingulis hebdomadis, ab inde ſufficeret reddere ſemel in menſe, quòd ab ulteriori redditione inſigniter lædi poſſit; imminet enim huic ætati ex frequentiori coitu evidentiſſimum ſanitatis periculum. Sed tamen hæc nihil per ſe operantur, niſi ſimul vires cum ætatibus conſiderantur: nam, ut non ſemel diximus, ætates non annorum numero, ſed virium robore ſunt metiendæ. Verum enim verò ætas, quæ juventutem præcedit, nempè ante annum vigeſimum primum quemadmodum acutioribus Veneris ſtimulis conflictatur, ita minùs rationabiliter, minuſque diſcrete & exigere, & reddere debitum ſolent; illud tamen certum eſt, hanc ætatem eò magis Veneris uſu lædi, quò tenerior eſt, & idcircò in prima pubertate tanti æſtimarem hanc rationabiliter timendam læſionem, ut ſaltem ab iterata per ſingulos dies redditione jure excuſati etiam robuſtiorem adoleſcentem poſſe crediderim, coïtus enim tum temporis, cùm nempe hircire, aut catulire, ut aiunt, homines incipiunt, & corporis incrementum impedire, & vires inſigniter labefactare & hominem ad multos morbos diſponere poteſt: quin & imbecillem prolem, morbiſque obnoxiam expectare ex hujuſmodi horum frequentata conjunctione conveniens eſt.

7 Ab his conſiderandum eſt de principum partium naturali debilitate; fit enim interdum, ut corporis quidem natura, temperamentum, & robur Veneris laboribus facilè ſufficiant, ſed vel capitis, vel cordis, vel ſtomachi imbecillitas huic rei mirum in modum obſtare videatur. Neque dubium eſt, naturales haſce principum, vel præcipuarum partium debilitates & conſtitutiones evidentem cauſam præbere poſſe concumbentibus, ut in difficiles, pernicioſos, lethaleſque earundem partium morbos labantur: legitimum ergo hæ ipſæ impedimentum dabunt reddendi debitum. Sed de his plura exarabimus, cùm de morbis hanc eandem debiti redditionem impedientibus verba faciemus.

Jam verò ad ea, quæ ex accidenti eveniunt, conſideranda properemus, & primo loco ſe offert anni
8 tempus, circa quod illud antè ex naturalibus denuò adnotabimus (nam & aliàs adnotavimus) mulieres magis appetere coïtum vigente æſtu, quàm alio quovis anni tempore, quod etiam ex Heſiod. & Ariſt. pluribus in locis, præcipuè verò, *lib. 4. prob. c. 26.* & Plin. adnotavit ex Juriſconſultis Tiraq. *in leg. connub. lib. 9. gloſſ. 1. part. 9. n. 125.* & ardente præſertim
9 Sirio, ſalaciores ſunt, quandò maximè viribus viri languent; cùm ergo tunc evenire facilè poſſit, ut mulieres debitum frequentiùs exigant videndum, an temporis conditio viros à redditione ſufficienter excuſet; dicendumque videtur, anni tempora aliquando in totum, aliquando ex parte excuſare poſſe; nam in totum excuſare poteſt æſtas vigens, ut ardente caniculâ unde dies caniculares determinantur, tunc enim ob ſummam virium imbecillitatem, & ob facilem earum reſolutionem, ob præternaturalem calorem facilè conceptibilem, ſummâ imminet ex coïtu periculum. In aſſuetis tamen hoc non habet ita locum, ut in totum excuſari poſſint, ſed maximâ ex parte, ut ſi conſueverint bis in die, non excuſabuntur ab unica, vel repetita etiam redditione ſingulis hebdomadis, durante æſtu; ex hac enim notabile nocumentum non reportabunt.

Porrò Medici, cùm inter anni tempora vernum 10
dixerint eſſe Veneri aptiſſimum, cætera ſuſpecta habuerunt, omnium tamen maximè æſtivum, ob caloris naturalis pauperiem, ejuſque facillimam reſolutionem, viriumque, ut dixi, ſummam imbecillitatem, alia verò duo, hyemale nempe, & autumnale, licet non utilia eſſe pronunciaverint, non ut æſtivum tamen ab aliquibus vituperantur, licèt pleriq; fuerint, qui non æſtivum, ſed autumnale præ omnibus damnandum eſſe ad hunc effectum exiſtimaverint, quod & corpus imbecilli adhuc calore dotetur, & multis, variiſque excrementoſis abundet humoribus; & videtur quidem, quòd quemadmodum coïtus frigidis & ſiccis naturis eſt inimiciſſimus, ſic etiam in autumno, qui frigidus & ſiccus ſuâ naturâ eſt, magis quàm in alio quovis tempore, nocuus futurus ſit. Quod ſi ita eſt, autumnus non minùs quàm æſtas, à debiti redditione excuſabit, licèt vulgus contrarium perſuaſum habeat; in æſtatis enim fervoribus ab uxoribus recedunt, adveniente autem autumno ad earum redeunt congreſſus, juxta vulgatum proverbium. Ergo hyemale tempus medio modo ſe habebit, ut non quantum vere, coïtu abſque incommodo viri uti poſſint, nec ut in æſtate, & in autumno excuſentur.

Conſiderarunt porrò Medici, in hac ipſa re, etiam 11
particularia totius diei tempora, & quæ cum iis corporis eveniunt mutationes, ut an jejuno, vel paſto homini coïtus magis nocuus, aut proficuus ſit; an ante, vel poſt ſomnum celebrandus; an veſpere, cùm quis it cubitum, an de mane, antequam è lecto homo ſurgat, ſit conducibilior. Nos Galeni, aliorumque Medicorum auctoritate ducti, dicamus, recentes ſatietates, & ebrietates ſemper eſſe vitandas, periculum enim minantur: Videndum ergo an prægreſſæ à debiti redditione excuſare debeant, famem quoque eſſe cavandam certum eſt; jejunis ergo à coïtu abſtinendum, unde & jejunus homo excuſabitur: non pro unica vice, ſed ſi frequenter jejunus concumbere cogeretur. Optimè verò quis concumbet à cibo, inquiunt Medici qui ad ſatietatem non ſit ingeſtus; & cùm ſatius ſit viro uti coïtu cùm cibum moderatè ſumpſerit, à cœna quidem opportunè id fiet; concubitus verò, qui mediâ nocte, & qui ſub auroram fiunt, habent omnes cum ſe aliquod periculum, & licèt hæc leviora fortè ſint, quàm ut virum excuſare à debiti redditione poſſunt, tamen ſi uxor frequentaret exigere ſemper uxoris hujuſmodi non opportunis, non eſſet detrectandum, virum legitimè excuſari poſſe; ſunt enim qui ex coïtu tunc facto in ſtomachi cruditates, dolores, vertigines, capitis debilitatem, & alias non contemnendas infirmitates incidant.

Cæterùm inanitio notatu digna, vel naturâ fa- 12
cta, vel arte, aut quomodocunque procurata, ex qua vires quoquomodo ſint dejectæ, legitimè viderentur excuſare à redditione debiti, cùm poſt tales inanitiones concumbere, ſit mortis periculo ſponte occurrere; ut poſt inſignem corporis dejectionem, poſt notabilem ſanguinis undecunque evacuationem, poſt vomitum copioſum, poſt uberem ſudorem, & in ſumma, poſt quamcunque inanitio-

nem ; sic etiam post jejunium , tale nempe, in quo nihil homo ingesserit,quod non minùs inanire corpus est aptum. 15 Circa quod tamen dubitari potest primò , an qui debitum redditurus est, teneatur jejunare ; & circa hoc,non minus quàm circa alia determinanda ; vires , ut admonuimus, examinandæ, quæ si validæ sint, & debitum moderatè sit reddendum ; nihil quicquam impedimento esse censuerim debiti redditioni , si jejunium juxta Ecclesiæ Catholicæ ritum sit observandum , nempe ut semel in die ad libitum comedamus quidquid libuerit,carnibus, lacticiniis, oviſque exceptis, permisso insuper vespertino jentaculo,quod affluentibus ea de causa, si quando opus fuerit, desumi poterit. Aliàs verò si jejunium rigorosius esset,& plurimum dierum futurum sit , ut si triduo cum pane , & aquâ sit jejunandum , tunc certè ob imminentem virium dejectionem non posset absque periculo homo jejunare , ut si fortè id esset alicui pœnitentiâ injunctum ; nam tunc magis tenetur satisfacere debito , ad quod ex Justitia tenetur. Adverte autem,unius diei jejunium ordinarium nihil notabilis detrimenti afferre posse ei, qui redditurus est debitum, juxta id quod in usu habet;contrà autem si plurium dierum, ut est Quadragesimale.

14 Nota ulteriùs , secundùm Canonistas non posse conjugem se jejuniis , & abstinentiis ita macerare , ut evadat impotens ad reddendum. Summ. Armilla *verb. debitum conjug.* Sum. Silvestr. *verb. eod. n. 2. par. 1.* Coninc. *de sacram. disp. 34. dub. 2. n. 18.* Pontius *lib. 10. de matrim. c. 3. n. 7.* Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 3. n. 7.* quod in tantum verum est, ut non solum habeat locum ubi impotens evaderet , sed etiam ubi deformis ex hoc redderetur , & maximè mulier, 15 quam volunt ex hoc mortaliter peccare, quia daret causam , ut odiosa apud virum suum evaderet, qui facilè inde occasionem haberet committendi adulterium,ut prosequitur Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 19. n. 4.* Et ex his etiam satisfieri potest alteri dubio , num scilicet qui jejunavit , teneatur reddere debitum ; nam vir mediocris virtutis , nempe qui commune hominum robur adæquet , non excusatur ex ordinario unius tantùm, aut alterius diei jejunio à debiti redditione;secus autem si fuisset plurium dierum , & multò magis si jejunij ordinarij rigorem transcenderet,ut fuisset cum pane & aqua. Sed in his quoque virium robur attendendum , nam quantumvis arduo , & longo quis jejunio macerataretur intra terminos tamen ordinarij , ac diurni jejunij loquendo , dummodo vires sufficerent , excusaretur à debito reddendo in totum, nullo im- 16 minente sanitatis periculo.

Sequitur post hæc labor, qui si vel jam præcesserit ; vel de necessitate postmodum futurus sit,dummodo sit notatu dignus,à Veneris usu ita hominem prohibet,ut nisi omnem salutis aleam currere velit, ab eo abstinere debeat;licèt enim ut Ruf. apud Oribas. *lib. 6. c. ult.* dicebat,putaverint Medici nonnulli, solvi concubitu labores, nempe concubitū esse pro remedio laborum , tamen, ut ipse Rufus addebat , malè hi sentiunt, cùm imbecillitas esse non possit laborum remedium : nam ipsa ratio suadet , ut ex Hippocr. Galen. dicebat *in 3. de morb. vulg. comm. 3. tex. 31.* labori laborem non mederi. Et tamen non videntur absq; apparenti saltem ratione dixisse Medici illi,solvi concubitus labores, nempe concubitū esse pro remedio ejus lassitudinis, quæ laborē consequitur ; fit enim hæc à confertim facta, ac multa spirituum resolutione ex incalescētia sanguinis per laborem Levis ergo concubitus,sanguinem modicè refrigerando,causam tollit majoris resolutionis spirituum, sicque aliquo modo labori mederi potest ; sed neque vera omni ex parte est ea Galeni assertio , quòd labor labori non medeatur, quia si Celso credimus *lib. 1. cap. 3.* levat lassitudinem,etiam laboris mutatio , eumque quem novum genus ejusdem laboris pressit,id quod in consuetudine est , resicit.

Quicquid autem de hac ratione sit , certum est laborem excusare à debiti redditione, quod intelligendum , ut annuimus, de labore immodico & inconsueto , nam si aliàs ita quis se assueverit, ut post familiarem, quotidianumque laborem concumbat, & ex hoc nihil jam detrimenti perceperit, non erit hic labor sufficiens ad excusandum : immoderati enim labores dicendi,qui ultra virium tolerantiam, vel ultra consuetum fiunt,semper autem immoderati dicuntur in relatione ad ipsum laborantem , nam qui labor respectu Socratis erit levis , gravis immoderatusque erit respectu Calliæ,& sic ex uno, eodemque labore, quoad quantum,Callias excusari poterit à redditione debiti,Socrates nequaquam, ex eo quòd Calliam, vel quia non est assuetus , vel quia imbecilli corpore est , insigniter debilem faciet: Socratem,vel quòd sit assuetus,vel quòd firmo sit ac robusto corpore , ne afficiet quidem. Sed de labore aliàs *lib. 3. tit. 1.* differui.

Remanet tandem inter causas virum excusantes à debiti redditione,de morbo considerare : firmabimus ergo primò hanc conclusionem,omnibus Medicis, sed quid inquam Medicis, omnibus professoribus , imò & ipsi imperitissimo vulgo acceptissimam , morbum esse ex præcipuis causis impedientibus Veneris usum : Est enim morbus res præter naturam , & naturæ ipsi inimica , unde in quovis morbo supponitur naturæ debilitas, & nativi caloris succumbentia. At veneris usus, & multo calore naturali indiget , & prosperam requirit valetudi- 17 nem,nam ipsa corporis valetudine,ut dicebat Arist. *8. de hist. anim. c. 18.* animalia quæcunque ad coitum excitari solent ; atque eadem ex causa prudenter apud Jurisconsultos dictum reperies, & communi- 18 ter accipi , coitum in valetudinario non præsumi. Mascar. *de probat. concl. 512. n. 16.* quanto magis non sumendus in eo , qui jam ægrotat ?

Licèt autem constet,ut aliàs etiam probavi,coïtum non modò ad tuendam sanitatem aliquando 19 conferre , sed esse causam curativam plurimarum ægritudinum,ut cum Hippocrate, Aristotele,Galeno & Avicenna,aliisque præcipuæ auctoritatis Medicis dicit universa Medicorum schola,quemadmodum recensuit *lib. 6. tit. 1. quæst. 5. n. 5. & seqq.* maximè autem opitulari morbis ex pituita genitis , ut post Hippocratem signanter firmat Arist. *lib. 1. problem. num. 51.* quòd, quâ ratione fiat , exponunt Doctores ibi , & post Conciliatorem , Septalium , Guastavinium, alij recentiores,tamen hi ipsi morbi legitimum impedimentum præbere debent in Ve- 20 neris usu , quia quandocunque coitus pro cura alicujus morbi sit exercendus , non debet, qui coiturus est alterius voluntate adstringi , sed libitu suo, & quando opportunitas exigit , concumbere ; aliàs non modò Venus morbum non curabit , sed eum adaugebit , aut hominem in pejores morbos conjiciet. Non tamen dubitandum,quòd, si uxor opportunè petat,& redditio sit cessura in viri utilitatem , etiam morbi detenti , vir teneatur , modò id illi constet , reddere debitum ; contrà autem , si extra opportunitatem exigat.

Sed qualisnam morbus ad hunc effectum dici debet sufficienter excusare ? num sufficienter qua-

liscunque,

21 liſcunque, etiam leviſſimus? Advertendum circa id, quòd detrimentum redundans vito ex debiti redditione, ut ipſum legitimè excuſet, debet eſſe notabile, aliàs ſi modicum futurum ſit, non legitimè excuſabit, quia præponderat illi lex Juſtitiæ obligans ad debitum reddendum. Sanch. *de matrimon.*
22 *diſp.* 24. *n.* 2. *lib.* 9. Pontius *ibid. lib.* 10. *c.* 14. *n.* 3. Quâ veritate ſtante, dicendum primò: In frequentata debiti redditione ſufficere, ut morbus ſit leviſſimus, ad hoc ut excuſet, quia frequentia coïtus exhauriendo ſpiritus, abſumendoque ſubſtantiam ultimi alimenti, ex leviſſimo morbo, maximè ſi aliqua diſpoſitio, aut morboſus apparatus adſit, facilè poteſt facere, frequentia autem, & raritas coïtus deſumenda juxta hominum robur, conſuetudinem. At in rariori debiti redditione, in viro alioquin mediocris fortitudinis, non ſatis eſt quicunque levis morbus ad excuſandum: Natura enim, etiam in morbis alicujus conſiderationis, ſalubriter ſponte ſemen excernit, maximè in aſſuetis. Morbus ergo qui legitimè excuſet, debet eſſe talis, ut inſigniter lædat operationes, & vires aliquo modo dejiciat.

23 Cæterùm circa morbos univerſaliter primò ita videtur pronunciandum: Morbi omnes, qui aut febres ſunt, aut febres conjunctas habent, quæcunque tandem illæ ſint, aut continuæ, aut intermittentes, aut lethales aut non lethales, aut acutæ, aut chronicæ, aut eſſentiales, aut accidentales, aut ephemeræ, aut putridæ, aut habituales, omnes, ac ſingulæ hominem ab omni coïtus uſu prohibere debent, ob damnum notabile ab ejus uſu emergens: quia cùm in febre calor vigeat præter naturam, certè neceſſe eſt naturalem calorem ſuccumbere: at in Veneris uſu, ut jam ſæpe diximus, calore naturali multo quidem, ac vegeto eſt opus. Sic ergo ex coïtu ob ſeminis excretionem calor naturalis debilior reddatur, jam abſque ullo debito naturam ſummopere lædi neceſſe eſt. Imminente ergo notabili, ac inſigni periculo ex coïtu, febris quæcunque erit legitima cauſa non reddendi conjugale debitum.

24 Secundò dolores omnes inſignes, & maximè nobiliorum partium juſto impedimento ſunt, ne vir reddere poſſit debitum: nec quicquam intereſt utrùm à cauſa calida, vel à frigida dependentiam habeant: cùm enim in omni dolore notatu digno fiat maxima ſpirituum reſolutio, ex qua vires dejici mirum in modum non eſt dubium, & in Veneris uſu hæc ſpirituum reſolutio, & ob evacuationem utilis ac ſpirituoſæ materiæ, & ob laborem, & ob voluptatem multò magis adaugeatur, conſequens eſt, Veneris uſum notabile afferre periculum, ubi dolor aliquis virum exerceat, qui inſignis ſit, & idcirco hujuſmodi dolorem ſemper dare legitimam cauſam non reddendi debitum. Imò non ſolùm hujus generis dolores excuſare debent, dum adhuc vigent, ſed etiam per aliquod tempus poſt eorum remiſſionem, ob eandem virium dejectionem, quas refici ante uſum Veneris undequaque eſt neceſſarium. An autem excipi dolores debeant, qui è multitudine ſanguinis originem habent, vel à retento ſemine, dubium eſſe poſſet, quia videmus in his caſibus Medicos copioſa ſanguinis evacuatione uti: rationabile ergo fuerit, etiam ſeminis evacuationem adjumento eſſe. Sed hoc potius haberet locum in retento ſemine, quàm in dolore à ſanguinis copia: certum tamen eſt minus multò ocumentum hominem in his doloribus à ſanguine, ex Venere percepturum, quàm ex aliis.

25 Tertiò, morbi omnes, qui facilè inſultus, & exacerbationes habent, ex errats in victu, aut undecunque, etiamſi præſentes non ſint, ſed aliàs familiares exiſtant, dummodo ſint notatu digni legitimè virum excuſare poſſunt à debiti redditione: non ſolùm enim quia Veneris poteſt eos morbos facilè excitare, excuſare debent, ſed etiam quia poſſunt eos pejoris conditionis efficere, ita ut non ſolùm aliàs conſuetam afferant moleſtiam, ſed vitæ evidentiùs inſidientur, tales ſunt capitis dolores periodici, Apoplexia, Epilepſia, Vertigo, Paralyſis. Aſthma, ſanguinis ſputum, & ſtomachi dolores, dolores item Colici, Iliaci, Nephritici, articulares, & alijid genus: quod tunc abſque dubio locum habebit, cùm idem vir aliàs ſemel atq; iterum Venere uſus, eorundem morborum inſultus eſſet expertus.

Atque his quidem ſic univerſaliter determinatis, 26
ad particulares jam morbos devenientes, dicamus primò, capitis morbos, qui nervis quoquo pacto ſunt infenſi, etiamſi leviores ſint, licite à debiti redditione virum excuſare: cùm enim Venus nervis ſit maximè inimica. Raſis 14. *comin. c.* 1. *in princ.* & morbi nervorum ex quacunque leviori cauſa irritentur, certum eſt eos ex Veneris uſu mirum in modum irritari poſſe. Itaque non modò Apoplexia recens prægreſſa, Epilepſia, inſignis Paralyſis, convulſio, aliique his ſimiles morbi à redditione debiti excuſare debent, ſed etiam membrorum torpor, paralyſes leviores, Incubus Scotomia, ſive Vertigo, & ſiqui alij hujus generis ſunt, ſed priores non modò legitimè excuſare debent, dum actu moleſtant, aut de recenti moleſtaverint, ſed etiam ſi jam per nonnullos dies prætérierint, qui plures, aut pauciores eſſe debent, juxta majorem, & minorem morborum fortitudinem. Coïtus enim facilè eos morbos in perſonis ad eos diſpoſitis excitare poteſt, & vitæ evidenti periculo hominem ſubjicere.

Porrò morbi omnes ſomnolenti non ſolùm quia 27
ut plurimùm febrem adjunctam habent, ſed quia à frigida cauſa originem ducunt, debilem calorem ſupponunt, maximè in Cerebro, cui Venus ex ſua natura apprimè eſt inimica, excuſant à debiti redditione: tales ſunt Letargus, Caros, Cotoche, Catalepſis, Coma, ſeu Cataphora, vel Subeth, vel Sopor, & hujuſmodi: quibus tamen præſentibus certum eſt incaſſum uxorem petere debitum, quæ tamen tunc peccaret exigendo, vir autem etiam iiſdem morbis remittentibus excuſari debet. Addendi inſuper ſoporoſis, ſeu ſomnolentis morbis alterius generis alij, nempè Inſaniæ quodcunque genus, ut Melancholia, Mania, Lycanthropia, oblivio, & hujuſmodi, omnes enim inſigniter à Veneris uſu irritari poſſunt, & in deteriorem conditionem ægrum conjicere. Quamquam verò Ariſtot. *lib.* 4. *problem.* 31. Paul. *lib.* 1. *c* 35. Oribaſ. ex Rufo *collect. lib.* 6. *c. ult.* Avic. 3. *lib. ſen.* 20. *tract.* 1 *cap.* 11. & 20. 4. *tract.* 10. *cap.* 10. & inter Juriſconſultos ex Homero Tiraq. *de nobil. c.* 30. *n.* 95. & *de leg. connub. gloſſ.* 15. *num.* 58. voluerint, Venerem, ut aliàs dixi, Melancholicis, morbiſque Melancholicis eſſe proficuam, tamen hoc univerſim, & ſimpliciter verum non eſt, ut ibi expoſitores percurrunt. Nam in Melancholicis, & morbis Melancholicis aut frigiditas, aut ſiccitas, aut utraque ſimul qualitas mirè exuperat, aut etiam alterutra: Venus autem refrigerat, & ſiccat, ſpirituſque exhaurit, quorum exiguam Melancholici, ut plurimum, copiam habent.

Superiores morbos ſubſequuntur ægritudines 28
oculorum, quorum illi, qui viſioni quoquomodo

incommodant, maximo impedimento ſunt in reddendo debito conjugali, quia cùm omnibus ſenſibus Venus ſit infeſta, præ cæteris maximè viſui obeſt. Raſis ex Ariſt. 4. *Contin. c.* 1. *in princ.* quia cùm indigeat tenuiorum ſpirituum ope, illis exhauſtis inſigniter labefactatur. Sunt verò hujuſmodi morbi Ophthalmia frequens, Oculorum ulcera, & vulnera, Albugines, Pupillæ dilatatio, & Tabes, Suffuſio ſeu Cataracta, Glaucoma, Offuſcatio, Obſcuritas ſive Amauroſis, Hebetudo, Nyctalops, & id genus alij. Nec minori conſideratione dignum impedimentum eſt, quod præbent morbi ſenſum Auditus labefactantes, nam & huic ſenſui noxia Venus eſt. An autem inſignis Auditus læſio, quæ ex redditione debiti provenire poſſit, ſufficienter virum excuſet, Canoniſtæ determinent. Illud certum eſt, frequentatum Veneris uſum totalem Auditus deperditionem minari, in his qui ſenſum hunc debilem ſortiuntur, aut aliter læſum habent. Quod ſi ſufficiens cauſa eſt non reddendi debitum, certè virum ad frequentem redditionem non teneri dicendum ſi hunc ſenſum malè diſpoſitum habeat.

29 Succedunt prænominatis Pectoris morbi, de quibus peculiariter dicebat Rufus apud Oribaſ. *ubi proximè*. Habenda quoque eſt ratio omnium morborum Thoracem obſidentium, aut quos obſeſſuros eſſe ſuſpicamur, rectè quidem addidit. *Aut quos obſeſſuros eſſe ſuſpicamur*, quandoquidem Venus pectori eſt adverſa, ipſúmque pectus, ac viſcera in eo contenta ex Veneris uſu debilitentur. Ubi ergo aut naturalis pectoris debilitas, aut ejuſdem anguſtia, aut inſignis cordis dyſcraſia, aut Pulmonum flucciditas, aut arteriarum obſtructio, vel alia quæpiam ſimilis cauſa, aut ſpirandi difficultatem, aut ſyncopen, aut ſanguinis ſputum, aut Cordis tremorem, vel alium quendam hujuſmodi affectum minentur, certè legitima cauſa ſubeſt virum omninò excuſans à conjugalis debiti redditione.

30 Subſequuntur morbi partium naturalium, & primò Hepatis, Lienis & ventriculi. Harum ergo partium frigidæ intemperies, quæ inſignes fuerint, poſſunt excuſare virum à debiti redditione. Veneris enim uſus ſanguinis meliorem partem, exhauriens, facilè cachexiam, Hydropem, inſuperabiles cruditates, alioſque hujuſmodi affectus facili negotio excitare poteſt, quos hominem in evidentiſſimum vitæ periculum præcipitare certum eſt. Diſſimilia quidem incommoda afferre poteſt exuperans earundem partium ſicca intemperies, quæ neque prorſus contemnendo periculo hominem exponeret, Venus enim exſiccat: quæ ratio eſt, ut Melancholicis adverſiſſima cenſeatur. Aliæ verò dyſcraſiæ, calida nempè & humida, non tanti videntur faciendæ, ut in totum à redditione debiti, aut magna ex parte excuſare poſſint, cùm non adeò inimicam Venerem experiantur. Sed ſi verum eſt ſupradictas partium intemperies hominem aut univerſim, aut in parte excuſare à debiti redditione multò magis verum erit excuſare aliquos morbos prædictarum partium, qui ex aliqua ex ſupranominatis dyſcraſiis originem trahunt: talis eſt Hepatis imbecillitas, quâ qui laborant, Hepatici ob id dicuntur, Hydropis ſpecies omnes, non in facto eſſe tantùm, ſed etiam in fieri: quin & Cachexia, quæ Hydropem præcedit, Morbus Regius contumax, ventriculi recurrentes dolores rebelles cruditates, Inappetentia non facilè ſuperabilis, Cardialgia, & ſi qui alij morbi notatu digni ſunt, qui aliquam ex prænominatis partibus obſidere conſueverint, & maximè ventriculum, quia coitus, ut inquit Raſis 24. *Contin. cap.* 1. res efficacior in debilitate virtutis facienda in ſtomacho: hoc eſt, ex cæteris omnibus cauſis magis efficax ad debilitandum ſtomachum, & ideò, addit abſtinentia ejus conſervat virtutem ſtomachi. His etiam adnumerandi aliqui harum ſimul partium, & inteſtinorum affectus, ut inſignis diarrhœa, Cœliaca paſſio, Cholera, Lienteria, Dyſenteria, Fluxus Hepaticus, aliaque nonnulla fluxus genera: Inteſtinorum, ventriſque inſignes dolores, & maximè Ileos, Volvulus etiam dictus, & Colicus. Quoad inappetentiam tamen, & longos fluxus, Rufus apud Oribaſium, *loco citato*, voluit hos morbos Veneris uſu aliquando ſanari, ſed id multâ cautione executioni demandandum eſſe norunt Medici. Jam nota quoque eſt Hippocratis ſententia, Dyſenteriam ſolvi à turpi ſcortatione: ex quo ductus Amatus Luſitanus *Curat. Medic. cent.* 2. *cur.* 47. coitum leniter factum idem præſtare experientiâ docuit. Sed quæ pro remedio ſanitatis uſurpantur, non facilè ſecundum alterius voluntatem uſurpari poſſunt.

Inter naturales partes Renes etiam ſunt, Veſica, 31
& Teſtes, harumque morbi notatu digni, & qui juſtam excuſationem viro præbent non reddendi debitum ſunt, Dolores Nephritici aut præſentes, aut familiares, hoc eſt, qui qualibet ex occaſione reverſionem faciunt, Renum ulcera, urinæ ſuppreſſio, ſtillicidium, Diabetes, & ſiqui alij ſunt prædictis non diſſimiles, Honorrhœa vera: nam pleudogonorrhœa, quæ eſt materiei cujuſdam, non tamen propriè ſeminalis ex genitalibus profluvium non eſt ſufficiens cauſa excuſans, quemadmodum neque alij quidem leviores morbi, ut Hernæ ſpecies omnes, non tamen magnæ, nam magnæ poſſent magna ex parte excuſare, quia frequentia coitus vias magis aperiendo, & partes calorémque earum debilitando, poteſt eos morbos inſigniter facere deteriores.

Poſt hæc ſeſe nobis offert aliquid dicendum de 32
vulneribus, quæ niſi ita exigua ſint, ut in nulla conſideratione haberi debeant, pro eorum gravitate alias magis, aut minùs excuſabunt. Semper autem legitimè excuſabunt dum vigent, ſed gravia abſque dubio ad multò longiorem terminum, imò ſi partiũ nobiliorum ſint, & maximè Capitis, non ſolùm dum vigent excuſare debent, ſed etiam per totum vitæ curriculum, ſaltem à frequentiore redditione: quia magna vulnera nobiliores partes obſidentia corpus in poſterum mirum in modum debilitatum relinquunt, quin & hominem, ut aliàs dixi, ſterilem reddunt: imò non vulnera ſolùm, ſed etiam vehementes quarundam ex illis partibus percuſſiones, ut Capitis, Spinæ, vel Cervicis, eandem afferunt excuſationem: in tantum enim hominum vires naturales dejiciunt, ut eos in Venerem poſthac reddant notabiliter ſegniores, ut notat. Alex. Bened. *lib.* 24. *Pract. c.* 12. Sed & magna ulcera pari impedimento, aut non multò minori eſſe debent, nam dolore, & perenni ſanguinis, aut puri, aut cujuſcumque materiæ, etiam inutilis, expurgatione debilem hominem ita reddunt, ut frequentiori Veneris uſui abſque vitæ diſpendio ſufficere non poſſit, & ſi proprias vires experiatur, facilè ſuccumbat.

Erat poſtremò aliquid dicendum de morbo Gallico, & de Cutaneis morbis de utriſque tamen convenientiori loco agemus. Addendum tantùm Tumores etiam externos non aſpernabiles, hominem urgentes, illum à debiti redditione magna ex parte excuſare, niſi ignobiliores partes occupaverint aut magnitudinis ſit non conſiderabilis.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1 *Non eſt par ratio viri, & uxoris in reddendo debito conjugali.*
2 *Mulier ſatisfacit debito, patiendo ſe à viro iniri abſque eo quòd ſemen emittat.*
3 *Non licet negare debitum, ut plures filij naſcantur, ſed licet abſtinere ob id à coitu.*
4 *Multa à redditione debiti excuſant virum, quæ non excuſant mulierem.*
5 *Qualiſnam morbus eſſe debeat, ut mulierem à debito reddendo excuſet.*
6 *Qui morbi mulierem à redditione excuſent.*
7 *Peculiares morbi mulierem excuſantes.*
8 *Fluxus menſtruus diuturnus, & morboſus, an mulierem excuſet.*
9 *Vteri morbi mulierem excuſantes.*
10 *Affectiones hyſterica quæ excuſent.*
11 *Tempore menſtrui an debeat reddi debitum.*
12 *Quandonam coire tempore menſtrui, omni culpâ careat.*
13 *Majus periculum immineat coëunti cum puerpera, quam cum menſtruata.*
14 *Puerpera quanto tempore à coitu abſtinendum.*
15 *Pragnans an excuſetur à debiti redditione.*
16 *Diſtinctio Sanchezij de uſu coitus in pragnantia examinatur, & n. ſeqq.*
17 *Veneris uſus in pragnantia quando concedatur à Medicis in poſtremis menſibus.*
18 *Quodnam, ultra abortus periculum, immineat pragnanti ex Veneris uſu.*
19 *Superfatatio mulieri, & fœtui periculoſa.*
20 *Mulier quæ in partu periclitari ſolet, an excuſetur à redditione debiti.*
21 *Mulier an poſſit non ſeminando impedire conceptionem ſi in partu periclitari ſoleat.*
22 *Lactans an excuſetur à reddendo debito.*
23 *Ex Veneris uſu in lactante muliere duplex imminet periculum lactenti puero.*

De his, quæ uxorem à debito reddendo excuſant, ex parte ſui.

QUÆSTIO III.

1 NOn eſt par ratio viri, & uxoris in reddendo debito, quoad excuſationem ex aliqua ex cauſis nominatis in ſuperiori quæſtione provenientem, quia multa excuſare poſſunt virum à reddendo, quæ nequaquam excuſabunt mulierem, idque non ex uno, ſed ex multiplici capite, & primò ratione laboris, qui major abſque dubio eſt, concitatiorque fit ex parte viri. Secundò, ratione modi concumbendi, plerumque enim mulier in dorſum jacet, unde veluti requieſcens concumbit, neque laboris multum impendit, niſi volens: Vir autem illam ſupergreſſus perenni motu, & concitata impulſione.

——— *Sollicitat ſpatium decurrere amoris.*

Tertiò, ob copioſiorem ſeminis quantitatem à viro profuſam, quàm à muliere, quod etiam eſt materiæ utilioris, quàm ſemen fœmineum, quia magis ſpirituoſa, licèt enim fœmineum in ſuo genere ſemen ſit perfectiſſimum habens potentiam generandi ſibi ſimilem, ut jam probatum eſt. Quartò, ratione intenſioris voluptatis à viro in ſeminis effuſione perceptam, ex qua etiam major ſpirituum, & virium diſſolutio: nam diſſolvi ex coitu inter animantia maximè hominem conſtat, & ejus rei cauſam quærit Ariſt. *ſect. 4. problem. 6.* quod de viro quidem magis verificatur, quàm de muliere, ut patet, ex quibus omnibus fit, ut non poſſit ex iiſdem regulis traditis pro excuſatione viri deſumi, quando excuſari debeat mulier. Præterquam quòd ſunt aliqui morbi viris peculiares, qui aut nullo modo, aut de rato, aut non tam malè mulieres exerceant: quemadmodum è contra morbi nonnulli ſunt mulierum proprij, à quibus viri ſunt immunes.

His accedit, quòd, ut quæſtione prima jam probavimus, mulier ſatisfacit debito matrimoniali ſolâ patientiâ copulandi ſe cum viro, abſque eo quòd ſemen emittat: unde poteſt minimo, imò nullo virium diſpendio, niſi aliud interveniat, debitum reddere: licèt nulli dubium eſſe debeat, quòd ſtante neceſſitate ſeminis fœminei in generatione, nunquam mulier poſſit impedire ſemetipſam, ſi jam ſit excitata ad ſeminandum, ne ſemen effundat, quia tunc impediret generationem, quod mortale peccatum eſt, quia impediendo generationem, matrimonium præcipuo ſuo fine fruſtratur: unde eſt, quòd non licèt negare debitum, ne plures filij naſcantur. Navarr. *in man. cap. 16. num. 24.* Coninc. *de ſacram. diſp. 34. dub. 3. num. 24 tom. 2.* non interdicitur quippe abſtinere à coitu hoc fine, ne plures filij naſcantur. Navarr. *ibid. num. 34.* ſed ſi conjuges non abſtineant, non poſſunt ſine lethali culpa impedire aliquo modo generationem, ut patet apud omnes Canoniſtas. Quandocunque ergo mulier viro copulatur, non poterit impedire ſeminis proprij effuſionem, ubi ſuſcipiendæ proli ſine aliqua eſſe poſſit, ſi ad illud effundendum jam mota fuerit. 2 3

Quicquid tamen ſit de prædictis (nam ad Canoniſtas in his me omninò remitto, tantumq; per modum conſulentis hæc attuli) dicendum primò eſt: Mulierem non excuſari ab aliqua corporis, vel partium naturali dyſcraſia à reddendo debito, neque ab ætate majori, ut à ſenio, vel decrepitate, neque ab ætate minori, quantum eſt ex parte virium, neque à principum partium debilitate, neque ab anni tempore, neque fortè ab aliis incidentibus particulari tempori diei, neque à labore, niſi ſit exceſſivus, neque à quovis etiam notabili morbo, quæ tamen, ut vidimus, virum excuſant: nam morbus qui mulierem excuſare debeat, talis ſit oportet, ut non ſolùm inſigniter actiones lædat, ſed ſit ex ſua natura aliquo modo gravis. Et hæc quidem 4 5 procedunt in ſimplici redditione: nam aliàs ubi in mulieris poteſtate non eſſet non ſeminare, quandocunque vir cum ea copulam exerceat, eſſent hæc certè omnino limitanda: at neque ſeminante muliere æqualiter cum viro, excuſari à redditione poteſt, quia magis, ut diximus, reſolvitur vir, quàm mulier ex ſeminis effuſione, &, ut ex Rufo refert Oribaſ. *lib. 6. cap. 38.* minus laboris à muliere impenditur in coitu, quàm à viro, atque ita etiam minus moleſtiæ mulieri accedit.

Reſtringenda inſuper prædicta ſunt, ut procedant in moderata debiti redditione: nam aliàs ſi vir nimius eſſet in petendo, excuſare poſſent etiam mulierem prædicta paulò minùs ac virum: quod haberet locum, etiamſi mulier aut ratò, aut nunquam ſemen effunderet: tametſi enim patum quid perpeti mulierem à compreſſione viri dictum ſit, tamen ſi ea frequens, atque iterata fuerit, notabiliter reſolvi, & ipſa poteſt ex ſolo labore etiam modico in coitu perpetrato, accedentibus externis illis cauſis, quas commemoravimus, ex quarum occaſione minùs aptam ad eos labores perpetiendos mulierem reddi certum eſt.

Peculiariter tamen circa mulieres conſiderandum de menſtruatione, de prægnantia, de puerperio, de lactatione, & præter hæc de aliis nonnullis particularibus, ſi modo antè, quoad morbos hanc 6

univer-

univerſalem concluſionem ponamus, omnes morbos: qui non aſpernabilem febrem adjunctam habent, ſufficienter poſſe excuſare mulierem à redditione debiti: quia licèt modico mulieris labore coitus exerceatur, nunquam tamen ſine aliqua corporis excalfactione ipſius quoque mulieris ſuccedit, quæ ſuperaddita febrili calori non dubium eſt, quin morbum adaugere poſſit, ſanitatiſque recuperandæ ſpem adimere, vitæ periculo eam exponendo. Cæterorum verò morborum, de quibus in ſuperiori quæſtione diximus, quòd virum excuſent, perpauci quidem excuſant, mulierem: qui excuſare autem poſſunt, ſunt Aſthma actu affligens, Phthiſis maximè confirmata, cordis palpitatio, & tremor, ſyncope, aut frequens Lipothymia, ſtomachi dolores inſignes, aut alij partium nobiliorum dolores acuti, & pernecantes & hujuſmodi. 7 Sed præ cæteris conſiderandi veniunt morbi, ad renes, & contiguas quaſdam partes ſpectantes, & primò menſtruorum defectus, quicunque non impedit debiti reddit onem ex ſe: contrà verò menſtruorum fluxus legitimè impedire poteſt, cùm enim ex Veneris uſu majorem in modum venas adaperiri, loca magis concalefieri, & ſanguinem concitatiùs ad uterum moveri contingat, cer è ex eo, maximè ſi frequentetur mulieris ſaluti notabile imminet incommodum. 8 Quod autem nonnulli Canoniſtæ dixerint, debitum reddi debere tempore menſtrui, quando eſt diuturnum, ac morboſum, nempe in eo morbo, quem propriè fluxum menſtruorum immodicum vocamus. Tolet. *inſtruct. ſacerd. lib. 7. cap 24. num. 2.* Sanchez *lib. 9. de matrimon. diſp. 11. num. 1.* & per eum adducti *num. 2.* Pont. *de matrimon. lib. 10. cap. 14. num. 5.* videndum ex his, an omnimodam habeat veritatem ex parte fœminæ, nempe quòd teneatur reddere, ſtante ſupradicto periculo. Canoniſtarum certè ſenſus talis videtur, quod cùm reddere, vel exigere debitum tempore menſtrui, ſit peccatum, aut mortale ſecundùm aliquos, aut veniale ſecundùm communem, aut ſaltem ſit quid indecens, ut luculentiùs infrà, hoc voluerunt habere locum, ubi menſtruum diuturnum ſit, & immodicum, ac morboſum, ex quo capite vera eſt illorum ſententia: ex capite tamen periculi imminentis mulieri ex Veneris uſu in ſanguinis fluxu morboſo, non perinde fortè vera eſt, quod tamen, his conſideratis, iidem Canoniſtæ determinent. Habet tamen noſtra concluſio magis locum in uno, quàm in alio genere fluxus, præcipuè autem in eo, qui valde immodicus eſt, & indeſinenter affligit, aut de facili revertitur, & in quo venæ mirum in modum hiant, & ſanguis fervidus, tenuis, biliоſus, ac copioſus eſt, tunc enim tantò evidentiùs coitus nocet.

9 Secundò inflammationes, apoſtemata, & ulcera ipſius uteri, quæ inſignem dolorem, aut aliud quoddam notabile incommodum in congreſſu excitare mulieri poſſunt, certè illam evidenti periculo exponunt: ex frequentata namque impulſione, & excitato dolore uterus facilè majorem in modum inflammari, ac fortè gangrænari poteſt: quæ concluſio locum habere poteſt in omnibus, ac ſingulis uteri affectibus, qui quoquomodo notabilem dolorem ex coitu excitare poſſunt, ſignanter verò in mutato uteri ſitu, ut quandò ad interiora, aut ad exteriora vergit: tunc enim ex eo quòd virile membrum in uteri corpus impingat, coïtum mulieres tam moleſtum experiuntur, ut ſi ſæpius iteretur, manifeſtum habeant inflammationis periculum. Neque contra hoc recipienda videtur ſententia Mercurialis *lib. 4. de morb. mul. c 21.* qui ex eo quòd Ariſtot. *7. de hiſt anim. cap. ..* ſcripſerit in mulieribus utrum aliquando deſcendere propter coïtus deſiderium, haſque curari, ubi concipiunt, exiſtimavit coïtum in hoc uteri prolapſu potiùs prodeſſe, quàm obeſſe: nam contra Hippocrates *lib. 2. de morb. mul. num. 37.* ubi uteri extra naturam progreſſi fuerint, prohibet mulieri acceſſum ad virum, cui eſt magis adhærendum. Niſi dicamus Hippocr. voluiſſe eſſe abſtinendum à coïtu, cùm uteri foras prolabuntur, Mercurialem autem cùm abſque eo quòd extra prodeant, ſimpliciter deſcendunt.

Tertiò affectiones hyſtericæ, quæ ex nimio ſan 10
guine, aut ex magna ſeminis copia procedentes: mulierem exercent, niſi alio ex capite excuſent, per ſe non excuſant, quia non modò nihil detrimenti in his caſibus ex Veneris uſu expectandũ, ſed potiùs etiam in ipſarum vigore relevari eas ex coïtu ſperandum: per coïtum enim retrahuntur à capite, corde, ventriculo, & ſuperioribus partibus evaporationes ad ipſas ab utero tranſmiſſas, quin & ipſe uterus ex coïtu facilè expurgatur, viæ magis adaperiuntur, & menſes faciliùs eunt, eaque ratione mulier ab innumeris affectionibus ab ipſo utero emanantibus vindicatur, quin & evacuatione interdum ſuperabundantis ſeminis omnino ab omni noxa liberatur, quod ſatis ſuperque non vana experimenta veritatem habere indies oſtendunt, ut Medici norunt, & patet exemplo viduæ apud Galen.

Cæterum quod ad menſtrua pertinet, voluerunt 11
Canoniſtarum nonnulli, ut jam ſuprà recenſuimus, tempore menſtrui mortale peccatum eſſe exigere debitum, maximè autem mulieri, ut ex D. Thom. Navar. *in man. c. 16 n. 33.* Scot. *in 4 ſent. diſt. 32. quæſt. unic.* & ex Silveſtr. & Le eſm. Sanch. *de matrimon. lib. 9. diſp. 11. num. 4.* quod habere maximè locum putat Summa Ang. *part. 1. in verbo debitum conjugale, num. 15.* ubi periculum eſt lepræ morbo infectam naſciturum prolem: licèt alij voluerint hoc eſſe tantùm veniale peccatum. Tolet. *inſtruct. ſacerd. lib. 7. cap. 24. n. 2.* Coninc. *de ſacram. diſp. 34. dub. 9. n. 76. tom. 2.* Pont. *de matrim. lib. 10. c. 14. num. 6.* alij tandem nullo modo eſſe peccatum firmarunt. Sanch. *ubi ſuprà, n. 7.* Alphonſ. Vivald. *in candel. aur. part. 1. tit. 17. rubr. de read. debit. conjug. n. 3.* Circa quæ nonnulla mihi uti Medico ſunt adnotanda, quæ maximè ad rem faciunt. Primò tamen illud certum eſt quod notant etiam Canoniſtæ, Summa Armilla, *verbo, debitum conjugale*, apud Legem Veterem in tantum fuiſſe culpabilem coïtum tempore menſtrui factum, ut mortis pœnâ mulctaretur, quemadmodum habetur. *Levit. cap. 20. verſ. 18.* neque aliam ob cauſam interdictum ab illa Lege, hoc eſt, niſi quia mirum in modum invigilabat Legiſlator, ut populum à lepra mundum ſervaret, cùm aliàs ob regionis, quam incolebat, naturam, & alias diſpoſitiones ab extra advenientes, populus Iſraëliticus huic morbo eſſet maximè obnoxius: eſt enim lepræ morbus Ægypto, finitimiſque regionibus patrius, ut aliàs dixi, unde Lucret. *lib. 6. de rerum nat. in fin.*

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media.

Et Fracaſt. *lib. 1. Syphil.*

Sic Elephas ſacer Auſoniis incognitus oris:
Sic Lichen latuêre diu, quibus incola Nili
Gens tantùm regioque omnis vicina laborat.

idcircò tot leges de Lepra, & Leproſis promulgatæ. Modò certum eſt ex coïtu cum menſtruata periculum imminere, nec proles maximè de formis, & monſtroſa, & hujuſmodi morbo infecta naſcatur, *cap. origo* 32. *quæſt.* 4. *cap. cauſa quæſt.* 7. & 33. *quæſt.* 4. Scotus *in* 4. *ſentem. diſt.* 32. *quæſt. unica*, ut Medici etiam fatentur. Card. *in lib. Hipp. de alim. lect.* 14. *text.* 26. *in fine*. Neque ſolùm proli timendum ex coïtu tempore menſtrui celebrato, ſed etiam ipſis coëuntibus, diſponit enim eorum corpora ad eum morbum. Scotus *ibid.* & ex noſtris Avic. 2. 1. *doctr.* 1. *in fin.* Aver. 3. *collig. cap.* 7. Mercurial. *lib.* 4. *de morb. mul. cap.* 1. & Nancel. *in analog. Microc. ad Macroc. lib.* 10. *cap.* 10. Quòd autem non Medicis ſolùm, ſed vulgo etiam ipſi conſtat quotidianâ experientiâ, de qua etiam Mercurialis *ibid.* eſt, aliquando ex coïtu cum menſtruata viros gonorrhœam, non quidem veram, ſed virulentam, pſeudogonorrhœam dictam contrahere, alioſque nonnullos morbos à ſanguinis pravitate, ab ipſis menſtruis per genitales partes viro communicatâ originem ducentes: prolem inſuper, ſiquæ ſequatur, valetudinariam vivere, morbiſque quamplurimis conflictatam: quin neque ipſas mulieres ab omni noxa ex hoc coïtu eſſe immunes, eadem teſtatur experientia: aliquando enim in cauſa eſt, ut menſtrua aut plura, aut pauciora, quàm par ſit expurgentur, unde plures pullulant morbi. Quibus ſe ex ſe habentibus, determinandum à Canoniſtis jam eſt, an cum prædictorum periculorum imminentia, abſque ullius culpæ nota, poſſint conjuges nullâ urgente neceſſitate, nullaque legitima ex cauſa, tempore menſtrui, ad ſolam libidinem explendam, invicem commiſceri: præterquam quòd matrimonij uſus ſuo præcipuo fine plerumque fruſtratur, plerumque enim nulla euntibus menſtruis fit conceptio, quod Medicis eſt notiſſimum, & notat ex Canoniſtis Pontius *lib.* 10. *de matrimon. cap.* 14. *num.* 6. Crediderim autem Canoniſtas non tam facilè ab omni culpa immunes exiſtimaturos conjuges, qui euntibus menſtruis coierint, his optimè perpenſis. Quòd ſi ſententiam ſuam mutaverint, & cum aliis ſupra citatis determinaverint, in hoc actu aliquam culpam intervenire, tunc admonendum eſt, poſſe fluentibus menſtruis præſentari legitimam coëundi cauſam, ex qua conjuges fiunt ab omni culpa immunes: nam etiam euntibus menſtruis aliquando datur occaſio coëundi, ut facilius ſuccedat conceptio, in nonnullis enim caſibus conſulunt Medici, ut Hipp. *in libb. ad mulieres pertinentibus: & maximè primo de morb. mul.* ut fluentibus adhuc menſibus vir, & uxor congrediantur. Dari inſuper & alius caſus poteſt, qui à culpa excuſaret, nempe quando mulier aut ex ſui natura eſſet nimis arcta, aut reſpectu magnitudinis, & craſſitiei pudendi virilis, tunc enim cui loca ex menſtruo humecta, ac lubrica redduntur, promptiſſimè virile membrum admittere poſſet, quantumcunque aut arcta ipſa ſit, aut vir bene mentulatus exiſtat. Sed circa redditionem & exactionem debiti, tempore menſtrui, vide diſtinctiones allatas à Sum. Ang. *part.* 1. *verb. debitum conjugale, n.* 15. & à Sannazar. *de ſponſ. & matr. c.* 3. *art.* 5. *n.* 56. *& ſeqq.*

Eadem dubia excitari poſſunt circa puerperium, quæ jam circa menſtrua fuerunt excitata, quibus Canoniſtæ eâdem reſponſione ſatisfaciunt. Summa Ang *part.* 1. *verb. debitum conjugale, num.* 17. Pontius *lib.* 10. *cap.* 14 *num.* 8. Mihi tamen magis peculiariter de puerperio conſiderandum videtur, quia ex puerperio magis profectò imminet infectionis, & ſanitatis periculum ipſis coëuntibus, proli autem fortè nullum, cùm neque ulla ſpes ut plurimùm eſſe poſſit, ut fluentibus puerperiis mulier concipiat. Quòd ſi forte fortuna conciperet, tunc etiam multò majus periculum & monſtruoſitatis, & infectionis inde proli immineret. Ratio autem eſt, quia etiamſi nonnullæ mulieres ſanguinem talem, tamque benignum fortiantur, ut etiam euntibus menſtruis nihil damni viris cum ipſis congredientibus communicent, tamen puerperium nunquam abſque multa variorum humorum colluvie procedit: & idcirco, ut ex Hippocrate aliàs dixi, multò evidentius imminet periculum mulieri ex puerperij retentione, quàm ex retentione menſtrui: unde cùm ex concubitu immineat mulieri periculum retinendi puerperium, certum eſt majori periculo ſeſe exponere exercendo coïtum eunte puerperio, quàm euntibus menſtruis. Cum quibus inſuper admonendum, nunquam dari poſſe legitimam cauſam exercendi coïtum tempore puerperij, ut tempore menſtrui, (niſi legitimam dixeris illam, ad evitandam ſcilicet fornicationem, & ſtimulos carnis inhibendos.) Quandocunque ergo aliquam culpam firment Canoniſtæ incurrere utentem coïtu tempore menſtrui, tempore puerperij ſemper, & multò magis erit in culpa. Sed per quodnam tempus abſtinere debent conjuges in fluore menſtruorum, per quod item in puerperio? Et quoad menſtrua dicendum, ſervandum eſſe conſuetum tempus particularis fluxus, nempe quouſque à ſanguine mulieres ſint emundatæ, nam pleriſq; poſt ſanguinis excretionem reſtat cujuſdam materiæ albæ, aut ad inſtar loturæ carnis, quæ, quia in nonnullis nihil impedit conceptionem, & in aliis adeò durat, ut vix unquam omnino mundæ appareant, non prohibere debet conjuges à Veneris uſu. Sed eſt etiam quando uti coïtu adhuc fluentibus menſtruis, ſed cùm jam deſinunt ad conceptionem maximè faciat: & tunc quidem ceſſant omnia tam conjugum, quàm prolis naſcituræ periculum, liberato jam utero, à copioſa illa ſanguinis colluvie, nam ejus reliquiæ remanere ſolent ex venarum hiatu, nec quicquam officere ſolent. Sed quoad puerperium, num Veteris Legis præcepto ſtandum eſt, ex quo mulier ſi peperiſſet maſculum triginta, ſi fœminam ſexaginta ſex immunda erat, ut narratur Levit. *cap.* 12. Non credo, quia non intuitu hujuſmodi præcepti nunc abſtinendum, ſed ob decentiam, & ob timorem imminentis periculi. Ergo per totum tempus abſtinendum, quo periculum imminet: imminet autem ad ſummum per triginta dies in partu fœminæ, in maſculi per viginti: non enim ad quadraginta, aut ſexaginta unquam prorogari puerperij purgationem comperimus, quin pluribus ante vigeſimum ceſſat, & vix fœminis enixis ad triginta aliquid expurgatur notatu dignum: in particularibus autem id obſervandum, ut abſtineamus, quouſque mulieres à puerperij reliquiis mundæ appareant.

Cæterùm dubitatur de muliere prægnante, an excuſetur à redditione debiti: in quo puncto dicendum primò ſecundùm Canoniſtas, quòd quandocunq; rationabilis adeſt, vel adeſſe poteſt timor abortus, tunc prægnans duplici ex capite excuſetur: primò ratione fœtus, quem non debet, nec poteſt abſque gravi peccato hujuſmodi periculo exponere: etiamſi enim conjuges teneantur ex Juſtitia debitum invicem reddere, majus tamen debitum Juſtitiæ eſt illud, quo tenemur alterum non lædere: cùm ergo hîc interveniat tam gravis alterius

læſio,

læſio, quippe cùm vitâ defraudari ex hac debiti redditione prolem contingat, certè abſtinendum ab ea redditione omnino eſt. Secundò, ratione ſui ipſius, nam mulier abortum faciens rationabilem timorem incurrit ſuæ ipſius incolumitatis, cum ex abortu, maximè ex violenta cauſa patrato, indies videamus mulieres periclitari. Jure igitur à Canoniſtis determinatum eſt, conjuges mortaliter peccare, quandocunque tempore prægnantiæ venere utuntur, ſi veriſimilis timor inſit abortus, ut per Sum. Silveſtr. *verb. debitum conjugale, num.* 8. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 22. *num.* 1. Tolet. *lib.* 7. *inſtruct. ſacerd. c.* 14. *num* 2. aliàs autem nullam in hoc intervenire culpam omnes Canoniſtæ unanimiter firmant, Brunell, *de ſponſ. & matrim. concl.* 8. *num.* 13. Sanch. *ubi ſuprà.* Tolet. *loco citato.* Pontius *lib.* 10. *c.* 10. *n.* 7.

Examinanda autem venit hoc loco diſtinctio tradita à Sannazar. *de matrim. c.* 3. *art.* 5. *n.* 69. *& ſeqq.* quæ talis eſt: Aut fumus, inquit, in primo tempore ipſius prægnantiæ, aut in intermedio, aut in poſtremo. 16 In primo tempore igitur, & in poſtremo (in primo, inquam, & ultimo quadragenario) neque reddere, neque exigere debitum conjuges poſſe credit: in intermediis autem poſſe & reddere, & exigere. Sed notandum primò conſiderandam eſſe in hoc caſu particularem mulierum naturam: ſunt enim quæ in principio facilè abortiant, aliæ quæ in principio nunquam, ſed tranſacto tertio, aut quarto menſe, aliæ cùm ſeptimum attingunt, aliæ tandem in ultimo quadragenario, tunc ergo dubium non eſt, quòd omni ſtudio coïtus evitari debet eo tempore, quo mulieres ſunt propenſæ ad abortum, daretur enim facilis abortiendi occaſio. Licebit ergo quibuſdam uti coïtu in principio conceptionis, non in medio, aliis in medio, non in fine, aliis fortè, ut his, qui non de facili abortiunt, licebit toto gravidationis tempore indifferenter: unde ſimpliciter loquendo, niſi aliunde timor adſit rationabilis, prægnantia neque redditionem, neque exactionem impediet, dummodo ſemper majori cautelâ utamur in prægnantia, quàm extra prægnantiam.

17 Secundò nota, quòd etiamſi vera eſſet hujus Juriſconſulti opinio, tamen non vacaret maximo ſcrupulo, quia prægnantia in primis quadraginta diebus vix de ſe ullam præbet ſignificationem, nullam verò omnino certitudinem: unde ſequeretur: quòd emergente ſæpè ex coïtu inter fœcundos conjuges non irrationabili ſuſpicione ſucceſſi conceptus, ſemper à quocunque veneris uſu tenerentur abſtinere, donec ipſe rei exitus certiores illos redderet, conceptum non ſucceſſiſſe, quod non eſt veriſimile.

18 Nota tertiò, à Medicis concedi Veneris uſum mulieribus prægnantibus in extremis menſibus: dicunt enim partum faciliorem reddere. Raſis *lib.* 19. *contin.* Mercat. *lib.* 3. *de ſteril. & prægn. aff. cap.* 21. Varand. *lib.* 2. *de morb. mul. c.* 3. Hucher. *de ſteril. lib.* 3. *rubr. de conſervat. concept.* neque in contrarium facit quod Mercurial. *lib.* 1. *de morb. mul. c.* 4. & Mercur. *in lib. cui tit. la Commare* 1. *c.* 21. ex Ariſt. *lib.* 7. *hiſt. animal. c.* 4. dicebant, quòd ultimis prægnantiæ menſibus concubitus mulieribus ſit prohibendus, quia ex eo fœtus naſcuntur mucco oppleti: præterquam quòd enim hoc non eſt ſemper verum, non videtur aliquid damni ob id ſive puerorum, ſive fœminarum ſanitati conciliari poſſe, licèt Mercurius timeat, ne ex ipſorum muccorum quantitate ligamenta relaxentur: inanis tamen hic timor eſt: nam magna muccorum quantitate ad hoc eſſet neceſſarium, quæ vix coadunari poſſet ſpatio bimeſtri. Sed adverte, Ariſtotelem voluiſſe tum demum infantem muccore oppletum exire, cùm mulier menſe octavo concumbit, cujus rei cauſa erat peculiariter inveſtiganda. Illud certè conſtat ex Hipp. *in lib. de ſuperfœtat. n.* 7. mulierem prægnantem faciliùs à partu liberari, ſi coïtu non utatur, quod non tam præcisè de poſtremis menſibus accipiendum, ſed de toto prægnantiæ tempore, meliùs enim abſque dubio vires ſervantur abſtinendo à coïtu, quarum fortitudine partus facilior ſuccedit.

Verum enim verò prægnantibus ex Veneris uſu 19 ultra periculum abortus, de quo cum Medicis etiam Canoniſtæ, aliud quoque, & duplex illud quidem imminet periculum, à Canoniſtis prætermiſſum: unum eſt periculum ſuperfœtandi, aliud verò molam generandi: & de utroque periculo Mercat. *lib.* 3. *de ſteril. & prægn. aff. c.* 21. Mercurial. *lib.* 1. *de morb. mul. c.* 4. & Daniel Sennert. *lib.* 4. *ſuæ pract. part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 6. ſuperfœtationem autem eſſe, & mulieri, & fœtui utrique periculoſam, & 20 iidem Medici poſt Hipp. *lib. de ſuperfœt. num.* 2. cum aliis teſtantur Roderic. à Caſtr. *de nat. mul. lib.* 3. *c.* 13 & comprobat experientia, de qua idem Sennert. *ibid. ſect.* 4. *c.* 6. unde ad evitandum hoc periculum conſulunt Medici abſtinentiam à coïtu. Varand. *lib.* 2. *de aff. mul. cap.* 6. Quod tamen ad hoc periculum attinet, certum eſt illud eſſe valde remotum, cùm de raro admodum mulieres ſuperfœtent, teſte Ariſt. *lib.* 7. *de hiſt. animal. c.* 4. neque etiam hujus periculi timor ſemper æqualiter urget, quippe cùm primis quadraginta diebus magis, ſubſequentibus quadragenariis ſemper minùs urgeat: & ſi deſideres ſcire, quanto tempore ut plurimùm periculum ſuperfœtationis immineat; vide ultra præcitatos Auctores, alios quos adduxi *lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 4. & ex Jureconſultis vide Carranz. plura de ea re afferentem *lib. de Part. c.* 19. Verùm autem Canoniſtæ vel ex non advertentia, vel ob ſuperfœtationis raritatem, ejus periculi non meminerint, in lectoris eſto libertate determinare.

Aliud, ut dixi, periculum impendet prægnanti ex uſu coïtus à molæ procreatione, ut enim aliàs dixi, *citato lib.* 1. *tit. eod. quæſt.* 5. *num.* 12. *& quæſt.* 6. *num.* 9. Mola ut plurimùm in prægnantibus generatur, & hoc quidem & facilius eventu eſt, & frequentius: ſolet autem mola fœtui mirum in modum & matri obeſſe, ut unanimiter omnes Auctores Gynæciorum poſt Hippocr. *in lib. de ſteril. num.* 10. *& in libb. aliis de morb. mul.* tradunt. At neque hoc periculum generationis molæ tam evidens eſt, aut frequens, ut de illo quicquam à Canoniſtis in medium ſit adductum. Sed non quia rarum, idcirco ejus timor irrationabilis exiſtimandus: ſed Canoniſtæ id animadvertentes determinent, an ex hujuſmodi periculi timore conjuges abſtinere à coïtu debeant, muliere in utero habente, quod quidem grave eſſet, & idcirco non in omnibus indifferenter id determinare poſſunt: ſed certè in his, quæ aliàs in prægnantia molas geſtaverint, & fœtum expertæ ſint periclitatum ex hoc fuiſſe, aut ſeipſas etiam vitæ aleam ſubiiſſe, non eſſet ab re, aliquo modo Veneris uſum in prægnantia diſſuadere, nam Medici quidem intuitu ſanitatis corporeæ diſſuaderent.

Dubitatur inſuper, an mulier, quæ concipiendo 21 rationabili periculo exponitur moriendi in partu, teneatur reddere debitum, & Canoniſtæ negativè reſolvunt. Bonacin. *de matrimon. quæſt.* 4. *num.* 7. *part.* 1. Sed hoc difficultate non caret, quia cùm

mulier

mulier concipere non poſſit abſque proprij ſeminis concurſu, & debitum reddi poſſit abſque proprij ſeminis emiſſione, certum eſt ex redditione debiti abſque eo quòd mulier ſemen emittat, nullum illi imminere periculum: at ceſſante periculo mulier tenebitur reddere, maximè ſi in ejus poteſtate ſit abſtinere à ſeminis effuſione, & ab omni motione ipſius, quia quandocunque ſemen jam ad motionem properaret, non eſt omnino clarum, an poſſit mu-
22 lier illud retinere. Illud ergo à Canoniſtis determinandum propono, an concurrente prædicto conceptionis periculo, & mortis in ipſo partu, mulier poſſit proprij ſeminis emiſſionem impedire, aut concurſum ſaltem proprij cum ſemine viri, ad hoc ut conceptio non ſuccedat: nam non ſolùm, ut ſuccedat conceptio, requiritur utrumque ſemen, ſed etiam ut ſimul effundantur, aut unum non multò poſt aliud. Itaque videndum, an fœmina licitè vel ſollicitet, vel remoretur proprij ſeminis effuſionem, ne ſequatur conceptio, & maximè ſi excitata jam fuerit ad expulſionem, an poſſit ſeſe cohibere, & omnino ſemen retinere: aut an poſſit aliquo alio actu poſitivo conari, ut cõceptio impediatur, veluti multum ſe exagitando, ac corpus retractando in coitu, vel naturalem modum concumbendi mutando, vel ſe retrahendo viro ſeminante, ita ut ſemen, licèt extrà non effundatur, ad uteri tamen interna non perveniat, aut aliquid aliud ſimile agendo, quæ quidem determinare meum non eſt.

23 Præterea dubitare occurrit de lactante, an excuſetur à redditione debiti, & negativam partem tenent communiter Canoniſtæ. Sanch. *de matrimon. diſp.* 22. *lib.* 9. *n.* 14. Pont. *ibid. lib.* 10. *c.* 14. *n.* 9. Animadvertendum tamen hic, ex Veneris uſu in lactante muliere duplex imminere periculum lactenti puero. Unum eſt provocatio menſtruorum, ex qua ipſum lac deterius multò evadit, ita ut videamus in iis, quæ cùm lactant, menſtruantur, puellos eo tempore notabiliter malè habere, & in pleroſque morbos labi. Secundum periculum eſt imprægnatio, cujus cauſa multo evidentiùs pueri læduntur, ex ea enim in dies experimur (quod Canoniſtæ maximè debent) eos aut valetudinariam vitam in poſterum agere, aut morbis difficilibus conflictari, aut in ipſis debitum augmentum corpuſculorum impediri, aut etiam denique vitam obire: quod non infrequens eſſe conſtat, ut exigua ejus rei ratio ſit habenda. Quin & ipſi conceptui malè proſpicitur, ut percurrit Avic. 4. *primi, doctr.* 1. *c.* 2. cùm enim neceſſe habeat fœtus puriori ſanguinis materni parte ad ſui alimoniam, fit, ut lac ex deterrimo, qui relinquitur, ſanguine conficiatur, unde lactens puer peſſimè nutritus, in eos morbos, in eaque diſcrimina incurrat, de quibus jam diximus. At quia lactens puer ad mammas plurimum attrahit ſanguinem, fit ut parva, & magis impuri ſanguinis portio ad fœtum alendum tranſmittatur, & ſic utérque ſummo, ac evidenti periculo ſubjicitur: & quotidianâ quidem experientiâ conſtat, lactantes, quæ concipiunt præcipuè intra primum annum, niſi à lactatione deſiſtant, conceptus geſtare debiliores, & minimè vitales: quibus ex cauſis non abſque ratione jubent Medici, ut toto lactationis tempore nutrices à coitu abſtineant. Mercat. *lib* 4. *de morbis mul. cap.* 15. Roder à Caſtr. *de nat. mul. lib.* 4. *c.* 13. Dan. Sennert. *lib.* 4 *pract. de infant. cur. part.* 1. *c.* 1. Et licèt dici poſſit, quòd quandocunque lactans mulier in ventre habere ſe ſentit, facile illi ſit, nutricem reperire, quæ puerum lactet, & ſic utriuſque pueri indemnitati facile ſit conſulere: tamen videndum, an hoc habeat locum in pauperculis, & in nonnullis aliis, quarum pueri nequaquam alienas mammas ſugere volunt, hos enim à periculo eximere eſt impoſſibile. Verùm licèt hæc per Canoniſtas fortè non modò ſufficienter excuſare lactantem mulierem exiſtimarentur, ſed etiam prohibere à debiti redditione, haberent tamen locum, ubi tale aliquod rationabile periculum timeretur, & quandocunque etiam mulier in coitu ſemen emitteret: at poteſt mulier, ut aliàs diximus, debito ſatisfacere abſque proprij ſeminis emiſſione, & ſic ceſſabit omne conceptionis periculum, imò etiam & illud, quod timetur de lactis deteriore conditione, & turbatione ex ſeminis profuſione, & tamen ubi vir frequenter debitum exigeret, non caret ea res periculo, de neceſſitate enim lactans mulier frequenter à viro cognita aliquando irritabitur ad ſeminis emiſſionem, unde utrunque periculum manifeſtè adaugebitur. Itaque non inconveniens dixerim determinare, ut viri à frequenti exactione abſtinere debeant, & mulieres ad frequentem redditionem non teneantur.

SUMMARIUM.

1 *Conjuges nunquam ſub pœnâ peccati tenentur ad debitum exigendum, niſi in nonnullis caſibus.*
2 *Conjuges prohibentur interdum debitum exigere.*
3 *Sanus conjunx an exigere poſſit à conjuge non ſana mentis.*
4 *Sanus conjunx tenetur leproſo reddere debitum, etiamſi proles naſcitura ſit infecta.*
5 *Ebrio conjugi an ſanus teneatur reddere debitum.*
6 *Menſtruata an poſſit debitum exigere.*
7 *Menſtruis fluentibus mulieres ad Venerem excitantur.*
8 *Vir an exigere debitum poſſit à menſtruata.*
9 *Vir an exigere poſſit ab uxore, quæ certo gravidationis tempore abortit.*
10 *Vir an exigere poſſit debitum ab uxore, quæ ſemper mortuos parit.*
11 *Vir an exigere poſſit debitum ab uxore, quæ ſemper gemellos parit.*
12 *Mulier an exigere ita debitum poſſit, ut ſola ſemen emittat, viro non ſeminante.*
13 *Arrigentes ſed ſemen non emittentes, non poſſunt matrimonium contrahere.*
14 *Mulier lactans an poſſit debitum exigere.*
15 *Conjuges an poſſint ex ſola cauſa ſanitatis debitum exigere.*

De his, quæ vel alterum, vel utrumque conjugem prohibent exigere.

QUÆSTIO IV.

LIcèt conjuges nunquam obligentur ſub pœna 1
lethalis peccati, imò verò neque venialis, debitum exigere, niſi in uno, aut altero caſu, de quibus Canoniſtæ Sum. Angelica *part.* 1. *verb. debitum conjugale, num.* 16. *& ſeq.* Coninc. *de ſacram. diſp.* 34. *dub.* 2. *num.* 13. Pont. *de matrim. lib.* 10. *c.* 2. *num.* 1. Alphonſ. Vivald. *in candel. aur. part.* 1. *tit.* 17. *rubr.* 2. *deb. conjug num.* 7. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 1. *num.* 2. tamen ſub pœna mortalis peccati interdum 2
prohibentur exigere: & univerſaliter id habet locum quandocunque coitus redundare poteſt in evidens ac notabile detrimentum aut ſalutis ipſius exigentis, aut conjugis reddentis, aut etiam fœtus in utero exiſtentis, aut pueri lactentis. Tunc enim quemadmodum licitè excuſantur à redditione, ſic videntur prohiberi ab exactione. Sanmaz. *de matrimon. c.* 3. *art.* 5. *num.* 73. Coninc. *ubi ſupra, dub.* 3. *num.* 20. quod quidem maxima cum ratione videtur determinatum: nam ſi licet negare con-

jugi quod illi ex Juſtitia debetur, ſi hoc in detrimentum propriæ ſalutis emanare poſſit, quantò magis debet quis jure ſuo non uti, ſi hoc in detrimentum propriæ ſalutis futurum ſit? Sunt tamen peculiares aliqui caſus, qui dubitandi anſam in hoc ſubminiſtrare poſſunt, fit enim interdum, ut etiam alter conjugum non poſſit exigere, non idcirco, ſi exigat, poſſit ab altero debitum negari.

1 Primò igitur dubitari poteſt, an ſanus conjux exigere poſſit debitum à conjuge non ſanæ mentis. Ratio dubitandi eſt, quia nonnulli Canoniſtæ voluerunt, non eſſe inter conjuges licitam copulam conjugalem, ubi uterq; ſit non ſanæ mentis, ob periculum, quod proli imminere poteſt, ne ita naſcatur, ut ſuo tempore nullo rationis uſu dotetur, Coninc. *de ſacram. diſp. 34. dub. 9. n. 79.* Pont. *de matrim. lib. 10. c. 4. num. 10.* cùm tamen exiſtimem, hîc intervenire culpam ex malo opere, quemadmodum neq; meritum ex bono, cùm amentes utriuſque ſint incapaces. Idem autem periculum, quòd aiunt imminere ex utriuſque amentia, imminet quoque ex amentia alterutrius: unde bene, ut credo, Pontius *lib. 10 de matrim. c. 14 n. 10.* abſolutè negat, tempore amentiæ eſſe reddendum debitum: & prudenter id quidem, nam ſecuri nequaquam eſſe poſſumus, an naſcitura proles magis ſano, quàm infirmo conjugi in valetudine ſimilis futura ſit: quinimò contra juſtus timor, & irrationabilis irrepit potiùs contrarij eventus, nempe ut morboſo ſimilior ſit futura, quia plerumque parentes morboſi, nempe altero ex parentibus exiſtente morbo, potiùs morboſam prolem generare ſibi ſimilem, quàm ſani ſanam & ſibi ſimilem conſueverunt, ubi morboſo ſanus copulatur, ut ex Hippocratis auctoritate patet *in lib. de genit. & alibi*, quod quidem maximè habet locum in ægritudinibus cerebri, quæ omnes cùm inſignes fuerint, ſolent eſſe hæreditariæ. At verò ſi leproſo conjugi tenetur ſanus reddere debitum, etiamſi adſit notabile periculum prolem eo morbo naſcituram infectam, Brunel. *de ſponſ. & matr. concl. 8. num. 8.* Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp. 24. n. 25.* quia melius eſt proli, ut dicunt, eſſe aliquo modo etiam ſic infectæ, quàm non eſſe, videretur par ratio militare in hoc caſu, cùm tamen alia ex parte contrarium ſentiant Canoniſtæ, ut dixi, qui huic dubio ſatisfaciant. Quorum tamen nonnulli, ut Sum. Silveſtr. *part. 1. verb debitum conjug. n. 2.* volunt omnino eſſe neceſſarium reddere debitum conjugi fatuo, vel dementi, ſi id abſque propriæ
4 perſonæ periculo fieri poſſit. Mihi ſatis ſit innuiſſe, periculum non tantùm imminere ex utriuſque conjugis amentia, ſed etiam ex alterutrius tantùm. Illud verò certum eſt, quòd ſi Canoniſtarum ſententia habet locum in amentia, habebit etiam locum in pleriſq; aliis morbis, qui à parentibus in filios emanare ſolent, ut Epilepſia eſt, Phthiſis, Hectica, & alij, unde non carebit hæc ſententia multis difficultatibus, niſi quid fortè in amentia peculiariter operetur privatio uſus rationis, vix enim homo naſci dici poteſt, qui ſic naſcitur, ut nunquam debito tempore ratione uti poſſit.

5 Item dubium intervenire poteſt de conjuge ebrio, cùm idem etiam immineat periculum, ne proles fatua, vel amens oriatur: præterquam quòd urget etiam aliud periculum, ne ſcilicet ebrius conjunx in ipſo matrimoniali actu in mille abſurda incidat, quæ ebrietas luxuriæ aſſociata dictare poteſt: nam cùm ebrius ſui juris non ſit, ubi Veneris ardore incaluerit, omnia ſibi licere credit, in omnia impetum facit, unde bene Juvenal. *ſat. 6.*

——— *Quid enim Venus ebria curat?*
Inguinis, & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit?

Videretur ergo à Canoniſtis decidendum, num ob prolis periculum, aut etiam ne occaſionem graviter peccandi facilè præſtet, poſſit ſanus conjunx ab ebrio debitum exigere, aut num teneatur reddere, cùm ebrius exigens non poſſit dici opportunè exigere, quia non eſt ſui juris, neq; opportunitatem novit, neq; periculum, quod ſibimetipſi ex Veneris uſu inſtat, cùm Medici omnes uno ore hortentur, vitandas eſſe ebrietates, cùm quis coitu uti deſtinavit, periculoſæ enim admodum, ne Apoplexiam, aut alium quempiam gravem excitent affectum. Raſis 24. *contin. c. 1.* Advertendum autem diſtingui quidem ebrium ab ebrioſo, ut aliàs dixi, *lib. 2. tit. 1. quæſt. 1 num. 24.* ſed etiam ebrioſo coïtum eſſe noxium, & prolem ex ipſo ſuſceptam, ut plurimùm imbecillem eſſe, ac morbis obnoxiam patet: ſed an hæc impedimento ſint, quoad debiti redditionem, ij, ad quos ſpectat, determinabunt.

De menſtruata muliere dubitatum eſt, an poſſit 6
exigere debitum, nam aliqui putarunt eam poſſe. Sannazar. *de matrim. c. 3. art. 5. n. 8.* Sanch. *ubi aliàs, diſp 21. n. 4.* contra ſentientibus aliis, ut Sum. Silveſt. *verb. debitum conjug. n. 8 in fin.* & Ledeſm. apud eundem Sanch. *ibid.* qui voluerunt mulierem mortaliter peccare, ſi menſtruis fluentibus debitum exegerit. Ratio horum Canoniſtarum eſt, quia cùm mulier tum temporis non adeò acutis carnis ſtimulis, ut aliàs, agitetur, & poſſit ob id facilè prurienti luxuriæ reſiſtere, non debet ipſa ſeipſam ad Venerem irritate, maximè cùm fluentibus menſtruis conceptio plerumque non fiat. Sed hæc horum Doctorum ratio inanis ac falſa eſt, oſtenduntque ſe parum in his expertos: quippe cùm plerumque mulieres ſoleant maximè menſtruis fluentibus in Venerem accendi. Avic. *lib. 9. de animal. c. 1.* quod etiam habet æquivalentem cauſam, excalfiunt enim loca à confluente 7
ad eam partem ſanguine, unde Veneris ſtimulus augetur: imò ſi adnotaſſent hoc in brutis, non tam facilè hæc protuliſſent: Bruta enim tum demum incipiunt in Venerem excitari, cùm menſtrua, aut quid ſimile patiuntur, hoc enim pacto brutorum fœminas ad marium deſiderium, & conjunctionem irritari natura voluit, nam aliàs non facilè paterentur ſe iniri, ut patet extra prædictum tempus Si ergo ſecundùm communiorem opinionem, mulier ablq; ullo peccato poteſt debitum exigere tempore menſtrui, certè etiamſi aliqua culpa in hoc interveniret, tunc maximè excuſaretur, ſi exigeret, & matrimonio ad compeſcendos carnis ſtimulos uteretur, quos tunc acutiores, & moleſtiores experitur, quàm alio quocunque tempore. Contrà autem vir non 8
videretur ullo modo excuſari, ſi exigeret debitum à menſtruata, imò potiùs culpari, cum non ſolùm ex hujuſmodi exactione pleraque illi mala immineant, de quibus quæſtione ſuperiori, ſed etiam quia ipſa mulieris coinquinatio ex menſtruis deberet ipſum magis alienum à Veneris uſu efficere, & potiùs in eo carnis ſtimulos obtundere, quàm acutiores reddere. An non brutis ipſis nauſeam moveret procedens à fœminarum uteris colluvies? Conſideranda ergo & hæc cum iis ſunt, quæ jam prædictâ quæſtione commemoravimus.

Prætereà dubitari poteſt, an vir exigere poſſit de- 9
bitum ab uxore, quæ certo gravidationis tempore abortit, aut ab ea quæ ſemper mortuos parit. Non quæritur autem hîc, an exigere poſſit ab ac ipſa uxore tempore prægnantiæ, ſed extra prægnantiam. Nec dubitatur de hoc immeritò, quippe cùm

mulier

mulier abortum faciens, aut mortuum fœtum pariens ſemper rationabili, & evidenti periculo vitæ ſubjiciatur. Quibus adde periculum ipſius fœtus, qui in his quæ ſæpe abortiunt, plerumque aut non vivus, aut non vitalis editur, & ſic ipſi fœtui periculum imminet amiſſionis vitæ temporalis, & ſpiritualis. Videant ergo Canoniſtæ, an ſatius videatur determinare, quòd vir cognoſcens hæc omnia matris, & fœtus pericula non poſſit abiq; gravi culpa debitum exigere, & ſi exigat, quòd poſſit mulier licitè excuſari, ut non reddat, quod non eſt dubiũ: licet enim negari petenti conjugi debiti redditionem, quandocunque propriæ vitæ rationabiliter timetur, ut in hoc caſu, jam ſuperiùs firmatum eſt. Sed quoad abhortum primò dicendum videtur, dupliciter mulierem ex abhortu affici poſſe, uno modo quando facilè liberatur ab ejus noxa, & expeditè tolerat ejus ſymptomatis moleſtiam, quemadmodũ evenire interdum dixi, *lib. 1. tit. 4. quæſt. 4 n. 106.* quibuſdam mulieribus, quæ non magis ex abortu afficiuntur, quàm ex ſimplici menſtruorum fluxu, & vidi jam præteritis annis mulierem duodecies abortum feciſſe, quinto ſemper, aut ſexto menſe, aliamque quinquies ſupra vigeſies ſecundo, aut tertio, quarum neutra quicquam notatu dignum patiebatur, niſi poſterior poſterioribus abortibus: in quibus licèt malè admodum ſe habuerit, ſana tandem evaſio. Alio modo, quando ex abortu manifeſtum vitæ periculum ſubeunt, ac peſſimè ſe habent. An igitur poſſet in priori dici, non ſic illicitum eſſe exigere, ut in poſteriori? nam in priori ſperandum eſt, ut aliàs, mulierem non magno negotio incolumem futuram, licèt hoc de neceſſitate ſequi neceſſe non ſit: corporis enim ſtatus indies variatur, & ab extrinſeco, & intrinſeco plura indies emergunt, quæ periculo anſam præbere poſſunt. In poſteriori autem contrà, timendum enim ne in futurum mulier ex abhortu pejùs ſe habitura ſit, quàm prægreſſo tempore: quò magis namque morbus reverſionem facit, eò magis invaleſcens magis naturam labefactat.

10 Aliter autem decidendum fortè eſſet circa exactionem debiti ab uxore, quæ ſemper mortuos pareret, ſive juſti temporis fœtus exiſtant, ſive ſaltem provectiores, ut ſeptimeſtres vel octimeſtres: abſolutè enim dicendum videtur, quòd ſtante rationabili, & evidenti mulieris periculo, vir omnino teneatur ab exactione abſtinere, & mulierem ipſam teneri, ſtante eodem periculo, non reddere: nam & maritus, & uxor, aut exigendo, aut reddendo, videntur aut in ſeipſos, aut in alium, graviter peccare, exponendo ſe periculo tam evidenti. Moderanda tamen hæc ſunt, his non obſtantibus, maximè quoad virum, quia vir poteſt debitum exigere, & venere uti, abſque eo quòd mulier ſemen emittat, & ſic non emittente muliere, conceptio non ſequitur, & ceſſat abortûs omne & vitæ periculum, quod abſque dubio adaugetur, ſi fœmina concurrat in emiſſione ſeminis cum viro, unde ex hoc erit magis prohibita exactio mulieri, quàm viro. Quæ tamen (veluti cætera omnia, quæcunque & hic, & alibi dixi, aut dicturus ſum ad Canoniſtas pertinentia) ad eorundem Canoniſtarum mentem ſunt redigenda, ac moderanda. Illud certum eſt, quòd cùm matrimonium ex ea cauſa, quòd mulier ſemper pariat mortuos, non irritetur. Sanch. *lib. 7. de matrimon. diſp. 93. n. 26.* licebit conjugibus matrimonio uti, quia poteſt id non ſemper eodem modo evenire: unde cùm hoc impedimentum non ſit, aut poſſit non eſſe perpetuum, non impediet uſum matrimonij. Sanchez *ibid.* 11

Occurrere poſſet inſuper dubium circa eam, quæ ſemper gemellos pareret: cùm enim in hoc quoque caſu duplex immineat periculum, & ipſius mulieris, quæ geminos patiendo vitæ diſcrimini exponitur, ut dixi aliàs *lib. 1. tit. 2. quæſt. 7. n. 14.* & ipſorum fœtuum, quia difficillimè ſervantur. Avic. 21, *tract. 1. c. 17.* ex quo dixi aliàs, *ubi ſupra, quæſt. 8. n. 9.* non videretur licitè vir poſſe exigere debitum, & multò minùs fœmina. Sed hoc dubium leve eſt, & ſecus quàm ſuperiora reſolvendum: præterquam quòd enim non ſequitur de neceſſitate, ut quæ bis, aut ter geminos peperierit, ſemper in poſterum gemellos parere debeat: dato etiam quod de neceſſitate id ſequeretur: tamen dicendum, quoad matrem, periculum cui illa exponitur, neque tamen evidens, neque tale eſſe, ut ex illo mulieres ſecundùm plurimum periclitentur: nam potiùs ut plurimum ſervantur. Quoad fœtus autem dicendum, meliùs abſque dubio illis eſſe aliquo, quàm nullo modo eſſe: itaque non videtur hæc cauſa ſufficiens ad impediendam debiti exactionem alterutri ex cõjugibus.

Præterea dubitari poteſt, an mulier exigere poſſit debitum à viro, qui aut volens, aut non potens ſemen emittere, coitu tamen uteretur, ut ſuam ipſius cupiditatem mulier exp eret. Sed de viro, qui volens pollutionem remoratur, videbimus infrà quæſtione ſequenti, cùm quæremus, an vir poſſit inchoatum coitum non abſolvere. De viro autem, qui non poteſt ſemen emittere, jure debitatur: non enim ambigendum eſt, ex tali coitu nunquam ſequi poſſe conceptionem, coitumq; hoc modo irritum eſſe, & ſolâ voluptatis cauſa exerceri: at coitus ſolâ voluptatis cauſa factus peccatum ſaltem veniale inducit, *ut ſupra*, ex Canoniſtarum decreto dixi: ad quos licèt hujus dubij deciſio, non ad Medicum ſpectet, illud addere non deſiſtam, quòd ſi verum eſt hujuſmodi viros arrigentes, ſed ſemen non emittentes inter frigidos connumerandos, non poſſe contrahere matrimonium, ut probat Sanmazar. *de matrim. c. 3. art. 4 à n. 11. ad ſeqq.* verum etiam 13
erit, eos non poſſe matrimonio uti. An fortè diſtinguendum, dicendumq; virum vel ante contractum matrimonium factũ hoc modo affectum, nempè frigidum, vel poſt contractum ex valetudine talem evaſiſſe? Fortaſſis enim in primo caſu quemadmodum matrimonium non tenet, ſic non licebit matrimonio uti, in ſecundo contrà: ſed hæc iis, ad quos pertinent, decidenda remittantur. Illud dubium facit, cur fœmina ſemen non potente emittere, vir tamen coitu uti poſſit, & matrimonium teneat: contrà verò viro non potente emittere, coitus ſit illicitus, & matrimoniũ non teneat, cùm in noſtra ſententia etiam fœmineum ſemen, ut maſculeum, requiratur ad conceptionem? In utroq; certè caſu, licèt ſuccedere non poſſit conceptio, poſſunt intendi, & haberi duo alij matrimonij fines, nempe & debiti ſolutio, & fornicationis remedium. Si ergo ad primum finẽ, nempe ad procreationẽ filiorum nõ facit hic matrimonij uſus, poteſt aliis duobus ſuppleri, non minùs quàm poſſit, ubi alia quacunq; ex cauſa omnis ſpes habendæ prolis ſit irrita, ut in matrimonio evenit inter decrepitos cõtracto.

De lactante muliere jam locuti ſumus in ſuperiori quæſtione, quomodo & quantum excuſetur à debiti redditione: nodò dubitari poteſt, an ipſa lactans mulier debitum poſſit exigere. Videretur autem eaſdem cauſas, quæ lactantem excuſant à redditione, prohibere eandem ab exactione. Relictis tamen his, quæ ad Canoniſtas pertinent, dicam id, 14

quod conſiderare ſpectat ad Medicum : nempe quòd licèt, ut alias dixi, non ſimplex ſed duplex, imò etiam triplex periculum immineat ex coitu lactantis, in lactati pueri damnum, & in conceptus etiam, ſi quis ſequatur, tamen hæc habent locum in coïtu frequentato, & ubi timetur facilis conceptio. Itaque cùm ex rariori coïtu ſanguis lactantis non ita turbetur, & niſi ſequatur conceptio, (quæ tamen non eſt ſemper æqualiter timenda) eſſent etiam omnia commemorata damna, dicendum, non eſſe omnino prohibendam lactantem mulierem ab exactione debiti de rarò factâ, ſi modò acutiores carnis ſtimulos experiatur : & ratio eſt, quia majus expectandum damnum & lactenti puero, & ipſi mulieri ex abſtinentia, quàm ex uſu coïtus, ubi mulier illum vehementer appetat : frequentem tamen exactionem ſemper eſſe noxiam dicendum, ob rationes, de quibus aliàs.

15 Dubitatur denique, an conjuges exigere poſſint debitum ex ſola ſanitatis cauſa. Ratio dubitandi eſt, quia copula matrimonialis ad hunc finem non eſt inſtituta : abutuntur ergo conjuges matrimonio, non dirigentes ejus uſum ad aliquem ex illis finibus, ad quos eſt ordinatum. Præterea Venus ſemper nocua eſt, neque veritatem habet, unquam ad ſanitatem, vel ad alicujus morbi revelationem ex uſu eſſe, per ea quæ adduxi *lib. ſuperiori, tit. 1. quæſt. 5. n. 6.* Non ſolùm ergo debet prohibere Veneris uſus ad hunc finem conjugatis, quia matrimonium non exercetur hoc modo ad aliquem ex inſtitutis finibus, ſed etiam quia ſanitati obeſt, & inaniter procuramus per eum ſanitati conſulere. Dicendum tamen, ſecundùm Canoniſtas, nullam habere culpam exigere debitum cauſa ſanitatis. Sum. Ang. *part. verb. debitum conjug. n. 24.* tametſi veriorem opinionem eſſe credat, quæ hoc veniale peccatum eſſe exiſtimat, quam ſequitur etiam Sum. Silveſtr. *verb debitum conjug. n. 13.* Sanch. *de matrim. lib 9. diſp. 10. n. 3.* Coninc. *de ſacram. diſp. 34. dub. 1. num. 12. tom. 2.* & licèt Sanchez addat, hoc verum eſſe, quando aliud medium aptum ad tuendam præſentem ſanitatem, aut admiſſam recuperandam non reperitur, tamen cùm hoc medium non ſit illicitum, fiatque abſque vitæ diſpendio, & faciliùs executioni demandetur, quàm quæcunque alia à Medicis præſcribenda, fortè etiam ſuppetentibus aliis mediis, non erit culpa hoc remedio ad ſanitatem uti quia ſemper, ſaltem implicitè, intendi poteſt aliquis ex illis finibus in uſu matrimonij intendendis. Secundùm Medicorum autem communiorem opinionem dicendum, Veneris uſum nonnullis morbis auxilio eſſe, & ſanitati etiam cuſtodiendæ proficere, ut probavi *loco cit. n. 4 & ſeqq.*

SUMMARIUM.

1 *Conjugi leproſo ſanus an teneatur reddere.*
2 *Text. in cap. Quoniam de conjug. leproſ. de quanam lepra loquatur.*
3 *Cuinam ex conjugibus certius immineat infectionis periculum ab altero.*
4 *Vir gonorrhœa laborans an poſſit debitum exigere.*
5 *Gonorrhœa duplex.*
6 *Sanus conjunx an teneatur reddere infirmo exigenti, cui venus futura eſt maximè noxia.*
7 *Sani conjuges an teneantur invicem reddere, ſi ex coitu notabilem morbum ſoleant incurrere.*
8 *Conjugi ſatyriaſi, aut conſimili morbo laboranti an ſit reddendum debitum.*
9 *Mulier an teneatur reddere viro, qui nimis craſſo aut longo pene dotetur, & n. ſeq.*
11 *Vxori imperforatæ, an teneatur vir reddere debitum.*

De his, quæ conjuges à redditione debiti excuſant, ex parte alterius.

QUÆSTIO V.

PRimo loco offertur diu agitata inter Canoniſtas quæſtio, an nimirum ſanus conjunx teneatur reddere debitum conjugi leproſo, extatque circa hoc præceptum, *in cap. Quoniam, de conjug. lepr.* jubens eſſe reddendum : cùm tamen alia ex parte certum ſit, neminem teneri cum propriæ ſalutis periculo, aut notabili ſanitatis detrimento debito ſatisfacere, ut ſuperioribus quæſtionibus ex Canoniſtarum auctoritate dictum eſt : at ex lepra promptiſſimè infici poteſt ſanus conjunx à leproſo : unde non modò ſummum imminet ſanitatis detrimentum, ſed etiam manifeſtum vitæ periculum, quia lepra cancer univerſalis eſt ipſum corpus depaſcens, ultra indicibile, quod ſecum affert, tædium, & inenarrabilem moleſtiam, quâ homines affligit, & abominabilem turpitudinem cæteris hominibus odioſam. Itaque ex his moti aliqui DD. in ea re decidenda judicarunt diſtinguendum eſſe, ac tum demum teneri ſanum conjugem voluerunt reddere debitum, cùm lepra non eſt contagioſa : ubi verò Medicorum judicio contagioſa ſit, & ſano immineat infectionis periculum, non teneri. Summa Silveſtrina, *verbo, debitum conjug. num. 2. part. 1.* Tolet. *Inſtruct. Sacerd. lib. 7. cap. 24 num. 3.* Coninc. *de Sacrament. diſput. 34. dub. 2. num. 11. tom. 2.* Bonacin. *de matrim. quæſt. 4. num. 8. part. 1.* quam ſententiam facit DD. communem Barboſ. *in Collect. Doctor. in lib. 4. Decret. tit. 8. c. 2. num. 2.* & videndi allegati ibi per eum. 1

Noto tamen ego in textu, Pontificem in primo capite loqui de lepra contagioſa, cùm dicat, tali morbo affectos ſolere ejici ab hominum ſocietate, quod quemadmodum ob ſolùm contagium fit, ita de lepra non contagioſa non verificatur. Mox autem in ſecundo capite præcipit, conjugi leproſo, exigenti debitum eſſe reddendum : unde apparet, Pontificem de eodem morbo loqui, de quo locutus fuerat in præcedenti. Verum enim verò ſubſequentia illa verba, nempe, *ſeu aliâ gravi infirmitate detenta*, id videntur importare, ut textus ibi non loquatur de lepra, reſpiciendo contagium, vel in reſpectu contagij, ſed reſpiciendo gravitatem ipſius morbi : non ſolùm enim lepra, ſed in quacunque alia gravi infirmitate, voluit illud præceptum habere locum, hoc eſt, ut conjuges ob gravem infirmitatem ſe invicem non deferant, aut dimittant, quin etiam ut alter alteri exigenti teneatur ſolvere debitum : ſed ad hoc videri poſſunt quæ attuli *lib. 3. quæſt. 6. num. 15. & ſeqq.* ubi etiam licet videre quæ addidi de morbo Gallico, qui & ob ſymptomatum ſimilitudinem & gravitatem, & ob contagium, videtur lepræ naturâ convenire : quod & Card. *in lib. Hipp. de Alim. text. 26.* dicebat. Imò non defuerunt qui nonnullos Gallico morbo affectos Antiquorum Elephantiaſi infici cenſerent, quæ unus idemque morbus cum lepra peſſima, & conſummata eſt, & idcirco Gallicum morbum novum non eſſe crediderunt Langius *lib. 1. epiſt. 22.* & Valleſ. *in 4. Epidem. text. 1.* ubi loci in quibuſdam ægrotantibus obſervata videntur omnia ſymptomata, quæ Gallico morbo ſunt familiaria, & ex quibus ejus eſſentiam, & naturam aſſequi ſolemus : licèt ſupra ciratæ opinioni, nempe 2

quod

quòd Elephantiaſis ſit idem quod morbus Gallicus, ex Leo niceni auctoritate contrarietur Fracaſtor. *lib. 2. de contag. c. 13.* per totum ubi ad id multas quoque adducit rationes, quanquam & ipſe *lib. 1. Syphilidis*, partim conveniat cum illis, qui morbum Gallicum novum non eſſe cenſuerunt, ſed alias viſum, ut patet in ſeqq. carminibus.

De genere hoc eſt airatues, quæ nuper in auras
Exiit, & tandem ſeſe caligine ab atra
Exemit, duroſque ortus, & vincula rupit.
Quam tamen (æternum quoniam dilabitur ævum)
Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe
Ducendum eſt, quanquam novis nec nomine nota
Hactenus illa fuit, quoniam longæva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens & res, & nomina delet,
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.

Sed quicquid ſit de hoc, ne de novo ea, quæ loco citato retuli, hîc repetere cogar, cùm jam ad eum Lectorem remiſerim, iis quæ inibi dicta ſunt, ſubſequentia addere libet, quæ utrique etiam loco inſervire poſſunt. Videndum ergo eſt cuinam ex conjugibus certius, aut majus immineat infectionis periculum, virone ab uxore, an uxori à viro, ex contagioſo morbo, qualiſcunque tandem ſit. Summa Silveſtrina *part. 1. verb. debitum conjug. num. 2.* ex Medicorum auctoritate, Sanchez *de matrimon. diſput. 24. num. 19.* ex Canoniſtis voluit certius periculum infectionis imminere viro à muliere leprâ, aut alio contagioſo morbo infectâ. Sed cùm Medicorum opinio ea ſit, de qua teſtatur Foreſt. *lib. 32. obſervat. 1 in ſchol.* corpora, quæ molliorem carnem ſortiuntur, promptiùs contagium excipere, quàm quæ ſolidiorem habent, certè mulier, quæ molliorem habet carnem, promptiùs inficietur quàm vir. Neque ob hanc tantummodò cauſam mulier facilius à viro inficitur, ſed etiam quia ipſa à viro excipit materiam ſeminalem corruptam, & contagio infectam in proprium uterum, ubi etiam per aliquod ſpatium commoratur. At vir nihil recipit ab ipſa muliere, ſed tantummodò ſe cum illa commiſcendo, per contactum, ac illum quidem nonniſi multoties repetitum, plerumque inficitur, quin facilè emundando ſe, ab ea infectione ſe liberat, quod non tam facilè evenit de muliere, in cujus utero hærent interdum, ac ſæpiſſimè infecti ſeminis virilis reliquiæ, quæ ab ipſius calore, & humiditate fotæ facilè contagium excitare poſſunt: cumque mulier non modò ſecundum totum, ſed ſecundum genitales maximè partes, multò humidior ſit quam vir, certè impreſſionem faciliùs excipiet à viro. Simpliciter ergo loquendo, dataque paritate, ex ſua natura mulier promptiùs à viro inficitur, quàm è contra, licèt contractâ infectione difficiliùs ſe liberare poſſit vir, quàm mulier ob id, quòd non ut mulier per uterum poſſit ſanguinem à corruptis, & venenoſis humoribus ſingulis menſibus expurgare: tametſi mulieres peſſimè à morbo Gallico exceptas, nec minùs quàm viros difficulter ab eo ſe vindicare, comperiamus. Sed profectò in hac re decidenda temperamenta, & ætates ſunt etiam conſiderandæ. Tenella juvencula à ſeniori viro facillimè inficietur, difficillimè ſenior vir à muliere juniore. Junior item vir, ut puber, à ſeniori muliere facilè contagium contrahet, difficulter ſenior mulier à pubeſcente mare. & ſic de ſingulis: idemque de temperamentis ſtatuendum, & de corporum ipſorum habitu, & textura. Sed aliud addunt Canoniſtæ, quod omnino à rei veritate abeſt, circa debiti redditionem à ſano conjuge faciendam leproſo conjugi, nempe quòd non ita eſt periculum infectionis in reddendo debito, ſicut in cohabitando. ita Summa Ang. *part. . verb. conjug. num. 4.* & Summa Silveſtr. *part. . verbo, debitum conjugale, num .* & alij, quod tamen nequaquam verum eſt; nullus enim actus, ſive contactus promptiùs, ac evidentiùs inficere poteſt quàm Veneris uſus, qui non ſolùm timeri debet ubi ipſa mulier leprâ laborat, ſed etiam ubi abſque eo quòd lepra laboret, cùm leproſo viro rem habet, nam tanto viro huic mulieri copulari eſſet periculoſum: ut notat ex Medicis Gordon. *in Lil. part. 1. cap. . 2.* & ex Canoniſtis Sanch. *lib. 9. diſp. 22. num. 20.*

3 Sed cùm de morbo Gallico inciderit mentio, & Gonorrhœa ſit ſymptoma ut plurimùm præcedens, vel concomitans morbum Gallicum, videndum, quam veritatem habere poſſit id, quod Sanchez determinat, dicens, quòd viro Gonorrhœa laborante nulla ſit culpa exigere debitum: adde tu, idem valere in uxore eodem ſymptomate affectâ, cùm idem periculum, quod uxori impendet à viro, impendeat viro ab uxore, ſi de virulenta Gonorrhœa loquamur. 4

Adverte igitur Gonorrhœam in duplici eſſe differentia, alia enim eſt vera, alia falſa: vera Gonorrhœa ſeminis effluxus indefinens eſt, abſque voluntate factus: falſa, vel pſeudogonorrhœa eſt morbificæ materiæ per genitales partes perpetuus effluxus, cujus ſunt duæ ſpecies, nam alia quidem virulenta & maligna eſt, contagio communicabilis, alia non virulenta, nec contagio communicabilis. Vera Gonorrhœa hominem emaciat, illumque ad tabem non longo tempore perducit, & idcirco cùm non ſine ſummo vitæ periculo in hoc affectu infirmi concubitu utantur, facilè Canoniſtæ decernent, ut mihi perſuadeo, neque exigere, neque reddere debitum conjuges invicem poſſe abſque mortalis culpæ reatu. Pſeudogonorrhœa virulenta præterquam quòd generationem impedit, affert interdum moleſta ſymptomata, & morbos etiam nonnullos accerſit, maximè autem ob ulcus in meatu urinario carunculas excitans difficultatem, & quandoq; etiam urinæ ſuppreſſionem conciliat. Eſt autem hæc ita contagio communicabilis, ut ex ejus contagio interdum non ſimplex Gonorrhœa, ſed mille Gallica ſymptomata atque illa quidem gravia, homines contrahant, & in ſumma aliquando ex ejus tantùm vitio ſæviſſimi Gallici morbi concipiant ſemina. Unde videndum, an debeat hoc periculum retrahere hominem ab exactione, & excuſare à debiti redditione. Pſeudogonorrhœa non virulenta, præter turpitudinem, & moleſtam continui effluxus materiæ morbificæ nullum inſigne afferre conſuevit incommodum, niſi quòd interdum ipſa quoque in viris carunculas excitat, nunquam tamen par incommodum affert cum virulenta, præterquam quòd contagio caret. Itaque cùm Sanchez determinat, nullam eſſe culpam exigere debitum à conjuge Gonorrhœa affecto, videndum de qua Gonorrhœa intelligat: in vera enim hoc non poteſt habere locum, ut dixi: in virulenta autem non ita facile dictu eſt, quid ſentiendum: in poſteriori fortè locum habere poterit illius opinio, ut ego exiſtimo, licet hæc, ponderatis his quæ illis ponderanda objicio, ipſis Canoniſtis remittenda ſint. 5

Secundò dubitatur, an ſanus conjunx teneatur reddere debitum conjugi non aſpernabili ægritudine laboranti, ſtante exigentis notabili periculo 6

ex Veneris uſu. In quo dubio advertendum diſparem eſſe periculi rationem in viro, & uxore, quod aliàs quoque admonui. Nam viro reddere debitum graviter ægrotanti tantundem eſt ac illum jugulare: at fœminæ etiam graviter ægrotanti reddere debitum, ſi à marito exigatur, licèt nocuum eſſe poſſit, non ejuſdem periculi erit, ut jam ſuprà q. 3. dictum eſt. Ratio eſſe poteſt; quia vir quadruplo magis, quàm fœmina in coïtu diſſolvitur, tum ob majorem laborem, tum etiam ob copioſiorem utilis materiæ effuſionem. Secundò advertendum, quod & aliàs admonui, mulierem minimè, aut etiã nulla virium jactura poſſe debitum reddere, ſatis enim eſt, abſque eo, quòd ſemen emittat, ut ſe à viro iniri patiatur. Quod ſi etiam exigendo debitum ſemen effundere cupiat, non poteſt hoc eſſe abſque evidenti periculo, niſi morbus ex iis eſſet, quibus Venus aliquo modo ſuccurrere poteſt.

7 Tertiò dubitari poteſt, an conjuges teneantur invicem reddere debitum, ſi ſani quidem ſint, ſed tamen inſigniter alteruter eorum à coïtu oblædi ſoleat. In quo caſu peculiaris eſt dubitandi ratio, ut dicam: nam ſunt ex viris maximè, qui Veneris laborem nullo pacto ſuſtinere poſſunt, quin aut citò diſſolvantur, aut ſtomachi, cordis ventriſve affectus, aut dolores contrahant, aut vertigine tententur, aut alio quodam notabili ſymptomate afficiantur. Quin etiam quædam mulieres ex coïtu uterinos dolores, lipothymiam ſyncopen, alioſque effectus incurrere ſunt paratæ: quemadmodum Scorto quidam, cui Angela nomen erat, evenire conſueviſſe narravit mihi Joſeph Ghiſlerius Romæ inter primarios urbis Medicos, multa, ac merita cum laude Medicinam exercens: quotieſcunque enim mulier hæc cum viro congrediebatur, maximè ſi bene mẽſtruatus exiſterer, in ſyncopen levem incidebat, ſi verò & ipſa ſemen emitteret, in graviorem ſyncopen lapſa longiuſculo temporis ſpatio ad ſeſe redibat, nonnulliſq; in poſterum diebus decumbere, & ex laſſitudine, & ex ventris dolore cogebatur. Sic & Dyſeridis ancilla Lariſſæ, narrante Hippocr. *lib. 5. de morb. vulg. num.* 12. cùm Venere uteretur, doloribus vehementer affligebatur. Eodẽ quoq; pacto Scortum aliud apud Marcellum Donatum *lib. 4. de med. hiſt. mirab. c.* 10. *in princ.* cui nomen erat Lucretia, cùm coïtu uteretur, animo linquebatur, & alios huic ſimiles caſus narrant alij, in quibus peculiariter conſiderandum, an ſi petant, ſit illis debitum reddendum, cùm enim hæc vitia ſint ut plurimùm connaturalia, certè ſi infirmus prohibeatur exigere, & ſanus reddere, Matrimoniũ omni bono fine fruſtrabitur: aliâ autem ex parte coïtus his adeò nocuus eſſe poteſt aliquando, ut ſubitam mortem obeant, aut in lõgos, & difficiles morbos, aut in perpetuam valetudinem labantur: niſi ergo noxa ſit levior, fortè non tam promptè Canoniſtæ concedent in hoc caſu vel exigere, vel reddere.

8 Quartò occurrere poteſt dubium, an Conjugi Satyriaſi, vel furore uterino, vel inordinatâ coëundi cupiditate affecto poſſit licitè per alium debitum reddi. Ratio dubitandi eſt, quia Venus his, qui hujuſmodi ſymptomatibus detinentur, plerumq; noxia eſt, maximè verò uteri pruritui, quæ paſſio eſt furori uterino congener, quâ à coïtu efferati magis quàm mitiorem reddi, dicit Mercurial. *lib. 4. de morb. mul. c.* 8. quod palam etiam fit in nuper devirginatis juvenculis, quæ ob extraneum calorem ex violẽtia devirginationis conceptum, hujuſmodi pruritu moleſtatæ magis libidinoſæ evadunt ex ipſo Veneris uſu, ut ex Ariſt. *lib. 4. problem.* refert Franc. Ranchin. *de morb. virg. ſect. 3. c. 2. rubr. de fur. uterin.* Itaque duplici ex capite excuſaretur ſanus conjunx à debiti redditione in his caſibus: uno, quia tales poſſunt abſq; diſcretione, & immoderatè exigere: alio, quia ex redditione exigens notabiliter lædi poteſt: unde neq; etiamſi moderatè, & cum diſcretione exigeret, durante morbo, teneri fortè videtur ſanus debitum reddere, eſſet enim in nimium exigentis præjudicium, qui tum temporis in his, quæ ad Venerem ſpectant, vix compos mentis eſſe ſolet. Dicendum tamen, quòd, ubi hujuſmodi morbi ex ſeminis abundantia ortum habeant, cùm moderata Venus illis pro remedio ſit, ut idem dicit Mercurial. *ibid. c.* 10. ſanus conjũx teneatur exigenti moderatè reddere. Neque obſtat quod Ranchin. ex Ariſtot. dicebat, qui loquitur ubi ſimplex calor paſſionem faciat: at ubi furor uterinus, tentigo, pruritus, & ſimiles paſſiones, ab exuperantia ſeminis ortum ducant, Veneris uſu eas omnino deferveſcere ac curari, experientia docet.

Quinto vertitur in dubium, an mulier teneatur 9
reddere debitum viro qui nimis craſſiori, aut nimis longiori mentulâ dotaretur. Et quoad craſſitiem, (niſi adeò immoderata appareat, ut ſit monſtroſa) ſi vir cautus ſit, & cum moderatione agat, neque cum impetu, & irrationabili violentia in agrum naturæ irruat, & ubi etiam opus ſit, aptis medicamentis, nempe uteri anguſtiam relaxantibus utatur: & niſi altera ex parte uteri anguſtia tanta ſit, ac tam præternaturalis, ut Medici magis, quàm mariti operam deſideret, nullum notabile ſecum periculum ea inducere poteſt, ſi aliqualem dolorem, aliqualemque, ſed modicam lacerationem in primis congreſſibus factam excipias. Nonne vides tenellarum juvencularum uteros in primo partu puerum emittere, cujus caput decuplo majus aliquando eſt, quàm quævis etiam craſſiſſima mentula humana? Illud certè palam eſt facilè uterum dilatari, ac conſtringi & vix hominem reperiri poſſe tam craſſo membro dotatum, qui jactare illud poſſit, quod in obſcœnis habetur:

Commoditas hæc eſt in noſtro maxima Pene,
Laxa quòd eſſe mihi fœmina nulla poteſt.

Cui diſticho æquivalens novum hoc eſt de cunno anguſto:

Maxima noſter habet vigilataque commoda cunnus,
Parva quod eſſe mihi mentula nulla poteſt.

Itaque niſi aliud obſtet, ut eſſet uteri præternaturalis anguſtia, aut muliebris corporis exiguitas, & habitus monſtroſa gracilitas, non videtur ex hac exuperanti membri magnitudine ullum notabile periculum mulieri imminere, ut dixi aliàs *lib. 3. tit. 1. q. 6. n.* 3.

Neque obſtat, quòd membri craſſities interdum ipſius uteri vaſa aperiendo, & lacerando, ſanguinis fluxum, & menſtruorum nimis excedentem copiam adſciſcere poſſit, ut notat Mercurial. *lib. 4. de morb. mul. c.* 2. nec quod addit Hucher. *lib. 1. de ſterilit. c. de magnitud. Pen.* nimirum hanc membri magnitudinem poſſe urinæ incontinentiam, diarrhœam, inflammationem, aliaque ſymptomata excitare, quia hæc locum habent tantùm in violento concubitu, & abſque ulla diſcretione, nec cum memoratis cautionibus celebrato.

Diſpar tamen ratio eſt, ubi vir mentulam habe- 10
ret nimis longam, ita ut facilè concumbens internum uteri oſculum violenter impingeret; tunc enim, & magis notabile, & evidentiùs immineret periculum, cum odorem gravem, ſanguinis rejectionem, inflammationẽ, ligamentorum diſruptionem,

nem,atque alia nonnulla ſymptomata excitare poſſet,præterquam quòd excitando dolorem, omnem Veneris jucunditatem, ac delectationem mulieri adimeret,unde etiam conceptioné omninò impediret,ut percurrit idem Hucher. *loco cit.* Quòd autem longitudo nimia ipſius Penis per ſe ſit cauſa, ut ſemen infœcundum evadat, eò quòd ob eam meatus longitudinem refrigeretur, antequam ad uterum perveniat,quod primò Ariſt.*lib.1.de gener. animal. c.6.* & poſt illum multi Medici, ac Philoſophi tradiderunt, non immeritò ab eodem Hucher. *ubi aliàs*,improbatur,ob nimiam viæ brevitatem,quam permeat, quantumcunque mentula longa ſit, & ob uteri,à quo illicò excipitur (imò inquam,attrahitur) caliditatem. Utrùm autem ſupradicta ſanitatis pericula tantæ molis ſint, ut in conſiderationem venire debeant, maximè cùm cautè agendo evitari poſſint, fortè negativè reſolvendum. Certè ad hoc ſaltem videbatur neceſſarium de his mentionem habere, quia facile eventu eſt,ut mulier à viro diſcedere cupiens, thori ſeparationem ex hac cauſa procuret, & proprium periculum cauſetur, & tunc Canoniſtæ palam ex dictis habebunt,an mulier juſto timore ducatur,necne,& an hæc cauſa ſufficiens eſſe poſſit ad illam excuſandam à debiti redditione, vel ad thori ſeparationem illi concedendam.

11 Sextò in dubium verti poteſt, an vir teneatur reddere debitum uxori imperforatæ, nempe quæ uteri clauſuram patitur incurabilem,ſunt enim mulieres nonnullæ, quibus membrana in medio uteri collo obtenditur, aliquando tam dura,ut nullâ irruentis viri violentiâ diſrumpi poſſit:has Atretas, imperforatas, ac velatas vocant, de quibus aliàs verba feci. Videtur autem virum teneri his reddere debitum;maximè ſi concipere poſſint,ut nonnullæ poſſunt; nullo enim fine videtur deſtitui hoc matrimonium, ita irritari poſſit, dum ultra cæteros etiam hunc, qui præcipuus eſt, habere poteſt,nempe ſobolis procreationem,quia ut Hippocr. auctoritate,aliorumque Medicorum,aliàs dixi *lib.5.tit.1. quæſt.7. n. 24. & ſeqq.* hujuſmodi mulieres poſſunt concipere. Imò etiamſi hoc fine deſtitueretur, tamen non excuſari deberet vir, qui redderet, quia neq; ipſe vir,neq; mulier impediuntur,quin ſemen emittant,unde uterque eorum poteſt habere remedium concupiſcentiæ, & uſu matrimonij mutuam dilectionem fovere. Ergo etiamſi ex hoc capite mulier ſterilis eſſet, tamen non eſſet illi denegandum debitum, quia & ſterilium matrimonium valet,& ſterilibus etiã ex alia magis irrepatabili cauſa debitum eſt reddendum, quia etiam abſtractã à conjugio omni ſpe habendæ prolis, tamen conjugium non eſt irritum.Sanch.*de matr.lib.7. diſp.92. n.16.* ut aliàs dixi. Si ergo inter hos matrimonium valet, rectè matrimonio uti poterunt. Neque dicendum, idcircò in hoc caſu non eſſe reddendum debitum, quia neceſſe eſt virum extra vas fœmineum ſemen effundere, & hoc fieri non poſſe abſq; peccato, quia id non videtur habere locum in hoc caſu, cùm non poſſit dici, virum extra vas ſemen effundere, ſi intra uteri collum effundat; quemadmodum neq; ille extra vas effundere dici deberet, qui vel per negligentiam, vel aliqua alia ex cauſa ad intima uteri concũbendo non perveniret, ſed in media ſemita ſemen emitteret: totum enim uteri collum vas illud dici debet: in quod ſemen projiciendũ eſt,ſufficitq; ad hoc, ut vir dicatur intra vas effundere, ut intra uteri labra emittat;ſatis namque eſt, ut in locum emittat,unde uterus ſua attractrice facultate illud ad ſe allicere poſſit, ut inde conceptio ſequatur. Alia tamen ex parte videretur in caſu debitum non eſſe reddendum, cùm ſubſit manifeſtum vitæ periculum ipſius mulieris, ſi concipiat ex una, & ex alia ſemen ob membranæ impedimentum retrocedat, at tantundem ſit illud extra vas effundere. Quibus conſideratis Canoniſtæ determinabunt, an matrimonium cum his fœminis valeat, an debitum reddi debeat, & hujuſmodi alia dubia,quæ circa hoc occurrere poſſunt; mihi ſatis ſit ea, quæ ad Medicum cognoſcere ſpectat, præmonſtraſſe. Scio arctationem, quæ remedium non admittit in fœmina, cauſam eſſe ſufficientem, ac præſentaneam dirimendi matrimonium:ſed ſi conjuges eo modo quo potuerint,commixti fuerint,& ſeminaverint, & ex eo congreſſu mulier conceperit, ut evenire poſſe ex Hippocr. auctoritate aliàs dixi, potuerunt ne conjuges cognito impedimento hujuſmodi, ab invicem ſeparari, & matrimonium dirimi? Ad hoc dubium quid ſit dicendum, Canoniſtis relinquo determinandum.

SUMMARIUM.

1 *Viro an liceat, aut mulieri, medicamenta aſſumere ad Venerem excitandam.*
2 *Vir an poſſit ſe medicamentis validiorem reddere ad Veneris uſum.*
3 *Vir an teneatur poſt ſeminis emiſſionem copulam continuare, ut uxori integrè ſatisfaciat.*
4 *Conceptio non ſequitur, niſi conjuges ambo ſimul ſemen emittant.*
5 *Conjunx an poſſit remorari pollutionem, ut alterius emiſſionem expectet.*
6 *Conjunx an poſſit pollutionem remorari, ne interim alter pluries polluatur.*
7 *An inchoatum coitum non abſolvere liceat.*
8 *Seminationem extra vaſa fieri quomodo ſit intelligendum.*
9 *Pollutio voluntaria extra vas eſt peccatum mortale, ſecundum Canoniſtas.*
10 *Pollutionem extra vas quando dicatur vir facere.*
11 *Mulierem extra vas pollui, quid ſit, non poteſt explicari.*
12 *Uxor an poſſit poſt coitum ſurgere, & urinam reddere, ut ſemina excutiat.*

Examinantur nonnulla, quæ ſecundùm Canoniſtas in uſu matrimonij cum peccato inter conjuges contingunt.

QUÆSTIO VI.

PRoponam in hac quæſtione dubia nonnulla, de quibus nullam apud Canoniſtas factam mẽtionem invenio,cum nõnullis aliis,quæ & ipſi tetigerunt. Primò autem quæro,an conjunx, qui non eſt 1
multum potens ad coëundum,teneatur, aut ſaltem licitè poſſit, ut debito ſatisfaciat, aliquo modo ſeipſum potentiorem reddere, ut aſſumendo medicamenta calida, ſemen adaugentia,& ſopitam veneré proritantia. Et non teneri abſolutè,dicit Sum.Silv. *p.1.verb.debitum conjug n.1.* ex Archid.auctoritate, nam ſatis eſt,ut inquit,ſi ſe non reddat impotentẽ; an verò poſſit licitè id præſtare, non determinant. Dico igitur, quantum ad Medicum ſpectat, quòd primò in viro impotentia, ſeu ignavia, & debilitas ad Venerem exercendam, poteſt habere diverſas cauſas, quarum aliæ nullo modo ſunt amobiles, ut eſt naturalis genitalium partiũ frigiditas,aliæ verò ſunt amobiles quidem, quæ & ipſæ in duplici ſunt differentia;vel enim in totum amoveri poſſunt, vel in partem:vel meliùs dicamus, alias verè amoveri, alias autem apparenter tantùm, & quemadmodum priores amoventur abſque ullo ſanitatis incommodo, imò cum ejus commodo, ita poſteriores,

etiamsi motæ appareant, & homo ad venerem excitetur, nonnisi cum aliqua, & notabili sanitatis noxa id perficere solent. Priorum exemplum sit impotentia, quæ ex longo aliquo morbo successit, & ex diuturna convalescentia, in qua corpus spiritibus, & sanguine depauperatum refrigescit; restauratis autem viribus facilè impotentia cessat cum notabili sanitatis profectu; renutritur enim corpus, ac spiritibus, & sanguine repletur, unde utilis materiæ, seminisque copia procreata, facilè venereorum appetitus redit. & homo ad venerem stimulatus, ejus laboribus jam promptior, atque aptior evadit. Posteriorum exemplum esset impotentia in viro, jam in senectute, vel in senio constituto; amovetur enim, vel amoveri videtur impotentia quibusdam Medicis auxiliis, quæ semen, sanguinemque acuere, & genitales partes jam frigescentes solent excalfacere, flatumque insimul procreare, atque eo modo vir tantisper ad Venerem potentior evadit; quod non fit per amotionem causæ, sed per momentaneam quandam alternationem, & idcirco succedere non potest, nisi cum magna virium jactura, & evidenti sanitatis noxa, si sæpè maximè medicamenta reiterentur.

2 Præterea finis, cujus gratia vir procurat se potentiorem facere, vel est simplex venereorum voluptas, vel prolis desiderium, vel voluntas debito satisfaciendi. Dicendum itaque videtur (salvo semper meliori Canonistarum judicio) in primo casu, nempe ubi causa amobilis, procurare se potentem ad venerem reddere, ob procreandam prolem, non solùm licitum esse, sed honestum, quia id fit salva etiam viri incolumitate; neq; enim aliter amoventur tales causæ, quàm excitãdo calorem naturalem, & vires augendo: quemadmodũ etiam licitum esset, ubi id fieret causa reddendi debitum conjugale; quod etiamsi ex sola voluptatis causa id fieret, non videretur tamen ullam habere culpam, quia vir dat operam, ut robustior evadat, & naturales actiones commodè exercere possit, quod non videtur esse illicitum procurare licitis mediis. Licet ex aliquorũ, Dd. opinione Sum. Ang. *verb. debitum conjug. n.* 23. dixerit, hoc esse peccatum mortale: De qua re alij Dd. judicent. In posteriori casu, si causa habendæ prolis id fiat, non videretur illicitum, etiam cum aliqua, non tamen insigni, ac gravi noxa propriæ sanitatis id fieret. Quòd si fiat causa satisfaciẽdi debito, ubi non timeatur evidẽs, & notabile periculum, adhuc forte non esset inhonestum; sed si fiat causa voluptatis, tunc quidẽ omni procul dubio (nisi me mea fallit opinio) hoc tanquam illicitum, & peccatum inducens, est improbandum. Sed vide ad hæc quæ affert Sanch. *de matr. lib. 9. disp. 3. n. 3. & seqq.*

Porrò in fœmina non datur impotentia ad coëundum, nisi in causa imperforationis, cujus curam tentare, absq; evidenti vitæ periculo, non est illicitum. Aliàs nunquam mulier est impotens ad exercendam venerem, sed aliquando fit ut in coëundo nullam percipiat voluptatem, quam Medici interdũ aptis medicamentis procurant; ergo id in muliere vel fit ob solam voluptatem, vel ob prolis desiderium, cùm privatio delectationis in coïtu conceptionem secundum plurimum impediat, non fit autem unquam ex causa satisfaciendi debito, quia absq; voluptate mulier satisfacit. Ergo causa solius voluptatis medicamenta assumere ad percipiendam delectationem in coïtu, fortè non erit magis illicitum, quàm exercere venerem ejusdem voluptatis causa; verùm causa habendæ prolis omninò erit licitum imò fortè tenebitur mulier, cognoscens hoc sibi esse impedimento ne concipiat, ad ea medicamenta assumenda devenire, ut in coïtu delectata possit concipere.

Secundò dubitare licet, an quis possit, ut potentior ad Venerem evadat, etiam ultra id quod debiti redditio expostulat, supradictis medicamentis licitè uti; sunt enim quidam tam Veneris illecebris capti, ut ipsi se ipsos, alias per se ignavos, ad eam stimulare, omnique studio proritare satagant; præcipuè autem ex senescentibus nonnulli, qualis Lupercus ille apud Martial. *lib. 3. Epigr. 33.* in quem Poëta hoc invehitur:

Stare, Luperce, tibi jampridem Mentula desit,
Lectaris demens tu tamen arrigere;
Sed nihil Eruca faciunt, Bulbique salaces,
Improbanec prosunt jam Satureia tibi.
Cœpisti puras opibus corrumpere buccas,
Sic quoque non vivit sollicitata Venus.
Mirari satis hoc quicquam, vel credere possit.
Quanon stat, magno stare, Luperce, tibi.

In hoc ergo casu cùm ad nullum laudabilem finem, sed solùm voluptatis venereæ causa id fiat, & aliquando cum notabili sanitatis detrimento, videretur dicendum, non licere hujusmodi medicamenta assumere, cùm coïtum ab omni culpa immunem non esse jam dictum sit, si sola voluptatis causa fiat: quid ergo si accedat notabile admittendæ sanitatis periculum? nam certè quæcunque tandem ea medicamenta sint, quæ Venerem stimulant, nunquam sine aliqua notabili noxa aut assumuntur, aut in usu aliquando convocantur.

Tertiò, dubitatur etiam à Canonistis, an vir teneatur post seminis emissionem copulam continuare, donec etiam mulier emittat. Sanch. *de matr. lib. 9. disp. 7. n. 9.* & Pont. *de matr. lib. 10. c. 11 n. 3.* voluerunt, virum non teneri expectare, ut fœmina emittat, Licèt ille *n. 11.* & hic *loc. eod.* dicant licere marito copulam continuare, donec mulier seminet. Nullum tamẽ peccatũ intervenire determinavit Sanch. *ibid. n. 15.* si, ubi vir semẽ emiserit, mulier ante proprij seminis emissionem à copula desistat. In quibus Canonistarum assertionibus nonnulla sunt, quæ grave dubium excitare possunt. Quoad illud enim, quod aiunt non teneri virum expectare mulierem donec semen emittat, non videtur in omni casu tam simpliciter accipiendum, & solùm fortè habere locũ, ubi vir à muliere exigat; nam exigente muliere, videndũ esset an vir hoc pacto obligationi reddendi debitum satisfaceret: Atqui duplici ex capite satisfacere non videretur. Primò, quia si debiti redditio respicere debeat generationem jam absque eo, quòd mulier semen emittat, nulla sequi potest generatio, ut communis est Medicorum opinio, quam luculenter quæstione prima roboravimus. Quòd si redditio debiti respiciat extinctionem stimulorum carnis, & coërcitionem incendij ejusdem, tantùm abest, ut mulier à viro inita, & semen non emittens, ab ejusmodi stimulis vindicetur, ut potiùs acutiores eos experiatur, non enim cessat libido, donec semen effundat. Peramat. *de semin. pag. 59.* Itaque quandocunque mulier petit reddi sibi debitum, credendum maximè est, illam ad explendum proprium desiderium id expetere: quod non ad simplicem copulam, sed ad seminis tendit effusionem, per quàm solùm illicò desiderium illud defervescit. Non modò ergo vir, non expectans mulierem in copula, donec semen & ipsa emittat, non evitaret in illa, ut tenetur, incontinentiæ periculum, sed majorem in modum adaugeret; dupliciter nãq; mulier periclitatur, uno modo, qui animæ; alio,

qui

qui corporis reſpicit ſalutem. Primus modus eſt, ut mulier vel in ſomnis, quod minimum eſt, vel ex ſe aliqua via polluatur; nam pleraſque offendes, quæ poſt viri congreſſum, cùm proprium deſiderium non expleverint, coxas invicem ſibi ſuperponunt, illaſque invicem conſtringunt, ac confricant, ut eâ confricatione ſemen jam ad exitum ſtimulatum effundatur; hoc nonnullæ, quod manum abſtineant, putant ſe ſine peccato facere: quibus favent nonnulli Theologi, de quibus Petr. Hurt. de Mendoz. *in libb. de gener. & corr. diſp.* 2 *ſect.* 6 §. 84. Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp* 17. *n.* 12. qui putant poſſe mulierem poſt congreſſum cum viro, ſe provocare ad ſeminis emiſſionem, ut concipiat: quod quidem quêadmodum Medicis inane videtur, ſic etiam Canoniſtis non eſſe ſine culpa apparebit, quippe cùm fruſtra omnino ſemen emittat mulier, niſi cum viro aut paulò pòſt, vel antè emittat: nec majus peccatũ exiſtimandum provocare ad ſeminis effuſionẽ poſt viri congreſſum, quàm extra viri congreſſum; in idem enim utrumq; recidit & inania omninò ſunt, quæ contra hanc opinionem affert idem Sanch. *ib.* Secundus modus, qui corpoream reſpicit incolumitatem, eſt quia mulieres ad ſeminis expulſionem ſtimulatæ, & illud non emittentes, hyſtericos dolores, & affectiones, melancholicaſque paſſiones facilè incurrunt. Ex quibus videretur potiùs dicendum, quòd muliere exigente, (& id quidem aut tacitè, aut expreſsè, nihil enim ad hoc refert) maritus teneatur aut copulam continuare, aut non multo pòſt, ſi fieri poſſit, ad eam redire, ut illa, quod primâ vice non potuit, ſecunda abſolvat; niſi mulier ipſa expreſsè fateatur ſe prægreſſa copula eſſe contentam, & novam reſpuat, nam alias ob modeſtiam 4 mulieres dicunt ſe contentas eſſe, cùm non ſint.

Sed contrà objici poteſt, fruſtra maritum copulam continuare, ſi generationem reſpiciamus, cùm jam ſeminaverit; præterquam enim quòd nova agitatione ſemen in uterum emiſſum facilè excidit, non poteſt inde ulla ſequi, ut diximus, conceptio, niſi ſimul cum marito, aut tantiſper poſt ipſum mulier ſemen effundat; ſic enim ſemina illicò commiſcentur, & ab utero attractata, conceptionis materia & cauſa fiunt; aliàs non commixta, ſemen quod priùs eſt effuſum refrigeratur, & ab utero non conceptum excidit, aut cùm illa ſuum emittit, foras prodit. Non ergo ad alium finem continuabitur copula à viro, poſt ſui ſeminis emiſſionem, niſi ut mulier etiam delectetur ex coïtu, quod an liceat, non ita patet. Dicendum tamen, non eſſe neceſſariũ ex omni concubitu ſequi conceptionem ſatiſq; eſſe, ſi conjuges, quantum eſt ex ſeipſis, non ſint impedimento ipſi conceptioni; & præter eorum intentionem, & ex accidenti ſit, ut ob id quòd ſimul ſemina non effuderint nulla ſequi potuerit conceptio.

Verùm cùm dixerimus, ob prænarratas cauſas teneri virum expectare, ut mulier ſemen emittat, ubi illa debitum exegerit, videndum erat, an è contra mulier teneatur expectare virum. Sed de hoc nullum omnino eſt dubium, cùm non poſſit mulier dici debito ſatisfacere, niſi patiatur ſe à viro iniri, donec ſemen emiſerit, terminus enim copulæ eſt ſeminis emiſſio.

5 Quartò dubitari poteſt, an conjunx licitè pollutionem remorari poſſit, ut alium expectet quò ſimul ſemen effundat, de qua dubitatione etiam Canoniſtæ verba fecerunt; circa quam tamen nonnihil ratiocinari nos invitat Medica ſpeculatio, nam ex Rufo apud Oribaſ. *lib.* 6. *collect. c.* 38 & ex Raſi, 24. *contin. cap.* 1. ſeminis interceptiones, quæ in medio concubitu fiunt, renibus & veſicæ peſſimas eſſe conſtat; ſicut ex Avic. 20. 3. *tract.* 1. *cap.* 11. ſpermatis retentionem, ejuſque prætermiſſionem eſſe malum valde. Quamobrem cùm ex remorata pollutione notabile immineat periculum conjugibus propriæ ſalutis: dicendum videtur, non poſſe abſque culpa conjuges pollutionem retardare. His adde, quòd hujuſmodi ſeminis retardatio poteſt etiam impedire conceptionem; nam ſemen ad expulſionem motum, neque emiſſum, proprium vigorem amittit, evaneſcentibus ſpiritibus, neque ipſo refrigerato, indicio eſt, poſt hujuſmodi interceptiones, & minori cum delectatione, & minori etiam cum impetu ſemen effundi, quod in viris ſenſu aſſequimur, & in mulieribus conſequens eſt eodem modo evenire.

Dicendum tamen eſt, aut ſemen jam motum eſſe, quod ex prurientis ſenſu, & ea incœpta delectatione conjicimus, aut non. Quando ergo ſemen jam motum eſt, & deſiſtitur a coïtu, tunc omnia inconvenientia ſequuntur, quæ ſuprà commemoravimus, & ideirco tunc, ut puto, non licet pollutionem retardare. At ſi ſemen adhuc non properat ad exitum, ſed videtur tantùm de proximo properaturum, tunc licèt magis lentè in copula procedere, aut ab ea tantiſper deſiſtere, ut alter conjux opportunè ſemen emittat. Doctores autem loquuntur in priori caſu, in quo ex ſeminis retardatione renum, veſicæ, & teſtium tumores, gonorrhœam, & meatuum obſtructiones in viris, in mulieribus autem hyſtericas paſſiones facilè ſuccedere credendum.

Quintò dubitari poteſt, an unus conjunx, ut 6
unico congreſſu alter pluries polluatur, abſq; prænominatis periculis, poſſit pollutionem remorari; nam ſunt qui ſuo libitu abſq; ullo incommodo in coïtu commorantur, ſeminis emiſſionem procraſtinantes. Utrùm ergo ad ſupradictum finem licebit his pollutionem differre at certè cùm hoc non fiat ad aliquem honeſtum ac laudabilem finem, ſed tantùm ad magis libidinem explendam: credo Canoniſtas determinaturos, licitum id eſſe non poſſe, maximè ſi inde aliquod notabile damnum alterutri ex conjugibus evenire poſſit. Sed licebit ne conjugi, qui ſalacior in Venere ſit & quàm citiſſimè ſemen effundat, ſegniore exiſtente altero, interim ſe provocare ad iteratam pollutionem? Hoc quidem non videtur habere difficultatem, ſi per Canoniſtas licebit conjugi, qui jam ſeminaverit, copulam continuare, donec alter quoque ſemen effundat: cur ergo non licebit ſalaciori, & qui citiùs emittit, de novo emittere? nam non videtur ullo illicito medio ad hoc uti, nec quicquam ad hoc obſtare. Sed adhuc inſtari poteſt, an licet conjugi, qui præpropere ſemen effundit, medicamenta aſſumere, quæ ſeminis effuſionem retardent? Hoc poſſe habere varios fines, notum eſt; vel enim id fit ad ſe magis in coïtu delectandum, vel ad delectandam conjugem, vel ad faciliorem conceptionem, vel tandem, quia hoc modo non poteſt integrè debito ſatisfacere. Ac profectò duos priores fines illaudabiles eſſe, unuſquiſque affirmabit; videtur ergo tunc id à culpa immunem hominem non facere. Duos poſteriores laudabiles eſſe, unde peccato carere Canoniſtas determinaturos exiſtimare licet.

Sextum dubium ex Canoniſtis movent Summa 7
Ang. *part.* 1. *verb. debitum conjug. num.* 12. Sanchez *loc cit. diſp.* 19. *num.* 14. & Pont. *lib.* 10. *cap.* 11 *num.* 9. & alij, & eſt, an liceat incheatum coïtum non abſolvere, ſi mulier ſemen emiſerit, an liceat

viro

viro absque seminis proprij emissione à copula desistere, & sic è contra putarunt Silvestr. Rosell. & alij apud Pontium, *ubi suprà*, non licere; Sum, Ang. tamen, *ubi sup.* & Pont. *ibid.* & alij, contrarium putant verius, cà cautione usi, dummodo neque adsit periculum spontaneæ pollutionis in altero conjuge, & sit hic alter eâ copulâ contentus. Ego, tanquam Medicus, in hoc meam sententiam dicam: & quod pertinet ad virum, difficile esse credo non subesse semper spontaneæ pollutionis periculum, si à copula non emisso semine desistat: nam in venere exercenda semper à parte viri concurrat necesse est calor, & spiritus ad genitalia membra, unde fiat erectio; dehinc ex motu, & agitatione majorem in modum loca excalfiunt, & semen facili negotio ad exitum excitatur; & sic si vir coitu desistat, facillimè vel modica ex occasione, etiam in vigilia, aut in somnis, sequitur ejus effusio; quæ quidem non semper locum habent in muliere, quæ absque ulla interdum locorum excalfactione, absque ulla membrorum erectione absque ullo veneris appetitu, absque ullo motu & agitatione coitum exercet. In viro ergo magis periculosum est permittere, ut à coitu desistat non emisso semine; in muliere autem, si in venerem accensa non fuerit, permitti quidem posset ex supradictis; sed si jam in venerem sit accensa, periculosum etiam in ipsa erit, ut à copula desistat, quod melius ex iis, quæ *num.* 3. diximus, palam fit.

8 Dubitari præterea potest, quomodo intelligendum sit Canonistarum nonnullorum dictum, quòd seminatio extra vas in utroque conjuge peccatum mortale inducat, si sponte sit facta, ut post alios dicit Pont. *lib.* 10. *n.* 11. *c.* 6. 9 Non revoco autem in dubium, an spontanea pollutio ex se facta, sit peccatum mortale, hoc est enim clarissimum, cùm & Ethnicis ipsis tanquam opus pessimum sit vituperatum, unde Martial. *lib.* 9. *Epigr.* 41 in Ponticum:

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice lævâ
Uteris, & Veneri servit amica manus,
Hoc nihil esse putas scelus est mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe simul fuerit generaret Horatius ut tres,
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
Mandasset manibus gaudia fœda suis,
Ipsum crede mihi, natura dicere verum,
Istud, quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Sed quærimus hic, quandonam dicantur conjuges 10 extra vas se polluere, ad hoc ut peccatum incurrant: & in viris quidem non multum negotij assumendum in hoc dubio decidendo, licèt firmandum omnino sit quantum penetrare debeant ad uteri claustra, ne extra vas pollui dicantur; cùm enim uterus dividatur in os externũ, collum, & os internum, quatenus ad hanc rem spectat, an teneri virum firmandum usq; ad os internum penetrare, an verò sufficit intra uteri labra, & prope externum os semen emittere, an ad peccatum evitandum tenetur saltem os externum transgredi? & in hoc quidem cùm regula aliqua assignari debeat, absque dubio videretur dicendum, quod illa non alia esse possit, nisi quæ maximè ad generationem facit; quia tamẽ ad hunc finem jubent Medici, ut vir quàm penitissimè membrum intrudat, nõ idcircò dicendum, quòd si aliqualiter ab ea intrusione deficiat, non possit sequi generatio, quia ipse uterus attractrice suâ facultate potest ac solet semen ad se allicere; quandocunque ergo vir, maximè datâ operâ, non ita vas penetrat, nec tam propriè ad intimiores uteri partes polluitur, ut ex ejus seminis emissione sequi possit generatio, tunc extra vas pollui illum hi-mandum. Ex hac ergo regula desumendum videtur, quomodo etiam ij, qui nulla spe generandi coëunt, Venerem exercere debent, ne extra vas pollui dicantur; ita enim fortè se gerere debent, ac si conceptio ex eorum copula esset secutura. Neque fidendum est quorundam Canonistarum opinioni, volentium satis esse, ut prope vas fœmineum vir semen emittat, absque intromissione etiam, fundantes hanc opinionem in uteri attractione, ex qua factum dicunt, ut aliquæ in balneo sint impræg-natæ, aut ex semine simpliciter prope ipsas effuso, hæc enim ridicula apud Medicos, & inania sunt; licèt pro fundamento suæ opinionis ea adducat Summa Armil. *verb. debitum conjug. vers.* 4. *quæritur.*

Minor dubitatio insurgit circa mulierem, neque 11 offendi quenquam ex Canonistis determinantem, quomodo mulier dicatur extra vas pollui, hoc enim explicari non potest; cùm notum habeamus Medici, mulierem emittere semen in uterum, non extra uterum, & si quando emittat extra uterum, hoc involuntariè fit, cùm in mulieris potestate non sit, semen aut ad uterum aut extra uterum pro suo libitu effundere: vasa enim ejaculantia ipsius mulieris in corporis vacuitate extra uteri corpus repentia, ad ipsum uterum in coitu semen effundunt, à quibus tamen vasis productiones quædam fiunt ad uteri collum, per quas etiam aliquando semen ad collum uteri demandatur, & per eas nonnullæ, & maximè gravidæ spermatizant, quas tamen semen non emittere falsò affirmat Avic. Vas ergo congruens, in quo semen fœmina demandare debet, uteri corpus est, & ad illud quidem demandatur. Unde cùm pollutio extra vasa in muliere aut non fiat, aut si fiat, id præter ejus voluntatem eveniat, non videtur dari posse casus, ut mulier peccet extra vasa semen emittendo, ut volebant citati Canonistæ, nisi id sit, illam extra vasa emittere, cùm absque viri copula, datâ operâ polluitur. Quod si id non est, Canonistæ seipsos explicent, significando quid sit.

Tandem in dubium verti potest, an mulier post 12 celebratam Venerem possit surgere, & urinam reddere, eo fine, ut semen ejiciat, ne prægnans reddatur, nam Petr. à Pal. apud Sum. Ang. *pag.* 1. *verb. deb. conjug. n.* 14. putavit hoc non esse peccatum. Prudenter tamen ipsa Sum. Ang. & Sanch. *de matrim. lib.* 9. *disp.* 20. *n.* 3. cum aliis Dd. per eum recensitis, periculosum id putant, & rectè; nam non videtur absque peccato mortali posse conjuges impedire conceptionem postquam pervenerint ad carnalem conjunctionem, & maximè ubi semen emiserint. Atque inane est quod putat Canonista ille, quòd conceptio fiat per quoddam tempus post seminum emissionem; nam contrà, illico atque semina sibi invicem obviaverint, conceptio sequitur, aut ipsorum seminum ejectio ab utero. Itaque quandocunque mulier conetur semina ejicere, dicetur conceptum ejecisse, quod an peccatum mortale sit, nullum dubitare existimo: Securior ergo videtur ipsius Summæ Angelicæ opinio, nam omnino conceptio, illicò atque semina commixta retenta ab utero fuerint, dicetur consummata. Nam nisi illicò fiat, multo minus aliquando pòst fiet, refrigerantur enim semina, & infœcunda evadunt: Præterquam quòd, si illicitum est in ipso coïtûs actu se gerere, ut conceptio impediatur, quantò magis post ipsum celebratum coïtum, id erit illicitum?

LIBRI SEPTIMI TITULUS QUARTUS.

De Stigmatibus Magorum.

Continens Quæſtiones quinque.

I. Quid ſint Stigmata, de quibus hîc, & hiſtorica eorum diſquiſitio.
II. Utrùm ejuſmodi naturæ Stigmata dari poſſint.
III. Rationes nonnullæ in Stigmatum defenſionem producuntur, illiſque occurritur.
IV. Naturáne, an arte caro viventis hominis ita affici poſſit, ut puncta dolorem non ſentiat nec ſanguinem effundat.
V. Ex præcedentibus quid eliciendum

SUMMARIUM.

1 *Magorum genus deteſtabile.*
2 *Reipublica intereſt Magos perdere.*
3 *Variæ Magorum proprietates, & ſigna.*
4 *Stigmatum ſigna Magos certò detegentia, quantum aliqui credunt.*
5 *Stigma quid ſignificet.*
6 *Stigmatum differentia.*
7 *Magicum Stigma quid.*
8 *Stigmata Magica an dentur.*
9 *Stigmata an in omnibus Magis reperiantur.*
10 *Stigma eſt character impreſſus à damone in Magis, in vicem Baptiſmi.*
11 *Stigmata quam figuram ſortiantur.*
12 *Stigmata aliquando viſibilia, aliquando inviſibilia.*
13 *Stigmata an deleri poſſint.*
14 *Stigmata caro mortua eſt, & ad vitam revocari non poteſt.*
15 *Stigmata quas conditiones habeant.*

Quid ſint Stigmata, de quibus hîc, & hiſtorica eorum diſquiſitio.

QUÆSTIO I.

1 TAm conclamatæ, ac deploratæ ſortis, tamque iniquum, ac deteſtabile malorum Magorum genus eſt, ut nullum habeat genus humanum ſibi magis infeſtum, atque infenſum. Eò namque immanitatis hujuſmodi Satanicæ pravitatis homines deveniunt, ut præter quamplurima feritatis plena, quæ in exitium cæterorum hominum patrare ſatagunt (velut intolerabiles, inſanabileſq; ſimul morbos accerſere, ſteriles mulieres, impotentes viros efficere fœtus in utero materno corrumpere, tenellos pueros necare, miſeraſque perſonas Dæmonibus obſidendas, torquendaſque tradere) etiam humana viſcera, horrendum dictu, in propria viſcera tranſmittere non abhorreant. Sunt verò hæc, atque fuerunt omni ſæculo perſuaſiſſima, ac tam crebris experientiis confirmata, ut vulgò etiam ea res notiſſima in omni ætate fuerit, & ad hoc, quod ultimo loco diximus, nempe eos tanquam nefarios Atreos humana viſcera ingurgitare, reſpondebat Coquus ille apud Plaut. *in Pſeud. act. 3. ſc. 3.* vituperans condimenta cæterorum coquorum, inquiens:

—— Quum condiunt,
Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus,
Vivis convivis inteſtina qua exedunt.

Unde Horat. *in Art. Poetica.*

Neu pranſa Lamia vivum puerum extrahat alvo.

Omnium tamen iniquiſſimum ac deteſtabiliſſimum horum impiorum ſcelus eſt à Deo creatore ſuo abſcedere: ut enim propriarum animarum diſpendio abominabiles commeſſationes, infamiſſimos Veneris congreſſus, aliaque infanda, ac deteſtanda oblectamenta mercari valeant, cum morte fœdus percutiunt, & cum inferno pactum ineunt.

Quanti igitur Reipublicæ intereſt, ſacerrimum hos hominum genus de terra viventium eradicare, nullus eſt, qui non noverit; unde maximè Juſtitiæ conſonum eſt, cæteriſque hominum apprimè proficuum, ut cæteri unanimiter in illos conſpirent, illis in cæteros quoſque conſpirantibus. Quoniam autem 2
fama eſt, eos nonnullis ſingularibus proprietatibus, ac peculiaribus ſignis inter alios homines conſpicuos fieri, ad hæc animum advertere æquum eſt, ut per ea detecti è medio populi ſuccidantur. Ferunt enim nefatios hoſce binas aliquando pupillas in oculis habere, quod de quibuſdam populis memorat Plin. *lib. 7. ſuæ nat. hiſtor. c. 2.* & alij poſt ipſum. Ejus generis mulieris in Scythia reperiri, quæ viſu interimant, præcipuè quo iratis oculis aſpexerint, vocarique Vithras ex Apolloniade dicit Langius, qui 3
& ſimiles quaſdam Pontum incolere addit, & à Plutarc. Thybias vocari. Sunt qui dicant, hujuſmodi homines in alterutro tantùm oculorum binas pupillas ſortiri, alij, qui in altero geminam pupillam in altero verò equi effigiem obtinere tradant, ut idem Plin. *ibid.* qui hos omnes viſu tenellos pueros effaſcinare, atque interimere aſſerit; unde urentes oculos habere dicuntur Perſ. *ſat. 2.*

—— Urentes oculos inhibere perita.

Nam univerſum omnes vaſtos oculos, ac deformes, & præter modum turgidos habere, notant Martin. de Arles *de ſuperſtit. num. 30.* & alij relati per Petr. Oſterm *de ſtigmat ſect. 1. attoiog.* . Rumor etiam eſt hujuſmodi ſceleratos à pluvia non madefieri. Quin etiam pro dubitato Magorum ſigno eam in medium 4
afferunt experientiam, de qua etiam Plin. *loco cit.* & poſt alios Balduin. Ronſſeius, *epiſt. med. num. 51.* ſi manibus, pedibuſque alligati, atq; in flumen præcipitati, non ſubmergantur, ſed ſupernatent. Contra quam tamen experientiam non defuerunt docti Medici, qui nonnulla ſcriptis commiſerint, eamque irritam fecerint, ut Heurn. *in libel. ad hanc ipſam rem dicato*, præter allatos à Kornman. *in tem. nat. hiſtor. part. 3. concl. 3.* quam tamen ille cum aliis defendit. Flammis inſuper eorum nonnullos inviolabiles ſervari jactant, Plin. *ubi ſupr.* Firmant præterea maleficos, maleficaſq; omnes lachrymarum non facilè ſuperabilem defectum pati, nec quantumvis conentur, poſſe eas effundere Grilland. *de ſortileg. c. 9. n. 3.* & ex Medicis Cæſalpin. *in Damon. inveſtig. peripat. cap 13.* & Codronch. *de morb. veneſ. lib. 3. c. 4.* Quod ſignum ſunt qui pro certo & calidiſſimo habeant, & multa experientia jam confirmatum. Sed & invincibili taciturnitate, ne ſua facinora prodere

cogantur,

cogantur, etiam exquiſitiſſimis tormentis cruciati, eos conſpicuos fieri aiunt. Sprenger. *in mal. malef. part* 2. *quæſt.* 1. *cap.* 2. Cæſalpin. *ubi proximè*, & Codronch. *ibid.* Pleraque tandem alia hujuſmodi referuntur ad Magos detegendos, quorum plura refert Delrius *lib.* 5. *Diſquiſit. Magic. quæſt.* 5. ex quibus cùm alia fabuloſa potiùs, quàm vera à doctis exiſtimentur, alia minùs famoſa ſint, alia minùs experientia comprobata, ulterioribus examinare deſiſtam. Quod præ omnibus in horum impiorum notitiam Judices perducere poteſt, cùm ſit inter immemorata omnia ſigna famoſiſſimum, & inquiſitoribus penè omnibus non acceptiſſimum modò, ſed, ut ferunt, multa, ac frequenti expetientia comprobatum, illud eſt, quod de Stigmatibus recenſent, de quibus in præſenti, eo fine ſermonem inſtituere puto, ut quantum fidere eorum indicio poſſint Judices, pro eo quod ad me, tanquam Medicum ac Philoſophum ſpectat, detegam, & idcirco ea tantummodò inveſtigabo, quæ vel Phyſicam, vel Medicam ſpeculationem expoſcunt; alia quæ vel ad hiſtoriam, vel ad Theologiæ, aut alterius ſcientiæ facultatem pertinent, vel pro veris ſupponemus, vel utcunque admittemus, niſi quicquam quod ad hiſtoriam pertinent, tanquam ab omni veritate alieniſſimum, rejiciendum putem. Videndum ergo primò, quid ſit Stigma.

5 Importat ergo hoc nomen Stigmatis, propriè notam, aut ſignum aliquod, ſive characterem in alicujus corpore, aliquo modo impreſſum; unde non ſolùm ſigna, quæ inuſtione inferuntur, Stigmata appellantur, ſed etiam quæ quomodocunque etiam à natura ipſa ſponte producuntur, aut aliàs à prægreſſo aliquo morbo, aut cauſa præternaturali relinquuntur, ut quæ in matris utero contrahi conſueverunt, ut quæ à variolis, morbillis aliiſque puſtulis, timoribus, vulneribus, aut ulceribus, remanere ſolent. Ita apud plures Auctorum hanc Stigmatis vocem accipi notare licet, peculiariter autem apud Marcel. *de medic. cap.* 19. unde febrem illam, quem alij lenticularem, ſeu peticularem appellarunt, fuerint qui Stigmaticam nominaverint. Eſſe
6 autem perplures Stigmatum differentias notum eſt, cùm alia à natura ſint, alia ab accidenti, horumque alia igne, ferro, alia medicamentis; & alia item ſint unius, alia alterius figuræ; alia etiam ſint caſu facta, alia ad aliquem præmeditatum finem procurata: ſed de multiplici eorum differentia plura habet Petr. Oſterm *de ſtigmat. ſect.* 1. *& ſeqq.* Propriiſſimè tamen ſtigmata dicuntur notæ ignito ferro, aut adurentibus medicamentis impreſſæ, ut expreſsè patet apud Scribon Larg. *de compon. med. cap.* 231. & apud Aëtium *lib.* 8 *cap.* 11. ut modum quoque habes, quo hujuſmodi notæ inſcriberentur, quomodoque dehinc nonnullis medicamentis deleri poſſint. Sic etiam apud Paul. *lib.* 5. *c.* 7. & apud Avic. 7. 4. *cap.* 7. *tract.* 2 item patet. De hoc autem Stigmatis genere locutus eſt Juven. *ſat.* 10.

Mitius id ſanè, quod non & Stigmate dignum
Credidit.

Quamobrem notæ illæ, ſive characteres, qui beſtiis, aut mancipiis imprimi conſueverunt, ut pro ſuis cognoſcantur, propriè Stigmata appellantur. Licèt apud Thraces hujuſmodi notæ non ſervitutis, ſed nobilitatis ſignum extiterint, ut ex Cicer. refert Herm. Hug. *de prim. ſcrib. orig. c.* 9. Apud pleroſque tamen populos in uſu fuit, & de præſenti etiam in uſu eſt, ut his notis beſtiæ, & ſervi, ſi quando fugiant, aut amittantur, cujus domini ſint deprehendi poſſint; quod etiam adnotavit Galen. noſter *lib.* 1. *de dignoſc. pulſ. c.* 1. & ex hoc factum vero ſimile exiſtimo, ut ſervi, qui alios conſervos cædebant. Stigmatiæ dicerentur, ut teſtatur Cœl. Rhodig. *lect. antiq. lib.* 23. *c.* 24. vel quòd verberibus Stigmata plurima in vapulantium corporibus relinquerent, vel quòd non modò alios ſervos verberarent, ſed etiam quòd illis Stigmata inurerent, ſi fugere tentaſſent, vel ut, cujus domini eſſent, agnoſcerentur. Licèt Herm. Hug. *ubi proximè*, ex Nonnio, & Cicerone voluerit, quòd Stigmatiæ dicerentur iidem ſervi Stigmatizati, & notis compuncti; etſi non ſolùm fugitivis ſervis, & cæteris fortè omnibus Stigmata imprimerentur, ſed etiam reis in infamiæ teſtimonium, & in pœnam: unde Juvenal. *ſat.* 14.

Tum fœlix quoties aliquis, Tortore vocato,
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

Atque inde militibus, ut credo, excitabantur tales notæ in manibus, ſi aliquando in aliquibus defeciſſent; nam illud apud Aëtium, *ubi ſupra* habeamus, Stigmata notas eſſe, quæ in facie, aut alia quapiam parte corporis infliguntur, quales videmus in manibus eorum, qui militiam exercent: niſi fortè quis malit, ad alium meliorem finem eas notas in militum manibus fuiſſe excitatas; licèt ſciam, Senecam *lib.* 4 *de benef. c.* 37. de Philippo Macedone narrare, quòd cuidam militi iratus, Stigmata inſcribi juſſerit. *Caterum*, inquit, *improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, avidiſſimo naufrago, Stigmata inſcriberet, ingratum hoſpitem teſtantia*, dignum quidem, addens, *cui non inſcriberentur illæ litteræ, ſed inſculperentur.* Ex qua actoritate apparet, etiam in ſignum infamiæ Stigmata militibus fuiſſe excitata, niſi libeat fortè diſtinguere de Stigmatibus in manibus, & de Stigmatibus in fronte, aut in facie inuſtis, illaque in militiæ ſignum, ut ex Vegetio *lib.* 1. *de re militari, cap.* 8. *& alibi*, conſtat hæc in infamiæ teſtimonium extitiſſe. Sed & inter tormenta, ſtigmata ab eodem Seneca *lib.* 3. *de Ira, cap.* 3 connumerantur. Illud certum eſt, Athenienſes quoque Samiorum frontes, eo quòd ab eorum fide deficiſſent, Stigmatizaſſe, ut refert Cœlius Rhodig. *lib.* 15. *lect. antiq. c.* 17. atque hinc in infamiæ potiùs, quàm honoris ſignum abjiſſe patet; unde poſtmodum factum eſt, ut infames per metaphoram Stigmate notati dicerentur; hinc illud, Vitelliana cicatrice Stigmoſus, ex Plin. Auctor. *in adag.* pro eo quod eſt, infamis, & nota aliqua turpi inſignitus: huic metaphoræ alludit Martial. *lib.* 6. *n.* 64. ibi:

Stigmata nec vafrâ delebit Cinnamus arte.

Et Sueton. *in Jul. Caſ. n.* 73. Valerium Catullum, à quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua Stigmata impoſita non diſſimulaverat, ſatisfacientem eadem die adhibuit cœnæ. Sic in vetuſtiſſima inſcriptione, de qua Gruterus apud Pareum, *in elect. Plaut. in princ.*

HÆC STIGMATA ÆTERNA ACTÆ LIBERTÆ INUSTA SUNT, VENERARIÆ AC PERFIDÆ, DOLOSÆ, PURI PECTORIS CLAVEM, AC RESTIM SPARTEAM, UTI SIBI COLLUM ALLIGET, ET PICEM CALENTEM PECTUS MALUM COMBURAT SUUM.

Porrò antiqui Romani non frontem ſolùm, aut faciem ſervorum ſtigmatizabant, ſed cùm fugere tentabant, etiam crura ipſis inurebant, quod etiam Galen. noſter teſtatur *lib.* 8. *de Plat. Hippoc. & Plat. c.* 9. & certè leges *in l. ſi quis in metallum, C. de pœnis*, ſuris tantùm, vel brachiis, vel manibus eas notas inuri permittunt, expreſsè cavêtes, ne faciesaliquo

modo

modo deſcœdetur. Venit autem hac occaſione in mentem id, quod Herman. Hug. *loc. cit. cap.* 13. ex Polynæo & Gellio narrat, conſueviſſe nempe Antiquos notas quaſcunque vellent capitibus ſervorum inſcribere, non in aliquod infamiæ ſignum, aut in pœnã delicti, aut fugæ; ſed ut ſuccreſcentibus poſtmodum capillis eos ad amicos mitterent, qui raſo denuò ſervi capite, certiores per impreſſas notas fierent de amicorum mente. Sed de ſervorũ ſtigmatizatione plura vide apud Pignor. *de Servis, pag.* 19. *& deinceps*: ſed plura ac pulcherrima apud citatum Herman. Hug. *de prima ſcrib. orig. cap.* 19. & quales eſſent inſcriptæ notæ habetur, & quotuplicis generis, & alia ſcitu digna. Juxta hunc priſcum ritum ſtigmatizandi delinquentes in pœnã (de quo etiam Gallon. *de cruciat. mart. cap. ult. pag.* 199.) Juſt. Lipſ. *l. de una Relig. ad Dialog.* agens de coërcendis Hæreticis, pœniſque illis infligendis, poſtquam ſtigmata quoque & inuſtiones frontium adhibendas eſſe inculcavit, hanc ipſam pœnam in uſu fuiſſe teſtantur in Anglia ſub Rege Henrico II. anno 1162. allegans ad id hiſtoriam Guillielmi Neubrigenſis *lib.* 2. *cap.* 13. tunc Epiſcopi, ne virus hæreticum latiùs ſerperet, eoſdem publicè pronunciatos Hæreticos, corporali diſciplinæ ſubjiciendos Catholico priùs tradiderunt, qui præcepit Hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, & ſpectante Populo virgis coërcitos urbe expelli. Sed & ſimile quid habemus *in cap. ad Audientiam, lib.* 5. *Decret. tit.* 20. *de crim. falſi*, ubi hæc reperies. *Sed his à ſuis ordinibus degradatis in ſignum maleficij characterem aliquem imprimi facias, quo inter alios dignoſcatur.*

Sed jam, cùm hæc de hujus vocis ſignificatione, & de ſtigmatum uſu prolixè ſatis allata ſint, ad ſtigmata, de quibus noſtrum argumentum eſſe debet, 7 pertractanda deveniamus. Hæc, ut aiunt, notæ quædam ſunt homini à Dæmone impreſſæ, quibus ſubjecta caro inſenſibilis, & exanguis apparet. Non eſt autem novum Angelos, ſeu Dæmones tam bonos, inquam, quàm malos, certos quoſdam homines aliquo charactere ſignare, ut in pleriſq; exemplis patet apud Petr. Oſterman. *de Stigmatib. ſect.* 6. quæ hîc tranſcribere ſupervacaneum eſt: ex ſacræ namque Hiſtoriæ lectura hæc quibuſvis patere poſſunt, ut de Caino evenit *Geneſ. cap* 4. *verſ.* 15. de ſigno Tau apud Ezechielem, & de ſignis Electorum *in Apocalyp. cap.* 7. & de ſignis Antichriſti, ut idem Oſterman. *ibid. ſect.* 7. Sic & apud Dantem Alighierium Angelus ipſum Dantem in fronte ſignat, ut *Purgat. cap.* 9.

Sette P. nella fronte mi deſcripſe
Col punton della ſpada, e fa, che lave
Quando ſei dentro queſte piaghe, diſſe.

Sed ſtigmatum, de quibus agimus, hiſtoria non videtur ita Doctoribus communiter accepta, ut aliqua ex parte dubia non remaneat. Primò enim dubium eſt de eorum eſſentia, an nimirum verè dentur, an potiùs, commentitium quoddam, ac quorundam figmentum exiſtant. Secundò, quia non omni ex parte fictitia eſſe apud pleroſque conſtans opinio eſt, dubitatur in quibuſnam perſonis reperiantur, an ſcilicet in omnibus Magis Dæmoni emancipatis, an verò in aliquibus tantùm. Tertiò, cujus figuræ, ac magnitudinis ſint. Quartò an viſibilia, vel inviſibilia, & an omnia aut partim viſibi- 8 lia, aut inviſibilia. Quintò, an deleri poſſint, necne. Et quoad primum, non defuerunt qui contenderẽt, commentitium quid hæc ſtigmata eſſe, nec verè in Magis tale quid reperiri, & ſiquidem de præſenti iis, quæ plures incorruptæ fidei Viri, ac Doctores ſanctæ Inquiſitionis negotiis addicti experti hactenus ſunt, credere æquũ eſt, nihil omnino certi de ea re firmari poteſt; imò ſunt qui omnino vanum quid eſſe affirment. Sed pro contraria ſententia ſatis ſuperque mihi fuerit, Lectorem ad ea, quæ noviſſimè Petr. Oſterm. *de Stigm. ſect.* 8. attulit, remittere; hic enim ex quamplurimis Doctorum, & Inquiſitorum auctoritatibus probavit, hæc Stigmata verè in Magis dari, pluteſq; experientias in mediũ attulit, quibus contradicere non tam facile eſt. Addam tantũmodò auctoritatibus, quas ille adduxit, duorũ Medicorum dicta hoc ipſum conteſtantium, nempe Jo. Huch. *lib.* 4. *de ſteril. vũor. an Dæmones immortales & incorporei*, & Bapt. Codronc *lib.* 3. *de morb. veneſ. c.* 4.

Quoad ſecundum, non deſunt ex ipſismet Theo- 9 logis ea admittentibus, qui non in omnibus Magis ſtigmata reperiri aſſeveraverint, ſed in aliquibus tantùm & in hoc etiam non conveniunt, nempe in quibuſnã reperiantur: Nam nonnulli eos ſolos Magos ſtigmata volunt habere, qui adhuc in Diaboli fide infirmi ſunt, & de quibus facilè ipſe Dæmon dubitare poteſt, ne à ſua fide deſciſcant. Unde Bodin. *Dæmonum lib.* 4 *cap* 4 Ego tamen, inquit, cum Danæo ſentio, principes quoſque Magos carere ſigno, aut illud habere loco tam abdito, ut eo ſigno detegi ſit difficillimum; quod etiam Binsfeldius ſentit, ut videre etiam eſt apud Oſterm. *de Stigm. ſect.* 9 *pag.* 54. Contra verò alij, iis tantùm ſtigmata conferri à Dæmone volunt, qui jam veterani ſunt, & in fide confirmati: ſed in omnibus indifferenter dari, quandocunque Diabolo ſe tradiderint, & nocturnis conventiculis, ac conviviis interfuerint, firmarunt Recentiorum aliqui, quàm ſentẽtiam mordicus tuetur Fr. Sebaſtian. Michaël. *in hiſtor. de trib. Energum.* & ipſum ſecutus noviſſimè Petr. Oſterm. *de Stigm. ſect.* 9. Illud tamen verum eſſe concedunt, non in omnibus deprehendi, quia aliquando aut inviſibilia, aut in occultiſſimis partibus inflicta, ut ſub palpebris, ſub labiis, ſub podice, ſub uteri labellis, in aliiſque occultioribus locis. Aliquando etiam neque carnis colorem immutant, aut ipſius conſiſtentiam variant ita ut niſi ab ipſiſmet Magis, ac Veneficis deſignentur, nequaquam à Judicibus deprehendi valeant. Omnes tamen habere hæc ſtigmata, vel ex hoc uno probare nituntur, quòd hic ſic caracter ab ipſo Dæmone impreſſus, in 10 vicem Baptiſma indelebilem charactẽrem imprimit, ex quo Chriſtianus homo fit; ſic ex hoc ſtigmate character in corpore ipſorum Magorum imprimitur, ex quo Diaboli ſubditi, ac mancipia fiunt; & quemadmodum, inquiunt, nullus Chriſtianus eſt ſine Baptiſmate, & cum Baptiſmate unuſquiſque homo Chriſtianus eſt, ita nullus Magus eſt ſine ſtigmate, & cũ ſtigmate repertus homo Magus eſt, ita ſupra citatus Fr Sebaſt. Michaël, *ubi ſupr.* & poſt ipſum, & ex ipſo Petr. Oſterm. *ibid. ſect. 9. propoſ.* 6.

Circa tertium quoque dubium diſcordes ſunt 11 qui de ea re mentionem habent; multis tradentibus hæc ſtigmata nullam habere certam figuram, aliis contendentibus ea variam habere, & aliquando veſtigij Leporis, aut Aranei, aut Gliris, interdum equi effigiem repræſentare. Alij voluerunt eſſe ad ſimilitudinem manus Bufonis, vel Rubetæ, vel Lacertæ; alij imitari Catelli nigri imaginem; alij non omnia eadem ſortiri fimant. Recentiores, & præcipuè ſupra citatus Fr. Sebaſtian. Michaël, & prædictus Petr. Oſterman Juriſconſultus ſeriò inculcant, ea in ſingulis Magis ejuſdem eſſe figuræ, nempe ad modum Lentis, vel Piſi, nullius tamen coloris, & habere tantùm ſubjacentem carnem circumſtante

cumstante depressiorem, quæ visibilia sunt. Aliàs tamen idem Fr. Sebastian. Michaël cognoscì hæc stigmata voluit ex nota rubra, aut nigra cum prædicta carnis depressione, quod quidem facilè sequitur ad inustiones igne excitatas, ut non medici solùm, sed unusquisque etiam novit: cui concinere videtur ex nostris jam citatus Bapt. Codronch. *lib. 3 de morb. ven. c. 4.* dicens, hæc stigmata insensibilia esse, & perforata, nam fortè hac voce, *perforata*, illud intellexit, quod Fr. Sebast. Michaël dicebat de carnis depressione. Remigius tamen *lib. 1. Dæmonolatr. c. 5.* ex cicatrice relicta stigmata dignosci inculcat.

Ego, licèt nullam harum rerum experientiam me habere ingenuè fatear, cogarque quoad historiam, & rei identitatem alieno dicto stare, adimere tamen fidem cæteris Doctoribus, ut uni Fr. Sebastiano Michaëli prædicto omni ex parte credamus (qui tamen, ut liberè meam sententiam dicam, in toto illo suo volumine multa habet absurdissima, non Philosopho modò, sed Religioso viro, ob eorum inverisimilitudinem, dictu indigna, & quæ apertissimæ falsitatis redarguuntur) nunquam in animum inducam meum: crediderim ergo, licèt ut plurimùm stigmata nullam sortiantur figuram, nisi qualem ipse Fr. Sebastianus dicebat, in nonnullis tamen Magis potuisse habere eam, quam alij Scriptores tradiderunt, si modò verè hujusmodi stigmata in Magis reperiuntur.

12 Quoad quartum, communiter conveniunt Doctores hæc stigmata aliquando visibilia esse, aliquando etiam invisibilia; non est tamen dubitandum nonnulla horum stigmatum, licèt ex sui natura invisibilia sint, invisibilia tamen esse aut ob loci, in quo imprimuntur conditionem, & ipsius impressionis levitatem, eorumque exiguitatem etiam homini perspicacissimo; imò fortè in illis omnibus, quæ invisibilia esse creduntur, potest Dæmon absque eo quòd intuentium oculos præstringat, aut ex quocunque alio modo invisibilia faciat, præstare ut minùs sensum moveant, quod secundum plurimum fortassis evenit, quia ut constat, nisi ipsi Magi plerumque ea stigmata in suo corpore desinant, vix aliis, ut ferunt, aciem oculorum intendentibus perspicua esse solent.

13 Quoad quintum denique dubium, non solùm non conveniunt Auctores, sed ipse idem Fr. Sebastianus Michaël sibi ipsi in hoc contradicit. Voluerunt aliqui Dæmonem hæc stigmata suo libitu conferre, ac delere: sed contra horum opinionem strenuè pugnat ipse Fr. Sebastianus, eamque rationem
14 tanquam suum Achillem in medium profert, quòd cùm per hanc stigmatum impressionem subjecta caro mortua sit, nunquam possit per Dæmonem ad vitam revocari; nam tantundem esset ac mortuum hominem suscitare, quòd cùm Dæmon nullo modo facere possit, neque poterit consequenter stigmata hæc delere, & carnem in pristinum statum restituere, hoc est, ex mortua vivam reddere; & tamen in ipsa historia patet, Dæmon deleviſse stigmata à quadam famosa venefica, nomine Magdalena; & licèt addat, hoc ex miraculo contigisse, magis patet absurdum per majus absurdum voluisse illum confirmare, nam Dæmon miracula non potest facere, neque Deus, neque Angeli boni per ipsum miracula operantur. Quia tamen de ea re longioribus agendum est, pro nunc id monuisse sufficiat, ex aliorum Dd. opinione, hæc stigmata deleri à Dæmone posse.

15 Quanquam autem tot dubia in horum stigmatum investigatione occurrunt, in hoc tamen conveniunt auctores omnes, quòd ea duplici conditione sint insignita, utraque quidem maximi momenti, nempe quòd omni sensu destituantur, & quòd sanguinem non contineant. Certum namque est, & multa, ac longa experientia, ut ajunt, comprobatum, partes stigmatizatas longissima acu transfixas, neque ullum dolorem, aut ullum sensum movere, neque sanguinem ullo modo effundere. Cùm igitur in hoc omnes conveniant, relictis aliis supra allatis dubitationibus sub Judice, eorum essentiam, & hanc specialem ipsorum naturam supponemus, ut pro eo, quod ad Medicum & Philosophum spectat, illam examinare possimus, & rei veritatem detegere ostendendo, an dari possint, necne, an à Natura, vel ab arte excitari possint, vel ab ipso solo Dæmone, & siquæ alia in quæstionis processu discutienda occurrent, pro posse discutiemus.

SUMMARIUM.

1 *Eos qui sciunt, consentire inter se oportet.*
2 *Quod verum est nunquam redargui potest.*
3 *Nulla tam certa veritas est, quæ suos contradictores non habeat.*
4 *Magos stigmatizare, videtur non debere esse novum Dæmonis inventum.*
5 *Stigmata conferre, non videtur ad ullum finem Dæmonem reddere.*
6 *An Dæmon stigmata Magis conferat, ut ab aliis hominibus agnoscantur.*
7 *Ad quem finem Dæmon stigmata conferat.*
8 *Omne animal sanguineum, sanguine nutriri necesse est.*
9 *Omne animal sanguineum ex sanguine generatur.*
10 *Vita est consistentia per alimentum.*
11 *Mors animalis corruptio.*
12 *Quicquid calore naturali destituitur, corrumpitur ab extraneo.*
13 *Calor præternaturalis naturali contrarius, & inimicus.*
14 *Stigmatizatas partes non posse esse mortuas.*
15 *Dæmon circa Magos, cum in Justitiæ manibus detinentur, nihil moliri potest.*
16 *Ridiculus modus assignatur, quo Dæmon stigmata conferat.*
17 *Gravitas, & levitas corporum non est Dæmoni ullo impedimento.*
18 *Mortuam partem suscitare, idem est ac totum animal suscitare.*

Utrùm ejusmodi Naturæ Stigmata dari possint.

QUÆSTIO II.

AT verò plura sunt, quæ adeò suspectam reddũt horũ Stigmatum historiam, ut omnino falsam inde aliquis illam judicare possit. Ac primò quidem ipsorum Auctorum discordia maximam facit difficultatem; quippe cùm, ut Plato *de Nat. hum. prope princ.* dicebat, eos qui sciunt cõsentire inter se oporteat, in iis quæ sciunt, & non dissentire, at hæc scire eos oportet, cùm sensu ipso assequi illa potuerint: quòd si discordes, qui de his scribunt, in iis inter se sunt, aut ea nescire eos oportet, nullamque de illis experientiam habuisse, aut falsos esse, aut alios fefellisse. Veritas enim una est, & quod verum est 1
nunquam redargui potest, eodem Platone asserente 2
in Gorgia. Unde autem hoc, ut in re, quam sensu assequi licet, tantus hominum dissensus interveniat, ut unus alteri contrarius omni ex parte existat? Sed huic dubitationi non omnino deest responsio; nam quæ in mundo tam certa veritas est, quæ suos contradictores non habeat? An non & alia plura, quæ sub sensũ cadunt, dubia facere cõsueverunt, qui contradicere sunt parati? an non ipsissimi sapientes, qui 3
nõnisi veritatis amore alliciuntur, quantũ & quàm frequẽter inter se discordes sunt unusquisque novit?

Secundò

4 Secundò conſentaneum verò videtur, non eſſe Magorum Stigmatizationem novum Dæmonis inventum, quin credibile eſt ab eo quoque tempore, quo primùm Magos ſibi adduxit, conſueviſſe his notis eos ſignare, ſive id in eorum honorem faciat, ſive ut pro ſuis agnoſcat, ſive etiam ut characterem imprimat in vicem Baptiſmi, ſive ut Chriſma deleat, quod vanum eſt. Quomodocunque autem, & ad quemcunque finem id exequatur, non major ratio eſt cur non etiam anteactis temporibus idipſum fecerit: quocirca mirandum eſt, veteſtiores de ea re ne verbum quidem feciſſe, ſaltem plures eorum, qui etiam ex profeſſo hæc pertractarunt, eos autem, qui aliquid de ea re in medium attulerunt, nihil certi adduxiſſe: nam quod Fr. Sebaſtianus dicit, quod Stigmatum cognitio habeatur per traditionem Doctorum, inane eſt. In tanta enim re non traditione opus fuit, ſed firmiſſimis, ac minimè dubiis teſtimoniis, quæ quidem ſapientiores, ſiquid certi in hoc negotio experti fuiſſent, omnino poſteris reliquiſſent. Sed ne hoc quidem argumentum ſufficiens ad probandum videtur, id quod probare intendit: Quis enim eſt, qui diabolicæ voluntatis rationem reddere poſſit, cur magis de præſenti, quàm per anteacta tempora his characteribus uti voluerit? Nonne, etiamſi conſueviſſet ſemper Stigmatibus Magos ſignare, potuit ea res per multa ſæcula cæteros homines latere?

5 Tertiò non videtur, quòd Dæmon ad ullum finem moveri poſſit ad conferenda hæc Stigmata: neque tamen dicendum eſt, tam notabile agens quicquam agere abſque fine. Potuit igitur hujuſmodi finis eſſe, ut Magos ipſe pro ſuis cognoſcat, aut ut ab aliis cognoſcatur, aut ut fidos ab infidis ſecernat. Sed prior finis eſt inanis, quia Dæmon his notis, aut ſignis non eget, ut ſibi addictos ab aliis hominibus poſſit internoſcere, qui facilè non ſolùm ſibi addictos, ſed ſingulas perſonas, & ſingulas creaturas abſque ulla nota, non minùs quàm quivis homo ungues, digitoſque ſuos cognoſcit: quibus addendum, quod ſi ad hunc finem Stigmata conferret, cùm ſemel impreſſa non ampliùs deleantur, ſufficere ut ſemel tantùm conferret, & tamen non ſemel, aut bis, ſed centies, aliquando uni eidemque homini ea infligit, ut referunt Auctores, & ſignanter Fr. Sebaſt. Michaël. *loc. cit.*

6 Multò minùs dicendum, Dæmonem Magis Stigmata conferre ut ab aliis hominibus dignoſcantur, hoc enim pacto non modò illos ad cultum, & ſervitutem ſuam non alliceret, ſed deterreret potiùs, per hæc enim ſigna facilè illos proderet in Juſtitiæ manus. Præterquam, quòd ſi ad hunc finem id faceret, ſemper Stigmata imprimeret, quæ viſibilia, & conſpicua eſſent, imò multò magis, quàm nunc ſint, & conſpicua, & viſibilia. At contrà ut plurimum indit ea in partibus occultiſſimis, & aliquando etiam, ut ajunt, inviſibilia facit, ut ſuperiùs etiam dicebamus. At hæc debuit potiſſima cauſa eſſe, ne Dæmon Stigmata conferat, & ne Magi Stigmatizari ſe permittant, cùm ad Juſtitiæ manus lapſi, facile per ea diſgnoſcantur. Neque ut fidos ab infidis cognoſcat, id facere debet Dæmon, nam eædem cauſæ, quæ illum prohibent ob priorem finem à Stigmatibus conferendis, prohibere etiam debent ob hunc poſteriorem.

7 Ad hanc tamen difficultatem reſpondetur ex hiſtoria ipſa, ex qua patet non ad aliquem ſupradictorum finium, ſed ad alios nonnullos Dæmonem Stigmata Magis conferre, de quibus vide Petr. Oſterman. *de Stigmat. ſect.* 3. *Æſiolog.* 6. duo autem præcipui videntur: primus, ut imprimat characterem ſuæ ſervitutis; nam quia non poteſt in anima ſimilem characterem imprimere, qualis per Baptiſmum ab Eccleſia imprimitur, cùm homines ſuæ militiæ adſcribit, facit quod poteſt, imprimendo ſuum characterem in corpore, in vicem Baptiſmi. Secundus finis eſt, ut habeant Magi ſignum hoc honoris, & familiaritatis cum ipſo, intimæque amicitiæ, & in præmium ſervitutis, nam idcirco, ut referunt, in nocturnis Magorum conventibus & conviviis, hæc Stigmata tanquam ſcintillæ relucent ex ipſis Magorum corporibus, unde qui plura, & graviora facinora perpetrarunt, inſignioribus quoque ac frequentioribus Stigmatibus ſunt conſpicui ut ex ipſo Fr. Seba. Michaël dicit, jam ſæpè citat. Oſterm. *loco proximè adducto.* Sed ſi coram cæteris in conventiculis relucere debent, cur inducuntur in partibus occultiſſimis? Sed hæc fortè leviora ſunt, multò magis urgent quæ ſequuntur: nam quarò, ſuppoſito, quòd hæc Stigmata duabus commemoratis conditionibus dotentur, nempe ut partes Stigmatizatæ ſenſu omni deſtituantur, & ſanguinem non contineant, cùm punctæ & tranſfixæ ſanguinem nullum emittant, tunc quæri poteſt an partes ſic Stigmatizatæ vivant, necne? nam ſi velis eas vivere, ut non videtur negare communis Auctorum aſſenſus, tunc certum erit, quòd nutriantur at omne animal ſanguinem ſanguine nutriri neceſſe eſt. Ariſt. *lib.* 3. *de hiſtor. Anim. c.* 19. nutritur enim unumquodque ex 8
ſubſtantia, ex qua primùm genitum eſt Gal. *lib.* 1. *de ſem. c.* 19. & omne animal ſanguineum ex ſangui- 9
ne generatur. Si ergo animal nutritur ex ſanguine, certum eſt, quòd cùm quæcunque nutriuntur per tota ſe nutriantur Gal. *lib. de Nat. fac. cap.* 4. unde eſt, quòd ſiquis corpus hominis ſecet, ubicunque velit, ſanguis calidus fluit. Hippocr. *de Carn. n.* 10. etiam partes Stigmatizatæ ſanguine nutriri debeant; at ſi ſanguine deſtituuntur, ſanguine nutriri non poſſunt. Sequitur ergo inde, quòd Stigmatizatæ partes vivunt quidem, ſed non nutriantur, quod
eſt idem ac ſi diceres vivunt, & non vivunt, quod eſt 10
impoſſibile, & implicat, cùm vita nihil aliud ſit, quàm conſiſtentia per alimentum; vitam enim dicimus nutritionem, quæ per ſeipſum fit. Ariſtot. *lib.* 3. *de Anim. text.* 5.

Si autem velis Stigmatizatas partes non vivere, tunc neceſſe erit mortuas eſſe, & conſequenter corrumpi, quia mors ipſa eſt animalis, & partium ejus
corruptio. Ariſtot. *ſect.* 14. *Probl.* 9. nam quicquid ca- 11
lore naturali deſtituitur, corrumpitur ab extraneo. Ariſt. *ibid.* & eodem calore naturali abſcedente, alienus ſuccedit præter naturam, qui putrefacit; cùm verò alienus calor ſemper procedat putrefa- 12
ciendo, otioſus enim ob ejus activitatem nequaquam eſt, conſequens erit non ſolùm ipſas Stigmatizatas partes corrumpi, ſed ſucceſſivè etiam contiguas, & non multo poſt tempore totum animal, quod tamen eo modo ſuccedere non experimur.

Confirmantur hæc, quia partes Stigmatizatæ (ſi mortuas eas eſſe aſſeras) continent, ut dixi, calorem præternaturalem, qui nativo inimicus ac contrarius eſt; unde cùm vicinæ ac contiguæ partes vi- 13
vant, & naturali calore regantur, hoc abſque dubio ſuccedere neceſſe eſt, ut unum contrarium ab alio ſuperetur; cùm mortui & viventis nulla ſit proportio. Hippocr. *de Vulner. capitis.* Alterutrum ergo ex his fiet, aut naturalem vinci à præternaturali, & ſic animal interibit; aut præternaturalem ſuperari à naturali, & ſic partes Stigmatizatæ, quæ jam mortuæ erant, reviviſcent, & dabitur à pri-

vatione ad habitum regreſſus, quod eſt impoſſibile.

14 Præterea cùm partes Stigmatizatæ jam mortuæ circundentur partibus viventibus, quæ neceſſariò nutriri debent, nutritio autem fiat per vaſa hac illac tranſeuntia, Stigmata verò non ſuperficiem ſolam partis, ſed etiam profunditatem occupent, nam longâ acu in profundum transfiguntur abſque ſenſu, & ſanguinis effuſione, neceſſe eſt per hanc profunditatem etiam vaſa, per quæ nutritio fit, tranſmeare; tunc ergo alterutrum ſequatur neceſſe eſt, aut nutritionem incœptam terminari in parte Stigmatizata, & deinde de novo fieri poſt ipſam partem Stigmatizatam, quod eſt abſurdum; aut partes viventes nutriri per partes Stigmatizatas, hoc eſt, jam demortuas, quod eſt majus abſurdum: nam ſit exempli cauſa humeri totius longitudo A. B. C. Stigmatizetur ergo in B. per lineam D. B. E. quæ profunditatem totam humeri comprehendat, tunc nutritio incœpta, per vaſa, quæ perreptant humerum ab A. uſque ad C. aut neceſſariò terminabitur in linea tranſverſali D. B. E. quæ Stigmatizatam partem comprehendit, & humerum ac vaſa nutrientia interſecat, aut per lineam D. B. E. hoc eſt per partem Stigmatizatam, ac demortuam ſuccedet humeri nutritio à B. in C, & ſic pars viva, quæ eſt C. nutrietur mediante D. B. E. quæ eſt mortua; cùm ſit Stigmatizata; neutrum autem ſtare poſſe naturaliter tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. Adde his, quòd cùm Stigma non ſolam cutem ſenſu, & vitâ privet, ſed omnes partes ſubjacentes, etiam venas, arterias, & nervos, neceſſe eſt & venarum, & arteriarum, & nervorum influxum abſcindi per ipſum Stigma, & ſic omnes, ac ſingulas partes, quæ Stigmati ſubſunt, nutritione, ſenſu, ac motu, & vitâ privari, omnino, neceſſarium eſt. Neque enim à ſpirituum fontibus ſuſcipere eorum influxum ampliùs poſſunt, parte jam ipſorum vaſorum non ſolùm obſtructâ, ſed penitus demortua.

Utrùm autem his difficultatibus ſatisfieri poſſit, dicendo, in his præſtigia concurrere, videant qui adſtruunt. Fieri enim poſſe dicent, ut Dæmon intuentium oculos præſtringat, ne fluentem ſanguinem videant, ne Magum ex punctura dolentem agnoſcant; ſed hoc etiam patitur difficultatem, cùm conſtet, ut aiunt, nihil poſſe Dæmonem ad ſui libitum moliri circa veneficos ac Magos, cùm in Juſtitiæ manibus detinentur; quam etiam difficultatem
15 haberet, ſi diceremus, poſſe Dæmonem Magorum ſenſum obtundere, ne punctura dolorem ſentiant; jam enim plura remedia, etiam naturalia, ad doloris inſenſibilitatem Dæmonem ſuis Magis tradere certum eſt, ut notat Grilland. *de Quæſt. & Tort. cap* 4 *n.* 13. *& ſeqq.* Quapropter à Juſtitiæ miniſtris ſolent Rei ſpoliari, omnibus pilis deraſis, ne ſub illis aliquod hujuſmodi maleficium latitare poſſit, & eo modo tormentis ſubjici, ut notat etiam ex noſtris Codronch. *de morb. venef. lib.* 3. *cap.* 4. Sic & ſi dicamus, Dæmonem ipſum ſanguinem retinere, ne fluat, aut influxibilem reddere, in eundem ſcopulum impingemus. Licèt aliàs hoc non magno negotio præſtare poſſit, quippe cùm notiſſimis remediis, etiam nobis id procurare liceat medicamentis ſanguinem incraſſantibus, ac coagulantibus, ita ut nullo pacto fluere poſſit. Quoad partem autem demortuam, ſi dicamus Dæmonem eam poſſe à putredine ſervare, cùm & hoc per remedia etiam Medicis expertiſſima, vel idiotæ præſtare poſſint, nam & ipſa integra cadavera à putrefactione per ſæcula ſervantur, aut ſaltem in illis ita putrefactio procraſtinatur (nam à primo die, ex quo calor vivificus abſceſſit, putrefactionem in ipſis incipere, etiam ſi medicamentis condiantur, certum eſt) ut veluti integra multos annos perdurent, nihilo meliùs prædictæ difficultati ſatisfaciemus. Sed hiſ ego meliora non habeo, ad tuendam ejus facti veritatem, quæ tamen nec mihi quidem omni ex parte ſatisfacere poſſe exiſtimo.

Ridiculum præterea eſt, quod tradunt de modo, quo Dæmon hæc Stigmata Magis conferat: volunt 16
enim id digitis, aut unguibus perficere, cornibus etiam dictum oportuit; quid malum, Dæmonem uti unguibus, & digitis? quaſi Dæmon ungues, aut digitos habeat. At inquies, ſic apparere. Ergo, inquam, apparens, ac præſtigioſus modus hic eſt, non verus, & realis. At verum aſſignaſſe oportuit, quem miror cur non elicere, & extorquere ex Magis potuerint Judices, quos mirandum eſt huic dicto acquieviſſe. UVierus tamen *de præſtig. Dæmon. lib.* 2. *cap.* 19. imaginariè hoc Stigma imprimi putat, non verè, ac realiter; erit ergo quid, ſecundum ipſum, potiùs præſtigioſum, quàm verum, licèt huic auctori minùs fides præſtanda ſit, quòd neque de iis, neque de aliis permultis, bene ſecundum fidei dictamen ſentire videatur qui non ſolùm Stigmatum impreſſionem, ſed penè omnia à Magis, Strigibuſque facta ad præſtigium, vel ad eorum depravatam imaginationem reducit, negans omnia, quæ realiter fieri ab aliis millies probatum, & verificatum eſt, ut illi objicit Bodinus *in confutat. opin. ejuſdem UVieri, per totam.* Non tamen ego inſi- 17
cior, poſſe Dæmonem ob illam, quam habent illi res naturales omnes obedientiam, ſuâ voluntate movere inſtrumenta quædam (ut ferrum calidum, aut ignitum, quo Auctor hiſtoriæ de tribus Energumenis, dicit aliquando ſtigmata à Dæmone conferri) quibus notas haſce, characteres, ſeu ſtigmata imprimat, etiam abſque alio mediante corpore, contra Cæſalpini opinionem, qui *cap.* 2. *Inveſtig. Dæmon. Perip.* vult, eos corpora mediante aëre quocunque movere; nam eo modo, quod poteſt movere aërem, movebit etiam alia corpora, cùm gravitas, aut levitas nulli impedimento illi ſit. Sed hoc locum habebit in ſtigmatibus viſibilibus: Quid autem dicemus de inviſibilibus? hæc enim aut alio omnino modo conferri neceſſe eſt, aut à Dæmone quicquam circa illa ulteriùs præſtari. Niſi diceremus, nunquam eſſe ſtigmata verè inviſibilia, ſed talia nobis ex Dæmonis ſolertia. Sed ſi cum affectu inviſibilia aliquando ſunt, hoc eſt, ut nullo modo movere poſſint ſenſum intuentium, non aſſignatur modus, quo conferantur, niſi admittamus illum, quem tradit eadem hiſtoria *de tribus Energum.* quæ vult, viſibilia ferro calido, inviſibilia ungue ipſius Dæmonis infligi. Ecquis non rideret hæc audiens? jam ſeriò, ac realiter Dæmon unguibus dotatur; nam iis contactu quodam phyſico ſtigmata confert ut hic homo ſomniare videtur.

Qui præterea ſtigmatum exiſtentiam tueri ſtudent, ut præcipuè *citata hiſtoria de tribus Energum.* auctor, & ex eo Petr. Oſterman. *de ſtigmat. ſect.* 8. *& ſeqq.* volunt, ut à principio dixi, hæc ſtigmata partes, ac carnem; vaſaque per membra perreptantia ita afficere, ut mortem omnino obeant, & in tantum hoc veritatem habere litigant ut affirment, Dæmonem 18
non poſſe ampliùs partem ſtigmatizatam vivificare, quod jure dicitur, ſuppoſito quòd pars ſtigmatizata mortua ſit, tantundem enim eſſet eam vivificare, ac totum hominem jam mortuum ſuſcitare, quod

nequa

nequaquam per Dæmonem eſt factibile; unde concludunt, ſtigmata poſtquam impreſſa fuerint à Dæmone, deleri ampliùs vel per ipſum non poſſe, neque per alium, niſi ex miraculo, & ſic ex ſola virtute divina, & tamen teſtantur multi has notas à Dæmone deleri, & præcipuè patet ex Bodino *Dæmonoman. lib. 2. cap. 4.* quin etiam in prædicta hiſtoria narratur, cuidam famoſæ veneficæ, cui nomen erat Magdalena, ſtigmata à Dæmone fuiſſe deleta. Additur quidem ibi, hoc ex miraculo contigiſſe, gratis tamen hoc dictum eſſe unuſquiſque novit, ac neſcio quis illi Auctori eam facultatem dederit miracula declarandi, quod tamen nullus, qui temeritatis notam effugere cupit, facere debet, hoc enim ſoli Eccleſiæ, ejuſque ſummo Paſtori, Chriſti Vicario, reſervatur, & quod magis ſuſpectam facit ejus hiſtoriæ fidem, eſt tanta miraculorum frequentia per ipſum Dæmonem, quod pejus eſt, patratorum, nam Dæmon ibi plura futura, & maximè de Antichriſto, pro certo prophetat, imò effutit; & multa quæ in ea ſupponuntur, non probantur, quæ hiſtoriam ipſam reddunt abſurdiſſimam, & apertiſſimæ falſitatis redarguunt, unde jure optimo prohibita ejus libri lectio eſt.

SUMMARIUM.

1 *Neceſſarium eſt dari aliquod infallibile ſignum, ex quo Magi deprehendantur. Contrarium, n. ſeq.*
3 *Ex his, quæ per accidens ſunt, nihil quod habeat neceſſariam identitatem dependere poteſt.*
4 *Experientia eſt rerum magiſtra.*
5 *Stigmata probantur eſſe ex communi Magorum conſenſu.*
6 *In Dæmonibus naturalia manſere in ſua prima perfectione.*
7 *Sententia ſtigmata reprobans eſt Reipublicæ perniciosa.*
8 *Veritatis tutela ſemper pro juſtitia eſt.*

Rationes nonnullæ in Stigmatum defenſionem producuntur, illiſque occurritur.

QUÆSTIO III.

QUoniam autem ſæpè citatus Fr. Sebaſtian. Michaël, & eum ſecutus Petr. Oſterman. tam anxiè laborant in tuenda ſtigmatum exiſtentia, ut non ſolùm verè dari ſed de neceſſitate deberi dari contendant, ad idque perplures rationes in medium proferant, videre operæpretium eſt, quantum eæ rationes efficiant, ut ſiquam facere poſſint difficultatem, eam diluamus, ubi dilui poſſit, non quia aut impugnare, aut expugnare hanc ſtigmatum hiſtoriam in animum induxerim meum, ſed ad eum tantùm finem & effectum, ut veritas eluceſcat, & ne homines ab aliorum vel perſuaſionibus, vel mendaciis decipiantur. Nam certè ego in tanta re meliora deſiderarem quàm ij adduxerint, & ſupra omnia ſenſibus ipſis hæc aſſequi me velim, aut ſaltem iiſdem ſenſibus ab incorruptæ fidei viris comprehendi: nam Fratri huic Sebaſtiano quæ fides habenda, cùm ipſe tantâ inveriſimilitudine, torque abſurdis ſuam ipſius fidem deturpaverit, atque inſigniter infirmaverit? aut quid Petro Oſtermanno fidendum, qui ſimilis fidei viro ſe totum tradidit? Sed ad primam rationem, quam maximi facere videtur Auctor ille, & cum eo etiam idem Oſterman. examinandam devenio, quæ talis eſt. 1 Supponunt primò, neceſſarium eſſe dari aliquod infallibile ſignum ex quo Magi pro talibus dignoſcantur. Rationem afferunt, quoniam aliàs, cùm ipſorum peccata ſint ſecreta, & ipſi pertinaciſſimi in deneganda veritate, nullo dato infallibili magiæ ſigno, non poſſent Magi certudinaliter dignoſci, & ſic malum creſceret in infinitum. Abſurda quidem, ex mea ſententia, ſuppoſitio, ex qua tamen inferunt: nullum aliud habemus certius ſignum ad dignoſcendos Magos, quam ſtigmata; ergo ſi negemus non dari ſtigmata, jam nullum dabitur certum ſignum, ex quo deprehendantur, quod ob neceſſitatem ſuppoſitionis dicere 2 non debemus. Sequitur ergo ſignum illud infallibile in deprehendendis Magis eſſe ſtigmata. Sed quam facilè negari poſſit ſuppoſitio, unuſquiſque videt; nam unde emanat hæc neceſſitas deprehendendi Magos à Natura ne? certè non, Magi enim non ſunt ſuâ Naturâ Magi, & hoc, quod eſt inter Magos connumerari, & pro Mago haberi, eſt quid per accidens; at ex his, quæ per accidens ſunt, non poteſt habere dependentiam aliquid, quod neceſſariam habeat identitatem. Cum ergo corruat neceſſitas ſuppoſi- 3 tionis, corruet infimul quod inde deducitur, & ſic argumentum inane evadit, de quo certè valde miror, cùm apud ipſum Fr. Sebaſtianum per Dæmonem ſit conflatum, ex quo manifeſtum ſit Dæmonem illum ſuam ignoraſſe Logicam, cùm deduxerit ex non neceſſario neceſſarium: & tamè concella hac neceſſitate deprehendi Magos, oportuit ſigna eorum eſſe conſpicua, ut facilè in Juſtitiæ manus devenianț; at contrà, cùm ſint ſecreta & occulta, & aliquando etiam invisibilia plures, imò vel omnes, effugere poterunt Juſtitiæ manus. Nam etſi, poſtquam in carcerem deducti fuerint, pro Magis non deprehendantur ex ſtigmatibus neque poterunt per examina rigoroſa, & per tormenta ex propriis confeſſionibus deprehendi. Sed quod abſurdiſſimum eſt in hac argumentatione, illud eſt, quòd ſtigmata à Juſtitiæ miniſtris deprehendi vix poſſint, eodem auctore aſſerente, niſi ab ipſis Magis deſignentur. Itaque antè oportet Magos ſe pro Magis prodere, quàm per ſtigmata pro Magis dignoſcantur.

Cæterum Oſterman. *de Stigm. ſect.* 10. nititur probare, quòd hæc ſtigmata à Diabolo ſint, & primò Ætiologia hoc probat ab experientia, quæ cùm ſit 4 rerum magiſtra, & ſit, ut dicebat Gal. *in 6. de morb. vulg. com.* 3. index rerum evidenter apparentium, acquieſcendum, veluti & ego acquieſcerem, ubi probatos auctores certi quid ab experientia deſumptum in hiſce inveniſſe ſe affirmantes reperiſſem; maximè autem ubi eos, qui aliàs probatæ fidei ſunt, cùm, hujuſmodi experientias in medium producunt inter ſe convenire adnotaſſem, & ſi denique nullos Inquiſitores invenirem, qui eas ipſas experientias deluderent, & ingenuè faſſi non eſſent, nihil quod ſtabile, ac certum fuerit, ſe de ea re reperire ullo in tempore potuiſſe. Imò dediſſe operam ſe, aliqui fatentur, ut ejus rei certiores fierent, nec unquam quid offendiſſe, quod dubiam credulitatem ſaltem eorum mentibus excitaſſet.

In ſecunda Ætiologia adducit Oſterman. communem conſenſum, & omnium Magorum, Striga- 5 rumque confeſſiones, & depoſitiones, quibus dicit, non eſſe contradicendum; & per me ita eſto. Sed cùm eos, qui eos ipſos Magos, ac Strigas præ manibus habuerunt, earundem confeſſiones, & depoſitiones ſuſpectas habere contingat, & ipſas experientias infirmare; quid cauſæ eſt, quin cum his ipſis alij quoque dubitare de horum veritate, non poſſint? At certè Frater Sebaſtianus ille, & Oſterman. maximè aſſertionem hanc probare nituntur ex depoſitionibus Mariæ de Sains, Strigæ nimirum cujuſdam famoſiſſimæ, cujus fides quam ſuſpecta ſit, ipſi dixerint?

In Tertia Ætiologia proponit hoc ſubtiliſſimũ, imò verò tenuiſſimum argumentum: In Dæmoni-

bus, inquit, naturalia, manſere ſplendidiſſima, & in
6 ſua prima perfectione Ergo poteſt Dæmon, ſi velit, ſervis ſuis ſtigmata conferre. Quod autem velit, non eſt dubitandum, cùm ſit Miſanthropos, hoc eſt, oſor hominum, naturæque humanæ, quam deſtruere ſummopere inhiat, unde procurat ſtigmatizando partes, ſenſus mortificare, & ſanguinem ex iiſdem partibus elicere. Quid tandem inde infers Oſterman? nihil certè quod ad rem tuam faciat, Dæmon, inquis, poteſt, & vult ſtigmatizare ſervos ſuos. Velit, poſſit, & cum actu ſtigmatizet, non idcirco ſequitur poſſe hæc, hujus nempe naturæ ſtigmata cõferre, ſed per contrarias rationes apparet non poſſe.

7 In quarta Ætiologia dicit, contrariam ſententiam, quæ ſtigmata negat, eſſe Reipublicæ perniciosam, quia patrocinatur crimini graviſſimo, idcirco infert hanc, quæ ſtigmata admittit, eſſe acceptandam. Addit deinde, quod contrariari huic ſententiæ, ſit condẽnare præcipua penè Tribunalia Chriſtiani orbis, quæ jam ſtigmata pro infallibili Magiæ ſigno experta ſunt. Quibus rationibus dico, aliud eſſe patrocinari crimini graviſſimo, aliud defendere veritatem, etiamſi ea ſit tali crimini favorabilis; nã ſi falſitatibus, & mendaciis innitendum eſt, ut crimina gravia non remaneant impunita, ſi hoc Injuſtitia non eſt, dicat Oſterman, quid ſit Injuſtitia.

8 Veritatis tutela ſemper pro Juſtitia eſt, ergo ſemper bona, nunquam mala, nunquam pernicioſa, nunquam crimini patrocinans, ſed ſemper utilis, ſemperque laudabilis; & idcirco ſemper veritas quærenda, mendacia repellenda, non obſtante quòd * illa pro crimine, hæc ſint contra crimen. Quòd v.g. negando hæc ſtigmata condẽnentur præcipua Tribunalia Chriſtiani Orbis, non facilè credo, cùm nonnulla ex præcipuis illa non tam certò, & infallibiliter acceptaverint, ut ex eorum auctoritate ſint acceptanda, imò ea controvertere ac refellere adhuc patiuntur, cùm adhuc de ejus rei veritate hæſitent.

9 In quinta Ætiologia demonſtrare nititur, hæc ſtigmata in Reis reperta debere facere indicium ad Torturam, quod ego non detrecto. Quod tamen addit, ſolam ſanguinis effluctionem ſive ex vulnere,
10 ſive ex ore, & naribus poſt unum, vel plures dies à morte vulnerati, homicidam indicare, quia experientia hoc docuit, & rariſſimè fefellit, tam inane, ac falſum puto quàm quòd falſiſſimum, & ex plurium Juriſconſultorum auctoritatibus experientia illa nulla demonſtratur, eique non eſſe fidendum, ita ut ſufficiens indicium ad Torturam faciat, concludit Farinac. *Theor. & Pract. Crimin. part. 1. Tom. 2. lib 2. quæſt. 52 num. 56.* & videnda quæ attuli *lib. 4. Tit. 2. quæſt. 7. per totam.* & adhuc, etiamſi hoc eſſet verùm, nihil concluderet in caſu noſtro.

11 Denuò præterea in ſexta Ætiologia narrantur cauſæ, ob quas Dæmon ſibi addictis ſtigmata conferat, ex qua cauſarum enumeratione nihil prorſus deduci poteſt, quod neceſſariò ſtigmatum exiſtentiam comprobare poſſit; cùm enim omnes illæ cauſæ ſint contingentes, & non neceſſariæ, & dependeant à libero agente, nempe ab ipſo Dæmone, quid mihi inſudas ex earum cauſarum poſitione ſtigmatum exiſtentiam probare? Habeat quippe Dæmon ultra connumeratas, mille & multò plures etiam cauſas, ex quibus veriſimiliter moveri poſſit ad hæc ſtigmata conferenda, ſemper tamen in ejus libera voluntate erit aut conferre, aut non conferre, neque ex iis cauſis unquam coactus conferet; præterquam quòd has cauſas qui adducit, conjecturali quodam diſcurſu uſus, putat ſe eas aſſecutum, cùm tamen potiores habere poſſit Dæmon, quare non conferat, partim nobis ignotas, partim etiam undequaque notiſſimas. Annon magna cauſa eſt ad impediendum Dæmonem, ne ſtigmata Magis conferat, ſi ex iis ipſis tandem pro Magis deprehenſi, pœnas luere debent? An non à ſuo cultu hoc modo Magos potiùs abigere, quàm ad illum eos allicere ſtuderet?

In ſeptima Ætiologia ex eo, quòd Antichriſtus 12
ſuos aſſeclas certo quodam ſigno ſit notaturus, probabile eſſe deducit, ipſum Dæmonem futuræ illi ſtigmatizationi omnino præludere. Sed hæc quantum efficiant, quantumque roboris ſortiantur ad probandum quod auctor ille probare intendit, vel ipſi pueruli nondum rationis capaces noſcere poſſunt. Nam quænam, obſecro, hujus ſtigmatizationis neceſſitas in Dæmone? Antichriſtus ſuos ſignabit, ut à cæteris diſcernat, ac pro ſuis cognoſcat, Dæmon autem his notis ad hoc non indiget, gratiſque aſſeritur, illum Antichriſti ſtigmatizationi præludere.

In octava denique Ætiologia ſupponit Oſterman. ſtigmatum exiſtentiam, quam antè concludentiùs probare oportuit: dehinc ſequenti argumentatione probat ea à Diabolo eſſe. Stigmata, inquit, hæc in Magis reperta, aut naturalia ſunt, aut ſupernaturalia: non naturalia, ergo ſupernaturalia. Si igitur ſunt ſupernaturalia, vel divina ſunt, vel diabolica: non divina, ergo diabolica. Optima certè argumentatio? ſed difficultas eſt, an verè ſint ſtigmata, aut an etiam ex Diaboli potentia eſſe poſſint, maximè eo modo, quo is Auctor ea admittit, ſecutus quorundam auctorum ſatis ſuſpectam fidem, ut jam ſuprà oſtendimus. Nam Dæmonem poſſe adimere ſenſum, & vitam alicui parti, illamque ſic vitâ orbatam inter vivas conſervare, niſi ex præſtigio ita appareat, quod abſurdum videretur dicere, omnino eſt impoſſibile, & egreditur ejus potentiæ vires, ut aliàs diximus, ac de novo inculcaturi ſumus.

SUMMARIUM.

1 *Philoſophiam è medio tollunt, qui rerum miraculis fidem non habent.*
2 *Effaſcinationis effectus miraculoſi, aut Dæmoniaci cenſentur.*
3 *Faſcinum etiam inter Bruta.*
4 *Faſcinum videtur quædam contagii ſpecies.*
5 *Faſcinatio quid.*
6 *Imaginationis vis.*
7 *Effectus indolentia, & non effuſionis ſanguinis in ſtigmatibus, an ex Magorum imaginatione, vide num. 8.*
9 *Senſûs carentia ex morbo provenire poteſt.*
10 *In Lepra ſenſus carentia in cute conſueta.*
11 *Sanguinem à parte puncta, vel amputata non fluere, à natura eſſe poteſt.*
12 *Senſus abolitio, & ſanguinis cohibitio ab Arte procurari poteſt, vide num. ſeq.*
14 *Affectio partis ex ſtigmatibus differt ab ea, quæ ab Arte, aut natura procuratur.*

Naturáne, an Arte caro viventis Hominis ita affici poſſit, ut puncta dolorem non ſentiat nec ſanguinem effundat.

QUÆSTIO IV.

VEruntamen non quia tam mirabilia nobis videantur hæc ſtigmata, idcirco videretur eſſe eorum exiſtentia deneganda, quòd eorum effectuum cauſæ nos hucuſque latere conſueverint, nam rectè quidem videtur dixiſſe Florus apud Plutarch. *Symp. lec. 5 probl. 7.* Philoſophiã è medio tollere, qui rerum miraculis fidem non habent etenim 1
miracula

miracula vocitare ſolemus ea, quorum effectus notus eſt, cauſa verò ignota. Ex hac ignorantia, inquit, dubitatio emergit, ex dubitatione naſcitur Philoſophia, quæ rerum cauſas inquirit: licèt ergo hactenus impoſſibile viſum nobis ſit, ſtigmata dari poſſe iis conditionibus dotata, quibus dotari jactantur, quia horum effectuum Phyſicas cauſas incompertas habemus, & ſupernaturales putamus, non deſiſtendum ab ulteriori inveſtigatione, cùm dentur in Natura his multò admirabiliores effectus, qui aut ex ſuis adæquatis: & naturalibus cauſis procedunt, aut mirabiles ex hominum vafritie apparent, quâ primùm ſtudent illi eorum effectuum cauſas veras alios homines non advertentes celare, mox autem, ut majorem admirationem ſuis operibus concilient, ad ſuperiores cauſas illos referunt, ut ipſemet Hipp. *in lib. de morb. ſacr. n.* 2 & 3. teſtatum reliquit. Et certè ſi ea omnia, quæ cæteris hominibus pro miraculis accipiuntur, examines, & quotidie, paſſimque
2 fieri obſervamus, apertiſſimè videbis per naturam tantùm, ſuaſque cauſas ſingula fieri. Annon miraculo proxima exiſtimantur, quæ de faſcino ore omnium prædicantur? Quotus quiſque homo eſt, qui non miraculo, aut Dæmonis operâ fieri contendat, quòd ſolo intuitu animalia occidantur, ſegetes langueſcant, mare ſterile, itemque terra reddatur, ut ipſe Hipp. *ibid.* dicebat: Quòd aſpectu quorundam puerulis Hectica, aut Phthiſis, aut Maraſmus concilietur, lac nutricibus exſiccetur, dolor capitis ingens quibuſdam procuretur, ſomno interdicatur ad longiſſimum tempus, corporis alacritas evaneſcat & pulchritudo defœdetur? quæ omnia ubicunque terrarum facilè evenire obſervamus. Quarundam certè mulierum aſpectu arbores, & ſegetes contabeſcere eſt compertiſſimum, pecora etiam, aliaque animalia morboſa fieri, ac interire, eſt notiſſimum, quod & Virg. *in Bucol. Eclog.* 3. teſtatur, in decantato apud omnes carmine:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinet agnos.

Et eleganter cecinit idipſum Marc. Hier. Vida, *Bombyc. lib.* 2.

——— *diſcrimine nullo*
Limine ab omnes, monſtra infœlicia, longè
Pelle, nocent cantu triſtes, oculiſque malignis,

& paulò poſt:

Quandoquidem memini Thuſci alta in rupe Viterbi
Ipſe ſenem vidiſſe ferum, cui dira rigebant
Ora, graveſque oculi ſuffuſi ſanguine circum,
Fronſque obſita ſitu hirtique in vertice cani.
Ille truci, ſcelus, obtutu genus omne necabat
Reptantum, tenues animas, parvaſque volantes:
Quinetiam ſiquando hortos ingreſſus, ubi annus
Exuit expleto turpem nonus orbe ſenectam
Floribus, & paſſim per agros incanuit arbor,
Ille hortis ſtragem dedit, arboribuſque ruinam,
Spemque Anni Agricola mœſti flevere caducam:
Nam quocunque aciem horribilem intendiſſet, ibi omnes
Cernere erat ſubitò afflatos langueſcere flores,
Mox album latè nimbum volitare per auras.

Hæc, & ſimilia nos Dæmoniacâ virtute, non naturali, & conſuetâ fieri ideirco putamus, quia vix mente concipere poſſumus, ſpirituoſam quandam ſubſtantiam malignitate inſignitam ex oculis, & corpore quorundam egredi, quæ commemorata patiatur poſſit: quamobrem ad majorem virtutem, nempe ad Dæmonem, eos effectus referimus, cùm tamen aliâ ex parte hæc adeò ſecundum naturam ſint, ut etiam ipſa animalia rationis expertia Natura multa contra faſcinationem edocuerit: & ſi nonnulla ad hoc ſcire deſideras, lege Ælian. *lib.* 1. *de Animal. c.* 35. Etenim inter ipſa animalia bruta ſi- 3
miles effectus elucere ex iiſdem cauſis conſpicimus, ita ut non ab re dicere poſſis, ipſa ſeſe inter ipſa faſcinare, atque interimere, ut Muſtela adverſus Baſiliſcum, de quo Plin. *lib.* 8. *c.* 21. & Catoblepon adverſus omnia animantia, etiam adverſus ipſum hominem, de quo Ælian. *lib.* 7. *de Animal. c.* 5. & Hyæna adverſus Canes, quibus etiam umbra propria eſt noxia, Ælian. teſte *lib.* 6. *de Animal. c.* 4. & Gallus adverſus Leonem, de quo Plin. *lib.* 8. *c.* 18. & Lucret. *lib.* 4. *de rer. nat.* in his carminibus:

Quinetiam Gallum nocte explodentibus alis
Auroram clarâ conſuetam voce vocare,
Nonnunquam rapidi contrà conſtare Leonis.

Sed & in contagio ſimilia, & admirabiliora obſervamus: & certè faſcinum ſpecies quædam con- 4
tagii videtur, nam ea de cauſa dicimus, faſcinationem 5
eſſe vaporis virulenti a corpore noxio naturâ ab alio diſſidente aporrhœam, quâ alienum corpus halitu, & ſpiritu per vitium, contactum, aut invidiam inficitur, ut apud Lang. *lib.* 2. *Epiſt.* 36. & apud Ronſſeum *ep.* 48. vel eſſe effluxum quendam, ab oculis & corpore faſcinantis, virulentâ qualitate conſpicuum, ex quo illud recipiens corpus inficitur: de quo effluxu ſiquis plura exempla ſcire deſiderat, ad Auctores de his pertractantes ex profeſſo recurrat, ut Peucer. *de omn. divin. genit. de incant.* Viar. *de faſcin.* Uvier. *de præſtig.* Lang. *loco cit.* Ronſſ. *ib.* & ex Juris conſ. aliiſque profeſſoribus Grill. *de Sortileg.* Mart. de Arl. *de ſuperſtit.* Ponzinib. *de Lamiis.* Delr. *diſquiſ. Magic. lib.* 4. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. & alios: Qui omnes penè hanc unam ac naturalem illam quidem faſcinationis cauſam agnoſcunt, non Dæmoniacam, quemadmodum etiam & Heliod. *lib.* 3 *hiſt. Æthiop.* Alex. *ſi.* 2. *prob.* 3. Plut. 5. *Sympoſ.* 7. D. Thom. 1. 2. *q.* 80. *art.* 3. *ad* 2. Neq; ſolùm naturaliter id procedit in particularibus hominibus, ſed multò magis in quibuſdam Populis, veluti narrant, in Africa, ut ex Gellio idem Lang. *ib.* Hi namque ſiquas pulchras arbores, lætiores ſegetes, amœniores infantulos, egregios equos pecudes paſtu, atque cultu opimas impenſiùs laudaverint omnia contabeſcunt, & emoriuntur. Hinc illud emanavit, ut alicujus ſanitatem, bonamque valetudinem laudantes, manum oculis admoveamus, ut ſiquis malignus ſpiritus in laudatum hominem à nobis emanare poſſit, is motu manus diſſipetur: vulgus autem ad naſum manu recurrit, ignorans quid ſibi velit illa manus admotio.

Verum enim verò quæ de faſcino commemoravimus, parumper à re propoſita abeſſe videtur: cominùs accedendum, atque in mentem revocandum, quantum poſſit hominum imaginatio, non in proprium ſolummodò corpus, ſed etiam 6
in alienum? nam & ea omnia, quæ de faſcino commemoravimus, nonnulli DD. à ſola imaginatione faſcinantis dependere voluerunt, qua putant facilè poſſe vel per ſpiritus vi Imaginationis à corpore expulſos, vel per quoſdam radios, vel ipſo Animæ præſtantioris imperio in alienum corpus agere. Neque ſolùm quidem extra ſe in aliena corpora, ſed etiam in ipſa elementa habere potentiam, Imaginationem quidem putarunt: unde & res loco movere, nubes cœlo deducere, pluvias evocare, fulgura excitare, mare ipſum turbare, & omnia facere, quæ de ſe jacta Medea apud Ovid. *Metamorp. lib.* 7. *Fab.* 4. in his carminibus:

Diique omnes nemorum, Diique omnes noctis adeſte,

Quorum ope cùm volui ripis mirantibus amnes
In fontes rediere ſuos, concuſſaque ſiſtio,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaque induco, ventos abigoque vocoque.
Vipereas rumpo & verbis, & carmine fauces,
Vivaque ſaxa, ſuâ convulſaque robora terrâ,
Et ſylvas moveo, jubeoque tremiſcere montes,
Et magire ſolum manesque exire ſepulchris.
Te quoque, Luna, trahoo, quamvis temerata labores
Æra tuos minuant: currus quoque carmine noſtro
Pallent, ac pallet noſtris aurora venenis.

Nam ſunt, ut Avic. 6. *nat. ſect.* 4. *cap.* 4. & alij apud Torrebl. *Dæmonolog. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 3. & ex noſtris apud Thom. Eraſt. *in diſp. contra Paracelſ. p.* 1. qui ipſos Magos hæc omnia, aut eorum partem, non aliquâ Dæmoniacâ vi, ſed imaginationis, Animæque humanæ imperio ipſas res fieri contendant: unde multò faciliùs concedere parati ſunt, ejuſdem imaginationis virtute poſſe interdum & morbos, & ſanitatem hominibus procurari. Quòd ſi tantam habere vim Imaginationem patet in alienum corpus, quantum habebit in corpus proprium Imaginantis? Jam verò quàm plura Matris Imaginatio in fœtum conferre poſſit, quinetiam & ipſius Patris, tempore concubitus, incaſſum rememorabo, cùm omnia DD. volumina infinitis hiſtoriis ſint referta hæc teſtificantibus. In proprium verò corpus uterque parentum, ac quilibet homo multò plura poteſt: Annon videmus vehementi imaginatione homines à difficillimis, & inſanabilibus morbis ſeſe recolligere? Annon imaginatione ipſa corpus tam ſenſibiliter permutari in horas conſpicimus? imò, ſi nonnullis credimus, non alienâ veritate, ſed ſolâ Imaginationis vehementiâ fit, ut homo in Ecſtaſim raptus de terra elevetur, & contra naturam propriæ gravitatis, ibi per notabile ſpatium ex ſe ſuſtentetur: & quòd futura prævidere interdum poſſit, & alia etiam admirabiliora efficere. Quòd ſi hæc, quæ tantam nobis admirationem incutiunt: ut perſuaderi vix poſſimus à naturalibus cauſis fieri, tamen fieri obſervamus, quantò faciliùs erit credere, poſſe in Magis dari hujuſmodi ſtigmata quæ puncta, aut quomodocunque transfixa, neque ſanguinem effundant, neque dolorem excitent, concurrente ad eorum effectuum productionem fixâ ipſorum Magorum Imaginatione, aut certa perſuaſione de hujuſmodi ſtigmatum in eorum corporibus inuſtorum natura? Nam certè imaginatione ſanguinem fluentem cohiberi poſſe, neque novum, neque admirabile eſt: dolorem autem non ſentiri diſtracta Imaginatione ad alia & quotidiana docet experientia, & multo evidentiùs Stoicorum Apathia, ſeu Indolentia, qua ita perſuaſi nullum quâtumvis atrocem, ac pernecabilem dolorem perſentire ſe oſtentabant. Quin & in Reis quibuſdam experimur, ſola Imaginatione doloris acerbitatem non ſentiri, cùm aliquid ſuperſtitioſum fecerint, aut ſecum ipſi portaverint, cujus virtute ſibi perſuadeant non poſſe ſe propria delicta patefacere: unde aliquando Tormentorum acerbitatem vix ſentientes Judicum manus evadunt. Ac profectò Imaginationem corpus noſtrum ſecundum primas qualitates manifeſtè ac inſigniter alterare quis dubitat? An ad primas qualitates, etiam ſecundarum effectus conſequi, quis eſt qui neſciat? Si ergo Imaginatio res timoris plenas ſibi repræſentans poteſt corpus frigefacere, poterit inſimul cogere, denſare, fluentem ſanguinem cohibere, & ſic de ſingulis: quemadmodum & ſi repreſentans ſibi aliquid, quòd iram moveat, poteſt calfacere, poterit ex conſequenti, rarefacere, attenuare, aperire, & hujuſmodi. Itaque poterunt effectus horum Stigmatum merè naturales eſſe, & à Magorum Imaginatione, vel perſuaſione certa dependere.

Sed hæc omnia, quæ allata ſunt, adhuc non convincunt dari poſſe hujuſmodi Stigmata his conditionibus dotata, quibus dotari jactantur. Quæ enim de faſcino dicuntur ſive falſa, ſive vera ſint, ad præſens negotium nihil omnino facere videtur. Si ullam tamen veritatem habent, à ſuis manifeſtis cauſis originem ducunt, quas vulgo ignotas eſſe, nec mirum eſt, nec quicquam intereſt: ſatis ſuperque eſt, ſi Philoſophi rationabili diſcurſu eas aſſequantur: quomodo autem ea, quæ ad faſcinum tribuuntur, ſuccedant, multi explicant. Vide tamen, ſi libet, Thom. Eraſt. *in diſp. contra Paracelſ. part.* 1. Hucher. *de Sterilit. lib.* 4. *c. de Lamiar. imaginat.* Peucer. *de omni divinat. genſit. de Incarnationib.* Delr. *diſquiſit. Magic. lib.* 3. *q.* 4. *ſect.* 1. Torrebl. *Dæmonolog. lib.* 2. *cap.* 37. Abſût ergo omnino effectus illi à miraculi natura, & omnino naturales ſunt. Quæ deinceps de Imaginationis virtute, ac vehementia in medium producuntur, partim quidem falſa omnino ſunt, ut quæ de activitate in alienum corpus jactantur; & quæ de Ecſtaſi, & elevatione corporum à terra nobis aliqui obtrudunt, & quæ de Prophetia, ſive futurorum prædictione imponunt. Partim verò de raro conſpiciuntur, & fortè neque conſpecta vim Imaginationis conſequuntur: quæ tamen quòd aliquid poſſit in iis, cum quibus aliquam ſortitur à Natura coordinationem, ego quidem utcumque admitto: illud pro certo duco, ipſam per ſe, nihil quicquam operari, ſed excitatis ob conſenſum communem, quem invicem habent, cæteris animæ facultatibus. Sed de his vide Thom. Eraſt. *ubi ſuprà.* Hucher. *ib.* Franc. Ranch. Patholog. *ſect.* 2. *c.* 10. Delr. *lib. Diſquiſit. Magic q.* 3. At verò credibile non eſt Magos tormentis expoſitos, Imaginatione ad eos producendos concurrere, qui detecti capitales ſibi ipſis ſint: ex Stigmatum enim detectione abſque dubio condemnantur: potiùs ergo propriâ imaginatione ad contraria recurrent: præterquam quòd, ut ajunt, Magi non advertentes punguntur, ne ſi advertant dolere ſe fingant. Sed videamus ulteriùs, an eſſe à Natura, vel ab Arte aliquo alio modo poſſint. 9
Conſtat enim primo, ſenſus carentiam in animalis partibus ex quamplurimis morbis provenire poſſe, ut in ſtupore, in Paralyſi, in Atrophia, in Sphacelo, & id genus aliis, in quorum nonnullis partes obſeſſas non minùs ſenſu orbatas eſſe experimur, quàm ſi ab ipſo vivente animali eſſent omnino ſeparatæ, unde eas quovis modo torquere, ſcindere, urere, transfigere, amputare, abſque ullo ne minimo quidem, doloris ſenſu licere comperimus. Quod ex eo fit, quia ſenſus inſtrumenta obſtructa in totum ſunt, ita ut à primo ſenſorio, nempe à cerebro, ſpiritus, & facultatem ſenſitricem non recipiant: & idcirco non ſemper eodem modo ſenſûs hebetudo, ac privatio contingit, ſed quantò magis nervi, per quos ſpiritus ad partem deferuntur, ſunt obſtructi, magis inhibetur illorum tranſitus, & magis item ſenſus obtunditur, & totali facta obſtructione, omnimoda item fit ſenſus deperditio. Quinetiam non ſolùm ex prædicta nervorum obſtructione deperditur ſenſus, ſed etiam ex calotis, & ſpirituum in parte extinctione, ut in ſphacelo: extincto enim partis calore evaneſcentibuſque ſpiritibus, jam pars non eſt ampliùs apta, ut tranſmiſſam à cerebro ſenſoriam facultatem excipiat, & ſic neque ullo modo ſentire poteſt: quod adeò verum in ipſa praxi comperies;

ut

ut aliqui igne partem ſphacelatam abſumi non perceperint, quemadmodum ſervo illi eveniſſe narrat
10 Paræus, *operum ſuorum, lib.* 11. *cap.* 12. Quinetiam quotidiana experientia docet, partem ſphacelatam punctam, aut etiam ſectam nihil ſentire. Falliop. *de Tumor. cap.*10. Hieronym. Fabrit. *lib.*1. *Pen Chirur. cap.*19. Riolan. *Chirurg. cap.*11. Sed etiam in Lepra hanc ſenſus abolitionem ita conſuetam eſſe docet experientia, ut cutis longa, ac craſſa acu transfixa nullum cauſet dolorem, quod maximè pro Lepræ confirmatæ ſigno adducunt plures Auctores Arnald. Villanovan. *libell. de Signis Leproſorum, in fine.* Theoric. *de Chirurg. lib.*3. *cap.*55. Lantranc. *Chirurg. m. doctr.*1. *tract.*, *cap.*7. Paræus, [Horſtius *t.*2. *oper. medic. lib. ult. in examine leproſor.*] & alij apud Schenck. *lib.* 6. *Obſerv. rubr. de ſignis. Lepræ.*

11 Nec minùs à Natura videtur fieri poſſe, ut ſanguis à parte puncta, aut ſciſſa nec fluat, quia ita in parte congelari poteſt, ut nullo modo fluxibilis exiſtat: conſequens enim id eſt facilè in partibus evenire, quæ ſphacelari, ac emori poſſunt, Falliop. *de tumor. cap.*10. quâ ratione fit, ut in Gangrænæ ſcarificatione, quemadmodum teſtatur Languius *lib.*1. *Epiſt.* 40. ob timorem ne ſanguis congelatus fluere nequeat, aquâ ſalsâ calente inciſiones irrigamus. Idemque Falliopius cùm cuidam non unum, ſed plura ſphacelata membra amputaret, ſanguinem inde non fluxiſſe narrabat, quod frequenti etiam experientiâ comprobatur. Ac certè ſi gangræna in ſphacelum jam abierit, ſanguinem ita congelare neceſſe eſt, ut carne etiam incita, nullo modo fluat.

12 Non ſolùm autem Naturâ, ſed etiam arte, ut nonnullis medicamentis, hæc ſenſus in partibus amiſſio, & ſanguinis congelatio procurari poteſt. Nam omnia Narcotivo id operari non dubitandum, cùm ſimul, & ſemel partem ſtupefaciendo à ſenſu abſtrahant, & ſua intenſa frigiditate ſanguinem cogant, ita ut fluere non poſſit: ut cætera verò præteream, in partibus reſecandis medicamenta hujuſmodi virtute prædita componuntur, quibus fit, ut partes abſque ſanguinis fluxu, & abſque ullo penitus dolore ſecari poſſint: qualia plura proponuntur ab Auctoribus, & quale eſt ſingulare illud Bartolomæi Magij *in lib. de vulner. ſclopet. cur.* relinquam Memphitim lapidem, de quo Dioſcorid. *lib.* 5. *c.*115. & Plin. *lib.*36. *c.*7. & alia. Notum inſuper eſt, dari venena nonnulla, quæ ſanguinem congelando enecare ſoleant: quin & alia, quæ tantæ virtutis ſunt, ut ipſa viſcera, ſi aſſumantur, in ſaxeam naturam vertant, quale eſt fluminis illius aqua, de qua Ovid. *lib.* 15. *Metamorphoſ.*

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Licèt Plinius *lib.*2. *c.*103. de hoc dicat nihil, ſed tantùm, quod lignum in prædictum flumen conjectum, ſicut & in Picenum Lacum, lapideo cortice obducatur. Notiſſimum & illud eſt, quod de Torpedine narratur, quotidiano experimento à Piſcatoribus comprobatum, quem nullum hominem manu tractare poſſe affirmant, tanto illico torpore tangentem afficit. Sed & de albo quodam Magnete meminit Card. *lib.*7. *ſubtil tranſ. med.* de quo etiam ex eodem Oſterman. *ſect* 10. *Ætiolog.* 8. cui acus affricta cutem carnemque ſine ullo dolore tranſfigere poteſt, quod in ſemetipſo expertum ſe eſſe Cardan. teſtatur, utrùm verò hic albus Magnes idem ſit cum eo, qui in Magneſia Aſiæ naſcitur, & qui ferrum non attrahit, de quo Plin. *lib.*36 *cap.*16. prorſus ignoro. Manifeſtum ergo ex his eſt, quod tam ex Natura, quàm ex arte, humani corporis partes ita ſenſu privari poſſint, ut punctæ, aut præciſæ neque ſanguinem effundant, neque dolorem generent. At ſi hoc veritatem habebit, jàm omnis certitudo, quam ex hujuſmodi ſigno elicere conatur Fr. Sebaſtianus Michaël, & alij, ad demonſtrandum reos eſſe Magiæ addictos, & Diabolo emancipatos, omnino corruet, atque evaneſcet.

At verò ubi ſtigmata ejus naturæ eſſe quam di- 13
ximus, adhuc contendamus, nihil omnino contra eam certitudinem probarent, quæ ſuperiùs in contrarium adducta ſint. Sive enim à morbo, ſive ab aliquo medicamento diſpoſitio in parte introducatur, ita ut ſenſum amittat & ſanguinem puncta, vel præciſa non effundat, ea quidem nunquam eaſdem diſpoſitiones, ac conditiones ſortiri poterit, quas ſortiri jactant partes Stigmatizatas: nam Stigma, ut volunt, non lædit partis actionem, cùm Magi non minùs Stigmatizata parte, quàm aliis quibuſcunque ſanis utantur. At morbus, ſeu medicamentum aut venenum quod eam diſpoſitionem in parte introducit, ejus actionem manifeſtiſſimè lædit, & ex læſione fit, ut ſenſus obtundantur, & ſanguis congeletur, aut obſtruendo vias ſpirituum, ne ad partem fluant, aut calorem ipſum nativum in ipſa parte extinguendo.

Porrò in pleriſque differt affectio in parte à Sti- 14
gmate Dæmoniaco introducta, ac ea quam Morbus aut ars introducere poſſet, ut proſequitur etiam Fr. Sebaſt. & cum eo Oſterman. & primò quoad magnitudinem, Stigma enim animam carnis particulam mortificat, morbus autem, etiamſi poſſet in principio minimam particulam occupare, ſemper tamen augeſcit, neq; deſignata magnitudine ſeſe continet, ſed quia, ubi introducit talem diſpoſitionem, quæ partem corrumpat, introducit etiam calorem putredinalem, qui ſemper procedit corrumpendo, de neceſſitate ſeſe dilatat ac partem poſt partem corrumpendo, tandem non longo tempore totum animal abſumit: quod non tantùm in conſumato ſphacelo verificatur, ſed etiam in Gangræna nam & hæc ſemper procedit vicinas partes corrumpendo, Fallopp. *de tumor. c.* 10. neque ſolum carnem Gangræna in ſphacelum abiens corrumpit, ſed etiam venas arterias, nervos, & oſſa ipſa, Gal. *lib.* 6. *Meth. c.* 5. & ex eo Falliop. *ib.* idemque evenire, ſi ab Arte medicamentis hujuſmodi diſpoſitiones procurentur, certum eſt, quia & hæc medicamenta nonniſi partem, ipſiuſque nativum calorem abſumendo, ac corrumpendo inſenſibilitatem, & ſanguinis influxibilitatem excitare poſſunt. Neceſſe ergo eſt non in minima particula hujuſmodi affectionem conſiſtere poſſe, ſed indies latiùs ſerpere, quouſque totum hominem corrumpat.

Differunt ſecundò in hoc ipſo, quod diximus, nempè quòd Stigma non ſe latiùs propagare ſolet, quamquam particulam, quam obſederit, vita privet ac omnino corrumpat, ut placet Fr. Sebaſtiano Michaëli, (quia mors ipſa partis corruptio eſt) non tamen corruptio hæc ultra procedit, ſed nescio quo miraculi genere à prædicto Fr. Sebaſtiano in medium producto, calor ille putredinalis abſque ulla ulteriori actione torpet, & evidentiſſimo miraculo, prout neceſſariò concludere licet pars mortua cum vivis convivit, quod certè de partibus ex medicamentorum vi ita affectis, nullo modo naturaliter evenire poteſt. Sed naturæ neceſſitate una particula corporis etiam minima demortua, neceſſe eſt, niſi à vivente corpore ſeparetur, totum corpus corrumpi, & idcirco utimur partium, integrorumque membrorum

inciſione,

inciſione, cùm ea ſphacelata, ac corrupta ſunt, quemadmodum notum Medicis eſt.

Differt tertiò pars Stigmatizata à parte, quæ ex morbo inſenſibilitatem, & corruptionem contraxerit, quia Stigmatizata pars neque colore, neque odore malo, neque alio quovis ſigno pro corrupta, ac mortua ſeſe prodit: at contrà pars ex morbo affecta, & livore, & nigredine, & malo odore, putridaque exhalatione, diffluentia ipſius carnis, partiumque ſubjacentium, aliiſque pluribus ſignis corruptionem conſequentibus ſeſe manifeſtat, ut tradunt DD. inter quos præcipuè, ſi libet, vide Fallop. & Fabritium *loc. ſup. cit.* ita ut Stigmatizatam partem, etiamſi mortua ſit, ut paradoxè vult Fr. Sebaſtianus, à ſana in nulla re differre comperias, niſi ſenſus carentia, & ſanguinis influxibilitate: quibus conditionibus tantùm cùm morboſa & ſphacelata, aut aliter malè affecta conveniunt. Unde omnino concludendum eſt, neque à Natura, neque ab arte talem diſpoſitionem in viventis corporis particulis excitari poſſe, ut neque ſentiant, neque ſanguinem effundant, neque vivant: itaque quandocunque hujuſmodi Stigmate in alicujus de Magia ſuſpecti corpore adinvenirentur, dicendum omninò eſſet, ea à Natura eſſe non poſſe. Sed dari hæc Stigmata cum his conditionibus, jam per ea quæ in ſuperioribus ſunt adducta, impoſſibile judicandum.

SUMMARIUM.

1 *Judicium de Stigmatibus videtur ſuſpendendum.*
2 *Stigmata deprehendi non poſſunt, niſi ab ipſis Magis primo deſignentur.*
3 *Judicium à Stigmatibus deſumptum quàm tutum.*
4 *Stigmatum detectio aut impoſſibilis, aut non tuta, aut non licita.*

Ex præcedentibus quid eliciendum.

QUÆSTIO V.

ENim verò ſi pro veritate liberè, & abſque verborum circumvolutione diſſerendum eſt, cùm ea, quæ ab Auctoribus de ſtigmatibus traduntur, partim dubia, & incertiſſima ſint, partim undequaque inveriſimilia, partim verò omnino falſa, quouſque certiora, magis veriſimilia, ac magis vera adducantur, judicium de ſtigmatibus ſuſpendendum videtur, præſertim, quia etiam ex rationabili diſcurſu falſitas, & inveriſimilitudo plurimorum, quæ à nonnullis traduntur, luculenter demonſtratur. Neque tamen ea, quæ à magis veridicis Auctoribus in medium afferuntur, omni difficultate carere judicabit, quiſquis ea, quæ nos produximus, probè examinare voluerit. Habent Judices unde faciliùs Magos detegant, quàm ex ſtigmatum indicio: imò majorem ſemper difficultatem habet cognitio, quàm ex ſtigmatibus deſumere ſatagunt, quàm ea, quæ tormentis extorqueri à Magis poteſt: quippe cùm ſtigmata, vel iis tradentibus, qui mordicùs eorum veritatem tuentur, deprehendi à quoquam vix poſſint, niſi ſeſe ipſi Magi prodant, ſtigmatumque locum, ac ſitum oſtendant. Oportebit ergo ſemper præcedere eorum aſſenſum, & confeſſionem, antequam per ſtigmata deprehendantur, ita ut poſtmodum ſtigmatum detectio inanis, & ſuperflua futura ſit, niſi ad facti evidentiam aliquid operetur.

1

2

Sed videamus ulterius, quàm tutum ſit judicium, quod à ſtigmatibus in Reis repertis deſumi poteſt. Demus igitur, Magum aliquem confiteri ſe à Dæmone ſtigmata recepiſſe, eaqua in proprio corpore deſignet: tunc ergo ad experimentum veritatis capeſſendum accedamus. Jam verò probavimus, non poſſe naturaliter partem animalis viventis ita affici, ut ſenſum nullum habeat, & ſanguinem non contineat, abſque eo quòd inſimul vitam amittat, & totum deinceps animal abſumat. Ergo in probatione ſtigmatum alterutrum ſequatur neceſſe eſt, aut Dæmonem ſuâ activitate ſemper concurrere ad hoc, ut pars eo modo affecta neque corrumpatur, neque corrumpat, ſi verè ita eſt affecta, aut id per præſtigium operari, ſi verè ita affecta non ſit. At primum affirmare videtur inconveniens: quia cùm, ut Doctores volunt, Dæmonis potentia irrita ſit in Reos, quandocunque in Juſtitiæ manibus detinentur, & patet, quia non poteſt tunc Dæmon ſuâ potentiâ efficere, ut rei tormentorum acerbitate victi ſua delicta non fateantur, ut experientia ipſa docet, contrarium eſſet verius, ſi poſſet tunc temporis ad libitum circa Magos operari, & facere, ut pars ſtigmatizata neque dolorum puncta ſentiat, neque ſanguinem effundat, neque putreſcat, ſi per ſtigmatizationem jam ampliùs non vivat. Quòd ſi poſterius affirmamus, tunc certè experimentum ſumere ejus illicitum omnino eſſet, ut Theologi Leodienſes, & Lovanienſes etiam exiſtimarunt apud eund. Oſterman. *ſect.* 12. quia nonniſi mediante ipſo Dæmone ſuis præſtigiis ad id concurrente, hoc fieri poteſt: quod & dictu improbandum eſt, & factu peſſimum, cùm ex ipſius Dæmonis atteſtatione hunc, aut illum condemnare aut abſolvere oporteat. Nam aut Dæmon cogi poterit per Juſtitiam ad detegenda Magorum ſtigmata, aut non. Si primum, oportebit id fieri divinâ virtute, & ſic ſemper in hoc interveniet miraculum, Deumque ad Judicis libitum miracula operari erit dicendum, & quaſi ab ipſo cogi, quod eſt ridiculum, & abſurdiſſimum. Si ſecundum, in libera poteſtate Dæmonis erit, hunc aut illum detegere, & nocentem condemnare, innocentem abſolvere, quod etiam nullam habet veritatem. Ergo etiamſi fateamur dari hujuſmodi ſtigmata, eorum detectio aut non erit poſſibilis, aut non erit tuta, ex ſuperioribus.

3

4

Verum enim verò cùm ſtigmata in his quæſtionibus impugnaſſe fortè legentibus videar, illud denuò admonere non deſiſtam, non id mihi propoſiti fuiſſe, ut probare conarer Stigmata verè non dari, hoc enim (ut quiſque elicere ex iis, quæ ſcripſi, poterit) detrectate, cùm ad hiſtoriam pertineat, cujus veritati ſtare propriâ experientiâ deſtituto conſentaneum eſt, nequaquam auſus ſum: ſed poſſe ejus naturæ eſſe hujuſmodi ſtigmata, cujus eſſe jactantur, ita ut Magos certiſſimè detegant, & Magiæ ſint characteres infallibiles, ego quidem, ob enarratas rationes in dubium revoco, nunquam tamen idipſum inficiaturus, dummodo aut certiori experientiâ per integræ fidei viros, aut per propriam confirmetur, aut aliud Sancta Mater Eccleſia injungat.

PAULI ZACCHIÆ

QUÆSTIONUM MEDICO-LEGALIUM,

LIBRI OCTAVI, TITULUS PRIMUS.

De Irregularitate.

Continens Quæstiones Vigintiquatuor.

I. Irregularitas quid, & quotuplex, & quænam circa eam Medicus considerare possit.
II. De Irregularitate spirituali, & utrùm Medicinæ exercitium inducat Irregularitatem.
III. De Irregularitate ob causam Morbi in genere.
IV. De Morbis magis specialiter, & primò de iis, qui secundum Canonistas ad animum spectant.
V. De Epilepsia, & Apoplexia.
VI. De cæteris Morbis, ex quorum culpa homo evadit Irregularis, & primò de morbis Capitis.
VII. De vitiis Oculorum.
VIII. De Nasi vitiis, Aurium, ac Labiorũ.
IX. De vitiis Oris, Palati, Dentium, Gingivarum, & Linguæ.
X. De vitiis Pectoris, partiumque cæterarum spiritualium.
XI. De Stomachi, seu Oesophagi, & Ventriculi vitiis.
XII. De vitiis Intestinorum, Hepatis, & Lienis.
XIII. De Renum, & vesicæ Urinariæ vitiis.
XIV. De vitiis Membrorum generationis.
XV. De externarum partium vitiis, & primò de vitiis Capillorum, cutis capitis, Colli, Spondylorum, & Vertebrarum.
XVI. De faciei, & conspicuarum partium cicatricibus, Maculis, & deformationibus.
XVII. De vitiis Brachiorum, Pedum, & Manuum, ac Digitorum.
XVIII. De Crurum & ambulationis vitiis.
XIX. De Membris superfluentibus.
XX. De Podagra, & Arthritide.
XXI. De Scabie, & Lepra, cæterisque cutis infectionibus.
XXII. De Morbo Gallico.
XXIII. De Febre, & Peste.
XXIV. De Irregularitate Fœminarum.

SUMMARIUM.

1 *Irregularitas quid, ex Canonistis.*
2 *Irregularitas quid, ex propria sententia, & n. 5.*
3 *Irregularitas spiritualis quæ.*
4 *Vitium refertur ad corpus, & ad animum.*
5 *Irregularitatis species.*
6 *Irregularitatis duæ species, de quibus considerare potest Medicus.*
7 *Deformitas quid.*
8 *Irregularitas incurritur ex vitio proprij corporis, & alieni, & quomodo.*
9 *Chirurgus incidens non est irregularis.*
10 *Irregularis semper non est, qui alium facit irregularẽ.*

Irregularitas quid, & quotuplex, & quænam circa eam Medicus considerare possit.

QUÆSTIO I.

TAnta est apud Catholicos sacrorum reverentia, ut meritò ij qui ad ea ministranda per sacros Ordines promoventur, non Animi tantùm sed corporis etiam quacunq; notabili labe carere debeant, unde siquando alterutram, vel utramq; contraxerint, polluti ob id censeantur, neque ulteriùs promoveri aut, si jam promoti sint, in sacris ministrare per sacros canones permittantur. Interea verò, quæ unam, vel alterutram, vel utramque labem conciliant, unde vel promotionis ad sacra, vel administrationis in iisdem, emanat impedimentum, nonnulla sunt, quæ Medicam considerationem requirunt, de quibus ipsi quoq; Theologi, & Canonistæ verba facientes, ad Medicos recurrunt, ut in processu sermonis patebit. Ea igitur de re licèt jam in evulgatis quæstionibus sparsim, & incidenter nonnulla interdum ad hoc argumentum pertinentia adnotaverim, tamen quia & plura consideranda supersunt, & in particularibus multa occurrunt, quæ non leve dubium excitare possunt, in præsenti magis peculiariter de singulis scribere decrevi, quæ ad hanc materiam pertinere videntur: in quibus pertractandis, à consueto, & mihi alias familiari modo non recedam, qui semper is fuit, ut ea tantùm, quæ ad meam professionem spectant, assertivè doceam, cætera verò, quæ ad alios pertinent professores, proponam tantùm, aut nonnisi conditionaliter, & quatenùs non aliter iisdem professoribus visum fuerit, decidere ambigam: quòd tantò curiosius & in aliis argumentis præstiti, & in iis præstabo, quantò ad Theologos & Canonistas ea spectare magis noverim, cùm nonnisi, prout hi edocere ex Catholicæ fidei documentis me debent, omnia

omnia ac ſingula à me proferri deſiderem.

1 Ante omnia igitur quærendum primò eſt, quidnam ſit irregularitas, quæ quidem à Canoniſtis diverſimodè definitur: plures tamen eorum conveniunt in hoc, quòd Irregularitas Canonicum impedimentum ſit ex facto, vel defectu proveniens quo quis prohibetur ad ſacros Ordines promoveri, aut in ſacris miniſtrare. Nicol. Plavius *ex Duran. de Irregul. n.* 1. & ex Joan. Andrea, & Archid. Majol. *de Irregul. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 1. & ex Medicis Gaſpar Triſtan. *de Cler. Med.* §. 2. Habet etiam ſuam peculiarẽ definitionem Nav. *in Manual. c.* 27. *n* 191. aliaſque ex aliis affert idem Majol. *loco cit.* quas tamen non putat ipſe non explicare rem totam, (rei naturam dixerit Philoſophus) mò difficilè omnino exiſtimat, veram ejus rei definitionem afferre: quod tamen non videtur adeò arduum, quin definitio aſſignata non videatur ſufficiens ad rei Naturam explanandam multò meliùs, quàm aliæ per eum allatæ, & mihi quidem, quatenus ſaltem ad meum facere
2 poſſit argumentum, ea ſufficientiſſima videtur. Si tamen peculiarem Irregularitatem, de qua Medicus ſignanter conſiderare poteſt, definire velim, dicam, Irregularitatem eſſe impedimentum ab animi, vel corporis vitio emanans, cujus cauſa prohibetur homo à Canonibus ad ſacros Ordines promoveri, vel in ſacris miniſtrare. Dico ergo eſſe impedimentum, quia Irregularitas hoc peculiare habet, ut impediat hominem ad ea conſequenda ex ſacris, quæ cæteri liberè conſequi poſſunt, & abſque ulla exceptione. Dictum deinceps eſt, emanans ab animi, vel corporis vitio, non ut comprehẽdam eos morbos, quod ad animum referunt Canoniſtæ, ut Dementiam, Epilepſiam, & his non abſimiles, hos enim ipſos morbos, qui ad animum ſpectant, Medici ad corpus referunt, quòd ex vitio corporis hi quoque originem habeant, ſed ut comprehendam quaſdã irregularitates ex facto, vel defectu provenientes, ut quæ oritur ex debilitatione, mutilatione, & privatione membrorum in alio ex culpa admiſſa, hæ enim videntur animum coinquinare ob
3 reatum, cùm ad corpus nihil pertineant, & idcircò has irregularitates jure merito ſpirituales ap-
4 pellaverim, cæteras autem corporales.

Dictum inſuper eſt, ex vitio, non ex morbo, quia vitium & ad corpus, & ad animum referri poteſt, ut patet *ex l. ob quæ vitia, ff. de ædil. edict.* licèt idem de morbo eveniat, ſed certè univerſalior eſt acceptio vitij, quàm morbi, non ob aliud, niſi quia vitium ad animum quoque, & ad mores refertur, non ſic autem morbus, niſi per ſimilitudinem: nam timiditatem, mœſtitiam, iracundiam, & id genus alios affectus dixerimus, non morbos, ut cœcitatem, mutitatem, ſurditatem, & morbos dicemus, & vitia, quæ luculentiùs patent *poſt. l. ff. eod.* Cætera denique verba declarant Irregularitatis effectus & vicem gerunt cauſæ formalis: poſito enim tali impedimento, tanquam cauſa primaria, neceſſariò conſequitur prædictus effectus, nempe ut illicò tale impedimentum habentes prohibeantur à promotione ad ſacros ordines, & ab eorum adminiſtratione, ac efficiantur irregulares. At verò ſi magis conciſam, magiſque Philoſophicè traditam de-
5 ſideramus Irregularitatis definitionem, dicamus, quòd Irregularitas eſt inhabilitas prohibens hominem ad ſacra promoveri, vel in illis miniſtrare: ſic enim omnes, ac quaſcumque Irregularitatis ſpecies comprehendemus, non ſolùm, inquam, eas, de quibus nos Medici conſiderare poſſumus, ſed eas quoque, quæ ad Canoniſtas merè pertinent: quandocunque enim quis ex quacunque cauſa inhabilis redditur ad promotionem ad ſacros ordines, vel adminiſtrationem eorum, dicetur contraxiſſe irregularitatem.

Cæterum Irregularitatis plures ſunt ſpecies, & 6
Navarra quidem, *loco citat.* Ejus quinque ſpecies, conſtituit, alij verò multò plures, ut duas tantùm ego conſtituam, cùm duæ tantùm ſint, de quibus Medicus conſiderare poteſt, jam à me commemoratæ, nempe ſpiritualem, & corporalem, quas irregularitates pœnæ, & inhabilitatis dicunt, & illa 7
quidem continet Irregularitates emanantes ex animi vitio ob admiſſam malitiam ex aliquo facto, vel defectu, ut exemplificando in Medico: ſi exhibeat ad malum finem medicamentum abortivum animati fœtus, vel venenoſum, aut ſi ex affectata ejus negligentia remedia in curando ſint procraſtinata, & infirmus ex hoc perierit: & in aliis cùm quis alium ad malum finem mutilaverit, aut deturpaverit. Alia verò continet Irregularitates ad corpus ſpectantes, nempe eas, quæ proveniunt ex inducentibus membrorum debilitates, mutilationes, & privationes, aut quæ procedunt ex aliis quibuſdam morbis, aut quas etiam inducit inſignis deformitas, quas omnes ex corporis morbo procedere conſtat, quia non ſolùm debilitates, mutilationes, & privationes membrorum verè morbi ſunt, ſed & ipſa 8
deformitas morbus eſt, cùm nihil aliud ea ſit, quàm vitium lædens corporis formam, & pulchritudinem, ſeu decorem hominibus convenientem.

Circa hæc igitur Medici judicium verſari poteſt, quia de morbi gravitate, & levitate, & quatenùs aliquis morbus, ac quantùm actiones lædat, & qua ratione, & quas peculiares actiones, ſolus ille judicare debet: nec de his ſolùm, quæ ſanitatem, & liberum corporis uſum labefactant, ſuam ſententiam Medicus interponere poteſt, ſed etiam de his, quæ ad formam, & decorem pertinent, quia ex ſuæ ipſius Artis principiis Medicus rectè novit, quænam requirantur ad bonam, & decentem corporis formam, & conſequenter quænam ſint, quæ formæ bonitatem aliquo modo ac quando, & quatenùs lædant.

Et, quia, ut ſuperiùs dicebam, Irregularitas non 9
ſolùm incurritur ex debilitate, mutilatione, & privatione membrorum, & deformitate proprij corporis, ſed etiam quando has ipſas debilitates, mutilationes, & privationes membrorum, & defor- 10
mitates inducimus in alieno corpore ad malum finem, vel ex culpa noſtra (quia Chirurgus debilitans, mulitans, privans, aut deformans ob ſanitatem recuperandam, non dicitur Irregularis, ut eſt communis Canoniſtarum opinio. Summa Ang. *verbo Medicus, n.* 4. Summa Sylveſtr. *verb. eod. num. eod. verſ. Tertium.*) idcircò quemadmodum priorem irregularitatem ex vitio corporis provenire patet: ſic poſteriorem ad Animam referri non eſt dubium, ut dixi. Sed poſterior hæc irregularitas eatenus contrahitur, quatenùs quis dat cauſam Irregularitati in alio mutilando, debilitando, inciden- 11
do deformando, non tamen hoc perpetuò verum eſt, quòd irregularis ſit, qui alium facit irregularem. Navar. *in Man. Confeſſ. cap.* 17 *n.* 207. *& lib.* 5. *conſ.* 20. *n.* 1. Chirurgus, ut diximus, qui incidendo alium irregularem facit, non eſt irregularis: ſed habet locum ea concluſio, quandocunque quis non ſine culpa alium facit irregularem, debilitando, mutilando, incidendo, deformando, ut ex jam dictis patet.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1 *Idem vitium inducit irregularitatem in vitio, & in eo cujus, culpâ vitium contrahitur.*
2 *Medicinæ exercitium maximè obnoxium irregularitati, ob errandi promptitudinem.*
3 *Medicina exercitium an faciat hominem irregularẽ.*
4 *Quâ maximè ex cauſa ambigatur, quod Medicinæ exercitium faciat hominem irregularem.*
5 *Ægro moriente, aut mutilato ex culpa Medici, Medicus eſt irregularis.*
6 *Exercitium Medicinæ non eſt in Jure Clericis prohibitum, etiamſi ſint in ſacris conſtituti.*
7 *Nemo naſcitur doctus, ſed diſcendo doctus evadit.*
8 *Medico aliquando in Arte peccare eſt inevitabile.*
9 *Medicus cùm non poſſit effugere aliquando culpam non poteſt effugere irregularitatem & n. 11.*
10 *Clericus non prohibetur exercere Medicinam.*
12 *Clerici prohibentur mederi ob inevitabilem neceſſitatem incurrendi culpam mortis, vel deformitatis.*
13 *Medicinæ exercitium non facit aliquem irregularem per ſe, ſed ex accidenti inſeparabili, ob inevitabile errandi periculum.*
14 *Chirurgia an faciat hominem irregularem.*
15 *Phyſica eſt magis errori obnoxia, quàm Chirurgia.*
16 *Chirurgia hominem non dehoneſtat, ſed eſt Ars nobilis.*
17 *Empirici cur debeant eſſe irregulares.*

De Irregularitate ſpirituali, & utrùm Medicinæ exercitium inducat Irregularitatem.

QUÆSTIO II.

1 SUperfluum eſt de hac ſpecie Irregularitatis verba denuò facere, ſtantibus iis, quæ in fine præcedentis Quæſtionis diximus: ſiquidem idem vitium quod inducit irregularitatem in corpore noſtro, idem etiam inducit irregularitatem in alio: quotieſcunque ex ejus culpa nos tale vitium contrahimus: itaque membri defectus, cæcitas, deformitas ex cicatrice, aut ex alia cauſa, & alia vitia id genus, quæ Te Irregularem faciunt, facient etiam me Irregularem, ſi ex mea culpa talem membri defectum, aut cæcitatem, aut deformitatem, aut aliud quodcunque vitium contraxeris. Quæ ergo conſiderantur tanquam vitia corporalia, inducentia Irregularitatem in tuo corpore, conſiderantur tanquam vitia ſpiritualia, inducentia irregularitatem in me ipſo ex admiſſa culpa: atque hoc pacto per ſingula vitia diſcurrendo, in ſingulis ſeqq. quæſt. dupliciter conſiderabuntur, & tanquam inducentia irregularitatem in corpore proprio, & tanquam inducentia irregularitatẽ ob admiſſam culpã in eo, qui in culpa eſt, in caſibus, in quibus id habet locũ.

2 Quoniam autem Medicinæ exercitium maximè obnoxium eſt, ob errandi promptitudinem, huic Irregularitati, quæ ex culpa contrahitur, ob introductum aliquod vitium in corpus alienum, idcircò
3 non ab re celeberrima illa quæſtio hîc diſcutienda, utrum nempe Medicinæ exercitium faciat hominẽ irregularem, necne, de qua materia integrum, ac diligentem tractatum habemus Doctoris Gaſparis Triſtan, Valentini Presbyteri, Theologi, Canoniſtæ, ac Medici, cui titulus eſt *de Clerico Medico*. Ejus copiam mihi fecit D. Franciſcus de Curtis, Medicus Napolitanus inſignis, vir non pœnitendæ, neque aſpernandæ doctrinæ: in quo tractatu Auctor & rationibus, & auctoritatibus quam plurimis id primùm nititur probare, Medicinæ exercitium neminem facere irregularem, atque ea de cauſa nequaquam eſſe Clericis prohibitum: apud eum igitur multa poterit Lector tam pro negativa, quàm pro affirmativa ſententia reperire. Ego tamen brevitati, quò magis fieri poteſt, conſulens, in compendium omnia redigam, & quid ex mea ſententia concludendum ſit aperiam. Ante omnia ergo videamus, ex qua potiſſimum cauſa dubitari poſſit, quòd Medicinæ exercitium faciat hominem inha- 4
bilem, tam quoad ſuſceptionem, quàm quoad ordinum adminiſtrationem, ita ut irregularis evadat: ac certè (ſi de medico Phyſico tantùm verba faciamus) aliam cauſam adducere non poſſumus, niſi periculũ incurrendi culpam mortis, vel mutilationis, vel 5
privationis membri, vel deformationis Ægrotantiũ: quandocunque enim hæc ex culpa ipſius Medici eveniant, non lata tantùm, ſed forte etiam levi, imò leviſſima, ut ex Majolo infrà. Medicus ut quicunq; alius, qui occidit, aut debilitat, aut mutilat, aut deformat, aut earum rerum aliquo modo eſt cauſa, & auctor, & in ſumma, quandocunque aliquam culpã in his habet, vel ex dolo, vel ex ignorantia, vel ex negligentia, irregularitatem incurrit. Summa Silv. *verbo Medicus, n. 1. verſ. 2. debet & n. 7.* Summa Aug. *verbo eodem.* Navar *cap. 27 n. 22. in Man.* Majol. *de Irregul. lib 2. cap. 12. n. 1* Ergo ſi hoc periculum abſit, quia Medicus eſt doctus, & diligens, & ſequitur ſuæ ipſius Artis præcepta, nec ſine ſufficienti ratione ab iis diſcedit, exercendo Medicinæ artem, Irregularitatem non incurrit, ut omnes Canoniſtæ unanimiter ſentiunt, & probat abunde ſupra citatus Gaſpar Triſtan *de Cler. Med.* § 2. & deinceps: Aliàs 6
enim, ut idem Gaſpar Triſtan pluribus probare proſequitur, non eſt prohibitum in Jure Clericis etiam in ſacris conſtitutis, etiam ipſis Presbyteris, Medicinæ exercitium: ſi ergo non eſt prohibitum Clericis, non poteſt ullo modo inducere irregularitatem. Sed tota difficultas, ut mihi videtur, in eo conſiſtit, utrum probabiliter dari poſſit Medicus tam doctus, ac diligens, ut ſemper ac in ſingulis medendi caſibus ſit à culpa immunis: hoc enim ego non dicam abſolutè eſſe impoſſibile, ſed impoſſibilitati proximum, ſtante Artis difficultate, & hominum inexperientiâ, antequam ſaltem ex longo tempore firmam aliquam experientiam aſſequantur: 7
nemo enim naſcitur doctus, aut ſubitò evadit in Arte expertus, ſed diſcendo doctus evadit, ac multo tempore experientiâ conſequitur, & ipſa Medicina temporis longitudine addiſcitur, ut patet ex aſſiduè decantato Hipp. *Aph. lib. 1. Ars longa, vita brevis*: imò, ut inibi habetur experimẽtum eſt periculoſũ, ob errandi promptitudinem: itaque impoſſibile eſt, ut ſaltem inter ediſcendũ tam ſecutus Medicus ſit de ſua doctrina, & diligentia, ut ſemper culpâ ſuccedentis mortis, aut deformitatis, aut debilitatis & privationis membrorum vacare ſe affirmare poſſit: nam ſi Hippocrati credimus (ſed cur tanto homini non credemus?) exactam certitudinem in operibus Medicinæ ratiõ videre contingit. Ubi ergo ſecundum plurimum incertitudo militat, difficile, imò impoſſibile eſt non delinquere: unde idem Hippocrates non cogit Medicum operam dare, ut non delinquat, hoc enim pro impoſſibili ducit, & ad impoſſibile nemo tenetur, l. impoſſibiliũ, *ff. de Reg. Jur. cap.* nemo poteſt *in 6. de Reg. Jur.* ſed ut parum delinquat, & quàm minimum, eumque Medicum præ cæteris laudandum cenſet, qui parùm peccet, cùm omnibus hoc commune ſit, ut aliquando peccent, quaſi inevitabile ſit artifici aliquando peccare, ſed hoc ex quadam neceſſitate contingat. Itaq; non 8
tam tutò, ac de facili prononciandum videtur poſſe Clericum etiam in ſacris conſtitutum Medicinam exercere, aut Medicum abſque diſpenſatione promoveri poſſe, ſi illum conſcientia non remordeat

alicujus notabilis erroris, aut culpæ admissæ, ex qua sui ægrotantes aut perierint, aut alicujus membri liberum usum perdiderint, aut insigniter deformati remanserint: & quisnam erit hic, qui omnia tutâ conscientiâ exequi potuerit? Non id de me mihi, ita me Deus amet, unquam persuaserim, neq; fortè Hippocrates ipse id de se sibi persuasisset, neque unquam persuasit, cùm proprios errores aliquando ingenuè fassus sit. Nisi condonetur ergo sufficere Medico ad evitandam irregularitatem habere communem quandam intelligentiam, nec debere omnia quæ quacunq; ex culpa ejus eveniunt,
9 facere illum irregularem, acta certè de nobis res est, nam cùm non possimus semper culpam effugere, non possumus effugere irregularitatem: & tamen cum his omnibus juxta tradita per D. Gasp. Tristan,
10 *ubi supr.* Clericus non prohibetur exercere Medicinam, neque ex ejus exercitio irregularis evadit: nam etiam stante, ut ille inculcat, artis difficultate, & tam amplâ errandi occasione, dummodò Medicus ex se faciat ea omnia quæ facere tenetur, irregularitatem non incurrit, quod etiam existimat Navar. *in Manual. cit. c. 27. n. 217. in fin.* dummodò culpa absit. Idemq; Farin. asserit *Fragm. criminp. 2. litt. I. n. 436.*

11 Ego verò liberè contra propriam Artem pronuntiare non desistam, ac dicam, nequaquam fieri posse, ut in omnibus ac singulis casibus, qui Medico sese inter medendum offerunt, ipse ita à culpa sit immunis, ut irregularitatem effugiat, dummodò ex quacunque culpa irregularitatis incurratur: siquidem ubi Medicus eos tantùm morbos curaret; qui neque ulli vitæ periculo sunt conjuncti, neque apti sunt ad ullam deformitatem, aut insignem membri debilitatem Ægris conciliandam, poterit fortè absq; eo quòd culpam, ullam irregularitatem sufficientem incurrat, ægrotantibus mederi, aliàs verò quantum ego existimo, nunquam evitare poterit talem culpam, ac tantò verius id erit, quantò etiam quælibet levis culpa in hoc sufficit ad inducendam irregularitatem, ut ex pluribus Majol. *cit.*
12 *lib. 2. c. 12. n. 2.* cùm tali levi culpâ Medicum semper carere sit impossibile, & hanc ob causam clerici omnino prohibeantur exercere Medicinam, ita ut ne pro mirabilibus quidem personis, nec pro consanguineis mederi permittantur, & de rigore Juris susceptum ordinem sacrum administrare prohibeantur, si exerceant, ex his, quæ prosequitur, Ma-
13 jolus *loc. cit. n. 7.* Bene igitur ex Panormitano Gaspar Tristan, *loco cit. ato*, § 1. concludit, Artis Medicæ exercitium non facere irregularem per se, sed ex accidenti, addam ego, inseparabili nempe ob inevitabilem culpam inter medendum. In abstracto enim supposità nunquam fallibili diligentia, & sufficienti scientia, adeò ut Medicum omni culpa vacare imaginemur, non faciet exercitium Medicinæ medentem irregularem: at in concreto hoc numquam habebit omnimodam veritatem: cùm impossibile sit, ut toties dixi, Medicum semper culpa vacare.

Cæterùm quia nomine Medici non solum veniunt Physici, sed & Chirurgi, & omnes, qui aliquam Medicinæ partem exercent, ut Phlebotomantes, Pharmacopolæ, Empirici, Chymici, quin & ipsæ etiam obstetrices, de singulis peculiariter
14 videndum. Ac primò de Chirurgis, nam de iis rationabiliùs dubitatur, an etiam omni culpa vacantes incidendo, secando, urendo, mutilando, deformando, etiam propter ægri salutem, tamen ex his actibus fiant irregulares: certum enim est, Clericos ab his actibus exercendis prohiberi, *ut inc. sentent. sanguinis, ne Cler. ver. Mon.* Ergo sequitur inde, quòd exercentes tales actus fiat irregulares, & vide ad hoc quæ affert Panorm. *in d. cap. sent. sanguin. n. 21.* ubi tres assignat causas, propter quas Chirurgia Clericis sit prohibita, nempe ob periculum erroris, quod ei inest, propter lubricum conscientiæ, & propter dubium curationis eventum, licet certè magis errori obnoxia Physica sit, quàm Chirurgia: 15
nam si comparaveris doctum Physicum, ac doctum Chirurgum inter se, certè semper faciliùs errabit Physicus, quàm Chirurgus: hic enim in suis operationibus habet ut plurimum pro duce ipsos sensus externos, quorum ope assequitur quæ assequi est necesse, ille verò, cogitur discursu, & conjecturis assequi quod intus in corpore latet: at quantò magis fallax discursus est, quàm sensatio tanto magis errori obnoxius Physicus, quàm Chirurgus, & idcircò majori cum securitate procedit operando Chirurgus, quàm Medicus Physicus, eaque de causa admodum turpe judicatur ab Hippocr. *in lib. de Med. vers.* 5. non contingere, à Chirurgia, quod velis: at Physicus magis errando excusatur, quia faciliorem occasionem errandi habet, & in docto quoque periculosa est ignorantia eorum, quæ neq; ipse, non obstante; quòd doctus, sit novit, cùm tam necesse fuerit ea inter operandum noscere: periculosa item est in ipso negligentia quacunque, quæ cùm omnia dent causam errandi, & incurrendi irregularitatem, non mirum si ex his voluerint aliqui Canonistæ Physicum esse irregularem, ut sentit Majol. *lib. 2. de irreg. cap. 12. num. 1.* Et tamen licèt Physica magis errori sit obnoxia, quàm Chirurgia, & magis prædominetur in illa, quàm in hac lubricum conscientiæ, & magis item habeat illa, quàm hæc dubios curationis eventus, non est Clericis prohibita, ex communi DD sententia. Existimaverim ergò magis adæquatâ causam ejus prohibitionis exercendi nimirum Chirurgiam in Clericis ob ipsarum operationum Chirurgicarum conditionem quæ non tantùm fiunt cum aliquo dedecore, & ob id Clericis videntur non convenire, sed etiam habent adjunctam membrorum mutilationem, aliquamve corporis deformationem. Ex his ergo dico, quòd Ars Chirurgiæ præter tres causas à Panormitano assignatas, facit insuper hominem irregularem propter indecentiam exercendi, tum quoque propter certitudinem mutilationis, aut deformationis, quam habet omninò conjunctam: licèt enim excusari possit Ars, ex eo quòd tendat ad optimum finem, nempe ad Ægrorum salutem, non potest tamen effugere dedecus exercendi respectu ipsorum Clericorum, nam aliàs ipsa Chirurgia non 16
modò hominem non dehonestat, sed per seipsam Ars est nobilis, & homine civili dignissima.

De aliis porrò particularibus Medicis peculiaris consideratio habenda: ac in omnibus quidem exercitij dedecus ponderandum, propter quod maximè Clericis est indignum. De hinc ignorantia eorum præcipuè videtur suggilanda, quæ in plerisque est conspicua, & multorum errorum causa manifestissima. Magis tamē, quàm in cæteris omnibus conspicua hæc ignorantia est in Empiricis, quippe quia nullâ ratione furti, nullâ regulâ, nullâ methodo ducti medeantur: unde cùm ignarissimi sint, sunt insimul audacissimi, & tam facile errant, ut nihil agant, quod errori non sit quàm proximum, & cum his pari passu incedunt, qui peculiaria quædam medicamenta ad particulares quosdam morbos habere profitentur, & cùm morbū non cognoscant remedia sua etiam aliis morbis, quibus non modò non conveniunt, sed contraria sunt, adhibere solent,

solent, ægrosque è medio facilè tollunt: in quibus videndum, an irregularitatem incurrant, cum ex se talia remedia exhibent, quod non est dubium, sed etiam cùm auctores sunt ipsis Medicis, ut exhibeant: nam non desunt ex Medicis, qui ne hujusmodi personis, maximè si conspicuæ, sint aut aliquâ dignitate insignes, displiceant, facilè assensum præbent: de qua re meum non est, sed ipsorum Canonistarum determinare. Certè rectè consultum puto iis, qui in sacris sunt constituti, si in iis sese nullo modo admisceant: si enim Medicus Physicus, etiam doctrinâ insignis, & judicio, non potest, ut dixi, tam tutò medicinam facere, quin sæpè sæpiùs aliquam notabilem culpam non incurrat, quanam ratione poterunt ij, qui ne de limine quidem Medicinam salutarunt, tutò ægris sua medicamenta, quorum naturam, (licèt ipsi de iis tam multa, ac tanta prædicent) nequaquam notam habent, propinare? Certè valdè errare eos putandum, ut Gal. dicebat *in lib. de Ven. sect. adv. Erasm. cap.* 6. ex Platone, qui ea tractant, quæ numquam didicerunt: sed in hos acerbiùs invehi in animo mihi non est, ne rem meam agere me, quisquis sit, non æquo animo existimet.

SUMMARIUM.

1 *Morbi aliqui inhabilitant ad promotionem, sed non prohibent promotum ministrare: alij inhabilitant ad ut supra.*
2 *Quinam morbi faciant irregularitatem perpetuam, & qui temporaneam.*
3 *Cessante irregularitatis causâ, cessat Irregularitas.*
4 *Morbi immanentes, hoc est, numquam recedentes.*
5 *Morbi temperanei.*
6 *Morbi facilè recurrentes.*
7 *Morbi propter quas potissimùm causas irregularitatem inducant.*

De Irregularitate ob causam Morbi in genere.

QUÆSTIO III.

1 PLures sunt morbi, ex quorum causa homines irregularitatem contrahunt, sed aliqui eorum inhabilitant ad promotionem ad sacros Ordines, promotum tamen non impediunt ministrare: alij verò inhabilitant ad promotionem, & ad ministrationem, ut ex ipsis Canonistis habetur, sed tam priorum, quàm posteriorum nonnulli sunt, qui 2 præbent impedimentum perpetuum, alij verò præbent impedimentum ad tempus. Impedimentum perpetuum præbent morbi omnes, qui permanétes sunt, aut qui de facili reversionem faciunt, dummodò notabilis gravitatis sint, cæteraque conditiones habeant, quas habere necesse est morbum, qui faciat irregularem. Impedimentum ad tempus præbent morbi qui transitorij sunt, & facilè, aut saltem tempore omnino recedunt, nec de facili revertuntur: hi enim licèt dum præsentes, sunt impediant hominem promoveri, & ministrare etiam, recedentes tamen nullum impedimentum in neutra earum rerum afferũt, neq; ullam notã illos patientibus inurunt, etiamsi magni, & maximè notabiles existant, ut esset exempli gratiâ Phrenitis quæ licèt magnus morbus sit, & ad eam magnitudinem perveniat, ut hominẽ non minùs ac Mania, & amentia, aut similes morbi accipiat, tamen cùm recesserit, nihil nocet personæ promovendæ, aut promotæ: quin & promoveri absque alia dispensatione possit & in sacris ministrare, ut tradunt Canonistæ. Majol. *de irregul. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 6. idemque est dicendum de plerisque aliis morbis, qui cùm urgent, impedimentum omnimodum præbent & ad promotionem, & ad administrationem, cessantes autem hominem relinquunt ab omni impedimento immunem, tanquam si unquam ægrotasset: nam cessante 5 Irregularitatis causa, cessat etiam effectus, *c. statuimus, & cap. Neophytus,* 61. *dist.* & alij allegati per Vivald. *in Candel. aur. p.* 3. *in princ. n.* 5. Antequam igitur ad particularia descendamus, generaliter determinandum quinam illi morbi sint, qui impedimentum perpetuum præbent: qui verò ad tempus: & quinam facilè recurrant, qui non. Primi ergo 4 ordinis sunt, qui immanentes sunt: & numquam ex quo hominem prehenderunt, recedere solent: tales sunt insanæ species omnes absque febre, quæ ex proprio capitis naturali, vel accidentali affectu oriuntur: at est stoliditas, Amentia, Memoriæ defectus, Mania, vel furor, affectio Lunatica, & id genus alij: & præter hos surditas confirmata, Cæcitas, Mutitas, Paralysis, Stupor, Hydrops, Scirrhus partium naturalium, Diabetes, Urinæ incontinentia cõfirmata, Gonorrhœa cõfirmata, Hernia, Phthisis, febris Hectica, Lepra & Elephantiasis, & siqui alij his non absimiles existunt. Quibus addendæ insignes omnes deformitates à natura contractæ, vel ex accidenti, cum deperditione partium, qui omnes morbi, quia, ut dixi, permanentes sunt, & nunquam recedunt, impedimẽtum perpetuum præbent, quod moveri non potest: imò non modo amoveri non potest, sed in dies magis cõtumax evadit, unde rectè Paralysis inter morbos increscentes vocatos ab Hipp. *lib.* 6 *de morb. vulg. sect.* 5. *text.* 65. ut Gal. & Vallesi. *in com volum.* connumeranda est, & notavit Rota *in Mileritana sanitatis* 1643. *n.* 8. *coram Verospio.* Ad tempus autem præbent impedimentũ 5 cæteri morbi, qui non de facili revertũtur, & spatio temporis brevioris, aut etiam longioris tandem recedunt, ut sunt febres omnes Hectica excepta, & qui febrem comitem habent, excepta Phthisi, & id genus plerisque. Non permanentes, sed de facili 6 recurrentes sunt speciales quidam capitis dolores, vertigines, epilepsia, lippitudo, seu Ophthalmia, dentium dolores in aliquibus, Asthma, sanguinis sputum, Hæmorrhoides, Podagra, & Arthritidis omne genus, hisque non dissimiles, de quibus omnibus, quatenus opus sit peculiariter faciemus.

Præterea omnes ac singuli morbi, ob unam vel 7 plures simul ex sequentibus causis, irregularitatem generant, nempe quia vel impediunt liberum corporis usum, vel quia periculum inter administrandum minuantur, vel quia notabilem indecentiam secum habent, & scandalum excitare possunt, vel tandem quia contagiosi sunt. Liberum corporis usum, & impedimentum operationum afferunt febres, dolores insignes, & hujusmodi, cùm tamen neq; ullam turpitudinem habeant, neq; periculum minentur, si recesserint. Periculum inter administrandum minantur Vertigo, Epilepsia, Apoplexia, Vomitus, Cardialgia Syncope, sputum sanguinis, & hujus farinæ alij. Turpitudinem denique, & indecentiam habent insignis deformitas, membrorum defectum, vel superfluitatem respiciens, cicatrices magnæ, & apparentes, quæ facilè tegi non possunt, maculæ fœdæ, ac magnæ conspectui hominum obviæ, & siqui alij morbi sunt ab his omnino non dissimiles: hi namque neq; liberum corporis usum impediunt ut plurimùm, neq; periculum minantur: præter quos etiam sunt aliqui morbi occulti, summam indecentiam afferentes, ut est, vera Gonorrhœa, hoc est feminis, veri involuntarium profluvium absque delectatione, & multò magis pollutio involuntaria, quæ est feminis emissio cum voluptate præter voluntatem, & satyriasis, & Priapismus, & sexus incertitudo, vel geminatio & si alij sunt ejus generis. Denique contagiosi morbi sunt Pestis, Phthisis, Lepra, Morbus Gallicus, & alij nonnulli.

nonnulli. Et tam horum posteriorum, quàm aliorum nonnulli, non unam causam irregularitatis habent, ut patet, nam exempli gratiâ, brachij defectus & turpitudinem habet, & impedimentum liberi usus corporis, & fortè etiam indecentiam, licèt à periculoso absint. Quæ omnia ita distinguenda videtur, quia quando cum his dispensandum, notum sit utrùm facilè, aut difficulter dispensari debeat, quia absque dubio facilius dispensandum in irregularitate proveniente ab una tantùm causa, quàm cum proveniente à duplici, vel à triplici quinimò & causarum gravitas in censu habenda non solùm unius, ejusdemque causa, respectu sui ipsius, ut de impedimento liberi usus corporis, cùm minus, aut majus est, sed etiam unius causæ respectu alterius, cùm fortè, ut credo, facilius sit dispensandum, ubi deformitas viget, quàm ubi indecentia, & facilius cum horum utraque quàm cùm imminet aliquod periculum inter celebrandum, & sic de cæteris.

SUMMARIUM.

1 *Dementia species.*
2 *Dementia quævis non semper fiunt ex primario, ac proprio capitis affectu, ac per essentiam, sed aliquando per consensum.*
3 *Rationis diminutio ex ætate dupliciter.*
4 *Pueri saltem usque ad decimumquartum ætatis annum non habent integrum rationis usum.*
5 *Ætatum differentia in conferendis sacris ordinibus, qua ex causa potissimùm observetur.*
6 *Ratio, & Memoria in ætate provectiori aliquando diminuuntur.*
7 *Rationis diminutio ex naturali vitio quomodo contingat.*
8 *Insania, quæ ex accidentali aliquo vitio fiunt, quæ sint, & quam Irregularitatis causam præbeant.*
9 *Terminus Annuus ad experiendum, an Insani convaluerint, necne, quam rationem habeat.*
10 *Insaniæ principium in aliquibus unde, & quid secundùm plurimum.*
11 *Quodnam tempus verè requiratur ad capiendum tutum experimentum recuperatæ sanitatis in Insania.*
12 *Insanientes licèt circa particularia quædam delirent, & in cæteris sanæ mentis appareant, habent tamen evidentem Irregularitatum causam.*
13 *Insania, quæ ex Hypochondriorum vitio fiunt, cur minus impedimentum Irregularitatis præbeant quàm aliæ alterius generis.*
14 *Insania, quæ ex Hypochondriorum vitio generatur non est tanti æstimanda, ut cæteræ insaniæ, quæ ex Capitis morbo, aut totius generantur.*
15 *Quæcunque procedunt quoad Irregularitatem in Melancholicis, & Maniacis, procedere etiam debent in cæteris insaniæ generibus.*
16 *Sub Melancholicorum genere quinam insanientes reponantur.*
17 *Sub Maniacorum genere quinam insanientes contineantur.*

De Morbis magis specialiter, & primò de iis, qui secundum Canonistas ad animum spectant.

QUÆSTIO IV.

1 Licèt Medici etiam eos morbos, quos ad Animum referunt Canonistæ, ad corpus pertinere, vel à corporis morbo dependere statuant, non idcircò desistam quin in hoc ipsos Canonistas sequar, de iis morbis primò verba faciendo, qui sunt, ut illi volunt, Dementia, ejusque species omnes, Epilepsia morbus Lunaticus (qui apud nos non aliud quàm frequens, ac confirmata Epilepsia est) obsessio Dæmonum, morbus fanaticus? qui cum aliis omnibus, qui mentem aliquo modo lædunt, sub Dementiæ nomine comprehenduntur, ut aliàs dixi *lib. 2. harum. Quæstion. tit. 1. quæst. 1. num. 10.* unde ordinem sequar in iis pertractandis inibi servatum.
2 Sed ante omnia illud admonendum, horum plerosque morborum non semper fieri ex primario capitis affectu, sed fieri aliquando per consensum vel à toto, vel ab Hypochondriis: & hoc quidem maxima animadversione dignum censeo, cùm enim Canonistæ vertant in dubium, an qui aliquando insanivit, & de hinc resipuit promoveri possit, necne, indifferenter decidunt, esse in omnibus quoddam determinatum tempus expectandum, Majol. *lib. 2. de Irregul. cap. 13. num. 5.* quod tempus restringunt ad annum: sed hoc neque in omnibus, neque semper eodem modo procedere potest: nam in dementiis in nonnullis, ut dicetur, nunquam expectari potest integra sanitas, quia semper uniformiter se habent: in aliis licèt remittant, semper tamen adest proclivitas facilis ad recidivandum, ut maximè in iis, qui ex proprio capitis affectu procreantur: in aliis verò qui per consensum fiunt, non tam facilis reversio, ut in prædictis, licèt majorem promptitudinem habeant facti per consensum à toto, quàm per consensum ab aliis partibus. In summa autem, dementiæ cum febre, non facilè, ubi recesserint, revertuntur: quæ sine febre sunt, longiùs perdurant: & si ex capitis proprio affectu fiunt, aut numquam integrè cessant, aut de facili revertuntur: qui per consensum fiunt integrè quidem remittunt, & ut plurimum non de facili revertuntur, quin etiam faciliùs per medicamenta amoventur.

Sed ad ipsa Dementiæ genera accedentes, primò
3 sese offert dementia, seu potiùs rationis, diminutio, & defectus, qui ex ætate contingit, idque dupliciter evenit, vel ex ætate nempe teneriori, vel provectiori, ille à natura est, quia pueri saltem
4 usque ad decimumquartum annum non habent integrum rationis usum, ob quam causam Irregulares, sunt neque debent in ea ætate constituti ad sacros ordines promovere, *cap. Indecorum de Æt. & qualit.* & ibi Doctores omnes. Cumque hujusmodi Rationis imperfectio, ut dixi à natura sit, non est verè morbus, sed ipsius naturæ imperfectio, quæ impedit pueros tanquam cæteras dementiæ jam adultos promoveri, & jure, quia, ut *in suprà citato c. Indecorum habetur, ut qui Ratione pro se ipso regendo uti nescit alios regere debeat.* Quia tamen negari non potest, pueros transacto septennio indies Rationis magis compotes fieri, ita ut accedentes ad decimumquartum annum aliquando penè perfectum rationis usum quoad multa nanciscantur: idcircò transacto prædicto termino septem annorum non eliminantur à susceptione minorum ordinum, in his enim videtur sufficere, ut pueri habeant quandam proximam aptitudinem, aut incipientem rationis usum, cùm tantùm ob sacramenti dignitatem de honestate, non de necessitate præcepti requiratur tempus discretionis, ad quod videtur sufficiens septennium transactum, maximè si pueri bonæ indolis sint: nam aliàs, si crassioris Minervæ existant, non videntur temerè ob prædictam sacramenti dignitatem posse ad minores etiam ordines promoveri, ut notat Majol. *citato cap. 30. lib. 1. n. 7. in fin.*

Cæterùm Ætatum differentia, quæ observatur in
5 conferendis sacris ordinibus, certè ob nullam potiorem causam observari videtur, nisi ob majorem,

aut

aut minorem Intelligentiæ perfectionem, & prudentiam: ob majorem enim ordinum ſacrorum reverentiam decet, ut quantò ordò majoris dignitatis eſt, tanto majore prudentiâ promovendus ſit dotatus: Canones ergo ad id, quod ſecundùm plurimum evenit, reſpicientes, ſingulis ordinibus ſuos Ætatis limites præſcripſerunt, eâ enim procedente uſus Rationis magis perficitur, & ad 25. ſeu trigeſimum annum ad perfectionem deducitur: quâ ætate ad presbyteratum quemcumque admittunt, quod ſecundùm plurimum eo modo eveniat, tametſi certum ſit, hunc terminum perfectæ Ratiocinationis non poſſe in omnibus eſſe unum, cùm pateat variari notabiliter pro temperamentorum qualitate, & cœli, in quo quis natus eſt, aut aſſiduè commoratur, conditione, & pro qualitate rationis victus: ſunt enim frigidi temperamento, ut phlegmatici, & Melancholici tardioris intellectus, contrà calidi temperaturâ velocioris, ita ut priores in trigeſimo ætatis anno ad eam perfectionem non perveniant, ad quam poſteriores perveniunt in vigeſimo, idemque in regionibus frigidis, & victus ratione frigidiori, ac craſſiori contingit: ad quod etiam Canoniſtæ reſpicientes non eandem rationis perfectionem attendunt ubique, ſed in aliquibus regionibus, ubi homines pinguioris ingenij ſunt, ſufficere volunt in promovendo, ſi tanto ingenio polleat, quanto populis ſibi commiſſis regendis opus eſt, Majol. *lib. 2. de irregul cap. 3. n. 7.* ac certè in aliquibus Regionibus vix reperies ejus prudentiæ homines, qualem habere neceſſe ad promovendum in noſtris.

6 Quoad ætatem grandiorem, non dubium eſt & rationem, & memoriam diminui, & in aliquibus profectò tantopere utramque diminui, ut omninò ſtolidi appareant, quod non ſecus ac cæteri ſtolidi, & amentes, irregulares omni proculdubio evadunt abſque ulla ſpe amotionis ejus impedimenti: Sed hoc in paucis evenit eo modo, in pluribus quidem memoria inſigniter diminuitur, & tantò magis diminuitur, quantò ulteriùs ætas procedit. Uſus autem rationis non tam notabiliter labefactatur: at cùm hæc rationis, & memoriæ diminutio habeat plures gradus, quorum reſpectu promovendus admitti, vel rejici poſſet, nihil certi determinare de particularibus licet: quamobrem Eccleſiaſtici Judicis arbitrium hîc requiritur, qui Medicis conſultis, ſi ita expediat, hujuſmodi ſenes, vel admittat, vel rejiciat. Poſt rationis diminutionem ex ætatis defectu, de ea dicendum, quæ à natura aliter contingit, nempe vel à mala cerebri, ejuſque partium conformatione, vel à temperatura frigi-
7 diori: hæc comprehendit mutos, & ſurdos à nativitate, ignorantes, ſtolidos, fatuos, & id genus alios homines: in quibus omnibus illud animadverſione dignum eſt, quòd nulli ab ætatis progreſſu beneficium accipere conſueverint: ita ut nunquam ſperari poſſit, eos ad meliorem rationis uſum deventuros: & ratio eſt, quia tum mala partium compoſitio, tum naturalis earumdem frigiditas ſuperari ullo pacto per ætatem majorem non poſſunt: intemperies tantùm frigida ex ætatis converſione tantisper emendari ſolet, numquam tamen tantopere emendari, ut anima ob expeditiorem organi conſtitutionem ſua munia obire ita perfectè poſſit, ut ad alios regendos ſufficiant, tantamque prudentiam adipiſcantur, quantam neceſſe habent ad ordines ſuſpiciendos, ſacros præſertim. Qui verò dicantur ignorantes, ſtupidi, ſtolidi, fatui, & hujuſmodi, jam ſatis patefeci, *lib. 2. harum quæſt. tit. 1. quæſt. 7. per totam.* Prædicta autem vitia ſunt, ut dixi, naturalia, quatenus cum ipſis hominibus à naturali conſtitutione nata ſunt. Ad accidentalia nunc devenientes, primò ſeſe offerunt Melancholici, Mente capti, & furioſi, ſeu Maniaci. 8
Omnes hi ex humoris melancholici vitio vel naturalis, vel qui calore aduſtus eſt, inſanire ſolent, idque vel ex propria cerebri paſſione, vel per conſenſum à partibus inferioribus, præcipuè autem ab Hypochondriis, vel à toto corpore, & in mulieribus ab utero. Qui ex proprio capitis vitio inſaniunt, non modo habent cauſam irregularitatis, dum actu inſaniunt, ſed etiam extra inſaniam, ob facilem recidivam, cùm promptiſſimè, & ex minima cauſa ad inſaniam redeant. Semel enim capite, & rationis inſtrumento inſigniter ex proprio vitio læſo, vix unquam, ac ne vix quidem, ad integram redeunt ſanitatem, ut aliàs dixi. Qui ex totius corporis vitio inſaniunt, licèt non adeò proximam diſpoſitionem habeant ad recidivam, de facili tamen ad inſaniam redeunt, & idcircò cùm agitur de eorum promotione ad ſacros ordines, cautè videtur agendum, & exacto Medicorum examini ſupponendi: unde & in capeſſanda de iis experientia, an verè ſanati ſint, necne tantundem temporis videtur expectandum, quantum expectandum eſt in inſania quæ ex proprio capitis vitio fit: Et Canoniſtæ quidem, *in c. communiter diſt.* 33. in furioſo, ſeu Maniaco annum expectandum eſſe cenſent. Majol. 9
de irreg. lib. 2 cap. 13. num. 5. qui terminus habet quidem plurimum rationis quia cùm ex anni temporum mutatione ſoleant potiſſimùm morbi, pro ſuperabundantium humorum conditione, reverſionem facere, ſi omnia anni tempora pertranſierint, & inſania non repullulaverit, neque ullam de ſe ſignificationem dederit, jure infirmus judicari poſſet ab inſania omnino liber. Sed hic primò advertendum, quòd aliquibus inſaniæ principium afferre ſolet aliquis error inſignis in ratione victus, tam circa ea quæ cibum & potum, quam circa ea, quæ
10 cæteras non naturales res reſpiciunt, præcipuè autem vehementes animi paſſiones, ut ira, excandeſcentia, timor, mœror, dignitatum affectatio, & alia id genus. Itaque ubi ſecuri undequaque eſſe deſideramus, an æger perfectè convaluerit, necne, experientia eſſet deſumenda ab his præternaturalibus cauſis, exempli gratiâ, ubi viderimus illum, qui ex vehementi aliqua animi paſſione, utpote ex ira magna, excandeſcentia, timore, aut mœrore in inſaniam lapſus eſt, in præſentiarum poſt multam iram conceptam, aut poſt magnum incuſſum timorem, aut poſt longum, ac intenſum mœrorem, nullum inſaniæ ſignum præ ſe ferre, bene tunc judicabimus, ac tutò, hunc eſſe perfectè ſanatum: nam alias ſtante corporis diſpoſitione, de facili his ex cauſis ad inſaniam redibit.

Secundò notandum in hoc caſu, ut experimentum tutum ejus rei nempe recuperatæ ſanitatis ha- 11
beamus, non eſſe tantum expectandum annum undequaque exactum ſed ut pertranſierit totum illud temporis ſpatium, in quo quis inſanivit, ut ſi quis inſanire cœpit veris initio, deinde reſipuit verè medio, non ſatis tutum eſt pronuntiare de ejus ſanitate, tranſactâ hyeme ſequentis anni, ſed neceſſarium eſt ut pertranſeat, totum tempus vernum, quia morbi nonnulli pallulant in principio alicujus tempeſtatis, ac deinde recrudeſcunt in medio ejuſdem tempeſtatis, vel etiam in fine, pro temporum ipſorum conditione magis, quàm pro qualitate tempeſtatis, hoc eſt, magis per tempeſtates, &

partes anni sumptas secundùm Medicos, qui eas mensurant à temporis conditione, prout magis frigidum, aut calidum, siccum aut humidum fuerit, & ab his qualitatibus anni tempestates incipiunt enumerare, quàm secundùm Astrologos, qui eas ab Æquinoctiis, & Solstitiis enumerant, nempe Ver ab Æquinoctio verno ad Solstitium Æstivum, Æstatem à Solstitio Æstivo ad Æquinoctium Autumnale, Autumnum ab Æquinoctio Autumnali ad Solstitium Hyemale, & Hyemem à Solstitio Hyemali ad Æquinoctium vernum: At medici Ver constituunt, & sic alias tempestates, aliquando multò antè, & aliquando multò post prædictos terminos Astrologicos: quin etiam producunt eas tempestates ad plures menses, & interdum annum constituunt absque Vere, quia Ver erit fortè constitutionis Hyemalis, & sic de cæteris. Cùm ergo morbi pro temporum constitutione insultum faciant hoc modo acceptâ, indeterminando de recuperata sanitate ejus, qui aliquando insanivit, debet expectari, ut pertransierit omnino annus, & tota sequens anni tempestas, ut dixi.

12 Cæterùm cùm aliqui dementes, atq; etiam Maniaci, & Melancholici non circa omnia insaniant, sed circa nonnulla quædam particularia, in cæteris autem sanam mentem præ se ferentes, non idcircò dicendum est, hos non habere causam irregularitatis, & posse ad ordines, vel eorum administrationem admitti, quia præterquam quòd imminet semper periculum, ne ipso actu administrationis circa illud particulare insaniant, cum maximo scandalo, & indecentia, habent insuper maximam aptitudinem, ob rationis depravationem, ut etiam circa reliqua, quæcunque ipsis gerenda sunt, insaniant, & maximè in seriis, in quibus multâ mentis applicatione opus est: tunc enim vitium partis apparet, cùm curiosiùs ad suas actiones exercendas, & majori cum studio incumbit. Inter hos viderentur recensendi amantes, qui circa Amasiæ tantùm contemplationem, & desiderium insaniunt, & facilè in quibuscunque actionibus quantumvis seriis (imò faciliùs in his, quàm in aliis) à mente abstrahuntur, & ad Amasiæ imaginationem redeunt. Illud tamen peculiare habet hæc Amoris insania, quod ubi cessaverit, homines relinqui undequaque sanos, nec facilè reversionem facit, ut quædam aliæ insaniæ consueverunt, ut aliàs alibi testati sumus: & hoc quidem jure, quia ejus causa in Hypochondriis magis residet, quàm in capite, quod nonnisi per consensum ab Hypochondriis patitur.

De hujusmodi autem insaniis, quæ ex Hypochondriorum vitio fiunt, nisi simul & totius, & capitis læsio concurrat) aliter determinandum, quàm
13 de superioribus: hujusmodi enim insaniæ non sunt adeò durabiles, faciliusque superantur, & cura adhibita non tam de facili plerumque reversionem faciunt: & ratio est, quia plerumque insaniæ hujusmodi excitantur à vaporibus melancholicis, faciliùs ac promptiùs, quàm ab humoribus: unde fit, ut tantò faciliùs cedat insania ex Hypochondriis, quantò faciliùs discutitur vapor, quàm humor: ille enim ob sui tenuitatè facillimè evanescit, & insania cessat, nec tantam facit impressionem in instrumento, nec tantopere illud depravatum in suis actionibus relinquit, quantopere facit humor. Quod etiamsi ab ipsis Hypochondriis aliquando humores melancholici ad caput repant, non tantopere fixantur in organo, ut qui inibi generantur, vel à toto transmittuntur: quinimò ab ipso organo, cum præcipuè non habet à Natura talem dispositionem promptè superantur, & insaniæ causa illicò cessat. Quibus sic stantibus, non videtur, quòd causa insaniæ, quæ ex Hypochondriis generatur, tanti æstimari debeat, ut non aliàs quàm causa insaniæ, quæ ex proprio capitis affectu fit, homines irregulares faciat, (nisi 14
cùm actu tales insaniunt) Addo his quòd non tam seriæ plerumque sunt, nec tam permanentes insaniæ culpâ Hypochondriorum factæ, ut quæ ex proprio capitis vitio fiunt: nam non omnino, ac prorsus extra mentem insani id genus sunt, quinimò inter insaniendum apprehendunt se insanire, & ad mentem facilè redeunt, & cum effectu per vices cognoscunt se extra rem aut loqui, aut operari, & admoniti abstinent ab opere, & locutione, unde (nisi jam affectus in capite sit confirmatus) non solent palam, & in publicis viis, vel coram personis, quas reverentur, absurdos actus facere, aut absurda verba effutire, aut aliàs perperam operari, sed verecundanter in hominum conspectu, quod apertissimè demonstrat in illis rationem turbari tantùm, non depravari omnino, aut aboleri: quæ omnia eo modo, & non aliter, in hoc insaniæ genere eveniunt, ratione causæ eas insanias excitantis, quæ ut plurimùm vapor est melancholicus, qui neque fixatur in organi substantia, nec resistit resolutioni, sed facili negotio evincitur, ac dissipatur, ut dixi.

Cæterùm de reliquis insanorum generibus nihil addendum, cùm omnes sub alterutro ex prædictis generibus, vel Melancholicorum nempe, vel Maniacorum comprehendi in hoc casu possint, scilicet ad incurrendam irregularitatem. Itaque omnia illa, quæ in alterutro ex his procedunt, locum habebunt in iis, qui sub ejus genere continentur, si modò ex- 15
cipiamus dementias, quæ febrem conjunctam habent, de quibus seorsim verba faciam. Sub Melancholicorum igitur genere reponendi Lunatici, Attoniti, Congelati, vel Cataleptici, Ecstatici, Lycan- 16
thropici, seu Cynanthropici, Hydrophobi, vel Rabiosi, Dæmoniaci, Fanatici, Lymphatici, Enthusiastici, Præstigiati, Engastrimythi, amantes, ex assumpto veneno delirantes, icti à fulmine, & siqui alij hujus classis habentur. Maniacorum verò, & furiosorum genus, illos omnes comprehendit, qui in 17
perpetuo motu, & agitatione sunt, & cum clamore, audacia, ac terrore quodam insanire conspiciuntur, de quibus omnibus ac singulis verba aliàs feci, *lib. 2. tit. 2 per tot.*

SUMMARIUM.

1 *Epilepsia, ex quibus gravis dicatur.*
2 *Symptomata quomodo ostendant Epilepsiam esse gravem.*
3 *Symptomata quo magis terribilia, magis gravem Epilepsiam denotant.*
4 *Ex frequentia accessionum quomodo dicatur gravis Epilepsia.*
5 *Ex duratione Paroxismi quomodo fiat gravior Epilepsia.*
6 *Epilepsia quomodo gravis denotetur ex iis, quæ relinquuntur post accessionem.*
7 *Levis Epilepsia quæ dicenda.*
8 *Epilepsia gravissima incurabilis, & cur faciat irregularem, n. 19.*
9 *Experimentum desumptum ex tempore de recuperata sanitate Epileptici, quale sit oporteat.*
10 *Spatium annuum in quibus Epilepticis tutum sit ad sumendum dictum experimentum.*
11 *Experientia ad probandum, utrùm Epilepticus sit sanatus, neque tuta, neque certa sunt.*
12 *Epilepticorum filij irregulares. Declaratur num. seq.*

13 *Nepotes*

13 *Nepotes Epilepticorum non nihil is quàm filij dubium faciunt, an ſint irregulares.*
14 *Natus ex Matre, aut Avia Epileptica, magis Epilepſiæ obnoxius quam natus ex Patre, aut Avo Epileptico.*
15 *Qua conſideranda in nato ex Epilepticis, & n. ſeq.*
17 *Tranſacta pubertate ſi natus ex Epilepticis ſanus ſit, quid dicendum.*
18 *Non eadem locum habent in Apoplexia quàm in Epilepſia quoad irregularitatem.*
20 *Si Apoplexia nullum relinquat incommodum, Apoplecticus non eſt irregularis.*
21 *Tam Epilepſia, quàm Apoplexia ad animum referri poſſunt.*

De Epilepſia & Apoplexia.

QUÆSTIO V.

CAnoniſtæ inter eos, qui mentẽ oblæſã habent, vel ut eorum modo loquar, inter ægritudines animi cõnumerant etiam Epilepſiã, morbum comitialem dictũ, ſeu morbum ſacrũ, circa quẽ nonnulla ſunt multa conſideratione digna à Medico diſcutiẽda; ac primò de morbi gravitate aut levitate neceſſe eſt determinare; juxta alterutrũ enim irregularitas magis, vel minùs promptè incurritur, ac magis itẽ, aut minùs diſpenſabilis cẽſetur: de hac tamẽ materia plura dixi aliàs, nunc nonnulla reſtant breviter proponenda, ac reſolvẽda. 1 Epilepſia igitur dicitur gravis ex ſymptomatũ gravitate, ex eorundẽ multitudine, ex frequentia acceſſionũ, ex earundem duratione, & ex iis tandẽ, quæ ab acceſſione relinquuntur. 2 Symptomata primò quo plura ſunt, eò graviorẽ oſtendunt Epilepſiã, & conſequenter quò pauciora eò minùs gravem, ſunt verò hæc ſymptomata caſus repentinus, qui aut præſentitur, aut non: ſi præſentiatur, minùs gravẽ denotat morbum; non enim fit ex eſſentiali cerebri morbo, ſed ex cõſenſu aliarũ partiũ, & habet minorẽ indecentiã; quia ægri præſentientes paroxyſmum, hominum conſpectum fugiunt, abſcondentes ſe, quouſque à paroxyſmo ſe recolligant, præterquã quod ſolet fieri cum minori mẽbrorum diſtorſione, & cum minus terribilibus accidẽtibus; habet etiã minus periculum, quia ægri ſibi opportunè cavẽt, quod non poteſt evenire cum paroxyſmus rõ præſentitur, unde aliquando ſe præcipitant, aut cadunt in ignem, aut in terrã & caput, aliaſque partes peſſimè percutiũt. Aliud ſymptoma eſt membrorum contorſio, & hæc quo major eſt eò graviorem morbum denotat. Præterea ſpuma in ore, qua apparente morbus eſt minùs gravis, gemitus, & ejulatus, reſpirandi difficultas, urinæ fæcum, ac ſpermatis involuntarius exitus; graviorem tamen morbum oſtendit exitus ſpermatis, quam fæcum, graviorem item exitus fæcum, quam urinæ.

3 Deinceps eadẽ ſymptomata quo magis terribilia ſunt, eo graviorẽ Epilepſiã oſtendunt, nam interdũ unum, idẽque ſymptoma & gravius, & levius apparet; ſicut de contorſione membrorum dixi, ſi magna ſit magnum morbum, ſi modica levem denotat, eſt enim, quando tanta cõtorſio partium & mẽbrorum fiat, ut impoſſibile videatur eo modo fieri poſſe. Presbyterum vidi in Eccleſia S. Claræ prope Minervam ex improviſo Epileptica acceſſione prehenſum, tãta partium faciei diſtorſione, ut os ipſum (vix audeo proferre quod oculis ipſis vidi) ad pectoris claviculas uſque diſtorqueretur. Monialẽ item tanta retractione capitis ad poſteriora tentatam conſpexi, ut ad renes uſque pertingeret, quo paroxyſmo quibuſlibet diebus prehendebatur ad longum tempus, à quo tamen optimè cõvaluit; amittebat autẽ omnino vocem, licet ad ſe rediiſſet, quod non niſi oriente ſole recuperabat, cum paroxyſmus 22. hora præcedentis diei accederet: ſed & inter ſe comparata accidentia, unum alio gravius eſt, ut de exitu ſpermatis, cum de exitu fæcum, & urinæ comparato dixi.

Ex frequentia acceſſionum dicitur gravis, aut levis Epilepſia; nam quanto major eſt, eo gravior. Graviſſima illa cenſetur, quæ ſingulis noviluniis & pleniluniis, & inſuper quadratis quoque prehendit: graviſſima item ea, cujus acceſſiones vel minima ex cauſa repullulant, ut ex minimo errore in victus ratione, aut ex animi paſſione, ex cibis, aut potibus nocivis, ex uſu Veneris ex ſomno profundiore & longiore, & ex aliis ſimilibus. 4

Ex duratione Paroxyſmi gravis dicitur Epilepſia, quando multũ durat, & eo gravior quo magis durat, ita ut leviſſima ea dicatur, in qua homines dicto citiùs ad ſe redeunt, & tanquã ſi nihil mali perpeſſi eſſent, poſt paroxyſmum ſe habent. Simili Epilepſia detentũ aliquando Cæſarẽ ferunt, alioſque primæ notæ viros in quovis virtutum genere inſignes. 5

Denique ex iis, quæ ab acceſſione relinquuntur, 6 gravis dicitur Epilepſia, nam ſi Æger nulla verecundia afficiatur, tanquam ſi nihil paſſus eſſet, ſi fatuitas adſit, aut ſtultitia, aut mentis inconſtantia, aut memoriæ defectus, aut impotentia ad motum, aut membrorum, aut oculorum offuſcatio, & id genus alia, ſi, inquam, aliqua, vel plura prædictorum, vel omnia poſt paroxyſmum remanent, gravem morbum oſtendunt; eo graviorem, quo plura ſunt, & majoris momenti, & diutius perſiſtunt.

Cõtra verò levis Epilepſia ea dicẽda, cujus acceſ- 7 ſio perſentitur, & momentanea eſt, & nulla mẽbrorum diſtorſione, nullo gemitu aut vociferatione notabilis nulla urinæ, fæcum, & multo minus ſpermatis involuntaria ejectio apparet, verecundiã poſt paroxyſmum, nulla corporis laſſitudo, nulla mentis inconſtantia, nullus membrorum torpor, nullius memoriæ defectus eam conſequitur: hæc certè ſi ſimul raritate paroxyſmorum fuerit conſpicua, penè in nullo cenſu habenda videtur, cùm neque indecentiam ullam ſecum afferat, neque ullum notabile periculum comminetur, quoad tempus adminiſtrandi in ſacris, nam aliàs nulla tam levis Epilepſia eſt, quæ periculo vacet quoad vitam, cum etiam leviſſima in acceſſionibus, & inſultibus adaugeri ita poſſit, ut hominem è medio tollat.

Notandũ præterea, quod Epilepſia laborãs gra- 8 viſſima, ac tali, qualẽ Canoniſtæ deſcribunt, & præcipuè Majol. *lib. 1. de Irreg. c. 1. n. 1. & ſeq.* nunquam omninò curabilis eſt, nec quantũvis longo tempore homo à paroxyſmo liber permaneat, poteſt præſumi ab eo morbo ſanatus, dummodo id non ſemel tantum, atque iterũ, ſed pluries paſſus fuerit; & ratio evidẽtiſſima eſt, quia cauſa excitans morbũ violẽtiſſima fuerit oportet: unde morbus tam magnus ſit excitatus qui organũ ipſum neceſſario inſigniter labefactaverit, & maximã impreſſionẽ fecerit, quã removere eſt penè impoſſibile in totum, imò neque ex parte, cum ſi removeri poſſet ex parte, removeri etiã poſſet ex toto, cum facilius ſit removere minus impedimentũ quam majus; ſi ergo remota eſt cauſa morbifica ex parte, impedimentum quod remanet erit facilius amovibile, cùm minus ſit, quam cũ non erat ex parte amota. Quandocunque ergo conſtet de tanta gravitate Epilepſiæ, quantã hactenus dixi, & quantã deſignant Canoniſtæ, jam incaſſum vertitur in dubiũ an Epilepticus diſpenſari poſſit, quia ob non reverſionem paroxyſmorũ ad longum tẽpus liceat præſumere, quòd ſit ſanatus, hæc enim præſumptio vana omnino eſt, quia talis nunquam

humana ope ſanari poteſt, unde ſi diſpenſetur, facilè eſt illum morbum relabi præcipuè inter miniſtrandum, quando majoris mentis applicatione opus eſt; irregularis igitur hujuſmodi Epilepticus perpetuò omninò permaneat. In levioribus autem Epilepſiis, aut ſaltem non tam gravibus, ſequi poſſumus Majoli conſilium, quòd Epiſcopus cum Medicorum conſilio determinet, utrum ſanatus dici poſſit infirmus, & diſpenſari, aut non.

9 Uteriùs ſciendum, tutum eſſe conſilium Canoniſtarum volentium ex tempore ſumendum eſſe experientiam, utrum Epilepticus ſanatus ſit perfectè, necne, quod tempus duplex faciunt, nempe menſtruum & annuum; verùm inanem omninò experientiam eſſe deſumptam ex tempore menſtruo, cùm rariſſimè, aut nunquam, & non niſi in graviſſimis Epilepſiis, & confirmatis evenire ſoleat, ut ſingulis menſibus paroxyſmus invadat, imò in his ipſis Epilepſiis graviſſimis, & confirmatis ſit interdum, ut per ſpatium menſtruum, & ultra bimeſtre ægri quietem habeant, dico etiam in iis quæ ſingulis Noviluniis & Pleniluniis ægros exagitant, cùm tamen deinceps fortiores paroxyſmos faciant. At morbus, qui gravis quidem ſit, ſed non graviſſimus, ſemel atque iterum in ſingulis annis invadere ſolet, interdum etiam rariùs, unde non ſolùm non ſufficit menſtruum ſpatium ad deſumendum experimẽtum
10 recuperatæ ſanitatis, ſed neque fortè annuum, tamen quia maximè urget annui ſpatij diuturnitas & variarum tempeſtatum conditio, dicendum mihi videtur, ut ſequitur, diſtinguendo, quòd in his, qui ſemel, aut iterum tantùm Epilepſia in toto anno prehendi conſueverunt, ſpatium annũ ſufficiat ad tale experimentum capeſſendum, præſertim ſi conſtet, debitam curam pro recuperanda ſanitate eos adhibuiſſe. In his autem qui frequentiùs prehenduntur, nequaquam, niſi aliqua ratione id fieret, nempe ex mutatione ætatis, ut exempli gratia, ſi ante 14. annum, aut ante 21. aut ad ſummum uſque ad 25. annum, qui Epilepſiæ ſymptomatibus fuerit etiam fortiter & frequenter correptus, ac deinceps per totum ſequentem annum nullo modo ab iis fuerit moleſtatus, jam quaſi certi eſſe poſſumus, hunc ex mutatione ætatis perfectè convaluiſſe; quod tamen non habet locum in aliarum ætatum mutatione, quippe cùm Epilepſia poſt prædictos annos perſeverans nullo modo amplius recedat, ſed potiùs ingraveſcat, ut patet ex ſententia Hippocratis *lib* 5. *Aphor.* 7. Quibus tamen non obſtantibus, ſi quis poſt longam & exactiſſimam curationem per annum ab Epileptico inſultu immũnis remaneret, non eſſet omnino ſpes omnis ejus recuperatæ ſanitatis abjicienda, obſervandus tamen eſſet inſequens annus, & non niſi cum multa cautela permittendus eſſet in ſacris miniſtrare.

Cæterùm experientiæ, quæ proponuntur ad pro-
11 bandum utrũ Epilepticus ſanatus ſit, necne, multæ quidem ſunt, ſed neque tutæ, neque certæ: non ſunt tutæ, quia fieri poteſt, ut qui poſthac ſanus ab Epilepſia vivere poſſet, medicaméto Epilepſiã excitãte adhibito, denuò in morbum relabitur abſque ſpe ſanationis; fortè ergo talia medicamenta tuta conſcientia adhiberi non poſſunt; ſed neque ſunt hujuſmodi medicamenta certa; quia fruſtrantur quandoque, & ut plurimùm fortè ſine ſuo, quod pene in quibuſvis medicamẽtis habet locum, quorum plura hanc, aut illam virtutem à natura nacta prædicantur, cùm autem in uſum trahuntur, experimentatorem ludunt; & ut à propoſita re non longè abeamus, caro hædina à Galeno *in Conſ. de Puer. Epil.* dicitur promovere Epilepſiam, quod Canoniſtæ adnotarunt. Majol. *ubi ſupra, n.* 9. & tamen Raſis, Avicenna, Meſue, & plures alij innoxiè hædina carne uti Epilepticos poſſe docent, ſic & Hyſſopum, Apium, Petroſellinum ex communi ſententia Epilepſiã excitant, quæ tamen plures Epilepticos impunè uſurpaſſe aliquando novimus, idé evenire poteſt & de ſuffitu Myrrhæ, Bituminis, Cornu caprini, & Hyrcini, quia, ut dixi, falſa ſunt quæ de horũm virtute prædicantur. Apium Avicenna, & alij Epilepſiã excitare volunt, contra Leonard. Jacin. *de Acut. morb. cur.* acriter defendit, illum ab hoc vitio eſſe immunem, vanæ ergo hujuſmodi experientiæ ſunt, & experimentatores fruſtrantur, quemandodũ etiam vana & ridicula ſunt, quæ plures Medici & ex Canoniſtis Majol. *lib.* 2. *de Irreg. c.* 14. *n.* 1. referunt de remediis, per quæ poteſt curari Epilepſia, quæ cum gravis eſt vix, ac ne vix quidem rationali- 12
bus, efficaciſſimiſque medicamentis cedit, tantùm abeſt, ut hujuſmodi nugis debellari poſſit. Jam verò, quia Majoli ordinem in hac materia tractanda ſecuti ſumus, reſtat, ut de iis quoq; quæ in ejus capitis calce addit, aliquid dicamus; & primò de filiis Epilepticorum; hos ille ab admiſſione ad ſacros ordines excludit, & irregulares eſſe dicit ex Gabucino; ſed, res non tam generaliter, ac craſſo modo determinanda videtur, nec abſque omni diſtinctione, imò quamplura conſideranda veniunt, tam reſpectu parentum, quàm reſpectu promovendi: nam primò quoad Parentes certum eſt, multò majus dubium intervenire de eo, qui ex utroque parẽte Epileptico ortus eſt, quàm de eo, qui ex alterutro tantùm; & ad verum ulterius, idem dubium militare
de eo, qui avos Epilepticos habuerit, quod mili- 13
tat in eo, qui parentes eodem morbo habuerit detentos quia in confeſſo eſt apud Medicos, vitia hæreditaria, imò & proprietates quaſdam individuorum ab Avis transferri in nepotes non minùs promptè, quàm à Parentibus in filios, ita ut eveniat plerumque, ut nepotes contrahant vitia Avorum, à quibus tamen Parentes immunes exſtiterint; ſed quid mirum hoc? ſimilitudines ipſas effigiei nepotes magis referunt Avorum, quàm Parentum; jam & ex Avo Æthiope, Nepotem ſuſceptum Æthiopem ſcimus, atque id non ſemel, cùm tamen parentes albo colore dotarentur, itaque & hoc nullum excitare debet dubium in promovendo, atque omninò non minùs quàm is, qui parentes ſortitus eſt Epilepticos, & cùm non minor ſuſpicio irrepere poſſit de Nepote habente avos Epilepticos, quàm de filio habente Epilepticos parentes, videant Canoniſtæ an utrique eidem irregularitatis incommodo pariter ſubjaceant.

Præterea majus dubium excitare debet is, qui 14
Matrem, aut aviam Epilepſiæ morbo obnoxiam habuerit, quàm qui eodé morbo agitatum habuerit Patrem, aut Avum, & ratio eſt, quia fœminæ plura cõmunicant filiis, quàm mares, imò & multò faciliùs & vitia, & proprietates quædam naturales à fœminis in filios tranſmittuntur, quàm à maribus; quod quidem evidentiſſimè patet, quia fœminæ & ſemen præſtant, & materiam in augmentum conceptus, quem per longum tempus in utero fovent, & proprio ſanguine enutriunt, & deinceps etiam proprio lacte. Sed nõ eſt fortè his nũc locus, ſatis illud ſit, characterem ſpecificum, quod quidem maximũ quid eſt, à fœmina potiùs, quàm à mare natũ habere; de hoc qui dubitat, de veritate dubitat, adeat interim animalia ſpecie differentia inter ſe coëuntia,

&

& generantia, & natos comperiet à matribus ſpecificum characterem habere.

15 Reſpectu denique promovendi conſiderandum eſt primò corporis temperamentum, deinceps capitis diſpoſitio, & fortitudo, ejuſdem forma, & magnitudo, ſenſuum acuties, vel obtuſitas, ſic & mentis vigor, & alia id genus; nam quoad temperamentum totius patet, quod temperamentũ frigidum & ſiccũ melancholicum ſcilicet, aut frigidum & humidum, nempe pituitoſum, Epilepſiæ eſſe magis obnoxium itaque cum offertur promovendus ex parentibus Epilepticis natus, tali dotatus téperamento, majoré dabit ſuſpicandi anſam. Caput etiãſi obtineat malè diſpoſitũ, ac debile, & quod minima ex cauſa facilè læſionẽ patiatur, adhuc magis ſuſpectos non reddit quòd ſi una ipsũ caput fuerit prægrande, aut nimis parvum, de diſpoſitione ad Epilepſiam jam nos certiores faciet, licèt parvum ſit pejus multò, quàm magnũ, imò caput magnũ non ſemper malũ, parvũ verò ſemper eſt malũ Gal. *lib. 6. Epid. comm.* 1. quia caput magnũ poteſt provenire ex fortitudine virtutis formatricis cum copia materiæ, & tunc quidẽ validũ eſt, nec facilè morbis ſubjicitur, non ſic verò cum provenit tantùm ex copia materiæ cũ modica virtute, quia tunc facillimè morbis, & maximè Epilepſia tentatur. Quinetiam conformatio ipſius capitis eſt maximè conſideranda, ſi enim caput malè conformatum ſit, denotat organorũ malam diſpoſitionem, & ſolent ſemper hujuſmodi capita magnis morbis, & ipſa Epilepſia moleſtari. Senſus quoque ipſi ubi obtuſi ſint, vel omnes, vel eorum aliqui, ſic & mens ſi obtuſa fuerit, ipſius capitis imbecillitatẽ, & ejus diſpoſitionẽ ad cõtrahendos morbos, & maximè hæreditarios, qualis eſt Epilepſia, denotabunt.

16 Inſuper in promovendo conſiderandum eſt, an morbo aliquo notabili ipſius capitis laboret, præcipuè autem catharro, dolore, ſtupore, ſomno gravi, Incubo, vertigine præſertim conſiderabili, & frequenti tales enim morbi ſolent Epilepſiam præire, ac præſertim Incubus, & vertigo; ſi ergò Epilepticorum filius hujuſmodi morbis detineatur, vix effugiet, quin in ipſam Epilepſiam à parentibus hæreditatam præcipitetur. Ubi igitur plura, aut nonnulla prædictorum in promovendo, qui ex parentibus Epilepticis ortus ſit, obſerventur, cautè determinandum de eo eſt, ne tam facilè provomeri debet, ubi verò aut nulla eorum, aut leviſſima quædam appareant, injuria à promotione ex mea ſententia repelletur, quia non eſt neceſsè natum ex Epilepticis parentibus Epilepticum fieri, ſic enim per generationes communicaretur Epilepſia in infinitum.

17 Ex hoc multò magis habebit locum ubi promovendus jam tranſierit pubertatẽ, & huc uſque ſanus permanſerit non ſolùm ab Epilepſia, ſed ab omni alio ſymptomate præcedente, aut concomitante Epilepſiam, quia ſi quod vitiũ à parentũ ſeminibus natis communicatur id antè pubertatem detegitur, maximè ſi vitium ex iis ſit, quæ puerilis, & Impuberibus familiares ſunt, quale Epilepſia eſt, quæ idcircò morbus puerilis vocatur, quod maximè, ac promptiſſimè conſueſcat pueros adoriri uſque ad Pubertatem; & licèt illud veritatem habeat, quòd omniũ peſſima illa Epilepſia ſit, quæ prehendit poſt Pubertatem, quia omninò, aut ſaltem ut plurimum incurabilis eſt, tamen difficile, ne impoſſibile dicã, eſt natum ex Patre, aut Matre Epileptica, aut ex utroque Epileptico, & qui in ſeminibus vitiũ contraxerit, Epilepſia ante pubertatem non tentari. Itaque ſi promovendus ad pubertatem uſq; ſanus permanſerit, nulla ſuſpicio infectionis irrepere debet; unde etiamſi ex parentibus Epilepticis natus fuerit, non temere à promotione eſt repellendus.

Epilepſiæ non abſimilis morbus ex una parte Apoplexia videtur, cujus etiam cauſa quis promovere ad ſacros ordines prohibetur. Rota *in Florentina Canonicatus 3. Junij 1630. coram Veroſpio, n. 9. qua eſt deciſio 384 p. 3. recent.* quia tamen hæc ejus naturæ 18
eſt, ut hominem facilè primo, aut altero inſultu, etiam ſi non multùm fortis exiſtat, è medio tollat, non habent locum in Apoplectico circa irregularitatem, quæ locum habent in Epilectico: nam Apoplecticus à paroxyſmo excitatus non facilè in illum reincidit, ſi vivere debeat, Epilepticus verò contra; Appoplecticus denuò, ſi morbo prehendantur, ut plurimũ, ut dixi, perit, aut ſaltem inſignem membrorum oblæſionem, & impedimentum incurrit, unde ex his dici firmiter poteſt Epilepticũ ob reincidẽdi periculum eſſe irregularem, Apoplecticum verò ab 19
eo periculo plerumque eſſe immunem, licet & hic aliis ex cauſis ab ipſo Apoplexiæ morbo pendentibus irregularitatem incurrere poſſit, nam ſolet incurrere in Paralyſim alicujus partis, aut etiam in mentis obtuſionem, inſenſibilitatem, fatuitatem, immobilitatem, mutilatũ, & id genus alios morbos ac ſymptomata de quibus omnibus impedimentis ſuo loco dicendũ. Hic autem tantùmodo de mentis obtuſione, quæ poſt Apoplexiã relinquitur, mentis habenda, eſt enim aliquando tanta, & talis, ut hominem non aliter, quam vera dementia, ac fatuitas reddat irregularem; & hoc eo modo accidit, quia ex morbo relinquitur inſignis oblæſio in ipſo diſcurſus organo, hoc eſt in cerebro, ex qua impeditur recta ratiocinatio, & aliquando omnis quarumcumq; rerum memoria; quemadmodùm enim ſecundùm plurimum Apoplexia relinquit poſt ſe paralyſim, & reſolutionem externorum membrorum, ita ut amplius ſuo munere fungi non poſſint, ſic & aliquando relinquit paralyſim, & reſolutionem, & totalem deperditionem organorum internorũ, unde abolentur eorum officia, & ea ratione Dementia, fatuitas, Memoriæ totalis amiſſio, auditus, & viſus deperditio, & alia id genus ab Apoplexia apparent.

Illud tamen adnotandum, quòd ſi Apoplexia 20
nullũ poſt ſe relinquat notabile nocumentũ, (licet hoc niſi ea leviſſima ſit, de raro admodũ contingat) nulla cauſa eſt, ob quam quis irregularis cenſeri debeat: nam & Apoplexia interdum tentatos vidimus non multo poſt tempore ſanos undequaq; factos, quamobrẽ non eſt sẽper, neq; univerſaliter vera ea Canoniſtarũ cõcluſio quod Apoplectici ſupervivẽtes nec promoveri poſſint nec promoti adminiſtrare ut benè declarat Majol. *lib. 2. de Irreg. c. 14 ſub n. 1.*

Notandum præterea tam Epilepſiam, quàm Apo- 21
plexiam poſſe ad ægritudines Animi referri, ſi ægrũ in acceſſione poſitum conſideremus, cùm uterque morbus omnem prorſus rationis, ac ſenſuum uſum prohibeat, unde in utriuſque acceſſione ægri extra ſe rapiuntur, & nullatenus Rationis compotes sũt; & quamquam Majol. *loc. cit.* Apoplexiam à morbis Animum reſpicientibus ſejunxerit, reponens eam cum cæteris corporis ægritudinibus, & ſub ipſa Paralyſi cùm verè Apoplexia univerſalis ſit Paraliſis, quemadmodum Epilepſia univerſalis eſt convulſio tamen hoc non ex arte fecit, quia vel uterque morbus ad corpus, quod Medici faciunt, vel uterque ad Animum eſt referendus, ſi Canoniſtarum diviſionem ſequamur; nam tam Epilepſia, quàm Apoplexia, ut diximus, in acceſſione acceleratæ, ad Animum ſpectare videntur, quia facultates Animæ devaſtant; Medici autem ad corpus eos ipſos morbos referunt, quia revera omnes à corporis vitio originem habent, ut curato corpore per medicamenta, illicò Anima ſuis facultatibus uti libere ſolet, & homo corpore & anima benè conſtare.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1 *Morborum Irregularitatem inducentium diviſio, & numerus.*
2 *Capitis dolor multiplicis ſpeciei, & quænam ſpecies faciat hominem irregularem.*
3 *Vertigo quandonam faciat hominem irregularem, & plures ejus diviſiones.*
4 *Quanam vertigo ad inducendam irregularitatem levis, ſeu gravis dicenda, & ex quibus ſignis cognoſcatur.*
5 *Ex quibus ſignis dignoſci poſſit, vertiginem per concenſum fieri, aut per eſſentiam.*
6 *Paralyſis quid, & quomodo differat ab Apoplexia, ejuſque diviſio.*
7 *Canoniſtarum determinatio, quod Paralytici ſint irregulares, quando, & in quibus habeat locum, in quibus vero non.*
8 *Nervi non tantùm externi, & externarum partium, ſed etiam interni, ac partium internarum paralyticantur.*
9 *Nervi ad ſenſus externos deſtinati, illius ſenſus, ad quem pertinent, ſi reſolvantur, amiſſionem cauſant.*
10 *Senſus Tactus ſi ex paralyſi nervorum ad ipſum pertinentium deperdatur, quando inducere debeat irregularitatem.*
11 *Guſtus, & odoratus deperditio an debeat inducere irregularitatem.*
12 *Stomachus reſolutus omninò facere debet hominem irregularem.*
13 *Morbi ex reſolutione Inteſtinorum, Sphyncteris muſculi, & Veſica urinaria, quid incommodi afferant.*
14 *Inteſtinorum reſolutio, & maximè Inteſtini Recti cauſat impedimentum retentionis facum.*
15 *Veſica urinaria paralyſis urinæ incontinentiam parit.*
16 *Sphyncteris muſculi reſolutio quos effectus parere poſſit.*
17 *Cur prædicti tres morbi non diſpenſabilem irregularitatem induxere debeant.*

De cæteris Morbis, ex quorum culpa homo evadit Irregularis, & primò de morbis Capitis.

QUÆSTIO VI.

ANtequam ad propoſitam provinciam accedamus, & de ſingulis morbis irregularitatem inducentibus verba faciam (de quorum tamen nonnullis, qui majoris momenti ſunt, quàm 13, de quibus Canoniſtæ ne verbum quidem) dividam eos tripliciter, cùm hæc diviſio multùm faciat ad principale
1 negotium. Ergo morbi hujuſmodi vel perpetui ſunt, & ex quo inceperint nunquam hominem relinquunt, ſed ad mortem uſque concomitantur, (& hi vel à nativitate, vel poſtmodum prehendere poſſunt, quos immanentes vocabo; alij poſt aliquod tempus omninò ceſſant, & hominem undequaque ſanum dimittunt, & hos tranſitorios appellabo; alij denique ſunt qui hominem relinquunt quidem ſanum, ſed reverſionem exindè faciunt, hoſque Recidivantium, vel Recurrentiũ nomine inſignitos volo. Sed præterea ſingulæ harum claſſium poſſunt iterum ſubdivi hoc modo, nam ex prioribus quidam omninò nunquam curantur, quidam cum magna, imò maxima difficultate: ſic ex tertio ordine alij facilè revertuntur, & frequenter, alij difficulter & de rarò; ex ſecundo autem ordine quidam breves ſunt, quidam longi, & quidam longiſſimi Generaliter ergo loquendo, videtur, quod immanentes morbi, ubi ejus ponderis fuerint, quod ad irregularitatem inducendam ſufficiat, nullum dubium excitare poſſint, quantùm eſt ex hoc, nec ullam diſpenſationem admittunt, niſi à Summo Pontifice, etiamſi non impoſſibilitas curationis urgeat, ſed tantùm ſumma, & rationabilis difficultas: tranſitorij autem quouſq; hominem detineant, cauſant irregularitatem, tamen recedentes adimunt inſimul omne irregularitatis impedimentũ, non obſtante quacunque cauſa in cõtrarium, etiam turpitudinis inſignis, aut inſignis deformitatis, & indecentiæ, ut eſſet, exẽpli gratia, Phrenitis, quæ recedens nihil omninò impediméti relinquit, ut aliàs annuimus. Recurrentium denique morborum aliqui, id eſt qui facilè, aut frequenter revertuntur, Irregularitatem perpetuam inducunt; qui verò difficulter, non ita. De his ergo ſingulis jam verba facienda, ut ſi quid à Canoniſtis intactum in iis pertractandis obſervem, in medium 2
afferam, & ſi quid item aliter ſe habere, quàm quomodo aliqui eorũ determinaverint, inveniam ea ut pars eſt, ipſis corrigenda propoñ. & quia Medicorũ ordo in morbis recenſendis expeditior videtur, nam à capite incipientes ad alias partes progrediuntur; nihilq; intactũ relinquunt, eorũ ordiné libentiſſimè ſequar. Initium ergo deſumam à capite, in quo conſiderantur nonnulli morbi, quorum culpa irregularitas incurritur, præter jam commemoratos, & primò offertur dolor capitis, de quo certè multa dicenda eſſent, ego tamen omnia breviter cõgerens dicam primò. Capitis dolorem eſſe multiplicis ſpeciei, de ejuſque ſpeciebus ſi quis exactam cognitionem habere deſiderat Practicantes adeat, Arabes præſertim, eorumque ſectatores, qui numeroſiori diviſione in hac re uſi ſunt quam Græci, & Latini; ad negotium tamen noſtrum facit, ut dividamus tantum hos dolores primò in leves, graves, & graviſſimos, ſecundò in continuos & interpolatos, & recurrentes: Dolor ergo capitis, qui debeat præbere cauſam irregularitati, non dubium eſt quod debeat eſſe graviſſimus; aut ſaltem gravis, nam levis in cenſu non eſt habendus; debet etiam eſſe continuus & quouſque continuus fuerit cauſam irregularitati dabit, quia dolor gravis, & continuus impedit hominem libere uti ſuis muneribus, præſertim capitis cujus dolor univerſo corpori eſt communis. De dolore autem gravi interpolato, ſed recurrenti poterat eſſe dubium, quod hoc pacto diluetur, nempe dolorem hujuſmodi, ſi frequenter recurrat, facere hominem perpetuo irregularem, cum ſemper præſens ſit, aut eſſe poſſit cauſa impediens liberum corporis uſum. Cujuſcunque autem ſpeciei ſint hujuſmodi dolores, dummodo habeant prædictas conditiones, dabunt cauſam irregularitati, ut eſt ſpecies illa, quam Cephalalgiam nominant, & maximè illa quã appellant Galeatam; ſic & dolor ille, quem vocant calvum. Neque refert utrum totum caput doleat, ut in Cephalea & Cephalalgia, vel ipſius pars, ut in Hemicrania & calvo, nam non minus hi dolores partiales, quam univerſales, ſi habeant conditiones commemoratas, dabunt irregularitati cauſam, cum tam priores, quam poſteriores pariter liberum corporis uſum impendire conſueſcant.

Cæterùm vertigo dubium excitare poteſt, quando 3
hominem faciat, aut non faciat irregularem, cumq; obſervaverim Canoniſtas parcius, quam res exigat de ea verba feciſſe, dicam, Vertiginem habere plures gradus quædam enim eſt leviſſima, & quæ ſola frictione frontis, vel oculorum ſuperatur, alia non tam facili negotio diſcutitur ſed homo cogitur ſeſe aliquo modo munire, ne cadat: tertia vero gravis eſt, & quæ hominẽ cadere cum violentia cogit, nec de facili ſuperatur. Hæc enim vocatur tenebricoſa, & eſt Apoplexiæ, & Epilepſiæ proxima, ut omnes Medici fatentur Gal. *lib. 1. Aph. 17.* & notavit Rota *in Pamp. Abb. de Azagra 1605. coram Ludoviſio, n. 9. & in Bonon. Profeſ. 9. Dec. 611. coram Ubaldo, n. 10.*

Adhuc

Adhuc obſervandum, vertiginem vel de raro prehendere, & nonniſi ex magna occaſione, vel prehendere frequentiùs, & qualibet levi ex cauſa. Præterea vertigo vel habet cauſam facilè amovibilem, vel mediocriter, vel maxima cum difficultate; non, inquam, reſpectu paroxyſmi particularis, ut ſupra dixi, ſed reſpectu totius morbi, ita ut cauſa amota morbus non amplius reverſionem faciat. Denique vertigo vel fit per conſenſum, nempe ex elevatione vaporum ab infernis, aut aliis partibus ad caput; vel fit per eſſentiam, nempe per proprium Cerebri morbum. Atque hoc pacto dicendum, quod vertigo gravis, quæ frequenter prehendat, cauſam habeat fixam de facili amovibilem, facta ex proprio Cerebri morbo, promptiſſimam cauſam præbeat Irregularitati, quæ vix diſpenſari poſſit, ac ne vix quidem, quia cum ſit proximus morbus Epilepſiæ, & in Epilepſiam omnino terminetur, periculum imminet, ne promovendus inter miniſtrandum in paroxyſmum labatur, qui in Epilepſiam terminetur. Quæ verò media eſt inter gravem, & levem, ſi frequens ſit, ſi cauſam habeat perennem, & fiat per proprium capitis affectum, adhuc eidem incómodo ſubjicitur, quia omninò in graviorem, & graviſſimá tandémque in Epilepſiam terminatur, ſin autem per conſenſum fiat, magis ſanabilis videtur, unde cum ea facilius diſpenſari poterit, ſi modò ipſa etiá cauſa fuerit aliquo modo amovibilis; præterquam quòd non pari periculo ſubjacet, ut in Epilepſiam degeneret levis autem vertigo, quæ per conſenſum fiat neque frequenter redeat, erit tantummodo ab Irregularitate immunis, quia opportunè curata omne adimit dubium majoris morbi, neque ullam ſecum habet turpitudinem, neque corporis uſui
4 incommodat. Ut autem Canoniſtis majorem in modum ſatisfaciam, ex aliquibus ſignis illos deprehendere doceam, quænam vertigo ad hunc effectum levis, quæ gravis, aut quæ graviſſima cenſenda ſit. Primo igitur vertigo, quæ ex cauſa interna excitatur, gravis dici debet quantum ex hoc, levis, quæ ex cauſa externa, ut ſi fiat ex crapula, & ebrietate, ex intuitu rerum rapide, velociter, & in girum ſe moventium, vel ex odore aliquo acuto, vel ex fumo carbonum & ſimilium rerum. Secundò vertigo, quæ prompte recurrit gravis eſt quantum eſt ex hac conditione, & tanto magis, quantò habuerit acceſſiones magis ordinatas, ut ſi ſingulis menſibus in Noviluniis, & Pleniluniis, & Lunæ quadratis urgeat, hæc enim maximè finitima eſt Epilepſiæ, & in eam omnino degenerat. Tertiò vertigo, quæ fit cum oculorum obtenebratione gravis eſt gravior illa, in qua caput ipſum, & corpus Ægrotantis videtur circumagi, graviſſima denique, in qua homo cogitur in terram concidere, hæc enim jam in Epilepſiam abit; levis verò eſt, in qua prædicta abſunt, & tantummodo externa circumagi videntur, & oculorum viſus nullo modo læditur, ac nullatenus offuſcatur. Quartò vertigo tanto gravior eſt, quantò magis ejus paroxiſmus perdurat, cauſam enim ſignificat fixam, ac fortem, & non facilè reſolubilem & virtutem inſuper debilem, ex quibus fit, ut facilè augmentum capiat, & in deteriorem naturam convertatur; quanto autem brevior, tanto levior ob cauſam morbi reſolubilem, non fixam, & virtu-
5 tem vetegam. Quintò vertigo, quæ fit per proprium Cerebri affectum gravis cenſenda, contra levis quæ per conſenſum. Cognoſcitur verò vertiginem fieri per proprium Cerebri affectum, ubi caput ipſum jam ante affectum fuerit quod vel ex prægreſſo aliquo dolore, vel gravitate, vel ſomnolentia, vel obtuſitate, vel longo aurium ſonitu, tumore fluctuatione, tinnitu, ſibilo, interimque non præceſſerint querelæ partium aliarum capiti ſubjectarum, ut ſtomachi præcipuè, & Hypochondriorum, altarumque partium naturalium. Contra verò ſi per conſenſum fiat cognoſcitur ex præcedentibus affectionibus earum partium, quarum conſenſu vertigo excitatur, abſentibus interim pravis ipſius capitis diſpoſitionibus, ut ſi à ventriculo eveniat, quod plerumque contingit, præceſſit Nauſea, vomitus, ipſius ventriculi dolor, aut morſus, eruditas, oris amaritudo, vel aviditas, & ipſa vertigo ſuccedit ad has affectiones ſtomacho exiſtente repleto nimio cibo, vel potu; vel humore aliquo præternaturali, aut corrupto, & non ante revertitur, quàm eædem diſpoſitiones præcedant, neque ex cauſa ſit niſi ad eam partem ſpectante; quod ſi fiat ſtomacho jejuno ſumpto cibo alleviatur, ſi verò ſtomacho repleto alleviatur vomitu, aut diarrhæa. Atque ex his Canoniſtæ facilè determinare poſſunt, quæ vertigo diſpenſabilis ſit & quæ non.

Cæterùm præteritis nonnullis morbis, in quibus nihil dubij excitari poteſt, de Paralyſi loquamur, 6
quæ eſt Nervorum Reſolutio, & ſi ſit univerſalis, dicitur Apoplexia, de qua jam locuti ſumus, vel eſt partialis, & nomine Paralyſis inſignitur, & quia Nervi vel ad ſenſum, vel ad motum diviſim deſtinantur, vel ad utrumque ſimul, evenit, ut interdum ex Paralyſi Motus tantùm auferatur, non autem ſenſus, aliquando ſenſus, non autè motus, aliquando & motus & ſenſus; prout nervi læſi ad alterutrum
eorum, vel ad utrumque fuerint deſtinati. Itaque 7
quemadmodum procedit Canoniſtarum determinatio, quod Paralytici ſint irregulares, quandocunque alicujus neceſſarij membri aut motus tantum, aut unà motus & ſenſus amittuntur, ita non promiſcuè procedere poteſt quandocunque ſenſus tantùm deperditur, quippe cùm diſtinguendum abſque dubio ſit de parte, quæ ſenſu privatur, non omnino injurium, eſſet, ſi quis fortè unius, aut alterius digiti manus, vel alterutrius pedis, vel etiam utriuſque partis ipſius faciei, vel cujuſcunque ſenſus cujus amiſſio non ſit valdè præjudicialis, neque ullã afferãt turpitudinem, ut ex hoc irregularis fieret, quamobrem ita limitanda eſt Canoniſtarũ determinatio, ut tũc quis irregularis evadat ex Paralyſi, cùm aliquod membrum neceſſarium ob læſum habet, aut membrorum, vel partem reſolutam haberet, quæ deformitatem inſignem faceret, ut eſſet tortura oris, vel oculi alterutrius, aliarumque id genus partium.

Quoniam autem non tantùm nervi membrorum 8
partiumque exteriorum, ſed etiam partium membrorumque internorum aliquando reſolvuntur, ſeu paralyticantur, & ex eorum reſolutione plures morbi maximum incommodum, ac dedecus ſecum habentes oriri ſolent, videndum, quinam morbi ex hujuſmodi nervorum reſolutione oriantur, qui
cauſam irregularitati dari poſſunt. Et primò nervi 9
omnes ad ſenſus externos deſtinati, ſi reſolvantur cæcitatem, ſurditatem, ſtuporem, tactus, guſtus, odoratuſque carentiam excitant: de cæcitate tamen, & ſurditate non eſt, quod quidquam addamus cùm ex quacunque cauſa eveniant, omnimodam cauſam
irregularitati præbeant: Quoad tactum certum eſt, 10
quod ſi ita deperdatur, ut in manuum actione notabiliter noceat, morbus eſt maxima conſideratione dignus, & qui facilè à Canoniſtis non ſolùm inter eos connumerandus ſit, qui irregularem hominem faciant, ſed inter eos, qui ita faciunt irregularem, ut omnem diſpenſationis ſpem adimant, quippe cum

manuum,

manuum quæ præcipua membra ſenſus tactus ſunt actio ad plura ſit neceſſaria, maximè verò in celebrando Miſſæ ſacrificio. De guſtu, & odoratu fortè non tanta irrepere debet hæſitatio, cùm ex eorum deperditione nihil quicquam incommodi, aut deformitatis in promovendo, aut in promoto offerantur, quod notabile impedimentum præbere in miniſtrando poſſit, licèt videatur non omni dubio carere omnimoda guſtus deperditio, de qua Canoniſtæ determinent. Stomachus reſolutus nullum dubium parere debet, quin faciat hominem irregularem, ſed morbus hic hominem citò è medio tollit, & idcircò de eo ſuperfluum eſt plura addere. Ut etiam de aliis nonnullis interioribus membris, unde reſtat tantùm, ut de inteſtinorum, Sphyncteris muſculi, & veſicæ urinariæ reſolutione verba faciamus, ſunt enim hi morbi in hoc negotio ſummæ conſiderationis, ut videbimus, in illis enim evenit aut fæcum, aut urinæ incontinentia, & involuntaria expurgatio, unde maximè hominem dehoneſtant, cùm ſi eccedant hæc cum maxima turpitudine, & indecentia ex qua non eſt dubium generari irregularitatem. Inteſtinorum namque reſolutio, & præcipuè Inteſtini recti, quod ad podicem terminatur, cauſat impedimentum retentionis fæcum: reſolutio autem veſicæ cauſat idem impedimentum retentionis urinæ. Sphyncteris porrò muſculi in inteſtino recto fæcum, in veſica urinæ, & fortè etiam ſeminis involuntarium exitum gignit. Quæ omnia cùm non ſolùm magnopere, ut dixi, hominem dehoneſtent, ſed morbi ſint, qui curationem in adultis, & multò minus in ſenibus, non admittant, certum eſſe debet à Canoniſtis inter eos recenſendos iri, qui irremediabilem irregularitatem conciliant.

11 12 13 14 15 16 17

SUMMARIUM.

1 *Morborum oculos infeſtantium, & ad hoc argumentum aliqualiter pertinentium enumeratio.*
2 *Myopia quid, & an aliquam cauſam irregularitati præbere debeat.*
3 *Luſcus differt à Luſcioſo, & quomodo.*
4 *Luſcus eſt irregularis, de luſcioſo dubitabile eſt.*
5 *Nyctalops quid, & quotuplex, & quanam ejus ſpecies inducat irregularitatem.*
6 *Straboſitatis diverſæ ſpecies, & quanam facere poſſit hominem irregularem.*
7 *Pupillæ dilatatio quando inducat irregularitatem.*
8 *Oculi prominentes quando inducant irregularitatem.*
9 *Suffuſio, ſeu Cataracta facit hominem irregularem amplia in uno tantùm oculo.*
10 *Cataracta curatio extractione, & viſus recuperatur.*
11 *Cataractis extractis ſi quis viſum recuperet, an ſit, necne, adhuc irregularis.*
12 *Glaucedo quid, & quando inducat irregularitatem.*
13 *Pannus & macula, quando faciant irregularem.*
14 *Fiſtula lachrymalis an faciat hominem irregularem.*
15 *Illacrymatio oculorum quid, & quid differat à fiſtula lachrymali, & an faciat hominem irregularem.*
16 *Lippitudo ſeu Ophthalmia, & ejus ſpecies, & quanam earum inducat irregularitatem.*
17 *Supercilia depilata an faciant irregularem.*
18 *Cilia depilata an inducant irregularitatem.*
19 *Palpebræ morboſæ quomodo aliquando faciant hominem irregularem.*
20 *Aquei, ſive albuginei humoris vitia quænam inducant irregularitatem.*
21 *An cæcitas ſanati per regenerationem humoris aquei, ex cujus privatione fuerat generata, irregularitatem tollat.*

De Vitiis Oculorum.

QUÆSTIO VII.

VItia ad viſum pertinentia plura ſunt, non omnia tamen ejuſdem momenti, nam de illis tantùm verba faciemus, quæ & ob impedimentum, quod afferunt, & ob turpitudinem & ob id, quod curationem non facili, aut nullo modo admittant, irregularitatem inducere poſſunt; qui ſunt primò Myopia, vel Luſcities, ſeu Luſcitioſa affectio, Nyctalops, vel Nyctalopia, Straboſitas vel Strabiſmus, Pupillæ dilatatio, Mydriaſis dicta, Pupillæ imminutio, vel contritio, dicta Phthiſis, Oculorum prominentia, ſuffuſio, vel Cataracta, Gutta ſerena appellata, Albugo, Glaucedo, vel Glaucoma, Pannus, macula, Fiſtula lachrymalis, & ſi quæ alia ſunt, quæ viſui, ac decori notabili impedimento ſint. 1

Myopia ergo, quæ & Myopiaſis dicitur, viſionis quædam debilitas eſt, ex qua ſic affecti viſibilia per aliquam diſtantiam non vident, ſed prope oculos admota, etiamſi minima ſint, vident; coguntur igitur cùm legere exempli gratia volunt, ſcripta oculis admovere, ut ex Ariſtot. Alexandro, & aliis retuli, *lib. 2. harum quæſtionum tit. 13. quæſt. 10. n. 2.* ubi hanc eandem affectionem dici Luſcitiem, & affectionem Luſcitioſam dixi, neque dubium eſt non modicam in celebrante intervenire indecentiam, ſi affectio magna ſit, nec modicum incommodum, videndum ergo, an irregularitatem inducat, & quando diſpenſari, poſſit, quod ad me non pertinet determinare, illud tantummodò dicam, hanc affectionem è Natura tantùm eſſe, & idcircò non eſſe amovibilem, eique omninò ſimilem una ex parte, ex altera verò contrariam eſſe viſus debilitatem, quæ in ſenectute accidit, in qua viſibilia ab oculis amovere cogimur cum ea videre volumus. Adnotandum autem, Luſcum differre multum à Luſcitioſo, vel Luſcioſo, & patiente hanc affectionem, quæ Luſcities dicitur, ſiquidem Luſcus, eſt qui altero captus eſt oculo, & Monoculus dicitur, qualis fuit Annibal, & alij, de quibus *loc. cit n. 4.* unde Luſcus, & Monoculus idem eſt, neque unus diſtinguitur ab alio, quod non videtur noviſſe Major. *loc. ſæpè cit. ſub. n. 4.* Luſcioſus autem eſt, qui debiliter videt, vel qui ut viſibilia diſcernat, cogitur ea oculis admovere, præſertim ſi minuta ſint, licet ergo clarè pateat, Luſcum eſſe irregularem. Silveſt. *in 1. Corpore vitiatus, num. 5.* Navar. *cap. 27. n. 144.* non tam in aperto eſt, an Luſcioſus debeat eſſe irregularis. 2 3 4

Nyctalops reſpicit etiã viſus debilitatem, affectio enim eſt, in qua ægri duplici, ac contrario modo afficiuntur: nam aut noctu non vident, ſed tantum interdiu, aut interdiu, non vident, ſed noctu. Prima affectio, in qua homines noctu non vident, cum videretur habere cum ſe notabile incommodum (nam turpitudinem nullã affert, quia nullam de ſe ſignificationem exteriùs præbet) non eſt tamen à ſuſpicione libera ob inſignem viſus debilitatem, majorẽ inconvenientiã obtinet ſecunda Nyctalopiæ ſpecies in qua ægri interdiu non vident majori enim impedimento eſt, quoad adminiſtrationẽ ſacrorum, unde non erit fortè dubium apud Canoniſtas, quod faciat hominem irregularem; præterquam quod licet noctu hujuſmodi ægrotantes cernant, tamen tunc temporis etiam debiliter admodum vident. 5

De ſtraboſitate illud & hic notandum, quòd aliàs adnotavi *loco citato, quæſt. 10. num. 27.* eam non eſſe unius tantum generis, ſed multiplicis, quippe cum aliquando oculi inſigniter diſtorqueãtur ex humoris cryſtallini perverſione ad dextram, aut ſiniſtram cum deformitate & in venuſtate quadam; aliquãdo 6

verò

verò leviter diſtorqueātur abſque ulla deformitate, & priores dicuntur ſtrabones, poſteriores dicuntur Pæti, ſed inſuper ex ejuſdem humoris chryſtallini, vel etiā ex nervi optici depreſſione, vel elevatione, vel diſcurſione ad dextram, aut ſiniſtram, ſurſum, aut deorſum, ſtrabiſmi quædam ſpecies fiunt, ſed quemadmodum in priore ſtrabiſmi ſpecies eſt maxima deformitas, in ſecunda autem, & tertia prorſus nulla, ita in tertia notabilis læſio visûs apparet, in prima modica, in ſecunda prorſus nulla: nam in prima viſibilia parum à vero differentia cernuntur, & id genus ſtrabonis non minus, aut ſaltem parum minus quam alij cernunt; Pæti tam acutè ac bene quam cæteri homines, ac ſtrabones tertiæ ſpeciei viſibilia vident duplicata, & unica res bina ipſis apparet, ita ut aliquando hujuſmodi ſtrabones rei viſibilis imaginē falsā ſequantur vera relicta, turpiterq; errent, ſed facillimè errorem corrigere poſſint. Igitur quemadmodum ſtrabones primæ ſpeciei ob deformitatem, & invenuſtatē irregulares cenſentur Majol. *de Irreg. lib. 1. c. 20. num. 5.* & ſtrabones tertiæ ſpeciei irregulares cenſendi ob vitium viſionis, & ob ſenſus perverſitatem, ſic Pæti neque ob invenuſtatem, neque ob viſus læſionem videntur Irregularitati obnoxij: in quibus tamen omnibus, veluti & in pleriſque ſimilibus Epiſcopi arbitriū requiritur juxta diſpoſitionem *c. cum de tua de corpor. vitiat.*

7 Cæterum Pupillæ dilatio, Græcis Mydriaſis dicta, & turpitudinem affert, ſi fuerit notabilis, & viſui non mediocre impedimentum, cum contra Pupillæ cōſtrictio, quæ dicitur Moyſis, vel Pupillæ Phthiſis minorem turpitudinem, & minus etiam afferat viſioni impedimentum, licet quādoque hoc, nempè impedimentum viſionis, majus evenire poſſit ex conſtrictione Pupillæ ſi in extremo fuerit cōſtricta quam ex dilatatione: ſed quomodocunque ſit, non dubium eſt, quod Canoniſtæ majori, aut minori deformitate, & impedimento determinationem capiant, utrum quis irregularis ſit necne, & utrum diſpenſari poſſit, necne; ſed tam deformitas, quam impedimentum cum majori ex parte à dilatatione procedat, quàm conſtrictione, certè majorem cauſam irregularitatis ſemper habet pupilla dilatata, quam conſtricta.

8 Oculi prominentes vitio non carent, ſi enim in prominentia notabiliter excedant, deformitatem afferunt, neque acutè vident, ut cæteri oculi naturaliter ſe habentes; at quia neque turpitudo notabilis eſt, neque debilitas visûs inſignis, ſi modò pares utrique ſint, rectè non eam irregularitatem inducere volunt hujuſmodi vitium Canoniſtæ, ut non debeat Epiſcopus facilè cum iis diſpenſare Navar. *in Man. cap. 12. n. 144.* Majol. *lib. 1. cap. 28. n. 25.* ſin autem diſpares ſint, major videtur deformitas, & quemadmodum quando pares ſunt à Natura videntur ſic conſtituti, ſecundum plurimum, eodem pacto quando unus eſt altero prominentior, non evenit ſecundum plurimum niſi à morbo, licet etiam utriuſque oculi prominentia à morbo eſſe poſſit; itaque notandum, quod ea, quæ hactenus dicta ſunt, locum habere debent in prominentia naturali, nam in morboſa multo ſtrictius res determinanda, quippe cum nullo modo fieri poſſit, ut non multo majorem deformitatem, & fortè majus viſionis impedimentum afferat. Dicitur autem hæc oculorum prominentia, ubi morboſa ſit, oculi procidentia, vel Proptoſis; vel Ecpieſmos, ſive oculorum expreſſio ſitque ex violentia quadam aliquando in acutiſſimis doloribus, & in violento conatu in reddendis urinis vel fæcibus, & in fœminis in expellendo partu, ac de ea verba feci *in. q. 10. n. 14. ſeq.*

9 De ſuffuſione, gutta ſerena, ſeu cataracta nihil notatu dignum videtur adjiciendum; cum enim viſum omninò auferat, & homines prorſus cæcos efficiat, irregularitatem irremediabilem, ac minimè diſpenſabilem inducit. Duo tamen de hac affectione notanda, primum quod licet ſuffuſio, ſeu cataracta ſit tantum in uno oculo, tamen incaſſum videretur quis diſpenſari ad promotionem nam ad adminiſtrationem, quamdiu uno oculo bene uti poteſt, fortè non eſſet omnino extra ſpem diſpenſationis, non ſic ad promotionem, quod non tantum ſit ex impedimento alterius oculi, ſed quia nūquam fit, ut uno oculo cataracta affecto, non afficiatur etiam alter ob maximam utriuſque communionem quo ſuffoſſo homo perfectè cæcus evadit, quandocunque ergo ſuffuſio in uno incipiat, videtur ob periculi certitudinem, nempe venturæ ſuffuſionis in oculo ſano, ſuffuſus in uno tantum oculo repellendus à promotione: unde non abſolutè verum eſſe crediderim quod Navar. *in Manuā. c. 27. n. 119.* dicebat, non eſſe ſcilicet par impedimentum promotionis, vel adminiſtrationis illius, qui viſu caret abſque eo quod intuentibus id appareat, cum abſque ulla deformitate cum eo, qui oculo caret, idque dico ob commemoratam periculi certitudinem amittendi viſum in totum, quæ major eſt ex parte ejus, qui alterum oculum ſuffuſum habet, quàm ex parte ejus qui altero oculo caret, unde magis diſpenſabilis videtur hic, quam ille, non obſtante, quod majorem deformitatem præferat; quamobrem Navarræ ſententia locum fortè habebit in aliis caſibus in quibus ex aliquo alio accidenti alterius oculi viſio abſque deformitate, & abſque eo quod quicquam intuentibus appareat, fuit amiſſa, at non ubi altero tantum oculo viſum amittente ſuffuſio præceſſerit quia ut dixi, non multo poſt tempore uterque ſuffunditur, & viſus in totum amittitur.

10 Eſt præterea notandum, quod Cataracta aliquando curatur extractione, & ſunt artifices quidam ad hoc munus exercitati, qui tamen multa promittunt promiſſis tamen ſtare ne minima quidem ex parte ſolent ob multas difficultates ſibi occurrentes. Utcunque tamen hæc ſeſe res habeat, extractis cataractis nonnulli viſum recuperare ſolent (debiliter tamen, & aliquando ad tempus tantū, ut ſubjungā) nam humor, qui viſum adimit, & Pupillā obſtruit, intra corneam, & humorem Chryſtallinum recluditur, & cum fuerit convenienter incraſſatus à Pupillæ regione per acum vel ad inferiorem partē removetur, & verſus oculi angulum tranſponitur, remoto ergo à Pupilla eo humore, removetur impedimentū visûs, quem eo modo ægri recuperant. Sed utinam ea ratione res ſuccederet, ut Medici promittere ſolent; certè tot, ac tantæ conditiones concurrere debent, ut hæc cataractarum extractio ſit proficua, ut ex centum vix unus viſum perfectè recuperare ſoleat, quomodo autem Cataractæ extrahantur docent Celſus *lib. 7. c. 7.* Guido de Caul. *Chirurg. magn. tract. 6. doctr. 2. de Catar. & gu. ſer.* Arnald. *ub. 1. Breviar. cap. 14.* Jo. de Vigo *lib. 4. Chirurg. cap. 7.* & ex recentioribus Hieron. Fabrit. *de oper. Chirurg. tit de ſuffuſion* utcumque autem ſit 11 dubium excitari poteſt, an qui Cataractas habebat & eas extrahendas ſibi curavit, unde viſum recuperavit, poſſit ex ſublato impedimento irregularitatis ad ſacra promoveri, & in illis miniſtrare, & clarè patet, quod ceſſante cauſa irregularitatis ceſſet irregularitas, & ſic viſum quomodocunque recuperans non prohibetur ſuis ordinibus defungi Majol. *d. c. 10. n. 1.* ſed profecto ſi quid ex propria ſententia Arti Medicæ munito mihi pronuntiare licet, non promiſcuè

promiſcuè quemcunque ſic viſum recuperantem ab irregularitate immunem dicerem, quia facili negotio cataractæ revertuntur, & eſt communis opinio experimento confirmata, Arnald. *ubi ſupra*, quamobrem dicendum, quod ſi cæcus jam fuerat promotus, & viſum recuperet, poſſit quouſque benè videat ſuo officio fungi, ſi verò non ſit promotus, & per cataractarum depoſitionem viſionem recuperaverit, non tam promptè videtur promovendus, quia, ut dixi Cataractæ de facili revertuntur, & in eadem extract one viſus debilitatur, ac procedente tempore imminuitur, & deperditur quod tanto magis verum erit, quanto quis poſt cataractarum extractionem debilius uſum recuperaverit. Glaucedo dicitur viſus obſcuritas, quæ & Glaucoma, & Glaucoſis appellatur, fitque ex humoris Chryſtallini craſſitie. Hæc parvam de ſe ad extra ſignificationem præbet, niſi quod circa pupillam profunda albedo apparet, ſed viſibilia quæcunque tanquam per fumum, aut nebulam cernuntur, unde & ipſa irregularitatem inducere debet, non tantum quia hoc viſionis impedimentum eſt inſigne, ſed quia difficillimè curationem admittit, & in dies majus efficitur, & conſummatam cæcitatem terminatur

12

13 Pannus item oculorum vitium eſt viſioni inſigniter officiens, & quâdoque in totũ illam adimens ut etiam Maculæ, quæ non ſolum impedimentum, ſed etiam deformitatem cauſant cooperiendo oculorum ſplendorem, illoſque obſcuros reddẽdo tanquam ſi quodam panno, vel alia quapiam re comperti eſſent; neque dubium eſt homines ex utraque indiſpoſitione irregularitatem incurrere, non inquam ex panno, aut macula utriuſq; oculi, ſed etiam ex alterutrius tantũ non minus quã ex eluſcatione & totali oculi alterius privatione, licet major multo deformitas appareat in Luſco, quam in habente pannum, ſeu maculam in oculo; non eſt tamen dubium, quod tam ob minorem deformitatem quam ob minus fortè viſionis impedimentum (licet plerumq; par in ſingulis horum morborum aut maculâ in altero oculo habet, quâ Luſcus aut Monoculus.

14 Fiſtula lacrymalis ex Ægiloppe, hoc eſt ex tuberculo in oculorum majori angulo adnato facta, cum malè curatus eſt, aliquam turpitudinẽ habet, ſed non talem, quæ poſſit inducere irregularitatem nam neque viſui quicquam incõmodi affert, ſecundũ plurimũ ſaltem, notandũ tamen non eſſe fiſtulâ lachrymalem eundem effectum cum illachrymatione oculorum, quæ Epiphora à Græcis vocatur, nam quid ſit fiſtula lachrimalis ex ipſo nomine patet,

15 Epiphora autẽ, & illachrymatio eſt aſſidua humoris cujuſdam theumatoſi, ſeroſi, vel catharralis lachrymarum inſtar ex oculis effluxio, quæ & majorem habet deformitatem plerumque, & viſioni magis noxia paſſio eſt; ex decurſu enim perenni hujuſmodi humoris, viſus incraſſatur, ita ut viſio debiliùs fiat, at in fiſtula nihil tale accidit, ſed ex ipſa naturali fiſtula humor acris effluit, unde Juvenalis. *Sat.* 10.

—— *Et aëre malum ſemper ſtillantis ocelli.*

qui tamen nihil viſui incõmodat. Præterea in fiſtula ab ipſa fiſtula lachrymali, quæ in caruncula majoris anguli oculi poſita eſt, humor effluit, in illachrymatione autem humores effluunt ab ipſa oculi ſubſtantia. Nota inſuper Illachrymationem hanc non idem eſſe quod lippitudo, neque ex lippitudine fieri: quamquam enim lippitudine oculi aliquando illachrymant, & plures humores ex oculis effluunt, tamen hæc illachrymatio, de qua loquimur, diverſa affectio eſt; fit namque abſque oculorum inflammatione, & quæ lippitudinem ſemper concomitatur, & ob eam cauſam aliquæ humiditates ab oculis effluunt. Itaque non rectè fortè Majol. *citato c.* 20. *n.* 5. dicebat Lippum, qui oculos lachrymantes habet perpetuò, cùm putredo ab eis effluat, ab ordinibus Eccleſiaſticis Canones excludunt, intellexit enim, vel intelligendũ id, quod dicit, de lippitudine vera cum inflãmatione, quæ tamen abſque oculorũ illachrymatione fieri etiam ſolet. Sed illachrymatio de qua nunc verba facimus, abſque inflammatione oculorum fit, & habet cum ſe notabilem turpitudinem, ut dixi, etſi perenpis ſit, & incurabilis, multuſque humor ab oculis deſcendat, cauſa potiſſima videtur inducendæ irregularitatis. Sed jam de lippitudine ipſa loquamur, quæ ophthalmia dicitur, & quæ frequens eſt, & notabilis oculorum morbus, ex quo, ita determinantibus Canoniſtis, homo fit irregularis: hoc tamen non indiſtinctè accipiendum, cum ophthalmia ſit morbus non immanens, ſed aliquorum dierum ſpatio recedens, quod ſecundum plurimum evenit; quare non quælibet ophthalmia facit hominem irregularem, niſi fortè ad tempus: ſed hujus morbi tres potiſſimum ſpecies conſtituuntur, prima in qua dolor tantùm, pruritùs & rubedo oculorũ abſque inſigni tumore apparet, diciturque ophthalmia ſpuria, ac notha, vel pſeudo-phthalmia, fitque utplurimum à cauſis externis quæ plurimùm caput ipſum calefacere aptæ ſunt, Græcis alio nomine Taraxis appellatur, Latinis, oculorum perturbatio. Secunda ſpecies eſt quando dolor, pruritus, & rubedo notabiliora ſũt, & lachrymæ effluunt copioſæ, Ægerque lumen externum ſuſtinere vix poteſt, & hæc propriè ophthalmia dicitur. Tertia ſpecis adhuc gravior. Secundâ eſt dicitur Chymoſis, & in hac oculi plurimùm rubẽt, intolerabiliter pruriunt, & acutiſſimè dolent, palpebræque ſimul cum univerſo oculo tument, & indeſinenter illachrymant; ac abſque alia determinatione patet, maximã intervenire cauſam Irregularitatis in tertia ſpecie, magnam in ſecunda, minorem in prima in ſingulis autẽ irregularitas tẽporanea eſt, recedente enim morbo (quod fit brevi aliquorum dierum ſpatio, & quando retardatur ſpatio dierum quadraginta) abſque dubio irregularitas ceſſat. Sed aliquando Ophthalmia nunquam recedit, aliàs autem recedit quidem, ſed de novo & facilè quacunq; ex cauſa recurrit, & in utraque hac ophthalmiæ ſpecie turpitudo eſt inſignis, & incommodum notabile, & quod majus quid eſt, tam turpitudo, quàm impedimentum in dies creſcunt, nam oculi non modo propriam aciem amittunt, ſed procedente tempore minores fiunt, & contabeſcunt non aliter, quàm in ſenibus, de quibus Juvenal. *cit. Sat.* 6.

Fiant obſcuri dentes, oculique minores.

& ex his nova, ac multo major deformitas, ac novum & multo majus impedimentum, quæ dubium nullum excitare debent, an irregularitatem inducant, necne, cùm res clara undequaque ſit.

Antequam autem abſolvamus ſermonem de vitiis oculorum, aliquid dicendum de vitiis quarundam partium circumjacentium, & ad ipſos oculos pertinentium, quæ ſunt Cilia, Supercilia, Palpebræ: non enim nullius momenti ſunt, quæ circa has partes conſiderare operæ pretium eſt. Et primo ſupercilia depilata & glabra non tantùm invenuſtatem, ſed & deformitatem cauſant, cui ſi addas eorũ glabritiem portendere deterius malum, ac præcipuè ſignum eſſe non contemnendi morbi Gallici, videndum, an ex hoc inducatur irregularitas. Certè ipſe morbus Gallicus per ſe, ubi per exteriora ſigna, ac patentia manifeſtum ſe faciat, irregularem hominem facit, ſi non alia ex cauſa, ſaltem ob publicum ſcandalum, ſed de morbo Gallico ſigillatim in ſequentibus

16

17

verba

verba faciemus, cum multa peculiariter conſideranda circa illum occurrant ad præſens argumentum facientia.

18 Verùm adhuc multò majorem deformitatem non ſine incommodo habent cilia depilata, hoc eſt palpebræ ipſæ pilis deſtitutæ, non tamen tam de facili defluvium patiuntur; ſed ſi defluant, horrorem quemdam intuentibus incutiunt; unde circumſcripto etiam non unico impedimento, quod ex horum pilorum defectu emanat, militat cauſa evidens irregularitatis ex prædicto horrore intuentibus incuſſo.

19 Palpebræ (quæ ſoli homini, & ſtruthiocameli duplices ſunt nempè ſuperior, & inferior) ſi aliquo modo malè afficiantur, ut exempli gratia ſi corroſæ vel in totum, vel ex parte ſint, ſi convulſæ maneant vel relaxatæ, ita ut reclinari, & attolli, cum opus fuerit non poſſint, ſi una alteri adhæreat, ſi irremediabilem livorem, ac turpem contraxerint, dubitādi cauſam præbent, an faciant Irregularitati locum. Ac certè ſi corroſæ ſint etiam aliqua ex parte ob horrorem, quem inducunt, ſummam deformitatem præ ſe ferunt, quæ ſufficiens cauſa Irregularitatis à Canoniſtis judicatur. Si convulſæ ſint, ita ut oculi claudi nullo modo poſſint, non caret dubio, an faciant hominem irregularem; & ſic in reliquis: in quibus omnibus, pro majori, vel minori turpitudine, & impedimento Epiſcopus dijudicare ſolet, an irregularitati ſit locus, necne; pro qua re illud notum ſit minorem deformitatem, ac minus etiam incommodum afferre corroſionem, vel privationem totalē inferioris palpebræ, quàm ſuperioris. Paralyſis autem non magnam habet deformitatem, neque magnum incommodum; contrà, inſignem habet convulſio, & incommodum etiam majus, ſed circà eroſionem, & deficientiam palpebrarum illud animadvertendum, quo non ſolum tota ſuperior palpebra deficiens, aut corroſa magnam affert deformitatem, & incommodum, ſed etiam pars ejus aliqua notabilis, ut ſuperiùs innuebam, præcipuè autem ſi ungula, vel corona deficiat, nempe pars illa extrema cartilaginoſa, cui pili adhærent: itaque hæc Canoniſtis obſervanda propono, ut ipſi determinent, an ſint cauſæ ſufficientes inducendi Irregularitatem, & quæ diſpenſationem admittāt, quæ non.

Sunt tandem nonnulla vitia, quæ viſionem inſi-
20 gniter lædunt, ob Aquei humoris non naturalem conſtitutionem, ſed præcipuè ob ejus effuſionem, ex qua notabile nocumentum actioni videndi cómunicatur, immò & interdum perit ex ejus effuſione omninò videndi actio, unde & ex hac cauſa, quemadmodum ex pleriſque ex ſuperioribus inducitur irregularitas. *Rot dec. 602. n. 14. p. 5. com. 2. rec.* Quoniam tamen hic humor, etiamſi deperdatur, ſolet de novo regenerari, ac viſus recuperari, ut experimēto proprio docet Gal. *lib. 1. de ſympt. cauſis c.* 2. & atteſtari proprio quoque experimento ipſe poſſum, in duobus viris, qui maximo incendio coërcendo operam dantes ex caumate ſummo viſum amiſerāt, ob aquei, ſeu albuginei humoris conſumptionem: quibus experimentis ſuffragantur alia doctorū homi-
21 num teſtimonia apud Daniel. Senner. *lib. 1. pract. p. 3. ſect. 2. cap.* 34 hinc idem dubium enaſci in hoc caſu poteſt, quod in viſus recuperatione per Cataractarum extractionem movere poſſe dixi; ſed libentiùs multò cum his diſpenſandum cenſerem, quàm cum his, qui ex Cataracta viſum amiſerant, quippe cùm ex Cataractis extractis non ſolùm remaneat viſus debilitas, ſed immineat ſemper periculū reincidēdi, ut ibi dixi, at in hoc caſu & viſus omninò recuperatur, & nullum periculum recidivæ timeri poteſt.

Erant & alij permulti oculorum morbi, qui vel viſum impediunt, vel deformitatem faciunt, vel utrumque ſimul cauſant; ſed quia non omnia, ac ſingula poſſunt hic recenſeri, ſatis illud ſit dixiſſe, quòd omnia ex magnitudine impedimenti, & deformitatis determinationem recipiunt, juxta quam Epiſcopus vel per ſe, vel cum Medicorum conſilio in nonnullis caſibus dubiis judicabit quandò faciant irregularitatem & quandò diſpenſationem admittant, quando verò non.

SUMMARIUM.

1 *Naſus inter animalia ſoli homini datus, ejuſque dignitas.*
2 *Naſi magnitudo, aut exilitas notabilis inducit Irregularitatem.*
3 *Naſi tortuoſitas duplex, quanam faciat hominem Irregularem.*
4 *Naſi cavernia inducit Irregularitatem à ſolo Papa diſpenſabilem.*
5 *Ex Naſi deperditione in altero conjuge ſponſalia juramento firmata diſſolvi poſſunt, & utrum recuperato Naſo reintegrari debeant, num. ſeq.*
7 *Ulcera Narium an irregularitatem inducant.*
8 *Polypus diverſa ſpeciei, & quam inducat irregularitatem.*
9 *Narium caruncula quando faciant irregularem.*
10 *Hæmorrhoides Naſi an, & quando faciant hominem irregularem.*
11 *Narium fœtor ex quibus cauſis provenire, ſoleat, & quando inducat irregularitatem.*
12 *Surditas perfecta, ſeu confirmata facit hominem irregularem.*
13 *Gravi auditu laborantes, qui ſurdaſtri dicuntur; an ſint irregulares.*
14 *Auricula in totum abſciſſa an faciat hominem irregularem & utrum ſit membrum, necne n. ſeq.*
16 *Labiorum ulcera ſi notabilia ſunt, & maligna naturæ, dant cauſam irregularitati.*
17 *Labiorum corroſio ſummam deformitatem; ac dedecus affert, & quam Irregularitatem inducat & à quo diſpenſabilem.*
18 *Labium inferius relaxatum, maximè ſi mentum ſimul cum eo decidat, quodnam incommodum ſanitatis offerat, & quam irregularitatem inducant.*

De Naſi vitiis, Aurium ac Labiorum.

QUÆSTIO VIII.

QUantam utilitatem, ac quantum decoris ob- 1
tineat in homine pars illa conſpicua, ac prominens faciei, quæ Naſus dicitur, notum feci aliàs *lib. 3. harum Quæſtionum, tit. 3. quæſt. 4. à n. 1. ad plures ſeq.* hæc pars ſoli homini à Natura conceſſa; ac tanti ea de re æſtimatur, ut non ſolùm ejus exiſtentia, ſed formoſitas, ac recta conſtitutio requiratur, ut quis ad ſacra admitti poſſit, illud profectò palam eſt, ejus exceſſum in magnitudine, vel parvitate hominem antiquitùs à ſacerdotij conſortio repuliſſe; ut habetur Levit. *cap. 21. v. 18.* & notavi etiam *loco citato num. 17.* Neque injuria id factum eſt, ſiquidem Naſus primùm in facie in intuentium conſpectum venit, & faciei, deformitatem, aut formoſitatem primus prodit, præterquam quod interioris quoque pulchritudinis judex habetur, obtortus enim naſus pravos mores oſteudit, ac mentem obtortam, *loco citato dixi* In eo ergò cōſiderari poſſunt quam plurima vitia, ex quorum culpa homo irregularitatem contrahat, ac primo Naſi magnitudo, 2

vel exilitas consideratur, ex cujus alterutrius culpa si notabilis sit, Irregularitas inducitur. Majol. *lib.* 1. *de irreg. cap.* 22 *sub num.* 1. sed tam magnitudo, quàm exilitas à natura esse potest, & à morbo, sed si magnitudo, vel exilitas sit à natura animi potius vitiũ, quàm corporis portendit; contrà si sit ex accidenti, & à morbo, potiùs corporis infirmitatem portendit, quàm Animi. Irregularitas utroq; modo inducitur secundùm Canonistas ob deformitatem, Medicus tamen prædictas etiam causas considerat, nempè Animi pravam dispositionem, & corporis latentem morbum & quidem notabilem, eruntque etiam in hoc hujusmodi irregularitates differentes ex eo quod naturalia vitia non possunt amoveri, accidentalia autem, si de iis, quæ ad magnitudinem spectant, loquamur, amoveri interdum possunt, si verò de iis, quæ ad exilitatem, nequaquam amoventur nisi exilitas fieret ex totali, aut partiali privatione Nasi, nam tunc reparatur, ut aliàs dixi.

De naturali igitur vitio quoad magnitudinem, & exiguitatem, non est quicquam addendum: de magnitudine accidentali observamus, quòd Nasus aliquibus vel ob affluxum humorum, vel post apostema, vel ob aliquam excrescentiam (omnia autem hæc in idem recidunt quoad causam talem ægritudinem generantem adeò excrescit, ut magnã inducat turpitudinem, immò & incommodum; cessante autem humorum affluxu, vel diminuta ex arte excrescentia, aut sanato Apostemate, Nasus ad naturalem formã redire pleriumq; solet, & omnis turpitudo inde emanans cessat, qua cessante, cessat etiam Irregularitatis causa, ut aliàs dictum est. Sed Nasi exilitas non tam de facili est amovibilis, ut observari potest quotidie in aliquibus, quibus ob ulcus interdum, vel ob quancumque aliam causã Nasus indies decrescit, corrosis naribus, & subsidente ipso Naso: nam potest quidem prohiberi aliquãdo ne ulteriùs decrescat, & in totũ amittatur prohibendo humorũ affluxum, & ulcus consolidando, sed quod deperditum est per se non ampliùs recuperatur, sed ex arte cum maxima tamen difficultate; & in hac Nasi exiguitate semper remanet latentis, ac magni morbi causa, unde etiãsi recuperetur, non effugitur ex mea sentẽtia irregularitas proveniens à prædicto morbo qui utplurimum Gallicus, vel malignus est. Ex quibus Canonistæ, quod & aliàs proposui discutiendum, videant, an irregularitas proveniens ex hujus-
3 modi Nasi exilitate cesset, si Nasus ad naturalem statum per artis præsidia redierit. Ad Nasi etiam deformitatẽ pertinet illius tortuositas, & hæc quoque esse potest naturalis, & accidentalis; naturalis majorẽ causã præbet irregularitati, quàm magnitudo, & exilitas duplici ex causa, nã & magis decori faciei officit, si insignis sit, & majus vitium Animi portendit, ut dixi enim Animi tortuositatem denotat, & est ex signis minus fallacibus, cũ rarò immò, rarissimè tortuositas existat absque morũ pravitate Quæ autem accidentalis est, nihil quicquam tale significat, & quia nonnisi ex magnis morbis provenire solet, non facilè succedit, ut homo cum tali tortuositate Nasi supervivat; convulsionem enim maximam internarũ Cerebri partiũ ostendit, & est ex signis non solùm lethalibus, sex ex iis quæ proximam mortem significant, Hipp. *lib.* 1. *Prognost. p.* 15. ibique Bened. Victor. Cardan. *aliisque in comm.*

4 Sed & præter figuræ depravationem in Naso, ejus carentia maximè in cõsiderationem venit, ob quam nulla difficultas est, quemcunque fieri irregularem, atque à solo Papa dispensari posse Majol. *lib.* 2. *de Irregul. c.* 22. *num.* 2. quæ regula videtur mihi extendenda, ut non solum locum habeat in totali carẽtia Nasi, sed etiãsi aliqua pars ipsius notabilis deficiat, vel si omnino subsideat ita, ut eminentia ipsius non ampliùs appareat; nam & totalis carentia, & partialis, si à morbo proveniat, majorem subesse causam morbi denotat, ut jam superiùs dixi, ubi etiam de recuperatione Nasi verba feci, & aliàs ex Sanchez dixi, sponsalia juramento etiam firmata ex deperditione Nasi alterius conjugũ dissolvi posse & dubitavi, an ex reparatione Nasi sponsalia redintegrẽtur & quia deperditio Nasi habet causam utplurimum 5
morbificã, & quidem gravissimam, & utplurimum contagiosam, videbatur mihi dicendum, non teneri sponsum sanum sponsalia redintegrare etiam recuperato Naso per sponsum infirmum; idemque cre- 6
diderim dicendum quoad irregularitatem, cum etiam recuperato Naso ex Gallico ac sævo morbo perdito, urgeat ipsa morbi Gallici malitia, sed Canonistæ magis ad rem hæc determinabunt. Sed ponamus Nasum quem non à morbo, sed in bello amisisse, vel illi fuisse ab hostibus præcisum, vel quomodocunque per vim externam fuisse deperditum, ac deinde arte recuperatum, certè viderentur sponsalia redintegrari deberi, de irregularitate autem quid sit determinandum, non tam in propatulo est, si enim Nasus in rixa, & maximè injusta fuerit amissus, urget scandalum, quod tamen maxima ex parte cessat recuperato Naso. Portò Nasum deperditum ita reparari posse, ut nullam invenustatem, nedum deformitatem præseferat ostendunt opere, & sermone plures Medici, sed ex his vide præcipuè Talliacotium *de Cur. Chirurg. lib.* 1. *cap.* 19. *& seqq.* & Cortesium Miscellan. *dec.* 3.

Præter commemoratas Nasi deformitates, & incommoda, in eo eveniunt plura alia vitia, ut ulcera, & quidem maligna, & cacoë hica caruncul æ, apostemata, inflammationes, tumores, hæmorrhoides, Polypus, fœtor, & id genus alia. Et quoad ulcera 7
certum est, ea non solum esse plerumque maligna, sed & turpitudinem, & indecentiam, multum afferre, quia utplurimum famosa materia per nares ex ipsorum culpa expurgatur cum fœtore, quæ aliquando per se absque sensu cecidit, ita ut à propinquis tolerari absque stomacho non possit; & quia urget etiam difficultas sanationis, & latentis morbi suspiciò, imm ò certitudo, videant Canonistæ cum hujusmodi ulcera ad prædictam gravitatem pervenerint, utrum irregularitas talis sit, ut ab Episcopo dispensari possit, vel ejus dispensatio ad Papæ auctoritatem reservetur.

Quoad Apostemata, tumores, & id genus alios morbos sciendũ, omnia venire sub nomine Polypi, teste Falloppio *lib. de Tumor. cap.* 25. Est tamen Po- 8
lypus non unius generis nec quoad turpitudinem, nec quoad sanitatis incommodum, nec quoad curationis difficultatem; cum alius sit maximus, & insignis, alius hoc minor, alius sanitati summopere officiat, alius autem parum, & alius facilè sanetur, alius verò difficillimè, aut nunquam; immò alius est qui neque curari potest, neque tangi se ullo modo permittitur, ut quando in Cancri naturam degeneravit: verus tamen Polypus duplex est, unus qui simplex tumor est absque ulla cacoëthia, seu malignitate; alter qui cancerosus existit; & licet quando Polypus cancerosus est, curationem non admittat, non tamen quando simplex tumor est, curatu adeò facilis existit, quin multũ negotij Medicis exhibeat quia plerumq; inter eas curandum in cancrum degenerat, unde jure merito à Talliacotio de Cur. *lib.* 1. *c.* 21. inter eas operationes Chirurgicas Polypi extractionem

ctionem enumerat,quæ non ſine ſumma moleſtia, & periculo fiunt, & quæ ſummam curantis induſtriam expoſcunt. Sed cur hic tumor vocetur Polypus,ſi quis ſcire deſiderat,duplicem cauſam ab Auctoribus aſſignatam eſſe cognoſcat; una quod ejus ſubſtantia mollis eſt, & alba, ad inſtar Polypi piſcis, altera quod non minus quàm idem piſcis Polypus tenaciter adhæreat parti, quam primo apprehenderit, unde facetè Plautus *in Aulal. Act. 1. Scen.4.* alias à me ad hoc ipſum propoſitum adductus ad avaros denotandos dicebat.

Ego iſtos novi Polypos,qui ubi quid attigerint,tenent. Eodem modo tumor hic adeò tenaciter naribus hæret, ut nonniſi illum circumcirca excidendo curari poſſit, & habet præterea non aliter quam ipſe Piſcis Polypus veluti multos pedes, quibus affectam partem arctiſſimè alligatam tenet. Sed hæc ex abundanti, quod ad rem noſtram facit; illud eſt, hunc tumorem afferre ſecum & deformitatem, & ſanitatis detrimentum, & ſcandalum, quæ omnia apud Canoniſtas ſunt potiſſimæ Irregularitatis cauſæ, quæ quanto minùs amovibiles ſunt, tanto minùs diſpenſabilem irregularitatem inducunt unde magis diſpenſabilis erit, quæ provenit ex ſimplici Polypo, quàm ex cancroſo, ut patet.

9 Non habent omninò eadem incommoda Nariũ carunculæ,niſi notabilis ſint magnitudinis,cum tutior,& facilior earum curatio ſit, immò neque eandem turpitudinem afferunt,neque incommodi tantundem ut Polypus; proximior naturæ Polypi eſt
10 hæmorrhois, & curam ſortitur Polypo ſimilem; unus tantum timor in ejus curatione imminet, ne ſcilicet ad ejus curationem hæmorrhagia, hoc eſt, ſanguinis fluxus ſequatur, qui non facilè deinceps cohiberi poſſit. Interim Hæmorrhois habet turpitudinem Polypi non abſimilem, majorem tamen, aut minorem,prout major,aut minor eſt,quæ cauſa abſque dubio irregularitatem apud Canoniſtas inducit;per quæ tamen ſit diſpenſabilis, ipſi ſtatuent,
11 Narium fœtor alia paſſio eſt ipſarum Narium, qui aliquando tantus eſt, ut nonnullis animi defectum exciter,dum illum percipiũt,aliis præ animi anguſtia difficultatem reſpirationis cauſet,aliis vomitũ excutiat; & licet nihil exterius hoc vitium interdum ſe prodat,neque ullam turpitudinem oſtendat, eſt tamen talis,ac tanta ejus vitij indecẽtia,& ignominia, ut non modicum ſcandalum inde excitari credam potiſſimam irregularitatis cauſam:& quia hujuſmodi fœtor poteſt variis ex cauſis provenire, & maximè ob ulcus earundẽ narium, vel ob Ozænam,vel ob Polypum,vel ob corruptionem humorũ in interiore Cerebri parte, aut ob corruptionem Oſſis Ethmoidis, aut ob vitium partium inferiorũ aut Pulmonum,aut ventriculi,ſciendum fœtorem, qui provenit à partibus inferioribus eſſe minorem, & magis curabilem (licet minùs curabilis ſit procedens à vitio Pulmonum,quàm à vitio ſtomachi) contra qui provenit ob ulcus, apoſtema,vel corruptionem partium non removeri, niſi ſumma cum difficultate,& forte nullo modo, quia non amovetur,niſi ulcus,apoſtema,& corruptio removeantur, quæ plerumque removeri non poſſunt. Qui ex humorum corruptione in cerebro ſuſcitatur non facili ſanationem admittit,eſt tamen prædictis magis curabilis. In omnibus prædominatur turpitudo, & indecentia, quarum utramque determinabunt Canoniſtæ, an ſufficientes cauſæ ſint inducendæ Irre-
12 gularitatis. Circa aures tria vitia ad rem noſtram conſideranda,ſurditas nempè,gravis auditus, & auricularum defectus, ſeu mutilatio: & de ſurditate nihil eſt quod peculiariter admoneamus, cum notiſſimum ſit,perfectam ſurditatem facere hominem irregularem Majol. *lib.1.cap.25.n.1.* & quia conſummata ſurditas eſt ex morbis inſanabilibus.Paul. *lib.3 ſuæ Med.c.23.* immò ex iis, qui in dies ingraveſcunt, quia procedente ætate quilibet ſenſus hebetior ad lentiendum evadit, videndum à Canoniſtis, an locum habeat cum hac ſurditate diſpenſa-
13 tio, & per quem fieri debeat. Sed hi quoque qui gravi auditu laborant, & ſurdaſtri dicuntur, ſi utriuſque Auris vitium habeant, etiam per longum tempus malè habuerint, non videntur ab omni Irregularitatis cenſura eſſe immunes,cum læſum habeant cenſum perfectiſſimum cum certitudine totalis amiſſionis ejus,quia teſte Gal.*l.3.de compoſit.medic ſecun.loc.c.1. de audit. gravit.* his gravis auditus in perfectam,ac cõſummatam ſurditatem degenerat,cum ergo id,quod de præſenti eſt, & quod de facili eſſe poteſt comparentur,videretur omninò ſurdaſtros ubi prædictæ in illis conditiones concurrant, non minus quàm ſurdos irregularitati eſſe obnoxios, quod ipſi Canoniſtæ determinabunt.

Cæterum Auricula in totum abſciſſa licet magnã
14 ſecum habeat turpitudinem,interdum tamen capillis tegi vitium poteſt,cumque ejus privatio modicum incommodum auditus ſenſui afferat,minorem cauſam dabit irregularitati; licet non dubium ſit, quod multo majorem dabit utraque deficiens,quam altera tantum, & quod tanto minorem cauſam dabit pars Auriculæ deficiens, quam tota, præcipuè ſi quod deficit,aliquo modo abſcondi poſſit. Navar. *lib. 5. conſ. 75.* ſed & ipſæ Auriculæ deperditæ non minùs quam Naſus, & labia reparari per Artem
15 poſſunt,eademque dubia eodem modo, ut de Naſo recuperato,ſolvenda, de Auriculis recuperatis moveri poſſunt, illud ex abundanti addam, non quod Auriculæ abſciſſa faciat hominem irregularem,idcirco Auricula membrum eſt vocanda, cum non habeat deſtinatam, ac perfectam operationem, quod latius probavi *lib.5.hær. Quæſt.tit.3 quæſt. 4. à n.21.ad ſeqq.*& ſi aliquando tam Medici,ut Gal. *in lib.de Inſtrum.Odor.* quam Juriſconſulti, ut Gloſſ. *in c. ſingula num. Oculus diſt.* 89. dixerunt autem eſſe membrum, intellexerunt de Aure interna, non de externa, quæ propriè Auricula dicitur, quam inter membra connumerari,ut vult Majol.*lib.1.c.25.n.5.* eſt omninò falſum ex prædictis.

Circa labia contingunt ulcera,tumores, excreſ-
16 centiæ, relaxatio, & alia permulta vitia; ſed ulcera ſi notabilia ſint, & multò magis ſi ſint malignæ naturæ, & curationem difficulter admittant, habent ſecum plurimam deformitatem,ac dedecus,& abominationem, & ſcandalum, quæ urgentiſſimæ cauſæ irregularitatis exiſtunt; an autem ejus ponderis ſint, ut Papæ auctoritatem pro diſpenſatione
17 irregularitatis requirant, Canoniſtæ ſtatuere poterunt. Cum his ulceribus pari paſſu procedit labiorum corroſio, quæ jam cauſas irregularitatis facit graviores,deformitas enim,& dedecus, & ſcandalum ex carentia labiorum notabiliter increſcunt, patentibus dentibus,& Oris hiatum cum multo intuentium horrore, quamobrem irregularitas, quæ ex hoc vitio inducitur,erit ex his,quæ Pontificiam auctoritatem expoſcunt, quantum ex ſimilibus caſibus conjicio,

Labium proinde, & maximè inferius relaxatur
18 quandoque, ac decidit interdum ex ſe,interdum cũ toto mento, & in aliquibus vidi tam turpiter eam partem relaxari, ac deſidere,ut non tenui, ſed forti filo eam alligare, & in ſuo loco continere fuerint coacti,

coacti, in qua infirmitate,& turpitudo apparet, & minùs liber corporis,vel oris usus, tam in cibo, & potu assumendo,quàm etiam in loquendo ; ex quibus facilè possunt Canonistæ statuere, an tales sint irregulares, & an dispensandi, necne.

SUMMARIUM.

1 *Oris fœtor,quantus, & quando possit inducere irregularitatem.*
2 *Oris distorsio an inducat irregularitatem.*
3 *Palatij ulcera quæ sint causa irregularitatis.*
4 *Dentium vitium nullum adeò grave videatur, ut inducere debeat irregularitatem.*
5 *Dentium dolor, an & quando debeat inducere irregularitatem.*
6 *Gingivæ ulcera quænam faciant irregularem.*
7 *Lingua præcisa ex qua causa,& quando faciat hominem irregularem.*
8 *Lingua magnitudo, & excrescentia, quando causet irregularitatem.*
9 *Linguæ paralysis,aut convulsio an faciat irregularem.*
10 *Obscurè loquens quando sit irregularis.*
11 *Raucedo quando faciat hominem irregularem.*

De vitiis Oris, Palati, Dentium, Gingivarum, & Linguæ.

QUÆSTIO IX.

1 ABominabilis affectio est, & fœditatem habet Oris fœtor,& licet formæ nihil incommodet, portendit tamen internarum partium morbosam constitutionem & illam quidem non aspernandam, ubi scilicet sit indesinens nam si perpetuus non sit, & à causa extrinseca enascatur,ut à nimio cibo,nihil tale minatur. De hoc vitio non aliter dubitari potest, quàm de fœtore Narium,de quo *in superiori. quæst. n.* 11. ac profectò ea omnia, quæ in eo locum habere diximus,habebunt etiam locum in fœtore oris ; licet hic plures numero causas habere possit, quàm ille ; considerata igitur causarum illum excitantium gravitate Canonistæ decidere possunt quando hic fœtor inducat Irregularitatem, & quando dispensari possit, aut non.

2 Oris distorsio deformitatem magnam affert, sive illa à convulsione, sive à paralysi eveniat;& certè si magna,ac conspicua sit, non dubitandum, quod sit ex causis Irregularitatem inducentibus, ac tanto magis id verum erit, quantò magis constabit, eam relictam fuisse ex prægressa Apoplexia, vel Epilepsia, & multò etiam magis si pateat hujusmodi Apoplexiam fuisse fortem,& Æger sit jam gravioris ætatis, quia tunc tale vitium curationem non admittit,immò in dies & deformitas,& incommodum sanitatis ex eo crescit ; sed hæc distorsio potest major, & minor esse,& sic majorem,aut minorem deformitatem afferre,& majus aut minus sanitatis incommodum,juxta cujus qualitatem Irregularitatem per eam induci, aut non induci Canonistæ determinabunt,qui tamen & impedimentum in loquela, in masticatione,in potu,in exspuitione ex eo vitio emanans considerare debebunt.

3 In Palato fiunt ulcera maligna,& cacoëthica,ex quorum vitio Nasus interdum deperditur, & fœtor semper oris emergit ; & de his non aliter statuendum,quàm statutum sit de Nasi ulceribus, de quibus abundè in superiori quæstione. Quòd si prædicta palati ulcera non sint malignæ naturæ, nec depascentia, cùm non facilè ab extrà appareant non erunt fortè,ut priora sufficiens causa Irregularitatis ; nam priora præter incommodum sanitatis, quod patet,Gallicam luem præterea dominari satis clarè ostendunt.

Circa dentes non habent Canonistæ quicquam considerationedignum, quod dubium excitare videatur, an Irregularitati causam præbeat, necne ; nam etiamsi distorti sint,vel eorum plures deficiant, aut etiam omnes, vel si extra os prominent,hominem non facere irregularem dicunt,Majol. *lib.* 1. *c.* 14.neque enim ex eorum carentia talem deformitatem agnoscunt, quæ celari non possit,neque tale incommodum sanitatis, & liberi corporis usus, quod in sacrorum administratione ulli impedimento sit. Sed certè prominentia Dentium in aliquibus tanta est,ut insignem afferat deformitatem, maximè si cum prominentia jungatur eorumdem Dentium magnitudo, quia non dentes humanos, sed porcinos,aut potius Aprugnos eos habere dixeris ; cumque hæc deformitas non facilè abscondi possit,videndum, an sufficiens causa Irregularitatis debeat esse. Præterea dentes nonnulli corrumpuntur, & gravem oris fœtorem causant;sed his gratis omissis,quid de eorum dolore dicendum? hic certè tantus quandoque est, ut ex ejus impatientia non solùm sibi avelli dentes Ægroti permittant,sed præ anxietudine caput ad parietes allidere interdum cogantur. Quis ergo non æquiparari dixerit hunc cuicunque alterius partis vel acerbissimo dolori ? & quis negaverit eum,qui hujusmodi dentium dolori est obnoxius, ac frequenter, & ex quacunque vel minima causa eo prehenditur,non minùs quàm qui capitis dolore gravi tentari solet, esse ab Irregularitate immunem ? Itaque & hoc ipsum vitium Canonistis considerandum propono. 5

Gingivæ ulcera pati possunt maligna serpentia, & cancrosa, quæ non minùs ac cætera id genus ulcera Irregularitatis causa esse possunt, siquidem & insanabilia sunt, & gravem oris fœtorem producunt,licet corporis munia exercere hominem non prohibeant. Cætera autem vitia gingivarum non ejus gravitatis sunt,ut de illis ad hanc rem mentionem facere oporteat de his ergo hæc satis sunt. 6

Lingua præcisa hominem mutum reddit, quod potissima causa irregularitatis est,sed adverte quòd alias admonui *lib.* 2. *harum Quæst. tit.* 3. *quæst.* 8 *n* 4. linguam aliquando in totum,& radicitus præcisam esse,aliàs autem ex parte exteriori, & loquelam in totum perire,si tota sit præcisa,si verò ex parte, loquelam depravari, aut etiam aliqualiter perire ad tempus, nam augetur ipsa lingua,& sermonis usus majori ex parte redit, ut de quodam adnotavi loco allegato. In his autem casibus arbitrium Episcopi maximè videtur habere locum pro majori,aut minori sermonis impedimento 7

Præterea Lingua vel à Natura, vel à morbo aliquando naturalem magnitudinem excedit, nam à natura vidi Puerum natum cum lingua adeò magna, ac longa, ut extra os tribus digitis prominere t, & si eam aliquando foras extendebat, monstruosum judicari quid poterat, tantoperè prominebat, de eo mentionem aliàs feci *lib.* 2. *har. Quæst. tit.* 1. *quæst.* 7. *n. ult.* Ex morbo autem lingua vel apostematur,vel ita augetur, ut ore contineri non possit,qualem viderunt Galen.& Foresti. referente Daniel.Sennert. *lib.* 1. *pract. part.* 3. *sect.* 3. *cap.* 2.Non dubium ergo esse debet,quin hoc casu,& maxima deformitas, & magnum liberi corporis usus impedimentum insit, & deformitas quidem per seipsam conspicua intuentibus fit, impedimentum autem causatur in loquela, in masticatione, in respiratione, & aliis actionibus : præbebit ergo hujusmodi magnitudo Linguæ duplici ex capite causam Irregularitati, ut patet. 8

Sed

9 Sed abſq; eo quod lingua creſcat, aut ullo modo magnificetur, paralyſim patitur, ita ut contineri ore non poſſit intra ſua ſepta, ac præter hæc aliquando ita retrahitur ex cõvulſione, ut neq; ullo modo adeſſe in ore videatur, neq; moveri poſſit, & in utroq; caſu tã paralyſis inquã, quàm convulſionis loquela vel in totum amittitur, vel maxima ex parte ac notabiliter impeditur. Verùm in paralyſi præter mutitatis incommodum etiam invenuſtas plerumque, & deformitas cum extra oris ſepta promineat. In convulſione autem ceſſat ea deformitas, & tamen, ut dixi, ad interiora interdum tantopere retrahitur, ut aperto etiam ore nulla ejus veſtigia appareant, quod maximè notavi in muliere uteri præfocatione detenta, quæ ſentiebat quidem quæcunque dicebantur (ut fieri plerumque ſolet in ſimilibus præfocationibus) nam manus cuicunque parti admovebat, & os diducebat, oſtendebatq; inibi præcipuè moleſtiam, & in partibus ſpiritualibus percipere. Si ergo, qui linguæ uſum amittunt, ſunt irregulares D. Thom. *p.3 q.82. art. f. ad* 3. ex quo Majol. *lib.* 1. *cap.*26. *n.*2. uterque caſus inducit irregularitatem.

Et quia Lingua ſermonis modulatrix eſt, de loquelæ vitiis, ſi quid conſiderandum ſeſe offerat, aptus hic locus eſt. Sunt autem multa impedimẽta, quæ circa loquelam occurrunt, de quibus ſingulis mentionem feci *lib.* 2. *tit.* 3. *q.*1. quæ in nullo cenſu habuiſſe videntur Canoniſtæ, ſi unam mutitatem
10 excipias. Itaque nec Balbum, nec Blæſum voluerunt ulla Irregularitate obſtringi. Majol. *loco cit.* fortè & idem dicerent de Atypis, Traulis, & Pſellis, & id genus aliis, de quibus locutus ſum *præd. lib.* 2. *ubi ſupra.* Sed inter hujuſmodi loquelæ vitia illud eſt, ex quo quis obſcurè loquitur, ut illi interdum faciunt, qui inter ſomniandum obloquuntur, quod vitiũ vulgò ſignificamus hoc verbo, *parlar fradenti*, & eſt in aliquibus adeò notabile, ut vix, ac ne vix quidẽ percipi poſſint ab audientibus, unde etiamſi ſermonis uſus in his nõ totaliter perierit, tã modicè illis inſervit, ut pro deperdito haberi poſſit. Hoc vitium dici à LL. *loco ſuprà cit.* Aſymiam dixi, & rectè ex ejus culpa hominẽ morboſum debere dici ab ipſis ll. determinatũ *in l. Mutum, ff. de Æd. edict.* ac ſunt qui credant idem vitium eſſe hoc cum Cœloſtomia, quando nimirum homo quaſi in oris receſſu, & ipſa gula loquitur, & ita obſcurè, ut modicum ſonum efformet, & non intelligibilem. Ea ratione ſermonis uſum habuiſſe ferunt Gigantes, Patagones nominatos, qui de rebus Indicis commentaria ſcripſerunt. Sed ſit quomodocunque illa generalis regula præſcribi poteſt, quòd ubi nullus ſermo eſt, aut nullus, vel valde modicus ejus uſus, evidens cauſa Irregularitatis prædominetur.

11 Raucedo non ab omni dubio immunis videtur, an inducat Irregularitatẽ, necne, licet enim plerumque levis affectio ſit, & facilè removeatur, quando ex deſtillatione ſimplici provenit (licet in ſenibus cõcoctionẽ non admittat, teſte Hip. *lib.* 2. *Aph* 40.) tamen aliquando perpetua eſt, ac talis, ut ſonus vix percipiatur, fitque à perenni, & contumaci deſtillatione interdum cum faucium, & partium ad vocem inſervientium ulcere, portenditque ſemper majus aliquod malum, & ſignanter morbum Gallicũ jam confirmatũ qua de cauſa ab Haliabbate ſervi, qui raucedinem perpetuã patiuntur tanquam morboſi & ſuſpecti de Elephanthiaſi, ſeu lepra reſpuuntur. Itaq; determinãdũ à Canoniſtis eſt, an Raucedo ejus gravitatis, quam commemoravi, ſit ſufficiens cauſa Irregularitatis, & an, & quã diſpenſationẽ requirat.

Eſt & aliud vitium quorundũ ad loquelæ concinnitatem pertinens, cum quis per ipſas Nares loquitur, quod vulgo dicimus, *parlar col Naſo*, quod videtur profectò magnam ſecum habere indecentiã, an verò tanta ea ſit, ut ſufficiat, ad Irregularitatem inducendam, Canoniſtis ſtatuendum relinquatur.

SUMMARIUM.

1 *Pectoris vitia quæ reſpectu irregularitatis ſint conſideranda.*

2 *Tuſſis quæ, & quando inducat irregularitatem.*

3 *Sanguinis ſputum quotuplex, & quando præbere debeat cauſam irregularitatis.*

4 *Syncopis plures gradus, & quando ex ea induci debeat irregularitas, & quid de animi deliquio, & Lipothymia*

5 *Phthiſis quis morbus, & an, & quatenùs faciat hominem irregularem.*

6 *Aſthma is diverſa ſpecies, & quænam illarum Irregularitatem inducant.*

De vitiis Pectoris, partiumq; cæterarum ſpiritualiũ.

QUÆSTIO X.

IN pectore multæ ſunt partes tam externæ, quàm 1
internæ, de externarum vitiis ſuo loco diſſerentes nunc de vitiis internarum, inter quæ quinque præcipuè veniunt conſideranda, nempe Tuſſis, Hæmoptois, hoc eſt ſanguinis ſputum, Phthiſis, Syncopis, & Aſthma. Quoad Tuſſim, quamquam hæc levis plerumque affectus, cẽſetur, & de qua fruſtrà verba facere inſtituamus, tamen offertur conſideranda quædam peculiaris tuſſis, quæ non facilè videtur debere eſſe ab irregularitate immunis ob inſigne impedimentũ, & moleſtiam, quam affert, & periculum, quod minatur & ſcandalum, quod excitari ex
ejus vi inter miniſtrandum poteſt. Hæc Tuſſis Thi- 2
riodes, & ferina, & maligna dicitur, & eſt Tuſſis moleſta, vehemens, & frequens, quæ ſupprimi nequaquã poteſt, & minima quaq; ex cauſa invaleſcit; nam & inter loquendum, & inter reſpirandum & inter bibendum promptiſſimè excitatur necniſi difficulter quieſcit, ita ut homini nullũ omninò tempus intermiſſionis concedat, quam obrem peſſimos ac lethales morbos excitat; proximius tamen ex ea imminet periculum rupturæ venarum pectoris, quę ob violentiã & indeſinentem motum ipſius Tuſſis dirũpuntur, & ſanguinẽ effundũt, ex quo deinceps ulcus generatur: nam à ſanguinis ſputo Puris ſputũ à Puris ſputo Tabes, & Mors. Hipp. *lib.* 7. *Aph.* 5. Ergo ex hac Tuſſi fit, ut Ægri aliquando ex improviſo cum magno impetu ſanguinem ab ore rejiciãt. Non unico igitur ex capite intrat in hoc caſu Irregularitas, ſed ex multiplici, nempè ex impedimento liberi uſus corporis, ex imminente periculo majoris morbi, & imminente ſcandalo inter miniſtrandum.

Sanguinis ſputum à multis partibus provenire 3
poteſt, à capite ſcilicet, à gingivis, à palato, à faucibus, à ſtomacho, à pectore, & partibus ſpiritalibus. Ad rem noſtram illud tantùm videtur in conſideratione habendum quod ex pectoris, & partium ſpiritualium vitio provenir, licet quandocunq; ſputũ, quod cum moleſta Tuſſi, & cum impetu ab ore rejicitur. In conſideratione habendum, circa ea, quæ dicemus: nam poteſt & ab Hepate, & à Liene, & ex retentione conſuetæ evacuationis per Hemorrhoides, vel per uterum factæ provenire, in quibus omnibus caſibus ſemper malum portenditur juxta Hip *ſent lib.* 4. *Aph.* 25 ſanguis qualiſcunque, ſi ſurſum feratur, malũ. Tamen non ejus periculi eſt ſanguis ex capite, Gingivis, & oris partibus proveniẽs neq; ideircò videretur eſſe ſufficiens Irregularitatis cauſa contrà quam dicendũ ſit de ſputo ſanguinis, quod à pectore, aut etiam aliunde ab inferioribus

per os fiat, quia ſemper minetur ulcus Pulmonis ex vaſorum apertione, & Phthiſim, quamobrem cum ob præſentem morbum, & ſanitatis incommodum tum ob imminens periculum, & ſcandalum in adminiſtratione ſacrorum, videtur hoc ſymptoma ſufficiens cauſa Irregularitatis, dummodò tamen non abſit diſpoſitio ad hos ſubſequentes morbos, ſed ex Tuſſi perenni, difficultate reſpirandi, conſtitutione pectoris, & aliunde ea diſpoſitio manifeſtam de ſe cognitionem præbet.

4 Syncopis ſunt plures gradus, primus eſt, & qui dicitur animi defectus, vel animi deliquũ, ſecundus qui dicitur Lypothymia, vel Lipopſichia vel Apoſichia. Tertius qui dicitur propriè ſyncopis, qui eſt omniũ graviſſimus, minùs gravis eſt Lypothimia, & adhuc minus animi deliquum. Circa hunc affectum animadverrendum, quod ſyncopis omninò differt à vertigine, ab Apoplexia, & Epilepſia, & sũt tam differentes, ut ſunt affectus diverſarum partiũ, & à diverſis cauſis prodeuntes, ita ut nullum ſymbolum habeant contra id quod ex Gabuccino dicit Majol. *lib. 2. de Irreg. c. 16. n 12. verſ. ad Comitiales:* nam vertigo, Apoplexia, & Epilepſia ſunt paſſiones Cerebri, Syncopis eſt paſſio Cordis; illi affectus ad partem animalem, hic ad vitalem ſpectat, unde differunt etiã in duratione, nã ſyncopis de raro revertitur, & ſi revertatur, hominem è medio tollit; affectus autem illi, præcipuè vero vertigo, & Epilepſia facilè aliquando revertuntur, & cum illis homo ad plures annos perdurare poteſt. Verum quidem eſt, quoſdam Medicos, inter quos eſt Mercatus putaſsè Lypothymiam, quam ſecundum gradum Syncopis fecimus, eſſe affectũ Cerebri, & hoc pacto maximè convenire cum vertigine, & Apoplexia, ſed rectè hæc ſententia convellitur ab aliis, & præcipuè à Daniel. Sennert. *lib. 2. tract. p. 4. cap. 6.* Rectè tamen à Canoniſtis videtur deciſum, quod patiens ſyncopem, dummodo recurrat, & hominem frequenter ac leviori ex cauſa adoriatur, irregularis ſit, periculum enim eſt, ne tales inter ipſam ſacrorum adminiſtrationem deficiant juxta Hippoc. ſententiam *lib. 2. Aph. 41.* Qui frequenter, ac fortiter abſque manifeſta cauſa animo linquuntur, de repentè moriuntur; in qua ſententia Hippocrates de vera ſyncopi loqui videtur, cum illo verbo utatur, fortiter: ſed videndum utrum de Animi deliquio, & Lipothymia idem ſit ſentiendum, ac ex mea ſententia, ſi tuto Canoniſtæ de his determinare cupiunt, Animi deliquium ſimplex non tanti faciendum, ut ex ejus cauſa homo evadere debeat irregularis, quia facilè diſcutitur, & hominem extra ſe non rapit, nec cadere cogit; ſed modica frictione faciei, aut levi quocunque auxilio, ceſſat, non ſic autem Lipothymia, quæ hominem paſumper ſenſu, & motu privat; concidere cogit, niſi ab aliis ſuſtentetur, nec facilè ceſſat, & quod magis conſiderabile eſt, ſi perſeveret, in veram ſymcopem convertitur, ſed & alia quædam ſyncopis ſpecies eſt, quæ Cardiaca dicitur, de qua ſuo loco verba faciemus.

5 Phthiſis eſt ulcus Pulmonis, ad quod cõſequitur hectica febris, habitualis, morbus eſt cum jam eſt confirmatus, qui curationem non admittit, nec tamen facilè curatur, etiamſi confirmatus non ſit, & habet præterea conjunctum ſecum contagium, & quandoque tanta pravitate, ac malignitate comitatur, ut halitu inficere poſſit; ſed nota, non tantam energiam ejus contagium habere, quantam ſibi perſuadet Majol. *lib. 2. c. 20. n. 1.* quia non à quocunque ſubjecto in quodcunque, & quandocunque communicatur; qui enim ætate jam provecti ſunt non tam facilè inficiuntur, ut ille credit, immo neq; ali quicunque, niſi habeant quandam à natura propenſionem ad prædictum contagium contrahendum, quod non ſimplici halitu ſemel, atque iterum percepto contrahunt, ſed longa, ac multa reiteratione ac converſatione cum perſona infecta, ut de aliis quibuſcunque contagiis ut plurimum uſuvenit, ſed quomodocunque ſese res habeat, Phthiſis vera etiam non confirmata non unam habet cauſam ſufficientem ad inducendam Irregularitatem.

Aſthma moleſtiſſimus affectus eſt, ex quo animal liberè reſpirare non poteſt, & eſt triplicis generis, unumquodque autẽ ſuum habet peculiare nomen, & illud certum eſt, quod cujuſcunque generis ſit, hominem libero corporis uſu privare ſolet, & quia morbus hic eſt ex facilè recurrẽtibus, cum minima quandoque ex cauſa revertatur, idcircò determinandum, an omnes ejus ſpecies, vel aliquæ tantum & quæ inducant Irregularitatem, nam certum eſt, omnes non eſſe pariter ſufficientes ad eam inducẽdam, ſed unam eſſe alia potiorem cauſam. Itaque ſimplex anhelandi difficultas, ſeu gravis anhelitus vel anhelatio, in qua denſus creberque fit ſpiritus, appellatur Dyſpnæa; ſi verò adhuc magis denſa, ac crebrior reſpiratio fiat, qualis eorum, qui violento curſu de proximo ſunt defatigati, nominatur Aſthma; ſi vero tantoperè reſpirandi difficultas creſcat, ut homo non niſi recta cervice reſpirare poſſit, vocatur Orthopnæa: non eſt igitur dubium, quod in Dyſpnæa, ſeu ſimplici Anhelatione, & difficultate reſpirãdi minor militat irregularitatis cauſa, ſi quæ militat, quam in Aſthmate, & minor etiam in Aſthmate, quam in Orthopnæa; unde ob id Dyſpnæa laborantes non omnino fortè erant repellendi à promotione ad ſacra, & ab eorum adminiſtratione, niſi fortè in ipſo paroxiſmo, ex quo tamẽ non majus imminet periculum, ex cujus violentia deſiſtere cogantur ab ulteriori adminiſtratione; quod tamen in Aſthmate, & multò magis in Orthopnæa timendum, in quibus aliquando tanta urget reſpirandi neceſſitas, ut homines præ anguſtia animam agere videantur, & niſi ſuccuratur, in ſyncopem quandoque, & in mortem ipſam impingant. De his igitur ſi paroxiſmos frequentes habeant, & maximè ſi certis ac determinatis temporibus recurrant, videndum, an repellendi omnino ſint à promotione, niſi promoti fuerint, etſi promoti ſint, an prohibendi ab adminiſtratione ſacrorum ob rationabilem timorem incurrendi periculum à me commemoratũ.

SUMMARIUM.

1 *Paſſionum, quæ irregularitati cauſam dare poſſint ad ſtomachum, & ventriculum pertinentium enumeratio.*

2 *Oeſophagi, & Ventriculi ulcera quatenus, & cur Irregularitatem inducere debeant.*

3 *Deglutitio quibus modis ladatur, quando faciat hominem irregularem.*

4 *Deglutitionis difficultas in ingerendis cibis ſolidis tantùm, aut in ingerendis liquidis tantùm, an facere debeat irregularitatem.*

5 *Cardiaca paſſio, ſeu Cardialgia quid ſit, & quam cauſam irregularitati præbere poſſit.*

6 *Ventriculi dolor quando faciat hominem irregularem.*

7 *Singultus quid ſit, & quomodo à Vomitu, & a Nauſea differat, ac quando irregularitatem inducere poſſit.*

8 *Vomitus quatenus, & quibus in caſibus inducere debeat Irregularitatem.*

9 *Nauſea quid ſit, & quando videatur inducere Irregularitatem.*

De

De Stomachi, ſeu Oeſophagi, & Ventriculi vitiis.

QUÆSTIO XI.

STomachus, & Oeſophagus propriè vocatur, ductus, per quem cibi & potus in ventriculum ingeruntur; ventriculus propriè, qui potus & cibos recipit, retinet, ac concoquit. Circa has partes nonnulla vitia reſpectu Irregularitatis ſunt conſideranda, quorum tamen nullum præter vomitum videntur Canoniſtæ in conſideratione habuiſſe; nos de aliis quibuſdam mentionem facimus, quia juxta generales Canoniſtarum regulas, videntur ſufficientem cauſam præbere Irregularitati: ſunt autem quæ 1 ſequuntur, nempe ulcera harum partium, læſa deglutitio, Cardiaca paſſio, ventriculi dolor, ſingultus, nauſea, & vomitus. Et quoad ulcera certum eſt, 2 ea magni momenti eſſe, ſi in Oeſophago exiſtant, multo majoris autem ſi in ventriculo; utraque autem habere ſecum impedimentum liberi uſus corporis, impeditur enim, ſeu inquam, labefactatur hæc naturalis actio deglutiendi, tales enim non poſſunt abſque moleſtia quicquam deglutire, maximè autem vinum, quod moleſtiam, & dolorem in ulceribus generat; præterquam quod utraque habent ſecum manifeſtiſſimum periculum adjunctum, ex eo enim, quod non facilè curationem admittant, indies majora fiunt, & ſordidiora, & malignitatem concipiunt, quouſque tandem homo tabe, vel lienteria, vel diſſenteria abſumatur.

3 Quoad læſam deglutitionem ſciendum erit, Naturam fabricaſſe Oeſophagum, quem propriè ſtomachum, & gulam Medici vocant, ut per eum tanquam per Tubam, ſeu conductum cibi, & potus ore recepti in ventriculum demittantur, unde illum ex filamentis ſeu fibris, ac villis ad hoc fabricavit, quibus mediantibus tanquam chordis, ſeu potius manibus cibos, & potus in ventriculum detruderet. Duabus autem Tunicis illum, Oeſophagum inquam, natura donavit, interna craſſiori, rectiſque fibris dotata, externa tenuiori & traſverſas, ac circulares fibras habente: rectis interna membrana tanquam manibus utitur ut dixi, ad attrahendos cibos, & potus in ventriculum; traſverſis ac circularibus externa utitur ad trahendos eoſdem cibos, & potus in ventriculum & ad expellenda noxia per vomitum. Fit ergo, ut hæc pars, nempe Oeſophagus, hanc deglutiendi actionem vel omnino amittat, vel malè, difficulter, ac diminutè exerceat; ſi difficulter, & diminutè deglutire illum contingat, non tam conſiderabilis affectus videtur, ut in hoc negotio de Irregularitate locum habere debeat, ſed ſi nullo modo deglutire poſſit, quomodocunque id fiat, vel ex Apoſtemate, inquam, vel ex ulcere, vel ex Paralyſi, Irregularitati videtur eſſe maximè locus, quod quidem ampliandum videtur in difficillima & anxia deglutitione, (nam totalis amiſſio deglutitionis abſque dubio hominem paucorum dierum ſpatio è medio tollit, licet noverimus quoſdam, qui uſque ad quadrageſimum perduraverint, & ſanati etiam ſint, abſque eo quod quicquam eo tempore deglutirent) nam in celebrando ſacrificio Miſſæ ea actione libera opus habenius; videant ergo Canoniſtæ, quatenus in hoc caſu intret Irre- 4 gularitas. Præterea animadvertendum, quod deglutitio aliquando difficillima ſit in ingerendis cibis ſolidis, cum contra liquidi facillimè deglutiantur. Secundò contrarium quandoque evenit ut cibi ſolidi abſque difficultate deglutiantur, liquido nullo modo. Tertiò denique fit ut neque ſolidi, neque liquidi deglutiri poſſint. Itaque quomodocunque hæc actio deglutiendi fieri deſiſtat, videntur prædicta habere locum, cum maximè in celebrando ſacro ſancto Miſſæ ſacrificio libera deglutitione, ut dixi, indigeamus. Sed certè curioſitate non vacat dubium, quod moveri circa hanc deglutitionis difficilis differentiam poteſt, & eſt, quanam ratione fieri poſſit, ut interdum ſolidi cibi deglutiantur, liquidi nequaquam, immò in aliquibus tam difficilis redditur deglutitio potulentorum, ut eam tentare abſque ſuffocationis periculo non poſſint. At verò apertiſſimè patet majorè vim requiri in deglutiendis ſolidis cibis, quàm potulentis, ergo ſi ſolidi deglutiuntur, cur non deglutiuntur liquidi, in quibus ingerendis minor vis concurrit? Sed dupliciter ſatisfieri poteſt huic dubio, primò negando, majorem virtutem requiri in ingerendis ſolidis, quàm liquidis abſolutè, nam in deglutiendis quæ offeruntur, neceſſe eſt Oeſophagum conſtringi, & amplexando oblata per rectas fibras detrudi in ventriculum; modo, majori conſtrictione opus habet ad ingerenda, & amplexenda potulenta, quam ſolida; unde ad ingerendos cibos ſolidos ſufficient fortè fibræ interioris membranæ, at in ingerendis potulentis concurrere etiam debent tranſverſæ, & circulares fibræ tunicæ externæ, & ſic majus negotium Naturæ faceſſit ingeſtio potulentorum, quam ſolidorum, & huic opinioni adhæret etiam Daniel Sennert. *lib. 3. pract. part. 1. ſect. 1. c. 3. q. 5.* licet antequam ipſius ſcripta vidiſſem, eam concepiſſem. Vel dicamus in liquidorum deglutitione pauciores muſculos & partes concurrere, quam in deglutitione ſolidorum; ac fieri interdum, ut etiam malè affectis quibuſdam muſculis, aut inſtrumentis ad deglutitionē deſervientibus, eorū tamen deglutitio fiat per alios muſculos, & organa ſana, at in deglutitione liquidorū ſi qui muſculi deficiant, aut organa ad id inſervientia, non poſſe ſuppleri per alia, & ſic aut difficillimè, aut nullo modo liquida deglutiri poſſe.

Sed ad alia progrediamur, offertur igitur poſt 5 hæc conſideranda paſſio quædam ventriculi Syncope Cardiaca dicta, ſeu Cardialgia, de qua ſupra; & eſſent quidem nonnulla circa nomina ponderanda, ſed ſatis illud ſit, me hæc per hanc vocem Cardiacæ, vel Cardialgiæ ſignificare velle, nempe paſſionem quandam oris ſuperioris ventriculi cum dolore, & anxietate maxima, & aliquando etiam cum animi defectu, & Syncope. Cùm ergo hæc paſſio Syncopi jungitur, non eget ulteriori conſideratione, num ex ejus culpa irregularitas inducatur, necne, quippe cum non minus quam ipſa Syncope ex primaria cordis affectione procedens culpari debeat; ſed dubium tantummodo eſt, utrum ſi ſolo dolore, & anxietudine moleſtare ægrum ſoleat, Irregularitatem tamen inducat. At neque circa hoc ullum dubium intervenire debet, cum paſſio ſit acutiſſima, & moleſtiſſima, & tanto angore hominem ſollicitet, ut neque ſtare eum loco permittat, neque liberè reſpirare, immò ne loqui quidem aliquando, unde palam eſt, quod ob impedimentum liberi corporis uſus præter alia Irregularitatem inducat. Quod amplia non ſolùm dum actu hominem affligit, ſed etiam extra paroxyſmum in aliquibus, quia hæc paſſio in nonnullis eſt ex facilè recurrentibus. Si quis ergo illi ſit obnoxius, videant Canoniſtæ an perpetua Irregularitate detineatur.

Non eadē paſſio eſt ventriculi dolor, & Cardial- 6 gia; nā Cardialgia ad os tantum ventriculi pertinet, dolor ad totu ventriculū, illa ab acutis, & malignis humoribus, & plerunque calidioribus excitatur, hic à frigidis, & crudis, à flatibus, & à pituita fit, utplu-

ut plurimum. Est tamen ventriculi dolor passio magni momenti, non tamen ut Cardialgia, tum quia ille à benignioribus humoribus generatur, tum etiam quia pars affecta in hac est exquisitissimi sensus & quæ nequaquam absque cordis ipsius affectione durare possit. Sed habet etiã vẽtriculi dolor illud inconveniens, ut facilè recurrat, & siquidem dolor sit insignis ac notabilis, plura alia symptomata maxima consideratione digna excitare solet, ut Animi deliquium, & Lipothymiam, & præterea Nauseam vomitum & anxietudinem. Si ergo facilè recurrat, & ad hanc magnitudinem perveniat, non minus quam alij similes morbi culpari ex mea sententia debet, quoad Irregularitatem inducendam.

7 Singultus est quasi convulsivus quidam ventriculi motus, & est inanis quidam ipsius conatus ad noxia expellenda, in hoc à vomitu differens quod vomitus est motus ventriculi, quo expellit cibos, & potus, aut humores in eo contentos, per os; differt etiam à Nausea, quia hæc est quidam inanis stimulus ad vomendum, neque fit in ea, ut in singultu, motus ille convulsivus; ob cujus respectum singultus molesta affectio certè est circa quam illud tantummodo libet adnotare, nonnullus ex assumptione cujuscunque potus jejuno stomacho facta singultum molestissimum incurrere, ac maximè aliquibus familiarem esse expertum, tum ubi potus fuerit vini dulcis (quod tamen evitari facilè posset) sed alios vidi, ut hoc obiter dicam, nullas res dulces degustare vel primoribus labris posse absque eo quod illico singultu prehenderentur. Vitium igitur illud incurrendi singultum ex quocunque potu jejuno stomacho sumpto non videtur sicco pede pertranseundum, de quo quid statuendum sit, Canonistæ videbunt.

8 Vomitus quid sit norunt omnes eumque superiùs definivimus, sed diversæ speciei est, respectu causarum eum excitantium, & respectu materiarum quæ evomuntur. Canonistæ de eo maximè loquuntur, qui fieri solet ex intemperie, & languore ipsius ventriculi, sed non hic tantum dare debet Irregularitati causam, dum qui ex languore procedit Irregularem facit, sed ille etiam, qui fieret ab aliquo humore calido & acri, vel etiam alterius naturæ stomachum irritante, ac cogente ad ejus expulsionem, ac profectò quomodocunque succedat, ut homo sæpe, ac levi quaque ex causa, & indifferenter quocunque tempore etiam jejuno stomacho, vomitu proritetur, habebit urgentissimam Irregularitatis causam: non aliàs si quis nonnisi ab assumpto cibo vomeret vel certo tempore, ut exempli gratia noctu, non interdiu vel stomacho pleno, non autem jejuno, certè non nisi injuria quantum ego existimo, ab administratione, vel à promotione sacrorum repelleretur. Et quia diximus vomitum variari secundum varietatem materiæ ejectæ, dicendum nunc, quod cujuscunque materiæ vomitus fiat, nempe sanguinis, pituitæ, bilis, aut melancholiæ, serositatis, vel puris, vel mixtæ, & æterogeneæ cujusque materiæ, dummodo frequens sit, & indifferenter qualicunque horà molestare consueverit, Irregularitatem inducet, sed maximè ille, qui jejuno stomacho fit, & minima ex causa, ac præcipuè ex assumptione materiæ potulentæ, & ratio patet.

9 Sed quid dicendum de Nausea, quæ motus quidam ventriculi est, quo inaniter conatur contenta per vomitum expellere? certè Nausea solet præcedere vomitum; sed si Nausea simplex sit, nec ad illam ullo modo vomitus sequatur, dubitari potest, an hominem irregularitati subjiciat, necne; & hæsitandũ non est, ex ea aliquod dedecus, & indecẽtiam in ministrando subsequi posse, an verò sufficiat ad Irregularitatem inducendam Canonistæ videant.

SUMMARIUM.

1 *Intestinorum morbi Irregularitatem inducentes.*
2 *Intestinorum dolores quà tenuium dolores quatenus inducant irregularitatem.*
3 *Dolores colici.*
4 *Fæcum incontinentia quemadmodum fiat, & an Irregularitatem inducat.*
5 *Fæcum rejectio per os & aliena loca quando & quatenus præbere debeat causam irregularitati.*
6 *Hæmorrhoides quid sint, & quales sint morbi earum, de quibus dubitari possit, an irregularitatem inducant.*
7 *Hæmorrhoidis dolor quando faciat hominem irregularem.*
8 *Venarum hæmorrhoidalium apertio utrum, & quando inducat irregularitatem.*
9 *Hepatis morbi, de quibus dubium esse potest, an faciant hominem irregularem.*
10 *Cachexia quid, & an faciat irregularem.*
11 *Hydrops quid, & ejus species, & an inducat irregularitatem.*
12 *Ictterus quid, & an Irregularitatem inducere debeat.*
13 *Ictterus Niger quomodo fiat, & an Irregularitatem inducere debeat.*
14 *Lien utrum eximi possit, & an is, cui exemptus est vel alia ratione deficit, Irregularitati subjiciatur.*

De vitiis Intestinorum, Hepatis, & Lienis.

QUÆSTIO XII.

IN intestinis quoque vitia adnotantur, quorum culpa dubitari potest, an Irregularitas locum habeat, necne; quatuor autem ex eis tantummodò 1
proponam, quæ majus videntur negotium facessere nempè dolores, fœcum incontinentiam, earundem fœcum per aliena loca, sed præcipuè per os, rejectio, & Hæmorroides.

Dolores Intestinorum variant pro varietate eorundem Intestinorum, & pro varietate causæ, & materiæ dolorem excitantis; sed nobis sufficit hanc varietatem ex loco tantùm desumere, seu potiùs ex varietate ipsorum, ut dixi, intestinorũ, quædã enim tenuia sunt, quædã crassa, & sic dolores in duplici erũt differẽtia, & qui tenuia occupant Iliaci dicũtur ab Ileo intestino, suntq; dolores acutissimi, & mortales, qui vocantur alio nomine Chordapsus, & Volvulus, & Miserere mei; de his autem non est necesse quicquã addere, cùm hominẽ interdũ brevi paucorum dierum, imò & horarum spatio è medio tollunt. Si autem homo ab illis superstes remaneat, cessat simul cum morbo etiam irregularitas. 2

Dolores qui crassa intestina molestant, Colici nominantur à Colo intestino, in quo præcipuè generari solent. His nonnulli adeò obnoxij sunt, ut minima quaque ex causa illis molestentur, & cum his non contemnendis accidentibus anguntur, & in actu quidem affligendi nullum dubium facere debent, quòd hominem à quacunque actione impediant, & irregularem faciant; sed videndum, num promptitudo relabendi in tales dolores sufficiens causa irregularitatis esse debeat. 3

Fæcum incontinentia fit resoluto musculo Ani, qui Ani Sphincter dicitur, de qua jam nonnulla diximus, turpisq; admodum affectio est, ex qua homo fæces retinere non potest, sed involuntariè & absq; ullo sensu emittuntur; quod vitiũ in Senibus animadvertitur, ac præcipuè in Decrepitis, qui se se facilè conspurcant; ex qua turpitudine certè videtur fieri irregularitati locus, cùm & inter celebrandum 4

&

& miniſtrandum facilè id accidere poſſit cum maxima indecentia ; indifferenter enim quocunque tempore id illis accidere ſolet, præcipuè verò in magnis æſtibus,& in magnis frigoribus;cùm namque maſculus ille paralyſim patiatur, & omnem ſenſum amiſerit, ac omnem virtutem retentricem, fit, ut fæces vel acriores ex ſe excidant, vel etiam ſua multitudine, non percipiente muſculo ſtimulum ipſarum fæcum expultricem excitantium, non poteſt ſaltem momento illas retinere,ne importunè exeant. Itaque conſideratione digna affectio hæc cenſenda,& quæ à Canoniſtis,ut res requirit, ponderetur.

5 Verum enim verò magis multò turpis affectio in aliquibus, licet de ratò, obſervatur, & eſt ipſarum fæcum per aliena loca rejectio, ut per Umbilicum, per Penem, per vulnera, & ulcera ventris, & per ipſum os. Hoc ultimum ſymptoma nempe fæcum rejectio per os aut à natura fit,& eſt rariſſimum, & de quo nihil ob id venit dicendum, aut ex morbo, ut in volvulo, & quia citiſſimè ex eo morbo homo decedit, neque de hoc quicquam addendum.Fæces per os ab aliquibus ad aliquot annos, interdum etiam toto vitæ curriculo fuiſſe expurgatas, obſervatum à Medicis eſt. Nam nonnullis ex Ani naturali clauſura fæcum exitus impediebatur,& ſurſum tendentes per os rejiciebantur.Aliis ex Scirrho obſtruente viam inteſtinorum idem contigit, & in neutris videtur poſſe intervenire dubium circa irregularitatem; quod intervenire poſſet in exitu fæcum per alia loca; affectio quidem ſemper turpitudinem magnam habet, & ſi turpitudo abſcondi poſſit,adhuc in dubio res eſt,ſi minimè poſſit celari ; dubio nullo modo eſt locus.

6 Hæmorrhoides vocantur quatuor illæ vænæ,quæ in ano partim intrò,partim foras terminantur,duæ idcircò internæ vocatæ, duæ externæ. Has aperiri interdum, ac multum ſanguinis effundere, inflammari,tumefieri, dolore,ulcerari contingit, & ex ulcere fiſtulas procreari. In quibus omnibus caſibus licet turpitudo aliqua, & ſanitatis incommodum interveniat,non ejus ponderis aut turpitudo,aut incommodum ſanitatis videtur, ut irregularitati locum facere debeant, quia turpitudo contegi facilè
7 poteſt, & incommodum modicum eſt. Apertio tantùm, & dolor facere majus dubium poſſunt ; & de dolore primum dicendum videtur,quod ſi conſiderabilis ſit, non aliàs, quàm nonnullarum aliarum partium dolores, culpari debeat; cum non minori impedimento interdum ſit, quàm alij, de quorum
8 nonnullis jam verba feci.De apertione,& ſanguinis rejectatione dicendum, quòd ſi copioſiſſima ſit, & perennis ita, ut non modò hominem debilem reddat,ſed ad Cachexiam,& Hydropem diſponere videatur, quòd facilè cognoſcitur ex illaudabili corporis colore;non carebit dubitatione, an irregularitatem inducere debeat,necne;non eſt enim abſque turpitudine, & ſanitatis incommodo.

Cæterùm ad Hepar nonnulli pertinent affectus, ex quorum culpa irregularitas contrahi debere videretur, de quibus tamen Canoniſtæ pauca, & tamen, ut mihi videtur, non irrationabiliter de his
9 dubitari poteſt. Sunt autem præcipuè Cachexia,
10 Hydrops,Icterus. Cachexia dicitur malus corporis habitus,ex eo enim quòd Hepar jam refrigerari incipiens non benè ſuo munera in ſanguificando fungitur,cùm ſanguinem frigidum,& aquoſum, & qui nutritioni minùs aptus eſt, generat, ægrotantes pravum corporis colorem contrahunt,& ſecundùm aliquas ejuſdem partes inflantur,ex quo non modo turpitudinem notabilem incurrunt, ſed ad liberum corporis uſum vix ſufficere poſſunt. Ex hoc Ægri ad Hydropem tendunt, qui major morbus eſt;nam Hepar jam omnino refrigeratum loco ſanguinis aquam generat, quæ à Natura inter ventris cavita- 11
tes,& per inania corporis ſpatia demandatur, & tumores procreat Oedematoſos, præcipuè autem ex ea re venter intumeſcit, cùm admodum pravo corporis colore, & notabili actionum quarumcunque impedimento. Vocatur Hydrops hic aquoſus, nam alius,ubi flatus prædominantur, Timpanitis vocatur,& tertia demum ſpecies, in qua tibiæ frequentiùs mirum in modum increſſantur,licet & aliquando etiam totum corpus increſſetur, vocatur Anaſarca. In ſingulis intervenit non modica turpitudo, gravitas in motu,ac præſertim in inceſſu,& in prioribus adeſt ſumma ſitis,& reſpirandi etiam difficultas,& alia ſymptomata non ultimæ notæ;unde ponderatis his, quæ Canoniſtæ concurrere volunt ad irregularitatem ex aliquo morbo inducendam, nil aliud determinari poteſt,quàm ex Hydrope hominem fieri irregularem.

Tertius deinceps affectus, quem nominavimus, 12
Icterus eſt ſeu Icteritia, quæ Morbus Regius, & Arquatus,& fellis ſuffuſio appellatur ; in eaque totius corporis dolor,non inquam, tantùm carnium, ſed interdum etiam oculorum,& unguium omniùque denique partium ad flavum convertitur cum ingenti deturpatione,ac tali, ut ipſimet Icterici in publicum prodire,& ab aliis conſpici verecundentur,unde fortè non tam liberè admitti ad ſuſcipiendos ſacros ordines concedendum, ut admitti dicit Majol. *lib.1 de Irregul.c.11.num* 2.nam licet quoad corporis functiones nihil fortaſsè incommodi afferat,tamen ſufficientem cauſam irregularitati præbere videtur ipſa morbi turpitudo, præterquam quod ubi ſæpius recurrat, majorem morbum portendit;ut Hepatis Scyrrhum,ejuſdem refrigerationem, Cachexiam, & Hydropem. Illud tantùm aliquam limitationem expoſcit,quòd in Ictero, ut irregularitatem inducere dicatur, requiritur, ut in pleriſque aliis morbis,ipſius Icteri gravitas,nempè ut ſit univerſalis, & color ſic intensè mutatus, & afferat ſecum alia ſymptomata in hoc morbo familiaria;hoc enim pacto major turpitudo, & majus ſanitatis incommodum ex eo emergit, aliàs autem ſi quis leviter ſuffundetur, etiamſi hoc illi ſæpiuſculè contingeret, non tam de facili videretur Irregularitati ſubjiciendus.

Eſt & alius Icterus Niger dictus,ad differentiam 13
præcedentis, qui flavus nominatur, in quo ex effuſione ſuci melancholici ad cutim corpus totum nigro colore inficitur, ita ut homo ſecundùm faciem, & totum corpus adeò naturalem colorem in nigrum mutet, ut ex nigris parentibus natus appareat. Hic morbus vitio Lienis contingit; nam quemadmodum bilis redundans in Hepate cum ſanguine tranſmiſſa ad veſiculam ei appenſam relegatur, ſic humor niger, & melancholicus tranſmittitur cum craſſiori ſanguine ad Lienem,ubi aliquando vel turgens, vel recipi in proprium receptaculum aliquo modo impeditus, per totum corpus effunditur, illudque nigredine inficit. Videtur ergo hîc affectus non modò parem ſupradicto, ſed majorem inferre turpitudinem, niſi quòd color niger magis homini familiaris videtur, quàm flavus. Ergo & de hoc Ictero nigro idem dubium, quod de flavo moveri poterit, & eodem modo reſolvi, quantùm ego exiſtimo,licet fortè contrarium velit Majol. *ubi ſupra.*

Movet

14 Movet præterea idem Majol. dubium de eo cui Lien exemptus eſt, credens ex aliquorum traditione Plinij præſertim *lib* 11. *c.* 3 . Lienem quibuſdam, ut expeditiores ad currendum ſint eximi. Alij crediderunt Lienem ſaltem inuri poſſe, ne majorem in molem tollatur, cùm Lien magnificatus levitatem curſus maximè impediat, ad quod confirmandum addunt, integras interdum Lienis portiones in vulneratis per vulnus exiiſſe ex Arctæi teſtimonio *de cur. & ſign. acut. cap.* 4. immò & totum per vulnus exemptum dicebat Plinius *ubi ſupra*, quod non videtur inficiari Andr. Laur. *lib. 6. Anatomiæ. q.* 25. ex hoc quod multa animalia perfecta ſine Liene vivant, quin etiam hominum cadavera quondam diſſecta ſine Liene reperta commemorat, ſed uſus Lienis tam neceſſarius eſt, ut ſine ejus opera totus ſanguis perpetuò coinquinatus remaneret; præterquam quòd neceſſe eſt in extrahendo Liene plurimas venas, infinitaſque arterias dilacerari, itaque rectè ab Aureliano *lib.* 3. *Chron. paſſ. cap.* 4. ſcriptum eſt, ex quo Sennert. *Pract. lib.* 3 *p.* 4 *cap. ſeq.* Lienem exſcindendum, vel urendum eſſe voce quidem dictum fuiſſe, non efficio completum: In omnem caſum illum, cui Lien exemptus eſſet, ut ex hoc tantùm irregularitati facilè ſubjiceretur.

SUMMARIUM.

1 *Renum dolores quam cauſam præbeant irregularitati.*
2 *Diabetes quid, & quando cauſet irregularitatem.*
3 *Urinæ incontinentia quid, & quando faciat hominem irregularem.*
4 *Urinæ incontinentia ex calculo videtur facere hominem irregularem.*
5 *Veſicæ calculus quam ob cauſam facere debeat hominem irregularem.*

De Renum, & Veſicæ Urinariæ vitiis.

QUÆSTIO XIII.

1 IN his partibus nonnulli obſervari poſſunt morbi de quibus, ut de aliis nonnullis, dubitari non abſque ratione poteſt, an irregularitatem inducere debeant, necne, hi ſunt Renum dolores Nephritici dicti, & maximè ex calculis provenientes, Diabetes, ſeu urinæ profluviũ, urinæ incontinentia, & veſicæ urinariæ calculus.

Dolores ergo Renum acutiſſimi ſunt, & intolerabiles, ex quorum vehementia homo omnino corporis uſu privatur, cumque ſint ex morbis facilè recurrentibus, dubitari poteſt, an qui illis obnoxij ſunt, promoveri debeant, necne; cùmque ex dolore capitis, qui magnus ſit, & ſummoperè hominem angat, videam Canoniſtas judicare hominem irregularem, videtur mihi non minùs culpari poſſe dolorem Renum ad hunc effectum ubi & magnus ſit, & ſæpè recurrat; niſi dicamus Canoniſtas judicaſſe dolorem capitis inducere irregularitatem quando non ſolùm eſt graviſſimus, ſed etiam continuus, & numquàm deſinit. Majol. *lib.* 2. *cap.* 23. non verò quando interdum hominem dimittit liberum, licet poſtmodum recurrat, quamobrem idem fortè dicendum erit de dolore Renum, quando hominem liberum relinquit, licet ſæpè recurrat. Sed certè nonniſi multoperè culpandi videntur ſimiles acuti ac graves dolores etiamſi hominem liberum relinquant, ut ſæpè recurrant.

2 Diabetes Renum paſſio eſt, in qua potulenta incocta redduntur, unde urina copioſiſſimè redditur. Dicitur urinæ profluvium, & Hydrops Matulæ, rarus ſanè affectus, ſed cõſideratione dignus in hoc negotio, quippè cum afferat ſecũ alia ſymptomata moleſtiſſima, ut febriculam conſumptivam ſui inextinguibilem. corporis extenuationem, tandemque mortem. Tametſi ægrotantes per aliquod tempus lecto ſe non contineant, niſi ingraveſcentem morbo ſed certè ex eo in adminiſtratione ſacrorum ob neceſſitatem reddendi urinam, aliquod ſcandalum, & indecentia imminet; quamobrem ad Canoniſtas pertinebit determinatè, an ab adminiſtratione & à promotione etiam, ſi non ſint promoti, repelli debeant.

Differt urinæ incontinentia à prædicto affectu 3
Diabete dicto, vel urinæ profluvio; in hac enim, hoc eſt in urinæ incontinentia, urina non multa redditur, ſed redditur involuntariè, & contineri ad libitum non poteſt, ita ut Ægri ſe ipſos commingant in illo verò redditur urina copioſiſſima, ſed cum conſueto ſenſu, nec præter voluntatem urinæ incontinentia fieri ſolet in his, qui veſicæ calculo laborabant, ſed ob urinæ acrimoniam, & fit cum ſenſu, imò cum triſti ſenſu; ſed illa, de qua loquimur fit ob paralyſim, & reſolutionem muſculi ſphincteris veſicæ urinariæ os claudentis, & ob ejuſdem refrigerationem, ex qua deperditur ſenſus. Habet hic affectus dedecus multum, ſed quod abſcondi utcunque poſſit; appenditur enim vas tubum retortum habens, quod urinam excipit, in cujus os penis immittitur, & ſic evitatur omnis turpitudo, quæ ex eo affectu emanare poſſit; igitur utrùm hæc turpitudo ſit cauſa ſufficiens irregularitatis, & utrùm evitetur ſufficienter ea turpitudo, modo 4
prædicto, Canoniſtis determinandum relinquatur. Majus multò incommodum habet urinæ incontinentia, quæ ex calculo veſicæ fit, ob dolorem enim & cruciatum in reddenda ſæpè ſæpius urina non facilè poteſt vitium celari, itaque neque facilè evitari poterit Irregularitas.

Veſicæ autem calculus moleſtiſſima ac ſæviſſima 5
paſſio eſt, ex qua homo perpetuis cruciatibus in urina aliquando per vim, & cum maximo conatu reddendo aliquando verò coactè, & involuntariè, ut jam dictum eſt, obnoxius eſſe ſolet. ex ea igitur paſſione cauſari Irregularitatem non videtur dubitandum, quippè cùm homo liberum corporis uſum non habeat, ſed inter agendum, quæcunque tandem agat, cogatur urinam, ut dixi, cum dolore & ardore, & anxietante maxima reddere, unde non ſolùm habet impedimentum liberi uſus corporis, ſed etiam turpitudinem, & indecentiam; quamobrem nulla cauſa eſt, quin & à promotione, & ab adminiſtratione ſacrorum arceantur, niſi ſecùs Canoniſtis viſum fuerit determinare.

SUMMARIUM.

1 *Morbum partium genitalium, qui Irregularitati cauſam dare poſſunt, enumeratio.*
2 *Vera Gonorrhœa quid, & an faciat Irregularitati locum.*
3 *Involuntaria pollutio quid, & an faciat locum Irregularitati.*
4 *Pſeudogonorrhœa quid.*
5 *Caſtrati, & Eunuchi reſpectu Irregularitati contrahendi qui veniant dicendi.*
6 *Qui poſt pubertatem eunuchantur magis habiles ad omnia, quam qui ante pubertatem, & qui Eunuchi naſcuntur minus quàm cæteri omnes.*
7 *Qui uno Teſticulo dotantur non ſunt ut cæteri Eunuchi habendi, neque idcirco Irregularitati ſunt obnoxij.*
8 *Virilitas medicaminibus amiſſa, an faciat locum Irregularitati.*
9 *Herniarum plures ſpecies, & quanam videantur poſſe inducere Irregularitatem.*

10 *Is, cui Penis abſciſſus eſt, an ſit Irregularis, ut in lege veteri.*

11 *Libentiùs videtur diſpenſandus is, cui Penis eſt abſciſſus, quàm ille, cui abſciſſi fuerunt Teſtes, aut quicunque Eunuchus.*

12 *Qui cum Glande imperforata naſcuntur, an & quando Irregulares fiant, & quando facilius diſpenſari poſſe videantur.*

13 *Priapiſmus quid ſit, & an irregularem hominem facere debeat.*

14 *Satyriaſis quid differat à Priapiſmo, & cur hominem facere debeat Irregularem, qui diſpenſari nullo modo poſſit durante affectu.*

15 *Hermaphroditorum plures ſpecies.*

16 *Quidam naſcuntur Hermaphroditi, aut tales indicantur, ob latentia virilia, cùm mares ſint.*

17 *Hermaphroditi fœminei ſexus, & huiuſmodi perfectiſſ. Hermaphroditi deſcriptio.*

18 *Hermaphroditi omnes Irregulares.*

19 *Hermaphroditus qui penitus in fœmineo ſexu non incaleſcit, an ſit Irregularis.*

20 *Hermaphroditi omnes muliebri animo, ac moribus videntur dotati ut plurimum.*

De vitiis Membrorum generationis.

QUÆSTIO XIV.

IN his quoque partibus vitia quædam, ac morbi adnotantur, quæ irregularitatem inducunt aut ſaltè dubium in ea re excitare poſſunt; ſunt autem præcipui
1 Gonorrhæa vera, vel ſeminis profluvium, Pollutio involuntaria, Pſeudogonorrhæa, vel Gonorrhæa Gallica, Teſtium defectus, Penis privatio; Glans imperforata, Priapiſmus, Satyriaſis, & quædam alia vitia circa ſexum, de quorum nonnullis Canoniſtæ ne verbum quidem, cùm tamen ſint multa conſideratione digna.

2 Quoad veram Gonorrhæam, hoc eſt veri ſeminis effluvium, certum eſt in Lege veteri ipſam repulliſſe ab adminiſtratione in templo homines, ut habetur Levit. *c.* 21. *& ſeq.* nec injuria, cùm paſſio ſit admodum verecunda, & periculo non vacet, ex ea enim homo, ſi diu perſeveret, in Tabem, ſeu Maraſmum incidit. Eſt autem hæc paſſio involuntarium veri ſeminis profluvium abſque Penis erectione, & abſq; prævia venerearum rerum ulla imaginatione; videtur igitur, quòd licet turpitudo ab ea emanans non ſit patens, ſed facilè celari poſſit, indecentia tamen ab ea proveniens ſufficiens eſſe debeat ad inducendam irregularitatem, cùm reſpiciat ſacramentorum irreverentiam, non obſtante quod ſemen involuntarie effluat, & abſque ulla delectatione. Nota autem quod, ut diximus, duplex eſt Gonorrhæa, vera ſcilicet, de qua locuti ſumus, & falſa. Pſeudogonorrhæa vocata, nempe Gonorrhæa Gallica, de qua inferiùs, majorémque turpitudinem eſſe ex parte prioris, & majorem etiam irreverentiam importare illam, quàm poſteriorem, non obſtante quòd hæc poſterior ex Gallici morbi ſeminiis ut primum proveniat; & ratio eſt, quia in vera Gonorrhæa ipſiſſimum ſemen genitale effluit, & licet utplurimum abſque delectatione effluat, quandoque etiam non omni ſenſu delectationis privatur, quod quidem turpiſſimum eſt, & omni indecentia concomitatum. At in falſa Gonorrhæa non verum ſemen, ſed materia quædam ſeroſa, aut alterius conditionis interdum genitali ſemini non abſimilis expurgatur, ſed ſemper abſque ulla venerea delectatione.

Sed adhuc majus multò dedecus inducitur ex in-
3 voluntaria pollutione: nam quidam minima ex cauſa & dormientes, & vigilantes, ut ex ſolo aſpectu pulchræ mulieris, vel laſcivientis hominis, vel Bruti polluuntur; quæ paſſio in hoc à vera Gonorrhæa differt, quod in Gonorrhæa vera nullus eſt, aut ſaltem modicus, neque perpetuus delectationis ſenſus, neque penis erectio; at in pollutione involuntaria ſemen ejicitur cum conſueta voluptate, & Pene erecto non aliàs quàm cum data opera in celebranda venere emittitur. Iamque nonnullos huic paſſioni obnoxios & ego ipſe non ſemel vidi, & indies ab aliis Medicis alij obſervantur, de iiſque aliàs *lib.* 2. *de morb. Hypochondr. c.* 12. mentionem habui, ubi loci aliquos me vidiſſe memoravi, qui ſimplici laſcivæ mulieris aſpectu, aut ſermonis laſcivi auditu, vel ex inſpectione brutorum inter ſe coëuntium, quinimo interdum ex ſuppoſitorij, vel clyſteris receptione pollutionem patiebantur, hæc ex ſeminis acutie, aut partium debilitatarum ſecundum retentricem, vel ex utraque cauſa juncta, tamen valida imaginatione proveniunt: hac de his quidem quod nec promoveri debeant, nec promoti miniſtrare, dubio non eſſe locum exiſtimo.

Pſeudogonorrhæa eſt, ut dixi, profluvium cujuſ- 4
dam materiæ ſeminali interdum ſimilis, facta à prava qualitate per contagium introducta in ipſis vaſis ſeminariis, & quia de ea verba facienda iterum ſunt, cum de morbo Gallico diſſerendum erit, pro nunc nihil addam, ſed illud tantum repetam differre hanc à vera Gonorrhæa per ea, quæ jam de utraq; ſupra dixi.

Teſtium defectus continet Caſtratorum, Eunucho- 5
rum, & ſimilium ſpecies omnes, de quibus ſermonem inſtituere paro. Ad hunc igitur effectum Caſtratos, & Eunuchos eos omnes vocandos cenſeo, qui naturali uſu Teſtium privantur, hoc eſt virtute generativa, & virilitate, ſive id per caſtrationem, ſive per attritionem, ſive per contabefactionem eorum fiat, atq; id ipſum ſive à Natura, ſive ab Arte, ſive ex accidenti contingat; & ulterius ſive omninò deficiant, ſive tam exigui ſint, ut nulli uſui eſſe poſſint, ſive etiam ſitum ſuum non ſervent. Hi ergo omnes eodem Irregularitatis vinculo obſtringuntur. Majol. *lib.* 1. *c.* 15. *n.* 1. atque id duplici ex cauſa. Prima ob defectum membrorum, ſecunda quod evitati ſint, & naturam induant muliebrem, ut aliàs diximus, & ad hoc argumentum repetit Majol. ubi mox. *n.* 2.

Notandum autem quod hæc naturæ mutatio in 6
muliebrem magis prædominatur in his, qui ante pubertatem eunuchantur, quàm in illis, qui eunuchantur poſt pubertatem, jam enim tranſacta pubertate calor partibus communicatus eſt, qui ad virilitatem hominem diſponit, quod non potuit ſuccedere ante pubertatem. Quinimò qui tales naſcuntur multo magis muliebri naturæ accedunt, quam qui caſtrantur; & tales quidem omninò mulieribus compararem, nec magis habiles ad ſacra miniſtranda judicarem, quàm ipſæ ſint mulieres, niſi fortè Teſtibus non omninò priventur; ſed reconditos eos in inguinibus habeant, ut nonnullis evenire quotidiana docet experientia.

Notandum præterea, quod ea, quæ de inhabilitate, 7
& de naturæ mutatione in muliebrem dicuntur, locum non habent in iis qui uno tantum teſte dotantur, dummodo ſi hoc à natura ſit, ſervet debitam magnitudinem & ſitum; nam experientia conſtat viros nonnullos virtute, & rerum gerendarum ſolertia, & ſanctitate conſpicuos cum uno teſte natos; ut de Cotta, & Sylla, *ex l. Qui cum uno Teſticulo, ff. de re militari*, dixi aliàs *lib.* 2. *harum Quæſt. tit.* 3. *quæſt.* 6. *n.* 4. & Eminentiſſimum Principem, ac Dominum meum ſingulari prudentia, ac morum ſuavitate, omnique virtute conſpicuum, cum uno Teſte natum tractavi; ex quibus clarè patet unius teſticuli

privationem nec naturam in muliebrem immutare, nec mores deteriores efficere, nec quicquam de virilitate demere; id enim ſibi voluit *cit. l. Qui cum uno Teſticulo*, dum natos uno teſticulo, vel etiam uno exciſo non prohibet militare. Si ergo ullo modo Irregularitas habebit locum in iis, qui uno teſticulo dotantur, certè ea ob membri tantum privationem habebit locum, & etſi omni facilitate diſpenſabilis, fortè etiam diſpenſatione non egere Canoniſtæ commemoratis cauſis judicabunt, quibus ea res releganda. Certum autem eſt, talem membri privationem nullam corporis uſum impedire, nec turpitudinem aliquam inferre, aut ſi quam infert, facillimè occultari, neque naturam in muliebrem immu-
8 tare.

Quoniam verò virilitas non ſolum ex privatione Teſtium adimitur, ſed etiam medicaminibus, dubitari contingit, an hi quoque aut alij caſtrati irregulares ſint: nam de Origene narrant, & refertur ab eodem Majol. *ibid. n. eod.* quod adhibita teſtibus neſcio qua herba, virilitate privaverit; & Medici ipſi nonnulla medicamina ad id proponunt, quibus teſtes contabeſcant. Sed advertendum quod huiuſmodi remedia ſi ante pubertatem admoveantur, poſſunt ſuum effectum ut cunque ſortiri, ſed ſi poſt pubertatem, & maximè poſt provectam ætatem, ſuo effectu omninò fruſtrantur; idcircò quid de Origene dicendum ſit, hinc patere poteſt, nimirum ipſum potiùs ferro, quàm aliquo medicamine ſe virilitate privaſſe. Ad dubium videtur dicendum, quod ubi virilitate etiam per medicamina quis priverur, & vigorem naturalem amittat, & in muliebrem naturam abeat, videtur eandem irregularitatem habere, quam alij.

9 Verum quia in Oſcheo, ſeu Scroto, & Teſtium receptaculo fiunt herniæ, de his quoque aliquid dicendum, ex quibus plurium ſpecierum ſunt, atque interdum ad eam magnitudinem deveniunt, ut homines cogantur ſubligabulis tumens ſcrotum ſuſtentare; ſed inteſtinalis Hernia majorem multo in modum, quam aliæ, plerumque excreſcit, omnia enim inteſtina in ſcrotum decidunt, ex quo non modo inſignis turpitudo, ſed maximum incommodum in libero corporis uſu emanat. Quin etiam hujuſmodi hernioſi obnoxij ſunt ex improviſo interdum doloribus colicis, & iliacis, ſeu volvulo; quamobrem determinandum erit, an irregulares ſint, & an aliqua diſpenſatione, vel nulla digni.

Quid ſentiendum ſit de eo, cui Veretrum, ſeu
10 Penis abſciſſus eſt, videbatur determinatum per Legem veterem *Deuteronom. c. 23. verſ.* 1. ubi hominem Veretro abſciſſo non alias, quam Eunuchos ab Eccleſiæ ingreſſu Deus prohibuit, cum tamen multa, quæ in lege veteri circa id determinantur, in nova non habeant locum, videndum an & hoc ex iis ſit; nam ſi quidem non alia ex cauſa tales à promotione, & adminiſtratione ſacrorum debeant eliminari, niſi quia membro privantur hoc benè procederet, cum tamen hoc neque ullum corporis uſum impediat, & ſi quam turpitudinem habeat, facilè contigi poſſit; quoad reliqua autem non videntur ij; quibus abſciſſus Penis eſt, debere pari paſſu cum Eunuchis ambulare; nam Eunuchi mutant naturam virilem in muliebrem, & mores acquirunt deteriores, non ſic autem evenit de iis, quibus Veretrum abſciſſum eſt nam & retinent virilem vigorem, & priſtinos mores in nihilo deteriorem conditionem ſortitos. Sed quomodocunque ſit, certum eſt ob talem membri privationem non eſſe omnino ab irregularitate huiuſmodi homines immunes, ſed facilè diſpenſari poſſe, & ſi quid mihi pronunciare circa hoc liceret, libentius, & minori multo cum difficultate diſpenſarem cum hoc, quam cum cuinſcunque generis Eunucho. 11

Sed præter hoc vitium, ſive naturale ſit, ſive accidentale, aliud in ipſo veretro adnotatur cuius aliqua conſideratio habenda eſt, illud autem eſt Glans imperforata; ſiquidem nonnulli naſcuntur cum penè nullo foramine pervio? hi, ſi quam aliam viam natura ſibi non comparent, ad urinam expellendam in ipſo vitæ primordio pereunt; ſed in aliquibus 12
natura aliam ſibi viam parat, aperiendo orificium aliquod vel in ipſo medio, vel ad veretri radices, vel ſub teſtibus in Perinæo, vel in inguinibus, vel alibi; & quia appareret id non evenire abſque multa turpitudine, dubium inſurgere poteſt, an tales irregulares ſint, & diſpenſatione indigeant, necne; illud controverti non poteſt, neque uſum corporis fieri deteriorem, neque difficulter huiuſmodi turpitudinem tegi poſſe, niſi urina abſque ſenſu redderetur, & cogerentur huiuſmodi homines ſeipſos urina conſpurcare etiam nolentes, tunc enim major inſurgeret turpitudo, & non modica indecentia inter celebrandum, ſi fortè fortuna tunc temporis, ut facilè fieri poteſt, ſeipſos commingerent.

*De*nique turpiſſimus quidam affectus aliquando ſolet nonnullos moleſtare, qui duplex eſt, anus, qui Priapiſmus vocari ſolet, alter qui ſatyriaſis. In Priapiſmo Penis ſemper erectus manet, nulla interim venereorum appetentia ſeſe prodente; ita ut dicatur Penis erectio involuntaria, hoc eſt abſque proclivitate in venerem. In ſatyriaſi Penis erectio indefinens & indefinens etiam, & inexplebilis venereorum appetentia; in quibus affectibus cum concurrat maxima turpitudo, ac ſumma indecentia, non dubium eſt, quod iis detenti neque promovendi ſint, neque adminiſtrare permittendi; cum tamen ſatyriaſis ſit multò magis turpis affectio, & reverentia, quæ ſacris debetur, tantoperè in hac lædatur non dubium eſt, quin multo minùs diſpenſabili Irregularitati hominem ſubjiciat, quam Priapiſmus; licèt facilè mihi perſuadeam durante affectu nullam diſpenſationem fortè in his habere locum, quod ut cætera ad hoc negotium pertinentia Canoniſtæ determinare poterunt. 13 14

Circa ſexum etiam nonnulla animadvertenda, cumque vitia huiuſmodi conſtituant omnes ſpecies Hermaphroditorum, de his ſpecialiter agendum; de quibus tamen ſingulis copioſius egi *lib. 7. præcedenti hac. quæſt. tit. 1. quæſt. 8. per totam*; ſed hic ea, quæ mihi longioribus recenſui, brevioribus tranſigam, ea tantum attingens, quæ ad hoc Irregularitatis argumentum, pertinere cognoſcam. Dixi autem, Hermaphroditorũ plures dari ſpecies, nam quoſdam Her- 15
maphroditos verè naſci conſtat, hoſque vel utrumque ſexum, vel neutrum habere conſpicimus, ita ut cuius ſexus ſint, non facilè cognoſci poſſit. Sed Priorum tamen aliquos in alterutro valere conſtat, quoſdam in utroque, quoſdam in neutro. Verùm aliqui non apparent naſci Hermaphroditi, & Hermaphroditi certè non ſunt, ſed cum mares ſint ob latentia virilia intra pubem pro 16
fœminis judicantur, ſed pubertate inſtante virilia extra pubem exerunt, & ex fœminis in mares evadere dicuntur.

Contra alij verè fœminei ſexus ſunt, ſed pubertatem egreſſi, & maxime ſi veneris ſtimulis agitentur, 17
membrum Peni ſimillimum exerunt, quod niſi incaleſcant, in actu venereo occultatur; incaleſcentibus autem illis in coitu, erigitur, & in aliquibus duritie

&

& magnitudine Penem æmulans membrum emittunt, quo eorum nonnulli alias fœminas calcare valent: Talem ego Hermaphroditum hiſce diebus curioſius obſervavi una cum D. Nicolao Larchè Chirurgo urbis primario, ac doctiſſimo, quem ad hunc effectum convocavi. Scortum erat cui nomen Eliſabetha non illiberali forma, ætatis quadraginta circiter annorum, habitu carnoſo, ac ſucci pleno, craſſiuſcula voce, geſtuſque & animi virilis, ac in maſculos propenſa. Uterum eiuſque partes optimè conformatas habebat eiuſque labris diductis nihil omninò in conſpectum ſe dabat, niſi naturalis partium conſtitutio prout fœminas decet. Sed cum in venerem proritabatur in ima parte vulvæ propè perineum veluti tuberculus eminebat, qui incaleſcente jam magis muliere in membrum excreſcebat quatuor transverſorum digitorum longum, pollicaris craſſitudinis, glandem habens molliuſculam, ſed præputio detectam & imperforatam, eius tamen duritiei membrum erat, ut nullum virile membrum tam durum fieri poſſe credam; in cuius radice duo glandoſa corpora prædictus D. Nicolaus obſervavit, teſtes imitantia, magnitudine neque Gallorum teſtes æquantia. Scimus autem certo certius eandem meretricem juvenculas ſolitam eſſe conſtuprare, quas, non aliàs quan vir aliquis adamabat: erat autem patria Urbinas. Sed hic Hermaphroditus erat perfectus; aliæ fœminæ non tam frequenter conſpiciuntur tam benè conſtitutæ in maſculino ſexu, ſed aliquando habent quandam excreſcentem carnem intra uteri labra Penem imitantem quidem, ſed neque ea duritie, neq; ea magnitudine, neque ullis teſtibus dotatam, licèt, ut aliàs ex Avicenna, ſive neſcio quo alio Arabe dixi per eam ſpermatizent
18 quod difficulter admittendum.

De omnibus autem his differenter Canoniſtæ pronuntiarunt, quod ſint Irregulares, Silv. 11. *Corpore vitiatus, n.* 5. & dixi ex Majolo ibi, & ex Hor Fernan.
19 *in exam. Theol. Moral. p.* 2. *c.* 10. §. 71. *interogat.* 5. Sed dubium movebam de eo Hermaphrodito qui in virili ſexu incaleſcit, & fœmineum inutilem, & nullius uſus ſortitur, an ut alij irregularis ſit exiſtimandus: nam, ut addebam, deformitas in hoc vel nulla, vel modica, nec major quàm ſi leviter in alia parte corporis eſſet læſus, imò minor, ac facilè occultabilis; adde quod ſi quæ Irregularitas ex ſcandalo & indecentia inde incurri deberet, ea quidem omnino ceſſare videtur ex fruſtrato ſexus fœminei qualicunque uſu; nam ubi tantiſper per illum incaleſceret non eſſet dubio locus, Navar. *ubi ſuprà c.* 27. *n.* 103. *v.* 15. *dico.* Niſi ergo illud ſit, quod mox ſubjungam, non tam gratis hi videntur irregulares pronuntiandi, qui nullo modo in ſexu fœmineo incaleſcunt, aut ſaltem
20 facillimè diſpenſandi. Verumenimvero illud obeſſe poteſt, quod etiam hi ipſi Hermaphroditi, licet minus quam alij, ut cæteri omnes videntur à virilitate deficere, & naturæ muliebri accedere; quin & moribus non alio viro dignis dotantur, ut in quibuſdam adnotavimus, qui vel ipſa facie, ac voce muliebrem naturã præſeferunt, animoq; demiſſo, ac fœmineo exiſtunt.

SUMMARIUM.

1 *Defluvium Capillorum duplex, & quodnam faciat hominem Irregularem.*
2 *Lepra, & Alopecia ſunt ſuperficialis carnis corruptio.*
3 *Scrophulæ quid ſint, & an faciant hominem Irregularem.*
4 *Gulæ tumor duplex, & quandonam inducere debeat Irregularitatem.*
5 *Gibboſi non prohibentur promoveri, niſi magnam habeant deformitatem, aut debilitatem.*
6 *Gibboſitatis ſpecies tres.*
7 *In quanam gibboſitate maior inſit, aut minor deformitas, & in quanam maius, aut minus ſit ſanitatis detrimentum, & in qua facilius, aut difficilius ſit diſpenſandum.*
8 *Gibbi prima ſpeciei, nempe iſ, in quibus Tumor in dorſo apparet, videntur habere formam contra naturam, cùm proni in terram ſint, contra formam hominis, quæ erecta eſt.*

De externarum partium vitiis, & primò de vitiis Capillorum, cutis, capitis, Colli, ſpondilium, & vertebrarum.

QUÆSTIO XV.

ABſoluto de internis partibus diſcurſu, ad externas me confero, licet de internis tractantes coacti fuerimus de nonnullis externis loqui; atque à capite incipientes, primò ſeſe offerunt capilli, qui patiuntur defluvium, non ſine hominis dedecore, ſi aliàs ex culpa alicuius maioris morbi id eveniat; nam ſi ex naturali intemperie calida, & ſicca vel etiam aliquo morbo, qui ſecum turpitudinem non habeat, neque ſcandalum excitet, fiat, & calvities inducatur, nihil habet conſideratione dignum, quod ad Irregularitatem pertineat. Verumenimverò ex duplici morbo, & utroque quidem turpi aliquando 1
capilli omnino defluunt, nempè ex Alopecia, quæ vulgò Tinea dicitur, & ex Lue venerea. Differt autem calvitium ab hoc defluvio capillorum, quia Calvitium occupat, tantùm Bregma, vel Sinciput, verticem, at hoc defluvium omnes partes capillis denudat, ſed in defluvio ex morbo Gallico, non ſolùm capitis Pili defluunt, ſed & cilia, & ſupercilia, & quicunq; Pili in quavis corporis parte emergunt: in defluvio ex Alopecia univerſim tantùm capitis capilli decidunt. Conſequens ergo eſt quòd defluvium capillorum ex alterutrius morbi prædicti culpa faciat irregularem, item ob ſcandalum minus fortè diſpenſabile ſit defluvium ex morbo Gallico, quàm ex Alopecia. Alopecia autem, cuius ſpecies Ophaſis eſt, turpis quidem eſt morbus, & hominem maximè dehoneſtat, inſuperque habet ſecum conjunctum contagium, eſt enim ex genere lepræ, ut elicitur ex 2
Levitico *cap.* 19. *verſ.* 42. & eſt quædam particularis capitis Lepra, utraq; enim eſt ſuperficialis corruptio carnis Ariſt. Probl. 28. *p.* 10. ex Jariſconſultis *Gloſſ. in cap. voluiſſent, de Pœnitent.* faciet ergo Alopecia hominem non minùs quàm Lepra, irregularem; quemadmodum & alij nonnulli morbi formam faciei deturpantes vel ſolam, vel cum aliis membris, ut omnes hi ſunt, quorum nomina tantùm percurrant, nempè Impetigo, Myrmecia, Leucæ Morphea, Alburas. Lichen. Papulæ, Volatica, Mentagra, Vitiligo & id genus alij; quia id commune habent, quod ad rem noſtram apprimè facit, quòd deturpant caput, & faciem, abſque eo quod turpitudo occultari poſſit, quod contagioſi ſint, & quòd ſint Lepræ affines morbi, & in Lepram utplurimum degenerent.

Scrophulæ, quæ & ſtrumæ, contagioſus morbus & ipſæ ſunt, & collum maximoperè (licet & aliàs interdum partes) deturpant. Tumores ſunt in collo ut dixi, ſub axillis, in inguinibus, alibiq; pullulantes, ſed ad rem noſtram in tantùm in conſiderationem veniunt, qui in collo apparent, curatu ſummoperè difficiles, & veſtigium ſemper quandocunque curentur, turpe relinquentes, ex cicatricibus in illis curatis cauſticis (quæ maximè expetunt) relictis. Modò ſi morbus, qui & deformitatem inſignem affert, & contagioſus eſt, facit hominem Irregularem Majol. *lib.* 2. *cap.* 19. *ſubne.* 2. certum eſt ſcrophulas 5

facilè Irregularitatem inducere. Quibus tamen non obſtantibus videretur dicendum, ſcrophulas, ubi ſanatæ ſint, neque tam promptè contagio communicari, ut utraque, vel alterutra cauſa ſufficiens videatur, ad Irregularitatem inducendam; certè quoad deformitatem nunquam tam patens eſt, quin contegi aliquo modo poſſit, & quoad contagium certum eſt, eas non eſſe communicabiles à quibuſvis in quaſvis perſonas, ſed à provectioribus ad minùs provectas, & hoc etiam admodum de ratò; ſaltem promptiſſimè, ſi quæ Irregularitas ex iis emergat, diſpenſari cum huiuſmodi perſonis poterit.

In gula porrò tumor interdum excitatur magnitudine inſignis ex frigida materia eo loci decurrente, 4 vel ex gibboſitate, & vitio vertebrarum ipſius colli quod non ſine notabili deformitate ſit, quæ videretur ſufficiens ad Irregularitatem inducendam Vocatur autem Tumor ille Græco nomine Bronchocæle, à Latinis Hydrops Gutturis, à Barbaris Bocium Gulæ; & differt quidem maximopere ab eo tumore, quem ex vitio vertebrarum fieri dixi, quamobrem hic eo nomine non inſignitur, certè in illo minus multò incommodum eſt, in hoc multò majus ſed deformitas & incommodum ab illo emanans (niſi monſtroſæ magnitudinis eſſet) non tanti facienda, ut non facilè poſſit cum iis ab Epiſcopo diſpenſari. Hujuſmodi tumoribus (ut hoc obiter dicam) Allobroges, & in Alpibus degentes, & quidam Hiſpani, aliique nonnulli populi ex affluxu humorum craſſorum, crudorum, ac frigidiſſimorum ob potum aquarum crudarum, & frigidiſſimarum infeſtari ſolent, unde illud Juvenalis ſat. aliàs à me adductum.

Qui tumidum guttur miratur in Alpibus?

Contra autem evenit in iis, qui tumorem in collo patiuntur ex ſubluxatione, & vitio vertebrarum, nam & deformitas major, ut dixi, & majus ſanitatis incommodum, de his Hipp. *in lib. de Artic.* hi enim majorem cauſam Irregularitatis habere videntur, & minùs facilè idcircò videntur diſpenſandi, quia gibbi ſemper permanent, ex quo deformitas augetur.

De Gibboſis autem nonnulla peculiariter dicenda, licet enim Canoniſtæ abſolutè dicant, Gibboſos 5 à promotione ad ſacra, & ab eorum adminiſtratione non repelli, niſi ſit nimia deformitas, vel debilitas. Silveſt. *in verbo corpor. vitiat. num.* 5. ad majorem tamen cautelam ſciendum ex Medicis eſt, Gibboſitatis plures eſſe differentias, de quibus inter modernos Daniel. Sennertus *lib.* 2. *pract. part.* 2. *cap.* 21. Tres præcipuæ tamen recenſentur. Prima cum vertebræ luxantur ad exteriora, ex quarum luxatione tumor in dorſo apparet, & hæc proprio nomine dicitur Gibboſitas, & eam patientes, Gibbi Græcè Cyrtorſis dicitur, cyboſis, & yboſis. Secunda fit cum vertebræ luxantur verſùs anteriora, & in dorſo cavitas apparet, tumor autem ſeſe prodit in pectore circa ſternum; hæc gibboſitas dicitur, Repanditas, Recurvitas, & Gibboſitas ad anteriora, Græcè Lordoſis appellatur, Ægri verò Repandi, & Recurvi. Tertia eſt cum in alterutrum latus vertebræ luxantur, diciturque Græcè ſcholioſis, Latinè obliquatio, & Tortuoſitas, Ægri verò obliqui, 7 & Tortuoſi. In ſingulis ſua ineſt deformitas, major tamen, aut minor reſpectu magnitudinis tumoris, & reſpectu loci, nam minor eſt in tertia ſpecie, major in prima, maxima in ſecunda: itaque ſi cum aliquo diſpenſari debeat reſpectu deformitatis, facilius fiet in Gibboſis tertiæ ſpeciei, difficiliùs in prima, difficillimè in ſecunda. Quinimmo etiam reſpectu incommodi ſanitatis, & impedimenti liberi uſus corporis, & debilitatis faciliùs diſpenſari poteſt in tertia ſpecie, quàm in prima, facilius 8 in prima, quàm in ſecunda, non obſtante eo, quod dicit Majol. *lib.* 1. *cap.* 19. circa deformitatem, quæ major ex ipſo eſt in prima ſpecie ob id, quòd ſit contra hominis figuram, quia ex hac gibboſitate pronus in terram ſtare cogitur, cùm homo erectus à Deo creatus ſit, certum tamen eſt multò majus ſanitatis incommodum fieri in ſecunda; & huiuſmodi gibboſos magis debiles eſſe, & brevioris vitæ ob id, quod internæ partes ſpirituales mirum in modum à luxatione ad interna vexantur, & quoad deformitatem magis proculdubio conſpicua eſt in ſecunda ſpecie, quàm in prima.

SUMMARIUM.

1 *Cicatrices faciei, & Maculæ quando faciant Hominem irregularem.*

2 *In cicatricibus quænam ſint conſideranda ad effectum, ut Irregularitatem cauſent.*

3 *Cicatricum magnitudo conſideranda ſecundum omnes dimenſiones.*

4 *Cicatricum inæqualitas reſpectu quarum rerum conſideranda ad hunc effectum.*

5 *Cicatricum Color quomodo eas faciat magis deformes.*

6 *Quænam partium Cicatrices ſint magis deformes & num. ſequenti.*

8 *Macula quid ſint, & quando præbeant cauſam Irregularitati.*

9 *Maculæ contractæ à nativitate ſunt incurabiles, & quando faciant hominem irregularem.*

De faciei, & conſpicuarum partium Cicatricibus Maculis, & defœdationibus.

QUÆSTIO XVI.

Cicatrices, Maculæ, Stigmata, & id genus aliæ 1 defœdationes ad pulchritudinem pertinentes cum faciem deturpant non levem Irregularitati cauſam præbent, & licet fortè in ea re decidenda, nempè utrum quis ex aliqua eiuſmodi cauſa Irregularis cenſendus ſit, necne, intret ut plurimum Eccleſiaſtici judicis arbitrium, non deſiſtam tamen de iis nonnulla addere, ſecundùm quæ judicis arbitrium regulari debeat. Itaque de Cicatricibus primò dico, quòd tametſi quæcunque cicattix in facie, dummodò alicuius conſiderationis ſit, faciat hominem irregularem ob turpitudinem, quam inducit, ex qua ſcandalum etiam emergit, tamen cum una majorem turpitudinem, & conſequenter majus ſcandalum inducere poſſit majorem cauſam, & minus diſpenſabilem Irregularitati præbebit, quàm alia.

Itaque in Cicatricibus nonnulla conſideranda, quæ 2 ipſa magis, aut minùs deformes faciunt, nempè magnitudo, inæqualitas, color, & pars cicatrizata, vel cicatrice affecta. Quoad magnitudinem igitur dubio 3 nequaquam locus eſt, quod quantò major Cicatrix eſt, ſed majorem cauſam Irregularitati præbet, conſiderata magnitudine ſecundùm omnes dimenſiones, hoc eſt ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quo enim magis longæ magis latæ, aut magis profundæ, vel elevatæ; eo magis turpes cæteris paribus judicandæ; ſed etiam reſpectu prædictarum dimenſionum una eſt magis turpis, quàm alia, unde magis vituperanda in cicatrice profunditas, quàm latitudo, aut longitudo, & magis latitudo, quàm longitudo, comparatis tamen inter ſe harum dimenſionum exceſſibus.

Eadem ratio inæqualitatis habenda, nam quò magis inæqualis cicatrix eſt, eò magis turpis judicanda 4

&

& sic homo maiorem causam Irregularitatis incurrit sed & ipsa inæqualitas respectu plurium rerum considerandæ, ut dixi alias *lib. 5. tit. 2. q. 5. n. 23. & seq.* nam magis tortuosæ respectu profunditatis & eminentiæ non æqualiter profundæ, aut eminentes, anguloſæ, aut in ferræ modum obductæ, callum inæqualiorem habentes magis omnino deformes sunt, quàm rectæ, æqualiter profundæ, & æqualiter eminentes, obtusæ, & contrarias qualitates habentes; & ideircò magis dispensabiles sunt his cicatricibus affecti, quàm superioribus.

5 Color quoque in Cicatricibus consideratur, quantò magis enim cicatrix à naturali colore recedit magis deformis judicanda, quia cæteris paribus magis pulchritudini officit, & sic luteæ, lividæ, nigræ, & id genus aliæ magis fœdæ, & magis hominem deformant.

6 Quoad partes autem non omni difficultate caret cuiusnam faciei partis cicatrix magis deformis sit censenda, sed ante monendum, non esse aliquod dubium, quod magis deformis censenda sit Cicatrix, quæ non simplicem unam partem occupat, quàm quæ duplicem, aut triplicem cæteris paribus; unde magis deformis censenda Cicatrix, quæ Nasum simul & genas deformat, quàm quæ Nasum solùm, & sic de cæteris. Fortun. Fidel. *lib. 2. Relat. Medic. cap. 1.* Cicatricum deformitates sic descripsit, voluit enim deformissimam Cicatricem esse in Naso, secundo loco in Malis, tertio in buccis, nisi contegi pilis Mystacium possit, quarto in labiis, quinto in oculis, sexto in fronte, ultimo in auribus; addimus nos eam, quæ in mento apparet; insuperque eam, quæ in gula, & collo, si celari non possit, & insignis sit, aut aliàs conspicua, ut cicatrices sunt, quæ Scrophulæ excisæ, aut inustæ relinquere consueverunt.

7 Sed non facilè in his communi calculo consentientes Doctores habebit Fortunatus; nam sicuti facilè illi concedi potest omnium deformissimam esse cicatricem in Naso sic non facilè concedet aliquis fœdiorem esse cicatricem in Malis, quàm in oculis; nam quæ in oculis est, ultrà cicatricis deformitatem, necesse est etiam ut visionem lædat, unde deformitas augetur; imò neque magis conspicuam putabit, quisquis sit cicatricem in malis, quàm in oculis, cum Oculi illico suo splendore sese intuentibus prodant; unde & illico, si quod habent vitium, aut deformitatem facilè, ac promptissimè eam manifestant, & facilius multo, ac promptius, quam Malæ faciant, quæ tanto magis locum habebunt respectu cicatricum buccarum & Labiorum, quas etiam ille cicatricibus oculorum magis deformes facit; nisi fortè dicamus, Fortunatum non de Cicatrice, totius oculi intellexisse, sed de Palpebris superioribus, aut inferioribus.

8 Verumenimverò cicatrices non solùm cæteris paribus sunt magis deformes in una parte; quam in alia, sed etiam cæteris non paribus; exempli gratia majorem deformitatem secum habebit cicatrix parva in Naso, etiamsi nullo alio nomine turpis sit, quam cicatrix magna in Auribus, aut in mento, etiam si aliis nominibus turpis esset, & sic de cæteris: itaque & in oculis parva cicatrix (parva inquam, sed consideratione digna) majorem deformitatem habebit etiamsi minor sit, quam cicatrix Malarum, aut Buccarum, aut Menti ob commemoratas causas.

Maculæ sunt cutis vitia ipsius naturalem colorem defœdantia, quæ pulchritudini faciei maximè obsunt; sit insignes sint, & notabilis magnitudinis, coloremque habeant non laudabilem, ut ex rubro nigricantem, aut omnino nigrum, aut lividum, aut id genus alium, & ipsæ quoque pro parte, quam occupant magis, aut minus deformes sunt eaque ex causa majorem, aut minorem causam Irregularitatis habent; tanto autem magis turpes, quanto magis à Natura alienum colorem sortiantur. Fiunt huiusmodi maculæ aliquando ex superabondantia humorum melancholicorum, & ex adustis etiam humoribus, sed rarius; ut plurimum à nativitate pullulant, quas plerique Philosophi, & vulgus hominum ad extranearum rerum appetitum Gravidarum refert, unde vocantur Maculæ huiusmodi *le voglie*, nam si gravida Mulier (ita ratiocinatur) appetitu alicujus rei impulsa, cuius desiderium explere non possit, manum ad aliquam partem admoverit, ex vi & vehementia imaginationis signatur, inquiunt, fœtus in ea parte, quæ correspondet parti à gravida parente contacta. Quomodocunque sit, ejusmodi maculæ incurabiles omnino sunt, contra verò quæ ex humorum vitio fiunt, curabiles existunt, nam & aliquando ex se evanescunt. In his omnibus dispensantis intrat proculdubio arbitrium, quod regulari debet, pro maiori deformitate, quam similes maculæ afferre solent; quæ deformitas maior, aut minor censenda ex partis, quam occupant, situ ex ipsarum magnitudine, & ex majori, aut minori coloris fœditate.

SUMMARIUM.

1 *Brachia curta, ac insigniter brevia an sint sufficiens causa Irregularitatis.*

2 *Brachia attracta, & contorta quandonam faciant locum Irregularitati.*

3 *Manuum, & digitorum vitia, qualia, & quando Irregularitati causam præbeant.*

4 *Pedum, eorumq; digitorum vitia, qualia, & quando censeantur præbere causam Irregularitati.*

De vitiis Brachiorum, Pedum, & Manuum, ac Digitorum.

QUÆSTIO XVII.

1 BRachia aliqui tam brevia, & curta à Natura sortiti sunt, ut insignem ex hoc deformitatem præseferant, licet aliàs nulli impedimento sit eorum brevitas nulli actioni naturali per ipsa faciendæ, & cùm totum brachium pars sit adeò ad actiones necessaria, & maximè conspicua, non carebit omni dubio, utrum habentes brachia insigniter curta, ac ita brevia, ut non omnes actiones libere exercere possint promoveri debeant, necne; quod dubium tanto magis urgebit cùm simul cum brevitate jungitur eorum tortuositas, ut plerumque fit, ac videretur dicendum, quod quandoque sola brevitas brachiorum impedimento non est ulli actioni, nec tortuositati est adjuncta, non videri sufficientem causam Irregularitati præbere posse, aut saltem si qua causa est dispensari facilè posse. Contra verò si non liberè actiones suas quis ob brevitatem exercere possit, aut si tortuositas adsit notabilis, tunc alterutram ex his causis, & multo magis utramque simul majorem causam Irregularitati præbere.

2 Retracta, seu attracta, vel contracta brachia qui habet, ad liberum usum impedita ea sortitur, unde patens inde emergit Irregularitatis causa, atque eius gravitatis, ut nullam dispensationem admittat, quod non minus habere locum credendum in eo, qui eadem brachia tremula habet, & paralytica, unde rectè à Canonistis determinatum est, hos & à promotione, & ab administratione repelli. Majol. *lib. 1. cap. 4. num. 9.*

3 Manus proinde ſi deficiant ambæ, vel alterutra, ſi obtortæ ſint, ſi ad actiones quoquomodo impeditæ, ſi tremulæ, ita ut non tuto miniſtrare poſſint Irregularitatem inducunt indiſpenſabilem, ſed quia manuum uſus potiſſimum in digitis eſt, ut patet, & firmat Gal. *lib. 1. de uſu Part. cap. 10.* de digitis peculiarius agendum. Eorum certè non æqualis eſt utilitas, ut ſuperioribus demonſtravi *lib. 5. harum. quæſt. tit. 3. q. 6.* nam omnium ſumma utilitas in apprehenſione, & retentione, ſed in quibuſvis actionibus major utilitas Pollicis, & Indicis, unde in celebrando etiam tanta neceſſitas utriuſque eſt ut eorum carentia Irregularitatem inducat apud Canoniſtas irremediabilem, cæterorum nequaquam Majol. *lib. 1. cap. 14. n. 12.* Barboſ. *in collect. DD. lib. 1. tit. 20. cap. 6. n. 3.* tametſi non eſſet extra Irregularitatem is, qui pollicem, & indicem haberet, cæteris autem tribus digitis careret, cum maxima, & conſpicua neq; occultabilis inde turpitudo emanaret: ſiniſtræ etiam & dextræ manus impar utilitas eſt ut omnes norunt; major enim ex parte dextræ, quam ſiniſtræ & eadem imparitas obſervatur in digitis, quia major neceſſitas digitorum dextræ, quàm ſiniſtræ; unde ſi ulla difficultas intervenire debeat in promovendo, certè major erit in eo, qui manu dextra ejuſque digitis, quàm in eo, qui ſiniſtra ejusve digitis ſit læſus. Majol. *ibid. num. 11.*

4 Pedes contorti, qui ad intra, vel ad extra notabiliter reſpiciunt, notabilem deformitatem ſecum habent, & in libero inceſſu impedimentum, quod tamen majus eſt ſi ad intra, quàm ſi ad extra contorqueantur, unde videndum, an ſufficientem cauſam Irregularitatis habeant. Pedum autem digiti licet aliquam apprehenſionem habeant ad ſimilitudinem digitorum manuum, tamen non ad hoc ſunt principaliter à natura fabricati, ſed tantùm corporis ſtantis ſtabilimentum, ut faciliùs homo erectus ſtare poſſet; quamobrem in eorum deperditione totali circumſcripta aliquali depravatione motus progreſſivi, ſola deformitas emergit, quæ tamen aptis calceamentis occultari poteſt, unde ea de re non præbet eorum privatio ſufficientem Irregularitatis cauſam Navar. *lib. 5. Conſ. 67. per totum.*

SUMMARIUM.

1 *Crura quæ partes ſint, & quænam vitia eorum faciant hominem irregularem.*

2 *Claudicationis multæ ſpecies, & quænam majorem aut minorem turpitudinem, & mains, aut minus incommodum afferant.*

3 *Vari, Valgi, ſeu Vatij, Blæſi, & Rhabi qui, & quinam eorum ſint irregulares.*

4 *Claudi, qui non indigent baculo ad ambulandum, non ſunt irregulares.*

De Crurum, & Ambulationis vitiis.

QUÆSTIO XVIII.

1 CRura non ſecus ac brachia morbis quibuſdam tentantur, quorum culpa à naturali actione impediuntur, & naturalem formoſitatem amittunt; ſi attracta ſint; ſi obtorta, ſi tumentia, ſi paralytica, ſi ſenſum amiſerint, ſi contabeſcant, motum corporis vel debilitant, vel depravant, vel auferunt: Dicuntur autem Crura partes à coxa infra, Tibiamque continet, & pedem Gal. *lib. de Inæq. Intemp.* factaque à Natura ſunt, ut totum corpus ſtantibus aut ambulantibus nobis ſuſtineant, idem Gal. *lib. 2. de mot. Muſcul. c. 7.*

Huc pertinent claudicationis ſpecies pene omnes, ſed antequam ulteriùs progrediamur, admonendum pro Medicis eſt claudicationis vocem apud Hippocratem accipi pro ſimplici debilitate, ac depravatione motus cujuſcunque partis, ita ut ex aliquorum nervorum, tendinum, aut capitum muſculorum abſciſſione quis eo modo claudum fieri dicatur, etiamſi non claudicet, ſed hæc per tranſennam dicta ſunto.

Species autem claudicandi evariant pro ipſorum crurum, aut partium ea componentium depravatione: diſtorquentur enim interdum vel ad intra, vel ad extra, vel ad anteriora, vel ad poſteriora, licet hoc rarius eveniat. Contrahuntur etiam, & relaxantur ex convulſione, aut paralyſi, & ex abſciſſione nervorum, tendinum, & capitum muſculorum, & ex horum uniuſcuiuſque vitio vel immobilia redduntur, vel depravantor, vel debilitantur reſpectu motus & aliquando etiam reſpectu motus, & ſenſus ſimul. Quin & ex contabeſcentia interdum eorum claudicatio contingit, ita enim teſtatur Hippocr. *lib. 6. Aphoriſ. 50.* licet addat claudicare ægros, ex eo, quod coxa excidat, unde crus contabeſcit. Fit etiam claudicatio ex luxatione quorundam oſſium, præcipuè verò ea luxatione ad Malleolum contingente, quomodocumque fiat, nempe vel in exteriorem, vel in interiorem partem, unde ſpecies claudicationis multiplicantur; neque dubium eſt omnem claudicationem habere ſecum inſignem deformitatem, & impedimentum quoad uſum membrorum, ſed tam deformitatem, quàm impedimentum non eſſe in ſingulis eiuſdem gravitatis; unde patere debet quod Irregularitatis cauſa maior, ubi major deformitas, & majus impedimentum. Utriuſque certè cruris, aut utriuſque pedis claudicatio maiorem abſq; dubio deformitatem, & majus habet impedimentum. Item major deformitas, majus impedimentum, ſi claudicatio totius cruris vitio fiat, quam ſi vitio partis, & major etiam deformitas, & majus impedimentum ſi fiat vitio partis utilioris, quam ſi vitio minus utilis. Qui fulcris greſſus ſuſtentare cogitur turpiùs claudicat, quàm qui iis non eget; & qui crurum tantummodo virtute qualitercunque ambulare, poteſt minus 3 turpiter claudicat, quàm qui inter ambulandum ſuperiorum etiam partium auxilium requirit; & qui corpus ambulans diſtorquet, aut prope terram illud inclinare cogitur, magis indecenter, claudicat, quàm qui nihil eorum facit. & ſic de reliquis. Sed inter Claudos connumerantur maximè Vari, & Valgi, ſeu Vatij, ac Rhæbi, & Blæſi, de quorum nominum acceptione vix conſtare inter Auctores jam admonui *lib. 2. tit. 3. q. 12.* ubi de hac materia prolixius egi. Illud certum eſt, Vari nomen pro qualibet depravatione accipi, ut inibi probavi, hoc eſt quomodocunque Crus ad aliquam partem inclinet, unde idem importat Varum, ac obtortum. Idem etiam de Valgo, & Vatio uſuvenit, ſed apud Hippocratem, & Galenum eo loci adductos Vari ſunt ij, quibus intro; ac Rhæbos Galenus eos vocavit, qui à natura curvis ſunt cruribus, Blæſos eos, qui eorundem imbecillitate laborant; ita ut ſtare, aut firmiter ambulare non poſſint. Sed omiſſo jam de iis, quæ alias loco citato recenſui, ſermonem habere, ad Irregularitatem redeo, ac dico, quod ſi Blæſos excipiamus, (in quibus certè minor reperitur deformitas, licet par aut majus eſſe poſſit ambulationis incommodum (reliquos neque tantam deformitatem præ ſe ferre, neque tale incommodum ambulationis perpeti, ut ex alterutrius, vel utriuſque culpa homines Irregularitate obſtringi debeant; unde rectè, ut credo, ſaltem ſecundùm plurimum à Navarra *in Manual. ſac. cap. 27. num. 199.* & à Sylveſt. *in ſumm.* 11. Corpore vitiatus, *n. 5.* determinatum eſt, Claudos, qui non indigent baculo ad ambulandum 4

non

non eſſe irregulares ; licet hoc veritatem habeat, ſi ad ipſam tantùm ambulationem reſpiciamus, nam aliis poteſt tanta eſſe crurum turpitudo, ut ex hac ſola cauſa quis irregularis ſit judicandus.

In reliquis porrò Claudorum ſpeciebus inſignio rem deformitatem, ac magis notabile incommodum in uſu membrorum reperiri, & utramque cauſam ejus ponderis eſſe fixerim, ut non abſque omni dubio tales ab Irregularitate eſſe immunes ſit pronuntiandum, licet univerſaliter cum talibus facilè diſpenſari Canoniſtæ aſſerant. Illud certum eſt tantopere differre Varos, cæteroſque ſuprà nominatos à cæteris claudis, ut nonniſi injuria fiat, eos pari paſſu cum verè claudis quoad Irregularitatem incedere, nam hos quoque ut Majol. tradit *lib. 1. c. 18. ſub num. 3.* non niſi diſpenſatos promoveri volunt Canoniſtæ, cùm tamen, ut dixi minori deformitati, & minori multò, immò nullo interdum incommodo ambulandi teneantur, quàm vetè Claudi. Excipio tamen ab hoc cenſu eos, qui pedes obtortos ad intrà habent, & multò magis quàm eos, qui eoſdem habent obtortos ad extrà, nam & majorem deformitatem præ ſe ferunt, & majori incommodo inter ambulandum detinentur; itaque hi, ſi qui alij ex iis qui turpiter claudicant, irregulares fortè judicandi à Canoniſtis non ſecus ac ij, quibus omnes Pedum digiti deficerent.

SUMMARIUM.

1 *Membra principalia ſuperfluentia habent ſecum maximam deformitatem, & monſtruoſitatem.*
2 *Quædam ſuperflua, ac monſtroſa, ſi celari poſſint, an faciant irregularem.*
3 *Inſignis monſtruoſitas corporis, etiam non apparens Animi monſtruoſitatem denotat.*
4 *Sedigiti quando videantur Irregulares.*

De Membris ſuperfluentibus.

QUÆSTIO XIX.

1 GEneralis regula tradi poteſt in primis, membra principalis ſuperfluentia habere ſecum maximam turpitudinem, immò monſtruoſitatem, ac talem ut homines nequaquam diſpenſari ab irregularitate poſſint, etiamſi talis monſtruoſitas nullum illis impedimentum afferret: nam ipſa per ſe monſtruoſitas ſufficientiſſima cauſa Irregularitatis eſt. Abb. *in c. 2. de Cler. Ægrot.* ex quo Majol. *lib. 1. cap. 13. num. 1.*

2 Dubitari tantummodo poterat de quibuſdam in corpore ſuperfluentibus, & maximè de iis, quæ contegi veſtimentis poſſunt: naſcuntur enim homines quidam, qui excreſcentias, exempli gratia, carneas inſignes habent, ut quidam cui ab humeris caro quædam verſus Lumbos, & Renes propendebat in modum Capucij quorundam Religioſorum, quæ tamen illi nullo erat impedimento; jam & alios veluti tertium brachium habuiſſe conſtat humeris adnatum, quod licet nulli uſui eſſet, nullum tamen impedimentum afferebat, & veſtimentis celari facilè poterat, ita ut nullam monſtruoſitatem, ac ne deformitatem quidem præ ſe ferret.

Relinquo alios (nam non ſolùm monſtra ſunt, ſed monſtra inſignia, & horribilia) quibus vel aliud caput in medio ventre adnatum erat, vel quibus à ventre aliud corpus exibat, veluti ſi caput intra illius integri hominis ventrem occultaſſet, de his enim nullum intervenire poteſt dubium, ſed de ſuperioribus, & de aliis quibuſdam non omne dubium dilutum eſt: nam in aliquibus cernuntur à Natura notabiles, ac magnæ excreſcentiæ ab una, aut alia parte propendentes, quæ etiam interdum à morbo fieri poſſunt) ut ea, de qua ſuperiùs, quæ ſi oculis aſpicientium parerent, monſtroſa certè non tantùm deformia judicarentur. Jam puerum vidit amicus Medicus cui vulva in coxa erat enata pilis obſita, & libellis conformata, ſed quibus diductis nil aliud quàm ſubjecta caro appareret. Gemino Pene aliquando viſum hominem dotatum teſtantur auctores, ac teſtes ex propria inſpectione. Sed alias inſuper additiones, & excreſcentias monſtruoſas adnotare interdum licebit, quæ quia oculis aſpicientium non parent, & veſtibus conteguntur, dubium faciunt, an hominem Irregularitati ſubjiciant, necne omittenda autem videntur quædam aliæ monſtruoſitates, quæ in infectione quidem carnis, & cutis conſiſtant, ſed inſignes ſunt, licet veſtibus occultari poſſint: nam ego hominem curavi, qui thoracem univerſum cum brachiis uſque ad Metacarpum ſquamis nigricantibus, ac duris inſtar piſcium coopertum habebat; alios alij viderunt, qui in diverſis corporis partibus quaſdam eminentias obtinebant pilis duriuſculis obſitas, quæ porcinam cutem imitabantur. Leporina pelle quidam contectus ſecundùm ſpatulas videbatur. Aliqui aliter totam pellem commaculatam, ac colore alieno dotatam habuerunt, non ſine inſigni, ac maxima deformitate, quæ quidem omnia monſtruoſitatem ſapiunt, & conſideratione digna apprimè ſunt, non tam ex turpitudinis reſpectu, quàm quia plerumque animum non benè diſpoſitum oſtendunt; homines enim malorum morum, & animi inhumani portendunt, cùm rarò obſervetur inſignis monſtruoſitas in corpore, etiamſi occultari poſſit abſque concomitantia monſtruoſitatis Animi. In his tamen omnibus videtur Epiſcopi arbitrium deſiderari; mihi ſatis ſit de iis aliquam feciſſe mentionem, ne defeciſſe in ea re alicui viderer. 3

Sedigiti licet inter monſtra connumerandi non ſint, non modicam tamen deformitatem præ ſe ferunt, licet non omnes eandem: nam ubi ſuperfluus digitus ſuum locum ſervet, nempè ordinem aliorum digitorum, deformitas minor videtur, ubi verò unus digitus videatur in duos bipartitus, major deformitas eſt, ſed multò major ubi ſextus digitus ordinem non ſervet, ſed extra ordinem promineat, immò præter majorem deformitatem poteſt etiam aliquod incommodum afferre in libero manus uſu. Unde non tam univerſaliter fortè pronuntiandum ut Majolus facit loco nuper adducto, ſedigitos non habere ullam Irregularitatis cauſam, quia aliquando & deformitatem ſufficientem, & ſufficiens incommodum habere poſſunt ad Irregularitatem inducendam. 4

SUMMARIUM.

1 *Arthritis nomen generale eſt, comprehendens omnem articulorum dolorem.*
2 *Dolores omnes articulorum maximè moleſti ſunt, licet unus ſit acutior, & moleſtior altero,*
3 *Podagra, & Chiragra faciunt hominem Irregularem, ſic fortè & alij dolores articulares.*
4 *Dolores articulorum, qui primò pedes invadunt, de facili revertuntur, qui verò primo impetu plures corporis partes moleaſtnt, non tam de facili reverſionem faciunt.*

De Podagra, & Arthritide.

QUÆSTIO XX.

PEculiarem conſiderationem habuerunt Canoniſtæ de Podagra, ſub quo tamen nomine etiam Chiragram, omnemque articularis doloris ſpeciem comprehendi volunt: verè tamen apud Medicos 1

Arthritis generale nomen est comprehendens sub se quemcunque Articulorum dolorem ; nam & ipsa Podagra,& Chiragra,& Sciatica , & dolor coxendicis,& cæteri omnes dolores, qui Articulos infestant, Arthritici nominantur , seu articulares;sed quandocunque plures articuli uno eodemque tempore dolent , vel omnes simul, tunc hujusmodi affectionem Arthritim vocamus , cæterarum verò partium dolores alio ac proprio nomine insignimus ex parte ipsa dolente detracto.Sic ergo ubi pedum articuli dolent Podagram nominamus , si articuli Manus Chiragrã si os Sciæ, Ischiadem,ac Sciaticum dolorem si Genu gonagram , sic & in quocunque alio articulo dolor sese prodat , nomen ab ipsa parte desumit, vel desumere potest,& sic in Maxillæ articulis , in articulis cervicis , Dorsi , Cubiti. Humeri dolentibus suum nomen licet formare, nam aliàs apud veteres hujusmodi nomina non reperiuntur. Tenontagram dixit Cæl. Aurel.*lib.5.Tard.pass.c.*2.vocari,si dolor majores tenuerit nervos.Sed nominum curiositate relicta, ad id quod magis ad rem nostram facit,accedamus.

2 Dolores omnes articulorum notabili angustia ægrotantes premunt, non quòd in uno homine mitiores non sint, quàm in alio , sed quantumcunque mites sint, molestissimi sunt;certùm tamen est secundùm aliquos dolorem coxendicum acutiorem,ac molestiorem esse,secundùm alios verò Podagricum. Indifferenter tamen omnis dolor articularis tam acerbus est,ut non absque ratione dixerit Aretæus *lib.* 2. *Diuturn. Morb. cap.* 12. *Ac istorum* (de ossibus loquitur) *magnum est miraculum , non dolent quidem vel minimum , etiam si quis secet , aut collidat ; ac si qui ab ipsis doleat, nihil aliud est eis ad dolorem citandum potentius : non ferramenta adstringentia , non vincula , non vulnerans gladius , non exurens ignis.*

3 Hæc igitur cùm ita se habeant , & Canonistæ ex Podagræ culpa dicant hominem fieri Irregularem. Majol. *lib.*2.*cap.* 21. *n.* 1. quia impedit munera corporalia. Rota *in Bononien. pecuniaria* 1650. *coram* Ochebono , *num.* 18. videtur dicendum , idem habere locum in quocunque alio articulari dolore , dummodo ad eam acerbitatem deveniat, de qua dictum, in omnibus enim concurrunt multæ conditiones , quarum causa Irregularitas inducitur, nam & turpitudo intervenit ob tumores , ac distorsiones membrorum,ac impedimentum in libero corporis usu , & curationis difficultas,ne dicam impossibilitas, ut prosequitur Majol. *ubi sup.* adde quòd ut plurimum parit scandalum hujusmodi morbus, quia hominem denotat maximè intemperantem , & licet verum sit illud , quod Majolus notat , nempè quòd hoc non semper sit verum , quia hic morbus est hæreditarius, tamen hoc non tollit , quin universalis hominum cõceptus hoc sibi persuadeat,unde non ob hoc quòd sit morbus hæreditarius cessat idcircò scandalum.

4 Verumenimverò illud sigillatim adnotare non desistam,cùm aliquid momenti habere videatur, nimirum quod peculiares dolores articulorum & præcipuè Podagricus,si soli sint , vel meliùs , si hujusmodi dolores incipiant infestare unum tantummodò articulum,ac præcipuè Pedum,tunc facillimè revertuntur,ac temporis successu communicantur cæteris quibuscunque articulis, & sic facilè podagra evadit in Arthritim; quòd si à principio , nempè in primo insultu morbi , plures articuli doleant,tunc dolores difficulter reversionem faciunt , nec de facili recurrunt. Arthritis igitur nisi alij dolores articulares illam præcesserint , hominem liberum relinquit , contra verò Podagra;Chiragra,Sciatica, & id genus alij facillimè recurrunt , & in Arthritim eandem denegerant ; unde videtur dicendum , quod magis Irregularitati obnoxij sint qui Podagram , Chiragram,Sciaticam,aut coxendicum dolorem,vel alium quemcunque articularem patiuntur , quàm qui à Principio Arthritici sunt absque eo quod aliquem ex illis prænominatis passi fuerint , sed optabit fortè Lector scire, qua ex causa Arthritis non facilè revertatur , contrà verò alij dolores articulares tam promptè revertantur : ac breviter dico Arthritidem fieri absque multa imbecillitate articulorum , & à multa copia humorum, alios dolores contra fieri ex multa articulorum imbecillitate , & pauca materia humorali,quod satis ostendit,quod ut notavit Lud. Mercat. *lib.* 4. *de interr.morbor. curat. c.* 18. Arthritis incipiat cum tumore , & desinat in dolorem, in cæteris articularibus affectionibus partes primò dolere incipiunt , postmodum intumscunt. Quemadmodum ergo hi dolores ob articulorum vel naturalem,vel accidentalem imbecillitatem , tam promptè reverruntur , sic ob contrariam causam Arthritici dolores non tam promptè recurrunt. Adde quòd faciliùs possunt plures articuli evincere,& discutere materiam undecunque illis transmissam , quàm possit unicus articulus, stante maximè ejus multa imbecillitate , quæ quidem plerumque est inseparabilis , quia à natura est,cùm contra in Arthritide articulorum imbecillitas accidentalis sit,& idcircò superabilis. De ea autem Arthritide hæc omnino pronuntianda , quæ non subsequitur ad aliquos particulares dolores articulares , ut jam dixi.

SUMMARIUM.

1 *Cutaneæ infectiones plerumque secum habent conjunctam fœditatem , ac sunt contagiosæ.*
2 *Leprosus repellitur à promotione , & ab administratione in sacris.*
3 *Lepra nunquam tam levis esse potest , quin hominem Irregularem faciat.*
4 *Triplex infectionis lepræ distinctio.*
5 *Vera lepra duæ species.*
6 *Scabiei triplex divisio , & quanam Irregularem hominem faciat.*
7 *Non est possibile aliquem esse perfectè leprosum , nisi facies defœdetur.*
8 *Lepræ veræ signa.*
9 *Experientia ad dignoscendam lepram curabilem , vel incurabilem esse.*
10 *Ad inducendam Irregularitatem satis est scabies ferina , quæ præcedit lepram.*

De Scabie , & Lepra , cæterisque cutis infectionibus.

QUÆSTIO XXI.

1 CUtaneæ infectiones habent interdum secum conjunctam tantam fœditatem , præterquam quod plerumque contagiosæ sunt,ut promptissimam causam præbeant Irregularitati ; unde antiquitùs etiam à Lege veteri homines ob hæc vitia repellebantur à ministratione in templo , immò & à templi ingressu , ut habetur Levit. *cap.* 11. *& seq.*Tria verò potissimum vitia in sacra pagina reperiuntur commemorata ex his nempe impetigo, scabies , & lepra ibi , *si jugem scabiem , vel impetiginem habens , si leprosus fuerit.* In nova autem lege leprosus non admittitur ad sacros ordines , D. Thom. 1.3.*q.*82.*art.* 12. Navarr. *cap.*27.*n.* 202. *vers.* 13.*dico.* Sylvestr. *verb. Corpore vitiatus , num.* 5. Majol. *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 1. Et quia scabies , & aliæ quædam cutaneæ infectiones quam proximè accedunt ad Lepræ naturam etiam de scabie, & similibus infectionibus dubitare contingit , an Irregularitatem inducant , necne :

Non

Non est autem dubium has omnes infectiones habere secum insignem turpitudinem, quæ per se sufficiens causa videtur Irregularitatis: idcircò Hipp. *lib. de affect. sect.* 2. *n.* 35. eas magis turpitudines corporis dicebat esse, quam morbos, ex eo quia cutem defœdant, sed ab internis morbis hominem liberant; cui sententiæ adhærebat D. Augustinus, ex quo Amat. Lusitan. sed Canonistæ non solùm consideraruntin his infectionibus turpitudinem sed contagium, & morbum usum liberum corporis impedientem, cùm palam sit eas, ubi notabiles fuerint, non tantùm externas partes contaminatas ostendere, sed etiam internas ob infectionem insignem totius massæ sanguinis. Verùm, quia harum infectionum plures sunt species, quæ gravitate, fœditate, contagio, & impedimento liberi usus corporis inter se differunt, certè operæ pretium est eas distinguere, ut sciamus quænam ejus gravitatis sint, ut Irregularitati locum faciant, quæ verò non.

3 De Lepra igitur primò dicam, quod etiamsi non unius speciei sit, tamen nunquam tam levis morbus est, quin & turpitudine, & contagio, & incurabilitate, & incommodo sanitatis non sit adeò insignis, ut ea infectus ab Irregularitate dici possit immunis; sed distinguendum inter lepram, & quandam scabiei speciem, quæ visu ipso, & paribus signis ad Lepram accedit; signa ergo veræ lepræ necessariò tradenda videntur, dicendumque signa adducta in sacris incipientis lepræ convenire maximè veræ lepræ, ex cujus causa homines arcebantur ab ingressu templi & à convictu cum cæteris in civitate, non convenire autem falsis quibusdam lepris, aliisque similibus infectionibus, quas tamen abusivè lepras vocamus, & quas sacra scriptura fortè lepras mundissimas appellat.

Quoad signa igitur veræ lepræ, & præcipuè ejus quæ confirmata dicitur, sciendum quædam præcedere ipsam lepram, quædam verò ipsam jam confirmatam concomitari, de quibus omnibus diligentissimè egit Vallesi. *de sacr. Philosoph. cap.* 14. percurrens prædictum *cap.* 13. *Levitici*, ubi etiam exquisitam, & exactam tradidit nominum declarationem licet nonnihil differat ab iis, quæ Authores alij tradidere, nec mirum, cùm omnes inter se multum discrepent in tradenda prædicta vera nominum

4 significatione. Nos ut breviter, & ad Canonistarum negotium tantùm facientia afferamus, dicimus, has cutis infectiones triplici gradu distingui, nempè simplici cutis defœdatione, exasperatione, & ulceratione. Simplex defœdatio Cutis Macula dicetur Græcis Leuce, & Alphi Latinis Morphea; & Vitiligo, estque in duplici differentia, alba nempe, & nigra. Exasperatio altius autem penetrat, & quandam in ea asperitatem causat, & dicitur Græcis Psora, Latinis Scabies, quæ similiter duplex est alba, & nigra, præterquam quod differt etiam secundùm majorem, & minorem magnitudinem squammarum; nam cùm majores squamas producit, Græcis dicitur Lepra, siquidem nigra sit, si verò sit alba, dicitur Lichen, seu impetigo, & lepra volatilis. Ulcerationes si jam cutem penetraverunt, & carnem simul & venas, veram lepram generant, quæ Elephas Græcis dicitur, nam alias lepra Græcorum Psora dicta est ipsa scabies. Amat. Lusit. *Cur. Medic. sent.* 2. *Cur.* 32. *in schol.* qui tamen veram lepram ab Arabibus descriptam, & de qua in lege veteri tot præcepta emanarunt, elephantiasim Græcorũ esse voluit, quod & aliis quibusdam Medicis probatur. Plures tamen lepræ nomine simpliciter prolato multo majorem morbum significari volunt quam scabies sit. Quod & apud omnes communiter sine difficultate transit. Immò neque ipsam scabiem malignam, & ferinæ nomine insignitam lepræ nomine insigniendam esse volunt; sed veræ lepræ duas constituunt species, unam quæ nudo lepræ nomine appellatur, alteram quæ & Leonina dicitur, & elephantiasin propriè 5 vocant. Ita Gordon. & Vallesi. *ubi infra*, qui tamen hanc differentiam tradunt, quod Leonina est illa lepra quæ fit à Cholera adusta, & cur sic dicatur, docet Avic. 3. 3. *tract.* 3. *cap.* 1. Elephantiasis quæ fit à Melancholia, & eam, quæ fit à phlegmate dicit Gord. vocari lepram, quæ à sanguine Alopeciam, scimus tamen ex communi Medicorum consensu Alopeciam fieri à quocunque humore, & præcipuè à melancholia, & esse peculiarem quandam lepræ speciem Capiti familiarem. Prima autem illa species ab Arabibus Albaras nigra nominatur, & morbus est multò gravior, quàm Psora, & scabies, ut ex signis ab Avic, *lib.* 4. *f.* 3. *tract.* 3. *c.* 1. aliisque Arabibus allatis elicere possumus, & hanc à Celso vocari impetiginem dicit Mercur. *lib.* 2. *de morb. cutan. cap.* 5.

Sed quomodocunque sese res habeat, cùm Canonistæ in lepra plura considerent, nempè turpitudinem incurabilitatem, contagium, & impedimentum liberi usus corporis, quorum omnium respectu leprosos irregulares esse volunt, quælibet scabies, nec fortè quælibet lepra faciet hominem irregularem, cùm non indifferentes in quocunq; hujusmodi morbo sit par turpitudo neque par incurabilitas, neque æqualis vis contagij, neque item par usus liberi corporis impedimentum.

In his ergo considerari possunt plures gradus, pro 6 majori, aut minori eorum gravitate, & primo in scabie, si sola mutatio coloris cutis fiat cum aliqua rubedine, & pruritu levis scabies, & Prurigo dicitur, quæ quasi præludium est incipiens scabiei, licet antequam ulteriùs procedat, aptis remediis interdum sanetur. Jam verò si cutis magis defœdatur, & pruritus crescat, & crustæ aut pustulæ appareant, tum scabies dicitur. Crescente verò jam pruritu, ita ut incendium afferat pustulisque aut crustis multiplicatis, jam ferina scabies est, & ad lepræ naturam accedit, immò ipsa lepra Græcorum est. Cùm igitur in prima specie omnia sint debilia, nam modica apparet turpitudo, neque magnoperè contagium immineat, & facilis sit curatio, neque ullum adsit corporis impedimentum, non videretur in illa posse habere locum Irregularitas: majus dubium excitari posset in secunda specie, in tertia autem res clara est. Illud verò adnotandum eas infectiones magis accedere ad lepræ naturam, quæ caput, & faciem aut per se solas, aut cum reliquis corporis membris defœdant, majus enim vitium subesse in massa sanguinis ambigitur, ubi elatiores partes inficiant, quam ubi inficiant humiliores, tenuiori enim sanguine illæ, quàm hæ nutriuntur; quamobrem auctores ferè omnes in hoc conveniunt, quod non sit possibile aliquem esse perfectè leprosum, nisi facies defœdetur quam quæstionem proponit, & resolvit Gordonius *in lib. part.* 1. *c.* 31. *vers. Ista materia*; immò possibile è 7 contra est corpus totum esse liberum, & caput & faciem lepra infici, ut in Alopecia videmus. Cæterum quia totus cardo hujus rei vertitur in dignoscenda vera lepra, cùm de hac plura veniant determinanda, quàm de cæteris cutaneis infectionibus, jam veræ lepræ signa potiora tradenda, & nonnullæ experientiæ ad illam internoscendam in medium afferendæ ad probandum, an confirmata sit, necne. Signa ergo veræ lepræ sunt imprimis pilorum externatio, & innotatio, superciliorum depilatio, eorumque crassities

oculorum

oculorum rotunditas, narium ad extra dilatatio, ad intra coarctatio cum ſpirandi difficultate verborum prolatio per nares, Aures ſubtiliatæ, faciei color lucidus ad fuſcum vergens. Addunt prædictis Avic. 3. 4 *tract.* 3. *c.* 2. Valleſ. *lib.* 7. *Philonij cap.* 21. Gordon. *loc. cit.* muſculorum conſumptionem, ac maximè illius, qui eſt inter pollicem, & indicem, Ægri melancholici fiunt, & moribus fiunt deterioribus, ſomniiſque melancholicis frequenter turbantur. Præter hæc in aliquibus Narium cartilago corroditur, ea nempe, quæ mediat nares. Pedes manuſque ſciſſuris ſcatent, vox rauca evadit, & catulina, & in ſumma inſtar omnium eſt corruptio ipſius formæ, ita ut non humana, ſed ferina appareat, & accedere videatur ad formam Satyri, ut Gal. dicebat, *lib. de cauſ. morb. c.* 7. quam immutationem, & corruptionem formæ hujuſmodi in leproſo tanti facit Gordonius *loco allegato* ut non credat, lepram dici poſſe confirmatam, niſi ad hunc uſque terminum ſit progreſſa; unde exiſtimat ea de cauſa non poſſe leproſum ab hominem conſortio ſequeſtrari, niſi in eo forma modo prædicto ſit immutata, quanam autem ratione fiat, ut in leproſis forma ita depravetur, Gal. *loc. proximè allegat.* Sed Baverius de Baveriis *conſ.* 22. & Gulielm. de Placentia ſignum ponit confirmatæ lepræ, quod pro infallibili habet, & eſt apparitio puſtularum, & ſciſſuratum in radice linguæ diverſorum colorum, nam ſunt albæ, rubræ, & citrinæ. Communiora ſunt quæ ſequuntur. Ulcerationes altiores carnem erodentes, incendium, & prurigo corpus colliquans, ſudor fœtidus ex corpore emanans, Anhelitus item fœtidus, labia craſſa; ex cute ſquammæ emittuntur ad inſtar ſquammarum piſcium; quin etiam in ipſa cute maculæ apparent albæ ipſas cute humiliores, caro verò ſub cute exiſtens ſuum naturalem colorem amittit, & albidior apparet, quod ſignum eſt lepram occupaſſe etiam ipſas carnes; quod ut magis exploratum habeas Avicen. *loco citato*, jubet acu pungi carnem: ſi enim ſanguis ex punctura exeat, lepra non eſt confirmata, ſed ſi non exeat ſanguis jam lepra confirmata eſt & incurabilis. Aliud inſuper ſignum magnæ conſiderationis affertur ex adnaſcentia pilorum, eorumque colore albicante; nam ſi ulcera ab ipſa lepra facta cicatricibus obducantur, ac poſt modum eo in loco pili albicantes renaſcantur, confirmatæ, ac veriſſimæ Lepræ ſignum eſt, ab ipſa quoque ſacra pagina una cum nonnullis aliis ex ſupradictis allatum. Illud autem notat Valleſ. *de ſacr. Philoſ. loco cit.* quod pili renaſcentes in reliquis partibus lepra occupatis mutantur in albos, in capite verò & barba in flavos & tenues, addo etiam admodum raros eſſe, ut in quibuſdam notavi.

9 Quod ad experientias attinet, jam unam attulimus de punctura carnis cum acu, ex qua ſanguine exeunte Lepra curabilis eſt, exeunte verò lacteo quodam humore pro ſanguine, confirmata eſt, & curationem non admittit, ut docet Paul. *lib.* 4. *ſuæ Med. cap.* 5. ex quo Valleſ. *ubi proximè.* Prætereà deſumitur alia experientia ex ſenſus ſtupiditate hoc modo tenuiſſimam acum in leproſi corpus infigunt, quam punctuam ſi non ſentiat deplorata res eſt, conſummatiſſima enim, & omnino incurabilis lepra eſt. Ex qualitate etiam ſanguinis deſumitur experientia hoc modo. Sanguis à leproſo extractus orificio latiore in aqua lavatur, ac per pannum tranſcolatur, & ſi in fundo reperiuntur grana ad modum arenæ, Lepra vera eſt. Ex avulſione pilorum aliam experientiam deſumi volunt Auctores, avulſis enim capitis capillis ſi cùm his etiam aliquod cutis, ſeu carnis fruſtulum avellitur, acta jam res eſt. Aliam ab ipſo ſanguine deſumptam experientiam proponunt nonnulli hoc modo. Sanguinem leproſi ponunt in aqua clariſſima, & ſi ſupernatet, lepra confirmata eſt.

Denique alia experientia affertur à nonnullis, 10
quàm aliàs attuli *lib.* 3. *hæ. q. 21. 3. queſt.* 5. ex Levin. Lem. *de occult. nat. mirac. c.* 51. *in f. quæ eſt. hujuſmodi.* urina leproſi in matula colligitur, in eamque uſti Plumbi pulverē conjiciunt, ſi enim ſupernatet, ſignū certum eſt deploratæ, ac incurabilis lepræ. Sed hæc fortè pro Canoniſtis ſuperflua à quoquam judicabuntur, quia ſi ad indicendā Irregularitaté ſufficiens ipſa ſcabies eſt, ubi firma ſit, & longo tempore duraverit, multò magis Irregularitatem inducet quæcunque Lepra etiam incipiens, & non confirmata. Verūenimverò hæc exacta lepræ confirmatæ dignotio per commemorata ſigna ad alia inſervire poteſt, ut maximè ubi agatur de ejectione leproſi à cœtu hominū, vel de Thori ſeparatione, & hujuſmodi, in quibus hæc exacta lepræ confirmatæ notitia requiritur.

SUMMARIUM.

1 *Morbus Gallicus ex una tantum cauſa Irregularitatem inducit.*
2 *Morbi Gallici duæ ſpecies ex Majolo.*
3 *Gallici Morbi triplex ſpecies & in quanam locum habeat Irregularitas.*
4 *Morbus Gallicus, qui nullam exterius de ſe ſignificationem prabet, an Irregularitatem inducat.*
5 *Irregularitas in morbo Gallico inducitur ex iis, quæ exterius apparent, & quanam ea ſint.*
6 *Exterius apparentia in morbo Gallico ex diverſo capite inducere debent Irregularitatem.*
7 *Morbus Gallicus ſi celari facilè poſſit, an inducere debeat Irregularitatem.*
8 *Penis ex morbo Gallico deperditus an Irregularem hominem faciat.*
9 *Raucedo perpetua ex morbo Gallico contracta an inducat Irregularitatem.*

De Morbo Gallico.

QUÆSTIO XXII.

MOrbus Gallicus ut plurimum habet cum ſe non unam, ſed multiplicem cauſam Irregularitatis 1
nempè quandoque impedimentum liberi uſus corporis, turpitudinem, contagium, & difficultatem curationis, & ſcandalum. Sed quia is morbus habet multos gradus, neque videntur poſſe habere locum in uno, quæ habent locum in alio, ideircò non promiſcuè quæ dicentur intelligenda de quocunque morbo Gallico, ſed de eo tantùm, qui notabilem de ſe ſignificationem præbere poteſt, undè neque ſi quis levi Gonorrhæa laboraverit, aut ulcuſcula, quæ citò curari poſſint, in pudendis paſſus fuerit, aut de præſenti patiatur, aut levi bubone, ac de facili curabili afficiatur, dummodo ſcandalum abſit illico Irregularitati erit ſubjiciendus.

Majolus, qui profitetur ſe ante omnes alios de morbo Gallico in ordine ad Irregularitatem per- 2
tractaſſe, ut dicit *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 1. duas morbi Gallici ſpecies conſtituit, & utramque quidem graviſſimam; nam unam dicit ex ſententia Medicorum eſſe horribilem valde propter ulcera per corpus diffuſa, & propter extrinſecam deformitatem adjectis acerbis doloribus; alteram verò habere majorem cruciatum internum cum articulorum inflatione, membrorum, ac nervorum attractione, decoloratione vultus, & cutis ſine ullo extrinſeco ulcere, & utramque magnam ſimilitudinem cum Lepra habere aſſeverat. Nos Medici aliter hanc rem enuclearemus, dicendo, Morbum Gallicum duplicis ſpeciei

eſſe

eſſe(ſequendo ejuſdem Majoli diſtinctionem)& unũ potiùs per extrinſeca ſigna,alium per intrinſeca magis innoteſcere.Sed multò magis ad rem noſtram faciet ſi diſtinctiùs procedamus, nam ſi morbum Gallicum in ſpecies diſtinguere velimus, prout ad negotium medicum magis pertinere videtur,aliter eſſe diſtinguendum.Sed dicamus nunc,quod reſpectu Irregularitatis inducendæ per morbum Gallicum, tripliciter veniat dividendus,nempe in illum,qui levis, ac mitis eſt ſolis parvis ulcuſculis circa pudenda, vel brevi Gonorrhœa, aut levi bubone concomitatus, nullis aliis apparentibus ſymptomatibus, niſi fortè aliquali capillorum defluvio,& hæc erit prima ſpecies. Secunda ſpecies gravior eſt, quæ contumaci Gonorrhœa,& ulceribus pudendorũ malignioribus, & bubonibus inſignioribus, dehinc etiam fœdis maculis,ac puſtulis in toto corpore,& aliquando etiam in capite,& facie eſt inſignis.Tertia denique ſpecies, quæ graviſſima eſt,apoſtematibus,& contumacibus, malignique ulceribus, & artuum doloribus, noctu maximè affligentibus & abſceſſibus,ac carie ipſorum oſſiũ.& Narĩ ulceribus cacoëthicis,& notali depilatione etiam ciliorum, & ſuperciliorũ eſt notabilis, 3

Ex hac igitur diviſione patet manifeſtè in prima hujus morbi ſpecie minimam militare Irregularitatis cauſam,ſi ſcandalum excipias, majorem in ſecunda : in tertia verò cauſas & numero plures, & efficaciores,& graviores militare, cum in ea concurrant omnia impedimenta, quæ morbis Irregularitatem inducentibus provenire poſſunt, nempe morbi difficultatem,contagium,deformitatem, ſanitatis ſummum impedimentum, & ſcandalum,ut jam dixi.

Cæterùm quia aliquando morbus Gallicus nullam de ſe exterius ſignificationem præbet, ſola autem doloris artuum acerbitate,& cruciatus malignitate ſe prodit, videndum à Canoniſtis eſt de hoc peculiaritet ; ceſſant enim in eo plures ex illis cauſis, quas in cæteris concorrere dicebamus, præcipuè verò deformitas, & ſcandalum, cùm nullatenus per exteriora ſigna de ſe ſignificationem præbeat,neque celebrationi impedimento ſit, quia plerumque hujuſmodi dolores noctu affligunt, interdiu verò hominem liberum,aut penè liberum relinquunt. Niſi ergo ſola infectio Gallica per ſe ſufficiens ſit ad Irregularitatem inducendam, determinandum à Canoniſtis eſt, utrum tales Irregulares ſint, necne. 4

Quod ſupereſt, certum eſt, Irregularitatem in hoc morbo induci ex iis, quæ oculis ſubjiciuntur, hæc enim ſcandalum pariunt, & deformitatem afferunt, unde videndum ex quibuſnam ſignis homines morbo Gallico affici cognoſcamus, & quæ maxime apparentia ſint,& ex quibus vel ipſum vulgus facilè ſibi perſuadet morbum Gallicum eſſe præſentem, ſunt quæ ſequuntur.Capillorum defluvium,maximè verò eorum,qui ciliis,ſuperciliis,& barbæ inhærent. Quod ſignum certiſſimum Gallici morbi dicitur ab Amato Luſit.*cent.4.curat.Medic.n.* 4. *&* 14. & inter Juriſconſultos *à Sperello ex ipſo Amato dec. fer. Eccleſiaſt.par.*2.*dec.*14.*n.*25.*dehinc*, cruſtulæ, puſtulæ & ulcuſcula in cute capitis, in facie,in collo, & in reliquo corpore,ac cum his fœtus faciei color,vel ejus rubor inſignis,oculorum offuſcatio,Palati,Faucium, & Narium exedentia ulcera, raucedo perpetua, oris colluvies, ipſius Capitis & aliorum membrorum gummata Palpebræ inferiores lividæ,ut in nonnullis fœminis menſtrua patientibus, ſciſſuræ, & rhagades in volis manuũ.& pedum plantis,& alia nonnulla his non abſimilia. Quibus accedant dolores artuum noctu maximè recurrentes, & moleſtantes, & alia quæ extra non apparent, de quibus idcircò nihil addo. 5

Hæc igitur, quæ pro ſignis infallibilibus morbi Gallici attulimus non uno ex capite omnia Irregularitatem inducere certum eſt,nam aliqua ob deformitatem, alia ob impedimentum liberi uſus corporis, & alia aliter faciunt hominem irregularem;nam ſi capillorum defluvium conſideremus, id quidem ex magna deformitate hominem faciet irregularem, & ex magno ſcandalo,cùm vulgus graviſſimum, & fœdiſſimum illum morbum illicò dijudicet, in quo tale defluvium capillorum apparet, & forma faciei mirum in modum depravetur, maximè ſi cum capillis capitis etiam pili ciliorum,ſuperciliorum,& barbæ decidant, unde tanti facit hanc turpitudinem Majol. *loc. cit. n.* 4. ut tales quaſi publicos,& manifeſtos criminoſos, & infames ab ordinibus ſacris, ut reliquos infames repellat. At verò neque ullum ſanitati hujuſmodi depilatio affert incommodum, nec in veritate magnum morbum inducat,cùm inter ſigna,quæ morbum Gallicum leviorem eſſe demonſtrant, ſit defluvium capillorum. Julian. Palmar. *de Lue Vener. c.* 4. & cum eo Sennert.*lib.*6.*tract par.*4. *c.* 5. & alij contrà fiſſuræ, & rhagades in volis manuum neque ex deformitate, neque ex incommodo ſanitatis Irregularitati debere cauſam dare videntur, ſed tantùm quia cùm morbum graviſſimum denotent,ſcandalum afferunt,eſt enim tale ſignum ex potioribus & minus fallibilibus denotantibus gravem morbum Gallicum, ut omnes Doctores firmant. 6

Quod reliquum eſt, videtur à Canoniſtis id indubitanter determinandum, Morbum Gallicum, nempe qui celari poſſit, non inducere Irregularitatem, non obſtante quod incurabilis ſit, & contagioſus, quia videntur hæ duæ cauſæ inſufficientes ad inducendã Irregularitatem per ſe nam de Incurabilitate nihil conſideratione dignũ occurrit, ubi nõ aſſocietur aliis cauſis efficacioribus, & de contagio idem dicendũ,quando non eſt de facili communicabile, ut in Lepra.Ceſſante ergo in morbo Gallico, qui celari facilè poteſt ſcandalo,& impedimento liberi uſus corporis,videntur,ſalva ſemper Canoniſtaũ determinatione,illum non inducere Irregularitatem. 7

Et in tantum crederem hoc eſſe verum, ut etiam ſi quis ex malignis ulceribus Gallicis, cicatrices inſignes in corpore (quæ tamen occultari veſtimentis facilè poſſent) contraxiſſet aut etiam Penem totum deperdiſſet, vel aliud quodcunque, quantumvis patens ac indelebile ſignum in corpore conſervaret, non exiſtimarem ex hoc Irregularem fieri. Sed hoc ad me determinare non pertinet. 8

Sed inter alia ſigna conſpicua gravis morbi Gallici, repoſui Raucedinem perpetuam, & immedicabilem, quæ quidem tanto majorem dubitationem faciet,ſi cum ea conjungantur de præſenti, vel aliàs conjuncta fuerint, Gutturis, faucium, aut Narium, & aliarumque partium contiguarum maligna ulcuſcula, & exedentia. De hac igitur Raucedine non tam liberè fortè pronunciandum, quòd non ſit ſufficiens cauſa Irregularitatis, cùm, ut dixi, morbum Gallicum graviſſimum denotet, & ſignificationem de ſe præbeat maximam, ex quo ſcandalum emergere magnum, non eſt dubium. 9

SUMMARIUM.

1 *Febriens nec promoveri, nec miniſtrare poteſt.*

2 *Febres intermittentes, quartana ſimplici excepta, etiam in intermiſſione liberum corporis uſum impediunt, & idcircò ſemper inducere debent Irregularitatem.*

3 *Febres Hectica, & ſymptomatica ex naturalium viſcerum obſtructione, an irregularitatem inducant.*

4 *Levis febris quæ dicitur ad hunc effectum, ut non faciat irregularem, & num. ſeq.*
6 *Peſtis facit hominem Irregularem.*
7 *Peſtis non ſemper eſt incurabilis.*
8 *Peſtis & Epidemia non ſunt idem.*
9 *Peſte ceſſante ceſſat Irregularitas.*

De febre, & Peſte.

QUÆSTIO XIII.

CIrca Febrem non aliter diſſerendum erat reſpectu Irregularitatis, quàm de quovis alio morbo qui liberum corporis uſum impediat; de ea tamen Canoniſtæ peculiarem ſermonem habent, eamque concluſionem firmant, quòd quandoque hominem notabiliter vexat, ut liberè actiones ſuas exercere non poſſit, inducat Irregularitatem, ita ut febriens
1 nec promoveri, nec miniſtrari poſſit. Excipiunt autem illi febres intermittentes, & maximè intermiſſionis tempore, circa quæ tamen ex Medica officina ſunt quædam non parvi momenti ponderanda.

Et primò adnotandum, febres omnes intermit-
2 tentes, ſi ſimplicem quartanam excipiamus; dummodò non adeò leves ſint, ut nullius conſiderationis ſint exiſtimandæ, etiam in tempore intermiſſionis non permittere hominem, ut liberè corporis muniis utatur; quod tantò magis habet locum, quanto majoris vehementiæ febris eſt, quantò majoris durationis, quantò pluribus ſymptomatibus & majoris momenti aſſociata, & quantò minus interpolationis tempus habet, immò in duplici Tertiana, ſeu in triplici Quartana etiam febre omninò intermiſſionẽ per notabile ſpatium habente, homo non habet liberum corporis uſum, unde ſemper videtur habere præſentem Irregularitatis cauſam, ſed quid ego in duplici Tertiana, aut triplici Quartana dixi? in ipſiſſima Tertiana ſimplici non pertranſeunte ſpatium duodecim horarum homo in die interpolationis non habet liberum corporis uſum, unde neque ſanus dicitur, neque ſanus eſt, *l. Qui Tertiana, ff. de Ædil. Ed.* quod apud nos probatione non eget, & hoc quidem non abſque ſumma ratione, quia Tertiana laborans, non eſt in ſtatu naturali, eſt ergo in ſtatu præter naturam, & ſic morboſus dici debet, ſed in caſu noſtro multò facilíùs hoc habet locum, quia non ſolum Tertiana laborans in die interpolationis habet in ſe cauſam morbificam, & diſpoſitionem ad ægrotandum, ſed potiùs dici debet in actu ægrotare, dum ad opera quædam naturæ eſt adeò ineptus, ut nonniſi cum periculo ea exercere poſſit: nam ſi exempli gratia Tertiana laborantem permittas domo exire, aut quocunque modo ſeſe exercere motu corporis, imò & è lecto tantùm ſurgere, illicò humor putreſcens excitabitur, & ex ſimplici Tertiana duplicem, aut etiam continuam efficies, quod quidem hoc modo uſuvenit, ob ipſius peccantis humoris naturã, qui vel minima occaſione facilè accenditur. Ergo febriens ex febri intermittente, Quartana excepta, erit ſemper impeditus etiam in die interpolationis in libero corporis uſu, habebit ergo ſemper ſufficientem cauſam Irregularitatis, & ſic nec promoveri; nec miniſtrare ullo modo poterit quæ omnia Canoniſtis conſideranda propono.

Cæterùm quoad febres continuas notandum, ex
3 eis eſſe nonnullas, quæ vel habituatæ ſunt, & fixæ, dicunturque Hecticæ, aliàs verò eſſe ſymptomaticas, & ex his quaſdam dari leviſſimas quidem ex naturalium viſcerum obſtructione dependentes; ram hæ autem, quàm Hecticæ leves dici poſſunt aliquo modo, quia neque ullo dolore, neque ullo inſigni ſymptomate, neque notabili corporis impedimento ſunt moleſtæ. Sed Hecticæ humidum primigenium ſenſim depaſcentes, hominem extenuant, tandemque ad mortem perducunt, & quia cum confirmatæ ſunt curationem non admittunt, neque ſunt à contagio liberæ, videndum an faciant hominem Irregularem: nam aliæ febres ſymptomaticæ jam commemoratæ neque incurabiles ſunt, neque contagioſæ, cumque non magno impedimento ſint libero corporis uſui, non viderentur facere hominem irregularem.

At verò cùm levis febris non dicatur inducere Ir- 4
regularitatem, videndum quænam febris ad hunc effectum levis ſit nominanda? & videtur à Canoniſtis deciſum, eam intelligi levem, quæ non impedit liberum corporis uſum? at ſi conſiderabimus ea, quæ mox de Hectica febre retulimus, videbimus, eam non impedire hujuſmodi liberum corporis uſum quia homo non minùs quàm ſi ſanus eſſet, liber eſt ad ſua munia exercenda, & nullo corporis dolore affitur, at verò talis homo dicitur ſanus Galen. *lib. 6. de ſanit. tuend. c. 5.* aut ſaltem etiam ſi ſanum hunc non vocare debeamus ſecundùm Galenum, quia verè non poteſt dici liber ad corporis munia exercenda, cùm febricitet, ſanum tamen vocabimus ſecundùm Canoniſtas, quia talem liberum uſum corporis habet, qualis ſufficit ad Irregularitatem evitandam, non erit ergo verum, quòd levis febris non inducat Irregularitatem, cùm Hectica, quam vidimus levem febrem eſſe, faciat Irregularem.

Dicendum videtur, levem febrem ad hoc dici, quæ nullo notabili ſymptomate inſignis eſt, qua- 5
les ſolent eſſe nonnullæ Tertianæ miniſſimæ, & jam commemoratæ febres ſymptomaticæ ex naturalium viſcerum obſtructionibus originem habentes, & Quartana jam extenuata, & chronicæ quædam febriculæ, quæ ſperni poſſunt. At Hectica febris præter commemorata incommoda, de quibus ſuprà, habet ſecum ſummam extenuationem, quia abſumit Carnes, & radicale humidum, & idcircò non ſolùm levis nomen non meretur, ſed eſt graviſſima, & lethalis, ut notum lippis, & tonſoribus eſt

Sed jam de Peſte loquamur, quæ dum actu affligit, 6
multò promptiùs, quàm alius quilibet morbus Irregularitatem inducit. Majol. *lib. 2. c. 2. n. 2.* ampliant autem Canoniſtæ, ut hoc non ſolùm locum habeat in eo, qui de præſenti peſte detinetur, ſed etiam in eo qui peſtis ſuſpectus eſt, nempe quem facilè peſte prehenſum iri cenſemus, & hoc, ne, ſi infectus fortè fortuna ſit, alios inficiat. Duplicem autem cauſam ejus irregularitatis aſſignat Majolus, nempe Contagium & incurabilitatem. Sed adverte eſſe peſtes etiam aliquas ſine contagio, immò omnes abſque contagio incipere certum eſt, ut probavi aliàs *lib. 3. har. q. tit. 3. qu. 2. à n. 13. ad plures ſeq.* & tunc quidem ceſſante hac conditione, ceſſabit Irregularitas quantum eſt ex hoc. Præterea non eſt adeò incura- 7
bilis peſtis, ut plures ab ea non evadant, nã graviſſima cenſetur ab omnibus Medicis, in qua tertia pars ægrotantium vix ſuperſtes eſt, qualis ea Peſtis fuit quæ Anno Domini 1450. vagata eſt, & in ſumma non eſt abſolutè verum, eſſe incurabilẽ, ſi ex tribus partibus peſte affectorum una ſuperſtes eſſe ſoleat; præterquam quod neque Peſtis ipſa contagioſa judicata tam efficax cauſa eſt communicationis morbi de uno ſubjecto in aliud, quantum communiter creditur, cùm in vera peſte, quantum ego exiſtimo, minimũ operetur contagiũ, ſed cita cõmunicatio morbi ex aëris corruptione adveniat, cùm nulla vera Peſtis ſit, quę ex aëris corruptione nõ fiat, & ea, quæ, ex ſolo contagio fit, citiſſimè vires amittere neceſſe

ſit ob reſiſtentiam & reactionem eorum corporum, in qua communicari debet contagium; amittit enim ſemper de ſuo vigore ſeminium peſtis communicando ſe de uno individuo in aliud, tandemque evaneſcit, niſi ab aëre corrupto, ac peſtilenti adſit proxima diſpoſitio contrahendi huiuſmodi contagium, ut in particularibus Peſtibus uſuvenit, quæ plures quidem homines ejuſdem domus, ac familiæ inficiendo, tandem agendi energia remiſſa, omninò, ac brevi temporis ſpatio ceſſare ſolet, ſed nunc non eſt is locus, cogimur tamen plerumque communi hominum opinioni nos aſportandos committere, ex qua habemus, contagium non ſolùm inſpiratione & conſervatione, & per tactum, & per veſtes, ſed etiam per viſum, ſi *Diis* placet, communicari, & ex hoc tam qui actu ægrotant, quam qui diſpoſitionem proximam habere cenſentur ad ægrotandum, & peſtis ſuſpecti ſunt, Irregulares omnimò ob contagii periculum judicantur. 8

Illud autem adnotaverim circa Peſtem, quòd non idem ſit Peſtis & Epidemia, nam aliqui Juriſconſulti, aliarumque ſcientiarum Profeſſores inter Peſtem & Epidemiam nullam differentiam agnoſcunt, cùm tamen cauſa & periculo maximè eas diſtingui oporteat, nam Peſtis cauſam habet communem, ſed deleteria, ac maligna qualitate inſignem, nempe aërem corruptum, ſeu malignam exhalationem contagio communicatam, Epidemia verò cauſam quidem habet communem, nempe aërem intemperatum, & in primis qualitatibus excedentem, abſque concomitantia ullius pravitatis, ut ex Galeno aliiſque probavi *lib. 3. tit. 3. quæſt. 1. & 2.* differunt etiam periculo, quia in Peſte plures pereunt, quàm ſalventur, nam Peſtis eſt morbus exitialis; in Epidemia contra plures ſalvantur, quàm pereant, quia morbus eſt ut plurimum ſalutaris.

Atque ex his ſequitur, Epidemiam neque ob contagium, neque ob incurabilitatem facere hominem irregularem, ſed tantummodò ex vexatione corporis, ex qua impeditur ad ſuas naturales actiones liberè exercendas, ut quicunque alius morbus, qui liberum corporis uſum impediat.

Adnotandum præterea, quod Peſte ceſſante, ceſſat etiam Irregularitas, non obſtante contagio quia ab eo, qui jam Peſte fuit affectus, & ab ea evaſit, non ampliùs timetur contagium, & idcircò nullam cauſam habet, ob quam repelli debeat aut à promotione, aut ab adminiſtratione ſacrorum; non enim fit in peſte quod in aliis quibuſdam contagioſis morbis evenit, nempe ut etiam recedente morbo retineant ægrotantes, ſeu potius convaleſcentes, & jam ſani facti ſeminium contagii, ut exempli gratia ſit in morbo Gallico, ex quo recedentibus etiam cunctis morbi ſymptomatibus, perſeverat tamen contagii ſeminium, ita ut etiamſi de præſenti homo non appareat infectus, ſoleat tamen alios contagio inficere, ut quotidie experimur; imò & illud experientia compertum eſt, mulierem non infectam morbo Gallico, habere in ſe aliquando ſeminium ejus morbi, & non infecta alios inficere, quod etiam de viris evenire (licet multò rariùs, & non ad longum tempus) non eſt impoſſibile; in his enim occultatur illud morbi ſeminium in aliqua corporis parte, neque ullam de ſe ſignificationem præbet quouſque in actum non producatur; idipſum etiam de quibuſdam aliis venenis evenit, quæ latent per aliquod tempus in copore, imò aliquando per longiſſimum tempus, & dehinc cùm in actum producuntur de ſe ſignificationem præbent excitando ſymptomata eorum malitiæ proportionata, ut de veneno Canis rabidi ſatis conſtat. Itaque quemadmodum in Peſte, ubi ceſſaverit, ceſſat in eo, qui Peſte jam fuit affectus, omnis cauſa Irregularitatis, ita in morbo Gallico hoc non haberet locum, quandocunque contagium judicetur ſufficiens cauſa Irregularitatis, quia poſſunt etiam ceſſante morbo remanere ſeminia ipſius morbi, & deinceps repullulare. At ubi aliquis ſemel Peſte affectus ſit non ampliùs ea moleſtatur; non inquam, omni Peſte indifferenter, ſed ea tantum, quæ de præſenti vagatur, non aliàs adventante novo Peſtis genere poteſt de novo inſici, ut experientia docet, cum multi bis ac ter in diverſis temporibus differentibus peſtibus fuerint affecti, at qui eodem tempore eodemque genere Peſtis pluries ſint moleſtati, non facilè reperiuntur.

SUMMARIUM.

1 *Fœminæ etiam ſuo modo ſunt irregulares.*
2 *Mulierum irregularitas quando habeat locum.*
3 *Virgo quando verè dicatur corrupta à Canoniſtis*
4 *Corrupta mulier dupliciter dicitur.*
5 *Corrupta quoad corpus dupliciter dicitur.*
6 *Non corrupta poteſt non eſſe Virgo, & corrupta poteſt eſſe Virgo.*
7 *Atreta ſeu Velata dicitur corrupta, ſi viro jungatur, etiamſi loca non violentur.*
8 *Virgo poteſt concipere abſque violatione locorum, & quomodo.*
9 *Virgo quando verè conſtuprata dici debeat.*
10 *Pollutio non poteſt contingere ante ſeminis generationem, & utrum Virgo ante dictum tempus poſſit mentalem Virginitatem amittere.*

De Irregularitate fœminarum.

QUÆSTIO XXIV.

FOeminæ etiam ſuo modo Irregulares dicuntur, cùm inhabiles ex aliqua cauſa fiunt ad quædam ſacra ſuſcipienda & exercenda, quæ ad ipſas pertinent; nam aliquando impedimento legitimo detinentur, ex quo Moniales fieri non poſſunt, nec velum qualecunque ſuſcipere, nec publica officia, ac præſertim Abbatiſſarum exercere, & ſic de cæteris. Nos pauca quædam de iis impedimentis addere poſſumus, quæ propria ipſarum mulierum ſint, nam alias quædam, quæ viros Irregulares efficiunt, faciunt etiam irregulares ipſas mulieres, ut eſt morbus contagioſus, vel qui magnum terrorem ſuis inſultibus aliis incuteret, ut Epilepſia ſæva, vel Lunatica paſſio, furor, & omnis ſpecies dementiæ; quæ in aliarum virginum præjudicium emanare poſſet: in tantùm enim hæc mulierum Irregularitas locum habet, in quantum earum morbi, ac vitia alias moniales lædere ſint apta, nam quæ proprias perſonas deformant, non impediunt illas in omnibus, ſed tantùm in quibuſdam, cùm ſurditas, mutitas, cæcitas, & alia vitia, & deformitates inſignes etiam non impediant virgines conſecrari, ſed maximè impediat eligi in Abbatiſſam, ut exiſtimat Majol. *lib. 1. de irregular. cap. 29. n. 5.* quæ opinio an undequaque veritati ſit conſona, aliis Canoniſtis ponderandum relinquo. Nobis circa mulieres de corruptela tantùm virginitatis aliquid dicendum, & de pollutione: Hæc enim duo videntur peculiariter impedire poſſe, an Monialis profeſſionem emittat, aut conſecrari poſſit, aut in Abbatiſſam eligi, de quibus videndus Majol. *ubi ſuprà.* 1

Circa corruptam ergo virginitatem occurrit dubitare, quandonam verè virgo dicatur corrupta, & primò afferamus quæ docent circa id Canoniſtæ, ac poſtmodum quid ſecundùm Medicos ſentiendum ſit, licet, ut liberè meam ſententiam dicam, nihil in hoc Medici determinare poſſint, cùm corruptio 3

virginitatis, quæ prædicta affert impedimenta, maxima ex parte mentem respiciat, non corpus, Medici, autem ad corporis tantùm integritatem respiciant; non desistam tamen quin aliquid circa hoc in medium afferam.

4 Canonistæ igitur duplicem corruptelam considerant, unam ad mentem pertinentem, aliam ad corpus: corrupta quoad mentem est, quæ ex negligentia & complacentia, & assensu in pollutionibus spontaneis, (quæ nempe ex se, nulla data opera, vigilantibus aut dormientibus accidunt) contaminatur, amittit enim irreparabiliter virginitatis virtutem, 5 licet corpore sit integra. Corrupta quoad corpus est, quæ claustra virginalia violata habet, quod dupliciter evenire potest, vel præter intensionem, vel ex propria voluntate, & data opera. Præter intentionem etiam tripliciter fit: vel casu, ut si Virgo impingat in aliquod obstaculum, quod claustrum virginale perrumpat, vel data opera, ut si Obstetrix, aut Chirurgus sanitatis causa idem virginale claustrum violaverit ac devastaverit. Ex propria voluntate corrupta dicitur, quæ cum viro commixta, & violata est, aut quæ propriis manibus, vel instrumento ali- 6 quo, vel manibus alienis claustrum idem penetravit, aut penetrari permisit. Ex quibus patet, quod quemadmodum virgo corpore integra potest amisisse virginitatem, ita corpore corrupta potest eandem virginitatem adhuc conservare; licet quæ corrupta est quoad mentem, virgo dici possit secundùm statum, non verò secundùm virtutem, contra quam eveniat de ea, quæ integra est quoad mentem, corrupta quoad corpus: nam ut notissimum ex Canonistis est, virginitas non consistit in integritate corporis, sed in integritate mentis, atque hinc est, 7 quòd ea, quæ mulier fieri non potest ob pudendi clausuram, quæ in aliquibus à Natura accidit (vocantur autem tales Atretæ, Imperforatæ, seu Velatæ) si cum viro conjungatur, virgo ampliùs dici non potest, etiamsi locorum integritatem servet, ex assensu enim tantùm illicò virginitatem amittit, hoc est ipsam virginis virtutem, licet integra à viro remaneat.

Cæterùm ad ea, quæ magis propria Medicorum sunt, accedens, de ipsa corporea virginitate differendum esset, de qua tamen lectorem, qui plura scirè desiderat, remittam ad harum quæstionum *lib. 4. tit. 2.* ubi & quid sit Virginitas, & de vera, ac naturali constitutione partium in Virginibus, & de aliis plu- 8 ribus longioribus tractavi. Quod ad præsens negotium facit, illud est, determinare quandonam verè Virgo dicatur corrupta respectu integritatis locorum; quod tamen difficillimum est, quia, ut *tituł. præced. quæst. 1. n. 32.* docuimus, Virgo potest genitale viri admittere absque ulla violatione locorum, si una, aut altera die à purgatione menstrua viro jungatur, itaque si id veritatem habet, ut veritatem omnimodam habere notat Pinæus *de not. Virg. lib. 1. c. 6.* etiam integra virginitate corporali, hoc est, non dilatatis, ac dilaceratis, aut nullo modo disjunctis vasis fœminæis, potest virgo virum admisisse & concepisse, unde si ad eam integritatem respiciamus, adhuc eam ipsam virginem esse pronunciare deberemus, cùm nullatenus talis sit. Ut brevitati consulam id concludá, quòd corporalis virginitas amittatur intromissione quacunque notabili membri virilis; vel siquidem id nimis vigorosum videatur, dicamus tunc debere dici omninò constupratam vir- 9 ginem, cùm vir suo membro penetraverit caruncu-las illas Hymenem constituentes, quas Myrrhoides & Triangulares appellant, harum enim caruncularum (quæ Cariophili speciem repræsentant) conjunctio & cohærentia verus Hymen est, unde tunc dici potest corporalis virginitas amissa, cum hæ caruncułæ disjunguntur per externam aliquam vim quæ à membro virili processerit, omninò Virgo corrupta ac violata dicitur, aliàs autem non ita, vel fortè meliùs, tunc corporalis virginitas amissa dicenda est, cùm membrum virile ad interna uteri etiam absque ulla violatione aut disjunctione locorum, sed simplici intromissione penetraverit, ut evenire potest non multo post menstruam purgationem, præsertim si mulier ampla pudenda habuerit, & vir exile membrum fuerit sortitus.

Quoad pollutionem tandem integra remanente primò ea Canonistarum sententia, de qua supra, quod vera virginitas nempe mentalis, & ipsa virginitatis virtus amittatur simplici assensu, & ex complacentia & desiderio venereorum, dicamus, quod pollutio non potest cóntingere ante seminis generationem, semen autem generatur cum menstrua fluere incipiunt, tunc enim, & non ante mulier est apta generationi. Modo Canonistarum est decidere 10 utrum, antequam Virgo pollui sit apta ex seminis ejaculatione, amittat tamen virginitatem, si ad eam malitiam perveniat, ut desideret cum viro in actu venereo se jungere, & in hoc desiderio firma remaneat, ac se complaceat, nam hæc ad Animum spectant, & ad Canonistarum negotium faciunt. Dubium facere posset si velimus virginitatem consistere in integritate locorum respectu emissionis seminis, ita ut non videatur Virgo illam amittere, nisi ex seminis ejaculatione delectationem percipiat, & cum assensu & voluntate ad eam concurrat. Itaque si hoc modo amittitur Virginitas, certè amissa non potest dici, ubi nulla seminis ejaculatio adesse potest, & sic antequam Virgo semen ferat, hoc est ante decimum quartum annum, quo etiam menstrua fluere incipiunt, non potest dici Virginitatem amisisse etiam ex assensu & complacentia Venereorum; quæ tamen omnia Canonistæ magis clarè definire poterunt in ordine ad Irregularitatem.

LIBRI OCTAVI TITVLUS SECUNDUS.

De Remediis Medicis.

Continens Quæstiones quatuor.

I. Quænam sint remedia Medica; & quænam Personæ circa eorum usum errare soleant. Infirmus an, & in quibus casibus teneatur Medico obedire.

II. Diætetica.

III. Pharmaceutica.

IV. Chirurgica.

SUMMARIUM.

1 *Remedia Medica unde desumantur.*

2 *Remedia Diætetica ex quibus rebus desumantur.*

3 *Medici & Ægroti, & Assidentes quomodo interdum circa Remediorum usum delinquant.*

4 *Quæ Remedia consulere Medicus possit, quæ non, & primo*

primo de iis, quæ esse possunt contra animæ salutem.

5 *De Remediis dubiis an tentari à Medicis possint.*

6 *Æger an teneatur obedire Medico sub pœna peccati; pars negativa. Contrarium n. 7. Vide n. 13.*

8 *Æger non admittens remedia naturalia, remittens se in manus Dei, mortaliter peccat, & vide n. 19.*

9 *Æger quando excusetur, si renuat remedia à Medico proposita.*

10 *Iejunans notabiliter saluti corporeæ præjudicans, peccat.*

11 *Infirmus tenetur ex charitate proprii corporis Medico obedire generaliter loquendo.*

12 *Quilibet tenetur custodire propriam salutem quantum potest; & maximè in mediis, quæ ad id judicantur necessaria.*

14 *Homo non est suæ vitæ Dominus.*

15 *Infirmus non tenetur obedire Medico, quando remedia aspera & maximè dolorosa sunt, aut cum summa displicentia admittuntur.*

16 *Certitudo salutis ex remediis non habetur sed tantum probabiliter sperari potest.*

17 *Non potest infirmus respuere remedia Medica ex eo, quod existimet expugnari posse morbum viribus Naturæ.*

18 *Infirmus non potest respuere medicamentum ex eo, quod majorem exacerbationem ex remedii usurpatione timeat.*

20 *Infirmus non tenetur obedire Medico assumendo, vel admittendo medicamenta dubia & periculosa, & utrum erret talia remedia admittendo, n. seq.*

22 *Non tenetur infirmus obedire Medico, ubi is imperet remedia extra communem medendi rationem, & multo minus si sint contra animæ salutem, aut superstitiosa, num. seq.*

Quænam sint remedia Medica; & quænam Personæ circa eorum usum errare soleant. Infirmus an, & in quibus casibus teneatur Medico obedire.

QUÆSTIO I.

1 REspiciunt Medica remedia tria Medica instrumenta, hoc est Diætam, Pharmaciâ & Chirurgiâ; unde ad Diætam pertinentia Diætetica vocantur pertinentia ad Pharmaciam Pharmaceutica, & ad Chirurgiam tandem spectantia Chirurgica. Quæ ad Diætam

2 pertinent ea omnia sunt, ex quorum usu tota victus ratio constituitur; hæc continet rectum usum earum rerum quas Medici Nonnaturales vocant, ac sunt *n.* 6. nempe Aër ambiens, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, & animi passiones, hunc harum rerum rectum usum in Ægris ad Medicum pertinet dirigere, ad Ægrotantem autem in his Medico obtemperare, ad assidentes verò Medici præcepta quantum in se ipsis est executioni demanda-

3 re. Verumenimverò tam Medici, quam Ægroti & Assidentes frequentius circa hæc, quam circa cæterorum remediorum administrationem graviter delinquere solent, vel negligentia, vel ignorantia, vel audacia, vel incontinentia, vel alia quavis ex causa: Nam Medici aliquando non præcipiunt quæ præcipienda sunt, aut præcipiunt non præcipienda, aut concedunt non concedenda, ut ipsis Ægrotis gratificentur. Et multo magis in hoc interdum peccant ipsi Ægrotantes Medico non obedientes, ejusque consilia ac præcepta spernentes, ut perversis suis desideriis satisfaciant, vel infirmitatis incommoda nolentes sustinere, & sic de cæteris. Nec minus in hoc ipso Assidentes delinquûnt, vel non mandantes in executionem ea, quæ Medicus imperaverit, vel porrigentes ægrotis cibos, ac potus noxios, & importunè, ipsis ægrotis morem gerentes in his, quæ exposcunt, nihili facientes damnum, quod eorum saluti inde emergere potest, vel aliquando consulentes illis aliquid contra Artis dogmata.

Erratur quoque pari passu à singulis harum personarum in usu remediorum Pharmaceuticorum, nam quoad Medicum jam alias plura eorum, in quibus ille peccat, deteximus, ac deinceps detegemus, sic etiam & ægri, & Assidentes circa usum eorundem remediorum delinquunt; ut cum ipsi ægri ob displicentiam, horrorem, & abominationem eorum remediorum nolunt ea assumere, vel contra assumunt quædam non assumenda à Medico reprobata, & id genus alia. Eodemque modo circa remedia Chirurgica sæpè sæpius omnes, ac singulæ huiusmodi personæ delinquunt, cum Medici aliquando nonnullas operationes Chirurgicas vel consulunt, vel exercent, ex quibus vita patientis manifesto periculo exponitur, & ipsi Assidentes suasionibus suis aliquando ad eas ægrotos exhortantur, & iidem ipsi ægrotantes vel recusant quæ recusare non debent, vel admittunt, quæ non debent admittere, in quibus omnibus cum possit aliquando intrare gravis, ac mortalis culpa, determinandum certè est, quando, & quibus remediis uti Medici possint, quibus verò nó, quãdo item assidentes, aut ægrotantes consulere, aut admittere, aut dissuadere, aut renuere ea tuta conscientia possint, quando verò non.

Sed antequam ulterius progrediamur, quædam dubia generalia discutienda sunt, & primò quoad Medicos videndum, an indifferenter omnia remedia Medi- 4
ca consulere possint, necne, quæ norunt in ægrotantis salutem emanare posse, ac dicendum Medicum omnia remedia consulére ac proponere posse, dummodo neque ullo modo contra Animæ salutem, neque certè aut dubitativè etiam contra salutem corporalem redundare possint, & quoad primam partem respicientem animæ salutem, nullum intervenit dubium, & de ea re sufficienter verba feci alias *lib. 5 harum Quæst. tit.* 3. qui est *de Error. Medic.* quoad secundam par- 5
tem etiam, quæ respicit medicamentorum dubietatem, res est clara, quod nullum remedium consulere possit, quod certo contra corporalem salutem emanaturum sit, remanet tantummodo dubium in remedio dubio, quod dissolutum est ab aliquibus Canonistis dicentibus, Medicum non posse dubia remedia in usum trahere, ac præstantius esse, ægrum relinquere in manus Dei, & vide nonnullas tam Canonistarum, quàm Medicorum auctoritates apud P. Theoph. Raynaud. *de part. cont. nat. c. 8. n. 2.* non obstante ergo decantata Celsi sententia, Anceps remedium experiri, quam nullum, medicamenta & remedia dubia Medicus consulere, aut imperare non debet absque gravi culpa, quæ quidem intrabit in ipsa remedii ancipitis admissione, etiamsi deinceps res benè succedat, quia quantum est ex se, ægrum vitæ periculo exposuit, ipsa enim prohibita remedii dubii admissio antequam effectum suum prodat, culpa non vacat, de cuius gravitate, vel lenitate Canonistarum est determinare.

Cæterum quoad ægrotum dubitatur primo; an ex 6
præcepto, & sub pœna peccati teneatur obedire Medico. Plures Canonistæ quidem voluerunt non teneri, ita Innocentius & Hostiensis relati per Codronch. *de Christ. Medic. Rat. lib. 2. cap. 2.* Silvestr. *in summ. verbo Medicus num. 7.* Summa Ang. *verb. eod. num. 10.* Quin etiam supra citatus D. Theoph. Raynaud. *lib. adnotato cap. 6. num. 3.* vult ægro esse liberam prætermissionem remediorum, si sibi persuadeat, expugnari posse morbum viribus naturæ sibi relictis, vel si majorem exacerbationem ex remediorum usurpatione vereatur, & in summa omnium remediorum rejectionem, dummodo non adsit certitudo salutis ex eorum admissione, quæ nunquam adest, esse licitam, & innoxiam probat ex

Victoria, ut ibi apud eum. Sed contra Priorum opi-
7 nionem ipſe Codronchius nonnulla adducit firmans, ægrotum teneri obedire Medicorum præceptis ſub pœna peccati, in quam opinionem videntur etiam nonnulli Canoniſtæ conſentire, ut *cap. ſi non licet, c. placuit.* 23. *q.* 5. *c. non æſtimamus* 13. *q.* 2. *ex* Ripa *de poſt. part. ult. part.* 2. *n.* 37. Leſſius *de Juſt. & Jur. lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 14. *n.* 96. qui dum determinat, hominem teneri permittere ſibi membrum ſecari, ſi
8 Medici id judicent neceſſarium, videtur multò faciliùs firmaturus, ægrotum teneri obedire Medico in admiſſione aliorum remediorum, quæ tam aſpera, ac tam intolerabilia non ſunt. Protrita deinceps eſt Canoniſtarum ſententia, quod æger non admittens remedia naturalia, ac neceſſaria ad recuperandam ſalutem remittens ſe in manus Dei, mortaliter peccet. quia hoc eſt tentare Deum, & de hujus peccati gravitate videnda D. Leſſius *lib. cod. de Juſt. & Jur. c.* 45. *n.* 4. licet ſupra citatus P. Theophil. Raynaud. *ibid.* cum nonnullis velit non cadere in remediorum prætermiſſione hanc Dei tentationem,
9 dummodò fortè æger non expectaret ab ipſo Deo ſalutem per miraculum, atque ex hac cauſa renueret naturalia remedia. Quomodocunque tamen ſeſe res habeat, communior opinio eſt, in prætermiſſione horum remediorum peccatum intervenire ex parte ægrotantis Medico non obedientis, dummodo remedia neque nimis horribilia, neque nimis aſpera, neque nimium dolorosa ſint, nec niſi cum maximæ diſplicentia & abominatione admitti poſſint: tunc enim infirmum excuſant omnes, quia nemo ſecundùm rectam rationem adſtringi poteſt, ut vitæ ſuæ conſultum in præſenti velit per tormenta & cruciatus, præſertim cum ſalutis eventus nunquam ſit certus.
10

At verò ſi illud veritatem habet, quod infirmus peccat jejunando, ubi jejunium notabiliter propriæ ſaluti futurum ſit noxium, *cap. non mediocriter de Conſecr. diſt.* 5. quanto magis peccabit ſi contra Medicorum præcepta quicquam vel admittat, vel renuat, quod vel admiſſum, vel rejectum notabiliter propriæ ſaluti præjudicari poſſit? nam ubi infirmus jejunaret etiam cum ſalutis nocumento, apparenter ſaltem videretur benè agere, & deciperetur tantum ſub ſpecie boni, cum id videretur agere amore obſervandi præceptum jejunij: ſed ubi quicquam admitteret, vel rejiceret, quod notabiliter illi noceret, nihil tale illum excuſare poſſet, ſed potius accuſari deberet, quod ex mollitie, ut diſplicentiam medicamenti non ſentiret, vel ut pravo deſiderio ſatisfaceret, quicquam rejiceret, vel admitteret, quod rejicere, aut admittere non poteſt, niſi cum notabili ſalutis præjudicio.

Verumenim verò præſtabilius videtur ad hæc
11 determinanda nonnullas concluſiones firmare, quarum prima ſit, ægrum teneri ex charitate proprii corporis, ejuſque ſalutis Medico obedire generaliter loquendo, aliter contra prædictam charitatem facere, neque ſine peccato, quod aggravare non parum videtur ſacræ paginæ conſilium *in Eccleſ. c.* 38. Fili in tua infirmitate ne deſpicias teipſum; ac poſt nonnulla. Da locum Medico & non diſcedat à te, quia opera ejus ſunt neceſſaria. Nec ſolum contra propriam charitatem, & contra ſacræ paginæ conſilium facit, qui Medicos & medicamenta reſpuit, ſed contra omnipotenti Dei diſpoſitionem, qui ut habetur ex ſacro textu ibidem. Altiſſimus de terra creavit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa; quandocunque ergo infirmus nulla potiori ex cauſa renuit remedia naturalia à Deo in noſtram ſalutem ordinata, abſque dubio imprudentiæ notandus, qui abutitur, ac ſpernit potius Dei beneficium, cum quibus an culpa pari paſſu incedat, necne, Canoniſtæ
12 videant, illud certum eſt, quod ſi unuſquiſque tenetur cuſtodire propriam ſalutem quantum eſt ex ſe, & maximè iis mediis, quæ Natura ipſa nobis offert, & neceſſaria judicantur, tenetur infirmus admittere remedia medica, & obedire Medico, quia opera ejus ſunt neceſſaria, ut mox ex ſacra pagina dictum eſt. Quia tamen remedia medica non ſunt unius generis, neque omnia in omni caſu, & omni tempore ſunt neceſſaria, ſed quædam magis, quædam minus, neque omnia item eadem facilitate in uſum trahi poſſunt, ſed quædam facillimè, quædam difficillimè, quædam cum nullo labore & diſplicentia, aut cruciatu, quædam contra cum multo labore, cum multa diſplicentia, & cum cruciatu maximo, inſuperque aliqua certiorem ſalutem ſaltem probabili-
13 ter, alia verò magis dubiam promittunt, idcirco ſecunda concluſio ſit, quod infirmus teneatur obedire Medico admittendo remedia, quæ in primo capite ad ſalutem recuperandam ſunt neceſſaria, & alia ex parte renuendo ea, quæ notabiliter noxia judicantur, & à Medico prohibentur. Circa alia verò remedia, quæ non ſunt in primo capite neceſſaria, neque inſigniter noxia, non graviter errare ægrum, qui ea vel admittat, vel reſpuat, & aggravari culpam ex majori, aut minori neceſſitate, & ex majori aut minori noxa.
14 Hæc omnia videntur ſatis probata ex ea ſuppoſitione, quòd homo non eſt ſuæ vitæ dominus, neque poteſt quicquam facere, aut omittere, quòd vitæ ſuæ certò, ac notabiliter præjudicet, aliter poſſet homo etiam vim ſibi inferre, quod nullo modo dici poteſt. Quandocumque ergo infirmus reſpuit remedium in primo capite neceſſarium ad ſalutem corpoream recuperandam, aut quid aſſumit inſigniter noxium, notabiliter, ac certò propriæ vitæ præjudicat, ergo non poteſt abſque peccato infirmus abſque ſufficienti cauſa talia remedia reſpuere, aut contra Medici præceptum quid maximè noxium aſſumere. Nec dicatur, quòd hæc haberent locum, quando ex remediorum admiſſione adeſſet moralis certitudo depellendæ ægritudinis, quæ nunquam adeſt; quia ſufficit adeſſe probabiliter hanc certitudinem ſaluti, ut ſecundùm plurimum habetur. Quis eſt, qui non dicat, aut non videat ex quotidiana experientia, ſanguinis miſſionem in internis inflammationibus; puta in ſquinantia, in phrenitide, in pleuritide, in febre ardente, eſſe de certo ſalutarem? videmus enim ex hoc remedio pleroſque, imò inquam ex centum ſupra novem & nonaginta ſalvari. Non eſt ergo ob id, quòd certitudo ſalutis in uno, vel altero non reſpondeat, rejiciendum remedium ob hanc incertitudinem, cùm ſufficiat eam in pluribus, & ſecundùm plurimum adeſſe, & probabiliter de certo ſperari poſſe. Modò Deus ex ſacræ paginæ auctoritate determinaverit, opera Medici eſſe neceſſaria, non id ſibi voluit, quòd ita neceſſaria ſint, ut ſemper ſuum effectum ſortiri de neceſſitate debeant, hoc enim pacto ita neceſſaria declaraſſet opera Medici, ut cum illis homo perire nullo modo poſſet, quod non eſt dicendum: nam Deus hominem creavit mortalem, & cum tempus decedendi advenit, nullis remediis retardari poteſt, & quia idem Deus O. M. noluit homini hujuſmodi tempus revelare, noluit etiam hominem medica opera renuere, ſed neceſſaria eſſe ſimpliciter determinavit, unde nunquam homo poterit hujuſmodi opera renuere, ſed ſupponere debet, eſſe ſemper neceſſaria, & ſic medico debet ſemper obedire in iis, quæ ap-

primè

primè neceſſaria ſunt ad ſalutem recuperandam, nam in cæteris nulla neceſſitas cogere debet infirmum ad admittenda remedia, quæ non tam neceſſaria ſunt, & quæ reiecta notabiliter ejus ſaluti præjudicare non
15 poſſunt, ut jam dictum eſt.

Tertiò dicendum ægrum non teneri obedire Medico in admittendo remedia aſpera, intolerabilia, & quæ cum ſumma diſplicentia & anxietudine uſurpantur, & videndi ad hoc citati per P. Theophil. Raynaud. *cit. lib. de ort. inf. cont. nat. c. 6. n. 2.* contrà ponderat enim aſperitas remedii ipſimet, vitæ, quod tantò magis procedit, quantò remedia huiuſmodi tam certam ſpem non promitterent ex eorum admiſſione,
16 ut certa ſalus attendi poſſet: nam hæc certitudo ſalutis vix, ac ne vix quidem in ullo remediorum genere reperitur: cùm omnia probabiliter tantum dici poſſint profutura, non certò ob individuorum & morborum, & mille aliarum conditionum, diverſitatem, cùm indies experiamur unum, idemque remedium, huic quidem juvare, illi autem nocere, alterum verò nullo modo afficere, imò unum, idemque remedium eidem perſonæ pro ſtatus varietate modò juvare, modò obeſſe; unde ſtante hac ſalutis incertitudine compenſatur debitum illud charitatis perſonæ propriæ adjuncta etiam aſperitate remedii; quamobrem exempli gratia, calculi per ſectionem extractio, cum maximo vitæ periculo, & ſalutis incertitudine celebratur; non obligatur ergo calculoſus in hoc Medico obedire, qui conſuleret ad vitam protrahendam ſeſe chirurgo ſecandum tradere; ſic & membri demortui amputatio, & alia id genus reſpui tuta conſcientia ab ægro poſſunt, cùm in hoc non teneatur Medico obtemperare.

17 Quartò dicendum non poſſe infirmum ex eo, quòd exiſtimet, expugnari poſſe morbum propriæ naturæ viribus reſpuere remedia & auxilia Medica, quæ neque aſpera ſunt neque multùm doloroſa, neque ſummæ impenſæ; neque aliter executioni admodùm difficulter demandari poſſunt, quod tamen licere exiſtimavit ſupracitatus P. Theoph. Raynaud. *præd. lib. de ort. inf. con. nat. c. 6. n. 3. inf.* & hoc ſumma cum ratione, quia infirmus non poteſt aſſequi vires ſuæ ipſius naturæ, neque cognoſcere vires morbi, illaſque cum naturæ viribus comparare, atque inde certò elicere, naturam ſuperare per ſe poſſe morbum, Sed quid hoc? ne expertiſſimus quidem Medicus in ſemet ipſo ægrotante id cognoſcere certò poteſt; poterit ergo ægrotus Medicinæ ignarus, & inexpertus plus noſcere, quàm expertiſſimus Medicus; nimis certè defert, & ultrà quam admitti poſſit, Pat. Theophilos Ægrotantis cognitioni, & coërcendum omninò in hoc ejus dictum, qui tamen in cæteris tam prudenter, ac tam accurate ſolet differere.

18 Sed neq; poteſt æger reſpuere remedia & medicamenta ex eo, quòd majorem exacerbationem timeat ab ipſis, & difficilem ſuæ ipſius naturæ tolerantiam cognoſcat ex remedii uſurpatione, quia neque hoc ſemper eodem modo ſuccedit, neque Æger ſemper uno eodemq; morbo laborat, neq; ſemper in eodem ſtatu, & in eadem ætate permanet, ita ut quod in uno morbo ſuſtinere non potuit, in alio facilè ſuſtinebit, & ſic quod juvenem lædere poterit, juvare poterit conſiſtentem vel ſeneſcentem, hæc enim ita evariant ipſius Ægri conditionem, ut quod remedium aliàs multùm naturam exagitavit, de præſenti multùm coadjuvabit, tanta fieri ſoler in naturis pro ætatis aliorumque accidentium conditione mutatio. Non tamen hoc procederet ubi æger haberet cum hoc, aut illo medicamento naturalè antypathiam & contrarietatem, ut ſi hortaretur Medicus aſſumere medicamentum, & velit præbere medicamentum ex Roſis, æger autem à Roſæ odore naturaliter abhorreat, & ab ipſo inſignem læſionem percipere ſoleat, ut eſt caſus apud Amat. Luſit. *cent... n.* in quo æger commonens Medicum, quòd Roſa ſibi eſſet inimica, ideoque reſpueret eam aſſumere in medicamento, Medicus ejus rei oblitus roſas propinavit, ex quarum potione æger ſyncope prehenſus obiit. In quo caſu, ac id genus aliis poſſet licitè æger tale medicamentum reſpuere, & Medico non obedire; at non indifferenter omnia, licèt timeret de ſua natura; id enim examinare ac ponderare ad Medicum ſpectat, ſunt namque interdum tales infirmorum timores inanes, & nullius momenti, licet Medicus debeat ſtante ipſius ægri averſione, cum hoc aut illo medicamento illud commutare, & aliud æquivalens propinare. Quæ omnia ſemper intelligenda cum ea conditione, quando nempe propinatio talis medicamenti apprimè neceſſaria, quia nulla, aut levis culpa ægri intercedit, ut jam admonui, ſi renuat quid, quoad ejus ſalutem recuperandam non ſit in primo capite neceſſarium.

Quintò dicendum, multò minùs repudiari poſſe 19
ab infirmo tuta conſcientia abſque ulla confidentia ſuæ naturæ, aut timore remediorum, omnia & quæcunque preſidia naturalia permittendo ſe curſui naturæ, & in manus Dei non obſtante, quòd non expectaret à Deo ſalutem per miraculum, quia, ut jam ſuperius dictum, abuteretur, aut potiùs deſpiceret ipſius Dei beneficium, qui Medicinam creavit, & qui expreſsè per ſapientem monuit, ſed idcircò medicamenta creaſſe, quia ſunt neceſſaria, qui ergo reſpuit talia medicamenta, reſpuit ipſius Dei beneficia nobis ad noſtram exigentiam & neceſſitatem conceſſa, non ſecus ac cibos & potus, ac tantundem errare videretur, vel paulò minùs qui ad ſuſtentandam vitam cibos & potus reſpueret, quam qui ad recuperandam ſanitatem neceſſaria præſidia & remedia naturalia reſpueret, vel abſque ulla cautela cibis & potibus abuteretur confidens de ſua natura, & promittens ſibi de ea, ut omnia, ac ſingula errata in victus ratione ſuperare poſſit. Adde his, quòd æger non poteſt habere ullam certitudinem aut notitiam, utrum Natura poſſit abſque neceſſariis remediis morbum ſuperare, cùm neque ipſe Medicus ex artis ſuæ præſtantia ad ipſum ullo modo aſſequi poſſit, dico pervenire ad certitudinem talem ut cognoſcat Naturam abſque ullo remediorum præſidio morbum debellaturam. Itaque ubi remedia ſint neceſſaria ſaltem probabiliter, non poterit æger ullo modo illa renuere ex hac confidentia propriæ naturæ, niſi alia ex parte potiorem haberet cauſam eam renuendi, quam juſtam & ſufficientem is, ad quem ſpectat, judicaret.

Sextò dicendum, ægrum non teneri obedire Me- 20
dico aſſumendo & admittendo remedia dubia, & quæ licet una ex parte ſalutem poſſint promittere, alia ex parte manifeſto vitæ periculo illam exponunt, quia licet aliquando ſanari poſſint, interdum tamen contrarium effectum ſortita occidunt: nam neque Medicus talia medicamenta præſcribere poteſt, ut ex Canoniſtarum auctoritate ſuperiùs dixi. Dato autem quòd Medicus his non obſtantibus id genus remedia proponeret, ac aſſumenda juberet, æger non teneretur ullo modo obedire, cùm nulla ratio ſuadeat, ut tanestur exponere ſe vitæ periculo etiam dubio, & ſatius ſit, ac etiam magis prudens conſilium remittere ſe in manus Dei; ſed cùm dictum ſit, Me- 21
dicum non poſſe talia remedia præſcribere, dubitari poſſet ulteriùs, an æger ſciens dubietatem remedii aliquo modo erraret illud admittendo & exponen-

do ſe vitæ periculo, ac videretur dicendum, ſalva ſemper veriori ſententia, nullo modo errare, cùm ſpes ſanandi honeſtet ægri actum in illius remedii aſſumptione, cùm licet medicamentum dubium ſit, tamen ille moveatur ad illud admittendum ſub ea ſpe ſalutis recuperandæ, quod ſuccedere poteſt, licet etiam poſſet contrarium ſuccedere; quòd maximè procederet, ubi ſalus aliàs eſſet jam deſperata, & de vita acta res eſſet: tunc enim omnem aleam ſubire licet, & poſſet non ſolùm æger dubium medicamentum abſque ulla conſcientiæ nota aſſumere, ſed & Medicus poſſet illud impune proponere, facta ſemper proteſtatione de medicamenti qualitate; in hoc enim caſu inerat Cornelii Celſi ſententia, Anceps remedium experiri, quam nullum, & licet, ut aliàs dictum eſt; velint Canoniſtæ, ſatius eſſe in deſperata ſalute ægrum permittere in manus Dei, quàm dubii medicamenti exhibitione illum vitæ exponere, tamen hoc intelligendum, quando majus ac certius imminet periculum, quàm ulla ſpes ſalutis appareat, nam ubi tam ſpes, quàm timor pares ſint, videtur, ſalva ſemper ſaniori ſententia, abſque omni culpa fieri, in deſperata ſalute anceps remedium uſurpare.

22 Septimò dicendum, non teneri ægrum obedire Medico, ſi is imperet remedia extra communem medendi artem, aut contraria conſuetis, ac rationabi-
23 lioribus medicinæ dogmatibus, ut ſi in febre ardenti ægro merum copioſum bibendum ſuaderet, vel cibum aliquem deterrimum, ac noxium comedere, vel ſanguinem ſibi mittendum curare poſt copioſum Veneris uſum, vel in excedenti ventris fluxu diarrhætico, vel lienterico, & ſimili. Multoq; minùs tenetur obedire Medico æger, ſi imperaret quid, quòd eſſet contra animæ ſalutem: in hoc enim non ſolùm non tenetur obedire, ſed peccat obediendo, ac debet potiùs mortem eligere, quàm obedire, cùm præſtabilius ſit mori, quàm contra Deum peccare.

SUMMARIUM.

1 *Remedia Diætetica pertinent ad uſum ſex rerum non naturalium.*

2 *In aëris uſu quomodo errare poſſit Medicus, & infirmus, & aſſidentes.*

3 *Infirmus ſpecialiter quando erret in uſu aëris ambientis.*

4 *In uſu motus, & quietis quomodo errare contingat.*

5 *In ſomno & vigilia quomodo ſe gerere debeant Medicus, Æger & Aſſidentes.*

6 *Quomodo errari poſſit in quarta re non naturali, hoc eſt, in excretis & retentis.*

7 *Quid admonendum circa animi paſſiones, tam quoad Medicum, quàm quoad cæteros.*

8 *In cibo & potu adminiſtrando Medicus quomodo erret.*

9 *In ciborum & potuum uſu infirmus quomodo ſe gerere debeat.*

10 *Infirmus renuens comedere in jejuniis cibos à morbo requiſitos, & à Medico præſcriptos, peccat.*

11 *Concedere cibos noxios infirmis jam deſperatis Medicus non poteſt.*

Diætetica.

QUÆSTIO II.

Diætetica remedia pertinent ad uſum ſex rerum
1 non naturalium, in quibus præſcribendis Medicus debet ſe gerere ut in quibuſvis aliis ſecundùm rectas, ac communes Medicinæ regulas, & æger tenetur illi obedire ſub pœna peccati, ſi inobedientia ſit
2 in notabile ſuæ ſalutis præjudicium. Prima autem ſex rerum naturalium aër eſt, in hujus uſu Medicus errabit, ſi in levioti morbo, vel in convaleſcentia, non omninò debili exiſtente ægro, non permittat illum domo exire ad Miſſam audiendam, ubi obligatio ex præcepto id requirat, vel aliud quid, ad quod ipſe æger ſit obligatus ſub pœna peccati, imò tunc æger non tenetur illi obedire, ubi proprias vires notas haberet, ac nullum ab aëre externo notabile dannum reportare timeret; deberet enim ſatisfacere obligationi audiendi Miſſam, aut alteri cuicunque, ad quam ſub pœna peccati teneretur, non obſtante Medici præcepto in contrarium. Quod procedere debet, ubi æger certus ſit, ſuis viribus fiſus, quòd nullum nocumentum ab aëre percepturus ſit, aliàs ſi in hoc haberet dubium, debet obedire Medico, in quem omnis culpa transfundetur, ſi quicquam æger delinquat non exeundo domo ad Miſſam audiendam, vel ad aliam quamcunque obligationem explendam.

At verò contrà peccaret omninò graviter ipſe æger, ubi Medicus cognoſcens poſſe illi imminere notabile ſalutis nocumentum, & ab eodē Medico admonitus de periculo, tamen recuſaret obedire, & aëri improvidè ſe exponeret: quod procederet etiamſi 3
hoc faceret ob deſiderium ſatisfaciendi alicui obligationi, aut audiendi miſſam in diebus de præcepto audiendam, quia tunc corporalis ſalutis periculum non ſolùm illum rectè excuſat ab obligatione, ita ut impunè poſſit abſtinere, ſed etiam obligat illum ad evitanda quæcunq; quæ propriæ ſaluti poſſunt notabiliter præjudicare, etiamſi id eſſet ex aliquorum præceptorum obligatione, ut in hoc caſu eſſet obligatio audiendi Miſſam in diebus Feſtivis de præcepto. Quæ quidem probatione egent, & aliàs diſcuſſa ſatis ſuperq ſunt, & non aliàs de his ſit ſentiendū, quàm de Jejunio, & ſimilibus obligationibus, à quibus eximi ſolent homines legitimè ob aliquod juſtum impedimentum.

Non parùm etiam errare contingit ægrotantes ubi non ex vi morbi, ſed ex impatientia tolerandi calorem febrilem, ſtragulis cooperire ſe ſufficienter contrà Medici admonitiones recuſant, & in cauſa interdum ſunt ut ab aëre externo pori cutis claudantur, & via irrumpenti ſudori præcludatur, qui fortè febrem ſolveret. Unde poſtmodum ex benigna febre maligna efficitur, & ex tuta periculoſa, ut in dies obſervamus in iis, qui nimis intemperantes ſunt, & nimium ſenſui & corpori proprio indulgent, quos ſatius eſſet ſuæ intemperantiæ manuducendos relinquere, quàm pati inter medendum tantoperè contra propriam ſalutem operari. Errant etiam graviter tam Medici, inquam, quàm ægrotantes, & aliæ quædam perſonæ, ubi illi nempe Medici, ut prædictis perſonis gratificentur, judicant, aërem, in quo obligantur tales perſonæ commorari, aut reſidere, futurum ipſis noxium, hæ verò perſonæ, quæ reſidere, aut commorari tenentur, à Medico tale judicium extorquent, ut illo mediante, vocationem à ſuperioribus impetrent. Contrà verò errant quidam lucro fortè inhiantes aut dignitari alicui aſpirantes, qui non obſtante Medicorum diſſuaſione judicantium aërem illum futuri ſanitati ipſorum maximè adverſum, ac poſſe inde illis evidens vitæ periculum imminere, ad id tamen conſilium aſpirantes ſe conferunt, quorum aliquos vidimus propriæ avaritiæ, ac ſuperbiæ pœnas luere.

Secunda res naturalis motus, & quies eſt, in cuius 4
adminiſtratione Medicus graviter errare poteſt imperando motum intempeſtivum, ut ſi febricitantem curſu & lucta defatigaret ad eliciendum ſudorem, ut Prodicus ille apud Hipp. 6. *Epid. ſect.* 3. *text.* 27. ſed infirmus tunc licet ægrè poſſet obtemperare, non teneretur ejus præceptis obedire ullo modo, nam huiuſmodi remedium contrarium omninò eſt rectæ medendi rationi, cùm febris exoſcat refrigerantia, & humectantia, motus autem, & labor excalfaciant

&

& exſiccent ; itaque non motus imperandus, ſed quies, infirmuſque lecto eſt continendus interdicto omni motu maximè laborioſo. Diſſolvit enim meliores ſpiritus motus ægrumque ita debilem reddit, ut poſtmodum cum morbo luctari non valeat. Sed omninò ſuccumbere cogatur, ut infirmis, quos curandos ſuſcipiebat prænominatus Prodicus, eveniebat, eos enim omnes occidebat tali medendi ratione. In hujus rei uſu poteſt quoque notabiliter infirmus peccare, ubi contra Medici præceptum quicquam faceret, movendo ſe, ac fatigando intempeſtivè cum maximo, ac notabili ſalutis detrimento, etiamſi hoc faceret ad aliquem bonũ finem, exempli cauſa, ut alicui obligationi ſatisfaceret, cui teneretur ex præcepto non aliter quàm ſuperiùs in ſimilibus dictum ſit. Pari errore implicaretur infirmus, qui nimia quiete, & otio morbum inſigniter foveret, & notabiliter ſaluti propriæ præjudicaret. In quo caſu occurrit dubitare, an, ſi Medicus judicet exempli gratia, Cachecticum, ſeu Hydropicum moveri debere, ille autem in hoc difficultatem ſentiat, ac laborem non mediocrem, atque ea cauſa recuſet ſe movere, ac Medico obedire, aliquo modo peccet, cum motus ad ejus curam ſit maximè neceſſarius, ac dicendum videtur, ægrum debere quidem omni conatu propriæ ſaluti conſulere, ſed non intervenire in hoc notabile erratum, cum difficultas ſe movendi ſit excedens, à qua excuſatur ab inobedientia Medici, ſi à motu abſtineat.

3 Tertia res non naturalis ſomnus, & vigilia eſt, in quibus rebus præſcribendis Medicus rationalis artis regulis innixus procedere debet, & infirmus in his, ut in cæteris omnibus peccaret, ubi ſomno intempeſtivo, & immoderato uteretur cum maximo ſalutis propriæ præjudicio, & nollet pati ſe ubi vigilandum eſt, excitari, ut in acceſſionibus febrium, in quibus ſi ſomnus non eſſet nimis innaturalis, & profundus, ita ut inde argueremus impotentiam infirmi ſe abſtinendi à ſomno, ſed tantùm eſſet levis inclinatio ad dormiendum, quæ cum ſuperari facilè poſſit, tamen æger dormire vellet, certè ex mea ſententia omninò peccaret ex mollitie, & impatientia vigilandi, quia hoc eſſet in præſentaneum damnum, ac id quidem grave propriæ ſalutis, ac tantundem eſſet rebus nocivis, & aliis rebus maximè ſaluti contrariis, & contra Medici præcepta uti velle.

6 Ex quarta re non naturali etiam remedia Medica deſumuntur, ea eſt excretio, & retentio, & in hac ipſa, ut in reliquis, ſi æger quid prætermittat, aut admittat, quod inſigniter damnoſum ſit ejus ſaluti, abſque dubio ob inconvenientiam peccati reus cenſendus, hujuſmodi erroris inſimulandus eſſet quoties alvo fluente, & ad periculum uſque adſtricta diu permanente, renueret aut clyſteres, aut ſuppoſitoria, aut medicamentum, aut quodvis aliud præſidii genus, quod ad ciendum remorantem alvum eſt deſtinatum : nam non adeò rarum eſt ut aliquando contingat quoſdam ægros tam moroſos eſſe in his remediis admittendis, ut quamvis aleam potiùs currere determinent, quàm illis uti, etiamſi ab his neque ullum inſignem dolorem, neque notabile incommodum, neque faſtidium reportare ſoleant, ſed ex ſola pertinacia ea remedia renuentes, fœminæ præſertim, in quibus convincendis nulla ratio, quæ perſuadeat, inveniri poteſt, ſed & Aſſidentes interdum præter rem ex proprio marte quædam offerunt ad ciendam alvum, aut quædam conſulunt, vel applicant ipſis infirmis undequaque noxia, & mortalia, omninò eos peccare, fortè dubio apud Canoniſtas non erit locus.

Ad animi paſſiones pertinet quinta res non naturalis, ad quas refrænandas æger quantùm fieri poteſt, & quantum Medicus imperaverit, tenetur : excuſatur tamen in hoc ob impotentiam, & impoſſibilitatem tales paſſiones refrænandi, quæ ut plurimùm, ne ſemper dicam ab humorum exuberantium qualitate dependet, pro eorum enim natura hæ, aut illæ paſſiones vigere ſolent, & niſi hujuſmodi humores, vel reſolvantur, vel evacuentur, vel in aliam naturam abeant, vix poſſibile eſt, ut æger ſeſe cohibere poſſit, cum vehementes maximè ſunt, quia permanente cauſa illas excitante, neceſſe eſt etiam eas paſſiones vigere. Verùm ad Medicum etiam pertinet paſſiones hujuſmodi compeſcere pro artis ſuæ induſtria, & quia aliquando pro remedio aliquorum morborum opportunũ videtur modò unam, modò aliam paſſionem excitare, videndum, an liceat Medico tali remediorum genere uti : ſcimus enim in frigidis morbis, ut in ſomno profundo, & innaturali, aliiſque frigidis affectionibus concedere bilem movere, iramque excitare, qualem caſum eleganter repræſentat Horat. *lib. 2. ſerm. ſat. 3.* de avaro illo læthargo detento in his carminibus. 7

Panper Opimius argenti poſiti intus, & auri
Qui vejentanum feſtis potare diebus,
Campana ſolitus trulla vappamque profeſtis.
Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus, ut hares
Jam circum oculos, & claves, lætus, evánſque,
Curreret : hunc Medicus multùm celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto, menſam poni jubet, atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum, hominem ſic erigit, addit, & illud
Ni tua cuſtodis avidus jam hæc auferet hares.
Men' viva ?

ſed ubi ſanguis luxurians delirium cum riſu, cum nimia petulantia concitat, præſtat aliquid triſte ægro nunciare, & melancholiam, aut triſtitiam irritare, quòd ægrum à ſua petulantia cohibeat. Sed & in ſanguinis eruptionibus maximè cum impetu factis, aliiſque excretionibus immoderatis, & excedentibus ſubitus timor incuſſus pro præſentaneo remedio eſt, eáſque ſubitò cohibere ſolet : Itaque ſerio inquirendum, an ad aliquos præcipites morbos ſanandos has paſſiones excitare Medico liceat. Ac dicendum videtur, non aliter de his ſentiendum, quàm de aliis quibuſque Medicis remediis, quibus in tantùm uti licet, in quantùm tuta undequaque vel magna ex parte ſunt, ſed ſi dubia undequaque vel magna ex parte ſint, ab illis abſtinendum : ſi ergo ex ſubita aliquarum paſſionum excitatione imminet evidens vitæ periculum ſubiti interitus, Medicus abſtinere debet non minùs quàm ab aliis dubiis remediis, & quæ nullam ſecuritatem promittunt, quibus abſtinere ſatiùs eſt, & ægrum in manus Dei permittere, ut Canoniſtæ ſentiunt. Quamobrem non omninò admitterem Cardani remedium excitando ſubitum, ac magnum timorem inſtanti mortis ad compeſcendam impetuoſam ſanguinis ex naribus eruptionem in quodam infirmo : nam id genus remedii maximè dubium, & periculi plenum eſt, cùm per timorem ſanguinis cum impetu ad cor recurrat, & poſſit ipſum momento ſuffocare. Itaq; abſtinendũ ab his, & ſimilibus remediis cenſeo, eo quòd & dubia ſint, nec tutò operentur, & major ſit periculi timor ab his, quàm ſpes ulla ſalutis.

Connumeremus nos pro ultima re non naturali cibum, & potum, in quorum adminiſtratione Medicus multoties, ac multifariam errare poteſt, ut alias *Tit. de Medic.* monuimus, vel nimio rigore, vel nimia

indulgentia, eodemque modo infirmus, & aſſidentes. Medicus in his, ut in aliis omnibus communem, ac rationalem medendi viam ſervet, itaque tenuiſſimam diætam per plures dies imperare extra morbi exigentiam non debet, æger autem, ſi imperaret, & cognoſceret ad rem ſuam non facere, non teneretur obedire, ſed è contrà non ſervando diætam rationabiliter à prudenti Medico præſcriptam, & inſignitet errans in notabile præjudicium propriæ ſanitatis maximoperè peccaret, non ſolùm, inquam, ſi Medicus tenuiſſimam diætam præſcriberet, & ille largiorem ſervaret, ſed etiam, & fortè gravius, ſi Medicus tenuem, aut etiam pleniorem imperaret, & ille ſervaret tenuiſſimam: & dixi, quòd fortè graviùs erraret infirmus, qui ex proprio marte tenuiorem diætam ſervaret contra Medici præceptum, & Medicinæ regulas, quàm ſi largiorem ſervaret ubi tenuior à Medico ſecundùm Artis propriæ regulas imperata eſſet, quia minus malum eſt repletio, quàm inanitio, & in multò majus ſanitatis præjudicium eſt inanitio excedens, quàm excedens repletio, unde morbi ex repletione facti multò faciliùs curantur, quàm facti ex inanitione, juxta illud Hippocratis, facilius eſt repleta evacuare, quàm evacuata replere.

9 In cibis eligendis æger tenetur Medici præceptis obſequi, illudque hic etiam repetendū, errata, quæcūque notabiliter propriæ ſaluti præjudicare poſſunt, culpæ obnoxium pro errati, & prædicti præjudicii gravitate hominem reddere, quod tamen Canoniſtis decidendum relinquo. Sed in aſſumptionem ciborum quomodo ſe gerere debeat æger, an peccet nimirum ſi vim ſibi facere recuſet, neque ullo ingenio curet ſibimetipſi cibis opem ferre ad vitæ ſuſtentationem, ita ob hoc de facili pericliteretur non adeò in promptu eſt, nam una ex parte ad impoſſibile nemo tenetur: videmus enim in ægris interdum deploratas in apparentias, tātaſque à cibis abominationes, ut quidvis pati potiùs ſint parati, quàm cibos aſſumere. Alia verò ex parte non dubium eſt, quòd cibis in totum abſtinere eſt ſeipſum interimere, contra quam unuſquiſque teneatur ex proprii corporis ſaltem charitate: dicendum ergo videtur, teneri aliquo modo inferendo, non tamen magnam intervenire culpam, ſi adſit expugnabilis repugnantia aſſumendi cibos ob morbi violentiam. Invitus enim ægrotus id facit, nec poteſt ob eam repugnantiam ciborum aſſumptione ſibi ſuccurrere. Sed interveniretne peccatum ſi cibos bonos admittere ob eam repugnantiam recuſaret, deteriores autem admitteret? ac profectū ſi ex violentia morbi id accideret, non videretur peccare, quia ſatiùs eſt deteriore cibo vitam ſuſtentare, licet morbo is ſit contrarius, quàm meliorum abſtinentia omnem vitæ ſpem amittere. Neque ab re Hipp. *lib. 2. Aphor.* 38. dicebat, deteriorem cibum, ac potum ſuaviorem, meliori ac minùs ſuavi eſſe præferendum, nam licèt ibi dicat paulò deteriorem cibum, aut potum, non promiſcuè quemcunque deteriorem meliori, ac minùs ſuavi eſſe præferendum, loquitur ibi in caſu, quo etiam minùs ſuavem æger poſſet aſſumere, at in caſu noſtro, ubi ſupponimus ægrum quavis ſibi vi facta meliores cibos non poſſe admittere, & tamen admittere deteriores, locum habet id, quod determinavimus, licet ægro deterioribus cibis uti, ne totali ciborum abſtinentia deficiat, ſi ex morbi violentia meliores aſſumere non poteſt.

10 Sed advertendum, quòd infirmus recuſans in jejuniis comedere cibos à morbo requiſitos, & à Medico præſcriptos, licet vetitos, volens jejunium ſervare, omninò peccat, ſi in notabile præjudicium propriæ ſalutis id ſit, unde mulierculæ, quæ nunquam norunt rationibus acquieſcere, in hoc peccato ſæpiſſimè implicitas videmus; exiſtimantes ſe bonum, imò melius opus perficere jejunando etiam in corporeæ ſalutis non contemnendum damnum, quàm vetitis cibis propriæ ſaluti conſulere. Sed apud illas nulla ratio tam valida eſt, ut hoc illis perſuaderi poſſit: manentes autem in earum ignorantia: ac pertinacia ſæpiſſimè ex hoc errore in vitæ diſpendium labuntur & ſuæ pertinaciæ pœnas luunt.

Huc ſpectat etiam ciborum quorundam, ac potuum per Medicum conceſſio, qui morbo adverſiſſimi ſint, ac poſſint inſigne damnum ægro afferre, plerique enim Medici in deſperatis morbis ægris quæcunque volunt, concedunt: quin & ipſi ægri, & aſſidentes in eandem culpam labuntur, quod tamen mortale peccatum inferre oſtendit pluribus. Codronch. *de Chriſt. Med. Rer. lib. 1. c. 8.* non enim dubium eſſe debet hujuſmodi pravos, ac noxios cibos, vel potus mortem in deſperatis ægris accelerare ſaltem poſſe: unde certum eſt, quod etiamſi per momentum ægrotanti mors acceleraretur, Medicum, & miniſtros id conſulentes, aut offerentes ejus mortis reos effici, quod ulteriore probatione non eget. Circa potum verò illud ſpecialiter diſcutiendum, utrum tantundem peccet Æger aſſumendo potum ab extinguendam ſitim, ut aſſumendo cibos noxios, ut appetitui tantum ſatisfaciat: dicendumque videtur non eſſe parem utriuſque rationem: quia ciborum appetitus facillimè tolerari, & ſuperari poteſt: non ſic autem ſitis, quæ res maximè anxia eſt, & toleratu difficillima, ita ut, quemadmodum aliàs dixi, facilius toleretur fames per diem, quam ſitis per horam, quæ cauſa potiſſima fuit, quod ſancta Mater Eccleſia non obligavit nos, ut in jejuniis ſiti corpora macerare-mus, ſed tantum fame, & cibi ablatione: cognovit enim ſitis tolerantiam poſſe in maximum ſalutis corporeæ damnum redundare, accendendo ſanguinem, & ſpiritus, & augendo reſpirandi neceſſitatem, vigiliasque & alia accidentia perniciosiſſima excitando: non ſic autem fames, & ciborum abſtinentia quamobrem decernendum videtur, an æger ex ſitis moleſtia potum contra Medici præceptum aſſumens aliquo modo contra animæ ſalutem operetur, ac dicendum videtur, nullo modo in culpa eſſe, quia excuſari debet ob intolerabilem moleſtiam ipſius ſitis, quæ dictat, imo cogit ægrum, ut aliquo modo exigentiæ propriæ ſubveniat, partesque exſiccatas refrigeret, ne inflammentur: & reſpirationis neceſſitas augeatur, & alia inde mala ſuccedant, quamobrem non tenetur æger in hujuſmodi ardenti ſiti, ac clamoſa, tam rigoroſè præceptis Medicis obtemperare, quin & ipſi Medici contra Medicinæ regulas, imo inquam forte contra propriam conſcientiam peccant, qui ægros ſuos ſitis tolerantia exagitantes, ac miſerè torquentes illos ad aliquem morbum exitialem, ut pulmonum, pectorisque inflammationem, irreparabiles vigilias, anxietudines, & id genus alia ſymptomata inducunt. 11

SUMMARIUM.

1 *Remedia dubia Medicus præſcribere, vel admovere non debet.*

2 *An infirmus, qui ſciens aſſumit medicamentum dubium peccatum committat.*

3 *Remedia ſuperſtitioſa neque Medicus præſcribere, neque aſſumere ſine peccato Æger poteſt, ſic conſulentes.*

4 *Medicus non poteſt medicamentum nimis purgans, & ſuſpecta violentia præſcribere, neque æger tenetur illud aſſumere, amplia quoad ægrotum. n. ſeq.*

6 *Non poteſt Medicus uno eodemque plura remedia generoſa uſurpare.*

7 *Æger an abſque Medici conſilio aſſumere poſſit medicamentum catharticum, ac validum.*

8 *Æger non debet Medicum importunè ſollicitare ad aliquod medium ſibi exhibendum.*

9 *Æger quando teneatur remedia admittere, quando verò non.*

10 *Ægrotus non ſine ſumma culpa decipit Medicum aſſerendo ſe aſſumpſiſſe remedium, quod non aſſumpſerit, vel contra.*

Pharmaceutica.

QUÆSTIO III.

INfinita penè numero ſunt remedia ex Pharmacia deſumpta, in quorum uſurpatione tam Medicus, quam infirmus, & Aſſidentes, errare graviter poſſunt: jam verò & hic ſpecialem locum habent duæ concluſiones alias firmatæ: prima quod remedia dubia Medicus præſcribere non debet. Codronch. *de Chriſt. Med. Rat. lib.* 1. *c.* 6. ubi & quæ ſint hæc dubia remedia declarat, tametſi alias in deſperata ſalute licere dubium remediũ uſurpare oſtẽdat Theoph. Raynaud. *de Part. cont. nat. c.* 8. *n.* 3. ſed dubium Canoniſtis decidendum intervenit, utrum infirmus ſciens aſſumens tale medicamentum non minus quam Medicus in culpa ſit, cum contra propriam charitatem, & corpoream ſalutem operetur eam in diſcrimine ponens. Secunda concluſio, quod remedia ſuperſtitioſa neque Medicus ſine mortali culpa præſcribere aut conſulere, neque alius quiſquam, neque admittere infirmus poteſt. His generaliter poſitis ad magis particularia deſcendamus, ac ſilentio præteritis ſingulis Pharmaceuticorum remediorum ſpeciebus (hoc enim & nimis difficile, ac operoſum nimiſque longum eſſet, ac intolerabili tædio lectorem afficeret (de ſolventibus primò aliquid dicamus) Medicus ergo non poteſt medicamentum nimis purgans, & ex cujus violentia ſuperpurgatio, aut alia timoroſa accidentia expectari poſſunt, ægris ſuis præſcribere ſine gravi culpa, ut oſtendit Codronch. *lib.* 1. *de Chriſt. med. rat. c.* 14. cum tutius ſit medicamentum infra id, quod deberet, quam ultra operati ob vitium conſervationem, quam primo loco reſpicere tenetur. Sed nec æger Medico obedire ullam habet obligationem, ſi tale præſcribit illi medicamentum, cujus vim etiam ille haberet notam ex publica voce, & fama: ut ſi vellet illi propinare Antimonium, Mercurium ſublimatum dulcificatum, Helleborum, & alia id genus, quibus nonnulli procaciſſimi Chimici, & Empirici indiſcriminatim utuntur, & cætera item quibus etiam Rationales Medici morbos depellere ſtudent, ubi vires non recuſent. Hæc enim licet à prudenti Medico præſcriberentur, non teneretur æger admittere, ſi de ſua ſalute dubius eſſet, poſſetque ea ob eundem timorem, tuta conſcientia recuſare. Nec ſolum ſi medicamentum purgans nimis violentum ſit, poteſt æger illud abſque culpa renuere, ſed etiam ſi eſſet nimis horribile, & cum maxima averſione ſumendum eſſet: excuſatur enim æger ob eximiam illam diſplicentiam, maximè ſi alia eorum vice à Medicis uſurpari poſſint, neque enim ab aliquo ſingulari medicamento, certa, ac ſecura ſalus promitti ita poteſt, ut alia in ejus locum non ſupperant: ubi ergo hæc certitudo ſalutis abſit, ad quid cùm tanto horrore, & diſplicentia hoc potius medicamentum, quam aliud minus horribile, & quod facilius aſſumi poteſt uſurpare? Quinetiam illud habere locum hic crediderim, quod dato etiam quod in aſſumptione hujuſmodi medicamenti daretur certitudo ſalutis, quæ tamen nunquam datur, non teneretur tamen æger ob difficultatem aſſumendi illud admittere, ut in ſimilibus oſtendit P. Theoph. Raynaud. *de art. Inf. cont. nat. c.* 6. *n.* & 3. nam etſi negligere propriam ſalutem ſit contra proprii corporis charitatem, tamen nolle hujuſmodi medicamentum aſſumere etiamſi ab eo certam ſperet ſalutem, non eſt illam negligere, ſed nolle eam tali medio recuperare, quia eſt maximè horribile, & ipſam naturam ſummopere affligit: licet enim magis reſpiciat propriam charitatem recuperatio ſalutis per hujuſmodi medicamenti aſſumptionem, tamen etiam propriam charitatem videtur reſpicere declinatio tam horribilis remedii naturam ſummopere exagitantis, & affligentis.

Præterea non poteſt Medicus uno eodemque die plura generoſa remedia præſcribere, maximè ſi ſibi eſſent contraria, ut ſi eadem die ſanguinem mittere, & purgans medicamentum exhibere vellet, neque æger hoc cognoſcens teneretur illi ullo modo obedire: cum hoc contra bonas Medicinæ regulas omninò ſit, & facilè poſſet ægrum vitæ periculo manifeſtiſſimo exponere, ad quam cuſtodiendam tenetur æger etiam ſpernendo præcepta ipſius Medici, dummodo hoc ſerio cognoſceret: & apud idiotas quoque id videretur præter rationem fieri.

Sed poteſtne æger ex proprio marte, & abſque ullius Medici conſilio aſſumere medicamentum catharticum, ac validum, aut aliud remediũ generoſum uſurpare? ac videtur dicendum, non poſſe, quia ſi unuſquiſque tenetur propriam ſalutem, quantum eſt ex ſe, quovis medio tueri, tenebitur etiam ea evitare, quæ eandem ſalutem in manifeſto diſcrimine probabiliter ponunt, ſed hujuſmodi ſunt prænominata remedia abſque recto conſilio, & ratione uſurpata, ergo non poterit æger ex ſe illa aſſumere, neque alia quævis perſona talia medicamenta conſulere, aut offerre: quæ concluſio videtur etiam locum habere in aliis remediis ad Pharmaciam non ſpectãtibus, ut in diæta tenuiſſima ad longum tempus ſervata in copioſa ſanguinis miſſione, & id genus aliis. Ex quibus etiam ſequitur, quod æger, ſi ſpecialiter ſit vir magnæ auctoritatis, non debeat importuna inſtantia Medicum urgere, ac pene cogere, ut ſibi aliquod medicamentum præbeat, quod ægro ipſi quidem arrideat, ſed ipſi Medico nequaquam: nam evenit interdum, ut ægri totam ſpem ſanitatis in hoc aut illo remedio reponant, quod illi ex proprio marte elegerint, vel quod Empiricus aliquis, vel Chimicus, vel mulierecula, vel quævis alia perſona proponat, & inſtet ſumma importunitate apud Medicum, ut aſſumptioni hujuſmodi medicamenti deſcendat, Medicus autem ægri importunitati, & auctoritati volens nolens, ac cum averſione animi conſentiat. Sed & Medicus conſentiendo, & ipſe æger nimia inſtantia Medicum ad conſentiendum cogens, graviter omninò errat: de gravitate verò, & levitate hujus erroris Canoniſtæ dijudicabunt.

Quoad reliqua autem medicamenta, quæ ſolventia non ſũt, ubi generoſa ſint, & efficacia, cautè à Medico præſcribi debẽt: ægrotus autem, neq; omnia, neq; in omni caſu ea reſpuere poteſt, aut admittere tenetur.

Duo verò ſpecialiter conſideranda, remediorum difficultas, & aſperitas, ac diſplicentia, & ſalutis ipſius periculum: nam ubi remedium aſperum eſt, aut doloroſum, vel aſſumptione difficillimum, & horribile, aliaque ex parte dubium, licet majorem ſpem promittat ſalutis, quam periculum, quod tamen probabiliter timeri poſſit remedium hujuſmodi poterit ab ægro tuta conſcientia reſpui, ſed ſi periculum ſit præſentaneum, & quaſi certum,

non

non tam in propatulo eſt, an æger teneatur, necne illud admittere: ubi verò remedium ſit mediocriter aſperum, & periculum non ſit certum, nec præſentaneum, ſed major ſpes ſalutis effulgeat, æger de ſua ſalute ſollicitus tenetur obedire, aliter peccaret graviter contra propriam charitatem, ſed ſi remedium ſit aſperum nimis, neque ullo tædio uſurpari poteſt, & ſalutis periculum, aut non eſt certum, & præſentaneum, etiam probabiliter timetur, æger certè non ſolùm peccaret, ſed pro inſano reputari poſſet illud non admittens: & tamen idemus nonnullos tam delicatos, ut quantumvis à morbo moleſtentur, & in vitæ periculo verſentur, vix, ac ne vix quidem leviſſima remedia admittere, quin etiam omne remediorum genus imprudentiſſimè reſpuere: verum his Medicus mederi quidem non debet, ſed eos propriæ mollitiei, & ignaviæ regendos relinquere.

Præterea non videtur ſine notabili culpa poſſe infirmum Medicum decipere, aſſerendo, ſe medicamentum aſſumpſiſſe, quod nequaquam aſſumpſerit, vel non aſſumpſiſſe aliquid, quod aſſumpſerit: nam circumſcripta culpa ex mendacio proveniente, ſi id non contemnendum propriæ ſalutis damnum redundet, non carebit notabili culpa, de cujus gravitate, & levitate, ut in cæteris quibuſque aliis ſimilibus caſibus Canoniſtæ determinare poterunt, quod procedit quidem, niſi alia potiori ex cauſa renuiſſet aſſumere, ut quia medicamentum erat nimis ingratum, aut nimis validum, aut ab eo quomodocunque abhorrebat: tunc enim fortè partim excuſaretur ab inobedientia, licèt à mendacio excuſari non poſſet.

SUMMARIUM.

1 *Quoad ſanguinis miſſionem quomodo ſe gerere debeat Medicus.*
2 *Infirmus quatenus admittere teneatur ſanguinis miſſionem.*
3 *Membrorum amputatio utrum fieri tuta conſcientia poſſit.*
4 *Sectio Cæſarea quatenus conſulenda, vel admittenda.*
5 *In uteri clauſura liceat ſectionem adhibere.*
6 *Ani clauſuram ſectione ſanare an liceat.*
7 *Sectio in Empiemate an licita.*
8 *Sectio in Hydropiſi an tuta, & licita.*
9 *Naſi, aliarúmque partium deperditarum reſtauratio quatenus licita.*
10 *Palpebrarum adhæſio an ſectione ſanari debeat.*
11 *Cutis apertiones in capite, terebrationes, uſtiones, & id genus operationes alia, an tuta, & licita.*
11 *De Cataractarum extractione tuta ne ſit, & licita.*
13 *Lapidis ex veſica extractio an tuta ſit, & licita.*
14 *Caſtratio tuta ne, & licita ſit.*
15 *Alias chirurgicas operationes quando ſuadere, & admittere debeat Medicus.*

Chirurgica.

QUÆSTIO IV.

CIrca remedia Chirurgica plura obſervari poſſunt, & primò ſuppoſitis regulis generalibus ad alia quoque remediorum genera ſpectantibus, ad aliqua particularia deſcendamus. Et primò quoad 1 ſanguinis miſſionem Medicus tenetur communem viam tam in profuſa, quàm in parca exſectione ſequi. Errat tamen magis, qui ſuperabundanti utitur, quàm qui parciori: imò graviter errare, & ſuorum ægrorum homicidas eſſe conſtat aliquos Medicos, qui nimis copiosè ſanguinem detrahentes, eoſdem ægros ad malum habitum, & Hydropem, vel ad inſuperabiles convaleſcentias, vel ad alios morbos ob tam affluentem ſanguinis miſſionem deducunt.

Horum Medicorum præceptis nullo modo tenetur infirmus obedire: imò dato etiam, quod morbus requireret talem ſanguinis miſſionem, hoc eſt copioſiſſimum, & uſque ad animi deliquium, non teneretur infirmus illam admittere, cùm dubium id genus remedii ſit, & poſſit hominem interficere, licet in aliquibus ſit neceſſarium, tutior enim ſemper eſt repetita ſanguinis miſſio, quàm confertim, & unica vice facta: multò minus poteſt æger tuta conſcientia ex ſe, ac proprio marte ſibi ſanguinem affluentem detrahere, eidemque periculo ſeſe exponere, de quo proximè. Alia autem ex parte peccaret omninò infirmus, qui in morbo hujuſmodi remedium maximè exigente, illud admittere recuſaret cum evidenti periculo propriæ ſalutis: cùm enim remedium hujuſmodi nullum habeat ſecum adjunctum periculum, aut dolorem, aut moleſtiam, & undequaque tutum ſit, cum eſt neceſſarium ad ſalutem recuperandam etiam probabiliter, ut in ſquinantia ſuffocante, in pleuritide, in Perineumonia, in Hepatis inflammatione, & ſimilibus morbis, interniſque inflammationibus, æger illud renuendo ſui ipſius homicida eſt, nam exponit ſe præſentaneo mortis periculo, à quo ſola ſanguinis miſſione vindicare ſe poteſt. 2

Offeruntur poſt hæc aliquæ Chirurgicæ operationes, de quibus dubitare contingit, an Medicus eas 3 in uſum trahere poſſit, necne, & ægrotus poſſit eas admittere, necne. Ac primò de membrorum amputatione conſiderandum, utrum fieri neceſſitate urgente tuta conſcientia poſſit, nam aliquando ob gangrænas, aut quid ſimile cogitur Medicus membrum aliquod amputare, quæ operatio non undequaque tuta eſt, quia vix, ac ne vix quidem evenit, ut integrum membrum corruptum, aut integra pars corrupta amputetur, non læſa parte ſana, aut ſi integrum membrum corruptum non amputetur, non relinquatur corruptæ partis portio, ex qua periculum idem, quod imminebat ab integra parte, adhuc perſeveret: & in utroque caſu ineſt evidens, ac præſentaneum periculum, unde videtur ſatius eſſe, ægrum in manus Dei permittere, quàm tale remedium tentare, quod ultra nullam ſecuritatem ab eo promiſſam, & horrore, & dolore eſt evidenter moleſtiſſimum. Quibus tamen non obſtantibus dicendum, poſſe quidem Medicum in extrema anguſtia tale remedium proponere, & conſulere, ſed non teneri infirmum illud admittere, ſtante horrore, ac ſumma tam aſperi remedii moleſtia: ut pluribus oſtendit P. Theophil. Raynaud. *de part. con. nat. c. 6. n. 2. & ſeqq.*

Præterea de ſectione cæſarea conſiderandum, operatione nimirum difficillima, & periculi plena. Eſt 4 autem hæc ſectio operatio circa extractionem fœtus vivi ab utero matris viventis, quæ aliquando à nonnullis in uſum protracta eſt felici cum ſucceſſu, ac de ea videnda quæ ſcriptis conſignavit Rouſſetus in libello ad hoc dicato. Sed quia, ut dixi, operatio hæc difficillima eſt, & periculi plena, non videtur à Medico tam promptè proponenda, aliaque ex parte nullum in hoc intervenire peccatum ægrotantis, ſi obedire recuſaret, ob remedii immanitatem, ac præſentaneum vitæ periculũ. Quibus tamen non obſtantibus quando, & in quibus caſibus mater teneatur, vel non teneatur admittere hujuſmodi remedium, ſumma diligentia, & exquiſitè, ac perdoctè docuit P. Theophil. Raynaud. *cit. lib. de Part. con. nat. per totum*, quem omninò videre, qui de hujuſmodi argumenti veritate certiores fieri volunt, debent: unde ego lectores ad eum libentiſſimè remittam.

Circa Uteri clauſuram dubitare contingit, ut de 5 ſupe-

ſuperioribus, quoad Medicum non videtur ullo modo errare, ſi tali clauſuræ ſuccurrendum ſectione ſuadeat, cùm malum ſit maximè notabile, & multa pericula ſecum afferat, & ejus curatio per ſectionem à periculo magna ex parte ſit aliena, niſi multum doloroſa futura ſit. Infirma verò tum demum teneretur obedire, cùm hujuſmodi clauſura vitæ inſidiaretur, aliàs autem non: niſi cum inſigni tormento cura eſſet perficienda. Eodem modo etiam Medicus ſi cognoſcat ſectionem hujuſmodi tutam futuram, vel ſaltem probabiliter id ſperet, & plura appareant conſpicua ſanationis ſigna, quàm periculi, ſalva conſcientia illam conſulere, ac celebrare etiam poteſt. Sin res in dubio eſt, ut quando clauſura eſt maximè interna, vel ſit potiùs à carne, quàm à membrana, vel ab alia re, quæ magis operoſam reddat ſectionem, potiùs debet ab ea abſtinere, ut à remedio dubio, & periculoſo: atque uno modo ſe gerere debet, ubi ſectionem ad vitam ſuſtinendam neceſſariam eſſe exiſtimet, ut in caſu à Guilielm. Fabritio narrato *lib. de Operat. Chirurg. relat.* à Dan. Sennert. *lib.* 4. *Pract. p.* 1. *ſect.* 1. *c.* 3. alio verò, cum non ita neceſſariam credat, in primo enim caſu teneretur ſuadere, ac cogere infirmam ad obediendum, & ipſa infirma aliquo modo teneretur obedire, in ſecundo verò nequaquam.

6 Majus incommodum habet Ani clauſua, de qua idem Guilielm. Fabrit. *lib.* 1. *Obſerv.* 73. & alii. Sed quia hæc operatio in puerulis nuper natis tantùm plerumque habet locũ (neque enim cum Ani clauſura homo longo tempore vivere poteſt) nihil ex parte infirmi dignum conſideratione offertur, cùm liberam voluntatem non habeat, & ſui juris non exiſtat. Quoad Medicum non eſt dubium, quòd cùm Ani apertio ſit ſimpliciter ad vitam neceſſaria, etiãſi alia ex parte aliquid periculi minaretur: conſulenda, ac tentanda tandem tamen omninò eſſet: quia præponderat periculum certum, ac evidens, præſentaneum, quod imminet ab ipſa Ani clauſura, periculo, quod imminet ab ipſa apertione,

In Empyemate, nempe in Puris collectione, in 7 Thoracis cavitate, antiquitus præſertim, ſectio fiebat inter quartam & quintam, aut inter quintam, & ſextam coſtam ad ipſum collectum pus extrahendum, in qua operatione timidiſſimi ſunt Neoterici, quos hujus timiditatis Inſimulat Rondelet. *lib.* 2. *Pract. c.* 15. apud Sennert. *lib.* 1. *pract. c.* 19. *part.* 2. ſed ne ſine ratione irrepſit hæc Neotericorum Medicorum timiditas: nam præterquam quod tuta undequaque non eſt hæc operatio, ſæpiſſimè in ea Medici decipiuntur, ſecantes locum non idoneum ad pus extrahendum, cum non ſemper idem locus ſecandus ſit, unde emerſit inter ipſos Medicos contentio de loco ſecando (quod multò majorem, & minùs tutam operationem demonſtrat) cùm non ſolùm, ut dixi, inter quartam, & quintam, aut inter quintam, & ſextam coſtam nonnulli fieri ſectionem volunt, ſed contendunt alii ſecundam eſſe inter ſecundam, & tertiam, alii verò inter tertiam, & quartam. Sed quomodocunque ſeſe res habeat, operatio certè dubia eſt: & non omni ex parte tuta: unde nec temerè conſulenda, nec tentanda niſi nulla alia via ſalutis adſit. Sed infirmus hujuſmodi remedio ſuam vitam redimere, ob ipſius remedii qualitatem, cum doloroſum ſit, & minus tutum, non tenetur: & in hoc caſu poſſet ſe potiùs remittere in manus Dei, quàm tali tormento ſe ſubmittere.

8 Idem dubium habet ſectio in Hydrope ad extrahendam aquam morbum facientem, idemque periculum, non ſolùm ex violentia ſectionis, ſed ex ipſius materiæ extractione, quippe cùm aliquando pus, & aqua ex facta apertione confertim, & affluenter exeundo, Ægrotos perimere ſoleat juxta Hipp. *ſententiam lib.* 6. *Aph.* 27. *Empyematici, vel Hydropici quicunque ſecantur, aut urumtur, ſi pus, aut aqua univerſim effluxerint, omninò moriuntur.* Quamobrem idem omninò dicendum & reſpectu Medici, & reſpectu Infirmi de hac ſectione in Hydrope, quod de uſtione, aut ſectione in Empyemate dictum eſt: niſi aliquid majoris timoris irrepere dicas duplici ex cauſa: una ex parte caloris naturalis, qui debilius videtur in Hydrope, & facilè extingui poſſe, altera ex parte extractionis materiæ aqueæ, quæ magis promptè effunditur in Hydrope, quàm pus in Empyemate, cùm tenuior materia ſit, & in parte decliviori contineatur. Itaque magna cum cautela à Medico conſulenda, aut tentanda talis ſectio eſt, & non niſi in ſumma, ac extrema aliorum remediorum deſperatione, optimè primo loco perpenſis Ægri viribus, cæteriſque ad id peragendum neceſſariis.

Inter operationes præterea chirurgicas, negotioſa eſt, & difficultatibus plena nonnullarum partium recuperatio, ut Naſi, Labiorum, & Aurium, quas ſubire nullus æger tenetur, cùm earum carentia nihil momenti ad vitam habeat, earumque integritas ad decorem tantùm, & vix ad aliud quicquam effatu dignum inſerviat. Medicus certè, qui experimento polleat, poterit has operationes conſulere, ac tentare, cum periculo magna ex parte careant: niſi velis operatione non rectè ſecuta, timeri poſſe inde gangrænam, ſeu ſphacelum, & partium corruptionem: quæ tamen à peritiſſimo Chirurgo, & in ſimilibus operationibus experto non difficulter evitari poſſunt. 9

Eſt & quædam chirurgica operatio circa palpebras: naſcuntur enim quidam palpebris conjunctis 10 ita ut cernere non poſſint: unde neceſſitas emergit aperiendi ipſas palpebras, quod opera manuali fit ab ipſis Chirurgis expertis, quibus apertis, ac diſjunctis oculus inde emicat ad ſua munia obeunda aptiſſimus. Operatio hæc periculoſa non videtur, & tutò à Medicis executioni demandari poteſt. Æger autem teneretur ob vitæ bonum illam ſubire, quia cæcus cogitur multas bonas operationes intermittere, etiam earum quæ ad animæ ſalutem videntur neceſſariæ. Sed quis eſt, qui ut videret, talem operationem detrectaret? Verumenimverò veritatem hæc habet in ſimplici coalitu, & adhæſu ipſarum palpebrarum inter ſe: aliàs autem palpebræ cum ipſo oculo, ejuſque membranis coaleſcunt, & tunc operatio difficilior evadit, & exitus multò magis dubius eſt, nam etiam diſjunctis palpebris interdum viſus non recuperatur. Unde neque tam promptè Medicus hujuſmodi operationem in his caſibus conſulere, vel tentare debet, neque Æger eodem modo tenebitur ad illam ſuſtinendam, nam & præter majorem difficultatem, ac dolorem, & exitus dubietatem, ab omni periculo immunis non eſt. Cutis 11 apertiones in capite, Terebrationes. Uſtiones, & hujuſmodi aliæ operationes non capite ſolùm, ſed etiam in aliis corporis partibus, ubi eas morbi exigentia requirat, & conſulere, & perficere Medicus poteſt. Æger autem ubi eas detrectaret, & vitæ periculum eſſet evidens, ac præſentaneum, non eſſet forte ab omni culpa immunis, non obſtante remedii aſperitate, quæ quidem excuſare illum aliquo modo poſſet. Sed quia comparata hac aſperitate remedii cum ipſa vitæ deperditione, pro nihilo talis aſpiritas eſt habenda, excuſatio non eſſet condigna, & teneretur omninò eam ſubire. Quòd ſi

dubium

dubium adhuc eſſet, an tali operationi ſalus ſecutura ſit, necne, & Medici, ac Chirurgi illi hoc dubium ſignificaſſent, ponentes omninò ambiguitatem in recuperatione vitæ poſt tales operationes, in manu Ægri fortè eſſet tale remedium renuere, ac remittere ſe in manus Dei.

12 Cataractarum extractio difficilis & ipſa operatio eſt, neque magno periculo utplurimum obnoxia: ſed alia ex parte plerunque inaniter fit, ut aliàs admonui, & tamen neque conſulendo, neque eam exercendo videtur Medicus errare, dummodo ſufficientem experientiam ejus operationis habeat. Sed Ægroto liberum eſt eam admittere, vel renuere, quippe cùm difficultas ipſius operationis juncta cum remedii aſperitate contraponderet debitum in propriam charitatem: nam teneretur forte Æger ad eam ſuſtinendam ob viſum recuperandum. Cujus privatio hominem multis bonis exſpoliare ſolet, etiam illis, quæ adanimæ ſalutem pertinent, præterquam quod cæcitas ex rebus ſit reddentibus vitam noſtram maximè infœlicem: & tamen non teneretur infirmus obedire non ſolùm ob prædicta, ſed etiam ob remedii incertitudinem, & dubietatem, quod, ut dixi, plerumque ſuo fine deludatur.

13 Lapidis extractionem Hippocrates in jurejurando non admittit, ſed ejus rei provinciam peritis mittit. Extrahitur lapis ex veſica, & ab aliquibus proponitur etiam extractio ex renibus: ſed hæc poſterior nullatenus ſine errore etiam notabili in medium à Medico afferri, aut celebrari poteſt, cum certi, ac præſentanei periculi plena ſit: conſequenter ergo non ſolùm non tenetur infirmus eam admittere etiam morte præſente, ſtante operationis horrore, ac difficultate, & ſalutis magna ex parte probabili dubietate, ſed fortè erraret ſi eam admitteret, & ſe ſecandum Chirurgo traderet. Neque ex veſica etiam quantumvis ſecura eſſet operatio (licet non omninò tutam eſſe quotidiana experientia doceat) ulla obligatione detinetur æger eam ſubeundi, etiamſi inſtantis mortis immineret periculum: immanitas enim remedii, & ſalutis incertitudo illum excuſaret: videretur tamen non eſſe in culpa Medicus, qui in rerum deſperatione eam ſuaderet, cum non adeò dubium remedium ſit, quin ex ejus præſidio nonnulli optimè curentur. Habemus enim hic ejus rei quotidianam experientiam, qua obſervamus plures à D. Joan. Trullio Chirurgo doctiſſimo, & expertiſſimo cum optimo ſucceſſu ſecari, tanta diligentia, ac dexteritate operationem peragit. Ubi ergo tam expertos Chirurgos habeamus, non errabimus in rerum deſperatione lapidis extractionem per veſicæ ſectionem infirmis ſuadere.

Caſtratio ad aliquem laudabilem finem, & ad 14
vitæ tutelam certè non proponitur, unde non videtur tuta conſcientia ſuaderi poſſe, cum operatio ſit, quæ etiamſi periculo utplurimum careat, ad mortem effugiendam nequaquam videatur neceſſaria: licet enim in herniis, aliiſque nonnullis morbis ad eorum curationem celebretur, non videntur herniæ tam magni momenti, ut mereant carnificino hoc remedio curari, maximè cùm poſſimus remediis mitioribus illis opitulari, pluris enim ex mea ſententia facienda eviratio, quæ ex caſtratione ſequitur quam quodvis incommodum, quod ex hernia ſequi poſſe timeamus, ac penè dixerim pluris eam faciendam, quam ipſam mortem. Quamquam verò tuta undequaque videatur caſtratio in vitis, in fœminis certè nullo modo tuta eſt, ac nullo modo ſuadenda, vel tentanda ſine graviſſimæ culpæ, & inhumanitatis nota: barbaris ergo omninò relinquenda: quamobrem de ea non eſt quod quicquã addam, cùm vix ulla de ea cognitio vigeat, ac ne per ſomnium quidem apud pleroſque nota ſit.

Denique aliæ nonnullæ chirurgicæ operationes, 15
quæ fieri poſſunt, in tantum Medicus ſuadere, aut tentare poterit, in quantum magna ex parte tutæ ſint, & ab omni notabili periculo abſint: nam alias non ſine conſcientiæ gravamine ſuadentur, aut petaguntur. Infirmus autem in tantum ſuſtinere tenebitur, in quantum non magno cruciatu fiant ex una aut altera verò ſalutem probabiliter promittant, & ab imminente vitæ periculo hominem eximant: ubi enim adſit magnus remedii cruciatus, ubi dubium ſit, & hæſitetur, utrum magis profuturum, ac nociturum ſit, ubi imminens periculum magnum eſt, æger poteſt tuta conſcientia illud renuere, & Medicis præceptis non obedire.

LIBRI OCTAVI TITULUS TERTIUS.

De clauſura Monialium.

Continens Quæſtiones quinque.

I. Quid ſit Clauſura, utrum noxia, & quibus ex cauſis Moniales poſſint à Clauſura exire.

II. Utrum præter Peſtem; & Lepram, alii morbi ſint juſta cauſa exeundi à Clauſura.

III. Vigente Peſte, aut Lepra in aliqua clauſura, ſanæne, an infirmæ ab ea ea exire permittendæ.

IV. Moniales Lepra, vel Peſte infectæ, & à Clauſura dimiſſæ, ſi ſanentur, quandonam reverti ad Clauſurã teneantur.

V. De Monialibus, quæ ex culpa aëris ipſius Clauſuræ infirmantur, & in quibus caſibus videatur adeſſe juſta cauſa relinquendi Clauſuram.

SUMMARIUM.

1 *Quam laudabile fuerit Moniales perpetuæ clauſuræ obligare.*
2 *Quibus excauſis licet Monialib. deſerere clauſuram.*
3 *Interſſio ſumm. Pontificum in concedendo Monialibus exitum à clauſura, occaſione Epidemiæ, Lepræ, & incendii fuit, ut illa propriæ ſaluti conſulerent.*
4 *Clauſura quid: & n. ſeq.*
6 *Clauſura utrum humanæ ſaluti ſit nocua.*
7 *Epidemiæ nomen quomodo ſumatur in Bulla Pii V.*
8 *In omnibus cauſis, ob quas clauſura deſeri permittitur, reſpicitur periculum univerſale, non particulare.*
9 *Peſtis quid, quid Epidemia.*
10 *Lepra utrum ſit juſta cauſa relinquendi clauſuram.*
11 *Magis urget cauſa exeundi à clauſura ex Lepra, quam ex Peſte, & cur.*
12 *Vera Peſtis ſemper dependentiam habet ab Aëris corruptione.*
13 *Contagium eſt minus efficax cauſa vigoris ipſius Peſtis.*

14 *Peſtis datur ſine Contagio.*
15 *Contagium duplex.*
16 *Virum in Lepra, & aliis contagioſis ſimul, & malignis morbis, magis expediat infirmas ejicere, quàm ſanas à clauſura dimittere.*

Quid ſit clauſura, utrum noxia, & quibus ex cauſis Moniales poſſint à Clauſura exire.

QUÆSTIO I.

MAximopere Chriſtianæ Reipublicæ decens, ac laudabile conſilium fuit illud à ſummis Pontificibus, & à ſacroſancta Tridentina Synodo
1 confirmatum, & in inviolabilem obligationem injunctum, ut Virgines, quæ ſuam caſtitatem Deo voverunt, & in monaſteriis religionis vinculo obſtrictæ commorantur, perpetuæ clauſuræ votum emitterent, ut habetur in eodem Concilio Triden. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. & in bullis ſummorum Pontificum, præcipuè verò Bonifacij VIII. Pij V. & Gregorij XIII. Notius enim eſt, quam ut ſcriptis monſtrari poſſit, qualia, & quanta ſcandala evitentur.

Quoniam autem multa accidere poterant, propter quæ neceſſarium ſoret, Moniales à prædicta clauſuræ obligatione eximere, ad tres maximè caſus ea reduxerunt Pontifices, ex quorum cauſa univerſus Monialium cœtus aut perire, aut maximè lædi poſſet, eoſque caſus in ſuis conſtitutionibus pro-
2 mulgarunt, dicentes, Moniales non poſſe à clauſura exire, niſi ubi magnum incendium earum omnium, aut majoris partis vitæ inſidiaretur. Secundò ubi Epidemia vigeret, & ex ejus violentia ob contagium juſtus mortis timor inſurgeret, ac tertio ubi aliqua Monialis lepra infecta aliàs inficere veriſimiliter poſſet, niſi clauſura dimitteretur, in omnibus enim, ac ſingulis hujuſmodi caſibus conſulere voluerunt univerſali periculo, & indemnitati ipſarum Monialium, permittentes idcircò eas clauſuram relinquere, & alio commigrare, ſervatis cautelis, & conditionibus ab ipſiſmet Pontificibus indictis. In harum cauſarum igitur recenſione, ſi magnum incendium exceperis, plura poſſunt à Medicis Canoniſtæ percontari, & plura ab ipſis Medicis animadverti.

Cùm ergo de incendio non videatur quicquam à nobis peculiariter dici poſſe, illud tantùm per tranſennam cum Canoniſtis advertamus, quod cum in-
3 tentio ſummorum Pontificum in permiſſione exitus à clauſura ipſis monialibus fuerit cura univerſalis ſalutis ipſarum, ut fuga ſe ab imminentibus vitæ periculis eximerent, non ſolùm ad incendium ſeſe reſtrinxiſſe illos dicendum eſt, ſed incendio pro exemplo uſos eſſe, ac voluiſſe hanc permiſſionem in aliæ quacunque ſimili cauſa locum habere, ut ſi fluminis inundatio monaſterium obruere minaretur, aut ipſius monaſterij ſumma ruina immineret, aut militum hoſtilium incurſus, aut aliud quid ſimile. Reliquum igitur eſt, ut de peſte tantùm, & lepra nobis ſermo inſtituendus ſit.

Sed ante omnia videndum primò eſt, quid ſit
4 clauſura, ut conſtet de quanam re verba faciamus. Bonacin. *de clauſur. quæſt.* 1. *punct.* 2. *n.* 1. eam ſic defi-
5 nivit, Clauſura eſt locus, intra quem moniales ſiſtere debent, & à quo egredi nequeunt ſine violatione præcepti, aut etiam voti. Nos magis conciſam definitionem afferamus dicendo, Clauſuram certum locum eſſe, ex quo moniales egredi, & in quem externi ingredi ſine peccato non poſſunt, vel clauſuram eſſe illud monaſterij ſpatium, quod monialibus egreſſum ſub pœna violationis voti & externis ingreſſum interdicit ſub pœna peccati: quibus definitionibus non abſimilem affert Gibald. *de clauſ. diſquiſit.* 1. *c.* 2. §. 16. *n.* 29. moniales ergo ex voto huic clauſuræ perpetuò adſtringuntur, neque ulla quantumvis gravi, imò graviſſima ex cauſa eam violare poſſunt, aut deſerere, etiamſi de vitæ negotio ageretur, niſi cauſa ejus naturæ ſit, ut univerſus monialium cœtus ex ea periclitetur, qualis eſſet magnum incendium, epidemia, & lepra: aliàs nulla alia cauſa, quæ tantum particularem ſalutem reſpiciat, ſufficiens eſſe poteſt manentibus in ſuo robore Pontificum conſtitutionibus, ut monialis à clauſura ſeſe eximere poſſit: quòd ſi aliqua ex monialium cœtu morbum aliquem lethalem pateretur, qui non poſſet niſi extra clauſuram curari, tunc egebit hæc ſpeciali Pontificis derogatione, & diſpenſatione: neque enim extendi poteſt permiſſio ex cauſa univerſalis ſalutis facta ad ſalutem particularem, ut alias vidimus factitatum, & ſignanter in monialibus Gregorij XIII. de quibus aliàs. Unde in præſenti noſtræ partes ſunt, ut de cauſis à Pontificibus propoſitis pro clauſuræ relaxatione ad ipſorum mentem differamus: ante tamen diſcutere operæ pretium eſt, utrum clauſura humanæ ſaluti ſit, aut poſſit eſſe noxia, & videtur prima fronte, quod non poſſit eſſe niſi ſummè noxia, quia homines nulla alia re magis liberè ad tuendam ſalutem frui debent, quàm aëre libero, & aperto, ac vario pro temporum, & hominum conditionum, & ætatum ratione: at clauſuræ aër, cùm uniformis ſemper ſit, huic temporum, conditionum, ætatum, aliarumque rerum varietati maximoperè contrariatur, ut patet, & ſi quidem æſtate frigidiuſculus aër utilis futurus eſt, ſi aër clauſuræ erit calidior, non poterit eſſe niſi nocuus: & ſic de ſingulis, unde mirum non eſt, ſi in clauſuris monialium tam frequenter infirmitates conſpiciantur longæ, & contumaces, & quæ à cæterarum infirmitatum more tantoperè deviant, ut eas potius ſupernaturales cauſas, quam naturales habere dixeris: quæ non ſolùm naturalibus remediis non cedunt, ſed iis potius irritantur, & augmentum ſumunt, & tamen hæ ipſæ infirmitates extra clauſuram aut non tantopere miſeras ægras affligerent, aut certè faciliùs, commodiùs, ac citius curarentur, cùm ſummum remedium in hujuſmodi morbis ſit, cœlum mutare, quod monialibus ex legis clauſuræ rigore denegatur, cumque notum ſit, & à Medicis comprobatum, ut ex Celſo habetur *libro* 1. *ſuæ Medic. c.* 3. peſſimum cœlum eſſe, quod ægrum fecit, certè deducendum hinc rectè videtur, quod cùm ſæpiſſimè ex ipſius clauſuræ anguſtia plures ex monialibus in prænominatos morbos incidant, clauſuram eſſe illis exitialem, ut experientia comprobatur. Quæ tanto magis attendenda videntur, quanto ſolutio clauſuræ, ut toto diſcurſu evidenter patebit, nunquam permiſſa cenſetur in gratiam particularis ſalutis, cum nulli moniali liceat ob morbum aliquem, ex quo etiam certo periclitetur, niſi à clauſura exeat, clauſuram deſerere; neque comprehenditur huiuſmodi caſus ſub Pontificum diſpenſatione, quæ in tantum habet locum in quantum morbus alicujus particularis poteſt redundare in damnum univerſale, vel ſcandalo, vel communicatione ejuſdem morbi ob contagium, & idcircò non indifferenter in omni morbo etiam lethifero, & qui non niſi extra clauſuram curari poſſet, conſtitutio eorum locum habet, ſed tantum ubi habeat adjunctum contagium, & cum contagio aut notabile ſcandalum, aut vitæ periculum cæterarum, & idcircò Lepra tantùm, & Epidemia nominantur, quia & ab utraque & ab

alterutra & communicatis periculum à contagio, vel ab eodem contagio notabile ſcandalum excitatur. Quantum autem ad particularem alicuius ſalutem ſi clauſura ſolvenda eſt, nova Pontificum diſpenſatione opus eſt, ut visum eſt in monialibus Gregorij XIII. & forte in aliis: nobis ſatis eſt, quod ex rigore legis ipſius clauſuræ nulla habita ſit ratio ſalutis particularis in eius ſolutione, ſed tantum ſalutis univerſalis. Quibus ſic ſtantibus dicendum videtur, clauſuram eſſe humanæ vitæ minus accommodam, imò eſſe ſummè noxiam, præſertim cum tam rigidè impoſita ſit, ut neque ex cauſa certiſſimi periculi mortis ſolvi poſſit, niſi ex ſpeciali Pontificis derogatione, quæ tamen nimis frequens futura eſſet ob frequentiam huiusmodi caſuum, ita ut forte inanis evaderet prædictæ legis clauſuræ rigor, qui non niſi in maximum virginum, earumque ſalutis præjudicium impoſitus videtur.

Verumenim verò his non obſtantibus, ſerio videtur dicendum, Clauſuram nihil habere in ſe vitii contra Virginum Deo dicatarum ſalutem, imo poſſe eſſe ſummopere, & undequaque proficuam: ipſa enim privatio libertatis actionum, & fruendi aëris externi varietate pluribus, & ſecundum plurimum utilis eſt, quia natura noſtra quantum ſummopere læditur à mutationibus in contraria, tantopere proficit ex aſſuefactione victus cuidam rationi uniformis, & mutationibus non ſubiecti, quam quidem veritatem tam evidenter in ipſis religioſis, tam viris, inquam, quam fœminis conſpicimus, & experientia perenni comprobamus, ut ad hoc alias probationes adducere inanis omnino opera videatur. Nec quicquam refert, quod aliquæ peculiares virgines in clauſuris infirmitatibus tententur, quales ſuperius commemoratæ ſunt, nam præterquam quod illis hoc ex vitio clauſuræ non accidit, quia etiam extra clauſuram iisdem morbis affligerentur, ut aliæ virgines, & mulieres clauſura non detentæ affliguntur, dato etiam quod ex clauſuræ vitio id fieret, non idcirco eſſet dicendum, clauſuram eſſe noxiam, ſatis enim eſt, ſi pluribus, & ſecundum plurimum ſit ſalutaris & ex natura ſua non ſit noxia, quia quæ ex naturæ præſcripto contingunt in pluribus, & ſecundum plurimum eodem modo contingunt. Unde corruunt quæcunque, quæ ex adverſo adducuntur ad convincendum, clauſuram corporeæ ſaluti eſſe noxiam, cum quotidiana experientia id falſitatis manifeſtè convincat, ex centum enim Monialibus vix unam, aut alteram offendes ſimilibus morbis tentatam: quinetiam in nullo hominum genere obſervabis homines vitam in longius protrahere, quam in religioſis mulieribus, quæ clauſura detinentur. Hinc verò factum puto, ut Pontifices in ſuis conſtitutionibus non curaverint licentiam deſerendi clauſuram relaxare ob particularis alicuius Monialis ſalutem recuperandam, nam à Spiritu ſancto edocti cognoverunt, primò non habere clauſuram hoc in ſe vitium, ut de ſe & ex ſui natura tales morbos procrearet, aut foveret, ita ut nonniſi clauſura relaxata curari poſſent, vix enim, ac ne vix quidem hic caſus in morbis maximè lethalibus dari poteſt: licet non negem dari morbos, qui mutatione Cœli ſanarentur, & in quibus forte neceſſe ſit, dimittere Monialem à clauſura, ſed hoc non fit ex vitio clauſuræ, ſed ex natura ægrotantis, aut morbi, qui aliud cœlum pro ſua cura expoſcit, ut etiam extra clauſuram uſuvenit, nam Phthyſicos, Hecticos, Hydropicos, & alios id genus infirmos mutatione Cœli maximè curamus. Deinceps ſatis viderunt iidem Pontifices, quod etiam dimiſſis ægris Monialibus à clauſura non poterat ex hoc certa ſalus ipſarum expectari: quis enim ex Medicis id certo promittere audet? Itaq; incaſſum relaxabant Pontifices clauſuræ rigorem, ubi nulla certitudo ſalutis ex hac relaxatione promittebatur: ex quibus videtur concludendum omnino, quòd cum clauſura nullo modo ſit noxia corporeæ Monialium ſaluti, noluerunt, nec debuerunt Pontifices ejus rigorem mollire, aut relaxare reſpectu particularis alicujus ſalutis, ſed tantùm reſpectu ſalutis univerſalis, cujus reſpectu & incendium primò magnum conſiderarunt, & deinde duas morborum ſpecies, nempe Epidemiam, & Lepram: circa quas primò obſervandum, Epidemiæ nomen 7
accipi à ſummis Pontificibus pro vera peſte, ut facilè demonſtrari poteſt, inconcuſſa permanente ea propoſitione, quod in omnibus cauſis, propter quas 8
iidem Pontifices permiſerunt Monialibus exitum à clauſura præ oculis habuerunt commune totius monaſterij bonum, & univerſi cœtus ipſarum Monialium ſalutem, idcirco non ſimpliciter in quolibet incendio hanc permiſſionem voluerunt habere locum, ſed tantùm in magno, in quo vel omnes, vel major ipſarum pars periclitari poterat: idem etiam de Epidemia, & Lepra eſt dicendum: nam Epidemia, hoc eſt, vera Peſtis, propter contagium, & vitæ periculum, cui ſubjiciebatur univerſus cœtus Monialium, viſa eſt juſta cauſa deſerendi clauſuram, ſic etiá & Lepra: ſed hoc periculum imminet tantum in vera peſte, non autem in ſimplici Epidemia, ergo Pontifices de vera peſte loquuntur non de ſimplici Epidemia. Eſt autem peſtis morbus Epidemialis, ſeu 9
Popularis utplurimum, & ſecundum plurimum exitialis, ac malignus: Epidemia verò morbus eſt popularis utplurimum, & ſecundum plurimum ſalutaris, ac benignus: ut cum Gal. *in lib. de vitt. rat. in Acut. comm. 1. text. 9.* omnes Medici fatentur. Ratio autem hujus differentiæ eſt, quia in Peſte prædominatur aëris infectio, & ab ipſo aëre contagium cum qualitate maligna, venenoſa & deleteria, in Epidemia verò prædominatur aëris infectio, & contagium ab ipſo aëre abſque ulla malignitate, aut qualitate venefica. Modo ſi dicamus Pontifices Epidemiæ nomen accepiſſe in ſua ſimplici acceptione, hoc eſt pro morbo populari non maligno, nec venefico, ſequeretur maximum inconveniens, nempe quod permitterent clauſuræ relaxationem abſque legitima & ſufficienti cauſa, cum non poſſit eſſe ſufficiens, & legitima cauſa deſerendi clauſuram, cui ex voto Moniales obligantur, morbus, qui cum periculo vitæ non ſit conjunctus, etiamſi eſſet contagioſus, & non omni ex parte levis: ſi ſic enim eſſet, cum aliquando Epidemia producat febres Tertianas, Quartanas, Scabies, capitis dolores, & alios id genus morbos à periculo immunes, ſequeretur etiam in his habere locum permiſſionem exeundi à clauſura, quod non eſt dicendum, ſed concludendum omninò eſt, Pontifices accepiſſe nomen Epidemiæ pro vera, & legitima peſte, hoc eſt pro morbo peſtilentiali maligno & contagioſo, ſic enim jure optimo licere debet Monialibus ad evitandum vitæ periculum, quod illis ex contagio imminet, deſerere clauſuram, vel infirmam ejicere, nam tunc cenſendum, cauſam eſſe legitimam, quando adeſt hoc periculum univerſalis ſalutis, quo abſente cauſa non eſt amplius legitima: & idipſum confirmatur ex verbis conſtitutionis Bonifacij VIII ibi, Niſi fortè tanto, ac tali morbo evidenter aliquam earum laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis abſque gravi periculo, ſeu ſcandalo commorari: quæ verba afferens, & declarans Gibal. *de Clauſ. cap. 6. §. 1 num. 1.* dicebat,

dicebat : Itaque ſolam cauſam egrediendi Bonifacius jure dixit eſſe morbum cui intra monaſterium ſine aliarum periculo , & offenſione remedium afferri non poteſt : unde idem Gibald. *in princ. præced.* §. 1. *n.* 1. formans univerſalem in hac re doctrinam determinavit, dicendum eſſe , exitum à monaſterio permittendum eſſe Moniali propter inevitabile aliarum periculum ex ejus commoratione. Attenditur ergo ſemper in hac permiſſione ſalus communis , quæ periclitetur ex contagio,non autem particularis. Quod ſi ſic eſt,non video, quanam ratione tueri poſſimus , Pontifices nomine Epidemiæ hic non ſignificaſſe veram peſtem , ut exiſtimat idem Gibaldinus : nam duo concurrere debent in Epidemia ad hoc , ut ſit juſta cauſa,ac ſufficiens dimittendi Monialem à clauſura , primum quod ſit contagioſa : unde ſanis immineat periculum contrahendi eandem infirmitatem : ſecundum , ut ſit pernicioſa , maligna, & cum manifeſto vitæ periculo , ut clarè elicitur ex verbis Bonifacii VIII. quamobrem his ſic ſtantibus fateri cogimur , Epidemiæ nomine à Pio V. intelligi morbum communem contagio , & periculo inſignem , at ſi hic morbus peſtis vera non eſt , quid tandem erit vera peſtis ; hæ enim duæ conditiones nulli alteri morbo convenire poſſunt,niſi peſti , dummodo cum his etiam communis ſit & Epidemicus:eo ipſo enim , quod morbus communis , & Epidemicus habebit ſecum contagium,& pravitatem , ſeu venenoſitatem, erit peſtis. Nec multum moror , quod Pontifex uſus ſit nomine Epidemiæ,cum poſſet alias uti vero , ac legitimo nomine peſtis,quia non omnino extra conſuetudinem videtur locutus,cum pateat , Medicos nonnullos etiam peſtem Epidemiæ nomine comprehendere , quod teſtatur quoque ex Jureconſultis Tiraq. *lib. 1. de leg. Connub. part. 15. n. 47.* & ex Medicis Conciliat. *diff. 94. verſ. Prop. 1. inf.* licèt falſo ab hoc ipſo Tiraquello nonnulli ex Medicis citentur , id tamen id præſtitiſſe conſtat nonnullos Practicantes non infimæ conditionis , ut Valeſc. ab ipſo Tiraq *citatur lib. 7. Phyſon. c. 1.* Savonarol. *de febrib. cap. 9. & alii*,Marſil Ficin. qui de Peſte ſcribens ritulum *libro fecit Epidemiarum Antidotum* , quos recenſere non vacat,ſed ut ſeſe res habeat , dummodo demus , Pontificem hic nomine Epidemiæ voluiſſe ſignificare morbum communem , contagio communicabilem , ac pernicioſum , ego nihil moror , utrum hunc ac talem morbum veram peſtem , an alio nomine appellemus , certum illud eſt , quod cum periculum ab hoc morbo imminens debeat eſſe grave , & vitæ inſidiari non ſatis erit quod ex hoc morbo ſanæ Moniales contrahere poſſint contagium , niſi una cum contagio ponatur vita earum in evidenti , ac manifeſto periculo.

Sed ut ad illud redeam , unde digreſſus ſum , dico iterum , atque iterum permiſſionem exeundi à clauſura,vel ejiciendo infirmas,vel permittendum id ipſis ſanis , ſemper factam reſpectu univerſalis ſalutis , quia nunquam videtur , manentibus in ſuo robore Pontificum conſtitutionibus , habere poſſe veritatem id , quod cenſent nonnulli , & ſignanter Navarra,& poſt ipſum,& alios Canoniſtas Sebaſtian. de Soto *in libell. de Inſirm. ob quas Moniales ex clauſura dimitti poſſunt* , nempe Pontificum diſpoſitionem reſpicere etiam particularium Monialium ſalutem , unde volunt, eam extendi ad nonnullos alios morbos, qui non poſſint intra ipſam clauſuram curari,& qui tantùm unius particularis infirmæ ſaluti inſidiantur , non autem cæterarum Monialium : nam hoc eſſet aperire nimis amplam portam huic licentiæ , ac indies cogerentur ſuperiores dimittere Moniales à clauſura ob morbos ab ipſis recenſitos nam vix monaſterium aliquod offendes , in quo una , aut altera Monialis ſimilibus morbis affecta non reperiatur , ut eſt Hectica. Phthyſis. Epilepſia, Cancer,Melancholia, Scrophulæ qui morbi ſignanter ab ipſo Sebaſt. de Soto nominantur , ac pro talibus judicantur , ut præbeant legitimam cauſam dimittendi Moniales a clauſura : at ego illud inculcare nunquam deſiſtam,nihil omninò cum conſtitutionibus Pontificiis habere commune particularem alicuius Monialis ſalutem , neque unquam hoc Pontifices habuiſſe in mente :& ſi quidem juſta cauſa aliàs videatur deferendi clauſuram alicui Moniali ob propriam ſalutem recuperandam concedenda,hæc nullatenus dictis ſummorum Pontificum conſtitutionibus inniti poteſt,ſed egebit ſemper nova viventis Pontificis diſpoſitione,ut aliàs dixi.

Cæterum à veritate omninò abeſt id , quod Bonacin. *loco ſupra cit. n.* 2. dicebat , nempe , pro Epidemia intelligi in ipſis Pontificiis conſtitutionibus morbum contagioſum,qui alios inficere ſolet,ut eſt Peſtis, morbus Gallicus morbus S. Lazari,ignis S. Antonii , & ſimiles , nam hic Canoniſta accipit morbum contagioſum pro Epidemia & unum cum alio confundit: in tantum enim morbus aliquis dicitur Epidemia , in quantum univerſalis eſt , & communis, ac populariter vagatur,hoc enim ſignificat Epidemialis , at verò nec Lepra , nec morbus Gallicus , neque alii quidam morbi à Bonacina recenſiti populares ſunt præter Peſtem: non poſſunt ergo comprehendi ſub nomine Epidemiæ.

Verumenimverò de Lepra dubitari poterat , an benè judicatum ſit , eam eſſe juſtam cauſam deſerendi clauſuram, & ratio dubitandi eſt , quia Lepra non videtur morbus , qui ſit adjunctus vitæ periculo ſaltem evidenti , ac præſentaneo , ut peſtis : eſt enim Lepra cutis infectio , cum qua multos videmus ad plures annos perdurare : abſente ergo vitæ manifeſto , ac præſentaneo periculo , non videtur cum peſte poſſe pari paſſu procedere, ita ut tanquam ipſa peſtis debeat eſſe juſta cauſa deſerendi clauſuram. Secundò Lepræ contagium lentè procedit , neque illicò occurſantes neque tam facilè inficit : ut contagium à peſte emanans , imò quemadmodum peſtis contagium ob aëris conditionem diſponentis corpora ad illud facillimè contrahendum difficillimè evitari poteſt , ita contagium à Lepra emanans facillimè evitatur , nulla præſente cauſa diſponente corpora ad illud ſuſcipiendum , unde videmus ex Lepra vix unum , aut alterum lentè & longo tempore , ac ex longa converſatione cum Leproſo inſici , ex peſte autem plures illicò , & nulla interpoſita mora infirmari ob magnam contagij activitatem , & diſpoſitionem introductam in corpora aëre infecto. Tertiò Lepra curari poteſt etiam in clauſura , etiam abſque ſuſceptione contagii per ipſos ſanos , ſi infirma ſequeſtretur , & ejus converſatio , & occurſus à ſanis evitetur ſi ejus pannis , & utenſilibus aliæ abſtineant aliiſque neceſſariis cautelis utantur. Cùm ergo curari poſſit Lepra intra clauſuram abſque aliarum periculo , non videtur ſufficiens cauſa deſerendi clauſuram. Dicendum tamen eſt , plura eſſe Lepræ genera , ſed duo præcipuè , ut Medici omnes fatentur , & ego aliàs in hiſce quæſtionibus teſtatus ſum ,& ex Fracaſtorio , quem ego etiam ad hoc adduxi , & ex nonnullis aliis refert Gibald. *de Clauſ. diſquiſit.* 1. §. 5. *q.* 30. unum quidem nomine Lepræ inſignitum , & eſt ſcabiei finitimum , ſive ſcabies quædam ferina , & contumax cum nonnullis aliis conditionibus alias enarratis demonſtrantibus morbum

jam exceſſiſſe ſcabiei limites, & in Lepram fuiſſe converſum. Aliud nomine Elephantiaſis inſignitur, & eſt vera legitima, & conſummata Lepra. Ergo præterquam quod falſum eſt Lepram non eſſe morbum cum vitæ periculo, ſi de vera Lepra loquamur (cuius ſigna attuli titulo ſuperiori huius libri *quæſt.* 21. *à n.* 2. *ad ſeqq.*) cùm hæc cancer ſit univerſalis, carnes ipſas ad oſſa uſque depaſcens, ac rodens, quouſque hominem, licèt aliquando lentè, conſumat, habet inſuper cum ſe horrotem, & contagium adjunctum, unde non ſolùm reſpectu particularis perſonæ, quæ Lepra detinetur, licentia exeundi à clauſura impertiri licet (quamquam hic particularis reſpectus in hoc negotio in conſideratione non habeatur) ſed reſpectu totius cœtus Monialium, & publici intereſſe, ne aut ab infecta ſanæ inficiantur, aut ob horrorem in alias non contemnendas infirmitates labantur. Itaque Lepra ejus generis, quod diximus, erit ſufficientiſſima cauſa dimittendi Moniales à clauſura, quinimò uno ex capite magis urgens cauſa ad hoc videtur Lepra, quàm Peſtis, quia licèt Peſtis habeat ſecum magis præſentaneũ periculum, cum peſte affectæ paucorum dierum ſpatio
11 vitam cum morte commutare ſoleant, tamen aliquando tam præceps eſt remediorum occaſio, ut antequam de exitu à clauſura quicquam determinetur, peſtis jam communicata ſit, quibus communicabilis erat, vel ejus impreſſio ceſſaverit: nam interdum vis ipſius peſtis quaſi pertrãnſiens flamma momento regiones inficit, & momento definit, licèt non ſemper idem eveniat: at Lepra dando ſemper inducias non permittit exitum à clauſura futurum inanem, quia vel quod ejiciantur infectæ, vel quod ſanæ exire permittantur, evitatur ſemper ipſa vis contagii contra quam uſuveniat in peſte, in qua ipſe exitus à clauſura, & loci mutatio ſanis plerumque eſt exitialis, quia ob aëris contrarietatem in morbum labuntur, ut inferiùs clariùs demonſtrabo.

Sed cùm dictum ſit, Lepram ob contagium ſimul & periculum dare juſtam cauſam Monialibus, ut impunè exeant à clauſura: de Peſte jam hæſitare ulterius aliquis poſſet, utrum, ut ſit juſta cauſa relinquendi clauſuram, requiratur, ut ſit contagioſa, an ſufficiat ipſum periculum certum, & evidens mortis ex ipſa maligna Peſtis natura imminens: & quia hæc quæſtio ex mea ſententia eſt maximi momenti, primò nonnulla præmittenda, quæ non ita omnibus, & ſingulis extra artem Medicam patent: imò quæ à communi opinione tantoperè elongantur, quantoperè, ni me mea fallit opinio, ad veritatem proximiùs accedunt.

Sciendum igitur, veram Peſtem ſemper, & quam-
12 docunque ab aëris corruptione dependere, neque fieri ullo modo poſſe, ut ab alia cauſa poſſit immediatè originari, quod ſatis ſuperque probavi *lib.* 3. *hâr. Quæſt. tit.* 3. *quæſt.* 2. *n.* 21. *& ſeqq.* unde falſiſſima eſt vulgi perſuaſio, credentis eam ſemper à contagio originari, quæ falſitatis perſuaſio maximè convincitur ea ratione, quod qui primi peſte inficiuntur, per contagium non inficiantur: certum enim eſt, aliquos primò peſte prehendi abſque eo quod cum aliis peſte infectis ullo modo verſati fuerint, aut peſtilenti alterius exhalatione, aut tactu alicujus rei peſtis infectæ, ac contaminatæ infectionem contraxerint, ſed ex propria corporis diſpoſitione ad contrahendam, & ſuſcipiendam putredinem ex peſtilentis aëris inſpiratione. Si ergo peſtis incipit ſine contagio, abſque contagio quoque poteſt vigorem, & augmentum accipere: nam ut primi illi infecti à ſola aëris peſtilentis inſpiratione ſunt infecti, ſic alii permulti eodem modo infici poſſunt: ac certe, ſi liberè meam ſententiam licet proferre, credo 13
contagium eſſe minùs multò efficacem cauſam ipſius peſtis, quàm vulgo credatur, cùm apertiſſimè pateat, quòd maximè vigente peſte, & ad ſtatum provecta, ſenſim ad declinationem pervenit, tandemq; omninò ceſſat, quod contratio omninò modo deberet ſuccedere, ubi peſtis ex contagio dependeret, & contagium eſſet vera, ac potiſſima cauſa Peſtis: nam tunc maximè vigere deberet Peſtis, cùm maximè viget ejus cauſa, & majores vires ſortitur, ſed in ſtatu ipſius Peſtis maximè viget contagium, ergo non ſolùm Peſtis in ſtatu non deberet ullam habere declinationem, ſed magis magiſque augeri abſque eo quod nunquam ſperari poſſet declinatio: quia tunc maximè viget contagium, cùm plura individua ſunt infecta, ſed in ſtatu plura individua reperiuntur infecta, ergo tunc magis viget cauſa Peſtis, & tunc deberet Peſtis indies augeri, ac nunquam deberet tendere ad declinationem: at contra evenit, quia vigente Peſte, & ad ſtatum perductà, tandem non ſolùm non creſcit, etiamſi tunc magis vigeat contagium, ſed ſuam vim amittit, & declinat, ac denique omninò ceſſat, unde non poteſt contagium eſſe cauſa ipſius Peſtis, neque ea à contagio originatur, neque ab eo in tantùm fovetur, ut etiam eo maximoperè vigente, non omninò ceſſet.

Adde his, quòd non ſolùm tunc maximè augetur, & majorem vigorem acciperet Peſtis, cùm plures inficiuntur, ſed, ut dixi, non daretur locus declinationi, quia cauſa ſemper major in horas, & in momenta fieret. Dices autem terminare ob diligentiam, quam adhibent ipſi populi, ut ſe à contagio præſervent, ſed præterquam quod quantò majus eſt contagium, tantò plures homines ad hoc ut ſani præſerventur, neceſſarii ſunt in curatione ægrorum, unde tantò plures inficiuntur: quid dicendum de illis Peſtibus, in quibus nulla huiuſmodi diligentia adhibetur? An non conſpicimus, morbillos, & Variolas peſtilentes interdum vagari, & plurimos pueros interimere qui tamen morbi ceſſante aëris corruptela, ex qua originem trahunt, undequaque ceſſant: imò & Peſtes Brutorum ſine ulla cuſtodia tandem terminari obſervamus. Sed circa hoc ſermonem in longius protrahere, tempus non permittit, illud tantùm certiſſimum eſto, quod ſuperiùs firmavimus, Peſtem poſſe dari ſine contagio. Itaque 14
ſtante hac rei veritate, dubitari poteſt, utrum urgente Peſte ſine contagio, ſit juſta cauſa ut Moniales ſanæ, ne contaminentur, aut infirmæ, ne aliàs contaminent, relinquere poſſint clauſuram: & ratio dubitandi eſt, quia periculum contrahendi Peſtem imminet ſanis à contagio, quod ab infirmis communicatur, quod ut evitetur, conceditur ſanis deſerere clauſuram, niſi infectæ ejiciantur: ubi ergo contagium non adeſt, ceſſat periculum, & ceſſante periculo, ceſſat legitima cauſa relinquendi clauſuram. Si mihi igitur Medico licet ex mea arte quid ſentiam proferre, diſtinguendum videtur, ac dicendum, quòd Peſtis vel eſt ſine aëris corruptione (quod quidem ſecundùm vulgarem opinionem evenire poteſt) vel eſt cum aëris corruptione, in primo caſu non liceret Monialibus exire à clauſura, nullo imminente ipſis periculo à contagio ex infectis ſuſceptibili, neque à contagio ex aëris corruptione exſpirante, in quam ſententiam inclinat Gibald. *de Clauſ. c.* 6. §. 4. *n.* 10. licèt mordicùs tueatur eorum ſententiam, qui negant Peſtem dari poſſe ſine contagio. In ſecundo caſu dummodò expediat, liceret exire: licet enim nullum periculum immineat à

contagio

contagio ex infirmis contrahendo, imminet tamen à contagio ipſius aëris infecti, quod periculum evitare permittitur etiam fuga: ſed utrum hoc tutum
15 ſit, poſtmodum decernendum. Ex quibus eliciendum, quòd cùm de contagio verba fiunt, illud cùm duplex ſit, dupliciter accipi poſſe, vel pro communicatione morbi à perſonis, aut rebus infectis, vel pro communicatione ab ipſo aëre infecto: ſed quemadmodum illud evitari poteſt, ita hoc eſt penè inevitabile: quamobrem vulgi opinio fallax omninò eſt putantis, Peſtem ſemper dependere à prima ſpecie contagij, nam contra ſemper dependet à ſecunda, nec vera Peſtis unquam dari poteſt, ut toties inculcavi, quæ ab hoc dependentiam non habeat.
6

Cæterùm circa Leprã, & alios quoſdam contagioſos morbos, ut peculariter eſt Phthiſis maligna, conſiderari poterat, utrum magis expediat, infectas à Monaſterio ejicere, an permittere ſanis, ut à clauſura exeant, & ratio dubitandi eſt, quia huiuſmodi morbi contagioſi primæ claſſis tã magni ſunt ex adjuncta inſigni patredine, ut ſui contagij ſeminiſi non ſolùm perſonis, & propriis veſtibus, ac tegumentis communicent, ſed etiam ipſis domorum parietibus: quod non ſolùm patet ex cautela, qua uſa eſt Lex vetus, ut habetur Levit. c. 13. in mundandis habitationibus, & ipſarum domorum parietibus Leprâ infectis, hoc eſt, ut credo intra quos commorati fuiſſent Leproſi (licèt Valleſ. *de ſacr. Philoſoph.* 20. aliter ſentiat) ſed etiam ex Galeni dicto *lib.* 1. *de differ. Febr. cap.* 2. Itaque incaſſum ejicientur infectæ remanente contagij ſeminio, ac fomite in ipſa habitatione, & in cellarum parietibus, ex quo facilè ſanæ infici poſſent: tutiùs ergo videretur permittere ſanis à clauſura exire, quàm infectas ejicere. Videretur tamen alia ex parte potiùs dicendum contrarium, quia infectio communicata habitationi, atque ipſis habitationis parietibus poteſt facilè emundari: nam ea infectio non eſt univerſalis, ſed particularis unius tantùm cellæ in qua frequentiùs ægra commoratur, & in qua dormire conſuevit ex perenni exhalatione putrida ex ejus corpore exſpirante, quæ ipſis cellæ parietibus hærere ſolet, & niſi emundetur, poteſt ibi commorantes inficere, ſed hoc non poſſet habere locum in peſte, in qua plures uno eodemque tempore inficiuntur, neque tutum eſt eas è monaſterio ejicere, quia evidentiſſimæ, ac certiſſimæ mortis periculo exponerentur, ſed de hac re inferiùs, *Deo* permittente, plura addenda.

SUMMARIUM.

1 *Permiſſio Pontificum facta Monialibus, ut exire poſſint à clauſura, reſpicit tantùm univerſalem ſalutem, non particularem.*

2 *De Jure naturali unicuique licet propriam vitam ac ſalutem tueri.*

3 *Non videtur ſufficiens cauſa exeundi à clauſura Lepra, ut Peſtis.*

4 *Cauſa, ob quam licitè exire poſſit à clauſura, non eſt ſufficiens, niſi reſpiciat ſalutem univerſalem.*

5 *Contagium non eſt unius, ejuſdemque ſpeciei reſpectu periculi, neque reſpectu efficacia.*

6 *Peſtis ex communi ſententia habet ſummã vim contagij.*

7 *Nullus morbus dari poteſt ita ſimilis Peſti, qui poſſit ut Peſtis ſufficiens cauſa eſſe deſerendi clauſuram à Monialibus.*

8 *Peſtis particularis, an ſit ſufficiens cauſa exeundi à clauſura: & reſolvitur negativè, n. ſeq.*

10 *Lepra ſuum contagium lentè communicat.*

11 *Morbi Lepræ ſimiles, ex quibus putant aliqui dari juſtam cauſam relinquendi clauſuram, quorum ſententia confutatur num. ſeq. & reſtringitur ea opinio num.* 13. *& multò magis n.* 14.

15 *Navarræ, & aliorum opinio reprobata, & n.* 16. 17. 18. *&* 19.

20 *Nullus alius morbus præter peſtem, & Lepram poteſt dare juſtam cauſam exeundi à clauſura ipſis Monialibus manente in ſuo robore conſtitutione Pontificum.*

Utrum præter Peſtem, & Lepram, alij morbi ſint juſta cauſa exeundi à clauſura.

QUÆSTIO II.

COntroverſa eſt hæc Quæſtio inter Canoniſtas, volentibus nonnullis, non poſſe extendi permiſſionem exeundi à clauſura ipſis Monialibus ob Peſtem, & Lepram factam ad alios quoſdam morbos & caſus qui non habent cum Peſte, & Lepra unam, eandemque naturam, contra ſentientibus aliis, ac volentibus omnem morbum, qui habeat vitæ manifeſtum periculum, neque poſſit intra clauſuram, ſed tantùm extra curari, eſſe juſtam cauſam, ut Monialis poſſit à clauſura dimitti.
1

Præcipuum fundamentum Priorum eſt, quòd hæc permiſſio à Pontificibus facta, reſpiciat tantùm univerſale Monialium periculum, & non particulare hujus, aut illius perſonæ, ut multoties inculcat Gibaldin. *de Clauſura. c.* 6. *in princ. & ſignanter*, §. 1. *n.* 4. & alibi: unde quia tam Peſtis, quàm Lepra poſſunt inficere omnes Moniales ſanas ob evidens, ac certiſſimum contagium, quod ab uno ſubjecto in aliud communicatur, utraque cauſa exiſtimata eſt juſta, ac legitima, ut licitè ſanæ poſſint relinquere clauſuram, vel infirmas dimittere, non ut ipſæ curentur, neque enim particularis ſalus hic eſt primò intenta, ſed ne aliæ inficiantur. Ac verum quidem eſt, quòd ſi qui morbi ſimiles eſſent, qui reſpicerent communem Monialium ſalutem ob periculum contagij, eſſent & ipſi non minùs quàm Peſtis, & Lepra juſta cauſa exiſtimandi exeundi à clauſura modo, quo dictum eſt, aliàs autem non, quia in hac Pontificum indulgentia nulla habetur ratio particularis ſalutis alicujus perſonæ: cùm ea in gratiam tantum ſalutis univerſalis emanaverit.

Poſteriores autem Doctores ſuam opinionem in
2 eo fundarunt, quòd de jure naturali unicuique liceat propriam ſalutem, ac vitam tueri, ergo ubi aliqua Monialis in certiſſimo vitæ periculo verſaretur ob aliquam infirmitatem, ex qua nullo alio medio ſanari poſſet, niſi exitu à clauſura, licitum eſſe ei debet, non obſtante voto, ut ſuam vitam tueatur, vitæ periculum effugiens, relinquere clauſuran. Hujus opinionis fuit Navarra *de Regular. comm.* 4. *n.* 46. *& in c. ſtatuimus* 19. *quæſt.* 3. *n.* 49. & alij relati per Aug. Barboſ. *de Offic. & Poteſt. Epiſc. Alleg.* 102. *n.* 19. *& ſeqq.* eandemque opinionem de recenti tuetur, & ampliat Sebaſt. Soto *in Cor. tract. proprio de Infirm. ob quas Monial. exire poſſint à clauſ. Propoſitione* 2. 3. *&* 4. Priorem verò opinionem ſequuntur, & tuentur plures, & ipſe Barboſa *loco cit. n.* 21. Secundùm quam opinionem nulla cauſa relinquendi clauſuram poteſt eſſe legitima, niſi reſpiciat univerſale periculum, & ſic conceditur à Pontificibus exitus à clauſura ipſis infirmis, non ut ipſæ curentur, ſed ne ſanæ inficiantur, & periclitentur, quod ſuccedere poſſet non dimiſſis à clauſura infirmis.

Modò ſi hæc opinio vera eſt, ut veram ipſe exiſti-
3 mo, non tam facilè pronuntiandum eſſet de Lepra, quàm de Peſte, quia Lepra nunquam ſuo contagio tam efficax cauſa eſſe poteſt contrahendi ſimilem morbum, ut Peſtis: non enim ejus contagium ita communicabile eſt de uno ſubjecto in aliud, neque tam inevitabile eſt, ut contagium à Peſte emanans

ſecundùm communem hominum opinionem, atque id circò non deerit qui firmare volet, hanc opinionem non eſſe undequaque veram, dum Pontifices pro cauſa legitima relinquendi clauſuram admittunt ipſam lepram quæ videtur minùs reſpicere ſalutem
4 univerſalem, ac fortè in hac indulgentia id ſibi voluerunt, ut Monialis illa leproſa propriæ ſaluti conſulat, nam etiamſi contineretur in clauſura, minùs periclitaretur univerſalis ſalus, cùm, ut dictum eſt, ejus contagium neque de facili communicabile, & facilè evitabile ſit. Et tamen his non obſtantibus probabilior videtur prior ſententia volens cauſam relinquendi clauſuram juxta Pontificum diſpoſitionem non eſſe legitimam, ac juſtam, niſi reſpiciat univerſalem Monialium ſalutem, cujus tantummodò rationem habuerunt Pontifices nihili omninò de particularium ſalute diſponentes: nam non nego propoſitionem illam veritatem habere, quòd de jure naturæ unicuique liceat propriam vitam tueri, ſed dico non comprehendi id, quod pertinet ad ſalutem particularem ſub hac diſpoſitione reſpiciente ſalutem univerſalem: aliàs nimis patens porta aperiretur exeundi à clauſura, ſi propter ſalutem propriam tuendam unicuique Moniali permitteretur exitus à clauſura, nam etiam ſi dicatur hoc in tantùm licere, in quantùm nulla alia via daretur Moniali recuperandæ ſanitatis, niſi exeundo à clauſura: hoc non tollit, quin frequentiſſimè huiuſmodi caſus ſuccederent, cùm nullum omninò monaſterium exiſtat, in quo non una, vel altera, ſed plures ſimul Moniales reperiantur tali infirmitate gravatæ, ut in clauſura permanentes nullo pacto curari poſſint, quæ tamen extra clauſuram facili negotio ſalutem recuperarent. Non ergo quicquam de hac particulari Monialium ſalute in ſuis conſtitutionibus determinarunt Pontifices, & idcircò quandocunque detur huiuſmodi caſus, ut Monialis ad recuperandam ſanitatem cogatur à clauſura exire, tunc ſpeciali indiget diſpenſatione: quia ſub prædicta diſpoſitione nihil de hoc determinatur. Quod reliquum eſt, quærendum videtur, an præter Peſtem, & Lepram alij morbi dentur ita alterutri ex his morbis ſimiles, ut non minus quàm illi poſſint judicari dare juſtam cauſam Monialibus exeundi à clauſura. Ego extra meum penſum non vagabor, ſi quicquam circa hoc proferam, cùm ea tantùm, quæ ad Medicum pertinent, proponendo rem Medicam medicè determinaturus ſim, ac dicam primò contagium &
5 quoad vim agendi, & quoad ſalutis periculum non eſſe unius, ejuſdemque ſpecici: nam morbi quidam contagioſi ſimul ſunt, & periculum afferunt, alij verò periculo vacant. Item aliqui facillimè contagium communicant, ac promptiſſimè, alii difficillimè, ac lentè. Morborum etiam, qui cum periculo ſunt contagioſi, alii ſunt cum præſentaneo periculo, aut in longum protrahendo tandem tamen periculum afferunt. Morbi contagioſi ſine periculo ſunt ſcabies, & aliæ quædam cutaneæ infectiones, lippitudo, vel ophtalmia, ſcrophulæ, & ſi qui alii huius farinæ ſunt, Contagioſi cum periculo præſentaneo ſunt Peſtes omnes, inter quos etiam adnumerandi morbilli, & variolæ cùm peſtis characterem habeant, nempe cum ab Aëris alteratione, & putrefactione originem habent. Contagioſi cum periculo, ſed non præſentaneo, ſunt Phthiſis, Hectica febris, Epilepſia; Lepra, morbus Gallicus. Morbi porrò qui facillimè communicantur per contagium ſunt in duplici differentia, nam alii communicantur facillimè a quolibet ſubjecto in quoliber, & quacunque ratione, ut morbi verò peſtilentes alii communicantur tantum à certis perſonis in certas, neque indifferenter quacunque ratione, ut ſunt Hectica Febris, Phthiſis, Cancer, & alii nonnulli, & ipſa etiam Lepra. At verò 6
Peſtis habet ſecum, ut aiunt, tantam contagii vim, ut non ſolùm communicetur à quolibet ſubjecto in quodlibet, ſed etiam quacunque ratione, neque ſolùm converſatione, & accubitu, ac tactu rerum infectarum, ſed etiam viſu, ut aliqui ſomniant, unde & ex Juvenibus in ſenes, ex viris in mulieres, ex mulieribus in pueros, ex pueris in juvenes, & ſimiliter ex quocumque in quemcunque transfertur. Sed ex mea ſententia non propter contagium communicabile ab infectis in non infectos evenire ſolent, ſed propter Aëris putrefactionem diſponentem promiſcuè quælibet corpora ad ægrotandum, undè vulgò in contagium culpa rejicitur, ſi quis ægrum tetigerit, aut aliqua ad ægrum pertinentia tetigerit. Sed quomodocunque ſit, neceſſe pro nunc eſt communiorem ſequi opinionen. At verò Phthiſis, Hectica febris, & ſi qui alii morbi his ſimiles ſunt, non tam facilè cummunicantur à quocunque ſubjecto in quodlibet, ſed promptè quidem communicantur ab iis, qui provectiore ætate ſunt in eos, qui ætatis ſunt tenerioris & ab iis in priores nequaquam, niſi aliàs naturalem diſpoſitionem ad talem morbum ſortiantur. Lepra autem difficilius communicatur à ſenibus in ipſos juvenes, facilius in pueros, & facilius ab ipſis juvenibus in ſenes, & pueros, nec tamen ab omnibus transfertur indifferenter in omnes, ſed in eos promptiùs qui à Natura aliquam diſpoſitionem ſortiuntur ad talem morbum contrahendum.

His ita prælibatis, cùm de Peſte nullum hactenus interveniat dubium, videndum, an aliquis alius morbus detur, qui eaſdem conditiones habeat, quas habet Peſtis, ut parem cauſam præbere poſſit Monialibus exeundi à clauſura, & abſolutè dicendum, nul- 7
lum omninò morbum dari poſſe niſi ipſa Peſtis ſit, qui cum Peſte in hoc comparari poſſet: quamquam enim negari non poteſt, dari poſſe quoſdam morbos, qui & parem vim contagii, & par etiam periculum, ac eandem perniciem ſecum habeant, ut Peſtis, nunquam tamen habebunt cauſam univerſalem, ut vera Peſtis & cæteri morbi peſtilentes, nam illicò atque morbus habebit cauſam univerſalem, & erit Epidemialis, inſimulque contagio, & periculo erit dotatus, erit vera Peſtis, atque hic tantùm judicatus eſt à ſummis Pontificibus dare juſtam cauſam Monialibus relinquendi clauſuram, quia univerſalis Monialium ſalus exponitur manifeſto vitæ periculo, quod neque de Lepra, neque de Phthiſi, neque de morbo Gallico, neque de alio quantumvis contagio, & periculoſo morbo, niſi ſimul Epidemialis ſit, verificari poteſt. Ex quibus deducendum, ex nullo alio morbo, præter Peſtem, Moniales habere juſtam cauſam exeundi à clauſura, quia talis morbus, qui habeat omnes Peſtis conditiones, neque tamen Peſtis ſit, neque datur, neque dari poteſt.

Sed quid determinandum de Peſte particulari? 8
nam, ut ex Gal. & aliis dixi *lib. 3. har. quæſt. tit. 3 q. 1. n. 5.* datur Peſtis quædam particularis unius domus, aut unius monaſterij, aut etiam partis cujuſdam ipſius domus, aut monaſterij, ut pluries à pluribus notatum eſt, & obſervavimus etiam nos ipſi non ſemel, & ſignanter præteritis annis vocati in monaſterio S. Coſmatis de Urbe in quo Moniales habitantes in quadam certa monaſterii parte maligno quodam, ac verè peſtilenti morbo ſunt periclitatæ, cæteris incoluminibus permanentibus. Circa infectionem ergo totius monaſterii non eſſet dubio locus quod liceret omnibus monialibus exire à clauſura,

&

& ſibi conſulere ad evitandum certum ac imminens mortis periculum; quod fortè minori cum periculo fieret, quam ubi Peſtis univerſalis vigeret, & aër totius civitatis aut provinciæ eſſet infectus, tunc enim ut aliàs admonui, nulla cauſa magis præſentanea offertur ad contrahendam peſtem, quam loci & aëris mutatio, non tantum, inquam, loci non infecti in infecti, & boni in mali, quam etiam infecti in non infecti, & mali in boni. Unde, ut liberè meum ſenſum patefaciam, Pontificum, & Sacri Concilii Tridentini indulgentiam magis habere locum exiſtimo in peſte particulari ipſius Monaſterii, quam in univerſali. Majus dubium intervenire poſſet ubi monaſterii una tantùm pars eſſet infecta, ut in prænominato caſu: non etiamſi illicò prompta adſit ad dubium reſponſio, quod tunc non liceret monialibus clauſura exire, cùm poſſet relicta parte infecta ipſius monaſterii, ad non infectam ſe conferre (modò id commodè ſuccedere poſſet) tamen hoc non redderet eas tutas ab imminente periculo, quia facilè eſſet ut infectio communicaretur etiam parti adhuc non infectæ, nam evenire utplurimum ſolet, quod una pars inficiat aliam. Itaque videtur dicendum, quod ubi pericu- 9
lum hujuſmodi infectionis immineat, Pontificum permiſſio habere poſſit locum, aliàs verò nequaquam.

Sed adhuc de peſte particulari illud venit diſcutiendum, utrum dato, quod una tantùm monialis peſte detineatur non quidem ex vitio aëris, aut ex cauſa communi, ſed ex mala proprii temporis conſtitutione, & ex cauſa particulari, ut non frequenter fieri ſolet, liceat ſanis aut eam ejicere, aut clauſuram deſerere; & ego quidem Attis fundamentis innixus dicam, neutrum horum licere, quia ſi quæ contagii vis imminet ex hac particulari Peſte, nunquam tantam habet efficaciam, niſi à cauſa communi foveatur, ut propagari morbus per illud poſſit, & ſanis communicari, præſertim ſi debitæ cautelæ adhibeantur; neque unquam fieri poteſt, ut particularis Peſtis univerſalis evadat, niſi cauſa communis ſimul concurrat diſponens corpora ad putredinem, & ad ſuſcipiendum contagium; neque aliter ſenſiſſe Galenum exiſtimaverim, cùm dixit particularem peſtem fieri poſſe univerſalem. Id enim ſibi voluiſſe illum dixerim, quod particularis Peſtis concurrente mala aëris diſpoſitione fieri poſſit univerſalis, cùm impoſſibile alias ſit, univerſalem ac communem morbum non habere univerſalem ac communem cauſam, ut notum eſt.

Quod ad Lepram attinet, illud primò in mentem 10
revocandum, eam ex iis morbis eſſe contagioſis quidem, ſed qui contagium lentè communicat, & non cum præſentaneo periculo; tardus enim eſt ipſe Lepræ motus, neque morbus is ex iis eſt qui communicatur prompte à quolibet ſubjecto in quodlibet, & quacunque ratione inficiendi, ſed utplurimum à certis perſonis in certas, & communicatur magis per longam conſuetudinem, cohabitationem & converſationem, & excipiendo exſpirationem Leproſi, aut per uſum indumentorum, quibus indutus fuerit idem Leproſus. Ergo morbi, qui eandem naturam cum Lepra ſortientur, nempe qui contagioſi eodem modo fuerint cum periculo vitæ, licèt non præſentaneo, & cum quodam horrore, dabunt & ipſi legitimam cauſam vel ejiciendi infectam, vel exeundi ſanis à clauſura, attenta diſpoſitione facta in conſtitutionibus ſummorum Pontificum.

Cæterùm nonnulli Canoniſtæ ut Sanchez, Llamas & Bonacin. apud Gibaldin. *de Clauſ. cap. 6. §. 6. diſquiſit. 1. n. 35.* & poſt hos Sebaſt. de Soto *loco cit. propoſit. 3.* huic morbo ſimiles faciunt Cancrum ul- 11
ceratum, Elephanthiaſim (quaſi differat à Lepra, cùm tamen nihil aliud Elephanthiaſis ſit, quam vera Lepra jam confirmata & Leonina dicta) Morbum Gallicum, Scrophulas & Ophthalmiam: at verò, ſi hæc veritatem haberent, liceret his addere, multò rationabilius, Hecticam febrem, Phthiſim, Epilepſiam & Melancholiam, ſed hæc horum Doctorum 12
ſententia multas patitur difficultates, & videtur excedere limites permiſſiones à Summis Pontificibus factæ ob cauſas tantùm Peſtis & Lepræ, cùm tamen non militent in prænominatis morbis conditiones, quæ militant in Peſte & Lepra, & quarum reſpectu moti ſunt Pontifices ad eam permiſſionem concedendam. Sed videtur, quantum ego conjicio, Doctores ſuprà nominatos non aſſecutos Pontificum mentem, qui reſpiciendo tantùm communiratem Monialium, & publicum ipſarum bonum, ac commune periculum, quod imminebat, cùm ſanæ poſſent ab infectis infici, conceſſerunt licentiam vel ejiciendi infirmas, vel exeundi à clauſura ipſis ſanis. At verò hi Doctores non ſolum extendi volunt hanc licentiam ubi periculum eſt commune, ſed ubi etiam eſt particulare, neque ſolùm ubi adeſt periculum ex contagio, ſed ubi imminet timor ex horrore & triſtitia, quam incurrere ſanæ Moniales poſſent aſpiciendo infirmas ſimilibus morbis detentas, ac ulterius, & in ſumma, vult ſignanter ille Doctor de Soto, indulgentiam Pontificum eſſe extendendam ad omnem caſum, in quo Monialis aliqua infirma ex morbo aliquo magno, ac periculoſo, ſi aliter non poteſt ſanari, quàm exeundo à clauſura. Verumenimverò non verſamur in his terminis, nec quicquam meminerunt Pontifices, neque in mentem unquam habuerunt tales particulares caſus, qui, ut mea fert opinio, egerent nova conſtitutione, cum ſub illa comprehendi non poſſint, quia quod conceſſum eſt in gratiam ſalutis univerſalis, non cenſendum conceſſum in gratiam ſalutis particularis, Imò, ut aliàs dicebam, tales particulares caſus non ſolùm non habuerunt Pontifices in conſiderationem, ſed neque habere debuere, quia tam ingentem portam aperuiſſent huic permiſſioni exeundi à clauſura, ut indeſinenter, ac ſingulis diebus & horis Moniales licitè poſſent à clauſura exire, cùm nullum omninò Monaſterium detur, in quo hujuſmodi morbi frequenter, ac indies non pullulent; & idcircò ſi quando hic caſus detur, ut monialis aliqua morbo aliquo magno, ac periculoſo laboret, qui non poſſit intra, ſed extra clauſuram curari, egebit peculiari Pontificis diſpenſatione, cùm non comprehendatur ſub prædicta diſpoſitione, quæ tantùm in gratiam univerſalis Monialium ſalutis emanavit. Reſtringenda ergo omninò, ac ſerio moderanda horum Doctorum ſententia, & alio- 13
rum, ſi qui eandem habent opinionem, ac dicendum Pontificum licentiam, ac permiſſionem in hac univerſali diſpoſitione habere locum tantùm in morbis conſimilibus Peſti & Lepræ, non in aliis, nempe in morbis, qui contagio, & pernicie univerſæ communitati, ac toti cœtui Monialium poſſunt eſſe noxii; hactenus tamen nullus alius morbus videtur ita ſimilis Peſti aut Lepræ, ut alterutrius conditiones omnes ad id neceſſarias ſortiatur.

Lepræ quidem & contagio & periculo, ſi quis alius morbus, ſimilibus eſt Phthiſis, licèt Lepra hoc inſuper habeat, ut horrorem, & triſtitiã intuentibus incutiat, & tamen cùm pateat, ut ſuprà diximus, Lepræ contagium non eſſe de facili communicabile à quibuſvis in quaſvis perſonas, & non inficere quolibet modo, ac lentè procedere, neque afferre præſentaneum periculum, videretur adhuc eſſe magis

reſtringendam hanc permiſſionem, cùm poſſint
14 Moniales, neceſſaria cautela adhibita abſque violatione clauſuræ, & infirmam curare & ſeſe à periculo infectionis præſervare, quòd facilè ſuccederet, ſi à communicatione, cohabitatione & conſuetudine cum infecta abſtinerent, ac maximè illæ, quæ majorem diſpoſitionem præ ſe ferrent ad excipiendum Lepræ contagium, ut eſſent exempli gratia ſeniores melancholicæ & atrabilariæ, & quæ alias in vitæ curriculo cutaneis infectionibus fuiſſent ſubjectæ. Inſuper ipſa infecta ſegreganda eſſet, & omnes ſanæ ab ejus frequentata conſuetudine prohibendæ. Ipſa infecta autem munditie plurimum quoad fieri poſſet, uti deberet, intetimque aptis medicamentis eſſet curanda; ipſæque ſanæ in victûs ratione abſtinere deberent à quibuſdam cabariis noxiis, & ex quorum uſu facilè infectiones cutaneæ efflorescunt, quouſque vel infecta ſanaretur, vel vitam cum morte commutaret, & ſic abſque violatione clauſuræ poſſent ſaluti Monialium univerſali conſulere ij, ad quos pertineret, & in hanc ſententiam deſcendit etiam Gibaldin. *de Clauſ. cap. 6. diſquiſit. 1. §. 6. conſect. 1. num. 35.*

Ut verò adhuc magis magiſque convincamus Navarræ, & aliorum Doctorum opinionem, quæ Pontificum permiſſionem nimis ampliare videtur, examinemus morbos alios ab ipſis pro legitima cauſa relinquendi clauſuram admiſſos, non ſecùs ac peſtes, & lepra. Eos morbos dotari volunt iis conditionibus, nempe, quòd ſint adeò periculoſi, ut infirmæ certò morituræ ex iis ſint, niſi exeant à clauſura, etiamſi nullo contagio aliis monialibus nocere poſſint. Ita Navarr. *com. 4. de Reg. n. 49.* qui ad ſuam opinionem roborandam Gregorij XIII. P. M. breve producit, per quod impertitur licentiam quibuſdam ſanctimonialibus, ut ob periculoſam quandam infirmitatem, quam patiebantur, exire poſſent ex monaſterio, & ad propriorum Parentum, vel conſanguineorum domũ ſe conferre, ibique manere, quouſque ſanitatem integrè recuperaſſent. Sed huic Navarræ rationi dicam (licèt fortè extra rem meam ſit)
15 particulare privilegium, ſive indultum unius monialis non poſſe transferri ad totum cœtum monialiũ, ita ut quod uni conceditur, omnibus conceſſum intelligatur. Non enim innititur conceſſio illa Gregorij XIII. particulari cuidam Moniali factæ diſpoſitioni univerſali aliorum Pontifiũ, & Concilii Tridentini, nam non egebat monialis illa ſpeciali brevi, ac indulto, ubi comprehenſa fuiſſet ſub univerſali diſpoſitione; ſed quia nunquam ſub tali diſpoſitione univerſali intelligendum eſt comprehendi reſpectum ſalutis particularis, oportuit, ut Pontifex ſpeciali brevi pro illa moniali diſpenſaret exitum à clauſura, ut quod ex univerſali illa conceſſione Pontificum, & Concilij non licebat, ex particulari Pontificis viventis indulgentia liceret. Unde palam eſt, quòd tunc Navarræ aliorumque Canoniſtarum, & Sebaſtiani de Soto opinio prævaleret, quando Sũmi
16 Pontifices, & SS. Tridentina Synodus reſpexiſſent particularem monialium ſalutem, ſed quòd hoc nullã habeat veritatem, patet ulteriùs ex eo, quia incaſſum Pontifices pro legitima cauſa relinquendi clauſurã admiſiſſent Peſtem tantùm, & Lepram, & erat inanis omninò hac hujuſmodi morborum nominatio, ubi ad eorum exemplum cæteri etiam erant admittendi pro legitima cauſa relinquendi clauſuram, maximè cùm licet eſſent periculoſi, tantopere deficerent à natura peſtis, & lepræ, ac ſatis ſuperque fuiſſet, hanc conceſſionem ita impertiri, quòd liceret nempe monialibus ob periculoſum morbum, qui nonniſi extra clauſuram curari poſſet, à clauſura exire, ut ſanarentur; ſed hæc conceſſio ſic facta nec uſquam reperitur, nec comprehendi poteſt ſub conceſſione facta ob peſtem & lepram, quia morbi alij non habent eaſdem conditiones peſtis & lepræ. Quòd ſi, ut dicebant, de jure naturali unicuique licet propriam vitam ac ſalutem tueri, atque hinc deducere volunt, quòd liceat moniali infirmæ, quæ aliàs curari non poteſt intra clauſuram, ab ipſa clauſura exire, ut mortis periculum effugiat, videndum eſſet, an exitus à clauſura tam certam ſalutem afferret, ut de ea nullum interveniret dubium, aliaque nonnulla eſſent tunc conſideranda, quæ brevitatis cauſa ſilentio involvam, cùm illud mihi ſatis ſuperque ſit, Pontificum permiſſionem factam fuiſſe tantùm reſpectu ſalutis univerſalis monialium, neque in ea contineri quicquam, quod ad particularem ſalutem alicujus individui pertineret; & tamen promptiſſimam cauſam habebant conſiderandi, & obſervandi, moniales indies affligi perniciosis, ac contumaciſſimis morbis, qui extra clauſuram non difficulter curarentur. cùm ergo hæc ſilentio prætergreſſi ſint, evidentiſſimam nobis certitudinem præbuerunt, non habuiſſe ſe unquam præ oculis in conceſſione facta exeundi à clauſura bonum particulare, & intereſſe ſalutis particularis alicujus monialis, ſed tantummodò bonum univerſale totius communitatis, & univerſalem ejus ſalutem, quæ periclitabatur ex peſte, aut lepra, non ejectis infectis, aut ſanis à clauſura non exeuntibus; ex quibus denuò deducendum, Epidemiæ nomen à Pontifice ſumptum fuiſſe pro vera peſte periculo & contagio inſigni, non pro ſimplici Epidemia, & ita declaraſſe ſacram Congregatione Concilij adhærendo opinioni Ludovici della Valle Medici Cameræ Hiſpaniarum Regis, reſpuendo contrariam aliorum Medicorum opinionem, teſtatur Diana *Reſolut. Moral. tract. 15. & 1, Miſcell. Reſolut. 23.* ex quo etiam Gibaldin. *de Clauſ. cap. 6. §. 2. num. 5.*

Volebat inſuper Sebaſt. de Soto *in cit. libell. de* 17
Clauſ. quod ob aliquas horribiles infirmitates dimitti etiam poſſint Moniales à clauſura, quia ſanæ ex horrore, averſione, & triſtitia videndi aſſiduè tales morbos, facilè periclitarentur, quæ licet ſit nimis ſubtilis ſpeculatio, & quæ facilè evaneſcat, tamen etiam tunc, & eo caſu id fieret reſpectu ſalutis communis, ad evitandum ſanarum periculum, non ob ſalutis particularis reſpectũ, & ſic hæreret communi diſpoſitioni ſummorum Pontificum, & SS. Tridentinæ Synodi. Sed hoc non eſt concedendum ipſi Sebaſtiano de Soto, nam dato etiam, quòd tales morbi infetrent viſu, ut ille autumat, manifeſtum vitæ periculum, tamen hoc facilè evitaretur cavendo ab eorum inſpectione, & occurſu, ſi enim, exempli gratia, monialis aliqua pateretur cancrum malignum, & ulceratum, aut ſimilem aliquem alium morbum, quænam neceſſitas cogeret cæteras moniales ſanas, ut perenniter talem cancrum conſpicerent, & contemplarenturtan non ſufficeret, ſi ægra per ſemetipſam, ubi illi liceret, ſibi mederetur, vel una, aut altera tantùm ex Monialibus illi opem ferret, abſque eo quod ſingulæ in ea curanda, & inviſenda ſeſe immiſcerent? jam verò hæc omnia quotidiana experientia docet facili negotio ſuccedere, cùm non rarò contingat in Monaſteriis reperiri tales morbos, ex quibus nullatenus obſervatur, cæteras ex horrore inſpiciendi infirmas periclitari imò ne eas quidem, quæ tales infirmas curant, & manibus contrectant applicando medicamenta neceſſaria. Verunetiamverò ſi conſiderentur alij morbi, quos admittunt aliqui

Docto-

Doctores ad exemplum Peſtis, vel Lepræ, pro legitima cauſa deſerendi clauſuram, videbimus quantoperè ab iis conditionibus deficiant, quæ requiruntur ad hoc, ut morbus aliquis ſit juſta cauſa deſerendi clauſuram, juxta Pontificum mentem. Nam
18 primò acceptatur ab ipſis pro hac legitima cauſa morbus Gallicus, deinceps Cancer ulceratus, ſcrophulæ, & Ophthalmia, relinquentes alios quoſdam morbos, qui & magis horribiles, & magis periculoſi ſunt, & magis fortè contagioſi, ut maximè eſt Epilepſia, ac præcipuè ea, quæ morbus lunaticus dicitur, & eſt Epilepſia ſæviſſima jam confirmata, & in habitu, cujus terribiles, ac mirabiles inſultus qui non vidit, nihil terribilis, aut mirabilis vidit in morbis, ac maximè clamores, ejulatus, ſtridores membrorum contorſiones, & alia incredibilia ſymptomata, quorum horror vix ſcriptis repræſentari poteſt, & quem non facilè quivis homo etiam animi fortioris ſuſtinere poteſt ſine multa ac ſumma animi perturbatione, & totius corporis anxietudine & angore; ita ut reſpectu hujuſmodi Epilepſiæ nullus morbus Gallicus quantumvis ferinus, nullus ulceratus cancer quantumvis malignus, nedum ſchrophulæ & Ophthalmia quantumvis ſæviſſimi morbi eſſent, & in ſummo gradu, poſſint dici magni morbi, ac multò minùs dare juſtam cauſam ſanis monialibus ob horrorem videndi infirmas, deſerendi clauſuram.

Sed quodnam, obſecro, periculum, aut contagium
19 commentatur in morbo Gallico Sebaſtian. de Soto, quod non poſſit à ſanis monialibus facillimè evitari? illud enim certiſſimum ad hujuſmodi morbum, quemadmodum faciliùs per concubitum, ac carnale commercium communicatur, ita difficillimè per alios quoſcunque modos inficiendi, ut per diuturnam conſuetudinem, per ſimplicem accubitum, per exceptionem aëris ab infirmo exſpirati, per indumentorum uſum, & aliter, qui modi etiamſi promptiſſimè communicarent contagium, cùm contra difficillimè ac tardè admodum id præſtare poſſint, evitari tamen nullo negotio poſſunt. Adde quòd morbus Gallicus, niſi eſſet in ſummo gradu, ac puſtulis, ulceribus malignis, intolerabilibus capitis, artuumque doloribus, conſumptiva febre notabilis, nunquam ad tantam vehementiam ſolet aſcendere; ut judicari poſſit juſta cauſa deſerendi clauſuram ipſis ſanis monialibus ob timorem contagii, à quo tamen ſeſe præſervare, ut dixi, facili negotio poſſunt.

De Phthiſi videtur idem ſentiendum, quod de lepra, niſi quòd cùm non habeat ſecum tantum horrorem, quantum habet lepra, poteſt faciliùs à ſanis tolerari, ac ſatis erit, ſi juvenculæ, ac illæ, quæ magis ex contagio periclitantur, ſeſe cuſtodiant, cùm non ſit morbus facilè communicabilis à quovis ſubjecto in quodvis ſubjectum, unde rectè determinatum videtur à Gibaldin. *cit. lib. de Clauſ. c. 6. §. 6. n. 36.* quòd Phthiſis non ſit ſufficiens cauſa deſerendi clauſuram; ſed illud me dubium fecit in prædicti Doctoris aſſertione, quid nempe ſibi voluerit, cum dixit, Phthiſim non eſſe ſufficientem cauſam dimittendi infirmam monialem à clauſura, & rationem reddens, quia, inquit, nondum tabidus pulmo deprehenditur, nam illicò atque infirma patietur Phthiſim, habebit pulmonem tabidum, cùm nihil aliud ſit Phthiſis quàm ulcus pulmonis, ex quo ipſi pulmones, & corpus totum cum ipſis contabeſcit, Galen. *comm. 7. Aphor. 16. Celſ. lib. 3. c. 22.* ſed fortaſsè id ſibi voluit, quòd Phthiſis non ſit juſta cauſa deſerendi clauſuram, niſi ſit confirmata, tunc enim abſque remedio eſt, & pulmones, & totum corpus manifeſtiſſimè contabeſcunt.

Cæterùm connumerant inſuper Doctores prædicti inter morbos, qui juſtam cauſam præbent exeundi à clauſura, Rabiem, ſeu hydrophobiam, neque injuria id fieret, ſi ad contagium, ad periculũ, ad morbi gravitatem, & ad illius horrorem reſpiceremus, nam & contagio communicatur, & periculi plenus exiſtit, & eſt morbus graviſſimus, & ſymptomata habet ſecum horribilia, ſed quia cæteræ moniales facilè ſe ab omnibus his tueri poſſunt, cùm ſeparari poſſit infirma, ac vinculis coërceri, ſi opus fuerit, non dabit juſtam cauſam ſanis exeundi à Monaſterio, neque ejiciendi infirmam, ſi ad ſalutem publicam reſpiciamus. Quod ſi ad ſalutem particularem noſmetipſos vertamus, ac exiſtimabimus de neceſſitate monialem infirmam extrahendam eſſe à clauſura, ut curetur, cùm aliàs certiſſimo curſu tendat ad mortem, tunc particulari Pontificis diſpenſatione egebit, nam aliàs ut dixi, reſpectu univerſalis intereſſe ipſarum Monialium non judicatur Rabies cauſa ſufficiens deſerendi clauſuram. Gibaldin. *loc. cit. §. 6. n. 37.*

Connumerant inſuper iidem Doctores inter prænominatos morbos dantes juſtam cauſam deſerendi clauſuram, ophthalmiam, nempe oculorum inflamnationem, ſed neque reſpectu contagii, neque reſpectu periculi, neque reſpectu horroris inſpiciendi infirmas, videtur hic morbus connumerari poſſe cum peſte, & lepra; etiamſi enim videatur communicari poſſe aliquando per ſimplicem inſpectionem oculorum ipſius ægrotantis, tamen quis non videt id leviſſimum eſſe, & inſpectionem evitari nullo cum labore poſſe? ſed dato quod evitari non poſſet, adhuc non videretur gravitas ipſius morbi ſubi ſufficiens ad impertiendam licentiam Monialibus exeundi à clauſura ob timorem contagii: nam etiamſi nonnullæ contagium contraherent, id abſque vitæ periculo fieret; præterquam quòd morbus non eſt tam difficilis curationis, ut plerumque intra paucorum dierum terminum ſanabilem ſe non oſtendat, quòd etiamſi aliquando contumaciſſimus ſit, vacat tamen ſemper omni vitæ periculo, tantummodo viſio diſcrimen patitur.

Quid dicemus denique de ſcrophulis, quas etiam præcipuè Sebaſt. de Sot. voluit dare juſtam cauſam Monialibus deſerendi clauſuram; at neque ob contagium, neque ob morbi gravitatem, neque ob horrorem poſſunt ſcrophulæ reputari pro juſta cauſa deſerendi clauſuram, cum vix, ac ne vix quidem de facili per contagium communicentur, niſi in teneriores ætates, nempe ante decimum quartum annum; tunc autem nulla monialis huic periculo ſubjacebit, quia ante prædictam ætatem profeſſionem non emittunt, & ubi habitum non ſumpſerint, aut profeſſionem non emiſerint, poſſunt, ſi contagium timetur, abſque voti violatione aut in alia monaſteria transferri, aut in proprias domos remitti.

Ut receptui ergo canamus, concludendum ex dictis, nullum alium morbum dare poſſe ita peſti, 20
aut lepræ conditiones, ut ad eum extendi poſſit permiſſio Pontificum exeundi à clauſura, nam unus quidem deficit ab univerſalitate cauſæ, alter à gravitate periculi, & unus quidem inſufficiens eſt judicandus, quia periculum ab eo emanans non reſpicit ſalutem omnium Monialium, alter, quia non eſt facilè communicabilis ab uno in omnes, ut de ipſiſſima etiam lepra firmavimus, quæ tamen ob horrorem, quem intuentibus cauſat, magis ſufficiens reputanda, quàm alii ſimiles morbi ab eo horrore immunes, ut de Phthiſi diximus.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1 *Lepra infecta Monialis potius dimittenda à clausura, quàm sanas permittere eam relinquere ad evitandum contagium.*

2 *An in peste melius sit sanas dimittere, aut infirmas ejicere.*

3 *Tempore pestis omnis salus in fuga.*

4 *Aeris quacunque mutatio tempore pestis est perniciosa.*

5 *Aeris mutatio semper periculosa.*

6 *Vera pestis à sola Aeris putrefactione originem ducit.*

7 *Vera Pestis habet sua tempora principii, augmenti, status, ac declarationis, non sic qua ex contagio provenit.*

8 *Contagium non est vera, ac præcipua pestis causa, ut vulgus sibi persuadet.*

9 *Illud, in peste cito ac longè fuge, & tarde redi, quomodo intelligendum.*

10 *Peste vigente neque sana à clausura exire permittenda neque infirma ejicienda, sed sequestranda potius sunt.*

11 *Cur, & qua ex causa Moniales peste infectæ sunt potius à clausura dimittenda, quam sit permittendum sanas ab ea exire.*

Vigente peste, aut lepra in aliqua clausura sanæ ne, an infirmæ ab ea exire permittendæ.

QUÆSTIO III.

NOn incassum dubitari potest, utrum vigente Peste, aut Lepra in aliquo monasterio, ac maximè si plures sint infirmæ, permittendum sit, sanas Moniales à clausura exire, an potius infirmas dimittere: & quia non eadem est ratio utriusque casus, ante de Lepra loquamur, & circa eam non videretur esse dubio locus, quod potius Moniales infectæ essent dimittendæ, quam sanæ; cum enim ex cohabitatione & consuetudine cum infirmis, imminеat 1
sanis infectionis periculum, ejectis infirmis, sanæ à periculo tutæ remanent, quia à contagio liberantur. Adde quod non solum prospicitur saluti, & incolumitati sanarum Monialium dimittendo à clausura infectas, sed etiam saluti ipsarum infirmarum, summũ enim remedium in curatione Lepræ censetur aëris & loci mutatio; & licet notum sit, quod etiam habitationes, in quibus Leprosi commorati fuerint, sint suspectæ, cum vel ipsissimis parietibus hæreant semina contagii, ex quo facilè succedit, ut sanæ, etiam si in illis commorentur, infectæ remaneant, tamen hoc inconveniens facilè evitatur purgando ipsas habitationes, easque mundando ab inquinamentis, si quæ à Leprosis inibi relicta fuerint; aut evitando per longum tempus commorationem in illis ex se enim ipsæ temporis progressu emundantur, si ab aëre externo perflari permittantur.

Tota difficultas est de peste, neque unius tantum generis difficultas est, nam si rem penitius examinemus, perspicuè videbimus, non tam in proparulo esse, quonam pacto quid agendum determinemus? utrum nempe una, aut altera Moniali peste infecta, 2
permittendum sit, cæteras omnes clausuram relinquere, aut infectæ tantum sint dimittendæ; neque enim, ut dixi, simile est de Peste, & Lepra quoad contagium, ejusque agendi energiam, quia Lepræ contagium fundatur in materia lenta, & non facilè pervagabili, contra pestis contagium fundatur in materia magis igned, ac de facili pervagabili, ita ut benè succedat, quod ejecta Moniali Leprosa, cæteræ à contagio serventur immunes; neque postmodum sit illis de ejus contagio timendum, sed ejecta Moniali peste infecta, adhuc cæteræ non sunt tutæ, quia contagij seminia per ipsum aërem facilè à sanis excipiuntur absque eo quod evitari nullo modo possint (dummodo vera pestis sit) & exhalationes, quæ à pestilenti corpore elevantur non inficiunt tantum habitationem in qua peste infectæ commorantur, sed huc illuc pervagantes ob earum tenuitatem, & agendi energiam ipsum monasterii aërem inficiunt, ita ut sanis Monialibus nihil omninò prosit, quod infectæ ejiciantur, atque hinc est, quod vigente vera peste vicini à vicinis tam promptè infici credantur. Itaque videretur potius dicendum, quod ubi Monialis aliqua peste, vera inquam, inficiatur, non ipsa ejicienda sit à clausura, sed permittendum potius sanas exire, ne ab infecto aëre per infectam Monialem ipsæ quoque inficiantur.

Et pro hac opinione maximè facit communis 3
persuasio etiam à Medicis canonizata, quod pestis tempore salus omnis reposita sit in fuga, quam persuasionem etiam Jurisconsulti admisisse videntur, quorum infimus & Medicorum ad hoc auctoritates congessi *lib. 3. tit. 1. quæst. 4. n. 6.* ergo incipiente peste, ac seipsam propalante in una, aut altera Moniali, nullum tutius, ac magis præsentaneum remedium sanæ Moniales habere possunt, quam fugam à loco infecto, ut per eam aëris inquinamenta vitare quamprimum possint, alias omnes periculo infectionis ac certæ mortis subjiciuntur.

Alia tamen ex parte videretur, quòd cum periculum infectionis ab infirmis in sanas immineat tantum à contagio, quod ipsa infecta sanis communicare potest, præstaret ipsam infectam à clausura dimittere, quia quemadmodum ab ipsa inficitur aër, & per aërem infici possunt sanæ, sic ea ejecta neque aër inficitur, neque sanæ periclitantur. 4

Præterea aëris mutatio tempore pestis est periculosissima & promptissima causa concipiendæ pestis, quod duplici experientia, & utraque quidem notabilissima probatur. Prima est, quod tempore pestis hi maximè ab ea servantur immunes, qui minimam habent occasionem aëris differentiis sese exponere, ut sunt qui in carcere detinentur, aut aliquo modo restricti aliquo in loco manent, & ipsæmet Moniales, quod etiam alias ex plurium Doctorum auctoritate adnotavi. Ratio autem est, quia Natura primò assuefacta jam est tractu temporis aëri illi ejus loci sic restricti, & cum sensim illi sese assuefecerit, factus est jam illi veluti familiaris, etiamsi malam aliquam conditionem & contrarietatem sortiatur, imò etiamsi venenositatem contraxerit, nullam ab eo noxam ob prædictam assuefactionem percipit, si verò ad aërem contrariæ qualitatis, imò inquam laudabilioris sese homo conferat, illicò ob contrarietatem ægrotat, quia Natura meliorem ac laudabiliorem aërem attrahens, spiritus infectos ab aëre priori jam putrefacto ac venenato expellere volens, in causa est, ut illicò pestis se prodat, excitando motum in humoribus, & calorem, unde percepta contrarietate prioris aëris venenati fit pugna ad noxia expellenda, & sic morbus emergit; in ò hinc etiam fit, quod qui hujusmodi locis restricti detinentur, si ab iis eximantur etiam extra constitutionem pestilentem, facilè ægrotent, & in constitutione pestilenti promptissimè ipsa peste corripiantur, ut quotidiana experientia nos docet.

Secunda experientia est, quod etiam extra constitutionẽ pestilentẽ ipsa aëris mutatio ẽper est periculosa, quia natura difficulter mutationes & maximè subitaneas pati consuevit, unde Lucret. *lib. 3. de rer. nat.* 5

Nonne vides etiam cœli novitate & aquarum
Temari procul à patria quicunque, denique
Advenium? Unde

Unde Celſus *lib. 1. ſuæ Med. c.* 3. ſanitatis ſervandæ conſilium tradens, Neque, dicebat, ex ſalubri loco in gravem, neque ex gravi in ſalubrem tranſitus ſatis tutus eſt Quamobrem ſi abſente aëris putrefactione tam difficulter tolerat Natura aëris mutationem, quantò difficiliùs tolerabit eam mutationem, ſi aër tam inſigniter ſit alteratus dico etiam ſi ex aëre putrefacto & venenato mutatio fiat in bonum, ac ſalubrem, quia quanto melior, & ſalubrior erit aër, in quem fit mutatio, tantò majorem contrarietatem habebit cum aëre jam putrefacto, & ſic natura magis ex hac contrarietate per eam mutationen afficietur. Itaq; tutius eſt in aëre patrio, ac familiari, aliaſque ſibi conſueto ſeſe continere, & ſic Moniales ſanæ nullo modo permittendæ à clauſura exire ob imminentis peſtis timorem, ſed potius dimittenda eſſet infirma, ut cæteræ incolumes, & tutæ ſervarentur Verumenim verò adhuc dubio non vacat, an liceat ejicere ipſam infirmam, hoc enim non fieret ſine manifeſto vitæ periculo ipſius infirmæ, cum, ſi ejiciatur, aëris mutationem multo difficilius tolerabit, quam ſanæ; itaq; ab ea cauſa labefactata, & morbo jam conflictata certo certius peribit; at ex Chriſtiana charitate videtur habenda ratio etiam vitæ ipſius infirmæ, contra quam fieret, ſi ejus morte aliarum ſalus in tuto poneretur; maximè cum non deſint modi, quibus præſervare liceat ipſas ſanas, ne ab infirma inficiantur. Augeretur etiam dubium, ubi non una tantum Monialis eſſet infecta, ſed plures, quia plurium vita eſſet periculo objicienda, ut aliæ ſervarentur, & pretio mortis plurium, redimeretur ſalus aliarum, quod tanto magis contra Charitatem Chriſtianam eſſet. Scio horum dubiorum reſolutionem non futuram adeò difficilem & inextricabilem aliis Doctoribus, ut perdifficilis & inextricabilis mihi eſt, quia communis DD. opinio non aliam potiorem peſtis cauſam agnoſcit, quàm contagium, quod ab uno individuo in aliud communicatur ex
6 conſuetudine & commemoratione cum infirmis, eorum expirationem excipiendo; ego verò, qui Hippocratis dogmatibus innixus, nullam aliam peſtis veram ac præcipuam cauſam agnoſco, quàm ipſius aëris putrefactionem (licèt negare prorſus nolim contagium etiam poſſe concurrere tanquam particularem cauſam, & quæ ſuam vim in longum per ſe protrahere non poteſt) nullam viam video, qua poſſim prædictis dubitationibus ſatisfacere, cum impoſſibile ſit, alterutrum ex prædictis inconvenientibus non incurrere, aut ſanis, aut ægris à clauſura dimiſſis, ultra quod, ut annuimus, neutris tutum eſt aëriem mutare, ob imminens ſingulis ab ea mutatione certum concipiendæ peſtis periculum.

Quoniam autem multum urget, quàntum ego exiſtimo, veritas hujus noſtræ opinionis; non ab re erit illam firmiſſima aliqua ratione munire, & primò patet, veram peſtem non fieri à contagio, quia vera Peſtis habet ſua tempora diſtincta principij, augmenti, ſtatus, & declinationis, ita ut ſenſim incipiendo, in augmentum abeat, deinde ad ſtatum perveniens, tandem declinat, & omninò evaneſcit; hinc
7 fit ut in principio pauci infirmentur, mox in dies plures numero peſte corripiantur, in ſtatu quàm plurimi ac denique paulatim pauci, ac tandem nulli ampliùs corripiantur. Hoc poſito, quod controverti non poteſt, facilè patet peſtem non habere cauſam à Contagio, neque per illud poſſe ſuum incrementum (in totum inquam, aut pro majori parte) habere; quia contagij cauſa ſemper creſcit, & nunquam imminuitur, quòd plures enim homines peſte corripiuntur, eo magis creſcit cauſa contagij; unde, ſi ſic eſt, nunquam deberet peſtis decreſcere; ſed ſemper augeri, aucto in dies contagij fomento; quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, ſed contagium non modo non ceſſat, ſed in dies augetur; ergo non à contagio pendet peſtis; vera ergo cauſa peſtis illa erit qua ceſſante ceſſat peſtis, ſed peſtis ceſſat ceſ- 8
ſante aëris alteratione & putrefactione; ergo aëris alteratio & putrefactio eſt vera cauſa peſtis, non contagium. Præterea ſi peſtis à contagio originaretur, deberet ſemper procedere diminuendo, quia omne agens agendo repartitur; unde contagium à ſecundo communicatum in tertium, non habebit eandem agendi energiam, quam habuit contagium communicatum à primo in ſecundum, neque quod communicatur à tertio in quartum, à quarto in quintum, & ſic deinceps, habebit eandem vim; unde ſemper vires amittet, & neceſſarium erit illud omninò evaneſcere; at res non ita ſuccedit, ergo non videtur contagium poſſe eſſe cauſa peſtis: atque hæc veritatem habere manifeſtiſſimè oſtendit quotidiana experientia, cùm obſervemus in peſte particulari alicujus individui, ex qua ob aſſiduam conſuetudinem cum infecto facilè proximorum aliqui inficiuntur, atque uno, aut altero infecto, tandem contagium ſuas vires amittit, & evaneſcit, ita ut poſtmodum non valeat aliis etiam cum infirmis verſantibus ſeſe communicare.

Ulteriùs licet ſemper, cùm peſtis ſe prodit, ſomniemus à contagio cauſam habuiſſe, & ab aliqua externa perſona ad nos, vel corpore, vel veſtimentis, vel marſupiis, vel caligis comportatam; tamen ſi rei veritatem indagare velimus, clarè obſervare licebit uno eodemque tempore; imò uno eodemque die, ac hora in diverſis urbis partibus à ſe maximoperè diſſitis plura individua ex peſte infirmari, quæ ab ea infecta perſona, quæ putatur primò peſtem comportaſſe, nullam habere potuerunt contagij cauſam, cùm nullam cum ea conſuetudinem, neque ullam ullo modo communicationem habuerint. Ad quam experientiam advertere ſeriò debemus, ubi contagij falſum, ac nimis excedentem timorem temperare, ac moderari velimus; & hanc ipſam experientiam, licet maximè obſervetur in Epidemia & Peſte, obſervare poterimus in qualibet anni tempeſtate, præcipuè autem cum morbi plures vagantur, & una eademque die videbimus plures in variis urbis partibus morbo prehendi, qui vagari ſolet, ut Tertiana, Febre ardente, Pleuritide, Squinantia, & id genus aliis.

Neque deſunt aliæ permultæ rationes ad probandum, nunquam contagium eſſe veram & adæquatam Peſtis cauſam, ſed cauſam ipſius veram & adæquatam eſſe aëris alterationen ad qualitates deleterias & malignas, quas rationes validas illas quidem & veritatis conſonas in aptiorem locum rejicio.

Ad rem noſtram redeundo dico, quòd ſi hæc vera ſunt, nunquam erit tutum ipſis Monialibus ſanis clauſuram relinquere, & incaſſum etiam infectæ ejicerentur, tum quia etiam ipſis ejectis non ceſſaret cauſa peſtis, nempe aëris alteratio ad qualitatem pravam ac perniciosam, tum etiam quia vitæ periculum non ab ipſis imminet, & ſi quod imminet, poteſt induſtria & cautione debita evitari, & quod imminet ab aëre non poteſt ejectione earum ullo modo evitari.

Neque in contrariũ facit jam canonizata ac receptiſſima Doctorũ ſententia, quâ ſuadent; In peſte citò, ac longè fuge ac tardè redi, de qua tam Medici, quàm Juriſconſulti, quia id veritatem haberet, quando liceret fugere antequam loci aër putreſceret, 9

nam

nam aliàs fuga non ſolùm non eſt proficua, ſed nocua, cùm, ut diximus, aëris mutatio tempore peſtilenti adeò ſit perniciosa, ut etiam mutatio in meliorem tuta non ſit, nam, quod admiratione dignum eſt, Natura potiùs aſſuescit ſenſim, ac paulatim aëri peſtifero, quàm bono & laudabili, ſi contrarietur illi, in quo ante commorabatur, quod experientia confirmat in iis, qui in carceribus detinentur, aut clauſuris, ut aliàs dictum eſt, nam non obſtante aëris putrefactione, quæ in peſte fit, minùs quàm cæteri homines, peſte prehenduntur, ut notavi *lib. 3. harum quæſt. tit. 3.* Hinc fit, ut ſemper principium peſtis dicamus eſſe ab advenis comportatum ad nos, nam ob aëris mutationem, quæ, ut dixi eo tempore eſt maximè nocua, advenæ ante alios infirmantur, licet eodem tempore alij permulti infirmentur absque
10 eo quod cum Advenis ullam conſuetudinem, aut commercium habuerint. Sed quomodocunq; ſit, ſanæ Moniales tempore Peſtis non deberent clauſuram relinquere ob periculum infectionis, quia fuga ſibi non caverent, neque infirmæ eſſent dimittendæ, quia ut dixi, non ab ipſis imminet verè periculum, & quod imminet, præcaveri cautione poteſt, ut ſequeſtrando eas ab aliis, & earum cutæ eas præfigendo, quæ magis tutæ ſervari à peſte poſſe exiſtimantur, ut veruſtiores ſunt, & quæ aliis longis infirmitatibus conflictatæ fuerint, & has ipſas monendo, ut debitis antidotis, & victus ratione laudabili, aliisq; cautionibus ad ſe muniendas utantur, quibus uti eos oportet, qui peſte infectorum curationi aſſident.
11 Quod ſi ex indulgentia & permiſſione Pontificis, Epiſcopi, & aliorum, qui Monialibus præſunt, ad timorem ſaltem ipſarum Monialium cohibendum, hærentes maximè communi hominum opinioni de contagio dubitatur, utrum ſanæ, an infirmæ permittendæ ſint à clauſura exire, certè ſi ad contagium reſpiciamus, potiùs quàm ſanæ infirmæ ſunt dimittendæ, non ſolùm quia pauciores numero erunt infirmæ, quàm ſanæ, ſed quia ſanis exeuntibus ob aëris mutationem periclitarentur, & nihil boni ipſis infirmis à ſanarum exitu emaneret.

Illud denique monendum, quòd ubi communis opinio de Contagio locum habere debeat, & aliquæ ex Monialibus debeant à clauſura dimitti, peſtem debere eſſe veram, hoc eſt morbum Epidemialem pernicioſum, ac malignum, ex cuius vehementia, & pravitate plures occumberent, aliàs non ſufficeret ſimplex Epidemia, etiamſi aliquibus eſſet pernicioſa, & idcircò, ut à principio dixi, Pontifices permittentes Monialibus exire à clauſura ex cauſa Epidemiæ, intellexerunt Epidemiam pernicioſam & pernecabilem, hoc eſt veram Peſtem, cuius ſigna afferre ſupervacaneum omnino eſſet, cùm aliàs allata abundanter fuerint, *lib. 3. harum quæſt. cit. tit. 3.*

SUMMARIUM.

1 *Monialis Peſte, vel Lepra infecta à clauſura dimiſſa debet ſana facta ad illam redire.*
2 *Leproſi retinent in ſe ad longum tempus ſeminia contagii.*
3 *Monialis Leproſa ſana facta poteſt abſque aliarum periculo ad clauſuram redire.*
4 *Leproſa quando ſit dicenda verè ſanata, & n. ſeq.*
6 *Quandonam tutum ſit cum Leproſa ſana facta commorari, quando verò non.*
7 *Peſte infecta ſi ſanetur quandonam debeat ad clauſuram redire.*
8 *Sanæ Moniales ob Contagii timorem clauſuram relinquentes, quando teneantur ad eam reverti.*

Moniales Lepra, vel Peſte infectæ, & à clauſura dimiſſæ, ſi ſanentur, quandonam reverti ad clauſuram teneantur.

QUÆSTIO IV.

SUmmi Pontifices permittentes Monialibus exire 1
à clauſura ob alteram ex prænominatis cauſis, nempe vel ob timorem contrahendi huius modi morbos, vel ob eaſdem Peſtis, vel Lepræ infectionem, jubent etiam, ut ceſſante timore, aut ſanis factis infirmis, ſi dimiſſæ à clauſura fuerint, ad eandem clauſuram revertantur, ibi, ſed nec in prædictis caſibus extra illa niſi ad neceſſarium tempus ſtare licere. Circa quæ nonnulla ſunt à nobis etiam conſideranda, & primo quoad Lepram duo occurrunt dubia; primum, utrum Leproſa etiamſi ſanata videatur, redire teneatur ad clauſuram, & Moniales debeant illam recipere.

Secundum, quanam ratione conſtare poſſit, Le- 2
proſam eſſe perfectè ſanatam. Et quoad primum ratio dubitandi eſt, quia etiamſi Leproſi aliquando videantur ſanati, & forte cum effectu, ac verè ſanati ſint, tamen retinent in ſe contagii ſeminia ad longum tempus, quibus & facilè in morbum reincidere conſueverunt, & aliis quoque contagium communicare: nam ſi ipſa Leproſorum indumenta, & alia id genus, ſed quid indumenta dixi? ipſi inquam habitationis parietes, in qua Leproſi commorati fuerint, ea contagii ſeminia ad longum tempus retinere ſolent, unde in ſacris abradebantur huiusmodi parietes ad domum emundandam, & contagii ſeminia diſſipanda, quanto magis ipſa cutis, & carnes, & membra Leproſi etiam principali Lepræ cauſa remota, in ſe huiuſmodi contagij ſeminia retinebunt? Ac profectò ſimile quid in dies experimur in morbo Gallico, cùm quidam ab eo curati, morbum tamen congredientibus communicent, & præcipuè fœminæ, quas cum Medicis omnibus obſervamus ſæpiſſimè viros inficere, cùm tamen ipſæ ſanæ degant. Ergo cùm adhuc militet cauſa, ob quam potiſſimum Monialis Leproſa à clauſura fuerit dimiſſa, ſi ſemel ſit ejecta, non ampliùs redire debebit, neque à ſanis ampliùs, in clauſuram admitti, etiamſi ſanata omni ex parte videatur. Præterquam quod etiamſi ſeminia quoque contagii evanuiſſe contendamus, nunquam ceſſat naturalis quædam diſpoſitio ad Lepram contrahendam, ob quam de facili ſemel ſanati Leproſi, in morbum relabuntur. Neque ſolùm in morbo Gallico (qui morbus magis Lepræ ſimilis videtur) ſed in Peſte etiam idem obſervamus, nempe quòd aliqui à Peſte in nulla ſanitatis parte contaminati, ex eo quia aliqua ex cauſa, quæcunque tandem illa fuerit, conceperint, ſeu majus ſuſceperint in ſe Peſtis ſeminia, alios inficiunt. Eodem quoque pacto cùm latere poſſint in corpore Leproſæ Monialis, etiamſi ſanata ſit, ipſius Lepræ ſeminia, ultra naturalem diſpoſitionem, ex quibus & in morbum reincidere, & ſanas inficere eſt apta, non erit in clauſuram ulterius admittenda.

His tamen non obſtantibus ad dubium abſolutè 5
dicendum, Monialem Leproſam, ſi ſana ſit facta, debere ac poſſe abſque ſanarum periculo in clauſuram admitti ſuo tamen tempore, factisque diligentiis, quas faciendas monebimus: nam quod dicitur, Leproſos etiam ſanatos retinere in ſe contagij ſeminia, non undequaque verum eſt, ſi enim velimus hoc perpetuò habere locum, & hæc contagij ſeminia perpetuo hærere eorum corporibus; hoc quidem falſum omnino eſt, & experientiæ contrarium, cùm videamus plures Leproſos cum effectu à morbo ſanatos, nec in poſterum in morbum amplius reincidiſſe, neque alios cum ipſis commorantes, aut eorum conſuetudine utentes coinquinaſſe.

Si autem velimus ea ſeminia, conſervari ad aliquod tempus rationabile, etiam poſt curatam Lepram, tunc concedi hoc poterit, ſed cum hoc etiam aſſerendum, poſſe ea contagij ſeminia poſt ſanatam Lepram facilè removeri, ut lotionibus, balneis, frequentata corporis emundatione, ac iterata, immò affectata indumentorum cujuſvis generis mutatione, ac membrorum ſæpius repetita munditie ? quibus præcedentibus permittendum eſt. Leproſam ad clauſuram redire, omne enim infectionis periculum per id temporis ex adhibita diligentia evanuiſſe certo certiùs firmandum.

Neque verum eſt ſimile quid evenire in Lepra, ut in morbo Gallico, & in Peſte, quia tam Peſtis, quàm morbi Gallici ſeminia poſſunt in aliqua corporis parte ita hærere, ut de ſe nullam ſignificationem præbeant, interimque totum corpus ſanum appareat. In Lepra neceſſe eſt, ipſum ſanguificationis principium, hoc eſt hepar, hæc ſeminia retinere, ex quibus Leproſus aptus reddatur ad morbi reincidentiam, & ſi quæ ſeminia in cute, & carnibus remaneant, aut in quavis corporis parte ex prædictis diligentiis adhibitis facilè diluuntur, ita ut neque ſanis inde ullum periculum infectionis imminere poſſit, neque ipſis infirmis recidivæ. Secundum dubium erat, quomodo certo conſtare debeat, Leproſam eſſe ſanatam, ut ſciamus quando ad clauſuram redire teneatur, & quando teneantur ſanæ illam in clauſuram admittere. Sanam ergo dicendum eſſe factam Leproſam, cùm ad ſtatum naturalem redierit, quod ſuccedit cùm ceſſaverint omni ex parte, & in totum omnia, ac ſingula incommoda, & accidentia, quæ Lepram ipſam concomitantur. Circa quæ adnotandum, quòd permiſſio exeundi à clauſura facta
4 Moniali Leproſæ, cenſenda facta in vera, ac legitima Lepra, non promiſcuè in quavis ſimili diſpoſitione, etiamſi quàm proximè ad Lepram accederet, quia cæteræ omnes, ac quæcunque cutanæ infectiones, dummodo non pervenerint ad Lepræ naturam, quin & ipſamet Lepra, dummodo non ſit confirmata, poſſunt, licet non ſine difficultate, ſuperari, nec periculum minantur tam præſentaneum; neque ſi contagio communicentur, tam horribilis, ac fœdæ naturæ ſunt, ut ſanas viſu ipſo exterreant, quemadmodum in vera, ac confirmata Lepra ſuccedit. Itaque Leproſa ut à clauſura ejici debeat, præ ſe ferre debet omnia ſigna veræ, ac conſummatæ Lepræ, iiſque ceſſantibus, & undequaque evaneſcentibus, videretur firmandum, Leproſam eſſe perfectè ſanatam, ac debere ad clauſuram reverti. Verùmenimverò aliter ſeſe res habet; nam non ſolùm neceſſe eſt ad ſanarum tutelam, infirmam non retinere ullum ex ſignis veræ Lepræ, ſed neque retinere eam oportet ullam diſpoſitionem ad Lepram, unde etiamſi ab ejus cute ſquamoſæ quædam corpuſcula, ut antea, ampliùs non decidant, & caro jam ſuum naturalem colorem recuperaverit, & cætera ſymptomata, quæ veram Lepram concomitantur, penitus ceſſaverint, & tamen perſeveret adhuc univerſalis quidam prutitus, velut incipiente ſcabie, ita ut videatur Lepra in levem ſcabiem mutata, nec ſibi, nec ſanis Monialibus poterit eſſe tutus reditus in clauſuram, quia facilè morbus recrudeſcere poteſt & levis ille pruritus, aut ſcabies in novam Lepram degenerare. Ergo, ut tutus ejus reditus ſit, ad eum ſtatum devenire eam oportet, ac ſi nunquam ægrotaſſet.

5 Carnis ergo diſpoſitio talis eſſe debet, ut naturalem colorem, mollitiem, & levitatem recuperaverit. Nulla in facie tumefactio, nullus in oculis rubor, nulla fuſcedo, nulla obſcuritas appareat, nulla reſpirandi difficultas eam moleſtet, nulla vocis craſſitie ex, vel raucedo, nulla ſternutatio ſequens adnotetur. Anhelitus ſuum naturalem odorem ſervet, locutio libera ſit, nec per nares fiat, capilli in ſuo ſtatu perſiſtant; neque rariores, aut ſubtiliores, quàm ante morbum eſſent, ſint, ſudor nullus olidus appareat, ſomni fiant placidi, nec in ſomnis terrores adſint, ſed ipſa ſomnia ſint qualia in bene valentibus eſſe debent, non horribilia, neque melancholica, neque phantaſmatibus turpibus perturbata. Mores quoque reditum ad conſuetum faciant; forma ipſius corporis, atque habitus ſit qualis antè quamcunque infectionem erat, non craſſior, ac pinguior, neque tenuior. Facies, & caput ab omni inquinamento ſint libera, & cutis univerſi corporis levis, æqualis, & munda. Nullum ulcus, & màximè in palato, & naribus, aut circumviciniis partibus appareat; crura, & pedes naturalem diſpoſitionem retineant, tunc enim ſana judicari poterit, & ad clauſuram redire.

Sed adhuc dubitari poteſt, an ſanæ tutò cum in- 6
firmata ſic ſanata commorari poſſint, & cum ea conſuetudinem habere, ejuſque res & veſtimenta impune in uſum proprium convertere, & hoc, quia tametſi undequaque ſana videatur facta, tamen ob naturalem diſpoſitionem poſſet ſanis contagium communicare. Circa hoc igitur videtur dicendum, quòd Leproſa vel incidit in morbum ex naturali quadam diſpoſitione, & maximè hæreditaria, vel ob errores in victu, & in uſu ſex rerum non naturalium commiſſos, & ex cauſa externa, & præcipuè ex contagio ab aliis contracto, in priori enim caſu non vacaret ſuſpicione conſuetudo cum infirma, & commoratio longa, aut accubitus cum ea, & exceptio aſſidua ipſius exſpirationis non obſtante integra, atque incolumi ſanitate, ad quam rediiſſet; multa ergo cautela opus eſſet, neque cum illa frequenter commorari ſana oporteret, neque ejus indumentis uti, vel cibum una capere, & ipſius pocula in potando præ manibus habere, quia ſemper periculum infectionis hæret in radice, & à Natura ipſa, & poſſunt ex improviſo ſeminia morbi excitari, ac repullulare, & ſanas inficere. Eſt enim vitium in ſeminibus, quod nullo tempore, ac nulla arte, & induſtria removeri poteſt. In poſteriori caſu nihil horum timendum, ubi verè, ac perfectè Monialis infirma à Lepra mundata fuerit, & ad ſtatum naturalem pleniſſimè redierit.

Porrò circa Peſtem dubitari poteſt, quandonam 7
teneatur Monialis ex Peſte reconvaleſcens ad clauſuram redire, ita ut tuto à ſanis admitti poſſit, ac dicendum non ſufficere, ut infirma ſana videatur facta, ad hoc ut ad clauſuram redeat, ſed abeſſe etiam oportet omne recidivæ periculum, quod manifeſtum ſit non tantùm ex ceſſatione febris, & aliorum ſymptomatum Peſtem concomitantium, ſed ex reditu ad ſtatum naturalem omni ex parte, ita ut neque ſitis adſit, neque vigiliæ, neque laſſitudines, neque inappetentia, neque aliud quicquam, quod perfectè ſano homini non conveniat. Tunc enim adhibitis opportunis diligentiis in mundando proprium corpus à ſorditie, & ab inquinamentis ipſius Peſtis mutando veſtimenta; & cooperimenta, quibus vigente morbo uſa eſt, poterit, ac debebit Monialis in clauſuram redire, & ſanæ poterunt illam abſque ullo timore admittere.

Nec quicquam contra faceret, quòd quemadmodum in Lepra retinetur etiam poſt ſanationem contagij ſeminia, ut ſuprà dictum eſt, ita ſuccedere poſſit de Peſte, & ſic eodem modo periculo non vacet,

Monialem ex Peſte ſanatam, & à clauſurâ jam dimiſſam, in clauſuram de novo admittere, ut periculo non vacat, Leproſam admittere in clauſuram etiam poſtquam fuerit ſanata : nam dupliciter reſponderi poteſt, primo dicendo, quod ſemina contagij ipſius Lepræ fundantur in materia lenta, ac viſcida, & quæ diu hæret, quandocunque alicui materiæ adhæſerint, ut veſtibus, carnibus, immò ipſius domicilij parietibus ; contrà verò ſeminia contagij in peſte fundantur in materia tenuiori, & maximæ activitatis, & quæ facilè vel ex ſe, vel modica induſtria adhibita evaneſcit, nam ideirco producunt morbos acutos, immò inquam acutiſſimos. Secundo reſponderi poteſt, cauſam Lepræ eſſe ab infectione Viſcerum ab internis emanantem ; Peſtis cauſam eſſe ab infectione Aëris, vel à contagio, & à cauſa omnino extrinſeca, cujus efficacia & energia in agendo faciliùs evaneſcit ; contra quàm eveniat de cauſa Lepræ, quæ ab intrinſeco pendens non poteſt facilè
§ avelli. Ulteriùs in dubium verti poteſt, utrum pluribus Monialibus Peſte infectis ex coinquinatione Aëris ipſius Monaſterij, & à clauſura exeuntes poſſint tuto ad eam, & quando redire. Sic etiam ſi ſanæ ob loci infectionem exierint, quando reverti tuto poſſint ; & cùm utriuſque caſus eadem ſit ratio, dicendum, quòd ſi Peſtis fuerit Popularis, hoc eſt non monaſterio ſolùm, ſed univerſo loco, & civitati communis, non antè redire eas ad clauſuram debere, quàm omnis Peſtis labes, & ſuſpicio prorſus evanuerit, quod tunc manifeſtum erit, cum jam nullus in civitate ex peſte ampliùs ægrotaverit, & in morbis vagantibus nullus malignitatis character ſe prodat, quem à prægreſſa Aëris putredine originem ducere ſuſpicemur. Quòd ſi Peſtis fuerit ipſi tantùm monaſterio familiaris, ut evenire interdum non monaſteriis ſolùm, ſed particularibus domibus aliàs dictum eſt, tunc non antè illas debere redire firmandum, quàm temporis conſtitutione mutata, & ipſo monaſterio opportunis diligentiis expiato, ut ab illuvie, & ſeminiis prægreſſæ putredinis, ſi quæ remanſerint, emundetur ; ſed de his in quæſtione ſeq. nonnulla.

SUMMARIUM.

1 *Moniales aliquando ex vitio Aëris ipſius clauſuræ infirmantur, & id quot modis evenire poſſit.*

2 *Verum ſi Aër clauſuræ videatur manifeſtè alicui Moniali perniciosus, poſſit judicari legitima cauſa dimittendi eam à clauſura.*

3 *Et quid ſi idem Aër eſſet pluribus damnoſus.*

4 *Moniales S. Sixti ad Quirinalem tranſlatæ ob Aëris clauſuræ S. Sixti pravitatem.*

5 *Quid ſi ex vitio Aëris ipſius clauſuræ quotannis aliquæ graviter ægrotarent, ac perirent.*

6 *Et quid ſi ſingulis tribus, aut quatuor, vel quinque annis id accideret.*

7 *Et quid ſi magis de raro eveniret, ut ſingulis quindecim, vel viginti annis ; num. ſeq.*

9 *Prædictorum declaratio, & limitatio ex emendabilitate, vel inemendabilitate vitij ipſius Aëris.*

De Monialibus, quæ ex culpa aëris ipſius Clauſuræ infirmantur, & in quibus caſibus videatur adeſſe juſta cauſa relinquendi Clauſuram.

QUÆSTIO V.

1 NOn rarò evenire poteſt, ac de facto uſu venit, ut aliquæ Moniales ex vitio Aëris ipſius clauſuræ in quoſdam morbos non aſpernabiles illos quidem, ſed vel vitæ periculo, vel contumacia, & ſanandi difficultate, vel accidentium horribilium concomitantia notabiles incidant. Hoc autem vel alicui Moniali tantùm, vel pluribus accidit, idque vel ſtatutis temporibus, ut ſingulis annis Vere, vel Autummo, Æſtate, vel Hyeme, vel alternis, vel ternis, vel quaternis ſingulis annis, vigentibus maximè certis tempeſtatibus, ut Borealibus, vel Auſtrinis, humidis, ac pluvioſis, vel ſiccis, pro quarum differentia variant etiam ipſi morbi natura & periculo ; nam aliqui ſunt pravæ, ac malignæ conditionis, ac ferè peſtilentes, terminanturque utplurimum ad mortem non aliter quàm verè peſtilentiales, alij verò terminantur ad ſalutem utplurimum, quorum duplex genus eſt : nam alij citò, & cum ſecuritate ad ſalutem tendunt, alij ſero admodum, nec ſunt dubietate, & periculoſis ſymptomatibus, ſuntque ex ſua natura rebelles, & contumaces, detinentque infirmos ad plures menſes impeditos, & inhabiles ad Religionis, immò inquam ad propria munia obeunda. De illis morbis, qui citò terminantur ad ſalutem, nulla hic nobis habenda ratio videtur, ſed tantùm de poſterioribus, de quibus maxima quidem conſideratio habenda.

Cæterùm Aëris prædictæ clauſuræ vitium vel commune eſt totius clauſuræ, vel certæ ejuſdem clauſuræ partis, ut exempli gratia ; ejus tantùm, quæ ad Auſtrum vergit, vel ad Aquilonem, quod manifeſtum ſit ex eo, quia illæ tantùm Moniales infirmantur, quæ eam Monaſterij partem inhabitant, idque illis maximè ſuccedit flantibus Auſtris, vel Aquilonibus, ſed de particulari primùm Moniali loquamur, cui ſupponamus Aërem ipſius clauſuræ eſſe ita contrarium, ut commorans in eo ſemper morbis conflictetur, non quidem nullius momenti, ſed ſymptomatibus, & pertinacia non contenendis, decidendum ergo erit, an huic Moniali concedi debeat licentia exeundi à clauſura ; ac profectò ubi noſtra opinio veritatem haberet, quòd permiſſio exeundi à clauſura reſpiciat tantùm univerſalis ſalutis intereſſe ipſarum Monialium, quia hæc certò nonniſi ob contagioſos quoſdam morbos permiſſio emanavit, nempè ob Peſtem, & Lepram, nulla cauſa juſta offertur, ob quam permitti debeat huic Moniali exire à clauſura, cùm ſupponamus eam nec morbo contagioſo laborare, neque aliis ullum ſanitatis incommodum communicare poſſe. Et ità in ſimilibus videtur decidiſſe Rota *in Eugubina Beneficij* quæ eſt *deciſio* 382. inter impreſſas Buratti *n.* 6. ubi voluit, non poſſe allegari inſalubritatem aëris Monaſterij à Monacho ibi profeſſo, cùm ei obſtet proprius conſenſus. Quæ quidem concluſio multò magis videtur habere locum in Moniali, quæ perpetuæ determinati monaſterij clauſuræ ſe adſtrinxit. Egebit ergo hæc Monialis ſpeciali Pontificis diſpenſatione, cùm univerſali indulto inniti non poſſit. Itaque ubi ſpecialis diſpenſatio deſit, ſatis ſuperque erit ſi in ipſa clauſura procuretur huic Moniali minùs noxia habitatio, & locus, qui laudabiliorem Aërem habere judicabitur. In ſententia verò Navarræ, aliorúmque Doctorum, juſta offertur cauſa, ut permiſſione illa univerſali, (quatenùs ad quoſdam alios caſus particularem ſalutem Monialium concernentes extenditur) uti liceat deſerendi clauſuram, etiam abſente contagio, & nullo imminente periculo ab ipſa infirma in alias Moniales contrahendi eaſdem infirmitates. Quod quidem procederet, ubi in ipſa Monaſterij clauſura nullus reperiretur locus, ubi hæc Monialis ſana vivere poſſet, & à morbi reincidentia tuta commorari, qui ſi non reperiretur talis, tunc locum haberet Navarræ, & aliorum 2
opinio ; & Ego quidem licet dicam non licere huic

Moniali

Moniali ob propriam salutem recuperandam à clausura exire, hoc significare volo, ut non liceat attentis Pontificum, & sacrosanctæ Tridentinæ Synodi verbis; nam alias permissionem huic Moniali factam Justitiæ consonam existimarem, tum ut illa propriam salutem recuperaret, (licet nullam ejus rei rationem habuisse Pontifices videantur, ut toties dixi) tum etiam ob ipsius universitatis, & totius Monasterii frequens, ac perenne incommodum, dum prædictæ infirmæ curæ quotannis vacare Moniales cogerentur, non sine periculo etiam salutis earum, quæ eam gubernant; nam ut quotidiana experientia palam fit, semper in diuturnis, ac difficilibus morbis ij, qui infirmorum hujusmodi curæ assident, illisque ministrant, vix ex longo incommodo, & exceptione exhalationum perenni ab infirmo corpore emanantium immunes ab aliquo morbo evadunt.

3 Quid dicendum præterea esset, ubi Aër ipsius clausuræ, non uni tantùm Moniali, sed pluribus esset maximè inimicus, ita ut quotannis plures eodem morbo infirmarentur? dico autem ex morbo longo, difficili, & contumaci, nec ab omni periculo immuni. Hoc dupliciter evenire potest, vel quòd certæ quædam Moniales, ut quæ magis valetudinariæ sunt, quotannis eo morbo prehenduntur, vel quòd indifferenter omnes, ac modò hæ, modò illæ; in priori enim casu, patet clausuræ aërem non esse nisi certis personis infensum; in secundo autem patet esse infensum omnibus, & videretur quidem tantò magis justam causam relinquendi clausuram videri in priori casu, quantò plures infirmarentur, ita ut concedi facilè illis ea de re posset licentia exeundi à clausura, & multò magis etiam justa relinquendi omninò monasterium militare videretur in secundo casu; nam ad quid Moniales in ea clausura detinere, ubi ob frequentes infirmitates plura eorum, ad quæ ut Religiosæ obligantur, peragere ex morbi impedimento non sunt aptæ? Satius ergo est locum commutare, & aliò commigrare, ut aliàs factum fuisse accepimus
4 hic Romæ; nam cùm Moniales in clausura S. Sixti, ob Aëris illius pravitatem frequentissimè ægrotarent, & frequenter etiam ex morbo succumberent, ad Quirinalem sunt translatæ, ibique Monasterio nobilissimo quidem constructo sanæ posthac laudabilioris Aëris beneficio degerunt.

Dubio autem locus non est, quòd si ex Aëris malitia non solùm frequenter, & graviter, aut etiam longo tempore Moniales ægrotaverint, sed etiam quotannis una, aut altera ex morbi violentia perirent, tantò magis justâ causa militaret relinquendi clausuram, & habitationem commutare: quod quanam lege, quibusve cautelis, ac conditionibus fieri oporteat, videndum apud Canonistas, inter quos videatur August. Barbos. *de off. & pot. Episc. Alleg.* 102. 5

Videntur præterea hæc omnia amplianda, ut non procedant tantùm, si singulis annis, ut relatum est, plures Moniales prænominata ratione ægrotaverint, aut perierint, sed etiam ubi singulis ternis, vel quaternis annis, vel etiam pluribus idem eveniret, dummodò non tam de rarò id fieret, ut propter raritatem non videretur ulla ejus rei habenda ratio: nam controverti non debet, quòd causa reliquendi clausuram tantò minùs justa esset, quantò magis de rarò similes infirmitates grassarentur, unde si singulis 7 vigintiquinque annis id accideret, absque dubio hæsitandum in hoc esset, nec tam facilè esset concedenda hujusmodi licentia, tametsi & cum hoc ob- 8 servari deberet etiam ipsius morbi vagantis conditio; nam si singulis vigintiquinque annis morbus talis debaccharetur, ut plures Moniales abriperet, tunc etiam justa causa videretur militare, ut liceret relinquere monasterium, & à clausura exire, aëremque ab eo vitio liberum inhabitandum suscipere. Quæ tamen omnia videntur limitanda, ut locum 9 habeant quando Aëris vitium neque auferre, neque emendare vel in totum, vel pro majori saltem parte possibile fuerit; idque constare fortè debebit ex prægressa diligentia, qua plura tentata, & machinata fuerint ad noxium Aëris vitium emendandum, aut tollendum, & tamen Moniales nihil inde boni fuerint consecutæ, unde ex anteacta experientia vitium emendabile esse constet.

PAULI ZACCHIÆ
QVÆSTIONVM MEDICO-LEGALIUM,
LIBRI NONI TITULUS PRIMUS.
De Fœtus Humani Animatione.

Continens Quæstiones quinque.

I. Quid Semen? quid Anima?
II. Semina quorumcunque viventium, homine excepto, propriam animam ex traduce à Progenitoribus recipere.
III. Animam Rationalem ex traduce non esse.
IV. Animam Rationalem de novo creari & infundi.
V. Fœtum humanum nullo unquam tempore alia Anima dotari nisi Rationali, eamque in ipso primo conceptionis momento à Deo creatam & infusam recipere.

SUMMARIUM.

1 *Anima Rationalis ex communi post quadraginta dies infunditur.*
2 *Fœtum tunc animam recipere vero consentaneum videtur, cum perfectè organizatus est.*
3 *Fœtum humanum non illicò Rationabilem Animam recipere communis opinio est, licet de tempore non omnes concordent.*
4 *Hominem priùs vivere vita Plantæ, deinde vita Animalis, postremò Hominis.*

5 *Animam Rationalem in primo conceptionis momento præsentem esse.*
6 *Semen quid.*
7 *Principium: mole est paucum, facultate verò maximũ.*
8 *Ex semine non fit animal, sed perficitur.*
9 *Anima quid est ex Aristotele.*
10 *Corpus prius vivit, quàm sit organicum.*
11 *In semine non potuit dari aliud agens intrinsecum, quàm anima.*
12 *Anima quid cum Fernelio.*
13 *Anima in semine omnia ex se molitur absque ulla dependentia ab alio agente.*
14 *Quod generatur ab aliquo, & id ipsum quod generat, sunt idem specie, vel genere.*
15 *Anima Rationalis quid.*
16 *Anima inter se plurimum differunt.*
17 *Anima quæcunque divinitatis quoquo modo particeps.*

Quid Semen, quid Anima.

QUÆSTIO I.

DE Animatione fœtus humani verba facere, cùm mihi sese aliàs obtulisset occasio coactus
1 sum communissimæ opinioni adhærere, quæ vult, Animam Rationalem post quadraginta dies fœtum informare; quæ opinio in eo maximè fundatur, quod vero consentaneum videtur, tunc fœtum
2 propriam Animam recipere, cum perfectè organizatus est, ut testatur Galenus *lib. 15. de usu c. 5.* at non ante quadragesimum fœtus perfectè organizatus est, ut omnes consentiunt, ergo in quadragesimo Animam recipere debet: & tamen Hippocr. *1. lib. 7. part. n. 9. & lib. de Nat. Puer. n. 10.* differentiam docens inter fœtus masculeos, & fœmineos, illos triginta, hos duobus suprà quadraginta diebus dearticulari dixit, hoc est, ut existimaverim, perfectè organizari. Multò autem breviorem terminum ad hujusmodi perfectionem assignavit idem Hippocrates *lib. de Carn. n. 10.* inquiens, *Postquam genitura in uteros pervenit in septem diebus habet quæcunque corpus habere debet.* Atque hoc pacto si corpus septem diebus absolutum est, in septimo animari fœtum consentaneum est. Sed inter Recentiores, Thom. Fien. *in lib. de format. fœt.* longioribus demonstrare conatus est, fœtum humanum triduo
3 perfici, ac tertia die ad summum, & ut seriùs Rationalem Animam recipere; & in summa omnes in hoc conveniunt, Animam Rationalem non illico à conceptione fœtum habere, sed post aliquod tempus, de cujus termino tamen discordes inter se sunt, licet plurimi in quadragenario conveniunt, ut ex superioribus patet. Sed advertendum, antequam ulterius progrediamur, Htppocratem, cum de fœtus formatione verba facit, de fœtus animatione nihil penitus mussitasse, sed tantum de corporis complemento, & dearticulatione, nempè quia Animam in Materia, & ex Materia esse volebat, ut ipse seipsum declarat de hominis conceptione verba faciens *lib. 1. de Diæta, n. 24.* dicens. *Si autem quis non credat animam animæ immisceri, demens est*, ita ut ex Hippocratis sententia in ipsa conceptione Animam adesse existimandum, cum anima utriusque maris, & fœminæ per semen ipsum immisceatur compari. Unde opinio firmans, Animam Rationalem post aliquod tempus fœtui advenire, ad Hippocratem referri non potest, sed Aristoteli potius tribuenda, qui *lib. 2. de General. Animal. c. 1.* dicebat, Hominem
4 vivere primò vita Plantæ, deinceps vita Animalis, postremò Hominis *& cap. 5. lib. eod. Nihilominùs*, ait, *semina, & conceptus vivunt, quàm stirpes, & aliquandiu prolifica sunt, ergo animam in his habere vegetalem, palam est, sed quamobrem eam primùm haberi necesse sit, ex iis, quæ de anima alibi differuimus manifestum est, sensualem etiam, qua animal est, tempore procedente recipi, & Rationalem, qua Homo, certum est; non enim simul & anima fit, & Homo, nec animal, & equus, eadémque in cæteris animalibus ratio est, & qua sequuntur.* Sed hæc Animarum Metamorphosis ab Aristotele introducta, imaginaria res est, & veritati contraria, quia unumquodque generans suo semine communicat genito propriam animam (Hominem excipio) consequens ergo est, Animal sensitivum communicare genito Animam sensitivam, per quam generat sibi simile, at communicans tantùm animam vegetativam non solùm non generat sibi simile, sed genere diversum. Insuper si genitum à generante sensitivo ante recipit animam tantùm vegetativam, docendum à quonam agente recipere posteà debeat animam sensitivam, at quodcumque agens ad hoc mihi assignes, extrinsecum esse oportet, quod est impossibile; & dato quod possibile esset, jam genitum non recipiet à genitore animam sensitivam, per quam futurum sit simile genitori, sed ab illo agente extrinseco: verum hæc uberius infrà, & tamen ex hujusmodi Aristotelis suppositio factum est, ut particularis ratio habita apud omnes sit ipsius fœtus, cum inanimatus est, vel potiùs antequam Rationalem Animam recipiat, & cum animatus est, illa jam recepta: præter Medicos enim, qui in Medicinâ facienda ejus differentiæ maximam rationem habent (quod ipsis necessarium est advertere, non respectu Animæ Rationalis præsentis, vel absentis, sed respectu temporis à conceptione distantis) ipsæ Leges tam Canonicæ, quàm Civiles pro ejusdem differentiæ ratione multa sanciverunt, ut aliàs ex ipsarum auctoritate adnotavi, *lib. 1. tit. 2. quæst. 9.*

Cæterùm non est operæpretium hic Auctores recensere, qui de tempore Animationis humani fœtus verba facientes, inter se non conveniunt, dummodò sciamus in principali puncto omnes, ac singulos convenire, uno excepto Daniele Sennerto; si quis tamen eos Auctores percurrere desiderat, ego Medicum ad Medicos remittam, & præcipuè ad prædictum Sennertum *in lib. Hippomnem. lib. 4.* [Bravo 709.] Jureconsultum autem, ad Alphonsum à Carranza, *lib. de Part. nat. & leg. c. 1. §. 2.* & ad novissim. P. Dianam *Resolut. Moral. part. 7. tract. 5. Resol. 6.*

Ego verò hanc communissimam opinionem cum suprà citato Sennerto ad trutinam revocans, & apertissimè conspiciens, non posse ullo modo salvari & magna, & innumera absurda, quæ de necessitate ad eam consequi animadverti, novæ, ac veritati multò magis consonæ adhærere coactus sum, nempe, Animam Rationalem à Deo Optimo Maximo tum primum creatam, & infusam in ipso pri- 5
mo conceptionis momento præsentem esse; quæ opinio cum contra communissimam opinionem de directo sit, antequam eam proponam, ac pluribus argumentis, atque illis quidem efficacissimis, confirmem atque stabiliam, nonnulla præfari necessarium duco, quæ recto tramite ad viam veritatis nos manudecentia, falsitatis tenebris undequaque excussis, ejusdem veritatis lumen nobis patefaciant. [Vide Hostium tom. 1. pag. 215.]

De semine, & de Anima in hoc discursu sermo futurus est, de utriusque igitur natura aliqua breviter præmittenda; videamus ergo primò, quid sit semen, & relictis plerisque definitionibus ab aliis allatis, dicam, quòd semen est corpusculum à vivente decisum aptum fieri perfectum vivens simile illi, unde est decisum: ac maximè ad rem dico, esse *corpusculum*,

nam

ſiam reſpectu Genitoris mole eſt paucum, habet enim rationem Principij, cujus natura eſt, ut mole ſit paucum, facultate autem, ac potentia maximum.
7 Ariſtot. 1. *Cœli, text.* 53. & *ibi* Averr. Additum eſt, *deciſum à vivente*, cùm enim vitam accipere debeat vel per communicationem Animæ, ut in cæteris viventibus, vel per diſpoſitionem ad Animam recipiendam, ut in Homine, oportet illud ab ipſo vivente decidi ac ſeparari. Adjecta deinde ſunt ea verba, *aptum fieri perfectum vivens*, quia ex ſemine non fit Animal,
8 cùm ſemen Anima dotetur (ſi de ſemine cæterorum Animalium loquamur) vel ſit in proxima potentia, ut ea dotetur, ut ſemen humanum eſt, & Animal fiat per ſubitam Animæ infuſionem, ergo ex ſemine non fit Animal, ſed ſemen cum animatum ſit, perficitur ab Anima, & in perfectum Animal deducitur. Æmil. Pariſa. *lib.* 3. *Nobil. exerc. de ſubtil. Averr. exercit.* 1. *c.* 40. Denique additur, *ſimile illi, unde eſt deciſum*, quia Anima à Progenitoribus ſemini communicata in cæteris Animalibus non modò eſſe, ac vitam communicat, ſed etiam proprietates omnes, ac ſingulas ſuæ ſpeciei convenientes, ita ut non ſolùm corpus vegetabile ſit vegetabile, aut corpus ſenſitivum ſit ſenſitivum, ſed etiam ſit hoc vegetabile, & hoc ſenſitivũ, nempe ut ſemen Lactucæ, Papaveris, Quercus, Piri per Animam inſitam à Progenitoribus in Lactucam, Papaver, Quercum, & Pyrum evadat, & ſemen Equi, Bovis, Canis, abeat in Equum, Bovem, Canem. Quonam autem modo ſemen humanum, cum quo Anima Hominis nequaquam traducitur, ut Anima cæterorum Animalium, aptum fiat, ut in Hominem evadat, & in Animal ſuo Genitori ſimile, dilucidè quantum mihi licebit, ſuo loco perficiam.
9 Anima præterea quid ſit, Ariſtot. 1. docere voluit his verbis: *Anima eſt actus primus corporis organici potentia vitam habentis*, quam definitionem non eſſe undequaque bonam oſtendunt pluribus, Æmil. Pariſan. *loc. cit.* & Daniel. Sennert. *Hypomn. cap.* 7. &
10 rationem adducunt, quia Anima non eſt Actus corporis organici, cum corpus priùs vivat, & habeat Animam, quàm ſit organicum, ipſa namque Anima in ſemine exiſtens organa ſibi conſtruit: nam aliàs oporteret organa ab alia Anima, vel ab alio Agente fabricari, ſed hujuſmodi Agens debet eſſe intrinſecum; *Nam ab aliquo extrinſecùs Agente effici quaque, aut viſcera, aut alia membra, remotum à ratione eſt*, ut ad verbum ipſe Ariſtoteles *lib.* 2. *de Generat. Animal. cap.* 1. & Averr. *in comment.* quia opera vitæ non poſſunt eſſe à principio extrinſeco,
11 D. Thom. *part.* 1. *quæſt.* 118. *art.* 7. *ad* 2. Verùm in ſemine non poteſt dari aliud Agens intrinſecum, quàm Anima, ergo organa fabricantur ab Anima, & ſic Anima priùs informat corpora, quàm conſtruantur organa: unde quoque ſequitur, corpus, cujus Actus eſt Anima, non habere vitam potentia, imò repugnat corpus habere vitam potentia, & eſſe organicum; nam eo ipſo, quod corpus eſt organicum, non ſolùm habet vitam actu, ſed Anima eſt in eo actu ſecundo, cùm jam per organa operetur. Sed dices, quomodò fieri poteſt, ut Anima organis orbata, ipſa organa ſibi conſtituat? Reſpondeo, quod nunquam deeſt Animæ organum, per quod operetur, quia ſimul cum ſemine in Homine, & in Brutis etiam ſimul cum Anima effunditur ſpiritus, per quem ipſa Anima omnia ut per inſtrumentum operatur, ac per illud organa conſtruit, & omnia neceſſaria in fœtu conſtruendo, ac formando. [Vide Horſtium t. 1. p. 154.]

Sed quicquid ſit de Animæ hac definitione ab Ariſtotele tradita, Ego ad rem meam, aliam ab ipſo Ariſtotele non diſcrepantem afferam, quam tradidit *lib.* 2. *de Anim. text.* 24. & cui convenit allata à Fernel. *lib.* 5. *Phyſiol. cap.* 1. ac dicam, Animam eſſe principium vitæ, & operationum omnium corporis viventis: nam quicquid vivit, habet Animam, & quicquid habet Animam, vivit, nihilque non habens Animam vivit & nihil denique non vivens habet Animam; & licet inveniatur habens Animam non ſemper eſſe in actu operum vitæ, D. Thom. *part.* 1. *quæſt.* 77. *art.* 1. *in c.* Tamen quandocunque operationes apparent, Animæ præſentiam arguunt, & quia vita præcedit ſemper omnes operationes, idcircò antea dictum eſt, Animam eſſe principium vitæ: non enim Anima, niſi ante communicet vitam, ullam operationem edere poteſt, ſed, communicata vita, illicò operari incipit in pluribus, vel in aliquibus; ut in aliquorum viventium ſeminibus reſidet tantùm, atque illa fœcunda reddit; ſed quandocumque ſemina apto loco recipiantur, otioſa nunquam eſt: unde Anima quorumcunque ſeminum, ubi ab externa aliq̃ qua cauſa, ut calore Solis, ignis, incubantis Avis, Uteri, ad operandum excitetur, poſt jam communicatam vitam, organa fabricat, & reddit illa in corpora animata: quod quidem abſque ulla,
5 dependentia ab alio quovis agente, primariò dico ex ſe molitur, & omnia, quæ ad perfectum viventis corpus conſtituendum neceſſaria ſunt, conſtruit. Nutritio, Augmentatio, Partium efformatio in omnibus viventibus ab ea immediatè dependent, ab ea item in ſenſitivis ſenſus, & motus ab ea quoque Intellectio in Homine originem, & cauſam habet; quia non ſolùm quæ viventibus, ut vegetabilibus, ſenſibilibus, & Rationalibus conveniunt, ab ipſa immediatam originem habent, ſed inſuper proprietates omnes, ac ſingulæ, quæ ut tali vegetabili, ut tali ſenſibili, ut Rationali conveniunt, quas occultas nominamus, imò non ſolùm eædem proprietates genericæ, nempe quæ generi; & ſpecificæ, quæ ſpeciei conveniunt, ſed individuales etiam, quæ huic, aut illi individuo inſunt, non aliunde ſuam dependentiam habent. Ab Anima, quam per ſemen à progenitoribus traducit, habet Roſæ planta ut ſpinis fulciatur, & armetur, ut florem pulcherrimum, hoc, aut illo colore inſignem producat, qui gratiſſimum ſpiret odorem. Ab ea item ſic traducta Portulaca, & Gramen, ut per terram repat, ab ea Cucurbita & volvulus, ut in altum attollantur. Ab ea vitis tortuoſa gignitur, & ſuſtentaculo indiga, aliàs in terram ruitura, uvis gignendis apta, unde vinum expromatur, quod in Hominum potum faceſſat. Ab ea Abies recta in altum aſſurgens producitur, fructu nullo inſignis, ſed ligneæ fabricæ aptus, odore ſibi proprio inſignis. Ab ea habet Avis, ut ovum producat Animam à Progenitoribus illi communicatam includens, ac cortice conſervans, aptum quocumque calore Solis, Ignis incubantis Avis, & hujuſmodi fotum in avem ſuæ ſpeciei evadere, pennis conveſtire, volare aptum, & forma, quam poſſidet, & non alia conformatum. Ab ea Corvus crocitare novit, pennis nigris veſtitur & cætera ſortitur Corvinæ naturæ convenientia. Pavo item habet ab ea ipſa Anima, ut cauda tam affabrefacta ditetur, ut ſtridore ſit præ cæteris avibus notabilis, & cætera præferat, quæ Pavonis naturam conſtituant. Ab ea Equus hinnit, magnanimitatem præſefert, curſu plurimum valet, ac bello aptus eſt: Bos mugit, cornibus dotatur, ruminat, laboris tolerantiſſimus: Leo rugit, ſuperbia jubæ inſignis graditur,

aliis animantibus dominatur: Homo tandem erectus incedit, ſermone, ac loquela dotatur, & Intellectione aliis quibuſcunque viventibus in ſubcœleſti hoc globo præeſt, & manibus ſibi cuncta ſubjicit, ac alia quæcumque animalia ſibi obedire facit. Anima ergò omnium Animalium, Homine excepto, quia à Progenitoribus per ſemen traducitur, & eſt, ut ita dicam, pars ipſius Animæ Genitoris, non niſi ſimilem prolem Progenitoribus efformare poteſt, & quia Roſæ planta florem odoratiſſimum producit, ſemen à Roſæ Planta decidum traducens ſe, cum animam ipſius Plantæ, eundem florem eadem imagine, eodémque odore inſignem, de ſe nova Planta elicita producere à Natura aptum eſt, & ſic de cæteris. Internoſcamus ergò, obſecro, jam Animæ ipſius naturam, neque adimamus illi vim, & energiam, quam habet; eam aliquibus mendicatis Agentibus tribuendo, quod dum aliqui ſeſe excarnificant, ut aſſequatur, non aliter certè facere mihi videntur, quàm faciat homo lumine captus, longè à ſe id manibus quæritans, quod propè ſe habet. Quærimus extra corpus viventis Agens operationum, quæ in eo conſpiciuntur, quod in eodem corpore continetur, & eidem corpori intrinſecum eſt. Eludendæ ergò omninò eorum opiniones ſunt, qui corpora viventia à Cœlo, à ſtellis, ab Anima Mundi, à Calore, à Sole, ab Utero, à Progenitorum formatrice, aut ab hujuſmodi aliqua cauſa efformari, ac diſponi ſibi perſuadent, cùm omnes prædictæ cauſæ, ac ſi quæ præter Animam de novo excogitari poſſint, extrinſecæ ſint, neque aptæ ad operationes vi-
14 tæ in alieno corpore edendas; cùm enim neceſſe ſit, ut, quod generatur ab aliquo, & id ipſum quod generat, ſint idem ſpecie, vel genere, Averr. *Libro ſecundo, de Generat. Animal. capite primo*, & cùm conſtet ob id operationes corporis viventis ſimiles apparere generanti, conſtat ex conſequenti, eas cauſas longè diſtare à Natura corporis generari, & ſic nequaquam poſſe eſſe principium ullarum operationum in ipſo apparentium. Rectè igitur dictum eſt, *Animam eſſe principium vitæ, & operationum corporis viventis.* Porrò licet hæc definitio tanquam univerſalis etiam Animæ Rationali conveniat, ſi tamen peculiariùs eam definire quis ambigeret, uno com-
15 mutato verbo dicere poſſet, Animam Rationalem eſſe principium vitæ, & operationum corporis humani, ſumendo tamen corporis nomen pro toto compoſito, nimirum pro ipſo Homine, quia intellectio, quæ eſt omnium operationum in Homine nobiliſſima, nullatenùs à corpore dependentiam habet. Sed eadem definitio, quæ cuicumque Animæ adaptari poteſt, unico commutato verbo, ut in definitione Animæ Rationalis factum eſt, poteſt particularibus Animalium ſpeciebus aptari.

16 Tametſi denique Animæ inter ſe plurimùm differant, & maximè ab alia quacunque differat Rationalis, quia immaterialis, ac per ſe ſubſiſtens cùm ſit, cæteræ omnes materiales ſunt, nec per ſe ſubſiſtentes, ſed à materia inſeparabiles, & hæ ipſæ Animæ cæterorum Animalium differant inter ſe prout magis, aut minùs ad ſpiritualem naturam accedunt, aut ab ea recedunt, & prout magis, aut minùs in
17 materia ſunt immenſæ, eique affixæ, & inhærentes, tamen Anima quæcumque etiam ignobiliſſima, plurimúmque materialis, divinitatis propè cujuſdam particeps à ſummo Creatore facta videtur, ob quam tanta, ac tam multa etiam in viliſſima materia viventium corporum machinari valeat, quorum ne minimum quid humanus Intellectus ſumma ſua induſtria imitari poteſt; Ipſa inſenſibilium vegetabilium Anima quot, & quanta in humillimis plantis efficere conſpicitur? Plantas, virgulta, arbores ſuis quaſque foliis, ſuo flore, ſuo fructu, ſuo ſemine, ſuo odore, ſuis qualitatibus, ſuis figuris ad amuſſim, & nihil omninò aberrans ad ſimilitudinem ipſum Progenitorum, & non aliàs imbuit atque exornat; quarum quidem rerum unaquæque per ſe poteſt ſummum admirationem obſervantibus excitare, quæ tamen admiratio, etiamſi tanta ſit, tamen generatrici virtuti comparata nullius momenti videri poſſet: nam nonne virtutum penè divinam Animam etiam horum vegetabilium habere dicemus, quæ poſſit ex ipſis Plantis ſemina producere alias animas continentia, quarum virtute tot numero novæ plantæ eandem omnes, ac ſingulæ virtutem habentes ex tam puſilla, ac modica materia, procreare valeant, ut creſcant, & multiplicentur juxta ſummi Opificis benedictionem, unde earum ſpecies conſerventur? Quid inſuper de Animalibus, quid tandem de Homine creaturarum omnium inferiorum nobiliſſima dicemus? Quam minimam rem primò quam poſteriùs admirari oporteat, ſi etiam minima in minimis, ac abjectiſſimis creaturis nunquam deſituram admirationem excitare in nobis valent? Mira autem hæc omnia, ac ſingula ab Anima, quam ex ſummi Creatoris juſſu prima viventia receperunt, non ab alio Agente promanare jam certus unuſquiſque eſſe poterit, qui Naturæ opera, non ex aliena opinione, ac non ſubſiſtentibus ſuppoſitionibus, ſed ex vero, reali, ac ſenſato diſcurſu examinare volet.

SUMMARIUM.

18 *Anima eſt indiviſibilis.*
19 *Forma materialis eſt inſeparabilis à materia.*
20 *Semen quando ſiat animatum.*
21 *Semen ad quem finem à natura procreatum. Et n. 29.*
22 *Anima Genitoris in cæteris viventibus communicatur ſemini, ut vis fermentatrix communicatur Maſſæ Panis à fermento.*
23 *Anima Genitoris in cæteris viventibus communicatur ſemini, ut communicatur flamma à candela accenſa, candelæ extinctæ.*
24 *Anima flammæ rectè æquiparata.*
25 *Materia non generat formam, ſed eſt propter formam.*
26 *Agens extrinſecum non poteſt generare corpus ſimile genitori ipſius ſeminis.*
27 *Operationes jam perfectæ, & adultæ Plantæ, ſunt à propria Anima Plantæ.*
28 *Dator principij tranſmutationis eſt dator finis ipſius formæ. Et num. 29.*
30 *Ineſt in ſemine omnium quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, ex Ariſtotele.*
31 *Nihil conferre poteſt alteri id, quod non habet.*
32 *Materia non poteſt eſſe denudata à forma.*
33 *Quod ſufficit ad difficiliorem effectum, ſufficit ad faciliorem ejuſdem ſpeciei.*
34 *Ex Naturæ præſcripto ſpecierum conſervatio ſit per individua mediante ſemine.*
35 *Animæ præſentia cognoſcitur ex propriis operationibus. Ex num. 114.*

Semina quorumcunque viventium, Homine excepto, propriam Animam ex traduce à Progenitoribus recipere.

QUÆSTIO II.

SAtis patêre poterat id, quod probandum in præſenti particula proponitur ex ſupradictis, niſi præſtare judicaſſé hoc ipſum ulterioribus, efficacioribúſque rationibus commonſtrare; nam non ſic facile perſuaſu nonnullis eſt, quomodo Anima, quæ indiviſibilis eſt, ut omnes formæ ſunt, Ariſtot. 3. 18

de

*de Anima text.*24. & *ibi* Averr. *in comm.& 3. Phyſic. text.*68.*& 6.eorumd. text.*45. & Averr. *in comm.* communicari ſemini poſſit ab ipſis Progenitoribus, qui tamen ubi cognoſcant, Animam cæterorum viventium, Homine excepto, eſſe formam materialem, ac ita materiæ inhærentem, ut ab ea ſit inſeparabilis,
19 ut materiales omnes formæ ſunt. Ariſtot. *lib.de Anima, text.*4. & *ibi* Averr. *in comm. & lib.*4.*Phyſic.text.* 18. ubi idem Averr. non difficulter admittent eam, quamquam per ſe ſit indiviſibilis, ad diviſionem materiæ diviſibilem evadere, & ab uno ſubjecto in aliud ſe communicare, idem Ariſtot. *lib.*8.*Phyſic.text.* 38. & *ibi* Averr. *in comment.* quod duplici exemplo quanam ratione fiat declarari poteſt, ſi anteà illud addamus, Animam non idcirco, quòd ſeſe per genitorem ſemini communicet, dividi, ſed communicare ſe materiæ ſeminis ab ipſo generante deciſæ ac diviſæ, quemadmodum non idcircò, quòd eadem anima communicet ſe oculo, auri, palato, aliiſque partibus corporis, in tot partes dividitur, quot ſe communicat; ſed ut per eam oculus videt, auris audit, palatum guſtat, ſic per eandem ſemen prolificum evadit. Et quamquam objici poteſt, quòd prænominatæ partes, nempe Oculus, Auris, Palatum, non ſint à corpore diviſæ, & idcirco Anima, quæ totum corpus informat, benè communicare ſe illis poſſit, non ſic autem ſemini, quod eſt corpus à toto disjun-
20 ctum; Tamen dicendum, quòd ſemen non recipit Animã poſtquam eſt à toto diviſum, ſed in ipſo actu diviſionis à toto, quia dum eſt toto unitum cum cæteris partibus ſuo modo vivit, & particeps eſt ipſius Animæ, per quam prolificum evadit, & à toto divi-
21 ſum, & convenienti vaſe receptum, animal ex ſe conſtituit, ad eumque finem à Natura ordinatum id eſt, ut generans ſemen animatum generaret, per quod poſſet aliud individuum ſimile generanti producere ad ſpecierum propagationem. Sed duobus promiſſis exemplis res illuſtrari poteſt, ſi dicamus, Animam Genitoris, nimirum Individui ſemen generantis, communicati ſemini non aliter quàm vis fermentatrix à fermento communicetur maſſæ panis;
22 non ſolùm enim virtus illa communicat ſe maſſæ illam fermentando, ſed tribuendo inſuper eandem virtutem fermentatricem; qua poſſit aliam Maſſam fermentare, & hæc aliam in infinitum, abſque eo tamen; quod vis illa in primo fermento exiſtens quicquam de ſua virtute ullo modo diminuat. Eodem quoque pacto Candela accenſa communicat flammam ſuam candelæ extinctæ, neque tamen ejus lumen quicquam diminuitur, unde Ennius apud Cic.

Ut lumen de ſuo lumine accendit, facit,
Ut nihilominùs ipſi luceat, quàm cui accenderit.

23 Sed non modò flammam, & lumen communicat candela accenſa extinctæ abſque proprij luminis diminutione, ſed etiam virtutem ſe communicandi aliis candelis, & ſe multiplicandi in infinitum, ac præterea ipſam omnem venientem, quam à Natura ſortitur, omnia in ſuam ſubſtantiam, ac pabulum convertendi, ut ignis natura requirit, & in ſumma, candela accenſa ſua flamma ſe alteri communicando, veluti progignit alias ſimiles candelas accenſas non minori virtute præditas, ſed eadem omninò, quam ipſa habet, inſtructas. Eodem igitur pacto dicendum, Animam quorumlibet viventium, ſi Humanam excipiamus, tanquam flammam communicare ſe ſeminibus ab ipſis viventibus deciſis, ac unà communicare illis eandem prorsùs virtutem, quam ipſa in corpore vivente poſſidet, abſque eo quod ipſa quicquam diminuatur, aut deterioris conditionis evadat, aut de inſita ſibi à Natura virtute aliquid amittat.

Et appoſitè quidem Anima cæterorum viventium flammæ aſſimilatur, quemadmodum enim flamma eſt 24
quid ſummæ activitatis, materiæ tamen ita inhærens ut ab illa ſit inſeparabilis, nec ad longius temporis ſpatium vitam protrahat, quàm ipſa materia duret, & ipſa pereunte prorsùs extinguitur, ſic etiam prædicta Anima eſt ſubſtantia tenuiſſima ipſius corporis animati, ac ſummæ activitatis, ſed materiæ ita affixa, ut ab ea inſeparabilis omninò exiſtat, nec ad diuturnius temporis ſpatium vivat, quàm matetiæ ipſi adhærere poſſit, nam ab ea ſeparata illicò in Auras evaneſcit, & in nihilum abit, interitque; & quemadmodum flamma materiæ apprehenſa, ſeipſam, ut dixi, multiplicat, ſi novam materiam obviam habeat, cui ſe communicare, & adhærere poſſit, ſic & Anima cæterorum viventium ſeipſam multiplicat communicando ſe in iiſdem viventium corporibus ſemini, quod intra ſe generant, materia nempe ad id Natura producta & elaborata, ut inde nova individua emergant ad ſpecierum perpetuitatem.

Jam verò quanam potiori ratione probari id ipſum firmiter poſſit, emittendum; patet igitur nonniſi ex ſemine formari poſſe corpus vivens ſimile Genitori, à quo ſemen eſt deciſum. Corporis ergo formatio vel fit ab ipſo ſemine prout eſt materia abſque Anima, vel ab Agente aliquo extrinſeco, vel ab alio Agente præter Animam ipſi ſemini intrinſeco. Ab ipſo ſemine fieri non poteſt, quia materia 25
non generat formam, ſed eſt propter formam, non forma propter materiam. Ariſtot. *lib.*2.*Phyſ. text.*26. *& lib.eod.text.*91. & in utroque loco Averr. *in comm.* præterquam quod materia nullam habet potentiam activam, D. Thom. *part.*3.*ſumm. quæſt.*32. *art.*4. & nihil generat ſeipſum, ut notum eſt. Nec formatio 26
fieri poteſt ab Agente extrinſeco, ut jam probatum eſt, & Agens extrinſecum, non poteſt generare corpus ſimile Genitori ipſius ſeminis, cùm nihil habeat commune cum hujuſmodi Genitore, nec ſimile genitori exiſtat, ut ſimile generare poſſit. Reliquum ergo eſt, ut corporis formatio fiat ab Agente aliquo ipſi ſemini intrinſeco, ſed hoc non poteſt aliud eſſe, quàm Anima, ergo in ſemine ineſt Anima, à qua pendet corporis viventis formatio. Quòd autem hoc Agens intrinſecũ non poſſit aliud eſſe, quàm Anima, adeò videtur patere, ut probatione non egeat, ac profectò ſi quis velit, aliud in ſemine Agens reperiri, quàm Animam, debet notificare, quodnam illud Agens ſit, ut hoc non crediderim ab ullo Philoſopho quantumvis acuti, ac perſpicacis, aut etiam contentioſi ingenij, aſſignari poſſe.

Præterea ubi ſemen cæterorum Animalium non eſſet Anima dotatum, neque Animam propriam à Genitoribus traduceret, neceſſe eſſet, illam de foris advenire, & à ſemine eſſe ſejunctam, & per ſe ſubſiſtere: ſed ſi hoc eſſet, Animæ Brutorum, cæterorumque omnium Animalium non minùs quàm Anima Rationalis eſſent immortales, cum hæc verè à ſemine ſit ſejuncta, & per ſe ſubſiſtat, & de foris adveniat, & ſit immortalis; ſed hoc eſt falſiſſimum, ergo neceſſe eſt, ſemen cæterorum viventium ſecum Animam à Genitoribus traducere, ut inde corpus vivens efformetur. Ulteriùs ſi ſemen cæterorum Animalium non haberet Animam, operationes apparentes illicò atque in actum producitur; eſſent alterius Agentis, non propriæ Animæ, ſed hoc eſt impoſſibile, quia cùm operationes in perfecta Planta, ſeu alio quovis viventis conſpicuæ ſint à propria Anima, à propria quoque Anima debent pro- 27
cedere operationes quandocumque Planta, vel aliud quodlibet vivens iiſdem operationibus ſe prodit,

28 *cum dator principij tranſmutationis, ſit dator finis ipſius formæ*, verba ſunt Averrois, *lib. 2. de Gener. Animal. cap. 2.* Ergò ſi operationes perfecti viventis ſunt à propria Anima, operationes apparentes primùm in ſemine erunt ab Anima in ipſo ſemine exiſtente, & hoc pacto ſemen erit animatum (vide *Idearum Operat. Ideam* Marci Marci.)

29 Addendum his, quòd ſemen in viventibus à Natura eſt deſtinatum ad ſpecierum propagationem, ſed id fruſtrà à Natura factum videretur, niſi aliquid ineſſet in ſemine, per quod aptum fieret ad ſpecierum conſervationem, nempe ad producendum vivens ejuſdem ſpeciei, cujus eſt generans, à quo ſe-

30 men eſt deciſum. *Ergo ineſt in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina :* ita docente Ariſtotele *citato libro ſecundo de Generat. Animal. capite tertio*, neceſſe autem eſt, ut hoc ſit ſemini intrinſecum; nam ſi ſecùs eſſet, illa aptitudo conſervandarum ſpecierum non eſſet ex parte ſeminis, ſed ex parte Agentis extrinſeci, quamobrem Ariſtoteles, *ineſt*, inquit, *in ſemine*, hoc eſt cum ipſo ſemine prodit id quod illud fœcundum facit, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, ſemen habet in ſe principium tale, quod illud facit fœcundum, nempe habet in ſe principium, per quod ſit aptum producere corpus vivens ſimile genitori, à quo ſemen prodiit. Hoc ergò, quod ineſt in ſemine viventium, & per quod fœcundum eſt, oportet, ut Agens ſit nobiliſſimum, cùm ad ipſum pertineat, & ſuæ actioni demandetur ex ipſius rudi ſeminis materia formare, & conſtituere corpus viventis ad exquiſitam normam, & inimitabilem ſimilitudinem Genitoris; at in ipſo ſemine aliud agens ad hoc ipſum aptum ineſſe, quàm Animam, ſibi perſuadere, delirare eſt.

Inſuper ſi ſemen non haberet Animam, ſequeretur, ex inanimato produci animatum, quia corpus vivens eſt animatum, & ex ſemine formatur, ſed

31 hoc eſt impoſſibile, quia nihil conferre poteſt alteri, quod in ſe non habet; quomodò ergo ſemen non habens Animam communicabit Animam corpori viventi ex ipſo producendo? unde ergò habebit Animam corpus, quod vitam acquirit, & Animæ operationes molitur, ubi in ſemine non inſit Anima à Genitore ipſi communicata?

32 Adde his, quòd Materia non poteſt eſſe denudata formâ, Averr. *libro ſecundo, Phyſ. comment. 12.* ſed ſemen eſt materia, ergò nunquam denudata erit formâ; Cùm verò forma ſit natura, Ariſtoteles *citat. lib. 2. Phyſic. text. 12.* & *ibi* Averr. *in comment.* & ſemen à Natura habeat, ut ſit prolificum, ſequitur quod ſit prolificum per formam; ſed non poſſet eſſe prolificum, niſi viveret, neque vivere, niſi haberet Animam, ergò ſemen habet Animam, quæ eſt forma ipſius ſeminis, qua recedente non ampliùs eſt prolificum, quia corrumpitur, corruptio autem ſequitur ad formæ receſſum, forma verò eſt Anima.

33 Præterea, quod ſufficit ad difficiliorem effectum producendum, multò magis ſufficere poteſt ad effectum faciliorem ejuſdem rationis; ſed Anima quæ eſt in perfecto vivente ſufficit ad omnes operationes corporis ipſius viventis etiam difficilioris, & nobiliores, ergò multò magis ſufficiet ad rudiores operationes imperfecti viventis; unde Anima, quæ regit corpus jam perfectiſſimi viventis ex ſe, & nulla ope alterius Agentis adjuta, multò faciliùs moderabitur corpus ſeminis, ex quo vivens produci debet, & ſic, cum operationes corporis perfecti viventis ſint ejuſdem rationis cum operationibus viventis imperfecti, de neceſſitate tam hæ, quàm illæ, ab uno eodémque Agente proficiſcentur; unde cum illæ dependeant ab Anima, hæ quoque dependere dicendæ ſint ab Anima, & conſequenter in Semine inerit Anima. (Vid. Plato *in Tim.* Galenus *de maraſmo cap. 5.* Zimara *2. an. t. 43.* Valleſ. *l. 2. cap. 9.* Mercatus *l. 1. cap. 4.* Zacutus *l. 9. cap. 6.* Fonſeca *l. 1. cap. 3.*

Cæterùm, ut jam iterum ſuperiùs dicebam; ex 34
Naturæ præſcripto ſpecierum conſervatio fit per Individua, mediante ſemine; vel ergo Individua ad hanc ſpecierum conſervationem concurrunt ſemine Anima denudato, & ſic præſtabunt tantummodò nudam materiam pro conſervandis ſpeciebus, nec poterit eo modo dici per ipſi eas conſervari, ſed per Agens quodcunque conferens ſemini Animam. Vel Individua communicant aliquid ſemini, per quod aptum ſit ad conſervandas ſpecies, nempe ad producendum ex ſe corpus vivens ſimile Generanti; à quo eſt deciſum, & habemus intentum, namque hoc illud eſt, à quo non ſolùm corpus formatur, ſed per quod operationes omnes corporis viventis fiunt, quod nihil aliud eſt, quàm Anima, ergò in ſemine ineſt Anima.

Denique argumentum, quod ab operationibus apparentibus deducitur, indiſſolubile eſt, nos enim Animæ præſentiam non aliunde comprehendimus quàm ex propriis ipſius Animæ operationibus, ut notum eſt, Io. Fern. *lib. 5. Phyſ. c. 1.* ſed hæ operationes apparent in ipſa prima ſeminum conceptione (quomodocunque fiat) vel in ipſo primo momento, quo deducuntur ad actum, ergò in ipſo primo momento in ipſis ſeminibus præſens Anima eſt: quàm abſurdū autem foret dicere, operationes apparentes in prima corporis viventis productione ex ſemine, non eſſe ab Anima propria, videant qui hujuſmodi figmenta nobis imponere poſſe ſe credunt. Nequé dicas ex motu magis, ac certius deprehendi Animæ præſentiam, quàm ex aliis operationibus: Quia hoc gratis dicitur, dùm aliæ operationes morū præcedentes alteri agenti tribui non poſſunt, quàm Animæ.

Hæc ſi veritatem habent, facilè tanquam inane quid eluditur differentia Animationis maris, & fœ- 35
mellæ; quam Doctores omnes unanimiter ponunt, tam mas enim, quàm fœmella in ipſo primo momento conceptionis ſeminum progenitorum Animam de foris à Deo infuſam recipit; licet deinceps ſeriùs moveatur fœmella, quàm mas; ex quo motu tam Philoſophi, quàm Medici arguere conſueverunt Animæ præſentiam, quam tamen multò rationabilius ex vitæ operationibus, & ex formatione ipſius fœtus, quæ illicò à conceptione initiatur, arguere debebant, neque enim abſque Animæ præſentia aut formari, aut vivere, aut ullo modo operari fœtus poteſt, quia nihil horum ab alia cauſa dependere poteſt, quàm ab intrinſeca, neque in fœtu ulla alia intrinſeca cauſa imaginari poteſt, quàm ipſa Anima. Cur ergò, inquies, tanta differentia intervenit inter Marem, & fœmellam, quoad primum motum in utero materno excitatum? quia, inquam, materia, & ſpiritus, ex quibus alteruter coagmentatur, non ſunt ejuſdem conditionis, & vigoris; materia nempe ex qua producitur mas, minùs excrementis abundat majori ſpirituum copia turget, & calorem vividiorem obtinet; contrà, materia, ex qua producitur fœmella, magis excrementitia humiditate referta, ſpirituum minùs ferax, & calorem ab ipſa humiditate refractum habet; unde conſequens omninò eſt citiùs ſuas operationes exercere Animam, ubi materiam aſſecuta ſit, ex qua mas, quam ex qua fœmella procreari debet.

Quod

Quod ut magis magiſque confirmetur, obſervandum, quod cum nõ omnium Marium, neq; omniũ fœmellarum idem ſit temperamentum eadémq; virtus, non omnes ideò Mares uno, eodémq; tempore, ſed alij citius, alij ſerius primos motus in utero excitãt, ſic etiã & fœmellæ, unde obſervare licet, Mares nonnullos ob eorum imbecillitatẽ ſerius moveri, quàm fœmellas, & alia ex parte, citius fœmellas nonnullas ob earum robur non moveri, quàm Mares. Nã quid cauſæ eſſe poteſt; quò minus omnes uno eodémq; tempore animam recipiant, ſi ab ea extra advenit, & ab ipſo Deo infunditur? Dices, fœtum non debere recipere Animam Rationalem, niſi perfectè organizatus ſit; hæc autem organizatio non eodem tẽpore in ſingulis perficitur ob temperamentorum, & virium varietatem, unde & Anima diverſo tẽpore in diverſis conceptibus ſe prodit. Sed hoc mihi videtur Deũ Naturæ ſubjicere, qui expectare debeat antequam Animam infundat, fœtus organizationem ab ipſa Natura machinatã; unde ne in tam impiam opinionẽ labamur, dicendum, fœtus omnes in primo conceptionis momento tam Mares, quàm fœmellas Animam ab ipſo ſummo Opifice tum primum & creatam, & infuſam recipere, neque ullam in animatione differentiam Maris, & fœmellæ ſervari. Ac profectò illud maximè ponderandum in hoc negotio videtur, quod annuimus, nempe quod ponere neceſſitatem infundendæ Animæ Rationalis non niſi quando fœtus eſt perfectè organizatus, eſt liberam Dei agendi potentiam ipſi Naturæ ſubjicere; quod abſit ut affirmemus: ipſe primus rerum Opifex & creare, & eodem momento infundere in humana ſemina ſimul congredientia, ac conceptum conſtituentia Rationalem Animam quandocumque libet, conſuevit, non coactus ad id præſtandum à corporis organizatione per ipſam Naturam conſtituto tempore facta.

Verum enimverò videor mihi actum agere, dum multi doctiſſimi Viri, ac Philoſophi inſignes, & maximè ex recentioribus, Æmil. Pariſan. *Nobil. exercit. de ſubtil. lib. 5. exercit. 1. c. 3.* & Daniel. Sennert. *in lib. Hyppocr. n. 4. c. 6.* eam veritatem, quòd nempè ſemen ſit animatum, propalarunt, ac firmiſſimis quidem rationibus roborarunt, argumentis in contrarium adductis pleniſſimè ſatisfacientes, ita ut mihi omnem provinciam ademptam velim aliquid ulteriùs addendi, aut reſpondendi, dum Lectorem meum humaniſſimum ad eos, ne tædio illi ſim, remitto, dum iis ipſis, quæ prædicti Auctores optimè, ac diligentiſſime præſtitêre, ſermonem protrahere inaniter videar, dummodò tamen ab utroque me omninò in eo diſſentire Lectorem admoneam, quòd ſemen humanum ſit, non ſecùs ac cætera quæcumque ſemina animalium; Ego verò nullo modo animatum eſſe exiſtimo, ſed maximè falſam, & hæreticam Sennerti ſententiam pronuntio, qui humanum ſemen Anima Rationali dotari contendit, eamque ex traduce eſſe; licet autem tolerabirior ſit Pariſani opinio exiſtimantis, idem ſemen humanum Anima ſenſitiva tantùm dotatum eſſe, quam ex traduce à Progenitoribus derivari credit, tamen neque hanc opinionem eſſe veram firmiſſimis rationibus commonſtrabo.

SUMMARIUM.

36 *Anima Rationalis non eſt ex traduce, & contrarium aſſimare hæreticum eſt.*
37 *Si Anima Rationalis eſſet ex traduce, non poſſet eſſe immortalis. Et n. 67.*
38 *Hominis creatio in Sacra Geneſi, quantùm differat à creatione cæterorum viventium.*
39 *Rationalis Anima eſt immortalis. Et n. 72.*
40 *Animæ Rationalis immortalitati qua repugnent.*
41 *Non poteſt à re corruptibili res incorruptibilis generari.*
42 *Anima Rationalis non poteſt per materiam ſe ullo modo propagare.*
43 *Animam anima miſceri, Hippocrati.*
44 *Anima Rationalis eſt ens per ſe ſubſiſtens. Et n. 65.*
45 *Unum ens habere duas formas totales ſubſtantiales eſt impoſſibile.*
46 *Anima Rationalis eſt ens perfectum, & completum.*
47 *Perfecto nihil addi poteſt.*
48 *Ex duobus entibus per ſe nõ poteſt unũ ens per ſe fieri.*
49 *Generari ex materia nõ idẽ eſt ac traduci ex materia.*
50 *Quod aliqua ratione generatur, eſt corruptibile.*
51 *Semen licet ſit animatum ſecundum Sennertum, cur non potuit dici Homo.*
52 *In ſemine apparent operationes animæ.*
53 *Vivificatio ſeminis eſt operatio animæ prout anima eſt, non prout eſt hæc anima.*
54 *Semen, ſi eſſet dotatum anima Rationali eſſet homo.*
55 *Forma ſubſtantialis non ſuſcipit magis, & minus.*
56 *Anima Rationalis ſi ſit ex traduce, eſt forma partialis, & incompleta.*
57 *Si anima Rationalis eſſet ex traduce, irrito exiſtente ſemine, illa anima corrumperetur.*
58 *Dato non abſurdo, neceſſe eſt inde plura conſequi.*
59 *Semen non poteſt eſſe fœcundum, niſi vivat, neque vivere, niſi habeat animam.*
60 *Proprium ſemper ineſt, & nunquam ſeparatur ab eo, cujus eſt proprium.*
61 *Quod ſecundum ſe convenit alicui, eſt ab ipſo inſeparabile.*
62 *Ex unico concubitu aliquando fit ſimplex conceptus.*
63 *Anima immortalis non patitur dividi ad materiæ diviſionem, ut mortalis.*
64 *Separatâ formâ à materia ſequitur compoſiti corruptio.*
66 *Anima ex ſemine traducta, non eſt ab eo ſeparabilis, neque abſque ſemine exiſtit.*
68 *Homo ſecundum animam tantùm ad Dei imaginem, factus eſt.*
69 *Anima cæterorum viventium cum ſemine à Genitoribus traducuntur, & ſunt formæ partiales.*
70 *Conceptus non fit ex unico ſemine viri, ſed ex eo ſemini muliebri juncto.*
71 *Anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte.*
73 *Si anima Rationalis eſſet ex traduce, ſequeretur Chriſtum Dominum non fuiſſe verum Hominem.*
74 *Chriſtus Dominus fuit verus, ac perfectiſſimus homo.*
75 *Chriſtus Dominus fuit omnium hominum perfectiſſimus.*

Animam Rationalem ex traduce non eſſe.

QUÆSTIO III.

CUm pateat ex Theologica veritate, Animã Rationalem, non ut cæteras viventium Animas ex traduce eſſe, & hæreticum ſit contrarium aſſerere, D. Thom. 1. *p. ſum. q. 118. art. 2. in c.* videtur ſuperfluum 36
Phyſicis rationibus id ipſum demonſtrare; quia tamen res agitur cum Philoſopho, qui Theologicæ veritati non facilè acquieſcet, neceſſarium omninò eſt, illũ phyſico diſcurſu convincere, & ſuiſmet principiis, & conceſſis propoſitionibus meræ falſitatis redarguere. Sed, ut clarè pateat, in quibuſnam ejus opinionem impugnemus binas ejus propoſitiones in medium afferamus, ex quarum contrarietate appareat, illum mirum in modum in alterutra cæcutiiſſe, altera pro vera accepta. Prima propoſitio eſt, *Animam Rationalem ex traduce per ſemen à Progenitoribus haberi.* Secunda autem primæ de directo contraria. *Rationalem Animam eſſe incorruptibilem, & immortalem.* Quia propoſitiones ubi ille ſoi, qua pollebat, ingenij acutie, ut decuit, examinaſſet, luce clariùs perſpexiſſet, unam aliam deſtruere: nam dato quòd 37

Anima

Anima Rationalis ex traduce habeatur, non poteſt eſſe immortalis; & dato quod immortalis ſit, non poteſt ex traduce haberi. Sed quis interim eſt, qui Sennerti affectatam cæcitatẽ malitiæ inſimulare non debeat, ubi noverit, illum, qui nolle ſe Theologicis rationibus contendere profitetur, ex ſacræ tamen Scripturæ verbis ſuo modo intellectis falſas ſuas aſſertiones roborare ſtuduiſſe, ac data opera recuſaſſe differentiam animadvertere, quam inter creationẽ Hominis, & cæterorum Animalium ipſa ſacra Hiſtoria apertiſſimè, nec ulla ex parte dubia enarratione in mediũ affert, quã tamen ſumma animadverſitate proſecuti ſunt non Theologi ſolùm, ſed etiam Medici, ut Franc. Valleſ. *in ſua ſacra Philoſ. c.* 4. Hanc ſi ille ſano judicio examinaſſet, nunquã in tam impiam, & erroneam ſententiam præcipitem ſe dediſſet; nempe quod Anima Rationalis non ſecus ac cæteræ corruptibiles,
38 & mortales ex traduce habeatur. In ſacra igitur hiſtoria, Hominis creatio non ſolùm quoad Animam, ſed etiam quoad ipſum corpus multùm diverſificatur à creatione cæterorum Animaliũ, quia cætera ex ipſis elementis Dei juſſu creata ſunt corpore ſimul & Anima compaginata; Homo verò ante (loquendo reſpectu noſtri) corpore ab ipſomet Deo formatus eſt, ac dehinc Animam recepit ab eodem Deo. Inſtituit ergo Deus ipſam Naturam, illique facultatem dedit ex ipſa Elementorum materia omnia, ac ſingula Animalia per ſuas ſpecies generandi, ibi. *Germinet terra herbam virentem, Producant aquæ reptile animæ viventis, Producat terra Animam viventem in genere ſuo*, unde non reſtricta fuit Naturæ poteſtas ad generanda tantũ corpora viventium Anima deſtituta, ſed extenſa eſt ad generanda corpora ſimul cum Anima, quia ſi fuiſſet ad generationem tantùm corporum, fruſtratoria erat benedictio poſtmodum ſecuta ipſius Creatoris, *Creſcite, & multiplicamini*. At verò Hominis creationem & quoad corpus, & quoad Animam ſibi reſervavit, ibi. *Faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã*. Unde immediatè formavit illum de limo terræ, & inſpirans in faciem ejus ſpiraculum vitæ factus eſt in Animam viventem. Quis ergo tam conclamatæ cæcitatis homo eſt, qui ex hac ſacræ Hiſtoriæ enarratione apertiſſimè non videat, cætera viventia ſimul cum corpore Animam recepiſſe cum ipſa materia productam, Hominem autem Animam ab extra ab omni materia ſejunctam, & incorpoream ſortitum fuiſſe ab ipſo Deo infuſam, non quidem ex ipſius Dei ſubſtantia. D. Th. *p.* 1. *q.* 90. *a.* 1. *in c.* ſed tunc primum ab ipſo creatam? Et hæc quidem ſola per ſe ſacræ Hiſtoriæ enarratio (ſi quam fidem ſacræ Hiſtoriæ Sennertus habet) illum veritatis admonere debuit, cùm nobiliſſima creatura ad Dei ipſius imaginem facta, & quæ ſecundùm Animam, & ſecundùm corpus, poſt Reſurrectionem immortalis erat futura, non ut cætera viventia & ſecundùm Animam, & ſecundùm corpus corruptioni adjudicata, debuerit produci, ſed alia, ex ſpeciali ratione, quàm generentur aliæ Animæ, ac cæteræ creaturæ ex ipſa materia progenitæ.

Sed his jam omiſſis, videndum modò ex Phyſico diſcurſu, quantoperè à veritate deviet Sennertus, facto primo hoc fundamento ex alterutra propoſitione
39 ipſi acceptiſſima, quod nempe Rationalis Anima ſit immortalis: ex hoc enim unico fundamẽto omnia corruere neceſſe eſt, quæ illæ pro traductione Animæ Rationalis ex ſemine in medium affert. Immortalitati enim undequaque repugnat, Animam per ſemen
40 propagari; repugnat immortalitati, Animam ad materiæ diviſionem dividi, vel quomodocumque per materiam communicari; repugnat immortalitati, Animam Animæ miſceri, aut quacumque alia ratione uniri. Repugnat immortalitati Animã aliquomodo perfici, eo quod ſit forma incõpleta, & partialis. Repugnat immortalitati, Animam aliter, quam per creationem fieri, quia fieret per generationem ex ſemine, ſed non poteſt, ut fatetur ipſemet Sennert. *Hippom.* 4. *c.* 10. è re corruptibili incorruptibilis generari; neque poſſibile eſt, virtutem activam, quæ eſt in materia, ex- 41
tendere ſuam actionem ad producendum immaterialem effectum, D. Th. *p.* 1. *tit. q.* 118. *art.* 2. *in c.* Et in ſumma ab omni veritate alieniſſimum eſt, Animam Rationalem ita materiæ aſſociari, eidemque materiæ ita hærere, ut ex ipſa, & cum ipſa ſuam otiginem adipiſcatur. Quæcumque ergo de propagatione Animarum cæterorum viventium Sennertus affert, à conditione Animæ Rationalis tã longè abſunt, ut nulla ex parte illi applicari poſſint: unde quemadmodum ipſa Phyſica ratiocinatio apertè commonſtrat, Animas cæterorum viventium tanquam materiæ affixas, eidemque perpetuò, & indiſſolubiliter inhærentes, per eandem materiam, cui affixæ ſunt, ſe propagare, ac multiplicare, & de uno ſubjecto alteri ſe communicare, ut flamma candelæ accenſæ communicatur candelæ extinctæ, eodem quoque pacto eadem Ratiocinalis Phyſica, imò, & quod maximum eſt, ipſa Theologi- 42
ca veritas, dilucidè docet, Animam Rationalem materiæ nullo modo addictam, imò in totum ab ea ſejunctam, ac per ſe ſubſiſtentem, non poſſe per eandem materiam ſe propagare, ac multiplicare, aut aliqua ratione alteri ſe commiſcere, & communicari, hoc enim tanquam erroneum, ac falſiſſimum non admittendum; quinimò tanquam Catholicæ fidei minùs conſonum, imò ab ea in totum alienum anathematizandum ſentio. Quomodo enim eadem ratio eſſe poteſt entis materialis, & immaterialis, ſi omninò per propriam ſubſiſtentiam, & non ſubſiſtentiam utrumque diſtingui neceſſe eſt?

Neque eſt, quòd quiſquis ſic contra veritatem 43
Catholicam. Hippocr. *l.* 1. *de Diet. n.* 14. auctoritatem objiciat, qui pro demente exiſtimat eum, qui Animam Animæ non miſceri dixerit. Nam Hippocrates lumine fidei orbatus Animam in ſanguine reponit, quod idem eſt, ac ſi illam materialem, corruptibilem, ac mortalem eſſe affirmes, neque per ſe ſubſiſtentem, ſed contrà, Anima Rationalis eſt ens per ſe ſubſi- 44
ſtens, non poteſt ergo alteri miſceri, cum impoſſibile ſit ex duobus entibus per ſe, unum ens per ſe fieri; nam unum, idemque ens haberet duas formas ſub- 45
ſtantiales, quod eſt impoſſibile, D. Th. *p.* 1. *q.* 76. *a.* 3. *in c.* At verò in Hippocratis ſententia, quam Sennert. amplectitur, Anima eſt in ſemine, & per ſemen à Genitoribus traducitur, & quia duplex ſemen ſecundùm ipſum, & ſecundùm veritatem etiam ad generationem concurrit maſculeum & fœmineum, utrumque autem eſt animatum, de neceſſitate ſequitur, Animam Animæ miſceri, quod & admittit Sennert. rationibus, de quibus apud ipſum, quas omninò inanes eſſe ſuo loco demonſtrandum.

Sed ad hanc ipſam opinionem ſequitur, quòd Anima Rationalis ſit forma imperfecta, & incompleta, & idcircò neceſſe ſit, ut perficiatur, illam cum alia miſceri, nempe illam, quæ eſt in ſemine viri miſceri cum ea, quæ eſt in ſemine mulieris, ut ex utriuſque unione fiat forma perfecta & completa, conſtituens Hominem in ſuo eſſe. Sed ſi Sennerto Anima Ratio- 46
nalis immortalis eſt ens per ſe eſt ſubſiſtens, & ens completum, ac perfectum, nam ſi per additionem perfici poteſt, non poteſt eſſe immortalis, & ſi eſt ens 47
perfectum, non eget, ut alteri uniatur, nam perfecto nihil addi poteſt, deficeret enim, quod eſt impoſſibile. Aver. *lib.* 1. *Cali. comment.* 4. neque ut ens per ſe 48
ſubſiſtens

ſubſiſtens poteſt alteri miſceri, aut uniri, quia præterquam quod, ut dictum eſt, ex duobus entibus per ſe non poteſt unum ens per ſe fieri, nullum dari poteſt medium, per quod hæc entia uniri poſſint, ſed quãtoperè detrahit nobilitati Animæ humanæ, hic Sennertus, dum vult eam ex eo quòd partialis, & incompleta forma ſit, uniri alteri, ut perficiatur? certè hoc pacto idem erit Hominis fatum, & Brutorum, Animã miſcibilem, & alterabilem, ut Bruta, ſortiti, & ſic comparat nos jumentis inſipientibus, & nos illis ſimiles facit, corruptioni etiam ſecundùm Animam addictos.

Neque ullo modo ſubterfugere poteſt Sennertus, ubi dicat, Animam Rationalem non idcircò dici poſſe corruptibilem, quia ex traduce habeatur, cùm diverſum quid ſit, Animam ex ſemine traduci, & illã
49 ex materia generari, quia generari ex materia, eſt, Animam ex materia fieri & produci de non eſſe ad eſſe, cùm generatio ſit de non eſſe. Ariſt. *lib. 1. Phyſ. text. 21.* ſed traduci, & propagari ex materia, eſt, Animam Generantis communicari per ſemen, & per ipſum propagari; ita ut ex eo fieri poſſit novum Animal ſimile Generanti. Sed hoc ſubterfugium nihil illi ſuf-
50 fragatur, quia etiamſi non idem abſolutè ſit. Animam generari, & illam traduci ex ſemine, tamen traduci ex ſemine eſt aliquo modo generari, quod autem aliquo modo generatur eſt corruptibile, Ariſt. *lib. 1. Cœli tex. 31. & ibi* Aver. *in cõ.* unde Ariſt. non ſimpliciter dixit, *quod generatur eſt corruptibile*, ſed addidit, *quod aliqua ratione generatur eſt corruptibile*, unde ſi Anima Rationalis ex traduce habetur, aliquo modo generatur & ſi cum altera eſt miſcibilis, alterabilis, & corruptibilis eſt. Sed contra hanc ipſam Sennerti concluſionem objiciebant aliqui, quòd ſi Anima ex traduce in ſemine adeſſet cùm ſit forma ipſius Hominis, ſemen eſſet Homo. Sed huic argumento (quod cogitanti non fecerim, quanti aliquos feciſſe novit) reſpondet Sennertus, non poſſe ſemen humanum, etiamſi habeat Animam, dici Hominem ob diverſitatem conſtitutionis ſui corporis, quia Anima nõ exercet ſuas operationes in ſemine, prout, exercet in corpore perfecto ipſius Hominis, cum ſemen non ſit adhuc orga-
51 nizatum, & Anima non poſſit organis deſtituta ſuas operationes exercere, & idcircò ſemen, licet ſit animatum, Homo dici non poteſt: nam in plantis etiam, cæteriſq; viventibus idẽ verificatur, quia neq; ſemen Papaveris, neq; Lactucæ, Papaver, aut Lactuca eſt, neque ſemen equi, nec Canis, equus, aut Canis eſt, cum corpus ſeminis earum Plantarũ, eorumq; Animalium, non ſit ita ſuis organis inſtructum, ut Animæ earum Plantarum, eorumque Animalium operationes ſuas exercere valeant. Huic tamen reſponſioni obſtare poſſet, quòd ad alicujus viventis eſſentiam ſatis eſſe videtur, ſi aliquæ operationes animæ in eo appareãt, neque eſſe neceſſarium omnes ſimul apparere, nam in
52 recenti fœtu non omnes operationes apparent, ut in animali perfecto. Modò certũ eſt, in ſemine apparere operationes Animæ, dum Anima illi communicat vitam, & fœcunditatem, itaq; ſi Anima aliquam ex ſuis operationibus in ſemine exercet, ut patet, & Anima eſt forma dans eſſe rei, tantundem eſt dicere, ſemẽ Papaveris aut Lactucæ, & ſemen equi, aut Canis habet Animã, ac ſi dicas ſemẽ Papaveris, & Lactucæ eſt Papaver, & Lactuca, & ſemen equi, & Canis, eſt Equus, & Canis, non in potentia quidem tantum, ut aliquis interpretari fortè voluerit, ſed in actu, nam in actu eſt dum operationes exercet ad ſe pertinentes.

53 Verum enim verò pro Sennerto ad illud argumentum reſponderi poteſt, quòd vivificatio ſeminis non eſt operatio peculiaris alicujus Animæ, ſed univerſalis conveniens omnibus Animabus, ita ut denominatio corporis viventis non debeat à vivificatione deſumi, ſed ab operationibus huic Animæ propriis, nempè quæ ab ea emanare debent prout eſt talis Anima per traducem a Genitore, putà Papavere, Lactuca, Equo, Cane, ſemini communicata; quamvis ergò ſemen Papaveris, & Lactucæ, & ſemen Equi, & Canis habeant Animam, non poſſunt dici Papaver, Lactuca, Equus, Canis actu, quia Anima adhuc non exercet in ſemine operationes, quales Natura Papaveris, Lactucæ, Equi, Canis requirit, ſed eas tantùm quæ illi competunt, ut formæ univerſali, qualis eſt vivificatio, & fœcundatio, unde nullæ ex aliis operationibus in ſeminibus apparent, quæ in jam productis animalibus, quarum ſingulæ diverſificantur in unoquoque ſecundùm proprietates ſuæ ſpeciei convenientes, & in ſumma non adaptari poſſent ſemini animalium, quæ ipſis animalibus adaptantur, habent enim ſemina naturam particularem ſemini, ut ſemen convenientem, hoc eſt vitam, & fœcunditatem, & nihil ultrà.

Sed quamquam hæc tueri poſſunt Sennerti opinionem in eo, quod reſpicit animas materiales, & corruptibiles, nequaquam eam tueri poſſunt in eo, quod reſpicit Animam Rationalem, quia cùm hæc de foris adveniat, & ſit immortalis, non poteſt traduci cum ſemine à Parentibus, quod ſi ſecus eſſet & ſemen haberet Animam Rationalem, ſemper eſſet verum dicere, ſemen Hominis eſt Homo: non enim idem poteſt eſſe de Anima Equi, & Anima Hominis, in ſemine Equi, & ſemine Hominis exiſtente, quia in ſemine equi poteſt eſſe Anima, quæ ut univerſalis forma Animalium perfectorum communicet ſemini vitam, & fœcunditatem abſque eo, quòd poſſit dici, illud ſemen eſſe Equum, quia non magis convenit ſemini equino vita, & fœcunditas, quàm conveniat ſemini Canino, Bovino, Suillo, & reliquis, cum ea operatio ſit communis omnibus viventium Animabus, ut dictum eſt. At verò Anima exiſtens in ſemine Hominis, ex ipſius Sennerti aſſertione, eſt Anima Rationalis, quæ diverſificat illud ab omnibus aliis ſeminibus, & cùm ſit forma hominis, ſemen illã dotatum, 54
erit Homo, ſed ſemen equi etiam dotatum Anima equi, non eſt equus, quia illa Anima informat ſemen ut materiam quandam ab equo deciſam, neque poteſt dici forma equi quemadmodum Anima Rationalis eſt forma hominis: ſed quomodo ſalvabit Sennertus, ſemen traducere ſecum Animam à Genitore, cùm cogatur (nec pudeat illum aſſerere) Animam reſidentem in ſemine Viri eſſe formam partialem, & incompletã, perfici autem, & totalem formam fieri per unionem cum Anima exiſtente in ſemine Mulieris? certè inferiorem facit Hominis conditionem, quàm Plantarum, aut quorumcunque vegetabilium, quæ ſemina generant animata, & perfecta in ſuo genere, & non indiga, ut ab alia Anima perficiantur. Neque valeret dicere, quòd non ideò Anima Rationalis in ſemine alterutrius ex Genitoribus exiſtens dicatur imperfecta, quia verè imperfecta ſit, ſed quia uniendo ſe Animæ exiſtenti in ſemine alterutrius magis perficiatur: Nam hoc modo forma ſubſtantialis ſuſcipe- 55
ret magis, & minus; contrà Ariſtot. *lib. 8. Metaphyſ. text. 10.* & D. Th. *par. 1. quæſt. 76 art. 4. ad 4.* præterquam ſequeretur, Deum creare Animam nobiliſſimam diminutam, & imperfectam; nam quandocunque hæc Anima ex traduce habeatur, neceſſariò ſequitur (quod & admittit Sennertus) ipſam eſſe dimidiatam, & partialem formam, cùm ea non ex 56
ſemine Viri tantùm ex una, ſed ex ſemine quoque Mulieris ex altera traducatur: Sed profectò, licet Sennertus ex induſtria diſſimulet, & Animæ Rationalis

immor

immortalitatem negare non audeat, tamen ſub ea opinione traductionis Animæ per ſemen, latet Anguis, ita ut qui ejus dicta intùs, & in cute perſcrutari, & ad trutinam revocare voluerit, non obſcurè videbit, illum, etiamſi verbis contrarium profiteatur, de Rationalis Animæ immortalitate intrinſecè nullo modo benè ſentire. Et quanam ratione de immortalitate Animæ benè ſentire poteſt, qui eam cum ſeminis materia ita unitam, & hærentem facit, ut velit
57 nolit, firmare cogatur, ipſam cum ſemine perire, & in auras evaneſcere quandocunque ipſum ſemen à Generante deciſum irritum evadit, neq; ut à Natura conſtitutum eſt, concipitur? nam ſi interroges Sennertum dicens, ſi Anima cum ſemine à Genitore traducitur, quid fiat Animæ illi in ſemine Viri, aut Mulieris exiſtenti, cum per ſomnij ludibria, aut alio quocumque modo eorum alteruter ſemen excernit? neſcit Sennertus ſe ab hac interrogatione extricare: undè licet profiteatur nolle ſe Theologica auctoritate, cum de his diſputat, contendere, ſed Phyſico tantùm diſcurſu ſuas aſſertiones roborare, confugit
58 tamen ad Benedictionem divinam dicens, *Benedictionem illam divinam, & dona illa gratiæ, quæ ſemini, & Animæ utriuſque Parentis in conceptione conjunctæ libertina voluntate, & ordinatione Dei conceſſit, nullo modo ſemini alterutrius Parentis ſeorſim exiſtenti, nec eo modo, qui ad generationem neceſſarius eſt, effuſo, tribuenda eſſe.* Sed dato uno abſurdo, neceſſe eſt, plura inde conſequi. Si ex benedictione divina tam homini, quàm cæteris viventibus impertita factum eſt, ſecundùm ipſum, ut ſemen humanum ad inſtar ſeminum quorumlibet cæterorum viventium Animam à Progenitoribus ſecum trahat, ut Anima Progenitorum hoc modo propagata, & multiplicata ſpeciem humanam per productionem novorum hominum ſervandam curet, hæc benedictio reſpiciet primò fœcunditatem ſeminis, quàm ipſius conceptionem, vel Hominis productionem per ſemen, faciendam, nam concipi non poterat ſemen, niſi fuiſſet fœcundum; at neque poteſt eſſe fœcundum, niſi vivat, ne-
59 que vivere, niſi habeat Animam; ergo ſemen, antequam concipiatur, vivit, quia eſt fœcundũ, & ſi vivit, habet Animam. Adde: fœcunditas ſeminis vel eſt proprietas à Natura, vel nom, ſi eſt à Natura, ſemper erit fœcundum, & ſemper vivet, & habebit Animam, quia proprium ſemper ineſt, & nunquam ſeparatur
60 ab eo, cujus eſt proprium, D. Thom. 1. 1. *quæſt.* 72. *art.* 8. nam id, quod ſecundùm ſe convenit alicui, eſt inſe-
61 parabile ab ipſo, idem D. Tho. *ibid. quæſt.* 75 *art.* 6. *in c.* ſi autem non ſit à Natura, quandò ſemen habebit Animam, erit per accidens, & poterit eam habere & non habere; quod præter omnem rationem eſt, quia de Natura ſeminis eſt, & ita ab ipſa eſt deſtinatum, ut fœcunditate poſſit ex ſe aliud generare ſimile generanti ad ſpecierum conſervationem: ſemen ergò ſemper habebit Animam, & quandocunque irritum evadit per pollutionem, aut per inanem conceptionem, aut quomodolibet, de Anima ejus ſeminis tenebitur Sennertus rationem reddere, qui nullo modo ſe benedictione illa divina tueri poteſt, neque ulla ratione ſubterfugere, quin coactus fateatur, Animam in eo ſemine reſidentem, quod irritum fit, in auras evaneſcere, & corrumpi, quod tantò majorem veritatem habebit, quantò verius credit ille, Animam in alterutro ſemine exiſtentem eſſe partialem, ac diminutam formam, & Animam potiùs monſtrificam, quàm veram Animam Rationalem, unde in multò pejora abſurda ſe præcipitem dare cogitur.

Præterea, ſi benedictio illa divina in tantùm efficax eſſe debuit, in quantum ſemina eo modo, qui ad generationem requiritur, ſimul conjunguntur, conditionalem eam eſſe oportuit, non abſolutam, contrà quàm in textu ſacræ paginæ appareat, in quo cunctis viventibus atque Homini ſpecialiter, tam æqualiter fuiſſe impertitam enarratur. Quòd ſi ſit conditionalis, reſtringitur ad effectum conceptionis ab ipſis ſeminibus ſimul concurrentibus ſecuturum; atque hoc modo vel ſemina tunc recipere Animam per benedictionem divinam firmandum, cum concipiuntur, & in ipſo actu conceptionis, vel eam recipere in actu deciſionis à Progenitorum corporibus; utrum autem dicas, repugnat, quòd Anima ex traduce habeatur; nam quomodocunque eam ſemina recipiant, vi benedictionis divinæ erit, non vi Animæ Progenitorum; quia ſemina per ſe ſunt indifferentia ad conceptionem, & ad ſimplicem effuſionem ex corpore ſeminantis, & tam fœcundum ſemen eſt, quod ſimpliciter ejicitur, quàm quod ejicitur ut concipiatur: cum ergo ſemina Animam ex Sennerto non recipiant, niſi concipiantur, quia tunc benedictione illa divina ad illam recipiendam apta reddantur, non poterit Anima Rationalis ex traduce cum ſemine ex ſua natura haberi.

Denique per benedictionem illam divinam vel ſemina ſunt animata ante conceptionem, vel animantur in ipſa conceptione: ſi ante conceptionem, ergo ad illud redire cogimur, quod ſeminis effuſione ſtuſtratoria exiſtente, ſic etiam fruſtratoria divina benedictio, cùm ſemen illud ad generationem, accretionem, & multiplicationem creaturarum fruſtrà ſit effectum. Quod ſi dicamus, ſemina in ipſa conceptione recipere Animam vi benedictionis divinæ, non habebitur Anima ex traduce, ſed potiùs ab extra adveniet per divinam illam benedictionem, & habemus intentum, hoc enim illud eſt, quod volumus, Animam ſcilicet Rationalem ex traduce non haberi: ſed ab extra advenire, & à Deo Optimo Maximo momento creatam infundi.

Ulteriùs, cùm pateat quandoque ex unico con- 62
cubitu fieri multiplicem conceptum, quando nimirum ſemen in plures partes funditur, quod experientia quotidiana conſtat, & docet etiam cum Hippocr. *in lib. de Nat. Puer. num.* 44. *& lib.* 1. *de Diet. n.* 25. *& alibi*, univerſa Medicorum Schola, edocendum eſt in Sennerti ſententia, quomodo ex eo ſemine, quod unica Anima ſecundùm ipſum dotabatur, duo individua produci poſſint, quorum utrumque ſuam Animam habeat. Scio, Sennertum reſponſurum quod Anima illa reſidens in ſemine ad diviſionem ipſius ſeminis ſit in duas diviſa, quod ille non putat abſurdum, nam credit idem evenire poſſe de Anima Rationali, non obſtante quòd ſit immaterialis, & immortalis, quod evenit de Animabus cæterorum viventium materialibus, & mortalibus; ſed eo ipſo quod Anima eſt immaterialis, neque 63
per ſe, neque per accidens patitur ad ipſius materiæ diviſionem dividi. D. Thom. *p.* 1. *quæſt.* 71. *art.* 8. *in c.* quia à materia eſt ſeparabilis, & compoſito corrupto, per ſe ſubſiſtit abſque materia, & ad materiæ diviſionem illam abire à ſubjecto oportet, unde ſuccedit compoſiti corruptio, ſeparata forma à materia, Averr. *lib.* 4. *Phyſ. comm.* 17. *& lib.* 4. *Cæli. comm.* 25. Hinc ergò deducendum, quòd, ſtante 64
Animæ immortalitate, oporteat in ea ſeminis diviſione, illam à ſemine avolare, & ſemen corrumpi, non ſecùs ac Animalis cadaver Anima denudatum, nunquam igitur poſſibile eſſet in Sennerti ſententia ex ſemine Genitorum in plures partes diviſio plures naſci poſſe fœtus humanos, quod contra experientiam eſt.

Verùm

Verùm ad ſuas aſſertiones roborandas Sennertus pluribus utitur argumentis, quorum nonnullis, imò eorum pluribus, ne omnibus dicam, ex prædictis, ſatisfieri poteſt : nam quocunque ſe vertat, dum confundit Animas materiales, & immateriales, corruptibiles & incorruptibiles ; pugnantia, & erronea, & nullo modo utriſque indifferenter adaptabiles afferet. Pro nunc autem unico argumento, quod ille plurimi facit, ſatisfaciendum, firmans, non præjudicare Animæ Rationali, quòd ex traduce habeatur ; argumentatur ergo hoc modo : *Anima Rationalis non eſt eſſentia per ſe completa, ut Angelus, ſed eſt pars altera Hominis, qua corpus informat ; unde ſicut ſocietas illa corporis nihil ejus nobilitati, & immortalitati*
65 *derogat, ita nec ejus propagatio cum ſemine præjudicare illi poteſt* ; ſed primò negatur, Animam Rationalem eſſe eſſentiam incompletam, cùm ſit ens per ſe ſubſiſtens, D. Thom. *par. 1. quæſt. 75. art. 2. in c.* & in tantum dicitur pars Hominis, in quantum eſt forma corporis humani, quod componitur ex materia, & forma : unde corpori aſſociata conſtituit Hominem : at verò à corpore ſeparata, eſt totum quid per ſe, à corpore, & in materia independens. Quòd ſi ex traduce cum ſemine haberetur, nunquam eſſet ens per ſe ſubſiſtens, nec à materia ſeparabile, quod incorruptibilitati, & immortalitati Animæ Rationalis eſt contrarium. Neque eſt par ratio Animæ
66 cum ſemine traductæ, & ipſi ſemini inhærentis, & Animæ corpus humanum informantis ; quia Anima cum ſemine traducta, non eſt ab ipſo ſeparabilis, & abſque ſemine ſaltem ante Hominis interitum nullo modo exiſtit, ſed Anima corpus humanum informans, eſt forma ipſius corporis ab ipſo corpore ſeparabili, & in ipſa conceptione Hominis, quia de foris advenit, & eſt à corpore independens (licèt eodem momento cum ipſo corpore creetur ; & infundatur abſque eo quod ſola exiſtat ante conceptionem) & poſt Hominis interitum, quia poſt mortem Hominis vivit, & immortalis eſt, ut
67 non diffiteatur etiam ipſe Sennertus. Qui tamen videns oppoſitionis vim in eo argumento, quod ſi Anima eſſet ex traduce, & cum ſemine propagaretur, de neceſſitate eſſet mortalis, neque valens hunc nodum ſolvere, confugit ad Dei voluntatem tanquam ad Aſylum, quod indignum hujuſmodi Philoſopho eſt, qui profitetur ſe Phyſicis tantùm rationibus, non Theologicis contendere, inquit ergo : *Modus generationis nihil facit ad eſſentiæ corruptibilitatem, vel incorruptibilitatem, ſed ea ſimpliciter à voluntate Creatoris Dei dependet, qui omnia, cùm non exiſterent, ex nihilo fecit, ac ne in nihilum relabantur, ſuâ potentiâ, quandiu, & quamdiù placet, conſervat, ſine qua voluntate divina, & peculiari erga Homines gratia ſi fuiſſent formæ humanæ, non minus perituræ erant, quàm Brutorum.* Sed vide quorſum evadat hujus Doctoris pervicacia, dum enim ſententiam ſuam de traductione Animæ Rationalis per ſemen tueri ſatagit, voluntatem divinam ſuæ hæreſi accommodare nititur, dicitque Deum, etiamſi Anima Rationalis immortalis futura eſſet, voluiſſe, ut per ſemen propagaretur : At contra dicimus nos, Deum, quia Anima Rationalis à ſe creata erat immortalis, noluiſſe, ut per ſemen ad inſtar Animarum mortalium propagaretur, etenim hæ ut generabiles, & corruptibiles Naturæ muneri commiſſæ ſunt, ut ex ejus virtute cum ſemine, & per ſemen traducerentur, & propagarentur ; illam ut ingenerabilem, & incorruptibilem ſuæ potentiæ creandam reſervavit, quod ſatis ſuperque patet ex prima utriuſque Animarum procreatione, ut aliàs dictum eſt : cæteras enim ex materia produci ſimul cum corporibus voluit, Rationalem verò ipſe immediatè creavit inſpirans in Hominis faciem ſpiraculum vitæ, unde factus eſt in Animam viventem. Quemadmodum ergo nullam communionem cum materia habuiſſe Animam Adæ in principio à Deo creatam conſtat, ſic neque eæ, quæ poſt abſolutam Mundi creationem ſunt creatæ, & quæ in dies creantur, aut in poſterum creandæ ſunt, ullam cum materia communionem habere debent, neque ex ſemine, aut cum ſemine traduci. An non igitur magis ex dignitate, & magis rationabile eſt, nobiliſſimam creaturam ad imaginem & ſimilitudinem Dei reſpectu Animæ tantùm factam, noſtro, quàm Sennerti modo ſuam ſpeciem propagare, ac conſervare debere per ipſius Animæ immortalis infuſionem ab ipſo Deo immediatè creandæ, non autem per traducem ex materia, ut Brutis ſuas ſpecies conſervandas juſſit ? Quomodo etiam Anima, ſecundùm quam tantùm ad Dei imaginem factus eſt
68 Homo, D. Thom. *p. 1. q. 3. art. 1. ad 2.* ad Dei imaginem factam fuiſſe dici poteſt, ſi ex materia, & cum materia, & ab ipſa materia coinquinata à Parentibus traducitur ? Reddat igitur cauſam Sennertus, cur maluerit Deus ſpeciem humanam ſuo, quàm noſtro modo conſervari, nam quòd ſic voluerit, & non aliàs, gratis affirmatur, nos autem propter commemoratam cauſam ex dignitate, & nobilitate Animæ Rationalis deſumptam, aliam etiam annectendam habemus, quæ ſequens eſt.

Dictum fuit ſuperiùs, Animas cæterorum Ani- 69
malium etiam perfectorum, inquam, in ſemine Genitorum reſidere, & cum ipſo ſemine traduci, eſſe tamen formas partiales, & incompletas in alterutro ſemine, cùm ad generationem & maris, & fœminæ ſemen requiratur, quod de formis materialibus dictum non eſt abſurdum, ſed veritati omninò conſonum : quoniam autem non ſemper ex conjunctione maris, & fœminæ ſequitur conceptio, unde ſemina irrita fiunt, & Animæ in ſimilibus reſidentes in nihilum abeunt, id quidem nulli curæ, ut ſic dicam, Deo Opt. Maximo fuit, cui tamen alia ex parte ſummæ curæ fuit, ne Anima humana ab ipſomet Opifice ad ſui imaginem creata, quandocunque ſemen humanum irritum foret, corrumperetur, & in nihilum abiret, cùm illam immortalitate donaſſet ; quod quidem de neceſſitate ſecuturum erat, ubi anima humana in ſemine ut brutina reſideret, & cum ſemine à progenitoribus traduceretur. Oportuit ergo, imò voluit, Animam humanam ſeorſim creare, & infundere momento in ipſa ſemina jam in utero muliebri concepta.

Verum enim verò tametſi quæ allata ſunt ſatis ſuperque convincere ipſum Sennerrum poſſint, non deſunt alia quamplura, quibus ille cedere omninò cogitur. Opponebant autem nonnulli Docto- 70
res, quòd, cum conceptus non ex unico ſemine maris fiat, ſed ex eo ſemini muliebri unito, ut aliàs dictum eſt, Sennerto quoque conſentiente, quandocunque conceptus ſuccedat, ex duplici Anima illum compaginari neceſſe erit, unumquodque enim ſemen tam virile, quàm muliebre traducit Animam peculiarem à proprio Genitore : Hinc 71
difficultatem diluiſſe ſe putat Sennertus dicendo, *quod ſicut Anima non ſolùm eſt tota in toto, ſed tota in qualibet parte, puta in Cerebro, in Corde, in Oculo, in Aure, nec tamen inde ſequitur ex multis Animabus unam componi, ſed ſemper hoc manet verum, unam tantùm eſſe Animam, quæ informat totum, & omnes,*

ac ſingulas partes : ſic licet dicatur, ſemen tam maris, quàm fœminæ animatum eſſe, non ſequitur, ergò Anima ex duabus animabus componitur. Sed hæc reſponſio videtur omnino Philoſopho indigna, quia non eſt idem dicere, quemadmodum Anima eſt tota in qualibet parte corporis, puta in Cerebro, in Corde, in Oculo, in Aure, nec tamen componitur ex pluribus Animabus, ita licet Anima ſit tota in duobus ſeminibus maris, & fœminæ, quando ex iis fit conceptus, non componitur ex duabus Animabus non eſt idem, inquam, quia Cerebrum, Cor, Oculus, Auris ſunt partes unius, ejuſdémque corporis, unius ejuſdemque ſubjecti, unius ejuſdemque Animalis, nec ſeparatæ ab ipſo Animali exiſtunt, ſed ſemen maris, & ſemen fœminæ ſunt duo corpora, & duo ſubjecta ab invicem disjuncta, habentia unumquodque ſuam propriam Animam, cum deciſunt à corpore generantium, ut ipſe aſſerit, unde ut fiat unus Homo, neceſſe eſt corpus compaginari ex his duobus ſeminibus habentibus duas Animas. At Anima informans corpus Hominis recipitur in unico ſubjecto, ac toto, & partibus ejuſdem ſe communicat, Anima verò quæ ſeorſim exiſtit in alterutro ſemine, recipitur in alio ſubjecto, & unaquæque per ſe conſtituit unum ens per ſe, ita ut duo ſemina humana (ſuppoſita ea falſitate, quòd per ea Anima Rationalis traducatur ex Genitoribus) habeant duas Animas realiter ab invicem diſtinctas, unumquodque ſuam; itaque tantundem eſt dicere, conceptus humanus fit ex duobus ſeminibus traducentibus Animam Rationalem unoquoque ex ſe à propriis genitoribus, ac ſi dicatur, conceptus humanus fit ex duabus Animabus ſeminibus inhærentibus, vel ex duobus hominibus ſimul junctis; nam Anima Rationalis ex ipſius aſſertione eſt immortalis, & eſt ens per ſe ſubſiſtens, ita ut aut quod in Viri, aut quod in mulieris ſemine reſideat, utrobique conſtituat unum ens per ſe ſubſiſtens: vel ergò quando fit conceptus unam Animam alterutrius perire neceſſe eſt, quia ex duabus fit una tantùm, vel fieri unum ens per ſe ex duobus entibus per ſe, & fieri hominem ex duabus Animabus dotatum hoc modo duabus formis ſubſtantialibus, ac totalibus, quod eſt impoſſibile, ut jam ſuperiùs probatum eſt. Nec quicquam de difficultate demit Sennertus dicendo, quòd Anima exiſtens in alterutro ſemine ſit forma tantùm partialis, & incompleta, imò majorem in modum ſe implicat, & in multò graviores errores, & falſas, ac deliras propoſitiones labitur, facit enim Animam Rationalem, quæ immortalis, & immaterialis eſt, ut toties eſt dictum, materialem & corruptibilem; ut quæ additione alterius perfici ſit apta; quod quàm erroneum, ac impium ſit aſſerere, ſanæ mentis homines facilè dijudicabunt. 72

Cæterùm, tametſi nolim cum Sennerto Theologica veritate contendere, non deſiſtam tamen unica Theologica inſtantia ejus deteſtandam, ac hæreticam opinionem de traductione Animæ Rationalis convincere. Dico ergò, ſi verum eſt, Animam Rationalem ex traduce haberi, ſequitur de neceſſitate, Chriſtum Dominum non fuiſſe verum, ac perfectum Hominem, contra id, quod à Catholica doctrina docemur, quia cùm in Chriſti Domini conceptione defuerit virile ſemen, nec non etiam muliebre, ſi plurimis Theologis fidem habemus negantibus cum Ariſtotele, mulierem conferre ſemen neceſſarium ad generationem (quorum tamen opinionem univerſus Medicorum conſenſus, ſenſu ipſo duce, non eſſe Naturæ conformem oſtendit) non potuit ejus Anima ex traduce haberi. Ergò ſi cæteri Homines 73

Animam ex traduce recipiunt per ſemen Genitorum, Chriſtus Dominus non fuiſſet verus Homo. Sed contra Chriſtus Dominus fuit verus, ac perfectiſſimus Homo, nihil à cæteris hominibus differens in quantum Homo, verumque ac terrenum corpus, veramque humanam carnem, ac veram Animam Rationalem aſſumpſit, ut Theologi docent, D. Thom. *part. 3. ſumm. quæſt. 5, art. 1. & ſeqq.* neque debuit Animam per ſemen ex traduce recipere, quia neque alij homines Animam ex Parentum ſemine recipiunt, ſed debuit ejus Anima, cum Homo factus eſt, creari in ipſo momento conceptionis, & infundi, ut creari & infundi conſtat omnes alias Rationales Animas, contra id, quod peſſimè ſibi *Sennertus* perſuadet. Nec quicquam faceret pro tutela illius ſententiæ, ſi diceremus, Animam Chriſti Domini traductam fuiſſe ex puriſſimo ſemine illibatæ Virginis Mariæ, nam nec ſic quidem fuiſſet verus, ac perfectus, ſed dimidiatus Homo, ac mancus, quia cùm in ejus ſententia Anima exiſtens in ſemine Alterutrius ex parentibus ſit forma partialis, incompleta, & imperfecta, & idcircò inſufficiens ad conſtituendum Hominem, niſi conjungatur, & uniatur ſemini alterius, & ex ea unione evadat forma totalis, & completa, deficiente Anima, quam ſecum traducere debuit ſemen viri ad conceptionem Chriſti Domini non concurrens, Chriſtus inde natus, imperfectus, & dimidiatus Homo fuiſſet, imò Hominum omnium Homo imperfectiſſimus, quia defeciſſet ab illa perfectione, quam cæteri homines habent à ſemine virili quæ major eâ abſque dubio eſt, quàm habent à ſemine mulieri, imò non habuiſſet veram Hominis Animam, ſed falſam, ac monſtrificam, qualem vult *Sennertus* eſſe Animam illam partialem alterutrius ſeminis. Sed hæc falſiſſima, & impia ſunt, cùm Chriſtus Dominus non ſolùm fuerit verus, ac perfectus Homo; ſed Homo Hominum omnium perfectiſſimus. Neque meliora afferret quiſquam pro Sennerto, dicendo, quòd potuerit Spiritus ſanctus ſupplere defectum ſeminis virilis, infundendo Animam, quam ex virili ſemine recipere debebat, quia neque ſic fuiſſet verus Homo; nam aut hæc Anima fuiſſet de propria ſubſtantia, & ſic non erat ejuſdem rationis cum Anima humana, aut eam de novo creaſſet, & inſinuaſſet puriſſimo ſemini, aut ſanguini Mariæ Virginis, & tunc præterquam quod non fuiſſet ejuſdem rationis cum Anima humana, quia non fuiſſet à Genitore per ſemen traducta, ut Animæ humanæ omnes ex ejus ſententia ſunt, vel creaſſet Animam perfectam, & habentem rationem perfectiſſimæ formæ ex ſe, aut creaſſet illam dimidiatam, & incompletam, qualem vult Sennertus ex traduce per ſemen virile haberi, & neutrum dici poteſt, cùm quomodocunque velit, mille majora abſurda conſequi neceſſe fuerit, & in ſumma numquam ejus Anima fuiſſet ejuſdem rationis cum aliis Animabus humanis; ſed jam his deliramentis omiſſis, ad alia, [D. Hieronymus negat Animæ Rationalis propagationem per traducem contra Tertullianum *in apol. 2. adverſus Ruffin.* Tertullianum tamen multi ſecuti ſunt, tam Medici quam Theologi. Inter recentiores eminet Thummius *Profeſſor Tubingenſis* antagoniſtam nactus VVagnereccium *Profeſſ. Dillinganum*. Sennerto inſuper opponit ſe Freitagius *tr. de form. Origine.* & Joannes Reiſoldus *peculiari tractatu.* Idem exequitur Jo. Galenus de la Serna *ſingulari invectivâ Bruxell. editâ.* 74 75

SUMMA

SUMMARIUM.

76 *Creatio est opus excedens omni ex parte Naturæ potentiam.*
77 *Anima Rationalis de novo creatur.*
78 *Naturæ commissa à Deo, quæ generabilia, & corruptibilia sunt.*
79 *Anima Rationalis ex nihilo fit, & à Deo immediatè creatur, & n.* 48.
80 *Hæreticum est, Deum nihil de novo creare.*
81 *Animæ Rationales non sunt omnes simul creatæ.*
82 *Deus quodvis in genere suo fecit perfectum.*
83 *Homo generans non communicat soboli animam, sed quicquid à forma materiali provenire potest.*
84 *Homo communicat suo semine materiam proximè dispositam ad recipiendam Animam.*
85 *Viventia non omnia uno modo ex benedictione divina crescunt, & multiplicantur, sed qualibet suo modo proprio, & specifico.*
86 *Quod est immortale non est generabile.*
87 *Quod fit, & non generatur, per solam creationem fieri necesse est.*
88 *Res simplex, & per se subsistens non potest fieri nisi per creationem.*
89 *Creatio soli Deo tribui potest.*
90 *Effectus excedens potentiam Causæ secundæ, referendus est ad primam, & n.* 123.
91 *Causa prima est magis efficiens, quàm secunda.*
92 *Creatio excedit Naturæ potentiam.*
93 *Natura ex nihilo non potest facere aliquid.*
94 *Quod non est, non generatur, non enim est unde generetur.*
95 *Creatio fit ex nihilo.*
96 *Naturæ potentia est finita.*
97 *Creatio requirit potentiam Agentis infinitam.*

Animam Rationalem de novo creari & infundi.

QUÆSTIO IV.

AByssus Abyssum invocat. Daniel Sennertus perversam, ac hæreticam opinionem suam tueri dum insudat, in multò pejores labitur errores. Existimabam profectò, quod, rejecta falsa illa opinione de traductione Animæ Rationalis per semen, demonstrando quantoperè ejus immortalitati adversetur, nullus fuisset relictus dubitationi locus, quin coacti firmemus, Rationalem Animam de novo à Deo creari, & infundi; nam rejecta illius traductione per semen, nulla alia ratio, nulla alia via reliqua esse videbatur, qua Anima possit humano corpori uniri, ut inde constituatur Homo; ille tamen ab erronea, ac prava sua opinione ne latum quidem unguem recedens, altera non minùs erronea, & hæretica conclusione priorem tueri conatur asserens, *Deum, postquam in principio cuncta creasset, requievisse ab omni opere, quod patrarat, & à creatione ita cessasse, ut nihil de novo amplius creaverit, nisi ex mira-*
76 *culo.* Hoc autem certum est, cùm ipsa creatio Animarum sit opus excedens omni ex parte Naturæ potentiam, nec Animarum solùm, sed quarumcunque rerum, quæ ex nihilo fiunt, ille autem suam assertionem ita intelligit, quòd post universalem rerum creationem Deus nihil extra ordinem Naturæ datum de novo creet: quem ordinem servari etiam vult in Hominis, seu potiùs in Animæ Rationalis productione, ut servatur indesinenter in productione quarumcumque Animarum reliquorum viventium: ex qua assertione infert, non oportere Animam Rationalem de novo creari, cùm ejus propagatio, & multiplicatio habeatur ex traductione ipsius per semen Progenitorum secundùm ordinem Naturæ à Deo assignatum in propagatione & multiplicatione cæterorum viventium. Sed hæc opinio non minùs, quàm superior falsa hæreticam pravitatem redolet, cùm ex Theologica veritate habeamus, Animas Rationales de novo in dies creari, D.Thom. *p.* 1. *summ. q.* 118. *art.* 2. *& seqq.* quasi Deus optimus maxi- 77
mus omni cura Rationalis Animæ ad sui imaginem factæ sese expoliaverit, & naturæ non secùs ac aliarum Animarum omnium negotium illius commiserit. Sed non potuit, ac debuit Natura, quæ causa secundaria est, & primæ causæ subjecta, in productione Animæ Rationalis, quæ immortalis, & incorruptibilis est, quicquam operari, cùm ejus curæ, & potentiæ ea tantùm commissa sint, quæ generabilia, & corruptibilia existunt, sed Anima humana corruptibilis non est, ut non diffitetur Sennertus, ergò neque generabilis. At si productio Animæ humanæ, Naturæ dicatur commissa, & corruptibilis & generabilis erit, quod absit, ut in mentem veniat, quia cùm ex nulla materia fieri possit, remanet, ut ex nihilo fiat, & non 79
generetur, sed ab ipso tantùm Deo immediatè creetur. D.Th. *p.* 1. *q.* 90. *art.* 1. ita ut omninò falsum, & hæreticum sit asserere, Deum nihil de novo creare, imò à perenni creatione Animarum Rationalium nun- 80
quam cessavit, neque unquam cessaturus est, nisi quandocumque ei libuerit, unde eorum quoq; opinio tanquam erronea damnanda est, qui licet non admitterent traductionem Animæ Rationalis per se men, voluerunt tamen omnes Animas Rationales uno eodēque tempore simul creatas esse, ut docet idem D.Th. *ibid. q.* 118. *art.* 2. Crediderim autem, hanc opinionem negantem novam Animarum Rationalium creatio- 81
nem non traxisse suam originem à priore illa de traductione per semen, sed potiùs è contra priorem illam habuisse originem à posteriori; cùm enim ille firmissimis quidem rationibus probasset Animam Rationalem in ipso primo conceptionis momento præsentem esse, adduci minimè potuit, ut sibi persuaderet, aliter Animam Rationalem, quàm irrationalem produci & cum hæc ex traduce habeatur, ut plenissimè probatum in superioribus est, illam quoque ex traduce, non verò per creationem fieri, ac præsentem esse in primo conceptionis momento voluit.

Potrò ad excludendam novam Animarum Rationalium creationem non omisit aliqua argumenta in medium afferre, ac dicebat primò, quòd ubi à Deo creata de foris adveniret, non esset Homo, qui generaret Hominem, & corrueret illud Philosophis persuasissimum, omne generans generare sibi simile: *Cum enim*, inquit, *Deus quodvis in genere suo fecerit* 82
perfectissimum, ac maximè Hominem, certè hic perfectus dici non posset, nisi haberet potestatem generandi sibi similem: at Homo Hominem generat, & quidem totus totum, quod asseverari non posset, ubi suæ soboli Animam non communicaret. Hæc ille. Non modò autem perfectus homo dici non posset, ubi non generaret sibi similem, sed & omnium animalium imperfectissimum, quia, ut dicebat Cæsalpin. *lib.* 1. *quæst. Peripat.* 1. *Quod sibi simile gignere nequit imperfectius esse, quam illud, quod potest, existimandum est.*

Huic argumento facilem responsionem habemus dicendo, non eandem esse rationem generantis, quando formam habet materialem, & corruptibilem, & generantis quando formam habet immaterialem, & incorruptibilem: nam generans habens formam materialem, communicat generato per semen Animam propriam quæ ad materiæ divisionem est divisibilis, & alteri per semen communicabilis, & sic secundùm ordinem Naturæ datum generat sibi simile & quoad materiam, & quoad formam. At 83
verò generans habens formam immaterialem, quæ est indivisibilis, non potest illum communicare suæ

ſoboli per ſemen, quia nequaquam ſemini eſt affixa, & nihil commune habet cum materia, ſed tamen communicare ſoboli quicquid à forma rationali provenire poteſt, & cum materia hærere; unde communicat ipſam materiam cum proxima diſpoſitione ad recipiendam formam, quæ cùm ſit immaterialis, non poteſt ullo modo à generante per ſemen communicari, nam oporteret talem Animam aliquo modo in ipſo generante ineſſe, quod nequaquam
84 poſſibile eſt: & tamen licet Homo non communicet ſuæ ſoboli Animam, communicat materiam proximè diſpoſitam ad recipiendam Animam Rationalem, D. Thom. *p.* 1. *cit. q.* 118. *art.* 2. *ad* 4. atque hæc ratione cætera viventia ſecundùm Naturæ ordinem generant ſibi ſimile communicando quidem ſoboli materiam, & formam, Homo verò generat ſimile communicando ſoboli materiam diſpoſitam ad recipiendam formam; quanam autem ratione, & à quo diſponatur ſemen humanum ad recipiendam Animam Rationalem, deinceps monſtrabo. Falſum ergo eſt, quòd ſit neceſſarium ad hoc, ut Homo dicatur generare ſibi ſimile, quòd totus generet totum, nempè quod conſtans ex Anima, & corpore, generet & Anima & corpore conſtantem hominem, cùm diverſa ſit omninò ratio, qua dicatur Homo generare ſibi ſimile, ab aliis animantibus, nam in Homine ſufficit, ut generando præſtet materiam, ut dictum eſt, diſpoſitam ad recipiendam Animam Rationalem, quæ eſt propria illius forma, in cæteris verò viventibus neceſſe eſt, ut generans, materiam & formam communicet, aliter non generaret ſibi ſimile: & in ſumma cùm Homo generet corpus humanum figura humana dotatum, tantoperè ab aliorum Animalium figura in tot tantiſque rebus differens, etiamſi Animam de ſe ſoboli non communicet, ſatis ſuperque eſt ad hoc, ut poſſit dici generari ſecundùm Naturæ ordinem, ut cætera quæcumque Animalia, ſibi ſimile.

Addit præterea Sennertus, quòd ſi Anima de novo creatur, Homo ut dictum eſt, non præſtabit Animam cum ſeminali materia, & ſic fruſtratoria erit benedictio illa divina in principio ejus creationis emanata illis verbis, *Creſcite, & multiplicamini*, quia ex ſe non poſſet, abſque eo quod communicet Animam, creſcere, & multiplicari: unde benedictio illa tantoperè cæteris viventibus proficua, Homini nullo modo extitiſſet proficua, cùm tantùm partem magis abjectam ipſius Hominis generare poſſet.
85 Reſpondeo tamen, Deum optimum maximum impertitum fuiſſe benedictionem illam cunctis viventibus, ut quælibet ſuo modo creſcerent, & multiplicarentur. Plantis nimirum per ſemina, per ſurculos, per ſtolones, per folia; oviparis per ova, perfectis Animalibus per genitale ſemen, & ſic de cæteris; quæ voluit habere, traducere, & conſervare Animas in materia, unde viverent, & propagarentur. Hominem autem voluit quidem creſcere, & multiplicari per genitale ſemen quoad corpus habens diſpoſitionem proximam ad recipiendam Animam Rationalem, quoad hanc enim ſibi omnem curam reſervari oportuit, quia cùm futura eſſet immortalis, non poterat in via Naturæ ab ullo agente produci; ſed erat ab ipſo ſummo Opifice creanda, & in ſemina infundenda. Non ergo irrita eſt benedictio illa divina quoad Hominem, ſed multò magis efficax quoad illam, quàm quoad cætera quæcunque viventia, cùm ipſemet ſummus Opifex immediatè, ſua potentia concurrat ad ſpeciei humanæ conſervationem indeſinenter creando novas animas in nova corpora infundendas, unde per nova individua Humana ſpecies propagetur, ac perpetuò conſervetur.

Denique Animam Rationalem nonniſi per creationem produci debere ſatis patet, quia quod eſt immortale non eſt generabile nam quod eſt generabile, ut dictum eſt, corruptibile ſimul eſt, Anima autem Rationalis eſt immortalis, vel ipſo Sennerto Aſſertore, ergò non eſt generabilis, & id, quod fit, & non 86 87
generatur, per ſolam creationem fieri neceſſe eſt; ſed Anima fit, & non generatur, ergo Animam fieri per ſolam creationem eſt poſſibile; ac præterea, res 88
ſimplex, & per ſe ſubſiſtens non poteſt fieri niſi per creationem, D. Thom. *p.* 1. *q.* 118. *art.* 1. *in corp.* ſed Anima Rationalis res ſimplex eſt, ac per ſe ſubſiſtens, ergò non poteſt niſi per creationem fieri; at creatio ſoli Deo tribui poteſt, ipſique ſoli convenit, 89
D. Thom. *ubi ſuprà, q.* 45. *art.* 5. *& alibi*, ergo Anima Rationalis ab ipſo tantùm Deo immediatè fit, & creatur; præſuppoſito autem creationis effectu, probatur illum Soli Deo tribuendum: nam effectus excedens potentiam cauſæ ſecundæ, referendus eſt ad 90
primam, quia exceſſus palam oſtendit ipſis cauſæ inſufficientiam, ergò effectus referendus eſt ad cauſam ſufficientem, ſed cauſa prima eſt magis ſuffi- 91
ciens, quàm ſecunda, ergò effectus excedens potentiam ſecundæ, referendus eſt ad primam; ſed creatio 92
eſt effectus excedens potentiam cauſæ ſecundæ, nempè ipſius Naturæ, quia Natura ex nihilo non poteſt 93
facere aliquid; Natura namque generat, *& quod non* 94
eſt, non generatur, non enim eſt, unde generetur, ut adſtruit noſter Hippocrates *lib.* 1. *de Diæt. num.* 5. ſed 95
creatio fit ex nihilo, ergò creatio excedit Naturæ potentiam, unde ſequitur, creationis effectum referendum ad cauſam primam nempè ad Deum; præ- 96
terquam quod Naturæ potentia eſt finita, ſed creatio requirit Agentis potentiam infinitam, D. Thom. *p.* 1. *q.* 32. *art.* 1. *ad* 2. *& q.* 45. *art.* 5. *ad* 3. ergo creatio non 97
poteſt referri ad naturam, ſed ad Deum tantum cujus potentia eſt infinita. Ex quibus concludentiſſimè probatum remanet, Animam Rationalem, cùm ex ſemine traduci, aut per ſemen propagari, aut ullo 98
alio modo generari non patiatur, cum immortalis ſit, & ingenerabilis, à ſolo Deo creari, & infundi. Sed videnda quæ contra traductionem Animæ Rationalis ex ſemine, atque de creatione ejuſdem Animæ Rationalis attulit Iac. Ant. Marta *in Apolog. de Immortal. Anima cap.* 4. [Vid. & conjung. Thonerus *epiſtol.* 22. Sinibaldus *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 9. Pariſanus *microc. ſubtil. cap. ult.*]

SUMMARIUM.

99 *Fœtus humanus per nullum unquam tempus ab alia Anima regitur, quam à Rationali.*

100 *In primo principio exortus cujuſlibet viventis Animam propriam præſentem eſſe, neceſſe eſt.*

101 *Quanam ſit differentia inter generationem cæterorum viventium & Hominis.*

102 *Homo per eandem formam eſt Ens actu, eſt Corpus, eſt Vivens, eſt Animal, eſt Homo.*

103 *Animal neque ſimul, neque ſucceſſivè poteſt dotari pluribus Animabus, & n.* 110.

104 *Nihil eſt ſimpliciter unum, niſi per formam unam.*

105 *Entia naturalia non poſſunt tranſire de uno eſſe ad aliud, niſi mutata forma ſubſtantiali.*

106 *Corruptio eſt ſeparatio formæ a materia.*

107 *A privatione ad habitum non datur regreſſus.*

108 *Vivens vegetativum, ſicuti nec ſenſitivum, non eſt capax Reſurrectionis.*

109 *Anima ſenſitiva non producitur per creationem.*

111 *Anima ſenſitiva non eſt ens per ſe ſubſiſtens, & eſt inſeparabilis à materia.*

112 *Nulla unio esse potest rei corruptibilis cum incorruptibili.*

113 *Deus operatur propter finem ex sua libera voluntate, Natura verò ex necessitate.*

114 *Leges differre voluerunt Fœtum inanimatum, ab Animato, unde consequens est; existimasse eas, fœtum non à principio conceptionis animari.*

115 *Leges in pluribus sequuntur placita sapientum in iis, quæ ad alias scientias pertinent.*

116 *Legislatores in imponendis pœnis, ubi diversitate opinionum concedatur, sequantur minorem sententiam.*

117 *Majorem vim infert procurans abortum maturioris fœtus, quàm teneriores.*

118 *Minor injuria infertur à procuratore abortum tenerioris conceptus, quàm provectioris.*

119 *Certa cognitio prægnantiæ ante quadraginta dies vix, ac ne vix quidem haberi potest.*

120 *Omnia quæ Natura, vel Arte fiunt, ab eo, quod actu est, fiunt.*

121 *Quo aliquid actu est, eo agit.*

122 *Corpora viventium pro nobilitate, & ignobilitate Animarum inter se differunt.*

123 *Perfectioris formæ debet esse perfectius susceptibile.*

124 *Corpus humanum excedit nobilitate, & perfectione quorumcunque Animalium etiam perfectiorum corpora.*

125 *Omnium Animarum nobilissima est Rationalis.*

126 *Nihil agere potest, ultrà suas vires.*

127 *Anima Rationalis cùm sit propriùs corporis actus, & forma, necessariò simul cum corpore producta est.*

128 *Anima Rationalis statim ac corpus est dispositum infunditur ex D. Thoma, & quomodo hoc intelligendum.*

129 *Corpus humanum ab Anima Rationali formari, & organizari.*

130 *Facultates sunt Animæ facultates, & non operantur per se, sed Anima operatur per ipsas.*

131 *Facultates non sunt ab Anima separabiles.*

132 *Facultates non migrant de subjecto in subjectum, & num. 136.*

133 *Anima ne per momentum quidem otiatur.*

134 *Anima inspirata à Deo in faciem Adæ fuit Rationalis, non vegetativa, & sensitiva solùm.*

135 *Conceptio immaculatæ ac beatissimæ Virginis fuit merè naturalis, nec in ea quicquam supernaturaliter intercessisse constat.*

137 *Non est Homo Embrio, nisi habeat formam Hominis.*

138 *Cætera viventia cum semine corpus, & Animâ soboli cõmunicant, Homo verò cum semine solum corpus.*

139 *Anima Rationalis nihil ad Genitores pertinet, cùm de foris adveniat.*

140 *Homo non solùm quoad Animam, sed quoad corpus, & quoad minimas corporis partes excellit cætera quæque animantia.*

141 *Corpus humanum assimilatur corpori cœlesti.*

142 *Inest in semine omnium viventium spiritus vivificus proportione respondens elemento stellarum.*

143 *Spiritus in semine humano residens nobilitate excellit Animas quorumcunque Animalium.*

144 *Spiritus residens in semine humano non est Anima sed Anima instrumentum.*

145 *Spiritus in semine residens in actu effusionis à toto, & à quibusque corporis partibus secedit.*

146 *Semen ipsum spiritus excretio est.*

147 *Per spiritum semen humanum disponitur ad receptionem Animæ Rationalis.*

148 *Homo subministrando suæ soboli in generatione semen Spiritu dotatum, etiam Animam non subministret, multò magis soboli confert, quam quodvis aliud animal, & n. 155.*

149 *Agentia etiam mobilia cedunt in causalitate nobilieri Agenti supervenienti.*

150 *Causa superveniens priori perfectior est.*

151 *Spiritus innatus ex Galeno est primum Animæ instrumentum.*

152 *Christus Dominus assumpta humana Natura, & unita suæ Divinitati Anima Rationali, hac in Divinitatis instrumentum cessit.*

153 *Anima Christi Domini omnium Animarum Rationalium nobilissima ac perfectissima.*

154 *Viventium omnium sublunarium generatio Naturæ à Deo commissa, etiam Hominis quoad corpus.*

Fœtum humanum nullum Anima ullo in tempore dotari, nisi Rationali, eamq; in ipso primo conceptionis momento, à Deo creatâ & infusam recipere.

QUÆSTIO Ult.

HUc tendit præsentis discursus universa series, nempè, ut firmiter, ac concludentissimè demonstremus, Fœtum humanum nullo unquam in tempore ab alia Anima regi, quàm à Rationali, 99
eamque in principio commixtionis seminum Progenitorum, & conceptionis eorum à Deo creatam, & infusam recipere: cujus propositionis veritate probata, plura, ac maxima absurda evitantur, quæ ex contraria sententia de necessitate emergunt, volente, Animam Rationalem nonnisi post aliquos, & multos dies infundi, interimque fœtum Anima dotari priùs vegetativa, ac deinceps sensitiva.

Ad nostram itaque sententiam comprobandam ea omnia facere possunt, quæ pro Animatione seminis cæterorum viventium adducta sunt; quippè cùm tam in productione cæterorum viventium ex semine genitorum, quàm in productione Hominis ex eorumdem Genitorum semine, necesse sit illico atque semina ipsa calorem concipiunt vel à Terra, vel à 100
Sole, vel ab incubante Ave, vel ab Igne, vel ab utero, & operationes vitæ præseferunt, propriam eorum Animam præsentem esse: dico propriam, hoc est, per quam futura sunt id quod sunt, nempe talia, & ejus speciei entia, qualia & cujus speciei sunt Genitores, à quibus semen derivatur, quia ab ipsa sola initium, & perfectio conformationis viventium, omniumque operationum vitæ in ipsis apparentium immediatè dependere debet, nihilque inter alia viventia, 101
& Hominem productio differt, nisi quòd semen cæterorum viventium Animam cum semine à Progenitoribus traducit, semen autem humanum Animam propriam cum primùm à Deo creatam, ac de foris infusam recipit, tamque hæc, quam illa statim in semine operari incipit, & corpus, atque organa efformare suo corpori destinata, quibus Anima tandem perfecti viventis operationes exerceat non solùm illi veluti individuo cuidam pertinentes, sed etiam pro speciei conservatione.

Verùm peculiariter nunc circa Hominem probandum à nobis est, etiam propriam ipsius Animam Rationalem dico in ipso primo conceptionis momento in Cymate, vel Embrione præsentem esse omnesque ac singulas operationes vitæ ab ipsa, non ab Anima alia aut vegetativa, aut sensitiva originem habere, *cùm una, & eadem forma sit per essentiam, per* 102
quam Homo est ens actu, & per quam est corpus, & per quam est vivum, & per quam Animal, & per quam est Homo, verba sunt D. Th. *p. 1. q. 76. art. 6. ad 1.* Ac pro- 103
fecto idem Animal pluribus Animabus aut simul uno eodemque tempore, aut successivè dotari, possibile nullo modo est, idem D. Th. *ibid. art. 3. in corp.* non simul, quia ut addit idem D. Thom. *Animal non* 104
esset simpliciter unum, cujus essent Animæ plures: nihil enim est simpliciter unum, nisi per formam unam, per

quam habet res esse, ab eodem enim habet, quòd sit ens, & quòd sit una. Et licet in humano fœtu conspiciantur operationes Animæ vegetativæ, & sensitivæ, non apparentibus ullis operationibus Animæ Rationalis, ut Rationalis est, non emanant tamen ab ulla Anima seorsim existente, quæ tantummodo vegetativa sit, aut sensitiva, sed ab ipsa Anima intellectiva, quæ simul, & vegetativam, & sensitivam facultatem habet, ejus enim facultas est vegetare & sensum tribuere ab ipsamet Anima Rationali fluens, quemadmodum vegetativa est facultas etiã Animæ sensitivæ non alterius Animæ à sensitiva sejunctæ, quia neque in cæteris perfectis animalibus, aut quibuscunq; aliis vegetate, & sensũ tribuere à duplici Anima originẽ ducit, sed vegetativa est facultas sẽsitivæ.

Neque itẽ possibile est, aliquod vivens habere duas Animas successivè, nempe, unam antè, eaque abeunte,
105 vel corrupta, aliam tempore sequenti, manẽte eòdem vivente, quia entia naturalia non possunt transire de uno esse ad aliud, nisi mutata forma substantiali, qua mutata vivens non est amplius idem, quod erat antè, quia compositum corrumpitur, cùm enim individua constituantur in esse per propriam formam mutata forma, mutatur eorum esse, & transeunt de uno esse ad aliud, maximè quia de necessitate, ut dictum est, illud primum vivens corrumperetur, separata forma à materia, nam nihil aliud est corruptio, nisi separatio formæ à materia, D.Th. *p.1. q.76. sup.cit. art.4. in corp.*
106 Averr. *lib.4. Phys. comm.17. & lib.4. Cœli, com.23.* Quandocunq; ergo dicatur, Hominem habere plures Animas successivè, coacti firmabimus, illum transire de uno esse ad aliud, & si cum habet Animã vegetativã, est ens vegetativũ, puta Arbor, accedente Anima sensitiva, fieret ens sensitivum, utputa Equus, ac denique accidente Rationali, trãsiret de Equo in Hominẽ, mirabili, ac incredibili Metamorphosi: quæ omnia, nisi absurda sint, nihil ulteriùs absurdum existimandum.

Secundò, ponentes plures Animas successivè fœtum humanum informantes, ad plura alia inconvenientia se obstringunt, quæ affert D.Th. *p.1. q.118. art. 2. ad 2.* apud ipsum videnda: sed quod ad evitanda prædicta inconvenientia idem Sanctus Doctor in medium producit, me in non modicam admirationẽ adducit: dicebat enim, quòd tam in Homine, quam in aliis animalibus, quando perfectior forma advenit, fiat corruptio prioris, ita ut accedente Anima sensitiva post vegetativam, corrumpatur Anima vegetativa, & accedente Rationali in Homine corrumpatur sensitiva. Sed hæc opinio (quod cum debita reverentia piissimi illius Doctoris dictum volo) patitur summas difficultates, & in brutis quidem corrupta vegetativa, docendum unde adveniat Anima sensitiva, nam de foris advenire non potest, si sic enim esset, hæc Anima esset separata à materia, ac per se, non secùs ac Rationalis subsisteret, neque ab intro advenire posset, cum jam intus resideret, ac demonstrandum, an resideret ut forma animalis, vel aliter. Sed maximè in Homine urget difficultas, quæ sequitur, licet partim etiam pro Brutis faciat. Si embrio habet in initio sui ortus Animam vegetativam tantùm cùm hæc sit ejus forma, per eam constituerat in esse, dumque accedente Anima sensitiva, illa corrumpitur, totum compositum corrumpi necesse est, & Embrionem non esse amplius Embrionem, sed Embrionis cadaver: nam forma, hoc est, Anima corrupta, non remanebit nisi nuda seminis materia, immò ne hæc quidem, quia & ipsa erit corrupta, corrupto composito, & sic omni habilitate erit destituta ad recipiendum novam Animam, & evadendum in Animal sensitivum; & in summa relinquetur corpus illud Embrionis non secùs ac remaneant cadavera quæque anima destituta: Anima igitur sensitiva successivè introducenda non poterit amplius introduci in jam conceptum semen, quia jam desiit esse semen, & non solùm non habebit proximas dispositiones requisitas de necessitate Naturæ ad recipiendam novam Animam, sed omnino contrarias. In quam igitur materiam introducenda erit Anima sensitiva? Neque enim dicere convenit, eam reviviscere, quia à privatione ad habitum non datur regressus; 107
neque dicemus eundem Embrionem resurgere nova Anima dotatum, quia præterquam quod hoc non naturaliter, sed ex miraculo procederet, cùm resurrectio nonnisi ex miraculo fiat vivens vegetativũ, aut sensitivum non est capax resurrectionis, stante quod ejus Anima ad destructionem compositi illicò cor- 108
rumpatur, & evanescat, unde nunquam poterit esse idem Animal, quod erat priùs quale oportet ut sit Animal per resurrectionem ad vitam revocatam.

Præterea si corrupta Anima vegetativa, in eadem materia succedere debeat Anima sensitiva, jam non erit idem Embrio hic, qui per sensitivam Animam de novo advenientem constituitur in esse cum eo, qui habebat Animam vegetativam, cum unus doretur diversa forma ab alio, unde sequitur, quòd hic Embrio recipiens Animam sensitivam non sit germen, & partus, seu soboles Genitoris, à quo semen est decisum, sed potiùs alteriùs Agentis, à quo sensitiva Anima introducitur non erunt ergò Genitores, qui species per semen conservant, sed aliud Agens quodcunque assignare libuerit, à quo non per semen, cum jam fuerit corruptum, corrupta Anima vegetativa illud in vivens vegetativum constituente, sed per aliud quodcunque medium species Animalium conservabuntur, & sic Animalium generationes multò diverso modo fient, quam universi Sapientes existiment. Nec minor ea difficultas est, quam suprà annuebamus, nempe assignari modum, quo Embrio corrupta Anima vegetativa, recipiat sensitivam: nam certum est, eam cum semine non adesse, quia si adesset, non esset necessarium, eam aliunde advenire, præterquam quod idem semen duas habuisset Animas distinctas. Unde ergò adveniet Anima sensitiva? Num à Deo per creationem, ut Anima Rationalis? Apagesis: *Nam Anima sensitiva causatur* 109
à Generante tanquam principali Agente per semen tanquam instrumentum, & non producitur per creationem. D.Thom. *p.1. q.108. art.4. in c.* num à Matre, ab Utero, à Calido innato, à Cœlo, à Sole, à Stellis à Calore ambientis? Nequaquam: hæc enim omnia agentia extrinseca sunt, ut aliàs dictum est, & non habent, neque habere possunt hujusmodi virtutem generandi, & introducendi in corpus alienum, nimirum in Genitoris semen novam formam, veteri expulsa, nempe Anima sensitiva, vegetativa abeunte, neque ullam habent communionem talia Agentia cum ipso semine, per quam sine aliquo modo ipsi semini intrinseca: impossibile igitur est docere unde Embrio acquirat Animam sensitivam corrupta vegetativa; Cùm verò pateat nullum ens posse habere duas Animas, coacti dicemus in Embrione adesse à 110
principio Animam sensitivam, licet nolla se operatione prodat, & vegetativam, qua operatur, esse facultatem ipsius Animæ sensitivæ, non Animam 111
à sensitiva disjunctam, neque sensitivam idcircò esse ens per se subsistens, aut à materia separabilem, sed ab ipsa materia non secus ac vegetativa dependentem, & cum ipsa interituram.

Atque hæc hactenus locum habent etiam in sensitivis Animalibus. At cùm homo debeat recipere

Rationalem

Rationalem inſuper Animam, & ſtante ea opinione, quod Anima ſenſitiva, corrupta antè vegetativa, ad ejus adventum corrumpatur, eadem inconvenientia, & majora evenient, quæ in Brutis advenire de neceſſitate oportere diximus. Et quia negari nullo modo poteſt, fœtum illicò atque conceptus eſt vivere, & nutriri, & augeri, & poſtmodùm ſenſum recipere, nulla ratio vult, illum ab illa Anima, quàm à Rationali hæc omnia habere, conſequens ergò eſt, illum à primo ſuæ conceptionis momento Anima Rationali dotari, quæ licèt nullas operationes ad Ratiocinatricem pertinentes edat, ſuis tamen facultatibus, vegetativa nempe, & ſenſitiva, ea quæ oportet fieri in fœtu operatur, opportuno deinceps tempore ea etiam operatura, quæ facultatem Intellectivam reſpiciunt.

Cæterum ſi quis eſt, qui hanc opinionem de pluralitate Animarum in fœtu palliare volens dicat, Animam vegetativam primò ad adventum Animæ ſenſitivæ & ſenſitivam ad adventum Animæ Rationalis non ſimpliciter corrumpi, ſed cedere Animæ nobiliori, eique pro inſtrumentis inſervire, manifeſtè videbit ſe ne ſic quidem eam opinionem tueri poſſe; quia tam vegetativa, quàm ſenſitiva Anima pro forma ſubſtantiali ſunt ipſius fœtus ante adventum Animæ Rationalis; itaque adveniente Anima Rationali, neceſſe eſt illum de uno eſſe tranſire ad aliud & ex Animali ſenſitivo evadere in Rationale, quod fieri non poteſt, niſi corrupto compoſito, nempe Animali ipſi ſenſitivo, unde ergò emerget Rationale? quamnam viam, quamnam rationem ejus metamorphoſis inveniemus? Nova certè materia, hoc eſt, novo ſemine indigemus, ut inde homo compaginari poſſit, cùm illud, ex quo ſenſitivum Animal procreatum eſt, corruptum ſit, Anima recedente, aut quomodocumque ceſſante ab informatione prædicti ſeminis. Sed demus, non corrumpi ſemen animatum Anima vegetativa, ſed incorruptum permanere, quid deinde? unde obſecro Animam ſenſitivam recipiet? An ea de foris adveniet? minimè gentium. Quid igitur? quodnam Agens ad id aptum natum invenietur, ſenſitivam Animam undecumque ereptum in ſemen illud intrudere, illudque ex vegetali ſenſitivum Animal efficere? ſed unde hoc Agens habere poteſt hanc Animam, num eam ex ſe efformavit? ſed ex qua materia efformabit? num ex nihilo creabit? oportebit igitur illud habere infinitam potentiam, cum ex nihilo poſſit facere aliquid: ſed certum eſt non poſſe haberi animam ſenſitivam niſi ex traduce, ſi ergò poſt vegetativam Animal debeat recipere Animam ſenſitivam, oportebit illam per novum ſemen à parentibus traduci: quod affirmare, delitare eſt.

At verò ſi iterum quis ad tuendam præcitatam opinionem dicat, Animam ſupervenientem uniri Animæ jam in Embrione reſidenti; non minùs hoc impoſſibile erit, cum nullam poſſint habere unionem tales Animæ, una exiſtente alterius rationis ab altera, & maximè nefas eſſet firmare, Animam Rationalem uniri cum Anima vegetativa, aut ſenſitiva, cum hæ ſint materiales, & corruptibiles, hæc verò immaterialis, & incorruptibilis, nulla autem unio eſſe poſſit entis incorruptibilis cum corruptibili, ita ut ex utroque, nempe ex Anima Rationali, & ſenſitiva fiat una Anima, & unum ens, una forma ſubſtantialis aliquod corpus informans.

112 Et ſi de novo inſtabit quis replicando, quod Animæ prædictæ exiſtentes in Embrione ceſſerint in facultates Animæ Rationalis? Neque hoc dicam poſſe habere veritatem, cùm pateat, facultates non migrare de ſubjecto in ſubjectum, ut aliàs dictum eſt, unde facultas vegetativa, quæ erat in Anima ſenſitiva Embrionis, non poteſt tranſire in Animam Rationalem, quia facultas eſt Animæ, & hujus Animæ facultas.

His omnibus addendum eſt, quòd Deus, & Natura ſemper operantur propter finem, Deus quidem ex ſua libera voluntate, Natura autem ex neceſſitate; at retardatio infuſionis Animæ Rationalis nullum poteſt habere finem, ſi quem enim poſſet habere, vel eſſet corporis diſpoſitio, conſtructio, & perfectio, ad hoc ut perfectioris formæ eſſet perfectius ſuſceptibile, vel eſſet ad hoc, ut ſuis operationibus fungi rectè poſſet; at neutrum finem haberi poſſe patet: non primum, quia oporteret multò ſeriùs Animam Rationalem infundi. cùm corpus in termino quadraginta dierum non ſit aſſecutum ſuam integritatem, & perfectionem, quinimò nihil ampliùs habet intrà prædictum terminum, & per multos dies, nè menſes dicam, ſubſequentes, niſi rudem quandam, & vix Lynceis oculis perceptibilem partium delineationem, neque omnium, & ſingularum. Sed & fruſtratorius quoque eſſet alter finis rectè operandi per organa jam conſtructa, quia vix tunc temporis ita conſtructa ſunt, ut ſenſitivæ Animæ operationibus ſufficere poſſint, nam, quod ſpectat ad operationes proprias Animæ Rationalis, neque poſt quadraginta dies, nec poſtquam infans jam, nono exacto menſe, in lucem prodit, earum ullam exercere Anima apta eſt; incaſſum igitur infunderetur quovis tempore permanēte in utero materno fœtu, imo & multò poſt; quamobrem procraſtinatio infuſionis Animæ Rationalis vel inanis eſt, & ad nullum finem deſtinata, vel extra tempus, & non ſecundùm exigentiam facta, neutrum autem veritati conſonum eſt. Sed detur potuiſſe in hac procraſtinatione infuſionis Animæ Rationalis, haberi aliquem finem & tunc docendum cur hæc infuſio Animæ non fiat in omnibus eodem tempore: nam prætermiſſo quòd hæc infuſio ſeriùs, aut maturiùs fiat pro fœtuum ipſorum majori, aut minori fortitudine; illud certum eſt, & à nullo controverſum, eam citiùs in mare, quàm in fœmella fieri; undè cùm non uno eodémque tempore fœtus animentur, incaſſum aſſignatur terminus communis in omnibus quadraginta dierum. Deducendum ergò ex his quòd, cùm ſemen conceptum illicò vivat, nutriatur, & augeatur, id ab alia Anima, quàm à Rationali habere non poſſit, quæ & vegetare, & nutrire, & vitam communicare, & ſenſum non minùs quàm cæteræ quæcumque viventium Animæ, imò multò meliùs poteſt, cum omnibus neceſſariis ad hæc facultatibus ſit inſtructa, unde concludendum eam in primo momento conceptionis ipſius ſeminis à Deo ipſo creatam, & infuſam præſentem eſſe, ac per ſe, non per aliam Animam, ſed per ſuas facultates conceptum nutrire, & augere, illique vitam, & ſenſum communicare.

Præterea vel Anima Rationalis poteſt tanquam dotata prædictis facultatibus vegetativa, inquam, & ſenſitiva, vitam, & ſenſum conceptui communicare, vel non; ſi dicamus poſſe, nihil obſtat, quò minùs idem poſſit ante quadraginta dies, quod poteſt poſt, non enim à corpore eas facultates adipiſcitur, ſed eas ex ſua natura poſſidet. Si dicamus non poſſe, ſequitur corpus, etiam Anima Rationali præſente, ab alia Anima vitam, augmentum, nutritionem, ſenſum recipere, quia non eſt veriſimile vitam, augmentum, nutritionem, ſenſum ante quadraginta dies ab alia Anima, & poſt quadraginta à Rationali conceptui tribui. 113

Sed antequàm ulteriùs progrediamur satisfaciendum cuidam magni quidem ponderis oppositioni contra hanc nostram sententiam de præsentia Animæ Rationalis in primo conceptionis momento, & desumitur à Legum tam Canonicarum, quam
114 Civilium auctoritate, quarum utræque distinguunt fœtum animatum ab inanimato, [vide Rejes *quæst.* 31.] illumque non nisi post quadraginta dies animari statuunt, atque hac de causa pœnam majorem, aut minorem delinquentibus, & abortum provocantibus imponunt; in quarum confirmationem emanavit denique constitutio Sixti Quinti, in qua abortum animati fœtus procurantem iisdem pœnis subjici determinatur, quibus veri homicidæ subjiciuntur.

His additur, *Sacri textus Exodi capite* 21. *vers.* 22. auctoritas, ubi secundùm Septuaginta Interpretum versionem, clarè habetur distinctio fœtus non animati, & Animati, cujus verba hæc sunt. *Qui percusserit Mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit Animam pro Anima, si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia.* Ita habet textus ille secundùm prædictam versionem, referente post alios, P. Anton. Diana. *Resol. Moral. part.* 7. *tract.* 5. *Resol.* 6. & Carranza, *de Part. nat. de leg. capit.* 1. §. 2. *num.* 14. Sed hæc Septuaginta Interpretum versio, non versio est, sed commentatio gratis, & ex proprio marte facta, cùm longè aliter Vulgata habeat, quæ ita sonat. *Si rixati fuerint Viri, & percusserit quis Mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno quantùm Maritus Mulieris expetierit, & Arbitri judicaverint, sin autem mors ejus fuerit subsecuta reddet Animam pro Anima.* Quæ verba, cùm nimis clara sint, non debent perverti, & trahi ad alium sensum, ex quo eliciatur affectata illa distinctio Animati, & non Animati fœtus; hæc enim non nisi de morte ipsius Prægnantis ex abortu secuta, vel non secuta, mentio fit, non de fœtu, & jure quidem Vulgata traductio sequenda, cùm verbum verbo reddere consuescat. Sed idem occurrit adnotare *in leg. si quis aliquid*, §. *Qui abortionis*, *ff. de Pœnis.* Ubi nulla mentio hujusmodi habetur, nec de fœtu quicquam eam locutam apparet: nec quòd nonnulli Interpretes per verbum illud; *homo*, fœtum intellexerint, apertè patet eos hallucinatos esse, non animadvertentes, quod si sic esset, Lex de pœna porrigentis poculum amatorium ex quo homo periisset, silentio præteriisset illud, quod magis patere erat necessarium, unde ea verba, *si mulier*, *aut homo*, sic referenda ad superiora. *Si mulier, cui poculum abortionis porrectum est, aut homo, cui datum est poculum amatorium, perierit*, &c. Neutra igitur lex de fœtu loquitur, neque ab alterutra quicquam elicere possumus, quod ad inanimatum, vel animatum fœtum applicari possit. Restat igitur, ut Canonum, & Legum auctoritati quid sit dicendum patefaciamus. Ac primò quidem præmittendum
115 tam Canones, quàm Leges non ex propria scientifica cognitione locutas esse, sed secutas potiùs placita Sapientum, Philosophorum nempè, & Medicorum, ut aliàs consueverunt facere in iis, quæ ad alios Professores pertinent. Ergò cum de ea re ad prædictos Sapientes determinare spectaret, & illi eam differentiam Animati, & non animati fœtus in medium protulissent, eorum determinationem Canones, & Leges in hoc sequi volentes, pœnas delinquentibus modò majores, modò minores imposuerunt pro ea, quam illi differentiam faciebant inter fœtum non Animatum Anima Rationali, & Animatum.

Verùm quia nos ponentes infusionem Animæ Rationalis in primo momento Conceptionis, deserviisse videri possumus, tam Canonum, quam Legum determinationes maximè secundùm Justitiam emanasse easque sartas rectas remanere debere firma etiam nostra opinione remanente. Dico ergò quòd jure optimo major pœna indicenda sit procuranti abortum post quadraginta dies, & fœtus provectioris, quàm procuranti ante dictum ter- 116
minum, & fœtus tenerioris, quia major injuria infertur à priori, quàm à posteriori delinquente; non secùs ac majorem injuriam infertur succidens arborem adultam, quàm succidens tenellam, ut cum Thoma Fieno prosequitur Dan. Sennert. *loc. cit.*

Dico secundò, quòd tam Canones, quàm Leges 117
civiles in imponendis pœnis semper sequuntur mitiorem sententiam; cùm ergò in dubium verteretur an semper & quocunque tempore procurans abortum eâdem pœna esset plectendus, & aliqui mitiùs sentientes sentirent, minori pœna plectendum fœtu teneriori existente, & ante quadragesimum, contra aliis sentientibus, priori sententiæ adhæserunt, & eam differentiam fieri provectioris, & tenerioris fœtus voluerunt.

Dico tertiò, summa cum ratione fieri, ut majori pœna subjiciatur procurans abortum post quadraginta dies, quàm procurans abortum antè, quia multò majorem vim infert ille tam fœtui, quàm Matri, quàm inferat hic; quia tenerioris fœtus 118
abortus ob ligamentorum debilitatem facilè, & cum minimo Matris incommodo succedit, at provectioris abortus non nisi cum Matris evidenti periculo fit, undè, ex Hip. *in lib. de Nat. Puer.* & Aristot. *lib.* 7. *de Histor. Anim. capitul.* 3. & ex quotidiana experientia scimus, faciliores, frequentiores, tutiores esse abortus in primo quadragenario, in sequentibus autem difficiles, minùs frequentes, ac multò minùs tutos.

Dico quartò, maxima cum ratione sancitum tam à Canonibus, quàm ab Imperialibus Legibus, quòd majori pœna subjaceat procurans abortum provectioris fœtus, & post quadragesimum, quam 119
procurans antè, ob certitudinem prægnantiæ emanantem ex motu fœtus post quadragesimum, in quo termino deest signum illud motus omnium certissimum prægnantiæ, quæ tam certi signi deficientia posset fortè delinquentem ex parte excusare.

Cæterùm non ab re interpretari posset aliquis Legislatorum dictum circa hanc differentiam animati, & non animati fœtus, ut ea differentia intelligatur habere locum respectu nostri, qui non aliundè certificari possumus, quòd fœtus anima dotetur, nisi ex apparenti motu, nam aliàs illum habere animam ex nulla alia re nobis innotescere potest. Igitur respectu nostri & nostræ cognitionis fœtus post quadraginta dies erit animatus, quia per motum se manifestat, antè verò non animatus, quia nullo motu se prodente, videtur animâ non dotari.

Verùm summoperè semper miratus sum, quonam pacto tot, ac tanti Philosophi, ac Medici ex motu infantis in utero deduci voluerint, illum tunc Animam Rationalem recipere; nam motus nequaquam pertinet ad Animam Rationalem, ut Rationalis est, & tantundem est elicere ex motu præsentiam Animæ Rationalis, quàm deducere ex vita, ex nutritione,

trítione, augmentatione, sensatione, aut alia quacunque operatione in fœtu observata, unde cùm fœtus in utero illico vivat, nutriatur, augmentetur sentiat, illicò Animam Rationalem illum habere necesse esset, non minùs quam necesse esse dicant illi, Animam Rationalem illum recipere cum movetur. Sed quam dependentiam habet motus ab Anima Rationali ut Rationalis? Oportuit ergò firmare tunc fœtum Animam Rationalem recipere, cum aliquam operationem Rationali Animæ pertinentem odit, non quando moveri incipit.

Sed dicet fortè aliquis, non idcircò voluisse communem sententiam, fœtum recipere Animam Rationalem, quia movetur, quasi ad motum sequatur de necessitate ejus receptio, vel potiùs quasi illa motum excitet illicò atque à fœtu recepta est, sed quia per mòtum manifestum fit, fœtum esse perfectum, ac benè formatum. Respondetur enim quòd cùm hæc perfectio, & absolutio ipsius fœtus in quadragesimo non sit sufficiens ad ullas operationes Animæ Rationalis edendas, frustrà ad hunc finem desideratur, nempè ut ob eam perfectionem Rationalis Anima tunc infundatur.

Denique cum his dubitari poterat, cur si Anima Rationalis in prima seminum conceptione præsens est, abortu secuto antè quadragesimum non jubeant Canones baptizari, si enim illi Animâ tales abortus dotari existimassent non destitissent præcipere, ut baptizarentur. Respondeo, quòd in his abortibus impossibile est ob eorum debilitatem, non illicò à corpore Animam separari, undè neque ullum vitæ signum præbere observantur, & idcircò baptismatis nullum illi habent mentionem, satisque fuit, si quandocunque aliquod vitæ signum ex motu præbent, etiam si ante quadragesimum id fieret, baptismatis lavacro emundentur.

Sed redeamus jam unde digressi sumus, ac dicamus, Animam solùm ex propriis operationibus cognosci præsentem esse, ut patet. Fernel. *lib. 5. Physiol. cap. 1.* quod etiam jam aliàs probatum est, insimulque demonstratum nullum vivens posse aut simul, aut successivè duas, aut plures Animas habere, necesse igitur est operationes in embrione apparen-
110 tes, esse unius ejusdémque Animæ præsentis, omnia namque, quæ Natura, vel Arte fiunt, ab eo quod actu est, fiunt, Aristot. *lib. 2. de Gener. Animal. cap. 1.*
113 cùm nihil agere possit, nisi secundum quod est actu, & quo aliquid est actu, eo agit. D. Thom. *p. 1. summ. quæst. 76. art. 1. in c.* operationes ergo vitæ quæ apparent in Embrione fiunt ab Anima, quæ actu est, at hæc non potest esse nisi una; & in Homine nulla alia Anima datur, quam Raitonalis, ergò omnes, & singulæ prædictæ operationes fiunt ab Anima Rationali; sed hæ operationes apparent illicò atque semina Parentum concepta sunt, ergo illicò atque semina concepta sunt, præsentem esse Rationalem Animam necesse est.

112 Ulteriùs corpora viventium pro nobilitate, & ignobilitate Animarum inter se differunt, Aristot. *citat. lib. 2. de Gener. Anim. cap. 3.* & *ibi* Averr. *in comment.* quia perfectioris formæ debet esse perfe-
123 ctius susceptibile, D. Thom. *p. 1. quæst. 76. art. 5. ad 4.* consequens ergo est, corpus nobilius à nobiliori
124 Anima construi; cùm verò corpus humanum excedat nobilitate, & perfectione quorumcunque Animalium, etiam perfectiorum, corpora, construi debet, atque efformari à nobiliori Anima, sed om-
125 nium Animarum nobilissima absque dubio est Rationalis, ergò corpus humanum non ab ignobiliori Anima, quæ solùm vegetativa, aut sensitiva sit, sed à Rationali efformabitur, undè cùm hæc formatio incipit illico atque semina concepta sunt, ergo illico præsens est Anima Rationalis. Ecquis nam hoc negare jam poterit, cùm à primo conceptionis momento corpusculum Embrionis ita efformetur, ac disponatur, ut formari, & disponi corpori humano convenit? nam relictis mille, ne infinitas dicam, peculiaribus conditionibus, quibus humanum corpus à cæterorum viventium corporibus discrepat, è primo formationis exordio disponitur, ut sit figura erecta, facie divinitatem repræsentatura, manibus, ut aliis Animalibus dominetur, insignitum, capite præ cæteris figura orbiculari, formâ nimirum inter omnes capacissimâ, duobus totum se sustentans pedibus & alia ad hunc modum, Quia igitur Anima vegetativa vel sensativa tantumperè præ Rationali abjecta poterit nobilissimum corpus pro nobilissimæ Animæ domicilio construere? quomodo tam nobilis effectus, quàm nobilis est constructio corporis humani, quo nihil in hoc sublunari mundo admirabilius, ignobiliori potiùs quam nobiliori causæ referendus? Neque, ut hæc effugiamus, hoc subterfugium quærendum, nimirum, quòd efformatio illa rudis, ac prima corporis humani fiat primò ab Anima vegetativa, deinceps ab illa ruditate à sensitiva vindicetur, ac denique à Rationali perficiatur; quia præterquam quod jam probatum est non posse plures Animas etiam successivè dari ejusdem subjecti, sequeretur unius, ejusdémque effectus dari plura Agentia primaria; quorum unum esset primò ponens in esse effectum, aliud quod à priori ruditate illum expoliaret, & meliorem redderet, tertium quod perfectionem omnem tribueret, sed hoc est contra ordinem Naturæ, ut patet, & alias probatum est, *cùm Dator principij transmutationis, sit dator finis ipsius formæ.* Averr. *lib. 2. de Gener. Animal. cap. 2.* Ergò ab una eadémque Anima incipit corporis efformatio, & ab eadem absolvitur, ut dictum est.

Porrò canonizatum jam apud Philosophos illud est, Nihil agere posse ultra suas vires, undè effectus excedens virtutem alicujus causæ, referendus est ad 118
aliam causam efficaciorem, ut aliàs hic probatum est, cùm per illum defectum virtutis manifestissimè appareat, eam causam insufficientem esse ad talem effectum producendum. Modo, formatio corporis humani inter omnia corpora viventium nobilissimi summoperè excedit virtutem Animæ sensitivæ, & multo magis vegetativæ, quia neque sensitiva, neque vegetativa possunt formare cerebrum Hominis, exempli causa, tali figura, ut in illo fieri possit Intellectio, quid enim pertinet Intellectio ad sensitivam aut vegetativam Animam? ergo formatio corporis humani ad neutram harum causarum referri potest, sed ad magis sufficientem opificem, qui non potest alius esse nisi Anima Rationalis, cui tale corpus pro domicilio inservire debet; undé sequitur, Animam Rationalem à principio efformationis ipsius Embrionis præsentem esse, quia causæ, cui debetur effectus in sua majori perfectione, debetur etiam effectus in suo principio ac rudimento, ut jam probatum est.

Licet autem hæc Animæ Rationalis præsentia in primo momento conceptionis ipsius Embrionis videatur minus accepta cuicumque penè Doctorum Scholæ, non defuerunt tamen, qui eam cognoverint, & quasi aliud agentes eam admiserint Alex. Aphrodis. *lib. 1. quæst. natur. cap. 25.* Themist. *lib. 1. de Anim. c. 12.* qui fatti sunt Animam sibi organa construere, ergo secundum ipsos Anima præsens est in primo

momento

momento conceptionis, quia in illo primo momento conceptionis organa conſtrui incipiunt. Sed ſit mihi inſtar omnium, D.Thom. *part.1.quæſt.40.art.4.*
127 *in c.* aſſeverans, quòd, cùm Anima humana ſit proprius corporis actus, & forma, neceſſariò ſimul cum corpore producta ſit; at corpus illicò producitur, cum ſemina Genitorum ſimul juncta in utero concipiuntur, ergo etiam Anima Rationalis tunc infunditur, infuſa autem illicò operatur, & ſic Anima Rationalis in primo momento conceptionis ipſius Embrionis præſens eſt. Neque dicendum, quòd ex mente ejuſdem D.Thom. *part.1. quæſt.100.*
128 *art.1. ad 2.* Anima Rationalis ſtatim ac corpus eſt diſpoſitum, infundatur, & non antè, corpus verò non poteſt eſſe diſpoſitum in primo conceptionis momento; nam dico, hanc corporis diſpoſitionem vel eſſe talem ut ſufficiat ad recipiendam Animam, ut per hanc corpus eſſe diſpoſitum illicò atque ſemina Genitorum in unum corpus coëunt, & concipiuntur, vel eſſe talem, quòd habeat quicquid Embrionem habere oporteat, itaut omnibus membris, atque neceſſariis organis ſit inſtructus, & dico hanc de mente ejuſdem D. Thomæ non eſſe neceſſariam ad recipiendam Animam, nam ſi eſſet neceſſaria, oporteret, Animæ receptionem retardari ad plures menſes, licet enim ex communi opinione hæc diſpoſitio adſit poſt quadraginta dies, tamen maximè rudis eſt, & nullo modo perfecta, at Animam Rationalem retardari priuſquam infundatur per quadraginta dies, ut expectetur corporis diſpoſitio, inane eſſet, niſi ea diſpoſitio eſſet omnibus numeris abſoluta, & perfectiſſima; undè dictum Sancti Thomæ non eſt intelligendum de hac ultima diſpoſitione, & multò minùs de illa rudi, ac initiata, ſed tantùm de priori, nam aliàs ſemper eſſet verum dicere, corpus ante produci quàm Animam, contrà id, quod Theologi docent. D.Thom. *parl.1. quæſt.91. art.4. ad 3.*

Concludendum igitur, quòd, cùm corpus ab
129 Anima formetur, & in nullo Animali, & in Homine quoque non poſſit dari alia Anima, quàm una, & hæc in Homine ſit Rationalis, non poſſit corpus humanum ab alia Anima formari, & organizari, quam a Rationali. Quàm futilis autem oppoſitio quorumdam volentium, corpus formari non ab Anima, ſed à facultate formatrice, quaſi facultates
130 non ſint Animæ facultates, contra Ariſt. *lib.2.de Gener. Animal. cap.1.* At facultates non operantur per ſe, ſed Anima operatur per ipſas, & in ipſa formatrix
131 facultas Animæ facultas eſt neque facultates ſunt ab Anima ſeparabiles, neque per ſe ſubſiſtunt, ſed ubi vigere conſpiciuntur, quod ex operationibus
132 manifeſtum ſit, ibi præſentem eſſe Animam oportet, non aliud quodvis agens, quia neque migrant hæ facultates de ſubjecto in ſubjectum. Apparentes ergò operationes formatricis facultatis in Embrione Animæ ſunt, quæ in Homine eſſe non poteſt niſi Rationalis, unde deducitur ex neceſſitate Rationalem Animam, illicò atque ſemina concepta in utero ſunt, præſentem eſſe, & operari, cùm nè per mo-
133 mentum quidem ſit otioſa. Sed ex ſacra etiam Hiſtoria licet nobis deducere, quod illicò à compaginatione prima corporis Embrionis per concepta ſemina ſuccedente, Anima Rationalis introducatur; in ejus namque enarratione habemus, Deum formaſſe Hominem de limo Terræ, & inſpiraſſe in faciem ejus ſpiraculum vitæ, quod uno eodémque momento, non ſucceſſivè factum dicendum. Anima ergò hæc per inſpirationem in faciem Homini
134 communicata, non fuit Anima vegetativa, nec ſenſitiva tantùm, ſed Rationalis, ac illa quidem perfectiſſima, & iiſdem facultatibus, vegetativæ nimirum, & ſenſitiva inſtructa; nam aliàs Adam non fuiſſet in ſua prima plaſmatione perfectus Homo, undè inceſſum adjiceret ſacra Scriptura, Deum vidiſſe cuncta, quæ fecerat, eſſe valdè bona, nam quomodo dici potuiſſet, omnia quæ fecerat, fuiſſe valdè bona, ſi nobiliſſima creatura à perfectione, quam obtinere debebat, defeciſſet? Igitur quemadmodum primus homo eodem momento ſuæ creationis recepit Animam Rationalem, non primò vegetativam, ſecundo loco ſenſitivam, & ultimo Rationalem, eodem quoque pacto quilibet homo in primo ſuæ generationis exordio recipere debet Animam Rationalem, per quam futurus eſt homo.

His omnibus addi debet ratio, quæ ex Intemeratæ Virginis conceptione deſumi poteſt: certum namque eſt, eam conceptionem omninò naturalem fuiſſe, cùm fuerit concepta ſecundùm carnis con- 135
cupiſcentiam ex commixtione maris, & fœminæ, D.Thom. *p.3. ſumm. quæſt.27. art.2. ad 4.* Nec in ea quicquam ſupernaturaliter interceſſerit: cùm ergo Catholica Eccleſia, quæ errare non poteſt, feſtum ejuſdem Conceptionis ſolemnizet, inconveniens profectò omninò videtur, ut dicamus, illam celebrare feſtum Embrionis Animâ Rationali, imò nè ſenſitiva quidem dotati, & qui Hominis nihil haberet, ſed eſſet veluti quodlibet aliud abjectiſſimum Animal, omni humanitate denudatus, imò non ſecus ac Bruta, corruptibilis & mortalis. Hæc ne admittamus, dicendum eſt, Sanctiſſimam, ac puriſſimam Virginem primo momento conceptionis Rationalem Animam recepiſſe, & cum, ut dictum eſt, nihil in ea conceptione intervenerit, quod ex Naturæ præſcripto, ut in aliis hominibus, non fuerit, dicendum omninò, ex naturæ præſcripto in omnibus Animam Rationalem in ipſo primo conceptionis momento præſentem eſſe.

Neque contra hoc quicquam faceret, quòd, quemadmodum Anima inſpirata in faciem Adæ fuit inſpirata in corpus perfectum; ita in quemlibet hominem debeat introduci, cum corpus eſt perfectum; Nam præterquàm quod longè diſtat perfectio Embrionis quadragenarij à perfectione, quam obtinebat illicò atque formatum fuit corpus Adæ, nec poteſt ullo modo Embrio dici perfectus in quadrageſimo, niſi in quantum corpus reſpectu temporis anteacti eſt magis diſpoſitum & motu dotatur, quod anteà nequaquam fiebat, magna quoque differentia eſſe debuit inter opus ab ipſo Deo immediatè emanans, & opus naturæ commiſſum in Hominis generatione: undè deducendum non eſt ex hoc, quòd Deus infuderit Animam in opus ſuum perfectum, debere etiam ſecundùm Naturam Animam infundi in corpus jam perfectum. Sed quantumcunque perfectum velis eſſe Embrionem in Quadrageſimo, firmare idcircò poteris tam perfectum eſſe, quàm perfectum erat corpus Adæ, cum Deus in illud Animam inſpiravit? Nequaquam nam corpus Adæ erat tunc abſolutiſſimum, & perfectiſſimum, corpus autem Embrionis in Quadrageſimo neque abſolutum, neque perfectum eſt, niſi reſpectu anteacti temporis, & reſpectu motus, qui in Quadrageſimo ſe prodit, ſed fortè nunquam aliquo motu deſtituitur, ſed tantùm in Quadrageſimo à nobis eſt perceptibilis, quemadmodum neque reſpiratio in fœtu quoad noſtrum ſenſum adeſſe apparet, cùm tamen adſit tranſpiratio, quæ parva, & levis, ac imperceptibilis reſpiratio eſt.

Recipit igitur Animam Rationalem homo in ſuo primo

primo conceptionis momento, ita ut minùs veritati congruens appareat opinio communis volens. Hominem primò dotari vegetativa, deinceps ſenſitiva, ac poſtremò Rationali; ex quibus ab Æmilij Pariſani quoque opinione longè abire cogor, volentis, ſemen humanum, ut cætera reliquorum viventium eſſe animatum Anima ſenſitiva, & conſequenter Embrionem habere eam Animam, ut materialem ex traduce à Parentibus, eámque non ſecùs ac quaſcunque aliàs Animas, Rationali exceptâ; eſſe corruptibilem, & mortalem. Quam etiam opinionem tuetur Fort, Licet. *lib. 2. de ort. Anim. hum. per totum*, at præcipue, *capit. 6. & ſeq.* Sed contra hanc Pariſani & Liceti ſententiam militant ea omnia, quæ contra communem opinionem attulimus, nam nihil de novo affert Pariſanus, aut Licetus, niſi quod eximit humanum fœtum à conditione vegetantium, ac ſimul cum Animalibus perfectioribus vegetativam Animam ſenſitivæ copulatam habere determinat, non aliter quàm prædicta Animalia ex traduce eam à Progenitoribus habentia: ſed quanam ratione poſſit Pariſanus tot difficultatibus, ac tantis, quas contra communem opinionem attulimus, quæ non minùs contra ſuam faciunt, ſatisfacere, ego quidem hactenus non video. Putaverim tamen Pariſanum ex eo deceptum, quòd, licet in quamplurimis à communi opinione recedat, tamen ab ea, quæ vult Animum Rationalem poſt quadraginta dies infundi, quæcunque illum ratio moverit, non receſſerit; cúmque alia ex parte mille concludentiſſimis rationibus probaſſet, ſemen aliorum viventium eſſe animatum, humanum quoque ſemen eodem modo animatum eſſe voluit; ſed quia contra veritatem apertiſſimè erat aſſerere, & hæreticum inſimul putabat, ut verè eſt, ſemen humanum traducere ſecum à Parentibus Animam Rationalem, ut ſuam traducunt cætera Animalia, in hoc differre voluit Hominem à cæteris animalibus, quod poſt Animam ſenſitivam ex ſemine à Genitoribus, ut aliis viventibus evenit, traductam, Animam Rationalem poſt congruum tempus de foris recipiat.

Sed contra hoc, ſummam parit difficultatem id, quod ſequitur. Si Homo Animam ſenſitivam tantùm ex traduce à Genitoribus habet ea non poteſt communicari, niſi ab Anima Genitorum: ſed Anima Genitorum eſt immortalis; non poteſt ergo communicare genito quicquam, quod ſit mortale, & ſit de eſſentia ipſius Animæ immortalis. At vegetativum, & ſenſitivum ſunt facultates Animæ Rationalis, & ab ea ſunt inſeparabiles, ergo non poteſt Anima Rationalis communicare ſemini Animam vegetativam, aut ſenſitivam, præterquam facultates ut dictum eſt, non migrant de ſubjecto in ſubjectum, neque exiſtunt abſque Anima, cujus ſunt facultates, ut ipſe quoque Pariſanus fatetur. Anima
136 ergo ſenſitiva, quam Anima Rationalis Genitorum communicat ſemini, unde Embrio formandus eſt, vel erit pars ipſius Animæ Rationalis, vel aliud quid: Non pars, quia Anima non habet partes, neque eſt diviſibilis, & ſi poſſibile eſſet eam habere partes; eſſent ejuſdem rationis cum toto, & eſſent immortales. Quid ergo aliud erit? dicemus fortè Animam Rationalem communicaſſe ſemini prædictas tantùm facultates, vegetativam & ſenſitivam? at jam dictum eſt, facultates non migrare de ſubjecto in ſubjectum: ſed cui rei communicatæ ſunt hæ facultates? certè alteri Animæ, ſi Animæ debent eſſe; ergo Embrio aliunde habebit Animam, quàm à Genitoribus: quidnã ergo eſt, illa Anima ſenſitiva, quam ex traduce à Parentibus habere credit Pariſanus, ſi neque tota Anima, neque pars Animæ, neque facultas Animæ eſt? ſed eſto ſit Anima ſenſitiva ex traduce à Parentibus ſemini communicata, jam hæc Anima erit forma ipſius Embrionis, per quam eſt id quod eſt; Quid ergo fiet huic formæ accedente de foris Anima Rationali, quæ perfectiſſima forma eſt? nam cum D. Thoma eam corrumpi aſſeverabit? ergo iiſdem difficultatibus ſeſe implicabit, quibus obnoxiam eſſe ejuſdem D. Thomæ ſententiam jam ſuperiùs demonſtravimus.

Verum enim verò mirandum eſt, quonam pacto Pariſanus, & cum eo quicunque aut ſuæ, aut priori opinioni de multiplicitate Animarum in Homine adhærent, ſequens abſurdum facilè eorum opinioni obvium, non animadverterint. Si homo ante quadraginta dies non recipit Animam Rationalem, non
ante prædictum terminum erit homo; nam quomodo 137
eſſet homo non habens formam hominis? erit igitur Planta, vel vermis, vel inſectum, vel aliud Animal, vel beſtia quædam ad nullum genus, vel ad nullam ſpecialem certam viventium reducibilis, & conſtituet novam ſpeciem Animalis ex ſe.

Sed quam majorem rationem affert Pariſanus, ob quam exiſtimandum ſit, fœtum humanum ſenſitivam Animam ex Genitoris ſemine traducere, ſi nulla ſenſitivæ Animæ operatio in principio ſuæ conceptionis apparet? & ſi reſpondeat, non idcircò, quod operationes Animæ ſenſitivæ non appareant, fœtum Animam ſenſitivam non habere, quia id fit ob organorum defectum, ego idem de Anima Rationali affirmabo, licet operationes Animæ Rationalis nullæ appareant, imò tutiùs de Rationali id affirmavero, quia certum eſt ex communiſſimo conſenſu eam poſt quadraginta dies infundi, cùm tamen ejus operationes ne per annos quidem apertè ſe prodant. Sed ſi ex non apparentia operationum arguendum ſit, Animam non eſſe præſentem, certè neque in Brutis Animam ſenſitivam præſentem eſſe in prima eorum confirmatione confitendum, & ſic communi opinioni aſſentiemur volenti, Bruta poſt vegetativam vivere Anima ſenſitiva: Sed erit docendum, ut aliàs inſtabam, unde, & à quo Anima ſenſitiva introducatur in fœtus brutinos; ſi illi in prima conceptione vegetativam tantùm habebant.

Sed in ſumma non minores difficultates patitur Pariſani ſententia, imò fortè majores, quàm habeat Danielis Sennerti opinio de traductione Animæ Rationalis per ſemen, niſi quod hæc omninò hæretica eſt, illa verò ſimpliciter falſa, & quam pro veriſimili, quantum exiſtimo, nullo modo tueri poſſit.

Cæterum dum nos Animæ Rationalis traductionem per ſemen Parentum oppugnamus, inſurgunt contra Adverſarij dicentes, Hominem non communicando ſoboli ſuam propriam Animam in pejori conditione conſtitutum videri, quam quodlibet aliud vivens, etiam ex ipſis vegetabilibus omni ſenſu deſtitutis; quippe cùm cæ era omni ſoboli propriæ & corpus, & Animam tribuunt, Homo au
tem purum putum tantummodò ſemen, hoc eſt ma- 138
teriam omni Anima denudatam, ex qua ſobolis corpus formandum ſit: Anima enim, quia omnis res eſt id, quod eſt, non ab ſuis Genitoribus homini communicatur, ut contrà traductionem Animæ Rationalis per ſemen jam pugnatum eſt, ſed de foris advenit, & à Deo ipſo creata ſeminibus Genitorum infunditur, unde Anima Rationalis ad Genitores nihil omninò pertinet, niſi in quantum ſubminiſtrant materiã ita diſpoſitã, ut Rationalis Anima eã informare 139
poſſit. Hinc ergò ſequitur, nobiliora agentia cætera

quæ

quæque viventia eſſe, quàm Hominem, dum illa meliorem, ac potiorem compoſiti partem unà cum corpore in ſemine ſubminiſtrant, nempe ipſam Animam, Homo autem partem viliorem, ac magis abjectam, corpus ſcilicet, & quæ ad corpus pertinent, impertitur. Huic difficultati, quam non minimi momenti contrà ſentientes fortè exiſtimabunt, ego undequaque ſatisfacturum me confido: ſermonem tamen meum tantiſper retexere neceſſe habeo.

140 Dico igitur, Hominem non modò quoad Animam, ſed & quoad corpus, & quoad omnes, & ſingulas corporis partes in tantùm excellere cætera viventia ſublunaris hujus mundi, ut hæc ab illius excellentia, ac nobilitate quàm longiſſimè diſtent; & de Anima quidem non eſt dubium, cùm hæc immaterialis, & immortalis ſit in Homine, in cæteris verò materialis & mortalis. De corpore autem patet ad ſenſum, ac benè illud nobis præmonſtratum eſt in prima utrorumque creatione, cùm cætera Animam cum corpore ſortita ſint ex elementis hoc, aut illo, Homo autem à Deo immediatè formatus ſit ex limo Terræ (conſtat autem limus ex aqua, & terra) & inſpirato in faciem ejus vitæ ſpiraculo, Animam recepit immediatè ab ipſo Deo, & factus eſt in Animam viventem. Hinc ergo ſumma illa Hominis perfectio & quoad Animam, &
141 quoad corpus, *Quod æqualiter complexionatum* (ut verbis utar D. Thom. *part. 1. quæſt. 7. art. 5. ad 2.*) *habet quamdam dignitatem per hoc, quod eſt remotum à contrariis, in qua aſſimilatur quodammodo corpori cæleſti.* Quod verificatur non ſolùm ſi accipias totum corpus humanum formatum, & organizatum ab Anima Rationali, ſed etiam ſi accipias ſingulas vel minimas ejus partes ſeorſim. Sume mihi, obſecro, cutem, carnem, oſſa, ſed quid hæc in medium afferam: Sume mihi pilos, ungues, & in his ipſis, quæ potiùs ſuperfluitates corporis ſunt, quàm partes, eam excellentiæ differentiam inter Hominem & cætera Animalia, tam reſpectu ſubſtantiæ, quàm reſpectu formationis, quàm etiam reſpectu uſus facilè obſervabis. Quantò majorem ergo differentiam adnotare licebit inter Hominem & cætera Animalia quoad alias nonnullas partes corporales quidem, & materiales, ſed magis à materiæ terreſtreitate diſtantes, & ad
142 ſpiritualem naturam accedentes? Ineſt abſque dubio ex omnium Philoſophorum placitis in quorumcunque Animalium ſemine ſpiritus vivificus proportione reſpondens elemento ſtellarum qui à Progenitoribus unà cùm ipſo ſemine derivatur. Ariſtot. *lib. 2. de Generat. Animal. cap. 3.* Fernel. *lib. 2. de Abd. rer. cauſ. cap. 7.* & alibi ſæpè, quam ego pro puriſſima portione ſpirituum acceperim, cùm forte omnes ſpiritus unius generis ſint. Hoc eodem ſpiritu ſemen humanum ditati, eumque cum ſemine à Genitoribus traduci non controvertitur, ſed non minùs quàm qui in ſemine cæterorum Animalium reſidet, materialis, & corruptibilis eſt; ſed cùm firmatum ſit, Hominem, ut omnibus perſuaſum eſt, etiam quoad corpus, & quoad minimas quoque corporis particulas cætera Animalia tantopere excellere, certè quoad nobiliorem corporis partem, quæ nihil aliud eſt, quàm prænominatus ſpiritus, tantùm nobilitate excellet, ut nihil
143 ſuprà; atque hinc rectè deducitur, hunc ipſum ſpiritum in Homine non modò nobilitate, atque excellentia ſuperare quemcunque ſpiritum in Animalis cujuſque corpore exiſtentem, ſed ipſam ipſorum quorumcunque Animalium Animata: in illis enim hic idem ſpiritus pro Anima eſt, licet hic id genere ſpiritus ſit pars tenuiſſima, & maximè ſpirituali naturæ accedens, nec deſint alij ſpiritus naturæ minùs ſpiritualis, ſeu magis terreſtres, quibus eorum Anima pro inſtrumento ad ſuas operationes obeundas indeſinenter utitur. In Homine 144
autem hic ſpiritus nequaquam pro Anima eſt, ſed pro Animæ inſtrumento, & ſi fieri poſſet, ut liceret ei abſque Animæ rationalis virtute operari, multò plura poſſet in ſemine humano operari, quàm poſſit operari quævis Anima perfectiorum Animalium in proprio eorum Animalium ſemine; quinimò, circumſcripta Hominis identitate, poſſet pro ipſa Anima inſervire ad inſtar Animarum cæterorum Animalium, nam & eſſet tale Animal, ut Bruta omnia, corruptibile, & mortale quoad utramque partem, nempe tam corpus, quàm Animam, neque eſſet abſque dubio hujuſmodi Animal Homo, ſed Animal tantùm ſenſitivum, inter ſenſitiva tamen omnium perfectiſſimum. Spiritus 145
igitur, de quo agimus, in Homine in actu effuſionis ipſius ſeminis unà cum ſemine à toto corpore, & à quibuſque corporis partibus ſecedit, & eſt tenuiſſima pars ejuſdem ſeminis, quod à toto ſecedere Hippocrates voluit, cujus opinionem acerrimè tueri conatus eſt acutiſſimus Philoſophus, ac celeberrimus Medicus Æmil. Pariſ. *lib. 2. nobil. exercit. Microcoſm. ſubt. exerc. 2. per totam.* Eſt enim & hic ſpiritus materialis, & cum ſemine, ut dictum eſt, deciditur à toto ipſi ſemini commixtus, Galen. *comm. 5. Aphor. 63.* nam ſemen ipſum ſpiritus excretio eſt. Ariſtot. *Probl. ſect. 4. probl. 31.* 146
& cum eo Galen. *in lib. 6. de morb. vulg. comm. 3. text. 12.* Per hunc porrò ſpiritum ſemen humanum ita diſponitur, ut dignum Anima Rationalis domi- 147
cilium ex eodem ſemine ſeparare poſſit, qua cum primùm creata, eodémque momento infuſa ſuperveniente, ſpiritus ille pro inſtrumento ille inſervit, eoque corpus informans, per illum omnes operationes ſuas poſtmodum exercet, quæ ad Hominis conformationem, & vitam, ac nutritionem, & augmentum in primo ortu, ac per totum deinceps ſubſequens tempus ad mortem uſque neceſſariæ ſunt. Ex his ergo deduci facilè poſſe quivis videt, 148
quòd etiamſi Homo ſuæ ſoboli non conferat Animam, ut alia Animantia ſuæ ſoboli communicant, tamen ſubminiſtrando cum ſemine prædictum ſpiritum omni Anima mortali nobiliorem, multò magis conferat ſuæ ſoboli, quàm quodvis aliud Animal etiam ex perfectioribus, licet illa Animam propriam ſuæ ſoboli cum ſemine communicent, hic vero nequaquam.

Neque oppoſitio, quæ huic opinioni fieri poſſit, me deterrere quicquam valet, dicendo, quòd non ſit generare ſibi ſimile, ubi Genitor corpus ſimul cum Anima non conferat genito, cum neque ſola Anima, neque ſolum corpus ſit Animal, ſed totum quid compoſitum ex corpore, & Anima: Modò, ſi Homo non confert generando & corpus, & Animam genito, nunquam dici poterit generare ſibi ſimile. Nam reſpondeo, quòd in via generationis, & ubi forma materialis eſt, verum omninò ſit, generans omne generare ſibi ſimile, & ſic, dummodò generans conferat ſoboli quidquid in generatione poteſt conferre, ſemper erit verum, quòd generabit ſibi ſimile: diverſa igitur omninò eſt ratio generandi ſibi ſimile in Homine, & in aliis Animantibus; cætera enim Animantia conferunt corpus & Animam genito, quia tam corpus, quàm Anima generabilia ſunt; Homo verò confert quidem cor-

pus

pus omnibus his associatum, quæ cum ipso corpore generari possunt, at non confert, neque conferre potest Animam, quia non est generabilis, sed producitur à Deo per procreationem, & infunditur corpori disposito ad illam recipiendam per spiritum illum, qui pro Animæ instrumento inservit. Et in summa conclusio illa, quod omne generans generet sibi simile, procedit, ubi formæ unà cum materia parentibus traducuntur, non ubi forma geniti ab extra advenit.

Cæterum si cui veritati consonum nullo modo videatur, quòd spiritus hic nobilissimus, qui cum semine effunditur, & qui parem, imò majorem virtutem habet, quàm habeant cæterorum quorumcunque viventium Animæ, cedat in Animæ Rationalis instrumentum, animadvertat, hoc in naturalibus infrequens non esse, cùm sæpè eveniat ut
149 Agentia quædam nobilia cedant in causalitate Agenti nobiliori super venienti, ita ut quod primò erat causa principalis, adventu causæ nobilioris evadat
150 secundaria; nam quæ supervenit priori semper perfectior est, D. Thom. *p. 1. quæst. 76. art. 4. ad 3.* Sic spiritum innatum, qui præcedit in semine Ani-
151 mæ essentiam, quamquam nobilissimum, cedere tamen in Animæ instrumentum prodidit etiam ipse Galen. *lib. 5. de simpl. Med. fac. cap. 9.* his verbis: *Quamquam nos iam ante spiritum innatum, etiamsi non sit Animæ essentia, saltem primum esse instrumentum in commento de Hippocratis, Platonisque placitis demonstravimus.*

Verùm ex ipsa Theologica veritate ejus rei exem-
152 plum desumi potest maximè ad rem faciens, quod est huiusmodi. Christus Dominus assumpta humana Natura, & unita suæ Divinitati Anima Rationali, eadem Anima Rationalis in instrumentum Divinitatis cessit, D. Thom. *part. 2. quæst. 112. art. 1. ad 1. & part. 3. quæst. 13. art. 2. ad 2.* non obstante
153 quòd Anima Christi Domini fuerit omnium Animarum Rationalium nobilissima, ac perfectissima: Ergo spiritus, qui in cæteris Animalibus Animæ, ac formæ substantialis vim gerit, in Homine, adventante nobiliori Agente, Anima scilicet Rationali, cedit in ipsius Animæ instrumentum.

Denique ea, quæ diffusè jam attulimus, in epi-
154 logum restringamus, ac dicamus, viventium omnium generationem Naturæ à Deo commissam, ita ut omnia (Hominem semper excipio) per suas species propagarentur generando ex se, & intra se propria semina, per quæ Animæ eorum soboli communicatæ nova indesinenter individua producant, & species conservent: Hominis autem generationem quoad inferiorem partem commisisse quidem Deum ipsi Naturæ, quoad superiorem autem sibi reservasse, creando & infundendo Animas Rationales indesinenter in ipsa semina humana alia quacunque Anima destitura, sed nobilissimo spiritu turgentia: neque enim poterat in via Naturæ succedere, ut cum materia, & ex materia existeret Anima, quæ futura erat immortalis, unde non poterat ex tradu-ce esse, ut Animæ cæterorum Animantium, sed erat omninò per creationem in esse ponenda, & ab ipso Deo tanquam Enti summo, & infinitæ potentiæ ex nihilo creanda, eodémque momento in semen humanum infundenda, ut per eam fœtus humanus poneretur in esse, & viveret, & nutriretur, & augeretur, & à primo suæ productionis exordio, & à primo vitæ momento ad ultimum usque regeretur. Neque ideircò quòd in humano conceptu Anima ab extrinseco adveniret, neque à Parentibus ullam haberet dependentiam, minùs in sobolis generatione Hominem tribuere, quàm quodlibet aliud generans, asservandum, stante quòd Homo cum semine spiritum nobilissimum subministret, omnem quarumcunque Animarum, etiam perfectiorum, Animantium nobilitatem exuperantem, qui pro Animæ Rationalis instrumento inservit, & ipsum semen disponit ad Animam Rationalem recipiendam; unde non minùs Hominem generando sibi similem generare, quàm quodcunque aliud generans, concludendum est, quia non minus ille, quam hoc omnia subministrat, quæ generabilia sunt, & generationi subjiciuntur naturali, etiamsi Animam suæ soboli non communicet, quia generabilis nullo modo est.

Et hæc circa fœtus humani animationem, quæ probabiliter dici posse mihi visa sunt, dicta sufficiant, iis insuper annexis, quæ in contrariæ opinionis assertione difficultatem faciebant, quæ omnia in tantùm recipi volo, in quantùm Catholicæ censuræ consona videantur, aliàs enim abolenda, & tanquam falsa, & erronea refutanda determino.

LIBRI NONI, TITULUS SECUNDUS,

De fœtu exsecto, seu de partu Cæsareo.

QUÆSTIO UNICA.

Appendix ad Titulum secundum Libri primi Quæstionum Medico Legalium post quæstionem quintam.

SUMMARIUM.

1 *Fœtus exsectus, & Partus Cæsareus quis dicatur?*
2 *Partus Cæsareus quis secundùm Rodericum à Castro.*
3 *Partus Cæsareus quis secundùm Varandæum.*
4 *Non potest dici peperisse mulier, cui mortua filius ab utero est extractus.*
5 *Partus dicitur à pariendo, & actionem parturientis importat.*
6 *Fœtum ab utero matris exsectum non oriri, aut nasci.*
7 *Fœtus adhuc in utero existens dicitur Partus.*
8 *Septimestris pro vitali, & legitimo habetur.*
9 *Septimestres ob debilitatem ut plurimùm moriuntur.*
10 *Septimestres exsecti à numero aliorum septimestrium excludendi.*
11 *Abortivus dici debet fœtus, qui non potest dici nasci.*
12 *Nasci septimo mense est proprietas aliquorum fœtuum secundùm nonnullos Doctores.*
13 *Septimestres non excidiuntur ab utero matris.*
14 *Septimestres non excidiuntur ab utero matris, nisi matre mortua.*
15 *Respirationem à vita, & vitam à respiratione separari non posse.*
16 *Transpiratio quis motus sit?*
17 *Expertis magis credendum, quicquid in contrarium ab aliis dicatur.*
18 *Fœtus septimestris exsectus non est pro vitali habendus, ut alij septimestres.*
19 *Nasci naturaliter fit ex propria virtute matris, & fœtus.*
20 *Mater noxia, & ultimo supplicio damnata secari potest viva, ut vivus extrahatur.*
21 *Octimestris ex sua natura non est vitalis, idque magis, si à ventre matris fuerit exsectus.*
22 *Octimestris exsectus pro abortivo, & non vitali habendus.*
23 *Nonimestres, & Decimestres exsecti, secundùm aliquos, non sunt successionis capaces. Contrarium, ibid.*
24 *Septimestres pro legitimis, & vitalibus habentur, & ad hæreditatem admittuntur.*
25 *Nonimestris, aut Decimestris exsectus non aliter habendus, quàm quivis fœtus naturaliter natus.*
26 *Sectio Matris præmortuæ ad extrahendum fœtum vivum est pervetusta.*
27 *Sectio Matris vivæ ad extrahendum fœtum, aut vivum, aut mortuum, an possibilis.*
28 *Sectio Cæsarea salva matre fieri potest, & ideòque licita.*
29 *Quot conditiones requirantur ad celebrandam sectionem Cæsaream Matre vivente, ut licita dici possit.*
30 *Sectio viva matris licita ad extrahendum fœtum, quando adest probabilitas fœlicis successus.*
31 *Mater quando obligetur ad subeundam sectionem?*
32 *Mater quando non adstringatur ad subeundam sectionem?*
33 *Sectio Matris viventis ad extrahendum fœtum, quando sit illicita?*
34 *In dubio fœlicis eventus an sectio matris viventis sit licita?*
35 *Sectio Matris viventis si sit cum certo, aut etiam dubio periculo alterutrius, cuius vita sit præferenda, matris scilicet, an fœtus?*
36 *Vita matris semper præferenda.*
37 *Pro salvanda matre an directò, vel indirectò quicquam fieri possit, ex quo fœtus sit certò moriturus.*

CIrca Partum exsectum erant quædam, quæ prætermissa sunt, multa consideratione digna, de quibus nunc sermonem instituam, quod tantò libentiùs faciam, quantò hæc materia ex mea sententia valdè necessaria, non est ipsis Jureconsultis ab eorum Auctoribus multùm in promptu, & tamen, relictis plerisque aliis illud videbatur ab ipsis seriò discutiendum, ac determinandum; utrum septimestris exsectus, sit tanquam alij septimestres pro vitali habendus, & ad hæreditatem admittendus? Nam plurima difficultatem inextricabilem faciunt, ut procedendo in discursu patefier.

Voco igitur hìc fœtum exsectum, qui ex prægnante muliere viva, vel mortua per ventris sectionem vivus, vel mortuus eximitur. Medici Partum Cæsareum vocant, & fœtus sic extractus Cæsones; unde non plenè satisfacere potest definitio Partus Cæsarei à Roderic. à Castrens. *libr. 4. de morb. Mul. cap. 3.* tradita, dum vult Partum Cæsareum esse extractionem fœtus ex utero matris, quæ fœtum aliter excludere non potest: nam simplex extractio fœtus ab utero per manum Chirurgicam, cum aliter Mulier parere, & fœtum excludere non potest, non dicitur Partus Cæsareus, sed ille tantùm qui extrahitur cæso matris utero. Multò melius partum Cæsareum definivit Varand. *libr. 2. de Affect. Mulier. cap. 7.* dicens, Cæsareum Patrum esse infantis in utero existentis extractionem per sectum Abdomen & uterum.

Verum enim verò Pater Theophil. Raynaud. *in tract.* quæ inscripsit, *De ortu Infantium contra Naturam*, Medicos omnes taxare nititur quòd hujusmodi hominum ortum, seu emissionem, aut quomodocumque appellies, vocaverint Partum

Cæsa

Cæſareum, cùm ex auctoritatibus inibi per eum
4 cumulatis; ac maximè *ex l. anniculus, ff. de verb. ſignif.* pateat, non poſſe dici eam peperiſſe, cui mortuæ filius ab utero extractus eſt, *& ex l. ſi ego, §. partus ancillæ, ff de publician. in rem act.* in qua, pueris matri mortuæ exſectis abrogari & partum, & nativitatem dicit.

Ego tamen exiſtimaverim immerito ab hoc doctiſſimo viro Medicos accuſari, quia quæ ipſe objicit, bene verificari poſſunt de ſimplici nomine partus, aut de partu in abſtracto accepto, prout eſt
5 indifferens ad hunc, aut illum particularem partum, cum certum ſit, partum dici à pariendo, & importare matris actionem in ipſo partu: aut ſi pro ipſo fœtu partus nomen accipias, partum eum fœtum dici, quem mater ab utero excludit: at neque hoc modo fœtus exſectus partus dici poteſt, quia nihil in ejus exſectione mater operata eſt, neque vim habuit ullius cauſæ agentis, quemadmodum habet dum naturaliter fœtum ab utero excludit, unde partus dici non poteſt. At verò ſi huic nomini *Partus* Epithetum addas *Cæſarei*, jam illa vox *Partus* aliam ſignificationem induit, & cùm Medici de ſectione ventris materni ob extractionem fœtus verba facientes dicunt ſe agere de Partu Cæſareo, excludunt omnem & matris, & fœtus actionem, quia fœtus hujuſmodi exitus, aut productio in lucem fit cæſo matris utero, & dicendo Partum Cæſareum, dicimus partum præter, & contra naturam, ac per violentiam factum, non quamlibet, ſed cæſo matris utero, non aliter, quàm intelligi velit ipſe Pater Theophil. ſuam inſcriptionem, de ortu infantium contra naturam: nam certum eſt, & idipſum etiam ipſe fatetur, fœtum ab utero matris exſectum non oriri, aut naſci, ut per *l. ſi ergo, ſuperius cit.* & tamen ipſe inſcribit librum, *de ortu infantium*, ſed addidit Epithetum illud *contra naturam*, bene potuit eo modo librum inſcribere, quia verè ex ventre matris exſecti non naſcuntur, neq; oriuntur naturaliter, quod fieret per enixum ab ipſis factum in matris utero, ut inde per conſuetam viam in lucem prodirent. Sed contra naturam, & per violentiam, dum manus Chirurgica illis aliam viam à naturali parat, dum naturalem invenire, aut ſibi perviam facere non potuerunt; ac profectò tantumdem taxari poſſet inſcriptio ipſius Patris Theophili *de ortu infantium contra naturam*,
6 quantum taxandam ille exiſtimat inſcriptionem Franciſci Rouſſeti, & aliorum *de Partu Cæſareo*, quicquid enim ille opponit contra vocem, *Partus*, opponi jure merito poteſt contra vocem, *Ortus*, nam ſi fœtus exſectus non poteſt dici partus, multò minùs poterit dici ortus: & ſi ſectio ventris muliebris, & fœtus inde extractio non poteſt dici partus, multò minùs poterit dici ortus, imò ut ingenuè ſenſum meum detegam, magis impropria videtur inſcriptio ipſius P. Theophili, quàm Rouſſeti, & aliorum Medicorum, quia inſcriptio Medicorum additione illius Epitheti *Cæſarei*, ſpecificat ſuam intentionem, & ad individualem conditionem deſcendit, cùm de Partu Cæſareo verba faciunt, quod Epithetum nulli alteri partui competit, niſi illi, de quo tractare promittunt; cùm tamen tot ſint partuum præternaturalium differentiæ: at verò P. Theophili inſcriptio, de ortu infantium contra naturam non explicat id, de quo verba facere intendit, cum non deſcendat ad ultimam differentiam ipſius ortus contra naturam, quia non ſolum ortus infantium factus per ventris materni ſectionem, eſt ortus contra naturam, ſeu præter naturam, ſed quicunque ortus infantium, qui fiat alia ratione, quàm conſueta, & naturali. An non putat P. Theophilus eſſe ortum contra naturam fœtum in pedes, in nates, in ventrem, in latus, in manus, in alterutrum pedem, aut in alterutrum brachium oriri? Quòd ſi ſic eſt, ad meliùs ſe explicandum P. Theophilus cùm ſimplex illa inſcriptio non eſſet ſufficiens, coactus eſt verba illa addere, *per ſectionem Cæſaream*, cùm tamen neque ſic evitare poſſit, quin non benè inſcripſerit, *de ortu Infantium*, quia extractio fœtus per ſectionem Cæſaream, non dicitur ortus, ſed fœtus exſectus ex matris utero, dicitur Partus, nam Partus nomen ipſi fœtui convenit. Aut ergò licitum ſit Medicis, cum extractione fœtus per ventris materni ſectionem verba faciunt, uti ea inſcriptione, *de partu Cæſareo*, quemadmodum licuit ipſi P. Theophilo inſcribere librum ſuum, *de ortu Infantium contra naturam*, aut ſi alteruter eam inſcriptionem immutare debeat, certè is immutabit, qui minus aptam fecit, quod ex præfatis juſtus Judex determinabit.

Ne deſiſtam tamen in tutelam dicti P. Theophili auctoritatem adducere Medici Vinc. Alſar. Crucij *in lib. de Quæſt. per Epiſt. cent. 2. conſult. ad Gubernator. Ravenn.* adſtruentis Titulum *de partu Cæſareo* ſuo libro á Franc. Rouſſet. præfixum, eſſentiæ rei parùm correſpondere; ſed præter rationem id, & ex proprio marte profert, nihil in ſui tutelam afferens. Sed quomodocunque hæc ſeſe habeant, Partus nomen, ut in principio annuimus, diverſimodè accipitur: & licet plerumque pro ipſa actione pariendi accipiatur, per ea, quæ adduxi *lib. 1. harum quæſt. tit. 2. quæſt. 3. num 5. & ſeq.* tamen accipitur etiam communiter pro ipſo fœtu, ut ex mille auctoritatibus inibi adductis clarè patet. Imò Hipp. ipſe, vel quiſquis ſit eorum libellorum auctor, eos inſcripſit *de partu Septimeſtri, & Octimeſtri*, hoc de fœtu ſeptimeſtri, & octimeſtri, ita enim orditur librum *de ſeptim. Septimeſtres naſcuntur, &c.* ſed non deſunt aliæ auctoritates: ad rem maximè faciunt Lucretij carmina *lib. 4. rer. nat.*

Et multæ ſteriles Hymenæis ante fuerunt.
Pluribus, & nacta poſt ſunt, tamen unde, puellos
Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci.

Et illud Virgil. *lib. 7. Æneid.*

Quin idem Veneri partus ſuus, & Paris alter.

Facit & illud Invenal. *Sat. 2. verſ. 138. & ſeq.*

Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos.

Sed quid plura? Ipſe fœtus in utero adhuc exiſtens dicitur partus, *l. 1. §. ex hoc reſcripto ff. de ventr.* 7
inſpicien. ibi: *partus enim ante quam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum, & l. Divus Verus, ff. de extraord. crim.* dicitur, eam, quæ data opera partum abegerit à Præſide in temporale exilium dandam: nam abigere partum, eſt medicamento abortivo, vel aliter per vim fœtum ab utero expellere, *& in lege falcidia la 2. ff. ad l. falcidiam.* Partus nondum editus homo non recte fuiſſe dicitur: ac denique *in l. qui utero, ff. de ſtat. hom.* Qui in utero eſt, perinde, ac ſi in humanis eſſet, cuſtoditur quoties de commodo ipſius partus quæritur. Cum ergo Medici inſcribunt opus ſuum, *de partu Cæſareo*, tantundem eſt ac ſi dicant de fœ-

tu extracto à cæſo matris utero, vel de actione partus per exciſionem uteri materni.

Sed jam ad ea, quæ magis ad rem Jureconſultorum facere poſſunt, properandum. Igitur notiſſimum eſt ex legum auctoritate Hippocratis noſtri doctrina munita, ſeptimeſtrem fœtum pro vitali, & legitimo habendum, ac præterea Nonimeſtres, & Decimeſtres (quod vulgo etiam eſt notiſſimum) vitales, & legitimos eſſe. Dubitandum modò non
8 injuria offertur, an etiam fœtus ſeptimeſtris ab utero matris, vel vivæ vel mortuæ exſectus, ut alij ſeptimeſtres pro vitali ſit habendus? Idemq; dubium emanare poteſt de quibuſcunq; fœtibus ab utero matris exſectis etiamſi Nonimeſtres, vel Decimeſtres exiſtant.

Et quoad fœtum ſeptimeſtrem multa obſtant, quò minùs ut alij ſeptimeſtres pro vitali ſit habendus: & primò obſtat naturalis, & inevitabilis quo-
9 rumcunque ſeptimeſtrium debilitas, ob cuius cauſam, ut plurimum vitales non ſunt, ut ex Hippocr. ipſius omniumq; Medicorum auctoritate evidenter demonſtravi *hac. quæſt. lib. 1. tit. 2. quæſt. 3. per totam*, & alibi, quæ evitari ab ipſis non poteſt, quantumvis virium fortitudine polleant; quia non obſtante quod ob eandem virtutis fortitudinem citiùs naſcantur, quàm deberent, ut Hippocr. aliiſque eorum fautoribus placet; tamen non potuerunt acquirere eam corporis perfectionem, illudq; membrorum robur, quod ad vitam protrahendam neceſſarium erat; quia tametſi perfecti judicentur, non acquiſierunt tamen requiſitam firmitudinem, neque totalem corporis abſolutionem ſunt conſecuti, ſed tantummodò perfectionis initium attigerunt, ut idem Hipp. *de ſeptim. part. n. 1.* dicebat, quaſi dicat, eos rudimentum perfectionis quoddam habere: unde mirum non eſt, ſi plurimi eorum pereant, teſte eod. Hipp. *ibid.* & ex multis pauci ſervantur, ut ille addit. Ergo accedente huic fatali neceſſitati debilitatis, violentia ſectionis, ac extractione intempeſtiva ab utero materno, impoſſibile eſt, ut tales ſeptimeſtres vivant, cum non naturaliter, & ſeptimo menſe ex cauſa naturali oriantur, ut alij, ſed per vim, & ex
10 cauſa omninò præternaturali: quare omninò videntur à cenſu aliorum ſeptimeſtrium exeludendi, qui cum vivere non poſſint, tanquam mortui, & non nati habendi.

Secundò obſtat his ſeptimeſtribus exectis ab utero materno, quò minùs aliorum ſeptimeſtrium privi-
11 legio gaudeant, quòd videantur abortivi: quia abortivus dici debet fœtus, qui neq; perfectus eſt, neq; poteſt dici naſci; at tales abſq; dubio neque perfecti ſunt, neque naſci dici poſſunt, ergò jure merito abortivi vocitandi; cùm nihil aliud importet hoc nomen *abortus*, quàm *non ortus*, vel *non natus*; ſi igitur neque ortus, aut natus dici poteſt hujuſmodi fœtus exſectus, abortus eſt, neque poteſt cum aliis ſeptimeſtribus, qui naturaliter oriuntur, connumerari; quòd ſi ex his, quibus nati, & partus nomen convenit, pauci ſervantur, certè fœtus exſectus ſeptimo menſe, cui neq; nati, neq; partus nomen aptari poteſt, omninò pro non nato, ſed pro mortuo judicandus.

Neque contra hæc quicquam faceret id, quod opponi poteſt de exſectis nono, aut decimo menſe, quibus item non convenit nati, aut partus nomen; maximè ſtrictè accepto, utroq; nomine, cum naſci dici non poſſint, ut jam in principio diximus, quia imperfectio corporis, quæ omnibus ſeptimeſtribus eſt communis, multò majorem, imò omnimodam vitæ repugnantiam ſeptimeſtribus exſectis conciliat, quod obſtaculum non habent ij qui nono aut decimo menſe à cæſo matris utero extrahuntur, hi enim omnimodam corpulentiam adepti, & ad totalem perfectionem deducti, poſſunt propriis viribus violentiæ ſectionis reſiſtere, imò fortè minùs labefactari poterunt per ſectionem uteri extracti, quàm ſi multo nixu, ac conatu propriis viribus, per uteri anguſtias cogentur ſibi viam parare, niſi à matre aliquid labis contrahant, quod illos ad internecionem perducat, nam abſq; eo quod quicquam virium amittant, dum exire ex ſe conantur, per manum Chirurgicam lentè, ac blandè à matris utero extrahuntur.

Obſtat tertiò, quòd cùm naſci ſeptimo menſe ex 12
communiori ſententia ſit aliquorum individuorum proprium, non autem omnium, illud certiſſimum, & nulla controverſia dubitabile eſſe debet quod ſeptimi menſis præeminentia iis tantummodò favorabilis exiſtat, qui ex natura ſua ſeptimo menſe naſcuntur; quanam enim ratione favorabilis exiſtet ſeptimus menſis iis, qui contra naturæ intentionem, & ex cauſa præternaturali non naſcuntur, ſed per vim ab utero materno extrahuntur? At certum eſt, quod oblato nobis caſu alicuius fœtus ſeptimeſtris ab utero matris extrahendi, non poſſumus, nec debemus affirmare fœtum hunc, quia ſeptimum menſem attingit, debere eſſe vitalem, imò contra affirmare debemus, non poſſe eſſe vitalem, quia quemadmodum quando ſeptimeſtris ſponte, & ex naturæ inſtinctu in lucem prodit, tempeſtivè naſcitur, & vitalis eſt, ita ubi ſeptimo menſe fœtus per cæſum matris uterum in lucem veniat, intempeſtivè extractus dici debet & idcirco vivere non poſſe. Quartò obſtat, quod ſi minima pars dimidij, anni, nempè aliquantula diei pars poteſt ſeptimeſtri adeo præjudicare, ut pro ſeptimeſtri non ſit habendus, nam ex
Hippoc. auctoritate *in princ. libri de ſeptem part. ſeptimeſtres naſcuntur centum octoginta duobus diebus cum dimidio, & inſuper accedente diei particula*, non video quanam ratione evitari poſſit, quin fœtus ſeptimo menſe exſectus pro abortivo, & non vitali non ſit habendus; nam multo minoris momenti abſq; dubio cenſenda eſt hæc conditio, quod fœtus ſeptimeſtris deficiat ab illa aliquantula diei parte, quàm ſi deficiat per totum ſpatium duorum menſium, & ultrà, inſuperq; per vim ab utero extrahatur; cùm fieri nullo modo poſſit ut magis adimat de viribus ipſius fœtus minimus ille defectus circa temporis ſpatium, quàm adimat longioris multo temporis defectus addita violentia adhibita in illus extractione per cæſum matris uterum: in qua operatione quantùm poſſit fœtus ipſe debilitari, ac quot, quantiſq; ſymptomatibus conflictari, non eſt qui diſſimulare poſſit ſe neſcire: illud autem maximè poteſt mirum in modum illum defatigare, & exagerare, quod ad reſpirationem pertinet, contendente enim fœtu in lucem prodire, plurimum in illo agone laborat, atq; angitur; non potente illo liberè reſpirare, imò ne ullo quidem modo, quia ſeptimeſtris non eximitur unquam ab utero matris vivæ, ſed tantùm ipſa matre jam præmortua, nam neque perſuaſerint unquam Medici aut Chirurgi, matrem ſeptimo gravidam ſectioni ventris ſe exponere nullo præcedente inſtantis partus ſigno, cùm neq; ſciant, an talis fœtus hujuſmodi ſit, qui ſeptimo menſe naſci debeat, quod quidem maximè hic ponderandum venit.

Quintò denique obſtat, quòd cum ſeptimeſtris 14
fœtus, ut mox dicebam, nonniſi à præmortuæ matris

tris utero extrahi poſſit, & neceſſe ſit ipſum fœtum matre mortua reſpiratione omni privari, cum fœtus ex ſeipſo non reſpiret, ſed tantùm ex reſpiratione matris per umbilicas arterias reſpiratione fruatur, eaque ratione vivat, ſeu potiùs tranſpiret, ſuccedit enim tranſpiratio ad reſpirationem, atque ejus loco fit, ſed ipſa tranſpiratio Cordis actio eſt per arterias, ut in confeſſo eſt, Galen. *lib. 4. de loc. aff. cap. 3. in fin.* fitque ad caloris Cordis conſervationem vice reſpirationis, quando calor ille eſt exiguus ex ſui natura, ut in fœtu, vel ex accidenti ut in Apoplecticis, & ſuffocatis, & in mulieribus ex utero ſtrangulatis, ſine hac autem reſpiratione, vel loco ejus, tranſpiratione animal nullum vivere momento poteſt *In confiſſo enim eſt*, inquit Galen. *lib. 6. de loc. aff. cap. 5. non longè à principio, reſpirationem à vita, & vitam à reſpiratione ſeparari non poſſe, adeò ut vivens omninò ſpiret, & ſpirans omninò vivat*, intelligens hanc ſpirandi neceſſitatem tranſpirando interdum ſuppleri, quod fit aliquando inſenſibiliter, ita ut ſenſum omnem effugiat, ut ſatisfaciendo argumentis in contrarium adductis dicit Claudin. *Reſponſ. Medic. num. 14.* ſatis ergo illud nobis ſit, quòd nullum Animal momento vivere poteſt abſque reſpiratione, aut ſaltem tranſpiratione. Modò, fœtus tranſpirat, & reſpirat, ſi reſpirare illum velimus, arteriarum, Cordiſque officio, ut nativus calor conſervetur, & hoc modo vivit, vivit tamen vita matris, ac tamdiù in vita perdurare poteſt, quamdiù à matre illi communicantur ſpiritus, qui reſpirationi, & tranſpirationi inſerviunt; ceſſante autem hoc influxu à matre, neceſſe eſt & reſpirationem, & tranſpirationem ceſſare, & fœtum perire; unde ſi ſeptimeſtris fœtus nunquam niſi mortua matre cæſo utero eximitur, certè neceſſe eſt illum, per totum ſpatium intercedens inter ventris ſectionem, & extractionem ipſius fœtus ab utero, nec reſpirare, nec tranſpirare potuiſſe, ſine qua actione ne per momentum quidem vivere potuit. Atque etiamſi contendat quiſpiam non neceſſario, nec ſemper ſimul cum matre fœtum in utero exiſtentem emori, ſed poſſe ad aliquod tempus poſt matris mortem, & ſine influxu novorum ſpirituum vitam protrahere, ex eo quia non tam repentina fiat ſpirituum iam in fœtum transmiſſorum exinanitio, ut percurrit Pater Theophil. Raynaud. *loco cit. num. 8. in fin.* quod ante illum aſſerebat Daniel Sennertus *pract. lib. 4. Part. 2. ſect. 6. c. 8.* & cui partim ego quoque aſſentior, tamen hoc poſſet fortè habere cum in fœtu robuſto, ac valido, & debitam perfectionem conſecuto; quando maximè à matris morbo non eſſet ad extremum debilitatis perductus. Sed quod fœtus ſeptimeſtris immaturus, & imperfectus, & viribus deſtitutus, intempeſtivè in lucem per vim protractus, mortua matre, poſſit per aliquod vel minimum tempus in vita perdurare, mihi non videtur rationabiliter admitti poſſe: nam ſi in ipſis fœtibus Nonimeſtribus, & Decimeſtribus maturis, & abſolutis, viribusque integris, omnis mora, ubi mater præmortua ſit, periculoſa ita eſt, ut non poſſint ad modicum tempus poſt mortem matris vivere, ut fatetur ex poſſevino ipſe quoque Pater Theophil. *ibid. cap. 2. num. 11.* quid fiet Septimeſtri adhuc immaturo, & inabſoluto, atque imbecillimo? nam licet admittamus (quamquam admittendum non tam facilè eſt) quod præmortua matre fœtus intrà uterum poſſit per horam vivere, ut gratis Poſſevin. *de officio Curat.* apud eundem Theophil. Raynaud. *ibid.* de Medicorum valdè peritorum ſententia firmat, id intelligendum ſemper de infantibus Nonimeſtribus, aut Decimeſtribus jam perfectis & abſolutis, non de fœtibus recentioribus, tamet ſi infantem intra uterum præmortuæ matris per horam poſſe vivere, ſit contra experientiam, & rationem prolatum: & ea de re licet hiſtoriarum veritati de vivis fœtibus ab uteris præmortuarum Parientium extractis plena manu ſubſcribam quia erant huiuſmodi fœtus Nonimeſtres, aut Decimeſtres, jamque omnem maturitatem, & perfectionem adepti, tamen nulla experientia, nullaque Hiſtoriæ veritate hactenus perſuadere mihi licuit, quod fœtus ſeptimeſtris ex ſua natura debilis, & imperfectus tantum vigoris habere poſſit, ut mortua Matre, & à cæſo ejus utero extractus tranſpirare ampliùs ex ſe poſſit, & per aliquod momentum vivere. Unde quantum ego hucuſque ſcire potui nullus caſus obſervatus eſt, in quo Septimeſtris fœtus vivus, & multò minùs vitalis per ſectionem Cæſaream fuerit extractus, ſed omnes quotquot vitales eo modo extracti fuerunt, Nonimeſtres, aut majores erant, ut patet ex ſingulis hiſtoriis à Fran. Rouſſeto, & ab aliis enarratis: Quamobrem quæ contrà noſtros Medicos Rodericum ſcilicet à Caſtro, & Varandæum objicit Pater Theophilus, procedunt, aut procedere poſſunt in fœtibus perfectis, & ad exitum maturis, cùm omninò contra Hiſtoriarum, & quotidianæ experientiæ veritatem pugnare illi Medici videantur, qui negant tales fœtus poſſe vivos ex præmortuarum Parentum uteris per ſectionem Cæſaream extrahi. Verumenimverò immeritò videtur à Patre Theophilo accuſari Rodericus à Caſtro, nuſquam enim Rodericus ſupponit, Cor, & Pulmones in fœtu cieri, ut illi imponit P. Theophilus, imò abſolutè negat fœtum in utero reſpirare, communi doctiorum Medicorum opinioni adhærens, ac manifeſtiſſimè ſe explicat dicens; *Quia vita, & motu Puerpera ceſſante, ceſſat etiam infantis vita, & motus Cordis, qui in infante pendet ex diſtentione, & contractione Arteriarum umbilicalium* (quem motum hoc modo factum ſcire debet P. Theophil. Tranſpirationem vocari) *qui motus ubi ceſſet in Matre, è veſtigio ceſſat in infante, quia non ante umbilici ſciſſionem ſpiritum per eos trahit, nec in utero per eos reſpirare poteſt* Ergo Rodericus dicendo, quod ceſſat vita Infantis, & motus cordis, non vult Cor, & Pulmones in fœtu cieri ob reſpirationem, ſed tantummodo ceſſare in Infante motum cordis factum, ex diſtentione, & contractione duarum Arteriarum Umbilicalium, qui motus, Tranſpiratio eſt, non Reſpiratio: neque uſquam fatetur Rodericus, quod Infans neceſſario moriatur intercluſa per Matris obitum reſpiratione, quomodo enim hoc aſſeveraret, dum Infanti in utero exiſtenti reſpirationem negat? Majorem habet occaſionem Pater Theophilus accuſandi Varandæum, cùm contra ipſam experientiam pugnare contendat, nullo modo ſibi perſuadentem, *poſſe uterum tantam in ſuo fundo ſolutionem pati, ſalvis Parturientis rebus, quantam oportet fieri per medios Epigaſtrij muſculos, & Peritonæum cum hæmorragia inſigni ad educendum inde fœtum.* Sed Varandæus certè clarè commonſtrat ſe experientia in hoc deſtitutum, nec unquam tales caſus vidiſſe, vel obſervaſſe: quod etiam de Ambroſio Paræo Chirurgo alioquin doctiſſimo ſentiendum, cùm *lib. 23. ſuæ Chirurg. c. 31. in fin.* hæc habeat. *Cæterùm non poſſum ſatis mirari eos qui ſibi viſas mulieres affirment, quibus non ſemel novacula Abdomen cum ſubjecto utero reſciſſum ſit ad fœtum nunquam*

aliquin prodituram extrahendam; id enim, ſalva Matre, fieri poſſe mihi perſuadere nunquam potui. Et quæ ſequuntur. Sed quicquid in contrarium dicatur,
17 aut dici à quovis poſſit, expertis magis eſt credendum, *argum. c. litteræ, de frig. & malef. & l. 1. ff. de ventre inſp.* cùm Viri Doctiſſimi talem operationem & admiſerint, & exercuerint fœlicissimo cum ſucceſſu, non modò extrahendo fœtum vivum cæſo ventre ex utero præmortuæ Matris, ſed etiam extrahendo eadem ſectione fœtum vivum, aut mortuum ex utero Matris vivæ, ſalva Matre. Ac præter ea, quæ adduxit Franc. Rouſſet. *in libell. de Part. Cæſar.* admittunt & laudant hanc operationem, ubi opus ſit, Andr. Laurent. *in Hiſtor. Anatom. lib. 8. q. 52.* Maurit. Cordæus *in lib. 1. Hippocr. de morb. mul. comm. 1. prope medium*, Joan. Baptiſta Corteſius *Miſcellan. Decad. 10. quæſt. 10.* Mercurius *lib. 2. della Commare, cap. 28.* Daniel Sennert. *lib. 4. Pract. Part. 2. ſect. 6. cap. 8.* Marcel. Donat. *lib. 7. Hiſtor. med. mirab. cap. 10.* & alij plures apud Patrem Theophil. Raynaud. *de art. Inf. contr. Nat. c. 3. n. 6.* quorum placita vide apud Joan. Schenckium, *lib. 4. Obſer. tit. de fœtibus*, ubi etiam plures Hiſtorias percurrere licet rei veritatem atteſtantes.

18 Et ex his concludenter elici debet, quòd fœtus ſeptimo menſe ab utero Matris extractus ventre cæſo pro vitali non ſit habendus, ut alij Septimeſtres ſponte & ex Naturæ inſtinctu naſcentes: licet enim Hippocrates, & ex ejus auctoritate Leges, Septimeſtrem fœtum pro ratione natum, & vitalem eſſe determinaverint, tamen hæc determinatio non poteſt applicari fœtui, qui ſeptimo menſe à cæſo Matris utero extrahitur; cum neq; naſci dici poſſit, neque pro ratione natus, nec conſequenter vitalis exiſtat: nam ſi quid Septimeſtre ſpatium conſiderabile eſt, ut autumant, in ortu infantium, id quidem verificatur cùm ex Naturæ vi motus ille fit, non cùm per violentiam, & contra Naturæ legem fœtus à cæſo Matris utero extrahitur nihil enim commune habet id, quod naturaliter fit cum eo, quod fit per accidens; & numerorum energiam, ac vim Hippocrati magni æſtimatam in motibus naturalibus cum habere voluit, non in præternaturalibus, & violentis.

Quamobrem nequaquam aſſentiri poſſum Patri Theophilo *loc. cit. c. 12. n. 6.* volenti nihil differre Septimeſtrem naturaliter natum à Septimeſtri ex cæſo Matris utero extracto, & utrumque eſſe æquè vitalem, quoniam ſi ſic eſt, nihil differet actio naturalis ab actione præternaturali, ac tantundem eſſet dicere, quòd tam evacuatio, exempli gratia, naturalis, quàm ſymptomatica, & præter naturam, æquè pro-
19 ficua, ac tuta eſſet, & ſic de cæteris omnibus: non conſideravit doctiſſimus hic Vir, quòd naſciſecundùm Naturæ ordinem, fit ex propria virtute, & ejuſdem Naturæ robore, & cum commodo & utilitate tam Matris, quàm fœtus: at extrahi per ſectionem ab utero, neque à Natura fit, nec cum ejus commodo, ſed ipſi Naturæ vis infertur, & ſuccedit cum maxima anxietate & Matris, & fœtus, etiamſi fiat nono, aut decimo menſe; quanto major ergo vis Naturæ infertur, ſi fiat ſeptimo? Non poteſt igitur ex hoc quòd Septimeſtres, qui ſecundùm Naturæ ordinem naſcuntur, ſunt vitales, inferri etiam Septimeſtres ab utero Matris cæſo extractos æquæ vitales exiſtere; quia illi à Natura reguntur, & in ſeptimo in lucem tranſmiſſi vivere poſſunt, hi autem cum non deberent in ſeptimo naſci, per vim ab utero extrahuntur, nec quicquam illis prodeſſe poteſt, quod Septimeſtres ſint. Illud tamen non negaverim, quod maximè ad rem propoſiti caſus P. Raynaud. facere videtur, nempe fœtum ſeptimeſtrem hoc modo extractum poſſe per aliquod tempus non longum vivere, in tantum, ut Baptiſmo mundari poſſit, & idcircò in eo caſu concedi poſſet, Matrem 20
noxiam, & ultimo ſupplicio damnatam vivam ſecandam, licèt nimis rigoroſum hoc eſſet, & mitius, ac magis ſecundùm Jus putandum, differendam eſſe Matris mortem uſque ad partum. Non differret à prædicta dubitatione, etiam illa, quæ fieri poſſet de ſeptimeſtri per vim quamcunque ab utero ejecto, ut exempli cauſa per poculum abortionis, per caſum, aut percuſſionem, aut quocunque alio modo violenter in lucem prodeunte, nam quia his omnibus illud obſtat, quòd non ex Naturæ virtute, & electione, ut qui verè ſeptimeſtres ſunt, ſed per externam violentiam naſcuntur, nihil illis prodeſſe poteſt numerus ſeptenarius, qui in moribus naturalibus, non in ſymptomaticis habet locum.

Quod dictum autem de Septimeſtribus eſt, eodem modo, & multò magis fortè procedet in Octimeſtribus, cùm ex communi ſententia hi ex ſua na- 21
tura vitales non ſint, ut primò Hippocr. *in princ. libell. de Octim. Part. n. 1.* aſſevetat, reddens inſimul rationem cur impoſſibile ſit, ut vivant, quem ſecuti ſunt penè omnes, qui de Octimeſtri partu verba fecerunt, uno excepto Federic. Bonaventur. *in lib. ad hanc rem dicato*, in quo longioribus fortè, quàm neceſſe fuerit, Octimeſtrem partum contra omnium aliorum Doctorum hominum opinionem tuetur; quibus tamen non obſtantibus (relicta pro nunc indeciſa ea quæſtione, quæ de ejus aptitudine ad vivendum habetur, ac ſi per nos Octimeſtris, ut Septimeſtris vitalis) dicendum, quòd quamquam Octimeſtris poteſt eſſe magis, quàm Septimeſtris vitalis ob ma- 22
jorem præcipuè corporis, & membrorum omnium perfectionem ex longiori mora in materno utero facta, tamen ſi ab utero materno per ventris ſectionem extrahitur, vitalis eſſe nullo modo poteſt, & habendus eſt pro mortuo, & abortivo, ut de Septimeſtri exſecto firmatum eſt.

Ad Nonimeſtres jam & Decimeſtres, ac perfectos, & abſolutiſſimos fœtus progrediendum, qui cum ſuo tempore naſci contendunt, & vias naturales obvias, & patentes non habent, vel à Matre jam vita functa ad exitum non coadjuvantur, per ſectionem Cæſarean extrahuntur, circa quos licèt dubitaverint nonnulli, quos adducit Alphonſ. à Carranza *de Part. natur. & legit. c. 6. ſect. 1. n. 12.* & jam ſæpè adductus P. Theophil. *lib. cit. c. 14. n. 2.* quòd non
poſſint dici naturaliter naſci, & idcircò nec natu- 23
rales, nec legitimi ſint exiſtimandi, nec ſucceſſionis capaces; tamen contrariam ſententiam veriorem eſſe iidem probant, & ex communiſſima ſententia concludunt, partum ex cæſo Matris utero exemptum, æquiparari in omnibus infanti verè nato, & à natura in lucem emiſſo, ut patet per *text. in l. Quod dicitur, ff. de lib. & poſth.* & per alias quoque leges, quas prætereo. Verumenimverò, non indifferenter hæc in omnibus exſectis procedere dicit idem Carranza; ſed ad hoc ut talis exſectus vitalis judicari poſſit, vult eum debere in vita perdurare ſaltem viginti quatuor horis. Quæro tamen ab ipſo Carranza, aut ab aliis Doctoribus, quicumque illi ſint quorum opinionem ipſe ſequitur, an fœtus Nonimeſtris, aut Decimeſtris naturaliter ſe habens & ex Naturæ inſtituto in lucem tempeſtivè egreſſus, ſi per horam poſtquam

natus

natus eſt, moriatur, pro vitali habendus ſit, & ad hæreditatem, & ad alia admitti, ad quæ cæteri, qui vivi permanent admitti ſolent? nam credo affirmaturas, juxta diſpoſitionem *l. uxoris abortu, C. de poſthum. hær. inſt.* talem fœtum juſto tempore natum, etiamſi per horam tantùm vixerit, pro vitali habendum, & ad hæreditatem admittendum; ergo ſi exſectus æquiparatur in omnibus ei, qui naſcitur, dummodò naturaliter vivere poſſit, non major ratio eſt, cur qui naſcitur naturaliter, & per horam tantùm (imò etiam per momentum, ut nonnullis placet) vixerit, ad hæreditatem ſit admittendus, qui verò ex cæſo matris utero vivus eximitur, niſi vixerit per viginti quatuor horas, non debeat pro vitali haberi, nec ad hæreditatem admitti, cùm nullam habeat repugnantiam ad vitam, nam juſto tempore in utero manſiſſe ſupponitur, & perfectus, & undequaque abſolutus exiſtit, in nihilo deteriorem ſuam conditionem faciens. Præterea Septimeſtres ut plurimum non vivunt, ut jam millies dictum, ac probatum experientia, ratione, & auctoritate eſt, nullo tergiverſante;
24 & tamen omnes Septimeſtres pro vitalibus habentur, & ad hæreditatem admittuntur, cæteriſque omnibus gaudent, ne minima quidem re minùs, ut Nonimeſtres, & Decimeſtres; cur ergo extractio fœtus ex cæſo Matris utero obſtare debet Nonimeſtri, & Decimeſtri fœtui, ita ut ad hæreditatem non ſit admittendus ex eo quod non vixerit per viginti quatuor horas, ſed tantùm per duodecim, aut decem, aut etiam illicò deceſſerit, cùm aliàs & ratione temporis, & ratione abſolutionis, & perfectionis corporis, & ratione quarumcunque aliarum conditionum vitalis ex ſua natura ſit: rationabilius ergo ex mea ſententia fuerit dicere, exſectum fœtum Nonimeſtrem, aut Decimeſtrem, non aliter, nec alio cenſu
25 habendum, quàm quemcumque alium fœtum natum aliter, & ſponte naſcentem, & ſi hic non excluditur ab hæreditate, ſi naſcatur vivus, licet non multò poſt, aut etiam illicò moriatur, ita ille non excludendus ab hæreditate, ſi vivus ex cæſo Matris utero extrahatur, etiamſi non multò poſt, aut etiam illicò decedat. Hæc autem ego per modum ratiocinij affero, neque enim mihi tantum tribuo, ut putem ad me pertinere de his quicquam determinare: ſed Carranza qui, ut Jureconſultus hæc determinat, debebat ſuæ determinationis rationem aliquam adducere, aut ſaltem ab Auctoribus, quos ille pro ea allegat, adductam referre, aut ſaltem eam auctoritatibus magis ſufficienter munire. Sed illi ſatis fuit inniti, cum Hiſpanus eſſet, Hiſpanorum conſuetudini, qui teſte Guttier. *lib. 2. Pract. Quæſt. quæſt. 101. n. 5. & 6.* ex quo P. Theophil. *lib. ſæpè cit. de ort. Inf. contra Nat. cap. 14. n. 5.* tunc cæſonem potiri prærogativis fœtus naturaliter nati permittunt, & haberi tanquam filium quoad hæreditatem, & jura liberorum, cùm totus extrahitur vivus, & horis viginti quatuor eſt ſuperſtes, ac Baptiſmo mundatus. Ut diſponitur per *l. 13. Tauri*, ab ipſo Cartanza *toties relat. c. 6. ſect. 1. n. 14.*

Sed ut etiam de Undecimeſtribus, ac maioribus fœtibus aliquid dicamus, occaſionem præbent Hippocr. *in lib. de Octimeſtr. par. in princ.* verba, qui cùm Decimeſtres naſci ſeptem dierum quadragenariis tradidiſſet, eoſque maximè perfectos eſſe, qui in primis quadraginta diebus naſcuntur, addebat: *Ubi verò plures acceſſerint, pereunt*; ita ut ex hac Hippocratis aſſertione appareat, Undecimeſtres, qui ultra ſeptem quadragenarios in utero commorantur, vitales non eſſe. Sed non hanc fuiſſe Hippocratis mentem contra nonnullorum opinionem oſtendit Proſp. Martian. *in ejus loci comm. verſ. 8.* taque dicendum nihil præjudicare poſſe fœtui ex ipſo Matris utero extracto, ſi etiam poſt ſeptem quadragenarios dierum, & ultra extractus eſſet, dummodò vivus extractus ſit.

Cæterùm fœtus ab utero Matris jam præmortuæ 26
vivos extrahi non ſolùm quotidiana experientia comprobatur, ſed etiam vetuſtiſſimis exemplis eſt confirmatum, & maximè in promptu ſunt Legum, ac Jureconſultorum, Medicorumque & Hiſtoricorum plures auctoritates, quibus addenda etiam illa Virgilij *lib. 10. Æneid.*

Inde Lycam fert exſectum jam Matre peremptæ

Unde operatio hæc nec utilis, nec vana unquam exiſtimata eſt, ſed per eam plerique fœtus ſalvati ſunt, aliàs ſimul cum Matribus morituri, & quòd multò majoris momenti eſt non tantùm à temporali, ſed etiam ab æterna morte per eam ſectionem ſunt liberati; neque audiendi ullo modo ſunt, qui in contrarium obloquuntur, putantes hanc operationem inanem eſſe, ob id, quòd non ſit poſſibile fœtum poſt mortuam Matrem momento vivere, ex eo, quod reſpirare non poſſit: quorum tamen opinionem falſitatis inſimulat frequens experientia, ut jam dictum eſt, & convincunt auctoritates plurium Medicorum, & præter eos, qui jam citati ſunt addendi Mercat. *lib. 4. de ſteril. & Pragn. affect. cap. 3.* Euchar. Rodion. *de Part. hum. cap. 9.* Lud. Bonacciol. *in Ennead. mul. cap. 8.* Balduin. Rouſſetus *de hum. vit. primord. cap. 24.* Illud tantùm addi debet, hoc benè ſuccedere ſi à Matris exceſſu illicò venter aperiatur, ut fœtus liberè reſpirare poſſit, nam aliàs ſententia eorum prævalet, qui negant poſſe mortua Matre vivum fœtum extrahi.

Dubium tantummodò erat de ſectione Matris vivæ, ad extrahendum fœtum vivum ex utero ſalva Matre, an nimirum poſſibilis ſit, & an licita? Et 27
non eſſe poſſibilem patet ex eo, quod de ea tanquam de re impoſſibili nullus Medicorum ante præteritum ſæculum verba fecerit, cùm tamen de rebus fortè magis arduis ſermonem habuerint, & neceſſaria præcepta tradiderint, & particulariter de extractione calculi ex veſica, quod multò magis periculoſum, atque operoſum, ſi nonnullis doctiſſimis viris fidem habemus, exiſtimandum, ut alias operationes quaſdam non minùs diſcrimine plenas, ſed tamen in uſum protractas præteream, de quibus omnibus videndum quicquid affert jam ſæpè citatus Rouſſetus, qui ſolidis rationibus, auctoritatibus, & experientiis probat; quaſdam alias operationes in Arte Medica cum multò majori periculo exerceri, & tamen fœliciter ſuccedere. Sed quid plura? An non etiam Antiquis Medicis notum fuit, uterum poſſe exſcindi, ac totum avelli, vivente, ac ſalva muliere? id qui non credit, adeat Paulum *ſua Med. lib. 3. cap. 72.* Aëtium *ſerm. 16. cap. 76.* Avic. *lib. 4. tract. 2. cap. 10.* Nicol. Flor. *apud. Mercurial. lib. 4. de morb. mul.* Sed ipſe Ambroſ. Par. *loc. cit.* aliàs ſectionem Cæſaream tanquam impoſſibilem inficiatus, uterum totum unà cum uno ex teſticulis Mulieri cuidam exciſione ademit, ipſa ſupervivente. Unde ſi hæ operationes in uſum trahi poſſe docuerunt Antiqui, docuiſſent etiam hanc operationem partus Cæſarei, quæ minùs operoſa videtur, ſi in actum demandari potuiſſet, unde non mirum, ſi nonnulli Recentiores Viri quidem Doctiſſimi, & in Chirurgicis operationibus experti ſſimi, quos ſuperius retuli, aperta fronte faſſi ſint hanc

operationem eſſe impoſſibilem, ut idem Paræus *ſua Chirurg. lib.* 23. Varand. *de morb. mul. loco cit.* ſed & Alex. Maſſaria *lib.* 4. *Pract. Med. cap.* 12. ab hac operatione abhorret, cum ex propria experientia affirmet, eas, quas ille ſecare vidit numero tres, omnes periiſſe. In cujus dictis adnotandum, extrà rem omninò illum eſſeveraſſe, Hippocratem primò conſuluiſſe, partu difficili exiſtente, in ſumma rerum deſperatione Mulieres eſſe ſecandas, ut habetur *lib.* 1. *de morb. Mul. n.* 96. nunquam enim tale quid Hippocrates dixit, ejus verba ſunt; *Quicunque verò fœtus mortuos aut cruentos, aut manum foras protendunt, eos optimum quidem fuerit, ſi id fieri poſſit introrsùs retrudere, & ambas has partes in caput vertere; ſi verò hoc fieri non poterit, verum intumeſcit ſecare hoc modo:* & proſequitur docens, quomodo fœtus ſit ſecandus. Nunquam ergo dixit Hippocrates, Mulierem eſſe ſecandam, & ſi tale quid dicere voluiſſet, ut erat homo in Artis operibus exercitatiſſimus, & docendi alios ejuſdem Artis abſtruſiora facinora cupidiſſimus, non minori diligentia de hujuſmodi operatione, quàm de ſectione fœtus egiſſet, de qua tantùm intendit *loco citat.* verba facere, ut fecerat, *lib. de ſuperfœt. n.* 40. & libello ad hanc rem dicato *de ectectione fœt.* idemque non reſtiterunt alij Medici tam Recentiores, quam vetuſtiores docere. Sed ad rem noſtram non obſtare cenſendum ipſius Maſſariæ triplicatam experientiam, nam ſectio fœminarum potuit fieri ab imperito aliquo Chirurgo, vel malè ſucceſſit operatio, quòd Matres eſſent maximè debiles, vel ob aliquem notabilem errorem, vel in ſumma quòd reſpectu multarum conditionum vitioſa exſtitit, ut etiamſi nihil eorum obſtitiſſet, non idcircò eludendæ tot experientiæ, non à Franc. Rouſſeto tantùm, ſed ab aliis Medicis in medium allatæ, etiam ab iis, qui aliàs hujuſmodi caſus impoſſibiles exiſtimabant, nempè, ut Matri vivæ exiſtenti uterus ſecaretur, ut inde fœtus extraheretur, ut de ſe ingenuè fatetur Mercurius *in lib. della Commar.* 2. *cap.* 28. Quin etiam Maurit. Cordæus, *comm.* 1. *ad* 1. *Hipp. lib. de morb. mul. verſ. med.* Non modò hanc operationem admittit, & proprias nonnullas experientias, & alienas proponit, ſed ſummoperè etiam laudat, ut ex qua Medicam Artem in Hominum utilitatem magis in dies ditari affirmet.

28 Cum igitur ex jam dictis pateat, ſectionem Cæſaream, etiam viva matre remanente, eſſe factibilem, eamque tot experientiis fuiſſe confirmatam, ſequitur inde eſſe etiam licitam: & quamquam plures ex Canoniſtis, & ex aliis quoque Profeſſoribus, quos cumulavit P. Theophil. *cit. lib. de ort. Infant. contr. Nat. cap.* 3. *n.* 2. apertiſſimè negaverint, eam ullo modo licere, cùm ſecundum ipſos non poſſit evitari Matris homicidium; tamen eam ſententiam tuebantur illi Doctores his novis experientiis deſtituti, & falſa ſuppoſitione perſuaſi, quod fieri non poſſet abſque Matris nece, quæ ipſo facto falſitatis convincitur; quibus etiam experientiis deſtituti nonnulli Medici, quos ſuprà citavi, & quos cum aliis cumulat idem P. Theop. *ubi ſuprà*, non dubitatunt falſitatis redarguere eos, qui contrarium firmarent, eoſque, qui tales caſus oculata fide obſervarunt, maximè narrando id fieri poſſe non ſolùm ſalva Matre, ſed ea denuò ad novam conceptionem apta remanente, mentiri voluerunt, cùm tamen ipſi magis redarguendi ſint, qui facti realitatem controvertere audeant, antequam de ejus veritate plenam notitiam conſecuti fuerint: nam & alij in ea opinione fuerunt, ut Mercurius, de quo ſuprà dixi, qui tamen poſtmodum ipſa facti ſerie inſpecta, veritati acquieverunt, eamque propriis experientiis confirmarunt.

Quoniam autem hæc experientia maximi momenti eſt, & eam in uſum protrahendo agitur de vita Hominis, quæ eo modo in dubio ponitur, præterquam quod non eſt adhuc multùm inveterata, & ſummè difficilis eſt, ut executioni demandetur, videntur multa in conſiderationem adhibenda, antequam ad eam determinationem deſcendamus, eamque operationem undequaque licitam eſſe pronunciemus. Ea verò, quæ conſiderari opottet, partim ad Medicum ſpectant, partim ad Canoniſtas. Utraque tam exactè, ac diligenter ponderata ſunt à jam ſæpè nominato P. Raynaud, ut omnem provinciam novi aliquid proferendi mihi ademerit. Ut aliquid tamen tanquam Medicus proferam, dicam, permulta eſſe, quæ huiuſmodi operationem 29
tutam eſſe promittunt, ſi vires mulieris permiſerint, ad quas tota Medici ſecantis, vel ſectionem ſuadentis conſideratio dirigi debet. Vires ergo mulieris tunc ſubſiſtere, & ad ſectionem ſufficere poſſe credendum, cùm ea integræ ætatis eſt; voco hic ætatem integram, quæ neque anno vigeſimo minor, nec quinto ſuprà trigeſimum major eſt; licet non extra Naturæ conſuetudinem eſſet, etiam in ea, quæ quadrageſimum non excederet, robuſtas vires aſſervari: nam in eo annorum numero degentes ſunt in roboris cujuſcunque generis vigore, & facilè externas ac violentas injurias ſuſtinere aptæ, quia maximè ſanguine, & calore affluunt, eoque ſanguine quam in prægreſſis ætatibus firmiore. Has præterea decet animo intrepidas eſſe, nec mortis timore exagitatas; neque item à partus laboribus, & anxietate ita labefactatas, ut ex ea tantùm occaſione inſigniter langueant. Præcipuè autem obſervare oportet, ne ab Obſtetricibus, aut ab imperitis Chirurgis dilaceratæ, aut ita exagitatæ ſint, ut præ debilitate omnem animum deſponderint, quod etiam admonere non deſtitit præter Medicos alios ipſe Rouſſetus *in exhortatione ad Chirurgos poſt ſuum tractatum de Part. Cæſar.* Et licèt fieri non poſſit, quin inter inanes pariendi conatus in his caſibus mulieres plurimam virium jacturam non faciant, mirumque in modum angantur, tamen eas, quæ fortiori, ac magis virili animo ſunt, ac laborum, & dolorum tolerantiores, non æquè periclitari certum eſt, ut eæ, quæ timidiores, & animi muliebrioris exiſtunt, & facilè ex laboribus, & doloribus ſuccumbunt. Convenit ergo ſecandas Mulieres conſtantes, & vividas eſſe, & tam difficili provinciæ ad mortem propriam, & fœtus evitandam ſponte, ac viriliter ſe credere. Præſtabile quoque eſt, eas extra prægnantiam, & in ipſa prægnantia ſanas maximè vixiſſe, nec unquam, aut ſaltem de proximo, acuto, ac lethali morbo fuiſſe conflictatas. Valetudinarias autem, & uterinis morbis obnoxias; aut rebellibus obſtructionibus, aut viſcerum tumoribus detentas huic ſectioni ſubjicere idem eſt, quod eas data opera occidere. Quinetiam optabile eſt ſecandam Mulierem non ſolùm ſanam in ipſa prægnantia vixiſſe, ſed ne à nonnullis quidem ipſi prægnantiæ familiaribus fuiſſe exagitatam, ut indeſinenti, ac contumaci inappetentia, vomitu perenni, pertinaciſſima tuſſi, ædematoſis corporis inflationibus, pedumque tumoribus, & aliis id genus; nam horum unumquodque vires inſigniter labefactare, & fœtum, ipſamque Matrem concutiendo valdè lædere, au corpus mirum in modum refrigerare, nativumque calorem ſuffocare, unde vires fatiſcant, aptum eſt. Sed præter hæc, conſiderandum antequam ad opus deveniamus,

an

ân ab Obſtetricibus, Tonſoribus, aliiſve Chirurgis, ſi qui vocati fuerint, debita diligentia adhibita ſit, ut naturali, aut ſaltem faciliori, & à periculo magis diſtante ratione fœtus naſci aut extrahi potuerit, ſi quidem enim, quod tentari potuiſſet, prætermiſſum eſt, omninò à Chirurgo, cui ſectio deſtinatur, tentandum multa cura eſt, maximè verò obſervet ex quonam impedimenti genere fœtus naſci, aut extrahi prohibeatur; nam non inſuetum eſt, quòd rudiores Obſtetrices, atque imperiti Tonſores, aut indoctiores Chirurgi aliquod impedimentum non amovibile cauſentur, quod doctior, ac magis expertus Chirurgus deinceps aut facile, aut aliqua cum induſtria amovere poterit, & ſic mulierem à ſectionis tormento, ac periculo, magna ſui cum laude vindicabit. Ac certè in nulla operatione Chirurgica magis operantis omnimodam ſolertiam, ac induſtriam requiri quàm in hac, manifeſtum eſt. Nam cùm tot inſignes partes ſecandæ ſint, & ſumma diligentia in ſecando, & poſtmodum in applicando opportuna remedia opus ſit, non quilibet mediocriter in Chirurgia inſtructus in hoc opere ſufficiens exiſtimandus, ſed qui cum ſcientia multam experientiam conjunctam habeat, & qui alios doctos, & expertos Chirurgos in ea operatione ſe exercentes non negligenter iterum, atque iterum obſervaverit:

His ergò ſimul concurrentibus, ſectio matris vivæ ad extrahendum fœtum vivum, aut etiam mortuum, erit omninò licita, ſi probabiliter ſperari poſſit ex præmiſſis aut utriuſque, tam matris, inquam, quàm fœtus, ſi vivus ſit, fœlix eventus, aut ſi
30 mortuus ſit, ipſius matris; ergò ubi hæc probabilitas elucet, licitam eſſe ſectionem plurimis rationibus non tam ex Theologis, quàm ex Canoniſtis deſumptis oſtendit Pater Theophilus, *loco cit. cap. 5. per totum*, ita ut nequaquam veritatem habeat opinio Cartanza, *lib. de part. nat. & legit. c. 6. in fin.* qui cum Franciſco Marco, *deciſ. 950. p. 1.* omni experientia in hoc deſtitutus, neutiquam permittendam ſtatuit ventris inciſionem viva matre. Nos verò firmiſſima experientia, & Theologorum auctoritate fiſi, illam executioni demandari licitè poſſe firmamus maximè præſenti dicta probabilitate. Undè verò, ea probabilitas ſecundi eventus haberi poſſit? oſtendit idem P. Theophilus, *ibid. num.* 20. quin etiam *cap. 6. ſeq.* eo in caſu quando nimirum probabilitas adſit ſalvandæ per ſectionem Cæſaream vitæ matris,
31 & fœtus non ſolùm vult eſſe licitam, ſed injungit etiam obligationem ipſi matri ad ſubeundam ſectionem ob bonum ipſius fœtus, ut ſcilicet vivus extractus baptizari poſſit, & dehinc etiam vivere, ut dicit *num.* 8. imò, non ſolùm obligat eam ad ſectionem ſuſtinendam, ſed vult eam teneri ad curandam, & urgendam,
32 *num.* 19. quam obligationem extendit etiam ad peritum Artificem, *num.* 21. Quando tamen ageretur de ſolo matris bono, ut in caſu, in quo fœtus jam eſſet mortuus, vel de ejus vita puſilla, aut nulla ſpes ſecando matrem relinqueretur, ab omni obligatione mater ſoluta videtur, ut ille addit, de qua obligatione Canoniſtæ videant. Certum tamen eſt, matrem poſſe excuſari ob remedij atrocitatem, qua circumſcripta, neſcio, an apud Canoniſtas tam abſolutè pronuntiatum ſit, poſſe hominem tuta conſcientia quodlibet remedium reiicere, etiam ſi abſq; illius remedij adminiſtratione de vita periclitaretur, ſtante maximè remedij facilitate, & abſentia omnis atrocitatis, & intolerabilis diſplicentiæ, aut pretij exorbitantis, & nimis propriis divitiis imparis. Sed quidquid ſit de hoc, præter ea, quæ de obligatione matris ad ſubeundam ſectionem diximus in caſu, in quo probabilis ſpes adſit fœlicis eventus tam matris, quam fœtus (nam ubi nulla adſit 33
ſpes ſalutis ipſius matris, non eſſe licitam ſectionem probat deinde Pater Theophil. *c. 7.*) occurrit ambigere, an, ubi hæc ſpes ſuperfuturæ matris ſit dubia, ſectio licita ſit? & licitam omninò eſſe pro- 34
bat idem Pater Theophil. *c. 8.* præſpuè, *n. 9. & cap. ſeq.* omnia diſtinctè ac perdoctè revolvens, illud quoque dubium proponit, an ſi matris, aut fœtus ſalus per ſectionem ſit moraliter certa, ſed cum 35
certo, aut etiam dubio exitio alterius conjuncta, vita alterutrius, & cujuſnam ſit præferenda? Huic dubitationi pleniſſimè pro eo, quod ad Canoniſtam ſpectare videbatur, ipſe ſatisfacit, diſtinguens inter id, quod faciendum ſit ex Juſtitia, & illud quod faciendum ſit ex charitate, hoc pacto dubium maturè, & rationabiliter ſolvit.

Nos, quia hæc determinare prædicto modo ad nos non pertinet, ſed ad ipſos Canoniſtas, rem diſcutiamus prout ex Medica Arte determinanda eſſe exiſtimamus, ac dicamus, quòd (circumſcripta tam matris, quàm Medicorum, ac Chirurgorum, cæterarumq; omnium perſonarum, ad quas pertinet cura ſalvandæ vitæ ipſius fœtus ne morte ſimul temporanea, & æterna obeat, ſi Baptiſmo defraudetur) non eſt dubium, quòd cum una ex duabus perſonis minorem, altera majorem ſpem ſalutis promittit, ſemper ſit ejus vita præferenda, quæ magis certa, ac tutiora ſalutis ſigna præ ſe fert; nam ſi mater, exempli gratia, jam ita à partus laboribus, & doloribus excarnificata videatur, ita ut in extremis ſit poſita & animo jam deficiat tenui, ac frigido ſudore perfuſa, cadaveroſa facie, & frigidum reſpirans, aliaq; ſigna appareant, quæ in iis, qui de proximo morituri ſunt, apparere ſolent, aliaq; ex parte fœtus validus appareat, ac recalcitrando & validè ſe movendo, maximo vigore ſe munitum oſtendat, nullum dubium eſſe debet, quòd fœtus ipſius ſalus matris ſaluti, de qua jam acta res eſt, præferenda ſit: contrà verò, ſi mater adhuc valida ſit, pulſu forti, & vehementi, animo imperterrito, & benè ſe habeat ad oblata, fœtus autem nullum motum edat, matris venter frigidus perſentiatur, nec infans ſe ſuſtentare comperiatur, ſed pondus in ventris imo excitet, tunc certè matri majori curâ proſpiciendum.

Sed majus dubium eſt, quando tam mater, quàm fœtus pariter viribus pollent, ita ut alteruter ſervari poſſit, ſed cum alterius exitio, cujuſnam vitæ magis proſpiciendum ſit; & videtur ſemper matris vita 36
præferenda: quod in tantum verum eſt ut, niſi obſtet præjudicium fœtus, qui fraudari Baptiſmo facilè poſſit, poſſimus auxiliis & remediis Medicis, etiam cum exitio ipſius fœtus, non directè, ſed indirectè vitæ matris proſpicere.

Determinandum autem Canoniſtis relinquam, 37
ad quos pertinere videtur, an liceat matri aſſumere, & Medicis, aut aliis quibuſcunq; præſcribere medicamenta, aliaque auxilia ad ſalvandam vitam ipſius matris, quæ directè fœtum perimere certò poſſint, ut vult Pater Theophil. *cap. 9. n. 11 & ſeqq.* nam quoad Medicum dixerim, nunquam licere, ut probat Franc. Ranchin. *in Hippocr. juſſus. 5. in ea quæſt. verſ. Tertia opinio*: quia neque tutum eſt, cum in manu Medici hoc non ſit, nempe ut dato medicamento ad interimendum, & corrumpendum fœtum, matris vita in tuto ponatur, imò

quæ

cum talia medicamenta, ac præsidia valida sint, & mater ipsa rationabiliter viribus destituta, poterunt exhibita non minorem matri, quàm fœtui noxam inferre, & idcircò licebit sanguinem mittere, & alia præsidia administrare directa ad matris salutem, non ad fœtus internecionem; quòd si ex iis præsidiis
38 fœtus periclitetur, id præter medentis intentionem veniet; moveor ex eo quòd aliàs communiter tenetur, nunquam ob matris salutem procurandam directè abortum causare, ut longioribus probavi *lib. 6. har. quæst. tit. 1. quæst. 7. n. 26.*

Neque dicat quis, non esse parem rationem secandi mulierem, & abortum medicamentis procurandi, quia si abortum directè procurare non licet ob violentiam, quæ naturæ infertur medicamentis abortivis, ob quam tutò administrari non possunt, etiam respectu ipsius matris, cui non minùs quàm fœtui possunt esse exitialia, præterquam quòd ipse abortus, & maximè per vim procuratus matri exitialis esse solet, multò minùs licet ob servandam matrem sectionem adhibere, ex qua fœtus certò succumbat, quia multò majorem violentiam inferimus & matri, & fœtui, sectione, quàm medicamento abortivo, licet ex parte fœtus sectio tutior dici possit, quàm medicamenti abortivi exhibitio, cùm sectio ut fiat, ut decet, à peritissimo & exercitatissimo Chirurgo, vix quicquam damni ipsi fœtui inferre possit, cùm contrà in sectione matris noxa sit certissima, & inevitabilis, & idcircò certior, ac tutior semper esset sectio matris etiam cum proprio exitio ad salvandum fœtum, quàm fœtus corruptio, aut deperditio ad salvandam matrem. Sed ad quæ mater ex iustitia in hoc casu teneatur, & ad quæ ex charitate, docet pleniſſimè sæpè citatus Pater Theophilus, *eodem c. 9. à num. 10. ad segq.* apud quem & hæc, & quamplura alia circa hanc materiam videri possunt ab ipso summa diligentia, ac perdoctè discussa, ut jam superiùs annuebam.

Illud denique admonere non desistam, quòd quandocunque offeratur gravida mulier septimo mense secanda (si modò liceat vivam matrem septimo mense gravidationis secare, quod ego nequaquam admiserim) præsumptio majoris spei fœlicis successus semper erit ex parte matris, quia septimestris fœtus natura sua debilis est, & si sectioni matris exponatur, de ejus vita omninò desperandum ex suprà dictis.



LIBRI NONI TITULUS TERTIUS.

De impedimentis coëundi, & generandi.

Continens Quæstiones septem.

I. De impedimentis copulæ carnalis in viro: & primò de impedimento ob ætatem minorem aut majorem.
II. De impedimento Coitus ob frigiditatem & malificium.
III. De impedimento copulæ ob membri magnitudinem, & alia vitia præter naturam.
IV. De impotentia copulæ ex morbis, aut præsentibus, aut prægressis.
V. De impedimento coitus ex parte mulieris.
VI. De impedimento generandi ex parte viri.
VII. De impedimento generandi ex parte mulieris.

Appendix ad Titulum primum Libri Tertij.

SUMMARIUM.

1 *Impedimentum coitus inter sponsos, si sit patens, Iudex, non expectata ulla temporis delatione, pronunciare debet pro nullitate Matrimonij.*
2 *Impedimentum antevibile non dirimit matrimonium contractum.*
3 *Impedimentum copulæ quando teneantur Conjuges removere, quando non.*
4 *Homines stimulantur ad coitum antequam generare possint.*
5 *Matrimonium contractum antequam Conjuges generare possint, an sit validum?*
6 *Apparente in prima Pubertate impotentia coëundi, expectanda est plena Pubertas, antequam matrimonium dissolvatur.*
7 *Tarditas Pubescentiæ facit suspicionem frigiditatis.*
8 *Generandi impedimentum sexagesimo quinto, aut septuagesimo in viro secundum plurimum advenit, coëundi autem septuagesimo, vel paulò serius.*
9 *Iudex non habet arbitrium judicandi, an is, qui septuagesimum annum agat, senex sit, nec ne.*
10 *Veneris usus in nimis tenera ætate senium accelerat.*
11 *Coitus cum Virgine multùm debilitat.*

De impedimentis copulæ carnalis in viro: & primò de impedimento ob ætatem minorem, aut majorem.

QUÆSTIO I.

MAgis jejunè fortè, quàm ad rem Jureconsultorum faceret, hæc materia à me aliàs discussa est: ut illis igitur majorem in modum, ac plenius, si fieri potest, satisfaciam, eam denuò mihi discutiendam proposui: non tamen eadem ab ovo repetere, in animo est, sed tantummodò nonnulla vel penitùs omissa, vel non satis dilucidè, videtur, explanata in incudem revocare: quòd si quid jam dictum de necessitate repetere cogar, id quam brevissimè, & bona humanissimi Lectoris venia, factum volo.

Tota igitur rei difficultas in aliquibus particularibus punctis consistere videtur, & primo sese offert illa hæsitatio, nimirum quodnam coitus impedimentum ita patens sit, ut nullum de ejus existentia dubium excitari possit, & quòdnam è contrà ita dubium, ut de veritate non facilè quicquam determinari valeat, in primo enim casu Jureconsulti, liberum judicandi arbitrium esse volunt, in eoque illicò per Judicem proferri posse, matrimonium contractum esse dirimendum, non expectata ulla temporis dilatione, Rota *in Taurinen. Dissolutionis Matrimonij* 1590. *coram Platto, num.* 2. *& in Pampilonen. Matrimon.* 1615. *coram Coccino, num.* 2. & præter auctoritates aliàs à me adductas, ita pronunciat Sperell. *decisione* 141. *numero* 3. apud quem etiam præter quamplures alias authoritates habetur decisio Rotæ *Pampilonen. Matrimonij* 10. *Decembris* 1612. *coram Coccino*, quam & ego adduxeram. In secundo autem casu majori cautione procedendum volunt, ut ex eadem

Rota

Rota *in prædicta Taurinen. numero vigeſimo quarto*, & procedente ſermone palam fiet, quia ad dirimptionem Matrimonij requiritur ut impotentia ſit naturalis, perpetua, & inſanabilis, Rota *in dicta Taurinen numero ſeptimo*, aliàs enim ubi ſit temporalis, vel dubia, matrimonium non diſſolvitur, ſed expectatur triennium ad experiendum de qualitate impotentiæ, Rota *in una Romana Quarti dotalis* 1635. *coram Dunozetio*, *num.* 4. *& in Pampilonen. prædicta*, *num.* 2. *& 4.*

Secundum punctum eſt, quandonam impedimentum adductum removeri poſſit, quando verò non? ſi enim tolli poſſit, matrimonium contractum ſuas vires ſortitur per ipſam impedimenti remotionem, ut patet ex iis, quæ in hoc puncto Doctores afferunt, quorum plures citatos habes apud eundem Sperell. *ibid. num.* 39. & nonnullos quoque ipſe adduxi, *lib.* 3. *har. Quæſt. Tit.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 21. quod confirmatur etiam per Rotam *in eit. Pampilonen. Matrim. num.* 18. ubi Addentes *num.* 30. Et notat ex noſtris Roder. à Caſtr. *lib.* 3. *de morb. mul. cap.* 2. *in Schol.* quin etiam caſum habemus apud Gulielm. Fabric. *lib.* 1. *Obſ. cent.* 3. *obſerv.* 60. *exemplo* 2. qui maximè ad rem facit, unde illum hic ad verbum tranſcribere non gravabor. *Iuvencula*, inquit, *Marito tradita velata erat, & tamen conceperat. Maritus, quòd non haberet liberum aditum ad coëundum, ex eo quod illa doleret, & non poſſet admittere virum, de divortio judicium intentabat, illa Chirurgis convocatis, membrana diſſecta convaluit, & poſt ſex menſes puerum peperit ſanum, ac robuſtum, ita ut Maritus de divortio amplius loqui deſierit.* Contrà ergo evenit ubi impedimentum tolli non poſſit, licèt in prænarrato caſu maxima, ac ſumma momenti difficultas emergere potuerit, an nimirum Maritus juſtam cauſam haberet inſtandi pro diſſolutione Matrimonij & quid fuiſſet determinandum, ubi Mulieris impedimentum non fuiſſet amovibile: quas difficultates ad petitionem clariſſimi Jureconſulti particulari reſponſo diſcuſſi.

Tertium punctum eſt, quando impedimentum tolli quidem poteſt, ſed nonniſi cum magna difficultate: & tunc vel hæc difficultas extenditur ad vitæ periculum uſque, vel tantùm ad longam, & fortè doloroſam, ac maximè implicatam curationem, quippe cùm ſi difficultas includit vitæ periculum, tantundem eſt, ac ſi incurabile adeſſet impedimentum, neque teneretur fortè Conjunx habens hujuſmodi impedimentum id genus curationi ſe ſubjacere, Rota, *in Pampilonem. Matrimon.* 1622. *coram Coccino*, *num.* 17. Contrà verò ſi curatio futura eſſet tantùm longa, aut etiam aliqualiter doloroſa; tunc enim videndum eſſet quid Canoniſtæ determinarent, de quorum Conſilio, & opinione ſuo loco dicemus.

Quartum punctum eſt, circa impotentiam generandi, de cuius rei impedimentis nonnula etiam dubia excitari poſſunt ad Iureconſultorum negotium maximoperè facientia, & de his impedimentis ſimiliter, ut de impedimentis copulæ carnalis, dubitari præcipuè poteſt, an amovibilia ſint, aut non, cùm nonnulla procedere debeant, ubi amovibilia exiſtant, quæ minimè locum habere debent, ubi nequaquam amoveri poſſint. Præſtat ergo ut, quantum fieri poteſt, dilucidè & ordine quodam procedamus, ea impedimenta ſingularim recenſendo: quod dum præſtabimus, de eorum amovibilitate, vel amovendi impoſſibilitate mentionem habebimus, infimulque quando cum difficultate, ac quaſi difficultate, quando verò cum facilitate amoveri poſſint: Quoniam autem, ut notum eſt, huiuſmodi impedimenta poſſunt eſſe interdum ex parte viri, interdum ex parte mulieris, aliàs etiam ex parte utriuſque, ante de impedimentis virum reſpicientibus agemus, & quia hæc ipſa, vel reſpiciunt impotentiam coëundi, vel tantùm impotentiam generandi, primo loco de prioribus verba faciemus, ac deinceps de poſterioribus.

Primum ergo impedimentum reſpiciens coitum in viro deſumitur ab ætate, quæ vel nimis præcox eſt, vel nimis præcipitata: quoad ætatem teneriorem notum eſt, Mares, ac etiam fœminas ad Venerem ſtimulari antequam generare poſſint, quamquam enim ante pubertatem neutri ſemen generent, per quod apti ſint ad generationem, tamen quia cum proximi pubertati ſunt, genitales partes maiorem in modum calorem concipiunt, & rudimentum quoddam ſeminis, vel, ut dilucidiùs loquar, ſemen quoddam crudum, & imperfectum intra ſe generant, & ab ejus præſentia in Venerem accenduntur, unde in maribus Penis erectio frequentior, & ſi tum coeuntibus, crudum illud ſemen, vel ſeroſam quandam materiam vicem ſeminis gerentem emittunt: in fœminis autem genitalia tumeſiunt, & quaſi fermentantur quod genitalis erectioni in maribus reſpondeti tenduntur enim etiam in ipſis particulæ in pudendis ipſum uterum conſtituentes: uterque igitur tunc temporis ad coitum eſt habilis, licèt neuter generare poſſit, cùm ad generationem verum, ac perfectum, concoctumque utriuſque ſemen requiratur, & ea de cauſa, nimirum ob generandi ineptitudinem matrimonium ab iis contractum, ſecundùm aliquorum DD. opinionem non eſt validum ut refert Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſp.* 105. *quæſt.* 2. *n.* 14. licet ipſe contrariam opinionem ſequatur, quæ magis rationi conſona videtur, quia licèt Impuberes verum ſemen non habeant, nec ob id generare apti ſint, habent tamen proximam diſpoſitionem ad generandum verum ſemen & filios procreandos. Voco Impuberes pro nunc eos, qui proximi Pubertati ſunt, & duodecimo anno majores, ante quem terminum omnimodam inhabilitatem habent coëundi, & multò magis generandi, quæ non niſi per ætatem majorem curabilis eſt, ut norunt omnes, non obſtantibus quibuſcunque exemplis particularium, referentibus non ſolùm per modicum tempus, ut per annum ante terminum præcedentem Pubertatem, nonnullos & coiviſſe & generaſſe, ſed etiam per annos, cùm à fide dignis Auctoribus habeamus, Pueros nonnullos decimo, vel nono, atque etiam octavo ætatis anno copulam carnalem exercuiſſe, & filios procreaſſe, quorum plures caſus referunt tam Canoniſtæ quàm Juris Civilis Profeſſores: præcipuè autem, poſt Hoſtienſem, Brunell. *de poſſ. & Matrimon. concluſ.* 4. *n.* 4. *per totum*, Tiraquell. *de Leg. Connub. lib.* 6 *num.* 37. & ex Medicis plura recollegit Schenck. *Obſ. Medic. lib.* 4. *Tit. de Conceptione*, quem ad hanc ipſam rem cum aliis adduxi *lib.* 1. *harum Quæſtionum*, *Tit.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 28. Verumenim verò communiter, & in cæteris omnibus coëundi & generandi impedimentum ante duodecimum annum ſemper adeſſe, & nullo modo niſi per majorem ætatem amovibile determinandum eſt, quod Medicis eſt perſuaſiſſimum, & conveniunt Jureconſulti:

Surdus

Surdus *Conſil.*364. *numer.*33. Barboſ. *in c. Puberes, numer.*4. *de deſponſat. Impub.* Rota *coram Comitulo deciſ.*89. *num.*12. Vnde non minor ætas quàm duodecim annorum in fœmina, & quatuordecim in Mare requiritur, ut contractum matrimonium ſit validum, Rota *in Taurinen. Matrimonii* 1611. *coram Penia, num.*3. *& ſeq.* At verò impedimentum generandi in Mare ante decimum quartum annum auferri non poſſe certum eſt, quia non ante prædictum terminum ſemen generat, ut cum Hippocrat. *libell. de Genitur in princ.* ſentiunt omnes DD. In fœmina porrò utrumque impedimentum reperiri uſque ad duodecimum completum, certum eſt, licèt non diffitendum etiam per annum, & per biennium nonnullas virum admittere, ſed generandi impotentiam certum eſt uſque ad duodecimum durare, quia tunc fœmina menſtrua experitur, ut *ibidem* docet Hippocrates; at generare fœminam ante menſtruam purgationem eſt omninò impoſſibile. Rectè igitur dictum ab aliquibus DD. videtur, Matrimonium ante prædictos terminos contractum non ſuſtineri ut Matrimonium, ſed uti ſponſalia, *c. final. de Deſſ. Imp.* Boër. *deciſ.*22. *num.*37. niſi in caſu, quo malitia ſuppleret ætatem, & contrahentes ante prædictum terminum eſſent habiles ad coëundum, & generandum, tunc enim Matrimonium contractum eſſet validum, *c. de illis, il* 2. *de Deſſponſ. Imp.* Covarruvias *de ſponſ. part.* 2. *c.*5. Sanchez *de Matrim. lib.*7. *diſp.*104. *n.*1. *& ſeqq.* Et Epiſcopus poſſet diſpenſare, quòd, etiam ſi eſſent ſponſi Impuberes, Matrimonio copularetur, cùm ejus arbitrio fuerit remiſſa determinatio, an in Impuberibus adſit coëundi potentia, ut notat Barboſ. *de Poteſt. Epiſcop. allegat.* 53. *num.*17. quam determinationem poſſet cum Medicorum conſilio facere, habendo rationem habitus corporis, temperamenti, educationis, ſoli, ac cœli nativi, aliorúmque, de quibus latè Sanchez, *ubi ſuprà, num.* 29.

Cæterùm quemadmodùm impedimentum coëundi ob minorem ætatem proveniens in aliquibus, licèt de raro, durat minùs quàm in aliis, cum aliqui, ut dictum eſt, multò citiùs coiverint, & generaverint, eodem etiam pacto, ac frequentiùs in aliis diutiùs durat, cum plerique ſint, qui per annum, aut biennium, & ultrà poſt prædictos terminos adhuc ad coitum, & multò magis ad generationem ſunt inhabiles, nec niſi poſt decimum octavum annum, ſi de Maribus ſermo ſit, habiles ad hæc fiunt, nempe eo ætatis tempore, quod plena pubertas vocatur, nam fœminæ decimo quarto plenam pubertatem attingere dicuntur; unde jure optimo, quandocunque in his, qui Matrimonium in prima Pubertate contraxerunt, appareret impotentia coëundi, deciſum eſt ex plurimorum DD. ſententia, expectandam eſſe plenam Pubertatem, neque allegari poſſe tunc impotentiam ad dirimendum Matrimonium, ut pleniſſimè probat Sanchez *de Matrimonio, citato lib.*7. *diſp.*105. *num* 4. *& alibi.* Illud tamen adnotandum, quòd ii, qui tam ſerò pubeſcunt, ſuſpicionem excitant frigiditatis naturalis, quod innuere etiam non deſtitit idem Sanchez *ibidem quæſt.* 2. *numer.* 18. & prudenter quidem, nam inter demonſtrativa ſigna temperamenti frigidi apud Medicos reponitur tarda pubeſcentia: itaque non levem præberet conjecturam hæc pubeſcentiæ tarditas naturalis frigiditatis maximè in viro, unde ſi vir contraheret Matrimonium decimo octavo anno, ac reperiretur impotens ad coëundum, aliis præſertim adminiculis concurrentibus, inter quæ tarditas pubeſcentiæ eſſet maximum, de naturali frigiditate ſententia ferri poſſet, ejuſque reſpectu matrimonium dirimi, nulla expectata temporis dilatione, Rota *deciſ.* 695. *numer.*2. *part.*1. *Recen. & deciſ.* 54. *numer.*4. *part.*7. *Recentior. & deciſ.* 75. *numer.* 1. *poſt primam volum. Conſilior. Farinacii, & in Pampilonen. Matrimonii* 10. *Decembris* 1612. *coram Coccino.* Quia jam apparerent manifeſtiſſima ſigna naturalis frigiditatis, quibus præſentibus, impedimentum coëundi non poſſet referri ad maleficium, cùm cauſa ſit magis remota; ſed ad ipſam naturalem frigiditatem, quæ cauſa magis proxima eſt, & ſenſu ipſo non longa mora perceptibilis; & quia vitia naturalia non ſunt ullo modo amovibilia; unde ſit, ut tale impedimentum ſit ſine remedio, idcircò incaſſum expectaretur tempus diuturnius ad ſententiam ferendam; quia ſi quod in aliis hominibus ſuccedit decimo ſecundo anno (nempè in Venerem accendi) quod ſit cum proximi Pubertati ſunt, in his ne decimo quinto quidem ſuccedit, omninò ſignum manifeſtum eſt naturalis frigiditatis; quod multò magis urgeret, ſi nullæ pubertatis notæ, aut ſaltem pubertatis rudimenta poſt prædictum terminum apparerent. Ergò ſuppoſito, quòd in his, qui tam ſerò pubeſcerent, id fieret vigeſimo ætatis anno, deberent tamen in decimo octavo conſpici rudimenta quædam Pubertatis, quæ in aliis duodecimo apparent, ut ſunt ſtimulus ad Venerem, genitalis erectio, pili in pube; & in aliis corporis partibus, quibus non apparentibus jam præſente decimo octavo anno, res jam conclamata eſt, & de frigiditate naturali ſententia ferri poteſt, relicta omni Maleficii, ſi qua adeſſe poſſet, ſuſpicione.

Sed jam de impedimento coëundi ob majorem ætatem verba facienda, de qua etiam, *lib.* 1. *tit.*1. *quæſt.* 2. *numer.* 13. *& ſequentibus*, aliqua dixi. Certum autem eſt impedimentum hujuſmodi citiùs, aut ſeriùs advenire naturaliter pro ipſorum hominum temperamento; nam prout magis, aut minùs calidi ſunt, citiùs, aut ſeriùs & ad coëundum, & ad generandum apti, aut inepti fiunt. Relictis tamen caſibus quibuſdam, rarioribuſque eventibus eorum, qui communem terminum coëundi, & generandi exceſſerunt, de quibus, *loco citato, num.* 26. mentionem feci, certè impedimentum generandi ſexageſimo quinto, & ad ſummum ſeptuageſimo; coëundi ſeptuageſimo, aut ad ſummum ſeptuageſimo quintu advenire determinandum, ac benè quidem argui ex hujuſmodi ætate in viro inhabilitatem ad coëundum dixit Rota, *in Romana Invaliditatis Matrimonii* 1606. *coram Penia, numer.*3. ac ſummo jure factum videtur, ut impedimentum generandi maturiùs advenire firmetur, quàm impedimentum coëundi, quod poſt prædictum terminum ſexaginta quinque, aut ſeptuaginta annorum, licèt ſemen viri generent, quod illos ad coitum irritate utcumque poſſit, tamen fluidum, aqueum, crudum, & omninò inconcoctum eſt, calore jam diminuto, ita ut ad generationem ullo modo ſufficiat. Ceſſat ergò ex hoc potentia generandi, licèt duret potentia coëundi, quæ tamen & multò debilior eſt, quàm in anteacta ætate, & in dies magis, magiſque diminuitur, quouſque tandem omninò emoriatur, neque ullo ampliùs auxilio reparari poſſit; hinc eſt, quòd quemadmodùm Iudex (licèt ejus arbitrio relinquatur determinare, an quis ſenex dicendus ſit, necnon) non habet hoc arbitrium quotieſcumque agatur de ſeptuagenario. Menoch. *de Arbitrar. caſ.* 59. *à numer.* 1. *& num.* 4.

numer. 4. verſ. ſecunda concluſio, & de præſumpt. lib. 6. præſumpt 46. num. 25. Farinac. *Pract. crimin. quæſt. 76. numer. 83.* ita ubi agetetur, an quis impotens ad coitum eſſet, aut ad generationem, omnis hæſitatio ceſſaret poſt annum ſeptuageſimum, aut ſeptuageſimum quintum, quod tamen ſecundum plurimùm, & in pluribus haberet veritatem, unde fortè teneretur Septuagenarius, aut major ætate probare, ſe eſſe potentem, cùm militet præſumptio contrarii, ut dixi aliàs, *lib. 3. titul. 1. quæſt. 2. num. 15.* Verùm enim verò terminus hic omnium longiſſimus eſt, & ad illum uſque poteſt Vir præſumi potens ad coëundum, qui tamen multis ex cauſis abbreviari poteſt; nam cùm ſenes ſexageſimo majores pluribus morbis ſint obnoxii; imò cùm etiam in anteactis ætatibus magnis, acutiſque morbis interdum moleſtati nativum calorem inſigniter in ipſis labefactari, ac diminui contingat, inde fit, ut ea impotentia ab ætate majori naturaliter proveniens multò maturiùs adveniat, quamobrem quandocumque de impotentia hujuſmodi judicium ferendum ſit, omninò videndum, an aliqua cauſa id genus in ſuperioribus ætatibus, & maximè in proxima irrepſerit, quæ calorem naturalem diminuendo, potuerit citiùs quàm par eſſet, per ætatem impotentiam coëundi accelerare; ſed de his latiùs infrà; pro nunc illud tantùm addam, hujuſmodi coëundi, & generandi impotentiam à majori ætate provenientem maximè in iis accelerari, qui in teneriori ætate, & ante debitum tempus immodica Venere uti conſueverunt, nulla in ea re moderatione ſervata, imò, ut notat Fortunatus Fidel. *lib. 3. de Relat. Med. capit. 2.* ſunt ex puellis, quæ nimis citò nuptui traditæ conceperunt, quæ poſt primum partum impoſterum ſteriles evadunt, rationibus, de quibus ille; verùm in Maribus & ſenium, & ſenii incommo-
10 da accelerare Veneris uſum nimis citò uſurpatum palam omninò eſt, inter quæ incommoda illud maximè ſe prodere Veritati conſonum eſt, quod ad eundem Veneris uſum pertinet, ex quo, ut dixi, citiſſimè in coitu deficiunt, & multò citiùs generare deſiſtunt, quod inde evenire certum eſt, quia nativus calor in ſuo primo vigoris augmento maximè debilitatur, & ipſæ partes ſemini procreando deſtinatæ ex hoc plurimùm debilitantur, ita ut affectante ſenio ſemini fœcundo conficiendo non ſufficiant, imò ne ad coitum quidem; quæ tantò magis veritati reſpondent, ſi puer puellæ tenerioris ætatis conjungatur, quia præterquam quod coitus cum Virgine valdè debili-
11 tat, Savonar. *in Practic. Magn. tractat. ſexto, capite vigeſimo, rubr. trigeſim. ſecund. verſicul. pro quinto*, Vict. Trincavel. *libro undecimo de rat. cur. Particul. hum. corp. affect. capite vigeſimo nono*, quantò virgo tenerior eſt, tantò magis debilitat, cùm tantò major labor impendatur in coëundo, quantò magis tenella virgo eſt, & major fiat ſpirituum diſſipatio in Mare ob nimiam uteri attractionem præ delectatione inaſſueta in coitu percepta; cùm ergò maximè tunc debilitentur genitales partes in Mare, fit ut in poſterum naturale robur diminuatur, unde affectante ſenectute facilè coëundi ſuccedit in pluribus impotentia.

SUMMARIUM.

1 *Frigidi qui dicantur.*
2 *Impotentes dicuntur qui coire non poſſunt, non qui non poſſunt generare.*
3 *Frigidus uni, eſt frigidus alteri.*
4 *Ad Matrimonii validitatem non requiritur potentia generandi, ſed tantùm potentia coëundi.*
5 *Quæ conditiones requirantur in coitu, ne Vir frigidus dicatur.*
6 *Matrimonium quando illicò dirimatur.*
7 *Terminus triennij conſtitutus pro matrimonii diſſolutione an prolongandus, vel abbreviandus.*
8 *Frigiditas naturalis ne ſit, an accidentalis, ex quibus cognoſci poſſit.*
9 *Frigiditas accidentalis quomodo cognoſcatur, curabilis ſit, necne.*
10 *Secunda ſpecies frigidorum.*
11 *Tertia ſpecies.*
12 *Quarta ſpecies.*
13 *In ſenibus omnes frigiditatis ſpecies obſervantur.*
14 *Ad validitatem Matrimonii non ſufficit copula carnalis, ſed requiritur ſeminis emiſſio.*
15 *Eunuchus non generat ſemen, & generans ſemen non eſt Eunuchus.*
16 *Matrimonium non dicitur conſummatum, niſi vir ſemen intra vas effundat.*
17 *Verum ſemen non effundentes an contrahere poſſint Matrimonium, & an contractum teneat.*
18 *Quibus Penis reſolutus eſt inter frigidos connumerandi.*
19 *Qui faces, vel urinam, vel flatum coëuntes reddunt, quo cenſu habendi.*
20 *Qui in coitu non poſſunt emittere ſemen, ſed emittunt in ſomnis, vel aliter, in quo cenſu habendi.*
21 *Semifrigidi qui, & quid de illis ſentiendum.*
22 *Maleficium triplex.*
23 *Maleficium cognoſcitur per abſentiam ſignorum, quæ frigiditatem atteſtantur.*
24 *Conjectura maleficii ob abſentiam ſignorum frigiditatis non eſt certa.*
25 *Conjectura maleficii deſumpta ex fruſtratione remediorum naturalium non eſt tuta.*
26 *Natura non adjuvante, remedia ſunt inutilia.*
27 *Conjectura Maleficii quavis aliis certior.*
28 *Alia certior conjectura Maleficii.*
29 *Damon in maleficiis concurrit, ut frequentiorem peccandi occaſionem homines habeant.*
30 *Maleficium duplex, Naturale & Damoniacum.*

De impedimento coitûs ob frigiditatem & maleficium.

QUÆSTIO II.

FRigidi in ſua propria acceptatione dicuntur, qui 1
ob partium genitalium ignaviam ab imbeciſſlitate nativi caloris prodeuntem ad coitum in ætate habili ſunt impotentes: nativus enim calor nuſquam magis quàm in ſemine lædi ſolet, ut dicebat Holler. *lib. 6. Aphor. 63. in Schol.* Ita accipitur hoc *frigidi* nomen apud utriuſque Iuriſperitos, ut patet *ex Titulis de Frigidis & Maleſic. lib. 4. Decretal.* & alibi paſſim: unde mirari ſatis non poſſum inter noſtros Medicos, Rodericum à Caſtro, qui *lib. 3. de morb. mulier. capite 2. in Schol.* in ipſo principio dixerit; Qui generare nequeunt, Impotentes dicuntur: cùm id extra omnem veritatem ſit; qui enim generare nequeunt dicuntur ſteriles; qui autem nequeunt coire, in communi modo loquendi, dicuntur Impotentes, & ſiquidem vitium à natura, ſit Frigidi. Multò ma- 2
gis autem miratus ſum, ut notavi aliàs, *lib. 3. harum Quæſtionum titul. 1. quæſt. 5. numer. 28.* quòd ille Iuriſconſultos, ſeu potiùs Legiſlatores accuſare videatur ex eo, quod determinaverint. Maleficiatos poſt diſſolutionem primi Matrimonii poſſe contrahere cum alia, frigidos verò nequaquam:

ea

ea autem ratione motas fuiſſe Leges dicit, quia
3 frigidus uni, eſt frigidus alteri; hanc enim ille rationem impugnat, dicens, quòd cùm frigidus cum una poſſit non eſſe frigidus cum alia (malè accipiens *frigidi* nomen pro impotente ad generandum) ſed fieri potens ad generandum, ſi mulieri conjungatur contrariæ temperaturæ, non benè determinabant ipſæ Leges, quòd non poſſit frigidus, diſſoluto matrimonio, de novo contrahere cum alia. Sed non advertit (& miror hominem doctum in re tam clara cæcutiſſe) non idem eſſe, frigidum hominem eſſe, & ſterilem; quod benè norunt Leges: unde quando jubent, matrimonia ſeparari ob impotentiam, non intelligunt de Impotentia generandi, ſed de Impotentia coëundi, qua qui ob naturalem frigiditatem laborant, frigidi dicuntur, non verò qui generare non poſſunt, qui numquam, nec etiam impropriè frigidi vocantur, ſed ſteriles: unde appareret, Rodericum accepiſſe *frigidi* nomen pro homine temperaturæ frigidæ, malè intelligens *frigidi* acceptionem apud Juriſconſultos, apud quos ad Matrimonii validitatem non requiritur po-
4 tentia generandi, ſed coëundi, per coitum enim Vir, & Uxor fiunt una caro; abſque eo quòd ſequi debeat generatio, quæ omninò non eſt neceſſaria ad validitatem Matrimonii, ut ex communi uſu, & opinione poſt alios probat Sanchez *de Matrimonio, lib. 7. diſputat. 92. numer. 26.* At ubi coitus impotentia adſit, matrimonium ut invalidum dirimitur. Ergò non benè accepit Rodericus *frigidi* nomen, cum voluit, frigidum propriè dici hominem temperaturæ frigidæ & impotentem ad generationem: cujus erroris etiam notandus venit Nicol. Nancel. *in Analog. Microcoſm. ad Macroc. libro ſeptimo, Problem. 6.* dum frigidos impotentes ad generandum eſſe vult, & tales à Canoniſtis appellari frigidos, cùm apud Canones, & Canoniſtas; imò, inquam, apud alios Medicos quoque *frigidi* nomen illi ſimpliciter applicetur, qui ob ignaviam genitalium, ut dixi, coire non poſſunt. Bernardus Gordon. *in Lil. part. 7. capit. 1.* Valeſc. Tarent. *lib. 6. Philonii, cap. 2.* Cardan. *lib. 1. de venen. capit. 7.* Daniel Sennertus, *Pract. lib. 3. part 9. ſection. 2. capit. 2.* Quòd in tantum verum eſt, ut, etiam ſi vir ob excedentem calorem fieret ad coitum quoquo modo impotens, non ſecùs ac alii frigidi daret cauſam diſſolvendi matrimonium, ut ex Divo Thoma, Sanchez *de Matrimonio, loco citato, numer. 13.* Quòd autem frigiditas hujuſmodi proveniens à nimis excedente calore dari poſſit, licèt non ſit omnibus perſuaſum Medicis, tamen non videtur præter omnem rationem aſſeverari poſſe, cùm plerique alii morbi frigidi ab excedenti calore originem habere poſſint, ut Paralyſis, Lienteria, Hydrops, & alii, ut elicitur ex Hippocrat. *lib. 1. morb. pop. ſection. 2. numer. 35.* & ex Galen. *lib. 3. de ſympt. cauſis capit. 2.* Unde non video, cur Daniel Sennertus *lib. 3. Practic. part. 9. ſection. 2. capit. 1.* negaverit calidam intemperiem, ſi excedat, poſſe refrigerare teſtes, & ſemen extinguere. Illud certum eſt in iis, qui à morbis calidiſſimis, ut ſunt ardentes febres, vexantur, ob extinctionem caloris nativi partium genitalium, extingui coitûs deſiderium, & ſeminis procreationem, ut Practici teſtantur; Joannes Hucher. *lib. 1. de ſteril.* & alii: an non ſimiliter videmus ex uſu vini meracioris, quod calidiſſimum eſt, excitari frigidos morbos? Galen. *in lib. de cauſſ. morb. cap. 3.*

Cæterum quia ad coitum naturalem tria requiruntur, ad quem nempè ſequi poſſit generatio, ut unanimiter omnes Medici docent, evenit, ut ubi ab una, vel pluribus earum conditionum vir deficiat, frigidus dicatur. Sunt verò tres illæ conditiones ad coitum requiſitæ, membri genitalis erectio uſque ad operis conſummationem; nempè ad 5
ſeminis emiſſionem perdurans, ipſius membri intromiſſio debita in vas fœmineum, & ſeminis ejaculatio in ipſum uterum. Nonnulli igitur ab una, aut altera, aut ab omnibus ſimul ex iis conditionibus deficiunt, unde plures frigidorum claſſes conſtitui debent; nam aliqui ne membri quidem erectionem habent, ac nullo modo poſſunt mulieribus commiſceri, & hi in duplici ſunt differentia; nam vel ſemen etiam flaccido exiſtente membro propè uteri externum oſtium emittunt, vel nullo modo ſeminant, & hi ultimo loco commemorati ſunt, de quibus Aretæus *diuturn. affect. capit. 5.* mentionem habet dicens: *Quibus non ineſt vitalis genitura, rugoſi ſunt, debiles, acutæ vocis, glabri, imberbes effœminati*, atque hi neque ullo deſiderio, aut ſtimulo venereorum per tempus ullum irritantur, ſed omni hujuſmodi ſenſu orbati, genitales partes veluti emortuas habent, ita ut ſi eorum virga in aquam frigidam immitatur, nullo modo contrahatur, ut notant Avicenna *Fen. 20. tract. 1.* Alſaharavius *ſua pract. tract. 22. cap. 6.* Gordonius *in lil. particul. 7. cap.* Valeſc. *lib. 6. Philon. cap. 20.* Pedemont. *Pract. ſumm. 3. practic. 4. ſect. 1. cap. 17.* Savonarol. *reſol. Practic. Magn. tract. 6. capit. 20. rubr. 27.* ejuſque rei cauſam reddit Joan. Bened. Sinibald. *lib. 3. ſua abſoluti. Geneanthrop. tract. 1. capit. 10.* Hi ergo inter omnes ſummo jure frigidorum nomen merentur; nam non aliam ullam ob cauſam, quàm ob exuperantem totius & inter omnes corporis partes, genitalium frigiditatem ad hæc, quæ diximus, omninò inſufficientes ſunt, quod quotieſcunque à Natura proveniat, vel ab ætate majori, & præcipitata, ut
à Decrepitate, abſque ullo remedio eſt; unde per 6
eam impotentiam quandocunque de ea per certa ſigna manifeſtiſſimè conſtet, illicò matrimonium diſſolvitur, Rota *in Rom. invaliditatis Matrimonii 1603. coram Penia, num. 12.* neque neceſſaria eſt cohabitatio triennalis, eadem Rota *in Favent. matrim. 1585. coram Seraphino, num. 2.* Et aliàs ex Canoniſtarum Decretis firmatum eſt, apud quos Juriconſulti obſervare poſſunt multos hujuſmodi caſus in terminis diciſos, & nos ipſi Medici ſimiles caſus ſimiliter deciſos habemus apud Felicem Plater. *lib. 1. Obſ. tit. de Action. Vener. def.* in quibus Judices attentis ipſius Felicis atteſtationibus, illicò Matrimonium dirimendum eſſe declararunt. Illud tamen hìc adnotandum, quòd licèt hæc impotentia in utroque caſu, nempè ubi à Natura ſit, aut ab ætate ſenili ſit incurabilis, tamen ſemper major ſpes concipi poſſet ejus remotionis, ſi ab ætate eſſet, quàm ſi eſſet à Natura, quia vitia naturalia emendari non poſſunt; at in ſene decrepito poſſet, utcunque per remedia efficaciora ſperari, ut ſaltem ſufficeret ſemel, aut iterum cum uxore congredi, maximè ſi cum virgine res non eſſet agenda.

Verùm quando impotentia prædicta ab accidenti eveniat, tunc non ſemper eſt incurabilis, ſed habet ſecum conjunctam maximam interdum curationis difficultatem, & in hoc caſu non ſeparatur matrimonium, ſed expectatur triennium, quem ta-
men terminum prorogandum exiſtimat inter Me- 7
dicos Roderic. à Caſtr. *loco ſuper citato*, nulla hujus prorogationis cauſa allata, cùm contrà Canoniſtæ

aliqui, ut Hoſtienſ. *lib. 4. ſumm. rubr. de frigid. & maleſic. num.* 10. illud magnoperè reſtringant; & mihi quidem Triennii terminus longior potiùs, quàm brevior eſſe videtur; nam impedimentum, quod annuo ſpatio, aut ad ſummum per ſpatium biennii vacando, & operam dando ut matrimonium pro viribus conjugum conſummetur, removeri no poteſt, numquam ex mea ſententia removeri poterit, dato tamen quod hoc ſpatium in utroque conjuge à plena pubertate, nempè in viro à decimo octavo, in muliere à decimo quarto anno incipiat numerari: nam intemperies illa frigida, ob quam vir redditur impotens ad coëundum, ſi non ceſſet poſt plenam Pubertatem, jam habitualis fit, & naturalis cenſenda; unde licèt in rei veritate præſente plena pubertate, nec ceſſante ea impotentia, illicò, aut non multò poſt, ut per menſtruum, aut bimeſtre ſpatium, aut timeſtre ad ſummum deberet judicari naturalis, tamen ex abundanti, & ut tutò procedatur, poteſt ad annum prolongari; nam & biennium juſto diuturnius exiſtimaverim.

8 Sed circumſcripta hac anni ſpatii, vel biennii expectatione, unde haberi poteſt hujuſmodi impedimenta à Natura eſſe, vel ab accidenti? non difficile id quidem cognitu eſt, nam conſtitutio corporis nullum præferens frigiditatis ſignum, & ut uno verbo omnia complectar, omnimoda abſentia quorumcunque ſignorum, quæ frigiditatem atteſtantur, de quibus aliàs abundè egimus, facillimè nos perducit in cognitionem impotentiæ accidentalis, quæ tandem ab omni dubio libera erit, ſi conſtet de potentia anteacto tempore prægreſſa, & ad certitudinem ejuſdem cognitionis collimabunt, ſi de aliquo præterito morbo ad corpus refrigerandum habili certa indicia habeantur, tunc enim facilè determinare licebit, impotentiam eſſe accidentalem,
9 quæ, an curabilis ſit, necne, docere poteſt ipſa prægreſſi morbi natura, patientis ætas, & corporis conſtitutio: nam ætas adhuc vegeta, conſtitutio corporis laudabilis, & morbi qualitas, qui ex eorum numero non fuerit, qui genitalium vigorem, & venereorum potentiam ex ſui natura abſcindunt vel in totum, vel magna ex parte, curabile impedimentum denotant, contraria verò incurabile. Qui autem illi morbi ſint, qui Homines impoſterum reddunt ad Venerem omninò impotentes, dicetur cùm de impedimento copulæ ex morbis verba faciemus.

10 Interim de aliis frigiditatis ſpeciebus verba faciamus; diximus ergò hanc primam frigidorum ſpeciem eſſe inter omnes maximè notabilem, ad quam ſequitur illa, in qua nulla erectio fit, aut modica, & quæ ad opus non ſufficiat, & cum qua ſemen, & quidem ex ſeeffluit, cum nulla, aut modica voluptate, & qui talia patiuntur habent quoddam copulæ carnalis deſiderium, non magnum, & quando ſemen emittunt (quod tamen fluidum, & aquoſum eſt, & frigidum perſentitur, aut non omninò calidum, neque ullo odore inſigne) membrum inter emittendum non modò non ſervatur durum, ut ſemen ejaculetur, ſed magis flacceſcit, & emoritur. De hujus ſpeciei frigidis Conſtantin. *in libell. de coitu apud Baverium de Baveriis conſil.* 51. Matthæus de Grad. *conſil.* 3. Marcell. Donat. *lib. 4. Hiſtor. Med. mirab. capit.* 18. Procedunt hæc ex genitalium, & vaſorum debilitate, & magna totius, & partium frigiditate, non tamen ita inteſa, ut in prima ſpecie, nec tamen remediabilis ullo modo eſt, ſi a Natura ſit, & ſi ab accidenti, eodem modo curabilis, aut incurabilis, ut ſuperior exiſtit. 11

Proximè ab his ſequuntur qui & quodam appetitu ad coïtum moventur, & virgam erigunt, ſed cum coire tentant in ipſo oſtio, & veſtibulum ante ipſum, primóque in limine ſemen effundunt abſque ulla penis intromiſſione: hoc autem vitium non una ex cauſa fit, nec ſemper eodem modo evenit; quoad cauſas enim contrarias aliquando habet, cùm ex nimio calore, & excedenti ſtimulo ad ſemen maturiùs excernendum cogantur, vel ex nimia laxitate, & debilitate partium cum frigida & humida earum intemperie, illud ad debitum tempus retinere non poſſint. In primo caſu membrum rigidum, ac ſatis ſuperque erectum appareret, & in erectione etiam emiſſo ſemine perdurat, ut in cæteris hominibus accidit: ſemen calidum in exitu perſentitur, & licèt quantitate non excedat, eſt tamen qualitate laudabili, & odore gravi. In ſecundo caſu penis in ipſa ſeminis emiſſione flacceſcit, frigidum, aut nullo ſenſu calidum perſentitur, quantitate eſt multum, ſed tenue, ac fluidum, odore nullo: differunt hi ab illis, qui in ſecunda ſpecie reponuntur, ob majorem membri, & magis durabilem erectionem, & ob majorem ſeminis copiam, & fortè non tam malæ qualitatis. Modò, primus caſus remediabilis eſt quocunque modo, & in quacunque ætate eveniat, ac verè tales injuriâ inter frigidos connumerantur, cùm potiùs à calore patiantur, quàm à frigiditate. Vnde Rota *in aliis citat. Taurinenſ. diſſolutionis, Matrimon. numer.* 8. tales non eſſe frigidos ſtatuit. Poſterior, ſi à Ntura ſit, remedio caret; ſi ab accidenti poteſt aliquando remedium habere, aliàs verò non, ut in ſimilibus ſuprà annuimus & dilucidiùs oſtendemus, cùm de impedimento copulæ ex morbis verba fient.

Prænominatis ſuccedunt, qui virgæ erectionem ſufficientem habent, & penetrare poſſunt 12
quidem clauſtra muliebria coitum exercentes, ſed quantumvis ſe exagitent, ſemen emittere non poſſunt. De his Arnaldus de Villan. *lib. 2. Breviarii capit.* 34. & ante illum Conſtantin. *citat libell. de coitu* ex quo Bayer. *conſil.* 51. cum aliis vetuſtioribus Medicis, ex quibus non prætereundi Rhaſis, & Avicen. à Marcell. Donat. relati *lib. 4. hiſt. Med. mirab. cap.* 18. & nonnullas obſervationes refert Schenck. *lib. 4. obſerv. tit. de coitu*, extatque inſuper hiſtoria apud Zaccutum Luſitanum *lib. 2. Pract. admir. obſerv.* 114. ac de iiſdem inter Canoniſtas Hoſtienſ. *in citato titulo de frigid. & malef. numer.* 13. Abb. *lib. 4. Decretal. titul. eod. capit. 2. num.* 12. Sanchez *lib. 7. de Matrimon. diſp.* 92. *numer.* 7. Miratus autem ſum ex Medicis Felicem Plater. *lib. 1. titul. in act. Vener. defect. obſ.* dicentem, naturaliter accidere minimè poſſe, ut viris membrum virile attollatur, ſine præcedenti Veneris ſtimulo, qui cùm à ſemine in vaſis genitalibus pruriente, eáque ad excretionem proritante excitetur, non poſſe eos, ſi congrediantur, ſemen non emittere; nam hæ Plateri, viri alioquin doctiſſimi, opinio falſitatis convincitur experientiis, & auctoritatibus jam adductis, quibus rationem etiam adjicere placet, & eſt, quia erectio non fit ab ipſo ſpermate, ſed à flatu ſpirituoſo; an non videmus tenerrimos puellos membrum arrigere, qui tamen ſemen non generant? Et Eunuchos quis neſcit & arrigere, & coitum validè exercere, & tamen ſemen neque habeſe neque effundere? Profectò non aliam ob cauſam impudiciſſimæ Romanæ

Eunuchis

Eunuchis ſeſe ineundas tradebant, niſi quod ex illis non erat periculum, ut conciperent, quia ſemine carent, quod Juven. *ſat.* 6. aliis exprobrat his carminibus:

Sunt quas Eunuchi imbelles, & mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barba,
Et quod abortivo non eſt opus.

Unde etiam illud Martial. *lib.... Epigr. numer.... in Gelliam.*

Cur tantùm Eunuchos habeat tua Gellia quaeris?
Pannice, vult fieri Gellia, non parere.

Et illud Almone *lib.* 10. *carm.* 91.

Omnes Eunuchos habet Almo, nec arrigit ipſe,
Et queritur, pariat quod ſua Polla nihil.

Itaque poſſibile omninò eſt, virum arrigere, & coitum exercere, & tamen ſemen non effundere, neque ullo modò habere; unde malè, ex mea ſententia, judicium tulerunt, ſuadente eodem Platero, Judices illi, qui in caſu ab eo narrato cujuſdam viri ſemen non emittentis dixerunt, contractum ab eo matrimonium tenere.

13 Omnes porrò frigiditatis ſuprà nominatæ ſpecies in ſenibus obſervantur, non omnes quidem in omnibus, ſed in aliquibus aliquæ; ſunt enim ex ſenibus qui neque arrigere, nec ſemen emittere poſſunt; ſunt & qui arrigunt, ſed in erectione non perdurant, ſemen cum modica voluptate flaccido pene effundentes; ſunt & qui ſufficientem ſtimulum ad Venerem exercendam habent, erectoque membro illam inceſſam exercent, inaniter ſeſe, ut ſemen emittant, exagitantes, non potentes ulla ratione opus perficere: hæc ita tam in ſenibus, quàm in aliis ſua natura frigidis eveniunt, quia licèt à corde interdum, & in nonnullis demandetur ſpiritus ad membri erectionem, tamen materia ſeminalis deficit ob alicujus præcipuæ partis, aut ob totius frigiditatem, atque illam quidem excedentem; & hoc ipſum vitium ultimo loco commemoratum, ſi à Natura ſit in prima juventute, calore in vigorem properante, fortaſsè aliquod remedium, licèt non ſine difficultate admittet; ſed poſt corporis totale augmentum ſi perſeveret, extra omnem ſpem ſanationis erit. Quòd ſi ab accidenti proveniat, tunc aut curabile aut incurabile exiſtit pro ipſius accidentis qualitate & gravitate, prout in ſimilibus caſibus dictum, ac dicendum ſuo tempore reſtat. Adverte autem, quòd licèt hoc vitium, nempè coitum exercere abſque ſeminis emiſſione, proprium ſit Eunuchorum, quibus ambo teſtes exciſi ſunt, ob eorundem teſtium deficientiam, ob quam nativus calor inſigniter debilitatus, ſemen generare non poteſt, tamen non idem eſt cum hoc, de quo ſermonem habemus; nam in hoc caſu præſupponimus virum teſtibus non ſolum dotari, ſed nullo eorum defectu laborare, qui in conſpectum ſe prodat; itaque licèt Eunuchis ob abſentiam teſtium, impedimentum nempè patens, matrimonium contrahere non permittatur, tamen his, de quibus loquimur, cùm impedimentum patens non ſit, non denegatur; at in rei veritate non aliter, quàm Eunuchi, ſi contra-
14 hant, invalidè contrahunt; quia ad Matrimonii validitatem non ſufficit copula carnalis, ſed requiritur uteri ſeminis emiſſio; alias enim Eunuchi quoque arrigentes, & venerem exercentes validè contraherent, quod nullo modo verum eſt. Et ridiculum eſt quod aliqui apud Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *cit. diſp.* 92. *numer.* 18. dicebant, Eunuchum nimirum verum ſemen emittentem non eſſe jure
5 Naturæ inhabilem ad matrimonium: nam eo ipſo quod homo eſt Eunuchus, non poteſt generare verum ſemen: nam ſi ſemen verum generat, Eunuchus eſſe non poteſt: unde falſa eſt, & inanis eorum Auctorum hypotheſis, ut ipſe Sanchez addebat. In tantum autem neceſſaria eſt emiſſio ſeminis ex parte viri intra vas ad Matrimonii validitatem, ut nunquam dici poſſit matrimonium conſummatum, etiam ſi vir penetraverit clauſtra muliebria, niſi ſemen intra vas effundat, Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 21. *num.* 5. & *lib.* 7. *diſp.* 92. *verſic.* 6. *quia*, poſt plures Doctores per ipſum relatos; nam neceſſarium eſt ad Matrimonii valorem, ut vir, & uxor efficiantur una caro, quod non fit per ſimplicem copulam carnalem, ſed per copulam aptam ad generationem, quæ non poteſt fieri abſque eo, quod vir verum ſemen intra vas muliebre effundat, ut proſequitur idem Sanchez *ib.* Rectè igitur Corn. Gallus *in Eleg. de Vener. conjug.*

Hæc geminas tanto conſtringit fœdere mentes,
Unius ut faciat corporis eſſe duos.

Cùm igitur hujuſmodi viri coëuntes, & non ſeminantes non poſſint dici Matrimonium conſummare, videntur abſque dubio habere impedimentum ſufficiens, cujus causâ Matrimonium dirimi debeat, procedendumque videtur cum his, ut cum aliis frigidis, diſtinguendo frigiditatem hanc, in eam, quæ à Natura eſt, & in eam, quæ ab accidenti. Ad quid autem teneatur is, qui ſciens ſe non emittere ſemen, defloraverit Virginem Penis intromiſſione in uterum, & laceratione vaſorum ob illatum damnum, cùm jam pro Virgine dari nuptum non poſſit, Jureconſulti, ac præcipuè Canoniſtæ determinabunt, nam de hoc nihil pertinet ad me pronunciare.

Denique in hoc numero quidam etiam recen- 16
ſendi, qui & arrigunt, & coitum exercent, & ſemen quidem emittunt, non tamen verum, ſed crudam quandam materiam, paucam, & aquoſam, ac nullius odoris, & ad generationem omninò ineptam. In his non reperitur tanta frigiditatis intemperies, ut in prænominatis, ob eandem tamen ipſam frigiditatem ſemen concoquere, & ad perfectionem reducere non poſſunt, idque vel ſit ob frigiditatem, vel debilitatem caloris partium principum, vel ob paupertatem ejuſdem caloris partium ſpermaticarum, & quandocunque hujuſmodi intemperies, quarumcunque partium ſit, à Natura eſt, difficillimè, aut potiùs nullo modo recipit curationem, & ſi quam curationem tandem admitteret, hoc fieret in ætatibus calidioribus, nam in provectioribus nulla ſanationis ſpes adeſſe poteſt, emendaretur autem ſemper faciliùs hoc vitium in iis, in quibus remanet adhuc aliqua ſpes ſanationis, ſi ea intemperies eſſet ſola unius partis, quàm ſi plurium; & fortè faciliùs Hepatis, quàm Cordis; & faciliùs Cordis, quàm Cerebri; & faciliùs Teſtium, quàm cæterarum partium; hæc tamen, quia non adeò patent ad ſenſum, à Canoniſtis non magnifient, cùm tamen de his dubitari jure poſſit, an validè matrimonium contrahant, & an contractum teneat; ac ſi 17
ſecundùm Canoniſtas ferri debeat ſententia, non apparente alio impedimento, nec ullo corporis, ac præcipuè genitalium, notabili vitio, ex quo manifeſtè elici poſſit tales viros non poſſe generare verum ſemen, & contrahere matrimonium poterunt, & contractum tenebit; licèt enim ſupponatur eos non generare verum ſemen, hoc in propatulo non eſt & in dubio unuſquiſque præſumitur potens ad generandum (unde etiam verum ſe-

men generare) niſi probetur contrarium, Menoch. *de Præſumpt. lib.6. præſumpt. 90. n.1.* Ubi tamen daretur Eunuchus,qui & arrigeret,& Venerem exerceret,& ſemen emitteret, hoc illi nunquam ſuffragaretur ad contrahendum validè matrimonium, quia patet illum ob carentiam teſtium non poſſe generare verum ſemen.

Ambigendi porrò occaſionem præbent duo alia hominum genera, utrum inter frigidos connumerandi ſint; primum ſcilicèt eorum, quibus Coles reſolutus eſt; ſecundum eorum, qui Venerem quidem exercent erecto Pene, ſed inter coeundum fæces, vel urinam, vel crepitum, & ventoſitatem emittere coguntur poſt quarum rerum emiſſionem Penis flacceſcit, & ad coitum ulteriùs ſufficere non poteſt, quod in aliquibus fit: nam in nonnullis aliis ſemen uno eodemque tempore ſimul cum fæcibus, aut urina, aut crepitu excernitur, in aliis autem venter inflatur, quales caſus annuit Hippocrat. *lib.6. Epidem. part.* 10. & 20. de quibus etiam Conſtantin. *in libell. de coit.* Gordon. *in lil. part.7.capit.2.* Valeſ. *lib. 6. Philon. capit.1.* & alii. Sed & de prioribus alii Medici locuti ſunt, inter quos etiam recenſendus Amat. Luſit. *Cur. Med. cent. 6.cur.95.* & alii apud Schenck. *lib.4. tit de coitu*, ad quam rem adduci poteſt etiam Martialis *carm. lib.9. Epigram.71. in Polycarm.*

18 Cæterùm quoad eos, quibus Penis reſolutus eſt, certum eſt, quod ad copulam nullo modo ſufficiunt, quia membrum ob nervorum reſolutionem tendi, & arrigi non poteſt, ſed veluti emortuum languet, cúmque is effectus ex ſui natura frigidus ſit, & impotentiam prædictam inducat, jure merito faciet eos in numero frigidorum adſcribi; ſed de hoc vitio nonnulla addam cum de impotentia coëundi ex morbis verba faciam.

19 Eos porrò qui inter coëundum urinam, fæces, aut flatum emittentes à coitu deſiſtere coguntur abſque ſeminis effuſione non alia de cauſa ita affici cenſendum eſt, niſi ob caloris debilitatem ipſarum partium genitalium, vicinis etiam, ac contiguis partibus, nempè veſicæ urinariæ, atque inteſtino Recto communicatam, unde etiam ipſarum partium relaxatio, & plurimarum ventoſitatum accumulatio, ut ſentit Franciſc. Valleſ. *in comm' prædict. text.* 10.6. *Epidem.* unde non mirum ſi id genus affectus, ac maximè excretio fæcum in ipſo coitu, ſenibus ſint familiares, ex imbecillitate caloris, & frigida pituita muſculos reſolvente, ut proſequitur Alex. Bened. *de cur. morb. lib.* 24.*cap.*27. qui tamen rationem reddere debebat, cur in coitu id eveniat, quod fit, ob excalefactionem partis in coitu factam, à qua natura ſtimulata, non ſemen, quo minimè affluit, ſed fæces & pituitam, quibus abundat, ejicit. Sed in rei veritate hæc ob id accidunt ſenibus, quia Penis erectio in illis non fit ob ſeminis turgentiam, neque à ſpiritu procedenti à Corde, ut aliàs in junioribus evenit, ſed fit à ventoſitate, vel ab urinæ multitudine, vel à virtute ſtimulante ad excretionem alicujus ſuperfluitatis; neque illa eſt vera erectio à Natura ad coitum deſtinata, & ideircò ſenes, qui per noctem membri erectionem patiuntur, non debent ei credere tanquam ſi per eam Natura ſtimulet eos ad coitum, quia ea fit ab urina in vaſis accumulata, vel à flatu, cujus rei ſignum eſt manifeſtiſſimum, quod urina emiſſa, vel crepitu edito, membrum illicò flacceſcit: cùm ergò non oporteat etiam validioribus ætatibus, niſi turgente ſemine, coire, ut monet Ariſtot. *ſection. 4. Problem. 9.* quantò magis cavere debent ſenes, ne ab erectione membri ob urinæ vel ventoſitatis copiam facta ad coitum impellantur? Hujuſmodi igitur vitia, ut jam dictum eſt, ex frigiditate procedunt, neque permittunt ſemen concoqui, ita ut homines coitum exercere, ut decet permittant; unde Ariſtot. *lib. 1. de Generat. Animal. capit.* 20. dicebat, *Quibus depravata eſt generatio, alvus interdum ſolvitur, propterea quod excrementum eò ſecedit, quod coqui, atque eſſici ſemen non poſſit.* Si ergo hæc vitia ſenſibus accidant, curationem quidem non admittent, augeſcente in dies frigida intemperie: in firmioribus autem ætatibus abſque remedio omni ex parte non erunt, cùm Aëtium *ſerm. 11. cap. ult.* & apud Amat. Luſit. *cent.6. ſupra cit. cur.95.* & apud Joan Schenck. ex utroque,& aliis, talia vitia curata fuiſſe notum ſit, veluti eſt membri reſolutio, de qua ſuperius: unde ubi conſtaret in viro non majori quinquaginta quinque annis, impotentiam coëundi cauſam habere à membri reſolutione, non eſſet ob eam cauſam matrimonium diſſolvendum, ſed expectandum eſſet aliquod conveniens tempus impendendum in curatione, & amotione cauſæ, quod tamen ex mea ſententia non deberet extendi ultrà annum, ſi enim inter hunc terminum nihil vir proficiat, acta res eſt: quòd ſi quicquam proficeret, licèt non perfectè curatus eſſet, poſſet ad diuturnius ſpatium cura prorogari.

Denique non abſque culpa frigiditatis ſit, ut aliqui in Venere exercenda ſemen emittere non poſſint, quod tamen vel in ſomnis, vel in manſturpatione, hoc eſt frictione manus emittunt; qualem caſum narrat Aëtius *loco proximè allegato*, & de quo etiam Avic. *Fen.20. tract.1.cap.15.* cui non abſimiles affert Marcell. Donat. *Hiſtor. Med mirab. lib.4. capit.*18. qui non aliam ejus vitii cauſam agnoſcit, niſi ſemen plus juſto frigidum? itaque & calidis medicamentis cum iis agendum eſt, cùm non ſint extra omnem ſpem curationis, niſi naturalis frigiditas, ætas major, & alia id genus curæ impedimento ſint, licèt quomodocunque verum ſemen effluat, ſemper de ſanatione benè ſperari poſſit, cum id clare demonſtret, calorem adhuc vigere, ſtante quod ſufficiat ad generandum verum ſemen. Interim tamen determinandum à Canoniſtis eſſet, utrum hoc vitium, ſi nullo ingenio curari poſſit, expectato etiam triennio, ſufficiens eſſet ad diſſolutionem Matrimonii, quia ſi non dicitur matrimonium vir conſummare, niſi ſemen intra muliebre vas effundat, certum eſt, quod in hoc caſu non poteſt dici Matrimonium conſummari per ſeminis emiſſionem, cum intra conveniens vas non recipiatur; nulliter ergo hi viri contrahent, & matrimonio erunt interdicendi, & tamen videretur quod hi, cùm verum ſemen generent, & Venerem exerceant, vaſa ſufficienter penetrantes, & poſſint debito matrimoniali ſatisfacere, non ſint ad matrimonium inhabiles.

Sed non deſiſtam his adjicere adhuc admirabile quoddam Venerem exercendi genus, quod tamen fidem apud pleroſque fortè non inveniet; verùm præter exempla afferenda ab aliis relata, ego quoque ex propria experientia aliquid afferam, neque, ita me Deus adjuvet, in ulla re mentiar. Refert Joan Schenck *lib.4. Obſerv. tit. de Coitu, obſerv.ult.* ex Cœlio Rhodig. *lib. 11. Lect. Antiq. cap.* 15. quod refertur etiam inter Jureconſultos à Tiraq. *Leg. conn.l.15.num.15.* fuiſſe hominem quemdam, qui flagris ac plagis in coitum accendebatur, ita ut uſque ad ſanguinis effuſionem

20 patere

pateretur ſe cædi, quinimò iraſceretur cædenti, niſi fortiùs, atque acriùs cæderet: hoc modo enim hic ſanguinem accendebat, & ſemen calidius reddendo, cum majori voluptate, ut credere par eſt, coibat: ſed hoc parum ad rem noſtram facit: magis ad rem quod ſequitur à Marcello Donato *lib. 4. hiſt. Med. mirab. cap.* 18. enarratum ex Joan. Mirandula, nempè quòd vir quidam arrigere membrum non poterat, n ſi vapularet, hic ſi uxorem duxiſſet (fortè non extra omne dubium eſſet, an ſtante hoc vitio licitè ducere poſſet) facilè remedium habebat: nam quandocumque cum uxore ſe commiſcere vellet, poterat ſe illi verberandum tradere: ridiculum certè exemplum. Sed quis riſum tenere poterit, ſi ſequentem hiſtoriolam perlegerit? Novi ipſe, & de præſenti etiam noſco (nam ſæpiuſculè quàm pro voto eſſet, mihi obviam fit) quemdam claudum, temeraturæ atrabiliariæ, ac pravorum morum, qui ut eſt homo otio ſemper indulgens, ſcorta obolaria convenire ſolet, ac antequam cum illis rem agat, baculis, aut virgis nates ſibi percutiendas illis tradit, ac ſcio quoddam ex his fortè aliis petulantius illi nates arrepto piſtillo aliquando non malè maceraſſe. Quis ergò tam credulum ſe mihi præbebit, ut ſuam mihi in hoc fidem obſtringat?

21 Sed hæc joco, ac per tranſennam dicta ſunto, quibus omiſſis non relinquam de quibuſdam ſemirigidis, ut ita nominem, mentionem habere: hi non ſunt omninò impotentes, ſed non habent robur ſufficiens in erectione, quamobrem ſi cum Virgine illis res tranſigenda ſit, vel etiam cum muliere anguſtas vias habente, non poſſunt opus perficere, cum aliis autem mulieribus vias laxiores, & patentiores habentibus opus perficiunt uſque ad ſeminis effuſionem inclusivè, hujuſmodi caſus quotidie obſervari poſſunt in ſenibus, ſed & apud Baver. de Baver. *conſil. 51. alias cit.* caſum habemus in terminis, in quo Medici quidam Senenſes judicarunt, quemdam Servum Andream non eſſe potentem ad devirginandam ſponſam, licet poſſet exiſtimari potens ad coitum cum devirginatis. In hoc ergò caſu videndum eſſet, an hæc imbecillitas, ſeu impotentia ad coëundum reſpectu Virginis eſſet à Natura, & ab ætate majori, vel ab ipſa hominis juventute, vel à prægreſſa aliqua cauſa præternaturali: nam à Natura, & ab ætate majori proveniens non eſſet remediabilis, & ſi aliquo modo remediabilis eſſet, majorem ſpè præberet proveniens ab ætate majori, quàm à Natura: ſed ſi ex accidenti tale vitium eveniſſet in ætate adhuc viridi, fortè non careret remedio, niſi cauſa fuiſſet magna, & præter modum gravis.

Jam verò ſi quæ videbantur de novo afferenda circa impedimenti copulæ ob frigiditatem ex parte Viri, ſufficienter allata mihi videntur, ita ut properare jam liceat ad impedimentum copulæ ex parte Viri ob maleficium, cujus culpa, ſi ſit perpetuum, dirimitur matrimonium, Rota *in Camerinen. Matrimonii* 1624. *coram Burato n.* 9. 22 Hujus triplex genus faciunt, unum, quo homo impotens redditur cum quavis fœmina: ſecundum, quo redditur impotens cum una tantùm, non cum aliis: tertium, quo redditur impotens cum omnibus præterquam cum una, puta cum uxore, quod maleficium dicendum eſſet bonum, in quantum prohiberet adulterium, ut dicit Hoſtien. *lib. 4. tit. de frig. & malef. n.* 8. niſi Dæmonis opera in hoc etiam interveniret, unde non de facili tale maleficium factum in uxoris favorem reperiri crediderim, ſed potiùs in favorem Amaſiæ, niſi uxor ut Amaſia hujuſmodi maleficiis operam daret.

Cæterùm circa maleficiatos illud maximè Doctorum omnium ingenia exercuit, quod ad eorum cognitionem ſpectat: nam difficulter omninò expiſcari noverunt ſigna, quæ maleficiatum hominem abſque ulla hæſitantia à frigido diſtinguãt: ita ut totam maleficiatorum cognitionem reducant ad abſentiam ſignorum, quæ frigiditatem atteſtantur: unde Alex. Bened. *lib. 24. de cur. morb. c.* 14. *Si virilitas*, inquit, *carmine*, (*quod fieri ſolet*) *aut veneficiorum injuria intercepta fuerit, ſine ulla corporis injuria, aut membrorum vitio, primitivâve cauſa evenire haud dubitamus.* Et Jo. Bapt. Codronch. *de morb. venef. lib. 3. c.* 13. *in fin.* dicebat, *Coitus verò impotentia ex veneficio cognoſcitur, ſi abſint ſigna aliarum cauſarum.* Huic ſignorum abſentiæ addunt conjecturam ex remediis fruſtrà adhibitis, Baver. de Baver. *cit. conſ.* 51. Codronch. *ib.* Cæſalp. *in Dæmon. inveſt. Peripat. c.* 22. Sed in utraq; conjectura difficultatem non contemnendam reperio: & quoad abſentiam ſignorum ut frigiditate pullulantium, ea quidem aliquid operaretur, quandocunque non daretur caſus (quem ego frequentiùs dari, quàm oporteat, cenſeo) in quo Homo non ex ſua natura frigidus, ſed ex aliqua cauſa accidentali, & non avertibili, impotens ad coitum redderetur. Tunc ergò in hoc nulla obſervari poterunt frigiditatis ſigna: nam & genitalia bene conſtituta habebit, & pilis etiam quampluribus in conſuetis locis dotabitur, & alia ad hunc modum: quin & per anteactum tempus ſtrenuè fortè, & magis quàm oportuerit Veneri operam dederit (nam & hæc nempe Coitus nimia frequentia in juventute, aut etiam ætate ſequenti, hominem impotentem reddit in ſenectute, imò aliquando in ipſo primo ſenio) ergò in hoc homine licet evidenter appareret omnimoda abſentia ſignorum, quæ frigiditatem atteſtantur, non habebit locum maleficium, & ſic omninò hæc conjectura erit fallax. In tantùm autem poteſt in homine aliàs ex ſui natura ad coitum potente, aliqua cauſa ignota, & non facilè animadvertibilis irrepere, quæ ipſum in poſterum impotentem reddat, ut ex nova victus inſtitutione, ex animi vehemẽtibus, ac diuturnis paſſionibus, imò ex frequentato etiam quorundam ciborum uſu facilè id ſuccedere interdum ſit animadverſum, Lactucam, ut aliàs dixi, frequenter comeſtam homines eunuchare, & idcircò Eunuchum appellari conſtat, quod ejus frigiditati inſigni adſcribi poteſt: ſed & Mentham licèt calidam, ipſe Hippocrates *l. 2. de Diæt. verſ.* 14. erectionem prohibere docet, aliaque eſſe medicamenta, alioſq; cibos, & potus, qui id ipſum præſtare valeant, non tantùm intrò ſumptos, quin etiam extra applicitos, & aliàs ipſe dixi, & alii etiam Scriptores notarunt: quamobrem cùm hæc ſuccedere poſſint abſque eo quod à nobis animadvertantur, facilè imponere poſſunt id, quod non eſt, nempè hominem ad Venerem impotentem, ex maleficio impotentem eſſe, cùm abſint omnia, ac ſingula frigiditatis ſigna, qui tamen ob unam, aut alteram ex prænominatis cauſis à nobis in ſenſu non habitis, frigidus, ac impotens ſit effectus. Verum enimverò, his non obſtantibus, per abſentiam ſignorum atteſtantium frigiditatem id conſequimur, ut is, qui impotens de præſenti ob maleficium exiſtimetur, præſumatur tamen aliquando fuiſſe potens: ita ut teneatur, quantum ego crediderim, probare, qui ſe talem dicit, ſe aliquando fuiſſe potentem aliàs, hoc non probato, non eſſet expectandum triennium, neque procraſtinanda ſententia de matrimonio diſſolvendo: quia triennium expectatur in maleficio, Rota *in Rom. invaliditatis Matrim.* 1603. *cor. Penia n.* 13. non autem in frigiditate, ut *ibid.* Rota *in ſuperiori*: & ratio eſt, quia maleficium non cadit in hominem ſua natura impotentem, ut jam dictum eſt.

Nec verò majorem firmitudinem habet altera conjectura desumpta ex fruſtratione medicamento-
25 rum, quæ ad debellandam frigiditatem adhibita fuerint: nam fieri potest, imò sæpè, ac sæpius evenit, ut frigiditas, vel quòd naturalis affectio sit, vel quòd jam sit habituata, tam contumacè se præbeat, ac tam conclamatæ pertinaciæ, ut nullis remediis evinci possit, quod similibus morbis aliis commune esse Medici frequenter experimur. Itaque neque certum, neque tutum est ex hoc, quod remedia non contulerint, declarare quemquam esse impotentem ex maleficio. Neque valet contra hæc propositio aliquorum volentium, maleficiatorum curam esse impossibilem, cùm à solo Deo expectari possit ad eam rem remedium, & idcircò eorum sic affectorum curam ipsi Deo esse dimittendam, ut aliqui Medici persuadere satagunt, Arnald de Villan. *in libell. de steril. tract. 2. c. 3.* frigidorum autem curam non esse sine remedio, cùm ea affectio sit à causa naturali, quæ per contraria est amovibilis: quia non minùs requirit divinam potentiam pro sua remotione frigiditas naturalis, aut habituata, quàm maleficium, cùm non sit possibile in vita naturæ insitum temperamentum ex una, & partium malam compositionem, vel implantatum calorem in extremo debilitatis (si ad conservationem speciei respicias) ex altera, ad contrariam temperiem, & compositionem, ac robur reducere, ut partes ad sua munia obeunda quoque sufficerent, ad quod Medicinæ Ars, aut humanum ingenium neque habet, neque habere potest aptum præsidium: quoniam ut dicebat Bert. *in sua collect. Med. sect. 3. tr. 8. c. 1. Deficiente domina Natura, deficere oportet Medicum ejus ministrum*, quæ sententia Hippocratis oraculo innititur dicentis, *Natura*
26 *repugnante omnia irrita*, ubi enim Natura non concurrit, remedia inutilia sunt, ut idem Hippocrates pluries, ac maximè *lib. de Arte*, & cum ipso abundè demonstrat Cæsalpin. *lib. 1. quæst. M. d. n. 3.*

Verum enim verò cùm prædictæ conjecturæ, ut visum est, sint undequaque fallaces, si quæ certè minùs fallax haberi potest, ea illa erit, quæ desumi potest ex celeritate adventus ipsius impotentiæ coëundi: nam quæ à natura est, palam se prodit perpetua impotētia, ex qua à Pubertatis primordio homo impotens fuit, imò & ante pubertatem nullam, aut modicam, & non durabilem genitalis erectionem expertus est: quæ autem ab adscititia frigiditate, & per accidens fit, sensim, & in tempore, non autem momento apparet, nisi fuerit ex aliquo morbo vehementi, & apto ad inducendam talem impotentiam, qualis esset Apoplexia, Paralysis, & id genus alii; tunc autem causa esset manifesta, & inaniter de maleficio suspicaremur. At verò impotētia, quæ ex maleficio provenit, illicò, & ex improviso se prodit, & homine quidē sano, ac cætera robusto existente, & qui aliàs, ac fortè hesterna die, aut nudius tertius, coitu usus fuerit, cras autem, aut perendiè omni vigore, ac stimulo coëundi se orbatum videt de repente: atque hac maximè conjectura ductus existimavi aliàs, quemdam juvenem robustum, qui repentina genitalium ignavia, nullo præcedente morbo ad id apto, correptus fuit, Dæmonis opera fuisse maleficiatum, ut retuli *lib. 10. quæst. Medicoleg. conf. 49.* Procedit enim actio maleficii non aliter, quàm procedat actio veneni administrati: hujus enim manifestissimum signum ex auctoritate Gal. *li. 6. de loc. aff. c. 5.* & Medicorum omniū, illud est, ut sæpè aliàs dixi, quod desumitur ex statu Ægrotantis morbum immediatè præcedente: nam ubi quis sanus, & viribus pollens,
27 nullo magno errore in victus ratione perpetrato, præcipiti, ac pernecabili morbo ex improviso à cibo prehendatur, signum est evidentissimum illum venenum hausisse: eodem quoq; pacto determinari posse affirmaverint, quippe si, ut dixi, homo sanus, ætate juvenis, ac viribus integris, & per anteactum tempus potens ad Venerem (nam nunquam præsumi debet maleficium, si homo nunquam fuit potens ad coëundum) nulla efficaci, ac evidenti, & sufficienti causa prægressa, improvisa ac repentina genitalium ignavia prehendatur, omninò conjectari, ac certò oportet illum fuisse maleficio impetitum. Huic 28
etiam conjecturæ alia potest addi non minimæ efficaciæ, licèt non sit universalis, & desumitur ex eo, quod impotentia copulæ est respectu unius personæ tantùm, non omnium: quemadmodum ergò quando impotentia est universalis, hoc est quoad omnes mulieres, quia vir cum nulla potest coire, præsumenda est potiùs frigiditas, quam maleficium (licèt non negaverim posse hominem reddi per maleficium impotentem quoad omnes, & tunc multò magis militaret prior conjectura) sic si cum omnibus vir coire potest, præterquam cum una, aut si cum una tantùm potest coire, & non cum ulla alia, non frigiditas, sed maleficium est præsumendum: Abb. *super 4. Decret. tit. de frig. & malef. c. 1. n. 7.* Et ratio est duplex, una quidem ex parte Naturæ, altera ex parte Dæmonis: ex parte Naturæ, quia nulla causa naturalis assignari potest, ob quam vir, qui cum omnibus coire potest, non possit cum hac tantùm, quia à Natura homo non magis disponitur ad unam, quàm ad aliam, nisi antipathiam, vel deformitatem accusare velimus, quæ tamen erunt causæ per se notæ, & idcircò fœmina uni apta præsumitur aliis apta, & vir potens ad unam præsumitur potens ad omnes: Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 104. quæst. 5. n. 25.* quemadmodum è contra frigidus uni debet præsumi frigidus alteri, ut ex Canonistarum Decretis tradit ex Medicis Roder. à Castr. *de morb. mul. lib. 3. c. 2. in schol.* quia frigiditas est impedimentum naturale non restrictum ad certam personam, ut bene percurrit Abbas *loc. cit. num. eod.* & iidem stimuli carnis, quibus commovetur homo cum una, naturaliter excitant illum cum omnibus: quod procedit etiam si cum una tantum sit potens: nam eo ipso quod homo potens est cum aliqua, omne naturale impedimentum ex parte sui excluditur, quo impotens reddatur cum aliis, & idcircò prudenter Rota *in Toletana nullitatis Matrimonii 1639. coram Coccino, n. 15.* determinavit impotentium mariti coëundi cum propria uxore, qui tamen erat potens coire cum aliis, fuisse accidentalem, non naturalem.

Altera causa ex parte Dæmonis est, quia cùm 29
Dæmon in maleficiis concurrat, ut majorem, & frequentiorem peccandi occasionem Homines habeāt, ut à Theologis docemur, & adnotavit ex Medicis Codronch. *lib. 3. de morb. venef. cap. 5.* certum est, multò majorem occasionem peccandi hominibus præbere, si non omninò impotentes eos reddat: nam cum impotentiam procurat cum uxore, & non cum aliis Mulieribus, occasionem offert relinquendi uxorem, & non reddendi illi conjugale debitum: & cum aliis adulterare, & cum impotentiam excitat cum omnibus præterquam cum Amasia, aut Meretrice, in causa est, ut homo in fornicatione persistat, & nunquam ab ea removeatur. Jure ergò optimo censendum est, impotentiam cum una, & non cum aliis, aut impotentiam cum omnibus præterquàm cum una, à maleficio esse, non autem à naturali causa, quæ quandocunque adsit cum omnibus indifferenter suos effectus prodit, non autem magis cum una, quàm cum alia.

Quoniam

Quoniam autem patet, maleficium esse in duplici differentia, nempè unum ex opera Dæmonis procuratum, Dæmoniacum dicendum; alterum per oblationem alicujus medicamenti venenosi, & apti ad eam affectionem convocandam, & ad reddendum hominem in re venerea impotentem, quod vel Maleficium simpliciter nominatur, vel magis propriè Veneficium: sciendum est, noxam procuratam per simplicem exhibitionem alicujus veneni ad frigiditatem inducendam, neq; ullo modo posse esse perpetuam, neq; suum effectum sortiri posse, nisi multoties fuerit reiterata: dato tamen, quòd res ageretur cum juvene, aut viro ætatis consistentis & viribus dotato: nam si cum sene jam effœto ageretur, & posset noxa perpetuari, & absq; multa veneni reiteratione suum effectum sortiri: quia quemadmodum Iuvenis, aut vir ætatis consistentis ob caloris nativi robur non tam facilè, ac promptè per ea medicamenta alterari, & infrigidari potest, ita senex ob ejusdem caloris imbecillitatem facillimè alteratur, & infrigidatur: & quemadmodum in Iuvene ea infrigidatio aut non durare, aut facile per contrariorum medicamentorum admotionem superari potest, imò ab ipsa Natura, si valida adhuc sit, evincitur: ita in sene, & multò magis in Decrepito & durat, & superabilis neque per tempus, neque per medicamenta esse potest. Atque hinc eliciendum, quòd quandocunque medicamenta pro frigiditate superanda administrata post longum maximè tèpus non contulissent, ut puta post anni dimidium, vel ad summù post annù, imò neque ex parte frigiditatem superassent (ut exempli gratiâ, si partes, quæ tactu frigidæ apparebant, imbecilles, languidæ, ac quasi emortuæ, post remediorum usum calidiorum, vivaciores, robustiores, calidiores, & coloratiores non appareant) tunc de cura omninò desperandum est, timendumque ne frigiditas jam habituata sit, & nativus calor genitales partes omni ex parte destituerit.

Et quia dictum est, cibos aliquos frequenter in usum protractos, ac similiter quosdam potus ingestos, insuperque nonnulla medicamenta de foris genitalibus applicita, frigiditatem inducere posse, ubi tales casus offendamus, videndum quid in his esset determinandum: nam aliter definiri rem oportet, ubi venena prædicta, aut cibi, aut medicamenta essent in usù protracta in homine declinantis ætatis, aliter verò in juvene ætatis florentis: quin etiam aliter, si solis cibis refrigerãtibus usus homo sit, quàm si venenis frigidis fuisset potionatus, aut si medicamentis de fortis applicitis frigiditatem genitalium procurasset: imò aliter si applicasset medicamenta hujusmodi, puta Cicutam, Lactucam, Nimphæam, & id genus alia, testibus ante pubertatem, quàm si applicuisset eadem iisdem partibus post pubertatè: nam ante potuissent faciliùs omnem virilitatem, & seminis productionem extinguere, quod non tam de facili post pubertatem, & in procedenti robustiori ætate præstare potuissent: sic etiam, si in ætate declinante applicita essent, faciliùs suum effectum producere potuissent, quàm ante prædictam ætatem, & sic de singulis: sed hæc ex abundanti.

SUMMARIUM.

1 *Membrum nimis crassum an sit justa causa dirimendi Matrimonium.*
2 *Et quid de membro carnoso ultrà consuetum.*
3 *Penis brevitas semper incommoda, quia diminuit coitum.*
4 *An Matrimonium dicatur consummatum viro seminante, sed non potente ob virgæ brevitatem sponsam devirginare.*
5 *Naturalis brevitas Virgæ est irremediabilis.*
6 *Membro contracto existente quid de eo determinandum.*
7 *Membri tortuositas copulam impedire potest, & est duplex.*
8 *Penis obliquitas quid operari possit circa invaliditatem Matrimonii.*
9 *Penis nodus quam causam dare possit dissolutioni Matrimonii.*

De impedimento Copulæ ob membri magnitudinem, & alia vitia præter naturam.

QUÆSTIO III.

MEmbri magnitudo in hoc casu consideratur juxtà utramq; dimensionem, nempè longitudinem, vel brevitatem, & crassitiem; vel subtilitatẽ, quibus addi potest numerus, cum aliqui visi sint, qui duplici Pene fuerint dotati, ut cõstat apud Hostien. *lib. 4. summ. tit. de frig. & malef. n. 13.* & talem virum Bononiæ visum fuisse in publicis dissectionibus ex Iac. Vecher. *obs.* refert Schenck. *lib. 4. obs. tit. de Pene.* Quin etiam Ioan. Bened. Sinibaldus vir, ut omnes novêre, inter doctos doctissimus *lib. 3. suæ Geneanthropiæ tract. 1. c. 3.* Asellum gemino genitali vidisse se affirmat, sed & monstrum duplici Pene, atque utroq; tensionẽ patiente Romæ à se conspectũ testatur, & de aliis monstris duplici Pene dotatis mẽtionem feci aliàs *lib. 7. harum Q. tit. 1. q. 8. num. 34.* ubi suppositionem quandam à Gasp. Baluino *lib. 1. de Herm.* in medium allatam, quòd nimirum Natura non faciat duo membra ejusdem sexus: ut facit duo sexus differentis, veram non esse pluribus exemplis demonstravi: Non dubium autem est, tale impedimentũ non recipere curationẽ, nam, si quæ fieri posset per alterius membri detruncationem, periculi plena est, neq; ullo modo tentanda, quantumvis superfluens virga esset minoris magnitudinis: nam adnotatum aliquando est ex Penis abscissione subitaneam mortem supervenisse, qualem casum narrat Guilelm. Fabr. *suarum obs. cent. 3. obs. 84.* Qui etiam testatur, Penis abscissionem propter excedentem sanguinis effusionem maximè periculosam esse: & tamen scimus testimonio multorum DD. quos adducit Io. Schenck. *lib. 4. suar. Obs. Tit. de Pene & præp.* apud Turcas, multis, quos pro Mulierũ cubiculariis destinare volunt, Testes unà cum veretro abscindi, prius eis soporiferis medicamentis in profundum somnum conjectis, horumq; plures evadere testatur Cardan. *in lib. Hipp. de aë. aq. & loc. sex. 19. sect. 62.* Quomodocunq; tandem sese res habeat, opus periculi plenum est: itaq; de hoc impedimẽto jam ulteriùs non loquar, maximè cùm tam de rarò conspiciatur. Frequentiùs conspicitur unicum membrum duo magnitudine æquans, omneſq; complens dimensiones, quali fuit fortè dotatus Clodius, Pompeiam Cæsaris uxorem in templo Bonæ Deæ constuprans, de quo Iuven. *Sat. 6. vers. 336. & seqq.*

——*Sed omnes*
Noverunt Mauri, atque Indi, quæ Psaltria Penem
Majorem, quàm sunt duo Cæsaris Anticatones:
Illuc testiculi sibi conscius, unde fugit Mus,
Intulerit.

Et quales recenset Ioan. Bened. Sinibald. *loc. cit. c. 15.* quos Cenobelos appellari tradit.

Quoad Penis longitudinem, nullus est Medicorum, qui affirmet, eam impedire copulam, cùm alia ex parte concordent pleriq; quòd impediat generationem, de qua re loco suo: non tamen præterunda silentio incommoda, quæ mulier pati potest, & sanitas quæ ex ea causa potest incurrere, de quibus mentionem habui *lib. 7. har. Quæst. tit. 3. n. 10.* ad quem locum Lectorẽ remitto, nihil enim in promptu habeo quod iis, quæ tunc attuli, addendum sit, si modò

modò obſervationem tantùm quorundam Medicorum adjiciam, ex quibus habemus, Mulieres ob Membri virilis incongruam longitudinem in urinæ incontinentiam, au perpetuã diarrhœam, aut uteri prolapſum, aut profluvium incidiſſe, ut videre eſt apud Joan. Hucher. *lib. 1. de ſterilit. c. de magnit. Penis*, & apud alios.

1 Majus dubium eſt de magnitudine Penis quoad ejus craſſitiem; ſi enim magna, & excedens ſit, ita ut communem craſſitiem cæterorũ membrorũ exuperet, non eſt tanquam nullius momenti prætereundũ impedimentum illud, quod ab eo in copula carnali provenit: nam eam undequaque impedire poteſt, maximè ſi cum muliere res agarur anguſtiora loca habente, qualem offenderunt duo viri apud Fœlicem Plater. *lib. 1. Obſer. Titul. in act. Vener. def. n. 4.* hi enim membro nimis craſſo dotati nullo ingenio potuerunt unquam cum propriis, ac jam deſponſatis uxoribus copulari, unde matrimonium dirimere coacti ſunt, & tamen utriſque novis uxoribus matrimonio junctis, neutra earum reclamavit, nec de nimia Penis craſſitudine verbum ullum movit, aut conqueſta eſt. Sed ſupponamus nos ſponſum habere membrum ſatis craſſum, non tamen craſſitici monſtruoſæ, nec quale habebat ille apud Guilelm. Fabrit. *cent. 2. obſ. 36.* (licèt ea craſſities ex morbo eſſet, non naturalis) cujus membrum magnitudine æquabat caput Infantis recenter nati: aliáque ex parte ſupponamus ſponſam habere pudenda rationabiliter conſtituta, tunc dicendum (quod & aliàs determinavi) non eſſe hoc impedimentum tale, ut ſuperari non poſſit ob ipſius pudendi muliebris naturam, quod nullo penè negotio & dilatari, & conſtringi ut lubet, & ex ſe ipſo, & medicamentis poſſit. Unde benè inter Canoniſtas Hoſtien. ſæpè *cit. lib. 4. Tit. de frig. & malef. n. 15.* audiſſe ſe dicit à muliere experta: quòd non eſt eventu poſſibile, ut Mulier ob magnitudinem mẽbri virum non admittat, nec illum tolerare poſſit: ac profectò ita eſt, remanente ſuppoſitione ſuperiùs facta in ſuo robore. Advertendũ tamen ad id, quod
2 addit idem Hoſtien. *n. 16. ſeq.* movens hoc dubium, quid ſi vir habeat membrum nimis carnoſum? Differt enim hoc à craſſitie naturali, & in caſu ab Hoſtien obſervato carnoſitas illa proveniebat à morbo, nempè ab Elephantiaſi, & idcircò fortè præſtabat impedimentum copulæ carnali, & occaſionem dare poterat dirimenti matrimonium, niſi remediabilis fuiſſet, quod non videtur, quia dependebat à morbo incurabili, talis enim eſt Elephanthiaſis, morbus quippè adeò magnus, ut ex hoc nomen ſumpſiſſe dicant nonnulli, quia quemadmodum Elephas eſt inter omnia animalia maximum, ita etiam hic morbus inter omnes morbos eſt maximus, ut ex Æmilio Macro *lib. 1. c. 15.* dixi aliàs, cujus carmina tunc ad hoc recitavi, nempè *l. 2. Quæſt. tit. 3. q. 6. n. 17.*

Circa brevitatem, & exilitatem Penis præterea, quæ attuli *lib. 3. tit. 1. q. 6.* eſt aliquid, quod de novo adnotandum videtur: & ut apparet, duplex hoc vitium eſt, nempè unum quoad brevitatem, alterum quoad exilitatem, quorum vitiorum unumquodque per ſe eſt conſideratione dignum, inſuperque ſimul juncta, hoc eſt, dum ſimul & breve, & exile, ac ſubtile membrum eſt, tantò magis vitium eſt conſidera-
3 bile: brevitas tamen aut ſemper, aut frequentiùs incommoda eſt, Fallop. *lib. de Decor. c. 8.* & certum eſt, eam diminuere coitum, & maximè gignitivum, ut inquit Bertruc. *in collect. Med. ſect. 3. tract. 8. c. 1.* imò in totum impedit, ut in caſu obſervato à Fel. Plater. *l. 1. Obſer. Tit. in Act Vener. defect.* nam homo erat, qui Penem adeò brevem habebat, ut præter glandem cum præputio, nihil præterea à corpore promineret: nec diſſimilis fuit ab hoc infans, de quo Tobias Gneulin. apud Schenck *lib. 4. Obſer. Tit. de Pene*, & *præputio*, qui dotabatur quidem Scroto, & Teſtibus, ſed Pene omninò carebat, in cujus loco foramen erat, per quod urinam reddebat. Utrumque vitium, ut Medici ſentiunt, præ frigida intemperie oritur, quam multò majorem eſſe conſtat, ſi utrumque vitium ſimul ſe prodit, nam craſſities brevitati conjuncta, niſi brevitas enormis, ſit, minùs fortè culpanda eſt, quia, ut ex Avic. dicit Fallopp. *loc. cit.* niſi pudendum virile à pudendo muliebri conſtringatur, & amplexetur, mulier nulla voluptate perfundatur, nec ſemen emittit, & conceptio ſequi non poteſt: ideò licèt alia ex parte ſecundùm alios exilitas, vel ſubtilitas longitudini convenienti aſſociata minùs culpabilis videatur, certè fœminis ob partium frictionem, quæ meliùs ſuccedit cum craſſo membro, quàm cum exili, licèt longo, acceptior craſſities eſt, quàm longitudo: ac præter frictionem meliùs vulva amplexatur Penem, unde major inſurgit delectatio, & major in ſemine ejaculando voluptas: quibus de cauſis Mulier fortè non ita reclamaret, ubi Maritus haberet virgam brevem, ſed craſſam, quemadmodùm ubi haberet longam, & ſubtilem, nam conſtat experientia Mulieres non facilè acquieſcere membri ſubtilitati, licèt apud Plater. *loco ſup. cit.* mulier quædam vetula, & pauper acquieſcere ſe in judicio diceret Marito, qui ditiſſimus erat, habenti mentulam minimi digiti magnitudine, ne eam ob cauſam matrimonio diſſoluto, ad domeſticam pauperiem rediret. Attamen reclamante muliere aliquain hoc caſu, ſemper magis audirem reclamantem ob exilitatem, quàm ob virgæ brevitatem, niſi brevitas eſſet exedens, & enormis, ut erat in eo viro, de quo Hoſtien *cit. lib. 4. tit. eodem, n. 14.* qui habebat virgam ad modum verrucæ, ſed tamen non poterat extendi in longum. Ergo ubi brevitas non eſſet tam enormis, multò meliùs poterit debito conjugali ſatisfacere, & carnis ſtimulos in muliere reprimere vir habens virgam brevem, ſed craſſam, quàm habens longam, & admodùm ſubtilem, quia hæc non poteſt mulierem delectare, ut conveniens eſt. Illud tamen negari non poteſt aptiorem eſſe longam mentulam, licèt admodum exilis eſſet, ad penetranda loca muliebria, & devirginandam ſponſam, quàm Mentulam breviorem, licèt craſſam, nam quantumvis craſſa eſſet, poſſet ob ſui brevitatem impedimento eſſe, ne ſponſus poſſet ſponſam devirginare, quia non poſſet ad interiora pervenire, & Hymenis membranam diſrumpere, maximè ſi offenderet ſponſam habentem vaginam nimis longam, ut evenire facilè poteſt, itaut Hymen (ſeu quicquid ſit, quod fœminarum virginitatem tueri dicitur) altiùs poſitus ſit. In quo caſu non contemnenda occurreret difficultas: An ſcilicèt dici deberet hic, qui ob prædictum 4
vitium diſrumpere clauſtra virginalia non poteſt, licèt ſemen ejacularetur, matrimonium conſummaſſe: & non videretur hæſitandum de parte affirmante, cùm ſemen in utrum effuderit, nam hoc modo dicitur Matrimonium conſummatum, licèt vir clauſtra virginalia non perfregerit, per ea quæ affert Sanchez *de Matrimonio leb. 2. diſp. 21. num. 2.* quod tantò magis procedit, quantò hujuſmodi copula non eſt extra ſpem generationis, cùm conſtet, mulieres etiam velatas, in quibus multò majus viget impedimentum, aliquando concipere, ut aliàs adnotavi, & iterum adnotabo: cum de Atretis, & Imperforatis mulieribus de novo verba faciam: præter quam quod in his, quæ Imperforatæ nequaquam ſunt, ſed ob brevitatem membri virilis ſui ſponſi devirginari non potuerunt, ſi concipiant, facilè in ipſo partu diſrumpuntur membranæ uterum interſepientes, & ſic non aliter, quàm cæteræ fœminæ concipere, & parere poſſunt. Verum enim verò dato caſu, quod ſponſa ob brevitatem membri

virilis

virilis non devirginata concipiat, poteſtne reclamare tanquam ſi non concepiſſet? Certum autem eſt
5 naturalem virgæ brevitatem ſine remedio omninò eſſe, Gordon. *in Lilio, partic. 7. cap. 14.* Savonarol. *in Pract. magn. tract. 6. c. 21. rubr. 16.* Baver. de Baver. *conſ. 51.* Jac. Holler *lib. 5. Aph. 63.* qui, cæteris Doctoribus non diſſentientibus, vana, & irrita omninò eſſe firmant; quæcunque à Medicis ad emendandum hoc vitium proponuntur. Præterea, ubi poſſit virgæ brevitas irritare matrimonium etiam conſummatum (maximè cùm ſupponendum ſit ob ejus vitii ignorantiam reſpectu ſponſæ nulliter fuiſſe contractum) multo magis poterit irritare ubi brevitati adjungatur exilitas, ſeu ſubtilitas: cenſendum enim eſt, hujuſmodi membrum nullius valoris, & utilitatis eſſe poſſe, cùm tantoperè Natura in ejus formatione defecerit, & tamen ubi ſemen in primo congreſſu ejeciſſet in vas muliebre, res dubio non vacaret, & eſſet Canoniſtis remittenda, ut ſecundum Jus deci-
6 derent.

Sed antequam hinc diſcedamus, non prætermittendũ aliquid de virga contracta afferre: ſunt enim quidam, qui ob Veneris longam deſuetudinem, genitale adeò cõtractum habent, ut vix extra ventrem prominere videatur, & Navarr. *lib. 4. conſ. 3. n. 21.* ex Sulpicio narrat, Divo Martino adeò ob inſignem caſtimoniam membrum fuiſſe contractum, ut ſuæ mortis tempore videretur membrum Infantis. Sed non ſolùm ob caſtimoniã, & Veneris deſuetudinem id nonnullis eveniret ſolet, ſed etiã ob aliquem morbum, ut eſſet ob convulſionem, & neutra contractio Penis de facili remedium admitteret, hæc tamen ſunt de rarò contingentibus, & miror Navarr. *loco cit.* adduxiſſe hanc contingentiã in caſu de quo *ibi*, licèt plurima in *eo cõſilio* adducere videatur, & affirmare, quæ Medici nulla ex parte admittent, cùm abſurdiſſima exiſtimentur. Illud in hoc caſu determinandum cenſeo, quod in ſimilibus aliis, in quibus & impedimentum copulæ patens eſt, & nullum remedium admittit: ſed de his ſatis: nam nimio profectò rubore perfundi me ſentio in his pertractandis, & tamen remanẽt adhuc plurima ſimilis farinæ diſcutienda, in quib⁹ perlegendis admonente Hoſtienſe loco citato, turbari Lector non debet, nam Canoniſtæ hæc ipſa non ſine tamen rubore agitare vel coacti ſolent, ad Animarum ſalutem cuncta dirigentes,
7 qua ex cauſa nullo pacto ſilentio ſunt involvenda.

Sequitur conſiderandum de Penis tortuoſitate, quæ notabile impedimentum poteſt præbere in copula exercenda, ita ut ſi magna ſit, copulam omninò impedire poſſit, & multò magis generationẽ. Ea duplex eſt: quædam ſit ob frænum glandi adhærens, quod nimis tenſum eſt & glandem ipſam deorſum attrahit, ita ut membrum curvum reddat, & ob id ad copulã magna ex parte ineptum, quia non poteſt, ut deberet, glandis acie ſibi iter parare, ſed cogitur incaſſum dorſo in uterum arietare, & ſemen non ad uteri internũ fundum, ſed ad ipſius latera emittere. Vocantur autem qui hoc vitio laborãt à Theophil. prothoſpath. Græco Auctore, *l. 5. de corp. hum. fabr. c. 22.* Hypoſpadiæi, quos generare non poſſe dicit, niſi reſciſſo vinculo, quo penis glans deorſum trahitur, ſed habet hoc vitium ſuam in curando neque levem difficultatem, non caret tamen remediis, de quibus videndi Auctores, qui docent, hanc tortuoſitatem vel à Natura poſſe eſſe, vel à morbo aliquo, ut à convulſione nervorum ad penem ipſum tendentium: & ſiquidẽ à Natura ſit, difficulter curatur, non tamen eſt extra omnem ſpem ſanationis, cùm aliàs curatam fuiſſe per inſtrumentum quodã tradat Holler. *comm. 5. Aphor. 63.* ut apud ipſum videri poteſt: neque ea, quæ à morbo fit, erit omninò incurabilis: niſi cauſa morbum excitans adhuc perſiſtat: & amovibilis non ſit.

Huc pertinet etiam ipſius penis obliquitas, hoc 8
eſt, quando ad latera contorquetur, & inflectitur paralyſi, aut convulſione alterius ex muſculis, qui ex pectinis oſſe prodeunt, ut docet Hucher. *lib. 1. de ſterilit. c. de curvit. & obliquit. Penis*, apud quem etiam curationem habes, quæ quidem non aliter, quàm tortuoſitas, aut curvitas facilis, aut difficilis eſt.

Denique pudendi diſtortio fit etiam ex quodam 9
tuberculo ad modum fabæ, vel glandulæ, qui pene flaccido, & dimiſſo exiſtente ob ſui parvitatem vix percipitur, ſed ubi penis diſtenditur, contorquetur in latus illud, in quo tuberculus reperitur, unde fit, ut & copulæ, & generationi impedimentum afferat, cùm non poſſit liberè in uterum intrudi ob contorſionem; præterquam quod dolorem etiam in coëundo cauſat non contemnendum. Vocant hunc morbum penis nodum, & de eo Jul. Cæſ. Arant. *lib. de Tumor. præternat. c. 50.* ex quo Schench. *l. 4. Obſ. tit. de Pene*, & Dan. Sennert. *ſua Pract. lib. 3. p. 9 ſect. 1. c. 8.* profitetur autem Arantius, ſe primum de hoc morbo verba feciſſe, cùm nemo inter Medicos, aut Chirurgos ante ipſum de eo ullam mentionem habuerint: ſed Euſtach. Rudius *lib. 2. Pract. cap. 47.* de eo meminit iiſdem ad amuſſim verbis, quibus Arantius utitur: neque dubium eſt omnia Rudium ab Arantio deſumpſiſſe, cùm tamen de Arantio ne verbum quidem, quod non laudaverim.

SUMMARIUM.

1 *Morbi inſigniter caput debilitantes, ac refrigerantes faciunt maximam conjecturam impotentiæ.*
2 *Conſtito de Paralyſi Genitalium in ſene, illico dirimi poteſt Matrimonium.*
3 *Vulnera Capitis inſignia, ejuſque vehementes percuſſiones faciunt coitûs impotentiam.*
4 *Venarum nonnullarum in capite ſectio coitûs impotentiam facere poteſt.*
5 *Sanguinis excedentes evacuationes coitûs impotentiam aliquando excitant.*
6 *Cervicis, ſpinæ, ac Lumborum attritus Venereorum impotentiam faciunt.*
7 *Exceſſivæ, ac diuturnæ evacuationes quacunque coitûs impotentiam faciunt.*
8 *Vulnera partium nobiliorum coitum abſcindunt.*
9 *Morbi quidam magni quandoque faciunt hominem impotentem, & n. 10. 11.*
12 *Hernia quomodo diminuant coitûs potentiam.*
13 *Pinguedo exuberans extinguit coitum, & eſt ſine remedio.*
14 *Veneno potionati, ſi evadant, aliquando refrigerantur ita, ut fiant impotentes.*

De impotentia Copulæ ex morbis aut præſentibus, aut prægreſſis.

QUÆSTIO IV.

NOn loquor hìc de impotentia temporanea, ſed de perpetua, vel ſaltem quæ longo tempore, ut annorum ſpatio perdurat, & quæ aut impoſſibilitatem, aut ſummam difficultatem ſanationis minatur; ea enim quæ ob præſentiam aliquorum morborum cauſatur, & poſt eorum receſſum non multùm durat, in dubium non venit, an Matrimonium dirimere, vel divortio dare cauſam poſſit, cùm in nullo cenſu habeatur, tanquam ſi nunquam adfuiſſet. Jam verò de morbis facientibus impotentiam coëundi, & generandi, nonnulla attuli *lib. 3. tit. 1. quæſt. 4.* peculiarius nunc quædam pertractanda, quæ copulæ carnali impedimento ſunt ob id maximè, quòd penis erectionem prohibeant: ob hoc enim præcipuè vitium matrimonium dirimi permittitur, cùm perpetuum eſt, & remedio caret,

vel

vel ſaltem eſt magna cum difficultate remediabile: Horum autem morborum, quos recenſebimus, unuſquiſque per ſe non ſolùm quando præſens eſt, ſed quando etiam præceſſit poteſt facere maximam: & ſi præſens eſt, indubitatam præſumptionē, ac plenam probationem impotentiæ, ita ut allegante Muliere impotentiam viri, atque afferente cauſam ex morbo aliquo præſenti, aut prægreſſo, qui ex horum, quos recenſebimus, numero habeatur, poſſet facilè Judex in ejus favorem pronuntiare.

1 Primò ergo à capite incipientes, ſciendum quòd, cùm materia ſeminalis magna ex parte à Cerebro proveniat, omnes, ac ſinguli morbi, qui inſigniter ipſum Cerebrum debilitant, & in frigidam intemperiem illud labi faciunt, maximam præſumptionem præbent Impotentiæ coëundi, cùm omninò ejus vigorem proſternant, & materiam optimis ſpiritibus exſpolient ad ſemen procreandum & ad ſtimulos Veneris neceſſariis. Sunt autem morbi hujuſmodi plerumque, ne ſemper dicam, naturâ frigidi: tales ſunt inter omnes Apoplexia, & Paralyſes inſignes, nempè quæ aut totum corpus à capite infrà, aut maxima ex parte, ut univerſam dextram, aut ſiniſtram partem, aut partes omnes infernas à Renibus infrà occupant: nam in his omnibus neceſſe eſt etiam nervos ad genitales partes pertinentes Paralyſi affici, ac reſolvi, nec in poſterum poſſe ſuo officio fungi deferendo ſenſum, & motū ad partes. Sed præ his omnibus Paralyſis ſpecioſa illa in hoc negotio conſiderabilior eſt, quæ ipſas genitales partes obſedit, ut ipſum maximè virile membrum, quæ affectio cùm à morbo ſit non eadem eſt cum ea, de qua ſuperiùs locutus ſum, cum de frigidis primæ ſpeciei verba feci; illa enim eſt ignavia genitalium ob naturalem frigiditatem, hæc autem eſt eorundem ignavia ob ipſius renis, & partium vicinarum paralyſim, & mollificationem: illa ſupponit hominem à Natura impotentem ad coitum, hæc ſupponit hominem ex ſua Natura potentem, à morbo impotentem factum, cujus rei evidentiſſimum ſignum eſt quòd ſi membrum in aquam calidam immittatur, aut etiam manibus laſcivientis Mulieris confricetur, tamen non erigitur, & ut Juven. *Sat.6.* de ſenibus ſermonem habens,

——*Iacet exiguus cum Ramice nervus,*
Et quamvis tota palpetur nocte, jacebit.

Ulterius majus etiam ſignum ejus rei elicitur ex eo, quod ſi immittatur in aquam frigidam, non contrahitur, quia omni ſenſu orbatum eſt, ut evenire etiam exiſtente membro naturaliter ignavo, & impotente ibi dixi ex nonnullorum DD. auctoritate. Sed tamē eſt aliqua differentia inter unam, & aliam impotentiam; nam quæ à natura eſt, nullum ſecum Veneris ſtimulum affert, quia in hac ſemen non producitur ob intenſam frigiditatem; at in Impotentia, quæ à Colis reſolutione advenit, remanet aliquis ſtimulus ad coitum ob ſeminis productionem, quæ ſaltem non in totum abſcinditur, & ſi membrum manibus contrectetur, etiam ſi non erigatur, ſemen aliquatenùs emittitur.

Porrò Paralyſes omnes quamcunq; partem obſideant, curatu ſunt difficillimæ, etiam in ætatibus calidioribus: ſed in declinantibus ſunt omninò inſanabiles, & tantò magis extra omnem ſpem ſanationis exiſtunt, quantò provectiores ſunt: ſed Genitalium Paralyſis præ cæteris magis incurabilis in iis ipſis ætatibus cenſenda, cùm per ipſam jam ætatem partes frigidiores in dies evadant, ac præcipuè nervi, quos Paralyſis occupat, qui cùm ſuâ naturâ frigidi ſint ab ipſa ætate frigidiores fiunt, & omni nativo calore emunguntur, unde ob id ad recipiendam ſanitatem, quod per introductionem temperiei contrariæ fieri debet, omninò fiunt inepti. Itaque cōſtito de Genitalium Paralyſi in homine jam ſene, & multo magis in decrepito, tempus nullum expectādum videtur ad ſententiam ferendam, quia ſanatio non eſt in hujuſmodi morbis, & in hujuſmodi ſubjectis naturaliter poſſibilis: quæ ſanationis impoſſibilitas, & deſperatio multo magis habet locum, quando prædictæ Paralyſes ſuccedunt ad Apoplexiam; ſemper enim fit, aut ſaltem ſecundum plurimum, ut ab Apoplexia ſequatur alicujus, vel aliquarum partium Paralyſis, vel ut meliùs dicam, monſtrificum quid judicatur, quando Apoplexiam nulla nullius partis Paralyſis excipit. Quia tamen aliquādo fit, ut Apoplexia non terminetur ad nervos pertinentes ad partes exteriores, ſed ad nervos partium internarum, & maximè capitis, unde Homines in perpetuam ſurditatem, cæcitatem, fatuitatem; quin & memoriæ omnimodam extinctionem incidunt: in his omnibus caſibus ſemper præſumendum eſt ob ſummam Cerebri refrigerationem, & hujuſmodi Paralyſes, & coëundi impotentiam, ſi qua adeſt, ſucceſſiſſe, & omninò ſine remedio eſſe.

Excipiendæ tamen fortè eſſent Apoplexiæ illæ quæ ab externa cauſa fiunt, ut à fumo carbonum, à vapore vini, aut Ceviſiæ, ab ebrietate, à ſuffocatione in aquis, & aliis id genus cauſis: nam ad has neque tam intenſam refrigerationem ſequi neceſſe eſt, neque eas membrorum reſolutiones, ſeu Paralyſes concitari. Et ratio eſt, quia hujuſmodi Apoplexiæ à cauſa externa excitatæ, facilè diſcuſſa externa cauſa, à qua excitantur, in totum ceſſant: at quæ à cauſa interna fiunt, non ceſſant, niſi ipſa cauſa à parte nobiliore, nempè à Cerebri ventriculis ad ignobiliores tranſmittatur, & quia ea materialis, ac craſſior eſt, non vaporoſa, ut in prædictis, nullo modo diſcuti poteſt, aut reſolvi, ſed in aliquam partem tranſmiſſa Paralyſim excitat non facilè ſuperabilem. Itaque Apoplexiæ hujusmodi, quæ ab externa cauſa procedunt, non facient eam refrigerationis, & ignaviæ præſumptionem, quam facere diximus eas, quæ ab interna originem habent.

Huc pertinent etiam vulnera inſignia capitis, 3
ejuſque vehementes percuſſiones, nam hæc quoque faciunt coitūs impotentiam, ut teſtatur experientia, & habemus caſum apud Valleſc. de Tarant. *l.6. Philonii c.3.* & apud Marcell. Donat. *lib.4. Hiſtor. med. mir. c.18.* ex Rhaſi, Avicenn. & Nicol. licèt enim hujuſmodi Capitis vulnera, & vehementes percuſſiones tandem ſanentur, relinquitur tamen poſt illorum ſanationes ſumma ejus partis debilitas, ac refrigeratio; unde quia caput eſt pars princeps, & univerſum corpus regit, totum etiam corpus debile, & nativo calore depauperatum relinquit, cujus rei ſignum non dubium dabit ipſa coëundi impotentia, quæ quandocunque à prædictis vulneribus, aut vehementibus percuſſionibus, & concuſſionibus jam à multò tempore, vel quandolibet prægreſſis, & jam curatis relinquitur, de ſe omnem ſanationis ſpem in via Naturæ adimit, etiam ſi id eveniſſet in corpore juvenili, ac robuſto, non enim fieri ullo modo poteſt, ut procedente ætate labefactus nativus genitalium calor reviviſcat.

Non minimam quoque occaſionem impotentiæ 4
coitūs dare poteſt aliquarum venarum, & arteriarum ſectio in capite facta, nam plerique Medicorum Hipp. *in lib. de Genit. verſ.3. & lib. de aer. aq. & locis verſ.51. & lib. de loc. in Homine verſ.8.* auctoritatem ſecuti, voluerunt venas, & arterias poſt Aures ſitas, & Juveniles dictas, ſi ſecentur, cicatrice obducta, homines infœcundos facere: & addiderunt alii, etiam virgæ erectionem ad coitum impedire. Et quoad primam partem de infœcunditate multi

aſſentiunt

aſſentiuntur, Avic. *lib. 3. Fen. vigeſimo c. 3.* Lang. *lib. 1. Epiſt. 10.* Holler. *lib. 5. Aphor. 63. in Schol. & ex Jure conſultis*, Tiraq. *de Leg. Connub. l. 15. n. 33.* & alii plerique; licèt, ut ex Proſperi Alpini, & Petri Caſtelli experientiis aliàs dixi, hæc opinio non reſpondeat veritati: quin etiam jam *ſuperiùs* citatus Valleſc. de Tarant. *loc. cit. c. 20.* ex propria experientia ſuppoſitione n hanc irritam fecit: cùm tamen alia ex parte Nicol. Nancell. *in Analog. Microc. ad Macroc. lib. 10. in Problem. de ſemin. Problem. 1.* experientiam adducat Hippocratis ſententiæ mirè faventem: nam homo quidam pauper & egenus, maximè tamen fœcundus, copioſæ prolis, quam frequenter ab uxore habebat, pertæſus, venas prædictas poſt Aures ſibi abſcindendas curavit, & infœcundus in poſterum factus eſt: ſed quid alienas experientias mendicamus, cùm ipſe Hipp. *citato libro de Aer. Aq. & loc. n. eod.* tam evidentes Scytharum experientias adducat, ubi non ſolùm eos per eam ſectionem infœcundos fieri, ſed etiam ad coitum impotentes firmat, ipſosque id vitium ad Deos referre aſſerit, non ad refrigerationem totius per eam ſectionem procuratam, non ſecùs ac de præſenti eveniat, cùm multi ex vitio naturali impotentes, ad maleficium, & ad causâ ſupernaturalem illud referant: & tamè hac Hippocratis viri veritatis amantiſſimi auctoritate non obſtante, ſunt ex Medicis qui non admittunt, hanc ſectionem eò hominem conjicere poſſe, ut etiam virgæ erectionem impediat, & hominem prorsùs impotentem faciat. Hippocrati tamè undequaque adhæret Savonar. *in ſua Pract. magn. tract. 6. c. 20. rubr. 17.* neque hujus Doctoris auctoritas videtur parvifacienda, cum apud Doctos ſit ſatis in pretio. Verùm quomodocunque ſeſe res habeat, dato caſu, quòd aliquis ſuſpectus ſit de impotentia coitûs, & de virgæ ineptitudine ad erectionem, non parvam ejus rei conjecturam ac præſumptionem faceret, ſi conſtaret huic homini venas poſt Aures ſectas fuiſſe, & multò etiam magis ſi ſectæ fuiſſent Arteriæ: quæ conjectura, & præſumptio augeretur, ubi de ſterilitate, & generandi inhabilitate ageretur: quæ conjectura & præſumptio utrobique tantò magis urgeret, quantò copioſior evacuatio ſanguinis facta fuiſſet, licèt neutram impotentiam ab ea ſanguinis effuſione procedere, ſed à cicatrice eo loci relicta intercipiente tranſitum ſpiritibus & ſemini credant, qui Hippocrati adhærent: & videnda à curioſo lectore, quæ ad hanc rem affert Franc. Perl. Calvien. vir diuturniori vita dignus, *in ſuo poliriſſimo comm. in lib. Hipp. de locis in Hom. lib. 1. text. 22.*

5 Sed eandem præſumptionem facere quæcunque larga, & ultra modum facta ſanguinis evacuatio, cùm notabilem corporis refrigerationem inducat: at verò inter omnes maximè notabilis in hoc negotio ea eſſet, quæ fit ex venis, quæ ad interiorem tibiarum partem juxtà malleolos feruntur, ut ex ejuſdem Hipp. *in lib. de loc. in Hom.* auctoritate aliàs dixi, etenim per has venas ſummoperè Renes, & genitales partes refrigerantur, unde facile eſt, earum partium ignaviam, & impotentiam ad coitum ſequi non facilè emendabilem, niſi fortè in ætate florenti, & corpore robuſto, temporis diuturnitate emendationem admitteret. Verùm prudenter admonet etiam citatus Franciſc. Perl. *lib. 1. ſui comm. in Hipp. lib. de loc. in hom. text. 22.* (quod jam nos etiá monuimus) non tantùm hanc, venarum aperitione facta, copioſam ſanguinis miſſionem corpus inſigniter refrigerare, ſed quamcunque ſanguinis excedentem, & immodicam profuſionem id ipſum præſtare, nec ſolùm addam ego, ſectis venis quibuſcunque id evenit, ſed quomodocunque ſanguis aut per ſectas venas aut per vulnera, aut per hæmorrhagias undecûque adveniat, corpus inſigniter refrigeratur, eodemque Impotentiæ vitio, præcipuè infœcunditatis homines afficiuntur: unde ſemper urgebit præſumptio frigiditatis in eo, qui ejuſmodi ſanguinis effuſiones paſſus ex quacunque cauſa fuerit, quæ aut emendabilem, aut inemendabilem ſe oſtendet, pro ſubjecti conditione, & aliis conditionibus concurrentibus, ut jam non ſemel annuimus.

Verùm enim verò non minùs quàm ſanguinis, ſed multò magis corpus nativo calore omni ex parte orbare poteſt, involuntaria veri ſeminis evacuatio, quæ vera Gonorrhœa appellatur, ita ut quandocunque conſtaret, hominem hujuſmodi morbo affici, præſumptio inſurgere facilè debet frigiditatis, & impotentiæ ad coitum: eſt enim hujuſmodi affectio indeſinens materiæ ſeminalis profluvium, ex quo non minùs, quàm ex coitu, ſi per multos dies continuaretur hominem in extremâ debilitatem, & caloris nativi extinctionem labi neceſſe eſt, non quidem de repente, & ſubitò, ut in frequentato ultra modum coitu eveniret, ſed ſenſim ob id, quòd materia illa ſeminalis ſenſim fluit, quod tantò magis urgeret, quantò hæc evacuatio cum aliqua delectatione ſuccederet: quæ tamen non haberent locum in falſa Gonorrhœa, quæ quid ſit, aliàs dictum eſt.

Cæterùm præter vehementes percuſſiones, con- 6
cuſſiones, & vulnera capitis inſignia, nonnullarum etiam partium læſiones id ipſum præſtare ſolent, ut homines ad Venerem impotentes reddant: præcipuè autem Cervicis, ſpinæ Medullaris ac Lumborum attritus, ac vehementes compreſſiones, ob inſignium partium, & maximè genitalium offenſam, earundem partium ignaviam conciliantem: Alex. Bened. *Practica lib. 24. c. 12.* & facit pro Jure conſultis Surd. *de ciſ. 83. n. 10.* ubi vir de quo ibi, determinatur impotens ad generandum ob id maximè quòd in ſpina fuiſſet vulneratus multo antè tempore, & ex propria ipſius confeſſione habetur, quòd poſt illud vulnus factus fuerit inhabilis, ita ut ne propriam quidem uxorem cognoſcere poſſet, *ibid. n. 13.* in quibus caſibus animadvertendum, quòd vitia quæ ob attritionem nervorum, aliarumque partium officio & ſenſu notabilium eveniunt, omni remedio carent, ita ut ſi quiſpiam ſuſpectus impotentiæ coëundi, tales percuſſiones, & nervorum attritiones paſſus fuiſſe probaretur, non eſſet ulterius dubio locus, quòd hujus impotentia nullâm curationem à quavis temporis diuturnitate eſſe acceptura: talium enim partium ſubſtantia quovis modo deperdita, aut labefactata ampliùs in naturalem ſtatum reſtitui non poteſt, quemadmodum poteſt, quando eſt ſimpliciter diſtemperata: nam per contrariam ad naturalem ſtatum temperiem eſt reducibilis.

Sed cùm ſuperiùs dictum ſit, copioſas, ac exceſſivas ſanguinis evacuationes corpus refrigerare, & hominem plerumque ad generandum, atque ad coëundum etiam quandoque impotentem reddere, addendum nunc, quòd non modò prædictæ ſanguinis evacuationes, ſed etiam aliorum humorum, ſi 7
enormes ſint, ac diù durent, eundem effectum poſſint producere, ut aliàs ſuo loco dicetur: nunc autem humorum evacuationes per ſetones, & fonticulos, ſeu cauteria emanantes non carere omni culpa aſſerendum: nam patet experientia, viros quosdam, qui plures fonticulos, aut ſetones in brachiis, aut in cruribus, & maximè in cervice perpetua humorum colluvie manantes geſtant, ad Venerem non modò fieri ſegniores, ſed omni ex parte impotentes: Imò Lud. Mercat. *de ſteril. & pregn. aff. lib. 3. c. 3.* ex cauterio tantùm in occipitio, aut brachio diù geſtato

ſterilitatem excitari firmat, quid ergò ſi plura ſimul geſtentur? Refrigerant certè hæc omnia ſenſibiliter corpus, & abſcindunt Veneris ſtimulos, præcipuè ſi vias à Capite, vel Cerebro ad genitales partes aliquo modo impediant: facerent tamen hæc, ut patet, præſumptionem aliquam adſcititiæ frigiditatis, & tantò majorem quantò vir eſſet provectioris ætatis.

8 Ad cauſas etiam externas impotentiæ reducenda omnia aliarum nobiliorum partium notatu digna, cùm ad omnia de neceſſitate ſequatur impenſa partium refrigeratio, ſi modo, his vulneratis, homo infortunio quodam ſuperſit, nam plerumq; ſolet ſuccumbere: Sed inter partes nobiliores recenſendi in hoc caſu etiam Renes, quorũ vulnera, ſi magna fuerint, genitales partes ſubjectas mirum in modum labefactant, ac refrigerant. Sed & vulnera inſignia, quæ ipſas genitales partes læſerunt, ejus vitii culpã evidentem habent, inter quæ adnumerandũ vulnus in Inguine, & in Perinæo. Valleſc. *l. 6. Philon. c.* 2. qui cum aliis Doctoribus etiam venarum hæmorrhoidalium inciſionem, & apoſtematũ ipſarum, & in radice Virgæ, ac Perinæo ſummopere vicinas partes refrigerando, impotentiã ad coitum inducere poſſe docet: imò experientia conſtare & erectionem ipsã, & coitum in totum abſcindere. Jam verò læſiones hujuſmodi à vulneribus id genus relictas abſq; remedio eſſe quotidiano experimento novimus, nam ſanæ illicò repullulant, ita ex hujuſmodi prægreſſis vulneribus ſi eveniſſe coitûs impotentiam judicaverint Periti, incaſſum à temporis quavis diuturnitate ejus remotionem expectare liceret. Fortè non idem eſſet dicendum de ſetonibus, & cauteriis in collo, vel in aliis etiam partibus: nam, illis ablatis, facilè poſt conveniens tempus natura reſurget, quæ amota refrigerationis cauſa ab illis procedente, magis vegeta reddetur: niſi ſetones geſtati fuiſſent in Scroto, ut in Peſte geſtandos ſuadent aliqui DD. & in Elephantiaſi, & maximè ſi geſtati fuiſſent ad longum tempus: tales enim ſetones ob contiguitatem partium genitalium, intenſam, & non facile ſuperabilem earundem partium frigiditatem accerſere poſſunt: quæ licèt de raro eveniant, non tamen omninò incaſſum de illis verba fiunt, cùm obſervaverim, Canoniſtas de multò rarioribus caſibus aliquando ſeriò verba feciſſe circa hanc materiam.

9 Sed præter Apoplexias, & Paralyſes, omnes morbi frigidi Cerebrum obſidentes (dico morbos magnos non quoſcunq;) ut Lethargus eſt, Caros, Catalepſis, & id genus alii, vim habent inſigniter refrigerandi totum corpus, & genitales præcipuè partes, undè emanare facilè poteſt earundem partium ignavia, & impotentia ad coitum: quia tamen hujuſmodi morbi aut citò hominẽ de medio tollunt, aut non ad longum tempus protrahuntur, non facient fortè impotentiã perpetuam, ſed tantùm ad tempus, niſi in homine jam ſene, & declinantis ætatis, in his enim ſi aliæ adſint conjecturæ frigiditatis, non poſtremum hæc locum habebit, tales enim morbi in his ætatibus nempè declinantibus prægreſſi facient impotentiæ præſumptionem non undequaque dubiam. Id ipſum præterea operabuntur morbi, qui cor, ſtomachum, hepar ſua frigida intemperie infeſtabunt: nam ſi cor frigidius ſit, quàm oporteat, non eſt ſufficiens ad excitandum ſpiritum erigentem demandandum ad genitale membrum: eodem quoque pacto Hepar ſive à Natura, ſive ab accidenti in exceſſum frigiditatis lapſum, non poteſt generare materiam convenientem, ex qua generetur ſperma, cujus ſtimulis homo in Venerem accendatur. Sic etiã ubi ſtomachus frigiditate nimia torpeat, multæ ob impeditam coctionem generantur cruditates, ſanguinem infrigidantes, & calorem naturalem obruentes, ipſumq; ſemen extinguentes. Sed hæc altiori ſpeculatione egent, neque magnam præſumptionem impotentiæ facient, niſi evidentibus, ſenſibilibuſque ſignis innoteſcent, & aliis non levibus conjecturis, ac præſumptionibus aſſocientur. 10

Magis in promptu erit conjectura, quæ deſumi poterit à quibusdam morbis, cum præſentes ſunt, ut eſſet Hydrops Pulmonis, Cachexia, Aqua intercus cujuſcunque generis, & hujus farinæ alii, quibus præſentibus, & aliis adminiculis collimantibus, dubitari omninò debet de impotentia copulæ ob frigiditatem ab his morbis introductam: de qua impotentia tale judicium ferre poſſumus, quòd nullo modo, aut difficillimè in robuſtiori ætate ſit curabilis, in declinanti autem res acta ſit, cùm extrã omnem ſpem ſanationis exiſtat.

Jam verò ſuperiùs annuimus, quòd omnes, & 11
quæcunque evacuationes exceſſivæ ſuperfluentes, ac diuturnæ, aut ſanguinis, aut humorum, corpus inſigniter debilitando, ac refrigerando, poſſunt dare maximam occaſionem Impotentiæ Venereorum, & præter eas, quæ ab Arte fiunt, ex quibus interdum Hypercatarſis, & ſuperpurgatio ſuccedit, illæ maximè evacuationes in hoc culpandæ, quæ à morbis, & ab internis cauſis originẽ habent, & præcipuè quæ diuturnæ exiſtunt, ut omnes fluxus ventris ſpecies ſunt, Diarrhæticus nempè, Dyſſentericus, Lientericus, Hepaticus, Cerebralis, & id genus alii, ad hos enim non modò ſimplex caloris nativi partium principum refrigeratio, ſed omnimoda enervatio, & annihilatio ſuccedit, unde conclamatæ Cachexiæ, Aquæ intercutes, tumores œdematoſi, ac pleraque alia mala pullulare ſolẽt, ac tandem mors. Præcedentibus ergo hujuſmodi fluxibus, & exiſtente homine de impotentia ſuſpecto, facilè erit inde elicere non dubiam præſumptionem ejuſdem impotentiæ. Nec minoris momenti erunt Tumores quicunque œdematoſi jam nominati, aut leproſi quamcunque partẽ corporis occupaverint, & maximè nobiliores, ſi magni ſint, & curationem reſpuere exiſtimentur, nam & hi nativi caloris ſummam imbecillitatem portendunt, qui, ad ſuum priſtinum vigorem nullo Artis ingenio remeare poſſint: unde quamvis Rota *in Senen. Matrimonii 1596. cor. Plato, n.* 4. dixerit, Aperturam (hoc eſt Herniam non impedire coitum) tamen Herniæ omnes magnæ, ſed præcipuè aquoſæ, Hydroceles Græcis dictæ, non ſolùm quia caloris nativi pauperiem atteſtantur in toto, ſed etiã quia maximè genitalibus ſunt infeſti, coitum, & erectionem impedire poſſunt; præter quam quod ipſe Tumor, ubi inſignis eſt, non permittit hominem copula carnali uti: nam etiamſi membri erectio fiat, membrorum conjunctionem prohiberet: quàm etiã, & fortè multò magis impedit exuberans ventris inferioris pinguedo, quæ (id quod magis notabile eſt) abſque ullo remedio eſt, cùm pateat apud Artis peritos, non modò difficillimum, ſed penè impoſſibile ſaltem abſque vitæ periculo eſſe, pinguia corpora medicamentis extenuare, non obſtante quòd Practici plura ad hanc operationem proponant, quæ aut incaſſum in uſum protrahuntur, aut non ſine vitæ diſcrimine, ut ipſa experientia nos admonere poteſt. Non injuria autem inter morbos copulam carnalem impedientes adnumeravimus exuberantem Abdominis pinguedinem: nam profectò & ad multa alia, & ad coitum impedimento eſt: non enim corpora abſque exuperante frigiditate in tantam molem attolli cenſendum eſt, & idcircò ea ſegniora eſſe ad coitum, quàm minus pinguia, experientia quotidiana palam fit. 12 13

Denique

Denique eos, qui potionati fuerunt, & non ſine magna, ac multa difficultate evaſerint, impensè refrigerari neceſſe eſt, quod non verificatur ſolùm quandò venena fuerint frigida, ſed etiam ſi fuerint naturæ calidæ,imò calidiſſimæ:nam frigida calorē naturalē ſuffocant,& extinguunt, & calida eundem calorem diſſipant, & evaneſcere faciunt;unde tam qui frigidis,quàm qui calidis venenis potionati fuerint,& ab iis ſeſe non ſine magno negotio vindicaverint,ac tempore longo, habebunt ſecum præſumptionem impotentiæ ex frigiditate à venenis introducta originem habentis. Illud tamen detrectari nō poſſet,majorem impotentiæ præſumptionem facere, ubi homo potionatus fuerit veneno frigido, quàm ſi potionatus eſſet calido:eſt enim magis aptum venenum frigidum ex natura ſua ad extinguendū naturalem calorem.Atq;ea ratione fit ut Luſitani nonnulli qui opii uſui aſſuefacere ſe voluerunt, non ſolùm ſteriles, ſed etiam impotentes facti ſint, ita teſtantur Garzia ab Horto,*lib.1.Hiſt.Arom.c.* 4.

SUMMARIUM.

1 *Copulæ impedimentum in Muliere unicum conſideratum.*
2 *Mulieres non ſecus ac Viri poſſunt eſſe ſua natura frigida.*
3 *Claſſura in Mulieribus non ſolùm fit ab Hymene ſed ab aliena membrana interdum præternaturali.*
4 *Clauſura uteri non eſt ſemper unius generis.*
5 *Coalitus labiorum uteri impedit coitum, & eſt quid diverſum ab occluſione à membrana facta.*
6 *Occluſio uteri quandoque à carne præternaturam inibi enata fit.*
7 *Anguſtia orificii ipſius vulvæ quando ſit juſta cauſa diſſolutionis Matrimonii.*
8 *Pudendi muliebris amplitudo an poſſit præbere cauſam diſſolvendi matrimonium.*
9 *Mentula muliebris quando debeat præbere cauſam dirimendi matrimonium.*
10 *Uteri exitus quando ſit cauſa diſſolvendi matrimonium*
11 *Uteri apoſtemata quæ, & quandò cauſam præbeant dirimendi matrimonium.*
12 *Uteri ulcera quæ, & quando diſſolvendi matrimonium cauſa eſſe poſſint.*
13 *Uteri fluxus duplex,& quinam, ac quando poſſit matrimonium diſſolutioni cauſam præbere.*
14 *Fluxus menſtruus, & fluor muliebris quomodo differant.*
15 *Nimia mulieris pinguedo, an, & quando poſſit dare cauſam diſſolvendi Matrimonium.*

De impedimento coitūs ex parte Mulieris.

QUÆSTIO V.

1 UNicum coitūs impedimētum in Muliere agnoverunt Canoniſtæ(nam præteribo impedimentum ab ætate teneriori proveniens,de quo nihil novi dicendum offertur)quibus aſſentitur ex Medicis Hier.Mercur.*lib.4.de morb. mul.c.*10. de quo tamen miratus ſum,quanam ratione adſtruerit,in Mulieribus non dari morbum in defectu deſiderii coitūs: quod quidem undequaque falſum videtur,cùm ipſa
2 experientia edoceat,ut dixi aliàs,*li.3.hūr.Quæſt.tit.1. q.5. n.*31. Mulieres non ſecùs, ac viros poſſe eſſe à Natura frigidas, non tantùm qui nullo Veneris ſtimulo teneantur,ſed neque ullum ſemen intra ſe generent cujus ſtimulis ad cōitum agantur, quemadmodum de viris evenire palam eſt: & quam mihi cauſam aſſignabit ſuæ aſſertionis Mercurialis, cur non poſſit in hoc Natura deficere in muliere, ut in viro? & cum Mercuriali etiam eſſe in eodem errore videntur omnes Canoniſtæ,quorum communis opinio eſt,frigiditatem reddentem conjugem ad coitū impotentem ſoli viro accidere: niſi eorum dictum ita interpretemur,ut non detur frigiditas impediens mulierem ad patiendum, ut datur in viro impediens illum ad agendum.Et tamen non extra poſſibilitatem eſt,ita frigidas naſci fœminas,ut virum nequaquam admittere poſſint,coarctante ipſa frigiditate muliebria loca. Unde fortè non bene redarguitur à Sanchez *de Matrimon.lib.7.diſp.92.ſub n.*1. Anton.*c.ſin.n.6.verſ.hæc doctrina de frig.& Malef.*& ibi Præpoſ.*n.5.verſ. quaro generaliter*, dum refutat eorum opinionem nolentium poſſe in fœminā reperire frigiditatem, matrimonium dirimentem.

Sed ab Auctoribus nonnullis non ſolùm contrariam communi Canoniſtarum opinionem tenetur, ſed etiam plura ſigna traduntur hujus frigiditatis in Muliere: inter quos ea multa diligentia percurrit Ulmus Patav.*in utero mul.c.*5.ubi nōnulla habet ab aliis non animadverſa, & oſcitanter prætermiſſa: præcipuè autem, ut hoc obiter dicam, particulam quandam obſervavit in Mulieris ſuperiori labello, nempè lanuginem quandam,quam ille Gynecomyſtacem,hoc eſt Myſtacē muliebrem, appellat, quam ad dignoſcendam uteri temperiem maximam prærogativam habere inculcat, ſed hoc ex abundanti. Prætereà Fœlix Plat.*lib.1. Obſer.rubr. Ven.extimēt.in aliquibus Mulier.ſit in nat.Vener.def.* duas Hiſtorias nobilium fœminarum recenſet, quæ nullo ſenſu in coitu afficiebantur, nec unquam ſcivêre, quid eſſet ſemen emittere, unde ambæ ſteriles fuerunt.Verùm & de hoc ipſo ſymptomate,nempè de Veneris appetitu extincto in Mulieribus, de ejuſq;cauſis,& cura verba facit præ aliis Den. Sennert. *lib.4.Pract.tract. 2.ſect.3.c.*1. inter quas cauſas adnumerat deficientiā ſeminis, quæ ſatis per ſe demonſtrat, tales fœminas eſſe ex natura nō minùs, ac nonnulli viri ſint,frigidas,nec ideò ad Venerem ullo modo ſtimulari, nec ullo ejus deſiderio teneri, & in ſumma eadem ratio perſuadet,ipſa eadem vitia,quæ ſeminis generationem, & Veneris ſtimulum impediunt in viris,habere locum in fœminis: undè manifeſtè elicit, veram non eſſe Mercurialis ſententiam, quòd in fœminis non poſſit dari defectus deſiderii coitūs:illud tantùm verū eſt aliqua ex parte, non dari in illis impotentiam admittendi coitum, & ſe cum viris commiſcendi (quod nullo modo eadem res eſt)præterquam ex uteri clauſura,quomodocunque fiat,vel ex frigiditate coarctante vias, vel ex alia cauſa membranæ interſepientis:quam ſolam, ut dixi,agnoverunt Canoniſtæ in Muliere pro cauſa impedimenti copulæ carnalis:& quæ etiam à ſumma frigiditate coarctante loca muliebria evenire poſſet, quod tamen impedimentum, cùm ſit difficilis,imò impoſſibilis cognitionis, ut Ant.& Præpoſ.apud Sanchez, *ubi ſupra*, dicebant,& ſit eventu maximè rarum, in conſideratione non habuerunt Canoniſtæ, qui tamen determinare debuiſſent,an probata vera frigiditate Mulieris,ut in caſibus propoſitis,licèt virum admittat, tamen vir cauſam juſtam habeat dirimendi matrimonium, credóq;eos in partem negativam abituros,ſtante quod licèt per eam frigiditatem impediatur filiorum procreatio,non impediuntur alia bona ex matrimonio provenientia:quare non videretur ſequi ex hoc,quod mulieris ſemen ſit ad generationem neceſſarium,ubi ſemen non generaret, illa ſit incapax matrimonii, ut dicebat ſequi Sanchez, *cit.lib.7.de Matrim.diſp.92.n.*9.& tamen ſi matrimonium irritatur,ſi vir ſemen non generet, quid cauſæ eſſe poteſt,quin etiam mulier ſemen non generans irritet matrimonium? ac profectò conjuges fieri unam carnem non accipient Medici pro eo, quod eſt ſimpliciter conjungi, ſed utriuſque ſemen per coitum commiſceri.

Sed circa eam Canoniſtarum opinionem volentium ſolam clauſuram in Muliere eſſe cauſam impedimenti copulæ carnalis,nonnulla mihi animad-

vertenda ſunt,quæ aliàs dum hanc ipſam materiam exagitarem,prætermiſſa fortuitò fuerunt.

Dico ergo primò,quòd inſpectio Mulieris ad explorandum, an vir ſit impotens ad coëundum:cum ea poteſt ita eſſe certa,ut nullum in ea re dubiũ interveniat contra id, quod exiſtimavit Rota *in Rom. Invaliditatis Matrim.* 1605. *cor. Penia.* Nam data anguſtia non naturali ipſius uteri,illicò patebit virum eſſe impotentẽ ad congrediendũ cum tali muliere.

Dico ſecundò, quod coitûs impedimentum con- 3
ſideratum à Canoniſtis in muliere ob uteri clauſuram, non ſemper eſt ob duritiem, & craſſitiem ejus partis, quæ Hymen dicitur,& quæ Eugium à nonnullis nominatur:nam & hæc ipſa pars,licèt naturaliter in Virginibus reperiatur, ut contra omnium Anatomicorum præcedentium, ac præcipuè modernorum ſententiam oſtendit Joan. Veſling. *in ſuo ſyntagm. Anatom. cap.* 7. cui aſſentiri etiam videtur Neotericus Melch.Lebit. *in libell. de nat. Virgin.* tamen aliquando calloſa duritie rigida arietantis Penis impetum illæſa ſuſtinet,ut idem Veſling.addit, & tunc fit unum clauſuræ genus ex duritie prædictæ membranæ:ſed aliud genus clauſuræ fit interdum, ſed rariùs, ab alia quadam membrana præternaturali, ut etiam Medici omnes fatentur, quæ in paucis quidem reperitur,quia,ut dixi, res præternaturalis eſt:unde aliqui Medicorum hanc pro ipſo,ac vero Hymene accipientes, ſeriò contendentes firmarunt,Hymenem in paucis virginibus reperiri, & eſſe quid potiùs morboſum, quàm naturale.

Dico Tertiò, quòd coitus in muliere aliis quoq; 4
ex cauſis impediri poteſt,quàm ab Hymene,ut deinceps oſtendam : pro nunc verò de uteri occluſione ſermonem inſtituens, ſciendum, eam non eſſe unius generis,neque ſemper ejuſdem impedimenti,aut periculi:nam fieri poteſt,ut annuimus, à membrana,à carne,& coalitu labiorum,ſive parietum ipſius uteri, ut diligenter proſequitur Moſchio *de morb. mul. c.* 15. *in Harmonia Gynecior. p. poſter.* Membrana igitur(loquor autem ſemper hic de membrana præternaturali,non de Hymene)aut erit tenuis, aut craſſa, & carnoſa,aut erit perforata,aut non;aut erit poſita interiùs verſus internum uteri oſculum, aut in medio colli uterini, aut propè os externum:nam hæ omnes differentiæ multùm faciunt ad determinandum, quænam occluſio curabilis ſit,quæ verò incurabilis; item quæ facilè, quæ difficulter,& non ſine aliquo vitæ diſcrimine poſſit curari : ac de his omnibus differentiis videndi ultra recentiores,Celſ. *ſua Med lib.*7 *c.*28,Aëtius *Tetrab.*4. *ſerm.*44. 96. Paulus *lib.*6. *ſua Med.c.*73.Albuc.*lib.*2.*c.*72.Sed inter recentiores vide quæ affert Franc.Ranch. *de morb.Virgin. ſect.*3.*c.*1.Igitur quò craſſior hæc membrana eſt,quò altiùs poſita, quò magis clauſa, & nullo foramine prædita,eò magis incurabilis, imò nullo modo curabilis. Quò tenuior ergo eſt, quò inferiùs poſita, quò magis pervia,eò faciliùs & minori cum periculo curabilis;quæ verò medio modo ſe habet,mediocriter etiam periculo, & curationis difficultati eſt obnoxia. Quoad coitûs autem impedimentum, quæ altiùs poſita eſt, licèt faciliùs irruentem Penem excipiat,interdum ob nimiam remotionem ab ore externo non tã facilè illi cedit,cùm ad eam pervenire,ſi brevior ſit, vix poſſit, atq;verſus exteriora diſtenditur, & faciliùs impetum arietantis membri excipit:ſed in priori caſu non impeditur aliquandò ſponſus matrimonium conſummare, quia membrũ intromittendo in vas, & ſemen ejaculando, licèt membrana non diſrumpatur, conſummatur matrimonium,ut aliàs dixi,ita ut ſponſa,etiam non diſrupta ea membrana,concipere poſſit,ſi aliquo,vel plurimis foraminibus ſit pervia : unde Hippocrates: *Quibus*, inquit, *uteri oſculum occluſum eſt, aut non concipiunt, aut ſi concipiant, in partu pereunt* : quod tamen non habere ſemper veritatem ipſa experientia edocuit, cùm aliquæ Mulieres hoc impedimentum habentes,& concipientes,in ipſo partûs conatu membranam diſruperint, & fœliciter parientes ſeſe ab eo impedimento extricaverint,ut patet in exemplis recenſitis à Schenck.*lib.*4. *Obſ.tit. de part. genit. mul.rubr.de Atret.*& à Jo. Riol.*lib.* 2. *Anthropograph. c.*31.Sed & aliàs Chirurgica manu diſrupta ea mẽbrana in ipſa partûs difficultate mulieres ab Orci faucibus liberatæ ſunt, ut eſt geminus caſus apud Zacut.Luſit. *lib. Prakt.admir.obſ.*134. aliumq;ſimilem caſum retuli in principio hujus tractationis ex Guilelm.Fabrit.*lib* 1.*Obſ.cent.*3.*obſ.*6.*exempl.*2. Sed cùm de his aliàs locutus ſim,ſuperfluum eſt eadem repetere : Itaque conſiderandum præter allata, & alia, & de præſenti,an alia impedimenta coitûs dari poſſint ex parte mulieris, ac dicendum,plura impedimenta id genus dari poſſe.

Et primò de coalitu labiorum,vel parietum uteri 5
aliquid dicendum,de quo etiam Ariſt.*lib.*10.*de hiſt. Anim.text.*35.meminit. Hoc vitium diverſum quid procul dubio eſt à membrana uterum concludente, unde Canoniſtæ, qui de membranæ occluſione verba fecerunt, de hoc uteri coalitu ne verbum quidẽ quantùm ego obſervare potui. Hic autem uteri coalitus,vel coaleſcentia,vel ſymphiſis à natura in aliquibus eſt,ut mox ex Ariſtot. notavi *de Hiſt.Anim.* cui auctoritati aliam ex *lib.de Gener.Anim.c.*4.addo, & de eo etiam mentionem habent ejus curationem docẽtes,Moſchio *de morb.mul.c.*15.quod eſt *de Atretis,ſive de mulier.clauſ.in Harmonia Gyn. part. poſter.* Avic.*lib.*3.*Can.Fen.*21.*tract.*4.*c.*1. Jo.Huch.*lib.*2.*de ſteril.rubr.de Anguſtia*, & *obturat.colli,uter.* Sed & à morbo fieri poſſe talem coalitum plura exempla commonſtrant, non obſtante quòd Scalig.*in prædic.* Ariſt.*text.*35.*de Hiſt.Anim.li.*10.id fieri poſſe neget, ſed magis expertis Medicis eſt credendum. Porrò hic coalitus aliquando medicabilis eſt, aliquando verò nequaquam, tradente eodem Ariſtot. *loc.cit.de Gener. Anim.*imò in nonnullis ſponte ſanatur, in aliis mortem accerſit,cum aut per vim diſrumperetur, inducta inflammatione, aut diſrumpi nõ poſſet. Jam verò & à morbo fieri hanc coaleſcentiam dictũ, & patet per Hiſtorias recollectas à Schenck. *lib.*4. *Obſ.tit. de part. Genit.mul.rubr.de Atretis*,& ſignanter per illam, quam ex Bennivenio refert mulieris Gallico morbo laborantis,& vulvam eroſam habentis, quæ ob ſiniſtram curationem in prænominatum coalitum lapſa eſt: ubi & alteram Hiſtoriam habes alterius mulieris,quæ cùm poſt partum medicamentis validè adſtringentibus ellet uſa,ita coaleſcere uteri parietes in cauſa fuit, ut ampliùs virum nullo modo admittere potuit. Quin etiam Bernard.Gord.*in Lil.partic.*5.*c.*14. narrabat, mulierem quandam in vulva vulneratam, ac vulnere cicatrizato, uteri coalitu ſecuto, non potuiſſe Venere uti, & ob eam rem curationem non admittere.

Licèt autem Canoniſtæ ex eo,quod nõ fuerint in 6
re Medica valdè verſati,de his impedimentis nõ habuerint mentionem, credendum tamen eſt,illos hæc omnia impedimenta ſub illo uno comprehendiſſe, quod ab Hymenis membrana aliquando fieri narrarunt:nobis tamen unumquodque eorum ab eo diverſificari ſcimus, multumque periculo, inſanabilitate & curationis difficultate & exitu differre.

Cæterùm, impedimentum, quod à carne occlu- 7
denti uteri meatum evenit, non minoris conſiderationis eſſe, quàm quod provenit à quacunque membrana,certum eſt,niſi quòd circa curationis periculum voluerint plerique carnem facilius amoveri, quàm membranam, cùm tamen Moſchio *cit. lib. de morb.mul.c.*20.cõtrarium omninò aſſerat: illi timent nimium

nimium membranæ ſenſum, hic hæmorragiam, & carnis renaſcentiam: ſed hoc determinandum cenſeo juxta qualitatem, ſubſtantiam, poſitum, & alias conditiones membranæ, aut carnis: nam quis non videt, tenuem membranam, nervis denudatam, & commodo loco poſitam faciliùs, ac tutiùs removeri poſſe, quàm carnem duram, ac venis refertam, & altiùs ſitam? Sed ſi ſimpliciter interrogetur, utrùm ſimplex caro, aut ſimplex membrana ſit faciliùs, ac tutiùs amovibilis, ego quidē Moſchii ſententiæ adhærerem, maximè quia magis præter naturam videtur excreſcens caro in uteri collo, quàm membrana.

7 Prædicta præterea impedimenta in ipſo uteri collo ut plurimum fiunt, quod ſequitur, reſpicit foramen ipſius vulvæ, & eſt ipſius anguſtia, quæ aliquando tanta eſt, ut impediat Penis etiam mediocris intromiſſionem, cujus anguſtiæ exemplum habemus apud Nic. *Serm. 7. tract. 3. c. 35. Cognovi*, inquit, *Puellam quindecim annorum aſpectu pulchram, cujus foramen vulvæ erat in quantitate unius parvi denarii.* Et Reald. Columb. *ſuæ Anatom. lib. 15.* teſtatur Mulierculam quandam Hermaphroditam ita anguſtum habuiſſe vulvæ orificium, ut minimi digiti apicem vix admitteret. Scaliger quoq; relatus à Schenck. *ubi ſupra in comm. lib. 10. de Hiſt. Anim. text. 35.* refert, notam ſibi fuiſſe Mulierem quandam ex inceſto natam concubitu, quæ aditu carebat ad coitum accommodato, nam perpuſillo, perq; anguſto foramine ad urinæ vix uſum perviū habebat inguen. Hæc igitur tam excedens anguſtia orificii ipſius vulvæ quandocunq; in aliqua ſponſa ſe prodeat, multò fortè magis, quàm ſuprà relata impedimẽ a poſſet dare cauſam diſſolutioni Matrimonii, non expectato ullo temporis ſpatio: nam licèt à Medicis nonnulla ad dilatandas tam anguſtas vulvæ vias proponantur, inter quos vide, ſi libet, Franc. Ranch. *de morb. Virg. ſect. 3. c. 2.* tamen ut Io. Hucher. *de ſteril. lib. 2. in propria rub. de Anguſt. cervic. pudendi.* dicebat, opera, & oleo in eo opere Medicus abutitur, cùm talis anguſtia præternaturalis incurabilis fere ſit. Tota autem ſpes curationis ſita eſt in applicatione remediorum emollientium, ac relaxantium, poſt quorum diuturnum uſum, leni, ac blando coitu tentandum opus, ſin minùs ſuccedat ex utero, intrudenda jubent Doctores peſſaria ab initio quidem minora, ſenſimque eorum molem eſſe augendam, quouſque orificium dilatetur, & virile membrū admittat, ſed hæc in teneriori ætate vix aliquid opis afferrent, nam in annoſiori in caſſum omnia tentarētur: ſed neq; in ætate teneriori multum temporis in cura inſumendum eſſe, nam niſi ipſa cura benè procederet quodam determinato tempore, ut per bimeſtre, aut trimeſtre ſpatium, fruſtrà diurnior terminus expectaretur, quin ex mea ſententia matrimonium diſſolvi ſaltem ad ſummum poſt anni dimidium poſſet, occaleſcentibus in dies ipſis partibus, & ad dilatationem inceptioribus factis.

8 Contrarius huic affectus eſt vulvæ amplitudo, qui non videretur poſſe ullum impedimentum præbere copulæ carnali, cùm tamē non ſit ab omni culpa immunis, maximè ſi vir exili membro dotaretur, tunc enim omnis copulæ carnalis delectatio ceſſaret, quin, inquam ego, in cauſa eſſe poteſt, ne vir ob averſionem, & ob cujuſcunq; delectationis abſentiam, membrum arrigere poſſet: quibus addo, quòd poſſet etiam impedire ne ſponſam devirginare poſſet diſrumpendo ſignaculum Virginitatis, quodcunque tandem illud ſit. Hoc tamen vitium emendari non magno negotio poteſt, cùm quotidiana experientia doceat, muliebre pudendum magnoperè in partu, ac frequenter dilatatum, ex ſe ipſo, vel ex Artis præſidiis non ſolùm ad priſtinam, & naturalem anguſtiam, ſed ad majorem reduci: quin Mulieres nonnullæ, hujus adſtrictionis recuperandæ à partu nimis ſtudioſæ, cum maximè adſtringentibus medicamentis intemperanter uſæ fuiſſent, in tantam vulvæ anguſtiam lapſæ ſunt, ut non potuerint in futurum virum admittere, ut ex caſu paret ſuperiùs ex Benivenio relato, & alio relato à Schenck. ex Mercurial. *li. 4 de morb. mul. c. 4.* unde cùm ad hoc impedimentum, qualecunq; ſit, præſto ſint & ad manus remedia, non fruſtrà adhiberi ſolita, nullus dubitationi locus relinquitur. Quamobrem miratus ſum quod Fortun. Fidel. *lib. 2. de Relat. Med. c. 2.* voluerit hoc vitium, ſi à natura ſit, eſſe incurabile, Hipp. *in li. de ſteril.* auctoritatem producens, ubi Hippocrates fatetur quidem non concipere mulierem; ſi uteri magis quam conveniat, hiarint, ſed non dicit eſſe ſine remedio.

Verum enim verò præter ſuperiora copulæ impedimenta, quæ quidem coincidunt cum clauſura & arctatione uteri: alia nonnulla non minimi momenti obſervari poſſunt: & primò ſcimus in muliebri 9
utero particulam quandam reperiri, quæ Clitoris, Tentigo, Nympha, Mentula, aut virga muliebris, & Cauda (unde fœminæ caudatæ) nominatur, proportione reſpondens membro virili, nam & ſuos muſculos, & nervulos habet, & alias interdum particulas, etiam ipſam glandem præputio obtectam, qualem ipſa Mentula virilis habet: hæc ergò pars in nōnullis Mulieribus ita excreſcit, ut coitum undequaque impediat, non potente vulva ob ejus obſtaculū Penem admittere, quod non modò evenit cùm ex ſe, ad Venerem muliere irritata, excreſcit, ſed etiam abſque illa intumeſcentia, licèt multò magis cùm erecta induratur, ut nonnullis evenire ipſa experientia docuit, & teſtantur etiam Practic Io. Hucher. *lib. 2. de ſteril. in propria rubr. de Clitor.* Dan. Sennert. *lib. 4. Pract. part. 1. c. 2.* Quod in tantum veritatem habet, ut quædam fœminæ ea particula dotatæ alias fœminas calcare, & cum illis coitu delectari conſueverint, unde hoc vitium à Moſch. *de morb. mul. c. 18. in Harmon. Gynec. par. poſter.* vocatum eſt, *Symptoma turpitudinis.* Tametſi verò impedimentum hoc non omninò ſit incurabile, non caret tamen multa difficultate, & periculo, quod ut plurimum verificatur, nam interdum nullo modo eſt curabile, ut patet exemplis, & habemus apud Fœlic. Plat. *lib. 1. obſerv.* relatam etiam à Schenck. *loc. cit.* Hiſtoriam cujuſdā Matronæ hujuſmodi Clitoris exigui excreſcentiâ moleſtatæ, quam cum Platerus curandam ſuſcepiſſet, ab incepta deſiſtendum illi fuit ob imminens magnorum ſymptomatum periculum. Itaque quandocunq; ſimilis nobis caſus offeratur, videant Caniſtæ quid ſit determinandum; nam ex re ipſa patet, matrimonium cum tali impedimento validum eſſe non poſſe, præſertim ſi amovibile non ſit. Quanam autem ratione amoveri poſſit, docet ex veteſtioribus Aëtius *lib. 4. ſerm. c. 103.* & nonnulli etiam Recentiores.

Sed & uteri exitum, qui non adeò infrequenter 10
miſellas Mulieres exercet, coitum omninò impedire palam eſt, niſi ad locum ſuum reducatur: nam aliquando ita deſcendit extra vulvam, ut ad dimidium coxarum, & aliquando ad genua uſq; perveniat: licèt autē hoc rariùs eveniat, ut tantoperè foras emineat, tamen quomodocunque foras ſe prodat (nam aliquando velut ovum in ipſius vulvæ orificio tantùm prominet) ſemper coitum impedire non eſt dubium, quouſque in eo ſitu manet. Et profectò conſiderabile maximè eſt hoc impedimentum, præcipuè in Mulieribus ætate provectioribus, in quibus

morbus hic non solùm difficillimè curam admittit, sed si quando curetur, facili negotio revertitur; in Iuvenculis autem si citò adjutrices manus adhibeantur, curationem faciliùs admittit, si verò curatio negligentiâ prætereatur, difficilior multò evadit.

11 Sed in senioribus quoque Recentiorum Medicorum industria curationem fœlici cum successu molita est, nisi quid majus obstet, dico ubi simpliciter uterus foras prosiliat absque eo quod tumore, apostemate, inflammatione, ulceribus, aut alio quocunq; morbo ejus restitutionē impediente molestetur. Ea autem cura fit, utero ad locū suum eā diligentia impulso, quam desiderat Ambr. Paræus *suæ chirurg. lib.* 23. *c.*41. pessaria quædam cerea, vel ex subere intro in uterum immittuntur, ita ut uteri, hoc est corporis ipsius uteri cavitate excipiantur: quæ pessaria innoxiè, & absq; ullo vel coitus, vel conceptionis impedimento gestantur, nunquam tamen removenda. De hac curatione præ cæteris videndus Franc. Rousset. *de Part. Cæs. sect.* 6. *c.* 3. *& seqq.* Sed etiam absq; hujusmodi Pessariorū usu, ubi Mulier possit pro libitu ad suum locum uterum reponere, nō prohiberetur virū admittere, & concipere, Fœlix Plater. *suæ Pract. lib.* 1. *tract.* 3. *c.* 2. Itaq; coëundi impedimentū viget tantùm cum remeare in suum locum uterus non potest, ita ut aliquando corrumpatur, & nisi abscindatur, totum corpus corrumpit, & hominē perimit: abscindi autem posse absq; vitæ dispendio docet idem Rousset. *loc. cit.* qui etiam experientias nonnullas adducit, quod mirum videri non debet, si in Brutis uterus penitùs abscinditur absque ullo vitæ discrimine, ut ipse Rousset. testatur *ib. sect.* 5. *c.* 1. Sed num sufficiēs erit hoc vitiū ad Matrimonii non consummati dissolutionem? hoc nō haberet dubium quandocunq; vel ex se, vel ex Artis industria posset ullo modo uterus in suum locū reponi, & tunc esset expectandum conveniens tempus, in quo Mulier ea præsidia experiretur, quæ à morbo requiruntur, quibus si frustrà usa jam esset, & de sanatione nulla spes remaneret, non esset dubio locus, quòd Matrimonium non consummatum esset dirimendum.

12 Verùm adhuc plerisq; aliis morbis uterus molestatur, qui copulæ carnali impedimentum præbent, ut sunt Apostemata omnia ipsius Matricis, quæ maximè collum ipsius occupant: & licèt nō omnia sunt ejusdem naturæ, quia neque omnia ab eodē humore dependentiā habent, neq; omnino unius conditionis sunt, omnia tamen coitum impedire possunt & omnia secum habent maximā curationis difficultatem: ea tamen incurabilia omninò sunt, quæ dura, Skirrosa, & cancerosa existunt: habent enim hæc talem repugnantiam curationis, ut ea non curare meliùs sit, nam si curentur, citiùs mulieres interimunt, juxtà Hipp. *lib.* 5. *Aph.* sententiā, cum de cancris occultis verba facit. Cùm igitur hæc talis naturæ Apostemata cervicem etiam uteri obsidēt, mulieres virum admittere nequaquam possunt, & cum sint extra omnē spem sanationis, videretur secundùm Canonistarum decreta præbere ea justam causam dissolvendi Matrimonium, ubi illud consummare non permiserint.

Eadem consideratio de uteri ulceribus haberi potest, quæ quidem omnia pravæ naturæ sunt, & difficillimæ, ne impossibilis dicam, curationis ob ipsam uteri naturā: sed si quando cacoēthiam, hoc est malignitatem induerint, quam plerumque induunt, & cancerosa evadunt, certum est non nisi ex miraculo curari posse, habentq; eandem curationis repugnantiam, imò fortè multò majorem, quam habent ipsa Carcinomata, aut Apostemata cancerosa: unde eadem quoque ratione de his determinandum, quandocunq; ipsam uteri cervicem, vel collum obsederint: non possunt enim mulieres præ dolore virum admittere, si possent, quis hominum est qui cum hujusmodi muliere coire in animū inducat suum? nam non modò omni coitūs delectamento hominē privari oporteret, sed etiam mirum in modum inquinari, ac non aspernando morbo infici. Multò majorem ergo causam ad Matrimonium dirimendum, vel ad divortium faciendum darent hujusmodi ulcera, quam dare diximus Apostemata Cancerosa, si modò in principio Matrimonii, imò, inquam, antè consummatum Matrimonium mulier his ulceribus detinebatur.

13 Duplicem prætereà fluxum Mulieres patiuntur, quorum licèt neuter possit esset impedimento ipsis Mulieribus, ne viros admittant, arcent tamen à coitu viros ipsos ex eo, quòd nullam ex coitu delectationem percipere possint, quin potiùs ab erectione, & stimulo ad Venerem prohiberi ob fœtidam illam colluviē facilè possunt: num ob hæc, aut similia vitia, sunt qui adeò abhorrent cum hujusmodi Mulieribus se commiscere, ut nullo modo membrum arrigere possint. Est igitur alter ex his fluxus sanguineus, vel materiæ sanguinolentæ ab utero perennis, ac nunquam desinens, qualem patiebatur Hæmorrhoissa, de qua Matth. *in suo Evang. c.* 9. & Marc. *c.* 5. Lucas *c.* 7. Alter verò est fluxus albus, & ipse quoq; perennis, & indesinens, qualem patiebatur Boëthi uxor, de qua Galen. *in li. de Præcognitione ad Posthum. c.* 8. Vterque autem fluxus adeò interdum superfluit, ut Mulieres præcinctæ perpetuò incedere cogantur, ac ne sic quidē ob illius colluviei copiā sibi cavere possint, ne se coinquinent, aut ne velut è perenni fonte illud vel sanguinis, vel materiæ sanguineæ, vel serosæ, vel pituitosæ profluvium emanet, quin & lineos pannos indesinenter commutare coguntur. Tam verò abominabile vitium hoc est, ut sic affectæ Mulieres nō secùs ac Leprosi à cœtu cæterorum hominum arcerentur, ut notat ex Albucasi Gulielm. Ader. *in li. de Ægrot. & morb. Evang. p.* 1. *enarrat.* 12. Itaq; cùm hujusmodi fluxus semper sit curatū difficilis, cùm verò altas radices emiserit, & in Mulieribus senioribus sit omninò incurabilis, certè ubi vir reclamaret, & matrimonii adhuc non consummati irritationem alterutram ob causam, aut divortium, aut tori separationem peteret, justam suæ petitionis causam haberet, unde eo casu Canonistæ, ad quos pertinet, eam rem secundùm Ius derminabunt.

14 Duo tamē hìc pro iisdem Canonistis animadvertenda veniunt, primum quòd omninò inter se differunt fluxus Menstruorum immodicus, & fluor muliebris: ita ut quæ in illo procedunt, in hoc non habeant locum: fluxus enim menstruus, est fluxus semper procedens, vel saltem ut plurimum à supernis partibus, non ab utero: materiæ sanguineæ, imò sanguinis ipsius, qui vel ob admixtionem bilis, & acutiem ille à bile communicatam, vel ob serositatem, ex qua sanguis tenuior, & fluxibilior redditus fit, foras copiosiùs effluit. Fluor autem muliebris est evacuatio materiæ crudæ, & aliquando virulentæ à vasis spermaticis, & ab ipso utero foras progrediens. Differunt prætereà commemorati fluxus, nam Menstruorum fluxus non ita extra spem est, quia ex se procedente ætate cessat, nec perpetuò molestat, sed irritatur, & crescit appropinquante tempore ipsius fluxus menstrui, qui singulis mensibus apparet. At fluor muliebris inveteratus nullo modo curabilis est, nisi virtute divina, ut factum est in Hæmorrhoissa Evangelica, & rectè quidē dicebat Nævius apud Scholz. *cons.* 345. fluxus hic confirmatus vix in posterum supprimi poterit, & licèt possit, tamen Hepate refrigerato præsens Tabis, Cachexiæ,

aut

aut Hydropis adeſt periculum, ut de neceſſitate ſecutum fuiſſet in ipſa Hæmorrhoiſſa, niſi ope divina ſanata fuiſſet; unde licèt in Evangelio addatur, illam multum perpeſſam fuiſſe à compluribus Medicis, & omnia ſua erogaſſe, nec quicquam profeciſſe, tamen ob impoſſibilitatem curationis per opem humanam, Medici excuſatione digni erant, ut percurrit idem Gulielm. Ader. *loc. cit.* Medicus enim non tenetur, nec debet eorum, qui à morbo victi ſunt, curam aggredi, monente Præceptore omnium maximo Hippocrate.

Secundò, animadvertendum eſt, utrumque fluxum poſſe eſſe virulentiâ concomitatum, ſed cùm abſque virulentia ſunt, minori periculo exponitur concumbens cum muliere fluore albo detenta, quàm cum detenta fluore menſtruorum, ut dixi, fluor albus eſt fluxus materiarum crudarum, quæ cùm qualitate ſint frigidæ, habent minorem nocendi activitatem: contra autem fluxus menſtruus pendet ut plurimum à materia calida, & ſic faciliùs poteſt inficere concumbentem, quod quotidiana experientia veritatem habere commonſtrat, cùm paſſim videamus viros cum menſtruatis ſe commiſcentes facilè infici, & vix, ac ne vix quidem Gonorrhœam evitare, At contra eſt ſi in utroque fluxu adſit virulentia; nam in fluxu menſtruo ſanguis poteſt virulentiam aliquantiſper infringere, cùm ex ſui natura benignioris conditionis exiſtat. At in fluore muliebri materia fluens, licèt ex ſua natura frigida, eſt toto genere præter naturam, unde ipſi Naturæ multò magis infeſta redditur, ubi calorem conceperit, & acris, & ſalſuginoſa evaſerit, itaut faciliùs concumbentem inficere ſit apta. Itaque magis juſtam querelam porrigeret vir qui uxorem ſortitus eſſet albo fluore virulento infectam, quàm qui uxorem haberet Menſtruali fluxu etiam virulento laborantem, præterquam quod hic fluxus aliquando deſiſtat intra unum & alium menſem, ille verò nunquam.

15 Omnibus tamen jam enarratis impedimentis addi debet illud, quod ex nimia ventris luxuriantis pinguedine provenit; nam hanc ipſam cauſam poſſe omninò impedire conjunctionem viri cum muliere certum eſt, cùm muliebre pudendum adeò ob exuberantem Abdominis molem ſe retrahat & occultatur, ut vir nullo modo poſſit ad illud ſuo membro pervenire, in quo caſu, cùm nullum remedium in promptu ſit ad extenuandam Mulierem (nam utplurimum hujuſmodi remedia fruſtrà in uſum protrahuntur, vel non ſine evidenti vitæ periculo ſuum effectum ſortiuntur, ut aliàs dixi) certè erit, ut crederem, locus ad matrimonium non conſummatum invalidandum: non enim exiſtimo Mulierem teneri ad ſe Medicæ curæ ſubjiciendam ſtante incertitudine & periculo eventûs; licèt verò alias animadverterim, hoc impedimentum amoveri poſſe, vel reſarciri mutatione modi coëundi, celebrando nimirum coitum poſtica Venere; quod non induceret peccatum, quia fieret ex legitima cauſa; & tunc non eſſet diſſolvendum matrimonium tamen primò non in omnibus; ſed in aliquibus tantùm id habent locum: ſecundo decidendum à Canoniſtis eſſet, utrum vir cogi deberet ad celebrandum coitum, & matrimonium conſummandum prædicto modo, quia ubi cogi non poſſet, jam matrimonium ex juſtâ cauſa eſſet diſſolvendum: ac tertiò denique, timendum eſſet vitæ ipſius mulieris, & prolis naſcituræ ex eo; quod, veluti aliàs adnotavi; Concepti eo coëundi modo naturalem ſitum in naſcendo non ſervant, imò tam fœtus, quàm Mater aliis non contemnendis incommodis ea de cauſa ſubjiciuntur.

SUMMARIUM.

1 *Penis brevitas quando impediat generationem.*
2 *Penis nimia longitudo an, & quando generationem impediat.*
3 *Penis tortuoſus quando impediat generationem.*
4 *Glans imperforata an, & quando generationi obſtet.*
5 *Glande imperforata ſi quis ſit, & foramen ſit in radice virgæ, an poſſit matrimonium contrahere.*
6 *Glandis occluſio à morbo qua incommoda habeat.*
7 *Teſtium ſitus mutatus an coitum, aut generationem impediat.*
8 *Teſtes nimis parvi an, & quomodò frigiditatem naturalem atteſtari poſſint.*
9 *Teſtium magnitudo excedens an, & quando generationi impedimento eſſe poſſit.*
10 *Teſtium carentia generationem omninò impedit.*
11 *Hernia quæ generationem impediant.*
12 *Varices an impediant generationem.*
13 *Sectio Venarum poſt Aures an faciat infœunditatem.*
14 *Caruncula in meatu urinario quodnam impedimentum afferant in coitu, & in generatione.*
15 *Nimia pinguedo an, & quando impediat coitum & generationem.*

De impedimento generandi ex parte viri.

QUÆSTIO VI.

OMnia impedimenta quæ remorantur copulam carnalem ex parte viri, remorantur etiam omni proculdubio generationem; cùm impoſſibile ſit, fœminam poſſe ex viro concipere abſque eo quod cum viro per membra generationis ſecundùm Naturæ inſtitutum copuletur; ac fabulæ, ſomnia, ac mera meridacia ſunt quæcunque jactantur de conceptione facta ex ſemine virili in balneo relicto, vel ex ejus effuſione extrà, licèt propè vaſa muliebria, aliæque nugæ his non abſimiles, quas aliàs ut in via Naturæ eventu impoſſibiles ſatis ſuperque eluſimus, ac confutavimus & quarum nulla ratio habenda, etiam ſi verè vidiſſe ſe cauſentur, ut ex Jureconſultis teſtatur Giovagnon. *lib. 1. conſil. 6. numer.* . . qui prudenter ex Medicorum decretis illud addit, non poſſe nimirum mulierem concipere, nec vir generare, niſi per Penis intromiſſionem, & ſeminis ejaculationem in uterum. Reſtat, ut de aliquibus impedimentis loquamur quæ generationi obſunt ex parte viri, illumque etiam coitu naturaliter ſecuto irritam reddunt, quorum cùm alia ſint apparentia, & tamen dubium in ea re excitare poſſint, & alia non ſint apparentia, quæ multò magis dubitandi anſam præbere ſoleant, quia requirunt altiorem indaginem; alia denique tantoperè perſpicua ſint, ut nulli dubio locum relinquant, relictis his, quæ ad ſecundam claſſem ſpectant, de prioribus, & poſterioribus breviter verba faciam.

Inter impedimenta autem apparentia primum ſibi vendicant locum ea, quæ dixi procedere ab impedimento coitûs; quibus ſuccedunt impedimenta, quæ ex brevitate nimia, aut nimia longitudine Penis provenire dicuntur. Quoad brevitatem ergo concordant omnes Medici, eam ob id impedire generationem, quia non poteſt ſemen ad interna uteri pervenire, ſicque non poteſt ab utero excipi, ſed ex pudendo, ſpiritibus evaneſcentibus, citiſſimè elabitur, Mercat. *lib. 3. de ſterilit. & pragn. aff. cap. 2.* Nec reliquerunt ad-

monere alii non infimæ, imò maximæ auctoritatis Medici vetustiores, Avic. *lib.3.Can. Fen.20. tract.1. cap.15.* Savonarol. *in Pract.Magn.tract. 6. cap. 20. rubr.16.*Hucher *lib.1.de sterilit. rubr. de Colis pavitate*, idemque ex Jurisperitis firmat Giovagnon. *loco citato*, ac certum quidem est non esse hujusmodi impedimentum tam leve, qui possit facere aliquam præsumptionem impotentiæ generandi ex parte viri, præcipuè si cum aliis præsumptionibus jungeretur, ut si constaret, virum esse naturæ frigidioris aut ob naturale temperamentum, aut ob ætatem grandiorem, aut ob morbum aliquem præsentem, aut prægressum magnum duntaxat, & longum. Hæc enim cùm absque dubio indicent calorem nativum diminutum, juncta virgæ brevitate, urgentiorem præsumptionem facerent impotentiæ generandi, & immedicabilis sterilitatis. Ubi tamen virtus adesset valida, calor vegetus, ætas florens, & cætera conspirarent, posset præsumi etiam expulsiva valida, ita ut non obstante virgæ brevitate, possit cum vehementia semen ejaculari, & illud ad usque internum uteri osculum impingere, maximè si cum uxore ejusdem ætatis, ac roboris res ageretur, nam tunc etiam ex parte fœminæ præsupponi debet uteri attractiva valida, nam ipse uterus seminis virilis avidior ad pudendum usque obviam ei provolvitur, & sic in eo casu non obstante virgæ brevitate subsequi posset generatio, ut aliquando factum esse exempla docent ab Auctoribus adducta; nec mihi deest propria experientia cùm virum Illustrissimum me consulentem, an cum membri brevitate, quam ipsius membri obtruncatione ob Gallicam luem ipsi membro infestam acquisierat, posset ducta uxore prolem suscipere, hortatus sum, ut duceret, quia sponsa erat ætatis florentis, viribus integerrimis, optimæque temperaturæ, ac pulchritudinis insignis, qua ducta plures liberos utriusque sexus sanos, ac robustos suscepit.

2 Verùm neque illud generandi impedimentum parvi faciendum, quod ex nimia membri virilis longitudine provenire potest: nam communiter Medici omnes secuti opinionem Aristotel. *lib. 2. de Generat. Animal. cap. 6.* vel potiùs ex propria sententia rationi innixa firmant, viros valdè longa virga insignes, infœcundos esse; ea potissimùm de causa, quoniam ob excedentem ductûs longitudinem semen in media via refrigeratur, spiritibusque orbatur, ita Avincen.*lib.3.Fen.20.tract.2.c.44.* Savoranol.*Pract.Magn. cap. 20. rub. 12.*Pedemont. *in supplem. Pract.Summ.3. part.4. distinct.1. cap. 18.* Mercat.*lib. 3. de sterilit. & pragm.aff. cap. 2.* Quam tamen opinionem nullam habere veritatem credunt alii, Fortun. Fidel.*lib. 3. de Relat.Med.cap.2. rubr.1.* Joan. Hucher, *de sterilit. rubr. de Magnitud. Penis* In hoc tamen casu considerandum est generandi impedimentum respectu mulieris ob hanc ipsam causam, & respectu viri: nam generatio impediri potest à longitudine membri virilis respectu mulieris ex eo, quod in uterum, hoc est in ejus internum osculum impingens dolorem excitando, seminis profusionem, & delectationem remoraretur, imò in totum adimeret, præter nonnulla alia non contemnenda symptomata, quæ excitare posset; cum autem in hoc casu facilè remedium præsto sit, & in viri voluntate positum, si cautè, & suaviter agat, non poterit membri longitudo quantum est ex hoc culpari; sed si respiciamus simplicem per se membri longitudinem poterit absque dubio interdum esse impedimento generationi, nimirum quando cum ea observatur naturalis debilitas, & flacciditas ipsius membri, ita ut non magnoperè obdurescat in erectione, nec in ea ad conveniens tempus perseveret, & tunc, & eo casu judicandum, membrum hujusmodi esse infœcundum: quod si cum longitudine conjungatur maximus ejusdem membri vigor, quod facilis, ac perdurans, atque intenta erectio commonstrabit, inane videtur asserere, ob ejus longitudinem semine frigefacto non esse aptum ad generationem; Itaque præsumptio impotentiæ generandi in primo casu habebit locum, est enim tale impedimentum certum, & apparens, & absque ullo remedio.

De Penis tortuositate jam verba feci commonstrans, quandonam impediat coitum, quia simul impedit generationem, atque ostendi quandonam recipiat curationem; nam tunc remoto impedimento coëundi, removetur simul impedimentum generandi quamobrem nihil est, quod jam dictis addere debeam: quemadmodùm nec aliquid adjiciendum recurrit præter ea, quæ tunc attuli circa Penis obliquitatem & distorsionem, eadem enim locum habent in his, quæ habent in tortuositate: quomodò verò hi affectus differant, itidem dictum fuit. 3

Sequitur, ut de Penis imperforatione loquamur; 4 nascuntur enim aliqui (licèt etiam à morbo hoc vitium aliquando sit) glande imperforata, cum qua homo vivere absque dubio ad plures dies non potest, ut patet in iis, qui sic nascuntur, neque à Natura alio foramine ad urinam expellendam provisi sunt: sed in nonnullis provida Natura urinæ ac semini aliam viam paravit, nempè in ipso membro sub glande, non tamen semper eodem loco: nam in aliquibus hujusmodi foramen se prodit immediatè sub glande, in aliis inferiùs, hoc est in medio Pene à parte inferna; in aliis autem ad ipsius Penis radicem, itaut Testibus in superiorem partem retractis videantur à longè, & Maris simul genitale, & fœminæ sortiri, ut notavit Aristot. *lib.4.de Gen. Animal.cap.4.* vocatur autem hoc vitium Phymosis, ut ex Celso *lib. 7. sua Med.cap. 25.* dicunt aliqui, licèt non id vitium sit apud illum Phymosis, sed occlusio Glandis à præputio, ita ut aperiri non possi. Conveniunt autem Doctores, quòd quandocunque foramen virgæ in suo naturali loco non apparet, impediatur omninò generatio: & rationem afferunt evidentem, quæ ea est, quia non potest semen rectà ad uteri internum osculum pervenire, sed ad latera, vel ad posteriorem parietem effunditur; quin addam ego, ipsa Penis Glans ad id impedimento est, etiamsi ergo uterus insigni attractione daretur, & virile semen attahendi avidissimus, tamen ob illud ipsum impedimentum non antè illud attrahere potest, quàm spiritus evanescant, & semen refrigeretur, unde semen omninò, & undequaque infœcundum evadit. Sed non semper hæc eo modo eveniunt, quia ubi foramen, per quod semen emittitur, non multum distet ab ipsa glande, non magno negotio succedit generatio, & ego præteritis hisce diebus Dionysium quendam Aurificem tractavi (qui ex totali suppressione urinæ à Renum calculo decessit) habitus eucrati, ac sanguinei temperamenti, cui glans imperforata cùm esset, foramen, per quod semen, & urinam reddebat sub Glandis corona sortitus erat, plures tamen filios ex uxore generavit, quorum nonnulli adhuc supersunt mihi satis noti. Verum enim verò quantò orificium hoc distat à glande, tantò majus impedimentum generationi affert, quòd si in radice sit, non remanet dubio locus, quòd generatio in totum impediatur, nam impossibile est semen intra uterum recipi posse,

in quo

5 in quo casu dubium insurgeret, an talis vir posset matrimonium consummare, quia cùm non possit intra uterum seminare, sed semen necessariò extra uteri labia excidat, deficit hæc matrimonii consummatio à præcipua conditione, cùm non satis sit ad consummandum matrimonium vas fœmineum penetrare, sed requiratur de necessitate, ut virile semen vas sponsæ subintret, ut dicit Sanchez *de Matrimonio lib. 2. disput. 21. num. 5.* Decidendum ergò an matrimonium cum hujusmodi viro contractum sit nullum, & irritari illicò debeat, cùm constet, vitium hoc sine remedio esse: nam etiam si plures Auctores ejus curationem tradant, tamen curationem non admittit, & etiamsi admitteret, certum est eam præsentaneo periculo non vacare, & irritam omninò esse. Distingui tamen nonnulli Doctores in hoc casu malunt; in eo enim vitio in quo foraminis vestigium in ipsa glande apparet, & foramen apertum non est tam infernè positum, curam utcumque tentandam persuadent: at verò in his, in quibus nullum naturalis foraminis apparet vestigium, & præternaturale foramen est in infima parte Penis prope Testes, frustrà omninò curam tentari firmant, & si tentaretur, non sine funesto exitu tentaretur. Satiùs autem est in quocunque hujusmodi vitio ab omni cura abstinere, cùm ex voto succedere non possit.

6 Sed casus est apud Fœlicem Platerum *lib. 3. Obs. Tit. In Mictione*; ubi narratur, quod quidam Capitaneus præter foramen in glandis media regione anteriore sede secundùm naturam formatum, aliud quoque subtùs circa Glandis radicem, & præputii exortum ab ortu habuit, per quod mictutus urina deorsum ferebatur, itaut, nisi caveret, se commacularet: additque, atque ut nihil fatebatur, semen quoque emittebatur. Rarior hic casus est, sed in eo hominem potentiam generationis amittere testatur ejusdem casus exitus; nam cùm prædictus vir Platerum consuleret, an hoc impedimentum obstaret procreationi filiorum, ob quod uxorem ducere destinaret, & ab ipso Platero responsum accepisset, obstare, uxore tamen hoc non obstante ducta, filios nunquam suscepit, imò ab uxore se separavit, cum neque in coëundo debito satisfaceret.

Non habet tantam sanationis repugnantiam glandis occlusio, seu imperforatio, de qua suprà ex Celso *lib. 7. cap. 25.* fit enim cùm glans præputio detegi non potest, quod malum scortatoribus familiare esse, & difficulter sanari testatur Guillielm. Fab. *Fuar. obs. cent. 5. lib. 2. obs. 57.* & vocatur propriè Phymosis; fitque interdum ex ulcere in ipso foramine jam perpesso, quod in causa fuerit, ut ipsius Glandis parietes coaluerint, unde meatus omninò occlusus remanserit.

7 Hoc vitium, si eò proecessit, ut ulterius curationem non admittat, lethale omninò est, quia non solùm semen, sed neque urina posset extra corpus expelli, & paucorum dierum spatio sanguinis universam massam inficeret, & hominem ad interitum traheret; & in hoc casu clara res esset, quia hujusmodi vir neque contrahere posset matrimonium, neque contractum teneret, licèt brevi ex se dissolvi necessarium esset.

Circa Testes dubitationem facit eorum situs mutatus, nam in aliquibus conspiciuntur in inguinibus sitos, cúmque hoc ex caloris imbecillitate omninò procedat, ex consequenti videretur dicendum, non esse ipsos ad prolificum semen generandum aptos, neque etiam in coitu sufficientem vigorem genitali tribuere, ut ad instar cæterorum hominum ad coitum vir sufficiat, unde videndum esset per Canonistas, an tales validè matrimonium contrahant; nam si ad matrimonium requiritur copula apta ad generandum, Sanchez *de Matrimonio loco citato*, si hujusmodi Testium non naturalis situs potest seminis confectionem & generationem, ut dictum est, impedire, certè hi non poterunt matrimonium validè contrahere. Dicendum tamen ex mea sententia esse, quòd si constare possit hujusmodi viros semen generare, non obstante ea mutatione situs testiculorum, esse aptos ad generationem, & consequenter non ob ineptitudinem generandi esse à matrimonio reppellendos, si modò generandi impedimentum est causa sufficiens ad impediendum ne contrahant; & prædicta tantò magis veritatem habebunt, quantò ipsi Testes magnitudine aliisque conditionibus essent insignes; nam contra eorum exiguitas, mollities, flacciditas, & aliæ id genus conditiones dubium mirum in modum augebunt, imò certitudinem præbebunt impotentiæ generandi, atque etiam si aliæ conditiones concurrant, facient præsumptionem frigiditatis, & impotentiæ coëundi.

Quæ non modò procedere debent in mutatione 8
situs eorum, sed etiam si Scroto excipiantur, & naturalem situm servent, magnitudine tamen, duritie, ac vigore sint nullius considerationis, tales enim habendi tanquam si non adessent; cùm ad nihilum apti videantur, & frustrà procreati, quia proprio fine, qui est seminis prolifici generatio & conservatio, frustrantur; & licèt non destiterint Medici etiam hujus parvitatis testiculorum curam edocere, ostendentes qua via, quibusque mediis magnificari possint, Savonarol. *in pract. magn. tract. 6. rubr. 4. cap. 20.* Pedemon. *in continuat. Pract.* Mes. *summ. 3. part. 4. sect. 1. cap. 2.* Joan. Hucher. *lib. 1. de sterilit. rubr. de Test. vit. magnit.* tamen certum est, curam universaliter esse difficillimam, ac plerumque frustratoriam; & si protrahatur post finem augmentationis corporis nimirum post pubertatem, impossibilem, Savonar. *ubi supra*, Pedemont. *ibid.*

Cæterum, Testium crassitiem seu magnitudinem 9
si à natura sit, nullum generandi impedimentum afferre patet, quin potiùs generatrici facultati opitulantur. Joan. Hucher. *ubi suprà*, testimonio sit id, quod Arist. *lib. 6. de Hist. Anim. cap. 9.* dicebat, quod Avium Salaciorum Testes conspectiores sunt, ut Gallinaceorum & Perdicum, & quod illi, qui tribus Testiculis dotantur, Triorchi ob id appellati, libidinis sunt indomitæ; Montuus *lib. 4. Anascetes morb. c. 37.* Joan. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. lib. 3. tract. 2. cap. 6.* apud quem plura ad hoc videnda scitu digna, & si libet, vide etiam Joan. Schenck. *lib. 4. Observ. tit. de Testiculis.* At si crassities & magnitudo Testium à morbo sit, poterit esse impotentiæ generandi causa sufficiens, non esset tamen in magna consideratione habenda, cùm non omninò adimat, sed tantùm remoretur fœcunditatem, & remedio non careat, nisi quid majus obstet.

Testium denique carentia nullam dubitationem 10
affert circa generandi impotentiam, nam res in propatulo adeò est, ut nihil suprà, unde mirum in modum commotus sum, quod ex Canonistis Navarra *lib. 4. consil. tit. de frigid. & malef. cons. 3.* pronunciaverit, quendam virum, qui non modò testibus carebat, sed membrum habebat non majus, quàm dimidium digiti auricularis, potuisse legitimè contrahere matrimonium, & quod pejus est, filios generare contrà Medicorum attestationem: passus enim est bonus ille

Cano

Canoniſta ſe decipi à muliere, quam vir ille in uxorem duxerat, cùm omninò credendum eſſet, mulierem illam filios ex alio viro per fornicationem vel adulterium ſuſcepiſſe (ſi adulterium hoc dici poterat, cùm matrimonium contractum cum tali viro eſſet nullum) imponebat enim perfida mulier marito harum rerum omninò inexperto, & ignaro, & credenti filios etiam viro teſtibus carente generari poſſe, quod ridiculum certè eſt; nam maritus, cum Teſtibus careret, ſemen generare non poterat, neque abſque ſemine filios. Cùm ergò tam evidenter eæ res paterent, multò plus deferre Medicorum ſententiæ debuit Navarra, quàm propriæ, & vafræ illius mulieris impoſitioni; quod cùm facere recuſaverit, meritò ipſis Medicis ridiculus fiet.

11 Herniæ & ipſæ aliquale impedimentum generandi præbere poſſunt, cujuſcunque tandem ſpeciei exiſtant; quarum tamen magis ſuſpecta in hoc negotio illa eſt, quæ à ſeroſitate, ſeu aquoſo humore proficiſcitur, Hydroceles dicta, maximè ſi magna, ac diuturna exſtiterit; hæc enim præ aliis genitalia refrigerat, ſeminis ſpiritus extinguit, quod tamen ex ſe pauci ſpiritus eſſe ſolet, cùm talis morbus totius corporis frigiditatem denotet; cæteræ verò Herniæ non ob hoc refrigerandi vitium fœcunditatem aliquando remorantur, ſed quia interdum in tantam excreſcunt molem, ut virile membrum omninò deliteſcat, Guillelm. Fabrit. *lib. 2. Obſerv. cent. 4. obſerv. 64.* & tunc etiam coitum impediunt, unde & generationem: quandò verò Herniæ quæcunque etiam aquoſæ, ad tantam magnitudinem pervenerint, neque citò evacuationem admiſerint, extra omnem ſpem ſanationis in futurum evadunt, in quo caſu, ſi daretur de impotentia coëundi, fruſtrà expectaretur triennium.

12 Dubitatum porrò eſt de varicibus, utrum impediant fœcunditatem, necne, cùm Ariſt. *lib. 4. Probl. num. 20.* quærat, cur gignendi facultas adimatur iis, qui varicibus detinentur? Petrus Aponenſ. *Conciliator* dictus, *in com. hujus Probl.* malè accipiens *Iſchia* vocem pro *Iſchiade*, vel ſciatica, reprobat eorum ſententiam, qui eandem vocem pro *Varice* acceperunt, & addit rationem ab experientia deſumptam, quòd non debeat illa vox *Iſchias*, accipi pro *Varice*, quia ipſe permultos novit varicibus detentos, qui tamen fuerunt fœcundiſſimi. Concialiatorem tamen toto cœlo errare docent Iulius Guaſtavin. *in comm. ejusd. Probl.* & Ludov. Septal. *ibid.* Et nõ injuria admiratur Guaſtavin. ipſius Conciliatoris rationem; cui volenti vocem illam accipi pro Iſchiade obiici poſſit idem, quod ille iis obiiçit, qui eam vocem pro *Varice* accipiunt, cùm pateat experientia plures Iſchiadicos & cõire, & fœcundos eſſe. Non ergo de Iſchiade intellexit Ariſtoteles, ſed de varicibus, ejuſque problematis rationem cum ipſo Ariſtotele reddunt prænominati Guaſtavinius & Septalius. Sed dubium eſt, an Ariſtoteles voluerit, problema verificari de varicibus quemcunque locum occupantibus, aut de iis, quæ tantùm crura infeſtant: & prædicti quidem Commentatores de crurum tantùm varicibus ipſum locutum eſſe volunt: nam varices hujuſmodi (quæ venæ ſunt craſſo, ac melancholico ſanguine repletę, ac ab eo dilatatæ) fiunt ut plurimũ in coxis, & cruribus, licèt & in inguinibus, & Teſtibus aliquando appareant, & ſi verum eſt, quod Io. Bened. Sinibald. *l. 2. Geneanthrop. c. 12.* firmat, nempè quòd varicoſi in Teſtibus ſint falaces, quod partim contrariatur problemati Ariſtotelico, non niſi de varicibus coxarũ, & Tibiarum problema poteſt intelligi; quod tamen neque ſemper veritatem habere, neque realiter poſſe hominem reddere omninò infœcundum crediderim, ſed remorari tantùm potius credam hujuſmodi varices fœcunditatem. Imò cùm varices non tantùm ex melancholico, aut pituitoſo ſanguine, ſed etiam ex laudabili & craſſiori fiant, Avicen. *l. 3. Fen. 22. tract. 1. cap. 15.* putandum eſt, problema non in omnibus indifferenter verificari, ſed in iis tantùm, quæ fiunt à ſanguine melancholico, vel phlegmatico; melancholico inquam, ex admixtione melancholiæ naturalis, nam ſi fiant varices à ſanguine melancholico per ſuperaſſationem, conciliando genitalibus majorem calorem, potiùs coadjuvabunt, quàm remorentur fœcunditatem. 13

Impotentiam præterea generandi ex ſectione venarum & Arteriarum poſt Aures jam hìc recenſendam, certum eſt, ſi Hippocrati credimus, provenire; & de ea jam in ſuperioribus mentionem habui, ubi non omninò Hippocratis ſententiam reſpondere experientiæ ex doctorum hominum atteſtatione demonſtravi. Illud hìc addi poteſt, talem ſectionem poſſe in homine aliàs de impotentia generandi, ſeu ſterilitate ſuſpecto, facere aliquam ejus impotentiæ præſumptionem, & fortè ubi aliæ conjecturæ adeſſent, concurreret etiam hæc ſectio ad faciendam præſumptionem impotentiæ coëundi: ſed circa hoc punctum ſufficiant ea, quæ non modò in ſuperioribus attuli, ſed etiam *lib. 3. q. 1. n. 16.*

Non levem porrò dubitationem circa caruncu- 14
las meatum urinarium obſidentes, aliquando excitatam ſcimus, an nimirum generandi impotentiam faciant; certum enim eſt, eas ſeminis ejaculationem, imò & urinæ retardare, obſtaculum facientibus ipſis caruncuiis: quod ſi veritatem habet, ut abſque dubio habet, conſequens eſt, ſemen virile refrigerari, gignitivis ſpiritibus momento evaneſcentibus, unde certam ſterilitatem emanare neceſſe eſt, cujus rei infallibile ſignum eſt, quòd urina ipſa, quæ multò tenuior materia eſt, quàm ſemen, liberè redditur in iis, qui hujuſmodi carunculis moleſtantur, ſed difficulter excernitur, & non ejaculatur, ſed guttatim magna ex parte effluit, ac deſtillat, aut in unam, vel in alteram partem divaricatur, vel in duas partes finditur, Amat. Luſit. *Curat. Med. cent. 4. Curat. 19.* & aliquando cum tanto conatu redditur, ut etiam egerendi cupiditatem inter meiendum excitet, ani muſculo, qui ſphincter dicitur, in illo conatu concurrente ad urinam exprimendam; quæ ſymptomata multò magis ſe prodere poſſunt in emiſſione ſeminis, cujus materia, ut dixi, multò craſſior eſt quàm urina, quæ ſua tenuitate, & acrimonia faciliùs ſibi parare viam poteſt. Itaque hoc impedimentum ſemper facere deberet præſumptionem ſterilitatis, cùm ſit patens, & reale, & quod magis urget, non facilè amovibile, ut unanimiter omnes Practici docent, Ambroſ. Paræus *ſua Chirurg. lib. 18. cap. 22.* Gabr. Fallop. *Tom. 3. ſuorum oper. lib. de Tumor. Praternat. tract. 1. cap. 33.* Alphonſus Ferrus *libell. de Carunc. cap. 6.* Petr. Foreſt. *lib. 25. Obſerv. 10.* Veritas tamen eſt, quòd hujuſmodi caruncułæ, licèt difficulter curentur, & licèt inſuper earum curatio periculoſa judicetur, Guillelm. Fabr. *Obſerv. lib. 2. cent. 4. Obſerv. 54.* & interim urinam, & ſpermatis ejaculationem remorentur, tamen, niſi omninò, aut magna ex parte meatum urinarium obſtruant, & jam calloſæ, ac duræ evaſerint, ita ut omnem curam reſpuant, ſanari poſſunt, juxta tradita à præcitatis Auctoribus, qui diligenter earum curationem ſunt proſecuti, cum præſervatione à recidiva poſt earum ſanationem, quibus addendus Petrus Pigræus *ſua Chirurg. lib. 8. cap. 9.* ita ut

non

non ſint judicandæ abſque remedio, ut dixit etiam Rota *in una Bononienſ. fideicommiſſi de Buccaferreis, 24. Maii* 1655. coram R. P. D. Zarate. Imò tametſi id genus carunculæ non ſanentur, dummodò ad prædictum exceſſum non pervenerint, non omninò impediunt generationem: nam præter experientias eorum qui ab illis curati filios procrearunt, & de quibus etiam ex Petro Foreſto mentionem habet Rota *in proximè allegata deciſione*, novi ego ipſe virum his carunculis per triginta annos, & ultra moleſtatum, & abſque ulla cura morbum prætereuntem, qui fœcundiſſimus fuit, licèt indeſinenter in urina emittenda non parum angeretur, genuit tamen ſuper fœmellas; unde generaliter firmandum, carunculas neque coitum unquam, neque generationem ſemper impedire.

15 Denique inter impedimenta generandi tam in Viris, quàm in Mulieribus recenſetur nimia Corporis pinguedo; nam Avicenna, *lib. 4. Fen. 7. tract. 4. capit. 5.* inter incommoda provenientia à nimia pinguedine connumerat ſterilitatem, quæ quidem fit in ipſis ob ſeminis exuperantem humiditatem, & ſpirituum paupertatem, ut ille docet, ſed inſuper non generant, quia coita uti non poſſunt, cùm prohibeantur ob nimiam Abdominis extuberantiam à carnali conjunctione, &, ut aliàs dixi, occultatur in viris genitale membrum, & in mulieribus vulvæ orificium extremum, neque poſſunt viri pervenire ad requiſitam intromiſſionem in ipſum uterum, quod multò magis difficile redditur, ubi uterque tam vir, inquam, quàm mulier tumentè pinguedine ventrem habeant. Sed paucula hæc de hoc impedimento ſufficiant; nam & aliàs de eodem verba feci.

SUMMARIUM.

1 *Pueri & puellæ etiam ſi ſint apti ad coitum, non ſunt apti ad generationem.*
2 *Ad Matrimonii validitatem utrum requiratur potentia generandi.*
3 *Decrepitus potens ad coëundum, eſt potens ad generandum.*
4 *Mulier, quantumvis, ut aliqui opinantur, proprio ſemine non concurreret ad generationem, deberet tamen concurrere ſanguine menſtruo.*
5 *Impotentia generandi in mulieribus fit cùm per ætatem menſtrua fluere deſinunt.*
6 *Impotentia generandi aliquando in mulieribus evenit ad corporis inſignem refrigerationem.*
7 *Mulieres in coitu deficientes ſterilitati obnoxiæ.*
8 *Morbi nonnulli mulieres infœcundas facientes.*
9 *Pinguedo excedens mulieres ſteriles efficit.*

De impedimentis generandi ex parte mulieris.

QUÆSTIO VII.

MUltò numeroſiores cauſæ ſunt impedientes generationem ex parte Mulieris, quàm impedientes eandem ex parte Viri, ita ut ſi de ſingulis ſermo eſſet inſtituendus, maximum volumen hoc ſolùm argumentum ſibi vindicaret: nam ſunt propemodum infinitæ, ut aliàs dixi. At neque ad rem noſtram faceret de ſingulis peculiariter conſiderare, unde de iis tantùm loquar, quæ apparentes ſunt, quæque aut ſumma cum difficultate, aut nullo modo removeri poſſunt; hæ namque ad rem Iureconſultorum tantùm pertinere videntur, cùm occaſio dubitandi apud ipſos incidit, an mulier poſſit generare, necne, quod dubium non minimis ex cauſis excitari poteſt. Præteritis ergo impedimentis generandi, quæ proveniunt ex impedimentis copulæ carnalis, de quibus jam locutus ſum *Quæſtione prima, & ſequentibus*, & quæ omnia abſque dubio multò magis urgent, videamus primò de impedimentis generandi ob ætatem, quæ vel minor, vel major eſt, quàm ad generationem requiratur, & de utraque affluenter egi, *lib. 3. titul. 1. quæſt. 2.* ad quam Lectorem remitto. Hic tantummodò addam, maximoperè facere ad multorum dubiorum reſolutionem, diſtinctionem impotentiæ coëundi ab impotentia gerandi, utramque enim confundere non ſolùm Canoniſtas obſervavi, ſed, quod intolerabilius eſt, etiam Medicos nonnullos errore inexpiabili: & ego quidem cùm Canoniſtarum decreta revolvo, illos in ea re diſtinctiùs procedere optaverim, nam videntur mihi ſupponere, quòd 1
quandocunque mulier apta eſt ad coëundum, apta inſimul ſit ad generandum, quod non eſt verum, quia ut in viris evenit, aliqui, ut Eunuchi, apti ſunt ad coëundum, non tamen apti ſunt ad generandum, ob ſeminis aut abſentiam, aut imperfectionem; eodem quoque pacto in Puellis fieri ſolet, ut antè pubertatem, vel in tempore, quod eſt pubertati proximum, ſint quidem aptæ ad coitum, non autem ad generationem, quia adhuc intra ſe non generant ſemen, cujus rei ſignum eſt, quod adhuc non menſtruantur; nam menſtrua, & ſemen uno eodemque tempore apparent, ut aliàs dixi, quanquam contrarium adſtruerim *lib. 4. titul. 2. quæſt. 4. num. 9.* firmans ante ſemen quam menſtrua generari, ſed, ut ibi addidi, id non modò per modicum tempus antè fieri dicendum, ſed etiam tunc temporis non generari, ſaltem ut plurimum verum, ac perfectum ſemen; licèt autem in Pueris, ac Puellis poſſit dici valere matrimonium, quia tametſi de præſenti non ſint apti ad generandum, habent tamen proximam diſpoſitionem & aptitudinem; tamen conducibilius judicaverim determinare, an ad matrimonii validitatem præter coëundi po- 2
tentiam requiratur etiam potentia generandi, nam ſi requiratur, ut percurrit Sanchez *de Matrimonio lib. 2. diſput. 21. numer. 5.* certè non videretur, tàm liberè decidendum, quod Puer, aut Puella potèns ad coëundum poſſit contrahere Matrimonium, quaſi ſola coëundi potentia ſufficiat, cùm tamen non poſſit Puer, aut Puella non apti ad generandum, matrimonium conſummare, ſi ad Matrimonii conſummationem requiritur copula apta ad generandum, Sanchez *ubi proximè*. Si ergo Puer, aut Puella potens ad coëundum, & non ad generandum, non poteſt conſummare Matrimonium, fruſtrà ad illud conſummandum conjunguntur; idcircò enim requiritur in conſummatione Matrimonii potentia ad generandum, quia per generationem, quæ ex miſcella utriuſque ſeminis in unum ſuccedit, vir, & uxor efficiuntur una caro, juxta illud Geneſ. *cap. 2. verſ. 24. Et erunt duo in carne una*: nam quid illud eſt, virum & uxorem effici unam carnem? num ſimplex utriuſque conjunctio per membrum generationis? nequaquam, nam fruſtratoria eſt hæc conjunctio, niſi ex ea ſequi poſſit generatio, aut ſemina utrinque deciſa non commiſceantur ad concipiendum fœtum; ſi enim aliter res ſe haberet, jam Eunuchi, & quicumque concumbere poſſunt, etiam ſi ſemen non emittant, poſſent licitè contrahere matrimonium, quia per ſimplicem copulam carnalem conſequerentur Matrimonii finem, una caro effecti; ſed hoc à veritate eſt alienum: ubi ergo ex coitu nulla eſt ſpes generationis ex eo, quòd ſemina conjugum ſimul non concurrant, neque uniantur, cùm adhuc intra corpus non ſint

producta, non possunt vir,& uxor effici una caro, & sic non possunt Matrimonium consummare. Ex quibus deducamus, Matrimonium inter conjuges, qui per teneriorem ætatem intra se adhuc semen non generant, non posse dici consummatum, quousque semen generent; nisi huic difficultati obstaret, quòd impotentia hæc seminandi non naturalis, neque extra spem est, sed temporanea,& facilè procedente ætate superabilis. Interim non valeret contra prædicta objectio, quæ fieri posset de Matrimonio inter Decrepitos, quia quandocunque Decrepitus contrahit matrimonium non præ-
3 sumitur potens ad generandum, nam quotiescunque Decrepitus est potens ad coëundum, potest præsumi potens ad generandum, cùm ex Aristotelis auctoritate, & ex quotidiana experientia habeamus, virum in quacunque ætate generare posse, dum possit coire, & semen emittere; quæ tamen limitatione indiget. Nec quenquam deterreat id, quod dixi, nimirum tàm in Mare, quàm in Fœmina requiri seminis intra se generationem, si ex eorum copula sequi debeat generatio: si fortè quis ex propria hæresi, vel ex Aristotelis & sequacium auctoritate persuasus, ut Navarra *lib.4. conf. Tit. de frigid. & malef. conf.3.* & plures Canonistarum, velit, semen fœmineum non concurrere ad generationem (nam sunt qui eam opinionem mordicùs tuentur, præsertim ii, qui parùm in Medicina, ac præsertim in re Anatomica versati sunt, ne sensibus quidem acquiescentes) quoniam dato etiam, quòd ullam veritatem eorum opinio haberet, nempe quòd semen fœmineum non requiratur ad generationem, tamen ubi non esset necesse, Puellam in copula carnali concurrere proprio semine ad generationem (ut ex necessitate Naturæ est necessarium) necessarium esset, ut concurreret sanguine men-
4 struo; at verò ante menstruorum productionem Puellæ ad coitum quidem aptæ sunt, non ad generationem, cùm ad coitum duodecimo anno,& fortè undecimo sint aptissimæ, ad concipiendum autem non nisi à decimo-quinto ad quadragesimum, Aët. & Soran. *serm.16.cap.7.* Amat. Lusit. *cent.6.cur.48.* Quia non antè hoc tempus utplurimum menstruantur, ut sæpè aliàs dixi: unde cùm sponsi per copulam carnalem effici debeant una caro, ut matrimonium dicatur consummatum, idque fiat concursu seminis ex parte utriusque, aut si mavis, ex concursu seminis virilis, sanguinis menstrui secundum horum opinionem, jam patet, non posse Puellam antequam menstrua sit experta, neque item Puer, antequam semen ferat, matrimonium consummare, etiamsi coitu conjungantur,& sic, nisi quid, ut dixi, operetur proxima dispositio ad generandum ex utraque parte, non dicetur matrimonium unquam consummatum, nisi Puer seminet; & Puella aut seminet simul, aut menstrua experiatur. Hæc ergo Canonistis discutienda propono, nec quicquam, nisi quod ex arte mihi certò innotescit, determinare ambigo, sed ipsis omnia ex Canonum decretis dissolvenda relinquo.

Quoad ætatem majorem respectu potentiæ gene-
5 rand iomissis, miraculosis quibusdam enarrationibus, quibus nonnulli mirum in modum capiuntur, & inviolabilem fidem habent, firmis remanentibus iis omnibus, quæ aliàs in medium adduxi, quoad mulieres illud tantùm repetere hìc non desistam, eam impotentiam non solùm præsumptivè, sed omni procul dubio,& absque ulla hæsitantia illis advenire post menstruorum cessationem per ætatem majorem factam, quæ plurimum quinto supra quadragesimum, vel ad summum quinquagesimo anno evenit, ita ut, cessantibus per ætatem majorem menstruis, mulier naturaliter concipere non possit, sed tantùm ex miraculo, ut de Sara & Elisabetha factum in Sacris enarratur. Quòd si aliquæ etiã in quinquagesimo,& ultra cõceperint, oportuit illas etiam tunc temporis menstrua pati, si secundùm Naturæ ordinem id factum est; nam in aliquibus menstrua ultrà quinquagesimum prorogari constat,& annosiores matronas menstruari,& concipere, ego quoque observavi; jam verò nobilem matronam tractavi, quæ vix duodecimo anno ætatis suæ adventante affluenter menstruari cœpit, & secunda suprà quinquagesimo adhuc menstruabatur, licèt Marito juncta non conciperet, sed hæc per anteactos annos, quinto post quadragesimum, si rectè teneo, adeò vehementi menstruorum fluxu molestata fuit, ut interdum spatio viginti quatuor horarum plusquam libras decem sanguinis spumosi ejecerit, ex qua evacuatione factum est, ut Animi defectione, pulsus abolitione prehenderetur, ac tota frigida relinqueretur, nec nisi post plures dies ad pristinum vigorem rediret: sed cùm post hæc non adeò affluenter purgaretur, sensim menstrua secundo post quinquagesimum anno disparuere.

Iam verò eædem causæ facientes impedimen- 6
tum generationis in viris ob corporis insignem refrigerationem, ut immodicæ omnes evacuationes Arte, vel sponte procuratæ, vel etiam ex accidenti, ut quæ ex vulneribus magnis evenire solent, faciunt etiam impedimentum generandi in mulieribus; nisi illud obstet, quod mulieres sunt sanguinis feraciissimæ, licèt frigidiusculus sit, qui ad uterum per singulos menses demandatur; unde potest illum aliqua ex parte excalfacere, & sic impedimentum aliàs proveniens ab immoderata aliqua evacuatione, aliquo pacto minuere, & hanc fortè ob causam nulla ab aliquibus mentio facta est de sectione venarum post aures in fœminis, vel fortè quia in iis multò minùs, quàm in viris hæc experientia respondet, nam & in ipsis viris irritam ut plurimum fieri in superioribus jam contrariis experientiis confirmavi. Sed neque varices in fœminis, ut in viris ullum impedimentum conceptioni afferunt, cùm etiam derarò in ipsis observentur, ut Practici testantur, neque item carunculæ in pudendo muliebri ullam suspicionem afferre possunt impedimenti in concipiendo, nam in collo tantùm ipsius uteri fiunt, quo in loco aliqualem tantùm dolorem in coëundo præbere possunt, impedire autem conceptionem nequaquam: licèt Ioubertus apud Schenck. *lib. 4. Observ. tit. de utero,* observaverit causam sterilitatis in quadam muliere tuberculum fuisse pisi magnitudine uteri collum interiùs obsidens, sed hic morbus alterius naturæ certè erat à carunculis, de quibus sermo est.

Sed hac occasione de dolore in coëundo mole- 7
stante arrepta, prætereundum sicco pede non est id, quod nonnullis fœminis inter coëundum accidit, nempe quòd absque ulla causa manifesta impensè dolent, quin etiam animo deficiunt, & in syncopem labuntur, de quibus Priscian, *in Harmonia, Gynec. cap.19. num.2.* qualem casum habemas apud Hippocratem *lib. 5. Epidem. text. 25.* similemque apud Marcellum Donat. *lib. 4. de Historia Med. mirab. capit. 17.* Insuperque alium similem ego ipse offendi, quem cum prædictis retuli aliàs *lib.9. tit.3. quæst.5. num.7.* has non concipere;

& mu

& mulier illa Lariſſæa Dyſeridis ancilla, & Angela, quam ego novi, atteſtari poſſunt; de illa enim Hippocrates refert, *Neque concepit unquam*: hanc ſcimus nos ſterilem perpetuò fuiſſe, idemque contigiſſet duabus illis fœminis, de quibus Franciſcus Valleſc. *in comm. praelect. Hippocratis*, ſi Venere uſæ fuiſſent: habebat enim utraque eandem ſterilitatis cauſam, quam habuit Dyſeridis ancilla, nempè lapidem in utero coagmentatum, ut ejus lapidis ejectione ab utero notum fecerunt: in reliquis autem cenſendum eſt, tam magnum, ac inſigne ſymptoma magnam ſubeſſe cauſam præſupponere præternaturalem in ipſis genitalibus mulierum facilè conceptionem omni ex parte impedientem.

8 Sunt porrò ex morbis mulierum aliqui ex jam commemoratis coitum impedientibus, qui non ad eam magnitudinem deveniunt, ut coitum hactenus impediant, cùm tamen omninò impediant conceptionem, ac ſteriles mulieres efficiant: hujuſmodi ſunt Tumores aliqui incipientes, atque ipſum uteri corpus obſidentes; ulcera non adhuc in malignam naturam degenerantia, nec magnitudine excedentia, fluores materiarum albarum, qui ab ipſa uteri facultate imbecilla reddita procedunt, ipſius uteri Paralyſis, & id genus alii, qui omnes, etiamſi non certum impedimentum conceptioni præbere poſſint, ſemper tamen maximam facerent præſumptionem ſterilitatis: cui etiam parem faceret uteri deſcenſus, etiamſi facilè ad locum ſuum remearet, ſed eadem poſteà facilitate, ac minima quaque ex cauſa relaberetur, tunc enim ob nimiam exuberantem uteri ipſis humiditatem & lubricitatem, ejuſque ligamentorum relaxationem & imbecillitatem, neque conceptio ſperari poſſet, neque ſi ullo modo ſequeretur, portari ad multum tempus fœtus poſſet quin excideret, juxta id quod ſcriptum reliquit Hippocrates *l. 5. Aphor. 45.* ubi mulieres quæ ſecundo, aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta abortiunt, uteri acetabula plena mucoris habere dicit quæ non poſſunt præ pondere fœtum continere, ſed diſrumpuntur. Quod multò faciliùs accideret in caſu propoſito, ubi non uteri acetabula tantùm, ſed ipſum uteri corpus mucore & humiditate nimia refertum reperitur. Illud tamen verum eſt; non eſſe tale impedimentum ſine remedio, nam validis remediis ad ipſum uterum exſiccandum, ac roborandum antea adhibitis, ſuo loco deinceps retinetur peſſariis quibuſdam, de quibus jam mentionem habui.

Non minorem, ſed fortè certiorem ſterilitatis & 9
impotentiæ concipiendi cauſam haberent mulieres, ſi nimia pinguedine extuberarent; nam apertis verbis *citato l. 5. Aphor.* Hippocrates *Aphor. 46.* docuit, Mulieres præter naturam craſſas non concipere; reddens ejus rei rationem. Et *lib. de Natur. muliebr. n. 191 Si craſſefacta*, inquit, *fuerit mulier præter naturam, non concipit ventre.* Et hoc non tantùm ob id, quod difficulter ob ventris extuberantiam virum admittere poteſt, ſed etiam quia dato quòd virum admittat, ſuperfluens humiditas, & venarum anguſtia, & vaſorum omnium à pinguedine compreſſio, non permittant illam utero concipere, & idcirco univerſaliter loquendo, Mulieres pingues conceptioni minùs habiles, quàm cæteræ, ut unanimiter cum Hippocrate Medici omnes docent. Igitur ubi caſus datur, in quo ambigatur, an mulier potuerit concipere, necne, craſſities præter naturam ſemper faciet maximam præſumptionem pro parte negativa.

[Ad *hunc Titulum* refert Gaſp. Bravo *Conſult. I.* pro propugnanda potentia quorundam Cachectorum editam pro Collegio Medicorum Valliſoletanæ Academiæ: & *Conſult. VIII.* de Impotentia viri ex maleficio.]

LIBRI NONI TITULUS QUARTUS.

DE RESIGNATIONE BENEFICIORUM.

QUÆSTIO Unica.

SUMMARIUM.

1 *Cauſæ, ob quas Ordinarii poſſunt admittere reſignationem beneficii, de quibus Medicus poteſt conſiderare.*
2 *Senex quis dici debeat ad effectum, ut reſignatio poſſit admitti.*
3 *Decrepitus quando incipiat.*
4 *Non omnes eodem numero annorum poſſunt dici Decrepiti.*
5 *Iudex in nullo caſu poteſt ad libitum arbitrari.*
6 *Pro Decrepito ad effectum reſignandi beneficium, quis declarari poſſit.*
7 *Poſt ſeptuageſimum annum non intrat Iudicis arbitrium, an quis Decrepitus dicendus ſit.*
8 *Valetudinarii qui dicantur.*
9 *Valetudinarius ad effectum reſignandi beneficium quis dicatur.*
10 *Tam infirmitas, quàm valetudo ad effectum reſignandi debet eſſe perpetua.*
11 *Infirmus & corpore impeditus differunt.*
12 *Lepra & Pſora pro una eademque infirmitate ſumi poſſunt.*
13 *Lepra mundiſſima in Sacro textu Levitici quanam fuerit.*
14 *Peculiare Lepra vera ſignum eſt, ut caput etiam, & faciem deforet.*
15 *Paralytici, qui unicam partem paralyticam habent, an habeant juſtam cauſam renuntiandi.*
16 *Apoplecticus quando habeat juſtam cauſam reſignandi.*
17 *Epilepticus quando poſſit reſignare, item & vertiginoſus.*
18 *Morbo Gallico detenti quomodo reſignare poſſunt.*
19 *Manuum tremor & Chiragra, non ſunt idem morbus.*
20 *Non modò cæcitas perfecta, ſed alii etiam leviores oculorum morbi ſunt juſta cauſa reſignandi.*
21 *Claudi qui ſint irregulares, qui non.*
22 *Gibboſi omnes an ſint irregulares.*
23 *Hernioſus repellebatur antiquitùs ab adminiſtratione in templo, & quid de præſenti.*

CUm olim in reſignationibus beneficiorum coram Ordinariis extra Romanã Curiam factis, aliquando fraudes intervenirent (fiebant enim pro cujuſque arbitrio, nullis, vel certè levibus de cauſis, & temerè admittebantur) Pius V. Sanctiſſimæ memoriæ peculiari conſtitutione incipiente, *Quanta Eccleſia Dei, &c.* ſancivit, ne Ordinarii reſigna

signationes hujusmodi admitterent absque aliqua ex inibi enumeratis causis, inter quas nonnullæ recensentur, de quarum valore Medicus judicium suum interponere potest, nimirum senium, valetudinem, corporis impedimentum, aut vitium. De his ergo aliquid in medium afferre non pigebit, cùm nonnulla occurrere possint, quæ in ea re dubium excitare valeat, ex Medica officina discutiendum.

Flamin Paris. *de Resignatione Beneficiorum, lib. 5. quæst. 6.* has causas prosecutus quidem est, quæ tamen à nobis peculiarem animadversionem exposcunt.

Primò ergò de senectute loquamur, circa quam ponderandum, Pontificem non inducere pro legitima causa admittendi resignationem simplicem senectutem, sed senectutem decrepitam, ut per ea verba, *Qui aut senio confecti*, satis suam mentem patefacit, unde videbatur incassum dubitari, quis ad
2 hunc effectum resignandi dici debeat senex? Quia, licèt aliàs Judicis arbitrio relinquatur, quis dicatur senex, & præcipuè ad hunc effectum; ut per parisium *loco citato num.7.* & jure, quia ætates non numero annorum, sed viribus mensurantur, ut millies dictum est: Galen. *lib.6.de san.tuend.cap.2.* tamen
3 ubi de Decrepitate agatur, quæ sexagesimo quinto, aut septuagesimo anno suum initium haberet, non debet intrare Judicis arbitrium, cùm neque potest sexagesimum relinquatur Judicis arbitrio decidendũ, quis dicatur senex; Abb. *in c. Quoniam frequenter, num.* 18. Quia post prædictum terminum communiter Ætas pro deplorata habetur: Cardan. *lib. 2. Contrev. Medic tract. 5. contr.* 19. Tamen hoc non
4 obstante certum est, non posse omnes uno, eodemque annorum numero dici Decrepitos, cùm neque omnes eodem annorum numero possint dici senes, nam & Senes, & Decrepiti ex virium constantia, aut imbecillitate dicuntur, quæ non in quibuslibet personis pariter vigent, aut deficiunt, & idcircò id ipsum Judicis arbitrium requirit, nisi vir adeò sit effœtis viribus, ut absque alia ponderatione se talem esse prodat, ut illi adaptari possit hæc conditio, quòd sit senio confectus, ut pontificis constitutio requirit, ad hoc ut ex justa causa resignare quis possit.

Quòd si aliquando Judicis arbitrium requiratur,
5 certum est, quòd Judex neque in hoc, neque in alio quocunque casu indifferenter, & ad libitum arbitrari debet, cùm semper necesse sit, ejus arbitrium aliundè regulari, sive plenum sit (nam & hoc à dolo alienum esse oportet) sive regulatum, in quo Judex Animi sui sensum jure, ratione, & æquitate debet per sententiam patefacere; Menoch. *de Arbitr. Jud. lib. 1. quæst. 6. per totam.* Inspicere ergo debet Judex in hoc casu una ex parte resignantis robur, alia verò ex parte munerum qualitatem ad quæ Resignans
6 obligatur, & tunc suum arbitrium interponere. Itaque pro Decrepito ad hunc effectum declarari potest vir in sexagesimo quinto anno, si quotidie celebrare debeat, si adesse assiduè in choro, & sic de singulis; Contra si semel in mense, aut etiam singulis hebdomadis celebrare tantum, absque alio onere, teneretur eisdem ætatis homo, nequaquam pro Decrepito acceptabitur, neque idcircò ejus resignatio erit admittenda, etiamsi fortè velimus, locum habere opinionem Menoch. *ubi suprà lib. 1.*
7 *cas. 59. n. 2.* volentis, non intrare Judicis arbitrium ad decidendum, an quis Decrepitus dicendus sit post septuagesimum annum, quia difficile est in ea ætate servari sufficienter vires ad satisfaciendum obligationibus quibuscunque etiam levioribus.

Quoad secundam causam, ob quam Ordinarius potest admittere beneficii resignationem, quæ est valetudo, videndum quisnam hîc pro valetudinario sit intelligendus. Paris. *loco citato num.9.* cum Innocentio, Joan. Andr. & Abb. videtur confundere valetudinarium cum infirmo, cùm in rei veritate valetudinarius ab infirmo differat, unde nequaquam acceptanda est valetudinarii descriptio ab ipsis tradita, quam ego aliàs reprobavi *lib. 2. tit. 2. q. 15. nu. 13.* ubi etiam quis verè sit valetudinarius demonstravi, respuens simul opinionem Mercurial. *lib. 4. de Art. Gymn. cap. 8.* volentis valetudinarios esse ipsos infirmos cum à morbo se recolligunt, ita ut valetudinarios cum convalescentibus confundat: Dicebam 8
ergo valetudinarios dici qui propter corporis imbecillitatem facilè & frequenter, ac minima ex causa ægrotant, quæ imbecillitas vel à Natura esse potest, vel ab accidenti, & est vel totius, vel alicujus partis, maximè principis, ut exempli gratia, si quis habeat caput debile, unde ex minima mora sub Sole, ex vẽtorum flatibus, ex levi inedia, ex interrupto somno cõsueto, & id genus aliis levioribus ex causis capitis dolore non aspernabili molestetur, talis, inquam, Valetudinarii nomen meretur. Itaque in hoc casu 9
valetudinarius ille judicabitur, qui ex ipsa satisfactione sui muneris facilè ac frequenter ægrotare potest, ut si propter eandem capitis debilitatem ex assidua præsentia in Choro, ex quotidiana Missæ celebratione, ex ipsa divinorum recitatione, aut alia simili ex causa dolore capitis prehendatur, qui illum obligationi suæ integrè satisfacere non permittat. Jure ergo hujusmodi renunciationem tanquam valetudinarii Ordinarius admittere poterit.

Sed notandum, quòd quomodocunque accipia- 10
tur nomen Valetudinarii, nimirum vel pro ipso infirmo, vel pro convalescente, vel pro eo qui facilè ægrotare paratus est, semper debet infirmitas, & convalescentia, & valetudo esse perpetua, & absque spe sanationis, vel meliorationis ipsius status valetudinarii; nam ubi spes adsit sanationis vel melicorationis hujusmodi, unde brevi possit valetudinarius redire ad sua munia obeunda, irrita evaderet renunciatio, & ab Ordinario nequaquam admittenda nisi justus adesset timor, quod ex ipsa exercitatione munerum beneficii, morbus, aut valetudo repullularet, ut exempli gratia, si Beneficiatus chronicis febriculis, ac naturalium viscerum obstructionibus laborasset, & ex assidua præsentia in Choro timetur reincidentia in morbum, & malam valetudinem, ex qua in Cachexiam, vel in Hydropem labi posset, tunc enim etiamsi præsentes febriculæ, & obstructiones sanabiles essent, ex periculo tamen reincidentiæ & majoris morbi, haberet justam causam renunciandi, & Ordinarius absque nulla hæsitantia posset renunciationem admittere.

Ad valetudinem sequitur corporis impedimentum, aut vitium: Parisius *loco citato à num. 16. ad plures seqq.* dum decidere vult, quisnam dicatur corpore impeditus, aut vitiatus, non satis se explicat, & cum per exempla quædam rem declarare satagit, non videtur metam attingere; quoad corporis enim impedimentum satis patet, omnem morbum habere secum aliquod corporis impedimentum, imò plerique morbi sunt, qui multò majus impedimentum corpori præbent, quàm nonnulli ibi pro exemplo ab ipso adducti, unde non videtur distinguere inter hominem corpore impeditum & morbosum, ac satis fuisset illi hoc modo determinare, corpore impeditum intelligi Hominem morbo ita detentum, ut impediatur sui beneficii obligationibus satisfacere.

Dicen

11 Dicendum ergo videtur, Pontificem in conſtitutione ſua diſtinguere inter infirmum, & corpore impeditum in hoc, quod infirmus ſit qui ob aliquem morbum eſt impeditus: corpore autem impeditus eſt, qui ob alicujus, vel aliquorum membrorum malam conſtitutionem non poteſt ſatisfacere obligationi ſibi à beneficio injunctæ, ut, exempli gratiâ, inſigniter claudicans, alterutrum, aut utrumque brachium contortum habens, manu mutilatus, & id genus alii membrorum defectus, quorum exempla affert ipſe Pariſius, cùm de corpore vitiatis verba facit, diſtinguens eos ab iis, qui corpore ſunt impediti, inter quos numerans Leproſos, Pſora obſeſſos, Apoplecticos, Epilepticos, Lunaticos, alioſque, non videtur ex ratione id facere, cùm, tales infirmi potiùs dici debeant, non corpore impediti; unde ex mea ſententia ſicuti diſtinguendum eſt inter infirmos quos Pariſius corpore impeditos eſſe dicit, & eos, qui verè ſunt corpore impediti, ſic corpore impediti, & corpore vitiati inter ſe diſtinguendi. Sunt ergo cauſæ legitimæ renunciandi beneficium, de quibus Medicus quoque conſiderare poteſt, jam præmeminatæ, quas cùm Pariſius dilucidare vellet, uſus eſt quibuſdam exemplis, quæ, ut mihi videtur, minùs ad rem faciunt, de iis tamen aliquid adjicere operæpretium duco, cùm non levem aliquandò dubitationem excitare poſſint.

Et primò quoad Lepram & pſoram, quarum
12 exempla ille in medium profert inter eos quos dici putat corpore impeditos, adnotandum, utramque infirmitatem pro una, eademque ſumi poſſe, cùm parùm differant, & licèt pſora ſit aliquantò levior, quàm Lepra, tamen quia facilè in Lepram abit, non minùs quàm ipſa Lepra juſta cauſa evadit renunciandi beneficium. Non eſt tamen æqualiter juſta cauſa quædam Lepræ ſpecies, quam ſacer Textus Leviciti *cap.* 3. Lepram mundiſſimam appellat, & de qua Valleſ. *in lib. de ſacr. Philoſ. cap.* 8. quia
13 licèt hæc Lepræ nomen ſortiatur, tamen & benignitate humorum & curationis facilitate cæteras ſpecies longè exuperat. Sed non abſque multa admiratione ſacrum Textũ percurrere mihi licuit, qui narrans, quomodò hæc Lepra hominem inficiat, dicebat: *Sin autem efflorverit diſcurrens Lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite uſque ad pedes, quicquid ſub aſpectum oculorum cadit, conſiderabit eam Sacerdos, & teneri Lepra mundiſſima judicabit, & idcirco Homo mundus erit.* Quomodò enim, inquam, in tanta humorum colluvie dicemus, Hominem mundum eſſe, præſertim Lepra etiam caput, & faciem obſidente? Certum namque eſt, hoc eſſe veræ Lepræ peculiare ſignum, nempè ſi non ſolùm occupet totum corpus, ſed etiam caput, & faciem deforet, & idcircò ex Medicis ſunt,
14 qui nolunt poſſe dici veram Lepram illam, quæ faciem, & caput non cooperiat, Bernardin. Gordon. *in lib. Med. part.* 1. *capit.* 31. *verſic. Iſta materia.* Unde Valleſii opinio, quòd idcò hujuſmodi Lepra dicatur mundiſſima in Sacro Textu, quia copioſa materiæ expurgatione oſtendit internas partes eſſe ab infectione liberas, non videtur veriſimilis, quia in quacunque Lepra, & maximè in vera, fit copioſa illa materiæ expurgatio ab intrà ad extrà, ſed quandocunque materiæ excretio fit ex robore ipſius Naturæ, fit per loca conſueta, & magis ipſi Naturæ familiaria; at in affectibus hiſce Natura ſolet quidem per totam cutem ſe exonerare, intacta tamen facie, quæ tamen demum inficiunt, cùm non ſolùm à copia, ſed à materiæ malignitate obruitur; præterquam quod materia producens Lepram cum ſit melancholica & exuſta, nunquam ſurſum à Natura demandatur, niſi à violentia pravitatis ſurſum in faciem & caput irrepat. Dicendum fortè videtur, Sacrum Textum ſumpſiſſe Lepræ nomen latiſſimè, ac Lepram mundiſſimam vocaſſe infectionem quandam cutaneam, carnes non deſœdantem, unde neque pilorum mutationem, neque ipſam Lepram in cute, & carne reliqua reperiri vult, idcircò utitur eo loquendi modo, *ſi autem efflorverit*; quaſi extimam tantùm cuticulam obſidens, & quæ facilè cedere eſt apta, unde neque aſperitatem in ea adeſſe memorat, ſed diſcurrendo relinquere ſubjectam carnem naturali colore dotatam, ac fortè de quadam cutanea infectione intelligit, variolis, aut morbilis ſimillima, licèt contendat aliquis neque Variolas, neque morbillos tunc fuiſſe notos; ego verò dico fortè his ſimillimam infectionem Sacrum Textum intelligere, quia verè in his affectionibus effloreſcere videtur cutis, & repentè totum corpus, & quicquid ſub aſpectum oculorum cadit, inficere.

Quoad Paralyticos adnotandum, eos in unica 15
parte interdum affici, cujus uſus ad miniſtrandum non eſt neceſſarius, ut exempli gratia, ſicut qui caput tantùm tremulum habent, de quibus non videretur ſic liberè pronunciandum, quòd ex ea cauſa Ordinarius poſſet eorum reſignationem admittere, quia reliqui corporis uſum, quo indigent ad miniſtrandam, liberum habeant. Veritas tamen eſt, quòd licet aliqui paralyſim tantùm capitis patiantur, habent tamen proximam cauſam communicandi ægritudinem cæteris membris, ſatiſque eſt caput, quod cætera omnia membra regit, tam inſigniter malè affici, unde judicandum habere hujuſmodi Paralyticos juſtam cauſam reſignandi.

De Apoplecticis diſcutiendum eſſet, an ſuffi- 16
ciat ad juſtificandam cauſam reſignationis, quod Homo ſemel, aut iterum Apoplecticum ſympтoma paſſus ſit; nam ſunt qui Apoplexiâ ſemel prehenſi, ab ea ſeſe recolligunt, & in poſterum ſani vivunt, unde non videretur ob unicum Apoplexiæ inſultum reſignationem ab Ordinario eſſe admittendam. Videtur ergo dicendum, quòd ſi ceſſante paroxyſmo Apoplectico nulla corporis pars inſigniter læſa remaneat, nec ullum membrum ſenſu, aut motu orbatum, aut Paralyſi affectum, nec relicta videatur ulla diſpoſitio rencidendi, Apoplexiæ inſultus jam prægreſſus non ſit juſta cauſa reſignandi. At verò ubi aut inſignis corporis imbecillitas, & mala valetudo, & alicujus, vel aliquorum membrorum paralyſis ab Apoplexia remanſit, homo habet juſtam cauſam reſignandi non modò reſpectu ſtatus præſentis, ſed reſpectu timoris recurſus ejuſdem paroxyſmi: quando ergo Jureconſulti dicunt Apoplexiam impedire quò minùs aliquis ad ſacros Ordines promoveri poſſit, Rota *in Florentin. Canonicatus Junii* 1630. *coram Veroſpio n.* 9. intelligendum de Apoplexia relinquente poſt ſe ſui inſultus reliquias.

Idem dubium excitari poſſet de Epilepticis, cùm 17
veriſimile non ſit, Pontificem voluiſſe, eſſe admittendam beneficii renunciationem ejus, qui ſemel, aut iterum Epilepſiam paſſus eſt, ſed ejus tantùm qui frequenter, ac levi ex cauſa ab illa moleſtatur, ita ut periculum ſit, ne inter ſatisfaciendũ muneri, ad quod obligatur, ejus inſultu corripiatur, ut maximè timendum eſt in iis Epilepticis, qui Lunatici appellantur ex eo quod ad Novilunia,

vel Plenilunia ſymptomate Epileptico corripiuntur, vel etiam frequentiùs & terribiliùs, ac minima quoqae ex cauſa. Sed qui rariſſimè hoc ſymptoma patiuntur, niſi habeant naturalem propenſionem ad illud incurrendum, non habere juſtam cauſam reſignandi; unde neque ab Ordinario admittenda. Neque enim ſemper verum eſt id, quod Rota dicebat *in Bononienſ. Profeſſionis 9. Decembr. 1610. num. 19.* nimirum impoſſibile eſſe, morbo caduco obnoxium frequentiſſimè non cadere, cùm, ut dictum eſt aliàs, aliqui ſemel, aut bis in toto vitæ curriculo ex eo morbo ceciderint, Rotam autem locutam eſſe exiſtimandum de morbo caduco gravi & confirmato. Habere autem Homines naturalem propenſionem ad hunc morbum elicitur ex conſideratione aſpectus, & oculorum, & ex obſervatione facta in erroribus per eos commiſſis in victus ratione; habent enim aſpectum melancholicum, oculos obtenebratos, colorem fuſcum, & ſi à Sole, vel à ventis, vel à ciborum & potuum pravitate, & copia non abſtineant, facillimè vertigine aut ipſo ſymptomate Epileptico infeſtantur.

Sed & vertiginoſi nempè qui frequenter, & minima ex cauſa non levem vertiginem patiuntur, habent tanquam ipſi Epileptici juſtam cauſam reſignandi beneficia, quia habent proximam diſpoſitionem ad Epilepſiam, & facillimè evenit, ut hujuſmodi vertigines in Epilepſiam terminentur, ut practici omnes tenentur Gal. *li. 3. Aphor. 17.* Avic. *3. 1. doct. 5. cap. 1.* Mercat. *de intern. morb. cur. lib. 1. cap. 9.* Sennert. *lib. 1. Pract. part. 1. capit. 4.* Mercurial. *Pract. lib. 1, cap. 11.*

18 De iis porrò, qui morbo Gallico laborant, non adeò jejunè pronunciandum, ſed facta diſtinctione inter morbum levem, gravem, & graviſſimum, & inter morbum, qui manifeſtum ſe per ſigna evidentia externa facit, & illum, qui nullo ſimili ſigno ſe prodit; nam certum eſt in levi morbo, neque ullo ſigno externo conſpicuo non poſſe admitti beneficii reſignationem; in gravi autem, & graviſſimo, & eo qui per ſigna externa manifeſtatur, eſſe admittendam. Signa autem evidentiora ſunt dolores capitis, aut Artuum de nocte magis affligentes, ulcera maligna, maximè in ore, & palato, raucedo perpetua, tumores, & gummata membrorum, depilatio maximè barbæ, & ſuperciliorum, & id genus alia. Non eſt tamen morbus Gallicus etiam gravis ob contagium juſta cauſa reſignandi, ut vult Pariſius, quia non tam facilè communicatur hic morbus ut ille credit, ſed tantum per coitum, & longam, arctamque converſationem, & maximè inter Homines ſexu differentes.

19 Denique Pariſius affert octavum exemplum ejus, qui habet manus tremulas & Chiragram, confundens manuum paralyſim cum Chiragra, qui affectus toto cœlo inter ſe differunt, ac de Paralyſi jam ſuprà dictum eſt. De Chiragra non eſt quod aliquid addamus, niſi tunc illam eſſe legitimam cauſam reſignandi, cùm ex ejus violentia manus ad motum fiunt impotentes; nam aliàs ſi quis dolores Chiragricos aliquando pateretur, iiſque remittentibus liberum haberet manuum uſum, non haberet juſtam reſignandi cauſam, quia impedimentum non eſſet perpetuum, ut requiritur. Illud tamen inficiari non debemus, Chiragram nunquam ſolum ægrum afficere, ſed ſemper cæterorum articulorum doloribus aſſociari, unde conſequens eſt, Chiragricum habere ſemper juſtam renunciandi cauſam.

Proſequitur deinceps Pariſius quartam cauſam, ex qua Ordinarius poteſt admittere beneficiorum reſignationem, quæ cauſa comprehendit eos, qui corpore ſunt vitiati, nempè qui externorum membrorum privantur aliquo, aut pluribus, vel ea habent inutilia, aut aliqua inſigni labe deformata, 20 afferens nonnulla exempla, ut de Cæcis, de Claudis, de Gibboſis, & aliis hujuſmodi: de Cæcis non eſt, quòd quicquam adnotemus, niſi quòd non modò conſummata, ac omnimoda cæcitate detenti habent juſtam cauſam renunciandi beneficia, ſed etiam qui inſigniter viſionem læſam habent & pannis, nubeculis, adſtrictione, vel dilatatione pupillæ, & aliis hujuſmodi morbis impeditam. 21 Non ſic autem pronunciandum de Claudis: nam ubi modicè, & non indecorè quis claudicet, non habebit juſtam cauſam reſignandi, quemadmodum irregularis non dicitur eſſe claudus; qui ad ambulandum non indiget baculo- Summa Sylveſtr. *verb. Corpore vitiatus, num. 5.* Summa Ang. *verb. eodem, num. 30.* Navarr. *in Manual. ſacerd. cap. 27. numer. 199.* quod quidem ita accipiendum ſi ad ſolâ claudicationem reſpiciamus, nam alias poteſt claudus non indigere baculo, & tamen turpiter claudicare, unde reſpectu ejus turpitudinis erit irregularis; quia tales ex eorum numero ſunt, de quibus Hippocrat. *lib. de Articul. ſect. 4. num. 76.* dicebat, eos claudicationis figuram turpem neceſſariò incurrere. Idem de Gibboſis videtur determinandum, nam modica gibboſitas, nec magnam turpitudinem afferens, non eſſet pro cauſa juſta reſignationis admittenda, quemadmodum non prohibet Hominem à promotione ad Sacra, & ad eorum adminiſtrationem, Summ. Sylveſtr. *ubi ſupr. verb. & num. eiſd.* Qui verò cupit notum habere, quænam gibboſitas majorem, aut minorem deformitatem, aut majus, vel minus incommodum ſecum habeat, videat quæ attulimus *lib. 8. qq. tit. 1. q. 15. num. 5. & ſeqq.*

Sed præter eos, qui corpore vitiati ſunt, quos nominat Pariſius, de aliis generalem mentionem habens, eſſent nonnulli, qui dubium aliquod excitare poſſent, de quibus tamen nihil addam, ſi modò de Herniоſis aliquid adducere liceat: nam in Lege Veteri *Levit. cap. . .* inter morbos ob quos Homines repellebantur ab adminiſtratione in Templo, recenſetur etiam Hernia, quam tamen præbere juſtam cauſam reſignandi, non tam liberè admittendum, cùm conſtet Hernioſos aptis ſubligaculis ſibi caventes in nulla operatione impedimentum habere, præterquam quod, cùm hoc vitium facilè contegatur nulla indecentia, aut turpitudine ex ea emanare poteſt: unde non videtur nobis Veteris Legis rigore opus eſſe.

LIBRI NONI TITULUS QUINTUS.

DE TERMINO SUMENDÆ EXPERIENTIÆ eorum, qui de Peste suspecti sunt.

Appendix ad Titulum Tertium Libri Tertii.

SUMMARIUM.

1 *Pestis suspecti per quadraginta dies detinentur segregati.*
2 *Terminus acutorum morborum est quadragesimus dies.*
3 *Morbus acutus habet suum motum celerem.*
4 *Pestis venenum secundùm aliquos potest latitare in humanis corporibus per duos menses.*
5 *Pestis venenum non semper est unius naturæ.*
6 *Quadragenarius terminus ad sumendam experientiam eorum, qui de Peste sunt suspecti, diutnior est, quàm conveniat.*
7 *Terminus quadragenarius respectu vestium & aliarum rerum de Peste suspectarum, aut non est sufficiens, aut est nimis excedens.*
8 *Quadragenarius terminus respectu corporis infecti, vel non est necessarius, vel est nimis diuturnus.*
9 *Terminus quindecim dierum ad sumendam prædictam experientiam est etiam nimis diuturnus.*
10 *Terminus sumendi experientiam de Peste suspecti non potest rationabiliter definiri.*
11 *Quomodo & quanto tempore sumenda hujusmodi experientia.*
12 *Cautela in aliquibus personis adhibenda*
13 *Calida venena motum habent celerem, & impetuosum, frigida verò tardum ac lentum.*
14 *Pestis venena quoad primas qualitates omnia sunt unius ejusdemque rationis, nempe calidissima, & maxima activitatis.*
15 *Non omnes de Peste suspecti eodem dierum numero sequestrandi, sed alii serius liberandi.*

De Peste & Contagio.

QUÆSTIO UNICA.

IAm in consuetudinem abiit (postquam nimis succrescens contagii metus hominum mentes irremediabiliter oppressit) ut qui de Peste suspecti sunt, longè arceantur, veluti qui è loco peste infecto adveniunt, vel qui cum peste infectis, vel de ea suspectis versati sunt, aut aliquo modo tetigerunt; vel eorum expirationem exceperunt, vel eorum rebus usi aliquo modo sunt, hi enim omnes, ac singuli per quoddam tempus ab hominum sanorum consortio segregantur, ut de ipsis experientia sumatur, an ullum Pestis seminium secum habeant, ex quo
1 sani in periculo sint, ne inficiantur. Terminus hic, licèt communiter restrictus videatur ad quadraginta dies, unde Quadragena dicta, ut ex Iureconsultis testatur Follerius *in libell. pro custod. Pestis, num.* 171. Prævidell. *de Peste part.* 7. *art.* 21. & ex Medicis Cæsalpin. *l.* 3. *suæ Pract. c.* 52 Massa, *de febre Pestil. tract.* 2. *cap.* 1. Septal. *de Pest. lib.* 4. *cap.* 6. Aliqui tamen hoc termino non contenti quinque alios dies illi addendos volunt, sed & alii illum ad quinquaginta extendunt, non alia ratione illum terminum protrahentes, nisi ut majori cautela (quam ipsi nunquam sufficientem credunt) in hoc negotio procedatur. Sed cùm communiter. Quadragenarius terminus acceptior sit, ut jam dictum est, videndum esset, quamnam rationem habeat hæc temporis determinatio? Ex Iureconsultis Foller. *ubi supra, num. eod.* ex Practicantium, nempè Medicorum discursu di- 2
cebat, quod ultimus terminus Morborum acutorum, & ipsius febris Pestilentis est dies quadragesimus, unde infertur, quòd ubi in dicto termino non appareat aliquod signum denotans infectionem Pestiferam, nullum adsit in eo corpore morbi hujusmodi principium. Hanc opinonem Follerius à Medicis, ut dictum est, desumpsit, quæ quidem deductio non videtur alicujus momenti, ac valde miror, quonam pacto Viri doctissimi ex suppositione illa, quòd terminus acutorum morborum sit quadragesimus dies, deduci firmaverint, eodem modo quadragesimum diem esse terminum sumendæ experientiæ, an aliquis sit peste infectus necne, volentes idem procedere in humorum motu à morbo facto, quod in veneno pestilenti alicui corpori hærenti, quod tantundem est, ac si dicas, equus currit singulis diebus quadraginta milliaria, si currere incipiat, ergo etiam equus in stabulo residens currit totidem milliaria; aliud enim est morbum acutum dependentem ab humore in motu existente terminari quadragesimo die, aliud venenum latens in corpore & nullo motu concitatum debere de se significationem præbere, ac in lucem progredi termino quadraginta dierum: 3
nam morbus acutus non solùm habet motum, sed habet motum celerem, & cùm in humoribus sedem habeat, ab ipsa natura contra ipsum morbum pugnante, humoribus motus ille conciliatur, qui ut plurimum non pertransit terminum quadraginta dierum; at venenum adhærens in corpore nominis, quousque nullam de se significationem præbet, nullo modo movetur, & nullum habere potest regulare principium sui motus, cùm neque à Natura regatur, neque idcircò Natura illud determinato tempore adoriatur, ut illud à corpore expellat, tunc enim in motu poniturs & morbus jam præsens est, qui Pestis dicitur. Potest igitur hoc venenum moveri à Natura aliquando serius, aliquando citius, prout aliqua irrepserit causa dans illi motum, ex quo ad interiora penetret; & pestem detegat; sed interim si potuit per quadraginta dies in corpore residere, poterit etiam residere per octoginta, imò & per longius tempus, unde non potest ex suppositione termini quadragenarii in morbis acutis ulla ratio assignari diuturnitatis hujusmodi termini quadragenarii. Sed cur non poterit alia ex parte intrà hunc terminum venenum illud resolvi, & in auras evanescere? Et quid obstat, quò minùs id vel sponte, vel ex aliqua hominum industria brevi nonnullorum dierum spatio succedere non possit?

Follerius loco superiùs citato ex auctoritate 4
Marsilii Ficini dicebat, quod Pestis venenū in corporibus humanis potest latitare per duos menses, ita ut secundùm hanc opinionem assignatus terminus quadragesimi diei esset protrahensdus ad sexagesimum: restringit tamen hoc dictum ea cautela, ubi non fieret debita corporis suspecti expiatio, nam facta hac diligenti, & exactà expurgatione per medicamenta & antidota requisita per quatuordecim

dies dari voluit ſecuritatem. Sed hæc gratis, & ex propro marte à Marſilio Ficino prolata nulli, ſaltè apparenti, rationi innititur, unde neutra cõcluſio ulla firmitudinem habet; & ſi res, ut decet, expendatur, nulla certitudo de hujuſmodi termino haberi poteſt: Nam primò experientiæ Ficini dictum contrariatur; quia compertum eſt, multos poſt ſumptam de ipſis experientiam per quadraginta dies, imò etiam per multò plures, tandẽ peſtis ſeminium in ſe continere prodidiſſe; & licèt contra id opponi poſſit, quòd tales de novo peſtis venenum conceperint, & non attulerint illud aliundè, hoc gratis dicitur, neque ulla unquam ratione firmari poteſt, cur non ultrà quadraginta dies potuerit illud venenum latitare; certum autem eſt contagij ſeminia non ſolùm per quadraginta dies, ſed per totidem, ac plures menſes aliquando ſervata fuiſſe in veſtimentis, in culcitris, aliiſque id genus rebus, ut videre eſt in Hiſtoriis relatis à Schenck. *lib.6. Obſerv. tit. de Peſte*, licèt fortè tales Hiſtoriæ à nonnullis in medium allatæ ſint ad excitandam admirationem, nam multi, dum opiniones proprias tueri volunt, per affectata quædam miracula nobis imponere ſatagunt; ſed de earum veritate aliàs.

5 Secundò Peſtis venenum non ſemper eſt unius, ejuſdemque naturæ & conditionis; nam aliquando magis, aliàs minùs activum eſt, aliquando recipi poteſt in materia tenui, & vaporoſa, interdum in materia humorali denſiori & tenaciori: ſi primo modo eveniat, tantiſper hærere poteſt in corpore, & niſi illicò penetret, & per carnis poros intrò attrahatur, modico tempore diſſolvitur, & in auras evaneſcit. Si ſecundo modo fiat, diutiùs hærere poterit, nec tam facilè attrahitur per cutis poros. Corpora item variant mille modis, præcipuè verò calidiora venenum citò concipient, illudq; citò ſuos effectus producet, nec diù retinebunt; frigidiora contrà ſeriùs venenum concipient, & diutiùs retinebunt, effectus autem illius ſeriùs apparebunt. Eodem quoque pacto, quæ magis poroſa ſunt, facilè venenum intrò admittent, minùs poroſa difficiliùs; atque his omnibus majorem occaſionem præbebit Aëris conſtitutio; in calidiori enim tẽpeſtate venenum citiùs concipitur, & citiùs diſcutitur; in frigidiori difficiliùs admittitur, & difficiliùs diſcutitur, ita ut ſi has differentias adnotemus, coacti affirmabimꝰ, nequaquam poſſibile eſſe, ut unus, idemque dierum terminus pro ſumenda de ſuſpectis experientia ſufficere poſſit. Quid ergo? an variandus hic termus pro varietate ſubjectorum, pro natura, & conditione veneni peſtilentis, pro conſtitutionis temporum varietate, pro temperamentorum diverſitate? certè hoc non modò operoſum eſt, ſed impoſſibile ut executioni demandetur; unde neceſſarium eſſet inquirere, an quoquomodo aliis terminus, qui tutus ſit, aſſignari univerſaliter poſſit. Ego certè, ut ingenuè meam ſententiam proferam, inanem, ac ſuperfluum & omninò inſufficientem quemcunque terminum exiſtimaverim ad ſumendam hujuſmodi experientiam aſſignatum, ac uni corporum diligenti & exquiſitæ expiationi fidendum cenſeo. Tamen ne ſuperbè nimis in re tanta à communi hominum perſuaſione recedere omni ex parte videar, Ludov. Septalii *in lib.4. de Peſte c.7.* Medici in hac re expertiſſimi ſententiam in medium afferam, hic enim præ omnibus materiam hanc diligentiùs exagitavit, & omnia ac ſingula, quæ circa Peſtẽ ſunt obſervanda, 6 diligentiſſimè proſecutus eſt. Acerrimè igitur diuturnitatem termini quadragenarii impugnat, quem etiam diuturniorem eſſe, quàm expediat, ſi indifferenter in quocunque caſu talis eſſe debeat, dicit Nicol. Maſſ. *de feb. peſt. tract. 1. c.2.* ac profectò Septalii rationes maximè urgent, quibus concludentiſſimè probat, impoſſibile eſſe, Peſtis venenum, cùm ſit ſummæ activitatis, tam diù in vivente corpore latitare, abſque eo, quod nullam afferat noxam; & ad difficultates, quæ moveri poſſunt contrà hujuſmodi concluſionem, pleniſſimè ſatisfacit.

Sed his, quæ à Septalio adducta ſunt nonnulla addi poſſe videntur, quæ magis magisque ejus ſententiam roborare valeant, ac primò dixerim, quòd terminus hic quadragenarius vel ſervatur reſpectu infectionis, quam ex veſtibus & aliis operimentis homines concipiunt, vel reſpectu corporis ipſius ſuſpecti; ſi fiat reſpectu infectionis in veſtibus conceptæ, aut hic terminus non eſt ſufficiens, aut Arte & diligentia ita abbreviari poteſt, ut non pertranſeat ſpatium trium dierum, aut paulò plurium ad ſummum. Non eſt ſufficiens, quia veſtes, aliæque res ex Lana, 7 Lino, Cannabe, Goſſipio, Pilis, & ſimilibus, materiebus confectæ, non modò ad quadraginta dies, ſed ad annos retinere poſſunt contagium, ut firmat Alex. Benæd. *in lib. unic. de Peſtil. febr. c.3.* Culcitra, ut ferunt, poſt ſeptem annos infecta in uſum denuò convocata, licèt diligenter diſcuſſa, Venetiis denuò peſtem excitavit, quod non credo, ſed ab Aëris potiùs vitio excitatam fuiſſe, & in culcitram culpam omnem rejectam, ut perpetuò fieri ſolet, nulla enim de novo Peſtis pullulare conſpicitur, quam non credant, ac ſibi ſeriò perſuadeant homines ex aliquo advena, vel ex aliqua re infecta adſportatam credant, de Aëre verò ne verbum quidem. Peſtem Romæ præteritis annis vagantem ex vitta ſericea annulos aureos excipiente, excitatam volunt. Panormi, ſi rectè memini, ex filo uniones colligante originem habuiſſe. Vide quas inanes minutias addu cant quidam, ut peſtem ex contagio ſemper pullulare probent. Sed quoad tempus, per quod ſervari poſſit contagium, jam & illud jactant, chordas, quibus infectorum cadavera ſepulchris inferebantur, ſuprà tringinta annos (miror quod ſupra centum non dixerit) deliteſcentes, tandem Peſtis contagium intulerunt, narrante Vict. Trincavel. *lib. 3. conſ. 17.* ex quo repetit Schenck. *lib.6. Obſerv. tit. de contag.* Sed quid plura? Telam Araneam Peſtis ſeminium poſt ſex menſes retinuiſſe, & in manum cujusdam domum mundantis delapſa illum peſte affeciſſe, unde etiam Peſtis univerſalis exorta, teſte Pet. Foreſt. *lib. 6. var. Obſer. num. 22.* apud eumdem Schenck. *ibid.* & in ſumma, ſeminia Peſtis ad duos, ac tres annos in rebus infectis perdurare, & in ſua malitia ſervari docet Fracaſt. *lib. 1. de contag. cap.4.* Hæc tamen mihi nimis affectata miracula videntur ad deterrendos homines, vel ad ſtuporem excitandum promulgata; non tam rebellis naturæ exiſtimo ſeminia illa, vel corpuſcula rebus hærentia, & contagium retinentia, quin tractu temporis non longo, evaneſcere non debeant. Aër ipſe omne vitium contractum emendare facilè poteſt. Non negaverim tamen ad longius tempus retineri talia ſeminia poſſe, ſi res infectæ conculcatæ aſſerventur, abſque eo quod ab Aëre ullo modo alterari poſſint, licèt & hoc difficultate non careret, ſi poſt longum tempus id fieret: Aër enim omnia permeat, & vix credibile eſt hujuſmodi res tam longo tempore conculcatas ſervari, ſtante maximè contagii ſuſpicione. Itaque non erit ſufficiens terminus quadragenarius ad reddenda veſtimenta, & alia id genus immunia à contagio jam contracto, quia, ut in Hiſtoriis jam relatis patet, poteſt aſſervari ad multos annos. Alia autẽ ex parte reſpicientes contagium in hujuſmodi rebus adhærens, terminus quadragenarius eſt nimis

excedens,

excedens,qui ſi emendari,& diſcuti ullo modo poteſt, id, diligenti ura adhibita,licebit executioni
8 demandare brevi paucorum dierum ſpatio.

At ſi Peſtis contagium infecerit Hominis ipſius corpus, tunc vel intrò penetraverit,& internis partibus ſeſe inſinuaverit,vel tantùm cuti,pilis, capillis, partibuſq; externis adhæſerit,nulla ulteriùs neceſſitas erit quadragenarii termini ad ſumendam hujuſmodi experientiam, utrum Homo infectus ſit, necne, quia ſi internas partes occupaverit, non eſt poſſibile, tam exitiale, ac tantæ activitatis venenum,quale eſt Peſtiferum,abſq; eo quod nullam de ſe præbeat ſignificationem, intra corpus vivens vel per minimâ horæ partem latere:cùm enim corpuſcula illa, quæcunq;ſint contagii ſeminium habentia,ſint multò magis quàm aliud quodvis exitialiſſimum venenum exitialia, & ſupra omnem imaginationem Naturæ inimica, & caliditate ſumma inſignia, fieri non poteſt, quin de repente ſua activitate in Naturam inſurgant, vel quin ipſa Natura inſurgat contra illa ſumma vi tentando illa extra corpus protrudere, aut alio quocunque modo ab eorum pernicie ſeſe tueri, & vindicare,ac tunc emerget inter ea ſeminia,& ipſam Naturam pugna, quæ nihil eſt,quàm ipſe morbus,ipſa Peſtis,in qua cauſæ morbificæ & caloris naturalis motus fit, quo alter alterius vires vincat atque proſternat.

Sin autem Peſtis contagium exterius adhæſerit, non minùs extergi, ac emundari è corpore infecto poterit, quàm poſſit ex veſtimentis,aliiſq;ſimilibus rebus,ut ſuprà dixi,imò multò faciliùs,quia corpora ipſa lotione diligenti cũ lixivio & ſapone facta, pilorum & capillorum deraſione,aliiſque cautionibus ab omni inquinamento brevi trium dierum ſpatio perfectiſſimè expiari poſſunt,ut admonet eſſe ſemper faciendum ipſe Septal. *loc.cit.* Itaq; quadra-
9 genarius terminus pro ſumenda tali experientia in hoc caſu ſuperfluus omninò erit, vel nimis ſaltem excedens : ita ut neq;iis libenter aſſentiar, qui prædictum terminum, ad quindecim, aut viginti dierum ſpatium reſtringunt : nam & hunc nimis diuturnum eſſe exiſtimo,non enim debet fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & dummodò prædictæ cautiones adhibeantur, & maximâ curâ vel in minimis rebus invigiletur, ad omnem timorem etiam præter rationem nos occupantem abigendum, trium, aut ſummum ſeptem dierum ſpatio (his quatuor diebus timiditati dominum inſuper conceſſis)nos ab omni Peſtis ſuſpicione undequaq; tutos reddere poſſe judico : quod quantò cum minori miſerorum advenarum incommodo,ac diſpendio futurum eſſet, abſque eo quod publica ſalus in aliquo periculo conſtitueretur, nemo eſt, qui non noverit.Quàm durum enim, & contra omnem pietatem eſt, homines ad nos maximè ſocietatis, & commercii cauſâ accedentes, per tot dies tanto rigore in carcere detinere, dum ſalva publica ſalute, poſſit ea durities tantoperè emolliri ? nam Reipublicæ quidem ſummoperè intereſſe exiſtimandum, ut Homines in tam atroci tempeſtatis conſtitutione, in tanta animorum conſternatione, in tanta perſonarum anxietudine, in tanto rerum terrore, ſi fieri poſſit, alleventur, cùm hæc ipſa omnia tam longo quadraginta dierum termino eos exercentia facilè illos diſponant ad concipiendam peſtem, aliàs ab ejus pernicie evaſuros.

10 Cæterùm quòd terminus ſuſcipiendæ hujuſmodi experiẽtiæ poſſit hoc aut illo dierum ſpatio præfiniri,ego quidem non video,cùm nulla detur ratio à parte rei, cur longior, aut brevior eſſe debeat : ſiquidem contagii venenum vel quòd in aliqua materia hominum uſui deſtinata,vel quod in ipſis hominum corporibus hæreat, nullum regulare,aut determinatum princ p um ſui motus habere poteſt, nam ex ſe quidem talem motum non habet, unde quandocunque motum habet, ab extrinſecò & per accidens habet, ut à calore attrahente illud, vel illi quomodocunque motum conciliante:at eorum,quæ per acidens moventur neq; conjecturaliter, neque ſcientificè cognitionem habere poſſumus ; quando moveri incipiant : præterquam quod certi eſſe non poſſumus, an verè ea, quæ ſuſpecta ſunt, contagio ſint infecta, necne:quanam ergo ratione divinare poſſumus contagii ſeminia poſt quadraginta dies non amplius adeſſe, ſi nec ante quadraginta novimus de certo adeſſe ?

Igitur cùm hæc quadragenarii ſpatii determinatio nulli innitatur vel apparenti ſaltem rationi,neq; inſuper alia determinatio alterius certi ſpatii fieri ex ratione poſſit,videtur jure optimo concludendũ, nulli termino in hoc negotio eſſe fidendum, ſed 11
ubi ſumenda experientia ſit, an aliquis contagium ſecum habeat,necne, ſufficiet curare, ut indumen- 12
tis omnibus, ac ſingulis mutatis,ac corpore lixivio, & ſapone iterata, ac replicata lotione abſterſo, etiam ſecundùm caput, & inguina, aliaſque partes pilis, aut capillis conveſtitas, imò etiam, ſi ſic expediat, pilis ipſis, ac capillis omnibus undequaque abraſis, in bona, imò optima habitatione quoad fieri liceat detentus, ac convenienti diæta imperata poſt tertium diem, aut ſi timiditas noſtra majorem diligentiam expoſcat, poſt quinque, aut ſeptem ad ſummum dies ad hominum cæterorum ſocietatem admittatur.

Sed hìc cuidam dubitationi ſatisfaciendũ à nonnullis excitatæ aſſeverantibus, quod quemadmodùm ex venẽnis aliqua ſunt, quæ tardè admodum, nempè ad menſes,& annos de ſe ſignificationẽ præbent, ita etiam Peſtis venenum abſq;eo quod ullo modo patefiat,poſſit ad menſes, & annos latere, & ſic non inane eſſe ſumere experientiam de ſuſpectis per quadraginta dies,hoc enim ſpatium tam longũ videtur,ut ſi quæ labes in ſuſpecto lateat,debeat intra prædictum terminum aliqua ratione detegi. Sed 13
reſpondetur primò, quod non eſt par ratio in quocunque veneno,nam venenorum aliqua calida ſunt, aliqua verò frigida,& ſicuti calida celeriter,& cum impetu ſe movẽt;ita frigida ſerò,ac lentè movẽtur: At Peſtis omne venenum quoad primas qualitates, eſt unius,ejuſdemque rationis,omnia enim calidiſſima ſunt, ac celerrimi motus,& ſummæ activitatis, 14
ita ut morbus inde excitatus ; vix pertranſeat ſextam diem,nam antè quartam,ut plurimũ;aliquando etiam citiùs, imò & ipſa eadem die, qua prehendit, occidit, non aliam ob cauſam niſi ob violẽtiam,& malitiam extremam ipſius veneni peſtilentis ; ob quam impoſſibile eſt,ut immotum maneat, & nullam de ſe ſignificationẽm præbeat illicò atque in corpus penetraverit.

Illud unum tamen prætereundum non eſt,nempè 15
majorem multò cautelam eſſe adhibendam in admittendis advenis illis,qui non ſolum è loco ſuſpecto adveniunt,ſed conſtat eos ob annonæ caritatẽ pravis alimentis, ac parcè & duriter per aliquod tempus uſos eſſe : fieri enim facilè poteſt, ut hujuſmodi perſonæ peſſimis, ac malignis humoribꝰ ſcateant, qui tamen nondum putredinalem caloré conceperint,& ſic nullam de ſe ſignificationẽ præbeant: hujuſmodi enim perſonæ etiam cõtagii ſeminium in ſe non habeant, habent tamen proximam diſpoſitionem ad concipiendas febres malignas, & peſtilentes,unde occaſione mutationis Aëris(etiamſi ex

Aëre illaudabili in laudabilem se conferant, quæ mutatio solet semper motum in corporibus excitare) morbus detegitur non sine malignitatis charactere, & Pestis suspicione, ut Medicis omnibus notum est. Has ergo personas (quales sunt extrema paupertatis miseria laborantes) operæpretium est per plures dies decenti victus ratione regere, ac adhibitis suprà recensitis cautelis de corporis expiatione per lotiones, & vestimentorum mutationes non ante spatium quindecim dierum permittendas censeo, ut aliorum hominũ consortio frui possint: nam & Marsil. Ficin. *in Epidem. Antidot. c. ult.* asseverabat, Homines de Peste suspectos etiam spatio quatuordecim dierum purificari. Mihi verò libet cum distinctione procedere, & eos quos constat pravis alimentis enutritos, longiori tempore in custodia retineri, cæteros non longiori ad summum, quàm septem dierum, adhibitis tamen commemoratis cautionibus. Nam etiamsi contagii venenum secum deferant, nihil obstat, quo minùs prædictis diligentiis à corpore expelli possit, nisi adsit apparatus morbosus in corpore, ut de iis, qui cibis pravis sunt enutriti, faciendum dixi.

LIBRI NONI TITULUS SEXTUS.

ARS CONFICIENDI SERICUM, AN TEMPORE PESTIS sit excludenda à Civitate tanquam Ars immunda.

Appendix ad Titulum Tertium Libri Tertii.

SUMMARIUM.

1 *Artes immundæ tempore pestilenti prohiberi possunt. Amplia etiam extra tempus pestilentiæ, n. 3.*
2 *Ab exhalationibus fatidis aliunde elevatis Aërem facilè inficì posse.*
4 *Pestis aliquando ex corruptorum cadaverum humanorum fœtore, aliquando etiam brutorum excitatur.*
5 *Pestis secundum aliquos expellitur projectione cadaverum per vias occisorum animalium. Contrarium, n. 6.*
7 *In peste omnis cura adhibenda in Aëris exsiccatione.*
8 *Ars conficiendi sericum non est inter immundas adnumeranda.*
9 *Tempore pestilenti ignes in viis accensi aërem emendant.*

QUÆSTIO Unica.

INstabat Procurator quidam, qui propè suam domum quosdam Artifices habebat, qui sericum conficiebant, ut stante quod Pestis per urbem vigeret, hujusmodi Artifices extra urbem relegarentur; cùm in eorum arte exercenda plurima exequi necesse habeant, quæ Aërem mirum in modum inficere possunt: nam & in ipsa serici extractione malus undiq; vapor, atque odor elevatur, hominum cerebro summè inimicus: ac mox præmortuis, ac putrefactis animalculis intrà suos globulos conclusis, majorem multò in modum & ipsi Artifices, ut vicini omnes à fœtore, & odoris gravitate insigniter læduntur, ita ut observatum sit nonnullos ex ipsis non tantùm ægrotasse, sed etiam maligna febre excitata
1 succubuisse. Cùm ergo Artes immundæ tempore pestilenti prohiberi possint, ac debeant, ne aliis nocumento sint, R ipa *lib. de Pest. part. par. 3. n. 86.* & ex Medicis Paræus *suæ Chirurg. lib. 21. c. 9.* Septal. *de Pest.*
2 *lib. 4.* Non aliam ob causam, nisi ut saluti publicæ, cui maximè tetris vaporibus, & exhalationibus aërem inficientibus, ac putridum reddentibus, nocuæ sint, debet etiam Ars hæc conficiendi sericum tanquam eodem vitio, atque incommodo laborans (licèt contendamus inter immundas Artes eam non adnumerari) extra habitata loca expelli, ne vicinis noxam afferri possit. Quod non solùm præstare licet tempore pestilenti, sed etiam quocunque alio tempore, quia unusquisque prohibetur etiam in propria habitatione Artem exercere, per quam malus odor vicinos offendat, ut ex Cæp. *de serv. Urban. Prad. c. 48. n. 9.* dixi aliàs *lib. 5. tit. 4. q. ult. n. ult.* Sed quod multò magis urget, illud est, quòd Ars conficiendi sericum non solùm noxia, ac molesta est, ut diximus, sed constat ex ipsis Bombycibus non semel excitatam fuisse Pestem, ut ex Gratiolo refert Collin. Pint. *de Peste, part. 1. capit. 17.*

3 Additur his, quod tantò æquiùs videtur hanc Artem cum aliis artibus immundis à Civitate esse ejiciendam, quantò in ipso serico conficiendo, seu in extrahendo eo ab ipsis folliculis, utitur aqua fervẽti, ex qua de necessitate uberior, & indesinens exhalationum copia maximè graveolentium elevatur, cujus fœtore & ipsa domus Artificum, & vicinæ etiam domus inficiuntur, & personæ ipsæ in eo artificio occupatæ per nares ad le eas ipsas exhalationes attrahunt, unde animales, & vitales spiritus magnoperè infici, ac turbari necesse est, atque inde & capitis dolores, & respirandi difficultates, & alia symptomata, aliosque morbos pullulare contingit ut experientia ipsa notum est.

Præter hæc omnia autem maximoperè attendendum ad Bombycum putrefactionem, serico à suis folliculis extracto, nam ex ea tam promptè infici, ac corrumpi Aërem vero consentaneum est, ut Pestem excitari ex hoc possit, ut aliàs factum esse superiùs commemoravimus: non enim ex sola humanorum 4 cadaverum per vias putrescentium occasione Pestis interdum excitata dicitur, sed etiam ex cadaveribus aliorum Animalium etiam minimorum, & non excedẽtium Bombycum magnitudinem, ut factum aliquando narrant ex multitudine locustarum, quæ vel ab hominibus enecatæ, vel ex se ipsis mortem obeuntes, Pestes sævissimas concitarunt, earum cadaveribus corruptis, atq; inde putridis, malignisq; ac venenosis vaporibus elevatis Aërem inficientibus. Ac fortasse non ab re firmare liceret, præsentem Pestẽ aliquam etiam notabilem causam ab hac ipsa locustarum multitudine habuisse, cum per quatuor annos præcedentes tantoperè vicinos agros obsederint, ita ut necesse fuerit singulis annis eas aliquo artificio, & industria mactare.

Nec contra hoc quicquam faceret id, quod non- 5 nulli Medicorum persuadent faciendum in Peste, nempè, quòd per vias, ac plateas brutorum cadavera projiciantur, ut Pestis venenũ halitibus ex hujusmodi cadaveribus elevatis exuperetur, quod etiam aliis ingeniis procurãdo, ut Aër tetris, ac malis odoribus imbuatur, consequi posse se putant, & idcircò dato quòd ex eorũ animalculorũ cadaveribus aliquis malus fœtor excitetur, non solùm ex hac opinione nó erit nocuus, sed maximè proficuus, cũ pro remedio inserviat contra pestiferum, & venenosũ Aërem Pestem excitans. Alex. Bened. *de Peste c. 6.* Non valet, in- 6 quam, hoc, quia primò hæc opinio à Doctorib. rejicitur tanquam undequaq; falsa, imò & perniciosa, Paræus *li. 21. suæ Chirurg. c. 8.* Diomed. Amic. de Pest. *c. 36.* Liddel. Scot. *de Febrib. li. 3. c. 5* Dan. Senn. *li. 4. de febrib. c. 7.* Pet. Salius *de febr. pestil. c. 20.* Palm. *de febr. pestil.*

*peſtil. c.*8. Matth. Vnzer. *in Antid. Peſtil. lib.* 1. *part.* 2. *diſtinct.* 3. Nic. Maſſa *de febr. peſtil. tract.* 2. *c.* 1. Septal. *de Peſte, l.* 4. *c.* 4. Laur. Ioab. *de Peſte c.* 18. & alii plures. Ac deinde dato, quòd præſente Aëris putrefactione, ex qua Peſtis excitetur, hujuſmodi putrefactorum cadaverum exhalationes, & aliæ id genus poſſint eam putrefactionem per quandam contrarietatem emendare; certum tamen eſt, hujuſmodi tetros, & abominabiles odores cordi, & cerebro eſſe inimiciſſimos, unde non major utilitas ſperari poterit ab emendatione aëris per eos facienda (quæ tamen, ſi ullo modo ſuccedere poſſet, ſeriùs ſuccederet) quàm noxa ſpiritibus animalibus, & vitalibus ſimul per ipſos ſine ulla mora inferenda: ac profectò veritas eſt, ſemper hujuſmodi malos odores aërem ipſum jam à veneno peſtilenti inquinatum magis magiſque contaminare, ac corrumpere, ut experimento innotuit Lutetiæ, de quo Palmar. *loc. cit.* Itaque tutiùs exiſtimandum, hanc cauſam amovere expulſione hujuſmodi Artificum extrà civitatem, antequam Aër eorum culpâ inficiatur.

7 Præterea notiſſimum apud Medicos eſt, quòd tempore Peſtilentiæ omnis medendi conatus impendi debet in exſiccatione, eo enim pacto imminens ex Aëre infecto peſtilentia inhibetur, & in meliorem naturam ipſe Aër abit: humiditas enim calore aſſociata putredinem accerſit, ut palam eſt: at ex confectione ſerici Aër calido, & humido vapore imbuitur elevato ex ipſis vaſis, in quibus, aqua ferventi ſericum extrahitur, unde rationabiliter timenda Aëris ipſius ex ipſis vaporibus ad caliditatem, & humiditatem alteratio, & proxima diſpoſitio ad putredinem, quod quanto ſtudio, ac quanta diligentia ſit evitandum, norunt etiam qui vix de limine Medicinam ſalutarunt. Atq; hoc tantò magis videtur pertimeſcendum, quantò Anni tempeſtas, in qua ſericum extrahi conſuevit, eſt ex ſua natura calida ſimul & humida, extrahitur enim verno tempore uſque ad principium ſequentis æſtatis, quando maximè Peſtis ſuas vires incipit expromere, & miſeros homines adoriri; nam non eſt verum, Peſtem invaleſcere Hyeme, ut volebat Corneus *conſ.* 347. imò ſi quæ Autumno prehendit, Hyemis temperie coërcetur, ut experientia patet, & Medici optimè norunt, ac veritas eſt, Peſtem Vere, & Autumno invaleſcere, ut contrà Cornei opinionem dixit ex Iureconſultis Cartar. *de Med. partic.* 3. *n.* 57. ex omnium Medicorum opinione, ſic enim, & non alio modo ſeſe res habet, Septalius *lib.* 2. *de peſt. cap. ult.* Qui & illud experientia compertum eſſe addit, nimirum, quòd Peſtis Vere incipiens durabilior eſt, quam quæ incipit Autumno ob temperiem tempeſtatum ad eam conſequentium, quarum una fovere Peſtem poteſt, nempè Æſtas, ſuo calore eam quæ Vere prehendit; altera inhibet nempè Hyems ſua frigiditate eam, quæ prehendit Autumno. Ergo hæc ſola conditio, hoc eſt, alteratio Aëris ad calidum, & humidum, quæ ex hujus Artis miniſterio provenire poteſt, ſufficiens eſſe deberet ad hoc, ut hujuſmodi Artifices ab aliorum hominum ſocietate ſaltem per illud tempus, quo in extrahendo ſerico ſe exercent, arceantur, tunc enim maximè imminet concipiendæ peſtis periculum.

Verùm enim verò multa ſupponuntur ab Adverſario, quæ vel omninò, vel magna ex parte falſa ſunt: ac primò non eſt verum in ſerici extractione tantum fœtorem excitari, ut ex eo non modò ipſi Artifices, ſed etiam vicini inſigniter lædantur; atque ab omni veritate alienum eſt, ex ea cauſa nonnullos artifices non modò ægrotaſſe, ſed etiam vitam cum morte commutaſſe, cùm contraria experientia contrarium omninò atteſtetur, nam ex quamplurimis, qui in eo negotio exercentur, nulli unquam ex ea cauſa aut ægrotare, aut mori comperiuntur, & ſi qui caſu ægrotent, aut moriantur, ex alia procathartica, ac evidenti cauſa, non ex ejus miniſterii culpa ægrotant, ac pereunt. Quòd ſi hoc eſſet cauſa, ex qua hujuſmodi Artifices ægrotarent, ac perirent, quis non videt, quòd multò frequens eſſet eorum ægrotantium, ac pereuntium proventus, maximè verno tempore, dum ſericum extrahere conſueverunt? Imò tantum abeſt à vero, ut odor ea occaſione excitatus tantoperè gravis, ac perniciosus ſit, ut in hoc à pleriſque artibus immundis mirum in modum ſuperetur, quæ tamen neque morbos, neque mortes ſuo odore excitare ſolent; quonam ergo pacto odor ab extracto ſerico emanans, poterit, cùm tam gravis non ſit, imò longè tolerabilior magis lædere, quàm qui ex quibusdam artibus immundis longè intolerabilior excitatur? Non niſi injuria igitur Ars conficiendi ſericum inter immundas Artes 9
adnumerari dicitur, unde non ſequitur, quòd quemadmodum Artes immundæ debeant expelli ex civitate maximè tempore peſtilenti, ita Ars conficiendi ſericum debeat ex civitate expelli, quia hæc nequaquam Ars immunda eſt.

Quod autem additur de exhalationibus in ſerico conficiendo cum aqua ferventi ſublevatis, nimirum quòd Aërem inficiant, unde per nares ab ipſis Artificibus, & à vicinis attractæ mirum in modum ſint nocuæ, non minùs ac ſuperiora, ab omni veritate alienum eſt: quia exhalationes illæ, & vapores ab aqua ferventi elevati per tubum extra domum tranſmittuntur, atque ea ratione omne incommodum evitatur, quod ab illis timeri poſſet, licèt nullum poſſet timeri, quia neque vapores illi multi ſunt, neque ſubſtantia craſſi, ita ut ob utramque cauſam facilè ab Aëre externo, & à quocunque ventulo diſſipentur.

Maximam porrò anxietatem, multúmque negotium Adverſario præbet corpuſculorum ipſorum Bombycum poſt ſerici extractionem putrefactio, ac magnum in ea re fundamentum facit, cùm tamen ſi quis fœtor, aut prava quæpiam exhalatio ab ipſis emanare poſſet, & illicò ſupprimatur, & omni ex parte ab induſtria eorum Artificum amoveatur, qui, ut qualecunque malum inde excitari poſſet, evitent, ſingulis diebus eorum Bombycum cadaverula, antequàm corrumpantur, & immunditiem omnem expurgant, & in flumen conjiciunt, unde nullus omninò ex ipſis fœtor, aut malus odor exhalat, ſed domos proprias mundas, & ab omni inquinamento, & ſordibus liberas conſervant, quod minimè præſtare licet quibusdam Artibus immundis, ex quibus abominabilis fœtor, ac pravus odor in illis excitatus tantam impreſſionem etiam amota cauſa relinquit, ut niſi ſumma diligentia emundentur, ſed pravum illum odorē ad longum tempus retineant; imò etiam emundatæ, ut de carnificina, de fidicina, nempè chordas pro muſicis inſtrumentis ex animalium inteſtinis fabricante, & multò magis de Arte, quæ ſevaceas candelas conficit, cuilibet patere poteſt: ac profectò hujus ultimo loco nominatæ pernecabilem, ac peſſimum odorem ego ipſe propria experientia ſcio, multis vicinis capitis dolorem, vomitum, aliaque ſymptomata excitare, ita ut ob id cogantur habitationem mutare.

Quòd verò ex ſerici confectione Aër humido, calidóque vapore imbuatur, quod maximè tempore ſuſpicionis peſtilentiæ eſt evitandum, etiam ſi gratis concedatur, tamen nullum inde ſequitur inconveniens; nam, ut dictum eſt, nullam malam impreſſionem in Aëre illi vapores relinquere poſſunt, cum per ſe ipſi ſint reſolubiles de facili, & ab Aëre ipſo,

&c

& à quacunque levi aura facillimè agitati evanescant, ac dissipentur. Sed etiam si aliquid mali ex se præstare possent, tamen ignes magni, qui in suis domibus ab Artificibus ad hoc accēduntur, non solùm eosdem vapores consumunt, sed ipsum Aërem magnoperè exsiccant, ita ut non modò Ars hæc nocua
9 non sit, sed etiam possit utilis esse: scimus enim tempore pestilenti non alio ingenio Aërem rectificari, quàm accensis per loca, & urbes ignibus: eóque ingenio Hippocratem Pestem ex Æthiopia in Græciam se conferentem repulisse narrat Galen. *lib. de Theriac. ad Pison. c.* 16. Quod etiam Acronem Agrigentinum præstasse refert Aëtius *serm.* 5. *c.* 94.

Deniq; ex tolerātia hujus Artis in magnis, ac nobilioribus Civitatibus, etiam in locis earū Civitatū magis conspicuis, & à nobilioribus Personis habitatis, ac frequentatis elici potest, nullum ex hujus Artis ministerio incommodum, nullumq; damnum emanare. Unde falsum omninò arguit id, quod ex Gratiol. Pint. *de Pest. p.* 1. *c.* 17. jactatur, nempè Pestem aliquando ex Bombycibus fuisse excitatam: nam quis est, qui in propria domo talia animalcula enutrire in posterum pateretur, si hoc veritatem unquam habuisset? Et tamen in magnis etiam domibus, ac Palatiis talia animalcula Vere detineri, ac enutriri quotannis conspicimus sine ulla vel imaginaria noxa, maximè diligenti cura adhibita, opportuna immunditierum ac frequenti expurgatione: unde cùm aliàs quasdam Artes propè suos lares habere non facilè Principes Viri, ac Magnates patiantur, hanc unam in propriis domibus tolerant, ut hic Romæ unusquisque adnotare potest: in vanum ergo contrà illā reclamat adversarius, non solùm non reclamantibus Principibus, sed eam admittentibus, & exerceri permittentibus. Quod si ob ea, quæ opponuntur, hæc Ars exulare à civitate debet, multò magis exulare deberēt aliæ permultæ ex quarum exercitatione majora multò damna timeri possunt: At verò hæc innoxia cùm sit, in Civitate dege e, nō obstantibus iis, quæ inaniter objecta sunt, permittenda.

LIBRI NONI TITULUS SEPTIMUS.

DE TABACCO.

Appendix ad Titulum Primum Libri Quinti.

SUMMARIUM.

1 *Tabaccus, vel Tabacco quid sit.*
2 *Tabacci usus quis.*
3 *Jejunium duplex secundùm Canonistas.*
4 *Jejunium quid apud Medicos,*
5 *Ecclesia non approbat jejunium factum ultrà terminum diei naturalis, hoc est horarum viginti-quatuor.*
6 *Tabacci usus quando, & quale jejunium frangat.*
7 *Jejunium Eucharisticum an frangatur usu Tabacci.*
8 *Secundùm omnem decentiam est, Christi Domini Corpus sacratissimum in stomachum recipiendum nulla quavis vel minima re occupatum.*
9 *Aqua potus cur prohibitus in jejunio Eucharistico.*
10 *Vinum etiā si maximè nutriat, non frangit jejunium.*
11 *Jejunium ad quem finem ab Ecclesia institutum.*
12 *Tabaccus quomodocunque assumatur, nunquam habet rationem cibi.*
13 *Quod habet rationem cibi debet habere facultatem nutriendi.*
14 *Quod à Natura non vincitur, cibus non est.*
15 *Quicquid per os assumitur, aut cibus, vel potus est, aut medicamentum, aut venenum.*
16 *Tabaccus non est cibus, neque cibus medicamēiosus.*
17 *Quod assumptum corpori nullum præbet alimentum, medicamentum est.*
18 *Potus debet esse humidus, & cur.*
19 *Tabaccus quomodocunque assumatur, non frangit jejunium Ecclesiasticum, neque pœnale, sed benè Eucharisticum.*
20 *Tabaccus cur frangat jejunium Eucharisticum.*
21 *Tabaccus ex aliquorū opinione frangit qualecunque jejunium, quia corpus nutrit. Contrarium, n.* 23.
22 *Tabaccus ex eorundem opinione verè est nutrimentum, & medicina. Confutatur. n.* 24.
25 *Medicamenta ob morbos assumuntur, non tanquam nutritura cibaria.*
26 *Alimentum vincitur, & superatur ab eo, quod nutritur.*
27 *Qui Tabaccum assumentes quoquo pacto nutriuntur, non ob Tabacci facultatē nutritivam nutriuntur.*
28 *Quicquid nutrit ex genere dulcium est.*
29 *Ius, quæ omninò dulcedine carent, pro medicamentis utimur, non pro cibis.*
30 *Fumus nunquam potest habere rationem potus, & multò minus rationem cibi.*
31 *Fumosa omnia amara.*
32 *Amara nil prorsus nutriunt.*
33 *Tabacci usus quibus ex causis in jejunio Eucharistico sit prohibendus.*
34 *In jejunio Ecclesiastico, aut pœnali, Tabacci usus non frangit jejunium.*

De Jejunio & Quadragesima.

QUÆSTIO UNICA.

CUm recentiorum Canonistarum scripta circa materiam de Jejunio evolverem, duas offendi dubitationes, ob materiæ, circa quam versantur novitatem, à vetustioribus intactas, & à me eandem ob causam prætermissas: quarum prima est circa Tabacci usum: secunda circa usum Chaccolatæ, nimirum, an ex utriusque vel alterutrius usus frangatur jejuniū: ita enim jam irrepsit eorū usus, ac tam frequens eorum abusus est, ut assumentes neque temporis, neque status, neq; sanitatis, nec alterius cujuscunque rei delectum habeant, imò nè conscientiæ quidem, quam gravent-ne, an non ex eorum assumptione, nullo modo curant investigare. Harum ergo dubitationum resolutionem ad Medicum non minùs, quàm ad Canonistas pertinere visum est: ac me, qui in hisce laboribus meis professus sum eas omnes quæstiones proponere, ac discutere, quæ ad Civilem, aut Canonicam facultatem spectare videbantur, non nisi negligentiæ notam incurrere posse, si eas omni ex parte indiscussas relinquerem. Itaque de utraque dubitatione verba facere jam determino, ac primo loco de Tabacco, cujus frequentior usus non apud inferioris fortunæ homines solum esse solet, sed etiam apud quoscunque, sermonem instituam. Secundo loco de Chaccolata: quæ melioris fortunæ hominibas familiaris est. Ad majorem autem rei claritatem breviter dicam quid sit Tabaccus, Tabaccum, vel Tabacco, ac cujus naturæ, relictis iis quæ ad rei herbariæ studiosos magis pertinent, nisi si quæ incidenter commemorare oportebit.

Tabaccus ergo herba quædam est cujus feracissi- 1
ma Insula ejus nominis est, & idcirco Tabaccus vocatur, nam ab indigenis *Picielt* vocitatur: ut testis est Nic. Monard. *in lib. de simpl. med. ex Occident. India delat. cap. proprio de Tabacco.* Tabacci descriptionem

ejusque

ejuſq; ſpecierum Lector à Monardo,aliiſq; infrà citandis petere poterit. Cómuniter autẽ apud recentiores Botanicos *Petũ* dicitur,ſed & apud alios *Nicotiana*:Nobis vulgari ſermone *herba Sãta Croce*.Plura verò alia nomina ſortitur, ut videre eſt apud Ægid. Everard.*lib. de Herba Panacæa, ſeu Tabacco, propè princip.* & apud Io.Neand.*in ſuo Tabacco log. in prin.* & Guilelm.de Mera *in Epiſt.ad prædictum Neandr.* apud quos etiam,ut apud Monardum quoq;ejus deſcriptionem,natalis locum, modum ſetendi,& conſervandi , differentias , temperamentum , uſum, ac denique infinitas propemodum virtutes ediſcere Lector poterit, quas nullam aliarum herbarum habere ſatis conſtat. Ego relictis iis, quæ ad præſens negotium minùs facere videntur , paucula de ejus natura proponam, ut deinceps expeditius propoſitas dubitationes ſolvere liceat.

Tabaccus igitur temperamenti eſt calidi,& ſicci in ſecundo gradu,teſtib. *ſup. cit.*Monardo, & Ægid. Everard.*loc.cit*. Vnde ad omnes morbos frigidos à capite ad pedes uſque enumerandos maximè utilem eſſe docent idem Monard.& alii ſup.citati Auctores. Præterquam quod acris eſt , unde ſternuamenta proritat , & ſaporis amari. Ex quibus patet error 1con. teſt.*lib.4.de Inſt.& Iur.c.3. n.19*.quem aliàs notavi,qui voluit , Tabaccum eſſe frigidum,&Narcoticum:deceptus ex aliquorum opinione,qui voluerunt eſſe de genere Hyoſcyami , ut Carol. Cluſ. *in Annot.ad prad.caput de Tabacco ipſius Monard.*& Dodon.apud Æg.Everard. *loc.cit.*& apud Neandr, *ibid.* Quam tamen opinionẽ falſam eſſe, & ipſius Tabacci natura, & prædicti Everard.& Neand.atteſtatur.

Illud,quod maximè ad rem noſtram facit, adnotandum,Tabaccum alimentalem herbã non eſſe, ſed tantùm medicamentoſam, ac quocunque modo aſſumatur , pro medicamento ſumi. Tabacci uſus eſt
2 vel in pulvere, vel in fumo. In pulvere dupliciter: nam vel naribus inditur ad excitanda ſternutamenta,& caput expurgandũ,vel maſticatur ad alliciendam, & expurgandam ſimul ab eadem parte pituitam:utcumque autem in uſum trahatur(quatenus ad rem noſtram facit, nam alios,ac plurimos habet in Medicina uſus)non niſi præparatum accipiunt:præparationis autẽ modi varii à ſuprà citatis Auctoribus,& præcipuè à Neandro petendi. Cùm verò ejus fumo utuntur,Tabacci folia exſiccata,ac præparata, atque igne accenſa per tubulum, in cujus capite ad hunc effectũ vaſculum eſt,in quo Tabacci folia reponuntur, igne poſtmodum accendenda ad fumum excitandum qui per os attrahitur,& in capitis cavitates delatus, inde pituitam elicit,quæ expuitur ab his qui ad expurgandum caput illum aſſumunt,nam aliàs in ſtomacum labi permittitur(quando Tabaccus maſticatur)ad ſuſtentandam famem.Horum Tubulorum formam,& uſum,imò & alios modos eundem Tabacci fumum per os excipiendi deſcribit idem Neand.*lib.cod.in f.*[Bartholin.*hiſt.cent.6,hiſt.61. p.* 511. loco decocti pro cliyſteribus fumum ano immitti,maximè apud Anglos,ſcribit,& inſtrumentum depictũ p. 512.exhibet.]Nos ad ea,quæ ad rem noſtram faciunt properantes , hæc jam omittenda duximus,& ad excitandas dubitationes diſſolvendas quam primum deveniendum:ante tamen, quia circa Jejunii materiam verſamur, videndum quid ſub hoc nomine Jejunii intelligamus.

3 Canoniſtæ duplex jejunium conſtituunt,naturale unum, Eccleſiaſticum ac pœnale alterum ; illud dicemus ſecundum eorum intentionẽ,eſſe ſtomachi inanitionem ſecutam ad prægreſſam alimentorum diſtributionem, vel carentiam alimentalis materiæ: Hoc jejunium ſemper , ac inviolabiliter præcedere debet Sacratiſſimæ Euchariſtiæ aſſumptionem. Eccleſiaſticum autem , vel pœnale jejunium dicemus eſſe diurnam cujuſcunq; alimenti abſtinentiam ab Eccleſia,vel Confeſſario impoſitam.Idcircò enim & Eccleſiaſticum,& pœnale vocatur, nam ab Eccleſia ad carnis ſtimulos prohibendos , ut ſpiritus promptior ad cœleſtia contemplanda efficiatur; à Confeſſario autem in ſatisfactionem peccatorum imponitur. Medici hac voce jejunii intelligunt ſtomachi 4
vacuitatem, & inanitionem ob carentiam alimentalis materiæ.Hac ratione dicebat noſter Hipp.*lib.1. Aph.*13. Senes facillimè jejunium ferre:hoc eſt, eos etiam ſi eam ſtomachi inanitatem habeant,neq;ad alia alimenta aſſumenda ſtimulari,neq; ullam aſſumendi neceſſitatem experiri.Ergo ex his tunc dicemus, , hominem jejunum , cùm aſſumpta alimenta concocta,& diſtributa ita ſunt,ut novi alimenti neceſſitas urgeat.Sed diverſa ratio eſt jejunii Euchariſtici à jejunio Eccleſiaſtico,vel pœnali:nam in jejunio Euchariſtico ſtomachus debet eſſe vacuus ita,ut poſt mediam noctẽ nihil omninò ingeratur,& hoc quia aſſumpta in cæna, quæ ſumi ſolet per quatuor horas,ut plurimum, ante mediam noctem , facilè è 1
ſtomacho deſcenderũt, unde vacuus omninò relinquitur,ad hoc ut decenter Chriſti venerabiliſſimum ac ſacratiſſimum Corpus excipere poſſit mane ſequenti. In jejunio porrò Eccleſiaſtico impoſitur unica comeſtio in ſpatio unius integri dici,hoc eſt horarum vigintiquatuor cum abſtinentia à carnibus , & aliis cibis à carne dependentibus , nempè ovis & lacticiniis:nam Eccleſia habens præ oculis 5
communem hominum tolerantiam diuturnius jejunium non laudat, ne diuturniori abſtinentia corpus in ſanitatis diſcrimen labatur,quod illa omninò evitare ſtudet, contenta tantummodò,ut tali abſtinentia corpus maceretur,qualis ſufficiat ad ejus ſtimulos refrænandos, ut ſpiritus prævaleat: nam licèt *cibo,& potu ſemel impleti diem integrum,ac noctem ſine moleſtia perduremus*, ex dictis Gal. *lib. 7. de uſu Partium corp.hum. c.*21.non ſine moleſtia tamen,& ſanitatis diſpendio prædictum ſpatium integri diei ſine novo cibo tranſigere poſſumus.

Cæterum quãdo dubitatur,an uſus Tabacci frangat jejunium,ſi de jejunio Eccleſiaſtico , vel pœnali verba fiant, abſolutè dicendum non frangere,& rationes, quæ pro negativa ſententia adducuntur de jejunio naturali, & Euchariſtico,multò faciliùs habebunt locum in aliis jejuniis,unde ulteriùs de ea re verba facere ſuperfluum videtur.Nó tam facilè autem ſolutionẽ recipit hoc dubium,ſi de jejunio Euchariſtico ſermo ſit,nam ut notiſſimum eſt,Euchariſtia ob ſummã ejus Sacramenti reverentiã, debet ſumi ſtomaco jejuno , ut poſt vetuſtiores,& recen- 7
tiores omnes Diana *Reſp. mor. par.6.tr.8.reſp.*8. Et 8
ſumma quidem cum ratione, quia ſecundum omnẽ decentiam eſt, ſacratiſſimum Chriſti corpus in ſtomachum vacuum,& nulla,ne minima quidẽ,re occupatum introducendum eſſe : itaque cùm aſſumpta alimenta in cœna poſt quatuor,vel quinq;horas cõcocta, & diſtributa communiter ſint, quod tempus cum media nocte coincidit,rectè hoc naturale jejunium à media nocte initium ſumere determinatum eſt,& hoc pacto nihil poſt prædictum tẽpus aſſumi debet,quod ſtomachum aliquo modo occupare poſſit:nam ſi quid ante illud tempus uſq;ad ſãctiſſimæ Euchariſtiæ aſſumptionem,aſſumptũ fuerit, concoctũ,ac omni ex parte diſtributum eſſe cenſendum,& ſic ſtomachũ ab omni re liberum in aſſumptione reperiri.Sed cùm pateat jejunium nõ ſolvi à quacunq; 9
re in ſtomachũ recepta : ſed tantum à rebus alimẽtalibus, cur etiam Aquæ potus prohibetur, cùm ex

communi

cõmuni hominũ aſſenſu cõſtet, Aquam nõ nutrire? quin etiã cùm in jejunio Eccleſiaſt.& pœnali cõſtet, non ſolùm aquam quæ nullomodo nutrit,ſed & vinum quòd maximè nutrit, jejunium non frangere, Sanch.*lib.5.conſ. moral.c.1.dub.23.n.2.*Leſſius *de Iuſt. & Iur.lib.4.c.2.dub.2. n.10.*cur frangere dicitur jejunium Euchariſticum ipſam etiam aquam?Reſpondeo, quòd hoc jejunium cùm rigoroſè ſervandum ob ſummam tanti Sacramenti reverentiam ſit, ſitis autẽ in eo facilè tolerari poſſit ob ejus jejunii brevitatem,noluit Eccleſia in eo vel minimæ rei per os aſſumendæ eſſe indulgendum ſub quacunque ratione vel cibi,vel potus, vel medicamenti,& ſub quacunq;quantitate aſſumatur:in jejunio verò pœnali, vel Eccleſiaſtico, conceſſum eſt aſſumere quæcunq; habent rationem potus(non cibi potabilis)ad extinguendam ſitim ob diuturnitatem ejus jejunii, ob quam ſitis maximè moleſta, & noxia eſſe poſſet, quod evitare ipſa Eccleſia ſemper ſtuduit:imò non ſolùm ad evitandam prædictam noxam licèt potum in jejuniis aſſumere, ſed etiam ob ſanitatẽ,& multò magis ex cauſa morbi licet aſſumere neceſſaria medicamenta in hujuſmodi jejuniis, Leſſ.*de juſt.& Iur. lib.4.c.2.dub.2.n.11.*Sanch.*lib.5.conſ.mor.c.1.dub.22. n.7.* At verò in jejunio Euchariſtico, neq;ſitis moleſtia, neq;aliæ cauſæ locum habent, ſed decet omninò ſtomachum ab omni re eſſe vacuum,cùm in illo ſufficiat abſtinentia à rebus nutritivis per commemoratum tempus,ut carne ſuccumbente ſpiritus ad
11 cœleſtia promptius elevetur, ad quem maximè finem ab Eccleſia fuit inſtitutum.

Sed ad præcipuæ quæſtionis deciſionem jam accedam, ac ante omnia ſupponendum, Tabaccum
12 quomodocunq; aſſumatur, nunquam habere rationem cibi, aut potus, vel rei alimentalis, cùm omni nutriviva facultate deſtituatur,quod facilè proba-
13 tur,quia quod habet rationem cibi debet habere facultatem nutriendi, cibus enim vocatur quicquid alit.Gal.*lib.de Alim.fac.c.*40.Quod autem alere debet, nempe cibus, à natura debet vinci, & membris aſſimilari,Avic.*in cãt.text.1.tract.1.n.76.* At Tabaccus neq;à Natura vincitur, neq; membris aſſimilatur, neq; vires auget,ergo rationem cibi non habet:
14 quod enim à Natura non vincitur, cibus non eſt, Gal.*lib.3.de Nat.facult.c.*7.Non vincitur verò à Natura,quia partem nullam alibilem habet,ſed tantùm medicamentoſam : quod patet ulterius à ſufficienti partiũ enumeratione, quia quicquid per os aſſumitur,aut cibus eſt, & potus, aut medicamentum,aut
15 venenum; & cibus vel eſt ſimpliciter cibus, vel eſt cibus medicamentoſus, ſic & medicamentum. Tabaccus ergo neq;cibus,neque medicamentoſus ci-
16 bus eſt, quia nec omninò ſuperatur à natura,nec in parte:neq;venenum eſt, quia naturam non deſtruit, ergo eſt medicamentum; medicamentum enim vo-
17 camus quod aſſumptum nullum corpori præbet alimentum Gal.*lib.2.de Alim.fac.c.*16. Sed neq;potûs
18 rationem habet Tabaccus,quia potus debet eſſe humidus,Natura enim potum inſtituit ad diſtributionem ciborum ſolidorum primò,& ad ſitim levandã, ad corporiſque refrigerium,ut notiſſimum eſt,Mercat.*de ſan.& ejus conſer.claſſ.2.art.2.q.*164.*n.*88.& ex Canoniſtis,Leſſ.*de Iuſt. & jur.lib.4.c.2.dubit.2.n.*10. Sed Tabaccus quomodocunque aſſumatur, humidi rationem non habet,neque facultatibus hujuſmodi levandi ſitim, aut diſtribuendi ſolidos cibos,aut re-
19 parandi id,quod ſubſtantiæ humidæ effluxit,eſt inſtructus;ergo nullam habet rationem potûs, & hinc concludendum, Tabaccum neq;ut cibum, neque ut
20 potum, quomodocunque aſſumatur, frangere jejunium Eccleſiaſticum,aut pœnale, ſed bene frangere-

jejunium Euchariſticum non in quantum nutrit,aut cibi, vel potus rationem habet, ſed in quantum ſua ſubſtantia quantumvis minima poſſet occupare ſtomachum,aut ejus fumo,vel aliàs poſſet cauſare agitationem in humoribus, & alios effectus producere minimè convenientes, ubi tantum Sacramentum accipere paramur, quemadmodùm etiam decet ob debitam reverentiam, ut diximus, ab omni aliena ſubſtantia liberum ſtomachum ſervare. Licèt ergo non videam,quanam ratione Tabaccus,vel quod in fumo per os recipiatur,vel quod in pulvere naribus adhibeatur,aut ore maſticetur,poſſit ad ſtomachum pervenire,dum allecta pituita expuitur,tamen neq; hac quidem ex cauſa,dato quòd id ſuccederet,dixerim frangere jejunium Euchariſticum, ſed potiùs militare ſemper firmaverim cauſam reverentiæ diviniſſimi illius Corporis in ſtomachum recipiendi, & ſic neq;ob id,quòd ullo modo nutrire valeat;nec quod illius ſubſtantiæ aliqua particula ad ſtomachum pervenire poſſit, prohibendum credo ejus uſum, ſed tantùm ob indecentiam, ut dictum eſt.

Cæterùm P.Lezan.1. *tom.3. Quæſt. Regular. verb.* 21
*Euchariſtica quoad Regulares,n.*8. apud Dianam *reſol. mor. par.*8.*tract.*7.*reſol.*3. contrariam opinionem tueri conatus,opponens ſe prædicto Patri Dianæ, n abſurdam ſententiam lapſus eſt, volens Tabaccum frangere jejunium,rationem ſubdens,*Quia*, inquit, 22
Tabaccus verè eſt nutrimentum, ut conſtat ex multis experiẽtiis pluriũ,quia ex ipſo ſolo ſuſtentati ſunt; verè etiam eſt medicina, hoc enim prætextu ſumitur. Favet huic Lezanæ opinioni id,quod paſſim Scriptores de Tabacco tradunt & primò Nicol. Manard. *loc. cit. Vſus eſt etiam*, inquit, *Tabacci apud Indos, famis ſitisque ſedandæ gratia:*quaſdã enim pillulas ex eo conficere Indos docet,quibus cum longum iter aggrediuntur,uti ſolent,unam in ore retinentes,aſſiduéque pituitam à capite allectam ſorbentes,eaque ratione iter triduanum,aut quatriduanum etiam conficiunt abſque ulla famis,aut ſitis moleſtia.Idem cum ipſo Manardo affirmat Everard.*de Panac.ſeu Tabacco fol.* 18.quin etiam paulò ante hæc addit. *Atq; inauditum eſt, ac mirandum Floridæ incolas ſtatis anni temporibus ſolo iſtius herba fumo paſci, quem per cornua huic uſui comparata in os recipiunt,cujus rei teſtes locupletiſſimi erunt vel ipſi Nauta, complureſq; alii è Florida nuper reverſi,ac in dies etiam nunc revertentes,qui appenſis ad collum quibuſdam ceu cornibus,aut infundibulis ex Palmæ foliis, junco, canniſve, in quorum extremis congeſta,ac ligata apparẽt hujuſmodi folia præ ſiccitate jam emarcida,mirifice ſibi placent. Hi prunas infundibuli anguſtiori parti applicant aperto ore excitatum fumum haurientes, quoad ejus fieri poteſt,quo famem ſuam ſitimq;ſedari, vires reſtaurari, ſpiritus exhilareſcere,Cerebrum jucunda quadam ebrietate deliniri, ejuſque ſuperfluos humores abſumi : in ſumma, phlegmaticorum humorum copiam incredibilem in os prolici jurejurando aſſeverant.* Hæc ille.Subſcribit etiam Manard.Io. Neand. *in ſuo Tabaccolog.in prin.*§.*vires*,ubi pluribus fortaſsè,quam opus fuiſſet, probare nititur, Tabacci fumum nutrire,& vires reſtaurare, & cætera præſtare,quæ ſuperiùs ex Everardo ſunt allata.[Confer Horſt.*tom.3.pag.*43.]Quæ ſi veritatem habent, Tabaccus nullo modo debet ſumi in jejunio Euchariſtico,quia verè illud violaret,cum poſſit non ſolùm ſtomachum occupare, ſed qualicunque modo ſumatur, corpus etiam nutrire.

Verior tamen Dianæ opinio cenſenda,quam ille cum multis Canoniſtis, quorum autoritates ibi adducit,jure tuetur,qui omnes in hoc conveniunt,neque ſi per fumum,vel pulverem, vel folium Tabaccus aſſumatur,jejunium frangi : & rectè,quia neque

habet

habet unquam, neque habere unquam potest rationem cibi, vel rei alimentalis, sed tantùm medicamenti, ut ex supradictis patet. Imò inanis etiam est, quam aliqui Canonistarum cautionem addunt, vel limitationem, hoc est non frangere Tabaccum jejunium, nisi aliqua folii particula per os ad stomachum trajiciatur: nam etiamsi ita contingeret, tamen nutrire ea particula nulla ratione posset, tum ob sui exiguam molem, quæ nullius considerationis esset, tum ob ejus naturam, quòd alimentalis non sit, & maximè exsiccatus, & omni humiditate orbatus, ut assumi consuevit: unde non ex eo, quod quicquam nutrire ea particula posset; sed ex eo, quod violaret stomachi vacuitatem, qui ab omni re aliena vacuus ob prædictam decentiæ causam esse debet: tunc ea Tabacci particula impediret Eucharistiæ assumptionem, quemadmodùm impedire dicunt Canonistæ Aquæ communis stillam, quæ neq; cibi, neq; rei alimentalis rationem habet, neq; adeò occuparet stomachi vacuitatem, ut Aquæ stilla. Magis ad rem dici putaverim, si idcircò Tabaccus posset frangere jejunium, vel folii masticatione, vel fumi receptione, id fieri, quia potest attrahere à capite pituitam, & ad stomachum eam transmittere, & in nutrimentum converti, ut aliàs in ejus usu evenire dicturi sumus.

14 Sed in duplici errore sese involvit P. Lezana, primò existimando Tabaccum esse verè rem alimentalem, & quod pejus est, esse verè medicamentum, quæ duo simul stare non possunt: nam cibus, & quicquid nutrit, in quantum nutrit, ratione medicamenti non habet, nec quod verè medicamentum est unquam nutrire potest: nam medicamenta ob morbos assumuntur non tanquam nutritura cibaria, Galen.
25 *comm. 1. in Hipp. de vict. rat. in Acut. text. 18. & medicamentum contrarium est alimento: nam alimentum vin-*
26 *citur & superatur ab eo, quod nutritur, medicamentum autem contra, ipsum enim vincit, atque superat corpus, cujus fuerit medicamentum:* idem Gal. *lib. 5. de simpl. med. fac. c. 5.* & alibi sæpè. Si ergo Tabaccus est verè nutrimentum, non erit verè medicamentum; & si est verè medicamentum, non erit verè nutrimentum; Neq; dicat ipse P. Lezana, quod Tabaccus sit cibus medicamentosus, quia jam satis superque probatum est, illum non esse ullo modo alimentalem.

Sed errat secundò idem P. Lezana putando, quòd ex enarratis experientiis constet Tabaccum nutrire,
17 quod ab omni veritate alienum est: nam nutrimentum, quo reficiuntur ii qui Tabacco ad tollendam famem, aut sitim utuntur, non procedit ab ipso Tabacco; sed à pituita, quam Tabaccus cùm masticatur, prolecta in stomachum, vel cùm etiam ejus fumus per os excipitur: neque novum est hujusmodi effectum à pituita emanare, nempè per eam corpus enutriri absque ope alterius externi alimenti, quia multiplici experientia firmatum est, quosdam homines integris annis absq; cibo, & potu vixisse, sola pituita in eorum corporibus abundante enutriti: multaq; animalia in Hyeme non alio nutrimento vitam sustentare quàm ipsa pituita: sed de his plura diximus alias. Deceptus igitur omninò est P. Lezana, dum credidit, Tabaccum esse nutrimentum ex eo, quòd nonnulli ejus usu famem, & sitim tolerent, nam hoc non ex virtute Tabacci fit, qui nullo modo alimentalis est, sed ex pituita per ipsum attracta in stomachum, quam ulteriori concoctione in corporis nutrimentum facessere, notum apud Medicos est: Gal. *in lib. Hipp. de vict. rat. in Acut. text.* 30. Quod maximè evenit urgente necessitate, cùm Naturæ indigentiæ externo alimento subvenire non possumus. Id tantùm cõcedi posset P. Lezanæ, quod si quis Tabacco uteretur ad eum finem, nempè nutriendi corpus prolectando ejus masticatione pituitam à capite in stomachum, jejunium frangeret: quod Canonistarum erit decidere. Sed præterea, quæ jam adducta sunt ad probandum, Tabaccum non esse quid aptũ ad nutriendum, id ipsum manifestum facit ejus sub-
28 stantiæ qualitas, quæ omni nutribili humiditate emuncta est, & quæ ex sui natura est amara: at quicquid nutrit alicujus humiditatis particeps sit oportet: unde quicquid nutrit, ex genere dulciũ est. Gal. *lib. 4. de simpl. med. fac. c. 10.* atq; omne nutrimentum vel dulce, vel unctuosum, vel ex his compositũ, idẽ Gal. *lib. de occulis c. 1. partic. 5.* ac tã dulcia, quàm unctuosa humiditate prædita sunt, ut patet: Ergo quæ dulcedine carent humida non sunt, & idcirco iis pro medicamentis utimur, non pro cibis: Gal. *loc. cit. de Ocul. & de simpl. med. fac.* ubi proximè *c. 9.* Tabaccus
29 ergo nullo modo nutrit, cum dulcedine non solùm careat, sed amarus sit, amara autem non nutriant, Gal. *cit. l. de simpl. med. fac. c. 15.* Unde mirari satis nõ
30 possum, quonam pacto asseverarint aliqui, Tabacci etiam fumum nutrire: nam præterquam quod Tabacci fumus non potest habere rationem cibi, aut potus, certum est fumosa omnia amara esse, Card. *lib. 1. de san. tuen. c. 56.* Amara verò, ut dictum est, nihil
31 prorsus nutriunt, Gal. *ubi mox.* Card. *ibid. lib. 1. c. 5. & lib. eod. c. 40.* Ergo Tabacci fumus, neq; ut fumus, ne-
32 que ut amarus nutrire potest. Adde quod ipsa fumida substantia non modò non potest spiritus nutrire (nam quòd partes solidas nutrire possit, nemo affirmabit) sed illos dissipat, ac destruit, & offuscat; & in summa cùm sit spirituum substantiæ puræ, ac lucidæ omninò contraria, impossibile est, ut eos reficere, ac nutrire possit, cùm nutritio fiat per similia. Inane ergo est, & ab omni veritate alienum, quòd Tabaccus ullo modo nutriat. Ut ergo multa in pauca rediga,
33 dicendum ex mea sententia est, Tabacci usum in jejunio Eucharistico prohibendum, non quòd ullo modo ne per somnium quidem nutrire possit aut folio, aut pulvere, aut fumo, etiamsi aliqua illius particula in stomachum laberetur, sed primò ob Sacramenti reverentiam, quia multã agitationẽ in humoribus causare potest, & caput ipsum commovere, sensusque turbare, & obtundere: maximè si ejus fumus assumatur, potest & ventrem solvere, aut quòd pejus est, vomitum concitare. Secundò, quia facilè evenit, ut ex ejus usu pituita à capite proritata, & allecta ad stomachum descendat, ibiq; aut in nutrimentum vertatur, aut ad minùs illius vacuitatem impediat, quam necessariam esse dicendum, ubi tanto cibo cœlesti, ac sacratissimo refici præstolatur. In jejunio autem Ecclesiastico, aut pœnali, ubi timor ille descensus pituitæ à capite ad stomachum cessat (nam potest facillimè ea pituita inediæ incommodum, quòd experiri ex jejunio tenemur, abolere, & satietatem inducere) posse innoxiè nos Tabacco uti, cum tamen satius esset firmandum ab eo abstinere. [Quæ de *Tabacco* moventur, moveri quoque possunt de usu herbæ Thée, ut & potus Caphæ, de quibus noviter scripsit eleganter & doctè D. Simon Paulli *in tract. de abusu Tabacci, &c.* Quod verò attinet herbam Thée fusiùs illam describunt varii Autores, quos videre licet in Musæo Olai Vormii. Quo ad potum Caphæ ex fructu Bon paratum, illum describit Prosper Alpin. *pag.* 118. Vesling. *p.* 11. Rauvvolff. *p.* 102. Bauhin *in Pinace p.* 428. citatus Vorm. *p.* 189. Olear. *p.* 422. E veteribus verò primus Ratos, seculo post natum Salvatorem nostrum nono, *p.* 74. *l.* 3. *ad Manf.* & Avicenna quoque *l.* 1. *tract.* 2. *p.* 281. qui videantur.

LIBRI NONI TITULUS OCTAVUS

DE CHACCOLATA, ET AQUA VITÆ.

Appendix ad Titulum Primum Libri Quinti.

SUMMARIUM.

1 *Chaccolata quid sit.*
2 *Chaccolatâ ad quem finem utamur.*
3 *Materiæ præcipuæ, ex quibus Chaccolata componitur, sunt maximi nutrimenti.*
4 *Assumere unciam unam, vel duas Chaccolata in regionibus, in quibus est frequens in usu pro potu, secundum aliquos Canonistas nõ frangit jejuniũ.*
5 *Chaccolata etiam ad pondus unciæ unius, vel dimidiæ etiam, notabiliter respectu jejunii nutrire potest.*
6 *Chaccolata ubi assumeretur ratione potûs in nulla quantitate sumpta frangeret jejunium.*
7 *Quod solida substantia est, si aqua liquefiat, non habet idcirco rationem potus.*
8 *Chaccolata nullam habet facultatem potûs.*
9 *Quod ad restitutionem ejus, quod ex substantia sicciori effluxit assumitur, cibus est, non potus.*
10 *Potus finis sedandi sitim secũdarius est, nõ primarius.*
11 *In jejunio Ecclesiastico, vel pœnali licet assumere medicinam conservativam. Et n. 23.*
12 *In jejuniis prædictis licet assumere quicquid habet rationem medicinæ, non verò alimenti.*
13 *In jejuniis, in quibus sitis est molesta, licet assumere parum panis, ne potus noceat.*
14 *In jejuniis quando liceat medicinam conservativam assumere.*
15 *Chaccolata roborat corpus in quantum nutrit.*
16 *Quando principua vis rei per os assumptæ est corpus nutrire, licet simul corpus alteret, cibus est, non medicamentum.*
17 *Chaccolata nec ut medicamentum assumitur, nec ad evitandã potus noxam, sed tantùm ad voluptatẽ.*
18 *Chaccolata operationes sunt de directo contrariæ fini in jejuniis habendo.*
19 *Aqua vitæ assumptio impedit Eucharistiæ assũptionẽ.*
20 *Jejunium Ecclesiasticum, aut pœnale ad quem finem institutum.*
21 *Aqua vitæ stimulos carnis augere potest.*
22 *Aqua vitæ etiam si non nutriat membra solida, nutrit tamen, & auget spiritus.*
23 *Ob jejunii reverentiam præstat ab Aqua vitæ assumptione abstinere.*
24 *Medicamentorum confortantium usus, non tam facilè concedendus in jejuniis, sed tantùm ex causa morbi.*

De Jejunio, & Quadragesima.

QUÆSTIO Vnica.

1 CHaccolata Inda, hoc est, confectio Inda, quædam compositio est ex variis ingredientibus constata, cujus descriptionem tradidi aliàs *lib. 2. de Morb. Hypochondr. c. 15.* aliam quoq; attulit descriptionem nonnihil à nostra differentem Anton. Colmener de Ledesma *in proprio libell. de Chaccol. c. 3.* ex hac compositione jam apud Indos potus concinnabantur, & processu temporis apud omnes ferè populos, & nunc apud nos concinnantur, eam compositionem aqua calida dissolvendo, addito saccharo,
2 eamq; potionem calidam bibunt ad multa utilem, præcipuè tamen ad stomachum roborandum, ad languentes vires reficiendas, ad spiritus exhilarandos,
3 ad aliasque utilitates producendas, quas pro nunc enumerare superfluum duco. Materiæ præcipuæ, ex quibus hæc confectio componitur, multi nutrimenti sunt, quod is solum negabit, qui panem nutrire negare audebit. Recipit enim, secundùm nostram descriptionem, in magna quantitate quoddam semen, seu fructum, quem Cacaos, vel Cacacium nominant, nec modicam quantitatem farinæ paratæ ex Maiz, hoc est Tritico Indico, & saccharũ, præter alia quædam aromatica, ut in ejus descriptione patet. Unde horum simplicium quantitas tantoperè exuperat quantitatem aliorum ingredientium, ut ex iis solis totam confectionis massam componi dici debeat: nam alia, quæ aromatica, ut dixi, sunt & ad stomachi roborationem, & flatuum dissipationem adduntur, vix notabilem præ illis quantitatem constituunt. [De Chaccolata fusius scripserunt Fr. Toritius de Molin. *tr. Ind. c. 1.* Acost. *l. 4. hist. nat. Ind. c. 22.* Gomar. *2. p. hist. Indor.* Benzo *l. 2. c. 16.* Padilla *l. 2. hist. S. Domini de Megico.* Herrera *decade 2. hist. gen. Indor. l. 6. c. 13. l. 7. c. 16. dec. 4. l. 8. c. 3. & 9.* Torquemada *l. 14. Ind. c. 10. & 2. Mon. Ind.* Castillo *c. 3. & 5. hist. Indor.* Cornesо *l. simpl. med. Ind. c. de cacao.* Barrios Rovil. *in herb.* Hernandez *hist. nat. nova Hispan. l. 1. c. 2.* Ant. Recus *lib. rerum med. nova Hispan.* Caldera *in Tribun. Medic. c. 4. c. 2.* Thom. Urtado *de Chocalat. tract.* Guillelm. Robil. *l. 8. c. 93.* Pinell. *quæst. de Chocalat.* Zacut. *prax. admir. l. 2. obs. 6.*]

Est autem jam hic potus, seu potiùs cibus sub ratione potus tam frequenti in usu apud omnes ferè gentes, ut innuimus, quemadmodùm testatur idem Ant. Colmen. *loc. cit.* ut ex ejus usus frequentia de-
4 terminare non dubitaverint Moderni Canonistæ, quòd assumere unciam unam, aut alteram prædictæ potionis in regionibus, in quibus est in usu pro frequenti potu, non frangat jejunium, ita ex plurimorũ opinione Diana, *Resp. mor. par. 8. tract. 7. resp. 54.* Ego,
5 quicquid dicendum sit, an hoc respectu ejus usus licitum sit, nec ne (hoc enim Canonistis decidendum relinquo) illud asseveranter affirmabo, quòd assumptio unius, aut alterius unciæ, aut etiam unciæ dimidiæ ejus potionis corpus insigniter nutriat, vires adaugeat, spiritus exhilaret, & alios effectus producat, quos producere ejus potioni fautores affirmant, quibus & ego assentior. Sed si prohibemur in jejuniis præter unam comestionem singulis diebus assumere quicquid corpus nutrit, neque licitum erit assumere uncias duas, neque unam, neque dimidiã Chaccolatæ absq; violatione jejunii. At verò nonnulli doctissimi Theologi apud Dianã *ubi proximè*, ideo in eam sententiam lapsi sunt, quòd hujusmodi quantitas Chaccolatæ in regionibus, in quibus est frequenti in usu, non frangat jejunium, quia habet rationem potûs, & in his regionibus effecta sit potus usualis. Ergo, inquam, assumitur ratione potus, &
6 cùm potus, ex communi, etiam vini, quod summoperè nutrit, nõ frangat jejunium in quacunq; quantitate assumatur, idem erit dicendum de Chaccolata: sed hoc nullo modo veritatem habet, quia potus assumitur, nec aliàs in diebus jejunii assumi debet, nisi ad extinguendam sitim, sed Chaccolata nequaquam assumitur ad extinguendam sitim, sed ad recreandas vires, & robur corpori conciliandum, ad stomachum roborandum, ad animum exhilarandum: ergo nunquam poterit habere rationem potus, sed cibi, licèt cibum velimus esse medicamentosum, ergo quacunq; etiam minima quantitate sumatur, frangere debet jejunium.

Sed quid imponere mihi satagunt quidam, quòd Chaccolata sumatur ratione potus? nunquid ha-
7 bens solidam substantiam, si aqua liquefiat, habet rationem potus? nequaquam. Sed in tantum dici po-
8 terit habere rationem potus in quantum non masticando, sed sorbendo assumitur, ut ovum jure distẽperatum, carnium contusum, & id genus alia, quæ licèt assumentur per modum potus, habent tamen rationem cibi, Sanch. *lib. 4. consil. mor. c. 1. dubit. 23. n. 1.*

quæ

quæ omnia,ut ille addit, frangunt jejunium.Deinde quomodò dicemus, Chaccolatam eſſe potum, ſi nullã facultatem potus habet, cibi verò facultatibus omnibus inſignitur? Nam neutrum finem, ad quem potus eſt à Natura deſtinatus, Chaccolata habet, cùm neq; ad diſtributionem ſolidorũ ciborum,neq; ad levandam ſitim inſerviat:neq; ulterius ad alium aliquem finẽ,ut ad reſtitutionem humidioris ſubſtãtiæ:aſſumitur ergo ad reſtitutionem ejus,quod ſubſtantiæ ſiccioris efflaxit,hoc autem cibus eſt,nõ potus,Gal.*lib.1.de ſanit tuen.c.2.*Ergo non eſt vera ſuppoſitio eorum Canoniſtarum,quòd Chaccolata effecta ſit potus uſualis aliquorum populorum;nam ij ipſi populi,apud quos invaluit hujuſmodi uſus,non aſſumunt Chaccolatam ut potum,quia nunquam illam aſſumunt ad ſitim extinguendam, ſed ad alios fines, quos jam cõmemoravimus: nec frequens uſus quantumvis diuturnus unquam id efficere potuit, ut quod habet rationem cibi,evadat potus:ac mihi quidem videtur hoc eſſe homines decipere, nempè determinare,rem habentem rationem cibi maximè nutritivi, per longum uſum effectum eſſe potum, eamq; quæ ſtomachum occupando impediat aliorũ ciborum diſtributionem, quaſi naturam per uſum mutaverit, ad eam ciborum diſtributionem conducere poſſit,quæ principalis finis potus eſt: cùm alter finis levandæ ſitis ſit finis ſecundarius,neq;primò à natura intentus,quia potum Natura inſtituit ad illũ priorem finem, & ad id reparandum, quod ex ſubſtantia humidiori efflaxit,& cùm hoc ad levandam ſitim, quæ ex digeſtione ſolidorũ ciborum emergere ſolet,quatenùs ea impedimento eſſe poſſet prædictæ diſtributioni.Ergo velle Chaccolatã tanquam potum canonizare,cùm verè cibus ſit,& cibi facultates omnes habeat,eſt palliare abuſum ejus aſſumptionis,ut id, quod ex ſua natura illicitũ in jejuniis eſt, licitum faciamus, & eorum voluptatem ſecundemus, qui hujuſmodi potioni dediti ſunt,ejuſque tanta aviditate detinentur.

Non deſunt tamen contrà prædicta difficultates aliquæ ab adverſariis opponendæ:nam videtur licitum ex Canoniſtarum decretis nonnulla in jejuniis extra comeſtionem licitã aſſumere, quæ viderentur majori cum ratione jejunium violare, quàm Chaccolata:nam,ut illi aiunt,licèt in jejuniis nõ tantùm aſſumere medicinã verò curativam,hoc eſt,inquam, ad depellendum aliquem morbum, ſed etiam conſervativam,hoc eſt,inquam,ad Naturæ vigorem, & corporis robur conſervandum: quod exemplificant de aliquibus electuariis, & confectionibus ex ſaccharo paratis,vel bellariis,ut uvis paſſis, & ſimilibus Sanch.*lib.5.conſ.mor.c.1.dub.22.n.2.* & hoc quia hujuſmodi res non ſumuntur, ut alimenta, ſed ut medicamenta,Leſſ. *de Juſt. & Jur.lib.4.c.2.n.11.* non ſumuntur,inquam,eo fine,ut in corporis nutrimentum vertantur, ſed ut aliquam corporis intemperiem corrigant,& virtutem roborent,ita ut maxima ex parte potiùs naturam vincant, quàm vincantur.

Præterea alia quoq;ſunt, quæ in jejuniis aſſumere præter unicam refectionem licet, quæ cibi omninò ſint,& cibi maximè nutritivi,ut ipſiſſimus panis eſt:nam dato quòd in jejuniis ſitis moleſtia urgeat, licèt aſſumere,nè potus noceat ipſius panis buccellam,vel aliquem fructum,ita Sanch. cum aliis *ibi* per eum adductis,*loc.cit.n.5.* at nihil eſt,quod magis nutriat ipſo pane,velut etiam valdè nutriũt aliqui fructus,ut Amygdalæ,Olivæ,& id genus alii.Ergo dato etiam,quod Chaccolata nutriat,aſſumitur tanquam medicina conſervativa, & rectè annumerari poteſt cum commemoratis electuariis, & confectionibus in jejunio cõceſſis,nec magis culpari poterat Chaccolata ab q;dubio,quàm ipſe panis,maximè in tam modica quantitate ſumpta,nempè unius unciæ. His miteſcere poſſe videbatur ſententiæ noſtræ rigor,niſi non deeſſet apta ad ſingula reſponſio:& primò ad id quod dicitur, licere abſque eo quod frangatur jejunium aſſumere medicinam aliquam conſervativam ad corporis robur etiam ſervandum,& ad alios quoſdam effectus: dico benè procedere, quando quod aſſumitur rationem præcipuè medicamenti habet,& eo fine aſſumatur, vel ſaltem præcipuus finis aſſumendi ſit conſervare corporis robur, ejuſq; ſanitatem non in quantùm nutrit, ſed in quantùm Naturam aliquo modo alterat,& ad meliorem ſtatum reducit,ut exempli gratia eſſent,Antidota magna,& confectiones cordiales, ut Alchermes & Hyacinthina; & aliæ ejus farinæ: at ſi medicamentum ejus naturæ ſit, ut ad corpus reficiendum deſtinetur, & diſtributum à Naturali calore in nutrimentum abeat, nullo modo licet aſſumere,quia nec medicamentum eſt, ſed potiùs cibus, licèt corpus aliquo modo alteret. Modò,Chaccolata in tantùm roborat corpus,& ſanitati prodeſt in quantum diſtribuitur,& in ipſius corporis nutrimentum vertitur, unde vires adauget: non licet ergo eam aſſumere tanquam unum ex prædictis electuariis, & confectionibus,quia horum præcipua operatio eſt corpus alterare,& ad meliorem ſtatum reduce; Chaccolatæ autem præcipuus finis eſt corpus enutrire, & vires adaugere,licèt conſecutivè refrigeret, aut calefaciat prout libet,ut quidam alii cibi faciunt, veluti exempli gratia, Pruna quæ nutriunt,& refrigerant,Hepatiq; opitulantur,& ficus,qui nutriunt, & calefaciunt. Quando igitur præcipua alicujus rei ſumptæ operatio eſt corpus nutrire, licèt deinceps alteret, cibi nomen meretur,non medicamenti: & ſic cum Chaccolatæ præcipua operatio ſit corporis nutritio, rationem cibi habet; Electuaria verò,quorum præcipua operatio eſt corpus alterare, rationem medicamenti habent.

Et ad id quod additur,nempè quòd ſi licet aſſumere buccellam panis extra comeſtionem in jejuniis,ne potus noceat, tantò magis licebit aſſumere unciam unam Chaccolatæ:Dico, quòd hoc non benè ſequitur, quia Chaccolata non aſſumitur ad evitandam aliquam noxam,neque ut medicamentum, ſed tantùm ob voluptatem, & ad corporis robur excitandum,quorum utrumque ſatius eſt in jejuniis evitare. Ac tandem non deſiſtam pro hujus diſcurſus ſigillo illud pronuntiare, quòd cùm Chaccolatæ operationes omnes ſint de directo contrariæ fini in jejuniis intento, qui eſt corpus macerare,carnis ſtimulos compeſcere, caloris efferveſcentis impetus obtundere: illa verò corporis vigorem adaugeat, carnis ſtimulos acuat,& caloris impetus, & ſanguinem excitet, magis ex re eorum, qui jejunii Leges integras ſervandas cenſent, eſſe putaverim, ab ejus uſu in totum abſtinere. [Conjung. Bravo *conſult. XIV. p. 732. & ſeqq.*]

Sed præſtat,hac occaſione ſumpta aliquid etiam de Aqua vitæ proferre,cujus uſus eſt ubiq;frequentiſſimus.Dubitari igitur non ab re poteſt,an ejus aſſumptio jejunium frangat,necne? Et prætermiſſo de jejunio Euchariſtico loqui, de quo nullum intervenire poteſt dubium,quod tali aſſumptione maximè frangatur: quoad Eccleſiaſticum,ac pœnale videretur etiam idem dicendum,quippe cùm utrumque ad id præcipuè inſtitutũ ſit,ut notum cuilibet eſt,ut caro ſuccumbat,ad hoc ut ſpiritus alacrior factus ad cœleſtia elevetur,ſed Aqua vitæ & ſtimulos carnis augere poteſt, & corpus alacrius reddere, unde omninò erit fini in jejunio utroque jejunanti ſibi proponendo contrarium,& ſic jure determinandum videtur,per iſtius aſſumptionem utrumque jejunium frangi.Quod verò Aqua vitæ ſtimulos carnis augere poſſit, patet, quia corpus, & ſanguinem promptiſſimè

ptissimè calefacit, ipsumque sanguinem acutiorem reddit, unde spiritus ex ea producti, & semini genitali commixti, hominem molestissimè ad Venerem, & seminis ejaculationem proritant. Adde his, quòd etiamsi concedamus objicientibus, aquam vitæ non habere rationem rei nutritivæ, tamen inficiari nullo modo possumus, eam effectus jam commemoratos producere, qui sufficientes videntur ad prohibendum ejus usum in jejuniis, cùm tametsi non nutriat membra solida, nutriat tamen, & augeat ipsos spiritus, non secus ac vinum, imò multò promptiùs quàm vinum: quamobrem licèt vinum in jejuniis extrà comestionem concedatur ex eo, quod sumatur ratione potûs: Aqua vitæ, cùm non possit concedi, ut potus, prohiberi in jejuniis debet ob majorem sanguinis, & spirituum excalfactionem, ut jam dictum est. 22

Sed his non obstantibus dicendum videtur, Aquam vitæ sumi, & habere rationem medicamenti, ac medicamenti quidem confortantis, & Naturam sublevantis, non autem cibi, neque potus: medicamenta verò hujusmodi licitè assumi posse in jejuniis jam suprà ex Canonistarum auctoritate firmavimus. Quæ autem contra ejus usum objiciuntur, dicendum, habere locum in immoderato ejus usu, vel quando ad alium finem assumitur, quàm medicamenti usus patiatur. 23 24

Ego tamen, ubi consilium dare jejunanti alicui requisitus essem, illum ab Aqua vitæ abstinere ob jejunii reverentiam hortarer. Sed Canonistæ, ad quos magis pertinet, videant quid in veritate sit determinandum, supposito, quòd Aqua vitæ habeat rationem tantùm medicamenti confortantis, quorum medicamentorum usum non tam facilè concedendum in jejuniis arbitror, ubi non ex causa morbi, aut valetudinis, sed tantùm ob delectationem, vel simplicem finem roborandi staturam, & stomacho vigorem addendi assurgerentur. 25 26

LIBRI NONI TITULUS NONUS.

DE MORBIS IMPEDIENTIBUS EUCHARISTIÆ Assumptionem.

SUMMARIUM.

1 *Eucharistia non nisi jejunio stomacho sumenda, licèt in quibusdam infirmis jejunium non requiratur.*
2 *Qui morbi prohibere debeant Eucharistiæ assumptionẽ.*
3 *Mentis alienatio qua & quando impediat assumptionem Eucharistiæ.*
4 *In mentis alienatione aliquando adsunt dilucida intervalla, aliquando non.*
5 *Mente alienatis quando possit exhiberi Eucharistia, ex S. Thoma, remissivè.*
6 *Suffocatio, vel strangulatio impedit Eucharistiæ assumptionem.*
7 *Tussis quanam impediat Eucharistiæ assumptionem.*
8 *Sanguinis sputum quando Eucharistiæ assumptionem impediat.*
9 *Empyema quid, & quando impedimentum afferat sumendi Eucharistiam.*
10 *Deglutitio quomodo lædatur.*
11 *In ablata deglutitione nullo modo tentanda Sacramenti exhibitio, & quid in deglutitione depravata.*
12 *Nausea an, & quando impediat Sacramenti assumptionem.*
13 *Vomitus prohibet Sacramenti assumptionem.*
14 *Singultus an impedire debeat Eucharistiæ assumptionem.*
15 *Morbi, in quibus associatur vomitus, prohibent Sacramenti exhibitionem.*
16 *Vomitus molestissimus in volvulo, seu Ileo.*
17 *In volvulo omninò abstinendum ab exhibitione Sacramenti.*
18 *Iliaca passio quid.*
19 *Cholera quis morbus sit.*
20 *An in omni Cholera prohibenda Eucharistiæ exhibitio.*
21 *Lienteria quid, quid item Cæliaca passio.*
22 *In Lienteria quodnam periculum immineat, si Sacramentum administretur.*

QUÆSTIO Unica.

Occasio scribendi.

CUm Iuvenis quidam exitiali volvulo detineretur, ita ut stercora ipsa per os ejiceret, propinqui à Parocho exposcebant, ut viaticum illi subministraret, quod audiens Franciscus Santucius vir ingenio, & doctrina insignis, qui ejus curæ præerat, expressè prohibuit, ne sine ejus assensu viaticum Ægro exhiberetur ob inevitabile vomitûs periculum. Parochus observans Ægrum tantisper à vomitu cessasse, Medici monitâ parvifaciens, viaticum Ægro exhibet: ille indesinenter enormi vomitu tota sequenti nocte exagitatus Animâ cum vomitu fudit.

Non extra rem igitur Canonistarum futurum existimo, si prænarrati facti occasione arrepta de iis morbis hìc verba faciam, qui ex Medicorum sententia prohibere debeant, ne infirmis etiam de proximo morituris Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministretur. Et licèt etiam de jejunio mentionem simul habere conveniret, (quia hujusmodi Sacramentum non nisi jejuno stomacho assumendum, Divus Thomas *secunda secundæ, quæst.* 147. *artic.* 6. *ad secundum*, & omnes Summistæ) tamen quia infirmi maximè in periculo mortis positi hoc jejunio non obstringuntur, id. D. Thom. *part.* 3. *artic.* 8. *in corp.* Navarr. *lib.* 5. *consil. de Pœnit. & Remiss. & conf.* 16. *n.* 7. & 10. de eo non est necesse quicquam addere: ad alia igitur transeundum. 1

Morbi igitur impedientes Eucharistiæ assumptionem, vel ad usum rationis spectant, vel ad respirationem, vel ad deglutitionem, vel ad stomachum. Ad usum rationis spectãt quælibet mentis alienationes, cum quibus Apoplexiam, & Epilepsiam comprehendi volo. Ad Respirationem pertinet Suffocatio, seu strangulatio, Tussis, Asthma, sanguinis & puris sputum, & si quæ alia sunt ejusdem classis. Ad deglutitionem pertinet ejusdem deglutitionis ablata actio, vel depravata, & alii id genus affectus. Ad stomachum, & partes contiguas pertinet Nausea, singultus, vomitus, passio Iliaca, vel Ileos, Cholera, Lienteria, & affectio Cæliaca, de quibus omnibus singillatim verba facienda, ut tanti Sacramenti Ministri debitam cautionem in illud administrando adhibeant. 2

Primò ergo, notissimum est, quid sit mentis alienatio, eámque impedire Eucharistiæ assumptionem, Summ. Ang. *verb. Eucharist.* 3. *n.* 14. & notavit Rota *in Rom. succeff.* 19. *Ianuar.* 1629. coram Duran. *n.* 17. & *in Perusina Pensionis* 9. *Decemb.* 1650. *cor. Peutinger. n.* 8. & quia hujusmodi deliria vel perpetua sunt, vel habent dilucida intervalla, conclusio procedit in delirio perpetuo, nam aliàs in ipso dilucido intervallo Sacramentum exhiberi potest, eadem Summ. Ang. *ibid. n. eod.* & idcircò notandum est, aliquas dementias habere dilucida intervalla manifesta, ac vera, quia Ratio ad suum naturale officium exercen- 3 4

exercẽ lum de integro redit, aliàs autem habere leviora & obſcuriora, remittente tantùm, ſed non ceſſante in totum morbo. In morbis qui habent dilucida intervalla vera, ac manifeſta, jam dictum eſt non impediri Euchariſtiæ exhibitionem: dubium tantùm intercedere poteſt de iis morbis, qui ea intervalla obſcuriora obtinent, in quibus tamen conſiderari poſſunt gradus quidam majoris, aut minoris remiſſionis ipſius dementiæ, quibus in caſibus obſervandum eſſet, quantùm ego exiſtimo, id quod D. Thom. *tertia parte Summ. quæſt. 80. artic. 9. in corp.* 5 admonebat, ubi determinat quando etiam ipſis dementibus poſſit Euchariſtia exhiberi. Ego jam pridem feci in quibuſnam dementiis, & cujus conditionis dilucida intervalla expectari poſſint *lib. 2. quæſt. Medicoleg. tit. 1. q. 21. a n. 14. ad plures ſequentes.* In Apoplexia, & Epilepſia eſt obſervandus ſtatus paroxyſmi: nam certum eſt in ipſius inſultu, etiamſi Ægri videantur ab eo ſe recolligere, niſi in totum ad ſe redeant, nullo modo tentandum Sacramentum exhibere, quod maximè debet habere locum in Apoplexia, in qua periculum imminet, ne inſtrumenta deglutitioni deſtinata ſint reſoluta ut evenire poſſet, unde deglutiri particula nullo modo poſſit. Non idem imminet periculum in Epilepſia, quia ceſſante ejus paroxyſmo, nulla pars ſolet reſoluta remanere, ut in Apoplexia.

6 Morbi porrò, qui ſpectant ad ſpirituales partes, & reſpirationem, ſunt primò ſuffocatio, ſeu ſtrangulatio, in qua nec reſpirare, nec quicquam deglutire ſine ſuffocationis periculo Æger poteſt, id evenire ſolet vel in catarrho ſuffocante, vel in anginoſis affectibus, in inflammatione & ardore faucium, ut in febribus ardentibus, vel convulſione, aut paralyſi partium oris, & circumvicinarum, vel in ſtrangulatione ab utero in quo caſu tam malè miſeræ fœminæ afficiuntur, ut miras convulſiones earum partium patiantur. Vidi ego in ita affectis ducto ore nullam omninò linguam apparere, ac ſi illam vel deglutiſſent, vel nunquam habuiſſent. In his omnibus deglutitio non impeditur ex vitio Stomachi, ſeu Oeſophagi, ſed ob occluſionem faucium, aut læſam actionem muſculorum os diducentium, quorum ope etiam cæteræ functiones celebrantur quæ antequam Oeſophagus ſibi oblata attrahat, neceſſariæ ſunt.

Jam vidimus nobiliſſimum puerum quinquennem ex convulſione linguæ, & adjacentium particularum, ne aquæ quidem guttam per ſpatium quatuordecim dierum deglutire potuiſſe. Nutriebatur autem frequentibus enematis ex carnium contuſo, & vitellis ovorum, quorum ope abſque alio cibo, & potu per omnes eos dies duravit, poſt quos ſenſim comedere cœpit, & ſanitatem integrè recuperavit, ſola utriuſq; manus convulſione ad menſem durante. Sed profectò in his omnibus affectibus, nempè anginoſis, & ſuffocantibus, magna cautela adhibenda, cùm facilè eveniat, ut vel ex oblata aquæ gutta moleſtiſſima tuſſis, & exitialis ſuffocatio excitetur, unde etiam peticulum imminet rejectandi ſacratiſſimæ Euchariſtiæ particulam. In ſtrágulatis ab utero admonendum, mulieres tanquam mortuæ quidem jacere; at nec loqui, nec quicquam deglutire poſſe, licet audiant, & percipiant quicquid ab aſtantibus dicitur & aliquando manibus, ac nutibus ad interrogata reſpondeant: nullo tamen modo tutum eſt illis Sacramentum miniſtrare, facilè enim à minima quaque re oblata ſtrangulantur.

7 Inter hos ipſos affectus recenſenda tuſſis, eſt non quælibet, ſed frequentiſſima, & moleſtiſſima qualis ab Hippocrate Thiriodes, hoc eſt maligna, & ferina appellatur: eſt enim interdum adeò anxia, ac violenta, ut Hominem mirum in modum exagitans, nec liberè reſpirare, nec quicquam deglurire, permittat, imò ſi quid deglutire Homo tentaverit illud violenter ab ore per tuſſim repellatur. Itaque cum multa cautione etiam in hoc caſu procedendum: maximè ſi Æger nullo modo poſſe videatur tuſſis violentiam reprimere, ac ſeipſum continere: nam ubi id in ſua poteſtate eſſet, tutò poſſet Sacramentum exhiberi: quod ubi in ventriculum deſcenderit, non ampliùs quantumvis moleſtiſſima tuſſis ſit, facilè poteſt rejectari, quia tuſſis eſt motus depravatus partium ſpiritualium, nec quicquam ad Stomachum pertinet, non obſtante quod ex ejus violentia interdum vomitus excitetur: quod non qualibet minima ex cauſa facilè ſuccedit, nec Stomacho parùm cibo, vel potu, vel humoribus occupato, ſed quando altera ex his rebus oppletus repe- 8
ritur, & tunc etiam valde rarò.

In ſanguinis ſputo, cum frequens, ac maximè violentum eſt, eadem cautela, imò major ſervanda: nam major indecentia ſequeretur ex rejectatione ſacratæ particulæ cum ſanguine, quàm ſine alterius rei admixtione. Obſervandum ergo ne in ipſo impetu rejectationis ſanguinis, & per aliquod ſpatium poſt ipſam, maximè tuſſi perſeverante, Sacramentum exhibeatur, ſed tum demum, cùm ſufficientem quietem Æger habuerit, & ſanguinem rejectare omni ex parte deſierit. Quòd ſi tam copiosè affatimq; ſanguis rejectetur, ut timor adſit, ne ſimul cum ſanguine vita fundatur, tunc omninò videtur abſtinendum. Verùm cùm non modò ex pectore, & pulmonibus, ſed ex ſtomacho quoque per vomitum ſanguis rejiciatur, ſciendum majori multò cum cautela in hoc caſu, quàm in aliis procedendum, quia faciliùs ſuccedit, vomitum dare occaſionem, ut aſſumpta per os rejiciantur, quam tuſſim aut aliud quid ad ſpirituales partes pertinens. 9

Empyema porrò, quæ collectio puris eſt in pectore, quod cum tuſſi expurgatur, non videtur habere leve impedimentum recipiendi Euchariſtiam, cùm ſimul multam indecentiam, & periculum minari poſſit: cum ſuccedere difficile non ſit, ut Æger ſimul cum pure per tuſſim Sacram Particulam oblatam rejiciat. Quia tamen hæc paſſio pectoris eſt, nec in ea tuſſis conſueverit eſſe tam moleſta, ac frquens, ut nullam aliquando quietem Ægro concedat, dummodò opportuno tempore, & cum debita cautela Sacramentum exhibeatur, & indecentia omnis, & periculum ceſſare facilè poteſt. 10

Offeruntur dehinc vitia reſpicientia deglutitionem, ac primò ſciendum, hanc functione non unica ratione lædi, nam aliquando omninò aboletur: ita ut nec cibum ullum, nec potum, nec aliam rem quampiam, quantumvis minimam, deglutire Æger poſſit, quod interdùm ſuccedit vitio Oeſophagi, & villorum ejus, ac partium illi inſervientium muſculorum, & nervorum ad illum pertinentium, cum convulſionem, aut Paralyſim patiuntur, ut jam ſuperiùs dictum eſt. Aliàs autem deglutitio fit magna cum difficultate, & multa cum anxietate ſuccedi, nec videtur in ea affectione Natura integrè aſſequi quod præſtare ſatagit: nam Ægro videtur oblatum cibum, vel potum non liberè, nec perfectè ad ventriculi fundum deſcendiſſe, etiamſi uterque gulam tranſgreſſus videatur. Succedit deinceps aliquando, ut ſolida aut difficillimè, & nullo etiam modo deglutiri poſſint, liquida verò facilè:

vel è contrà solida nullo negotio deglutiantur, liquida verò nequaquam.

11 In ablata ergo deglutitione quomodocunque, & ex quibuscunque causis eveniat, ne tentandum quidem ullo modo est Sacramentum exhibere, remaneret enim in ipso ore cum maximo scandalo, & summa indecentia tanti Sacramenti: quando autem ita læditur deglutitionis actio, ut solida quidem deglutiãtur, liquida verò non, videretur omninò prohibendum, nè Sacramentum offeratur: & ratio est, quia licèt Particula consecrata res solida sit, non liquida, tamen ob specierum exiguitatem eandem difficultatem deglutiendi parit, quam pariunt ipsa liquida, in quorum deglutitione concurrunt externi musculi Oesophagi, ut, quantum necesse est, possit ipse Oesophagus potulenta oblata amplexari, & in ventriculum demittere. Sed pro curiosis videnda quæ de hac passione scribit Dan. Senn. *lib. 3. Pract. par. 1. sect. 1. c. 3.* & ante illum Guilielm. Fabr. *Obs. Chirurg. cent. 5. obs.* 34. Contrà autem ubi liquida facilè deglutiantur, solida verò difficulter, majori cum securitate Sacramentum offerri potest, quia Particula non habet notabilem soliditatem, ac facilè potest cum potu deglutiri.

12 Inter stomachi passiones primò occurrit Nausea: hæc est inanis vomendi stimulus, de qua etiam non ab re dubitatur, an prohibere debeat Eucharistiæ administrationem: licèt enim Nausea cum vomitu non conjungatur, nec quicquam in ea per os rejiciatur, ut aliquando evenire solet, tamen similis adest motus, & promptitudo ad vomendum, nec sine multa indecentia videretur, infirmum inter assumendam Eucharistiam, nauseabundum fieri, licèt vomitus nullus sequeretur: sed tantùm conturbatio succederet magna, & frequens, quæ cùm pessima sit, portendit stomachi inflammationem vel præsentem vel futuram, Gal. *comm. 3. in primum Prorrhetic. text.* 25. Et in hoc casu certum est non minus abstinendum ab Eucharistiæ exhibitione, quàm in ipso vomitu: Sed ubi tam ultro non procedat Nausea, videtur firmandum non esse tale impedimentum ut omninò prohibeat Eucharistiæ assumptionem: maximè non urgente vomitu, cujus maximè causa prohiberi palam est, & notant Canonistæ, Navarr. *conf. lib. 2. de Pœnit. & Remiss. conf. 16. n. 13.* Signanter autem advertendum quando nõ solũ per vomitum vel multa rejiciuntur, vel pauca, sed pravæ qualitatis, verùm etiam quando post vomitũ
13 relinquitur aut Nausea, aut singultus, quia vomitus ille symptomaticus est, ac pessimus judicatur, Hipp. *lib. 7. Apor.* 3. Ubi à vomitu singultum malum esse dicebat: signum enim est, Naturam nullo modo per vomitum sublevari, sed ex materiæ malitia mirum in modum exagitari in stomacho adhuc hærentis, & unde aut Nauseam, aut singultum excitare adhuc persistit. Singultus tamen per se non esset fortè notabile impedimentum sumendi Eucharistiam, quia per eum motum (qui non tantùm habet
14 secum dedecoris, quantum Nausea) nihil per os rejicitur, nec vomendi ullus stimulus molestat, præterquam quod consuescat ad aliquod rationabile tempus conquiescere.

Sed præter commemoratos affectus nonnulli insuper morbi sunt, quibus associatur vomitus, inter quos est dolor Nephriticus à calculo præsertim productus, dolor Colicus, & dolor Iliacus. Omnium
15 autem exitialissimus & molestissimus est dolor Iliacus, Volvulus, Chordapsus, Ileos & ob sui sævitiẽ, *Miserere mei*, à Barbaris appellatus. In aliis verò commemoratis doloribus, licèt vomitus frequens adsit, non tamen adeò molestus, ac violentus, ac per- 6
necabilis est, præterquam quod faciliùs Medicis auxiliis, illis, quam huic succurramus, & idcircò, si cautè agatur, non deerit in illis tempus exhibendi Sacramentum, nam doloribus quiescentibus etiam vomitus sedatur, quiescunt autem dolores; per vices: cùm tamen non adeò lethales sint, nisi major urgeat necessitas, cautiùs agetur, si ab administratione Sacramenti abstineamus, nam non nisi ex devotione ministrari debet, quia neuter eorum ad extremum devenire solet, nisi Colicus in Iliacum degeneret: At verò in dolore Iliaco indesinens, ac enormis vomitus urget, maximè Ægro ad interitum vergente: neq; enim cibi tantùm, potus, & humores rejiciuntur, sed ipsa etiam stercora cum maxima turpitudine, & Ægrorum anxietate, & inevitabili mortis periculo; unde si in aliquo casu abstinendum ab Eucharistiæ exhibitione, in hoc certè sũma teme- 17
ritas est, illam exhibere, quamobrem inexpiabilis illa Parochi temeritas, qui non obstante peritissimi Medici interminatione Iuveni illi doloribus Iliacis agitato cum enormi vomitu, Sacramentum obtulit, severa animadversione digna censenda est: summa enim, ac indicibili indecentia, ac scandalo factũ est, ut juvenis ille, urgente indesinenter vomitu Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sic assumpto, animam cum vomitu efflaverit: unde idcircò Parochos omnes imposterum admonendos existimo, nè unquam in tali passione Eucharistiam infirmis exhibeant, etiamsi vomitus aliquandiu cessasse videatur, nisi cõstaret id ex morbi alleviatione, & remissione successisse, neq; tamen tunc exhibendam censerem, non urgente necessitate exhibendi, cum tutius sit, expectare, ut homo à sordibus tam enormis vomitus omni ex parte liber evadat. Ut autem Parochi cognoscant quando Ægri hujusmodi morbo laborent (licèt id à Medico curante exquirere possint) 18
sciendum illis est, Iliacam passionem, in qua dolor Iliacus dictus generatur, esse intestinorum tenuium inversionem, vel convolutionem, ob quam fæces per alvum reddi impeditæ, ad stomachum repunt, & per os rejiciuntur.

Alia insuper passio adnotanda offertur, quæ notabili impedimẽto est sumendi Eucharistiam, & est morbus quidam *Cholera* appellatus, in quapassione Bilis per os, & per alvum indesinẽter rejicitur, qui & ipse acutissimus, ac pernecabilis morbus est, ægrumque brevi de mẽdio tollit. Sciendum tamen alium
19 dari morbum eodem Choleræ nomine insignitum, in quo tantùm flatus, vel flatuosus spiritus eodem modo per os, & alvum emittitur: & quemadmodùm prior ille morbus, in quo humor evacuatur, Cholera humida dicitur, sic hic posterior, in quo nõ nisi flatus emittũtur, Cholera sicca nominatur, & dubitari potest, an utraq; species pari impedimẽto subjaceat assumẽdi Eucharistiã. Sed de humida hæsitare 10
inane est, quia omninò in ea abstinendũ: de secunda verò determinandum videtur, non debere simile impedimentum afferre, dummodò morbus valdè molestus non sit, ita ut nullam Ægro quietem concedere videamus, sed illũ in continua molestia, & anxietate detineat, quemadmodùm evenit cùm morbus valdè acutus est: tunc enim tanto impetu aliquando flatus illi per os erumpũt, ut quicquid in os ingeritur, sũma violentia ad extra repellant: in hoc igitur casu ob imminens periculum rejectandi Sacramentum, abstinendum ab ejus exhibitione esset.

Remanet deniq; aliquid considerandum in aliis duobus affectibus ad ipsum quoq; stomachum pertinentibus, quorum primus vocatur Lienteria, secundus

ſecundus Paſſio Cæliaca, qui duo affectus differunt ſecundùm magis & minùs, & ambo ſequuntur ad ventriculi imbecillitatẽ,& nativi ipſius caloris exiguitatem. Lienteria autem eſt omnimoda ciborum & potuum inconcoctio, ob quam quicquid in ſtomachum demittitur, illicò nullo modo alteratum, aut concoctum per alvum remittitur. Cæliaca verò paſſio eſt ejusdem ventriculi imbecillitas, ob quam cibos per os ad illum transmiſſos ſemiconcoctos per alvum emittit,cùm ob caloris inopiam eos perfectè concoquere non poſſit. In Lienteria ergo periculum certum eſt, ne aſſumpta Sacramenti Particula nihil alterata ſtatim cum fæcibus reiiciatur maximo cum horrore,ſummáque, & inimaginabili indecentia; unde ſeriò in hoc caſu cautela multa adhibenda, ac tantò magis hortor id à Parochis obſervandum, quantò minùs hactenus à quoquam id animadverſum fuiſſe conſtat. In Cæliaca paſſione non habebit locum prædicta dubitatio ob moram, quam cibi faciunt in ventriculo, quæ ſufficiens judicari poteſt ad hoc, ut Particula ſacrata per conveniens ſpatium in ſtomacho commoretur.

LIBRI NONI TITULUS DECIMUS.

DE DISSOLUTIONE MATRIMONII, DIVORTIO, Tori ſeparatione, & ſolutione Sponſalium.

Continens Quæſtiones Quinque.

I. Quid ſit matrimonii diſſolutio, quid Divortium, quid Tori ſeparatio, quid diſſolutio ſponſalium.
II. De diſſolutione matrimonii ob impedimentum conſummationis non amovibile.
III. De Divortio.
IV. De Tori ſeparatione.
V. De Diſſolutione ſponſalium.

SUMMARIUM.

1 *Cauſæ nonnullæ ad Matrimonii negotium ſpectantes, ad Medicum pertinent.*
2 *Matrimonii diſſolutio quid ſit.*
3 *Divortium quid.*
4 *Tori ſeparatio quid, quid diſſolutio ſponſalium.*
5 *Cauſa diſſolventes Matrimonium, de quibus Medicus conſiderat, reſpiciunt omnes potentiam conſummandi matrimonium.*
6 *Matrimonium ſecundum Canoniſtas conſummatur per quamcunque, & quocunque modo factam ſeminis virilis receptionem intra uterum.*
7 *Examinatur hæc opinio, & quòd falſa ſit, demonſtratur.*
8 *Matrimonium tunc dici debet conſummatum, cum inter Conjuges ſecuta eſt copula apta ad generationem.*
9 *Copula apta ad generationem quas conditiones habere debeat.*
10 *Verum ſemen quid.*
11 *Semen, etiamſi verum ſemen ſit, non ſemper eſt aptum ad generationem.*
12 *Mulier habet verum ſemen generationi aptum.*

Quid ſit Matrimonii diſſolutio, quid Divortium, quid Tori ſeparatio, quid diſſolutio ſponſalium.

QUÆSTIO I.

IN contrahendis Matrimoniis multæ cauſæ interveniunt, ex quibus aut ea diſſovi contingit, aut divortium inter Conjuges fieri, vel totum ſeparari, inter quas cauſas non poſtremæ conſiderationis 1 nonnullæ ſunt, quæ ad Medicam ſpeculationem pertinent, & idcircò à Medico diſcutiendæ,& examinandæ,ut in terminis divortii dixit Rota *dec.* 711. *num.* 2. *& deciſ.* 815. *num.* 12. *coram Buratto*; Earum autem cauſarum præcipua eſt impotentia cœundi, quam peculiariter cognoſcendam à peritis Medicis dicebat eadem Rota *in Toletana nullitatis Matrimonii* 1639. *coram Coccino num.* 4. *& in Faventina Matrimonii coram Seraphino* 1585. *num.* 5. Undè bene factum puto, ſi, non obſtante quod aliàs incidenter de illis egerim, nunc ex profeſſo verba 2 faciam, & ut certiores fiant Lectores, de quibusnam rebus ſermo inſtituatur, ſingula definire præſtiterit.

Dico ergo Matrimonii diſſolutionem eſſe invali- 1
di Matrimonii irritationem à competenti Iudice factam;& dico quòd ſit irritatio Matrimonii invalidi,quia Matrimonium validum irritari nullo modo poteſt, etiamſi impedimentum, ſeu morbus impediens contracto jam matrimonio ſuperveniret, aut ante contractum matrimonium adeſſe. Rota *in Venetiarum Matrimonii* 1604. *coram Penia n.* 13. Addo eſſe irritationem,quia Matrimonium declaratur irritum ac nullum,ac ſi nunquam contractum fuiſſet. Denique dicitur,hanc irritationem eſſe à competenti Iudice factam, quia non quilibet Iudex, ſed Eccleſiaſticus tantùm poteſt in cauſis matrimonialibus ſententiam ferre. Farin. *conſ.* 190. *n.* 21.

Divortium porrò eſt inhibitio uſus Matrimonii 2
tam quoad torum, quàm quoad cohabitationem à competenti Iudice emanata: dicitur verò inhibitio uſus matrimonii,non enim,ut dictum eſt,annullari poteſt, cùm fuerit validè contractum,nec ejus vinculum ſolvi,ſed inhibetur,& interdicitur Conjugibus ipſius uſus,ita ut nec debitum invicem reddere, nec ſimul cohabitare,nec mutuis, ac conjugalibus officiis ſeſe fovere in poſterum teneantur; idcircò enim *in l. Divortium ff. de Divortiis & Repudiis*,dicebatur, non eſſe verum divortium, niſi quod animo perpetuam conſtituendi diviſionem fit, neque dicitur Divortium,ſi alter Conjugum ab altero divertat animo redeundi. Sed hoc dicitur temporale; quod attenta dicta lege; non eſt verum divortium, nam ceſſante cauſa, ob quam divortium factum fuit, conjuges redire tenentur ad cohabitationem, & torum communem. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. diſp.* 18. *n.* 18. *&* 48. quod ſit ſecundum jus Canonicum: nam ſecundum jus civile, Divortium, ut dictum eſt, ſemper eſt perpetuum.

Tori autem ſeparatio eſt judicialis ſuſpenſio 4
uſus Matrimonii quoad Torum, & dicitur quòd ſit ſuſpenſio uſus Matrimonii, quia neque perpetua fit diviſio conjugum, neque dirimitur matrimonium quoad hunc uſum, ſed ſuſpenditur tantùm, & ceſſante cauſa ſeparationis Tori, conjuges redeunt, aut redire poſſunt ad libitum, imò fortè redire tenentur ad matrimonii uſum,& ad communem Torum, ut invicem debitum reddant, & aliis matrimonii fructibus unanimiter fruantur;non ſic

autem in divortio, quia ex Iure Civili in perpetuum conjuges separantur, neque amplius ad quicquam tenentur, ad quod teneri solent, cum conjuncti sunt. Denique dissolutio sponsalium, est annullatio sponsionum de futuro matrimonio emanatarum; per hanc enim dissolutionem solvitur uterque sponsus à vinculo sponsionis, & juramenti, futuri conjugii favore præstiti.

5 Cæterùm Matrimonium dissolvitur nonnullis ex causis, quarum singulæ respiciunt impedimentum ejus consummationis, ad quam sufficit, ut unica vice vir mulieri jungatur per membra generationis, & semen in utero recipiatur, quod cùm factum est, matrimonium dicitur consummatum, neque amplius dissolvi potest, etiamsi in posterum impedimentum superveniret continuandi debiti matrimonialis redditionem; tunc enim, & eo casu potest fieri divortium, ac matrimonii vinculum solvi non potest.

Sed de impedimentis prohibentibus matrimonii consummationem, & debiti redditionem copiosissimè jam verba feci, *lib. 3. tit. 2. part. 1. & part. 2. in supplem. ad eund. tit. de Impotentia coëundi & generandi*, ad quem titulum præcipuè pro plena notitia earum causarum Lectorem remitto, ne eadem repetendo sine necessitate tædium illi afferam.

Cùm igitur dictum sit, dissolutionem Matrimonii fieri ob impedimentum illud consummandi, necesse est determinare, quandonam dicatur, matrimonium esse consummatum: in qua re ego tantisper tanquam Medicus sensatæ veritati innixus, à Canonistarum determinatione recedere cogor: pu-
6 tant enim illi per receptionem seminis virilis intra uterum, quomodocunque, aut quacunque arte succedat, matrimonium esse consummatum, etiam absque penetratione vasis, seu intromissione membri virilis intra uteri vaginam. Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 21. num. 2.* & plerique Canonistæ *ibi* per eum adducti. Moventur omnes ex eo, quod cùm ad matrimonium requiratur copula apta ad generationem, idem Sanchez *ibidem, num. 5.* Iam ubi vir etiam absque membri intromissione in uterum ita seminet, ut semen ab utero attrahi possit, & cum effectu attrahatur, erit hæc copula apta ad generationem; jure ergo tunc dicetur matrimonium consummatum. Sed Canonistæ ex falsa suppositione falsam conclusionem eliciunt;
7 persuadent enim, sibi quod ejaculatio seminis virilis prope uterum, nempe prope externum uteri ostium, sit sufficiens ad generationem, absque alia membrorum approximatione, ob id, quod uterus possit etiam sic semen attrahere.

Sed hæc Canonistrarum, aliorúmque quorundam Doctorum, etiam Philosophorum opinio tam inani fundamamento innititur, ut tanquam futilis, ac ab omni veritate aliena in totum corruat, est enim certè persuasio hæc puerilis, seu anilis, & idcircò flocci facienda, ac omni ex parte respuenda. Natura non inaniter, sed ex summa necessitate affabrefecit genitalia membra in perfectis animalibus, ita ut masculeum in fœmineum inseri debeat, sed ne ejectum semen ab externo aëre vel tantillum tangeretur, & posset facillimè à fœmina attrahi, unde qui putant generationem posse succedere absque ea genitalium insertione, Naturam imprudentiæ, & inanitatis incusant. Adeant Canonistæ Medicos in operationibus naturalibus expertissimos; hi enim ipsos à veritate pueriliter aberrantes sensu ipso, non effictis quibusdam historiolis, ac nugis, ad ejus semitam manuducent; non enim Canonistæ ab aliis Canonistis, aut aliis Professoribus edisscere debent, quid in rei veritate evenire inter generantes naturaliter possit, quid non; nam Canonistæ ob vitæ innocentiam, & integritatem, & à rebus venereis alienationem imponi sibi quædam permittunt, quæ cùm in via Naturæ impossibilia eventu sint, eorum credulitatem ludibrio esse faciunt apud eos, qui in hisce rebus magis sunt & experientia, & scientia eminentes.

Unde ad rem nostram assumpta Canonistarum determinatione quoad matrimonii consummationem, nempè quòd tunc dici debeat matrimonium consummatum, cùm inter conjuges secuta est copula apta ad generationem, absque ulla hæsitantia 9
firmandum est, Matrimonium consummari ubi per membra generationis conjuges commixti fuerint prout natura exposcit, nempè per insertionem membri virilis in uterum muliebrem, & veri seminis intra uterum ejaculationem; hæc namque tantùm copula apta est ad generationem: unde si debita conjunctio, & insertio membrorum non se- 9
quatur, si verum semen vir non ejecerit, aut ejecerit prope externum osculum, vel non debitè penetraverit, nunquam hæc copula erit apta ad generationem, nec per eam dici poterit Matrimonium fuisse consummatum: quod enim supponitur, posse semen ab utero recipi absque intromissione Penis, gratis supponitur; cùm in via Naturæ sit impossibile, nam neque ex parte uteri, neque ex parte seminis virilis possibile est, conceptionem eo modo sequi; non ex parte uteri, deficiente naturali delectatione, ob quam fit attractio ex deficientia intromissionis membri virilis, & impediente etiam seminis attractionem uteri conniventia, & distantia osculi interni ab osculo externo, cùm semen à viro ejaculatur.

Sed neque ex parte seminis potest sic ullo modo succedere generatio, quia illicò atque semen ab Aëre externo tangitur, citiùs multò quàm ictu oculi omnis spiritus evanescit, & semen omninò infœcundum ac emortuum remanet, nullique generationi aptum. Sed cùm de his affluentiùs alias disputaverim, ulteriori confutatione indigere prædictam Canonistarum persuasionem non existimo.

Additum porrò est, quòd hæc copula sequi debeat cum effusione veri seminis intra uterum: quantumvis enim vir mulierem cognoverit, & ad uteri usque intima penetraverit, non consummat Matrimonium, nisi intra uterum semen effundat: & dico intra uterum, non enim, ut inculcavi, satis est effundere semen prope uterum. Ac tandem dictum est, debere effundi verum semen, necesse igitur est, ut notum faciamus, quid sit verum semen: & ut brevibus hinc me expediam, dico, verum semen esse materiam sanguineam à vasis superioribus ad Testes delatam, 10
ibique concoctam, ac dealbatam, ut generationis materia fiat; quanquam enim non solùm Testes eam materiam contineant, sed & vasa etiam Testibus adhærentes, ut demonstrat Galenus *lib. 1. de semin. cap. 16.* & alibi, tamen perfectum, ac verum semen in Testibus tantùm conficitur itaque ubi desint Testes, verum semen, quod generationi sit aptum, reperiri non potest, unde etiamsi in aliquibus castratis, excisis Testibus, relinquatur aliqua portiò suspensorii, quæ materiam aliquam semini similem continet, quæ ab ipsis castratis, si Venere utantur, in coitu deiicitur, tamen nunquam dixeris, verum semen illud esse; quamobrem etiamsi hujusmodi Castrati coëant, 3
& illam

& illam materiam in uterum effundant, non tamen poſſunt dici conſummaſſe matrimonium, quia ad illud admitti non poſſunt ex eo quod verum ſemen non generent ob defectum Teſticulorum, ut ex Medicis eſt perſuaſiſſimum, & notat ex Canoniſtis Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 92. num.* 18. non obſtantibus iis, quæ Bartholomeus Cabrolius, & Adrianus Spigelius, apud Sennertum, *lib. 3. Pract. part. 9. ſectione 2. capit. 1. quæſt. 2.* opponunt, negando Teſtibus vim ſparmatizantem, illamque aliis partibus tribuendo.

Sed non ſemper etiam in ſanis hominibus, & Teſtibus dotatis, ſemen producitur unius, ejuſdemque perfectionis & ad generationem aptum, licèt verum ſemen ſit, ut in iis evenit, qui generare ad-
11 huc per ætatem non poſſunt, qui tamen ſemen habent *de*, Galenus *in ſinit. Med. non longè à fine.* Idem evenit in Ægrotantibus, debilibus, & decrepitis, qui omnes, licèt verum ſemen habeant, quia in ipſis adeſt materia illa ſanguinea per vaſa ſpermatica ad Teſtes delata,, & in ipſis concocta, non tamen perfectè, & dealbata, non tamen generare poſſunt, atque hinc ſequitur non requiri ad hoc, ut verum ſemen dicatur, & ſit aptum generationi, quemadmodum neque ſanguis, ut ſanguis dicatur, neceſſe eſt, ut ſit aptum nutritioni, ut ſanguis crudus eſt, ſed ſatis eſt ut Hepar chilum ad ipſum demandatum ſua ſanguifica facultate alteret, & in rubrum ſecundùm ſuam ſubſtantiam mutet; unde Debiles, infirmi, & Decrepiti ſi coitu utantur, & ſemen qualecunque, ſed à Teſtibus alteratum in uterum projiciant, tamen Matrimonium conſummaſſe dicendi. Videant ergo, qui volunt ad Matrimonii validitatem requiri ſemen aptum ad generationem, quomodò ſalvare ſe poſſunt, dum negare coguntur Matrimonium Infirmorum, Debilium, ac Decrepitorum, qui non habent ſemen generationi aptum, non eſſe validum, niſi dicant ſufficere, ut ex natura ſua tales ſemen generare potuerint generationi aptum.

12 Cæterùm ex tradita veri ſeminis definitione eliciendum eſt, fœminas verum ſemen habere: nam in eis quoque ex vaſis ſpermaticis defertur materia ſanguinea ad Teſtes, ubi concocta, ac dealbata in ſemen perfectum abit generationi aptiſſimum, ad eamque à Natura, ut ſemen Marium deſtinatum. Prætereo, quod ea ipſa materia ab ipſa fœmina in coitu, vel quomodocunque cum eadem delectatione, qua Mares ſeminantes, effunditur, & quòd excedens ejus excretio ipſas mirum in modum, ut Mares debiles efficiat; quicquid ergo deblaterent contrariæ ſententiæ aſſertores, relinquentes ſenſum propter imaginarias quaſdam ratiunculas, veritas rei ita ſe habet. Sed videnda quæ pro tuenda veritate unanimiter afferunt Medici omnes, & quæ nos affluenter attulimus, *lib. 7. quæſt. 1. Tit. 3. in digreſſione de ſemine fœmineo*, & alibi.

SUMMARIUM.

1 *Cauſa impedientes Matrimonii conſummationem quanam ſine remedio ſint.*
2 *Impotentia coëundi quotuplex.*
3 *Impedimenta conſummandi Matrimonium, quas conditiones habere debeant, ut matrimonium illicò irritetur.*
4 *Impedimenta naturalia ſunt maxima ex parte abſque remedio.*
5 *Naturalis frigiditas nullum remedium admittit.*
6 *Frigiditas ob ætatem graviorem non habet remedium.*
7 *Frigiditas accidentalis unde fiat, & quando ſit abſque remedio.*
8 *Excedens membri craſſities quando ſine remedio ſit.*
9 *Virga brevitas, & exilitas quòd remedium nò habeat.*
10 *Penis obliquitas, tortuoſitas, nodus, contractio, quando remedio careant.*
11 *Penis Paralyſis nullo remedio tolli poteſt.*
12 *Impotentia quæ ex offenſa quarundam partium ſucceſſit, non eſt remediabilis.*
13 *Impotentia ex propinato veneno procedens, quando careat remedio.*
14 *Teſtium carentia, ſitus mutatus, parvitas, & unitas quam faciat impotentiam ſine remedio.*
15 *Frigiditatem non cadere in mulierem, quomodo intelligendum.*
16 *Uteri clauſura quanam remediis non cedat.*
17 *Uteri anguſtia quando evinci remediis ſit impoſſibile.*
18 *Mentula muliebris quando conſummationem Matrimonii impedire poſſit.*
19 *Uteri exitus quando conſummationem Matrimonii impediat & remediis non poſſit reſtitui.*
20 *Impedimentum conſummandi ex parte utriuſque.*
21 *Uteri apoſtemata quæ ſint irremediabilia.*
22 *Maleficium non cadit in eum qui ſua natura frigidus eſt.*

De diſſolutione Matrimonii ob impedimentum conſummationis non amovibile.

QUÆSTIO II.

CUm conſtet ex ſupetioribus, quid ſit Matrimonii conſummatio; vel matrimonium conſummatum, patet inſimul, quando determinari debeat, matrimonium non fuiſſe conſummatum, tunc enim præſente aliquo impedimento perpetuo, & irremediabili, matrimonium diſſolvitur, ac nullum declaratur: Cauſæ ergo impedientes Matrimonii con- 1
ſummationem (de iis tantùm loquor de quibus ad Medicum conſiderare ſpectat) ad impotentiam coëundi, vel ſeminandi, vel utriuſque ſimul reducuntur, cùm impotentia coëundi per ſe, etiamſi vir ſeminare poſſit, & impotentia ſeminandi per ſe, etiam ſi vir poſſit coire, & utriuſque rei ſimul impotentia ſit ipſiſſima cauſa diſſolvendi matrimonium.

Impotentia autem coëundi reſpicit vel naturale 2
impedimentum, vel accidentale, vel ſupernaturale. Naturale impedimentum vel reſpicit totum, vel partes, ac præcipuè membra generationis. Impedimentum reſpiciens totum, eſt naturalis frigiditas à ſimili temperamento reſultans; reſpiciens partes, eſt vitium aliquod alicujus partis principis, ut Cordis, Cerebri, Hepatis & membrorum genitalium. Eodem quoque pacto impedimentum accidentale & totum reſpicere poteſt, & partes: quia tamen de his omnibus ac ſingulis impedimentis jam plura dixi, *lib. 3. tit. 1. part. 1. & tit. 1. part. 2.* illud tantùm in præſentiarum præſtandum remanet, ut patefaciamus, quænam impedimenta ejus conditionis ſint, ut per ea, nulla mora interpoſita, Matrimonium ſit diſſolvendum, quæ cùm tres conditiones habere debeant, nempè ut perpetua ſint, evidentia, & abſque re- 3
medio, jam edocendum quænam ſint hæc impedimenta.

Primò ergo ſtatuendum, impedimenta, quæ 4
à Natura ſunt, eſſe maxima ex parte ſine remedio. Dixi autem maxima ex parte, excludere volens quædam impedimenta leviora, ut eſt in viris membri tortuoſitas ab aliquo tenuiori ligamento facta, veluti in Hypoſpadiæis, in quibus Canis, ſeu frænum glandi ſubſtratum eam deorſum trahens tortuoſam reddit, quod tamen non magno negotio amovetur; ſic etiam levis præputii adhæſio, & id genus alia: in mulieribus verò uteri occluſio à tenui membrana naturali, vel præternaturali facta, oſculi ipſius exilitas non magna, & alia hujuſmodi.

Sed inter naturalia impedimenta in viris (nam poſtmodum

5 poſtmodum de iis impedimentis in mulieribus agemus) naturalis frigiditas nullum remedium admittit,ex communiſſima Medicorum opinione, Mere. *lib.3.de ſterilit. & pregnant.aff. capit.5.* quia dependentiam habet ex Principum partium & genitaliũ debili calore à primo ortu & plaſmatione; nec ma-
6 gis ſubveniri poteſt remediis frigiditati ab ætate præcipitata dependenti, nempè à Decrepitate, quia remedia leviora, aut etiam mediocris virtutis nihil opis afferre poſſunt: fortiora verò caloris naturalis, ſi quæ adſit, favillulam extinguunt. De hac ergo frigiditate jam patet per ætatem quando præſens ſit,nec deſunt ſigna ejus manifeſtiſſima in ſenili corpore obſervanda.De priori autem aliàs locutus ſum,ac præmonſtravi,ex quibuſnam ſignis evidentibus deprehendi poſſit; quæ cùm excludant in utroque caſu maleficium,ſuperfluum eſt ullum temporis ſpatium triennii,imò multò brevioris temporis ad ſumendam aliquam ejus rei experientiam, cúmque inſimul ſine remedio ſint, matrimonii diſſolutionem illicò faciunt.

7 Accidentalis frigiditas non ſemper abſque remedio eſt. Hæc ex aliquo acutiſſimo vel diuturniſſimo morbo, non tamen ſalutari provenire poteſt, aut ſummè excedenti hæmorragia quomodocunque facta, & à quacunque nimis excedenti humorum evacuatione, à potione venenorum quorumcunque; nam & frigida, & calida, illa ſuffocando & extinguendo, hæc diſſipando & abſumendo ſpiritus, & naturalem calorem, frigiditatem accerſere apta ſunt: in his ergo ſingulis caſibus, ſi vires prorſus ſuccubuerint, nec tempore ullo modo reſurgere videantur, ſi ætas gravis, & multò magis ſi præcipitata ſit, ſi remediis adhibitis jam per conveniens tempus nihil profectum ſit, acta omninò res eſt. Secùs autem ſi vires refici procedente ætate videantur, ſi ætas adhuc gravis non ſit, ſi malum de recenti præceſſit, ſi adhuc remedia ſaltem validiora in uſum protracta non fuerint, poteſt aliquid boni expectari. Atque hæc profectò ita accipienda, ut locum habeant in quacunque frigiditatis ſpecie, ſed præ omnibus in prima. In illa verò ſpecie, in qua vir ſemen effundit, antequam ad opus devenire poſſit, ſi à frigiditate, & à naturali partium laxitate proveniat, de illa ut de reliquis pronunciandum; procedit enim ex nimia debilitate facultatis retentricis, in quo caſu ſemen erit quantitate modicum, ſubſtantia fluidum, odore nullo, ac delectationem minimam cauſans. Si verò ab excedenti calore proveniat) licèt hæc abuſivè frigiditas nominetur) non erit ſine remedio, quod patebit ſi ſemen calidius perſentiatur, ſi quantitate erit multum, ſi ſubſtantiæ craſſioris, & gravis odoris, multamque delectationem producens. Quòd ſi hujuſmodi ſymptoma ab importunis effrænati Amoris ſtimulis fiat, tempore ipſo ceſſabit, Amoris æſtu defervescente.

8 Prætereà excedens membri craſſities, ſi ſit talis non ſimpliciter, ſed reſpectu ipſius ſponſæ, remedium habere poteſt, ſed ſi ſit præternaturalis, extenuatio per medicamenta nullo modo ſuccedere poteſt, quia inania ſunt, & ſuum opus fruſtrantur: verùm ubi ex parte mulieris habeant locum remedia relaxantia,& dilatantia meatus uterinos, videndum eſſet à Medicis, an ſufficientia futura ſint, ita ut ſponſa ſine ullo periculo virum admittere poſſit, quod nó tam facilè ſuccedit, ubi craſſities ſit exorbitans:unde aliàs ob eam impoſſibilitatem amotionis ejus craſſitiei conſtat Matrimonium fuiſſe diſſolu um,ut retuli *Tit. de Imped.coëund.& gener.queſt.3. num.1.* in duobus caſibus; licèt poſtmodùm iidem viri cu n duabus aliis mulieribus matrimonium contrahentes, nullam repulſam eam ob cauſam habuerint, nec novæ ſponſæ reclamaverint, aut de ea re conqueſtæ fuerint. Sed in hac potentia reſpectiva quomodò ſit procedendum docet Sanchez *de Matrim.lib.7. diſp.93.num.5.* 9

Brevitatem virgæ irremediabilem eſſe dixi jam *loco cit.n.5.* ubi dubium movebam de eo,qui ob eam brevitatem non poteſt ſponſam devirginare, ſed tamen ſeminando ſponſa ex eo congreſſu concipit,an Matrimonium validè contraxerit, & rem Canoniſtis determinandam reliqui:certum eſt hanc copulam fuiſſe,& eſſe generationi aptam,& ex matrimonio Conjuges conſequi finem præcipuum, qui eſt procreandi liberos, neque aliis matrimonii bonis defraudari, licèt quoad concupiſcentiæ remedium non ſit adeò efficax,ut in aliis quoad mulierem.Sed & Penis exilitas, cùm poſſit impedimento eſſe ad coëundum,videndum, an remediabilis ſit necne, & ſiquidem excedens fuerit, & ad totius frigiditatem conſequi videatur, remedium omninò non admittit;quòd ſi omnis ſuſpicio frigiditatis abſit, nempè admodum excedens ſit, non abſque omni remedio eſt; & Medici quidem multa proponunt ad hoc, ut ſcilicèt membrũ corpulentius reddatur,nec videatur opus incaſſum aſſumere·Et ſi Auctores hæc proponẽtes notos habere velit Lector,Arabes præcipuè adeat, & inter Neotericos Joan.Hucher.*de ſteril.lib.1. cap. de Colis parvitate*,Ioan. Marinell.*de morb. Mulier.lib.2.cap.6.*Itaque non ſemper erit hæc exilitas ex iis impedimentis, quorum cauſa Matrimonium illicò diſſolvi oporteat, non obſtante quod Ludov. Mercat.*l.3.de ſteril.& pregn.aff.cap.5.* voluerit hanc membri exilitatem non poſſe remediis cedere. 10

Sed inter impedimenta,quorum causâ illicò Matrimonium diſſolvi poteſt,eſt Penis obliquitas, tortuoſitas,nodus, contractio,de quibus ſolo loco egi; hæc enim vitia omnia apparentia,ac perpetua ſunt, & ut plurimũ ſine remedio,unde nõ injurià judicavi jam virum quendam,qui à Pueritia membri contractionem ex ambuſtione bullienti lixivio facta contraxerat,inhabilem eſſe ad contrahendum Matrimonium, tum ob eam contractionem, ob quam non modò membrum brevius evaſerat, ſed tortuoſum remanſerat, nec diſtendi poterat, licèt durum gliſcente appetitu Venereo evaderet, tum etiam ob anguſtiam foraminis ipſius,ob quam ſemen ad exitum properans, remorari tantiſper cogebatur,unde non ejaculabatur;ſed, ut ille referebat, guttatim effluebat. Sed non ſolùm evenit aliquandò ,[ut foramen in glande vel naturaliter,vel ex accidenti,ut in viro prædicto,ſit nimis anguſtum,ſed etiam,ut nullo modo pateat, de qua occ uſione locutus quoque jam ſum;quæ interdum levis eſt,& à tenui membrana facta,& per inciſionem tollitur;ſed ſi à craſſiore membrana,vel à carne facta ſit,remediabilis omninò non eſt:cum hac autem occluſione Homines vivere non poſſunt,niſi Natura aliud foramen,& exitum urinæ præparet,quod ſuccedit plerumque,aperitque hujuſmodi foramen Natura vel in medio, aut imo membro,vel in Perinæo,vel etiá in inguinibus;tunc autem videndum,an Matrimonium ex hoc conſummari impediatur, ac dicendum,quòd ſi foramen non longè à Glande diſtet,vel ſub ipſa glande ſit, matrimonii conſummationem non impediri, quia etiam hoc modo poteſt uterus ſemen virile attrahere, & tantiſper deſcendendo verſus pudendum illud deglutire,& hoc experientia eo modo ſe habere patet;& præter experientias alienas propriam in

medium

medium afferre libet, Dionyſii cujuſdam Aurificis ad inſigne trium Liliorum, qui ſub glande foramen habebat, per quod urinam emittebat, & ſemen ejaculabat; hic enim uxore ducta plures ex ea filios ſuſcepit. Quantò tamen hoc foramen inferiùs patet, tantò magis impedire certum eſt rectam ſeminis ejaculationem in uterum, & conſequenter generationē, quia ſemen ad parietes colli uterini effunditur, & omnem vim generativam ibi diffluens amittit; atque hic ex illis caſibus eſſet maximè dubius apud Canoniſtas, nimirum, an Matrimonium in hoc caſu dicendum eſſet conſummatum, quod illi univerſim admittunt, ſibi perſuadentes, quocunque modo ſemen virile intra uterum effundatur (accipiunt autem pro utero etiam ipſius collum) ſequi poſſe generationem: quod ego, licèt in hoc caſu non impoſſibile videatur, generaliter tamen non admiſerim.

11 Præ omnibus porrò commemoratis impedimentis conſiderabilis eſt genitalium Paralyſis, nam hæc etiamſi vir adhuc in ætate multùm non proceſſerit, remedium omne reſpuere conſuevit, undè in omni ære, & præſertim in gravioribus res conclamata eſt, quia ipſa ætate procedente vitium augeſcit, & incrementum ſumit, deſueſcente interim Natura ſuo influxu ad eas partes ſpiritus tranſmittere, & omni nativi caloris fomite extincto.

12 Sed & impotentia, quæ ex Cervicis, Spinalis medullæ, ſeu lumborum vulnere, aut attritu excitata eſt, nullo remedio ſuperari poteſt; undè probata læſione prædictarum partium, ad quam ſecuta ſit impotentia, res in propatulo eſt, nec temporis diuturnitati quicquam fidere licet ſub ſpe futuræ remotionis cauſæ impedientis, ex tali enim partium offenſa ſive attritu, ſeu vulnere facta, viæ, per quas ſpiritus, & materia ſeminalis ad genitales partes deferuntur, compreſſæ, & obſtructæ in totum ſunt, ita ut per eas neque ſpiritus, neque ſeminalis materia amplius tranſitum habere poſſit; cujus eventus caſum in terminis habemus apud Surdum *deciſ.* 83. cujus aliàs mentionem habui.

13 Impotentes porrò ex oblato veneno evadentes non poſſunt facilè ad ſanitatem redire; & ſi ætatem grandem agunt, ac declinantem, omnis ſpes curationis abjicienda eſt, quia ipſum venenum non manifeſtis tantùm qualitatibus, ſed occultis, & à tota ſubſtantia dependentibus ipſum ſemen, & calorem naturalem extinguere aptum eſt. Vbi igitur conſtet, aliquem potionatum fuiſſe, & inde factum eſſe impotentem, non eſt ſperandum hunc remediis, & temporis diuturnitate quicquam profecturum, niſi eſſet in ætate robuſtiori, & viribus integris.

14 De Teſtium carentia non eſt, quòd quicquam addam; nam certa res eſt, eam dirimere matrimonium jam contractum, Sanchez *de Matrimonio lib. 7. diſp. 92. numer.* 17. Neque attendenda in hoc quæ nonnulli Medici commenti ſunt, ut Cabrolius, & Spigelius volentes quosdam natos abſque Teſtibus, aut illis exciſis potuiſſe contrahere matrimonium, & generare, ut ſuperiùs dixi. Difficultas tantùm eſſe poteſt de Teſtium ſitu mutato, de eorúmque parvitate, & unitate; ac dicendum videtur, unius Teſtis virum nullum habere notabile impedimentum conſummandi matrimonium, parvitatem verò Teſtium, ſi vir ad coitum non excitetur, frigiditatem naturalem atteſtari, & ſine remedio eſſe. Situm quoque mutatum non ſine culpa eſſe, & facere maximam conjecturam naturalis impotentiæ, quæ & ipſa remedio caret. [De ſitu mutato fuſiùs agit & doctè Bravo *Conſult. Med. p. 670. & ſeqq.* quoſdam nempè hoc modo caſtratos matrimonium contrahere poſſe, ſi ſcilicet non eximantur teſticuli, ſed reponantur intra inguina, uti exponunt Antonius de Veraſtigui, Sebaſtianus Sanzcoronel, & Ioannes Laurentius *pag.* 671. apud Brav.] Et hæc impedimenta ſunt ex parte viri, quæ matrimonium conſummari non permittunt, & ex quorum cauſa illicò diſſolvi poteſt.

Quod reliquum eſt, retuli jam impedimenta, quæ ex parte mulieris præbent cauſam diſſolvendi illicò matrimonium, ob id, quod illud conſummari non ſinunt, de quibus breviter nunc paucula addam ad hoc, ut patefiat quænam eorum abſque remedio ſint. Et quoad frigiditatem, Doctores eam in muliere non admittunt; & ego 15
quidem non diſſentio, ſi ita res accipiatur, quòd in tantùm in muliere non detur, in quantùm non impedit eam ad pariendum. Sed veram frigiditatem in mulierem cadere, non ſecùs ac in virum, jam probavi; nempè frigidam totius intemperiem, ob quam mulier intra ſe ſemen non generet, ſi ob id neque ullis Veneris ſtimulis irritetur, nec conſequenter generationi ullo modo ſit apta, ut in viris frigidis evenire ſolet. Quandocunque igitur requireretur in muliere potentia ad generandum, ſi aliquis opponeret de hac frigiditate, & ſeſe offerret ad eam probandam, eſſet omninò audiendus. Quibus autem ex ſignis hæc frigiditas in muliere poſſit innoteſcere, jam docui *Tit. de Imped. coeun. & gen. quæſt. 5 num. 2.* inter quæ magnæ conſiderationis ſunt eadem, quæ frigiditatem in viris atteſtantur, ut pilorum in locis conſuetis omnimoda carentia, genitalium flacciditas, coitus, & Venereorum ſtimulus nullus, & alia id genus, cum quibus alia adſunt ipſius mulieris propria, quæ ibi indicavi.

Ibidem quoque de uteri clauſura verba feci, 16
ac monſtravi non ſemper eſſe unius ejuſdemque rationis, ſed variari pro cauſæ occludentis conditione, cujus reſpectu faciliùs, aut difficiliùs remedia admiſſibilia ſunt, quæ in uno caſu ſunt omninò inania; in altero verò poſſunt aliquid boni operari. Impedimentum igitur factum à membrana dura, & nullo foramine pervia præter urinarium, quod occluſum remanere muliere vivente non poſſet, (dico à membrana præter naturam non ab Hymene, Hymen enim naturalis res eſt, & idcircò in omnibus obſervatur, ut ex Recentiorum perſpicaciſſima diligentia innotuit, nec illum affert coëundi impedimentum, illa verò reperitur in paucis, & magno eſt impedimento) remediis cedere non poteſt, nec ulla humana arte niſi cum vitæ periculo eſt amovibile, quia unicum remedium ex Chirurgia petitum doloris acerbitatem, inflammationem, ſanguinis immodicam effuſionem, ac mortem accerſere facilè poteſt. Eidemque difficultati, imò impoſſibilitati amotionis ſubjacet impedimentum proveniens à carne eadem loca muliebria obſtruente. Pari exponitur periculo amotio impedimenti provenientis ex coalitu labiorum uteri, niſi ad modum levis ſit, & facilè ſeparabilis, quod Medicis & Chirurgis dijudicandum.

De Anguſtia quoque præternaturali ipſius vul- 17
væ jam verba feci *loco citato, numer.* 7. ac dixi, eam ſine ullo remedio eſſe; licèt enim ea ſit hujus partis natura, ut facilè dilatari, & conſtringi poſſit, id tamen locum habet in naturali ejus conſtitutione, in præternaturali ceſſat etiam naturalis habitudo ſe dilatandi & conſtringendi, cùm opus fuerit. Nec

tentanda

tentanda ullo modo ab Arte est ejus dilatatio, quam tantùm Chirurgica operatione assequi liceret, ob imminens periculum inflammationis & immoderatæ sanguinis effusionis, & acerbitatis doloris, ac etiam mortis. Quod si dilatationem medicamentis tentare libeat, non esset quidem prohibendum, nec esset ad hoc negandus conveniens terminus ad operandum, qui tamen non diuturnior bimestri ex mea sententia esset concedendus, quo transacto jam pateret dilatationem eam vulvæ angustiam non admittere, unde causa justissima pateret dissolvendi
18 matrimonium nulla mora ulteriùs concessa.

Non omninò porrò in propatulo est, an quædam particula, Mentulâ muliebris dicta, & in aliquibus corpulentior quàm par sit reperta, ac coitum impediens, sit justa causa dirimendi matrimonium. In qua re notandum, quòd ea particula aut ita crassa est, ut perpetuum impedimentum coëundi afferat, aut tantùm cum ex coitu in majorem molem attollitur. Nam in primo casu res clara est, quia hujusmodi impedimentum & perpetuum esset, & patens, & sine remedio, quia iisdem periculis subiicitur ejus per Chirurgiam amotio, quibus diximus alias similes operationes superiùs enarratas subjacere. In secundo autem casu, non habet locum dissolutio, quia posset vir, si una vice non posset, alia sponsam devirginare, & matrimonium consummare.

9 De uteri exitu dubitari occurrit, an pari passu cum prænominatis impedimentis incedat, ita ut illicò matrimonium dirimere debeat; ac dicendum est, quòd si aliquo modo uterus remeare intro possit, in tantùm, ut mulier virum admittere valeat, non debeat dare causam dissolutioni Matrimonii, etiamsi postmodum extra denuò, ac promptè prolaberetur; nam licèt generationem impedire posset, hoc non præjudicaret ex communi Doctorum opinione validitati Matrimonii, præterquàm quod non caderet remedio; nam Recentiores Medici nonnulla pessaria fabricarunt, quæ in uterum immissa, illum in suo loco retinent, neque tamen coitum aut generationem ullo modo impediunt. Ad eundum finem circuli quidam effinguntur idem omni ex parte operantes; de quibus videnda quæ Franciscus Rossetus, *in libell. de part. Cæsar.* & Gaspar. Bauhin. *in Append.* & alii apud Schenckium *lib.* 4. *Observ. titulo de uteri procidentia* attulerunt. Porrò si uterus ita procidat, ut intrò repelli ampliùs non possit, dubio non est locus quòd promptissimam causam dabit irritationi Matrimonii.

10 Verumenim verò ipsius uteri Apostemata cancerosa quamcunque partem occupantia; sed præsertim collum, & exteriora labia, non permittant virum posse Matrimonium consummare: non enim ob doloris ferociam mulier illum posset admittere, & sine omni remedio sunt, in tantùm, ut remediis irritentur, & mortem accelerent, ut ex Hippocratis auctoritate aliàs dixi. Neque sine omni impossibilitate admittendi virum, & matrimonium consummandi essent eadem Apostemata externas partes occupantia, & nihil hoc demeret de impossibilitate sanationis: itaque decidendum in his casibus esset, an illicò matrimonium esset dirimendum, nam fortè si in principio talia Apostemata essent, non tam liberè de illis esset pronunciandum.

Cæterùm ex parte quoque utriusque conjugis dari potest impedimentum dirimens matrimonium ob id, quod ejus consummationem prohibeat; idque esse potest nimia utriusque obæsitas; cùm enim uterque tumenti admodum abdomine fuerint, non possunt per genitalia membra ullo modo conjungi, retrahuntur enim in utroque genitalia ad intrà, unde matrimonium non poterit consummari; & quia hoc sine remedio est, ut aliàs adnotavi, inter 21
ea impedimenta reponendum videtur, quæ illicò matrimonium dirimunt.

Sed utrum, si possent hi postica Venere conjungi, teneantur ad hoc exequendum, vel si alter con- 22
jugum huic conjunctioni nollet assentiri, possit ad hoc cogi, Canonistarum est decidere.

Denique de impedimento ex maleficio nihil addere subvenit iis, quæ de ea re aliàs retuli. Illud autem non cadere in mulierem jam norunt omnes, sed neque in virum, qui sit à Natura sua frigidus, & impotens; qua veritate stante, si supponatur aliquem esse maleficiatum, non antè de hoc quicquam firmandum, quàm probetur, illum per anteactum tempus fuisse ad coitum potentem, quod satis ostendent præsentia signa virilitatem attestantia, & potentiam ad coitum, quæ signa ubi non adessent, nec probaretur talem hominem unquam fuisse ad coitum potentem, videretur justam causam urgere dirimendi matrimonium, nulla mora interposita, cùm in eo casu frigiditas potiùs præsumenda sit, quàm maleficium.

SUMMARIUM.

1 *Omnia impedimenta matrimonium consummari non permittentia, si consummato superveniant, possunt dare Divortio causam.*

2 *Matrimonium non consummatum, & ex causa morbi contagiosi dissolutum, non redintegratur etiam morbo recedente. Contra in divortio.*

3 *An morbi contagiosi relinquentes seminia contagii recedentes, dent causam Divortio.*

4 *Periculum infectionis magis timendum à seniori in juniorem conjugem, quam è contra.*

5 *Majus periculum imminet à morbo gravi recedente, quàm à mitiori præsente.*

6 *Morbus diuturnior majorem timorem potest dare sano conjugi infectionis, quàm recentior.*

7 *In quibusnam morbis relinquatur dispositio inficiendi sanum conjugem.*

8 *Morbi hereditarii majorem suspicionem infectionis inducunt.*

9 *Non omnes contagiosi morbi dant Divortio causam.*

10 *Morbus Gallicus levis an debeat dare causam divortio.*

11 *Gallicus morbus non dependet à manifestis qualitatibus, sed ab occultis.*

12 *Morbus Gallicus quandonam gravis dicendus.*

13 *In morbo Gallico dantur quidam gradus majoris & minoris malignitatis.*

14 *Ob sterilitatem secundum aliquos Doctores potest dissolvi Matrimonium, & quid sit sterile, quid sterilitas*

15 *Matrimonium non ordinatur solùm, & simpliciter ad copulam, sed ad generationem.*

16 *Impedimenta quædam idcirco irritant Matrimonium, quia obstant ejus consummationi.*

17 *Vinculum matrimoniale est indissolubile.*

18 *Sterilitas non impedit usum Matrimonii.*

19 *Semen potest esse verum semen, etiamsi non sit infœcundum.*

20 *Ad Matrimonii validitatem non requiritur potentia generandi.*

21 *Matrimonium præter filiorum procreationem, qua est præcipuus ejus finis, habet alios fines laudabiles.*

22 *Sterilitas datur tam ex culpa mulieris, quàm ex culpa viri.*

23 *Causa impedientes coitum supervenientes matrimonio consummato, habent secum conjunctam sterilitatem.*

24 *Mulier, quæ per ætatem aut teneriorem, aut vetustiorem non purgatur, concipere non potest.*

De

De Divortio.

QUÆSTIO III.

POst validè contractum Matrimonium, & consummatum, alia nonnulla aliquando interveniunt, ex quorum causa segregari conjuges contingit per competentem Judicem, nempe Ecclesiasticum, ita ut in posterum neque Torum, neque cohabitationem, aut perpetuò, aut ad tempus communem habere debeant. Divortium id vocant, ut patet ex definitione data *quæst. 1. n. 3.* De hoc cum habere sermonem instituam, iis relictis, quæ ad alios Professores considerare spectat, ea tantùm discutiam, quæ mearum partium esse cognovero, ut semper in hisce meis Quæstionibus meis pertractandis religiosissimè observavi.

1 Circa divortium igitur ea generalis conclusio efformanda videtur, omnia nempè impedimenta, quæ Matrimonium consummari non permittunt, si consummato Matrimonio superveniant, posse dare Divortio causam: cujus conclusionis firmitate inconcussa permanente, vix quicquam restaret mihi de causis Divortii dicendum, cùm jam de iis ipsis egerim prout sunt causæ dissolutiois Matrimonii, nisi progredi ulteriùs impellerent me nonnulla circa contagiosos morbos, & sterilitatem considerandi: est enim quid peculiarius de utraque re circa divortium discutiendum.

2 Et quoad morbos contagiosos certum est, quòd si ex eorum causa dissolvatur Matrimonium contractum quidem, sed non consummatum, illis recedentibus Matrimonium non redintegretur. Contrà verò in Divortio, quod si eorum causa facta sit, morbis illis recedentibus Conjuges tenentur ex Jure Pontificio redire ad Matrimonii usum: & hoc, quia quandocunque impedimentum non est perpetuum, neque divortium esse perpetuum debet. Ergo urgente morbo contagioso, jure fit divortium, & recedente divortium solvitur conjugibus ad Matrimonium de integro redeuntibus.

3 Sed quia nonnulli morbi contagiosi ejus naturæ sunt, ut etiamsi recedere videantur, relinquunt tamen ut plurimum talem dispositionem in ægrotante, ut per eam non magno negotio sanum inficere possint; maximè si in conjuge sano aliqua naturalis dispositio reperiatur ad eos morbos contrahendos, ut Phthisis, Hectica febris, morbus Gallicus, determinandum procul dubio esset, an sanus conjunx teneatur redire ad matrimonialem consuetudinem cum suspecto, etiamsi amplius ægrotare non videatur: cúmque ex Medica observatione firmare liceat, periculum infectionis adhuc instare ab ægrotante sanato in sanum ob relictam dispositionem, Canonistarum erit decidere, quid sit determinandum, ea tantùm observatione facta, quòd non adeò certum, ac evidens instat periculum in hoc casu, ut quando infirmus conjunx actu ægrotat. Imò & morbi qualitatem, & naturam considerare oportet, quia neque in omni casu, neque in omni morbo eadem periculi gravitas instat.

4 Primò, enim magis præsentaneum periculum infectionis est à vetustiori conjuge in juniorem, quam à juniori in seniorem; quia quantoperè paratus est junior ob vividum calorem, & pororum apertionè ad contrahendum contagium à seniore per semen infectum, tantoperè senior ob mitiorem calorem, & pororum occlusionem potest infectioni à juniori obsistere in contagio contrahendo.

5 Secundò majus, ac magis præsentaneum periculum absque dubio timeri debet à morbo graviori, etiamsi sanatus sit, relicta tamen dispositione inficiendi sanum, quàm à mitiori etiatu præsente; unde quantò gravior præcesserit morbus, tantò justiorem causam habebit sanus conjunx recusandi reconciliationem cum infirmo.

6 Tertiò, quantò prægressus morbus diuturnior exstiterit, & quantò difficiliùs remediis cesserit, tantò minùs tutò sanus conjunx redire poterit ad Torum, & cohabitationem. Sed & respectu sani conjugis considerabile est, an habeat naturalem aliquam inclinationem ad contrahendum morbum, de quo timetur, tunc enim non adeò promptè tenebitur cum infirmo reconciliari.

7 Sed in quibusnam morbis timeri potest illa dispositio inficiendi sanos, etiamsi recessisse videantur? dicendum eam maximè timeri posse in Tabe, seu Phthisi, in Ethica, quæ jam in secundo gradu fuerit, in morbo Gallico gravi, & contumaci, in Lepra, & in iis ipsis morbis idem timor non sine causa urget, quando videntur à Natura ipsa, hoc est, à dispositione naturali dependere, etiamsi non magnoperè graves sint. Hoc pacto Tabes, seu Phthisis in subjecto habente corpus tenue, & exsuccum, collum oblongum, spatulas alatas, pectus angustum, etiamsi gravis adhuc non sit, & melioramentum cæpisse videatur, naturalem tamen illam dispositionem ostendit, ex qua infirmus aptus est inficere conjugem sanum. Eodem quoque pacto conjunx hepatis calidissimi ac retorridi, cutaneis infectionibus obnoxius, universali cutis pruritu indesinenter vexatus, atrabile refertus, carnibus fusci coloris, etiamsi non videatur de præsenti ampliùs prægressa Lepra detineri, potest sanum conjugem inficere.

De Hectico quoque eadem consideratio habenda: nam si conjunx in ætate adolescentiæ fuerit habitus tenuis, carnis siccioris ac calidioris, à cibo facilè incalescens, & alia signa id genus præ se ferens, sanus conjunx, si & ipse florentis ætatis fuerit, ejusdemque habitus, non erit à periculo tutus si cum eo concumbat.

8 Quæ omnia tantò magis urgebunt, quantò major suspicio irreperet, ne tales morbi hæreditarii essent, & à Parentibus, vel ab Avis communicati.

9 Cæterùm notissimum est, non omnes morbos contagiosos præbere posse Divortio causam, sed eos tantùm, qui vel vitæ insidiantur, vel sanitati graviter obesse quomodocunque possent, & idcircò non omnes cutis infectiones præter Lepram, etiam ipsi Lepræ finitimas, neque Ophthalmias etiam contumaces, neque leviorem luem Veneream, & si qui aliqui id genus sunt, posse dare Divortio in causam.

10 De Morbo Gallico tantùm dubitari posset, an non obstante quòd mitis, ac levis sit, tamen sano conjugi justam causam præbeat instandi pro Divortio? Et ratio dubitandi est, quia morbus Gallicus 11 non est morbus dependens à manifestis qualitatibus, sed ab occultis, quæ à tota substantia originantur; unde etiamsi mitissimus sit, semper tamen habet secum occultam illam qualitatem, ac pravam illam malitiam inficiendi totam sanguinis massam, non aliter quàm venena externa facere consueverunt, quæ vel in minima quantitate suam deleteriam vim exerunt, & venenati corpus in suam substantiam immutant, animalque ad interitum perducunt; ac simili modo de Gallico veneno evenit:

Et idcircò, etiamsi quis leviſſima lue detineatur, poteſt per contagium communicando pravam illam, ac deleteriam qualitatem non ſolùm leviter ſanum hominem inficere, ſed totam ſanguinis maſſam conſpurcare, ac gravem morbum, ſæviſque ſymptomatibus aſſociatum accerſere; unde videmus ex quotidiana experientia, virum aliquando, aut mulierem ſimplici Gonorrhœa, aut levioribus pudendorum ulcuſculis detentos, eos, qui ſecum commiſcentur, tam malè accipere, ut capitis, & artuum dolores moleſtiſſimos, depilationem, gummata, ulcera maligna, & id genus alia ſymptomata inde contrahant; quin tantoperè ultrò proceſſiſſe, ut in eis dentes excidant, aures obſurdeſcant, viſus obtenebretur, & auditus etiam hebetetur, ſenſusque omnes in ſumma diminuantur, ac depraventur. Quod maximè contingit, morbo ſuam ſedem in cerebro figente. Itaque etiam ex leviori lue Gallica timeri poteſt maximum periculum, & ſic ſanus conjunx, etiamſi alter levi morbo detineatur, ſemper habebit juſtiſſimam cauſam faciendi divortium.

Ut huic difficultati ſatisfacit, qualisnam lues Gallica levis dici debeat, ac qualis gravis, ſeu gra-
12 viſſima, determinandum, quæ determinatio dependet abſque dubio à gravitate & levitate ſymptomatum, quæ ubi gravia ſint, faciunt morbum gravem & graviſſimum, ſi ſint graviſſima, qualia ſuperiùs commemoravimus: levem autem, ſi ſint leviora. Sed advertendum in hoc non conſiderari ſtatum morbi præſentem, ſed etiam prægreſſum, ita ut etiamſi de præſenti levis morbus ſit, ex eo quod gravia ſymptomata aut remiſerint, aut etiam ex toto ceſſaverint, quomodocunque id ſucceſſerit, etiam ex uſu remediorum, quæ à morbo requirebantur, non dicetur talis morbus levis; nam tota ſanguinis maſſa infecta à prægreſſo morbo, retinet ſemper malitiam primæ radicis, unde repullulare facilè poteſt, & conjugem ſanum inficere, etiamſi non repullulet, & in hoc caſu tantùm habet locum quod dicebatur, nempe conjugem ſanum poſſe ex levi morbo conjugis ægrotantis, contrahere morbum graviſſimum, ut in caſibus propoſitis evenire experimur: aliàs veritatem non habet illud dictum, quia licèt, ut
13 objiciebatur, Gallica infectio dependeat à morbo totius ſubſtantiæ, dantur tamen gradus quidam majoris, aut minoris malignitatis, pro quorum magnitudine, aut pravitate, morbus à principio majoribus, aut minoribus ſymptomatibus aſſociatur. Ex quibus jam patere poteſt, quandonam ſanus conjunx, etiam propter levem morbum Gallicum, poſſit inſtare pro Divortio.

14 Cæterùm, quia opinati ſunt nonnulli graves quidem Canoniſtæ, cum quibus ex Medicis convenire videtur Fortun. Fidel. *in Relat. Med. lib. 2. cap. 2. in principio*, ſterilitatem dare cauſam diſſolutioni matrimonii (quod fortè multò faciliùs procederet in Divortio) nonnulla de ſterilitate ea occaſione afferam, quæ etiamſi ad hoc ipſum negotium de Divortio nihil facere videantur, ad alia inſervire poſſunt.

Primò ergo videndum, quid ſit ſterile, quid item ſterilitas? Sterile ergo dicimus Animal quod compari junctum in ætate habili non poteſt generare ſibi ſimile; licèt largo modo ſterilem dicamus hominem, qui rarò, ut ſi ſemel tantùm, in vita generat, vel fœtus ex propria culpa ad perfectionem deducere nunquam poteſt. Atque hinc etiam patet quid ſit ſterilitas, vitium enim eſt, ex quo Animal compari junctum in ætate habili generare ſibi ſimile non poteſt, vel fœtus unquam ad perfectionem deducere.

Ex hoc moti Doctores illi, quorum auctoritates adducit Sanchez *de Matrimonio lib. 7. diſput. 92. num. 25.* putárunt hoc vitium eſſe ſufficientem cauſam dirimendi matrimonium, quod Plato quoque *lib. 5. de Leg. in fin.* admiſit, ſed Doctores noſtri inter plures rationes, quas pro ſua opinione fulcienda adducebant, potiſſima illa erat, quòd Matrimonium primò, & principaliter ordi- 15
natur ad filiorum procreationem, non ergo ſimpliciter ad copulam; imò ipſa copula ordinatur ad eundem finem, neque alium fortè laudabilem finem habet; aut ſaltem non ejuſdem bonitatis. Si ergo impotentia ad copulam irritat matrimonium, quantò magis illud irritabit impotentia ad generationem?

Alia inſuper argumenta affert Sanchez *ibidem* pro hac opinione, quibus ille pleniſſimè ſatisfacit, eam opinionem reprobando, quæ quidem vel 16
ex hoc uno falſa videtur, quia naturalia impedimenta, quæ irritare debent matrimonium, in tantùm hoc præſtare poſſunt, in quantum impediunt ejuſdem Matrimonii conſummationem; at ſterilitas non impedit Matrimonii conſummationem, cùm neque conjunctionem carnalem ipſorum conjugum, nec ſeminis ejaculationem, & receptionem in loca debita remoretur; ergo non eſt ſufficiens impedimentum dirimendi matrimonium, per cujus conſummationem cùm contrahatur inter conjuges vinculum matrimoniale, certum eſt, illud in poſterum eſſe indiſſolubile: *cap.* 17
interveniente, & cap. licèt trigeſima ſecunda cauſa, quæſt. 7. Sanchez *de Matrimonio lib. 10. diſp. 2. num. 2. in fin.*

Igitur cùm pateat, ſterilitatem non poſſe dare cauſam dirimendi matrimonium, remanet determinandum, an ſaltem ſit juſta cauſa faciendi Divortium? Sed & hoc dubium videtur negativè reſolvendum; quia primò eadem ratio quæ militat quoad diſſolutionem Matrimonii, militat etiam quoad Divortium, ſtante quod ſterilitas nullo im- 18
pedimento eſt uſui Matrimonii, neque prohibet ullo modo debiti redditionem, neque aliud quicquam, quod mutuum conjugum amorem reſpiciat, imò neque ex hoc quod ſemina eorum ſterilia ſint, aut utriuſque, aut alterutrius, idcircò poſſet argui inter ipſos non eſſe matrimonium, cum non effundant verum ſemen, quia verum non poſſit eſſe ſemen, quod non eſt prolificum; nam jam probavi, ſemen poſſe eſſe verum ſemen, etiamſi non ſit 19
prolificum.

Secundò, quia ad veri Matrimonii eſſentiam ſufficit potentia coëundi, & ſeminandi intra debita vaſa, per quas actiones contrahitur inter conjuges 20
vinculum Matrimonii, unde efficiuntur una caro, quibuſque ritè celebratis, nihil ulteriùs requiritur in matrimonio, quod illud invalidare poſſit, aut ejus vinculum ſolvere.

Tertiò, quia licèt procreatio filiorum ſit præci- 21
puus Matrimonii finis, tamen etiam hoc fine ceſſante, habentur in eo alii fines laudabiles, quorum reſpectu Eccleſia Sancta permittit, etiam ſenio confectos, & ab ætate ſteriles factos, ac quoſcunque alios notoriè ſteriles matrimonium contrahere, ut prædictis Matrimonii bonis, mediante ejus Sacramento, fruantur.

Verum enim verò dato, quòd prædictorum Doctorum opinio, quòd ſterilitas dirimere poſſit Matrimo

trimonium, esset, quoquo modo vera, & habere
22 deberet unquam locum, etiam quoad Divortium; ponderandum exinde esset, sterilitatem non esse semper culpandam ex parte mulieris, ut communiter videtur fieri, ut testatur Ludov. Mercat. *de sterilitat. & pragnant. affect. lib. 3. cap. 1. in principio*, & cæteri omnes; sed culpandam etiam esse ex parte viri, licèt enim plures multò sterilitatis causæ dentur ex parte mulieris, quàm ex parte viri; tamen etiam ex parte viri dantur plures, quæ & gravitate, & impossibilitate remotionis causas in muliere vigentes adæquant, ut Practici omnes testantur, inter quos, si libet, vide Ludov. Mercat. *lib. 3. de sterilitat. & pragnant. affect. cap. 1.* Joan. Hucher. *de sterilit. lib. 1.* Daniel Sennert. *lib. 3. Practic. part. 9. sect. 2.* apud quos etiam signa reperies, ex quibus viri steriles deprehenduntur: præcipuè verò apud Mercat. *loco cit. cap. 2. & 5. per totum.*

Sed ex utriusque culpa potest evenire sterilitas, etiamsi ambo suâ naturâ fœcundi sint, ob disconvenientiam tamen possunt esse steriles: & patet, quia cum aliis conjuncti, generant; quod Lucret. *lib. 4. de rer. Nat.* inter alios testatus est, ut dixi *lib. 3. tit. 1. quæst. 6. num. 10.* Et hoc maximè succedit cùm matrimonium contrahitur inter conjuges valdè ætate dispares; eaque ex causa bene dictum est à Rota *in Venusina Legati. 23. Junii coram Coccino, num. 61.* matrimonium non bene contrahi inter ætates valdè dispares: imò hæc non honestè fieri addit *num. 64.*

Cæterùm dubium non est, quod illæ omnes
23 causæ, quæ coitum in viro remorantur, supervenientes Matrimonio jam consummato, sint insimul potissimæ causæ sterilitatis; sed præter commemoratas, aliæ dantur causæ in viro, quæ licèt coitum, & debitam feminis emissionem non impediant, tamen steriles ejus concubitus faciunt, de quibus præter ea, quæ affert Hippocrat. *lib. 5. Aphor. 63.* & Galenus, [atque Vallesius, Cardanus, Epiphan. Ferdinand. &] aliique Commentatores *ibidem*, plenissimè agunt Practici omnes, cum de sterilitate verba faciunt. Sed non solùm naturalia quædam vitia, cum quibus etiam ætas connumeranda, sterilem virum efficiunt, sed etiam aliqui morbi supervenientes, ac præsertim frigidi, diuturni, ac principes partes occupantes, quin & ulcera quædam affluenter, & indesinenter emanantia, & ipsæ fontanellæ in nucha, aut in brachiis diù gestatæ, quemadmodùm etiam laquei, infœcundos homines reddunt, ut ex Mercat. *loc. citat. cap. 5. in fin.* aliàs dicebam. Et in summa pleraque alia pullulare ex parte viri possunt sterilitatem inducentia, de quibus ulterius verba non faciam, tum quia nimis longa res esset, tum etiam quia non videtur necessarium de illis accuratiùs agere. Nec pauciora, imò multò plura de fœminarum sterilitate in medium afferri possent, si ita res exigeret, sed ad præsens negotium plura addere superfluum videtur.

24 Illud unum pro corollario repetam, fœminam, quæ per ætatem aut teneriorem, aut vetustiorem, non menstruatur, impossibile esse, ut fœcunda sit. Unde in Sacris non nisi ex miraculo observamus factum, ut Sara & Elisabetha in ætate decrepita, & menstruis jam diù destitutæ, conceperint, de quibus aliàs verba feci *lib. 4. tit. 1. quæst. 8. rubr. steril. ex mirac. concip.*

Sed non modò si per ætatem menstrua non fluant, mulieres steriles sunt, verùm etiamsi ob aliquam morbificâ causam non fluant in ætate habili, eorum cursum intercidentem: illud autem contingere naturaliter potest, ut mulier absq; ulla morbifica causa menstruis destituatur, & tamen concipiat, quod vel ob excedentem totius calorem, vel ob multos labores & exercitia violenta evenire potest, ut in rusticis mulieribus, & vitam laboriosam degentibus observare licet; quod quonam pacto contingat, docet præter vetustiores, Daniel Sennert. *lib. 4. suæ Pract. part. 2. sect. 2. cap. 1. q. 1.*

SUMMARIUM.

1 *Divortium & Tori separatio, à pari procedunt, idem tamen non sunt.*
2 *Graviores causæ requiruntur in Divortio, quàm in Tori separatione.*
3 *Eadem causa cum graves sunt, dant locum Divortio, quæ cum minus graves sunt, possunt Tori separationem causare.*
4 *Furor est justissima causa Divortii, ad quod tamen non sufficit simplex Dementia.*
5 *Morbus aptus ad inficiendam domum conjugum, est justa causa Divortii: non sic autem ubi morbus simplici contagio sanum inficere potest.*
6 *Sanus conjux non solum ex admissa inspiratione conjugis infirmi contagium contrahere potest, sed etiam ex infectione domus ipsius infirmi.*
7 *Quinam morbi adeò pravis exhalationibus scateant, ut etiam domos inficiant.*
8 *Lepra & Phthisis, quando ita graves sint, ut possint dare Divortii causam: quando vero non.*
9 *Morbus Gallicus quando sit justa causa Divortii, quando verò solius separationis Tori.*
10 *Magis infici potest sanus conjunx ex cohabitatione cum infirmo, quam ex coitus usu. Contrarium ibid.*
11 *Pestis posset dare Divortio causam, non autem febris maligna, licèt sufficeret ad separationem Tori.*

De Tori separatione.

QUÆSTIO IV.

TAmetsi Divortium & Tori separatio à pari pro- 1
cedant, ut dicebat Rota *in Bisuntina separationis Tori, 1599. coram Seraphino, num. 2.* quæ est *decisio 1315. inter ejus impressas*, tamen idem omninò non sunt, ut patet ex utriusque definitione data superiùs *quæst. 1. num. 3. & 4.* in Divortio enim non solùm intervenit Tori separatio, sed etiam separatio ipsius 2
habitationis, & idcircò graviores causæ requiruntur in Divortio, quàm in Tori separatione.

Cæterùm de causis hujus separationis illud tantùm particulariter determinandum, quòd eædem causæ, quæ cùm graves sunt, dant causam Divortio, cùm minùs graves sunt, dant causam separationi Tori. Quamobrem in morbis rationem lædentibus gravissima causa est furor, minùs verò gravis, simplex dementia: & sic furor erit justissima causa Divortii, ad quod non sufficiet simplex dementia, quæ tamen fortè sufficiet ad separandum Torum; quia ex furioso conjuge poterit sanus, si simul cohabitare cogatur, reportare interdum notabile damnum, imò etiam vitæ periculum incurrere; non sic autem in simplici dementia: unde etiamsi hæc dare posset causam ut Torus separaretur, non sufficeret ad dandam causâ Divortio, cùm possint conjuges, etiamsi alter demens sit, absque ullo periculo simul in eadem domo commorari. 3 4

Eodem quoque pacto ratiocinari licet circa morbos contagiosos: nam ubi sanus conjunx non solùm ex carnali copula cum infirmo, sed etiam ex commoratione in eadem domo periculo infectionis exponitur, morbus evadet causa justissima faciendi Divortium, ut exempli gratiâ, in maligna & 5
confirmata Lepra, in Phthisi ferina, & cacoëthica, & id genus aliis evenire potest, in quibus non modò ex prava exspiratione infecti Cójugis, sanus incurrit periculum infectionis, sed etiá ex inquinatione ipsius habitationis, quippe cùm putridæ exhalationes indesinenter ab ægrotantis corpore emanantes,

6 ipsis parietibus domus hærere soleant,ut de Lepra testantur non solùm Medici omnes,sed sacer Levi-
7 tici textus *cap.*13. plenissimè comprobat:unde eam ob causam ipsi parietes ab ea infectione emundari præcipiebatur, ne inde postmodùm sani homines inficerentur.

Eodem etiam pacto de Phthisi evenit, qui, teste ipso Galeno *lib.*1.*de diff. febr. cap.* 2. & Hieron. Fracast. *lib.*2.*de contag.& morb. contagios. cap.* 8. & aliis, ipsas domos,in quibus commorantur, putrido halitu,& abominabili evaporatione ita coinquinant,ut sanis neque simul habitare, neque eorum habitationes frequentare tutum sit,& tanta est ejus contagii vis, ut aliquando visa sit hæreditaria, ac tanta malignitate insignis, ut interdum usque ad quintam generationem sese propagaverit, personas omnes eodem morbo, iisdemque symptomatibus associato, eadem ætate, quod multò admirabilius est absumens; ut Fracastorius narrat *loco proximè allegato.*

Ad tantam gravitatem Phthisis aliquando devenit, cùm confirmata est, & in Phthoën hoc est corruptionem partis,nempè ipsius pulmonis abiit, quia pulmo à præterlabente pure jam corrosus est, ut dicebat Aretæus *lib.*1. *Diuturn. Passion.c.*8.

8 Tam Lepra igitur,quàm Phthisis,prædictis conditionibus associatæ,causæ gravissimæ cùm sint, ad Divortium faciendum erunt sufficientissimæ: Lepra verò,ac Phthisis non adeò graves, nec eadem pravitate insignes, Tori solummodò separationi causam præstabunt.

9 Eadem considerationi ficri potest circa morbum Gallicum,qui ubi ad eam magnitudinem pervenerit,ut totum corpus putridis ulceribus,ac maximè guttur,fauces, & palatum exedentibus ob multam ejus malitiam scateat, ubi æger febri lenta, ac nocturna detineatur, artuumque doloribus indesinenter affligatur, aliisque sævissimis symptomatibus,de quibus *in superiori quæstione*,molestetur,justissimam omninò causam præbebit Divortio.

Quamobrem non est in totum verum Rotæ dictum *in Venusina legati Iunii* 1623. *coram Coccino num.* 72. quòd Morbus Gallicus sit minus gravis, quàm Lepra;cum morbus Gallicus habens conditiones suprascriptas,gravior sit,& toleratu difficilior:unde aliqui Medici voluerunt hujusmodi morbum Gallicum esse veram Lepram Antiquorum,licèt in veritate diversus morbus existat. [Quidam putant *morbum Indicum* Hippocratis 3. *epid. sect.* 3. Cæsalpinus originem traxisse putat ab epoto vino sanguine leprosi infecto; Paracelsus à coitu Galli cum leprosa. Vid.Horstium *tom.*3. *pag.*105.] Quòd si ad eam gravitatem ac sævitiem non pervenerit, tunc inter minùs graves causas, ob quas Torus solummodò separandus sit,erit connumerandus. In priori enim casu tam ex usu coitûs, quàm ex cohabitatione imminet periculum infectionis sano
10 conjugi ab infecto, ita ut non satis sit eos quoad Torum separari,nisi etiam quoad habitationem separentur.

Atque hinc apparet non esse undequaque verum id,quod Natta *consil.*24. *num.*3. dicebat, nimirum quòd in cohabitatione cum conjuge Lepra infecto, immineat sano periculum infectionis; quod non imminet ex redditione debiti matrimonialis:Nam contra,si ex cohabitatione sanus conjux incurrit periculum infectionis, multò evidentius periculum incurret ex redditione debiti;in qua sola expiratio illa putrida conjugis infecti excepta à sano,illicò,ac momento illum potest inquinare, ac multò certiùs, quàm vapores & exhalationes domus infectæ, quas licet aliquo modo evitare, non commorando in eodem domicilio; præterquam quod ipsum semen infectum conjugis infirmi,absque dubio sanum inficere est aptum,quibus adde laborem & insudationem,arctamque conjunctionem in coitu impensam.

Denique etiam circa pestem liceret aliquid con- 11
siderare,nam gravissima quidem & sufficientissima causa esset ad faciendum Divortium; cui tamen comparata simplex febris maligna, minùs gravis causa judicari posset,& ejus respectu sola Tori separatio fieri. Quia tamen tam Pestis quàm maligna febris,morbi sunt acutissimi,& ideirco breves, neque ob id aut Divortio,aut Tori separationi locus esse videtur. De his plura non addam, neque de aliis causis,si quæ sint, quæ ad Tori separationem quicquam facere videantur.

SUMMARIUM.

1 *Quid sint Sponsalia.*
2 *Sponsalia juramento firmata non nisi ex justa causa dissolvi possunt.*
3 *Juramentum intelligitur locum habiturum, rebus in eodem statu permanentibus.*
4 *Causæ,ob quas sponsalia etiam jurata dissolvi possunt, quanam sint.*
5 *Oculorum amborum, vel alterius tantum amissione, Sponsalia dissolvi possunt.*
6 *Quid per oculorum amissionem in tex.cap.*Quemadmod. de Jurejur. *intelligendum.*
7 *Visionis amissione in altero tantum oculo an Sponsalia jurata dissolvi possint.*
8 *Morbi visionem tantùm diminuentes an dissolvant sponsalia.*
9 *Naso deperdito,sed postmodum ex Chirurgia,recuperato,an sponsalia in suo robore manere debeant.*
10 *Paralysis an semper debeat esse justa causa dissolvendi sponsalia.*
11 *Paralysis in ætate senili quotidie incurabilior fit, & idcirco inter morbos crescentes connumeratur.*
12 *Ex supervenientia cujuslibet morbi contagiosi dissolvi sponsalia, quomodò intelligendum.*
13 *Ob morbum Gallicum an semper dissolvi debeant sponsalia.*
14 *Gallicus morbus levis non videtur sufficiens causa dissolvendi sponsalia jurata.*
15 *Oris fœditas est justa causa dissolutionis sponsaliorum.*
16 *Quando hoc non habeat veritatem.*
17 *Quandonam veritatem habeat.*
18 *Epilepsia an semper censenda justa causa dissolvendi sponsalia jurata.*
19 *Chlorosis, seu febris alba, quid?*
20 *Febris alba pulchrioribus Virginibus magis familiaris, quàm aliis.*
21 *An febre alba sponsa superveniente, dissolvi possint sponsalia jurata.*
22 *Febris alba virginum remedium est conjugium.*
23 *Juramentum locum habere rebus in eodem statu manentibus quomodo intelligendum.*
24 *Deformitas superveniens, an sit justa causa dissolvendi sponsalia jurata.*
25 *Pulchritudo virilis à muliebre multum differt.*
26 *Pulchritudo virilis,qua vera pulchritudo est,quid sit.*
27 *Pulchritudo muliebris quid.*
28 *Pulchritudo sponsæ amissio post jurata sponsalia, justam causam præbet sponso ea dissolvendi.*
29 *Pulchritudo totius ex quibus amittatur.*
30 *Febris alba mirum in modum virginum pulchritudinem deturpat.*
31 *Facies est sedes pulchritudinis.*
32 *Cicatrices faciei maximè pulchritudini obsunt.*
33 *Cicatricum deformitas unde desumenda.*
34 *Cicatricum qua turpissima.*
35 *Vestigia in facie à morbillis relicta quantoperè pulchritudini ob sint.*

De

De Diſſolutione Sponſalium.

QUÆSTIO V.

NEſcio quo fato evenerit, ut antè de Matrimonii diſſolutione verba fecerim, quàm de diſſolutione Sponſalium; cùm tamen Sponſalia matrimonium præcedant: Sed quomodocunque id factum ſit, in hac quæſtione ea proponam, quæ circa
1 Sponſalia Medicus conſiderare, ac de illis referre debet. Sponſalia ergo ſunt juxta text. *l. 1. ff. de Sponſalibus*, mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum; vel dicam, eſſe mutuam ſponſionem inter virum & mulierem, de ſe matrimonio jungendis. Hæ verò repromiſſiones & mutuæ ſponſiones vel ſimpliciter fieri poſſunt, vel juramento firmari. De ſimplici promiſſione nihil mihi occurrit dicendum, quippe cùm etiam abſque ulla cauſa utriuſque ſponſi conſenſu, vel ſola quoque alterius voluntate Sponſalia ſic contracta diſſolvi poſſint: Summ. Angelica *verb. Sponſalia, num. 21.* At ubi juramento firmata ſint, non niſi aliqua juſta ex cauſa diſſolvi poſſunt, quæ jam contractis Sponſalibus ſuperveniat; hujuſmodi autem cauſæ ſupervenientia licitum facit alteri, vel utrique ſponſo, recedere à ſponſione facta, etiam juramento ſtabilita. Et ratio eſt, quia Juramentum tacitam continet conditionem, &
3 intelligitur ſuum effectum habiturum rebus in eodem ſtatu permanentibus, Sanchez *de Matrimonio ubi infra.* Molina *de contract. tract. 2. diſp. 272. num. 5.* Cauſæ ergo omnes ac ſingulæ, ex quibus diſſolvi poſſunt Sponſalia etiam juramento firmata, reſpiciunt notabilem rerum mutationem, circa ipſos ſponſos evenientem, ita ut ſtatus eorum immutetur.

Inter eas autem cauſas nonnullæ ſunt, quarum conſideratio ad Medicos maximè ſpectat, & de quibus jam ſermonem inſtituam: Enumerantur aliquæ ex his cauſis *in ſupra cit. c. Quemadmodum, de Jurej. & in c. literas, de conjug. lepr.* & alibi, & à Summiſtis, *in verb. Sponſalia.* Sum. Silveſtr. *n. 10. verſ. Sextò, quando alter.* Summ. Ang. *num. 18.* Sanchez *de Matrimon. lib. 1. diſp. 57. per totam*, eaſque etiam recenſuit Rota *in Venuſina legati Iunii 1623. coram Coccinio num. 69.*
4 *& ſeqq.* & reducuntur ad ſequentes, nempè ad fœditatem notabilem ſupervenientem, ad oculorum, vel naſi emiſſionem, ad Lepram, ad morbos contagioſos, ad morbum Gallicum, ad oris fœtorem, & ad deformitatem, quæ quidem cauſæ pro exemplo ſunt: nam & aliæ permultæ dari poſſunt, quæ non minùs ac prædictæ juræ diſſolvi Sponſalia permittant. Ego verò prænominatarum ſingulas *in hac Quæſtione* ponderabo, non niſi in iis, quæ ad Medicum ponderare pertinet.

Offertur ergo primò fœditas notabilis, pro qua quid ſit intelligendum, nõ ita palam eſt. Fortè de vitiis quibuſdam verba fieri dici poteſt, quæ malum odorem & abominabilem excitant, ut fœtor alarum, aut pedum, aut inguinum: vel dicamus pro hac inſigni fœditate DD. accepiſſe cutaneas quaſdam infectiones, quæ faciem præcipuè deſœdant, aut caput, ut Tinea, Gutta Roſacea, Alopecia, quæ idem fortè eſt ac Tinea, & id genus aliæ, necnon maculæ, vibices, vitiligines, Alphi, Leuce, & aliæ, quæ licet colorem tantùm carnium immutent, inſigniter tamen corpus deturpant, maximè autem faciem: vel tandem dicamus Doctores pro hac notabili fœditate accepiſſe quamcunq; ſupervenientem inſignem deformitatem, ita ut vel utrumque pro eadem acceperunt, vel ſaltem pro re non admodùm differenti. Quomodocunque ſit, cùm generaliter loquantur, non poteſt eorum dictum cuidam particulari vitio applicari.

Circa oculorum amiſſionem, nihil addendum videretur; nam vel quod uterque, vel alteruter amittatur, res clara eſt, quod Sponſalia diſſolvi poſſunt, Sanchez *ubi ſupra num. 3.* niſi illud decernendum eſſe velimus, qui per oculorum amiſſionem text. *in quemadmod. de Iurejur.* accipi voluerit, utrum nimirum ipſorum oculorum, ut membra ſunt, excuſſionem, & extra naturalem locum extractionem, aut functionis eorum, nempè viſionis deperditionem. ac profectò ad utrumque ſenſum trahi poſſe verba Textus non ambigendum: licèt enim multò majorem turpitudinem inducat oculorum excuſſio, & expulſio extra eorum receptaculum, quàm ſimplex viſionis deperditio, tamen & hæc ex ſe cum inſigni incommodo habet ſuam turpitudinem adjunctam, ac notabilem rerum mutationem. Non par eſſet fortè amiſſio ſola viſionis alterius oculi, cum amiſſione unius per excuſſionem; in hac enim ſemper urgeret ultra viſionis amiſſionem ſumma turpitudo, quæ maxima ex parte ceſſat in ſimplici amiſſione viſus alterius oculi, unde determinandum eſſet, an hæc ſufficeret ad diſſolutionem Sponſalium quæ juramento eſſent firmata. 5 6

Sed tamen negari non poteſt, etiam per ſolam amiſſionem viſionis alterius oculi, factam eſſe notabilem ſtatûs mutationem ob ſenſûs ejus nobilitatem & neceſſitatem. Itaque quocunque modo viſus deperdatur, aut in utroque, aut in altero oculo, & ex quocunque morbo; ſemper urgebit juſtitia cauſæ diſſolventis Sponſalia etiam jurata 7

Sunt autem quam plurimi morbi viſionem abſcindentes, aut depravantes, aut ſaltem diminuentes, de quorum ſingulis verba facere ſuperfluum videtur; ſatis ſit determinare, omnes, ſi viſum in totum auferant, dare juſtam cauſam diſſolutionis Sponſalium: ſed neq; liberè pronunciare liceret, quòd morbi ipſum viſus ſenſum depravantes, aut diminuentes tantùm, ad hanc diſſolutionem non ſint ſufficientes. Et quoad viſus diminutionem videretur dicendum, quod etiamſi per eam non fiat notabilis ſtatûs mutatio, tamen ſi viſus ex morbo aliquo diminuatur, qui non ſolùm ſanari nõ poſſit, ſed ex ſua natura ad pejorem ſtatum tendat, ut omnes oculorum morbi faciunt, non poterit ea diminutio ab earum cauſarum cenſu eximi, ex quibus Sponſalia jure diſſolvi permittuntur. Quoad viſûs verò depravationem, peculiariter decernendum eſſet, quid operaretur: ſi enim aliqua ſtrabositatis ſpecie alter ex ſponſis prehendatur, certum eſt & viſionem depravari ſimul, ac diminûi, & faciei formoſitatem in fœmina præcipuè deteriorari; quamobrem Canoniſtæ conſiderabunt, quid in hoc caſu eſſet ſtabiliendum. 8 9

Cæterùm in naſi deperditione nullum poſſe intervenire dubium videtur, niſi illud in conſiderationem veniat, quod aliàs diſcutiendum propoſui, nempè, an recuperato naſo (ut fieri poſſe expertiſſimorum Chirurgorum auctoritate, & opere ipſo de facto patet, & notavi *lib. 8. tit. 1. q. 8. n. 5.*) Sponſalia, ſi diſſoluta ſint, redintegrari debeant, aut, ſi diſſoluta non ſint, in ſuo robore debeant permanere; & placèt repetere id, quod tunc viſum eſt decidendũ. Dicebam ergo, quòd ſi naſus ex morbo aliquo deperditus fuerit, ut ex morbo Gallico, cùm talis morbus non niſi peſſimus & maligniſſimus potuerit eſſe, nihil naſus recuperatus conducere debeat ad Sponſalia redintegranda, ſi diſſoluta ſint; & ſi diſſoluta non ſint, nihil minuere debeat juſtitiam cauſæ, ob quam

diſſolvi permittuntur Quòd ſi ex aliqua cauſâ externa, puta ex caſu, aut ex vulnere, aut ex alio quodam modo naſus deperditus ſit, licèt ibi dixerim, Sponſalia jam diſſoluta eſſe redintegranda, nunc in contrariam ſententiam irem dicendo, quòd non diſſoluta diſſolvi debeant, & diſſoluta non ſint redintegranda, manente notabili ſtatûs mutatione, etiam recuperato naſo. Votum Canoniſtarum hic deſiderandum, ſecundùm cujus determinationem res decidenda.

De Lepra nihil ſubvenit addendum.

10 De Paralyſi dubitari poteſt, an ſemper poſſit dare juſtam cauſam diſſolvendi Sponſalia jurata. Ratio dubitandi eſt, quia Paralyſis non eſt ſemper ſine remedio, quanquam ſit curatu dificilis. Licèt enim hæc difficultas ſanationis in aliquo ſubjecto tã ultrò procedat, ut ad curationis impoſſibilitatem terminetur, in alio tamen ſubjecto, ob virtutis fortitudinem ita minui poteſt, ut curationi non difficulter cedat. Cùm igitur Sponſalia ut plurimum ab hominibus vigentis ætatis contrahuntur (pauci enim tam bardi ſunt, ut in ætate ſenili matrimonio ſe jungere deſtinent,) hæc quæſtio determinanda videretur ſecundùm ſubjecti qualitatem. Et ſi Paralyſis ſit in ſponſo ætatis adhuc juvenilis, aut ſaltem integræ & conſiſtentis, fortiſque virtutis, dicendum eam ſanabilem eſſe, & idcircò non habere ſanum ſponſum juſtam cauſam diſſolvendi Sponſalia, in quibus contrahendis juramento ſe obſtrinxit: Ita quidem mihi Medico ſecundùm Iuſtitiam decernendum videretur, Canoniſtarum tamen eſt declarare, utrùm hæc opinio vera ſit, necne. Si verò ſponſus Paralyſi detentus in ætate declinanti degat, nec viribus conſtet quò majorem agit ætatem, eò minor ſanationis ſpes concipi poteſt; nam non ſolũ Paralyſis in hujuſ-
11 modi ætate ſanari non poteſt, ſed in dies incurabilior evadit deficiente aſſiduè nativo calore, eaque de cauſa ab Hipp. *lib. 5. de morb. vulg. ſect. 5. text. 25.* & ex ejus auctoritate à Galeno & Valleſio *in comm.* inter eos morbos recenſentur, qui increſcentes dicuntur, quod notavit etiam Rota *in Melevitana Antianitatis 1643. coram Veroſpio num. 8.*

12 Præterea Sanchez *ubi ſupr. num. 2.* volebat Sponſalia pariter diſſolvi ex ſupervenientia cujuſlibet morbi contagioſi, quod ita intelligendum, ut morbus contagioſi adjunctam habeat gravitatem & incurabilitatem; non omnis ergo contagioſus morbus erit ad hoc ſufficiens; unde nequaquam ob ſcabiem etiam gravem & contumacem, neque ob lippitudinem, niſi perpetua eſſet, neque ob Variolas, aut morbillos, neque ob alium ſimilem contagioſum morbum, à juramento eximere ſe poterit ſanus ſponſus in contrahendis ſponſalibus præſtito.

13 De morbo Gallico tantùm hæſitari poteſt, num qualiſcunque Gallicus morbus ſufficiens cauſa eſſe debeat diſſolutionis Sponſalium, cùm pateat aliquando levem eſſe, & de facili curabilem: Et tamen quia urget ſuſpicio contagii, non tam liberè in negativam ſententiam eundum; quia etiam abſente morbi gravitate & incurabilitate, ipſa contagii ſuſpicio videatur ſufficiens ad diſſolutionem ſponſalium: Unde non ab re Sanchez *ubi ſup.* in omni morbo contagioſo voluit eſſe locum prædictæ diſſolutioni. Et ratio evidens eſt, quia etiam ex levi morbo contracta infectio timore majoris mali non caret, cum eveniat interdum, ut quis leviter morbo Gallico affectus alios graviter inficiat; imò, ut aliàs non ſine Praticantium auctoritate dixi, fit aliquando ut quis cum infecta perſona rem habens, nequaquam inficiatur, & tamen alios inficiat. Manente ergo ſemper, quantuncunque levis Gallicus morbus ſit, timore infectionis & contractionis majoris mali, dicendum videretur, adeſſe juſtam cauſam diſſolvendi Sponſalia etiam jurata. Et de rigore quidem non poteſt hic timor dici inanis. Si tamen in his æquitas ulla ſervanda eſt, videretur ea res mitiùs decernenda; nam nimis durum exiſtimandum ob levem aliquam Gonorrhœam, quæ nec diù duraverit, nec veſtigium ullũ de ſe reliquerit, aut ob minima pudendorum ulcuſcula, quæ citiſſimè ſanata fuerint, aut etiam ob benignum bubonem ad ſuppurationem citò deductum, & diligenter expurgatum, poſſe ſponſum promiſſione jurata futuri conjugii defraudari, & ſanum ſponſum tam levi ex cauſa à juramento ſolvi? maximè cùm in ſimilibus caſibus pateat, quòd ſi ullam infectionem alter ſponſus in ſanguine & humoribus contraxerit, facilè aut per ipſã Gonorrhœam, aut etiam per pudendi ulcuſcula, aut tandem per bubonis apertionem, ea potuerit expurgari: unde experimur, eos, qui facilè ab ipſo coitu cum perſona infecta in aliquem ex prædictis morbis labuntur, non gravari ulteriùs à morbi malitia & ſævitie, prompte in illum reincidere: contrario modo eveniente, ubi per nullam convenientem viam in principio infectionis Natura ſe exonerare non novit, aut non potuit. Itaque ſecundùm 14
æquitatem fieri exiſtimaverim, ſi levem morbum Gallicum, qualem mox deſcripſi, non eſſe ſufficientem cauſam dicamus diſſolutionis Sponſalium, ſi juramenti vinculo vallata ſint.

Circa oris fœditatem, de qua Canoniſtæ determinant, dare juſtam cauſam diſſolvendi Sponſalia etiam jurata, Notandum, hoc vitium non unius generis eſſe, & à multiplici cauſa originari poſſe, ſecundùm quarum cauſarum gravitatem, & amotionis difficultatem, ipſum etiam vitium gravius, & irremediabile eſſe poteſt, & ſic ſufficiens, aut inſufficiens eſſe ad diſſolvenda Sponſalia. 15

Poteſt igitur oris fœtor originem habere à gingi- 16
varum putrilagine, à corruptis, & corroſis dentibus, à ciborum reliquiis inter ipſorum dentium ſpatia hærentibus, non cõvenienti diligentia exemptis, & à nimia ciborum copia, ob quam iidem cibi in ſtomacho corumpãtur. Omnia igitur prædicta vitia & gravitate carent, & remedium admittunt remotione cauſarum, quæ oris halitum inficiant, ſic repurgando, & abſtergendo, & gingivas, eaſque incarnando, omnis malus odor oris ceſſat, ut ceſſat etiam extractione dentis putridi, ac corrupti; non ceſſaret autem ſi plures dentes ſimul corrupti eſſent, & ubi opus eſſet ad oris fœtorem tollendum plures dentes extrahere, fortè non ceſſaret ſufficientia cauſæ diſſolutionis Sponſalium, ob ipſorum dentium ptivationem, aucta namque inſigniter videri poteſt turpitudo ſponſi, ſi edentulus evaſerit.

Pariter quoque facillimè fœtidus habitus emendatur, qui ex reliquiis ciborum inter dentes hærentibus, carnium præſertim excitatur, mundando ipſos dentes à prædictis reliquiis quotidiana diligentia; eodemque pacto moderatione adhibita in aſſumendis cibis, non ſecuta eorum corruptione in ſtomacho ob nimiam eorum copiam, nulla oris fœditas impoſterum moleſta eſt.

Fœtor ergo oris à prædictis cauſis ortus non eſt exiſtimandus ſufficiens cauſa diſſolutionis Sponſalium, quæ juramento firmata fuerint.

Contrà dicendum, ubi ille oris fœtor ex vitio 17
ſtomachi fiat, non ob copiam ingeſtorum ciborum, ſed ob pravam ipſius affectionem, ob quam

cibos

cibos quoſcunque & laudabilis qualitatis, & quantitatis moderatæ corrumpit: hæc enim cauſa contumax eſt, nec facilè ſuperabilis: quemamodùm neque ſi ex culpa orificii inferioris ventriculi nimirum hiantis is fœtor ad os ex ipſis ſtercoribus per inteſtina elevaretur, neque ſi ex ulcere palati, & circumjacentium partium, neque ſi ex maligno Narium ulcere, vel Ozæna, aut Polypo, neque ſi ex ulceratis Pulmonibus, neque etiam ſi ex prava aliqua naturalium viſcerum, ut hepatis, aut lienis affectione is fœtor generetur, tolli remediis poteſt, præterquàm quod vitii interni gravitate præſe fert: unde in his omnibus patens eſt juſtitia cauſæ Sponſalia diſſolventis.

18 De Epilepſia quoque dubitari poteſt, an ſemper ſufficiens ſit ad Sponſalia jurata diſſolvenda: nam conſtat quaſdam Epilepſias raritate paroxyſmorum adeò inſignes fuiſſe, ut ſemel tantùm hominem in toto vitæ curriculo adoriantur, ut de Julio Cæſare narrant: alias autem adeò leves eſſe, ut non magis hominem moleſtent, quàm ſimplex capitis vertigo, & cum hoc de raro quoque prehendunt: videretur ergo præter jus, & æquitatem, debere ſanus ſponſum à juramento contrahendi matrimonii ob hæc leviſſima ſolutum iri: Canoniſtæ ergo determinent quid in his caſibus ſit dicendum.

Sed ultra prædictos non deſunt alii quamplurimi morbi, ex quorum cauſa non minùs quàm ex cauſa prædictorum jurata Sponſalia ſolvi poſſent: ſed nimis longum eſſet de ſingulis verba facere, & tædio non vacaret: itaque ſatis ſit ex Canonum, & Canoniſtarum decretis prænominatos pro exemplis recenſuiſſe.

Illud unum diſcutiendum proponam, quod ad virgines ſponſas tantùm pertinet: eſt autem quidam morbus earum proprius, qui hoc peculiare habet præter ſymptomata, quibus aſſociatur, ut formam ipſarum virginum mirum in modum corrumpat, ita ut ex pulcherrimis eas maximè deformes faciat; & quod notabile eſt, hoc vitium pulchrioribus magis infeſtum, quàm aliis virginibus eſſe ſolet, ut notat Lud. Mercat. *de virg. & vid. affect. lib. 2. cap. 6.* ubi ejus rei cauſam inveſtigare nititur, & ob id de eo nunc verba faciam, nam de deformitate aliis ex cauſis ſuperveniente ultimo loco diſſerere inſtitui.

19 Eſt ergo vitium illud de quo ſermonem nunc habeo à Græcis Chloroſis dictum, Latinis verò febris alba, non quod ſemper habeat conjunctam febrem, ſed quod fœdum, & albicantem colorem ex eo contrahant. Dicitur item à Latinis morbus virgineus, & ab aliquibus febris amatoria: alii autè vocarunt illud Icterum album. De quibus omnibus viden. Mercat. *loco proximè alleg.* Franciſc. Ranchin. *de morb. virg. ſectione tertia, c. 2.* Dan. Sennert. *libr. 4. Pract. part. 2. ſect. 3. c. 2.* [Horſt. *tom. 2. pag. 269. & ſeq.*]

20 Sed unde eſt, quòd hic morbus pulchrioribus virginibus magis familiaris ſit, ut dictum eſt? An quia pulchriores virgines laudabilioribus humoribus refertæ, eos, cauſa corrumpente ſeſe inſinuante, in pejorem conditionem, quàm in aliis, immutent: cùm corruptio optimi peſſima ſit? Non diſcordare ab hac cauſa videtur Mercatus. Sed non videtur dubium ſolvere, ubi dicimus febrem albam eſſe magis familiarem virginibus pulchrioribus, quod non eſt verum: ſed verum eſt, pulchrioribus eſſe magis infeſtam, quia pulchritudinem illarum adimit.

21 Verum enim verò, etiamſi hic morbus præter deformitatem afferat ſecum plura ſymptomata, quæ gravem illum reddant, atque facilis curatu ſit, tamen dubio non caret, an per illum Sponſalia jurata ſolvi poſſint: quia licèt negari non poſſit ſponſæ ſtatum immutatum eſſe ab eo, qui erat cùm Sponſalia fuerunt contracta: tamen quia hic morbus eſt quaſi connaturalis ipſis virginibus, non videtur ſtatus earum naturalis immutatus, maximè cùm unicum remedium ejus morbi ſint ipſæ nuptiæ, ut in ſimilibus teſtatur Hippocr. *in libell. de morb. virg. in f.* Unde non videtur ſponſus habere juſtam cauſam diſſolvendi Sponſalia juramento per ipſum firmata. Alia tamen ex parte contrarium videtur aſſerendum, quia cùm juramentum intelligatur habere locum rebus in eodem ſtatu permanentibus, certum eſt de ſtatu præcipuè ſanitatis, & naturali hoc intelligendum. At ſuperveniente ſponſæ febre alba, ſtatus ejus ex ſano fit morboſus, & ex naturali præter naturam, quæ mutatio jure ſponſum à juramenti obligatione videtur ſolvere. Neque verum eſt, hunc morbum eſſe virginibus connaturalem, quia eſt tantùm earum proprius, ut alii morbi proprii ſunt Prægnantium, alii Puerperarum, alii Puerorum, alii Senum, alii aliarum ætatum. Remanere ergo debet in ſponſi voluntate, an juramentum ſervare velit, necne. Verùm ubi morbus videretur de facili amovibilis, neque altas emiſiſſet radices, ſecundùm æquitatem exiſtimari poſſet, quod Sponſalia in ſuo robore relinquantur, cùm evenire ſoleat, ut hujuſmodi virgines vix marito junctæ à prædicto morbo convaleſcant, & à gravioribus etiam, ut addit Hippocr. *ubi ſupra.* 22 23

Porrò cùm dictum ſit, hunc morbum maximè pulchritudini officere diſcutiendum venit, dubium à Canoniſtis propoſitum, nempè an deformitas inſignis ſuperveniens juratis Sponſalibus, illa diſſolvat. Et Sanchez *loc. cit. n. 4.* relata opinione eorum, qui negativæ adhærent, ipſe cum aliis Canoniſtis per eum relatis affirmativam tuetur, rationibus, de quibus *ibi.* A nobis igitur jam determinandum, ex quibuſnam Pulchritudo inſigniter deteriorati poſſit: & quia Pulchritudo in utroque ſponſo conſiderari debet, ſciendum multùm differre pulchritudinem virilem à pulchritudine muliebri: nam virilis (quam veram pulchritudinem eſſe volunt Medici, & Philoſophi) eſt membrorum proportio, & optima diſpoſitio ad fortitudinem, & actionum bonitatem faciens. Mulieris autem eſt membrorum proportio ad concinnitatem, & venuſtatem corporis, ejuſque delicias emanans, aſpectu oculos aſpicientium delectans. Illa viris ad proprii corporis utilitatem data, hæc à Natura mulieri conceſſa, non dicam ad virorum perniciem, ſed ad allectendos eos ad earum amorem, & deſiderium: idcircò, & coloris jucunditate, & membrorum mollitie, & partium venuſtate, & vocis ſuavitate, & actionum lenocinio, ac blanditiis illam viro gratiorem reddidit. Quamobrem jure merito pulchritudo poſt Sponſalia jura deperdita, virum à juramenti vinculo ſolvere debet, ita ut Sponſalia diſſolvantur. 24 25 26 27 28

Videamus ergo jam quibus ex cauſis pulchritudo vel amittatur, vel inſigniter deterioretur.

Univerſaliter igitur loquendo, pulchritudo totius quaſi totaliter deperditur ob morbos acutiſſimos interdum, quaſi maligniſſima febris eſt, & ipſa Peſtis, & ob quoſdam etiam particulares morbos Chronicos, ut morbus Gallicus eſt, Elephantiaſis, Scorbutus, & his ſimiles: hujuſmodi enim morbi, tam acutiſſimi, inquam, quàm prænominati Chronici, naturale temperamentum, & nativam formam in alienum temperamentum, contrariam- 29

que, formam abire faciunt, de quibus tamen plura non addam.

30 Peculiarem esse virginum febrem albam, jam dixi, quæ formam mirum in modum deturpat, ea tamen cessante, forma ad pristinum nitorem, ut plurimum redire consuevit.

31 Sed omisso jam de his ulteriùs loqui, cùm facies sit sedes pulchritudinis, quæ in ipsa videtur, maximè in mulieribus, sui ostentationem facere: videamus quibus præcipuè ex causis eam ita deformari contingat, ut justam causam dissolutioni Sponsalium, etiamsi juramento firmata sint, præbere possit. Licèt autem facies ob id, quod pars tam conspicua est, etiam à minima re deturpari aliquo modo possit, tamen certum est ad dissolutionem Sponsalium non esse quamcunque mutationem in pejus sufficientem, sed debere esse insignem.

Itaque cùm pulchritudo consistat in apta dispositione partium, quæcunque hanc dispositionis aptitudinem immutant insigniter, facium quoque insigniter deformem facient: ipsarum igitur partium aucta magnitudo, formam mirum in modum lædit. Huc pertinet omne tumorum, & excrescentiarum genus, non solùm ipsam faciem obsidentium: sed etiam circumvicinas partes, ut collum, & gulam. Defectus quoque vel minimus particularum ipsius faciei, non minùs quàm aucta magnitudo eodem modo culpandus, imò fortè magis: nam si nasi, aut labiorum etiam pusilla pars deficiat, pulchritudini insigniter obest, quod non evenit fortassè de pusillo tumore, aut parvula excrescentia. Particularum etiam ejusdem faciei mutatus, aut depravatus situs, deformem illam insigniter reddit, ut earundem particularum tortuositas, perversio, contractio, aut relaxatio.

32 Sed & cicatrices (de quibus inter deficientia loqui licebat) non postremò in ea re incusandæ, de illisque longioribus agerem, nisi aliàs de earum qualitate, & gravitate plura attulissem *libro quinto, Titulo secundo, quæstione quarta, à numero decimo octavo ad plures sequentes: & libro octavo, Titulo primo, quæstione decima sexta, per totam*, ubi cum Fortun. Fidel. *libro secundo de Relat. Medic. cap. 5.* manifestum feci, quænam faciei cicatrices majorem deformitatem inducant. Universaliter autem modò loquendo, dicendum, quòd cicatricum deformitas dependet à partis nobilitate, à magnitudine, à profunditate, ab inæqualitate, à coloris mutatione. His addit potest scabrities, quæ cum inæqualitate jungi potest, glabrities ubi pars esset antèa pilis referta. Cæteris paribus, turpissima censenda cicatrix in naso, quòd non solùm 33
sit præ cæteris partibus conspicua, sed etiam 34
quia ea pars in homine est pulchritudinis modulatrix. Ab hac, ut ego sentio, succedit cicatrix in oculis, quæ nempè oculorum medium intersecat: licèt Fortunatus post nasi cicatricem, secundo loco ponat cicatricem in malis, tertio cicatricem in buccis, quarto in labiis quinto in oculis, cui ego secundum tribuo. Sed vitio non carent cicatrices in fronte, in mento, in gula, in collo, si notabiles fuerint, & contegi non possint: maximè autem deturpant colli cicatrices ab excisis, vel quomodocunque extirpatis strumis relictæ.

Sed in cicatricum faciem deturpantium numero reponenda sunt vestigia ex variolis contracta, 35
ex quorum causa tantoperè deformari aliquorum facies observamus, ut ex pulcherrimis turpissimæ evadant: quod tunc maximè fit, cùm totam faciem occupant, & profunda, & pravi coloris existunt, non modò enim ipsius faciei nitorem, & venustatem adimunt, sed etiam genarum mollitiem, & levitatem, cutem duram, ac callosam relinquendo. Sed jam de hac materia hæc in medium attulisse sufficiat.

LIBRI NONI TITULUS UNDECIMUS.

DE SEMINE FOEMINEO.

Appendix ad Titulum Tertium Libri Septimi.

SUMMARIUM.

1 *Fœmina neque habet, neque debuit habere semen, secundum Aristotelem. Contrarium, n. seq.*
3 *Fœmina non differt à Mare sua speciei in iis, quæ ad corporis nutritionem pertinent.*
4 *Excrementum ultimi alimenti aggregatur etiam in fœmina, Contrar. n. 5. vide n. 7.*
6 *Si quid in fœmina superfluit de ultimo alimento, neque semen est, neque seminis nomen meretur. Vide n. 8.*
9 *Semen fœmineum ut masculeum efficientiam habet.*
10 *Seminis fœminei efficientia unde habeatur.*
11 *Fœmina à Natura habet, ut generet, & generet sibi simile.*
12 *Omne generans generat sibi simile.*
13 *Animal quando dicatur generare sibi simile.*
14 *Quando generatur non potest à Materia habere, ut per eam sit id quod est, sed tantum à forma.*
15 *Fœmina absque proprio semine generat. Falsum.*
16 *Si ex hoc, quod fœmina generat in ætate teneriori, deduci potest illam concipere sine semine, idem inferri poterit de Mare in teneriori ætate generante.*
17 *Quod ut plurimum fit, secundum naturam est: quod de raro, per accidens.*
18 *Conceptio ostendit concipientem habere semen.*
19 *Tam menstrua, quam semen, eodem tempore in fœmina se produnt.*

QUÆSTIO Unica.

TAmetsi quamplures rationes aliàs adduxerim ad demonstrandum fœminas semen habere, & illud quidem fœcundum, nec passivè tantùm, sed etiam activè ad generationem concurrere, quarum rationum nonnullæ, ut optimis ac doctissimis viris, etiam contrariam opinionem per anteactum tempus foventibus visum est, demonstrationum vim proculdubio habent: tamen ad majorem veritatis tutelam, alias insuper adducere superfluum non existimaverim, quod tantò libentius faciam, quantò afferendæ rationes possunt majorem in modum Peripateticorum, ac sequacium pervicaciam convincere, qui nihil, quod alicujus ponderis sit, in medium adducentes, unicæ Aristotelis auctoritati innixi, ejusque assertiones instar folii Sybillini habentes, etiam contra sensum, & veritatem ipsam procaciter pugnare sunt parati.

Ut ergo ad meditata me conferam, dico, Aristotelem, ut pluries dictum est, non solùm negasse, 1
fœminas

fœminas habere ſemen, ſed nonnullis productis rationibus perſuadere conatus eſt, non debuiſſe à Natura habere. Nos contra probavimus, iterumque concludentiſſimè probare intendimus, fœminas non
2 modò habere ſemen, ſed de neceſſitate Naturæ debuiſſe habere. [Confer Horſt. *tom.* 1. *pag.* 15. 65. & 454.] Sequentes ergo rationes de novo producimus Lectori veritatis amantiſſimo ſeriò examinandas.

3 Notum eſt, nec controvertere id Adverſarii poſſunt, fœminam à Mare ſuæ ſpeciei in nihilo differre quoad ea, quæ ad corporis nutrimentum, & ſuſtentationem requiruntur, nam & ſanguine, & humoribus, & excrementis tam utilibus, quàm inutilibus dotatur, ut Mas, licet menſtruis præ illo affluat, ad generationis materiam deſtinatis. Modò, in Mare remanet utile quoddam excrementum, quod ad ſpeciei conſervationem à natura eſt procreatum, quodq; ipſa Natura ad vaſa ad illud aſſervandum fabrefacta demandare ſolet, ut inde Mas cum fœmina congrediens, generare poſſit, & hoc ſemen eſt. Hoc igitur excrementum ultimi alimen-
4 ti aggregatur etiam in fœmina, ac provida Natura eadem vaſa, & inſtrumenta ad illud ad requiſitas partes deferendum, aſſervandum, & ejaculandum in fœmina quoque molita eſt: & ex iiſdem fontibus ejus materiam deſumit, de quibus deſumit, in Mare, nempè ex vena cava, & arteria magna. Hæc oculari teſtimonio unuſquiſq; ad libitum eo modo ſe habere, obſervare poteſt. Ergo ſi in fœmina ſuperfluit ea materia ultimi alimenti, ex qua fit ſemen in Mare, ſi eam Natura etiam in fœmina ab iiſdem vaſis, ut in Mare deſumit, ſi per eaſdem vias, ut in Mare eandem materiam ad Teſtes defert, ſi in Teſtibus eadem materia ut in Mare aſſervatur, inibique concoquitur, ac perficitur, ſi tandem per ejaculantia vaſa eadem materia in coitu, ut in Mare, cum voluptate emittitur, ſenſibus, & veritati omninò contradicit, qui vult, fœminam ſemen non habere.

Non acquieſcunt his Peripatetici, ſed dupliciter contrà prædicta inſurgunt: ac primò dicunt, quòd licèt in fœmina aliquid ſuperfluere poſſet poſt totius nutritionem, id non aliud eſſe poterit, quàm ſanguis, ex quo menſtrua ſuo tempore à Natura vel
5 expurgantur, vel in fœtus nutritionem abſumuntur: unde nihil ultimo in fœmina ſuperfluit, quod in ſemen abire debeat. Natura enim intenta ad productionem materiæ, ex qua fœmina ſuos fœtus nutrire debeat in utero, reliquam omnem ſanguineam materiam in nutrienda ipſa fœmina abſumit: quòd in Mare non eo modo fit, quia cùm Natura egeret ejus ſemine ad procreationem, & formationem fœtus, quicquid ultimo alimento ſuperfluit ad hoc deſtinans, illud ad convenientia loca tranſmittit, ut magis elaboratum ſuo tempore in coitu excernatur, & ex eo fœtus generetur.

6 Secundò, etiamſi in fœmina quicquam ſuperfluat ultimo alimento, quod ad ſpermatica vaſa, & fœmineos Teſtes demandetur, nequaquam verè ſemen, ſed tantùm æquivocè dici poteſt, quia neque ſeminis officio fungitur, neque ſeminis conditiones habet. Non fungi officio ſeminis patet, quia ſeminis fœminei munus eſt inſervire maſculeo ſemini pro materia, & nutrimento: at fruſtrà in hoc inſerviret, ſtante quod Natura ad hunc finem menſtrua deſtinaret: & hoc illud eſt, in quo maximè ac benè ſe fundat Ariſtoteles dicens, ſi ſemen eſſet, menſtrua non eſſent, nunc ideò menſtrua ſunt, quia ſemen non eſt: ſed neque hoc, quod ultimo alimento in fœmina ſuperfluere ſupponitur, conditiones ſeminis habet: nam verum ſemen ſubſtantiâ eſt craſſum, odore grave, ſpiritu multo turgens, colore album, ſenſum exquiſitè movens: at hoc, quod vos Medici ſemen fœmineum dicitis, ſubſtantia eſt liquida, ac fluida, odore nullo, colore maſculeo ac vero ſemini multùm cedens, omni ſpiritu denudatum, ac ſenſum vix proritans; unde non mirum, ſi fœminæ, etiamſi concipiant, quid tamen ſit ſemen ejicere, omninò ignorant: unde aut ſemen non emittunt, aut nullam voluptatem, etiamſi emittant, in ejus ejaculatione perſentiunt.

Sed cognita falſitate ſuppoſitionum quæ in præcitatis argumenis fiunt, veritas facilè in lucem emicabit: in primo argumento ſupponitur nihil in fœmina ſuperfluere ultimo alimento, nos digito ipſo commonſtravimus ſuperfluere, & materiam ipſam ſuperfluentem, & loca unde deſumitur, & per quæ ad deſtinatas partes defertur, ac in quibus aſſervetur, & per quæ foras emittatur oculis ipſis ſubjecimus.

In ſecundo argumento dicitur, ſemen fœmineum ſeminis officio non fungi, quia non poteſt eſſe pro materia ſeminis maſculei, ſtante quod à Natura ad hoc ſit deſtinatum menſtruum. Nos dicimus ſemen fœmineum, non ſecus ac ſemen maſculeum, ad generationem concurrere, nec ſolùm materiale, ſed effectivum principium conceptus eſſe: quod dilucidiùs oſtendetur inferiùs.

Additur ſemen fœmineum non producere effe- 7
ctus veri ſeminis: quod, quam veritatem habeat, à poſteriori probatur: pruritum enim, & aviditatem concumbendi, ac ſeminandi in fœminis excitat, ut in maribus, voluptatem ſummam ejus excretione fœminæ percipiunt, ut Mares: debilitatem, ac virium defectum nimia ejus evacuatio inducit in fœminis, ut in Maribus: quid inde ergo inferri poteſt, niſi fœminam verum ſemen ferre, ut Marem? Corruunt ergo, ac omninò evaneſcunt ſuppoſitiones omnes ex adverſo factæ, nullo modo reconvalituræ.

Sed ex abundanti demus, quòd ſemen fœmi- 8
neum deficiat aliquo modo à conditionibus ſeminis maſculei, tamen verum, ac perfectum ſemen eſt, iiſque conditionibus dotatum, quibus dotari neceſſe eſt ſemen fœmineum: nam quemadmodùm ſanguis fœmineus, ut aliàs dicebam, non idcircò, quòd minùs calidus, minùs ſpirituoſus, ac minùs robuſtus ſit ſanguine maſculeo, ſanguis non eſt: eodem quoque pacto non idcircò, quòd ſemen fœmineum ſemine maſculeo minùs calidum, minùs ſpirituoſum, ac minùs robuſtum ſit, ſemen non eſt, nam eas tantùm conditiones ſortitur, quæ ut ſemini fœmineo ſibi conveniunt, quod quia à minùs calida, minùs ſpirituoſa, ac minùs robuſta materia deſumitur, minùs calidum, minùs ſpirituoſum, ac minùs robuſtum naturaliter eſſe oportet.

Non ob id tamen ſemen fœmineum ſua efficien- 9
tia privatur, ſed non ſecùs ac maſculeum ſuas in agendo partes exequitur, qua quidem facultate ſi deficeret, jure optimo negari poſſet, quòd eſſet verum ſemen, ut Peripatetici pertinaciter contendunt. At ſemen fœmineum habere efficientiam negabunt, qui procaciter audent negare ſenſum. Nam quot, & quanta, Deus bone! in fœtibus ſe produnt, quæ à Matre ipſa tantùm prodiiſſe, non à patre ipſe ſenſus manifeſtum facit? videant Peripatetici quæ circa hoc afferunt Medici, ac præcipuè

Galen.

Galen. *in libris de ſemine*, & ab ipſo diſcant veritatem agnoſcere, niſi ex ſe habilitatem habeant Naturæ librum, hoc eſt humani corporis fabricam evolvere, ac ſpeculari. Aſſimilare ſibi natos in effigie tam externa, quàm interna, in temperamento, in moribus, in valetudine, in morbis, an non aliquando à ſeminis materni efficientia eſt, quemadmodum aliàs ab efficientia ſeminis paterni? Communicare fœtui ſuæ ſpeciei characterem, ut ſit in Animalibus ſpecie, aut etiam genere differentibus, an ſemini paterno tribuendum, ut materno ſemini omnem efficientiam præter rationem adimamus? Semen ergo fœmineum, materia nempè illa, quam nos Medici *fœmineum ſemen* appellamus, & quam Peripatetici crudam quandam materiam eſſe, ad nihil utilem, gratis aſſerere audent, cùm effectus omnes vero ſemini convenientes producat, atque ipſam etiam vim effectricem ſortiatur, verum ſemen eſt. Fœmina ergo & habet ſemen, & ad prædictos effectus debuit à Natura habere.

11 Sed inter omnes prædictos effectus, majorem præ aliis neceſſitatem Naturæ imponebat, ut fœmina haberet ſemen, illa; quia eam ad generandum conſiderat, nec abſque ſemine generare poſſet: quia generans intelligitur id, quod confert tantùm materiam, ex qua nutriatur, & augeſcat id quod generatur: ſi ſic enim ſe res haberet, non plus tribuere ſe Mater fuo conceptui dum in utero eſt, quàm tribuant ipſæ Nutrices lactentibus puerulis, nec verificaretur ullo modo illud, quòd omne generans generet ſibi ſimile, quia generans dicitur
12 generare ſibi ſimile, quando tribuit generatio id, per quod producitur de non eſſe ad eſſe, & per
13 quod eſt id, quod eſt; at ſi fœmina tribuit fœtui materiam tantùm, unde nutriatur, & augeſcat, nihil ad generationem confert; neque enim per nutritionem, & augmentationem quod generatur, ponitur
14 de non eſſe ad eſſe, neque per eas fit id, quod eſt, quia hoc nequaquam à materia, ſed à forma tantùm haberi poteſt. Ad hunc igitur maximè effectum, nempè ut fœmina generaret, & generaret ſibi ſimile, neceſſe fuit illam habere ſemen, illudque efficientia non minùs quàm maſculeum dotatum. Ergo fœmina & habet ſemen, & de neceſſitate Naturæ debuit habere ſemen.

Sed maximam, præter hæc, vim Peripatetici faciunt in eo ſuppoſito ad probandum, quòd fœmina generet abſque proprio ſemine, nempè quòd fœmina abſque ea voluptate concipiat, quæ in emiſſione ſeminis percipitur, nam ſi ſemen emitteret, voluptatem illam perſentiret: ergo, cùm eam non perſentiat, non emittit ſemen, & conceptio ſuccedit abſque ipſius ſemine. Neque ſolùm veritatem habet, fœminas concipere abſque
15 proprio ſemine ex hoc, quòd voluptatem nullam in coitu percipiant: ſed maximè ex eo, quòd nonnullæ concipiunt antequam ſemen intrà ſe generent, ut exemplo nonnullarum Puellarum palam fit, quæ ante pubertatem, & antequam ſemen intra ſe per ætatem procreare potuerint, conceperunt, quarum plures Hiſtoriæ habentur recollectæ per Schenckium *libro quarto ſuarum Obſervat. Titulo de Bear. concip. & gener.* ubi auctoritates etiam Canoniſtarum, nempe Abbatis & Hoſtienſis videre licet, quorum uterque narrat, Puellam novennem, filium peperiſſe, in qua ætate certum eſt, illam non potuiſſe proprium ſemen ad generationem conferre, cùm per tot annos abeſſet à pubertate: quæ prima ætas eſt ſemini ferendo apta. Et ne hoc quid rarum, ac monſtroſum & contra Naturæ Leges factum exiſtimemus, naturale etiam teſtimonium unum, aut alterum ad hoc habere poſſumus: nam Populi quidam Macrobiis juncti ſunt, quorum fœminæ ſeptimo ætatis anno concipiunt, ac filios pariunt. Alii quoque in India reperiuntur, *Mandri* dicti, quorum etiam fœminæ ſeptimo ætatis anno partus edunt, cum tamen ſenectam ad quadrageſimum uſque annum producant. Ferunt quoque in Calingis Indiæ gente (inquit Plin, *lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 2.*) fœminas quinquennes concipere, & octavum vitæ annum non excedere. Ergo cùm in his omnibus exemplis appareat, fœminas, antequam ſemen per ætatem ferre poſſent, generaſſe, dicendum ſemen fœmineum non requiri ad generationem: & idcircò fœminam neque habere, neque debuiſſe habere ſemen.

Sed vide obſecro, humaniſſime Lector, quæ ſubterfugia quærant hi Philoſophi, ne à propria, ac ſemel male ſtabilita, & inanibus fundamentis opinione recedere cogantur: & contrariæ ſententiæ tanquam veriori cedere. Mulieres omnes cum voluptate ſemen in coitu, aut etiam extra coitum emittunt: ut probent, mulierem ſemen non habere, unam, aut alteram pro exemplo in medium adducunt abſque voluptate, quæ in ſeminis emiſſione percipitur, concipientes. Mulieres item omnes in univerſo hoc terreſtri globo, duodecimo ætatis anno ſemen ferunt, & tunc concipiunt: & ut probent, ſemen fœmineum non requiri ad generationem, Indicas quaſdam mulieres, nè Soli quidem viſas, qui omnia videt, nobis objiciunt quinquennes, aut ſeptennes concipientes, ſupponendo quòd illæ in tam tenella ætate ſemen habere non poſſint. Similiter ad idem probandum Puellas quaſdam, rariùs quàm ipſum Phœnicem viſas nobis obtrudunt, quæ novennes conceperunt, ſupponendo neque has ob tenellam ætatem potuiſſe habere ſemen.

Sed hiccine modus philoſophandi eſſe debet ad eruendam naturalium rerum veritatem? Ergo & abſque maſculeo ſemine, ſi valida ea argumentatio eſt, poteſt fieri generatio, quia non deſunt exempla Puerorum, qui novennes, aut decennes generarunt, ut patet ex Hiſtoriis recollectis per Schenck *loc. cit.* quod multò admirabilius eſt, quia Mares ſerius multò ſemen habent, quam fœminæ. 16
Ergo cùm in his pueris non potuerit per teneriorem ætatem adeſſe ſemen, inferri ſimili modo poteſt, generationem abſque maſculo ſemine poſſe ſuccedere. Sed quid eſt, ſi hoc non eſt ex particulari deducere univerſalem? Siccine ratiocinari nos Præceptores omnium ſapientiſſimi edocere ſatagunt? 17
At aliàs ab illis habemus, id ſecundùm naturam eſſe, quod ut plurimum fit: quod autem fit de rarò, fieri per accidens. Ut plurimum fit, ut fœminæ cum voluptate in emiſſione ſeminis concipiant, rariſſimè autem, ut ſine voluptate id illis accidat: ergo mulieres ſemine cum voluptate emiſſo concipere, ſecundùm naturam eſt: per accidens autem, quòd ſine voluptate id ſuccedat: & ob aliquam rem monſtroſam, aut ex detrimento, & vitio Naturæ, ut in ſimilibus evenire teſtatur ipſe Ariſt. *lib. 5. de Hiſtor. Animal. c. 14.* qui ergo ea, quæ naturaliter fiunt, regulari vult per ea, quæ fiunt per accidens, præpoſtero omninò diſcurſu utitur, vero, ac docto Philoſopho penitùs indigno.

Falſis igitur ſuppoſitionibus remotis, nempè quod fœminæ in ætate teneriori concipientes, in qua cæteræ fœminæ ſemen adhuc non ferunt abſq;

ſemine

ſemine concipiant, ea concluſio ſarta tecta remanere debet, conceptionem ipſam oſtendere eas ſemen habuiſſe, licèt monſtruoſum quid, ac eventu
18 rarum abſque dubio fuerit, eas tam citò ſemen intrà ſe procreaſſe: nam certum eſt, eas non potuiſſe concipere, niſi fœtum nutrire poſſent, at fœtus nutritur menſtruo, ergo non ante potuerunt concipere, quàm menſtrua haberent: ergo ſi habebant men-
19 ſtrua, habebant unà ſemen, cùm tam menſtrua, quàm ſemen eodem tempore in fœminis appareant: teſte Ariſtotele *loco ſupra citato*, quia ad unum, eundémque finem utrumque eſt deſtinatum, nempè ad fœtus conceptionem, & nutritionem quouſque in utero permanſerit.

De fœminis autem illis, quæ in India dicuntu quinquennes, aut ſeptennes concipere, dicendum id illis ex natura particulari earum regionum ſuccedere, ut ea ætate ſemen ferant, & concipiant, ut cæteræ omnes fœminæ in maturiori ætate faciunt. Idque convenienter eo modo evenire, ſtante earum vitæ brevitate, cùm naturaliter fieri debeat, ut quæ à Natura brevem vitam habent, in operationibus ejuſdem Naturæ cæteras fœminas antevertant.

Hæc, & pleraque alia pro tuenda veritate dici poſſunt, ſed Soli lucem addere conamur, dum ex ſe veritas Sole clariùs eluceſcit. Et fœmina enim καταϛάλαι. *Hebræor. c.* 11. *verſ.* 11.

LIBRI NONI TITULUS DUODECIMUS.

DE PRIMÒ GENITIS.

Continens Quæſtiones ſex.

I. Quis dicatur Primogenitus.
II. Priorem conceptum ultimò naſci, quæ ratio perſuadere poſſit.
III. Ex naturæ ordine priorem conceptum, priorem naſci.
IV. An ex accidenti evenire poſſit, ut poſterior conceptus prior naſcatur.
V. In dubio quis ex Gemellis prior natus præſumendus.
VI. Quis ex Gemellis ab utero matris exſectis præſumendus prior natus.

SUMMARIUM.

1 *Primogeniti nomen non magis referri poteſt ad eum, qui primò naſcitur, quam ad eum, qui primò concipitur.*
2 *Genitus dicitur fœtus cum primùm in utero conceptus eſt.*
3 *Generare dicuntur mulieres cùm concipiunt, non cùm pariunt.*
4 *Primogenitus apud Jureconſultos accipitur pro eo tantùm, qui primò natus eſt, & n.* 8.
5 *Non ſatis eſt, Gemellum brachium, aut crus foras emittere, niſi prior totus naſcatur, ad hoc ut Primogenitus dicatur.*
6 *Ex Gemellis prior conceptus ſecundùm aliquos poſterior naſcitur.*
9 *Tantundem eſt dicere,* Primogenitus, *quàm* primò natus.
10 *Inſtituentis Primogenituram mens eſt, ut primò natus ſit Primogenitus, non primò conceptus. Et n.* 12.
11 *Conceptionis dies, & hora neſcitur: ipſaſque mulieres quoque latet.*
13 *Conceptus, homo eſt, & rationali animâ dotatus.*
14 *Poſterior natus Primogenitus ſecundùm aliquos dici debet. Falſum, n. ſeq.*

Quis dicatur Primogenitus.

QUÆSTIO I.

FAteor non veniſſe unquam mihi in mentem de hac materia verba facere, non enim ad Medicam ſpeculationem quicquam pertinere arbitratus ſum, cùm nullum Medicum, quantùm memoriâ recolo, de ea re verbum ullum moviſſe compererim, imò neque ab ullo Medicorum eam quæſtionem propoſitam, aut exagitatam, aut reſolutam viderim: nimirum, quiſnam ex Gemellis primò, aut ſecundò ſit conceptus, & quiſnam prior, aut poſterior ex illis ſecundum Naturæ ordinem naſci debeat: hinc enim reſolutio ejus dubii dependet, quiſnam eorum Primogenitus debeat exiſtimari. Sed cùm Jureconſultorum placita evolverem, conſideravi nonnulla ab illis determinata, Medica ſpeculatione egere, unde ad hæc exaranda circa eam materiam me accinxi.

Antequam igitur ulteriùs progrediamur, ut ſciamus de quanam re verba fiant, determinandum, quid in mente concipiamus, cùm Primogenitum dicimus; nam hæc vox, *Primogenitus,* 1
non magis referri potèſt ad eum, qui primò naſci- 2
tur, quàm ad eum, qui primò concipitur, imò multò melius aptari videtur ei, qui primò conceptus eſt, quàm ei, qui primò natus: nam genitus dicitur fœtus cùm in utero conceptus eſt: & 2
generare dicuntur mulieres cum concipiunt, non 3
cùm pariunt. Verùm Jureconſulti declarantes, quis ſit Primogenitus, dixerunt, illum accipi 4
pro eo, qui primò natus perfectè, ac totus eſt, & hoc, quia non ſatis eſt ad hoc ut quis dicatur Primogenitus, ut prior brachium, vel crus, foras 5
emiſerit, niſi totus naſcatur: Tiraq. *de Jur. Primog. quæſt.* 1. *num.* 8. Molina *de Primogen. Hiſpan. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. & adducitur ad hoc facer textus Geneſis, *cap.* 38. de Gemellis, quos Thamar Judæ nurus edidit, quorum is qui Zara vocatus eſt, 1
prior protulit manum, ſed poſterior natus eſt, unde non ipſe, ſed Phares prior natus Primogenituram eſt conſecutus.

Nullum ergò in hac re dubium à Jureconſultis excitatum video, neque offendi eorum quemquam, qui opinionem aliquorum in medium attulerit, qui 1
voluerunt, priorem natum poſteriorem fuiſſe conceptum.

Vulgò quidem eam controverſiam aliquando agitatam audivi, non à vulgaribus tantùm hominibus, ſed etiam à doctioribus, qui tamen contendebant, eum priorem naſci, qui poſterior conceptus eſſet; ſed nullis ſolidis rationibus, neque ullius momenti auctoritatibus propriam opinionem tueri

norunt:

norunt: ac mihi quidem visum est, hoc in re certa dubium ponere.

Tamen Jureconsultos Doctissimos de Primogenitura scribentes cùm evolverem, notavi illos supponere, fieri posse, ut ex Gemellis prior conceptus posterior nascatur: nam determinantes, quisnam ex illis Primogenitus sit, dicebant, quòd
7 etiamsi unus conceptus sit ante alium, non primò conceptus, sed primò natus jura Primogenituræ consequatur: Ita Joan. le Cirier *de Primogenit. libro primo, quæstione prima, numero sexto*, Tiraquellus *de Iure Primogenit. quæstione prima, numero nono*, Molina *lib. 3. de Primogen. Hisp. cap. 1. num. 5.* Unde etiamsi, ut addit Tiraq. *ibidem*, quemamodùm difficillimum est, facilè esset ex certa quadam conjectura deprehendere eum, qui posterior exivit ex utero, priorem fuisse conceptum, is tamen jura Primogenituræ non obtinebit, sed alter qui prior natus est.

Itaque hinc factum est, ut de Primogenitura in-
8 ter Gemellos ulteriùs non fuerit hæsitatum, sed communi Doctorum calculo determinatum, Primogenitum esse, qui prior natus est, *c. Joseph. in f. de verb. signif.* D. Thomas eadem Textus verba ex D. Hieronymo referens, licèt neutrum nominet. 3.
9 *par. summ. quæst. 20. art. 3. ad 4.* Bald. *in l. cum in antiquioribus, sub c. 11. vers. Et primo præmitto, C. de jure deliber.* Anch. *cons. 82. num* 8. tantumdem enim est dicere, *Primogenitus*, quàm *primò natus*, id est, qui primò vidit lucem: Mangil. *de Imputat. quæst. 86. sub n. 19.*

Atque id mihi ex ratione, & pro rei natura sancitum videtur, quia neque præsumi potest, neque
10 verisimile est, mentem instituentium Primogenituram fuisse, ut eorum dispositio haberet dependentiam ab eventu dubio, ut est præventio unius Gemelli ad alterum in conceptione, sed potiùs voluisse dependere ab eventu certo, qualis est præventio in nascendo: quia si conceptûs tempus, ne-
11 que hora, neque dies certa est, cùm lateat, etiam ipsas mulieres, etiamsi unicum conceperint, ut elicitur ex Hipp. *in lib. de Nat. Puer. num.* 38. Arist. *lib. 7. de Hist. Anim. c. 4.* & ex Jureconsultis, Mascard. *de Probat. concl. 1146. num. 31. vol. 3.* quantò minus sciri poterit, quisnam ex duobus Gemellis ex uno coitu conceptis, prior conceptus sit: Cùm ergo de Prioritate conceptionis in dubio res rema-
12 neat: contrà verò de prioritate nativitatis evidens certitudo appareat: dicendum omninò instituentis Primogenituram mentem fuisse, ut is, qui primò nascitur, pro Primogenito habeatur.

Quibus tamen non obstantibus non videtur ex Justitiæ rigore factum, ut nulla ratio habeatur alterius ex Gemellis, qui prior conceptus est: quip-
13 pè cum & is homo sit, nam & Animam rationalem in ipso conceptionis momento recipit, ut semper eodem modo fit, quemadmodùm sufficienter probavi *in princ. hujus secundi vol. Tit. 1. quæst. ult. per totam*, vel saltem in nulla re cedat ei, qui posterior conceptus est, sed prior est natus, & de suo commodo, honore, & utilitate agatur, videre-
14 tur (si vera est opinio eorum, qui volunt priorem natum, posteriorem fuisse conceptum,) contrarium potiùs esse determinandum, nempè posteriorem natum tanquam priorem conceptum debere haberi pro Primogenito, cùm prioritate temporis in sui conceptione acquisierit sibi quicquid illi tanquam Primogenito debetur, & sic nequaquam attendendum tempus nativitatis, sed tantùm conceptionis.

Verum enim verò nullam veritatem habere prædictam opinionem, quòd nempè prior conceptus posterior nascatur, satis constabit ex sequentibus. Quòd autem Jureconsulti, hoc posse evenire dicant, & tamen semper jura Primogenituræ priori nato deberi affirment, videndum, an in rei veritate id fieri possit, quibus rationibus possit suaderi.

SUMMARIUM.

1 *Quanam ratione eveniat secundum aliquos, ut qui ex Gemellis posterior fuit in conceptione, prior sit in nativitate.*
2 *Fœtus quandò & quomodò nascatur.*
3 *Fœtus quò fortior est, eò magis in elatiori uteri materni parte se sustinet.*
4 *Fœmina sinistram uteri partem, Mares autem dextram occupant.*
5 *Posterior conceptus (qui posterior etiam nascitur) aliquo signo debilitatis se prodit.*
6 *Posterior conceptus minori corporis mole ut plurimum dotatur.*

Priorem conceptum ultimò nasci, quæ ratio persuadere possit.

QUÆSTIO II.

FRivolam sanè, ac nihili faciendam ratiunculam ad hoc probandum vulgò adductam audivi, exemplo desumpto à sacco: quemadmodùm enim, inquiunt, si saccum diversis rebus repleamus, cum deinde exhauritur, id primùm prodit, quod ultimò fuit ingestum, sic in ortu Gemellorum fit, ut qui primò uterum replevit, ultimò ab eo exitum habeat. Sed ridicula omninò est hæc persuasio, quasi fœtus simul concepti sibi invicem supersint, ac substent, & qui conceptus posterior est, ita uteri ostium obserat, ut exitum priori conceptui prohibeat, nisi ipse prior in lucem prodeat: Sed conceptus plures in utero lateraliter disponuntur, nec sine summo incommodo unus superstaret alteri. 1 2

Porrò cùm tempus nascendi instat, quod est quando copiosiori alimento, & liberiori aëre indigent, propriis viribus exitum quærunt, calcitrando, & membranas, in quibus includuntur, disrumpendo, ut cum Hipp. *in lib. de Nat. Puer. num. 39. & alibi*, docent omnes Medici, ita ut qui fortior est, prior exitum sibi paret, absque eo quod compar ullo impedimento illi esse possit: unde evenit, ut imbecillior non solùm aliquando post, sed etiam per horas, & integros interdum dies exitum retardet. Ergo nisi melior ratio adducatur, persuadens posteriorem conceptum priorem nasci, inanis omninò evadit ea persuasio, & tanquam nulli fundamento innixa corruit.

Videamus itaque, an alia quædam ratio suppeditari nobis possit ad eam opinionem stabilien- 3
dam? Firmandum primò videtur, quòd fœtus, quo fortiores sunt, eo magis in uteri elatiori parte versus stomachum se sustinent, inibique plerùque commorantur: quo imbecilliores autem sunt, eo magis ad infernas partes vesicam urinariam versus, aut ad intestinum rectum prolabuntur. Itaque, accedente partu, consequens est, eum qui exitui proximior est, priorem ab utero foras prodire; at prior conceptus robustior est, quam conceptus posterior: necessariò ergo posterior conceptus, ut debilior, & patenti viæ proximior, prior in lucem prodibit.

Quod

Quod autem fœtus, quò fortior eſt, cò magis in ſuperiori parte ſe contineat,& quò debilior,eò magis ad inferiorem prolabatur, controverti non debet,quippe cùm quotidiana nos experientia moneat, fœminas, quæ abſque dubio Maribus debiliores ſunt, & idcircò ſiniſtra parte geſtantur, 4 Mares autem dextra, deorſum tendere, unde idcircò Maribus veſicam urinariam, aut rectum inteſtinum premendo urinæ ſtillicidium, aut incontinentiam, aut teneſmum cauſare ſolent : Mares, autem ſtomachum, & alias ſuperiores partes gravantes, ejuſdem ſtomachi dolorem, nauſeam, vomitum,ſpirandi difficultatem, & id genus ſymptomata excitare conſueverunt. Sed ubi fœtus ægrotet, etiam ſi ſolus in utero commoretur, ex nullo potiori ſigno ſe ægrotare manifeſtum facit, quàm ex prolapſu proprii corpuſculi ad partes infernas,ac tandem ubi fœtus mortuus ſit, ad uteri oſtia prolabitur; & ſi alter Gemellus ſupervivat, prior aditum uteri occupat, prior ab utero proditurus,niſi obſtetrix illum intrò repellat, ut vivus prior oriatur.

De veritate porrò ejus concluſionis,quod prior conceptus robuſtior ſit,quàm conceptus poſterior, quid ſentiendum, infrà clariſſimè edocebo; pro 5 nunc autem dicam, facto ipſo hoc conſtare, cùm videamus poſteriorem conceptum (qui ſecundùm veritatem poſterior quoque naſcitur) vel corporis debilitate, vel ejuſdem gracilitate,vel aliqua alicujus partis labe, aut vitio manifeſtiſſimè commonſtrare, ſe poſteriorem fuiſſe conceptum:quin obſervamus ulteriùs,quòd etiamſi ambo Gemelli convenienti robore dotentur,tamen is,qui poſterior conceptus eſt, & tanquam imbecillior ſiniſtram uteri partem occupat,mancus eſt, & ſiniſtra pro dextra grandior factus uti cogitur.

Præterea ultra vitium imbecillitatem,quam habet poſterior conceptus præ illo, qui prior conceptus eſt,alia occurrunt ad facilitandum ejus exitum 6 ab utero, & præveniendum illum, qui prior in conceptione fuit; nam & corporis molem minorem obtinet,& ob debilitatem, ut dictum eſt, proprio pondere ad inferiorem partem fertur, atque hinc vias lubricas ob aquarum, quæ ante partum ſuccedit,eruptionem inveniens, facillimè ab utero proficiſcitur. Quæ omnia tantoperè facilitare poſſe videntur ortum ejus, qui poſterior conceptus eſt; ut mirum eſſe non debeat, ſi priorem conceptum naſcendo præveniat : Quis enim negabit duobus corporibus ſimul in concluſo loco degentibus, ac per anguſtum aditum ad exitum properantibus,nec niſi unius capacem,quod mole minus eſt,& magis oſtio propinquum, faciliùs, ac citiùs exire poſſe, quàm quod magis corpulentum eſt, & ab oſtii aditu magis diſtat? Sed hæc, ut ingenuè fatear, leviora ſunt, & facilè diluuntur, ut in ſequentibus.

SUMMARIUM.

1 *Ex Gemellis qui prior conceptus eſt,prior naſcitur.*
2 *Gemelli ex uno,eodemque coitu gignuntur.*
3 *Tam in Mare, quàm in fœmina fortior,ac debilior genitura eſt.*
4 *Genitura priùs emiſſa fortior, quàm quæ poſteriùs ejaculatur.*
5 *Qui ex Gemellis prior concipitur ex priore Genitura ejaculatione concipitur.*
6 *Prior conceptus aliis fortior exiſtit.*
7 *Fœtus ob fortitudinem virtutis ortum accelerant.*
8 *Septimeſtris cur, & quomodo naſcatur.*
9 *Mas ex robuſtiori ſemine,quàm fœmina generatur.*
10 *Fœtus quò fortior eò celeriùs augetur.*
11 *Prior conceptus ex Gemellis,à majori calore regitur.*
12 *Mas in utero citiùs abſolvitur, quàm fœmina.*
13 *Ex celeriori motu ipſius fœtus major calor arguitur.*
14 *Defectus alimenti imponit fœtui neceſſitatem naſcendi.*
15 *Fœtus quomodo ex defectu alimenti in utero, naſcatur.*
16 *Fœmina partus tardior, quàm Maris.*
17 *Neceſſitas reſpirationis majorem neceſſitatem naſcendi fœtui imponit.*
18 *Puer dum in utero eſt, duplici eget alimento.*
19 *Fœtus in utero per arteriam umbilicalem ad Matris reſpirationem tranſpirat, nam reſpirare non poteſt.*
20 *Prior conceptus meliorem,& uberiorem materni ſanguinis portionem attrahit.*
21 *Primogeniti cæteris robuſtiores, & formoſiores ſecundum Jureconſultos.*
22 *Idem eſt Primogenitus,qui prior eſt conceptus.*

Ex Naturæ ordine priorem conceptum priorem naſci.

QUÆSTIO III.

SI id, quod ſecundùm Naturæ diſpoſitionem, & 1 ordinem fit,obſervare libet,apertiſſimè patebit, ſemper ſecundùm eam diſpoſitionem, & ordinem fieri, ut ex Gemellis is, qui primò conceptus eſt, primò etiam naſcatur,quod evidentiſſimis rationibus me probaturum confido : Ante omnia tamen ſcire operæ pretium eſt, quanam ratione Gemelli concipiantur.

Sciendum ergo, Gemellos ex uno, eodémque 2 coitu gigni, [vid. *reſolution. Caſus Muſſipontan.* Strauſſij *pag.*144.]ut cum Hippocr. *in lib. de Nat. Puer. num.*44. *& ſeqq.* omnes Medici docent; & habemus ad hoc etiam Sacræ Paginæ teſtimonium *Geneſ.cap.*38. *verſ.*18. ubi cùm narratum eſſet, Judam cum Nuru ſua concubuiſſe, dicitur,*Ad unum igitur coitum mulier concepit.* & verſ. 27. *Inſtante jam partu apparuerunt gemini in utero.* [adde Epiſtol. ad Roman. *capit.9. verſic.*10.] Hippocrates autem aſſignata ratione,qua ſemen in duas partes diviſum concipiatur, procedens ad docendum, quomodò Gemelli aliquando unius, ejuſdemque ſexus ſint, interdum verò differentis, addebat, *In muliere,* 3 *& in viro, & in omni Animali, & in ſingulis & debilior, & fortior genitura ineſt, & non ſemel, ac ſimul genitura procedit, ſed & bis, & ter ebullit, & ejaculatur, & non eſt poſſibile, omnem eſſe fortem, tum quæ priùs exivit, tum quæ poſteriùs; in utrum autem ſinum craſſiorem, ac fortiorem genituram ingreſs contigerit, illic maſculus gignitur : & quæ ſequuntur.* Ex his Hippocratis verbis tria colligere debemus;Unum quòd Genitura, quæ primò emittitur,fortior, ac corpulentior eſt;nam plurimo ſpiritu præ illa,quæ poſt emittitur,turget; Secundum, 4 quòd qui ex Gemellis primò concipitur, ex genitura primò emiſſa concipitur. Tertium, quòd qui 5 primò concipitur, iis, qui poſtmodum concipiuntur,fortior eſt, ex robuſtiori enim genituræ parte 6 conceptus eſt.

Præterea potiſſimam cauſam, ob quam fœtus 7 in utero exiſtentes ortum accelerant, ipſa eorum fortitudo eſt, in tantùm, ut interdum ſit illis exitialis,ab ea enim ſtimulati aliquandò antè tempus ortum accelerant,& ut plurimum intereunt; quod de Septimeſtris uſu venit, de quibus *in libell. de Septim. Part. num. primo*, Hippocrates docens cur Septimeſtris antè tempus aliis deſtinatum naſcatur, dicebat : *Matureſcente fœtu, & robore multùm* 8 *augeſcente*

augeſcente in perfectione magis, quàm aliis temporibus pellicula, in quibus ab initio nuritus fuit, quemadmodum ſpicarum membrana, laxantur, ad id coacta anteà quam fructus perfectè matureſcat: & fortiſſimi, ac pleniſſimi fœtus violantes, ac diſrumpentes pelliculas, partum fieri cogunt. Atque eadem ex cauſa Avicen. 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 1. verba faciens de Septimeſtri partu dicebat, *& eſt fœtus fortis creationis, & complexionis.* Non modò igitur fortitudo fœtûs in cauſa eſt, ut partum ſuo tempore acceleret, ſed etiam ut immaturus, & ante debitum tempus naſcatur, unde non mirum ſi ut plurimùm intereat. Cùm ſtaque qui primò ex Gemellis conceptus eſt, fortior exiſtat, cùm ex robuſtiori ſemine genitus ſit,
9 (quemadmodum Mas, quia fœmina fortior eſt, ex robuſtiori ſemine oritur; Hippocr. *in lib. de genit. verſ.* 7.) neceſſe eſt, ut ex ſui natura prior cõceptus, prior etiam in lucem veniat.

Ad quod dilucidiùs demonſtrandum aliæ rationes addi poſſunt, nam facto eo fundamento, quòd prior conceptus ex robuſtiori ſemine conceptus fuerit, & ideo poſteriori conceptu fortior ſit in omnibus, ac ſingulis, quæ ad celeriorem partum faciunt, priorem illum prævalere neceſſe eſt, ut in majori celeritate augeſcendi, & majori celeritate abſolutionis, & in majori celeritate motus & in celeriori alimenti defectu, & in celeritate neceſſitatis liberioris reſpirationis, & ſi quæ alia imaginari liceat, quæ fœtum accelerare ortum faciant, imò cogant.

10 Et quoad celeriorem augmentationem in utero, patet fœtum quò fortior eſt, eò celeriùs augeri: unde Mares multò celeriùs, quàm fœminæ augeſcunt, & ad eam perfectionem celeriùs deveniunt, quæ major ad eſſe, & ad benè eſſe requiritur. Adepta igitur ea perfectione, quam habere poſſunt in utero, neceſſe eſt, ut fœtus ſibi exitum quærant, & in lucem prodeant; ergo quantò celeriùs eam perfectionem acquiſierit fœtus, tantò celeriùs naſcetur. Ex Gemellis igitur is ad eam perfectionem celeriùs deveniet, qui fortior eſt, ſed prior conceptus fortior eſt, ergo prior conceptus prior naſcetur, quàm qui conceptus poſterior eſt.

11 Eadem ratio eſt de fœtûs, formatione nam augeſcendo in dies meliùs formatur, & inde membra majus robur acquirunt; qui ergo ex Gemellis prior conceptus eſt, à majori calore abſque dubio regitur unde celeriùs formare hunc neceſſe eſt; quia ex ſemine craſſiori, uberiori, & ſpiritu magis turgente conceptus eſt. Cùm igitur celeriùs de neceſſitate efformari debeat in utero, de neceſſitate etiam celeriùs naſcetur. Ac profectò non tam celeriter efformari poſteriorem conceptum, ut priorem, ſatis oſtendit, quòd ſemper in aliquibus à corporis requiſita perfectione deficit, agebat enim longiori temporis ſpatio ad eam perfectionem acquirendam, quemadmodum fœmina longiori tem-
12 pore indiget, ut abſolvatur in utero, quàm Mas: Hippocr. *in lib. cit. de Nat. Puer. numero* 14. & 1. *de Diat.* Ariſtot. *lib.* 4. *de Gener. Animali. cap.* 6. Galen. *lib.* 2. *de ſem. cap.* 5. Qui ergo ex Gemellis prior natus eſt, prior etiam eſt abſolutus, & primò fuit conceptus.

Ex celeriori quoque motu ejus, qui prior conceptus eſt, deducere licet, illum debere quoque priorem naſci; ex motu enim arguitur major calor, quò celerior motus eſt, & major etiam forti-
13 tudo; unde cùm prior conceptus, ſit neceſſariò calidior, & robuſtior, prior etiam movebitur: quod verum eſſe, ut alia ex prædictis, manifeſtum facit ſexûs differentia, cùm Mares primos motus trigeſima die excitare ſoleant, fœminæ ſecundo ſupra quadrageſimum. Qui primò igitur motus excitat, prior naſcetur: ſed qui prior conceptus eſt, prior movetur, ergo prior conceptus prior naſcetur.

Multò magis autem urgere videntur duæ ſe- 14
quentes rationes deſumptæ à celeritate defectus alimenti, & à neceſſitate reſpirationis: nam defectus alimenti imponit puero neceſſitatem naſcendi, unde urgente hujuſmodi alimenti inopia, Puer calcitrando, ac validè ſe movendo, membranis diſruptis, foras prodit: eam enim eſſe potiſſimam cauſam, ob quam fœtus ex materno utero exire contendat, docet Hippocr. *in ſæpe cit. libro de Nativit. Puer. num.* 39. *& ſeq.* dicens: *Alimentum,* 15
& augmentum, quod à Matre deſcendit, non amplius ſufficiens ex Puero, ubi decem menſes præterierint, & fœtus auctus fuerit, trahit enim quod dulciſſimum eſt in ſanguine, ſimulque etiam lacte medico fruitur; cum autem hæc ipſi variora pauciora ſint, & Puer plenus, & maturus exiſtat, copioſius alimentum deſiderans, calcitrat, ac pelliculas rumpens initium partus Matri inducit. Quæ verba à Galeno *comm.* 5. *Aphor.* 37. ad hanc ipſam partus cauſam edocendam referuntur, eademque cauſa aſſignata eſt ab Avicen. 21. 3. *tract.* 1. *capite* 2. *non longè à fine, & in ipſo cap. calce.* Modo, quo fœtus robuſtior eſt, eò majorem alimenti copiam expoſcit, & ſic eam, quam illi attrahere datur, citiùs abſumit, unde defectum alimenti citiùs experitur: atque hinc eſt, quod celeriùs naſci cogitur, quàm imbecillior, ut evenire ſolet quando fœtus Mas eſt, nam celeriùs fœmina oritur, & plerumque partu fœminæ tardior eſt, Ariſtot. *lib.* 7. *de Hiſtor. Anim. cap.* 4. 16
Unde prudenter Jureconſulti naſcentibus ſimul Mare & fœmina, Marem præſumi primò natum volunt; Gloſſ. *in leg. Idem erit, verb. Quæſtio, ff. de ſtat. hom. & leg. ſi fuerint, in f. ff. de reb. dub.* Ergo cùm prior conceptus tanquam robuſtior, prior alimenti defectum patiatur, neceſſariò prior exire cogetur, & ſic ſemper prior conceptus prior etiam naſcetur.

Parem, imò majorem naſcendi neceſſitatem im- 17
ponit Puero neceſſitas liberæ reſpirationis; duplici 18
enim nutrimento eget Puer in utero materno exiſtens, uno, quo partes ſolidæ nutriantur, altero quo nutriantur ſpiritus, & ipſum cor refrigeretur. Illud per venas umbilicales, hoc per umbilicales arterias attrahit, per quas ad Matris reſpirationem 19
tranſpirat, reſpirare enim per os non poteſt.

Et licèt Hippocr. *in ſæpè cit. libell. de Nat. Puer. numero* 9. ſcriptum reliquerit, Puerum in utero grandiorem factum etiam ſupernis partibus ſpirationem facere tum ore, tum naribus, ejuſque rei veritatem tueri conatus ſit Proſper. Martian. *in comm. verſ.* 122. tamen Andr. Lauren. *libro* 8. *Anatom. quæſtion.* 26. ſatis concludenter probat, fœtum in utero materno reſpirare nec poſſe, nec debere.

Verum quomodocunque ſe ſe res habeat [legantur hac de re Rolfinccius, Harvæus, Gaſſendus, Bartolinus, Courve, Deuſingius, Segerus,] fœtus in utero exiſtens, cum jam maturus eſt, liberaliori reſpirationi indiget, & quò calidior, & fortior eſt; tantò celerius neceſſitatem hanc experitur. Prior ergo conceptus cùm calidior, ac robuſtior ſit, quàm conceptus poſterior, celeriùs ab ea neceſſitate cogetur ad vitales auras exire, & ſic prior conceptus ſemper prior naſcetur.

His

20 His omnibus adjiciendum, quod quantùm ſibi proſpicit prior conceptus tanquam calidior, & robuſtior attrahendo meliorem, & uberiorem ſanguinis materni partem, tantundem detrahit ei, qui poſterior conceptus eſt, cui deteriorem, ac minùs puram, & minorem partem relinquit; ita ut ex hoc eveniat, ut ſecundum plurimum poſterior conceptus aliqua parte debilis, aut læſus, aut ſecundùm totum imbecillis, ac tenuior in lucem exeat, ut aliàs dixi.

21 Atque hoc pacto verum exiſtimandum Jureconſultorum dictum, determinantium, Primogenitos cæteris robuſtiores, & formoſiores eſſe, Tiraquell. *cit. epi. de Primogen. quæſt. 17. opin. 7. & 8. num. 1. & 3.* & hoc non aliunde, niſi quia Primogeniti tanquam primò concepti, ex robuſtiori, & uberiori ſemine ſunt generati, & hoc modo prior conceptus ſemper eſt Primogenitus, quia prior naſ-

22 citur, neque unquam fieri poteſt, ut poſterior conceptus ex minùs forti genitura productus præveniat priorem conceptum in naſcendo, ut pleniſſimè probatum eſt.

SUMMARIUM.

1 *Naturæ ordinem accidentalis cauſa aliquando interrumpunt.*

2 *Fœtus in Matris utero non minus, quàm extra uterum, morbis eſt obnoxius.*

3 *Non videtur poſſibile, quod ægrotante uno ex Gemellis, & maximè robuſtiori, alter incolumis ſervetur.*

4 *Poſterior conceptus non ſupponitur ſimpliciter imbecillis.*

5 *Poſterior conceptus, etiam ægrotante priore, poteſt ſervari incolumis.*

6 *Mulieri geminos in utero habenti, ſi altera mamma gracilis fiat, abortit fœtum illi parti correſpondentem.*

7 *Non neceſſariò unius Gemelli ægritudo alteri communicatur.*

8 *Operibus Naturæ adhærere nos oportet, cùm ſemper aut ſecundum plurimum eodem modo procedant.*

An ex accidenti evenire poſſit, ut poſterior conceptus prior naſcatur.

QUÆSTIO IV.

1 ORdinem illum, quem Natura in rebus ſuis ſervat, accidentalem aliquam cauſam interturbare interdum poſſe, experientia ipſa quotidiana commonſtrat. Animalia Natura efformat ſuis partibus ita concinnatis, ut ad eſſe, & ad benè eſſe quicquid neceſſarium eſt, pleniſſimè ſortiantur; & tamen ex accidenti fit, ut aliquid interdum deficiat, aut ſuperfluat: quod tam ultrò procedit, ut inde monſtra generari non eſt qui neſciat. Itaque non mirum eſſe debet, ſi etiam in Gemellorum ortu ordo ille Naturæ, ex quo prior conceptus prior naſci debeat, ex accidenti pervertatur; id quomodo contingere poſſit, non difficile eſt determinare; ſcientes, quod fœtus in Matris utero non

2 minùs, quàm extra uterum morbificis cauſis exponitur, ac de facto morbis pluribus eſt obnoxius. Unde non difficilè eventu videtur, ut prior conceptus in ſua prima plaſmatione aliqua ex cauſa præternaturali imbecillior ſe ipſo evadat, aut etiam aliqua ægritudine exerceatur, ex cujus cauſa non ut deberet meliorem, ac copioſiorem ſanguinis materni portionem ad ſe allicere poſſit, interimque poſterior conceptus multò quàm antè uberiori nutrimento munitus, majus robur, ac majorem alacritatem ſupra priorem conceptum acquirat, unde fiat, ut tanquam ſi prior conceptus eſſet, in iis omnibus prævaleat, ac ſupra priorem conceptum excellat, in quibus prior conceptus ex ſui natura prævalere, ac excellere debuerat, quod tantò facilius evenire poſſet, quantò poſterior conceptus robuſtior in ſuo primordio extitiſſet.

Non tamen facilè aliquibus perſuaderi poteſt hæc ratio, cùm enim Gemelli uno eodémque loco commorentur, & in ejus loci anguſtiis unus alteri ita vicinus ſit, ut quaſi unum corpus conſtituant, non exiſtimandum tam facilè fieri poſſe, ut uno 3 ægrotante alter incolumis ſervetur; imò ægrotante eo, qui prior conceptus eſt, & idcircò robuſtior, multò facilius ægrotare illum neceſſe eſt, qui poſterior eſt conceptus; & ſic non poteſt dari caſus, ut ægrotante eo, qui prior conceptus eſt, poſterior conceptus non ægrotet; unde non ſine ratione Jac. Holler, *in comm. lib. 5. Aphor.* 38. hoc pro impoſſibili exiſtimat.

Verum enimvero non eſt difficile huic ſubjectionis ſatisfacere dicendo, hoc & ratione probari poſſe, & experientia ipſa, & auctoritate Hippocratis confirmari.

Ratione, quia cùm unuſquiſque Gemellorum proprio calore regatur, non eſt neceſſarium, quod ægrotante uno, alter etiam ægrotet, non obſtante quod unum altero imbecilliorem ſupponamus; quia cum ſupponimus poſteriorem conceptum eſſe imbecilliorem, non ſimpliciter talem eſſe ſup- 4 ponimus, ſed reſpectu tantùm prioris conceptus: non ergo ſequitur, quod ex eo, quia minus robuſtior eſt poſterior conceptus, debeat, ægrotante priore, ſimul ægrotare; ut fortè ſequeretur, ubi poſterior conceptus eſſet poſitivè debilis ob nativi caloris imbecillitatem; quamquam ne ſic quidem neceſſarium eſſet, ex una eademque cauſa ambos ſimul ægrotare; cum unuſquiſque eorum propria virtute poſſit ab imminente ex alterutrius ægritu- 5 dine, & periculo ſe tueri.

Sed experientia ſimul, & auctoritate Hippocratis *lib. 5. Aphor.* 38. [Aphoriſmum hunc damnat Cardanus refutatus à Fonſeca pag. 162.] id ipſum probatur; ille enim ibi teſtatur, quod mulieri utero gerenti, & geminos habenti, ſi altera mamma gra- 6 cilis fiat, alterum abortit: & ſiquidem gracilis mamma dextra fiat, Marem; ſi verò ſiniſtra, fœminam; quo caſu patet, quod cametſi Mas, qui fortior abſq; dubio eſt, ægrotet, & abortiatur, tamen fœmella etiamſi imbecillior, incolumis ſervatur. Et quod magis urget, illud eſt, hoc non ſolum ſequi ubi ex cauſa externa alter ægrotaret, ut ſi mulier alteram ventris partem in durum aliquod obſtaculum impegiſſet, vel in eadem parte percuſſa fuiſſet, aut alia quapiam ex cauſa procathartica laboraſſet, quæ alterum tantùm Gemellorum læſiſſet, ſed etiam ubi ægrotaſſet ex cauſa interna, quæ utrique conceptui videtur eſſe de neceſſitate communis. Imò quotidiè obſervamus, Gemellorum alterum benè habitum eſſe, & naturæ fortis, alterum verò habitus deterioris, & naturæ imbecillis.

Ex quo patet non de neceſſitate unius ex Gemellis ægritudinem alteri communicari; imò, quod 7 magis ad rem noſtram facit, novimus Gemellos, quorum Primogenitus gracilis, & imbecillis natus eſt, ita ut vitam ſemper valetudinariam degerit, ſecundogenitus autem pinguis, ac fortis, unde vitam ſemper incolumem traduxerit. Mares ipſos

ex Gemellis primò in lucem prodeuntes debiles, & malè affectos concipere aliquando licet, fœminas autem poſteriores ortas virium robore inſignes.

Sed cùm hæc rariſſima eventu ſint, & difficillimæ obſervationis, poterant abſque negligentiæ nota ſilentio involvi; omninò tamen intacta ea relinquere nolui, ut ſi poſſibile unquam eſſet talem caſum ſuccedere, & obſervari, quid tunc determinandum eſſet noſceretur.

8 Quod reliquum eſt, Naturæ operibus adhærere nos oportet; quæ ſempar eodem modo procedunt, etiamſi accidentalis aliqua cauſa aliquando irrepat, quæ ordinem illum interturbet, hæc enim in nullo cenſu habenda, ut & à Philoſophis, & ab ipſis quoque Jureconſultis admoneri nos unuſquiſque novit.

SUMMARIUM.

1 *Eo ipſo quod alter ex Gemellis prior naſcitur, Primogenituram acquirit.*
2 *Prior qui naſcitur, prior etiam concipitur.*
3 *In dubio fortior, & formoſior prior natus præſumitur ex Jureconſultis.*
4 *Benè procedit ex majori fortitudine arguere quis ex Gemellis ſit prior natus.*
5 *Ex majori formoſitate arguere quis ex Gemellis ſit prior natus, inane eſt.*
6 *Formoſitas nihil communicare poteſt fœtui, quod ortum acceleret.*
7 *Pulchritudo eſt propria mulierum.*
8 *Pulchritudo muliebris non poteſt cum fortitudine conjungi.*
9 *Vera pulchritudo multùm differt à pulchritudine muliebri.*
10 *Vera Pulchritudo quid ſit.*
11 *Vera Pulchritudo actionibus judicatur.*
12 *Pulchritudo muliebris non eſt vera Pulchritudo.*
13 *Vera pulchritudo cum fortitudine jungitur.*
14 *Ex vera pulchritudine præſumi poteſt, alterum ex Gemellis priorem natum, ex falſa autem contrarium.*
15 *Optima corporis formatio cum ipſa fortitudine pari paſſu incedit.*
16 *Fortè homo dici non poteſt, niſi membra ad utilitatem actionum ſint efformata.*
17 *Præſumptio prioris nati à corporis majori fortitudine, & meliori membrorum diſpoſitione eſt deſumenda.*

In dubio quis ex Gemellis prior natus præſumendus.

QUÆSTIO V.

NOn videtur, quòd, conſtito de præventione alterius ex Gemellis in naſcendo, dubium aliquod intervenire poſſit, quod nos detineat à decernendo, quis eorum ſit primogenitus: nam eo ipſo, 1 quod alter primò natus eſt (etiamſi de præventione in conceptione dubitari poſſit; quod non admittendum ex ſuperioribus) Primogenituram acquirit. Quod ego quidem jure ob id maximè factum exiſtimaverim, quia ſecundum Naturæ ordinem, ut jam demonſtratum eſt, ille qui primò naſcitur, primò conceptus eſt. 2

Sed ubi de præventione in naſcendo certi non ſumus, determinandum reſtat, ex quibus præſumi poſſit unum alterum in ortu prævenisſe: quod dubium brevibus Jureconſulti, ut Bald. *in proœmio, ff. §. nos itaque*, ex quo Felin. *in c. capitulum, de reſcriptis, num.* 46. Tiraq. *cit. lib. de Primog. quæſt.* 17. *opin.* 7. 3 & 8. *num.* 1. 3. diluunt, concludendo, ut fortior, & formoſior primò natus videatur, unde & Primogenitus exiſtat.

Ac profectò benè procedit ex majori fortitudine, & robore arguere, alterum ex Gemellis primò fuiſſe natum, & ad hoc probandum optimè faciunt quæcunque ſuperiùs allata ſunt *qua.* 3. *à n.* 6. *ad plures ſeqq.* ita ut hæc tantùm conjectura ſufficientiſſima per ſe videatur ad omne dubium diluendum: & ratio eſt, quam *loco citato* aſſignavi, ex multiplici cauſa deſumpta, ut ibi videre eſt. 4

Sed quod per conjecturas deſumi debeat ex majori conceptûs formoſitate, mihi quidem falſum, & inane videtur, cùm formoſitas, de qua loquitur Tiraquellus, nihil communicare poſſit fœtui, ob 6 quod ita ortum acceleret, ut alterum Gemellum ob id in naſcendo præveniat. Nam pulchritudo, de qua ille loquitur *ibidem num.* 4. eſt ſecundum ipſum, 7 proprium quid mulierum, quemadmodum fortitudo, addam ego, eſt proprium quid vivorum. Unde hæc pulchritudo imbecilliori ſubjecto convenit, non fortiori: non poterit ergò hujuſmodi pulchritudo cum fortitudine conjungi: Quamobrem ſi in dubio præſumendus eſt prior natus qui 8 fortior eſt, non poterit præſumi prior natus qui pulchrior eſt, cùm imbecillior ſit; nam & facilè fieri poteſt, ut prior natus ſit fortior, & poſterior natus ſit pulchrior; nam prior natus erit membris carnoſis, & robuſtis, poſterior natus membris delicatioribus, & potiùs imbecillibus: quemadmodum ergo ob majorem fortitudinem alter Gemellorum præſumendus eſt prior natus, ita ob majorem pulchritudinem alter præſumendus erit poſterior natus.

Verùm adnotandum, multum differre veram 9 pulchritudinem ab ea, quam eſſe propriam mulierum voluit Tiraquellus: veram enim pulchritu- 10 dinem tam ex Medicorum, quàm Philoſophorum decretis eam eſſe conſtat, quæ in apta membrorum conſtitutione ſita eſt. Gal. *lib.* 4. *de Decret. Hippoc. & Platon. capit.* 3. quam non albedine, vel mollitie, ſed actionibus judicare oportet: unde 11 brachia, & crura muſculoſa, nervoſi artus, & alia conſimilia ad Animalis optimas actiones edendas in viro, pulchritudine vera ſunt prædita & conſpicua: crura verò, aut brachia lenitate, mollitie, rotunditate, & albedine inſignia, faciei venuſtas, & conſimilia, quæ in muliere pulchra videntur, à vera pulchritudine deficiant, & idcircò hæc nec 12 nativa, nec vera, ſed fucata pulchritudo eſt; ut idem Gal. *ibidem* addit: nam hæc viſum quidem aſpicientium delectat, ad actionum autem bonitatem non conducit: contrà autem pulchritudo vera ad bonitatem actionum conducit, aſpicientium autem oculis minùs grata eſt.

Quemadmodùm igitur vera hæc pulchritudo 13 cum fortitudine corporis conjungitur, ita ut idem ſit corpus pulchrum, & forte, ita pſeudo illa mulierum pulchritudo mollitiem, & imbecillitatem corporis arguit: & quemadmodùm ex vera illa 14 pulchritudine arguere licet, alterum ex Gemellis fortiorem eſſe, & idcircò primò natum, ſic ex pulchritudine illa non vera, imbecillitatem arguere licet, & ob id alterum ex Gemellis ſecundo loco natum eſſe.

Atque id quidem ſumma cum ratione pronun- 15 tiatum videtur, quia optima corporis conſtitutio cum ipſa fortitudinis virtute, & nativo robore pari paſſu procedit; nam quotieſcunque nobis corpus robuſtum præſententur, idem pariter pulchritudine vera inſigniti oportet, cùm membris ita conſtructis & efformatis ſit oporteat, ut omnia ad fortitudinem,

&

& bonitatem actionum directa videantur : neque
16 enim abſque hoc, quod ad actionum bonitatem membra ſint fabricata,fortis,ac pulcher homo dici poteſt. At in muliere membra quidem ad fortitudinem fabricata non ſunt, pulchram tamen eam dicimus aſpectûs venuſtate, eorumdem membrorum molitie, & lenitate, ac coloris gratitudine delectati, etiamſi hujuſmodi pulchritudo ad utilitatem, & bonitatem actionum ipſius mulieris nihil conducat, utinam ad virorum exitium non vigeret.

Cùm igitur conſtet ex his, duplicem dari pulchritudinem, veram nempè, ac falſam;aut ſi malumus ſic dicere, unam Virorum propriam, alteram Mulierum;& illam à corporis fortitudine dependere,hanc à corporis imbecillitate, & mollitie, interveniente dubio, quiſnam ex Gemellis ſit pri-
17 mò natus,jure optimo deſumetur præſumptio prioris nati à corporis fortitudine majori, & aptiori membrorum diſpoſitione,quæ ipſa virilis pulchritudo eſt;non à majori formoſitate,& pulchritudine muliebri,quæ magis delicatioribus,& imbecillioribus convenit.

Ex quibus patet hallucinatos fuiſſe Jureconſultos volentes ex hac muliebri pulchritudine obſervata in Gemello,parem conjecturam deſumi debere, quod prior natus ſit,cùm ea quæ deſumitur ex majori fortitudine;cùm nullo modo ſimul cum fortitudine hæc pulchritudo ſtare poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Gemelli exſecti à Matris utero, an pro natis habendi.*
2 *Naſci contingit ex fœtus,& Matris virtute.*
3 *Non poteſt dici peperiſſe mulier, cui fœtus ab utero extractus eſt.*
4 *Natus dicitur ille,quem Mater peperit.*
5 *Inter ea, quæ non exiſtunt, non poteſt fieri æquiparatio.*
6 *Fœtus exſecti à Matris utero, non minus quàm qui naturaliter naſcuntur,pro natis habendi.*
7 *Poteſt aliqua præſumptio haberi de exſectis Gemellis, quis prior naſci debuiſſet.*
8 *Ex majori fortitudine alterius ex Gemellis præſumi poteſt, illum primò naſci debuiſſe.*
9 *Prior in conceptione ſemper eſt prior in nativitate.*
10 *Non eſt idem caſus de Gemellis exſectis,& Gemellis natis,de quibus dubitatur, quis eorum prior natus ſit.*
11 *In caſu dubio ambo Gemelli nati dicuntur, in Gemellis exſectis,nullus natus dicitur.*
12 *In decernendo de Primogenito, nativitas attendenda.*

Quis ex Gemellis ab utero Matris exſectis præſumendus prior natus.

QUÆSTIO VI. & ultima.

1 DE his Gemellis dubitari primò contingit, an pro natis ſint habendi,necne; cùm certum ſit, eos non naſci : naſci enim contingit ex ipſa fœtus, & Matris virtute ; Matris quidem expellentis id,
2 quod ſibi oneri eſt, tanquam quid inutile ; fœtûs verò quærentis exitum ab utero, ut liberiori vita fruatur : at hi neque Matris, neque propria virtute urgente, ſed per vim, & aliena manu à materno
3 utero exciſi in lucem prodeunt:Idcircò *in l. Annículus,la prima,in f. ff. de verb.& rer. ſignif.* expreſsè habetur,non peperiſſe eam, cui fœtus ab utero extractus eſt:unde neque fœtus tunc pro nato habendus eſt, quia natus ille tantùm dici poteſt, quem Mater peperit.

Non exiſtentibus igitur his Gemellis ejus conditionis,ut pro natis haberi debeant,neuter Primogenitus erit judicandus, quia ſi unum Primogenitum declaremus, alteri injuria fiet, cùm in pejori conditione hic non ſit,quàm qui Primogenitus fuerit judicatus : unde declarando unum ex ipſis Primogenitum, illum tanquam natum recipimus, altero rejecto tanquam non nato, cùm tamen magis, & minùs hic locum non habeant;neque enim magis, aut minùs convenire poteſt uni *Nati* nomen,quàm
5 alteri, ſed æqualiter ambo aut pro natis, aut pro non natis acceptandi : neque enim inter ea, quæ ſuo modo non exiſtunt,ulla æquiparatio fieri poteſt: unde cùm uterque à ventre exciſus ſit, non natus, non poſſunt circa nativitatem inter ſe comparari, ita ut unus magis quàm alter poſſit uſurpare ſibi *Nati* nomen.

Sed hæc difficultas facilè diluitur per ea,quæ co-
6 pioſiſſimè adducit Alphonſ.à Corranza *de Part.nat. & leg. cap.6.ſect.1.n.12.* concludentiſſimè probans fœtus ex Matris utero exſectos non minùs, quàm qui naturaliter naſcuntur,pro natis habendos.

Ergo ad principale dubium diſcutiendũ à Tiraq. *in ſapè cit.quæſt.18. n.4.* propoſitum accedere licet. Hic igitur ad rem nonnullas DD. opiniones pro ejus reſolutione referens, quamcunque conjecturam,aut præſumptionem pro alterutro ex Gemellis hujuſmodi facientem omiſit, cùm de ea re nè verbum quidem faciat.

At mihi quidem non undequaque inane videtur in hoc caſu quoque conjecturis, & præſumptionibus uti, ex quibus habeamus non qui prior natus ſit, cùm hic nulla præſumptio locum habeat; ſed qui primò naſci debuiſſet ; ſi naturaliter nati
7 fuiſſent : nam eædem conjecturæ ex quibus dictum eſt præſumi poſſe unum in naſcendo alterum prævenìſſe, quando dubium in hoc intervenit, inſervire non ab re poſſunt in hoc caſu ad determinandum, quiſnam ex illis prior naſci debuiſſet, quæ deſumi poſſunt, ut *ſuperiori quæſtione* dictum
8 eſt, ex majori vivacitate, fortitudine, & meliori corporis ſtructura unius in comparatione ad alium, ex hac enim una conjectura certo certius elicere quiſquis poſſet(ut concludentiſſimè, quantum ego autumo, probatum eſt)unum altero debuiſſe priorem naſci,& ſic primogenitum dici, & jura Primogenituræ conſequi.

Ac profectò in hac hæſitatione magni faciendum exiſtimaverim judicium prævention is unius ad alterum in conceptione, atque inde deveniri poſſe ad determinandum quiſnam primò naſci de-
9 buiſſet, cùm idem, qui prior eſt in conceptione, prior ſit in nativitate.

Cùm ergo ex conjectura majoris vivacitatis, & fortitudinis in aliis caſibus multũ operetur in ea re, quandò prævention naſcendo eſt dubia,non video quanam potiori ex cauſa rejici in hoc caſu debeat tanquam nullius momenti, cùm maximè ex accidenti factum ſit,ut ambo Gemelli ita in lucem prodierint,ut diſtingui nõ potuerit prior natus à poſteriori, quod non videretur debere illi præjudicare, qui ob majorem fortitudinem ex naturæ præſcripto prior naſci debuerat, ſi naturaliter nati fuiſſent. Quamobrem non videretur in hoc caſu magis,

quàm in aliis, ubi dubia est præventio nativitatis rejicienda prædicta conjectura desumpta à majori nati fortitudine.

Verum enim verò dici poterat, non esse eundem
10 casum hunc cum illo, in quo dubitatur de præventione in nascendo; hic enim supponitur utrumque Gemellum eodem momento ab utero Matris fuisse exsectum; vel si non eodem momento, saltem ad nihil faceret, quòd per aliquod temporis spatium posterior ab utero esset extractus: quia hoc non ex Naturæ ordine factum esset, sed ex Chi-
11 rurgi fortè voluntate extrahentis primò unum, quàm alterum: unde illo casu dubio ambo Gemelli nati sunt, in hoc neuter natus est, & sic non erit uterque idem casus: Et ad irritandum quod dictum est de conjectura ex majori fortitudine, responderet fortè Tiraq. *loco citato quæst.* 1. *num.* 9. in determinando de Primogenito, inspiciendam esse semper Nativitatem, quæ non habet locum in hoc casu, unde neutrum præveniisse alterum firmari potest: Sed si etiam exsecti à Matris utero tanquam nati habendi, eadem in his procedere deberent, quæ in verè natis locum habent, & idem dubium, quod intervenit in dubio præventionis in nascendo in verè natis, discuti posset eodem modo in Gemellis exsectis.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

INDEX COPIOSISSIMUS RERUM

OMNIUM NOTABILIUM, QUÆ IN DUOBUS TOMIS Prioribus Quæstionum Medico-Legalium Continentur.

Prior numerus sedem materiæ, posterior paginam demonstrat.

A

AVEL *Ab* in principio nominis quid importet, num. 16. pag. 53. & seq.

Abaris, ut Hyperborei fabulantur, sagittam per universam terram circumtulit nihil unquam comedens, n. 9. p. 299

Abbas in cons. 47. n. 2. & seqq. Vol. 1. declaratur, n. 28. p. 727

Abortire ante septimum respectu fœtus magis contra naturam est, n. 100. p. 30

Abortivi non rumpunt testamentum, n. 2. p. 53. Habentur pro mortuis, n. 3. ibid.

Abortus proprissimè quando dicatur, n. 105. p. 30. Dici potest aliquo modo ante nonum natus, n. 104. ibid. Quid sit, n. 10. p. 81. & n. 18. ibid. Est fœtus immaturè editus, n. 14. p. 32. dicitur omnis fœtus immaturus, n. 15. ib. Ejus nomen convenit propriè nato ante septimum, n. 16. ibid. lato modo sumptus qui, n. 12. p. 53. stricto modo sumptus qui, n. 15. ibid. Ejus nomen quid importet, n. 16. ibid.

Abortum procurans non semper eâdem pœnâ punitur, n. 5. p. 51. faciens quibus privilegiis tanquam puerpera gaudere debeat, n. 18. p. 54. provocans, quæ menstrua provocant, n. 51. p. 58. venire appellatione partus in societatis contractu, n. 18. p. 81. Quid propriè nominemus, ibid.

Abortus ex sui natura majorem molestiam affert quàm partus, n. 17. p. 83. citra violentiam non fit, n. 18. ib. dicitur etiam fœtus in utero mortuus, etiam si foras non abjiciatur n. 83. p. 86. non est causa habilior ad mortem quàm febris, n. 99. p. 87. Ex eo plures salvantur, quàm ex acuta febre, ibid. acutus morbus non est, n. 102. ibid. per se lethalis non est, n. 105. ibid.

Abortus plures contingunt tecentiore existente fœtu, n. 35. p. 42. plures contingunt cùm inanimatus adhuc est fœtus, n. 18. p. 52. provectiores majus afferunt periculum, n. 107. pag. 87

Abortionis pocula non necessariò cum venenis conficiuntur, n. 16. p. 166

Abortus junioris signa perquirere inanis labor est, n. 1 p. 258.

In Abortu arte procurato vix possibile est nihil succedere præter naturam, n. 3. ibid.

Abortus qui pertransit quartum mensem signa, n. 7 p. 259.

Abortum provocare per Aristotelem quando liceat, n. 13. p. 462. provocare illum ut mater salvetur an liceat, n. 14. ibid. quando provocare liceat ex Mozio, n. 15. ibid. quando & quomodo liceat, ibid.

Abortus causa aliquando est conceptus monstrositas, n. 3. pag. 544. Ex eo mulieres vario modo afficiuntur, num. 3. p. 600

Abscissio penis an faciat irregularem, n. 10. p. 548

Abstemii ut plurimum infœcundi, n. 5. p. 215

Abstinentia est Deo accepta quatenus est opus virtutis, n. 5. p. 357.

Accidentia omnia veneno attributa, tam ab interno quàm ab externo provenire possunt, n. 11. p. 171. declaratur, n. 4. p. 172. Alia magis interno quam externo veneno familiaria sunt, n. 14. p. 180. Si servent periodum ex veneno propinato non proveniunt, n. 4 p. 179. & n. 11. pag. 180. Inconjungibilia in veneno, n. 15. ibid.

Accidentia vulneri supervenientia quomodo faciant præsumptionem vulneris lethalis n. 4 p. 383. & n. 14 p. 384. Si non remiserint consolidato vulnere, præsumitur illud fuisse lethale, n. 7. p. 381. i succedant illicò ab accepto vulnere, præsumitur illud fuisse lethale. n. 10. p. 385.

Ex Accidenti, quod est, potest esse & non esse, n. 19. p. 40.

Ab Accidenti esse non potest quod ut plurimum eodem modo fit, n. 16. p. 103.

Acephali popali, hoc est sine capite nascentes, n. 35. p. 530.

Acetum colicis & hystericis dolotibus inimicum, n. 7. p. 446

Aceti & aquæ tormentum, n. 26. & 27. p. 481.

Acetabulum Atticum quæ mensura sit, n. 19 p. 424.

Achores quid, n. 10. p. 277.

Acilius Aviola in rogo revixit, n. 3. p. 325.

Aconitum inter omnia venena in occidendo ocissimum, num 8. p. 165. gustu dulce & adstringens est, ibid. contra Scorpionis ictus, n. 5. p. 181.

Acron peste Agrigentum liberavit, n. 8 p. 274.

Acrypnocoma n. 15. p. 142

Actio nulla naturalis, dum naturaliter fit, occidit, num. 6. pag. 65. Omnis in sui celebratione spiritibus eget, n. 38. pag. 107.

Actio quæ dicitur novi operis nunciati, num. 1. pag. 438. quando competat, n. 3. ibid

Actiones circa quas judicia exercentur sunt particularium, n. 14. p. 516. hominis in communitate viventis sunt ad alterum, n 15. ibid.

Actus ab infante facti non tenent, n. 21. p. 5. & n. 5. p. 6.

Actus quidam civiles, quidam corporei, n. 3. p. 115 corporei qui, ibid. facti ab eo, qui recenter ab Apoplexia excitatur, suspecti esse debent, n. 10. p. 143. prudentes facti à fatuis ex morbo longo, seu vehementi infatuatis, validi sunt, num. 5. p. 155. facti in uno magis, quàm in alio tempore morbi, in quo fuerit delirium, validi & invalidi esse possunt, num. 5. p. 156. facti à demente habente dilucida, intervalla, quomodò cognoscantur, an tempore dementiæ vel intermissionis sint facti, n. 30. p. 158.

Actum non fuisse spontaneum probatur, probato metu, n 42. p. 125.

Acuti morbi etiam in principio, vel ab ipsis idiotis cognoscuntur, n. 48. p. 250.

Adam an fuerit Hermaphroditus, n. 28. p. 556. Ita solus fuit creatus, ut ex eo desumi deberet Eva, & cur, n. 33. p. 557.

Adam Medicinæ scientiam calluit, n. 2. p. 507. Ante peccatum fuit omni scientiâ naturali & sapientiâ divinâ instructus, ib. A Deo fuit Medicinam edoctus, n. 3. ibid.

Adam etiamsi fuisset Androgynus non potuisset ex se generare, n. 33. p. 557.

Adamas venena irrita facit, n. 23. p. 168. Ejus scobs venenum creditur à multis esse, cum non sit, n. 2 p. 167. Ejus nocumenta ac cura remissivè, n. 22. p. 168. Non impedit magnetem quin attrahat ferrum, n. 23. ibid.

Adipsos, hoc est sine siti multos fuisse toto vitæ curriculo, n. 23. p. 480.

Adolescentia extendit se ad 25. annum, n. 2. p. 6. à 14. ad 25. annum numeratur, num. 12. pag. 10. Una eademque ætas cum pubertate, n. 1. p. 14. Quæ ætas sit, n. 4. ibid. propriè quæ sit, n. 11. p. 10.

Adolescentes cur non teneantur jejunare, n. 6. p. 352. à qua jejunii conditione sunt exempti, n. 7. ibid. Non dispensantur à qualitate ciborum, n. 9. p. 353. Qui dicantur, & ad quid in jejuniis obligare possint, n. 16. p. 353.

Adonizam servi Salomonis cadaver post duo millia annorum repertum incorruptum, n. 13. p. 319.

Adulatores simulant interdum morbum, quo Dominus afficitur, n. 3. p. 243

Advenæ tempore pestis non admittendi in civitatem nisi cum cautela, n 16. p. 275.

Ædificia quæ sibi invicem incommoda afferant, quod ad cœli aspectum, n. 7. p. 435. in eorum constructione quæ consideranda, n. 2. p. 438. Quò magis attolluntur, eo magis sibi invicem incommodant, n. 4. p. 439. Altius tollere unicuique usque ad cœlum licet, n. 5. ibid. Magis sibi invicem incommodant quo magis angustæ viæ sunt, n. 7. ibid. Et quo magis viæ sunt tortuosæ, n. 8 ibid. Quibus in rebus sibi invicem incommodant, n. 10. ibid. Quomodo sibi invicem incommodent respectu ventorum, n. 15. pag. 440

INDEX

Ædilitium edictum cur emanaverit n.1.p. 191. Ejus causa, n.3. ibid.

Aër, ejus intemperies est justa causa non inamorandi in allquo loco, n.3.p.419. Ejus insalubritas pro legitima causa in plerisque acceptatur, n.4.ibid.
Ejus multa necessitas,n.6.ib. Nihil est, quod pluriot causa sit morborum, aut sanitatis,n.7.ib.Ejus bonitas ex quibus habeatur, n.8. ib. Qui multum in umbra est, crassior est & frigidior,n.9.p.440. Ex perflatione ventorum quomodo fiat insalubris, n.10.ib.Civitatum crassior est,n.11. ib.Salubris ex aspectu cœli quomodo dicatur,n.12. id. Ex Solis illustratione quomodo purus evadit, n. 13.ib. Quinam bonus censendus,n.15.ib. Quando morbosus evadat, n. 16.ib. Positione putrescere, n.17.p.421. Eum accedere, cum putrefactus est, nullus tenetur,n. 18. ib. Amplia ut n.19.ib.Secundè manifestas qualitates quomodo insalubris fiat, n.20.ib Ejus intemperies excusat Episcopum à residentia, n.24.ib. Distemperatus à natura nullo modo emendatur n. 26.ib. Est ad vitam simpliciter necessarius, n.4. p.423. Patrius an semper alteri præferendus, n.11.p.437.

Aër interdum venenosus fit, n.9.p.53. Est ad vivendum necessarius, n.7.p.265. Putrefactus est primaria pestis causa, n.10.p.273.& n.5.ibid.

Aër pestilens, & corruptus est venenum, n.32.p.76

Aër facilè inficitur ab exhalationibus fœtidis aliunde elevatis n.2. p.750

Aër tempore pestilenti rectificatur ignibus per loca & Urbes accensis, n.8.p.751

Aëris exsiccatio in tempore pestis est salubertima, & omni cura adhibenda est, n. 7.ibid.

Æger præsumitur, qui olim aliqua agritudine laboravit, n.2.p.158. Declarata ut n.4.ibid.

Ægritudo an excuset à recitatione divinorum Medicus consulendus,n.4.p. 562

Ægritudines in principio omnes leviores, n.3.p.449.

Ægrotare est de directo contra Naturam, n.17.p.40

Ægrotantes nonnulli Anno 1528. famem quatuordecim diebus tolerantes ex Brassavola, n.4.p.298

Ægylops,num.13.p. 210

Ægypanes n.29.p.538

Ægyptii præ ceteris magis inter se similes, n.24.p.106

Ægyptii Sacerdotes modica cicutæ sorbitione se impunè castrabant, n.10.p.200

Ægypto pestis familiaris, n.41.p 269

Ægyptii in condiendis cadaveribus an quid peccaverint, n.11.p.319

Ægyptii non movebant ante tertiam morbi diem,n.17.c.414. Singulis tribus mensibus sese purgabant, n.6.p.500.

Ælius Tubero in rogo revixit, n.2.p.325.

Æneæ paralysis à Paulo curata erat gravissima, n. 30 p.310.

Æquitas respicienda & fraudis occasio tollenda, n.37.p.94

Ære inflicta vulnera benigniora, n. 0.p.383.

Æsculapius à Jove fulmine ictus ob avaritiam, n.2.p.465. & 19.p.502. à fulmine interemptus quod Hippolytum in vitam revocasset, ib. Inter sydera relatus, n. 38.p.523

Ætas quodnam tempus dicatur,n.30.&31.p.422

Æthiopum mos in conservanda puellarum virginitate,n.34. p.534.

Æthiopica mulier hermaphrodita, n.3 p.240.

Ætas cõstãs tẽperata ex Fernelio,n.8.p.2. An detur,n.16.p.3

Ætas à die nativitatis computatur, n.5.p.4.Est vitæ spatium, n.12. ibid. Pubertati proxima quæ, n.12.p.8. Pubertati proxima in duas partes divisa,ibid.

Ætas infantiæ proxima quæ,n.11.p.8. Pueritia dicitur impubertas, n.p.8.

Ætas quæ & quam præsumptionem faciat celeriori mortis in iis, qui eodem casu simul perierunt, n.13.p.398.

Ætas pro temperamentorum ratione mutatur, n.6.p.1. Quid sit secundum Jureconsultos, n.2. ib. Quid sit secundum Medicos, n.5 & 7.ib. Accipitur pro tempore, n. 4.p.1. Pupillaris quæ,n.12.p.6.Perfecta dicta est Iuventus,n.9.p.14. Diversimodè dividitur, n.1. p. 2. Puerilis improvida dicta, n.17.p.6. Discretionis, n. 13. p. 10. Pubertatis primam mentem habere incipit, ibid. Grata, n.20.p.10. Nubilis, n.21.ibid.Post 14. annum pubescit, n.40. p.11. Robusta dicta Iuventus, n.8.p.14. Perfecta secundum urbis statutum quæ, n.21.ibid.perfecta ex Macrobio quæ, n.13. ibid. Legitima,n.15.ib. Legitima quando completa sit, n.16. ib. Perfecta non dicitur ante 30. annum, n.18.ib. Plena, n.19.p.15.Consistentia cur sic dicta, n.8 p.16. Constans, n.17.ib.Media, n.18 p.17.Declinans cum remanentia virtutis quæ, n.27.p.19. Ingravescens. ib. Declinans cum manifesta virtutis deperditione, n.29.ib. supra annum 60. pro deplorata habetur, n.46. ibid.

Ætate florentes qui,n.18.p.10

Ætatis florentis nomine quas Ætates comprehendat Hippocrates,n.19.ibid.

Ætatis flos qui n.14.p.10. Post ætatem 25. annorum completur virilis vigor,n.6.p.14.

Ætatem nullam præter pubertatem & senectutem quicquam accelerare, aut retardare potest,n.17 p.18

Ætatis cujuslibet cursu ad interitum tendimus, n.13. p. 22.

Ætates per septennia numeratæ, n.p.2. Fernelius in quinque partes divisit, n.8. ibid.Septem ex Medicis, n.9. ib. Septè constituisse Hippocratem,ib.Novem,n.10.ib Pro nativi caloris augmento, statu,vel decremento mutationem accipiunt, n.11.p 2. Earum partitio in sex partes sufficiens, ib.Quatuor tantum sunt, 13 & 14.p.3.& n.4.&.5.p. 2. Non possùt nisi quadrupliciter partiri, n.16.p.3.Septè enumeratio, n.17.ib.cum iis non cõputatur tempus gestationis, n.10.p.4.Diversimodè dividuntur, num.1.p.2. Earum tot partitiones, quot scriptores, ib. Sex, n.2.p.1. Duæ,n.6.ib. Duodecim, n.7. ib. Iuventutem præcedentes vel semen non effundunt, vel effundunt infœcundum, n.40.p.7. Earum differentiam quid præcipuè faciat,n 76.p.13

Ætas est inter causas impedientes coitum & generationem, n.1.p.223. Quomodo faciat conjecturam suppositionis partus, n 8.p.256.

Ætas adolescendi in tria septennia divisa, n.10.p. 353. Ejus ratione si dispensetur jejunium, quid attendendum, n. 18. p.354. Tenera magis mutationes sustent quàm provecta, n. 5.p.437.

Ob ætatem cur honorentur homines, n.26 p.498

Ætas quæ Veneri aptior, n.6.p.591

Ætatum differentia in conferendis sactis Ordinibus, & qua ex causa potissimum observetur, n.5. &.6.p.626. & seq.

Aëtius erroris notatus & defensus, n. 33.p.329

Aëtii dictum de Colis resolutione declaratur,n.13.p.229.

Affectus qui similem prægnantiæ de se significationem præbene, n.29.p 61

Affectus præternaturales, si magni sint, & non sanentur, labuntur in deterius, n.24.p.296

Affectio Hypochondriaca non est idem cum Melancholia Hypochondiaca, n. 11.p.157

Afflictio carnis in jejuniis unde, n.30.p.376

Agens extrinsecum non potest generare corpus simile genitori ipsius seminis,n.26.p.689

Agentia etiam nobilia cedunt in causalitate nobiliori Agenti supervenienti, n.149.p.707

B. Agnetis Politianæ corpus post centum annos ab obitu sanguinem fundens, n.33.p.p.322. Eadem virgo demortua D. Catharinæ Senensi exosculanti pedem ori propius admovit, n.36. ibid.

Agnus capite fuillo, num.25.p.339. Hermaphroditus,n.15. p.560

Agonizantes qui,n.6.p.154. Omnes ratiocinandi facultate amittunt, n.8.ib. Eorum actus an validi sint, ib. Non differunt à positis in articulo mortis, n.17. ib. Non possunt quicquam legitimè agere, n.19.p.155. In omnibus & per omnia deficiunt,n.24.ibid.

Alacis dementia,n.1.p.114.& seq.

Aladinus Hierosolymæ tyrannus fontes & flumina, ex quibus Christiani bibebant, veneno infecit, n.26.p. 187

Albaras nigra Arabum quid,n.5.p 655

Albugo, n. 26.p.212

Alciatus notatur, n. 8.p.210

Alemaria à peste immunis, n.42.p.269

Aldib, id est lupi rabies pejor quam canis, n.5.p.148

Alexander *in l. Auribus ff. de vu g. & pup* notatur, n 4.p.66.

Alexandri Magni cadaver septem diebus incorruptum permansit, n.20.p.180. cum veneno non periisse multi voluerunt, n.12.p.319.

Alexander Magnus habuit oculos ultra quam credi possit vividos, n.49.p.405

Alexandri sententia de Mularũ sterilitate rejecta. n.11.p.235

Alexandri M. cadaver suaviter redolens post obitum, n.38. p 322

Alexandri M. piscibus valde delectatus, n.20 p.350

Alexander M. Glauconem Medicum cruci affixit, quod Ephæstionem infirmum destituisset, ut spectaculis interesset, unde Ephestio mortuus, n.2 p 456

Alexandri Benedicti opinio de semine fœmineo, num.20. p.582.& n.29.p.584

Alexandri Tartagni Iurecosulti cadaver post annos 150. incorruptum repertum, n. 13 p.319

Alexis responsum, n.11.p.16

Alienatio Mentis quæ & quando impediat assumptionem Eucharistiæ, n.3.p.758
In mentis alienatione aliquando adsunt dilucida intervalla, aliquando non, n.4.p.759.

Rerum notabilium.

Alienatis mente quando possit exhiberi Eucharistia, ex S. Thoma remissivè, n.5. ibid.
Alimentum vincitur & superatur ab eo, quod nutritur, n.26. pag.755
Alimenti defectus imponit fœtui necessitatem nascendi, n.14. pag.780.
Alimento duplici eget puer in utero, n.18.p.780
Alimenti defectus in fœtu vel naturaliter evenit, vel non naturaliter, n.18. p.35. Quando eveniat naturaliter, aut non naturaliter, ibid. In septimo non naturaliter evenit, n.17 ibid. Ubertas non potest impedire fœtûs formationem, n.13.p.89. Copia longiorem moram fœtum in utero trahere facit, n.41.p.27
Alimenta qui præstat, tenetur etiam medicamenta emere, & Medico salaria solvere, n.10.p.508
Allii suppositio in ano febrem accendit, n 2.p 246. & quomodo fraus detegatur, n.3. p 247
Alopecia quid, n. 9. p.277. Dicitur lepra in capillis, ibid. teneriori ætate familiat s, n.1.p 278
Alopecia & particularis capitis lepra quid, n. 1. & 2.p.649. Et quod utraque faciant hominem irregularem, num. 2. ibidem.
Alteratione ad contraria corrumpitur, quicquid corrumpitur, n.60. 430
Alterei semen eporum febrem commovet, n.2 p.246
Altius tollere, vel non tollere, quoda m præjudicium vicino afferre possit, n.18.& 19.p 44.
Amans vivendo moritur, n.41.p.136. In brutum degenerat, n.42 ibid. Furioso æquiparatur, n.49.p.137. In delictis, excusatur & mitius punitur, n.50.ib. A rebus gerendis eliminatur, n.53.ibid. Prodigo similis, n.54.ibid.
Amans mulier si sui copiam amanti fecerit, non fit infamis, n. 52. ibid.
Amantes inter melancholicos connumerantur, n 1 p.134. Illis perit prudentia. n.24.p.135. Finem sui desiderii non cognoscunt, n.28.ib. Hallucinantur circa id quòd amant, n.35. p.136 Illis maximè optabile est inspicere, n.36. ib.
Auditus sensum amittunt & Gustum, n.37.ib. & seq. Dormientibus similes, num.39.ibid. Vitam p rdunt, & in alio corpore vivunt, num. 40. ibid. Catenis coërcendi, n. 43. ibidem.
Amantis anima est amica, n.30.p.135
Amat nemo invitus, n.31.ibid.
Amati Lusitani opinio rejecta, n.17.p.141. De quo etiam vide, n.17.p.372. & n.26.p.71
Amaurosis, n.26.p.212. & n.14.p.567.
Ambidextera mulier cur non fiat, n.7. p.219
Ambliopia, n.27. 212
Amentes & furiosi interdum prudentissimè loquuntur, n.18. p.116. Ex factis convincuntur, n.19.ibid. Non semper circa omnia errant, n.20.ibid.
Amentia propriè secundum aliquos dicitur stoliditas, n. 13. p.113. Vide in verbo *Dementia*.
Amentiæ tempore non est reddendum debitum conjugale, n.3.p.600
Amor conciliat genituram, n.11.p.134
Amor: ex ejus impatientia quidam insaniunt, n.31. p.135. Subvertit Iudicium, n.32.p 117. & n.3.p.134. Est solicitudo melancholica, n.2.ib. Quid sit ex Huchero, n.4.ib. Est desiderium pulchritudinis, n 5.ib.& n.29.& 27.p.135. Est cupiditas formæ, n.6.p.134. Cujus partis passio sit, n.7. ib. Est cerebri affectus secundum Medicos, n.8.ib. In eo læditur ratio, num.8.ib. Est passio cordis, n.9.ib. Excitatur à spe, n.10.ib. Est motus concupiscibilis, n. 11.ib. Originatur ab Hepate, n 11.ibid. Est desiderium, ib. Afficit cerebrum, n 14. ib. In eo cõpatitur cor, n.15.ib An rectè inter insanias reponatur, n.16. Intellectum acuit, n 17. ib. Omnis honestus, & Amans justus n.18.ib. Lætitiam affert, n. 19.ib. Sensus omnes acuit, n.20.p.135. Duplex est, rationalis & irrationalis, n.21.ib Non est Deus, sed affectus pernicioßissimus, ib. quæ mala afferat, n. 23.ib. Est cupiditas absque ratione, n.24.ib. Ejus objectum triplex, n. 25 ib. Sola mente, auditu, oculis delectare potest, n.27. ibid. Voluntatem sibi subjicit, num. 29. ibid. Est affectus voluntarius, ibid. Etiamsi sit honestus rationem turbat, num.2 .ibid. Externos sensus corrumpit, num.35. p. 126. Oculis captus, num 34.ibidem. Quæ non pulchra sunt, existimat pulchra, num.31. ibidem Maximè excitatur per sensum visus, num. 36. ib. Piæ cæteris insanis à ratione elongatur, n.43.ib. Præsumitur ex mulieris pulchritudine, n.44. ib.& ex frequentatione earum & ex aliis, ib. Inducit maciem in universo corpore præterquam in oculis, n.46.ib. Ex actionibus conficitur, n.47.ib. Ex absolutè amentia, n.31.p.135.& n.48.p.137. Est passio vehementissima, n.49.ib. Ejus signa n.45 p.136. Eum concilians venenum, hominem dementem facit, n.2 p.165
Amor aliquando est causa impotentiæ coëundi, num. 58. pag 233. Tempore effervescit, num. 60. ibid. & num. 9. pag.235.
Conceptionem, si sit immoderatus, impedit, ibidem.
Amphæsibena duplici capite, n.7.p.543
Amphiarai, & Erettriæ aquæ ejusdem ponderis sunt, cùm tamen illa sit mala, hæc autem bona, n.19.p.424.
Amyantus lapis, n.24 p.168
Anaudia quid, V. *Mutus*.
Anatomici penè omnes hallucinati sunt in reperiendo vero Hymene in Virginibus ex Veslingio, n.39.335
Acenæ pestis familiaris, n. 41.p.269
Acyloglosson, n.19.p.208
Andro yna ancilla, n.24.p.554.
Androgyni qui, n.6.p.550. Numen infame, n.10.p.551. Quidam supra Nasamones vicibus inter se coëuntes, n. 24. p.554
Androgynus Platonis, n.27.p.556
Andromites Lydorum Rex primus fœminas castravit, n.48. pag.203.
Angeli per se miracula non faciunt, n.19.p.282
Angeli mali quomodo sint monstrorum causæ, n.9.p.532
Anguillæ mortuæ reviviscunt, n 4.p.326
Anhelatores, n.6.p.573
Anœa quid, n.35.p 129
Ani scissuræ, n.5.p. 341
Anima Rationalis ex communi, post quadraginta dies infunditur, n.1. p.686
Anima Rationalis in primo conceptionis momento præsens est, n.5. ibid.
Anima quid est ex Aristotele, n.9.p.687
Anima quid ex Fernelio, n.12.ibid.
Anima in semine omnia ex se molitur, absque ulla dependentia ab alio agente, n.13.ibid.
Anima rationalis quid, n.15.p.688
Animæ inter se plurimum differunt, n. 16. ibid.
Anima quæcunque divinitatis quoquomodò particeps, n.17.ib.
Anima est indivisibilis, n.18.ibid.
Anima Genitoris in cæteris viventibus communicatur semini, ut communicatur flamma à candela accensa candelæ extinctæ, n.23.p 689
Anima flammæ rectè æquiparata, n.24.ibid.
Operationes jam perfectæ, & adultæ plantæ, sunt à propria Anima plantæ, n.27.ibid.
Animæ præsentia cognoscitur ex propriis operationibus, n.15.p.690. & n.114.p.702
Anima Rationalis non ex traduce: & contrarium affirmare hæreticum est. n.26. p.692
Anima Rationalis si esset ex traduce, non posset esse immortalis, n.37. ibid. & n.67.p.695
Anima Rationalis est immortalis, n. 39.p.692.& n.72.p.696
Animæ Rationalis immortalitati quæ repugnent, num. 40. p.692
Anima Rationalis non potest per materiam se ullo modo propagare, n.42.ibid.
Animam animæ misceri, Hippocrati, n.43.ibid.
Anima Rationalis est ens per se subsistens, n.44.ib. & n.65. p.695
Anima Rationalis est ens perfectum & completũ, n.46.p.692
Animæ operationes apparent in semine, n.52.p.693
Anima rationalis si sit ex traduce, est forma partialis & incompleta, n.56.p.p.694
Anima Rationalis, si esset ex tradnce, irrito existente semine, illa Anima corrumperetur, n.57.ibid.
Anima immortalis non patitur dividi ad materiæ divisionem ut mortalis, n.63.ibid.
Anima ex semine traducta non est ab eo separabilis, neque absque semine existit, n.66. p.695
Animæ cæterorum viventium cum semine à genitoribus traducuntur, & sunt formæ partiales, n.69.ibid.
Anima est tota in toto, & tota in qualibet parte, n.71.ibid.
Anima Rationalis si esset ex traduce, sequeretur Christum Dominum non fuisse verum hominem, n.73.p.696
Anima Rationalis de novo creatur, n.77.p.697
Anima Rationalis ex nihilo fit, & à Deo immediatè creatur, n.79. ibid. & n.48.p. 693
Animæ Rationales non sunt omnes simul creatæ. n.81. ibid
Anima Rationalis ex semine traduci, aut per semen propagari, aut ullo alio modo generari non patitur, sed à solo Deo creatur & infunditur, n. 98.p. 698
Anima genitoris in cæteris viventibus communicatur semini, ut vis fermentatrix communicatur Massæ panis à fermento, n.22.p.689
Anima sensitiva nõ producitur per Creationẽ n. 109.p.700
Anima sensitiva non est ens per se subsistens, & est inseparabilis à materia, n. 111.ibid.
Anima Rationalis est omnium Animarum perfectissima, n. 115.p.703
Anima Rationalis cùm sit propriùs corporis actus & forma, necessariò simul cum corpore producta est, n. 117 pag.704.

INDEX

Anima Rationalis statim ac corpus est dispositum infunditur, ex D. Thoma, & quomodo hoc intelligendum, n. 128 ibid.
Anima Rationalis corpus humanum format & organizat, n. 129. ibid.
Anima operatur per facultates suas, n. 130 ibid.
Anima ne per momentum quidem otiatur, n 133. ibid.
Anima inspirata à Deo in faciem Adæ fuit Rationalis, non vegetativa & sensitiva solum, n. 134. ibid.
Animam & corpus cætera viventia soboli communicant cum semine, Homo verò cum semine solum corpus, n. 138. p. 705
Anima Rationalis nihil ad Genitores pertinet, cùm de fœtis adveniat, n. 139. ibid.
Anima Christi Domini omnium Animarum Rationalium nobilissima ac perfectissima fuit, n. 153. p. 707
Anima Rationalis tertia die à conceptione infunditur ex aliquorum opinione, n. 44. p. 37. Est forma, n. 45. ibid.
Anima fruitur, animoque indulget ira, n. 19. p. 124
Anima in morbidis nimis rectè potest suas functiones exercere, n. 39. p 293. In Extasi supernaturali constitura non fixatur in præexistentibus phantasmatibus, num. 14. p. 296. Eam à corpore separari per Extasin supernaturalem non est verum, n. 16. ib. Ex ejus separatione à corpore mors contingit, n. 17. ibid. Perficitur secundum intelligentiam in supernaturali Extasi, ib. Quorumcunque animalium præter hominis, corrumpitur in morte & in nihilum abit, n 12. p. 327
Animæ interfectorum occisoribus irascuntur secundum Platonem, n. 14. p. 388
Anima sola non facit hominem, n. 7. p. 541. Ejus sedes in capite, n. 10 ibid.
Anima est pretiosor corpore, n. 25. p. 521
Animal ex semine non fit, sed perficitur, n. 8. p. 687
Animal neque simul, neque successivè potest docari pluribus animabus, n. 103. p. 699. & n. 110. p. 700
Animal quando dicatur generare sibi simile, n. 13. p. 776
Animalia timidiora ex frigiditate de aquosiore sanguine fiunt, n. 26. p. 400
Animal tunc perfectum est, cum debitum incrementum adeptum fuerit, n. 10. p. 14. Quando sit in puberate, n. 33. p. 11. Omne humidissimum cum exortui vicinum est, n. 62. p. 12. Omne potest ante annos senectatis senescere, n 38. p. 16. In consistenti ætate declinare incipit, n. 7. p. 18. Ejus manifesta declinatio non apparet nisi adveniente senectute, n. 9. ibid. Non potest dici semper in senectute fuisse, etiam si frigido, & sicco sit temperamento n. 13. ib. à nativitate respectu sui ipsius calido & humido est quolibet temperamento, n. 14. ib. In omnibus variatur aliquando numerus fœtuum, n. 46. p. 27. Omnia si ante debitum tempus per aliquot dies nascerentur, adolescere possent, debita adhibita cura ut in homine, n. 84. p. 29. In illis non est ita præfixus nascendi terminus, ut omnes putant, n. 106. p. 30 In certo tempore coiens, parere debet in certo tempore, n. 49. p. 27. Nullam præcedit in nascendo generationem perfectam, n. 15. p. 35. Debitum nascendi tempus omnia interdum ut homo præveniunt, aut retardant ex accidenti, n. 2. p. 43. debet dum in utero est necessariò ad quoddam tempus pervenire in quo sufficiens alimentum à matre non habeat, n. 13. p. 40. Semen continens gravidum est. n. 30 p. 81 Omne ex extrinseca causa moritur, n. 7. p. 75
Animal venenosum generati potest in corpore humano, n. 7. p. 171
Animalis cuiusque ætatem in tres partes divisit Aristoteles, n. 11. p 2. Duas propriè partitiones habet, n. 12. p. 3
Animalia omnia à fulmine icta semper intereunt præter hominem, n. 1. p. 145. Venenosis cibis nutrita, an venenosa sint, n. 35. p. 170. Venenatis sagittis confossa an tutò comedi possint, n. 36. ib. Venenosis cibis nutrita comesta non nocent, n. 39. ib. Ut non noceant comesta, si venenosis cibis nutriantur, quæ conditiones requirantur, n. 41. ib. Venenosa integra quæ, n. 14. p. 188. Muta fieri possunt, n. 118. p. 205. Muta quando dicantur, n. 19. ibid.
Animal nullum corruptibile vivere longo tempore potest absque alimento n. 2 p. 298. Quodcunque per calorem vivit, qui pabulo indiget, ibid.
Animalia absque cibo longo tempore viventia, n. 11 p. 299. Quomodo vivere possint absque cibo, n. 44 p. 304
Animal nullum nasci potest, nisi sibi determinato tempore, n. 11. p. 537. Unicum censendum si unicum cor habeat, ex Aristotele, n. 5. p. 543. Nullum duplici corde, nonnulla duplici capite, num. 7 ibid. Quatuor capitibus insignitum ib. Biceps geminum cor non habet contra VVentrichium, n. 8. ibid.
Animalia diversæ speciei inter se non generant secundum aliquos, n. 1. p. 534. Quando commixta generent ex Aristotele, n. 3. p. 535. Quæcunque inter se generare possunt, n 3. p. 536. Quid ea maxime impediat inter se generare, n. 21 p. 538 Irrationalia sese inter effascinant, n 3 p. 617
Animus corpore perfectior, n. 57 p. 12. In decrepitate vigorem suum amittit, n. 20. p. 22. Immaterialis est, num. 22. p. 101. Ejus mores à corporis temperamento sunt, n. 28. pag. 106
Animi passiones hominem dementem quomodò ostendant, num. 23. p. 116. Ex illis cum intensæ sunt, nonnulli insani fiunt, n 30 p. 125. Ab illis læditur Ratio, n. 1. p. 123. his detenti non recordantur eorum quæ tunc egerint, n. 2. ibid. aliquando afferunt morbos, n. 20. p. 194
Animi deliquium differt à syncope, n. 4. p. 154
Animi vitia non faciunt redhibitionem locum, n. 1. p. 193. à corporis temperamento fiunt, n. 2. ib. In quibus constituant n. 6. ib. Quæ in functionibus animalibus reperiantur, n. 9. ib. Quænam in pejore conditione sint, n. 11. ibid.
Animus humanus cur tot vitiis obnoxius, n. 3. ibid.
Animi passiones vehementes impediunt coitum, n. 16. p. 221. & 58. p 233 Commovendæ in his, qui [insaniam simulant, n. 18. p. 253. Moderandæ in peste, n. 18 p. 274
Animi mores corporis sequuntur temperaturam, num. 5. pag. 347
Animi defectibus obnoxii, ne à divinorum recitatione lædantur, quomodo recitare debeant, n 13. p 379
Animi deliquium & lipothymia an & quatenus faciant hominem irregularem, n. 4 p. 642
Animi passionibus ægrotanti noxiis an & quomodo occurri possit, n. 7. p. 665
Anna Aromatarii filius Hermaphroditus, n. 8 p. 559
Annibal fuit luscus, n. 4 p. 209
Annus 55. in viro, & 40. in fœmina est corporis & animi vigor, n. 23. p. 22. Apud Græcos & Romanos antiquos decem mensibus constabat, n. 12 p. 47
Annorum duodecim terminus pro incipiente pubertate in fœminis nimis præcox est, n 29 p. 11. & n. 37. ibid.
Annum infra 25. agens non assumitur ad dignitates etiam inferiores, n 4 p. 122
Arteneasmus, Vide *Enthusiasmus*
Antiochus Medicus octogenarius piscibus victitavit.
Antiadas habens an sit morbosus, n. 15. p. 317. Quid sint, ib.
Antichristus ex incubo progignendus, n. 4 p. 445. suos afflictas signabit, n. 12. p. 516
Antidoti præsumptio ante veneni assumptionem tantum potest ut hominem reddat veneno resistentem, num. 29. pag. 181
Antigonus fuit luscus, n. 4. p. 209
Antigoni uxor apud Hippocratem octavo gestationis mense adhuc erat dubia de graviditate, n. 45. p 57
Antimonium an turè exhibeatur, n. 14. p. 182
Antipathiam habent inter se venena aliqua, n. 2. p. 181
Ant. Augustus notatus, n 27. p. 201
Apes oleo enecta aceto reviviscunt, n. 4 pag. 316. Acriter invehuntur in eos qui recenter mœchati sunt, num. 19. p. 339 & cur, n. 20. ibid. Veneris sunt expertes, ibid. denotant virginitatem incorruptam, ibid. Earum custos purus ac castus sit oportet, ibid. coëunt, & sexu distinguuntur, ibid.
Aphonia quid, n. 18 p. 205
Apes acriter invehuntur in eos, qui de recenti coïerunt quod fœmiliare etiam est aliis insectis, n. 20. p. 339
Africa cur monstorum ferax, n. 23. p. 538
Apium epilepsiam detegit, n. 5. p. 260.
Apoplexia prohibet hominem promoveri, n. 18. p. 631. affectus, n. 7. p. 397
Apoplexia : recenter ab illa exciratus, an agere possit, ut homo sanæ mentis, n. 1. p. 143. duplex: fortis & levis. n. 6. ib. levi detenti facilè, si sanentur ad mentem redeunt, n. 8. ibid. in forti homines ut plurimum moriuntur, n. 9. ibid. facit conjecturam fatuitatis, n. 11. ibid.
Apoplexia si nullum relinquat incommodum, Apoplecticus non sit irregularis, n. 20. p. 631. Hæc æquè ut epilepsia ad animi morbos referri potest, n. 21. ibid.
Apoplexia simulata quomodo detegatur, n 3 p. 263
Apoplexiæ varia genera, n. 28. p. 328
Apoplectici ut mortui interdum jacent, n. 1. p. 143. In illis omnia locum habent, quæ procedunt in furente vel mortuo, n. 3. ib. infatuantur & extra mentem rapiuntur, n. 5. ib. neque promoveri possunt, neque promoti ministrare, n. 13 ib. unde dicantur, n. 3. p. 145. & qui sint, n. 36. p. 309
Apoplecticus & Epilepticus quomodo differant quoad irregularitatem, n. 18 & 19. p. 631
Apopsychia quid, n. 4 p. 642
Apostoli cur in cibis pisces elegerint, ex Cardano, num. 11. p. 347
Appetentia rerum extranearum fallacissimum prægnantiæ signum, n. 34. p. 57. non est signum prægnantiæ perpetuum, sed durat ad tertium vel quartum mensem, n. 35. ibid. quibus gravidis sit familiaris ibid.
Appetitus sensibilis à sola natura regitur, n. 31. p. 65. quiescit ubi Animal suo fine potitum est, ib. Intelligibilis à Natura non regitur n. 33 ib. Intelligibilis non quiescit etiam

Rerum notabilium

aëre quiescentibus, n 33. ib. Intelligibilis dicitur voluntas, n 34 ib. Intelligibilis quando rectè moveatur, ibid.
Appio Grammaticus Homeri manes ad vitam dicitur revocasse, n 2.p 325
Apprehensio, n.10.p.146
Apri in Pamphilia nati venenosi sunt, quòd venenosis cibis nutriantur, n.39.p.170. ex se interdum castrantur, dum in teneriori ætate sunt, n.9. p.200
Aqua, ejus consideratio magni momenti, n.1.p.423. multum ad sanitatem confert, n.2.ib. unde dicatur, n. 3. ibid. promptius inficit aërem, quàm è contra, n.2.ib. Ejus usu omnis morbus curari potest ex Cardano, n.6 ib. Ejus consideratio quantum ad Iureconsultos pertineat, n. 7 ib. Ex ejus mutatione plures afficiuntur, quàm ex mutatione aëris, n.8.ib. Ex ejus vitio pestis excitatur, n.10. ib. boræ conditiones ex Hippocrate, n.11. p.424. Ejus impermixtio maximè laudanda, n.12.ib. Optima debet esse magis similis aëri,, quàm aquæ elementari, ib. quinque sensuum judicio examinata, n.14.ib. nullius coloris, nullius odoris, nullius saporis, n.15.ib. ex colore, sapore & odore quomodo eam laudaverit Hippocrates, n.16.ibid. ipsius levitas qualis esse debeat n.18.ib. pondere inter se distant, n. 20. ib. una eademque se ipsa levior juxta temporum diversitatem, n.22.p.425. Ejus bonitas in quonam præcipuè consistat, n.22.ib. Ejus bonitatis signum ex cita excalefactione & refrigeratione, n.25.ib.& 30.p.426. Experimenta an bona sint, n.32.ib & seq ad quam partem fluere debeat, ut salubris sit, n. 44. p.437. Ejus bonitas quomodo cognoscatur ex terræ conditione ex qua fluit, n.46 ib. Stagnans & palustris pessima, n.50.p 429. Optima citò putrescit, n.58.p.430. Ejus vitium coctione emendatur, n 68. ib. Coctione semper attenuatur, n.69. ib. coctione perficitur, n.70. & 71.ib. pura non datur, ibid. publica melior quam privata & cur, n.4.p.431.
Aqua sub mersi moriuntur, quia respirare non possunt, n. 4. p. 397
Aquæ ex nive & glacie ab Athenæo pro bonis habitæ, n. 48. p.328
Aquæ potus cur prohibitus, in jejunio Eucharistico, n. 9. p.753. Vide *Jejunium*.
Aquæ vitæ assumptio impedit Eucharistiæ assumptionem, n.19.p.757.
Aqua vitæ stimulos carnis augere potest, n.21.ibid.
Aqua vitæ, etiamsi non nutriat membra solida, nutrit tamen & auget spiritus, n. 22. ibid.
Præstat ab Aquæ vitæ assumptione abstinere ob jejunii reverentiam, n.23.ibid.
Aqua nutrit, n.3.p.263. contrarium, n.5.ibid.
Aqua & aër interdum venenosa evadunt, n.9.p.162
Aqua quæ eligenda in peste, n 12.p.274.
Aqua vitæ, seu ardens, tempore pestis noxia, ibid.
Aqua submersi quomodò & cur moriantur, n. 30.p.328
Aquarum quarumcunque dulcium lotio confert ad lepram, n.65.p.313
Aquæ tormentum, n.26.p.487
Aquarum, in quibus linum & alia id genus macerantur, propinquitas noxia, n.7.p.272
Aquæ nullo penè momento ponderis inter se differunt, n.19. p.424. Puræ nullam residentiam faciunt, n.33.p.426. quædam duplex pondus ferunt hyeme, quàm æstate, num.40. p.427. quædam summæ levitatis, n. 43.ib. Earum genera quæ pro potu inserviunt, n.49.p.428. levissimæ non putrescunt ex Cardano, n.57.p.429 pravæ quomodo emendentur, n.62.p.430. & seqq. omne earum vitium coctione emendatur, n.65.ib. eas decoquere est pervetustum, ib. tria tantùm earum genera decoquenda ex Ioubetto, n. 67. ib. quomodo emendandæ pestis tempore, n.72. & 73. p.410. & seq Earum pravitas non dat causam non residendi, n.77. p.431. fluentes minus promptè inficiuntur quàm residæ, num. 24.p.433 Earum copia an ad civitatis salubritatem conveniat, n.16. ibid.
Aquarum eruptio in partu debet præcedere eruptionem sanguinis, num. 16.p.44. earum ante partum eruptio mala, n.12.p.83
Aquei sive Albuginei humoris vitia quænam inducant irregularitatem, n.20.p.637. an cæcitas sanata per generationem humoris equei ex cujus privatione fuerat generata, irregularitatem tollat, n.21.ibid.
Aquæ ductus quodnam afferant incommodum, n.9.p. 441
Aquilæ cum lupis commixtæ generantes, n.8.p.536
Arabes cadavera condientes ea ea non exenterant n.12.p.319
Aranei cujusdam venenum, qui calcatus per soleas venenum transmittit, n p.15. p. 186
Aratus à Taurione veneno ad tempus exhibito occiditur, n. 3.p.183
Arborum quarundam ligna in India solo fumo astantes occidunt, n. 11.p.185
Arborum nonnullarum propinquitas noxia, maximè tempore pestis, n.7.p.273.
Arbores penè omnes hyeme non nutriuntur, n.10.p.299.
Archietri cur vocati Med. n.17.p.501. & n.30. p.512. inter servos antiquitùs connumerati, n.24 p.501.
Arctatio quænam in muliere curationem admittat, num. 28. p.234. si absque gravi periculo curabilis est, matrimonium ex ejus causa non dissolvitur, n.29.ib.
Arctatio in fœmina remedium non admittens, sufficiens est ad dirimendum matrimonium, 11.p.605.
Ardonius erroris notatus, n.4 p.148
Arethusa in matrem versa, n.4 p 549.
Arethusæ lacus, in quem Tigris influit, pondera quæcumque sustinet, n.43. p.427.
Argentum vivum venenum esse credunt multi, n.31.p.169. Innoxium alii, n.32.ib. Datur in dolore colico, ib Noxium est & venenosum, n.33. ibid. Ejus maximè noxius. ib. Ex eo pilulæ parantur ad morbum Gallicum, ibid. Datur ad enecandos vermes, ibid Auri impositum, quæ mala excitet, ib. Frigidum est, n. 7 p.178. Ejus usus duplex, n.9. p.181. Ejus usus externus an sit tutus, ibid.
Argivi cujusdam dementia ex Horatio, n.20.p.116
Argyrodamas effectus producit adamanti attributos, n.24. p.168
Arietinum cicer an benignum, n.14 p.348
Aristo apud Hipp. ex vulnere digiti pedis mortuus, n.10. pag.374
Aristo asinæ se commiscuit, ex qua commixione virgo formosissima nata, n.23.p.538
Aristoteles erroris notatus, n.10.p.159. Iræ defensor à Seneca vocatus, n. 13 p.124. Infamia notatus, n.16.p.186
Aristotelis conclusio de incertitudine nascendi in homine confutatur, n.13 p.25. Ab eo non discedendum absque firmis rationibus, n.56.p.28
Aristoteles notatus & defensus, n.34.p.263
Arma si sint venenata faciunt præsumptionem vulneris lethalis, n.11.p.383. Ea venenati non est novum, n. 4. p. 386. Eorum qualitas quomodo faciat præsumptionem vulneris lethalis, n.9.p.383
Arnaldus Villanovanus, & alii credulitatis notati, n.52. p.233
Aromatarius peccat sine sufficienti peritia artem exercens n. 1.p.471. Errat absque sufficientibus divitiis artem exercens, n.2. ib. Quomodo peccet circa electionem Medicamentorum, n.3.ib. Quomodo peccet circa expeditionem Receptarum, num.4.p.472. Quomodo peccet circa compositionem Medicamentorum, n.5. & 6. ib.& n.7.ib. Circa usum Medicamentorum quomodo erret, n.8. ibid. Circa visitationem recipiendam quomodo erret, n.9 ib.
Arquatus morbus, n.28.p.571
Arrigentes & semen non emittentes, non possunt contrahere matrimonium, n.13.p.601
Arsenicum non venit appellatione mali veneni secundum Malvasiam, n.1.p.165. Venenum est validissimum, n.2.ib. Arabes in Asthmate illud præscribunt, ibid.
Ars nobilis unde dicatur, n.19. p.499. Ei adscribere errata, quæ ab imbecillitate Professorum oriuntur; iniquum est, n.2.p.500. Multa potest, quæ Natura non potest, n. 13. p.508. Natura quandoque præstantior, ibid.
Artes difficiliores vulgi judiciis vituperantur, n.1.p.499
Artes immundæ tempore pestilenti prohiberi possunt, n.1. p.750
Amplia etiam extra tempus pestilentiæ, n.3.ibid.
Ars conficiendi fericum non est inter immundas adnumeranda, n.8 p.751
Ars immundæ sanitati nocent, n.18.p.442.
Artifices nomine plurimi re autem per pauci, n.2.p.500
Artifices Mechanici qui excusentur à jejunio, n.15.p.356
Artifex quidam Eugubinus 24. Annis infœcundus? morbo correptus fœcundus factus, n.9.p.227
Artabanus vulnere in brachio accepto periit, n.14.p.374
Arthritici dolores an excusent à divinorum recitatione privata, n.32.p.571. & an excusent à recitatione publica, n.10.p.574
Arthritis est nomen generale comprehendens omnem articulorum dolorem, n.1 p.654
Articulus mortis In eo positus, etiam deficientibus sensibus dummodo ejus verba intelligantur, testari potest, num. 8 p.154. In eo esse latè accipitur, n.10. ibid. In eo esse strictius quomodo accipiatur, n. 11.ibid. In eo esse quis dici non potest, nisi antea probetur infirmitatem judicio Medicorum fuisse mortalem, n.13.ibid. In eo positus dicitur quis cum imminentem mortem timet, n. 14 ib. In eo esse quomodo strictissimè accipiatur, n.15. & 16. ibid. In eo, positus quomodo differat à posito in periculo mortis, n 17.ib. In eo positus necesse est, ut brevi moriatur, ib. In eo positus dicitur quis antequam agonizans, n.18.p.155. Non potest quicquam legitimè agere in eo constitutus, num.19.

INDEX

n.19.ibid.In eo esse habet quandam lactitudinem, n.24. ibid. Quando dicatur ibid.
Articulus mortis. In eo positi cur permittantur contrahere matrimonium, n. 24.ibid.
Arthritici dolores in aliquibus aliquando ex tortura sanati, n.10.p.488
Articulorum omnes dolores maximè molesti sunt, licèt unus acutior & molestior altero, n. 2.p.654
Articulorum vulnera malignitatem adjunctam habent, n.12. p.592
Articulares morbi an à jejunio excusent, n.28.p.360
Asphaltites lacus in Iudæa quæcunque pondera sustinet, n.43.p.427
Asphia quid, n.4.p.206. Unde fiat, n.5. ibid. Propriè quid sit, n.9.p.207.
Asinus temperamento frigidus, n.34.p.16
Asina & Vacca varia tempora pariendi habent. n.106.p.30
Asini Hermaphroditi historia, n.6.p 550. & n.15.p.550
Asiti, hoc est, sine fame, ad aliquod tempus nonnulli, per totam vitam nulli, n.23.p.486
Asperæ Arteriæ vulnera non uniuntur, & usum loquendi aliquando impediunt, 15.p. 379
Aspidum venenum in occidendo ocissimum, n.13.p.166
Assidentes infirmis veniunt sub nomine Medici, n.1.p.476. Eorum errores in quibus consistant, n.2.ibid. Quomodo peccent, n.4.5.ibid. Peccant si sint negligentes in convocandis Parochis, n.6.p.478
Asthma an excuset à recitatione divinorum, n.20.p.56
Asthmatis diversæ species, & quænam earum irregularitatem inducat. n.6.p.642
Asthmatici an excusentur à publica recitatione, num.6. p.573. Quomodo recitare officia possint absque salutis noxa, 11.p.879
Astomorum gens sine cibo vivens, n.11.p.299
Astrologia Ars divinatoria dicitur, n.11.p.289. Digna est ut à scientiarum Amatoribus non ignoretur, n.12.ibid. Contra ipsam nonnulla objecta, ibid. Si quid prædicere aliquo modo potest, id conjectur aliter tantum facit, n.13. p.390
Asema quid, n.6.p.207. Quid propriè sit n.9.ibid.
Asemos Loquens morbosus est, n.6.ibid.
Athæneti opinio rejecta, n. 48. p. 428
Athenienses Sumiorum frontes stygmatizarunt, eo quod ab eorum fide defecissent, n.6.p.510
Athlantes populi non somniant ex Herodoto, n.38.p.293
Atreta an sana sit, n.23. p.218
Atretæ, id est imperforatæ cur dictæ, n.20.p.65. Aliquando concipiunt, ibid.
Atretæ mulieres quæ, n.24.pag.238. Concipere aliquando possunt, sed in partu pereunt, n.26.p.239. Cætera Vide in verbo *Imperforatæ*.
Attentio triplex, n.11.p.563. Et quæ requiratur in recitandis divinis, ib. Qualis requiratur in audienda Missa, n.17. p.564
Attila Hunnorum Rex ex cane & muliere natus, n.5.p.541
Atrophia, in ea corpus non nutriri quomodò intelligendum, n.36. & 37. p.303. Non multum abest à Paralysi, n.41.p.310. Pars eo morbo laborans vita carere dicitur, n.42. ibid.
Attonitus morbus, n.10.p. 145
Atypus quis, n. 16.p. 207.
Audacia ignorantiam concomitatur, n. 27.p.61
Audax responsum ab homine composito insaniam arguit, n.16. p.115.
Auditus est porta mentis, n.35.p.131
Auditus gravis an excludat à divinorum recitatione, n. 15. p.567. Eo an quis possit venenari, n.13. & 14.p.163. Quomodo fieri possit, n.16.ibid.
Audire alium recitantem non tenetur, qui à recitando divino officio excusatur, n. 1. p. 575
In Audiendo suus est labor, n.3.ibid.
Avenzoar Medicus cum non generaret, ex febre ardente reconvalescens, fœcundus fuit, n.9.p.227
Averroes perspicax. n.42.p.27. Ejus ratio de seminum differentiis confutatur, n.42.p.37
Averrois fabula reprobata, n.17.p.242
Augmentum morbi quid, n.9. p. 142
Augustus piscibus magis delectatus, n.20.p. 350
Augustus habuit oculos ultra quàm credi possit lucidissimos, n.47.p.405
Avicennæ falsi opinio, n.11.p.609
Avis Paradisi, seu Manucodiata absque cibo vivit, n.11.p.299
Avis *Sanctæ Mariæ* mortua ad longum tempus incorrupta servatur, n.7.p. 318
Autis an sit membrum, n. 21.p.412. Est auditûs instrumentum, n.23.ibid. non est membrum, n.24. & 27.ibid. Ad decorem tantum facta, ibid. Eam abscindens tenetur pœna incidentis membrum, n.28. & 29.ibid.
Auris dolori quæ succedant, num.30. pag.249
Auricula in totum abscissa an faciat hominem irregularem n.14.p.639 & an sit membrum nec ne, n.15.ibid.
Auriculæ ad meliorem soni editionem conferunt, n.25.p. 412 Earum abscissio non inducit irregularitatem, n. 25.ibid
Aurium dolores quando excusent à recitatione divinorum. n.7.p.565. & an excusent ab auditione. n.6.ibid.
Aurium morbi qui excusent à debiti conjugalis redditione, n.28.p.594
Auricularis digitus, n.15.p.417
Auricularii Medici, n.2.p.444
Ausonii Galli Epigramma de Hermaphrodito, n.22.p. 553
Auster multum & longo tempore spirans pestem minatur, n.2.p.272
Autumnus æstate minus calidus, n.10.p.591
Autumno Venus noxia magis, an æstate sit, n.10. ibid.
Azo notatur, n.26.p.152

B

Baibus vitiosus est, non morbosus, n.6.p.192. & num.12. p.193. & n.7.p.204. In quibus erret, n.15.p.207
Baibuties quid, n.12.ibid.
Baldus Iureconsultus rabie periit, n.3.p.148
Baldus Novellus vir magnæ auctoritatis, ibid.
Baldi opinio reprobata, n.17.p.414
Balenæ cadaver putrescens pestis causa, n.8. p. 265
Balnea tempore pestis noxia, n.30.p.275
Balneationis servitus, n.16.p.433
Balsamum valet contra adamantem, n.22.p.168
Bannitus non potest veneno occidi, n.9.p.160
Baptizans fœminam putans se baptizare matrem, & masculinum nomen ei imponens, non confert Sacramentum baptismi, n.9.p.551
Barba ad decorem facta, n.10. p.423. Ejus carentia morum denotat pravitatem, n.11. Ejus carentia vitiis ignominiosa, ib. Mulieribus ejus productio dedecori est, n.13. ibid. Eam expilare realis injuria est, n.14. Eam incidens tenetur pœna incidentis membrum, num. 15.p.414. Non est membrum, n.16. ib. Neque pars membri, num. 17.ib. Est index temperamenti organorum deservientium generatrici facultati, n. 18.ibid Nunquam aut raro in homine deficit, & cur, ibid.
Barbatæ mulieres, n.12.p.413
Barbam vellere, proverbium, n.18.p.414
Barbam ab ulnis puerorum vellere proverbium, n.7.p.10
Basilæ pestis Helveticos solos molestans, Italis & Gallis innoxia, n.52.p.271
Basiliseo mustela infesta, n.3.p 517.
Belga quidam igni destinatus sanguine exudans, n.13.p. 246
Bellerophontis insania, n.1.p.114
Beneficia obtinere nob possunt furiosi, etiam tempore intermissi furoris, n.27.p.147
Beneficia resignari possunt ob multos morbos declaratos, n.15.16.17.p. 745.n.18.p.746
Vide *Resignare*.
Bestiæ appetunt solum per sensibilem appetitum, n.31.p.65
Bibere sine mensura quando quis dicatur, num. 10.p.138. & num.11.ibid.
Bicipita monstra diversa voluntate moventur, num. 17. p.542
Bicorpora monstra, an unus, vel duo homines, n.17.ibid.
Bifrontia monstra, qualis Janus, duone homines, an unus sint. n.10.p.443.& seq.
Bixa crura, n.7.p.214
Blæsitas quid, n.13.p.207
Blæsus in quibus erret, n.15.ibid.
Blæsi qui n.3 p.652
Blitum fatuum appellatum, quod herba sit saporis insipidi, lib.2. ...
Bocium Gulæ. n.4. p.650
Bombardarum, ac similium instrumentorum strepitus pestis tempore laudatur, n.43.p.276
Bombyx mortua revivi scit, & formam mutat, n.4.p.326
Bonacina notatur, n.9.p.672
Bonifacii Octavi cadaver incorruptum repertum, n.13.p.319
Bœoti crassi ingenii viri, n.54.p.127
Bœricum ingenium, ib.
Bonitas est propagata ex habitudine & origine naturæ. militia non, n.71.p.126
Bononiæ vulnera capitis maximè lethalia, n.31.p.376
Bonus quilibet præsumitur, n.71.p.127
Bona plura auferrentur, si auferrentur mala, n.19.p.506
Boni patris filius bonus præsumitur, n.25.p.498
Boni non sunt sub lege, n.10.p.504
Bonum animi corporis bono anteferendum, num. 42.p.499. Cujusli bet virtutis convenit homini secundum rationem, num. 7. p. 513. Sed unum altero majus quando est magis excellens, num. 2.p.519. Majus est quod est magis necessarium, numer. 4. ibid. Majus est, quod est magis appetibile,

Rerum notabilium.

appetibile, num.5. ib. Corporis præeminet bono exteriorum rerum, numero 18. p.520. Emanans à Medicina est magis necessarium ad consequendam fœlicitatem, quàm emanans à Iurisperitia. n. 19.ib.Emanans à Medicina est appetibile per se,n.20.p.521. Si quod emanat à Iurisperitia, est particulare, n.23.ib.

Bonum civile non simpliciter est bonum, sed per participationem boni divini, n.5.p.516

Benum commune quomodo illæsum servetur, n.8.ib.

Boristhenis aqua levissima, n.20.p.424

Boves non protinus à castratione generandi potentiam amittunt, n.26.p.230

Brachia insuguiter curta an sint sufficiens causa irregularitatis, n.1.p.632. Attracta & contracta quando faciant locum irregularitati, n.2.ibid.

Branca Siculus, n.4. p.409

Bronchocele quid, n.4.p.650

Brassicæ umbra exteris herbis noxia,n.7.p.273

Brunelli, aliorumque DD. opinio rejecta,n.54.p.582

Bruta inter se magis quàm homines similia,n.23.p.25. Non minus quam homines similia,& dissimilia, n.24.ib. Cur magis similia nobis videantur,ib Vade sit eorum major inter se similitudo, num. 29.p.26.In illis coitus finis est conceptio,n.31.p.65

Bruta quomodo insaniant, cùm ratione destituantur,num.36. p.121.In illis reperitur potentia supplens rationis defectum, n.38. ib.Non alio fine coeunt, nisi ut semen excernant, sicut mingunt, & exernnt, n.28.p.26

Bruta tempore pestis quando occidenda, n.22 p.275

Bruta si aliquo modo resurgerent, eadem numero nunquam essent,n.21.p.328

Buccones, n.7.p.127

Budæus natus, n.14.p.132

Buffo vaporibus ab ipso exspirantibus obvios quosque stupefacit,n.13.p.163

Buttig rius notatus,n.32.p.202

C

CAcaore herba ore retenta ad famem expellendam, n.51. p.304

Cachexia quid, & an faciat hominem irregularem, n.5.p.646

Cadavera ab exsiccatione immuna servare Ars non potest, n.6.p.318.quomodo verè incorrupta servari sit dicendum, n.25 p.320

Cadavera novaculas, quibus reciduntur hebetant ob summam eorum frigiditatem, n.37.p.403.quædam aut subitò ab obitu, aut postridiè recalescunt,n.39.ib.

Cadaverum indicia ex quibus elicere possimus celeriorem unius mortem, quàm alterius, cum simul ex eodem casu fuerunt extincta,n.30.p.401. & seq.eorum maturior putredo quando faciat conjecturam celerioris mortis in uno, quam in alio, n.42.p.404

Cadavera veneno sublata neque à feris,neque ab avibus degustantur,n.33.p.177. & n.8.p.395 Eorum cita putrefactio commonstrat venenum. ex quo mors præsumitur secutura, fuisse ingenitum,n.19.p.180. veneno extrinseco sublata difficilè corrumpuntur, n.20.ib.Verminationem non patiuntur, ibid.

Cadaveris peste extincti inspectione aliquando concipitur pestis, n.19.p.165

Cadavera fulmine icta non putrefiunt,& cur, n.3.p.318.facilè à putrefactione servari ex arte possunt.n.5.ib.ad eorum conservationem quæ faciant, n.8.ib ea condiendi inventum pervetustum, ib ea condiendi ratio quæ apud Ægyptios, n.9.10.p.319.ratio ea condiendi hujus ætatis, n.13.ib.nonnulla incorrupta post multos annos reperta, ib.ea antiqui Romani cremabant, n.14.ib. cur ad longum tempus incorrupta servati non possint, n.15.ib.quo altius in terra defossa sunt, eo magis imputrida servatur,n.17.p.3.29. Lunæ radiis expositæ promptissimè corrumpuntur, ib. pro morbi genere quo sunt extincta facilius corrumpuntur, n.18. ib. Eorum qui in abstinentia vixerunt diutius imputrida servantur,n.19.ib fœminea citius quàm masculea corrumpuntur, n.20 ib.occisa facilius putrescunt, quam naturali morte peremptæ, n.21.ib.contrarium, n.22.ib.occisa instrumentis tormentarii citissimè corrumpuntur, n.23.ib. aromatibus cõdita incorrupta servari nihil habet in se admirationis,n.24 ib.incorrupta ex se permanentia miraculosè servantur,ib.quæ miraculosè incorrupta servantur nullo artis indigent præsidio,n.26.p.321.quæ ex miraculo incorrupta servantur quomodo servari dõtingat,n.29 ib.in illis quæ mira eveniant,n.31 ib.per aliquod tempus ab obitu calida permanere, aut etiam de novo recalescere naturalis res est, n.32.ib. nonnulla sudantia, & sanguinem stillantia ad multum tempus,n.33.p.321. per se stare supra naturam est, ib.

Cadentes ab alto interdum mortui appatent, cùm tamen vivant, n.29.p.328

Caducus morbus, n.15.p.144

Cæliaca passio quid? n.21.p.761

Cagnatus notatur, n.11.p.299

Caiphas prophetans non intellexit quid sonarent sua ipsius verba, n.30.p.293

Calculus vesicæ quam ob causam facere debeat hominem irregularem, n.5.p.646

Calculi ex vesica extractio an tuta sit & licita, n.13.p.670

Calculus renum aut vesicæ facit hominem ad venerem proniorem, n.8.p.226.& n.9.p.227

Calculosi an excusentur à publica recitatione, n.8.p.573

Calecut à peste immunis,n.42.p.269

Calidi non experant naturâ frigidos, nec frigidi calidos, n.31.p.26

Calido temperamento dotatum animal citius perficitur quàm dotatum frigido,n.7.p.25

Callyonimus piscis, cujus felle Tobias à cæcitate curatus est, n.51.p.311

Calor in cadaveribus observatus quam conjecturam faciat tardior mortis in uno, quàm in alio, n.24.p.401

Caloris nativi augmentum in anno 25. apparet.n.16.p.14.ejusdem declaratio, n.19.p.15.ex majori aut minori animalia citius augescunt & formantur,n.54.p.28. Idem vegetat feminalem materiam in homine & in bruto ib. Nativus naturæ vicem gerit,n.16.p.78

Calor aëris magis obstat viro in coëũdo cum desiderio,quam mulieri n.15.p.221.

Calor imbecillis in iis, qui diu tolerant jejunium, quomodo supponatur, n.54.p.305

Calore naturali quicquid destituitur, corrumpitur ab Extraneo, n.12.p.614

Calypsus in ursam versa,n.41.p.148

Camelus temperamento siccus,num.34.p.26. parit duodecimo mense, ib.

Cantelorum fœminæ castrantur, n.48 p.203

Camphoræ assumptione quidam se impotentem, ad Venerem fecit n.10.p.200. & n.48.p.232

Campus Sanctus Romæ, n.17.p.320

Cancri simulari deprehensio, n.5.p.247

Cancri virides bicipites, n.7.p.543

Canens apud Qvidium fame quinta die enecta, n.3.p.298

Canis plures fœtus generat, aliquando etiam singulos, n. 45. p.27 bimestris parit, aliquando trimestris, interdum spatio 70 dierum, n.206.p.30.parit etiam ante 90. dies, ib. sæpe superfœtat, n.28.p.65.cur superfœtet,n.35.ib. paucum semen effudit, ib.

Canum differentiæ, 35.p.26

Canis solus rabie afficitur x Galeno, n.4.p.148.ejus venenum contagiosum est, n.16.p.179.ejus venenum temporaneum ac tardæ operationis, n.5.p.183

Canis levis Indum animal absque cibo vivit, n.11.p.299

Canibus Hyenæ umbra exicialis, n.3 p.617

Canis Hermaphroditus, n.15.p.560

Cannibales populi gigantei, p.34.p.529

Cannibalum venenum rabiem excitans, num.7.p 149.num.27. p.150

Canonizari quis potst absque miraculosis in vita factis, non absque factis post mortem, n.14.p.284

Canonizatio ad duo maximè requiruntur, n 11.ib

Canonistarum opinio circa lepram, n.3.p. 603.

Cantharides ad canis rabiosi morbum & ad Salamandram,n.5. p.181.Earum usus duplex & an sit tutus, n.10.p.182

Cantharides medu detentæ urinam sanguinolentam eliciunt, n.9 p.246

Cæcitas & Surditas omninò faciunt hominem irregularem, n.4.p 625

Capella Tholesana notata, n.11.p.236

Capilli in extinctis ex veneno sponte defluunt, n.30.p.177

Capillorum defluvium duplex & quodnam faciat hominem irregularem. n.1.p.649

Capillorum defluvium signum Gallici morbi,sed levioris, n.6.p.657

Capitis dolorem gravem ac longum quæ consequantur,n. 56. p.249

Capitis dolor multiplicis speciei, & quænam species faciat hominem irregularem, n.2.p.632

Capitis dolores vehementes quinam excusent à jejunio,n. 11. p.358 morbi nervos lædentes excusant à jejunio, n.12.ib.

Capitis vulnera præ cæteris notanda,n,1.p.391.etiam levissima non negligenda, n.2.ib. lethalia post quadragesimam, n.7. ib.etiam minima periculo non vacant,n.8.ib.etiam si eorum accidentia remittant, non tamen faciunt præsumptionem,

INDEX

quod quis ex illis non decesserit, n.10.ib. quibus in locis magis vel minus lethalia,n.31.p.376.magna faciunt hominem sterilem, n.8.p.379.die 49.transacto non amplius periculum afferunt, n.3.p.381.etiam post centesimum & ultra periculosa, n.5.ib. nullum tempus attenditur eorum securitatis, n.7.ib.quousque lethalia sint Iudicis arbitrio relinquitur, n.8.ib.

Captivus quidam quartamdecimam diem sine cibo exsuperans,n.4.p.498

Capra temperamento sicca, parit quarto mense,n.34.p.26

Singulos fœtus parit, interdum plures, n.45.p.27

Capræ generant lac venenosum, si venenosa comedant, n.39. p.170

Capræ jecur comestum, vel suffumigatur Epilepsiam prodit, n.5.p.160

Capræ tormentum, n.29.p.481

*Cap.quoniam de conjug.lepr.*de qua lepra loquatur, n.3.p.604

Capra: ex ea & ariete nascitur capra, non ovis, n.25.p.583

Capræ hircinæ utrumque sexum sortitæ, n.24 p.554

Captillum stercus, vide *Stercus.*

Caput humanum ex ovo gallinaceo natum, n.37.p.531. est præcipua sedes animæ rationalis, n.10 p.541.geminum constituit animal geminum, n 6.p.543.geminum non habet de necessitate geminum cor, n.8.ib. ejus dolor quando excusat à recitatione divinorum, n.5.p.565. Ejus dolores acutissimi an excusent ab auditione Horarum Canonicarum, n.5. p.575.Ejus morbi qui excusent à debiti redditione,num.26. p.593

Carbones fumo astantes occidunt,n.10.p.185

Carbonum fumo extincti quomodo suffocati moriantur, n.6. & 9.p.397

Carcerati, an ob infirmitatem sint extrahendi ex carcere,quomodo Medicus determinare possit, n.10.p 483

Cardanus notatus, n 10.p.147.Ejus credulitas ad derisum deducta,n.52.p.233.Ejusdem sententia de mularum sterilitate, n.12.p.p. 235.habuit,ut inquit,somnia mirabilia & prophetica,n.35.p.293

Cardiaca passio, n.23.p.569

Cardialgia an excuset à divinorum recitatione, ibid.& an excuset à Missæ celebratione, n.9.p.576

Cardiaca passio,seu Cardialgia quid sit,& quam irregularitati causam dare possit,n 5.p.645.quomodo à ventriculi dolore differat, n.6.ib.

Cardiogmos, n.23.p.569

Carnes animalium venenosis sagittis occisorum non semper innoxiè comeduntur, n.38.p.170

Carnes putridæ tempore pestis non vendendæ, 32.p 276

Carnes de fico suspensæ citò tenerescunt, num.17.p.320 tritici acervo immersæ tenerrimæ redduntur,ib.

Carnis afflictio videtur omninò de Essentia jejunii, num. 26. p.344. major habetur ex siti, quàm ex fame,n.8 p.362

Carnium & vini usus corpus facit validum,sed animum imbecillum ex Plut.n.26.p.344.illis abstinebant homines ante Pigmalionis diluvium n.20.p.350. ab iis abstinere ita de Essentia jejunii est, ut cum earum comestione nulla alia jejunii conditio stare possit, n.1.p.61.Earum abstinentia est præcipua obligatio jejunii, n.3.ib.Earum usus non confert ad salubritatem, n.18.p.71

Cato ex sanguine generatur,.n.18.p.71.sanguis est,constantem habens substantiam, & non fluidam,n.20. ibid.

Carolus septimus Galliæ Rex fame mortuus,n.3.p.298

Carolus nonus Galliarum Rex ex phlebotomia nervi punctionem passus, tribus mensibus malè habuit,ib.

Caroli Sabinensis pueri Hermaphroditi historia,n.9.p.559

Carotici nullam memoriam servant,n.16.p.119.ut cæteri insani habendi, n.4.p. 142

Carranza notatus, num.8.p.526.n.34.p.529.n.18.p.532.n.15. p.537.n.1.p.544.n.4.ib.n.12p.552

Carunculæ cristæ dictæ,n.4.p.340

Caruncule in meatu urinario quodnam impedimentum afferant in coitu, & in generatione, n.14.p.740

Casus, in eo læditur ratio & memoria,num.16.p.119.quid sit, n.14.p.140.ab Apoplexia quomodo differat, ib.

Castrare verbum usitatum apud Latinos, n.33.p.202

Castrati qui dicantur,n.32.ib. qui verè dicendi, num.34. ibid. tertium genus hominum,n.45.p.203

Castratione plurima fit vigoris jactura,n.44. ib.

Castrans hominem majori pœna tenetur, quàm abscindens membrum,n.12.p.409

Castrati & Eunuchi quinam pro irregularibus habendi,num.5. p.647.qui post pubertatem Eunuchi fiunt magis habiles ad omnia quàm qui ante pubertatem, & qui Eunuchi nascuntur minus quàm cæteri omnes, n.6. ib. Virilitas medicaminibus amissa an faciat locum irregularitati, n.8.p.648

Castratio turpe & licita sit, n.14 p.670

Casu fiunt, quæ sine cæteri, n.63.p.28

Casus in quo regula pertranseuntem occidit, excipitur in societatum contractibus, n.25.p.76. Conjugis Dromedæ apud Hippocratem, n.1.p.88.Mulieris in litore decumbentis apud eundem, n.7.ib.Olympiadæ uxoris apud eundem, n.23.p.89.Vxoris Philini apud eundem, n.24. ib. dubius an exceptioni faciat locum,num.1.p.92 n.7.ib. n.32.& 35. p.93 & 94.& n.39 & 42.p.94

Casuum exceptionis mortis ex partu, & præguantia divisio, n.1.p.82

Catablepon visu omnia animalia interficit n.3.p.617

Cataleptis,n.10.p.145.in ea omnis animalis spiritus perit,ib.

Cataleptici tanquam mortui habendi,n.12.ib.

Cataphora,n.15.p.142

Cataracta,n.26.p.212 n.8.p.413

Cataractæ extractione si quis visum recuperet, an sit irregularis necne, n.1 .p.635

Cataractarū ex oculis extractio turpe sit & licita,n.12.p.670

Catellæ abortum faciunt,si canes ex quibus conceperunt,occidantur,n.5.p.410

Catarrhus quid & an excuset à divinorum recitatione, n. 23. p.566.illi obnoxii quomodo recitare possint absque salutis incommodo, n.9.p.578

Catarrhus quid, n.16 p. 359. à jejunio excusans qualis esse debeat ib.

Cathartica medicamenta intra puerperii terminum an liceat exhibere, n.18.p.462

Cato octogenarius generavit, n.26.p.225

Cato litterarum hostis,n.2.p.500.Cur Medicis maximè fuerit infensus, n.3.ib.

Catulire quid, n.5.p.223

Causa prima est magis sufficiens quàm secunda, numero 91 p.698

Causa superveniens priori perfectior est, n.150.p.707

Causæ ob quas ordinarii possunt admittere resignationem Beneficii, de quibus Medicus potest considerare, n.1.p.744

Causæ nonnullæ ad matrimonii negotium spectantes ad Medicum pertinent,n 1.p.761

Causæ dissolventes matrimonium, de quibus Medicus considerat, respiciunt omnes impotentiam consummandi matrimonium, n.5.p.762

Causæ impedientes matrimonii consummationem, quænam sine remedio sint, n.1.p.763

Causæ impedientes coitum supervenientes Matrimonio consummatio, habent secum conjunctā sterilitatē n 23.p.765

Causæ graviores requiruntur in divortio, quàm in tori separatione, n.2.ib.

Vide *Divortium.*

Causæ eædem cum graves sint dant locum divortio, quæ cum minus graves sunt,possunt tori separationem causare,n.3.ib.

Causæ, ob quas sponsalia etiam jurata dissolvi possunt, quænam sint, n.4.p.771

Causæ accidentales aliquando interrumpunt Naturæ ordinem, n.1.p.781

Causa proxima debet attendi,n.28 p.76.quæ sit, n.11.p.91. prima & originaria attenditur, n.91.p.87.n.26.p.90.n.21. per se & non per accidens attendenda,n.94 p.87.immediata attendenda, n.5.p.90. immediata quæ, n 6.ib. immediata posita ponitur effectus, eaque cessante, cessat effectus, n.7.ib.

Causa finalis quæ,n.13.& 16.p 91.finalis gratia omnes causæ agunt,n.14.ib,finalis est aliarum causarum causa,n.17.ib. finalis est fons aliarum causarum. n.16.ib. à finali cæteras appellare convenit, n 18.ib finalis est dignior aliis, ib. ob finalem immediatè fit id, quod fit,n.19.ib. finalis non est propter aliam, n.20.ib. propter finalem sunt aliæ omnes, n.21.ib.finalis sola causa est, n.13.ib.

Causa mediata non meretur nomen causæ, n.26.p.91.quæ sit, n.27 remota occasionis nomen meretur, n.30. ib. Impulsivam non sequitur immediatè effectus,n.34.ib.Ab impulsiva effectus non habet immediatam dependentiam, n.35.ib.impulsiva facit solum effectum esse facilius.n.36.ib.Impulsiva coadjutrix à Galeno dicta, n.37. ib.Impulsiva est causa abusivè, n.39. ib.Impulsiva semper est concausa, n.40.ib Impulsiva semper sequitur ad aliam causam, n.41. ib. Impulsiva non habetur in consideratione,n.42.ib.

Causa vera Exceptionis casuum instrumento societatis officii,n.39.p.76

Causa morbi res præter naturam est,n.31.p.96.ab hora partus instat, sed latitat aliquando ad 30.dies,n.39.p.97

Causam extrinsecam habens violentum est, n.39 p.76

Causæ appellatione instrumento societatis officii quid venit,n. 21.p.81.& n.25.ib.

Rerum notabilium.

Cauſæ nomen in contr. ſocietat. debet accipi in propriiſſimo ſenſu, n.32.ib.
Cauſæ non naturaliter diſpoſitæ, non naturaliter operantur, n.23.p.71.ſimiliter effectus ſimiles producunt,n.16.p.105
Cauſa evidente præſente, fruſtra minus evidentem quærimus, p.3.p 179
Cauſa ſontica, n.8.p.195
Cauſæ magnæ in frigiditate quæ,n 38.p.231. calidæ quos dolores faciant,n.32.p.249.procathartic æ dolorem facientes, n.33.ib.magnæ magnos morbos faciunt,n.51.p.250. magnæ latere non poſſunt, n.52.ib.
Caupo apponens advenis cibos vetitos, peccat mortaliter, n.17.p.356
Cautela,in licentiis pro diſpenſatione jejunii apponenda, ibid.
Cauteria brachiorum excuſant à tormento funis, n.13.p.489
Cayro peſtis familiaris, n.41.p.269
Cedria ad conſervanda cadavera efficax, n.6.p.318
Celſus numerorum elhcentiam contempſit, n.28.p. 41
Celſi locus de paralyſi perperam à Mercuriali adductus, n.37. p.309
Centaurus ſi naſci poſſet, non conſtat quomodo vivere ac regi poſſet, n.7.p.535.Veronæ viſus,n.24.p.538.Ejus hiſtoria ſuſpecta cur videatur, n.24.p.539
Centurionis ſervus graviſſima paralyſi affligebatur,n.38.p.310
In Cerebri ventriculis anterioribus ſpiritus multi,n.20.p.119
Cerebro vulnerato ejuſque ſubſtantia deperdita aliqui ſupervivunt, n.23.p.371.ejus ſubſtantia deperdita homo in animalibus functionibus labefactatur n.9.p.379. ob illud facta cætera viſcera, n.1.p.542
Ceresiſia diverſo modo inebriat, quàm vinum faciat, n. 57. p.140
Ceretani, n.6.p.473
Cervium cornu ſuffumigatum Epilepſiam prodit, n.4.p.260
Cervi ſexum mutant, n.22.p.553
Chachectici quomodo recitare officia debeant abſque noxa, p.16.p.579
Chaccolata quid ſit, n.1.p.756
Chaccolatâ ad quem finem utamur, n.2.ib.
Chaccolata componitur ex materiis, quæ ſunt maximi nutrimenti, n.3.ib.
Chaccolatæ qui unam, vel duas uncias aſſumit in Regionibus in quibus eſt frequens in uſu pro potu, ſecundum aliquos Canoniſtas non frangit jejunium, n.4.ib.
Chaccolata ad pondus unciæ unius, vel dimidiæ, notabiliter reſpectu jejunii nutrire poteſt, n.5.ib.
Chaccolata ubi aſſumeretur ratione potus, in nulla quantitate ſumpta frangeret jejunium, n.6.ib.
Chaccolata nullam habet facultatem potûs, n.8.ib.
Chaccolata roborat corpus in quantum nutrit, n.15.p.754
Chaccolata nec ut medicamentum aſſumitur, nec ad evitandam potus noxam, ſed tantum ad voluptatem, n.17 ib.
Chaccolatæ operationes ſunt de directo contrariæ fini in jejuniis habendo, n.18.ib.
Chameleon ſine cibo vivit ex Plinio, n.11.p.299.falſum, ibid.
Chameleon Romæ à nobis viſus muſcas ingerere, n.11.ibid.
Characteres aliqui naturaliter maleficium procurare poſſunt, n.51.p.233
Characteres minuti in legendo viſum lædunt, n 5.p.578
Charta facilè ſuſcipit & retinet contagium, n.29.p.275
Chernitis lapis,n.7.p.318
Chymici quorumdam procacitas, n.7.p.448. & n.6.p.473. eorum peritia ſuis principiis innixa, n.7.p.474.quidam ſuperbè ſanitatem ægris promittunt,n 8.ib. quomodo errare poſſint, n.9. & 10.ibid.
Chirurgi,eorum familiaris error, n 1.p.468.minori excuſatione digni,ſi errent quàm Phyſici, ib.errant ultra limites ſuæ artis progredientes, n.2.ib. errant, Phyſicos non convocantes in caſibus neceſſariis, n.3.p.469. Ex juramento tenentur Phyſicos convocare, n.4.ib. an teneantur ægros ad confeſſionem ſuadere, n. 5.ib. non poſſunt quidquam contra animæ ſalutem ſuadere, n.6.ib.errant circa operationem, committendo & omittendo, n.7. ib.mercedem indubitanter licitè accipiunt, num.8.ib an in diebus feſtis mederi & mercedem accipere poſſint,n 9.ib. Doctoratum conſequuntur, n.10.ib.n.11.p.470
Chirurgia eſt ars Mechanica,non tamen hominem inhoneſtat, n.4.p.466.an faciat hominem irregularem, n.14.p.624
Chirurgus minus errori obnoxium quàm Medicus Phyſicus, n.15.p.470
Chirurgicas operationes quando ſuadere & admittere debeat Medicus,n.25 p.670
Chlorosis,ſeu febris alba quid, n.19.p.773
Febris alba pulchrioribus Virginibus magis familiaris quã aliis, n.20.ibid.
An febri albæ ſponſæ ſuperveniente diſſolvi poſſint ſponſalia jurata, n.21. Vide *Sponſalia*.
Febris albæ Virginum remedium eſt conjugium, n.22.ibid.
Febris alba mirum in modum Virginum pulchritudinem deturpat, n.30.p 774
Vide *Pulchritudo muliebris*.
Cholera quis morbus ſit, num.16.p.760.An in omni cholera prohibenda eſt Euchariſtiæ ſumptio,n.20.ibid.
Chorea S.Viti Enthuſiaſmo, convenit,n.36.p.153
Chorda: ejus tormenti deſcriptio,n.14.p.478.non eſt tormentum novum,num.16.p.479.non eſt idem tormentum cum Equuleo,n.17.ib. aliquando infligitur per unum brachium, n.18.ib.Cæteris tormentis frequentius, n.1.p 284. In eo quænam partes maximè cruciantur, n.18.p.480. In eo humerum luxari exiſtimatur quod eſt falſum,n.19.ib.pectori inimicum & moleſtiſſimum, n.20.ib. quæ impediant hoc tormentum Reis infligi,n.1.2. & 9.p.487.& 488. ſubtilis majorem infert dolorem quàm groſſa, n.2.p.484
Chordapſus, n.26.p.670
Cryſtallinus humor producitur à Natura è ſeminis portione pellucida,n.49.p.405.ab oculo exemptus vitri alicujus modo omnia quibus imponitur adauget ſpecillorum ritu, ib. præcipuum videndi inſtrumentum, n.51.ib.
Choaſpis fluminis aqua leviſſima,n.19.p.424
Chymoſis quid,n.16.p.636
Chriſtus Dominus fuit verus & perfectiſſ.Homo,n.74.p.696.
Chriſtus Dominus fuit omnium hominum perfectiſſ.n.75. ib.
Chriſtus Dominus aſſumpta humana Natura & unita ſuæ Divinitati Anima Rationali, hæc in Divinitatis inſtrumentum ceſſit, n.152.p.707
Chriſtus Dominus Archiater vocatus, n.28.p.512
Chriſtus Dominus quadraginta diebus miraculosè jejunavit, n.1.p.298
Chriſti Servatoris ſudor ſanguineus miraculoſus, n.13.p.246
Chriſtiani omnes diebus feſtis de præcepto tenentur Miſſam audire, n.5.p.562
Cibi & liquores à fulmine tacti,comeſti vel bibiti dementiam pariunt,num.34.p.117. nonnulli aliquibus pro veneno ſunt, cum aliis ſint familiares, n.7.p.175
Cibi quales eligendi tempore peſtis, n.9.p 274. pravos ingerentes facilius peſte tentantur, n.10.ib.
Ciborum qualitas in jejuniis ratio, n.25.p.244. & 29.p.345 Eorum delectum non habet Eccleſia ob illam ſuperſtitionem, ib. Eorum quantitatis ratio,ib. Eorum quantitas continua non determinata,n. 30.ib. & cur ib. Omnes mali ſuccii ii quibus in jejuniis utimur, n.3.& 4.p.346. frigidiores offeruntur calidis naturis, num.17.p.349.quales eſſe debeant in jentaculo, n.20.p 369.minimi nutrimenti qui, n.25.ib.
Cibus & potus ſuavior, ſed paulò deterior meliori eſt præferendus, n.15.p.438
Cibi rationem nunquam Tabaccus habet, quomodocunque ſumatur, n.12.p.754 Vide *Tabaccus*.
Quod habet rationem cibi debet habere facultatem nutriendi, n.13.ib.
Cibus non eſt illud quod à Natura non vincitur, n.14.ib.
Cibus vel potus eſt, aut non medicamentum, aut venenum quidquid per os aſſumitur, n.15.ib.
Cibus non eſt Tabaccus neque cibus medicamentoſus,n.16.ib. Vide *Tabaccus*.
Cibus eſt illud, non medicamentum,quod per os aſſumptum, corpus nutrit, licèt ſimul corpus illud alteret, n.16.p.757
In Cibo & potu adminiſtrando quomodo Medicum vel infirmum errare contingat, n.8.p.665.In eorundem uſu quomodo infirmus gerere ſe debeat. n.9.ib. Si renuat comedere in jejuniis cibos à morbo requiſitos,& à Medico præſcriptos, peccat, n.10.ib. Concedere cibos noxios infirmis jam deſperatis Medicus non poteſt,n.11.ib.
Cicadæ & alia petulta animalia longo tempore ſine cibo vivunt,n.11.p.299
Cicatrix an ex vulnere ſit remanſura, & qualis?Medicorum judicio ſtatur,n.5.p.372. quid ſit,n.18.p.379.vel ſanitati officit,vel pulchritudini,vel utrique ſimul,n.19.ib. aliquando corporis functionibus obeſt, ib.propriiſſimè obeſt pulchritudini, n.20.ib.Earum differentiæ multæ ſunt, n.23.p380. qualis ex vulnere ſit menſura, ipſa vulnere natura declarat, n. 14.ib.Cava relinquitur ex vulneribus cum deperditione ſubſtantiæ factis, n.23.ib.magis deformis ſit ex culpa medentis, n.26.ib.quænam in faciei parte deformior; n.27. ibid.locum glabrum relinquit,n.28.ib.
Cicatrices faciei & maculæ quando faciant hominem irregularem,n 1.p.650.quænam in cicatricibus conſideranda ad effectum irregularitatis producendum, n.2.ib. Huc pertinet primò magnitudo ſecundum omnes dimenſiones, n. 3. ib. ſecundò inæqualitas, n.4.ib. tertiò Color, n.5.p.651.quartò

INDEX

pars cicatrice affecta', & quarum partium cicatrices sint magis deformes, n.6.& 7. ib.
Cicatrices faciei maximè Pulchritudini obsunt, n. 32.p. 774
Cicatricum deformitas unde desumenda, n. 33.ib.
Cicatricum quæ turpissimæ, n.34.ibid·
Cicero à Mercuriali notatur, n.5.p.120.defensus ib. varicosus fuit, n.15.p.216
Ciconiæ & alia animalia sine cibo viventia, n.11 p.299
Cicutæ sorbitione Ægyptii sacerdotes se castrabant, n. 48. p. 132
Cilia depilata an indueant irregularitatem, n.18.p.637
Cinædus parturiens, n.24.p.554
Cingara Columbi neutrum sexum rarum habet, n.6.p.550
Circulatores etiam Medici dicti,n.1.p.397·& n.9.p.474
Citò ac longè fuge, ac tardè redi, dicterium in peste, num. 6. p.273
Civitas sine legibus placere non potest, n.1.p.496
Civitatum aër crassior est, n.11.p.420
Claudius Imp. librum scripsit, cujus argumentum erat; Insaniam neminem fingere, n.1. p.251
Claudius Imp. ab Agrippina venено ad tempus occidi tentatur, n.3.p.183
Claudius Giardinus scripsit de partu vitali dierum centum septuaginta uno addito, n.10.p.32
Claudi ab utero casu sanati,n.80. p.315. sunt malorum morum, n.13.p.216. Claudicandi mille modi, n.11.p.214
Claudi fiunt, qui crassos nervos sanciatos habent, n.4.p.378
Clandum fieri, quid apud Hippocrat. num.5. ibid· & num.1. p.652
Claudi qui non indigent baculo ad ambulandum, non sunt irregulares, n.653
Claudicationis multæ species. & quænam majorem aut minorem turpitudinem, & majus aut minus incommodum afferant, n.1.p.652.
Clausura quid, n.4.& 5.p.671.utrum sit noxia, n.6.ib.in omnibus causis, ob quas clausura deseri permittatur, respicitur periculum universale, non particulare, n.8. & 9.p.672 n.1.p.671.& n.4.p.676
Clausura uteri duplici modo fit, n.19.p.239
Clausuræ perpetuæ obligatio qua Moniales in Monasteriis constrictæ tenentur, laudabilis, n.1.p.671. sunt tandem causæ quædam, quæ permittunt illis exire, & quænam illæ sint,n.1. ib. intentio Pontificum in permittendo illis exitum quæ, n.3.ib. præter pestem & lepram nulli alii morbi dant justam causam exeundi à clausura ex Pontificum constitutionibus, n.10 p.679
Clavus quid,n.1 p.118
Clavus ex ære, Chalcetide carnes imputres conservat,n.7. p.318
Clemens VII.Pont.Max. præuntis venenatæ facis toxico per fumum in corpus admissum extinctus est,n.12 p.363
Cleopatræ Cadaver post quingentos annos incorruptum repertum, n.13.p 319
Clericus ebriosus repellitur ab officio,n.48.p.p.139
Clerici omnes in sacris cõstituti tenentur ad divinorum recitationem, n.1.p.562
Clerico licet exercere Medicinam, n.23.p.511.
Clitia apud Ovidium fame nona die deficiens, n.3.p.298
Cloacæ ad publicam utilitatem factæ, n.1.p.441. qui sint,n 3. ibid. quanto majores, eo damnosiores vicinis, n.4 .ib. debent esse liberæ & mundæ, n.7.ib. tempore pestis liberæ esse debent, n.23.p.275
Clysteribus an quis venenari possit,n.19.p.186. per eos venena raro, aut nunquam ministrantur, n.20.ib.
Clytoris, n 29.p.556
Coadjutor quando detur,n.41.p.250
Coalescentia uteri duplex. n.30.p.239. quænam curationem recipiat, quæ non, n.31.ib.
Codronchii opinio reprobata, n.20.p.152
Coëundi potentia anticipat tempus pubertatis, n.42.& 43. p.7
Coëundi modus facit ad faciliorem vel difficiliorem conceptionem, n.19.p.221. ad coëundum præsumitur unusqui sque habilis nisi probetur inhabilis,n.6.p.242
Coëundi impotentia quid sit, n.6.p.221.plures habent causas, n 9.ib.ex parte viri quas causas habeat,n.10. ib. ex causa naturali vel accidentali, n.11.ib. Ex naturali quando fiat, n.12.ib.Ex accidentali n.13. & 14.ib.fit aliquando ex desuetudine coitus, n.16.ib. certo annorum numero circumscribi non potest, n.1.p.223.per eam dirimitur matrimonium, n.7.ib. præsumi potest transacto anno septuagesimo, n.15. p.224.In pueris eo magis sine remedio est, quo minores sunt, n.27.p.225.Ex vitio apparente quæ,n 2.ib in fœminis unde fiat, n.3.ib.Ex vitio naturali non apparente,n.5.ib. Ex amore, vel odio proveniens tempore evanescit,n.59 p.233
Coëundi potentia requiritur necessariò ad matrimonii validitatem, n.1.p.221 quando impediatur à causa externa,n.15. ib.præcedit potentiam generandi,n. 6 p 223. Si adv niat ante tempus determinatum in puero, potest matrimonium contrahi,n.2.ib.Ejus terminus in pluribus est 70. annorum, n.14.p.224
Coëundi modus, qui generationem impedit, mortale peccatum inducit, n.2.p.680
Cohabitare tenetur sanus conjunx cum leproso, n.16.p.279
Coire cum deformi majus peccatum quam cum formosa,n.18. p.222. Incipiunt alii citius, n.1 .p.224
Coitus finis in brutis conceptio est n.32.p.65. Vsus non est immediata,aut agens primò & per se causa Molæ,n. 15.p.73
Coitus quid sit, n 7.p.231.Ex qua causa impediatur in fœmina, n.22.p.222.Eum impedientes causæ impediunt etiam generationem, n. 23.ib· à natura propriè in generationem inventus,n.25 ib.& n.4.p.227. n.13.p.240,nimis frequentatus, vel de rato celebratus generationi obest,n.28.p.222. Eum impediunt infiniti morbi, num.1.p.226.tota generandi spes ex eo est, n 5.p.227.In valetudinario non præsumitur n.6 ib.& infirmitas se non compatiuntur, ib. Ejus Actus tendit ad ulteriorem finem,n.29.p.231.in fœmina non impeditur nisi ex unica causa, n.4.p.236.a parte antica celebratus magis voluptuosus, sed minus naturalis,n.22.p.238. Concrarium, n.23.ib.noxius in peste, n.15.p.275
Coitus hic tus potest esse actus meritorius, n.8.p.453. ejus abstinencia conservat virtutem stomachi, n.30.p.594
Coitus illicitus an à Medico pro remedio sanitatis suaderi ægro possit, n.4.p.452.Et an sit licitus, n.5.ib. semper noxius, n.6.p.453.licitus pro remedio sanitatis suaderi potest, n.7.ib. Inter Conjuges licèt non sit Actus virtutis, non est contra virtutem, n.8.ib.non est minus licitus ad sustentationem humanæ speciei, quam delectatio in cibis ad sustentationem individui, ib. Conjugalis etiam absque spe generationis est licitus, n.9.ib. opus naturale, ib.Ejus intermissio consuetis noxia, ibid.
Coitus secundum aliquos non est licitus in diebus festis inter Conjuges, n.7.p.581 Quibusdam anni temporibus est maximè noxius,n.1.p.580. in peste noxius,n.9p.581.Celebrandus modo,quo facilius succedit generatio,n 40.p.587.Sola voluptatis causa factus culpa non vacat, n.43 p.588 non est ob voluptatem in usum trahendus, n.44.ib. Natura illum non instituit ad delectanda animalia, sed voluptatem in eo posuit, ut ad coitum allecta generarent,n.45.ib.si in latus celebretur difficillimè succedit conceptio, n.50.ib.celebratus muliere prona jacente minus à naturali ratione recedit, n.52.p.589.in valetudinario non præsumitur,n.18.p.593 ad sanitatem confert, n.19.ib. in uteri defectu an mulieri sit utilis,n.9.p.596.factus cum menstruata in lege veteri morte plectebatur, n.11.ib.Cum menstruata factus filios facit leprosos ac deformes, ib.Cum menstruata disponit corpora ad lepram, ib. factus fluentibus adhuc menstruis aliquando juvat ad conceptionem, n.14.ib. si inchoatus sit, an illum non absolvere liceat, n.7.p.6 7.& 608
Coitus cum virgine multum debilitat, n 11 p.720
Qui in coitu non possunt emittere semen, sed emittunt in somnis, vel aliter, in quo censu habendi, n.20.p.724
Coitus diminuitur penis brevitate, n.3.p.728
Vide *Penis*.
Venarum nonnullarum in capite sectio coitus impotentiam facere potest,n 4 p.730
Sanguinis excedentes evacuationes coitus impotentiam aliquando excitant,n .5.p.731
Cervicis,spinæ ac lumborum attritus Venereorum impotentiam faciunt,n.6.ib.
Excessivæ ac diuturnæ evacuationes quæcunque coitus impotentiam faciunt, n.7 ib.
Veneno potionati, si evadant, aliquando refrigerantur ita ut fiant impotentes, n.14 p.733
Carunculæ in meatu urinario quodnam impedimentum afferant in coitu, & in generatione, n.14.p.740
Vide *Caruncula*.
Coitus an & quando impediatur nimia pinguedine,n.115.p.74
Vide *Pinguedo*.
Cognitio causarum admirationem tollit, n.8.p.289
Coles non dicitur perinæus,n.2.p.549
Colici dolores an excusent à divinorum recitatione, num .26. p.570,& n.3·p.644
Colica pestilens non contagiosa, n.21·p.266
Collectio vide *Empyema*.
Collum cur increscatur in corruptis mulieribus,n.18.p.336
Coloniæ pestis familiaris, n.41.p.269
Colophone in Apollinis Clarii templo lacuna erat,cujus potu mira reddebantur oracula, bibentium breviore vita,num.16. 290

Rerum notabilium.

Color in cadaveribus qui faciat conjecturam celerioris mortis in uno, quam in alio, n.38.p.403
Columba ex muliere nata, n.37.p.531.monstrosa, n.5.p.559
Columella, n.28.p.212
Coma quid n.15.p.142.vigil quid, num.10.ib.somnolentum quid ib.à caro quomodo differat, n.15. ib. ei contrarius affectus Ecstasis est, 35.p.147
Coma rasa abjicit animum, n 12.p.485
Comatosi ut cæteri insani habendi, n.10.& 11.p.142
Comedere plurimum confert in peste, n.11.p.147
Comedendi hora in jejuniis ordinata, n.26.p.344.præveniturcum licentia ob justam causam, n.28.ib.ad quem finem præscripta, n.32.p.346
Comedentes bis in die, si semel tantum comedant, non possunt evitare certum nocumentum n. 5.p.368
Comedere in jejuniis semel in die occidente Sole cur non imperaverit Ecclesia, n.15.p.369
Comestio unica cur in jejuniis instituta singulis diebus, n.26.p.309.Ejus retardatio quantum noceat.n.4 p.346
Comedere & bibere plurimum, ut vomitus provocetur, non est peccatum, n.15.p.454
Comitialis morbus, n.15.p.144
Comotica medicamenta an Medico liceat præscribere, n.21. p.463
Comptoria Ars, ibid.
Concenatius notatur n.7.p.25
Conceptio quando verè facta sit, n.45.p.58. dicitur quasi comprehensio.n.3.p 65. fit semine adhærente venarum capitibus ipsius uteri, n.9.p.66.naturalis quomodo fiat, n.31.p.71.insendosa quando fiat, ib.illimitatur ciborum concoctioni, n.29 p.95. in naturali debet semper fieri concursus maris & fœminæ, contra in non naturali,n.22. p.71.in ea duo motus requiruntur, n.20.ib. conceptiones, abortiones & partiones eodem tempore judicantur quo morb, n.25 p.36.n.40.p.97
Conceptio intemeratæ ac beatissimæ Virginis fuit merè naturalis, nec in ea quicquam supernaturaliter intercessisse constat, n.135.p.704
Conceptio ostendit concipientem habere semen, numer. 18. p.776
Conceptionis dies & hora nescitur, ipsaque mulieres quoque later,n.11.p.778
Quanam ratione eveniat secundum aliquos, ut qui ex Gemellis posterior fuit in conceptione, prior sit in nativitate n.1.ibid.
iVde *Gemellus*.
Prior in conceptione semper prior in nativitate, n.9. p.785
S ex hoc quod fœmina generet in ætate teneriori, deduci potest illam concipere sine semine, idem inferri potest de mare in teneriori ætate generante, n.16. p.776
Vide *Fœmina*.
Conceptus in utero nihil est, 12.p.4. factum supra quinquagesimum annum in fœmina Lex pro monstroso habet, n.58.p.20. Eum per abortum interimentes à legibus jure puniantur, num. 1.p.50. non animatum necans pœna extraordinaria punitur, animatû verò ultimo supplicio afficiunt n.2.p.51. inter animatum & natum hominem nulla est differentia, ib. animatum delens hominem occidisse dicit debet n.16 p.52 animatur trium dierum spatio ex aliquorum sententia, n.20.p.52.animatur ex Hippocr.septem dierum spatio, n.21.ib.masculeus, 40. diebus animatur, n.22. ib. Ejus dies & hora nescitur,n.45.p.57. recentioris signa, n.6.& 8.p.59.provectioris signa, n.9.ib.est quasi pars matris, n.41.p.62. respondet proportione fructibus arborum, n.43.ib. supra alium conceptum fieri viderut impossibile, n.5.p.63, fortiorem non permittere, debiliorem adolescere, falsum est n.24.p.65.non potest absque concursu maris & fœminæ in vivipatis generari,n.3.p.70.
Conceptus aliquando fit multiplex ex uno concubitu, n. 61. p.694
Conceptus non fit ex unico semine viri, sed ex eo semini muliebri juncto, n.70.p.695
Conceptus prior ex Gemellis secundum aliquos posterior nascitur, n.6.p.777
Conceptus, Homo est, & Rationali Anima dotatus, num.13. p.778
Conceptus posterior (qui posterior etiam nascitur) aliquo signo debilitatis leprodit,n.3.p.779.
Conceptus posterior numero corporis mole ut plurimum donatur, n.6.ibid.
Ex Gemellis qui prior conceptus est, prior nascitur n. 1. p.779
Conceptus prior aliis fortior existit,n.5.ibid.
Conceptus prior ex Gemellis à majori calore regitur, n.11. p.780
Conceptus prior meliorem & uberiorem materni sanguinis portionem attrahit, n.20.ibid.
Conceptus posterior non suponitur simpliciter imbecillis, respectu prioris, n.4.p.781
Conceptus posterior etiam ægrotante priore, potest servari incolumis. n. 5.ibid.
Concepti eodem tempore, eodem tempore nascuntur, num.9. p. 63. diverso Veneris congressu non ita similes inter se, ut gemelli,n.16 p.64
Concepti postica venere situm naturalem nascendo non servant, n.23.p.238
Conceptus plures quomodo fiant, n.9.p.66.ex uno eodemque coitu fieri possunt, n.10.ibid.
Conceptio facilius succedit inter amantes,n.9.p.235. impeditur ex multis causis, n.4.p.236. in ea qui motus requirantur, n.20.p.238. opera incubotum quomodo succedere possit, n.19.p.241
Conceptio fieri non potest absque penis erectione & ejaculatione, n.15.p.408
Conceptio ex incubis facta de facto non datur,n.6.p.546
Concionatores à jejunio excusantur, n.13.p.355
Concubitu an quis possit venenari, n.6.p.185
Concubitus in latus conceptionem omnino impedit,num.52. p.589. factus utrisque stantibus conceptionem impedit, & sanitati nocet, n.53,ib.factus sedente alterutro, aut utroque conjuge, laboriosus est & conceptionem impedit, ib. factus muliere incuba existente, viro succubo omnium maximè & conceptum impedit, & sanitati nocet, numero 54. ibid.
Concubitu labores solvuntur, n.16.p.592
Concumbendi quidam modi non solum generationem impediunt, sed sanitati etiam officiunt, n.51.p.589
Concumbere post magnas inanitiones est mortis periculum incurrere, n.12.p.591
Concupiscibilis sedes est hepar, n.13. p.134.Ejus vitia prava magis sunt, quam quæ pertinent ad irascibilem,n.14.p.794. Ejus objectum quodnam sit, n.17.ibid.
Conditiones ad miraculi efficientiam requisitas difficile est simul concurrere, n.1.p.287
Confessio; eam ægris suis suadere ante omnia Medicus tenetur,n.1.p.449.vide,n.4.dic ut,n.5.ib. an teneatur in quolibet levi morbo, n.2.ib. tenetur in omni morbo cum febre, n.6.p.458. an teneatur in principio morbi, n.9. ib. an possit eam Medicus per alium suadere, n 10.ibid .ad eam Medicus debet ægros cum efficacia hortari,ibid.
Confessio à dormiente facta an tenear, n.6.p.140
Congelati intelligentiam amittunt, n.9.p.245
Congelatio, n.10.ibid.
Conjecturæ probantes filium mulietis, quæ ab obitu prioris mariti illico nupsit cujusnam sit filius prioris, vel posterioris, n.2.p.220
Conjecturæ quod vulnus fuerit lethale, num 1.p.580.& seqq. ibid.
Conjuges tenentur ad invicem reddere sibi debitum, num.1. p.580.& n.4.ib. tenentur procurare quantum ex ipsis est, ut ex copula sequatur generatio, n.15.p.582. non possunt se jejuniis ita macerare, ut inde evadant impotentes ad debiti redditionem, n.14.p.592. nunquam sub pœna peccati tenentur debitum exigere, n.1.p.599. si non sint sanæ mentis non est inter eos licita copula, n.3.p.600.an exigere possint sola sanitatis causa, n.15.p.602. Cujnam eorum majus immineat ab alio infectionis periculum, n.3.p.603. Sani an teneantur reddere, si alter eorum à Veneris usu infirmiter lædi soleat, n.7.p.604
Conjuges possunt uti copula matrimoniali, etiamsi mulier semper pariat mortuos, n.10.p.901
Conjugium non est irritum etiam abstracta ab ipso omni spe habendæ sobolis, n.11.p 605
Conjugium est res maximè licita, n.21.p.455
Conjugio regulariter est ineptus, qui debitum reddere nequit, n.2.p.220
Conjunctio maris & fœminæ per membra generationi à Natura intenta, n.16.p.241
Conjux sanus an possit exigere debitum à conjuge non sanæ mentis, n.3.p.600. etiam si sit leprosus, debet ei reddi debitum non obstante periculo infectionis nascituræ prolis n.4.ib.si demens sit an debeat ei reddi debitum, n.4.ib. Sanus an possit exigere ab Ebrio, n.5.ib.Sanus an teneatur reddere leproso, n.1.p.602.Sanus an teneatur reddere infirmo, statæ exthentis periculo, n.6.p.603.An possit licitè assumere, medibamenta, quæ illum ad Venerem potentem reddant, n. 1. p.605.An pollutionem remorati possit, ut alium expectet

INDEX

qui simul semen emittat, n.5.p.607.an possit pollutionem retardare, ut interim alius polluatur, n. 6. ibid.
Conjux sanus non solùm ex admissa inspiratione conjugis infirmi contagium contrahere potest,sed etiam ex infectione domûs ipsius infirmi, n.6.p.770
Conjux sanus magis potest infici ex cohabitatione cum infirmo, quam ex coitûs usu, n.10.ibid.
Consilium absentibus dare difficile, n.1.p.452
Consistentiæ ætas cur sic dicta, n.4.p.16
Consistentem ætatem dari, num.5. ibid.Autumno comparata, n.10.ibid.propriè quæ ætas dici debeat, n.16.p.17.Ejus termini, n.22.ib.
Consistentes quoad calorem declinant, n.9.p.16.& n.24 p.17. an quoad corporis robur cum Iuvenibus comparandi,n.23. ibid. non minus quam Iuvenes pollunt & corporis & animi vitibus uti, n. 25 ibid.
Consolidatio vulneris facit præsumptionem illud non fuisse lethale, n.26.p.384. & seq.
Constans ætas temperata, n.1.p.16.vide ætas constans.
Constantinopoli pestis familiaris, n.41.p.269
Constantinopolitana pestis non contagiosa, n.22.p.266
Consuetudo habet vim Naturæ, n.57.p.125. ejus maxima est vis, n.27.p.128. potest etiam bestias etudire. ibid
Consuetudo bis in die comedendi mutata in unicam comestionem quantum noceat, n.5.p.367. & seq. in jentaculo assumendo excusat in jejunio etiam cessante causa,ob quam jentaculum concessum est, n.8.ibid.Ejus respectu bis in die comedendi quænam debeat esse quantitas jentaculi in jejuniis, n.16.p.369. contra jus introducta est restringendà, n.29.p.370
Consuetudinis vis magna, n.1.p.525
Contagium : præsente eo venenum præsumitur ingenitum, n.15.p.179. quando fiat,n. 17.ibid. quid sit, n.18 ibid.
Contages,Contagio,Contagium, n.10.p.275. quid sit, ib. triplex, n.11. ibid.& n.12 p.276. immediatum ibid.per fomitem, ibid. per aerem inspiratum, n.13.p. 265. duplex ex Huchero n.12.p.166.& ex Marinell.ibid.an de necessitate pesti sit ad tactum,ibid.est præcipua causa pestis,n 18.ib.mira ejus, n.20.ob id plurimum pestis adjunctum, n.6.p 272. & n.2 p.273. Ejus periculum ex quibus morbis leve sit,& ex quibus grave,n.3.p278.per carnalem conjunctionē facillimè contrahitur,n.17.p.279.per contagium ad distans quæ inficiunt, multo magis inficiunt per contractum,n.19.ibid.
Contagiosum non est semper pestilens, n.24.p.267. non semper est perniciosum, n.26.p.268
Contagiosus morbus dirimit matrimonium initiatum non consummatum, n.14 p 262.Dirimit sponsalia,n15.ib.præbet justam causam Monialibus relinquendi monasterium, nisi, radix ejiciatur, & ipsæ interim in evidenti periculo sint n.17.ib. Quid sit, n.3.p.276. Quotuplex, n.4. ib. malignus, aut non malignus,n.5.ib. non omnis ex quibusvis in quasvis personas communicabilis, n.1.p.278.ob illum dirimitur matrimonium ratum, non consummatum? n.2.ibid.
Continui solutio omnis dicitur vulnus n.2.p.392
Contractus mulieris sine solemnitatibus celebratus tempore pestis valet, n.5.p.261
Contrahentium pactum in Instrumento Societatis officii circa Exceptionem aliquorum casuum mortis quid importet, num. 46.p.80. Conditio eorum debet esse æqualis,num.57. pag.77
Contrahens cognoscere debet finem ejus Actus, num.48. p.131
Contrahit nullus nisi volens, n.29. ibid.
Contrafissura, n.4 p.391
Contraria sunt sub eodem genere, n.28.p.309
Contrariorum eadem est ratio, n.13.p.163
Contusioni facillimè sequitur corruptio, n.23.p.320
Convalescentes qui, n 4.p.217.an redhibere possint ,n.5.ibid. eorum status est naturalis, n 8.ibid.
Convalescentia est effectus medius inter sanitatem & morbum, n.6. ibid.
Convalescentes ad coitum tantisper sufficiunt, n.16. p.217
Convulsi morientes calidi permanent, n.34.p.402
Cæci non sunt insani, 11.p.119
Cæcitas à Christo Domino non semel sanata, n.43.p.310.Tobiæ fuit adventitia, n.44.ibid.qui affectus,n.45.ib.Eam jam confirmatam curare miraculosum potius opus videtur,quã naturale n. 46. ibid. Ejus curatio in Tobia fuit secundum quid non simpliciter miraculosa,n.50.p.311.Ejus curatio in Tobia est in infimo miraculorum gradu,n.51.ibid
Cæcita is curatæ ex mira culo exemplum cum ejusdem naturali curatione comparatum, n.8.p 307
Cæcitatem inducunt occipitis vulnera,nu. 10.p.379. eandem inducunt vulnera Temporum, n.11.ibid.
Cæcus natus ex miraculo simpliciter sanatus,n.16 p.308
Cæcus visum ex accidenti recuperans, n.46 p.310.Abbas quidam post quadraginta cæcitatis annos visum recuperans, n.46.ibid. a nativitate non nisi ex miraculo visum potest recuperare, n.48.ibid.
Cæcus quidam visibiles species per nares percipiens, num 9. p.407
Cæli aspectus qui salubris aut insalubris, n.12.p.420. pessimum cælum est quod ægrum fecit, n.32.p.422. & n. 16. p.440.Ejus aspectus salubertimus, 5.& 6.p.435
Cælius Rhodiginus notatus, num.2. & n.3. p. 549. num. 3. p.206
Cœlostomi, n.6.p.207
Cœlostomia, ibid.
Cœlum non est monstrorum causa, n.10.p.532
Cœna cur interdicatur in Quadragesima, n.16.p.p.349
Cœna, vide *Jentaculum*.
Cœpolla *in l.Quod nolit,§.si Mancipium. ff. de Æd.ed.*notatur, n.9 p 373
Cæsar Augustus Epilepsiam passus, n.19.p.144
Cæsar Borgia lento veneno collegium Cardinalium occidere tentavit, n.3.p.183
Copula carnalis non potest verè probari,sed solum per conjecturas,n.13.p.338.probatur ex visu,ex risu ex colloquio,ex loco constituto,ex admissione in domum de nocte,n.24.ib. Ejus plena probatio habetur ex concubitu, n.17. ibid.
Copula carnalis non sufficit ad validitatem matrimonii, sed requiritur feminis emissio, n.14.p.723
Copulæ impedimentum quando teneantur conjuges removere, & quando non, n.5.p.718
Vide *Impedimentum*.
Copula impediri potest ex membri sive Penis tortuositate, n.7.p.729
Vide *Membrum*.
Copulæ impedimentum in muliere unicum consideratur, n.1. p.733
Copula ad generationem quas conditiones habere debeat, n.9.p.762
Copulæ carnalis terminus est seminis emissio,n.4.p.607
Copula conjugalis præter generationem habet alios bonos fines, n.9.p.453
Cordis morbi an à jejunio excusent,n.18.p.360. In eo ulcera antiqua reperta,num. 21.p.374.non patitur cor solutionem continui,ibid. eo vulnerato non potest homo vivere nisi ex miraculo, n.22. ib. eo avulso animal per aliquod temporis spatium vivit, ibid.
Cor igne non cremabile an certum signum sit veneni assumpti num. 31.p.477
Cor non est semper primum patiens in peste, numero 32. pag 268
Cor non potest magnum morbum sustinere, numero 35. p.329
Cordis affectus qui excusent à divinorum recitatione n 22. p.569
Cordis tremor an excuset à celebratione Missæ, num. 8. p.576
Coriandrum semen fluidum reddit, n.48.p.232
Corona palpebræ quid, n. 19.p.637
Corporis inspectio ad explorandam pubertatem honestatis causâ rejecta, n 77.p.13
Corporis partes in humanæ speciei Individuis plurimum diversificantur, n. 6.p.25
Corpore deficiente, deficit Intellectio, n.8.p 154
Corpora ficca diutius incorrupta servantur, n.4 . p.404.Tormentario instrumento sublata citius putrescunt, n 43.ibid. Quæ morbo calido, & sicco extinguuntur, exiccantur: quæ morbo calido & humido putrescunt,n.45.ib.Quandiu aliquo calore etiam putredinali dotantur, videntur aliquo modo esse, & vivere, n.47.ibid.
Corporis constitutio in viro quomodo faciat conjecturam suppositi partus in muliere, n.16.p.256
Corpora quæcunque sublunaria mundi corruptionem patiuntur, n.1.p.317.Sanguine prædita omnium citissimè putrefiunt,n.4.p.318.Veneno interempta non putrefiunt,n.4. ib. Peste sublata citissimè corrumpuntur, 18.p.320
Corpore impuro existente animus quoque labefactatur, n.5. p.347
Corpora debilia etiam à minimis erroribus in victu læduntur n.3.p.540
Corpus grave à centro propria virtute elevari, & in aëre sustineri contra Naturam est,num 11.p.296. Eius elevatio & sustentatio in aëre ex propria virtute miraculosa, n.12. ibid.
Corpus prius vivit, quàm sit organicum, n.10.p.687

Rerum notabilium.

Corpora viventium pro nobilitate, & ignobilitate Animarum inter se differunt, n.122.p.703
Corpus humanum excedit nobilitate & perfectione quorumcunque Animalium etiam perfectiorum corpora, n 124.ib.
Corpus humanum ab Anima Rationali formatur & organizatur n.129.p.704
Corpus humanum assimilatur corpori cœlesti, n.141.p. 706
Corpus & Animam communicant soboli cum semine cætera viventia, n, 138.p.706
Corpori nullum prebet alimentum, medicamentum, n.17. pag.754
Vide *Medicamentum.*
Corpus nutritur Tabacco ex aliquorum opinione,n.11 ibid.
Vide *Tabacum.*
Corpus roboratur Chaccolata in quantum nutrit, n.15.757
Vide *Chaccolata.*
Corpori optima formatio cum ipsa fortitudine pari passu cedit, n.15.p.782
Corruptio & nutritio contraria sunt,n.13.p.163
Corruptionis Cadaverum quis sit terminus, num 27. p.321. Ad eam cum terminus trium dierum affigatur, num.28. ibid.
Corruptio compositi sequitur forma separata à materia n.64 p 694
Corruptio est separatio formæ à materia,n.106.p.700
Cosmetica medicamenta quæ, n.21.p.463
Cossinus eques Romanus à Medico Ægyptio sublatus cantharidarum exhibitione, n.12.p. 182
Cotta uno reste à Natura destitutus, n.4.p.199
Coturnices Cicutam & Napellum comedunt & tamen innoxie comeduntur, n.30. p.170.Earum esu multi convulsione tentari in Doride Bœotiæ, ibid.
Cranium vulnerari potest ex eodem vulnere in una parte, & findi in alia, n.5 p.391
Crapula corpus & animmum infirmum facit,n.16 p.544.Ejus remedium est jejunium, n.30.p.345
Creatio est opus excedens omni ex parte Naturæ potentiam, n.76.p.697.
Per solam creationem fieri necesse est,illud quod fit,& non generatur, n.87.p.698
Res simplex & per se subsistens non potest fieri per creationem, n.88.ibid.
Creatio soli Deo tribui potest, n.89.ibid.
Creatio excedit Naturæ potentiam, n.92. ibid.
Creatio fit ex nihilo n.95.ibid.
Creatio requirit potentiam Agentis infinitam n 97 ibid.
Credulitas ex falsa Religione emanans detestanda, num. 2. p.281.
Crisis in morbis vel fit per motum solarem, vel per lunarem n.36.p.34. In acutis fit per motum lunarem, ibid. Quando in acutis salvæ sint, ibid. Absque humorum concoctione eveniens minus salva est, num.28. p.36. Eam præcipuè facit humorum concoctio, n.29.ibid. Ex perfecta habetur sanitas tuta, n..9 ibid.
Crises ostendunt morbos naturaliter fuisse sanatos, num.15. p.308
Crisis, in ea sit subita & repentina mutatio ad salutem, si bona sit, n.p.307
Crocodilus quatuor mensibus sine cibo vivit ex Herodoto, n.11.p.300
Crotone pestis num quam visa, n.42. p.269
Crura quæ partes sint, & quænam eorum vitia faciant hominem irregularem, 1. p.652
Cujacius notatur, n.3 p.465
Culcus vel cullus quid, n.18.p.479
Cuminum bibitum vel suffumiga um faciei pallorem conciliat, n.11.p.246
Cum Mula peperierit Proverbium,n.12.p 235
Culpa habet locum ubi est dolus, n.29.p.128 sociam pœnam habet,ibid.n.7 p.444
Culpa quid sit, n.9.ib. Triplex, n.10. ib. Quintuplex, ibid. Sequitur aut dolum, aut negligentiam, aut ignorantiam, n.11. ibid Est immiscere se rei ad se non pertinenti, n.13 ibid. Magna dolus est, ibid.
Culpa ægri non audientis Missam quando teneatur, transfunditur in Medicum consulentem, n.2.p.661
Cura præservativa à peste, n...p.273
Curare infirmos an sit servile.n 16.p.467. Non est opera servilis n.18.ibid.
Custodes portarum tempore pestis eligendi, n.33.p.276
Cutanei morbi an à jejunio excusent, n.27 p.360
Cutis infectiones plerumque secum habent conjunctam fœditatem, ac sunt contagiosæ, n.1.p.654
Cutis apertiones in capite terebrationes, ustiones, & id genus operationes aliæ, an tutæ ac licitæ, n.11 p.669
Cybosis quid, n.6.p.650
Cynanthropia Vide *Lycanthropia*
Cycanthropici Vide *Lycanthropici*
Cynocephalea herba ad resurrectionem,n.2.p.325
Cynocephali, n.36.p.531
Cynthii Clementis Pauli V. Medici ratio de septimestris partus vitalitate, 36.p.33. & seqq.
Cypro pestis familiaris, n.41.p.269
Cypseli in Polonia mortui reviviscunt, n.4 p. 326.
Cyrenes meretrix Dodecamechani dicta, quod duodecim concumbendi modos reperierit, n.51.p.589
Cyrtesis quid,ibid.

D

Damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi ipsi imputet, n.14.p.75
Damni & Lucri communione efficitur societas, numero 55. p.77
Damni qui causam dat, damnum fecisse videtur, num. 33. p.376
Daniel Hermaphroditus, n.8 & 15.p.551
Daniel Sennertus, n.15.p.537
Daphnoidis herbæ in conservandis cadaveribus mira vis,n.7. p.319
Darii, populi septentrionales semel in anno in lupos convertuntur per aliquot dies, n.42.p.148
Dat nemo quod non habet, n.46p.37
David Rex insaniam simulavit, n.2.p.251
Dæmon non cedit naturalibus remediis, n.24.p.308. Illum gaudere humore melancholico, quomodo accipiendum, n.31.& 32.ibid.& n.14 p.152. Ad eum ejiciendum nihil est in Natura, quod de directo valeat, num 34.p.310. Potest cadaver incorrupta servare, n,25.p.320.Non potest idem animal numero etiam ex insectis ad vitam revocare,n. 13. p.237
Dæmon scientissimus est,& habet omnium Artium perfectam cognitionem, num.44.p.294.Non potest futura certo prævidere, neque ulla miracula ex se facere, ibid. Contingentia futura ignorat, probabiliter tamen conjecturat, n.45. ibid.Elevare ac sustinere potest in aere corpora,n.13.p.296. An arte Medica ejici possit,n.25.p.309. Contra ipsum nullum est de directo naturale remedium,n.26.ibid. Ipsi, quatenus substantia quædam spiritualis est, nihil est contrarium,n.27.ib.infert aliquando in homines morbos & mortes, n.6 p.316
Dæmones miracula faciunt, n.5.p.281.& n.4.p.285.Et an verum sit,n.6.p.281.Non faciunt miracula ex se,n.19.ib.Possunt mirabilia per se facere, numquam tamen vires Naturæ superare, n.4 p.285. Eorum opera an possint futura prævideri, n.41.p.294. Nihil agere possunt quod naturæ vires excuperet. n.42.ibid.
Dæmon non excedit virtutem causarum naturalium, num.45. p.232.Quibus modis reddat hominem impotentem, n.46. ibid.
Dæmon nullo fine moveri posse videtur ad conferenda Magis stigmata,num.5. p.613.Cur stimata Magis conferat, n.7. ibid.
Dæmones sperma non habent, neque successionem in prole quærunt,n.3.p.545.In illis naturalia manserè splendidissima, n.6 p.661
Dæmon in maleficiis concurrit, ut sequentiorem peccandi occasionem homines habeant, n.29p.726
Dæmoniaci fiunt lunatici, n.30 p.144.Dicuntur Energumeni n.1.p.151.Qui sint, n.3. ib.Multi putantur, qui non sunt n.4.ibid. Eorum signa remissivè, n.5 ib. Non sunt iidem cum fanaticis, n.8 ibid.Quatenus tales non vaticinantur, n.10.ibid.Furentibus æquiparantur, n.11.p.151. Eorum insaniæ causa super naturalis, n.12. ib Naturalibus tamen diis etiam curantur, n.15.& 16.ib. magis similes melancholicis, n.21.p.152.Ab ordinum susceptione et perpetuò excludantur, n.23.ib.
Dæmoniaci omnes sunt Lunatici, num. 21.p.308. Quomodo naturalia Remedia illis conferant, numero 29. p.309
Dæmoniacus à Christo Domino sanatus non tamen sine dolore, n.9.p.286
Debile à levi causa movetur, n.43.p.43
Debitum matrimoniale an reddere debeat sanus conjunx leproso, n.13.p.276.Et quid in Rabie,morbillis & peste,n.23 .280.Et quid in tabe,n.24.ibid.
Debitū conjugale reddere non tenetur conjunx cum propriæ salutis noxa,n.3.p.580. Ex ejus redditione quot bona emanent, n.4 ibid.Quomodo reddendum, n.6.ibid. Quantum reddendum, 10.p.581.Quomodo reddendum, p.590. An reddere teneatur,qui jejunavit,n.15.p.592.Non licet negare,

INDEX

ne plures filii naſcantur,n.3.p.595.An reddi debeat in menſtruorum fluxu non naturali, n.8.p.596

Decem menſes in poſthumo à die mortis patris computandi, n.10.p.227. & cur, n.13.ib.

Decimeſtres & undecimeſtres ſeptem naſcuntur quadragenariis, n.34.p.53. Perfectiſſimi ſint, n.7.p.46

Decimo vel undecimo menſe quando fiat partus, n.113.p.39. In eo qui naſcantur,n.7.p. 44.Eſt frequentior naſcendi terminus,n.17.ib.In eo naſci maximè ſecundum naturam videtur, n.18.ib.Apud Hebræos & Ægyptios communior naſcendi termi nus exiſtimatus,n.19.ib Legitimum pariendi tempus, n.20. & n.1 p.45. Supra cum non portatur fœtus niſi per paucos dies, n.3.p.46

Decrepitas, n.29.p.19. Dicitur Senum , n.1.p.22. Eſt Senectutis pas, ib. Non mutat,ſed intendit corporis temperamentum, n.2.ib. à Senectute dividitur, n.5.ib De ea Hippocrates cur non meminerit cum de ætatum morbis loquitur, n.6.ib. Ante eam plres intereunt, n.9.ib.Quid ſit, n.11.ib. vitam concludit, n.13.ib. Quando incipiat, n.14. ib. Ex Fernelio incipit 65. anno,n.10 p.22.Ejus prior terminus eſt 60. annorum eſt nimis præcox, & magis convenienus eſt 65. annorum, n.18. ib. Quid peculiare habeat à Senectute, n.19.ib.In ea corpus & animus decreſcit,n.20. ibid.

Decrepiti moriuntur aliqui in 30. anno, vel etiam multo ante, n.36.p.15. à Senibus non diſtinguntur ex Hippocratis ſententia, n.3.p.22. Iiſdem morbis obnoxii quibus ſenes,n.7. ib. Si quos morbos incurrant , difficillime ſanantur, n. 8. ib.In illis nonnulla procedunt , quæ locum non habent in Sene, & vice verſa, n.10.ib.In illis memor a deficit, n.21. ib.Quorundam intra ſtoliditas, n.22. p.24.ib & 25.p.23. Qui ſint Judicis arbitrio relinquitur, n.17.p. 22. In illis multo magis locum habent ea , quæ in Senibus reſpectu imbecillitatis corporas procedunt , n.25.p.23. Servantur à tormentis immunes, n.26,ib. Vix in illis locum habere videntur ea,quæ in Sene,reſpectu prudentiæ locum habent, n.27.ib Veluti Senes honorandi, n.28.ibid,

Decrepiti an dicendi frigidi, n.1.p.229.Cur jejunium non ferant, n.19.p.354.An torqueri poſſint,n.6.p.482

Decrepiti matrimonium eſt validum, n.30.p.231

Decrepitus magis habilis ad coëundum & generandum, quam puer ante ætatem pubertati proximam , num. 26. p.225

Decrepitus potens ad coëundum , eſt potens ad generandum, n.3.p.742

Non omnes eodem numero annorum poſſunt dici Decrepiti, n.4.p.744

Pro Decrepito ad effectum reſignandi Beneficium, quis declarari poſſit, 6 ibid.

Poſt ſeptuageſimum annum non intrat Judicis arbitrium, an quis Decrepitus dicendus ſit,n.7.ibid.

Deflorationis præſumptio defumitur Sponſo cum Sponſa, vel quovis alio cum virgine rubante, n.12.p.338.

Deformes raro ſunt bonorum morum,n.49.p.194. Sacerdotes repudiabantur in lege veteri, n.50.ibid.

Deformitas corporis arguit morum pravitatem , numero 13 p.216

Deformitas mulieris reddit hominem à coitu alienum n.18 p.221. & ſeq.

Deformitas corporis malam mentem denotat,n.49. p.294.Inſignis impedit ordinum ſuſceptionem. n.50.ibi.

Deformitas eſt abſque mutilatione, non è contra, n.9. & 11. p.409

Deformitas ſuperveniens, an ſit juſta cauſa diſſolvendi ſponſalia jurata, n.24.p.773

Deformitas Cicatricum unde defumenda, n.33.p.774

Cum Deformi coitu majus peccatum, quam cum formoſa n.18.p.221.& ſeq.

Deglutitio quibus modis lædatur & quando faciat homi nem irregularem, n.3.p.643. Deglutitionis difficultas in ingerendis cibis ſolidis, aut in gerendis liquidis tantum, an facere debeat irregularitatem, n.4 ibid.

Deglutitio quomodo lædatur,n. 10.p.759

In ablata deglutitione nullo modo tentanda Sacramenti Euchariſtiæ exhibitio : & quid in deglutitione depravata, n.11.p.760

Delectationem magnam cur noluit Natura ineſſe in emiſſione ſeminis in fœmina, n.17 p.238

Delectatio in coitu non minus intenditur à Natura ob ſpeciei ptropagationem,quam delectatio in edendo ob conſervationem individui,n.45.p.588

De leteria medicamenta. Vide in verbo *Venena*.

Delicta iracundiæ calore perpetrata mitius puniuntur,n. 20. p.124.

Delictum ut ſit excuſabile debet eſſe perpetratum in ipſius iræ fervore, n.23 ibid.

Delinquens in ſomno,ſi rarum habeat in vigilia id quod dormiens fecit ordinariæ pœnæ ſubjicitur , numero 22. p.141

Delirium eſt amentia,non eſt tamen inſania, n.7.p.113.An neceſſario conjungatur cum rabie, n.15.p.149. Pro Delirii ſpecie poteſt quis magis vel minus habilis eſſe ad nonnulla facienda, num. 3.p.156.Melancholicum magis durat, & magis mentem turbat, num.4.ibid. Cætera vide in verbo *Dementia*.

Delphenſis Civitas ſingulis decem annis peſte corripitur, n.41.p.269

Demens præſumitur,quid neſcit exprimere qui velit,num.14 p.115. Præſumitur,qui non loquitur, vel non reſpondet ad propoſitum, n.15.ib. Præſumitur, qui omnia bona ſua donat , n. 8. ibid. Cur à rebus gerendis prohibeatur, n.19 p.132. De præterito præſumitur demens de præſenti, n.2 p.158.Et in quibus caſibus locum habeat ea concluſio,n.5. & ſeq.p.159

Dementi non poteſt exhiberi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, n.5.p.759

Dementia non eſt ſemper affectus cerebri primarius, ſed conſequuntur ad morbos aliarum partium,n.1.p.114.Ejus diviſio, n.2. ibid.Provenions ex primario Cerebri affectu quotuplex, n.3.ibid. Quotuplex ſit , cum per conſenſum fit, n.4.ib.Perpetuò affligens, n.6.ib. Intermiſſionem habens, n.9.ib. Ejus nomine omnes morbos comprehendimus, in quibus ratio læditur,n 5.p.113. Quando fiat, n 11.ib.Tripliciter diviſa, n.12. ibid. Duo genera ex Plato. n. 14.ib. Probatur per Actus extrinſecos, n.5.p.115.Ejus ſigna ex Medicis n.21.p.116.Ejus ſigna ex corporis aſpectu, n. 25. ibid.Ex quibuſdam ab extra advenientibus,n.29.p.117.Impediens profeſſionem debet eſſe talis, ut auferat omnem rationis uſum,n.22.p.128. Ex morbis longis contracta ſatuitati ſimilis eſt, n.2.p.155. Eſt ægritudo longa & durabilis ut furor, n.5.p.159

Dementiæ pleræque Species non ſemper fiunt ex primario aut proprio corporis affectu, ſed aliquando per conſenſum, n.12.p.626

Democritus cum fœminam pro virgine ſalutaſſet, ſequenti die eam corruptam ſalutavit, n.16.p.336

Dentarii Medici, n.3.p.444

Dentes in cadaveribus creſcunt, n.37.p.322. Non ſunt membra, n.19. p.414. Quas præſtent utilitates, ib.factitii antiquitus in uſu, n.20.ibid.

Dentes cui plures deſunt, an ſit morboſus, n.1.p.211.Maximè ex uſu ſunt, n.3. ibid. Non omnes ad eundem uſum, n. 6. p.213

Dentium vitium nullum adeo grave videtur, ut debeat inducere irregularitatem, n.4.p.738. Dolor Dentium an & quando irregularitatis cauſa eſſe poſſit, n. 5.ibid.

Dentium dolores an excuſent à divinorum recitatione, n.7. p.565

Dentitionis terminus in pueris, n.8.p.213

Depilatio familiaris iis, qui à veneno eradunt , numero, 39. p.178

Deplorati an ſolo prognoſtico relinquendi : numero 17. 458

Deſiderare pertinet ad concupiſcibilem, n.13.p.134

Detentio, n.10.p.145

Deus eſt primaria cauſa peſtis, n 9.p.272. Ab ipſo ultra peſtis inchoanda, n.3,p.273

Deviatio à naturali concumbendi modo nullam habet in ſe culpam ſi fiat, ut facilius ſequatur conceptio, n.47.p.588. Omnis à naturali modo vel in totum, vel in parte impedit generationem, ib.n.49.à naturali modo cocumbendi tanto magis eſt contra naturam, quanto facilius impedit conceptionem, n.54.p.589

Deus cum operatur miracula , omnino & undequaque perfecta opera efficit,n.10.p.286.Illi nihil eſt impoſſibile, n.18. p.284.Ratio nunc miracula operatur,n.2.p.287. Non omnes Sanctos vult pro Sanctis coli, n.4.ib.In Ecſtaſi ſupernaturali eſt cauſa primo efficiens, n.15.p.296. Immittit aliquando in homines morbos & mortes, num.1.p.316.Solius boni cauſa eſt ex Platone , n.4.ib.Mala immittit ad correctionem, n.5.ib Si ſit ſummè bonus & virtutis Amator eſt, n.11. p.317

Deum nihil de novo creare, hæreticum, & impium eſt dicere, n 80.p.697 quodvis in genere ſuo fecit perfectum,num.82. ib.operatur propter finem ex ſua libera voluntate : Natura verò ex neceſſitate, n.11 . p.701

Deus eſt liberum Agens n.21.p.390.Ipſe eſt lex,num.3.p.583. Ei nihil ſimilius, quam Iuſtiſſimus homo,n.6.p.517.Supra omnia

Rerum notabilium.

omnia honorandus, n.6,p.519. Quomodo ſit monſtrorum cauſa, n.5.p.532

Deuteronomii locus de ſigno Virginitatis, n.10. p.332. Explicatur ex Augenio,n.20.p.333. Explicatur ex Nicolao de Lira,n.22.ibid.

Deuteronomii locus, n.11.p 387. Aliud de muliere apprehendente virilia rixantis cum marito, n.6.p.418

Dextra pars cur ſiniſtra fortior & agilior, n.8.p.219. Calidior ſiniſtra, ib. Ponderoſiora oſſa habet quam ſiniſtra, num.9. ibid. Natura non differt à ſiniſtra, ſed ab uſu, n.10.ibid.

Diabetes, n.30.p.571. Quid & quando cauſet irregularitatem, n.2.p.646

Dianæ fluvii aqua vino non miſcetur, n.29.p.426

Diaphragmatis vulnera aliquando ſanata, n.24.p.375 Contrarium, ibid.

Dicearchus omnem divinationem reſpuit præter eam, quæ ſit per ſomnia,n.17.p.291

Dido mori non potuit, niſi illi crine abſciſſo, n 12.p.485.

Diebus feſtis non eſt peccatum exigere debitum matrimoniale, ſed non exigere eſt de conſilio, n.7.p.581

Diebus feſtis laborare non licet, n.16.p.467. An liceat Medico mercedem accipere, ibid. Mercedem Medicus accipere poteſt,non exigere, n.19.ibid.

Dierum computus in probatione filiationis in eo qui natus eſt ex muliere, quæ illicò ab obitu prioris viri alteri nupſit, n.12.p.111

Dies incipit à media nocte, & durat ad mediam noctem,n.7. p.4. Ex nocte prognatus, n.8.ib. Continet horas 24. p.5. Nyctimeron dictus, ibid. Pro eo ſumitur interdum ſpatio, quo Sol lucet ſuper terram, n.9.p.4

Die 182. ex Gloſſ. opinione menſes conſtituunt ſex & duos dies, n.25.p.33. Dies 280. Solares menſes novem conſtituunt, & 10 dies num,34 ibid. Di 280 non ſe extendere poſſunt ad undecim menſes, acceptis menſibus ſolaribus, ib. Dies 280 quomodo acceptis menſibus lunaribus undecimum menſem ſæpè apprehendunt, n.6.p 46. Critici à partu numerantur, n.38.p.97. Per accidens à partu numerantur, n 41.ibid.

Dies artificialis quid, n.61.p.440

Digitalia, n 21.p.480

Digitis abſciſſis totius manus utilitas tollitur n.8.p.416. Non ſunt propriè digiti membra, n.11.ib. In illis conſiſtit præcipua manus utilitas, num.13.p.417. Singulorum munus, num.14. ibid. Digitorum pedis utilitas. num. 17. ibid. Eorum major aut minor utilitas pro ordine quem tenent, ibid.

Dignitas quanto major, eò major ætas in eligendo requiritur, num.5.p.122. Major majorem requirit prudentiam, n.6.ibid.

Dii circa futura errant ſecundum aliquos, n.24.p.292. Bonorum & malorum cauſæ, n.45.p.316

Dilucida intervalla in quibus dementiis ſperari poſſint,n.13, & n 25.p.157.& ſeq. In quibuſdã dementiis manifeſta, in aliis obſcura,n 14. ib. Non habent pueri, n.15.ibid. Non habent ex ſenio delirantes, n.16.ib. Neque alii de quibus, ib. & ſeqq. Habentes in pleriſque ut ſani habendi, num.26.p.159. Habentes teſtari poſſunt,num.27.ibid. Habentes non excuſantur à pœna ſi delinquant tempore intermiſſi furoris, n.28.ib.

Dioclis obſervatio de brevitate locorum Mularum, num.12. p.235

Dionyſio Siracuſano exercente, ejus ſervi ærcitate ſe affici ſimulabant,n.3.p.243

Dipſas ſerpens venenoſiſſimus,n.74.p 314

Diſpnæa, 20.p.569

Diſcraſia unius partis temperatur à contraria diſcraſia alterius, n.9.p.256

Diſdicta ſocietatis cur conceſſa.n. 20.p.76

Diſpenſatio à quacunque jejunii obligatione particulariter requiritur, n.6.p.357

Diſpenſatus à majori obligatione videtur diſpenſatus à minori., n.2.p.366. Ad carnium comeſtionem non diſpenſatur à cæteris jejunii conditionibus,n.3. ib. Ab una obligatione non eſt dipenſatus ab alia, n.4. ibid. Simpliciter diſpenſatus ad omnia cenſetur diſpenſatus, ibid. Reſpectivè diſpenſatus non eſt ad omnia diſpenſatus,ibid. Ob præſentis morbi urgentiã ad omnia cenſetur diſpenſatus, n.7. ibid. Ad carnes ob timorem futuri morbi non eſt ab aliis jejunii obligationibus exemptus, n.8.ibid.

Diſſimile quid, n.2.p.104

Diſſimilitudo nati ad parentes quam conjecturam faciat ſuppoſiti partus, n.31.p.258

Diſſimulate quid, n.p.142

Diſſimulatur id quod eſt,ſimulatur id quod non eſt, n.1.p.260

Diſſimulant morbos aliqui & ad quem finem, n.2.ibid.

Divinatio datur in rerum Natura, n.6.p.289. Facilius procurari poteſt, quam ſomnia, n.19.p.291. Etiamſi dari naturaliter concedatur, in ea ſemper deſideratur certitudo eventus, n.27.ibid.

Divinatio per ſomnia non eſt temerè aſpernanda, n.17.p.291. Celeberrima inter omnes divinationes, ibid.

Divinatrices artes præ cæteris ſunt Medicina & Aſtrologia, n.6.p.289

Divinum in morbis apud Hippocratem quid. n.7.p.316

Divitiæ per ſe bonæ non ſunt,n.20.p.521. Artificiales ordinantur ad naturales,ibid.

Divortium quid,n.3.p.661

Divortium & Tori ſeparatio à pari procedunt, idem tamen non ſunt,n.1.p.769

In Divortio graviores cauſæ requiruntur, quàm in tori ſeparatione, n.2.ibid.

Eædem cauſæ cum graves ſunt, dant locum divortio; quæ cum minus graves ſunt, poſſunt tori ſeparationem cauſare, n.3.ib.

Divortio juſtiſſima cauſa eſt furor, ad quod tamen divortium non ſufficit ſimplex dementia, n.4.ib.

Vide *Furor*.

Divortii juſta cauſa eſt morbus aptus ad inficiendam domum Conjugum: non ſic autem ubi morbus ſimplici contagio ſanum inficere poteſt, n.5.ib.

Vide *Morbus*.

Divortii juſta cauſa quando ſit Morbus Gallicus, & ſeparationis Tori, n.9.p.770

Vide *Morbus Gallicus*.

Divortio dat cauſam furor, n.14.p.146. & ſeq.& cur,ib.n. 16 p.147. Non dat cauſam phrenetis,ib.

Doctor ebrioſus repellitur ab officio, n.48.p.139

Dodecamechani cur dicta Cyrenes meretrix, n.51.p.589. An ſentiatur quomodo accipiendum, n.23.p.583. Reducit ſenſum de potentia ad actum,n.27.p.584. Doloris ſpecies n.31.p 249. Quibus in caſibus non ſatis eſt levis,n.36.p.250. Levis non dicitur ægritudo, n.39. ibid. Oportet ut ſit ſaltem mediocris, de quo judicium ferre Medicus debet, n.42.ib.

Dolorem non ſentire ſignum eſt non ſanæ mentis, n.28.p.117. Juſtum temperare eſt difficile, n.29.p.124

Dolor hominem dementem facit, n.30.p.125

Dolor frequenter ſimulatur, & cur, n.1.p.248. Eſt ſenſus,n.2. & 5.ib Ex eo ſit ſenſus contriſtans, n.3.ib. An ſentiatur, n.4.ib. Si ſentiretur per alium ſenſum ſentiretur, n.7.ibid. Non eſt objectum adæquatum alicujus ſenſus,n.10 & n.21. p.249. Ineſt in omni ſenſu, n.11.p.248. Magis manifeſtus, quàm in alio, n.12.ib. Ineſſe omnibus ſenſibus probat ejus definitio, n.16.ib. Senſum corrumpit, n.18.p.249. Si non ſentiretur,animal ab eo non fugeret, n.19.ib. Cur datus animali, ib.n.19.ib.

Dolor pulſatilis ex cauſa calida fit, n.54.d. 251

Dolor interveniens in alicujus morbi miraculoſa ſanatione, non tollit vim miraculi, n.9.p.285

Dolores ſimulati ut plurimum interni, n.29.p 249. Magni quibus ſignis ſe prodant ex Hippocrate, n.46.p.250. Magni habent magna ſigna & evidentia, n.47.ib. particulares habent ſua propria ſigna, n.56.p 251.

Dolores qui excuſent à Miſſa audienda, n.13.p 577. ventris qui familiares habent, quomodo recitare officia debeant, ne à recitatione lædantur, n.15 p.579. qui excuſent à debiti redditione, n.24.p.593

Doli capax eſt perfecti intellectus, n.19.p.6

Dolus ubi præſens eſt, ibi culpa locum habet, numero 29, p.128. ubi non eſt,ibi delictum pœna dignum non cenſetur, ibid.

Ex Dolo manifeſto emergit culpa latiſſima: ex præſumpto culpa latior, n.11.p.444. Eo deficiente deficit culpa,n.14.ib. malus & bonus, n.15.& 16.ib. malus quid, n.17.ib. poteſt in omnibus erroribus tam commiſſionis, quàm omiſſionis intervenire, n.18.ib. non intervenit in omittendo. n.20.ib. fallit in Medico, ib.

Domitia Domitiani ex fratre neptis ex abortivo medicamento periit, n.16.p.462

Donans omnia ſua bona demens præſumitur, n.8.p.115

Dormiens nullius eſt pretii non minus, quam is, qui vivus non eſt, n.3.p.140. mortuo ſimilis, n.4 ib. peccare non dicitur, n.5.ib. injuriam non facit, ib. Actus ab illo facti an teneant, n.6.ib. voluntate caret, n.9.ib. occidens an excuſandus, num.11. p.141. an irregularis eſſe poſſit,n. 12. ibid. in quo caſu puniendus ſi delinquat, & quando fiat, irregularis, num.13. & 16.ib. operatur abſque voluntate. ibid.

INDEX

Dormientes inter insanos non connumerantur, n.7. p.118. non ideò dicendi insani, quod imaginatio in illis malè operetur, ibid. insanis comparantur, num. 35. p.120. quando non somnient, & quando maximè, ibid. inter insanos à Jurisconsultis connumerantur, num.2. p.140. nonnulli loquuntur & interrogati respondent, n.5. ibid. ut insani reputandi, n.7. ibid. nihil agere possunt quod validum existat, n.8. ibid. aliquando, lecto surgunt & arma capessunt, ibid. non possunt per longum tempus surgentes ambulare, n.10. p.141. si quam actionem fecerint, de facili factibilem fuisse probare debent, num.11. ibid.

Dormiunt aliquando viventia omnia, n.4. p.367

Dorotheus Episcopus Authiochenus utroque testiculo à nativitate caruit, n.4. p.199

Drusus veneno ad tempus occisus, n.3. p.183

Dryini serpentis venenum contagiosum, n.16. p.170. Calcatus pedes calcantis, etiam calceamentis munitos excoriat, & alios mirandos parit effectus, n.15. p.186

Duo lacerti species in Arabia occisus, & post triduum igni admotus, movetur ac si esset vivus, & n.36. p.522

Duodecimus annus assignatur pro termino impotentiæ coëundi in pueris, num.3. p.223. in eo anno constituti stimulantur ad coitum, quamquam semen non emittant, n.4. ibid.

Dyspnœa Asthmatis species an faciat hominem irregularem, n.6. p.642

Dyserides ancilla apud Hippocratem cùm venere uteretur, doloribus vehementer affligebatur, n.7. p.604

Dysenteria pestilentialis, n.33. p.268

Dysenteriam turpis scortatio solvit, n.6. p.453

Dysenteria an excuset à divinorum recitatione, numer. 16. pag.570

E.

EAdem quæ sunt uni tertio, sunt eadem inter se, num.13. p.106.

Ebrietas dementia est frequentior & detestabilior, quàm quævis alia, n.1. p.137. malum est sponte accersitum, n.2. ibid. & n.35. p.139. furor voluntarius, ibid. animam cum corpore calefacit, ibid. levis parum mentem lædit, n.8. & 12. p.138. consummata quando fiat, num.9. ibid. vera à non vera quomodo distinguatur, n.14. ibid. difficulter cognoscitur, n.15. ibid. ejus signa, n.16. & seqq. ibid. præsumitur potius in viro, quàm in muliere, num.18. ibid. unicam habet accessionem, n.30. p.139. lenit pœnam, non tollit omninò, n.36. ibid. Ejus comes oblivio, n.42. p.139. an præbeat divortio causam, n.44. & 45. ibid. ejus terminus, n.50. ibid. non solvitur æqualiter in omnibus, n.51. ibid. magna quomodo cognoscatur, n.55. ibidem à cerevisia excitata diversa est ab Ebrietate excitata à vino, num.57. ibid. quos morbos pariat, num.21. pag.194

Ebrietas an possit à Medico sanitatis gratiâ suaderi, num.14. pag.454. peccatum inducit, ibid. laudata pro multorum morborum remedio, num.15. ibid. non potest à Medico suaderi, num.16. ibid. an liceat eam medicamentis procurare, num.17. p.455. peccatum in ea consistit formaliter in excessu potus causa voluptatis usque ad rationis perditionem, ibid. eam quænam excitant medicamenta, ibid.

Ebrietas in veneris usu cavenda, num.11. p.583. & num.5. p.600

Ebrio Conjugi an sit reddendum debitum, n.5. ibid.

Ebriosus ab Ebrio quomodo differat, n.24. p.139. repellitur à testimonio dicendo, numero 41. ibid. memoriam amittit, ibid. Curatorem recipere debet, num.43. ibid. an resignare possit beneficia, num.46. & seq. ibid. repellitur ab officio publico, num.48. ibid. irregularis evadit, num.49. ibid.

Ebrius puero similis, n.6. p.138. in leviter Ebrio locum non habent, quæ de vehementer Ebrio dicuntur, n.8. ibid. leviter Ebrius magis quàm vehementer Ebrius delirat, n.13. ibid. ab Ebrioso quomodo differat, n.24. p.139. In eo omnia procedunt ut in demente, n.25. ibid. non potest contrahere, n.26. ibid. nihil agere potest, quod sanam mentem requirat, n.27. ibid. non potest contrahere matrimonium, n.28. ibid. non potest testari, n.29. ibid. etiam si Actum faciat prudentem non tenet, n.30. ibid. Occidens non fit irregularis, n.32. ibid. mitius in delictis punitur, num.33. ibid. non excusatur à culpa, num.34. ibid. non potest restificari, num.38. ibid. nullum habet sensum, ibid. non habet dilucida intervalla, ibid.

Ebrius ab Ebrioso differt, n.5. p.600.

Ecchymomata, vide *Sugillationes*.

Ecclesia, sine ejus authoritate neminem pro Sancto licet venerari, n.3. p.281. sibi reservat judicium de veritate miraculorum, n.10. p.282. cur semel in die permittat nobis in Quadragesima comedere, n.7. p.299.

Ecclesia imponens jejunium quid intendat, n.10. p.342. eam non posse obligare ad jejunium Hæretica opinio, n.5. ibid. non obligat ad jejunium nisi potentes jejunare, n.7. p.347. non intendit jejunio, animæ, aut corpori detrimentum inferre, 10. p.365

Echinus ex Aristotele intervallo annuo absque cibo vivit, num.11. p.300.

Epicesmos, n.20. p.221. deformitatem magnam inducit, n.5. p.413

Ecstasis quid apud Theologos, n.31. p.147. fit in vehementibus animi affectibus, ut in Amore, n.33. ibid. secundum Medicos, n.34. & seq. ibid. affectus est conati contrarius, n.35. ibid. nomen accepit, n.36. ibid. accipitur pro raptu Sanctorum, & quid sit, ibid.

Ecstasis simulata, quomodo deprehendatur, n.7. p.234. cur simuletur, ibid.

Ecstasis nomen diversimodè accipitur, n.1. p.295. quomodo accipiatur hic, num.2. ibid. Quid sit, ibid. duplex est, n.3. ibid.

Ecstasis naturalis quomodo fiat. ibid. à somno vix differt, n.4. p.295. quid sit secundum Scaligerum, n.5. ibid. in ea quomodo fiat magis, aut minus intensa imaginatio, n.6. ibid. ad ejus durationem quæ faciant, n.7. ibid. est affectus in genere ob læsionem animalis, ibid. est Affectus Apoplexiæ similis, n.8. ibid. dicitur Apprehensio & cur, n.8. p.296. aliquando est similis Catalepsi, ibid. in ea hominem ex se in aëre posse elevari est impossibile, n.10. ibid. est morbus quidam, n.11. ibid. ad quænam consequatur, n.22. ibid. ab ea lædituf Natura, n.23. ibid. aliquando levis, aliquando fortis, n.26. p.297. potest ex propria voluntate contingere, n.29. ibid. declara ut ibidem, ab ejus invasione corpus aliquid patitur, n.32. ibid. est quædam mentis amentio & desipientia, n.33. ibid.

Ecstasis supernaturalis quomodo fiat, n.14. p.296. in ea non fixatur Anima id præexistentibus phantasmatibus, ibid. in ea homo necessariò moreretur, si necessario Anima separaretur à corpore, n.17. ibid. à naturali quomodo distinguatur, num.18. ibid. cum naturali convenit quoad exteriora signa, n.20. ibid. in ea non concurrunt Conditiones in Ecstasi naturali requisitæ, n.27. p.297. non habet determinatum tempus sui insultus, n.28. ibid. non potest dependere ab hominis voluntate, n.30. ibid. Non requirit ullam corporis præviam dispositionem de necessitate, n.31. ibid. Summa sapientia dici potest, n.33. ibid.

Ecstatici qui sint, n.31. p.147. pro insanis habendi, n.37. ibid. cadunt interdum ut Apoplectici, n.9. p.299. quidam à terra elevantur ex se, ibid. in quos morbos labantur qui naturaliter afficiuntur, n.25. p.297

Ectomiæ qui, n.36. p.202

Eculeus, vel Equuleus quale tormentum remissivè, num.17. p.479. eo utebantur Antiqui in quæstionibus, ibid.

Edentare quid, n.19. p.414

Edentulus an redhiberi possit, num. 9. p.213. puer ad quod usque tempus pro non morboso habendus, numero 8. ibid.

Effectus semper uniformis ab agente naturali esse videtur, n.16. p.71. non naturalis non naturaliter est producendus, n.23. ibid.

Effectus illi causæ tribuendus, quæ magis in promptu ad agendum, n.3. p.174.

Effectus si narratæ causæ non respondeat, suspicio simulationis est, n.34. p.250. suæ causæ æquivalens esse debet, n.50. ibid.

Effectus naturalis quid, n.15. p.282. ut miraculi nomen mereatur, quas conditiones habere debeat, n.1. p.284. ut miraculosus sit debet esse supra Naturæ vires, n.2. p.285. ut sit miraculosus non debet accidere ex vi verborum, n.5. ibid. ut sit miraculosus debet esse à divina virtute, n.4. ib. debet esse patens, ut miraculosus existat, n.6. ibid. miraculosus debet esse ad fidei corroborationem, n.7. ibid. p.286. miraculosus debet apparere in continenti, n.8. ibid. miraculosus debet fieri sine dolore, n.9. ibid. miraculosus debet esse opus omninò perfectum, n.10. ibid. idem numero semel corruptus non potest denuò reproduci, n.11. p.327. & implicat contradictionem, n.17. ibid.

Effectus quicunque naturalis ad suas naturales causas reducitur. n.16. p.389

Ejicere est abortire, n.13. p.53

Electrum ad deprehendendam virginitatem, n.18. p.339

Elementa causa universalis sunt omnium mixtorum, num.13. p.101

Rerum notabilium.

Elephantbiasis, n.17. p.198. non minus quàm pestis contagiosa, n.16. p.266. quid sit, n.8. p.277

Elephantiasis nihil aliud est quàm vera lepra Leonina dicta, n.11. p.674

Elephantides meretrix, n.51. p.589

Elephas morbus, n.5. p.276

Ellebori umbra cæteris herbis noxia, n.7. p.273

Elisabeth sterilis ex natura & ex Senio, n.71. p.313

Elisabethæ Urbinatis Hermaphroditæ historia, numer.17. p.561

Elisæum septies supra mortuum se inclinasse, nihil demit de miraculo quod non semel tantum id fecerit, numero 8. p.286

Elusearе, n.5. p.209

Embrio hon est Homo, nisi habeat formam hominis, n.137. p.705

Empedocles quomodo pestem propulsaverit num. 8 p.265.

Empiema an excuset à recitatione divinorum, num 21. p.569. quid, & quando impedimentum afferat sumendi Eucharistiam, n.9. p.759

Empirici, Eorum audicia, n.7. p.448. toties errant, quoties se in curandis morbis immiscent, num.1. p.473. à ratione sunt alieni, n.2. ibid. antiqui tres fontes constituebant, unde remedia deprompebant, n. 3. ibid. puniendi si aliis morbis medcantur, quàm expertis in suis licentiis, n.5. ibid. Cur debeant esse irregulares. n.17. p.624

Endemii morbi, n.27. p.263

Energumeni qui, n.30. p.144. propriè vocantur Dæmoniaci, non Lunatici, n.2. p.151

Engastrimachi, n.37. p.153. cur sic dicti, ibid. eos vocari vult Valesius, qui ad sonum pelvis vaticinantur, ibid. inter Dæmoniacos recensendi, ibid. ad divinationem eos pertinere voluit Cardanus, ibid.

Ens unum habere duas formas totales substantiales est impossibile, n.45. p.692

Ens unum per se ex duobus entibus per se non potest fieri, n.48. p.693

Entia naturalia non possunt transire de uno esse ad aliud, nisi mutata forma substantiali, n.105. p.700

Entheastici qui, n.7. p.151

Vide *Enthusiastici.*

Enthimemate utens quomodo decipitur intellectus, num.25. p.120

Enthusiasmus quid. n.32. & 34. p.153. ex se generatur, & ex morsu canis rabidi, n.35. ibid. & seqq.

Enthusiastici à fanaticis secundum aliquos non differunt, n.31. & 34. ibid.

Entra quot sunt, tot etiam formæ, n.18. p.25

Ephemerum Colchicum saporis suavitate mirum in modum allicit, n.10. p.175

Ephippia an possit venenari, num.14. & 15. p.185. & seq.

Ephœbi qui dicantur, n.24. p.10

Ephylis quid. n.32. p.56

Epidemia omnis non est pestis, n.32. p.263. & n.1. p.264. est genus morborum generalissimum, ibid. & n.34. p.265. in ea vagatur certum morbi genus, n.36. ibid. in ea aër est alteratus secundum primas qualitates, sed non concepit qualitatem venenatam, num.38. p.264. qualis esse debeat, ut gaudeat pestis privilegiis, n.4. ibid.

Epidemia quid, n.9. p.672

Epidemiæ nomen quomodo sumatur in Bulla Pii V. numero 7. ibid.

Epidemii morbi, n.31. p.263

Epilepsia pluribus nominibus insignitur, n.14. p.144. quid sit, n.16. ibid. quomodo differat ab Apoplexia, ibid. levis vertigini finitima, n.11. ibid. in levi non procedunt, quæ procedunt in forti, ibid.

Epilepsia simulata quibus deprehendatur, n.6. p.154. dissimulata quomodo possit deprehendi, num.4. p.160. aliquando communicatur per contagium, n.5. p.276. est morbus hæreditarius, n.4. p.278

Epilepsia in pueris quando sit sanabilis, n.23. p.308

Epilepsia an excuset à publica divinorum recitatione, n.5. & quando excuset à Missæ celebratione, n.4. p.576

Epilepsia quibus ex rebus gravis dicatur, n.1. p.619. Symptomata quomodo ostendant eam gravem esse, n.2. & 3. ibid. quomodo gravis dicatur Epilepsia ex frequentia accessionum. n.4. ibid. Ex durationc paroxysmi, n.5. ibid. ex iis quæ relinquuntur post paroxysmum, n. 6. ibid. levis Epilepsia quæ dicenda, n.7. ibid. gravissima incurabilis, & cur faciat irregularem, n.8. ibid. n.18. p.631. an semper censenda est justa causa dissolvendi sponsalia jurata. n.18. p.773

Epilepsiæ sanatæ experimentum desumptum ex tempore quale esse oporteat, n.9. p.630. Spatium annuum in quibus Epilepticis tutum sit ad sumendum experimentum, n.10. ibid. Experientiæ quæ proponuntur ad probandum, utrum Epilepticus sit sanatus, neque tutæ neque certæ sunt. n.11. ibid.

Epileptici mortuis & absentibus æquiparandi, cùm in accessione sunt, n.17. p.144. extra accessionem quomodo habendi, n.18. ibid. non possunt eligi, nec postulari in Episcopos, n.22. ibid. non possunt obtinere beneficia ordinem requirentia, n.23. ibid. non possunt ordinari, aut ad sacra promoveri, n.24. ibid. neque promoti possunt ministrare, ibid. non possunt ingredi religionem, ibid.

Epilepticus quando possit resignare, etiam & vertiginosus, n.17. p.475

Epilepticorum filii irregulares, n.12.13. & 14. p.620. Nepotes Epilepticorum non minus quam filii dubium faciunt, an irregulares, n.13. ib. natus ex matre aut Avia Epileptica magis Epilepsiæ obnoxius, quàm natus ex patre, aut Avo Epileptico, n.14. ibid. quæ consideranda sint in nato ex Epilepticis, n.15. & 16. p.631. Si natus ex Epilepticis ad pubertatem usque sanus sit, quid dicendum, n.17. ibid.

Epimenides Gnosius, 57. annis dormivit, dehinc revixit, n.3. p.326. Nunquam comedit, ibid.

Epiphora quid, n.15. p.636.

Episcopus quidam solo Rosæ odore extinctus, num. 13. p. 165

Epistoæ tempore pestis quomodo admittendæ, num. 29. p.275

Equa decimestris parit, aliquando undecimestris, interdum annuo spatio, n.160. p.30. Absque mare aliquando concipit, n.40. p.72

Equas Hermaphroditas habuit Nero, n.15. p.560

Equæ nonnullæ pariunt post annum, n.106. p.30

Equæ, Sues, Dactipodes etiam prægnantes matrem admittunt, n.50. p.28

Eques quidam in digito medio sinistræ manus vulneratus petiit, n.15. p.374

Equorum cadavera occisorum in regione Cuzcumi impurres, & absque tetro odore servantur ad quatuor menses ac si nunc interempti essent, n.7. p.318

Equorum colores diversi, n.25. p.26. Differentiæ, ibid.

Equus temperamento calidus, n.34 p.27

Equus Cæsaris humanis pedibus, n.6. p.531. Equus & asinus quantum natura dissideant, num.9. p.536. Androgynus, n.24. p.554

Erasistratus Medicus Antiochi amorem versus Stratonicam quomodo deprehenderit, n.46. p.136

Erectio membri in coitu cur fiat, num.21. p.140. cur non fiat in mictione, num.12. ibid. Absque ea non potest quis coitum exercere, n.13. In ea plures concurrunt Spiritus, n.15. p.241

Eres Pamphilius post decimam mortis diem revixit, n.3. p.326

Eretria oppidum, n.20. p.61

Eruca umbra cæteris herbis noxia, n.7. p.273

Esitæ locus, n.5. p.24

Etesiæ, n.8. p.435

Et, conjunctio pro vel, n.20. p.81

Eucharistiæ assumptio impeditur aquæ vitæ assumptione, n.19. p.757

Eucharistiæ assumptio impeditur aquæ potu, n.9. p.753

Vide *Potus.* Vide *Aqua.*

Eucharistiæ assumptio impeditur Tabacco quomodocunque ille assumatur, n.19. p.754

Vide *Tabaccum.*

Eucharistia nonnisi jejuno stomacho sumenda, licet in quibusdam infirmis jejunium non requiratur, n.1. p.758

Eucharistiæ assumptionem prohibent plures morbi, num.2. ibid.

Nempè, Alienatio mentis. Apoplexia, Epilepsia, Suffocatio, seu strangulatio, Tussis, Asthma, sanguinis & puris sputum, Empyema, Deglutitio, Nausea, Vomitus, Singultus, Passio Iliaca, vel Ileos, Cholera, Lienteria, & affectio Cæliaca, &c.

Eucharistia quando exhiberi possit mente alienatis, ex S. Thoma, remissivè, n.5. p.759

Eventus certitudo requiritur in vera Propheria, num. 26. p.192

Eulæi fluminis aquæ levissimæ, n.19. p.424

Eunuchi vel nascuntur tales, vel ex accidenti tales fiunt. n.2. p.199. Aliqui utroque teste carent, alii uno tantum, n.4. ibid. Aliqui ita exiles testes habent, ut nulli usui esse possint, n.4. ibid. Ex Penis vitio qui sint. n.5. ibid. Arte quomodo fiant, n.7. & seqq. ibid. Ex morbo quomodo fiant, n.12. p.200. Aliqui ad Venerem habiles, aliqui non, n.13. ibid. Eorum conditio vilior, quàm Spadonum, ibid. à Spadonibus quid

INDEX

quid differant, num. 25. p. 201. Eorum appellatio generalis secundum aliquos, num. 27. ibid. Sunt malorum morum, num. 30. p. 202.

Eunuchi aliqui licet coitu utantur, & materiam quamdam emittant, matrimonium contrahere non possunt, num. 29. p. 231

Eunuchi etiam si Venerem exerceant à matrimonio prohibentur, n. 12. p. 223. Ex eorum coitu nunquam fit generatio; ibid. Etiam si materiam quandam emittant in coitu, non possunt contrahere matrimonium, n. 29. p. 231. Apti sunt ad matrimonium qui seminare possunt, n. 12. p. 240. propriè qui, num. 14 p. 241. Qui testibus dotantur, licet semen non ferant, non sunt dicendi Eunuchi, n. 18. ibid.

Eunuchi & Castrati quinam pro irregularibus habendi, n. 5. p. 647. Qui post pubertatem Eunuchi fiunt magis habiles ad omnia, quàm qui ante pubertatem, & qui Eunuchi nascuntur, minus quam cæteri omnes, n. 6. ibid. Virilitas medicaminibus amissa an faciat locum irregularitati, n. 8. p. 648

Eunuchissimus Turcarum, num. 8. p. 199. Per contusionem quomodo fiat, n. 9. p. 200. Medicamentis quomodo procuretur, n. 10. ibid.

Eunuchus dicitur quasi lecti custos, n. 28. p. 202. Dicitur ab eo, quod bonæ mentis sit, n. 29. ibid. Nullus inventus est, qui esset bonorum morum ex Avenz. num. 30. ibid. Eius nomen cui conveniat, n. 24. p. 201. non generans semen, & generans semen non est Eunuchus, n. 15 p. 713

Eunuchus cur dicatur Lactuca, n. 48. p. 210

Euphorbium ad Scorpionis ictus, n. 5. p. 181

Europæi inter se dissimiles magis quàm cæteri, numero 23. pag. 75

Ex, particula denotat immediatam causam, n. 3. p. 80

Ex nihilo nihil fit naturaliter, n. 13. p. 328

Exactio debiti conjugalis, aut tacita est, aut expressa, n. 11. p. 581

Exandescentia est iræ propago & affectus valde similis, n. 3. p. 123

Exceptio, mortis ex peste in contractibus societatum cur permissa n. 18. p. 75. Mortis ex partu cur permissa, n. 34. & 43. p. 84. Communis omnibus casibus, exceptis mortis ex partu, n. 85. & 89. p. 86

Exceptionis causa in contractibus societatum ex aliquibus Jureconsultis, num. 33. & 34. p. 76. Quando sit ei locus in morte ex partu, &c. n. 30. p. 79. Mortis ex partu, &c. non alterat contractum societatis, n. 1. p. 80

Exceptiones in societatum contractibus appositæ sociorum conditionem reddunt inæqualem, n. 1. n. 74

Excipere aliquos casus cur permitti potuit danti pecunias in societatem, n. 1. ibid.

Excrementa cum fœtu exeuntia quam habeant utilitatem, n. 12. p. 83

Excrementa animalium venenosa, n. 16. p. 188

Excretiones omnes cur naturaliter cum aliquo sensu fiant, n. 3. p. 237

Excretorum & retentorum respectu quomodo ab ægro peccari possit, n. 6. p. 665

Exemplo utens intellectus quomodo decipiatur, n. 24. p. 120

Exercitium tempore pestis quale conveniat, n. 16. p. 274

Exiccatio est putrefactionis quidam modus, à quo ars non potest corpora præservare, n. 6. p. 319. Est putrefactio, n. 46. p. 404. Est propriè ultima putredo, & annihilatio quorumlibet corporum, n. 47. ibid. & in quibus cadaveribus major, aut minor appareat, ibid.

Exigere debitum tempore menstrui an liceat, num. 11. p. 596

Exigere matrimoniale debitum diebus festis non est peccatum, sed est de consilio, n. 7. p. 581

Exilium perpetuum an sit pœna capitalis, n. 2. p. 494

Experientia ex unica non potest formari universalis Regula, Vide *Regula*.

Experimenta ad probandam præguantiam fallacia, & periculi plena, n. 56. p. 58. n. 18. p. 60. Ad idem, n. 54 p. 58. & n. 19. p. 61. Mizaldi ad idem, n. 13. ibid. Fernelii ad idem, n. 14. ibid. Aliud, n. 28. ibid.

Experimenta ad explorandam virginitatem, n. 17. & 18. p. 139. & seq.

Extraneum conjuncto qui præfert, prudenter non facit, n. 8. p. 115

Ezechias vixit contra Isaiæ Prophetiam, & quomodo id fieri potuerit, n. 26. p. 192. Sanatus est ex ulcere naturali remedio, n. 79. p. 313

F.

Fabii Pacii opinio de fœmineo semine, n. 30. p. 584

Facies soli homini propria, n. 12. p. 541

Facies in homine est sedes pulchritudinis, n. 21. p. 379. In ea nullus signari potest per *L. si quis in monasterium, C. de Pœnit.* ibid. Ejus cicatrices magis deformes, quàm reliquarum partium, n. 27. p. 580. omnium partium in homine pulcherrima, ibid. & num. 14 p. 411. Est sedes pulchritudinis, num. 31. p. 474

Faciei color quibus ingeniis adulteretur, n. 11. p. 246. Ejus pallor fraude procuratus quomodo detegatur, ibid. & n. 12. p. 254. Si per medicamenta intra assumpta adulteretur, quomodo detegi possit, n. 12. ibid. Ejus cicatrices pulchritudini obsunt, n. 32. p. 474

Factum aut dictum calore iracundiæ non tenet, num. 19. p. 124

Facultates sunt Animæ, & non operantur per se, sed Anima operatur per ipsas, n. 130. 2. 704

Facultates non sunt ab Anima separabiles, n. 131. ibid.

Facultates non migrant de subjecto in subjectum, n. 132. ibid. & n. 136. p. 705

Fallopius notatus, n. 24. p. 375

Famaugustæ pestis familiatis, n. 41. p. 269

Fama publica quomodo faciat conjecturam vulneris lethalis, n. 12. p. 383

Fames & mora bilem in natum conciunt, proverbium, n. 27. p. 344

Fames vini potione tollitur, n. 19. p. 363. & 28. p. 364. ejus nocumenta, n. 27. p. 344. habet gradus quosdam, n. 28. ibid. famis genera tria, ibid. ab appetitu distinguitur, ibid. Ecclesia non intendit famem morbosam jejunio inducere, ibid. ubi fames, laborandum non est, num. 5. p. 355. tolerantur facilius quàm fitis, n. 12. p. 363

Famescendum non est laborantibus, num. 1. & seqq. p. 355

Famis tormentum, n. 22. p. 480

Famis tolerantiæ terminus varius in variis animantibus, n. 3. & 4 p. 298. in homine tolerantur septem dies, non supra, ex Hippocrate, n. 3. ibid. nonnullis quinta die lethalis, aliis nona, ibid. dolore potentior, n. 5. p. 259. ratio supra undecimam absque vitæ dispendio tolerantur, n. 6. ibid.

Fanatici antiquitùs erant idem qui Dæmoniaci, n. 8. p. 151. qui propriè sunt, n. 9. ibid. Melancholicis non dissimiles qui per accessiones insaniunt, n. 12. ibid. nihil intelligunt, eorum, quæ prædicunt, ib. magis similes ebriis, n. 21. p. 152. tempore intermissionis insaniæ, ut sani habendi, ibid.

Farinacius notatus, n. 16. p. 166. & n. 23. p. 375

Fascinatio quid, n. 5. p. 617

Fascinum datur, n. 9. p. 190. Ejus divisio, ibid. & seqq. & n. 2. & n. 4. p. 617

Fatui à fando dicuntur, quia suam fatuitatem loquendo manifestant, n. 11. p. 115. & n. 31. p. 128. primum locum obtinent inter Dementes, n. 1. p. 127. Eorum divisio ex Jureconsultis, n. 10. aliqui exquisita rerum memoria pollent, n. 11 & 12. ibid. In certis rebus habent non mediocre judicium, n. 14. ibid.

Fatui primi generis quædam usu apprehendunt. n. 18. p. 128. à testificando in certis casibus non repellendi, ibid. ad testandum admittuntur, nu. n. 40. ibid. non prohibentur ab ingressu religionis, n. 21. ibid. à matrimonio non repellantur. n. 22 & 23. ibid. à quibus repellantur, n. 24. ibid. in delictis an excusandi, n. 25. ibid. pueris pubertati proximis æquiparantur, ibid. non ita in delictis excusandi, ut idem putri, n. 27. ibid. sunt magis quàm pueri doli capaces, num. 29. ibid.

Fatui secundi generis, n. 30. ibid. ab omnibus eliminantur, & in delictis excusantur, n. 36. p. 129. an matrimonio jungi possint, n. 37. ibid. an testari possint, n. 39. ibid.

Fatuitas quando potius præsumatur, quàm donatio, n. 7 p. 115. Ejus duæ species ex Cardano, n. 2. p. 127. primæ species signa, n. 11. ibid. prima species à Natura est, n. 16. p. 128. & n. 32. ib. unde fiat, n. 45. p. 129. præsumitur ex præcedente Apoplexia, n. 11. p. 143. Contracta ab ictu fulminis non habet accessiones, n. 8. p. 145. Ex longis morbis contracta est reparabilis, n. 4. p. 155. naturalis non potest reparari, ibid.

Fatum non est Monstrorum causa, n. 10. p. 532

Fatuus est qui futura loquitur, n. 13. p. 115. Statim indicet iram suam, n. 34. p. 125. ei non convenit mente capti ratio, n. 8. p. 127. est qui habet memoriam inordinatam, n. 33. p. 128. dicitur non habere cerebrum, n. 34. ibid.

Faucium inflammationes malignæ in Neapolitanis vagantes, n. 37. p. 264

Favonius ventus Occidentalis, n. 8. p. 435.

Favus quid, n. 10. p. 277

Febris quando fiat, n. 17. p. 78. non est morbus proprius partus, n. 40. p. 79. acuta fœtum vel interimit vel corrumpit, n. 86. p. 86. est causa & signum pernitiosissimum, n. 100. p. 87. per se interficit, n. 140. ibid.

Rerum notabilium.

Febris demonstrat prævium putredinem, n.5.p.179.non sequitur de necessitate ad venenum externum, ib. n.6. necessariò sequitur ad venenum ingenitum, n.7. ib. ad internam putredinem sequitur, ib. n.8.ib. est morbus gravis, n.14. p.195

Febris ardens, maligna & similes coitum & generationem impediunt, n.16.p.227

Febris non fit absque affectione cordis,num 34.p.268.quid sit, n.15.p.277.facilè simulari non potest, n.6.p.244. excitatur aliquando per fraudem, num.1.p.246 per fraudem excitata quomodo detegatur, n 3.p.247

Febris pestilens datur absque peste, num.34.p.263.datur absque contagio, n.21.p.266.intermittens an detur, num. 34. p.268

Febris ex qua quis moritur est magna, n.55.p.311

Febres omnes à jejunio excusant, num.23.p.360. etiam intermittentes in die intermissionis excusant à jejunio, num.24. ibid.

Febres intermittentes an intermissionis tempore excusent ab auditione Missæ,n.33.p.572.& quando excusent,n.10.& 11. p.576

Febres intermittentes,quartana simplici exceptâ, videntur inducere irregularitatem, num. 3.p.658. Hecticæ & symptomaticæ ex naturalium viscerum obstructione,an irregularitate inducant, num 3.p. 659. Levis febris quæ dicatur ad hunc effectum, ut non faciat irregularem, num.4. & 5. ibid.

Febricitantes interdum extra rem loquuntur,non tamen insaniunt,n.16.p.115

Febricula non dicitur febris, n 18.p.374

Febriens nec promoveri nec ministrare potest, numero 1. p.658

Fel quorundam piscium ad excitatem confert, numero 51. p.311

Feles tempore pestis non permittendi in domum ingredi, n.8. p.272

Felium aspectu quidam deterrentur,n.14.p.163. pili venenum sunt, n.30.p.169

Ferula proprium puerorum tormentum, n.6.p.494. ea usi antiqui ad plectendos servos, ib.

Fictrices quæ, n.19 p.556

Ficorum massa ad ulcera,n.79.p.315

Fici Martiali quid, n.4.p.340. non sunt crista, ib.

Ficus Indica comesta urinam sanguineam facit, numero 9. p.246

Fides sine charitate operatur, n.8.p.282. ea stabilita minor est miraculorum necessitas, n.2.p.287

Fides quam habet infirmus in Medico,magis operatur in ejus salutem quàm ipsa medicamenta, n.8.p.457

Fides quid, n.16.p 479

Fiducia, ib.nomen diminutivum à fidibus ib.n.16. quid, n.17.ib.apud Sacrodium quid, ib.

Figuræ nonnullæ maleficium procurare possunt ex aliquorum sententia, n.51.p.235

Filiationis probatio pene impossibilis,n.1.p.107.Ejus præsumptionem non facit similitudo, n.2.ib. ejus maximam præsumptionem debetet semper facere similitudo, numero 6. p 108

Filii naturaliter nasci debent similes parentibus; n.18.p.109. num.32.p.258. à parentibus dissimiles raro nascuntur, ib. num. 19.p.109. etiam in gestibus & loquela parentibus similes, numero 27.ib. eorum communitas in Republica à Platone desiderata, cur ab Aristotele reprobata, numero 7. p.110

Filii Dei *Gen. cap.6.*qui fuerint, n.9.p.547. non fuerunt viri staturæ procerx, n.10.p.547

Filius potius junioris viri quam senioris est præsumendus,n.6. p.110

Finem intendens intendit media ad finem, n.30 p.584

Finis deest, ubi deest perfectio,n.69.p.29.eo non carent,quæ à natura sunt, n.62.p.28.eo quæ carent casu fiunt, n.63.ibid. nullius assignatur cur homo incerto tempore debuerit nasci, n 66.p.29. eo nullum perfectum caret, n 70. ib. dicit omnis perfectionem, n.13.p.35.ubi repetitur, ibi & perfectio, n.14.ib.

Fine cessante ad quem privilegia concessa sunt, cessant ipsa privilegia, n.28.p.268

Flagellatio an occidere, & quomodo possit, n.9.p.382.per eam extincti signa certa dari non possunt, n.9.p.393. per eam extincti signa certiora,n 10.ib.

Florentiæ vulnera capitis maximè lethalia, n.31.p.376

Flumina quomodo civitates afficiant, num.14 p p.435.venenati non possunt, n 24.p.187.& cur, num.seq.
Contrarium, ib.

Fluvialis aqua cujus conditionis sit,n.51.p.429.omnium optima ex Cardano, n.54.ib.

Fluxus albus mulierum quando eas excuset à recitatione publica, n.14.p.574

Fluxus hepaticus,n.28.p.571

Fluxus longi Veneris usu sanantur,n.30.p.230

Fœcum incontinentia quomodo fiat, & an irregularitatem inducat, n.4.p.644

Fœmina propriè nubit, non vir, n.22.p 10.pubescit 12. anno, n.28.p 11.pubescit cum menstruatur, n.32. ib. anno 20. nubere debet vel 18.ex Aristotele, n.40.ib.citiùs mare pubescit, n.48 p.12.cur citiùs mare pubescat, n.52. & 58.ib. multo magis quam vir sanguine referta, n.50.ib. frigidiot viro, n.51.ib. imperfectior mare, n.53. ib. citiùs mare decrescit n.54.ib. citius mare generare desinit, n.56.p. 20. ejus imperfectio unde, n.55.p 12.exilibus pomis comparatur, ib. in ea multa dominatur humiditas, n.62.ib. generat usque ad 50 annum ad summum, n.57.p.20.generat eo tantum tempore quo menstruatur, ib. cur ante pubertatem & post 50.annum non generet, ib. quanto tempore menstruetur, ib. matrem refert, mas ut plurimum patrem. n.21.p.105.eadem aliquando septimestres,aliquando nonimestres generat, n.37.p.27.respectu sui ipsius aliquando modico, interdum multo sanguine abundet, n.39. ibid. non minus quam mas nono nascitur, n.54 p.28.plurimum decimo, mas nono nascitur, n.8.p.44.inter vivipara nihil quicquam per se generare potest, ut inter ovipara,n.4.p.70. tardius nascitur, quam mas, n.14.p.111

Fœmina muta res pretiosissima, n.22 p.101. nulla reperta est muta, n.23.ib.

Fœminæ aliquando penem emittunt, n.5.p.550. & quomodo id contingat, ib. per Clytoris spermatizantes, num 24. p.554.semen aliquando intrò, aliquando etiam foras emittunt,n.25.p.555.quomodo absque voluptate interdum concipere possint, n.32.p.586

Fœminæ Judæ quinquennes generantes, n.28.p.7

ex Fœminis vis duodecim pars anno 12. menstruatur, n. 34. p.11 in illis tutela maturiùs biennio,quàm in maribus legibus absolvitur, n.40.ib.nonnullæ septimestres peperisse se credunt, cum nonimestres vel decimestres generaverint, n.12 ib.

Fœminæ multo graviores ictus & graviora vulnera patiuntur quàm viri, n.29.p.376

Fœmina (Vide *Mulier*) est primum Monstrum in natura ex Aristotele, n.20.p.527.falsum, ib.si ex alia fœmina conciperet, quid generaret,n.24.p.554.neque habet,neque habere debet semen prolificum, ex Aristotele, n.17.p.582. si semen haberet activum posset ex se generare, n.18.ib.habet omnia instrumenta, quæ ad semen procreandum, perficiendum, asservandum & ejaculandum requiruntur, n. 20. ib.nisi concurrat activè ad generationem, falsò dicitur generare, n.25.p.583

Fœmina neque habet neque debuit habere semen, secundum Aristotelem, n.1.p.774
Contrarium, n.seq.

Fœmina non differt à mare suæ speciei in iis, quæ ad corporis nutritionem pertinent, n.2.p.775
Excrementum ultimi alimenti aggregatur etiam in fœmina n.4.ib. Contrar.n.5.ib.vid.n.7.ib.
Si quid in fœmina superfluit ultimo alimento, neque semen est, neque seminis nomen meretur, n.6.ib. vide n.8. ibid

Fœmineum semen ut masculeum efficientiam habet, num. 6. ibid.

Fœminei seminis efficientia unde habeatur, n.10.p.776
Vide *Semen.*

Fœmina à natura habet ut generet, & generet sibi simile,n.11. p.776

Fœmina absque proprio semine generat, n.14.ib.
Falsum, ib.
Si ex eo quod fœmina generet in ætate teneriori, deduci potest illam concipere sine semine, idem inferri poterit de mare in teneriori ætate generante, n.16.ib.
Tam menstrua, quàm semen eodem tempore in fœmina se produnt, n.19.p.777

Fœminæ sinistram uteri partem,mares autem dextram occupant,n.4 p.779
Vide *Mas.*
Tam in mare, quàm in Fœmina fortior ac debilior inest genitura, n.3.p.779

Fœminæ partus tardior, quàm maris, numero 16. pag.780

Fœmina tardiùs absolvitur in utero quàm mas, numero 12. ib id.

INDEX

Fœminæ, earum conditio in multis deterior est, quàm virorum, n.12.p.122. minus ebrietate tentantur quàm viri, & cur, n. 8 & seq.138. Castrantur, n.48.p.203. castratæ an redhibendæ, n.51.p.204. eas castrare magis operosum quàm viros, ibidem. excisis testibus maribus castratis similes fiunt, n.4 .p.203

Fœmina tempore pestis admittitur in testem in testamento, num 5.p.261. unico teste abscisso est impotens ad generandum, n.15.p.257. viro indebitè utens non dicitur sterilis, n.7.p.236. concipere potest ex semine viri circa vas effuso, n.7.p.240. Ejus agitatio in coitu impedit generationem, n.30.p.122

Fœminæ senibus matrimonio junctæ dicuntur Viduæ nuptæ, n.16.p.124. usu Periclimidis reddantur Eunuchæ, num.48. p.232. turpes & maritis crosæ consuetudine amabiliores evadunt, n.60.p.233

Fœminæ plures, quàm viri, longum jejunium toleraverunt, n.46 p.304

Fœminæ etiam suo modo sunt irregulares, n.1.p.659. Et quando irregularitas in illis habeat locum, n.1.ib.

Fœmina præsumitur prius mortua, quàm vir, ubi ambo simul eodem casu moriuntur, n.16.p.400

Fœminæ omnes moribus timidiores, ib.

Fœminæ subrogantur aliquando ad regenda regna in locum legis vivæ, n.44.p.524

Fœtor cadaveris est infallibile mortis signum, numero 58. p.331

Fœtor narium, Vide *Narium fœtor*.

Fœtor quam conjecturam in cadavere faciat celeritoris mortis, n.52.p.405. est soboles putredinis, n.53.p.406. dantur ejus aliqui gradus, ib.

Fœtus in utero non solùm animal est, sed rationis particeps, n. 12.p.3. ex alimenti copia majorem moram in utero trahit, n.4 .17. ultra septem quadragenarios in utero commorans vitalis non est, n.116.p.31. ante septimum est immaturus, n.15 p.32. ante septimum nascitur, ac si non nasceretur, vel nasceretur mortuus, n.17.ib ante septimum habet cum vita omnimodam repugnantiam ib. legitimus & vitalis quot diebus constare debeat, n.25 p.33. recentior diebus 182. nec legitimus nec vitalis ad Hippocratis mentem, n.26. b. debet constare ad minus 182. diebus, n.27.ibid. quanto minori spatio in utero moratur, eo imperfectior, n.38.p.34. ante septimum neque organizatur, neque articulatur secundum Mascard. n.40.ib. in 4. & ut plurimum in 3 totalem membrorum perfectionem acquirit, n.42. ib. homo non est, n.6. & 7 p.52. pro jam nato habetur, n.9.ib. nasci non potest vitalis, si per os nutriri non potest, n.41. p.37. quando ad nascendum stimuletur, n.53.ib. septimo non movetur eo fine ut nascatur, n.55.p.85. plerumque nono, vel decimo nascitur, n.56.ib. octavo ægrotat, n.58. ib, ad ejus perfectionem non minus spatium, quam novem mensium requiritur, n.6.p.39. quanto magis vitalis à nono distat, tanto imperfectior, n.7.ib. perfectior est magis vitalis, n.8.ib. in septimo ex utero exire cupit, n.13.p.40. non respirat in utero, n.10.ib. movetur quolibet mense, & non solùm septimo, n.21.ib in principio noni multos validos motus excitat absque eo, quod nascatur, n.24.p.41. quanto recentior eo magis à morbifica causa lædi potest, n.54.p.42. validior existit 40. dierum terminum transacto, num.36.ib. Illum debere singulorum mensium portionem apprehendere ut vitalis nascatur, falsum, n.15 p.44. quanto tempore ad summum portari posse, n.9. p.46. immaturus unde cognoscatur, n.1.p.48. non vitalis ex signis desumptis à fœtu ipso, n.8 ib. vitalis an sit septem horarum spatio deprehenditur, ib. vitalis conjecturæ, n.20.p.49. animatum delens cur magis puniendus, quam qui inanimatum delevit, n.20 21.17.19.p.52. inanimatus facilè abortitur, num.18. p.55. illi in utero multus superfluit sanguis, num. 22.p.65. quando facilius abortiatur, num.27.p.67. in utero mortuus matri mortem afferre potest, n.83.p.86

Fœtus tunc animam recipit, cum perfectè organizatus est, n.2.p.686

Fœtum humanum non illicò Rationalem Animam recipere, communis opinio est, licet de tempore non omnes concordent, n.3 ib.

Fœtus humanus per nullum unquam tempus ab alia Anima regitur, quam Rationali, n.99.p.69

Fœtus non à principio conceptionis animatur secundum leges, n.14.p.702

Fœtus exsectus quis dicatur, n.1.p.709

Fœtus ab utero matris exsectus non oritur aut, nascitur, n.6. p.710

Fœtus adhuc in utero existens dicitur partus, numero 7. ibid.

Fœtus dici debet abortivus, qui non potest dici nasci, num.31. p.715

Fœtus septimestris exsectus, non est pro vitali habendus, ut alii septimestres, n.18.p.713

Fœtus dicitur genitus cum primum in utero conceptus est, n.2.p.777

Fœtus quando & quomodo nascatur, n.2.p.778

Fœtus quò fortior est, eò magis in elatione uteri materni parte se sustinet, n.3.ib.

Fœtus ob fortitudinem virtutis ortum accelerant, numer. 7. p.779

Fœtus quò fortior, eò celerius augetur, n.10.p.780

Ex celeriori motu ipsius fœtus major calor arguitur, n.13. ibid.

Vide *Motus*.

Fœtui nascendi necessitas imponitur defectu alimenti, n.14.ib.

Vide *Alimentum*.

Fœtus quomodo ex defectu Alimenti in utero nascatur, n.15. ibid.

Fœtui imponit necessitatem nascendi respirationis necessitas, n.17.ibid.

Vide *Respiratio*.

Fœtus in utero per arteriam umbilicalem ad matris respirationem transpirat, nam respirare non potest, numero 19. ibid.

Fœtus in matris utero non minus, quam extra uterum, morbis est obnoxius, n.2.p.781

Fœtus exsecti à matris utero, non minus, quam qui naturaliter nascuntur, pro natis habendi sunt, numero 6. p.783

Fœtus vix tres uno partu nasci possunt vitales, n.8.p.40. fœtus 365. uno partu editi, num.7.ib. singuli singulis vicibus in humana specie nasci debent, n.25.ib.

Fœtus neutro sexu conspicuus, n. .p.550

Fontana aqua an pluvialis præferenda, n.56.p.429. cur non putrescat cum sit optima, n.61.p.430

Fontes venenans capite punitur, n.5.p.185

Forma & Natura idem sunt, n.17.p.25. dat esse rei, n.18.ib. & n.13.p.52. est causa, quod omnis res sit una, n.19.p.25. est à qua res est ib. quod est, n.20.id unam habere duo individua est impossibile, n. 21.ib. perficit, n.46.p.34. non potest introduci, nisi in subjectum dispositum, n.43.ib. non solum dat esse simpliciter, sed esse individuale, n.14p.52. & mutata interimitur substantia n.15.ib.

Forma est actio agentis, num.26.p.584. sequitur interdum naturam ejus, quod mater in generatione subministrat, numero 27.p.584. non sequitur naturam materiæ, n. 28. ibid.

Forma materialis est inseparabilis à materia, numero 16. p.688

Forma substantialis non suscipit majus & minus, numero 55. p.693

Forma separata à materia sequitur compositi corruptio, n.64. p.604

Nihil est simpliciter unum, nisi per formam unam, n.104 p.699

Forma substantialis mutata entia naturalia possunt transire de uno esse ad aliud, n.105.p.700

Formæ perfectioris debet esse perfectius susceptibile, n. 113. p.703

Formationis omne principium à matris semine, n.5. p.70. quomodo intelligatur, n.24.p.71

Formatrix facultas in uno magis, in alio minus potens, n.52. p.28. ob formationis terminum varium necessarium fuit homini vario tempore nasci, n.4. ib. formationis varietas communis est homini cum bestiis, ib.

Formatrix facultas non solùm in semine, sed etiam in menstruo, n.3. p.100

Formositas fœminæ etiam impotentes incitat ad coitum, n.19. p.222

Nihil communicare potest fœtui, quod ortum acceleret, n.6.p.782

Ex matris formositate arguere, qui ex Gemellis sit prior natus, inane est, n.5.ib.

Fornaces an aëris salubritati noceant, n.15.p.442

Fortunatus fidelis Medicus dictus, n.7.p.35

Fracastorius erroris notatus, n.4.p.149. & numero 8. & 28. p.151

Franciscus Ordelaffus venenum habuit, quod super carbones projectum astantes omnes occidebat, numero 10. p.185

Franciscus Nicolaus Petra Under Helveticus viginti annis sine cibo vixit, n.18.p.501

Frater fratri frequentiùs similis, quàm filius parentibus, num.18

Rerum notabilium.

n.18.p.105.frattem fratri nasci similem à natura est, n.15. ibid.
Fraus scienti & volenti non fit, n.6.p.191
Frenesis, Vide *Phrenesis*.
Frequentia hominum tempore pestis noxia, Vide *Pestis*.
Fricatrices quæ, n.29.p.556
Frictices, ibid.
Frigiditas potest à natura, & à morbo esse, n.2.p.229. probatur per corporis aspectum, num.20.ib. declara ut num.21. p.230. Ejus signa, numer.22.ib. Ejus signis præsentibus de maleficio non dubitandum, num. 27.ibid. ob eam concludenter probatam, illicò matrimonium dirimitur, non expectato triennio, ib. & n.40.p.232. non cadit in mulieres, & cur, num.31. & 32.p.231. mulieri in quibus obstet, n.35. ib. in muliere ex quibus obstet, n.35. in muliere ex quibus signis habeatur, n.36.ib. mulieri, nulli rei impedimento est, quoad matrimonium validè contrahendum, ib. naturalis est irreparabilis, n.37.ib. ejus præsumptio habet magis esse, quàm maleficii, n.43.p.232. naturalis sit, an accidentalis, ex quibus cognosci possit, n.8.p.722. accidentalis quomodò cognoscatur, an curabilis sit necne, n.9.ib
In senibus omnes frigiditas species observantur, num. 13. p.723. naturalis nullum remedium admittit, num 5.p.764. ob ætatem graviorem non habet remedium, num.6.ibid. accidentalis unde fiat, & quando sit absque remedio, n.7. ib. non cadit in mulierem, quoquo modo intelligatur, n.15.p.765
Frigidæ mulieres quæ dicendæ, n.35.p.231
Frigidi qui dicantur, n.1.p.720.
Frigidus uni est frigidus alteri, n.3.ibid.
Semifrigidi qui, quid de illis sentiendum, numero 21. p.725
Frigidus qui est ex sua natura, maleficium non cadit in eum, n.22.p.766
Vide *Maleficium*.
Frigidi qui arrigunt, sed semen non effundunt, non possunt matrimonium contrahere, num.10.p.223. qui dicantur, num. 1.p.229.à maleficiatis quomodo differant, n.5. & 7. & 15.p.225. & 230. aliqui arrigunt & venerem exercent, sed semen non emittunt, num.8.p.229. Eorum plures differentiæ, n.8.ib. aliqui antequam ad opus perveniant polluuntur, & n.10. & 15.ib. & 230. aliqui semen emittunt, sed arrigere non possunt, n.12.ib. cur de facto inter se multum differre debeant, n.14.ib. possunt certò pro frigidis cognosci, num.18.p.230. aliquando arrigunt, num. 23.ib. coitum exercentes, sed semen nullius valoris emittentes an validè matrimonium contrahant, num. 28. ib. semen effundunt ante opus, quando frigidi, n.16.ib.
Frigidus non est, qui aliquo modo arrigit, numero 11. p.229
Frigidus dici non potest qui non potest cum una coire, si cum aliis potest, aut si cum una potest, cum aliis nequaquam, n.27.p.230
Frigidus materiam contingit, n. 17.p.105
Fructus non suscipiunt pestis contagium, n.29. p.248
Fructus nihil pene nutriunt, & facile corrumpuntur, num.4. p.346
Frumenta non suscipiunt pestis contagium, numero 29. p.275
Fuchsius notatur, n.10.p.17.& n.18.p.198
Fugere à pestilenti loco licitum, n.9.p.262
Fuisse non dicitur qui parum stetit, n.20.p.52
Fulmen macrocosmi in microcosmo quid sit 3. p.145
Fulmine ictus veluti Apoplecticus cadit, n.2.&3. ib. infatuatur, n.4.ib. ut Apoplecticus habendus n.5. ib. resipiscens quomodo tractandus, n.6.ib. actum prudentem faciens signum præbet recuperatæ sanitatis, n.7.ib. non habet dilucida intervalla, 21.p.157
Fulmine non percutiuntur dormientes, n.8.p.395
Fulminatorum signa, n.7.p.394.& seq. non omnes fulminati pereunt ab ictu fulminis, sed aliqui ex timore, n.8.p.395. cadunt in partem, unde fulmen venit, n.8.ib. eorum cadavera putrefactioni non sunt obnoxia, n.9.ibi. eorum cadavera leviora evadunt, n.10.ib.
Fulmine extincti quomodo suffocentur, n.10.p.398
Fluvius Stella equæ se commiscuit, atque inde puella specio. sissima nata, n.13.p.538
Fumus nunquam potest habere rationem potus, & multò minus rationem cibi, n.30.p.755
Fumosa omnia amara, n.31.ib.
Functiones naturales quomodo morbos causent, numero 17. p.78
Funis tormentum Vide *Chorda tormentum*.
Fur quidam insignis in corde ulcus habuit, n.21.p.374
Furentes ex utero ut cæteri insani habendi, numero 12. p.158
Furiosus casu agit quod agit, num.23.p.5. ejus actus prudens valet, num. 28.ibid.& cur, ib. in eo intellectus imperfectio à morbo est, & ideo intermittere potest, numer.29. ibid.
Furiosi in quinque species distincti ex Cardano, n.20. p.147. tanquam mortui habendi, n.21. ib. lapidi æquiparantur, n.22.ib. tempore intermissi furoris testari possunt, n.24. ib. prohibentur ab administratione ad sacra, & ab aliis multis tempore interim ssi furoris,, n.28. ib. non puniuntur de his, quæ tempore furoris egerint, n. 29.ib. excusantur à pœna, num.30. ib. resipiscentes si tantum habent id quod furentes egerint, non excusantur, n.31.ib.
Furiosus sanatus facillimè relabitur, n.17. ib. sanæ mentis factus non potest testificari his, quæ tempore furoris vidit, n.28 ib.
Furor probatur per ea, quæ in hominem sanæ mentis non cadunt, n. 25.p.116.fit ab humore non naturali n.10.p. 132. in eo inquies, in melancholia quies, n.16.ib. est justissima causa divortii, ad quod tamen non sufficit simplex dementia, n.4 p.769
Furor uterinus mulierum morbus, n.7.p.158.quid sit, num.11. ibid.
Furor à melancholia quomodo differat, n.4.p.251
Furore uterino laboranti uxori an sit reddendum debitum, n.9.p.604
Furnus vicinis an incommodet, n.14.p.442
Fuscinalis piscatio, n.14.p.432
Fustigatis quæ cura adhibenda, n.10.p.495
Fustigationem quæ impediant, n.8.ib.
Fustuarium n.8.ib.
In Futurorum prædictione Ars & Natura vim habent, num.5. p.289. ea est perfectioris intellectus, num.33.p.293.& 37. ibid.

G

Gagates lapis ad Virginitatem deprehendendam, num.17. p.338
Galeni opinio de similitudine, n.3.p.100
Galenus nullum vidit natum minori spacio 184. dierum, n.36. p.33.& seq.
Galenus dormiens per stadium ambulavit, n.30.p.141. notatus, n.4.& 6.p.148
Galenus nihil pene in Arte Medica reliquit intentatum, n.1. p.243. cujusdam servi malitiam quomodo detexerit, n.3. ibid.
Galeotti Martii opinio de sanguine manante ab occiso coram occisore, n.14.p.489. reprobatur, n 16.ib.
Gallico morbo affecti peste non corripiuntur, numero 30. p.78
Gallico morbo affecti ex quibus deprehendantur, n.6. p.260.
Gallicus Morbus quid, n.15.p.277.eo affectæ conjugi an teneatur sanus reddere debitum, n.26.p.289.cum affectis eo morbo rem habentes aliquando non inficiuntur, & tamen alios inficiunt, n.28.ib.
Gallicus morbus non ex una tantum causa irregularitatem inducit, n.1.p.657.Ejus duæ species ex Mariolo, n.2.ib. tres ex distinctione Authoris proponuntur, & in quanam locum habeat irregularitas ostenditur, n.3.ib. An Morbus Gallicus, qui nullam exterius de se significationem præbet irregulares faciat, n.4 p.657. Irregularitas in morbo Gallico ducitur ex iis quæ exterius apparent, & quænam ea sint, n.5.ib. Exterius apparentia in Morbo Gallico ex diverso capite inducere debent irregularitatem, num.6. ib. Morbus Gallicus si celari facilè possit, an arceat à sacro ministerio, num.7. ib. penis ex morbo Gallico deperditus an irregularem hominem faciat, num.8.ibid. Raucedo perpetua ex morbo Gallico contracta an inducat irregularitatem, n.9. ibid.
Gallicus morbus dicitur gravis, n.20.p.195
Gallicus morbus an excuset à jejunio, n. 30.p.361
Gallicus morbus qui excusat à divinorum recitatione, num.35. p.572.videtur cum lepra convenire, n.2.p.602.novus morbus non est secundum aliquos, ib.
Gallina si frumento venenoso nutriatur, venenosa evadit, n.41. p.170
Gallinæ alias Gallinas calcantes, n.24.p.554
Gallos quos appellat Alexander, n.25.p.201
Gallum Germanicus aspicere non poterat, n.14. p.175.ejus visum non sustinent Leones, n.15.p.164
Gallus corde bicipiti, n 8.p 526. visu leoni terrorem inducit n.3.p.617
Gangis accolæ absque cibo viventes, n.8 p.p 399
Gargaeon, n.28.p.208

INDEX

Gastromantia, n.38.p.155
Gaudendum tempore pestis, n.19.p.175
Gellii ad Homeri locum de annuo partu sensus, numero 11. p.46.
Gemelli pauci servantur, n.9.p.50. & n.9.p.48. diversi sexus variis involucris clauduntur,& cur,n.14.p.64 simillimi sunt n.16.ib. & cur,n.11.p.104. etiam si sexu distincti sunt,tamen absoluti nascuntur,n.15.p.65.eodem die nascuntur,n.48.ib. suspicione non vacant, n.9.p.48.in eorum partu etiam mares periclitantur, n.14.p 49.aliquando variant in nascendi tempore, n. 13.p 64.utrique aliquando eodem involucro clauduntur, interdum uterque suum habet, ib.
Gemelli ex uno eodemque coitu gignuntur, numero 2. p.770
Ex gemellis prior conceptus secundum aliquos posterior nascitur, n 6.p.777
Vide *Conceptus.*
Quanam ratione eveniat secundum aliquos, ut qui ex Gemellis posterior fuit in conceptione, prior sit in nativitate, n. 1.p.778
Ex gemellis qui prior conceptus est, prior nascitur, num.1. p.779
Qui ex gemellis ptior concipitur, ex ptiore genituræ ejaculatione concipitur, n.5.ib.
Ex gemellis prior conceptus à majori calore regitur, n.11. p.780
Non videtur possibile, quod ægrotante uno ex gemellis,& maximè robustiori, alter incolumis servetur, numer. 3. p.781
Gemelli unius ægritudo non necessariò alteri communicatur, n.7 ib.
Eo ipso quod alter ex Gemellis prior nascitur, primogenituram acquirit, n.1.ib.
Vid *Primogenitus, Primogenitura.*
Bene procedit ex majori fortitudine arguere quis ex Gemellis sit prior natus, n.4.p.781
Ex majori formositate arguere quis ex gemellis sit prior natus, inane est, n. 5.ib.
Vide *Formositas.*
Ex vera pulchritudine præsumi potest, uter ex gemellis sit prior natus; ex falsa contrarium, n.14.ib.
Vide *Pulchritudo.*
Gemelli exsecti à matris utero, an pro natis habendi sint n.1. p.783
Potest aliqua præsumptio haberi de exsectis gemellis, quis prior nasci debuisse, n.7.p 783
Ex majori fortitudine alterius ex gemellis præsumi potest, illum primò nasci debuisse, n.8.ib.
Non est idem casus de gemellis exsectis, & gemellis natis, de quibus dubitatur, quis eorum prior natus sit, n.10 p.783. & seq.
Gemelli ambo in casu dubio nati dicuntur, in gemellis exsectis nullus natus dicitur, n. 11.p.784
Gemini difficillimè servantur,n.11.p.601
Generandi aptitudo semper præsumi debet ex parte junioris, n.7.p.110
Generandi impotentia quid, n.8. p.111.plures potest habere causas, n.9.ib. & quæ sint, n.13. p.111.ad annum 15. ut plurimum durat in manibus, n.19.p.114.ex vitio apparenti, n.14.p.115.durat in convalescentia, n.17.p.117
Generandi potentia serius advenit, maturiusque absolvitur quàm potentia coeundi, num.17.p.114. penes quem præsumendi, n.15 .p.115.in fœmina terminatur ut plurimum 45. anno, n.17.ib.
Generandi spes ex coitu est, n.14.p.111
Generans geniti formam procreat,n.15.p.583. dicitur id,quod dat corpori generatio suam formam,& omnia consequentia formam, ib.
Generant aliqui usque ad 65.annum, n.51.p.19
Generantes ante terminum communem pubertatis non amplius pueri vocandi, n.31.& 36.p.7. & 43.ib.
Generare potest homo ea ipsa nocte, qua moriturus est, n.10. p.117
Quod generatur ab aliquo & idipsum quod generat, sunt idem specie vel genere, n.14. p.688
Agens extrinsecum non potest generare corpus simile genitori ipsius seminis,n.16.p 689
Vide *Agens.*
Non potest à re cotruptibili res incorruptibilis generari, n.41. p.691
Generari ex materia non idem est ac traduci ex materia,n.49. p.693
Quod aliqua ratione generatur est corruptibile, num. 50. ibid.
Quæ generabilia & corruptibilia sunt, Naturæ à Deo commissa sunt, n.7 6.p.697
Generabile non est quod est immortale, numero 86. pag. 698
Quod fit, & non generatur, per solam creationem fieri necesse est, n.87.ib.
Quod non est, non generatur, non enim est unde generetur, 94.ib
Quænam sit differentia inter Generationem cæterorum viventium & hominis,n.161.p.699
Generandi impotentia in mulieribus fit, cùm per ætatem menstrua fluere desinunt, n.5.p.741
Generandi impotentia in mulieribus aliquando evenit ob corporis insignem refrigerationem, n.6.ib.
Vide *Impotentia.*
Omne Generans generat sibi simile, n.12.p.776
Quod generatur, non potest à materia habere ut per eam sit id quod est, sed tantum à forma, numero 14. ibid.
A Natura habet fœmina ut generet, & generet sibi simile, n.11.ib.
Vide *Fœmina.*
Generare dicuntur mulieres cùm concipiunt,non cùm pariunt n.3.p.777
Vide *Mulier.*
Generarunt quidam membro quasi abscisso, numero 4.p.240. ad generandum unusquisque præsumitur habilis, num.10. p.241
Generat nullus matem supra annum septuagesimum, num.55. pag.20
Generatio quæ inter hominem & brutum illam impedire possint, n.16.p.539.absque semine non fit, n.18 p.582.eam non impediri in nulla coeundi ratione, dummodo coitus naturali modo fiat,falsum, n.19.p.588
Generationem impedientes causæ in fœmina sunt permultæ, n.16.p.222.ex parte viri simul & uxoris quæ sint,n.28.ibid. Generationem impediunt odia inter conjuges, n.19.ib. Generationi confert coitus belluarum modo celebratus, n.22. p 238.contrarium vide ibid.
Generationem filiorum impedientes conjuges peccant,n 15. p.582
Generatio omnium viventium sublunarium Naturæ à Deo commissa est, etiam Hominis quoad corpus, numero 134. p.707
Generatio quando impeditur Penis tortuositate, numero 3. p.738
Vide *Penis.*
Generatio quando impediatur Penis brevitate, numero 1. p.731
Generatio an, & quando impediatur Penis nimia longitudine, n.2.p.738
Ad Generationem non sunt apti pueri, & puellæ,etiam sint apti ad coitum, n.2.p.741
Generatio an & quando impediatur nimia pinguedine, n.15. ibid.
Vide *Pinguedo*
Genitale extra se prodiens cum testibus, masculinum sexum ostendit, n. 18.p.552
Genitalium constitutio in viro quomodo faciat præsumptionem suppositionis partus in muliere : numero 12. p.556
Genitura inest fortior,ac debilior tam in mare,quàm in fœmina, n.3.p.779
Genitura prius emissa fortior,quam quæ posterius ejaculatur, n.4.ib.
Genevæ pestis per septennium durans, n.44.p.169
Gibaldinus notatur, n.9.p.672
Gibbosi non prohibentur à sacris, nisi magna adsit deformitas aut debilitas, n.5.p.650.Gibbositatis species tres, n.6. ibid. & in quanam illarum major aut minor insit deformitas,vel majus aut minus sanitatis detrimentum, quæque propterea facilius aut difficilius dispensari possit num.7.& 8. ibid.
Gigantes verè fuisse non est dubium, n.34.p.529.cur de præsenti non generentur. ib.Eorum nonnullæ historiæ, ibid. non nati ex incubis, n.9.p.547.& n.12. ib.Eorum generatio *Genes.cap.*4. n.10. ib.nati aliquando ex parentibus staturæ mediocris,n. 13.p.548
Gingivæ ulcera quænam faciant irregularem, numero 6. p.640
Glans imperforata an, & quando generationi obstat, num.4. p.738
Glande imperforata si quis sit, & foramen sit in radice virgæ, an possit matrimonium contrahere, n.5.ib.

Glandis

Rerum notabilium.

Glandis occlusio à morbo quæ incommoda habeat, num. 6. p.739
Glaucedo, n.27.p.211.quid sit, n.32.ib.
Glaucoma, n.27.p.211.
Glaucoma quid & quando inducit irregularitatem, numer.12. p.636
Glires totam hyemem ducunt absque cibo, numero 11. p.299
Glossa in l.Intestato, menses solares accipit, n.28.p.33. in *l. cum quidam, ff.de aquirend. hæreditat.* contra Alex.opinionem defenditur, n.4.p.66. & n.23.p.67
Glossæ intellectus ad *l. ob quæ vitia §.Illud erit advertendum.* notatur, n.4.p.195. notatur, n.36.p.281.Ejus intellectus ad *l.vel proterui, & l.Mutum, ff.de Ædil.ed.*notatur, num.30. p.204.*in l. Quæritur § si quis Antiadas*,notatur,n.15 p.215. *in l. Varicosus*, notatur, n.14.p.215
Glossa marginalis, notatur, n.6..p.209
Glossa *l.Quid si nolit, ff.de Ædilit.Edict. in verbo. adhibuit Medicum*, notatur, n.6.p.373
Gonorrhœa virulenta est symptoma ut plurimum præcedens, aut concomitans morbum Gallicum, n.4.p.603.duplex,n.5. ibid. vera quid, ib.& quid falsa, ib.
Gonorrhœa vera quid, & an faciat irregularitati locum,n.2. p.647. Pseudogonorrhœa quid, n.4.ib.
Gracilia corpora obæsis sunt calidiora, n.36.p.403
Græci aliquando numero plurali pro singulari utuntur, n.21. p.47
Grandinis, seu ex grandine aquæ pejores, quàm ex nive,n.48. p.428
Gratia gratis data cum peccato stare potest,n.7.p.281
Gravida torqueri non potest, 2.p.55. bannita occidi non potest, n.4.ib. multis gaudet privilegiis, n.5.ib. Ejus uterus si coitu multum delectetur, dehiscit, & dehinc concipere potest n.18.p.64 quanto tempore gravida dicatur, num.31. p.82.acuto morbo laborans quasi ex necessitate abortit, num.87.p.86
Gravidæ non creditur asserenti se esse, aut non esse gravidam, n.45. p.58
Gravida quædam sex heddomadis nihil comedit, numero 21. p.301. in ea apparere possunt notæ Virginitatis, numero 4. p.337
Gravida vide *Pregnans.*
Gravidæ mulieres menstruis obnoxiæ, 31.p.56.omnibus quædam incommoda familiaria sunt, n.72.p.85
Gravidæ à jejunio excusantur, vide in verbo, *utero gerentes.*
Gravidæ mulieres per quæ vasa spermatizent, n.11.p.608
Gravidis an liceat sanguinem ex inferioribus venenis detrahere,n.17.p.462. à tormentis Gravidæ eximuntur, num.5. p.462
Graviditas conceptio naturalis est, num. 32.p.83 & seqq. est res naturalis,num.33.ib. aliquibus est inimica, num.72. p.85
Gravitas proptia est constantis ætatis, n.17 p.17
Grillandus notatus, n.3.p.165
Guamerius Medicus ex esu carnis porcinæ symptomata patiebatur tanquam à veneno assumpto, n.7.p.175
Gulæ timor duplex & quando inducere debeat irregularitatem, n.4 p.650
Gurgulio, n.28.p.208
Gutta serena, n.26.p.212
Gynantrophi,n.6.p.550

H.

HAbilis unusquisque præsumitur ad coëundum, num. 9. p.242
Habitus viri qui patet præsumitur, quam faciat conjecturam suppositi partus, n.10.p.256. mulieris potest facere conjecturam suppositionis partus, n.19.p.257 ex habitu utriusque Conjugis quæ Conjectura desumi possit suppositionis partus, n.49.p.258
Habitudo bona ipsa sanitas est, & quæ sit, n.16.p.399
Habitus corporis quam præsumptionem faciat celeriοris mortis in eo, qui simul cum aliis eodem casu petiit, n.15. p.398
Habitu peste infecti inficiunt alios, n.19.p.266
Hamatoria piscatio, n.14.p.432
Hamotrahonia piscatio.ib.
Haustus aquæ nihil demit de bonitate aquæ, n.3.p.431
Hayt fera Inda sine cibo vivit,n.11.p.299
Hæreditas defuncti ad uterum pertinet,n.1.p.53
Hæmitritæus Romanis familiaris, n.26.p.263
Hæmorroides quid sint, & quales sint morbi venarum de quibus dubitari possit an irregularitatem inducant, num.6. p.645.Hæmorrhoidum dolor quando faciat hominem irregularem, n.7.ib.Apertio an & quando indicat irregularitatem, n.8 ib.
Hæmorrhoidalium venarum morbi, qui excusent à divinorum recitatione, n.27.p.570
Hebetes qui, n.6.p.117
Hebetudo quid,n.7.ib.
Hectica febris in suo exordio levis est, n.9.p.195
Hectica febris contagiosa, n.13.p.277.quid sit, ib.
Hector apud Homerum moribundus Achilli mortem prædicit, n.17.p.291. Ejus cadaver incorruptum miraculosè à Diis fingitur servatum, n. 26.p.321
Hecuba in canem versa, n 43.p.147
Helias miraculosè jejunavit 40.diebus, n.1.p 298
Henrici Kornmanni opinio reprobata,n.11.p.347
Hepar est sedes concupiscibilis, n.13.p 134
Heparis morbi à jejunio excusant,n.21.p.360
Heparis morbi de quibus dubium esse potest, an hominem irregularitati subjicant, n.8.p.645
Hepatici, n.28.p.571
Herba quædam sudorem sanguineum eliciens, numero 12. p 246.
Herbæ nonnullæ vicinitate noxiæ tempore pestis, numero 7. p.274.
Herbæ venenosæ, n.7.p.188
Herbarum quarundam cineres reviviscunt, & in sui generis plantam remeant, n.4.p.326.
Herbæ omnes mali succi sunt, n.4.p.147.eas Antiqui in morbis etiam crudas concedebant, n.13p.348. Vide in verbo *Olera.* Quædam adnascentes an ad aquæ bonitatem faciant, n 44.p.417
Hercules à Theocrito cur vocatus Tardè genitus, n.23.p.45. fuit decimestris, n.13.p.47. Ipsius & Ephicli historia, n 12. p.63
Hercules Epilepsiam passus, n.19.p. 44. venenatis indumentis occisus, n.13.p.185
Herculeus morbus, n.14 p.144.
Hermaphroditi qui, n 1. p 242.eorum plura genera, n. 2.ib. Eorum impotentia unde,n.3.ib.
Hermaphroditi cujusdam perfectioris historia, numero 17. p.561
Hermaphroditi qui, n.1.p.549. Eorum quatuor species, ib. Variæ eorum distinctiones, n.3.ib.à conformatione genitalium quomodo distinguantur, n.4.p.549. A situ distincti, ib. à potentia coëundi distincti, ib.qui instantibus menstruis Penem exerunt Mares sunt, ib.semper unum sexum tantum, irritum alium habent,ex Aristotele, num.6.p.550.in neutro sexu, ut plurimum Generationi apti,n 8.ib. prævalent in sexu qui à dextris est, ib.pro monstris habiti, n.10. ib.monstra non sunt,n.11.p.551.qui in nullo sexu sunt conspicui, in censu Eunuchorum habendi,n.13.ib.qui sunt irregulares, n.14. ib.qui Mares aut qui fœminæ sint, n.16. p.552. Eos nunquam purgari falsum, n.17.ib.qui in fœminas abierunt, n.21.p.553
Hermaphroditorum plures species, n.15 p.640. Quidam nascuntur Hermaphroditi, aut tales judicantur ob latentia virilia cum mares sint, num.16.ib. Hermaphroditi fœminei sexus, & hujusmodi perfectissimi Hermaphroditi descriptio, n.17.ib. Hermaphroditi omnes irregulares, n. 18. ib. nisi quod dubium moveri potest de eo Hermaphrodito, qui penitùs de fœmineo sexu non incalescit, 10. & 20. p.649
Hermaphroditus utroque sexu perfectus an dari possit, n.24. p.554.& n.30.p.556.in utroque sexu potens,n.24.p.554.an sit irregularis, n.35.p.558
Herniæ quomodo diminuant coitus potentiam, numero 12. p.732
Herniæ quæ generationem impediant, n.11.p.740
Herniarum plures species, & quænam videantur posse inducere irregularitatem, n.9.p.640
Hernioli an excusentur à divinorum recitatione,n.31.p.572,& an excusentur à recitatione publica, n.9.p.574
Heroes omnes secundum Platonem ex amore Deorum erga mulieres, vel Dearum erga viros nati,n.8.p.8.p.546
Hesiodus de pubertate, n.38.p.11.Ejus authoritas magni momenti, num. 39.id. Ejus locus in Theologia, num.11. & 12.p.47.& seq. aliis in Herculis clypeo, ib.Boethus fuit, n.15.p 47
Hieronymi Vecchieti explanatio de Filiis Dei,*Gen cap.*6.diluitur,n.10.p.547
Hippocentaurus sub Claudio Cæsare visus, n.23.p.538
Hippocratis authoritate leges septimestrem pro legitimo acceptarunt, n.2.p.51. de aliquibus dubitabat, an utero gererent, necne,n.14.p.60.contrarias sibimetipsi circa gemellorum involucres,n.15.p.64.quomodo loquatur cum partum succe

INDEX

ſuccedentis morbi cauſam fuiſſe credit, n.3.p.88 partum & prægnantiam pro morborum cauſis adducit, n.34.p.96. vix in vigeſima parte hiſtoriarum, quas enarrat, cauſas morborum adducit, n.35.ib. tam internarum, quàm externarum cauſarum aliquando meminit. ib. Cur de prægnantia & partu in enarrandis ægrorum hiſtoriis ſemper mentionem habeat, n.37.p.97.cum quid pro morbi cauſa adducit, utitur particula *Ex*.num.37.ib. textus in primo de morbis multis, ibid. opinio de ſimilitudine natorum, num. 1. p.100

Hippocrates Athenas peſte liberavit, n.8.p.274

Hippocrates vir ſenſatiſſimus & à nugis maximè alienus,n.45. p.314

Hippocrates recuſavit curare Perſas peſte afflictos,quod eſſent Barbari, numero 9.p.379. mercedem contempſit, num. 2. p.465

Hippomaneus, n.36.p.121

Hippona formoſiſſima puella ex Equa nata, n.23.p.538

Hippotaurus, n.9.p.536. & n17.p.561

Hirtire quid, n.42.p.7. & n.5.p.223

Hirci jecur comeſtum, vel ſuffimigatum Epilepſiam prodit, n.5.p.260

Hircoſus morboſus non eſt, n.12.p.223

Hirundines in Polonia reviviſcentes, n.4.p.326

In Hiſpania peſtis quindecim annis duravit, n 44.p.269

Hiſtericæ affectiones quænam excuſent mulierem à redditione debiti conjugalis, n.10.p.596

Homeri locus de ſanguine manante ab Euphorbi cadavere, n.15.p.388

Homero poſtridie ab ortu pili in inguinibus nati, num.8.p.10. Unde Homerus dictus ib. proprium nomen erat Meleſigenes ib.ejus locus de annuo partu, n.21 p.48. Æolus fuit, n.15.p.47

Homines in Romano ære citius perficiuntur. num. 12.p.14. in malo citò ſeneſcunt, n.37.p.15. Eorum temperamenta plurimum inter ſe diſtant, num. 6.p.25. inter ſe effigie difficiles, n.22.ib. unius regionis apparent primo aſpectu inter ſe valde ſimiles, n.24.ib. & n.23.p.109. Unius regionis naſci inter ſe ſimiles,à Natura eſt,n.16.p.103.Cur inter ſe ſimiles, n.26.p.106

Homines ex Platone non ſunt ſua natura boni,n.73.p.126.non fiunt ſponte mali, ex eodem craſſæ Minervæ, ſeu craſſæ farinæ, n.7.p.127. omnes ſuas habent hæreſes,n.20.p.133.eorum malitia, n.18.p.141

Homines quidam quorum cadavera non corrumpuntur, n.4. p.318

Homo adoleſcit uſque ad 25.annum, n.9.p.10.ad generandum quando ſit aptus,n.70.p.13. ante annos ſenectutis in cæteris dicatos,an poſſit ſeneſcere, n.31.p.15. dupliciter ante tempus ſeneſcit, num.34. ib.idem & Senex & Juvenis eodem tempore dici poteſt, n 37.p 19.non habet à natura præfixũ quoddam naſcendi terminum, ut cætera animalia,n.1.p.24. naſcitur ſeptimo, octavo,nono decimo, undecimo menſe, n.12.ib.Ejus natura partieeps eſt ſpeciei multiparæ & pauciparæ, n.11.ib.n.43.p.27. quovis tempore coitu utitur, n.12.p.25.parit incerto tempore & cur, ib. habet formam immaterialem, ib. ejus natura inter paucipara reponenda, n.46. p 27.uniparum animal ex ſua natura eſt, n.48. ib. in concipiendo, in utero gerendo, in pariendo multos committit errores,n.53.p.28.quoad naſcendi ſeu pariendi tempus nihil à ceteris animalibus differt, n.55. ib. habet certum terminum naſcendi congruâ latitudine donatum, ib. naſceretur etiam quolibet alio menſe ſi hoc privilegium à Natura haberet, ut incerto tempore pareret, n 57. ib. cum non habuiſſe determinatum quendam naſcendi terminum ut cætera animalia, fine caret, num.63.ib. naſci illum extra quoddam determinatum tempus non eſt ex Naturæ intentione, n.79.p.29. naſci illum extra prædictum tempus non magis ſecundum naturam quàm ex morbo ante tempus ſeneſcere, n.80.ib.magis determinatum tempus naſcendi habet, quàm multi cum Ariſtotele ſenſerint, n.89.p.30.cur extra conſtitutum tempus ſolus naſcatur, n.96. ib. & 110. p.31.præ cæteris animalibus eſt morbis obnoxius, ib. magis quàm alia animalia in partu laborat,n.98.p.30.facilius quàm cætera animalia abortit,n.99.ib. abortitur ante novum n. 102. ib. illum prævenire naſcendi terminum cur magis præter naturam, quam ſi retardet exitum, num.109. p.31. non naſcitur propriè breviori ſpatio, quam novem menſium,n.111.ib.ſeptem dierum ſpatio in utero perficitur, n.41.p.34.ſeptimo ex naturæ inſtituto non naſcitur, n.63. p.38. mille periculis ab extrinſeco ſubjicitur,n.9.p.75

Homo ſolus à fulmine percuſſus non ſemper interit, contrà animalia ſemper intereunt, n 1.p.145.poteſt per omnes ſenſus venenari, n.17.p.164.n.8.p.135.poteſt totus venenoſus reddi,ita ut aliis hominibus pro veneno ſit,n.8.p.171.poteſt etiam alteri tactu, & intuitu nocere,n.12.p.190.inter omnia animalia optima temperatura dotatus, n.5.p.194.ſolus mutus efficitur. Vide *Mutus*.

Homo cum dormierit non reſurget,n.5.p.326.ei à Natura inſita quædam propenſio ad religionem eſt, n.1 p.282. illum divinare non poſſe, niſi mediante Dæmone, quomodo accipiendum, n.45.p.294. cur ſupra ſeptimum diem abſque cibo vivere non poſſit, num.3.p.298. poteſt longo tempore abſque cibo & potu naturaliter vivere, n.23.p.301. à mortuis ſuſcitatus eſt idem homo qui ante mortem,n.15 p.327. formam habet ita à corpore ſeparatam,ut ſine corpore vivat. n.16.ibi.reſurgens nihil à ſe ipſo diffe.rt, num. 20. ib. abſque ſenſu & motu quomodo aliquando vivat,num 41.& n. 44.p.329. & 330

Homo dicitur tam vir quam mulier, n.28.p.512.ſeparatus à lege & juſtitia eſt peſſimum animalium, n.22.p.514. eſt animal ſociabile, n.1.p.516. debuit ad civile bonum inſtitui, n 2. ib.

Homo morboſus ſano debilior, n.28.p 401

Homo brutis commixtus an generare poſſit, n.4.p.535.n.23. p.538.ſolus bipes, ib. ſolus manus habet & plectque alia, ib. tempore geſtationis cum nullis animalibus communia habet, n.5. p.535 Avibus & piſcibus commixtus generavit, n.8.p 536.in utero geſtatione cum omnibus animalibus ambigit, n.12.p.537. falſum, n.14.ib.qui in figura non eſt, rationalem animam habere non præſumitur, n.8. & 11. p.541. dici debet fœtus humana figura dotatus, ib. totus in facie, n.14.p.541. maximè diſſolvitur ex coitu, num.1. p.595

Homo prius vivit vitâ Plantæ, deindè vitâ Animalis, poſtremò hominis, n.4.p.636

Hominis creatio in ſacra Geneſi quantùm differat à creatione cæterorum viventium, n.38.p. 692
Vide *Creatio*.

Homo ſecundum animam tantùm ad Dei imaginem factus eſt, n.68 p.695

Homo generans non communicat ſoboli An mam, ſed quidquid à forma materiali provenire poteſt, n.83.p.698

Homo communicat ſuo ſemine materiam proximè diſpoſitam ad recipiendam Animam, n.84. ib.

Homo per eandem formam eſt Ens actu, eſt Corpus, eſt Vivens, eſt Animal, eſt Homo, n.102.p.699
Embrio non eſt Homo,niſi habeat formam hominis,n.137. p.705

Homo cum ſemine ſolum corpus communicat ſoboli,n.138. ibid.

Homo non ſolùm quoad Animam,ſed quoad corpus,& quoad minimas corporis partes,excellit cætera quæque Animalia, n.140.p.706

Homo ſubminiſtrando ſuæ ſoboli in generatione ſemen ſpiritu dotatum, etiamſi animam non ſubminiſtret, multò magis ſoboli confert, quàm quodvis aliud Animal, n.148. ib. & n.155.p.707

Homines ſtimulantur ad coitum antequam generare poſſint, n.4.p 718

Homo fortis dici non poteſt, niſi membra ad utilitatem actionum ſint efformata, n.16.p.781

Homo monſtroſus, ex cujus alvo alter propendebat quaſi confutus,n.17.p.542.

Honorem ſuum propriæ vitæ homo anteponere debet, n.32. p.125. & n.48. ib. Ejus, intereſſe majus, quàm quodlibet aliud. n.51.ib.

Honor quibuſcunque præſentis vitæ bonis eſt præferendus, n.1.p.484.eſt omnium externorum bonorum maximum, ib.perenne ac divinum bonum, ib quid ſit, n.6.p.485. convenit homini prout ſociabili, ib.debetur virtuti, n.11. 12. p.498.confertur etiam ob alia, quam propter virtutem, n.19. p.498. tangit poſteros, n.24.ib.

Hora comedendi in jejuniis, vide in verbo *Comedendi hora*.

Hora nona eſt conſtituta pro hora comedendi in jejuniis, & cur, n.33.p.346.Hora ſexta nunc obſervatur pro hora comedendi in jejuniis, ib.

Horæ Canonicæ ſeptem,n.6.p.563

Horrea duplicis generis, & quodnam afferant incommodum, n.10,p.441

Horti an vicinis & aëris ſalubritati noceant, n.11.ib.

Hulphalim fera Inda abſque cibo vivit,n.1 .p.299

Humeri luxationes pertæsæ, n.19.p.487.unica ratione luxatur ex Hippocr.ib.

Humida temperatura in cauſa eſt,ut corpora faciliùs in omnes dimenſiones ſeſe extendant,n.59.p 12

Humidiſſima & calidiſſima ſunt ortui vicina, n.1 .p.18

Humiditas caloris actionem infringit, 63.p.12

Rerum notabilium.

Humiditatem superfluentem consummare facil us est, quàm deficientem restaurare, n.9. p.618
Humor melancholicus vitæ & cordi inimicus, n.15. p.134. eo gaudet maximè Dæmon, n.14. p.152
Humor crudus quas conditiones habere debeat, ut in alimentum corporis vertatur, n.45. p.304
Humores omnes suum motum habent spatio 72. horarum, n.45. p.350
Humores quatuor, num.16. p.3. pro humorum diminutione & augmento status etiam & conditio vitæ mutatur. ibid. eorum concoctio præcipuè Crisim facit, num. 29. p.56. Eorum concoctioni in partu quid respondeat, n.30. ibid. iis semiconcoctis existentibus natura non bene movet, n.31. ibid. eorum accumulatio in prægnante morbosa non est, n.9. p.95
Humores in nostro corpore non solùm veneni naturam acquirunt, sed etiam fiunt contagiosi, n.6. p.171
Hydrargyrum, vide *Argentum vivum.*
Hydrophobi cur vocantur qui rabie afficiuntur, n.1. p.148. mente aliquando constant secundum aliquos, num.17. ibid. absque ratione aquam timent, n.21. p.150. eorum timorem ex aqua non esse absque ratione falsum, n.22. ibid. canum rabiosorum interitus a vesica, aut cane, à quo sunt commorsi, in aqua videri, n.23. ibid. insanabiles sunt ratione prorsus labefactata, n.24. ibid. antequam rabiem incurrant mente non constant, num.26. ibid. non habent dilucida intervalla, n.25. p.157
Hydrophobia ex serpentum quorundam morsu excitatur, num. 7. p.149. in ea non necessariò læditur Ratio secundum aliquos, num.17. ibid. sponte generatur in homine, n.5. p.171
Hydrophobus & Hydrophonici, n.3. p.146
Hydrops quis, ejus species, & an inducat irregularitatem, n.11. p.645
Hydrops est morbus valdè difficilis, n.66. p.315
Hydrops matulæ, n.30. p.171
Hydrops guæ quid, n.4. p.650
Hydropici quomodo tutò officia divina recitare possint, n.16. p.579
Hydropicus sanus non est, n.1. p.218
Hyena piscis, cujus felle Tobias dicitur sanatus, num. 51. p.311
Hyena ex marè in fœminam, n.22. p.554. canes visu interficit, n.3. p.617
Hymen quid, n.8. p.332. pro signo virginitatis affertur, n.19. p.333. non reperitur in omnibus, n.16.19. ibid. & n.1. p.335. est quid rarum, n.17. p.333. potest integer servari, & tamen fœmina concipere, n.18. p.238. & quomodo, ibid. & n.9.30. 31.32. ib. in aliquibus verè reperitur, n.1. p.335. pro eo quid acceperint nonnulli, n.4. ibid. quid verè sit, n.5. ibid. Ejus descriptio. num.6. ibid. pseudohymenis descriptio, ibid. in utero quæ considerandæ ad cognitionem virginitatis, n.9. ibid.
Hymen non reperitur in virginibus, ibid.
Hypocisthidis genus, Altercum dictum, epotum, febrem accendit. n.1. p.246
Hypochima, n.26. p.212
Hypochondriaca passio, n.8. p.156. Melancholiæ species est, ib. non necessariò habet conjunctum delirium. n.8. est desipientia sine febre ab Hypochondriis, n.9. ibid. quædam levis, quædam fortis, n.10. ibid.
Hypochondriaca passio, seu Melancholia Romanis familiaris, n.26. p.164
Hypochondriaci quomodo conveniant, aut differant cum Paraphreneticis, n.6.7. p.156. cùm gravi morbo detinentur, quomodo habendi, n.11. ibid. in quibus peccare, ut plurimum soleant, n.12. ibid. an à quibusdam eliminandi, n.13. ibid.
Hypodermis, n.29. p.556
Hypice herba ad famem tolerandam, n.51. p.304
Hypospadiæi qui, n.19. p.198. semen generant, n.20. ibid. curari possunt, n.21. ibid. in mala conformatione peccant, n.23. ibid.

I.

IAcob experimentum ad oves coloratas gignendas non omninò naturale, n.18. p.111
Jacob moribundus, propheta, n.17. p.291. ejus cadaver aromatibus conditum, n.8. p.319
Jacobus Forolivienſis Medicus ab allii odore, ut à re pestilenti lædebatur, n.13. p.163
Janus Jacobus Boiſſard notatus, n.8. p.289
Ichneumon utroque sexu insignitus, n.24. p.554.
Icterici malè imaginantur, non tamen insaniunt, num. 6. p.118
Ictericus quid, & an irregularitatem inducere debeat, num.11. p.645
Ictericus niger quomodo fiat, & an irregularitati subjiciat, n.13. ibid.
Icti à fulmine, vide *Fulmine icti.*
Ictus in tormento chordæ repeti non possunt ultra tertiam vicem, n.6. p.485. quid in illis intelligendis considerandum, ibid. majus periculum afferunt, si chorda per unum tantum brachium infligatur, n.8. ibid.
Jejunantes naturaliter per longum tempus omninò nutriuntur, n.60. p.305
Jejunare absque ulla comestione ultra spatium 24. horarum Ecclesia non permittit, n.18. p. 344. quando quis non teneatur, n.2. p.352. quæ causæ impediant, n.3. ibid. tertio septennio minores non tenentur, n.5. ibid. vix dici potest, quia jejunio nullum habet incommodum, n.4. p.357. unusquisque tenetur eo modo, quo potest, n.9. p.366
Jejunare an teneatur qui debitum redditurus est, num. 13. p.592
Jejunarunt aliqui plures menses & annos absque miraculo, n.9. p.299
Jejunium diu toleratum tempore pestis noxium, num.11. p.274
Jejunium longum quod miraculosum fuerit, inter sacros observatum, n.1.p.298. quadragesimale in Christo Domino, & Prophetis fuit miraculosum, n.8. p.299. Ejus tolerantia diuturnior in fœminis, quàm in viris, n.46. p.304. longum non habet in se quicquam miraculosi, sed potius miri, n.57. p.305. quando toleretur naturaliter, quando verò ex miraculo, n.58. ibid. quomodo distinguendum miraculosum à naturali, n.59. ibid.
Jejunium ab Ecclesia indictum obligat omnes ad ejus observantiam, n.1.p.342. & n.1.p.552. non obligat legitimè excusatos, n.2.p.342. per illud non intendit Ecclesia animæ, aut corpori detrimentum inferre. n.4. ibid. duorum dierum absque ullo cibo non est permissum, n.5. ibid. illaudabile reputatur cum ejus tolerantia communem hominum facultatem excedit, n.5. ibid. unde dicatur, n.8. bid. quid sit, n.9. & 11. ibid. quid sit ex Conciliatore, n.12. ibid. naturale quid, n.13. & 17. p.343. quotuplex sit, n.14. 15. 16. ib. Morale quid, n.18. ibid. Ecclesiasticum quid, n.19. ibid. Unum est durius alio, n.20. ib. & n.1.p.364. duplex ex Cöciliatore, n.21.p.343. ad quem finem institutum, n.22. & 25. ibid. n.7.p.362. n.17. p.364. in sacrificium primi peccati mutavit, n.2. ibid. secundum se consideratum non importat aliquod eligibile, sed pœnale, ibid. etiam ad corporis salutem confert, n.23. ibid. ad ejus observantiam quæ requirantur, n.24. p.364. contra illius præceptum non peccat qui delicatioribus cibis ac pluribus utitur, & n.29. p.345. eo religiosius servatur, quo serius prandiú assumitur, n.33. p.346. Quadragesimale, vide in Verbo *Quadragesimale jejunium, & Quadragesima Animæ & corpori salutaris*, n.6. p.347. ad illud non tenentur nisi sana corpora, n.8. p.348. in eo unusquisque pro suis viribus tenetur carnem macerare, n.8. p.35. non licet ab eo abstinere omnibus, qui ab eo læduntur, n.6. p.357. Ad capitis dolorem malum, n.11. p.358. ab eo, qui morbi excusent, ibid. & seqq. infirmis non est permissum, n.10. p.362. ad quod obligat Ecclesia, unius tantum generis est, n.2. p.364. Antiquorum nostro fuit multò durius, n.1. p.367. Ejus obligatio ea est, ut semel in die comedatur, n.24. p.370
Jejunium duplex secundum Canonistas, n.3. p.753
Jejunium quid apud Medicos, n.4. ibid.
Jejunium factum ultra terminum diei naturalis. hoc est horarum viginti quatuor, ab Ecclesia non approbatur, n.5. ibid.
Jejunium quale, & quando frangatur usu Tabacci, num. 6. ibid.
Jejunium Eucharisticum an frangatur Tabacci usu, num. 7. ibid.
In Jejunio Eucharistico Aquæ potus cur prohibitus est, n.9. ibid.
Jejunium non frangitur vino, etiamsi maximè nutriat, n.10. p.754
Jejunium ad quem finem ab Ecclesia institutum, num.11. ibid.
Jejunium Ecclesiasticum & pœnale non frangitur Tabacco, quomodocunque assumatur: sed frangit bene Eucharisticum, n.15. ibid.
Vide *Tabaccus.*
Jejunium Eucharisticum cur Tabacco frangatur, numero. ibid.
Jejunium qualecumque ex aliquorum opinione frangitur Tabacco, quia corpus nutrit. n.21. ibid.
Contrar. n.23. ibid.

INDEX

Jejunium non frangitur usu Tabacci in jejunio Ecclesiastico, aut pœnali, n.34.p.755

Jejunium non frangit ille, qui unam vel duas uncias Chaccolatæ assumit, in Regionibus, in quibus est frequens in usu pro potu, ut ex aliquibus Canonistis constat, n.4.p.756

Jejunium non frangit Chaccolata, ubi assumitur ratione potus in modica quantitate sumpta, n.6.ibid. Contrar.ibid.

In jejunio Ecclesiastico, vel pœnali licet sumere Medicinam conservativam, n.11. ibid. & n.23.p.757 & 758

In jejuniis prædictis licet assumere quidquid habet rationem Medicinæ, non verò Alimenti, n.12. p.757

In jejuniis, in quibus sitis est molesta, licet assumere parum panis, ne potus noceat, n.13. ibid.

In jejuniis quando liceat Medicinam conservativam assumere, n.14. ibid.

Operationes Chaccolatæ sunt de directo contrariæ fini in jejuniis habendo, n.18. ibid.

Vide *Chaccolata.*

Jejunium Ecclesiasticum, aut pœnale ad quem finem institutum, n.20.

Ob jejunii reverentiam præstat ab Aquæ vitæ assumptione abstinere, n.23. p.758

In jejuniis non tam facilè concedendus est Medicamentorum confortantium usus, sed tantum ex causa morbi, n.24. ibid

Vide *Matrimonium.*

Jejunium non requiritur in quibusdam infirmis in Eucharistiæ sumptione, n.1. ibid.

Vide *Eucharistia.*

Jejunium cum pane & aqua an violetur alteratione panis & aquæ, n.7. p.365. ad illud obligatus non potest saccharata uti. ibid. tale jejunium imponentis intentio qualis sit, n.9. ibid.

Jejunium particulare ad particularia obligat sub pœna peccati, n.3. p.362

Jejunium intestinum unde dictum, n.8.342

Jejunium difficilius uno, quàm alio tempore sustinetur, n.18. p.490. à Medicis quando vituperetur, n.15. p.509

Jejunis à coitu abstinendum, n.11. p.591

Jentaculum in jejuniis cur pessimum, n.2. p.367. ejus quantitas quæ esse debeat, num.9 p.368. ejus quantitas definiri non potest, n.12. ibid. quam ob causam eo uti liceat, n.13. ibid. Ejus quantitas ex Filliuccio, n.17.p.369. alia quantitatis determinatio, n.19. ibid. de jure non est permissum, num.24. p.370. eo de mane assumpto causa sitis & somni, ob quam est permissum, cessat, n.25. ibid. illud de mane sumere ad sanitatis commodum licet, n.26. ibid. illud de mane sumere non licet, n.27.ibid.non jus, sed consuetudo illud excusat, n.28. ibid.si de mane sumatur, omne inediæ incommodum evitatur, n.33.ibid.si de mane sumatur cessat omnis finis in jejunio intentus, num.32. ibid. si de mane sumatur majore cum rigore est concedendum, quàm cum vespere assumitur, n.35. ibid.

Jeroboam manus arida miraculosè facta & miraculosè sanata, n.42. p.310

Jesus Christus decimo mense, n.21. p.45

Ignavia Hippocrati quid, n.8. n.236

Ignem de cœlo evocare majus miraculum, quàm evocare pluviam, n.19. p.284

Igniaria seu ignifera piscatio. n.14. p.432

Ignis tormentum. n. 25. p.486

Ignis in pelle mira vis, num.8. p.274. quomodo alterandus, ibid.

Ignorantes qui, n.5.p.127. non habent dilucida intervalla, n.18.p.157

Ignorantia est quædam animæ dementia ex Platone,n.7.p.127

Ignorantia in causa est ut naturales quosdam effectus miraculosis judicemus, num.7. p.287. Ex ea provenit admiratio,n.8. ibid. ex ea nihil boni emanat, cum ipsa per se mala sit, n.10. p.288

Ignorantia, cum ea non videtur stare dolus, n.12. p.444.non est causa peccati, nisi per accidens, n.13. ibid.quid sit,n.21. p.445. duplex, n.22. ibid. an ex ea, vel ex dolo peccet,qui ultra suam capacitatem medendo operatur, n. 24. ibid. in Medico quando præsumi possit, n.6.7.8.9.10.11. p.445. & seqq. magis præsumitur in aliis Medicis,quàm in Physicis, n. 19.p.447. in Medico jure punibilis, n.4. p.448. Est causa omnium errorum, ibid. affectata quæ sit, num.5. ibid. ex affectata emergit lata culpa, ibid.semper audaciam concomitatur, n.3. p.500

Ileos, n.26. p.570

Iliaci dolores an excusent à recitatione divinorum, ibid.

Illachrymatio Epiphora dicta quid sit,n.15.p.836.sit absque ulla inflammatione, ibid.

Imaginatio libera quædam facultas est,n.28.p.102.ex ea mulier non generat sibi similes, sed phantasmata, n.32. ibid. vaga est, n.33. ibid.nihil ei offertur, quod ab externis sensibus non habeat,n.35.& 37.ibid. non potest habere locum in similitudine causanda, n.35. ibid.non agit in ea,quæ suo modo non cognoscit, n.37.ibid.& 21.p.109.non cognoscit animum & mores,n.38.p.102.per accidens potest esse causa similitudinis, n.33. p.107. pertinet ad principem animi partem, n. 37. ibid. potest aliquando immutare conceptus effigiem, sed raro, num.8.p.108. non potest momento fœtum assimilare, num.11. ibid. non agit ex electione, n.15. ibid.& n.17. p.64. non cognoscit, quæ sibi non offeruntur ab exterioribus sensibus, num. 21. p.109. in eam multa rejicimus,quarum illa nullam habet culpam.n.18.p.111. in quo casu præcipuè locum habeat in assimilando fœtum, num.20. ibid.

Imaginatio depravatur salva Ratione & Memoria,n.4.p.118. contrarium, num.5. ibid. lædituri in aliis morbis, quàm in delirijs, num.6. ibid. in somno maximè libera est, num.7. ibid. in ea nullus error, num.8. ibid.quomodo lædi possit in Dementia,n.12.p.119. libera quædam facultas est, n.13. ib.in ea nullus assensus, vel dissensus,n.14.ibid.non insanit ipsa,sed Ratio,ibid.quomodo aboleri possit,n.15.ibid.nunquam aboletur animali vivente,n.16.ib. & 21.fallitur, cum fallunturs sensus,n.18.p.119. non potest lædi respectu phantasmatum,n.19.ibid.non lædituri respectu Spirituum & loci num.20 ibid.ex ejus læsione non resultat insania, num.22. p.22.non lædituri in Caro,Lethargo & Comate,n.2.p.142.

Imaginatio visionis symptoma, n.14. p.567

Imaginatio utrum sit monstrorum causa, n.18. p.533.non eas habet vires,quas illi plerique tribuunt, n.19.ibid.Ejus mirandi effectus secundum nonnullos, n.6. p.618

Imaginationem credunt aliqui habere vim supra naturam, n.11.p.295

Imaginibus Astrologicè fabricatis an pro remedio uti liceat, n.24.p.463

Ad imaginandi actum quæ requirantur, n.17.p.119

Imbecillum quod semper est, contra Naturam est,n.9.p.35.& motibus differunt. n.9. p.69. & 7. p.192. non est illico præter naturam, n.10. ibid.

Imbecillior præsumitur prius periisse, quam fortis, ubi simul eodem casu perierint, n.18.p.399

Immunditiæ tempore pestis fugiendæ, n.21.p.275

Impedimentum coitus inter sponsos, si sit parens, judex non expectata ulla temporis dilatione, pronunciare debet pro nullitate matrimonij, n.1.p.717

Impedimentum amovibile non dirimit matrimonium contractum, n.2. p.718

Impedimentum copulæ quando teneantur Conjuges removere, quando non, n.3. ibid.

Impedimentum generandi anno sexagesimo quinto, aut septuagesimo, in Viro secundum plurimum advenit, coeundi autem septuagesimo,vel paulò serius,n.3.p.719

Impedimentum copulæ in muliere unicum considerandum, n.1. p.733

Vide *Copula.*

Impedimentum coitus in mulieribus ob uteri clausuram, non semper fit ab Hymene, sed ab alia membrana, interdum præternaturali, n.3. p.734

Impedimenta consummandi matrimonium, quas conditiones habere debeant, ut matrimonium illicò irritetur, n.3. p.763

Impedimenta naturalia sunt maxima ex parte absque remedio, n.4. ibid.

Impedimentum consummandi matrimonium ex parte utriusque quale sit, n.20. p.766

Impedimenta omnia matrimonium consummari non permittentia, si consummato superveniant, possunt dare divortio causam, n.1. p.767

Impedimenta quædam ideircò irritant Matrimonium, quia obstant ejus consummationi, n.16.p.768

Imperatores non sunt sub lege, n.12. p.504

Imperforatæ mulieres quæ, n.20. p.65

Imperforatæ,num.25. p.238. quomodo concipere aliquando possunt, n.26. p.239

Imperforatæ quæ, num. 21. p. 605. concipere aliquando possunt ibid.

Impetiginosus quis secundum Glossam, n.5. p.197

Impetigo aliquando membrum affectum impedit num.6.ibid. quid sit,n.7. p.198. cui cutis asperitati conveniat. n.8. & seqq. ibid. Ejus quatuor species, n.14.ibid.& lepra morbi affines sunt, n.15. ibid. duplex, num.23. ibid.

Impotentia coëundi dissimulata quomodo dignoscatur, n. 3. p.258

Rerum notabilium.

Impotentia generandi, vide in verbo *Generandi*.
Impotentia respectiva quæ, n.1.p.234.ex maleficio, ibid.quoad coëundum unde, n.2. ibid. ex ea nullum matrimonii impedimentum insurgere potest, si sit ob membri crassitiem, vel uteri naturalem angustiam, n.34. ibid. respectu longitudinis, & brevitatis instrumentorum, n.5. ibid. an quæ ex longitudine & brevitate vasorum est, sit justa causa separandi matrimonium,n.6.ibid. ex luxuriante venere aliquando fit, n.7. ibid. ex animi passionibus an sit justa causa separationis matrimonii,n.9.p.235. generandi sine remedio est, n.10. ibid.
Impotentia coëundi in viro diversas habet causas, n.1.p.605. in fœmina non habet locum, nisi ex causa imperfectionis,
Impotentiam Coitus facere potest venarum nonnullarum in capite sect o, n 4. p.730
Impotentiam aliquando excitant excedentes sanguinis evacuationes, n.5. p.731
Impotentiam faciunt Cervicis, spinæ, ac lumborum attritus, n.6. ibid.
Impotentiam coitus faciunt excessivæ, ac diuturnæ evacuationes, quæcunque sint, n.7. ibid.
Impotentia coëundi quotuplex, n.2. p.763
Impotentia quæ ex offensa quarundam partium successit, non est remediabilis, n.12. p.765
Impotentia ex propinato veneno procedens, quando careat remedio, n.13. ibid.
Impotentia generandi in Mulieribus fit cùm per ætatem menstrua fluere desinunt, n.5. p.742
Impotentia generandi aliquando in Mulieribus evenit ob corporis insignem refrigerationem. n.6. ibid.
Impuberes qui, n.1.p.8.steriles sunt,num.36.p.7.coire possunt non generare, n.79. p.13.in iis cum sunt pubertati proximi reperitur coëundi appetitus, n.1. p.6
Impuberes torqueri non possunt, n.3.p.478.torqueri possunt, si à statuto habilitentur ad testimonium dicendum. num.4. ibid.
Impubertas incipit à septimo anno, durat ad decimum quartum, n.3.p.8. quæ ætas dicatur, n.5. ibid.
Impubes judicio caret, n.3.& n.21.p.4.quis dicatur,ibid.accipitur aliquando pro minore, 25.annis, n.2.p.8.idem ac non pubes, n.6. ibid. ignorat omnia quæ videt,n.22. p.6. habet semplenum judicium.n.24. ibid. non præsumitur potens ad coëundum,n.27.p.7.& n.37. ibid. potest contrahere matrimonium secundum Alexandrum quando malitia supplet ætatem,n.35.ibid.pro sterili accipitur,n 38.ibid.nomen hoc dicit ineptitudinem ad generandum,n.35. ibid.semen verè non emittit,n.43.ibid. pubertati proximus manifestum intellectus rudimentum habet, n.23.p.6
In medio Tiburi Sardinia est, n.3. p.423
Inappetentia an excuset à Veneris usu, n.30.p.594
Incantationibus & præstigiis procuratur dementia, num. 35. p.117. eas non dari aliqui volunt,num.4.n.189. contrarium,n.seq.&7.p.189. dantur etiam ad bonum finem, n.6. ibid.
Incendio pereuntes antequam comburantur ob cohibitam respirationem pereunt, n.5. p.397
Incubi & Succubi, n.5.p.240.Eos non dari erroneum est affirmare n.6.ibid. eorum opera potest virgo concipere & parere,n.9 ibid.eorum opera quomodo sequi possit conceptio, n 19.p.241
Incubi & Succubi dantur,n.1.p.545.coitus voluptate,aut progagationis desiderio non tenentur,n.2. ibid. incumbunt & succumbunt,non tamen semen generant, n.3.ibid.semen ab ipsis in coitu ejectum frigidissimum, n.7. p.546. Ex illis nati nihil habent peculiare à cæteris hominibus,n.11.p.547. de præsenti multo magis vigent, quam antea ctis temporibus, n.13.p.548.ex illis nati cur pejoris naturæ,n.15. ibid. inter se coire, & semen fovere, conceptumque enutrire falsum, ibid.
Indi quidam Sacerdotes viginti dies sine cibo viventes,n.4. p.298
Indæ feris comprimunt & inde semiferi partus nascuntur, n.23. p.538
Indiscreti qui vocentur, n.6. p.127
Inductione utens Intellectus in insania, quomodo decipiatur, n.26. p.120
Inebriant multa præter vinum, n.56. p.140
Inedia in quovis labore evitanda, n.10. p.240. Eam quinam facilè sustineant, n.18. p.359
Infamia æquiparatur Morti, n.33. p.125. Ejus timor an excuset, Vide in Verbo, *Timor infamiæ*.
Infans dicitur is,qui fari non potest.n.3.p.3.Ejus nomen nulli convenit transacto septennio, ibid. Infantem semestrem triumphum proclamasse pro miraculo habitum, ibid. dicitur etiam in utero existens,n.10.p.4.dicitur minor septennio,n.13.ibid.an sit alicujus intellectus capax,n.16.p.5 puritiæ proximus respectu jam prægressæ ætatis habet aliqualem intellectum,n.19. ib. non intelligit quid agat,ibid. etiamsi actus aliquos prudentes faciat,tamen judicio carere dicitur,n.21.ibid.furioso æquiparatur,n.22.ib.nullam habet prudentiam, & n.26. ibid. pro insipiente accipitur ab Homero. n.26. ibid. proximus infantiæ quis, n.27.p.4. quem vocemus, num.8. & 9. p.6. non habet dilucida intervalla, num.29. pag.5
Infans biceps unico corde,n.1.p.550. & num,3.p.558. p.545. & seq.alius duplici membro fœmineo,p.558.& seq. monstrosus, n.4. ibid.
Infantes computantur inter eos, qui non sunt sanæ mentis, & ad nullam jejunii obligationem tenentur n.10.p.353
Infantia ex Avic. quid.n.1.p.3.quæ ætas sit,n.2.ibid.ex Heurnio divisio,n.3.ibid.Ejus partes ex eodem. ibid. Ejus proprium est balbutire & non expedite loqui, ibid. desinentis terminus,n.13.p.4.ab effectu sic dicta, n.15.p.5. ab ordine dicta ætas puerilis, ibid.
Infantes anniculi loquentur in die judicii,n.4.p.4.cur non expedite loquantur, n.5. ibid.
Infantilis morbus,num.14 p.144.Eum non esse Epilepsiam ex Cardano, ibid.
Infatuantur quidam ex morbo longo, n.33.p.117
Infatuati ex veneno quomodo habendi,n.32.p.150.ex morbis longis & vehementibus ut cæteri fatui habendi,n.3.p.155. ex veneno non habent dilucida intervalla. n.24. p.158. ex morbis longis non habent dilucida intervalla, n.25.ibid.
Infirmi nomen cui seni conveniat, n.33.p.21
Infirmi non præsumuntur sanæ mentis, n.23.p.155.
Infirmitas quid, n.1. p.174
Infirmitas tam debet esse perpetua, quàm valetudo ad effectum resignandi, n.10. p.744
Infirmitates magnæ æquiparantur Morti, n.17.p.195
Infirmitas corporis ab infirmitate animæ.n.3.p.452.levis non excusat à carcere,n 21. p.284. levis ex causa levi excusat à carcere,n.22.ibid.levis non excusat à carcere in causa gravi, n.24.p.284.& multo magis gravissima.n.25.ib. gravissima an excuset in causa gravissima, ibid.
Infirmitas excusat Sacerdotes à celebrando. n.2.p.576
Infirmum percutiens si ille decedat, tenetur de homicidio, n.16. p.383
Infirmus & corpore impeditus differunt, n.21.p.745
Infœliciissimus est qui pravitatem habet & non castigatur,n.5. p.316
Ingravescens ætas quæ, n.28. p.19
Insania. Ejus nomen genericum ex Celso & aliis, n.5.p.113. contrarium,n.6. & 9. ibid. est magis quid quàm delirium, n.7.ibid. Ejus rudimenta quomodo fiant, n.33.p.120.cadit etiam in brutis,n.37.p.121. non cadit in omnibus animalibus, sed in iis, qui æstimativâ sunt prædita, num.38. ibid.
Insania excusat à jejunio, n.13.p.358
Insania Lupina, n.43. p.148
Insania facilè & frequenter simulatur,n.1.p.151.Cujus speciei esse soleat, quæ simulatur, n.3.ibid.simulata quomodo deprehendatur,n.5. ibid. ad eam detegendam nonnulla ingenia,num.16.& 17.p.153.quomodo procurentur per medicamenta,n.19.ibid.& quomodo detegatur,p.10.ibid.simulatæ evidens signum, n.21. ibid.
Insania an excuset tempore interpolationis,à divinorum recitatione privata, n.12. p.566. & quando excusat à publica, n.4.p.73
Insaniæ ex hypochondriis ortæ cur minus hominem irregularem faciant, quàm aliæ alterius generis,n.13.p.618. nec sunt tanti æstimandæ quàm cæteræ insaniæ. quæ ex capitis vitio aut totius corporis generantur, n.14. ibid.
Insaniæ quæ ex accidentali aliquo vitio fiunt, quæ sint, & quam irregularitatis causam præbeant, n. 8. p.627. Anni terminus ad experiendum num insanus convaluerit quam rationem habeat. n.9. ibid. In hoc experimento capiendo observandum unde insania in nonnullis principium sumpserit, n.10. ibid. quodnam tempus verò requiratur ad tutò judicandum de recuperata sanitate, n.11. ibid.
Insanientes licet circa particularia quædam delirent,& in cæteris sanæ mentis appareant, habent tamen evidentem irregularitatis causam,n 12.p.628.quæcunque irregularitatem faciunt in melancholicis & maniacis, eandem etiam inducere intelliguntur in reliquis insaniæ generibus, num.15. ibid.
Insanientium per circulitus signa,n.26. p.117
Insecta nonnulla,ut muscæ, culices,tuci,& alia invehuntur in eos, qui recenti mœchati sunt, ut Apes, n.20.p.339

INDEX

Inſectorum multitudo peſtem minatur, n.7. p.272
Inſectorum plura mortua reviviſcunt, num.4. p.326. & quid in hoc de rei veritate, n.10. p.327. an ea poſſint opera Dæmonis reſurgere, n.11. ibid.
Inſomnia vana non ſunt, n.17. p.291
Inſpicere amore captis amabiliſſimum, n.37. n.136
Inſulſi qui, n.6. p.127
Intellectus etiam in dementia diſcurrit, n.23. p.120. errat cum non cognoſcit verum à falſo, n.28. ibid. imperfectio in fœminis ſimilis eſt fœcunditati, in pueris eſt ſimilis amentiæ, n.10. p.122. Ejus imperfectio in mutis & ſurdis eſt irreparabilis, n.17. p.130. in dies perficitur, n.16. ibid.
Intellectus in Extaſi ſupernaturali non eſt primò efficiens, ſed cauſa inſtrumentaria, n.15. p.296
Intelligentia deficit deficiente corpore, n.8. p.143
Inteſtatus non dicitur quiſquis teſtamentum non condiderit, n.8. p.8. propriè quis dicatur, n.9. ibid.
Inteſtinorum morbi irregularitatem inducentes, num.1. p.645. Eorum dolores qui, tenuium dolores quatenus inducant irregularitatem, n.2. ibid. dolores colici quatenus irregularem faciunt, n.3. ibid.
Invidia Medicis connaturale vitium, n.20. p.502
Joannes Brunellus notatur, n.36. p.178
Joannes Calvinus notatur, n.18. p.176. & n.41. p.178. Ejuſdem opinio reprobata & defenſa, n.17. & 18. p.242
Joannes Duns Scotus non laborabat ſyncope, n.17. p.329
Joannes Bodinus erroris damnatur, n.16. p.296
Joannis Buſtamentini opinio reprobata, n.75. p.314
Joannis Sabinenſis pueri Hermaphroditi hiſtoria, num. 9. p.560
Jordanis aquæ ad lepram mundandam efficaces, n.3. p.285. nullam habebant virtutem mundandi à lepra ante curationem Nahaman Syri, n.61. p.312
Joſeph Hiſtoricus Veſpaſiano regnum prædixit, num. 28. p.292
Jotaſcimus, n.20. p.208
Jovinianus Conjugium virginitati prætulit, n.24. p.455
Jovis filii qui, n.5. p.307
Ira, ejus propago eſt excandeſcentia, n.4. p.123. eſt furor, ibid. quid ſit, n.5. & 6. ibid. differt ab iracundia, ibid. eſt ſolius hominis ratione utentis, n.9. p.124. eſt circa res magnas, ibid. cum manſuetudine conjuncta eſſe poteſt, n.10. & 13. ibid. cur ab Homero proponatur cavenda, num. 10. ibid. ſequitur Rationem, n.16. ibid. duo ejus genera, n.12. ibid. ejus defenſor vocatur Ariſtoteles à Seneca, n.13. ib. in ea læditur Ratio, etiam ſi juſta ſit, n.14. ibid. ea affecti, non ſunt in plenitudine Intellectus, n.15. ibid. ejus impetum continere difficile, n.16. ibid. delinquentem quomodo excuſet, n.21. ibid. ut excuſet debet eſſe ex juſta cauſa, n.22. ibid. an excuſet à culpa, n.25. ibid. fit ex dolore acceptæ contumeliæ, n.27. ibid. Ejus cohibitio violenta, n. 29. ibid. excuſat à culpa, n.30. p.125
Iracundi ſunt puſillanimes, num.7. p.124. ſunt frigidi, num.8. ibid.
Iracundia, ejus ſpecies tres ex Ariſtotele, n.4. p.123. eſt circa res parvas, num.7. ibid. & 124. communis eſt homini cum brutis, num.9. p.124. ab ira quid differat ex Seneca, num.13. ibid. magis cadit in eos, qui minus ratione utuntur, n.17. ibid.
Iraſcibilis pertinet ad cor. n.10. p.134. illius vitia an priora ſint quæ ſpectant ad concupiſcibilem, n.12. p.793. animali cur tradita, n.16. p.794. habet pro objecto bonum difficilè acquiſibile, & malum difficilè evitabile, n.17. ibid.
Irati aliquando quod ante oculos habent non vident, & id quod unum eſt, duo eſſe exiſtimant, n.2. p.123. ſunt magnanimi, n.7. p.124. calidiſſimi, n.8. ibid. an teſtificari poſſint de iis, quæ in ira conſtituti viderint, aut audierint, num.35.36. p.125. excuſantur à culpa, n.47. ibid.
Irregularitatem an effugiant ij qui naſum, aures, labia jam amiſſa recuperarunt, n.7. p.411
Claudi qui ſunt irregulares, qui non, n.21. p.746
Gibboſi omnes an ſint irregulares, n.22. ibid.
Irregularitatis cauſa ceſſante ceſſat etiam effectus, num. 5. p.615
Irregularitas quid, tum ex Canoniſtarum, tum ex propria Authoris ſententia, n.1.2.3.4.5. p.661. & ſeq. quotuplex ſit, n.6.7.8.9.10. ibid. irregularitatis duas eſſe ſpecies de quibus Medicus conſiderare poſſit, ibid.
Irregularitas unde, & ex quibus cauſis in praxi medica incurratur, n.9. p.624. & n.4. p.615
Iſchnophonia, n.17. p.108
Iuba cum contra Romanos pro Afris pugnaret, fontes ex quibus illi bibebant, venenavit, n.26. p.187
Judex quid præcipuè inſpicere debeat in ſene, n.35. p.19
Judex debet ſequi opinionem Medicorum, cùm arbitratur, an vulnus lethale extiterit, necne n.9. p.381
Judex reus mortis efficitur, ſi ob tormentorum exceſſum Reus defecerit, n.2. p.493. & quando teneatur in hoc caſu de homicidio, n.2. ibid. non exercet juſtitiam ut jureconſultus, ſed tanquam Lex viva, n.24. p.521
Judex non habet arbitrium judicandi, an is, qui ſeptuageſimum annum agit, ſenex ſit, necne, n.9. p.710
Judex in nullo caſu poteſt ad libitum arbitrari ſuper decrepitate, n.5. p.744.
Judicis arbitrium intrat in rebus à jure non definitis, vel quæ definiri non poſſunt, n.19. p.168
Judicia ſunt de particularibus, n.14. p.509
Julia Pompeii magni filia ex abortu perit, n.19. p.83.
Junius Brutus inſaniam ſimulavit, n.3. p.251.
Juramentum intelligitur locum habiturum, rebus in eodem ſtatu permanentibus, n.3. p.771
Juramentum locum habere rebus in eodem ſtatu permanentibus, quomodo intelligendum, n.23. p.773
Jureconſulei erubeſcunt ſine lege loqui. n.19. p.505. ubi multi ſunt, ibi malè conſtitutam eſſe civitatem indicium eſt, n.21. ibid. conditam univerſaliter legem particularibus hominum actionibus optare nituntur, n.11. p.518. Medico indiget jureconſultus ut homo, ut civilis homo, ut jureconſultus, n.37. p.523
Juriſperitia, vide *Legumperitia*. Ejus adinventio, & neceſſitas unde, n.16. p.516. Ejus finis eſt recta legis intellectio, quatenus ad particulares caſus decidendos inſervire debet, n.17. ibid. ex Ulpiano quid, n.7. p.417. longè abeſt à Philoſophiæ, dignitate, n.16. p.520. non eſt cauſa boni intenti primò & per ſe, n.21. p.521. non eſt lex, n.28. p.522. per eam nullam veritatem, neque ullam felicitatem adipiſcimur, num.35. p.523
Juriſperiti Medicos conſulunt de debito naſcendi tempore, num.1. p.30. interrogant Medicos circa caſus mortis in prægnantia, aut partu, n.5. p.78.
Juriſtæ non ſunt ſcientifici, n.16. p.506
Vide *Jureconſulti*.
Jus adaptari debet his, quæ ſecundum plurimum eveniunt, n.35. p.11
Jus non à juſtitia, ſed à jubendo, n.8. p.504. Ejus initium à Natura, n.4. p.515
Jus naturale unicuique permittit propriam ſalutem ac vitam tueri, n.2. ibid.
Juſtè operari quis poteſt, ſi contra leges faciat, n.23. p.675
Juſtitia non poteſt eſſe ubi deficit æqualitas, n.57. p.77. ejus pars commutativa dicta, ibid.
Juſtitia major virtus, quàm temperantia, n.16. p.498. honorabilior quàm liberalitas, n.6. p.519.
Juſtum eſt quod ſecundum leges eſt, injuſtum quod contra leges, n.10. p.518
Juſtus magis honorandus, quàm temperatus, n.16. p.498. Illi datur lex, n.2. p.503
Juvenes magis quàm ſenes peſte corripiuntur, n.53. p.271
Juvenes cur inſtabiles, n.17. p.17
Juvenes multi fœmellas generant, qui ſeneſcentes mares procreant, & vice verſa, n.22. p.111
Juvenis quando quis dicatur, n.5. p.14. quis dicatur ex *l. Non aliter*, n.22. p.15. nihil in eo procedit, quod locum non habeat in viro, n.16. ibid. Cur non poſſit eſſe ſapiens. n.42. p.16. dicitur is qui ſenex non eſt, n.34. p.19. poteſt non tranſactis annis juventutis ſeneſcere, n.36. ibid.
Juvenis quidam Cophtus, cui per venas poſt aures larga ſanguinis evacuatio facta eſt, liberos procreavit, num.16. p.221
Juvenis, cui vulva in coxa erat adnata, n.12. p.560
Juvenis alapa percuſſus illicò apoplexiâ mortuus, num. 3. p.392
Juvenculæ cur ſemper deberent generare nonimeſtres, ſeniores verò ſeptimeſtres, n.40. p.34. paucum ſanguinem fœtui ſubminiſtrant, ibid. In illis cum utero gerunt Symptomata plura & evidentiora apparent, quàm in ſenioribus, n.1. pag.58
Juvenculæ nuper devirginatæ ex uteri pruritu magis libidinoſæ fiunt. V. *Libido, Uterus*.
Juventus quæ ætas ſit, n.2. p.14. eſt primæ refrigerativæ particulæ augmentum, n.3. ibid. ſuccedit animalis incremento, n.4. ibid. quando adveniat, n.7. ibid. dicta eſt ætas robuſta, firma, integra, num.8. ibid. unde enumeranda. n.19. ib. unde incipiat, & quo terminetur, n.25. p.15. & ſecundum Medicos, num.26. ibid. ei ſuccedit virilitas, num.1. p.16. eam cum virilitate confundunt Leges, ibid. ætati comparatur, num.10. ibid. ab Avic. dicta ætas conſiſtens, num.15. ibid. inconſtans, num.17. ibid.

Rerum notabilium.

L.

Labia non sunt membra, num. 30. p. 411. Eorum utilitates, ibidem. Corrosa irregularitatem faciunt, numero 31. ibidem.

Labiorum ulcera si notabilia sunt & malignæ naturæ dant causam irregularitati, n. 16. p. 639. Corrosio summam deformitatem ac dedecus affert, quam irregularitatem inducat, & à quo dispensabilem, n. 17. ibid. labium inferius relaxatum maximè si membrum simul cum eo decidat, quodnam incommodum sanitati afferat, quam irregularitatem inducat, n. 18. ibid.

Labia pudendi muliebris in partu protenduntur, numero 14. p. 259

Labor corpus absumit, n. 1. p. 346. non meretur vocari omnis corporis motus, n. 3. p. 311. quid sit, n. 4. 5. ibid. & 347. non fit, nisi fiat spirituum mitgnis evacuatio, n. 6. p. 355. tam corporis, quam animi, n. 7. ibid. animi est justa causa non jejunandi, n. 8. ibid. non solum jam perpessus, aut præsens, sed etiam futurus excusat à jejunio, n. 11. ib. Ejus solicitantiores sunt mores quàm fœminæ, n. 12. ibid. nullus quantumvis vehemens à qualitate ciborum excusat, n. 15. p. 356

Labor an excuset à redditione debiti conjugalis, n. 16. p. 592. labori non medetur, ibid.

Laborantes excusantur à jejunio etiam si determinatam tantam corporis partem exerceant, n. 15. p. 356

Lac in mammellis collectum prægnantiæ signum, n. 20. p. 56. etiam in non prægnante colligitur, n. 21. ibid. in viris quoque colligitur aliquando, ibid. In prægnante non colligitur nisi post tres, vel quatuor menses à conceptione, n. 24. ib. & n. 11. p. 59. etiam in virginibus animadversum interdum, n. 25. p. 56. in prægnantibus est pravæ qualitatis, & quantitate paucum, n. 26. ibid. in Mola non invenitur, n. 40. p. 62. contrarium tamen verius, ibid.

Lac generari potest ex simplici menstruorum retentione, n. 13. p. 259. ex ejus collectione cognoscitur mulierem peperisse, n. 20. ibid. sinceram cum lochiis expurgatur in partu, n. 21. p. 260

Lac est sanguis colore mutatus, n. 29. p. 345

Lac non ex sanguine, n. 21 p. 450

Lac quomodo detegere possit dissimulatam prægnantiam, n. 49. p. 62

Vide *Prægnantia*. Vide *Lactis conjectura*.

Lactans mulier an excusetur à debiti redditione, n. 23. p. 599. an possit debitum exigere, n. 24. p. 601

Lactantes à chordæ tormento immunes, n. 21. p. 490. jejunæ esse non possunt, ibid.

Lactis conjectura pro dignoscenda prægnantia fallax, n. 23. p. 56. differentia in virginibus, & in iis, quæ conceperunt, n. 25. ibid. signum insufficiens prægnantiæ, n. 24. ibid.

Lacticinia non licet assumere in jejunio, n. 29. p. 345

Lacertæ absque cibo vivunt totam hyemem, n. 11. p. 299.

Lachrymæ absque causa signum dementiæ, n. 22. p. 116. signum ebrietatis, n. 17. p. 138

Lacus apud Marrobios, cujus aqua est miræ levitatis, n. 43. p. 427

Lacus quid sit, n. 9. p. 432

Lacustris aqua cujus conditionis sit, n. 51. p. 429

Lactuca reddit hominem ad coitum impotentem, n. 48. p. 232. Eunuchus cur dicatur, ibid.

Lactuca sus eas in multa quantitate sumptus non aliter quàm cicuta, aut Opium interficit, n. 9. p. 167. sanguinem omnino non vituperabilem generat, ibid. est omnibus herbis laudabilior, ibid.

Laicus tempore pestis potest audire confessionem moribundi: declaratur, n. 11. p. 262

Lambdacismus, n. 20. p. 180

Lamiæ per incantationes venenatas à mente abstrahuntur, n. 30. p. 150. earum præstigiis quidam eunuchantur, n. 11. p. 200

Lamprete tempore pestis salutares, n. 11. p. 274

Lapathi flores ad deprehendendam Virginitatem, num. 17. p. 338

Lapides projicere est signum dementiæ, n. 4. p. 116. per metaphoram qui dicantur, n. 35. p. 119

Lapis Sarcophagus in Asso Troadis, qui corpora defunctorum intra quadraginta dies absumit, n. 17. p. 320

Laqueo strangulati aliquando reviviscunt, n. 28. p. 328

Laxo suspensus, & Anatomiæ destinatus revivisces, num. 11. p. 398

Lavationis servitus, n. 19. p. 435

Laus eorum est, quorum Virtus est, n. 24. p. 498

Lazarus post quatriduum cur solicitatus, n. 28. p. 321

Lecanomantia quibus populis familiaris, n. 37. p. 153

Lecanomantici unde dicti, n. 37. ibid.

Lectio clara capiti proficua, n. 3. p. 565. per eam somnus excitatur, n. 10. p. 566. Tussi proficua, n. 19. p. 568. sanguinem spuentibus noxia, n. 21. p. 569. minus damni semper habet, si longè à cibo fiat, n. 4. p. 578

Lectiones à jejunio excusantur, n. 13. p. 315

Leges non attendunt ea, quæ de raro contingunt, num. 4. p. 42. n. 7. p. 78

Leges: ab ipsis dependet quicquid boni ex mutua hominum societate emergit, n. 4. p. 497. Earum origo ex hominum malitia, n. 1. p. 503. bonæ ex malis moribus, ib. illis vivere Naturæ pravitatem arguit, ibid. non compellunt benè facere, sed malè facere prohibent, ibid. per humanas nullus evadit bonus, num. 3. ibid. Naturæ contrariæ, num. 4. bid. Ad quem finem inventæ, n. 5. p. 504. à legendo dictæ, n. 6. ibid. melius esset illis carere, & cur. n. 9. ib. & 12. per se mutæ sunt, & inefficaces, n. 11. ibid. à Ratione alienæ, n. 13. ibid. etiam sine ratione latæ servandæ, n. 14. ibid. illis non creditur, nisi DD. auctoritate comprobentur, num. 17. ibid. obscuræ, n. 15. ibid. uni eidemque populo latæ inter se contrariæ, n. 18 p. 505. plerumque malæ, n. 24. ibid. insufficientes ad assequendum finem sibi propositum, n. 28. p. 506. perpetuæ mutationi obnoxiæ, n. 30. ibid. quomodo ab hominum malitia ortæ, n. 1. p. 513. ad magnanimitatem conferunt, n. 8. p. 514. assuefacientes faciunt bonos, ibid. disponunt homines ad virtutem infusam, & acquisitam causant, n. 9. ibid. per eas homines cum Diis consociantur, n. 10. ibid. eas ferre Deorum est, n. 11. ibid. humanæ à lege æterna, n. 12. ib. continere aliquando injustitiam quomodo intelligendum, n. 15. ibid. sine ratione latæ non dicuntur leges, n. 17 ibid. Earum obscuritas unde, n. 18. ibid. per eas homines à feris distinguuntur, n. 22. ibid. generaliter ponuntur, n. 27. p. 515. ad Respublicas accommodandæ, non Respublicæ ad leges, n. 9. p. 516. eas ferre quis debeat, n. 12. ibid. pariunt Jurisperitiam, n. 6. p. 517. in civitate multo magis quàm optimi homines conducunt, n. 8. p. 519. per eas non minus obedient Deo fit quivis homo, quam Jurisperitus, n. 29. p. 522

Legumperitia, vide Jurisperitia, neque Ars est, neque Scientia, n. 16. p. 506. omni speculatione spoliata, n. 27. ibid. Est Philosophiæ pars, n. 3. p. 513. differt à Politica, n. 5. p. 517. quid sit, n. 8. ibid.

Legumperitus venit maximè sub nomine Literati, num. 27. p. 506

Legumina flatuosa sunt, & malos generant humores, num. 4. p. 346. mediocre præbent alimentum, & familiaris cibus existunt, p. 14. p. 348. omne eorum vitium corrigitur, si cum pane comedantur, ibid. in hyeme sumenda, ibid. quædam infirmis salubria, ibid.

Leo mortuus revivisicit, n. 4. p. 326

Leo Gallum aspicere non potest, n. 24. p. 163

Leonardi Fuchsii impia opinio reprobata, p. 345

Lepores in Basaltia duplici jecore, n. 7. p. 543. ex maribus in fœminas mutantur, n. 22. p. 554

Lepra: ejus genera plura, num. 3. p. 170. est morbus magnus, num. 17. p. 198. totum corpus ut plurimum inficit, num. 18. ibid.

Leprâ infecti ejici possunt ex civitate, n. 16. p. 262

Lepra quid, n. 7. p. 177. eo firmata quomodo cognoscatur, n. 8, ibid. Leonina, id est maligna, n. 15. p. 179

Lepra Ægypto familiaris, n. 11. p. 596. ex ea promptissimè infici possunt Conjuges, n. 1. p. 602. est Cancer universalis, ibid. in ea curis transfixa non causat dolorem, num. 10. p. 619

Lepra mundissima in sacra pagina quid, n. 3. p. 655

Lepra nunquam tam levis esse potest, quin hominem irregularem faciat, n. 3. ibid. Infectionis ejus triplex distinctio, n. 4. ibid. Veræ Lepræ species duæ, n. 5. ib. Signa, n. 8. p. 556. Experientiæ ad dignoscendum, an Lepra sit curabilis, necne, n. 9. ibid. Scabies ferina præcedens lepram satis est ad inducendam Irregularitatem, n. 10. ibid.

Lepra non ut pestis videtur sufficiens causa exeundi à clausura, n. 3. p. 575. & seq. suum contagium lentè communicat, num. 10. p. 677. Morbi lepræ similes, ex quibus putant aliqui dari justam causam relinquendi clausuram, quorum sententia confutatur, num. 11. ibid. Et restringitur ea opinio n. 13. ibid. & multò magis, num. 14. p. 678. Navarræ & aliorum opinio reprobata, num. 15. 16. 17. 18. 19. ibid. & seq. præter pestem & lepram nullus alius morbus potest dare justam causam exeundi à clausura, num. 20. p. 679. Utrum in lepra potius sit ægram à clausura dimittere, an ut sana exeat, permittere, num. 1. p. 680. Monialis lepra vel peste infecta à clausura dimissa debet sana facta ad illam redire, n. 1. p. 682. Idque absque aliarum periculo, n. 3. ibid. quando sit dicenda verè sanata, n. 4. & 5. p. 683.

quando

INDEX

quando tutum ſit cum leproſa ſana facta commorari, quando non, n.6. ibid.
Lepra & Pſora pro una eademque infirmitate ſumi poſſent, n.11. p.745
Lepra mundiſſima in ſacro textu Levitici quænam fuerit, n.13. ibid.
Lepræ ſignum peculiare eſt, ut caput etiam & faciem deforœdet, n.14. ibid.
Lepra & Phthiſis quando ita graves ſunt, ut poſſint dare divortio cauſam, quando vero non, n.8. p.770
Lepra volatilis, n.4. p.655
Lepra utrum ſit juſta cauſa relinquendi clauſuram, n.10. p.673. magis urget cauſa ex lepra, quam ex peſte, & cur, num.11. ibid. Utrum in lepra & aliis contagioſis ſimul & malignis morbis expediat infirmas ejicere, an ſanas à clauſura dimittere, n.16. p.675
Lepræ infallibile ſignum, n.8. p.656
Lepræ mundatio per aquas naturalis res eſt, n.2. p.284. & ſeq. Ejus ſanatio in Nahaman an in infimo miraculorum genere eſt, num.61. p.312. ea confirmata curam non admittit, num.63. ibid. qua laborabat Nahaman, erat confirmata, ibid.
Leproſus an à commercio fidelium abjiciendus, n.2. p.197. Ei an teneatur ſanus conjunx reddere debitum matrimoniale, n.1. ibid. & n.13.14. p.277. cum eo an teneatur ſanus cohabitare, n.16. ibid.
Leproſi undecim à Chriſto Domino ſanati, n.59. p.312. decem in Evangelio habebant morbum confirmatum, n.61. ibid. ejiciebantur à cœtu hominum, n.13. ibid. occurrentes aliis debebant ſtare à longè & clamare, n.63. ibid.
Leproſus conjunx, vide *Conjunx*.
Leproſi retinent in ſe ad longum tempus ſeminia contagii, n.2. p.682
Leproſus non admittitur ad ſacros ordines, n.2. p.654
Leproſus nemo perfectè eſſe poteſt niſi facies deforœdetur, n.2. ibid.
Leſſius notatus, n.17. p.455
L. Archiatri, C. de profeſſ. & Med. quomodo intelligatur, p.467
Lethargici ut cæteri inſani habendi, n.4. p.142. non habent dilucida intervalla, n.20. p.157
Lethargus quid, n.13. p.142
Leuce, n.4. p.655
Leucomata, n.26. p.212
Levini Lemnii de ſeptimeſtribus opinio, n.11. p.44
Levitici locus de Pythonem habentibus, n.37. p.153
Lex, ſi quis aliquid, §. Qui abortionis, ff. de pœnis, n.5. p.52.
Lex 2. §. ſed ſi non propter, ff. ſi quis caut. cur prægnantem valetudinariam eſſe dixerit, n.30. p.96
Lex, Bovem, ff. de Ædil. Ed. §. Aliquando, quomodo acceperit Lunaticum, n.28. p.145
Lex 1. §. apud Julianum, ff. de Ædil. Ed. cur ſanaticum ſervum pro ſano acceperit, n.22. p.152
Lex 1. §. 2. ff. ad l. Cornel. de Sicar. veneni nomen ſimpliciter prolatum, pro malo accipit n.17. p.161. l. Quod ſæpè, §. veneni, ff. de contrahend. empt. de quibus venenis loquatur, n.2. p.165. l. Spadonum, ff. de Verb. ſignif. notatur, num.16. p.198. l. Eunuch. C. de his qui teſtam. fac. poſſunt, quomodo intelligenda, n.27. p.201
Lex, ſed ſi non propter, ff. ſi quis caut. Cur prægnantem valetudinariam eſſe dixerit, n.17. p.217
Lex, ſine ea vivere homines non poſſunt, n.3. p.496. Juſto non eſt poſita, n.2. & 10. p.503. & ſed eſt Tyrannus hominum, n.4. ibid. Naturæ, contraria, ibid. Naturæ infert violentiam, ibid. nullam docet veritatem, n.5. p.504. Imperat, vetat, permittit, retrahit, punit. ibid. à ligando dicta, n.6. ibid. habet vim coactivam, n.7. ibid. eſt murus Magiſtratus, n.11. p.504. clara eſſe debet, n.16. p.505. intravit, ut ſuperabundaret delictum, n.25. p.506. ubi non eſt, ibi nec prævaricatio, ib. ſine ea peccatum erat mortuum, ibid. dicitur Medicina, n.28. p.512. à Natura, n.2. p.513. & Natura omnia ſibi ſubjiciunt, n.3. ibid. Eſt ipſe Deus, & cum mente divina orta. ib. quædam naturalis eſt ante aliam conditam legem, num.4. ibid. Ejus ſubjectum homo eſt dirigibilis in bonum commune, & in Deum, n.5. ibid. eſt Ratio ſumma in Natura, n.6. ibid. diſponit hominem ad virtutem, n.7. ibid. eſt Regula humanorum Actuum, n.24. p.515. ſemper cum Mundo fuit, n.20. p.514. ſcripta deficiente lege ſupplet naturalis Ratio, n.21. ibid. de Ratione ejus eſt, ut ſit juſta, n.26. p.515. eſt aliquid Rationis. ibid. Nova & Vetus quomodo conveniant, n.7. p.516. Scripta unde, num.10. ibid. niſi aliquo modo promulgetur nullius valoris eſt, ibid. per ſe ipſa muta & mortua, n.11. ibid. per Antonomaſiam quæ, n.2. p.517. propriſſimè eſt Lex divina, n.3. ibid. Ejus nomen accipiendum pro re à legali facultate diſtinctum, num.4. ibid. divina quid, numero 5. ibid. differt à Legumperitia, ibid. ſupra omnes virtutes & ſcientias honoranda, num.8. p.519. Illam dominari eſt neceſſe, ibid. eſt Medicina animæ, num.25. p.521. Eſt quid diſtinctum à Scientia Legali, ibid. Eſt humanarum & divinarum Rerum Cognitio, n.30. p.522. Eſt donum Dei, num.31. ibid.
Lex viva eſt Magiſtratus, num.11. p.504. Ejus exemplo populi antiquitùs gerebantur, num.13. p.516. non poteſt ad omnia ſufficere, num.14. ibid. Reſpondit Legi ſatis num.11. p.516. Vera Deus eſt, num.9. p.519. ſupra omnia honoranda, ibid.
Leges differre voluerunt fœtum animatum ab inanimato, unde conſequens eſt exiſtimaſſe eas, fœtum non à principio conceptionis animari, n.11. p.702
Leges in pluribus ſequuntur placita ſapientum in iis, quæ ad alias ſcientias pertinent, n.115. ibid.
Libavii opinio de ſanguine manante ab occiſo coram occiſore, n.15. p.388
Liberalitas tendit ad ordinandam liberalis voluntatem circa uſum divitiarum, n.6. p.519
Libido in fœmina non ceſſat donec ſemen effundatur, num.3. p.506
Liceti opinio de longi jejunii tolerantia, n.14. p.301
Lipothymia differt à Syncope, num.31. p.328. pertinet ad cerebrum, ibid. & n.4. p.154
Lichenes quid, n.10. p.648. idem quid Impetigo, n.13. ibid. & n.4. p.655
Lichurgus adulterium non puniebat, n.18. p.55. fecit luſcioſum, n.4. p.209
Lien utrum eximi poſſit, & an is, cui exemptus eſt, aut alia ratione deficit, irregularis fiat, n.14. p.646
Lienis morbi qui excuſent à recitatione divinorum, num.29. p.371
In Lienteria quodnam periculum imminear, ſi Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtretur, n.22. ibid.
Ligatura fortis & diuturna brachiorum tormento æquiparatur, n.3. p.484. ex nimis arcta in phlebotomia facienda aliqui periclitati, ibid.
Ligna quædam venenoſa ſolo fumo occidunt, numero 11. p.585
Limus oculis aſpicere quid ſit, n.26. p.212
Limitas & ſtrabofitas quomodo differunt, ibid.
Limus eſt aquarum vitium, n.47. p.428
Lingua: ejus uſus maximus ac nobiliſſimus eſt ſermo, num.1. p.204. Pœni comparato. ibid. abſciſſa dat redhibitionem locum, n.3. ibid. radicitùs abſciſſa ſermo omnino perit. n.5. ibid. abſciſſa multas operationes impedit, n.9. ibid. Ejus gravitas quid, n.2. p.206. Ejus impotentia quid, n.21. p.208. Ejus impotentia duplex, n.22. ibid.
Lingua in parte abſciſſa, & ſermonis uſu deperdito, ſi inſtrumento aliquo reparari poſſit, an à recitatione divinorum excuſet, n.17. p.567
Lingua ſimplex eſt ad duplex munus deſtinata, n.21.22. p.414. cam bifidam habent populi quidam, ibid. quibus operationibus opituletur, n.23. ibid. non eſt membrum, n.24. ibid. corpori ſimul & animo inſervit, n.25. p.415. per eam homo à cæteris animalibus differt, n.26. ibid. Ejus extrema para exciſa hominem balbutientem facit, n.27. ibid. præciſa denuo excreſcit, n.28
Lingua præciſa ex qua cauſa & quando faciat hominem irregularem, n.7. p.640. Ejus magnitudo & excreſcentia quando cauſat irregularitatem, n.8. ib. Paralyſis aut convulſio an faciat irregularem, n.9. p.641. Obſcure loquens quando ſit irregularis, n.10. ibid.
Liparenſes ex comeſtione piſcium peſte infectorum peſtem conceperunt, n.50. p.270
Lipothymia an excuſet à celebratione Miſſæ, numero 8. p.576
Lipothymia an faciat hominem irregularem, numero 4. p.640
Lipopſichia quid, n.4. ibid.
Lippitudo quid, num.8. p.210. & n.26. p.212. Lippitudo contagioſa, num.5. p.276. quid ſit, n.11. p.277. & num.7 p.413
Vide *Ophthalmia*.
Lippitudo ejuſque ſpecies & quænam earum inducat irregularitatem, n.16. p.636
Lippitudo ab illachrymatione quomodo differat, n.15. ibid. ſemper eſt cum inflammatione, n.15. ibid.
Lippus & Myops non ſunt idem, n.8. n.210.
Liquores vel cibi à fulmine tacti, bibiti vel comeſti dementiam pariunt, n.34. p.117

Rerum notabilium.

Liquores ex cadaveribus ſtillantes longè ab obitu, & ſuaviter redolentes, miraculosè apparent, n. 8.p.322
Litteræ minutæ viſum lædunt,n.5.p.378
Loca quædam peſtem facilè ſentiunt, n.2.p.264
Loca quæ vocemus, n.1.p.434.In eorum examine quæ conſideranda, ib.humilia ſemper editis poſthabita, numero 10. p.435.ſicciora ſalubriora, n.11.ib. maritima ſaluberima, num.12.ib. propè lacus ſita inſalubria, n.13.ib. in eorum mutatione quæ conſideranda, num.1.p.436. Eorum mutationes non tam reſpectu Aeris, quàm aquæ periculoſæ, num.8.p.437
Locorum conſtitutio in muliere quomodo faciat conjecturam ſuppoſitionis partus, n.22.p.257
Locris & Crotone peſtis nunquam moleſta, n.42.p.269
Ad Locum peſtilentem accedens dicitur tentare Deum, n.8. pag 262.locus quis eligendus tempore peſtis, numero 7. p.273
Locus quid, n.1.p.434.quem cœli aſpectum habere dicatur, n.2.ib.
Loquacitas in Medico reprehenſibilis,n.8.p.448
Loquelæ quæ inſerviant, n.24.p.208
Loqui non eſt neceſſe cum, qui audit, neque non loqui cum qui non audit, n.15.p.130
Lordoſis quid, n.6.p.650
Lotiones emollientes ad effictam virginitatem detegendam, n.5.p.255
Lucius Lamia in rogo revixit, n.3.p.326
Lucius Coſſitius ex fœmina in marem verſus,n.4.p.59
Lucomoniæ populi quinque menſibus dormientes,n.3.p.326. & an id verum ſit, n.6.p.327
Lucretii opinio de ſimilitudine, n.1.p.100
Lucretii carmina de ſanguine manante ab occiſo coram occiſore, numero 14.p.388.Verus eorum ſenſus, num.15. ibid.
Lucrum percipi non poteſt ceſſante periculo,n.3.p.75. percipi non debet ex detrimento alterius, n.12.ib.
Ludovicus Vives notatus, 11.p.236
Lues Venerea quid, n.14.p.277.an ipſius cauſâ dirimi poſſit matrimonium, n.7.p.279
Luminis triplex genus, n.12.p.439.ejus privatio quodnam afferat incommodum, n.13.p.440
Lunatici ſunt Epileptici, n.25 p.144. unde dicti, n.25.ib. qui ex Calvino, n.27. ib.male appellantur Energumeni, nec ſemper ſunt Dæmoniaci, num 30. ib. tanquam ſtolidi & amentes habendi, num.31.ib curatotem recipere debent, n.32.p.145. tentati quomodo permittendi, n.33. ib. actus prudentes ſi faciant, tenent, & cur, n. 34.ib.
Lunarici qui dicantur, n.19.p.308. ſunt Epileptici, ib. à Dæmoniacis differunt, n.21.ib.non omnes ſunt Dæmoniaci; ibid.
Lunaticus à Chriſto Domino ſanatus qualem morbum pateretur, n.23.ib. Ejus curatio ſuit omnino miraculoſa, n.34. p.309
Lunaticus morbus Epilepſia moleſta & confirmata, num.20. p.308. eſt morbus ex ſe perniciosus & difficilis, num.22. ibid.
Lunaticus morbus, n.15.p.144
Lunæ radius expoſita cadavera promptiſſimè putrefiunt, n. 13. p.319
Lupi rabies pejor quàm canis, n.5.p.148
Lupina inſania, n.43.ib.
Lupi aquilis commixti generant, n.8.p.151.
Luſcioſus quis propriè dicatur, n.4.p.209
Luſcities, ib.
Luſcitioſa affectio, n.2.ib.
Luſcus vitioſus eſt, non morboſus, n.11.p.210. non eſt idem cum luſcioſo, n.3.p.209.quis propriè ſit, n.4.ib.
Luſcus quomodo à Luſcioſo differat, num.3.p.634. Luſcus eſt irregularis, n.4.p.413. De Luſcioſis dubitari poteſt. n.4. p.634
Luſcus eſt qui altero captus eſt oculo, n.4.p.413.eſt irregularis,ibid.
Lutoſa aqua quibuſdam laudata, aliis vituperata, numer.57. p.419
Luxuriam excitat vinum per modum alterantis,n.25.p.364. non excitat vinum moderatè ſumptum, ib. ei occaſionem præbens immoderato potu, jejunii meritum perdit, n.26. ibid.
Luxurioſæ mulieri adminiſtrationi bonorum propriorum interdicitur, n.59.p.126. ex ea impetu luxuriæ rationis minimè compos ſit, n.60.ib.
Lycanthropia furoris ſpecies, n.43.p.148
Lycanthropici ut furentes exiſtimandi, ib.quo tempore inſaniant, ib.
Lycaon in lupum verſus, n.43.ib.
Lymphati, n.26.p.152
Lympharici fanaticis ſimiles ex quibuſdam, num.24. ibid. nummi Plauto qui, num.26.ib.cur ſic ab antiquis dicti, n.27.ib. nihil peculiare habent à cæteris inſanis, num. 28. ibid.
Lymphaticus morbus, quem vocaverit Serenus, num.25.ibid. propriè qui ſit, n.25.ib. Inſaniæ ſpecies eſt cum motu & agitatione propter pavorem, n.27.ib.
Lymphatio, n.26.ib.

M

Maculatio carnis omnibus venenis communis, num.25. p.177
Maculæ in facie prægnantiæ ſignum, num.32.p.56.eas in facie habentes fœmellas gerunt, ib. Earum ſignum vanum,n.33. ibid.
Maculæ quid ſint & quando præbeant cauſam irregularitati, n.8.p.651. Contractæ à nativitate ſunt incurabiles, & quando faciant hominem irregularem, n.9.ib.
Magnes venenum eſt ſecundum aliquos, n.25.p.169. Contrarium, ib.Adoleſcentiam conſervat, n.26.ib. hominem melancholicum efficit & Lunaticum, ib.
Magnes albus Cardani, n.12.p.619
Magiſtratus eſt viva lex, n.11.p.504
Magnificentia major Virtus quàm Liberalitas, numero 16. p.498
Magnificus majore honore dignus quàm liberalis, ib.
Magorum genus deteſtabile, n.1.p.609.eos delere multum intereſt Reipublicæ,n.2.ib.vaſtos oculos deformeſque habent, n.3.ib.Eorum experimentum, ib.
Magus nullus abſque ſtigmate, n.10.p.611
Vide *Stigma*.
Majolus notatur, n.15.p.636. num. 15. p. 639. num. 4. p.640
Malvaticum venenum in occidendo ocyſſimum, numer. 13. p.166
Malchus ſervus Pontificis ex auriculæ abſciſſione miraculosè ſanatus, num.77.p.315. Ejus auriculæ reſtitutio penitùs abſciſſæ miraculum fuit ex primo ordine, numero 78. ibid.
Maleficiati qui, n.3.p.229. coëunt cum omnibus præterquam cum una, n.4.ib.nonnulli ſunt quoad omnes impotentes, p.6.ib.virgam erigunt, ſed coitum perficere non poſſunt, n.18.p.230.cognoſcuntur ex abſentia ſignorum frigiditatis, n.19.quibus ſignis deprehendantur, n.54.p.233. aliqui ſe credunt maleficiatos cum ob aliquam animi paſſionem potius impotentes ſint,n.58.ib.
Maleſici lachrymarum defectum inſuperabilem patiuntur,n.3. p.609
Maleficium duplex n.37.p.231. nudis verbis, vel ſigillis, vel ſuſpenſis procurati non poteſt ſine Dæmonis interventu, n.49.p.232. illud negantium dicta quomodo accipienda, n.53.ib. naturale non omnem curam reſpuit, n.55.ib. ſupernaturale non admittit naturalem curationem, n.56. ib. ſupernaturale nemo curare poteſt niſi Dæmonis artis ſit peritus, n.57.ib.
Maleficium triplex, n.22.p.725
Maleficium cognoſcitur per abſentiam ſignorum quæ frigiditatem atteſtantur, n.23.ibid.
Maleficii conjectura ob abſentiam ſignorum frigiditatis non eſt certa, n.24 ib.
Maleficii conjectura deſumpta ex fruſtratione remediorum naturalium non eſt tuta, n.25.p.726
Maleficii conjectura quænam alia certior,n.27.ib.
Maleficii alia certior conjectura, n.28.ib.
Dæmon in maleficiis concurrit, ut frequentiorem peccandi occaſionem homines habeant,n.29.ib.
Maleficium duplex, Naturale & Dæmoniacum, numero 30. p.727
Maleficium non cadit in eum,qui ſua natura frigidus eſt,n.22. p.766
Mali mores hominem in brutum commutant, num.56.p.125. in illis, habituati non habent Rationis uſum, numero 57. ib. in illis habituati debent à legibus prohiberi, ne aliqua agere poſſint, quæ ipſos pravos mores reſpiciunt, num.67. p.126. debent in delictis pœnam augere, non minuere, numer.68.ib.
Mali homines miracula faciunt, n.5.p.281.& an id verum ſit, n.6.p.282.aliqui prophetarunt, n.7.ib.& n.41.p.294. cum permiſſu Dei miracula faciunt,n.5.p.281.operantur miracula in vita, nunquam verò poſt mortem, n.15.p.282. per ſe miracula non faciunt, n.19.ib.
Malitia hominum multa, n.18.p.141
Malitia quorundam in effingendis morbis, n.8.p.246

INDEX

Malitia eſt ignorantiæ contraria, n.12.p.444
Malvaſia notatur, n.1.p.165
Mammæ in enixis quomodò ſe habeant, numero 12. pag.259
Mammilla in fœminis non eſt membrum, n.11.p.407. contrarium, n.7.p.418. in earum abſciſſione par injuria infertur, quæ in abſciſſione aliorum membrorum, n.8.ib.
Manardus notatur, n.8.p.156
Mancus, n.5.p.198. eſt malorum morum, n.6.ib.
Mandragora datur contra Helleborum, n.5.p.181
Mandragoræ radices ex vino ſervefactæ ac epotæ febrem accendunt, n.1.p.247
Mania, Vide *Furor*.
Mantuanus quidam Etinacei terreſtris viſu ſyncope corripiebatur, n.14.p.163
Manus pleriſque membris nobilitate & utilitate præſtat, n.1 p.415. Sapientiæ & rationis miniſtra, n.2.ib. etiam aliorum membrorum munera complet, n.3. ib. ſupplicantis & fidem præbentis ſymbolum, ib. pro membro ſimpliciter prolata accipitur, n. 4. ib. eam abſcidens majore pœna dignus quàm abſcindens aliud membrum, num.6. quænam pars vere ſit, n.7.p.416
Manus parva quæ, n. 13.p.417
Manuum ſcilluræ graviſſimi morbi Gallici ſigna, numer. 6. p.657
Manuum & digitorum vitia qualia, & quomodo irregularitati cauſam præbeant, n.3.p.652
Manucordiata avis Paradiſi dicta, n.11.p.300.
Marcor, n.14.p.142
Mare ob ſui craſſitiem magna navigia ſuſtinet, numero 40. p.457
Mares an in fœminas degenerare poſſint, n.23.p.553
Maria Virgo decimo menſe nata, n.21.p.45
Maria ſoror Moyſis ex miraculo in lepram incidens, & ab ea ſanata, n.59.p.312
Maria Paccecha in marem verſa, n.4.p.549
Maria Virgo fuit vera & naturalis Chriſti Domini mater, ut omnes aliæ matres ſunt, num.35.p.587. fuit mente & corpore ante & poſt partum ſemper virgo, n.36. ibid. Utrum præſtiterit proprium ſemen in Verbi conceptione, num.37. ibid.
Mariſcæ quid, n.4.p.340
Martina veneſica, n.1.p.172
Martinus Delrius notatur, n.29.& 32.p.328
Mas non poteſt generare ſemen non emittens, num.29.p. 11. pubeſcit cùm ſemen emittit, n.32. ib. citius in utero abſolvitur, quam fœmina, n.61.p.32. citiùs naſcitur quam fœmina, n.8.p.25.& n.24.p.16. naſcitur veluti fœmina etiam nono, n.54.p.28. eſt calidior & fortior fœmina, n.24.p.35. n.9.p.44. n.25.p.65. dearticulatur triginta diebus, fœmina vero quadraginta duobus, num.41.p.34. dotatur anima rationali die quadrageſimo, fœmina ſexageſimo, n.44.ibid. ſupra ſexageſimum tam ipſe, quàm fœmina pro animatis habendi, n.25.p.53. à virtute exuperante maſculei ſeminis fit, n.8.p.101. non ante 14. annum ſemen emittit, n.46.p.12. pubeſcit 14. anno, n.28.p.10
Mas in utero citiùs abſolvitur quàm fœmina, numero 12. p.780
Mares dextram uteri matris partem occupant, fœminæ verò ſiniſtram, n.4.p.779
Tam in mare quam in fœmina fortior ac debilior genitura ineſt, n.3.ibid.
Vide *Genitura*.
Mas ex robuſtiori ſemine quàm fœmina generatur, num.9. p.780
Vide *Semen*.
Maris partus celerior quàm fœminæ, n.16.ib.
Vide *Partus*.
Maſculum non generant ſeptuaginta annis majores, ex Ariſtotele, n.55.p.20
Maſſiniſſa in ætate decrepita generavit, n.26.p.224.
Mater puerorum quid, n.14. p.144
Mater reſpondet proportione tertiæ in vegetabilibus, num.22. p.65.
Mater multò plura ad generationem confert quàm Pater, n.23.p.238
Mater noxia, & ultimo ſupplicio damnata ſecari poteſt viva, ut fœtus vivus extrahatur, n.20.p.713
Mater quando obligetur ad ſubeundam ſectionem, numero 31. p.716
Mater quando non adſtringatur ad ſubeundam ſectionem, n.32 ib.
Matris vita ſemper præferenda, n.36.ib.
Pro ſalvanda matre an directò, vel indirectò quicquam fieri poſſit, ex quo fœtus ſit certò moriturus, numero 37. ibid.
Nunquam licet pro matris ſalute directè provocare abortum, n.38.ibid.
Materia non generat formam, n.27.p.524
Materia non generat formam, ſed eſt propter formam, n.25. p.689
Materia non poteſt eſſe denudata à forma, numero 32. p.690
Matrimonii actus non ſolùm licitus, ſed meritorius, num.21. p.455
Matrimonium non impedit fatuitas primi generis, n.23.p.128. non impedit oblivio, n.46.p.129. contrahere poſſunt muti & ſurdi ſimul, n.23.p.133 contrahere poſſunt illi Melancholici, qui circa particularia quædam ſolummodò inſaniunt, n.24.ibid. Ejus contractus non impeditur per ſuperuenientem phrenitidem, n.12.p.147. Contrahere licet morti vicinis, n.22.p.155
Matrimonium ut ſit validum requiritur de neceſſitate potentia coeundi, num.1.p.220. ut ſit validum requiritur potentia ſeminandi, num.3.ib. ſeparatur ubi utraque impotentia adſit, num.4. ib. non dirimitur, ſi impotentia ſit curabilis, n.21.p.221. ut poſſit contrahi ſufficit, ut ſuccedere poſſit copula carnalis, etiam ſi nulla expectetur generatio, num.9. p.223. contrahitur præcipuè cauſâ procreandi liberos, n.1. p.236. non diſſolvitur etiam ceſſante cauſa procreationis liberorum, n.2.ib. non unum ſolummodo bonum habet, ſed quàm plura, n.3.ib.
Matrimonium tenet etiam ſi mulier ſemen non emittat, n. 13. p.601
Matrimonium in articulo mortis contractum validum, n.23. p.155. ut ſit validum requiritur, ut vir verum ſemen effundat, n.29.p.251. inter Decrepitos eſt validum, n.30.ib. non irritatur eo, quòd mulier ſemper patiat mortuos, n. 10. & 13.p.601
Matrimonium contractum antequam Conjuges generare poſſint, an ſit validum, n.5.p.719
Apparente in prima Pubertate impotentia coëundi, expectanda eſt plena pubertas, antequam Matrimonium diſſolvatur, n.6.ib.
Ad Matrimonii validitatem non requiritur potentia generandi, ſed tantùm potentia coëundi, n.4.p.721
Matrimonium quando illicò dirimatur, n.6.ib.
Matrimonium non dicitur conſummatum, niſi vir ſemen intra vas effundat, n.16.p.723
Verum ſemen non effundentes, an contrahere poſſint Matrimonium, & an contractum teneat, n 17.ib.
Matrimonium contractum non dirimitur impedimento amovibili, n.1.p.718
Vide *Impedimentum*.
Matrimonium an dicitur conſummatum viro ſeminante, ſed non potente ob virgæ brevitatem ſponſam devirginare, n.4.p.728
Matrimonium illicò dirimi poteſt, conſtito de Paralyſi genitalium in ſene, n.1.p.730
Anguſtia Orificii ipſius vulvæ, quando ſit juſta cauſa diſſolutionis matrimonii, n.7.p.735
Pudendi mulebris amplitudo, an poſſit præbere cauſam dirimendi matrimonium, n.8.ib.
Mentula muliebris quando debeat præbere cauſam dirimendi matrimonium, n.9.ib.
Vide *Mentula*.
Exitus uteri quando ſit cauſa diſſolvendi Matrimonium, n.10.ibid.
Vide *Uterus*.
Apoſtemata uteri quæ & quando cauſam præbeant diſtimendi matrimonium, n.11.p.736
Ulcera uteri quæ, & quando diſſolvendi matrimonium cauſa eſſe poſſint, n.12.ib.
Fluxus uteri duplex, & quinam, ac quando poſſit matrimonii diſſolutionis cauſam præbere, n.13.ib.
Nimia mulieris pinguedo, an & quando poſſit dare cauſam diſſolvendi matrimonium, n.15.p.737
Vide *Pinguedo*.
Ad matrimonii validitatem utrum requiratur potentia generandi, n.2.p.741
Matrimonii diſſolutio quid, n.2.p.761. & quomodo differat à tori ſeparatione, & diſſolutione ſponſalium, num.4.p.761. & ſeq.
Matrimonium ſecundum Canoniſtas conſummatur per quamcunque, & quocunque modo factam ſeminis virilis receptionem intra uterum, n.6.p.762
Examinatur hæc opinio, & quòd falſa ſit, demonſtratur, n.7.ibid.

Rerum notabilium.

Matrimonium tunc dici debet consummatum, cùm inter Conjuges secuta est copula apta ad generationem, n.8. ib. Mentula mulebris quando consummationem matrimonii impedire potest, n.18.p.766

Matrimonium non consummatum, & ex causa morbi contagiosi dissolutum, non redintegratur, etiam morbo recedente. Contra in divortio, n.2.p.767

Matrimonium secundum aliquos Doctores ob sterilitatem potest dissolvi, n.14.p.768

Vide *Sterilitas*.

Matrimonium non ordinatur solùm, & simpliciter ad copulam, sed ad generationem, n. 5. ib.

Matrimoniale vinculum est indissolubile, n.17.ib.

Ad Matrimonii validitatem non requiritur potentia generandi, n.20 p.768

Matrimonium præter filiorum procreationem quæ est præcipuus ejus finis, habet aliquos fines laudabiles. n.21.ib.

Matrimonium ideirco irritatur quibusdam impedimentis, quia obstant suæ consummationi, n.16.ib.

Mechanicum quid, n.19.p.510

Media ætas, n.18.p.17. unde dicta, n.19.ib.

Medicamenta quædam coitus impotentiam facientia, n. 48. p.232. fortia tempore pestis noxia, n.14.p.274

Medicamenta ad malum finem nunquam licet præscribere, n.21.p.463. venenosa præscribendo quomodo errent Medici, n.22.ib. superstitiosa præscribere magnus error, n.23. ib. pretiosa pauperi præscribere, aut cuicunque non necessaria non licet, n.25.p.446. corrupta & obsoleta præscribens Medicus graviter errat, n.26.ib. venunt sub nomine alimentorum, n.10.p.508

Medicamenta potentiorem virum reddentia in Veneris usu an assumere liceat, n.2.p.606. seminis effusionem remorantia an licite assumi possint, n.6.p.607

Medicamenta dubia præscribere Medicus non debet, num.1. p.687. an æger, qui sciens assumit medicamentum dubium, peccet, num.2. ib. Medicamenta superstitiosa neque Medicus præscribere, neque æger sine peccato assumere potest, num. 5.ib. nimis purgans cathartieum aut suspectæ violentiæ, neque Medicus præscribere potest, neque æger assumere tenetur, n.4. ibid. Amplius quoad ægrotum, n.5. ib. non potest Medicus uno eodemque die plura remedia valida usurpare num.6.ib. Æger an absque Medici consilio assumere possit medicamentum cathartieum ac validum, n.7.ib. non debet Medicum importunè solicitare ad aliquod remedium sibi exhibendum, n.8.ib. quando teneatur medicamenta admittere, quando non, n.9.ib. non sine culpa decipit Medicum asserendo se assumpsisse remedium quod non assumpsit, vel contra, n.10.p.668

Medicamentorum actio arte citari & retardari potest, num.7. p.183. non eadem quantitas requiritur cum per os exhibentur, & cum per clysteres ministrantur, n.23.p.187

Medicamentum est id, quod assumptum nullum corpori præbet alimentum, n.17.p.754

Medicamenta ob morbos assumuntur, non tanquam nutritura cibaria, n.25.p.755

Pro Medicamentis utimur iis, non pro cibis, quæ omninò dulcedine carent, n.29.ib.

Medicamentorum confortantium usus, non tam facilè concedendus in jejuniis, sed tantum ex causa morbi, n.24.p 758

Medicata piscatio, n. 15.p. 432

Medici convocantur ad judicandum de dementia, n.2.p.112. per eos, qui curæ inserviunt, probatur morbus, n 3. ib. ipsis creditur, cum dubitatur, an Testator furiosus decesserit, necne, ib. convocantur ad determinandum, an quis ex veneno perierit, n.1.p.189. si dicant, venenum non fuisse sufficiens ad occidendum, reus etiam confessus condemnari non potest, n.3.ib.

Medici in Judices adhibentur, cum dubitatur de coeundi, aut generandi impotentia, n.5.p.221. ad eos pertinet deprehendere eos, qui morbum simulant, n.4.p 244. qui eligendi tempore pestis, n.28.p.276

Medici vates esse non tenentur, n.8.p.289

Medici consilium multoties adhibetur ad excusationem jejunii legitimandam, num.3.p 342. Medicus semper consulendus in causa dubia in his, quæ ad ipsam pertinent, num.7. ibid. Ejus consilio statur de vulnerum judicio, num. 2. p.371. non potest sanare vulnus mortale, num.10.p. 373. Illum non adhibere, aut adhibere imperitum paria sunt, n.11. p.377

Medici inter avaros connumerantur, n.1.p.447. n.19.p. 502. sunt Detractores, num. 3.p.448. ad extremam senectutem deducti & inepti ob id ad medendum, medentes peccant, num.1.p.458. ratione exercitii multis gaudent privilegiis num.1.p.465. omnes possunt de mercede cum ægris pacisci, præter Physicum, num.4.p.466. nisi Medici essent, nihil esset stultius Grammaticis, num.14 p.501. Eorum vitia ex Conciliatore, n.16.ib. unde dicti Archiatri, n.17. p. 502. sunt superbi, num. 8.ib. vocantur Parabolani, num. 25. p.503. non sunt majoris valoris quàm obstetrices, num.26. ibid. Eorum auxilio sæpè perituri sanantur, num.9.p.508. Salutis hominum curam gerunt, n.11.ib. Imperatoribus imperant, n.12. ib. alienos casus suas faciunt esse miserias, n.23.p.511. Inter Comites primi ordinis connumerati, n.26.ib. Eorum electio ad quos pertineat, num.30.p. 512. subrogantur etiam loco Dei in iis, quæ ad rem Medicam spectant, n.44.p.524

Medici officium circa medicamenta dubia, superstitiosa, cathartica nimis violenta, n.15.p.675.& seq.

Medici pro eorum mercede præferuntur omnibus creditoribus, n.2.p.465

Medicina in divinatione quid possit, n.6.p.289. nihil certi prædicere potest, n.8.ib. ejus fallatia in prædicendo unde sit, n. 10.ib divinis insomniis parata, n.17.p.291. Deos multum colere compertum, n.2.p.306

Medicina multum posse sibi non arrogat, num. 7.p.448. non quærit simpliciter corporis sanitatem, sed etiam animi, n.2. p.452. cur à nonnullis vituperata, n.1.p.499. Ejus Origo ignorata, num.4.p.330. à peccato emanavit, num.5.6. ibid. eam exercere cuilibet licet, n.23.p.502. solis servis antiquitùs exercenda relinquebatur, n.24.ib. ex intemperantia, n.6. p.500. superflua, & ad nihil utilis, n.8. ib. noxia est mortifera, n.9.ib. Religioni contraria, n.10.p.50. vana, n.11. ib. nulla artium ea magis inconstans, ib. diversa ab ea, quam exercuit Æsculapius. ib. non ratione, sed Experientiâ inventa, num.12.ib. in ea plus valet Experientia quàm Ratio ib. Pysicæ partis extrema fex: ibidem sordida, num. 13.ib. à Deo est, num.1 p.507. non ex peccato, quia ante peccatum, num.2. ib. maximè à natura inest, num.3. ib. à Deo propter amorem hominibus concessa, num. 4. ib. non ex intemperantia. num. 5. ib. duplex ex Divo Thoma, num.6. ib. maximè utilis, n.7.ib. est Religioni consona, n.15.p.509. versatur circa immutabilia, n.16.ib. est ars rationalis Philosophiæ innixa, n. 17.p. 510. est ars liberalis, n. 19.ibid. Ejus necessitas ex legum auctoritate, n 9 p.508. Ejus finis est sanitas, n.14.p.509. quomodo assimilata Mechanicæ ab Aristotele, n.20.p.510. Cur muta à Virgilio dicta, n.21. ib vera Encyclopedia, n. 25.p.511. à Philosophia distinguitur, n.14.p 520. Jurisperitiæ cur præferenda, n.17.ib. majus bonum causat in Republica, quàm Jurisperitia, n.18. ib.

Medicinæ exercitium an faciat hominem irregularem, n.2.3. p.623. Quibus ex causis Medicus irregularis evadat, n.4.5. ib. & an Medicinæ Exercitium in jure sit Clericis prohibitum, n.6.8.9.10.ib.& seq.

Medicinæ Exercitium non facit aliquem irregularem per se, sed ex accidenti inseparabili ob inevitabile errandi periculum, n.13.p.624

Medicorum quorundam temeritas jejunium vituperantium, n.1.p.346. si duo Medici deponant aliquem ex vulnere non decessisse, multis contra sentientibus, illis magis creditur, n.4.p.372. ad decidendum convocantur, an quis ex vulnere, vel ex alieno morbo decesserit, n.7.ib.

Medicus ebriosus repellitur ab officio, n.48.p.139. tutò curare debet, n.6.p 181

Medicus: ejus judicium exposcitur, ubi dubitatur an infirmitas excuset à divinorum recitatione, n.3 p.562. peccat præbendo medicamenta præservativa in diebus festis, ex quo quis impediatur ab auditione Missæ num.13.p.577. consulitur circa excusationem à redditione debiti conjugalis. n.1. p.590

Medicus Medici nomine qui veniant, n.1.p.444. nomen latè patet, num. 2 ib. & n.23.p.502. eo invito moriente ægro ab omni culpa solutus est, num. 3.p 444. numquam ejus culpa præsumitur mortuus infirmus, num.4. ib. omittendo & committendo delinquit, n.5.ib. tripliciter errat, n.6. ib. puniri potest, quandocunque peccat ex affectata ignorantia, n.1. p.445. & num.5.p.448. numquam potest corporali pœna puniri, ib. dolo peccans in infirmum est reus mortis n.2.p.445. si ejus negligentia æger moriatur, puniri debet, n.3.ib. dolo in ægrum peccans proditorie agit, n.4. ib. veneno ægrum occidens non dicitur proditor, n.5. ib. est invidiæ pelagus, num.2.p.447. in arte sua committit latam culpam, n.6.p.448. qui alios Medicos tenuit in casibus dubiis, mortaliter peccat, n.10.ib. non potest Medicum Judæum in socium recipere, ib. nullus est, qui non peccet, n.11.ib. qui morbos verbis aggravat, peccat, n.12.ibid. non est eo opus bene valentibus, sed malè habentibus, num.7. p.500. bonus esse non potest, qui non sit malorum morum,

INDEX

num.15.p.501.dictus quod homines è medio tollat, n.17. p.502. debet esse pecuniæ contemptor, n. 16. ib. habetur pro ignobili, n. 21.ib. an assequatur Doctoratum dubium, n 22.ib. computatur inter viles artifices, n.23.ib. in modo excedens dicitur Mendicus deficiens mendicus, num 27. p.503. peccat qui eo indigens, a Deo expectat sanitatem, n.6.p.507. Furiosus habetur illum in infirmitate respuens, n.12.p.508. & peccat mortaliter, ib. semper prodesse, nunquam obesse debet. n.14 p.509 n.23.p.511. corpus animo curat n.20.p.510. Artis præcepta secutus bonis moribus instruetur,n 22.p.511. respectu suæ artis est nobilis,n.25.ib. consequitur Doctoratum à Deo, num. 26. ib. ejus nomen Deo tribuitur, n.28.p.512.non est verè,qui non est Philosophus,n.15.p.518.ut à culpa sit immunis & mercedem accipere possit moriente ægro, quænam requirantur, num.20. p.468. an teneatur ad mercedis restitutionem ægro mortuo, ipso nihil prædicente, n.21.ib.ex arte debet potius esse bonus vir, quàm perfectus artifex, n.24.p.511.an sub pœna peccati deferre teneatur infirmum confessionem renuens n.12.p.458.præterea confessionem teneatur hortari ægrum etiam ad Viatici assumptionem, num.13.p.459.an teneatur mortem infirmo nunciare, n.14.ib. non debet certam incolumitatem ægris promittere, ib. an absentes etiam infirmos,qui eum consulunt, teneatur per litteras ad confessionem hortari, n.15.ib. an possit absentibus mederi, n.1. p.452 non potest quicquam contra animæ salutem suadere, n.2.ib.n.16.p.454.tenetur præscribere remedia tuta, n.6. p.453.falsa in judiciis referès peccat mortaliter,n.26.p.456. culpæ reus est, si ante absolutam curationem ægrum reliquerit, & ille decesserit, n.1.ib.quod procedit etiam si sit desperatus, ib.an deserere possit infirmum inobedientem, n.3.ib.recedens à loco infecto, si est à publico conductus errat,n.4.ib non conductus non potest cogi ad medendum, n.5.ib.à publico conductus non tenetur ad casus pestilentes saltem pro eodem salario. n.6.ib. peccat opem suam ægro afferre negans, num.7.p.457. quod procedit etiam in ægro infideli, n.9. ib.remedia tarde adhibens, aut non adhibens, ut morbum protrahat est fur manifestus, n.10.ib. non potest etiam si velit morbum protrahere, ib. celans utile remedium extra, n.12. ib. errat à publico conductus si per semetipsum muneri suo non satisfaciat, n.13.ib. errat cum non operatur secundum Artis præcepta, n.14. ib.peccat studia dimittens,num.15. ibid. negligenter se gerens in ægrorum visitationibus peccat, n.16.p.458.an possit deploratos relinquere, n.17.ib. peccat novis & dubiis sententiis adhærens, n.21.p.459. tenetur sequi sententias certas, ibid. non potest mederi, nisi sit doctoratus,n.3.ibid.peccat absque sufficienti scientia medendo, n.4. ib.errat curando antequam morbum cognoscat, num.5.ib. semper est in culpa si æger à morbo superetur,quem ille non cognoverit,n.5.ib. quæ præscribere possit morbo non cognito, n.6.p.460.errat medicamenta non experta in usum trahens,num.7. ibid. plures infirmos curandos suscipiens, quibus plenè satisfacere non possit, errat, n.10.p.460. medicamentum præscriptum pro malo cognitum mutare renuens peccat, num.11. p.461.errat non exercens Artem prout ratio dictat,sed pro locorum consuetudine,n.12.ib.abortiva præscribens mortaliter peccat, n.13.ib curans morbum desperatum nulli faciat injuriam, n. 18.p.464. desperatis ægris noxia concedens errat, n 30.ib. an curare possit seipsum, aut suos,n.31. ib. minori faciens Medicinam solita mercede errat, num.1. p.465. trifrons est, n.6.p.460.extorquens aliquid à paupere tenetur restituere, n.9.ib.tenetur pauperibus gratis mederi & de suo illis elargiri,n.12.p.467.tenetur gratis curare divitem avarum nolentem solvere, n. 13.p.467.à publico conductus non potest à particularibus donaria accipere, n.14. ib non corpore curat, sed animo, n.18. ib. Iurisperito cur præcedere debeat, n.22. p.512

Mela Ordinis Equestris Vir succo porri epoto obiit, num.9. p.167

Melancholia & furor aliquando pro eodem morbo sumuntur, n.5.p.133. à Latinis furor appellatur ex Cicerone, ib. à naturali humore fit, num.10. ib quò magis inveteratur, magis intenditur, n.25.133.est desipientia sine febre,num.9. p.157.

Melancholia Hypochondriaca est species quædam passionis Hypochondriacæ, n.11.p.157

Melancholia à furore in quibus differat, n.4.p.251

Melancholia confert ad prudentiam, numero 29.p.162. ex abundante in corpore mores fiunt deteriores, numero 32. p.309

Melancholia & insania an excusent à divinorum recitatione publica, n.4.p.573

Melancholica temperatura apta ad divinationem, n.15.p.290

Melancholici, Eorum major quam cæterorum Dementium numerus, n.3 p.131. qui vocentur, n.2.ib. à furiosis & maniacis quomodo distinguantur,n.3.p.132.in illis lædituR Ratio ex Fernelio, n.8.ib.in l.2.ff.de Ædit.Ed.non accipiuntur pro insanientibus, n.14.ib. inquieti sunt, furentes in continuo motu, ib. nonnulli circa unum quid insaniunt, circa reliqua non, num.17.ibid.licèt de facto circa particulare quoddam insaniant, parati sunt facillimè circa omnia insanire, n.22.p.133. an ad testamentum conficiendum admittendi, n.23.ib.matrimonio jungi possunt, n.24.ib.respectu diversi temporis morbi ad nonnulla admitti vel non admitti possunt, num. 27.ib. nonnulli sunt absque eo quod insaniant, num.28.ib.fiunt fanatici & futura prædicentes, n.18.p.151.& 15.16.17.18.p.290.& seq. sunt libidinosi n.2. p.196

Melancholici nomen non est in usu apud Jureconsultos, n.13. p.132. tripliciter sumitur, num.1.p.156.ad l.2.ff.de Ædil. Ed.quomodo acceptum, n.6.p.197

Melancholici morbi non irruunt de repente,ut plures alii,n.9. p.252. & cur, n.14 ib.longi & difficulter terminabiles, num.10.ibid. quænam accidentia illos præcedant, num.11. ibid.

Melancholici morbi miri effectus, numer. 16. p. 290. nullam connexionem habent cum rebus futuris, numero 30. p.293

Melancholici quomodo futura prædicant, n.28.p.292.sunt timidi & imaginosi, n.32.p.310

Melancholicus Humor, vide *Humor Melanch.*

Melitidis cujusdam fatuitas, n.11 p.127

Mellis odore quidam quadraginta dies vixit, numero 20. p.301

Membra exteriora omne augmentum tanquam ex propria materia ex sanguine materno habent, n.16.p.101

Membra quæ sint, n.10 p.407. mutilata quæ appellentur,n.1. 3.6 p.408. mutilata reparari non possunt, n.1 p.409. quomodo mutilata reparentur, & quæ, n.4.ib.

Membranæ molam involventes ex fœmineo semine, num.20. p.71

Membri abscissio ex quibus impediatur, n.9.p.495.eo abscisso quæ cura adhibenda, n.10.ib.

Membrana quædam in quibusdam virginibus observata, ac malè pro Hymene accepta, n.3.p.335

Membri crassities mulieri nullum affert periculum, nisi sit monstrosa,si cautè agatur, n.9.p.604

Membrorum principalium superfluitas maximam secum affert deformitatem & monstruositatem atque sufficientem causam præbet irregularitati, num.1.p.653. & n.4.p.654.de quibusdam superfluis ac monstrosis si celari possunt, dubitari potest, an faciat hominem irregularem,n.2.p.653. In signis corporis monstruositas etiam non apparens animi monstruositatem denotant, n.3.ib.

Membrorum amputatio utrum fieri tuta conscientia possit, n.3.p.668

Membrum virile, vide *Penis.*

Membrum vel propriè dicitur vel improprié, n.5 p.407.dicitur omnis pars organica,n.6.ib. quid sit, num.7.8.9. ib. per antonomasiam dicitur Penis, n.13.ib.Ejus notabile impedimentum in sua propria actione inducit irregularitatem, num.12. p.408. an debile sit, vel impeditum,Medici judicare debent,n.13.ib.reparatum an quicquam juvet delinquenti ad pœnam mitigandam, n.2.p.409.An ex vulnere remansurum sit debilitatum, vel deturpatum, Medicorum judicio statur, n.6.p.372. Ejus Actio quando depravetur vulneratis musculis,n.6.p.378.Ejus abscissio relinquit illud debilitatum, etiam si reparetur, n.7.ib. Ejus mutilatio irregularitatem inducit, n.1 p.407. partis ipsius mutilatio, non facit irregularem,n.2.ib.illud mutilans est irregularis, n.3.ib. an mutilatum sit, necne Medici decidunt, n.4. ib. mutilum non vocatur, ex quo aliqua pars præcisa non est, n.4.p.408. simpliciter prolatum pro manu accipitur, n.4. p.415

Membrum nimis crassum an sit justa causa dirimendi matrimonium, n.1.p.718

Et quid de membro carnoso ultra consuetum, numero 2. ibid.

Membro contracto existente quid de eo determinandum, n.5. p.719

Membri tortuositas copulam impedire potest, & est duplex, n.7.ib.

Membri crassities excedens quando sine remedio sit, num.8. p.764

Memorativi magis sunt sicci quàm humidi, num. 53.p.129. Magis qui superiora majora habent,quàm contra, num.55. p.130

Memoria. Eâ sunt tenacissimi qui tardi ingenio sunt, num.43. p.127. Ejus effectus si valdè intenditur simul etiam Ratio perit, num.45. p.129. Ea simul & judicio valere hominem est impossibile, n.54. p.138. Ejus defectus oritur ex morbis longis, n.45. p.129
Memoriâ defecti qui, num. 43. ibid. non minùs quàm fatui in omnibus existimandi, n.45. ibid.
Memoria deperdita an excuset à divinorum recitatione publica, n.9. p.566
Memoriæ imbecillitas non infert ad intellectus defectum, n.46. p.129
Memphitis lapis, n.12. p.619
Mendicantium fraudes ita habet odio lex, ut cuilibet permittat investigare, an eorum morbi simulati sint necne / n. 2. p.243
Menochii opinio de proximis pubertati approbata. num.24. pag.9. opinio circa procurantis abortum pœna, num. 4. p.51
Menochius notatus, num.3. p.146
Mens non sana deprehenditur ex factis, & verbis, n.2. p.115. non ante tertium diem ad suum statum redit in obstetrice, n.52. p.139. non requiritur omnino sana in eo, qui disponit de rebus suis, n.40. p.129. & n.9. p.154. ejus oculus tunc acute incipit cernere, cum corporis oculus vigorem suum amittit, n.11. p.119
Menses in partus computatione lunares accipiendi, n.29. & 33. pag.33. lunares in triplici differentia, n.29. ibid. lunares qui in partus computatione accipiendi sint, num. 30. ibid. quos acceperit Hippocrates in partus computatione, n.32. & 33. ibid. primus & ultimus in partus computatione satis est ut sint deficientes, num. 34. ibid. primus & ultimus non debent constare paucioribus diebus quàm quindecim, ibid.
Menstrua eodem tempore mulieribus profluunt, quo mares semen emittunt, n.46. p.12. quo tempore primum appareant, num.44. ibid. Eorum defectus est signum prægnantiæ fallacissimum, n.28. p.56. Ex eorum apparentia non potest affirmari, mulierem in utero non habere, num.29. ibid. in eorum defectu absque prægnantia adesse possunt omnia signa veræ prægnantiæ, n.42. p.57. Eorum defectus quomodo à prægnantia distinguatur, n.32. p.61
Menstrua si deficiant, facere possunt aliquam præsumptionem suppositionis partus, etiam in muliere alias habili ad generandum, n.22. p.224. n.13. p.256. Si deficiant faciunt plenam probationem suppositionis partus in muliere inhabili ad generandum, n.23. p.225. Eorum vitium quodcunque potest generationem impedire, n.21. p.227. quodcunque eorum vitium aliquam præsumptionem faceret impotentiæ generandi ea, contra quam ageretur de suppositione partus, n.22. p.228
Menstrua & semen ad generationem destinata, numero 5. p.359
Menstrua excretio cum carentia testium facit probationem fœminini sexus, n.10. p.552
Menstruâ mulier an possit exigere debitum matrimoniale, n.8. p.600
Menstruis fluentibus quando excusentur conjuges ab usu Veneris, num.6. p.600. Mulieres in Venerem accenduntur, n.7. ibid.
Menstruorum fluxus non naturalis an excuset à divinorum recitatione, n.34. p.572. & quando excuset à recitatione publica, n.12. p.574
Mentagra, n.19. p.198
Mente capti nomen apud Jureconsultos pro Melancholico inservit, n.14. p.132
Cætera vide in Verbo *Melancholici.*
Mentis alienatio quæ & quando impediat Eucharistiæ assumptionem, n.5. p.758
In mentis alienatione aliquando adsunt lucida intervalla, aliquando non, n.4. p.759
Mente alienatis quando possit exhiberi sacrosancta Eucharistia, n.5. ibid.
Vide *Alienatio Mentis.*
Vide *Dementes.*
Mentha semen genitale fluidum facit, & membri erectionem prohibet, n.48. p.232
Mentula muliebris quando debeat præbere causam dirimendi matrimonium, n.9. p.735
Mentula muliebris quando consummationem matrimonii impedire possit, n.18. p.766
Vide *Matrimonium.*
Mercedem honestam tenuere Medicus non debet, n.1. p.465. an licitè Medicus accipiat, n.2. ibid. ob eam Medicinam facere, illiberale & impium ex Hippocrate, ibid. merces non est quod Physico tribuitur, sed honorarium, num.6. p.466. num.16. p.457. nimiam exigens Medicus peccat, n.7. p.646. ante inceptam curationem an liceat Medico accipere n.15. p.467. an liceat accipere in diebus festivis, n.16. ibid. hujus acceptio facit opus servile, n.17. ibid. nihil ea demit de Medicinæ dignitate, n.19. ibid. an liceat accipere in curatione morborum incurabilium, n.20. p.468
Merces tempore pestis quæ tutò admitti possunt, quæ non, n.29. p.275
Mercurialis notatus, n.3. & 9. p.209. & 210
Mercurialis opinio, cur Antiqui pilces in morbis concederent, reprobata, n.11. p.347
Mercurii error circa hymen, n.5. p.335
Mercurius, vide *Argentum vivum.*
Meretrices tempore pestis, à civitate expellendæ & cur, n.15. p.274
Meritum socium habet præmium, n.7. p.444
Messala Corvinus memoriam amisit, n.45. p.129
Metalla non suscipiunt pestis contagium, n.19. p.275
Metallica venenosa, n.18. p.188
Meticulosi præ omnibus pestem incurrunt, numero 19. pag.274
Metus in peste evitandus, n.18. ibid.
Metus. Ejus causâ quod fit ratum non habetur, num. 39. p.125. Justus quis dicatur, num.41. ibid. est contrarius voluntati, num.42. ibid. Ejus causâ qui vult, velle non dicitur, ibid. Eo probato, actus illicò corruit, qui non sponte factus, ibid.
Miles ebrietatis repellitur à militia, n.48. p.139
Milites in manibus stigmatizati, n.6. p.610
Mineralia venenosa, n.18. p.188
Minimi digiti in omnibus minimus usus, n.16. p.417
Ministrantes infirmis tempore pestis ab aliis per aliquam notam dignoscendi, n.33. p.276
Minor 14. annis torqueri non potest, n.3. p.487
Minorauri, n.23. p.558
Mirachialis pallio, n.8. p.156
Miracula multa non videntur ultra Naturæ potentiam sese extendere, n.10. p.283. Cur operetur Deus, n.1. p.316. nova non licet alicui publicare, n.4. p.281. simpliciter dicta ideò pro miraculis se prodùc., n.4. p.285. ea facere est Gratia gratis data, n.6. p.281. Eorum operatio transit de generatione in generationem, n.7. ib. tribuuntur fidei, n.7. p.286. ab idiotis ea judicantur, quæ dum ratò eveniunt, n.9. p.282. illis non est statim credendum, n.10. ibid. pro canonizatione probari debent non modò in vita facta, sed etiam post mortem, n.11. ibid. facta post mortem multo majoris momenti quàm facta in vita, num.14. ibid. in iis examinandis Rota Romana Medicos adhibet, ibid. Sola divina virtute fiunt, n.19. ibid. Omnia supra vires Naturæ sunt, vel simpliciter, vel secundum quid, n.9. p.288. sunt circa ardua, num.4. p.306. primæ classis plutis æstimanda, quam secundæ, n.11. p.284. Eorum divisio secundum diversum operandi modum, n.11. ibid. primus eorum gradus, n.13. ibid. Eorum secundus gradus, n.14. ibid. Eorum tertius gradus, n.15. ibid. Eorum quartus gradus, n.16. ibid. Majora & minora dici possunt, & quomodo, n.17. ibid. à Dæmonibus facta per se, aut apparentia sunt, aut non prætergrediuntur Naturæ vires, n.4. p.281. cur tam multa prædicentur, n.3. p.287. In arte contingunt, n.8. p.307. fiunt ad Dei gloriam, n.68. p.313
Miracula sunt ad fidei corroborationem, n.19. p.301. nulla requiritur conditio à parte rei in iis, quæ miraculo fiunt, n.22. p.301. sunt opera undequaque perfecta, n.23. ibid.
Miraculum à Natura quid ex Aristotele, n.16. p.282
Miraculum quid, n.16. 17. ibid. dicitur quasi admiratione plenum, n.18. ibid. est opus arduum, ibid. & n.15. p.317. non protinus est, quicquid supernaturaliter fit, n.19. p.282. semper exsuperat vires Naturæ saltem secundum quid. n.20. p.283. duplex, n.21. ibid. Miraculum secundum quid, n.22. & 23. ib. Miraculum simpliciter quid sit, n.21. & 23. ib. tripliciter divisum, n.1. ibid. Contra Naturam quid, n.2. ibid. supra Naturam quid, n.3. ib. Præter Naturam quid, n.4. ibid. Miraculum præter Naturâ tripliciter divisum, n.5. ib. præter naturam ob excessum, n.6. ibid. præter naturam respiciens naturæ obedientiam, ad invocationem divini numinis, n.7. ibid. præter naturam quod generatim fit, n.8. ibid. quod absolutè est tale, majus est, quàm quod secundum quid, n.19. p.284. Unius ejusdemque gradus potest esse majus & minus, n.20. ibid. non est quod per naturales causas fieri potest eadem modo, quo fit, n.2. p.285. Id quomodo intelligendum, n.3. ibid. opus est rarum, n.1. p.287
Miserere mei, morbus, n.26. p.570
Missa. In ejus auditione parum laboris impenditur, num. 9. p.576. Venit sub nomine officii divini, num.1. p.561. In ea dicendæ

dicenda quæ concurrant,n.15.p.563.in ea audienda quæ requiruntur, n.16.p.564
Mithridates Ponti Rex naturam habuit Alexipharmacam ex assidua antidoti assumptione, num. 30.p.281.fontes ex quibus Romani bibere debebant infecit veneno, numero 26. p.187
Mixtum quod est, non est simpliciter tale, n.8.p.365.
Modus loquendi quomodo indicet insaniam, numero 16. p.115
Mola ut plurimum in prægnantibus generatur,& fœtui & matri obest, n.20.p.598
Molæ servitus n.22.p.433
Molæ motus similis motui Embrionis, n.38.p.57.Ea à prægnantia quomodo distinguatur,n.39.p.62.Est quid morbosum, & non est pars ventris, n.45.ib. Molam indicantia, n.47.ib.Ejus generatio unde, n.48.ib. Eam gerens mulier viro non utens suspectam pudicitiam habet, n. 1. p.68.Eam gerens an gravida dici debeat,num. 2. ib. Ejus nomine multa insigniuntur, n.16.p.69. Ex aliquorum opinione est induratus vulvæ tumor, n.4.p.68. Est caro informis & otiosa ex Galeno n.5.ib quid ex Laurentio, n.6. ib. quomodo generetur ex Hippocrate, n 8. ib. & n.1. p. 69. plerumque cum vero conceptu reperitur, n.12. ib & n. 9. p 70.ad Hippocratis mentem quid sit, n.15.p.69. quid verè sit,n.15.16.ib. quomodo verè generetur, n.35.p.72. Verain duplici est differentia, n.17.p.69. generari ex virili semine magis communis opinio, n.2.p.70.non generatur ex virili semine, n.7.ib.fit ex morboso semine, n.10.ib. non potest cum vero conceptu generari si ex virili semine generetur, n.15.p.71.non potest generari ex superfœtatione,n.11.p.70. Non habet determinatum tempus sui ortus, n. 13. ib. & n.40 p 84 ad ejus generationem requiritur sanguinis confluxus ad uterum, num.14.p.71. in ea semper generatur caro ejusdem conditionis, n.19.17.ib ovo respondet,n.25.ib. absque viri usu aliquando gestata, ib. ingressilibus eodem modo generatur quo subventanea ova in oviparis,n.27.ib.Eam cur non generent mulieres viro non utentes, n.32.p.72. in virginibus non generatur n.33.ib. Vitalis majorem suspicionem affert, an absque virili semine gigni possit, n.35.ib. vitalem gerens mulier magis suspectæ pudicitiæ, quàm ea, quæ non vitalem gerit, n.37.ib.semper suspicionem præbere potest violatæ pudicitiæ, n.38.ib ad ejus generationem virile semper non concurrit ut efficiens, neque ut materia,n.38. ib.perraro generatur in iis,quæ viro non utuntur,n.6.p.73. portatur aliquando tota vita absque incommodo,num.40. p. 84.cum fœtu gestata & fœtum & matrem petimit, n.10 p.73
Molam absque fœtu gerens prægnantis privilegiis non gaudet, n.11.ib.nec decedens debet facere locum exceptioni, n.14.ib.conceptus est præter naturam, n.32.p.83. est morbus, n.33.p.84. Ejus generatio secundum aliquos, n.39. ib. Est morbus proprius mulieris, n.44.ib.
Molatica debet connumerari inter generantes, num.2.p.73.Ex Molæ vitio decedens debet facere exceptioni locum in societatibus, num.4.ib. Cum vero conceptu molam gerens prægnantium privilegiis gaudet, n. 8. ib.decedens facit locum Exceptioni, n.9.ib.an infirma & valetudinaria dici debeat, n.16.ib.prægnans dici non potest, n.31.p.84
Molilagia, n.19.p.208
Monachus quidam surdos à nativitate loqui docebat,num.7. p.150
Moniales aliquando ex vitio aëris ipsius clausuræ infirmari possunt,& quot modis id fieri possit,n.1.p.684.Si aër clausuræ videatur manifestè alicui Moniali perniciosus, an possit judicari legitima causa dimittendi eam à clausura, n.2. ib. Et quid si idem aër esset pluribus damnosus, n.3 p.685. Moniales S.Sixti ad Quirinalem translatæ ob aëris clausuræ S.Sixti pravitatem,n.4.ib Quid si ex vitio aëris ipsius clausuræ quotannis aliquæ graviter ægrotarent ac perirent,n.5. ib.Et quid si singulis tribus, aut quatuor, vel quinque annis id accideret,n.6.ib.Et quid si rarius eveniret ut singulis quindecim vel viginti annis, n.7.8.ib prædictorum declaratio & limitatio ex emendabilitate vel inemendabilitate vitii ipsius, n.9.ib.
Monialis quædam per duos annos nihil comedens, n.10.p.301. alia Reatina per quatuordecim dies non comedens miro symptomate oppressa, ib.
Monialis quædam à visu fcarabæi in syncopem labi solita, n.41.p.163
Monialis peste, vel lepra infecta,à clausura dimissa, debet sana facta ad illam redire, n.1.p.680. Idque fieri potest absque aliorum periculo, n.3.ib. Leprosa quando sit dicenda verè sanata, n.4. & 5. ib.quando tutum sit cum leprosa sana facta commorari, quando non, n.6.p.681 peste infecta si fa-
petur, quando debent ad clausuram redire n.7. ib Sanæ ob contagii timorem clausuram relinquentes quando teneantur ad eam reverti, n.8.ib.
Monialibus quando liceat relinquere monasterium ob contagiosum morbum, n.9.p.279. non possunt relinquere monasterium ob simplicem pestilentiam, n.12.ib.
Monoculus, id est Luscus,est irregularis, n.4.p 413
Monstra. De illis considerate Iurisperito necessarium, num.2. p.526. quænam sint, ad Medicum pertinet definire, n.3.ib. quænam sint, Judicis arbitrio relinquitur, n.4 ib.filiorum appellatione non veniunt, n.6. vitalia non sunt, n.8. ibid. impune occidi possunt,n. 2.p.527 an sint resurrecturæ,n.13. ib. quæ rationali anima dotantur,resurgent,n.14.ib. in solis animantibus contingunt, num. 19.ib. quid ex Mercato, n.21.p.528.quid ex Liceto, n.25.ib. eorum duplex ordo. n.30. & 31.p.528. & seq. Eorum quinque genera, n.32, p.529. primum Genus eorum, quæ à natura sunt,n.33, ib secundum Genus eorum, quæ peccant quantitate, n.34. ib. tertium genus ex partium superabundantia, num.35.p.530. quartum Genus ex dissimilitudine partium à sua specie, n.36.p.531. quintum Genus ex dissimilitudine à sua specie. quoad totum, n.37.ib Eorum divisio, num. 38. ib. alia ex Liceto, n.39.ib alia ex Martino Vvintichio, n.40. & 41. ib. an à causa, an 10.p.532. unde fiant ex sententia Empedoclis, ib. diversa ex diversis causis, n.21.p.534. facilè intereunt, n.19.p.537. in dubio baptizanda, n.13.p.541.humana capite brutino an pro hominibus habenda, n.15.ib.Ex mulieribus nata nihil humani habentia, num.16.p.542. bicorpora an duo homines vel unus,n.17.ib unico capite, sed duplici corde dotata unica voluntate moventur, contra bicipita, n.23.p.543. duplici capite dotata uno in loco soluto, alio in medio ventre, n.10.p.544. bifrontia ut Ianus, duóne homines,an unus ib.cur facilè in matris utero vivant, n.2 p.544. eorum abortus rarissimi, n.3.ib.quæ maximè intereant, n.6.7.8.9.10.p.545
Monstri cognomen unde acquisierit Reverendiss. Pater F.Nicolaus Riccardius S.A.P.Magister, n.18.p.527
Monstrum non rumpit testamentum,n.5 p.526. an baptizari possit, n.10.p.426.ex homine & bruto an nasci possit; dubium, n. 1.ib. Ostentum, Portentum Prodigium, Synonyma sunt, n.17.p.527. dicitur ex eo quod futura præmonstrare crederetur n.18.ib. vel ex eo quod ab unoquoque uniciuique commonstretur, ib. Ostenti species, ib. quid sit ex Aristotele, n.21.p.528.quid ex VVintichio.n.22.& seqq. ib. quid ex Capivac.n. 24.ib quid ex nostra sententia, n 25.ib.apud Leges strictissimè aliquando accipitur,n.28. ib.acephalon, n.37.p.530. ad effectum ut baptizari possit quando dicatur, n.39.p.541. bicorpor Romæ visum num.27. p.542.Lutetianum biceps unico corde, n.8.p.543. Panormitanum simile, ib.Aliud simile, ib.duplici utero dotatum, n.24.p.455. aliud Lutetianum simile, ib. Heidelbergense simile, n.8. p.543. Aliud Romæ natum simil, ib. bicorpor unico corde, num.9.p.544.bicorporeum natum Cosignani, n.2.p.543.bicorporeum Romæ natum, n.3.ib.
Montanus refellitur,n.18.p.349
Morbi principium quid, n.8.p.142.Augmentum quid, num.5. ibid.
Morbi acuti neque Medicum,neque idiotas latent, n.6.p.195. infra 14. dies judicantur, n.30.p.196
Morbi longi & vehementes solent hominem dementare, n.1 p.155
Morbi qui progignantur ex veneneno interno, n.12p.173
Morbi aliqui promptiorem hominem faciunt ad coitum,n.8. p.227.Acuti coitum & generationem impediunt, n.16.ib. qui cum defectu animi fiunt,magni sunt,n.2.p.253.genitalium & circumjacentium partium generandi impotentiam faciunt, n.18.p.228.qui partium principium temperiem labefactatam impediunt generationem,n 19.ib.longi faciunt generandi impotentiam, n.20 ib. Magni habent magna signa, n.44 p. 240. acuti magnam de se notitiam præbent, n 48. ib.magni supponunt magnas causas, n.49.ib. qui facilè simulari possit, qui non, n.5.p.244
Morbi lethales à nonnullis exuperantur, n.8.p.373.
Morbi ex quorum impedimento Rei chorda torqueri non possunt, n.7.8.9.10.p.488.n.11.12.13.p.489. ex aëris vitio advenientes periculosi, n 4.p 495
Morbi, qui excusent à Missæ auditione ratione aëris externi, num.15.p.527.omnes qui aut febres sunt,aut febrem adjunctam habent excusant à debiti redditione, n.15p.593. qui insultus habent quando etiam in interim illoco excusent à redditione, n.25.ib. somnolenti qui à redditione excusent, n.27.ib.cum febre notatu digna etiam mulierem à redditione excusant, num.6.p.596. qui mulierem excusent à redditione, n.7.ib.

Morbi

Rerum notabilium.

Morbi aliqui impediunt promotionem ad sacros ordines, sed non prohibent promotum ministrare, alii impediunt utrumque, num. 1. p. 625. nonnulli faciunt irregularitatem perpetuam, alii temporaneam, n. 2. ib.

Morbi immanentes, idest nusquam recedentes qui, n. 4. ib. temporanei, n. 5. ib. facilè recurrentes, num. 6. ib. Morbi propter quas potissimum causas irregularitatem inducat, n. 7. ibid.

Morbi cutem faciei deturpantes sic, ut irregularitatem inducant, n. 2. p. 649

Morbi à Christo Domino sanati, omnes difficiles & humana arte insanabiles, n. 67. p. 313. à Deo immissi habent in se aliquid ardui, n. 14. p. 317. à Deo immissi quomodo cognoscendi, n. 15. & 16. ib. & deinceps. Ex quibus homo interdum mortuus apparet, cum adhuc vivat, n. 28. p. 328

Morbi insigniter caput debilitantes, ac refrigerantes, faciunt maximam conjecturam impotentiæ, n. 1. p. 730

Morbi quidam magni quando faciant hominem impotentem, n. 9. p. 732. & n. 10. ib. & n. 11. ib.

Morbi nonnulli mulieres infœcundas faciunt, numero 8. p. 743

Terminus acutorum morborum est quadragesimus dies, n. 747

Vide *Terminus*.

Morbus acutus habet suum motum celerem, n. 3. ib.

Qui morbi prohibere debeant Eucharistiæ assumptionem, n. 2. p. 758

Morbi cum quibus associatur vomitus, prohibent sacramenti exhibitionem, n. 15. p. 760

Morbus quis sit Cholera, n. 19. ib.

Vide *Cholera*.

Morbi contagiosi relinquentes semina contagii recedentes, an dent causam divortio, n. 5. p. 767

Morbus diuturnior majorem timorem potest dare sano conjugi infectionis, quàm recentior, n. 6. ib.

Morbus gravis recedens plus timendus est, quàm mitis præsens, n. 5. ib.

In quibusdam morbis relinquitur dispositio inficiendi sanum conjugem, n. 7. ib.

Morbi hæreditarii majorem suspicionem infectionis inducunt, n. 8. ib.

Morbi contagiosi omnes non dant divortio causam, num. 9. ibid.

Morbus aptus ad inficiendam domum conjugum, est causa divortii; non sic autem ubi morbus simplici contagio sanum conjugem inficere potest, n. 5. p. 769

Morbi quinam adeò pravis exhalationibus scateant, ut etiam domos inficiant, n. 7. p. 770

Morbi visionem tantum diminuentes an dissolvant sponsalia, n. 8. ib.

Morbis obnoxius est fœtus in matris utero, non minus, quam extra uterum, n. 2. p. 781

Vide *Fœtus*.

Morbilli, & variolæ aliquandò pestilenciales, n. 13. p. 674

Morborum irregularitatem inducentium divisio, numero 1. p. 632

Morborum qui irregularitati causam dare possunt ad stomachum & ventriculum pertinentium enumeratio, num. 1. p. 643

Morborum partium genitalium qui irregularitati causam dare possunt enumeratio, n. 14. p. 579

Morbos omnes superat pestis n. 1. p. 555

Morbos difficiles aliqui facilè sustinent, alii vel leviores sustinent difficulter, n. 10. p. 144

Morbosam & imbecillum differunt, n. 9. p. 69

Morbum acutum excitat venenum, n. 10. ib.

Morbus quid, n. 75. p. 21. omnis præter naturam n. 81. ib. Chronici judicantur per morum solarè, acuti per lunarem, n. 36. p. 34. in illis perfectè judicandis non sufficit dies critica, n. 27. p. 36. unde fit, n. 9. p. 50. quidam prægnantes necessario occidunt, num 15. ib. quidam contrarias dispositiones ægros trahunt, n. 25. p. 83. & recidiva habent unam eandemque causam, n. 11. p. 92. ex recidiva dici non potest, si nova accesserit causa, n. 10. ib.

Morbus & sanitas circa idem sunt, n. 11. p. 95. & n. 19. p. 78. datur ejusdem rei cujus datur sanitas, n. 12. ib. quando fiat, n. 13. ib. alius proprius, alius per consensum fit, n. 37. p. 79. in partu & prægnantia advenions modo primo ad ea pertinet, modo non, num. 45. p. 79. non potest dici ex vitio partus fuisse eo naturali extincta, ib quidam sunt magis familiares viris, quam mulieribus, n. 45. p. 74. non lethalis in prægnante evadit lethalis, n. 77. p. 86. eo lethali existente subsequens est effectus prioris, n. 112. p. 87. non causatur ex iis quæ secundum naturam fiunt, n. 3. p. 88. advenions ex partu differunt. n. 4. ib. Ejus causa est præter naturam, n. 11. ibid. cognatus qui, n. 17. p. 89. proprii prægnantium naturales dicendi, n. 18. ib. Ejus principium unde enumerandum in parturiente, num. 42. p. 97. hæreditarii qui, n. 30. p. 109. unde sint, n. 31. ib. ab illis cum longi sunt extinguitur virilitas, n. 3. p. 109

Morbus quid ex legum definitione, n. 1. p. 192. quid ex Medicis, n. 2. ib. à vitio quid differat, n. 4. ib.

Morbus à vitio quid differat ex Ciceronе, n. 8. p. 192. & ex aliis, n. 9 ib. ex propria opinione, n. 13. p. 193

Morbus gravis probatur ex sententia Medicorum, n. 2. p. 194. duobus modis dicitur, n. 11. p. 195. est ex quo quis Medicorum judicio periturus erat, n. 12. ib. extra materiam redhibitionis quot modis dicatur, n. 14. & seqq. ib. magis dicitur, qui plura habet accidentia, num. 18. ib. magis dicitur quanto magis à naturali statu recedit, num. 19. ib. dicitur morbus contagiosus, ib. est qui difficulter curatur, n. 21. ibid.

Morbus levis non dat redhibitioni locum, n. 3. p. 194. quis dicatur, n. 12. p. 195

Morbus major & magnus, n. 15. p. 144

Morbus redhibitioni locum faciens, qualis esse debeat, n. 4. & 11. & seqq. p. 191

Morbus sonticus quis dicatur, num. 9 ib. quis apud Medicos, n. 26. p. 196. Idem qui acutus, n. 27. ib. Contrarium, n. 28. ib. est perpetuus, n. 29 ib. malè accipitur pro aliquando peculiari morbo, n. 32. ib. est Epilepsia, 33. ib.

Morbus scelestus, n 15. p. 144

Morbus contagiosus, Vide *Contagiosus morbus*.

Morbus reddit hominem impotentem ad generationem, n. 11. p. 227. declara ut n. 7. p. 227. est res præter naturam, n. 3. p. 226 impedit Veneris usum, n. 4. p. 227. potest aliquando reddere hominem apriorem ad generandum, n. 9. ib. interficiens est magnus, n. 12. ib. impediens coitum impedit generationem, n. 15. ib. levis non impedit hominem, quin suas actiones exercere possit, n. 37. p. 250. levis non est dignus nomine morbi, n. 38. ib.

Morbus ex miraculo sanatus plures debet habere conditiones, n. 4. p. 306. debet esse difficilis, ib. debet esse gravis, n. 5. p. 307. non debet esse in ultima parte status, vel propriè judicium, num. 6. non debet esse ægroranti familiatis, n. 17. p. 308

Morbus Gallicus, vide *Gallicus Morbus*.

Morbus Gallicus quando sit justa causa divortii, quando verò solius separationis Tori, n. 9. p. 770

Morbo Gallico detenti quando resignare possunt, n. 18. p. 746. Ob morbum Gallicum an semper dissolvi debeant sponsalia, n. 13. p. 772

Vide *Sponsalia*.

Morbus Gallicus levis non videtur sufficiens causa dissolvendi sponsalia jurata, n. 14. ib.

Morbus est causa sufficientissima excusans à jejunio, n. 1. p. 357. non omnis à jejunio excusat, n. 2. ib. debet esse alicujus momenti, ut à jejunio excuset, n. 7. p. 385. p. levis non dicitur morbus, ib. non omnis, qui excusat à jejunio indifferenter ab omni jejunii conditione excusat, n. 8. ib. omnis dicitur ulcus Hippocrati, n. 9. p. 372

Morbus ad hoc, ut teneatur Medicus suadere confessionem, non dicitur levis, ubi est dubius, n. 7. p. 458. levis quando dicatur ad hoc, ut Medicus tali obligationi satisfacere non teneatur, n. 8. ib.

Morbus qui justè excusat à divinorum recitatione qualis esse debeat, n. 1. p. 564 qui per totum diem non affligit, non excusat à totali recitatione, n. 6. p. 565. est ex præcipuis causis impedientibus Veneris usum, num. 17. p. 592. quinam sufficienter excuset à debiti redditione, n. 21. p. 593. etiam levissimus quando excuset, ib. qui mulierem licite excuset à reddendo qualis esse debeat, n. 5. p. 595

Mores similes similem arguunt temperaturam, n. 29. p. 106. Ex consuetudine habentur, ib. in pubertate immutantur, n. 42. pag. 11

Mores mali, vide *Malimores*.

Moribundi divinant, n. 17. p. 290

Moriendi actus est quoddam momentum imperceptibile, n. 24. p. 155

Moriones qui, n. 7. p. 117

Moritur nemo absque syncope, n. 48. p. 350

Morosis, n. 35. p. 129

Morphæa n. 4. 655

Mors, quæ excipiatur in contractibus societatum, n. 5. p. 75. ex peste & Epidemia habet causam intrinsecam, n. 15. & n. 21. p. 75

Ex partu excepta propter illius frequentiam, ibidem, Ex vi proveniens excepta, numero 23. ibid. ex peste, &

INDEX

Epidemia ſemper habet extrinſecam cauſam, n.26. ibid. ex partu, ex peſte, &c. non eſt violenta, num.38. ibid. violentæ nomine quid veniat in contractibus ſocietatum, num.41. & 45. ibid. naturalis quæ, num.43. ibid. violenta quæ ſecundum Platonem, n.44. ibid. ex partu violenta dici non poteſt, n.46. ibid. ex partu aliquo modo videtur violenta, n.52. p.77. ex partu excipi permiſſa n.62. ibid. ex partu non ſemper facere debet exceptioni locum in ſocietatibus, n.1. p.78. ex partu quænam ſit ex Cognato, n.9. ibid. quando cenſeatur facere exceptioni locum, n.85. p.79. num.3. p.94. non evenit ex rebus naturalibus cum in naturali ſtatu permanent, n.12. p.81. ex partu, &c. quæ ſecundum aliquos, n.12. ibid. cauſa partus quando ſit, num.26. ibid. eveniens in partu duplicitèr conſiderari poteſt, num.28. ibid. ex mola an faciat locum exceptioni, num. 36. p.84. ex puerperii vitio adveniens, cauſa partus eſt, n.50. ibid. ex ſuperveniente cauſa quando cenſenda evenill. n.109. p.87. ex morbo dependet, n.8. p.95

Mors magis ſubcunda quàm infamia, n.51. p.115. ei proximi cur ad mentem redire interdum videantur, n.12. p.142. ei proximus licet teſtamentum condere, & matrimonium contrahere, n.8. p.154. ei proximi non præſumuntur ſanæ mentis, n.14. ibid.

Morte eadem pluribus ſimul pereuntibus, prius præſumitur mortuus qui teneriorîs ætatis eſt, n.14. p.498

Mors eſt privatio vitæ. n.25. p.528. eſt terminus ſyncopis, vel ſyncopis confirmata, n.47. p.530. ejus ſigna infallibilia, n.57. p.531

Mors eſt animalis corruptio, n.11. p.613

Mortuorum cadavera tempore peſtis citiſſimè ſepelienda, n.22. p.275

Mortuus peccare non dicitur, n.5. p.140. ex veneno externo an diſcerni poſſit ab eo, qui mortuus eſt ex interno, n.1. p.171. cognoſci poteſt ex veneno propinato interiiſſe, abſque eo quod cognoſci poſſit ſpecies veneni, num.21. p.173. ex veneno interno poteſt certiſſimè cognoſci, num. 22. p.174

Mortuus an homo necne, ex quibus dignoſcatur, num.53. p.330

Moſes moribundus prophetat, n.18. p.291. quadraginta diebus ex miraculo jejunavit, n.1. p.298. ejus manus leproſa apparens, n.59. p.312

Motus in utero prægnantiæ ſignum, n.36. p.57. à quibus rebus excitari poſſit, n.37. ibid. præcipuè fallit Medicos & ipſas mulieres, ibid. nullus ſentitur in mola, ibid. fœtus differt à motu, n.10. ibid.

Motus omnis originatur à dextris, n.11. p.104

Motus & quietis uſu quomodo errare contingat, numero 4. p.564

Movens primò movet per ſe, ſecundariò movens, movet per accidens, n.93. p.78

Mularum duplex genus, n.18. p.235

Mulæ non generant, num. 12. ibid. in Syria & Cappadocia ſunt fœcundæ, ibid. In Italia aliquando pepererunt, ibid. Mula ſterra, ibid. non menſtruatur, ibid.

Muli facillimè peſtem concipiunt, n.91. p.270

Mulier naturæ lege non eſt potens niſi duorum fœtuum, n.11. p.50. & cur, n.13. ibid. Cur duabus mammis ſolummodò dotata, n.11. ibid. ante nonum naturaliter non parit, n.18. p.44. quædam non concipiens, niſi per tres, vel quatuor menſes illi menſtrua deſtitiſſent, n.29. p.57. menſtruis deſtitutæ aliquando concipiunt, n.30. ibid. quænam concipiant abſque menſtruis, ibid. lactantes concipiunt, etiamſi non menſtruentur, n.31. ibid. rarò de prægnantia dubitant ante primum menſem, n.46. p.57. cur præ cæteris fœminis ſuperfœtet, n.17. p.65. cur prægnans marem admittat, n.29. ibid. parit ſeptimo, nono, & decimo, n.14. p.71. nulla viſa eſt abſque viri uſu molam geſtaſſe, n.1. & 6. p.70. & n.29. p.71. nata eſt ad hoc ut partus edat, n.49. p.77. non poteſt emere aut exercere officia publica, num.58. ib. & n.5. p.95. poteſt ſuas pecunias in ſocietatem dare, n.60. p.77. ex mola decedens locum facit exceptioni ſecundum Perlinum, n.38. p.84. nonnullæ neceſſariò abortiunt, n.75. p.86. prægnans morbo non cognato laborans in partus purgatione perit, n.17. p.89. infirmæ non concipiunt, n.4. p.92

Mulier, ei ob impetitiam ſuccurritur, n.13. p.122. Ejus pulchritudo facit præſumi amorem, n.44. p.136. ad hoc nata eſt, ut partus edat, n.8. p.215. quæ bis in menſe purgatur, ſana non eſt, n.25. p.216. quæ non purgatur, quando ſana non ſit, n.26. ibid.

Mulier ex ſemine virili relicto in balneo imprægnata, num.2. pag.243. in cauſa eſſe poteſt utriuſque impotentiæ in viro, num.17. p.221. facilius eſt ut concipiat abſque menſtruis in ætate habili, quàm inhabili, n.21. p.224. menſtruis deſtituta non præſumitur poſſe concipere, n.22. p.224. ſeq. poteſt à viro corrumpi, & matrimonium ex capite impotentiæ non tenere, n.30. p.231. ſemper eſt potens ad coitum ex parte ſui, n.32. ibid. frigida eſſe poteſt, n.34. ibid. frigida vocanda, ſi ſemen non poſſit emittere, ibid. menſtruis ob ætatem deſtituta, non dicitur ſterilis, licet non concipiat, n.6. p.236. non dicitur ſterilis ſi viro infœcundo utatur, num. 7. ibid. poteſt emittere ſemen abſque voluptate, n.13. p.237. cur non percipiat aliquando voluptatem in ſeminis ejaculatione, n.15. ibid. Cur in actu coitus ſubjaceat viro, n.21. p.238. abſque coitu an ex ſemine virili concipere poſſit, num.1. pag.240. non poteſt concipere abſque commixtione viri per omnimodam appellationem membrorum generationis, n.10. ibid. non poteſt concipere ex viro non erigente, etiam ſi ſemen emittat, num.13. ibid. & ſeq. ſupra quinquageſimum annum non poteſt concipere, num.18. p.237. Ejus frigiditas quomodo faciat conjecturam partus ſuppoſiti, num.25. ibid. an unquam pepererit quibus cognoſcatur ſignis, n.8. p.259. Eam utero gerere pro certo firmari non poteſt, num.9. p.260

Mulier quædam ſeptem annis ſine cibo vivens, num.19. p.301. alia, quæ per 36. annos nihil comedit, num.1. p.301. alia Alemaana ſex menſibus jejuna vivens, ibid. fluxum ſanguinis patiens in Evangelio, n.57. p.312. non fert ſemen ante menſtrua, num.4. p.340. cur multo ſanguine abundet, n.6. ibid.

Mulier menſtruis fluentibus an torqueri poſſit, n.482. non eſt torquenda, ibid. cur facilius delicta confiteatur, quàm vir, n.22. p.491

Mulieres in reſpiratione multò minùs lædantur, quàm viri, num.21. p.400. cur lato pectore dotentur, ibid. timidiſſimæ ſunt. n.26. ibid.

Mulier, an ei proſit, ut matris privilegiis fruatur, ſi quid monſtroſi fuerit enixa, n.9. p.526. quando ſit monſtrorum cauſa, n.17. p.533. ſemicenem pucrum pariens. n.23. p.538. Giganteæ ſtaturæ ex puſillis parentibus Romæ nata, n.13. p.548. quædam duplicis naturæ, n.34. p.553. quod conceperit ex ſemine propè ipſam effuſo abſque concubitu, ridiculum, n.54. p.589. ſatisfacit debito ſola ſapientia copulandi ſe cum viro, n.12. p.595. an teneatur debitum reddendo ſemen emittere, n.14. p.582. quæ periclitatur in partu, an teneatur reddere debitum, n.21. p.594. quæ ſemper mortuos parit, an teneatur reddere, n.10. p.601. quæ ſemper gemellos parit, an excuſetur à redditione, n.11. ibid. an poſſit exigere à viro, qui non poteſt ſemen emittere, n.12. ibid. promptiùs contagio afficitur quàm vir, n.3. p.603. humidior viro, ibid. an teneatur reddere viro, qui nimis craſſo, aut nimis longo membro dotetur, n.9. p.604. an poſſit aſſumere medicamenta, ut magis delectetur in coitu, n.1. p.605. quando dicatur extra vas ſe polluere non facilè explicari poteſt, num.11. p.608. an poſſit poſt coitum ſurgere & urinam reddere, ut ſemen ejiciat ne concipiat, n.12. ibid.

Mulier non poteſt dici peperiſſe, cui mortuæ filius ab utero eſt extractus, n.4. p.709

Mulieres non ſecus ac viri poſſunt eſſe frigidæ ex ſua natura, n.2. p.733

Mulier, quantumvis, ut aliqui opinantur, proprio ſemine non concurreret ad generationem, deberet tamen concurrere ſanguine menſtruo, n.4. p.742

Mulieres in coitu deficientes ſterilitati obnoxiæ ſunt. num.7. ibid.

Mulier habet verum ſemen generationi aptum, numero 12. p.763

Mulier, quæ per ætatem aut teneriorem, aut veruſtiorem non purgatur, concipere non poteſt, n.24. p.769

Mulieres ipſas latet conceptionis dies & hora, numero 11. p.778

Vide *Conceptio*.

Mulieri Geminos in utero habenti, ſi altera mamma gracilis fiat, abortit, fœtum illi parti correſpondentem, n.6. p.781

Mulier peperiſſe dici non poteſt, cui fœtus ab utero extractus eſt, n.3. p.782

Muliercula pro Hermaphrodita habita, n.16. p.560

Mulieres propter honeſtatem à quibuſdam prohibentur, n.8. p.122. ad multa non ſufficiunt propter intellectus imperfectionem, n.9. ibid. habent conſilium invalidum, ibid. imperfectio in iis ſimilis eſt fatuitati, n.10. ib. à quibus prohibeantur propter intellectus imperfectionem, ibid. habent intellectum ad omnia ſtudia aptum ex Platone, n.14. ibid. in nullis rebus habent pares vires cum viris, n.15. ib. in omnibus ſunt viris imbecilliores, num.16. ibid. nendo ac texendo vix ſufficiunt, n.17. ibid. earum imperfectiones remiſſivè, n.18. à paſſionibus vimis vincuntur, num. 19. ibid. viris magis oblivioſæ, num.51. p.129. non habent ſuæ imperfectionis

ſatelle

Rerum notabilium.

intellectus dilucida intervalla, n.18. p.157. omni dementiæ specie tentantur, n.1. p.158. ratò evadunt melancholicæ, n.2. ibid. ob animi demissi naturam frequentiùs quàm viri desipiunt, ex Hippocrate, n.3. ibid. fœcundæ Dæmoniacæ pro singulis viris reperiuntur, n.4. ibid. melancholicæ evadentes pejus se habent, quam viri, n.5. ibid. habent quidam dementias earum proprias, ibid. gravidæ solo lucernæ odore abortiunt, n.13. p.163

Mulieres sub Syrio salacissimæ, & cur, n.15. p.221. cum purgantur aptæ sunt generationi, n.20. p.224. frequentiùs Dæmoniacæ fiunt quàm viri, n.42. p.232. debent emittere semen ut concipiant, n.11. p.236. quomodo concipiant absque voluptate, n.16. p.237. possunt concipere ex Incubo rum conjunctione, n.5. p.240. etiam non menstruatæ aliquando concipiunt, n.16. p.257

Mulieres multò difficiliores morbos patiuntur, quàm viri, & ex eis facilius sese recolligunt, n.18. p.308. quo anno menstruentur, n.7. p.340. nubere possunt etiam ante menstrua, n.9. ibid.

Mulieres etiam sub nomine Medici comprehenduntur, n.1. p.474. à tormento chordæ quando excipiendæ, num.19. 490. cur facilius chordæ tormentum sustineant, quàm viri, n.22. ibid.

Mulieres suum ipsarum semen aliquando concipiunt & molam generant, n.7. p.70. coitum magis appetunt vigente æstu, num.8. p.662. ratò superfœtant, num.20. p.598. aliquæ ex coitu insigne damnum contrahentes, n.7. p.604. ex seminis retentione plura mala incurrunt, num.3. p.606. & seq.

Mulsa quid, n.48. p.57

Mulsum quid, n.49. ibid. Mulsa quomdo probet prægnantiam, ibidem. Menstrua & utinam provocat, numero 31. pag.58

Mundus an ætate decrescat, n.34. p.529. aliquando legibus caret, n.20. p.505

Mus Hermaphroditus, n.23. p.553

Musarum historia apud Hesiodum, n.12. p.63

Muscæ reviviscunt cùm mortuæ sunt, n.4. p.326

Muscæ vis in peste, num.20. p.275

Mustela Basiliseo infesta, n.3. p.517

Mutationes omnes cavendæ, n.3. p.437. quæ ad loca calidiora fiunt magis periculosæ, n.6. ibid. periculosiores ex quæ calido tempore fiunt, n.7. ibid.

Muti tantum à nulla re prohibendi, n.33. p.131

Muti & Surdi simul sano judicio non sunt, n.1. p.130. alii majori, alii minori prudentia dotantur, n.9. ibid. infanti & furioso æquiparantur, n.10. ibid. qui nutibus intelligunt, non carent prudentia, ibid. cur furiosis æquiparati, num.11. ibid. ab omnibus actibus eliminandi, n.10. p.131. testari non permittuntur, num.11. ibid. etiam ad pias causas, num.12. ibid. matrimonium contrahere non possunt, num.13. ibid. non assequuntur matrimonii vires, n.17. ibid. matrimonio cur abstinere debent, n.31. ibid. non habent dilucida intervalla, n.19. p.157

Muti & Surdi à nativitate non secus ac à nativitate cæci, si sanentur, miraculosè sanantur, n.52. p.310. loqui docebantur à quodam Monacho, ibid.

Mutilatio non idem apud Medicos, quod apud Jureconsultos, n.1. p.408

Ejus tria genera, num. 3. ibid. ad eam tria requiruntur, n.7. ibid. nulla est, quæ non inducat deformitatem, num.8. ibid. ejus præcipua conditio est obtruncatio, n.9. ibid. est tam à natura quàm ab accidente, n.10. ibid. unius ejusdemque membri non est eadem æstimatio in diversis personis, n.14. p.409

Mutitas ex cerebri vitio adjunctam habet quandam fatuitatem, num.34. p.131. omnimoda loquelæ amissio, num.12. p.104

Mutitas an excuset à divinorum recitatione, n.17. p.561

Mutus à nativitate simul & Surdus, n.4. p.130. & cur, n.5. ibid. morbosus est, n.6. p.192

Mydriasis, n.30. p.212

Myopia quid, n.2. p.209. est dispositio à nativitate contracta, n.3. ibid. duplici modo fit, n.11. p.210

Myopiâ quid, & an aliquam causam irregularitati præbere debeat, n.1. p.634

Myops, id est luciosus, n.1. p.209. non est idem cum luscо, n.3. ibid. & lippus non sunt idem, n.7. p.210. fit ex spiritu visivo nimis tenui ac puro, n.10. ibid.

Myrtoides caruncuiæ in parvo obliterantur, numero 10. p.259

Myrtoides caruncuiæ, n.6. p.335. quando obliterentur, vel integræ remaneant ex coitu, n.16. p.538

Myrtus, n.19. p.556

N.

NAbuchodonosor, Babyloniæ Rex Lycantropia laboravit, n.43. p.147

Naaman cur septies in Jordane sese lavare jussus fuerit, n.3. p.285. laborabat lepra confirmata, n.63. p.312

Namisia Gorgippi uxor apud Hippocratem barbam emisit, n.12. p.415

Nani monstrosi, n.34. p.529

Nares abscindens majori pœna puniendus, quàm abscindens aliud membrum, n.5. p.410. per eas Mucus è cerebro derivatur, n.11. p.411

Narium ulcera an irregularitatem inducant, num.7.8. p.638. caruncuiæ quando faciant irregularem, n.9. p.639. hæmorrhoides nasi an & quando faciant hominem irregularem, n.10. ib. fœtor ex quibus causis proveniæ solear, & quando inducat irregularitatem, n.11. ibid.

Narium hæmorrhagia an excuset à recitatione divinorum, n.16. p.557

Nascendi latitudo in homine à nono ad undecimi principium n.7. p.44. terminus non concluditur præfixo quodam dierum numero, n.22. p.45. tempus varium, n.3. p.24. celeritas fœtum monstrat calidiorem & fortiorem, n.23. p.35. terminus tam in homine, quam in cæteris animantibus habet quandam rationabilem latitudinem, n.1. ibid. potest terminbo à morbifica causa præveniri, non ita tamen facilè retardari, n.115. p.31. terminus constitui debet omnium unus brevissimus, alter longissimus, n.110. ibid. non nasci, & natum mori, paria sunt, n.3. p.53

Nascendi terminus cur non idem in omnibus individuis ejusdem speciei, n.17. p.537

Nasci extra determinatum tempus causam habet præternaturalem, n.54. p.28. supra septimum supervacaneum esset, si is esset naturalis terminus nascendi, num.78. p.29. supra decimum non est naturale, n.88. p.30. dici non debet, qui à præternaturali causa in lucem expellitur. n.101. p.30. perfectè & suo tempore à natura cuilibet animanti datum, num.21. pag.35

Nasci septimo mense est proprietas aliquorum fœtuum, secundum nonnullos Doctores, n.12. p.711

Nasci naturaliter fit ex proprio vitture Matris & fœtus, n.19. p.713

Prior qui nascitur; prior etiam concipitur, num. 2. p.782

Nasci contingit ex fœtus & Matris vitture, numero 2. p.783

Nascitur homo propriè nono aut decimo, 101. p.30. vario tempore homo ob id, quod particeps est speciei multiparæ & pauciparæ, n.11. p.25

Nasi carcotia inducit irregularitatem à solo Papa dispensabilem, num.4. p.638. Ex nasi deperditione in altero conjuge sponsalia dissolvi possunt, n.5. ibid. & utrum reintegrato naso reintegrari debeant, n.6. ibid.

Nasi aliarumque partium deperditarum restauratio quatenus licita, n.9. p.669

Nasus inter animalia homini soli datus ejusque dignitas, n.1. p.637. Nasi magnitudo aut exilitas notabilis, inducit irregularitatem, n.2. p.638. tortuositas duplex, & quænam faciat hominem irregularem, n.3. ibid.

Nasus faciem hominis maximè formosam aut deformem reddit, n.14. p.411. cuidam recenter decisus & illicò reconjunctus optimèque illigatus, testitutus est, n.77. p.315

Nasus an sit membrum, num.1. p.410. ejus abscissio irregularitatem inducit, n.4. ibid. ejus abscissio majus dedecus affert, quam cujuscunque alterius membri, n.6. ibid. non habet proprium officium, num. 7. ibid. non est odoratûs instrumentum, num.8. ibid. ad locutionem conducit, n.11. ibid. est primum respirationis instrumentum, num.12. ibid. est pulchritudinis modulator, num.13. ibid. per illum tota pulchritudo facici conciliatur, num.14. ibid. eo solus homo dotatur, num.15.16. ibid. eo adulteras mulieres mutilabant Ægyptii, n.17. ibid. accipitur pro tota facie, ibid. tortus mentem pervetsam denotat, n.18. ibid. est membrum, n.19. ibid. eo amisso sponsalia juramenta firmata dissolvuntur, n.20. p.412. eo reparato an sponsalia dissoluta reparentur, n.21. ibid.

Nata ex duobus diversis generibus inter se non generant, n.12. p.235

Nati dissimilitudo ad præsumptos parentes, an faciat conjecturam suppositionis partus, n.53. p.258

Nati mortui, neque nati, neque procreati videntur, num.11. p.32. cur aliquando Avis & Majoribus assimilentur, n.22. p.105

Nativitas attendenda est in decernendo de Primogenito, n.12. p.784

INDEX

à Nativitatis die computandum in ætatis numeratione.num.5. pag.4

Natura non potest modico tempore quædam opera exercere, n.22. p.8. Pictori assimilata, num.34. p.107. in imaginando quomodo afficiatur, ibid.

Natura temperamenti intrinseca prima causa est celerioris, aut tardioris pubescentiæ, n.28. p.9. universalis sua opera in pluribus commonstrat, num.31. p.7. ab ea quod præsumitur esse, non potuit originem habere ab eo, quod per accidens est, num.31.p.26. regulatur per ea, quæ ut plurimum contingunt, num.44. p.17.& n.37. p.36. ab eo quod est ut plurimum, & secundum plurimum eodem modo fit, n.59.p.28. ab ea quæ sunt, fine non carent, n.82. ibid. intendit semper facere, quod perfectius est, n.56. p.29. & num.76. ibid. agit propter finem, ibid. & n.13.p.35. nihil irrationabiliter, aut casu agit, num. 77. p.29. destinavit cuicunque animali & homini ipsi certum nascendi terminum, n.105.p.30.& n.1.p.35.n.1.p.43. præter ejus ordinem in particularibus contingentia ab accidenti sunt,n.10. p.32. non intendit hominem septimo in lucem mittere, num.34. p.36. semper prævalet consuetudini, n.29. p.109. ea repugnante omnia irrita,n.35.p.36.ab ea, quæ insunt, insunt per se,& non per accidens,n.47.p.37.quale principium sit, ibid. ab eo quod est, attendi debet, non quod ex accidenti, n.44. p.43. suo fine potita non amplius appetit media, quæ ad finem ducunt,n.7.p.59. non intendit in grossis libus molæ generationem, n.28. p.71. laborat aliquando etiam in propriis actionibus, n.21. p.89

Natura vult bonum, n.70. p.126. hominis prona ad malum, n.73. ibid. in nonnullis etiam rudes edocet, n.23. p.128. non dictat in matrimonio filiorum procreationem ad Dei gloriam nisi implicitè, n.27. p.131

Natura per generationem species rerum, atque in ipsis se ipsam conservat, n.3. p.226

Natura semper tendit ad perfectora, n.22. p.553. nihil frustra facit, n.21. p.582. non magis intendit generare marem, quàm fœminam, n.30. p.584

Natura, quot modis ab ea prædici possint futura,n.13.p.190. non philosophatur, n.56. p.305. ex nihilo nihil facit, n.3. p.326

Natura morbos curat, n.8. p.508. non est sapientiæ contraria, p.513

Naturæ commissa à Deo, quæ generabilia & corruptibilia sunt. n.78. p.697

Natura ex nihilo non potest facere aliquid, numero 93. p.698

Naturæ potentia est finita, n.96. ibid.

Natura operatur ex necessitate, n.113. p.701

Natura non adjuvante, remedia sunt inutilia, numero 26. p.726

Quod natura non vincit, cibus non est. n.14.p.754

Naturæ operibus adhærere nos oportet, cum semper, aut secundum plurimum eodem modo procedant, n.8. p.784

Naturæ vicem gerit temperies, n.13. p.104

Naturale quod est, non semper naturaliter se habet, num.20. pag 78. non potest esse id, quod naturam lædit, num.2. pag.80

Naturales res cum præter Naturam evadunt,occidere possunt & cum effectu occidunt, num.7. p.98. Ex illis constamus, n.12. p.78. Ex illis morbi dependent cum præter naturam evadunt, n.15. ibid.

Naturales partes respectu vitalium & animalium possunt facilius alterationem pati, n.10. p.226

Natum mori & non nasci, paria sunt, n.22.p.61

Natus nocturno tempore quo die dicatur natus,n.6.p.4 ante septimum non potest vivere, & cur, n.81.p.29.neque legitimes est,neque vitalis,n.12.p.31.proprie abortus dici debet, num.13.& 16.ibid. comparatur ei, qui nunquam natus est, num.18. p.32. rariùs vivit, quàm natus septimo,vel octavo, num.41.p.37. post 10.menses an sit legitimus,Medicorum consilium requiritur, n.3. p.31

Natus 182. diebus omnium septimestrium imperfectissimus, n.37. p.34

Natus dicitur ille quem mater peperit, n.4. p.783

Naufragio, ruina,incendio,& similibus infortuniis acti suffocati pereunt, n.2. p.396

Navarra not. tus, n.15. p.551

Navarræ opinio ardua, n.14. p.242

Navigium idem majora pondera sustinet in mari, quàm in flumine, n.41. p.427. quantum sustineat tam in mari, quàm in flumine, n.42. ibid.

Nausea quid sit,& quando videatur inducere irregularitatem, n.9.p.644.an & quando impediat Sacramenti sumptionem, n.11. p.750

Nebula, n.26. p.212

Negligentia in cæteribus tantum omissionis intervenit, n.18. p.444. quid sit, num. 19. ibid. magna culpa est, num. 3. p.445 num.16.p.470.cum ea maximus ictus potest dolus, n.21. p.446. n.18. p.479. quando præsumi possit, num.13. p.446. & seq.

Nemo dat quod non habet, n.46. p.37

Nemo amat invitus, n.31. p.135

Nephelæ, n.26. p.212

Nephritici dolores an excusent à publica recitatione, num.8. p.575

Nervi filia apud Hippocratem lata manu à muliere secundum sinciput percussa, nona periit, n.3. p.392

Nero aquam decoctam in nive refrigerandi fuit inventor, n.65. p.430

Nero habuit equas hermaphroditas, n.15. p.560

Nervis recurrentibus vulneratis homo sine voce redditur, n.16. p.379

Nervorum morbi qui excusent à divinorum recitatione, n.11. p.566

Nervos crassos qui sauciatos habent, claudi fiunt, n.4. p.378

Neutra corpora quæ, n.5. p.317

ex Nihilo aliquid fieri difficilius, quàm ex aliquo aliquid, n.6. p.323. declara hoc dictum ut n.5.p.326

Nili aqua ad Austrum excurrit,& tamen optima est, num.41. p.427. ejus aqua præstantissima, n.52. p.429

Ninive non est destructa non obstante contraria Jonæ prophetia, n.56. p.292

Nivalis aqua, seu ex nive, pejor quam ex glacie,n.48.p.428

Nisus superati ab hostibus non potuit, nisi ei crine abscisso, n.12. p.485

Nivalis aqua pejor ea, quæ ex grandine fit, n.48. p.428

Nobiles honorantur ob Majorum virtutem, n.23. p.498

Nobilitas apud Philosophum utrum absurda quædam curiositas, num.22. ibid. facit præsumptionem excellentiæ virtutis, n.23. ibid.

Noctambuli qui, n.10. p.141

Noctilupa, n.14. p.210

Non esse & nunquam fuisse, paria sunt quoad novum esse, n.5. p.326

Nonimestris & decimestris fœtus plurimum vivunt, n. 59. p.28. cum abortiuntur raro vivunt, n.39. p.42

Nonimestres & Decimestres exsecti, secundum aliquos, non sunt successionis capaces. Contrar. ibid. n.13. p.713

Nonimestris aut Decimestris exsectus non aliter habendus, quam quivis fœtus naturaliter natus, n.25. p.714

Nonimestre spatium cur naturale, n.25. p.40

Nonus mensis in homine nascendi terminus brevissimus, n.111. p.35. & num.10.p.44.quibus in nascendo familiaris, n.111.p.31. ante illum cur plures nascantur, quam post decimum, n.114. ibid. salubris ac vivificus, n.3. p.43.primus omnium verè vitalem fœtum profert,ibid.in eo qui nascantur. n.8. p.44. eo confecto nascitur perfectissimus fœtus, n.14.ibid.affectus satis est ad omnimodam fœtus perfectionem, ibid. frequentiorne sit ex in decimus pro nascendi termino in homine,n.16.ibid. illum inter legitima tempora Plato non videtur admittere, n.17. ibid.

Notarii in instrumentis conficiendis cur pluribus verbis utantur, n.18. p.81

Notarius non matriculatus tempore pestis est idoneus,cui imo statutum matriculatum requirat, n.4.p.361

Notarius Medico præfertur, n.41. p.514

Nox artificialis quid,n.16. p.440

Nubecula, n.26. p.212

Nubendi tempora, n.40. p.11

Nubere uxori proverbium, n.23. p.10

Nubit propriè mulier, non vir, n.22. ibid.

Nulla necessitas ad mala perpetranda nos cogit, n.72. p.126

Nullus nisi sponte malus, n.70. ibid.

Numerus septenarius seipsum multiplicans perfectam facit ætatem,n.13.p.14. nullus habere potest efficientiam aliquam, n.27.p.41.est propter res,non verò res propter illum,n.28.ib.

Numerorum efficientiam Celsus contempsit,n.28.ibid.

Nuscitiosa affectio, n.18. p.211

Nutrices à jejunio exemptæ, n.12.p.353.& n.36.p.361. peccant jejunantes si quid incommodi sanitatis puerulis suis inde eveniat, n.13. p.353

Nutrices à coitu abstinere debent, n.24. p.599

Nutrire quæ possunt, omnia sunt prohibita in jejuniis extra unicam comestionem, n.4. p.362

Vinum etiamsi maximè nutriat, non frangit jejunium,n.10. p.754

Quod habet rationem cibi, habere debet facultatem nutriendi, n.13. ibid.

Rerum notabilium.

Vincitus alimentum,& superatur ab eo,quod nutritur,n.16. p.755
Vide *Natura.*
Qui Tabaccum assumentes quoquo pacto nutriuntur, non ob Tabacci facultatem nutritivam nutriuntur, num.27. ibid.
Vide *Tabaccus.*
Quidquid nutrit, ex genere dulcium est,n.28. ibid.
Amara nihil prorsus nutriunt, n.32. ibid.
Nutrire potest Chaccolata ad pondus unius unciæ, vel dimidiæ etiam, notabiliter respectu jejunii, n.5. p.756
Vide *Chocolata.*
Vide *Jejunium.*
Nutriti est calorem humido fovere, n.34. p.303
Nutritio & corruptio contraria sunt, n.13. p.163
Nutritio semper necessaria respectu alicujus rei, si simpliciter non sit necessaria, n.38. p.303. intermitti quomodò possit, n.40. ibid. & 41. ibid. est sustentatio caloris per pabulum, num.43.ibid. Nutritio & vitia sunt termini communes homini cum aliis animantibus, num.11. p.299. Nutritionis necessitas quando cessat,, num.25. p.561. est naturalium actionum prima & maximè necessaria,n.28.ibid. est subordinata ad vitam, n.29. ibid. ea cur indigeat animal,num.31. ibid.
Nutritivam animam ex Aristotele cæteris inesse: & prima & maximè inter omnes actio necessaria est, num.27.& 28. p.302
Nutritur unum quodque ex substantia, ex qua primùm progenitum est, n.8. p.611
Nux vomica an venenum sit, n.27. p.169
Nyctalopes noctu cernentes an satis vidisse dicendi id, de quo agitur, n.14 p.211
Nyctalopia, n.14. p.567
Nyctalops fit à spiritu crasso, n.11. p.210. quid sit,num.12. ibid. est affectio propria quarundam avium, n.13. ibid. duplex, n.16. p.211
Nyctalops quid,& quotuplex,& quænam ejus species inducat irregularitatem, n.5. p.634
Nympha, n.29. p.556
Nymphæ uteri in partu protenduntur, n.14.& n.19. p.207. & seqq.
Nymphæ quid, num.10. p.336. In virginibus tenues sunt. ibid.
Nymphæ radix contusa, & ex aceto impuberi per decem dies tradita in cibis, Eunuchum facit, n.10.p.100.

O.

Obesa corpora frigidiora sunt, quàm graciliā, num. 36. p.403
Obesitatis duæ species, n.16. p.399
Obesa corpora extenuare difficillimum absque periculo, n.8. p.234
Obesitas quæ excusetur à chordæ tormento,n.14.p.489.duplex, ibid.
Obligati ad jejunium sani absolutè existunt, num. 8. p.248
Obligatio audiendi horas Canonicas in Laicis. numero 1. p.175
Obligatio quid, n.6. p.650
Obliqui qui, ibid.
Oblivio à quanto tempore indicatur, num.49. p.129. facilius inducitur in fœmina, quàm in viro, n.52. ibid. facilius & difficilius unde inducatur, n.56. p.130. in oblivionem de facili ire non præsumuntur facta egregia,n.57.ibid.à quanto tempore inducatur, Judicis arbitrio relinquitur,n.58. ibid. est comes ebrietatis,n.42. p.136
Oblivio an excuset à divinorum recitatione, numero 9. p.566
Oblivioſi qui intelligendi, num. 43. p. 129. testari possunt, religionem ingredi,professionem facere,matrimonio jungi, contrahere, sese obligare, n.46. ibid. oblivioſos homines multa faciunt magis & minus,n.50. ibid.facile fiunt negotiis vacantes, n.56. p.130
Obscuritas oculorum, n.14. p.567
Obsonii nomine antiquiùs veniebant pisces, num.20
Obstetrices, ut Physici errare possunt, num.2. p.474.quomodo peccent in mulieres extra prægnantiam & partum, n.3. ibid. quomodo peccent in prægnantes, num.4. ibid. non debent uti medicamentis ad explorandam graviditatem, num.5.p.475. quomodo errent in parturientes,num.6.ibid. in fœtum quomodo peccent, num.7. ibid. in fœtum simul & puerperam quomodo errent, num.8. ibid. non adhibentes debitam diligentiam in adjuvandis parturientibus peccant, num.9.ibid. tenentur scire veram baptizandi formam, n.10. ibid. peccant præscribentes victum puerperis contra Medici voluntatem, n.11. ibid. peccant quicquam notabile per os præbentes, n.12. ibid. an teneantur parturientes ad confessionem suadere, n.13. ibid. peccant contra veritatem in judiciis deponentes, n.14. p.476. peccant patientem in necessitate positam deserentes, n.15. ibid. vetuiæ & impotentes artem exercentes peccant,n.16.ibid. an exercere possint obstetriciam artem absque licentia, n.17. ibid. errant plures parturientes in curam suscipientes, quàm quibus subvenire possint, n.18. ibid.
Occasiones vocabat Galenus parvas causas, numero 31. pag.91
Occasionis nomen à Contractibus societatum officiorum in verbis, ex causa & occasione partus, &c. omninò eradendum, n.24. p.81
Occipitis vulnera cæcitatem inducunt. n.10. p. 379. minus periculosa quàm sincipitis, n.11. p.381
Occisi hominis pollex cruentans, n.8. p.387
Occisorum Animas nocturno tempore homicidas persequi putabant Antiqui, n.24. p.391
Ocrea. stapedes,& hujusmodi res venenari an possint. n.16. p.186
Octavo mense natus habetur tanquam si natus esset mortuus, num.24. pag.33. & num.2. pag.39. in eo fœtus laborat, num.10. p.40. causam vide,num.12.ibid. in eo prægnantes malè habent, num.12. ibid. in eo magis vigent causæ,quæ fœtum in septimo adnascentem stimulabant, numero 20. ibid.
Octavus mensis quid fœtui afferat, n.82.p.29
Octimestris & Septimestris imbecilles etiamsi vivant, n.85. p.29. magis perfectus quàm septimestris, n.38. p.34.& n.9. p.40.n.11.ibid. Ex Hippocrate non vitalis, num.1. & 15. p.39. & seq. ultra octo dies vivere non potest,n.3. ibid. & num.11.p.49. inter abortivos connumeratur, num.4.p.39. & n.8.p.53.magis ex sua natura vitalis quàm septimestris, n.5. & 15.p.39.& seq nasci debebat septimo,aut nono,ibid. non ex defectu majori naturæ, quàm septimestris, sed ex accidenti vitalis non est, n.18. p.40. habet perfectionem, quam acquirit à septimo, & quam obtinuit ab octavo, num.27. p.41. imperfectus est. ibid. cur non vivat,num.28. ibidem, non habet cum vita omnimodam repugnantiam, num.31. ibid. aliquando vivere potest, ibid. cæteris partubus imperfectior & minus vitalis, num.42. à magna vi manumittitur, num.38. ibid. aliquando adolescit, n.20.p.45. dubitarut an sit abortivus,n.7. p.53. Ejus conjecturæ,n.19. p.49. ex sua natura non est vitalis, idque magis si à ventre matris fuerit exfectus, n.21. p.713.exfectus pro abortivo, & non vitali partu habendus, n.21. ibid.
In Octimestri partu non solùm periclitatur fœtus, sed etiam ipsa mater, n.38. p.42.
Oculatii Medici n.2.p.444
Oculi prominentes minùs vident, quàm intùs conditi, n.21. p.11. Eorum prominentia duplex, n.20. ibid. eos habentes sani sunt, n.19. ibid.
Oculi exitus, n.20. ibid.
Oculi ex quo homo moriturus est, fulgorem suum amittunt, n.49.p.404. etiam in extinctis aliquid fulgoris retinent. ibid. ab illis in morbis habentur potissima signa salutis, vel mortis, n.51. p.405
Oculorum observatio in cadaveribus quam conjecturam faciat celeritatis, aut tarditatis mortis, n.49.p.404
Oculus primus omnium membrorum mortis indicia præbet, ultimus tamen moritur, n.51. ibid.
Oculi expressio, n.10. p.211. procedentia, n.21. ibid.
Oculi in viventibus semper tantisper fulgent, n.56. p.338. Eorum pupillæ quandiù intuentium reddunt imaginem, homo non moritur, ibid.
Oculi pannus & macula quando faciant irregularem, num.13. p.636. fistula lachrymalis an faciat hominem irregularem, n.14.ibid.quomodo differat ab illachrymatione & lippitudine, n.15. ibid.
Oculi prominentia quando inducat irregularitatem, num. 8. p.635. suffusio seu cataracta, facit hominem irregularem. Amplia in uno tantum oculo.n.9.ibid. curatur extractione, & visus recuperatur,n.10.ibid.an qui ita visum recuperavit, sit irregularis necne, n.11. ibid.
Oculis etiam communicatur contagium in peste, numero 19. p.166
Oculorum morbi insignes excusant à jejunio,n.14.p.559. Eorum acies obtunditur iis qui in supercilijs vulnerantur.n.12. p.379. morbi eorum insignes irregularitatem inducentes, n.2. p.413
Oculorum dolores qui excusent ab auditione horarum Canonicarum, n.7. p.576. morbi qui excusent à redditione debiti, n.28. p.594

Ocule

INDEX

Oculorum illachrymatio quid, & quomodo differat à fistula lachrymali, & an faciat hominem irregularem, n.15. p.636. differt item à lippitudine, ibid.
Oculorum vitia enumerantur, n.1. p.634
Oculus membrum nobilissimum, n.1. p.413
Odium Conjugum impedit generationem, n.10. p.111
Odium aliquando facit impotentiam coëundi in viro, n.58. p.133. mitescit beneficio temporis, n.60. ibid. & n.9. p.135. inter conjuges quomodo possit facere præsumptionem suppositionis partus, n.30. p.158. impedit generationem, n.31. ibid.
Odor nutrire potest, n.13. p.163. potest etiam corrumpere & occidere, ibid.
Odoratûs instrumentum non est Nasus, n.8. p.411. & num.9. ibid.
Odores mali, vel etiam boni quosdam interdum pessimè afficiunt, n.13. p.165
Odores mali ad excitandos reos in tormento deficientes, sunt vitandi, n.4. p.493
Oesophagi & ventriculi ulcera quatenus & cur irregularitatem inducere debeant, n.2. p.643
Oesophagus quid, n.1. ibid.
Officiorum divinorum nomine quid veniat, n.2. p.478. ad eorum recitationem quæ requirantur, n.6. ibid.
Oleandri lignorum fumus venenare hominem potest, n.11. p.185
Olera aliis cibariis admixta & debitâ conditurâ excepta non sunt vituperanda, n.15. p.348. convalescentibus ab Antiquis obiata, ibid.
Oleum non suscipit pestis contagium, n.29. p.275
Olfactu occidens venenum datur, n.13. p.163
Oliverius Caraffa Cardinalis à Rosæ odore, ut à re maximè noxia lædebatur, n.13. ibid.
Olus manducet, qui infirmus est, n.15. p.348
Omnia ex omnibus fieri non possunt, n.12. p.104
Onocentaura visa, n.23. p.538
Onoscelis virgo speciosissima ex Afina nata. ibid.
Operum naturalium nullum nocivum, n.10. p.453
Ophiasis quid, n.9. p.277
Ophiasis Tineæ species, n.1. p.648
Ophthalmia quid, n.5. p.276. n.26. p.212
Ophthalmia deformitatem inducit, n.7. p.413. An excuset à divinorum recitatione, n.7. p.575
Ophthalmia licet aliquando contumacissima sit, vacat tamen periculo, n.19. p.679. ejus tres species, n.16. p.636
Opobalsamum ad condienda cadavera, n.7. p.318
Opus servile ex necessitate fieri potest in diebus festis, n.19. pag.467
Oratio sine ulla attentione non dicitur oratio, num.12. p.565 etiam voluntaria sine ulla attentione mala, ibid.
Oratores à jejunio excusantur, n.13. p.335
Oriens & Occidens non semper idem, n.4. p.435
Oris vitia quæ excusent à recitatione divinorum, numer. 17. p.567
Oris fœtor quatenus & quando possit inducere irregularitatem, n.1. p.640. distortio an irregularem faciat, n.2. ibid.
Orodes Aconito ebibito, & alvo per illud soluta, non interiit, n.8. p.165. & n.21. p.168
Orthopnœa, n.20. p.568. quando excuset à celebratione Missæ, n.6. p.576
Orthopnœa Asthmatis species facit hominem irregularem, n.6. p.642
Ortui proxima humidissima, & calidissima, n.15. p.18
Os pubis, num.4. p.9
Os alicui olere, an sit morbosum, n.11. p.213
Os Gratiarum sedes, n.30. p.412
Os idem findi & frangi ex uno ictu eodem tempore potest, n.4. p.391
Ossa fracta ante pubertatem non solùm facilè, sed proprie sanantur, n.12. p.489
Ostentum, Portentum, Monstrum, Prodigium synonyma sunt, n.17. p.527. cur ita vocetur, num.18. ibid. in duo genera divisum à legibus, ibid. contingit in rebus inanimatis, n.19. p.527
Ostytis herba, n.3. p.326
Ova & lacticinia non sunt licitâ in jejuniis, num. 25. p.345. carnes liquidæ. ibid.
Oves pesti obnoxiæ, n.51. p.270
Ovi generatio absque mare in oviparis minus præter naturam est, quàm Molæ generatio in gressilibus, num.28. pag.71
Oviparæ nonnulla suos pullos exerunt, plurimum, 20. die, aliquando 19. interdum 18. aliquando, 22. & 25. n.107. p.31. terminum sibi nascendi constitutum aliquando vel prætergrediuntur, vel præveniunt, ibid. absque maris opera ova inter se generant, num. 24. p.71. ad eorum generationem non est necessarius concursus, maris & fœminæ eodem tempore, num.28. ibid.
Ovis temperamento humida, n.34. p.26. parit quarto mense, ibid. plurimum singulos generat fœtus, aliquando etiam plures, num.45. p.27. aliquando serius quinto mense perit, num.106. p.30
Ovum detentum à Medico peste infectâ corruptum, & alia ova sibi vicina corrumpens, n.20. p.266
Oxystoma cur dicatur, syncopes, n.40. p.329

P.

PAcisci cum infirmo Medico an liceat, num.3. p.465. non licet in morbo acuto, n.5. p.466. est contra Physici dignitatem, n.6. ibid. licet cum Principibus & Universitatibus, n.8. ibid.
Palati ulcera quæ sint causa irregularitatis, num.3. p.640.
Palpebrarum adhæsio an sectione sanari debeat, num. 7. p.669
Palpebræ morbosæ quomodo aliquando faciant hominem irregularem, n.19. p.637
Palpebræ soli homini, & struthiocamelo duplices, num. 19. ibid.
Paludes Ægyptiæ salubertimæ, n.37. p 429
Palus quid sit, n.9. p.431
Panem aquâ incoquere, an possit jejunans in pane & aqua, num. 10. pag. 365. an illum coquere possit jejunans cum abstinentia ab omni cibo cocto, num.11. ibid. cur concedatur panis in jentaculis cum maximè nutriat, numer.11. p.369
Pangæus fons, n.21. p.425
Panormi pestis concitata ex lana infecta, n.13. p.185
Papirius Prætor partum 13. mense natum pro legitimo ad hæreditatem admisit, n.2. p.24
Papulæ & impetigo idem non sunt, n.12. p.198
Parabolani apud Leges non sunt Medici, num.30. p.512. Eorum Electio pertinet ad Episcopum, ibid.
Parabolarii, ibid.
Paralyses, de quibus in Sacris, omnes gravissimæ, numero 39. p.310
Paralysis ut sit sanabilis, quæ requirantur, num. 37. p. 309. partes ea effectæ tanquam emortuæ existimandæ, num.40. p.310
paralysis quid, & quomodo differat ab Apoplexia, ejusque divisio, n.6. p.633. Curationis determinatio quod Paralytici sint irregulares, quando & in quibus habeat locum, in quibus non, num.7. ibid. quod nervi non tantum externi, sed & interni paralysi sint obnoxii, num.8. ibid. Nervi ad sensus externos destinati, si resolvantur, illius sensûs, ad quem pertinent, amissionem causant, num.9. ibid. Sensus Tactus ex paralysi amissio, quando inducat irregularitatem, num.10. p.634. Gustûs & Odoratûs deperditio an debeat irregularitem inducere, n.11. ibid. Stomachus resolutus facit hominem irregularem, num.12. ibid. Resolutionis intestinorum sphincteris musculi & vesicæ urinariæ quid incommodi afferant, num.13. ibid. Intestinorum resolutio & maximè intestini recti causat impedimentum retentionis fœcum, num.14. ibid. vesicæ urinariæ paralysis urinæ incontinentiam parit, num.15. ibid. Sphincteris musculi resolutio quos effectus patere possit, num.16. ibid. cur prædicti tres morbi indispensabilem irregularitatem inducant, num.17. ibid.
Paralysis an semper debeat esse justa causa dissolvendi sponsalia, n.10. p.771
Paralysis in ætate senili quotidie incurabilior fit, & idcircò inter morbos increscentes connumeratur, n.11. ibid.
Paralytici qui sint, n.35. p.309
Paralytici qui unicam partem paralyticam habent, an habeant justam causam renuntiandi beneficium, n.16. p.745
Paralyticus Capharnaum gravissimè afficiebat, n.39. p.310
Paraphrenitici qui, n.1. p.156. differunt inter se secundum accidentia & alia, n.2. ibid.
Paræus notatus, n.35. p.178
Paræi definitio superfœtationis examinata, n.2. p.66
Parentes morbosi filios morbosos generant, sani sanos, n.29. pag.106. optimi & sapientes cur malos & infipientes procreent, n.37. p.107
Pariens mortuos, an sana fit, n.1. p.215
Paris sunt quem jactasse cum aliqua, & illam adulterasse, n.12. p.338
Parisiis pestis familiaris, n.41. p.269
Parisius notatur, n.5. p.110
Pars nulla spermatica potest absque utroque semine generari, num.21. p.71

Rerum notabilium.

Pars continetur in toto, num.12. p.520
Partes utiles animalium venenosæ, n.17. p.188
Partes quæ aliquando simulantur dolere, quæ sint, num.28. p.249
Particula prima refrigerativa quid ex Aristotele, n.12. p.18. de Particularibus non datur scientia, n.41. p.232
Partis vulneratæ natura facit maximam præsumptionem lethalitatis vulneris, n.1. & 3. p.382. ea sola facit vulnus tum vel lethale, n.2. ibid.
ex Partionis distantia non potest argui distantia conceptionis geminorum, n.24. p.67
Partus dicitur à pariendo, & actionem parturientis importat, n.5. p.710
Partus fœminæ tardior est quàm Maris, n.16. p.780
Partus 13. aut 14. mense editus pro legitimo ad hæreditatem admissus, n.25. p.24. Ejus generatio in homine contra Naturæ legem est, n.47. p.27. n.9. p.48. & num.9. p.50. Est velati quædam crisis, n.36. p.34. & n.16. p.36. Ejus crisis assimilatur crisi morborum chronicorum, ibid. fit ex defectu alimenti, n.17. p.32. n.21. p.36. & n.10. p.48. in eo fœtus perfectionem non operatur natura, sed morbus, n.32. p.36. quando naturalis fieri dici debeat, num.32. p.37. humani tempora duo sunt, n.14. p.40. annuus & tredecimestres, n.3. p.46. potest portari à matre per paucos quoldam dies supra 10. menses, n.16. p.47. ad summum potest portari per decem dies supra decem menses n.17. ibid. difficilis est evidens conjectura non vitalis fœtus, n.15. p.49. Ejus difficultas, si quatuor diebus perduret, fœtus nullo modo potest esse vitalis, n.16. ibid. non vitalis ad hæreditatem non admittitur, n.1. p.50. quidque nasci possunt vitales. n 3 ibid. qui non sit unicus, est contra Naturam, n.12. ibid. & n.12. p.83. de ejus essentia non est, ut vitalis edatur, n.10. p.55. non est ita pars matris, ut fructus pendentes pars arboris, n.44. p.62. Ejus tempus in gemellis unicum est pro tempore conceptionis, n.8. p.63
Partus & Prægnantia in omni mortis casu culpandi, n.34. p.79. morbus non proprios irritant & fovent, n.35. ibid. dantur proprii eorum morbi, n.39. ib. partus difficultas est symptoma ipsius proprium, n.41. ib. Eo naturali existente, morbus ex ejus vitio fuisse dici non potest, n.45. ibid. Ejus nomen diversimodè accipitur, n.5. p.80. accipitur pro fœtu, n.6. ibid. & pro puerperio, ibid & pro abortu, sed improprè, n.8. ibid. ejus nomine quid veniat intelligendum in contractibus societatum, n.9. p.81. necessariò est præter naturam; si ex eo mors dependet. n.13. ibid.
Partus difficultatis causa ex parte fœtus, n.7. p.83. Ex parte matris, n.8. ibid. Ex parte uteri, n.9. ibid. Ex parte panniculorum, n.10. ibid. Ex parte excrementorum, n.10. ibid. Ex parte externarum causarum, n.13. ib. Ex parte præcedentium morborum, n.14. ibid. quid sit, n.24. p.79. est actio quædam naturalis, n.25. ibid. si datur sanus, datur etiam morbosus, n.25. ibid. sanus quando est, n.27. ibid. naturalis multas habet conditiones, n.14. p.81. præter naturam fit ex defectu alicujus ex conditionibus naturalis, n 15. ibid. naturalis inter præcipuas conditiones requirit, ut debito tempore fiat, n.16. ibid. ante debitum tempus est abortus, n.17. ibid. quænam actio sit, n.17. ibid. in difficili quid eveniat, n.4. p.81. Ejus difficultas unde, n.5. p.83. multiplex magis periculosus, n.21. ibid. monstrosas magna pericula affert, n.25. ibid. in eo tumpuntur ligamenta, ac venæ quædam, n.69. p.85
Partus & Prægnantia in casibus Exceptionis debent esse immediatæ causæ mortis, n.95. p.87. aliquando habent universam mortis culpam, aliquando non, n.11. p.90. quando soli accusandi, n.1. ibid. debent esse causæ proximæ mortis in casibus exceptis, n.10. p.91. debent esse causa finalis, n.11. ibid. non ita res naturales sunt, ut nunquam evadant præternaturam, n.13. p.95. non in omni morbo in eodem genere causæ ponì debent, n.19. ibid. non sunt morborum causæ, n.22. ibid. non solùm non obstant, sed aliquando prosunt, n.24. ibid. sunt quid indifferens ad sanum & non sanum, n.17. p.99
Partus est actio quædam à Natura instituta ad expellendum fœtum, ut nictio ad expellendam urinam, & hujusmodi, num 4. p.95
Partus postica Venere concepti in pedes; aut alia figura non naturali nascuntur, n.23. p.238
Partus suppositio est crimen falsi, & est capitale, num. 4. p.256
Partus ex sua natura non vitalis non rumpit testamentum, n.7. p.526
in Partu venæ omnes uteri aperiuntur, n.16. p.259
Partus Cæsareus quis dicatur, n.1. p.709
Partus Cæsareus quis secundum Rodericum à Castro, n.2. ibid.
Partus Cæsareus quis secundum Varandæum, num.3. ibid.
Parva manus quæ. n.14. p.417
Parum pro nihilo habetur, n.10. pag.368. jejunium frangit ibid.
Passio flatuosa quæ, n.8. p.156
Passio Mirachialis. ibid.
Passiones Animi. Vide *Animi Passiones*.
Patagônes populi Gigantæi, n.34. p.530
Pathicæ mulieres, n.29. p.556
Patrius Aër an semper alijs præferendus, n.11. p.437
Patroclus moribundè Hectori mortem prædicit, num.17 pag.190
D. Pauli Ecstasis, qualis fuerit, ignoratur, n.16. p.296
Paulus Secundus Pont. Max. ex copioso Melopeponum esu repentinè mortuus, n.6. p.174
Pauperes Medicus gratis curare tenetur, n.8. p.466. quis dicatur ad hunc effectum, n.10. ib. multi sunt & sæpe ægrotant, n.11. ibid.
Paupertas Pharmacopolæ multa contra conscientiam machinari cogit, n.2. p.471
Pavò assatus per annum servatus imputris, n.7. p.318
Peccata multa sunt homicidio graviora, n.20. p.390
Peccatè non dicitur mortuus, neque dormiens, n.5. p.140
Peccare gravius dicitur, qui cum deformi, quàm qui cum formosa congreditur, & cur, n.19. p.222
Pectoris morbi, qui à jejunio excusent, n.15. p.359
Pectoris angustia excusat à tormento chordæ, n.14. p.489
Pectoris dolorem, quæ concomitentur, n.31. p.249
Pectoris morbi, qui excusent à redditione debiti, num.29. pag.594
Pectoris vitia, quænam considerandæ veniant respectu irregularitatis, n.1. p.641
Pecudis apulsus servitus. n.12. p.432
Pecuniæ quando amittantur in Societatibus officiorum, n.2. p.98. eas amittit sibimetipsi manus infectens, n.13. p.99. eas lucrari non licet ex certo periculo, n.19. ibid. in societatem datæ debent subire amissionis periculum, n.2. p.78. & n.1. pag.98
Pedemontana quædam juvenis duobus mensibus jejunans, n.18. p.301
Pedes membra maximæ utilitatis, n.9. p.416.. pedibus multi ea omnia agentes, quæ alii manibus, ibid. sine pedibus nati plures, ibid. solum ad itionem inserviunt, num.10. ib. iis orbatus homo magis inutilis, quàm orbatus manibus, n.11. ibid.
Pedum eorumque digitorum vitia quæ & quando præbeant causam irregularitati, n.4. p.652
Pellicanus mortuus revivisicit, n.4. p.326
Pemplon ultimam senectutem cur vocant, n.24. p.19
Penis exiguitas potest præbere divortio causam, n.4. p.234. Brevitas est causa sterilitatis, n.14. p.241
Penis est pater omnium membrorum, num.13. p.407. & n.1. p.417. non est vocandus membrum, n.14. p.407. Magnus, durum ac stolidum ingenium denotat, num.15. p.408. an absque eo possit fieri genetatio, n.2. p.417. illum abscindens quomodo puniendus, n.3. ibid.
Penis longitudo an sit causa, ut semen refrigeretur antequam ad uterum perveniat, n.10. p.605
Penis cui est abscissus, an sit irregularis, ut in Lege veteri, n.10. & 11. p.648. Glande imperforata nati an & quando fiant irregulares, & quando faciliùs dispensari posse videantur, n.12. ibid.
Penis brevitas semper incommoda, quia diminuit coitum, n.3. p.728
Penis obliquitas quid operari possit circa invaliditatem Matrimonii, n.8. p.729
Penis nodus quam causam dare possit dissolutioni Matimonii, n.9. ibid.
Penis brevitas quando impediat generationem, n.1. p.737
Penis nimia longitudo an, & quando generationem impedit, n.2. ibid.
Penis tortuositas quando impediat generationem, num. 3. p.738
Penis obliquitas, tortuositas, nodus, contractio, quando remedio careant, n.10. p.764
Penis paralysis nullo remedio tolli potest, n.11. p.765
Pensionum translatio, Vide *Translatio*.
Peperisse dici non debet, quæ abortivit, n.1. p.53. non debet dici ante septimum pariens, aut filium mortuum ejiciens, n.17. p.54
Percussiones quacunque in parte, præterquam in artubus, si fortes sint, possunt hominem occidere, n.4. p.392
Percutiens piscatio, n.14. p.432
Perdices in Paphlagonia duplici corde, n.7. p.543

INDEX

Perfecta ætas, n.3. & 13.pag.14. non dicitur ante 30.annum, n.18. p.15

Perfectio ubi deest, ibid.deest finis, n.69. p.29. reperitur ubi est finis, n.14. p.35

Perfectionis & Imperfectionis tempora sibi respondere debent, n.54. p.12

Perfectum tardiùs augescit, quàm imperfectum, n.56. p.12. dari debet in unoquoque genere eorum,quæ à Natura sunt, n.68. p.29.nullum finc caret, n.70. ibid. deficere est impossibile,n.72.ibid. supra nihil est extra accipere,n.73.ibid. in utroque genere est maximum, n.74. ibid.

Periclimenis longo usu fœminæ Eunuchæ fiunt, numero 48. pag.132

Periculum inter socios debet esse æquale, n.42.p.84.& n.54. pag. 77. Ex partu & prægnantia veniens cur excipitur,n.46.ibid.puerperæ ex fœmina longius durat,quam ex mare,n.55. ibid. Ejus duratio in perpetua quarta sit, ex Cagnato,n.57. ibid. quarta verè sit ejus duratio ex mente Hippocratis, num.58. ibid.& n.60.61. & 62.ibid. Ex periculo certo non licet pecunias lucrari, n.19. pag.75. Ejus translatio in aliam personam cur concessa,n.20. ibid. quod curtere debet dans pecunias in societatem quale debeat esse, n.47.p.77. inæquale est ex parte fœminæ contrahentis cum viro, n.61. ibid.

Periculum majus in peste, quàm in Epidemia, numero 4. p.264

Perineus quid, n.2. p.549

Peritia qualis habitus, n.8.p.517

Persarum cadavera in quodam bello difficulter putrescebant, contrà cadavera Romanorum facillimè,n.17.p.321.Eorum mos in sepeliendis cadaveribus, n.58. p.331

Personæ extraneæ inter se aliquando similes, n.19.n.p.101

Pes habet aliquam apprehensionem, n.9. p.416

Peste infectus an possit vi etiam usque ad occisionem depelli, n.14. p.266. potest expelli ex civitate, n.15. ibid. quibus signis cognoscatur, n.8 p.272. segregandus ab aliis, qui sani sunt,n.24.p.275.in si malit includi domi possit.invitus expelli à civitate, n.25. ibid.

Peste qui corripiantur, n.16. pag.75. in ea semper concurrit aliqua extrinseca causa, num. 54. p.76. ejus causa semper est universalis, n.27.p.75. ad eam concipiendam nihil operatur apparatus, humorum,n.29.p.76. eà non corripiuntur valetudinarii, infirmi, & hujusmodi, ibid. externa causa vim animalibus infert, n.32. ibid.

Peste pereuntes suffocantur, n.9.p.9

Pestis venenum indifferenter omnes personas adoritur, n.32. pag.76

Pestes plures simul esse possunt,n.6. p.272

Pestilens, putridum, contagiosum convertuntur,n.16.p.266. falsum,n.23.pag 267.omne perniciosum est & deleterium, n.25. p.268

Pestilentes morbi, n.29. p.263

Pestilentes morbi fatuitatem aliquando inducunt & oblivionem, n.45.p.203

Pestis à Deo est, n.4. p.204. Eà infectus dicitur in articulo mortis esse, n.12. p.154. est omnium morborum morbus vehementissimus, n.1. p.155. Venetiis concitata ex illitu pessulorum ostiorum civitatis venenatis medicamentis,n.11. p.163. Panormi concitata ex lana infecta eò delata, n.13. p.185. sine febre aliquando est, n.9. p.173. ut plurimum cum febre, n.20. ibid.

Pestis occasione plura à consueto judicandi stilo deviant, n.1. pag.16. de ea integros Tractatus fecerunt Jureconsulti, ibid. ejus privilegia multa, ibid. eâ vigente unus testis sufficit,ubi duo requirantur,num.2.ibid. est justissima causa absentiæ, num. 6. ibid. ex ejus probatione probatur non turus accessus ad locum, in quo viget, n.7. ibid. à quibus excuset, n.10. p.262. ex ea decedens non amittit pecunias in societatem datas, n.11. ibid. ut plurimum contagiosa, n.13. ibid. Ejus nomen generale est ad multa mala, n.18. est morbus, n.20. ibid.

Pestis per antonomasiam quid dicatur, n.20. p.262. unde dicatur,n.21. ibid. quid sit ex Ripa, ibid.22.& 23.rejicitur Ripæ definitio,n.24.pag.263.quid verè sit, n.31. ibid. est Epidemia, num.35.ibid.in ea fiunt ægritudines diversorum generum. n.27. p.264. potest esse particularis, n.5. p.265. quæ sit,n.7.ibid. aliquando excitatur ex sola cloacarum immunditie, n.8. ibid. excitata aliquando ex cadavere Balenæ putrescente, ibid. sola ex omnibus morbis inficit eos qui ad ægrum accedunt, n.16. p.266. propagatur per contagium, num.18. ibid. particularis aliquando evadit universalis, n.19. ibid. potest esse sine contagio, num.21. ibid.qui primi eâ inficiuntur ab aliis contagium non contrahunt,n.22. pag.267. Ejus venenum ex aliquorum sententia originem habuit in mundi origine, & de corpore in corpus dispergitur & propagatur, ibid.an de necessitate febrem adjunctam habeat, n.29. p.268. Ipsamet est febris genus, n.30.ibid.ut plurimum cum febre,ibid.est quid generalius, quàm febris pestilens,n.33.ibid.sit absque affectione cordis, n.34.ibid.una est gravior aliâ,n.37.p.269.gravior respectu causæ quæ, n.38.ibid. periculosior, quæ ex aëre corrupto, num.39. ibid.gravior,ratione contagii quæ, ibid. gravior, ratione multitudinis locorum, quæ pestem sentiunt, n.40. ibid. gravior ratione durationis, n.43. ibid. non excedit tres menses ex Plinio,n.44.ibid.nulla ultra triennium sævit, ibid. Ejus tot modi sunt, quot tempora,n.46. ibid gravior ratione indifferentiæ specierum & individuorum,num.47. p.270. quandoque non nisi certum genus hominum molestat,n.48.ibid. quædam unum genus hominum molestat, alia non,n.51.ibid. quo tempore anni vigeat aut remittat, n.54.p.271.gravior ratione multitudinis morientium,n.55. ibid. multo severior ferro,n.56.ibid.gravior ratione brevitatis morbi,n.57.ibid.non excedit septimam diem, ibid.

Pestis quædam gravis anno 1335.n.41.p.269.alia anno 1348. quinque annis duravit, n.44. ibid. anno 1450. gravissima ibid.anno 1525. sex annis duravit,ibid.alia Vespasiano imperante,n.56.p.271. alia imperante Carolo IV.ib.alia gravissima ex Cardano, n.58. ibid.alia anno 1554. in Gallia Narbonensi, ibid.

Pestis signa ex Astrologis,n.1. p.272.ex Aëre,n.2.ibid.signa cum præsens est, n.5. ibid.

Pestis facit hominem irregularem, n.6.p.658. non semper est incurabilis, n.7. ibid. Pestis & Epidemia non sunt idem, n.8.p.650. peste cessante cessat irregularitas, n.9. ibid.

Pestis quid, n.9. p.672. Vera pestis causa est aëris corruptio, n.12 pag.674. Contagium autem non est vera causa pestis, n.13.ibid.datur pestis sine contagio, n.14. ibid.Contagium duplex, n.15. p.675

Pestis suspecti per quadraginta dies detinentur segregati, n.1. p.717

Pestis venenum non semper est unius naturæ, numero 5. p.748

Pestis venenum secundum aliquos potest latitare in humanis corporibus per duos menses, n.4. p.747.

Pestis venena quoad primas qualitates omnia sunt unius ejusdemque rationis,nempe calidissima, & maximæ activitatis, n.14.p.749

Non omnes de peste suspecti eodem dierum numero sequestrandi, sed alii citius, alii serius liberandi,n.15.ibid.

Pestis aliquando ex corruptorum cadaverum humanorum fœtore, aliquando etiam brutinorum excitatur, num. 4. pag.750

Pestis secundum aliquos expellitur projectione cadaverum per vias occisorum Animalium, n.5. ibid.Contrarium vide n.6. ibid.

In peste omnis cura adhibenda est in Aëris exsiccatione, n.7. p.751

Pestis tempore ignes in viis in censi aërem emendant, num.9. pag.752

Patri Salii opinio reprobata, n.18. p.149

Petri foetus detinebatur magnâ febre, & quomodo esset magna, n.53. p.311. miraculosè sanata. n.55. ibid.

Petri Garziæ opinio de semine fœmineo, n.29. p.584

Petronius Auli Vitellii filius luscus fuit, n.4. p.209

Petrus Pigræus notatus, n.22. p.163. & n.35. p.178

Petrus Aponensis Conciliator dictus credulitatis notatus, n.52.p.233

Petrus la Seine I. C. Neapolitanus, n.4. p.397

Petrus Castellus scripsit de insectis librum, n.2. p.325

Phaetusa Pythei conjunx apud Hippocratem barbam emisit, n.12. p.413

Pharmacopola, Vide *Aromatarius*.

Philippus Macedo Alexandri Magni pater luscus fuit,num.4. p.209

Philistæi dysenteriâ ex miraculo afflicti, n.11. p.316

Philosophia est scientia rerum naturalium,n.13. p.520. Politicam præcedere debet, n.10. p.519

Philosophiam è medio tollunt, qui rerum miraculis fidem adimunt, n.1. p.617. ex dubitatione nascitur, ibid.

Philosophi à rabido cane commorsi historia ex Aëtio, n. 17. p.149

Philosophorum quorundam impia temeritas, n.1. p.288

Philosophus Politicum quando præcedere debeat, num.13. pag.520

Phœbades mulieres, n.36. p.153

Phœnix mortua revivisci, n.4. p.326

Rerum notabilium.

Phrenesis semper durat, ex quo incipit, num.7.p.114. & n.6. p.146. quid sit, n.2.ib.male detruncata à Budæo & Menochio, n.3.ib.non est morbus ex se supervenies febri, sed cum febre prehendens, n.4.ib. aptatur ejus nomen deliriis omnibus, quæ febribus supervenium, n. 5. ib. perraro à primo die accidit, ib.vera nullas habet interpolationes,n.6. ib.superveniens non nocet iis, quæ gesta sunt ante ejus adventum, n.10.ib.an impediat sponsalia, n.12.ib. an præbeat divortio causam, n.14.ib. & seq.nullo impedimento esse debet, cùm cessavit, n.18.p.147

Phrenitici à morbo, quo detinentur tic dicti, num 1.p.146. in omnibus ut exteri insani habendi, quandiu extra mentem sunt, num.7.ib. casu omnia agunt, etiam si prudenter agant, num.9.ib. non habent diucida intervalla, num.11. p.157

Phthisis quis morbus, & an, ac quatenus faciat hominem irregularem, n.5.p.642

Phthisis quis morbus propriè sit,n.19.p.679

Physiognomia ex Hippocrate malos aut bonos mores denotat,n.47.& 48.p.294.de ea qui scripserint, ib.ex ea sumitur plusquam leve indicium, n.51.ib.ex ea potest desumi aliqua conjectura morum & naturalium propensionum,n.52 p.295

Picrocoli jejunium ferre non possunt, n.18.p.490

Pierius Valerianus erroris notatus, n.10.p.149

Pietas Deum & Sanctos in causa est, ut nonnulla opera naturalia, ad eos referamus, n.4.p.287

Pigmæi n.54.p.529. fimiarum genus ex Alberto, ib.

Pili felis & aliorum quorundam animalium venenum sunt, n.10.p.169

Pili & Ungues in cadaveribus crescunt,n.37.p.322

Pili, eorum abratio cur in causa sit,ut Rei facilius delicta confiteantur, n.12.p.486. robur denotant, ib.fortitudinem asserunt, ib.

Pilorum carentia est signum frigiditatis, n.22.p.230.

Pinguedo exuberans impedit coitum, & est sine remedio, n.13.p.732

Pinguedo nimia mulieris an, & quando possit dare causam dissolvendi matrimonii, n.15.p.737

Pinguedo nimia an, & quando impediat coitum, & generationem,n.15.p.741

Pinguedo excedens Mulieres steriles efficit, n.9.p.743

Pirenis fontis in Corintho Aqua omnibus Græciæ aquis levissima,n.19.p.424

Piscatio an aquis noceat, n.13.p.432.ejus plura genera, n.14. ibid.

Pisces quidam quomodo concipiant ex Herodoto, n.1.p.240. quidam manu detenti febrem accendentes, n.2.pag.246. omnium animalium minus è pestem sentiunt, n.49.p.270. respirant, ib etiam ipsi pestem sentiant, n.50. ib. qui facilius à peste corripiantur, ib.

Pisces frigidi sunt & inflativi, n.4.p.347.Eorum frequens comestio plures ægritudines accersit, ib. boni fucci sunt,n.12. ib. Avibus montanis in bonitate pares, ib. saxatiles laudatissimi, ib. cur in jejunis adhibeantur, ex Kornmanno, ib. refellitur, ib. ab Antiquis concessi in plurimis morbis, ibid. cur eos Antiquis libentius ægrotis concederent quàm nos, num. 13.ib. non facile corrumpuntur, num.12. ib. saliti, vide *saliti pisces*,veniebant antiquitus nomine obsonii, n.20.p.350.Antiqui eos frequentius quàm carnes in mensas apponebant, ib. in eadem lance cum carnibus apponebantur, ib.

Pisces absque sale siccati per decem annos servati incorruptibiles,n.7.p.318

Pituita talis naturæ, ut magis excocta in sanguinem vertatur, n.18.p.349

Pituitæ copia in sene non est morbosa, n.77.p.21

Plantæ non venenosæ, an arte fiant venenosæ, n.34.p.169.earum fructus solutivi efficiuntur, ib.

Plantæ à terra avulsæ diu absque nutrimento vivunt, num.10. p.299. earum semina alimentum continent, n.33.p.302. quædam resurgunt, n.4.p.326

Plateasmos quid, n.3.p.206

Plateri pater ætatis 72. annorum uxorem ducens sex liberos generavit & anno 82.fœmellam.n.26.p.225. Ejusdem Avus post centesimum annum filium suscepit, & ad ipsius nuptias supervixit, ib. Opinio de pestis veneno & contagio, n.22. p.267

Plato voluit conjuges non generantes ab invicem separari, & aliis jungi, n.12.p.235

Plebeii pestè facilius prehenduntur, quàm nobiles, num. 53. p.271

Plena ætas, n.19.p.14

Plinius Medicis cur infestus, n.1.p.499

Plinio in his maximè credendum quæ se vidisse affirmat,n.23. p.538

Plistis fluvius Solonis consilio helleboro infectus,ut Cyrræos bibentes inficeret, n.26.p.187

Plutarchi consilium ad tuendam valetudinem circa carnium usum, n.21.p.351

Pluvialis aqua fontanæ, quando præferenda, n.55.p.429.legumina facilius coquit quam fontana, n.56.ib. etiamsi putrescit, non est censenda ideircò mala, n.57.ib.non putrescit, ex Petronio,ib cocta melior crudâ, n.69.p.430

Pocula amatoria cum aptis venenis conficiuntur, num. 16. p.168

Podagra reddit hominem ad Venerem proniorem, n.8.p.227. An à jejunio excusèt, vide in verbo *Articulares morbi.*

Podagra & Chiragra faciunt hominem irregularem, sic forte & aliis dolores arthritici, n.3.p.623. Dolores ex Podagra facilè recurrunt, qui verò primo impetu plures corporis articulos invadunt, non ita facilè, n.4.ib.

Podivinus quidam suspensus per duos annos corruptionem non est passus, n.14.p.319

Pollex utilitate quatuor reliquos digitos æquat, n.14 p.17. Ejus cum Indice amputatio totius manus amputationem adæquat, n.16.ib. Pariva Manus dicitur, n.14.ib.

Politicæ invention,n.9.p.516. Est scientia practica, n.12.p.520. differt à lege, n.14.ib.leges concedit, n.9.p.517. Medicinam præcedere quando debeat, num.14.p.520. quid sit, ibid.

Politicus non habet potestatem in homines ut eos ad conditas à se leges observandas cogat, n.11.p.519.Leges condit in universali, n.12.p.518. non est immediata causa boni communis, n.15 p.520. Leges mutare non potest,ib.

Polluere se extra vas quando dicatur vir, n.10.p.608

Pollutio pro sanitatis remedio an possit suaderi, n.12.p.290. & an salutem pro evitanda morte, n.13.p.290. voluntaria est peccatum mortale, ib.

Pollutio spontanea est peccatum mortale,n.8.p.608.extra vasa à muliere non fit, n.11.ib.

Pollutio sponte à convalescentibus in somniis facta ab Amato Lusitano sanitatis sigillum dicitur, n.28.p.263

Pollutio involuntaria quid, & an faciat locum irregularitati, n.3.p.626

Polypus quid, n.3.p.219.diversæ speciei, & quænam inducat irregularitatem, n.8.p.439

Pomaria quomodo noceant aëris salubritati, n.12.ib.

Pœna est culpæ socia, n.29.p.128. non habet locum, ubi non est culpa, ib.

Pœna debetur propter culpam, n.8.p.444. quid sit, num.10. p.478

Pœnæ unde temperandæ, n.4.ib. earum divisio,n.31.p.481. & n.1.p.494. Temporales quæ, n.22.p.480. Temporalium divisio, n.33.p.481 Capitales simpliciter quæ, n.34.ib.non. capitales corporis tamen afflictivæ quæ, n.35.ib.

Poppeiæ M. Agrippæ filiæ responsum, n.30.p.65

Populares morbi, n.28.p.363. quidam benignissimi, num.33. ibid.

Populi nonnulli sex mensibus dormientes, n.3.p.326

Populi quidam binis pupillis dotati, n. 3.p.609

Porcorum excrementa faciunt aërem venenosum, num. 22. p.275

Porphyrius carnium esum ad corporis salubritatem non facere affirmavit, n.20.p.50

Potrum non est venenum, & tamen Mela ejus succo epoto obiit, n.9.p.167

Portentum, Monstrum, Ostentum, Prodigium, synonyma, n.17.p.527

Posthumi parentibus magis similes quàm cæteri filii, num.10, p.108

Potatio unica non est de præcepto jejunii, sed unica comestio, n.6.p.362

Potentia cur honoretur, n.20.p.498

Potentia coeundi pro pubertatis signo reprobata, num. 73. p.13. non est certum pubertatis signum, sed potentia generandi, numer. 78.ibid. præcedit pubertatem, numer.80. ibid.

Potus tempore pestis qualis conveniat, n.11.p.274

Potus non frangit jejunium, num.1.p.362. nutrit, n.2.ib.ordinatur ad ciborum distributionem,n.9.p.362. & n.23.p.363. eo replemur facilius, quàm cibo, n.20.ib.

Potus Aquæ cur prohibetur in jejunio Eucharistico, num.9. p.753

Vide *Jejunium.*

Potus debet esse humidus, & cur, n.18.p.754

Potus finis sedandi sitim secundarius est, non primarius, n.10. pag.737

INDEX

Prandii omiſſio conſuetis prandere noxia, n.6. p.368. an illud cœna uberius eſſe debeat, num.8. ibid. illud in noctem differre, jentaculo omiſſo, cuilibet in jejuniis, numero. 23. p.370

Pratum quid, n.23.p.442

Præcedere eſt præ aliis honorari, n.10.p.497.quis debeat in Republica, n.28.ib.n.28.p 499

Præcedentia eſt honoris ſpecies, n.5.p.497.quid ſit,n.7.8. ib. & n.27.p.499. conſiſtit in actu receptionis honoris, num.9. p.497

Prædictio infallibilis requiritur in prophetia, n.3.p.288. non poteſt eſſe à natura, n 4.ib. non videtur eſſe miraculoſa reſpectu Medicinæ, n.7.p.289

Prædictiones multæ fiunt, quæ prophetiæ nomen non merentur, n.4.p.288. Medicorum prædictiones inter divinationes non connumerantur, n.8.p.289

Prædium aëris ſalubris majoris æſtimatur, quàm aëris inſalubris, n.1.p 419

Prægnans coitum odio habet,n.35.p.62.in ea pallores & oculorum contractiones unde, n.33.p.61. in ea unus partis venæ magis tument quàm alterius, n.34.ib. gaudet multis privilegiis, num.1.p.73. Cur illi leges indulgeant in pluribus, num.3.& 11.ib. peſte facilè corripitur, num.16.p.75. moritur aliquando abſque culpa prægnantiæ aut partus,n.4. p.78

Prægnans ſana eſt, n.6.p.189.quocunque morbo laboret, magis periclitatur quàm non prægnans, n.9.p.190

Prægnans à tormentis immunis, n.19.p.490

Prænans an excuſetur à debiti redditione, n.15.p.597 quando ſit illi conceſſus Veneris uſus à Medicis,n.18.p.598. facilius à partu liberatur, ſi coitu non utatur, ibid. ultra abortûs periculum, quænam alia pericula incurrat, & coitu utatur,n.19.ib.

Prægnantes abundant pravis humoribus,& ſanguinem deteriorem habent, n.11.p.453

Prægnantes in Thaſo abortientes, n.88.p.86.ſanguinem deteriorem habent & non purum, n.11.p.88.& n.16.p.95. Earum morbi proprii naturales ſunt, n.14.p.88.in illis tormina periculoſa, n.50.p.56.Earum appetentia, n.12.p. 60. appetitus, vel à quibuſdam rebus averſiones etiam extra prægnantiam durant,n.13.ib.ex cibo & potu pingueſcunt, n.23.p.95.cur malè afficiantur,n.26.ib. ſanæ apud Leges exiſtimantur, n.27.p.96. valetudinariæ dictæ apud Leges, n.30.ib.Earum ſanguis non poteſt pluſquam decem menſibus fœtibus ſufficere, n.115.p.31.in extremo judicio patient immutatos fœtus, qui vivent,n.8.p.32

Prægnantes ſolo lucernæ extinctæ odore abortiunt n.13. p.163

Prægnantes à jejunio excuſantur, n.36.p.361

Prægnantia maximè impedit coitum in brutis,n.51.p.28. ante quatuor menſes difficillimè, poſt facilius cognoſci poteſt, n.6.p.55.per ſigna certa & infallibilia cognoſci non poteſt, n.7.& 14.ib.& n.54.p.58.per conjecturas cognoſci poteſt, n. 8.p.55.cognoſci poteſt ex Cognolo per demonſtrationes, n.9.ib. eam deprendere difficillimum, n.13.ib.non probatur ex tumefactione ventris, n.18.ib. ventris tumefactio in ea eſt diverſa ab illa quæ non eſt à prægnantia, n.19.ib. non probatur concludenter ex lacte, n.20.pag.56. Ejus ſignum ex motu in ventre excitato fallax, n.40.p.57.Ejus ſigna omnia ſimul juncta poſſunt à præternaturali cauſa originem habere, n.42.ib. Ejus ſigna omnia communia ſunt menſtruorum retentioni,n.43. ib.in ea dignoſcenda quæ obſervanda, n.1.p.58. Ejus ſigna in calido temperamento, n.2.ib. ſigna in frigido,ib.Ejus ſigna diverſo apparent tempore, n.3.p.59.Ejus non omnia ſigna in omnibus apparent, n.5.ib. Ejus ſigna ex mare, n.10.ex facie, ib.ex ſtomacho, n.12.p.60. ex pectore, n.11.p.59. ex ventre, n.15.p.60. ex univerſo corpore, n.17.ib. ex utero,n.16.ib. maximum ejus judicium, ib.Ejus ſymptomata ad quod tempus perdurent, num.32.p.61. in lac præbentibus quomodo deprehendatur, num.49.p.62.in lac præbentibus ejus ſymptomata facilius eveniunt, quàm in aliis, n.50.ib.

Prægnantia & partus ſunt res maximè naturales, n.48.p.77.& n.8 p.78.& n.11.ib.n.22.& 28.p.79.n.10.p.88.n.2.p.94.& n.16.p.99. non reſpicit ipſum individuum, ſed ſpeciei conſervationem, n.50.p.77. non ſine extrinſeca cauſa fit, n 51. ib. ex ea non poteſt evenire mors,n.10 p.78.Quid ſit n.22. ib. & ſeq.& 29 p.81.ſana quando ſit, n.26.p.74.pravos humores gignit, n.15.p.95. & n.8.p.88. ex ea naturaliter ſe habente nullus niſi levis affectus minimè lethalis oritur, n.16.p.89.Ex ejus morbis cognatis nihil mali promittitur, n.17.ib.Naturam maximopere exagitat, n.19.ib.

Prægnantia res eſt maximè naturalis, n.7.p.215.

Prægnantia & partus non ſunt morbi, n.8.p.144. etiam doctos Medicos latere poteſt, n.1.p.255. facilè poteſt ſimulari,n.2. ibid. diſſimulata quomodo deprehendi poſſit, numero 9. p.260

Prægnantia aliquibus fœminis lethalis, n.14.p.261

Prægnantia in primo quadragenario vix de ſe ullam præbet ſignificationem, n.37.p.598

Prægnantiæ certa cognitio ante quadraginta dies vix, ac ne vix quidem haberi poteſt, n.119.p.702

Presbyteri cujuſdam dementia, n.17 p.152

Præſtigiati qui, n.31.p.152

Præſumptio ſemper ex parte cauſæ, quæ magis naturalis eſt, num.44.p.232. potentia coëundi & generandi ceſſat in continenti in eo qui non habet teſtes, n.11.p.242

Præſumptiones in partu ſuppoſito à Medico deſumptæ, n.6. p.256

Prætergreſſio aut immutatio eorum, quæ à ſuperiori artifice proponuntur, in inferiore videtur malitioſa, numero 20. p.447

Priamus famem duodecim dies ſuſtinuit ex Homero, num.3. p.298

Priapiſmus, n.8.p.227.quid ſit, & an irregularem hominem facere debeat, n.13. & 14.p.648

Primogenitorum Ægypti mors miraculoſa, n.11.p.316

Primogeniti nomen non magis refertri poteſt ad eum,qui primò naſcitur, quàm ad eum, qui primò concipitur, num.1. p.777

Primogenitus apud Jureconſultos accipitur pro eo tantùm, qui primò eſt, n.4.ib. & n.8.p.778

Ad hoc ut aliquis Primogenitus dicatur, non ſatis eſt Gemellum brachium aut crus foras emittere, niſi prior totus naſcatur, n.5.p.777

Prior natus jura Primogenituræ conſequitur, non prior conceptus, n.7.ib.

Tantundem eſt dicere, *Primogenitus*, quàm *primò natus*, n.9.p.778

Inſtituentis primogenituram mens eſt, ut primò natus ſit primogenitus, non primò conceptus, n.10. ib. & num.12. ibid.

Primogenitus ſecundum aliquos dici debet poſterior natu, num 14.ib.Falſum, num.ſeq.

Primogeniti cæteris robuſtiores & formoſiores ſunt, ſecundum Jureconſultos, n.21.p.781

Primogenitus idem eſt, qui prior conceptus, numero 12. p.780

Primogenituram acquirit qui ex Gemellis prior naſcitur, n.3. p.782

In decernendo de primogenito nativitas eſt attendenda, n.12.p.784

Principium morbi quid, n.8.p.142

Principium mole eſt paucum, facultate verò maximum, n.7. p.687

Dator Principii tranſmutationis, eſt dator finis ipſius formæ, n.28.p 690

In principio exortus cujuſlibet viventis Animam propriam præſentem eſſe neceſſe eſt, n.100.p.699

à Privatione ad habitum non datur regreſſus, numero. 18. p.721

Privilegia Peſtis non habent locum in ſimplici Epidemia, n.1. p.264. cur conceſſa, n.3.ib.ut locum habeant,an peſtis debeat eſſe contagioſa neceſſariò, num. 9.p.265.n.27.p.268. an locum habeant in peſte, in qua non ſit febris, n.35.ib.ut locum habeant. peſtis debet eſſe gravis, n.36.ib.

Privilegii cauſa ceſſante,ceſſat privilegium, n.16.p.314

Probatio per conjecturas ſufficiens, eſt in actibus ſimulatis, n.5.p.256

Proceſſus in infinitum diſconveniens in naturalibus,n.8.p.248. & 2.p.535

Procopius Medicus & Hiſtoricus, n.21.p.266

Prodigium, vide in verbo *Oſtentum & Portentum.*

Prodigus ob rationis læſionem à multis actibus prohibetur, num.61.p.126.pari paſſu cum furioſo ambulabat ib. teſtari non poteſt, n.62.p.126. diſcretione caret, n.63.ib. curatorem recipit, 64.ib. non poteſt vendere etiam cum juramento, n.65.ib.non poteſt eligi, n.66.ib.

Prodicus febricitantes interficiebat curſu, n.459

Proditor eſt veneno hominem occidens, n.5.p.445

Proditor dici debet Medicus dolo in ægrum delinquens,n.4. ibid.

Profeſſio Religionis fieri poteſt à fatuis primi generis, n.21. p.128. ab obliviosis, num.46.p.129. non autem à furioſis, etiam ſi furor intermiſerit, n.28.p.147

Prophetæ omnes melancholici fuerunt, num.15.p.190. Propheras Deus per ſomnia allocutus aliquando eſt, num.17. ibid.

Rerum notabilium.

Prophetæ falsi à veris quomodo discernantur ex sacra Scriptura, n.26.p.192. Prophetæ veri aliquando nonnulla prædicunt, quæ tamen non eveniunt, & quomodo id succedat, ib. Prophetæ multi non intelligunt ea, quæ prædicunt, n.30. p.293

Prophetia quid, n.1.2.p.288. Prophetiam non tanti facit Ecclesia, ut ex ipsa tanquam ex miraculo facto quis canonizari debeat, n.20.p.291. Prophetia est bonis & malis communis, n.21. ib. Prophetia non est inter miracula reponenda, n.22.ib. Prophetia est res supernaturalis & miraculosa, n.23.p.292 Prophetia inesse à Natura homini non potest, n.40.p.293

Prophetiæ omnes dubiæ quoad sensum externum, n.30. ib.

Proprietates quæ à natura dependent non sunt divisibiles, n.31. p.37

Proptosis quid, n.20.p.211.& n.6.p.413

Pro ratione apud Hippocratem idem est ac naturaliter, n.4. p.35

Prospectus ad salubritatem nil confert, n.11.p.439

Prudenter non facit, qui extraneum conjuncto præfert, num.8. p.115

Prudentia habetur ex ætate & experientia, n.7.p.121

Prudentiam & experientiam ex annorum multitudine Senes habent. n.41.p.16

Prurigo, n.24.p.198

Pselli qui n.13.p.107

Pselliotis quid, ib.

Psora, n.17.p.198

Pseudoandrogyni, n.4.p.549

Pseudogonorrhœa, n.31.p.594.quid & quæ malâ secum afferat, n.5.p.603. & n.4.p.639

Psora, n.4.p.654

Pseudophthalmia, n.16.p.632

Puberem quem vocemus, n.17.p.3.& n.33.34.p.7

Puberes an habeant integrum rationis usum, num.85.p.13.illis conceditur per leges facultas condendi testamentum, n.14. p.10. non permittunt illis leges omnia suo arbitrio agere, n.86.p.13.habent rationis usum, sed rudem, n.87.ib. minimum valent in iis, in quibus ratiocinatione opus est, n.88. ib. imprudentes sunt, ib. passionibus nimis vincuntur, n.89.ib.

Pubertati proximi sunt doli capaces, n.28.p.118. in coitu aliquando voluptatem percipiunt, n.18.p.114. qui dicantur, n.12.p.8

Pubertas non eodem tempore in omnibus advenit, n.4.p.487.

Pubes quid n.2.3.p.9.respectu matrimonii dicitur quis quando potest generare. n.45.p.7

Pubescendi terminus non est unus in omnibus, n.18.p.8

Pubescentiam quæ retardent, aut accelerent, num. 28.p.8. ei in animali respondet quod in stirpibus florere dicimus, n.16.p.10

Pubescunt pauci ante 14.annos, n.37.p.11.nonnulli tardiùs 15. annis, n.26.ib.

Pudenda mulieris in partu extuberant, n.18.p.259

Pudenda virginis per coitum dilatata denuò cohærescunt, n.5. p.337

Pudor est species timoris, n.43.p.115

Puella novennis menstruis obnoxia, n.34.p.11

Pulla ante debitum concipiendi tempus non dicitur sterilis, etiam si vir uteretur, n.6.p.236.quædam cum patre in eodem lecto jacens ex paterna pollutione concepit, n.3.p.240

Puella Spirensis quadriennio sine cibo vivens, n.13.p.300. Alia sexdecim mensibus jejunans, n.14.ib. Alia puella septem annis sine cibo degens, num. 17.p.301. puella Matisiacensis ultra annos quindecim sine cibo & potu vivens, n.21. ibid.

Puella ex Equa nata, & alia ex Asina, n.37.p.531.biceps unico corde, n.7.p.543

Puellarum accubitum an possit Medicus senibus suadere, n.10. p.453

Puellæ historia solo fœto per sexdecim annos nutritæ. num.5. p.287

Puellæ nonnullæ quæ per ætatem adhuc non purgabantur, conceperunt, n.10. p.340

Puer nullus est prudens, n.28.p.5.intelligitur donec durat pubertas, n.3.p.6.dicitur minor 14.annis, num.9.16.p.6.cum omnibus bestiis magis intractabilem vocat Plato, n.17.ib. nunquam aptus ad coeundum, & multo minus ad generandum, n.29 p.7

Puer quidam post annos 57.revixit, n.3.p.316. & quomodo id naturaliter succedere potuerit, n.7.p.317

Puer Giganteæ staturæ, num.34.p.519 monstrosus duplici obscæno, num.34.p.555. Ligur sine brachiis, n.6.p.559. ex capra natus, num.23.p.538. lingua monstrosa, num.7. p.559

Pueri quando vocem edant asperiorem, n.2.3. aliqui statim atque in lucem venerunt locuti. ib. septennes expeditius loquuntur, n.14.p.4. Eorum sapientiam odio habebant Antiqui, n.26.p.5

Pueri habent intellectum imperfectum ac rudem, n.13. p.6. & n.2.p.121.eliminantur ab omnibus actibus civilibus & in dejectis excusantur, ib. transacto 14. anno cur ad multa admittantur, n.3.ib in plerisque excusantur, n.15.p.128. tenelli exquisitè audiunt, non tamen loquuntur, n.23.p.131. si nullum loquentem audirent, tamen apto tempore suo modo loquerentur, n.14. ib non habent dilucida intervalla eorum amentiæ, n.15.p 157

Pueri ante pubertatem non dicuntur frigidi, n.1.p.219. difficillimè jejunium fuerunt, n.5.p.299. causam vide, n.46. p.304

Pueri ex timore in Epilepsiam labuntur, n.25.p.400

Pueri grandiusculi jejunio debent se assuefacere, n.14.p.352 transacto primo septennio teneri possunt ad jejunii observantiam quoad qualitatem ciborum, num.15.p.353. An torqueri possint, n.9.p.482

Puerilis morbus, num.14 p.144.non est morbus comitialis ex Cardano, ib.

Puerilia incipit à septimo anno, durat ad 14.n.3.p.8.Eius nomen aliis ætatibus commune, n.4. ib.ejus nomen latè patet, n.1.p.5. comprehendit sub se quatuor ætates, ib. quid sit n.7.8.p.6.extenditur ad 17.annum, n.10.ib.dicitur etiam pupillaris ætas, n.12 ib.

Puero etiam notum: proverbium, n.17.p.6.semen non emittit, n.30.p.7.potest coire in decimo anno, uxorem etiam ducere potest, num.34. ib.ejus nomen convenit etiam infanti, n.6.p.6

Pueros odi præcoci sapientia: proverbium, num.26.p.5.eorum prudentia neque sibi, neque aliis utilis, ib. ante 25. annum vocantur minores, num.5.p.6. an aliquem intellectum habeant n.13.p.6. intellectus minime capaces, n.14. & 16.ib. Eorum animam non differt ab anima bellua, ib.ratione non utuntur, ibid.quos vocet Galenus, ib.quoad rationalem animam imperfecti, n.26.ib.novennes & decennes generantes, num.28.p.7. vocandi non sunt generantes ante terminum communem pubertatis, n.32.p.7

Puerulus nobilis per quatuordecim dies sine cibo vivens, n.4. p.298

Puerperaque dicatur, n.53.p.84 sana est apud Leges, n.28.p.81. à quo periculo immunis existat post purgationem 20. vel 25. dierum, n.59.p.85

Puerpera an sana sit, n.13.p.217. sana est, n.17.ib.ex abortu an sana sit, n.18 ib.

Puerperæ an liceat cathartica exhibere, n.18.p.462.an terreri possit, num 8.p.482. à tormentis immunis, numero 20. p.490

Puerperio fluente an reddi debeat debitum, n.13.p.597

Puerperium quid sit, n.51.p.84.ex ejus retentione magni morbi proveniunt, n.45. ib.ejus retentio magis nocet, quàm retentio menstruorum, n.49.ib. Illud Gellius pro ipso fœtu accepit, n.52.ib.Ejus tempus diversum, n.54. ib. Ejus tempus ex masculo, 30. ex fœmina, 42.dies, n.56.ib. ejus ratio sequitur rationem menstruæ purgationis, n.61.p.85. Ejus diminutio si morbum accersat, & ex eo mortem, locum exceptioni facit in contractibus societatum, n.63. ib. Ex ejus mala qualitate decedens mulier locum facit exceptioni, num.70. ib.Eo ritè & naturaliter procedente, tamen aliquando sanguinem mittimus, & cur. n.6.p.88.

Puerperium est actio naturalis, n.14.p.215

Pugno percussus aliquando interiit, n.3.p.392.percutiens non præsumitur habuisse animum occidendi, n.6.ib.

Pulchritudo mulieris est incitamentum ad libidinem, num.19. p.122

Pulchritudo quibus rebus repetiri possit, n.17 p.135. mulierit facit præsumi amorem, n.44.p.136

Pulchritudo totius ex quibus amittatur, n.29.p.773

Pulchritudinis sedes est facies, n.31.p.774

Vide *Faciei*.

Pulchritudini obsunt maximè faciei Cicatrices, n.32.ib.

Vide *Cicatrix*.

Vestigia in facie à morbillis relicta quantoperè Pulchritudini obsint, n.35.ib.

Pulchritudo est propria Mulierum, n.7.p.782

Pulchritudo vera multum differt à pulchritudine muliebri, n.5.ib.

Pulchritudo vera quid sit, n.10.ib.

Pulchritudo vera actionibus judicatur, n.11.ib.

Pulchritudo vera cum fortitudine jungitur, numero 13. ibid.

INDEX

Ex vera pulchritudine præſumi poteſt, uter ex Gemellis prior natus ſit, ex falſa autem contrarium, n.14. ib.
Pulchritudo virilis à muliebri multum differt, numero 25. p.773
Pulchritudo virilis, quæ vera pulchritudo eſt, quid ſit? n. 26. ibid.
Pulchritudo muliebris non eſt vera pulchritudo, numero 12. p.782
Pulchritudo muliebris non poteſt cum fortitudine conjungi, n.8.ibid.
Pulchritudo muliebris quid? n.27.p.773
Pulchritudo ſponſæ amiſſa poſt jurata ſponſalia juſtam cauſam præbet ſponſo ea diſſolvendi, n.28.ib.
Pulchritudo Virginum mirum in modum deturpatur febre alba, n.30.p.774
Pulchritudinis ſedes eſt facies, n.21 p.379
Pulegium ſemen ſinidum reddit, n.84.p.232
Pulmo laborat in vocis formatione, n.15.p.567. detrimentum patitur in ſuditate, ib.
Pulſus ſibi immutantes, aut abſcindentes quomodo deprehendendi, n.8.p.246
Punibile nullo modo eſt quod abſque voluntate ſit, num. 17. p.141
Pupilla anguſtior viſum efficit acutiſſimum, n.28.p.212. molleſtior eſt quam dilatata, n.29.ib. Ejus atrophia, n.27. ibid. ejus conſtrictio ſeu immunitio, ib. ejus dilatatio, ib. Ejus tabes, ib.
Pupillaris nomen etiam Infantiæ convenit, n.13.p.6
Pupillæ dilatatio, n.9.p.413
Pupillæ dilatatio quando inducat irregularitatem, numero 7. p.635
Pupilli qui, n.12 p.6
Purgationis tempus in mulieribus, n.27.p.216
Putulentia, vide *Empyema*.
Putei civitatum cur inſalubres, n.8.p.432.
Puteus in Hyſia Bœotiæ urbe, ex quo qui ebibiſſent, vaticinabantur, n.15.p.190
Putredo in cadaveribus non eodem termino excitatur in omnibus, num. 16.p.320. putredinis plures ſunt modi in cadaveribus, num.50.p.231. putredo quædam reſiccatio eſt, ibid.
Pythagoras carnium uſum in cibis interdixit, num. 20. p.350

Q

Quadrageſima cur Vere inſtituta, n.18.p.549
Quadrageſimale jejunium omnium notabilius & venerabilius, n.2.p.346
Quadrageſima i ferè victu antiqui per totum annum utebantur, n.20.p.350
Quadraginta dierum termino ſolet ſumi de Advenis, experientia tempore peſtis, an ſani ſint, necne, n.27 p.375. an hic terminus ſit ſufficiens, vel ſuperfluus, ib.
Qualitas vulneris quomodo faciat præſumptionem lethalitatis aut ſecuritatis n.5.p.381.
Armorum, vide *Armorum qualitas*
Qualitate non Quantitate offendunt medicamenta exitialia, n.13.p.168
Qualitates corporis, ex quibus ſimilitudo reſultat, à temperamento ſunt, n.16.p.105
Qualitas in venenis non eſt adeo conſiderabilis in iis, quæ occulta proprietate operantur, ut in iis, quæ agunt manifeſtis qualitatibus, n.10.p.168. Etiam minima veneni occultam habentis proprietatem occidit, n.11.ib. neceſſaria eſt in omni veneno, at quomodo ſit intelligendum, n.12. ib. minima neque corpus alterat, neque perimere poteſt, ib. ea non ſunt expendenda, quæ occulta agunt qualitate, n.14. ib. non conſideranda in deleteriis ex Concil. n.15. ibid. notabilis requiritur in venenis manifeſta qualitate operantibus, n.17.ib. quæ requirantur in venenis Judicis arbitrio definienda, adhibito Medicorum judicio, n.18.ib. in ea definienda, quæ conſiderare debeat Medicus, numero 20. ibid.
Quantitas ciborum in jejunis aſſumenda, vide in Verbo *Cibi*.
Quantitas vulneris quomodo faciat præſumptionem lethalitatis ipſius, n.6 p.393
Quartana laborantes magno morbo non capiuntur, num. 15 p.144.
Quartana an tempore interpolationis excuſet à divinorum recitatione, n.33.p.572
Quartanarii peſte non corripiuntur, n.30.p.76
Quarto menſe natus ex Concumbatio legitimus, n.5.p.32
Quarto menſe natus naturaliter non vivit, n.8.ib.
Quatuor temporum jejunia, cur ab Eccleſia inſtituta, ratio Medica, n.21.p.35
Quæſtio quid, num.8.p.478. à muliere incipienda, numer.22. p.491
Quem jacuiſſe cum aliqua, & illam adulteraſſe, paria ſunt, n.12.p.338
Quid cani & balneo proverbium, n.17.p.149
Quinquemeſtris partus vitalis, n.6.p.32. n.40.p.36
Quod non eſt, non generatur, non enim eſt unde generetur. Vide *Generatio*.

R

Rabida fiunt animalia omnia à rabido cane commorſa præter hominem, ex Ariſtotele, n.10.p.149
Rabies, eâ affecti cur vocentur Hydrophobi, n.2.p.148. eâ afficitur ſolus canis ex Galeno, n.4.ib. ex canis morſu frequentius contingit ibid. eam incurrunt plura animalia, n.4. ib. Lupi pejor, quam canis, ib. Ex ſerpentum quorundam morſu excitatur, n.6.p.149. eam poteſt excitare ſimplex aëris infectio, n.7 ib. ex ſe etiam in homine excitatur, ib. eam non incurrit homo, ex Pierio Valeriano, n.11, ib. ſimilis effectus eſt Maniæ, num. 12.ib. quid ſit, n.13, ib. an cum ea neceſſariò conjungatur delirium, n.15. ibid. eſt ſpecies Melancholiæ, n.16.& 19. ib. ſolo morſu eam excitari falſum, n.27 p.150
Rabies morbus contagioſus & pernicioſus, n.5.p.276. ea affecti expelli poſſunt à civitate aut vinculis coerceri, num. 2. p.279
Rabioſi qui, num.1.p.148. à maniacis quomodo differant, n.13. p.149. omnes inſaniunt, n.18.ib. cur ſalutis ſignum præbeant, ſi proprium imaginem in ſpeculo agnoſcant, n. 20. p.150. ſe in canes transformatos putant aliquando, ib. ut cæteri melancholici habendi, n.25.ib. non habent diluci. da intervalla, n.15.p.158
Rachel ex partu laborioſo obiit, n.5.p.83
Radices venenoſæ quæ, n.12.p.188
Ragulii capitis vulnera non admodum periculoſa, num. 31. p.376
Raphael Dei Medicina interpretatur, n.18.p.512
Ratio quando diminuatur, n.29.& 40.p.120. & ſeq. quando deperdatur, n.31. & 42.ib. quando depravetur, n.32. & 41. ib. læditur in omni dementia, n.39. ib. diminuitur ex defectu ætatis & ſexus, n.1.p.121. in ſenibus quo tempore diminuatur, n.25 ib. non ſemper in dementiis eodem modo afficitur, num.1.p.123 extuibatur in quocunque Amore, etiam honeſto, n.32.p.135. non neceſſario læditur in Hydrophobia ex Salio, n.17.p.149
Ratio quanti momenti in Arte Medica, num.17.p 509. & ſeqq.
Rationis diminutio in ætate dupliciter contingit, numero 3. p.626
Pueri ſaltem uſque ad 14 ætatis annum non habent integrum rationis uſum, n.4.ib.
Rationis diminutio ex naturali vitio quomodo contingat, & irregularem hominem reddat, n.7.p.627.
Raucè loquens Elephantiæ obnoxius, n.25.p.108
Raucedo quando faciat hominem irregularem, numero 11. p.641
Raucedines & gravedines populares, n.33.p.163
Raucedo in ſenibus concoctionem non admittit, n.11.p.641. perpetua Elephantiaſis, vel morbi Gallici ſuſpicionem facit, ib. & n 9.p.659
Recidiva, & Morbus habent unam eandemque cauſam, n. 11. & 28.p.92. & ſeq. fit ex reliquiis prioris morbi, n.11.ibid. in ea idem morbus dicitur, num.13.ibid. Ejus ſigna, n.17. p.93
Ex morbo ſolutionis prioris morbi quomodo cognoſcatur, ib. ex ſtatu ægrotantis ante ultimum morbum quomodo cognoſcatur, num.9.p.92 ex tempore inter unum & alium morbum quomodo cognoſcatur, num. 21.p.93. cito fit, num. 22.ib. non ultra 12 aut 15. diem protracta in hiſtoriis ab Hippocrate enarratis, n.22.ib. ex ægritudinum ſpecie quomodo cognoſcatur, n.23. ibid. poteſt eſſe morbus contrariæ ſpeciei cum priore, n. 24. & 29.ib. Ejus præſumptio quod eadem accidentia habeat, ac prior morbus limitatur, n.26.ib. quando ſit dicenda exiſtente ſecundo morbo ejuſdem ſpeciei cum priore, ib.
Recidiva quæ dicatur, num.18.p.217. à morbi exacerbatione differt, n.19.ib. in quibus morbis ut plurimum timeatur, n.20.p.218
Recidiva facit conjecturam quod vulnus fuerit lethale, n. 21. p.384
Recidivans an ſemper in pejori conditione ſit, quàm primò ægrotans, n.21.p.218
Recitans & non orans non ſatisfacit, n.13.p 563
Recitare officia divina mentaliter non ſatisfacit obligationi, n.10.ibid. quomodo debeant qui capite ſunt imbecilli, n.8.

Rerum notabilium.

p.579. quomodo debeant, qui oculorum vitiis sunt obnoxii, n.10. ibid.
Recitatio: in publica quæ requirantur, n.14. p.563. quando noxia in capitis dolore, n.4. p.565. sedendo ac quiescendo facta non habet secum ullum incommodum, n.7. p.578. ambulando non ita, ibid.
Recurvi & recurvitas, n.6. p.647
Redhibere quid sit, n.2. p.191
Reges non sunt sub lege, n.11 p.504
Regressus non datur ei, qui remittit actiones suas, numero 7. p.191
Regula nulla certa datur eorum, quæ per accidens eveniunt, n.39. p.37
Regula prima in casibus exceptionum mortis in contractibus societ. Off. num.2.p.82. Secunda, n.16. p.83. Tertia, n.20. ibid. Quarta, n.24. ibid. Quinta, n.47. p.84. Sexta, n.65. p.85 Septima, n.68. ibid. Octava, n.70.ibid. Nona, n.71. ibid. Decima, n.76.p.86. Undecima, n.79.ibid. Duodecima vel Ultima, n.80. ibid.
Regula nulla desumi potest ex iis, quæ per accidens eveniunt, n.8 p.335
Regula omnis dicitur Lex, n.1. p.517
Reguli filius in Evangelio à febre curatus, n.55.p.311. naturaliter ex ea febre mori debebat, ibid.
Rei tortiendi, ut vel pœnæ, vel innocentiæ incolumes serventur, num.13. p.478.num.13. p.486. non possunt pro pœna tormentis interimi, n.1. ibid. & num.9. p.485. Eos in tormentis deficere quomodo cognoscatur, num.3.p.492. quomodo iis succurrendum, qui in tormentis deficiunt, num.4. p.493
Religio Christiana unica veritatis Magistra, num.2. p.181. non patitur fideles suos decipi, ibid. Absque religione homo justus esse non potest, num.3. p.516. per eam assequitur divinum bonum, num.4. ibid. est potissima pars Justitiæ, num.5. ibid.
Religiosus ingressum non impedit fatuitas primi generis, n.21. p.128. Ejus ingressum impedit dementia talis sit, oportet, ut auferat omnem rationis usum, n. 22. ibid. ingressum non impedit oblivio, n.46. p.139. ab ejus ingressu impedit mutitas & surditas simul, n.24. p.131
Religiosus quidam Heremitanus loco Eucharistiæ sacramento vivens, n.16. p.301
Remedia naturalia ab Ecclesiæ ceremoniis induunt virtutem supernaturalem, n.30. p.309
Remedia secreta habere est contra Medici dignitatem, n.11. p.457. eorum improbatio, n.11. ibid.
Remedia Medica unde sumantur, num.1. & 2. p.659. quænam personæ circa eorum usum errare soleant, n.3. p.661. quæ media præscribere Medicus possit, quæ non primo de iis, quæ animæ saluti nocere possunt, n.4. ibid. An remedia tentari à Medicis queant, n.5. ibid.
Remissio accidentium in Morbis triplex, n.12. p.384.quando faciat conjecturam quod vulnus non fuerit lethale, n.23. ibid.
Remibus dolentibus quæ succedant, n.30. p.249
Renum morbi qui excusent à jejunio, n.22. p.360
Renum dolores quam causam præbeant irregularitati, num.1. p.646
Renunciare possunt Paralytici, qui unicam partem tantum paralyticam habent, n.16. p.745
Repandi, & repanditas, n.6. p.650
Res quælibet est propter suam operationem, numero 11. p.582
Resiccatio cadaveri est quædam putredo, n.30. p.321
tam infirmitas, quàm valetudo ad effectum resignandi debet esse perpetua, n.10 p.744
Resignandi justa causa est cæcitas, & alii oculorum leviores morbi, n.20. p.746
Resignari possunt Beneficia ex variis morborum causis, qui declarantur, n.15. 16. p.745. & n.18. p.746
Respiratio non potest esse sine vita, n 43.p.330.Respirationis privatio est ipsa mors, n.42. ibid.
Respirationis necessitas in peste minor esse debet, numero 17. p.274
Respiratio ad quem finem fiat. n.5. p.397
Respirationis major, aut minor læsio, magis tardam, aut minus mortem in uno, quam in alio ostendit, numero 2. p.396
Respiratio à vita, & vita à respiratione separari non potest, n.15. p.712
Respirationis necessitas imponit fœtui necessitatem nascendi, n.17. p.785
Resurgere animal, quod jam fuit, facilius est, quàm quod nunquàm fuit, esse accipere, n.1. p.325. post tres dies ab obitu resurgere naturaliter homo ex aliquo accidenti mortuus apparens, vix potest, n.6. p.326
Resurrectio à nonnullis naturaliter factibilis judicatur, n.1. p.325. est opus miraculorum, n.5 p.326. resurrectio vera quæ sit, n.11. p.327. resurrect onis quæcunque animalia sunt incapacia præter hominem, ibid. Resurrectio est unius ejusdemque numero animalis, num.14. ibid. Resurrectio hominis est possibilis, bruti nequaquam, num.19.ibid. Resurrectio fit per novam introductionem ejusdem animæ in idem corpus, n.20. ibid. resurrectio naturaliter cur fieri non possit, n.22.p.328
Retiaria, retinaculatia, & retrahens piscatio, numero 14. p.432
Reus etiam confessus non potest condemnari de homicidio veneno patrato, nisi Medici dicant, venenum illud sufficiens fuisse ad occidendum, num.2. p.160.& num.1.p.167. non potest condemnari ad assumendum venenum, num.8. p.160
Reus parum in tormento chordæ à terra elevatus majorem patitur dolorem, & cur, n.11.p.486
Revivisentes aliqui post congruum tempus non erant verè mortui, n.6. p.327
Rex si sit bonus, statim omnes sine lege boni fiunt, num.11. p.504
Rhagades in volis manuum gravissimi morbi Gallici signa, n.6. p.657
Rhæbi qui, n.8. p.214
Rhodii maximè piscibus vescebantur, n.20. p.350
Rigiditas in cadaveribus observata, & conjectura ab ea desumpta celerioris mortis, n.37. p.403
Rigor quid apud Celsum.
Risus absque causa signum dementiæ, n.22. p.116
Robur Animi sequitur robur corporis, n.4. p.487
Rhædi qui, n.3. p.652
Rodericus notatus, n.34. p.263
Rodericus à Castro notatus, n.27. p.230
Roma longa peste affecta, adventu Æsculapii à peste vindicata, n.4 p.285
Romæ capitis vulnera facilius quàm aliis quibusdam in locis sanantur, n.31. p.576
Romani Antiqui annum habuerunt decem mensium, num.14. p.47. Septimestrem & octimestrem fœtum respuerunt, n.90. p.50
Romanorum, qui in Persico quodam bello interierunt, cadavera citissimè putrefiebant, cùm Persarum cadavera, difficillimè putrefierent, n.28. p.321
Ronssei opinio de curatione cæcitatis in cæco nato reprobata, n.16. p.308
Rosæ odore percepto quidem in syncopem labuntur. num.13. p.163
Rota in Bononiens. profess. coram Ubaldo notatur, num.20. p.144
Rotæ opinio reprobata, n.97. p.87. & n.22. p.89
Rubrica quid, num.21. p.61. Rubrica fabilis, ibid. synopica, ibid.
Rubricæ tertium genus, n.22. ibid.
Rugas contrahit venter, si admodum distendatur per longum tempus, n.10. p.259
Rugositas ventris in muliere ex uteri gestatione, n.9. p.259. quomodo devitetur, n.10. ibid. durat per totam vitam, n.15. ibid.
Ruinâ mortui ob impeditam respirationem pereunt, num.3. p.397
Ruminantia solis dentibus inferioribus dotata, numero 4. p.212
Rusticus quidam per totum Autumnum & totam Hyemem dormiens, n.3. p.326
Ruta coitus appetitum in viris extinguit, in fœminis accendit, n.48. p.131

S.

SAcellationes ad quid, n.8. p.392
Sacer morbus, num.14.p.144. Cætera vide in Verbo *Epilepsia*.
Sacerdotes in Lege veteri ob deformitatem repudiabantur, n.50. p.250
Sacerdotes Indici per inunctiones quasdam à mente abstrahebantur, n.30. p.250
Sacerdotes celebrare obligantur saltem diebus solemnibus, n.1. p.576
Sagittæ pluribus succis venenosis, non uno tantum illinebantur, n.8. p.182
Salis mira vis in condiendis cadaveribus, n.7. p.318
Salis tormentum, n.30. p.487
Saliti pisces nonnulli stomacho apti, n.15. p.349

INDEX

Saliva hominis jejuni serpentes necat, n.22. p.343
Salsamenta omnia parum nutriant, & multos procreant morbos. n.4. p.346. phlegmaticis offeruntur. n.15. p.348. iis an uti possit obligatus ad jejunium cum abstinentia à piscibus. n.12. p.365
Salsamenta appetitum excitant, n.12. ibid.
Salubritas enumeratur inter qualitates optimi prædii, ejusque ratione conceditur minori restitutio in integrum adversus ejus alienationem, n.2. p.419.
Samogetæ Populi proceræ staturæ pumiliones interdum generant, n.13. p.548
Sampson abrasis capillis robur amisit, n.12. p.485
Sanantur aliqui ex multa fide & imaginatione vehementi, n.10. p.307. sanantur aliqui subitò, sed non sine crisi, n.14. p.308
Sanatio miraculosa fit, morbo in continenti recedente, etsi non si remaneant consequentia morbi, n.9. p.286. Sanatio miraculosa est, si fiat subitò, n.7. p.307. sanatio miraculosa debet esse perfecta, n.9. ibid.
Sanatio miraculosa debet contingere diverso modo, quàm naturalis, n.11. ibid. Sanatio quæ fit per insignes evacuationes non est miraculosa, nisi aliunde constet, n.13. p.308
Sanationes miraculosæ nullam requirunt humorum concoctionem, n.8. p.286. Multæ sanationes miraculosæ prædicantur, n.1. p.306. Multæ sanationes miraculosæ verè fiunt, n.2. p.306. sanationes in quibus unus morbus transmutatur in alium, sunt naturales, nisi aliunde constet, n.10. p.307. sanationes in sacris successæ absque ulla crisi, num.16. p.308
Sanatum dici non potest id, in quo reliquiæ conservantur prioris morbi, n.16. p.93
Sanatus quando quis dicatur, num.10. ibid.
Sanæ mentis non præsumuntur ægrotantes, n.23. p.155
Sanchez opinio de infectione viri & uxoris ob contagiosum morbum examinatur, n.3. p.603
Sanchez immeritò accusat Galenum, quod fuerit sibi contrarius in opinione de seminis fœminei activitate, num.19. p.499
Sancti per se miracula non faciunt, n.19. p.283. Sanctos omnes pro sanctis coli Deus non vult, n.4. p.287
Sancti septem dormientes annis centum nonaginta sex, n.8. p.317
Sanguinem extrahentes errant unam venam pro alia secantes, n.17. p.470. extrahentes absque Physici licentia errant, n.19. p.470. graviter errant pro venæ incisione hyrudines, aut cucurbitulas applicantes, n.20. ibid. errant in majori aut minori sanguinis quantitate detrahenda, n.12. ibid. errant circa tempus mittendi sanguinem, n.22. ibid.
Sanguis talis generatur qualia edulia assumuntur, n.4. p.346. prosilit ex cadavere occisi coram occisore, n.1. p.387. & quo tempore id fiat, n.2 ibid. unde emanet in hoc casu, n.3. & 9. ib. an ejus rei causa sit Deus, n.18. p.390. an à Dæmone, n.24. ibid. Ex cadaveribus facilè emanat post aliquod congruens tempus, n.25. p.390
Sanguinis rejectatio in verberatis quomodo differat cum à causa interna fit, n.17. p.393
Sanguinis fluxiones omnes à motu irritantur, & an idcirco ab auditione Missæ excusent, n.15. p.577. emanatio ab occiso coram occisore facit indicium ad torturam: fallum, ibid. n.12. p.388
Sanguinis fluxus in mulieribus longus cachexiam, hydropem, & alios morbos accersit, n.58. p.312. sanguinis emanat o ex cadaveribus unde, n.33. p.322. sanguinis effusio in defloratione Virginis non semper fit, n.20. p.333. sanguis in primo coitu effusus facit testimonium Virginitatis, n.22. ibid. sanguinis effusio in coitu est signum fallacissimum Virginitatis, n.23. p.224. sanguinis effusio in coitu potest à fœminis per fraudem insimulari, n.26. ibid.
Sanguinis sputum quotuplex. & quando præbere debeat causam irregularitati, n.3. p.641
Sanguinis missio quomodo à Medico sit instituenda, num.1. p.668
Sanguis qualiscunque sursum feratur, malum, num.3. p.641
Sanguinis multitudo ex calore, n.50. p.12. calidiorem eum mulier habet, ibid. multo aliqui abundant, alii modicè, num.10. p.25. ex ejus majori aut minori copia unus fœtus citiùs, vel tardiùs alio nascitur. ibid. ejus impuritas prægnanti est naturalis, n.12. p.88
Sanguinis excedentes evacuationes coitus impotentiam aliquando excitant, n.5. p.731
Sanguinis sputum quando Eucharistiæ assumptionem impediat, n.8. p.759
Sani & Robusti facilius peste corripiuntur. n.31. p.76. sani sanos generant, n.14. p.103
Sanis omnia sana, n.9. p.347. sani nullum crimen fugere debent quo populus utatur. ibid.
Sanitas datur ejusdem rei, cujus datur morbus, num.12. p.95. & morbus circa idem versatur, ibid. n.11. eam inducere volentes res præter naturam in naturalem statum reducimus, n.9. ibid.
Sanitas non est tantum corporis, sed etiam animi, n.7. p.519
Sanitatis maxima latitudo, n.4. p.217
Sanitatis non quodlibet incommodum à jejunio excusat, n.4. p.357. quale incommodum liceat pati in jejunio. n.5. ibid.
Sanzarii distinctio de debiti redditione tempore prægnantiæ examinata, n.16. p.538
Sanniones, n.6. p.117
Sanum dicimus secundum Naturam, morbosum præter naturam, n.14. p.78
Sanum & secundum Naturam convertuntur, n.9. p.217
Sanus quis dicatur, n.1.2. p.216. & seq.
Sanus quilibet potius præsumitur quàm infirmus, n.10. p.142. dici non potest impotens ad coëundum vel generandum, ibid.
Sanus homo vivit, aliquid faciendo, aut prætermittendo, n.1. p.500
Sapientia non est Naturæ contraria, n.3. p.513
Sapores dulces non omnes hominibus idonei, n.10. p.175
Sara sterilis ex natura & ex ætate, num.71. p.313. Ex miraculo concepit, n.57. p.16
Sarcophagi plumbei diù cadavera conservare solent, num.17. p.320
Satyri unde nati, n.5. p.541
Satyri formam induunt Leprosi, n.8. p.656
Satyriasi laboranti conjugi an sit reddendum debitum, num.8. p.604
Satyriasis, n.8. p.227. quomodo differat à Priapismo, & cur hominem irregularem, atque eo durante affectu indispensabilem facere debeat, n.14. p.648
Savonarola notatur, n.33. p.264
Saul ex pulsatione citharæ per manus David quietem habebat ex mali spiritus agitatione, n.16. p.151. à Dæmonio obsessus prophetavit. n.17. p.152
Scabies interdum in lepram degenerat, n.24. p.198
Scabies tempore pestis salutaris. n.26. p.268
Scabiei triplex divisio, & quænam irregularem hominem faciat, n.8. p.655
Scarabæis cornutis in oleo decoctis & ex oleo pulsibus inunctis febris accenditur, n.2. p.246. scarabæi mortui revivisscunt, num.4. p.326. Scarabæi tormentum, num.28. p.487
Scæva, n.4. p.219
Scholiosis quid, n.6. p.650
Scientia nobilis dicitur ex nobilitate subjecti, n.28. p.499. Veritatis scientia est, n.31. ibid. & n.4. p.503. honorabilior ex honorabiliore subjecto, n.26. p.512
Scientes consentire inter se oportet, n.1. p.612
Sciffuræ in ano unde, n.5. p.341
Scholares ut scholares à jejunio non excusantur, n.13. p.355
Scholaris quidam septem annis dormiens, n.3. p.326
Scopo inflicta vulnera cæteris pejora, n.10. p.343
Scotodii virtus in conservandis cadaveribus, n.7. p.318
Scorpionis venenum per os assumptum non nocet, n.3. p.184
Scrotum cæsarum, num.11. p.506. aliud in hydrocelen incidens cum in Venere semen emitteret, num.7. p.604. aliud apud Marcellum Donatum similiter ex coitu affici solitum, ibid.
Scotus quidam juvenis ad plures dies jejunans, n.12. p.300.
Scotus quidam senex fame mortuus, n.3. p.258
Scrophæ prægnantes abortum faciunt, si verres, ex quibus concepérunt, occidantur, n.3. p.410
Scrophulæ, n.15. p.213. non sunt idem quod Antiades, ibid. & seqq.
Scrophulæ quid sint, & an faciant hominem irregularem, n.3. p.649
Scythæ inter se similes, n.23. & 24. p.106. testium refrigeratione ad Venerem impotentes fiebant, n.12. p.100
Scythæ evitantur, n.12. p.553
Scythicæ mulieres risu interimentes, n.3. p.609
Scythica herba ad famem tolerandam, n.51. p.304
Scython ex masculo in fœminam, n.22. p.553
Sectio Cæsarea quatenus consulenda, aut admittenda, num.4. pag.668. In uteri clausura an liceat sectionem adhibere, n.3. ibid. Ani clausuram sectione sanare an liceat, n.6. p.669. Sectio in Empiemate an licita, n.7. ibid. item in hydrope, n.8. ibid. Palpebrarum adhæsio an sectione sanari debeat, n.10. ibid.
Sectio Matris præmortuæ ad extrahendum fœtum vivum, est pertentata, n.26. p.714

Sectio

Rerum notabilium.

Sectio Matris vivæ ad extrahendum fœtum aut vivum, aut mortuum, an possibilis, n.27. ibid.

Sectio Cæsarea, salvâ Matre, fieri potest, & idcircò licita, n.28. p.735

Sectio vivæ Matris licita ad extrahendum fœtum, quando adest probabilitas fœticis successus, n.30. p.716

Sectio Matris viventis ad extrahendum fœtum, quando sit licita, n.33. ibid.

Sectio Matris viventis an sit licita in dubio fœticis eventus, n.34. ibid.

Sectio Matris viventis si fiat cum certo, aut etiam dubio periculo alterutrius, cujus vita sit præferenda, matris scilicet, an fœtus, n.35. ibid.

Sectio venarum pone aurem coitus impotentiam & sterilitatem facit, n.16. p.221

Sectio venarum nonnullarum in capite coitus impotentiam facere potest, n.4. p.730
Vide *Coitus*.

Sectio venarum post aures an faciat infœcunditatem, n.13. p.740

Secundæ retentæ multa mala afferunt, num.66.p.85. Earum difficilis eductio si mortem causet, locum Exceptioni facit, n.67. ibid.

Secreta ægrotorum detegere Medicus non debet, numero 8. pag.448

Sedigiti quando videantur irregulares, n.4. p.654

Semel insanus semper præsumitur insanus, n.19. p.152. & n.1. p.158. In quibus casibus ea conclusio locum habeat, n.5. & seqq. pag.159

Semen non effundunt, aut effundant infœcundum ætates juventutem præcedentes, n.40.pag.7. ante pubertatem non prodit, n.80.p.13. masculum calidius fœmineo, n.15.p.64. masculum in dextrum uteri partem, fœmineum in sinistram plurimum labitur, ibid. quod non illicò fit conceptum vel excidit, vel putrescit, ibid. inter semina humana aliud est quod septimestres, aliud quod nonimestres generat, n.42. p.37. utrumque tam à mare, quàm à fœmina deciditur, num.9. pag.101 ejus tota materia à parentibus deciditur, num.10.ibid. non solùm facultas est, sed materia, num.11. pag.69.& num.13.& 18.pag.70.& seq. Ex quo mola generatur spiritibus destitutum est, & crassius quàm oporteat, num.14.pag.71. Sanguis erat. num.19. ibid. muliebre tantum non potest, ut vitam subjectæ materiæ impertiri possit, num.36. pag.72. virile ad molæ generationem neque ut efficiens, neque ut materia concurrit, num.36.ibid. in coitu ex fixa imaginatione spiritibus depauperatum remanet, n.36. p.107

Semen perfectorum animalium utero exceptum non nutritur, num.34. pag.303. declarant, num.35. ibid. semen perfectorum animalium utero exceptum vivit & nutritur interno alimento, num.53. pag.304. Semen vivere necesse est, num.54. pag.305. semen fœmineum ad conceptum requiritur, n.2. p.339. semen est ipsius fœtus principium & materia. n.8. p.340. semen ante generatur in fœmina, quàm menstrua, n.9. ibid.

Semen potissima monstrorum causa, n.11. pag.532. rapit secum ideam omnium partium, n.4. pag.535. humanum & bestinum se invicem corrumpunt, n.7. pag.535. principium sui motus in diversas species non habet, n.22. pag.538. eosdem omnino effectus producit in fœmina ac in mare, n.22. p.583. sicut se habet masculeum ad sanguinem masculeum, ita fœmineum ad sanguinem fœmineum, n.24. ibid. Ex ejus tantum parte aliquando sequitur conceptio, n.48.p.588. Ejus intercceptiones in medio concubitu factæ, renibus, & urinæ pessimæ, n.5. p.607. mulier emittit in uterum, non extra uterum, n.11.p.608

Semen quid, n.6. p.686. & seq.
Mole est parcum, facultate verò maximum, numero 7. p.687
Ex Semine non fit Animal, sed perficitur, n.8. ibid.
In Semine non potuit dari aliud agens intrinsecum, quàm Anima, n.11. ibid.

Semen quando fiat animatum, n.10. p.689

Semen ad quem finem à Natura procreatum, num.21.ibid. & n.29. p.690
Inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, ex Aristotele, n.30. ibid.
Ex Naturæ præscripto specierum, conservatio fit per individua mediante semine, n.34. ibid.

Semen licet esset animatum secundum Sennertum, cur non potuit dici Homo, n.51. p.693
In Semine apparent operationes Animæ, n.52. ibid.

Seminis vivificatio est operatio Animæ prout Anima est, non prout est hæc Anima, n.53. ibid.

Semen si esset dotatum Anima rationali, esset Homo, n.54. ibid.

Semen non potest esse fœcundum, nisi vivat, neque vivere, nisi habeat Animam, n.59 dn.694
Ex semine Anima traducta, non est ab eo separabilis, neque absque semine existit, n.66. p.695
Inest in semine omnium viventium spiritus vivificus, proportione respondens elemento stellarum, numero 142. p.705

Semen ipsum spiritus excretio est, n.146. ibid.

Semen humanum per spiritum disponitur ad receptionem Animæ Rationalis, n.147. ibid.

Semen verum non effundentes, an contrahere possint matrimonium, & an contractum teneat, n.17. p.723
Vide *Matrimonium*.

Qui in coitu non possunt emittere semen, sed emittunt in somnis, vel aliter, in quo censu habendi, n.10. p.724
Vide *Coitus*.

Semen verum quid, n.10. p.762

Semen, etiamsi verum semen sit, non semper est aptum ad generationem, n.11. p.763

Semen potest esse verum semen, etiamsi non sit fœcundum, n.19. p.768

Semen fœmineum & masculeum efficientiam habet, num.9. p.775

Seminis fœminei efficientia, unde habeatur, numero 10. p.776

Semen fœmineum requiritur ad generationem, n.16. p.582. est verum semen, n.24. p.583. concurrit ad generationem ut agens & ut materia, n.31. p.585.

Semen ab aëre externo alteratum fœcundum esse non potest, n.16. p.141

Semen mulieris potest peccare quoad generationem ut semen viri, num.27. p.222. non debet expelli in vas alienum, n.21. p.138. non requiri ad generationem probatur, quod sine ea voluptate, quæ per coitum fœminis evenit, concipiatur, n.11. ibid.

Semen non emittitur in coitu resolutione, num.13. pag.229. ejus turgentia excitat animal ad sui excretionem, num.24. p.230

Semifrigidi qui, n.14. p.229

Semenda avis, mortua revivisci, n.4. p.328

Semina venenosa quæ. n.6.p.188

Semina omnia quandiu fœcunda sunt, nutriuntur, num.34. p.303

Semina debent tota per tota misceri, ut ex illis sequatur conceptio, n.25.p.539. non continent in potentia formas alienas, n.27. p.584. Eorum unum quodque est particularis causa conceptus, n.35. p.586

Seminatio extra vasa sponte facta in utroque Conjuge peccatum mortale inducit, n.9. p.608

Seminum expulsio non eodem tempore à viro & muliere facta generationem impedit. Vide *Generatio*. Diffidentia non potest esse causa sterilitatis mulierum, n.12. p.235.

Semispadones qui, n 13. p.100

Semiviri qui vocentur, n.13. p.17

Seneca assumpta cicuta nihil læsus, n.21.p.168. Senecæ locus de fœminarum sui temporis libidine, n.25.p.555

Senectus quid, n.32. p.25. in aliquibus tardiùs, in aliis citiùs advenit, num.35. ibid. ex morbo quomodo adveniat, n.37. ibid. illi multum tribuunt Leges, num. 18. multis gaudet privilegiis, ibid. Ejus miseratio peculiaris habetur, ibid. quæ ætas sit, n.5.6.12.& 13.ibid. in ea fit transitus ad frigidam & siccam temperiem, num.10. ibid. ejus terminus præ exteris evariat, num.16. quibus ex causis accelereretur vel retarderur, num.18. ibid. Ejus terminus ex Glo. n.20. ibid. Ejus partes tres, num.21.ibid. & n.82.p.21. Cruda & viridis quæ, n.22.p.18. Secunda ejus pars, n.23.ibid. Ejus in tres partes divisæ termini ex Menochio, n.25.p.19. In duas partes divisa, ibid. præcipuum ejus adminiculum est virium defectus, n.31. ibid. An dici debeat morbus, n.61.p.20. dici potest infirmitas, n.62. ibid. Varia ejus epitheta, n.65. ibid. Ejus morbi & incommoda, ibid. eam adeo gravem experiuntur aliqui, ut omnes se Ætnæ gravius sustinere affirment. n.65.ib. est morbus, n.67.p.21. Corpus infirmum reddit, n.68.ib. morbus insanabilis, n.69.ibid. in Sacris dicta est tempus afflictionis, n.72.ibid. Officina malorum, ibid. Cur naturalis morbus dicta, n.78.& 79.ibid. nulla ei ætas succedit, n.4. pag.22. in ea corpus decrescit, n.10. ibid.

Senectus immemoriam primùm incurrit, n.52.pag.129. Ejus adventum significat Memoriæ & Rationis diminutio, n.22. p.122

Senes habent prudentiam & experientiam ex multitudine annorum, n.41. pag.16. cur in honore habeantur, n.42.ibid

ob

INDEX

ob ætatis conditionem multa illis à Legibus conceduntur, n.33. p.15. nec torqueri, nec ullo tormentorum genere affici possunt, num.3. p.18. levius in delictis puniuntur, n.4. ibid. nulli robur habent, n.35 p.19. in prima senectute constituti obire possunt civilia negotia, n.41. ibid. quibus muneribus vacare debeant, n.49. ibid. ad quodnam tempus generare possint, n.50. & 53. ibid. & seq. Septuagenarii interdum generant, si sexagesimum generantes excesserint, n.51. ibid. neque infirmi, neque valetudinarii dicendi, num.63. & 73. p.20. & seq. minus Juvenibus ægrotant, n.64. ibid Eorum sanitas non est absolutè sanitas, n.66. ibid. maximè omnium morbis obnoxii, n.71. p.21. facilius ægrotant quàm Juvenes, ibid. eorum status naturalis est, n.76. ibid. & n.81. ibid. in illis aliqui effectus naturales sunt, qui in aliis ætatibus essent præter naturam, n.77. ibid. in illis pituitæ copia morbosa non est, ibid. animi consilio pollent, num 20. p.22. minus discere, quàm currere possunt, num. 22. ibid. non servantur à tormentis immunes, num.26. pag. 23. à peste minus corripiuntur, num.31. p.76. pueri fœmellas generant, n.15. p.105

Senes oblivioni maximè obnoxii, n.48. pag.129. habent minimam rerum memoriam, n.52. ibid.

Senes si sint omnino impotentes ad coitum, coguntur matrimonio abstinere, & si contrahant, nulliter id faciunt, numero 15. p.224 peste minus afficiuntur quàm juvenes, n.53. p.271

Senes facillimè jejunium ferunt, num 5. pag.299. & num.46. pag.304. non molestantur acuta febre ut juniores, num.54. pag.311

Senes quo anno à jejunio eximantur, n.19. p.354. facillimè jejunium ferunt, ibid. quinam facilè, qui verò difficilè ferunt jejunium, ibid. vide in verbo *Decrepiti*. Sexagenarii legitimè à jejunio excusantur, n.20. ibid. quousque servare debent jejunium, n.21. ibid. à quanam jejunii obligatione sint soluti, num.22. & 23. ibid. Eorum vulnera magis periculosa quàm cæterorum ætatum, n.28. p.378

Senes torqueri non possunt, num.5. p.488. & quis ad hunc effectum dicatur senex, num.6. ibid. à sexagesimo tertio anno à tormentis immunis, ibid.

Senescere est via in corruptionem, n.11. p.18.

Senex ante tempus factus gaudere senum privilegiis debet quæ corporis respiciunt imbecillitatem, num.39. pag.16. Sed non est ut senex honorandus, n.40. ibid. generaliter quis dicatur, n.19. p.18. dici non potest qui vires habet integras. n.32. p.19. qui non est, juvenis dicitur, n.34. ibid. aliquando post 70. annum appellatus, n.38. ibid. aliquando post 55. aliquando etiam post 50. n.39. ibid. ad effectum, ut à publicis muneribus vacet non ante 70. dicitur, n.41. ibid. hoc tamen relinquitur Judicis arbitrio, num.44. ibid. an quis sit supra 60. annum non relinquitur Judicis arbitrio dijudicandum, n.45. ibid. quando vacare debeat à publicis muneribus, n.47. ibid. in 60. anno ad generandum impotens, n.7. p.110

Senex qui dici debeat ad effectum, ut resignatio possit admitti, n.2. p.744

Senex visu nocens, n.3. p.617. & n.11. p.190

Senio confecti omnes Ratiocinatricis animæ partes diminutas habent, n.20. p.122. indociles censentur, n.21. ibid. fatui evadentes quomodo tractandi, n.24. delirantes non habent dilucida intervalla, n.16. p.157

Seniores qui dicantur, num.23. p.15. multipliciter dicuntur, n.24 ibid.

Senium quidnam sit, n.21. p.22. est via ad interitum, n.12. ibid.

Sennacherib exercitus ex miraculo una nocte interiit, n.11. n.316

Septatio quando perfectior, tanto magis recedit à sensus corporeitate, & accedit ad spiritualitatem, n.15. p.148

Sensibile in quantum tale perficit sensum, n.17. p.149

Sensibus omnibus convenit tristitia & delectatio, numero 13. p.148

Sensui contradicere hominis absque sensu est, n.94. p.30

Sensus visûs, Vide *Visus sensûs*.

Sensus deficiens est maxima conjectura deficientis Intelligentiæ, n.21. p.155

Sensus sentientis est, n.2. p.148. uni eidemque pluribus sensibilibus oblatus, excellentius cætera minus sensibilia facit, n.15. p.237. quo perfectior, eo graviores dolores experiri deberet, n.15. p.248 quantò magis corporeus, tantò magis corpus afficit. n.16. ibid.

Septuagintorum errores, n.9. & 10. p.472. & seq.

Septenarius numerus nihil absque fœtus perfectione operatur, num.25. p.41. & n.31. p.36. Ejus numeri ratione nihil fit, sed omnia ratione distantiæ temporis, n.27. p.41

Septennis cum sit, nondum edidit dentes, Proverbium, num 9. n.213

Septimestres pauci nascuntur, & his pauciores octimestres, n.33. p.16. & 41. p.27. ut plurimum non vivunt, n.60. p.28. vix unus ex centum vivit, n.16. ibid. quid illis cum octimestribus commune, n.85. p.29. nonnullæ eorum historiæ, n.86. & 87. pag. 30. eorum perfectio non absoluta, n.31. p.36. ex quovis homine id fierentes, ut octimestres etiam nascuntur, n.44. p.37. nonnulli nascuntur, n 41. & 41. tam ij, quam octimestres tanquam non naturaliter nati rejiciendi, n.45. p.37. nascentes vocem nullam emittunt. sic & octimestres, n.4. p.48

Septimestris pro ratione natus, n.2. p.14. & n.4. p.35. inter eum & octimestrem & natos ante hos terminos nulla differentia est, si quæ est, qualis sit n.80. p.29. aliquando vivere potest, n.81. ibid. Homero immaturus dictus, n.9. p.30. non habet cum vita omnimodam repugnantiam, num 92. ibid. immaturus nascitur, quia non nascitur in tempore a Natura destinato, num.93. ibid. Hippocratis auctoritate pro legitimo apud leges admissus, n.2. p.31. & n.5. p.35. non potest nasci minori spatio, quàm anni dimidio, n.31. pag.33. quanto minori spatio nascitur, tanto imperfectior, n.37. p.27. ab omnibus pro legitimo & vitali admissus, n.3. p.33. præter naturæ intentionem nascitur, n.8.9. ibid, n.37. p.42. est imbecillius, n.9. & 10. p.35. ut plurimum interit, ibid. & n.25. p.41. nascitur imperfectus & membris non absolutis, n.10. & 11. p.31. n.33. pag.33. & n.30. p.41. & num.13. p.44. prævenit generationem perfectam, n.11. p.35. in eo defectus alimenti non naturaliter advenit, num.19. ibid. cæteris deberet esse calidior & fortior, n.14. ibid. cur, etiam si naturaliter nascatur de raro tamen vivat ex Augenio, ibid. non habet decentem corpulentiam, ibid. ex septenarii numeri vi nascitur vitalis secundum aliquos, ibid. per accidens est respectu universalis naturæ, quod aliquando vivat, n.35. ibid. quomodo intelligatur illum fieri ex fortitudine virtutis, n.62. pag.38. quid peculiare habet à cæteris fœtibus, n.64. ibid. ex accidenti facilius vivit quàm octimestris & cur, n.31.32. & 38. p.14. & seq. n.41. p.41

Septimestris pro vitali & legitimo habetur, num.8. pag.710. & seq.

Septimestres ob debilitatem ut plurimùm moriuntur, num 9. p.711

Septimestres exsecti à numero aliorum septimestrium excludendi, n.10. ibid.

Septimestres quot diebus nascantur ex Hippocrate, num.13. ibid.

Septimestres non extrahuntur ab utero matris, nisi matre mortua, n.14. ibid.

Septimestris exsectus non est pro vitali habendus, ut alii Septimestres, n.18. p.713

Septimestres pro legitimis & vitalibus habentur, & ad hæreditatem admittuntur, n.24. p.714

A Septimo mense fœtus ossium & nervorum confirmationem acquisunt, n 82. p.29. in eo homo nascitur secundum omnes vitalis, num.2. pag.35. in eo qui negant, vel admirantur posse nasci fœtum, imperitiæ ab Hippocrate notantur, num.3. ibid. cur in eo non vitalis edatur fœtus, n.31. pag.36. initium perfectionis ille fœtibus affert, num.33. ibid. ante illum nullus vivit, num.40. ibid. unde in illo fœtus ad nascendum stimuletur, num.54 pag.37. in eo nati non omnes legitimi reputandi, num.63. pag.38. cur septimus & nonus sint termini naturaliter nascendi, num.15. p.40. in eo cur moveatur fœtus, n.21. ibid. ante illum nullus fœtus per os nutriri potest, num.37. & 40. pag.42. cur ante illum nullus vivat, num.40. ibid. in eo qui movetur, fortior est, quàm qui movetur in octavo, n.41. ibid.

Septum transversum, Vide *Diaphragma*.

Sermo necessariò perit, voce pereunte, n.14. p.205

Sermo vim quandam habet ut caput repleat, num.3. pag.565. & num.11. pag.566. aptus iis, qui ad somnum sunt proclives, num.10. ibid. lippientibus est incommodus, num.14. pag.567. nocuus, quibus sanguis é naribus fluit, num.16. ibid.

Serpens æneus in figuram Christi Domini, n.75. p.314

Serpentes tota hyeme absque cibo vivunt, n.11. p.199. Serpentes in deserto Hebræis noxii ex eorum corporibus prodibant secundum Licetum, n.73. p.314. confutatur hæc Liceti opinio, ibid. Serpentes, quibus Hebræi commorsi fuerunt, venenosissimi existebant, n.74. ibid.

Serpentes Hebræis noxii cur ignitos vocaverit sacra Historia, ibid. Serpentum, qui Hebræos infestarunt, morsus supernaturaliter curatur, num.75. ibid, Serpentes, in Hebræos immissi non fuerunt tunc primùm à Deo creati, num. 76. pag.315. Serpentum quorundum morsus immedicabiles judicati

judicati, num.75.p.314. Serpentes alati in Arabia, in magna copia, unde aliquando quasi exercitu facto in Ægyptum irruunt, ib.
Servitutes quæ aquis imponi possint, n.1. p.387.quatenus permittuntur, quatenus alteri non præjudicant, num. 21. p.433
Servitus aquæ communissima haustus est, num.2 p.431. nulla imponi potest ubi alterius interit præjudicium, um.5.ibid. negativa & affirmativa quæ, num.6.p.439.quasdam res penes se, aut suum ædificium habere, servitus quædam est, n.1.p.441
Servus militis parturiens, n.24.p.554
Seth filii vocati Filii Dei, n.10.p.547
Sextimestris partus aliquando vitalis, n.40.p.39
Aliquando per aliquot horas vivit, num.23. p.52. perfectus est, quoad membrorum perfectionem, numero 39. p.34
Sexus non futuros distinctos, si Adam non peccasset, quidam Hæretici putarunt n.27.p.555. duos similes cur non effornet Natura in uno animali, n.34.p.557
Sybillæ omnes temperaturæ melancholicæ,n.15.p.190
Sibillorum tormentum, ejusque descriptio, num.21.pag.480. leviſſimum omnium tormentorum, quæ nunc sunt in usu. num.4. pag.494.Reos illis torqueri quæ impedire possint. n.5.ib.
Siculæ cujusdam mulieris in Ecstasiam se rapi simulantis historia, n.8.p.254
Sigillis naturaliter non potest procurari maleficium, n.50. p.233
Signa dementiæ, Vide in verbo *Dementia*.
Signa veneni, Vide in verbo *Venenum*.
Signa plura & conspicua sequuntur ad partes corporis principes affectas, Vide *Simulatio*.
Simile generat sibi simile, n.30.p.102. & n.7.p 108. non est idem, n.3.p.104. quando quid fiat, n.2. ib. est idem in qualitate, n.4. ib.quomodo idem & non idem, ib. ex Aristotele quid, ib.similia in specie, unde animalia, numero 6. p.105
Similitudo quid ex Platone, num.1.pag.104.ab imaginatione, num.4.p.100. si fieret à virtute & copia seminis, quid inde sequeretur, num.p.101. non est sola inter filios & parentes, num.11.ib. fratrum inter cæteros frequentior, ib. est etiam inter speciem & speciem, num. 12.ib. Ejus causa ab Hippocrate assignata non habet relationem ad causam quandam universalem, num.4 ib. externæ subjectum sunt exteriora membra, num.15.ib. & n.13.p. 08. non considerantur solum respectu externæ effigiei, num.20.pag.101. non reperitur solum in perfectis animantibus, sed etiam in imperfectis, n.39. p. 02. triplex considerata à Galeno, n.1.p.103. speciei quæ, num. 2.ib. Individualis quæ, n.4. ib. individualis duplex, num.5. & 7.ib. naturalis causa, ib.accidentalis ab imaginatione est, num.6. ib. interna duplex, num.9.ib. externa dupliciter considerata, n.10. ib. considerata respectu multarum rerum, num. 11.ib. respectu morum considerata, n.13.ib.respectu sanitatis & morbi, num.14.ib.est quid relativum, num.15. ib. ejus aliqui gradus considerandi, num.17.ib.ex quibus resultet, num.16. ib.naturaliter à temperiei similitudine fit, num. 32.p.106. non facit præsumptionem filiationis, num. 2.p.107. provenit ex cogitatione mulieris tempore coitus ex aliquibus num.3.ib. aliis adminiculis juncta probat filiationem, n.4. p.108.semper debet facere maximam præsumptionem filiationis, num.8.ib. potest inter quacunque rem considerari, n.6.p.104. externa quid. num.7.ib. interna causa num.9.ib. Unde fiat, ib. speciei unde, num. 10.ib. sexus unde, num.14.p.105. quænam sit, num. 3.p.103. Ejus præsumptio multum urget, n.16.p.109. cum aliis etiam levioribus præsumptionibus facit filiationis probationem, num.18.ib. ab imaginatione dependens ex ratiò contingentibus est, num. 19.p.111.ex interna haberur etiam similitudo morum, n.19.p.109. interna non potest ab imaginatione esse, n.20.ib.interna unde probari possit, num. 24. ib. morum & morborum ab interna similitudine, num. 26. multum urget,n.33.p.110. & n.16.p.111.interna est difficilis probationis, ib.
Simon Portius scripsit de puella Germanica nunquam per multum tempus comedente, n.13.p.300
Simulant multi morbos multis ex causis. n.1.p.243
Simulantes morbum quinque potissimum ingeniis deprehendi possunt,num.2-p.246.quomodo deprehendantur ex abominatione remediorum, n.5.ib. quomodo cognoscantur ex iis, quæ ad morbum consequuntur, n.6.ib.
Simulari non possunt indifferenter omnes morbi, n.4.p.244
Simulatio aperta quæ, n.9.ib. Latentior quæ, ib. quomodò deprehendi possit ex specie morbi simulati, num.4. p.245. quomodo cognoscatur ex iis, quæ morbum comitantur, n.6.ib. tanto difficilius deprehenditur quanto minor suspicio de ea est, n.1.p.253
Simulatur id, quod non est, dissimulatur id.quod est, num.1. p.260
Sincipitis vulnera magis periculosa, quàm occipitis, num.10. p.381
Sine Cerere & Baccho friget Venus, Proverbium, numero 10. p 342
Singultus quid sit, quomodo à vomitu & nausea differat, ac quando irregularitatem inducere possit,n.7.p.644
Singultus an impedire debeat Eucharistiæ Sacramenti sumptionem, n.14.p.760
Sinus pudoris quid n.14.p.356
Sitis tolerantia saluti noxia, num.11. p.362.duo habet incommoda, ib. difficilius toleratur quàm fames, numero 12. p.363. facit majorem cruciatum, quàm fames, ib. ad ejus tolerantiam non obligamur in jejuniis, n.3.p.367. Ejus respectu jentaculi quantitas quæ esse debeat, n.14.p.368
Sitis tormentum, n.23.p.480
Sitis præternaturalis an excuset à recitatione divinorum,n.25. p.570
Societas efficitur communione damni & lucri,n.55.p.77.absq; periculi compensatione esset iniqua,n.56. ib. ejus contractus quid requirat, n.2.p.74.Ejus contractus ob periculum sustinetur, n 4.p.75. Ejus contractus absque periculo esset usurarius, n.6.ib.in ejus contractu nulla fieri deberet Exceptio, Justitia in suo rigore servata, n.1.ib.
Socrates cicutæ succo potionatus, n.21.p.168. Socrates integra die in Ecstasim raptus,n.8.p.295
Sodomia quid,n.32.p.555
Solanum maniacum,n.27.p.152
Solæus post tertiam diem mortis revixit, n.3.p.326
Solem retrocedere ab occasu in ortum majus miraculum, quàm eundem stare, n.19.p.284
Solidungula quædam animalia ruminantibus commixta generant, n.9.p.536
Sol aerem rectificat, n.14.p.420.& n.11.p.439
Solon insaniam simulavit, n.2.p.251
Solonis consilio Plistis fluvius, ex quo Cyrræi bibebant,helleboro infectus, unde illi ingentem alvi fluxum passi sunt, se hostibus dedidere, n.26.p.187
Somnia quædam prophetica, n.17.p.191. somnia à Diis aliquando immittantur ex Hippocrate, n.18.ib. somnia quænam certa quædam præmonstrare possint, & n.34.p.293. Somnia omnia vana sunt, nisi à Deo sint immissa, quoad futurorum prædictionem, n.36.ib.
Somnians est rationis impos, n.38.ib.
Somni & Vigiliæ usu quomodo ægrotantes peccare contingat, n.5.p.261
Somnolentia innaturalis an excuset à divinorum recitatione, n.10.p 566
Somnustin eo fit depravatio mentis,num.1.pag.139. sua natura talis est, ut animal interesse, & non esse constituat,n.2. ibid.
Somnus in Melancholicis maximè difficilis & summè necessarius, n.7.p.252.qualis debeat esse tempore pestis,num.13. p.274
Somnus unde fiat, n.4.p.367.omnibus viventibus inferioribus communis, ib.Ejus respectu quæ jentaculi quantitas esse debeat, n.15.p.369
Sontici nomen quid significet, n.7.p.195
Sopor, n.15.p.142
Sorores duæ Salernitatæ in mares versæ, n.4.p.549
Spado proprie quis dicatur, n.14.p.200. apud Latinos Authores quis proprie sit, n.18.p.201. non generat semen, n.20. ib.curari non potest, n.21.ib
Spadones quando generare possint, num. 13.p.200. Eorum appellatio latè patet. num.15.ib. Fachsio qui sint, num.17. ibid.
Spadones quibus superior pars testiculi relicta est, generare possunt, n.26.p.230.& n.7.p.242. sunt qui altero teste carent, n.4. ib. neque ad coeundum, neque ad genetandum impotentes, n.5.ib.
Spatium septimestre & octimestre non est à Natura pro nascendi termino constitutum homini, n.61.p 28. quomodo secundum Naturam sit, n.15.p.40
Species visibiles magis, quàm aliæ phantasiam movent, n.10. p.118
Species interdum insignitur nomine generis, numero 31. p.263

INDEX

Species nulla animalium commisceri cum humana potest propter ejus formæ nobilitatem, n.6.p.535. Species rerum non mittentur, n.19 p.582
Spermatis retentio, ejusque prætermissio mala valdè, num.5. p.607
Spes amorem excitat, num.10.p.134. ad irascibilem pertinet, ibid.
Sphacelata membra amputata sanguinem non emittunt, n.11. p.619
Sphinges, n.23.p.538
Spicæ ex eodem grano Tritici pullulantes cur non omnes uno tempore maturescant, n.21.p.65
Spirantem non vivere, aut viventem non spirare, est impossibile, n.44.p.330
Spiritualia vendi non possunt, n.2.p.465
Spiritus animalis luminosus à Cerebro plurimum in oculos proficiscitur, n.30.p.405
Spiritus vivificus omnium viventium inest in semine, proportione respondens elemento stellarum, n.142.p.706
Spiritus in semine humano residens nobilitate excellit Animas quorumcunque animalium, n.143.ib.
Spiritus residens in semine humano, non est Anima, sed animæ instrumentum, n.144.ib.
Spiritus in semine residens in actu effusionis, à toto, & à quibusque corporis partibus fœcedit, n.145.ib.
Spiritus innatus ex Galeno est primum Animæ instrumentum, n.151.p.707
Spiritus Vitrioli doloribus hystericis exitialis, n.7.p.446
Splenis morbi qui à jejunio excusare possint, numero 21. p.360
Sponsalia q id sint, n.1.p.771
Sponsalia juramento firmata non nisi ex justa causa dissolvi possunt, n.2.ib.
Causæ ob quas sponsalia etiam jurata, dissolvi possunt, quænam sint, n.4.ib.
Sponsalia dissolvi possunt oculorum amborum, vel alterius tantùm amissione, n.5.ib.
Sponsalia jurata an dissolvi possunt ob visionis amissionem in uno tantùm oculo, n.7.ib.
Sponsalia an dissolvantur ex morbis visionem tantùm diminuentibus, n.8.ib.
Vide *Morbus*.
Sponsalia an in suo robore manere debeant naso perdito, sed postmodùm ex Chirurgia recuperato. n.9.ib.
Sponsalia an dissolvi semper debeant propter Paralysim, n. 10. p.772
Ex supervenientia cujuslibet morbi contagiosi dissolvi sponsalia, quomodo intelligendum, n.12. ib.
Sponsalia an dissolvi debeant semper ob morbum Gallicum, n.13.ib.
Vide *Morbus Gallicus*.
Sponsalium juratorum dissolutio fieri non debet propter Morbum Gallicum levem, n.14.ib.
Sponsalium dissolutionis justa causa est oris fœtidas, num 15. ibid.
Sponsalia jurata an dissolvi possint propter Epilepsiam, n.18. p.773
Sponsalia jurata an dissolvantur febre alba sponsæ superveniente, n.21.ib.
Sponsalia jurata an dissolvi possint ob deformitatem supervenientem, n.24.ib.
Sponsalia jurata an dissolvi possunt propter Pulchritudinem sponsæ amissam, n.29.ib.
Vide *Pulchritudo Muliebris*.
Sponsalia dirimit adventus contagiosi morbi, numero 15. p.262
Sporades morbi, n.25.p.265
Sporus in fœminam, n.22.p.553
Sprengeri opinio discussa, n.15.p.548
Spuma in ore an signum certum sit veneni assumpti, num. 32. p.177
Sputum sanguinis an excuset à recitatione divinorum, num.21. p.569. & an excuset à celebratione Missæ, n.7.p.576. illi obnoxii quomodo recitare officia debeant, ut à recitatione non lædantur, n.12.p.579
Sputum sanguinis quando Eucharistiæ assumptionem prohibeat, n.8.p.759
Sputum puris quando idem prohibeat, ib.
Squassationes in tormento chordæ sunt minus periculosæ quàm ictus, n.15.p.479
Stabula æris salubritati nocent, n.17.p.442
Stagnum in Sicilia, in quo demortuæ aves immersæ revivisscunt, n.4.p.326
Stagnum quid, n.9.p.432
Stercora diversa impune per os exhibentur, n.6.p.173
Sternutatoriis applicitis si æger non sternuerit, acta de ipso res est n.55.p.330
Sternutamentis applicitis impossibile est eum, qui Apoplexiam vel consimilem morbum fingit, non excitari, num.5. p.254
Sterquilinia æris putritati nocent, n.16.p.442
Steriles vocat Hippocrates etiam eas quæ concipiunt, sed fœtum ad perfectionem deducere non possunt, n.8.p.236. non pubescunt, n.10.ib.
Steriles mulieres in sacra Historia, n.70.p.313
Sterilis est morbosa, n.21.p.216
Sterilis quæ dicatur, n.5.p.236
Sterilitas non est causa dissolutionis matrimonii, n.3.ib. prægressa in viro quomodo faciat conjecturam partus suppositi, n.11.p.256. mulieris prægressa quomodo faciat præsumptionem suppositi partus, n.20.p.257. prægressa utriusque Conjugis, quomodo possit facere præsumptionem suppositionis partus, num.28.p.258
Sterilitas multarum videtur ex culpa fœminarum, num.12. p.235
Sterilitatis causâ secundum aliquos Doctores potest dissolvi matrimonium, & quid sit sterile, quid sterilitas, num.14. p.760
Sterilitatem quæ signa attestentur, n.9.p.236. an procurare eam liceat, n.29.p.462
Sterilitatis duo genera in sacris adnotata, n.69.p.313. sterilitas ob senium in sacris, in quibus animadversa, n.70.ib. sterilitas in senibus irreparabilis, n.71.ib sterilitas in mulieribus sacræ historiæ habebat magnam causam, n.73.p.314
Stigma quid, n.5.p.610. e us plures differentiæ, num.6. ibid. proprie quid, ib. Reis in infamiæ notam impressum, ib. character est à Dæmone homini impressus in vitem Baptismi, n.10.p.611. non cutem solùm attingit, sed etiam carnem, nervos, venas, arterias, n.14.p.614. non lædit partis actionem, n.15.ib.
Stigmata inter tormenta numerata, n. 6.p.610. Magica quid, n.7.p.611. Magicorum historia, dubia, ib. an verè dentur quæ Magica sunt, n.8.ib. in quibus Magis reperiantur, n.9. ib. Cujus figuræ sint, n.11.ib. visibilia-ne sint, an invisibilia, n.12.p.612. an à Dæmone deleri possint, n.13.ib. ex eorum impressione caro mortua evadit, n.14.ib. quibus conditionibus sint insignita, n.15.ib. eorum cognitio habetur per DD. traditionem, n.4.p.613. non solùm superficiem membrorum occupant, sed etiam profunditatem, n.14.p.614. deleri non possunt nisi ex miraculo, num.18. p.614. & seqq.
Stigmata, maculæ, rubores & alia hujusmodi in cadaveribus observata, n.32.p.322
Stigmata, Vide *Sugillationes*.
Stigmata febris, n.5.p.610
Stigmatici qui, n.6.ib.
Stigmatizatio fervorum, ib. & seq.
Stigmosus ib.
Stipites qui, n.7.p.127
Stimmi, ib.
Stomachi affectus insignes à jejunio excusant, numero 20. p.360
Stomachi dolores non solvunt hominem ab obligatione recitandi, ex Azorio. Declara ut ib. n.23.p.569
Stomachus quid, n.1. p.643
Strabismi diversæ species, & quænam facere possit hominem irregularem, n.6.p.634. & seq.
Strabismus duplex, n.23. & 24.p.211
Strabositas quid sit, ib. in ea quæ fit ex depressione, vel elevatione humoris crystallini, res geminæ apparent, n.24. ib. fit ab ebrietate, ib. quid differat à limitate, ib. & seq.
Strangulatio impedit Eucharistiæ assumptionem, numero 6. p.759
Vide *Suffocatio*.
Stigma quid, num.15.p.479. Ejus ligatura tormento chordæ æquiparatur, n.2.p.484
Strumæ quid sint, & an faciant hominem irregularem, num.3. p.649
Struthiocamelus dupliciter palpebras habet ut homo, n.19. p.637
Stuprator, si fieri potest, inspiciendus in inquirenda veritate de violata virginitate, n.8.p.337. quæ sint consideranda in stupratore, n.10.ib. & seq.
Stuprum in quos committatur, n.1.p.340. stuprum in masculos crimen gravissimum, ib. stuprum in puerum de recenti patratum quomodo agnoscatur, n.2.ib.

Rerum notabilium.

Struthi cicutam comedunt, & tamen innoxiè comeduntur, n.39.p.170

Stygis fontis aqua sola ungula Muli contineri potest, n.16. p.186. cà Alexander M. sublatus, ibid.

Subigatrices mulieres cæteris calidiores, n.24. p. 554. & n.29. p.556

Subigatrices, ibid.

Subet, n.15. p.142

Subjecti nobilitas apud Philosophos accipitur pro bonitate ejusdem, n.29. p.499

Sublimatum dulce, n.13. p.182

Succi venenosi qui, n.13. p.188

Succubi & Incubi, n.5. p.240

Succubi Dæmones, n.7. p.532. per eas incubosque facta generatio ex naturalibus principiis fit, n.8. ibid.

Sudor Anglicus pestis genus, n.44. p.269. anno 1525. vigentis, ibid.

Sudor Sanguineus an arte procurari possit. n.12. p.246. est accidens magnæ considerationis, ibid. provenire potest ex ingenti animi angore, n.13. ibid. in Christo Domino non fuit naturalis, ibid.

Sudor longè ab obitu ex cadaveribus emanans, & suaviter redolens, est quid miraculosum, n.38. p.312

Sudores syncoptici qui, n.33. p.529

Suffitûs experimentum ad probandam prægnantiam, num.52. p.558. Ejus odor non pervenit ad nares mulieris, quæ vel prægnans sit, vel obstructa, ibid. aromatum mulierbria ducit, n.53. ibid.

Suffocatæ ex utero quomodo se habeant, n.7. p.158. in ratione non deficiunt ex Altaharavio, n.8. ibid. nihil validum agere possunt, dum in accessione sunt, n.10. ibid.

Suffocati in aqua moriuntur ob cohibitam respirationem, n.4. p.394

Suffocari quocunque modo, licet mortui videantur, tamen interdum vivunt, n.11. p.398

Suffocatio in iis, qui ex incendio pereunt ob subitam spirituum consumptionem ab ardore excitatam intervenit, n.5. p.397

Suffocatio impedit Eucharistiæ sumptionem, n.6. p.759

Suffocationum varia genera, n.30. p.328. in omnibus suffocationibus spuma in ore apparens est mortis signum, n.55. p.530

Suffusi malè imaginantur absque eo quod insaniant, num.6. p.118

Suffusio quid, n.26. p.212

Suffusio id est catharacta, an excuset à divinorum recitatione, n.14. p.567

Suffusio seu catharacta facit hominem irregularem, num.9. p.635. curatur extractione, & visus recuperatur, num.10. ibid. an qui ita visum recuperavit, sit irregularis necne, num.11. p.635

Suffusiones, n.8. p.413

Sugillationes an faciant præsumptionem mortis ex verberibus, num.12. p.393. earum differentia cum ex causa interna adveniunt, & cum ab externa, n.13. ibid. Earum differentia ex colore, n.15. 16. ibid.

Suis natura ex Averroë media est inter paucipara & multipara, n.46. p.27

Supellectilia eorum, qui peste pereunt, venalia esse non debent, n.29. p.275

Supercilia depilata an faciant irregularem, num.17. p.636. & 637

Superciliorum vulnera visum obtundunt, n.12. p.379. Ex eorum vulneribus palpebræ aliquando attolli non possunt, n.14. ibid.

Supercilia depilata morbi Gallici evidens signum, n.17. p.636. & seq.

Superfœtantes multo abundant sanguine, n.23. p.65

Superfœtatio mulieri & fœtui periculosa, numero 20. p.598

de Superfœtatione agere quo nomine pro Jurisperitis faciat, n.1. p.66. Quid sit, ib. jam dari negarunt aliqui, ib. dari unde demonstretur, n.7. ibid. quomodo accidat ex Valverda quæ superfœtatio aliis dicitur, n.10. ibid. quando fiat, num.3. ibid. dari omnes admittunt, n.11. p.63. in quibus mulieribus fiat ex Hippocrate, n.19. pag.65. contingit ut plurimum primis 40. diebus, n.23. ibid. rarissima eventu est, n.26. ibid. & n.19. p.67. quot diebus post primam conceptionem fieri possit, n.15. p.67. fieri non potest ex uno eodemque semine, n.8. p.66. facta supra 40. dies est portentosa, n.16. p.67. quocunque tempore fit ex Alex. n.17. ib. contingit priori conceptu recentiore existente, n.19. ibid. cur solum 40. dierum termino contingit, n.20. ibid. Ejus terminus ad 60. dies cur à Paulo prorogatus, n.22. ibid.

Superfœtari non potest mola si ex virili semine generetur, & cur, n.11. 14. p.70. & seq.

Superfœtatus conceptus quando augere possit, n.21. p.67. est debilior provectiore conceptu, n.26. ibid.

Surdastri seu gravi auditu laborantes an sint irregulares, n.13. p.639

Surdi à nativitate muti simul existunt, num.3. p.130. & cur, num.5. ibid. eos non loqui, quia addiscere non possint, falsum, num.6. ibid. eos loqui Monachus quidam edocebat, n.7. ibid.

Surdi solum an ad omnia habiles, n.32. p.131

Surditas an excuset à divinorum recitatione, num.15. p.567. fit cum detrimento pulmonum, ibid.

Surditas consummata facit hominem irregularem, num.12. p.639

Surditatis à nativitate causa ab Hieronymo Fabricio in nonnullis observata, n.7. p.130. ea prohibet ne animal eruditi possit, n.16. ibid.

Suscitatur qui jam mortuus est, n.9. p.32

Suspensio in chordæ tormento magis dolorosa quàm ictus, ex Farinacio, n.4. p.485. magis molesta minus dolorosa, concussio contra, ex Fortunato, ibid.

Sutor apud Hippocratem ex acus punctura juxta genu mortuus, n.20. p.374

Syderati qui, n.9. p.145

Sylla à Natura uno teste caruit, n.4. p.199

Syllogizans intellectus in insania quomodo decipiatur, n.17. p.120

Symptomata veneni, ex propinato creduntur, si sinæ causa adveniant, si cum causa ex ingenito, n.5. p.174. Si repente ab assumpto cibo adveniant, veneni externi suspicio est. n.16. p.170. etiam si longè ab assumpto cibo adveniant, non excludunt præsumptionem veneni, n.18. ibid. Si multa sint, & simul adveniant, veneni est major suspicio, ibid. non adeò sæva oritur ex cibis malæ qualitatis, ut ex veneno, num.26. p.177. si simul cum febre prehendant, vel ad febrem subsequatur, venenum est ingenitum, n.4. p.179

Symptomata magna ex magnitudine morbi, num.45. p.250

Syncope stomachica, n.22. p.569

Syncopes plures gradus, & quando ex ea induci debeat irregularitas: Item de animi deliquio & lipothymia, num.4. p.642

Syncope: in ea fit præceps virium lapsus, n.1. p.153. differt à lipothymia, & ab animi defectu, n.4. p.154. in ea ægri rationem amittunt, n.5. ibid.

Syncope familiaris an excuset à celebratione Missæ, num.8. p.576

Syncope extincti frigidi manent, n.34. p.402

Syncope ex suffocatione succedit, ibid.

Syncope est præceps virium lapsus, num.30. p.328. Syncope distinguitur à Lipothymia, n. 31. Syncope potest ad eam vehementiam devenire, ut hominem sensu & motu privet, n.32. ibid. Syncope detentus non potest longo tempore vivere, num.34. p.329. in syncope, cum valida est, non est locus remediis num.35. ibidem. Syncope aut statim interficit, aut nocte sequenti ibid. Syncope detentus si post duos aut tres dies reviviscat miraculi majorem suspicionem facit, quàm si detentus fuisset Apoplexia, vel alio consimili morbo num.38. ibid. Syncopes cur dicatur Oxyntona, ibid. Syncope est ipsa mors, num.46. p.330. Syncope & mors convertuntur, ib. Syncope est dissolutio nexus Naturæ, ibid. Syncope est principium mortis, & mors est terminus Syncopes, num.47. ibidem. Syncopes duo signa particularia, num.49. ibid.

Syncopizantes non illicò reviviscentes ad mentem redeunt, n.2. p.154. tanquam mortui habentur, quousque in accessione sunt, n.3. ibid.

Sinopis Mithridatis patria, n.22. p.61

T

TAbaccus, vel Tabacco quid sit, n.1. p.752

Tabacci usus quis, n.2. p.753

Tabacci usus quando, & quale jejunium frangat, n.6. ibid.

Tabacci usu an jejunium Eucharisticum frangatur, num. 7. ibid.

Tabaccus quomodocunque assumatur, nunquam habet rationem cibi, n.12. p.754

Tabaccus non est cibus, neque cibus medicamentosus, n.16. ibid.

Tabaccus quomodocunque assumatur, non frangit jejunium Ecclesiasticum, neque pœnale, sed benè Eucharisticum, n.19. ibid.

Tabaccus cur frangat jejunium Eucharisticum, n.20 ibid.

INDEX

Tabacus ex aliquorum opinione frangit qualecunque jejunium, quia corpus nutrit, num. 21. ibid. Contrar. n. 23. p. 754. & seq.

Tabaccus ex eorundem opinione verè est nutrimentum & Medicina, n. 22. p. 754

Confutatur n. 24. p. 755

Tabaccum qui assumunt, si quoquo pacto nutriantur, non ob Tabacci facultatem nutriuntur, n. 27. ibid.

Tabacci usus quibus ex causis in jejunio Eucharistico sit prohibendus, n. 33. ibid.

Tabacci usus non frangit jejunium in jejunio Ecclesiastico, aut pœnali, n. 24. ibid.

Vide *Jejunium.*

Tabacci pillulæ ad famem sitimque tolerandam, n. 50. p. 304

Tabacco cujus naturæ sit, n. 17. p. 455

Tabe affecto conjugi an teneatur sanus reddere debitum matrimoniale, n. 14. p. 280

Tabidi quâ ætate fiant, num. 25. ibidem. Coitus illis noxius. ibid.

Tactûs sensus omnium communissimus, & per aliorum organa dispersus, n. 14. p. 248

Talpæ cor palpitans devoratum divinantes homines facit, n. 19. p. 291

Tarantula: ab ea commotsi an pro insanis reputandi, n. 38. p. 153. Ejus morsus in Apulia passionem Enthusiasmo similem excitat, num. 36. ibid. ab ea commotsi Phreniticis & Maniacis similes efficiuntur, n. 40. ibid. quomodo existimandi, n. 41. ibid.

Taraxis quid. n. 15. p. 636

Tardiloquentia, n. 18. p. 207. & seq.

Taurus n. 17. p. 552

Taurus, ex eo & equa nascitur proles Equina, n. 25. p. 583

Taxi totam hyemem sine cibo degunt, n. 11. p. 199

Taxillorum tormentum, n. 20. p. 480

Telephus Grammaticus centenarius piscibus victitabat, n. 20. p. 350

Temperamenta præcipua quatuor, n. 16. p. 3. tot sunt quot individua, n. 14. p. 25. Eorum varietas multò magis consideranda in aliis animalibus, quàm in homine, n. 21. ibid. Eorum differentias in exteris animantibus necessaria secundum quatuor primas qualitates, n 17. p. 26. Eorum evariationis causa in humana specie, n. 28. ibid. Eorum varietas & latitudo infinita, n. 31. ibid.

Temperamentum est animalibus pro interna forma, num. 16. p. 25. est ipsa Natura, n. 17. ibid.

Temperamentum quo quis donatur in causa est ut homo facile, aut difficulter patiatur, n. 15. p. 368. quam conjecturam faciat celeritatis interitus in iis, qui simul ex eodem casu perierunt, ibid.

Temperamentum viri, qui pater præsumitur, quomodo faciat præsumptionem suppositi partus, n. 9. p. 256

Temperamentum quodnam Veneri magis idoneum, numer. 3. p. 590

Temperaturæ cognitio ad Medicum pertinet, n. 17. p. 9

Tempestates aliquæ abortum procurant, n. 19. p. 49

Tempora perfectionis & imperfectionis respondere sibi debent, n. 54. p. 12

à Tempore delumpta conjectura lethalitatis vulneris, num. 1. p. 380. Illius terminus in vulneribus determinari non potest, n. 10. p. 381

Temporis quantitas, non qualitas attendenda, num. 15. 16. pag. 44

Temporum vulnera celeritatem inducunt, n. 11. p. 379.

Tempus aliquando de momento ad momentum computabatur apud Leges, n. 23. p. 9.

Tempus pubescendi non est unum in omnibus, n. 75. p. 13

Tempus quodnam Veneri aptius, n. 8. & 10. p. 591

Tenera ætas quæ, n. 15. p. 10. quam appellaverit Celsus, ibid.

Tenesmus abortum facit, n. 78. p. 86

Tenontagra quid n. 1. p. 654

Tentigo, n. 19. p. 536

Tentigo passio, n. 8. p. 604

in Terminis nascendi unus est perfectior alio, n. 66. p. 29

Terminus 182. dierum in partu omnium brevissimus, n. 35. pag. 33

Terminus trium dierum assignatur pro termino vitæ, in his quibus dubitatur vivantne, aut non, n. 46. p. 330. Ejus termini rationem vide, n. 51. ibid. hunc terminum supervacuum putat Fortunat. Fidel. ibid.

Terminus acutorum Morborum est quadragesimus dies. n. 2. p. 747

Terminus Quadragenarius ad sumendam experientiam eorum, qui de peste sunt suspecti, diuturnior est quàm conveniat, n. 6. p. 748

Terminus quadragenarius respectu vestium, & aliarum rerum de Peste suspectarum, an non est nimis excedens, num. 7. ibid.

Terminus quadragenarius respectu corporis infecti, vel non est necessarius, vel est nimis diuturnus, n. 8. p. 749

Terminus quindecim dierum ad sumendam prædictam experientiam, est etiam nimis diuturnus, n. 9. ibid.

Terminus sumendi experientiam de Peste suspecti non potest rationaliter definiri, n. 10

Terra Eretria, n. 19. p. 61

Terra ipsa cadavera conservat, n. 17. p. 320

Terra quæ salubris, n. 15. p. 436

Terræ motus magni pestem minantur, n. 4. p. 272. Magnus in Apulia anno 1627. ibid.

Terræ quædam, lapides, quibus credita cadavera citissimè absumuntur, n. 17. p. 320

Tertiana, morbus salutaris est, n. 33. p. 93

Tertiana quando excusat à publica recitatione, numero 11. p. 574

Tertio mense natus, ex Concenatio legitimus, n. 5. p. 32.

Tesci fontis aqua vino non miscetur, n. 29. p. 426

Testamentum, in eo condendo mentis sinceritas desideratur, n. 10. p. 155. condere licet morti vicinis. n. 52. ibid.

Testari possunt oblivioni, n. 46. p. 129. non permittitur mutis & surdis simul. num. 21. p. 131. an possint Melancholici, num. 26. p. 133. possunt furiosi tempore interm ssi furoris. n. 24. p. 147

Testes de insania deponentes quomodo deponere debeant, n. 36. p. 117. esse non possunt morti vicini, n. 24. p. 155

Testes quibusdam, & vasa spermatica ex longa coitus abstinentia contabescunt, num. 16. p. 221. in fœminis perfectione principatum habent, n. 25. p. 230. horum carentiam allegans pro impotentia coëundi, & fœminandi habet suam refutationem fundatam, n. 8. p. 242. vos ex quos habemus, & nullius usus, Eunuchi an dicendi, n. 18. ibid.

Testes habent distinctam ac perfectam operationem, num. 13. p. 407. sunt membrum, n. 4. p. 418

Testes unde dicti, n. 18. p. 532. semper faciunt signum virilitatis extra prominentes, n. 19. ibid. fœminei in quibus desectant à masculeis n. 21. p. 582. ex eorum abscissione fœminæ non amplius stimulantur ad Venerem & steriles evadunt, n. 23. n. 583

Testium situs mutatus an coitum aut generationem impediat, n. 7. p. 739

Testes nimis parvi an, & quando frigiditatem naturalem attestari possint, n. 8. ibid.

Testium magnitudo excedens, an & quando generationi impedimento esse possit, n. 9. ibid.

Testium carentia generationem omninò impedit, n. 10. ibid.

Testium carentia, situs mutatus, parvitas & unitas, quam faciunt impotentiam sine remedio, n. 14. p. 765

Testiculo uno privati non sunt ut exteri Eunuchi habendi, neque idcirco pari irregularitate sunt obnoxii, n. 7. p. 647

Testificari non possunt muti & surdi simul, n. 31. p. 131. an possint melancholici, n. 25. p. 133. non potest furiosus sanæ mentis factus de his, quæ tempore furoris vidit, vel audivit, n. 28. p. 147.

Testis unius carentiam allegans pro impedimento coëundi, non est audiendus, n. 6. p. 242. unius privatio in viro an faciat conjecturam suppositionis partus, vel adulterii mulieris, num. 13. p. 256. Unius carentia in muliere faceret præsumptionem sterilitatis & suppositionis partus, num. 15. ibid.

Testis unus peste vigente sufficit, ubi duo ex Statuto requirantur, n. 2. p. 261

Textus *l. cum quidam, ff. de acquir. hared.* examinatur, n. 7. p. 66. loquitur de superfœtatione, n. 11. ibid. Ejus verba, *quod quidem post certum tempus conceptionis evenit*, quomodo intelligenda, n. 14. ibid.

Thamar Judæ nurus extumescente ventre prægnans deprehenditur, n. 17. p. 55

Thelia morbus, quo viri in fœminas abeunt, n. 21. 22. p. 553

Theocriti locus de Hercule notatus, n. 23. p. 45

Theognidis dictum, n. 21. p. 122

Theologorum authoritas plurimi facienda, num. 1. p. 239. & seq.

Theophili casus ex Galeno, n. 21. p. 119

Theophorumeni qui, n. 7. p. 151

Theophrasti auctoritas, quod plantarum semina alimentum contineant, n. 33. p. 302

Theriaca non justo modo assumpta non secus ac venenum interimit, n. 15. p. 161

Thersites ab Homero malæ physiognomiæ cur sit confictus, n. 48. p. 294

Rerum notabilium.

Thimus coitus appetitum extinguit in viris, accendit in fœminis, n.48. p.232

Thiriodes tuſſis quid, n.2. p.641

Thladiæ ſeu Thlaſiæ qui, n.37. p.202. à Thlibiis quomodo differant, n.40. ibid. & n.15. p.242

Thlibiæ, qui, n.37. & ſeq.202. & n.15. p.242

Thlilias aut Thlaſias facere quid, num.38. p.202. & num.5. p.418

Thoracis vulnera penetrantia fiſtulam relinquunt, num.17. p.379. non habet determinatum tempus ſuæ ſanationis, num.11. p.391

Tori ſeparatio conceditur ob veneni ſuſpicionem, num.7. pag.160

Tori ſeparatio & Divortium à pari procedunt, idem tamen non ſunt, n.1. p.769

Thraces ſtigma habent non ſervitutis, ſed nobilitatis ſignum, n.6. p.510

Tybiæ, n.3. p.609

Tiberius Cæſar habuit oculos ultra quàm credi poſſit vividos, n.49. p.405

Tiburones piſces duplici veretro donantur, n.34. p.555

Tigres abſque mare interdum concipiunt, n.40. p.72

Timentes non habent intellectus plenitudinem, n.41. p.125. conſenſu & voluntate carent, ibid.

Timidiores alios ex eodem caſu pereuntes, morte prævenient, n.16. p.400

Timiditas ab otio augetur, n.26. ibid.

Timor imminentis infamiæ nunquam tam ſubitaneus, quàm timor imminentis mali, n.56. p.125

Timor quam præſumptionem faciat celerioris mortis in eo, qui eodem caſu ſimul cum aliis periit, n.13. p.400. illicò dejicit virtutem, ibid. ex eo excitatur ſyncope, & facit homines immemores, ibid. ex ejus vi prius quam ex violentia cauſæ interimentis quidam mortiuntur, n.24. ibid.

Timor ac mœſtitia longo tempore perdurantes Melancholicum oſtendunt, n.22. p.116. ex eò, cùm vehemens eſt, Ratio vacillat, num.37. p.125. ex eo cum ſubitus eſt nonnulli intereunt, ibid. quid ſit, n.38. ibid. ejus duæ ſpecies, n.43 ibid. ejus cauſa mulea irrita fiunt, n.45. ibid. reperitur ſemper in Melancholicis, ibid. & n.12. p.252

Timor infamiæ, in eo an omnia procedere debeant, quæ in timore imminentis mali, n.45. p.125. non comprehenditur in Edicto loquente de timore imminentis mali, n.46. ibid. dicitur metus cadens in conſtantem virum, num.50. ibid. æquiparatur Timori mortis, ibid. non eſt tam ſubitus & vehemens, ut timor imminentis mortis, num. 53. ibid. ex eo magis commovetur Nobilis quàm Ignobilis, n.55. ibid.

Timor & Terror animi defectum excitant, n.7. p.482

Tiraquellus notatus, n.18. p.44. cum abſtemius, eſſet, triginta liberos ex legitimis nuptiis ſuſcepit, n.225. notatur, n.33. p.263

Tireſias ex viro in fœminam, n.12. p.555

Tireſiæ judicium de voluptate in coitu, n.15. p.237

Titareſius fons, 20. p.424

Titareſius fons Penæo ſupernatat ob levitatem, n.20. ibid.

Titii allegoria, n.11. p.134

Tobiæ ſanatio à cæcitate, deficeret à miraculo, ſi pluries eo medicamento uſus ille eſſet, n.8. p.316. Tobiæ ſanatio à cæcitate fuit partim naturalis, vel miraculoſa ſolum ſecundum quid, n.16. p.308

Toloſæ peſtis ſeptennium duravit, n.44. p.269

Tonſillæ, n.15. p.213. Tonſillæ an excuſent à divinorum recitatione, n.18. p.568

Torpedo marina etiam per media quædam piſcatorum inficit, n.15. p.186

Torpedo etiam per media tangentem inficit, n.1. p.146

Tormenta: eorum plura genera, n.1. p.477. & ſeq. n.10. p.478. in eorum impoſitione agitur de hominis ſalute, n.2. ibid. in illis infligendis, allegante Reo aliquam infirmitatem, Medicorum judicium expoſcitur, n.3. ibid. quatuor in uſu ſunt, num.11. ibid. non ſemper uno modo infligi poſſunt, num.1. p.482

Tormentum quid, num.5.6. p.478. quæſtio & tortura ſunt ſynonyma, num. 7. ibid. Ejus repetitio poſtquam reus eſt refrigeratus mirè dolorosa, num.10. p.485. tormento non exponitur, qui de recenti comedit, aut bibit, num.16. p.488. ſubjiciendi quanto tempore jejuni permanere debent, n.17. p.490

Torpor, n.14. p.142

Torqueri quanto tempore chordâ Rei poſſint, n.13. p.486. non poteſt Reus continuatis diebus, n.15. ibid.

Tortura, vide Tormentum, quid ſit, n.9. p.478. Ejus nomine ſimpliciter prolato de chorda intelligetur, num.12. ibid. eſt remedium ſubſidiarium pro veritate in judiciis eruendâ, num.2. p.482. Ejus gradus tres, aut quinque, num.3. ibid. primus gradus, num.4. ibid. Secundus gradus, num.11. ibid.

Tertius gradus, num.12. pag.483. quartus, & quintus, n.14. ibid. per unum brachium inflicta an magis periculoſa, num.7. pag.485. eſt minus periculoſa, minuſque dolorosa, ibid. repeti regulariter non poteſt, num.14. p.486. tempus inter unam & aliam quantum eſſe debet, num. 16. ibid. repetita tantum infert cruciatum, ut quantumcunque Reus animo & corpore ſit induratus, veritatem fateatur, n.17. ibid.

Tortuoſi qui, n.6. p.650

Tortuoſitas quid, n.6. ibid.

Torum melius & excellentius ſua parte, & eſt perfectum, n.11. p.520

Toxicum idem quod Napellus, num.8. p.188. unde dicatur, num.9. ibid. eſt nomen commune ad omne venenum, n.11. ibid.

Tractatrices quæ, n.29. p.556

Tranſpiratio quis motus ſit, n.16. p.412

Vide *Fœtus*.

Trauloſis quid, n.12. p.207

Tringulares carunculæ, n.6. p.335

Tribades fœminæ, n.3. p.240. & p.29. p.556

Tridentia piſcatio, n.14. p.432

Trigemini vitales vix naſci poſſunt, n.8. p.50

Triſtitia ſenibus inimiciſſima, n.13. p.483

Triſtitia & Delectatio omnibus ſenſibus inſunt, num. 13. p.248

Tritici ſemen aliud citius, aliud tardius matureſcit, num.49. pag.37

Trotula Medicus antiquus, n.45. p.11

Tubera ſi concipiant ligna in aquam conjecta, malæ aquæ ſignum eſt, n.15. p.427

Tulliolæ Ciceronis filiæ cadaver poſt mille trecentos annos incorruptum repertum, n.13. p.519

Tumores qui excuſent à divinorum recitatione, num. 35. p.572. qui excuſent à debiti matrimonialis redditione, n.33. p.595

Turbulenta piſcatio, n.15. p.432

Turcica quædam mulier ab alia muliere prægnans facta, n.3. p.240

Turcæ veneficia habent adeò præſentanea, ut ſolo contactu eodem die occidant, n.11. p.163

Tuſſis ferina quid n.2. p.641

Tuſſis an excuſet à recitatione divinorum, numero 19. pag.568

Tuſſis quæ & quando inducat irregularitatem, numero 1. p.641

Tuſſis quænam impedîat Euchariſtiæ ſumptionem, num.7. p.759

Tutela in fœminis biennio maturius abſolvitur quàm in maribus, n.40. p.11. Rationem vide, n.46. p.12.

Tybertina aqua multam reſidentiam facit, n.33. p.426. non putreſcit, n.57. p.429

V

VAcca ſingulos fœtus ſingulis parit vicibus, aliquando etiam binos aut plures, n.44. p.27

Vacca & Aſina varia tempora pariendi habent, n.106. p.30

Valerius Cordus ſiti extinctus, n.11. p.353

Valetudinarii ex quibus cognoſcuntur, n.7. p.269

Valetudinarii an à jejunio excuſentur, n.35. p.561

Valetudinarii non ſunt torquendi, n.15. p.489. qui dicendi remiſſivè ibid.

Valetudinarius probatur quis ex relatione Medicorum, n.1. p.194. quis dicatur, n.12. & ſeqq. p.217

Valetudinarii qui dicantur, n.8. p.744

Valetudinarius ad effectum reſignandi beneficium quis dicatur, n.9. ibid.

Valetudinarius ſtatus poſt vulnus acceptum facit præſumptionem, quod vulnus fuerit lethale, n.3. p.387

Valgi qui, n.4. p.214

Valleſii argumentatio reprobata, n.15. p.248

Valverda ſuperfœrationem non admittit, n.6. p.63

Vari qui, n.3. p.214. ſtare poſſunt melius quam Valgi, n.9 ibid.

Vari nomine quælibet tibiarum depravatio intelligitur, n.5. ibid.

Vari, valgi, ſeu vatii, blæſi & thæbi qui, vel quinam eorum ſint irregulares, n.3. p.652

Varicoſus, n.14. p.216

Variolæ frequentes peſtem portendunt, n.6. p.276

Varix quid, n.15. p.215

Varii qui, n.4. p.214

INDEX

Vegetabilia omniaque simul viventia inter se similia & dissimilia sunt, n.15. p.26
Velatæ mulieres quæ, n.14. p.139. & n.11. p.605
Venæ quæ sunt post aures sectæ hominem faciunt infœcundum, n.38. p.231. & cur, n. seqq. quæ sunt juxta malleolos sectæ hominem faciunt infœcundum, & cur, ibid.
Venæ non omnes eadem promptitudine omnes corporis partes evacuant, n.17. p.470
Venæ sectio quomodo à Medico sit administranda, n.1. p.668. quatenus infirmos eam admittere teneatur, n.2. ibid.
Venefici qui, n.20. p.161
Veneficia an dentur, n.2. p.189. habent ea Turcæ adeò præsentanea, ut eodem die solo contactu occidant, n.21. p.163
Veneficium quid, n.1. p.188. in ejus delicto non satis est confiteri se dedisse alicui venenum ad hoc, ut reus condemnetur. n.1. p.167
Venena quædam dementiam pariunt, n.31.32. p.150. quædam si non occidant, hominem infatuant, num.30. ibid. quædam inuncta hominem à mente abstrahunt, ib. appellantur etiam medicamenta, num.12. p.160. quædam bona, quædam mala, n.15. ibid. & n.3. p.165. Pharmaca à Græcis dicta, ib. mala ad necandum, bona ad sanandum, num.14. p.161. dicuntur quæ semper talia sunt, n.15. ibid. multa sunt, quæ non occidunt, n.24. ibid. quædam sunt, quæ nihil lædunt, ib. nonnulla occidunt, nec tamen sunt propriè venena, n.25. ibid. ea propinantes, quæ non occidunt, sed insigniter lædunt, à legibus puniuntur, n.26. ibid. n.27. p.162. nonnulla naturam mutant, & non morantur, non tamen sunt venena, n.28. ib. quædam agunt qualitate occulta, quædam manifesta, n.1. ibid. quæ à tota substantia agunt nullam sui nocumenti causam manifestant, n.2. ibid. propriè non dicuntur, quæ tolis qualitatibus manifestis agunt, n.3. ibid. & cur, ibid. excedentia qualitate nominatenus venena sunt, ibid. quomodo dividantur secundum operandi modum, n.6. ibid. quædam à natura talia, quædam ab accidenti, quædam ab arte, n.7. ibid. quædam secundum totum venena sunt, quædam secundum partem, n.8. ibid. juxta eorum originem quomodo dividantur, n.9. ibid. quomodo dividantur ex modo administrationis, n.10. ibid. omnia odorata multa accidentia mala inferunt, n.13. p.165. quædam primò cor petunt, quædam quandam aliam partem, n.18. p.164. omnia secundum aliquos primò cor petunt. n.9. ibid. contrarium, n. seq. spiritus vitales corrumpunt, n.20. ibid. quædam cordi non obsunt, sed aliis certis partibus corporis, ib. semper in fine operationis ea, quæ occidunt, cordi insidiantur, n.22. bid. quædam tenuis substantiæ, quædam crassæ, n.23. p.165. artificialia quæ n.2. ibid. mala quæ vocet Grilland. n.3. bid. erodentia & putrefacientia non occidunt ut plurimum, nisi repetantur, n.8. ib. à tota substantia operantia maximè præsentanea sunt, n.12. p.166. & n.6. p.167. tardè operantia, n.13. p.166. quæ minus certò occidant, n.14 ibid. & 6. p.167. quomodo interimant, n.15. p.166. omnia horribilia sunt à natura alienissima, n.7. p.167. & n.9. p.175. omnia secundum aliquos habent qualitatem occultam, num.8. p.167. omnia habent particularia signa, num.9. p.172. quæ in corpore generantur calida sunt & sicca, ut plurimum, n.9. p.173. cur à Natura producta, n.10. p.175. nonnulla sapore ingrato non sunt, ib. omnibus commune est, ut mentem lædant, n.24. p.176. & seq. administrata si non occidant, morbum insignem relinquunt, n.42. p.178. externa nonnulla contagiosa. n.16. p.179. quædam in vulnere solum & non gustu interimunt. n.2. p.184. externa admota nullum habent effectum secundum aliquos. n.4. ibid. etiam intùs generantur, n.8. p.183
Venena ad tempus quæ, n.15. p.166. qua ratione dari velint Medici, num.2. n.183. non dantur ita ut determinato die occidant, n.3. ibid. quo pacto dari concedendum, n.4. ib. dantur ad tempus determinatum, n.10. p.184. & quomodo, n. seqq. ad tempus propinantur, n.20. p.176
Venena omnia frigida nisi occidant, reddunt, hominem in Venereis ignavum, n.48. p.232. non semper primò cor petunt. n.33. p.268
Venena cadaverta imputrida servant, n.6. p.318
Venenandi crimen gravissimum, & gravius simplici homicidio, n.5. p.160. in eo puniendo non distinguitur nobilis ab ignobili, n.10. ibid.
Venenandi modus per vestium infectionem an possibilis, n.13. p.185
Venenantes tanquam proditores habentur, num.5. p.160. non gaudent immunitate Ecclesiæ, n.6. ibid.
Venenari potest homo per omnes sensus, n.17. p.164
Venenarii qui, n.19. p.161
Venenata pharmaca non modò per os exhibita, sed etiam deforis administrata pestilentem febrem generant, num.14. p.186
Veneno occidens dicitur proditoriè occidere, n.2. p.186. venenum per vulnus inditum majorem vim habet, quam eporum n.3. ibid.
Venenorum tria genera ex Jureconsultis, n.1. p.165. quædam mortifera, quædam non, n.5. ibid. mortifera quæ, n.6. ib. non mortifera. n.7. ibid. non interficientium divisio, n.10. & seq. p.166. & n.16. ib. putrefacientium signa, n.32. p.177. frigidorum signa, n.37. p.178. Eorum inter se est quædam antipathia, n.2. p.179. actio citari & retardari potest, n.7. p.183
Venenositas simpliciter à corruptione non dependet, num 10. n.172. non potest introduci absque prævia putredine, n.11. ibid. non semper est in eodem gradu, n.17. p.177
Venenum rabiem excitans, num.7. p.149. eo non potest occidi hominus, n.9. p.160. distinguitur in propriè & in improprie dictum, n.15. p.161. in communi modo loquendi pro malo accipimus, num.16. ibid. accipitur pro veneficio, & pro utili medicamento, n.18. ibid. quid sit secundum plures. n.21. ib. quid secundum Avicennam & Cardanum, n.22. & seqq. ib. quid pro eo accipiendum, n.23. ib. quid sit secundum Leges. n.27. p.167. & alimentum sunt opposita, n.28. ibid. mutat naturam, & non mutatur, ibid. de ejus essentia est, secundum aliquos, ut agat occulta qualitate, n.3. ibid. quoddam calidum, quoddam frigidum, &c. n.5. ibid. quod humectando occidat, non dari volunt multi, ib. datur, quod tactu solo inficiat. n.11. p.163. Ex ejus assumptione vix unus ex decem. nisi repetatur, moritur, n.8. p.165. quod spatio quadrantis horæ occidit, ibid. cujus granum inter decem homines partitum omnes spatio quadrantis horæ occidit, ibid. ex eo quod ab occulta qualitate operatur maxima præsumptio habetur secutæ mortis, n.8. p.167. quamcunque corporis humiditatem contingat, in sui substantiam convertit, n.15. p.168. proprie dictum generatur in nostro corpore, n.1. & 4. p.170. & seq. & n.1. p.171. Et similes humores generantur in nobis, n.2. p.171. tale generatur in nobis, qualis est humor canum rabientium, n.5. ibid. difficile est veneni cujuscumque invenire proprium signum, n.10. p.172. tam odore quam sapore manifestatur, n.8. p.175. omne cum devoratur lædit guttur, &c. n.12. ibid. cum assumptum fuerit, nisi occidat relinquit dolorem quendam vagum, n.40. p.128. illud bibentes contagio alio non afficiunt, n.15. p.179. olfactu an occidere possit, n.7. p.185. non omne quod per os administratum interimit, deforis exhibitum occidit, sed contrarium. n.30. p.187. Ejus assumpti signa, n.1. p.174. Ejus assumpti signa accepta ex statu ægrotantis ante assumptionem, ibid. ejus signa in ipsa assumptione, n.8. p.175. ejus signa deinde a in ipsa assumptione exteris minus fallacia, n.13. ibid. Signa post veneni assumptionem, n.14. ibid. Ejus signa ex natura & qualitate symptomatum, n.22. p.176. Ejus signa post mortem, n.30. p.177. Signa ejus in cadaveribus observata, quam certitudinem habeant, n.34. p.178. Signa ex dissectione cadaverum, n.35. ibid. Signa assumpti post sanationem, n.38. ibid quomodo probetur ex materia vomitus, n.22. p.180
Venenum ingenitum fuisse certò constare potest, n.1. p.179. calidum est & siccum, n.7. ibid. acutum morbum facit, n.9. ibid. diu latere potest dehinc repente se prodere, n.17. p.176.
Venenum veneno an resistat, n.1. p.181. non quolibet cuilibet resistit, n.3. ibid.
Venere pestica concepti non naturalem figuram nascentes servant, n.23. p.238
Venerea actio ad concupiscibilem animæ partem spectat. n.37. p.107
Venetiis quomodo à quibusdam impiis pestis fuerit excitata, n.18. p.166. pestis familiaris, n.41. p.169
Venti qui salubres aut insalubres, n.8. p.435. mutant suam naturam ex regione per quam transeunt, n.9. ibid. omnes humectant ex Hippocrate, ib. aliqui per rectam lineam spirantes salubres, per obliquam insalubres. & è contra, n.20. p.440
Ventres hyeme & Vere natura calidissimi, num.18. p.349. n.1. p.354
Ventriculi dolorem quæ subsequatur, n.30. p.249
Ventriculi ulcera quatenus, irregularitatem inducere debeant, n.2. p.643. Ventriculi dolor quomodo à cardialgia differat, & quando faciant hominem irregularem, n.6. ibid. & seq.
Ventriloqui qui, n.37. p.153
Ventris tumefactio prægnantiæ signum, n.17. p.55. unde provenire possit extra prægnantiam, n.18. ibid. in prægnante & in non prægnante, n.35. p.62. in mola qualis, n.46. ibid.
Ventris dolorem diuturnum sequitur suppuratio, n.35. p.250
Ventris fluxus an excuset à redditione debiti matrimonialis, n.30. p.594
Venus tunc exercenda, cùm quis damnum subire vult. num.6. p.153. aliquibus morbis proficua, ibid.
Venus semper nocua, n.15. p.602. Ejus usus non ullis morbis auxiliatur, ib. Optimus difficilè jugalis Medicus, n.5. p.580

Si quis

Rerum notabilium.

Si quis alius labor firmas requirit vires, n.1.p.590.à parte poſtica celebrata utrum naturalis modus ſit,n.38.39.p.587. quomodo celebrari debeat, n.41.ib. ejus finis ſola voluptas ex Plutarcho, n.44.p.588.ex ejus uſu ad ſummam infirmitatem deveniunt, qui imbecilles habent vires, n.3.p. 590. eam melancholicis prodeſſe quomodo ſit verum, n.4.10.& n.27.p.593.quomodo ſuccurrat morbis pituitoſis, num.5. p.590.exiccat, n.30.p.594. Ejus uſus in prægnantiæ fine reddit partum facilitorem,n.18.p.598

Veneris uſus in nimis tenera ætate ſenium accelerat,num,10. p.711

Ver ſalubertimum, n.18.p.349. in eo uti debemus cibis panci nutrimenti,& in modica quantitate n 16.ib.cur in eo Quadrageſima inſtituta, n.17.ib.

Ver Veneri aptiſſimum, n.10.p.591

Verba in contractibus ſocietatis appoſita, Excepta morte,&c. quomodo intelligi voluerint Juriſperiti, n.4.p.90. & n.18. p 95. de qua morte intelligenda, n.14. ib. ex cauſa partus quomodo intelligenda, n.15.p.99

Verba quomodo indicent dementiam, n.9.p 115. eorum qualitas quomodo detegat inſaniam,n.13.ib.eorum ordo quomodo demonſtret inſaniam, n.14.ib.

Verbis ex partu.in contractibus Societ. off.quæ mortis genera comprehendantur, n.19.p.81

Verbis nudis naturaliter non poteſt procurari maleficium, numer.50 p.233. Contra vide, n.51.ib.

Verecundia eſt maxima cauſa impotentiæ coëundi, n.58. ib.

Veritas una eſt,n.1.p.612.nulla tam certa, quæ ſuos contradictores non habeat, n.3.ib. cujus tutela ſemper pro juſtitia eſt, ſemperque quærenda, n.8.p.616

Vermiculi mortui reviviſcunt, n.4.p.326

Vertiginoſi malè imaginantur, non tamen inſaniunt,n.6.p.118

Vertigo an excuſet à recitatione divinorum, num.8.p 565 & quando excuſet à publica, n.3.p.573. & quando excuſet à celebratione Miſſæ, n.5.p.575

Vertigo quando faciat hominem irregularem ejuſque multiplex diviſio,n.3.p.632. quænam vertigo ad inducendam irregularitatem levis ſeu gravis dicenda, & ex quibus ſignis cognoſcatur,n.4.p.633.ex quibus ſignis dignoſci poſſit per conſenſum fieri,aut per eſſentiam, n.5.ib.

Verum & bonum convertuntur, n.31.p.499

Verum nunquam redargui poteſt, n.1.p.612

Veſicæ calculus quam ob cauſam facere debeat hominem irregularem, n.5.p.646

Veſpillonum impium facinus in peſte,n.31.p.275

Veſpertilionis lingua & cor rabiem excitant, n.7.p.149.n.17 p.150

Veſtes venenari poſſunt, n.13.p.185. peſte necatorum alios inficiunt,ibi.

Veternus quid, n.13.p.142

Vetula ſeptem annis jejunans, n.15.p.301

Vgolinus Comes Piſis famæ unà cum filiis peremptus, num.5. p.299

Vibices, vide *Sugillationes*.

Victimæ corde avulſo clamarunt & fugerunt, n.22.p.374

Victus ratio in Quadr. inſtituta inſalubris, n.4.p.346.contrarium, n.10.p.347.n.9.p.358.ob modum reficiendi eſt ſalubrior, n.16.p.349. à tempore in quo eſt inſtituta redditur ſalubrior, n.17. ib quotidiana Antiquorum fuit inſalubrior, quàm noſtra in Quadrageſima,num.20.p.350.poteſt morbos fovere. n.10.p.358

Victus Quadrageſimalis ratio docetur in particulari noſtro opuſculo vulgari ſermone conſcripto, n.6.p.356

Vidua caſta non dicitur ſterilis,n.7.p.236

Vigilia Melancholicos & furentes maximè infeſtat, n.6.p.252

Vigilia innaturalis an excuſet à recitatione divinorum, n.10. p.566

Vigiliæ tormentum:Ejus deſcriptio, n 19.p.479.quomodo infligebatur in ejus inventionis principio,n.24.p.480. inſupportabile, n.12.p.485. atrocius quàm chordæ, n 1.p.491. in eo quæ maximæ partes crucientur, n.1.illud impediunt ea omnia, quæ impediunt tormentum chordæ, n 3.ib.illud infligi quinam peculiares morbi impediant, n.4.ib. cautela in eo infligendo, n.5.ib.

Vincapervinca, n.7.p.318. aliàs Daphnoides dicta, ib.

Vinum varios in variis temperaturis effectus gignit,n.4.p.137. qui illud non temperat, ſine menſura dicitur bibere, n. 10. p.138. frigidos morbos generat, n.42.p.138

Vinum febrem accendit ſi ſupra modum ingeratur,n.42.p.139

Vinum in jejuniis non erat in uſu apud Antiquos, n.29.p.345. n.21.p.363. ejus uſus permittitur in cibis & extra cibos,ib. cur facilè ab Antiquis in morbis concedè retur, n.13.p.348. an rectè concedatur pro potu extra refectionem in jejuniis, n.13.p.162. Ejus potus contrariatur intentioni jejunantis, n.14.ib. nutrit, n.15.ibid. Venerem acuit, n.16.ib. hominem exhilarat, ib.famem tollit, n.19. ibid. connumeratur inter ea, quæ univerſum & celeriter nutriunt, n.21.ib. cur permiſſum in jejuniis extra refectionem, num.22.ib. aquæ permixtum magis extinguit ſitim quàm per ſe, n.14.p.364. conceditur in jejuniis ratione potus, non ratione alimenti, n.25. ib. excitat luxuriam per modum alterantis, n.26.ib. non famem,ſed ſitim repellere ejus potu in jejuniis intendimus, n.28.ib. ejus utilitates,n 29.ib ad aquas corrigendas inventum, n.30.ib.

Vinum etiamſi maximè nutriat, non frangit jejunium, n.10. p.714

Vide *Jejunium*.

Vide *Nutrire*.

Violentum eſt cujus principium ab extrinſeco eſt, n.40.p. 76. ſtricto modo acceptum quid, n.42.ib. lato modo acceptum quid,n.44.ib.

Viperæ venenum dulce eſt, p.168. & ſeq. per os aſſumptum non nocet, n.3.p.184

Vires quam conjecturam faciant tardioris mortis in eo,qui ſimul cum aliis eodem caſu periit, n.17.p.399.ob earum robur nonnulli diutius in morbis lethalibus vivunt, quàm deberent,ib.

Vir quid ſignificet,n.13.p.16.& ſeq.in 60.anno ad generandum impotens, numer. 51.p.19. uni eidemque mulieri copulatus aliquando ſeptimeſtres, aliquando octimeſtres, vel nonimeſtres generat, n.47.p.37

Vir quidam, cui longa ſanguinis copia per venas poſt aures fuit extracta, generavit, n.38.p.231. Vide *Impotentia*.

Unius teſtis generare poteſt, n.14. p.256. ejus voluptatem in coitu majorem & diuturniorem eſſe quàm fœminæ, quomodo dixerit Hippocrates,n.15.p.237

Vir duplici Pene dotatus, n.34 p.557. ſine brachiis omnia pedibus agens, quæ alii manibus agunt,num.6.p.559.piloſus, ejuſque ortus qualis, n.14.p.560

Vir quando excuſetur à debiti conjugalis redditione ob temporis qualitatem,n.9.p 581. ex coitu maximè diſſolvitur, n.13 ib. an teneatur copulam continuare ſemine emiſſo, donec etiam uxor emittat, ib. cur magis excuſetur in redditione quàm uxor,n.1.p.595. non excuſari videtur exigendo tempore menſtrui,n.8.p.600. an exigere poſſit ab uxore, quæ certo gravidationis tempore abortit, n.9.ib. quadruplo magis, quàm fœmina in coitu diſſolvitur, n.6.p.683.& ſeq.

Virgines, quæ uno aut altero die à purgatione menſtrua viro junguntur, non patiuntur hymenis laceratione, & cur, n.32. p.334. Virgines habent pilos pubis promiſſos & planos n.13.p.336.in virginibus vox delicatior,quàm in corruptis, n.17.ib.Virgines in primo congreſſu cum viris tantam interdum vim patiuntur, ut vulnus in earum uteris relinquatur, n.10.p.338.Virgines non ante nuptui aptæ,quàm generare poſſint, n.1.p.339.& quando generare poſſint,ib.

Virginibus non prodeunt menſes ante pubertatem, n.32.p.11

Virginitas amiſſa quomodo à nonnullis reparari ſolear, n.1. p.154. cur ad eam reparandam Medici nonnulla præſcribant. n.2.ib. Simulata quomodo deprehendatur,, n.3. ib.

Virginitas materialis duplex n.1.p.331.quid ſit.ib. & n.6. ib. Virginitas præſumitur à Jure adeſſe, n.2.ib. Vnde deperdatur, n.3. ib. an dentur Virginitatis certæ notæ, num.7.ib. Virginitas in ſponſa in ſacra hiſtoria probatur per pannorum ſanguinolentiam in primo concubitu, n.10.ib. Virginitas unde deſtruatur, n.11.p.333. Virginitatis dantur certæ notæ, n.13.ib. contrariun, n 14. ib. Virginitas tuta nuſquam datur, n.33.p.334. non eſt Virginitas ſimplex partium connexio, n.6.p.335. Virginitatis ſignum ex urinis, n.15. p.336. Virginitatis ſignum ex calore locorum, num.16.ib. Virginitatis ſigna ex mammis. ib.ad Virginitatem probandam experientia,num.18.p.333.Virginitas corrupta à multo tempore unico tantum congreſſu quomodo dignoſcatur, n.4.p.335. Virginitas corrupta probatur ex calore papillarum, num.16.p.338. ad deprehendendam virginitatem corruptam experimenta, n.17. ib. Virginitas per apes denotatur, n.20.p.339

Virginitas an à Medico diſſuaderi poſſit in gratiam ſanitatis, n.20.p 455.in ſtatu Politico perniciosa, n.22.ib. eam diſſuadere illicitum, n.24.ib. non tendit ad humani Generis interitum, n.25.ib.

Virginitas ſaltem materialiter conſiſtit in immunitate à delectatione venereorum per ſeminis reſolutionem, num. 35. p.587

Virgo ſeu fœmina nubilis dicitur,non vir, n.22.p.10.In virginibus lac in mámillis aliquando viſum,n.25.p.56. Virgines & viduæ pudicæ abſque viri uſu molam aliquando geſtarunt, n.29.p.67

INDEX

Virgo non dicitur sterilis,n.7.p.236.potest concipere & parere absque eo, quod in receptione seminis virilis sit corrupta, n.9.p.240
Virgo Patavina per multos menses jejuna manens, n.21.p.301
Virgo non minus dici potest, quæ claustra virginalia violavit alio instrumento quàm virili, quàm si pedem aut manum disrupsisset, n.4.p.332.virginis defloratio quomodo cognoscatur, n.12.p.333.Virginem fuisse corruptam per viri conjunctionem non potest certò firmari, n.18 ib. Virginem esse incorruptam certò firmari,non potest, n.24.p.334.Virgo potest esse incorrupta & sanguinem in primo coitu non effundere, n.27.in.Virgo potest corrumpi, & tamen apparere integra, n.32.ib. Virgo de recenti violata quomodo cognosci possit,si plures congressus passa sit,n.2.p.335.Virgo de recenti violata unico congressu quomodo possit cognosci, n.3.ib. in Virgine stuprata quæ consideranda, n.2. p.337. Virgo nubere non debet ante decimum octavum annum, n.11.p.340
Virgo quando verè dicatur corrupta ex Canonistis,n.5.p.658 & seq.corrupta Mulier dupliciter dicitur quoad mentem & quoad corpus,n.4.ib. quoad corpus rursus dupliciter corruptela fit, n.5.ib. non corrupta potest non esse virgo, & corrupta potest esse virgo, n.6.ib. Alzata seu imperforata dicitur corrupta si viro jungatur, etiamsi loca non violentur, n.7.ib. Virgo potest concipere absque violatione locorum & quomodo, n.8.ib. quando verè constuprata dici debeat, n.6.ib. utrum Virgo ante seminis generationem possit mentalem virginitatem amittere, n.10.ib.
Viri quo anno uxorem ducere debeant,num.40.p.11.nonnulli centum annis majores masculos genetarunt, n.54.p.20.
Viri solum ex maleficio redduntur impotentes, num.42.p.23. Eunuchi redduntur longo viticis usu, n.48.ib.summi ingenii quidam se insanos effinxerunt, n.2.p.251
Virilitas succedit Juventuti,n.1 p.16.eam cum Juventute confundunt Leges,ib. Ex aliquorum Philosophorum sententia non datur, n.3.ib. quænam ætas sit, n.4. & 7.ib. consistens ætas dicitur, & cur, n.8.ib. & 4.p.17. unde dicatur, n.11.p.16. & 14.p.17. deberet,dici ætas perfecta, n.12.p.16. ad quem annum extendatur n.21.22.p.17
Virilitas medicaminibus amissa an faciat locum irregularitati, n.8.p.648
Virilitas a laboribus, & exercitio crescit, n.29.p.401
Viros inire quid apud Senecam, n.25.p.555.
Virtus efformans sub aliqua conditione efformat,n.16.p.102. ejusdem est formare & sub hac aut illa conditione formare, n.24 b.
Virtus, & Vitium voluntaria sunt, n.71.p.126
Virtus, & Vitium hominis propria. n.12 p.317
Virtus bonum facit habentem, n.11.p.457. ei cui debeatur honor, cum majoris boni est effectiva, num 15.p.498. ejus proprium magis est honesta agere, quam non agere turpia, n.17.ib. propter eam honorantur quicunque honorantur, n.20.ib. est hominis propria, n.7.p.513. duplex infusa, & acquisita, n.8.ib.dicitur bonum honorabile, n.1.p.518. & seq.
Virtutes omnes non sunt unius generis,n.14.p.468. quæ ordinant in bonum divinum exteris præferuntur, n.2 p.519
Vis effectiva seminum non efformat animum,n.21.p.10
Visibiles species, vide *Species visibiles*.
Visus,Ejus sensus evidentior quam Auditus, n.19.p.128.maximè amorem excitat, n.36.p.136. an per eum quis venenari possit, n.14.p.163.dari potest venenum per eum inficiens, n.15.p.164
Visûs debilitas an excuset à divinorum recitatione, num.11. p.565
Vita hominis decem septenariis absolvitur, n.7.p.1. Ejus nullum tempus dari potest, in quo animal nec perficiat,nec deficiat, n.16.p.3. Ejus declinatio unde procedat, n.32.& 36. p.15. quando longius aut brevius protrahatur,ib. vino assimilata, n.65 p.20. nullum potest esse majus commodum quàm vita, n.9.p.42.
Vita nihil aliud est, quàm consistentia per alimentum,num.27. p.302. vita non potest esse sine respiratione, n.44.p.330
Vita est consistentia per alimentum & nutritio, quæ per se ipsam sit, n.10p.613
Vita à respiratione separari non potest,non secus ac respiratio à vita, n.15 p.712
Vita matris semper præferenda est, n.36.p.716
Vt Iliana cicatrice stigmosus, n.6.p.610
Vtthræ, n.3.p.609
Vitia veneficiis comparata, n.58.p.125. si involuntaria essent non vituperarentur, n.72.p.126
Vitia naturalia omnia curatu maximè difficilia,n.6.p.126.magna si sint, sunt insanabilia omnino, n.7.ib. in ætate meneriori magis emendabilia, n.9.ib.parva apparentia, n.21.ib. parva quæ magis sanabilia, n.12.ib.
Viticis longo usu viri Eunuchi redduntur, n.48.p.252
Vitii magnitudo unde æstimanda,n.8.p.226
Vitiligo. n.4.p.655
Vitium cui appellentur, n.10.p.191
Vitiosum animal fit, cum in dolorem & voluptatum fuga & persecutione non ut oportet, se gerit, n.10.p.194
Vitium est quid levius morbo, n.6.p 192
Vitriolum miræ virtutis in conservandis cadaveribus à putrefactione, n.p.318
Vitrum an sit venenum, n.28.p.169. datur ad calculum comminuendum optimè præparatum, ib. eo assumpto mori quis potest, n.29.ib.
Vituli recenter mactati carnes per horas aliquot tremere observantur, n.36.p.322
Vitulus biceps unico corpore, n.8.p.548
Vivendi meta quæ, n.47.p.19
Vivens omnis lato modo dicitur esse in mortis articulo, n.10. p154
Viventem non spirare, & spirantem non vivere, est impossibile, n.43.p.330
Viventia per multa absque nutrimento vivunt, n.11.p.299
Viventia omnia longo tempore vivere possunt absque eo,quod nutriantur ex Liceto, n.25.p.301. falsum, n.26.p.302
Viventia omnia per propria temperamenta constituuntur in esse individuali, n 25
Viventia non omnia uno modo ex benedictione Divina crescunt & multiplicantur, sed quælibet suo modo proprio & specifico, n.83.p.698
Vivens vegetativum, sicut nec sensitivum, non est capax Resurrectionis, n.108 p.700
Viventium corpora pro nobilitate & ignobilitate Animarum inter se differunt, n.122.p.703
Viventia cætera cum semine corpus & Animam soboli communicant, homo verò cum semine solum corpus, n.128. p.705
Viventium omnium spiritus vivificus inest in semine proportione respondens elemento stellarum, n.142.p.706
Viventium omnium sublunarium generatio, Naturæ à Deo commissa est, etiam Hominis quoad corpus,n.154.p.707
Vide *Generatio*.
Vivere non videtur is, qui in utero est, n.11 p.4. vivere qui non potest pro mortuo habetur, 23.p.33
Vivere dici non potest qui dormit, n.3.p.140. qui non potest, pro mortuo habetur, n.3.p.215
Vivere est calorem humido foveri, n.31,p.302
Vivit nihil, quod non nutriatur, n.27.ib.
Vivus an mortuus homo vulneratus sit,n.1 p.294.an in flumen submersus, n.3.4.ib. suspensus, n.5.ib.
Vlcera,ab aliquibus, quibus ingeniis excitentur,num.4.p.247. quomodo efficta deprehendi possint, n.6.ib.
Ulcera an excusent à jejunio, & quæ, n.361. dantur absque sanie, n.17.p.372
Ulcerantes sibi tibias, ut stipem mendicent, ut falsarii puniantur, n.3. p.243
Ulcus mediocre interdum grave esse poterit, n.10.p.195
Ulcus dicitur omnis morbus, n.9.p.372.est humidum,n.16. ib. quid sit, n.18.ib
Ulysses insaniam simulavit, n.2.p.251
Umbilicus non abscindendus fœtui antequam vel vocem emittat, vel sternutet, vel hujusmodi quidpiam efficiat, n.8.p.48
Umbilicus vulnera circa illam inflicta lethalia, n.25.p.375. nonnisi eo secto,moriuntur, qui viri exoriantur, ib.
Undecim mensibus an portari possit fœtus,n.5.p.46.Eos nonnullæ prægnantes attingunt, ib. in undecimo nasci non est præter Naturæ ordinem, sed nasci supra illum, ib.
Undecimestres septem constant quadragenariis, num.34 p.33. quot diebus nascantur, Hipp.n.6.p 46.quomodo ab Hipp. admissi,ib. eos non admittunt Leges, qui integris undecim mensibus constant, n.7.ib.
Ungues in extinctis ex veneno nigricant,& facillimè evellantur, n.30.p.177
Unges & pili in cadaveribus an & quomodo crescant, n.37. p.322
Unguibus cur aliqui fœtus careant, n.3.p.48
Ungula Palpebræ quid, n.19.p 637
Unzeri opinio de pestis veneno, & contagio, n.12.p.267.
Vociferatio stomachicis aliisquutilis n.14.p.569. & 14.p.579
Vocis expressio requiritur in recitandis divinis officiis, n 10. p.563.quantum debeat extolli in privata, quantumque in publica recitatione, n.12.ib. labores animam movent, n 9. p.566. intentio ad quid proficua,ib.Exercitatio ad corporis salubri

Rerum notabilium.

salubritatem confert, n.1.p.378. submissa innoxia, alta & acuta aliquando nocua, n.6.ib.
Volatica, n.10. p.200. faciem deformat, & oculis obest, n.19. p.201
Voluntariè agere quis non dicitur, nisi cognoscat finem agendi, n.30.p.131
Voluntas secundum Naturam boni est, præter naturam verò mali, n.70.p.126. ea deficiente cessat assensus, n.29.p.131. sine ea, quod fit, vel nullo modo, vel minus est punibile, n.17. p.141
Voluptas non minus, quàm dolor hominem demententem facit, n.31.p.117
Voluptas non est objectum adæquatum alicujus sensus, n.10. p.248. inest in omni sensu, n.11.ib. major in sensu Tactus, quàm in aliis, n.16.ib. est modus sentiendi, n.22. p.249
Voluptas mulieris in coitu non est una, sed multiplex, n.15. p.237. major quàm viri, ib. in emissione proprii seminis longè à viri voluptate superatur, n.17.p.238. cur sit minor in emittendo semen quam sit voluptas viri, n.18.19.ib.
Voluptates quæ ad rem veneream spectant, omnium maximæ habentur n.21.p.583
Volvulus, n.26.p.570
Vomica, vide *Empyema*.
Vomitus continuus arguit venenositatem, n.28.p.177. quomodo probet venenum internum, n.16.p.180
Vomitus quatenus, & quibus in casibus inducere debeat irregularitatem, n.8.p.644
Vomitus prohibet sacramenti Eucharistiæ sumptionem, n.13. p.760
Vomitus molestissimus in volvulo, seu Ileo, n.16.ib.
Morbi cum quibus associatur vomitus, prohibent sacramenti sumptionem, n.15.ib.
Vide *Morbus*.
Votum calore iracundiæ factum non tenet, n.24.p.124
Vox non semper amittitur, sermonis usu amisso, n.14.p.205
Vox in pubertate immutatur, n.21.p.13
Vox in virginibus suavior, quàm in corruptis n.17.p.336
Vox etiam absque viri congressu ex seminis ejectione in virginibus immutatur, n.16.p.332
Uranoscopus piscis, n.51.p.311
Urinæ color intensior quomodo procuretur, num.10.p.246. & quomodò remittatur, ib.
Urinæ difficultas, n.30.p.571
Urinæ profluvium, ib.
Urinæ incontinentia quid, & quandò faciat hominem irregularem, n.3.p.646. Incontinentia urinæ ex calculo videtur facere hominem irregularem, n.4.ib.
Urinam faciens an sanus sit, n.12.p.219
Urinam cientia etiam menstrua provocant, n.51.p.58. ex ea facilius mulieris cogitationes, quàm prægnantia deprehendi potest, n.26.p.61
Ursi totum hyemem vivunt sine cibo, n.11.p.299
Urticæ cineres revivisount n.4.p.326
Uteri humani cellulæ quinque, 3.5.p.50. Septem, ib. falsum, n.15. & 17.p.50. & seq. Ejus acetabula quid sint, n.18. p.51. Ejus clausura, n.30.p.61. Concepto semine quid agat, n.2.p.63. Ejus os in conceptione adeò connivet, ut ne specillum quidem tenuissimi mucronis admittat, n.4. ib. utitur collo ad attrahendum semen virile, ut ventriculus gulâ ad ingerendos cibos, n.30.p.72
Uteri suffocatio, ascensus, strangulatus, mulierum morbus familiarissimus, n.6. p.158
Uteri suffocatio aliquando est in causa, ut mulier tanquam mortua jaceat, nec facilè à verè mortuis distinguatur, n.41. p.329
Uterinus furor, Vide *Furor uterinus*.
Uterus humanus unica donatur cavitate, n.12.p.50. & n.15.ib. Sinus plures & incurvos habet, ex Hipp. n.19. p.51. ex ejus majori aut minori capacitate unus nascitur citius alio n.8. p.25. ejus magnitudo & parvitas in individuis respectu universalis naturæ, est qui per accidens, n.36.p.27. ejus angustia in causa est, ut fœtus debiles nascantur, n.37.ib. & num.14. p.50
Uterus tensus in muliere dum coit, respondet Penis erectioni in viro, n.35.p.231. cum naturaliter se habet, facilè relaxationem & coangustationem admittit, n.3.p.234. ejus coalescentia duplex, n.30.p.239. trahit sperma propter virtutem quam habet cum eo à tota specie, n.2.p.242. utitur collo, tanquam manibus ad attrahendum semen, ib.
Uterus non adeò rugosus in corrupta, ut in Virgine, n.7.p.337
Uterus an sit monstrorum causa, n.13.p.332. ejus angustia, aut amplitudo non videtur esse monstrorum causa, n.14. ib. quomodo possit esse causa monstrorum, n.15.ib. ejus tortuositas, n.16.ib. ejus pruritus, n.8.p.694
Uteri clausura non est semper unius generis, n.4.p.734
Uteri coalitus labiorum impedit coitum, & est quid diversum ab occlusione à Membrana facta, n.5.ib.
Uteri occlusio quandoque à carne præter naturam sibi data fit, n.6. ib.
Uteri exitus quando sit causa dissolvendi matrimonium, n.10 p.735
Uteri apostemata quæ, & quando causam præbeant dirimendi matrimonium, n.11.p.736
Uteri ulcera quæ, & quando dissolvendi Matrimonium causa esse possint, n.12.ib.
Uteri fluxus duplex & quinam ac quando possit Matrimonii dissolutioni causam præbere, n.13.ib.
Uteri clausura quæ nam remediis non cedat, n.16.p.765
Uteri angustiam quando evinci remediis sit impossibile, n.17. p.766
Uteri exitus quando consummationem matrimonii impediat, & remediis non possit restaurari, n.19.ib.
Uteri apostemata quæ sint irremediabilia, n.21.ib.
Vulnera quæ excusent à jejunio, n.32.p.361.p.indifferentia à jejunio excusant, n.34. ib. ex capite lethalia, si sanantur, relinquunt hominem perpetuò debilitatum, n.3.p.377. tres termini constituuntur pro eorum securitate, n.5.p.381. terminus acutorum in lethalibus acceptandus, n.12.ib. eorum materia est admodum practicabilis n.1.p.371. eorum differentiæ permultæ, n.1 p.373. lethalia duplicia, n.2.ib. differunt in qualitate, n.3.ib. eorum divisio, n.4.ib. de necessitate lethalia quæ, n.5. & 12.ib. omnia possunt hominem occidere, 16.ib. necessario lethalia sunt, quæ cor lædunt, n.21. p.374. lethalia secundum plurimum n.24.p.375. non lethalia quæ, n.26. ib. lethalia ex qualitate vulnerum, n.27.ib. quo tempore magis periculosa, n.30.p.376. etiam simplicia in aliquibus difficulter sanantur, num.15.p.377. non lethalia quomodo fiant lethalia, n.10.ib. non potest illis assignari certus terminus securitatis, n.2.p.381
Vulnera quæ excusent à divinorum recitatione, n.35.p.372. quæ excusent à redditione debiti, n.32.p.374
Vulnera Capitis insignia, ejusque vehementes percussiones faciunt coitus impotentiam, n.3.p.730
Vulnera partium nobiliorum coitum abscindunt, numero 8. p.734
Vulnerans infirmum etiam non existente vulnere mortali, tenetur de homicidio, si decedat, n.32. p.376. non excusatur à malo regimine vulnerati, si vulnus erat mortale, n.1.ib. de homicidio non tenetur, si vulnus erat indifferens, n.3.ib. punitur juxta exitum vulneris, n.1.p.378. armis venenatis tenetur de veneno, n.1.p.385
Vulneratæ partes citissime corrumpuntur, n.23.p.320
Vulneratus potest à vulnere sanari, & eodem tempore ex alia causa mori, n.11.p.373. præsumitur semper ex vulnere decessisse si erat lethale, n.2.p.377. non quilibet ejus error culpari potest si ex vulnere dicatur suo ipsius errore mortuus, n.12.ib. si intra triduum decedat, præsumi debet ex vulnere mortuus, quibuscunque non obstantibus, n.13.p.381. quod amplia etiam ad 7.n.14.ib non præsumitur mortuus ex vulnere quod Medici judicarunt esse salutare, n.13.p.383. si post triduum surrexerit de lecto, & ambulavit, vulnerans non tenetur de homicidio, si de hinc decedat, numero 18 p.384
Vulnere ex sua natura lethali existente, ex eo mors censenda eveniss, etiamsi, &c. n 113.p.87
Vulnus an mortale sit, necne, statur judicio Medicorum, n.2. p.371. est unitatis solutio, n.8.p.372. quid propriè sit, n.10 & seqq.ib. datur absque sanguine, num. 13.ib. & n.1.p. 391. pro una eademque re cum ulcere à Galeno accipitur, n.15. p.372. quomodo differat, n.16. & 19.ib. quando degeneret in ulcus n.20.ib. potest esse ex sua natura lethale, & tamen vulneratus superesse, num.7.p.375. simplex in carnosa parte totum, n.14.p.374. potest esse salutare, & tamen homo ex alia causa mori, n.17.ib leve non præsumitur lethale, n.20.ib. si non sit lethale, vulneratus non præsumitur ex eo mortuus, n.4.n.377. non lethale quomodo ex culpa Medici fiat lethale, n.9.ib. & ex culpa ægroti num. 10. ibid. paria sunt ex vulnere, aut ex morbo à vulnere causato interire, n.15.p.383. Ejus accidentia si remittant, non præsumitur fuisse lethale, n.17.19.ib. & seq. ante tempus futile consolidatum quæ significent, n.29.p.385
Vulnusculum potest esse grave vulnus, n.9.p.195
Vulnusculum in digito non judicatur mortale, n.15 p.374. non dicitur vulnus, num.18. ib. quomodo aliquando occidere possit, n.13p.376
Vulpes totam hyemem sine cibo degunt, n.11.p.299
Vulvæ orificium in virginibus crispum secundum Averroëm, n.12.p.336

Index Rerum notabilium.

Vva præcisa magis tollit quàm faciat morbum, n.28.p.208. exsecta quæ mala afferat, n.27.ib. quid vocetur, n.28.ib. tabidos facit, n.30.ib.

Vvierus erroris notatus, n.4.p.335

Vulva, n.28.p.208

Uxor Gorgiæ apud Hippocratem quatuor annis menstruis destituta, tamen concepit, n.30.p.56. Ejus historia molam patientis n.11.p.70

Uxor dignitatis nomen, non voluptatis est, n.45.p.588. cur minus excusetur quàm vir in reddendo debito, n.1.p.595. illi an sit reddendum debitum, si sit imperforata, num.11. p.605

X.

Xyloaloes ad Virginitatem deprehendendam, numero 18. p.339

Y.

Ybosis quid, n.6.p.650

Z.

Zacutus Lusitanus, n.7.p.177

Zeno Imperator non est mortuus ex syncope, n.37.p.329

Zephyrus, qui & Favonius dicitur, n.435

Zerma, n.13.p.198

Zerna, ibid.

FINIS TOMI PRIMI ET SECUNDI.

PAULI

ZACCHIÆ

ROMANI,

TOTIUS STATUS ECCLESIASTICI

PROTO-MEDICI GENERALIS,

QUÆSTIONUM

MEDICO-LEGALIUM

TOMUS TERTIUS.

QUO CONTINENTUR

CONSILIA ET RESPONSA LXXXV.

Ad Materias Medico-Legales pertinentia;

NECNON

DECISIONES S. ROTÆ ROMANÆ,

AD PRÆDICTAS MATERIAS SPECTANTES,

à Cl. D. LANFRANCO ZACCHIA Collectæ.

OPUS OMNIBUS MEDICINÆ ET JURIS UTRIUSQUE PERITIS, necnon Tribunalium (Ecclesiastici, Civilis) Assessoribus maximè necessarium.

CUI PRÆTER CONSILIORUM ET DECISIONUM ELENCHOS, ACCESSIT Index Rerum Notabilium accuratissimus.



LUGDUNI,

Sumptibus ANISSON & JOANNIS POSUEL.

M. DCCI.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

PAULI

ZACCHIAE

ROMANI,

TOTIUS STATUS ECCLESIASTICI

PROTO-MEDICI GENERALIS,

QUAESTIONUM

MEDICO-LEGALIUM

TOMUS TERTIUS

QUO CONTINENTUR

CONSILIA ET RESPONSA LXXXV.

Ad Historias Medico-Legales pertinentia.

NUNC PRIMUM

DECISIONES S. ROTAE ROMANAE,

AD EIUSDEM MATERIAS SPECTANTES,

A Cl. D. Laurentio Zacchia Collecta.

OPUS OMNIBUS MEDICINAE ET JURIS UTRIUSQUE PERITIS,

(cum Indice, (Buchstaben, Grafik) Rerum maxime necessarium.

Cui Praxes Consiliorum et Decisionum Recentiores, Accessit

Index Rerum Notabilium accuratissimus.



LUGDUNI,

Sumptibus Anisson & Joannis Posuel.

M. DCC.

CUM PERMISSU SUPERIORUM

ELENCHUS
TOMI TERTII
CONTINENS RESPONSA SEU Consilia Octoginta quinque, ad materias Medico-Legales pertinentia.

Necnon Decisionum Sacræ Rotæ Romanæ, ad easdem materias spectantium, Centuriam.

CONSILIORUM Argumenta.

CONSIL. I.

DE Epilepsiæ & Hydrocephali miraculosa sanatione ad invocationem B.Laurentii Justiniani. pag. 1.

II.

Religiosa Octogenaria membrorum omnium stupore conflictata, & miraculo sanatur. p.3. & seq.

III.

Alia Religiosa brachiorum arthritide cum tophis, ad invocationem ejusdem B. Laurentii Justiniani sanatur. pag.5.

IV.

Quidam febre & Tetano laborans, in extremo vitæ periculo existens B.Laurentino Justiniano se commendat, & illicò sanatur. pag.6.

V.

Alius ejusdem B.Laurentii Justiniani intercessione, sciaticâ liberatur & sanatur. pag.7.

VI.

Monialis dolore sciatico cum stupore & motûs impotentia sinistri cruris vexata, invocato B. Laurentio Justiniano sanatur. pag. 8. & seq.

VII.

Quidam œdematoso tumore crurum cum ulcere miraculosè sanatur. p.10.

VIII.

Nobilis mulier cancroso tumore ulcerato laborans, implorato B.Laurentio Justiniano mirabiliter sanatur. p.11.

IX.

Alia,in extrema pariendi difficultate,& jamjam moriens, B. Gregorio X. Pontifici Max.commendata, feliciter enixa. p.12.

X.

In eadem causa objectionibus Sacræ Congregationis Rituum respondetur. p.14.

XI.

Ut Valetudinarius quidam esu piscium & ovorum abstineat, semperque carnibus vesci debeat. p.15.& seq.

XII.

Conjux propinati veneni accusatus defenditur. pag.16.

XIII.

De eadem materia. p.16

XIV.

De eadem re; & utrum Antimonium sit venenum. p.20.

XV.

An quispiam ex propinato veneno, vel ingenito occubuisset, quæritur & resolvitur. p.21.

XVI.

In eadem causa Author à Fiscali Magistratu requisitus pro veritate respondet. pag.22.& seq.

XVII.

An Epilepsia laborans statim post paroxysmum possit validè se obligare. p.24.

XVIII.

An amissa memoria, de necessitate amittatur rationis usus & ex eo capite possit irritari testamentum. p.25.

XIX.

De signis suffocationis à causa extrinseca, vel intrinseca. p.26.

XX.

Index Conſiliorum.

XX.

De ſalubritate aëris, & ex quibus dignoſcatur an ædificium vicini illi noceat. pag.27.

XXI.

De ſimulato dolore capitis pro obtinendo Coadjutore in beneficio, & ex quibus conjecturis ſimulatio detegi poſſit. p.28.

XXII.

De fœmina monſtrum brutinam formam referens bis enixa; ubi reſolvitur ſuſpectam eſſe beſtialitatis, indiciumque ſufficiens ad torturam. p.29. & ſeq.

XXIII.

Quod febriculis per intervalla detentus cum articulorum doloribus generare poſſit; nec ex eo debeat ejus uxor violatæ pudicitiæ, aut ſuppoſiti partus adulterini accuſari. p.32.

XXIV.

De Obſtetricibus, & an illis liceat puerperis, ſeu prægnantibus aliquid per os exhibere, incõſulto Medico, in caſu extremæ neceſſitatis. p.34.

XXV.

Quod ex ſoporoſo affectu poſt crapulam ſubſecuto, deindéque accidente etiam infatuatione, non liceat veneni propinationem arguere, p.35

XXVI.

De ſignis Prægantiæ; & ex quibus judicari poſſit mulierem ex illa, aut potius ex febre maligna ſuperveniente deceſſiſſe, ad lucrum ſocietatis. p.38.

XXVII.

De ſignis Peſtis, & ex quibus dignoſcatur hominem ex illa periiſſe, necne; ad exceptionem, vel lucrum ſocietatis. p.40.

XXVIII.

Excluditur ſuſpicio morbi Gallici ex variis indiciis orta; ratione cujus ſponſalia de futuro diſſolvere parentes ſponſæ volebant. p.42.

XXIX.

Affectu ſoporoſo, ſeu lethargo, vel pſeudolethargo detentus an penſiones transferre poſſit. p.44.& ſeqq.

XXX.

Puerulus quindecim menſium poſt menſtruam febrem graviſſima ſyncope oppreſſus, B. Fælici commendatus illicò reviviſcit, ac perfectè ſanatur. p.46.

XXXI.

Apoplexiâ laborans morti proximus, cum ſui juris non ſit, penſiones transferre non poteſt. p.46.

XXXII.

Puer quinquẽnis ex variolis ſtrãgulatus ac ſemimortuus, B. Fælici commendatus, illicò vocem magnam emittens reviviſcit & ſanatur. p.47.

XXXIII.

Pecuniæ in ſocietatem datæ ſub periculo vitæ mulieris prægnantis, illa decedente, quando amittantur, vel non. p.48.

XXXIV.

Quidam ſtupri accuſatus à puella, ampla loca habente, & perpetuo fluxu albo humecta, oſtendit ſe membrum obtruncatum & exile habere, & hac ratione ſe liberavit.

XXXV.

An auriculæ mutilatio cum cicatrice inducat irregularitatem. p.50.

XXXVI.

An conjugi longa fœdaque ſcabie detento matrimoniale debitum jure denegare poſſit, ob-

periculum infectionis.

XXXVII.

Ex quibus cognoſcatur an partus ſit abortivus necne, ad effectum ut mater illi poſt aliquot dies decedenti ſuccedere poſſit. p.51.

XXXVIII.

An fiſtula in pectore à Chordæ tormento reum eximere debeat. p.54.

XXXIX.

De Mola; & an abſq; virili ſemine generari poſſit. ad effectum ut mulier hæres inſtituta ſub conditione, *ſi honeſtè vixerit*, non obſtante molæ ejectione poſt mortem viri, poſſit conſequi hæreditatem. p.55.

XL.

An Medicus imperitus, ex cujus culpa & imperitia æger periit, ſubjaceat legum animadverſioni. p.57.

XLI.

De relatione & diſcordia Obſtetricum referentium ſuper ſtupro prætenſo, & ex quibus peritia, vel imperitia illarum dignoſcatur, ad rei veritatem detegendam. p.58.

XLII.

An ex ſemine prope uterum ejecto, abſque penis intromiſſione, mulier concipere poſſit. p.60.

XLIII.

Religioſus quidam ex apoplectico paroxyſmo convaleſcens, an à divinorum officiorum recitatione ſit eximendus, ob debilitatem inde contractam, & metum Recidivæ. p.62.

XLIV.

Excluditur præſumptio & ſuſpicio veneni propinati, vel ſtrangulationis per vim externam cujuſdam incarcerati, qui cum fabas ſemicoctas comediſſet, & præ frigore intenſo foculum ex carbonibus excitaſſet, mortuus ibi repertus eſt, p.63.

XLV.

Puella duplici vulnuſculo forcipibus in oculo accepto ad Corneam penetrante, unde albugineus humor in totum effluxerat, ad invocationem B. Felicis Cantalicii, perfectiorem, quàm anteà haberet, viſum recuperat. p.64.

XLVI.

Mulier prægnans, ex laboribus perpeſſis in proprio marito curando, in febrem acutam incidit, unde abortivit atque mortua eſt; quæritur an ſit locus exceptioni, vel lucro pecuniarum ſocietatis ſuper periculo illius vitæ initæ. p.66.

LXVII.

An percuſſio gravior ſuper Renes mulieris prægnantis poſſit eſſe cauſa abortus, hæmorragiæ & morris inde ſequutæ. p.67.

XLVIII.

Decernitur an Jejunii leges obſervare poſſit & debeat is, qui aliàs ob infirmam valetudinẽ diſpenſatus, ex mutatione aëris, & labore itineris ita profecit, ut poſt tres ann. reverſus optima ſanitate fruatur, an verò ex uſu ciborũ Quadrageſimalium Recidivæ periculũ incurrat. p.68.

XLIX.

Quod dentur morbi, & alia ſanitatis incommoda veneficiis Diabolicis excitata, qualia conſiderantur hic. p.70.

L

Puella ruſtica muta ac ſurda à nativitate, à proprio parente cõpreſſa, an à pœna ſit excuſanda ob naturalem intellectûs imbecillitatem. p.73.

Index Consiliorum.

LI.

Ex duobus eadem ruina oppressis quis censeatur prior periisse ; ad ornatum *leg. qui duos, §. cum in bello, ff. de reb. dub.* p.75. & seq.

LII.

Qualis imperfectio intellectus probari debeat ad excludendam Monialem à professione solemni. p.77. & seq.

LIII.

De puerpera, quæ cum à die partûs aliqualē sensisset infirmitatem, tandem 90. à partu die febre acutissima correpta obiit, quæritur an pecuniæ super ejus vitæ periculo in societatem datæ amissæ sint, vel sit exceptioni locus. p.79.

LIV.

De alia idem quæritur, quæ ab ortum passa, nec benè repurgata iterum concepit, unde post continuas molestias, octavo mense febre correpta iterum abortivit, & ea eo morbo obiit. p.80.

LV.

Idem de alia, cujus puerperia tertia à partu die suppressa sunt, deinde febre acuta correpta, tandem septima apoplectica interiit. p.81.

LVI.

Similiter de alia, quæ sexto gravidationis mense Hydrope correpta instante justo tempore partus, cum ipsius Hydropis symptomatibus obiit. p.82.

LVII.

De alia, quæ post multos labores circa meritum ægrotantem perpessos, præ nimio mœrore in febrem ardentem incidit sexto mense, & abortivit, & ex ea febre obiit. p.83. & seq.

LVIII.

An sexagenarius infirmæ valetudinis, sit jure merito solutus ab observantia jejuniorum, secluſa omni indulgentia Medicorum, ita ut cibis Quadragesimalibus vesci non possit absque certo vitæ periculo. p.84.

LIX.

De Epileptico sanato ad sacros Ordines promovendo, & an prægressa Epilepsia illi impedimento sit propter irregularitatem. p.86.

LX.

De probatione filiationis, & qualis ex similitudine præsumptio colligitur ad hunc effectum. p.87.

LXI.

Quæ hominis effigiem immutare possint, ubi de quodam milite per longum tempus absente, cui reverso parentum hæreditatem reposcenti consanguinei restituere recusabant. p.88.

LXII.

An percussor homicidii pœna teneatur, ubi ex Chirurgi imperitia & negligentia percussus periit : & de vulneribus capitis. p.91. & seq.

LXIII.

Examinantur infirmitates quædam, an præbeant legitimam causam impetrandi Coadjutorem in beneficio. p.93.

LXIV.

De Moniali quæ, à clausura dimitti petebat propter morbos quibus se perpetuò conflictari causabatur : & quæ infirmitates ad hunc effectum probari debeant. p.95.

LXV.

An carunculæ inducant sterilitatem sive impotentiam insanabilem, quæ ideo impediat generationem prolis ex Matrimonio, ad hoc ut substitutio filii naturalis sortiatur ex nunc suum effectum. p.96. & seq.

LXVI.

De superfœtatione, sive de muliere cujus vir in rixa occubuerat, ipsa verò cum octavo post mense fœtum edidisset imperfectum, alio mense post, alium etiam perfectum & bene formatum peperit, quem ideo consanguinei mariti defuncti, ab alio viro superfœtatum dicebat, ad excludendum illum ab hæreditate paterna : sed jura ipsius & pudicitia matris hoc responso defenduntur. p.98.

LXVII.

De Partu naturali & legitimo, & an fœtus ex ventre matris lethali ægritudine defunctæ vivus extrahi potuerit, ad effectum successionis. p.100.

LXVIII.

De dissolutione Matrimonii propter impotentiam coëundi & generandi, ex ætate sexagenaria, & fistula in perinæo præsumptam, non expectato triennio. p.102. & seq.

LXIX.

Ex quibus dignosci possit, mulierem recenter peperisse, aut potius menstruorum diù retentorum profluvium passam fuisse ; ad defensionem cujusdam falsò accusatæ quod fœtum perdidisset. p.104.

LXX.

De debito conjugali, & quod moderatè redditum non noceat viro quantumvis articulorum morbo detento. p.106.

LXXI.

An, & quomodò Medicus cogi possit ad medendum, & quid in tempore pestilenti. p.108.

LXXII.

Membrana matricis collum occludens, parvis foraminibus pervia, non impedit conceptionem ; & quamvis liberum mariti congressum non admittat, si tamen amovibilis sit arte Medica ; ut contigit in facto, non propterea dissolvitur matrimonium : & de aliis ad materiam pertinentibus. p.113.

LXXIII.

Mortuo marito, mulier quædam, nulla interjecta mora, alium virum, cum quo postea secundas contraxit nuptias admisit, quæ post 173. dies filium enixa est, & quæritur cujusnam filius censendus sit. p.114. & seq.

LXXIV.

Mors urgentiori causæ ttribuenda est ; unde in concursu vulneris accepti, & morbi pestilentis, resolvitur pestem fuisse veram mortis causam, non vulnus. p.117.

LXXV.

Concubina cujusdam Septuagenarii simulque valetudinarii, concubinatûs tempore amasium alium juvenem deperibat, cum quo habuit consuetudinem, quæ cum intra biennium duos filios peperisset, & mortuo illo septuagenario instaret pro alimentis dictorum filiorum tanquam ex illo procreatorum, eluditur ejus petitio ex inhabilitate illius septuagenarii. p.119.

LXXVI.

An Gemellorum imparis sexus fœmina ad generandum inhabilis ex eo censeri debeat. p.121.

LXXVII.

Putredo cadaveris excludit præsumptionem propinati veneni : & ex quibus dignosci possit quempiam ex veneno ingenito, vel externo periisse, p.122. & seq.

LXXVIII.

Pactū cōmorandi perpetuò in loco, in quo quis matrimonium contraxit, an valeat? Quid si ne-

ceſſitas recedendi urgeat ob infirmitatem? Et quid demum, ſi novum domicilium uxori noxium ſit. pag.124

LXXIX.

Revocatio cujuſdam juvenis ſubmerſi ad vitam examinatur an miraculo tribuenda ſit, pag.126.

LXXX.

An morbus Gallicus cum bubonibus copiosè fluentibus, potuerit eſſe remedium naturale ſufficiens ad Epilepſiam curandam. p.128.

LXXXI.

An periculum cæcitatis ſit juſta cauſa renunciandi Epiſcopatui, ubi ex aëris malitia immineret. p.129

LXXXII.

Quod membri virilis detruncati brevitas & ſeguities quædam ad coëundum, non impediant matrimonium nec generationem, modò coitus inceptus rectè perfici poſſit. p.131

LXXXIII.

Diluuntur cauſæ quædam ex quibus contendebat Medicus aliquis frigiditatem & ſterilitatem mulieris probare, cum qua vir matrimonium contrahere cupiebat ſecluſo hoc impedimento. p.135

LXXXIV.

Impetrato Coadjutore à quodam Archidiacono ob varias infirmitates quibus detinebatur, Capitulum gratiam impugnavit ſubreptionis, unde examinantur rationes utriuſque Partis, & reſpondetur hic pro validitate Gratiæ. p.136

LXXXV.

Cùm vir & uxor ruri exiſtentes fungorum veneno extincti eſſent, nemine præſente, famulis præſidia per villas vicinas requirentibus, Dubitatum fuit quis eorum ſupervixiſſet, ad effectum ſucceſſionis cujuſdam in capitulis matrimonialibus contentæ ad favorem ſuperſtitis. p.138



INDEX DECISIONVM S. ROTÆ ROMANÆ.

Juxta ordinem Alphabeticum Cauſarum digeſtus.

A

1. ANCONITANA (*Coram*) Incendii, 30 Maii, 1588. *Comitulo.* 150
2. Auximana Alimentorum, 1. Jun. 1620. *Pirouano.* 181

B

3. Bononienſis Bonorum de Muletis, 17. Jun. 1602. *Pamphilio.* 159
4. Bonon. de Gargantib. 27 Jan. 1607. *Marcomontio.* 165
5. Bononienſ. Profeſſionis, 9. Decembris 1611. *Ubaldo.* 171
6. Bononienſ. Fideicommiſſi de Ramundinis, 15. Febr. 1636. *Dunozetto.* 214
7. Bononienſ. Pecuniaria, 10. Januar. 1650. *Otthobono.* 245
8. Bononienſ. Hæreditatis, 14. Martii 1651. *Bichio.* 249
9. Bononienſ. Fideicommiſſi de Buccaferris, 24. Maii 1655. *Zarate.* 251

C

10. Calaguritana Divortii 13. Junii 1584 *Bubalo.* 148
11. Cremonenſ. Penſionum, 21. Febr. 1614. *Pirouano.* 174
12. Camerinenſ. Matrimonii, 9. Febr. 1624. *Buratto.* 193
13. Colonienſ. Canonicatus S. Urſulæ, 27. Jan. 1627. *Ubaldo.* 200
14. Cordubenſ. Dimidiæ Portionis, 11. Feb. 1628. *Durano.* 201
15. Calaguritana Beneficii della caſa della Reina, 4. Jul. 1646. *Veroſpio.* 238

E

16. Eugubina Beneficii, 1. Mart. 1619. *Buratto.* 180
17. Elnen. Canonicatus, 6. Junii 1631. *Ghiſilerio.* 207

F

18. Faventina Matrimonii, 1. Februarii 1585. *Seraphino.* 149
19. Florentina Oratorii, 18. Mart. 1630. *Quaſpio.* 205
20. Florent. Canonicatus, Jun. 1630. *Veroſpio.* 206
21. Farfen. Bonorum, 23. Januar. 1647. *Corrado.* 239

G

22. Gennienſ. Theſaurariæ, 21. Jun. 1621. *Buratto.* 184
23. Giennenſ. Theſaurariæ, 24. Martii 1624. *Buratto.* 194
24. Giennenſ. Theſaurariæ, 24. Novembris 1634. *Veroſpio.* 209
25. Gerundenſis Altius non tollendi, 24 Nov. 1636. *Coccino.* 217
26. Gerundenſis Canonicatus & Sacriſtiæ, 13. Maii 1637. *Veroſpio.* 220
27. Gerundenſis Coadjutoriæ, 26. Junii 1637. *Motmanno.* 224

H

28. Hipporegien. prætenſi Matrimonii, 1. Decemb. 1539. *Comitulo.* 151

L

29. Leodienſis Fructuum, 31. Maii 1604. *Litta.* 163
30. Lucana Molendini, 18. Dec. 1617. *Coccino.* 179
31. Leodienſ. Caſtri de Mombech. 15. Dec. 1634. *Pirouano.* 213

M

32. Mediolanenſ. Bonorum de Vicecomitib. 31. Maii 1591. *Comitulo.* 153
33. Mediolanenſ. Hæreditatis, 18. Maii 1598. *Seraphino.* 153
34. Melitenſis Teſtamenti, 17. Febr. 1612. *Manzanedo.* 171
35. Melevitana Antianitatis, 1. Julii 1643. *Veroſpio.* 230
36. Melevitana Antianitatis, 14. Dec. 1643. *Veroſpio.* 231

N

37. Neapolitana Separationis Tori, 26. Maii 1623. *Buratto.* 188
38. Neapol. Separationis Tori, 28. Jun. 1624. *Buratto.* 195

P

39. Pampilonenſis Abbatiæ de Azagra, 20. Jun. 1603. *Ludoviſio.* 62
40. Pampilonenſ. Matrimonii, 11. Dec. 1615. *Coccino.* 176
41. Peruſina Hæreditatis, 12. Jun. 1617. *Buratto.* 177
42. Pampilonenſ. Matrimonii, 13. Maii 1622. *Coccino.* 184
43. Pampilonenſ. Matrimonii, 16. Jan. 1623. *Coccino.* 188
44. Piſaurenſis Jocalium, 22. Junii 1648. *Arguellet.* 240
45. Peruſina Penſionis, 6. Maii 1649. *Peutingerio.* 244
46. Peruſina Penſionis, 9. Dec. 1650. *Peutingerio.* 248

Index Decisionum.

R

47. Romana prætensæ Societati, 27. Iun. 1569. *Oradino.* 143
48. Rom. Causæ obitus, 6. Iunii 1580. *Aldobrandino.* 146
49. Romana Hæreditatis de Picchis, 15. Iunii 1580. *Vicecomite.* 147
50. Rom. Donationis Annuli, 10. Maii 1589. *Mantica.* 150
51. Roman. Hæreditatis, 13. Novemb. 1592. *Peña.* 152
52. Rom. successionis de Sabellis, seu Restitutionis dotis, 27. Maii 1596. *Peña.* 156
53. Rom. Societatis, 10. Dec. 1597. *Lancellotto.* 158
54. Rom. Redhibitionis Librorum 2. Iunii 1599. *Mellino.* 158
55. Roman. Invaliditatis Matrimonii, 28. Febr. 1603. *Peña.* 161
56. Rom. Invaliditatis Matrimonii, 14. Ian. 1605. *Peña.* 164
57. Rom. Invaliditat. Matrimonii, 28. Aprilis 1606. *Peña.* 164
58. Rom. Bonorum 26. Iunii 1609. *Coccino.* 167
59. Roman. Stupri, seu Dotationis. 19. Martii 1610. *Sacrato.* 167
60. Rom. Societatis, 16. Nov. 1612. *Cavalerio.* 172
61. Roman. Societatis Officii, 8. Martii 1613. *Cavalerio.* 173
62. Roman. Census scutorum 18000. 11. Martii 1613. *Coccino.* 173
63. Rom. Donationis de Gualterucciis, 13. Nov. 1615. *Cavalerio.* 176
64. Rom Societati officii, 11. Jan. 1619. *Sacrato* 179. & seq.
65. Rom. Bonorum, 17. Maii 1621. *Buratto.* 182
66. Rom. Altius non tollendi, 30. Maii 1622. *Buratto.* 185
67. Rom. Donationis de Gualterucciis, 12. Decemb. 1622. *Cavalerio.* 187
68. Rom. Hæreditatis de Arigoniis, 13. Nov. 1624. *Manzanedo.* 196
69. Rom. Donationis de Incasatis, 26. Junii 1626. *Merlino.* 199
70. Rom. Successionis, 19. Jan. 1629. *Durano.* 201. & 203
71. Rom. Quarti Dotalis, 26. Nov. 1633. *Dunozetto.* 208
72. Rom. Quarti Dotalis, 20. Nov. 1634. *Dunozetto.* 208
73. Rom. Dotis, seu Filiationis, 11. Dec. 1634. *Merlino.* 211
74. Rom. Quarti Dotalis, 15. Jun. 1635. *Dunozetto.* 214
75. Rom. seu Tudertina Educationis, 14. April. 1636. *Pirovano.* 215
76. Rom. Officii Mandatariatus, 1. Jun. 1637 *Panzirolo.* 225
77. Rom. Filiationis, 1. Julii 1639. *Carillo.* 227
78. Rom. Fideicommissi, 23. Jun. 1642. *Bichio.* 228
79. Rom. Nullitatis Matrimonii, 19. Jan. 1646. *Arguello.* 234. & seq.
80. Rom. Nullitatis Matrimonii, 19. Jun. 1651. *Ottobono.* 251
81. Rom Primogenituræ, 7. Maii 1657. *Dunozetto.* 252
82. Rom. prætensæ Filiationis, 22. Jun. 1657. *Verospio.* 258

S

83. Senogall. Fructuum, 29. Maii 1595. *Seraphino.* 155
84. Senensis Matrimonii, 17. Maii 1596. *Mantica.* 155
85. Salamantina Coadjutoriæ, 20. Jun. 1594. *Peña.* 156
86. Salamantina Dimidiæ Portionis, 23. Jan. 1609. *Marcomentio.* 166
87. Senogall. Bonorum, 30 Maii 1644. *Cerro.* 232
88. Senogall. Bonorum, 15. Maii 1645. *Cerro.* 233

T

89. Taurinensi Dissolutionis Matrimonii, 16. Martii 1590. *Platto.* 154
90. Taurinens. Matrimonii, 2. Decem. 1611. *Peña.* 168
91. Tiburtina hæreditaris, 22. Jun. 1617. *Carillo.* 221
Sup. 75. Tudertina seu Rom. Educationis, 14. Aprilis 1636. *Pirovano.* 216
92. Tolerana Nullitatis matrimonii 18. Feb. 1639. *Coccino.* 226
93. Tridentina Matrimonii, 27. Jun. 1646. *Celso.* 237. & seq.
94. Tridentina Matrimonii, 15. Martii 1650. *Albergato.* 247

V

95. Vlixbonen. Professionis, 22 Junii 1579. *Cantuccio.* 143
96. Vlixbonens. Professionis, 16. Nov. 1580. *Cantuccio.* 147
97. Venusina Legati, 28. Junii 1623. *Coccino.* 188
98. Venetiarum Matrimonii, 29. Nov. 1604 *Peña.* 197
99. Valentina Coadjutoriæ, 12. Jan. 1637. *Coccino.* 118
100. Virdunens. Fructuum, 5. Jul. 1604. *Peña.* 163

QUÆSTIO

QUÆSTIONUM MEDICO-LEGALIUM TOMUS TERTIUS,

EXHIBENS

Consilia & Responsa, cum annexis Sacræ Rotæ Romanæ Decisionibus, Ad Materias Medico-Legales pertinentia.

CONSILIUM PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Agebatur coram Illustrissimis & Reverendissimis DD. Rotæ Auditoribus de Canonizatione Beati Laurentii Justiniani, ad cujus sanctitatem magis magisque probandam multa proponebantur opera miraculosa, ejus meritis & invocatione successa: circa quorum tamen nonnulla dubitari contingit, an verè miraculosa dici deberent, necne? Et nos ad instantias Religiosorum, qui hujusmodi canonizationem promovebant, super nonnullis pro veritate scripsimus. Inter hæc autem offerebatur primò puer quinquennis, nomine Laurentius Maphæus, qui sævissima Epilepsia, & Hydrocephalo per plures menses molestatus, Beato Laurentio Justiniano per parentes suppliciter commendatus, illicò à voto emisso, melius habuit, & brevissimo Tridui spatio integram sanitatem est consecutus.

SUMMARIUM.

1 *Epilepsia est morbus Pueris familiaris.*
2 *Epilepsia quid sit.*
3 *Hydrocephalus quid.*
4 *Hydrocephali duo præcipua genera.*
5 *Morbi à flatu excitati citò dissolvuntur.*
6 *Epilepsia à flatibus secundum Hippocratem.*
7 *Hydrocephali aquosi quatuor species.*
8 *Hydrocephali interni non curantur, quod de tertia specie verificatur.*
9 *Motus ab interioribus ad exteriora bonus, contra verò malus. Declara ut num. 11.*
10 *Sanationes, quæ ob aliquam crisim præcedentem referri possunt ad opus naturæ, non judicanda miraculosa quantum est ex hoc.*
11 *Epilepsia quàm gravis morbus.*
13 *Symptomata nullam requirunt per se curationem.*
14 *Putri ob nimiam frigiditatem, & humiditatem Cerebri Epilepsia tentantur.*
15 *Morbi sanari non possunt, nisi eorum causa tollantur.*
17 *Epilepsia in pueris sanatur ob Ætatis mutationem.*

1 DUPLICI morbo laborabat puer hic de quo agitur, Epilepsia nempe, & Hydrocephalo, licèt utrique ad unam tantùm originariam causam referri possit. aut potuerit facili negotio alter alterius esse causa, cùm facillimè ab Hydrocephalo potuerit habere dependentiam Epilepsia, vel vice versa Hydrocephalus ab Epilepsia, vel à materia ipsâ excitante: quomodocunque tandem tamen sese res habuerit, casus erat humana arte, aut naturæ ope omninò irreparabilis, quod ut probetur & consequenter constet, puerum ex mero miraculo fuisse sanatum, utriusque morbi natura non tam in abstracto & in universali, quàm in concreto, & in hoc particulari subjecto venit examinanda.

2 Ante tamen existentiam utriusque morbi remanere oportet clarissimè probatam, quod ex Testium depositionibus ad hoc examinatorũ plenissimè habeatur: nam de Epilepsia nullum intercedere potest dubium; satis enim apertè illam delineant prædicti Testes quibus facilis cognitu, ut quibuslibet aliis personis esse solet, existebat, cùm sit morbus puerulis familiarissimus, teste Hippoc. *in lib. de morb. sacr.* cæterisque Medicinæ Doctoribus; nam idcircò puerilis vocatur. & cùm habeat signa patentissima, nempe casum subitaneum, raptum extra mentem membrorũ contorsiones, spumam ab ore procedẽtem, & alia, quæ vel ipsis mulierculis sunt notissima, quæ omnia ex universali convulsione eveniunt, cùm Epilepsia nihil aliud sit quàm universalis corporis convulsio, ut docent Medici omnes Gal. *l. 3. de loc. aff. c. 7.* Avic. *p. 3. tr. 5. cap. 8* Mercurial. *lib. 1. de morb. Puer. cap. 3. & lib. 1. Pract. cap. 17.*

De Hydrocephalo quoque ex eorundẽ testium depositionibus patet, nam Decimus octavus *super 61. in sum. n. 1.* per hæc 3
verba deponit, *se gli gonfio la testa come un pallone*, & Trigesimus primus super eodem *in sum. n. eod. Essendogli gonfiata la Testa*, &c. At verò Hydrocephalus nihil aliud est quàm Tumor totius capitis qualem patiebatur hic puer. Mercur. *l. 1. de morb. puer. c. 4.* Marc. Aurel. Severin (vir non vulgaris aut sellulariæ, sed reconditæ prorsus doctrinæ, ut suis litterariis laboribus Reipublicæ Medicinæ manifestũ facit,) in recondito suo opere, *de recond. abscess. nat. lib. 4. c. 9 §. 1* qui morbus etiã, ut superior, est ipsis infantibus, ac puerulis familiaris. Mercur. *ibid.* M. Aurel. Sever. *loc. cod.* in tantum, ut aliquando ipsis capita ad monstrosam usque magnitudinẽ augescant, quemadmodum videre est apud Hieron. Montuum *in fragm. de infan. febr. in fin.* & apud eundem Montuum adducentem ibidem.

At verò cùm Hydrocephali duo præcipua genera assignentur juxta materiæ, ex qua generantur, diversitatem periculo 4
maximè differentia, existente uno omninò lethali, altero verò periculo vacante, quorum ille aquosus dicitur: quod ex ventositate gignatur, determinare necesse est, cujusnam generis hic de quo agimus, extiterit. Ac certum quidem est illum nõ fuisse ventosum, quia morbi à flatu excitati citò, ac facilè dissolvuntur, Averroës *l. 3. Colliq. pag. 41.* Quod maximè locum habet in pueris, qui aut morbis ex ventositate nullo modo tentantur, aut certè facillimè, ac citissimè ab ipsis hi morbi superantur, cùm non solùm flatus in ipsis generati tenues admodum sint & propterea facilè dissipabiles, ut firmat etiam Mercurial. *loc. sup. cit.* sed etiam ob vegetum calorem non sunt perdurabiles. Quibus addendum, quod hæc species Hydrocephali ventosi rarissimè observatur, ob rationes, de quibus idem Merc. *ibid.* imò, ut docet Dan. Scon. *de infant. cur part. 2. cap. 6.* nunquam datur hujusmodi tumor simpliciter ventosus. 5
cùm solus flatus per se sine aquæ admixtione non videatur posse similem tumorem excitare; ac etiamsi daretur hujusmodi tumor ventosus sine aqua, celeri cum facilitate curaretur, ut practicantes omnes unanimiter adnotarunt.

Unde non valet objectio quæ fieri posset ex Hippocr. auctoritate *in l. de flatib.* probando quòd hic Hydrocephal. esset

à flatibus ex eo, quod simul cum Epilepsia erat productus, cùm ex ea Hippocr. auctoritate pateat, Epilepsiam à flatibus generari, unde colligi potest, utrumque morbum ab una, eademque causa ac materia originem duxisse, & sic nulla admiratio desinere nos debet si tà citò hic morbus fuerit sanatus. Sed hæc objectio nihil officit, quia si verum fuisset, hunc Hydrocephali fuisse ventosũ consequens etiam Hydrocephalus: sed cùm etiãsi cessante Epilepsiæ insultu permaneret Hydrocephalus signum erat manifestissimum, quod materia Hydrocephalum non esset ita resolubilis, ut materia Epilepsiæ licèt à ratione absonum non esset, quod ab eodem ipso aquoso humore producente Hydrocephalum, elevarentur flatus Epilepsiam excitantes, & sic salvari posset Hipp. auctoritas superius adducta.

Cùm ergo constet jam Hydrocephalum, quo affligebatur puer hic, fuisse aquosum, adhuc restat videndum, cujus speciei fuerit; cùm hujus ipsius aquosi Hydrocephali quatuor 7 assignentur species, juxta locorum differentiam, in quibus aqua morbum faciens colligi solet; multum enim & ad periculi magnitudinem, & ad sanationis difficultatem facit loci conditio, in quo morbum faciens aqua reperitur. Prima igitur species est ea in qua materia colligitur inter capitis cutem, & Pericranium, membranium, membranam nempe cranium convestientem. Secunda in quo colligitur inter Cranium & meninges, membranis scilicet Cerebrum cooperientes, Duræ ac piæ matris nomine insignitas. Quarta, in qua colligitur in Meninges, & Cerebrum. Postrema verò hæc species, quia citissimè jugulat, sævissima symptomata excitando, nullã curationem admittit, neque idcircò ulla traditur ab Auctoribus eam curandi regula. Hoc Hydroceph. non laborasse Puerum hunc satis liquet, ex temporis diuturnitate, qua morbo afflictus est, neque enim per octo menses sed ne per totidem quidem dies absque dubio vitam pertrahere potuisset verum, fuisse hunc Hydroceph. tertiæ speciei, ejus scilicet in qua humor aquosus inter Cranium, & Meninges continetur, ex sequentibus probatur. Et primò, quia in morbi principio nulla signa ejus morbi apparuerunt, nisi Epilepsia, quæ ab ea materia excitabatur, caput tamen nequaquam tumefactum est, nisi adaucta mirum in modũ materia, quod nonnisi post octo menses contigit, atque in hoc Hydrocephalo ita evenire docent Auctores, quòd à principio nulla, aut satis modica capitis tumefactio appareat, sed procedente tempore, & adaucto intra cranium humore, & ad externas partes regurgitãte, tunc ab extra tumor apparere incipit, ut in casu nostro factum est, quemadmodum ceitantur verba illa Decimi octavi Testis *in sum. n. 1. ibi. Questo male gli continuò circa otto mesi, & poi se gli gonfiò la Testa come un pallone*, ubi per illas particulas, *Et poi*, denotare voluit successivum adventum hujus morbi ad extra qui antea solummodò in internis partibus vigebat.

Demonstratur secundò, quod hic Hydrocephalus fuerit internus & tertiæ speciei ex Medicorũ prognostico, qui ut deponunt Testes unanimiter judicarunt, morbum hunc esse omninò incurabilem, sed ad interitum terminaturũ; quod prog- 8 nosticum nonnisi de hac tertia specie verificatur, quæ interna est: nam aliæ duæ quæ externæ sunt, curantur aliquando etiam cum facilitate, hæc verò absolutè ab omnibus pro incurabili pronunciatur Gal. *in Introd. c. 18.* Paul. *suæ Med. l. 6. c. 1.* Avic. *1. 3. tr. 3. c. 10.* Leonell. *de morb. puer. c. 14.* Paræus *l. 1. suæ Chirurg. c. 1.* Ommibon. Ferrar. *de arte medendi infant. lib. 3. cap. 11.* Hucher. *de Diat puer. c. proprio.* Mercurial. *l. 1. de morb. puer. c. 4.* Mercurius *in lib. cui titulus* la Commare, *lib. 3. c. 54.* Foresti. *l. 3. observat. 5. in schol. & lib. 8. observ. 29. in schol. & alii omnes.* Inter quorum dicta ponderanda præcipuè ad hanc rem veniunt Pauli verba, qui de ejus morbi eventu sic pronunciat. His igitur, inquit, (nempe qui habent aquam intra Cranium) seu desperatæ salutis, non est manus admovenda, & Avicenna; In cura hujusmodi non est ingeninm: & Paræus. Ex tumore intus sub Cranio contento neminem convaluisse vidi. Tandemque Omnibonus; Indicatio istius cutationis superat humani ingenii vires, & potestatem hominis.

His tamen non obstantibus adhuc insurgere poterat difficultas, nempe, quod etiamsi tam periculosus sit hic Hydrocephalus, tamen in hoc casu ope naturæ sit sanatus, cum ipsa facti series hoc manifestissimè patefaciat. Dicitur enim quod post nonnullos menses Tumor ad extra apparuit, ergo supposito quòd Hydrocephalus hic internus fuerit eo quòd materia intra Cranium contineretur, jam apparentia Tumoris ab 9 extra Naturæ virtutem ostendit demandantis materiam morbificam ab interioribus ad exteriora, & volentis exonerare interiores partes tanquam nobiliores, ut posset morbum superare, nam patet experientia & ab Hippocr. *lib. 6. aphor. 25.* comprobatur motum humorum ab interioribus ad exteriora semper bonum esse, contrà verò malum; fit enim, ut dixi, ab ipsa natura prædominante materiam morbificam; unde cùm pateat hoc fuisse opus naturæ; excluditur omninò miraculum, quia manifestum est, hunc puerum sanitatem recuperasse per Crisim, motum nempe naturæ propellentis materiam morbificam ab interioribus ad exteriora, ad locum quippe magis tutum, & minus ipsi Naturæ incommodum, vindicando se à pericu'o, quod illi ex ea materia intus per- 10 maneme instabat. Alias autem dictum est *lib. 4. hor. Quæst. sit. 1. q. 8 n. 13* quòd sanationes, quæ referri possunt ad opus Naturæ, ut maximè sunt ex quæ cum Crisi sunt, & præcipuè alicujus insignis evacuationis, non sunt existimandæ de facili miraculosæ, quamobrem neque hæc, quæ per crisim contigit miraculosa censenda est.

Ad hanc difficultatem respondendum, quod tam experien- 11 tia quàm Hippocratis auctoritas verificatur, ubi expultio fiat à validitate Naturæ expellentis noxia, vel quando motus ille ab interioribus ad exteriora à Natura verè est, non à vi, & malitia morbi Naturam stimulantis & cogentis ad motum, ut quando fit à materiæ morbificæ multitudine, quæ ob sui copiam tota in interioribus contineri non potest, & ob id ad exteriora redundat, nam tunc neque experientia respondet, neque Hippocratis dictum veritatem habet. Nec desunt signa, ex quibus certo assequamur; quandonam motus à Natura sit, quando autem à morbo, seu à multitudine materiæ morbificæ: quando enim motus à Natura est, subsequitur morbi, & symptomatum ab eo emanantium allevatio, ex qua ipsa natura veluti resurgens, aut illicò, aut non multò post pristinum vigorem recuperat: quando motus ex vi morbi, aut ex materiæ multitudine oritur, & morbus invalescit, & symptomata adaugentur. Cùm ergo in casu nostro ex motu materiæ ad exteriora morbus non modo non sit allevatus, sed imò symptomata ab ea emanantia adhuc perseveraverint, certè motus hic non fuit ex validitate Naturæ materiam morbificam prædominantis, sed ex materiæ ejusdem copia, & malitia, & sic non fuit motus criticus, aut non fuit crisis bona, & ad salutem, sed mala, & ad perniciem ex vi morbi, qui indies invalescebat, & majores vires acquirebat. Quod verò ita esse res habuerit, constat ex dictis Testium manifestissimè: nam decimus octavus super *61. & poi*; inquit, *se gli gonfiò la Testa grandemente, che pareva un pallone, cadendo dello stesso male*, cui dicto consonat depositio Testis 31 *super eodem.* Et in hoc casu habet locum Avicennæ dictum eo modo, quo à Mercuriali accipitur *lib. 1. de morb. puer. cap. 4.* nempe, quod ubi materia sit ab internis ad externa propulsa, & res desperata sit, & ea de causa nullam consulit aggrediendam curationem, tametsi in rei veritate Avicenna contrarium omninò affirmare videatur, quod scilicet, si ab externis communicetur ad interna, res sit desperata, & hoc magis consonum rationi est. Sed quomodocunque tandem Avicennæ dictum accipiatur, habet locum in casu nostro: etiam in hoc posteriori sensu, quia etiam postquam materia ad externa fuerat propulsa, ad interna remeabat quod demonstratur ex eo, quia accessiones Epilepticas de novo excitabat, quod certissimum signum erat suæ materiam, ut dixi, refluere ab externis ad interna, aut intra cranium adhuc contineri, sed ob sui multitudinem totam recipi non posse, & ad exteriora refluere, ut in utroque casu militare debent absque ulla hæsitantia Auctorum omnium dicta de inevitabili periculo & omnimoda sanationis repugnantia in via Naturæ hujusmodi Hydrocephali.

Secundum morbum, quo detinebatur hic puer, Epilepsiam fuisse jam ex superioribus patet, qui morbus adeò gravis, & pernecabilis est, ut idcircò ab Hippocrate *libro sexto, de morb. vulg. section. 6. text. 7.* per Antonomasiam vocatus fuerit Morbus magnus, quemadmodum declarat Galen. *ibi in comm.* neque aliam ob causam, nisi ob ejus magnitudinem, dictus est communiter *morbus sacer*, teste Cæl. Aureliano *lib. primo, Chron. capite quarto*, & à Cornel. Cels. *libro tertio, suæ Med. cap. 23.* dictus est morbus major, & ob maximam nocendi vim vocatus etiam morbus sonticus, ut dixi aliàs *libro secundo, quæst. Medico-Leg. Tit. 3. quæst. 4. num. 23.* ex Plinio *lib. 36. histor. Nat. cap. 19.* existente igitur morbo hoc tam gravi, adhuc gravior in hoc puero, & multò nocentior imò gravissimus, & nocentissimus factus fuerat, atque id quidem ob capitis magnam & insuperabilem intemperantiam, ob materiæ peccantis copiam, ob partis patientis debilitatem quibus accedebat accessionum molestia, vehementia, & frequentia, quæ omnia morbum alias contumacissimum, rebellem ac pernecabilem reddebant omninò & Naturæ; & artis ope incurabilem.

Nec quicquam de hac difficultate demit, si contendamus fuisse Epilepsiam hanc morbum ex se, & ab interno 12 Hydrocephalo independentem; aut contra maluerimus fuisse dependentem ab eodem Hydrocephalo; utcunque enim sese rem habuisse velimus, morbus serae curatu impossibilis; cùm, si Epilepsia ab Hydrocephalo dependebat, certum sit, non

potuisse

potuisse curari nisi antea curaretur Hydrocephalus; at Hydrocephalus ex jam adductis erat omnino incurabilis, sergo &
13 ipsa Epilepsia, cum esset symptoma ipsius Hydrocephali, erat incurabilis: symptoma enim curari ac tolli non possunt nisi curato morbo ex quo dependent, & idcirco symptomata nullam per se requirunt curationem, ut demonstrat Galen. *lib.* 12. *Method. med. cap.* 1., & cum eo omnes Medici, ubi de symptomatibus agunt. At vero si Epilepsia erat morbus ex se, & independens ab Hydrocephalo, jam neque sic erat curabilis, primò ob sui naturalem contumaciam, quam peculiariter in casu nostro attestabantur magni, ac frequentes insultus, ac paroxysmi, cum prehenderent singulis binis hebdomadis, aut etiam frequentius, nempe in conjunctionibus & oppositionibus luminarium, eorumque quadraturis (quod morbum jam in habitu factum ostendit) ut deponunt Testes, & singulariter 18. *super* 61. per hæc verba: *Comincio à cadere di malcaduto, & questo faceva ogni quattordici giorni & qualche volta ogni sette giorni*, & Trigesimus primus super eodem, *Detto male era solito venire ogni quattordici giorni & qualche volta ogni sette giorni.* Hujusmodi ergo morbum & cito, & facillime interficere maxime pueros testantur gravissimi Auctores Paulus Æg. *lib.* 3. *sua Med. cap.* 13. Rasis *lib.* 1. *Continens tract.* 23. *cap.* 1. Avic. 1. 3. *tract.* 5. *cap.* 8.

Secundò, hæc Epilepsia erat incurabilis ob insignem discrasiam seu intemperiem cerebri frigidam, & humidam
14 à nativitate contractam, cum tam multa materiæ copia cum eo simul ob hujusmodi intemperiem pueri maxime, Epilepsia tenentur. Galen. *in lib.* 6. *Epidem. comm.* 6. *tract.* 5. Avic. *ubi supra*, jam non solum hæc non remiserat, sed majorem in modum vigebat, insuperque ab adscititia intemperie, & accidentali fovebatur, alias etenim nequiquam consueverunt pueri tã copioso humore aqueo ex sua natura abundare cum magno calore simul prædicti qui facile excrementitios, & præcipuè tenuiores humores absumere solet. Si ergo quando Epilepsia ab hac naturali intemperie dependet, ac sola est, nullo modo evincitur, sed tantum modo aliquando forte fortuna mutatione ætatis, quæ temperiem mutat, superatur, certe accidentali intemperie naturali adjuncta erat omni ex parte in via Naturæ incurabilis.

Tertiò, hæc Epilepsia erat ex sui natura incurabilis, quia erat confirmata, cum jam per octo menses, & ultra Ægrotantem molestasset, & haberet insultus, ac paroxysmos fortes, frequentes, & terribiles, neque ullis remediis minima saltem ex parte cessisset. Pars etiam patiens debilis erat, atque omni calore destituta, & è contra multa excrementitia materia gravata, & obsessa; quod si morbus hic est præ cæteris curatu difficilis in ipso morbi principio, & hujusmodi aggravantibus conditionibus minimè associatus, certe, cum jam est confirmatus, & tot conditiones concurrunt, illum multo magis insuperabilem reddentes, Naturâ jam omnimodè prostratâ, ex omnium Auctorum consensu concludendum, quod neque ex Naturæ, neque ex Artis ope, & industria potuerit ullo modo sanari.

Ex quibus videtur satis abundanter probatum, hos morbos & per se singulos, & multo magis simul junctos in hoc Puero habuisse omnimodam sanationis repugnantiam tam ex parte Naturæ, quam ex parte ipsius Artis, quamobrem venit jam ad majorem miraculi evidentiam probandam, ipse modus sanationis examinandus, cum hic fuerit omnino præter, ac supra Naturæ ipsius ordinem. In via enim Naturæ, aut etiam si Artis præsidiis curari morbus debeat, quæ semper ipsam naturam æmulatur, curari non potest, nisi antea ejus causæ tollantur, quod persuasissimum Medicis est, nec ratio-
15 ne, nec auctoritate eget, ut probetur; nam patet totam morbi curationem in causæ ipsius morbum efficientis abolitione consistere. Galen. *lib.* 2. *Aphor.* 22. & è contra causâ manente manet & effectus, ut est notissimum. Causæ ergo morborum quibus Puer hic detinebatur erant, non naturalis solum, sed & accidentalis, etiam intemperies frigida, & humida ipsius capitis & Cerebri cum materiæ frigidæ & humidæ copia tumorem Hydrocephalicum excitante; relinquo Capitis debilitatem, & alias nonnullas ad morbi procreationem concurrentes. Non poterat ergo sanatio succedere vigentibus ac permanentibus adhuc prædictis singulis causis in via Naturæ. At permanentia causarum est manifesta, quia quoad intemperiem naturalem non est dubium, cum Puer hic esset quinquennis, ætatis nimirum in qua maxime ea intemperies viget; sunt enim hujusmodi ætates humidissimæ, & tanto humidiores quanto teneriores, & caput habent valde frigidum & humidum, quæ omnia passim ratione, & auctoritate habentur, & maxime, cum ut dixi, non nisi ob eam temperiem facile Epilepsia tententur. Quoad intemperiem accidentalem patet eam adhuc viguisse ex perseverantia tam insignis tumoris dependentis à materia frigida, & humida, qui non solum minuebatur, sed indies augescebat, ut ex frequentia accessionum Epilepticarum probatur ex quibus etiam apparet materiæ morbificæ utrumque morbum excitantis permanentia. Intemperies porro naturalis tolli non poterat nisi ætatis mutatione (licet neque hoc in nostro Puero per ætatis mutationem tam de facili successisset, cum ea esset nimis 16
excedens) hoc enim tempore Epilepsia solet in Pueris sanari ob ipsius ætatis conversionem & mutationem temperiei naturalis, ut cum Hippocrate DD. omnes fatentur, præcipuè Paulus, Aëtius, Rasis, Avic. & alii locis superius citatis. Ut igitur hæc causa tolleretur, expectandum erat temporis beneficium non enim tolli poterat, nisi aliquorum annorum circuitur, saltem biennii, non autem spatio paucorum dierum: de Naturæ ergo necessitate perseverante causa in suo vigore, effectus sequi debebat ipsi causæ proportionatus, qui non alius expectari potetat, quam destructio, & extinctio naturalis caloris, & individui interitus.

Cæteræ deinceps causæ quatenus fuissent aut Artis industria aut Naturæ ope amovibiles, aliquam de se omnino significationem dare debebant, Natura enim non poterat, cum jam prostrata, ac viribus esset destituta, eas brevi triũ dierum spatio superare; & casu quo superare potuisset hoc non poterat succedere nisi per insignem, ac patentem aliquam evacuationem, quia materiæ resolutio fieri absque dubio non poterat nisi à calore valido, ac vegeto, qui omnino aberat: & daro etiam quod potuisset materiam morbum facientem insensibiliter resolvere quomodo fieri potuit hoc tam modico tempore laborante existente tam languido, ac debili, & ab ipsius materiæ copia penitus obruto? Addo quod hujusmodi resolutionem subsecuta de necessitate esset Tumoris detumefactio, & symptomatum allevatio, quorum nihil successisse patet, sed contra nonnisi ab emisso voto illico Tumorem detumefactum, & symptomata remissa fuisse.

Verum neque Artis ministerio succedere potuit causarum eos morbos excitantium amotio, quia præterquam quod medicamenta omnia adhibita suo fine frustrabantur, apparet clarissime iis attribui non posse sanationem cum executioni demandata fuerint jam multo ante tempore; quod si quicquam profuissent; morbus post eorum usum non esset adauctus, sed remisisset; at contra post eorum usum tumor ulterius processit, & morbi accidentia perseveraverunt. Cum ergo causæ morbificæ adhuc vigerent, non potuit morbus ex Naturæ aut Artis ope superari, unde reliquum est, sanationem hanc fuisse mere mitacu osam, quod & respectu modi, ut dixi, patet cum nihil in ipsa sanatione successerit, quod aut Naturæ vigori, aut Artis præsidiis attribui posset.

CONSILIUM II.

ARGUMENTUM.

Religiosa octuagenaria, nomine soror Antonia membrorum omnium stupore cum motus impotentia decem annorum spatio per repetitas vices conflictata, Beato Laurentio Justiniano se commendat, & ejusdem Beati mensurâ corporis sibi applicatâ, illico integram consequitur sanitatem.

SUMMARIUM.

1 *Senes ex confirmatis ac diuturnis morbis convalescere, contra Naturæ ordinem est.*
2 *Morbi curari possunt vel coctione, vel resolutione, vel discussione.*
3 *Senium, & Decrepitas, quæ ætas dicatur.*
4 *Vitia à Juventute in senectutem provenientia non sanantur, & multo minus quæ à senectute in Decrepitatem perveniunt.*
5 *Morbi à calidis humoribus procreati breves; à frigidis vero longi.*
6 *Senes frigidis morbis corripiuntur.*
7 *Decrepitis stupor membrorum familiaris.*
8 *Natura partis affectæ reddit morbum magis incurabilem, si cum morbo conveniat, & debilis sit.*
9 *Senes conflictantur morbis nervosarum partium.*
10 *Increscentes morbi qui in senibus.*

CONtra Naturæ ordinem undequaque est, senes, & maxime Decrepitos ex diuturnis, & jam per plures annos confirmatis morbis, & præcipuè si eorum ætati sint connaturales, reconvalescere, cum alia ex parte indies experiamur, ex Naturæ præscripto fieri, ut potius semper

in deterius labantur, eosque ad mortem usque comites habeant, eorum calore jam debili existente, & indies etiam magis magisque declinante, & est circa hoc omnibus Medicis acceptissima, & comprobata Hippocratis sententia *lib. 2 Aphor. 39.* dicentis, *Senes Juvenibus ægrotant minus, at qui ipsi morbi diuturni contingunt, eos fere ad mortem comitari silent.* Ubi loci non absolute dixit, eos ad mortem comitari soleant, sed addidit particulam, illam, *ferè*, quia quandocunque morbi à causa calida dependeant, quales esse possunt in antecedenti ætate procreati, hi quidem possunt in senectute sanari, quia contraria ipsius ætatis supervenientis temperie sanantur; sed qui à frigidis, humidis, ac crassis humoribus fiunt, & in senectute prehendunt, finiri per aliam ætatem non possunt, & sic concomitantur homines usque ad mortem, quare sunt ex sua natura omnino incurabiles, ut ex Galen. *comm. 5. in 6 de morb. vulgar. text. 6.* prosequitur Mercurial. *in cit. Aphor. 39. lib. 2.* quam sententiam confirmant Thadd. Florent. Hollerius, & Heurnius *in comment. ejusdem Aphor.* Et ratio est apud omnes eadem, ex natura rei desumpta, quia cum curari possint morbi vel coctione, vel resolutione, vel discussione, calor, qui in senibus quotidie imminuitur, insufficiens est ad eos ullo ex prædictis modis evincendos, quare remanent omnino incurabiles, Philothæus, *cit. libro 2. aphor. eodem.* Hollerius, & Heurnius *ibidem.* Facto hoc fundamento, jam inde de necessitate sequitur, Monialem hanc, de qua agitur, cum esset octuagenaria, vel paulo minor, morbo diuturnissimo, ac ex sui natura frigido & contumaci, ac nervorum genus occupante detenta, & qui jam inde à principio sui insultus nullis cesserat remediis non fuisse ope Naturæ sanatam, nec potuisse ex ejus virtute sanari, sed sanatam fuisse ope, & virtute divina; quod ut concludentissime probetur, examinandæ veniunt conditiones omnes concurrentes in hoc miraculoso opere quæ licet plures existant, præcipuæ tamen sunt Qualitas, & Natura ipsius morbi, ætas ægrotantis, ejusdem morbi diuturnitas, & pertinacia, & repugnantia sanationis: Quoad ætatem namque apertissimè patet, Monialem hanc, cum primum à morbo affligi cæpit, jam Præcipitatæ, ac decrepitæ pene senectutis fuisse, erat enim tunc paulo infra septuagesimum annum, quæ ætas proprie senium, aut Decrepitas dicitur tam à Jurisconsultis, quam 3 à Medicis, quorum omnium auctoritates congessi *libro 1. Quæst. Medico-Legalium Tit. 1. quæst. ultim. num. 14. & seqq.* ubi etiam matutius, hoc est in 65. anno homines dici Decrepitos ex communi Medicorum sententia demonstravi; quod maxime ad hunc effectum procedit, quia in pluribus calor hoc tempore est in ultimo suo decremento. At cum hæc Religiosa è morbo curata est, agebat jam octuagesimum sanum, de qua ætate nullus est, qui dubitet, quod multo magis verificetur, calorem esse in ultima declinatione, & ea de causa hoc ulteriori probatione non eget. Causa igitur, ex qua resultat repugnantia sanationis diuturnorum morborum in senibus, multo magis militat in decrepitis; 4 nam si vitia ipsa, quæ à Juventute in senecturem proveniunt, nunquam ex toto sanari possunt. Corn. Cel. *sua Med. libro 2. capite 7.* certum est, quod vitia, quæ à senectute proveniunt in Decrepitatem in via Naturæ non erunt ullo modo amovibilia, unde incurata ea remanere ex necessitate Naturæ contingit.

De Diuturnitate porro hujus morbi non potest dubitari, neque alia probatione ad hoc egemus, nisi Testium depositione, ex qua apparet, illum per decem annos perdurasse, nam ægra, ut dictum est, erat quasi septuagenaria cum à morbo affligi cæpit, octuagenaria vero, aut paulo minor, cum à morbo fuit liberata; quæ omnia habentur ex ipsius quoque sororis Antoniæ depositione *super 61. in fine. num. 1 ibi, super lo spatio di dieci anni, & piu lo patito, &c.* Et Testis sexagesimus super eodem ibidem. *Et detta infermita le duro piu anni, & circa à diece anni*; quin etiam alii Testes concordant de morbi diuturnitate, ita ut nullum circa ejus rei veritatem reliquum esse possit dubium.

Præterea qualitas morbi, nempe quod esset ex sua natura frigidus (hæc enim multum operatur ad demonstrandam sanationis repugnantiam) probatur ex ipsius morbi natura de qua infra: probatur insuper ex ejus duratione, quia 5 sicuti morbi à callidis humoribus progeniti non sunt diuturni, sic ii, qui à frigidis dependent humoribus, maxime diuturni sunt, & nonnisi ab humoribus ejus qualitatis fieri possunt, Galen. *in comm. lib. 2. Aphor. 39 jam cit.* quod & pluribus confirmat Taddeus *ibidem.* Probatur etiam ex 6 ætate Patientis, quia senes morbis frigidis corripiuntur, ut patet experientia, & docet Galen ad Hippocr. mentem *in libell. cui tit. 3. brevis denot.* Et licet Averr. *lib. 3. Colleg. cap. 31.* contendat stuporem posse esse à causa calida; hoc præterquam quod posset habere locum in Juvenibus tantum, & ætate consistentibus, & hoc etiam de raro; vel ipso Averroë testante, in omnibus tamen secundum plurimum, & in senibus semper falsissimum est: nam ipse Galen. *lib. 2. de loc. aff. cap. 2.* non solum apertissime falsus est, stuporem esse morbum frigidum, sed addidit quoque, esse insignem partium refrigerationem, cui consentiunt Avic. *2. 3. capite 13.* Gordon. *libro 2. Lilii capite 17.* Vallesc. de Tar. *lib. 1. Philonii cap. 6.* Mercurial. *lib. 1. Pract. cap. 23.* & alii omnes.

Sed quicquid sit de Auctorum opinione circa illud dubium, An stupor esse possit à causa calida certum est in nostro casu, cum fuisse à causa frigida cum esset stupor quidam universalis, vel potius semiparalysis quædam cum impotentia ad motum, ut ex ipsius totoris Antoniæ depositione satis liquet, deponit enim per hæc verba. *lo per lo spatio di dieci anni, & piu, ho patito uno asideramento per tutta la vita*, qua voce, *asideramento* (quæ dormitationem, siderationem, seu stuporem importat) declarat formam, & naturam morbi, quo detinebatur; in eo namque vel ex spirituum inopia, vel ex impedimento transitus eorum per nervos, occupantur affectæ partes dormitatione quadam, ac stupore, qualis fit cum dia super aliquod membrum innitimur, vel unum alteri superponimus. Et licet ipsa soror Antonia deponat, quod curata à Medico, fuerit tanquam sciaticâ affecta (tametsi etiam sciaticâ non minus quam hic idem morbus in hac Religiosa fuisset incurabilis) certe non sciatica, sed stupore ut diximus laborabat; nam sciatica partem determinatam semper detinet, stupor vero aliquando totum corpus detinere potest, ut in casu nostro. In sciatica porro major est dolor quam siderratio partis, in stupore contracta; siderratio enim membri est magis conspicua; magisque affligit, quam dolor, ut in casu nostro.

Præterea sciatica neque sensum, neque motum primo, ac perse, & principaliter lædit, stupor contra aut alterutrum, aut utrumque, ut hæc Religiosa; alias enim, cum mitior est, sensum tantum diminuit, aut obtundit; cum vero major est effectus & sensum lædit, & motum. Ac denique sciatica non est adeo familiaris senibus, stupor vero 7 maxime familiaris, ita ut Averroës *lib. Colleg. cap. 31.* dixerit, decrepitos semper stupore laborare, nec sine ratione evidentissima quemadmodum senes omnes reliquos omnes, ac singulos sensus debiles, atque obtusos sortiuntur, sic etiam sensum tactus habent obtusum, ac debilem, hoc autem fit in stupore, aut saltem stupor affectus est sensus tactus debilitati proximus, sed & Galen. *lib. 2 de Temperam. cap. 2.* stuporem inter morbos senibus maxime familiares connumeravit. Quibus addendum, quod sciatica est morbus articulorum, stupor autem est partium nervosarum, quod nemo infitiatur, & patet ex functionibus, quas ebixdit; nempe sensum, & motum, quorum utrumque ad nervorum per- 8 tinet genus, quod in hoc casu non oscitanter præterundum, quippe cum natura partis affectæ morbum reddat magis incurabilem, quando scilicet convenit temperatura cum interuperie faciente morbum? & quando debilis est, quorum etiam utrumque militabat in nostro casu, quia cum morbus esset frigidus, obsidebat partes omnium frigidissimas; hoc est nervos, qui etiam sunt in senibus in extremo debilitatis, unde ea de causa hujusmodi partes sunt in iisdem senibus morbis insigniter obnoxiæ, quam ob rem Apoplexiam, Paralysim, Tremorem, Convulsionem, & Stupo- 9 rem sæpissimè incurrunt, teste Galeno ubi supra, qui omnes sunt morbi ad nervos pertinentes, & qui ob eandem partium debilitatem in ipsis non solum sanabiles non sunt, sed procedente ætate semper deteriores, & insanabiliores fiunt, atque idcirco increscentes dicuntur, ex eo quod vires acquirunt eundo, increscente indies corum causa ut prosequitur Io. Heurnius. *lib. 2. Aphor. in commen. jam cit.* & notavit Rota *in Melevitana Antiquitatis. Dec. 1643. coram Verospin n. 8.* unde prudenter Oribasius *cit. lib. 2. Aphor. 45.* dicebat, hujusmodi morbos in senibus vocari Convivas, qui cum ipsis commorientur.

Denique pertinacia morbi, & repugnantia sanationis 10 probatur ex eo, quod remedia in morbi principio adhibita, atque illa quidem validiora, & quando morbus adhuc debilis erat, atque Ægra adhuc viribus constabat, nullo modo contulerant, ut ex testium depositione liquet, nam quinquagesimus octavus super *61. in summ. num. 2.* per hæc verba deponit, & est ipsamet infirma. *Ne primi principio in sua medicata, &c. dalle quali medicine non receivi beneficio alcuno.* Sed hoc multo magis confirmat ipsa facti series, cum morbus transactis jam decem annis non solum nihil diminutus esset, sed adhuc in suo vigore persisteret, quo longo

anorum

annorum spatio nulla deinceps medicamenta sunt adhibita, ut ipsamet soror Antonia fatetur ibi *Stando che non mi sia servita di medicine, senon nelli primi principij.* Cùm igitur Ægrotante iam in extrema decrepitate existente, morbo iam in habitu permanente, viribus iam languidis, & effœtis absque ullo Artis præsidio hæc sanatio tam prompte, ac celeriter contigerit ad solam Beati Laurentij invocationem, & mensuræ eius corporis simplicem applicationem, certè eam nonnisi ex divina virtute meritis servi Dei successam omnino concludendam. Quod ego miraculum tanti fecerim, ut non in postremo miraculorum gradu reponendum existimem. Excedit enim naturæ potentiam, quantum ad id, in quo miraculum factum: nam alias potuisset quidem Deus in subiecto magis vegeto, & calore naturali adhuc non destituto per ipsummet calorem sua potentia operantem, aut acutum morbum illicò fugare, & tunc quidem miraculum esset in infimo gradu reponendum. sed in subiecto, in quo calor iam penè evanuerat, operatus Deum absque caloris ope ægram ad sensuum vigorem restituere, quod pene est, mortuum ad vitam revocare: Iraque iuxta doctrinam D. Thom. 1. *summ. quæst.* 105. *art.* 8. hoc erit potius in secundo ordine miraculorum reponendum.

CONSILIUM III.

ARGUMENTUM.

Monialis quædam, soror Lucia nuncupata, brachiorum Arthritide opprimebatur, quæ illi eorum, manuumque operam omnino impediebat, iamque per duos annos in eo morbo perseveraverat incurata, tophosque in articulis contraxerat. Mox B. Laurentij Iustiniani devotione allecta, ad ipsius altare accedens, ac se illi pro salute recuperanda humiliter commendans, inde recedens dicto citius motum, ac pristinum membrorum vigorem recuperat, ac sana deinceps vixit.

SUMMARIUM.

1 *Arthritis confirmata, & qua Tophos contraxerit, est in via Naturæ omnino incurabilis.*
2 *Tophi in Arthritide generati demonstrant morbum incurabilem; & n. 4.*
3 *Senilis, aut decrepitæ ætatis ex Articulorum morbis nunquam convalescit.*
5 *Articuli ubi Topis occupantur, non possunt ad pristinum statum humana arte redire, sed divina ope tantum*
6 *Sanationes miraculosæ debent fieri in instanti, & esse perfectæ.*

1 TAm conspicua est sanationis repugnantia una ex parte in hac Religiosa respectu Naturæ, & Artis. Ac tam patens alia ex parte ipsa sanatio, tamque extra omnem spem subsecuta, ut de miraculo dubitandi nullus remanere possit locus & quoad sanationis impossibilitatem respectu Naturæ & Artis in casu qui nobis offertur, nulla præsumptio adesse potest quòd ipsa natura ex se, aut Artis præsidiis adiuta quicquam in hac sanatione sit machinata; cùm hæc enim Monialis laboraret Arthritide iam confirmata, & quæ Tophos contraxerat, notum est, eam laborasse morbo penitus incurabili. Obsidebat vero hæc Arthritis, ut ex depositione testium liquet, utrumque cubitum, ubi Tophos, vel callos, vel nodos, ut dicunt ex vetustate contraxerat, *in summ. num.* 2. cum his autem iungebantur perpetui dolores, & eorundem brachiorum extenuatio, ut in similibus doloribus evenire, cum Avic. 22. 3 *tract.* 2. *c.* 5. testantur Authores quicunque de eo morbo verba facientes.

Ex quibus apertissimè constat, morbum hunc fuisse confirmatum, cum iam per duos annos ægram detinuisset, ut ipsamet Testis 16. super 61. deponit *in summ. num.* 1 & *confirmat* 17. super eodem ibidem, & partes affectæ pro longitudine morbi essent extenuatæ, & Tophos seu callos contraxissent, ut evidentissime probatur per testes omnes ad hoc examinatos: nam ipsa soror Lucia ad 61. ibidem ita deponit. *Et haveva le gomme con dureze nelli gomiti, cio è due gomme per gomito,* & 17. super eodem: *Haveva tutta due le braccia inarcate per le doglie con due gomme per gomito.* Et 25. super eodem: *Haveva le braccia piene di gomme, si come io stesso le ho vedute.* Vocans autem omnes hi testes callos illos, seu Tophos, vel nodos Articulorum, *le gomme*, quia apparent in Articulis nodosis ex podagra factis tumores quidam veluti gummata, quæ cum apparent, demonstrant iam morbum esse omnino confirmatum, & insanabilem, & de quo illud Ovidij iactatur sæpissimè.

Solvere nodosam nescit Medicina Podagram. Morbo præterea ex sua natura contumaci, & prorsus insanabili accedebat ætas senilis, imò decrepita: agebat enim tunc hæc Monialis, ut ex processu constat *in summ. num.* 2. annum quintum supra sexagesimum, quæ Ætas eius conditionis est 3 ut à morbis hisce afflicta nunquam ad sanitatem redeat. Facit Hippocrat, cuius verba infra referam, & Galen. *lib.* 3. *de San. tuen. cap.* 8. & *comm.* 2. *aphor.* 40. à qua opinione nullus omnino Doctorum est qui dissentiat; Et ratio in promptu est à quotidiana experientia confirmata, quia cum hic morbus in senibus dependentiam habeat à materia frigida, & cruda, sicque profundata in parte ex natura sua frigida, & omni calore destituta, nempe in Articulis, iam manifestum est, quod deficiente etiam calore in toto, & in dies debiliore evadente, ut in senio fit, in quo calor sensibiliter, & evidenter declinat, nulla omnino sperari potest ex Naturæ ope morbi solutio, sed timendum potius in dies eius incrementum, & maior expectanda accessionum frequentia, augescente indies tam materiali, quàm agente causa, ac utraque morbum manifestissime fovente.

Quæ quemadmodum veritatem habent in simplici Arthritide senes exercente, sic multo patentiorem, & magis irrefragabilem habent veritatem, ubi Tophi seu calli in Articulis fuerint generati, ut in casu nostro tunc enim hos morbos omnino esse insanabiles notum vel rudiusculis Barbitonsoribus est, & ab Hippocr. *lib.* 2 *prædict. num.* 15 quasi per definitivam quandam sententiam pronunciatum, esse humana arte incurabiles per hæc verba. *Quicunque aut senes sunt, aut circa Articulos callos Tophaceos concretos habent, aut arumnosa vivunt, ut sic eum alvum habent, hi omnes sanari nequeunt humana arte, quantum ego novi*, in quibus verbis notandum Hippocratem divisivè loqui de senibus, & Thophos habentibus, istaque tanto magis sententia erit vera in his qui & senes, atque insimul Tophos in Articulis habent: & huic sententiæ adstipulantur DD. omnes quorum omnium instar sit unus Galen *lib.* 10. *de comp. med. sec. loc. c.* 2. qui hæc, quæ sequuntur, de ea re pronunciavit. *Et postquam fuerint producti (ubi) nesperaveris ad pristinam constitutionem exacte redire articulum posse.* Accedant etiam Celsi verba *lib.* 2 *sua med. cap.* 7. *Articuli verò, inquit, qui sic dolent, ut super eos ex callo quadam tubercula innata sint, nunquam liberantur; quæque eorum vitia vel in senectute capiunt, vel ab adolescentia in senectutem pervenerunt, ut aliquando leniri possint, sic nunquam ex toto sanantur.* quæ conditiones ab his Medicæ Artis Proceribus enarratæ cum maxime adessent in hac moniali, certè nullatenus hæsitandum est, sed omnino confitendum, eum morbum fuisse in illa omnino tam à Natura, quam ab Arte incurabilem.

Nec quicquam facit, quòd Auctores omnes tam Græci, Latini, quam etiam Arabes, tam recentiores, inquam quàm vetustiores plura præscribant ad Tophos in Articulis dissolvendos: & præcipuè Galen. 10 *de simp. Med. fac.* Alexand. Trall. *lib.* 11. *cap.* 1. Paul. *lib.* 3. *cap.* 78. Act. *serm.* 11. *cap.* 43. Cels. *lib.* 5. *cap.* 18. Avic 22 3 *tract.* 2. *cap.* 10. Mercurial. *lib.* 4. *Pract. cap.* 1. Mercator *lib.* 4. *de Interm. morbor. cap.* 18. & alij & quod multi profiteantur se huiusmodi Tophos sanare posse, ut cum effectu nonnulli sanati sunt: & habes peculiariter exemplum unum aut alterum apud Schench *lib.* 5 *Obs. Tit. de Arthritid.* quia prætetquam quod notissimum est ut plurimum in nodosa Arthritide curanda, ne semper dicam Medicos suo fine frustrari, sane si quis curatus unquam est nonnisi multis adhibitis medicamentis, & diuturnissima patientia id obtinuit, ut dolores tolerabiliores etiam essent, & motus Articulorum essent aliquanto faciliores; at quod absque medicamentis, quòd tam subito, quod tam fœliciter in subiecto decrepito articuli iam Tophis impediti in suum pristinum statum & vigorem redire unquam potuerint, nemo unquam factibile naturaliter concedet, & negatum id aperta fronte est ad ipso Galen. *loco supra cit. de comp. Med. sec.* Imò ibi ipsi, qui ut eunque curati sunt, ætate adhuc erant vegeta, & vires in illis conveniens robur obtinebant, & multis medicamentis, atque opera Chirurgica, aliisque Artis præsidiis alleviati sunt quidem, non tamen ex toto sanati, sed Decrepitum in instanti 5 ad sanitatem redire, Tophis dissolutis, & Articulis ad suam agilitatem de repente revocatis, à sæculo non est auditum, & omnino miraculosum est.

Cùm igitur satis constet de impotentia tam Naturæ, quàm Artis ad hunc morbum in hoc subiecto curandum, testat ut eius sanatio ad Dei potentiam referatur, per quam Beati Laurentij Iustiniani meritis ad eius invocationem,

Natura repugnante, soror Lucia integram sanitatem recuperavit. De modo autem sanitatis non est quod aliquid dicamus; est enim per semetipsum adeò patens, & evident, cum sanatio successerit subito, & in instanti, & fuerit perfectissima ut nulla ulteriori probatione indigeat, Requiri autem ad miraculi evidentiam ut sanationes subito contingant, & sint perfectæ, dixi aliàs *lib. 4. Quæst. Medico. Leg. Tit. 1. q. 8. num. 7.* Quod maximè habet locum, ubi aliàs humores non sint sua natura de facili resolubiles, aut causa morbum faciens non sit ullo modo, aut saltem nonnisi longo tempore amovibilis, ut erant Tophi in casu nostro, qui dato quòd aliquo modo resolvi, aut discuti potuissent, hoc erat impossibile, quod fieret in instanti ut est notissimum.

CONSILIUM IV.

ARGUMENTUM.

Dominicus Maphæus patria Veronensis febre laborabat & Tetano, fueratque iis morbis ex improviso correptus; perseveraverat autem in ea afflictione per viginti dies, atque in extremo iam vitæ periculo versabatur, cum se B. Laurentio Iustiniano commendans, illico à febre, & à doloribus omnino libet evasit.

SUMMARIUM.

1 *Non omnia miracula transcendunt simpliciter Naturæ potentiam.*
2 *Triplex miraculorum gradus.*
3 *Miracula omnia habent aliquid quod admirationē excitat.*
4 *Miracula quomodo aliquando etiam ex Naturæ virtute contingere videantur.*
5 *Sanatio miraculosa in instanti fit; & absque ulla Naturæ operatione.*
6 *Miraculosæ sanationes circa morbos difficiles contingunt.*
7 *Miraculum est Opus arduum.*
8 *Tetanus convulsionis species.*
9 *Tetanus morbus est gravis, & exitialis.*
10 *Tetanus à causis frigidis generatur.*
11 *Tetanus tertia, aut quinta, aut septima, aut decimaquarta occidit.*
12 *Convulsio insanabilis, atque mortifera est cujus exolutio cita non est.*
13 *Convulsio quibus modis naturaliter sanetur.*
14 *Febris convulsioni remedio est.*
15 *Febris quas conditiones habere debeat, ut convulsionē sedet*
16 *Convulsio in febre contingens perniciosa.*

1 NOn omnia miracula transcendere Naturæ potentiam simpliciter notissimum est, cùm aliqua excedant tantùm secundum quid, veluti illa sunt, quæ excedunt non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, & quod excedit quoad modum, & ordinem faciendi iuxta doctrinam
2 D. Thomæ 1. *part. summ. quæst. 105. art. ult.* & ea de causa triplex assignatur miraculorum gradus ab eodem D. Thoma ibid. Evenit ergo interdum, quod ea miracula, quæ Naturæ vires transcendunt tantùm quoad operandi modum, & in infimo miraculorum gradu à D. Thoma reponuntur, præ aliis dubitationem excitent, nec tam manifestè pro miraculosis operibus se prodant, ex eo quod non videantur aliquando à consueto Naturæ ipsius operandi modo recedere, cum tamen miracula oporteat semper peculiare aliquid habere quod ad-
3 mirationem ex hoc excitet, quod recedat ab eo modo operandi ipsius Naturæ, & supponat exclusionem causarum naturalium omnium, ac singularum, includatque supernaturalium operationem, ex qua admiratio excitatur, & cuius respectu miracula vocantur, ut latius dixi *lib. 4. quæst. Medico-leg. Tit. 1. quæst. 1.*

4 In nullo vero miraculorum genere maior insurgere consuevit difficultas, quam in eis quæ circa morborum sanationes contingunt, circa quas aliquando ex sola ipsius Naturæ virtute miracula videntur cõtingere, ut protritum apud Medicos est, licet hæc nunquam vere miracula existant, neque causam supernaturalem opificem habeãt, sed simpliciter, ac meræ ab ipsa Naturæ potentia dependentiam habeant; & tamen hi ipsi effectus maiorem interdum nobis admirationem excitant, quam alia nonnulla quæ verè miraculosa sunt circa morborum sanationes contingentia, cuius rei non alia assignari potest causa, quàm quod illa ut de raro, & præter omnem expectationem contingentia ad Naturæ opus referri posse nequaquam videantur, hæc autem contra ad Naturæ operationem facile referantur, & tamen aliquid semper peculiare habent, quod efficientiam causæ supernaturalis his non obstantibus commonstrat. Præcipuè verò modus sanationis à Naturæ lege omino remotus illam manifestè miraculosam declarat ut cum maximè sanatio in instanti succedit Rota *in Relat. Canoniz. S. Andreæ Corsini mirac. 2.* & fit absque ulla 5
sensibili Naturæ operatione, licet aliquando non repugnet, sanationem ex miraculo contingere, & tamen intervenire sensibilem Naturæ operationem obedientis ad Dei nutum, ut in illuminatione cæcitatis Tobiæ, de qua *c. 11.* dicitur, *& cepit albugo ex oculis eius quasi membrana Ovi egredi.* Sed hæc ipsa miracula non deficiunt à nonnullis aliis conditionibus requisitis in opere, quod miraculosum verè sit. Aliarum porro supernaturalium curationum exemplum esse potest febris validissima, ac magna illico expulsa, nulla Crisi, nec in tempore, quo naturaliter succedere poterat succedente. Sanationes ergo omnes miraculosæ (ut ex iis quæ in sacris Litteris enarrantur evidenter apparet) has conditiones sortiuntur, ut subito in instanti, illico ad Dei & Christi Domini, eiusque servorum nutum factæ sint, & nulli successerint Naturæ motus, quæ eam cooperantem commonstrarent. Natura enim semper sui motus aliquam significationem præbet, neque operatur, in instanti. Rota *in relat. B. Magdalena de Pazzis. Mirac. 3. post mortem §. 4.*

His non absimilis est casus nobis oblatus, qui à miraculosa operis conditione nulla ex parte deficere videtur: Maphæus enim hic laborabat morbo magno difficili, & exitia- 6
li, ut videbimus: miraculosæ autem curationes circa huiusmodi tantùm morbos, non verò circa alios contingunt, qui nimirum vel molestissimi sint quod intolerabiles dolores, ac cruciatus excitent; qui noxij, quod membrorum motum, & actionem maxime necessariorum impediant, vel qui tandem exitiales sint, quòd homines manifesto, ac certissimo vitæ periculo exponant sed tamen omnes summa cum difficultate curabiles, aut omino ex ope Naturæ, vel artis incurabiles existant, ut percurrebam aliàs *cit. lib. 4. Quæst. Medico. Leg. q. 8. num. 4. & seq.* Quia cum miraculum sit opus arduum, D. 7
Thom. *ubi supra art. 7. ad 2.* non potest consistere circa leviores effectus, sed circa graviores, & cum his semper adesse debet sanationis repugnantia aut simpliciter, aut saltem secundum quid tam ex parte Naturæ, quam etiam Artis. Sed cum hoc, quod morbus hic, quo Æger detinebatur haberet supradictas omnes, ac singulas conditiones; eius curatio contingit in instanti, ut ipsemet Maphæus deponit *supra 61 in summ. num. 2.* successitque nullo secuto Naturæ motu, quod ex facto ipso evidenter colligitur.

Et quoad morbum Maphæus laborabat ea spasmi vel con- 8
vulsionis specie quam Tetanum vocant Græci, Latini verò generico nomine distentionem, Celsus autem Rigorem, qui morbus & gravis, & difficilis, ac molestissimus, & exitialis 9
est, non solum quia cum evidenti vitæ periculo invadit, & interdum Tertia, aut Quarta hominem iugulat Hippocr. *de Iudic. num. 8. & lib. 3. de Morb. num 13.* Cels. *lib. 4. cap. 3.* est enim morbus non modo acutus ut Gal. *in Isde Introd. c. 13.* sed paracutus, ut idem Galen. *in lib. Fuit. Medic.* affirmat: verum etiam quia cùm terribilibus symptomatibus associatur, scilicet doloribus vehementibus, rigore hoc est membrorum rigiditate, eorumdemque immobilitate, vigiliis, & id genus aliis, quæ ab ipsomet Ægrotante sunt enarrata, & consimilia sunt iis, quæ ab Hippocrate, & Celso *locis supra citatis*, cæterisque Authoribus afferuntur *in suis propriis capp. de Spasmo, vel Convulsione.* Dicebat ergo Hippocrates Maxillas in hoc morbo rigere, quare non possunt languentes loqui, quod etiam in nostro Ægrotante factum est, qui neque loqui ob id poterat, ut habetur *in summ. num. 2. ibid. Gridai forte dove prima non poteva parlare.* Addit Hippocrates, quod infirmi se movere non possunt, & hoc etiam in nostro casu manifestum fuit ibi, *Dove prima non poteva movermi in modo alcuno, &c. cominciai à muover le braccia, & le mani*, de qua etiam immobilitate deponit Trigesimus primus Testis *supra 81. in summ. num. 2. ibi.* Gli. *venne un male grande, che lo fece restare come retirato, che non si poteva muovere.* Dolere insuper eos valde Hippocrates addebat ut ex facto quoque in nostro Ægrotante evenisse pa- 10
tet. Ex quibus clarissimè elicitur, Maphæum hunc Tetano laborasse, quod etiam insinuatur ab ipsa causa Procatharticа, quam ipse Maphæus enarrat, mora nempe in cœmeterio, loco, ut fit, frigido, & humido, similes enim morbi à similibus causis, hoc est frigidis, procreantur. Galen. *in lib. de Tremor. Palpit. Convuls. & Rigor. cap. 6.* Ex qua stante iam aliqua corporis dispositione, contractis musculorum capitibus, & nervis ac prohibita per loci frigiditatem cutis perspiratione facillimè hic morbus est excitatus, à Capitis forte destillatione fotus, & adauctus.

Cùm ergo morbus hic tam molestus, ac exitialis proportionatis remediis non cesserit, certè ipsius pertinacia, &

materiæ

materiæ morbum excitantis inobedientia arguebatur, itaque mirum videri non debet, Medicos in hoc casu de Ægri salute omnino desperasse, cùm notam haberent Hippocratis sen-
11 tentiam *loc. cit. lib. 3. de Morb.* Quòd hic Morbus Tertia, aut Quinta, aut Septima, aut Decima quarta occidat. Neque fidendum erat in hoc Ægrotante iis quæ addebat inibi Hippocrates, hoc est, quod si Æger prædictos terminos effugerit, sanus evadat; unde videri poterat Æger hic jam periculũ evasisse; cùm præscriptos terminos superasset, quia idem Hipocrates docens, quod si Æger assignatos terminos effugiat, salvus sit, non aliud innuere voluit, nisi, si terminos illos superaverit in melius procedendo; non enim de necessitate in assignatis terminis pereunt sic affecti, sed etiam extra illos, & illis quoque superatis, cum in pejus, etiam illis transactis, labuntur, ut nostro ægrotanti evenire debuit, quia non solum transacta decima-quarta, sed jam vigesima ineunte in deterius tendebat; Unde Iure Medici futuram de proximo mortem expectabant, ut elicitur ex dictis Testium *in summ. num. 2. ibid. Volendo lui con queste parole Inferire per quanto mi disse mia socera che credeva, ch'io fossi morto.* Neque præter rationem timebant Medici. si enim (ut Duretus *in Coac. Prænot. tract. 2 Coac. de morb. mul. partic. 21.*
12 dicebat) Convulsio insanabilis atque mortifera est, cujus exolutio cita non est, quanto magis insanabilis, & mortifera judicanda erat convulsio, cum tam malignis symptomatibus ad vigesimam protracta? Et multo magis rationabilem hunc Medicorum timorem faciebat exitialissimum symptoma in hoc morbo apparens, nempe longa obmutescentia, de qua Hippoc. *in Coac. Prænot. sect 2. n. 265* dicebat, *in convulsione obmutescente malum.*

Verum enimvero, si modum jam solutionis hujus morbi considerabimus, manifestissimè videbimus, illum fuisse supernaturalem, ac duo potissimum concurrunt, id attestantia, nempe sanatio instantanea, & modus ipse non consuetus sanationis, ac præter Naturæ ordinem totoque cælo ab eo differens, qui successit. Instantanea enim sanatio ex facto clarissimè elucet, cessante instanti morbo, & omnibus morborum consequentibus, nempè Obmutescentia, doloribus, immobilitate, rigiditate inappetentia, vigiliis & febre, & cæteris quibuscunque symptomatibus Ægrotum jam pernicioso molestantibus ut ex facti narratione in processu apparet? quorum aliqua, licet non habeant dependentiam à principali morbo, hoc est à Tetano, sive convulsione, ita ut etiam convulsione recedente remanere potuissent, insimul tamen recesserunt, ut miraculi evidentia ex effectus perfectione totali majorem in modum elucesceret.

Sed & facili negotio probatur sanationis modum non naturali via processisse sed supernaturali? quippe cùm Hip-
13 pocr *in Coac. Prænot. loco citato, num. 270. & segq.* tripliciter sanari hujusmodi convulsiones firmaverit, resolutione scilicet per aeuteam febrem facta, urinæ crassioris & acervatim erumpentis fluxu, & Alvi motu. Addit & quartum, nempe sudores paulatim obortientes, quorum nihil in nostro casu successit. neque ulli prædictorum modorum successa sanatio attribui potuit. De posterioribus enim non est dubium, cùm in processu nulla similis mentio habeatur ex Testium depositionibus, quæ tamen, cùm essent notatu maximè digna, non siluissent, si aut omnia, aut eorum aliquod apparuisset, præcipuè interrogati, ut fieri solet.

De febre tantummodò prima fronte non contemnendum insurgere videtur dubium, cùm in casu nostro non solum adfuerit febris, sed convulsio cum febre prehenderit, & per totum morbi progressum perseveraverit: palam verò est, non solùm ex superiori Hippocratis sententia, sed ex mille aliis ejusdem assertionibus, & ex ipsa experientia, febrem Con-
14 vulsioni remedio esse, & per eam resolvi materiam omnem convulsionem excitantem; unde cùm hic morbus habuerit remedium consuetum, naturale, ac proptium ex ipsa febre, non videtur ejus sanatio modo aliquo miraculoso cõtigisse.

Cui dubitationi ex ipsiusmet Hippocratis dictis, & auctoritate plenissime satisfit; cum enim de ea re verba facit, *Convulsionem*, inquit, *sanat exorta febris acuta, quæ priùs non fuit*; at in casu nostro febris ab initio cum ipsa convulsione prehendit, ut ex facto patet, imò idem Hippocrat. *lib. cit. Coac. Prænot.* docens non omnem febrem remedio esse Convulsioni, declarat deinceps qualis esse debeat, ut proficua sit dicens, *Febris Convulsioni finem affert, quæ aut eodem die, aut postridie, aut perendie incideris, sed sicam quæ inivit, horam excesserit, neque cessarit, prava est.* At in Ægrotante, hoc nostro febris semper perseveravit ex quo prehendit unde tantum abest, ut ferbris huic convulsioni finem attulerit, ut potius prava, & exitialis extiterit juxta illam Hippocrat. sententiam *in sape cit. lib. Coac. Prænot. sectione 2. n. 29.*
16 *Convulsio in febre contingens perniciosa est*, & aliam ibidem, *sectione eadem num. 30. Cum febre acuta Convulsiones pernitiosa*, & aliam ad rem nostram magis facientem. *Convulsio febri superveniens omnino funesta? perraro autem Pueruli, qui vero septem annis provectiores sunt, convulsione non tentatur in febre, sin autem, desperati.* Ergo cum febris hæc esset prava, & Convulsionem adjunctam haberet, morti certissimæ hominem adjudicare debuit, nisi supernaturale auxilium præsto fuisset, naturali quocunque omnino deficiente. Ejus ergo sanatio miraculosa fuit & meritis B. Laurentii Justiniani successit, ad cujus invocationem in instanti, absque ullo motu naturali, & morbus & omnia consequentia morborum evanuerunt.

CONSILIUM V.

ARGUMENTUM.

Blasius Carpentarius annum agens octavum supra quinquagesimũ ex Sciaticæ dolore tam malè habuit, ut per se ambulare in posterum non potuerit, sed coactus sit fulcris gressus sustinere; ac jam nonnullis mensibus transactis recuperandæ salutis, vel artis, vel Naturæ præsidiis spem omnem abjecerat; cum ad Altare B. Laurentii Justiniani claudicans, & fulcris adiutis se contulit inibique genuflexus sese illi humillime commendavit, & momento temporis sanus factus est, ad idem Altare fulcris relictis, nulloque auxilio propriis pedibus domum se confert, & in posterum sanus vivit.

SUMMARIUM.

1 *Instantaneæ sanationes naturaliter non fiunt in morbis longis, sed tantum in Acutis.*
2 *Crisis est subitus motus in morbis, & mutatio ad salutem vel ad mortem.*
3 *Sanationes instantaneæ, ut miraculosa judicentur, quas conditiones requirant.*
4 *Infirmi pereunt in instanti sine crisi, sed non salvantur in instanti absque crisi.*
5 *Crisis, si interveniat in morbi sanatione, etiamsi in instanti succedat, sanatio à natura censenda.*
6 *Crisis est Naturæ motus.*
7 *Sciatica inter Articulares omnes dolores molestior, & contumacior.*
8 *Ex Sciatica Ægrotantes sapissimè claudi fiunt.*
9 *Vitium ab Ætate proveniens durante ea Ætate tolli non potest.*
10. *Sciatica vere exacerbatur, aut de novo prehendit.*
11 *Crises fiunt ubi calor est vegetus.*
12 *Crisis est natura certamen cum morbo.*

Licet in via quoque Naturæ quædam morborũ sanationes 1
eam brevi tempore succedãi ut in instanti factæ videãtur (licet naturaliter in stanti non fiant ut voluit Rota *in relat Canoniz. S. Hiacinthi, & S. Andreæ Corsini mirac. 1. & 2.* cum ibi allegatis) & ob id miraculotæ existimẽtur, certum tamen est non differenter in quibuscunque morbis tam longis, inquam, quàm Acutis sed in Acutis potissimum secundum naturæ ordinẽ tales subitaneas, ac celerrimas sanationes cõtingere, ac tunc quidem non sunt manifesta aliqua Crisi motũ, & virtutem ipsius Naturæ commostrantes enim in acutis morbis prædominentur semper, aut saltem secundum plurimum calidi & tenues etiam quandoque humores, & subitaneæ sanationes non possint fieri nisi mediante aliqua Crisi, ut videmus, quæ est subitus motus & mutatio in morbo ad sanitatem, si bona sit, sin mala ad mortem, Gal. *comm. 2. Aphor. 13.* certum est hic tam repentinæ mutationi non esse de se aptam materiam frigidam, ac crassam, ex qua morbi longi depen- 2
dent ut tenuis & calida est, ex qua dependent Acuti, quemadmodum insinuantur ab eodem Galen. *lib. 2. de Crisib. c. 11.*

Verum enim vero licet subitaneæ mutationes in morbis longis utplurimum non contingant, sufficit tamen, ad excludendum miraculum, ut etiã quod de raro imò ratissime succederent, ut succedere aliquando posse, cum per Crises judicantur, ostendit Galen. *lib. 2. de Diebb. decret. cap. 5.* quamobrem difficillimũ ob id esset naturales sanationes subito eve- 3
niẽtes à miraculosis distinguere, nisi duæ de necessitate Naturæ in naturalibus conditiones cõcurrerent quarum beneficio hæ ab illis internoscantur. Prima autẽ conditio est, quod in sanationibus instantaneis, quæ Naturæ ope contingunt, semper præcedat Crisis: nam infirmi possunt quidem derepente, & instanti deficere absque Crisi, sed nullo modo sanari in instanti absque Crisi. Verba sunt ipsius Galeni, *libro 3 de*

Crisibus cap. 9. Ubi ergo in sanatione Crisis interveniat, ea etiam in instanti succedens naturalis censenda: quantum est
5 ex hoc, quia nihil aliud Crisis est, quàm ipsius naturæ motus, ut Galenus ubi proxime docet.

6 Altera conditio est (& habet multo magis locum in morbis Chronicis, seu longis ut Crisis facta in via Naturæ semper sit cum aliqua manifesta, & insigni excretione ut demonstratum est à Galeno *libro 2. de Diebus decret. cap. 5.* quam conditionem maxime requirit in sanatione miraculosa nempe ut succedat absque ulla insigni evacuatione: dixi alias *lib. 4. citat. quæst. Medico-Legal. citat. 1. quæst. 8. num. 13.* nam semper è contra judicanda ex naturæ virtute successa si per insignem aliquam evacuationem contingat, nisi evidenter aliunde constet etiam hoc pacto eveniente ex supernaturali virtute procedere.

His positis supponitur jam in casu nostro subitanea quædam sanatio cujusdam morbi Chronici, seu longi, & difficillimi, absque ulla apparente Crisi successa, nullaque succedente insigni evacuatione, quare determinari jure posset, eam ex supernaturali virtute evenisse; quod ut magis magisque palàm fiat, videtur de necessitate examinanda morbi, qui sanatus est natura, & status, ac modus deinceps, quo sanatus est.

Et quoad primum certum est, quod Carpentarius hic patiebatur dolorem Ischiadicum, aut Coxendicum dictum, qui à Barbaris vocatur Sciatica, & quem Chronicum esse ac longum pluries testatus est Hippocr. & præcipue *lib. de intern. affect. prope finem partic. 58.* ubi morbum esse gravem ac diuturnum fitmavit, & *lib. 2. Prædict. part 45.* ubi in senioribus vix per annũ solere sanari docuit; & idipsum cæteri Medici unanimiter fatentur: unde tam Aretæus *lib. 2. de cur. tard. poss.*
7 *cap. 12.* quam Cæl. Aurel. *Chron. lib. 5. cap. 2.* eum inter diuturnas affectiones adnumerant, quod multo evidentius ipsa experientia commonstrat: nam inter omnes Articulares morbos, qui & longi omnes ex sua natura & curatu sunt difficillimi, ut Medicis est notissimum, & adnotavit etiam Rota *in Relat. Canon. B. Andr. Corsin. mirac. 2.* doloris acerbitate, afflictionis diuturnitate, sanationis difficultate, & recidivæ promptitudine molestissimus est sciaticus dolor, ita attestantibus Medicis omnibus Cels. *suæ Med. lib. 4. cap. 22.* Avic. 22. 3 *tract. 2. cap. 5.* Fernel. *lib. 6. Pathalog. cap. 18.* non una vero ex causa dependet tanta ejus morbi contumacia, tanta dolorum molestia, ac tam longa Ægritudinis afflictio, ut prosequitur Avic. *ubi proxime.* Nam primo articuli patientis magnitudo in causa est, ut materia promptius & quantitate copiosior ad illum descendat. Secundò magnorum ligamentorum, aliorumque vasorum multitudo dolorem facit acerbiorem, ex dolore autem majore major sequitur attractio, & ex majore attractione major dolor, & sic quasi perpetuo circulo una causa per aliam fovetur, unde fit, ut in hujusmodi doloribus asserente Avic. *loco cit.* fiat effusio materiæ desuper ex toto corpore ad ipsam patientem particulam. Tertiò dolentis Articuli profunditas impedit penetrationem omnem medicamentorum, tam eorum, quæ ad levandum dolorem, aut ad materiæ resolutionem, vel concoctionem exterius adhibentur, quam eorum quæ ad purganda quomodocunque eã ipsam materiam interius assumuntur. His aliisque nonnullis ex causis simul concurrentibus non mirum est, si morbus hic non solum ex
8 sua natura sit curatu difficilis, sed etiam multoties insanabilis, quod Medici satis norunt, & non desiit adnotare Rota *in Relatione Canon. B. Caietani mirac. 2. post mortem*; quia sæpissime ex eo ægrotantes claudi, ita attestante Hippocr. *lib. 1. de morb. n. 3. & in lib. de intern. affect. num. 54. & 58. & lib. 6. Aphor. ult.* quod nostro huic ægrotanti evenit. Multo minus miraculum est cum tot difficultatibus ex ipsa natura provenientibus adjungitur patientis ætas senilis; tunc enim desperata omnino res est, quia cum hujusmodi dolores senibus sint familiares & senectutis maxime vitio contingant, ut idem Hippoc. *lib. 3. Aphor. ult.* & Galen. *lib. 5. de sanit. tuend. c.*
9 *8.* docèt jam patet, quod vitium ab ætate proveniens durante ea ætate tolli non potest, quia causa illud fovens non solum non est amovibilis, sed indies vires acquirit; unde prudenter Galen. *Comm. 1. Aphor 40.* dicebat Arthritidem, & Nephritidem ex eorum morborum numero esse qui senes comitantur usque ad mortem: quod multo magis habet locum in hac Arthritidis specie nempe in Sciatica, habet enim hæc inter alias hoc peculiare ut facillime revertatur. Avic. *ubi alias c. 5. Sciatica*, inquit, *& Podagra, cum curantur & eradicantur earum materia quæ sunt ex iis redeunt qualibet ex causa*; hoc est, etiamsi ex toto curétur, ita ut ab radice humores eas producentes evellantur, levi tamen negotio ac facillime reversionem faciunt. Non modo ergo morbus hic difficilis curatu est respectu accessionum particularium, sed etiam respectu recidivæ & præcipuè in senibus, quos ad mortem usque concomitari mox ex Galeno dictum est.

Erat ergo morbus, quo Carpentarius hic detinebatur, diuturnus, molestus, & contumax non solum respectu sui ipsius, sed respectu etiam sui progressus & respectu ætatis ipsius patientis, quæ senilis erat; agebat enim Blasius tunc annum octavum supra quinquagesimum, ut deponit secundus Testis super *44. summ. n. 1.* His addebatur temporis conditio, in quo sanatus est, cum adhuc vigeret Hyems aut saltem instaret Ver nam circa Quadragesimam sanatus est, ut depo- 10
nit idem Testis ibidem. In his vero temporibus hujusmodi morbi tantum abest ut sanari soleant, quin potius aut de novo tunc prehendunt, aut jam facti exacerbantur, ut peculiariter de Vere testatur Hippocr. *lib 3. aphor.* & ibi Gal. *in comm. & lib. 6. Aphor. 55.* Cels. *lib. 4. ult* & Avic. *ubi alias* & facit Rota *in Relat. Canonizat. B. Felicis à Cantalitio, tit. de Mirac.* Si quæ ergo instantanea sanatio in tam difficili morbo successerit, ut successisse probatur ex testium depositionibus *in summ. n. 1.* nequaquam persuaderi possumus, Naturam quicquam in ea sanatione operatam fuisse; primò, quia nulla in hac sanatione Crisis successit, ut de necessitate debere succedere in subitis sanationibus probavimus. Secũdò quia nulla facta est insignis excretio, nullusque apparuit motus qui Naturam operantem commonstrare potuerit. Nam quod nulla successerit Crisis, probatur primò ex Natura morbi, qui cũ diuturnus, ac chronicus sit, non solet per Crisim judicari ut jam superius animus: licet enim non desit aliquis morbus diuturnus, qui aliquando per Crisim judicatur certe Arthritis ex his non est, & maxime Ischias, seu Sciatica, tum propter materiæ conditionem, quæ morbum excitat, tum propter particulæ patientis naturam, quæ calore destituitur; At Crises fiunt ubi vegetus est calor. Gal. *de Crisib. lib. 2. c. 11.* tum propter alias 11
causas. Probatur secundò, quia cum Crisis sit naturæ certamen cum morbo, in eo fiunt motus vehementes, & conspicui, 12
qui latere non possunt; unde tales motus plura signa necessario præcedunt, ut prosequitur idem Galenus *ibid. lib. 2.* Cum igitur nihil constet de hoc in casu nostro, sed potius de contrario, quia is motus vehemens, si præcessisset, & hæc pugna cum morbo à natura facta plurimùm ægrum exagitasset, & coëgisset etiam decumbere, dicendum est, nullam in hac sanatione interveniisse Crisim. Quòd autem nulla successerit insignis evacuatio: manifestum est, cum Blasius à concepto voto in ipsa Ecclesia illico sanus evaserit, nec verisimile sit, ibi similem aliquam excretionem successisse, de qua examinati Testes omnino tacuerint, Et ut magis innotescat, Blasium absque ulla Naturæ ope, & supra omnes Naturæ creatæ vires sanum fuisse factum, non solum sanatur in instanti ex morbo, qui alias à Natura nonnisi longissimo temporis intervallo vix sanari, & de vix quidem potest, & liber ab eo omni ex parte evadit, nullo relicto morbi vestigio, sed in posterum etiam sanus per multos annos vivit, ut Testes deponunt: contra quam Natura ipsius morbi ferat, & maxime in senibus, in quibus vel levissima ex causa, ac de se reversionem facere consuevit, ut superius jam firmatum est.

CONSILIUM VI.

ARGUMENTUM.

Affligebatur soror Cæcilia Morosina anno ætatis suæ quinquagesimo tertio febri cum catarro, à qua in acerbissimum dolorem Coxendicum, seu sciaticum (uterque enim similis est) lapsa est cum stupore, & motus impotentia sinistri cruris, quæ tamen invocatione B. Laurentii Justiniani, & ejus sanctissimi corporis mensuræ applicatione illico à dolore libera remanet, ac deinceps brevi integre etiam à febre sanatur.

SUMMARIUM.

1 *Deus servos suos in peculiari aliqua miraculorum genere magis quam in alio interdum illustrat.*

2 *Sciatica inter articulares morbos est omnium molestissimus.*

3 *Morbum fieri per decubitum quando dicatur.*

4 *Abscessus per decubitum fiunt in parte omnium maxime debili.*

5 *In ætate senili dolores coxendici fiunt maximè diuturni.*

6 *Ad celeres sanationes quæ conditiones requirantur ex parte naturæ.*

7 *Sanatio*

7 *Sanatio instantanea in morbo diuturno Naturæ repugnat.*
8 *Satis est ad miraculi evidentiam, ut sanatio urgentioris morbi sit instantanea, licet remaneant alia morbi accidentia.*

1 IN omni effectuum genere, qui supra naturæ creatæ vires fieri possunt D. O. M. mirabilem se præstat in Sanctis suis, sed aliquando eos in peculiari aliquo miraculorum genere illustrat, atque uni quidem Prophetiæ donum alteri potestatem ejiciendi Dæmonia, huic occultas hominum cogitationes cognoscendi, illi vero gratiam visionum beatificarum, alteri item sanandi languores neque virtutes omnes omnibus semper, sed peculiares peculiari servo suo aliquando impertitur. Itaque fit unius servi Dei invocationem ad febres pellendas, illius ad puerperas levandas, ad Epilepticos sanandos, ad alioſque particulares generis morbos edomandos valere compertiamus Beatissimi servi Dei Laurentii Justiniani invocationem ad dolores, & morbos Articulorum & nervosarum partium desperatos efficacem esse jam non uno aut altero, sed multiplici miraculo Deus Opt. Max comprobavit. Sic factum apparet in Moniali, cui sorori Luciæ nomen erat nodosa Arthritidine laborante, in Blasio Carpentario ex molestissima sciatica claudicante, in Dominico Maphæo sævissimo Tetano detento, in sorore Antonia universali stupore oppressa & in aliis peculiariter nunc in casu, qui offertur hujus Reverendæ Monialis acerbissimo Coxendicis dolore conflictatæ; qui omnes cùm neque ab Arte, neque à Natura quicquam adjumenti suis ærumnis expectare possent, hujus servi Dei invocatione sanati sunt; cùm verò de pletisque tam nonnulla dicta sunt in prioribus positionibus restat nunc ut de hoc casu aliquid dicamus, ut non secus ac alias miraculosè & ipsum contigisse non ex Artis, aut Naturæ ope firmis rationibus comprobemus.

2 Jam vero aliàs dictum, ac concludenter probatum est, sciaticæ morbum inter Articulares affectus esse omniũ molestissimum, solutu contumacissimum, ac præ omnibus facilè recidivam facientem Cels. *lib. 4. suæ Med. cap. 22.* Avic. *22. 3. tract. 2. cap. 5. & alii.* Præter naturalem autem sanationis difficultatem quam hic morbus sortitur, equidem sciatica, qua Reverenda hæc Monialis opprimebatur, habebat quasdam aggravantes conditiones, ex quarum conjunctione multo gravior molestior, & contumacior, quàm ex sua natura sit facile evadebat, quarum prima erat, quod evenerat ab alio prægresso morbo per materiæ decubitum. Secunda, quod materia erat copia multa & qualitate frigida. Tertia, quod anni tempus morbum mirum in modum fovebat. Quarta, quòd ætas patientis huic morbo & generando, & fovendo erat maximè idonea.

3 Et ut à prima conditione inciplamus, & quid ea ad rem nostram importet efficudamus, sciendum, Medicos tunc firmare, morbum fieri per decubitum, cum morbifica materia ab una parte in aliam transmittitur. Galen. *libr. 2. de art. cur. ad Glauc. cap. 7. Nominant autem*, inquit, *hujusmodi dispositiones (hoc est decubitus, seu Apostemata) cũ quæ prius unum membrorum infestant humores, eo relicto ad alterum transeunt.* Id verò tunc evenit, cum pars expellens, ac se exonerans est fortis, recipiens autem omnium, quæ in corpore sunt, maximæ debilis: nam omnes corporis partes, cum in suo robore sunt, expellunt à se superflua, ac noxia quousque extra corpus protrudantur vel ad unam partem perverterint fuerit, quæ præ debilitate impotès sit à se ea depellere, quod mirifice explicatum ab eodem Galeno est; & signãter in *Method. Med. lib. in lib. de symptom. caus. & de curat. per sang. missionem & alibi.* Cùm ergò materia in parte debili firmata fuerit, inibi causat morbum, ac tunc dicitur is morbus factus per decubitum, parte, quæ antea laboraverat, à morbo exonerata, ut in hoc casu, in quo cum hæc Religiosa caput multa pituita oppletum haberet, quæ excalefacta febrem quoque excitaverat, Natura volens se ab ea superflua ac noxia materia exonerare, eam ad propinquiores partes repulit, & hæ quidem ad viciniores, quousque ad magnum articulum ossis Sciæ pervenerunt est, qui cum esset, quatumque ex causa, maximè debilis, non potuit, ut aliæ partes effecerant, eam à se repellere, & sic dolor ibi generatus est acerbus, qualis ex sciatica causari solet; quæ omnia non solùm ex rationabili discursu, sed ex ipsa Patientis depositione habentur: *in summ. 2.* ibi: *Mi venne insieme un catarro, che mi cominciò della Testa, & mi calò dalla banda sinistra pigliandomi tutto il fianco & la gamba; & mi parve, ch' allora mi calasse un acqua fredda, che mi tolse interamente la forza di poter movere tutta quella banda.*

4 Cùm ergo Abcessus per decubitum fiant in parte omnium, quæ sunt in corpore, maximè debiliùs, ut superiùs firmavimus, certè hinc manifestissima sit insufficientia, & omnimoda impotentia ejus partis ad talem morbum aliquo modo superandum, cùm morbus superari non possit, nisi à validiori partium virtute, ac robore, ut notissimum est, quòd si huic adscititiæ, ac accidentariæ debilitati conjungatur naturalis ipsius partis debilitas, eo quod minimo calore doleretur, ut est Articulus, & insimul ineptitudo ad remedia excipienda, ut præcipuè inter omnes Articulos est Articulus ossis Sciæ, certè morbum, qui sic fiat, habere omnimodam suæ sanationis repugnantiam in via Naturæ firmandum est, cùm tam Artis, quam ipsi Naturæ omnis præcisa via sit tales morbos superandi.

Sed adau get majorem multo in modum prædictam repugnantiam, materiæ morbum excitantis multitudo, & qualitas, quanto enim major materiæ copia partem affectam obsidet, & quanto frigidior ea est, tanto magis repugnabat morbum à calore debili posse naturaliter sanari; quod verò in casu nostro materia esset multa, & frigida, patet; nam multa erat, quia non solum causabat dolorẽ, sed impediebat sensum & motum; multa erat quia tempus anni eam copiosiorẽ reddebat, cum esset autumnale, in quo plurima excrementa aggregantur, præterquam quod ætas ipsa eorum copiosiorem reddebat, multa erat, quia non modo occupabat articulum, sed vicinas etiam partes omnes, erat insuper frigida, quod ad sensum patebat, unde eadem soror Cæcilia id fatetur ibi *Et mi parve, ch' allora mi calasse un acqua fredda &c.* Præterea, idem anni tempus aggravabat morbum, & majorem in modum sanationem impediebat, cum morbus hic ex sua natura frigidos in parte frigida cum multa frigidæ materiæ copia ab omni tempore frigido nonnisi summopere foveri, & augeri debuisset. Quibus omnibus adebatur ætas Patientis jam gravis, cum annum ageret tertium supra quinquagesimum qua ætate dolores Coxendicos, & sciaticos maximè esse diuturnos & vix per annum sanari dicebat Hippocr. *2 aphor.* 45. quod multo magis ex ejus sententia habet locum, ubi rorpores & refrigerationes tum Lumborum, tum Cruris sunt, ut in casu nostro, in quo non modò os Sciæ sed etiam lumbos, & totum crus sinistrum dolor, ac torpor & impotentia ad motum prehendebat ut ipsamet soror Cæcilia deponit ibi: *Et mi calò dalla banda sinistra, pigliandomi tutto il fianco, & la gamba.* Atque hæc quidem omnia simul concurrentia (licet unum quodlibet per se idem operari posset) faciebant omnimodam sanationis repugnantiam in vim Naturæ. Quod si concedere velimus, his non obstantibus, Naturã utcunque aliquid machinari potuisse circa hujus morbi sanationem certè eædem conditiones, quæ tantopere morbũ graviorem reddebant & contumaciorem, non permittebant ullo modo, ut Natura subitaneam hujus morbi discceptionem moliri posset, siquidem ad hujusmodi non instantaneas dicam, ut hæc fuit, sed ad celeres morborum sanationes requiritur ex parte Naturæ calor fortis, pars affecta vegeta, ac valida, materia morbum faciens non multa, neque crassa qualitas calida tempus morbo contrarium ætas juvenilis, aut saltẽ consistens, hæc enim omnia simul concurrentia, aut saltem eorum plurimum celeres motus in morbis faciunt, unde celeres sequuntur sanationes: ætate contrariis conditionibus militantibus non solũ fieri non possunt celeres hujusmodi motus & consequenter neque celeres sanationes seu impeditur omninò quicunque motus Naturæ aut si fortè aliquis fiat, is quidem nonnisi temporis diuturnitate succedit, ut docet Gal. multis in locis, ac præcipuè *in lib. de Crisib. & comm. 3. in Hippocr. Prognost. part. 24.* Et ideirco cum repugnet omnino Naturæ morborũ diuturnorum instantanea sanatio, & in hoc casu ad invocationem B. Laurentii immediatè post aplicationem mensuræ ejus corporis ea fuerit secuta, non ex Naturæ ope, sed ex supernaturali virtute eam successisse asseverãdum, quod non destitit etiam ponderare Medicus, qui Reverendæ hujus Monialis curam gerebat; cum judicaret enim hoc fuisse undecunque miraculosum, non aliam suæ assertionis causam attulit quod non poterat is morbus in via Naturæ tam brevi temporis spatio superari, ut deponit *super. 61. in summ. n. 9. Poiche secondo il mio giudicio quel male non doveva guarire, ne si doveva levare sì presto.*

Nihil denique obstare videtur si post principalis morbi curationem remanserint aliqua consequentia morbum, nec ægra tam subitò ab iis levata sit, satis enim est si morbi malitia, & acerbitas ad servi Dei invocationem, & immediatè post applicationem mensuræ ejus beatissimi corporis, atque in instanti remiserit, ut in similibus dixit Rota in *Relatione Cano. Sancti Carolì part. 1. miracul. 13.* ut in aliis Relationibus alias. Quod verò acerbissimus, ac molestissimus ille dolor illico ab applicatione prædictæ mensuræ corporis Beati Laurentii cessaverit, probatur ex dictis Testium. Octavus *super 61. Et subito mi acquetai, & mi addormentai fino alle nove hore, &c.* Vigesimus nonus super eodem

La

La trovai improvisamente in buon stato, & Nonus super eodem ex dicto ipsius Patientis. *Et mi è passata subito la doglia.* Et Decimus super eodem ex dicto quoque ipsius patientis, *dicendomi subito messe quella misura, mi sono addormentata*; & concordant alii omnes nemine excepto.

CONSILIUM VII.

ARGUMENTUM.

Detinebatur Ioannes Picatus Crurum OEdematoso tumore perpetuo cum ulcere, & iam per quatuordecim annos eo morbo conflictatus fuerat, cum ope B. Laurentii Iustiniani implorata, brevi integram consequitur sanitatem.

SUMMARIUM.

1 *Tumor OEdematosus qui vocetur.*
2 *Hydrops fieri non potest nisi vitiato Hepate.*
3 *Intemperies omnes, præsertim insignes, virtutem deiiciunt.*
4 *Natura repugnante omnia irrita.*
5 *Ars Naturæ minister, & Medicus ipsius Artis, seu ipsius Naturæ minister.*
6 *Morbi longi non possunt naturaliter nisi paulatim, & longo temporis intervallo superari.*

1 TUmor, quem in crutibus patiebatur hic Ioannes Picatus, de cuius miraculosa sanatione modo agitur, erat OEdematosus: vocant autem Medici tumorem OEdematosum illam, qui à materia frigida, & humida, pituitosa nempe, generari solet. Eius vero naturæ fuisse satis superque demonstrat & qualitas, & quantitas materiæ tumorem producentis, præter aliam, quæ ab eo per ulculculum aliquando expurgabatur erat enim aquosa, & quantitate multa, ut deponit Testis vigesimus nonus super decimo *in summ. num.* 2. ibi: *Poiche essendo solita uscirgli grand aqua da quella gamba*, &c. Horum enim utrumque proprium est materiæ frigidæ; præterquam quod & morbi diuturnitas, & gravitas, & impotentia ad motum id ipsum apertissime significabant, cum diuturni morbi fiant ab humoribus frigidis, Galen. *libro* 4. *Aphor.* 44. & materia frigida, ob sui crassitiem gravitatem in parte faciat.

Licet autem huiusmodi Tumor ex se ipso molestus admodum esset, ita ut vitæ tædium ægrotanti referret, non ita tamen gravis morbus ex sua natura erat, quin multo gravioris, & difficilioris morbi germen esset: non enim eius morbi causa ab ipso crurum vitio dependebat, sed multo nobilioris partis vitium subesse in corpore ostendebat, nempe Hepatis; quippe cum OEdematosi tumores maxime si insignes sint, ex imbecillitate, & defectu sanguificatricis facultatis ipsius Hepatis generentur: cum enim viscus hoc præ caloris debilitate non possit totam Chylosam materiam ad ipsum transmissam in perfectum sanguinem convertere, remanet eius portio aliqua semicocta, quæ ad debiliores partes tanquam nutritioni non apta transmissa tumores huius generis OEdematosos excitat, ut in casu nostro factum est; in quo cum inferiores partes tumefierent, & maxime insigniter sinistræ, apparet hanc affectionem fuisse quandam Hydropis speciem, eius nempe, quæ Anasarca nominatur, in qua ut plurimum totum corpus, interdum tamen solummodo inferiores partes tumefiunt. Eius rei unum, aut alterum evidentissimum signum ex Testium dictis elici potest, tumefactio scilicet crurum perpetua, & maxime ægro stante, aut ambulante; & tarditas, ac impotentia ad progressionem, quorum utrumque ab Authoribus ponitur pro signo huius affectionis; & de priori quidem Aretæus *lib.* 1. *de caus. diuturn. pass. cap.* 6. his verbis, *stantibus pedes, tibiaque intumescunt*, de posteriori vero Cæl. Aurel. *lib.* 3. *Chron. cap.* 7. *Debilitate tardus*, inquit, *ac piger corporis motus cum inflatione inani.* Ac utrumque hoc symptoma in nostro ægrotante adfuisse manifestum est, & de posteriori Testes omnes *in summ. num.* 2. unanimiter deponunt, Ipse Ioannes Testis 27. *supr.* 10. *Et adesso camino liberamente, dove prima poteva à pena movermi, & caminare per due, ò tre Credi, che bisognava, che mi sedessi*, & 33. super eodem, *essendo assaissimo a caminare*, & 34. super eodem. *Et quando gli conveniva venire giu in bottega, veniva gia con le crocce.* De priori vero 29. *super decimo ibi. Ogni volta che gli se levava su piedi se gli gonfiava la gamba.*

Constituta ergo iam vera huiusmodi morbi Idea, facile erit nunc determinare, an ejus morbi sanatio successa immediate post invocationem B. Laurentii miraculosa fuerit, necne. Ac videtur dicendum, firmiterque asseverandum, eam miraculosam fuisse, tum quia sanatio eius morbi superabat Naturæ creatæ vires, tum etiam quia modus sanationis fuit undequaque supernaturalis, & extrà Naturæ ordinem. Quadruplici autem ex capite sanatio hujus morbi superabat Naturæ vires; & primò respectu remotionis causæ morbificæ, & correctionis partis mandantis. Secundò, respectu partis recipientis. Tertiò, respectu diuturnitatis, & confirmationis ipsius morbi. Quartò, respectu debilitatis ipsius particularis Naturæ ægrotantis, quæ neque ope Medica adjuta per tam longum temporis spatium tantisper resurgere valuit.

Et quoad primum caput, nörunt Medici nullos Hydropes 2
fieri posse, nisi vitiato Hepate, Galen. *lib.* 6. *de loc. aff. cap.* 7. & DD. omnes, ubi de Hydrope verba faciunt; imo non solum Hydrops, sed neque simplex OEdematosus Tumor, si confirmatus sit, absque Hepatis vitio procreatur. Gal. *lib.* 3. *sympt. caus. cap.* 2. Cum ergo hic adesset insignis Tumor OEdematosus, certe ejus causa à frigida Hepatis intemperie, & ab imminuto calore originem trahebat; tales enim Hydropes, atque huiusmodi Tumores ab huiusmodi intemperie fieri docent Gal. *loc. cit. de loc. aff.* & cum eo DD. omnes. Ergo ad hunc morbum sanandum, & ad remotionem causæ morbificæ necesse erat, hanc Hepatis intemperiem ad contrarium reducere, quod duplici ex capite erat impossibile; Primò quia vires ipsius particulæ patientis erant invalidæ, & calor ipsius maxime debilis; id enim habent proprium omnes intemperies cum insignes sunt, qualis hæc erat, ut virtutem summopere debilitent. Galen. *ut. lib.* 3. *de sympt. caus. cap.* 1. At si in principio contractæ huius intemperiei Natura non potuit eam superare, quid sperandum ab eius ope erat post tot annos elapsos? Secundò, quia intemperies hæc iam erat confirmata, & in habitu, ac connaturalis evaserat; cum enim Natura non possit in principio partium intemperies emendare, sed indies augescunt, paulatim illis assuescit, & sic illas sibi connaturales facit, easque in posterum mutare non minus impossibile est, quam Naturam ipsam, aut quomodocumque à Natura irrepens vitium.

Quoad secundum caput, non est quod longioribus immoremur; erant enim partes recipientes humores illos crudos, & excrementitios, Hepatis vitio generatos, omnium corporis partium infimæ, decliviores, & naturâ frigidiores; quod enim essent infimæ, commonstrat ipsas promptissime recipere ab universis partibus superioribus, ex eo quod essent deciives, eveniebat, ut difficillime, imo nullo modo iam receptos humores ad alias partes remittere possent. Ex eo quod essent frigidæ, evidenter succedebat, ipsas receptos humores neque concoquere, neque resolvere, neque ullo modo exuperare posse. Et licet aliqua dictorum humorum copia per ulculculum expurgaretur, semper tamen remanebat fomentum ab interno viscere, ex quo perenniter novæ materiæ genetabantur ad ipsas partes affectas transmittendæ. Hepar enim tanquam perennis fons ex assumptis ob contractam frigiditatem, seu potius ob caloris pauperiem, novos humores excrementitios procreabat, neque fieri poterat, ut desineret per aliquod tempus procreare, nisi ad pristinum statum reduceretur, quod erat omnino in via Naturæ impossibile. Quandiu ergo individuum viveret, & Hepar suo munere fungeretur, tandiu necessarium erat illud novos humores affectis partibus subministrare, nisi à sanguificatione desisteret, quod non nisi individuo deficiente evenire poterat.

Quoad tertium caput manifestissimum quoque est, sanationem Naturæ vires superasse, quia morbus erat iam in habitu, & per tot annos confirmatus, ad quem exuperandum iam nec fortior calor, nec ætas floridior nec vires validiores neque aliud quicquam opem ferre poterat, multo ergo magis desperata res erat, ubi calor erat iam debilis, ubi ætas iam declinans, ubi vires iam languidæ; in quo casu sanguis indies frigidior evadebat, & calor imbecillior reddebatur.

Quoad quartum denique caput ex ipsa facti serie elucet Naturæ simul, & Artis Medicæ invaliditas ad ejus morbi sanationem, cùm tot annis neque ipsa Natura, neque ipsa Ars tot adhibitis medicamentis per tres insignitos Medicos, quorum fama, & scripta ad nos pervenerunt, nihil profecerit censendum vero est, hos clarissimos Medicos omnem lapidem movisse, ut Ægrum à tam molesto morbo vindicarent. sed in casu omnia aderat enim nimia, & invincibilis Naturæ, repugnantia; qua præsente omnia irrita redduntur. Hippocrat. *in Lex. num.* 2 quia Ars est Naturæ Minister, & Medicus ipse 4
Artis minister, vel Naturæ Id. Hippocr. *lib.* 1. *de morb. Popul. section.* 2. & notavit etiã ex Legum peritis Oniae. *lib* 2. *Col. log. mixt. n.* 3 qua de causa Medicus semper naturam imitatur, 5

licet

& licet interdum quoque, imo semper coadiuvet, non potest tamen quicquam perficere, si adsit subjecti inhabilitas ad recipiendam sanitatem.

Quod tandem modus sanationis hujus diuturnissimi morbi fuerit undequaque supra Naturam, patet, quia cum morbi longi & ob caloris, & Naturæ debilitatem, & ob humorum copiam, & qualitatem (sunt enim multi, & frigidi, ut alias ex Galen. dixi) non possint nisi per insignes evacuationes, ac paulatim, & longissimo temporis intervallo naturaliter sanari, hic absque ulla excretione, & in instanti ab invocatione B. Laurentii remisit, & brevissimo unius hebdomadis spatio integre sanatus est, nulla Artis ope interveniente, ut ex processu patet. Quamobrem cum in hoc casu calor naturalis ad pristinum vigorem, cum esset jam quasi extinctus, remeaverit, videtur mortui resurrectioni pene opus hoc æquiparandum.

CONSILIUM VIII.

ARGUMENTUM.

Nobilis mulier Venera, Marina Gritti nomine, septuagenaria affligebatur jam per plures menses Canceroso quodam pectoris tumore ulcerato, cumque jam in extremo vitæ degeret, ope Beati Laurentii Justiniani implorata, in instanti ab omni morbo liberatur, nullo omnino tumoris, aut ulceris vestigio in parte remanente.

SUMMARIUM.

1 *In miraculosis sanationibus duo de necessitate concurrere debent, ut miraculosa vere sint.*
2 *Cancrosi tumoris signa.*
3 *Cancer ejus Natura morbus est, ut nunquam consanescat.*
4 *Natura morbos superat concoquendo.*
5 *Impossibile naturaliter est ex soluta unitate non remanere vestigium in carne.*
6 *Miracula aut sunt præter Naturam, aut contra Naturam, aut supra Naturam.*

1 TOt conditiones in proposito casu concurrunt, manifestissime declarantes sanationem hanc supra Naturæ vires undequaque fuisse, ut supervacaneum videri facile possit, hoc pluribus rationibus corroborare; tamen breviter hic nonnulla deducam, ut miraculi evidentia maiorem in modum elucescat. Duo igitur mihi maxime videntur in hoc casu ad miraculi efficientiam considerari posse, quæ præcipue in omni sanatione, quæ miraculosa judicanda sit, ex necessitate concurrere debent, de quibus etiam in superioribus actum est. Ac primum est repugnantia omnimoda sanationis ex parte ipsius tam Naturæ, quam Artis. Secundum, modus ipsius sanationis omni ex parte supernaturalis. Repugnantia namque sanationis quoad Naturam, vel Artem non solum manifestissima est ex parte morbi, sed etiam ex parte Patientis, & propterea ex parte multarum conditionum morbum ipsum concomitantium.

Et primo repugnantia ex parte morbi apparet, examinando naturam, & essentiam ipsius morbi: erat enim Tumor Canceroſus cum ulcere in pectore, ut ex signis ab omnibus testibus unanimiter allatis satis patet: nam Tumor hic erat magnus adinstar ovi gallinacei, colore liveus, ac nigricans, visu horridus, cum dolore perenni, ac pernecabili, tactu maxime durus; quæ omnia signa conveniunt cum iis, quæ ab Auctoribus pro signis diagnosticis cancri apostemosi afferuntur, Galen *lib. 2. de Art. cur. ad Glauc. cap. 5.* Cels. *lib. 5. suæ med. cap. 28.* Paul. *suæ Med. lib. 4. cap. 26.* Aet. *Tetrabil. sermon. 2. cap. 43.* Rasis *27. Contin. tract. 3. cap. 1.* Avic. *3. 4. tract. 2. cap. 15.* Ioann. de Vigo *lib. 2. suæ Chirurg. tract. 4. cap. 3.* Paræus *suor. oper. lib. 6. cap. 26.* Tagaut. *Institt. Chirurg. lib. 1. cap. 15.* Forest. *lib. 4. Observat. 5.* & alii. Licet ergo testes deponant de Gangræna, eo quod eorum nullus Medicorum nominum proprietatem callere potuerit, vere tamen ex signis ab ipsismet allatis, & descriptione ejus tumoris ab ipsis diligenter facta, nullus erit ex Medicis, qui in hoc hæsitaverit, unde decernendum absque ullo dubio est, tumorem illum fuisse apostema canceroſum, neque enim allata signa Gangrænæ convenire possunt, neque remedia à Medicis præscripta, ex arte præscripta viderentur; aliam namque omnino curam requirebat Gangræna ab ea admodum diversam, qua Medici usi sunt; præterquam quod Gangræna non poterat ad plures menses absque vicinarum partium sphacelo, & corruptione, corrupta prius ipsa patiente particula, perdurare. Cum Gangræna principium sit, & via in corruptionem, Galen. *ubi supr. cap. 5.* & cæteri omnes. Cum ergo pateat, morbum hunc fuisse cancrum apostemosum, jam patet insimul sanationis ipsius impossibilitas, & repugnantia in via Naturæ: cancer enim hujusmodi naturæ morbus est, ut nunquam consanescat. Et quanquam Gal. *comm. 4. aphor. 24.* dicit cancrum in summa parte consistentem aut cum difficultate sanabilem, aut omnino insanabilem esse; tamen absolute cancros jam accrescentes, qualis hic erat in insignem tumorem sublatus, insanabiles absque ulla hæsitantia esse, notissimum est. Facit ipse Galen. *lib. 2. de Art. cur. ad Glauc. cap. 10* multo clarius Paulo auctoritas, *ubi supra*, cujus verba hæc sunt. *Hoc malum*, inquit, *plane propter succi crassitiem non consanescit, utpote, quod nec repelli, nec discuti queat, nec totius corporis purgationi cedat, vel quod etiam mitiora negligat remedia, vehementioribus autem irritetur, & exulcerescat.* Sed specialim Actius *loc. cit. cap. sed.* de cancro in pectore verba faciens, *Cancros*, inquit, *in pectore ubertos omnino deplorandos esse scito.* Neque idem Galenus id inficiatur, cum *loc. cit. de Art. curat* solos incipientes cancros sanasse se aliquando fateatur, jam auctos autem nunquam.

Non dispar sanationis repugnantia considerari potest ex parte subjecti Ægrotantis; erat enim hæc infirma septuagenaria, viribus destituta, ac omnino à prægresso morbo derelicta, cum jam per multos dies febribus, doloribus vigiliis, inappetentia, & mille aliis symptomatibus fuisset confligtata, ut deponunt testes, & præcipue *26. supra 45. in summ. num. 1.* jam vero ad extremum quoque venerat, quia nihil per plures jam dies assumpserat, quinimo & loquela, & voce erat destituta, ut concordant iidem testes *26. super eadem*, & *32. super eadem in summ. ibid.* Non modo ergo repugnabat, Ægram sic constitutam morbum tam pertinacem, & rebellem, imo de sua natura insuperabilem superare, cum neque integris viribus alias superari potuisset, verum etiam repugnabat eam superare posse quemcumque vel mediocrem, & multo mitiorem morbum; quippe cum Natura morbos superet concoquendo, concoctio vero fiat per calorem, aut simpliciter fortem, aut saltem respectu morbi concoquendi. At in nostra Ægrotante calor non solum non erat fortis, sed in extremo debilitatis, & respectu sui ipsius, & multo magis respectu morbi nempe canceroſi illius apostematis, quod cum originem habeat à materia crassa, & melancholica, ut Galenus, Celsus, Paulus, Actius, Rasis, Avicenna, & cæteri omnes uno ore fatentur, hanc coctionem non admittit, ut iidem DD. prosequuntur, & ut ipsa tumoris essentia commonstrabat; erat enim maxime durus, at duri hujusmodi tumores ab Hippocrate, teste Galen. *comm. 5. Aphor. 67.* pravi & crudi ea de causa vocantur, nempe quia rebelles sunt coctioni.

Sed & præter commemorata multæ insuper aliæ conditiones reddebant hunc morbum incurabilem ac deploratum, & manifestissime repugnantiam sanationis ex parte Naturæ ostendebat, ut quod hic tam malignus tumor ad febrem esset subsecutus, faciente Natura abscessum, & demandante peccantem materiam ad externas corporis partes non ob sui tobur, & virturem, sed ob malignorum humorum stimulum; quæ Naturæ indicationes quam exitiales sint, & qualem, ac quantam secum afferant calamitatem, & quam pessime semper terminari soleant, præter quotidianam experientiam ex Hippocratis, & Galeni aliorumque DD. decretis ostendit Prosper Alpin. *de prasag. vit. & mort. lib. 7. cap. ult.* His adde partis humorem excipientis naturam, hoc est pectus, in quo Cor vitæ, & caloris fons situatur: hujusmodi vero abscessus quanto cordi sunt propinquiores, tanto ob eorum malignitatem sunt pejores. Alpin. *ubi proxime*, jam autem ex Aetii dicto patet, eos tumores in pectore deplorates esse. Neque tandem desunt aliæ conditiones ita morbum aggravantes, ut illum undequaque in via Naturæ incurabilem redderent, quas brevitatis causa considerare pro nunc supersedebo.

Probata igitur repugnantia sanationis hujus morbi ex parte naturæ, reliquum est, ut sanatio secessa miraculosa fuerit, quomodocunque tandem successerit; sed ultra prædictam repugnantiam etiam modus sanationis toto genere supra Naturam idem apertissime commonstrat. Successit enim sanatio primo absque ullis mediis naturalibus; successit secundo in momento, in instanti, ac tertio denique sanatio successit perfectissima non relinquendo vestigium prægressi morbi, ut reliquere naturaliter debuisset. Et quoad primum patet, quia

Medicus

Medicus sciens hujusmodi tumores non esse remediis irritandos, & inanem esse, ut patet ex Pauli auctoritate, in iis medendis omnem operam medentis, usus est cura, quam Palliativam vocant, præscribens oleum anodinum, seu mitigatorium ad dolo em tantum modo mulcendum; eam alias quid prodesse poterat oleum liliorum alborum ad concoquendum, aut dissolvendum Tumorem renitentem, durum, ac cancerosum? Itaque cum hoc non sit remedium morbo sanando proportionatum & reliqua non sint administrata, sequitur, quod sanatio successerit absque mediis ab Arte administratis, & quod neque alia remedia naturalia huic curæ intervenerint patet ex iis, quæ jam dicta sunt.

Quoad secundum, verificatur ex dicto testium, sanationem fuisse instantaneam, secundus *supra 45 in summ. n. 1. Subito la Gangrena suani, non vedendo piu segno, ne effetto alcuno.* Et 26 super eodem ad interrogata. *Io medesma in hora prima l'haveva medicata, & visto il male, l'haveva, & poi in un subito guarita senza che restasse male alcuno.* Concordant etiam circa hanc momentaneam sanationem Testis 22. *super eodem, & 21. sup. eodem in summ. numero eodem.*

Quoad tertium, opus hoc apparuit perfectissimum à superna Dei manu meritis B. Laurentii patratum: non modo enim recessit morbus, & omnia symptomata morbum consequentia in ipso sanationis instanti, sed ne vestigia quidem tumoris, aut ulceris, quæ semper remanere solent, ulterius apparue-
5 runt, quod admirationem, & miraculum magis adauget: naturaliter enim hoc quoque erat impossibile, non remanere scilicet in loco affecto signa ulla tumoris, aut saltem ulceris prægressi ex contracto callo in externæ cutis unione apparens, ut Gal. ipse *lib. 14. Method. Med. cap. 10.* prosequitur, quia nunquam quod generatur ad uniendam continui solutionem est vere ipsum, quod ante erat; at etiamsi quam minima sit continui solutio, semper, ubi uniatur, vestigium prægressæ solutionis retinet: quamvis enim quod de novo generatum est cuti simillimum sit, cutis tamen non est, ut addebat ibidem Galenus, quando & denuo ea particula de novo pullulans, visu tactuque inveniatur, imo cicatrices ab hujusmodi pravis tumoribus relictæ terro quoque colore se produnt, cum sequantur humoris peccantis conditionem, qui niger, ac teter in his tumoribus est.

Insurgere tamen poterat aliqua difficultas, quam, licet minimi momenti sit, dissolvere operæ pretium est, patet enim ex dictis testium, tumorem illum fuisse ulceratum, & per ulcusculum perpetuo pus emanasse; quæ evacuatio videtur huic morbo proportionatissima, neque enim tutius, aut melius tumores, quam per puris expurgationem terminari possunt, si insensibilem evacuationem excipiamus; potuit ergo tumor hic, ut aliis evenit, per illam Puris emissionem ex Naturæ ope terminari. Cui difficultati ex facto ipso satisfit; Primò, quia puris illa evacuatio erat modica, & nullius momenti, ut testes deponunt, unde erat insufficiens ad tumorem illum sanandum; Secundò, quia illa materia non erat verum pus, sed ichor quidam, qualis ex malignis ulceribus fluere solet, atque eam ob causam mirum non est, si neque dolores cessabant, neque tumor ab ejus evacuatione minuebatur, nihilque in summa Ægra levabatur. Tertiò, quia cum tumor per horam ante sanationem, suam adhuc retineret magnitudinem & duritiem si ad Puris evacuationem subsidere, ac tandem disparere debuisset, necessarium erat tunc temporis maiorem multo, & copiosiorem Puris quantitatem expurgasse, quod tamen factum non est: Itaq; reliquum est ut nihil omnino conculerit Puris emanatio ad Tumoris illius curationem, cum vere nulla animadversione digna esset.

6 Et ex his manifestum fit, sanationem hanc fuisse undequaque miraculosam, imo cum miracula aliquando sint præter Naturam, alias vero contra Naturam, interdum autem supra Naturã, firmandum certe est, miraculum hoc simul & præter Naturam, & contra Naturam, & supra Naturam fuisse: cum enim affectus successerit in instanti extra ordinem à Natura datum, quæ operatur in tempore, apparet fuisse præter naturam; cum autem tumor alias ex humoris conditione illum excitantis indissolubilis & qui discuti non sit aptus, ut Paulus dicebat, momento disparuerit, humore in auras attenuato, & evanescente, apparet esse contra naturam, ac cum tandem sanitas introducta est in subjectum non dispositum, nec aptum sanitatem recipere, nullis præviis dispositionibus, apparet, fuisse supra naturam. Quamobrem licet miraculum hoc in primo miraculorum gradu reponi debeat, in quo reponuntur ea, quæ per naturales causas nullo modo fieri possunt; sed à Deo tantum immediate fiunt, ut est mortuorum resurrectio, tamen in hoc primo miraculorum gradu, hoc non infirmum locum tenere existimaverim, & ipsi mortuorum resurrectioni æquiparandum.

CONSILIUM IX.

ARGUMENTUM.

Nobilis mulier Aretina, Alexandra nomine, summa, ac extrema pariendi difficultate conflictabatur, Puer enim brachium extra uterum porrexerat, cumque eo modo exitum ab utero invenire non posset, Animam exhalaverat; unde Mater in majorem pariendi difficultatem devoluta, jam præ dolore Animam agebat, ventre mirum in modum intumescente. Ejus Frater Cathedralis Ecclesiæ Canonicus eam Beato Gregorio Decimo, Sanctæ memoriæ Pontifici maximo, humiliter commendat, atque dicto citius, non reducto Pueri brachio intrò, feliciter parit, nullis omnino relictis prægressæ difficultatis Partus vestigiis.

SUMMARIUM.

1 *In probandis sanationibus miraculosis excludenda est ab effectu Natura, & Art.*
2 *Non dicitur miraculum opus, quod Natura vires non excedat.*
3 *Natura vires superare aliquem effectum secundum quid, quot modis contingere soleat.*
4 *Calore, & Spiritu utitur Natura tanquam instrumentis ad suas actiones exercendas.*
5 *Ad Partus actionem requiritur tam Matris, quam fœtus vegetus calor.*
6 *Sanationes multa miraculosa existimantur, & jure de illis dubitatur.*
7 *Quæ conditiones considerandæ in sanationibus, qua miraculosa sunt judicanda.*
8 *Subita sanatio crudo existente morbo, naturaliter succedere non potest.*
9 *Indicationes evenientes crudo existente morbo, bona naturaliter nullo modo esse possunt.*
10 *Figura partus alia naturales, & faciles, alia naturales, & difficiles.*
11 *Morbi Augmentum quando dicatur.*
12 *Morbus in Augmento dicitur crudus.*
13 *Ars est Naturæ minister.*
14 *Crisis est Naturæ opus, commonstratque ipsum Naturæ virtutem supra morbum.*
15 *In Sacra Historia nullus morbus apparet curatus per aliquam crisim.*
16 *Natura operatur per alterationem, & idcirco in tempore.*
17 *Sanatio miraculosa debet esse unde quaque perfecta.*
18 *Sternutatio superveniens in partu difficili cur bona.*
19 *Partus difficiles in quos morbos mulieres compellant.*

IN probatione Miraculorum, quæ respiciunt morborum sanationes, illud maxime locum habere videtur, Exclusio nempe tam Naturæ, quam Artis, & utriusque ineptitudo, & impotentia & ejus operis productionem, nam quod pertinet ad Naturam, notissimum est, non dici Miraculosum opus, 1
quod supra Naturæ facultatem, & ordinem aliquo modo, hoc est, aut simpliciter, aut saltem secundum quid, non existat. D. Thom *p. 1. quæst. 115. art. 7. in princ.* Martin. Delr. *Disquisit. Magic. q. 7. lib. 2.* ea enim de re hæc conditio, quod effectus sit supra Naturæ vires, desideratur ab omnibus DD. in effectu, qui miraculosus sit judicandus Malvet. *de Canonic. sanct. dub. 3. num. 40.* Chassan *in Cath. Glor. mund. par. 3. consid. 49.* Mascard. *de Probat. conclus. 262. num. 34.* Deltius *loc. cita.* Barbos. *de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 97. n. 8.* Biderman. *in Agonist. cap. 14.* & ex Medicis insinuatur hoc ipsum à Vallesio *in lib. de sacr. Philosoph. cap. 35.* Sed cum, ut annuimus superius, non necessarium sit ad Miraculi essentiam, ut sit opus supra Naturæ vires simpliciter, sed satis sit, ut secundum quid ejusdem Naturæ vires exsuperet, notandum hoc non unica ratione fieri posse: quia sunt nonnulla miracula, quæ quidem per 2
causas naturales nullo modo fieri possunt, sed alia sunt nonnulla, quæ per easdem causas possunt fieri, in actu tamen per eas nequaquam fiunt, ut Mannæ descensus in deserto; aliàs enim Manna naturaliter descendit, aut pluvia ad preces Sanctorum accersita, quæ similiter naturaliter producitur Alia vero miraculosa opera fiunt, quæ vere à causis naturalibus procedunt, sed quæ minime erant dispositæ ad talem effectum producendum, qualis esset mundatio Lepræ in Naaman Syro; siquidem ea sanatio per causam naturalem facta est, per

aquam

aquam nempe Iordanis, ſed quæ minimè habebat eam aptitudinem mundandi corpora à Lepra. Acdenique alia miracula ſunt, quæ hunt per cauſas naturales, habentes etiam aliquam diſpoſitionem ad agendum, non tamen proximam, neque ſufficienti efficacia dotatam, imò valdè remotam, ac inſufficientem, quale eſſet fel Piſcis ad Tobiæ cæcitatem ſanandam, quia id medicamenti erat quidem aptum, & habens hanc diſpoſitionem à Natura ad abigendam cæcitatem provenientem ex craſſis humoribus, ob maximam abſterſionem & diſcuſſionem, quam à Natura ſortitur, non tamen ea diſpoſitio erat proxima, & talis, ut tam modico tempore, imò in inſtanti ſanare poſſet cæcitatem, cùm non modò non haberet parem efficaciam ad hoc ſufficientem, ſed neque aliquo modo ſimilem, ut unica vice applicatum poſſet hunc effectum producere, ut optimè peruertit Valleſius *in ſacr. Philoſoph. c.* 42. & notavi ego alias *lib.* 4. *Quæſt. Medico-Leg. Tit.* 1. *q.* 8. *n.* 50.

His ſic ſe habentibus, ut innoteſcat, an caſus propoſitus Miraculi nomen mereatur, nec ne, videndum, quonã pacto diſpoſitæ eſſent cauſæ naturales, ex quibus effectus erat expectandus in caſu noſtro, quæ cauſæ erant calor, & ſpiritus: his enim mediantibus tanquam inſtrumentis utitur Natura ad ſuas actiones exercendas. Ariſtot. *lib.* 2. *de Part. Anim. c* 7. Galen. *comm.* 5. *Aphor* 53. Non videtur autem abſolutè dicendum, quòd effectus, de quo agitur, ſucceſſerit abſque ullo harum cauſarum concurſu, quia in miraculis, quæ omninò abſq; hujuſmodi naturalium cauſarum concurſu evenerunt, apparet evidenter ſupernaturalis cauſæ operatio, ut clarè videtur, (quod pro exemplo ſit) in ſocru Petri, quæ morbo crudo exiſtente ad ſolum Chriſti Domini nutum confeſtim ſurgẽs miniſtrabat illis. At hæc ſanatio non ſupergreditur ſimpliciter Naturæ creatæ vires, ſed ſecundùm quid, ut videbimus: dicendum ergò, effectum hunc à naturalibus quidem cauſis dependentiam habuiſſe, ſed quæ minimè erant diſpoſitæ ad agendum. Quod verò hoc ita ſe haberet, facillimè probatur, quia cùm ad Partus actionem requiratur calor vegetus, & fortis, non modò ipſius Matris, ſed etiam ipſius Pueri, Hippocr. *lib.* 2. *de morb. mul.* & alias alibi Aëtius *ſerm.* 6. *c.* 22. & alij omnes; inſuperque requiratur ipſius Pueri aut naturalis ſitus, aut talis, ut ſaltem quomodocunque exire poſſit in lucem, patet in noſtro caſu utriuſque calorem omninò fuiſſe improportionatum ad Partus actionem, nullamque habuiſſe diſpoſitionem ad operandum, imò contra ab omni hujuſmodi diſpoſitione fuiſſe remotiſſimum; quia ex parte Pueri omninò erat extinctus, cùm ille iamdiu eſſet mortuus, ut unanimiter deponunt Teſtes omnes *ſuper* 27. Ex parte verò Matris erat in extremo debilitatis, cùm jam animam ageret, ut iidem Teſtes ſuper eodem deponunt. Situs denique ipſius fœtus erat talis, ut omninò exitum illi impediret; etiamſi & Mater & Puer ipſe validiſſimas ſortiti eſſent vires, nam erat undequaque impoſſibile, Puerum in eo ſitu permanentem exire ab utero poſſe. Cùm ergò calor, qui in hac actione præcipua cauſa agens eſt, adeò improportionatus eſſet reſpectu tam validæ actionis, qualis eſt actio pariendi, & pariendi mortuum, (nam tunc præcipuè maior requiritur ex parte Matris) & alia ex parte adeſſet renitentia, & repugnantia ſubiecti, in quod agebat, tanta, ut nullo modo eſſet aptum ad pariendum; concludendum eſt omninò, effectum ſecutum nequaquam à calore ut cauſa naturali emanaſſe.

Quoniam autem effectus quidam admitandi, in quibus naturalium cauſarum concurſum interfuiſſe ambigitur, eò difficiliùs pro miraculoſis judicantur, quò naturales ipſæ cauſæ magis aptæ videbantur ad effectum illum producendum, ne in his judicandis, & peculiariter in hoc opere, de quo agitur, decipiamur, neceſſarium videtur per aliquot ſigna opus à ſupernaturali cauſa emanans, & quod miraculoſum verè eſt, ab eo, quod à naturali emanat, interſtinguere; hoc enim pacto facillimè in veritatis cognitionem deveniemus.

Inter hæc autem miracula ea præcipuè ſunt, ut dixi, quæ circa infirmorum ſanationes contingunt, nam hæc & frequentiùs conſpiciuntur, & jure de illis dubitatur, quia hominum vulgus in Ægrotis, qui in aliquo manifeſto vitæ periculo conſtituuntur, & mox ab eo periculo evadunt, ſemper miracula commentatur, cùm tamen pateat, vera miracula de tarò fieri; at in his ſanationibus ea miracula exiſtimantur, quæ vulgo admirationem excitant, quandò præter ſpem aliqui ex Naturæ vi mirabiliter ſanantur. Auicenn. 44. *tr.* 2. *c.* 210. Ut ergò naturales hujuſmodi mirabiles ſanationes à verè miraculoſis ſecernantur, videntur in miraculoſis nonnullæ conditiones adnotandæ, quæ in naturalibus nequaquam adnotantur. Quarum aliquæ ex parte morbi ſe tenent, aliæ verò ex modo ſanationis conſiderandas ſe offerunt.

Nam primò ex parte morbi videtur neceſſarium, quòd morbus, ex quo quis per miraculum convaleſcit, ſit ſua natura difficilis, quia miraculum non poteſt in levioribus conſiſtere, cùm ſit opus arduum, D. Thom. *p.* 1. *loco cit.*

Secundò, morbus debet eſſe gravis, nempè aut cum manifeſtiſſimo vitæ periculo, aut cum inepti tudine ad reductionem ſtatus naturalis, in utroque enim caſu faciliùs datur occaſio præſumendi, Naturam eſſe à morbo ſuperatam, neque ullam amplius virtutem ſortiri ad ſanitatem introducendam; cùm contrà in morbo neque gravi, neque adeò periculo proximo, præſumatur Natura eſſe ſuperior, & facilè poſſe illum ſuperare. At ſecuta ſanitate in morbo gravi, & periculoſiſſimo, ſanitas non poteſt ipſi Naturæ accepta referri, quantum eſt ex hoc, ut omninò alias ad ipſam referenda eſt, cùm Natura ſit morborum medicatrix, & cauſa ſanationis adeò manifeſta & evidens, ut fruſtrà minùs evidentem quæramus. Rota in noviſſimis *deciſ.* 706. *par.* 1. & notum eſt in Philoſophia.

Tertiò videtur neceſſarium, quòd morbus ſit adhuc crudus, & in augmento quandò accidentia adhuc augentur, & morbus vires acquirit eundo, aut ſaltem neceſſe eſt, ut ſit in principio ſtatus, quia cùm eſt verè in ſtatu, & appropinquat declinatio, aliquando ſit repentina ac momentanea mutatio etiam præter ſpem, & cum ſumma admiratione aſſtantium ad ſalutem, quæ à Natura quidem eſt, quæ morbifica cauſa in eo agone ſuperata, ac validior reddita, corporis actiones ſuo libitu exerceat, concoctoſque humores quocunque liber, expellit, undè bonæ, ac ſalutares eriſes emergunt, in quibus ſubitò, & de 8
repente integra ſanitas reſtituitur Gal. *comm.* 2. *Aphor.* 13. & alibi aliàs, & hæc morbo crudo exiſtente naturaliter ſuccedere non poſſunt, quod idem Galen. ſtatuit, *comm.* 2. *in* 1. *Prorhet.* Hippocrat. *partic.* 13. cum ſudicationes evenientes in morbis crudis à Natura eſſe non poſſint, nec bonæ idcirò ſint; & ſic 9
ſanatio ſubitanea facta eo tempore potius ex vi ſupernaturalis quàm naturalis cauſæ ſuccelſa exiſtimatur.

His præmiſſis, apparet jam in caſu noſtro prædictas omnes, ac ſingulas conditiones adfuiſſe, undè inferetur quòd miraculoſus fuerit, & nõ naturalis, quia primò morbus abſque dubio erat difficilis, quod patet ex ipſa hujus ſymptomatis appellatione dicitur enim Partus difficilis; imò cùm partuum difficilium unus ſit difficilior altero, hic erat omnium difficillimus, ut ex dicendis patebit. Patet etiam ex facti narratione, quia cùm figuræ, quæ in Partu conſpiciũtur, aliæ ſint naturales, ex 10
quibus partus facilis exiſtit, nempè quandò fœtus in caput fertur, Hippocr. *de Natvit. Puer. ſuf.* & *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 50. Paul. *lib.* 13. *c.* 66. Aëtius *lib.* 16. *c.* 22. & alij omnes Doctores; aliæ verò ſint, quæ non naturales exiſtunt quarum aliquæ partum mediocriter difficilem faciunt, ut quando Puer exit in Pedes, Paul. & Aët. *loc. cit.* aliæ tandem, quæ faciunt partum difficillimum; ſed conſtat in caſu noſtro eam faiſſe omnium ut dixi, difficillimum, quia infans brachium foras porrexerat, quâ figurâ nonquam poſſibile naturaliter eſt, ut partus ſuccedat, quia capite in ſcapulas conduplicato exire cogitur, hoc autem nec tentatum ſuccedit, nec ſine ſumma Matris pernicie tentari poſſet Paræus ſuæ Chirurgiæ *lib.* 23. *c.* 17. Mercurius *lib. della Commare* 2. *c.* 3. Relinquo mille alias conditiones quæ morbum hunc in extremo difficultatis conſtituebant ut Matris erat debilitas, fœtus ipſius interitus, & corruptio diuturnitas partus, & aliæ multæ brevitatis cauſa omittendæ. Ex quibus etiam infertur, adfuiſſe ſecundam conditionem commonſtrantem effectum miraculoſum, cum hic morbus non ſolũ gravis eſſet, ſed graviſſimus & maximè lethalis, Hippocr. *ubi proximè* neque hoc abſque manifeſta ratione, quia non una ſolummodo; atque illa quidem maximi ponderis cauſa ad Parturientis interitum conſpiraret, ſed multæ, ac validæ, quarum unaquæque per ſe poterat occidere, ut dolores vehementiſſimi, & indeſinentes, ſyncopes, extrema debilitas, fœtus corruptio, & aliæ permultæ.

Conſtat denique, morbum hunc ipſo tempore, quo ſolutus eſt, peritiſſe in ſuo vigore, quia accidentia in horas augebantur & fortiora evadebant, ut ex facto patet; hoc autem tempus dicitur morbi Augmentum Gal. *lib.* 1. *de Criſib. c.* 2. 11
& *alibi ſæpè*. At cùm morbus eſt in Augmento, tunc dicitur crudus (licet hic nulla concoctio expectari poſſet, ſed tantùm 12
reductio Pueri figuram naturalem, quod nequaquam ſucceſſit) idem Galen *ibid. c.* 5. Quod autem Accidentia creſcerent, patet ex dictis Teſtium, cùm dolores fierent in horas atrociores, venter majorem in modum tumeſceret, & fœtus magis magiſque corrumperetur, quare Parturiens jam morti erat proxima, unde ſeptimus Teſtis *ſup.* 22. dicit, *Che ſtava agonizando in ſtravagantiſſime maniere*, & 15. ſuper eodem, *Stava detta ſignora per li detti dolori in cattiviſſimi termini, eſſendole piu' dell' ordinario gonfio il corpo, & era ridotta all' ultimo della vita*: & ibidem ſuper eodem teſtatur, *ch' era meſſa per ſpedita da' Medici, havendo fatto il corpo gonfio, & il parto ſi era cominciato à corrompere.*

Sed & in modo ſanationis, ſi conſiderare velimus conditio-

nes omnes, ac singulas ita comitatas, hoc opus inveniemus, ut de miraculo ulterius ambigere pervicacis omnino ingenii videri possit.

Ex prima conditio est, quod non præcesserint media naturalia, quibus accepta aferri possit sanatio, quemadmodam quòd non præcesserint auxilia ab Arte petita, tantundem est
13 opus aliquod succedere in hisce affectionibus ex natura, ac succedere ex Arte, quia Ars est Naturæ ministra, Galen. *comm.4. Aphor.2.*

Secunda conditio est, quòd morbus sanatus fuerit absque
14 ulla Crisi, nam Crisis est Naturæ opus, & indicat ipsius Naturæ virtutem supra morbum, & est mutatio à Natura facta in bonum. Idem Galen. *lib.1. de Crisib. cap.1.* in qua mutatione maximè cum undequaque tuta est, solet Natura semper aliquam insignem evacuationem moliri. Cùm ergo morbi per similes evacuationes finiuntur, ut satis apertè apparet. Naturam in ea sanatione fuisse operatricem, undè tales sanationes pro miraculosis non facilè acceptandæ nisi aliundè constat,
15 & hac de causa noto in Sacra Historia, nullum morbum per hujusmodi evacuationem fuisse curatum, (nisi fortasse objicias Tobiæ excitatem in Veteri, & excitatem Pauli in Novo Testamento,) at hoc non ob aliud factum est, nisi ut pateret eas sanationes undequaque miraculosas fuisse, neque ullum in ea re posset afferre dubium aliqua præsumpta dependentia ab ipsa Natura.

Tertia conditio est ut sanatio fiat subitò & instanti, ac præter spem, Malvertius *de Canoniz. sanct. dub.3. num.25.* &
16 hoc quia Natura operatur per alterationem, & idcirco operatur in tempore, quia alteratio in instanti fieri non potest, cùm motus in instanti non fiat. Aristot. *lib.6. Physic. text 74.* & ibi Averroës *in Parap.*

17 Quarta conditio est, quòd sanatio sit undequaque perfecta. Marc. Anton. Genuensis *in prax. Archiepisc. Neap. c.59.* Martin. Delr. *lib.3. Disquisit. Magic. quæst.7.* Ricc. *in prax. Episc. resolut.487. n.7.* & ex Medicis Fortunius Licet. *in lib. de his, qui diu sine alim. vivunt. lib.2. c.173. in fin.* & jure, quia cùm miraculum à perfectissima causa emanet, opus perfectissimum sit oportet.

Has omnes ergò conditiones adfuisse in hoc casu manifestissimè patet; Nam quoad *primam*, jam per testium depositionem apparet administrata remedia, & præcipuè manualem machinationem, quæ hic maximè locum habebat, cùm per eam tantùm posset reduci partus ad naturalem figuram, nihil omninò contulisse ut unanimiter testes deponunt, undè neque ullis aliis remediis supererat locus, quod apertissimè fatetur testis 17. *sup.* 27. qui Medicus est dicens. *Eperò ne feci il Pronostito, che quantò all' Arte della Medicina non ci fosse rimedio*, & probatur evidenter ex facto, quia licet deessent generosiora remedia, ut balnea, repetitæ concussiones, & tandè exsectio, tamen quia priora hic non habebant locum, & posterius ægra præ debilitate non admittebat, prudenter quidem prætermittebantur, admonentibus DD. hæc non debere nos machinati, ubi præ debilitate servari non possit patiens, sed eam ut desperatam omninò relinquendam, Aët. *loc. cit.* Avicen. *ibid.* exteriquè omnes cum de sectione verba faciunt.

Quoad secundam conditionem nihil est in nostro casu considerationè dignum, quia sanatio consistebat in expulsione fœtus, in quo casu non considerabatur concoctio, sed benè situs conveniens ipsius Pueri; undè si naturaliter nasci debuisset, dico ex Naturæ ipsius beneficio, necesse erat, ut antè ad naturalem situm reduceretur, & tamen constat de contrario ex Medici depositione testis *sc.* 17. *ubi Ritornando in la sera del med. giorno intesi che la creatura era morta, e stava ancora*
18 *nella med. positura.* Addo his, quòd nullum apparuerit signum resurgentis Naturæ, aut aliquo modo invalescentis ut fieri in his casibus solet, in quibus sternutatio signum salutis est, Hippocr. *lib.5. Aphor.7.* at hoc non modò ob concitationem, sed etiam quia Naturæ validioris speciem præbet, bonum esse solet; sed in hoc casu neque supervenit sternutatio, nec si supervenisset, quicquam contulisset, cùm fœtus eo modo positus nullo modo expelli naturaliter posset.

Quod pertinet ad tertiam conditionem, nullum videtur posse intercedere dubium, quia non modò partus, sive expulsio mortui fœtus subitò, & in instanti successit, cùm esset ex parte Naturæ impossibilis, sed etiam præter spem, non imperitorum, inquam, sed etiam peritorum, ut ex ipsorum depositionibus patet. Nam *ibid.* super 17. *Et io confesso in verità, che in venti quattro anni, che fò questa professione non mi son mai trovato ad accidente simile: &* 17. *sup. eod. delche io fàcendo il segno della santa croce, &c.*

Quoad quartam denique, (quæ per se sola profectò in hoc casu posset hoc opus pro miraculoso canonizate) manife-
19 stum est, sanationem hanc fuisse perfectissimam, quia cum similes partus in via naturæ soleant compellere mulieres in hernias, in venarum rupturas, in Arteriarum dilatationes in uteri inflammationes, aut irreparabilem ejusdem exitum, & in alios etiam pejores morbos Avicen. *2.1.3. tract.2. cap.11.* imò ulteriùs consuescant cum jam corpus incumuit, ut evenerat huic Puerperæ, vomitum accertere, & cum tremore mortiferam nervorum distentionem, Cels. *lib.7. c.24.* in hoc casu non modò nullum eorum malorum successit, sed mulier fœliciter, ac celeriter à concepto voto per D. Canonicum ejus Fratrem B. Gregorio, peperit & undique sana permansit, ut ex dictis testium elicitur. Atque etiamsi in tam difficile, ac tam molesto partu debuissent ex necessitate remanere saltem vestigia aliqua prægressi morbi, ut ipsius uteri hiatus & laceratio, & hujusmodi, nihilominus ad majorem miraculi evidentiam tam sana Puerpera remansit, ac si naturaliter, fœliciter, & absque ulla vi perperisset.

CONSILIUM X.

ARGUMENTUM.

In eadem causa respondetur magis præcisè ad aliquas objectiones ab Illustrissimis Dominis Sacræ Congregationis Rituum propositas.

SUMMARIUM.

1 *Ex Naturæ vi miracula aliquando videntur contingere, & quomodo.*
2 *Fœtus in partu, si brachium foràs porrigit, nasci non potest, nisi brachium intro reduxerit, & n. 4.*
3 *In partus actione causa primariò agentes sunt vires Matris, & fœtus.*
5 *Sanari non dicitur morbus, qui alterum morbum facit.*

Licet plura jam deducta sint ad probandum miraculi evidentiam in casu, de quo agitur, ut tamen quis excitatus scrupulus omni ex parte removeatur, nonnulla videntur prædictis addenda; nam adhuc dubitatù est, an hoc factum Naturæ vires superaverit, etiamsi enim difficillimum fuerit, & suprà quam dici possit, Dominam Alexandram eo modo peperisse ac immediatè benè se habuisse, tamen difficultas hæc, quantacunque sit, non excludit Naturæ potentiam, nam aliquandò etiam ex ejus virtute videntur miracula contingere, & talia, ut ab ejus potentia emanare minimè credantur. Probari autem videtur ex ejusdemmet Physici præsentis testis ad hoc examinati dictis casum fuisse quidem, & arduù, & difficillimum non tamen in via Naturæ impossibilem. Ita enim deponit super decimoseptimo. *Poichè nel continuo di quelle, che si riducono à tal termine, à gran fatica una ne stampa.* Satis superque ergo ostendit Naturæ potentiam, si non modo inter centum, sed inter mille, imò inter decem mille una fœmina eo modo constituta sanitati ex ejus virtute restituatur, quemadmodum, etiamsi hominem sine externo cibo vivere rarissimum sit, nec de facili reperibilem cùm vix unus, aut alter in innumerabili hominum multitudine sine cibo vivere potuerit, non idcirco suprà Naturæ vires est, si id unus, aut alter facere potuerit. Auget facti possibilitatem quotidiana experientia, cùm in horas videamus Pueros in nates in ventrem, in latera, divaricatis cruribus, aut brachiis extensis, altero pede tantùm exerto, non tantùm nasci, sed nasci etiam vivos, & incolumes, matre quoque incolumi permanente.

Pro hujus dubii solutione supplicamus, casum hunc non simpliciter, & solùm ut partum difficilem considerari, sed ut talem partum difficilem, hoc est, cum omnibus, ac singulis concurrentibus circumstantiis, nam si hoc modo consideretur, facilè erit determinare, neque Naturam, neque Artem quicquam in eo casu cooperatam; imo non modo nihil alterutrà fuisse operatam, sed neque quicquam operari potuisse, & sic Medici dictum non restringitur adhunc difficilem partum, sed ad statum Ægrotantis, quatenùs erat jam expiratura animâ, undè dicit *di quelle, che si riducono à tal termine*; quæ verba non partus difficultatem, sed, ut dixi, ad statum Parturientis referuntur. Sed quoad Artem probatur ex facti narratione. Cùm neque medicamenta, neque ulla alia remedia medica quicquâ contulerint, unanimiter omnes testes deponunt, præterquam quod non dabatur hic locus aliis remediis, quàm manuali machinationi, qua jà frustrà Medici usi fuerant. Neqs dicendum est, quod etiamsi præsidia Medica adhibita statim non contulerint, potuerint tamen temporis lapsu contulisse, cùm operentur per alterationem, & in tempore, aut saltem potuerit disponere Naturam ad agendum, quia, ut dixi, hic nulla Arti remanebat intentio, nisi operari, ut fœtus exertum

brachium

brachium intrò induceret, quia eo modo nasci non poterat, neque à Matre expelli, neque ad hoc quicquam conferre poterant medicamenta ad fœtum expellendum, quamdiu in eò situ permanebat fœtus. Hippocr. *libro primo de morb. mul.* & cæteri omnes Doctores, qui in similibus casibus nequaquam exhibent ea, quæ fœtum expellunt, sed brachium antè reduci intrò consulunt, & si hoc non succedat, amputari brachium volunt, fœtu mortuo existente, & hoc non ob aliud, nisi ob impossibilitatem expellendi, aut per vim quomodocunque extrahendi fœtum, qui brachium forâs porrexerit; quia cùm Puer habeat superiores partes, ac caput præcipuè, crassiores, si brachio exerto ab utero nasci debeat, necesse est ut caput ad alterum humerum conduplicetur, nec possibile est absque multa laceratione uteri sic exeuntem Puerum excipere posse. Cæterùm reductio brachij, & Infantis ad situm naturalem non medicamentis procurari potest, sed opera manuali, concussionibus, agitationibus, & hujusmodi machinamentis, quæ omnia in casum iam fuisse reiecta ex depositione testium manifestissimum sit.

Impossibilitatem porrò operandi ipsius Naturæ deducimus ex causarum naturalium insufficientia, ex ineptitudine, & repugnantia materiæ, & ex operis ipsius successu. Insufficientia causarum satis superque demonstratur, quia, ut aliàs diximus, in hac actione, quæ dicitur Partus, causa primariò agens calor ipse est, & spiritus, vires nempè tam matris, quàm fœtus. Hippocr. *lib. 2. de morb. mul. & alii omnes.* Vires igitur tantò magis constare debent, quanto difficilior partus est, ex eod Hippocr. *ibid.* & ex Avic. 21. 3. *Tract. 1. c. 14.* At quis calor, qui spiritus, quæ vires considerari possunt in Matre agonizante, in Puero iam mortuo? in illa enim iam omnia deficiebant in hoc autem iam prorsùs defecerant. Sperare igitur ab his causis eo modo dispositis partum facilem, ac tutum, qualis successit, profectò magis quid est, quam sperare, mortuum propria virtute resurgere.

Non minor repugnantia erat ex parte materiæ, quam esset ex parte agentis, materia verò in hoc casu Puer erat in utero mortuus cum brachio exerto extra uterum, in quo situ etiam
4 si vivus fuisset, & Matris vires fuissent validissimæ, ac robustissimæ, erat impossibile in via Naturæ, ut nasceretur, quia, ut dictum est, ob impossibilitatem expellendi, aut extrahendi fœtum ab utero eo modo positum, suadent Auctores, ut primò brachium intrò, si fieri potest, retrudatur, sin minùs, abscindendum jubent fœtu existente mortuo; nimirum quia trahere etiam per summam vim infantem eo modo situm ab utero succedere non potest, nisi totus uterus dilaceretur, ex qua dilaceratione quam certa, & evidentissima pericula immineant, ostendit Avicenn. *ubi suprà.*

Sed præter Auctoritatem, etiam Ratione, & experientia id ipsum probatur. Ratione, quia cùm in fœtu, qui alterum brachium extra uterum porrigat, necesse esset, ut admonet Mercurius *in lib. 2. della Comm. cap. 3.* Caput ad pectus, vel ad scapulas contorqueri, & conduplicari, fiebat, ut secundum crassiores corpusculi partes simul iunctas Puer exire cogeretur; habent enim pueri superiora inferioribus crassiora, & præsertim caput, teste Hippocr. *in lib. de Nat. Puer.* Inde fit, ut non possit ullo modo ea ratione situs fœtus ab utero egredi, neque etiam per vim eo modo extrahi, quia non potest uterus amopere hiare, ut has partes simul exeuntes excipiat.

Denique ipsa experientia demonstrat facti impossibilitatem, cum de facto nullus neque vivus, neque mortuus nascatur eo modo, saltem sine certa Matris pernicie. Autores enim Gynecionum, vel de his, quæ ad mulieres spectant, cum difficiles partus plurimos recenseant in nates, in latera, in ventrem, deductis brachiis, aut cruribus, seu etiam ambobus brachiis, aut cruribus natos fuisse, nunquam similem huic casum naturaliter successisse narrant, saltem, ut dixi, sine certo Matris periculo. Cùm igitur satis demonstrata sit tam Artis, quam Naturæ invaliditas operandi in hujusmodi casu, remanet, ut ex supernaturalis causæ virtute successerit, quod quidem non modo ita successisse censendum, sed facta comparatione cum aliis consimilibus casibus, dicendum, hunc nostrum multò magis exuperasse Naturæ creatæ vires, quàm permultos alios ab hac Sacra Rota Roman. pro miraculosis canonizatos, ut patebit clarissimè, si hic cum eo æquiparetur, de quo in Relat. Proc. S. Didaci in ea parte, ubi de mirac. agitur, & cum altero, de quo in Relat. Canonizat. S. Raimundi *p. 2. art. 11. mir. 3* & cum alio, de quo in Relat. Canonizat. Sancti Caroli *p. 3. mir. 14.* Quod si huic simillimum, & in terminis à Rota jam pro miraculo approbatum desideramus, supplicamus considerari secundum omnes suas partes historiam ex P. Francisc. Borgiæ relatione desumptam *p. 3. art. 2. mir. 1.* & clarissimè videbimus, nihil omninò quoad virium Naturæ exuperantiam nostrum hunc casum ab illo deficere.

Videbatur tamen Illustrissimis DD. meis, non esse sufficienter probatum, quòd D. Alexandra peperierit infantem in ea adhuc figura, ac situ permanentem, in quo testes deposuerant illum permanere in principio partus, unde cessaret absque dubio impossibilitas, quam dicimus, nascendi eo modo, reducto enim brachio potuit puer ad situm naturalem suo ipsius pondere, vel manuali Obstetricis opera converti, & sic ex Naturæ vi ab utero exire: sed evidenter deducitur ex ipsorum Testium depositionibus, Puerum non fuisse unquam ad naturalem situm conversum, nec brachium reduxisse, sed in eo situ permanentem natum fuisse: cùm enim omnes concordent de exitu brachii, nequaquam de reductione quicquam memorant, quod non teticuissent, quia ex Brachii reductione omnis salus patientis dependebat. Ergo si Puerulus brachium reduxisset, Medicus, Obstetrices, & Assistentes de salute mulieris non modò non desperassent, sed optimam spem concepissent; at contrà omnes illam pro desperata reliquerant, & Medicus præcipuè ibi, *e ne fece il prognostico, che questo all, Arte delle Med. non vi fosse remedio.* Deinde idem Medicus, cùm rediisset vesperi ad invisendum Ægram, deponit de continuatione ejusdem situs ibi, *Ritornando io di nuovo la sera del med. giorno intesi, che la creaturaera morta, e stava ancora nella med. positura.* A Medici autem visitatione ad horam partus non multum temporis interfluxit, cum D. Alex *hora 1.* noctis ejusdem dici peperierit & visitatio hæc Medici esset vespertina, imò, ut ipsemet dicit, de sero: itaque satis probata remanet continuatio fœtus in eo situ usque ad partum, & in partu, ut à principio apparuit.

Sed ex consequentibus manifestissimè excluditur Natura ab operatione, quam dato etiam ut aliàs dixi quod per vim mulier hæc eo modo positum infantem ejecisset, aut ipsa idem infans per vim ab utero fuisset extractus, nunquam tamen omninò aut hoc, aut illud succedere potuit naturaliter absque notabili uteri laceratione, eo quòd impossibile esset, quod exeunte fœtu, capite ad pectus, vel ad scapulas conduplicato, uterus totus non discinderetur, & exinde immodicâ sanguinis quantitas, disruptis, ac laceratis cujusliber generis vasis, non emanaret, unde summa debilitas consequi debuit, syncopis, extremorum refrigeratio, & alia mille horribilia incommoda, & symptomata, imò & ipsa mors; præterquam quod etiam impossibile erat, ut hoc succederet absque intolerabili dolore, ad quem sequi ulteriùs febrem, inflammationem, & alia permulta id genus, erat omni ex parte necessarium. At D. Alexand. absque ullo prædictorum incommodorum peperit, nec quicquam eorum ad ejus partum consecutum est, quod consequi de Natura rei oportebat: nam certè, etiamsi peperisset, & tamen aliis morbis conflictata remansisset, non poterat dici sanata, neque enim sanari dicitur morbus, qui alterum morbum facit. Galen. *6. Aphor. 26* Quod denique opponitur de voto Canonici, de quo ipse solus deponit, & idcircò videtur 5
esse testis singularis, licèt ad alios diluere pertineat, tamen si licèt mihi quicquam in hoc proferre, non video ullo modo obstare: nam præter ea quæ à doctissimo Iurisconsulto deducta sunt, multum ad ejus validitatem facere videtur, quòd in similibus quotidie Testes singulares admittantur, aliàs rueret potior miraculorum pars, & præsertim, quæ de Sanctorum apparitionibus, & his similia celebrantur: sed hæc iis ad quos spectant discutienda, reinquimus. Mihi satis sit concludenter probasse hoc factum vires Naturæ adeò exuperasse, ut non sine summa ratione, in secundo miraculorum gradu reponendum esse censeam, distinctis miraculis per gradus, ut distinguenda dixi *lib. 4. Quæst. Medico-Legal. q. 2. n. 12.* ubi in secundo ordine ea collocanda existimavi, quæ Deus operatur nullis medicamentis naturalibus causis, licèt aliàs idem effectus per eas succedere posset.

CONSILIUM XI.

ARGUMENTUM.

Sortitus à nativitate est Illustrissimus ac Reverendissimus D. Alexander Buccabella, Rotæ Romanæ Auditor Meritissimus, naturam imbecilliorem, ex qua causa valetudinarium vitam, ac frequentibus, multisque morbis conflictatam perpetuò degit, ita ut cogatur in ratione victus multa cautela uti. nam vel minima ex causa aut potus, aut cibi minus laudabilis, illicò in stomachi dolores, in ventris torsiones, in corporis, ac virium resolutionem, in aliaque labitur symptomata non aspernanda, quæ illi vitam acerbam faciunt. Et tamen,

ut est Christianæ pietatis studiosissimus,nõ libenter inducitur,ut carnibus,similibusque cibis vesci patiatur in diebus, in quibus. ab Ecclesia Catholica iis vesci nobis non permittitur, vellet enim quantùm est ex se in prædictis diebus sanctis ejusdem Ecclesiæ præceptis undequaque obedire. Quærit igitur, an usus Piscium, & Ovorum, & abstinentia ab esu carnium possit adeò notabiliter ejus saluti incommodare,ut eo cogatur perpetuò uti.

SUMMARIUM.

1 *Ciborum, quibus in diebus jejuniorum utimur, vitia.*
2 *Ova se convertunt in pravos humores, si stomachum pravis humoribus refertum offendant.*
3 *Corpora debilia etiam à minimis erroribus in victu læduntur.*
4 *Corpora jejuniis affligere non licet in sanitatis notabile detrimentum.*

AD cujus rei decisionem considerandæ primò est Naturæ ipsius illustrissimi viri & affectus, quibus molestatur; Secundò, partium præcipuarum, quæ ciborum concoctioni inserviunt constitutionem; Tertiò,naturam ciborum,quibus uti cogimur, ubi carnibus vesci non licet.

Et quoad primam partem palam est.Virum illustrissimum Natura esse debiliori ob caloris naturalis imbecillitatem & præternaturalis fortitudinem, ob quam facilè resolutis spiritibus melioribus,calor naturalis indies imbecillior fit; atque hinc succedit, ut facili negotio à quacunque vel leviori causa detrimentum patiatur, unde,valetudinariam vitam, ut præfertur, perpetuò transigit, & multis affectibus præternaturalibus conflictatam, præcipuè verò Hypochondriacis affectibus molestatur,ex quibus mille symptomata maximi faciendi pati solet.

Quoad secundam partem facilè patere potest ex dictis quòd vir illustrissimus viscera omnia naturalia sortiatur maximè debilia, ut quæ vix mediocribus ciborum, alimentorumque atque humorum quorumcunque coctionibus sufficiant, ita ut facilè & ventriculi eruditatibus, & Hepatis, & Meseraicarum venarum,& multo magis Lienis contumacibus obstructionibus, imò & tumoribus sit obnoxius, ut ex ipso tactu, & ex copiosissimis; ac perennibus flatibus cuivis licet deprehendere, quamobrem ultra prædictas symptomatum myriades, quæ Hypochondriacam affectionem concomitantur, facillimè illum indesinentur exagitant,atque in perpetuo agone detinere consueverunt.

1 Quoad tertiam partem notissimum est, cibos omnes, quibus in jejuniis,aliisque diebus,quibus à carnibus ex Ecclesiæ sanctæ præcepto abstinemus, utimur,si ova excipiamus partim esse frigidos, & humidos, ac de facili corruptibiles, partim nimis calidos, partim inflativos, partim generativos humorum excrementitiorum, & maximè qui crassi sunt, & melancholici,partim etiam duræ concoctionis, ac partim facilè putrescentes,omnesque denique ac singulos esse multum excrementitios, & flatulentos. Ova autem seorsim considerata, non dubium est optimum præbere alimentum,& nihil vitii in
2 se habent,ubi stomachum sanum offendant,neque pravis humoribus refertum,alias si stomachum offendant malè dispositum,& pravis humoribus oppletum, aut si cum ipso aliquam naturalem contrarietatem habeant, tantùm abest, ut bonum præbeant alimentum,ut potius in ipsos pravos,& illaudabiles humores se convertant, quid autem si insimul contrarietatem Naturæ habeant? nam certum est, & testatur id ipsum Gal.*lib.*1.*de loc.affec.*2. quosdam ova malè concoquere, ac in pessimum nutrimentum convertere.

His sic stantibus omni procul dubio dicendum est, Illustrissimum Virum tali natura dotatum,ac prædictis affectibus conflictatum, non posse aliis alimentis, quàm laudabilibus carnibus vitam sustinere, & idcircò ex comestione quorumcunque aliorum ciborum etiam per diem unicum posse reportare insigne, ac notabile damnum, quia corpora debilia etiam à minimis erroribus in victu lædantur. Galen.*lib.*5.
3 *de sanit. tuen. cap.* 4. satisque esset ad notabile damnum reportandum unica tantùm prætermissio carnium, & comestio piscium, aut aliorum similium ciborum; nam, ut experientia ipsa quotidiana Virum illustrissimum docuit, illicò stomacho affligeretur, corpus flatibus repleretur, vires insigniter deficerent, unde facili negotio Natura succumbere posset, indeque morbo aliquo notatu digno pullulante, in salutis certum discrimen laberetur; quo ne fiat, cogendus est, ut tam diebus Veneris, & Sabbati, quàm quibuscunque aliis, solis carnibus laudabilibus vescatur,ut vitam salubriorem degat, & melioribus operibus vacare possit: nam prohibemur omninò *per c. Non mediocriter, de consecr. dist.*5. *in* 3 *par. decret.* jejuniis corpus affligere, quando notabile sanitatis præjudi- 4
cium hoc redundat, cùm corporis morbus à melioribus operibus, quàm jejunium esse videatur, prohibere nos soleat.

Admodum Illustri atque Excellentissimo Viro, D.RENATO MOREAU, *Medico Parisiensi, ac Viro Clarissimo.*

PAULUS ZACCHIAS F.

Nonullas consultationes meas Medico-Legales ad Venenorum materiam pertinentes tuo nomine muniri voluisti: Tu enim non ob Artis Medicæ tantùm præstantiam,sed cùm ob Animi virtutes,tum ob nominis tui claritatem facilè pro Antidoto tuto mihi eris ad obtundendam eorum venenorum malitiam, quæ à maledicentibus contra hæc ingenioli mei monumenta evomuntur.Obsecro ergo,ut mea hæc serio tueri non desinas,ita enim mihi promittit humanitas tua,cujus locupletissimum Testem, atque instar omnium habeo Naudæum nostrum Virum Clar.& utriusque nostrum amantissimum, cui multum tum ob alia plura, tum ob id ipsum plurimum debere me ingenuè fateor. Vale & me ama.

CONSILIUM XII.

ARGVMENTVM.

Elizabetha uxor Joannis Baptistæ Gatti puerpera facta,cùm ante partum malè se haberet,& vomitu, & dysenteria molestaretur, à partu iisdem accidentibus, majorem in modum est conflictata, nam vomebat assiduè materias valdè pravas, ac diversi coloris, sapore ingratissimas, ex quibus summam corporis debilitatem & exenuationem patiebatur. Accusatus est ejus maritus, quod illi propinasset venenum, unde dubitabatur, an hæc accidentia id attestarentur ita,ut aliis nonnullis conjecturis adjuncta, quas Fiscus, & adhærentes producebant, ullam certitudinem facere possent propinati veneni, & pro dubii solutione aliqua supponenda priùs duxi, ex quibus rei veritas innotescat.

SUMMARIUM.

1 *Puerpera, nisi in partu vitè expurgentur, multùm malis conflictantur.*
2 *Signa communia propinati veneni.*
3 *Quæ accidentia frequentius ad veneni assumptionem consequantur.*
4 *Omnia venena sive mediatè, sive immediatè cor lædunt.*
5 *Accidentia morbi debent esse proportionata ipsi parti affectæ.*
6 *Ex corporis impuritate potest in corpore generari venenum afferens omnia symptomata veneni assumpti.*
7 *Accidentia veneni ingeniti ita similia sunt accidentibus veneni propinati, ut distingui ab invicem non possint.*
8 *In corporis impuritate accidentia provenientia sunt ad ipsam referenda, non ad venenum assumptum.*
9 *Ubi causam habemus certam, & evidentem, frustrà incertam, & minus evidentem quærimus.*

SUpponendum ergo primò, Gravidas, & Puerperas tacta 1
corporis impuritate fœtere, nisi in puerperio per consuetas vias debitè, & in sufficienti quantitate repurgentur,& ab ea corporis impuritate liberentur, ut facilè in quemvis morbum labi possint, & quovis pravo, & admirando symptomate molestari; sed præcipuè diarrhæa,& dysenteria, Vomitu, febre, modò acuta,modò longa, ciborum fastidio, stomachi, ventris,capitis,ac totius corporis doloribus,aliisque id genus affectibus, quos prosequitur Hippocrat.*lib.*1.*de morb. mul.& alibi,* & Auctores omnes Gynecciorum, sive *de morb. mul. cap. de diminut. Puerp post part.*& videndi præcipuè Mercat.*lib.*4. *morb. mul. cap.* 10. Rodericus à Castr. *morb. mul. lib.*4. *cap.* 11 *p.*1.

Supponendum secundò plurima esse signa assumpti venenni,

ni, & licet alia & aliis ſint familiaria, habent tamen omnia venena plerumque hæc communem, nempè nauſeam perpetuâ vomitum moleſtum, cordis tremorem, ſeu palpitationem, lipothimiam, ſive Animi defectum, & aliquando etiam ſyncopem ventriculi, vel cordis morſum, ventris fluxum, urguium lividitatem corporis paliorem, & interdum icteritiam, ſingultum, ejuſdem corporis tumorem, labiorum nigriciem & inſtationem, ſitim moleſtam, & inexhauſtam, faciei livorem, vertiginem, & alia permulta, quæ diligentiſſimè recenſent Autores de Venenis, inter quos præcipuè videndi Ardoin. *lib. 1. & maximè cap. 4.* & Guainer. *cap 7.* Card. *lib. 2.* & alii quos regiſtratos habes *lib. 2. qu. Medico Leg. tit. 5. q. 7.*

3 Supponendum tertiò, quod licet omnia prædicta accidentia poſſint promiſcuè in omni aſſumpto veneno apparere; de neceſſitate tamen non omnia apparent; inter omnia vero, his non obſtantibus, magis videntur ea accidentia, & frequentiùs, & neceſſario conſequi, quæ ad cor, & vitalem pertinent facultatem: & ratio eſt, quia omnia venena ſive mediatè, ſive immediatè, cor ipſum maximè lædunt, Conciliat. *diff. 178. &*

4 *lib. de Venen. cap. 1.* Guainer *de Venen. reſp. ad dub. 4.* Cardin. Ponzett. *lib. 1. de Venen. cap. 4.* Fernel. *lib. 2. de Abd. Per. cauſ. cap. 15.* Matthiol. *in præfat. ad lib. 6* Dioſcor. *de mat. med.* Langius *lib. 1. Epiſt 65.* & alii adducti *cit. l. 2. Quæſt. Medico-Leg. tit. 2 quæſt. 2. num. 26.* imò plerique volunt, omne venenum indifferenter immediatè cor petere, ob rationes, de quibus ipſi Nicol. Florentin. *ſumm. 4. c. 1.* Ardoin. *de Venen. lib. 1. cap. 1. & alii.*

5 Supponendum quartò; in quovis morbo accidentia debere eſſe proportionata & correſpondentia parti affectæ, quia hæc ſequuntur ad læſionem & facultatè ipſius partis affectæ, quod latè demonſtratur à Galen. *in lib. de ſymptom. cauſ. & differ & in lib. de loc. affect. & alibi millies*, & hoc eſt Medicis omnibus acceptiſſimum, ſed quid inquam Medicis; imò etiam Idiotis quibuſcunque, nam ſtomachum affectum nemo argumentabitur ex Tuſſi per ſe, neque affectas ſpirituales partes argumentabitur ex vomitu, ſed potius contrà ſtomachum ex vomitu dolore ipſius, nauſea, & hujuſmodi, & ſimilibus affectas judicabit, & ſic de cæteris.

6 Supponendum quintò, ex corporis impuritate facilè evenire poſſe, ut humores in tantum corrumpantur, ut ex ipſis ſic corruptis generetur in corpore vivente venenum aliquod afferens omnia ſymptomata veneni aſſumpti, & externi. Galen. *com. 2. in Prohibet. text. 17.* Cæl. Aureliam *Acutor. lib. 3. cap. 9. exemplo Hydrophobia* Avert. *lib. 3 Colleg. cap. 29.* & latiſſimè Petr. Salius ex recentioribus *de affect. partic. cap. 19.* & inter Jureconſultos Boſſius *in pract. crimin. tit de delict. n. 5.* Caball. *de omnigener. homicid. c. n. 161.*

7 Supponendum ſextò, in tantum eſſe ſimilia accidentia, quæ à veneno ingenito eveniunt iis, quæ ex propinato pullulant, ut impoſſibile ſit, certò affirmare ea accidentia unius potiùs, quàm alterius ſigna eſſe, cum diſtingui verè nullo modo poſſit. Accepta hæc concluſio eſt tam Juriſconſultis, quam Medicis, inter quos vide cit. Boſſium, & Caball. *ubi ſupra*, Guazzin. *ad def. Recr. def. 4. cap. 5. lib. 1.* & ex Medicis, Cæſalpin. *lib. 3. pract. cap. 2. & lib. eodem cap. 47.* Codronch. *in Method. Teſtif. cap. 17.* & alios quos adduxi *in Quæſt. Med. loc. cit. q. 6. per totam.*

8 His poſitis dicendum primò; nullam præſumptionem deſumi poſſe ex vomitu, & dyſenteria, qua Eliſabetha uxor D. Bapt. Gatti affligitur, propinati veneni. Primò, quia ubi corporis dominatur. impuritas, ſi quæ mala ſymptomata appareant, ad corporis impuritatem referenda veniunt, non ad venenum propinatum, quia eadem corporis impuritas eſt cauſa magis frequens, & evidens ac certa eorum ſympeomatum,

9 & ubi cauſam habemus evidentem, & manifeſtam, fruſtra, minùs evidentem, ac magis dubiam quærimus. Rota *in noviſſimis deciſ. 70. cap. 1.* & patet hoc per ultimum ſuppoſitum, ac in hac muliere fuiſſe hanc corporis impuritatè, patet, quia erat puerpera, nec benè à puerperio repurgabatur, ac mulieres in eo ſtatu omnes abſque dubio ſumma corporis impuritate ſcatent, ut probatur evidenter per primum ſuppoſitum: Ergò, ſi Eliſabetha ſymptomatibus, de quibus conquerebatur, fuit apprehenſa non eſt mirum, quia omnia, & multò plura, ac pejora poterant à prædicta corporis impuritate procedere, ut in aliis quotidiè animadvertimus; non ergò ſunt referenda ad aſſumptum venenum.

Secundò, quia accidentia, quibus ea mulier conflictata eſt, non ſunt parti affectæ correſpondentia, & proportionata, ut deberent eſſe per quartum ſuppoſitum; quoniam in venenis, ut manifeſtum eſt ex tertio ſuppoſito, ſemper lædituc cor, at vomitus, & dyſenteria non pertinent ad facultatem vitalem, ſive ad cor, ſed ad facultatem naturalem, & pertinent ad partes naturales: non apparentibus ergò ullis ſignis demonſtrantibus cor eſſe affectum, dicendum eſt omninò, ſingula, ac omnia ſymptomata in hac muliere à pravis humoribus dependentiam habuiſſe, non autem à propinato veneno.

Tertiò quia etiam apparentibus quibuſcunque ſignis veneni malitiam atteſtantibus, nunquam, certò affirmari poteſt ea ex propinato, aut externo veneno potiùs quàm ex ingenito, & interno proveniſſe, cùm in corpore ex ſe per quintum ſuppoſitum, poſſit à pravitate humorum generari venenum, habens accidentia omnia veneni propinati, & alia ex parte tam interni, quàm externi veneni accidentia ita ſimilia ſint, ut diſtingui non poſſint, ut probatum eſt per ultimum ſuppoſitum.

Secundò dicendum in propoſito caſu contrariam omninò præſumptionem militare nempe ea accidentia à veneno non potuiſſe eſſe, ſed ab humorum pravitate, primò, quia quemadmodum ea accidentia ſunt improportionata veneno aſſumpto quia ad cor nullo modo pertinent, ita ſunt maximè proportionata impuritati corporis, & morboſa apparui ex puerperii retentione provenienti; cùm in puerperis eà accidentia ex tali apparatu provenientia ſint familiariſſima, ut manifeſtum eſt per primum ſuppoſitum. Secundò, quia cùm impoſſibile ſit in veneno aſſumpto cor aliquo modo non affici, neceſſe erat ex cordis affectu pejora mala conſequi, & perſeverantibus cæteris veneni aſſumpti ſymptomatibus non ſolùm perſeverare, ſed magnum incrementum capere debebant ſymptomata ad cor ipſum pertinentia, quæ cùm abſint, apertiſſimè demonſtrant cor nequaquam eſſe affectum, & conſequenter ea ſymptoma ex veneno aſſumpto non proveniſſe.

CONSILIUM XIII.

Eidem Domino Renato Monreau.

ARGUMENTUM.

Prætendebat Fiſcus, Joannem Baptiſtam Gattum, ut in ſuperiori argumento dicebatur, propinaſſe Eliſabethæ propriæ uxori pulverem quendam venenoſum, ut eam è medio tolleret, & notam habere dicebat ſe illius pulveris compoſitionem; dubitatur ergò an pulvis ille verè eſſet venenum, & aptum occidere mulierem, & Medico docto quidem pro Fiſco ſcribente, & affirmativè reſpondente, nos contrarium tuebamur.

SUMMARIUM.

1 *Venenum dicitur non ſolùm noxium, ſed etiam ſalubre medicamentum.*
2 *Antimonium venenoſitate caret.*
3 *Sabina non eſt venenum.*
4 *Non ſunt neceſſario venenoſa quæ fœtum aut expellunt, aut etiam occidunt.*
5 *Oleandri folia non ſunt venenoſa.*
6 *Sterctus columbarum non eſt venenum.*
7 *Borax eſt ſpecies Nitri, & non eſt venenum.*
8 *Venenum dicitur id, quod ſemper tale eſt.*
9 *Totum eſt aggregatio partium.*
10 *Nihil dat quod non habet.*
11 *Medicamenta ſterilitatem inducentia licet aliquando propinare.*
12 *Temporanea venena nullo manifeſto ſignoſe produnt.*
13 *Temporanea venena ex Tabefacientium genere omnia ſunt.*
14 *Nulla ſigna certa antecedentia dantur propinati veneni ad Medicos pertinentia.*
15 *Plura dantur ſigna antecedentia, quæ ſymptomata ab ingenito veneno prodire demonſtrant.*
16 *Nulla ſigna dantur certa diſtinguentia inter venenum ingenitum, & venenum propinatum.*
17 *Ad venena adminiſtrata, maximè ſi reiterentur, abſque dubio mors ſuccedit.*
18 *Depilatio eſt ſignum familiariſſimum aſſumpti veneni in iis, qui ab ipſo veneno evadunt.*
19 *Venena, niſi occidant, relinquunt ſemper inſignem aliquam noxam, & morbos diuturnos.*

Niſi facti evidentia, qua totum ſuæ intentionis fundamentum facit Fiſcus, illique adhærentes, tam apertè,

ac tam perſpicuè demonſtraret, pulverem illum quem exhibuiſſe prætendit Fiſcus Joannem Baptiſtam Grattum propriæ uxori ad eum finem & effectum, ut eam de medio tolleret, non fuiſſe venenoſum, ego quidem informationi, ſeu potiùs volumini Phyſici ex adverſo ſcribentis daro, lõgioribus ſatisfacerem, ac ſingulis quibuſque occurrerem, pluribuſque commonſtrarem pulverem illum, dato quod à Gatto fuerit cum effectu propriæ uxori exhibitus, venenoſum non fuiſſe, ſtrictè accepto veneni nomine, quo tamen non modò no-
1 xium, ſed etiam ſalubre medicamentum denotatur, ut per *l. Qui venenum ff de verb. ſign.* & per Noſtros, ut per Guainerium *lib. de ven. cap. 1. in prine.* Valerio *lib. 3 loc. comm. cap. 18.* & per alios, ſed quia experientia ex facto emanãs tantum per ſe operatur, ut non obſtantibus quibuſcunque in tam prolixo diſcurſu deductis, quamlibet anſam contradicendi Fiſco, & adhærentibus adimat, brevioribus erit agendum.

Conſtat autem de experientia prædicta ex iis ipſis, quæ Fiſcus, & adhærentes probata, & confeſſa exiſtimant, nempe quòd pulvis ille non ſemel, aut iterum propinatus, ſed plu-
ries repetitus, non in una perſona, ſed in pluribus; non in homine ſolùm, ſed in aliis quoque animalibus, non in ſanis tantùm, ſed in debilibus & valetudinariis, imò & infirmis, non modò in ſaturis, ac cibo repletis ſed in jejunis, ac famelicis, nunquam aliud operari potuerit, quam vomitum excitare, & ventrem ſolvere, quæ accidentia etiam à levioribus, & ſalubertimis medicamentis cum anxietudine, & dolore, & animi defectu interdum quotidie excitari obſervamus. Atque id tantummodo ſatis ſuperque eſſe deberet ad probandum, pulverem de quo agitur, non fuiſſe venenoſum; nam qua jam ulteriori experientia uti licet ad id probandum, ſi toties in uſum convocatus in tot perſonis, tot conditionibus inter ſe differentibus, nunquam veneni effectus producere potuit?

Verumtamen, cùm in informatione pro Fiſco data, multa opponantur contra prædictum pulverem, & maximoperè inſiſtat D. ex adverſo ſcribens in probanda venenoſitate ſimplicium medicamentorum, ex quibus pulverem illum cõſtare Fiſcus præſumit, idcircò ſatiùs erit ejus ordine ſervato probato concludentiſſimè omnia, ac ſingula medicamenta pulverem de quo ambigitur, componentia, quæcunque venenoſitate, ac quæcumque deleteria facultate carere, & deinceps talem pulverem ex ipſis compoſitum non modò non poſſe eſſe venenum, ſed nullo modo poſſe interimere, ſi rectè, & cum debita cautione adminiſtretur.

Primò ergò præſumit Fiſcus in compoſitione hujus pulveris recipi antimonium, quod & ſtibium, & ſtimmi aliàs dicitur & de hoc plura deducta ſunt in informatione aliàs ad hunc effectum data, quam ſi reaſſumere Illuſtriſſimus Dominus non gravetur, ſatis erit pro nunc legendum proponere Baptiſtam Codronchium non ſpernendæ auctoritatis Medicum *de libell. de. Antim.* in quo acerrimè pro veritate tuetur, Antimonium omni venenoſitate carere, neque occulta, neque
2 manifeſta qualitate nox um eſſe; quòd multò meliùs probat quotidiana experientia, cùm ſæpiſſimè Antimonium etiam non præparatum ſine ullo vitæ diſcrimine exhibeatur, ut Matthiol. in *Dioſcor. lib. 5 de Mat. Med cap. 59.* & idem Codronch. *ubi ſup.* & alii docent. Quòd ſi in nonnullis Medicorum celeberrimis collegiis, & Univerſitatibus Antimonii exhibitio interdicta ſit, iis qui quocunque modo Medicinam exercent, dummodò Doctoratus lauream non ſint conſecuti, id non aliundè factum eſt, niſi quia hoc medicamentum temerè exhibitum, & abſque cautione debita, fortiter ſuprà, & infra expurgat, ita ut ob id illud aſſumentes, de vita periclitari poſſint, non quòd verè venenum ſit, ut probatum eſt.

Sequitur portò in ordine medicamentorum præſumptum pulverem componentium, herba quædam Sabina dicta; hanc multis nominibus Authores votirant; nam alii appellant Nerion, alii Arathy, nonnulli Baryton, ut Apuleius alii Bratheon, ut Æmilius Macer, quam nullus unquam Medicorum, qui de ea verba fecerunt, eſſe veneroſam determinarunt. Videndos Dioſcor. *lib. 1. de mat. Med. cap* 88. Calen *l. 6 de ſimpl. Med. fac. litt.* B. Paulus Ægynet. *lib. 7. litt rad.* & alii: quinimò
3 tam præcitati, tum alii Authores Sabina ad multa utuntur in potu, ut ad menſtrua cienda, Trotul. *de morb. mul cap. 2.* Paul. *ubi ſuprà.* Montuus *lib. 1. Anaſerves morb. tom. 3. cap. 41.* Fumanell. *de med. compoſit. cap. 55.* Piſo *lib. 3. de cur. morb. cap. 56.* Mercurial. *lib. 2. de morb. mul. cap. 3.* Balduin. Rouſſeus *de hum. vit. prim. cap. 18.* & ne ſingu'os recenſeam, dicam omnes Sabinâ tutiſſimè ad prædictos effectus uti, imo frequẽter ejus exhibitionem laudat Macet, ad mortuum fœtum expellendum quin & ad lcteritiam, Sabinam cum vino, & melle propinant Plin. *lib. 24. nat. hiſt. cap. 11.* Apuleius *de virt. herb. cap. 86.* Ruell. *de nat. ſtirp. lib. 1. cap. 59.* Batus *lib. 15. c. 9.* & ejus quoque ſuccum ad facilitandum partum laudat Faventin. *in ſua Empir. c. 45.*

Neque ex eo, quòd abortum faciat, & fœtum vivum aliquando interimat, & mortuum validiſſimè expellat, urinam, & ſanguinem eliciat, deducere poſſumus, eam eſſe venenoſam; nam mille alia medicamenta ſunt, quæ eoſdem effectus, & valentiores præſtare ſolent, & tamen non modò ab omni venenoſitatis ſuſpicione ſunt libera, ſed innocentiſſima ſunt, quorum ſilva extat apud Rei herbariæ Scriptores, apud quos Pulegium, Centauream, Artemiſiam, Dictamum, & alia his innocentiora, fœtum expellere valenter comperies, nec antùm expellere, ſed etiam vivum interimere, ut amara omnia, etiam ipſas innocentiſſimas Amygdalas, & in ſumma omnia menſtrua provocantia, ipſumque in cibis familiariſſimum Petroſelinum abortum facere docent, neque enim hi effectus expellendi, vel etiam interimendi fœtum, urinam, vel etiam ſanguinem per urinæ vias ciendi, veneni propriè operatio eſt, ſed omnia à tenuitate medicamentorum originem habent, ut omnibus in confeſſo eſt, & videndus præ cunctis Galenus *in libro de med. fac.*

Folia præterea Oleandri, qui eſt tertius in ordine, quæ tam venenoſa facit Dominus ex adverſo ſcribens, venenoſa non 5
eſſe claſſici ipſi Authores manifeſtum faciunt. Dicitur verò Oleander aliàs Rhododendron, & Rhododaphnes, & Roſago: & Nerion, de quo tam Dioſcorid. *lib. 4. cap. 77.* quàm Plinius *lib. 16. cap. 20.* & alii Antiquiorum, & ex Recentiori-bus Ruell. *de Nat. ſtirp. lib. 1. cap. 115.* hæc docent. Oleander Jumentis, Capris, & Ovibus Venenum eſt; Idem Homini contrà ſerpentium venena remedium: Miror, inquit, Plinius, folia ejus Quadrupedum venenum eſſe, Homini verò contrà ſerpentes præſidium, Ruta addita, & vino pota. Quod ſi Galenus Rododaphnen tota eſſentia venenum eſſe dixit, aliud quid per Rododaphnen intellexiſſe dicendum eſt, quia experientia valere illum ad ſerpentium venenum docet Matthiol. *in com. ad. lib. 4.* Dioſcor. *cap. 77.* qui hanc contrarietatem inter hos celeberrimos Medicos ſolvere idcirco nititur, volens Oleandrum remedio quidem eſſe his, qui à ſerpentum veneno ſunt infecti, ut experientia forte confirmavit, ſed his, qui non ſunt commorſi, venenum eſſe; hoc tamen gratis à Matthiolo dictum eſſe ex ipſomet patet.

Cæterum ſtercus Columbinum ob id, quod cutim exulce-
ret, & calidiſſimum ſit, venenoſum putat Dominus ex adver- 6
ſo ſcribens, at idem dicat neceſſe eſt de Pipere, de Allio, de Cæpis, de Sinapi, & ſimilibus, cum omnia hæc, & alia his mittiora & calidiſſima ſint, & cutim exulcerent, ſed neque ob id, quod ſtercus ſit, neque ex hoc quod ſit calidiſſimum, venenum idcirco eſt, nam alia ſtercora Columbino in calore non cedentia per os ſumma cum ſecuritate aſſumuntur, ubi morbus id remedii expoſcat. Captivum ſtercus datur in potu Ictericis Dioſcorid. *lib. 2. cap 72.* Serapio *de ſimplic cap. 443.* ſtercus Aprugnum datur ab iiſdem ad ſanguinis rejectiones: datur item in potu Gallinaceum, Caninum, Lupinum ad cõlicos dolores, & alias infirmitates apud eoſdem. Steercus quoque Accipitris datur in potu, quemadmodum & Falconi, ad partum accelerandum, Piſo *de cur. morb lib. 3. c. 55.* datur & Equirum ad eundem effectum, ut tradit Fumanell. *de comp. med. cap. 55.*

Sed quas turbas, Deus bone, de Borace movet idem Dominus pro Fiſco ſcribens; qui tamen hallucinatur cum vult Boracem eſſe Antiquorum Chryſocollam, & deregitur ejus hallucinatio à Fallopio *in libro de Metall. & Foſſil. cap 32. in fin.* cujus auctoritati multò magis quã prædicti Domini ſcribentis pro Fiſco deferendum videtur, nam Fallopius concedit quidem Boracem ab effectu vocari Chryſocollam, quia ut Chryſocolla Aurum conglutinat, negat tamen, & probat etiam, non eſſe Boracem unam, eandemque rem cum Chryſocolla, nam Borax eſt ſpecies Nitri, & dicitur Borax, 7
quaſi Baurach, quod nomen apud Arabes Nitrum ſignificat, Cæſalpin. *lib. 1. de Metall. cap. 10.* at Nitrum quotidie per os propinatur abſque ullo periculo, & extant pilulæ quædam celeberrimæ Alexandri Trallani ex Nitro ad morbos tam ca-lidos, quam frigidos junctarum laudatiſſimæ. Sed quomodocunque ſit, Borace uti nos Medicos quotidiana docet experientia tutiſſimè, imò vel in caniculis ipſis parturire non potentibus ipſa Borax aliquandò, & abſque periculo datur, ut mihimet ipſi experientia conſtat. Sed & hoc medicamento audacter utuntur claſſici Medici Recentiores, Fallop. *de Metall. & Foſſ. ubi ſuprà.* Faventin. *in Empir. cap. 47.* Montuus *in Anaſcent. morb. tomo 3. lib. 1. cap. 4.* Mercurial. *lib. 2 de morb. mul. cap 3.* Roderic. à Caſtr. *lib. 4. de morb. mul. cap 6* & alii permulti, quos congerere ſupervacaneum puto. Si qui autem Medici dixerint, Boracem eſſe venenum, hoc non eſt,

ſed

ſed de Chryſocolla, aut dicendum, illos voluiſſe eſſe venenum, largo modo ſumpto veneni nomine pro medicamento validō, quod incautè ſumptum maximè nocere poſſit, & quia medicamentum eſt, quo Abortus procurari poteſt, ad quod eſt valde potens, & ideircò connumeratum eſt inter venena, quæ prohibentur vendere Aromatarij abſque Medicorum licentia, ut Antimonium. At non ideircò Borax venenum eſt, ſicuti neque alia multa prænominata medicamenta, quia eorum aliquando multa utilitas eſt, venenum autem dicitur, quod ſemper tale eſt, id eſt, ſemper noxium eſt. Baccius *in pro. legem. Venen. c. ſeu art. 6.*

8 Conſideratis verò jam ſingulis ſimplicibus, ex quibus pulvis ille, de quo ambigitur, componebatur, jam conſiderandum venit totum ipſius pulveris compoſitum; certum quidem eſt, quod cum totum ſit aggregatio partium, Ariſtote.
9 *lib. 1. Phyſ. text. 17.* & alibi; partes autem hoc totum componentes ab occultæ venenatæ qualitatis ſuſpicione ſint immunes, ut probavimus, ut totum quoque compoſitum ea ſuſpicione vacabit, nihil enim dat id, quod non habet. *Facit l.*
10 *Nemo plus Iuris, Digeſtis, de reg. Iur.* ex noſtris Plato *in lib. de Nat. hum.* cùm ergo partes nullam habeant venenoſitatem, non poterunt illam communicare toti, quod ex ipſis componitur: ſequitur ergo non obſtantibus quibuſcumque jam prolixè deductis, pulverem præſumptum nullo modo fuiſſe venenoſum.

Ac profectò ſi pro veritate, & omni affectu ſemoto, ſententia ferenda ſit, non modò ex dictis pronunciabimus, pulverem hunc non fuiſſe venenoſum; ſed præterea videbimus, à Medico, qui illum compoſuit, ritè, ex arte, & debita cum tatione fuiſſe compoſitum, ut eo tanquam ſalubri medicamento ad nonnullas ægritudines uteretur: Medici enim intentio ea fuit, ut medicamentum componeret valdè exiccans, ex quo duos ſibi effectus promittere poſſet, unum juvandi conceptionem in his fœminis, quæ uteros humidiores habent, & ob eam cauſam non concipiunt, unde ut concipiant valida exiccatione egent; cùm pateat non paucas ob excedentem uteri humiditatem ſteriles eſſe, juxta Hippocrat. ſententiam *lib. 5. Aphor. 45. & 62.* alterum effectum conceptionem impediendi in iis, in quibus expediebat, *ut infra.* Cum ergo in cujuſvis medicaminis compoſitione id ſibi proponere debeat Medicus, ut aliquod præcipuum medicamentum, ex quo primario effectum quem intendit, ſperare poſſit, pro baſi compoſitionis conſtituat, dehinc alia, quæ ad eandem intentionem colliment, vel virtutem medicamenti adaugeant, vel vitium, ſi quod habeat, corrigat, ut Doctores omnes, qui de Medicamentorum compoſitione agunt, luculenter docent, patet intentionem hujus Medici non fuiſſe perſonas venenandi, quia nullum elegit medicamentum, quod à proprietate, & cum certitudine id operari poſſit, ut jam probatum eſt. Neque ejus intentionem fuiſſe aſſerendum eſt, ut homines interimeret, vel irremediabilem vomitum procurando, vel ſuperpurgationem exitialem excitando, urinam acriter ciendo, vel etiam ſanguinem; quia ſi horum aliquid ſibi propoſuiſſet, non miſcuiſſet invicem medicamenta, quæ poſſent ſibi in operationibus impedimento eſſe; nam in hoc pulvere quædam medicamenta ſunt diuretica, & menſtrua provocantia; quædam autem ventrem ſolventia; quædam vomitum protrahentia quæ operationes in tantum ſunt ſibi contrariæ, ut una aliam omnino impediat, quia Naturam diſtrahunt ad contraria, & hoc rectè à Medico quicunque ille fuerit, factum eſt, quia ex hoc medicamento nullam hujuſmodi operationem requirebat, ſed ſolummodo exiccationem, & idcircò cæteras operationes contrariis inter ſe medicamentis obtundere, ac impedire ſtuduit.

Ulterius, ſi in componendo hujuſmodi pulvere Medicus intentionem habuiſſet utendi eo pro veneno mortifero, ceſſaſſet quantum potuiſſet odoris moleſtiam, & ſaporis diſplicentiam quæ ex tali medicamento reſultare poterat ut fraudem celaret, neque addidiſſet alia peioris ſaporis, & odoris ut ad Antimonium, Sabinam, & Oleandrum, & ſtercus columbinum, nam non defuiſſent multa, quæ & ſaporem minus ingratum, & odorem minus moleſtum huic medicamento conciliaſſent. Præcipua ergo Medici, quæ hunc pulverem compoſuerat, intentio ea fuit, ut jam dictum eſt, ut haberet medicamentum validum exiſtens, utrique propoſito ſcopo ſatisfaciens, nempe & ad exiccandos uteros in iis, quæ præhumidos habebant, id circo non concipiebant, & ad impediendam conceptionem, ſterilitatemque indicendam in his, quæ in partu cuidenti, ac certiſſimo periculo exponebantur, ut in caſu noſtro, in quo Elizabetha potionata præſumpta ex partu miſerum in modum affligebatur, & in vitæ diſcrimen veniebat; nam licere hæc Medico extra conceptionem præbere,
11 docet abundè Mercurial. *lib. 1. de morb. mul. c. 11.* & alii Antiquiorum, & Recentiorum.

Hanc ergo duplicem intentionem Medico ſibi proponente, medicamenta omnia elegit maximè exiccancia quoad paſſivas qualitates, quoad activas verò partim frigida, ut antimonium, partim calida, ut cætera, ad hoc ut minor eſſet caliditas, quàm ſiccitas, quippe cùm Antimonii frigiditas caliditatem cæterorum contemperaret, unde ex hac compoſitione medicamentum emergebat valde exiccans, quod effectum ſibi propoſitum Medico promittebat; nam medicamenta valde exiccantia, intemperiei humidæ uterorum facile per contrariam qualitatem ſubvenire poſſunt, & quandocunque opportunum ſit etiam ſterilitatem inducere, quia, ut Hippocrat. *lib. 5. Aphor. 62.* & Galen *in comm.* ſtimabant, ubi uterus valde exiccatus eſt, ſemen in eo ex defectu alimenti corrumpitur, diſſipaturque, veluti in fabuloſo loco projectum ſemen nullum fœliciter naſcitur, ſed ocioſiſſime contabeſcit: præterquam quod hujuſmodi valdè ſicca medicamenta venerem cohibent, & ſemen extinguunt, eodem Galen. teſte *lib. 8. de ſimpl. med. fact. lit O.*

Cum ergo pateat ex his, quòd Medicus, quicunque ille fuerit, qui præſumptum pulverem compoſuit, non habuerit intentionem utendi eo pro veneno malo, & in damnum humani generis, ſed tantùm in ejus commodum, & utilitatem, manifeſtum inde fit, dato etiam, quod Ioan Baptiſt Gattus illum Elizabethæ ſuæ uxori propinaverit, prout Fiſcus, ejuſque adhærentes contendunt, non potuiſſe illum habere intentionem venenandi proptiam uxorem, ſed tantummodò illam à præſenti ærumna ſublevandi, & à mortis diſcrimine liberandi; nam alias non uſus eſſet hoc medicamento verè non venenoſo, ſed aliis, ac validis, acverè venenoſis, maximè cum pluries expertus eſſet, ut Fiſcus præſumit: prima, ſecunda, ac tertia vice ſperatum effectum non ſucceſſiſſe ex hujus adminiſtratione, & ideò, niſi lapide obtuſior fuiſſet, medicamentum mutaſſet, & valentius exhibuiſſet.

Nec valet ad hoc id, quod Dominus ex adverſo ſcribens obiiciebat, nempe quòd Ioan Baptiſta deſiderabat uxorem lento veneno perimere, nam hoc gratis dictum eſt, & miror, docto viro, quicunque ille fuerit, hæc in mente veniſſe, & è calamo excidiſſe, cum pateat venena temporanea non modò non excitare tam ſæva ſymptomata, ut Fiſcus ab hoc medi-
12 camento excitata præſumit, ſed nullo manifeſto ſigno ſeſe prodere, niſi lentam, ac non remiſſibilem febriculam inducendo, ſenſimque humidum primigenium depopulando, & nativum calorem deſtruendo: nam temporanea omnia, ac ſin-
13 gula venena, nempe quæ longuo tempore poſt eorum exhibitionem interimunt, ex tabefacientium genere eſſe docet Cardan. *lib. 1. de Venen. c. 12.* & alibi, & ipſe Dominus ex adverſo ſcribens.

Præterquam quod Ratio idipſum ſuadet, primò quia cum tam ſævis ſymptomatibus, ut à Fiſco, & adhærentibus in caſu noſtro aſſeritur, nequaquam poteſt hominis vita ad longum tempus protrahi. Secundò, quia qui temporanea, & lenta venena propinant, in primis ſtudent, ut veneni vis nullo modo detegatur, cum ad fraudem contegendam, tum ut veneni vis non detegatur, alias ſuo fine fruſtraretur, cùm potionati, ſi id cognoſcerent, facilè remediis, & antidotis veneno occurrerent, maximè in principio, at ubi tam terribilia ſymptomata conſpicua fiunt, vis veneni ſe manifeſtiſſimè prodit; & miror Dominum ex adverſo ſcribentem ſibimetipſi tam aperta fronte contradicere volentem Ioan. Baptiſt. Gattum habuiſſe intentionem venenandi uxorem lento veneno, ut ſine ſignis venenationis occumberet, prout omnia lenta venena operari dicit, cum alia ex parte tam multa accidentia ex præſumpto propinato veneno adfuiſſe inculcet.

Denique, ut ad ea reſpondeamus, quæ de ſignis venenorum pro Fiſco adducuntur, diſtinguamus ea illa eadem diſtinctione, qua uſus eſt præfatus Dominus ex adverſo ſcribens, hoc eſt in antecedentia, concomitantia, & conſequentia, omnibuſque ritè perpenſis, clarè patet, ea omnia, & ſingula, & præſertim quæ evidentiorem probationem facere poſſent, prorsùs abeſſe, & breviter ad ea omnia, quæ pro fiſco proponuntur, reſpondemus.

Quoad antecedentia, nempè odium Ioan. Baptiſt. verſus uxorem, & conſuetudinem delinquendi, dicimus hanc conſiderationem ad Medicum non pertinere, & benè his ii, ad quos pertinet, ſatisficient, Illud certum eſt, quòd quemadmodum nulla ſigna antecedentia dantur propinati veneni ante ejus aſſumptionem, niſi quædam quæ præſumptiones propriùs, & 14
conjecturæ ab extra vocanda ſunt, ad Iuris conſultos pertinentia: ſic è contra plura dantur, quæ ex veneno aſſumpto præſumpta ab ingenito provenire demonſtrare poſſunt, ut erat in caſu præſenti, ſtatus valetudinarius ipſius Elizabethæ, & 15
morboſus corporis apparatus, & alia aliàs deducta, quæ operantur, ut potius ingenti, quàm aſſumpti veneni præſumptio

vigeat. Galen. *lib. 6. de loc. aff. c. 5.* Cardan. *lib. 2. de Ven. c. 2.*

Quoad signa verò concomitantia, licet plura deducantur in informatione pro Fisco data, certum tamen est, neque omnia, neque si plura, & majoris momenti adfuissent, commonstrare certò potuisse, venenum fuisse propinatum, non
16 an ne ingenitum, cum non dentur alia signa certò distinguentia inter venenum ingenitum, & propinatum, ut concordant tam Iurisconsulti, quàm Medici. Bossius *in pract. crimin. tit. de del. num.* 11. Caball *de omni gen. homic. num* 621. Guazz. *in tract. ad def. Reip. def. 4. cap. 5. num. 5 lib. 1.* & inter Medicos Cæsalpin. *lib. 3 pract. cap. 7.* Codronch. *in method. restif. cap 6.* & alij unde quantumvis sese defatiget, atque exagitet Dominus ex adverso scribens, ad probanda hæc accidentia, sive hæc signa, quæ in Elizabetha conspicua fuisse dicuntur, ab administrato veneno originem habuisse, nunquam certò reducere poterit hanc conclusionem, unde ut prolixitatem odiosissimam evitemus, hac sola responsione satisfactum volumus quibuscumque ex adverso adductis circa signa concomitantia veneni.

Tandem circa signa consequentia supplicamus, magnam haberi considerationem, hæc enim maximi momenti sunt, & sicuti ubi præsentia sunt, infallibilem faciunt assumpti veneni præsumptionem, sicubi absint, omnem administrati veneni suspicionem adimunt. Ac primò inter hæc signa est
17 ipsa mors, hæc enim ut plurimum succedit ad venena administrata, & præcipuè si fuerint reiterata, ut in casu nostro, nam tunc suum effectum absque dubio sortiuntur, ut Cardan. *lib. 1. de venen.* testatur. At Elizabetha ex præsumpto potulo non obiit, etiamsi præsumitur pluries eidem personæ, aliisque non semel exhibitum, etiam caniculis, ac felibus, quorum omnium animalium nullum peremptum est, ergo ab hac iterata experientia docemur, hunc pulverem venenum non fuisse.

Sed etiam mors ad propinatum venenum non succedat, non desunt pleraque signa, quæ ab ipso veneno administrato semper relinquuntur, quæ de necessitate adesse oportuit in casu nostro, in quo idem venenum præsumitur uni, eidemque personæ toties fuisse propinatum, ac primò Nicol. Flor.
18 *summ. 4. serm. 4. cap. 8* & Cardin. Ponzett. *libr. 2. de venen. cap. 8.* & alij permulti affirmant, Depilationem esse signum familiarissimum iis, qui à veneno administrato evadunt, & maximè ubi venenum erodentem habuerit facultatem, ut in hoc veneno propinato supponitur extitisse, vel ipso D. ex adverso scribent id firmante, at hoc signum in Elizabetha omninò abest, & in nullo alio ex iis apparuit, quibus idem venenum pluries propinatum præsumitur, quod Adversarij negare non audent.

19 Præterea Cæsalpin. *lib. 3. pract. cap. 7.* & alij voluerunt: quòd venena, quæ suum effectum omninò non sortiuntur, quia non occidunt: semper insignem aliquam noxam, & diuturnos morbos inferant, & hoc quia quatenus talia, calori nostro naturali inimicissima, non solùm cum in corpore existunt, illum destruunt, sed cum exuperantur, relinquunt intemperiem aliquam cum impressione occultæ qualitatis nocentem; at in casu nostro tantum abest, ut ij qui hunc pulverem assumpsisse creduntur, morbo aliquo afficiantur; aut aliquam insignem adhuc corporis noxam persentiant, ut è contra omnes, ac singuli paneraticè valeant, quinetiam Martha, quæ per tres continuatos dies pulverem assumpsisse dicitur, deinceps utero concipit, quod valetudinariis, & infirmis mulieribus non facilè evenire notum est. Facit Hippocrat. auctoritas *lib. 5. Aphor. 62.* & pluries alibi, & pro Iurisconsultis facit Rota *in Rom. societ. offend. Venen. 11. Ianuarij 1619. coram Cardin. Sacrato.* Et ex his concludendum, pulverem, de quo agitur, vel nullo modo fuisse exhibitum iis, quibus exhibitus præsumitur, vel nequaquam fuisse venenosum.

CONSILIUM XIV.

Eidem Domino Renato Monreau.

ARGUMENTUM.

Inter alia medicamenta, ex quibus præsumebatur constare pulvis, quem ad venenandam propriam uxorem Elizabetham exhibuisse volebat Fiscus Ioannem Baptistam Gattum, erat Antimonium, de quo peculiariter dubitabatur, An esset venenum, necne? volente eodem Fisco, & ejus adhærentibus, venenum omninò esse, repugnantibus nobis pro parte Joann. Baptistæ ex sequentibus.

SUMMARIUM.

1 *Antimonium nullam habet venenositatem.*
2 *Antimonium respectu manifestarum qualitatum venenum non est.*
3 *Antimonium non est venenum ab occulta qualitate, vel à tota substantia.*
4 *Venena à tota substantia noxia non possunt ullo modo ad benignam naturam reduci.*
5 *Antimonium vomitum valide provocat.*
6 *Ant imonium non esse venenum ab effectu probatur.*

QVia immeritò dubitatur de hoc, cùm nullus Author fide 1
dignus hoc in dubium revocaverit, ac nunquam vel in enarrandis ipsius Antimonii facultatibus, vel in enumerandis venenis, de ejus venenositate quicquam mussitaverint, quod nullo modo præterissent, si haberet vel minimam veneni suspicionem, vel veneni accidentia assumptum produceret. Immò qui diligentissimè omnia, & quæcunque venena etiam minima, & nulla consideratione digna congesserunt, ut sulphur est, Adamas, Lauri baccæ; Nux rancida, Magnes, Scammonea, Agaricus, & alia etiam his inferiora, nihil de Antimonio meminerunt, quòd omni venenositatis suspicione sit prorsùs expoliatum. & si libet, videri possunt Galenus *de med. simpl. & de comp. Medic.* Dioscorid. *lib. 6.* Plin. *lib 32. cap. 6.* Paul *sua Med. lib. 5. cap. 3.* Aët. *lib. 3.* Auic. *4. tract. 1. 1. summ. 1.* Raf. *8. ad* Manfor. Conciliat *de venen.* Guain. *de venen. cap. 8.* Ardoin. qui affluentissimè de omnibus agit *lib. 2. de venen.* & ex Recentioribus Cæsalpin. *lib. 3. suæ pract. c. 50.* Paræus *lib. 20. cap. 31.* & alii permulti, sed & qui de natura Antimonii ex professo loquuntur, nullam in eo venenositatem animadverterunt, ut dixi; sed solùm refrigerationem, & exsiccationem cum astrictione. Vide Dioscorid. *libro quinto cap 54.* Plin. *ubi supra* Aët. *libro secundo, cap. 72.* Paul. *lib. 7. litt. 5.* Cæsalpin. *de Metal. libro tertio, cap. 9.* & ad utramque conclusionis partem evidentissimè probandam, vide Codronch. *in libell. de Antim.*

Deinde si Antimonium venenum est, vel lædit manifestis qualitatibus, vel occultis, & à tota substantia (ut prudenter 2
deducit idem Codronc. *ibidem*,) vel ambabus simul. Non manifestis qualitatibus, cùm hæ in Antimonio non sint insignes, neque in excessu, nam frigidum est, & siccum in gradu secundo cum adstrictione, ut patet ex Authoribus jam suprà citatis; adde quod si his operaretur, apparerent in nocendo earum effectus, tales essent vehemens adstrictio faucium, & gutturis, strangulatio, utinæ suppressio, ventris stipticitas, stomachi gravitas, & refrigeratio, intestinorum dolores, vocis & respirationis oblæsio, & alia ad hunc modum, at hæc ab Antimonio non provenire satis perspectum est: ergo ratione primarum & manifestarum qualitatum, Antimonium non est venenum.

Sed neque occulta qualitate, & à tota substantia Antimo- 3
nium est venenum, quia medicamenta, aut venena hujusmodi non possunt reduci per quamvis præparationem, aut repurgationem ad benignam naturam, neque omittere possunt id, 4
quod ab intrinseca forma sortita sunt, ita ut quomodocunque exhibeantur, & in quacunque quantitate, semper mortifera sunt. At verò Antimonium dari etiam sine præparatione ulla, & sine repurgatione, absque ullo vitæ periculo, & cum præparatione etiam in notabili quantitate ad corpora expurganda, & ad difficiles, & rebelles ægritudines edomandas, non est qui nesciat. Matthiol. *in lib. 5.* Dioscorid. *de mat. med. cap. 59.* Codronch. *ubi supra*, & omnes, qui de Antimonio ex professo verba faciunt.

Sed neque simul manifesta, & occulta qualitate Antimonium est venenum, quia eædem rationes simul urgent, ac multò evidentiùs probant, nullo modo illud esse venenum.

Verum ex abundanti concesso, etiam cuicunque, Antimonium venenum esse, tamen illud certum est, & negari non potest, non esse ex iis venenis, quibus ad enecandos homines uti quis possit: ratio est in promptu, quia cùm unica spes sit in his, qui potionati sunt, & venenum hauserunt, ut ipsum quàm celerrimè è corpore vomitu expellant: Antimonium vomitum promptissimè, ac validè excitare quivis novit, & 5
notant omnes Doctores, de eo verba facientes; itaque etiam si venenum esset ob hoc ipsum quòd ad sui expulsionem illico hominem cogat, non posset hominem interimere, neque enim in stomacho tanto tempore moram trahit, ut ejus virus sanguini per venas, & arterias communicari possit, & ad cor ipsum pervenire.

Ac

Ac denique ab effectu probatur. Antimonium non esse venenum, quia quicunque Antimonium sumpserunt, & ex ejus vi occubuerunt, nunquam mortui sunt cum accidentibus veneni, sed ex simplici tantummodò superpurgatione, ut experientia docet, at si ob hoc, nempè quod superpurgationes lethales excitare possit Antimonium, venenum est, certè & scammonium, & Agaricus, & cætera etiam benigniora, & innocentissima medicamenta venena erunt, cùm omnia possint præter modum usurpata lethales superpurgationes inducere, nam & ipsum Antimonium tunc solummodò tales excitat superpurgationes, cùm in excedenti quantitate assumitur, aliàs nequaquam. Non sufficit ergo hoc ad determinandum; Antimonium esse venenum, sed necesse est, si venenum sit dicendum, ut ab ejus propinatione appareant accidentia illa, quæ ad venenum vel à tota substantia, vel manifestis qualitatibus noxium, succedere solent.

CONSILIUM XV.

Eidem Domino Renato Monreau.

ARGUMENTUM.

Cùm N. N. Tonsor sanus degeret, cum amico affluentiùs pransus est. A comestione nonnullis elapsis diebus, sensim in Icteritiam, seu Regium morbum incidit, ac procedente tempore, totum illi corpus vitore defœdatum est. Hinc, nullâ curâ adhibitâ, in fatuitatem, & dementiam lapsus est; ac tandem vitam cum morte commutavit, Cadavere adaperto, Intestina tumefacta apparuerunt, & coloris citrini. Pericardium omni humiditate destitutum, sanguis in Cordis ventriculis congelatus; & ipsius Cordis substantia pravi coloris, caput tumefactum, labia admodum grossa, Pulmones coloris citrini, & secundùm alas nigricantes, ac Mediastino, & Pleuræ adhærentes; Lien mollis, ac diffluens, & alia nonnulla signa attestantia veneni propinationem. P. in quem reatus suspicio cadebat, à fisco in carcerem detrusus est, & quæsitum pro veritate ab ipso fisco est, An N. N. ex propinato veneno, vel ex ingenito, & intrinseco aliquo morbo occubuisse, & respondi.

SUMMARIUM.

1 *Præsumptio propinati veneni ex antecedenti statu Ægrotantis est magni momenti.*
2 *Concomitantia signa quomodo propinatum venenum attestantur.*
3 *In veneno propinato accidentia supervenientia nullum ordinem servant.*
4 *In veneno propinato non solet adesse febris, ut in ingenito.*
5 *Venenum aut est corrodens aut putrefaciens, aut inflammans, aut congelans, adde, & tabefaciens.*
6 *Venena externa, vel sunt præsentanea, vel temporanea.*
7 *Temporaneum venenum lentum est, & ex genere Tabefacientium.*
8 *Data causa disposita ad agendum in patiens dispositum ad patiendum, necessariò sequitur effectus.*
9 *Signa assumpti veneni in ipsa assumptione apparentia, sunt magni momenti existimanda.*
10 *Accidentia ex propinato veneno provenientia, cum impetu apparent, contra ex veneno ingenito.*
11 *Fatuitas ex morbo Regio mala.*

NOn immeritò dubitari videtur, an N. N. ex propinato veneno obierit, necne, cùm pro affirmativa opinione tot adsint conjecturæ, ac præsumptiones non numero solùm, sed etiam pondere urgentissimæ: nulla enim signa desiderari videntur aut ex antecedentibus, aut ex concomitantibus, aut ex 1 subsequentibus, quæ propinati veneni suspicionem facere, ac mirum in modum augere possint. Ac primò urgentissima videtur ex præsumptio, quæ ex antecedentibus desumitur, ac maximè ex statu ejus, qui venenum hausisse dicitur; si enim status hic secundùm naturam fuerit, & vires constent, & errata in victus ratione saltem insignia non processerint, irrepentè subitaneo, præcipiti, ac pernecabili morbo, facit ferè plenam probationem propinati veneni cum hac sola conjectura fisc. Galen. *lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* & cum eo DD. omnes, de ejus rei certitudine non hæsitanter pronunciaverint: quæ conjectura cùm in casu nostro vigeat, cùm N. N. immediatè ante præsumptam veneni acceptionem optima sanitate fruereretur, & viribus constare, dicendum, eam non modò maximoperè urgere, sed concludentissimam de tali veneni propinatione probationem facere.

Nec minùs urgere firmandum est, eam præsumptionem, 2
quam ex concomitantibus signis elicere possumus. si enim seriem symptomatum, quæ in hoc ægrotante apparuerunt, eorumque naturam, & affligendi modum considerabimus, nonnisi à propinato veneno potuisse emergere fatebimur; quippe cùm primò fuerint pernciosissima, terribilia, & exitialia, naturamque illicò prostraverint, ac superaverint, quod non verisimile sit accidere potuisse ex Icteritia ab interna causa procedente, in qua præter corporis immutatum colorem, non solent adesse hujusmodi prava accidentia; imò neque alia ulla consideratione digna, non quidem alia ex causa, nisi quia humor morbum faciens ab internis ad externa prorumpit, unde consequens est nobiliores partes à peccante humore liberari, & nullam ex ejus vi noxam percipere.

Secundò, si modum adventus horum symptomatum spectemus, ea non sensim & ordine quodam, ut in morbis ab interno veneno provenientibus evenire solet, apparuerunt: sed 3
potius cum impetu, & confertim, nulloque ordine servato, quod in administrato potissimum veneno fieri solet, ut docent Cardan. *lib. 2. de venen. c. p. 2.* & Bacc. *in Prolog. de Venen. c. p. 17. art. 1.* Ac si denique seriem horum symptomatum consideremus, ad ipsum clarè apparebit, quia in veneno ingenito hæc symptomata nunquam sunt sine febre, contra in
veneno administrato, ut in casu nostro, in quo febris adesse 4
non solet, quod ita fieri, longioribus probavi *lib. 2. Quæst. Medico. Lega. tit. 1. quæst. 8. num. 5. & segq.*

His addenda signa ex cadavere post Ægri mortem desumpta, quæ & ipsa magni sunt momenti, neque videntur apparere potuisse in cadavere morbo naturali extincto, vel Intestina tumefacta, & coloris citrini, cordis substantia pravi coloris, & alia in historia morbi enarrata, quæ sicuti propinato veneno sunt familiarissima, & proportionatissima symptomata, ità naturali ægritudini, & maximè Icteritiæ, præcipuè nullo febre concomitante, videntur omninò disconvenientia & improportionata. Ex quibus omnibus videbatur certitudinem nos habere posse, quòd N. N. ex propinato veneno, non autem ex ingenito, aut interno morbo perierit.

Verumenimverò si res penitius considereretur, & effectus omnes in hoc casu apparentes suis causis referantur, contrarium appatebit verius, & omnis suspicio propinati veneni evanescet, quod ex sequentibus fundamentis facilè palam fiet. Dicendum ergo primò, quòd licèt particularium venenorum difficillima sit cognitio, cùm alicui propinantur, ut omnes norunt, tamen ea noscere secundùm suas species non modo non est difficile sed facillimum, posito, inquam, quod de propinato veneno certitudo habetur. Demus ergo N. N. cum effectu assumpsisse venenum à P. sibi clam propinatum, ac per fraudem, tunc dico, quòd hujusmodi vene- 5
num, aut fuit corrodens, aut putrefaciens, aut inflammans, aut congelans, adde aut tabefaciens (licèt hoc cum putrefaciente conveniat, exsiccatio enim quædam species putrefactionis est) ad has namque species omnia venena reduci possunt: at hic nullum hujusmodi veneni signum apparet, ergo. Et quòd non fuerit corrodens, patet; nihil enim apparuit aut ante, aut post, aut in ipsa assumptione, quod pro signo talis veneni desumi posset; Quòd non fuerit putrefaciens, patet; quia ab hujusmodi veneno maximè patitur primo stomachus, & jecur, cùm tamen in cadavere hæc duo viscera nihil omninò læsa apparuerint; Quòd non fuerit inflammans, patet; quia non modò calor nullus adfuit in ipso potionato, sed etiam à febre fuit immunis; Quòd non fuerit ex genere congelantium manifestum est, non apparente ullo hujusmodi veneni signo; Quòd denique non fuerit tabefaciens, ex ipso successu palam est. Ergo restat, N. N. ex morbo potiùs quodam interno, quicunque ille fuerit, quàm ex propinato veneno obiisse.

Secundò notandum, quòd venena administrata aut sunt 6
præsentanea, aut temporanea; illa subitò, & maxima cum vehementia, aut paucorum dierum spatio, hæc lentè ac sensim, & longo post tempore operantur. Modo, quòd N. N. non assumpserit venenum præsentaneum, patet; quia à præsumpta veneni assumptione per plures dies, nempè per unum supra viginti nullum evidens symptoma, nisi mutationem coloris ipsius cutis passus est: deinceps symptomata sensim apparuerunt, cùm primò Ictericus factus sit; post multos verò dies in

pejus

pejus lapſus fuerit, non fuit ergo venenum hoc præſenta-
7 neum. Sed neque dici poteſt fuiſſe temporaneum; primò, quia mors nimis properè videretur ſecuta, temporaneum autem venenum ſuum opus ad longum tempus retardat, & lentum eſt in operando. Secundò, quia temporanea venena omnia ex Tabefactientium numero ſunt. Cardan. *lib. 1. de Venen. cap. 12.* & alibi, at N.N. nullam emaciationem, nedum Tabem paſſus eſt, nec quid ſimile; remanet ergo, ut non ex propinato veneno, ſed ex ingenito, vel potiùs ex aliquo alio interno morbo fuerit ſublatus.

8 Notandum tertiò, quòd datâ cauſâ diſpoſitâ ad agendum, nulloque impedimento ex parte patientis exiſtente, ſed potiùs diſpoſitionibus ad patiendum ex ejus parte requiſitis urgentibus, neceſſariò ſequitur naturalis effectus, ut Philoſophis eſt compertiſſimum. At ſi ſupponatur in hoc caſu fuiſſe propinatum venenum, cùm hoc ſit cauſa maximè efficax ad agendum, & nullum ſupponatur ex parte patientis impedimentum ad reſiſtendum, ſaltem per tantum temporis ſpatium, neceſſario ad illius aſſumptionem debuit ſequi illius veneni effectus, nempe aut Naturæ ſuccumbentia, aut illius pugna cum veneno, cùm tamen neutrum fuerit ſecutum, eo quod N. N. ab aſſumptione præſumpti veneni, per plures dies incolumis permanſerit; dicendum itaque, illum nequaquam ex veneno, ſed ab interna aliqua cauſa ægrotaſſe, & ex ejus denique vi periiſſe.

9 Notandum quartò, aliqua eſſe ſigna in potionatis, quæ in ipſa veneni adminiſtratione obſervantur, & eſſe multi momenti, quæ tamen omnia in caſu noſtro deſiderantur: notant enim DD. omnes, venena omnia eſſe mali odoris, & ſaporis horribilis, & in aſſumptione ſemper nauſeam, vomitum, gulæ ardorem, ſtomachi morſum, & mille alia ſymptomata excitare, quorum nullum hic apparuit, cùm nulla mentio habeatur, quòd N.N. à prandio, vel à cœna præſumpta, de talibus unquam ſi conqueſtus.

10 Notandum quintò, quòd, ut ſuprà annuimus, accidentia, ſi ex veneno adminiſtrato ſuperveniant, ſolent cum impetu quodam, ac vehementia apparere, non tolerante Natura vim improviſam ipſius veneni, & procurante ſummo conatu illud à ſe repellere, ac ſuperare: contra verò ſi ab ingenito veneno, & interno morbo eveniant, nam ut plurimum ſenſim paulatimque & ordine quodam ſervato ſuccedunt, juxta illud Hipp. *lib. 2. Aphor. 30.* circa principia omnia debiliora, quia Natura interno veneno ob moram in corpore contractam veluti aſſueſcit: hoc autem maximè oſtendit venenum fuiſſe ingenitum, vel morbi cauſam fuiſſe internam, quod in hoc caſu adeò urgere videtur, ut veritaté omni ex parte detegat. Nam N.N. præſumptus potionatus ſenſim, paulatimque flaveſcere cœpit, nullo alio notabili apparente ſymptomate; dehinc verò procedente morbo, ac nulla cura adhibita, alia ſymptomata ſeſe manifeſtarunt, quæ poſtmodum exacerbata, tandem morti hominem addixerunt, cùm tamen ſi Icteritia ab externo veneno originem traxiſſet, contra evenire debuiſſet, ut primò nempè alia ſymptomata notatu digna, ut vomitus indefinens, moleſtia intolerabilis, dolores pernecabiles, lipothymia, ſyncopes, & alia id genus; dehinc icteritia, & alia majora, & pejora apparuiſſent; & ratio eſt, quia ad effuſionem bilis à cauſa interna non gravatur, ſed potiùs allevatur Natura, cùm ab humore noxio ſeſe exoneret; idcircò poteſt ex improviſo aliquando, nec præcedentibus aliis ſymptomatibus ſeſe prodere: at in veneno propinato nequaquam; quia primò, & antequam Hepar lædatur, neceſſe eſt lædi ſtomachum, atque etiam Cor, unde præcedere debent primò accidentia ad inſignem ſtomachi, & Cordis læſionem neceſſariò conſequentia, quod confirmat ipſa experientia, ſemper enim obſervamus in venenis adminiſtratis Icteritiam nonnullos poſt dies, & poſt alia ſymptomata apparere. Cùm igitur ex prædictis pateat, N.N. à propinato veneno non fuiſſe extinctum, ſed potiùs à morbo quodam naturali, ut majorem in modum veritas innoteſcat, demonſtrandum jam, ex quo verè morbo obierit. Ac profectò ſi obſervare velimus Icteritiæ cujuſdam deſcriptionem ab Hippocr. factam *lib. 3. de Morb. num. 12. & lib. de intern. affect. n. 38.* apertiſſimè videbimus N. N. non ex alio morbo obiiſſe, neque ex veneno aſſumpto fuiſſe ſublatum.

Habent ergo Hippocr. verba in *prædicto lib. 3. de morb.* hoc modo. *Hujuſcemodi morbus Regius acutus eſt, & citò necat. Color totius mali eorum maximè refert ex viridi paſſeſcens, & quales Lacerti virides, ſimileque ferè corpus eſt. In urina quod ſubſidet velut Eruum fulvum eſt, & febris, & horror levis detinet, quandoque etiam veſtes ferre non ſuſtinet, ſed ab iis mordicatur, & pungitur. Jejuno mane viſcera plerunque lacerantur, & ſi quis cum excitet, aut alloquitur, non patitur. Hic ferè intra dies quatuordecim moritur, quos ſi effugerit, convaleſcit.* Eadem ferè habet alio in loco jam cit. *de intern. affect.* ubi & aliam ſpeciem hujus lethalis morbi, ſed longioris deſcribit, quorum morborum ſigna, ſi cum morbo, quo extinctus eſt N.N. æquiparentur, nihil omninò eorum deſiderabitur, quæ ad ejus morbi naturam conſtituendam neceſſaria exiſtimantur: nam & color corporis, & proritus, & anxietudo, ut viſcerum lancinationes, & melancholia, & delirium in utroque caſu ſunt conſpicua. De febre ſolùm dubitari poterat, quam in ſuo morbo adeſſe vult Hippocrates, cùm tamen in caſu noſtro non adfuerit. Ad quam inſtantiam reſpondetur, quod primò non fuit, ut oportuiſſet, in ægro hoc obſervatû, an aliqua febre detineretur, necne; ſecûdò, quod potuit quidem adeſſe, ſed levis, ut Hippocrates dicit, ac talis, ut facilè medentem falleret, aut ab eodem medente in cenſu non haberetur propter ſui levitatem, præcipuè cùm ad ægrotum acceſſerit viribus jam dejectis, & non potente virtute illam detegere, unde apparere potuit æger non febrite; & tertiò dato etiam quod verè non febriret, hoc non tolleret, quin idem eſſet morbus ſtantibus præſertim tot aliis ſignis evidentioribus, & ſi in omnibus tali morbo detentis febris eſt levis, poteſt in aliquo particulari eſſe nulla, vel nulla apparere.

Mirum ergo non fuit in homine ſano, & aliàs robuſto, ac victui ſalubri aſſueto de repente ex aliqua externa, ac procatharctica cauſa, ut ex labore, ex nimia potatione, ex curſu, ex luctu, aut ex alia ſimili cauſa (nam aliàs hoc obſervatum eſt, & indies obſervatur) bilem agitatam in ambitum corporis effundi, & nulla cura adhibita, illaque nobiliotibus partibus communicata, alia ſymptomata, quæ in informatione enarrantur excitari, præcipuè autem fatuitatem, ac dementiam, quæ familiaris eſt Icteticis, ubi in malum tendunt, dicente Hippocrate *lib. 1. Prorrhet. n. 4. & in Coac. Prænot. n. 198. Mala* 11
eſt ex morbo Regio fatuitas. Licèt autem hoc difficultatem facere poſſit, quomodo nimirum calidiſſimus, & ſicciſſimus humor fatuitatem excitet, quæ potiùs à frigido, & humido videtur naſci; tamen ad hoc reſpondet Duretus *in comm. prædicti lib. 3. Coac.* in hunc locum dicens, quod cerebrum humeſcit, adde & refrigeratur ex eo, quòd ab humore calido & ſicco deſtituatur, ab omnibus enim partibus bilis ad exteriora effunditur.

Ex quibus facilè eſt videre, quanâ ratione in N.N. tot ſymptomata apparuerint, ex effuſione enim Bilis ad totum corpus partes omnes externæ virorem illum, ac pallorem, aut alium quemcunque fœdum colorem contraxere, juxta naturam, & colorem humoris eas inficientis: neque enim Bilis unius ejuſdemque coloris perpetuò eſt, ut nonnulli dicunt, ſed modò palleſcit, modò nigreſcit cùm adurtitur, modò viret, & ſic vario colore partes inficit. Ex effuſione verò Bilis ad exteriora cerebrum humeſcere, ac refrigerari diximus, unde debile in omnibus ſuis operationibus redditur; præcipuè verò debilitata ejus retentiva. Pituita ad interiores partes per nervos, venas, & arterias lapſa, varios tumores in variis partibus excitavit, ut aliàs in his, qui jam morti proximi ſunt, evenire ſolet, cùm jam proſtratâ Naturâ pituita in cerebro exiſtens ad interiora ruit, & varia excitat ſymptomata. Cætera quoque, quæ de anxietudine, & puncturis in univerſo corpore habentur, & alia recenſita ab ipſa Bilis effuſione facta fuiſſe notiſſimum eſt. Et ex his concludendum pro veritate videtur, N.N. ex prædicto morbo, nempè ex prima illa Icteritiæ ſpecie ab Hippocrate deſcripta deceſſiſſe, non autem ex propinato aliquo veneno, cùm accidentia ſubſecuta, & morbi ſeries, naturali, & internæ cauſæ, non violentæ, & externæ reſpondeant.

CONSILIUM XVI.

Eidem Domino Renato Monreau:

ARGUMENTUM.

In eadem cauſa, de qua ſuprà, iterum per fiſcum interrogatus, ut pro veritate magis præcisè reſponderem, an N.N. ex propinato veneno obiiſſet, reſpondi, quòd licèt ex tam variis, tam incertis, tamque ſibi contrariis teſtium depoſitionibus in nono ſummario datis, nihil certi circa veneni exhibitionem in perſona N.N. elici poſſit, cùm non ſint inter ſe conſtantes; tamen ego, ſuppoſito, quòd per eas plenè probata remaneat veneni exhibitio, adhuc tamen in ea ſententia ſum; illum non ex aſſumpto prætenſo veneno, ſed ex interno, ac naturali morbo, aliàs ex Hippocratis auctoritate deſcripto, vitam obiiſſe.

SUM

SUMMARIUM.

1 *Medicamenta omnia, & venena etiam ipsa administrata interdum suo fine frustrantur.*
2 *Venena, quæ ab excedenti qualitate occidunt, nisi illico in actum producantur, nullius effectum evadunt.*
3 *Vix ex decem unus perire solet, nisi venenum reiteretur.*
4 *Venena temperanea facile nullius effectus evadunt.*
5 *Icteritia aliquando est effectus assumpti veneni.*
6 *Venenum quodcunque vel mediatè vel immediatè cor ladit.*
7 *Sitis carentia est maximum argumentum ad excludendam veneni assumptionem: declara ut ibi.*
8 *Cadavera eorum, qui externo veneno interiunt, difficillimè putrescunt.*
9 *Singulare signum assumpti veneni est læsio in ventriculo, & lenta febricula.*

NEque novum quid, aut rarum aut mirum id videri debet, cùm quotidiana experientia compertum sit, non
1 tam in venenis, quàm etiam in aliis quibuscunque medicamentis purgantibus, præcipuè quòd aliquando vel à Natura exuperantur, & nullum effectum producunt, vel simpliciter dejiciuntur, nulla illata ipsi Naturæ vi. Peculiariter autem Galen. *in lib. de simpl. med. fac. cap.* 18. de venenis verba faciens, quæ ab excedenti qualitate occidunt, dicebat, quod nisi
2 illico in actum producantur, nullius effectus redduntur. Ac præterea Cardan. *lib.* 2. *Contrad. Medic. tract.* 5. *contrad.* 10. *vers. & scias*, serio affirmat, vix unum interire ex decem, qui
3 venenum hauriunt, nisi venenum reiteretur, quod dictum etiam frequenti experientia roboravit, ut ipse ibidem luculenter testatur.

4 Sed hoc ipsum, nempe venenum suo effectu frustrari evenit peculiariter in venenis temporaneis, hoc est ad tempus datis, quale forte præsumitur fuisse hoc, quo N.N. extinctus dicitur, ex implicita quadam P. confessione, & dubiis nonnullorum testium depositionibus. Et ratio est maximè in promptu, quia cum hujusmodi venenorum vis, ad hoc ut lentè operetur, contrariis medicamentis sit refracta, facilè inde evenit; ut occurrentia calori naturali, qui saltem debilis non sit, evincantur, vel refringantur, aut in corpore nulla noxa relicta, detrudantur. Hinc tam raras experientias, quæ veræ sint, habemus similium venenorum, quæ ad tempus exhibentur, ut perceperit idem Cardan. *loco citat.* Potuit ergo eodem modo etiam in casu nostro evenisse, quia veneni assumpti nulla certa, & peculiaria signa fuerunt adnotata: quemadmodum enim in superiori consultatione dixi, neque in præsumpta veneni assumptione N.N. quicquam persensit, neque per plures dies post assumptionem de aliquo notabili accidenti conquestus est, ut de stomachi morsu, de Cordis tremore, de Lypothymia, vomitu, sudoribus frigidis, nausea, fructibus nidorosis, ac corruptis, & id genus aliis quæ omnia, aut eorum saltem plura de necessitate consequi debebant ad veneni assumptionem, maximè supposito, quòd in actum fuisset jam deductum ex adventu Icteritiæ tanquam effectu propinati veneni. Quemadmodum namque unus ex Medicis deponit, Icteritia
5 aliquando est effectus assumpti veneni, sed nunquam sola apparet, verùm associata aliis syptomatibus, immo post alia symptomata, nam tunc cùm omnem sanguinis massam infecerit, ac corruperit, necesse est talia symptomata apparere, qualia apparent, cum homo jam in mortem certo tramite tendit.

Sed manifestiùs etiam ultra adducta in priori cõsultatione ex infra adducendis patere potest, venenum N.N. non assumptisse, aut assumptũ exuperasse, & sic non ex assumpto veneno, sed ex interno quodam morbo obiisse: sunt enim plura accidentia, quæ de necessitate omne assumptum venenum
6 consequuntur: Ac primò, & principaliter exploratissimum Medicis est, omne venenum cor lædere, aut primò, & immediatè, aut saltem secundariò & mediatè, ita ut nullum omninò venenum assumi possit, quod aut subitò aut conveniente mora interposita symptomata ad læsionem cordis cõsequentia non accersat, Conciliat. *diff.* 178. *& in lib. de Venen. cap.* 1. Nicol. Flor *summ.* 4. *serm.* 4. *c.* 1. Guainer. *de Venen. p.* 1. *resp. ad dub.* 4. Ardoin. *de Venen. lib.* 1. *c.* 7. Ponzett. *lib.* 1. *de Venen. c.* 9. Fernelius *lib.* 2. *de Abdit. c.* 15. & alii omne Verum in casu nostro modò patet, Cor nullo modo fuisse læsum, sed ex Medicorum depositione habetur, N.N. post dubiam, & suspectam comestionem benè se habuisse, ut per verba illa Medici M. *solo il polso stava bene, pareva che fosse d'huomo sano, & non manifestava alcun nessuno*, quod quidem impossibile fuisset, si morbus ex assumpto veneno dependentiam habuisset ex prædictis.

Secundò, Cardan. *loco supra cit. Contrad. Medic.* maximum fundamentum facit ad excludendum veneni assumptionem, si, qui venenum bibisse præsumitur, sitim non habeat. *Sitis* 7
inquit, *carentia maximum argumentum est ægrum venenum non sumpsisse*, ex quo habetur mortem ex interna potius causa evenisse, quod quidem verificatur potius in calidis venenis; tam frigida, ut Mandragora, succus lactucæ, Jusquiamum, & alia sitim fortè non faciunt, sed venena hæc non dantur, neque dari possunt in modica quantitate, quia, cùm exuperante frigiditate interimant, insignem quantitatem requirant. At venenum, quod assumptisse præsumitur N.N. fuisse in pauca admodum quantitate, dicitur, nempe quantam caperet moneta illa, quam Julium, seu Paulum vocamus; itaque non potuit esse frigidum, cum ergo esset calidum, debebat de necessitate sitim magnam & inextinguibilem excitare, ut calida veneni omnia faciunt, licet Cardan. *loco cit.* etiam frigida sitim facere voluerit. At cùm N.N. hoc symptomate nullo modo fuerit molestatus; dicendum est, aut illum non assumpsisse venenum, aut ex illius vi non perisse, quòd illud exuperaverit.

Tertiò, & hoc quidem videtur maximè notandum; experientia compertum est cadavera eorum, qui veneno externo 8
sublati sunt, difficillimè putrescere Cardan. *de subtilitat. lib.* 11. ita ut ob eam causam verminationem non patiantur. Senec. *Nat. Quæst. cap.* 31. & ratio est introducta siccitas ab ipso veneno, unde ea de causa Alexandri Magni cadaver incorruptum ad multos dies permansit, quod veneno obiisset: contra verò cadavera veneno interno sublata facillimè corrumpuntur, ut patet in iis quæ ex peste sublata sunt, Paræus *lib.* 21. *cap.* 10. Ad cadaver N.N. citissimè putrefieri cepit, quia ut plures testes deponunt, in horas & momenta tumefiebat, signum manifestissimum corruptionis ex interna ebullitione.

Quartò, potissimum, ac singulare signum affertur à Cardano *loco* aliàs *citat.* in veneno lento, & ad tempus dato, quale præsumitur id, quod N.N. perisse dicitur; dicebat enim. *Sed singulare signum est læsio in ventriculo cum voluntate* 9
evomendi, quibus addit etiam lentam febriculam, sed neutrum horum animadversum est in ipso N.N. cum in cadaveris inspectione ventriculus nihil, quod suspicionem hujusmodi foveret, habuerit, & illum à febre semper fuisse immunem ipsi Medici testati sint.

Et quia urgebat præsumptio quædam assumpti veneni, maximi momenti, quæ desumi videbatur ex Galeno, & de qua etiam Cardan. *loco sæpè cit.* nempè morbus ex improviso adveniens in sano homine sanorum modo vivere assueto, ac bonæ valetudinis, viribusque constantibus, certè eam omnino evanuisse ex testium depositionibus patet. Quia N.N. non vivebat regulariter, nam sæpè, ac sæpiùs cum amicis comessationibus vacabat, exercitio quoque nimio, ac violento utebatur, & intempestivo Pilæ ludo; cibis etiam vescebatur pravis ut plurimis fructibus, ac post ipsum Icteritiæ adventum sæpè Tincis, quæ succum generare solent crassum, viscidum, melancholicum, & viscera maximè obstruentem, præcipuè in jam valetudinario, imò ægrotante homine, sese replent; itaque tantùm abest, ut hæc præsumptio quicquam afficiat, ut potius contraria urgeat.

Licet denique multa symptomata, & pleraque signa in cadavere conspecta possent præsumi ab assumpto veneno originem habuisse, quia tamè hæc sunt æquivoca, & ad suas naturales causas facillimo negotio reducuntur, quibus etiam magis, quàm assumpto veneno sunt proportionata, ideircò ea nihil afficere firmandum est, ac concludendum vel N.N. nullum venenum assumpsisse, vel si assumpserit, exuperasse, neque ex assumpto veneno, sed ex intimo morbo obiisse.

Perillustri atque Excellentissimo D. D. PETRO CASTELLO, *Medico Romano, & in Messanensi Academia Primario Medicinæ Lectori, ac V. Cl.*

PAULUS ZACHIAS MED. F.

Nolo mihi impedimento sit tanta locorum distantia, quanta inter nos est, ne Te aliquando alloqui liceat. Scio Te me alloquentem attento, ac lubenti animo auditurum. Audi igitur nonnulla quæ variis occasionibus mihi oblatis scripsi ad Medico-Legales materias pertinentia, ex tuo penu quædam deprompta hic habebis. Nam & Tu similes mihi occasiones obtulisti: Interim vale, atque operam impende, ut benignus ille Animi affectus, quo me semper prosecutus es, absentia non diminuatur, sed magis magisque indies augescat.

CONSI

CONSILIUM XVII.

ARGUMENTUM.

Abbas Gattus patiebatur Epilepsiam, & illam quidem notabilem, ac gravem, & cùm die quodam vix à paroxysmo sese recolligeret, per instrumentum quoddam sese ad quædam exequenda obligavit. Post temporis tractum hujusmodi obligationis illum pœnituit, atque in se reversus recordatus est, se in illius instrumenti celebratione non fuisse sanæ omnino mentis, ex quo capite obligationem suam irritam facere tentavit; & visum est, illum non absque summo jure id expetere.

SUMMARIUM.

1 *Epilepsia quid sit.*
2 *In mentis oblæsionibus ægri à quorundam civilium actuum celebratione prohibentur.*
3 *Graves, vel leves Epilepsia quæ dicantur.*
4 *Magna Epilepsia qua.*
5 *Epilepticus in accessione non est sui Juris.*
6 *In levioribus Epilepsiis ægri neque ante, neque post accessionẽ sunt à mente alienati, contra verò in gravioribus.*
7 *Epileptici gravi morbo tentati post accessionem, per aliquot dies non sunt sanæ mentis.*
8 *Epileptici gravi morbo tentati etiam ante accessionem, per aliquod tempus extra mentem sunt.*

NAm morbus, quo laborabat, absque dubio erat Epilepsia, qua etiam nunc laborat; quæ & morbus comitialis, & morbus sacer dicitur, vulgò verò morbus caducus: quod facilè colligitur ex symptomatibus, quibus affligi solet, & ex modo accessionis ipsius morbi: In quibusdam enim temporum mutationibus de repente paroxysmo apprehensus ex improviso cadit, extra mentem rapitur, membris distorquetur, spumam ex ore emittit, Penis illi aliquando arrigitur, semenque genitale involuntariè effundit, quæ omnia atque alia multa, quæ recensere opus non est, signa sunt demonstrativa, & pathognomonica veræ Epilepsiæ ab omnib. Medicis recensita. Hippoc. *in lib. de morb. sacr. de flantibus*, Gal. *lib. 3. de loc. aff. c. 7.* Alexand. Trallian. *lib. 1. c. 15.* Paulus *lib. 3. c. 13.* Aetius *ser. 6. c. 13.* Rasis *l. 7. ad Mansor. c. 11.* Avic. *p. 3. tr. 5. c. 8.* Serap.
1 *pract. tract. 1. c. 13.* Mere. *lib. 1. de morb. int. cur. cap. 16.* Daniel Sennert. *pract. lib. 1. part. 2. sect. 4. c. 9.* & patet etiam ex ipsius morbi definitione; nam à Gal. *loc. cit.* definitur, quod sit universalis convulsio non perpetua, sed statis temporibus præhẽdens, cum mẽtis, ac sensuum oblæsione. Talis autem ad amussim est morbus, quo prædictus Abbas Gattus detinetur ut ex ipsorum accidentium narratione manifestum fit.

Cæterum, quia notum est, ut colligitur ex prædicta definitione, in hoc morbo mentem, & sensus omnes, tam internos, inquam, quàm externos oblædi, & cum pateat apud Jurisconsultos in mentis oblæsionibus Ægrotos non rectè ad celebra-
2 tionem quorundam actuum civilium admitti, & peculiariter non posse obligari, dubitari potest, an hoc locum habeat in Epilepsia, & dato quod locum habeat, dubitari iterum potest, an locum habeat semper, & quandocunque, an verò durante tantùm accessione, aut per aliquod etiam tempus ante, aut post ipsam accessionem. Cujus dubitationis decisio facilis est cum dependeat ab ipsa Mẽtis læsione, aut integritate, certum enim est, quòd præsente ea mentis læsione semper locum habet inhabilitas celebrandi quoscunq; actus civiles & multo magis sese obligãdi. Sciendum ergo est, Epilepsiam, ut cæteri omnes morbi sunt, non esse semper ejusdem gravitatis, aut levitatis: dãtur enim aliquæ Epilepsiæ tam leves, ut vix persentiantur, fiunt namque à flatu tenuiore, nec valde maligno, nec multo, & has solo victu attenuante sanari dicebat Gal. *in lib. de Atten. vict. rat. c. 1.* illasque sternutationi æquiparãt aliqui quin & ipsam sternutationem parvam Epilepsiam esse dixerunt Medici, Marc. *loc. cit.* Sennert. *ibid.* & ipsum Veneris actũ esse similiter parvam Epilepsiam, dicebat Democritus, ex quo alij. Contra verò Epilepsiæ tam graves aliquando sunt, ut terrorem, etiam assuetis talia conspicere, incutiãt; ac denique inter has Epilepsiæ quædam sunt in medio modo se habentes, Graves autem vel leves dicuntur ex ipsorum symptomatum gravitate & levitate, Accessionum frequentia, ex earundem duratione, & ex successivo statu ægrotantium, quantò enim
3 accidentia graviora sunt, quanto accessiones frequentiores. & longiores, quantò pejus ægri post paroxysmum se habent, tãtò graviores Epilepsiæ dicuntur: contra verò quantò symptomata leviora quanto minùs frequentes & minùs diuturnæ accessiones, quantò melius ægri post acceptiones seipsos habere experiuntur, tantò leviores Epilepsiæ existimantur. Magnæ namque dicuntur, in quibus spuma multa ab ore prodit, & ægri cum clamore, & ejulatu ex improviso cadut, & membra pessimè distorquentur, in quibus urina, stercus, aut genitale semen ejicitur, hæc enim propter vasorum convulsionem 4
eveniunt (Gal. *de usu part. lib. 14. c. 11. & lib. 6. de loc. aff. cap. 6.* Aretæus *lib. 1. Avic. c. 5.* Rasis *lib. 9. ad Mansor. c. 11.* Avicenna *p. 3. tr. 5. c. 9.* sed in omnibus tandem tamen adesse semper mentis oblæsionem, & memoriæ amissionem unanimiter omnes fatentur Hippoct. *cit. lib. de morb. sacr.* Gal. *ubi supra, & lib. de nat. hum.* Trallian. Paul. & Aët. *locis jam adductis.* Cæl. Aurel. *Chron. lib. 1. c. 4.* Gariopont. *lib. 1. c. 7.* Avicenna *ibid.* Rasis *ubi sup. c. 11.* nam idcirco Cælius Aurel. *ubi proximè* & Gariopont. *ibid.* dicebant, Epilepsiam vocabulũ sumpsisse quòd sensum, atque mentem pariter apprehendat, idemque habet Theod. Prisc. *lib. 2. ad Timoth. c. 2.* Mercurial. *Pract. lib. 1. c. 26.* unde firmari ea convulsio absque du-
bio potest, Epilepticum in accessione non esse sui Juris, ne- 5
que aliam de eo rationem habendam, quàm si absens, aut mortuus esset, quæ adduxi *lib. 2. Quæst. Medico-Leg. tit. 1. q. 14. a n. 14. ad segq.*

Tota tamen difficultas circa id versatur, utrum nimirum per aliquod rationabile tempus ante, aut post accessionem Epilepticus sui juris censeatur, & mente integra constet, ita ut actus ab eo celebrati validi sint existimãdi & juxtasea, quæ jam supposita sunt, dicendum in levioribus Epilepsiis neque 6
post accessionem ægrum ita à mente alienari, ut ob eam mentis alienationem actus ab ipso tunc temporis celebrati invalidi esse debeant; contra verò in gravioribus, & multo magis in gravissimis Epilepticum & ante, & post acceptionem quoad mentis sanitatem, ita se habere per aliquod rationabile tempus, ut actus ab ipso eo tempore celebrati ab 7
homine sanæ mentis facti non sint dicendi, & quod pertinet ad tempus succedens accessioni, saltem per unum aut alterum immò in gravissimo morbo per tres dies, non videtur ullus esse dubitationi locus; quia & ratione, & experimentis, & auctoritate idipsum firmatur.

Ratione quidem, quia turbatis susque deque violenter agitatis mirum in modum spiritibus intellectioni deservientibus impossibile est illico turbulentiam illam sedari, sed consequentiam est pro majori, aut minori agitatione majus, aut minus temporis spatium requiri, ut usus rationis ad suum pristinum vigorem redeat: quod spatium alias ad tres dies restringendum putavi, saltem in morbo gravissimo, *cit. q. 14. n. 9* de Apoplecticis verba faciens quibus assimilari dixi in omnibus Epilepticos. At in magnis, & gravissimis Epilepsiis magna, & multa fit spirituum & humorum agitatio, ergo consequens est agitationem hanc ex qua mentis inconstantia provenit ad aliquod rationabile tempus perdurare, nec ante tres dies sedari, & hoc de causa, quia non ante hoc trium dierum spatium omnes humores quietem habent, nam melancholiæ motus quæ maximè hic prædominatur, diuturnior est, & fere ad totidem dies perdurat, antequam quietem habeat, ob ipsius humoris naturam.

Experimento probatur, quoniam judices videmus tam Apoplecticos, quam Epilepticos, qui graviter à paroxysmo exercentur, ab accessione aut per totum vitæ spatium aliquando, aut alias saltem per aliquot dies remanere stupidos, & extra se raptos, neque eo toto tempore sufficere posse ad ea, ad quæ hoc sanæ mentis sufficere potest.

Auctoritate demum id ipsum probatur, nempe Epilepticos à fortiori paroxysmo non illico ad sanam mẽtem redire. Ita Cælius Aurelian. *Chron. lib. 1. c. 4. Post accessionem* inquit *aliquibus mentis alienatio, & nulla notorum cognitio* & Avic. *loc. sup. cit. cap. 9.* innuens in omnibus post accessionem remanere mentem læsam, dicebat, *Signum levioris Epilepsiæ est, ut habenti ipsam citò redeat ratio*, ergo in gravioribus tardè ratio redibit, & in gravissimis tardissimè & difficulter.

Sed non succedit solum ad Epilepsiam Rationis offensa, ve- 8
rùm etiam accessionem accedit, cùm instat quod similiter & experimento, & ratione, & auctoritate comprobatur. Experimento de quo omnes practicantes cum de paroxysmi instantia verba faciunt; narrant enim eo tempore ægrotos oblivioso evadere præter ratiorem itaſci, mentem illis suspendi, & sensum accedere obtusionem ac paulo ante gestorum oblivionem. Ita Cæl. Aurel. *ubi supra*, & Theod. Prisc. *ad Timot. lib. 2. c. 2.* & concordant exteri Auctores omnes, cùm docent, quanã ratione cognosci debeat instans Epilepsiæ insultus. Sed & rationis consentaneum est ita evenire, nam ad tam validum motum spirituum, & humorum, præcedunt semper aliqua signa ipsum motum præmonstrantia, & sic videmus, quòd quibus per circuitus accessiones fiunt iis non præcedens magna ex parte molestior, atque eodem modo quibus Crisis

instat.

instat, in antecedenti nocte malè habere, ex celebratis Hipp. dogmatibus *lib. 2. Aph. 13. & l. 5. de morb. popul. sect. 2. vers. 59.* quod non aliam ob causam evenire dicendum, nisi ex prævia agitatione humorum, & sic in quibuscunque morbis, habentibus particulares accessiones, & insultus, semper solent præcedere accessiones signa quædam veluti præludia, quod maximè evenit in magnis, ac gravioribus Epilepsiis, in quibus cùm humor melancholicus dominetur, qui tardissimi motus est, consequens videtur per diuturnius temporis spatium ea signa præsentiri: quæ demonstrant partium, & facultatum læsionem, quæ in hoc morbo lædi solent, quæ sunt cerebrum, & omnes animales facultates: itaque antequam accessio præhendat, necesse est, eas partes & facultates ob læsionem persentire, & sic mentem, & rationem ante paroxysmum detrimentum pati. Quòd autem Epilepsia excitetur maximè ab humore melancholico, patet, ex omnium Medicorum consensu, & ex commutatione unius morbi in alium, nam ex Hippocratis aliorumque Medicorum auctoritate & ab ipsa experientia habemus, quod Epileptici fiunt Melancholici, & Melancholici Epileptici, hoc est, Epilepticos facilè tentari delirio melancholico, & delirio melancholico tentatos fieri Epilepticos, Hipp. *l. 6. de morb. popul sect. 3. vers. 72.* Gal. *l. 3 de loc. aff. c. 7.* Avic. *p. 3. tract. 5. c. 18* prout enim melancholia, hoc est humor melancholicus, aut corpus, aut ventriculos Cerebri occupat, sic aut Melancholici si corpus, aut Epileptici si ventriculos cerebri occupaverit, vicissitudine quadam fiunt Ægrotantes; Auctoritate denique probatur, Epilepticos etiam ante accessionem per aliquod temporis spatium mente non constare per ea, quæ jam adduximus.

Itaque ex his concludentissimè deducitur, quòd cùm Abbas Gattus laboret Epilepsia gravi, ac magna, non potuerit per aliquod rationabile tempus, antè, aut post accessionem, actus quosdam civiles celebrare, cùm non fuerit sui Juris; unde si obligatio per ipsum facta probetur eo tempore, certè invalida, & nullius roboris esse debet.

CONSILIUM XVIII.

Eidem Domino Petro Castello.

ARGUMENTUM.

Condiderat illustrissima Mulier suum testamentum, in quo propinquos quosdam suos hæredes instituerat, & elapso biennio, eo annullato, aliud testamentum confecerat, in quo nonnullos alios, prioribus exhæredatis, etiam propinquos suos hæredes esse voluerat, & cum hoc decesserat. Prætendebant primò instituti, se esse veros hæredes, ex eo, quòd ultimum testamentum esset nullum, stante quòd Testatrix non haberet in ejus confectione integrum rationis usum, quod maximè hinc probant, quia nullam, aut valdè modicam habebat rerum memoriam, quod neque ab Adversariis controvertebatur. Quæsitum igitur est, utrum amissa memoria, de necessitate simul amitteretur rationis usus.

SUMMARIUM.

1 *Lapsâ Memoriâ laditur etiam Ratio, distingue ut ibi.*
2 *Memoria quot modis lædatur.*
3 *Ex particulari non potest formari universalis.*
4 *Memoria læsa post, non læsa ratione.*
5 *Imaginatio laditur illæsa permanente Ratione.*
6 *Memoria, & ratio habent distinctas sedes.*
7 *Ratio, & memoria requirunt instrumenta diversimodè temperata.*
8 *Ratio de necessitate laditur, etiam si memoria in totum sit deperdita.*
9 *Recordari, & Reminisci non est simpliciter idem.*
10 *Reminisci, & Recordari quid sint.*
11 *Absque memoria possumus intelligere.*
12 *Definire est proprium opus intellectus.*
13 *Si frigida intemperies in amissa memoria intendatur, simul cum memoria ratio amittitur.*
14 *Actus absurdi ab iis facti, qui memoriam amiserunt, non fiunt ex Rationis læsione.*

NItebatur pars adversa eam conclusionem tanquam veram etiam simpliciter prolatâ probare, nempe quòd læsâ memoriâ, lædatur & amittatur Ratio; cum tamen dubia admodum sit & maxima ex parte falsa, nisi restè accipiatur & distinctione utamur, varius enim omninò est læsionis modus, quo lædi potest Memoria à Medicis compertissimus læditur enim quandò solùm imminuitur, & hæc quoque læsio habet plures gradus pro majori, aut minori imminutione, quam patitur: læditur etiam Memoria quandò depravatur, ac denique læditur cum deperditur, vel in parte, quando nonnullarum tantùm rerum memoria perit, vel in totùm, ut quandò omnium, & singularum. Itaque quemadmodum proposita conclusio potest habere aliquandò locum in hoc ultimo læsionis genere, sic in aliis tam falsa est quàm quod falsissimum. Unde si ex hoc, quod in hoc ultimo læsionis genere simul cum Memoria lædatur Ratio, velimus deducere, in omni læsione simul cum Memoria lædi Rationem, turpiter in Logica errabimus, quia ex particulari firmabimus propositionem universalem, ac tantumdem erit ex hoc, quo aliquis febriens deliret, omnem febrientem delirare, quod est falsissimum. Probatur autem facillimè id, quod assumpsimus, nempè non in omni Memoriæ læsione lædi simul Rationem, sed posse Memoriam lædi; absque eo quod lædatur Ratio, quia Memoria, & Ratio sunt facultates inter se realiter distinctæ, non aliter; quàm Imaginatio, & Ratio, habentes etiam sedes distinctas; quemadmodum ergò contingit interdum lædi Imaginationem non læsa Ratione, & vice versa, vel ipso Galeno asserente *lib 4. de loc. aff. cap. 2.* ita etiam de Memoria, & Ratione interdum evenire non dubitandum; quod confirmatur deducto exemplo ab aliis facultatibus in aliis partibus residentibus; læditur enim quandoque unius, ejusdemque partis facultas, illæsa manente alia ejusdem partis facultate, ut in ventriculo, in quo læditur interdum Coctio; Expultrix verò, & Retentrix salvæ remanent, & sic de cæteris, ut ad rem nostram exemplificat Massaria *lib. sua pract. c. 1.*

Hoc autem in tantum veritatem habet, ut non modo procedat, si ponamus has facultates, hoc est memoriam & rationem habere distinctas sedes, sed etiamsi non distinctas habere contendamus; si enim velimus, eas non habere distinctas sedes jam patet eodem modo, quo Imaginatio, & Ratio sejunctim læduntur, etiamsi unam eandemque sedem sortiantur Memoriam & Rationem etiam non habendo distinctas sedes sejunctim lædi posse; sin autem velimus eas habere sedes distinctas ut voluerunt plures Medicorum, Aëtius *lib. 6. Tetrabil. cap. 2.* Avic. *p. 1 doctr. 2 cap. 5. & p. 4 tr. 1. cap. 2.* Averr. *lib. 4. Colleg. cap. 40.* & omnes Arabum schola. Alex. benedict. *lib. 4. de Part. hum. corp. cap. 12.* Marcell Donat. *de Med. hist. mirab. lib. 2. cap. 3.* ex mente Galen. *de cur. hum. corp. affect lib. 2. cap. 4.* Marinel. *de morb. nobil. part. Anim.* etiam ex mente Gal. *lib. 2. cap. 4.* & alii, tunc tanto magis consentaneum vero erit quod una lædi possint illæsa manente alia, cum in dies videamus unam cerebri partem lædi absque eo quod læsio ullo modo alteri parti communicetur, quod Medicis est acceptissimum.

Addendum his quod cum hæ facultates requirant non solum diversa instrumenta, sed etiam diversimode temperata, quia Memoria requirit instrumentum moderatè siccum, Ratio autem moderatè calidum, ut Plato in Theæto, & Arist *in l. d. Mem. & Remin.* & cum eo Averr. *ibi cap. ultim.* & omnes alii Philosophi sentiunt; facilè inde deducitur, lædi posse unam, non solum illæsa manente altera, sed potius majorem vigorem adepta, quia intemperies quæ uni nocebit, alteri potius adjumento erit, atque hinc fit, ut idem Plato, Aristot aliique statuunt quod non iidem valent memoria, & ingenio: cùm hæc ergo in se habeant, cui dubium esse debet, quod una facultas lædi possit absque alterius læsione?

Sed hæc ut objicere quisquis sit, posset habent fortè locum in Memoria imminuta, aut ad summum ex parte ablata; pro qua etiam opinione faceret, quod si diceremus, semper lædi Rationem, ubi læsa sit Memoria, non erit possibile evitare maximum absurdum; cum enim pateat, primum in quod Ætas irruit in homine, esse Memoriam Aristot. *loc. cit. cap. 2.* Plinius *lib. 7. hist. nat. cap. 24.* & Seneca *in præfat. Declam.* Consequens erit omnes homines in primo primi senii principio pati etiam diminutionem Rationis, quia tunc temporis incipit diminui Memoria, at hoc nullus homo, qui integram Rationem habeat affirmare audebit, cùm contra ut experientia docet, tunc maximè homines Ratione, & Prudentia vigeant quemadmodum non apud Philosophos solum, sed apud omnes in confesso est.

Sed difficultas maior est, An in Memoria omnino deperdita semper de necessitate deperdatur Ratio, aut saltem insigniter lædatur; ita enim voluisse Galenum Aëtium, Gentilem

lem, Fernelium, & alios dicunt Auctores: alij distinguentes, quòd cum præcitati Doctores voluerunt Rationem lædi, læsa Memoria, intelligendi sint de Memoria omninò deperdita, non verò de imminuta. Sed neque in deperdita prorsus memoria semper, ac de necessitate lædi Rationem & Auctoritatibus & Rationibus firmissimis quidem, & exemplis ab experientia peritis firmandum est, ista apertissimè sentiunt ex Recentioribus, Capivacc. *lib. 1. Pract. cap. 14.* Massaria ex mente Galeni *lib. 1. Pract. c. 21* Rudius *de med. hum. corp. affl. lib. 1. c. 6.* & præ cæteris Marcell. Donat. *lib. 2. de Med. hist. mir. b. c. 2.* qui Rationibus, & Auctoritatibus in contrarium adductis optimè satisfacit.

Probatur autem primò, quia si semper læsa Memoria, vel melius, si semper deperdita Memoria, de necessitate deperderetur Ratio, sequeretur non posse nos sine ope Memoriæ intelligere, unde memorari, & intelligere erunt unum quid; aut
9 saltem non dabitur Intellectio absque Memoria, quod est falsum; licet enim in actu memorandi concurrat aliquando Intellectio, unde consurgit memoria Intellectiva, sic dicta ad differentiam sensitivæ, tamen recordari, seu etiam reminisci non est simpliciter intelligere, sed est quoddam intelligere, nempe hoc, cognoscere præterita, ut præterita aliis conditionibus
10 aliquando adiuncta per aliqua media, illud verò, cognoscere præterita absque ullo medio; ut post Aristotelem, aliosque Philosophos optimè explicat Hieronym. Fracast *lib. 1. de Intellectione.*

Probatur secundò, quia si Homo non potest absque Memoria intelligere, sequitur, quòd priùs esse debeat memorari, quàm intelligere, hoc autem est falsum, quia in facultatibus datur in agendo aliquis ordo, ut omnes Philosophi sentiunt, Averr. *in lib. de Mem. & Remin. Et primum* ut ille inquit, *sentiens facultas sentit, deinde imaginatio recipit Phantasmata,*
11 *post distinguens postremò recipit conservans.* Ergò si prius tempore est intelligere, quàm memoria, sequitur, inde, nos absque memoria intelligere, quantumcunque igitur amittatur Memoria, Intellectus tamen benè ratiocinari potest.

12 Probatur tertiò, quia definire est proprium opus Intellectus, sed nos definimus etiam ea; quorum nominum non recordamur, ut si expetam à famulo calamum scriptorium, & ejus nominis nullam memoriam habeam, definiam calamum scriptorium per instrumentum, quo litteras exaramus, undè manifestum est, me absque ope memoriæ definire, nempe sola intellectus opera ratiocinari, & sic in cæteris.

Sed experientia quoque confirmatur, homines absque Memoria ratiocinari posse, constat enim per nonnullas historias relatas à Plinio, à Valerio Maximo, ab ipso Galeno, à Cælio Aureliano, & ab aliis; quas recollectas habes per Ioann. Schench. *lib. 1. Observ. tit. de Memoria*, nonnullos memoriam penitùs amisisse, ita ut etiam sui ipsorum obliti sint, qui tamen vel temporis beneficio, vel medicamentis adjuti omnium cognitionem recuperarunt; quod nisi mediante Imaginatione, & discursu fieri potuit; quomodò enim ope Memoriæ id succedere potuisset, si nulla in illis rerum memoria extabat? concludendum ergo ex his, non solum non esse necessarium lædi Rationem, ubi imminuta, aut partim deperdita sit memoria, sed neque ubi in totum fuerit obliterata.

Et licet negari non possit, quod in plerisque eventrit, ut amissa Memoria amissus etiam fuerit omnis Rationis usus, ita ut omninò stolidi evaserint, id tamen non ex eo factum esse dicendum, quia necessariò ad Memoriæ amissionem secuta fuerit Rationis amissio, sed quia frigiditas illa intensa, ex qua Memoria abolita est, communicata fuerit Cerebro quoque universo, & potuerit etiam spiritus illos extinguere, quibus ad ratiocinandum egebat intellectus, quod manifestissimè apparet ex Galeni verbis *l. 3 de loc. aff. c. 5.* ibi, *si frigida intem-*
13 *peries intendatur, simul cum Memoria Ratio amittitur.*

Quod si quis obiiciat, experientia constare eos, in quibus Memoria periit, actus aliquos absurdos, & homine sanæ mentis non dignos sæpè sæpiùs facere, ex quo manifestum fit, Rationem illis semper esse læsam; respondendum, quòd considerata actuum hujusmodi qualitate palam fit, eorum absurditatem ex ipsa Memoriæ deperditione tantùm dependere, nullo verò modo à læsione Rationis; quia in illis ipsis actibus peragendis ostendunt se Mente, & Ratione constare, quod mille exemplis patefieri potest, sed unum, aut alterum
14 pro nunc sufficiat Socrati, exempli gratia, jam à multis annis periit Callias sui amantissimus; non recordatur autem ob memoriæ deperditionem Socrates, Calliam periisse, & alteri amico obviam factus illum interrogat de salute Calliæ. certè hic actus absurdus, ac stolidus est, hominis non sanæ mentis si recordaretur Calliam periisse, nunc de ejus salute interrogare, sed cum Socrates non recordetur omnino, Calliam periisse, prudenter, & humaniter facit, & sanam se habere mentem ostendit, cum interrogat de salute amici sibi devinctissimi.

Eodem pacto Socrati, cum hoc mane prandium fuerit, excedit omninò è memoria se prandium fuisse itaque secundò, ac tertiò prandere instabat; Insanit quidem Socrates in hoc ob amissam memoriam, sana tamen Ratione utitur, cum prandere expetit posito quòd non prandium fuerit quia benè Ratione assequitur, prandendum esse homini, qui sanus vivere velit, & sic in reliquis.

Cum ergo pateat ex his, Memoriam & imminui, & in parte, ac in totum quoque deperdi integra manente Ratione, facilè inde deduci potest quod etiam si gratis condonemur Adversariis, Dominam Testatricem tempore, quo secundum condidit testamentum, habuisse memoriam læsam, aut diminutam, aut etiam omninò deperditam, & etiamsi aliquando ob ejusdem memoriæ læsionem aliquos actus absurdos, & homini sanæ mentis non convenientes fecisse dicamus non potuerit tamen inde desumi argumentum ita læsam habuisse Rationem, ut testari legitimè non potuerit. Quare, &c.

CONSILIUM XIX.

Eidem Domino Petro Castello.

ARGVMENTVM.

In terra Monticelli in Sabina repertum est cadaver cujusdam Antonij Statij, à duobus Barbitonsoribus recognitum, qui deposuerunt, illud esse cadaver hominis per vim vel manibus, vel laqueo, vel simili quapiam re strangulati; & quia præcesserant inimicitiæ quædam causæ inter prædictum Antonium, & nonnullos homines Palumbariæ, Fiscus prætendebat, Antonium ab iis hominibus fuisse strangulatum, fundans se præter alia indicia super Barbitonsorum relatione: citrà quam præcipuè dubitatum est, an reiicienda esset, necne, ob signa, de quibus in ea prædicti Barbitonsores deponebant, & visum ex sequentibus, prædictas Barbitonsorum depositiones nihil afficere, neque esse recipiendas.

SUMMARIUM.

1 *Suffocatio non fit solùm à causa extrinseca, sed etiam ab intrinseca.*
2 *Mors unde in suffocatione.*
3 *In suffocatione tam ab extrinseca quàm ab intrinseca causa, eadem pene signa apparent.*
4 *Qui ab intrinseca causa suffocantur, non aliter pereunt, quàm si fune strangularentur.*
5 *Signa quadam in suffocatis adnotata, etiam in his, qui peste vel maligno morbo pereunt, aliquando adnotantur.*
6 *In pronuntiatione de genere mortis in suffocatis non est signis communibus facile credendum.*
7 *Tria signa magis certa mortis ex suffocatione per vim externam procurata.*

NOtissimum est, & nulla controversione apud Medicos ambiguum, quòd mors per suffocationem non modo à causa extrinseca, & violenta aliquandò procedit, ut quandò laqueo, fune, aut alia quapiam simili re collum constringitur, & respirationis via occluditur aut cum simpliciter respiratio aboletur, ut ab aqua, fumo carbonum, venenatis exhalationibus, & id genus aliis, sed etiam à causa aliqua intrinseca, & naturali, idque tam in uno quàm in alio casu brevi quodam temporis lapsu contingit, ut quotidie in Apoplecticis, Epilepticis Squinanticis, Hystericis & hujusmodi licet animadvertere, quos momento ac ex improviso mortem obire cernimus, & si in re tam clara auctoritates quærimus, præter Auctores omnes in practicis, cùm de his morbis agunt, videnda allata à Marcell. Donat *l. 11. hist. Med. mir. c. 6.* & alibi à Ranch, *in l. de mor. sub. c. 3. & seq.* & recollecta per Io. Schench. *l. 1. Obs. Tit. de Apoplexia, & l. 2. Tit. de suffocatione.* 1

Cùm ergò tam ab intrinseca, quàm ab extrinseca causa idem mortis suffocantis genus contingere soleat certum quoque est, ac Medicis acceptissimum, in utroque casu mortem non aliundè evenire, nisi ex respirationis prohibitione, spirituumque intercepcione; atque in omnibus his, in quibus aut per vim externam, aut internam spiritus intercluditur, mortem idcircò succedere (ut præcipuè observare licet in Apople- 2

xia

xia, quæ inter omnes ſimiles morbos ſuffocantes eſt frequentiſſima) quia jugulares venæ inflatæ, ac repletæ, reſpirationem prohibeant, ut probat ex Raſis auctoritate *ſuprà* cit. Marcell. Donat. *loco eodem*, & conſtat etiam ex aliorum Medicorum conſenſu. Cùm ergò in utroque caſu eo demùm via ſpiritibus, & reſpirationi intercludatur, conſequenter in utroque, caſu eadem omninò ſequi ſigna, ac ſymptomata nempè livores, & nigredines in facie in collo, in pectore, & in univerſo etiá quandoque corpore, ſanguinis ex naribus effuſiones, linguæ craſſitiem ac nigredinem, & prominentiam extra oris ſeptaſimò verò non hæc tantùm in utroque caſu ſuccedunt, ſed his multò magis conſpicua, & conſimilia ſigna, ut ſpuma in ore, quæ ut ex Hipp. colligitur *lib. 3. Aphor. 43.* cùm perituri ſunt. Præter ſpumam autem in ore, pulmones etiam ſpumoſo ſanguine oppleti conſpiciuntur, oculorum etiam expreſſio, & prominentia contingit, capitis tumefactio & nigrities, ſanguinis non per nares ſolùm, ſed per os, & per aures aliquandò, ac per alias etiam partes profuſio, & alia permulta; quæ omnia tam in ſuffocatione datâ operâ per vim procurata manibus, laqueo, funes & ſimilibus, quàm ex cauſa intrinſeca procedente apparent, non aliunde, niſi ex eo, quòd ſpiritus, & reſpirationis via intercepta, ſanguis ad ſuperiora recurrat, & venas capitis, vincinarum partium, ac circumſtantium opplet, & aliquandò etiam violenter aperit, ac diſrúpit, unde nigrities, & livor, & tumefactio, & ſanguinis eruptiones, & cætera in utroque caſu eodem modo procedunt, ut DD. teſtantur, & videndi præ cæteris Paræus *in l. de Remane.* Fortun. Fide *lib. 2. Relat. Medic. c. 3. in fin. & lib. 4. cap. 5.* & notavi etiam aliis nonnulla *l. 5. quæſt. Medico Leg. q. 10. n. 9.*

4 *& ſeqq.* unde eſt, quòd Medici in enarratione hujuſmodi hiſtoriarum, eorum nempè, qui ex aliqua intrinſeca cauſa ſuffocantur, id imprimis atteſtantur, tales non aliter perire, quàm ſi laqueo, aut fune ſtrangularentur. Marcell. Donat. *lib. 3. tit. cap. 7.*

Quibus ſic ſe habentibus contrà veritatem omni ex parte eſt quod ſigna à Fiſco adnotata in cadavere Antonii Statii recognito per duos Barbitonſores quicquam non certi dicant, ſed neque probabilius præ ſe ferat quòd dictus Antonius potiùs violentâ morte, manibus, vel laqueo procurata ſuffocatus interierit, quàm interno aliquo, & repentino morbo, ut Apoplexia, Epilepſia, Squinantia, & hujuſmodi. Primò quia ſigna ab ignaris illis Barbitonſoribus adnotata ſunt æquivoca, & communia pluribus mortis generibus ab interna cauſa evenientibus. Imò quæ adnotata ſunt in Antonii prædicti cadavere non ſolùm non ſunt propria ſigna mortis ab externa vi per ſuffocationem procuratæ, ſed neque propria ſigna ſunt mortis evenientis per ſuffocationem ab intrinſeca cauſa.

5 Nam quoad primam partem quòd ea ſigna ſunt utrique caſui communia per ea, quæ jam deducta ſunt, ergò non ſunt propria. Quoad ſecundam autem clariſſimum eſt, quòd tã livores, & nigredines in corpore, & linguæ craſſities, & nigrities, & ſanguinis ex naribus, aliiſque partibus effuſio quotidie apparent non tam in his, qui ex veneno aliquo ſublati ſunt, quam in illis quotidie, qui vel peſtilenti, vel aliàs maligna, aut quomodocunque vocemus exitiali febre pereunt, & favet Hipp. *lib. 1. Acut. text. 38. & lib. 4. Epidem text. 80.* & videnda quæ ex ejuſdem Hippocratis mente affert Valleſ. *in lib. 5. Epidem. text. 87.* & nobis etiam licet, ſi licet animadvertere in his, qui ſimili aliquo morbo, vel febre pereunt oportere pleráque nares bombace, vel aliqua quapiam re occludere, ex eo quòd per eas cruorem, ac tabidos humores ex naribus, & ore profundunt. Sic & alia prædicta ſigna adnotare, quandocunque libitum fuerit, poſſumus etam tam in aliis mortis generibus, quàm in iis, quæ per ſuffocationem ſuccedere ſolent.

6 Secundò: quia cum prædictis ſignis fidere non liceat in pronuntiando de genere mortis, quo hujuſmodi perſonæ perierunt, ex eo, quòd communia ſint, recurrendum omninò eſt ad ſigna magis ſpecialia, ex quibus magis tutò pronunciare poſſimus de veritate, ut inculcant eſſe faciendum. Paræus *præd. lib. de Renunciat.* & Fortun. Fidel. *ubi ſuprà* quibus ſignis in hoc cadavere deficientibus, audacis, omninò ignariſſimi, ac omni pietate carentis eſt, ex communioribus tantùm judicium facere violentæ mortis; quod multò magis in caſu noſtro procedit, quia ſigna, quæ certius violentam mortem manibus, vel laqueo procuratam atteſtantur, ſenſui ipſi conſpicua eſſe poſſunt, & tria potiſſimum à Paræo, & Fortunato locis citatis adducuntur, nèpè rugoſitas cutis ipſius colli, Capitis Aſperæ Arteriæ dilaceratio, vel ſpondilium colli diſlocatio & ſpumoſi ſanguinis in Thorace collectio. hæc enim maximè diſtinguunt mortem per ſtrangulationem ex vi externa, laqueo, vel alia re procuratâ à morte facta ex ſuffocatione à cauſa intrinſeca, ut iidem DD. proſequuntur, quamquam, ut veritatem fateamur, ultimum illud ſignum collectionis ſanguinis ſpumoſi in Thorace, & pulmonibus, crediderim magis ex communibus eſſe, qui ex partialioribus: ſed quomodocunque ſeſe res habeat, cùm nullum eorum ſignorum, quæ magis propria ſunt, ne per ſomnium quidem in caſu noſtro adnotandum ſit, dicendum eſt, prædictum Antonium Statium omninò ex naturali morte, & per ſuffocationem ab intrinſeca cauſa excitatam, & non aliàs periiſſe: Barbitonſores autem illos falsò ex æquivocis fallaciſſimis, communiſſimis ſignis contrarium pronuntiaſſe. Ad quod magis adminiculandum non minimum momenti habet, quod alii etiam ſimiles caſus eodem tempore, & in eodem loco, ubi Antonius prædictus mortuus eſt, evenerint imò cuũ iidem alios extrà prædictum locum Monticelli, ut hîc in Urbe non ſolùm hoc præſenti ãno, ſed etiam prætetitis conſpecti ſint ejuſdem generis mortis, facilè hinc inferri poteſt, cauſam aliquam naturalem communẽ ab Aëre extrinſeco irrepſiſſe, ex qua non ſolum prædictus Antonius, & alii quidam juvenes eodem tẽpore, & eodem loco, & alii alibi ſimiliter ex eodẽ morbi, & mortis genere, & cũ iiſdem prorſus ſymptomatibus occubuerint.

CONSILIUM XX.

Eidem Domino Petro Caſtello.

ARGUMENTUM.

Conſtruxerant Reverendi Monachi Ciſtercienſes Mediolani propè Eccleſiam Sancti Ambroſii murum quendam, veteri, qui minùs ad rem faciebat demolito. Contendebãt autem ejuſdem Eccleſiæ Canonici, novum murum eſſe demolie ndum, & apud Judices; ut demoliretur. inſtabãt, ac inter ea, quæ opponebant illud, præcipuum erat, novum hunc murum Solis illuſtrationem; & ventorum perflatum Eccleſiæ impedire, unde ejuſdem Eccleſiæ Aër multò minùs quàm ante muri conſtructionem eſſet, ſalubris redderetur, quæ licèt minùs efficerent, tamen non relinquerunt Monachi Canonicorum objectionibus reſpondere, ut ſequentibus habetur.

SUMMARIUM.

1. *Aëris bonitas ab Orientis Solis illuſtratione maximè dependet.*
2. *Aër cum in quiete eſt, non minùs quàm aqua, qua motu privatur, putreſcit.*
3. *Morbi ex Aëris vitio excitati, ſunt omnium perniciosiſſimi.*
4. *Venti Orientales cæteris minùs ſalubres, Auſtrinis exceptis.*
5. *Quantò minor eſt diſtantia inter unum Ædificium, & aliud, tantò majus incommodum ab uno in aliud emanat, tam quoad Solis illuſtrationem, quàm quoad Ventorum perflatum.*
6. *Aër colatus, quis dicatur.*

DUo ſunt, ex quibus maximè DD. Canonici S. Ambroſii Majoris Mediolanenſis propriæ Eccleſiæ ſalubritatem per novum parietem à Reverendis Monachis Ciſtercienſibus ejuſdem Eccleſiæ conſtructum deteriorari, ac cum effectu diminui contendunt. Primum eſt impedimentum ab hoc novo pariete proveniens, ne Eccleſia ex Orientis Solis radiis illuſtretur, unde Aërem inibi offuſcarum, craſſum, atque impurum relinqui neceſſe ſit; neque abſque multa ratione videntur Canonici de ea re timere. cùm omnis ipſius Aëris bonitas ab ipſius Solis illuſtratione in ipſo ortu dependeat: oriens enim Sol non modò ipſum aërem magis purum, ac magis tenuem reddit, ſed ipſas etiam aquas Aëre multò impuriores, & craſſiores. Hippocr. *in lib de Aër. aq. & loc part. 8.* Conſequẽs ergò eſt, quòd ſi novus paries hanc Solis illuſtrationem impediat, omnis ipſius Aëris bonitas evaneſcat. Alterum de quo timent Canonici, eſt, quòd idem murus eandem Eccleſiã à ventis minùs perflabilem reddat, unde conſequenter eundem Aërem quaſi emortuum in continua quiete permanere contingat, ex quo dubium eſſe non poteſt, quin minùs in Eccleſia commorantes minori Aëris ſalubritate in poſterum ſint gaviſuri, quia Aër, cum in quiete eſt, non minùs putreſcit,

treſcit quàm Aqua, quæ omni motu careat. Galen. apud Oriſbaſ. *lib. 9. Collect.* & ad ipſum Aërem à putredine conſervandum nihil magis conducit, quàm ventorum perflatio, Avicenn. *1 p. Doctr. 2 c. 8.* Quamobrem jure cavetur *in l. fin. Cod. de ſerv. & Aqu.* ne ædificia altius tollentur, ſi venti excludantur in damnum publicæ utilitatis. Rota *in Rom. altius non tollendi Mais 1622. coram Buratto, n. 3.* Itaque ſi Aër præfatæ Eccleſiæ ex novi muri conſtructione ea perflatione privetur, certè facillimè putreſcet, putreſcens autem promptiſſimè iis, qui in eo commorabuntur noxam ſuam communicabit, morboſque non minimæ conſiderationis, ſed graves perniciosos excitabit, cùm morbi ex Aëris vitio progeniti ſint omnium pernicioſiſſimi, ut quotidie experientia docet, & ipſa Peſtis præ omnibus commonſtrat, & facit Hippocr. *in lib. de Humoribus part 7* & alibi. Quamobrem videntur maxima cum ratione Canonici de Aëris inſalubritate & ſibi, & aliis in Eccleſia commorantibus timere, cùm duplex adſit timoris cauſa, magni quidem, & non temerè aſpernandi momenti.

Verumenimverò licèt ſuperfluum ſit tam exquiſitam Aëris ſalubritatem in Eccleſia affectare, cum Eccleſia pro domicilio eſſe non debeat, neque in ea diuturna mora fieri ſoleat, & alia ex parte prædicta S. Ambroſii Majoris Eccleſia tam ampla ſit, ut nulla neceſſitas cogat in eam intrantes potiùs in parte magis ſuſpecta, quàm in alia quavis moram trahere: tamen, ut inanis hic Canonicorum timor inſalubritatis, provenientis ex novi parietis conſtructione, omninò diluatur, demonſtrandum concludenter eſt, neque ex uno, neque ex alio capite Aërem prædictæ Eccleſiæ reddi ulla ratione ex ea parietis novi conſtructione inſalubriorem.

Nam quoad primum caput, patet novum murum, de quo lis eſt, non poſſe ullo modo impedire Eccleſiæ illuſtrationem ab oriente Sole, quia ſi totum cœli tractum in quatuor partes per puncta cardinalia dividamus, apparebit per totum Orientem ab Æquinoctio verno ad ſolſtitium hyemale, Solem apertum habere aditum ad Eccleſiam illuſtrandam; novus enim murus protenditur ab ultima Orientis parte, nempe ab ea, in qua Sol oritur in ſolſtitio hyemali ad Meridiem, & tamen etiamſi ad totum orientalem tractum coextenderetur, neque ſic impedire poſſet, quin Eccleſia ab Orientis Solis radiis vel illicò ab ortu, vel dimidia, ad ſummum integra hora tranſacta illuſtraretur, quia & multum ab Eccleſia diſtat, & humilior multo eſt muro Eccleſiæ, in quo etiam plures feneſtræ ſunt, per quas Oriens Sol illicò, & nulla interpoſita mora eam illuſtrat.

Quoad ſecundum, patet etiam novum murum non poſſe impedire ullius venti acceſſum, neque reddere aërem Eccleſiæ minus perflabilem, quia cùm in quarta Orientali ſalubriores venti ſint ſpirantes ab ea parte, ubi Sol in Æquinoctio Verno, & ſolſtitio Æſtivo vagatur, certè hi minimè omnium à novi parietis conſtructione impedientur, cùm ab ea parte, maximè poſt demolitionem muri vetuſtioris, ob conſtructionem muri, de quo lis eſt, nullum adſit impedimentum, & novum murum ad eam partem ſe non coextendere pateat, ut ſuprà dixi; dato autem, non conceſſo tamen, quod novus murus aliquo modo ventorum acceſſum impediret, maximè impediret Eurum, qui cùm à parte Orientali verſus Meridiem contra Corum Zephiri collateralem moveatur, cæteris inſalubrior eſt, imò in univerſum venti Orientales minus ſalubres cæteris exiſtimantur, Auſtrinis exceptis, ſeu Meridionalibus. Unde non video quanam ratione, Rota *ubi ſuprà, num. 13.* voluerit, orientales ventos eſſe tanquam occidentales valdè ſalubres, cùm potiùs inſalubres ex omnium Medicorum conſenſu ſint, & ipſa Rota teſtatur *in Gerunden. altius non tollendi, Nov. 1636.* coram Cocciro, *n. 2.* Et de Septentrionalibus quidem non eſt dubium, quod ſint orientalibus ſalubriores, ut ex Hippocr. *in lib. de Aër. Aq. & Loc.* & cæteri omnes Medici, ac Philoſophi fatentur. De Occidentalibus autem inter quamplures Medicos teſtis eſt Aëtius *lib. 3. cap. 163.* qui Orientales facilè morbos parere dixit, cùm vehementiſſimi ſint contra autem Occidentales ſalubriores, unde Zephirus, qui eſt Occidentalium omnium Coriphæus, dicitur à Plinio *lib. 16. cap. 25.* genitalis mundi ſpiritus, itaque rectè à Lucretio *l. 1. de rer. nat.* dictum eſt.

Et reſerata viget genitalibus aura Favoni.

Ergo novus murus aut nullum obſtaculum affert ventorum perflatui quominus aërem Eccleſiæ perflare poſſint, aut ſi aliquo modo impedit, quod non concedimus, potiùs majori ſalubritati confert, quam ſecus, impediendo ventorum inſalubrium acceſſum, ex quo Aër maximè inficitur. Cum his autem omnibus conſideranda ſeſe offert diſtantia intercedens inter novum patietem, & parietem Eccleſiæ, quæ cùm ſit palmorum ſexaginta, non videtur poſſe deſiderari major inter duo ædificia publica quod ſi tanta diſtantia quicquam impedimenti præbere poteſt, aut Solis illuſtrationi, aut ventorum perflatibus, aut uti iſque ſimul, ita ut Eccleſiæ nocumento ſit, multò magis me hercle obeſſe poterit minor inter ædificia quæcunque quarumcunque civitatum; nam hic Romæ cùm tam multa ædificia, & illa quidem ampliſſima videamus, vix dimidium tantæ diſtantiæ illa inter ſe habere conſpicimus, & tamen unum alteri impedimento neque eſt, neque eſſe poteſt, nec lis unquam ulla ob id orta videtur, niſi major anguſtia, & quaſi imminentia unius ædificii alteri, aut aliud quid fuerit in cauſa, tunc enim, nimirum quando diſtantia inter unum & aliud eſt modica, jure timeri poteſt de aliquo incommodo, quod tanto majus eſſe ſolet, tam circa Solis illuſtrationem, quàm circa ventorum perflatum, quanto minor inter ipſa diſtantia eſt, ut latius probavi alias *l. 5. Quæſt. Medico-Leg. q. 6. n. 8.*

Ex quibus clariſſimè patet, ambientem Aërem inter dictam Eccleſiam, & novum murum non poſſe dici, ut adverſarii volunt, *colatum*, quemadmodum vulgò loquuntur; quia Aër Colatus tunc verè dicitur, cùm veluti in puteo quodam inter magnorum ædificiorum anguſtias, aut ſublimiorum murorum undique includitur, ita ut neque à Sole illuſtretur, neque à ventis perfletur, unde & craſſus, & obſcurus remanet, in perpetuaque quiete, atque inde gravis evadit, & inſaluberrimus adeò ut etiamſi non longa mora in ipſo trahatur, & per modicum tempus reſpiretur, illicò ſuam malitiam prodat, ut percuſſit Galen. apud Oribaſ. *lib 9. Collect. cap. 1.* Habemus præterea ex ſuprædictis, Aërem intercedentem inter novum parietem, & Eccleſiam, ventis ſalubribus perflari, & à Sole illuſtrari, ergo colatus dici non poteſt; præterquam quod novus murus rectè ad murum Eccleſiæ coextenditur, neque ſua flexibilitate, aut tortuoſitate in cauſa eſſe poteſt, ut hoc ſpatium, quod eſt inter ipſum, & Eccleſiam, malè à Sole Oriente illuſtretur, qui quaſi oblique incidens, minus poſſit exhalationes pravas deputare, unde Aër ex hoc magis craſſus, & perſpiratu difficilior reddatur, neque alia incommoda affert, quæ flatuoſas vias, ac diſtortas afferre commemorat Oribaſ. *lib. 9. cit. c. 2.*

Addo his, quod cùm Reverendi Monachi veterem murum demoliti ſint, qui novo multò elatior certè hic novus non ſolùm Eccleſiæ magis quàm vetus non nocet, ſed imò multò minùs, ſi quid noceret alteruter nocet: nam etiamſi vetuſtior per decem, & octo palmos magis ab Eccleſia diſtet, quàm novus, tamen propter majorem, quam habet altitudinem magis obeſſe poteſt Eccleſiæ; quàm novus, itaque non modò DD. Canonici ægrè ferre non debent novi muri conſtructionem ſi vetuſtior ſit demolitus, ſed potiùs libenter admittere tanquam Eccleſiæ magis proficuam, nam ultra hæc vetus murus habebat poſitum ex Orientali parte, & ſic poterat magis Orientis Solis illuſtrationem impedire.

CONSILIUM XXI.

Eidem Domino Petro Caſtello.

ARGUMENTUM.

Theſaurarius Eccleſiæ Giennenſis expoſuerat Sanctiſſimo in quadam ſupplicatione ei porrecta, ſe nonnullos graves morbos pati, ac ſignanter capitis dolorem quendam acerbiſſimum, ac talem, ut eum impediret à quovis officio exercendo ſuæ dignitati conveniente; ut cogi ſe dicebat ad expoſtulandum Coadjutorum, cùm nulla illi ſpes remaneret ſanitatis recuperandæ. Hanc Theſaurarii petitionem impugnavit Promotor Fiſcalis, & gratiam obtentam, eò quòd eſſet ſubreptitia, nullam eſſe volebat. Fundabat autem ſe præcipuè in hoc, quod Theſaurarius non probaverat per ulla certa ſigna, ſe pati expoſitum dolorem; contra, Theſaurario volente; dolorem per hæc ſigna dignoſci non poſſe, & idcircò ſuæ aſſertioni, & Medicorum fidei eſſe ſtandum. Quæſitum ergo eſt, an prædictus dolor potuerit ex ſignis externis comprehendi, ita ut Theſaurarius debuerit probare ſe pati hunc dolorem per Teſtes idoneos; An potiùs ſtandum fuerit ipſius ſoli aſſertioni, ut ipſe prætendebat.

SUMMARIUM.

1 *Non ſufficit levis morbus ad obtinendum coadjutorem.*

2 *Levis*

2 *Levis morbus non est dignus nomine morbi.*
3 *Coadjutor quibus personis dari debeat.*
4 *Magni capitis dolores magnis, ac gravioribus morbis adnumerantur.*
5 *Magnorum morborum maximè conspicua signa apparent.*
6 *Magni morbi supponunt magnas causas.*
7 *Magnus morbus magnum recessum a naturali statu significat.*
8 *Magna causa magnos morbos faciunt.*
9 *Ubi ex nullis signis apparet adesse causa doloris, dolorem abesse censendum est.*
10 *Ad partes principes affectas plura, & conspicua signa consequuntur.*
11 *Medica experientia sufficientissima est aliquibus conjecturis ad veri doloris cognitionem assequendam.*
12 *Simulati doloris optima conjectura.*
13 *Ad obtinendum Coadjutorem non sufficit unum impedimentum, si plura adesse supplicatione sit expositum.*

1 IN hoc dubio discutiendo, primum hoc fundamentum ob oculos habendum censeo, ab ipsis Jurisconsultis desumptum, quod non sufficiat levis morbus ad hoc, ut aliud Coadjutor dari debeat, etiamsi perpetuus esset Rota *in cit. Gienen. Thesauraria*, n. 18. quia levis morbus non impedit hominem, quin possit actiones suas exercere, ut per *l. Quæsitum ff. de re jud.* & per Galenum ex nostris, *in lib. de Constit. Art. c. 19. in*
2 *Isagog.* imò levis morbus non est dignus nomine morbi. Argumento *l. prim. §. sed sciend. ff. de Ædil. Ed.* & in terminis nostris loquitur ex nostris Galen. *ubi supra*, quo loco parvum capitis dolorem dicebat non esse ægritudinem, requiritur ergo in hoc casu, ut morbus sit ultra mediocritatem, imò talis, ut corpus aggravet absque spe futuræ prosperitatis, ea-
3 dem Rota *ibid. n. 15.* Rice. *Collect. decis. p. 3. Collectan. 484.* nam coadjutor datur his, qui vel senectute, vel valetudine corporis perpetua ita gravantur, & impediuntur, ut non possint officium suum exercere, ita ad verbum habetur *in c. nuper de Cler. Ægrot. in 6.* In præsenti igitur casu ad hoc ut Thesaurarius obtinere posset coadjutorem, dolor capitis debuit esse magnus, acerbus, intolerabilis, ac denique talis, qui impediret administrationem officii saltem cùm exacerbationes patiebatur, dummodo essent frequentes, & tunc poterat cum veritate dicere, se pati magnum morbum, quia hujusmodi capitis dolores gravibus & magnis morbis adnumerat Galen.
4 *lib. 2. de san. tuen. c. 12.* Rota *in hac ipsa causa Giennen. Thesauraria 1634. coram Verospio, n. 3.* Stante igitur hoc fundamento, quod hic dolor capitis, quo affligi se exposuit Sanctissimo Thesaurarius Giennensis, debuerit esse magnus, ego hanc conclusionem firmo, quod potuerit, & debuerit ex quamplurimis signis non Medico solùm, sed cuicunque innotescere, ita ut potuerit, ac debuerit pro idoneos Testes illam concludenter probare.

5 Primò, quia magnorum morborum magna, & maximè conspicua signa apparent, cum symptomata magna ex morbi magnitudine pullulent. Galen. *lib. 2. de symptom. caus. cap. 2.* & alibi Rota *ubi supra, num. 6. & 7.* quod etiam declaratur exemplo acutorum morborum, qui cum & ipsi magni morbi sint, magnam etiam notitiam ob multa, & evidentia signa quæ secum afferunt, de se præbent. Unde est, quod etiam in ipso principio, quando nimirum morbi minus sunt cognoscibiles, facilè cognoscuntur non modo à Medicis; sed ab ipsis etiaque idiotis hominibus, ut apertissimæ habemus ex cod. Gal. *lib. 1. de Diæb. Decret. c. 6.*

Secundò, quia magni morbi supponunt magnas causas, effectus enim suæ causæ æquivalens sit oporteat, quamobrem magnus morbus magnum recessum à naturali statu demon-
7 strat, Galen. *libro primo de symptom. caus. c. 2.* At magnæ causæ latere ob earum magnitudinem non possunt, hic ergo vel aderat intemperies causans dolorem quod non credo, & cum esset magna, vel ipsi sensui tactus poterat esse conspicua, ut quia caput præter modum calidum, aut frigidum persentiretur, aut aderat multa materiæ copia & impossibile erat, ne simul maximam, de se significationem præberet per aliquas excretiones, per nares, aut per os, aut per oculos, aut per urinam factas, aut aliter, & per mille alia signa manifestissima Cognito ergo in capite esse magnam causam quæ dolorem faceret, concludenter à quovis firmari poterat, Thesaurarium pati
8 magnum capitis dolorem, quia magnæ causæ magnos morbos faciunt. Valles. *comm. 3. tit. 3. Epidem. text. 2. & com. 2. in 6. ejusdem text. 28.* & posita causa, & dispositionibus requisitis, tam ex parte agentis, quàm patientis, ponitur effectus, ut notum Philosophis est, & notat ex Jurisconsultis Tiraquell.
9 *in tract. cessan. caus. limit. 20 n. 1.* & contrà, ubi ex nullis signis apparet adesse causam dolotis, dolorem abesse credendum est.

Tertiò, quia pars, quæ morbum patiebatur, erat pars princeps trahens in consensum totum corpus, cùm omnes partes ut demonstrant Medici; Fernel. *libro primo Physiol. cap. 6.* ad 10
partes autem principes malè affectas notissimum est signa plura, & conspicua, ac multa, & evidentia symptomata apparere, quæ si non apparent, morbus non debet dici magnus, neque impedit omninò humanas actiones.

Quartò, his non obstantibus licet concedamus non posse haberi ulla signa nec evidentia, nec scientifica præsentis doloris capitis; tamen quis est, qui negare audeat, nos habere posse signa saltem conjecturalia? At si hæc ipsa fuerint magna, & multa, & simul, eodemque tempore appareant, procul omni dubio signis certis, & evidentibus erunt comparanda, nam Medica experientia sufficientissima est per aliquas con- 11
jecturas ad veri cognitionem assequendam, præcipuè, si magnus sit, si fortis (qualis supponitur in casu nostro) verba sunt Galen. *in lib. de hu simul. deprehend.*

Quintò, magni morbi, ac maximè magni dolores requirunt valida, ac generosissima medicamenta, & sic in hoc dolore capitis, quo Thesaurarius affligebatur, cum esset tam sævus, tam pertinax, tam diuturnus, ut exposuit, deberet constare de usu horum medicamentorum, ut ustiones sunt, sectiones, vesicantia, sinapismi, decocta exiccantia, & sudorifica, Balnea, stillicidia, & mille alia efficaciora præsidia; de quorum tamen usu nihil constat: nam Galenus *in libell. jam cit. De his qui mon. simul* dicebat Ægros, cum similibus 12
doloribus cum effectu vexantur, & non simulant, quod vis perpeti promptos esse; quòd si remanent, aut auxilia non quærant, neque admittant, signum est illos vel nullum pati dolorem, vel non magnum.

Dimittam nonnulla alia, quorum consideratio ad Medicum pertinere non videtur, ut quòd non constet de contractatione morbi, quia ex Testibus nullus est qui deponat illum vidisse plusquam bis, aut ter capitis dolore conflictatum, cum tamen, ut ex fundamento facto apparet, debuerit esse vel continuus, vel multùm frequentior: imò Medicus qui illum curavit, vix uno anno eius curam gessisse deponit, cùm tamen jam abhinc octo annis eo morbo laborare se dicat. Quòd etiamsi constaret de dolore capitis, non constat tamen de aliis infirmitatibus, quibus affligi se narraverat Thesaurarius in 13
supplicatione Sanctiss. porrecta. At verò ad effectum obtinendi Coadiutorem non sufficit probare unum impedimentum, si plura sint exposita. Garzias *de Benefic. par. 6. cap. 2. n. 195.* Rota *in Mileritana Thesauraria... 1643. coram Verospio.*

Denique nulla adest probatio per Testes, quæ quicquam probet circa doloris essentiam, & magnitudinem, imò etiamsi adesset, nihil probaret, vel ipso Thesaurario testem nam vel ij Testes solùm ex auditu, & relatione ipsius deponunt, & sic nihil probant; vel deponunt ex certa scientia habita ex certis signis, & conjectutis & sic poterat evidenter cognosci eius dolor, & per idoneos testes probari, quod non est præstitum.

CONSILIUM XXII.

Eidem D. Petro Castello.

ARGUMENTUM.

Messanæ uxor Aurificis cùm anno elapso Monstrum Asininam formam reptæsentans esset enixa, anno sequenti aliud canina specie peperit. Dubitari poterat de infami concubitu cum Brutis hujusmodi, & mulier ob id rea efficiebatur nefandi incestus, cùm tamen alia ex parte plures Doctorum potiùs hujusmodi monstra ex Imaginationis vi, aut ex mala uteri, vel potiùs seminum dispositione nata existimarent. Historiam hujusmodi misit ad me Petrus Castellus cum imagine depicta ultimi fœtûs, & cum Epistola sequenti, ex qua habetur loculentior facti enarratio. Ut ergò ad gravissimum hoc dubium respondeam, antè omnia ex ejusdem Viri Clarissimi litteras ad me apponam, deinde ad dubium dicam quid sentiam.

SUMMARIUM.

1 *Ex humano ſemine cum Brutino commixto nulla ſuccedere poteſt generatio. Contrarium n. ſeq.*
2 *Nihil impedire poteſt, quominùs ex commixtione humani ſeminis cum Brutino, aliqua ſuccedat generatio, quæcunque illa ſit.*
3 *Monſtro naſcente commixta membra humana ac belluina habente, evidens indicium eſt contra Reum.*
4 *Facultates omnes, ac ſingula in animali ſunt ad certam operationem, & non ad aliam deſtinata.*
5 *Imaginatio cùm ſit facultas Animalis, non poteſt Formatrici, quæ eſt naturalis, operibus inſiſtere.*
6 *Imaginatio in prægnante dirigit potentiam formatricem ad aliqua ſuo modo efformanda, ut communis ferè opinio.*
7 *Cognitio duplex, una potentia cognoſcitiva, altera naturalis. Falſum ibi.*
8 *Operantur omnia quæ potentiam cognoſcitivam non habent, ex mera Naturæ neceſſitate.*
9 *Facultates omnes indigent propriis inſtrumentis.*
10 *Imaginationis effectus circa fœtum formationem videntur potiùs imaginarii quàm reales*
11 *Formatrix facultas ex quo incipit formare, nunquàm quieſcit.*
12 *Nihil in principio conceptionis formatur, quod ex ſemine non ſit.*
13 *Non videtur ab omni ſuſpicione libera mulier quæ fœtus edat Brutinam formam vel in toto, vel in parte referentes, & ideirco ad ulteriora procedendum, ut veritas habeatur.*

Perillustri ac Excellentiſſimo D. D. PAULO ZACCHIÆ, *Viro Clariſſimo, & amico Chariſſimo*, Petrus Caſtellus Romanus, S. D.

QUæ mihi Monſtra monſtraſti, monſtruoſe Zacchia, & Monſtrum demonſtras, Monſtrorum naturam, differentias, atque cauſas exactiſſimè monſtraſti; Animalia nempè, eo quod præter Naturæ morem formata ſint, monſtratu digna; ſed ſimul cum his te ejus libri Authorem inter illuſtres viros librorum exaratores monſtrum patefeciſti, ab omnibus noſci, & monſtrari ob excellentiam dignum, ſeu monſtrabilem, ut cum Plinio Nepote loquar. Porrò, quis quæſo inter Medicos, Philoſophos, Legumve-petitos in Europa tota, qui Zacchiam non noſcat, & noſcens non monſtret? utpotè qui præternaturalia monſtrando, præter naturam, ſeu potiùs ſupra Naturam ſcripſerit, ſeque de ipſo monſtra tractando triumphaverit; Legem cum Medicina, cum Philoſophia imperium, brevitatem cum claritate, claritatem cum gravitate, & cum familiaritate atque jucunditate majeſtatem conjunxiſti, unde mirabilem Te reddidiſti, mi Zacchia: Sed quorsùm, dices, tantùm monſtritas? attendas, ſi me amas, paucis Te volo. Laudes tuæ, boner à Te ob præfatum opus acquiſitum, Me quaſi Tui invidum, reddiderunt amantem (aliàs quanti Te faciam Tumetipſe optimè noſti; inter cætera enim Roma Meſſanam versùs diſcedens, in mei locum Te apud Eminentiſſimum, ac Reverendiſſimum D. meum Clementiſſimum Cardinalem Biſelam conatus ſubſtituere, & aſſequutus intentum fuerim, teſtatus neminem Te aptiorem inventurum) quapropter etiam de Monſtris agendi non levis me inceſſit cupido: ac data facillimè mihi fuit occaſio, verùm omnis præripta facultas, cùm exactiſſimè de hac materia ſcribendo, non me modo, ſed alios quoſcunque præoccupaveris. Quare aliud mihi reſtat nihil, niſi ut tuo volumini, quæ de Monſtris à Te Romæ viſis veluti oculatus teſtis confirmans, ſubſcribam. omnia enim ſimul ſæpè (quæ noſtra erat juncta amicitia) vidimus, & conſideravimus, & ne exordium tractationem excedat, proponam nuper à me cujuſdam Monſtri obſervatam hiſtoriam ad tuum augendum volumen.

Anno præterito 1635. in feſto S. Stephani 26. Decemb. hic Meſſanæ nobili in urbe. Aurificis uxor Monſtrum canina ſpecie peperit, quæ ſuperiori anno alterum Aſininam repræſentans formam peperetat: imò aliam nobiliorem fœminam terrio abhinc anno Cyclopem audivi ab ipſis Meſſanenſibus ediditſe; quo conſtat non ſine ratione ab Antiquis in Trinacria Cyclopas fuiſſe poſitos. Neque hi ſolum ibi gigni ſolent, verum etiam multi fœtus caudati, ut in Britanniæ etiam inſula, ſed equidem Ligures etiam vidi cum cauda natos, quàm infantibus præciduntur. Ad noſtrum tamen Monſtrum: Ipſius Pater mihi viſus eſt triginta circiter annos, corpore, faciéque optimè diſpoſitis: Mater autem erat boni aſpectus, & formæ, ſed validæ, & intenſæ Imaginationis, & maximè curioſa. Hæc è feneſtra Aſinum in via cocuntem obſervans, ut ipſa retulit, & intentè intuens, Aſſelli formam poſtea peperit. Proximè autem cum venerem cum Marito exerceret, & canis ea obſervaret, reſpiciens canem veluti mirabundum Marito indicavit, ſe obſervari à Cane, cui reſpondit ille, quid ad Te canis eſt? mox utero geſtans novem menſibus pluries latrãtem in ſuis viſceribus fœtum audivit, quo ſe canem utero geſtare viro ſuo aliquoties indicavit, tandemque monſtruoſum Canem, ut deferibam tibi, peperit, nec ſecundas niſi decem poſt dies valdè duras, & coriaceas reddidit, ac benè ſe habuit, & habet. Delatum ad me tertio ab ortu die cadaver occipite abrupto fuit. Dicebat Pater in exitu ab utero ipſam matrem caput traxiſſe, & ideò abruptum fuiſſe. Sed equidem ſuſpicor data opera compreſſum, eo quòd monſtrum. Forma ejus erat canina, & os ſacrum valdè latum, & planum apparebat, ſed ſine cauda. Pellis, ſeu potiùs cutis, ſine pilis omninò, rubicunda, & tenuiſſima humana huc ſolùm referens. caput autem, ſi formam, oculorumque poſitionem conſideremus, potiùs Avi, quàm Cani aſſimilabitur. licèt Aures ſint caninæ, & dextra oblongior ſiniſtra, ſurſum erecta. Pro naribus membrana quædam lata, & pendens apparebat, quæ exiccata elevata remanſit; os parvum, & rotundum, denteſque duos inciſorios inferiores habebat; pedes verò anteriores caninos referebant, ſed ſine unguibus, poſteriores autem miſè monſtroſos; quatuor enim ſiſtulis oblongis, æqualibus, & vacuis, ſed oſſeis conſtabant, quorum aliqua in ſummo rotundum quoddam obturamentum ſortita erant. Abdomen erat inflatum, & lividum; ſtatim eviſceravi, & cùm omnia interanea putrida, fœtidiſſimaque eſſent, ea attentè conſiderare non potui. Renem ſolummodò ſiniſtrum valdè magnum eſſe obſervavi, nec dextrum vidi: haud curioſè ob putredinem, & naſcabundum fœtorem inveſtigans; ita pariter neque ſexum cognoſcere valui, ſed fœmininì potiùs videbatur. Longitudo Cadaveris à clavicula ad os Coccygis palmatis erat, & à capite ad extremum pedem ſeſquipalmaris erat menſuræ. Indè adhibita diligentia corpus ſiccavi, quod in meo Muſæo integrum, & monſtrabile ſervo. Hoc autem eſſe Monſtrum, omninóque præter naturam, nullo enim pacto humanam imitatur formam ex paterno maternoque humano genitum ſemine, remo unquam inficias ibit. At Matris validam imaginationem præſſe conſtanter ipſa affirmat, nec parùm ad Monſtrorum generationem Imaginationem conducere, Jacobi experimentum circa pecudum colorem docet. Vellem aliquid Tecum philoſophari, ſed vereor, ne ſus Minervam, tacebo potiùs. Pinxi quo melius potui Monſtrum ad eam magnitudinem, ſymmetriam, & formam, quomodo conſervatur in meo Muſæo, gratum tibi futurum ſperans. Vale.

NOn tam admiratione dignam hiſtoriam litteris tuis mihi enarraſti, Vir præſtantiſſime, ac mei amantiſſime, quàm mille dubiorum ambagibus implicitam, inter quæ tamen illud potiſſimum maximum faceſſit negotium, utrum ſuſpicio aliqua irrepere poſſit, ne mulier hæc cum Brutis ſeſe commiſcuerit, quod quia ad meatum Quæſtionum Medico-Legalium complementum multùm facere videtur, diſcutere non deſiſtam; Antè tamen ad priorem tuæ Epiſtolæ partem reſponſum dabo. Scito itaque laudes, quibus tam profusè ex abundanti Animi affectu, & ex tua benigna in me propenſione, meipſum dignatus es cumulare, mihi eo quidem nomine fuiſſe gratiſſimas, quòd à laudatiſſimo viro proficiſcantur, velim tamen meritis meis magis adæquatas, ac proportionatas eſſe, quàm ſint; quomodocunque tamen ſese res habeat, illud non diffiteor, Me tibi tum hac', tum multò majoribus ex cauſis tantùm debere, ut ne in minima quidem parte me ſolvendo eſſe non invitus confitear; at ſi quæ mihi unquam ſeſe offerat occaſio, ut ejus rei vel publicam, vel privatam aliquam atteſtationem præbere poſſim, libentiſſimè quidem eam arripiam, interimque Tu mei Te creditorem adſcribe, dum ad propoſitam quæſtionem pertractandam me accingo.

Plurimum controverſum eſt, ut noſti. An ex ſemine humano cum brutino commixto ulla poſſit ſuccedere generatio? 1
plures quidem, ne omnes dicam, diffitentur eo maximè nomine, quòd unum de neceſſitate ob eorum diſconvenientiam alterum corrumpet, cùm humanum ſemen calorem contineat cœleſtem, brutinum verò longè ab ea perfectione diſſitum. Adde formarum ipſarum diſſidentiam tam quoad pleraque alia, quàm quoad corruptibilitatem; cum humana de ſoris adveniat, & immortalis ſit, & incorruptibilis. Brutina de potentia materiæ educatur, ſitque mortalis, & corruptibilis; cùm igitur in ſemine utriuſque generantis ſit virtus formatrix dependens ab anima utriuſque parentis, non poteſt una cum alia ita uniri, ut concorditer tanquam unum ages operentur; diceretur enim Animæ, & formæ miſceri, ſi virtutes Animæ commiſcerentur, ſunt enim virtutes Animæ certæ virtutes.

Relinquo

Relinquo quæ à posteriori deducuntur, & quæ prima fronte mirum in modum hujusmodi generationem videntur reddere impossibilem, ut est differentia gestationis uteri, differentia adolescendi extrà uterum, differentia alimentorum, & alia id genus, quæ tamen omnia unica responsione refelli possunt, dicendo, quòd facerent singula difficultatem, quandocunque id, quod ex parentibus specie diversis generatur, retineret de necessitate utriusque parentis naturam, & non induceret propriam; at omninò evanescunt ex eo, quia natum ex simili conjunctione tertiam quandam naturam, ac sibi propriam, & peculiarem adipiscitur, requirentem tantam moram in utero, quanta sibi esset necessaria, augescendo ea ratione quæ sibi conveniret; & ea alimenta exposcendo, quæ suæ naturæ essent magis proportionata, absque eo quod à parentibus ullum eorum de necessitate obtineret, ut observamus in iis monstris evenire, quæ actu conspicimus ex parentibus non tantùm specie, sed genere differentibus generari; nam quandocunque succedere debeat generatio, necessariò fit perfectissima utriusque seminis commixtio, unde licet quod nascitur, habeat ab utriusque parentis semine dependentiam, non est tamen specie alterum ex parentibus, ac retinens omninò vel alterutrius, vel utriusque simul naturam, sed est tertium quid habens propriam & individualem naturam, quoad ea, quæ tamen ad corporis formam, & ad propriam constitutionem, & vitam pertinent, quam ad ipsam intrinsecam formam non magis ab uno semine, quàm ab alio eductam, sed ab utroque simul commixto.

Sed data impossibilitate nascendi ex semine humano, & brutino simul concurrentibus ob id, quod primò dicebatur de formarum dissidentia, certè & hæc mulier, de qua agimus, & aliæ, si quæ hujusmodi monstra generarunt, videntur tanquam insontes ab omni suspicione liberæ, quæ irrepere potuisset de infami earum cum Brutis concubitu, maximè cùm aliæ asserantur hujusmodi generationis Monstrorum causæ magis universim acceptæ, ut est seminum vitium & intemperies, & totius quoque sanguinis massæ non leve vitium, & fortis generantium imaginatio; non enim dubium est, quòd semina malè dispositа, & sanguis fœdus, ut nutrimentum his seminibus facessens, possit maximè deficiens ab humana forma monstrum generare; sic & Imaginatio repræsentando Phantasmata hujus, vel illius animalis, potest in causa esse, ut repræsentato phantasmati similia monstra generentur.

2 Ego tamen aliàs in ea sententia fui, & nunc multò magis in eadem persisto, quòd nihil impedire possit, quin minus ex commixtione Humani seminis cum Brutino aliqua succedere possit generatio, cujus rei autem, vel cujus animalis generatio succedere possit, non sic temerè determinandum
3 censui. Ex quo deduci facilè potest, hanc Fœminam, & quamcunque aliam, quæ similia monstra generaret, non esse ab omni suspicione liberas, & idcircò nefandi criminis reas suspectas fieri.

Licèt enim ob quamplurimas conditiones, quæ concurrere debent, tam ex parte utriusque parentis, & utriusque seminis, quàm ex parte conjunctionis carnalis, & seminum ejaculationis, difficillimum omninò semper indicaverim ex hujusmodi commixtione succedere posse aliquam generationem, non tamen ob hanc difficultatem ab affirmativa sententia me retraho, quia in semine humano considero materiam, vel considero illud ut materiam, & considero formam, vel ut animatum semen; forma quidem de foris advenit, ita ut materia seminis absque ea forma saltem in ipsa commixtione seminum consistat; quatenus ergo ab ea forma est separatum, omninò existimo posse cum brutino semine misceri, & inde aliquam succedere posse generationem animalis, quandocunque illud sit, quale fortè ab hac muliere jam secundò visum est generatum.

Non enim obstat quod dicitur de caloris differentia, & majori, vel minori perfectione; quia hoc non impedit, quominus semina Humana, & Brutina simul commixta possint aliquod animal generare, cùm tantùm differant secundùm magis, & minùs.

Ad probandum autem, quod diximus de suspicione commixtionis carnalis cum brutis, maximè faciet exclusio quarumcunque aliarum causarum; quæ ad hanc generationem concurrere aliquando creduntur, ac præcipuè seminum, & sanguinis elementalis vitium, & ipsa Imaginatio. Quò enim ad seminum, & sanguinis vitium, non potest in nostro casu considerari, cùm utrique parentum boni habitus, & temperaturæ existant, ut natas, vitam sanam degant, victu utantur laudabili, & ætatem adhuc agant juvenilem, præterquam quod nunquam ad tantum utriusque parentis, aut alterutrius semen, vel Matris sanguinem devenire credendum, ut tale monstrum generare valeant; nam potiùs credendum, nullam omninò ex tali semine generationem secuturam, & si ulla sequatur, quòd nullum vitium habeat, sed sanguini vitium inhæreat, secutam generationem ad perfectionem non ituram: tametsi enim Molas dicamus ex seminū vitio fieri (quas tamē ego ex solo fœmineo semine procreari censeo) tamen semina vitiosa posse perfectum animal generare (si à generatione hominis deficere debeant) hoc ego nunquam admitterem.

Quoad imaginationem autem, quam Tu ipse in hoc casu, ac omnes penè docti, pro causa similium monstrorum admittis, mihi videtur omninò ab ea generatione excludenda, tum ob rationes alias à me adductas, tum ob iteratam monstri generationem ab hac muliere factam; non enim vetisimile est, effectum tam rarum, ac admirandum, & qui vix semel in mille annis conspici solet, tam brevi temporis spatio in uno individuo potuisse conspici, nisi causam magis ex sua natura aptam ad agendum, quàm Imaginatio sit, assignemus ejus effectus. Sed libet denuò brevibus eas rationes, aut earum aliquas, quæ Imaginationem tanquam causam generationis Monstrorum excludunt, examinate.

Primò ergo, facultates omnes, ac singulæ in Animali, & in 4
Homine maximè sunt ad certam operationē, & non ad aliam destinatæ, Fernel. *lib. 5. Physiol. c. 3.* Concoctrix ad concoquendum, non ad expellendum, aut assimilandum, aut ad nutriendum: Retentrix ad retinendum, non ad expellendum: Motrix ad movendum, non ad ratiocinandum: Ratiocinatrix ad ratiocinandum, non ad concoquendum, aut ad sentiendum: Visiva ad videndum, non ad audiendum: Auditiva ad audiendum, non ad tangendum, & sic de singulis, ita ut neque ulla alterius operationem moliatur, neque moliri ullo modo possit, nisi sint ex famulantibus, coadjuvando ejus operationem, cui famulantur, quod in omnibus quidem maximè locum habet, sed in iis præcipuè, quæ sunt inter se disputatæ, ut Fernel. *ubi supra*, nec ullam convenientiam habent inter se, ut facultates naturales & Vitales, Vitales & Animales, Animales & Naturales, quæ nullam habēt inter se disconvenientiā, ut Naturales inter se, Vitales inter se, & Animales inter se. Quemadmodum ergo Naturales facultates nō possunt obire munera Vitaliū, 5
neque Vitales munera Animalium, sic neque Animales obire poterunt munera Naturaliū, nec cōcurrere ullo modo in earū operationibus, unde cùm Imaginatio facultas Animalis sit, nō poterit concurrere in operationibus formatricis, quæ est facultas Naturalis, cum qua nullam habet convenientiam.

Contrà quæ non valet dicere, quòd Imaginatio nonnulla 6
causat in fœtu, & concurrit in operationibus formatricis dirigendo ipsam potentiam formatricem per species exemplares, ut dicit Thom. Fien. *de Virtb. Imag. q. 14. concl. 45 & q. 15. concl. 46.* quia Imaginatio nullum habet imperium super formatricem, ita ut imperando ipsi formatrici faciat eam hoc, & non alio modo formare. Sed etiamsi vel imperando, seu dirigendo hoc Imaginationem facere dicamus, necesse erit, ut formatrix sentiat imperium, & cognoscat directionem superioris facultatis, ut operari possit secundùm species illas exemplares, per quas Imaginatrix eam dirigit ad operandum, & sic oportebit formatricem habere aliam potentiam, ac virtutem cognitricem, juxta cujus cognitionem operetur, vel saltem cognoscere per seipsam. Cui difficultati non satisfacit distinctio prædicti Thomæ Fieni *ibid.* circa hanc cognitionem quod nimirum duplex sit cognitio, una, quæ vera est cognitio pertinens ad potentias cognoscitivas, alia, quæ est cognitio naturalis, ut cognoscunt corporis animati partes, & ipsæ plātæ, quæ per hanc cognitionem attrahunt ad se, quod sibi cōvenit, & expellunt etiam, inquam, quod disconvenit. Sufficere ergo dicit, quòd cognoscantur species repræsentatæ ab Imaginatione per hanc naturalem cognitionem, ab ipsa formatrice, ut juxta earum similitudinem operetur. Nam respondeo, quòd præterquam quod gratis adducitur hæc cognitio naturalis, cùm omnia, quæ naturaliter operantur, non operentur per ullam cognitionem, sed ex necessitate Naturæ, admissa tamen hac naturali cognitione, hoc valeret in his, quæ sibi convenientia sunt ex sui natura, non autem in his, quæ non modò suæ naturæ non conveniunt, sed maximè disconveniūt, quia destruunt operationes Naturæ. Ergo pervertertur omninò ipsa Natura, si cognoscendo quacunque cognitione for- 7
matrix facultas species alienas ab Imaginatione sibi præsentatas sui operis destructivas, tamen illas in sua operatione admitteret, cùm contrà repudiare, ac rejicere debeat, quia à Natura datum est, ut omnes partes, ac virtutes naturales expellant à se ea, quæ sibi aliena sunt, ac contraria.

Secundò, species à Phantasia formatrici repræsentatæ vel interveniunt o ipsa membrorum, & animalis formatione ut materia, velut instrumentum ad ipsa membra, & ipsum Animal efformandum, non ut materia, quia in præsentatione phantasmatum, repræsentantur nudæ rerum imagines, at in Monstris non solùm imprimuntur rerum imagines, sed ipsæ membrorum substantiæ immutantur, ut patet. Deindè

non possunt hæ species inservire pro materia, cùm sint merè spirituales; Quonam pacto ergo species illæ in materiam fœtus abeunt? quomodò colorem induunt? quomodo coextendu tur ad corporis dimensionem? quomodo aliis corporeis qualitatibus vestiuntur? non poterunt ergo hujusmodi species concurrere in formatione membrorum, & Animalis,
9 ut materia, sed neque ut Instrumentum, quia instrumentum non communicat suam formam instrumentato. Deinde facultates singulæ indigent propriis instrumentis ad suas actiones obeundas. Galen. *lib. 1. de Caus. Puls. cap. 4.* & alibi: Fernel. *lib. 5. Physiol. cap 14.* & alibi. Itaque hæc phantasmata, vel hæ species intervenient ut instrumentum vel formatricis, vel imaginatricis. Non formatricis, quia non sunt proprium formatricis instrumentum. Neque Imaginatricis, quia tunc verum esset dicere, quòd imaginatio formaret, quod est omnino falsum, quia proprium instrumentum ad formandum non habet; aliero uti non potest, ergo nullo modo potest formare.

Tertiò, si imaginatio aliquid cooperatur in formatione, vel operatur sola, & per se, vel conjunctim cum formatrice, non sola. nam tunc formaret, quod esse nullo modo potest, neque controvertitur à quoquam; neque conjunctim, quia sic daretur omnium confusio, si major foret virtus facultatis operantis per accidens, quàm facultatis operantis ex vi naturæ; & posset facultas, quæ per accidens operatur, intenderet formare pedem humanum; at hoc non est dicendum, quia Natura evitat confusionem, neque permittit unam facultatem obire munus alterius. Itaque imaginarios potiùs, quàm
10 reales puto effectus, quos non tam facilè imaginationi tribuimus, & habere potiùs alias suas naturales causas, ac magis proprias, ex quibus producantur.

Quartò, formatrix facultas ex quo incipit formare semper in operatione est, & nunquam quieseit. Galen. *in lib. de fut. format. cap. 5.* quomodo ergo Intellectui nostro adæquari potest, quod imaginatio, potentia nimirum, quæ de sua
11 natura formare neque potest, neque novit, & quæ vel in instanti, vel saltem non longo tempore suum phantasma repræsentando potest formatricem dirigere, ut tamen tale phantasma formet fœtum, potentior, ac fortior sit ipsa formatrice, quæ de sua natura format, & semper in operatione est? cur non libentiùs admittimus intellectivam ipsam potentiam, imò ipsam ipsam voluntatem potiùs hominis magis dirigere posse formatricem, quàm imaginationem? nam hæ quidem activæ sunt, imaginatio verò passiva potentia est, ac recipit tantùm, retinetque phantasmata à sensibilibus elicita.

Denique cùm, ut contraria fert opinio, plerumque imaginatio imprimat suum phantasma in fœtu in hora conceptionis, certum est non posse illud phantasma nisi in semine recipi,
12 nihil enim in principio conceptionis formatur, quod ex semine non sit; oportet ergo tantummodo partes spermaticas ab eo Phantasmate per imaginationem alterari, cùm è contrà sanguineas potiùs alterari videamus, ut plurimum enim carnes, & musculosas partes immutari videmus, & alienam formam inducere.

Ex quibus, exclusis à causis horum monstrorum, imaginatione, & seminum vitiis, testatur solùm de seminum diversæ speciei cõmixtione suspicemur, unde hæc mulier, quæ Monstrum à Te descriptum peperit, de nefando concubitu apud me suspecta est, & ad eliciendam ejus rei veritatem per hæc
13 indicia ad ulteriora esset procedendum. Nisi in ejus defensionem dicamus primò, ad Regionis naturam esse referendam hujusmodi monstrorum generationem. nam Sicilian Insulam feracem esse talium monstrorum, Tu ipse fateris. Aut dicamus secundò, hunc partum fuisse ex Molarum genere, & quæ de latratu referebat mulier imaginaria potiùs, & ex Timore sibi visus fœtus ille latrare. Ad cujus rei confirmationem faceret ea opinio, quæ convincit, Molas ex solo fœmineo semine generari cum sanguinis confluxu ad uterum; potuit ergo fieri, ut mulier conspiciens Asinum coëuntem, & canem, in actu coitus semen proprium emiserit, ac conceperit, atque inde tales monstrosos partus ediderit, licèt hæc multa difficultate minimè careant. Vale, & me ama.

CONSILIUM XXIII.

ARGUMENTUM.

Aurelius Lingius per biennium diversimodè à febriculis, aliisque morbis cum Articulorum doloribus conflictatus, modò tantisper à morbo sese recolligens, modò in illum relabens, tandem cùm meliusculè per bimestre spatium sese haberet, in acutam febrem incidens, vitam obierat. Ejus uxor, Artemisia nomine, se ex illo gravidam esse dicebat, ac sex mensibus à morte Mariti transactis, puerum peperit satis robustum. Mariti propinqui filium tanquam spurium ab hæreditate arcere conabantur, & Artemisiam adulterii damnare ex eo, quòd Aurelius jam ab ineunte ultima infirmitate impotens esset, non tam ad generandum, quàm ad coëundum; immò per Medicos Testes probabant, Aurelium jam à multo tempore coactum à coïtu abstinere, cùm neque attrigerer, quod iisdem Medicis idem Aurelius fuerat confessus, postquam ab infirmitate per plures menses fuisset exagitatus. Artemisia alia ex parte non inficiabatur, Aurelium per longum tempus à Venere abstinuisse, sed illum per nonnullos menses ante obitum ad illam rediisse, sesequè carnaliter iterum cognovisse. Quæsitum est pro veritate, an Aurelius cum prædicta infirmitate coïre potuerit, & generare, atque in affirmativam sententiam veni ex iis, quæ mox subjungam.

SUMMARIUM.

1 *In Anno Ætatis sexagesimo virtus est vegeta in viris, & generare possunt.*
2 *Qui articularibus morbis, & maximè Arthritide conflictantur, ad Venerem valdè sunt proclives.*
3 *Ad conceptionem non requiritur frequentatio coitus, unico enim congressu concipitur.*
4 *Usi sensus viget, insanis est discursus.*
5 *Arthritici plurimi Venerem strenuè exercent, & fecundissimi sunt.*

PRimò enim Aurelius erat ex sua natura salacissimus, & non plura signa attestabantur, inter quæ conspicuum erat præmaturum calvitium; nam & in juventute optimus ac strenuus exiterat Veneris miles, unde & uxores duas habuerat, præter concubinas, ex quibus omnibus filios suscepérat, quod non controvertebatur. Ex quo patet non modò excludi in Aurelio naturalem impotentiam coëundi, & generandi, sed probari summam geni alium virtutem, & vigorem insignem, qui licèt ex frequentia errorum partationum potuerit remitti, & ex supervenientibus morbis penè deperdi, tamen ex eorundem errorum amotione potuit in pristinum statum redire, & à morbis, nisi summè frigidi fuissent, & calorem naturalem prorsus extinguentes, non facilè potuit superari. Itaque cùm Aurelius per plures menses à coitu abstinuerit, neque hujusmodi frigidis morbis, sed potiùs calidis fuerit conflictatus, non mirum est, si calor naturalis denuò insurgens, illum ad consuetam seminis excretionem impulerit, stante præcipuè quòd ex eorundem morborum caliditate semen ipsum aerius evadere potuerit, & eo pacto hominem magis magisque ad sui expulsionem provocare.

Secundò, Aurelii impotentia, ut patet ex dictis, erat acci- 1
dentalis, & ex morbo contracta, erat ergo amovibilis, maximè cùm ipse esset ætatis adhuc non præcipitatæ, non enim superabat sexagesimum, quæ quidem ætas adhuc vegeta est in plurimis, & ad pugnas venereas adhuc apta, & consequenter apta ad generationem; nam & in sexagesimo quinto etiam plurimos generare tradit Aristotel. *lib. 5. de Hist. Anim. c. 14.* quod etiam experientia quotidiana confirmatur, ita ut ulteriori probatione non indigeat, licèt adverso multùm in ætate se fundaverint Scribentes, ex eo, quod gravis esset, & longo morbo, ac difficili associata, robis tamen satis est, si simpliciter loquendo, Ætas non erat adeò gravis, ut coitus impotentiam inducere posset: nam de altera parte oppositionis, nempe quòd Ætas esset gravis ex eo, quod associata esset cum morbo gravi, & longo, deinceps videndum. Interim patet Aurelium neque ex naturali ullo impedimento, neque per ætatem potuisse esse inhabilem ad coëundum; nam quod postmodum etiam generationi habilis esset, non potest ulla intercedere difficultas, cùm

viri

viri eousque generent, quousque coire possunt, quod longioribus prosequitur Laurent. Joubert. *lib. 2. error. Popul. cap. 9.*

Tertiò (& hoc non pertinet ad nos, sed dicitur ex abundanti) Artemisia vivente adhuc Marito suspicabatur se utero gerere, immmò & maritum ipsum de ea suspicione pluries certiorem fecerat, quod etiamsi ipsa sola deponat, verisimile tamen est maritum ejus rei non fuisse ignarum: nam multa signa graviditati in Artemisia apparebant ac præcipuè inappetētia non mediocris vomitus lassitudo, debilitas & menstruorum retentio, immò etiam fructuum immaturorū summa aviditas, unde per familiares Testes, nempè duas famulas, probatur. Maritum multoties cùm illam tam frequenter vomere conspiceret illi objecisse, se dubitare, quòd esset gravida, quanquam séper adderet, sed ego non credo, quod quidem ob longitudinem prægressæ infirmitatis, & adhuc perseverantis addebat putans, se ex ea causa inhabilem esse ad generandum, aliàs autem non videtur, quòd sic loqui debuisset, nempè, sed ego non credo, immò potiùs asseveranter affirmaret, sed hoc esse non potest, vel non dixisset se dubitare de gravitate, non enim dubitamus de his, quæ esse non possunt, sed de his quæ esse quidem possunt, quomodò enim Aurelius dubitasset de gravitate uxoris, si certus fuisset illam à se non fuisse carnaliter cognitam jam per biennium? At si hoc fuisset, uxorem ut erat vir maximè honoris Zelotypus, & odio illicò habuisset, & fortè occidere tentasset? at contra non modò illam usque in finem unicè dilexit, sed si testamentum condidisset, insigne legatum erat illi relicturus, ut pluries eidem Artemisiæ, & exteris familiaribus expressissimis verbis significaverat.

Quartò; Artemisia cum Marito semper in eodem lecto cubabat, sic marito volente, eratque fœmina procera, formæ summopere laudabilis ac multa sermonum, & actionum venustate, ex quibus ab Aurelio mirum in modum adamabatur, unde non solum facilè fuit per tantum temporis spatium, nempè duorum annorum, semel atque iterum Veneris stimulos illum sensisse, sed impossibile ferè est non insigniter sensisse; nam & ipsemet Aurelius cum familiaribus Medicis fassus non semel est se Artemisiam plurimùm adamare, & aperere cum ea conjungi, se tamen esse tunc impotentem; at perseverante Amoris stimulo, & præsentia mulieris amatæ, & perpetua cubandi occasione in eodem lecto blanditiisque ipsius Artemisiæ, quæ Amoris artibus ultra pulchritudinem erat maximè idonea, omninò impossibile judicandum, quòd illum ad coitum non excitaverit, etiamsi multò pejus ex morbo habuisset, quàm de præsenti habetet Hæc enim omnia, Amor, pulchritudo, venustas, morum suavitas blanditiæ, occasio, & id genus alia, non Aurelium tantùm, sed lapideum, vel præmortuum hominem ad Venerem excitassent.

Quintò, & hoc quidem satis ad rem facit, qui articularibus morbis, & Arthritide præcipuè conflictantur, maximoperè ad Venerem proritari solent, non quidem simpliciter ex morbi natura, sed plerumque ex caliditate defluxionum ad infernas partes per lumbos, & Renes, necnon etiam ob nervosarum partium intentionem. Quibus adde, quòd longus decubitus super spinalem medullam, & venam, & arteriam magnam per eam excurrentes, & ipsos Renes mirum in modum calefaciat. Avicenna. 20. 3. *tract.* 1. *cap.* 22. Holler. *in Pract. cap.* 63. ex quo Joan. Bened. Sinibald. *in sua Geneanthrop. opere quidem consummatissimo, libro secun. de tract. 2. cap. decim.* & dixi aliàs ex Levino Lemn. *de occ. nat. mir. libro secundo, cap.* 45. & inter Jurisconsultos ex Farinac. *de fals. & simul.*

Quæ cum ita sint, quis inficiari jure potest, Aurelium aliquando fuisse impulsum ad coëundum; & si coire potuit, non est dubitandum, quòd potuit generare. Quod tantò magis verisimile, est, quantò ad generationem non requiritur frequentatio coitus, sed satis est unica vice mulier cognoscatur; ex unico enim coitu non solùm fit generatio, sed interdum etiam multiplex generatio, cùm videamus ex unico coitu geminos, & trigeminos, nasci Hippocrat. *in lib. de Nat. Puer. num.* 14. *& lib.* 1. *de Diat. num.* 25. Itaque non solùm videtur hoc de facili potuisse succedere in casu nostro, sed mirandum esset, & miraculo adscribendum, si non succedisset.

Hic adjiciendum, quòd Aurelius per aliquot menses ante obitum non modò melius se habebat sed omni ex parte liber à doloribus saltem atrocioribus remanserat, & quod magis facit ad rem nostram amplius non febricbat, ita ut videretur tantisper impinguatus, & seipso habilior, & coloratior, ut deponunt ipsi Medici examinati, & hoc multo magis comprobat morbi successus; nam ex eo quod impetus humorum jam non fiebat ad articulos, partes ut potè ignobiliores ad nobiliores, & vitæ maximè necessarias factus est, unde ipsum è medio sustulit; patet enim, attestantibus omnibus Practicis, quod quandocunque humorum fluxus ad articulos inhibetur, evenit, ut facto impetu ad partem aliquam nobiliorem ægrum male accipiat, & ut plurimum accidat, quæ potissima causa est, cur dolores articulares à Medicis magna cum cautela tractentur, neque solum in illis abstineant à medicamentis repellentibus, quæ nimirum valeant materiam retro repellere, & prohibere ne ad articulos labatur, sed etiā à siccantibus, & roborantibus: nam roboratis articulis, fluentem materiā non amplius recipiunt, & illa ad nobiliores partes fuit mala, quæ diximus, accessit; quod licet in Aurelio non habuerit locum, quia Medici illum curantes multum in ea re cauti fuerunt, unde nihil penitus eorum consilio ad levandos dolores, vel ad fluxionem minuendam, & inhibendam, articulis applicuerunt, tamen per alios Testes constat ipsum Aurelium usum fuisse consilio, nescio cujus Chimici, oleo salis ad iungendos ipsos articulos, ex quo quidem melius ex doloribus se habuit, & in posterum fluxionem minus frequentem fuit expertus, quæ causa tandem acceleranda mortis illi fuit ex suprà dictis.

Nec valent quæ contraopponuntur primò, quòd Arthritici morbi, quibus Aurelius exercebatur, essent maxima ex parte frigidi, & ad omne pejus à multa serosa, & aquea humiditate dependerent, quæ apta nata est non solùm vim generativam seminis extinguere, sed etiam ejusdem seminis stimulos ad ejus excretionem omni ex parte compescerer, ut clarè patuit in ipso Aurelio, qui, ut jam in concesso est, & ex proprio dicto, & ex Medicorum testimonio probatur, jam per annos nullo modo potuerat arrigere, aut ad Venerem aliquo modo incendi, quæ quidem cum satis evidentia sint, frustra contrarium tueri rationibus contendimus, ubi enim sensus viget, inanis est omnis discursus; cùm debeamus potius discursum ad ea, quæ sensus docet, ac commodare, non sensum ad ea quæ discursus dictare potest, etiāsi maximè rationabilis esset. Non valent, inquam, hæc nam, licet negari simpliciter possit, quod Arthritis Aurelii à materia & humoribus frigidis dependentiam haberet, nam simpliciter à materia calida dependebat, ut in aliis evenit, etiam absque miscella aliorum humorum, quia humor calidissimus cum possit esse tenuissimus, & facilè ad articulorum cavitates absque ductu serositatis, aut aquei humores penetrare, tamen concesso etiam quod ab humoribus frigidis dependere, vel saltem multam aqueam, ac frigidam materiam adjunctam haberet, pater morbum per aliquot menses antè Aurelii obitum omninò remisisse, & sic concoctis, aut quomodocunque resolutis frigidis humoribus, remanente calore naturali ab iis contrariis libero potuit ad pristina munia facili negotio redire, & ut solet, cum vegetus est, Aurelium ad seminis excretionem irritare, ut realiter successit.

Sed ex abundanti Arthritis, qua detinebatur Aurelius, erat summè calida, & ab humoribus calidissimis simul, & tenuissimis dependentiam habebat, quippè cùm doloribus conflictaretur acutissimis, & articuli citò rubescerent, & calore adeò intenso infecterentur, ut ad fuscedinem declinarent: quin etiam brevi trium dierum spatio humores resolvebantur, & articulos, quos primò obsederant, omnino liberos relinquebāt, ad alios proximiores se conferentes, & eos per totidem dies ad summum molestantes, tandem facili negotio evanescebant, quod nequaquam evenisset ubi naturā frigidi fuissent, aut saltem multam pituitosam, vel quoquo modo frigidam materiam habuissent commixtam, ut aliis evenire in dies observamus.

Sed ad hæc ipsa opponebant Adversarii quod iidem dolores articulares, etiamsi à calidissimis humoribus originem trahant, nullamque materiæ frigidæ admixtionem habeant tamen ratione vehementiæ, & acutiei, quam sortiuntur, multa symptomata accersunt, ut vigilias, & debilitates, quæ coctiones impediunt, & calorem nativum, & consequenter semen, & ejus generativam virtutem labefactant, atque extinguunt; quamobrem etiamsi ob caloris vehementiam, ex qua sanguis, & semen majorem acutiem acquirunt, Arthritici ad Venerem stimulentur, & aliquando illam strenuè exerceant (summo tamen cum eorum detrimento) infœcundi tamen omninò sunt ex prædictis.

Verumenim verò neque semper, neque in omnibus hæc vera sunt, cum ipsa experientia constet; Arthriticos plurimos Venerem exercere, & semen fœcundissimum fere, ac quoad Veneris stimulos non est dubium, ut superius jam dictum est, & quoad fœcunditatem etiam plures adduci possunt

ſunt experientiæ, & plura Doctorum Virorum teſtimonia, ex quibus pro concluſione dici poteſt, Aurelium potuiſſe non concumbere ſolùm ſed etiam generare, nullamque ex morbo, quo detinebatur infœcunditatis præſumptionem deſumi poſſe, & ſic injuſtè omninò dubitari de Armiſæ pudicitia, aut de partus ſuppoſitione.

CONSILIUM XXIV.

ARGUMENTUM.

Victuria Alfana cum ſeptimeſtrem fœtum gereret ex ſella quadam elatiori ſurgens, in terram ex improviſo cecidit, & fœtum abjecit, & in repentinum ſanguinis fluxum, ac tam inſignem incidit, ut inde frequenter animo linqueretur, & frigidis ſudoribus reſpergeretur, ac videretur jam animâ penè exhalare. Vocata obſtetrix præter ligaturas, & alia nonnulla leviora, propinat Puerperæ pulverem Chermes cum ovo crudo, & cucurbitulas mammis adhibet, quibus remediis fluentem ſanguinem de repè: è cohibet. Sed puerpera inde in acutâ febrem labitur, & cùm neque iterata ſanguinis miſſione, neque aliis ullis remediis puerperia ad cõſuetum curſum revocari poſſent duodecima à partu die vitam obit. Accuſata obſtetrix, in carcerem conjecta, ac quæſitum eſt, an condigna pœna eſſet mulctanda, cùm menſtruorum cohibitio ab ipſa per vim procurata, febris & mortis cauſa crederetur. Ac viſum eſt mitiùs cum ea agendum; non obſtantibus iis, quæ pro Fiſco adducebantur, & Primò.

SUMMARIUM.

1 *In medendo ſuam capacitatem pratergredi, culpa non vacat.*
2 *Obſtetrices non poſſunt quidquam parturientibus, aut gravidis per os prabere.*
3 *Chirurgi, obſtetrices & alii in caſibus difficilioribus Phyſicum convocare tenentur, aliàs puniendi.*
4 *Syncopis quàm formidabile ſymptoma.*
5 *Mors nihil aliud eſt quàm ſyncopis confirmata.*
6 *Medenti ſatiùs eſt omnia cum ratione facere.*

1 QUod omninò culpa non vacet in medèdo ſuam capacitatem prætergredi, ut latè probatum aliàs eſt *in Quæſt. Medico-Legal. lib. 6. quæſt. 1. n. 2. ubi quæſtion. 24. n. 19. & ſeq.* dictum quoque eſt, ſemper malitioſa eſſe prætergreſſionem eorum, quæ à ſuperioti Artifice præcipiuntur à minori factam, & *quæſt. 9. num. 11 & ſeq.* determinatum eſt, Obſtetrices omninò eſſe mulctandas, cum quicquam per os exhibere audent quòd ampliandum, procedere etiam non ſecuto inde
2 aliquo effectu in præjudicium aſſumentis, unde tantò magis procedere debet non ſolùm ſecuto aliquo malo effectu præjudicium aſſumentis, ſed etiam, ipſa morte omnium malorum peſſima, ut in caſu noſtro, in quo manifeſtè patet ex aſſumptione medicamenti illius multa adſtrictione conſpicui, ſanguinis fluxum de repentè ac cum violentia fuiſſe cohibitum, atque inde febrem acutam accenſam, unde poſtmodum præpropera mors ſecuta. Venit ergo Obſtetricis hujuſce temeritas rigoroſè, puniendа, cùm ex ejus temeritate certò certius perierit.

3 Secundò, tantò magis mulctanda videtur hæc obſtetrix, quantò promptiori cum audacia medicum convocare neglexit, nam hoc non modo in Obſtetricibus habet locum, ſed etiam in ipſis Chirurgis, (niſi ſimul & Phyſici ſint) qui multo magis artem medendi callent, quàm ipſæ obſtetrices; ad hoc enim juramento conſtringuntur, & eorum licentia in medendo hac cautione limitatur, ut in caſibus difficilioribus, in quibus Phyſici opera requiritur, illum convocare teneantur. Quantò magis ergo ad hoc obligari Obſtetrices dicemus, quæ nulla medendi capacitate, ſed temeraria promptitudine dotantur, & nulla ratione, ſed per accidens omnia exequantur.

At hoc quidem multo magis habet locum in caſu noſtro non enim hic erat ſimplex partus, ſed per violentiam procuratus, nempè à cauſa externa, à caſu ſcilicet: & requirebat id circo Phyſici, & artificis majoris curam, nam erat morbus cõplicatus, cùm eſſet abortus, violento ſanguinis fluxu conjunctus, & alia ex parte ex caſu adeſſet partium contuſio, unde etiamſi perneceſſarium exiſtimaretur ſanguinem impetuosè fluentem compeſcere, non minùs tamen neceſſarium erat morbis, qui aderant, & qui inde conſequi poterant, & partium contuſioni proſpicere; prohibendi enim erant Tumores, & inflammationes, & corruptiones partium contuſarum, & alia id genus: quamobrem non tanti faciенda erat ſanguinis illa evacuatio etiam copioſiſſima, quia poterat pro remedio & prohibitione morborum eſſe, qui timeri in eo affectu poterant, unde non debebat tam de repentè, ac tanta cum violentia ſupprimi, etiamſi inde mulier animi deliquium interreret, ſubveniri namque poterat aliis ingeniis, aut ſi ſanguis cohibendus erat, & ſenſim erat cohibendus, ut Medicus feciſſet; ſed hæc prætergrediebatur Obſtetricis capacitatem, unde innata mulierculatum audacia manum ad medendum admovit, ſpreto omni Medicorum conſilio, & ægram è medio maxima cum ſua culpa ſuſtulit.

Et tantò adhuc magis hæc obſtetrix in culpa videtur, quàtò ſatagentibus domeſticis puerperæ Medicos convocare, ipſa eorum adventum non expectaverit, ſed puerperæ penè invitæ (licet ab aliis mulierculis, & ancillis ad aſſumendum quod porrigebatur, adhortaretur) pulverem illum ex Chermes propinaverit cum ovo crudo, & cucurbitulas, quòd multò gravius eſt, mammis applicuerit, nam ipſa puerpera nolebat quicquam abſque Medici, cui multam fidem habebat, præſentia, & conſenſu aſſumere; ſed adhortante Obſtetrice, & certam inde ſalutem promittente, tandem aſſumpſit, & licet ab aſſumptione vires tantiſper recuperaverit, & ipſa eadem faſſa ſit, pulverem illum ſibi ſanitatem reſtituiſſe, tamen non multò poſt cognovit & ipſa & aſſidentes, ex pulvere illo, & applicitis cucurbitulis febrem validam, & acutam fuiſſe concitatam, nonniſi poſt unam, aut alteram horam, purgationibus omninò, ac dicto citiùs amplius non fluentibus, ex quo puerpera tota horreſcens ingenti deinceps æſtu totum corpus affligi ſenſit, tanquam ſi in ignis fornacem, ut illa inculcabat, fuiſſet projecta; nimirum quia ipſe ſanguis terentus per violentiam calorem præternaturalem concepit, & febrem acutam accendit, unde tandem mors, & inflammationem in contuſa parte interiùs concitavit, cui ſummo remedio erat ſanguinis illa etiam violenta exceretio, ut dictum eſt, & ut à poſteriori patet, quia repetita illico inflammationem excitavit.

Sed dato etiam ut ex adverſo dicitur, quòd liceat Obſtetricibus aliqua familiaria medicamenta parturientibus & cæteris mulieribus per os exhibere, & conceſſo in hoc nullam interveniſſe culpam, applicatio tamen cucurbitularum nimis audacter facta dici debet; & nullo modo licebat eas adhibere, quia non poterat Obſtetrix ea comprehendere, quæ in hoc caſu aut admittere, aut prohibere cucurbitularum applicationem poterat, cum hoc eſſet remedium magnum, & extremum & violentum quo nullo modo, niſi ſumma urgente neceſſitate, & magna cum cautela prudentiſſimus, & perſpicaciſſimus Medicus uſus eſſet, timentur enim ſemper ex ſubita, ac violenta ſanguinis cohibitione, quæ ad amuſſim in hac puerpera ſucceſſerunt, hoc eſt febris acuta inflammatio interna, & mors imo etiam mors ſubita, ac repentina, ergo ad cohibendam cæterarum mulierculatum perniciosiſſimam humano generi audaciam, ex qua indies mille mala, ac graviſſima pericula illi impendent, illis hæc pro exemplo ſit, videtur magno cum rigore punienda.

His tamen non obſtantibus viſum eſt magis ſecundum juſtitiam fore, ſi cum hac muliere mitiùs agatur. Primò, quia res erat in ancipiti, & indigebat ſubitaneo, ac repentino auxilio, aliàs ſi mora ulla interceſſiſſet, & Medicum advocatum expectaſſet, cùm jam puerpera animo linqueretur, & frigidis, ac tenuibus ſudoribus, ut morituris de proximo evenire ſolet, reſpergeretur, certè animam exhalaſſet, quia fortis ſyncopis ſuperveniebat, quæ adeò formidabile ſymptoma eſt, ut hominem illicò de medio tollat, quia ſyncopis fortis
4 præcedit quamcunque mortem, & nulla mors accidit niſi ſuperveniente ſyncope, unde mors nihil aliud eſt, niſi ſyncopis confirmata, cum ſi diſſolutio nexus naturæ, ut Aretæus dicebat. *Acutor. lib. 2. cap. 5.* Quis ergo tam à ratione alienus exiſtat, ut non permittat in ſimili caſu mulieri jam
5 multæ experientiæ in arte obſtetricia aliquid machinari? nam etiamſi cum his remediis certo certius perire debuiſſet, tamè mors per ea retardari poterat, quod ſatius multo erat, quam de repentè mori tum ob corporis, tum ob Animæ ſalutem, quod enim de repentè tunc mortua eſſet Puerpera, ſatis

oſtende

oſtendebant ſigna ipſam mortem de proximò futuram atteſtantia, nimirum animi defectus, vitium reſolutio corporis refrigeratio, ſudatiunculæ tenues & frigidæ circa caput, & pallida mortis imago, quæ in diſſolutione ipſa animæ à corpore apparent.

Sed tantò magis hæc licuiſſe dicendum huic Obſtetrici, quantò remedia, quibus uſa eſt, ſunt remedia maximè experta, uſualia, ac tuta; nam quoad ipſum Chermes propinatum patet, quotidie ipſas Obſtetrices paſſim eo uti, immò etiam abſque Obſtetricis conſilio ipſas prægnantes mulieres ex ſe illud aſſumere ad inhibendas menſtruas purgationes, quando ex his abortus timetur, & ad ipſum fœtum roborandum, ac retinendum, cum ad hoc valde efficax cenſeatur, neque habeat ſecum qualitatem aliquam, ex qua ſiniſtrum quid pertimeri poſſit niſi adſtrictionem, quæ in ſimilibus caſibus eſt neceſſaria. Neque Ovum crudum habet ullum in ſe vitium, innoxium enim omnino eſt & datur in hoc caſu ad augendam adſtrictionem, & increaſſandum ſanguinem fluentem; ſed ab eo abſque dubio nihil eſt quod timeri poſſit ullum damnum potuiſſe mulieri emanare.

Remanent tantum cucurbitulæ mammis applicatæ, quæ cum violentia quadam ſanguinem ab utero retrahunt, & videtur quidem hoc remedium capacitatem ipſarum obſtetricum ſuperare; quia tamen eſt remedium in hujuſmodi caſibus approbatum, & ab Hippocr. ipſo canonizatum *Aphor. 50. ſect. 5.* dummodo tempore debito, & morbo illud requirente, in uſum trahatur temerarium dici non poteſt, ſed rationabiliter ab Obſtetrice fuiſſe applicitum, cum enim morbus eſſet extremus, requirebatur remedium magnum, & extremum, juxta ejuſdem Hippocratis præceptum *lib. 1. Aphor. 5.* & percunti mulieri ſuccurrere debebat, non tantum Obſtetrix experta, ſed quævis etiam ignariſſima perſona, ſi quidquam in ejus ſalutem machinari poterat. Præterquam quod hoc non erat remedium requirens ullam corporis & humorum præparationem aut purgationem, aut aliud quid, quod illud præire debuiſſet.

Et ad ea, quæ in contrarium allata ſunt, negatur primò, quod Obſtetrix ſuam capacitatem prætergreſſa fuerit, quia hoc ipſum remedium inter ea eſt, quibus obſtetricibus uti, ubi opus fuerit, permittit Mercurius *in lib. della Commare lib. 2. cap. 32.* Quod verò non poſſit quicquam per os exhibere, falſum quoque, nam nonnulla hoc ipſo remedio multo efficaciora, ac validiora idem Mercurius *ibid.* concedit Obſtetricibus exhibere poſſe ſuis mulieribus, in caſu maximæ neceſſitatis, ut hic erat, nam & in hoc ipſo morbo ipſe idem Mercurius hæc Obſtetricibus permittit. Quod vero Medicum non expectaverit, non eſt ipſius Obſtetricis culpa, ſed morbi, qui non dabat inducias, nam interim poterat Puerpera perire, tot, ac tantis ſymptomatibus conflictata. Reliquis verò, quæ opponuntur ex prædictis ſatisfactum omni ex parte eſt. Quamobrem non modo neque accuſanda, neque punienda eſt noſtra hæc Obſtetrix, ſed multum laudanda, quæ ſciat in repentinis, ac dubiis caſibus rationabilia remedia adhibere; nam etiamſi mors poſt hujuſmodi remediorum uſum ſit ſecuta, non ex eorum violentia, ſed ex malo corporis ſtatu ſecutam eſſe dicendum eſt. Satis enim eſt medenti, ſi omnia cum ratione faciat dummodo enim cum ratione operetur, de aliis curare non debet, juxta id quod docet Hippocr. *lib. Aphor.*

CONSILIUM XXV.

ARGUMENTUM.

Nicolaus Copernis à cœna cum ſorore propria celebrata, cùm affluenter comediſſet, & bibiſſet in profundum ſomnum, & ſtertorem lapſus eſt, à quo nec ab adſtantibus, nec à quoquam, ullo ingenio excitari potuit, quouſque poſt horam à cœna vigeſimam quartam à ſomno excitatus quidem eſt, ſed nec ad rem loquebatur, nec quemquam familiarium cognoſcebat, admodum impotens tum videbatur, non tamen ullo membro remanſerat impeditus ad mentem tamen nunquam rediit. ſed vix anno tranſacto Apoplecticus perierat. Irrepſerat apud Fiſcum ſuſpicio venenationis quæ maximè cadebat in prædictum Nicolai ſororem Luciam nomine quæ marito jam à nonnullis annis orbata cum fratre convivebat. Prætendebatur ergo à Fiſco, illam venenum ſopotiferum in medicato vino fratri porrexiſſe, ut tutius de nocte cum Amaſio commorari poſſet: de ejus autem impudicitia Fiſcus erat perſuaſus, unde, ex hoc contendebat. Nicolaum ex medicamenti venenati violentia primo in ſomnum, ac dehinc, in fatuitatem lapſum ac denique vitam obiiſſe. Pro veritate ergo interrogatus in eam ſententiam veni Nicolaum ex Ebrietate in ſoporiferum affectum, & inde in Apoplexiam cecidiſſe, & ab recollectum in fatuitatem ac tandem in Apoplexiam relapſum è medio ſublatum, neque veriſimile eſſe, ex vi ſoporiferi, aut venenati medicamenti periiſſe.

SUMMARIUM.

1 *Bona valetudo, abſque ullis gratis in victu facit præſumptionem veneni adminiſtranti in eo, qui potionatus præsumitur.*
2 *Soporifera medicamenta, cum valida ſunt hominem infatuât, aut in Apoplexiam præcipitant. Declara ut n. 14.*
3 *Vapores quidam Apoplexiam concitant.*
4 *Crapula poſt tres dies diſſolvi ad ſummum ſolet.*
5 *Ebrioſi incurrunt morbos frigidos.*
6. *Vinum per ſe calefacit.*
7 *Apoplexia terminatur ſæpe in paralyſim, & num. 15. Falſum num. 16.*
8 *Somni innaturales, ſemper ſunt conjuncti cum febre, aut ſaltem ut plurimum.*
9 *Ebrioſi ſunt qui frequenter inebriantur.*
10 *Vinum diverſos effectus producit in Temulentis.*
11 *Venena omnia ſunt ſapore, & odore horribili, & abominabili*
12 *Habitus Athletarum periculoſus tunc eſt, cum ad ſummum bonitatis pervenerit.*
13 *Ex immodico vini potu apoplexia interdum excitatur, aut alius ſimilis nervorum affectus.*
17 *Apoplexia aliquando terminatur in fatuitatem abſque paralyſi exteriorum membrorum.*

PRo contraria tamen ſententia multa faciebant indicia ab ipſo Fiſco in medium adducta, quæ ad nos examinare non ſpectat. Unum tantummodo maximi momenti adducebatur eratque, quod alias idem Nicolaus ab ipſamet ſorore ſoporifero medicamento potionatus fuerat, ut ipſemet narraverat, licet medicamentum ſuum effectum non eſſet ſortitum, quia Nicolaus perſenſerat in vino ſibi inter cœnandum oblato neſcio quem ſaporem minimè gratum, ex quo in ſuſpicionem veniens minus quàm conſuevetat in ea cœna bibit, cum tamen effingeret ſe valde eſſe ad ſomnum proclivem. Vigilans itaque impedimento fuerat Luciæ, ne Amaſium ea nocte in domum admitteret. Dolore vero capitis gravi ea nocte moleſtatus eſt, ac tota ſequenti die. Quæ omnia licet non eſſent undequaque, ac integrè probata, erant tamen magna ex parte ipſi Fiſco competita: cum duo teſtes deponerent de exhibitione ſomniferi licet diſcordes eſſent de tempore, alii verò duo deponebant de Luciæ requiſitione ad invenicndum nonnulla ſimplicia medicamenta, & præcipuè radicem Mandragoræ, quorum alter dicebat, Luciam ea voluiſſe uti ad capillorum ornatum, alter verò (qui tamen multas exceptiones patiebatur) aſſertivè deponebat, Luciam ea voluiſſe uti cum vino, ut Nicolaum ſoporaret.

Quæ quidem multum urgebant, ac præterea videbatur, morbum, & fatuitatem Nicolai non poſſe in alium errorem rejici, ſed tantùm in veneni aſſumptionem, cùm conſtaret, Nicolaum & optima valetudine frui, neque erratum ullum in victu admittere, & tamen illico à cœna in accidentia prænarrata fuiſſe lapſum, quæ præſumtio quemadmodum excludit venenum ingenitum, ita multum facit ad probandum hominem fuiſſe veneno adminiſtrato ſublatum, ut alias ex Galeno non ſemel dictum eſt; & ratio eſt, quia culpa ſupervenientis morbi, ac præcipuè morbi magni non poteſt rejici in corporis impuritatem, ubi conſtat ægrum bona valetudine frui, neque in erorem commiſſum in ratione victus, ubi patet illum nullum in ea admittere errorem: nam non poteſt dici morbum ſupervenîſſe ex crapula quia conſtabat Nicolaum in ea cœna cibis mali ſucci non fuiſſe uſum, ſed optimis, nec ultra ſobrietatem comediſſe: nam comederat Acetarium ex cicorea, ferculum ex Vitulina carne cũ agreſta & parum ejuſdem vitulinæ carnis aſſæ, & neſcio quam carnem, ut dicunt, in paſticcio frigidam, caſeum, & fru-

ctus

ctus quosdam horatios, & ante omnia Melope, poees qui quidem cibi omnes ac turguit nec mali succi sunt, & alias erant ipsi Nicolao familiarissimi, unde non erant apti morbum illum soporiferum, ac tantopere nocentem, ut hominem dementaret ac tandem occideret excitare. Quamobrem reliquum est ut ille ex propinato veneno morbum contraxerit, quod fuit somniferum potens ac validum, quod vaporibus crassis, ac frigidis ab eo elevatis potuerit hominem ad extremam perniciem inducere nempe in fatuitatem, ac dehinc in
2 apoplexiam, & tandem in mortem, quod maximè familiare est medicamentis quibusdam soporiferis, ut Solano Moniaco, Mandragoræ, aliisque de quibus affluenter præ omnibus Ardoin. *lib.* 3. *de Veneno. cap.* 16. *& seq.* præsertim cum in copia, & frequenter assumuntur, ut notum est vel ipsi imperitissimo vulgo, extinguunt enim vel congelant animales spiritus, & sanguinem, ut pluries de Mandragora signanter (qua constat Luciam fuisse cum aliis usam in potionando Nicolao ejus fratre) testatus est Galen. *lib.* 5. *de simpl. med. fac. cap.* 14. ubi & de aliis somniferis idem profert, *& lib.* 8. *de comp. med. sect. loc. cap.* 3. ubi talia medicamenta ad immedicabilem, ac deploratam frigiditatem hominem inducere docet, ex qua postmodum perpetua fatuitas.

Sed quid mirũ hoc, cùm notum præterea sit ipsos vapores quarundam rerum vel data opera, vel ex negligentia inter respirandum admissos in cerebrum, & spirituales partes apo-
3 plexiam concitare? sic videmus fumum carbonum calcis evaporationem, Thermarum quarundam exhalationem, immo etiam vini, & cerevisiæ fumositates apoplecticos homines facere; quantò magis ergo vapores crassi & venenosi à forti medicamento somnifero, deleterio, & naturæ inimico, poterunt idem efficere, & calorem, & spiritus extinguere? & quod hoc veritatem certiorem habeat, indicio sit quod à similibus medicamentis potionati faciem pallidiorem habent ac lividam, & caput maximè grave, contra quem eveniat in Ebriis ex vino, quippe qui, quando in soporem incidunt, facie potius rubent ob ipsius vini spiritus ipsum caput calefacientes; unde tanto magis firmandum, Nicolaum potius ex propinato somnifero deleterio, quàm ex ebrietate ægrotasse, & tandem obiisse, quanto evidentius apparuit in ipsomet sopore faciem illum habuisse subpallidam ad livorem tendentem. ita ut postquam à sopore expergefactus est eundem faciei colorem ac livorem retinuerit, non ad aliquos tantùm dies sed ad mortem usque, quod quidem non accidisset ex nocumento vini, cum post tres dies ad summum omnis crapula solvatur, evanescente ipsa vini virtute, ut Gal. *in comm. lib.* 5. *Aphor.* 5. & Holler. & alii testantur.

Et ex abundanti, etiamsi consideremus Nicolaum ex nimio vini potu in soporem illum incidisse, tamen non verisimile est ab ejus vi fatuitatem potuisse incurrere post ebrietatem, quia hoc rationi, & experientiæ est omnino contrarium. Rationi, quia non est possibile à vini calore induci affectum frigidissimum, qualis est fatuitas; licet enim ebriosi ex vini vitio incurrant sæpissimè, immò semper ob frequentatam ebrietatem, frigidos morbos ut Apoplexiam, Epilepsiam, Memoriæ iacturam, Tremorem. Paralysim. Podagram immo etiam
5 Hydropem, atque ipsissimam fatuitatem, ut Doctores admonent, Galen. *in lib. de caus. morb. cap.* 3. Auic *p.* 3 *tract.* 2. *cap.* 8 unde ejus rei causam quærit Aristot. *sect.* 3. *problem.* 5 tamen hoc non habet locum in his, qui non frequenter, sed de rarò admodum inebriantur, ex unica enim & non frequentata potatione potiùs calidi morbi producuntur, ut febres, delitia, Pulmonis Erysipelata, & id genus alij. Hippocr. *de morb. l.* 2. *sect.* 3 *num.* 53 notissimumque est, vinum per seipsum calefacere, & ebrium hominem seipso calidiorem evadere, quis est qui nesciat per accidens verò fit ut vini copiosa potatio ite-
6 rata, & frequentata ad ebrietatem usque, frigidos procreet affectus resolvendo excedenti suo calore spiritus meliores, animales præsertim, unde maximè morbos accersit nervis contrarios. Itaque ex unica ebrietate frigidum morbum tam insignem procreari posse, contra rationem, & rectum discursum omnino est. Sed & huic rationi suffragatur experientia cùm in dies videamus eos, qui casu ac de rarò inebriantur, calidiores evadere febre prehendi, coloratiores, & lætiores fieri aut iracundiores, sudore multo perfundi, & id genus alia incurrere, non verò evadere frigidiores, neque ex hoc frigidis morbis tentari. Cùm ergo Nicolaus non esset alias ebrietati deditus & unica illa vice, qua inebriatus dicitur gratis etiam concesso, quod vere fuerit inebriatus in fatuitatem lapsus sit, & tamen nullum signum caloris in ipso apparuerit; non erit verum, illum ab ebrietate, seu potius à sola vini virtute in fatuitatem fuisse præcipitatum, sed farendum est illum à medicamento narcotico, ac frigido, & venenoso & potenti soporifero in eum morbum incidisse, cùm effectus secuti magis proportionati sint narcotico huic veneno, quàm vino; nam dato etiam quòd vinum aliquid in hoc præstiterit, tamen ab effectu dicendum est vim medicamenti exuperasse vini potentiam, unde secuta fuit fatuitas, non autem ebrietas, ob introductam insignem ipsius cerebri, refrigerationem ab illo narcotico non potente vini, etiam usque ad ebrietatem ebibiti, virtute vim medicamenti, non exuperare inquam, sed ne temperare quidem, aut infringere, quod maiorem in modum commonstrat, quàm violentum, ac validum illud somniferum fuerit, nec mirum, quia Lucia aliàs experta benigniora medicamenta somnum inducentia, & optato fine frustrata, debuit rationabiliter, cum nimio amoris desiderio gliscceret ad potentissima confugere ex quibus plus quam desiderabat obtinuit, quanquam sorte præsumendum est, illam medicamentum hujusmodi narcoticum tam violentum, non tantum ad somnum judicandum, quam ad hominem dementandum propinasse, ut perpetuo absque fratris respectu suæ libidini satisfacere posset, ad hunc enim finem omnia illa diligebat, ut satis superque Fisco est compertum.

Ac denique somnum illum innaturalem, quo prehensus Nicolaus est, non fuisse ex vini virtute, palam est, quia excessit limites hujusmodi somni, crapula enim ex vino licèt superiùs ad tres dies eam perdurare sit dictum, tamen nonnisi octo aut decem horis perseverat; aut ad summum duodecim, quia superatur ab ipso calore nativo concoquente. Neque fuit Apoplexia, quia Apoplexia terminatur semper in Paralysim; at morbus hic non est terminatus in Paralysim ergo non fuit Apoplexia. Quod autem Apoplexia in Paralysim terminetur, præter testimonium quotidianæ experientiæ, attestantur Medici omnes nullo excepto. Galen. *lib.* 2 *de loc. aff. cap.* 2. Paul. *lib.* 3. *cap.* 18. Aët. *lib* 6. *cap* 27. Auicenna *parte* 3. 8 *tract.* 5. *cap.* 12 *& alij.* restat ergo, ut fuerit somnus innaturalis ex vi medicamenti, ob cujus violentiam Nicolaus lapsus in fatuitatem fuerit: nam cæteri somni innaturales sunt semper cum febre coniuncti, ut Lethargus, Caros, Catalepsis, & similes, ut apud practicos cuilibet constare potest, & durant etiam ad plures dies.

Verumenimverò his non obstantibus, existimavi Nicolaum ex Ebrietate in Apoplexiam lapsum, & ex Apoplexia in fatuitatem, primò, quia non controvertitur in ea cœna Nicolaum multum comedisse, ac plusquam multum bibisse, ac peculiariter exhausisse vas unum, quod fiascum nominant, vini Montis Politiani rubri, ac pene aliud Moscatelli præter cyathos nonnullos Domestici Albam, & cum ex potatione lætior factus esset, sororem pluries ad bibendum provocasse, ea tamen semper nimiam potationem redarguente, ac admonente, ne tantopere biberet, ut quatuor testes examinati unanimiter deponunt, quod quidem valde contrarium est ipsius fisci persuasioni, cum si in animo habuisset Lucia, ut frater per potum illum profundo somno prehenderetur, & tota nocte obdormiscceret, neque ullo modo expergisceretur, debebat potius illum hortari, & incitare ad bibendum, quàm eum à bibendo dissuadere.

Secundò, quia Nicolaus lædebatur aliquando à nimio vini potu, & ex eo non semel in ebrietatẽ erat lapsus, ut probatur per idoneos testes, nam licet non esset vere ebriosus (quia ebriosus dicitur, non qui ebrius est, sed proprie qui frequenter inebriatur, ut aliàs dictum est) tamen ubi inter comedendum, aliquando cum amicis provocaretur ad bibendum superati se non facilè patiebatur, itaque bibebat ad ebrietatem usque, constatque in processu ter, vel quater ad minus spatio duorum annorum illum ebrium extitisse, quod ne ipse quidem Fiscus controvertere potest. Neque valet contra hoc, quod, concesso etiam, quod alias ebrius fuerit, tamen hac ultima vice non fuerit, sed omino potionatus, stante quod diversi omino effectus alias in ullo sint conspecti pullulasse ab ebrietate, quàm nunc. Tunc enim dicitur illum inordinato gaudio, ac præter modum fuisse perfusum, faciemque rubicundiorem habuisse, multumque & absque ulla continentia, etiam præsente propria sorore dicenda, tacenda locutum, dolore capitis præterea die sequenti tentatum plurimum vomuisse, & alia his similia, nunc autem sopore tantum prehensus ab eo ne recollegit quidẽ se, nisi transactis viginti quatuor horis, multò pallore vultus illi perfusus fuit, motus postridie impotentiam habuisse, ac demum fatuum permansisse. Non est ergo verisimile ex ebrietate simplici tam diversos nunc effectus ab iis qui alias apparuerunt illũ incurrisse maximè cùm adhuc esset iuvenis, non enim pertransibat annum octavum suprà trigesimum. Non valent in quã hæc, nã 10 respondetur vinum diversos effectus producere in temulentis pro diversitate constitutionis corporis, qui quidem aliquando non solùm in diversis naturis sunt sibi contrarij,

sed

ſed etiam in iiſdem, quod longiotibus docet Ariſt. *problem ſect.1.num.30.* & Andr. Baccius *lib.3.de vivorum hiſt. cap.18.* Itaque ubi vinum offendat corpus bile repletum, hominem efficit iracundum, clamoſum, atque audacem; ſi ſanguine refertum offendat, miſericordem, benignum, lætum, atque amori promptum; ſi melancholia, taciturnum, mœſtum, lachrymabundum; ſi pituita, ſommolentum, deſidem, pigrum, otioſum, & hoc quidem maximè pro maioti, aut minoti eorundem humorum abundantia in capite, & cerebro cùm vinum eos humores inſigniter agitet, unde cùm notum ſit, Nicolaum iam à multis diebus ante prænominatam cœnam paſſum fuiſſe quandam capitis gravedinem, ſeu dolorem quemdam gravativum (nam & ipſemet inter cœnandum per jocum dixerit, velle ſe in ea cœna copioſa potatione capitis doloti mederi) qui dolor à multa pituita ac frigido humore originem ducebat, non mirum eſt, ſi multo vino inebriatus humor ille commotus cerebri ventriculos obſtruere omnino potuerit, & hominem in Apoplexiam impellere, hæc enim cauſa fuit, cur effectus violentæ ebrietatis diverſi omninò fuerint ab effectibus, quos aliæ ebrietates in Nicolao concitaverant.

Tertiò, quia ubi vinum, quo inebriatus eſt Nicolaus, fuiſſet medicatum, ac venenatum, tantum abfuiſſet, ut tam avide illud ingurgitaſſet, ut potius contrà eo omnino abſtinuiſſet, ut aliàs falſo, præſumitur feciſſe ob ſaporem à medicamento in ipſo vino introductum; neque enim fieri poteſt, ut venenoſa medicamenta, quantumvis aliis ſimplicibus aſſocientur, ut eorum odor, & ſapor occultetur, celari poſſint, quia præterquam quod omnia ſunt odore, & ſapore
11 horribili, ut ex plurium Doctorum teſtimonio dixi alias *lib.2.Quæſt.Medico-leg.tit.2.quæſt.7.num.8.* ipſemet Natura inter aſſumendum eorum abominationem abſque ſapore, & odore perſentit, & aſſumere renuit, ac diſplicentia & nauſea, & vomitu illa, ſi aſſumpta ſint, conante à ſe expellere, ita ut nec veriſimile, nec poſſibile ſit Nicolaum tot cyathos vini ingurgitaſſe ſumma cum delectatione abſque eo quod ne minimo quidem ſigno illius diſplicentiam demonſtraverit, ſed forte dici ab adverſariis poſſet non fuiſſe univerſum vinum medicamento alteratum, ſed tantum ejus partem: Verum hoc etiam conceſſo, tamen cùm unius vaſis, ſeu cœnophori vinum totum fuerit medicamento ſomnifero alteratum, nunquam Nicolaus tam avidè, & cum tanta delectatione totum illud vinum auſiſſet abſque eo, quod ne minimam quidem ſignum extranei alicuius ſaporis, aut odoris præſentibus daret. Quibus addendum, quod Lucia de utroque etiam vaſe biberit ab ipſo Nicolao invitata, nam de vino albo Muſcatello dicto deponunt duo Teſtes, de vino verò rubro Montis Politiani deponit unus quidem tantum teſtis, ſed ambo concordes ſunt in hoc, quòd Lucia à Nicolao invitata ad bibendum de vino rubro illo bibere recuſaverit, cùm diceret ſe adhuc non ſitire; Teſtis tamen ille qui deponit de provocatione Nicolai, & de recuſatione Luciæ dicit dehinc quod abſente alio teſte, Lucia iterum à Nicolao provocata de vino rubro cyathum biberit, Neque valet dicere, quod Lucia illud multa aqua temperaverit, & ſic medicamenti efficaciam effugerit, quia cum medicamentum ſupponatur fuiſſe potentiſſimum, etiamſi Luciam non ſoporaſſet, ut Nicolaum, tamen aliquem effectum in illa produxiſſet, aut ſaltem aliquo modo ſomnolentam redidiſſet; Sed quis dicet illam, quæ fœmina erat, & ob id valde timida, non inquam guſtandi, ſed vel odorandi vinum illud venenatum, voluiſſe tamen ex eo integrum cyathum haurire, ſaltem timere debuit, & ne ipſa ſomno capta, Amaſium poſtmodum in domum introducere non poſſet, ut etiamſi introduxiſſet, non poſſet cum illo ſe delectare, ad quem tamen effectum ad ſe illum introduxiſſe præſumitur. Ac denique patet, quod etiamſi ſomniferum eum eo vino fuiſſet Nicolao propinatum, fuerit tamen omnino ejus potentia à vini virtute refracta, & ſic non poterit ſuos effectus prodere, præſertim cum vinum illud fuerit quantitate multum, & qualitate potens, unde cum ſomnifera omnia frigida ſint, & facile à vini caliditate edomantur.

Et ad ea, quæ in contrarium opponuntur, facilis eſt reſponſio, nam Teſtes depoſentes de alia exhibitione ſomniferi per ſororem Nicolao facta, deponunt tantùm de Auditu ab ipſo Nicolao, qui inter commeſſandum cum illis (ac forte tunc etiam pluſculum biberat) iactabat ſe alias à ſorore fuiſſe vino medicato potionatum, quamquam hoc aſſertive non affirmaret, ſed dicebat tantùm, quòd cum ſuſpicaretur ſororem in quadam cœna velle ſibi porrigere vinum ſoporiferum ad eum fallendum ipſe ſibi optime cavit quod, ut erat homo vaniſſimi ingenij, & ignorantis quid hoc importaret, dicebat ad oſtendendam propriam prudentiam. Sed hæc ſuſpicio in tam craſſæ Minervæ homine potuit eſſe vana, & quod de ſopore in vino percepto iactabat, potuit eſſe quid imaginarium cũ nihil tale in vino vero adeſſet, vel eſſe aliquid à vaſis vitio proveniens; nam & eodem tempore ipſe Nicolaus conquerebatur, quod vinum domi haberet non prorſus boni odoris, & ſaporis ex eo, quod vas in quo obſervabatur, ſitum contraxeratinec à famulis fuerat, ut docebat curatum de illo mutando ut deponunt duo teſtes pro parte Luciæ examinati: Quod verò poſt illam noctem Nicolaus capite malè haberet; non debet nec poteſt de neceſſitate, ad ebibitum vinum medicatum referri, qui conſtat illum ob extraneum ſaporé, quem in vino percipiebat, ab eo abſtinuiſſe. Ergo alia aliqua ex cauſa capite doluit. & fortè ex nimia vigilia, quia cum plurimum ſatageret invigilare, ne Lucia ea nocte Amatorem in domum admitteret, nullatenus dormivit, unde facilè fieri potuit, ut inde in eum dolorem laberetur.

Quæ verò ſubdunt adverſarii, quòd Nicolaus bene ſe haberet immediatè poſt illam cœnam in morbum lapſus ſit nihil omninò facit in hoc caſu, quia nec novum nec infrequens eſt homines robuſtiſſimos, & Athlerice ſe habentes de repente, & ex improviſo fieri Apoplecticos: idcirco enim ſuſpectus eſt apud Hippocr. *lib.1. aphor. 3.* habitus Athletarum cum ad ſummum bonitatis attingit eademque de cauſa Celſus *lib.2. ſua Med.cap.1.* illud affirmavit *Splendior aliquis, & ſpecioſior, & coloratior factum eſt, ſuſpecta bona ſua habere debet*, unde nihil relevat, quod Nicolaus optimè ſe haberet, & tamen de repente in Apoplexiam ſit lapſus: ſuſpicio enim adminſtrati veneni tunc militat quando homo 12
ſe optime habet, & ab aſſumpto aliquo cibo de repente labitur in peſſima accidentia veneno familiaria: ſed accidentia quæ ſupervenerunt Nicolao, non fuerunt accidentia veneno familiaria, ſed fuerunt accidentia provenientia ex capitis multa repletione, & prægreſſæ crapulæ proportionata: præterquam quod verum non eſt, quòd Nicolaus bene valeret, quia, ut conſtat, & ſuperius etiam dictum eſt, jam à multis diebus habebat caput valdè gravatum, & multa pituita oppletum, unde facile fuit Pituitam à nimia vini copia commotam cerebri ventriculos obſtruere, & Apoplexiam concitare, licet & abſque hac diſpoſitione, & ſolum ex immodico vini potu Apoplexia aliquando, repentina mors excitetur, Gal. *lib.3. de Temp.* & ex Hippocr. *ſent. lib.5. aphor.5.* Bacc. *lib.3. de vin hiſt.cap.17.* Ab Apoplexia autem niſi occidat, ſolet plerumque fatuitas, vel perpetua, ut in Nicolao, vel ad tempus ut in aliis ſuccedere: quamobrem cum morbus, & ejus accidentia proportionata ſint errori in victus ratione patrato, & cauſis antecedentibus, non eſt rejicienda culpa evenientis morbi in ſomniferum, præſertim cum de erratis in victu omninò concludenter conſter, de ſomnifero verò nihil certi habeatur. 13

Unde neque ad rem faciunt, quæ ex Medicis adducuntur circa virtutem quorundam ſomniferorum, quæ tamen etiam uſurpata, ut prætenditur, non potuiſſent unica vice 14
tantam concitare fatuitatem, & Apoplexiam, nam Medici loquuntur de frequenti uſu talium ſomniferorum, alias enim videmus ipſum Opium, quod eſt omnium ſomniferorum potentiſſimum affluenter uſurpatum à Mauritanis præſertim, ut teſtatur Garzias ab Hort. *lib.1 hiſt. Arom cap.4.* neque interimere, neque fatuos homines reddere, ſed eos tantum dormitabundos efficere: quin etiam Solanum Maniacum teſte Dioſcorid. de re Med. *lib.4.cap.69.* ad duarum drachmarum pondus hauſtum (de ejus radice loquitur ad tres tantùm dies mentis alienationem affert, quemadmodum, & alia multa, nec facile inventu eſt tale venenum, quod de facto hominem dementare poſſit. Itaque Apoplexiæ potius ex ebrietate excitatæ, quam ſomniferi cujuſdam virtuti, Nicolai fatuitas attribuenda.

Quod additur de ſignis atteſtantibus, potius ſomniferi aſſumptionem, quàm ebrietatem in Nicolao, inane omnino eſt quia, quæ dicuntur, haberent quidem locum, ubi Nicolaus, ex ebrietate in ſoporem lapſus eſſet, tunc enim forte & facici rubor & alia apparuiſſent ebrietatem atteſtantia, ſed Nicolaus ex ebrietate incidit in Apoplexiam, ex qua opprimi animales ſpiritus, & calorem capitis ipſius & cerebri ſuffocati quis non novit? non mirum ergo, ſi facies apparet ſub pallida, ad livorem declinante, ob ſpirituum, & caloris extinctionem, & quod etiam poſtquam ad ſeſe rediiſſet, eundem pallorem retinuerit, impoſſibile quippe erat poſt ſortè Apoplexiam non remanere graviſſima quædam accidentia, ipſius prægreſſi morbi fortitudinem atteſtantia, ut ſemper in quacunque Apoplexia fieri conſuevit, à qua relinqui ſemper 15
membrorum torporem & Paralyſim etiam dictum eſt, & notum, & in confeſſo eſt apud omnes.

Neque aliter reſpondendum ſequenti objectioni, in qua dicitur non eſſe veriſimile ab ebrietate potuiſſe relinqui fatuitatem, cum vinum mirum in modum calefaciat, non refrigeret fatuitas autem à multa frigiditate originem trahat;

quia hoc gestis concesso verificaretur, quando immediatè ab Ebrietate secuta esset fatuitas, sed non quando ab Ebrietate prius concitata est Apoplexia, ac deinde ad Apoplexia fatuitas, quia Apoplexia suffocando, ut dictum est & extinguendo calorem, ac spiritus, reliquit frigiditatem in cerebro, ex qua provenit deinceps fatuitas.

Ad id quod opponitur, quod sopor ille, quo prehensus est Nicolaus, non fuerit, nec esse potuerit ex vino, conceditur; nam verè fuit ex Apoplexia, neque valet dicere, quod hic morbus non potuit esse Apoplexia, quia terminatus esset in paralysim, ut solet semper terminari; quia præterquam quod hoc non est perpetuæ veritatis, evenit etiam interdum ut Apoplexia terminetur ad nervos interiores ipsius capitis,
16 vel quod materia faciens Apoplexiam ad cerebri corpus transmittatur, unde postmodum frigiditas intenta emanat ex
17 qua aut memoriæ deperditio, aut fatuitas generatur, ut in casu nostro cui similes historias apud scriptores adnotare licet, & signanter quæ narrantur de Messala Cotvino de Francisco Barbaro, de Georgio Trapezuntio, de Litostene, & de aliis, de quibus vide Schenk. *lib. 1. Observat. var. tit. de Apoplexia.* Itaque etiamsi velimus impossibile esse, Apoplexiam terminari sine ulla partium Paralysi, tamen dicendum, in hac Apoplexia factam esse læsionem, & quidem insignem ipsius cerebri, ex qua fatuitas est generata. Ex quibus concludendum pro veritate videtur, Nicolai fatuitatem à prægressa Apoplexia originem duxisse, non ab aliquo somnifero, vel venenoso medicamento violento, & ex hac postmodum in Apoplexiam relapsum obiisse. Quamobrem videtur Lucia in hac re esse extra omnem culpam, nec potest tormentis subiici ad ulteriorem veritatem ex eruendam illa quia indicia urgentia nullo modo suspicionem faciunt, quod Nicolaus potionatus fuerit, sed concludenter ostendunt, illum ex Ebrietate in Apoplexiam cecidisse.

CONSILIUM XXVI.

ARGUMENTUM.

In societate scutorum trecentorum inter D. Constantium Constantinum, & D. Vincentium Bardum super periculo vitæ D. Annæ prædicti Constantij Filiæ, quæ non multis antea mensibus fuerat desponsata, & suscipiari cæpit prædicta Anna, se utero gerere, cum iam per duos menses parcè admodum purgatetur, & appetentiam haberet deiectam, & è contra extranea quædam appeteret, aliaque signa notaret, quæ illam in utero habere commonstrare poterant. Inter hæc, Febre maligna corripitur, ex cuius malitia interiit, de eius gravitate nihil aliud certi relinquens. Prætendebat Vincentius esse factum locum lucro, contra volente Constantino pecunias in societatem datas non esse amissas, cum illa ex graviditate obiisset, ex quo factus esset locus exceptioni. Quæsierunt à me ipsi principales (qui ob arctæ amicitiæ vinculum, quo detinebantur, recusabant lites inter se habere) quid pro veritate sentiendum esset promittebat enim eorum uterque meæ omnino assertioni stare.

SUMMARIUM.

1 *Graviditatis potiora signa.*
2 *Masculi fœtus signa.*
3 *Pragnantia certò cognosci non potest.*
4 *Signa demonstrantia mulierem suspectam graviditatis, utero non gerere.*
5 *Signa pragnantia etiam ex simplici menstruorum defectu apparere solent.*
6 *Aliqua fœmina etiamsi in utero gerant, primis mensibus purgantur.*
7 *Pluris faciendum eius dictum, qui magis rationabilia profert.*
8 *In curandis gravidis non licet eas negligere, ut fœtus salvetur.*
9 *Motus in utero est magnum conceptionis signum.*
10 *Motus embrionis quomodo differat à motu ab alia causa excitato.*
11 *Pragnantia infallibiliter cognosci non potest in omnibus.*
12 *Gravida aliquando pro non gravidis, & non gravidæ prò gravidis existimantur.*
13 *Non sufficit ut pragnantia sit causa mediata mortis ad hoc ut pecunia in societatem data non admittantur.*
14 *Non sufficit, ut pragnantia impediat, ne remedia adhiberi possint, ad hoc ut pecunia in societatem data super periculo vitæ ipsius pragnantis, non amittantur.*

COnsiderabam ergo primò casum pro parte Constantij, 1
pro quo apparebat cuiusdam Medici fides asserentis Annam verè utero gestasse, & à se ut talem fuisse tractatam. Neque videbatur ab re Medicus etiam fidem fecisse, quia multa apparebant signa & potiora graviditatis in ipsa Anna, ut erat Menstruorum defectus iam per duos menses, qui in iuvencula aliàs rectè purgari solita, faciebat non solum suspicionem, sed quasi certitudinem gravidationis: Iuvenes enim sanguine abundant, & ideirco facilè ab illo repugnantur per menstrua cum utero non gerunt, nec alia ex causa, nisi ex graviditate plerumque ea purgatio in iis retinetur. Adnotaverat insuper Medicus non modo inappetentiam, quæ D. Annæ supervenerat, oscitationes frequentes; & membrorum lassitudinem, & alia magis probabilia graviditatis signa, sed etiam mutatum faciei colorem, & papillarum nigritiem ipsarumque situm sursum vergentium, & urinam ex qua maximè se cognoscere dicebat mulieres gravidas, & alia quædam leviſsima, indigna prorsus quod à perito Medico in ullo censu habeantur, cùm nugæ potius sint ad mulierculas fallendas inventæ. Sed multum se fundabat Medicus præter urinam in motu percepto in ipso ventre maxime de mane muliere ieiuna existente, licet neque ipsa Anna sciret talem morum adnotare, sed dicerer semper interrogata quod videbatur quidem sibi nescio quid sentire, sed ignoraret explicare quidnam verè esset, & tamen Medicus asseverabat se talem motum in utero mulieris non semel observasse. Quin etiam ulterius ad maiorem fidem sibi adsciscendum, inculcabat eundem motum multò vehementiorem à se observatum in ipsa mulieris infirmitate, & præcipuè in ipsarum febrium accessionibus, quem motum fuisse verè Embrionis non dubitabat, unde non solùm profitebatur in præallegata fide, An- 2
nam utero gestasse, sed gestasse masculum huic motui validiori, & papillis denigratis, ac sursum vergentibus, & motui magis à dextris, quam sinistris conspicuo confisus, ex quibus nullum in ea re dubium intercedere posse firmavit ut in eadem fide profitebatur. Quæ omnia cum viderentur ab optimis Medicis comprobari, absque dubio multum afficiebant.

Accedebat, quòd Anna ab omnibus vicinis mulieribus pro gravida habebatur, aderantque Testes ad hoc examinati, qui deponebant, illam pro gravida ab omnibus fuisse habitam; quinimo mulieres nonnullæ, quæ audierant Obstetricem ab Anna accersitam de prægnantia valde dubitasse, neque voluisse pro certo affirmare illam in utero habere, illam ipsam obstetricem irriserant tanquam ignaram, parumque expertam, ac multis propriis exemplis similes gravidationes se esse passas, nimirum cum aliquali menstruorum apparentia in primis mensibus, tandemque feliciter peperisse firmabant, ita ut Anna harum persuasionibus animata iam non multo ante febris insultum se certo gravidam esse diceret, & ut gravidam se tractabat, manens semper in multa quiete, imò frequenter decumbens in lecto, nonnisi lente ac caute se movendo imo & cum curru veheretur, nonnisi tarde gradiebatur ex quo tanto certiores de eius graviditate, & vicini, & noti omnes facti fuerunt. Unde cùm timore quodam perculsa ex alio curru concitatis equis sibi obviam facto, domum reversa à febre esset correpta, ab omnibus, & singulis non aliunde id illi evenisse firmatum est, nisi ex eo quod utero gereret; quamobrem timebant illi omnes, ne ab eo timore maximè superveniente febre, quod statim à principio fuerat acuta, omninò abortiret, ex quibus videbatur dicendum, Annam utero gestasse, & cum ob prægnantiæ culpam perierit, locum esse factum exceptioni, neque posse Vincentium pecunias super ejus vitæ periculo in societatem acceptas lucrari.

Pro parte tamen Vincentij opponebatur, Primò, non con- 3
stare de Annæ graviditate, quia circumscripta difficultate, immò inquam, impossibilitate certitudinis cognitionis prægnantiæ maxime in primis mensibus, de qua infra, producebatur fides Obstetricis asserentis se numquam pro veritate affirmare potuisse, Annam in utero habere, non obstante Medici assertione, mulierularum attestatione de graviditate, & reddebat sui dicti rationem, dicens, signa graviditatis quæ apparebant in D. Anna fuisse nimis levia, nec connumerari inter potiora; Contra verò adfuisse multa, 4
quæ ostendebant illam nequaquam esse gravidam, ut erat

præcipuè

præcipuè ipſius uteri conſtitutio, nam neque os ipſius internum ullo modo clauſum, aut inverſum apparebat, neque ad tactum ulla ipſius corporis uteri renitentia, aut tumefactio ſe prodebat; neque aliud quid ab expertiſſimis Oſtetricibus in prægnantia vere adnotaturninam ea ſigna, ſuper quæ ſuum dictum fundabant Medicus, & vicinæ mulieres, eſſe omninò leviſſima confitebatur, ac facilè ad ſimplicem menſtruorum defectum conſequi poſſe.

Secundò conſtabat, neque à Conſtantio in dubium vertebatur, D. Annam, antequam nuptui traderetur, ſemper paſſam eſſe aliqualem menſtruorum defectum, ex quo etiam hiſtericis affectibus moleſtabatur unde idcircò à Medicis Patri injungebatur, ut eam quamprimum viro jungeret, cùm ſperarent illam ex conceptione convaliturum. Interim tamen eadem ipſa ſymptomata antè nuptias paſſa eſt, quæ de præſenti experiebatur & licet his adderentur motus in utero, papillarum mutatio quoad colorem, earumque retractio ad ſuperiora, & alia id genus, tamen dicebatur, hæc nequaquam tunc fuiſſe obſervata, licet verè, & cum effectu adeſſent, quia nulla ſuſpicio conceptionis aderat, ob quam obſervari neceſſe eſſet. Inappetentiam autem, & rerum extranearum appetitum fuiſſe quoque à prima menſtruorum apparitione
5 D. Annæ familiares, ipſemet Conſtantius non inficiabatur; nam & hæc ipſa à Menſtruorum defectu prodire quotidie experimur, & maximè ipſis Virginibus ſub Menſtruorum appatitionem, cum non rectè, & ſecundum Naturam repurgantur. Inde quoque & malus corporis color, & oculorum offuſcatio, & capitis leviuſculi dolores, & vertigines, & vomitus, & alia permulta, quæ in Virginibus, & in omnibus fœminis, quæ menſtruorum defectum patiuntur, indies obſervamus: omnes enim ſimiles effectus ſanguis præter naturam retentus producere eſt aptus, quos in verè gravidis producere ſolet, etiam ipſam lactis collectionem in mammillis, ut ab omnibus Medicis docemur, & aliàs affluenter demonſtratum eſt. *lib. 1. Quæſt. Medico-Legal. tit. 1. num. 2. per totum*, & alibi; & licet hæc in D. Anna ceſſaſſe viderentur à purgatione celebrata per aliquot menſes antequam marito jungeretur, tamen facilè fuit, ut urgente iterum menſtruorum defectu, de novo pullularent, cum ab eo menſtruorum defectu corpus pravis humoribus repleretur, ex quibus ea ſympromata excitabantur.

Tertiò, conſtans erat apud utramque partem, D. Annam non omnimodam menſtruorum carentiam habuiſſe, ſed per vices nonnihil ſanguinis expurgaſſe, ut aliàs antequam viro copularetur, illi evenire conſueverat. At verò conſentaneum erat, ſi realiter erat gravida, eum parcè admodum extra
6 prægnantiam purgaretur, menſtrua in prægnantia omninò ceſſare, quia etiamſi in aliquibus mulieribus primis conceptionis menſibus menſtrua aliquatenus apparere ſolent; id fit in illis, quæ & benè purgantur, & ſanguine multo ſunt refertæ: at in his quæ parcè purgantur, neque multo ſanguine abundant, ut in D. Anna eveniebat, non veriſimile eſt, uterum è ſemine concepto potuiſſe aliquam ſanguinis partem expurgare, cùm eo indigeret pro ipſius conceptus nutritione; Sed hoc gratis, tanquam non multùm afficiens Vincentius Conſtantio condonabat. Magis urgebat, quod D. Anna non aliter tunc purgaretur, quàm aliàs, cùm adhuc virgo eſſet, purgari ſolebat; nempè per vices quaſdam inordinatas, atque admodum parcè, ut eadem D. Anna iis mulieribus confitebatur, quæ in principio præſumptæ graviditatis, illam in utero habere volebant, non obſtante quod purgationes menſtruas haberet.

Quibus omnibus optimè perpenſis in eam ſententiam veni, D. Annam utero non geſtaſſe, nec verè unquam prægnantem fuiſſe: & caſu quo verè fuiſſet prægnans, non eſſe tamen per ejus mortem factum locum exceptioni ſed lucro pecuniarum, quæ ſuper ejus vitæ periculo Vincentius à Conſtantio acceperat. Nam ſuper Medici fide deponentis de certitudine graviditatis D. Annæ nullum omnino fundamentum fieri poteſt, cùm conſtet, illum leviſſimis quibuſdam ſignis motum, ac confiſum aſſeruiſſe. D. Annam pro certo utero gerere, potiora, & tutiora non advertentem; Contra autem plurimum tribuendum expertiſſima Obſtetricis depoſitioni, cùm multò magis conſona rationi ſint, quæ illa deponit, negando D. Annam fuiſſe gravidam, quàm quæ deponit Medicus aſſerendo fuiſſe gravidam; nam pluris, faciendum ejus dictum, qui
7 magis rationabilia loquitur.

Nec quicquam me movet, quòd in paritate judiciorum ſit magis tribuendum Medico, quam Obſtetrici. Quia, præterquam quod hoc fortè in his, quæ ad Obſtetricem magis ſpectant, non habet locum; ex facto patet. Medicum fuiſſe craſſæ Minervæ hominem, talemque ſe oſtendiſſe ſuamet fide, ac diſpoſitione, contrà verò, Obſtetricem fuiſſe expertiſſimam, & deponere de iis, quæ ad propriam peritiam magis pertinent, reddendo ſuæ aſſertionis rationem; quinimò, Medicum inſigniter erraſſe dixerim in ipſa D. Annæ curatione, nam neque ſanguinem illi detraxit, cujus habebat ſummam, & extremam neceſſitatem, neque alia potiora remedia ulla adhibuit, quæ tamen facere debebat etiamſi D. Annam 8
gravidam exiſtimaret, non enim licet negligere prægnantem, ut fœtus ſalvetur, ac ſatis ſuperque eſt, ſi nihil ad abortum excitandum directè adhibeamus, ut alias probavi *lib. 6. Quæſt. Medico-Legal. tit. 1. q. 7. num. 16.* Ex qua Medici ignorantia, ac ſupino errore colligendum eſt, illum in Arte minimum valuiſſe, & ſic nullam ei fidem eſſe adhibendam, ſed magis Obſtetrici deferendum de iis, quæ ad propriam peritiam pertineat, deponenti.

Quid porrò de Motu percepto ab Anna in ventre (qui 9
habetur pro valido, ac certo conceptionis ſigno) ab eodem Medic. aſſertur, nihil me movere potuit, cum conſtans opinio apud omnes doctos Medicos ſit, talem motum ab aliis cauſis, quàm à fœtu excitari poſſe, ut luculenter probatum eſt *lib. 1. quæſt. Medico-Legal. tit. 1. quæſt. 1. num. 36. & ſeqq.* & licet concedere paratus ſim, quòd hic motus ſit ex certioribus ſignis conceptionis, tamen debet ſi quicquam ei fidendum eſt, cum aliis potioribus ſignis aſſociari, aliàs nihil faciendum; At in hoc caſu tantùm aberat ut alia potiora ſigna obſervarentur, ut potius alia adnotarentur contrarium atteſtantia, ut jam ex ſuperioribus patet. Præterquam quod motus obſervatus in D. Anna non erat talis, quod quicquam ei fidendum eſſet, ſed quia is Medicus erat ex his, qui ad pauca reſpiciunt, non mirum eſt, ſi facilè pronuntiaverit: nam non tam facilè pronuntiaſſet, ſi obſervaſſet differentiam motus à fœtu excitari, & ejus, qui excitatur ab aliis cauſis: 10
motus enim Embrionis eſt aliqualiter ordinatus blandus ac lenis in principio, mox etiam validior, non dolorem, non fluctuationem, non ſonum pariens: at motus, quem percipiebat in ventre D. Anna erat inordinatus, modo in una, modo in alia parte, neque erat omnino doloris expers, ut ipſamet fatebatur. quinimo ex eo, quod plurimis obſtructionibus afficeretur, cum eodem motu fluctuationes quaſdam percipiebat; ſed maximè fugillanda venit hujus Medici audacia, & ignorantia, quia D. Anna ante exactum tertium gravidationis menſem febre maligna obiit, at motus infantis in utero non tam cito percipi plurimum ſolet, ſed in tertio, aut quarto menſe, ut docet Hippocrat. *in libr. de Nat. Puer. num. 2. & lib. 1. de morb. mul. num. 97.* & alibi? & cum eo cæteri omnes: ergo motus hic non potuit à Medico tam facile percipi, ut ex eo pro certo deprehenderet, D. Annam eſſe gravidam.

Nihil præterea facit, quod D. Anna ab omnibus haberetur pro gravida: nam ſi in hoc decipiebatur ipſamet mulier, & ipſe medicus, ex quorum dicto cæteri in eam opinionem venerant multo facilius poterant decipi alii? Quemadmodum nihil relevat quòd prædicta D. Anna ſe ut gravidam tractaret, putabat enim ſe verè gravidam eſſe, licet non eſſet, & idcircò tanquam gravida omnia faciebat, quæ ad prægnantiæ cuſtodiam requirebâtur; neque erat abs re illam pro certo habere, ſe utero gerere: cum ejus perſuaſionis multos auctores haberet, maximè mulieres domeſticas, & vicinas in utero gerendo expertas, & ipſum potiſſimum Medicum, qui ut erat, veluti dictum eſt, homo ad pauca reſpiciens, non modo non ambiguè: ſed aſſeveranter omninò, & omni cum certitudine jactabat, D. Annam utero gerere; & hoc tribuebat medicamentis ab ipſo eidem D. Annæ exhibitis antè quàm nuptui traderetur, cùm tamen jam promiſſa eſſet marito Alexandri Martii nomine; ſed quia exiſtimabatur, ut verè erat, valetudinaria, & Alexandri propinqui dubitabant, an apta futura eſſet conjugio & proli ferendæ, curarunt, ut antequam Marito jungeretur, per Medicum prædictum curaretur; à quo tamen ſimpliciter purgata eſt, & per aliquot dies Rhabarbarum ei exhibitum. Medicus ergo, qui erat Miles quidam glorioſus, & jactabundus, plurimum ſe ob hoc facinus extollebat, quòd nimirum ob diligentem curam D. Annæ adhibitam, illicò atque Marito copulata fuerat, utero conceperat.

Verum enim verò conceſſo etiam, quod D. Anna verè gravida eſſet adhuc nihil probaret Medici aſſertio, cum loquatur aſſertivè, & de certa ſcientia de iis, quæ nonniſi probabiliter, neque per infallibilia ſigna, ſed tantum per conjecturalia aſſequi poterat, ut Audaces, & ignari facere conſueverunt. Quod enim nihil certi obſervari poſſit, nec firmari de graviditate, latiſſimè probavi *loco ſupra cit. lib. 1. Quæſt. Medico-Legal. tit. 3. quæſtion. 1.* eam concluſionem adſtruens, prægnantiam nunquam, hoc eſt, in nullo tempore graviditatis cognoſci infallibiliter poſſe. Et licet Daniel Sennertus *lib. 4. ſuæ practica p. 2. ſect. 5. cap. 2.* hanc noſtram concluſionem non acceptet, excuſatione dignus videtur, nam forte 11

quid mihi voluerim, Vir ille doctiſſimus, ac multa laude dignus, non eſt aſſecutus, vel forte ergo ipſe, quid ſibi vellet mea concluſio explanare ignoravi, non enim hoc volui, ut in omnibus generatim impoſſibile ſit infallibiliter prægnantiam cognoſci, ſed tantum in nonnullis, nam indies videmus, quod etiam *loco cit.* dixi, neque ipſe Sennertus diffitebatur, in nonnullis fœminis aliquando Medicos etiam doctiſſimos ac
12 longævos, & experti ſſimas Obſtetrices, ipſaſque fœcundiſſimas mulieres adeò deceptos fuiſſe, ut gravidas non eſſe gravidas, & non gravidas gravidas eſſe, judicaverint, nec ullo ingenio nec ſigno quantumvis certo, nec ulla experientia certiorari de veritate potuiſſe. Mille præſtò ſunt exempla exploratiſſima. Hoc tamen unum ſufficiat: Excellentiſſima mulier jam multiplici prole fœcunda, annis præteritis credebat, ſeu ſuſpicabatur potius ſe in utero habere, nam & non multo ante utero geſſerat, & maſculum peperterat. Advocati quinque primores Urbis Medici, totidemque Obſtetrices, quin ex Sicilia obſtetricem, cui multum illa tribuebat, huc advocandam curavit, quæ cum ipſis Medicis, aliiſque Obſtetricibus eam in utero habere firmarunt, in qua ſententia etiam uſque ad decimum menſem perſeveraverunt, quò tranſacto, illa aquas tantum multas ab utero emiſit, & omnium opiniones, ac ſuam ipſius fefellit. Contra vero Nobiliſſima altera mulier à tribus doctiſſimis Medicis tractata, cum dubitaret ſe utero gerere (licet jam à quinque annis concipere deſtiiſſet) in dolorem coxendicum incidit acerbiſſimum. Advocatæ ſeniores duæ Obſtetrices, quæ retulerunt nullam poſſe haberi ſuſpicionem graviditatis. Medici omnibus diligenti examine perpenſis, in eandem opinionem venerunt, quod nullo modo eſſet gravida, maximè cum ſingulis, menſibus purgationes, licet multo conſueto parciores, irent. Itaque & iteratas purgationes, & ſanguinis iteratas evacuationes, etiam ex ſaphena lateris dolentis, & aperientia efficaciora, & decocta etiam exſiccantia, ac ſudorifica præſcripſerunt. At illa debito tempore maſculum peperit validum, ac fortem, & ſtaturæ, quam alii pueri nuper nati, procerioris, corporiſque habilioris, qui adhuc in vivis degit nativa fortitudine inſignis. Hoc ergo ſignificate per eam concluſionem volui, quod ubi ſigna maximè conſpicua non ſint, & prægnantia non ultra quartum menſem ſit progreſſa, certo, & infallibiliter de ea pronunciari non poteſt, quinimò in aliquibus ad partum uſque infallibilis prægnantiæ cognitio haberi non poteſt. Vir tamen clariſſimus Daniel Sennertus ſecundum plurimum loquitur, cui libentiſſimè ſubſcribo. Id nobis ſatis ſuperque ſit. Medicum non potuiſſe in D. Anna conceptionem infallibiliter comprehendere, & nimis audacter ipſum pro certo enuntiaſſe, illam in utero habere.

Cæterum etiamſi D. Anna in utero habuiſſet, tamen locus lucro pecuniarum factus eſſet, per ejus mortem, non exceptioni, quod erat ſecunda pars noſtræ propoſitionis; quippè cum non ex cauſa prægnantiæ, ſeu partus obierit, ſed ex maligna febre: non ex cauſa, inquam, immediatè dependente à partu ſeu prægnantia, ut requirebatur ad hoc, ut fieret locus exceptioni ex cauſa partus, & prægnantiæ: non enim ſufficit, ut prægnantia, aut partus ſint cauſa mediata, & impulſiva, ut ſæpius milies dictum eſt per DD, à me adductos *lib. 1 Quæſt. Medico-Leg. tit. 4 q. 2 per totam*, & alibi; nam benè in hoc caſu, imo
13 & in aliis omnibus prægnantia: & partus vim cauſæ habent ſupervenientis morbi, & mortis, ſed quando ſunt cauſæ tantum mediatæ, & impulſivæ, non faciunt exceptioni locum, verùm tunc ſolùm quando ſunt cauſæ immediatæ. At in caſu noſtro prægnantia non fuit cauſa immediata morbi, non enim cauſabat per ſe malignam febrem, quæ à pravorum humorum apparatu, & mala corporis diſpoſitione dependebat, ob quam, etiam extra prægnantiam, D. Anna nec bene ſe habebat, & poterat facile eadem febre corripi, ſi aliqua procathartica, & externa cauſa irrepſiſſet, ut ſubitaneus, ac magnus timor, quod etiamſi prægnantia foveret pravam corporis diſpoſitionem, & ipſum ſupervenientem morbum, erat tantùm cauſa per accidens, & impulſiva, quæ non attenditur.

Et quod à Conſtantio tunc opponitur, & à nonnullis Do-
14 ctoribus contrarium ſentientibus oppoſitum eſt nempe prægnantiam impedire, ne remedia validiora adhiberi poſſint nihil demit de difficultate, cùm ne ſic quidem intret in cenſu cauſæ immediatæ, & per ſe agentis, & finalis (confundant enim hæc Juriſconſulti in hoc caſu) ſed tantum habeat vim cauſæ fovent is, & facilitantis, ut ita dicam, effectum, nempè mortem, in cauſa enim eſt, ut facilius ſuccedat quàm alias extra prægnantiam ſuccederet; quamquam in hoc caſu multa à Medico præſtari poterant, quæ ob ignorantiam, & Animi ignaviam ab ipſo prætermiſſa ſunt, non ſine ſummo damno ipſius Ægrotantis, immò cum ejus morte. Quid enim obſtabat prægnantia, quo minus ſanguis mitti debuiſſet? at inquies, periculum erat, ne abortiret, cùm valde debilis eſſet, & valetudinariam vitam degeret. Ac fortè, inquam, ſi abortiviſſet, non obiiſſet, ex abortu enim multum puttidi ſanguinis, ac malignorum humorum expurgaſſet, ex quo poterat, febre liberari, & licet hoc non poſſet Medicus directè operari, tamè cum morbus ille magnus eſſet, & requireret ſanguinis miſſionem, debebat omninò Medicus illam imperare proſpiciens ipſi fœtui per roborantia medicamenta, tam interna, quàm externa; quòd ſi cum his Anna abortiviſſet. Medicus extra omnem culpam fuiſſet, præter eius enim intentionem abortiviſſet: at his prætermiſſis, neceſſe fuit Annam omninò ſuccumbere. Itaque in propoſita quæſtione pro veritate pronuntiandum eſt, D. Annam non fuiſſe gravidam, & in omnem caſum, quo gravida fuiſſet, illam immediatè ex febris culpa, non culpa prægnantiæ periiſſe, & per eius mortem factum eſſe locum lucro pecuniarum, non exceptioni.

CONSILIUM XXVII.

ARGUMENTUM.

Sævierat Peſtis de anno 1631. & 1632. per Italiam, ac maximè Florentiæ, ſed jam nondum prædicto anno completo ceſſaverat. Sub finem Autumni anni ſequentis 1633. Antonius Culmannus iuvenis triginta agens annos Roma Florentiam ſe contulerat, inibique perierat, exiſtimatumque ex quibuſdam ſignis, etiam in prægreſſa Peſte obſervatis, illum ex peſte periiſſe. Acceperat Arrigucius Simonellus ab Antonii patruo ſcuta mille in ſocietatem iam à tribus annis citra ſuper periculo vitæ ejuſdem Antonij. Prætendebat igitur Antonius Antonii patruus prænominatus factum eſſe locum exceptioni. Pecuniaſque ab Arrigucio acceptas in ſocietatem per mortem Antonii eius nepotis non eſſe amiſſas, cùm obiiſſet ex Peſte. Contra verò Arrigucius contendebat pecunias eſſe lucratas, quia Antonius ex alio morbo, & non ex Peſte perierat.

SUMMARIUM.

1 *Peſtis per Hyemem ſolet remitti, per Æſtatem autem, & Autumnum de novo ſævire.*
2 *Peſtis ſigna, & num. ſeq.*
4 *Peſtis ſigna in cadaveribus ex ea extinctis obſervata.*
5 *Multum intereſt inter peſtem, & morbum peſtilentem, & num 18.*
6 *In inſtrumento ſocietatum officii excipitur mors ex peſte, non ex morbo peſtilenti.*
7 *Mors ex peſte cur excipiatur in inſtrumento ſocietatis officii*
8 *Mors ex partu, & prægnantia cur in eodem inſtrumento excipta.*
9 *Qua differentia ſit inter Peſtem, & morbum peſtilentem*
10 *Peſtilens febris datur ſine Peſte.*
11 *Morbus peſtilens cur non excipi debeat in inſtrumento ſocietatis, ut excipitur Peſtis.*
12 *Peſtis excipitur ob dependentiam à cauſa univerſali.*
13 *Aer in Peſte habet ſemper ſe ut cauſa primò agens.*
14 *Ut Peſtis ſuis privilegiis gaudeat ad effectum faciendi mortis exceptionem in inſtrumento ſocietatis officii appoſitam, debet eſſe contagioſa.*
15 *Contagium in Peſte ſi adſit, multum facit ad periculi certitudinem.*
16 *Peſtis particularis non differt ab univerſali circa quadam.*
17 *Humores ad extremam corruptionem devenientes excitant eadem ſymptomata, qua excitare ſolet peſtis.*

Dicebatur autem pro parte Antonii, non poſſe dubitari, quòd Antonius nepos ex Peſte obiiſſet, quia & Peſtis ſemina adhuc vigebant, & in morbo plura ſigna Peſtis apparuerant. Quòd verò Peſtis ſemina adhuc vigerent, patere dicebant ex hoc, quia anteactis Æſtate plures ex ſimili morbo perierant neque verisimile eſt. Peſtem per Autumnum remiſiſſe; eo ſtat enim experientia, quòd quamquam Peſtis 1
per Hyemem remittit, tamen per Æſtatem, & Autumnum ſolet de novo, ac maximè ſævire. Itaque cum palam ſit, Antonium, alioſque cum ſymptomatibus Peſtis occubuiſſe, non poteſt affirmari Peſtem ceſſaſſe, ſed potiùs ejus ſemina adhuc perſeveraſſe, & Antonium verè ex Peſte, & non ex alio morbo fuiſſe vita functum: nam, ut dicebatur, adnotatæ fuerunt in Antonio exanthemata, ſeu Petechiæ

per

per univerſum corpus lividæ, ac nigræ apparuerunt animi defectus & lypothymiæ, quotieſcunque loco movereтur, quinetiam partium extrematum perpetua frigiditas adfuit, earundemque lividitas ſudores tenues, ac frigidi circa frontem, & alia id genus; quæ nonniſi peſtilentis morbi ſigna ab omnibus exiſtimantur.

Accedebat fides medicorum deponentium, Antonium ex febre verè peſtilenti fuiſſe ſublatum, quinetiam publica vox, & fama irrepſerat, imò etiam timor, ne peſtis ipſa de novo propagaretur. Ac profecto maximè urgebat Medicorum fides, quippe qui eum curaverant, & cum eſſent docti, & diligentes, & obſervaſſent prægreſſæ febris, ac Peſtis morem,
3 non oſcitanter de ea reeos fidem feciſſe credendum. Antonium nempe ex febre peſtilenti obiiſſe; præcipuè verò, cùm illa ipſa ſymptomata per ipſos in Antonio fuerint obſervata, quæ anno præterito iis obſervabantur, qui ex peſte peribant ut erat lipothimia, ſeu animi defectus occaſione cujuſcunque motus etiam levioris, ſudores tenues, ac frigidi circa frontem præcipuè ſub mortem, extremorum frigiditas, & interiorum incendium, livores, & peticulæ, & alia hujuſmodi; Quamobrem nonniſi injuria negari poterat, Antonium periiſſe ex Peſte, nam omnino ſtandum videbatur fidei per prædictos doctiſſimos Medicos factæ, cui etiam plurimum ferendum apud Juriſconſultos conſtat.

Denique in ipſo Antonii cadavere apparuerunt etiam aliqua ſigna peſtilentis morbi, ut livor facici ac tumor, cruoris rejectatio per os, & nares, cita corporis putrefactio, & alia nonnulla, quæ ſignanter in ipſis cadaveribus eorum qui Peſte ſunt ſublati animadvertі ſolent; de quibus etiam conſtat per fides Peritorum, & per alios Teſtes examinatos, ita ut ex his omnibus jure videretur concludendum, Antonium ex vera Peſte obiiſſe, & per ejus mortem nequaquam eſſe factum locum lucro pecuniarum ſuper periculo ejus vitæ ab Arriguccio in ſocietatem acceptarum, ſed exceptioni, ſtante clauſula in ipſo inſtrumento ſocietatis appoſita, excipiente mortem ex Peſte, & Epidemia.

Pro parte tamen Arriguccii Simonelli dicebatur, Antonium ex morbo quidem ac febre peſtilenti obiiſſe non autem ex Peſte, & ob id nequaquam eſſe factum locum exceptioni, ſed lucro. Multùm enim intereſt inter peſtem, & morbum peſtilentem, ut deinceps apparebit. In inſtrumento autem ſocietatis officii excipi quidem mortem ex Peſte provenientem, non verò ex morbo peſtilenti: ratio enim exceptionis mortis ex peſte alias à me aſſignata *lib. 1. Quæſt. Medico-Legal. tit. 4. q. 1.* eſt certitudo periculi, ejuſque frequentia, cùm contra periculum debeat eſſe dubium, nec tam facilè ac frequens, ut levi negotio incurratur; ideireo enim dictum ibi eſt, exceptam fuiſſe mortem ex partu, & prægnantia, & mortem ex peſte, illam ob facilitatem incurrendi mortis periculum; hanc verò ob frequentiam ſimul, & certitudinem ejuſdem periculi: Itaque cùm Antonius non
8 obierit ex peſte non poteſt per ejus mortem eſſe locus exceptioni, qui a morbus, ex quo obiit non ſolum frequens non eſt, nec de facili homines prehendit, ſed de raro videtur, & difficillimè homines, adoritur niſi ipſa peſtis vigeat, tunc enim contra & frequens eſt, & de facili prehendit, & facillimè occidit.

Differentia autem, quæ eſt inter febrem, ſeu morbum peſtilentem, & Peſtem, ea eſt, quod peſtis univerſalis ac popularis morbus eſt, & à cauſa univerſali dependentiam habet,
9 quæ cauſa cùm ſit omnibus hominibus, imò etiam aliquando omnibus animalibus communis facillimè majorem eorum partem adoritur atque etiam è medio tollit, quinimo propagatur per contagium (ſi communi opinioni adhærere volumus de uno individuo in aliud. At vero morbus peſtilens, ſeu febris peſtilens habet ſemper extra peſtem cauſam particularem ab ipſomet individuo dependentem, & à putredine inſigni in proprio ejus corpore & humorum pravitate originata, & ideirco non de facili propagatur, nec communicatur aliis individuis, niſi frequenter & multum ejus exhalationes putridas excipiant, unde ceſſat in hoc caſu frequẽtia
10 & certitudo periculi ex cauſa illa univerſali; & hoc eſt quod Galenus dicebat *comm. 3. in 3. Epidem. pantic. 57.* dari peſtilentem febrem ſine peſte, hoc eſt dari febrem, quæ habet eandem omnino malitiam, quam habet ipſa peſtis, abſque eo quod peſtis vigeat, aut cauſa univerſalis aliqua illam excitaverit. Et ſi opponatur in febre etiam peſtilenti abſque peſte eſſe eandem periculi certitudinem, quæ adeſt in peſte. Reſpondetur hoc nihil referre, quia periculum non imminet ab extra, nempe à cauſa illa univerſali, aut à contagio tanquam cauſa etiam univerſali, & propagabili de facili ab uno individuo, ad plura; ſi communi opinioni adhæremus: nam quoad periculum imminens ab ipſa malitia febris peſtilentis, quod quidem quaſi certum eſt, quia ut plurimum occidit, dicendum illum ſufficere, quia non militaret tantùm in ipſa febre peſtilenti, ſed in pleriſque aliis morbis qui habent maiorem periculi certitudinem, quam ipſa febris peſtilens; non eſt ergo excipiendus morbus peſtilens ob id, quod certitudinem periculi adiunctam habeat, quemadmodum non excipiuntur alii morbi, habentes etiam eandem, & majorem periculi certitudinem, ut exempli gratia, Ileos, ſeu volvulus ab inflammatione ſtomachi quo- 12
que inflammatio, ſortis Apoplexia, & alii; & in ſumma peſtem excipi ob dependentiam à cauſa univerſali, aqua quicunque individuo indifferenter imminet ſemper periculum certum, firmavi alias *loco cit.* pro cujus rei veritate roboranda, plura adduxi.

Antoniam igitur ex morbo particulari deceſſiſſe facile probatur ex eo, quod iam peſtis ceſſaverat, cum iam plures menſes tranſiſſent, in quibus ne vnus quidem cum ſignis peſtis deceſſerat, quod manifeſtiſſime demonſtrabat cauſæ univerſalis influxum iam omnino evanuiſſe, aëremque, qui ſemper in vera peſte habetur ut cauſa primò agens, remanſiſſe omninò à putredine vindicatum, ita ut poſtea ab hominibus abſque infectionis timore reſpirari poſſet. Vnde non ſolum cauſæ univerſalis influxus deſierat, ſed ceſſaverat etiam omnis ſuſpicio, & periculum contagii, cum jam aditus liber omnibus pateret, & Advenæ etiam abſque ullo impedimento in civitatem admitterentur, quod ſecundum communem opinionem, quæ vult peſtem omnino à contagio originem ducere, & ab eo propagari, & incrementum ſuſcipere, erat ſignum certiſſimum, & infallibile, omnem peſtis ſuſpicionem ceſſare, nam etiam de anno præterito notabiliter remiſerat, & ideirco poſtmodum ſuccedente anno, in quo omnino peſtis exiſtimabatur evanuiſſe non fiebant amplius conſuetæ cuſtodiæ quæ fiunt tempore peſtis ob prædictam contagii ſuſpicionem, quamobrem inane omnino eſt, quod ab Adverſariis dicitur? Antonium nempe ex ſeminiis prægreſſi contagii in peſtem incidiſſe, ſi hoc enim ullam veritatem habuiſſet omni procul dubio propagata in alios eſſet; & ſi opinioni cõmuni fidem habere volumus, ii qui Antonium in ea infirmitate tractaverant aut aliqui ſaltem eorũ non effugiſſent periculum contagii: At verò conſtat nullum ex illis ipſis contagio fuiſſe affectum, ſed ne leviſſimo quidem aliquo morbo tentatum. Verum conceſſo, quod Antonius ex vera peſte obierit, tamen mors ex ea eveniens non poterat excepta cenſeri ob idipſum, quod contagioſa non 14
eſſet; ut peſtis enim ſuis gaudeat privilegiis (quorum unum hoc eſt, ut mors ex ea eveniens faciat locum exceptioni, nec idcirco pecuniæ in ſocietatem datæ amittantur) debet eſſe contagioſa, ut firmavi alias *cit. lib. 5. de Quæſt. Medico-Leg. tit. 3. q. 2. num. 9.* nam Contagium (præſertim ſi tantam habeat vim atque energiam, quantam habere communis opinio ſibi perſuadet) multum facit ad periculi certitudinem, 15
unde ubi non adſit contagium, mors ex peſte eveniens non debet facere quantum ego exiſtimo, locum exceptioni; Ac peſtis, qua præſumitur fuiſſe extinctus Antonius non erat contagioſa, ut ab effectu comprobatum eſt, quia nullus eorum, qui eum tractarunt, ſicut dictum eſt, & quia abſque ulla cautela cum eo commorati ſunt, peſte fuit correptus.

Et ex his facillimè ſatisfit iis, quæ ex adverſo adducebantur, nam quod peſtis ſeminia non vigerent; jam probatum eſt, Quod verò Antonius perierit cum ſignis nonnullis, imò inquam, omnibus peſtis nihil relevat, quia nihil habet pe- 16
culiare circa hoc particularis peſtis à peſte univerſali, ac vera, & in utraque eadem prorſus ſigna, atque ſymptomata conſpiciuntur, utraque enim habet cauſam deleteriam, & veneficam univerſalis quidem aërem putrefactum, & veneni naturam adeptum, aut per contagium, aut quomodocunque reſpiratum; particularis verò humores putredine inſigni corruptos, & ad veneni naturam & ipſi accidens, quod ſi poſſunt humores tam inſigniter corrupti, tamque extraneam naturam inducere, ut pariant affectus veneni cujuſdam particularis, & exitialiſſimi etiam admitandos, & nonniſi certis veneni proprios, & qui ad ſubſtantificam formam tantum ſubſequi poſſe videntur, ut plures teſtantur DD. quemadmodum *lib. 2. quæſt. Medico-Legal. titul. 2. quæſtion. 6. numer. 11. & alibi*, quanto magis iidem humores poſſunt æmulari naturam ipſius aëris corrupti ac venenati? cum autem ad eam corruptionem perveneriot, ea omnia ſymptomata excitare ſunt apti, quæ excitare ſolet ipſiſſima peſtis Itaque nec mirum, nec novum eſt Antonium cum accidentibus peſtis deceſſiſſe, non tamen ex peſte; & ex morbo peſtilenti quidem, ſed non ex vera peſte. 17

Quoad fidem tandem, & atteſtationem Medicorum, qui curæ interfuerunt, nihil eſt, quod nos dubios detinere debeat, eſt enim conformis veritati: nam deponunt, Antonium ex febre peſtilenti deceſſiſſe, quod, ut diximus, non eſt

idem, ac si dixissent, ipsum periisse ex peste, nam benè norant Viri illi doctissimi aliud esse pestem, aliud febrem pestilentem, & idcircò fides hæc nihil afficit, & potius facit ad favorem Arriguccii, quam quicquam contra illum probet. Neque obsunt signa in Antonii cadavere observata similima, vel eadem, quæ observari solent in iis, qui ex peste succumbunt. Quia ut jam non semel diximus, tam cum vera peste, hoc est universali, & habente causam communem, quam cum morbo pestilenti, hoc est, peste particulari & habente causam particularem, eadem symptomata, ac signa absque ulla omninò differentia apparere solent, ut experientia ipsa manifestissimum est & docent practicantes omnes. Quamobrem ex his concludendum per mortem Antonii Culmani factum esse locum lucro pecuniarum, quæ super ejus vitæ periculo in societatem traditæ fuerunt, cum non perierit ex peste, ita ut casus debeat haberi inter exceptos, sed ex morbo pestilenti, ut probatum est.

CONSILIUM XXVIII.

ARGUMENTUM.

Desponsaverant eorum filiam pulcherrimam quandam virginem nobilissimi quidam Parentes cuidam nobilissimo simul ac pulcherrimo Juveni N.N. cum interim sponsus dolore capitis prehensus est gravi, ac de nocte maximè affligente cum mutatione coloris faciei, oculorum turbatione, & corporis lassitudine insigni, ejusque morbi occasione Medicis curandum adhuc Hyeme non prægræssa (instabant enim Kalendæ Mensis Martii) se tradidit æque inter purgandum eruperunt illi pustulæ quædam rubræ in universo corpore, atque etiam in facie; quod cum Parentes sponsæ rescirent, Medicũ domesticũ de ea re consuluerũt, qui pro certo affirmavit, sponsum morbo Gallico affici, atque illo quidẽ insigni: qua re moti parentes sponsæ, negabant ulterius eorum filiam N.N. nuptui tradere ob imminens infectionis periculum, quod non sine magna & sponsæ & eorum tristitia fiebat; idcircò requisitis duobus excellentissimis Medicis, qui Sponsum ac ineunte puertia curaverant pro oblata occasione, retulerunt illi sponsum nullam unquam suspicionem Gallici morbi habuisse. Cum his tamen plura relata fuerant ipsis, ex quorum cognitione in multò majorem timorem venerunt. Itaque omni ex parte dubii alios Medicos consulere in ea re voluerunt. Consultus ergo ipse existimavi sponsum morbo Gallico nequaquam laborare.

SUMMARIUM.

1 *Dolor capitis gravativus absque febre affligens magis de nocte, quam de die, est inter præcipua signa morbi Gallici: Contrarium n.10.*
2 *Mutatio coloris faciei, cum oculorum turbulentia, & defœdatione, sunt ex potioribus signis Luis Gallicæ.*
3 *Pustula latæ, ac rubræ, parumque eminentes, in universo corpore apparentes morbum Gallicum significant. Declara ut n. 11.*
4 *Lassitudines quædam, & gravitas in corpore universo, absque ulla aut imminentis, aut præsentis, aut prægressæ febris culpa, morbi Gallici signa sunt. Falsum n.18.*
5 *Concursum plurium signorum morbi Gallici, ipsius morbi Gallici faciunt certam cognitionem. Contrarium n.16.*
6 *Timor infectionis ab uno sponso in alium est justa causa dirimendi sponsalia, etiam juramento firmata.*
7 *Si Medici curent ægrotum medicamentis Gallico morbo convenientibus, censendum est, ægrum morbo Gallico affici.*
8 *Morbus Gallicus habet quandam peculiarem venenositatem, quæ communibus remediis vinci non potest, sed requirit antidota propria.*
9 *Si quis commercium habeat cum muliere infecta & deinceps ægrotet, suspectum est de morbo Gallico.*
11 *Color faciei, & oculorum in quibuscunque morbis, maximè si doloribus afficientur, immutatur.*
13 *Spontaneæ lassitudines morbos pronunciant.*
14 *Symptomata omnia Gallici morbi apparent aliquando in personis, qui eo morbo non laborant.*
16 *Medicamenta contra morbum Gallicum ultra qualitatem occultam habent suas manifestas qualitates, quibus aliis morbis contrariantur.*
17 *Gallicus morbus latet aliquando ad plures menses.*
19 *Morbus Gallicus à principio neglectus, altas emittit radices.*

PRo parte affirmante dicebatur, primò, quòd nullum intervenire poterat dubium, quin sponsus morbo Gallico laboraret, nam ipsammet infirmitatem, qua in præsentiarum detinetur, Gallicam esse, symptomata quæ eam concomitantur, satis apertè demonstrant: nam dolor capitis gravativus absque febre affligens magis de nocte, quam de die, est inter præcipua signa hujus morbi. Fernel. *l.1. de Abd. rer. caus. c.14.* Fracast. *lib.2. de morb. contag. cap.1.* Bened. Victor. Faven. *de morb. Gal. cap.3.* Massa *eod. tract. cap 7. tract.1.* Eustach. Rud. *de morb. occult. lib.4. cap.10.* Daniel. Sennert. *lib.6. pract. part.4. cap.6. & alii omnes.* Quod tantò majorem veritatem habet, quantò hic dolor non est aliis doloribus similis in modo affligendi: alii namque dolores capitis à simplici humore absque Gallica pravitate producti, dum aliquam humoris prædominantis significationem, & secundum ejus naturam magis una hora, quam alia sunt molesti, at dolores Gallici à quovis tandem humore dependeant, semper affligunt magis de nocte quam de die; dolor autem est cujusdam particularis naturæ, neque potest magis uni, quam alteri humori tribui, quia non ab humorum qualitate, sed ab occulta malignitate Gallica originem trahit. Ita neque in ulla dolorum communium specie reponi potest, cùm neque pungitivus simpliciter sit, neque simpliciter pulsans, neque simpliciter gravativus, neque extensivus, aut alterius speciei, sed inter has habet particularem quemdam affligendi modum cum insigni molestia, & mala toleramia; qualis videtur esse dolor, quo D. N.N. detinetur ob cujus molestiam coactus est non expectata temporis opportunitate, corpus purgare, & alia medicamenta assumere ad morbum facientia. 1

Non minorem suspicionem præbent mutatio coloris faciei, & oculorum turbulentia, ac defœdatio, in qua multum insistunt Authores omnes, reputantes illam pro signo evidentissimo Gallici morbi, unde Fallopius *de morb. Gal. cap.23.* *Tertiò*, inquit, *incipiente morbo, & aliquantisper ingravescente, immutatur color faciei; videbitis angelicam, vivacem, splendidam faciem juvenis mutatam in deteriùs spatio trium, aut quatuor dierum*; & quæ sequuntur. de quo etiam signo post vetustiores omnes Sennert. *loc. cit.* unde Hieron Fracast. *lib. 1. Syphilidã.* 2

Ille etiam suum ex oculis vigor & flamma ore.
Dejectus color haud læta de fronte cadebat.

Et paulò post de quodam juvene eo morbo malè affecto verba faciens.

Paulatim vernat nitidum, flos ille juventæ.
Disperiit, vis illa animi.

Et licet Eustach. Rud ex malo corporis, aut alicujus partis colore nolit posse deduci morbi Gallici præsentiam, tamen excipit Nasi, & vicinarum partium ruborem, & oculorum turbulẽtiam, sive turbidum eorum splendorem: hæc enim maximè vult Gallicæ infectionis vera esse signa; nec injuria, cùm venenum Gallicum spiritus meliores obturber, & extinguat, qui maximè in oculis fiunt conspicui: & per quos elucet ille vivacissimus eorum fulgor, ac splendor, ut notum est.

Accedunt pustulæ per universum corpus sparsæ, latæ, & rubræ, parumque eminentes, quas in simili morbo Gallico apparere præcitati quique, & omnes alii Authores professi sunt, immò has ipsas pustulas demonstrare morbum jam confirmatum iidem omnes consensu unanimi asseruerunt. Mathiol. *de morb. Gall. in princip.* Fallop. *loco proximè allegato.* Prosper Borgarucc. *de morb. Gall. cap.4. & 7.* Eustach Rud. *ubi sup.* Sennert. *ibid.* Immò Julian. Palmar. *de lue vener. lib.1. cap.4.* ex quo etiam repetit Sennertus, hujusmodi pustulas tertium gradum morbi Gallici ostendere, & morbum altas radices egisse firmat; nec absque ratione: demonstrant enim totam sanguinis massam esse infectam, & idcirco natura à veneno abhorrens quod sanguinem inficit, ejus partem ad cutim expellit & hujusmodi pustulas atque his similes tuberculos excitat, quibus idcirco totum corpus scatet, ex eo, quod totum corpus, & unaquæque ipsius pars sanguine indiget ad sui nutritionem, unde cùm quælibet pars attrahat sanguinem si infectus sit illum respuit tanquam nutritioni ineptum, & sibi noxium, & hæc differentia est, inter Gallicas pustulas & 3

infectã

infectiones cutaneas, quæ Gallicæ ſunt, & eas puſtulas, & infectiones, & Gallicæ non ſunt: nam Gallicæ plerumque indifferenter quamlibet partem deſœdant, etiam ipſum caput: non Gallicæ alias partes determinatas, ac fere nunquam caput, & faciem; quia vitium ſeminii Gallici infecit univerſam maſſam ſanguinis, & ipſum etiam ultimum membrorum alimentum, eaque de cauſa undequaque ſe prodit in exteris infectionibus non Gallicis ſemper remanet aliqua portio ſanguinis non infecta; & ſaltem ultimum alimentum nulla infectione conſpurcatur.

Ac denique pro ſigno infallibili Gallici morbi adnotatum eſt in D. N. N. adeſſe laſſitudines quaſdam, ac gravitatem in toto corpore abſque ulla aut imminentis, aut præſentis, aut prægreſſæ febris cauſa, quæ à ſomno majorem etiam in modum augebantur, ut in Gallico morbo fieri ſoler; has enim hujus generis laſſitudines pro ſigno certo ejus morbi aſſerunt prædicari omnes, & alii quique Auctores quod etiam non prætergreſſus eſt Fracaſtor. *loc. cit.* dicens.

Interea tamen inſolito ſopore gravati,
Spenteque languentes animis, & munera obibant
Ægrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant.

Non ſolum autem hujuſmodi laſſitudines morbum Gallicum præſentem eſſe oſtendunt, ſed etiam morbum ſæviſſimam minantur, ut Fallopius *loc. ſupra cit.* teſtatur, & cæteri adnotarunt, nec præter rationem, oſtendunt enim corpus totum male affectum, ac pravis ubique humoribus ſcatens.

5 Et licet unumquodque horum ſignorum per ſe multum faciat ad teſtificandum, Ægrum morbo Gallico laborare, tamen plurimum urgent, cum ſimul omnia apparent, quod omnes DD. qui de hac materia ſcripſerunt concorditer aſtruunt, non obſtante quod aliqui profiteantur, nullum poſſe dari certum ſignum Gallici morbi proprium, & inſeparabile, ut præcipuè vult Euſtach. Rud. *loco ſupra cit.* tamen plures, immò penè omnes huic ſignorum ſyndromi, & concurſui plurimum tribuũt, voluntque illum eſſe Gallici morbi certiſſimum teſtem, aſſignantes diverſorum graduum ejus morbi ſigna in unoquoque plura conſiderant, horumque præcipuè concurſu morbum hunc demonſtrari magnum, ac penè confirmatum unanimi conſenſu determinant, & inter omne, vide Ioan. Bapt. Silvaticum *in lib. de his qui morb. ſim. deprehend. c.* 20. Ergo res eſt clara, quod D. N. N. morbo Gallico vero & non levi laboret.

6 *Quibus ſtantibus cum adſit rationabilis timor infectionis à ſponſo in ſponſam, videtur juſtam cauſam aufferri diſſolvendi ſponſalia ut ex Romano *in rub. ff. ſolut matrim. 2. teſt. n.* 12. & ex Alciato *ibid. n.* 16. dicit Sannaſar. *de matrim. cap.* 3. *ar.* 16. *n.* 45. & alios retuli *lib.* 3. *Quæſt. Medico Leg. tit.* 3. *q. n.* 14. quod procedit etiamſi juramento firmata ſint ex Sanchez & Ioan. Andrea *ibid.* dixi. Ex quibus etiam Rota *in Venuſina Lepati Iunii* 1623. *coram Coccino num.* 72. licet voluerit morbum Gallicum eſſe minus gravem, quàm Lepram, quod quam veritatem habeat, notum feci *lib. 9. tit.* 5. *quæſt. 9. n.* 9.

7 Ad majorem porrò veritatis roborationem adducebatur ſuſpicio Medicorum Ægrum curantium; qui illum tractarunt tanquam morbo Gallico affectum præbentes decocta exiccantia, & alia antidota ad eum morbum facientia, unde producebantur in medium etiam receptæ, ut dicunt, ab ipſis Medicis præſcriptæ, quæ quidem conjectura potiſſima eſt, & facit morbi Gallici certitudinem Ioann. Baptiſt. Silvaticus *loco citato cap. eod.* quia cum morbus Gallicus habeat quandam peculiarem malitiam, ac veneneſitatem, quæ communibus remediis edomari, ac vinci non poteſt, ac
8 proprium expoſtulat Antidotum, quod à tota ſubſtantia ſit ipſi veneno, ac malitiæ morbi contrarium, habeatque proprietatem quandam occultam ad eam evincendam, ut Lignum Guajacum, ſalſa parilla, China, ſaſſafras, & ſi quæ alia his ſimilia ſunt, ut enim millies in dies obſervamus, non ſatis eſt in hoc morbo curando humores in quibus morbus ſubjectatur, diverſimode per medicamenta communia è corpore educere, ſed oportet omnino per propria antidota qualitatem illam venenatam in toto prædominantem infringere, ac edomare. Ubi ergo pateat talia Antidota à Medicis in ægroto curando in uſum trahi ex eo quod de neceſſitate ad talem morbum curandum requirantur pro certo exiſtimandum eſt, eum morbum ab ea veneneſitate dependere, & conſequenter Gallicum eſſe.

9 Ac denique pro prædictorum omnium conſummata roboratione, notum erat D. N. N. per nonnullos annos habuiſſe commercium cum quadam Laura Moſella, quæ hujuſmodi morbo tam malè infecta erat, ut etiam in Hypocauſto ſe curare, atque inibi per quadraginta dies ex decocto Ligni ſancti ſudare coacta fuerit: quin etiam conſtabat, prædictam Lauram tam malè à morbo fuiſſe acceptam, ut ob indeſinentes artuum, & capitis dolores, & tumores quoque gummoſos tibiis exortos, alioſque morbos ejus generis ſudorificis Guaiaci, & ſalſæ parillæ decoctis minimè cedentes, neceſſe habuerit ad Hydrargiri, ſeu Argenti vivi hoc eſt Mercurii in unctiones tranſire, quarum ope tandem ſanata videbatur. Ex commercio ergo cum fœmina eo morbo inſigniter affecta habito per longum tempus non potuit D. N. N. ab eo morbo liber evadere: nulla enim major conjectura, immò nulla magis certa præſumptio, immò verò cognitio haberi poteſt, infectionis, quam hæc, de ea namque Medici omnes verba facientes, eam plurimi faciunt, & videndum præ cæteris jam *cit.* Ioan. Bapt. Silvaticus *loco eod.*

Verumenimvero omnibus ritè perpenſis, & amotis iis; quæ perperam, ac falſo dicuntur, clare patebit D. N. N. nec morbo Gallico laborare, nec unquam ejus morbi ſuſpectum fuiſſe, non obſtantibus tot ſymptomatibus etiam ſimul concurrentibus, cùm omnia ſuas cauſas manifeſtas, ac procathar-ticas habuerint, ad quas referri debent. Quæ ut manifeſtiora fiant in memoriam revocandum primò, D. N. N. in-eunte ætate, & à teneris unguiculis capitis doloribus fuiſſe noxium, ita ut antequam pubeſceret, vel in ipſa pubeſcentia, anno nimirum 14. coactus fuerit fonticulum in brachio excitare, & illum adapertum ad multum tempus geſtare, ſcilicet ad decem annos, & ultra, ex quibus materiam craſſam, ac flavam, & interdum cruorem expurgabat ulcus, ac denſum; quem fonticulum, cum uxorem ducere in animo haberet, immo jam jam ducturus eſſet occludi permiſerat antecto Autumno, & quod peius fuerat, nulla præcedente corporis purgatione. Sciendum ulterius eundem D. N. N. ſanguinis eruptiones ex naribus pati conſuevisſe, ex quarum capitis dolores illi remittere ſolebant, qua niſi aperuiſſent, neceſſe habebat ſanguinem iterum, atque iterum ex venis, & per cucurbitulas, & aliquando etiam per hæmorroides ex hæmorrhoidalibus venis detrahere, ut ipſi Medici, qui illum ab incunabulis tractaverant, ipſos ſponſæ Parentes certiores fecerant, quæ & aliunde eadem nota habebant. Imo aliàs, cum aliquando illi ex naribus ſanguis erumperet, & propinquæ Mulieres timentes copioſiſſimam ſanguinis effuſionem, illum reprimere voluerint, non ſolum capitis dolor iterum rectruduit, ſed iiſdem puſtulis, quibus in hoc poſtremo morbo ſcatebat, totum ejus corpus illico refertum eſt, unde dennè ſanguinem ex venis detrahere fuit coactus, quouſque à capitis dolore liber omnino evaderet.

Quæ omnia cum veritatem haberent, & ipſiſmet ſponſæ Parentibus perſuaſa, ac comprobata etiam per non facatam Medicorum atteſtationem, cum juramento aſſerentium D. N. N. numquam ulla ſuſpicione Gallicæ Luis fuiſſe affectum, ſed infirmitates omnes, quibus ſpatio 24. annorum in univerſo vitæ curriculo, interpolatim tamen, moleſtatus fuerat, dependentiam habuiſſe à capitis intemperie cum copia ſanguinis pituitoſi, & quæcumque ſymptomata paſſus fuerat, habuiſſe omnia ſuas manifeſtas, ac patentes cauſas ad quas referri debuerint, abſque eo quod de ulla occulta, aut venenata qualitate ex morbo Gallico contracta ſuſpicionem facerent. Quæ Medicorum dicta cum ſint conformia in iis, quæ in ægrotante de præſenti contingunt & veritati conſona, non ſunt ullo modo reſpuenda, opponendo quod ii medici ſint amici, & familiares ipſius infirmi præſertim cùm ea quæ ex adverſo dicuntur, neque veritati conſona ſint, nec rationi conformia.

Et primò non eſt verum abſolutè quòd quicunque do- 10
lor capitis abſque febre, cujuſcunque tãdem ſpeciei ſit, etiam affligens magis de nocte quam de die, conjectutam faciat illum dependere à pravitate Gallica, cùm paſſim apud Auctores hujuſmodi dolores ex morbo Gallico minime dependentes occurant: quod enim talis dolor ſit gravativus, evenit à materia frigida, & pituitoſa, ac craſſa, qua is prædominatur in capite prædicti D. N. N. juxta medicorum atteſtationem illum curantium, & ex hac eadem cauſa evenit ut magis affligat de nocte, quàm de die, nocte enim prædominatur ipſe humor pituitoſus, ut apud Medicos omnes eſt compertiſſimum: & idcircò ex ſui natura ſuos inſultus omnes noctu facit, quamobrem nihil certi ex hoc haberi poteſt, quòd dolor de nocte affligens magis, quàm de die, ſit Gallicæ luis germen. Non enim hoc eſt ita proprium ſignum dolorum Gallicorum, ut nullus alius dolor eodem tempore exacerbatur. Neque verum eſt, quòd dolor quo affligebatur D. N. N. non poterit reduci ad aliquam certam ſpeciem dolorum communium: quia ex atteſtatione Medicorum conſtat, ipſum fuiſſe mere gravativum cum aliquo pulſu, ſed leni, quoniam à materia ſanguinea, ſed pituitoſa, frigida, & craſſa prædominante dependentiam habebat.

11 & Nec majorem suspicionem facit mutatio coloris faciei, & oculorum; cum in quibuscunque morbis, & præcipuè in iis vi, qui doloribus associantur, color faciei, & oculorum major remittatur, ut vel ipsis idiotis hominibus est notissimum: quòd multò magis habet locum, ubi caput ipsum dolet, in quo fons est & origo spirituum animalium, qui de facili & à materiæ morbificæ copia obtunduntur, ab acerbitate doloris labefactantur, & à vigiliis, aliisque molestis symptomatibus dissipantur: quibus obrutis, labefactatis, ac resolutis; succedit pro vivido, ac optimo faciei colore, emortuus, ac tetet color, lamenque oculorum apparet velut extinctum. Quibus addenda alia symptomata, ad graves, & perennes dolores consequentia, ut vigiliæ insuperabiles, deploratæ inappetentiæ, lassitudines molestissimæ, & id genus alia, ex quorum violentia tantò magis spiritus omnes dissipantur: quæ omnia tam clara sunt, ut pudeat me ulterioribus rationibus, & auctoritatibus ea confirmare.

12 Majorem mu'tò suspicionem facere potuissent pustulæ rubræ, ac latæ, in D.N.N. universo corpore apparentes, nisi habuissent causam nimis parentem, ex qua pustularent, neque aliàs ex simili causa apparuissent. Sed constabat, ut jam annuimus, D NN. anteacto Autumno fonticulum, quem gestabat in humero, occlusisse, nulla purgatione corporis peracta; mox autem ineunte vere hoc est in fine Mensis Februarii, in hunc dolorem, atque in ea symptomata incidisse, cujus occasione prædictæ pustulæ emerserant; ex eo enim quod materia morbifica consueverit per fonticulum illum expurgari, factum est, ut via occlusa, dolorem capitis & pustulas illas generaverit, ut aliàs eidem evenerat ex suppressione fluentis sanguinis ex naribus; cum namque vere ineunte humores agitentur, & in motu sint, non mirum si magis eo,
13 quàm alio tempore, sui motus significationem præbuerint. Neque difficultatem auget, quòd hæ pustulæ non solum universum corpus, sed ipsum etiam caput in D.N.N. occupaverint, (nam in hoc multum se fundabat Medicus contrarium sustinens, dicendo, hoc tantùm in morbo Gallico evenire; quia cùm in capite abundaret materia morbifica, secundùm rationem factum est, ut hæ pustulæ etiam in capite apparuerint.

14 Lassitudines item adnotatas in adventu morbi, & per totum etiam morbum in D. N. N. quis dixerit non posse ab alio morbo, quàm à Gallico provenire: an non lassitudines in morbis quibuslibet evenire consueverunt? certe notissima est Hippocrat. sententia, *libro secundo, Aphor. quinto, Spontaneæ lassitudines morbos præmuntiant.* Quid mirum ergo
15 in Ægrotante adfuisse has lassitudines, imminente tam molesto morbo, qualis erat capitis dolor insignis, & qui de facili non erat cessurus, cùm haberet magnam causam, ac perennem, nempè ipsius capitis naturalem intemperantiam & plenitudinem? Præterquam quod notum est omnibus his; qui vel de limine Medicinam salutarunt, humorem pituitosum in corpore superabundantem facere præcipuè hujusmodi corporis lassitudines, & tunc maximè cum in capite stabulatur: inde enim ad totum corpus, & ad nervosas partes, & capita musculorum transmissus, eas relaxat, & has lassitudines causat.

16 Concursus porrò omnium prædictorum symptomatum non potest inservire pro signo certo, imò nec probabili, Gallicæ Luis: quia hoc fortè procederet quando prædicta symptomata simul, & unumquodque per se, non possent referri ad suas causas patentes, unde liceat de latente suspicari. Sed in hoc casu hic concursus secundum rationem videtur factus, quia ad capitis discrasiam, & repletionem est consecutus ob clausum fonticulum importuno tempore, & impurgato corpore, præcedente ejusdem capitis debilitate, & consuetudine incurrendi in similia symptoma, imò plura, & pejora.

Sed circumscripto etiam hoc Ægrotantis statu, & dato, quòd nihil eorum, quæ diximus, verè antecesserit, sed quod D. N. N. de repente in hæc symptomata inciderit: adhuc non facerent conjecturam per se prædominantis malignitatis venereæ: nam, si Medicis expertissimis fidem habeamus, hæc ipsa symptomata, & his multò magis suspecta, observantur interdum in personis, quæ ab omni suspicione Gallici contagii sunt liberæ: unde factum est; ut quidam Medici opinati sint, non esse necessarium contagium ad contrahendum hunc morbum, sed aliquando ex cœli statu, & ex conditione humorum in corpore putrescentium, aliquos in illum incurrere. Unde Bened. Victor. Faventi. *de morb. Gall. cap. 3. Sanè*, inquit, *occurrerunt mihi quandoque honesta, ac fatua Moniales, fortissimis clausuris observata, sub ardua quippe, & inviolabili custodia, qua ex præsentis cœli statu, atque ex statu humorum in eis putrescentium, cum statu imbecillium membrorum, malo fato in Gallicum cecidere morbum*: Quod quidem Medicus hic expertissimus ideò dicit, quia hæ Moniales conflictabantur plurimis symptomatibus, quæ in Morbo Gallico vero, & ex contagio contracto adnotantur, absque eo quod ex contagio, talem morbum contraxissent. Quamorbem etiamsi concursus, ac syndromes eorũ symptomatum non esset proportionatus, ac respondens patenti causæ, non posset facere suspicionem, quòd subsit aliqua alia causa latens ipsa symptomata producens.

Cæterùm suspicio Medicorum, quòd D. N. N. paterentur 17
morbum Gallicum, est omninò falsa, & diluitur ex ipsorum attestationibus fidelissimis, qui cum ipsum ab incunabulis curaverint, fatentur, illum numquam habuisse morbum, qui Gallicus judicari posset. Nec obstat, quod in eo curando usi sint illis ipsis medicamentis, quibus talis morbus curari expedit: Nam iis usi sunt ad excitandam exuperantem: habent enim hæc medicamenta suas manifestas qualitates, ut cætera omnia, ultra occultam illam, & Alexiteriam, qua contrariantur lui venereæ, & quæ à tota substantia dependentiam habet; manifestis autem qualitatibus calefaciunt, & exiccant, quatum respectu etiam in aliis morbis usurpantur ut norunt omnes. Atque hinc patet, nequaquam fuisse hæc remedia, ut Alexiteria contra Morbum Gallicum, à Morbo, quo D. N. N. afficiebatur, requisita, sed tantùm ut manifestis qualitatibus calefaciendi, & exiccandi operantia, ad quam etiam intentionem quotidiè in Virginibus, in Pueris, in Religiosis ab omni suspicione Gallicæ infectionis liberis in usum trahi solent. De commercio habito à D. Sponso per plures annos cum Laura Mosella judicare oportet secundum veritatem, & distinguenda sunt tempora commercii ipsius sponsi, & infectionis ipsius Lauræ. Nam sponsus habuit quidem commercium per plures annos cum Laura, sed tunc temporis Laura erat ab omni suspicione Gallici morbi libera, & alii etiam juvenes nobiles cum ea habebant commercium, quorum nullus fuit infectus: nam hi nobiles juvenes simul cum sponso reliquerant ejus consuetudinem, omnes simul indignati, quòd illa lanionem quendam adamaret, & cum eo sæpè sæpius delectaretur; transactis ergo pluribus mensibus, à quo hi juvenes illam reliquerant, illa morbo Gallico est infecta, nam D.N. N. ejus consuetudinem habuit ab anno 1620 ad annum 1623. Laura verò ab anno 1624. cœpit eo morbo affligi, eoque molestata est per plures annos frequentes. Non potuit ergo Laura, antequam inficeretur, morbum D.N.N. communicare. Neque valet dicere, quod etiamsi contagium, quo Laura afficiebatur, non esset palam factum de anno 1623. 18
in quo adhuc D. N. N. cum ea rem habebat, potuerit tamen deliteſcere, ut fieri dicunt plures Auctores, qui testantur aliquando hunc morbum ad menses occultari, & dehinc palam fieri. Leon. Botal. *de Lue. ven. cap.* 2. & alii omnes; quia etiamsi hoc ita eveniat, non est tamen quòd per aliqua saltem obscuriora signa non appareat ejus instantia, ut per tristitiam non consuetam Ægrotantium, per deperditionem coloris vividi, per diminutionem alacritatis, & virtutis, & alia id genus. At verò Laura per totum annum 1623. & majorem partem Anni sequentis suam non facilè superabilem pulchritudinem, vividum faciei & oculorum colorem, suetam alacritatem, & robur, & motus concinniratem semper retinuit, ut ex iis, quæ ejus cognitionem habuerunt, non dubitanter cognoscere potuerunt ipsius sponsæ Parentes. Postmodum autem ineunte Hyeme Anni 1624. cœpit leniter à morbo affligi, nam decolor tantum modò facta est, gonorrheâ contractâ, dehinc Vere sequenti ulcera in pudendis fuit passa, & curata convaluit usque ad Hyemem sequentem, in qua dolorosis tumoribus in capite, & artubus fuit molestata, quia non fuerat cum necessaria diligentia curata; ea est enim hujus morbi natura, ut à principio neglectus, aut leviter tractatus, vires acquirat. Itaque cum 19
Laura morbo esset infecta, postquam D. N. N. ejus consuetudinem non habeat, non potuit illum inficere. Et ex his concludendum, D. sponsum absque ullo sponsæ periculo posse matrimonium consummare, nullamque justam causam habere sponsæ Parentes recedendi ab obligatione per ipsos solemniter facta.

CONSILIUM XXIX.

ARGUMENTUM.

Decesserat illustrissimus ac Excellentissim. D.N.N. ex affectu quodam soporoso, Subet scilicet, vel Lethargo, vel Pseudo-lethargo, aut simili,

ſimili, ac paulò ante obitum nonnullas penſiones juxta facultatem, quam habebat, tranſtulerat: dubitabatur ergo de validitate hujus tranſlationis, eo quod præſumeretur à parte, illum non fuiſſe in actu tranſlationis ſui juris.

SUMMARIUM.

1 *Soporoſi affectus omnes conveniunt in ſenſuum internorum læſione.*
2 *Soporoſi affectus omnes hominem rationis, & Memoriæ uſu expoliant.*
3 *Somno naturali oppreſſus non habet Rationis uſum, & comparatur dementi, aut mortuo.*
4 *Affectus ſoporoſi appoplexia finitimi ſunt, & tunc interficiunt, cum in appoplexiam terminantur.*
5 *Apoplexia eſt ſenſuum omnium tam exteriorum, quàm interiorum ruina.*
6 *Ratio multo magis læditur in ſoporoſis affectibus, quam in Phrenitide.*
7 *Ad actum tranſlationis penſionum requiritur mens ita ſana, ut abſque ullo errore diſcurrere poſſit.*
8 *Dementes, & alii Mentis defectu laborantes, licet aliqua ſecundum rationem agant, aut dicant, non cognoſcunt tamen dictorum, vel factorum qualitatem.*
9 *Nutibus ſi poſſit transferi penſio mens debet eſſe ſana ipſius transferentis.*

COnſtat in facto ex depoſitione trium Peritorum, ita ut extra omnem controverſiam ſit illuſtriſſimum, & excellentiſſimum D. N. N. periiſſe ex morbo quodam ſoporoſo, qui utrum Lethargus, vel Coma, vel Subet, vel Cataphora, vel Catoche, vel Caros, aut Sopor appelletur parum, aut nihil ad rem noſtram facit, hi enim omnes, ac ſinguli affectus finitimi ſunt: Galen *lib.* 3. *de loc. aff. cap.* 18. & *comm.* 2. *de articul. text.* 18. ex quo Altimar. *ſua practica capit. ſecund.* Foreſt. *lib.* 10. *Obſervat. num.* 33. *in ſchol.* & maximè conveniunt in eo, quod præcipuè negotium reſpicit, hoc eſt, in ſenſuum internorum læſione, quæ in ſingulis, apparet, ita ut circa hoc vix differant ſecundum magis, & minus. 1

Hoc ſuppoſito ſequitur abſque dubio, quòd prædictus Excellentiſſimus Dominus in eo morbo, ex quo deceſſit, non fuerit ſanæ mentis, neque habuerit Rationis uſum, unde inhabilis omninò extiterit ad quemvis actum, qui ſanam mentem requirat, celebrandum, quod facilè probatum remanet ex ſeqq.

Primò quia hujuſmodi omnes ac ſinguli morbi ejus naturæ ſunt, ut hominem Rationis, & Memoriæ uſu expolient, ut omnibus Medicis in confeſſo eſt, & notant Practici omnes in propriis Cap. & videndi peculiariter Alexand. Benedict. *Practic. lib.* 1. *cap. vigeſimo ſecundo.* Maſſaria *libro* 1. *Pract. c.* 14. Altim. *de Med. hum. corp. morb. c.* 2. Merc. *l.* 1. *Pra. c.* 12. Merc. *l.* 1 *c.* 7. Cæſalphin. *lib.* 1. *c.* 33. Dan. Senn. *l.* 1. *part.* 2. *cap.* 18. & cæteri omnes. 2

Sed notanda præcipuè ſunt Galen. verba *lib.* 3 *de loc. aff. c.* 5. dicentis. *In lethargo atque omnibus ſoporoſis affectionibus, utraque, hoc eſt Ratio & Memoria, pereunt, atque diſpoſitionem ipſarum ejuſdem eſſe generis neceſſe eſt.* Idem quoque affirmant ex vetuſtioribus, Paul. *lib.* 3 *cap.* 9. Trallian. *lib.* 1. *c.* 14. Cæl. Aurelian. *Acut. lib.* 2 *cap.* 1. & alii. Ergò cùm controverti non poſſit Excellentiſſimum Dominum N. N ſoporoſo affectu laboraſſe, & ex eo periiſſe, controverti nequaquam poteſt illum Rationis, & Memoriæ omnem uſum cum eo morbo amiſiſſe, & idcirco nullum actum potuiſſe validè facere, ut cæteri ſanæ mentis homines facere poſſunt.

Secundò, homo ſomno naturali oppreſſus non habet Rationis uſum, ut in confeſſo eſt Menoch. *de Arbitr. Jud. Caſ.* 327. *num.* 5. & idcirco comparatur dementi, imò, mortuo, ex Platon. *lib.* 7. *de Leg.* idem Menoch. *ibid.* & ex Med. Cæſalp. *Art. Med. lib.* 5. *cap.* 11. ſed cauſa excitans ſomnum præter naturam, ac ſoporem multo major eſt quam cauſa excitans ſomnum naturalem, quia ſomnus naturalis fit à vapore placido ac benigno, ſomnus autem præter naturam fit à vapore, aut humore craſſo, ac turbido, Avic. *l. pract.* 4. *cap.* 1. Ergo multò aptior eſt ſomnus non naturalis ad turbandam Rationem, ejuſque uſum impediendum, quàm ſomnus naturalis; unde ſi ſomnus naturalis turbat Rationis uſum, non naturalis omni ex parte lædit ac devaſtat; modo ſi ob eam cauſam, turbatæ nimirum Rationis, actus à dormiente facti invalidi ſunt Menochius *ubi ſuprà*, quomodo validi eſſe poſſunt actus ab homine facti ſopore, ac lethargo detento, qualis erat Excellentiſſimus Dominus in eo morbo, ex quo deceſſit. 3

Tertiò, hi affectus ſoporoſi non ſolum apoplexiæ finitimi ſunt ita ut ab Hippocrate omnes uno nomine comprehendantur, ut notat Dan. Sennert. *lib.* 1. *pract. p.* 2. *cap.* 25. ſed tunc interficiunt, cum in Apoplexiam terminantur Capivace. *lib.* 1. *pract. c.* 10. & cæteri Practici *in propriis capp.* quod etiam quotidiana experientia conſtat; & ratio eſt, quia humor obſidens cerebrum, & excitans ſoporem, communicatur ipſius Cerebri ventriculis: unde facta in ipſis obſtructione & impedita primo ob animalium ſpirituum interceptionem reſpiratione, ac morbo augeſcente in totum abolita, hominem perire neceſſe eſt, quia reſpirare non poteſt. Medico certum eſt in Apoplexia perire omnem Rationis uſum ut Medici omnes unanimiter fatentur, cum ſit ſenſuũ omnium, tam exteriorum quàm interiorum, ruina. Alexand Trall. *libro primo ſua Medicina cap.* 16. Paul. *lib.* 3 *cap.* 18. Rota Roman. *in Peruſin. Penſion.* 28. *Maii* 1644. *coram Peutingerio.* Itaque facile ex his deducitur, actus propè mortem maximè celebratos ab homine, qui ex ſoporoſo affectu deficiat, non ſecus ac ab Apoplectico celebratos, eſſe habendos, & irritos, atque invalidos omninò eſſe. 4

Præterea certum eſt, Phreneticos non eſſe mentis compotes, neque idcircò poſſe quicquam valide agere ob rationis læſionem ut videndum à Juriſperitis, quæ ad hoc adduxit Menoch. *lib.* 3. *conſil.* 82. *à n.* 198. *ad plures ſeqq.* At vero Ratio multo magis læditur in ſoporoſis affectionibus, quam in Phrenitide, Cæl-Aurel. *Acut. lib.* 2. *cap.* 1. Piſo *lib.* 1. *Pract. c.* 10 Ita ut quidem Cæl-Aurel eam differentiam agnoſcat inter Phrenitidem, & ſoporem reſpectu læſionis Rationis, quæ inter depravatam, & abolitam actionem, in his verbis. *Et eſt comparatione (ſopor) gravior Phrenitide, non aliter quam negatum in toto viſus ab ex parte impedito, vel ſientium ab impedita locutione, aut ſurditas ab auditus falſitate, vel hebetudo ſenſuum à difficultate.* Non aliud quid innuere his verbis volens, quam in Phrenitide rationem aberrare, in ſopore omnino deperire; unde benè Galen. *loc. ſupra citat.* dicebat, Rationem in ſoporoſis affectionibus una cum memoria perire, non tantùm aberrare, aut diminui, ut ex ejus ſuprà relatis verbis clarè conſtat. Sequitur ergo ex his, quod ſi Phreniticus non poteſt quicquam valide agere, multo minus poſſit is, qui ſoporoſo affectu detinetur, qualis erat excellentiſſimus D. N. N. in actu celebrato tranſlationis Penſionum. 6 7

Ex abundanti autem conſideranda eſt actus celebrati qualitas, qui fuit Penſionum tranſlatio, ad quem actum requirit, ut mens ita ſana ſit, ut perfectè, & abſque ullo errore diſcurrere poſſit: quia transferens Penſionem cognoſcere debet hujus actus gravitatem, perſonæ, in quam transfertur, conditionem, ejuſdem perſonæ meritum, cauſam inſuper, ob quam movetur ad transferendum, & alia plura, in quæ mentem reflectendo, ac veras propoſitiones formando, eaſque ad invicem componendo ex præmiſſis veris poſſit elicere veram concluſionem, ac perfectè, & ſine ullo errore ſyllogiſando ratiocinari. At in ſoporoſis affectibus tantum abeſt, ut homo ad hæc ſufficiat deficiente, ac emortuo jam rationis uſu, ut ne ad formandas quidem ſimplices enuntiationes ſit habilis, quæ ſola ſimplicium apprehenſione fieri poteſt. 8

Neque quicquam contra hæc facit, quod Excellentiſſimus Dominus ad interrogata interdum annuendo, vel renuendo reſponderet; prout res expoſtulabat, quia ex hoc non poteſt argui rationem in ipſo integram ſervari, cum tales actus, & reſponſiones obſervemus quotidie fieri ab aliis dementibus, quos etiam plura ſecundum rationem agere, ac dicere videmus, ſed ipſi non cognoſcunt ob mentis alienationem ſuorum factorum, ac dictorum conditionem, quia operantur, & loquuntur plura ex conſuetudine operandi & loquendi, ut monet ex noſtris Valleſ. *in* 3. *Epidem ſect* 2. *Ægrot.* 11. & notavit inter Juriſconſultos Menochius *citat. conſil.* 82. *n.* 234. & Rota *in noviſſ. deciſione* 107. *num.* 23. & *deciſ.* 129. *part.* 2. nam ut dicebat Cæſalpinus *lib.* 5. *Pract. cap.* 12. contingentur ſomni, vigiliæ variis modis, ut aliquando contingat in ſomniis moveri, & ſentire.

Multo minus obſtat id quòd objici poſſet, nempe quod liceat infirmo per nutus Penſionem transferre (licet non undequaque vera ſit hæc concluſio) ſi enim ipſis poteſt nutibus, multò melius poterit voce, & verbis: Reſpondetur enim, benè procedere, quod nutibus quis transferre poſſit penſionem, ſi ſanus mente ſit, nam idcirco non ſimplices natus ad hoc ſufficiunt, ſed tales, ut certi, & indubitati ſint, ex his enim ſana mens transferentis arguitur. Rota *in pradict. Peruſin. Penſion. coram Peutingerio.* At verò non benè procedit, quòd tanto magis transferri poſſit Penſio voce, & verbis ubi transferens ſanam mentem non habeat: at in noſtro caſu ubi Excellentiſſimum D. N. N. Rationis nullum uſum habuiſſe conſtat nec voce, nec verbis, & multo minus nutibus fieri potuit penſionis tranſlatio. 9

Denique

Denique non obstat oppositio, quæ ex adverso fieri posset, dicendo, quòd omnium morborum dantur quidam gradus levitatis, & gravitatis, ita ut etiam respectu accidentium unus graviora habeat, quàm alius, ut in nostro casu soporosi affectus: verum est unum esse adeò gravem, ut tollat omnem rationis usum, sed tamen dari alterum minùs gravem, & ita levem, ut parùm aut nihil rationem lædat, ut hic, in quo Excellentissimus D. N. N. respondendo ad rem ad ea, de quibus interrogabatur, ostendit, morbum non ademisse illi Rationis usum, neque in totum, neque magna ex parte. Respondetur enim quòd gratis dato, posse dari soporosum affectum adeò levem, ut non tollat rationis usum, tamen hoc non applicari casui nostro; in quo eventu apertissimè patet, affectum illum fuisse gravem, immò gravissimum, cùm hominem è medio sustulerit, & tanto magis urget hoc, quantò translatio Pensionis facta fuit prope mortem, non Majori spatio, quàm paucarum horarum, ut in facto constat.

CONSILIUM XXX.

ARGUMENTUM.

Puerulus quindecim mensium post menstruam febrem gravissima Syncope oppressus Beato Fælici commendatus, illicò revivisçit, ac perfectè sanatur.

SUMMARIUM.

1 *Symptomata alia præter Syncopem, hominem omni sensu & motu privare solent.*
2 *Apoplexia est morbus senilis, & desinit in Paralysim.*
3 *Epilepsia quid.*
4 *Syncopis est præceps virium lapsus.*
5 *Cordis morbi statim atque inceperint, hominem perimunt.*
6 *Necessariò pereunt qui post alium morbum magno morbo prehenduntur.*
7 *Morbi longi sanantur per concoctiones.*
8 *Naturaliter si quis subitò à morbo liberatur, aliquam insignem evacuationem habet.*
9 *Qui syncope sæpè prehenduntur, derepente moriuntur.*

1 VT miraculosi hujus affectus evidentia nobis innotesceat decernendum Primò, quonam symptomate opprimeretur hic puer; nam alia sunt sympromata præter syncopem, quæ hominem omni sensu & motu privare solent, & sunt præcipuè Apoplexia, & Epilepsia. Ad Apoplexiam autem revocantur omnia suffocationum genera, ut laqueo, ex aqua, ex fumo carbonum, ex utero, & id genus alia. Ergo symptoma, quo prehensus hic puerulus est, vel erat Apoplecticum, vel Epilepticum, vel Syncopticum. Sed non fuisse illud Apoplecticum, patet ex natura morbi, & ex natura infirmi, cùm Apoplexia morbus sit senilis, Hippocrat. *lib. 6.* 2 *Aph. 57. & ibid.* Galen. *in com.* & alii omnes, neque Pueros ullo modo infestare soleat. Patet ulterius, quia Apoplexia desinit in Paralysim. *lib. 4. de loc. aff. cap. 2.* Dan. Sennert. *lib. 1 Pract. Part 2. cap. 33 in prognost. num 8.* at verò hic morbus absque Paralysi est sanatus, non enim quicquam de Miraculo detraxisset, etiamsi Paralysis esset secuta. Denique patet, quia in Apoplexia membra relaxantur, & molliores fiunt in Syncope Ægri dentes, atque os arctissimè claudunt. Idem Sennert. *ubi proximè*, ut factum est in hoc puero, de quo duodecimus testis, qui pater ipsius Puerculi erat, ad Vigesimum interrogatorium ita deponit, *subito mi restò in braccia, senza moto, ne respiro, negro, freddo, cum gli occhi, & denti serrati.* Ex quibus satis patet symptoma hoc non fuisse Apoplecticum. Sed neque Epilepticum fuisse clarius etiam fit; quia in Epilepsia adest membrorum convulsio, cùm ipsa Epilepsia nihil aliud sit, quàm universalis convulsio, 3 Galen. *lib. 1. de symet. caus. cap. 8.* & alia sunt signa distinguentia inter unum accidens, & aliud, quæ hic omninò absunt, de quibus certè à Testibus fuisset facta mentio, cùm sint signa nimis notabilia, & manifestissima. Reliquum ergo est, ut hoc symptoma fuerit Syncopis, quemadmodum concludentissimè elicitur à signis apparentibus, & à Testibus commemoratis, quæ concordant cum iis, quæ adducunt Practici in propriis capitibus de Syncope, & videri possunt, si libet, Recentiores. Massaria *lib. 1. cap. 9.* Mercurial *lib. 1. cap. 10.* Capivacc. *lib. 9 cap. 9* Mercat. *lib 2. cap. 10.* Eustach. Rudius *lib. 1. Art. Med. cap. 56* Sennert. *lib. 2 part 4 cap. 6.* Foresti *Observ. lib. 17 observ. 7. in schol.*

His sic constitutis, considerandæ venit symptomatis magnitudo & pernicies: supervenientia ipsius alteri morbo diuturno, ac graviseleritas, ac perfectio sanationis; & modus, quo sanatus puer est. Et quod primum, notum est. Syncopem esse præcipitem virium lapsum, & ruinam. Gal. *lib. 12. Method. med. c. 5.* tamque sæuum, atque horribile symptoma hoc est, ut rectè dictum sit, syncopem esse incipientem mortem, mortem verò esse consummatam syncopem, nam syncopis transitus est ad mortem, ideircò à Græcis *συντομα* dicitur, hoc est citò jugulans, ut ex Aretæo *lib. 2. Acut. cap. 3.* dixi alias *lib. 4 Quæst. Medico-Leg. tit. 1. quæst. ult.* unde non datur in hoc affectu locus remediis, Paul. *lib. 33. sua Med. cap 34.* & hoc quia nimis celeriter jugulat, cùm sit morbus ipsius Cordis; & morbi ipsius Cordis, statim atque inceperint, hominem perimunt; Galen. *lib 5 de loc aff. 2. & comm. 2. Aphor. 41.*

Accedit his, supervenientia tam feralis morbi morbo jam diuturno, & gravi; laboraverat enim jam per mensem febre continua, ut unanimiter deponunt Testes omnes ad vigesimum interrog. itaque ægr & ob ætatem, quia erat puerulus quindecim mensium, & ob morbum ex sua natura gravem, & quo jam per mensem erat exagitatus, in summa debilitate positus, à sævissimo & maximo morbo correptus, ex Naturæ necessitate animam exhalare cogebatur; cùm quotidiana experientia constet, necessariò eos perire, qui magno morbo post alium morbum corripiuntur; effætis enim jam viribus, ac spiritibus melioribus ablumptis ampliùs cum morbo luctari natura non potest, atque ea de causa morbi recidivantes magis, quàm ab initio urgent, Hippocrat. *lib. de intern. aff.* Avic. 2 4. *tract. 2. cap. 95* Ulterius celeritas sanationis manifestissimè concurrit ad hunc supernaturalem effectum. cùm puerulus illicò à commendatione ipsius B. servo Dei Fælici facta in vitam redierit, & sanatus sit? quæ sanatio naturaliter procedere tam modico tempore non poterat, quia puer detinebatur morbo chronico, ac longo; qui non nisi concoctione. & longo tempore sanari naturaliter poterat. Morbi enim hujusmodi sanantur per concoctiones, & abscessus, quæ sanatio dicitur. no tempore succedit; Galen. *num. 6. aph 36* & ut magis magisque hæc sanatio appareat miraculosa, ut quod quisque ablolata, ac perfectabilis, vestigio, ut ex facto, & ex Testium depositione colligitur.

Denique modus, quo sanatur hic puer, recedit omninò à consueto naturæ more, excediturque omninò ejus vires: Natura enim, si quis subito à morbo liberatur, omninò huic aliqua evacuatio effatu digna contingit, vel per vomitum, vel per 8 ventris exonerationem, vel sudores, vel sanguinis è naribus profluvium. aut ex sede per hæmorroidas. &c. quæ verba sunt Gal. *lib. 3. de Crisib. cap. 7.* cùm ergò hic puer à morbo magno, & à symptomate maximo sit subitò, & in instanti liberatus, & à morte ad vitam revocatus, absque ulla simili evacuatione, & absque ullo Naturæ motu, certe firmari debet, illum non naturaliter, sed supernaturaliter sanitatem recuperasse.

Quod ut magis magisque innotescat, notandum, quòd in syncope, ut jam dictum est, fit præceps virium lapsus ob præcipitem. ac repentinam spirituum vitalium resolutionem, & prohibitum eorum influxum a Corde ad cæteras corporis partes; hinc fit, ut si qui à syncope sese recolligant, per longum tempus summam corporis debilitatem experiantur, neque tam facilè ad pristinum vigorem restituantur, neque enim tam citò, ac tam celeriter fieri potest spirituum deperditorum regeneratio, unde qui sæpè ea prehenduntur, non modò viribus sunt semper dejectis, sed aspectu sunt illaudabili, & vultu pallido, ac emaciato, undè etiam de repente moriuntur, ut Hippocrat, docet *lib 2. Aphor. 41.* Hic tamen hujusmodi prægressi 9 morbi reliquiæ nullæ apparent, sed puer ad pristinum vigorem interceſſione B. Fælicis illicò rediit. Quare, &c.

CONSILIUM XXXI.

ARGUMENTUM.

Cardinalis Benedictus Ubaldus morti proximus ex Apoplexia, pensiones aliquas transtulisse prætendebatur, parte contraria asserente translationem non fuisse validam, cùm Cardinalis sui Iuris non esset.

SUMMARIUM.

1 *Apoplexia quid.*
2 *In Apoplexia omnis discursus, & ratiocinatio perit.*
3 *Si quapars ante morbum laboraverit, ibi firmatur morbus.*
4 *Apoplexia fortitudo unde cognoscatur.*
5 *Apoplectici cur moriantur.*
6 *Ex Apoplexia sese recolligentes ad pristinum mentis vigorem non facilè redeunt.*

7 In

7 *In transferendo penſiones non ſufficit, transferentem habere modicam cognitionem, ſed requiritur diſcurſus omninò ſanus.*

8 *In conficiendo teſtamento modica cognitio ſufficiens eſt.*

9 *Difficilius conceditur tranſlatio penſionis, quàm impoſitio novæ.*

SUpponendum eſt, Eminentiſſimum Cardinalem Benedictum Vbaldum bo.me. deceſſiſſe ex Apoplexia, quòd non ſolùm probatur ex depoſitione plurium Teſtium, quam diligentiſſimè perlegi, & ex publica voce, & fama, ſed neque controverti inter partes exiſtimo. Eſt autem Apoplexia privatio ſenſus & motus, cum abolitione omnium Animalium facultatum, præcipuè autem Rationis, & Memoriæ, ita aſſeverantibus Medicis omnibus, ne uno quidem excepto, ut videri poteſt apud Auctores infrà citandos, & notavit Rota *in Perufina Penſionis Maij 1649. coram Peutinger. n* 12. idcircò enim dicitur Morbus Attonitus, quòd homines attonitos reddat, & extra ſe poſitos. Gal. *lib. de differ. morb. cap.* 5. Celſ. *lib.* 3. *ſua Med. cap.* 26.

Supponendum ulteriùs, quòd Apoplexia, ex qua prædictus D. Cardin. extinctus eſt, ad alium morbum ſucceſſit, nempè ad Melancholiam. hoc eſt, delirium melancholi cum, vel inſaniam, hac enim illum per plures annos detentum fuiſſe, non modò ex plurium Teſtium depoſitionibus liquet, ſed ex publica voce, & fama, quæ etiam ad extraneos pervenit, ita ut credendum ſit, neque de hoc ullam inter partes poſſe otiri controverſiam. His ſic ſtantibus, dicendum eſt, actus quoſcunque, juridicos à præd. D. Cardin. factos, poſt ultimum Apoplexiæ inſultum, eſſe undequaque irritos, tanquam ab homine jam mortuo eſſent patrati, qui neque aſſenſum, neque diſſenſum habere poteſt, & ſi qui tales actus in medium à quoquam producerentur, riſu potiùs eſſent excipiendi, quam ulla probatione repudiandi. Ratio autem ejus rei eſt in promptu, & evidentiſſima, quia in Apoplexia omnis diſcurſus, & ratiocinatio omni exparte, & in totum petit, non enim, ut in aliis effectibus diminvitur, aut depravatur ſed in totum aboletur, quod tam in confeſſo eſt apud quoſcunque Medicos, ut ſuperfluum videatur ad eam concluſionem probandam Auctores coogerere. ſi cui tamen libet, videat Galen. 3. *loc. aff. cap.* 5 *&* 10. *& alibi.* Celſ. *loco cit.* Aræteum *de acut. curat. lib.* 1. *cap.* 4 Paul. *lib.* 3 *ſua Med. cap.* 18 Aët. *ſerm.* 6. *cap.* 27. & ex recentioribus Capivacc. *lib.* 1. *pract. c.* 17. *in princ.* Maſſar. *lib.* 1. *c.* 13. Mercurial. *lib.* 1. *Pract. cap.* 19. & poſt omnes alios Daniel Sennert. *lib.* 1. *Pract. part.* 2. *cap.* 32. neque abſque firmiſſima ratione id unanimiter Medici adſtruunt, quia norunt in hoc morbo obſtrui ſpirituum Animalium fontem, & ſic, impedito eorum influxu ad partes, nulla actio ex animalibus celebrari poteſt, unde cum his & Memoria, & Ratio penitùs occumbunt ut omnes Medici *cap. de Apoplexia* percurrere conſueverunt.

Sed tantò magis habet locum in caſu noſtro prædicta concluſio, qua diximus actus à D. Cardin. factos eſſe omninò irritos, quantò jam ex prægreſſo morbo principes Cerebri facultates erant vitiatæ, cùm mente jam non conſtaret, quod patet ex ſecundo ſuppoſito. Receptiſſimum autem apud Medicos eſt ex Hipprocrat. auctoritate, quòd ſi quæ pars ante morbum laboraverit, in ea fitmatur morbus, Modò in D. Cardin. laborabat cerebrum ſecundum principes facultates, maximè Ratiocinatricem, ergò morbus ſuperveniens firmatus eſt in eadem parte, ac magis magiſque ejus facultates oblæſit, undè ſi anteà diminuta, ac depravata erat ratiocinatio, per novi morbi aduentum eſt in totum ablata, & ſic non potuit ſufficere ad ullum actum, qui ſanam mentem requireret, faciendum, cùm non diſtingueret agendorum bonitatem, aut malitiam, & eſſet omninò à mente alienatus.

Obicere tamen facilè pars adverſa poſſet, quòd Apoplexia non eſſet fortis, cùm obſervaretur D. Cardin aliquandò oculos attollere, & quoſdam geſtus facere, & ad interrogata per nutus reſpondere, quæ omnia evidens ſignum dabant in ipſo adhuc ſervari aliquo modo rationem, ita ut ſufficeret ad celebrandum actum illum tranſlationis penſionis, quem fecit nutibus aſſentiens Notario, & aliis illum interrogantibus.

Sed hæc inania ſunt, & ex ſucceſſu falſitatis omninò inſimulantur, quòd enim hæc Apoplexia fuerit fortis, imò fortiſſima, probatur, quia fortitudo hujus morbi ſumitur ex difficultate reſpirationis; quantò enim hæc major eſt, tantò Apoplexia eſt fortior, Galen. *de loc. aff. loc. cit.* ſed hæc non ſolùm fuit magna, ſed maxima. & extrema, quia ad extremum deveniens tandem omninò ceſſavit, & abolita eſt hominemque è medio ſuſtulit, non enim alia ex cauſa, eodem Galeno teſte, moriuntur Apoplectici, niſi quia in illis ceſſat reſpiratio, ſine qua animal vivere nequaquam poteſt. Quomodò autem non erit dicenda fortis Apoplexia, quæ hominem ſpatio duorum, vel trium dierum occidit; benè igitur Rota *in ſupracitata Peruſina Penſionis num.* 11. dicebat, Apoplexiam gravantem infirmum ante obitum, fortem eſſe reputandam.

Nec quicquam facit, quòd D. Cardin. moveret oculos, & caput, & nutus aliquos faceret, quia hujuſmodi geſtus etiam in his, qui de proximo morituri ſunt ex hoc morbo, aliquandò obſervantur, & tamen rationis nullo modo compotes ſunt neque intelligunt quid agunt, aût quid illis dicatur, ſuccumbente omnino ante alias faculrates ipſa Ratiocuatrice, ut omnium Medicorum auctoritate ſatis conſtat.

Sed ulterius, ſi ægri, qui aliquando in Apoplexiam incidérunt, & ab ea reſurgunt, nunquam priſtinum mentis vigorem recuperant, ſed tanquam ſtupidi plerumque manent, Aëtius *loc. cit.* Sennert. *ibid.* & alii permulti, quid decernendum cenſemus de homine, qui per anteactum tempus mente non conſtabat. & aliàs ab Apoplexia fuerat vexatus Sed dato etiam, quod D. Cardin. aliquam, licet valdè modicam, adhuc ſervaret mentis ſanitatem, quæ ſufficeret ad reſpondendum per nutus interroganti, dico adhuc id nihil adverſariis ſuffragari & ratio eſt, quia non ſufficit quæcunque cognitio, & modica mentis ſanitas, ubi agitur de tranſlatione penſionis facienda, non enim ſufficit ad hunc actum celebrandum, in quo requiritur mens omnino ſana. & ratiocinatio integra, ac libera, non ut in teſtamento conficiendo, in quo actu ſatis eſt, ut æger non ſit à mente alienatus, etiamſi non ſit omnino ſanæ mentis, ut dicunt Iuriſconſulti. Ioſeph. Ludovic. *deciſ. Peruſ. par.* 1. *deciſ.* 1. *num.* 14. ex Corneo *conſ.* 261 *lib.* 2. Rota *in Meliten. Teſtam.* 1612. *coram Manz. anedo num.* 9. quia in conficiendo teſtamento modica cogitio ſufficiens eſt, natura ipſa adminiculante, & dictante, ſua bona potius relinquenda filiis, quam amicis, & potiùs amicis, quam extraneis, unde ipſa natura ſupplet aliquo modo rationis defectum: At in tranſlatione Penſionis facienda non concurrit hoc naturæ dictamen, ſed ejus actus deliberatio dependet mere ex diſcurſu libero ſanæ mentis, quo is, qui Penſionem transfert, aſſequi debet, an hic actus ſit laudabilis, necne, cùm fiat in præjudicium Tertii, propter onetis continuationem, quæ eſt evitanda, Gigas *de Penſ. quæſt.* 2. *num.* 2. nam idcirco difficilius conceditur tranſlatio penſionis, quàm impoſitio novæ, Gigas *ibid.* Gratian. *diſcept. For. c.* 397. *num.* 8. ultra quod cognoſcere debet qualitatem perſonæ, in cujus favorem penſionis tranſlatio facienda eſt & cauſam propter quam penſionem in illum transfert quæ debet eſſe gravis. & legitima. At vero ad hunc diſcurſum cum tot concurrentibus formandum, non modo non erat ſufficiens D. Cardin. poſt inſultum Apoplexiæ præſertim, ſed neque ad ullum aſſenſum dandum, cum ratio in illo in totum pèriiſſet, nec minima quidem ex parte aſſequi poſſet, quæ erant aſſequenda, ut actus ille tranſlationis validus futurus eſſet.

Vndè mirandum ptofecto eſt, quonam pacto quis tueri poſſit, hominem, qui jam à multis annis erat à mente alienatus, ab Apoplexia alias vexatum, & nunc de præſenti ab ea detentum, in ipſo morbi vigore, morti jam proximum potuiſſe actum illum tranſlationis penſionis, qui ſanam omnino, & nulla ex parte læſam mentem requirit, validè facere. Ex quibus, &c.

CONSILIUM XXXII.

ARGUMENTUM.

Puer quinquennis ex variolis ſtrangulatus, ac ſemimortuus per horam iacens, B. Fælici commendatus, & oleo ejus lampadis inunctus, illico vocem magnam emitens reviviſcit. & ſanatur.

SUMMARIUM.

1 *Variola quando ſalutares, & quando exitiales.*
2 *Morbi ſtatus quando dicatur.*
3 *Variolis detenti quando moriantur.*
4 *Variola non ſolum externas, ſed internas etiam partes obſident.*
5 *Oleum morbillis, & Variolis eſt adverſum.*
6 *Miraculum clarius eluceſcit ex conſequentibus ipſam ſanationem.*

PLura concurrunt ad demonſtrandum ſanationem hujus pueri fuiſſe undequaque ſupernaturalem, cùm manifeſtiſſime exceſſerit omnino ipſius naturæ vires: quod ut concludenter demonſtretur, repræſentandus ante omnia videtur totius morbi decurſus, & ſtatus, qui ſic habebat. Laborabat puer hic variolis, atque illis quidem pravæ, ac malignæ naturæ, quia puerum tam malè acceperant, ut ex eatum ſævitie de proximo moriturus videretur, ut unanimiter deponunt Teſtes 16. 17. & 18 ad vigeſimum, ibi, *Venit à termino di morte à*

ſegno

ſegno tale era, nam variolæ hujuſmodi, præterquam quod eſſent malignæ naturæ obſederant partes internas, ac præcipuè ſpirituales partes, unde puer, ut iidem teſtes deponunt, *Pèn non reſpirava*. In hoc rerum ſtatu ſupervenit puero ſuffocatio, & ſtrangulatio, & pro mortuo habetur, cum abſque motu, abſque pulſu, & abſque reſpiratione iaceret, ut concorditer deponunt iidem Teſtes ſuper eodem.

His generaliter conſideratis, modo peculiariter de ſingulis partibus hujuſmodi narrationis veræ, & per idoneos Teſtes probatæ, conſiderandum; ac primo perpendenda venit ipſius morbi natura, quo puer detinebatur, qui morbus erat variola-
1 rum, qui certè puerilis morbus eſt, & plerumque ſalutaris, ſed quando habet ſecum coniunctam malitiam, & pravitatem, plerumque, ne ſemper dicam, interimit. Avic. *p. 4. tract. 4. c. 6.* Mercurial. *lib. 1. de morbis puer. cap. 2.* nam tunc variolæ peſtis naturam induunt, & tanquam Peſtilentes infectæ ſunt, ut idem Avic. *ibid.* & Mercurial. *loco cit.* aſſerunt: & de ſimilibus peſtilentibus videatur Foreſt. *lib. 6. obſerv. n. 41. & ſeq.* Has autem variolas tales fuiſſe patet, quia tam magnis ſymptomatibus concomitabantur, ut ex earum vehementia puer ad mortem uſque ægrotaret, ut ex hiſtoriæ narratione patet.

Iam vero puer in ſtatu morbi degebat, cùm accidentia eſſent in ſummo vigore, & ſumma vehementia, ſummumque augmentum eſſent ſortita, hic enim dicitur morbi ſtatus,
2 Galen. *lib. 1. de Criſib. c. 3. & alibi*, unde jam ex ordine Naturæ morbus vel puerum interimere debebat, vel declinare; verum enimvero non declinabat, quia non modo accidentia perſiſtebant, ſed ſuperveneruntnova, ac funeſtiſſima, nempè totalis præfocatio, & ſtrangulatio, ergo naturaliter mori incipiebat, vel fortè mortuus erat, cum pateat tunc mori eos, qui
3 variolis opprimuntur, cum ſupervenerit prædicta ſtrangulatio, ſic enim Avic. *loc. cit. Et plurimi eorum, qui moriuntur per variolas, moriuntur præfocati ex ſquinantia.* Igitur in via Naturæ hic puer non modo de neceſſitate perire debebat, ſed jam fortè perierat, cum omnia proceſſiſſent ex Naturæ ordine, immo ex violentia morbi, & ſuperveniſſent ultima; ac lethaliſſima ſymptomata, quæ morienti homini ſupervenire ex præſcripto naturæ, & ex vi morbi ſolent; nam puer ſtrangulatus, & ſuffocatus relictus eſt, ut ex depoſitionibus Teſtium clare patet.

Cæterùm rebus ſic ſe habentibus, videndum utrum puer in eo ſtatu Artis præſidiis, vel Naturæ ope, aut ex miraculo potius ſit ad vitam reſtitutus? Ac profecto certum eſt, illum nullis Artis præſidiis fuiſſe adiutum, nam omnino de iis mentio habita fuiſſet ab ipſis Teſtibus: ſed demus etiam Artem aliquid machinaſſe pro pueri hujus ſalutè, jam nihil aliud Ars in hoc operari poterat, quàm pectus, & ſpirituales partes ab inflammatione contracta liberare, & ſanioſas materias ab ipſis variolis emanantes aliquo modo emundare, quod maximè per ſcreatum ſuccedere potuiſſet, vel fortè per neceſſum:
4 nam variolæ, ut annuimus, non ſolum carnoſas & externas partes occupant, ſed etiam internas omnes, & maximè Pulmones Avic. *ubi ſuprà*, Fernel. *de Abdit. Rer. cauſ. lib. 2. c. 12.* Paræus *lib. 19. cap. 1.* Dan. Sennert. *de morb. infan par. 2 cap. 2.* Oportebat ergo, ut dixi, has partes à ſanie liberari, ut puer ad ſanitatem reſtitueretur, quod & multis remediis, & multo tempore indigebat, at neque ulla remedia ſunt addibita, neque tempus multum in ſanatione conſumptum eſt, quia ſanatus eſt, & liberatus à perdecanti ſuffocatione, immo inquam ab ipſa morte, ſubito, & in inſtanti, ut ex proceſſu, & ex depoſitione Teſtium clare patet; ergo excluditur omnino Ars ab hac ſanatione, cùm nihil operata ſit, & omnino inſufficiens eſſet ad aliquod rectè pro ſalute pueri machinandum. Sed & ipſa natura etiam excluditur, quia ubi ex ejus præſcripto puer ſanandus fuiſſet, neceſſe erat, ut eodem modo, quo de Arte diximus, pectus, & pulmones ab inflammatione, & incendio contracto liberarentur, & à variolarum ſanie emundarentur, vel per ſputum, vel per aliquam aliam excretionem licet nulla alia conveniens extitiſſet, quam per ſputum; quæ ſi ſuccedere debuiſſent, non poterant ſuccedere niſi in tempore, ut patet: at cum puer ſanetur abſque hujuſmodi inflammationis amotione, & abſque ſaniei expurgatione, & in inſtanti reviviſcat, excluditur omnino etiam ipſa Natura ab hoc opere, quod omni ex parte ſupra Naturam & miraculoſum remanet.

Ex ſuperabundanti autem in conſiderationem quoque veniat, morbum hunc non ſolum fuiſſe ſanatum abſque ullo naturalium remediorum uſu, ſed ſanatum fuiſſe remedio in Naturæ via aut inani, aut contrariosana tur applicatione, & inſunctione olei lampadis ipſius B. Fæicis, quod quid conferre poſſet homini moribundo & ex vi morbi ſuffocato, unuſquiſque conſideret; ſed adhuc remedium hoc erat omnino contrarium; quia oleum morbillis, & variolis eſt adver-
5 ſum, unde cavetur à Medicis, ne corpora hujuſmodi oleo tangantur, adauget enim oleum inflammationem, & putredinem, & tamen hic applicitum puerum à morte revocat, unde certè dicendum, ad majorem miraculi evidentiam, nullam hic habitam fuiſſe Naturæ rationem, cum applicetur res adverſa, & noxia, ut factum alias tam in Veteri, quam in Novo Teſtamento dicit Valleſius *de ſacr. philoſoph. cap. 34.*

Præterea multo clarius eluceſcit miraculum ex conſequentibus ad ipſam ſanationem: habemus enim puerum ita malè habentem ex læſione ſpiritualium inſtrumentorum, ut neque amplius reſpiraret, neque in vita jam permanere poſſet, quia vel ſuffocabatur, vel ſuffocatus jam erat; applicatione olei ſanatur illico, & reſpirat, ac clamat fortiter, quod nulla via, ac omninò nullo modò naturaliter ſuccedere potuit, quomodo enim ex tam morbifico ſtatu; & ex tanta læſione, ad ſtatum naturalem illico partes redire potuerunt, ut ad efformandam vocem ſufficientes eſſent? conſtat enim partes fuiſſe in ſummo debilitatis, & non ſolum fuiſſe inſufficientes ad vocem formandam, ſed ad ipſam reſpirationem. Hæc ergo omninò ex miraculo procedunt, non ex naturæ ope. Quare, &c.

CONSILIUM XXXIII.

ARGUMENTUM.

Pecuniis in ſocietatem datis ſub periculo vitæ alicujus mulieris prægnantis, & illa decedente, quando amittatur, quandò verò non.

SUMMARIUM.

1 *Acceleratio mortis ob cauſam prægnantiæ, & partus non ſufficit ad excipiendum lucrum pecuniarum.*
2 *Nullus caſus mortis datur in prægnantia, & partu, in quo ipſe partus, & prægnantia culpari non poſſint.*
3 *Cauſa acceleratis mortem in prægnantia, & partu, non eſt ſufficiens cauſa exceptionis.*
4 *Cauſa, ex qua emanat effectus, eſt multo magis efficax quam cauſa accelerans.*
5 *Prægnantia, & partus non ſunt cauſa mortis per ſe.*
6 *Non ſatis eſt pro exceptione, prægnantiam, & partum eſſe cauſas mortis impulſivas.*
7 *Cauſa impulſiva, & coadjuvans non attenditur.*
8 *Ut contractus ſocietatis ſuſtineatur, neceſſe eſt dari in prægnantia, & partu aliquos caſus pro lucro.*

ILluſtriſſime, & Reverendiſſime Domine: Rotæ illa concluſio, quod acceleratio mortis ex culpa prægnantiæ, aut 1
partus, facta, ſufficiat ad hoc, ut lucro pecuniarum, quæ datæ ſunt in ſocietatem ſuper periculo vitæ alicujus mulieris, non fiat locus, ſed caſus inter exceptos ſit recenſendus, ſubſiſtere nullo modo poteſt: neceſſe enim eſt, ut cauſa mortis primaria dependeat ab ipſa prægnantia aut partu independenter ab alia, unde febris adveniens in prægnance ſana ex cauſa fortè extrinſeca, erit primaria cauſa, & independens ab alia ſuccedentis mortis: at ſi febris ſuccedat prægnanti jam malè diſpoſitæ, & multa ab ipſa prægnantia perpeſſæ, febris erit cauſa ſecundaria dependens à priori diſpoſitione: facit Rota *in Rom. prætenſa ſociet. Jun. 1569. coram Oradino n. 3.* non ſubſiſtit igitur illa concluſio.

Primò, quia deſtruit omnino juſtitiam ipſius contractus, & reddi, illum uſurarium, quia cum nullus unquam caſus dari poſſit evenientis mortis in prægnante, aut parturiente, in quo ipſa prægnantia, & partus culpam non habeant hujuſ- 2
modi accelerationis mortis, ut in confeſſo eſt apud omnes Medicos, & late probatum eſt *lib. Quæſt. Medico-Leg. tit. 4. quæſt. maxime 8.* caſus omnis ſemper erit pro exceptione, nulluſque unquam erit pro lucro, & ſic toto gravidationis & puerperii tempore, percipietur fructus ſalvo capitali, quod eſt uſurarium, & controverti non debet.

Secundò, quia repugnat omnino æquitati, nam ſi acceleratio mortis eſt ſufficiens cauſa pro exceptione, dummodo 3
dependeat à prægnatia, vel partu idem erit de aliis cauſis extrinſecis in aliis caſibus: & ponamus aliquem pati pleuritidem vel ſquinantiam acutiſſimam, quæ ſufficientiſſima cauſa mortis eſt & hic æger bibat vinum meracum, certè hoc vinum accelerabit illi mortem, & ſi pecuniæ currerent periculum ejus vitæ, ſalvæ erunt; quia mors accelerata eſt à cauſa extrinſeca, quæ violenta eſt, & excipitur in inſtrumento ſocietatis officii.

Tertiò, quia culpa mortis attribueretur ſemper in his caſibus cauſæ minus efficaci, nam non eſt dubium, cauſam primariam, ex qua emanat effectus, eſſe multo magis efficacem, quam cauſam accelerantem, & facientem effectum citius emanare; modo febris maligna eſt cauſa primaria mortis, ex ea enim ſequitur primario mors, prægnantia autem, & partus

accelerant

accelerant tantùm, ut dicitur, mortem; sunt ergo minus efficaces causæ, neque effectus ullo modo ad illas referri potest.

5 Quartò, quia effectus mortis tribueretur non causæ, quia neque prægnantia, neque partus ex se occidunt, aut sunt causa mortis, quemadmodum enim non potest dici ferrum occidisse aliquem, quia erat à fertugine liberum, sed quia erat per se habile ad occidendum, sic non dicendum malignam febrem occidisse mulierem, quia erat gravida, sed quia ipsa maligna febris est habilis ad occidendum absque prægnantia, & semper, quando occidit, est vera & adæquata mortis causa, & denuò advenientia accidentia, sive ad ipsam prægnantiam, aut partum pertineant, sive non, sunt soboles, & effectus ipsiusmet febris malignæ, ut in casu nostro, in quo & abortus, & diarrhæa, & cætera subsecuta, fuerunt effectus malignæ febris præcedentis, ut patet.

6 Denique non desunt Doctores inter Iurisconsultos, qui re optimè perpensa docuerunt, non satis esse in casibus exceptionis prægnantiæ, & partus, ipsam prægnantiam & partum esse causas impulsivas mortis, sed debere esse causas efficientes primarias, ac proximas: Castrac. *de societ. c.* 18. *n.* 19. *& seqq.* 7 Bocc. *de societ. n.* 35. Zacchias *prad. tra. n.* 425. Modò non est dubium, causam accelerantem mortem, non esse primariam, ac proximam, sed secundariam, remotam, ac impulsivam, & coadiuvantem tantùm, quæ non debet attendi, nec in consideratione haberi, Malvas. *cons.* 126. *n.* 81. *vol.* 1. Grat. *discep. for. c.* 558 *n.* 23. Pro coronide autem illud addam, quod si contractus societatis in suo robore manutenendus est tanquam justus, necesse est dari casus aliquos mortis in prægnantia, & partutiente, qui pro lucro faciant; & si ullus unquam casus similis dari debet, ut dari necessariò debet, certe nullus dari potest, qui minùs dubium faciat an pecuniæ sint lucratæ necne, quam præsens casus, in quo sola maligna febris fuit primaria adæquata causa mortis, prægnantia vero, & abortus tantùm accelerantes, & impulsivæ.

CONSILIUM XXXIV.

ARGUMENTUM.

Stephanus Nocettus accusatus est, quòd virginem violaverit; in carcerem conjectus, & examinatus, ostendit se membrum obtruncatum, ac exile habere, virgo autem, quæ violata præsumebatur, loca habebat ampla, ac perpetuo fluxu albo humecta. Dicebam ergò:

SUMMARIUM.

1 *Membri brevitas impedit, quò minus vir possit penetrare ad violationem virginitatis.*

2 *Signa violationis virginitatis æquivoca sunt, & communia tam violationi factæ per membrum virile, quàm facta alio quocunque modo.*

3 *Virgines stuprantur absque ulla ampliatione locorum, cum loca habent humecta, ut immediatè post menstruam purgationem.*

4 *Rubor observatus in virgine stuprata cessat per quindecim ad summum dies, & cur.*

5 *Virgo corrumpi potest absque Hymenis dilaceratione, si virga virilis exilis est, & vulva muliebris ampla, & humida:*

6 *Rugarum obliteratio in Virgine constuprata quando, & quomodo fiat.*

1 NUllum fundamentum prorsus habet Fiscus, & adhærentes, in quo fundare suam intentionem possint circa probationem prætensæ violationis Mariæ Franciscæ Gismundæ per Stephanum Nocettum patratæ; nam neque in ipsa muliere ulla prædictæ violationis signa apparent aut apparere possunt, neque ipse D. Nocettus ob sui membri constitutionem habilis esse potest ad virginem violandam.

Et primò, quoad hanc secundam partem, quæ ipsum Nocettum respicit, apparet manifestissimè ejus membrum esse exile, breve, flaccidum, ac mutilatum, unde ob exilitatem stante etiam prætensæ mulieris stupratæ amplitudine vasorum, & eorum perenni humectatione à muliebri fluxu, potuit introduci absque ulla violatione, quod tamen nequaquam fieri potuit ob ejus brevitatem, ex qua nullo modo potuit pervenire ad disrumpendam coniunctionem caruncularum illarum, quæ constituunt signum virginitatis, ut ex inspectione ipsa apparet; sed neque potuit Nocettus Mariam Franciscam violare ob membri flaccid itatem, cùm non habeat vigorem naturalem ad hoc requisitum, cumque ipsæ obstetrices pro Fisco examinatæ quæ omnia futilia, ac falsa deponunt, dicant verè se cognoscere violationem fuisse factam à membro flaccido, & minimi vigoris; quæ depositio continet insanabilem contrarietatem, quia quomodò esse potest, ut membrum parvum, ac flaccidum tantam violentiam faciat in virgine stupranda, quæ vasa ampla, & humidissima habebat, ut post quatuor menses à violatione signa manifesta, aut apparentia per umbram in pudendis relinquantur, hoc quidem omninò falsum, & inverisimile est.

Denique D. Nocettus non potuit Mariam Franciscam violare ob ipsius membri mutilationem, & contractionem, quia à multis annis ex morbo superveniente necesse habuit illud præcidere & cauterizare, ut ex relictis vestigiis apparet, unde callum contraxit neque in erectione multùm extendi ampliùs potest, quæ omnia probatione ulteriore non egent.

Quoad prætensam mulierem stupratam non possunt, ut dixi ulla signa expiscati prætensæ violationis; quia nulla prorsus, & omninò in genitalibus sic constitutis signa violationis apparere possunt, quod concludentissimè probatur ex sequentibus.

Nam relinquam primò, quòd signa violationis communia 2
sunt, & æquivoca, tam violationi factæ à membro virili, quàm factæ ab ipsa muliere propriis digitis vel instrumento aliquo, ut virgines lascivientes aliquando facere solent; hoc universæ scholæ Medicorum est receptissimum, & audacissimi mendacij insimulat obstetricum pro parte Fisci examinatarum depositionem dum volunt cognoscere per quædam signa, prædictam Mariam Franciscam fuisse devirginatam à membro virili, & non aliàs, quod falsissimum est, & contra præcipuorum Medicorum auctoritatem, inter quos videantur præcipue Isaubert. *lib.* 5. *error popul. c.* 4. Ambros. Paræus *lib. de retentionibus.* Augen. *lib.* 1. *Epist. tom.* 2. Fortunat. Fidel. *de relat. Med. lib.* 3. *c.* 1. Codronc. *c.* 11. *in Method. testif.* Valles. *de sacr. Philosoph. c.* 25. & inter Iurisconsultos Cujac. *lib.* 27. *Observat. c.* 20. Sanchez. *de Matrimon. lib.* 17. *disput.* 113. *n.* 10. quos omnes adduxi cum aliis alias *lib.* 4. *Quæst. Medico. Leg. tit.* 1. *q.* 1. *n.* 14. Sed neque hoc diffitentur ipsæ obstetrices examinatæ pro parte Fisci, ut Felix Campanella juxta 5 interrogatorium.

Secundò signa violationis quæ ab obstetricibus adducuntur, non potuerunt ullo modo verè observari in dicta Maria Francisca. Primò quia jam pertransierant quatuor, seu quinque menses, à quo violata præsumebatur: & quoad id quod deponunt de apertura, prout in violatis observatur ad rem non facit in casu nostro; quia aliàs notum habent Medici, quòd ubi mulier loca ampla, & humecta habeat, ut habet 3
prædicta Maria Francisca, loca apparent per seipsa ampla, & disiuncta, ita ut aliquæ virgines devirginentur absque ulla ampliatione vulvæ, & hoc contingit maximè ubi devirginantur post menstruam purgationem immediatè, hoc est, uno aut altero die, quæ omnia optimè observantur à Capivacc. *loc. cit.* & à Severino Pinæo, *lib.* 1 *de not. virgin. c.* 6.

Quòd deponunt de quodam rubore observato in ipsa vulva Mariæ Franciscæ, falsissimum est, quia hujusmodi rubor, seu color mutatus, observatur primis diebus, & non ultrà septem, 4
aut quindecim, ut omnes Medici fatentur, & ratio ipsa dictat: nam impressio facta à stupratore, & consecutus sanguinis ad loca ob violentiam passam omninò obliterantur prædicto dierum spatio ad summum ita ut nimis à vero absit, quòd obstetrices talem roborem potuerint in Maria Francisca observare, quòd si aliquis fortè rubor apparuerit, is ex alia multum diversa causa apparere potuit, quàm ex stupro. Et tantò minùs observari potuit hic rubor in Maria Francisca, quantò magis illa loca ampla, & humidissima habet, & prætensus stuprator membro dotatur, ut dixi, brevi, exili, flaccido, & mutilato.

Sed profectò jam non potest harum obstetricum petulantia absque exacta scientia tolerari, cum dicunt, orificium vulvæ esse dilatatum, ita ut illa violata appareat sed insimul fuisse violatam à membro minimè crasso & flaccido; dum nimis enim affectant Fisci prætensionibus satisfacere, non vident, se omnia deponere inverisimilia, ac falsa; si enim membrum, à quo stuprata est Maria Francisca, erat tenue, & flaccidum non potuit, ut dixi, vulvæ tam amplæ, & humidæ illam violentiam facere, aut illam dilatare, ullamve in illam impressionem relinquere; si enim, cum virga virilis tenuis est, & orificium Hymenis ampliusculum, absque Hymenis dilaceratione virgo corrumpi potest, ut testatur luculenter Capivacc. 5
loc. cit. & alij: quid dicendum in casu nostro, ubi mulier vasa tam ampla, & humida habet & prætensus stuprator virgam habet brevem, exilem, ac flaccidam, & erigi, ac distendi non potentem? Hæc quidem sunt adeò absona, absurda, & inverisimilia, ut mirum sit, Fiscum permittere ea in judicium deduci.

Quod denique deponunt de obliteratione rugarum, quam observasse se dicunt in prædicta Maria Francisca, non minùs vanum est, quam cætera ab ipsis attestata, si quid enim

toteſt obliterare prædictas rugas, id poterit faciliùs perennis ſi xus muliebris, quo Maria Franciſca detinetur, quam violatio per virile membrum facta, ſed quænam obliteratio rugarum fieri potuit à membro tam tenui, brevi, flaccido, & mutilato per unicum antecedentem iteratum coitum? hæc quidem rugarum obliteratio fieri non poteſt, niſi à membro forti & craſſo & quod cum multa violentia conterat ipſas rugas, & per vim iteratam pluries aditum ſibi ad interiora patet. ſed iam ex ipſarum obſtetricum confeſſione, membrum à quo illa violata, eſt exile, & flaccidum: non potuit ergo prædictas rugas ita conterere ut omnino obliteraterentur, ita ut ne veſtigium quidem earum ſit obſervatum. Abeant ergo obſtetrices hæ ignariſſimæ, & audaciſſimæ, quæ enim deponunt, omnia meræ nugæ, & deliramenta ipſarum ſunt, nec quicquam contra prætenſum ſtupratorem probare poſſunt. Quære, &c.

CONSILIUM XXXV.

ARGUMENTUM.

Clericus, cui in rixa ſuperior Auriculæ pars abſciſa fuerat, ac vulnera in capite accepto inſignis in ea parte cicatrix remanſerat, cùm minoribus Ordinibus iam eſſet initiatus, poſtulabat ad ſacros promoveri; opponebatur tamen ob prædicta, irregularitas; unde quæſitum eſt, an ex Auriculæ abſciſſione, & ex cicatrice ulla inſignis noxa, vel turpitudo emanaret, ex qua ad ſcandalum evitandum deberet repelli ab admiſſione ad ſacros Ordines.

SUMMARIUM.

1 *Membrorum mutilatio inducit irregularitatem.*
2 *Auris membrum eſt ad nobiliſſimam operationem, & ad decorem fabricatum, & n. 5. Falſum n. 11. & 13.*
3 *Membra officiorum gratia conſtant.*
4 *Auris ad auditionem facta.*
6 *Auris mutilatio facit hominem irregularem.*
7 *Membro ad certam operationem deſtinato deficiente, neceſſe eſt eam operationem una deficere.*
8 *Cujuſcunque partis mutilatio decori officit.*
9 *Auricula totalis abſciſſio auditionem reddit deteriorem.*
10 *Mutilatio totalis membri facit irregularem, non autem mutilatio particulæ ipſius membri.*
11 *Auditio eſt operatio Auris interna, non externa.*
14 *Auricula abſciſſio non inducit irregularitatem.*

PRo parte affirmativa dicebatur, membrorum mutilationem & decori, & operationibus, quibus illa ſunt deſtinata, maximè obeſſe: præcipuè verò eorum, quæ magis conſpicua
1 ſunt, ut quæ ipſam faciem conſtituunt, inter quæ Auris eſt, talem autem mutilationem facere hominem irregularem,
2 Maiol. *de Irregul. lib. 1. cap. in princ.* Autem vero eſſe membrum, & non ſolum ad nobiliſſimam operationem fabricatam, ſed etiam ad decorem; quod enim ſit membrum patet quia habet diſtinctam operationem, ac ſibi propriam Gal. *d. 1. Method. cap 6.* nam membra officiorum gratia conſtant, Ariſt.
3 *de part. Anim. lib. 1. cap. ult.* Auris autem ad auditionis operati-
4 onem fabricata: idcirco auris eidem Ariſtot. *lib. 1. de hiſt. Animal. cap. 11.* dicitur pars illa capitis eſſe, qua audimus, & Avic. 4. 3. *tract unico c. 1. Auris eſt membrum creatum auditui*, unde illud in ſacris, *Pſalm. 113. verſ. 6. Aures habent, & non audient.* & alias ex Galen. *in lib. de inſtrum. odorat.* Au-
5 tem eſſe propriè membrum dixi, quamobrem ex melioti, aut peiori ejuſdem Auris conformatione: perfectius, aut imperfectius audimus, hinc dicebat Ariſtot. *lib. 3. de Gener. Anim. cap. 1.* Auriculas longas, & imbricatas melius audire; quinimo idem Ariſtot. *de hiſt. Anim. lib. 1. cap. 11. famem* dicebat, Aurium alias leves eſſe, alias piloſas, alias medium tenere, & has ad audiendum eſſe aptiſſimas. Ex quibus Doctorum auctoritatibus clarè patet, ipſam externam auriculam fabricatam eſſe ad audiendum, & ſic, cum habeat propriam & diſtinctam operationem, eſſe membrum. Quod vero Aures ad decorem ſint fabricatæ ultra utilitatem, quam ex illis reportamus, ſatis apertè declarat earum mutilatio, quippe quæ hominem inſignitèr deturpet, ut loculentius demonſtrat Gaſp. Talliacot. *de Curt. lib 1. cap. 11.* neque enim aliam ob cauſam Auriculæ proditoribus amputantur, niſi ut enorme peccatum enormi turpitudine manifeſtum fiat, atque ea cæteri homines admoniti ab eorum fallaciis cavere poſſint. Ex quibus inferre licet quòd cùm Auris mutilario tantam turpitudinem afferat abſque dubio inducere debeat irregularitatem, & hominem, à Sacris ordinibus arcere.

Præterea fieri nullo pacto poteſt quin ex Auris præciſione 7
non reſultet inſignis læſio in auditione, quia ubi membrum aliquod ad certam operationem deſtinatur, eo deficiente, deficit operatio, non tantum univerſim, ſed etiam in parte, ſi in parte tantùm deficiat; itaque cum Auris ad auditionem ſit deſtinata, & in hoc Clerico ex parte deficiat, neceſſe eſt etiam auditum deficere, & non modicam noxam ab ea deficientia illum reportare.

His addebatur deformitas quæ emanabat ex magna cicatrice prope ipſam Aurem in capitis cute relictam, quæ quidem, cum glabra remanſiſſet, non tam facilè abſcondi poteſt, quin ſuam illico deformitatem non prodat; unde cum ſuper unam deformitatem alia adveneriat, tantò magis videtur ex illis irregularitatem induci, maxime cum in celebrando utraque deformitas conſpicua de neceſſitate ſit oporteat.

Quibus tamen non obſtantibus, viſum eſt dicendum in caſu præſenti ex hujuſmodi Auris abſciſſione neque inſignem, turpitudinem, neque ullam inſignem noxam oriri poſſe, quarum altera, vel utraque etiam ſimul junctæ ſcandalum aliquod excitare debeant, cujus intuitu clericus hic à promotione ad Sacra ſit repellendus.

Quod enim dicitur membrorum abſciſſionem, ſeu mutilationem decori, & operationibus quibus deſtinata ſunt, obeſſe declarandum videtur, ac determinandum de quibus membris, & de qua mutilatione ſermo ſit nam quoad decorem, non du- 8
bium quidem eſt, omnem mutilationem non membrorum ſolum, ſed quotcunque etiam particularum, maximè viſui conſpicuarum, deformitatem inducere, non eſſe tamen omnem deformitatem talem, ut ejus cauſa irregularitas incurri debeat, palam eſt, ſed debere eſſe inſignem, ac notatu dignam: Modò, inſignis deformitas oritur ex inſignis membri mutilatione, & maximè membri totius, & tanto major, quantò membrum majus, & magis conſpicuum & majoris uſus eſt; At cotrà parvâ mutilatio, neque omnimoda, ſed tantùm particulæ alicujus membri inſignem deformitatem afferre non poteſt, ſed parvam, & tantò minorem quantò membrum minus eſt, & minùs conſpicuum, & minoris uſus ut in caſu noſtro, in quo mutilatio eſt modica, & tantùm partis ipſius Auriculæ; quæ quidem particula eſt puſilla, & minùs conſpicua, cùm ad latera ipſius capitis, non in facie ſit poſita; quinetiam, ſi qua inde emanat turpitudo, facilè contegi capillis poteſt, ac præterea nullius uſus ſit, ut deinceps probabimus. Itaque reſpectu turpitudinis nullum impedimentum notatu dignum in hoc Clerico apparet.

Quòd autem neque ulla inde noxa inſurgat, patet; quia 9
auditus nullo modo deterior eſt factus, licet negari non poſſit totalem Auriculæ abſciſſionem auditum facere aliquo modo, deteriorem, ut notavi aliàs ex Hieronym Fabric. *libro quinto, haud. 11.* ipſe *Tit. 3. quæſtione 4. numero quarto* ſed hoc in caſu noſtro non habet locum, in quo, ut dictum eſt, & obſervati ptopriis occulis poteſt modica eſt, & partialis Auriculæ amputatio, & maximè ejus partis quæ minùs ad meliorem ſoni perceptionem facit, nempe partis ſuperioris, quam Pinnam Medici vocant Ruff. Ephæſ. *de corp. Hum. part. appell. libro primo capite ſexto*, vel Helicem, ut placet Ioan. Veſlingio, *in ſyntagm. Anatom. c. 16.*

Neque obſtat in contrarium adducta, quia licet verum ſit, 10
membri abſciſſionem inducere irregularitatem, hoc habet locum in totali abſciſſione, quia partis mutilatio non facit irregularem, Barboſa *de eff. & poteſt. Epiſcop. alleg. 42. n. 12. par. 2.* præterquam quod falſum eſt, quòd Auris ſit membrum, cùm 11
non habeant diſtinctam operationem, non enim Auris, hoc eſt Auricula, vel Auris externa eſt inſtrumentum auditus, neque ad ipſam refertur auditio, quod patet, quia ſine ipſa, eaque penitus abſciſſa audicus tamen ſit, & notum eſt, nonnulla alia animalia, quæ optimè audiunt, auriculis omninò catere; nam auditus eſt operatio internæ Auris, & pertinet maximè ad nervum Acuſticum, ſive auditorium: Ariſtoteles autem, Galenus, Avicenna, aliique DD. dicentes, Aurem eſſe auditus 12
inſtrumentum, de Aure interna intellexerunt, non de externa, ſeu de Auricula; quòd ſi aliquando ob Auriculæ rectam conformationem dicatur Animal melius audire, non idcirco dicendum, Auriculam eſſe auditus inſtrumentum, ſed potiùs ejus bonam conformationem denotare, Auris quoque internæ optimam conformationem, licet & ipſa Auricula faciat, ut locus ad Aurem internam magis uoi ut accedat, unde melior, ac faciliot auditio inſurgit, ſed ipſa auditio in Aure interna ſit; & quomodò fiat, ante omnes explicavit Hippocrat. *libro de Carnibus numero decimo ſexto*, ex quibus clarè infertur, Auriculam membrum non eſſe, neque à quoquam inter membra connumerari, unde jure optimo à Canoniſtis ſanctum eſt, 13
Auriculæ abſciſſionem non inducere irregularitatem Covarr.

Releſt,

41 *Reſect. par. 3. tit. de Homicid. n. 8.* quòd ſi totius Auriculæ abſciſſio non facit hominem irregularem, certè multò minùs irregularem faciet abſciſſio partis ipſius, maximè ſi conregi poteſt capillis. Neque obſtat inſignis cicatrix, ac glabra, quæ propè ipſam Auriculam detegitur; quia adhuc prope alia latera Auriculæ capilli ſuperſunt, quibus conregi poteſt, & auriculæ, & ipſius cicatricis deformitas; quamobrem cùm nullum uſum corporis feciſſe deteriorem pateat Auriculæ abſciſſionem in hoc Clerico, neque eandem abſciſſionem, aut magnam illam cicatricem decori ita obeſſe conſtet, ut commode celari deformitas non poſſit, non videtur, quòd reſpectu earum cauſarum hic Clericus à promotione ulteriori ad ſacros Ordines ſit repellendus. Quare, &c.

CONSILIUM XXXVI.

ARGUMENTUM.

Negabat nobiliſſima mulier marito; longa, ac fœdiſſima ſcabie detento, matrimoniale debitum reddere; cum autem timeret conſcientiam ſuam in hoc gravare, poſtulabat à Confeſſario, an tuta conſcientia negare debitum poſſet ob infectionis timorem. Quæſitum ergo à me eſt à Reverendo Confeſſario, viro Doctiſſimo, ac Prudentiſſimo, An mulieris illius maritus (quem ſub alio quodam prætextu mihi inſpiciendum produxerat) ejus gravitatis ſcabie laboraret, ut inter lepras eſſet connumeranda, & quodnam infectionis periculum mulieri impenderet ex carnali conjunctione cum ejus viro; ac reſpondi.

SUMMARIUM.

1 *Marito Lepra detento tenetur uxor reddere coniugale debitum.*

2 *Non ſufficit ſolus timor contagij ad denegandum debitum, maximè ſi morbus ſit abſque periculo.*

3 *Non poteſt cogi ſanus coniunx ad reddendum debitum; ſi adſit periculum magni morbi, ex quo vita periclitetur, & n. ſeq.*

5 *Contagium in nullo actu promptius communicatur, quam in actu coitus.*

1 VIdetur quidem prima fronte, teneri omninò mulierem hanc ad debiti redditionem ex præcepto Eccleſiæ; nam etiamſi tam fœda eſſet ſcabies, qua maritus detinetur, ut ipſius Lepræ nomine inſignienda eſſet, & in veritate Lepra eſſet, tamen non poſſet uxor illi denegare debiti redditionem, ut per *c. quoniam. de coniug. Leproſor.* cum autem hæc ſcabies non ſit Lepra, clarè patet ex ipſius qualitate, & ex omnimoda abſentia ſignorum Lepram concomitantium, quia hæc ſcabies eſt quædam ſcabies ulceroſa æqualiter univerſum corpus deformans; facie, & capite exceptis, cum pruritu quidem, non tamen magno, & cum abundantia puſtularum, quæ facilè ſaniem generant, emittuntque craſſam quandam, ac fœtidam materiam ex virore palleſcentem; partes autem, quæ à ſcabie immunes ſervantur, ſuum penè naturalem colorem ſervant; nulla adeſt notabilis quorundam corpuſculorum deciſio veluti ſquammæ piſcium; nullus adeſt color malus, nec ſudor aliquis malè olens ex corpore emanat, nec ulla adeſt cutis ariditas, ſeu aſperitas, quæ omnia in vera Lepra obſervantur, ut apud quoſcunque Medicinæ Doctores palam eſt.

2 Nec quicquam obſtat, quòd hæc ipſa ſcabies ſit maximè contagioſa: quia non ſufficit ad denegandum debitum ſolus timor contagij, ſi morbus ex contagio contrahendus ſit ſalutaris, & periculo omni vacet, qualis morbus eſt ſcabies, ita ut eam Hippocrat. *lib. de Affect. n. 35.* vocaverit potius turpitudinem, quam morbum; quia cùm ſit purgatio quædam pravorum humorum à Natura per cutem facta, ac per eam illaudabilis ſanguis expurgetur, potiùs ad ſalutem tendit, quàm ad ullum vitæ periculum: quin etiam à multis morbis præſervat, præſertim in ætate juvenili, ut omnes Medici unanimiter firmant; quamobrem etiamſi uxor timeat infici ex coitu cum marito hujuſmodi ſcabie infecto, non ſine ratione, non tamen idcirco poteſt denegare debitum, etiamſi eſſet certa, quòd non poſſit evitare infectionem, ſed de hoc non poteſt eſſe certa, quia non neceſſariò unuſquiſque à morbo contagioſo inficitur, requiritur enim quædã corporis inficiendi diſpoſitio ad contrahendum contagium, aliàs abſente hujuſmodi diſpoſitione non inficitur, ut in dies obſervamus in aliquibus, qui cum ſcabioſis non modò commorantur; ſed una cibum capiunt, atque uno in lecto dormiunt abſque eo quod inficiantur, imò & idipſum in morbo Gallico obſervamus, cùm eveniat non ſemel, quod plures cùm muliere infecta rem habeant, & tamen unus aut alter inficiatur, ut in caſu de quo Gabr. Fallop. *in tract. de morbo Gallico cap. 3.* de coniugibus morbo Gallico infectis, qui cum ſuis coniugibus iuncti non ſunt infecti, ita ut ille ad miraculum hoc referat, quod tamen naturale eſt, quia ſæpiſſimè id fit, ut commiſtus cum infecta morbo Gallico non inficiatur, quod etiam iterum haberi refert Sperell. *de rit. & poteſt. Eccleſ. 14. n. 31. & ſeq.* qui etiam Fallopium, & alios Medicos ad id adducit.

Addendum his, quod præter corporis inficiendi diſpoſitionem ad contrahendum contagium, requiritur etiam mora aliqua notabilis cum perſona infecta, & pluries iterata, aliàs non tam facilè inficitur ſanus; unde cùm coitus brevi tempore abſolvatur, neque in hoc caſu debeat multum frequentari, quia maritus contentum ſe dicit, ſi ſingulis hebdomadis debitum exigat, inanis omninò, ac irrationabilis videtur uxoris timor, ne per coitum inficiatur, compellenda ergo, ac cogenda ſub pœna peccati, ut debitum reddat, ne juſtitiæ vis fiat.

Verùm enimverò pro contraria opinione nonnulla ſunt, quæ valdè quidem ponderanda videntur, ac primo loco, quòd mariti ſcabies dependentiam habeat ex prægreſſo morbo Gallico, & quidem maligno, & contumaci, ex cujus reliquiis hæc ſcabies pullulavit; quæ non alia ex cauſa tam pertinaciter hæret; ut nè per integros duos annos jam tranſactos quicquam adhuc remiſerit, licet cætera Gallici morbi accidentia quieverint; ſtante quòd natura omnem morbificam materiam per cutim expurgare inceperit: quibus ſic ſe habentibus non de ſolo ſcabiei contagio timendum uxori eſt, ſed etiam de morbo Gallico ſævo & atroci, qualem maritus ipſe paſſus eſt, puſtulis & ulceribus malignis inſignem, 3 quæ etiam internas gutturis partes acerare, ac devaſtare ſolent, cùm ergo ex hujuſmodi morbo Gallico adſit rationabilis timor magnorum malorum, atque etiam periculi ipſius vitæ, certè nullo modo cogenda nobilis mulier, ut marito debitum conjugale reddat: ad quam ſententiam firmandam faciunt adducta noviſſimè ab Epiſc. Sperello, *de uric. & poteſt. Eccleſ. cap. 140. num. 29 part. 2.* Secundò, maximè augere poterat uxoris timorem, illumque magis rationabilem reddebat quòd marito uni ſecum in eodem lecto cubanti, poſtquam utcunque à prægreſſo morbo reconvaluerat, cæpit illa primò intenſo capitis dolore moleſtari; ac mox infenſiſſimo totius corporis pruritu prehenſa eſt quinetiam nonnullæ illi puſtulæ in diverſis corporis partibus emanarunt, ita ut, niſi ſibi caviſſet lecto maritali ſibi interdicens, promptiſſimè in eandem ſcabiem, & in multò peiora ſymptomata incidiſſet, imò cùm non ſatis fuiſſet totum ſeparare, neceſſe habuit ſubitanea corporis expiatione, & Antidotorum, qualia morbus requirebat, aſſumptione ipſam munire; quibus auxiliis irruentis morbi impetus ſedatus eſt: ſi ergò ex ſola paucarum noctium commoratione in eodem lecto cum marito, uxor tam malè accepta eſt, certè ſi illi debitum reddere cogatur, in ſanitatis inevitabile diſcrimen, & in vitæ etiam periculum illam conjiciemus.

Itaque non valet dicere, quòd cum hæc ſcabies non ſit inter 4
Lepras cõnumeranda, uxor teneatur reddere marito debitum, ita determinantibus Canoniſtis: Quia quandocunque ex contagio imminet grave ſanitatis periculum, non tenetur ſanus coniunx debitum reddere, iiſdem Canoniſtis ita ſentientibus, quorum plures vide relatos per Barboſ. *in Collect. Doct. in lib. 4. Decret. cap. propriam. 2. numer. 2.* quem cum aliis retuli aliàs *lib. 7. meorum quæſt. Tit. 3. quæſt. 3. num. 1.* Licet autem hæc ſcabies per ſe non poſſet fortè afferre grave periculum; ubi mulier ea inficeretur, tamen ex eo quod retinet ſeminariũ morbi Gallici, & quidẽ gravis, non eſt ab eo periculo immunis quod ſatis ſuperque declaravit infectio ex ſimplici morã cum marito in eodem lecto per paucos dies facta, ex qua non tantùm pruritu inſigni moleſtata eſt ſed intenſo etiam capitis dolore, qui infallibile ſignum erat cõmunicatæ infectionis ex Gallica lue provenientis. Unde ceſſant ea, quæ in contrarium adducuntur, quòd nimirum ſcabies ſit morbus ſalutaris, & maximè in iuvenibus, & quòd præſervet à quamplurimis morbis: nam hæc locum habent in ſimplici ſcabie, & quæ pullulat ex Naturæ vi tentantis ſe vindicare ab interna infectione, & demãdantis noxios corruptoſque humores ad externas partes, non verò in ſcabie Gallica aut Gallico morbo aſſociata; hæc enim ſi contagio communicetur non modò ipſa ſcabies pullulabit, ſed etiam quæcunque accidentia prava, & maligna ſolent à morbo Gallico communicari, ut capitis, & artuum dolores acerbiſſimi, puſtulæ & gummata, & ulcera maligna, & Cacoëthica, membrorum omnium abſceſſus, &

cranii ipsius caries, & alia etiam his pejora, quæ via maximè rationabili timorem excitare in uxore possunt, nè si cum marito rem habeat, manifestissimo periculo se subjiciat.

Et ad id, quod additur, necessariam esse corporis inficiendi dispositionem ad contrahendum contagium, respondetur, hanc dispositionem de facili introduci per commemo. rationem cum persona infecta, maximè si aut longa, aut continuata, aut iterata esse debeat, immò non solùm per cómorationem, sed etiam per cohabitationem in una eademque domo, ita ut sanus exspirationè infecti excipiat, eamque evitare non possit cogentur enim ambo eundem aërem inspirare, cumque ex corpore infecto fumidæ, ac putridæ exhalationes elicitæ ipsum aërem inspirandum inficiant impossibile nequaquam est sanam conjugem illum inspirando non infici.

Quod verò instando dicitur, ad suscipiendum contagium requiri etiam notabilem moram sanæ conjugis cum infecto, quæ tamen in redditione debiti conjugalis est modica, neque potest dici notabilis, dicendum, quòd, etiam si concedamus requiri hujusmodi moram, tamen ea, quæ in reddendo debito absumitur, est quidem parva. si ad temporis quantitatem respiciamus, sed tamen est maximè notabilis ratione laboris, qui in ipso actu coitus impenditur, in quo tota sanguinis massa calefit, & tam mulier quàm vir crebriori respiratione indigent unde idcircò

Ciet omni pectore fluctus.

Notum enim cuicunque est ob eam causam in nulla alia occasione promptiùs communicari posse contagium ab infecta persona in sanam, quam in ipso actu coitus, ut dixi aliàs *loc. cit. num. 3. inf.*

Quibus omnibus addi poterat qualitas ipsius scabiei, quæ cum humida sit, & pluribus ulceribus scatès putridoque tabo manantibus, facillimè per contractum communicatur hærentibus ipsis putridis humotibus in sano corpore; quin etiam eliciantur ab hujusmodi scabie (quæ Lepræ finitima est) putridæ exhalationes naturam ipsorum humorum moribus excitantium æmulantes, quæ non solùm corpori obvio maximè per contractũ, sed & vestibus & ipsius domus parietibus adhærere solent, unde in veteri testamento ubi habitationes, in quibus huiusmodi infirmi commorati fuerant, expiabatur, etiam ipsi parietes emundabantur, ut notum est. Quare, &c.

CONSILIUM XXXVII.

ARGUMENTUM.

Lucretia prærmortuo marito ab intestato filium pepererat, qui per octo dies supervixerat, mater prætendebat se esse filii sui hæredem, contra opponentibus mariti propinquis ad quos hæreditas, non extantibus filiis pertinebat, filium natum esse Seximestrem, & abortivum, neque Patri in bonis succedere potuisse, nec consequenter ad ea transmittere. Quæsitum ergo à judice est, an hic Posthumus esset verè Seximestris, & abortivus.

SUMMARIUM.

1 *Natus sexto mense abortivus dici debet.*
2 *Abortivus quando dicatur lato modo.*
3 *Abortivus stricto modo quando dicatur.*
4 *Quantò pluribus conditionibus destituitur partus, requisitis ad partum naturalem, tantò magis meretur nomen Abortus.*
5 *Septimestris pro ratione natus est.*
6 *Quisnam Septimestris ab Hippocrate dicatur pro ratione natus.*
7 *Acuti morbi per Lunæ motum, Chronici per motum Solis judicantur.*
8 *Mulieres ut plurimum desinentibus menstruis concipiunt.*
9 *Pregnantia in nullo tempore certo cognosci potest, universaliter loquendo.*
10 *Septimestres ut plurimum intereunt, ex multisque pauci servantur.*
11 *Septimestres omnes inabsoluti nascuntur, & nullam firmitudinem habent.*

Videbatur in hoc dubio nullam posse intervenire hæsitantiam, quin prima facie partus hic dici debeat abortivus. quocũque enim modo acipiebatur nomen Abortus, non solùm, inquam, latè sed etiam strictè, certum est, quòd natus sexto mense abortivus dici debet, nam lato modo quicunque fœtus, qui ante nonum, vel decimum, immò & in ipso nono; & decimo ab aliqua causa præternaturali ab utero ejiciatur, abortivus dici potest, quia non ex vi naturæ, sed ex violentia illius causæ præternaturalis ab utero exit ante tempus ab ipsa natura illi destinatũ etiamsi id fieret per diem tantùm, immò etiam per horam antequt latè probavi *lib. 1. Tit. 2. quæstion. 10. num. 10. & seq.* strictè autem fœtus ille dicitur abortus, qui à causa præternaturali ejectus ita nascitur, ut nullo modo vivere possit, ac tantundé est ac si non natus esset, & rectè dicitur Abortus, hoc est non natus, quia nascitur ità, ut vita frui non possit. Itaque quòd hic partus, ut dicitur in sexto mense natus dici debeat non solũ lato modo abortivus quia à causa præternaturali est ejectus, & idcircò natus sit per tres menses ante terminum nascendi omnibus commodum, & naturalem, sed etiam stricto modo, quia ante septimum nullus fœtus vivere potest, ut ex Hippocrate, aliisque Medicis, & Philosophis, & Jureconsult. dixi *loc. cit. quæst. 1. n. 12.* ubi etiam *num seq.* idem firmavi; esse nempe talem partum ac debere propriè dici Abortum, ea maximè ratione, quòd semper immaturus nascatur, non immaturus, inquam, tantùm quoad membrorum conformationem, & vigorem, sed immaturus etiam quoad vitæ operationes, quia tales fœtus nati ante septimum non sunt sufficientes ad lac sugendum, ut nutriri possint Gal. *lib. 15. de usu part. c. 7.* & licet hæc evidentissima causa sit, ut vivere non possint, tamen etiam si lac sugerent, ut suxisse aliquos Seximestres observatur, tamen non possunt vivere ex defectu vigoris, quo defraudati sunt ejecti ab utero materno ex vi præternaturalis causæ.

Præterea quantò pluribus conditionibus destituitur natus requisitis ad partum naturalem, tantò magis meretur nomen Abortus, immò quantò majoris põderis sunt requisitæ conditiones, tantò magis natus ab illis deficiens debet Abortus nominari, sed præcipua conditio est, quæ respicit tẽpus in quantitate, quo fœtus in utero commorari debet; dehinc quæ respicit tempus in qalitate, prout nẽpè septimanas, menses, quadragenaria complere debet; ab hac quæ respicit absentiam cujuscũque causæ præternaturalis; deinceps quæ respicit corporis firmitudinem, & absolutionẽ, & si quæ aliæ conditiones sunt his adjiciendæ: at hic partus primò deficit insigniter à prima conditione, ut patet, & à secunda, quia deficit etiam à tẽporis qualitate, cum non attingat septimum & à tertia, quia Mater à morbo prehensa, & ex animi angore ob mariti mortem conflictata abortivit, & à quarta, quia inabsolutus erat, & nullam firmitudinem habebat, hiantibus suturis capitis, & articulis ab osse veluti distractis, & qui neque ullo modo diducere os valeret, & qui in nascendo nè ploratum, aut vocem quidem ullam ediderit, sed vix ejulare perciperetur, neque lac sugere posset, sed necesse fuerit illud in os ipsius instillare, neque fæces reddiderit, ac ne urinam quidem, quæ omnia tam apertè ostendunt illum fuisse abortivum, ut superfluum videatur de ea re ulteriùs hæsitare.

Neque opponi potest quorundã gravissimorum Doctorum auctoritas volentium fœtum etiam in sexto mense vivere posse, quos adduxi *loco suprà cit. q. 2. n. 5.* ex ipsius quoque Rotæ Romanæ *decis. in Auximana Alimentorum 1. Junii 1620. coram Pirovano*, pro quorum opinione adduci poterat satis evidens ratio, quæ subsequens est: Septimestris ut receptissima, ac communissima omnium Sapientum opinio vult ex Hippocratis & legum auctoritate, pro ratione natus est, & vivit, ac Septimestris potest ita nasci, ut sex menses non compleat; nam Septimestris potest nasci minori spatio, quam 182. dierum: quod probatur, quia cum in computatione mensium partus satis sit ex Hippocratis sententia, primum mensem esse intercisum, & deficientem, sufficiatque, quòd ex quindecim diebus constet, aut forte paucioribus, & ultimum eodem modo esse deficientem, ac constantem ex totidem diebus nempe quindecim, & forte paucioribus, palam est diebus 178. & forte 175. posse nasci Septimestrẽ, in quo termino erit quidem fœtus Seximestris, ac vivere potest, sed hoc non obstat quia licet Septimestris dicatur ab Hippocrate pro ratione natus, tamen hoc non simpliciter protulit, ac universaliter; ut de omni Septimestri veritatem habeat, quia restrinxit se ad Anni dimidium, & eos demum pro ratione natos pronuntiavit, qui non minori spatio, quàm centum octoginta duobus diebus dimidio addito nascuntur, quæ tota hæc summa, ut ille addit, est anni dimidium, quod tempus ir quit principium perfectionis fœtibus affert, neque minori spatio eos perfici posse dicit; quia certum est deberi de necessitate in hoc assignari quoddam tempus determinatum, à quo si fœtus deficiat, non possit esse vitalis, quia alias quandocunque nascerẽtur, posset esse vitalis, quod non est dicendum, neque est verisimile. Itaque hunc terminum nascendi inter legitimos computatum omnium minimum docebat esse ibidem idem Hippocrates dierum 182. & idcircò, nempè quia minimus est, plurimos eorum interire narrabat, ex multisque paucos esse superstites

ſtites,quia ſunt omnium Septimeſtrium, ob termini, in quo naſcuntur, brevitatem imperfectiſſimi, & qui principium tantum perfectionis in utero ſint aſſecuti, non maiorem, aut totalem perfectionem,unde,ut dixi alias *loco cit.quæſt.2.n.36.* nulli benè obſervantur nati diebus 182. ac vix ipſe Galen. unum obſervavit natum diebus 184.ut narrat *in lib.de ſeptim. par.*

Addamus his proportionalem motum partus ex motu Solis; quia quemadmodum acuti morbi per Lunæ motum, ſic Chronici,& longi per Solis motum judicantur,atque hoc pacto quemadmodum criſes in decimaquarta die fiunt in morbis acutis,qui terminus eſt medietas motus circularis Lunæ,ſic partus,qui movetur ut morbus chronicus,qui motus, ut Gal 3.*de diebus decret.c.6.*dicebat, æquiparatur motui Solis,tunc ſalvus erit, cum dimidio anni naſcetur; at Anni dimidium non minori ſpatio,quàm 182.dierum dimidio addito completur.Ex quibus manifeſtè deducitur, fœtum hunc natum diebus 177. pro ratione non eſſe natum, neque vitalem potuiſſe eſſe,cùm ſit abortivus.

7 Ad quod etiam magis concludenter comprobandum, notãda venit tam exquiſita temporis,ac termini hujuſce,nempè medietatis anni ſupputatio ab Hippocrate facta volente aſſignare breviſſimum inter omnes naſcendi terminum in homine,qui pro ratione natus eſſe dici poſſit,non modò enim dies, & dierum notabiles partes.ſed etiam minimas particulas hoc termino comprehendi voluit dicens:*Septimeſtres autem naſcuntur centum octoginta diebus,& dimidio, inſuper accedente diei particula*; unde etiam deficiente non ſolùm dimidio,ſed hac ipſa diei particula partus Septimeſtris diei non debeat, nec ſit pro ratione natus,nec vitalis;quamobrem cùm partus, de quo agitur, ab aſſignato termino deficiat per quinque dies cum dimidio,certè ex ſententia Hippocratis,quam DD. omnes unanimiter amplectuntur,nec pro ratione natus eſt,neque eſt vitalis, ſed abortivus.

Ex parte tamen Matris dicebatur, neque partum hunc eſſe Seximeſtrem, nec conſequenter dici poſſe abortivum, & potuiſſe,eſſe vitalem. Quòd non eſſet Seximeſtris, nec conſequenter abortivus, patet, quia licet à contraria parte ſupponatur natum eſſe diebus 177. ex eo quod totidem dies interceſſerint à die præcedente morbum mariti, & ipſum partum tamen hoc nullatenus probatur, quia non major ratio eſt,cur mulier conceperit in ipſa nocte præcedenti morbum Mariti, quàm per plures dies, & fortaſſe per decem dies antè; immò verisimilius hoc eſt, quia per totidem dies ante mulieri Menſtrua deſierant,& maximè eveniat, quod ſtatim deſinentibus menſtruis mulieres concipiant,Gal. *lib 1. de ſem. cap.2.* 8 *& alibi.* Nec contra hoc valet dicere, quod maritus ab illo tempore jam non benè ſe haberet, & non erat habilis ac coitum.& quod ex congreſſu cum uxore per diem ante morbum ægrotaverit,ut ipſemet maritus in infirmitate Medicis faſſus eſt, quia ſi jam ante per decem dies erat ad coitum inhabilis, multò magis fuiſſet poſt decem dies, & in ſumma nullo modo ex hoc deduci poteſt, quòd cum uxore rem habere non potuerit, quod illa non modò facilius tunc, deſinentibus menſtruis, quàm poſt prædictos decem dies potuerit concipere.

Quibus addendum, quod cùm maritus ante prædictos decem dies bene ſe haberet, & poſt habitam rem cum uxore ſe debiliorem factum dixerit,ac per totum illud ſpacium decem ſubſequentium dierum, non omninò bene ſe habuerit, licet non febricitaverit,certè major præſumptio, immò fortior eſſe debet, quòd mulier ex eo conceperit ante decem prædictos dies, quam poſt, quia ex alia mala diſpoſitione, & in illo ſtatu præternaturali (dato etiam quod non propriè in ſtatu præternaturali, ſed in ſtatu neutro fuiſſe tunc illum dicamus) conſequens fuit ſemen genitale in illo minus calore, & ſpiritibus abundante, & conſequenter minùs fœcundum fuiſſe; quòd enim jam eſſet in ſtatu præternaturali, vel ſaltem neutro, ſatis demonſtrat decidentia in ſtatum manifeſtè præter naturam, & in morbum maximè lethalem.

Neque obſtat præterea, quod mulier multo tempore tacuerit,nec de conceptione quicquam effata fuerit, quia palam neque ipſas mulieres tam cito poſſe cognoſcere, & pro certo affirmare ſe in utero habere, præſertim ſi multùm conceptionibus non ſint aſſuetæ, ut in caſu noſtro evenit, nam Lucretia vix ſemel, aut iterum conceperat,unde non mirum, ſi nihil de prægnantia muſſitaverit,neque alia mulier ex domeſticis tam cito nempè in primis quindecim diebus illam gravidam judicaverit,cum maximè potiora ſigna, ex quibus mulier in utero habere cognoſcitur, neque in principio appareant, neque ſi quæ appareant, tantum habeant firmitatis, tantumque illis mulieres fidant, ut ex illis audeant pro certo affirmare ſe gravidas eſſe; imo hæſitabundæ ſemper, ac verecundæ an primo menſe ſemper permanere ſolent; atque id non immeritò, cùm pateat, & apud Medicos ſit communiter acceptum, in nullo gravidationis tempore de certo cognoſci poſſe prægnantiam univerſaliter loquendo, quamquam plura evidentiſſima ſigna & tertio, & quarto menſe apparere ſolent, ut abundè probavi aliàs 9 *lib.1.harum quæſt. tit. 3. q. 1.* quomodo ergo intra terminum decem,vel quindecim dierum potuit Lucretia, & ex ipſa familiares cognoſcere illam remanſiſſe ex marito mortuo gravidam?

Neque iterum valet, quod ipſa mater ante tres, vel quatuor dies quàm pareret,fateretur ſe eſſe in ſexto gravidationis menſe, & quod etiam domeſtici omnes, ac propinqui, tam mares, quàm fœminæ ipſam in ſexto menſe gravidationis eſſe faterentur, quia & ipſamet Lucretia; & cæteri omnes in computatione menſium dupliciter decepti ſunt, Primo relinquendo fortè decem priores illos dies, à quo tempore illa conceperat, cùm præciſum conceptionis tempus non ſolùm extraneos quoſcunque lateat, ſed etiam ipſas mulieres prægnantes; quamobrem computantes partum à die præcedente morbum mariti, abſque dubio illam in ſexto menſe gravidationis degeſe putabant;licet decipe entur, quia non obſtante quod illa peperierit die 177. à conceptione, tamen ſi primum menſem interciſum accepiſſent ex quindecim diebus conſtantem,poterant firmare illam in ſeptimo menſe eſſe,cùm centum quinquaginta dies conſtituant quinque integros menſes, & primus menſis conſtituatur ex quindecim diebus, unde remanebant,dies duodecim ſeptimi menſis, licet hic fœtus fuiſſet ex ſeptimeſtribus imperfectiſſimis, & non vitalis ex Hippocratis ſententia, qui ut dictum eſt, non minori ſpatio naſci ſeptimeſtres qui futuri ſint vitales, voluit, quàm anni dimidio,nempe centum octoginta duobus diebus cum dimidio,tametſi hos ipſos omnium ſeptimeſtrium imperfectiſſimos eſſe firmaverit, Secundo decipiebantur etiam computantes decem priores illos dies,accipiendo integros menſes.nam eo modo deficiebat hic partus à termino ſeptimeſtri finito quaſi per menſem, cùm deſideraretur ad complementum ſeptem menſium dies viginti tres; cum tamen ſi accepiſſent primum menſem interciſum, & conſtantem ex quindecim diebus,qui additi centum quinquaginta diebus, conſtituentibus menſes quinque, conſtituebant ſex menſes, clarè vidiſſent remanere duos ſupra viginti dies conſtituentes ſeptimum menſem.

Ex quibus cùm pateat hunc fœtum non fuiſſe ſeximeſtrem,ſequitur etiam, illum non fuiſſe abortivum, ſed fuiſſe ſeptimeſtrem,& vitalem: & non habuiſſe ullam cum vita repugnantiam,quod ſatis oſtendit,illum vixiſſe per octo dies,licet enim,ut opponitur,non ſugeret, neque perciperetur ullo modo ejulare,neque fæces, neque utinas redderet, hæc quidem primis tribus diebus evenerunt. nam poſtmodum & fæces,& urinas reddidit, & ejulare auditus eſt, & leniter nutricis mammas ſugere obſervatus,ut ex Teſtium depoſitionibus patet,unde conſtat,illum fuiſſe ſufficientem ad vitæ operationes,& licet deceſſerit octavo die, non ex hoc dicendum quòd non potuerit eſſe ſuperſtes,cùm etiam ex ſeptimeſtribus plurimi vel citiùs, vel ſerùs intereant; ex multiſque pauci ſerventur, ut ſupra ex Hippocrate dictum eſt, & tamen licet 10 plurimi ex ſeptimeſtribus moriantur, univerſaliter ſeptimeſtres pro vitalibus habentur ex ipſatum Legum Hippocratis aſſertioni inhærentium auctoritate.

Neque obſtant quæ obijciuntur ad probandum, hunc fœtum fuiſſe abortivum ex defectu conditionum,quæ requiruntur ad verum,& naturalem partum; Nam quoad primam reſpicientem moram fœtus in utero,jam patet, illum ab ea non defeciſſe cum ut probatum eſt, natus ſit ſpatio centum octoginta octo dierum.& ſic poſſit connumerari inter perfectiſſimos ſeptimeſtres, ex quo evaneſcit etiam defectus ex alia conditione, nempè ex temporis qualitate, habuit enim hic omnem perfectionem ex numero dierum progredientem, quam habere poſſunt ſeptimeſtres, illos habere voluit Hippocrates. Quoad tertiam autem conditionem, dicimus hanc non eſſe de eſſentia partus, qui vitalis, & legitimus exiſtat, nam aliquando & Decimeſtres, & aliqui Nonimeſtres, & ſecundùm noſtram ſententiam pleniſſimè probatam *libro 1. titul. 2. quæſt. 1. & ſeqq.* & octimeſtres omnes, & ſinguli ſeptimeſtres à cauſa præternaturali manumittuntur;nam tam illi aliquando, quam iſi ſemper, ante tempus ſibi debitum, vel ante tempus à natura illis deſtinatum naſcuntur,neque tamen ideircò omnes non naturales,non vitales, non legitimi judicandi, ac ſatis ſuperque eſt, ſi hic partus ab ea conditione non deficiat,cùm ſeptimeſtris ſit,quia natus eſt tempore opportuno,& pro ratione,aut ſi manumiſſus à cauſa præter naturam ſit, in hoc cum aliis ſeptimeſtribus convenire illum dicamus.

Quoad quartam conditionem respondetur, illum neutiquam ab ea deficere, si de perfectione loquamur, quæ in septimestribus haberi potest; patet enim omnes inabsolutos natiII sci, & nullam firmitudinem habere, ut probavi aliàs *loco supra cit. q. 1. num.* 85 & alibi, hoc enim omnibus septimestribus ideircò eo modo evenit, quia non sufficientem moram in utero traxerunt, unde non potuerunt beneficio temporis corporis perfectionem sibi debitam acquirere; ex septimo enim mense initium perfectionis, non complementum habent, ut ex Hipp. verbis in principio libri *de septim. partu.* citatis clarè patet.

Cætera denique quæ opponuntur ad probandum, partum hunc defecisse à conditionibus partus naturalis, & sic fuisse abortivum communia illi sunt cum omnibus septimestribus, ut videre licet ex iis, quæ addoxi loco sæpè citato, præterquam quod plura eorum, quæ supponuntur perpetuò extitisse in hoc partu, hoc est toto eo tempore, quo vixit, nequaquam semper durarunt, ut jam supra dictum est.

Ex quibus videbatur concludendum, partum hunc abortivum non esse, strictè sumpto nomine Abortus, pro eo nimirum, quod est, partum ita nasci, ut nullo modo naturaliter vivere possit, quod natus sit ante septimum, neque dignari debeat nomine septimestris, sed esse verè septimestrem, & habuisse eandem, aptitudinem, & habilitatem ad vivendum, quam habere solent omnes perfecti septimestres, qui licet ut plurimum intereant, non habeant tamen eum vita talem, ac tantam repugnantiam, ut vivere nullo modo possint, qualem habent nati in sexto mense.

CONSILIUM XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Servus quidam notabilis furti reus, quod Illustrissimo Domino Angelo Andosillæ factum fuerat, in carcerem detrusus est, & urgentibus indiciis ad torturam, jamjam erat tormento subiiciendus, cum ille opposuit, se esse tormento funis inhabilem ob fistulam, quam in pectore habebat, cujus respectu torqueri absque evidenti vitæ periculo non poterat, convocatus ad Reum inspiciendum, & ad determinandum, utrum fistula illa in pectore illum à chordæ tormento eximere deberet?

SUMMARIUM.

1 *Morbo recedente habendum Æger ac si nunquam ægrotasset.*
2 *In tenerioribus ætatibus non solùm vulnera, & ulcera facilè sanantur, sed ipsa ossa, quæ in aliis ætatibus, verè non consolidantur, in iis vere consolidantur, & n. 7.*
3 *Pectoris partes, & musculi maximè in chordæ tormento agunter, & distenduntur.*
4 *Cauteria in brachiis debent servare Reos à chordæ tormento immunes.*
5 *Qui thorace sunt angusto à chordæ tormento servandi immunes.*
6 *Partes callum contrahentes potiùs disrumpuntur, quàm distenduntur.*
8 *Fistula quid sit; non datur sine calle.*

VIsum est primò, fistulam, quam Reus in pectore habebat, esse vetustissimam, & jam à multo tempore obseratam, ita ut non videretur alicui impedimento esse posse, qui minùs illi tormento exponeretur, præsertim cùm fistula esset parvi momenti, & super costas ipsas non in spatiis intercostalibus. Quibus addebatur; quòd fistula illa nullam molestiam jam à multis annis afferebat; neque ullum dolorem, neque difficilem respirationem, aut aliud notabile incommodum, & in summa erat talis conditionis, ac si nunquam extitisset; & ad omne pcius poterat de ea re experimentum sumi, alligando Reum chordæ, illumque extollendo, observantes an pectus, & vicinæ partes livorem aliquem contraherent, ut in similibus casibus faciendum monebat Fortun. Fidel. *de Rel. Med. l. 2. c. 3.* nam si nullus livor, aut coloris mutatio in parte appareat, signum est eos ad chordæ tormentum esse aptos, neque ab eo ullum damnum reportare: contra verò, ubi partis color in lividum immutetur, signum est futuri periculi, atque illicò Reis solvendi à chorda sunt, ne que ulterius eo tormento torquendi.

Præterea licet fistula de foris sanata esset, poterat tamen opponi, quòd ejus vestigia intus in pectoris cavitate remanssilent, sed in hoc casu non videbatur hæc oppositio habere locum, quia quandocunque res eo modo se habet, nimirum, ut humores per fistulam expurgari consueri ob ipsius fistulæ observationem quoad externum orificium intus remaneant, facilè de se significationem aliquam, neque dubium præbeat ut internos dolores, puncturas, impotentiam ad motum, exitum saniei, vel ichorum per alias quascunque vias, & alia impedimenta, & præcipuè in casu nostro, difficultatem respirationis, tussim, purulentæ materiæ expurgationem per os, febriculam lentam ex hecticarum genere, & alia ad hunc modum: At cum nihil horum in hoc Reo animadvertatur, dicendum est fistulam perfectissimè fuisse sanatam, ita ut nullo impedimento esse possit in chordæ tormento infligendo, cùm nullum ex eo expectari possit periculum, sed Reus ab illo servari possit immunis, & per illud cogi ad veritatem propalandam; & idcircò, cùm post sanatum morbum homo habendus sit tanquam si nunquam ægrotasset *L. Quod sanatum, ff.* 1
de Ædil. edict. Reus hic non aliter quàm quivis sanus homo potest chordæ tormento exponi.

Omnium maximè urgebat, quòd Reus hanc fistulam in pectore passus fuerat in teneriori ætate, & antequam in ætate provectus esset, hoc est pubes factus, ab ea sese liberaverat, unde conjectari licebit, ob vividum, laudabilemque illius calorem, & humorum æqualitatem non modò fistulam fuisse sanatam, sed partes ab ea molestatas ad suum pristinum vigorem, & robur rediisse, cùm hujusmodi ætates teneriores non modò id genus morbos nempè qui ex vulnerum, ulcerumque malitia procedunt, superare optimè soleant, ac perfectissimè sanare, sed ipsas quoque ossium fracturas, quæ aliàs in adultis nunquam verè sanantur, nec consolidantur, Galen. *lib. 6. Method. Medic. cap. 5. & comm. 1. in lib. de fract.* 2
text. 41. Avicen. *lib. 4. fen. 5. tract. 2. cap. 1* quia tantùm per porum, aut callum uniuntur, Id. Galen. *loc. cit.* in tenerioribus ætatibus redeunt ad loca sua, & ad veram, & perfectam sanationem deducuntur, Avic. *ubi proximè.* Ita ut non aliter quam ipsa solutio continui in carne facta; etiam facta in osse reuniatur; quamobrem non aliter talia membra dudum fracta, & consolidata tractari possunt, quàm si nunquam fracta fuissent, non secùs quam ipsa membra sana nunquam tale quid passa. Quod si ita se res habet in fracturis ossium in teneriori ætate contingentibus, quantò magis hoc eveniet in solutione continui in carne facta, aut in aliis partibus ossibus mollioribus quæ à fistulis occupantur? Itaque ex his videbatur deducendum, Reum hunc absque ullo periculo posse chordæ tormento subiici ad eruendam ab illo veritatem.

Quibus tamen non obstantibus, visum est determinare, non vacare notabili periculo de hac re experimentum sumere, 3
quia fistula erat in pectore, cujus musculi, ac omnes reliquæ partes maximè in chordæ tormento anguntur, & distenduntur, neque soìùm in eo tormento multum præ labore & dolore patiuntur, sed etiam ob id, quod cum respirationi inserviant, multò magis agitati, & lancinati, atque angi eas consequens est: unde etiam multò magis, quàm quæcunque aliæ partes continui solutionem passæ ab eo tormento periculum minantur; fit enim, ut tam ex Medicis, quàm ex Iurisconsultis dixi alias *lib. 6 hor quæst. tit. 2. quæst. 4. num. 13.* etiam parvula ulcuscula ex cauteriis excitata in musculosa 4
brachiorum parte debent servare Reos ab hoc tormento immunes, quantò magis ulcus in pectora, parce nimirum, quæ tantoperè in eo tormento defatigatur, & maximè si penetrans sit, ut fistula; nam ulcus fistulosum non solùm ostendit externas partes malè affectas, sed etiam internas, unde tanto majus periculum imminet ex distentione membrorum, in quibus fistula reperitur, per vim facta, quàm ex distentione membrorum, quæ simplici ulcere detineantur, quantò magis periculosum est distendi, ac per vim avelli tam internas partes, quàm externas.

Quæ tantò magis locum habent in casu nostro, quantò 5
Reus erat pectoris valde angusti, hujusmodi autem homines à chordæ tormento omninò immunes servando docet, ac monet Fortun. Fidel. *loco supra citat.* Ob rationes, de quibus ibi per eum, inter quas potissima illa est, quia cum multo aëre ad cor refrigerandum, in tormenti illius labore indigeant, qui thorace sunt angusto, ac debili, & idcircò thoracis morbis afficiuntur, ut huic Reo eveniebat, non possunt tantum Aëris refrigeratis attrahere, quantum cordis ea, lori temperando sufficiat, unde diutiùs in tormento detenti calor eorum extinguitur, Reusque perit. Nec quicquam relevare visa sunt quæ opponebantur, etiamsi enim fistula esset vetustissima, & jam à multo tempore, ut dicebatur obserata, dubium tamen non est, illam callum contraxisse, qui prohibeat omninò eas partes distendi, imminentes ex

violenta

violenta distentione evidenti periculo dilacerationis earum, quæ dilaceratio, quia non tantùm fieri poterat in parte ex-
6 terna, sed etiam in interna, erat evidenter periculosa: calloſæ namque partes duræ evadunt, & distentioni in quacunque dimensionem omninò ineptæ, cùm potius disrumpatur: quàm distendantur. Nec de periculo quicquam demebat, quòd fistula esset super costas ipsas, & non in musculis intercostalibus, quia non idcircò excludebatur, quòd ulcus intrò progrediendo penetraret etiam ad musculos intercostales, unde eædem quoque partes callum contraxissent.

Neque ulteriùs ex eo, quod nullo dolore, nullaque respirationis difficultate, & nullo alio notabili symptomate hæc fistula esset molesta, idcircò firmari poterat, nullum imminere periculum ex tormento funis, quia periculum non imminebat solummodò ex dolore, ex difficultate respirationis, aut ex alio symptomate concomitante ipsam fistulam, sed ex calloſa duritie ab ipso ulcere contracta, ut superiùs dictum est, Ex quo etiam capite dicebam nihil relevare, quòd fistula ita in totum sanata esset, ut neque interius ullum vestigium solutionis continui reliquisset: quia dato, quòd hoc ita in veritate esset, semper tamen remanebat calloſa illa duritie, ex qua potissimum imminebat periculum in expositione Rei ad tormentum, unde cùm non posset tutò servari à tormento immunis, non erat tormento exponendus.

7 Neque instantia quæ fieri poterat de absentia illius calloſæ duritiei, quicquam urgere videtur; nam quemadmodum ipsa quoque ossa fracta in pueris ac teneriotibus ætatibus absque callo uniuntur, non secùs ac ipsæ continui solutiones in partibus carnosis, sic, inquiunt, in nostro casu hæc fistula absque callo sanari potuit, cùm patiens esset in puerili ætate. Ad hãc enim instantiam facilis est responsio, si dicatur, verum esse continui solutiones in teneriotibus ætatibus etiam in ossibus factas sanari absque callo, sed hoc verificari quando non in longum protrahuntur, ut in ipsis ossibus, quæ spatio quadraginta ad summum dierum consolidantur, at ubi in longum protrahuntur. & maximè ad annos, ut in fistulis evenit, hoc non habere locum, præterquam quod ipsa fistula nihil aliud est quàm calloſum ulcus Gal. *in l. finit. Med.* & alibi Celſ. *l.* 5. *ſua Med. c.* 28. *rubr. de fiſtulis.* Par. *l.* 12. *c.* 21. Tagault. *inſt. Chirurg. l.* 3 *c.* 18. Pigræus, *Chirurg. l.* 5. *c.* 3. Aquap. *l.* 3. *c.* 11. & alii omnes. Neque datur fistulla, in qua non adsit callus. Etiam si ergo gratis concedatur, fistulam in hoc Reo fuisse sanatam, non potest negari ab ejus sanatione non remansisse callum; sed fistulam hanc esse sanatam, falsum apparebat ex eo quod adhuc statis temporibus ex illa quidam ichores prodibant, ostendentes illam non esse perfectè sanatam, quod apertè patuit premendo ipsam partem, in qua ulcus erat, nam coram omnibus adstantibus similis icho remanavit: & sic ex his concluſum est, Reum tormento chordæ esse ineptum.

CONSILIUM XXXIX.

ARGUMENTUM.

Reliquerat Marianus Albentius suo ultimo testamento uxorem suam, quam unicè amaverat, etiam si ex ea filios non suscepisset, universalem hæredem omnium, ac singulorum bonorum suorum, dummodo ad secundas nuptias non transiret, sed vidua permaneret, ac castam, & ab omni inhonestatis suspicione liberam vitam degeret: quod si vel ad secundas nuptias transiret, vel inhonestè viveret & non etiam ab ejus rei suspicione libera, jussit eam omnibus hæreditariis bonis exspoliari, ad Religioſos quosdam devolvi voluit. Transactis jam duobus annis à morte mariti, Religioſi illi Violantem ut inhonestè viventem in judicium vocarunt, instantes mariti hæreditatem ad ipsos esse devolutam. Inter quamplura ergo, quæ deducebant ad probandam Violantis inhonestatem, erat ipsius prægnantia, quam celare illa non poterat tumente mirum in modum ventre, dejerante tamen illa, se gravidam esse non posse, cum nunquam alium virum admisisset, Interim Religioſi tempus partus instare credentes illam in custodia habendam instabant, quod denegari illis non potuit. Transierant autem jam omnes menses, qui ad gestationem requirebantur; cum ecce præcedentibus nonnullis doloribus mulier multam aquæ copiam cum sanguine coagulato eiecit, venter detumefactus est, ac subsedit, & illa benè habuit. Non tamen his acquieverunt Religioſi illi, cùm firmarent; illam molam peperisse, quæ cum non possit absque viri usu generari, iam inde manifestum erat, Violantem inhonestè vixisse, instabantque in hæreditatem immitti. Violans cum omnibus, ac quibuscunque, quæ contra suam honestatem opponebantur, apud Judices satisfeciſſet, ita ut ij nihil eorum, quæ opponebantur, contra illam facere determinaſſent, mandavit Judex ut de hac ipsa re per Medicos doctos veritas patefieret. Quæsitum ergo à nobis est, utrùm Violans molam eiecisset, & dato quod eiecisset, utrùm potuerit absque viri usu illam generari.

SUMMARIUM.

1 *Mola quid.*
2 *Caro nihil aliud est quam ſanguis concretus.*
3 *Mola est falsa quædam conceptio.*
4 *Mola quomodo generetur.*
5 *Mola absque ſemine virili generari non potest Contrarium n.* 10. *Declara, ut n.* 17.
6 *Formationis omne principium à Maris ſemine: die ut n.* 12 *& ſeqq.*
7 *Membrana cum ſint partes ſpermatica, non aliunde, quam ex ſperma generari poſſunt, & n.* 14.
8 *Mola, conceptus est præter naturam, & idcirco non habet ſtatutum tempus geſtationis.*
9 *Mola nutriuntur, & augeſcunt per umbilicum.*
13 *Fœmina habet in ſe utrumque ſemen, nempè Maſculeum, & fœmineum.*
15 *Sanguis coagulatur ob fibras.*
17 *Membrana in fœtum ex ſemine muliebri generantur.*

ET quoad primum punctum pro parte Religioſorum dicebatur, Violantem molam eiecisse, eiecerat enim frusta quædam sanguinis coagulati, quæ carnea videbantur, quia maiorem duritiem præ se ferebant, quam simplex sanguis coagulatus habere soleat; quin & membranæ quædam una cum prædictis carneis frustis expulsæ conspiciebantur, quæ nonnisi molæ, seu molarum involucra esse poterant. Mola autem nihil aliud est, quam caro informis in utero generata ad modum fœtus, ut dicitur ex Hipp. *in l. de ſter.* & ex Gal. *l.* 14. *Method. med. c.* 13. At vero caro nihil aliud est, quam sanguis constantem habens substantiam, & non fluidam, Gal. *l. de Nat.* 2 *fac. c.* 10. Itaque cum sanguis hic esset constantis substantiæ, & non fluidæ, nihil aliud erat, quam caro, & cum esset caro informis, nihil aliud erat, quam Mola. 1

Atque magis patere potest ex accidentibus concomitantibus, quæ apparuerunt in hujus molæ gestatione, quia cum mola sit falsa quædam conceptio, in plerisque veram conceptionem æmulatur, ut in retentione menstruorum, in ventris tumefactione, in symptomatum, quæ gravidis familiaria sunt, excitatione, in lactis generatione, ac ut plurimum in temporis gestatione, in lactis generatione, ac ut plurimum in temporis gestatione, & in aliis; quæ omnia, ac singula erant in hoc casu conspicua, quippe cum Violanti menstrua in totum destitisſent, venter tumefactus esset, & omnibus symptomatibus fuerit vexata, quibus verè gravidæ vexari solent, tandemque debito tempore utero gestata mola, illam eiecisse. Unde dubitari non poterat, hanc fuisse veram molam, & sic cum non potuerit absque virili semine generare, eandem certitudinem facit, quod Violans viro se miscuerit, quam faceret veros, ac naturalis partus. 3

Præterea hæc non poterat esse simplex quædam menstrui sanguinis conservatio, quia cum in dies conspiciamus quamplurimas mulieres menstruorum omnimoda retentione non tam per menses, quam per annos laborare, non tamen videmus eas secundum ventrem saltem in primo anno intumescere, neque alia symptomata, & maximè tam similia prægnantiæ pati, qualia passa est Violans; hæc enim à simplici sanguinis coadunatione procedere posse non est verisimile, sed 4 benè verùm est procedere ad falsam conceptionem, hoc est molam, quæ nonnisi ex semine virili morboso fermentante ipsum semen vel sanguinem muliebrem, ut inde aliquid generetur, fieri solet; cum enim virile semen ob morbosam constitutionem agens in semen muliebre, verum conceptum generare non possit, falsum conceptum, ac præter

naturam generat. quæ mola eſt : nam abſente hac fermentatione, quæ nonniſi à ſemine virili, à quo eſt omne principium
6 motus, haberi poteſt, nullus ſit motus in ſemine, vel ſanguine muliebri, & ſic nulla ſequitur generatio. ut indefinenter obſervatur in quamplurimis fœminis, in quibus licet ſanguis menſtruus in ætate habili per plures menſes, & annos retineatur, nulla tamen ſequitur mola, deficiente ſemine virili à quo fermentatio excitatur, quæ principium generationis eſt : nullum enim habet ſanguis menſtruus eo modo retentus principium, unde aliquid generet, & ideircò ex ſimplici ejus retentione, licet in dies ſæpe ſæpius contingat, nunquam generatur mola, ergo ubi aliqua viget conceptio, licet mendoſa, ut mola eſt, fatendum non aliunde generatam, quam à virili ſemine, ex quo pullulavit fermentatio, ad quam tandem generatio, quæcunque tandem illa ſit, ſecuta fuit, nam abſque eo ut dictum eſt, neque ulla fermentatio, neque ullus motus, neque ulla mutatio, neque ulla generatio producere poteſt.

Quoad ſecundum punctum pro parte Religioſorum dicebatur, dubium non eſſe, quod cum Violans molam ejecerit, & ex ſemine virili fuerit generata, cùm abſque eo nullatenus generetur, ut eſt communis Medicorum opinio, Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni, cæterorumque magnorum virorum auctoritate firmata, quorum plures regiſtratos habes *l. 1. harum*
7 *quæſt. tit. 3. part. 3. quæſt. 6. num. 2.* quæ opinio videtur urgentiſſimis, firmiſſimiſque rationibus comprobata, ac maximè illa, de qua ſuperius; nempe quod omne principium formationis à Maris ſemine exiſtat Galen. *14. de uſu part. cap. 1.* atque ea de cauſa nunquam viſa mulier, quæ abſque uſu viri Molam geſtaverit, eodem Galen. teſte *ibid cap. 10.* cum ex ſolo fœmineo ſemine ea generari non poſſit, quia non habet ullum principium motus : quibus addebantur aliæ rationes deſumptæ omnes ex *q. hiſce noſtris*, ubi *ſupr. 7. 6. inprin. adplures n. 7. ſeqq.* quæ etiam experientiis nonnullis confirmabantur.

Urgebat inſuper pro hac parte membranarum generatio, quæ in hac mola obſervabantur, patet enim hujuſmodi membranas partes eſſe ſpermaticas, neque ullo modo aliunde, quàm ex ſemine generari poſſe, quod ſatis declarat earum ſubſtantia, & calor; neque dicendum ad earum generationem ſufficere ſemen muliebre, quia Gal. teſte *eod. l. 1. Nat. fac. c. 10.* nulla ſpermatica pars poteſt abſque utroque ſemine generari, in qua re nulla videtur controverſia. Itaque etiamſi concedi poſſet molam abſque utroque ſemine, aut ex fœmineo tantùm generari, membranas certè, quæ ſpermaticæ Partes ſunt, nullus unquam dixerit, poſſe abſque utroque ſemine generari. Unde ex hoc concludenter probatum remanet, Violantem cum viro ſe miſcuiſſe, & concludentiſſimè probata inde remanere videtur ejus inhoneſtas, concurrentibus maximè alia ex parte tam multis indiciis, & præſumptionibus ejus impudicitiem atteſtantibus.

Sed pro parte Violantis multò potiores rationes viſæ ſunt militare, quæ facile perſuadere poterant, ipſam neque veram molam geſtaſſe, nec dato, quòd veram molam geſtaſſet poſſe de ejus honeſtate hæſitari ex eo, quod ex alieno viro molam conceperit; nam dato etiam, quòd mola nonniſi ex virili ſemine conflari poſſit, adhuc nihil ex hoc de Violantis honeſtate ambigi poſſet; Quoad hoc enim extremum punctum patet apud Medicos omnes; quòd cum mola
8 ſit conceptus quidam præter naturam, non habet ut conceptus naturalis ſtatutum tempus ſuæ geſtationis, quia interdum geſtatur à quibuſdam mulieribus per plures annos teſte Hipp. *lib. 1. de morb. mul ſect. 3. n. 97.* & Ariſt. *lib 4. de Gener. Anim. cap 7.* Avic. *lib. 3. fen. 21. tract. 2. cap. 18.* Daniel. Sennert. *lib. 4. Pract. part. 2. ſect. 4. cap. 9.* Roderic. à Caſtro *lib. 3. de morb. mul. cap. 7* Mere. *lib. 3. de ſteril. & tragn. affect. cap. 8* immò & per totam vitam, eodem Ariſtot. & Aviceu. aliiſque teſtibus. Cùm igitur Violans molam peperit tranſactis duobus annis à mariti morte, potuit mola adhuc vivente marito ex eius commixtione procreari, & poſt prædictum terminum duorum annorum, ab utero eiici, quod tanto magis veriſimile erit, quantò notius eſt, eius maritum ſemper ſterilem extitiſſe, nec cum Violantem habuerat, unquam filios procreaſſe; ex qua conjectura deducere poſſumus, illum habuiſſe fortè ſemen morboſum, & ob id nunquam generari docebat Hipp. *l. 1. de morb. mul ſect. 3. n. 97.* & hic etiam dicamus, Molam non fieri abſque virili ſemine, omnis inhoneſtatis ſuſpicio in Violante ceſſat, cùm ex marito proprio molam conceperit, non ex alieno viro.

Neque contra id opponi poteſt, quòd vivente marito nullus graviditatis veræ, vel mendoſæ ſuſpicio in Violante adfuerit : niſi inordinata quædam menſtruorum, & conſueto minor expurgatio, quæ in conſideratione habenda non videbatur; ſi enim ab eo tempore molam in utero habuiſſet, comparuiſſent aliqua ſigna ejus præſentiam atteſtantia, qualia comparere ſolent in aliis, quæ feciſſent in ea ſuſpicionem prægnantiæ; cùm ſigna prægnantiæ tam veræ, quàm mendoſæ, nempe tam naturalis fœtus, quàm molæ, coincidant, ut Hipp. *loco cit. & l. de ſter.* & Ariſt. & Avi. & Paul. & Aëtius & alii omnes docent.

Sed huic objectioni facilis, ac præſto erat reſponſio, nimirum quòd quemadmodum veras conceptus aliquando nullam de ſe ſignificationem præbet, & interdum tertio, & quarto menſe tranſacto, immo & quinto, & ſexto adhuc nulla omninò de ſe certa ſigna oſtendit, ſic etiam immò multo frequentiùs & facilius in mola evenire, quòd nulla ſigna hujuſmodi conceptionis comparent, aut ſi quæ apparere obſervantur, ea aut in verum conceptum, aut in diminutam, vel in totum cohibitam menſtruorum retentionem referantur, ut in caſu noſtro evenit : Violans enim cùm nunquam concepiſſet etiamſi pluribus annis cum Marito cohabitaſſet, nullam de prægnantia, & multò minus de mola ſuſpicionem habere poterat; & ſi quæ ſymptomata patiebatur ex molæ conceptione, ea diminutam, ac depravatam menſtruorum evacuationem rejiciebat, non in prægnantiam, neque in molam quia tam prægnantiæ, quàm molæ, & retentionis menſtruorum ſigna ſimilia ſunt, ut luculenter probatum eſt *lib. 1. tit. 3. quæſt. 1.* & alibi & ſuperiùs ex Hippocrate dixi : Quæ quidem ſatis ſuperque convincere videbantur, ſed ex abundanti addebatur, Violantem nequaquam molam peperiſſe, ſed multam concreti ſanguinis copiam ejeciſſe qui per multos menſes ſtabulaverat in ipſis uteri venis ex eo quod jam à multo tempore per menſtruum evacuationem inſufficienter expurgaretur, & mox etiam per plures menſes omninò eſſet ſuppreſſus, & licet hic ſanguis eſſet coagulatus, non tamen erat verè caro, quia non habebat ſubſtantiam conſtantem prout caro habere conſuevit, quod etiam ex Medici & obſtetricum depoſitione clariùs probatum remanebat, cùm unaniminter omnes depoſuerint, Violantem ejeciſſe in partu fruſta quædam ſanguinis coagulati quæ carnea videbantur, at ſanguis coagulatus caro videri quidem poteſt, ſed non eſt, niſi inſimul ſubſtantiam conſtantem acquiſierit, qualem caro habere debet : immò non ſatis ſufficit, ad hoc, ut hic ſanguis coagulatus mola diceretur, illum habuiſſe conſiſtentiam carni familiarem, ſed oportuit, illam habuiſſe conſiſtentiam, qualem habere ſolet caro molæ, hæc enim ſecundum id, quod omnes Auctores dicunt, tam dura eſt ut neque ferro ſcindi poſſit, ita Ariſtot. *ſupra citato libro quarto de part. Animal. cap. 7.* & quotquot Medici de ea re experientiam fecerunt, ita ut in molæ definitione hoc epithetum præduræ carnis addatur.

Non ergo ſatis eſt ad determinandum hanc fuiſſe molam id, quod tam Medicus, quàm obſtetrices addebant, nimirum quod fruſta illa ſanguinis à Violante ejecta viderentur majorem duritiem ſortita, quàm ſanguis ſic concretus habere ſoleat : præterquam quod ſi hæc fuiſſet vera mola, iam neceſſariùm erat per eam venas, & arterias diſſeminari, fortè etiam & umbilico dotari, vel parte quadam umbilico æquivalente, 9
per quam nutriretur, & augmentum capeſſeret, ut in aliis fieri ſolet, quemadmodum obſervatum eſt, & in dies à Medicis obſervatur, aliàs neque nutriri, neque augeſcere potuiſſet; at in hac ſanguinis maſſa nullæ aderant venæ neque Arteriæ, neque nervi, neque umbilicus, neque pars umbilico proportionalis. ſine qua fieri non potuit, ut in tantam molem creſceret, & in dies augmentaretur, ut fœtus ipſe naturalis, ad cujus ſimilitudinem mola procreatur, & augmenti capit.

Præterea dato etiã quod hæc eſſet vera mola, adhuc nulla certitudo formari poteſt de Violantis inhoneſtate, quia opinio aſſerens molam non generari abſque ſemine virili, eſt controverſa, neque verum eſt, eam opinionem eſſe Medicorum com- 10
munem, quia ſunt pro contraria ſententia Auctores graviſſimi & numero non pauciores, qui experientiæ à Galeno obſervatæ volente nullam vidiſſe mulierem abſque viri uſu molam geſtaſſe, proprias experientias opponunt mulierum, de quarum pudicitia non poterat dubitari, quæ abſque viri commercio molas geſtaverant, quarum non nullas hiſtorias recollegit Schenck. *lib 4 ſuar. obſerv. tit. de Mola.* Quin etiam rationes validiores pro parte affirmante molam procreari etiam abſque viri uſu addoci aliàs *loco citato à n. 7. ad ſequentes.*

Et ad rationem illam, quam validiſſimam credunt contrariæ ſententiæ fautores, nimirum, quod omne generationis principium à maris ſemine ſit, & ideircò abſque eo nulla ſuccedere poſſit generatio, dupliciter reſponderi poteſt. Primò dicendo, quod concluſio procedit, & veritatem habet 11
in

in naturali,ac perfecta generatione : at in præternaturali,imperfecta, ac mendosa nequaquam : nam ideirco non succedit generatio ut deberet,quia deficit naturale,ac primum principium generationis, hoc est, semen virile ; unde semen fœmineum eo destitutum non potens perfectum conceptum generare,molitur quod potest, & generat quod illi posse generare conceditur.

Secundò respondetur,quod conclusio illa,quòd omne generationis principium à maris semine sit,non de maris semine,sed de masculeo semine sit intelligenda:modo,fœmina habet in se tam masculeum, quàm fœmineum semen,si Hippocrati credimus *in lib. De Genit. num. 7.* unde & ipsa non solum ut patiens,sed etiam ut agens in generatione concurrit : quod jam duplici demonstratione firmavi *lib. 7. tit. 3. q. 1. n. 25. & seqq.* ergo & à semine fœminæ posse esse principium generationis,nempe ab ea seminis fœminæ ipsius parte, quæ calidior,ac fortior est,& ideirco masculei nomen assumit,quemadmodum ea pars seminis in viro,quæ debilior, & frigidior est, fœminei seminis nomen habet, ut bene scipsum explicat Hippocr. *loc. cit.* qui ab utroque semine masculeo à mare, & à fœmina progrediente mares generari docet;& ab utroque semine fœmineo à mare, & à fœmina progrediente generari fœminas. Quid mirum ergo,quod semen masculeum fœminæ tantam activitatem habere ex se possit,ut valeat generare rudem quandam, & imperfectam molem, si potest non solùm naturalem fœtum,sed marem generare?an non probatum jam à posteriori est,loco sæpius citato,fœminam suo semine concurrere tam activè ad generationem, ut superet activitatem seminis ipsius maris : observavimus enim fœtus nascentes ex animalibus diversæ speciei caracterem specificum formæ à fœmina communicari, cum ex solidungula matre, & patre ruminante fœtus solidungulus nascatur, & fœtus inluper nascentes ex animalibus diversæ speciei, & inter se postmodum coëuntes filios generent in matris speciem tandem redeuntes, ex ipso Aristotele, tandemque muli semper matris naturam sequantur.unde ex equa nascentes,fortes ac boni:nascentes ex Asina, pusilli, & vitiosi.

Ex quibus etiam facilè deducitur inane esse id, quod addebatur, nempe quod sanguis ille à Violante ejectus esset membranis convolutus, cumque membranæ partes sint spermaticæ,nonnisi ex utroque semine conflari possunt ex Galeni dogmate ab ipsis adductorad hoc enim dicebatur,nequaquam constare quod hæ membranæ includerent sanguinem illum, quia non hoc deponebant Periti, sed asseverabant una cum sanguine exiisse quasdam pelliculas, ut Medicus præcipuè (cui maximè in his est credendum) sed membranacea corpora.vel filamenta,quæ multum distant à membranis,ac si hæ membranæ sanguinem, vel molam, quam dicunt,in se includissent necesse fuisse,per eas sibi latum fecisse umbilicum, ut dictum est, per easque disseminari venas, & arterias unde nutriri, & augescere posset, quæ omnia hic desiderabantur: erant ergo quæ hæc Periti vocarunt Membranas,seu membranacea corpuscula, potius filamenta,& fibræ ipsius sanguinis; & ideirco non circundabant ipsum sanguinem, sed cum ipso miscebantur ; hæ namque fibræ ac filamenta in quolibet sanguine laudabili in dies observari solent, æque in causa sunt, ut docet Hippoc. *in lib. de Carn. n. 9.* ut sanguis coaguletur.

Sed neque verum est,membranas hujusmodi ex semine virili,aut ex utroque generati quia ipse Galen. *libro primo, de Nat. fac. cap. 7* Fernel *lib. 7. Physiol. libro septimo, cap. ult.* Andr. Laurent. *Anatom. lib 8. quæstion. 16.* & alij existimant, eas ponnisi ex muliebri semine conflari, unde concesso quod essent veræ membranæ, nequaquam inde deduci posset quicquam, quod probet seminis virilis admixtionem hic adfuisse, & sic nihil deducitur, quod contra violantis pudicitiam faciat : nam etiamsi sanguis ille coagulatus, esset verè carnea quædam moles, & fibræ illæ, seu filamenta essent veræ membranæ ; imò etiamsi hæc membrana involvissent carneam illam molem, aut molam ipsam, & ulteriùs conspicuus fuisset umbilicus, tandemque molam veram Violans eiecisset, nihil contra Violentam concludi potest, cum mola ipsa cum omnibus suis involucris, & cohærentiis potuerit absque coniunctione viri generari, ut cum effectu fuit generata.

Denique neque ipsi adversarij negare audent,hanc non fuisse veram molam, sed bene corpus quoddam molæ similem, quæ neque ipsi potuerit absque virili semine generari : dato igitur quod eo modo se res habuerit,tunc dico,quòd, quandocumque à quibusdam Medicis firmetur, molam non posse absque viri usu,& absque ejus semine generari,intelligatur de vera mola,nempe carnea quadam mole dura,& informi,venis, arteriis,nervis etiam forte, fuisque involucris munita ab umbilico, vel à parte umbilico proportionali nutrimentū habens, & augescens,non tamen posse habere locum in falsa hac mola sanguinea,forma carnis,duritie,venis,arteriisque, aliisque partibus carente,ac quacumque parte destituta,quæ potuerit dici ex semine procreata. Et ex his concludendum nullum ex ea re indicium desumi posse contra Violantis honestatem.

CONSILIUM XL.

ARGUMENTUM.

Ægrotabat juvenis quidam boni habitus, ac febriebat,non tamen intensè, & dolebat in latere dextro, neque tamen multum ; tussiculam habebat non magnam,ac modicam spirandi difficultatem. Accersitus imperitus Medicus,qui parvi pendens dolorem, firmavit juvenem laborare febri catarrhali, & vix quicquam effatu dignum illi præscripsit,secunda die febris,& dolor,ac cætera symptomata sensim sunt adaucta,neque tamen Medicus magnifecit morbum, sed incuratum penè Ægrum sinebat.Tertia vocatus alter Medicus,febre,& dolore adhuc magis augescente,dicit illum pati pleuritidem,atque esse eadem die sanguinem mittendum superveniens primus Medicus qui senior erat,juniorem contemnens, Ægro medicamentum ex Manna propinat adaugetur febris, sputum non comparet, dolor magis molestus,neque tamen sanguinem mittere jam transacta quarta in animum inducit suum. Quinta, omnia exacerbata ; supervenientibus aliis duobus Medicis sanguis detrahitur. Sexta,in pejus lapsus,pus, nec consideratione dignum, cruentum tamen expuebatur ; dolor acutus urgebat. Octava vitam cum morte commutavit. Quærebatur à viro Doctissimo, qui curæ in extremis diebus interfuerat, an in hujus Medici ignorantiam, & malitiam à Legibus animadverti debeat.

SUMMARIUM.

1 *Historia ex Galen. mulieris, qua ab omissam sanguinis missionem extincta est.*

2 *Medicorum quidam errores à divina, & humana Lege sunt punibiles, sed eventus mortalitatis Medico non imputandus.*

3 *Medicus tenetur in medendo sequi sententias certas, ac securas.*

4 *Recedere à communissima Peritorum opinione absque firmissimis rationibus est error gravissimus, omnino punibilis.*

5 *Ex omissione, vel etiam retardatione detractionis sanguinis aegri aliquando sublati.*

6 *Qui à sanguine detrahendo abhorrent, à Medicina faciendâ sunt prohibendi. Amplia ut in seq.*

8 *Interna inflammationes non sunt solventibus Medicamentis tractanda, nisi aliquid urgeat.*

9 *Ignorantia affectata habet secum culpam, unde puniri potest.*

10 *Medicus ex dolo in medendo delinquens, aegro moriente, videtur Reus homicidij.*

11 *Magna negligentia culpa est, & magna culpa dolus est, ergo & magna negligentia dolus est.*

NOvum non est,aliquos Medicos sanguinis humani adeo avidos esse,ut sola repetita,ac indesinenter reiterata sanguinis missione quoscunque morbos etiam ab extrema frigiditate provenientes, & in quibus evitandis calore, ac spiritu eget Natura,curare posse se credant & non aliter;contra vero alios esse, qui à sanguinis missione ita abhorrent, ut piaculum committere se putent sanguinem mittendo, etiam urgentibus quibuscunque indicationibus;sed de prioribus aliàs, ad propositum casum devenio.Galenus *lib. de Vena sect. contra Erasistr.* adversus hujus farinæ Medicos à sanguine mittendo tam religiosè se abstinentes acerrimè invectus est ubi loci c. 1. historiam narrat cujusdam Mulieris annum agentis primum suprà vigesimum,menstrua purgatione destitutæ, quam illi curabant;His enim renuentes huic mulieri sanguinē detrahere,illam in spirandi difficultatem lapsam ac subinde suffocatam magno cum eorum dedecore viderunt.Horum Medicorū erro. es hujusmodi,& à divina,& ab humana lege videntur expiandi,

2 expiandi licet enim eventus mortalitatis Medico non si imputandus, *Leg. illicitum, § sicuti Medico ff. de off. præsid.* imputandum tamen illi est, quod per imperitiam delinquit, neque impunè debet esse hujusmodi delictum sub prætextu fragilitatis humanæ, ut ibidem habetur. Itaque in casu proposito videtur Medicus ex crassa, ac supina ignorantia deliquisse, defetendo plus iusolitæ suæ opinioni, quam communissimæ om-
3 nium Medicorum, imò omnium hominum, unde ob id Ægrū interfeciſſe dici potest: quia Medicus tenetur in medendo sequi sententias certas, ac securas, & majori, ac potiori doctorum parti acceptas, & canonizatas, neque mederi potest secundum proprias aut etiam alienas particularium Medicorum hæreſes potiùs, quàm opiniones à communi, & à ratione tantopere distantes, ut Sum. Ang. *in verb. Medicus n.* 1. ex aliisque Canonistis dixi alias *lib. 6. tit.* 1. *q.* 7. *n.* 2. consequens enim est, communem, vel saltem communissimum Peritorum consensum veritati esse magis consonum, quam quorundam particularium persuasiones; quas in medendo quotidie ipsis Ægris pernicioſissimas experimur; dum enim eas non dictis solùm, sed opere, & nova tentata experientia cueri sata-
4 gunt, quamplurimis eorum certo exitio sunt, ut in enarratis casibus observare licet.

Igitur in medendo recedere à communissima Peritorum, & omnibus comprobata opinione, contraria faciendo iis, quæ illa dictat, ac docet, error gravissimus est, & digna cum severitate punibilis, cùm tantopere in hominum pernicie redundare soleat quod tanto magis procedit, quanto major, ac magis antiquatus est hominum consensus, ut in hoc casu; in quo examinando palam fit quantopere hic Medicus ad Ægri mortem cooperatus fuerit recedendo à communissima omnium sententia, cum pateat à Medicinæ incunabulis à quibuscunque gravissimis, & expertissimis Medicis sanguinis missionem tanquam summopere necessariam in quamplurimis morbis, ac signanter in inflammationibus internis, ut Pleuritis est pro remedio tuto utili, ac maximè proficuo fuisse acceptam, & in usum inde sinenter protractam itaut ex ejus omissione, vel re-
5 tardatione multos ægrotos è medio sublatos fuisse in dies fuerit observatum, ut in casu proposito evenisse certum est, nam si à principio morbi Ægro sanguis fuisset detractus, facili negotio sanari poterat, quia cum inflammatio non esset magna, facillimè sanguinis detractione extinguebatur.

Mirandum autem est, quod quicunque ab hujusmodi tam facili, tam proficuo, necessario, ac tuto remedio in curandis morbis abhorrent, nullam unquam solidam, ac veram, aut saltem verisimilem, & apparentem rationem adducere norunt, ex
6 qua moveantur, sed irrationabili mentis errore, aut phreneſi detinentur, à qua nec persuasionibus, nec rationibus dimoveri possunt; idcirco videtur firmandum, eos à medendo prohibendos esse, quod si medeantur, ægrique ob hujusmodi errores pereant, severissimè puniendos esse. Atque hoc non solùm procedere dixerim, ubi sanguis nullo modo in morbo,
7 qui cum requirat detrahatur, sed etiam ubi nimis parce, ac diminutè detrahatur, aut ejus detractio procrastinetur, ut in hoc casu; quis autem non dixerit unum idemque esse sanguinem non detrahere; & detrahere nimis parce, ut bardus quidam Medicus de quo loco citato mentionem habui qui in morbis ex sanguine, & sanguinis missionè de necessitate indicantibus in robustissimis juvenibus, nullis neque per somnium quidem contra indicantibus præsentibus, unam, aut alteram unciam sanguinis extrahi jubebat, eò, quia putabat hoc modo effugere aliorum detractiones, & suæ ipsius opinioni satisfacere tam modicum sanguinem extrahendo, ex quo nullum damnum suos ægros reportaturos autumabat, ut reportaturos putabat ex copioſissima missione, quam alij Medici suadebant. Eodem quoque pacto idem esse censendum est, sanguinem non mittere, aut illum in tempore non mittere, sed temporis opportunitate transactam quid prodest in inflammationibus internis sanguinem mittere transacto morbi principio, & jam inflammatione multùm aucta, omissa ejus extractione in principio? certè in casu nostro nihil profuit sanguinis missio in quinta jam morbo gliscente, cùm ex sola ejusmodi retardatione Æger perierit, ut manifestum est.

Verum enimvero in hoc casu non militat solùm contra Medicum crassa ignorantia, ob cujus culpam non cognovit morbum, sed non detegitur etiam dolus, quia majoris fecit propriam existimationem, quàm Ægri salutem, cum ne videretur junioris Medici opinionem sequi, qui cognoverat morbum quem ipse non cognoverat, data opera, & malitia sanguinem detrahere noluit; unde pessimo consilio medicamentum
8 Ægro exhibuit ex Manna, quod non solum non erat in principio morbi requisitum, sed forte prohibitum, stante multo evidentiore necessitate mittendi sanguinem; quia internæ inflammationes non sunt medicamentis ventrem solventibus tractandæ, cum hujusmodi inflammationes semper habeant febrem acutam adiunctam, in qua secundum Hippocr. auctoritatem *lib. 1. aphor.* 29. ratò purgandum, & cum magna præmeditatione; quod majorem in modum procedit in Pleuritide, in qua medicamenta solventia sputum intercipiant, cujus expurgatio in eo morbo summopere affectatur, ex ejus enim expurgatione tota spes salutis emanat, cùm ex ejus retentione ægri succumbant. Sed dato etiam quod leniens hic conveniret, ex communissima tamen Medicorum sententia Galeni, Pauli, Rasis aliorumque Medicinæ Procerum auctoritate firmata, semper debet sanguinis missio præcedere.

Et ex his facile deduci potest, quòd hic Medicus vel ex ignorantia non cognovit morbum, vel ex dolo non adhibuit remedium tantopere ad eum evincendum requisitum. Si ergo ex ignorantia deliquit, non cognoscens morbum, puniendus est, quia affectata ignorantia hæc est, quæ secum habet latam culpam, quæ punibilis est jam *cit. L. Illicitum, § sicuti ff. de off. Præsid.* ignorabat enim hic Medicus ea, quæ communiter sciunt ac scire tenentur omnes Medici non excellentissimi, aut etiam excellentes, seu populares & inferioris notæ, & sine quorum cognitione non possunt Medici officium exercere, quæ affectata ignorantia dicitur, ut palam est.

Sed multo severiùs puniri debet hic Medicus ex dolo pa- 9
rato, tenendo ex malitia sanguinem mittere, ne videretur à juniore Medico morbum cognoscere didicisse, nam Medicus dolo delinquens in medendo Ægro moriente, Reus est homicidii. Nec quicquam illi prodesse potest, si dicatur illum potiùs ex negligentia, quàm ex dolo deliquisse, quia cum hæc 10
fuerit magna negligentia, & tantò major, quanto evidentior erat necessitas mittendi sanguinem, & quanto magis à juniore Medico id fuerat inculcatū, absque dubio nullam excusationem meretur, nam magna negligentia culpa est, *Leg. Magna ff. de Rer. & Verb. significat* magna verò culpa dolus est. *L. eadibid.* ergo à primo ad ultimum magna negligentia dolus est, quia contigit in hoc casu negligentia cum dolo venit igitur Medicus hic, tanquam ex dolo delinquens puniendus; unde licet Medicus ex ignorantia etiam affectata in ægrotum delin- 11
quens pœna corporali nunquam sit puniendus, ut ex jurisconsultorum auctoritate dixi *cit. lib. 6. tit.* 1. *q.* 2. *n.* 1. tamen hoc non habet locum ubi ex dolo delinquat, maximè si æger ex hoc perierit; an autem hic debeat dici verus dolus, vel præsumptus, ad jurisconsultos relegabo.

CONSILIUM XLI.

ARGUMENTUM.

Erminius accusatus est constupraſſe Virginiā & in carcerem conjectus est, voluit fiscus ut Virginia obstetricibus se inspiciendam offerret. Vocatæ tres Obstetrices; quarum duæ retulerunt. Virginiam esse violatam, altera inviolatam esse asseverante. Priores suum dictum fundabant in disgregatione pellicularum uteri, in viis patentioribus quam in virgine reperiri consueſeant, in colore mutato ipsius uteri, aliisque quibusdam levioribus indiciis. Posterior neque ex his, neque ex aliis quicquam deprehendi inculcabat quod Virginiam fuisse violatam ostenderet, sed contrarium potius ex tenuitate Nympharum, ex ipsius uteri siccitate, ex corporis exspirante odore, & voce nullo modo mutata, ex aliisque, quæ solent integras Virgines concomitari. Ex hac Obstetricum discordia factum est, ut Iudex Medicorum sententiam exposceret; adhibitus igitur cum alio Collega meo, viro in Anatomia versatissimo, Obstetricum relationibus examinatis, respondendum duximus, ut sequitur.

SUMMARIUM.

1 *Nulla pellicula naturaliter in Virginibus reperitur, quæ virginitatem atteſtetur.*

2 *In muliere pluries compreſſa possunt aliquando ea virginitatis nota adnotari, quæ ex Hymenis integritate habentur.*

3 *Ex viarum latitudine potest inferri Virginem esse violatam, neque ex earum angustia esse inviolatam.*

4 *Uteri, & partium eius color non immutatur ex unico congreſſu, sed ex iterato per plures vices.*

5 *Quando Virgo comprimitur immediatè post menſtruas purgationes, nulla signa violationis apparere possunt. Declara ut ibi.*

6 *Vox craſſior in Virginibus defloratis non ſit ex unico, ac lenicoitu, ſed ex violento & ſæpius iterato.*

7 *Livor papillarum non apparet in violata juvencula ex unico, ſed ex pluries iterato congreſſu cum violatore.*

8 *Colli vena in defiorata Virgine craſſiores fiunt aliquando, & quando id ſuccedat.*

9 *Virginitas eſt qualitas quadam à Natura permanens, & idcirco præſumitur adeſſe.*

1 MAgis credendum in hoc caſu eſt unicæ obſtetrici affirmanti Virginiam non eſſe defloratam quam duabus aliis volentibus, eam eſſe defloratam; Et ratio eſt, quia unica illa obſtetrix magis veriſimilia, & doctorum omnium opinioni magis conſentientia depoſuit; nam quæ ad contrarium probandum allata ſunt à duabus aliis, nihil nos movere debent, eo quod partim falſa, partim inania ac futilia, partim minus certa ſint, nihilque tandē afferant, quod concluſi lenter probet.

Quoad diſgregationem enim pellicularum uteri, ut illæ ajebant, certum eſt, illa potiùs, ut ſecundùm communem mulierum modum quid dicerent, quàm ut quicquam in Virginia in rei veritate circa eas agnoſcerēt ſic fuiſſe locutas; cùm pateat, pelliculam illam Hymenem dictam de qua multa obſtetriculæ deblaterant, in viginibus naturaliter conſtitutis nullo modo repetiri, ut ex communi Medicorum, ac præcipuè Anatomicorum recentiorum opinione probavimus alias *libro quarto harum quæſt. tit. 2. quæſt. 2.* Quòd ſi per Hymenem, ſive pelliculam illam prædictæ Obſtetrices verum Hymenem intellexerint, nempe qui ex cohærentia, ac coalitu quatuor caruncularum poſt Nymphas in utero exiſtentium fit, adhuc dicimus, illas non potuiſſe ex earū laceratione cognoſcere Virginiam eſſe defloratam; certum enim eſt, Erminium (quod neque ipſe ſiſcus controvertit, dato quod Virginiam vere defloraverit, vix ſemel cum ea congredi potuiſſe; nam cum tertia hora noctis in Amici domo cōmorarus eſſet, quarta jam domum propriam repetierat, ut ex teſtium depoſitionibus habetur, ſtuprum autem præſumitur commiſſum poſt tertiam noctis horam, unde veriſimile non eſt, ſi omnia recte ponderentur, ut plus quàm unica tantùm vice Erminius Virginiam cognoverit; licèt ergo illam nullo modo cognoverit, dato quod ſemel tantùm cognoverit, non poteſt ex unico congreſſu ulla earum caruncularum violatio apparere, unde neque affirmare ex ea poſſunt Obſtetrices, Virginiam fuiſſe defloratā; quia ſi concubitus non fuerit reiteratus, diſjunctæ illæ caruncule per primū congreſſum adeò mediante ſanguine, quem effundunt, reuniuntur, ut nullam violationis de ſe ſignificationē præbeant, ita ut optimè Severin. Pinæus,

2 Anatomicus expertiſſimus *lib. 1. de not. virginit. cap. 6.* dixerit de hoc, poſſe etiam in muliere, quæ utero gerat conſpicuas apparere Virginitatis notas, eas ſcilicet, quæ ex earum caruncularū integritate deſumuntur; unde dicendum eſt, Obſtetrices has nequaquā cognoſcere verum Hymenem qui ex harum caruncularum connexu conſtituitur, ſed ſomniare pelliculam illam quam communis, ſed falſa hominum opinio pro Hymene acceperat quæ nunquā in ullis Virginibus, quæ uterum naturaliter conſtitutum habēt reperitur ut probatum eſt. Sed dato etiam, quod hæ Obſtetrices tam doctæ, ac expertæ fuerint (quod non crediderim) quòd cognoſcant verum Hymenem, hoc eſt connexionem prædictarum caruncularum; adhuc non poterant in Virginia earum laceracionem obſervare, quia cùm Virginia, ut ſupponitur, fuerit ab Erminio ſemel tantùm cognita & Erminius parvula mentula dotetur, recognitio autē facta ſit vigeſima die tranſacta à præſumpta defloratione, procaciſſimæ mulierculæ eſt, præſumere ſe violationem in

3 Virginia cognoſcere.

Inane porrò omninò alterum indicium judicavimus deſumptum ex laxitate viarum ipſius uteri in Virginia animadverſa, cùm neque ex earū anguſtia argui poſſit Virginis integritas, neque ex laxitate defloratio, quia patet in uteri conſtitutione anguſtiam, & amplitudinem, & quoad parvitatem, & magnitudinem non minùs differre fœminas inter ſe quàm differant Mares quod exilitatem, & craſſitiem, & brevitatem, & longitudinem Penis; unde reperies ex ipſis virginibus, in quibus nulla ſuſpicio defloracionis imaginari poteſt, nonnullas tam patentes, ac laxas vias habere, imò etiam tam humectas ut ne ſcortum quidem ſubagitatiſſimum tam patentes, aut laxas, & humectas habeat, ita ut ſi majores factæ viro jungantur exili mentula dotato, concipere vix poſſint non ſolùm propter ennataram viarum laxitudiné, ob quam ad continendum, & amplectendum virile ſemen ſunt ineptæ, ſed quia etiā voluptas ipſius coitus in utroque inſigniter diminuitur, unde minus promptè conceptio ſequi poteſt. Contra verò nonnullæ ex fœminis utero tam anguſto & exucco dotantur, ut, etiamſi millies in dies exagitentur, tamen ne veſtigium quidem compreſſionis ſervare ſoleat, quin & earum aliæ, ſi à coitu per multum tempus abſtineant, facilè ad eum ſtatum penè reverteruntur, quem cum virgines eſſent, obtinebant, & non ſecus ac ſi tum primum devirginarentur, ſanguinem in coitu effundunt, ſi de novo comprimantur, ut in viduis caſtam vitam degentibus, & quæ multis annis abſque viro permanſerunt, animadverti poteſt, non obſtante etiam quòd plures filios fuerint enixæ. Sed ab his obſtetricibus tam ſubtilia indicia corruptæ Virginitatis in noſtro caſu afferuntur, quia potiora obſervare non poterant, & quia ſunt ignatiſſimæ, meliora non habebant.

Quamobrem non minùs inane indicium defloracionis deducunt ex colore mutato ipſius uteri, & facile oſtendunt neſcire ſe & ex hoc & ex ſuperioribus de ea re, ut oportet, judicare, de qua ut pronuncient tanquam peritæ ſunt locatæ. Palam autem eſt, calorem Uteri & partium ipſius non tam de facili 4
immutari, ex unico tantùm, & non iterato coitu, & maximè ubi mulier ampliores vias obtineat, ut in Virginia obſervatur, & vir exiliori mentula dotatus ſit ut Erminius. At ubi hæc contrario modo eveniant, tunc ob iteratam attritionem, & aliqualem ſaltem in primis congreſſibus paſſam violentiam, facilè & labra, & Nymphæ, & cæteræ partes ipſius uteri colorem ſuum ex rubicundo in dilutiorem immutant ſed dato etiam, quòd non obſtante viarum laxitate & virilis membri exilitate ex unico tantum congreſſu uteri partes ſuum naturalem colorem mutent, certum eſt, hanc coloris mutationem permanentem non eſſe, ſed vix tranſactis primis diebus obliterari, niſi coitus reiteretur, at recognitio violationis in Virginia facta fuit die vigeſima ab eo die in quo defloratā præſumitur, nec poſtmodū fuit amplius ab Erminio cognita: non potuerant ergo hujuſmodi Obſtetrices ullam coloris mutationem in partibus uteri ipſius Virginiæ obſervare, neque inde ullum leviſſimum quidem indicium defloracionis deſumere. 5

Addamus his, quòd quandocunque defloratio Virginiæ ſecuta eſſet immediate poſt menſtruam purgationem, ut in caſu noſtro evenisſe patet, non modo nulla immutatio coloris obſervari poteſt, in partibus obſcœnis ipſius mulieris, ſed neque ipſa membranarum dilaceratio, neque aliud quicquam quod ſignum ullum defloracionis commonſtrare poſſit, niſi vir eſſet Pene nimis magno reſpective ad uterum ipſius mulieris, quod contra evenit in hoc caſu, aut niſi coitus in dies ſequentes fuiſſet iteratus.

Sed prædictis multò leviora ſunt alia indicia, quæ ab his ignatiſſimis Obſtetricibus in medium afferuntur, ut quæ ex voce craſſiores, ex livore papillarum, & ex colli venis craſſioribus deducuntur. Nam quoad vocem craſſiorem certum eſt, id evenire, quod de colore mutato partium uteri evenire dicebamus, nempe eam non ex ſimplici, ac unico nec violento coitu, ſed ex iterato, multiplici ac violento craſſiorem evadere; præterquam quod Virgo hæc craſſiuſcula voce à natura fuit dotata, ut deponunt teſtes pro Erminio examinati, & ipſa etiam Virginiæ mater; quod maximè vero conſentaneum erat, cùm partes colli, ipſiuſque venas Virginia ſortita eſſet craſſiores, unde cùm hæ Obſtetrices nunquam aliàs audierint Virginiam loquentem, non mirum eſt, ſi audiendo nunc illius vocem aliquantò craſſiorem, quàm in aliàs Virginibus obſervari ſoleat ex ea indicium defloracionis conatæ ſint deſumere, quod nequaquam feciſſent, ſi qualitatem naturalem vocis ipſius Virginiæ cognitam habuiſſent. Quibus addo, quòd vocis craſſities non tam dependet ex coitu, quam ex generatione, & emiſſione ſeminis, unde deducimus quòd etiamſi in Virginia obſervatum eſſet, vocem fuiſſe immutatam, & ex ſubtiliori, & exiliori craſſiuſculam evaſiſſe, id non ex defloratione proveniſſe, ſed ex proventu ſeminis, aut ex eius emiſſione fortè in ſomnis facta.

Quoad papillarum livorem, quem etiam in hac Virgine ſomniant hæ Obſtetrices, dicendum eas omninò excuſire; cùm etiam illa quæ hic non adſunt neque adeſſe poſſunt, adeſſe tamen ſerió affirment. Nam livor etiam cum aliis ſuperiùs adnotatis ſignis, in papillis non apparet ex unico, ac levi 6
congreſſu cum viro, aut ex ſimplici defloratione, ſed maximè ex multoties reiterato congreſſu, & ſignanter cum impetu, & violentia celebrato, fit enim hæc coloris immutatio ex concurſu ſanguinis ab uteri venis ad mammas, nam cùm uterus habeat maximum cum mammis conſenſum, ex iterata commotione, & excalfactione per coitum facta facilè vel ipſe ſanguis, vel vapores ab ipſo utero elevati ad mammas ſe conferunt, atque eo pacto capitula mammarum colore magis fuſco, quàm ex natura ſortiuntur inficiunt. Quòd ſi tantùm ex unico congreſſu id fiat, non multò poſt, niſi coitus reiteretur, omninò obliteratur, ac mammarum capitula ad ſuum naturalem colorem reverteruntur, evaneſcente vapore, aut tenuiore ſanguine qui ad ipſas confluxerat quomodocunque tamen ſeſe res habeat certum eſt indicium hoc defloracionis adeò leve eſſe, ut nihil, ſuprà-

Colli

Colli venas ulterius in defloratis craſſiores fieri non abre dicitur, id tamen ſuccedit tantùm cùm congreſſus pluries fuerit iteratus, aut defloratio ſucceſſit cum multa violentia, & auxietudine, quæ in noſtro caſu, ut ex ſuperioribus patet, non habent locũ. At verò quomodo poſſunt Obſtetrices hæc affirmare; quòd Virginia venas colli craſſiores habeat, quam per anteactum tempus habuerit, ſi nunquam eam de facie cognoverunt? hæc enim venarum craſſities debet referri ad cõſtitutionem, quã obtinebat ante præſumptam defloration em; nam quemadmodum nonnulli hominum habent membra, & partes craſſiores, quàm alii, ita & colli venæ in aliquibus Virginibus tenuiores, ſunt in aliis craſſiores, ut in Virginia, quæ non alia ex cauſa habuit etiam vocem pinguiorem, quàm communiter Virgines habere ſoleant. Et ex his apparet affectata harum Obſtetricum depoſitio, cùm ex inanibus ſignis, & ex his quæ verè non ſunt, elicere conentur Virginiam fuiſſe defloratam.

His igitur Obſtetricũ depoſitionibus falſitatis, & futilitatis convictis, remanet unicè, alterius Obſtetricis depoſitio vera, ac veris fũdamentis fulta, cùm peritioré ſe, ac magis expertam aliis duabus commonſtraverit, unde ejus aſſertio pro veriori accipienda eſt, nẽpè quod Virginia non ſit defloratа; cùm nullæ animadvertantur, aut animadverti poſſint in ea caruncularum, ſeu membranarum laceraciones, nulla, viarum per vim facta dilatatio, ſed tantùm quæ à Natura tributa illi eſt, nullaque adſit colotis ipſarũ partium uteri immutatio, ſed appareat, omnia ſuum naturalem colorem ſervare, cumque nulla vocis pinguitudo noviter facta, nullus livor in mãmarũ capitulis, nulla nova venarũ colli craſſities adnotari potuerit; ſed contra ex Nympharum tenuitate, ex ipſius uteri ſiccitate, corporiſque exſpirante odore, & ex aliis permultis à peritiore Obſtetrice deductis, Virginiam non fuiſſe defloratam concludi poteſt, undè cùm virginitas ſit quædam qualitas à
9 Natura permanens, & idcircò præſumatur adeſſe. Maſcard. *de Probat. concl.* 1410. *n.* 1. *tom.* 3. Rota *in Rom. ſtupri, ſeu Dotationũ* 19. *Martii* 1610. *coram Sacrato n.* 1. Patet, quòd cum nihil firmi in contrarium adducatur, Virginia debeat præſumi Virgo, neque ab Erminio, neque ab alio quoquam manumiſſa, aut defloratа juxta depoſitionem unicæ Obſtetricis aliis duabus multò peritioris.

CONSILIUM XLII.

ARGUMENTUM.

Leander Reus defloration is in Lucretiam patratæ, in carcerem conjectus eſt; & de defloratione quidem non ambigebatur, cum Lucretia jam utero gereret; Leander tamen tormento expoſitus, confeſſus eſt, ſe prope uterum Lucretiæ, utriſque ſtantibus, ſemen ejeciſſe abſque ulla omninò Penis in uterũ intromiſſione, negando ſemper aliter ſe cognoviſſe carnaliter Lucretiam. Huic Leandri confeſſioni concordabat ipſiuſmet Lucretiæ depoſitio: unde quæſitum eſt, utrùm Lucretia potuerit ex Leandro eo modo ſeminante abſque ulla penis intromiſſione in uterum cõcipere? & ego quidem in eam ſententiam veni, quod nullo modò potuerit Lucretia ex Leandro ea ratione ſeminãdi concipere, ſed vel Leander verè illam defloraverit Penis intromiſſione, vel illa ex alio conceperit.

SUMMARIUM.

1 *Ex ſemine prope uterum emiſſio abſque Penis intromiſſione mulieres conceperunt, quod in equabus experimento non raro conſtat.*
2 *Uterum habet ex Natura quandam virtutem ſeminis attractivam, qualem habet Magnes ferri.*
3 *Velata mulieres abſque violatione paniculi uterum claudentis concipiunt.*
4 *Non minori attractione uterum ſuo collo utitur ad deglutiẽdum ſemen Marii, quàm ventriculus gulâ ad deglutiendos cibos.*
5 *Uterus, quandocũque fœmina libidine exardeſcit, os etiá externũ ad deglutiendũ propè ſe effuſum ſemen inſurgit.*
6 *Seminis tenuiſſimi ſpiritus ne per momentum quidem poſſunt in aere externo conſervari.*
7 *Conjunctio Marii, & fœminæ per membrorum appropinquationem, & membri virilis in fœmineum intromiſſionem cur à Natura intenta.*
8 *Seminis à Mare effuſi, & attractio ab utero non ſufficiunt ad hoc, ut conceptio ſequatur.*
9 *In coitu membrum quam penitiſſimè debet intrudi, aliàs difficilius ſequitur conceptio.*
10 *Penis brevitas, & longitudo cur conceptionem impediant.*
11 *Si effuſio ſeminis prope vas fœmineum eſſet ſufficiens ad conceptionem, ſupervacanea eſſet Maris & fœminæ conjunctis per Penis intromiſſionem in uterum.*
12 *Velata mulieres quomodò concipiant.*
13 *Ex parte tantùm ſeminis fieri poteſt conceptio.*
14 *Gemelli ex unico coitu procreantur.*
15 *Seminis attractio fit ab ipſo utero appetitu ſenſitivo moto ad ipſum attrahendum.*

DE hac materia uber lis egimus *l.* 2. *Quæſt. tit.* 9. 8. *per totam.* Ubi concluſionem illam firmavimus validiſſimis rationibus ſtabilitam, non poſſe mulierem ex ſimplici pollutione viri propè ipſius uterum concipere; ubi rationes contrarium perſuadentes attuli, iſque ſufficienter, quantùm mihi perſuadeo, ſatisfeci; quarum potiores erant quæ ſequuntur, quas brevioribus percurram.

Primò, igitur doctiſſimorum hominum auctoritate, & experientiis adductis probabilis videbatur contraria concluſio; 1
nempè quod poſſit mulier ex ſemine virili propè vas effuſo concipere; narrantur enim quædam facti exempla à viris fide digniſſimis, quæ mirum in modum tanquã vera cõfirmabant id, quod de equabus narrant aliqui, quas cum nolunt cuſtodes à maribus imiri quoddam inſtrumentum vulvæ admovent introitum Peni furentis equi interdicens, & tamen equas eo modo cõpreſſas concipere experiuntur, Annularas eas vocant.

Sed hoc mirum videri non debet, cum notum ſit quanta 2
aviditate uterus tenetur maſculi ſeminis, ob quam non minori attractione dotatur ad illud attrahendum, quam dotari conſpiciamus Magnetem in attrahendo ferrum. Itaque poſſibile eſt, imò fortè non difficile ut ex ſuperioribus exemplis elici poteſt, quòd ſimplici pollutione Leandri extra quidem, ſed propè Virginiæ uterum, potuerit uterus Virginiæ emiſſum ſemen attrahere, atque ad ſe allicere, & ex eo concipere, non obſtante quòd membrum in uterum non fuerit intromiſſum à Leandro; & ſic potuit Virginia utero concipere.

Sed & alia ad hoc confirmandũ non deſiderantur; nam ex- 3
perimur in iis fœminis, quas Velatas nuncupamus, abſque eo quod virile membrum in uterum penetrare poſſit, conceptionem ſuccedere. Siquidem in iis fœminis panniculus quidam craſſiuſculus ante uteri internum oſculum obtenditur, qui introitum virili membro prohibet, ita ut devirginari nulla vi poſſint; Has autem ex ſimplici viri pollutione concipere notum eſt. & adnotavi aliàs ex Hippocratis, & Avicennæ, & aliorum auctoritate; quas eam ob cauſam idem Hippocrates in partu perire aſſeverabat ex eo, quod panniculus ille, qui introitum virili peni prohibebat non poteſt ob ſui craſſitiem, ac duritiem diſrumpi, ut exitum naſcenti fœtui concedat; unde conſequens eſt tandem & puerum, & matrem perire.

Quod magis urgebat, illud erat, quod fitmarunt Ariſtot. *l.* 4
2. *de Gen. Anim. c.* 4 & Gal. *l.* 1. *de ſem. c.* 4 & D. Thom. referẽte Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 113. *n.* nimirum tanta attrahendi facultate uterum eſſe dotatum, ut collo proprio tanquam manibus utatur ad attrahendum ſemen maſculeum, non aliter quàm gula, ſeu ſtomacho, vel œſophago (hoc eſt via vel ductu illo qui ab ore ad ventriculum tendit, & per quẽ cibi, & potus ad ipſum ventriculum permeant qui ſtomachus ab aliquibus, & œſophagus nominatur. Hippocr. *lib. de Cord. n.* 1. & *l. de Cor. vet. n.* 2.) tanquam manibus utatur ventriculus ad ingerendos cibos & potus; neque enim neceſſe eſt, ut Animal cibum uſque ad ventriculum tranſmittat, aut illum ſuperiori ventriculi ori, quod ſtomachus apellatur à Græcis, apponat; ſed ſatis eſt, ut ori admoveat, quia deinceps, atque illicò ventriculus ab ore illum attrahit per œſophagum, qui ad hunc finem fibris dotatur circularibus, & tranſverſis. Simili ergo modo in ipſa conceptione celebranda ſatis eſt; ut ſemen maſculeum propè uterum effundatur, nam illicò per collum uterus illud ad ſe mira aviditate attrahit, unde ſequitur poſtmodum conceptio.

Neque dicitur quòd hoc impoſſibile ex eo ſit, quia os uteri extremũ niſi Maris veretro dilatetur per ſe conniveat, neque ex ſe aperiatur, ita ut ſemen extipere poſſit, undè etiam ſi ſemen propè ipſum effundatur, & uterus vim faciat, ut illud ad ſe attrahere poſſit, hoc ineaſſum ob prædictum impedimentum illud tentare, quia quãdocunque fœmina ardet deſiderio coitus, & uterus deglutiendi ſemen, jamque in fermento eſt, ac multa, & inexplebili tentigine tenetur, ipſo etiam externo ore hiante, & dilatato, nõ aliter quam aviculæ faciant, cum cibum illis à matre exporrigitur ad illud ingerendum,

currit,

cutrit; videtur enim uterus ſenſu quodam cognitivo, ob quem ab aliquibus animal eſt dictus, notam habere ſuam indigentiam maſculei ſeminis, ad illamque expellendam ideircò ſe opportunè movere, occurrendo irruenti ſemini Maris, hiante etiam ore externo illud admittendo.

Quibus tamen omnibus non obſtantibus, concluſionem iam à me in diſcurſus principio firmatam, veritatem potiùs habere demonſtrabitur, non ſolùm ex ſequentibus rationibus; ſed etiam ex plena ſatisfactione ad rationes in contrarium: Nam primò impoſſibile eſt, ſemen maſculeum in Aëre externo integrum conſervari poſſe, cùm neceſſe ſit tenuiſſimos illos ſpiritus, à quibus omne principium generationis procedit, ſtatim evaneſcere, ut ex Ariſtotelis auctoritate dixi *lib.* 3 *quæſt.* 8. *num.* 16. quibus evaneſcentibus, ſemen infœcundum evadit, remanente tantùm eius materia craſſioti, quæ ad conceptionem tam inepta eſt, quàm eſſet merus humor pituitoſus, ſi in uterum reciperetur. Atque non alia potiori ex cauſa voluit Natura marem, & fœminam tam arctè coniungi; quia ne ſemen maſculeum quicquam ab Aëre externo pateretur, voluit illud à mare per tubum uſque ad internum uteri os immitti, imò eorum aliqua arctiſſimè per eadem membra hærere in coitu voluit, neque contenta fuit, ut mas propè vas fœmineum ſemen effunderet, quod ſi ſufficeret ad conceptionem, fruſtrà tam arctam coniunctionem Maris cum fœmina eſſet machinata cùm tamen natura nihil fruſtrà faciat, imò ſemper ad melius reſpiciat. Ariſtot. *de Animal. interſſ. cap.* 10. & alibi ſæpè; neceſſaria ergo omninò eſt ad conceptionem conjunctio Maris, & fœminæ per intromiſſionem penis in matricem, aliter nulla ſequi poteſt generatio.

Secundò, conceſſa tam valida uteri attractione, & facta effuſione ſeminis maſculei propè os uteri externum; adhuc multa deſiderantur ad perficiendã conceptionem; præ cæteris autem omnibus deſideratur impulſus, & ejaculatio ex parte Maris, quæ omnino ceſſat, ubi effuſio fiat extra uterum, cùm vis illa ejaculationis terminetur ad extra in ipſo externo uteri orificio, in quod impingit, unde ubi dicamus, hanc ejaculationem nequaquam eſſe neceſſariam; imò neque ipſa vaſa ejaculantia, & ſic natura inani omninò labore maſculeum membrum, & prædicta vaſa fabricaſſet, immò & ipſum uteri collum, ſeu vaginam, in quam membrum immittitur, cùm poſſet abſque tanta defatigatione, & multò faciliori via per ſimplicem approximationem Maris & fœminæ ſecundùm genitales partes fœtus generare, & animalium ſpecies propagare; expediebat ergò nos abſque virili membro fuiſſe formatos, quemadmodum etiam cætera quæcunque animalia, quæ per ſimilem conjunctionem voluit natura ſuas ſpecies propagare.

Tertiò, cùm dentur quidam viri, qui non poſſunt membrum arrigere, & tamen ſemen propè uterum externum effundunt, vel ſi arrigant, non poſſunt tamen illud in uterum intromittere, ſed coguntur ante ipſum, veſtibulum primoque in limine ſemen projicere, quos inter frigidos connumerandos eſſe probavi *lib.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 11. veriſimile eſt hos viros generare poſſe, quia eadem eſt ratio virtutis attractricis ipſius uteri, per quam ſemen ad ſe alliciet, & concipiet: cùm ergò hi poſſint principali fini in matrimonio intento ſatisfacere, qui eſt filiorum procreatio, ſumma injuria à matrimonio contrahendo repellerentur, cùm tamen non ſolùm à contrahendo repellantur, ſed etiam contractum diſſolvere per canones cogantur: facit *c. Laudabilem, de frig. & maleſ.* cum iis, quæ adducit Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſput.* 92. *num.* 7. ſed hæc ex abundanti.

Quartò, ſi in coitu celebrando non ſufficit, ut conceptio ſequatur, ut mas intromittat membrum in matricem, ſed neceſſe eſt, ut illud quàm penitiſſimè intrudat, ut ſemen propè, & quàm proximè ad internum uteri oſculum effundatur, aliàs non ſecuturâ conceptione, ex Hippocratis præcipuè aliorũque Medicorum auctoritate, quantò magis non ſequetur conceptio, ſi ſemen propè externum uterum ejiciatur? & ſi præterea conſtat eos, qui brevioti pene dotantur, ea tantùm ex cauſa non generare, quia non poſſunt ſcilicet eorum inſtrumento uſque ad internum uteri oſculum pervenire. & ſic ſemen aliquantò longè ab ipſo oſculo eſuſum, non fœcundum evadit, eò quia alteratur illicò antequam ab utero attrahatur, quantò magis impediretur conceptio ſemine ab extrà effuſo? Et ſi ulterius membri lõgitudo nimia reddit ſemen infœcundum eo quod in via refrigeretur, ut Ariſtoteles *l.* 1 *de generat. Anim. c.* 6. dicebat, quantò magis refrigerabitur ſemen Aëri externo omninò expoſitum, antequam ab utero intrò attrahatur? Liceat ergò pro veritate loquentem contra figmenta quorundam, ac credulitatem protumpere, & meras ineptias ne ipſis pueris perſuadendas.

Qui nondum are lavantur.

Denique cùm attractio ſeminis maſculei ab utero fiat per collum ipſius mediantibus villis, & fibris, quibus dotatur, aut dotari ad hunc finem deberet, jam patet os externum uteri neque ea attractione vigere, neque villis, vel fibris ullis componi, non poterit ergò ſemen maſculeum propè ſe effuſum attrahere, dicendumque ipſum uterum per collum ſemen etiam ad diſtans ejectum, non obſtantibus uteri externis partibus ejus introitum impedientibus ad ſe attrahere, quod an ineptire ſit, neene videant qui hæc ſibi perſuadent, & ab aliis ſibi imponi hujuſmodi abſurditates permittunt.

Sed non relinquam ſubſequentem etiam rationem ſuperaddere, etiam ſi ad Medicum negotium non faciat. Dico ergo quòd ſi ad hunc matrimonii finem aſſequendum, qui præcipuus eſt, & filiorum procreatio, ſufficeret approximatio tantùm membrorum generationis utriuſque conjugis, & effuſio ſeminis virilis propè, & extrà vas fœmineum, in caſſum ad matrimonii validitatem requireretur talis conjunctio, ut vir poſſit penetrare ad interna uteri, & ibi ſeminare, quod tamen requiri ad matrimonii validitatem firmant unanimiter Canoniſtæ omnes: & confirmatur ex eo, quod ſeminatio extra vaſa, peccatum mortale inducit, ut ex omnium Canoniſtarum auctoritate inducit, indubitatum efficitur Pontius *de Matrimon. libro* 10. *cap.* 11. *numero* 6.

Ad rationes in contrarium facillima eſt reſponſio, & quoad experientias, & hiſtorias à quibuſdam enarratas dicendum eas non eſſe probatæ veritatis; duo enim perſonarum genera hæc pro veris admiſerunt: Unam quarundam, quæ ſua malitia aliis imponere volunt ut Hebræi ſua fabula de ſemine in balneo ejecto, Averroës, & Amatus Luſitanus ſuſpectæ fidei, immo conclamatæ mendacitatis viri: Aliud piorum, imò ſanctorum quorundam virorum Theologorum nempe, & Canoniſtarum, qui ut minùs experti in Venereis & Medicarum Anatomicarumque rerum non undequaque gnari, hiſce fabulis aures præbuerunt, & pro veris acceperunt, quas tamen à vero tantoperè diſtare certum eſt, quantoperè diſtat cœlum à terra.

Sed eſto, admittamus has experientias, quas non excedere ternarium numerum à primo mundi decurſu patet, & pro veris accepemus, tamen nihil faciunt ad rei negotium quanam enim fiducia ex una, aut altera experientia adhuc incerta & infirma concluſionem eam firmabimus, & pro vera canonizabimus, poſſibile eſſe, ut mulier concipiat ex ſemine virili propè vas effuſo, abſque Penis intromiſſione in uterum? certè ſi hæc concluſio vera eſt, jam & hæc erit veriſſima, quam etiam ſuperius attuli, nimirum, non eſſe neceſſariam ad conceptionem conjunctionem Maris, & fœminæ 11
per membra generationis, & omnino inanem, ac ſuperfluam eſſe, & à Natura inaſſum ordinatam, cum abſque ea potuerit animalium ſpecies propagare: Sed Natura & Deus nihil fruſtra faciunt, ut notum ex Ariſtot. 1. *part. t.* 12.

Ad id, quod de annulatis equabus additur, dicendum ex ipſius facti narratione falſitatis convinci, quia ſi equarum cuſtodes eas commemorato inſtrumento muniunt, ne à maribus iniri poſſint, & concipere, jam patet omnino inanem eſſe hanc eorum induſtriam, cum etiamſi adſit inſtrumentum impediens, ne fœminæ à maribus comprimantur, & concipiant, eo non obſtante concipiunt; hinc ergo ſequitur vel non eſſe veram, aut in uſu trahi hanc cuſtodum induſtriam, ne equæ concipiant, vel verum non eſſe, quod, ubi annulatæ fuerint, concipiant, niſi aliud quid interveniat.

Quod de velaris mulieribus dicitur, non habet parem rationem. Primo enim Penis magna ex parte in uterum recipitur, quia panniculus ille non adeſt prope os externum, ſed intro progrediendo prope os internum ipſius uteri obtenditur, unde fit, ut Penis partim in uteri vaginam intromiſſus ſemen ejaculetur prope ipſum os internum, unde promptius ab utero attrahitur, & minus ab aëre alterarum: adde quod in his, quæ concipiunt, panniculus ille vel aliquo foramine dotatur, per quod ſemen ejaculatum vi ſua, & penis impulſu ad uterum penetrare poteſt, vel eſt totus poroſus, & foraminulis pervius, unde per ea ſemen impetu facto coadjuvante uteri attractrice ad ipſum penetrat, & concipitur, & quanquam eo modo non univerſum ſemen ad illum perveniat, tamen non ideirco non ſit conceptio, neque enim neceſſe eſt ut totum ſemen ab utero excipiatur, ut conceptio ſequatur, nam aliquando ex parte tantum ſeminis fit, quod ſatis ſuperque declarat Gemisorum, & Trigeminorum, & cujuſcunque multiplicis conceptionis eventus, excepta tantum ſuperfœtatione, quæ quidem ex diverſis conjunctionibus Maris cum fœmina evenit; at Gemellorum, & aliæ numeroſæ conceptiones ex unico congreſſu fiunt, ita ſuadente experientia, & atteſtante Hippocrat *in lib. de Nat. Puer. num.* 13

44. & in lib. de ſuperfet. stat. num. 7. & in lib. de Diat. n. 25. ex quo colligitur, fœtum aliquando non ex tota ſeminis maſſa, ſed ex parte tantum procreari. Adde his, quod ad conceptionem ſatis eſt, ut tenuior ſeminis pars, ac magis ſpirituoſa ad uterum perveniat, ut fœmineum ſemen fermentare poſſit, neque neceſſe eſt partem craſſiorem, & magis materialem ſimul pervenire: tanta ergo facilitate poteſt pars ſeminis magis ſpirituoſa intra uterum per panniculum illum penetrare, quanta facilitate eadem pars ſpirituoſa extra uterum ſolet in auras evaneſcere.

Quod de attractione uteri dicitur per collum facta non aliter quam ciborum attractio à ventriculo per œſophagum, aut gulam, nihil ad rem facit, quemadmodum enim gula, aut ventriculus per ipſam non attrahit cibos ori externo oblatos, niſi ipſi gulæ rationabiliter approximentur, & ridiculum eſſet, ſi quis ori externo tantum cibos offerret, expectans ut ventriculus per œſophagum illos attraheret, eſſetque id experiendum per menſem illi, qui id ſibi perſuaderet, ſic, immo multo magis ridiculum eſt, perſuadere ſibi quod uterus poſſit per collum attrahere ſemen maſculeum ſuo externo ori oblatum, quia attractio eſt actio ipſius uteri, licet fiat per ejus collum, unde non ſatis eſt ſemen propè os externum effundi, ut ab utero attrahatur, quia cum uterus attrahat ſemen ſenſu quodam appetitivo, ex quo movetur ad illud attrahendum, non poteſt hæc ſenſatio fieri extra uterum, hoc enim credere eſſet maximum abſurdum, fieri ſenſationem à ſenſibili diſtante, tanquam ſi uterus diuinaret ſemen effuſum fuiſſe ab extra, & ex hac divinatione moveretur ad illum attrahendum. Ex his ergo pro veritate concludendum mihi videtur, ut in argumento dixi, vel Leandrum vere defloraſſe Lucretiam penetratione membri ad uteri intimiora, vel Lucretiam ex alio viro, qui eam defloravit, concepiſſe.

CONSILIUM XLIII.

ARGUMENTUM.

Cùm Religioſus quidam annos natus quinquaginta ex Apoplectico Paroxyſmo evaderet, ac nonnullos poſt dies utcunque ſeſe recollegiſſet, conquerebatur tamen adhuc de inſigni capitis, ac membrorum omnium debilitate, peculiariter autem memoriam habebat labilem, ac fluidam, nec videbatur quicquam tempore proficere. Æſtate tranſacta (nam Vere præterito ægrotaverat) cum corporis purgationem inſtitueret, & pro ſua ſalute Medicos conſuleret (ab hyeme enim proxime futura malum ſibi timebat) inter quamplurima ad victus rationem pertinentia, quærebat, an à divinorum officiorum recitatione eſſet eximendus, cumque in affirmativam ſententiam cæteri Collegæ iviſſent, contrariam ipſe amplexus ſum.

SUMMARIUM.

1 *Lectio continua, & iterata plurimos abſumere poteſt ſpiritus, & hominem debiliorem reddere. Contrarium n. 5.*
2 *Earundem rerum, quarum in victus ratione eſt utilitas, cum recte adhibentur, damnum eſt, cum non recte adhibentur.*
3 *Attentio in legendo ſpiritus diſſipat.*
4 *Lectio exercet caput, & pectus earumque partium calorem excitat.*
6 *Debilitatis duo genera.*
7 *Quando conveniat in debilitate evacuare, & quando non.*
8 *Clara lectio, & exercitium per lectionem factum morbis frigidis convenit.*
9 *Lectionis exercitium, ut utile ſit, fieri debet cum aliqua attentione.*
10 *Attractio fit à calore.*

MOvebantur Collegæ ex eo, quod recitatio divinorum officiorum deberet fieri voce intelligibili, ita ut homo ſe ipſum recitantem, ac verba proferentem intelligat. Suarez *de virt. & ſtat. Religioſ. lib. 5. cap. 7.* nec ſatis eſt mentaliter tamen recitare, Roderic. *quæſt. Canonic. & Regul. 43. art. 4. num. 1.* hoc ſit quidem legendo; at Lectio aſſidua, & iterata plurimos abſumit ſpiritus, & corpus exſiccat, ut fatetur Hippocr. *lib. 2. de Diæta num. 17.* ac cum hoc etiam hominem debilem reddit, ac præcipue ſecundum caput, cum vocis exercitatio, immo ipſe ſimplex ſermo facultatem habeat replendi caput, & gravitatem afferendi. Oribaſ. *lib. 6. Collect. cap. 7.* imo peculiariter ſenſus hebetare apta nata eſt vocis exercitatio, ut Idem *ibid. cap. 8.* addit, unde idcirco affectibus capitis non eſſe idoneam docet quæ cum ita ſe habeant, & obſervetur in hoc Religioſo caput jam gravatum, ac peſſime affectum, dicendum videtur, non eſſe compellendum ad divinorum recitationem, cum ob corporis ægritudinem quicunque obligati ad recitationem legitimè excuſentur. Suarez *de Vert. & Stat. Religioſ. lib. 4. cap. 27. n. 19.*

Licet autem vocis exercitatio inter res ad ſanitatem conferentes adnumeretur, certum tamen eſt, earundem rerum, quarum eſt utilitas, cum recte adhibentur, eſſe etiam noxam, cum non recte adhibentur, quamobrem licet Lectio adhibita morbis in quibus convenit utilis ſit, in morbis, in quibus non convenit inutilis, & damnoſa eſt, itaque cum pateat jam ex ſuperioribus ſermonem, & lectionem non eſſe in capitis affectibus idoneam, & Religioſus hic Apoplexiam paſſus ſit, & ab ea Apoplexia adhuc ſentiat caput debile, & gravatum, dicendum. Lectionem, quæ fieri debet in recitatione divinorum, illi maximè perniciosſam futuram, cum caput aggravando, & debilius reddendo, poſſit de novo Apoplexiam excitare, & hominem è medio tollere. 2

Ulterius, Lectio longa, aſſidua, & iterata, qualis in divinorum recitatione fieri ſolet, non modo ob laborem, quem in ea homo patitur, corpus debile reddit, & caput aggravat, ac ſenſus obtundit, ſed etiam majorem in modum & debilitat, & caput aggravat ob attentionem: quæ neceſſario requiritur in ſatisfactione hujus obligationis; Navar. *de orat. cap. 12. num. 39.* ut cæteri etiam Canoniſtæ docent, quæ attentio multo magis poteſt caput aggravare, illudque calefaciendo magis exſiccare, & conſequenter magis ſpiritus abſumere, & corpus, atque ipſum præcipuè caput conſequenter magis debile reddere, quæ omnia quanto cum periculo ſuccedere poſſint ſatis ſuperque novimus Medici, qui idcirco tenemur in ſimilibus caſibus homines à recitatione hujuſmodi diſſuadere. 3

Ex abundanti autem addendum, quod in Lectione, ſenſus viſus maximè defatigatur, qui ſtante prægreſſa Apoplexia, ac ſtante adhuc primi ſenſorii debilitate, non potuerit evitare, quin in aſſidua, & iterata Lectione; quæ in divinorum recitatione fit, inſignem læſionem contrahat; nam & depravari & diminui, & aboleri etiam poteſt; quia cum Apoplexia morbus ſit nervis ipſis infeſtiſſimus, abſque dubio, quod ſi qui nervi præ cæteris debiliores erunt; ii maximè læſionem perſentient, cumque ex quotidiana Lectione facta in recitatione divinorum viſus ejuſque partes præcipuè debilitentur, ac præ cæteris Nervi Optici, conſequens erit hos præ debilitate reſolvi, & hominem viſu orbari, ut non infrequenter evenire in Apoplexiæ inſultibus adnotamus, à quibus Ægri ſeſe recolligentes ſemper in paralyſim incidunt, aliquando externorum membrorum, aliquando vero nervorum internorum, unde aut cœcitatem, aut ſurditatem perpetuam incurrere, vel ex reſolutione nervorum opticorum, vel acuſticorum os obſervamus.

Verum enimverò his non obſtantibus in negativam ſententiam inclinavi, quia cum Lectio exerceat præcipuè pectus, & caput, earumque partium calorem excitet, ac vivificet, ut ex Celſo, Cælio Aureliano, & aliis aliàs dixi, patiens autem hic eas partes & multis frigidis, ſuperfluitatibus refertas habeat, & nativo calore depauperatas, certè Lectio lenis, voce ſubmiſſa facta, & multo magis clara, Lectio etiam longa, & quotidie reiterata eas excrementitias ſuperfluitates abſumet, calorem partium excitabit, & partes ipſas debiles, ac torpentes mirum in modum confirmabit, ac robuſtiores reddet; unde ſequitur, quod non ſolum non ſit excuſandus ab ea divinorum recitatione, ad quam eſt obligatus, ſed etiam, ſi nulla obligatione ad hanc recitationem teneretur, ad eam eſſet cogendus, vel ſimile vocis exercitium ob ſanitatem recuperandam, cum ab ea multam utilitatem, nullum autem damnum reportaturus eſſet; de qua re videnda ea ſunt, quæ attuli *lib. 7. harum quæſtionum, tit. 2. quæſt. 2. num. 9. & ſeqq.* 4

Neque obſtant quæ in contrarium deducuntur, & primò veritatem nullam habet. quod Lectio aſſidua corpus debile reddat, ubi modus adhibeatur, & leniter fiat, neque tanta ſit, ut ſua longitudine id efficere poſſit: quod in divinorum recitatione non habet locum; quia etiamſi ſimul, & conjunctim accepta, ita ut Lectio, ſeu recitatio, quæ fit per vices, unum tempus continuum conſtituat recitatio divinorum longa dici poſſit, & forte laboriosa, tamen cum diſcontinua ſit, & inter unam, & aliam recitationem interſit tanta quies, vel intereſſe poſſit, ſi ita libet, ut per eam recitantes vires à prægreſſo labore diminutas (ſi modo hic ullum laborem notabilem commentari velimus) reaſſumere poſſint, 5

nec

nec longa, nec ullo nomine laboriosa dici potest, ita ut sua longitudine, & labore possit laudabiliores, ac tenuiores spiritus absumere, unde postmodum corpus debile reddatur; sed ita tandem longa & laboriosa dici potest, in quantùm sua longitudine, & labore corpus ita potest defatigare, ut excrementitias quasdam pectoris, & capitis superfluitates absumat, & ipsas spirituales, & capitis partes moderatè calefaciat, nativumque calorem excitet; nam hoc moderatè clara Lectio, & ipsa etiam submissa, ipsaque divinorum recitatio inter ea reponi possunt, ac debent, quæ nostrum corpus aliquo modo exercendo, ad sanitatem conferunt præsentem conservandam, & amissam recuperandam: Facit Cels. *l. 1. sua Med. c. 2.* Plutarch. *de curanda bon. valet. inter med.* Orib. *l. 6. Col. c. 7.* Cæl. Aurel. *Chron. c. 1.* Mere. *de Art. Gymn. l. 6. c. 6.*

Sed dato etiam quod recitatio divinorũ sit omni ex parte laboriosa, corpusque ita defatiget, ut debilibus corporibus non videatur convenire, tamen dico nostro infirmo omninò
6 convenire: non obstante, quæ opponitur, debilitate: siquidem certum est secundùm Medicos duo genera debilitatis dari (relictis pro nunc iis, quæ de variis imbecillitatis causis tradit ex Hippocr. Gal. *com. 2. de Vict. rat. in Acut. part. 47.* & Vallesc.) unum quod ex multa resolutione spirituũ, & ex inanitione fit, aliud, quod ex multa sanguinis, vel aliorum humorum repletione nascitur ipsam naturam gravantium, &
7 oppimentium; quemadmodum autem quomodocunque evacuare, medicamentis scilicet, vel sanguinis detractione; vel detractione ciborum, & potuum, vel laborum quocunque genere periculosum, est in debilitate primi generis, ita in posteriori est maximè proficuum, & salutare, & è contra maximè damnosum, & exitiale est, non evacuare ob eam debilitatem; unde eorum Medicorum insciția notanda venit qui nescientes inter unam, & aliam imbecillitatem distinguere, in quacunque indifferenter ab evacuationibus, & laboribus non solùm abstinent, sed ipsos ægros copia, & multitudine humorũ gravatos novis cibis, & oblationibus non sine eorum pernicie refocillare satagunt, ita ut gravi utrorumque sarcina oppressos eos de medio non sine culpa tollere consueverint. Ad exoneradam ergo naturam humoribus gravatam, maximè cum frigidi existunt, nihil magis opportunum quàm illam aliquo laboris genere defatigare, quæ simul, & semel humores illos concoquat, & digerat, & absumat, partes roboret, ac firmet, & nativum calorem augeat. Cùm igitur in casu nostro caput maximè humorum frigidorum copia gravatum reperiatur, totumque corpus illis obsessum, profectò non solùm lenis, ac submissa Lectio, qualis in recitandis officiis divinis
8 fieri solet, sed etiam clara, illi mirum in modum opitulari potest: nam multa cum ratione, hujusmodi exercitium in legendo iis ad salutem recuperandam proponitur, qui capitis morbis frigidis conflictantur, ut in somnolentia non naturali, in memoriæ defecto, & in quibusdam speciebus dolorum ipsius capitis à frigida causa dependentiam habentium, & in aliis similibus affectibus, ut videre est apud Orib. *loco supr. cit.* & apud Cæl. Aur. *ibid.* unde patet ex his, quod tantùm abest, ut ex recitatione divinorum officiorum propositus Æger possit imbecillitatem ullam capitis, aut corporis incurrere, ut potiùs è contra majorem firmitudinem, ac robur inde expectare possit? atque eo modo omne periculum evitare, quod à novis Apoplexiæ insultibus ille timere posset.

Eandem meretur responsionem quod objicitur de Attentione necessaria in divinorum officiorum recitatione, nam & hæc potest iisdem de causis esse proficua, & quandò à Medicis imponitur Ægrotantibus Lectio simplex, aut submissa vel clara ad eosdem fines, nempè ad capitis, & pectoris emunda-
9 tionem, & superfluitatum absumptionem, & ad calorem earundem partium excitandam, certè non imponitur, quòd fiat absque attentione; alias enim imponi poterat aut simplex sermo, aut simplex vociferatio; imponitur ergo Lectio cum attentione aliqua eo fine, ut utroque medio nempe voce, & attentione, hoc est voce externa pectus, & interna caput exerceant, & ejus calorem excitent, ex quo superfluitates absumantur, homo pristinæ sanitati restituatur.

Quod additur dicendo posse hanc attentionem caput calefaciendo multa excrementa ab inferioribus attrahere, & eo
10 modo caput majorem in modum gravare, facilè diluitur respondendo, non tantam ex hac attentione sequi posse capitis excalfactionem, ut per eam possit humores ab inferioribus attrahere, cùm ea non acuat, aut præter modum augeat calorem nativum, sed tantùm illum exciter, ac vividiorem reddat, attractio verò fit à calore exedenti, ac quasi præternaturali, & parti minimè proportionato. & sic attentio nullo modo in recitandis officiis divinis potest esse noxia.

Denique quod de timore deperditionis visus dicitur, vanum est, & vix responsione dignum, dicendum tamen, quod cùm primi sensorii imbecillitas, à qua potest dependere imbecillitas sensus visus, ab eadem causa dependentiam habeat, à qua dependentiam habuit Apoplexia, iisdem auxiliis superari poterit, quibus superati posse monstravimus jam affectiones ab ipsa Apoplexia relictas: Unde concludendum, Religioso huic permittendam esse divinorum officiorum recitationem (quam & ipse maximè affectat) non solùm ut debito satisfaciat, sed ut etiam amissam sanitatem recuperet.

CONSILIUM XLIV.

ARGUMENTUM.

Joseph Tocchus in carcerem detrusus cùm optimè se haberet, & in prandio fabas semicoctas comedisset, & rigore intenso pro temporis ratione premeretur (vigebat enim Hyems rigidissima) foculumque ex carbonibus in terra excitasset, in occasu Solis mortuus ex improviso repertus fuit: jacebat autem pronus in faciem & ex comestis fabis partem evomuerat. Cadaver à Peritis recognitum, nullaque in parte læsum, aut ullum violentæ mortis signum præbere compertum est. In gula tantum, vel in ipso jugulo sanguinis quædam extravenati quantitas adesse dicebatur, neque tamen id sectione constitit. Prætendebat fiscus prædictum Josephum per vim externam fuisse suffocatum, & quia Nucerinus Gubernator illum in carcerem conjecerat ob contumeliosa verba contra ipsum Gubernatorem ab ipso Josepho prolata, fiscus in ipsum culpam mortis rejiciebat. Periti in primo examine deposuerant Josephum neque ex veneno interno, aut externo, neque ulla ex causa violenta extinctum fuisse: mox quasi sententiam mutassent, multò post tempore, denuò examinati, retulerunt dictum Josephum potuisse per violentiam extrinsecam esse suffocatum, quorum dictis fiscus maximè innixus, prædictum Gubernatorem ejus delicti Reum esse volebat nonnullis aliis insuper conjecturis ad id persuasus. Requisitus ergo de ejus rei veritate, respondi, ut sequitur.

SUMMARIUM.

1 *In suspicione veneni præsumpta ex statu Ægrotantis ante suspectam venenationem multum urget.*
2 *Venenum mixtum est Natura summè contrarium.*
3 *Cujuslibet veneni dantur præter communia, propria, ac peculiaria signa.*
4 *Venenorum maximè exitialiũ signa nimis patentia sunt.*
5 *Sanguis extravenatus in jugulo repertus non solùm ex strangulatione per vim externam facta, sed etiam ex ea, quæ per vim internam fit, adnotari solet.*
6 *Signa animadversa in cadavere hominis per vim externam strangulati.*
7 *Strangulatio per vim externam procurata præludit vias spiritui vitali, unde animal suffocatur.*

JOsephum Tocchum neque ex veneno, neque ex aliqua violenta causa ab extrinseco periisse, tam concludenter probari potest, ut fisco, ejusque adhærentibus omnis scrupulus, qui contrarium persuadere posset, è mente eradatur, quo præstito, ex Arte commonstrati potest quanam ratione tam paucarum horarum spatio obierit, ut evidenter pateat immerito ejus mortem in Gubernatorem, aut aliam quamcunque personam rejici.

Quòd ergò ex veneno Josephus non perierit, sive ab externo dicatur, sive ab interno, credo jam inter partes non controverti; & id summa cum ratione. Nam de ingenito ne per somnium quidem dubitatur, quia ex depositione Peritorum patet, in cadavere ipsius defuncti nè minimum quidem indicium hujusmodi veneni fuisse observatum, præterquam quod urget in hoc casu præsumptio à Gal. *lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* tanti æstimata, quæ desumitur ex statu ipsius ægrotantis ante mortem, quippe cùm Josephus optimè valeret, & integra sanitate frueretur, neque ea de causa ullo modo

dubitari potuerit, quòd momento temporis in eius corpore potuerit tam exitiale venenum reperiri, quod paucarum horarum ſpatio illum interimere potuerit, abſque eo quod nihil omnino commonſtraverit, unde futura ægritudo, aut mors conijceretur, hoc enim eſt impoſſibile: Fort. Fid. *l. 4. de rel. 15. method. cap. 3.*

Sed & eadem certitudo haberur de veneno adminiſtrato, cùm nulla prorſus ſigna in diſſectione cadaveris apparuerint,
2 quæ ex hoc, aut illo externo veneno ſublatum fuiſſe commonſtrarent, cùm tamen huiuſmodi ſigna in adminiſtrato veneno ſemper de neceſſitate apparere ſoleant; quia cùm venenum ſit mixtum quoddam naturæ ſummè contrarium, & ipſam violenter corrumpat, ut ex Gal. Avic. & Cardan. *l. 1. de Ven. c. 1.* Val. *loc. com. l. 1. com. 3. c. 15* impoſſibile eſt ſuæ violentiæ in pugna contra naturem nullam ſignificationem dare, aut nullos eius violentiæ effectus in venenato corpore appa-
3 rere. Unde videamus cuiuſlibet veneni dari proprias, ac peculiaria ſigna, ultra, & præter communia, de qua re videndi auctores de huiuſmodi materia ſcribentes, ac præcipuè Ardoinus, Vardanus, & alij. Ergò cum in cadavere Ioſephi nulla obſervata ſint adminiſtrati veneni ſigna, dicendum abſque ulla hæſitantia eſt, illum ex tali veneno non periiſſe.

Urget præterea ſummoperè facti ſeries, cùm Ioſephus hora decimaoctava optimè ſe haberet, & ante occaſum Solis ſpatio nimirum quinque, aut ſex horarum obierit; hoc enim procedere non potuiſſet à quolibet veneno, ſed ne neceſſitate debuit eſſe venenum præſentaneum, & omnium venenorum exitialiſſimum, Guainer. *de Ven. c. 1.* Ardoin. *l. 1. de Ven. c. 3.* huiuſmodi autem venenorum ſigna nimis patentia ſunt, & cuilibet advertenti pateſiunt, cùm celari nequaquam poſſint, quia confeſtim, & cum impetu adveniunt. Card. *l. 2. de Ven. c. 1.* non apparentibus ergo ullis ſignis ante mortem, quia ex violentia & impetu ſymptomatum, Ioſephus clamaſſet, & opem implorâſſet, neque poſtmodum in cadavere remanentibus ullis ſignis prædicti veneni luce meridiana clarius eſt, illum ex tali veneno non periiſſe. Sed hæc ex abundanti dicta ſunt, cùm non hoc in dubium vertatur.

Sed illud maximè negotium faceſſit, quod fiſcus prætendit, nimirum Ioſephum per vim externam non quidem percuſſionibus, aut vulneribus, ſed laqueo fuiſſe ſtrangulatum; duobus autem indiciis præſumit fiſcus id concludenter probare; primò per ſanguinem in gula, ac propè iugulum extravenatum repertum, ſecundò per ſericam vittam repertam in ipſo carcere in tres partes laceratam, ac diviſam; nam ſanguis circa iugulum extravenatus non aliundè adeſſe potuit, quã ex ſtrangulatione per vim procurata, ut quotidie obſervamus in iis, qui ſuſpenduntur; nam ex violentia à ſtrictura in collo per chordam, aut aliud quid facta, ſanguis ad ipſum iugulum concurrit, inibique ſui ſignificationem præbet à venis ibi contentis ejectus. Iam verò ipſa ſerica vitta commonſtrabat ſe fuiſſe ſtrangulationis inſtrumentum, quo Ioſephus ſuffocatus eſt.

5 Hæc tamen ab iiſque ſecundùm rectam rationem iudicare ſatagunt, facilè diluuntur, quia ſanguis extravenatus in iugulo repertus, non una tantum ex cauſa, ex ſola nempe violentia per ſtrangulationem procurata apparere ſolet, & ſic eſt ſignum æquivocum, & commune tam mortis per vim externam laqueo, vel alio quovis inſtrumento procuratæ, quàm mortis, quæ procedit à violentia interna, ut à vomitu cum maximo conatu, vel ab Apoplexia, & id genus aliis. Modo, ubi ſanguis per vim externam inibi fuerit collectus, nequaquam ulla ratione fieri poteſt, quin alia evidentiſſima ſigna appareant denotantia mortem procuratam per violentiam externam, quæ omnino deſiderantur, ubi mors ex violentia interna evenerit. Licet ergo hic ſanguis in Ioſephi cadavere fuerit utcunque adnotatus, non poteſt deduci ex hoc ſolùm ſigno, illum à violentia extrinſeca ſuffocatum fuiſſe; imo hoc idem ſignum, deficientibus aliis evidentioribus mortis ab extrinſeco procuratæ, apertiſſimè demonſtrat, Ioſephum à violentia intrinſeca non ab extrinſeca ſuffocatum fuiſſe.

Et ut omnia, ac ſingula magis pateant, non ab re fuerit ea ſigna, quæ ab Authoribus recenſentur, examinare, & accuratiſſimè ponderare ut faciliùs cognoſcamus, an eorum ullum
6 in Ioſephi cadavere per imaginationem fuerit animadverſum; Sunt ergo ſunis, vel laquei, quo quis fuerit ſtrangulatus, veſtigium in collo, & iugulo, quod rubore, aut nigredine, vel livore ſe manifeſtum facit, adnotatur inſuper livor crurum, & brachiorum, ſpuma ex ore, mucuſque ex naribus prodiens, pulmones ipſi purulenta ſpuma turgent, adeſt oculorum prominentia, & aliquando alterutrius, vel amborum à ſuo loco dimotio, interdumque linguæ exitus extrà oris ſeptã, quæ & ipſa nigricans apparet, totum corpus lividis maculis reſperſum, & alia nonnulla, quorum aliàs cum Ambroſ. Paræo *de Renunciat.* & Fort. Fidel. *lib. 4. de Rel. Med. cap 4.* recenſui *lib. 5 quæſt. Medico-Leg tit. 2. quæſt ult. n. 5 & 6.* Quæ omnia cùm ſint ſigna maximè notabilia, & tamen in Ioſephi cadavere ne unum quidem eorum fuerit obſervatum, clarè patet nihil nos remorari debere, quin liberè fateamur, Ioſephum non fuiſſe à violentia aliqua externa ſuffocatum.

Præterea convincit omnem, adverſariorum inſtantiam urgentiſſima quædam coniectura, quæ deſumitur ex ſucceſſo vomitu ante mortem, nam ſi ſtrangulatio per laqueum, aut per aliam quamcunque vim externam procurata præcludit viam ſpiritui vitali, unde de repente animal ſuffocatur, quomodo non intercepiſſet viam etiam materiæ craſſæ & indi- 7
geſtæ, ita ut ea per vomitum reiici potuerit? Nam vitalis ſpiritus, aëre tenuiſſimo tenuior eſt, & tamen à vi externa impeditur in ſtrangulatione quò minus per conſuetas vias tranſitum habeat, quanto magis ergo impediri debuit, quin per gulam tranſitum habere poſſent fabæ illæ ſemicoctæ per vomitum à Ioſepho rectæ.

Denique indicium quod à vitta ſerica deſumi contendit fiſcus, tam inane eſt, ut non ſolùm ex dictis evaneſcat, ſed diluitur prorſùs ex facti impoſſibilitate, & inverifimilitudine, quomodò enim tam infirmum inſtrumentum ſufficiens eſſe poteſt ad ſtrangulandum non dicam hominem, ſed ne pullum quidem gallinaceum? Sed dato quòd ſufficiens fuerit ad ſtrangulandum hominem, iam neceſſe eſſet ea ſigna in cadavere fuiſſe obſervata, quæ obſervata eſſent, ſi à validiſſimo funiculo fuiſſet ſtrangulatus, quia eadem violentia in utroque caſu intervenire debuit, ſi tam vitta ſerica, quàm validus funiculus potuit hominem ſtrangulando ſuffocare.

Ut ergo pateſaciamus quomodò in rei veritate Ioſephus de repente obierit, dicendum, illum ex Apoplexia obiiſſe à fumo carbonum excitata, atque in ipſo morbi inſultu, vomitu volente ſe natura exonerare, illum multò citiùs ſuffocavit, vias ſpiritus eadem vomitus materia maiorem in modum intercludens, ex qua violentia ſanguis ad iugulum, & partes vicinas ſe confertens, inibi ſignificationem reliquit.

CONSILIUM XLV.

ARGUMENTUM.

Bernardina Panimolla, duplici vulnuſculo forcipibus in dextro oculo accepto ad Corneam penetrante, indeque albugineo humore in totum effluxo, viſum penitus amittit, quem paucorum dierum ſpatio ad invocationem B. Fælicis à Cantalicio, & adhibito eius lampadis oleo, integrè, ac perfectiorem quàm antea recuperat.

SUMMARIUM.

1 *Cicatrices oculorum viſioni maximoperè officiunt.*
2 *Viſio fieri non poteſt ſine ope humoris aquei, vel Albuginei dicti.*
3 *Viſus omninò deperit ex cicatrice, & corrugatione Cornea membranæ.*
4 *In ſenibus viſus hebetatur ob Cornea corrugationem.*
5 *Affectus oculorum diuturni ſemper ſunt, & cur.*
6 *Humoris Aquei deperditio, licet aliquandò reparari poſſit tamen naturaliter nonniſi longiſſimo temporis ſpatio id ſuccedere poteſt.*
7 *Particula, Vix difficultatem, ac raritatem rei demonſtrat.*
8 *Quod vix fit, factibile tamen eſt, licet cum difficultate.*
9 *Facilius eſt repleta evacuare, quàm evacuata replere.*
10 *Medicina eſt appoſitio eorum, quæ deficiunt, & ablatio eorum quæ ſuperfluunt.*
11 *Pars cicatrizata in via naturæ nunquam poteſt ad priſtinum ſtatum redire.*

DUplici ex capite, Eminentiſſimi Domini, ſanatio hæc 1
miraculoſa cenſenda eſt; primò ex capite inhabilitatis ipſius partis infirmæ ad recipiendum ſanitatem, ſecundò ex parte celeritatis ſanationis. Et quoad plurimum plura concurrunt concludenter probantia prædictam inhabilitatem.

Primò, debilitas quaſi connaturalis ipſius partis quã patiebatur infirma, ut ipſamet fatetur, quæ primus Teſtis eſt ſuper 13. contraxerat enim hanc debilitatem ab ætate quinque annorum ex variolis, quæ in ipſo oculo (ut aliis quoque uſuvenit, & experientia docet, & notat Mere. *l. 1 de morb. Puer. c. 2.*) cicatrice reliquerant cuius veſtigia adhuc obſervari eadem mulier ſuper eodem fatetur; cicatrices autè membranarum ipſorum oculorum, ac præcipuè Cornex, ob contractam denſitatem viſum intercipere norunt Medici & teſtatur Gal. *l. 1. de ſympt. c. 2. & 3.* & Par. *in Chirur. l. 12. c. 13.* Evaſi ergo hæc oculi debilitas ob tantum annorum ſpatium connaturalis, & habitualis, & idcircò naturaliter removeri non poterat.

Secundò

2 Secundò, concurrebat effluxus, & deperditio humoris Aquei, ſive Albuginei dicti, ſine cujus ope viſio fieri non poteſt, quia cùm ſit pars eſſentialis ipſius inſtrumenti viſorij ut demonſtrat Andr. Laurent. *ſua Anatom. lib. 11. quæſtione 10. in f.* neceſſe eſt, ut illo deperdito, in totum etiam deperdatur viſio, quemadmodum idem Laurentius ibidem teſtatur, & ante, & poſt illum Anatomici omnes nullo excepto.

Tertiò, concurrebant ulcera, & corrugatio membranæ Corneæ dictæ ob effuſionem prædicti humoris Aquei, qui intra dictam membranam includitur, de qua corrugatione etiam ipſa infirma deponit ſuper 5. in his verbis, *Et dicto*
3 *humore egreſſo ad nudam pellem oculum fuiſſe redactum ab aliis audivi, & etiam in ſpeculo me ipſum vidi*: at ex cicatrice; & corrugatione Corneæ viſum omninò deperire neceſſe eſt; quia Cornea fabricata eſt à Natura diaphana, & pellucida, ut ſic majorem in modum inſerviret ad viſionem, Gal. *lib 8. de uſu*
4 *par. c. 6.* Hieron. Fabric. *de viſ. org. part 3 c. 2.* Ioan. V Veſling. *in ſyntagm. Anat. c 15.* at tam ex cicatricibus quàm ex corrugatione, denſa, & opaca redditur, offuſcatur, & diaphaneitatem amittit, ut in ſenibus contingit, in quibus ob ejus membranæ corrugationem etiam ſimplicem viſus in dies magis magiſque hebetatur. Galen. *lib. 10 de uſu part. c. 5.* Dan. Sen. *lib. 1. pract. 3. ſect. 2. cap. 16.*

Cæterum ex ſecundo capite, ex celeritate nempe ſanationis; non minùs miraculoſa apparet hæc viſionis reſtitutio, quia præterquam quod affectus oculorum diuturni ſemper ſunt
5 ob indefluentem effluxum ad ipſos ex capitis vacuitate, & ob ſpirituum viſilium tenuitatem, ac puritatem, ob quam facile ad ipſos fit ſanguinis concurſus, immò etiam incurabiles. Mercur *de aff. ocul. cap. 1.* vitium hoc peculiariter, hoc eſt Aquei humoris effluxus, ac deperditio, licet aliquandò, tardò tamen, ſit
6 emendabile, ut Mercurial. teſtatur *de affect. Oculi. c. 5* & ex plurium D.D. Auctoritate Daniel. Sennert. *ubi ſupr. c. 34.* veritas tamen eſt, quòd non niſi longiſſimo temporis intervallo illud emendari contingit per ejuſdem deperditi humoris regenerationem, ita ut ipſe Galen. *lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 12. propè finem*, tanquam incredibile quiddam caſum enarret reſtitutionis viſus poſt prædicti humoris Aquei deperditionem in his verbis: *Caterum incredibile quiddam, nec fieri vulgò ſolitum in puero vidimus, qui ſtilo in Pupilla loco fuerat*
7 *compunctus, nam cum ſtatim effluxiſſet aqueus humor, tum pupilla ipſa minor eſſet reddita, tum tota Cornea appariſſet nigrior: Caterum ſanatus poſtea rectè vidit, collecto ſcilicet paulatim eo, qui effluxerat, humore.* Ex quibus verbis clarè patet, quòd licet Aqueus humor deperditus regenerari interdum poſſit, ſed admodum infrequenter, tamen hoc non niſi longo temporis tractu ſuccedere poteſt, & paulatim, ut Galenus dicebat: quod etiam apud cæteros Anatomicos perſuaſiſſimum eſt, aſſerentes, hunc humorem deperditum viſum omninò extinguere, ac vix regenerari poſſe, Andr. Laurent. *Anatom. lib. 11. quæſtione 8.* illa enim particula, *vix*, difficultatem, ac raritatem rei factibilis demonſtrat, licet enim quod vix fit, factibile tamen ſit, ſemper fit cum magna difficultate. Alberic. *in diction. in voce*, (*vix*) Abb. *in cap.*
8 *contracto, de Cognat. ſpirit. num. 13.* Morbi ergo, qui vix ſanantur, ſanantur quidem aliquandò, cum magna tamen difficultate, & non niſi longo temporis tractu, idque maximè habet locum in caſu noſtro, in quo præter naturam ipſius morbi viſum occupantis, reddebantur ulteriùs multò magis curatu difficilis, quia dependebat ab inanitione, viſus enim deperditus fuerat ob effuſionem humoris Aquei, ut ergò recuperaretur, oportebat hanc cauſam inanitionis tolli per
9 novam regenerationem ejuſdem humoris, quod erat difficillimum, nam ut ex Gal. Mercur. *de Oculi affect. cap. 5.* facilius eſt conſumere humiditatem ſuperefluentem, quàm deficientem reſtaurare; ac reficere, triumque illud eſt, faciliùs eſt repleta evacuare, quàm evacuata replere. Requirebatur ergò ad hanc ſanationem, ubi naturaliter fieri debuiſſet, ob prædictas cauſas longiſſimi temporis tractus, neque erat in via Naturæ poſſibile, quòd ille humor trium tantummodò dierum ſpatio regeneraretur, & viſus ad ſuam naturalem perfectionem rediret; quia ſi in evacuandis humoribus peccantibus trium dierum ſpatium fuiſſet nimis breve, quanto magis breve eſt idem ſpatium trium dierum ad regenerandum humorem tam neceſſarium ad viſum deficientem, ſi hoc multò magis difficile abſque dubio eſt, quàm illud; Cùm ergo hic humor tam brevi fuerit regeneratus, opus hoc Naturæ tribui non poteſt, ſed tantùm ſupernaturali cauſæ, ac potentiæ divinæ.

Quod tantò magis probatum remanet, quantò viſio reſtituta eſt abſque ullo remediorum naturalium præſidio; nam quæ à Chirurgo applicata ſunt, non ſolùm non conferebant ad viſus reparationem, ſed illi omninò contraria erant. Chirurgus enim ad evitandam inflammationem applicuit oculo medicamentum defenſivum, ut fatetur ipſa infirma ſuper 7. hujuſmodi autem medicamenta repellentia ſunt ac frigida, & adſtringentia, Gal. *lib. 6. de comp. Med. ſec. loc. cap. 1.* at frigida, ſtiptica, & adſtringentia incraſſant, unde magis apta erant ad multò magis corrugandam ipſam corneam membranam, & magis opacam reddendam, ex quo viſus magis obſcurabatur, deperdita in totum, ſi quæ remanſerat, exigua Corneæ diaphaneitate.

Neque contrà hæc quicquam facit, quod ab Illuſtriſſimo Domino Fidei Promotore opponitur, quòd ſcilicet; cùm præceſſerint multa alia præſidia, ac præcipuè corporis purgatio, facilè fuerit in via Naturæ oculum viſum recuperare, cùm pateat aliquandò ex ſimplici purgatione, aut ex ſola remotione inſignis alicujus doloris ægrum affligentis, conciliato ſomno, nonnullorum qui viſum omninò amiſerant illum recuperaſſe, & in terminis noſtris non deſunt aliqui caſus huic ſimillimi, in quibus ægris ex vulnere univerſo Aqueo humore effluxo; & viſu ob id in totum deperdito, ad priſtinum ſtatum mediantibus purgationibus regeneratione illius humoris rediiſſe, & præter caſum à Galeno allatum videndi caſus à Benivenio, Langio, Columbo, Paræo Coiterio, & aliis enarrati, quia etiam nos ipſi, ut veritatis opitulemur, duos homines vidimus, qui incendio in ſegetibus, & in ſilvis debacchante, illud extinguere tentarunt, & ex magno caumate viſum omninò amiſerunt, quem tamen multis poſt diebus integrè recuperarunt, regenerato interim humore aqueo, qui à nimio calore fuerat quaſi penitus abſumptus.

Sed hæc minùs afficiunt, quia primò certum eſt, quòd in noſtra Ægrotante, ſi quæ medicamenta in uſum fuerunt protracta, reſpexerunt omnis corporis emundationem; non autem viſus deperditionem, & ſic non potuerunt in aliqua re cœcitati conferre. Secundò corporis expurgatio ſive ſpontanea ſit, ſive ab Arte procurata, tunc conferre poteſt in cæcitate; cum cæcitas irrepſerit ex aliquo humorum concurſu ad ipſos oculos & ex nimia corporis, & capitis præſertim repletione; at in caſu noſtro, ubi cauſa cæcitatis erat inanitio facta ex effuſione humoris Aquei, tantum abeſt, ut purgatio quæcunque 10
poſſet utilitatem afferre, ut è contra mirum in modum læderet, ſpiritibus per illam magis, magiſque reſolutis, nam curatio non dependebat à remotione humoris effluxi, ſed à reſtauratione humoris deperditi, unde cum Medicina nihil aliud ſit quàm adjectio, & detractio; Hippocr. *lib. de flat. n 3.* Galen. *in Introd. c. 6* adjectio ſcilicet eorum, quæ deficiunt, & detractio eorum, quæ ſuperfluunt: in noſtro caſu certè ad removendam cæcitatem adjectione, & regeneratione deficientis humoris opus erat, non detractione ſuperfluentis.

Multò minùs contra nos facit, quòd naturaliter aliquando acciderit, viſum deperditum ex vehementi capitis dolore, aut ex longis, & inſuperabilibus vigiliis, ſola dolotis remotione, aut ſomno conciliato, breviſſimo temporis tractu fuiſſe recuperatum: quia non eſt par ratio, quia cæcitas in caſu noſtro neque ex perenni vigilia, neque ex vehementi dolore ortum habuerat, ſed ex effuſione humoris aquei, & ex vulnere, ulcere, & corrugatione Corneæ Membranæ; ad rem ergo non faciebat ſatagere ſomnum conciliare, aut anodinis Medicamentis dolorem levare, ſed oportebat aqueum humorem reſtituere, vulnera conſolidare, ulcera ſanare, & Corneæ corrugationem complanare, illamque ut antè puram, ac pellucidam reddere, & in naturalem ſtatum reducere. At quis audebit firmare Artem, aut Naturam hæc omnia brevi trium dierum ſpatio poſſe perficere, quæ neque longiſſimo annorum decurſu adimpleri poſſunt? Quare videtur concludendum, ſanationem hanc fuiſſe abſque ullo dubio miraculoſam, reponendamque eſſe inter miracula, quæ reſpiciunt. Naturæ obedientiam ad divini Nominis invocationem: quippe cùm (dato etiam quòd regeneratio humoris Aquei naturaliter ſuccedere poſſit) nullo modo poſſet oculus eo modo obcæcatus ad priſtinum ſtatum redire, niſi longo ut dixi, multorum dierum, ac menſium ſpatio. Sed non ſufficiebat hic Aquei humoris regeneratio, ut viſus ad priſtinum ſtatum remearet, ſed oportebat, Corneam Membranam corrugatam complanare; ſed hæc etiam libenter concedamus, nempe Aqueum humorem trium dierum ſpatio, vel etiam minori potuiſſe naturaliter regenerari, & ex ejus generatione Corneam denuò complanari, rugis amiſſis ex tum efactione, quæ faceret Aqueus humor regeneratus, ſed impedimentum à cicatricibus provenientes quomodò in via Naturæ, vel Artis præſidio removeri poterat, etiam longo non annorum, ſed ſæculorum ambitu? Pars enim cicatrizata nunquam ad naturalem, ac priſtinum ſtatum redire poteſt, ex cicatrice enim exſiccatur magis, & incraſſatur, ac callū cōtrahit, unde Ars, quæ ſemper Naturam imitatur, ad inducendas cicatrices Medicamentis utitur exſiccantib, & adſtringentib. Gal. *l. 1. Cō. Med. per gen. c. 12. & l. 2. ejuſ. c. 21* hæc verò indurant, & incraſſant; quæ operatio eſt directo contraria viſioni, quæ

instrumentum requirit purum, tenue, ac pellucidum. Hæc igitur impedimenta omnia, quæ neque ab Arte, neque à Natura amoveri poterant, Divina potentia brevi removentur, & ut pateret hoc ab ipsa Divina potentia, & non aliundè emanasse, voluit illa opus hoc apparere perfectissimum, quale Miraculum debere esse dixi alias *lib. 4. q. Medico-Leg. tit. 1. q. ..., n. 9.* unde non solùm Deus O.M. meritis huius beati removeri voluit impedimenta, quæ de novo ex accidente emerserant, sed etiam ea, quæ iam à multo tempore visum diminuerant, ut ipsum visum redderet ab omni labe liberum, & magis perspicacem, quàm antè vulnusculum inflictum consisteret.

CONSILIUM XLVI.

ARGUMENTUM.

Contracta fuerat societas scutorum trecentorum super periculo vitæ D. Angelicæ Petroniæ de Accorambonis cum Illustrissimo D. Abbate Maffæo, cùm prædicta Domina Angelica ex laboribus perpessis in proprio marito curando, & ex mœrore ob ejus mortem contracto, in febrem acutam incidit, ex cujus vigore abortivit, & vitam cum morte commutavit. Prætendebat D. Abbas, pecunias esse lucratas, contrà instantibus DD. de Accorambonis casum esse inter exceptos, cum D. Angelica mortua fuerit ex partu, & replicante D. Abbate non fuisse mortuam ex partu, sed ex febre.

SUMMARIUM.

1 *In instrumento societatis non possunt comprehendi omnes casus mortis in partu, aut prægnantia venientes.*
2 *Duo mortis genera in prægnantia, & partu evenientia.*
3 *Abortus quando faciat exceptioni locum, quando verò non*
4 *Semper debet attendi causa primaria, & immediata mortis in casibus exceptis.*
5 *Abortus per se non aptus natus est causare febrem.*
6 *Causa fovens, mediata, & impulsiva mortis, in nullo censu habenda.*

1 TAmetsi in instrumento societatis officij quando pecuniæ dantur in societatem super periculo vitæ alicuius mulieris, excipiatur mors ex prægnantia, & partu, & causæ partus, non possunt tamen sub hac exceptione comprehendi omnes, ac singuli casus mortis in prægnantia, & partu evenientes, sed tantummodo ij, in quibus prægnãtia, & partus sunt causæ primariæ, immediatæ, & per se succedentis mortis, ubi verò habeat se prægnantia, aut partus tanquam causa secundaria, mediata, impulsiva, & per accidens mortis subsequentis, casus pro lucro est, neque in exceptione comprehenditur: quæ omnia satis superque declararunt Iurisconsulti de hac materia scribentes, nempè Virgin. de Boccatiis, Franc. Castracan, & Sylvester Zacchias Frater meus. His ità positis duplex mortuorum genus considerari debet in muliere prægnante, vel parturiente, unum proprium ipsius prægnantiæ, & partus, & est eorum morborum, qui à prægnantia, & partu immediatè dependet, aliud eorum à prægnantia, & partu independentium, sed qui cum prægnantia, & partu associantur. Ubi ergò ex morbo primi generis mors succedat, pecuniæ nequaquam amittuntur, cùm talis casus intelligatur exceptus in ipso instrumento in illis verbis, excepta morte partûs, causa partûs,
2 & prægnantiæ: at verò ubi mors ex morbo secundi generis eveniat, pecuniæ amittuntur, neque ex eo quod morbus, & mors in partu, aut prægnantia advenerit, censetur exceptus, cum à partu, & prægnantia sit independens. In casu ergo proposito morbus, ex quo Domina Angelica Petronia Accorãbona decessit, non recensetur in primo genere à prægnantia, vel partu dependente, sed in secundo à prægnantia, & partu independente: quia licet Domina Angelica utero gereret, non contraxit morbum ex prægnantia, sed ex alia causa evidenti, ac Procatharctica, ex laboribus scilicet in assistendo Mariti curæ perpesso, & animi mœrore ob eius mortem, his enim ex causis in ardentem febrem lapsa, ac postmodum abortiens vita functa est.

Nec quicquam valet, quod ex adverso dicitur, prægnantiam fuisse in causa, ut in morbum illum laberetur; Quia hoc verum nullo modo est, neque enim prægnantia ex sui natura causat febrem, sed bene causant febrem immodicus labor, vigiliæ, intempestivus cibus, mœrores, & huiusmodi; & concedi quidem potest, prægnantiam esse causam, ut facilius mulier in febrem labatur, sed habet se tunc semper ut causa fovens, & impulsiva, non autem ut causa primaria, & per se, veluti labor & mœror, quæ causæ habent per se habilitatem ad causandam febrem non in prægnante solùm, sed in quacunque alia persona, ubi modum excesserint, ut in casu nostro.

Verùm enimverò replicatur à contraria parte, mortem in hoc casu ex abortu evenisse, & sic à Prægnantia omninò dependere, & exceptionem lucro facere: sed respondetur, quòd licet Abortus per semetipsum sufficientissima causa esse aliquando
3 possit & morbi, & mortis ab illo dependẽtis, tamen in illis tantùm casibus locum exceptioni facit, in quibus mors ab ipso abortu immediatam dependentiam habet, ita ut abortus non debeat ad aliam priorẽ causam referri, ad quam referri debeat etiam ipsa Ægrotantis mors. At verò ubi præcessit alia evidẽs causa, nempè alius morbus, nõ solùm habilis per se ad provocandum abortum, sed etiam ad mortem accersendã, tunc nullus locus potest esse exceptioni, quia prior illa causa, unde provocatus est abortus, causavit etiam mortem: nam qui quid est causa causæ, est causa causati: si ergo in hoc casu febris ardens procuravit abortum, provocavit etiam mortem, maximè cum, ut supra dictum quoque est, multò habilior causa ad asciscendam mortem sit febris ardens, quàm abortus; est enim febris ardens præ cæteris omnibus morbus lethalis; Hippocr. *l. 3. Epidem. tex. 3.* Cùm igitur morbus, ex quo D. Angelica primò decubuit, tandemque decessit, fuerit à prægnantia, & à partu, & ab abortu, & à quacunque harum rerum omninò independens, non ad prægnantiam, aut partum, aut ad abortum, vel ad aliquam eorum causam referenda est mors, sed ad ipsum morbum, à quo cætera, ut à primaria & originaria
4 causa, per se dependentiam habent, non ipse ab ulla eorum: semper enim attendi debet causa primaria, & originaria, & immediata, non autem secundaria, impulsiva & mediata.

Quemadmodũ ergo si ad abortum secuta esset febris, attendẽdus esset abortus ut causa primaria, ex qua poterat originatam fuisse febrem, sic modò quòd abortus consecutus est ad febrem, febris tanquam primaria causa est attendenda. Quod autẽ sic se res habuerit, patet ex depositione Testium, & præcipuè ipsius Medici, qui curæ interfuit, hic enim juxta decimum deponit, prædictam Dominam Angelicam ex labore nimio in curando marito perpesso, & ex animi mœrore ob eiusdem mariti mortem incidisse in febrem acutam cum intensissimo capitis dolore, aliisque accidentibus quæ solent acutam febrem concomitari, quæ febre invalescente invaluerunt & ipsa, ita ut infirma die tertia Renum molestissimo dolore prehẽsa abortiverit; qui morbi progressus satis superque declarat nullã in hoc casu adfuisse culpam prægnantiæ, cùm nulla accidentia comparuerint usque ad tertiam ipsam prægnantiam pertinentia; cùm igitur accidentia à principio apparentia maximè habilia essent ad occidendam infirmam, & ad prægnantiam non pertinerent, quonam pacto firmabimus, prægnantiã & abortum fuisse causã mortis? Nam etiam si prædicta accidentia causaverint abortum, non causarunt mortem propter abortum, sed propter eorum vehementiam, & malignitatem quæ ad ipsum abortũ non pertinebant; immo consequens erat abortum in hoc casu potius potuisse morbum, & accidentia morbi allevare, per purgationem puerperij ab ipso factam, quã ullum notabile damnum afferre ut alias experimur; unde etiam aliquando Abortus dicitur salubris, ut apud Hippoer. *l. 2. Epidem. sect. 2. n. 14.* ibi: *Abortus masculus sexaginta dierum in partus suppressionibus salubris*, ut enim Vallesius *in com.* dicit, sine Matris periculo fit, & videmus etiam non raro prægnantes aliquo morbo etiam acuto, & lethali correptas per abortum liberari.

Neque valet dicere, quod hæc febris potuit dependere ex instantia Abortus: nam præterquã quod necesse fuisset præcedere quædam signa, quæ hanc instantiã Abortus portenderent, quæ tamen usque ad tertiam nequaquam fuerunt observata (nã tertia dolore Renum prehensa abortivit) illud compertissimum est, Abortum non esse aptum natum causare febrem, hoc est Abortum ex sui natura non causare febrem, cum ex
5 mille fœminis abortientibus, vix una, aut altera, & hæ quidẽ per accidens, non ex natura abortionis, febre corripiantur. Ergo cum præcesserit febris acuta, quæ per se causare poterat abortum, & mortem, & successerit Abortus, & mors, dicẽdum est, Dominam Angelicam ex febre, non ex abortu periisse, & sic cum febris illa acuta esset morbus independens à prægnantia, & partu, & nihil cum alterutro, vel cum eorum utroque cõmune haberet subsecutæ mortis, tota culpa in febrem reiicienda, unde casus lucro debet esse, non pro exceptione.

Non obstat quòd Abortus fuerit causa maioris morbi, & ipsam etiam mortem accelerarit: quia his non obstantibus non potest recenseri inter causas primarias, sed inter secundarias, & habuit hoc tantùm in vim causæ fovẽtis, & impulsivæ, & mediatæ, quæ in nullo censu est habenda, ut latè alias diximus *lib. 1. quæst. Medico-Leg. Tit. 4. quæst. 6. per totam.*

CONSI

CONSILIUM XLVII.

ARGUMENTUM.

Mulier ætatem agens triginta quinque annorum, cum utero gereret, percussa est à Clerico N. N. super dorsum quodam baculo satis graviter. Inde Renum dolore per iteratas vices prehensa, post tres menses decursos à tempore quo vapulaverat, narium hæmorrhagiâ tam copiosâ, & impetuosâ apprehensa est, ut cohiberi non potuerit, ex quo illa abortivit, & septima interiit: fiscus Clericum in carcerem conjecit, tanquam homicidij reum: quæsitum ergo est, an percussio illa super Renes fuerit verè causa Abortus, hæmorrhagiæ, & mortis.

SUMMARIUM.

1 *Abortus ex percussione super renes in gravida muliere facile evenit, & cur.*
2 *Vena, & Arteria magna sunt sanguinis promptuarium.*
3 *Subitaneæ animæ passiones, ac præsertim Ira, & Timor multorum periculorum causa existunt.*
4 *Animi passiones vehementes in gravidis etiam multo post tempore ob earum repetitam memoriam periculum afferunt. Declara ut n. 10.*
5 *Causa evidens in agendo (nisi sit immanens) semper in principio est fortior, quam procedente tempore.*
6 *Effectum debet esse proportionatum, ac respondens suæ causæ*
7 *Causa proxima & evidente alicujus effectus præsente, ifrustrà remotam, ac minus evidentem quærimus.*
8 *Fatui hominis est, quod clarum est ac evidens, pro vero non recipere.*
9 *Renum dolor gravidis est familiarissima.*

1 QUod ex gravi percussione super Renes accepta mulier in utero habens abortiverit, novum non est, sed ipsis etiam mulieribus compertissimum: cùm enim venæ & arteriæ per lumbos transeuntes ad menstruorum retentionem occasione prægnantiæ factam repleantur, & ligamenta quoque, quibus uterus alligatur à fœtu distendantur, fit ut ex motu, & multo magis ex percussione gravi lumborum, venæ ipsæ, & ligamenta lædantur, ac debilitentur, relaxenturque, unde facili negotio Abortus sequitur: quod satis superque in proposito casu eneniſſe demonstratur, quia ex percussione cum baculo super Renes mulier hæc dolere in ea regione cœpit ac deinceps toto gravidationis tempore indesinenter eodem dolore oppressa tandem post tres menses abortivit, quod nonnisi ex Renum debilitate à percussione contracta eveniſſe ambigi non potest.

Verum enim verò in casu præsenti non solùm ex læsione, & relaxatione ligamentorum uteri succedere potuit abortus, sed etiam ex hæmorrhagia, hoc est copioso sanguinis fluxu ex naribus, quam ex eadem percussione originem habuisse existimandum est, quia ex superexcalfactione, & inflammatione ob percussionem concepta ab ipso sanguine in vena, & Arteria magna, quæ per medium ipsorum Renum pertranseunt, & sunt veluti promptuarium totius massæ sanguineæ, sanguis attenuatus, & acutiem acquirens, ac sursum repès ob clausuram inferiorum venarum ex prægnantia factam, hæmorrhagiam excitavit quæ ob ejusdem sanguinis tenuitatem, & acutiem cohiberi unquam potuit unde ad extremam debilitatem muliere deveniente, Abortus concitatus est, ex quo tandem mors fuit subsecuta.

2 Addendum his, quod hic non modo militat causa habilis ad abortiendum ex ipsa percussione super Renes, & ex sanguinis superexcalfactione, & attenuatione, sed etiam militat causa ex vehementi Animæ passione ex ira scilicet ob injuriam à percutiente sibi illatam, & ex timore majoris læsionis sibi imminentis, scimus enim quas turbas, & quot ac quanta accidentia in gravidis hujusmodi subitaneæ passiones, maximè si vehementes sint ut in præsenti eventu fuerunt; nam pleraſque in dies ex earum violentia abortum facere quotidiana experientia comprobat, & adnotatur etiam ab omnibus Gyneciorum Auctoribus inter quos, si libet, vide Recentiores præcipuè
3 Mercat. *de sterilit & Progn. aff. lib* 3. *cap.* 21. Roderic. à Castro *de Morb. mul. lib.* 3. *cap.* 22. Huchet. *de sterilit. lib.* 3. *cap. de conservat. Concep.* Varandæum *lib.* 2. *de aff. Mulier. c.* 3. Dan. Senn. *Pract. lib.* 4 *part.* 2. *sect.* 5. *c.* 2. Bald. Ronf. *de hum. vit. primord. cap.* 14.

Neque valet dicere, quod hujusmodi passiones Animi tunc aptæ sint magnam commotionem in sanguine excitare, cum subitæ, ac vehementes sunt, tunc enim per illam commotionem abortum causare facile possunt at ubi suum impetum, suamque violentiam remiserint, ut in casu nostro sanguine refrigescente, ac ab excitata commotione quiescente, nò amplius talem effectū producere sunt aptæ; Quia hoc procedit quando hujusmodi vehementes passiones omninò recedunt, absque eo quod denuò per recursum phantasmatum excitentur, sed 4
quando relinquunt post se memoriam fixam eorum, quæ ab illis passionibus perpessæ sunt, ut factum est in casu nostro, in quo ex ira ab accepta injuria excitata, assiduè fieri debebat recursus phantasmatum ad memoriam, tunc ex hoc ipso recursu novus motus, & nova sanguinis agitatio fit quæ non solum præsente Iræ causa, sed multò post tempore perdurans eosdem effectus ac à principio excitare potest; quod maximè evenit in mulieribus, ut sunt ex sua natura iracundæ & vindictæ avidæ; unde permanente, ac durante causa commotionis sanguinis, mirum non est, si concitatus ad superiora habuerit recursum, & sanguinis fluxu excitato mulierem abortire coegerit, illamque tandem ex medio sustulerit.

Cæterum cum hæc omnia magna ex parte à veritate aliena sint, videtur dicendum neque hæmorrhagiam, neq; Abortum, nec denique ipsam mortem à percussione Renū per Cle- 5
ricum facta ullam originem, aut dependentiam habuisse, Primò, quia cùm causa evidens, extrinseca præsertim in agendo, nisi immanens sit, in suo principio sit multò fortior, quàm progrediente tempore, quia in dies suum vigorem, & activitatem amittit, impossibile est ejus effectum, nisi subito se prodat, interiecto tempore, & maximè si multum, successivè apparet: cum ergo percussio super Renes à muliere perpessa fuerit causa maximè evidens, & activa, si debuit causare hæmorragiam, vel abortum, debuisset illico à principio id præstare, cùm multo majorem activitatem tunc haberet, quàm procedente tempore, si ergo tales effectus non sunt ad illam tunc cum violentior erat consecuti, multò minùs consecuti sunt ab ea, cum omnè jam violentiam, & activitatem amiserat, & sic neque hæmorrhagia, neque Abortus, neque mors ad percussionem sunt referenda, sed ad alias causas.

Præterea effectus debet esse proportionatus, ac respondens suæ causæ, cum non quilibet effectus ex qualibet causa indifferenter produci possit, quod exemplificabo in Medica Arte sic: Ad violentum exercitium sequetur exempli gratia febris, ad commorationem sub Aere frigido, ac nocturno, membrorum paralysis, quia febris est effectus proportionatus, ac respondens exercitio violento, & paralysis commorationi sub Aere frigido nocturno: nunquam autem ordine naturæ ad violentum exercitium sequetur paralysis, & ad commorationem sub Aere frigido febris, nisi per accidens: & in summa 6
ad causas excalefacientes necesse est ex sui natura sequi effectus calotis, ad refrigerantes frigiditatis, non è contra: at hæmorrhagia, seu sanguinis eruptio ex naribus non est effectus proportionatus, ac respondens percussioni super Renes factæ, sed potius fluxus sanguinis ab utero, quòd tanto magis veritatem habet quantò effectus est remotior à sua causa; si ergo hæc sanguinis eruptio non fuit causata à percussione, neque subsequens Abortus, neq; mors ad percussionem transferri potest: quia quemadmodum hæmorrhagia non est effectus proportionatus, ac respondens percussioni per tres menses antea factæ super renes, sic Abortus, & mors sunt effectus proportionati, ac respondentes ipsi hæmorrhagiæ, cum ex ipsa debilitato calore naturali, & facultate retentrice labefactata, facili negotio sit subsecutus Abortus, & ad Abortum mors.

Igitur ubi causam alicujus effectus habeamus proximam, & 7
evidentem, frustra magis remotam, & minus evidentem quærimus, Rota *in novissi.* 15. *decis.* 101. *part.* 1. quia æquum non est in causarum investigatione discedere ab iis quæ evidenter apparent: Galen. *lib. de mot. musc. cap.* 5 cùm ergo hæmorrhagia sit causa proxima, & evidens, imò evidentissima abortus subsecuti eodemque modo hæmorrhagia, & Abortus sint causæ proximæ, & evidentissimæ subsecutæ mortis ab omni ratione alienum profectò est, culpam mortis reiicere in percussionem super Renes per tres menses antea prægressam, quæ si ullo modo potuisset esse causa aut hæmorrhagiæ, aut Abortus certè nonnisi remotissima causa, & solùm per accidens esse potuit licet nullo modo rationem causæ in his effectibus habuerit Ne ergo illud Galeni loco allegato nobis obiciatur, quòd scilicet ex eorum numero simus quæ dubitationibus obiectantur, ubi ea quæ clara sunt suspecta habeamus, fateri cogimur, Abortum tanquam à sua proportionata, evidenti, ac proxima causa ab hæmorragia, mortemque ab hæmorragia & abortu simul causatam fuisse.

Ac denique cum illud dubium sit, & controversione multa ambiguum, utrum nempe percussio super renes prægnantis cum baculo facta potuerit post tres menses sanguinis fluxum excitare (quod tamen non modò ambiguum est, sed ambiguitatem inanem excitat) clarum autem sit, & nulla controversione ambiguum sanguinis fluxum potuisse causare Abortum, & consequenter mortem, certè fatui omninò existimādi

erimus, ut Galenus ibidem dicebat, niſi id, quod evidens, ac clarum eſt, pro vero recipiamus: pervicacis enim ingenij, impudentiſque hominis eſt, atque ab omni modeſtia alienum, veritati non libenter aſſentiri. Inconcuſſa ergo remanere debet noſtra opinio, quòd percuſſio ab illa muliere prægnante ſuper Renes perpeſſa, nihil commune habuerit cum hæmorrhagia poſt tres menſes ſubſecuta, ac conſequenter neque Abortum, neque mortem ab ea percuſſione ullam dependentiam habere potuerit, & idcircò clericus eius criminis reus venit omninò abſolvendus.

Ad ea verò, quæ opponuntur, non eſt difficile pleniſſimè reſpondere dicendo, quòd verum quidem ſit, percuſſionem ſuper Renes à muliere gravida acceptam poſſe eſſe evidentem, ac præſentaneam Abortus cauſam, quando maximè ita gravis eſt, ut per eam illicò ligamenta relaxentur, venæque adaperiantur: ſed ubi, hæc non illicò, & immediatè à percuſſione ſuccedant, ſignum eſt percuſſionem non fuiſſe ſufficientem ad cauſandum Abortum. Et ſi non potuit cauſare Abortum poſt tres menſes? Sed veritas eſt percuſſionem in hac muliere non ſolùm non fuiſſe gravem, cùm neque ligamenta diſtumpere, neque venas adaperire ſua violentia potuerit, ſed neque fuiſſe notabilem, cùm nullam penè læſionem poſt ſe reliquerit; nam ipſa mulier nullo incommodo fœtum per tres menſes ſubſequentes geſtavit.

Neque obſtat quod acceptam percuſſionem mulier ſemper doluerit in regione renum, quouſque tandem abortiverit: quia etiamſi concedamus, dolorem hunc renum à percuſſione remanſiſſe, tamen certum eſt, Abortum non ad dolorem Renum, ſed ad hæmorrhagiam fuiſſe ſubſecutum, quomodò enim firmabimus dolorem illum, cum quo à muliere per tres menſes innoxiè fœtus geſtatus eſt, fuiſſe magis proximam, & adæquatam Abortus cauſam, quam tuam copioſam ſanguinis ex naribus eruptionem? Quod tantò magis videtur aſſicere, quantò hic Renum dolor gravidis ſolet eſſe magis familiaris, ut omnes Authores Gynecciorum teſtantur, & vulgo notum eſt, Var. *l. 2 de Morb. mul. cap. 3* ita ut nonnullæ per totum geſtationis tempus eo moleſtiſſimè afficiantur, neque ex cauſa videmus eas facilè Abortire; etiamſi ergo obſtinato animo velimus hunc Renum dolorem à percuſſione fuiſſe relictum, tamen cùm multò habilior cauſa abortiendi fuerit tam copioſa ſanguinis per nares expurgatio, ac multò etiam evidentior, Abortum ab hæmorragia, non autem à dolore Renum fuiſſe cauſatum determinandum.

Inanis porrò ſpeculatio illa videtur, quòd ex percuſſione potuerit ſanguis excalfieri, & attenuari, & ad motum excitari, & ſic cùm per inferiores vias ob prægnantiam exitum non haberet, impetum fecerit ad caput, unde hæmorrhagia fuerit excitata, ex qua Abortus, & mors; nam hæc bene utcunque procederent, quando immediatè à percuſſione ſubſecuta eſſent, ſed cum inter percuſſionem, & hæmorrhagiam intervenerit ſpatium tam diuturnum, trium ſcilicet menſium, quanam ratione adſtruere audebimus ex motu à percuſſione in ſanguine excitato cauſatam fuiſſe hæmorrhagiam, cùm hoc neque verum, neque veriſimile ullo pacto eſſe poſſe ſanæ mentis homini videatur?

Nec minus inane eſt, quod velimus ex iniuria accepta remanere ſemper impreſſam memoriam, ita ut ex recurſu ad ipſam iniuriam per memoriam facto denuò ira accendatur, & ſanguis ad motum excitetur. Non enim hic motus in ſanguine fit quandocunque ab animi paſſionibus, ſed cùm ſubitæ, ac vehementes ſunt, tunc enim ſuſque deque omnia confundunt, totumque ſanguinis maſſam vehementer agitant, ita ut facillimè ſuccedat, gravidas in ea concitatione abortire; at verò ubi ille motus, & calor iracundiæ refrixerit; etiamſi prægreſſa phantaſmata acceptæ iniuriæ menti repræſentatur, & circa ea mens obverſetur, nullus inſignis motus excitatur, licet ſic etiam aliquo modo nocere poſſint, ſed nonniſi ſenſim, & progrediente tempore.

CONSILIUM XLVIII.

ARGUMENTUM.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D.N.N. ab incunte pueritia, vix pubertate egreſſus ſtomachum ſortitus eſt imbecilliorem, ac tantoperè morbis obnoxium, ut valetudinariam vitam ſine intermiſſione degens, coactus fuerit perpetuò indifferenter ſingulis diebus, ac temporibus tam Quadrageſimæ, quàm cuiuſcunque ieiunij, carnibus veſci, atque illis quidem tenerioribus, ac coctu facilibus: qua de cauſa progrediente ætate, Breve à F. R. Urbano Octavo obtinuit, ut poſſet adhibito utriuſque Medici conſilio perpetuò canibus veſci. Intereà longum iter facere ob urgentiſſima negotia coactus, extra patriam per tres penè annos commoratus tantoperè in corporis valetudine profecit, ut in alium hominem degenerâſſe viſus ſit. In patriam tandem reverſus, cùm pancraticè ſe habere obſervaret, ac ſtomacho optimè valere, Religionis zelo motus ad Quadrageſimæ, aliorumque ieiuniorum obſervantiam ſe obſtringi exiſtimans, ad Medicorum conſilium recurſum habuit, poſtulans, an ſine recuperatæ ſanitatis diſpendio poſſet ad ieiuniorum obſervantiam redire; nam cùm per duos, aut tres dies eius rei experimentum ſumpſiſſet, obſervaverat, ſe non bene prorsùs habuiſſe. Convocatis igitur quinque primoribus Medicis petiit, ut maturè re diſcuſſa, determinarent quid illi ſalvâ conſcientia eſſet agendum; ac volentibus cæteris, non poſſe illum abſque notabili ſanitatis periculo ieiunij leges obſervare, ne ad priſtinum ſtatum valetudinarium remearet, in contrariam ſententiam abii rationibus, de quibus infrà.

SUMMARIUM.

1 *Quæ vitia à natura ſunt, removeri non poſſunt.*
2 *Aëris mutatione corpora ſenſibiliter, & evidenter mutationes recipiunt.*
3 *Ætatis mutatio quantùm poſſit in ſuperandis morbis longis, & contumacibus.*
4 *Ex labore & exercitio creſcit virilitas.*
5 *Ignavia corpus hebetat, labor firmat.*
6 *Facilius removentur vitia ex accidenti evenientia, quàm quæ à natura ſunt.*
7 *Morbi incurabiles aliquando ſola Aëris mutatione ſanantur.*
8 *Caro teſtudinis coctu difficilis, & Melancholica eſt.*
9 *Cura hominem exiccant, ac debilem faciunt.*
10 *Aër Patrius, magis naturæ noſtræ amicus, quàm alienus.*
11 *Aëris mutatio quibus corporibus proficua, & quibus damnoſa ſit.*

NOn abſque firmis rationibus determinandum cenſebant Collegæ. Illuſtriſſimum Dominum non debere obſtringi ad ieiuniorum obſervantiam, etiamſi de præſenti optimè valere comperiretur; primò, quia licet ab itinere, & ab Aëris mutatione videretur laudabiliori temperamento dotari, & ſtomacho perbellè valere, tamen cùm eiuſdem ſtomachi imbecillitas ſit illis connaturalis, habeatque inſuper contrarietatem quandam, & naturalem antipathiam cum piſcibus, aliiſque cibis, quibus in ieiuniis veſci conſuevimus, certum eſt hæc amoveri ita non poſſe, quin ex minima occaſione recurrant, ut experientia iam demonſtraverat: nam vitia, quæ à natura ſunt, removeri non poſſunt, & idcircò rationabilis inſurgit timor, ne ex ieiuniorum obſervantia denuò ad priſtinam, ac naturalem redeat imbecillitatem, ac iterum valetudinariam vitam degere perpetuò cogatur. 1

Præterea cum Illuſtriſſimus Dominus ex ſervata ad hoc uſque tempus victus ratione ſanus vivat, & viribus ſatis conſtet, contra Medicum præceptum omninò erit, illum ad aliam victus rationem cogere, cum protritum illud ſit, Modum, qui ſanitatem facit, non mutare: neque enim dicendum eſt, illum ex Aëris tantùm mutatione, & ex itinere patrato maiores vires acquiſiviſſe, & ſtomacho melius habuiſſe, quàm anteà haberet, ſed multò magis id illi ſucceſſiſſe ex ſervata hactenus victus ratione, fugiendo ea in cibis aſſumere, quæ ſtomacho erant inimica, & ex quibus ob eam cauſam parum vel nihil corpus enutriri poterat, unde quotieſcunque illis utebatur, licet ſemper minus noxia ſeligeret, imbecillitatem notabilem relabebatur, ita ut, licet ſumma diligentia uteretur, ut illis aſſueſcere poſſet, nunquam tamen id ex voto ſucceſſit, ac nunquam ſuperare potuit naturalem illam antipathiam, quam cum ſimilibus cibis ſortiebatur; & quam eriâ de præſenti retinere illum ſatis ſuperque, demonſtrare poteſt nova de ea re deſumpta experientia, de qua in relatione. Timendũ

inſuper

inſuper dicebant Collegæ, ne cùm cogatur in futurum Illuſtriſſimus Dominus in patria commorari, in qua ſemper non benè ſe habere eſt expertus, etiamſi diæta uteretur ſalubertima, ac prout ſua natura, & valetudo expoſcebat, ſi ad jejuniorum obſervantiam reverteretur, tantò faciliùs in priſtinam imbecillitatem caſurus ſit, quia tantundem potuerit Aër nativus aliàs ac ſemper ſibi infeſtus, vires, & ſtomachum ipſius lædere conjunctus cum victu minus laudabili, quantùm potuit Aër externus ac ſibi magis proficuus cũ recta victus ratione ſuis viribus, ac ſtomacho opitulari: & quemadmodum ex mutatione Aëris Patrii in externum mutavit corporis téperamentum in multò melius, ac validius, ſic ex mutatione Aëris externi in Patrium timendum eſt, ne ad antiquam corporis valetudinem redeat, unde jure optimo cavendũ eſt ne in victûs ratione delinquat, quòd facillimè eveniret, ſi in jejunii cibis uti cogeretur ſibi à natura contrariis, ex quo ille ad opera meliora, quibus perpetuò vocare ſolet in poſterum inhabilis omninò redderetur.

Illud certum eſſe, addebant, quòd mutatione Aëris maximè ejus in quo quis diu commoratus eſt, in Aërem quemcunque ab eo longè diſtantem, corpora ſenſibiliter, & evidenter mutationes & in malum, & in bonum recipere, & adnotatur ab Hipocrat. *in lib. de oſtim. Par. numero* & alibi, & à
2 Cornel. Celſ. *lib. 1. ſua Med. cap. 3.* & à Lucret. *lib. 3. de Rer. nat.* ibi:

Nonne vides etiam cæli novitate, & aquarum
Tentari procul à patria quicunque domoque
Adveniunt?

Quod non ſolùm verificatur in mutatione Aëris meliotis in deteriorem, ſed etiam in mutatione deterioris in meliorem, ut ex ipſius Celſi verbis patet. Quemadmodũ ergo Aëris mutatio in bonum maximum ſanitati Illuſtriſſ. viri emolumentum attulit, ita certiores fieri debemus quòd mutatio in malum nocumentum notabile allatura ſit, nam ſi etiam mutatio in bonum nocua eſt, quantò magis mutatio in malum nocua erit; Quòd ſi huic eidem mutationi Aëris boni in pejorem addatur mutatio victûs laudabilioris in minus laudabilem, tunc in ſanitatis ne vitæ dicam, inevitabile periculum certo certius illum conjiciemus. Sufficienter igitur videtur excuſari. Illuſtriſſimus Dominus à jejuniorum obſervantia, cùm periculum ex ea emanans ex ſupradictis ſit certum, & maximè notabile.

3 Verumenimverò prædictis omnibus pro contraria opinione allatis non acquieſcens exiſtimavi Illuſtriſſimum Dominum poſſe tutò, & ſine ullo notabili periculo, ut Religionis zelo obſecundare valeat, jejuniorum obligationi ſatisfacere abſtinendo à carnibus aliiſque cibis in jejuniis ab Eccleſia interdictis, aſſumendo cibos alios quoſcunque, dummodò modus adhibeatur: quia Primò Illuſtriſſimus Dominus non tantũ profecit, ut ſupponitur ab itinere, ab Aëris mutatione, & à ſervata victus ratione, abſtinendo à piſcibus, & aliis cibis jejuniorum, qui aliàs videbantur illi ſummoperè contrarii quantùm profecit mutatione ætatis, quæ quantùm poſſit in ſuperandis, & profligandis morbis longis, & contumacibus norunt etiamii, qui vix delimine Medicinam ſaluratunt: & pateſit exemplo epilepſiæ aliorumque quorundam morborum difficillimorum, qui mutatione ætatis maximè abiguntur, juxta Hippocrat. ſententiam *Aphor. ſect 3. num. 28. & ſect. 5 Aphor. 7.* ubi Galen. *in com.* cùm ergo hactenus in ætatibus calidioribus verſaretur, inventute nempè, ac ætate conſiſtenti, & virilitate, nunc autem ad ſenium properet, factum eſt, ut temperamenti mutatione, ſanitatem, quam prægreſſa temperamenta ſuo excedente calore exagitabant, affatim recuperaverit: In prægreſſa namque ætate tanto Hepatis calore flagrabat, ut ſtomacho frigidiuſculo donaretur, abſorbente Hepate, & alliciente ad ſe univerſum calorem, ita ut ne cibos quidem facillimæ concoctionis conficere poſſet; præter quam quod ſuper excedens ille Hepatis calor, & in præter naturam degenerans, meliores ſpiritus ventriculi, aliarumque partium diſſipabat, unde concoctiones peſſimè ſuccedebant, & Æger in dies in peiorem ſtatum decidebat, unde etiam extenuati, ac ſecundùm ſolidiora membra abſumi videbatur, ex eo quod corpus ſuo debito nutrimento defraudabatur.

4 His addendus labor in itinere perpeſſus maximè admodũ longo, ut illud fuit, ex labore enim, & exercitio creſcit virilitas, hoc eſt corporis vigor, Hippocrat. *de Aer. Aq. & loc. num.* 54. & hoc iure optimo, quia ut idem Hippocrat. *libro*
5 *ſecundo, de Diat. num.* 24. labor ficcat, & corpus robuſtum facit, cui adſtipulatur Celſ. *libro primo, ſua Medic. cap.* 1. dicens: Ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam teddit. Non mirum ergo eſt, ſi Illuſtriſſimus Dominus à multis, & non conſuetis laboribus in itinere, & in negotiis gerendis perpeſſis, maiorem corporis firmitudinem acquiſiverit, viresque recuperaverit, cùm antea ex otio, & ignavia ad corporeas functiones hebes, & ineptus eſſet, ita ut ne deambulare quidem ſatis tutò poſſet, & ideircò nullo exercitij genere uteretur. Neque dicatur id ſuccedere non potuiſſe, quia erat habitus tenuis, & ita exiccati, ut ad tabidam maciem videretur accedere, quia hæc corporis exiccatio, & extenuatio non tantum eveniebat ab excedenti calore, quantùm ab eo quod corpus nequaquam ut opus erat, nutriretur. Ab exercitio autem duas maximas utilitates reportavit: primam, quòd abſumptis excrementitiis humoribus calor naturalis minùs impeditus ad ſuas operationes obeundas habilior evaſit, unde etiam præternaturalem calorem debellare potuit & coctiones quaſcunque melius, ac faciliùs celebrare: ſecundam, quod membra ipſa, quæ prius debito alimento defraudabantur, nativo eorum calore robuſtiora facta, ad ſe debitum alimentum allicere in poſterum potuerunt & corpus impinguare, ac in multò meliorem ſtatum perducere, magis vividum colorem, animique alacritatem conciliando. Quæ omnia tam evidenter apparent ut affirmare pro veritate cogamur, ſtomachi debilitatẽ, & totius corporis extenuationem, aliaque accidentia, quæ in prægreſſis ætatibus patiebatur, non ex naturæ imbecillitate, ſed potius ex accidenti illum fuiſſe perpeſſum, cùm à natura alias ſua principia vegeta, ac robuſta fuerit ſortitus.

Nec quicquam Officiunt quæ in contrarium deducuntur, & primò quod ſupponitur hunc Illuſtriſſimum Dominum à natura ſortitum eſſe temperamentum non laudabile, cum corporis totius; ſed præſertim ſtomachi imbecillitate, non eſt omninò verum, quia licet poſt pubertatem id ſuceeſſerit, ut dictum eſt tamen in pueritia uſque ad decimum quartum annum temperamento erat optimo, & eucrato & ſtomacho valido, ita ut etiam plurimo alimento uſus optimè concoqueret, nec unquam ſtomachi dolores, aut alia accidentia à ſtomacho provenienția patereturt, ut ipſemet teſtatur, non obſtantibus iis, quæ in contrarium Collega ejus familiaris Medicus proferebat, ut & illum, & Medicos alios Collegas in ſuam ſententiam alliceret Ex accidenti autem aucto per ætatem calore, & primigenia humiditate ſenſim decreſcente, ex erroribus in victus ratione patratis ac maximè in ſtudiis, quibus indeſinenter, ac ſedulò, & extra temporis opportunitatẽ incũbebat, ſtamacho malè habere cœpit ac malè concoquere, & ructus plurimos ab ore interdum acidos emittere, aliàs etiam nidoroſos, neceſſe habuit in victus ratione cautiùs ſe gerere: & quia à piſcibus, oleo, ſalſamentis, aliiſque cibis in jejuniis adhibitis ſenſibiliter, ac magnoperè ſe lædi experiebatur, itemque ab ovis quocunque modo comeſtis etiam tremulis, aut ſorbilibus, coactus fuit ad carnium uſum perpetuò tranſire, ut dictũ eſt. licet & inter has recentiores, & coctu faciliores eligere cogeretur, & in parva quantitate aſſumere. Ex quibus apertiſſimè patet, illum non à nativitatis primordiis & à Natura, ſed ab acidenti ea omnia paſſum fuiſſe, quæ illũ ad carnium perpetuum eſum coegerant: ex mutata denique victus ratione, jure ea impedimenta ceſſarunt, ſuper addita mutatione Aëris, & deſidia in laborem converſa, ſtudiiſque parciùs incumbens, tantumque debitis, ac opportunis horis, immò ab illis interdum omninò vacans, atque eo pacto naturalem, ac priſtinum, illiique à naturæ primordiis conceſſum vigorem recuperavit; quamobrem inaniter timemus, ne ex jejuniorum obſervantia iidem affectus repullulent, quinimò cum faciliùs ſit removete affectus qui ex acciderti fiunt, quàm qui ex natura inſunt, dicendum eſt, Illuſtriſſimum Dominum, 6
ſuperatis jam magna ex parte iis, quibus afficiebatur, ſymptomatibus, facillimè cautione adhibita, quæ remanent ſuperaturum, ſi quæ modo remanſiſſe conſpiciemus, tantum abeſt, ut timeamus, ne ad priſtinam valetudinem revertatur.

Ad illud quod additur Illuſtriſſimum Dominum ex obſervata victus ratione abſtinendo à piſcibus, aliiſque cibis ſibi contrariis tantoperè in ſanitate profeciſſe: Reſpondetur, id falſum facilè apparere ex eo, quod ea victus ratione uſus fuerat in patria per plures annos, & tamen ſemper iiſdem affectibus eſt conflictatus. ergo cùm ex ea per longum plurium annorum decurſum nihil profecerit, dicendum eſt, non ex illa ſed ex alia nova, & evidenti cauſa ſanitatem recuperaſſe, cumque hic adfuerint cauſæ novæ tam evidentes, ut longum iter, labores, Aëris mutatio, & id genus aliæ, quarum unaquæque per ſe magnoperè efficax cenſetur ad lõgos morbos, & contumaces ſuperandos, confitendum eſt ab iis tantùm in ſanitate profeciſſe, non ab illa ſervata victus ratione, quæ aliàs in tam longo tempore nihil omninò contulerat; contulit ergo plurimum Aëris mutatio, qua ſola incurabiles morbi aliquando ſanantur, nec minimum operatus eſt etiam labor, nam ut Hippocr. *lib. de nat. hum. n. 17 & l. de flat. n.* 2. dicebat, *morbi longi ſuperantur, ſi quis deſidia deditus labore cogatur,*

aut contra labore plurimo defatigatus quiescere permittatur. Quod si his omnibus addatur mutatio temperamenti ex mutatione ætatis proveniens, ex qua excedens ille calor remissus fit, apertissimè videbimus minimam, ac forte nullam habuisse partem in recuperatione sanitatis Illustrissimi Viri abstinentium à cibis Quadragesimalibus tam longo tempore observatam.

Nec maiorem veritatem habet, quòd illustrissimus Vir habuerit naturalem contrarietatem, & antipathiam cum piscibus, abisque cibis Quadragesimalibus, imunò hoc gratis dictum fatetur ipsemet asseverans, quòd ante pubertatem illis libenter, & sine noxa vescebatur, neque de præsenti illos abhorreret, nisi timeret de propria salute, quin etiam libentiùs illos admissurum se promittit, quam carnes; ergo permittendum sine timore videtur, ut illis, quando opus fuerit, utatur. Minus afficit, quòd per experientiam factam ex comestione Piscium per duas, aut tres vices, certificati simus, illum adhuc retinere cum illis eandem contrarietatem, quam à natura supponitur habuisse: quia, si rectè omnia ponderentur, videbimus apertissimè, non fuisse pisces in causa, ut stomacho malè haberet, sed potiùs nimia ciborum copia, ac præcipuè quorundam, qui ex sua natura cuivis stomacho laborem faciunt, ut fungi sunt, Ostreæ, Testudines, quas tanquam
8 cibum laudabilem copiosè assumpserat, cùm ex sua natura nutrimentum præbeant melancholicum, ac parvum, & coctioni sint multùm rebelles: præterquam quod illis ipsis diebus multis curis, & gravissimis negotiis implicitus fuerat, quæ hominem exiccare ac debilem facere testatur Hippocrat. *libro secundo de Diæt. numero vigesimo sexto*, quorum
9 occasione coactus fuerat immediatè à cibo domo exire, aut lectioni, & applicationi rerum arduarum vacare, quæ quantopere nocumentum afferant stomacho, & ciborum concoctioni non est, quòd multis verbis explicemus, cùm satis superque id notum sit, & quotidiana experientia comprobatum.

Inanis insuper timor ille est, quem conceperunt Collegæ ne ex reditu in Aërem patrium, quem semper sibi infestum expertus fuit, addita victus ratione minùs laudabili, maximè cùm jam per tres annos tam optimo Aëri assueverit, denuò in veteres affectiones, & anteactam valetudinem, aut etiam multò pejorem delabatur: Quia licet negari non possit, Aërem, in quo per prædictum trium annorum spatium commoratus est, laudabiliorem, salubrioremque esse, quàm nativum tamen duplici ex capite dicendum est, ac certò sperandum, illum in Aëre patrio magis sanum esse victurũ; Primò, quia potest jam viribus recuperatis, illisque pollens, Aëris patrii injurias, si quæ inde emanant, sustinere, ac ita superare, ut ne minimum quidem inde incommodum percipiat; præterquam quod neque id, quod supponitur, omnimodo lam veritatem habet, quia in eodem Aëre patrio ad pubertatem usque sanus semper vixit, neque ab ipsius malitia ægrotare cœpit, sed ab aliis causis, ut superiùs dictum est, quibus addi potest Aëris patrii sympathia, cùm habeat semper latentem quandam energiam, ob quam semper magis amicus nostræ naturæ esse solet, quàm alterius cujusvis, etiamsi ex sua natura non multùm laudabilis sit, quod non ex temperamenti ratione evenit, ut probat Fortun. Fidel. *libro primo, de Relat. Med. c.* 2. sed ut dixi, ex convenientia quadam, & sympathia, quam cum nostra habet natura. Secundò quia post hac diversa vivendi ratione uteretur, & ex vita otiosa & desidè, ac nulli labori, & exercitio assueta, in magis laboriosam, & exercitio defatigatam transitum faciens, à prægressa debilitate vindicabitur, & omnem morbũ superabit juxta supra citatam Hippocratis sententiam, unde si quam læsionem ab observatis jejunijs timeremus, à meliori valetudine jam confirmata, & à robustioribus viribus superatum iri in dubio non est ponendum. At verò mutationem Aëris melioris in deteriorem, periculosam esse, & idcircò non deberi hanc causam adaugeri mutatione victus melioris in deteriorem, non habere locum in casu nostro dicendum;
11 quia hujusmodi Aëris mutationes tunc parere solét morbos, cum corpora debilia existunt & præ debilitate novi Aëris contrarietatem sustinere non possunt, at cum corpora viribus sunt integris, nequaquam potest illa mutatio obesse; quod tantò magis habet locum in mutatione facta ab Aëre alieno in patrium, quem licet ex sua natura malum, aliquando esse diuturnorũ morborum remedium dicebat Cornel. Cels. *sua Med. lib.* 1. *c.* 1.

Admodum Illustri, admodumque Excellenti Domino D.
JACOBO ALBANO GIBBESIO,
Medico, ac Viro Doctissimo.

PAULUS ZACCHIAS F.

Quæ abstrusiora in Arte Medica aliquando occurrunt, ideo ut ajunt, pede à plerisque transiguntur. Id inter cætera de morbis Dæmoniacis evenisse palam est, cùm de iis quod inter abstrusa sint abstrusissima, pauci quidé ex nostris Medicis ex professo verba fecerint, Ego aliàs de illis nonnulla scriptis consignavi in hisce Quæstionibus meis, ac denuò nunc ex oblata mihi, quam in argumento habes, occasione, alia quædam exaravi, eaque ad Te, cui præ cæteris omnibus Naturæ arcana ac magis recondita opera videntur cordi esse, transmittere volui, ut si quid addendum judices, addas, insimulque cognoscas in quanta apud me ingenium, ac judicium tuum æstimatione sit: Vale, & me ama.

CONSILIUM XLIX.

ARGUMENTUM.

Vagabantur in civitate N. morbi quidam, tam rariis, horrendis, ac mirabilibus symptomatibus concomitati, ut cùm in eodem loco morarentur personæ quædam maleficij suspectæ, facilè occasionem dederint dubitandi, an illi ipsi morbi ex natura, an potius diabolico maleficio fuissent excitati: Inter complures autem, qui huiusmodi morbis affecti aut perierant, aut pessimè excepti fuerant, *Sempronia*, cùm aliàs optime valeret, & in summo cuiusdam scalæ moraretur, visa sibi est ab externa quadam vi cum magno impetu impelli, ac præcipitari, ac deinceps sævissimis symptomatibus conflictata tandem perierat. Præterea *Titius* ætate invenis; integrisque viribus, repentina genitalium ignavia adortus ad venerem omninò inhabilis evaserat. Non defuerant autem ibidem multi qui (cum menstruo sanguine potionati crederentur) fœdissima scabie, atque horrida lepra inquinari, nihil conferente ope humana, vitam cum morte miserrimè commutaverant. Quin & alii (inter quos specialis querela de Sticho habetur) Tabe, Marasmo, & Atrophia consumpti; Pleræque insuper mulieres fuerunt, signanter autem Donata, quæ miris, horrendis, ac nonquam in aliis animadversis symptomatibus conflictatæ perierant. Alii denique cum morti proximi essent, ab uno cubiculo in aliud translati (mirum dictu) illicò revivisebant, in illudque denuò repottari confestim ad idem periculum proximæ mortis remeassent, nisi cubiculi mutatione sibi cavissent. His moti quibus Justitiam ministrare convenit, Veneficas mulieres suspectas in carcerem conjecerunt, interimque à peritis Medicis, qui prædictorum Æggrorum curam gesserant, petierunt, utrum eos ex naturali causa, an potius ex supernaturali, ac Diabolico opere ægrotasse putarent, qui non absque firmis rationibus responderunt, eos ex Diabolica malitia in morbum cecidisse; quorum opinionem consultus non solùm probavi, sed subsequentibus rationibus confirmavi.

SUMMARIUM.

1 *Dantur morbi, & alia sanitatis incommoda veneficiis Diabolicis excitata.*
2 *Morbi quidam magni habent aliquando fortes, ac repentinos insultus à Natura.*
3 *Apoplexia unde dicta.*
4 *Uteri morbi aliarum principum partium morbis affectis, tam admirabilibus symptomatibus concomitantur, ut supernaturales existimentur.*
5 *Plures mulierum uteri morbi confirmata à Damone obsessa existimantur.*
6 *Spontanea lassitudines morbos pranuntiant, & qua ex causa num. seq.*

8 *Ipſa corporis valetudine animalia excitantur ad coitum.*
9 *Atrophia, & corporis conſumptiones extrema naturalem cauſam ut plurimum habent.*
10 *Mulieres Damoniaca exiſtimata naturalibus remediis aliquando perfectè ſanata.*
11 *Tam naturalis, quàm Damoniacus morbus ab iiſdem cauſis naturalibus dependet.*
12 *Morbi Damoniaci licet difficulter cognoſcantur, à multis tamen ſimul junctis ſignis cognoſci poſſunt.*
13 *Signa morborum Damoniacorum communia ſunt morbis quoque naturalibus.*
14 *In morbis naturalibus adſunt ſigna dependentia à cauſis, quæ inter ſe ſunt compatibiles, in Damoniacis contra.*
15 *Intemperies non poteſt introduci in inſtanti.*
16 *Nihil nos magis perducit ad cognitionem morbi Damoniaci, quàm ipſius morbi mos.*
17 *In via natura non fit tranſitus ſubitaneus de uno extremo ad aliud.*
18 *Repentinæ, & inſpiratæ mutationes, & criſes numquam in via Naturæ abſque ſignis contectionis fiunt.*

TAmetſi circa magicas, ac veneficas operationes, plura enarrentur, quæ vana, ac futilia, & falſa magna ex parte ſunt, tamen dari morbos, & alia ſanitatis incommoda per veneficia à Magis inducta, ac excitata, acceptiſſima eſt omnium
1 Doctorum opinio, innumerabilibus eventibus, & experientiis confirmata, ejus rei veritatem aſſtruens, de qua præter alios, Sprenger. *in malleo malef. libro ſecundo quæſt.* 11 *& ſeq.* Martin. Delrius *libro tertio Diſquiſit. Magic. ſect.* 2 *quæſt.* 4. apud quem vide legum, & SS. Patrum auctoritates. Torrebl. *Demonolog. lib.* 2. *cap* 40. *& ſeqq.* qui plures quoque Patrum, ac Conciliorum auctoritates in medium profert, ubi etiam Poëtarum nonnullorum carmina habentur id atteſtantia, & inter Medicos, Ioan. Baptiſt. Codronch. *lib.* 1. *de morb. veneſ. per totum*, Ioan. Hucher. *de ſterilit. lib.* 4 qui eſt *de Maleſ.* Cæſalpin. *in Damon. inveſt. Peripat.* Daniel Sennertus. *Pract. lib. 6. part. 9. cap.* 5. & ex aliis Profeſſoribus Ioan. Iacob. Boiſſard *de Magia, cap.* 8 Non obſtante ergo antiquorum Philoſophorum, & Medicorum, præcipuè verò Hippocratis, Ariſtotelis, Avicennæ, aliorumque ſententia, ac falſa nonnullorum Recentiorum, & Hæretica opinione, aſſtruendum dari Dæmoniacos morbos.

Sed dubio non vacat, utrum enarrati morbi vagantes in civitate N. fuerint verè à cauſa naturali an potiùs à cauſa Dæmoniaca, & ex maleficio, ac primò videbatur dicendum ſymptomata, ſeu accidentia quibus ſeſe manifeſtabant morbi, de quibus dubitatur, nihil in ſe habuiſſe, quod ad ſupernaturalem, ſeu Dæmoniacam virtutem referri debere putent, ſed omnia, ac ſingula à naturali cauſa dependentiam habuiſſe, & naturalibus cauſis reſpondiſſe, cum naturalem ordinem undequaque ſervaverint: nam ſi examinemus ſingulas conditiones eorum morborum, quas examinati Medici retulerunt, facilè comperiemus, id omnimodam veritatem habere; & incipientes ab inſultu morbi, quo apprehenſa eſt Sempronia, (quem quidem ita admirandum putant prædicti Medici, ut nonniſi ad vim Dæmoniacam referri debeat) non viderur adeò elongari à quibuſdam morborum inſultibus, quin familiaris ſit naturaliter illis qui de repente, & cum impetu hominem adoriuntur, ut in Apoplexia evenit, in Epilepſia, in
2 ſyncope, uteri præfocatione, & ſimilibus, vapor enim quidam terer, ac malignus, vel malignus, ac terer aliquis humor cerebri ventriculos, aut ipſum cor de repente feriens, Imaginationi ipſi repræſentat aliquod externum phantaſma hominis, vel vetulæ, vel ipſius Dæmonis, vel nigri cujuſdam animalis ſibi vim inferentis, ac impellentis, ita ut homo concidat, & experrectus narret, ſibi viſum fuiſſe, ſe ab externa vi in terram impulſum, vel ab alio præcipitatum, cùm tamen ab interna, & naturali cauſa id totum acciderit: ſimile quid in moribundis adnotamus, quibus ater aliquis canis, vel Dæmonium ipſum pone lectum verſari videtur, cum id ex fumis tenebroſis, ac malignis in cerebrum verſantibus illis appareat. Sed in prædictis morbis, & maximè in Apoplexia id frequentiùs evenire palam eſt, nam Apoplectici propriè ſibi videntur ab externa vi in ruinam agi, ac percuti, & præcipitari, ea enim ex cauſa à fulmine ictos eſſe ſibi perſuadent, quamobrem dicitur hic morbus Apoplexia, ea enim prehenſi non
3 aliter quam à fulmine percuſſi concidunt: unde Lucret. *lib.* 3. *de Rer. nat.*

Quin etiam ſubita vi morbi ſæpè coactum
Ante oculos aliquis noſtros, ut fulminis ictu
Concidit.

Vel tanquam victimæ ante altare uno ictu corruunt, ut dicebat Foreſt. *lib.* 10. *Obſerv.* 69. *in ſchol.*

Quòd verò ad hoc ſymptoma tam magnum, ac violentum in muliere illa ſecutus ſit morbus magnus, ac cognitu difficilis, aliiſque mitis ſymptomatibus notabilis, nec mirum, nec inſuetum quid eſt: ſive enim illud primum ſymptoma fuerit Apoplecticum, vel Epilepticum, vel ſyncopticum, vel præfocativum ab utero, aptum erat magnum morbum portendere, & accerſere; quandocunque enim uteri morbi aſſociantur magnis morbis capitis, vel cordis, vel alicujus nobiliorum partium, ut in muliere hac facilimum eventu fuit, tam rara, ac 4
diverſa accidentia ſecum afferunt, tamque inſueto more ægrotantes exagitant, ut eorum cauſam non ad naturalem vim, ſed ad ſupernaturalem, ac plerumque ad ipſum Dæmonem referamus, ut in hac ipſa muliere eventu facile fuit, ex quo fit, ut plures earum à ſpiritu potius maligno, quàm ab aliqua naturali cauſa exagitatas credamus, ut præter quamplurimos 5
Doctores, teſtantur ex Medicis plures Auctores *Gynecierum*, ſeu *de Morbis mulierum*.

Sed difficiliùs ad ſuas naturales cauſas referri poteſt inſultus morbi, ex quo ægrotavit Titius, de quo narratur, quod per nonnullos dies, antequam ægrotare inciperet, adeò ad Veneris exercitia de repente impotens factus eſt, ut ne minimo quidem igniculo ad eam ſtimularetur, ac volens de ea re experimentum ſumere, ignavum ſe, ac omninò frigidum factum cognovit, cùm tamen nulla occaſio præceſſiſſet, & ipſe eſſet in ætate juvenili, atque aliàs ſtrenuè in Venereis congreſſibus dimicaſſet, ita ut ſumma cum ratione ſuſpicari poſſet, ex improviſa ac repentina hac genitalium ignavia ſe ligaminis maleficio eſſe obſtrictum. Sed hoc inaniter videtur & ipſe, & quicunque alius fuerit, ſuſpicatus, cùm præter Naturæ conſuetudinem non eveniat, ut ante magnorum morborum inſultus, per nonnullos dies præcedat quædam totius corporis ignavia, ac membrorum laſſitudo, juxta ſententiam Hippoc. *lib.* 1. *Aphor.* 5, ubi ſpontaneas laſſitudines morbos pronunciare docet, ex eo quod, quæcunque laſſitudo ſit, & ex quacunque laſſitudinis ſpecie, ex tribus ſpeciebus à Gal. *in comm. in Aphor.* aſſignatis, ſemper præſupponitur aut copia vitioſorum humorum, 6
aut plenitudo, aut utrumque: non mirum ergo eſt, ſi imminentibus morbis, ac præcipuè magnis, præcedant hujuſmodi laſſitudines, ac totius corporis torpores, & gravitates, membrorumque hebetudo, & ignavia, ac quoddam vitæ tædium ac 7
triſtitia, perſentiente natura ſuperabundantiam humorum ſe gravantium, indeque ſibi malum pertimeſcente, ex quibus facile eſt, ut ſimul quoque genitalium ignavia, & alienatio à venereis, & impotentia ad ea ſequatur, ex corporis enim alacritate veneri ſtimuli exotiuntur, & ipſa corporis valetudine animalia excitantur ad coitum, Ariſto. *lib.* 8. *de Hiſtor. Anim. c.* 18 aliàs ab ejus uſu alieniſſima. 8

Cæterum in caſu infirmitatis, ex qua dicitur ſublatus fuiſſe Stichus, nihil eſt, quod perſuadere poſſit adfuiſſe veneficium, ac ſupernaturalem, ſeu Dæmoniacam cauſam, quippè cùm, ut ipſemet Stichus fatetur; Teſtis examinatus, Atrophiæ, & corporis conſùptiones hujuſmodi facilè ad naturales cauſas referantur, cùm in dies plures ægrotos offendamus hujuſmodi Atrophiis, & maraſmis abſùptos, in quibus, ne per imaginatio- 9
nem quidem ſupernaturalem, vel Dæmoniacam aliquam cauſam quicquam operatam eſſe ſuſpicari licet. Non debemus ergo plus tribuere publicæ voci, & famæ, quòd hujuſmodi morbi eſſent ex veneficio, quàm tribuamus naturæ ipſi, ex cujus vi tales morbi facile excitantur; non exiſtentibus ergo aliis indiciis, publica vox, & fama, quæ aliquando ab ignariſſimo ac maximè credulo vulgo originem habet, nihil operari debet, & fruſtra videmur alias cauſas inquirere, ubi naturalium cauſarum efficientia eſt manifeſta. Neque ulterius ullam admirationem afferre debent quædam aliæ infirmitates per eandem civitatem vagantes ob id, quod tam multis, tamque variis, tamque inter ſe contrariis accidentibus ac maximè inſuetis, fuerint conſpicuæ; nam ſi ad quotidianas obſervationes noſmetipſos convertamus, & mulieres hyſtericis paſſionibus exagitatis contemplabimur, nihil eorum, quæ Donatæ, aliiſque fœminis evenerunt, tam mirabile accidiſſe dicemus, quàm multò mirabiliora in aliis quotidie naturaliter accidere non obſervemus. An non ob eam cauſam plurimas earum, ut alias dixi, à Dæmonibus obſeſſas exiſtimamus, & tandem tamen naturalibus remediis eas curatas conſpicimus, quòd in illis naturalis tantùm cauſa ſuam vim exerceret? Geminas ego ſorores novi pro Dæmoniacis habitas, & à Religioſis pluries exorciſmis incaſſum expiatas, à Cynthio Clemente Pauli V. P.M. olim Medico exquiſita, ac repetita corporum expurgatione, ac veſicantibus infernis 10
partibus adhibitis perfectè ſanatas. Non ita ergo nos moveat ſymptomatum inſuetorum frequentia, ut ſupernaturalibus cauſis tribuamus, quod à naturalibus originem habet.

Idemque quod de ſuperioribus infimis dictum eſt de aliis nonnullis, ut de Publico, firmari poteſt; quia febris, ex qua ille

ægrota

ægrotavit, aſſociata erat cum aliqua mala, & inſigni Hipochondriorum affectione, cum inæquali partium intemperie & contrariis, ac inter ſe pugnantibus diſtemperantiis, ut in ſimilibus affectibus uſu venit, ex quibus non modo enarrata ſymptomata, quæ Publium, alioſque moleſtarunt, ſed multo plura, & multo admirabiliora pullulare ſolent, ut ſignantes Recentiores omnes, qui de ſimili argumento ſcripſerunt, teſtificantur, inter quos videndus Daniel Senn. *Pract. l. 1. p. 5. ſect. 1. cap. 4.* & ſi libet, percurre quæ nos ipſi attulimus *lib. 1. de morb. Hipochondr. cap. 6. per totum.* Quorum ſympromatum admiratio tantopere excrevit, ut nonnulli Medici ea ad ſupernaturales, ac Dæmoniacas cauſas referant, neſcientes ſibi perſuadere tam mirabiles effectus ab alia cauſa quam à Dæmoniaca malitia, & virtute produci poſſe, ut forte in caſu noſtro evenit; & tamen omnes, ac ſinguli hujuſmodi effectus, quantumvis rari, & admirandi, ad ſuas naturales cauſas referuntur, & illis reſpondere competiuntur. Denique ad omne pejus nunquam de certo affirmari poteſt morbum aliquem eſſe potius Dæmoniacum, quam naturalem, quia tam naturalis, quam Dæmoniacus morbus ab iis de cauſis, & ab iiſdem prorſus humoribus excitantur, ac conſequenter eoſdem omnino effectus ambo producent, & iidem prorſus ſigni conſpicui erunt. Quod autem tam Dæmoniacus, quam naturalis morbus ab iiſdem cauſis dependeant, patet, quia tam Dæmoniacus, quam naturalis morbus melancholicus in melancholico humore fundatur, ut DD. omnes unanimiter fatentur, Valleſ. *de ſacr. Philoſoph. cap. 15.* & 18. Codronch. *de morb. veneſ. lib. 2. cap. 8.* Martin. Delrius, *lib. 2. Diſquiſit. Magicar. q. 29 ſect. 3* & alii, qui omnes in hoc conveniunt, quod Dæmon melancholicos, pravos, ac tortos humores agitando (iis enim ille gaudet, & delectatur) morbos Dæmoniacos excitat, quod ſimiliter à natura ſit, unde ex iiſdem humoribus ſive à Dæmone, ſive à natura exagitatis iidem omnino effectus prodibunt, unde & eadem prorſus ſigna utrique morbus habebit, nec unquam certo firmari poterit, morbum eſſe potius Dæmoniacum, quam naturalem.

11

Verum enim vero licet ſupra dicta omnia non omnino præter rationem adducantur, pro veritate tamen determinandum videtur, omnes, ac ſingulos ægrotantes, de quibus dubitari contigit, an ex naturali, vel ſupernaturali cauſa ægrotaverint, ex maleficio, & Diabolica læſione ægrotaſſe, ac periiſſe. Nam primo quoad difficultatem cognoſcendi, ac diſtinguendi Dæmoniacos morbos à naturalibus, non tantam eſſe cenſendum, quin ex multis ſimul junctis cognoſci, ac diſtingui inter ſe non poſſint. Et licet verum ſit, quod ſigna morborum Dæmoniacorum communia ſint etiam cum

12

ſignis morborum naturalium, ut DD. fatentur, Andr. Cæſalpin. *in Daemon. in veſt. Peripat. cap. 22.* Codronch. *de morb. Veneſ. lib 3. ap. 13* tamen id veritatem habet ſi ea ſigna diviſim, & unum quodque per ſe, non autem ſi copulative, ac ſimul omnia accipiantur; ac præterea in morbis naturalibus ſigna adſunt à cauſis dependentia, quæ licet contrariæ inter

13

ſe, ſunt compatibiles: at in morbis Dæmoniacis ſigna hæc cauſas oſtendunt inter ſe non compatibiles; exempli gratia, ſigna in morbo naturali oſtendentia caloris, & frigiditatis pariter effectus, dependent ab humoribus partim calidis, partim frigidis, qui licet contrarii, ſe tamen in humano corpore compatiuntur: ſed ſigna in morbo Dæmoniaco oſtendentia caſum, & debilitatem pariter, & vigorem, ac virtutem ipſius naturæ, dependent à cauſis incompatibilibus, cum nequaquam ſeſe compatiantur extrema debilitas, & extremus vigor, ac robur, quod evenit in morbis Dæmoniacis, in quibus aliquando de momento ad momentum ægri in extremo debilitatis ſunt, & morti proximi, ac dicto citius vigorem ſummum oſtendunt, reviviſcentes, ac ſi nunquam quid mali perſenſiſſent.

14

Præterea mala tolerantia remediorum, ita ut Ægri neque calida, neque frigida, neque rationabiliter, aut alias, adminiſtrata admittere poſſint, commune ſignum eſt tum naturali, tum Dæmoniaco morbo: ſed ubi huic malæ tolerantiæ aſſocietur ignorantia cauſarum, & ipſi experti ſſimi Medici ſuo rationabili diſcurſu eas reperire non valent, tunc quidem hæc duo ſigna copulative accepta, non dubia ſemita nos ad Dæmoniacorum morborum cognitionem perducent. Exemplificare licet hæc, relictis aliis ægrotantibus hic propoſitis, in Titio, qui nulla infirmitate, ac nulla procatharctica cauſa prægreſſa, genitalium repentina ignavia, ac inexcitabili corpore correptus eſt, ad quem ſecuta eſt febris, ex qua periit. Nam & ignavia genitalium ex ſe, & febris ex ſe potuerunt referri ad ſuas naturales cauſas, ſed hæc ſimul junctæ, morbus ſcilicet ex ſumma frigiditate una ex parte, aliaque ex parte morbus ex ſumma caliditate ad priorem conſequens, non poſſunt ad naturales cauſas referri: quomodo enim naturaliter ad frigidiſſimum morbum poteſt ſuccedere morbus calidiſſimus, aut ſi ex accidenti id fiat, quo modo morbus calidiſſimus non erit remedium morbi frigidiſſimi? An non hoc ſemper in rerum natura evenit, ut febris ſit remedium præcedentis morbi, ſiquidem ille frigidus fuerit, jam hoc ab Hippocrate canonizatum *in lib. 1. Aphor 26.* & ab omnibus Commentatoribus *ibi*: Exemplo febris convulſioni ſuperveniens. Nam ut Hollerius *ibi in Schol* dicebat, calor quicunq, etiam præter naturam curat morbos frigidos. Ergo omnino extra naturæ opera fuit inſultus frigidiſſimi morbi nempe ignaviæ repentinæ genitalium in Titio, & ſuperveniens febris remanente priore morbo in ſuo vigore, nec quiſquam vel Doctiſſimus Philoſophus noverit hæc ad naturæ actionem referre, unde coactus ad Dæmoniacam, & ſupernaturalem cauſam ea attribuet. Quod, ut multo magis confirmetur; conſideranda, ignaviam illam genitalium aut ab intemperie originem duxiſſe, aut ab obſtructione; ſi ab intemperie, hæc vel erat ſimplex, vel cum materia: at neutra induci poteſt in inſtanti naturaliter, imo requiritur conveniens 15
aliquod temporis ſpatium ad hoc, ut introducatur quod Dæmon ita breve reddere poteſt, ut appareat operari in inſtanti, veluti factum eſt in caſu noſtro. Si autem hæc ignavia orta eſt ab obſtructione, neceſſe erat ſimul & ſemel contiguarum partium ſymptomata apparere, immo cum aliquæ earum partium deſerviant ſimul ad ejaculandum ſemen, & ad meiendum, oportebat utriuſque actionis læſionem apparere, & in ſumma naturaliter non potuit de repente ea ignavia emergere ex obſtructione, ergo ex aliqua cauſa ſupernaturali, nempe ex Dæmoniaca malitia.

Præterea nihil eſt, quod ad cognitionem morbi ſupernaturalis, & Dæmoniaci certo certius perducere poſſit, quam 16
ipſius morbi mos, aut modus affligendi, in quo tam conſpicuum ille ſe reddit, ut bene Dæmonis malitiam pro ſua origine cognoſcat, & ab oculatis, & prudentibus Medicis cognoſci ſe patiatur. Nam incipientem, ac vix incipientem morbum in ſummo vigore perſiſtere aliquando obſervamus, abſque ullis ne minimis quidem concoctionis ſignis, ſubitaneas, ac perfectiſſimas criſes, ſubitaneas quoque & completas morbi remiſſiones abſque ulla inſigni evacuatione, terribilium accidentium, omnimodam, & irrationabilem ceſſationem ſola cubiculis, ſola lecti, ſola indumentorum mutatione, repentinam corporis maciem, & extenuationem, & præproperam genitalium flaccefcentiam abſque ratione, ſummas virium jacturas, earundemque de momento ad momentum completam recuperationem, vitæ, & mortis uno eodemque tempore ac viciſſitudine quadam ſpem ac deſperationem, & alia hujuſmodi, quæ quidem in via naturæ eo modo contingere non poſſunt, in qua nunquam fit tranſitus ſubitaneus de uno extremo ad aliud, ut ſumma debilitate ad virium validitatem, & ſic de cæteris: verum 17
etiamſi in morbis conſimilia obſervemus, ut ſummum æſtum ac ſummum rigorem, ſimul & ſemel invadentes, ſummam virium dejectionem, ac quaſi ſubitaneam earundem refectionem, vigilias aliquando inſuperabiles, ac non multo poſt ſomnos inexcitabiles, & alia ad hunc modum, ſemper tamen hæc habent ſuas cauſas patentes, ad quas referantur, nempe materias heterogeneas, vapores, & flatus diverſæ, ac contrariæ naturæ, humores item ſibi contrarios, & affectarum partium diverſitatem, cum enim illæ materiæ, vel flatus heterogenei à diverſis partibus elevati diverſas partes moleſtabunt: effectus producent, ob contrarietatem eorum admirandos, & qui naturæ conſuetum operandi modum excedere videantur. Quantopere diſtent effectus à bile, calidiſque & exuſtis humoribus cauſati ab effectibus productis ab Atrabile, vel Pituita, notum omnes: & tamen licet tam contrarii ſint hi ab illis, apparent aliquando ſimul, cum ſimul moti fuerint humores unde dependentiam habent: at vero hi ipſi humores ubi à natura vinci, vel expelli debent id nunquam niſi in tempore, & præcedente concoctione fit, ut in criſibus, quod fallit in Dæmoniacis morbis, in quibus Dæmon eos humores ad libitum agitat, impellit, vincit, regit, exuperat, & à corpore expellit.

Cùm ergo in enarratione hiſtoriæ prædictorum Ægrotantium, hæc, & his plura obſervata ſint ab Auctoribus in Dæmoniacis morbis adnotata, jure firmandum eſt, eos ex Dæmoniaca malitia ægrotaſſe, ac periiſſe. Et ad ea, quæ in contrarium adducuntur, reſpondetur primo, quod verum eſt, quoſdam morborum inſultus, ac progreſſus ſuccedere poſſe, ut ſucceſſerunt in Sempronia, in Titio, in Sticho, & aliis, non tamen concomitati iiſdem conditionibus, quibus dotati fuerunt morbi, ex quibus infirmi, de quibus agitur, ægrotarunt, & perierunt, ut jam ex ſuperioribus patet. Et ad id, quod additur, non poſſe diſtingui per certa ſigna morbum Dæmoniacum à naturali, ex eo, quod uterq; dependeat ab iiſdem humoribus agitatis à Dæmone, licet tam hi quam illi ſint unius, ejuſdemque naturæ, ut patet ex iis, quæ in ſuperioribus adduximus, dicendum ſatis diſtingui ex motu, & agitatione non naturali ab ipſo Dæmone facta, ut in præcitatis caſibus patet.

Reverendus

Reverendiſſimo Patri Abbati. D. FERDINANDO UGHELLIO MONACHO CITERCIENSI, *Triumfontium Abbati Dignißimo.*

PAULUS ZACCHIAS MED. F.

Licet labores, quos in Italia Sacra inſumpſiſti, totem Orbem admirandum reddiderint, ac tuorum meritorum teſtem non mendacem fecerint, optabam tamen ipſe pro ea, quâ te proſequor benevolentia, ac reverentia, aliquod ejus rei teſtimonium ex me prodire, ut univerſa doctorum hominum Reſpublica quanti Te, ac tua merita faciam, agnoſceret. Nihil mihi moliti hactenus licuit; una tantum ſeſe mihi obtulit ex hiſce quæſtionibus meis occaſiuncula, quæ eas tuo Nomine exornare mihi perſuaſit, ut facio, Tu æqui bonique id conſulas, ac me ama. Vale.

CONSILIUM L.

ARGUMENTUM.

Puella ruſtica, muta ac ſurda à nativitate, à proprio parente compreſſa eſt, eoque in Juſtitiæ manus veniente, ad ultimum ſupplicium damnatus eſt. Quærebatur an eidem ſupplicio eſſet filia quoque damnanda, an potius ob naturalem intellectus imbecillitatem eſſet excuſanda. Eam Hiſtoriam communicavit mihi D. Angelus Colius Senenſis Medicus Doctiſſimus, qui ad Juſtitiæ mandatum pro veritate nonnulla ſcriptis conſignavit; unde nos etiam ad ejus viri contemplationem hæc, quæ ſequuntur, exaravimus.

SUMMARIUM.

1 *Muti & ſurdi à nativitate apti ut plurimum ſunt ad apprehendenda plura, quæ cæteri hominum apprehendunt licet imperfectius, ac tardius.*

2 *Muti & ſurdi à nativitate magis proficiunt in quavis diſciplina nutibus per diem unum, quam Bruta ex auditu per totam vitam.*

3 *Muti & ſurdi à nativitate aſſequuntur multa quæ Bruta aſſequi non poſſunt.*

4 *Muti & ſurdi à nativitate an puniri in delictis debeant, nec ne.*

5 *Muti & ſurdi à nativitate à matrimonio non arcentur.*

6 *Muti & ſurdi poſſunt tanquam impuberes apprehendere vim & finem Sacramenti ipſius matrimonii.*

7 *Muti & ſurdi non magis excuſari debent in delictis, quam excuſari deberent advenæ, ubi in externa regione commorantes, neque ſermonem intelligentes, delinquerent. Vide num. 15.*

8 *Muti & ſurdi omnes cum pueris, & amentibus pari paſſu apud leg. incedunt.*

9 *Muti & ſurdi non majorem intelligentiam habere videntur, quam habeant ipſa Bruta.*

10 *Per loquelam, & ſcientiam Homo à Brutis diſtinguitur.*

11 *In pejori conditione ſunt muti & ſurdi à nativitate, quam cæci à nativitate.*

12 *Bruta electione, & ex virtute non operantur, & in eis virtus, & vitium non habet locum ſic etiam in Mutis & Surdis.*

13 *Bruta nonnulla parentibus non miſcentur, & conjugalem fidem aſſequuntur. Vide num. ſeq.*

16 *Muti & ſurdi differunt inter ſe majori, aut minori intellectus perfectione. Vide n. 17. 18. 19. & 20.*

21 *Quinam muti & ſurdi puniri poſſint in delictis, & in quibuſnam delictis, dummodo omnino levia non ſint.*

NOn exiſtimandum videtur, quod, etiamſi Muti & Surdi à nativitate non habeant integrum, ac perfectum intellectus uſum, ſint Brutis comparandi, ut aliqui voluerunt, quia
1 ex natura intellectus humani, quo & ipſi dotatur, ad aliqua ſunt ſufficientes, ad quæ homines tantum ſunt ſufficientes, non vero Bruta, immo cum tales Muti & Surdi inter ſe diſtinguantur pro majori, aut minori intellectus perfectione, fit interdum, ut aliqui eorum tantopere in omnibus proficiant, ut non ſecus ac cæteri homines, quin ullo vitio laborant omnia aſſequantur, ac perfectiſſime diſciplinentur apprehendendo quæcunque à cæteris apprehendi poſſunt. Quinam autem eorum minus, qui magis in ea re notandi veniant, in diſcurſus calce patefaciam. Univerſaliter autem pro nunc loquendo videtur, quod omnes hujuſmodi Muti & Surdi aprehendant exempli gratia turpitudinem actus venerei & Patris reverentiam, unde his duobus terminis conjunctis facile erit formare diſcurſum, quod res turpiſſima ſit, & debito ſupplicio expianda, cum proprio Patre rem veneream habere. Nec quicquam obſtat ad hoc auditus privatio, quia præterquam quod utrûque à natura nobis inſinuatur, videmus etiam ipſa Bruta hæc apprehendere ut inferius patebit. Adde quod per nutus, & conſuetudinem ob eandem intellectus humani capacitatem adimpletur facile auditus carentia, quod facile patet, quia magis eruditur Mutus & Surdus à nativitate nutibus in quavis diſciplina per diem, quam Brutum per annum, non obſtante quod Brutus Domini vocem audiat, non ergo ex auditu, ſed ex ſufficientia intellectus humani, quo, ut dixi, prædicti Muti & Surdi non carent, eruiuntur, & apprehendunt quæcunque pene alii ſani homines auditu, & ſermone dotati 2
apprehendere apti ſunt. Quod etiam ut magis patefiat, ad Mutos illos, & Surdos te converte, qui ex induſtria cuiuſdam Monachi illos erudientis, loquelam humanam didicerant, ut alias ex Valleſio retuli; ex quo illud facile deducitur, non impedire auditus privationem intellectus diſcurſum: unde Muti, & Surdi à nativitate habebunt integrum rationis uſum, ut cæteri homines, & apprehendent faciliime quæ vitanda, & quæ ſequenda ſint: quæ item pœna & vituperatione, quæ præmio, & laude digna exiſtant quamobrem, & pœnæ, & meriti erunt abſque dubio capaces.

His adde, quod etiamſi concedamus, mutos & ſurdos à nativitate, non habere, ut cæteros homines, integrum Rationis uſum, tamen negari nullo modo poteſt, ipſos multo perfectiorem habere, quam Bruta, non tantum inquam circa ea, quæ externis ſenſibus objiciuntur, & circa quæ poſtmodum exiſtimativa ſuo modo ſpeculatur, ſed circa ea quoque, quæ ex ſpeciebus inſenſibilibus eliciuntur, & ex quibus in homine formatur diſcurſus, quæ Bruta aſſequi non poſſunt. Cum ergo Bruta aſſequantur Parentum reverentiam in pleriſque, & in 3
hoc peculiariter, nempe in actu venereo ut probabimus, & ulterius in hoc ipſo actu aſſequantur nonnulla fidem coniugalem, quanto magis hæc omnia aſſequentur muti, & ſurdi à nativitate, qui intellectu humano dotantur, & poſſunt ex ſpeciebus ſenſibilibus elicere; & inde conceptus in mente efformare, & ex conceptibus diſcurſus? At ex his ſequitur, optime illos cognoſcere vitium eſſe fugiendum, virtutem eſſe ſequendam, cum optime poſſint diſtinguere inter actus virtutis, & eos qui ſunt contra virtutem, unde facile ſciunt exempli gratia diſtinguere inter hoc, quod eſt parentes venerari, & eos iniuria afficere, unde primum tanquam actum virtutis ſequuntur, à ſecundo tanquam ab actu contra virtutem abhorrent, & ſic videntur præmii & pœnæ capaces eſſe. Neque abſque ratione determinatum videmus à Iuriſconſultis, ſurdos & muros à 4
nativitate ubi delinquant (ſi intellectus ſani exiſtant quatenus eorum conditio patitur) puniri debere, maxime ſi adſint teſtes de viſu, & ipſi nutibus delicta confiteantur, ex Bald. & aliis pluribus Farinac. *in Pract. crim. quæſt. 98. num. 160. & ſeqq.*

Præterea ſi muti, & ſurdi ad plura exiſtimantur habiles à Legibus; ad quæ intellectus perfectio requiritur, ut ad teſtamentum condendum, *l. Diſcretis, C. qui teſtam. fac. poſſ.* & ad contrahendum *l. Item quia ff. de Pactis*, ubi Gloſſ. & quod forte magis eſt, ad matrimonii Sacramentū ſecundum communiorem opinionem, de qua præcipuè Brunel. *de ſponſ. & matr. concl. 14. n. 5.* & ad quam adducitur *l. mutus ff. de Iur. dot. & cap. cum apud de ſponſ.* per Farinac. *Ubi ſup. num. 60.* cui etiam opinioni adhæret Sanch. *de Matrim. lib. 1. q. 8. num. 12.* non dicendum, illos à perfectione intellectus humani omnino deficere, alias hæc à legibus illis non permitterentur; præcipuè autem non viderentur admittendi ad contrahendum matrimonium, quia in hoc actu neceſſe eſt, illos aſſequi vim, & finem ejus Sacramenti aliter incaſſum contraherent, Sanchez *ubi proxime num. 60.* ſed ad hanc vim, & ad hunc finem aſſequendum requiritur aliqua intellectus perfectio ergo non deſtituuntur hac intellectus qualicunque perfectione: ſed multo minori perfectione opus eſt ad aſſequendam gravitatem, & turpitudinem hujus delicti, nempe conjunctionis carnalis cum proprio patre, quæ quidem vel ipſa natura dictante eſt deteſtabilis, ergo puella, de qua agitur, ſufficiens erat ad cognoſcendum hujus delicti enormitatem: cumque ab eo hoc non obſtante, non abſtinuerit, non ſecus ac ipſe Pater ejuſdem delicti omnino rea cenſenda, & merita pœna mulctanda.

Adde his, quod, cum idcireo ad matrimonii admittantur muti & ſurdi à nativitate quia, nō multo, aut difficili diſcurſu opus eſt ad apprehendā vim & finē hujus ſacramenti: quod parer, quia etiā impuberes, quorū intellectui cōparatur intel- 6
lectus eorum, dummodo ſint doli capaces ad matrimoniū admittuntur

tuntur, cumque major, ac magis perfectus discursus requiratur in matrimonii fine apprehendendo, quam in apprehendendo enormitatem coitus cum proprio parente, quam, ut toties inculcavimus, etiam Bruta apprehendunt, veluti apertius demonstrabimus. certum est puellam hanc mutam & surdam à nativitate sufficientem fuisse ad cognoscendam eius delicti pravitatem, qua non obstante, volens in delictum lapsa videtur. & digna pœna, idcirco videtur puniendа. Illud certe controverti non potest, similes puellas mutas & surdas à nativitate, verecundas esse, & à virorum licentioso congressu, & allocutione per nutus tanquam à re turpi abstinere, quod certè non eo modo succederet, nisi cognoscerent honestatis pretium, quod minuitur ex debito commercio cum vitis, quanto magis ergo cognoscere illas dicendum turpitudinem coniunctionis carnalis, & præcipuè cum proprio parente?

Denique si ob auditus defectum excusanda sunt delicta muti & surdi à nativitate, eodem modo viderentur excusandi Advenæ ad aliquam regionem se conferentes, eiusque regionis loquelam non intelligentes; at hi nullo modo excusarentur, ac maxime in atrocioribus, ergo neque muti & surdi ex
7 eo, quod loquelam humanam non possint apprehendere, ubi delinquant, & præcipuè in gravioribus, ut in casu nostro, ullo modo excusandi: nam non secus ac ipsi Advenæ, ubi Regionis sermonem non intelligunt, nutibus edoceri possunt quæ facere, quæ omittere debeant, & sic omissionis, & commissionis pœnas reportare iure debent.

Neque obstat, quod muti & surdi à nativitate apud Leges (ut dixi alias *lib. 2. tit. 1. quæst. 8. num. 20.* ex pluribus *ibi* citatis) pari passu incedant cum pueris, amentibus, & fu-
8 riosis, & idcirco non possint apprehendere delictorum gravitatem, unde non videntur doli capaces, nec consequenter pœnæ: Quia leges cum tales æquiparant pueris, & furiosis, intelligunt quoad favorabilia in civilibus, non autem quoad delicta, ob quæ non debeant puniri; præsertim ii, qui magis discursu vigent, & cuiuscunque doli capaces videntur; ubi enim intervenit dolus, ibi etiam associatur culpa, quæ sociam pœnam habet, quia propter culpam iniungitur pœna, D. Tom. 2. 2. *quæst. 108. art. 4.*

Obiici tamen potest ulterius, quod non solum pueris, & Amentibus æquiparandi videntur Muti & Surdi à nativitate,
9 sed firmandum, non habere eos maiorem intelligendi aptitudinem, quam habeant ipsa Bruta irrationalia; patet enim duo
10 maxime esse, per quæ præcipuè homo à Brutis distinguitur, nempe scientiam, & locutionem. quorum utroque Muti, & Surdi omnino sunt orbati, quippe qui ob privationem sensus Auditus, neque locutionem, neque scientiam addiscere possunt, nullus enim ob surditatem eos præceptis necessariis imbuere potest.

Nec ratione docere ulla, suaderеque surdis.
Quid sit opus facto.

ut Lucretius dicebat, *lib. 5. de Rer. Nat.* & sic eorum intellectus naturali ruditate remanet impeditus, unde ineptus fit ad ea apprehendenda, quæ proprie intellectus humanus apprehendere solet. & ad quæ apprehendenda insufficientia sunt omnino ipsa Bruta irrationalia; unde si ut Bruta ad hæc sunt insufficientia, ut Bruta videntur existimandi, sed Bruta in delictis non sunt alicuius pœnæ capaces, ergo nec hi sunt in delictis puniendi.

Quòd vero huiusmodi Muti, & Surdi sint insufficientes ad apprehendendam quamcunque scientiam, ac disciplinam, patet ipsa experientia per quam videmus, eos in multo pejori conditione esse quam cæcos à nativitate, quia cæci à nativitate, si disciplinentur, artes nonnullas, ac scientias quasvis apprehendunt; nam plerique noverunt, & nos ipsi novimus insignes Concionatores, Poëtas, & alios viros in omni scientiarum genere instructos à nativitate cæcos: Quin etiam Plastem quendam cæcum hic commoratum superiori anno viderunt nonnulli effigiem quorumcunque æmulari solo tactu magnitudinem, & figuram investigans. De eo mentionem
11 habet vir nulli alteri Doctrina secundus D. Ioannes Nardius Florentinus *in suo Lucretii perpolitissimo commentatio lib 4. non admodum longe à prin.* sed hoc in mutis, & non Surdis à
12 nativitate non esset mirandum, sed quoad scientias nihil tale de Mutis & Surdis à nativitate commemorant.

Præterea non videntur Muti, & Surdi ex electione posse agere, dum Brutis æquiparantur, quæ ex virtute, & ex electione ab intellectu determinata, & ex libera voluntate in iis, quæ vitia, & virtutes respiciunt non operantur. & idcirco neque pœnæ neque præmii capacia, sunt eodem modo Muti, & Surdi à nativitate in iis, quæ vitia, & virtutes respiciunt, ex virtute, & electione operari non existimandi, & sic neque meriti, neque demeriti capaces esse, nec præmii, nec pœnæ quamobrem puella hæc videretur esse absolvenda.

Multò vero magis urget, quod etiam si condonemus, Surdos, & Mutos à nativitate posse apprehendere & assequi ea omnia quarum materiæ existunt, & cæteris saltem sensibus, Auditu excepto, comprehenduntur, tamen certum est, Abstractorum nullam posse formare in se ipsis speciem, per quam ea intelligant, quia cum ad intelligentiam requirantur propriæ rerum species, vel saltem species quædam alienarum rerum, ex quibus fiat intellectio, abstractorum autem nulla sit species, quæ possit ab illis, ut à cæteris hominibus concipi, qui per similitudines quasdam aliarum specierum etiam abstracta apprehendunt, certum est Surdos, & Mutos è nativitate non posse ullo modo abstracta concipere, cum non possint ut cæteri homines instrui per disciplinam ad concipiendum species illas similitudinarias; per quas abstracta intelliguntur; at comprehendere Patris reverentiam, & turpitudinem actus venerei potuerit forte Mutus & Surdus à nativitate, non poterit tamen hæc duo simul conjuncta apprehendere, nempe turpitudinem Actus venerei cum Patre proprio esse damnandam, ac maxime fugiendam, quia ad hoc intelligendum requiritur apprehensio abstractorum, quorum illi nullam concipere possunt speciem, ex qua formare possint conceptus, atque inde discurrere, & veras conclusiones elicere: cum ergo hi Muti & Surdi non possint per species prædictas ratiocinio uti, dicendum esse ob eam intellectus imperfectionem non esse in delictis pœnæ alicuius capaces, cum in illis non adsit dolus, pro absente, culpa omnis etiam abest, ut alias dictum est.

His tamen non obstantibus pro contraria sententia maxi- 13
mopere urgebat, quod toties de Brutis inculcavimus, nempe eorum aliqui, quæ magis existimativa pollent, & ad humani ingenii capacitatem per eam nonnihil accedunt, cognoscere Patrum Reverentiam, & actus venerei turpitudinem, & idcirco parentibus non misceantur; quin ulterius eorum aliqua castitatem servant, & coniugalem fidem agnoscunt ab eaque nullo tempore recedunt. Et quamvis concedi possit, hæc, & similia ab illis fieri ex instinctu Naturæ, tamen in ipsis Brutis & Surdis idem debere succedere ad omne pelus ex instinctu naturæ esset dicendum, sed per naturæ instinctum possunt cognoscere delicti eius turpitudinem; ut faciunt Bruta, ob quam ab eo abstinent, ergo videntur omnino in his delictis puniendi.

Quod vero Bruta, ut toties dictum est, hæc, quæ diximus, assequantur, patet expresse ex naturalibus historicis; nam equum cum parentibus non misceri apud ipsos compertum est, unde ut narratur ab Ælian. *lib. 4. de hist. anim. c. 7* cùm aliquando admissarius equum cum matre per fraudem coniungi coëgisset, re cognita, uterque sese præcipites agentes, sibi mortem conscivere. Quin & Camelus eadem versus Parentes reverentia utitur, neque enim in matrem supervenit, quamobrem apud eundem Ælianum *libro tertio eiusd. cap 47* Camelus eodem modo fraudulenter ad matrem ineundam impulsus, ubi idem cognovit, Camelarium interfecit. De castitate, & coniugali fide Turturum, & Columbarum, quam suis coniugibus servant, patet ex Aristot. *libro nono de Hist. Anim. cap 1.* & eod Ælian. *lib. tertio eiusd. c. 44.* & de eadem castitate in Alcione observata mentio habetur à Plutarch. *in lib. de induct. Animal.* & de Elephantorum castitate, Ælian *l. 8. Anim. cap. 17.* & post alios Matthiol. *in libro secundo Dioscorid. de Mat. Med. cap. 50.* Quin etiam nonnulla Brutorum cognoscere apertissimè actus venerei turpitudinem, testatur ipsorum verecundia, cùm palam nunquam coeant, sed in loca secretiora secedant, ut cuiuscunque animalis conspectum fugiant; ita de Elephante, Aristot. *lib. 5. de Histor. Anim. cap 2.* & Ælian. *ubi proximè*, & de Camelis idem Arist. *ibid* qui non patiuntur quemquam ipsis coeuntibus præsentem adstare nisi Pastorem, quem tamen etiam secedere, cum coituri sunt dicit Ælian. *lib. 6. de Animal. cap 60.* Quæ quidem, si vera sunt, quemadmodum & pluta alia hujus generis, quæ apud suprà citatos, & alios Auctores requirere quivis potest, jam non ambigendum, surdos & mutos à nativitate, facilè posse actus virtutis ac præcipuè eos qui ad res venereas, & alias naturales pertinent; tanquam bonum, & honestum quid apprehendere, & sequi, actus verò contrarios tanquam quid malum, & inhonestum, ac pœna dignum fugere; unde in casu nostro concludendum videtur, puellam hanc, cùm poterit assequi per sufficientem discursum, quod rem veneream cum proprio Patre exercere res esset enormissima, ac summoperè mala, ac multa pœna digna, & tamen non abstinuerit, esse severissimè, non secùs ac fuerit ipse Pater, mulctandam.

Sed neque hæc videbantur ita afficere, ut ad pœnam esset ob hæc transeundum, quia videntur omnia objecta convenientem responsionem admittere, & quoad ea, quæ ultimo loco de Brutis dicebantur, nempè quòd nonnulla eorum sufficiunt ad cognoscendam turpitudinem conjunctionis carnalis cum propriis Parentibus, & quòd aliæ noverint fidem coniugalem

galem ſervare, eamque nullo in tempore violare. Reſpondetur, hæc non ſatis comperta eſſe, & quotidiana experientia falſitatis redargui; neque etiam ſi omnem veritatem haberent, quicquam afficere. Quod enim non ſatis comperta ſint, patet, quia ipſi ſiderum naturalium rerum ſcriptores hæc infirmarum unde licet Ælianus narret equos patentibus non miſceri tamen ex Ariſt. *lib. 6. de Hiſt. Animal. c. 12.* cui ſuffragatur experientia, patet illos matres: & filias comprimere: Idemque etiam de Camelis aliiſque Brutis, ſi quæ ſunt de quibus ſimilia jactentur videtur aſſeverandum. Similiter etiã de Turturum, Columbarum, & Halequorum caſtitate. & conjugali fide reſpondendum, atque eſſe quidem hæc dixerim ſpecioſum quoddam Scriptorum naturaliũ commentum, neque unicum, nam plura ſimilia effingunt. Quãropere obſecro, celebrata eſt Apum mundicies & caſtitatis virtus de qua aliàs *lib 4 titul. 2. quæſt. 3.* abunde locutus ſum, nam ut ibi dixi, Plutarchus non ſemel, & alii de ea peculiarem mentionem habuerunt: quin etiã Virgil. *lib 4 Georg.* eam celebravit: ante quos etiam Ariſtot. *lib. 3. de Gener. Anim. cap 10.* de ea verba fecit, eaque de re Pallad. *lib. 3 de Ruſt. cap. 14.* Apum cuſtodem caſtum, & purum requirit. Hoc tamen in dubium revocat Columell. *de re Ruſtic. lib. 9. capit. 2.* immò Scalig. *in Card. exerc. 195.* & poſt ipſum, & ex ipſo Licet. *de Spont. viv. ort. lib. 4. cap. 57.* omninò hanc caſtitatem ab Apibus ablegant, tandemque Recentiores minus credoli, hæc miracula ut plurimum, non admittunt.

Sed concedamus, & pro vero admittamus quæcunque de ſupradictis auctores afferunt, certum eſt, ea animalia operari ex nõ aliqua præexiſtenti cognitione, ac propter virtutem, ſed ſolo inſtinctu naturæ; at maximoperè differt operari ex virtute & inſtinctu naturæ, quia operari ex virtute non poteſt ullum animal, niſi cognoſcat finem, ad quem ſuam operationem dirigit, propter quem operatur: contra verò ex inſtinctu naturæ operari, ſit abſque ulla finis cognitione, neque adeſt in hac operatione operantis libertas, ut in opere virtutis, & ideirco neque meritum, neque pœnam ex tali operatione pro naturæ inſtinctu facta animal reportare debet, neque ex ea quæ contra naturæ inſtinctum fit, nam ſi nulla cognitio ſiris reperitur in operatione facta ſecundum naturæ inſtinctum, nulla quoque reperiri poteſt in operatione, quæ fit contra naturæ inſtinctum. Ad id tandem, quod de advenis
15 dicebatur. Regionis ſermonem non intelligentibus, dicendum eſt, non eſſe parem rationem, immò maximè diſparem, cum advenæ intellectus perfectionem ſortiantur, & poſſint vel ipſius nutibus, & conſuetudine ſtatim ita inſtrui ut facile apprehendãt quæ facere, quæ omittere in ea regione conveniat, & præſertim quæ inter cætera ſunt magis animadvertenda, ut delicta magis enormia; non ſic autem evenit de Mutis & Surdis, in quibus non ſolùm adeſt impedimentum Auditus, ex quo loquelam intelligere aut addiſcere poſſint, ſed adeſt in-
16 ſuper intellectus imperfectio ob quam à recto diſcurſu deficiunt, & ſic non poſſunt ex virtute, neque contra virtutem operari, cum non ſatis cognoſcant finem ſuarum operationum.

Verùm enimvero pro veritate videtur dicendum, debuiſſe caſu noſtro conſtare de ſufficientia intellectus ipſius Puellæ, cùm pateat Mutos & Surdos à nativitate multùm differre inter ſe quoad intellectus perfectionem, eorumque plures ſpecies conſtitui, pro majori, aut minori intellectus perfectione:
17 & quia omnis culpa imperfectionis ipſorum eſt penes ipſa inſtrumenta; & quadrupliciter poſſunt hæc inſtrumenta oblæſa exiſtere, quatuor ſpecies jure hujuſmodi humorum conſtitui debent.

In prima ergo ſpecie reponemus illos, in quibus intellectus inſtrumentum, cerebrum nimirum inſigniter. & ſecundùm principales partes, mancum, & oblæſum eſt, fortè etiam ſecundùm nervos acuſticos, ſive auditorios (nam & abſque horum læſione poſſe hominem ob ſimplicem cerebri ſecundùm ſuam ſubſtantiam depravationem Mutum permanere ex imbecillitate intellectus, & ineptitudine addiſcendi, ego quidem abſurdum eſſe affirmare non exiſtimaverim) atque hos quidem Brutis ipſis comparandos quoad Rationis uſum jure dixerim, coſque abſolutè nullius meriti, aut demeriti capaces eſſe aſſeverandum.

Secunda ſpecies eorũ eſt, qui habent quidem ipſum cerebrum ſecundùm principales partes benè à natura conſtitutum debitaque proportione, ac perfectione dotatum, ſed læſionem aliquam ſortiti ſunt juxta principium nervorum Acuſticorum. & in ipſiſmet nervis auditoriis, qui ad ipſum cerebrum deferũt ſenſibiles ſpecies; in his conſtat apparere quandam intellectus humani tuditatem, unde nonnulla quidé apprehendunt, ſed imperfectiùs quàm faciant pueri Septennes, & ob Auditus impedimentum loqui non addiſcunt, nec majorem unquam capacitatem habent, quàm iidem pueri Septennes cognoſcentes, ſi quæ cognoſcunt, cognitione quadam confuſa ac turbida & maximè ea quæ reſpiciunt actus ex virtute vel contra virtutem, & vitium, nempe præmium, ac pœnã, honorem, & virtutem, unde neque in hoc, veluti neque in pueros Septennes poteſt cadere dolus, & conſequenter neque culpæ neque pœnæ ſunt capaces, niſi forte aliquo modo in atrociſſimis.

Tertiò Mutorum & Surdorum à nativitate ſpecies ſequi- 19
tur, eoſque comprehendit, qui non ex ullo vitio inſtrumenti ipſius intellectus, cerebri nimirum loqui, non addiſcunt, ſed quia ex vitio, & læſione ductuum, & nervorum Acuſticorum, auditu privantur, & hi quidem ſupradictis in apprehendendis rebus, quæ illis commonſtrantur, ſunt aptiores, quia etiam cognitione evidentiori intellectus dotantur, & poſſunt licet imbecillius quàm in quarta ſpecie reponuntur, ſed melius quàm qui prænominati in ſecunda ſpecie comprehenſi aſſequi quamplura, quæ neque Bruta, neque alii muti & Surdi prædicti aſſequi valent, quod tantò magis in illis habet locum, quanto longius oblæſio nervi ſenſorii à cerebri principio recedit; nam quantò propriùs ad illud vitium accedit, tantò magis læſum eſſe cerebrum verò conſentaneum eſt. Sunt ergo hi abſque dubio doli capaces, unde poſſunt ex virtute, & ex malitia operari, præmiumque ac pœnam ex operationibus ſuis aliquatenus reportare, licet ratio habenda ſit etiam in his imperfectionis ſui intellectus, quia ob auditus impedimentum plene eruditi non poſſunt.

Quarta denique ſpecies eos Mutos & Surdos comprehen- 20
dit, qui nullum in cerebro, neque in nervis auditoriis vitium habent, ſed non audiunt ob interpoſitionem cujuſdam tunicæ craſſioris ante membranam, quam tympanum vocant, & ex eo impedimento loquelam non addiſcunt. De hac Sudorum ſpecie alias memini ex Hieron. Fabric. *de org. Audit. part. 1. cap. 4. lib 2. quæſt. Medico-Leg. tit. 1. q. 18. n. 6.*

His cõparandi ſunt qui in ipſa infantia ex accidenti obſurdeſcunt, ut ex caſu, ex frigore, & rumore ingenti & ex improviſo percepto, ut ex ictu bombardæ, & ex morbo etiam gravi quales caſus recitat Guilielm-Fabric. Hildan. *obſ. Chirurg-cent. 3. obſ 5. 6. & 7.* nam & hi ob contractã ſurditatem ab infantia loqui non diſcunt, licet à natura nullum vitium in cerebro, ut in aliis inſtrumentis habeant; quod eveniſſe cuidam Puero, qui octennis gravitèr ægrotavit, & incuratus convaluerit, recenſet idem Fabric. *cent. 5. obſ. 26.* Tametſi enim Puer ille loqui tantiſper jam didiciſſet, tamen ob morbi vehementiam, obſurdeſcens, obmutuit, etiam in perpetuum, quia loqui diſcere ulteriùs non potuit; hi autem cum habeant, ut dixi, inſtrumentum intellectus ab omni vitio expeditum, nihilo im-
perfectiùs quàm cæteri omnes homines ratiocinati poſſent, ſi 21
per auditum poſſent eruditi, nam hoc ego putaverim potuiſſe Monachum illum ſermonem docere de quo ex Valleſ. *lib. de Sacr. Philoſop. c. 3.* mentionem habui *loc. cit.* Cùm ergo hi præ omnibus ad perfectionem intellectus humani accedant, erunt conſequenter cujuſvis doli capaces, quemadmodum meriti, & pœnæ, quia ex virtute, & ex malitia operari poſſunt, hi ergo præ omnibus in delictis puniendi, non ſecus ac perfecti homines in atrocioribus præſertim, nam in aliis aliqua forte ratio habenda eſt eorum imperfectionis, quæcunque tandem illa ſit. Itaque conſtito de ſufficientia ratiocinatricis hujus puellæ, & de ejus malitia, & dolo, facile Judex arbitrari poteſt ultimo ſupplicio ob delicti atrocitatem ſit damnanda, an contrà, ejus miſeratio habenda.

Admodum Illuſtri atque Excellentiſſimo Viro Domino.

HERCULI RONCONIO,

In Romana Curia advocato celeberrimo,

Ac V Cl.

PAULUS ZACHIAS MED. F.

Quæ meo impulſu circa ſequentem caſum in proximo Conſilio exaravi, videntur jure merito tibi deberi, atque utinam alia quamplura pro tua humanitate mihi communicaſſes, non diffiterer enim opellas haſce meas multò ornatiores in lucem prodituras; ex tuo enim ingenio non parum ſplendoris potuiſſe illis accedere, certo certius novi. Quod hactenus non præſtitiſti ſi in futurum præſtiteris, majorem me in modum tibi devinxeris, licet jam arctiſſimè obligationum vinculis me tibi devinctiſſimum noverim. Vale.

CONSILIUM LI.

ARGUMENTUM.

Proponitur caſus non diſſimilis ab eo, qui habetur *in l. Qui duos, §. cu in bello, ff. de reb. dub.* qui eſt hujuſmodi. Inter quamplures, qui ſimul ſub cujuſdã veteris

veteris Ædificii ruinis fuerant oppreſſi, perierant Titius pater ſexagenario major, habitus obeſioris ac frigidioris temperamenti, ac Sempronius ejus filius ætatis triginta annorum, habitus gracilioris, & temperamenti calidioris. Dubitabatur quiſnam priùs fatis ceſſiſſet, nam Stichius Titii Frater ejus hæreditatem poſtulabat ex eo, quod Titius Sempronio ſupervixiſſet: Contra verò Seja mater Sempronii filium Patri ſupervixiſſe inculcabat. Inventum autem fuerat utrumque cadaver poſt decem horas ab Ædificii ruina, verum Titii cadaver nullatenus labefactatum cernebatur, unde conſtabat, illum ſola cæmentorum, ac ſaxorum pondere fuiſſe ſuffocatum. At verò Sempronii cadaver non ſolum idem paſſum fuiſſe videbatur, ſed vulnus etiam in occipite acceperat, lethale quidem, non tamen ex primo capite. Quæſitum ergo eſt pro eo, quod ad Medicam ſpeculationem ſpectare poteſt, quibus indiciis cognoſci poſſet, Patrem filio ſupervixiſſe, vel filium Patri, cui quæſito ſequenti reſponſo ſatisfeci.

SUMMARIUM.

1 *Materia de pariter defunctis tantundem difficilis, quantùm nobilis.*
2 *Lex præſumit ſemper filium puberem Patri ſupervixiſſe, ob præſumptionem majoris roboris.*
3 *Præſumptio deſumpta à viribus, omnibus aliis præſumptionibus anteponenda.*
4 *Ob virium robur aliquando homines in morbis diutiùs vivunt quam deberent, & è contra.*
5 *Leges ſemper in his rationem habent roboris, vel imbecillitatis morientium.*
6 *Duæ cauſæ ad agendum potiores, & efficaciores ſunt quàm una tantùm.*
7 *Duæ conjunctura multò magis ſtringunt, quam una.*
8 *In paritate cauſarum præſumi ſemper debet, occubuiſſe priùs imbecilliorem.*
9 *Nullum Animal moritur abſque Syncope.*
10 *Ratione ætatis in ſubito inſultu cauſa interimentis unus poteſt diutius vivere, quàm alius, etiam ſi ambo ab eadem cauſa æqualiter patiantur.*
11 *Ratione majoris, vel minoris vigoris unus eidem cauſa magis, aut minus reſiſtere poteſt, quàm alius.*
12 *Robur ſenectuti adjungi non poteſt.*
13 *Ex Naturæ ordine fit, ut juvenis majoribus viribus dotetur quàm ſenex.*
14 *Senis ſanitas non eſt abſolutè ſanitas?*
15 *Juvenes ſanos ne vehemens quidem cauſa afficit, ſenes autem vel minima cauſa male accipit.*
16 *Ratione habitus corporis quomodo in paritate cauſarum interimentium unus præſumatur priùs decedere, quàm alius.*
17 *Obeſi facilius intereunt quàm gracilet.*
18 *Ratione temperamenti quomodo unus præſumatur ſupervivere alteri.*
19 *Efficatia violentiorū cauſa non permittit debiliorem cauſam quicquam efficere.*
20 *Ceſſante vulneris gravitate, ceſſante de neceſſitate omnia accidentia ad vulnus grave conſequentia.*

DIfficilis quidem, ſed tantundem nobilis proponitur materia diſcutienda in hoc caſu, ut in ſimilibus teſtatur Peregrin. *conſ. 99. lib. 6. n. 11.* quæ ſi apud Juriſconſultos judicatur difficilis, multò difficilior à me judicanda. Illi enim habent Anteſignanos quoſdam, ipſas, inquam, Leges, quarum veſtigia in ea re ſequantur cùm ego ſimili auxilio omninò ſim orbatus. Utcunque tamen ſit, partim ex rationabili diſcurſu, partim ex ipſarum legibus, & D.D. auctoritate rem non omni ex parte interminatam relinquere confido. 1

Niſi ergo aliud quid obſtaret, & nonnullæ peculiares conditiones in propoſito caſu concurrerent, ſatis ſuperque videretur ea res per ipſas leges deciſa *in l. qui duos, §. cum in bello, & l. ſi Lucius Titius, ff. de reb. dub.* quibus in locis lex præſumit filium puberem Patri ſupervixiſſe, non aliam, ut deinceps oſtendam, ob cauſam, niſi ob majorem filii vigorem ætati ſuæ convenientem: at Patrem contra ob majorem imbecillitatem præſumit filium morte prævenisſe. Unde cùm Titius in noſtro caſu eſſet ſexagenario major, Sempronius verò eſſet juvenis, & in ſummo vigore virium, credendum eſt ac jure præſumendum. Sempronium Titio Patri ſupervixiſſe, nam hæc præſumptio deſumpta à majori, vel minori virium robore eſt adeo conſiderabilis, ut aliis, ac quibuſvis præſumptionibus validior ſit habenda non modo enim operatur in paritate cauſarum, ut in caſu noſtro, ubi ambo Titius, & Sempronius ex ruina murorum ſunt extincti, ſed etiam in earundem cauſarum imparitate; nam exempli gratia proponantur nobis duo infirmi, quorum primus viribus ſit valentibus, firmoque corpore, atque hic febre maligna, ac in primo capite pernecabili detineatur? ſecundus verò viribus conſtet imbecillibus ac corpore debili: atque hic febre continua non maligna, ſed lethali, non tamen in primo capite laboret, reſiſtet quidem primus ille multò longiori tempore contra morbum multo majorem, ob majus virium robur & fortaſſe ab eo evadet, quàm ſecundus contra multò minorem ex cujus etiam vi ſuccumbet ob earundem virium imbecillitatem; & ad hoc optimè facit Galeni auctoritas *in lib. 3. Epidem. Ægrot. 2 part. 11.* quam adduxi etiam aliàs ad hanc ipſam ſententiam comprobandam *lib. 5. Quæſtion. Medico-Leg. Tit. 2. quæſt. 11. n. 18.* ubi Galenus in morbis lethalibus nonnullos aſſerit diutiùs vivere, quàm deberent, ob virium robur, unde è contra nonnullos ob virium imbecillitatem citiùs interire, quàm deberent, eſt dicendum: ac in ſumma ſemper leges in his caſibus rationem maximè habuiſſe vigoris aut imbecillitatis morientium teſtatur etiã Bartol. *in l. quod de pariter. ff. de Reb. dub.* Neque alia ex cauſa prudentiſſimè deciſum à Mariano Socino ſenioti teſtatur Socinus Jun. apud Menoch. *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 50. n. 27.* in quodam caſu, in quo Pater cum filia tredecim annorum perierat, Patrem ſupervixiſſe filiæ, quia non obſtante quòd Pater eſſet ſenex, & filia eſſet pubes, pater erat robuſtus filia autem natura imbecillis, & valetudinaria, unde licet ubi Pater cum filio pubere ſimul ex eadem cauſa decedat præſumatur à Lege puberem Patri ſupervixiſſe, ut ex *l. Qui duos, §. cum in bello, ff. de reb. dub.* ſupra dixi: tamen contraria militat præſumptio, ubi Pater fuerit robuſtus, filius autem licet pubes imbecillis, ut in caſu à Socino adducto, quantùm enim potuit virium robur in Patre mortem procraſtinare, tantumdem potuit in filia virium imbecillitas mortem accelerare. Quæ omnia cum maximè habeant locum in caſu noſtro, dicendum videtur, illum priùs deceſſiſſe, qui imbecilior erat ac ſenem juvene eſſe imbecilliorem quis in dubium revocabit, præſumendam ergo eſt, Titium Patrem celeriùs deceſſiſſe, & Sempronium filium illius remanſiſſe hæredem, cùm Patri ſupervixerit. 2

Verum enimverò non deficiebat pro contraria ſententia urgentiſſima quidem conjectura ex majori, ac evidentiore læſione ex Ædificii ruina quam præ ſe ferebat cadaver Sempronii, cujus non erat particeps Titius, Sempronius enim non modo fuerat à murorũ ruina oppreſſus, ſed remanſerat etiam in capite lethaliter vulneratus. Conſequens autem eſt, illum qui majorem ac graviorẽ læſionem ex ruina perpeſſus fuerit, citiùs expiraſſe; cùm duæ cauſæ ad agendum æqualiter efficaces, quarum unaquæque per ſe eadem efficacia dotetur, multo faciliùs, ac promptiùs effectum producere poſſint quàm una ſola: Modo, in caſu noſtro Sempronio concurrunt duæ cauſæ, & unaquæque per ſe efficax ad illum occidendum, cùm & ruina per ſe, & capitis lethale vulnus per ſe Sempronium poſſet occidere; at in Titio una cauſa tantùm concurrit, nempe ruina ergo ſuperadditio novæ cauſæ in Sempronio certo commonſtrare poteſt celeriùs illum occubuiſſe, quàm Titium, duæ enim conjecturæ quæ locum habent in caſu Sempronii, multò magis ſtringunt, quàm una Peregrin. *lib. 6. conſ. 99. n. 169.* præterquam quod duo de neceſſitate conſequi debuerunt ex vulnere in Sempronio, primò quòd accepto vulnere in ſyncopem, vel Apoplexiam, vel ad minus in cerebri commotionem inciderit, ſecundò quod ob copioſam ſanguinis effuſionem ad extremam illico devenerit debilitatem, & ſic ex eodem fundamento nimirum, quod ob virium imbecillitatem in paritate cauſarum debeat præſumi priùs deceſſiſſe una perſona, quam alia quæ virium robore non deſtituitur, deducendum jure videtur, Sempronium prius deceſſiſſe, quàm Titium. 3 4 5 6 7 8

Præterea cùm pateat, quamplures qui à ſimilibus infortuniis ſunt ſublati, præcipuè verò à ruina, eo maximè interire, quod reſpirare prohibeantur, ut probavi *lib. 5. quæſt. Medico-Leg. Tit. 2. quæſt. vit. à num. 2. ad plures ſeq.* quia reſpiratione prohibita neceſſe eſt vitæ fontem illico extingui, certum eſt, in hoc caſu multò plures, & evidentiores cauſas concurrere in Sempronio reſpirationem abſcindẽtes, quàm in Titio nam licet uterque ea ædificii ruina fuerit oppreſſus, & ab ejuſdem violentia reſpirare prohibitus, tamen Sempronius ex pereuſſione

lone accepta in capite, & ipsius capitis concussione, & ex quo vulnere ob copiosam sanguinis effusionem syncopem est passus, ex quarum utraque causa respiratio non solum mirum in modum impeditur, sed etian in totum abscinditur, ab Apoplexia vero imminere summam respirationis difficultatem alias ex Hippocratis, & Galeni aliorumque D.D. auctoritate probavi; sed multo major, ac celerior suffocatio immineat à syncope quæ idcirco terminus est, & finis ipsius suffocationis, quemadmodum & cujuslibet causæ interimentis,
9 cum nullum Animal unquam motiatur absque syncope, unde idcirco syncope convertitur cum ipsa morte, est enim mors syncope confirmata ut alias duxi. Itaque cum Sempronius non à ruina solum, & à mutorum oppressione respirare impediretur, sed etiam ab accidentibus ex ipso vulnere provenientibus, quæ per se etiam absque alia causa, aut ruina apta erant hominem quam primum ingulare, videtur certè dicendum, Sempronium in morte Patrem prævenisse, cum pater ob minorem violentiam perpessam diutius potuerit vivere, ut patet.

Sed his non obstantibus videbatur potius contrarium esse
10 determinandum. & Primò ratione ætatis, cujus respectu diutius potuisse resistere causæ suffocanti Sempronius præsumendus est, quam Titius; quantum vis enim violenta causa hominem adoriantur, qui iuvenis adhuc sit, & decenti robore dotetur, semper poterit diutius pugnare cum inimica causa, quam constitutus in ætate provectiori, ac maxime in secundo senio, ut erat Titius: neque hoc asseritur sine evidenti ratione, quia in iuvene corpus laudabilibus humoribus refertum, neque ab ulla præternaturali causa oppressum reperitur, unde calor, & spiritus promptior, atque expeditior ad resistendum cuicunque obvianti causæ inimicæ; contra verò senile corpus multis excrementis, humoribusque supervacaneis refertum, atque aggravatum, ut experientia constat, & docent Medici, ut Gal. *pluries*, & maximè *lib* 3. *Aphorism. 76*. mirum in modum ad pugnandum contra irruentem hostilem causam reperitur præditum, maxime ubi illa vehemens sit, & ex improviso hominem adoriatur, ut in casu nostro.

11 Secundo, præsumendum est, Sempronium Titio supervixisse ratione maioris vigoris, ac fortitudinis: quæ conditio, tantopere prævalet ex Sempronii, quantopere succumbit ex parte Titii: nam ab ipsa ætate juvenili robur, à senili imbecillitas arguitur, cum robur senectuti adjungi non possit: Galen. *lib. de cur. rat. per. sang. miss. cap. 9.* & idcirco senex dici non po-
12 test, qui virium robur non habet, id Galen. *Meth. med. lib. 11. cap. 9*. Nam ætates virtutis robore metiendæ, non annorum numero; unde homo triginta annorum si vires habeat imbecilles, quales seni coveniunt, senex dicitur: contra, homo sexagenarius, aut etiam major viribus robustis & valentibus, quales juveni conveniunt, adhuc juvenis est dicendus; nam secundum naturæ ordinem fit ut juvenis majoribus viribus do-
13 tetur, quam senex; unde stantibus Sempronii viribus integris ætati juvenili proportionatis præsumendum est. illum supervixisse Titio patri jam seni, & viribus non undequaque constantibus, etiam qualibus dotari debet senex, absque eo quod alia conditio accedat, quæ ultra ætatem magis dejicere virtutem possit, ut in casu nostro, in quo præsupponitur Titius
14 fuisse habitus pinguioris, de qua re infra. Interim vero Titius respectu Sempronii non poterat dici sanus, quia si sanitas senis per se non est absolute sanitas ut pluries testatum reliquit Galen. præcipuè autem *lib. 5. de loc. aff. cap. 4. & lib. 6. de sanit. tuen. cap* 2. quanto minus debet dici sanus juvenis com-
15 paratione? contra vero juvenum sanitas perfecta sanitas est, quam idcirco idem Galen, vocari dicit ἀκρίβειαν eorum autem, qui hac sanitate, perfecta nempe fruuntur, ne vehemens quidem causa corpus alterat: contra vero seni, cujus sanitas non est perfecta, ex ætatis ratione, vel minima causa maximæ mutationis occasio est: ita ad verbum Galen. *lib. 5. de san. tuen. cap. 4.* cum ergo sanitatem metiri recte omnes dicant ex virium robore, & ex actionum ipsarum validitate, senes autem licet omnes actiones exerceant, nullam tamen validam habeant, Galen. *lib. 6. de san. tuen. cap. 2.* certum est, eos minus multo resistere posse violentæ causæ, quam juvenes, & sic concludendum eam ob causam potissime præter alias Titium ante Sempronium filium animam exhalasse.

16 Tertiò, ratione habitus ipsius Titii præsumi debet illum celerius occubuisse, quam Sempronium, non modo enim ex naturali constitutione evenit, ut obæsi facilius intereãt quam graciles, juxta Hippocrat. sententiam *lib. 2. Aphor. 44.* sed
17 etiam ex causa præternaturali, cum pluribus ex causis obæsa corpora minus resistant violentiæ præternaturalis causæ, quam gracilla, vel mediocriter habituata, inter quas prima est, quia in obæsis calor naturalis à pinguedine obruitur, unde imbecillior, fit, & minorem activitatem sortitur; secunda, quia vasa, ac viæ ob eandem pinguedinem luxuriantem redduntur multo angustiora, atque inde fit ut non possit calor libere permeare. Tertia, quia difficilius respirant, & calor minus omninò eventatur, unde superveniente nova causa, quæ respirationem quoquo pacto impedire, ac remorari possit, ut in plerisque mortis eventibus, & præcipuè ex ruinis evenit, absque dubio citius strangulantur obæsi, quam graciles, aut mediocriter habituati, ob contrarias omnino causas violentiæ resistentes.

Quartò denique, ratione temperamenti præsumi debet, Sempronium filiũ Titio Parenti supervixisse, ex eodem enim utriusque habitu manifestissime conjicitur, Sempronium fuisse temperamento calido, & sicco, Titium verò temperamento frigido, & humido; quemadmodum autem Sempronii temperamentum fetacissimum est caloris, & spirituum, sic è contra Titii temperamentum caloris, spirituumque parum abundans reperitur: at ubi major calor, & major spirituum copia, majus etiam virium robur adesse necesse est, contra ubi calor remissus & parva spirituum copia, minus etiam virium robur adesse arguitur, unde cum Titius tum ratione ætatis, tum ratione habitus, tum etiam denique ratione temperamenti multo minori virium robore dotaretur, quam Sempronius, præsumi etiam debet multo citius violentæ causæ essisse, & multo ante Sempronium occubuisse. 18

Neque obstant, quæ in contrarium opponuntur. & primo quo ad majorem læsionem in Sempronio ex vulnere observatam respondendum nihil efficere, quia licet vulnus Sempronii non præ se ferret omni ex parte salutare, tamen non erat ex primo capite lethale, ut supponitur, itaque cum agatur de morte subitanea, & repentina à multo violentiori causa illata, in nulla consideratione ejus respectu videtur habenda causa procedens ex vulnere, ex cujus læsione non solum poterat Sempronius ad multum tempus vitam protrahere, sed etiam ab eo sese recolligere, & in totum etiam sanari. Neque valet instãtia, quod vulnus se habuerit saltem, ut causa coadjuvans, & faciens effectum citius, ac promptiùs succedere, nempe suffocationem ab ipsa ruina imminentem, quia ipsius temporis angustia non permittebat illud quicquam operari; præterquam quod efficacia multo violentioris causæ non permittebat debiliorem causam quicquam efficere; distrahebatur enim natura ab illa, ne huic ullo modo opitularetur, 19
antequam autem debilior causa quicquam agere posset, violentior suum effectum produxerat, hominem suffocando.

Secundò, ad omne pejus tam licceret asserere, quod vulnus Sempronii fuisset causa coadjuvans, & accelerans ipsius mortem, cum fuisset simpliciter, & ex primo capite lethale, quia hæc vulnera ob terribilia accidentia, quæ secum afferunt, illico naturam prosternunt, & alios effectus produnt ils familiares, qui de proximo morituri sunt, unde cum hoc vulnus ex horũ numero non fuerit, nequaquam necesse fuit ad illud sequi vel syncopem, vel Apoplexiam, vel aliud quid simile, quod potuerit priorem illam ac violentiorem causam coadjuvare.

Tertiò, quia qualitas hujus vulneris, quo Sempronius fuit sauciatus, non potuit tantam sanguinis effusionem causare, ut ex ea syncopem laberetur, ob collabentes vires, in extremo debilitatis gradu existentes; quod ex observatione cadaveris patuit, cum enim vulnus esset in occipite, neque majores venas violasset, licet magnum esset quoad quantitatem, non verisimile est sanguinis magnam copiam effluxisse, & sic neque verisimile est, ea accidentia fuisse subsecuta, quæ alias ad nimias sanguinis effusiones consequuntur; cessante ergo vulneris magna gravitate, ac pravitate, cessare etiam necesse fuit, aut potius nullo modo apparere prava illa, ac horribilia symptomata, quæ ex pravis vulneribus procedunt, & ex quorum supervenientia præsumi potuisset in Sempronio mortem fuisse acceleratam, ita ut celerius à ruina fuerit suffocatus, ex eo quod ob eorum accidentium violentiam vires prosternentium non potuerit diutius resistere; unde cum Sempronius vires haberet integras, & esset juvenis, habitus boni, & temperaturæ laudabilis. Titius autem viribus esset effœtis in ætate senili, habitus obæsioris, ac non boni, & temperamenti minus probi præsumendum est, non obstante læsione ex vulnere, Sempronium Patri supervixisse.

CONSILIUM LII.

ARGUMENTUM.

Soror Cypriana Nanni susceperat in Monasterio Sanctæ Claræ Arimini habitum Religionis, elapsoq; anno probationis recusabant Moniales illã

admit-

admittere ad Profeſſionem ex eo quod non haberet ut dicebant integrum rationis uſum, & eſſet veluti Amens: recuſabant, inquam, Moniales illam admittere ad profeſſionem, niſi illi Dos, ultra conſuetum, & concordatum augeretur. Dubitabatur ergo, an prædicta ſoror Cyptiana tam fatua eſſet, ut merito repelli deberet à profeſſione emittenda, an potius haberet tale judicium, ut immerito ab ea repelleretur.

SUMMARIUM.

1 *Ad profeſſionem emittendam non requiritur perfectus uſus & n. 9.*
2 *Ad impediendam profeſſionem, intellectum imperfectio debet eſſe talis, ut auferat integrum rationis uſum, ſicut & in contractu matrimonii.*
3 *In profeſſione emittenda non magnus, nec omnino perfectus neceſſarius eſt diſcurſus.*
4 *Voti eſſentia per quanam compleatur.*
5 *Demens dici poteſt qui circa difficiliora malè, ratiocinatur ſi circa faciliora bene ratiocinetur.*
6 *Dementia, ſeu ſtultitia, eſt intelligentiæ amiſſio.*
7 *Amentes, & furioſi aliquando prudenter loquuntur, & ad interrogata optimè reſpondent.*
8 *Dementes licet aliquando prudenter loquantur, ex factis tamen convincuntur.*

VIdetur dicendum, ſororem Cyprianam Nanniam eſſe habilem ad profeſſionem emittendam, & injuſtè Monialibus prohiberi ne emittat, ſub prætextu, quòd non habeat integrum rationis uſum, ita ut non ſit ſufficiens, ut aliæ Moniales, ad onera Monaſterii exercenda: qui tamen prætextus, etiam ſi verum eſſet, non eſſet tamen ſufficiens ad impediendam ſororem Cyprianam, quò minùs ad profeſſionem emittendam admitteretur; cùm pateat ad hoc non requiri integrum, ac perfectum rationis uſum, ut infra dicetur, præterquam quod in Pubertate conſtituti, etiam ſi hanc rationis perfectionem adhuc non ſint ſortiti, non tantùm unus quiſque ratione ſui ipſius, quantum reſpectu ætatis quam agunt, voto tamen ſolemni valide ſe obſtringunt, D. Thom. 2. 2 *q.* 88. *art.* 9. *in c.* & *q.* 189. *a.* 5. *in c.* & ipſæ mulieres, quæ maximè à virilis intellectus perfectione deficiunt, in ipſa Pubertate ad Profeſſionem admittuntur, quando vix rudimenta aſſecutæ ſunt perfecti diſcurſus, quem etiam in provectiore ætate debiliorem ſortiuntur, quod tam Medicis, quàm Iuriſconſultis eſt perſuaſiſſimum. 1

Quin etiam non modò ſufficit ad votum ſolemne profeſſionis emittendum rudis hic, ac imperfectus Rationis uſus, ſecundùm communem puberum, tam marium, quàm fœminarum capacitatem, ſed adhuc magis rudis, & imperfectus, & id. circò quærentes DD. qualiſnam debeat eſſe hæc intelligentiæ imperfectio quæ poſſit impedire Profeſſionis emiſſionem, cùm imperfectionis ſit maxima latitudo determinarunt, eam ſolùm ad hoc eſſe ſufficientem, quæ auferat rationis uſum ut firmat Rota *in noviſſimis deciſ.* 134. *num.* 1 *part.* 2. quod eſt etiam de mente D. Thom. *in utroque loco ſupra citato*, nam & in ſimilibus, ut in Matrimonialibus, dementia impediens contractum matrimonii debet eſſe talis, ut auferat rationis uſum, eadem Rota *deciſ.* 107. *num.* 29. *part.* 2 Et ratio eſt, quia diſpoſitum in mente capto, & furioſo, non procedit in fatuo ſimplici, & ſubſtupido, & hebetis ingenii, ut dicebat eadem Rota, *ibid. num.* 28. Ac profecto non abſque evidenti ratione videtur hoc habere veritatem, quia ad hoc ut quis poſſit profeſſionem emittere, non requiritur magna ratiocinatio, & perfectus diſcurſus, ſed ſatis eſt, ſi ille finem ſuæ actionis cognoſcat, ad quod ſufficit communes quaſdam rerum differentias aſſequi, ut bonitatem, & malitiam coniungendo enim hanc bonitatis, aut malitiæ qualitatem cum aliqua actione, qualis eſt profiteri Religionem, & ad eam voto ſolemni ſe obſtringere, ſatis eſt, ut vel exemplo, vel enthimemate deducat, quòd profiteri religionem ſit actus ex ſe bonus, & ſic de cæteris, ad quod genus diſcurſus tam modicus ſufficit mentis vigor, ut etiam bruta ad hoc ſufficere voluerint nonnulli, Fracaſtor. *lib.* 1. *intellect. in princ.* cognita namque actus bonitate, aut malitia jam facile eſt deliberare, & actionem bonam ſequi, à mala verò abſtinere per volitionem, poſt volitionem autem actionem complere: unde cognita bonitate profeſſionis quæ facilis eſt jam facilis eſt pariter deliberatio, & volitio, & poſt volitionem promiſſo, quæ tria complet ipſam voti eſſentiam: D. Tho. *loc. cit.* 4. & quorum omnium, etiam qui non habent integrum rationis uſum, ſunt omnino capaces. 2 3 4

Sed tantùm abeſt, quòd ſoror Cyptiana ſit adeò tardi intellectus, ut hæc aſſequi non poſſit, ut ad difficiliora etiam aſſequenda è contra ſit apta, patet enim ex fide Confeſſarii, de qua *in ſumm. n.* 12. illam eſſe valde ſagacem, ac vafram in ratiocinando de rebus mundanis, ex qua atteſtatione elicitur primò, ejus intellectum non eſſe à natura inhabilem ad perfectum ratiocinium, nam ſi natura ipſa nec perfectè, ac ex propoſito ratiocinatur circa faciliora, educatione, diſciplina, & ætate perfectè poterit ratiocinari circa difficiliora, ut in cunctis hominibus evenit, qui paulatim, & illicò, & rudiori exiſtente intellectu in ratiocinio proficiunt. Elicitur ſecundò quòd quemadmodum habilis eſt in diſcurſu circa res mundanas, qui a maiore applicatione in illis utitur, poſſit etiam applicatione facta ad res ſpirituales maximè habilis fieri in diſcurſu, qui in iis requiritur, & in ſumma ſatis eſt ſi illa perfectè diſcurrat circa ea in quibus maiore attentione utitur, nam ſi id verùm eſt, falſum omnino erit propoſitio contraria, quòd non habeat perfectum rationis uſum. 5

Sed dato etiam, quòd ſoror Cyptiana ſit ingenii tardi, & lenti, ex hoc non convincitur, illam eſſe dementem, & nullum habere rationis uſum, neque demens dici poteſt, qui circa difficiliora, malè ratiocinatur, ſi certa faciliora bene ratiocinari poteſt Fracaſt. *loc. cit lib.* 2. eſt enim dementia, quæ & ſtultitia appellatur, intellectionis amiſſio, Gal *lib. de loc. affect. cap.* 5. qui autem intellectum amiſit, in nullo genere rerum bene ratiocinari poteſt, dummodò ergò ſoror Cyptiana circa faciliora ſit apta ratiocinari, non poterit dici demens, & ſic neque à profeſſione emittenda tanquam demens prohiberi debet. 6

Ac profecto cum hactenus nihil deducatur in contrarium, quod vel ex factis, vel ex verbis demonſtrate poſſit, ſororem Cyptianam non habere rationis uſum tantò promptiùs, & clariùs ex factis, & verbis quæ deducuntur contrarium omnino remanet probatum: Conſtat enim, illam multa peragere, ac prægreſſa ætate peregiſſe, quæ non niſi ſane mentis homines peragere norunt: Quantum enim ex ſe fuit, dum in monaſterio per quinquennium vixit, omnia ea ſervavit, quæ exteræ Moniales ſervare tenentur; fœminea quoque exercitia nonnulla, licèt non exquiſitè, tamen aliquo modo eſt executa, & exequitur, orationes etiam permultas didicit, & memoria tenet, & ſuo tempore recitat; quæ omnia in illa uſum rationis ſervari ſatis confirmant.

Quin etiam ſi aliqua ejus dicta, & reſponſiones ponderare velimus id multò magis verum eſſe exiſtimabimus: interrogata enim per Viſitatores ad hoc tranſmiſſos, *ut in ſumm. n.* 5. ſemper ad rem reſpondit, & interrogata per Vicarium Generalem, quid ſibi vellet hoc, quod votum Religionis appellamus? reſpondit Caſtitatem, Paupertatem Obedientiam, ac perpetuam clauſuram promittere. Aliàs etiam per Confeſſarium interrogata, *ut in ſumm. num.* 13. an benè, vel malè faceret, ſi quis diceret *Demonio aiutami*. Reſpondit, *Farebbe male*, & ulteriùs interrogata an benè, vel malè faceret, ſi quis diceret, *Dio aiutami* reſpondit, *Farebbe bene racommandandoſi à Dio*, in quibus reſponſionibus non ſolùm manifeſtè apparuit illam noſſe bonum à malo diſtinguere, cùm bonitatem, & malitiam propoſitarum propoſitionum diſtingueret, ſed etiam illam uti optimo diſcurſu, cum cautam ſuæ reſponſionis adderet dicens, *Farebbe bene uno à dir, Dio aiutami, racommandandoſi à Dio*, Hæc enim eſt perfectiſſima ratiocinatio, & continet ſyllogiſmum hoc modo. *Il racommandarſi a Dio è bene il dir, Dio aiutami, è racommandarſi à Dio; adunque il dir, Dio aiutami, è bene.* 7

Neque obiici poteſt contra prædicta, quòd nequaquam his reſponſis ita ſit fidendum, ut per ea determinetur, ſororem Cyprianam habere perfectum diſcurſum, cùm prudenter prolata ſint, quia patet etiam Amentes, & furioſos aliquando prudenter loqui, & interrogata appoſitè reſpondere, ut ex Iureconſultis dicunt Menoch. *conſ* 82. *n.* 234 *vol.* 1 Rota *in noviſſ. deciſ.* 107. *num.* 22. & *deciſ.* 119. *num* 23. & ex Medicis Valleſ. *in lib.* 3 *Epidem. ſect.* 2 *Aegr.* 11. quia reſpondemus primò, Dementes ut plurimum, ac ferè ſemper dementire, ac de rato admodum, & per accidens, non autem ex intellectus maiori incolumitate ad rem reſpondere, nam centies, imò millies vix ſemel aut iterum prudenter reſpondent, & ſi cauſam ſuæ reſponſionis afferre laborent, ad dementiam redeunt, neque in prudentia, quàm in reſponſione oſtenderant, perſeverare ſciuntur ſoror Cyptiana quotieſcunque interrogata fuit, ad rem reſpondit, & cauſam ſuæ reſponſionis reddidit. Secundò dementes, licet interdum prudenter loquantur, & ad interrogata appoſitè reſpondeant ex factis tamen convincuntur, ut præcitati DD. ibidem teſtantur, at hic nulla omninò facta videmus deducta, ex quibus convinci poſſit, Cyptianam eſſe dementem: ergò cùm ex factis non convincatur contrarium, dicendum eſt, ejus dicta, & reſponſa ex integra intellectus ſanitate emanaſſe. 8

Neque

Neque obstare videntur quæ ex adverso opponuntur, & primo quod soror Cypriana nunquam receperit à Confessariis Sacramentalem absolutionem, nec unquam permissum illi fuerit assumere sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quia hoc ex sinistra opinione à Monialibus de ipsa concepta, quod esset stulta, factum est; nescientibus illis distinguere inter stultitiam veram, & ingenij tarditatem, undè & Confessarij hanc sinistram Monialium conceptionem secuti, eam eo modo tractarunt.

Secundo, non obstat fides Patris Seraphini in qua testatur de inhabilitate sororis Cypriane ad emittendum solemne Religionis votum, ex eo quia non habeat perfectum rationis usum, ut necessario requiritur: quia respondetur, quod concesso etiam, quòd soror Cypriana non habeat perfectum rationis usum, satis est ut habeat aliquem rationis usum, licet non perfectum, quia hic sufficit ad votum emittendum, ut iam in superioribus probatum est.

9 Præterea contra attestationem prædicti Patris Seraphini ad instantiam fortè Monialium emanatam, adsunt plures attestationes contrariæ, nempe ipsius D. Vicarij, duorum Visitatorum, qui ad hoc præcisè fuerunt transmissi, & duorum Patrum Iesuitarum, ut *in summ. n. 5. & 6.* qui omnes uno ore testantur, sororem Cypriana, aut absolutè, aut aliquo modo esse capacem emittendi solemne Religionis votum, quorum dictis maior fides habenda, quàm unicæ assertioni prædicti Patris Seraphini, ut patet.

Denique ex ipsarum Monialium attestatione probatum concludentissimè remanet, sororem Cypriana habere habilitatem ad emittendum solemne Professionis votum: nam si hoc non haberet veritatem, incassum Moniales maiorem dotem expeterent, nam ex maiori dote non redderetur illa magis habilis, quàm sic; ergo si cum maiori dote Moniales illam admittere volunt ad Professionem, signum est, illam non esse inhabilem ad eam emittendam, & sic cogendæ sunt, ut illam ad eam amittant.

CONSILIUM LV.

ARGUMENTUM.

Cæcilia Blancaria filium legitimo tempore, ac feliciter pepererat, & puerperia benè; ut moris est; processerant. Interim tamen ex mœrore ob mariti proprij infirmitatem, puerperia tantisper sunt diminuta; & illa inferioris ventris doloribus, leviter tamen, est conflictata. Cum his vero domo exibat, & omnia, quæ aliis sanæ mulieres obire solent, obibat. Stato etiam tempore illi menstrua fluxerunt. Nonagesima à partu die febre acutissima correpta obiit. Quæsitum est an per eius mortem pecuniæ, super eius vitæ periculo in societatem datæ, fuissent lucratæ, an potiùs casus esset pro exceptione?

SUMMARIUM.

1 *Pregressa, ac iam cessanti in totum causa nullus effectus tribui potest.*
2 *Partus sanus ex quibusnam cognoscatur.*
3 *Ex naturali partu nullus morbus succedere potest.*
4 *Ex nulla re naturaliter se habente dependere potest morbus, qui reiest præter naturam.*
5 *Menstrua, ac puerperia si fluant, mœrore & tristitia, vel diminuuntur, vel in totum retinentur.*
6 *Magni morbi ex magnis causis fiunt.*
7 *Mulieres ut plurimum non menstruantur.*
8 *Persona sana quando dicantur.*
9 *Cessante causa cessat effectus.*
10 *Morbi acuti fiunt ab humoribus calidis, chronici ab humoribus frigidis.*
11 *Causa morbi, & mortis in prægnante, aut parturiente, debet esse primaria, & immediata, si locus exceptioni esse debeat.*
12 *Infra quem dierum terminum dici possit mulier ex partu, aut causa partus obiisse.*

PEr mortem D. Cæciliæ Blancariæ uxoris Francisci Blancani puto factum esse locum lucro pecuniarum, quæ à marito super eius vitæ periculo fuerant in societatem datæ Domino Christophano Corro, ita ut mirari subeat quomodo in ea re ullus scrupulus excitari ab adversariis possit cum illa neque ex partu, neque ex causa partus, aut prægnantiæ ægrotaverit, ex quo ambigi possit, an aliquo modo firmandum sit, factum fuisse locum exceptioni in instrumento societatis appositæ: nam etiam si ex partu, aut ex causa partus ægrotasset, adhuc incassum de hoc indubitaretur, quia à partu ad mortem usque nonaginta tres dies pertransierunt, & sic quæ causa à partu militabat, ex qua in morbum incidere potuisset, eam iam omninò per tam diuturnum temporis tractum omnem vim ac energiam amisisse firmandum sit; cùm prægressæ iam, ac cessanti causæ nullus subsequens effectus tribui possit, quia causa in actu simul ex eo cum suo effectu, Arist. *lib. 2. Phys. text. & ibi* Aver. *in comm.*

Sed quod Cæciliæ Blancariæ neque ex partu obierit, neque 1
ex eius culpa ægrotaverit, patet, quia partus fuit undequaque & omni ex parte sanus, ac naturalis, ut unanimiter deponunt testes examinati; signanter Secundus iuxta nonum ibi. *Partorì felicissimamente un figlio maschio*, & idem Testis, super primo, *Sò, che la Segnora Cetilia haveva partorito felicissimamente*, quo adverbio, *felicissimamente* denotare voluit, omnia, ac singula ad partum pertinentia, bene, ac naturaliter, & ex voto processisse, ac sic ostendit, tempus pariendi, & laborem brevem fuisse, dolores tolerabiles, & consueto non m[aiores], fœ- 2
tum ipsum naturali situ, nempe in caput, venisse in lucem secundas facilè eductas, & puerperium facilè fluxisse, & omnia ad puerperium pertinentia, ergo partus quantùm est ex parte sui nullo modo potuit aliquem morbum causare, ita enim in 3
quibusvis casibus evenit naturaliter, nunquam enim huiusmodi partus morbum excitant, Mercurial. *in prælect. in lib. 1. Epidem sect. 3. Æg. 4.* Augen. *lib. 2. Epist. Medicin. Tom. 2.* Roderic. à Castr. *lib. 4. de morb. mul. cap. 12. in schol.* quemadmodum ex nulla alia re, quæ naturaliter procedat ullus morbus 4
dependere potest. Hippocr. *in l. de diet. decret. in princ.* Plato *in Tymæo versus fin.* cùm morbus sit quid præter naturam & contrarius rebus naturalibus. Ergo Cæcilia ex culpa partus non ægrotavit, & sic cum obierit, non potest dici ex culpa partus obiisse, unde neque eius mors locum exceptioni facere debet.

Sed neque ex causa partus dici potest obiisse; licet enim pars adversa ex eo quod Cæcilia diminutione puerperii, & quibusdam uterinis doloribus post partum vexata fuerit, velit eam ex causa partus ægrotasse, tamen ex facto apertissimè patet, hæc ex causa partus non exeniisse, neque etiam si ex ea causa eveniissent, fuisse sufficientes causas subsecutæ febris acutæ: nam quoad primum palam est per ea, quæ iam deducta sunt, partum fuisse maximè naturalem, unde culpa subsequentis morbi non potest reiici in partum, sed in externam causam eidem morbo, adæquatam, nempe mœrorem magnum, quo parturiens affecta fuit ob gravem proprij mariti succedentem infirmitatem, ut Testes ipsi unanimiter deponunt, ut Primus iuxta nonum, & Secundus iuxta eundem, & super primo, Tertius. Quartus & Quintus iuxta nonum: ex qua causa nempe 5
inquam ex mœrore non modo puerperium, sed etiam menstruas purgationes fluentes diminui, ac in totum aliquando retineri, vel Aniculæ ipsæ satis norunt; unde retento in parte puerperio ob prædictam causam, mirum non fuit, si uterini dolores consecuti sint, qui tamen etiam absque puerperij ulla retentione, vel diminutione sunt puerperis adeo familiares, ut nihil suprà: cum ergo habeamus causam evidentem, & extrinsecam, ac procatarcticam diminutionis puerperij & consequentium dolorum, frustra in partum omni ex parte innoxium culpam reiiciemus.

Sed præter hæc, puerperij hæc ipsa diminutio, & ipsi dolores hysterici non eius gravitatis erant, ut possent causam dare morbo acutissimo, & lethali, qualis est subsecutus quia consequens erat, eam diminutionem, eosque dolores, si alicuius gravitatis fuissent, aliquod etiam notabile incommodum, ac gravem aliquam noxam, illi afferre debere; cùm tamen adeò leves fuerint, ut neque coëgerint illam in lecto decumbere, aut salem se domi detinere, & Medicum convocare, aut aliquo competenti remedio illis succurrere; sed quia tam diminutio puerperij, quàm hysterici, seu ventris dolores nullius erant momenti nihil horum factum est, quemadmodum ne- 6
que sanguis est extractus, ut extrahendus erat, urgente necessitate diminutionis puerperij stante, ergo levitate, & exiguitate harum causarum, non erant ex consequenti sufficientes, ad excitandam febrem acutam, & lethalem, qualis consecuta est, quia magni morbi nonnisi ex magnis causis excitantur, ut est commune Medicorum axioma. Mercat. *lib. 3. de morb. mul. part. 2. clas. 1. quæst. 128. art. 1. n. 12.*

Sed demus Adversariis, huiusmodi Puerperij diminutionem, & prænominatos dolores potuisse esse, & cum effectu fuisse causas alicuius magni morbi, tamen apertissimè patet in casu nostro earum efficientiam omninò cessasse per reditum

pſius puerperæ ad ſtatum naturalem: non modo enim Cæcilia in ſingulis naturalibus actionibus per multum ſucceſſivum tempus à partu ſe tanquam ſanam geſſit, domeſtica negotia obeundo, & domo quandocunque libuit, exeundo, per ea quæ deponunt Teſtes, Primus iuxta decimum, & ſecundus iuxta eundem, ſed etiam ſanam ſe undequaque oſtendit has quoad actiones naturales, & præcipuè quoad quæ ad ipſum uterum pertinebant, cum poſt conveniens temporis ſpatium menſtruas purgationes abſque ullo impedimento, & 7 difficultate perpeſſa fuerit, ut deponunt iidem Teſtes Primus ſuper primum, & ſecundus iuxta novum. Quod tantò magis urget, quantò conſtat, Mulieres lac ſuis puerulis præbentes, ut dicta Cæcilia faciebat, non conſuevisſe menſtruis purgationibus ſaltem primis menſibus affici, ſed quia iam ad ſuum ſtatum naturalem, & priſtinum vigorem perfectè redierat vegeta natura proſpicere ſtudens ſorte diminutioni puerperij iam prægreſſæ, menſtruas purgationes, non obſtante quod lactaret, provocavit quæ quidem evidentiſſimè docent, omnem efficientiam cuiuſcunque morbificæ cauſæ prægreſſæ, (ſi quidem prægreſſam forte fuiſſe velimus) omni ex parte ceſſaſſe, & Cæciliam undequaque ſanam eſſe factam, cum naturales optimè obiret, tunc enim ſanas perſonas vocamus, 8 Galen. *de ſympt. cauſ. cap. 1.* Ergo quamtumvis accuſate ſtatuamus puerperij diminutionem tanquam cauſam morbificam, per ſupervenientiam tamen menſtruæ purgationis ſuo tempore, ac modo convenienti factam patet cauſam iam omnino ceſſaſſe, & ſic evanuiſſe ac ceſſaſſe quemcunque effectum, qui ex ea dependere potuiſſet, ceſſante enim cauſa ceſſat effectus: Tiraq. *eo tract. limit. 2. n. 1.* ut ceſſante cauſa febris, ceſſat febris, Gal. *lib. eſſ. Met. med. c. 1. inf.* cùm igitur in Cæcilia ceſſaverit omnis efficientia cauſæ prægreſſæ, hoc eſt diminutionis puerperij, neceſſe fuit ceſſare omnem effectum ab illa dependentem; & ſic ſubſecuta febris eius diminutionis effectus eſſe nullo modo potuit.

10 Cæterum ſubſequentem morbum Cæciliæ non potuiſſe originem habere à diminutione puerperij, demonſtrare apertiſſimè poteſt ipſa morbi natura, fuit enim morbus acutiſſimus, ac peſtilens; huiuſmodi autem morbi ab humoribus acutiſſimis, & calidiſſimis excitantur. Hippocrat. *de vict. rat. in acut. num. 1.* at verò diminutio puerperij oſtendebat affluentiam humorum frigidorum craſſorum, ac tenacium, qui quemadmodum ſunt tardi motus, & chronicos morbos ob eorum craſſitiem, & rebellem viſciditatem excitant, ſic humores calidi, & acuti ſunt motus velociſſimi, & morbos excitant celeres, & acutos quam ob rem cùm ſubſecutus morbus fuerit celerrimus, & acutiſſimus non potuit dependere ab humoribus craſſis, lentis, & frigidis, quales in puerperio abundare ſolent.

11 Ulterius etiamſi concedamus, gratiſque Adverſatiis condonemus, quod diminutio puerperij præbere potuerit fomentum aliquod ſubſequenti morbo, tamen ex hoc deduci non poteſt, Cæciliam ex cauſa partus obiiſſe, quia diminutio puerperij tunc, & eo caſu habuiſſe ſe ut cauſa remota, ſeu potiùs ut cauſa fovens, non autem ut cauſa primaria, & efficiens, at ubi mors ex cauſa partus dici debeat ad hoc, ut ſit locus exceptioni, cauſa debet eſſe proxima, & immediata, Caſtracan. *de ſocier. cap. 18. num. 15.* Zacchias *de Societ. off. num. 425.* at verò diminutio puerperij in hoc caſu vix, at ne vix quidem meretur nomen cauſæ, quod ſatis ſuperque convincere poſſumus ex diuturnitate intercedente inter huiuſmodi Puerperij diminutionem, & ipſius morbi adventum, quæ tanta fuit, ut omnem ſi quam habuiſſet efficientiam de neceſſitate amiſerit.

12 Nam & alias quicunque mordicus eam ſententiam tueri conati ſunt quòd omnes morbi in partu evenientes, dici debeant ex cauſa partus eveniſſe, ut Marſil. Cagnat. *in libell. de mort. cauſ. part.* & Hieron. Perlin. *eod tract.* terminum tamen certum præfigi voluerunt quadraginta duorum dierum in partu fœmineo, & triginta in maſculeo, intra quem terminum mulier decedens ex cauſa partus obiiſſe dicenda ſit, quo termino tranſacto non amplius ex partu, aut eius cauſa deceſſiſſe dici poſſe voluerunt, non aliam certè ob cauſam, niſi quia & Partum ipſum, & omnia ad partum pertinentia omnem vim, ac efficientiam cauſæ amiſiſſe firmari poteſt: unde cùm in caſu noſtro nonaginta tres dies à partu ſint tranſacti, extra omnem rationem videtur dubitari, an ſubſecuta mors ex cauſa partus fuerit, necne itaque remanet undequaque probatum, pecunias in ſocietatem datos ſuper periculo vitæ Cæciliæ Blanchariæ eſſe ſuperlucratas, nec per eius mortem factum eſſe locum exceptioni.

CONSILIUM LIV.

ARGUMENTUM.

D. Diana Grotta abortum fecerat, & non bene ab eodem abortu repurgata iterum conceperat: unde à prima uſque conceptionis die multas moleſtias in prægnantia perpeſſa, tandem affectante menſe octavo febre correpta iterum abortivit, & ex eo morbo obiit, cumque ſuper eius vitæ periculo multæ pecuniæ à diverſis perſonis in ſocietatem eſſent datæ quæſitum eſt, an per ejus mortem factus fuiſſet exceptioni locus.

SUMMARIUM.

1 *Signa graviditatis ſunt indifferentia, & communia tam graviditati, quàm ſimplici menſtruorum retentioni.*
2 *Ubi morbus interimens ſit primò, & per ſe culpa graviditatis alia cauſa non eſt quærenda.*
3 *Mulieres fluxu albo detenta ſi concipiant, in partu pereunt.*
4 *Morbus extra graviditatem ſi non ſit aptus occidere, & cum graviditate occidat, ſola eſt culpanda.*
5 *Mulier ex utero laborans & concipiens ſi ex abortu, vel in partu decedat, caſus exceptioni ſit.*
6 *Diminutio purgationis in puerperio morbum excitans, ex quo puerpera decedat, caſum pro exceptione facit.*

CAſus hic comprehenditur inter exceptos in inſtrumento ſocietatis officij, & videtur fruſtra dubium aliquod circa hoc excitari: patet enim Dominam Dianam Grotram, ſuper cuius vitæ periculo ſocietas erat fundata gravidam exiſtiſſe per Teſtium Peritorum teſtimonia ad hoc examinatorum, contra quæ nullatenus valent quæ ex adverſo deducuntur ad probandum illam non fuiſſe gravidam: Licet enim ſigna graviditatis ſint indifferentia, & communia tam graviditati, quàm ſimplici menſtruorum retentioni, ut latiſſimè probavi *lib. 1. q. tit. q. 1. per tot.* Et facilimè non ſolum Medicos ipſaſque experti ſſimas Obſtetrices, ſed etiam ipſas mulieres utero gerentes deludant: hoc tamen fallit, ubi ſimus in muliere, quæ aſſueta ſit concipere: ipſæmet enim mulieres, Hippocrate teſte in libris ad mulieres ſpectantibus, cum ſemel, atque iterum conceperunt, facilè agnoſcunt ſe utero gerere; ita ut ſigna graviditatis tunc ſolummodò dubia, & incerta ſe produnt, cum mulier ob inexperientiam non poteſt cognoſcere, & patefacere accidentia, quæ ex graviditate patitur: quod dubium multò magis augetur, cum mulier non ſolum non eſt expetta; ſed anceſa, vel infirma, & in primis menſibus juncta viro ſeniori vel infirmo, & quæ non bene per menſtruas purgationes repurgari ſolet; hæc enim omnia & alia quædam falſam graviditatem excitando, ſigna parturiunt, quæ etiam veræ graviditati aſſociantur; contra verò in muliere aſſueta utero gerere, in ætate florida, ſana, & viro juncta ſano, ac fœcundo, menſe quis ſcrupulus falſæ gravidationis excitari poteſt? itaque dubitare de graviditate in caſu noſtro, in quo omnia ult. loco commemorata concurrunt, videtur omninò irritus, & inanis labor. 1

Igitur cum dubitari non poſſit de D. Diana prægnantia, jam patet ejus culpa mortem ſuccesſiſſe, & ſic caſum inter exceptos recenſendum; quia quandocunque morbus interimens, primò ac per ſe culpa graviditatis provenit, fruſtra quæritur culpam in alium morbum reflectere ſi ille ſufficiens ſit ad interimendum at in hoc caſu omnem, morbi culpam originatam fuiſſe ex graviditate patet ex progreſſu ipſiuſmet graviditatis quæ à principio uſque ad finem fuit mulieri moleſtiſſima, ut aliis etiam fœminis maximè eſſe ſolet, quæ extra prægnantiam pravis humoribus ſcatent, ac præcipuè uteri morbis exercentur exemplo earum, quæ apud Hyppocr. *lib. de mul. num. 6.* fluxu albo uterino detentæ concipiunt, quæ poſtmodum in partu pereunt; quod etiam aliis pleriſque evenire in dies ſatis ſuperque notum Medicis eſt, & ratio eſt, quia occaſione graviditatis majorem in modum pravi mores augeſcunt, neque quomodo expurgentur habente facilè ipſam naturam obtundunt, unde putreſcunt, & febres accendunt, aut fœtum corrumpunt aut abortum denique faciunt, aut aliis ſuam noxam utero gerentibus communicant. 2

Neque valet id quod contra obiicitur, nempe in hujuſmodi caſibus non eſſe primo culpandam graviditatem, ſed 3

potiùs

potius pravorum humorum abundantiam, & sic tales casus non esse inter exceptos, quia culpa residet primò, & per se in ipsis pravis humoribus superfluentibus, præcipuè autem hujusmodi non esse propositum casum ex eo, quia omnis culpa subsequentis morbi, & consequenter etiam ipsius mortis, reiicienda est in diminutam purgationem ex abortu; non autem in graviditatem, cùm pateat evidentissimè nullam ex graviditate molestiam D Dianam fuisse percepturam, ubi ex abortu, ut debebat, benè fuisset repurgata; cùm igitur reliquiæ purgationis in abortu jam per multos dies ante graviditatem retentæ, & transacto termino periculi, quod ex abortu imminere potuit fuerint causa malæ gravidationis; certè culpa omnis reiicienda videtur in diminutam purgationem post abortum, non autem in prægnantiam, & sic cum terminus periculi ex abortu jam esset transactus, & graviditas non posset 4
culpari, certè casus pro lucro erit, non pro exceptione.

Non valet inquam hæc argumentatio, quia quandocunque morbus extra prægnantiam non est aptus per se ad interimendum, etiamsi post modum graviditati adiunctus fiat ad interimendum aptus tunc, culpa mortis non residet penes morbum huiusmodi, sed penes graviditatem: At D. Diana cum tali morbo extra prægnantiam poterat vivere, quod cum prægnantia non potuit, & hoc quia diminutio purgationis in abortu non erat apta ad interimendum, cum in dies videamus plures mulieres & in abortu, & in partu diminutè expurgari & tamen adeò sanas, atque illæsas inde perimere, ut nullam noxiam ab ea diminutione reportasse videantur; ergo morbus præcedens graviditatem non erat hic in censu habendus, & sic omnis culpa succedentis mortis residet penes ipsam graviditatem, quæ cum fuerit molestissima, sola influit in mortem.

5 Sed quid pluribus contendimus, cum jam apud omnes canonizata existat regula illa, quod mulier ex utero laborans, & concipiens, partu, vel abortu secuto, si decedat, locum exceptioni faciat ita Cagnat. *in libell. de mort. caus. part. in fi.* & Perlin. *eod. tract.* hac latis superque hunc casum nos etiam discussimus *lib.* 1 *quæst. Medico-Leg. Titul.* 4. *quæst.* 4. *num.* 71. *& 97. num.* 1. *& seqq.* & pro illo firmavimus regulam eorum casuum qui excipiuntur causa graviditatis, quæ est regula nona *num. eod.* & ad omne prius, etiamsi concedamus diminutionem purgationis ex abortu fuisse veram; ac primariam causam mortis D. Dianæ, cum ex ea omnia incommoda, & molesta symptomata in ejus graviditate provenerint, tamen adhuc casus esset inter exceptos per regulam à nobis positam, & suis fundamentis stabilitam *citat. lib.* 1. *quæst. eod. num* 47. quæ ampliatur *num.* 63 & accepta est tam Cagnato, quàm Perlino locis jam supra citatis: nam verum non est, ut ex adverso supponitur, quòd ab abortu D. Dianæ ad novam conceptionem pertransierit terminus periculi, quod ex abortu imminebat, nempe quadraginta dierum, si Cagnato adhæremus; cùm ex depositione Testium constet de contrario; deponunt enim, quod D. Diana antequam benè esset expurgata ex abortu, quem fecerat, utero conceperat. Ita Quartus Testis juxta sextum, & Quintus juxta secundum, & patet, etiam pluries ex dictis aliorum Testium. Itaque vel tota culpa morbi, & mortis residet penes diminutionem puerperii ex abortu, vel residet penes prægnantiam, & in utroque casu locus est exceptioni.

Ac profecto in materia tam clara incassum videntur plura adduci in contrarium ab adversariis, & ideirco cùm nihil quod relevet, possit in medium afferri, mirum non est, si ad cavillationes confugiunt, dubium excitantes in re certissima, nempè, an D. Diana gravida verè fuerit, necne cùm pateat illam non solum gravidam fuisse, sed octimestrem fœtum gestasse; quæ cum satis superque per idoneos Testes, artisque peritos, qui ægrotantem tractavetint, remaneant probata, puto Adversarios non esse ulteriùs audiendos, & non permittendos contra tam patentem veritatem ampliùs obloqui.

CONSILIUM LV.

ARGUMENTUM.

Inita est societas officii scutorum trium millium super periculo vitæ D. Catharinæ Malvetiæ, quæ prima Februarii anni 1631. cùm utero gereret, masculum suo tempore fœliciter est enixa, sed tertia à partu die puerperia suppressa sùt, & doloribus imi ventris acerbissimis, illis quidem est cõflictata, diarrhæa quadam secuta die sequenti, quæ erat quarta à partu, febre acuta correpta est cum intenso capitis dolore, cui delirium successit post soporosa facta, septima Apoplectica interiit. Dubitabatur, an casus pro lucro esset, vel pro exceptione.

SUMMARIUM.

1 *Partu existente naturali succedens morbus, aut mors, ex partu dici non potest.*
2 *Partus naturalis quando dicatur.*
3 *Partus naturalis quinque conditiones.*
4 *Verba,* Ex partu, *in instrumento societatis apposita quid importent.*
5 *Verba,* Ex causa partus, *in instrumento societatis apposita, quid importent.*
6 *Tempus Puerperii secundum Hippocratem ad quem diem extendatur.*
7 *Partus, etiam retentis puerperiis, quando debeat dici naturalis.*
8 *Partus in casibus exceptis, debet esse primaria, immediata & finalis causa mortis.*
9 *Contractus societatis officii unde reddatur licitus.*
10 *Vulnus aliàs salubre in corpore morboso potest fieri letale.*
11 *Prægnantes omnes sanguinem habent deteriorem, & non purum.*
12 *Partus reddit ipsas mulieres magis sanas.*
13 *Quicquid est causa causæ, est causa causati.*
14 *Effectus causa secunda reducitur in primam.*

VIdetur dicendum in casu nostro lucro factum esse locum 1
per mortem D. Catharinæ Malvetiæ, cujus vitæ periculum currebant pecuniæ in societatem datæ, lucro enim absque, dubio locus est quandocunque morbus superveniens in partu, ex culpa ipsius partus non succedit, at cum partus est naturalis morbus, ac mors in partu eveniens ex partu dici non potest, ut longioribus explicant Conciliator *diff.* 106 *ver. Propter tertium*, Vallesi. *in* 1. *Epidem sect.* 3 *Ægr.* 4. Mercurial. *in Prælect.* 1. *lib. Epidem. sect.* 3 *Ægr.* 4. Augenius *lib.* 2. *Epid. Medic. tom.* 2. Roder. à Cast. *lib* 4. *de Morb. mul. cap* 12. *in schol. part.* 2. & alii ubi eam quæstionem agitant, *An dies Critici à partu, vel à principio sint computandi?* & dixi ego aliàs *lib.* 1. *qq. Medico-Leg. tit.* 4 *q.* 4 *&* 5. & alibi sæpe.

Primum autem in casu proposito naturalem fuisse luce meridiana clarius est, cum ex dispositione Medici, qui curæ præfuit per ea verba *& il parto fu felice*, quibus non solum fuisse naturalem insinuat, sed etiam ab omni molestia, & anxietudine etiam consueta liberum; tum ex conditionibus ad naturalem partum requisitis, quas ex Hippocr. Galeni, & aliorum præceptorum Doctrina enumerant Auctores Gyneciorum, seu *de morb. mul.* inter quos præcipuè videri possunt Mercat. *de puer. & nutric. affect. capite tertio* Rodericus à Castro *lib.* 4. *cap.* 1. Mercurial. *eod. tract. lib.* 2 *cap.* 1. Mercurius *in libro della Commare lib.* 1. *cap.* 2 & alii. 2

Quæ conditiones quinque potissimum cùm sint omnes in hoc partu adfuisse constat. Prima enim est, ut partus debito ac iusto tempore fiat. Secunda ut fœtus in exitu in lucem, suum naturalem situm servet. Tertia, ut dolores non sint nimis acuti, & acerbi. Quarta ut brevi tempore absolvatur, ita ut non pertranseat spatium viginti quatuor horarum Ultima, ut secundæ & Puerperia in ipso actu parienti rectè procedant. Medicus ergo curæ inserviens, volens significare partum D. Catharinæ à nulla ex his conditionibus defecisse, usus est illis verbis, *& il parto fu felice*, quibus usus non esset, si partus immaturus exitisset, si fœtus in pedes, vel alio situ in lucem exiisset, si doloribus acutissimis molestata esset, si longo tempore in pariendo laborasset, ut per duos, aut tres dies. & si denique secundæ difficulter essent eductæ, vel Puerperia in partu non expurgata essent unaquæque enim harum conditio, num per se partum non naturalem reddidisset, nec Medicus ob id affirmasset, illum fuisse felicem. 3

Cum igitur partus fuerit naturalis, & ob id mors subsequens ex partu dici non possit, sequitur quòd casus hic non pro exceptione sit, sed pro lucro. Ac profecto palam esse videtur, quod cum in contractu societatis excipiatur mors ex partu, & causa partus, in casu nostro mors subsecuta, nec ex partu fuerit, neque ex causa partus: Non ex partu, quia per hæc verba intelligitur actio ipsius partus, immediate proveniens; ut quando dolores sunt acerbissimi, & ex eorum acerbitate succedit inflammatio, & mors, vel quando ipsa parienti actio summa cum difficultate succedens fœtum, aut matrem, aut utrumque interimit, vel quando fœtus, & Mater simul debiles existunt, & licet non multùm illam dolores agitent, partus tamen non succedit, & sic de cæteris. 4

At

At neque ex causa partus dici potest, mors ex hoc casu evenisse, quia per hæc verba, *ex causa partus*, ii casus comprehenduntur, qui dependentiam habet ab iis, qui partum
5 concomitantur, ut à secundis, & Puerperio, ut quando secundæ difficulter extrahuntur, & inflammatione excitata mulierem occidunt, vel idem præstant cum in totum, vel in parte retinentur, & sic de cæteris. At cum in casu nostro nihil eorum apparuerit, dicendum est omnino fuisse naturalem, D. Catharinam Malvetiam neque ex partu, neque ex causa partus obiisse, & sic factum esse locum lucro non autem exceptioni.

Neque obstat quòd hic partus dici non possit naturalis ex defectu ultimæ conditionis, nempe insufficienti Puerperii purgatione, ut ex facto apparet; quia constat experientia, &
6 ex Medicorum graviorum auctoritate, quorum omnium instar sit Hippocrat. *in lib. de Nat. Puer num* 13. *& lib. de Morb. mul.* quòd hoc tempus extenditur ad triginta dies in masculos, & ad duos suprà quadraginta in fœmellis cum ergo Puerperium D. Catharinæ nonnisi ad biduum duraverit, defecit ab ultima partus naturalis conditione quæ inter alias est necessariissima, & sic hujusmodi partus non potest dici naturalis, sed è contra morbosus, & præter naturam. Respondetur enim, quod quamquam Puerperii retentio in hoc partu successerit absque dubio, non successit tamen ex culpa partus, &
7 idcirco ad partum referri non potest, unde neque partus dici potest vitiosus, & præter naturam. Tunc enim id habet locum, quando retentio Puerperii ex immediata culpa partus dependet, ut quando ex ejus difficultate uterus inflammatur, ac ejus inflammatione Puerperii purgatio retinetur, ut fieri aliquando solet eodem Hippocrat. docente *lib. 1. cit. de morb. mul. n. 60. & seqq.* at retentio Puerperii in casu nostro non fuit facta ex culpa immediata partus, sed alia quadam ex causa, quam deinceps patefaciemus. Restat ergo, ut partus fuerit omninò naturalis, & consequenter, ut mors ex partu, aut ex causa partus non fuerit, & sic casus pro lucro erit, non pro exceptione.

8 Nam partus in casibus exceptis debet esse primaria, immediata, & finalis causa, ut Iuristæ dicunt, ipsius mortis, nec sufficit quòd fuerit causa tantùm secundaria, mediata, & impulsiva. Castracan. *de sacerdat cap.* 18. *num.* 16. Zacchias *eod. tract. num.* 425. quia cùm in omni casu succedentis mortis in partu vel prægnantia, semper partus, & prægnantia culpam participent, quia semper habent se saltem ex parte causæ secundariæ, mediatæ & impulsiuæ, quam coadiutricem vocant Medici, Galen. *in introd. cap* 8. Sequeretur, si hoc esset sufficiens pro exceptione, quod nullus casus ullo in tempore pro lucro esset, & ita cùm omnes essent pro exceptione, contractus societatis manifestè illicitus, & usurarius evaderet quia cùm in tantùm ille contractus sit licitus, in quantùm pecuniæ in societatem datæ currunt periculum amissionis ex periculo vitæ illius, super cujus vitæ datæ fuerunt. Seraphin. in quodam voto apud
9 Zacchiam *ubi sup. decis. 73. num.* 1. jam hoc periculum omninò cessaret ex necessitate igitur contractus, si licitus esse debeat sequitur, quod non omnes casus mortis in prægnantia, & partu eventientes debeant excipi, sed aliqui esse debeant pro lucro Castracan. *ubi supr. num.* 19. unde nullo modo est acceptanda Cagnati *in libell. de mort. caus. par.* & Perlini *eod. tract.* eum secuti opinio, volentium omnes, ac singulos casus pro exceptione esse, nullumque omnino pro lucro, cum tandem concedere cogantur, non unam eandemque vim ac efficaciam causæ perimentis habere semper partum, & prægnantiam, sed aliquando habere vim causæ primariæ, & immediatæ; aliquando verò secundariæ, mediatæ & impulsiuæ, ut in casu nostro, in quo propterea locus lucro esse debet, non autem exceptioni.

Nam quemadmodum salutare vulnus in corpore morboso,
10 humores pravos excitando potest præbere causam morti tanquam causa solùm impulsiva, & irritans, cùm tamen per se sit salutare, & ideircò ab Hippocrat *lib. 5. Epidem. text. 16. in fin.* hujusmodi vulnus in simili casu dictum sit, nullius mali causam, esse eodem etiam pacto prægnantia, & partus non semper tanquam causa primaria, & efficiens, cum ex se salutaris est, sed secundaria & impulsiva morbum, & mortem excitare potest, ac profecto tunc temporis mors non ex culpa partus, aut prægnantiæ dici debet, quemadmodum neque mors in corpore morboso in vulnere salutari adveniens, ex culpa vulneris primaria evenisse est dicenda.

Ex depositione enim Medici, qui D. Catharinæ curæ præfuit, patet apertissimè, quòd partus in hoc casu in tantùm culpari potuit, in quantum dedit motum pravis humoribus in parturientis corpore fabulantibus, unde partus non debuit esse neque fuit ex se causa immediata retentionis puerperii, quin potius debebat ejus expurgationem sollicitare, & augere sua naturali violentia, cui tamen morbosus corporis apparatus, & humorum pravorum multitudo, & qualitas motum à partu excitatum impedivit, & sic puerperia sunt retenta.

Vnde apparet malè inferri, quòd mortis culpa idcirco ad partum sit referenda, quia partus motum humoribus præstiterit, nam non ideirco partus fuit præter naturam, quia ex sui natura partûs debet motum puerperiis, & quibuscunque super fluentibus humoribus conciliare, ut facilè è corpore Puerperæ detrudantur; quod bene plerumque succedit, si Puerpera sana sit, & humores nullam habeant secum pravam qualitatem, quæ hujusmodi motum remoretur, quod si eveniat, tunc nulla culpa evenientis mortis referenda est ad partum, quia quantum in se est, suo munere, ad quod à natura instituitur, functus est, sed si quæ culpa in illum reiicidenda est, certè nonnisi ut impellens, irritans ac coadiuvans causa culpandus. Quia si par- 11
tus dando motum pravis humoribus, naturalem tamen conditionem non excedentibus, esset primaria, ac efficiens causa morbi & mortis in omnibus, ac singulis parturientibus idem succedere deberet, quod in D. Catharina successit, cum in omnibus prægnantibus repertiantur multi humores pravi, & sanguinem omnes habeant deteriorem, & non parum, ut experientia docet, & non siluit Hypoc. *lib. 1. de morb. mul. num.* 51. & alibi *ibi*, & *lib. de nat. puer.* & Galen. *in 2. Epidem. Aegr. & lib. 1. de San. tuen. cap.* 9. & alii omnes eamque ob rem prægnantes omnes quosdam peculiares morbos pati consueverunt enumeratos ab eodem Hippocr. *lib. 3 de morb. mul. & alibi* & ab Aristot. *lib. 3. de hist. anim. cap.* 4. si ergo motus à partu in humoribus excitatus esset causa primaria & efficiens morbi, & mortis semper, aut plerumque parturientes graviter ægrotare, ac periclitari deberent, cùm absque prædicto motu parere non possint; at hoc tantùm à vero abest, ut potiùs contrario modo eveniat, plerumque enim mulieres per cum 12
motum à partu in humoribus concitatum, à pravis humoribus in Puerperio expurgantur, & magis sanæ deinceps vivunt, ut multoties firmatum est à nostro Hipocr. *in lib ad mulier. pertin.* & ab omnibus aliis Auctoribus Gyneciorum, Cagnat *in cit. lib. de mort. caus. part. prop. principium.*

Præterea constat ex communi consensu, & nostro inquam: & Medici qui curæ præfuit in D. Catharina fuisse retenta Puerperia, ut superiùs diximus, ex morboso corporis apparatu, non ex aliqua causa ad partum spectante: ex retentione autem puerperii generata, fuisse febrem quia sanguis ille exitum non habens per inferiores partes, ac naturæ convenientes, & consuetas, primùm excalfactus febrem accendit, deinceps ad superiora recurrens capitis dolores, delirium, soporem, tandemque Apoplexiam; & mortem causavit. Ergo si morbosus 13
corporis apparatus fuit causa retentionis puerperii, ut verissimum est, idem morbosus apparatus fuit causa morbi, & mortis; nam quidquid est causa causæ est causa causati. D. Thom *par. 1. summ. quæst. 49. art. 2. ad 2.* nam effectus causæ secundæ reducitur in primam, idem D. Thom. *ibid.* mors ergo D. Catharinæ ad apparatum morbosum, non ad partum referenda. Atque aliàs quidem ita me pro veritate sensisse patet *l. 1. quæst. Medico-Leg. tit. 4. quæst. 5. in prine.* ubi enarrans casus pro lucro facientes inter cæteros connumeravi casum quendam in terminis nostris ab Hippocrate desumptum, quem animadverti supplicamus ut appareat in similibus semper locum fieri lucro, non exceptioni. 14

CONSILIUM LVI.

ARGUMENTUM.

Datis in societatem nonnullis pecuniis super periculo vitæ D. Agnetis Buccapaduliæ, illa conceperat, & sexto gravidationis mense Hydrope correpta fuerat, atque eo morbo usque ad justum tempus partus adaucto, in partu cum ipsius Hydropis symptomatibus obierat. Medicorum, qui curæ præfuerunt, alter, craſſæ Minervæ homo deposuerat examinatus illam ex Hydrope quidem obiisse, ex causa tamen partus: alter verò, qui fuerat curæ supervocatus, deposuit illam non ex partu, sed ex Hydrope interiisse. In hac Medicorum controversia, nostra sententia requisita est.

SUMMARIUM.

1 *Quinam mortis casus in partu excipiantur in instrumento societatis.*

1. *Hydrop.*

1 *Hydrops nullam habet cum prægnantia aut partu cognationem.*
3 *Mulieres ob menſtruorum, & puerperii retentionem, ut plurimum in calidos morbos labuntur.*
4 *Quandonam menſtrua retenta Hydropem excitare conſueſcant.*
5 *Morbo lethali in prægnantia, vel partu ſuccedente, dummodo ex prægnantia, vel partu immediatè non dependeat ſit locus exceptioni.*
6 *Caſus mortis ex morbo evenientes, ad prægnatiam, & partum non pertinentes, locum exceptioni non faciunt.*
7 *Cauſa prima, & immediata ſemper attendi debet, ſi ſufficiens ſit ad effectum producendum.*
8 *Mors illi morbo tribuenda, cui accidentia ſupervenientia ſunt magis cognata.*

1 ACceptata ptioris Medici depoſitione in caſu, de quo agitur, per mortem D. Agnetis Buccapaduliæ, factus eſt locus lucro pecuniarum, quæ ſuper ejus vitæ periculo fuerant in ſocietatem datæ. Palam enim eſt inſtrumento ſocietatis eos tantùm caſus eſſe exceptos, qui ex immediata culpa prægnantiæ, aut partus eveniunt, in quorum numero comprehendi non poteſt caſus hic, qui ex alia cauſa; quàm ex prægnantia, & partu ſucceſſit, licet velimus ipſam prægnatiam; & partum culpa non vacare: Caſtrac. *de ſociet. off. cap.* 18. *num.* 19.

Deponit namque Medicus prior ad curam vocatus, D.
2 Agnetem ex Hydrope interiiſſe, quo ſexto gravidationis menſe detineri cœperat, at Hydrops nullam habet cum prægnantia, aut partu cognationem, neque ex morbis eſt ad prægnantiam, aut partum pertinentibus, eſt enim morbus Hepatis ab ejus refrigeratione, & læſa ſanguificatione originem habens. Galen *lib* 2. *de nat. fac. cap* 2 & cum eo omnes Practici *in proprio cap. de Hydrope*: unde vanum, & ridiculum omninò eſt quod ex adverſo dicitur, Hydropem nempe idcirò fuiſſe factam, quia occaſione prægnantiæ menſtrua ſunt retenta, quia nunquam id accidiſſet, niſi hepar jam malè affectum, & ad Hydropem excitandam non fuiſſet diſpoſitum, quemadmodum in aliis mulieribus evenit, quæ etiamſi menſtruis occaſione prægnantiæ deſtituantur, non tamen in Hydropem labuntur, aſt de neceſſitate laberentur, ſi ſola retentio menſtrui eſſet cauſa excitandi Hydropem abſque prævia illa ac prava Hepatis dyſcraſia, & caloris naturalis imbecillitate; at verò tantùm abeſt, ut mulieres ex retentione ſimplici menſtruorum facta occaſione prægnantiæ in Hydropem labantur, qui frigidus af-
3 fectus eſt, ut potiùs in contrarios morbos decidant, ita ut ad eos curandos aliquando opus habeant non tantùm medicamentis refrigerantibus, quàm ſanguinis iterum, atque iterum repetita evacuatione. Quòd etiamſi aliquando œdematoſis corporis, & præcipuè pedum tumoribus detineantur, in partu tamen ab iis liberantur, Valleſ. *in* 7. *Epidem Ægr.* 7. Rodericus à Caſt. *de morb. mul. Part.* 2. *libro tertio cap.* 17. quia hujuſmodi tumores non ex Hepatis debilitate, & præternaturali refrigeratione in gravidis excitantur, ſed ob exuberantiam crudorum humorum, quæ vel ipſis ſit connaturalis, vel quæ ex ertoribus, quos in victus ratione patrare conſueverunt, accumuletur.

Nec quicquam relevat, immò non minùs ridiculum eſt, quod ex adverſo dicitur, nempe in caſu noſtro idem eveniſſe, quod Harpalidis ſorori apud Hippocrat. *in Epidem. lib.* 7. *ægrot.* 7. quæ ut ille narrat, ex retentis menſtruis in Hydropem lapſa eſt. immò nec Galeni. & Valleſii auctoritas, quæ adduci poterat *loc. citat.* illis quicquam favere poteſt, ubi inter
4 cauſas Hydropem excitantes recenſent menſtruorum retentionem: quia hoc intelligendum quando menſtrua ex præſcripto naturæ non retinentur, ut ſit extra prægnantiã, quando verò retinẽtur ex præſcriptione naturæ, tunc etiãſi in hujuſmodi œdematoſos tumores, immò & in ipſum Hydropem labantur, ſi ſalvus ſit Hepatis calor naturalis, non ſolùm in partu non pereunt, ſed ab ipſo partu liberantur, ut prædictæ ſorori Harpalidis apud Hippocratem evenille conſtat. à partu enim omnia ſymptomata in illa ceſſarunt, & fœmellam peperit, Morbus ergo, ex quo deceſſit D. Agnes Buccapadulia non erat prægnantia, aut partu, quia non ex ſimplici menſtruorum retentione genitus eſt, ſed ex debili Hepatis calore; ac frigida ejus intempetie. Regula autem eſt de qua *in quæſt. Medico Leg. lib.* 1. *tit.* 4. *quæſt.* 2. *& ſeqq.* Quòd quandocunque morbus in
5 prægnantia, & partu evenieus eſt per ſe lethalis, nullamque ex prægnantia, aut partu immediatam dependentiam habens, mors ex eo morbo ſuccedens, non, faciat locum exceptioni; etiamſi aliquo modo prægnantia, & partus concurrere poſſint ad fovendum morbum, & accelerandam mortem; tunc enim habent ſe tanquam cauſæ foventes, coadiutrices, impulſivæ & mediatæ, quæ in conſiderationem in hujuſmodi caſibus non veniunt: quia ſi res ſe aliter haberet, nullus caſus daretur pro lucro, ſed omnes eſſent pro exceptione: ex quo fieret, quòd pecuniæ in ſocietatem datæ nullum currerunt amiſſionis periculum, & ſic conditio ſociorum evaderet inæqualis, quia altera ex parte Dominus officii curtit periculum amiſſionis ipſius officii, atque inde contractus evaderet uſurarius, & illicitus, quæ ut evitentur abſurda dicendum eſt, non omnes caſus mortis in prægnantia, & partu evenientes debere excipi: ſed 6
eos tantum, qui ex immediata tantùm culpa partus, & prægnantiæ fiunt: non verò qui ex morbo gignuntur ad prægnantiam, & partum primò, & per ſe non pertinente, licet in ipſa prægnantia, & partu fiant, & à prægnantia, & partu aliquod fomentum, & impulſum ſortiantur.

Certum enim eſt debere ſemper attendi cauſam primam, & 7
originariam, nempe morbum, qui primò ſeſe prodit, ſi ſit ſufficiens ad interimendum, Rota *in Rom. ſociet.* apud Zacchiam *de ſociet. deciſ.* 89. *num* 3. Boccat. *eodem tract. num* 35. hic enim ſemper influit in mortem; non obſtante, quòd ſubſequentia ad prædictum morbum ad aliam pertineant cauſam, & ſic ſi morbus ille, qui primò apparet, lethalis erat, & ad prægnantiam; & partum non pertinebat, dehinc autem ſubſequantur alii morbi, & ſymptomata attendi; quia ſunt germina prioris morbi primò moventis, ut ſuperioribus explicavi *cit. titul.* 4. *à num.* 85 *ad ſeqq.* Quemadmodum è contra, ſi morbus ex prægnantia, & partu fiat. u exempli gratia, ſi ex difficili partu accendatur febris; non attenditur febris; ſed partus ipſa difficultas primò movens; & in ſumma ſemper prior morbus, ſi ſit ſufficiens, influit in effectum, ut in caſu noſtro, in quo cùm Hydrops ſexto gravidationis menſe ſit excitatus, omnia quæcunque ſupervenire huic morbo poterant, etiamſi ad prægnantiam, & partum pertineant, ad primam illam cauſam nempè ad Hydropem tanquam ejus effectum ſunt referendæ ex Hydrope enim enaſci potuit fœtus, & prægnantis debilitas, partus difficultas, ſecundinæ difficilis eductio, puerperiorum retentio, & alia quæcunque imaginari licet, & ſic tota culpa mortis primò, & per ſe ad Hydropem refertur Secundariò verò ad ſubſequentes morbos ex ipſa prægnantia & partu originem habentes. Quamobrem certò certius firmari poteſt, nullum unquam caſum in prægnante; aut parturiente eveniente dari poſſe, qui pro lucro ſit, ſi hic talis non ſit judicandus; tam extra omnem controverſiam hujus rei veritas eſſe videtur.

Quæ confirmari multò faciliùs poſſunt, ſi examinare libeat regulas pro exceptione traditas *in cit. tit.* 4. *lib.* 1. *quæſtionum Medico Leg. quæſt.* 4. *per totam*, quæ cum duodecim numero ſint, apertè patet in nulla earum poſſe caſum hunc connumerari: ac contra ſi examinabimus caſus pro lucro facientes, patebit hunc caſum pertinere ad hiſtoriam *Ægr* 13 narratam Hippoc. *lib.* 1. *Epid.* & pro exemplo inibi à me adductam inter caſus pro lucro facientes: licet enim mulier illa apud Hippocratem ex enarrato morbo convalverit, tamen poſtea, quòd ex eo morbo obiiſſet, qui febris ardens fuit. locum lucro feciſſet, ejuſque exemplo etiam præſens caſus eſſet decidendus.

Denique quòd mors in caſu noſtro nullam dependentiam habuerit ex prægnantia, vel partus manifeſtiſſimè declarant accidentia quæ in morte ſupervenerunt; quæ ſicuti Hydropi fuerunt familiaria, & cognata, ita prægnantiæ, & partui neque familiaria, neque cognata erant, unde conſequens abſque dubio eſt, mortem illi morbo tribuendam eſſe; cui ſupervenientia ſymptomata ſunt magis cognata, Cùm ergo D. Agnes mortua ſit cum accidentibus Hydropis, licet perierit in partu. tamen ex Hydrope periiſſe dicenda eſt, quia Hydropis acci- 8
dentia ex partu potiùs debebant leniri, & remitti, ut fieri aliàs ſolet, ex ejuſdem Hippocrat. teſtimonio *in Prænotion. num.* 8. *verſ.* 180. *& in Coac. ſect.* 3. *verſ.* 8. *& in lib. de Intern. aff. num.* 2.

CONSILIUM LVII.

ARGUMENTUM.

D. Angelica de Accorambonis, ſuper cujus vitæ periculo datæ fuerunt quædam pecuniæ in ſocietatem, cùm circa maritum ægrotantem, ac ex eo morbo pereuntem plurimùm laboraſſet, & in extremum Animi mœrorem incidiſſet, cùm gravida eſſet, ſexto menſe gravidationis in ardentem febrem lapſa abortivit, & ex ea febre obiit, quæ-

ſitum eſt, an dici debeat ex abortu, vel potiùs ex febre periiſſe, ita ut per ejus mortem locum lucro, vel exceptioni factum eſſe, ſit determinandum.

SUMMARIUM.

1 *Duo morbi genera in prægnante, vel parturiente conſiderando.*
2 *Abortus quando faciat locum exceptioni.*
3 *Cauſa primaria ſemper attendi debet.*
4 *Abortus per ſe non cauſat febrem.*
5 *Cauſa mediata, fovens, ſeu impulſiva, non eſt in cenſu habenda.*

1 IN mulieribus prægnantibus, & parturientibus duo potiſſimum morborum genera obſervari poſſunt: alterum prægnatiæ & partus, & eorum, quæ ad prægnantiam, & partum ſpectant, proprium, & immediatam ab illis dependentiam habens; alterum verò neque ad prægnantiam, neque ad partum, neque ad ea, quæ ad prægnantiam, & partum ſpectant, immediatè, ac primariò, ſed ab aliis cauſis immediatè, & primariò dependens: quod ut magis perſpicuum fiat, exemplo commonſtrandum: Sit igitur homo aliquo morbo detentus, ut puta febre, aut Hydrope, qui vulnus accipiat in capite lethale, in hoc certè duo genera affectuum licebit adnotare, alterum eorum, qui ad febrem, aut Hydropem conſequuntur, alterum verò eorum qui ad vulnus ſpectant: Modò, ubi febris acutiſſima, & maximè lethalis eſſet, aut Hydrops jam confirmatus, ſi is decedat poſt acceptum vulnus, quod non fuerit ex primo capite lethale certè non ex vulnere, ſed vel ex Hydrope, vel ex febre deceſſiſſe erit dicendus; contra verò ſi febris fuerit mitis, vel Hydrops adhuc in ſuo principio, vulnus verò maximè lethale, quis tam craſſæ mineryæ homo fuerit, qui illum ex febre, aut ex Hydrope potiùs, quàm ex vulnere deceſſiſſe affirmare voluerit? Itaque conſideranda in prægnantia, & partu, ipſa prægnantiæ, & partus eſſentia, aliaque ex parte morbus in prægnantia, & partu ſuperveniens. Vbi prægnantia, & partus fuerint maximè præter naturam, quia ipſam naturam ſummoperè defatigaverint, & ad ipſam prægnantiam, & partum ſequatur febris, & mors certè non febris eſt culpanda, ſed prægnantia, & partus naturæ ſtatum non ſervantia; Contra verò, ſi prægnantia, & partus naturaliter ſe habeant, & in illis conſequatur febris, aut aliàs gravis morbus lethalis, qui mulierem è medio tollat, extra Mercurium omninò eſſet aſſirmare, hujuſmodi mulierem ex prægnantia, aut partu, non ex ſubſecuto morbo deceſſiſſe, non ſecus ac de vulnere in primo capite lethali accepto à leviter febricitante diceremus, illud non fuiſſe cauſam ſubſecutæ mortis, ſed febrem. In caſu ergo propoſito manifeſtiſſimè patet, Dominam Angelicam de Accorambonis ex prægnantia, aut partu primò non ægrotaſſe, ſed ex febre ardente, ac maligna, quæ non ab ipſa prægnantia, vel partu ortum habuit, ſed ex laboribus in curando proprio marito perpeſſis, & ex animi mœrore, quæ quidem ſunt veræ, & proportionatæ ac adæquatæ cauſæ prædictæ febris, ex qua abortivit, & vita functa eſt: mors ergo ad febrem, & abortus quoque ad ipſam febrem, febris autem ad cauſam externam, non ad prægnantiam, aut partum eſt referenda, & ſic cùm mors neque ex prægnantia, neque ex partu, neque ex eorum cauſa ſuceſſerit, caſus nequaquam inter exceptos connumerandus videtur, ſed pro lucro omninò eſſe.

Nec quicquam obſtat, quòd poſt abortum mors ſubſecuta
2 ſit: quia tunc caſus eſſet pro exceptione, quando mors ex abortu eſſet, ſed in hoc caſu mors ſubſecuta eſt ex febre ardente, & maligna, quæ ſua malitia inter alia quamplurima ſymptomata etiam abortum concitavit, neque mors ſuceſſit ex abortu, quia non eſt abortus tam habilis ad adſciſcendam mortem, ut habilis eſt maligna febris; hæc enim ſemper peſſima eſt, & ut plurimum hominem interficit: abortus autem neque ſemper malus eſt, neque ſecundum plurimum interficit, immo aliquando eſt ſalubris, Hippocrat. *libro ſecundo Epidem. ſectione 2. text. decimoquarto* quemadmodum etiam partus, quo mulieres aliquando à prægreſſis morbis liberantur, exemplo Harpalidi apud Hippocrat. *lib. 7. Epidem. Æger. 7* immò etiam ipſe abortus aliquando à præcedentibus morbis mulieres judicare ſolet, ut notum ipſis Medicis eſt.

3 Cùm igitur febris ardens, quæ primò prehenſa eſt D. Angelica ab abortu nullam originem habuerit, ſed bene ipſe abortus ab ipſa febre fuerit excitatus, dicendum eſt, caſum hunc pro lucro eſſe, quia debet ſemper attendi cauſa primaria, & immediata, non autem ſecundaria, quæ ſemper à primaria dependet. Quòd autem febris cauſa abortus, non verò è contra, præter rationem ſuperiùs addactam patet ex depoſitione Teſtium, & præcipuè ipſius Medici, qui eam curavit; hic enim juxta decimum deponit, prædictam Dominam Angelicam ex labore in curando marito perpeſſo, & ex animi angore in febrem ardentem cum capitis intenſiſſimo dolore incidiſſe, & ſic ad tertiam uſque nulla alia ſymptomata apparuiſſe, niſi quæ ad febrem acutam conſequi par erat, contra quàm ſuccedere debuiſſet, ubi Abortus fuiſſet prima, & originaria cauſa morbi, & ipſius febris, debuiſſent enim apparere ſigna inſtantis abortus, ut dolor Renum, gravitas, ac pondus in imo ventre, aliqua ſanguinis per uterum expurgatio, vel aquarum eductio, & alia ad hunc modum: tunc enim bene affirmare licuiſſet, ex agitatione, & inſtantia abortus febrem fuiſſe excitatam, ſed hæc ſigna nullo modo apparuerunt. ſed ea tantùm, quæ ad febrem ardentem pertinebant, poſtmodum autem nempe in tertia, ex violentia ipſius febris, dolore rerum prehenſa abortivit, & ſic rationabiliter morbus proceſſit, quia bene valet, quod febris acuta facili negotio cauſet abortum ſed non è contra, quod abortus cauſet febrem acutam, niſi ſit ſummopere laborioſus, alias enim non conſuevit ſimplex abortus
4 cauſare febrem, & maxime acutam: nam ex mille mulieribus abortientibus vix una, aut altera febricitare ſolet, & hæc quidem non ex abortus ipſius culpa, ſed ex alia quadam accidentali cauſa. Cum ergo febris fuerit morbus independens ab abortu, & ex ejus vi D. Angelica obierit, non autem ex prægnantia, aut partu, vel ex eorum cauſa, locus lucro eſſe debet per ejus mortem, non autem exceptioni.

Neque obſtat, quod abortus non modo fuerit cauſa majoris morbi, ſed etiam mortem accelcravit: quia ſymptomata ad morbum ſequuntur, & ad ipſum morbum referenda eſt mors, non ad accidentia, nam convulſio in febre ſuccedens, ſymptoma eſt lethale, mors tamen non ad convulſionem, ſed ad febrem refertur, eodemque modo, dato, quod abortus ſit ſymptoma magnum, & lethale, tamen cum ex vi febris procedit, non ad abortum, ſed ad acutam febrem refertur ſubſe-
5 quens mors, quia ſemper cauſa primaria attenditur, ſecundaria vero, mediata, fovens, & impulſiva in nullo cenſu haberur: cauſa autem primaria in hoc caſu fuit febris, ſecundaria, & immediata, abortus: unde caſus pro lucro eſſe debet, non pro exceptione.

CONSILIUM LVIII.

ARGUMENTUM.

Eminentiſſimus, ac Reverendiſſimus D. Berlingerius Cardinalis Gypſius annum agens quartum ſupra ſexageſimum, licet valetudinariam vitam degeret, ita ut abſque ulla hæſitantia, & abſque ullo ſcrupulo poſſet juſtiſſima ex cauſa carnibus ſingulis ſdiebus etiam Veneris, & Sabbati, & Vigiliis, aliiſque Ieiuniis indifferenter uti, etiam ex ipſius Eccleſiæ ſanctæ indulgentia, vera tamen pietate Chriſtiana ductus his non acquieſcens, ſciens contraria aliquando eſſe divina cognitioni Medicinæ præcepta, *cap. Contraria, de Conſecr. diſt. 5. 3. part. Decret.* petit, ac jubet, ut diligenti examine perquiramus, an in hoc ſanitatis ſtatu, ac in ea ætate conſtitutus, ita ab obſervantia ieiuniorum ob piſcium comeſtionem, & abſtinentiam à carnibus lædi poſſit, ut jure merito ab ea obſervantia ſolutus eſſe omnino, ac undequaque cenſeatur, renuens in hoc vel tantiſper ſibi indulgere.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia in impoſitione ieiuniorum non intendit corpora ſaluti præjudicare.*
2 *Ieiunii obſervantia ſi communem hominum tolerantiam excedit, illaudabilis exiſtimatur.*
3 *Ieiunans ſi ex ieiunio notabile corporis detrimentum incurrit, tenetur à ieiunio abſtinere.*

4. Experien-

4 *Experientia eſt rerum magiſtra.*
5 *Piſces ratione ætatis ſenilis ſunt maximè noxij.*
6 *Ætas declinans eſt humorum frigidorum, & humidorum fœcundiſſima.*
7 *Piſcium uſus ratione morbi articularis eſt noxius, & idcirco fugiendus.*
8 *Olera omnia pravi ſunt nutrimenti.*
9 *Legumina flatuoſa ſunt, melancholica & articulis noxia.*
10 *Piſces male concoquuntur, & facilè putreſcunt.*
11 *Nonnulli facilius carnem bubulam, quàm optimos piſces, & ova concoquere ſolent.*
12 *Senibus parcùm offerri debet, ſed optimi ſucci, ob caloris imbecillitatem.*

SUperfluum ex mea ſententia eſt dubitare, an Eminentiſſimus Cardinalis Gypſius in ſecundo ſenio conſtitutus, & plurib⁹ affectibus tam ab ætate, quam ab imbecilliori natura prouenientibus moleſtatus debeat à ieiuniorum obſervantia arceri, & ad carnium comeſtionem cogi, etiam ovis interdictis, ob rationem, de qua ſuo loco, nam apertiſſimè patet plures prædominari in Eminentiſſimo Domino cauſas illum ab omni ieiunij obſervatione eximentes, ut evidenter ex ſequentibus conſtabit.

1 Ante omnia tamen illud pro fundamento noſtræ aſſertionis ponamus, Eccleſiam ſcilicet in impoſitione ieiunij, & cuiuſcunque abſtinentiæ, nunquam intendere humanis corporibus detrimentum afferre, aut cum notabili læſione naturæ nos ad eius obſervantiam obligare: facit *C. quadrageſima.* ibi, *niſi quem infirmitas impedierit*, & *C. Quia die Sabbathi, de conſecr. diſt. 5. § 3. p. Decret.* Leſſius *de iuſtit. & iur. lib. 4. cap. 6. dub. 6. verſ. ob impotentiam.* Vincent. Filliuc. *Moral. quæſt. p. 2. tract. 27. c. 16. n. 115.* & alij Canoniſtæ, cum de ieiunio agunt, & ex noſtris Medicis id ipſum adnotat Ioan. Alphonſ. à Fonſeca *in ſpec. Med. Chriſt. lumin. 2. pag. 15. verſ. ſequitur tertio.* Quamobrem ubi ieiunij tolerantia communem hominum facultatem excedat, ea ab Eccleſia ſancta tanquam Deo minus accepta illaudabilis reputatur, & de facto reprobatur, ut per tex. *in c. non mediocriter, de conſecr. ubi ſup.* in illis verbis: *De rapina verò* D. Thom. *in 4. ſent. diſt. 11.*

Ex hoc igitur fundamento elicitur hæc firmiſſima, ac irrefragabilis concluſio, quod quandocunque ex quavis abſtinentia vel in ieiunio, vel in reliquis diebus, tenemur à carnibus abſtinere; aut propter qualitatem ciborum aut propter 3 eorum inſufficientem qualitatem, ieiunans, vel abſtinens incurrit notabile corporis detrimentum, non modo legitime à ieiunij & abſtinentiæ obligatione ſolutus cenſetur, ſed tenetur omnino à ieiunio, & abſtinentia quacunque ſeſe retrahere.

Quibus ſic ſtantibus, cùm pateat in caſu noſtro Eminentiſſimum Dominum pluribus moleſtari infirmitatibus, & ætatem ſenilem degere; earumque rerum occaſione inſignem noxam percipere poſſe ſi aliis cibariis uti cogatur, quàm carnibus, non modo licite diſpenſari poteſt ad carnium comeſtionem etiam in diebus, in quibus ex præcepto Eccleſiæ ab illo eſt abſtinendum, ſed ne hæc abſtinentia illaudabilis, & reprehenſibilis evadat, cogendus omninò eſt, ut Medicorum utrorumque conſilio acquieſcat, & à piſcibus aliiſque cibariis ſibi noxiis perpetuò abſtineat.

Apertiſſime enim patet ab eſu piſcium, & ipſorum etiam ovorum Eminentiſſimum Dominum inſigniter lædi, primò expetientia, quæ rerum magiſtra *cap. Quam ſit in 6. decret. lib. 1. tit. 6.* nam certiſſima eſt omnium rerum indicatrix, Gal. 4 *lib. 1. de ſimpl. Med. fac.* 38. per hanc enim certiores eſſe poſſumus, quod quotieſcunque Eminentiſſimus Dominus Chriſtiana pietate ductus conatus eſt ob ieiunij alicuius obſervantiam à carnibus abſtinere, & ſolis piſcibus, aut etiam ovis contentus eſſe, ſemper ſubſequentibus diebus magnam corporis imbecillitatem, ſtomachi ſubverſionem, & conſuetorum ſymptomatum recrudeſcentiam expertus eſt; ita ut ex hac una cauſa lecto ſe continere per plures dies coactus fuerit; quæ tamen omnia incommoda aliàs evitavit cum impulſu & perſuaſione noſtra carnibus, melioribuſque cibis uſus eſt.

Licet ergo hæc ſola experientia ex ſe ſufficientiſſima ſit ad perſuadendum Viro Eminentiſſimo, ſe eſſe legitime ab omni obſervantia Ieiuniorum excuſatum, tamen ut maiorem in modum ſuæ conſcientiæ ſtimulo ſatisfiat Phiſicis inſuper rationibus, & Medico diſcurſu probabimus. Eminentiam ſuam ex quolibet uſu piſcium, aliorumque ciborum, quibus utimur in ieiuniis, & abſtinentiis quibuſcunque, etiam ovorum, reportaturam notabile ſanitatis detrimentum, ut facile de hinc à ſpirituali Medico perſuaderi poſſit, ut relictis prædictis cibariis ad carnium uſum quolibet tempore indifferenter ſe conferat tanquam ſuæ ſanitati adæquatum, & multò magis conducentem.

Primò ergo Piſces & alij ſimiles cibi, ratione ætatis, quàm 5 degit Eminentiſſimus Dominus, ſunt maximè illi noxij: Etas enim ſenilis, & maximè declinans, eſt humorum frigidorum 6 & humidorum fœcundiſſima, ut docent Medici omnes cum Galen. *in lib. de Salubr. Diat. partic. 6. & alibi*, quamobrem quemadmodum à piſcibus, & frigidioribus cibis maximoperè læduntur, ita contrariis, ut ſani, quantum fieri poteſt, degant, ſunt nutrienda, ut Hippocr. & Galen. *lib. cit.* docent. Idcircò enim præcipitur ab omnibus practicantibus, ut abſtineant ab iis, quæ phlegma, & melancholiam generare poſſunt Galen. *lib. 5. de ſanit. tuend. cap. 6.* Avic. *1. doct. 5. cap. 2.* at hæc duo maximè vitia Piſces habent, nam frigidi, & humidi ſunt: Paul. *lib. 1. ſua Med. c. 9.* & alij omnes. Deinde obiid quod multum excrementi habeant, obſtruentes ſunt, à quibus cibis maximoperè cavere debent Senes, admonente Galeno *loco ſupra citat. de ſan. tuend.* Et licet ipſe Galenus, & alij piſces ſenibus conceſſerint, hoc fecerunt in ſenibus ſanis & robuſtis, non verò in valetudinariis, qui facile à quavis minima cauſa, & errato in victu læſi conſueverunt, idem Galen. *ubi ſup. c. 4.* at Eminentiſſimum Dominum valetudinariam vitam degere patet apertiſſimè, nec ulteriori egemus teſtimonio ad hoc probandum, ergo nequ piſcibus, neque ſimilibus cibariis ratiò uti debet, quia tam ſenes, quàm valetudinarij à minima cauſa læduntur, cum contrà juvenes, & ſani à magna etiam cauſa non lædantur, Galen. *lib. 5. de ſan. tuend. cap. 6.* ergo Eminentiſſimus Dominus etiam ex unica comeſtione Piſcium, cum ſenex, & valetudinarius ſit, lædi inſigniter poterit.

Secundò uſus Piſcium, & prædictorum ciborum, eſt maxi- 7 mè noxius Viro Eminentiſſimo quandocunque, ratione morborum quibus perpetuò detinetur; & primò ratione morbi articularis, cuius reſpectu piſces eſſe noxios, & idcircò omninò evitandos cenſent Medici omnes, & præcipuè conſulatores, Montan. *conſ. 241.* & alii. Secundò ratione flatulentiæ Hypochondriacæ maiorem in modum noxius eſt, & eorum uſus in hac ægritudine ab omnibus Medicis evitatur Montan. *conſ. 4.* & alii. Tertiò ratione debilitatis Stomachi piſces ſunt vitandi, debilitas enim ex caloris pauperie emergit, inde cibi frigidiores eundem calorem magis obtundunt.

Neque etiam alii cibi quibus in ieiunii, uti conſuevimus, 8 tutò Eminentiſſimo Viro adminiſtrari poſſunt, quia primò olera omnia ſunt modici, ac pravi nutrimenti Galen. *in lib. de ſucc. bon. & vit.* Card. *de mal. Med. uſus cap. 5.* Legumina præterea flatuoſa ſunt, & articulis obſunt, experimento deſumpto ab iis, qui in æno iis veſcebantur apud Hippocr. *lib. 6. de morb. vulg. ſect. 4.* præterquam quod etiam quocunque modo comeſta noxia ſunt, idem Hippocr. *de vict. rat. n. 59.* Salſamenta vaporoſa ſunt, & melancholicum ſanguinem gignunt: Oribaſ. *c. 2. collect. lib. 8.* ac denique omnia cibaria, quibus utimur in ieiuniis, melancholica ſunt, modici, ac pravi nutrimenti, cocti- 9 oni rebellia, flatuoſa, & mille aliis vitiis carentia, quæ maxime Viro eminentiſſimo noxia eſſe poſſunt.

Tertiò Piſces & ova in caſu noſtro noxia ſunt ratione quo- 10 que cuiuſdam individualis naturæ ipſius ſtomachi nam piſces malè concoquit, & facillimè ea de cauſa in eo putreſcunt (quod vitium ſemper piſcibus ineſſe probant, Mercurial. *var. lect. lib. 1. c. 15.* & Alex. Petron. *de vict. Romana in 3. c. 10.*) ova autem peſſimè tranſmutat, quia in eo aduruntur, & nidorem contrahunt, neque hoc novum eſt, quia teſte Galeno *le nec. ſſ. Bonit. & vit. c. 1* hoc uſuvenire ſolet nonnullorum ſtomachis, ita ut facilius carnem bubulam (quæ coctioni maximè rebellis eſt, quàm optimos piſces, & ſucci laudabilis, & ipſa ova concoquant.

Denique ratione imbecillitatis virium, & caloris naturalis alia cibaria præter optimas carnes in caſu noſtro noxia omni ex parte ſunt, quia cum ſenibus ob eiuſdem caloris imbecillitatem parùm offerri debeat, idque optimi ſucci, & facillimæ coctionis, ut Galen. docet *tit. lib. de ſan. tuend. 5.* in caſu autem noſtro imbecillitas non modò adſit reſpectu ætatis, ſed etiam reſpectu particularis naturæ & reſpectu morborum, quibus ille eſt obnoxius, patet, quòd à piſcibus, aliiſque huiuſmodi cibis nunquam tantum nutrimenti elicere poterit Vir Eminentiſſimus, quanto natura eius indiget, unde ex eorum uſu etiam per diem vires iam debiles ſuccumbent, mobi repullulabunt, ſymptomata moleſtiora evadent, atque eo pacto in lecto decumbere cogetur, & à melioribus operibus vacare, præter vitæ periculum inde manifeſtè imminens. Ex quibus concludentiſſimè probatum remanet, debere Virum Eminentiſſimam carnibus perpetuò uti, nec ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſe illum ieiuniorum obſervantiæ ſeſe obſtringere, & cauſam præbere alicui morbo, qui illum periculo notabili exponat.

Et ita pro veritate ſentio, ſalvo ſemper, &c. ego Paulus Zacchias Medicus Rom.

Ita quoque ego Ioannes Iacobus Ubaldus de Apro Piceno Phyſicus Romanus, temperamenti, & affectuum præter na uram, quibus Eminentiſſimus Dominus ſollicitatur, & de qu is non oſcitanter excellentiſſimus Zacchias ratiocinatus eſt optimè informatus ſtatuo, ac ſentio in hac re determinandum quomodo Vir Doctiſſimus ſtatuerit, & ſenſerit. Datum Romæ 11. die Octobris 1629.

CONSILIUM LIX.

ARGUMENTUM.

Inſtante Dom. Ioanne Baptiſta de Symeonibus promoveri ad ſacra, oppoſitum eſt; illum habere irregularitatis impedimentum ex capite Epilepſiæ, qua detineri præſumebatur. Palam autem erat, illum aliquando Epileptica ſymptomata paſſum fuiſſe, quod neque ipſe controvertebat, aſſerebat tamen ſe iam integrè convaluiſſe, neque ab illis ulteriùs impediri poſſe, quin ad ſacra promoveretur. Duo ergo determinanda veniebant. Primò an perfectè ab Epilepſia eſſet ſanatus. Secundò an prægreſſa Epilepſia eſſet illi impedimento, ne promoveretur.

SUMMARIUM.

1 *Epilepticus non poteſt promoveri.*
2 *Epilepſia eſt morbus turpis, & excitat peſſima ſymptomata.*
3 *Epilepticus etiam ſanatus non debet incautè promoveri, & cur.*
4 *Epilepſia duplex genus.*
5 *Epilepticus ſi ſit perfectè ſanatus poteſt promoveri.*
6 *Levis Epilepſia quando dicatur.*
7 *Frequens Epilepſia quando dici debeat.*
8 *Sanatus quis dicatur.*
9 *Sanatus quandonam quis dici debeat.*
10 *Quomodo experiri liceat, an Epilepticus ſanatus ſit, necne.*

1 VIdetur prima facie Dom. Ioannem Baptiſtam de Symeonibus repellendum eſſe à promotione ad ſacros Ordines, cum alias Epilepſia laboraverit, id enim expreſſe cavetur *in cap. in tuis litteris, quæſt. 2. cauſ. 7. & ſeq.* Rota *in Salamantina dimidiapertionis* 23. *Ianuar.* 1609 *coram Marquemontio, num.* 6 nam ut ibi habetur, & indecens & periculoſum eſt, ut quis ſacra adminiſtrans huic morbo ſit obnoxius, ita ut in Euchariſtiæ conſecratione huiuſmodi morbo victus in terram cadat, eſt enim morbus hic turpis, & excitans turpia & peſſi-
2 ma ſymptomata, quorum aliqua in prædicto textu connumerantur, ut repentinus lapſus, clamor confuſus, ſpuma in ore, corporis, membrorumque diſtorſiones, ſemicis, & fæcum, & urinæ involuntaria ejectio, & alii huiuſmodi, quæ recenſentur à Medicis in proprio tractatu *de Epilepſia*, inter quos præcipuè videndi, qui de ea ex profeſſo egerunt, ut ante omnes Hippocr. *in lib. de morb. ſacr.* Arnald. de Villanova Hieronymus Gabucinus, Ioannes Fernelius, Iaſon Praten & ultimo loco ſcribens Bouche *in lib. de ſceleſt.* præter alios tam veteſtiores, quam recentiores in ſuis practicis.

Neque ſolum prohibetur Epilepticus promoveri dum ad-
3 huc prædicto morbo affligitur, ſed etiam ſi ſanatus videatur, quia hic morbus de illorum numero eſt, qui non modo acceſſiones, & exacerbationes inſultuſque incertos, aut etiam certos habent, ſed in eorum cenſu qui facilè reverſionem faciunt, unde fit, ut etiam multos poſt dies, immò multos poſt menſes, & annos aliquando ex improviſo hominem adoriatur, quando omnes periculum recrudeſcentiæ evanuiſſe exiſtimamus, unde prudentiſſimè: Canonibus præcipitur, ut antequam eum, qui aliquando Epilepſia tentatus eſt, ad ſacra promoveamus, plura experimenta, aé longa de eius recuperata in totum ſanitate ſumamus cum evenerit interdum ex quadam non magna cauſa illum in morbum reincidere, ut ex comeſtione pravorum ciborum, ex animi vehementi paſſione, ex aëris non boni perceptione, & id genus aliis extrinſecis cauſis.

Quibus tamen non obſtantibus in caſu noſtro decidendo pro eo quod ad Medicum ſpectat, dicendum videtur, immeritò repelli. D. Ioannem Baptiſtam de Symeonibus à promotione ad ſacros Ordines; quia cum ad mentem *præcitati text. cap. in tuis litteris.* Epilepſia ſit duplicis generis, & unum quidem ſit frequens & grave, alterum vero de raro prehendens ac leve, certum eſt impedimentum ad promotionem ad ſacra, 4
& ad celebrationem in iam promoto, eſſe tantum in primo genere Epilepſiæ, non in ſecundo, ut ibi decidit ur; & ratio, quæ à Medicis eſt expetenda, illa cenſetur, quod gravis ac frequens Epilepſia ſit ex defectu organi, & per eſſentiam, & per cauſam iam habitualem in ipſo cerebro, quæ licet intermittere videatur, tamen facile revertitur, & incurabilis eſt; at verò levis Epilepſia ſit ut plurimum per conſenſum, & ex cauſa ſæpe extrinſeca, unde amovibilis eſt præterquam quod ſymptomata illa turpia quibus ſcatet Epilepſia gravis, non aſſociantur Epilepſiæ levi, unde ceſſat indecentia quæ maximè ob ea ſymptomata habet locum. Cùmque Dom. Ioann. Baptiſta paſſus fuerit levem Epilepſiam, & ex cauſa ſemper extrinſeca, & per conſenſum, ut ex dictis Teſtium palam eſt, non debet prohiberi à promotione ad ſacra.

Sed & idem Textus ſupra citatus alia utitur diſtinctione 5
ex ſtatu Ægrotantis deſumpta, & eſt quod vel Epilepticus ſit perfectè ſanatus, vel non; & in primo caſu non vult prohiberi à promotione ad ſacra, ſed tantùm in ſecundo, quæ quidem diſtinctio neceſſaria omnino eſt, & undequaque acceptabilis, ut abſurdum maximum evitetur: Nam ſi quis unquam qui aliquando Epilepſiam paſſus eſt, ſit irregularis, & promoveri ob id non poſſit, perpauci, ne nulli dicam ab ea irregularitate erunt immunes; cùm perpauci ſint, ne null dicam, qui Epilepſia ſaltem in pueritia non fuerint tentati, ut non modo nobis Medicis, ſed & lippis, & Tonſoribus notum eſt. Et licet nonnulli velint puerorum morbum illum, quem infantilem vocamus, non eſſe propriè Epilepſiam, certum tamen eſt, & eſſe morbum non abſimilem, & pueros Epilepſia propriè dicta facilè tentari, Hippocr. *in lib. de morb. ſect. 3. n. 9. & 10.* eiuſque rei cauſa redditur à Galen. *in lib. 6. Epid. comm. 1. text.* 5. & ab Avic. *lib.* 3. ex quibus Mercurial. *lib. 2. de morb. puer. cap.* 3. ergo iuxta hanc ſecundam Textus diviſionem, D. Io Baptiſta non debet à promotione ad ſacra arceri, cum ab Epilepſia iam perfectè convaluerit.

Utrumque autem aſſumptum hoc eſt, quod Epilepſia, quam paſſus eſt prædictus D. Ioan. Baptiſta fuerit levis, & quod ab 6
ea perfectè ſit ſanatus, facile probatur, quia quoad levitatem Teſtes deponunt, illam non fuiſſe aſſociatam ullo ſymptomate conſideratione digno, ac notabili: Nam erat omnino quædam quaſi vertigo, neque repetita, & ex improviſo in terram cadebat, ſed cuicunque obviæ rei innixus paulatim concidebat, nulla membrorum diſtenſione totius, nullam ex ore ſpumam emittens, nullum clamorem edens, nulla commaculatione ſe deturpans, & vix per quatram quadrantis horæ partem in paroxyſmo permanens, à quo liberatus, neque paralyſim ullam, neque mentis obtuſionem, neque fatuitatem aut amentiam, neque membrorum torporem, neque ullam memoriæ iacturam ex morbi inſultu patiebatur; ſed tantum ſymptomatis prægreſſi verecundium.

Nec ſolum levis erat hæc Epilepſia reſpectu ſymptomatum, ſed etiam reſpectu raritatis acceſſionum, patet enim ex teſtium depoſitionibus, prædictum D. Ioan. Baptiſtam admodum de raro conſuetum eſſe eo morbo moleſtari; at frequens Epilepſia dicitur, quæ ob cerebri, & capitis multum imbecillitatem ex quavis etiam leviori cauſa inſultum facit, maximè verò qui ex coniunctionibus, & oppoſitionibus ſummarium, & magnis temporum mutationibus, & ex quocunque errore in victus ratione intercedente, ex vehementi animi paſſione, 7
ac denique ex gravi quodam odore, & ſimilibus occaſionibus moleſtat; contra verò ſi ſemel aut bis in anno prehendat; quia quemadmodum acceſſionum frequentia virtutem oſtendit debilem, ac vitium iam factum eſſe connaturale, & in habitu, & ideirco morbum non ſolum facilè reverſionem facere poſſe, ſed nullo modo eſſe curabilem, ſic raritas acceſſionum morbum ipſum oſtendit debilem, & facilè à natura ſuperabilem.

Ex quibus apertiſſimè patet, quòd hic morbus non proveniebat à mala & inſigni capitis, & cerebri dyſcraſia, aut ab inſtrumentorum vitio, ex quibus nonniſi graves & incurabiles Epilepſiæ fiunt, atque hoc ipſum multò magis confirmatur ex eo, quia ſemper in hoc ægrotante inſultus morbi apparebat ob aliquam extrinſecam cauſam, cùm tunc maximè ab eo moleſtaretur, cùm venatum procederet, aut aëri inclementi, ac ſoli, ventiſque ſeſe minus exponeret, quibus occaſionibus remotis nunquam huiuſmodi ſymptomate moleſtatus eſt, ut patet ex eorundem teſtium depoſitionibus; quam obrem tantò magis ad ſacra promoveri poterit D. Ioan. Baptiſta, quantò ipſa promotio ad ſacra erit cauſa ob quam à venatione abſtinens, in morbum nequaquam in poſterum labetur.

Doni

8 Denique quòd D. Ioann. Baptiſta jam ſi à morbo perfectè ſanatus, palam eſtinam ſanatus dicitur qui in priſtinum, ac naturalem ſtatum rediit, *L. Quod ita ſanatum, ff. de Ædil. Ed.* ex Medicis Galen *lib. 9. Method. cap.* 15 quòd verò in naturalem ſtatum redierit, oſtendit ipſa naturæ incolumitas, cùm neque aliqua parte corporis ampliùs laboret, neque ad vitæ munera obeunda ſit impeditus, tunc enim homo ſanus dicitur, idem
9 Galen. *lib. 6 de ſan. tuend cap.* 5. *& lib. de differ. morb. cap.* 2. præterquam quod unuſquiſque dici debeat ſanus, etiamſi aliàs ægrotaverit, cùm nulla prægreſſi morbi veſtigia in ſe conſervat, aliàs enim, cùm nullus homo ſit, qui aliquando non ægrotaverit, nullus deberet dici ſanus, itaque *quod ita ſanatum eſt* (ut Textus verbis utar) *ut in priſtinum ſtatum redierit, perinde habendum eſt, quaſi nunquam morboſum fuiſſet.* Non ergo præjudicare debet D. Io Baptiſtæ, quòd aliquando Epilepſia laboraverit, ſi ad præſens in priſtinum ſtatum illum reverſum eſſe conſtat.

Quod ulterius firmatur, quia cùm Epilepſia remanente adhuc prava diſpoſitione, & morbi ſemino facillimè ex erroribus in victus ratione exciteretur, palam jam eſt, quòd, ſi hujuſ-
10 modi errores prægreſſi multoties fuerint, & tamen Epilepſia nullam de ſe ſignificationem dederit, dici poſſit, eam in totum evanuiſſe: Nam non aliam ob cauſam in *c. Nuper, cauſ. 7. qu. 1.* imponitur à Gelaſio, quod ei, de quo ſuſpicio inſurrexerat, an Epilepſia laboraret, offerrentur carnes omnes indifferenter, volens ex oblatione ciborum non ſalubrium, & Epilepſiæ contrariorum experimentum capere, an ab eo morbo convaluiſſet, quia facile erat ex comeſtione hujuſmodi ciborum, eum in Epilepſiam relabi, ubi perfectè non eſſet ſanatus. Quin non per unum tantùm aut alterum diem de ea re capi volebat experimentum, ſed per triginta, tunc enim ſi à prægreſſis erroribus in cibis commiſſis non læderetur, dubium non erat, illum fuiſſe ab Epilepſia undequaque liberatum. Cùm ergo in caſu noſtro jam ſpatio duorum annorum morbus quieverit, & non obſtantibus multis erroribus in victus ratione patratis, nunquam ab eo fuerit moleſtatus, dicendum eſt, D. Ioannem Baptiſtam ab illo jam eſſe perfectiſſimè ſanatum; nec jure poſſe à promotione ad ſacra repelli, ſed ad ea debere admitti tanquam ægrotaſſet.

CONSILIUM LX.

ARGUMENTUM.

Cùm ageretur coràm Illuſtriſſimo Merlino, Rotæ Romanæ Auditore meritiſſimo, de probatione filiationis D. Margaritæ ex Flavia à D. Ioann. Baptiſta Victorio ſuſceptæ, inter alia, quæ à DD. ſcribentibus pro ipſa D. Margarita in medium afferebantur, erat, ſimilitudo ipſius D. Margaritæ ad præfictum D. Ioan. Baptiſtam, ex qua cùm prætenderent haberi debere urgentiſſimam probationem, inanem illam, ac nullius momenti adverſarii aſſeverabant: Conſultus ergo reſpondi.

SUMMARIUM.

1 *Naturum ſimilitudo ſecundùm communem opinionem dependet ab imaginatione matris.*
2 *Similitudo nati ad præſumptum parentem nihil relevat, & cur.*
3 *Experientia plures comprobantes ſimilitudinem naturum eſſe ab imaginatione remiſſè.*
4 *Similitudo duplex naturalis, & accidentalis.*
5 *Nunquam determinari poteſt, an ſimilitudo, de qua agere contingit, ſit naturalis, vel accidentalis.*
6 *Similitudo eſt effectus patens ad ſuas naturales cauſas referendus.*
7 *Cauſa naturales ſemper eodem modo procedunt, & ſunt certæ, & determinatæ: contra, accidentales.*
8 *Effectus omnis ad naturales cauſas referendus.*
9 *Cauſa in actu ſimul eſt cum effectu.*
10 *Imaginatio, dato quòd ſit cauſa ſimilitudinis naturum, eſt ſolùm accidentalis cauſa.*
11 *Aſſimilatio eſt opus facultatis formatricis.*
12 *Similitudo non conſideratur ſolùm inter parentes, & filios, ſed etiam inter fratres, & inter alias perſonas.*
13 *Cauſa eorum conſimilium cauſa debent eſſe conſimiles.*
14 *Cauſa per accidens ſunt poſteriores cauſis per ſe.*
15 *Similitudo ſemper probare debet filiationem.*
16 *Similitudo ad nullam aliam cauſam referri poteſt, quam ad facultatem formatricem reſidentem in ſemine progenitorum.*

PErſuaſiſſimum eſt non apud Philoſophos ſolùm, ſed vel 1
apud ipſum imperitiſſimum vulgus natorum ſimilitudinem provenire ab imaginatione genitricis, ex qua cum fieri poſſit, ſi ad aliam perſonam, quàm ad verum genitorem converteatur, ut filius naſcatur ſimilis imaginatæ perſonæ, non autem vero genitori, ſequitur inde, quòd nullam præſumptionem filiationis deſumere liceat ex ſimilitudine cujuſdam nati ad aliquem præſumptum genitorem, ad quod multò magis comprobandum faciunt quamplurimæ DD. hominum auctoritates, inter quas illa maximè ad rem facit, quam adducit alias, & eſt Theocriti *Idill* 17. hoc eſt.

Impia enim multeris animum ſemper apud virum alienum,
Et faciles quidem partus ſunt, ſed liberi neq; aquam ſimiles ſunt patri.

Dum ergo in caſu noſtro nititur probare filiationem D. Margaritæ ex ſimilitudine quam habet cum Ioanne Baptiſta Victorio præſumpto patre, nihil hæc probatio relevare videtur: Nam Flavia, ex qua Margarita nata eſt potuit cum aliis vitis ſe commiſcens, & in actu maximè venereo Ioann. Baptiſtæ Victorii ſui Amatii imaginem præ mente habens, concipere Margaritam quæ non patris, ſed imaginati ſimilitudinem referret, ut alias non ſemel evenire notiſſimum eſt, & ſic falſa omnino, & inanis eſſet quæcunque præſumptio dici poſſit ex ſimilitudine Margaritæ ad Ioann. Baptiſtam Victorium, cùm ſtante etiam ſimilitudine, ex alio congreſſore concipi potuerit: ex ſuperioribus. 2

Neque auctoritatibus tantùm nititur hæc communiſſima hominum opinio, ſed, quod multò magis urget, etiam ratione ſuadendum mille in medium producuntur certiſſimæ experientiæ, quarum plures recenſitas habes apud Auctores per me adductos *lib. 1 qq. Med. leg. tit. 5. q.* 2. non ſolùm Medicos, & Legumperitos, ſed & alios quoſque Profeſſores. Licet autem Andr. Laurent. *ſua Anatomia lib. 8. q. 10.* diſtinguens ſimilitudinem accidentalem à naturali determinaverit, naturalem ſemper à formatrice facultate dependere, accidentalem verò ab imaginatione tantùm: hoc tamen non tollit, quin dubium ſemper irrepere debeat, an ſimilitudo, de qua ambigitur, accidentalis ſit, aut naturalis, hoc enim in idem recidit, cùm de hoc non conſtito, non prohibeatur, quin ea ſimilitudo referri poſſit ad perſonam, quæ nihil in generatione contulit, neque verè genitor fuit, & ſic nunquam ex ſimilitudine nati ad aliquam perſonam poterit deſumi conjectura filiationis, quia nunquam patere poterit, an ea ſimilitudo accidentalis ſit, & ab imaginatione dependentiam habens, an verò naturalis, & à formatrice facultate, quod cum habeat omnimodam veritatem, neque ex aliis quibuſdam, neque ex ſimilitudine filiatio remanet probata, omninò militare debet illud Homeri *Odyſſ. libro primo*

Nondum aliquis ſuum genitorem ipſe novit.

Hoc eſt, nullus eſt, qui certò poſſit affirmare, ſe eſſe filium ejus, cujus jactatur eſſe.

Sed contra prædicta militat ipſa Ratio, nam cùm ſimilitudo ſit quidam effectus patens, ac evidens, & habens ſuas naturales cauſas, quæcunque tandem illæ ſint, inaniter omninò, & 6
extra omnem Mercurium ad accidentales cauſas refertur, eumque cauſæ accidentales non ſint finitæ, ſed infinitæ, contra quàm ſint naturales, quæ finitæ ſunt. Ariſtot. *lib. 2. Phil. text.* 50. ſequitur quòd hujus effectus, nempe ſimilitudinis poſſint cum Imaginatione dari infinitæ aliæ cauſæ, quod eſt maximum abſurdum, & cùm præterea cauſæ naturales in operando ſemper 7
eodem modo procedant, quia ſunt certæ, determinatæ & definitæ, contra quàm ſint accidentales, quæ ſunt incertæ, indeterminatæ, & indefinitæ, idem Ariſtot. *ibid. & ibi* Auer. *in comm.* ſequeretur contrarium, nempè, quòd cauſa accidentalis, ipſa nempe Imaginatio in operando, & producendo hunc ſimilitudinis effectum, ordinatè, & uniformiter procederet, naturalis autem cauſa, nempe ipſa formatrix facultas mediante temperamento, inordinatè, & non uniformiter operaretur, cùm aliquando extraneæ perſonæ, non autem ſemper genitoribus, aut illis, cum quibus temperamenta conveniunt, natos, & individua quæque aſſimilaret, quod eſt non minus abſurdum.

Ulterius cùm naturales affectus ad ſuas naturales cauſas ſint referendi, & ſimilitudo fraterna inter ſe, & extraneorum per 8
ſonarum, aliorumque individuorum inter ſe ſit effectus naturalis, & non poſſit ad imaginationem referri, ſequitur indequòd neque ſimilitudines natorum ad parentes ad imaginationem referri poſſint, tanquam ad ſuam cauſam naturalem, cùm igitur aliam habeamus cauſam; nempe formatricem facultatem

cultatem pro convenientia temperamentorum, quæ communis esse potest, omnibus similitudinum speciebus, dicendum omninò est, imaginationem pro causa alicujus similitudinis non esse admittendam; ubi viget naturalis & magis adæquata causa omnibus similitudinum speciebus accomodata, nempe calor ipse ingenitus, vel formatrix facultas efformans individuis diversa sibi similia pro convenientia gradus cujusdam particularis calidi, & frigidi, humidi, & sicci, quæ causa, ut dictum, in omnibus similitudinum speciebus est communis: quod de Imaginatione nequaquam firmari potest.

9 His addendum, quòd posita causa naturali proximè disposita ad agendum, necessariò debet sequi effectus, quia causa in actu simul est cum effectu Aristotel. *citat. lib. 2. Physic. text. 37* & *ibi* Aver. *in comm.* si ergo ponatur imaginatio pro causa naturali similitudinis natorum; semper filii nascentur similes personæ imaginatæ, quia impossibile est causas naturales in actu operati & effectum ipsis respondentè non sequi; at contra est, quia admodùm de raro filii nascuntur similes personæ imaginatæ, imò pro monstro est, si quis dissimilis à parentibus nascatur, ergo imaginatio naturalis causa similitudinis esse non potest, sed tantùm accidentalis, si modò unquam hic effectus similitudinis ab ea dependere potest.

10 Evidentius porrò probatur imaginationem non posse esse nisi causam accidentalem similitudinis natorum ex ipsa eorum sententia qui pro similitudinis causa eam adducunt, quia Imaginationi ex sua natura non convenit assimilare, est enim assimilatio opus formatricis facultatis quæ inter naturales

11 computatur, ergo non potest pertinere ad Imaginationem, quæ ad animales facultates pertinet: unde si contendamus imaginationem esse causam assimilationis, formatrix facultas etiam ad animales facultates pertinebit; at hoc est confundere ipsas facultates, & opera unius alteri tribuere, & tantundem esset dicere, quòd etiam nutritio, ac cæteræ naturales facultates ad ipsam quoque imaginationem pertineant. Deinde facultates operantur propriis instrumentis, sibique à natura dicatis; quonam igitur instrumento Imaginatio efformat unum individuum in effigie alteri simile? proprium certè non habet, alieno eam uti an firmari possit, videant qui eam opinionem tuentur.

Jam verò dictum est, quòd cum necessariò debeat assignari aliqua universalis causa similitudinis unius individui ad aliud, ad quam hic effectus referri debeat, hanc causam imaginationem esse non posse, quia cùm similitudo non consideretur solum inter filios & parentes; sed & inter fratres, &

12 inter extraneas personas, & inter individua ejusdem regionis, & inter gentem, & gentem, non potest in aliis similitudinibus imaginatio assignari pro earum causis, ut assignari utcunque potest pro causa similitudinis consideratæ inter filios & parentes: at verò cum causatorum consimilium causæ debeat esse consimiles, ut ex Aristot. habemus *l. 2. Cœli, text. 86.* conse-

13 quens est tam similitudinis natorum ad parentes, quàm fratris ad fratrem, & individui ad individuum, & gentis ad gentem consimilem causa esse assignandam, quæ quidem erit formatrix facultas, seu calor naturalis, prout in temperamentorum gradibus convenit magis cum uno, quàm cum alio; quæ causa multò magis adæquata videtur, & magis omnibus speciebus similitudinum communis, quàm sit Imaginatio.

Cùm igitur (concesso etiam quòd imaginatio possit utcunque aliquando esse similitudinis natorum ad Parentes causa) non possit recipi nisi in censu causæ per accidens certum inde fit, quod ubi causa naturalis ad eundem effectum producendum, & per se concurrat cum proxima dispositione ad agendum, non possit præveniri à causa accidentali, quia causæ per accidens sunt posteriores causis per se, idem Arist.

14 *lib. 2. Physic. text. 66.* & *ibi* Aver. *in comm.* & *8. Metaphys. c. 7.* si ergo formatrix facultas, quæ residet in seminibus genitorum, dispositа est ad efformandum conceptum simili effigie ad parentes tanquam causa primaria, & per se non poterit præveniri ab imaginatione, quæ neque causa primaria, neque proxima, neque per se est, sed tantùm per accidens: Similitudo ergò filiorum semper proveniet à causa naturali, nempe à facultate formatrice residente in seminibus genitorum, quæ pro temperamenti ratione, & majore convenientia in gradibus primarum qualitatum cum parentibus efformat ipsos natos effigie ad parentes similes, & sic similitudo erit præsumptio filiationis magni momenti, & probabit natum debere dici filium illius, cujus effigiei similis est, quia hic similitudinis

15 effectus non nisi ad formatricem facultatem seminis illius referri potest, cui natus magis assimilari videtur; Non obstante universali conclusione, quod similitudo non faciat conjecturam filiationis ut millies firmavit Rota, *& ultimis decis. in Rom. filiationis, prima Julii 1639. coram Carillo num. 14. & in Farsen. Bonorum 13. Jan. 1647. coram Emin. Conrado num. 9.*

Ex quibus facilè deducitur in casu nostro, quod ex similitudine, quam habet D. Margarita cum Joann. Baptista victorio maxima, & urgentissima præsumptio desumi debeat filiationis, concurrentibus maximè tot aliis adminiculis, & conjecturis, frustraque Adversarios, ut hæc probationem irritent; recurrere ad imaginationem; contra enim, similitudo Margaritæ ad Joannem Baptistam Victorium non ad aliam causam referri potest, quam ad formatricem facultatem seminis ipsius Joannis Baptistæ Genitoris, quæ sola naturalis, & adæquata est similitudinis causa, hæc proximè disposita ad assimilandum 16
conceptum ipsi seminanti, ad quod & imaginatio, & quæcunque alia causa hactenus assignata minimè disposita, & omninò inepta est judicanda.

Et ad ea, quæ in contrarium afferuntur, patet ex dictis responsio, ex quibus omninò excluditur imaginatio à causa assimilationis, quia assimilatio opus est formatricis facultatis, & ad naturales facultates tantum spectat, non ad animales, quales est imaginatio, quæ neque instrumenta habet, quibus formare aliquid possit, nec quicquam cum facultate formatrice commune habet: & ad experientias quæ adducuntur, si singulæ per se examinentur, facilè apparebit, eas nihil omninò probare, & si pro veris acceptentur, esse monstrificos quosdam effectus in natura, ex quibus nulla regula firmari potest.

CONSILIUM LXI.

ARGUMENTUM.

Andreas Casalius, nobilis Bononiensis, ætate florente ad bellum profectus, in eo inter pugnandum occubuisse ferebatur, unde ejus propinqui, ad quos hæreditas pertinebat, eam adeuntes, longo annorum decursu in possessione permanserunt; post quorum lapsum appulit in Italiam, ac mox Romam se contulit vir quidam, qui se Andream Casalium esse affirmabat, & hæreditatem ab iis, qui eam occupaverant, reposcebat. Non obstante autem, quòd plura evidentissima signa, ac non contemnendas conjecturas pro se afferret, in carcerem tanquam falsarius conjectus est; dumque ejus causa discuteretur, inter quamplurima, quæ contra illum facere videbantur, maximè ponderabatur nimis excedens dissimilitudo à vero Andrea Casalio. Itaque ab Illustriss. Domino quæsitum est, atque ab ipsa Congregatione in ea causa destinata, an possibile fuerit in tantùm Hominis effigiem immutari, & tantoperè à naturali differre, ut per eam pro eodem homine recognosci non possit? cui dubio sequenti responso satisfeci.

SUMMARIUM.

1 *Hominis effigies quas potissimum ab causas insigniter immutetur.*
2 *Ab Ætate quantopere effigies immutetur.*
3 *Pulchritudo non consideratur nisi in magno corpore.*
4 *Barba non semper decus, & ornamentum affert.*
5 *A natura est cum Ætate effigiem mutare.*
6 *Aëris insignes mutationes effigiem immutant.*
7 *Victus ratio multùm à consuetâ diversa, effigiem mirum in modum immutat.*
8 *Animi passiones quantam vim habeant in immutanda naturali effigie.*
9 *Morbi qui quantum, ac quomodò naturalem effigiem immutare consueſciant.*
10 *Mores etiam ab Ætate immutantur.*
11 *Mores pro mutatione temperaturæ ipsius corporis immutari solent.*
12 *Ob Aëris evidentes, ac insignes mutationes mores etiam immutantur.*
13 *Vita genus maximè à naturali & consueto alienum, mores mutat.*
14 *Mores quomodo ab animi passionibus immutentur.*

Cum

CUm tot, ac tantæ, tanque evidentes cauſæ in promptu ſint, ob quas homines in dies faciei effigiem, & totius perſonæ diſpoſitionem immutant, ita ut miuum in modum à priori effigie, & corporis diſpoſitione differant in tantùm, ut pro iiſdem hominibus non exiſtimentur, qui anteà exiſtimabantur, inaniter in hoc caſu dubium excitari videtur, in quo evidentiores, & maioris momenti cauſæ eius mutationis, ac tot numero concurrunt. Ut tamen Illuſtriſſ. Domino pro viribus ſatisfaciam, eam rem ſicco pede non tranſigam, ſed ex Medica ſpeculatione commonſtrabo, potuiſſe Andream Caſalium à ſua prima effigie per tam longum annorum decurſum, ac tot, ac tantis in unum confluentibus cauſis ita degenerare, ut ex, ea in nulla parte pro Andrea Caſalio recognoſcatur.

1 Cauſæ igitur tantæ mutationis reſtringi poſſunt ad Ætatem, ad inſignes Aëris mutationes, ad vitæ genus maximè à conſueto diverſum, ad Animi vehementes, improviſas, ac repentinas, vel etiam longo tempore detinentes paſſiones, ad morbos aut maximè acutos, & malignos, aut maximè diuturnos, & in ſumma ad omnes cauſas, quæ corporis temperamentum inſigniter immutare aptæ ſunt.

2 Et quoad Ætatem, quis eſt qui neſciat, quantoperè à ſe ipſo diſſimilis fiat, qui ex Pueritia in Adoleſcentiam, vel ex Adoleſcentia in Iuventum, & ex quavis ætate in aliam grandiorem migrat? imò quantò magis diſtat una Ætas ab alia, tantò magis à ſe ipſo diſſimilis homo evadit, ita ut non facilè pro eodem homine agnoſcamus, quem puerum vidimus, ſi ſeneſcentem conſpiciamus. Iuvenalis audiendus *Sat. 10. verſ. 190. & ſeqq.*

Sed quàm continuis, & quantis longa ſenectus.
Plena malis! deformem, & tetrum, ante omnia vultum.
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, & tales aſpice rugas:
Quales umbriferos ubi pandit Trabeata ſaltus,
In vetula ſcalpit jam mater ſimia bucca.

Sed id præ omnibus maximè in mulieribus obſervatur, quæ in recentioribus ætatibus habitiores ſunt, & ſuccì plenæ, corporiſque formâ ſpecioſiſſimæ, mox vetulæ, non ſolùm prioris decoris, ac pulchritudinis omne veſtigium amittunt, ſed deformiſſimæ evadunt, corpore ex humidori habitu in ſicciorem verſo, & ubi carnes habebant molles, lenes, ac benè coloratas, rugoſæ fiunt, ac ſiccæ, & duræ, atque aſperæ, colore vivido in pallorem mutato, atque ex luteo nigricante: atque inde fit, quod uxores in iuventute ob pulchritudinem adamatæ, ac prætermodum dilectæ, ſeneſcentes odio habeantur. Ad rem Iuven. *Sat. 6. verſ. 141.*

Quæ deſiderio Bibula Sertorius ardet?
Si verum excutias, faciet, non uxor amatur:
Tres rugæ ſubeant & ſe cutis arida laxet?
Fiant obſcuri dentes, oculique minores;
Collige ſarcinulas, dicet Libertus, & exi,
Iam gravis es nobis, & ſæpe emungeris, exi
Ocyus, & propera; ſicco venit altera Naſo.

Quod etiam multò faciliùs evenit de Amaſiis, unde Ter. *in Heautontim. Act. 20. ſcen. 3.*

Quippe forma impulſi noſtra nos Amatores colunt.
Hæc ubi immutata eſt, illi ſuum animum aliò conferunt.

Univerſaliter autem à natura eſt, ut plerique à pueris facie, & corpore perpulchri, ac venuſti exiſtentes, in iuventutem progrediendo, deformes, ac invenuſti evadant, contra verò quidam in puerili ætate formæ ſunt illaudabilis, & indecoræ, in ætate verò procedentes pulchritudine evadunt inſignes; quamobrem naturaliter abſque dubio factum eſt, quòd Ariſtonis uxor Ageto priori marito per fraudem adempta apud Herodot. *in orat. ſeu l. 6.* ex turpiſſima ſpecioſſima evaſerit, quod illa ad miraculum refert ex eo, quod eius nutrix ſingulis diebus puellam ad Helenæ templum baiularet, unde ipſa Helena caput eius demulcens, nativâ deformitas ablata, inſignem pulchritudinem conciliavit.

Sed præter frequentiſſima, ac quotidiana exempla, illud extat Liviæ uxoris Druſi apud Tacitum *lib 4. Annal. in prin.* de qua ille ſic: *Qua ſoror Germanici forma initio ætatis indecora, mox pulchritudine præcellebat.* Id quomodo eveniat non eſt difficile determinare: nam qui ætate puerili faciem habent partibus benè quidem conſtructis, ac diſpoſitis, exiguis tamen, pulchritudinem, ac venuſtatem in ea ætate non mediocrem præſeferunt, dum corpus totum adhuc puſillum eſt, cui facies eo modo concinnata proportione reſpondet: at verò corpore augeſcente, & mole grandiori facto, iam facies ab illa proportione deviat, atque apparet tunc huiuſmodi corpus capite non ſuo dotari, præterquam quod ipſæ faciei partes interſe non concordare videntur; Adde quòd capite exiſtente parvo, corpus non magnoperè incrementum ad ætatis convenientiam ſuſcipit, & ſic deperdita totius proportione deperditur ipſa pulchritudo, quæ teſte Galeno *l. 5. de Plac. Hipp. & Plat. c. 3.* ex omnium Medicorum, Philoſophorumque ſententia in membrorum apta connexione ſita eſt.

Contrarium evenit de iis, qui pueri facie, ac capite grandiore dotantur, quibus corpus ætate procedente in decentem molem attollitur, unde etiam caput, & facies corporis proportioni accommodatur, & partes ſingulæ ad totum magis proportione reſpondent, & ſic ex deformibus pulcherrimi fiunt. Quando enim in Homine partes ſunt perplures diſtinctæ, figuris difformes, naturis diſſimiles inter ſe, & ad totum proportionis rationem habentes, eius corpus pulchrum natura eſt, atque formoſum, ut dicebat Aug. Niphus *lib. de Pulchr. c. 37.* Naturale, ac inſigne exemplum habemus de Chinenſibus referente Patre Alvar. de Mend. *part. 1. Rel. Chin. cap. 34.* oculis ſunt à Natura parvis, & exiguo naſo, unde fit, ut ille addit, quòd dum in ætate puerili degunt, pulchriores appareant; procedente autem ætate omnem membrorum ſymmetriam amittunt, remanentibus oculis, & naſo in ſua parvitate, cæteris membris in maiorem molem accreſcentibus. Hinc eſt, quod tales etiam, dum pueri ſunt, non dignantur nomine *Pulchri*, ſed potius *Belli*, ac *Venuſti*, cum pulchritudo non conſideretur in parvis corpotibus; ſed in magnis, ut omnes ſentiunt: ad quod non præter rem Cæl. Rhodig. *lect. Ant. l. 9. c. 14.* Martialis *in Cottam*, in medium affert. 3

Bellus homo, & magnus, vis idem, Cotta, videri;
Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt.

Non tamen hæc ſola cauſa eſt, ob quam Homo à ſe ipſo diſſimilis in ſuccedente ætate evadit, ſed interdum ex minima quadam re ea diſſimilitudo reſultare poteſt. Videmus quotidiè adoleſcentes forma minimè laudabili, dum barba carent, barbam autem emittentes omnem illam deformitatem exuere: Contrà, alij dum imberbes permanent, non ſolùm deformes non ſunt, ſed pulchritudine excellunt, emiſſa autem barba nullum prioris pulchritudinis veſtigium ſervant. Unde non verificatur ſententia illa Cicer. *l. 3. de finib. Bon. & Mal.* & Galeni *l. 11. de uſu part. c. 14.* quibus aſſentitur etiam D. Auguſt. *l. 22. de Civ. Dei, c. 24.* à Marc. Ant. Ulmo cum ſupradictis relatus *in l. Rarb. hum. ſoll. n. c. 3.* qui Barbam decus, & ornamentum afferre voluerunt: quod non ſemper ita ſe habere, prædicti eventus demonſtrant. 4

Sed his prætermiſſis, omnibus profectò commune eſt, ut ætatem mutantes effigiem quoque immutent, ut dixi, non ſolùm prædictis ex cauſis, ſed quia cum ætate etiam temperamentum, & cum temperamento etiam corporis habitus immutatur: nam aliqui ex calido temperamento in frigidum labuntur, qui ex virilitate in ſenectutem abeunt; alij ex humidiori in ſicciorem, ut qui ex adoleſcentia, ſeu pubertate iuventutem attingunt; unde & ex habitu tenuiori alii pinguiorem induunt, alij tenuiorem ex pinguiori; & ſic de ſingulis: nam calidum, exempli gratia, temperamentum corpus & membra dilatat, foras impellit, in longum potiùs quàm in latum corpus abire facit, habitum tenuiorem conciliat, ſi cum ſicco adiungatur: contra frigidum corpus & membra coarctat, partes intrò retrahit, in latum magis, quàm in longum corpus producit, & ſi cum humido ſit adiunctum, habitum pinguiorem efficit ex quibus effigies non ſolùm alteratur, ſed notabiliter in contrariam ſpeciem immutatur. 5

Iam verò Aëris inſignes mutationes huic rei evidentem occaſionem præbent: ſcimus, quoſdam tenuiſſimi habitus, & ad Maraſmum, vel Hecticam, vel Phtiſim pronos, aëris mutatione impinguari, ac tam benè habitos evadere, ut effigiem in aliam immutent, in tantùm ut per eam pro iis non agnoſcantur, per quam antea erant noti. Aliis porrò contrario modo evenit, & hoc quidem rationabiliter, quia pro aëris qualitate corpora pinguiora, aut tenuiora, molliora, aut rudiora, ſtatura procera, aut puſilla, & ſic quoad reliquas conditiones evadere certum eſt, & hoc non modò ex nativi aëris qualitate, ſed etiam ex aëre per accidens extra patria loca, ac maximè diſtãria, & à nativi aëris qualitate diverſa inſpirato (longo tamen annorum decurſu) evenire certum eſt, quod experientia quotidiana veritatem habere confirmat. Inde fit, ut qui corpore puſillo, tenui, deformi, illaudabili, carnibus duris, & colore fuſco vel ex pallido nigricante in aerem melioris conditionis ſe transferens, ſi per conveniens tempus in eo commoratur ſtatura evadat proceriori, pinguiori, habitiori, ſpecioſa facie, carne molliori, & laudabilioris coloris, ita ut priorem effigiem in contrariam, ac maximè diſſimilem ab ea immuter evidenter. Ad hæc enim omnia, plura collimant, quæ in ipſa aëris mutatione concurrunt: nam præter Aërem, Aquarum & pocuum 6

ruum immutatio multum momenti in ea re habet; Accedunt ventorum diverſi perflatus, qui & ipſi corpora inſigniter immutant. Ciborum item differentes qualitates, & alia permulta, quæ recenſere ſupervacaneum omninò eſt.

7 Cum aëris quoque mutatione, pari ineſſu procedit victus ratio, quem ſi quis aut coactus, aut volens inſigniter immutaverit, non minùs, quàm cæteras iam commemoratas cauſas, corporis effigiem immutare poſſe certum eſt, eam autem in uſu ſex rerum non naturaliũ conſiſtere novimus Medici. Iam verò de aëre locuti ſumus, & de cibis aliquid diximus, his ſi quis aliis qualitatibus inſignibus utatur per longum annorum ſpatium, quàm fuerint ii, quibus per anteactum tempus uſus eſt, non mediocrem, imò ultra mediocrem vim habere comperiet immutandi hominis temperamentum, habitum, effigiem, & ſi qui laute, & affluenter vivere ſuetus, parcè ac duriter vivere in poſterum cogatur, vel ſi quis parcè, ac duriter vivens, poſtmodum lautè, & affluentiùs vivat, & temperamentum ſimiliter, & habitum, & effigiem dubio procul inſigniter immutabit, ipſa quotidiana experientia id comprobante: ſed & uni ciborum generi aſſuetus, exempli gratia carnibus, ovis piſcatu electili & id genus aliis, de hinc pane tantum, herbis, fructibus, aliiſve ſimilibus cibis vitam pertranſeat, vel è contra; eidem rei evidentem occaſionem dabit, & ſic de ſingulis; ne tædio enim Illuſtriſſimo Viro ſim, cætera percurrere non neceſſe habeo.

8 Animi paſſiones præterea quantùm momenti habeant in huiuſmodi effigiei mutatione, vel Pueri ipſi norunt, ſubitos imminentis mortis, ac repentinos timores momento hominem de una in aliam figuram tranſmutare frequens experientia commonſtrat. Extant infinita eorum exempla, qui morti adiudicati antecedenti nocte cani toto capite evaſere; & faciei aſpectũ adeò immutatum præ ſe tulerunt, ut non pro iis ipſis perſonis, quæ antecedenti die erant, ſed potiùs pro ſuppoſititiis reputari ſint; quod commune eſſe omnibus, qui morti de proximo damnati ſunt, ii teſtificantur, qui eos pietatis cauſa ad patibulum concomitantur. Extant plures huiuſmodi caſuum enarrationes, quarum nonnullas recollegit Ioann. Schenchius *lib. 1. ſuar. Obſ. in pr.* Inſignis valdè illa eſt, quam referre non pigebit, ex Lemnio *l. 2. c. 2. de complex.* ab ipſo relata, quæ ſic habet: *Iuvenis quidam nobilis ac generoſus, cùm in aula Cæſaris verſaretur, virginis cuiuſdam, quam deperibat, pudicitiam expugnavit; itaque in carcerem conjectus eſt poſtridie capite plectendus, &c. Cùm autem ea nocte tædio, ac mœrore conficeretur, ex angore mentis conceptaque mortis formidine, ita immutatus eſt, ut ſequenti die, cùm pro tribunali conſiſteret, à nemine eorum, quibuſcum familiariter vixerat, ne à Cæſare quidem agnoſci potuerit, adeò illi mentis horror, vitaque deſperatio paucarum horarum ſpatio colorem vigoremque corporis ademerat, ut omnis ſpecies, formaque decor, ac venuſtas defluxiſſe appareret, ſicut ſuprà quàm credi poſſet, ſqualida ſit effecta facies, color ex florido lividus ac cadaverioſus, aſpectus horridus, indecora canities, barba ſitu, & pædore, ſordeque illuvie deformata: Cæſar cum in illum defixit oculos, ſuppoſititium eſſe ſuſpicatus, ac ſurcum ſibi factum, explorari juſſit, an ii ipſius eſſet, & an mentita, aut adulterina canities, barbæque medicato aliquo liquamine oblita forte, ac delibuta; cum autem nihil tale ſubeſſe animadverteret, aſpectu viri attonitus, atque obſtupefactus, ex vindicta in commiſerationem animum deflexit, itaque ſatis pœnarum dediſſe ratus, culpam illi remiſit, ac violata, ereptaque crimen pudicitia condonavit.*

Refert etiam Schench. *ibid.* caſum Ludovici Bavari Imperatoris, qui poſt damnatam morti propriam uxorem, horrendam viſionem nocturnam habens, ea ipſa nocte totus canus eſt factus, ex Cuſpiniano, *in Cæſaribus*, & ex Cranz. *l. 9. Metropol. c. 47.* Uniperti ſucceſſum magnæ virtutis juvenis, in Epiſcopum Racceburgenſem à ſuis fratribus electi, qui cùm Romam, ut ætatis diſpenſationem à Pontifice obtineret, ſe contuliſſet, ab eodem Pontifice ob immaturam ætatem reiectus, proxima nocte totus incanuit, ita ut à Pontifice non ampliùs pro eo, qui ptidem confirmationem petierat, cognoſceretur, itaque iuſſit illum in Epiſcopum conſecrari, quem evidenti ſigno Deus probaſſet.

His addam ego caſum ex manuſcriptis eiuſdam Anciquarij excerptum, & eſt huiuſmodi. Ballus quidam ex oppido Columnæ Architectus, cum laqueat quoddam deſtrui curaret ob novum reficiendum, in periculum lethalis caſus ex improviſo lapſus, illicò canus evaſit, ea maximè parte, in quam caſus imminebat. Non ſine riſu autem & admiratione ſimul audivi D. Ioannem Baptiſtam Mongilardum Mediolanenſem optimum ſenem, ac optimum Medicum narrantem, quòd villicus quidam, qui duos molos habebat ad vitam ſuam tuendam, cùm comperiſſet illos ſibi furto fuiſſe ablatos, totus ex mœrore incanuit mox verò, duobus annis tranſactis, mulos reperit, ac denuò canos pilos in nigros commutavit. Non deſunt autem alia quamplura exempla eorum maximè, qui ex inopinato timore imminentis mortis non modò cani ſubitò facti ſunt, ſed effigiem ita immutarunt, ut pro iiſdem perſonis agnoſci nequirent. Sed & ex aliis animi paſſionibus idem nonnullis eveniſſe, non minùs frequenti experientia innoteſcit, Sit mihi fas Ludovici Arcoſti quædam carmina huc transferre in quibus Iucundum iuvenem formoſiſſimum, ex mœrore, & zelotypia, paucorum dierum ſpatio, ſpecioſitate omni amiſſa turpiſſimum evaſiſſe narrat: habent ergo ita, *Cant. 28. ſtr. 25. & ſeqq.*

Nè poſa di, nè notte, il ſonno lunge
Fuggo col guſto, e mai non ſi raccoglie,
E la faccia, che dianzi era ſi bella,
Si cangia ſi che più non ſembra quella.
Par, che gli occhi ſi aſcondan nella Teſta;
Creſciuto il Naſo par nel viſo ſcarno,
De la Beltà ſi poca glie ne reſta.
Che ne potra far paragone in darno.
Col duo venne una febbre ſi moleſta.
Che lo fè ſoggiornare all' Arbia, all' Arno,
E ſo di bello havea laſciato coſa,
Teſto reſtò com'al Sol colta Roſa.
Ultre ch'a fuſto increſta del fratello.
Che vede à ſimil termine condutto.
Vè più gl' increſce, ché bugiardo à quello.
Principe, à chi lo dollo, parra in tutto.
Moſtrar di tutti gli huomini il più, bello.
Gli have promeſſo, e monſtrer à il più brutto.

Sed quemadmodum ex mœrore, ac dolore homines inſigniter faciei effigiem immutant, ita ut ex formoſis deformes evadant: ſic ex contrariis paſſionibus, nempe ex gaudio, & animi alacritate ex deformibus in ſpecioſos, & formoſos evadunt, ut patet in eo, qui mœrore abiecto, cum animo lætior factus eſſet, ad naturalem pulchritudinem remeavit, ut Poëta addit *ibid. ſtr 38.*

A ſi ſtrano ſpettacolo Giocondo.
Raſſerena la fronte, è gli occhi e'l viſo,
E quale in nome divintò giocondo.
D'effetto antera, e tornò il pianto in riſo.
Allegro torna, e graſſo, e rubicondo,
Che ſembra un Cherubin di Paradiſo;
Ch'il Re, il fratello, e tutta la famiglia
Di tal mutation ſi meravigilia.

Ac profecto id ipſum ſibi voluerunt Poëtæ cum nonnullas perſonas ex humana figura in belluinam, vel humanum corpus in plantas, in fontes, in ſaxa abiiſſe fabulantur, ut Lycas in ſcopulum ex timore, Niobem ex animi angore in ſaxum, Hecubam ex rabie in Canem; de qua Iuven. *Sat. 6.*

——*Sed torva canino*
Latravit riſtu, qua poſt hunc vixerat uxor.

Et alios permultos, ut apud ipſos percurrere unuſquiſque facilè poteſt.

Denique quam, & quàm certam habeant vim immutandi 9
effigiem inſigniter morbi, maximè longi, vel acutiſſimi, unuſquiſque ex ſe frequenter obſervare poterit: nam ſi qui ex huiuſmodi morbis ſuperſunt, non facilè ex effigie pro iis innoteſcunt, qui ante morbi inſultum apparebant: ſed & alij quidam morbi tantoperè in ea re operantur, ut homines ex humana effigie in monſtrificam, ac brutinam abire cogant. Notum eſt quid ab Elephantiaſi, nempe à confirmata Lepra, homines patiantur; quæ non alia ex cauſa Elephantiaſis nomine eſt inſignita, niſi ob tranſfigurationem facici humanæ in Elephanticam, vel potiùs in Satyricam; *Reſimatur enim naſus* (inquit Galen. *in l. de Cauſ. morb. cap. 7.*) *& labra craſſa fiunt, atque aures extenuata videntur his, qui Elephantiaſim patiuntur, atque hi omninò Satyrorum effigiem præ ſe ferunt.* Et *lib. 2. Meth. med. c. 2.* dicebat, hanc Lepram ſic vocati ad ſimilitudinem Elephantis. *Vocatur* etiam idem morbus, *Satyriaſis, ſimilitudine quadam* (inquit Aëtius *ſerm. 13. cap. 120.*) *ad picturas Satyrorum.* Hac eadem ex cauſa dicta eſt hæc eadem Lepra Leonina, ex Aëtio, ubi proximè *Leonthiaſis ad ſimilitudinem pellis flexilis ſuperciliorum Leonis* Unde Avic. *3. 4. tr. 3 c. 1. Et dicitur*, inquit, *Leonina, quoniam terribilem facit aſpectum & faciem patientis, nam, & ponit eam, in forma Leonum.* Et Bav. de Bav. *conſ. 22. forma*, inquit, *fit fœda, & facies fit horribilis propter organa, & inſtrumenta facici, quæ permutantur aut ad aſpectum Leonis, aut ad modum Satyri.* Quinctiam Bertruc. *in Collect. l. 2. tr. 4. c. 4.* deſcribit ipſam formam hominis Leroſi ex Lepra confirmata his verbis: *Secundum ſignum eſt diſpoſitio oculorum & palpebrarum, & ſuperciliorum, quoniam oportet ut ſint rotundi cum groſſitie, & duritie Palpebrarum, & nuditate ſuperciliorum vehementi, & perturbationem in albuginibus ipſorũ ex livedine, aut fuſcedine commixta cum venis rubris plurimis in angulis ipſorum velut in*

cane

cane rabido, vel Leone, Nec dissimilia afferunt quicunque de Lepra confirmata ex professo scripserunt: ex quorum dictis facilè apparet, quam vim habeant quidam præcipuè morbi in immutanda hominis effigie.

At non hæc sola Lepræ species in ea re summam vim habet, sed & alii etiam morbi, de quibus omnibus verba facere præ tædio non vacaret. Novos, certè quosdam morbos ad id plurimum valere tam notum est, quàm quid notissimum, & facilè observare licet in iis, qui morbo Gallico sævo ac contumaci detinentur. Placet ad hoc Hieronymi Fracastorii carmina *ex l. sua Syphilid.* referre, in quibus cum narrasset, nobilissimum quendam, ac pulcherrimum simul Juvenem eo morbo fuisse conceptum, subdit:

Paulatim ver id nitidum flos ille juventæ,
Disperiit vis illa animi, tum squalida tabes
Artus, horrendum, miseros, obduxit, & alte
Grandia turgebat sædis absessibus ossa,
Ultera (proh Divum pietatem!) informiu pulchros
Pascebant oculos; & dira lucis amorem,
Pascebantque acri corrosa vulnere naret.

Subscribunt Auctores omnes de morbo Gallico agentes, concordes asserendo morbum hunc maximam vim habere in immutanda effigie: Fall. *de morb. Gall. c. 25. Videbitis*, inquit, *Angelicam, vivacem, splendidam faciem juvenis mutatam in deterius spacio trium, aut quatuor dierum, ita ut toto cælo differat facies posterior à priori*: & quæ sequuntur. Undè non injuria alii computaverint hunc morbum Elephantiasi, Bern. Tormitan. *lib. 2. de morb. Gall. c. 15. Consonat item*, inquit, *lues hæc cum Elephantiasi, quoniam cum utroque hoc morbo pustulæ fiunt horridæ, quæ cutim inæqualem, & asperam reddunt, pili, & capilli defluunt, efficiturque homo utriusque adventu deformis aspectu que horribilis.* Nec minus efficaces ad id ipsum alii nonnulli morbi novi, ut Scorbutus. Brunnus Gallicus, Plica Polonica, lues Moraviæ, quam cum aliis prænominatis (Plica Polonica excepta) Stomachacem, & Scelerisbem, aliosque Antiquorum morbos repræsentare volunt nonnulli: nam de Lue Moraviæ Thom Jord. *in eo tr. Nonnullis*, inquit, *universum corpus pustulis conspersum, facies informis, triste supercilium, horridus vultus.*

Verùm, his omissis notissimum est, acutissimos quandoque morbos homines ita transformare, ut eorum forma contraria omninò evadat ei, qua sani dotabantur; ex quo pessimum eventum auguratur Hipp. *in Prænot. n. 2.* ubi, *si maxime contraria facies simili fuerit, horrendissima est.* Sed quid pluta, Pestis, ita effigiem, hominis immutare solet in ipso primo insultu ut horrorem incutiat nec facilè homo pro eo ex effigie cognosci possit, qui ante horas aliquot videbatur. Sed non modò effigiem hujusmodi morbi immutant, sed ipsa corporis statura ab iis elongatur, & abbreviatur: observamus enim in dies juvenes in longis, vel acutis morbis, mirum in modum in longum protendi: contra senes ita contrahi, ut ex proceris pusilli fiant.

10 Verùm enim verò prædicta respiciunt effigiē; & exteriora; sed quid, quod eædem ipsæ res, quæ corporis fomam insigniter immutant, animū etiam, & Mores immutare, internosque sensus aut alacriores, aut segniores in cæteris maximè quibusdam rebus reddere possunt? Ipsa ætas quam vim in hoc habeat, norunt omnes; unde appositè admodū Hor. *in Art. Poët.*

Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo
Signat humum gestit paribus colludere & irem
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas
Imberbis juvenis tandem custode remoto,
Audet equis canibusque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.
Conversis studiis ætas, animusque virilis,
Quærit opes & amicitias, intervenit honori,
Commissse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit & inventis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quòd res omnes timide gelideque ministrat.
Dilator spe longus, iners, avidusque futuri.
Difficili querulus, laudator temporis acti.
Se puero censor, castigatorque minorum.

Superfluum autem duco ad hoc alia testimonia addacere, cum res sit lippis, & & tonsoribus notissima: nam mores pro
11 corporibus temperatura immutantur, ut luculenter docet Gal. *in l. Quod anim. mor.* temperatura autem mutatur ætatis mutatione, unde naturaliter fit, ut mutatione, ætatis etiam mores immutentur, hinc fit, ut Adolescentes lætabundi sint, Amoribus facilè dediti, delitiis interiti; Juvenes iracundi magnanimi, & audaces, Viri cauti, ac prudentes; Senes tristes, ac segnes animique demissi, & avari: & quoad internos sensus, Adolescentes sunt benè apprehensivi, Juvenes perspicaces, Viri optimi discursus, Senes memoria defecti, & ingenii acumine destituti.

Aëris porrò insignes mutationes quemadmodum temperamentum naturale aptæ sunt immutare, ita etiam & mores, 12
cùm, ut dictum est, corporis temperaturam sequantur; certum enim est in Aëre laudabiliori, & cui personæ maximè conveniant, sanguiné generari optimum, unde & mores placidi, animus pacatus, ad benè faciendum pronus, amicitiæ avidus. In Aëre calidiori sanguinem gigni similiter calidiorem ac plurima bile permixtum, unde audacia, iracundia prompta, actionum promptitudo, & hujusmodi. In Aëre frigido, & humido, plurimam oportet aggregari pituitam, ex qua segnities torpor, animi demissio, & cætera ad hunc modum. In Aëre tandem frigido, & sicco Melancholiam abundare necesse est, atque inde fit tristitia, ac mœror indefinens animas à pietate alienus, mores difficiles.

Sed & vitæ genus à prægresso notabiliter dissimile, dissimi- 13
les quoque à prægressis mores fortè præ omnibus aliis prænominatis causis parere solet. Ad hoc autem caput non pertinent solùm ea; quæ victum ipsum pura cibum & potū respiciunt, & quæ ad qualitatem, & quantitatem, sed etiam quæ cæteras res non naturales, quæ inter vivendum homini occurrunt, & præter cibum, & potum, & otium, & labore, & animi permanentes passiones & id genus alia, quæ moribus quoque conrariis hominem in posterum imbuere solent; unde si ingenuus, ac liber homo in Barbarorum servitutem redigatur, pro animi ingenuitate servilem abjectum; ac demissum animum induet, & quantum ex libertate alacritatis, confidentiæ & imperii alios habebat, id omne prorsùs amittet, & si longo tempore in eadem servitute commoratus fuerit, à nativa nobilitate omninò degenerabit, neque ullum illius vestigium servare poterit, quin ab ipsa servitute timiditatem pusillanimitatem, calumniarum toleratiam vilem patientiam, & injuriarum omnium abjectissimum contemptum, & alia id genus acquiret.

Nec minùs à prægressis dissimiles mores conciliant animi 14
vehementes ac diuturnæ passiones, ut tristitia est animi angor, metus, & hujusmodi; sed & morbos acutos, vel diuturnos mores immutare quis negabit? Ipsos Ægros in infirmitate positos contemplemur, atque sine ulla mora patefiet nobis morum prægressorum à præsentibus dissimilitudo: nec mirum, nam morbi ipsi quantoperè temperamentum immutent unusquisque novit.

Cùm ergo tot, ac tantæ causæ concurrere possint, ac ex naturæ necessitate concurrant ad immutationem effigiei, habitus, & morum, atque omnes, ac singulæ necessariò se universint in Andrea Casalio, quid mirum si jam senex à se ipse adolescente tantoperè dissimilis existat? Certum enim est illum triginta, ac pluribus fortè annis à patria abfuisse ex libertate in duram servitutem redactum, tanto tempore ærumnosam vitam traxisse, Aëris quascunque injurias graves, ac sibi maximè contrarias passum fuisse, toties, ut verisimile est mare illi mutandum fuisse;

——*Latéque sonantem*
Jonium Fluctum constanti pectore

toleraſſe; omnis generis cibis illaudabilibus; ac propriæ naturæ adversissimis uti coactum; injuriis, verberibus, plagis, ac mille aliis non corpus solùm, sed animum quoque malè, ac graviter afficientibus ærumnis, in dies à Barbaris, quibus serviebat, malè acceptum, mortis instantis ac plagies imminentis, periculis obnoxium, ejusque mortis timore toties perculsum, morbis denique plurimis exagitatum, neque, ut necessitas requirebat, curatum, cum his omnibus, inquam, mirum est, illum potuisse vitam ad hoc usque tempus protrahere; nec minus mirum est, quonam pacto inter tam graves, & numerosas causas potuerit humanam effigiem retinere, Itaque nihil omnino contra præsumptum Andream Casalium desumi potest, quòd vel minimam conjecturam faciat falsitatis ex dissimilitudine ipsius in præsentiarum senis, ac ærumnosa vita conflictati ab Andrea Casalio tunc juvene speciosо, vitæque liberæ assueto.

CONSILIUM LXII.

Ad Titul. II. Libri V. Quæst. Medico-Leg.

ARGUMENTUM.

Percusserat nobilis juvenis N. N. Salsinum quemdam sibi procaciter insultantem in capitis parte, ac vulnus inflixerat cum ossis fractura, ex quo in

terram cecidit, retuleratque Chirurgus vulnus esse ex primo capite lethale; & tamen, nulla de ossis fractura cura habita, cùm Æger benè se haberet, neque febriret, neque ullum dolorem, aut malam aliquam sensationem persentiret, vulnus consolidari permisit. Decimaquarta convulsiones supervenêre, valida febre accedente; unde vulnere adaperto, Chirurgo tunc ossis fracturæ mederi tentante nihil profectum est, nam ante vigesimam, vitam obiit: Instabat Fiscus, ut percussor tanquam homicida damnaretur nullatenùs admissa exceptione opposita de Chirurgi negligentia: Consultus ergo, ut sequitur, respondi.

SUMMARIUM.

1 *In vulneribus capitis sæpè Ægri ex ex Chirurgi ignorantia periclitatur.*
2 *Vulnus aliquando est periculosum, etiamsi non sit lethale, & num. 4.*
3 *Vulnera capitis cur pro tatetis facilem errandi occasionem Chirurgis præbeant.*
5 *Cæli salubritas quantùm conferat in curatione vulnerum capitis.*
6 *Ex symptomatum sævitie arguitur vulnerum lethalitas.*
7 *In vulnere capitis lethali accidentia sæva primis, diebus se manifestant.*
8 *Vulnera ex primo capite lethalia qua sint.*
9 *Capitis vulnera etiam cum ossis fractura non sunt ex primo capite lethalia.*
10 *Vulnerato ob Chirurgi ignorantiam decedente, vulnerans de occiso non tenetur.*

LIcet vulnus, quod in capite Salsinus accepit, non potuerit dici omni periculo caruisse tamen ex his quæ in medium afferemus, patebit illud non modo fuisse indifferens ad mortem & salutem, sed magis ad salutem, quam ad mortem declinasse; unde deducendum certo certius est, mortem non ad vulneris qualitatem, sed omnino ad Chirurgi ignorantiam, ac negligentiam esse referendam: quemadmodum evenire docet Hippocrat. *lib. de cap. vulner. num. 1.* dicens *Quare si non*
1 *singula hæc* (quæ animadvertenda docuerat) *diligenter Medicus curaverit, sæpe mortis causa existit.* A contrario ergo sensu deducatur, quod si Medicus diligenter omnia curaverit à morte Ægrum vindicabit; hoc enim illud est, quod admonet, & sibi volunt Auctores omnes, cùm vulnera hujusmodi periculosa quidem esse, non tamen lethalia pronuntiant. Fallop.
2 *in libros Hipp. de cap. vuln. c. 24.* quam propositionem ipsemet Fallopius declarans subdit: *Si nihil ex his accidat, nunquam denuncietis pro mortali Vulnere, sed periculo, id est tale, quod si rectè non tractetur, pronunciante mortem.* Habent enim id speciale præ aliis vulneribus, alias corporis partes obsidentibus ea quæ caput obsident, ut facilem errandi occasionè ipsis Chirurgis, etiam in arte peritissimis & exercitatissimis præbeant, atque id quidem pluribus ex causis quas enumerat Fortunat. Fidelis; *lib. 4 de Relat. Med. capite vigesimo, rubr. de cap. vuln.* in quam sententiâ inclinant etiam Chirurgi omnes
3 Tragault. *l. 1. 2. Institut.* Chirurg. *c. 3.* Amat. Lusit. *Curat. Medic. lib. seu Cent. 6. cur. ult.* quod tam familiare est in horum vulnerum curatione, ac tam eventu facile, ut non puduerit Hippocratem, *lib. 5 de morb. vulg. num. 14. in Historia Autonomi in Omilo*, proprium errorem ingenuè confiteri, his verbis: *Autonomus in Omilo ex capitis vulnere mortuus est die decimasexta in media Æstate lapide ex manu ictus in futuras in medio suscipite; quare non animadverti ipsum secari opus habere, decepernnt enim me futura habentes in seipsis jaculi lasionem, postea enim conspicuum id fiebat.*

Duo ergo concurrunt in hoc casu quæ cogunt nos pro veritate affirmare, Salsinum non ex qualitate vulneris obiisse, unum quidem ex parte ipsius vulneris, alterum ex parte facilitatis errandi à Chirurgo curante.

Nam quoad primum, jam probatum pluribus auctoritatibus est hujusmodi vulnera non esse simpliciter lethalia, sed periculosa; lethalia tamen evadere ex accidenti, quando nimirum diligens, ac debita cum à Chirurgo non adhibeatur, vel quod hoc ex mera Chirurgi ignorantia, vel quod ex difficultate vitandorum errorum processerit; alias enim per se vulnera hujusmodi, si rectè, & ex Arte tractentur, curationem
4 indubie recipere possunt Tragault. *ubi supra.* Quin etiam Fortunat. Fidelis, *loco citato*, tam secura facie hæc vulnera maxime si cœli salubritas eorum periculum minuat, ut addiderit; *tunc quodcunque capitis vulnus morbo membrana affecta non* 5 *sint etiam esse perfracto, ac perforato, nequaquam inter multum periculosa repones.* Imò ubi Aëris salubritas huic negotio favorabilis existat, tantam securitatem in hisce capitis vulneribus promittit, ut etiam lethalissima à salute recuperanda non elongentur. Unde Amat. Lusit *loc. cit.* de Ragusia Civitate verba faciens, *in hoc vero*, inquit, *sæxo Ragusæo contra-* 6 *rium evenit, vix enim ex fracto, & comminuto capite Ægrotus decedit, imò plerumque convalescit.*

Id ipsum autem Romæ evenire quotidiana experientia docet, quod nõnisi, ob Aëris qualitatem evenit, qui tam favorabilis capitis vulneribus est, quam contrarius est contraria temperatura dotatus; nam ob sui crassitiem ille ad intima non penetrat, hic ob tenuitatem penetrando officit; ut de Bononia, & Florentia idem Amatus testatur de quibus ille *ibidem* sic. *Florentia, & Bononia ita capitis vulnera periculosa sunt, ut ratò capite vulneratus sanetur.* Idemque & de eadem Florentia & de Perusia testatur Joannes Andreas à Cruce *l. 1. sua Chirurgia cap. 6. rubr. de rubr. de Aëre*; qui etiam Venetiis & Ferratiæ, & in similibus Civitatibus & in locis insignia capitis vulnera mirum in modũ sanitati reddi testatur: De Florentia quoque idem refert. Vid. Vid. *lib. 6 de curat. membr. c. 4* Contrarium autem de Pisis, & Lugduno affirmant ob cœli crassitiem, qualis etiam Romæ viget, Paræus etiam ex Guidone *l.* 10. *suorum oper. cap. 8.* firmat capitis vulnera esse longe contumaciora Lutetiæ, quàm apud Avenionenses, apud quos contra tibiarum vulnera difficilius ad sanitatem perveniunt, quam Lutetiæ, utrumque autem etiam Romæ contingere, quotidiana experientia, & communis persuasio confirmat.

Concurrebat ergo hic ad securitatem vulneris, Aëris quoque salubritas, stante maximè ipsius vulneris qualitate, quod licet esset cum ossis fractura, tamen omnem securitatem promittebat, cum neque esset magnum, neque membranis ullo modo læsisset notatu dignũ quod satis superque attestabatur absentia cujuscunque gravis symptomatis, cum in vulneris acceptione Salsinus neque in terram ob id cecidisset, neque vomuisset, neque illi febris supervenisset, nec magna inflammatio nec insignis dolor, nec convulsio per totam decimamquartam; quorum symptomatum absentiam summam securitatem promittere uno omnes ore, ipsum Hippocratem, ac diuturnam experientiam secuti, docent.

Addendum his quod neque ulla alia causa quæ vulnus ex dubio periculo in certius labi cogeret, hic considerari potuit, ut exempli gratia, Armorum qualitas, quibus vulnus est inflictum, fuit enim nudus gladius; nulla mala qualitate imbutus, conditio ipsius ægrotantis, erat enim juvenis sanus, ac robustus optimique temperamenti, ac ejus ad amussim naturæ, qualem desideret Hippocrates, cum securitatem ex vulnere nos promittere posse determinat quam securitatem majorem faciebat ipsa ætas. Insuper in victu nulla errata sunt commissa in quæ lethalitatis culpæ conjici potuerit; nam cùm Salsinus in Hospitali Sancti Spiritus decubuerit, non potuit ullum in victu erratum per ipsum perpetrari, cum non proprio arbitrio, sed ministrantium cura infirmi regantur; hi autem nonnisi secundum Chirurgorum præcepta omnia exequuntur. Cùm ergo nulla omnino irrepserit causa, ob cujus culpam vulnus Salsini, quod ex sui natura curabile non magno negotio erat, factum fuerit lethale, ut fieri aliquando notant omnes Practici, eas causas enumerantes, quas apud ipsos videre licet; remanet ut tantùm ex Chirurgi incuria & ignorantia id evenerit.

Quod quidem mirum non est, cùm pateat, ut jam superius annuimus, etiam Doctiores, imò Doctissimos, expertissimosque Chirurgos in curandis capitis vulneribus interdum falli, ob facilitatem deceptionis concernentem cognitionem fracturæ ipsius Cranii, nam, ut Hippocrati evenit, aliquando à Chirurgo judicatur quod fissura Cranii sit aliqua commissura & sic nullam de ea curam suscipiens, non dilatat vulnus, neque os ipsum, ut deceret, tractat, & sic vulneratus ejus culpa moritur, ut in casu quoque præsenti factum est, unde tota mortis culpa in Chirurgum rejicienda, & in ipsius negligentiam & imperitiam, nam cum perquirere debuisset, an os aliquo modo læsum esset, nullam in ea diligentiam adhibuit sed simplicis vulneris curam suspiciens, ipsum ante tempus consolidavit, unde postmodum symptomata sævissima supervenerunt, ac denique ipsa mors.

Præterea multa, quæ evidentissimè commonstrare possent, vulnus hoc fuisse maximè salutare quantum promittere potest capitale vulnus cum aliquali ossis fractura,

cum

cum abſentia cujuſlibet ſymptomatis, quod poſſet demonſtrare vulneris dubietatem, & minuere, aut in ancipiti ponere ejus ſecuritatem, ſatis ſuperque id atteſtetur, nam uſque ad decimamquartam Salſinus tam benè habuit, ut vix ullum incommodum à vulnere reportare videretur, unde ipſe Chirurgus illum tanquam ſanum jam tractabat, diætam relaxando & aliam ad rationem victus pertinentia tanquam ſano præſcribendo.

Ex quibus irritatur omnino conjectura, quum deſumi poſſe Fiſcus contendit, quod hoc vulnus fuerit ex ſe lethale, immo maximè lethale, quam conjecturam vult elici debere ex
6 ſævitie ſymptomatum, quæ vulneri ſupervenerunt; nam adeo ſæva fuerunt, ut illum quatuor dierum ſpatio è medio ſuſtulerint; fuerunt enim febris acuta, convulſiones, dolores, & alia id genus, quæ tamen non ex ſui natura, huic vulneri ſupervenerunt, ſed ex mala curatione; nam cum Chirurgus, ut dictum eſt, debuiſſet oſſi fracto opem ferre, viam ſternendo ſanguini, & puri iam maturo, conſolidando vulnus, utramque materiam inhibuit; ita ut ad Cerebri ſubſtantiam ſe conferens, & inflammatione excitata, febrem, convulſiones, & dolores pepererit, quod non ante terminum quatuordecim dierum factum eſt; quia vulnus, quantum erat ex ſua natura, erat benignum & minimè lethale: contrarium eim eveniſſet ut ex ſola natura maligoum, & lethale fuiſſet; nam eadem
7 accidentia, & alia quamplura in principio, aut ad ſummum tertia excitaſſet, & hominem multo citius ſuſtuliſſet. Itaque nulla conjectura elici poteſt lethalitatis, & maligoitatis ipſius vulneris ex ſuperveoientibus ſymptomatibus; cum non à vulneris natura; ſed à ſanguine, & pure retento ob Chirurgi negligentiam in ſecando, & nimis citam ejus conſolidationem, dependentiam habuerint.

Non obſtat præterea vis, quam facit Fiſcus in ejuſdem Chirurgi relatione deponentis, vulnus fuiſſe ex primo capite lethale: nam ipſemet Chirurgus in ipſo vulnere curando ſatis ſuperque commonſtravit, vulnus realiter non ſolum non fuiſſe ex primo capite lethale, ſed vix fuiſſe periculoſum: ita autem periculoſum, ut lethale evadere poſſet, niſi recte curaretur, alias ab omni periculo tutum: nam ille nec remedia adhibuit neceſſaria, neque operationes ullas fecit, neque ulla in re ita ſe geſſit, ut ſi de vulneris lethalitate timere oſtenderet; ex qua curandi ratione ſatis apparet, illum in ſua relatione falſum pronuntiaſſe, cum è contra in curando demoeſtraverit ſe judicare vulnus eſſe ſalutare, non lethale. Sed id factum ab ipſo eſt, more aliorum Chirurgorum imperitorum, qui etiam vulnera nullo periculo inſigoia, referunt eſſe periculoſa, & lethalia; hoc enim ex re illorum eſt, & ſibi eo modo cavent; nam ſi ex non recta curatione vulneris vulneratus decedat, ipſorum ignorantiæ mors non tribuatur, ſed potius naturæ ipſius vulneris, ut ad amuſſim evenit huic homini, cujus ignorantia, & negligentia tam palam eſt, ut ne ipſe quidem ſeſe excuſare ſciverit; ſed coactus ſuam ſententiam opere ipſo retractavit, dum vulnus poſt decimamquartam de novo aperuit, ſed fruſtra, non ſo'um enim nihil opis ſecando attulit, ſed Ægrum certiſſime interfecit.

8 Ex quibus patet, tam fuiſſe ejus inſcitiam, ut apertiſſime commonſtraverit, neſcire, quid ſit vulnus ex primo capite lethale; hujuſmodi enim vulnus dicitur illud, quod paucarum horarum, aut dierum ſpatio neceſſariò Ægro mortem inferat, nec ulla Arte ſanari poteſt, Daniel, Senuertus *libro quinto Pract. part. 4. capite tertio*. In his autem neceſſe, eſt ſubitò in ipſa vulneris acceptione; aut non multò poſt apparere ſymptomata magna, & horribilia proximam, & inevitabilem mortem atteſtantia, unde eliciendum, quantùm diſtaret vulnus à Salſino acceptum ab ea natura, ex qua pro lethali in primo capite erat judicandum, cùm non ſolùm in ipſa vulneris acceptione nullum eorum ſymptomatum apparuerit, ſed nè per totam quidem decimamquartam, quia vix periculoſum erat, & nullo modo lethale. Unde neque unquam Hipp. *in Aphor. libro ſexto Aphor. 18. & in Coac. partic. 509. neque alicubi*, nec Celſus *ſua med. libro quinto capite vigeſimoſexto*, nec alius quiſquam inter vulnera ex primo capite lethalia repoſuerunt capitis vulnera, etiam cum oſſis fractura; immò ut
5 ex ſuperioribus patet, potiùs ad ſalutem ea terminari voluerunt, quàm ad mortem, niſi error aliquis notabilis inter curandum interveniat.

Nec quicquam denique ad probandum vulnus fuiſſe lethale, facit caſus ipſius Salſini in terram in ipſa vulneris acceptione, in quo maximum Fiſcus fundamentum facit; nam caſus non ſucceſſit ex violentia & gravitate vulneris, ſed ex accidenti, eo quod Salſinus volens evitare percuſſionem, ſe retrahendo in terram ceciditnam ſi ex vulneris gravitate caſus ſucceſſiſſet, de neceſſitate conſecuta eſſent alia plura ſymptomata, non caſus ſolus, qui ad ſymptomata ſuccedit, neque ea præcedit, unde ſecutus eſſet ad vertiginem, ad vomitum, ad vocis abſciſſionem, ad oculorum tenebricoſitatem, & ad alia id genus accidentia, quæ tamen nullatenùs apparuerunt nec in ipſa vulneris acceptione, nec poſt ipſam uſque ad decimamquartam, ut dictum eſt.

Itaque cùm pateat, Salſinum ob Medici negligentiam, & ignorantiam periiſſe, certè percutiens de occiſo non tenetur; ut per *l. ſi plagis, Digeſtis ad l. Aquiliam* quam ex noſtris adducit Fortunat. Fidel. *lib. 4. de Relat. Medic. cap. 2.* Gloſſ. *in l. ſi ab hoſtibus, §. 2. Digeſtis, ſol. matrim.*

CONSILIUM LXIII.

ARGUMENTUM.

Deſiderabat Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Epiſcopus N. N. impetrare à Sanctiſſimo Coadjutorem, ſed antequam ſupplicationem ſuper ea re porrigeret, me cum Collega meo, Viro Doctiſſimo, ac ætatæ venerabili, conſulere voluit, ut determinaremus, an cauſæ, ex quibus movebatur ad poſtulandum Coadiutorem, eſſent legitimæ, & ſufficientes. Erant autem huiuſmodi cauſæ. Ætas gravis, cùm iam ſexageſimum primum annum attingeret, corporis perpetua invaletudo ob inſultus podagricos, Stomachi imbecillitas, ob quam matutino ſomno indulgere cogebatur, aliàs eiuſdem Stomachi anxietatem per nonnullas horas paſſurus, & urinæ ardor ob arenulas, quas frequenter emittebat; & contendente Collega meo, has cauſas non ſolùm ſimul iunctas eſſe legitimas, & ſufficientes, ſed unamquamque per ſe poſſe & legitimam, & ſufficientem; Ego contrariam ſententiam amplexus ſum ex ſequentibus.

SUMMARIUM.

1 *Cauſæ, ob quas Coadiutor dari debet.*
2 *Senium cur ſit legitima cauſa obtinendi Coadiutorem.*
3 *Decrepitus quis poteſt dici aliquando ſeriùs, aliquando ſerò citiùs.*
4 *Quibus Decrepitis contedatur Coadiutor.*
5 *Ex conſtitutionibus Pontificiis ad obtinendum Coadiutorem requiritur impedimentum perpetuum.*
6 *Stomachici quis remiſſivè apud Galenum.*
7 *Veſica calculo laborans meritò poteſt petere Coadiutorem.*
8 *Cùm cauſa morborum ſunt amovibiles, non poteſt iure peti Coadiutor.*
9 *Podagra quandò non ſit legitima cauſa poſtulandi Coadiutorem.*
10 *Coadiutor non datur niſi morbo præſente.*

OPtime, ac diligenter ponderatis verbis conſtitutionis Pontificiæ *in c. unico, de Cler. agrot. in Sexto* patet ſequentes conditiones, aut cauſas tantùm legitimas eſſe ad obtinendum Coadiutorem, nempe Senium, ſeu Decrepitatem, perpetuam invaletudinem, gravem ac perpetuum morbum, & 1
futuræ proſperitatis omnimodam deſperationem.

Et primò, quoad Senium ideò reputatur iuſta cauſa obtinendi Coadiutorem, quia abſque dubio corpus aggravat, ac 2
debilitat, impeditque, ne in ea ætate degentes poſſint officia conſueta exercere, nullaque ſpes illis ſupereſt futuræ proſperitatis, cùm vires in dies notabiliter deficiant; ſed Senium in hoc caſu annorum numero definiri non debet, ſed corporis viribus: at enim aliàs diximus, poteſt quis dici in ſenio, vel decrepitate conſtitutus, & multò aliquandò ſeriùs, & alias multò matutiùs; quàm communiter determinetur; itaque licet Decrepitatem anno ſexageſimo quinto incipere univerſaliter ſtatuatur, evenire tamen poteſt, ut quis in quinquageſimo tam 3
fractis, ac diminutis corporis viribus doretur, ut iure pro Decrepito ſit habendus. Contra autem tam validus, ac robuſtus eſſe poteſt quis in ſeptuageſimo, ut neque eo anno pro Decrepito ſit exiſtimandus. Quando ergo quis verè Senex, aut Decrepitus dici debet, virium robore deſtitutus eſſe debet, quia ſenes nulli robur habent, Galen. *lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 9.*

In

In caſu igitur noſtro cùm Illuſtriſſimus Vir viribus ſit adhuc integris non obſtantibus iis quibus ex accidenti affligitur affectibus, non meretur nomen decrepiti imò etiamſi contendamus illum ob annorum numerum eſſe Decrepitum, tamen non habet legitimam cauſam poſtulandi Coadiutorem, quia conſtitutio Pontificia non promiſcuè omnibus Decrepitis concedendum eſſe Coadiutorem determinat, ſed iis tantùm, qui ſenio ſunt gravati, & adeò impediti, ut officium ſuum nequeant exercere: at hoc non habet locum in Illuſtriſſimo Viro qui etiam ſi annum degat ſexageſimum primum, non tamen ætate eſt gravatus, nec ita debilitatus, ut non poſſit aliquando ſuum officium exercere; nam licet aliquando non poſſit, aliàs tamen poteſt; in conſtitutione autem requiritur impedimentum perpetuum.

Quoad ſecundam autem cauſam, quæ eſt valetudo perpetua, non poſſum videre, quomodo locum habere debeat in caſu noſtro, nam nullus ex narratis affectibus quibus Illuſtriſſimus Dominus detinetur, talem illum reddit ut perpetua valetudine illum moleſtari jure firmare debeamus, ſi enim de Podagra loquamur certum eſt, illam non impedire indefinenter, ac perpetuo prædictum Illuſtriſſimum Epiſcopum, ſed habere tantum annuos inſultus in temporum mutationibus, ac Vere tantùm inſigniter ab illa moleſtari, aliis verò tempeſtatibus leviter, ac de ratò, niſi mala, & inordinata victus ratione utatur, ut ipſemet ingenuè confitetur.

Quod ſi de ſtomachi imbecillitate ſermonem habeamus, neque ipſam talem eſſe patet, ut reddat illum valetudinarium, quia ut ex ipſius Illuſtriſſimi Domini confeſſione habetur (nam ut Vir eſt Religioſiſſimus, in nulla re conſcientiam ſuam gravare vellet, de Stomacho conqueri non cogitur, niſi quandocunque vel cibo plurimo, & maximè minus laudabili utitur, vel quando ſerius multò quam neceſſitas requirat, cibum capit, vel quando cibis quibuſdam utitur ſuæ naturæ contrariis, ut legumina ſunt, præcipuè vero lentes, carnes animalium ſylveſtrium, ac præcipuè Aprinæ, Melopepones, & radices quælibet etiam jure excoctæ, lacticinia, & hujuſmodi: aliàs autem nec ſtomacho male valet, nec male concoquit, nec vividum facit colorem in pallidiorem mutat, nec ructus acidos, aut malè olentes emittit, nec vomitibus moleſtatur; ſed bene, & valenter ſe habet, unde patet, illum non eſſe connumerandum inter Stomachicos, ut Doctiſſimus collega exiſtimat, neque comprehendi inter illos, quos Stomachicos appellari docet Galen. *lib. 2. de compend. Pharm. ſec. loca cap.* 2. Cum nullum eorum ſymptomatum patiatur quæ ille narrat pati eos, qui *Stomachici* appellantur, niſi ſit levis quædam anxietudo ex cauſa externa, ut jam dictum eſt, non ex cauſa interna, ut præcipuè eſt ipſius Stomachi imbecillitas, quali dolantur Stomachici.

Quoad urinæ porrò ardorem, manifeſtum eſt, neque ex ſe gravem eſſe affectum cùm ab arenulis tantùm originem habeat, neque ullo impedimento eſſe, quin homo ſuum officium exercere liberè poſſit, præterquam quod in perpetuum vitium eſt, ſed per vices moleſtans; & licet frequenter moleſtum ſit tamen moleſtia non eſt, & ceſſat illico excretis arenulis, unde aberrare omninò putaverim Collegam meum qui dubitat hoc ex veſicæ calculo provenire, quod tam à vero abeſt, quàm quod maximè, cum nullum eorum ſigno, in Illuſtriſſ. Viro animadvertatur, quæ veſicam calculo laborare atteſtantur, poſita ab Hippocrat *libro de Aer. Aq. & loco, num.* 22. *& ſequent. & libro quarto de morb. num* 29 à Galen. *libro primo de loc. affect. capite primo* à Paulo Ægin. *lib. 6. cap.* 60. & ab aliis quibuſque Practicis: nam ardor ille urinæ, quem præſentit in mingendo, non eſt magnus neque perpetuus, quia non ſemper cum urina arenulas reddit, unde ut plurimum abſque illo ardore, ac dolore mingit, quod nunquam eveniret, ubi calculus veſicam obſideret; & multum differt hic urinæ ardor ab eo qui cauſatur ex calculo veſicæ, nam hic vehemens eſt, ex Hippocrat *loco citato de Aer. & loc.* at Vir Illuſtriſſ. conſitetur, ſe nullum dolorem in urina reddenda percipere, ſed tantum moleſtiam quandam, & aliqualem ardorem quando cum urina arenulas emittit, vel quando ſe ulcera conſuetum exercet, vel quando cibos calidiores vel multis aromatibus conditos aſſumit, & in ſumma tam leve hoc vitium eſt, ut ipſemet Patiens illud nullo cenſu habendum eſſe dicat, nam niſi alio affectus pro legitima cauſa poſtulandi Coadiutorem admittatur, ingenue fatetur, poſſe ſe, hunc non eſſe ſufficientem. Incaſſum ergo peritiſſimus collega tantopere ſe fundat in hoc urinæ ardore putans à calculo originem habere, ac valde metuens, ne in dies maior fiat, nam tunc, & eo caſu pro legitima cauſa admitti poſſet, non modo reſpectu præſentis moleſtiæ, ſed etiam reſpectu valetudinis futuræ, cum omnino timendum eſſet id ipſum quod Collega timebat, nempe Virum Illuſtriſſimum in dies magis magiſque moleſtatum ita abſque ulla ſpe futuræ proſperitatis.

Neque valet inſtantia ab eodem Collega meo in medium producta, nimirum, quod etiam ſi prænominatæ cauſæ ſingulæ per ſe non eſſent ſufficientes, neque legitimè moverent Illuſtriſſimum Epiſcopum ad expetendum Coadiutorem, tamen omnes ſimul junctæ ſunt pluſquam ſufficientes ad id præſtandum, quia coniunctæ multò magis hominem moleſtant, & in perpetuam valetudinem conficiunt, maximè cùm ſenile jam, imò decrepitum corpus obſideant, unde ante tempus forte in decrepitate illum conſtituunt: Non valet, inquam, hæc inſtantia quia omnes, ac ſingulæ commemoratæ cauſæ, Podagram excipiamus, ſunt facilè amovibiles, vel non ſunt alicujus momenti, & ſic non ſunt legitimæ nè jam ætatem non eſſe ita gravem diximus, ut ad poſtulandum Coadjutorem ſit in aliqua conſideratione habenda: ſtomachi autem imbecillitas facilè amoviblis eſt, quia non eſt ex ſui natura imbecillis, ſed cùm plurimo cibo gravatur, vel cibis difficilis coctionis repletur, obtuto vel quantitate, vel qualitate, nativo ejus calore, imbecillis evadit, itaque remotis hiſ erroribus in victu, ut patet ex, ac prompte removere eſt Illuſtriſſimus Patiens, tem. vebitur intimol Stomachi imbecillitas. Eodem quoque pacto ſi invitus cautiùs ſe gerere poſthac velit idem Illuſtriſſimus Epiſcopus, & exercitio moderato uti rebuſque ſanguinem excalfacientibus; & exurentibus abſtinere, urinæ quoque ardor vel in totum, vel magna ex parte ceſſabit, & in ſumma nullo modo illum impediet, quin officium ſuum exercere valeat.

Iam verò de Podagra diximus nequaquã eſſe ejus gravitatis, ut poſſit ad effectum, de quo agitur pro legitima cauſa reputari: nam præterquam quod ſemel, aut iterum ad ſummum in anno toto ita hominem adoriatur, ut cogat illum in lecto decumbere, non alios adhuc articulos, quàm pedum moleſtat; neque firmari poteſt, illum non Podagra tantum ſed arthritica paſſione detineri, quod licet velit collega firmari poſſe, tum ob naturam, & facilitatem hujus morbi, qui primo pedum articulos, ac procedente tempore articulos manuum, & quaruncunque partium obſidere ſoler, imò & quaſcunque oſſium compoſitiones, tum quia alias de dolore articulorum manus, eſt conqueſtus; veritas tamen eſt, Illuſtriſſimum Patientem de præſenti ſimplici Podagra laborare: & quod opponitur de facilitate, & conſuetudine hujus morbi communicantis ſe tempore procedente quibuſcunque corporis articulis, in caſu noſtro non habebit locum, quia cùm Patiens à Quadrageſimo anno Podagra moleſtari inceperit, in tam longo annorum decurſu nunquam de aliorum articulorum doloribus conqueſtus eſt: ex quo manifeſtiſſimum ſignum habemus validitatis cæterorum articulorum, quos ſperandum eſt non moleſtatum iri hujuſmodi doloribus, ac eorum fortitudine, maximè ſi in ratione victus non peccabitur.

Quod autem dicitur de dolore perpeſſo in articulis ſiniſtræ manus, non pertinet ad Podagram, aut Arthritidem, quia hic dolor à cauſa Procathartica ortum habuit, nam cùm vellet quoddam magnum volumen neſcio cujus Doctoris dextra eripere ex loco alto, cecidit ſuper manum ſiniſtram, in qua dolorem, tumorem, & inflammationem excitavit, abſque eo quod articulis quicquam officeret: quod mirum fuit in homine jam per plures annos Podagra detento; unde inaniter ex ea re elicere ſatagit eruditiſſimus Collega promptitudinem & facultatem in nobiliſſ. Præſule incurrendi dolores Arthriticos; cùm contra ex hoc majorem ſpem concipere liceat non incurrendi in hujuſmodi dolores, quia ſi à Natura habuiſſet talem aptitudinem, jam ex ea cauſa omnino illos non effugiſſet.

Et ad omne pejus, Coadiutor, ut ex conſtitutione Pontificia clarè patet, non datur niſi de præſenti morbus affligat, & aliæ requiſitæ conditiones ſimul concurrant; Atque hinc eſt, quod ceſſante cauſa, ob quam Coadiutoria fuit conceſſa, ceſſat Coadiutoria: Rota *in Elneu. Canonicatus* 26 31. *coram Chiſſerio, num.* 6. Unde timor futuri mali non eſt legitima cauſa flagitandi Coadiutorem, etiamſi rationabilis undequaque eſſet, imò forte, quantum ego exiſtimaverim, etiamſi timor hic juſtus eſſet, & abſque officii exercitatione dependeret, non afficeret: quamobrem cum Illuſtriſſimus Epiſcopus de præſenti Arthriticis doloribus nequaquam moleſtetur, non poteſt legitimè Coadiutorem petere ob rationabilem timorem incurrendi in prædictos dolores, cùm ut plurimùm evenire ſolear, ut qui Podagra laborare cœperint, procedente tempore etiam Arthriticis doloribus conflictentur ſatis enim ſuperque eſt; ſi de præſenti tales dolores non vigeant, neque ante hæc ullam de ſe ſignificationem dederint, quod etiam ſi de proximo præhenderent, aut etiam de præſenti

ſenti moleſtarent, adhuc non eſſet neceſſe illum perpetuò ab illis moleſtandum eſſe, cùm ii ipſi dolores ſuas haberent remiſſiones, quibus non impediuntur Ægri ad munia quæcunque exercenda, non ſecùs ac cum ſani ſunt, facere conſueſcant. Et ſic dici non poteſt, hoc impedimentum, eſſe legitimam cauſam poſtulandi Coadiutorem; cum non ſit perpetuum, ut ex conſtitutione Pontificia requiritur.

Atque hæc pro veritate ad petitionem Illuſtriſſimi Præſulis exaravi, cui magis cordi veritas eſt, quam aſſentatio: juſſit enim hæc diligenter examinari, ut conſcientiam ſuam exoneraret, & ne id ſuccederet, ſi gratiam à Pontifice obtineret, viſus eſſet injuſta, & contra æquitatem petere.

CONSILIUM LXIV.

Ad Titulum Tertium Libri Octavi.

De Clauſura Monialium.

ARGUMENTUM.

Soror Anna Gertruda Lætitia in Monaſterio Sanctæ Claræ de Urbe Profeſſa in Religione Sancti Franciſci, Tertii Ordinis, petebat à Clauſura dimitti duplici ex capite; Primò quòd ipſius profeſſio eſſet nulla, ſtante quòd facta fuiſſet, ut concludenter probare ſe offerebat, ob paternum timorem, & reverentiam. Secundò, quòd morbis perennibus, ac graviſſimis, ita conflictaretur, ut ad recuperandam ſanitatem neceſſe haberet extra clauſuram ſe curare, cùm aliter ſanari non poſſet, ut ex Medicorum fide conſtare dicebat. De primo ergò capite nihil ad nos; de ſecundo conſultus ſententiam meam protuli, ut in ſequentibus.

SUMMARIUM.

1 *Pontificum indulgentia in dimiſſione Monialium à clauſura, non reſpicit ſalutem particularem. Contrarium num. ſeq.*
2 *Aëris mutatio efficaciſſimum remedium in diuturnis morbis.*
4 *Quæ conditiones requirantur in morbo, cujus cauſa Monialis dimitti debeat à clauſura, & n. 9*
5 *Unicuique licet vitam ſuam de jure naturali tueri.*
6 *Unuſquiſque tenetur evitare ea, quæ vitam propriam in periculo ponunt.*
7 *Qui ægrè in morbis longis aſſiſtunt, non evitant ob incommoda, quæ patiuntur, adverſa valetudinis inſultus.*
8 *Morbus ſi non ſit contagioſus, non eſt juſta cauſa dimittendi Monialem à Clauſura.*
10 *Epilepſia interdum à vapore excitatur.*
11 *Morbus ob cujus cauſam Monialis dimittitur à clauſura, debet probabiliter eſſe curabilis.*
12 *Vitia naturalia emendari non poſſunt.*

1 ALIàs in quæſtionibus hiſce meis Medico-Legalibus, *tit. de Clauſura Monialium*, iterum atque iterum inculcavi, Pontificum indulgentiam quoad dimiſſionem Monialium a clauſura, non extendi ad ſalutem alicujus particularis ex Monialibus, ſed reſpicere omninò ſalutem tantum univerſalem totiùs cœtus; ita ut ſi quando contingat, ut aliqua Monialis ex graviſſima quadam infirmitatis cauſa dimittenda ſit à clauſura, egeat ſpeciali Pontificis Brevi, cùm univerſali illa determinatione ſe tueri non poſſit, ac per eam, clauſuram relinquere, & idcircò jure in conſuetudinem abiit, ut ab ipſo Pontifice requiratur licentia hujuſmodi, ut ex Campanil. *diverſ. jur. canon. rubr. 12. c. 16 num. 23.* refert Ventriglia *in Annot. tract. Annot. 5. §. 2. n. 19.* hoc itaque punctum, quantùm in me eſt, jam deciſum reliqui, ac neceſſarium puto ob rationes *loco citato* adductas ipſam ſororem Annam Gertrudam, à Pontifice licentiam impetrare, ut extra clauſuram ſe curare poſſit, & ad ſanitatem devenire.

Sed videndum, utrum Monialis hæc habeat juſtam ac legitimam cauſam petendi, & obtinendi à ſummo Pontifice hujuſmodi licentiam? quod ut rectè determinetur, ante omnia ipſius Monialis ſtatus valetudinis eſt aperiendus. Conſtat ergo, illam à nativitate adverſæ valetudini fuiſſe obnoxiam, ac maximè fuiſſe perennibus diſtillationibus à capite moleſtatam, ex quibus, cùm ad lumbos, & coram ſiniſtram decumberent, claudicationem contraxit, ejuſdemque partis contractionem.

Ad Pubertatem accedens, menſtruorum defectu ſemper ſuccedente tempore laboravit, ex qua occaſione in mille affectus præternaturales, & graviſſima ſymptomata lapſa eſt: nam & inſultibus Epilepticis, & ſanguinis reiectionibus per os, & cordis tremore (ex quo etiam ſiniſtræ coſtæ ſublevatæ fuerunt, & febribus perennibus, & Stomachi anxietudine, & doloribus, aliiſque ſymptomatibus fuit indefinenter vexata: quæ omnia aut de novo acceſſerunt, aut magna ex parte exacerbata ſunt poſtquam habitum Monachalem ſuſcepit, & profeſſionem emiſit; tunc enim animi vehementibus paſſionibus exagitata, & alienatione à vita religioſa plurimum vexata, multoties mortis periculo fuit obnoxia: ita tamen ab ea ſymptomatum ſævitie ſeſe momento temporis recolligebat, ut nihil mali illam perpeſſam fuiſſe dixiſſes; unde non defuerunt ex Monialibus, quæ illam vel plurima ſimulare dicerent, vel à malo ſpiritu exagitari, cum tamen nos omnia ad ſuas naturales cauſas referenda eſſe judicaremus.

Perſeverantibus igitur tot tantiſque affectibus, poſtulabat à clauſura dimitti, vel quòd hoc illi liceret ex univerſali indulgentia à Pontificibus, Monialibus elargita, quandocunque intra clauſuram curati non poſſunt, vel quòd poſſet à vivente Pontifice licentiam ſuper ea impetrare, ubi univerſali illa indulgentia munire ſe non poſſet: non defuerunt enim ex Canoniſtis aliqui, quos adduxi *lib. 8. hor. Quæſt. tit 3. quæſt. 2.* qui 2
voluerint permiſſionem Pontificum Monialibus factam, ut poſſint relinquere clauſuram, non reſpicere tantùm ſalutem univerſalem, ſed extendi etiam ad particularem ſalutem alicujus ex Monialibus; quandocunque tali morbo laboret, (etiamſi non ſit contagioſus) ut judicio Medicorum non poſſit niſi extra clauſuram curari: ac talis quidem videtur eſſe morbus, ac mala valetudo, qua ſoror Anna Gertruda detinetur.

Quòd enim non poſſit intra clauſuram curari, patet ex progreſſu morbi, & decurſu tot annorum, & ex inani, ac fruſtrata applicatione plurium, ac maximè efficacium auxiliorum, cum quibus nihil quicquam profectum eſt.

Quòd autem curari poſſit beneficio mutationis Aëris, & dimiſſione à clauſura, patet; quia nullam efficaciorem cauſam habemus in Arte Medica, nec magis accommodam ad curandos morbos longos, difficiles, & contumaces, quàm ipſam Aëris mutationem, ut alias *loco citato* dixi, & eſt com- 3
munis Medicorum omnium ſententia, qui omnes uno ore in hujuſmodi morbis, tanquam unicum, ac ſingulare, certumque præſidium Aëris mutationem ſuadent, & idcircò non præter rationem ejus rei fidem fecerunt duo doctiſſimi Medici, quam hæc Religioſa prompte exhibere, ac judicio producere ſe offert.

Videtur ergo ſoror Anna Gertruda habere juſtam cauſam exeundi à clauſura, ob morborum, quibus moleſtatur, ferociam, & contumaciam, ut experientia patet; & videantur intra clauſuram non admittere curationem, unde certo vitæ periculo patientem exponunt: hæc enim conditio præ aliis deſideratur à Doctoribus, ut cauſa exeundi à clauſura legitima ſit exiſtimanda: Navarr. *comm. 4. de Reg. n. 49.* Sebaſtian de Soto 4
in tract. de infirm. ob quas Monial. propoſitione. 3. ejuſque rei evidentes rationes apud ipſos videndæ.

Potiſſima autem ea eſt, quòd unicuique licet vitam ſuam de 5
jure naturali pro viribus tueri, alias, ubi id negligeret peccaret contra propriam charitatem ob quam quemadmodum non licet ſeipſum lædere notabiliter, & multò minùs ſeipſum interimere, ſic obligatur unuſquiſque pro viribus evitare ea, quæ 6
vitam propriam in manifeſto periculo ponunt, qualis eſt hujuſmodi morbus, ex quo Monialis ſit certò interitura, niſi ſibi caveat procurando ſuam ſalutem extra clauſuram, intra quam non poteſt eam recuperare, quantumvis multis, & efficaciſſimis præſidiis eam recuperare procuraverit: meliora ergo, ac ſecuriora inquirenda, inter quæ potiſſimum eſt Aëris mutatio, ut jam probatum eſt.

His addi poteſt, quòd licet morbi, quibus indefinenter affligitur ſoror Anna Gertruda, non ſint contagioſi, ita ut ob contagii timorem ſit ſeparanda ab aliis Monialibus, quæ ſanæ ſunt, & dimittenda à clauſura, tamen non ſine omni periculo infectionis, & maximi incommodi aliarum Monialium poterit in clauſura detineri, quia licèt Moniales, quæ circa ejus curam aſſiduè verſantur, non debeant timere quicquam ob contagium, poſſunt tamen propriæ ſanitati timere ob aſſiduam, & maximè diuturnam operam in ea curanda impenſam: nam novum non eſt, ſed experientia quotidiana confirmatum, quòd ii, qui Ægrotorum curam habent, ubi morbus magnus ſit, & diuturnus, etiam ſi non ſit contagioſus, facilè in aliquem non contemnendum morbum

laban-

labantur ob aſſiduum laborem, & plurima incommoda, quæ in eo opere perpetiuntur.

Itaque ſatis apparet, quòd dimiſſio hujus Monialis à clauſura, non ſolùm concedi debeat reſpectu ſui, ſed reſpectu etiam totius cœtus ipſarum Monialium, cùm non reſpiciat tantùm ipſius ſalutem, ſed cæterarum omnium, unde meritò poterit inniti Summorum Pontificum Indulgentiæ factæ reſpectu univerſalis ſalutis, & ſic duplici ex capite, & utroque quidem juſto, ac legitimo, debet ſoror Anna Gertruda à Clauſura dimitti, primò ut ſuam vitam tueri poſſit, altero ut à timore contrahendæ alicujus inſignis infirmitatis alias Moniales vindicare liceat.

Verumenimverò, ſi omnia ritè, ac rectè conſiderentur, non
8 habet Soror Anna Gertruda juſtam cauſam ex hoc capite deſerendi Clauſuram: nam primò patet, morbos, quibus affligitur, non eſſe ullo modo contagioſos, nec poſſe ob timorem aliarum Monialium contrahendi hujuſmodi morbos, iiſve quoquomodo infici, illam à clauſura dimitti: ceſſat enim reſpectu univerſalis ſalutis totius Monaſterii, & idcircò non poteſt hæc cauſa inter eas comprehendi, ob quas Pontifices dimittendam voluerunt Monialem à Clauſura, ne aliæ inficiantur, cùm non ſolum morbus hujus Monialis non connumerari poſſit inter eos, ob quos ſimilis dimiſſio conceditur cum neque Peſtis ſit, neque Lepra, neque alius quiſquam contagioſus morbus, ſed à contagio ſit adeò alienus, ut nulla earum Monialium, quæ per tot annos illi inſervierunt, offerendo, ac miniſtrando cibos, & medicamenta, & indefinenter circa corporis illius curam verſantium, unquam ſit ſimili, aut congeneri morbo tentata, unde reliquum eſt ſuperfluum eſſe quicquid circa hoc caput addatur. Dato igitur quòd infirmitas hujus Monialis eſſet talis, ut Aër Monaſterii ita eſſet illi infenſus, ut mutatione Aëris poſſet recuperare ſanitatem; tamen non eſſet ſufficiens cauſa deſerendi clauſuram: Venttiglia *in Pract. Annotat. numer.* §. 2. *num.* 37. & allegati ibi per eum.

Secundò ſi reſpiciamus, quòd reliquum eſt, ſalutem ipſius tantùm, & concedamus poſſe illam legitimè petere ut à clauſura exire permittatur ad effectum, ut propriæ ſanitati, ac vitæ proſpici; adhuc morbi, quibus tentatur, non ſunt ejus conditionis, ut ſuam petitionem juſtificare poſſint, quia deficiunt ab aliqua conditione neceſſario in his morbis requiſita, ut præbeant legitimam cauſam exeundi à clauſura: debent enim
9 morbi *primò* eſſe cum manifeſto vitæ periculo, tunc enim urget obligatio ſuæ vitæ proſpiciendi, excuſatio ab obligatione, & voto perpetuæ clauſuræ. *Secundò* debent eſſe tales, ut extra clauſuram probabiliter curari poſſint, nam alias incaſſum concederetur licentia exeundi à clauſura, ceſſante fine, ob quem ea licentia conceditur. *Tertiò*, ejus naturæ ſint oportet, ut judicio Medicorum nonniſi extra clauſuram curari poſſint: aliàs ſi ſupperant ad curationem alia præſidia intra ipſam clauſuram adhibenda, non eſſet concedenda ea licentia relinquendi clauſuram.

Quoad primam ergo conditionem ſatis patet, quòd non obſtante ſymptomatum ſævitie, quibus Monialis hæc conflictari ſolet, ſatis apparet à periculo maximè præſentaneo omninò abeſſe; & hoc duplici ex cauſa, *prima*, quia affectus hujuſmodi non ſunt proprii, & Idiopathici partium principum, ſed ab utero omnem originem habent, à quo ſcimus ex quotidiana experientia Mulieres aliquando tam malè accipi, ut pro mortuis appareant, & interdum pro mortuis efferantur; ut non ſemel eveniſſe conſtat; & ſi libet, videri poſſunt plures hujuſmodi caſus à pleriſque Auctoribus enarrati, quorum plures recollegit Schenchius *lib. ſuar. Obſervat. 4. rubr. de uter ſuffocat* & extat apud Ioan Boccat. *in Decamer. Diat. 10. Nov. 4.* non diſſimilis hiſtoria à veritate non aliena. *Secunda* cauſa eſt, quia ut plurimum à vapore, aut ſpirituoſa aliqua materia ea ſymptomata excitata, facilius, ac promptius diſcutiuntur, quàm ſi ab aliqua materia humorali originem ducerent. Neque mirandum eſt, quòd à vapore, flatu, aut ſpirituoſa quadam exhalatione tanta ac tam gravia ſymptomata excitari poſſint, cum perſuaſum habeamus auctoritate Hippocratis *lib. de flatib. num.* 11. *& ſeq.* Ariſtotel. *lib. 1. de ſomn. & vig. cap. 4* quibus adhæret Cardinal, *in Aphor. lib. 2. Aphor. 45.* aliorumque Doctiſſimorum Medicorum, Epilepſiam, morbum, ac ſymptoma omnium graviſſimum à vapore, à flatu, ab aura quadam, aut alia ſpirituoſa materia ſæpè excitari. Quod etiam confirmat ipſa experientia; nam à ſimplici
10 quarundam rerum odore Epileptici in morbum recidunt; unde fit, ut quandocunque experimentum de aliquo viro ſumere volumus, an Epilepticus ſit, necne, aut an à perpeſſa aliàs Epilepſia ſit ſanatus, ſimilium rerum odore id facimus; ut paſſim apud Practicos habemus, inter quos vide ex Recentioribus Sennertum *lib. primo Pract. part. 2. cap. 31. quæſt. 3.* Itaque cum cauſa, quæ morbos excitat, quibus Soror Anna Gertruda moleſtatur, ſit materia vaporoſa, & facile diſſipabilis, non poteſt eſſe legitima ad obtinendam licentiam deferendi clauſuram; nam etiamſi pluries reverſionem morborum pariat, facile tamen terminantur, ut ſumpta de eadem Moniali experientia ſatis ſuperque teſtatur, cum de momento ad momentum ita à prægreſſis ſymptomatibus relevari, ac in totum vindicari conſueverit, ut ne per ſomnium quidem ullo morbo illam de proximo affectam affirmares, ut ex relatione ipſa habetur.

Secunda conditio erat, ut morbus extra clauſuram probabiliter ſit curabilis nam ubi de hoc non conſtet, immeritò Monialis à clauſura dimitteretur, ceſſante cauſa ob quam dimitti deberet, privilegii namque cauſa ceſſante, ceſſat privilegium. Tiraquell. *in tract. ceſſ. cauſ. part. 1. n. 103.* ergo ſi infirmitas curabilis non eſſet, ceſſaret cauſa, quæ movit Canones ad con- 11
cedendum hoc privilegium exeundi à clauſura, quæ erat, ut curari poſſet, & ſanari; Neceſſarium ergo eſt, ut ſaltem probabiliter morbus, ex quo Monialis curari poſtulat extra clauſuram, ſit curabilis. In caſu autem noſtro, cùm de contrario conſtet, cauſa evadit invalida, & illegitima; nam morbi, & ſymptomata quibus hæc Monialis affligitur neque extra clauſuram curationem recipere poſſunt, non ſolùm quia hi morbi ſunt habituati, & jam connaturales facti, ſed quia veré à Natura ſunt, cùm illa ab ortu iiſdem pene ſymptomatibus, & morbis fuerit obnoxia, ac tantummodò omnia exacerbata ſint ex diminuta menſtruorum purgatione, & aliquando ex eorundem totali ſuppreſſione vitia autem naturalia inemendabilia eſſe vel ipſi Pueri norunt.

Nec contra hoc quicquam facit Medicorum fides atteſtan- 12
tium, illam pati tales morbos, qui intra clauſuram nunquam curati poterunt, ſed bene extra clauſuram, ob rationes ab illis adductas: quia Medici illi nullam veram, ac certam notitiam habuerunt hiſtoriæ morborum quibus illa conflictatur, quæ reticendo, quòd ab ortu iiſdem ferè morbis ſemper fuerit vexata, expoſuit tantùm illis, ſe ob clauſuræ incommoda in eos morbos incidiſſe, unde adduci ſe paſſi ſunt illi Medici ab Ægrotantis precibus, ut ſi lem prædictam ſacerent, cui ipſe ſubſcribere recuſavi, cùm rei veritatem multò melùs notam haberem, quàm prædicti Medici haberent.

Ex his quoque patet, morbos à Sorore Anna Gertruda perpeſſos deficere à tertia conditione, quæ erat, ut tales morbi non per alia præſidia, quàm per dimiſſionem infirmæ à clauſura curabiles exiſtant, nam eo ipſo quod à Natura ſunt, neque per alia præſidia, neque per exitum infirmæ à clauſura ſanari poſſunt; præterquam quod dato etiam, quòd non haberent hanc ſanationis repugnantiam ab ipſa Natura, adhuc neque certò, neque probabiliter conſtare poteſt, quòd per exitum infirmæ à clauſura ſanabiles exiſtant. Et ratio eſt, quia omnes hujuſmodi affectus dependentiam habent ab ipſo utero, qui munere ſuo nequaquam rectè, & ut natura requirit, fungi ſolet in expurgando ſeiplum, & univerſum corpus à ſanguinis colluvie, quæ indefinenter in ipſo corpore accumulatur, & hoc non tantùm ex vitio ſanguinis, ſed ex vitio, & mala diſpoſitione ipſius uteri, ac præſertim ex coxæ ſiniſtræ oſſe ad intrò retracto, & partes interoas ſimul cum utero premens, ac coarctans, quæ vitia non poſſunt Aëris mutatione, & exitu à clauſura ullo modo emendari, egent enim reductione ipſius uteri ad ſitum naturalem, & amotione impedimenti, quod habent ex coxa ad intrò retracta, cui reductioni, & amotioni nihil opitulari poteſt quæcunque Aëris mutatio.

Et ex prædictis facile quoque occurritur difficultatibus, quæ ad favorem Sororis Annæ Gertrudæ in medium afferuntur, ad legitimandam cauſam, ob quam dimitti debeat à Clauſura: nam de cauſa nullitatis profeſſionis, quam cum prædicta adducit, Canoniſtæ determinabunt quid ſentiendum.

CONSILIUM LXV.

Ad Titulum, De Impotentia coeundi & generandi.

ARGUMENTUM.

Cùm Franciſcus Maria Buccaferreus inſtituiſſet hæredem fideicommiſſarium primum filium legitimum & naturalem Hyacinthi Buccaferrei ejus fratris germani, & decedente Hyacintho abſque filiis legitimis & naturalibus, ſubſtituiſſet primum filium naturalem tantùm ejuſdem Hyacinthi:

mortuo

mortuo testatore, institit Hyacinthus declarari bona fideicommissaria spectare ad Philippum eius filium naturalem, cùm ipse inhabilis esset ad alios filios procreandos ob carunculas, quas in genitali membro patiebatur; de quo impedimento quæsitum est, an esset certum & sufficiens & absque remedio, & ad petitionem Iureconsulti Doctissimi, sequens responsum, ad satisfaciendum huic quæsito, exaravi.

SUMMARIUM.

1 *Ad generationem requiritur, ut Viri semen habeat liberum transitum per virga meatum.*
2 *Caruncula quomodo impediant ne Viri semen liberè ad mulieris uterum permeare possit.*
3 *Carunculæ subsequuntur ad Gonorrhœam, & maximè Gallicam.*
4 *Gonorrhœa reddit hominem infœcundum multis ex causis.*
5 *Carunculæ sterilitatem insanabilem excitant.*
6 *Contrarium num. seq.*
7 *Caruncula quando impediant generationem.*
8 *Caruncula licèt ut plurimùm difficulter curentur, aliquando tamen fœliciter curata.*
9 *Generandi sibi simile à natura ineſt, & est proprietas inseparabilis.*

1 NOn omninò abs re vertitur in dubium, an carunculæ in meatu urinario, quibus detinetur Hyacinthus Buccaferreus, ita reddant illum sterilem, & infœcundum, ut omnem spem abiicere cogatur ex seipso in posterum filios generare: nam & ratione, & experimento, & auctoritate, affirmativa sententia remanet probata.

Et primò ratio est evidentissima, quæ hanc veritatem nobis persuadere facilè potest, nam ad generationem requiritur, ut semen viri (præter alias conditiones ad eius substantiam, & qualitatem pertinentes) habeat per proprium meatum liberum & expeditissimum transitum; nam ubi vel momento restitare, ac remorari cogatur, illicò spiritus illi tenuissimi, quibus dotatur, evanescunt, & ipsum infœcundum remanet; refrigeratur enim, & ad generationem undequaque ineptum redditur; ac multò facilius id evenit ob hoc carunculorum impedimentum remorantium liberam seminis eiaculationem, quàm ubi idem ex longitudine nimia ipsius Penis fiat, ex qua si naturalem proportionem excedat, accidit, ut ex Aristotele alias dixi ut semen ob itineris longitudinem refrigeretur; sed multò promptiùs, ut dixi, refrigerari illud contingit, ubi ob carunculorum impedimentum remorari cogitur, ut evenire testatur Ambros. Paræus *l.* 18. *suor. oper. c.* 22.

2 Præterea ob easdem carunculas meatum urinarium obstruentes fit, ut semen non possit necessario impulsu ad interna uteri subiacentis mulieris transmitti per eundem enim meatum (ut hoc obiter dicam) tam semen, quàm urina prodeunt, ut omnes Anatomici docent: Andr. Laurent. *Anat. libro secundo cap.* 7. Ioan. Uvelling *in Syntagm. Anat. cap* 6. Hinc evenit, ut ipsa experientia quemlibet docere potest ut semen nullo impetu, sed guttatim effluat, & prope exterum uteri ostium moretur, incassum ab utero attrahendum, quantumcunque valida attractrice facultate dotetur, quia omni spiritu illicò depauperatur cuius rei manifestissimum signum est, quòd semen non ut fieri solet naturaliter in ipsa eiaculatione, & exitu à meatu urinario delectationem pariat, sed post delectationem, non simul cum ea emittatur; quin & aliàs fit, ut tam semen quàm urina bifurcatim reddantur, & transversim, non rectà eiaculentur: *Immò etiam per ipsius seminis, & urinæ post coitum, & missum, ad carunculorum salebras restitat, ita ut ager Penem comprimere cogatur, ad eiusmodi exprimendas reliquias.* Verba sunt Parei *ubi supr.* Quid quòd etiam urina ob earundem carunculorum impedimentum in totum supprimitur? idem Paræus *ibid.* & Petr. Forest. *obs. lib.* 25. *obser.* 10. ergo si carunculæ possunt in totum supprimere urinam, quæ tenuiori materia constat, quantò facilius poterunt in totum supprimere semen crassitiei consistentiæ, & sic in totum abscindere generandi facultatem, & habilitatem?

3 His addendum, quòd carunculæ subsequuntur ad Gonorrhœam Gallicam, cum enim hæc ab humore fiat maligno, & erodenti, ab eo excitatur ulcus in urethra, cui postmodum accrescit caro excitans prædicta symptomata; at Gonorrhœa

4 ipsa per se reddit hominem sterilem, & infœcundum multis ex causis, quas ad ternum usque numerum reducit Ludovic. Mercat. *de steril. affl. lib.* 3. *c.* 5. ergo si Gonorrhœa per se reddit hominem infœcundum, multò magis infœcundum reddent carunculæ genitale obstruentes, quæ ab ipsa Gonorrhœa & generantur, & foventur: itaque firmandum videtur, ob hàs ipsas causas, Hyacinthum Baccaferreum esse extra omnem spem, ut habilis sit in futurum ad generandum.

Sed experientia non minus, sed multò magis quàm ratio id ipsum confirmare potest, cùm in dies videamus homines aut Gonorrhœa tantùm, aut Gonorrhœa cum carunculis detentos, infœcundos esse, de qua re exemplo cuiusdam rustici aliàs fœcundi, & post Gonorrhœam sterilis facti testatur Iul. Cæs. Claudin. *Respons. Medic. num.* 41. & mille alia occurrunt exempla apud Auctores, quæ referre superfluum videtur; sed qui plures experientias ad hoc desiderat, Consultores adeat, apud quod plures offendet casum eorum, qui propter Gonorrhœam, & carunculas in meatu urinario existentes generare non poterant; res autem est adeò clara, ut mihi suprà.

Denique ex Medicorum auctoritate satis patet, & Gonorrhœam, & carunculas sterilitatem inducere, quæ sanabilis nullo modo est, cum pateat, ipsam sterilitatis causam, quæ ipsæmet carunculæ sunt, non sollum difficillimè, sed nonnisi cum periculo, & absque exitu fœlici curari posse: Gabr. Fallop. *de Tumor. tract.* 1. *cap.* 33. Paræus *ubi supr* Alphons. Ferr. *in libell. de Carunc. cap.* 4 Ioan. Hucher. *lib.* 1 *de sterilit. rub. de tuber. carn.* Ludovic. Mercat. *de Morb Gall. lib.* 2. *cap. ult.* Gulielm. Fabric. *Obs. Chirurg. cent.* 4. *observ.* 54. & alii quos recensere supervacaneum puto. 5

Ex quibus deducendum iam nobis certo certius videtur, prædictum Hyacinthum Buccaferreum esse omninò inhabilem ad prolem generandam, cum carunculæ, quibus molestatur, omnem illi spem generandi adimant, unde quantum est ex hoc, videtur eius petitio iusta, nempè quod bona fideicommissaria relicta à Francisco Maria Buccaferreo eius fratre in defectum filiorum legitimorum & naturalium, adiudicari debeant Philippo filio naturali tantum ipsius Hyacinthi, ut in testamento prædicti Francisci Mariæ disponitur, quotiescunque Hyacinthus absque filiis legitimis & naturalibus decedat, ut illum decedere necesse est, stante prædicto impedimento illum reddente omninò inhabilem ad generandum.

Considerandis tamen considerandis, revera Hyacinthus non adeò extra spem habendæ prolis existimandus, cùm adhuc sit in ætate habili; nec quicquam opponat, quod illum de certo reddat absque omni spe habendæ prolis. Nam quod in medium profertur de impedimento carunculorum in meatu urinario; facile dilui potest, si rem penitus examinemus.

Quod enim prædictæ carunculæ impediant generationem 6
ex parte viri non est semper verum, quia quotidiana experientia constat, plures eo morbo detentos generare, ac nos ipsi novimus, virum non mediocriter eo diveratum fœcundissimum extitisse, licet semper fœmellas generaret: ita que non potest certò firmari quascunque carunculas impedire generationem. Unde causa adducta ab ipso Hyacintho suæ inhabilitatis ad habendum novam prolem, non est sufficiens ad hoc, ut huius inhabilitatis respectu obtinere debeat suam petitionem: requirebatur enim ad hoc, ut suam petitionem iustificaret, quòd probaret, carunculas, quas patitur ejus conditionis esse ut omninò generationem prohibeant, veluti si sint plures; si sint inveteratæ, si sint duræ, & callosæ, si urinæ difficultatem, ac stillicidium faciant, & multò magis si illius, ac seminis exitum in totum remorentur, tunc namque iustiorem causam haberet suæ petitionis; nam cùm eo pervenerit hic morbus, absque ulla hæsitantia firmari potest, nullam spem reliquam esse amplius ex se generandi restitante semine in media semita, ac refrigerato, spiritibusque omnibus denudato, ac inepto omninò ad conceptionem, non minùs quam esset quæcunque alia materia, quæ seminis naturam non haberet. 7

Sed neque etiam probata gravitate morbi, nempè carunculorum multitudine, & antiquitate, & callositate, urinæ exitum, & seminis impedientium, adhuc Hyacinthus suam petitionem iustificasset: quia neque hæc omnia simul iuncta possunt ob curationis difficultatem, ipsum extra omnem spem habendæ prolis constituere; cùm licet, ut iam dictum est, ex Medicorum, & Chirurgorum celebrium auctoritate, difficillima sit harum carunculorum sanatio, ita ut Fallopius *loco citat.* fatetur à nullo Medico vidisse se curatas carunculas, tamen excipit Petrum Gallem Chirurgum expertissimum, quem medicamentum quoddam composuisse narrat, quo carunculam quantumvis durum, callosam, & contumacem citissimè absumebat, & brevissimo temporis intervallo ulcus sanabat, cicatricemque inducebat. Quinetiam Amat. Lusitan. *curat. Medic. cent.* 4. *cur.* 19. cuiusdam medicamenti mentionem habet à se inventi (licet quidam Philippus illud sibi adscriberet) ad has carunculas turò, ac 8

cito curandas, quod medicamentum à Lacuna Medico insigni & probatum, & laudatum summopere dicit, & nonnullas historias Ægrotantium, qui eo medicamento ab ipso curati sunt, in medium affert.

His accedit Petrus Forest. qui *Obs. suar. Observat.* 10. & *lib.* 26. *observat.* 2. historias alias enarrat quorundam virorum longis, antiquis, callosis, at consumptissimas carunculis affectorum, qui ab ipso non solum curati sunt, sed cum steriles ob ejus morbi impedimentum essent, fœcundi facti, filios post curationem procrearunt? & in summa, curari hujusmodi carunculas, etiamsi maximè ob prædictas conditiones curationi resistant, tradont omnes prænominati Auctores, & cum his etiam alii, ut Petrus Pigræus *suæ Chirurg. libro octavo, cap. octavo*, & præ omnibus jam cicatus Alphons. Petrus *in proprio libello*, & Lacuna apud Amatum *loco citat.* Ludovic. Mercat. *de morb. Gall. libro* 2. *cap. ult.* Vict. Trincavell. *lib.* 3. *conf.* 66. & alii.

Oportuit ergo ante omnia Hyacinthum Buccaferreum ostendisse carunculas illas, quas pati se dicit, non esse ullo modo amovibiles: quod ostendere non potest, nisi experimento facto, supponendo se Chirurgorum curationi quam ne ulla quidem ratione illum tentasse constat.

Cum autem sperari possit per curationem amoveri omne sterilitatis impedimentum, frustra petit declarari; bona fideicommissaria Francisci Mariæ Testatoris pertinere ad Philippum ejus filium naturalem, ex eo quod sit extra omnem spem obtinendi alios filios legitimos, & naturales, nam oblato impedimento, quod satis superque demonstratum est auferri posse, præsumendum illum habilem futurum ad prolem aliam generandam, ut alii quicunque homines ad id
9 habiles præsumuntur: ut ex Alciato dixi alias *libro tertio harum quæstion. quæst. nona, numero decimo*, quia proprietas hæc generandi sibi simile, à Natura inest & idcirco semper præsumitur adesse: unde non potest Hyacinthus firmare, se hac proprietate orbatum, nisi evidens impedimentum afferat nulla arte amovibile, ob quod hac naturali dote privetur, & impediatur, nec illa uti possit: quod enim adducit, non adæquatum, nec perpetuum, cum per Artem sit amovibile, ut satis probatum est.

CONSILIUM LXVI.

Ad Titulum, De Prægnantia, Superfœtatione & Mola.

ARGUMENTUM.

Joannes Nicolaus Sobrejus in rixa occumbens reliquerat Lauretam Polymniam ejus uxorem, mulierem optimi habitus, & staturæ prægrandis in utero habentem, quæ statо tempore, nempè octavo à Mariti excessu filium peperit, & non detumescente ventre, & obstetrice alium fœtum adesse firmante, non potuit quantocunque nixu illum ab utero tunc expellere: sed transacto integro fere mense, imo uno, aut altero die adjecto, denuo partus dolоribus conflictata, illum edidit, qui & bene validus, ac optime formatus prodiit, cum ptior in ipso ortu decessit & nullum vitæ signum præbuisset, ita ut ne baptizatus quidem fuerit ac præterea esset male conformatus, & non omnino absolutus. Oppositum est à Joannis Nicolai propinquis, qui ejus hæreditati inhiabant, quod secundus hic conceptus esset superfœtatus, & ex alio viro, quam ex Joanne Nicolao conceptus, & idcirco non deberet ad Patris putativi, nempe prædicti Joannis Nicolai hæreditatem admitti, unde Lauretæ pudicitia mirum in modum deturpata remanebat. Duo ergo puncta discutienda offerebantur; Primum an hic secundus fœtus superfœtatus esset: Secundum, an Lauretæ honestas ex hoc esset suspecta, & instantibus iisdem Joannis Nicolai propinquis respondi, ut sequitur.

SUMMARIUM.

1 *Superfœtati partus nascuntur per aliquot dies, vel etiam hebdomadas post primum conceptum.*
2 *Partus undecimestres sunt de raro contingentibus, qua non adaptantur in Jure.*
3 *Decimestres integris decem mensibus nascentes rarissimi.*
4 *Undecimestres rejecti per text.* in §. Unum siquidem, Authent. de Restit.
5 *Undecimestres ab Astrologis rejecti.*
6 *Undecimestres quales admiserit Hippocrates.*
7 *Tam Decimestres, quam Undecimestres Hippocrati eodem dierum numero nasci, quomodo fiat.*
8 *Simul concepti simul nascuntur, &* n. 12.
9 *Undecimestres qui non vitales.*
10 *Eandem distantiam servant in nascendo fœtus, intervenit tempus primam conceptionem & superfœtationem.*
11 *Superfœtati non adolescunt ex Aristotele.*
13 *Fœtus quando dicuntur simul concepti.*
14 *Simul concepti una, eademque secundina includuntur, nisi sexu sint distincti, concepti autem diverso tempore, unusquisque propria includitur.*
15 *Simul concepti non semper eodem die nascuntur.*
16 *Octimestris fœtus non est vitalis.*

SI quis est, apud quem hujusmodi casus ob sui admiratio- 1
nem fidem non inveniat, illum ad Gasparum Bahuinum Medicum, ac Chirurgum expertissimum remittam: hic enim *in append. ad lib. Rousseti, de Part. Cæsar. tit. de superfœt.* plures habet historias, & signanter tertiam, huic etiam casui fidem conciliantes; ac profecto dicta historia tertia Bahuini est huic nostræ in omnibus persimilis.

Ad rem ergo accedens, dico, quod primum punctum, nullam intervenire difficultatem, quin dicamus, secundum fœtum fuisse superfœtatum: cum per 101 dies post priorem natus fuerit, ut superfœtati nasci consueverunt: nam si simul cum priori conceptus fuisset, jam in utero mansisset ultra plures dies post decimum: si enim novem mensibus completis, vel potius ducentis septuaginta diebus, & fortè pluribus addantur alii triginta dies, hic fœtus fuisset undecimestris, non qualem Hippocrat. *in libell. de Octimestri part. num. ult.* admittit, sed qualem omnes rejiciunt, ut dicemus videbimus.

Sed hujusmodi partus tam serotini sunt de raro contin- 2
gentes, quæ non adaptantur in jure, nam & Decimestres, 3
maxime qui ultra decem menses perfectos per unum, aut alterum diem nascuntur, raro admodum visuntur. Et aper- 4
tissime Undecimestres respuit text. *in Authent. de Restit. & ea quæ par.* §. *Unum siquidem*, & *ibi* Gloss. unde etiam ex Hippocratis, & Aristotelis sententia Ludov. Mercat. *de morb. mul. lib.* 4. *num.* 10. dicebat, eos qui nonnisi duos dies supra decimum mensem attingunt, esse quam rarissimos: quam etiam opinionem, licet Undecimestres admittat, sequitur Vict. Trincavel. *Epist. Med. num.* 5. idcirco veteres Romanos has quasi monstrosas raritates non recepisse, testatur Gel. *Noct. Attic. lib.* 3. *cap.* 16. ab ipso quoque Mercato adductus: respiciebat enim ea quæ frequentius, & ut plurimum contingunt, cum hæc tantum à Natura fiant; Aristot. *lib.* 4. *de Gener. Anim. cap.* 4. sed in rei veritate videtur hic fœtus justo tempore natus, & post mariti mortem conceptus, quod satis superque testatur tam longa mora in utero Matris post primum partum, quam moram ideo dicendum, illum traxisse, quia non compleverat eam perfectionem qua dotari debebat, ut vitalis esset, cum esset maximè robustus, ut post ortum ostendit: perfici ergo illum oportuit in utero, & ad novum mensem pervenire antequam nasceretur, alias interiturus.

Sed quoad Undecimestres à Philosophis, & Medicis re- 5
jectos, etiam Astrologi illos rejecerunt, ut firmat Nicol. Nancel. *in Analog. Micros. ad Macrocosm. lib.* 7. *part.* 3. *problem.* & rectè, quia, ut idem addit, hic partus non est omnino naturalis; imo non solum naturalis non est, sed omnino præter naturam, & monstrosus: Bonaventura *de Octim. part. lib.* 3. *cap.* 34.

Neque opponatur hic Hippocratis *lib. de Octim. part. in* 6
fin. auctoritas mox adducta, dum vult, quosdam partus esse Undecimestres: nam hos ipsos, quos ille Undecimestres vocat, non pluribus diebus in utero commorari firmat, quam Decimestres, cum utrosque supremo quadragenariis nasci doceat, nempe diebus ducentis octoginta, unde rectè Prosper Martianus *in eum loci comm. vers.* 49. dicebat, non ideo dici Undecimestres fœtus natos supremo quadragenariis, quemadmodum Septimestres natos dimidia parte Anni, quia vere Undecimestres notabilem undecimi mensis partem attingunt, ut Septimestres notabilem primi, & ultimi mensis partem, hoc est majorem, quam dimidiam, sed id consistere in sola denominatione, cum realis computatio

in uno

7 in uno taliter ſe habeat, quam in alio, & idcirco tam Decimeſtres, quam Undecimeſtres eodem dierum numero naſcuntur, ut explicat etiam Bonaventura *de Octim. part. lib. 7. cap.* 130. & quando fœtus conceptus eſt, exempli gratia initio menſis, hoc eſt in Novilunio, & naſcitur ſeptem quadragenariis, dicitur Decimeſtris, ſi vero concipiantur poſt initium menſis per aliquot paucos dies, hoc eſt poſt Novilunium, & naſcitur etiam ſeptem quadragenariis, dicitur Undecimeſtris, quia dies primi menſis deficientis conſtituunt initium undecimi menſis, & ſic non excedit Undecimeſtris numerum dierum ducentorum, & octoginta, niſi fortè per unum, aut alterum diem; nam longiſſimum naſcendi terminum Hippocrates poſuit ducentos octoginta duos dies. Itaque licèt Undecimeſtres non conſtantes pluribus, quam diebus ducentis octoginta, aut ad ſummum diebus ducentis octoginta duobus (qui dies nequaquam conſtituere poſſunt decem perfectos, & abſolutos menſes) admittendi ſint, tamen verè Undecimeſtres qui decem menſibus integris, & inſuper aliquot diebus menſis undecimi naſcantur (qui dies perveniunt ad minus ad numerum trecentorum) non ſunt admittendi ob rationes, de quibus Medici, ac Philoſophi, apud ipſos requirendas. At fœtus natus diebus trecentum & ultra, veluti natus eſt hic poſt primum partum per triginta & plures dies, quomodo ſit admittendus, non video; opportuit ergo ſecundum hunc partum ſuperfœtatum abſque dubio fuiſſe, natumque poſt priorem iuſto tempore, nempè nono aut decimo menſe.

Præterea ſi hic ſecundus fœtus una cum priori conceptus
8 fuiſſet, neceſſario una cum illo debuiſſet naſci, ut alias evenit, ubi Gemelli in utero ex uno, eodemque congreſſu concipiuntur, nam cum in utero tantundem temporis permanſerit, ut primus, debuiſſet etiam ut primus, ſuam totalem perfectionem adeptum eſſe nono, aut decimo menſe;
9 immò omninò nono; & cum priori debuiſſet in lucem exire; nam ſi perfectionem à Natura requiſitam adeptus fuerat, fruſtra in utero per triginta, & plures dies moram traxiſſet immò non ſine ſui, & Matris quoque pernicie: unde videmus, Undecimeſtres ipſos, ſi aliquando Undecimeſtres ſint, non eſſe vitales, quia cæteris imperfectiores exiſtunt Bonaventura *de Octimeſtr. Par. libro tertio, cap.* 61. & jure æquiparat illum Octimeſtri. Quod ſi firmare velimus, hunc ſecundum fœtum eſſe verè Undecimeſtrem, qui ſimul cum priori conceptus fuerit, & propter debilitatem non potuerit una cum priori in lucem prodire: hoc facilè diluitur ex eo, quod hic ſecundus fœtus non ſolum vixerit, ſed vegetus, ac robuſtus extiterit, contra quam debuiſſet evenire, ſi ob debilitatem tamdiu in utero commoratus eſſet, ut firmat ipſe Hippocrat, *cit. lib. de Octim. part. num.* 1. per hæc verba, *Nam perfectiſſimus eſt fœtus in primis quadraginta diebus: ubi verò plures acceſſerint, perit:* & in ſequentibus, cauſam addit hujus eventus.

Quoad ſecundum punctum, nempè an ex hac ſuperfœ-
10 tatione argui poſſit Lauretam impudicè vixiſſe; & ex alio viro, etiam marito vivente aut poſt ejus mortem concepiſſe, res clara videtur; etenim cum conſtet eandem diſtantiam ſervare in naſcendo fœtum ſuperfœtatum à fœtu primo loco concepto, quam habuit cum conciperetur, Fernel. *lib. Phyſiol. cap.* 12. Mercat. *de ſteril. & Pragn. aff. lib.* 3 *cap.* 6. Ioan. Hucher. *de Sterilit. libro tertio, titul. de ſuperfœt.* & à partu prioris fœtus ad partum ſecundi pertranſierint triginta, & plures dies, neceſſario hic ſecundus fœtus conceptus fuit triginta, ac pluribus diebus poſt priorem, & ſic non potuit eſſe conceptus, niſi poſt mariti mortem: nam Laureta peperit ut ex relatione habetur, priorem filium octavo menſe poſt Mariti obitum, ex quo habetur, quod illa in ipſa Mariti morte menſtruum fœtum gereret, ſic enim juſto tempore peperit, nono ſcilicet menſe, ut plerumque evenire ſolet; atque hoc pacto ſecundus fœtus ex ſuperfœtatione conceptus eſt poſt Mariti mortem; cum natus fuerit nono menſe exacto poſtquam Maritus deceſſit; immo ſi rectè tempora computentur, non ſolum nono, ſed decimo poſt prædictam Mariti mortem natus eſt, quia Laureta primum partum enixa eſt octo menſibus exactis, atque illis quidem ſolaribus poſt Mariti obitum, unde fieri potuit, ut dies primi menſis non pertranſierint numerum quindecim, aut viginti; nam hoc pacto prior partus erat nonimeſtris & perfectiſſimus, cum conſtaret diebus ducentis quinquaginta quinque, aut etiam ſexaginta. At vero ſecundus fœtus nono menſe exacto à morte Mariti natus eſt, immo ſi conceptus fuiſſet poſt Novilunium, natus eſſet menſe decimo: ſi enim primum menſem ex quindecim diebus conſtantem accipiamus, & addantur his quindecim diebus ducenti quadraginta; fient dies ducenti quadraginta quinque, quibus complebitur Nonus menſis, relioquuntur ergo quindecim alii dies, qui erunt menſis decimi: erit igitur hic partus omnino Decimeſtris, &

nonniſi poſt obitum Mariti conceptus: nam ubi ante conceptus fuiſſet, iis ſymptomatibus aſſociari illum oportuit (abſque quod adoleſcere potuiſſet) quæ docet obſervati in omnibus Hippocrat. *lib de ſuperfœt. num.* 1. & Ariſtot. *lib.* 7. *de gen. Anim. cap.* 4. nam & idem Ariſtot. *lib.* 4. *ejuſdem cap.* 5. ſuperfœtatos adoleſcere non poſſe ſcribit, ſed abigi utrolque conceptus.

Adde quod ſi ſecundus hic fœtus ante conceptus fuiſ- 11
ſet, neceſſe fuerit, illum in utero permanere ſuprà decem menſes exactos per plures dies, & verè extitiſſe Undecimeſtrem, hoc eſt, narùm poſt decem menſes exactos (etiamſi primum conſtituamus ex quindecim diebus) & quindecim dies undecimi menſis, nam conſtaret diebus trecentum; quod præterquam quod tam tardò evenire ſolet, ut nihil ſuprà, adhuc tam validis, integriſque viribus naſci non potuiſſet, cum tales, ut dictum eſt, vitales non ſint.

Verumenim vero, vel quod ſecundus hic fœtus fuerit ſuperfœtatus, vel non (nam ſit pro nunc utrumque poſſibile) nihil ſuſpicandum firmaverim de Lauretæ honeſtate, cum potuerit ſimul cum priori fœtu concipi, nec non potuerit vivente marito ſuperfœtari.

Quod enim potuerit ſimul cum priori fœtu concipi, patet, quia cum natus ſit poſt novem menſes à mariti morte, & Laureta potuerit concipere per quindecim, aut paciores etiam dies ante mariti obitum, non fuiſſet natus niſi ducenteſimo octuageſimoquinto ad ſummum, & fortè ducenteſimo octuageſimo tantum, & ſic conſequens fuit, illum & vitalem, & maximè vegetum extitiſſe, ut hujuſmodi fœtus eſſe teſtatur Hippocrat. *loco cit.* ſed ſi ſuperfœtatum cum dicamus, adhuc potuit ſuperfœtari ante mariti mortem, quia ſi Laureta iam per menſem utero gerebat, cum eius maritus occiſus eſt, potuit in primis conceptionis diebus hic fœtus ſuperfœtari, ita ut etiam ſi per quindecim dies poſt priorem conceptum fuiſſet ſuperfœtatus, non excederet terminum Decimeſtris partus, licet, cum maritos non perierit ex morbo aliquo, cuius cauſa coactus fuerit à coitu abſtinere, ſed in rixa occubuerit, ut conſtat in facto, poterit poſte ipſa illius mortem præcedenti cum Laureta rem habere, quæ ex eo congreſſu potuit ſuperfœtare, & ſic fœtus hic ſuperfœtatus eſſe Nonimeſtris, ac perfectiſſimus, & hoc videtur magis tenendum, cum ſit magis veriſimile; quia natus eſt integro menſe poſt priorem, nam etiam per menſem poſt priorem fuerat conceptus; unde nulla ſuſpicio intervenire poteſt de Lauretæ pudicitia, cum ex mariti congreſſu ſuperfœtaverit.

Quod verò opponi poterat contra id, quod dictum eſt, potuiſſe nimirum hunc ſecundum fœtum cum priore concipi, illud eſt, quod ex communi opinione Hippocratis auctoritate firmata, fœtus ſimul concepti ſimul naſcuntur, ut iam ſuperius dictum eſt: non potuit ergo hic ſecundus fœtus natus tantò tempore poſt priorem, ſimul cum priori eſſe con- 12
ceptus. Cui difficultati ſatisfieri poteſt dicendo, dupliciter poſſe dici, duos fœtus eſſe ſimul conceptos; nempe aut uno, eodemque coitu, aut una eademque nocte, ſed replicato coitu, & ſic firmandum ſecundum hunc fœtum, non ita dici ſimul cum priore conceptum, ut ex eodem congreſſu conceptus fuerit, ex eodemque ſemine in illo congreſſu electo, ſe- 13
eodem tempore, nempe eodem die ex replicato, & ſucceſſivo congreſſu, & ex novo ſemine, ut fieri aliquando ſolet: cujus rei ſignum evidens eſt, quod ambo, tam prior, inquam, quam poſterior fœtus ſuis ſecundinis ſeparatis involuntur, quod nequaquam fit, cum ex eodem congreſſu eodemque projecto ſemine ſunt concepti; quia tunc una eademque ſecundina includuntur, niſi ſexu diſtinguantur, ut ex au- 14
thoritate Medicorum omnium, eorum præſertim, qui jam ad ducti ſunt ſuperius, manifeſtum eſt. Præterquam quod etiamſi fœtus ſint ſimul concepti, non ſemper eodem die 15
naſcuntur; ut teſtatur Laurent. Joubert. *lib.* 2. *error. popular. cap.* 1. qui naſci tradit aliquando plures fœtus, etiamſi ſimul concepti fuerint, per quinque, aut ſex, aut octo etiam dies, unum poſt alium.

Huic tamen aſſertioni opponi facile poteſt, quod id poſſibile quidem ſit per aliquot dies, ut ad ſummum octo, ſed per triginta, & plures dies poſteriorem tardare exitū ab utero, nec veriſi mile, nec poſſibile eſſe; cum hoc non niſi ex ſumma ipſius fœtus debilitate evenire poſſit, & tam longa mora in matris ventre non poſſit non eſſe, & fœtui, & matri exitialis.

Sed profectò ex falſa ſuppoſitione, quod prior fœtus fuerit ante conceptus, & ſecundus poſt, & quod ſecundus fuerit ſuperfœtatus, error omnis in hoc caſu emanat: nā ubi facti ſeriem diligenter examinemus, facile contrarium apparere poterit veritati magis conſonum, nempe neque priorem partum fuiſſe ante conceptum, neque poſteriorem fuiſſe ſuperfœtatum, ſed priorem fuiſſe ſuperfœtatum, ac poſteriorem natum fuiſſe ante conceptum, licet contrarium pleruſque

tumque evenit: consuescat, nempe ut post primò conceptum superfœtatus edatur: Hippocr. testè *lib. 1. de superfœtation. n. 1* ibi. *Posterius ipsum in super parit non vitalè.* & patet in historiis relatis per Marcel. Donat. *lib. 4 hist. Med. mirab. c. 10.* & per Ioan. Schench. *lib. 4. obser. tit. de superfœt.* Hoc tamen perpetuum non esse patet ex historia, de qua And. Laurent. *lib. 2. Anatom. quæst. 32.* & in aliis quibusdam historiis enarratis per Gasser Bahuin. *in Append. ad Rousset. de part. Cæsar.*

Non absque ratione autem firmaverim, eum, qui prius natus est in hoc casu fuisse superfœtatum, quia nec bene habitus, nec bene formatus, nec perfectus erat, ut in facto habetur, unde rationabiliter concludere licet, illum in utero sufficienter non permansisse, sed superfœtatum fuisse, ac conceptum forte die mortem mariti præcedente, & sic non nisi octimestris fuerit, qui ut omnes norunt, vitalis non est; secundus autem fœtus ob sui fortitudinem in utero remanse usque ad complementum, quod requirebat, & natus est decimestris, ut ex enumeratione dierum patere potest. Eodem enim pacto *in historia supra cit.* ex Bahuino prior fœtus mortuus natus est, & calvaria carens, manifestissimum signum, quod, quia superfœtatus erat, non potuerit perfectè formari; posterior autem natus post priorem per decem hebdomadas, perfectus fuit, ac vixit, cum ob sui fortitudinem, non obstante prioris abortu, se in utero continuerit usque ad debitum nascendi tempus, ut bonam ac completam formationem adipisceretur, quemadmodum fœliciter successit. 16

Itaque extra omnem æquitatem, & veritatem est de Lauretæ honestate dubitare: cum hic secundus fœtus, ut dictum est, verè ex ipsius marito conceptus fuerit ante priorem quidem, & justo tempore natus sit, ut ex vero computu dierum gestationis colligitur, dato quod etiam per quindecim dies ante mariti mortem conceptus fuerit.

CONSILIUM LXVII.

Ad Titulum Quintum Libri Primi.

De Partu legitimo & naturali.

ARGUMENTUM.

Anna Maria Matthæi Bracci uxor, cum gravida esset septimo mense ex lethali ægritudine decessit, ac post horæ quadrantem, ventre illius per Chirurgum exacto, inde fœtus extractus est, de quo dubitatum fuit, an vivus esset, necne, cum per nonnullos testes constaret, illum quosdam motus edidisse, oculos elevasse, & alia quædam vitæ signa, sed nullius momenti commonstrasse, ut in summario patet: huic dubio sequenti responso satisfeci.

SUMMARIUM.

1 *Septimestris fœtus ex Communi est vitalis.*
2 *Fœtus imperfecti non sunt vitales.*
3 *Septimus mensis initium perfectionis fœtibus affert.*
4 *Motus principium est ipsa anima.*
5 *Tantundem damni infert, morbus acutus brevi tempore, si occidat, quantum morbus Chronicus, sed lethalis tempore diuturno.*
6 *Ut valet mater, ita & puer in utero manens.*
7 *Fœtus vivit vita matris.*
8 *Signa vitalis fœtus absentia non vitalem denotant.*
9 *Gravida lethali morbo laborans, fœtus, quos gestat, mortuos parit, aut non vitales.*
10 *Proprietas nascendi in septimo est aliquorum fœtuum, non omnium.*
11 *Septimestres sunt à fortitudine virtutis.*
12 *Dies conceptionis ipsasmet matres latère solet.*
13 *Ad vitam traducendam necessarium est virium robur.*
14 *In cadaveribus observantur aliqui motus.*
15 *Fœtus ad respirationem matris respirat per vasa umbilicalia, & n 18.*
16 *Privatio respirationis est ipsa mors.*
17 *Respirationis & pulsus, est una eademque necessitas.*

EX triplici fundamento nititur deducere Matthæus Bracchius, quod fœtus, de quo agitur, vivus extractus sit à matris utero, & quod vitalis esse potuerit, ut ejus hæreditatem consequatur, *Primò*, ex eo quod esset Septimestris, *Secundò*, quod esset perfectus, & omnibus membris absolutus; ac *Tertio* denique ex eo, quod aliquos motus edi fecerit, & alia manifesta vitæ signa commonstravetit; unde etiam tanquam vivus baptizatus à Parocho fuerit.

Nam quoad primum, patet ex communissimo omnium hominum consensu, fœtum septimestrem esse vitalem, unde ipsæ leges ex Hippocratis auctoritate *in lib. de septim. par. & alibi*, qui illum pro ratione natum pronunciavit, vitalem illum, ac legitimum declararunt ut haberet in *testata quotidie lege septimo mense, Digestis stat, homin.* Unde non videtur de ea re ullum dubium excitari posse.

Quoad secundum autem clarè patet per membrorum illam undequaque perfectam absolutionem, concludenter probari vivendi aptitudinem; nam contra, qui membris inabsoluti, & imperfecti nascuntur, non possent in vita perdurare: ea enim membrorum imperfectio satis superque commonstrat, non tamdiu in utero materno fœtum permansisse, quamdiu permanere illum oportuit, ut vitalis nasceretur. Unde idcirco Septimestres vivunt, non vero Seximestres, quia septimus mensis initium perfectionis fœtibus ipsis conciliat: ut idem Hippocrat. *in lib. de Octimestrib. Part. numero septimo*, testatur: ac deficiente hac membrorum Perfectione, apparet manifestè sic nascentes fœtus deficere non à totali solum, sed ab initiata illa perfectione, quam in Septimestribus tam exquisitè adesse vult Hippocrat. *loco citato.* 2 3

Ac tandem quoad tertium negari non potest, fœtum hunc vivum fuisse ab utero Matris exectum, cum plures motus ediderit, brachia, & crura extendendo, os aperiendo atque oculos attollendo, qui omnes ac singuli motus viventem fœtum apertissimè ostendunt, cum nonnisi à vivido ipsius calore fieri potuerint, eorumque principium sit ipsa anima: Galen. *in Plat. Tymæum in princ.* ita ut ubi tales motus apparent, præsentem animam esse sit asserendum. Cum ergo fœtus hic per eos motus vivum se commonstraverit, poterat absque dubio vitalis esse, cum natus esset septimo mense, de quo nullus, nisi qui imperitus judicari vult ex sententia Hipocrat. *in lib. de Carn. num. ult.* dubitare debet, an nasci possit vitalis, maximè cum idipsum quotidiana experientia confirmetur. 4

Sed his, aliisque objectionibus in contrarium facientibus, non obstantibus, cum facile dilui possint multo solidioribus, ac firmioribus fundamentis pars nostra innititur ad demonstrandum, fœtum hunc neque vivum ab utero Matris fuisse exectum, neq; potuisse ullo modo vitalem esse, Et *primo*, ex prægresso Matris morbo: *Secundò*, ex deficientia signorum, quæ vivum, ac vitalem fœtum commonstrare solent; ac *Tertio* denique ex intempestiva, ac violenta ejus extractione à Matris utero.

Et quoad primum, ex depositione omnium, ac singulorum testium patet, & in confesso etiam est apud partes, Annam Mariam ex lethali morbo decessisse Chronico; vel acuto, utrum vis, nam de hoc nihil m ror, tantundem enim damni infert Chronicus morbus spatio plurium hebdomadarum, aut mensium; quam acutus brevi aliquorum dierum spatio, cum utrque vel lentè, vel celeriter Ægrum ad interitum deducat. Cum igitur Anna Maria lethali morbo ægrotaverit, fœtum etiam cum illa ægrotasse necesse est, ut enim valet mater, ita & puer; vel ipso Hippocrate teste *lib. de Nat. Puerer. n. 21. seq. num. trigesimoquinto*, nec id sine evidentissima ratione; nam mulierem utero gerentem morbo acuto conflictatam, necesse est sanguine detestimo abundare, & hoc ipso sanguine puerum in utero enutriri, unde de necessitate Naturæ puerum unà cum Matre ægrotare opus est. Præterquam quod non modò sanguine pravo nutritur ob Matris morbum, sed vivit ex ipsa vita ipsius Matris, ut habetur *loco cod. n. 21.* Unde necesse est eosdem affectus puerum pati, quos patitur ipsa mater, & si Mater malè concoquat, necesse etiam est, ipsum puerum malè respirare, & malè concoquere. Ergo Matre morbo lethali afflicta, necesse fuit etiam ipsum puerum morbo lethali affligi, & si Mater, quæ viribus firmioribus dotabatur, quam puer, ex eo morbo periit, quis non firmabit etiam ipsum puerum ex eodem morbo, superveniente etiam molestia sectionis ab utero, perire debuisse? aut dato, quod non illicò cum Matre perierit, ex ejusdem morbi violentia, certè oportuit illum ad extremâ debilitatè deduci, ita ut ab utero extractus per matris sectionem, nullo modo, ne per momentum quidem vivere potuerit. Quonam ergo modo firmabimus, puerum in septimo mense lethali morbo conflictatum, & à 5 6

Matris

Matris utero per ejus ſectionem violenter extractum poſſe eſſe vitalem? at neque de Nonimeſtre, aut Decimeſtre, jure id firmari liceret: certum autem eſt præſumptionem militare immaturi, intempeſtivique partus, cum mater in puerperio deceſſit, ut ex Parifio, & Alciato dicit Menochius *de præſumptionib. lib. 6. præſumpt.* 52. *num.* 8. licet ipſe Menochius hanc præſumptionem invalidam contendat ex eo, quod aliquando mulieres in partu pereuntes filios vitales, imò etiam & robuſtos ediderunt: Sed non conſideravit Menochius id evenire in iis quæ ex ſimplici partus violentia, ac difficultate pereunt, at in iis quæ longa, aut maligna infirmitate detentæ in partu perunt ex naturæ ipſius more fit, ut etiam filii, quos edunt, non vitales exiſtant unde præſumptio prædicta exiſtimanda eſt validiſſima, & auctoritate frequenti Hippocratis confirmata, qui ubique teſtatus eſt, utero gerentem morboſam, ac malè coloratam, fœtus geſtare debiles, & minimè vitales, ut infra.

Ex hoc igitur capite, fœtus, de quo agitur, non poterat ullo modo eſſe vitalis, etiamſi utcumque vivus ab utero fuiſſet extractus.

Secundò ſatis oſtendit, illum non potuiſſe eſſe vitalem, deficientia eorum ſignorum, quæ vitales fœtus oſtendunt: nam & ex parte ſui ipſius, & ex parte ipſius matris, & ex parte
8 eorum, quæ partum concomitantur, omnia quæcunque ſigna adduci poſſunt, ac præcipuè potiora defeciſſe conſtat. Nam fœtus ipſe neque vocem ullam emiſit, aut ejulatum nec reſpirare obſervatus eſt, nec ſternutare, neque fæces, aut utinam reddere, neque ſe movere, ſaltem ita ut elatè obſervari poſſet, neque aliam ullam notabilem vitæ ſignificationem præſeferre: quibus ſignis abſentibus, fœtus vitalis eſſe non poteſt. Avia. 22. 2 *tract.* 1. *cap. ult.*

Et ex his eludendæ veniunt affectatæ Chirurgi & Obſtetricis depoſitiones ad partis adverſæ requiſitionem emanatæ, cùm data opera, prædicta omnia ſigna vitalis fœtus ſub ſilentio pertranſierint, & leviora, ac minus ad rem facientia tantum adduxerint.

Sed & ſigna ex parte matris omnia commonſtrarunt, fœ-
9 tum hunc non potuiſſe eſſe vitalem, quia illa, ut dictum eſt, lethali morbo deceſſit; & ex prægreſſo matris morbo illud pronunciat Hippocrat. *in lib. de ſuperfœt. num.* 8. eam fœtus, quos geſtat, mortuos parere, aut vivos malè habentes, neque vitales. Cum igitur ſigna ex parte matris apparentia omnia atteſtata ſint manifeſtum fœtus interitum, non poteſt pro vitali acceptari.

Sed & ſigna; quæ in partu apparere ſolent, & fœtum vitalem eſſe oſtendunt, omnia hic defecerunt: nam neque mater tanta virtute dotata fuit, ut patere poterit, neque puer tantum vigoris ſortitus eſt, ut poſſet propria virtute ſibi viam ad exitum parare, & in lucem prodire, quare neque matrem peperiſſe conſtat, neque fœtum natum eſſe, ſed per vim à matris utero extractum; nam & mater, & puer omni virtute deſtituebantur, ita ut neque illa patere, neque hic naſci poſſet.

Denique ex intempeſtiva hujus fœtus extractione ex materno ventre, manifeſtè deducitur, illum non potuiſſe eſſe vitalem; nam etiamſi gratis condonemus, illum fuiſſe ſeptimeſtrem, tamen non ob id firmare poſſumus illum ex hac una conditione potuiſſe eſſe vitalem, quia non qui ſeptimo
10 menſe per violentiam à materno utero extrahitur, eſt fœtus vitalis, ſed qui ſponte ſeptimo menſe naſcitur, eſt enim proprietas hæc naſcendi in ſeptimo menſe aliquorum fœtuum tantùm, non omnium; & eſt maximè eorum, qui validiores ſunt: hunc non fuiſſe hac proprietate dotatum patet quia neque exiſtens in utero matris ullum motum edidit, per quem tentaret in lucem exire, neque ullo modo natus eſt, ſed manu chirurgica extractus; itaque non erat hic fœtus ex ſua natura ſeptimeſtris, hoc eſt non debebat naturaliter naſci ſeptimo menſe, neque ideircò inter verè Septimeſtres fuerat commemorandus, etiamſi natus eſſet in ſeptimo, quia non fuiſſet vitalis, ſtante quòd non ex fortitudine virtutis, & ex natura ſua in ſeptimo natus fuiſſet, ſed potiùs à violenta aliqua cauſa manumiſſus: licet ſciam omnes, qui in ſeptimo naſcuntur, pro vitalibus, & legitimis acceptari, ne uni per alium injuria fiat; & tamen hoc non deberet ita procedere, ſtante quòd, hæc proprietas maturius naſcendi ſit aliquorum fœtuum, ut aliquorum fructuum qui præcoces ſunt, & ante alios ſuæ ipſorum ſpeciei maturantur, ut exempli gratia, aliqui ficus ſunt, qui menſe Junio propè æſtivum ſolſtitium maturantur, unde tunc collecti, eſui apti ſunt qui vero ex ſua natura præcoces non ſunt, ſed ſerotini, ſi eodem tempore cum præcocibus colligantur, nequaquam eſui apti eſſe poſſunt: Idemergo de fœtibus firmandum, ſi modò communis opinio veritatem habet, nempe quod à natura ſit quoſdam in ſeptimo naſci, quod ego non facilè admitto, & naturaliter exiſtimo, pueros naſci tantum nono; & & decimo: ſed prævaleat nunc communis opinio: qui ergo ex ſui natura ſeptimeſtres naſcuntur, quia cæteris fortiores ſunt, ut Hippocrat. *lib. de ſeptim. part. n.* 1. dicebat, vitales eſſe poſſunt: at verò qui à ſua natura hoc non habent, ut ſeptimo naſci debeant, ſi ſeptimo naſcantur, nullo modo poſſunt eſſe vitales, ſed tanquam abortivi; & per vim ab utero ejecti ante tempus ſibi à Natura deſtinatum naſcentes pereunt.

Sed ſint per nos Septimeſtres omnes vitales, illud cer-
11 tum eſt, ut mox diximus, Septimeſtres ſecundum Hippocratem, & Medicos univerſos fieri à fortitudine virtutis, ob quam validè ſe in ſeptimo moventes, & exagitantes ligamenta diſrumpunt, atque eo pacto naſcuntur, unde ob eam violenciam plurimi eorum intereunt, licet ex multis aliqui ſerventur At quam virtutis fortitudinem effingere poſſumus in hoc fœtu, à ſæviſſimo ac lethali morbo antequam ab utero extraheretur conflictato.

Sed ne hoc quidem nobis ſuffragari quicquam volo, ſed concedere paratus ſum, omnes, ac ſingulos fœtus, qui in ſeptimo naſcuntur, poſſe eſſe vitales, ſed tunc hoc admittendum concedo, cum ex ſe naſcuntur, non cùm per vim ab utero matris extrahuntur; quamquam enim, etiam qui è matris ventre erectus eſt, naſci dicatur, ut per textum *in leg. quod dicitur, Digeſtis de libertis & poſthumis*; tamen ita hoc procedit, ſi vivus naſcatur, ut idem textus habet; nam ſi confeſtim moriatur naſci dici non poteſt. Abb. *in c. Nam & ego. de verber. ſignif.* hic autem fœtus cum mortuus exectus ſit, ut conſtat, vel ad omne pejus ſemimortuus, ita ut confeſtim expiraverit, non poteſt dici quòd natus fuerit; cùm non naſci, & natum mori parva ſint: §. *Dubitatum, Auth. de inceſt. Nupt.* & ſic non poteſt comprehendi inter eos Septimeſtres, qui verè naſcuntur, nec quod de illis Septimeſtribus dicitur, huic fœtui applicari poteſt: unde non ſuffragatur adverſariis, quod hic fœtus fuerit Septimeſtris, quia verè Septimeſtris non fuit, ſed eum non potuerit ob debilitatem, & imperfectionem ex ſe naſci, per vim ab utero præmortuæ Matris, mortuus, aut nullo modo vitalis eſt exemptus.

Licet autem ex his; quæ jam dicta ſunt, facillimè corruant fundamenta omnia partis adverſæ; tamen ut veritas majorem in modum eluceſcat, iis quæ ad ejus favorem adducuntur, plenè ſatisfaciendum.

Ad id ergo, quod dicitur, fœtum hunc potuiſſe eſſe vitalem, ex eo quod eſſet Septimeſtris, Reſpondeo primò, hoc non probari niſi per teſtes de auditu ab ipſa Matre: at hoc neque ex dicto ipſius Matris certò firmari poteſt, cùm etiam 12
ipſæ Matres maximopere in hoc decipiantur; quia dies conceptionis ipſas quoque latere poteſt, immò latere ſolet: Ariſtotel *libro ſeptimo, de hiſt. Animal. cap* 4. & docent etiam ipſi Jureconſulti: Gloſſ. *in cap.* 1. §. *in Lege, verb Quadrag. diſtinct.* 5. Cagnol. *in leg.* 1. *ſicertum petatur, numero* 199. Maſcard. *de probation. concluſion.* 805. *num.* 6. *volum.* 2. *& concluſion.* 1146 *num.* 31. *volum* 3. Alt. Grad. *conſil.* 52. *num.* 39. *& ſequentibus*, & hoc ſumma cum ratione: quia ubi frequenter, ut ſolet, maritus cum uxore congrediatur, exempli gratia, ſingulis, vel alternis diebus, mulier neſcit ex quo congreſſu conceperit, cum in omnibus, vel in pluribus eadem delectatio, eademque ſigna conſpicua fiunt, ex quibus mulier ſuſpicari poſſit, ſe concepiſſe unde de hoc certa numquam eſſe poteſt, ſi de die ipſa conceptionis loquamur. Anna Maria igitur potuit cum aliis decipi, neſciendo præcisè diem conceptionis, & ſic aſſeverare, ſe eſſe gravidam ſeptem menſium, cùm eſſet tantùm in ſexto, vel fortè pertranſiſſet ſeptimum, & eſſet in octavo, quod veriſimilius eſt & deponitur à quadam obſtetrice pro parte noſtra examinata, quæ aſſeris, ſe audiviſſe à Lucretia prædictæ Annæ Mariæ ſorore, & ab alia fœmina. Annam Mariam gravidam eſſe octo menſium: quod evidentius probatur ex depoſitionibus teſtium à parte adverſa inductorum, qui omnes unanimiter deponunt, fœtum hunc fuiſſe perfectum, omnibuſque membris abſolutiſſimum: ac Septimeſtres nunquam habent eam membrorum, & corpulentiæ abſolutionem, immò ſemper aliqua corpuſculi imperfectione, alicujus membri non abſoluta conſtructione pro Septimeſtribus ſe produnt, ut pluribus ex Medicorum omnium auctoritate probavi *libro* 1. *Quæſt. Medico-Leg. tit* 2. *quæſt* 3. *per totam* Ergo cùm hic fœtus haberet ſufficientem corpulentiam; & membrorum omnium abſolutionem, non Septimeſtris, ſed Octimeſtris potius erit judicandus, nam Octimeſtris Septimeſtris proculdubio eſt magis abſolutus.

Nec multò ſtabilius eſt ſecundum fundamentum, cui pars adverſa innititur dicendo; quòd ex membrorum perfectione conjiciebatur, fœtum hunc fuiſſe vitalem: Nam ſi hoc eſſe ſimpliciter verum multò magis vitalis eſſet Octimeſtris, cùm majorem membrorum perfectionem in utero

acquiſierit, quàm Septimeſtris, qui nunquam habet decentem corpulentiam ut dictum eſt, & confirmat quoque Horat. Augen. *lib. de Part. hum. cap. 4.* qui tamen acerrimus eſt Septimeſtrium defenſor: at ad vitam protrahendam non ſatis eſt membrorum abſolutio ſed neceſſarium eſt robur, quo abſente, ut in caſu noſtro, nihil omninò operatur abſoluta membro-
13 rum perfectio, quæ ne in Nonimeſtri quidem, aut Decimeſtri quicquam operatur ſine ſufficienti virium robore, & tamen hi perfectiſſimi ſunt: nihilque à requiſita ex ſui natura perfectione deficiunt, ut deficere ſemper conſueverunt Septimeſtres, & ut deſuit fœtus, de quo agitur.

Et cum prædictis corruit etiam teſtium fundamentum deſumptum ex motibus in hoc fœtu, ut dicitur, obſervatis: nam vel adeò debiles fuerunt, ſi qui obſervati potuerunt, ut in conſiderationem ullam venire non mereantur, quales fuiſſe obſervatos in caſu, de quo Baldus, cujus mentionem habet Rota *in Rom. ſucceſſionis de Sabellis, ſeu Romana reſtitutionis Dotis 27. Maij 1596. coram Penia num. 16.* vel nullo modo, ut veriſimilius eſt, obſervari potuerunt. Nam qui motus, quæ vitæ ſigna, Deus bone! in medium producuntur pro motibus & ſignis viventis fœtus? Hi motus, hæc ſigna morientis fœtus ſunt, non viventis, immò non morientis, ſed jam mortui, cum in ipſis mortuorum cadaveribus ſimiles
14 motus, & his evidentiores obſerventur, ut notavi, alias ex nonnullorum Doctorum obſervatione, *libro quarto, Quæſt. Medico-Legal. titulo primo, quæſt. 10. num. 36* & firmat etiam Fortun. Fidel. *libro quarto, de Relat. Medic. cap. 2. in fin.* Fiunt enim hujuſmodi motus ex convulſione à putredine excitata, vel à flatu, vel ab Aëre externo, ut inibi dixi, & hoc multò facilius ſuccedere potuit in hujus fœtus corpuſculo à flatibus erumpentibus ex aquis in Matris utero contentis, & ab Aëre ipſo externo, cujus rigiditate reſpectu loci, ex quo puellus prodibat, potuerunt facillimè excitari motus, ſeu potius membrorum contractiones. Iam vero os aperire, animam exhalantibus, eſtne quid novum? oculos attollere in ipſo mortis momento eſtne quid inuſitatum? Profectò eius rei cauſam quærit Ariſtotel. *Probl. libro quarto, probl. 1.* Itaque omnes ii motus, ſi qui in hoc fœtu obſervati ſunt, vel mortui motus erant, non à calore, & virtute naturali, ſed à violenta cauſa excitati, vel erant, motus morientis, & animam exhalantis, licet veriſimilius ſit fuiſſe motus cadaveris, & fœtus jam extincti, quàm ſecùs, ut apertius deinceps monſtrabimus. Et ſi comparare velimus caſum hunc; cum caſu Baldi, de quo Rota *ubi ſup.* evidentiores vitæ demonſtrationes in illo apparuerunt, quàm in hoc, cum ille tranſpiraret, & reſpiraret, quod in hoc non fuit in dubio obſervatum: & tamen eadem Rota *ibid. num. 17.* voluit, quòd in his, qui ſecto Matris ventre extrahuntur ad effectum, ut rumpant teſtamentum, vel aliquam diſpoſitionem inducant, ex eo quod aſſeruntur vivi extracti, majores & urgentiores probationes (unde addam ego) etiam evidentiora vitæ ſigna requirantur: unde eadem Rota *ibid. num. 6.* ex evidentioribus motibus, & ſignis in Puella; de qua *ibi* obſervatis, judicavit illam verè vixiſſe.

Non mirum ergo eſt, ſi à Religioſo illo, qui fœtum hunc baptizavit, ægre, & nonniſi ſub conditione fuerit baptizatus, ut in facto conſtat, & ipſe idem deponit: cognoſcebat enim apertiſſimè non poſſe ex ullo certo, & evidenti ſigno ſimpliciter tanquam ſi viveret baptizari, ex quo multò magis ſe prodit invaliditas, & inanitas eorum ſignorum, & debilitas, immò nullitas eorum motuum, quos obſervatos fuiſſe à teſtibus pro parte adverſa examinatis deponitur, cùm impoſſibile fuerit, non potuiſſe prædictum Sacerdotem comprehendere, an viveret, néene, ſtante veritate depoſitionis eorumdem teſtium, quòd nimirum vixerit poſt exactionem per horæ quadrantem: in quo temporis ſpatio non eſt veriſimile tam exiles, & infrequentes motus Puellum edidiſſe, ac tam dubia vitæ ſigna præſtitiſſe, ut certo certius à quocunque aſſtante comprehendi non potuerit, illum pro certo vivere.

Cæterùm quæcunque hactenus allata ſunt, licet omninò convincant, fœtum hunc vivum non fuiſſe extractum, & non potuiſſe eſſe vitalem; tamen omnia ex abundanti dicta ſunto, quæ enim reſtant dicenda, falcem ad radicem ponunt, & omnem contradicendi anſam adverſariis adimunt; quippe cum ex teſtium depoſitionibus concludentiſſimè probetur (qui teſtes pro eorum parte ſunt inducti) fœtum prædictum in utero ipſius Matris ſuffocatum fuiſſe, & mortuum inde à Chirurgo extractum: nam teſtes omnes prænominati in hoc ſunt conteſtes, quòd cùm Anna Maria animam exhalaſſet, antequam à Chirurgo eius venter ſectus fuerit ad fœtum inde extrahendum, pertranſierit ſpatium unius quadrantis horæ. Modo per totum hoc ſpatium, nec reſpirare, nec tranſpirare potuit, quia
15 cum fœtus ad Matris reſpirationem, non ex ſe reſpiret, ſeu potius tranſpiret (non enim per nares, aut os, dum in utero eſt aërem attrahere poteſt) quod ſuccedit illi per vaſa umbilicalia, ut notiſſimum Medicis, & Philoſophis eſt, & deponit etiam ipſe Chirurgus in interrogatoriis, Mater autem jam per horæ quadrantem ampliùs non reſpiraret, quia erat 16
jam mortua, nec fœtus reſpirare ampliùs poterat, ergo erat mortuus; quia privatio reſpirationis eſt ipſa mors: Averr. *l. 2. Colleg. cap. 39.* nec vita ſine reſpiratione conſiſtere poteſt, Galen. *lib. 6. de Loc. aff. cap. 5. & lib. 1. de diffic. Reſpir. cap. 12.* Gordon. *in Lil p. 7. c. 10.* Valleſc. *in Philon. l. 3. cap. 14.* & impoſſibile eſt, viventem non reſpirare: Mercat. *lib. 1. de intern. morb. cur. cap 12.* Hieron. Fabric. *de Reſpir. l. 1. c. 1.* & quòd verè fœtus hic non reſpiraret, ipſe Chirurgus confitetur ad interrogatoria reſpondens ibi, *Non ha havuto niſſuna reſpiratione nè ſi vedeva.* Neque dicatur quod hoc ſpatium quadrantis horæ fuerit ita breve, ut poſſibile fuerit abſque reſpiratione illum potuiſſe vivere: quia ne per minimam quidem dici partem, ac ne per momentum animal à reſpiratione ceſſare poteſt, ut in confeſſo eſt apud Medicos, Hippocr. *in lib. de Flatib. n. 6.* Gal. *ubi ſup. & lib. de utilit. reſpiration. cap. 8. in princ.* Hieron Fabric. *loco cit.* Marcell. Donat. *lib. 7. Hiſtor. Med. mirab. cap. 10.*

Et cum his deluditur etiam affectata depoſitio ipſius Chirurgi volentis in hoc fœtu etiam abſciſſa reſpiratione, ſenſatum fuiſſe pulſum, quod eſt falſum, & omninò impoſſibile, quia reſpirationis, & pulſus eſt una eademque neceſſitas & ratio. Galen. *de uſu. Pulſ. cap. 3.* neutrumque perire in totum poſſibile eſt, donec ſuperfuerit Animal: idem Galen. *lib. 1. de diffic. reſpir. cap. 8.* unde pereunte reſpiratione, neceſſe eſt etiam ſimul & pulſum perire, ut *ibi*, atque *alibi* 17
poſequitur idem Galenus.

Neque valet contra hoc dicere, quòd etiamſi in puello hoc non ſervaretur reſpiratio, tamen ſervari potuit tranſpiratio, & per illam in vita perdurare: nam, ut jam dictum ſuperius eſt, fœtus utero non reſpirat, quia aërem per nares, aut per os attrahere non poteſt, ſed tranſpirat ad Matris reſpirationem per vaſa umbilicalia, unde pereunte in Matre reſpiratione, neceſſe eſt etiam in fœtu perire tranſpirationem, & 18
illum vita deſtitui.

Ex quibus ſufficienter, ut videtur, & concludentiſſimè probatum remanet, fœtum, de quo agitur, non ſolum non potuiſſe eſſe vitalem, ſed in ipſo Matris utero ante ſectionem fuiſſe ſuffocatum, cum reſpirare, mortua matre, nullo modo potuerit, & ſic non potuiſſe eſſe hæreditatis capacem ſuccedendo Matri, neque hæreditatem Patri tranſmittere.

CONSILIUM LXVIII.

Ad Titulum, de Impotentia coëundi, & generandi, libri tertii.

ARGUMENTUM.

Sexagenarius quidam duxerat Virginem uxorem, quam per menſem, & ultra in caſſum exagitans, numquam mulierem facere potuit. Re patefacta, inſtitit Sponſæ pater pro matrimonii diſſolutione, nullo termino expectato, cum Sponſus & ob ætatem, & ob valetudinem, & ob fiſtulam in Perinæo eſſet notoriè impotens ad conſummandum matrimonium. Contra autem opponente Sponſo Virginis arctationem, & animi à ſe averſionem, ob quorum cauſam inſtabat, ut quoad arctationem Virgo à peritis Matronis inſpiceretur, & quod animi averſionem, ut triennium expectaretur; nam poterat Sponſa quoad arctationem habere aliquod impedimentum amovibile, & quoad animi averſionem tempore in melius immutari.

SUMMARIUM.

1 *Pro diſſolutione Matrimonii ſtante evidentia impedimenti, non eſt neceſſaria Triennii expectatio.*
2 *Sexagenarii & ætate majores coire, & generare poſſunt. Declara, ut num. 7.*
3 *Natura imbecillis non poteſt dici valetudinaria.*
4 *Debilitas poteſt ſtare cum ſtatu naturali.*
5 *Senes ſani dicuntur, licet debiles ſint.*
6 *Longitudo membri non poteſt impedire erectionem, licet impedire poſſit generationem.*
8 *Ætates non annorum numero, ſed viribus determinantur.*
9 *Decrepitus non præſumitur potens ad coeundum.*

10 *Stomachici qui dicantur.*

11 *Genitalium non recta conformatio connumeranda inter cauſas impotentiæ coeundi.*

1 12 *Fiſtula in Perinæo impotentiam coëundi adauget.*

NEutram Sponſi petitionem juſtam eſſe exiſtimaverim, cum neque neceſſaria videatur Virginis inſpectio, atque inanis triennii expectatio, ſtante evidentia impedimenti ex parte ipſius, maxime cum facile ea omnia diluantur, & inania omnino appareant quæ in ſui tutelam in medium profert, teſtringenda ad ſequentia capita.

2 Nam primo quoad ætatem, non eſſe dicit ita gravem, ut ex ejus gravitate judicari debeat impotens ad copulam carnalem: non modo enim ſenes ſexagenarii coitum facile exercent, ſed etiam ætate multo majores, ut notum eſt; nec ſolum coire, ſed etiam generare ſenes ultra ſexageſimum annum conſtat per ea, quæ adduxi *lib. 1. Quæſt. Medico Legiſt. 1. quæſt. 9. num. 50. & ſeqq.* quin etiam *lib. 7. quæſt. 7. num. 13. & ſeqq* coeundi potentiam extendi ad ſeptuageſimum probavi, & præter omnem rationem præſumi ante hunc terminum aliquem eſſe impotentem: ergo nihil, quod officere poſſit integritati Matrimonii opponi poteſt reſpectu ætatis ipſius Sponſi, licet ſexagenarius ſit.

Secundo, neque reſpectu valetudinis quicquam affertur, quod ad Matrimonii diſſolutionem faciat; licet enim Sponſus non ſit robuſtus, nec validæ complexionis, non eſt tamen
3 adeo imbecillis, ut ex hoc argui poſſit, illum eſſe ad coitum impotentem, & dato etiam, quod eſſet naturæ imbecillis, non poſſet tamen jure dici valetudinarius, quia quomodocunque accipiatur *Valetudinarii* nomen, non poteſt homo debilis dici valetudinarius, cum in valetudinario ſemper
4 conſideretur ſtatus quidam præternaturalis, in debili vero nequaquam, quia debilitas poteſt cum ſtatu naturali coniungi, quod firmari non poteſt de ſtatu valetudinario, quia homines in hoc ſtatu degentes integra ſanitate frui non poſſunt dici, unde ſunt aliqua ex parte in ſtatu præter naturam; at debiles
5 ſanitate quidem fruuntur, licet debiliter actiones ſuas exerceant, idemque uſuvenit de ſenibus, qui tametſi debiles ſint, ita ut nullus ſenex virium robur habeat, ut pluries alias dixi; dicuntur tamen ſani eſſe, nam fruuntur ea ſanitate qua illos ſui ætas ſenilis permittit: Galen. *lib. 6. de ſanit. tuend. cap. 2.*

Tertiò præterea cum partes genitales ſint bene conformatæ ex parte ſui, excluditur omne impedimentum reſpectu earum partium; nam membrum habet juſtæ magnitudinis, cum neque tam exigua mole ſit, neque tam magna, ut ex alterutro ejus vitio judicari debeat minus potens ad erigendum, & matrimonium conſummandum: quoad longitudinem etiam non videtur quicquam peccare, præterquam quod longitudo non poteſt impedire erectionem, licet gratis detur, quod poſſit impedire generationem, ut volebat Ariſtotel. *lib. 1. de Gener. Anim. cap. 6.* Quod tamen ſi aliquam veritatem habet, non in omnibus verificatur, ſed tantum forte in iis, qui expultricem maxime debilem habent; nam contra in iis, qui expultricem habent validam, inaniter
6 hoc pro generationis impedimento affertur, idque ſatis firmant Bruta quædam longiſſimo Pene dotata, cum quo tamen ſunt fœcundiſſima: ſed ad membri conſtitutionem redeundo, Sponſus dotatur membro colore naturali, & laudabili exiſtente, neque flaccidum apparet, & nullum impedimentum præſeſert, quod oculis pareat. Teſtes inſuper propendentes ſortitur magnitudinis non aſpernendæ, & licet forte conſueto exiliores appareant, hoc non tollit quin & coëundi, & generandi potentiam Viro concilient, & in ſumma nihil adnotatur in genitalium partium conformatione, quod pro evidenti, ac patenti impedimento coëundi afferri poſſit. Neque fiſtula quam in Perinæo patitur, videtur tale impedimentum afferre poſſe, cum non ſit notabilis qualitatis, & parum materiæ effundat, nec in tanta quantitate, ut inde argui poſſit, ipſas genitales partes refrigerari, & ſic inhabiles reddi ad coitum exercendum, preterquam quod ea ipſa materia non eſt pravæ qualitatis, cum non ſit fœtida, neque mali odoris nullumque dolorem, aut impedimentum afferat in meiendo, neque dum exit, virum male afficiat, aut torpidum reddat.

Neque obſtat experientia per menſem ſumpta, in quo termino non potuit ſponſam virginem mulierem facere: quia obfuit repugnantia ipſius Sponſæ non permittentis virum libere ſuo fungi munere; nam vix ab ipſo tangi ſe permiſit, & averſa ſemper ab ipſo iacuit; immo vix à viro glandem in uterum immitti permittens, illico reſilit, hominemque auerſatur, atque odio habet, ut ipſamet negare non audet, id enim proprix parenti interrogata, ac juſſa rei veritatem propalare, confeſſa eſt; quemadmodum uterque, tam Pater, inquam, quam Mater diffiteri non poſſunt.

Unde ex his omnibus videtur omnino expectandum eſſe triennium, antequam matrimonium diſſolvatur, interimque Virgo per expertas matronas inſpicienda eſt, ut ſi quod impedimentum habet, per quod virum admittere non poſſit, ſi amovibile ſit, amoveatur; adeſſe autem certum eſt, cum nullum ex parte viri adſit, ut ex ſuperioribus ſatis ſuperque videtur patefactum.

Nihil tamen eorum, quæ ipſe Sponſus pro ſe adduxit; afficere quicquam poteſt, ita ut alterutram, vel utramque ſuam ipſius petitionem juſtam eſſe determinandum ſit: cum impedimentum, immo impedimenta omnia non conſummandi matrimonium ex parte ipſius Sponſi ſint, adeoque patentia exiſtant, ut nulla probatione indigentia, nullo quoque temporis ſpatio indigeant, neque ullo modo remotari debeant matrimonii diſſolutionem.

Et primo quoad ætatem, licet diffiteri non debeamus, quod non modo Sexagenarii ſenes ſed Septuagenarii, atque etiam maiores non ſolum Veneri ſint apti, ſed etiam generationi: tamen hoc de ſenibus robuſtis intelligendum, qui 7
neque eo annorum numero ſenes dici poſſunt, cum vires habeant integras, nulloque modo ab annorum multitudine labefactatas. Sed quemadmodum non obſtante annorum multitudine hujuſmodi ſenes robuſti, ſenes dici non poſſunt, ita è contra non obſtante multo minori annorum numero ii, qui natura debiles ſunt, etiam in quinquageſimo ac maturius & ſenes dici debent, & ad munia juvenilia, aut virilia, aut etiam ſenilia, quæ robuſtis ſenibus propria ſunt, judicandi impotentes, cum ætates non annorum numero, ſed viribus 8
determinentur: Galen *lib. 6. de ſanit. tuen. cap. 2.* Ubi ergo vires conſtant, ac validæ ſunt, ſenectus ad Septuageſimum, & ultra protrahitur; ubi imbecilles, quinquageſimum potius, quam ulteriorem, imo interdum maturiorem terminum habet, unde & in ætate ipſa juvenili nempe in qua homines ut plurimum juvenum viribus dotati reperiuntur; immò etiam in ea, in qua Puberes dicuntur, poteſt quis eſſe ſenex, imo decrepitus, ut ex Hippocratis, Ariſtotelis, & Galeni auctoritate dixi alias *lib. 1. bis. quæſt. Tit. 1. quæſt. 7. n. 34. & ſeqq.* Cum hic igitur vir, naturæ ſemper fuerit admodum imbecillis ut neque ipſe, neque ii, qui ei favere ſatagunt, abnuere audent etiam ſexageſimo anno maior ſit, non modo Senex dici debet, ſed Decrepitus; tanquam Decrepitus impotens ad Venerem eſt præſamendus; unde, quantum eſt ex parte ætatis, impedimentum coëundi in hoc viro eſt patens, & eſt abſque 9
remedio, quia frigida intemperies, ex qua redditur ad coitum inhabilis, non ſolum non eſt emendabilis, ſed eam in dies magis, magiſque augeri neceſſe eſt.

Quoad valetudinem porro, etiamſi gratis concedatur, virum hunc non eſſe valetudinarium, ſed tantum naturæ imbecillis, tamen hæc ipſa imbecillitas naturalis Senectuti, imo Decrepitati aſſociata, eſt potiſſima cauſa, atque evidentiſſima impotentiæ coëundi, & dato quod per anteactam ætatem coire potuerit (quod neque ſatis, neque concludenter probatum eſt) accedente annorum multitudine, & ipſa ſenectute, omnino remanet ad coitum impotens, & maximè cum Virgine.

Verum enimvero, nullo modo ſalvare ſe poteſt hic vir, quin inter valetudinarios ſit connumerandus, cum per totum vitæ curriculum morbis longis fuerit conflictatus, & colore ſemper fuerit laudabili, ut qui Stomachi imbecillitate, & anxietudine perpetua laboraverit, unde recte inter Stomachicos venit recenſendus, cum appetitum ſemper habuerit dejectum, ægre ſemper concoxerit, ructus multos 10
inter concoquendos cibos cum moleſtia quadam; & anxietudine emiſerit & animæ fœtorem aſſiduum patiatur, aliiſque ſymptomatibus perpetuo exagitetur, ex quorum cauſa homines Stomachicos vocari docet Galen *libro eſt avo de Comp. med. ſecund. loc. capite ſecundo.* At quis dixerit, Stomachicos non eſſe valetudinarios; immo non modo valetudinarii ſunt dicendi, ſed omnino morboſi, cum undeque ſani non ſint. At pro potiſſima cauſa impotentiæ coëundi adducitur à Practicantibus omnibus, Stomachi naturalis imbecillitas, & frigiditas, ut apud ipſos videri poteſt. Unde cum adeo evidens impotentiæ cauſa adſit in hoc Viro, inanis omnino eſt alterius impedimenti ad conſummandum matrimonium perquiſitio.

Quamobrem inanis quoque erit quævis expectatio, aut 11
procraſtinatio ad declarandum matrimonium nullum, cum non modo cauſa impediens matrimonii conſummationem ſit evidens, ſed amovibilis non ſit, quia quo magis in ætate progredietur, quæ jam ſummè frigida eſt, eo magis Stomachi intemperiem frigidam, & imbecillitatem intendi, & augeri neceſſe eſt.

Præterea quod pertinet ad partium conformationem, nempe genitalium, patet, eas ob non rectam, ac bonam conforma-

tionem concurrere ad cauſſandam coitus impotentiam : nam virga longa, & ſubtilis præter conſuetum eſt, ita ut ſtante ſpirituum paupertate, quæ in huiuſmodi ſubiecto patens eſt, erigi ſufficienter non poſſit ; præterquam quod flaccidæ ſubſtantiæ illam eſſe refert Chirurgus in ſua relatione, qui & ob prædictam longitudinem, & prænominatam flacciditatem credit non poſſe erigi, & tantam duritiem acquirere, dum utcunque intumeſcit, ut poſſit Sponſam Virginem defiorare, & mulierem facere ; quæ ea omnia manifeſtæ falſitatis arguunt, quæ Sponſus ipſe, eique faventes, ac pro eo ſcribentes in illius tutelam afferunt ; immo cum, quæ ille in ſui favorem affert ; non ſolum dubia ſint, ſed omnino à vero abſint ; quæ vero contra illum producuntur, vera, & evidentia ſint ; manifeſte demonſtrant, impedimentum coëundi omne eſſe ex parte ipſius, ac tale eſſe, ut non ſit neceſſe ullam temporis moram expectare ad declarandum ; an tale impedimentum ſit ſufficiens, necne pro diſſolutione matrimonii : ultra quod patet, illud non eſſe amovibile, immo etiamſi contendat quis à Natura non eſſe, tamen in huiuſmodi ſubiecto, in quo Totius frigiditas in dies, ne in momenta dicam, ſuccreſcit, ſuperabile nullo modo eſt, deficiente calore nativo, cuius beneficio tantum huiuſmodi impedimentum naturalibus auxiliis amovendum eſſet.

12 Conſiderabilis maximopere inde eſt fiſtula in Perinæo, quam hic vir patitur, quippe quæ quantumvis exigua eſſet, tamen maiorem in modum genitales partes refrigerando, impedimentum coëundi mirum in modum adauget ; licet non ſolum exigua non ſit, ſed ſit ultra mediocritatem, & iam per quamplurimos annos hominem vexet, cum relicta fuerit ex iterata apertione cujuſdam Apoſtematis in ipſo Perinæo excitati, & quod magis nos afficere poteſt, illud eſt, quod ichor inde perpetuo in notabili quantitate effluit pravi odoris, & coloris non laudabilis ; quæ omnia veritatem habere Chirurgi relatio ad hæc referenda deputati teſtatur, contra ea, quæ ipſe de hac quoque fiſtula falſo aſſerebat & cum eo qui in eius favorem cauſam tuentur.

Cum ergo hæc ſola cauſa evidens ſit, & nullo modo amovibilis, impotentiæ huius viri, incaſſum alias cauſas ex parte Sponſæ perſcrutari deſiderat, cum etiam ſi aliqua eiuſmodi cauſa ex parte Sponſæ urgeret ; tamen hæc ex parte Sponſi tam patens eſt, ut per ſe ſufficientiſſima ſit exiſtimanda pro diſſolutione Matrimonii non expectato triennio, neque alia cauſa ex parte Sponſæ quæſita, etiamſi aliquam adeſſe ſuſpicaremur, licet ſuſpicio hæc inanis omnino ſit, & affectata, nullumque reale fundamentum habeat.

Quæ denique pro ipſo Sponſo afferuntur circa repugnantiam ipſius Sponſæ non patientis ſe ab ipſo iniri, immo non permittentis Sponſum ſibi appropinquare, falſa omnia exiſtimanda ſunt, & ex eo falſiſſima declarantur, de quo Sponſa apud Matrem non ſine rubore conqueſta eſt, nimirum, quod cum videret ille, non poſſe ſe Sponſam devirginare ob membri proprij flacciditatem, quærebat manu, & digitis clauſtra virginalia diſrumpere, unde factum eſt, licet in primis matrimonii diebus, & per plures etiam ſubſequentes, Sponſa exagitati ſe à viro inaniter permiſiſſet, poſtquam advertit, illum tam malitioſe procedere, ut tentaret digitis virginale ſignum devaſtare, recuſavit, & iure, in poſterum ſe ab illo ullo modo tangi.

Itaque ſatis ſuperque de ſua impotentia virum hunc experientiam ſumpſiſſe exiſtimandum, illamque ſufficientem eſſe ad Matrimonij invaliditatem ob impotentiam conſummandi declarandam, nullo tempore, & multo minus triennio expectato, & omnino præter neceſſitatem, & inane eſſe in Sponſa ullum impedimentum quærere, dum tot potentiſſima impedimenta ſe manifeſte produnt ex parte viri.

priam impudicitiam celandam, ob Propinquorum metum, & multo magis ipſius mariti, fœtum, quem pepererat, vivum in latrinam abjecerit, cuius vagitus illa ſe perſenſiſſe deponebat. Iam veto Matthia obſervata fuerat ab aliis vicinis mulieribus ventre præter conſuetum tumenti, apud quas illa de ſuppreſſione menſtruorum jam per plures menſes pluries conqueſta fuerat. Poſtridie à præſumpto partu Fiſcus latrinam perluſtrandam primo curavit, ad inveniendum puelli corpuſculum, quod nuſquam apparuit, ſed tantummodo prope latrinam ſolum ſanguine defœdatum reperit, domi autem plures pannos plurimo cruore madidos adhuc offendit, ejuſdemque cruoris grumos aliquos continentes. Mox mulierem tribus Obſtetricibus una cum Chirurgo inſpiciendam expoſuit, quarum Obſtetricum duæ depoſuerunt, Matthiam de recenti peperiſſe, cum uteri labra adhuc tumerent, venter autem detumefactus eſſet, & puerperia adhuc fluerent in magna copia Alia Obſtetrix cum Chirurgo retulit, ex nullo ſigno deprehendi Matthiam peperiſſe, ſed potius menſtruorum profluvium paſſam ob diu retentos menſes. Itaque re dubia exiſtente, conſultus ita reſpondi.

SUMMARIUM.

1 *Tumor labiorum uteri qualis eſſe debeat in retente enixa.*
2 *Purgationes menſtruæ quomodo diſtinguantur à purgationibus puerperis.*
3 *Pectus, & mamma in Puerperis qualiter ſe habeant.*
4 *Ventris detumeſcentia in Puerperis qualiter eveniat.*
5 *Uterus in pregnantia, quanto magis tumefit, tanto craſſior evadit.*
6 *Ex ſimplici retentione menſtrua mulieres aliquando ſe gravidas exiſtimant, cum non ſint.*
7 *Conjectura deſumpta ex corporis ſtatu in Muliere, quando ſignificet illam de recenti peperiſſe.*
8 *Fluxus ſanguinis in Puerpera qualis, ac qualiſsimus menſtruata.*
9 *Lactis abſentia excludit omnem ſuſpicionē recentis partus.*

DUabus illis Obſtetricibus deponentibus de Matthiæ partu, nulla fides eſt adhibenda, licet in propria arte peritæ habeantur, cum de re tanta levioribus, & æquivocis ſignis, ac coniecturis ſiſæ pronuntiaverint, potioribus quæ contrarium evidenter atteſtari poterant, aut non animadverſis, aut neglectis. 1

Nam quæ de tumore labiorum uteri, & de Puerperij purgamentis, ac detumeſcentia ventris aſſerebant, omnia, ac ſingula facile deluduntur. Et quoad tumorem ipſorum labiorum uteri ſatis apparet, eas hoc ſignum ſatis ſuperficialiter obſervaſſe : non enim ſolus prædictarum partium ac ſimplex tumor commonſtrat mulierem de recenti peperiſſe, ſed tumor quidam œdematoſus, qui univerſa pudenda occupet, ut ex Severino Pinæo *libro 1. de not. virg. cap. 7.* dixi *libro tertio Quæſt. Medico-Leg. Tit. 2. quæſt. 9. num. 18.* Quin etiam in partu adeo ea loca tument, ut caruncuiæ quædam ab Anatomicis *Myrtoides* appellatæ, hinc inde in uteri parietibus exiſtentes omnino obliterentur ; ut ex eodem Pinæo *loc. cit.* & ex Riol. *Anthropograph. lib. 2. cap 32. ibid.* dixi, quod à Chirurgo obſervatum, ignariſſimas Obſtetrices præterit, cum tamen ſignum hoc ex potioribus habeatur, & quibuſcunque aliis forte certius ſit. nam Chirurgus reddens cauſam ſuæ depoſitionis, inter alia fatetur, Matthiæ uterum & partes omnes pudendas naturaliter, ut decet in iis, quæ neque gravidæ ſunt, nec de recenti peperierant, ſe habere, niſi quod tumentiores eſſent ob fluxum menſtruum, ſed non ita tumerent, ut in partu fieri ſolet, in quo caruncuiæ prædictæ deliteſcunt ob eandem partium tumeſcentiam, quæ tamen caruncuiæ in Matthiæ utero nullo modo erant obliteratæ, nec diminutæ, ſed palam intuentibus ſe dabant ; unde patet, Oſtetrices prædictas tanquam proprij exercitij parum peritas ad pauca reſpicientes facile pronuntiaſſe, ad ea, quæ majori momenti erant, animum non advertentes, forte quia hæc potiora ſigna illis erant omnino incomperta, cum tamen tertia Obſtetrix, quæ cum Chirurgo convenit, non ofcitanter Matthiæ uterum obſervans depoſuerit ex nullo ſigno

depre

CONSILIUM LXIX.

Ad Titulum Secundum Libri Tertij,

De Morborum ſimulatione.

ARGUMENTUM.

Matthia del Bello, cujus maritus, neſcio quod ob facinus, extra ditionem Eccleſiaſticam ab anno citra exulabat, à peſſima muliercula ex vicinia, quæ illam inteſtino odio proſequebatur, accuſata eſt, quod ex adulterio concipiens, poſt multa ad abortum provocandum tentata, ad pro-

deprehendi poſſe Matthiam peperiſſe,innuens & hoc,de quo
2 loquimur,& cætera,quæ potiora in ea re detegenda habentur.

Multò verò magis oſtendit prædictarum Obſtetricum ignorantiam ſignum, quod deſumunt ex puerperii purgamentis, nam neſcierunt diſtinguere inter purgationes menſtruas, & purgationes in Puerperio procedentes, inter quas tamen magnam eſſe differentiam norunt etiam mulieres, quæ maiorem practicam in Obſtetricia exercenda habent: nam & quoad ſanguinis, qui purgari ſolet, ſubſtantiam, & quoad ea, quæ cum ſanguine purgari ſolent, maximè differunt: in ſimplici enim menſtrua purgatione, ſanguis ipſe purus, niſi mala valetudo mulieris obſtet, expurgatur, colore laudabili, & quantitate moderata; quòd ſi mulier non admodum ſana ſit, ſanguis qui ſingulis menſibus expurgatur, aliis humoribus commixtus apparet, ac ſenſim vel inordinatè procedit, quantitate vel modica,& diminuta,vel ſuperflua,& excedenti. At verò in Puerperio ſanguis affatim expurgatur & qualis ex victima prodit,ut Hippocr. *lib. de Nat. Puer. n. 11. & lib. 1. de Morb. Mul. ſect* 3. docet, & cum ſanguine ipſo ante,vel etiam deinceps aqua effluit:& quod magis attendi debet in hoc negotio, etiam Lac cum Puerperio, aut cum urina commixtum apparet,ut Medici fatentur. Holler. *comm. 7. Aphor. 3. in ſcol.* & Laur. Ioubert. *lib. 4. error. Popul. cap. 11.* & Severin. Pinæus *loco citato*, quos omnes aliàs ad hoc adduxi.

3 Sed ulterius ponderandum, quàm negligenter ſe geſſerint Oſtetrices illæ in obſervandis potiotibus ſignis, ex quibus clarè in veritatis cognitionem venire poterant, utrum Matthia verè peperiſſet, necne;nam neque pectus,aut mammas obſervarunt, quæ licet non niſi tertio die,ut plurimum, lacte turgeant, tamen illicò à partu magnoperè tument, ac ſolidiores ſiunt;quas ſi obſervaſſent, comperiſſent illas valdè flaccidas & perpendentes, nihilque cum Matthiæ pulcritudine cohærentes, nam nihil fortè ejus formoſitatem,ac vultus venuſtatem magis deturpare poterat, quam mammarum illa conſtitutio, quandocunque eam obſervare aſpicientibus licuiſſet. Quid certitudinis ergo haberi potuit ab Obſtetricibus, hæc ſigna etiam à mulierculis Obſtetriciam artem non exercentibus maximoperè obſervata, ſicco pede tranſeuntibus? quænam ergò fides illis adhibenda eſt?

Denique aſſerebant Obſtetrices prædictæ pro evidenti ſigno recentis partus, ſubitam ventris detumeſcentiam ipſius
4 Matthiæ, & maximè ſe fundabant in ea ratione, quod in menſtruis purgationibus,ſi quæ corporis tumeſcentia præceſſerit, ea ſenſim ac paulatim diminuitur; in partu verò illicò venter ſubſidere ſolet, ut in noſtro caſu evenerat: nam cùm Matthia ventrem ſatis tumentem haberet, momento ſecuta expurgatione ſubſedit, unde non à retentis menſtruis dicendum, tumorem illum fuiſſe excitatum, ſed à fœtu in ventre commorante, quo ejecto venter illicò detumefactus eſt,ut in parturientibus omnibus evenire ſolet.

5 Sed neque in hoc ſatis ſe expertas oſtendunt hæ Obſtetrices,vel malitioſè ſupponunt id, quod non eſt; nam in partu tantum abeſt,ut illicò venter ſubſideat,ut ipſe uterus,qui una cum fœtu ventris tumorem procreat, tanta craſſitie etiam à partu docetur, non obſtante ejus aſſidua dilatatione per incrementum fœtus incluſi facta, ut duorum digitorum craſſitiem undique, ac circumcirca æquare ſoleat, ut teſtantur Anatomici, Andr. Laur. *l. 5. Anatom. c.* 11 Ioan. Vveſling. *in Syntagm. Anatom. c. 7.* quæ craſſities non illicò à partu diſparet,ſed ſenſim in dies decreſcit, prout mulier à puerperio expurgatur. Hoc non norunt huiuſmodi Obſtetrices, quod mirum non eſt, cùm etiam ex Medicis ſint, qui id ipſum ita evenire ignorent, exiſtimantes uteri membranas, vel, ut melius dicam,uteri corpus eò magis attenuari,quò magis à fœtu in dies grandiori facto diſtenditur,atque hoc pacto hi ipſi facilè credent,uterum à partu illico detumeſieri,ut oſtèdunt ſe ita credere hæ Obſtetrices.Sed contrarium omninò evenit eorum determinationi, dum exiſtimant in menſtrua purgatione ventrem, ſi quo modo ex retentis menſtruis turgeat, ſenſim detumeſcere, in partu verò illicò decreſcere; nam contra,ob rationem prædictam fieri ſolet, cùm in menſtrua purgatione venæ illicò vacuæ à ſanguine remaneant, venterque illicò ſubſideat,& detumeſcat,nam corpus ipſius uteri in tantum tumebat,in quantum venæ turgidæ ſanguine reperiebantur,cum in prægnantia corpus uteri ſecundùm ſuam ſubſtantiam tumefiat.

Cum igitur vana omninò, & futilia ſint ea omnia, quæ prò ſignis partus, quem Matthia ejeciſſe præſumebatur, Obſtetrices dixæ addunt, deducendum inde eſt, earum depoſitioni nullò modo eſſe fidendum,ſed potius depoſitioni magis expertæ Obſtetricis, & non indocti Chirurgi ſtandum eſſe, ac concludendum, non poſſe ex ullis ſignis comprehendi, quod Matthia peperterit, cùm gravida nunquam fuerit, ut manifeſtè ex abſentia ſignorum prægnantiæ deduci poteſt, ſed tantùm quòd longa menſtruorum retentione laboraverit, ex qua mirum non eſt, illam ventrem tranſactis nonnullis menſibus tumidum habuiſſe,ut in gravidis evenire ſolet:hoc enim novum non eſt, imò in dies obſervamus mulieres nonnullas ſola menſtruorum retentione laborantes gravidas ſe exiſtimare, nec ſolùm ex ventris tumeſcentia poſt aliquot menſes facta ſibi perſuadere, ſed omnibus ſymptomatibus, quibus ex, quæ verè in utero habent, moleſtantur, nam & ipſæ iiſdem detinentur: cùm tamen Nono, vel Decimo menſe, vel etiam ſerius, aut maturius,Natura impetum faciente, menſtruum ſanguinem per totum illud temporis ſpatium retentum ejiciant, & ſic à tumore ventris, & ab omnibus perpeſſis ſymptomatibus liberæ evadant, ut Matthiæ evenit: in quo caſu non minimam conjecturam innocentiæ ipſius Matthiæ faciunt panni domi aſſervati, & Fiſco reperti, ſanguinem grumoſum continentes, eodemque ſanguine madentes, quos, ubi illa in culpa fuiſſet,potius celari oportuit, ac illicò abluendos mulierculis tradere. Ad quod etiam facit ipſius Matthiæ procedendi modus;nam ubi gravida fuiſſet,debuiſſet celare omninò quæ patiebatur, cum poſſent ignominiam patefacere, nempe ventris tumeſcentiam, & menſtruorum retentionem, quæ tamen illa liberè vitiis mulierculis, ac propinquis etiam patefaciebat, quia certa erat, ſe ab omni nota liberam eſſe, neque egere,ut ventris tumorem, & menſtruorum ſuppreſſionem alias fœminas celaret,cum apertiſſimè ſciret, hæc non à prægnantia potuiſſe ſibi evenire.

Et ex his ſatis manifeſtum fit; Fiſcum nullum poſſe fundamentum facere in ſolo ſanguine deſœdato prope latrinam invento,quia non mirum eſt,ſi Matthia fluentibus impetuosè menſtruis, ad latrinam ut ventrem fœcibus exoneraret ſe conferente, ſanguinis aliqua portio in terram deciderit, & ſolum deturpaverit;non enim ex hoc deducere Fiſcus poteſt, quod ad latrinam ſe conferret, ut partum in eam abjiceret; præterquam quod ipſamet mulier, ubi tale facinus patraſſet ut erat, integris viribus, & nullatenus debilitata, talem ſanguinem in ſolum defluentem poterat facillimè ſubita ablutione removere, ne ex huiuſmodi cruore facinus deprehenderetur:quod tamen non præſtitit,cum nihil ſibi timeret, ſtante quod eſſet tuta conſcientia, nec ullam de ſe ſuſpicionem quemquam concipere poſſe certo ſciret.

Sed ut magis magiſque prædictarum Obſtetricum oſcitantia, ſeu potius craſſa ignorantia in apertum veniat,notandum illas de potioribus ſignis atteſtantibus mulierem de recenti peperiſſe, ne verbum quidem muſitaſſe,ſed ea ſilentio obvolviſſe cum fortè ſcirent ex eorum abſentia ſatis contra earum opinionem Matthiæ innocentiam probari; nam conjectura, quæ deſumi poteſt de muliere ex ſui corporis ſtatu,
7 magni momenti eſt;quippe cum mulier in primis partus diebus ob labores, & dolores in parturiendo perpeſſos, quantumvis validæ naturæ exiſtat,inſigniter debilitetur ita ut decumbere per multos dies cogatur,quin ut plurimum pallidior ſit,ac omninò languet, non ſolum ob prædictos labores, & dolores ſed etiam ob multam ſanguinis copiam,quæ in partu effunditur:at verò in Matthia nihil horum obſervare potuerunt dictæ Obſtetrices,cùm illa colore eſſet laudabili;& integris viribus,ac conſuetam alacritatem præ ſe ferret; cum tamen non niſi per diem à præſumpto partu diſtaret,itaque ut Fiſco aſſentirentur potiùs quàm ut veritatem detegerent, ad leviora ſigna converſæ, falsò, & contra omnem veritatem pronunciarunt. Matthiam verè de recenti peperiſſe.

Præterea, Obſtettices non obſervarunt, ut decebat, curioſius ipſius uteri ſtatum; nam ubi ſanguis fluat occaſione
8 partus, & puerperii, venæ omnes ipſius uteri, atque illæ quidem maiores, & magis conſpicuæ hiant, & adaperiuntur; ac in fluxu menſtruali, non ita, ſed minores tantùm licet negari non poſſit, quòd ubi retentio menſtruorum longa, ac diuturna exiſtiterit, etiam ampliores, maioreſque venæ adaperiantur;in partu tamen ſimul cum ea venarum apertione fit maxima partium diſtenſio, quæ non obſervatur in fluxu menſtruali, etiamſi menſtrua, per multos menſes fuerint retenta, abſente cauſa,quæ illas partes apta erat diſtendere, nempè ipſa prægnantia, & fœtu in utero exiſtente.

Ac tandem omne dubium excludit abſentia lactis in mammis, quod in iis, quæ fœtum de recenti ſunt enixæ, tertia à parte die maximè luxuriat; & licet mulieres nonnullis remediis illud compeſcant, atque exiccent, ejuſque generationem omninò medicamentis prohibeant, tamen nullo ingenio effugere poſſunt, quin mammæ turgeant, & lactis ipſius impetum in parte non excipiant:cùm ergo Obſtetrices poſſent ex hoc ſequenti die certiores fieri, & tamen non noverint, aut neglexerint, quia talis conjectura ne per ſomnium quidem adfuit, eaque ſuam depoſitionem roborare illis non licebat, tam cum aliis potioribus ſignis,& conjecturis prætermiſerunt, levioribus ſiſæ, quibus nihil certi poterant contra Matthiæ innocentiam probare.

CONSI

CONSILIUM LXX.

Ad Titulum, de Debito Conjugali, Libro Septimo.

ARGUMENTUM.

Vir Illuſtriſſimus N.N. temperaturæ ſanguineæ integriſque viribus licet doloribus articularibus, ſed levioribus aliquando eſſet obnoxius, viduam uxorem duxerat, divitem quidem, ac pulchritudine inſignem trigeſimo anno non majorem: ſtatim autem à celebratis nuptiis, conſuetis doloribus moleſtari cœpit, ſed tantò atrocioribus ac vehementioribus, ut, acutiſſima febre ſuperveniente, de vita notabiliter periclitatus fuerit: ſanus tamen poſt quadrageſimam factus, priſtinas vires recuperavit, tanto tamen prægreſſi morbi timore perculſus, ut à Veneris uſu, in quem omnem culpam prægreſſæ infirmitatis reiiciebat, omninò in poſterum ſibi abſtinendum in animo obſirmaverit ſuo. Hoc tamen non ſine præiudicio redditionis debiti matrimonialis fieri poſſe cùm apertè videret, Illuſtriſſimum ac Reverendiſſ. D. Epiſcopum, & celeberrimum Canoniſtam ſibi ſanguine, & arctâ amicitiâ devinctum conſulere voluit, qui pro eo, quod ad vitæ diſcrimen pertinet, Medicorum ſententiam audire voloit: itaque duobus aliis Collegis adhibitis, & altero eorum dubio in ea re permanente, altero verò acriter firmante, non poſſe Illuſtriſſimum Dominum ſine manifeſto vitæ diſcrimine debito matrimoniali in poſterum ſatisfacere (nam & ipſe omnem culpam prægreſſi morbi in coitum rejiciebat) ego in contrariam ſententiam abii, ob rationes, de quibus infrà.

SUMMARIUM.

1 *Venus articularibus doloribus inimica.*
2 *Venus Arthritim, & Podagram excitat.*
3 *Venus ſummoperè calorem naturalem debilitat. Dic. ut num. 13.*
4 *In veneris uſu robuſtiſſimum quid excernitur ex Hippocrate.*
5 *Ipſa coitus voluptas per ſe vitales vires diſſolvit.*
6 *Poſt veneris uſum triſtitia, ac mœror unde.*
7 *Cruditates ſunt cauſa materialis morborum omnium Articularium.*
8 *In Arthriticis quando timenda Apoplexia, & cur: & num. 15.*
9 *Coitus quando, & ex quibus dicatur moderatus.*
10 *Leges de Ætatibus locuta non diſtinxerunt Iuventutem à Virilitate.*
11 *Ipſa coeundi potentia Virilitas dicitur.*
12 *Quale temperamentum Veneri magis idoneum.*
14 *Coitus moderatus calorem nativum excitat.*

SUpponendum Illuſtriſſimum Dominum N. N. ſortitem ſuiſſe temperaturam ſanguineam, & ob errores in victus ratione patratos incidiſſe primò in levem podagram, ac procedente tempore, dolores cæteris articulis ſuiſſe communicatos, qui tamen illum ſemper leviter affixerunt; Vere tantùm reverſionem facientes, & poſt copioſam ſanguinis miſſionem, leni medicamento antè aſſumpto, recedentes, ita ut nunquam integris quatuordecim diebus illum in lecto detinuerint: doloribus autem intra dictum terminum ſedatis, neque articuli debiles remanebant, neque ad motum ullo modo impediti, neque illum à conſuetis exercitiis & laboribus abſtinere coëgerunt: quin & ad familiarem victus rationem, quæ non Artis Medicæ præceptis, ſed ex propria libidine inſtituebatur, abſque ulla noxa, quæ vel ad articulos, vel ad aliam quamlibet partem attineret, redire potuit, ita ut dolores illos ſuos articulares mitiſſimos hoſtes appellare ſoleret.

Supponendum præterea, eundem Illuſtriſſimum Dominum uxore ductâ, comeſſationibus & conviviis indeſinenter operam dediſſe, ac Veneri præter modum indulſiſſe, ſponſæ pulchritudine, & comitate, ac venuſtate, actionumque omnium lenitate allectus, ex quibus omnibus non modò cruditates, ac excrementitios humores cumulavit, ſed articulos etiam majorem in modum debiles reddidit, unde factum eſt, ut acerbiores, ac diuturniores dolores paſſus ſit: in mò etiam febri acutæ, neque undequaque benigna conflictatus fuerit, & in vitæ diſcrimen lapſus ſit.

His ſic ſe habentibus, videndum modò, quibus rationibus motus doctiſſimus Collega ſimiter pronuntiaverit, non poſſe Illuſtriſſimum Virum abſque manifeſto vitæ periculo in futurum Venere uti, etiam moderata, ut debito matrimoniali aliqua ex parte ſatisfaciat.

Movebatur ergo non primò ex prægreſſis diſpoſitionibus, ex quibus, ut conſtabat, articularibus doloribus maximè erat obnoxius, unde arguebat ille ſummam & quaſi connaturalem articulorum imbecillitatem, cui, quantum inimica ſit ipſa Venus, notiſſima res eſt, ac tòtoribus ipſis perſuaſiſſima, & ſi ad eam rem teſtimonia requiramus, videndi Practici omnes Medici in proprio tractatu *de articularibus doloribus*: & ſi Iureconſultus aliquis ſingillatim prolixam eorum Auctorum recenſionem deſiderat, adeat Tiraquellum *de legib. connub. lib* 15. *Gloſſ.* 1. *p.* 15. *n.* 44. *& ſeqq.* atque hoc tantùm per ſe ſatis eſt ad probandum, quòd Venus (ut ibidem addebat Tiraquellus) omnia membra diſſolvit, inter quæ præcipuè articuli languent, quòd cæteris partibus ſint frigidiores: ac denique ex ipſa ſui natura Venerem Arthritidem, & omne genus articularis morbi excitare ex Hippocratis doctrina pluribus probat Joan. Bened. Sinibal. *infrà* citandus, *lib.* 9. *Geneantrop. tract.* 2. *cap* 13.

Secundò addebat idem Collega, Veneris uſum ſummoperè calorem naturalem diminuere, quod controverti nullo modo poteſt; quippe cùm ipſa materia ſeminalis maximè ſpirituoſa ſit, unde ea ex corpore expulſa, meliores ſpiritus, ſubtiliores, & qui præ cæteris naturalis caloris materia exiſtunt diſſipantur, & evaneſcunt; unde ſumma cum ratione ab Hippocrate *in libell. genit. in princ.* dicebatur, in Veneris uſu robuſtiſſimum quid excerni, quo adeo paucula re emiſſa, animalia imbecillia reddantur; præterquam quod ipſe labor in Venere exercenda impenſus, ſpiritus ipſos ulteriùs exhauſit, unde laſſitudo, ac membrorum langor ſuccedit: ſed quid quòd ipſamet voluptas in ſeminis emiſſione gliſcens, per ſe idonea eſt ad vitales vires diſſolvendas, ut ex Gal. *lib* 1. *de ſem. cap.* 16. dixi aliàs *lib* 7. *harum quæſt. tit.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 22 nam ut *ibi* addidi ex Athenæo *lib.* 12. *Dipnoſophiſt. c.* 1. idcircò res eo modo fit, quia voluptates, quæ ad rem veneream ſpectant, omnium maximæ habentur, unde quo major voluptas eſt, eò magis vites diſſolvi neceſſe eſt, & meliores ſpiritus exinaniri: hinc poſt Veneris uſum triſtitiam, ac mœrorem ſequi, notum eſt, & cuilibet homini perſuaſum, quod pluribus teſtimoniis proſecutus eſt Joan. Benedict. Sinibald. *in præfat. operi, lib* 10. *tr.* 1. *cap.* 12. apud quem plura videnda de ea re ab ipſo, ut ſui moris eſt, multa doctrina, & plurima eruditione exagitata. Ergo deducendum ex his, Veneris uſum non modò articulares morbos excitare, ſed vitæ etiam inſidiari; unde etiam ſi quis contenderet, non eſſe juſtam cauſam non reddendi matrimoniale debitum ipſam arthritidem, certè negari non poteſt, juſtiſſimam cauſam eſſe, vitæ ipſius diſcrimen, & abbreviationem ex coitu ſecuturam.

Tertiò aſſerebat idem Collega in medium cruditates occaſione uſus ipſius Veneris mirum in modum accumulatas, quæ omnium morborum, ac ſignanter articularium materialis cauſa exiſtunt: licèt enim dolores Arthritici ab omni cujuſcunque generis materia concomitari ſoleant, tamen præcipua cauſa, & ſine qua nulla materia ad articulos penetrare poteſt, eſt humor quidam tenuis, ac ſeroſus, qui veluti dux quidam alios ſemper humores præcedens, & ob ſui fluxibilitatem, & tenuitatem ad articulos penetrans, alios, quicunque ſunt, humores ſecum ducit, illiſque viam parat, ut optimè docet Daniel Sennertus *in tract. de Arthrit. cap.* 2. hic autem humor ſeroſus germen, ac ſoboles cruditatum eſt, ut omnes norunt, unde cruditatibus accumulatis, accumulantur ſimul multæ ſeroſitates, & humores aquei & crudi, qui ut dictum eſt, ſua tenuitate ad articulos ſe conferentes, alios quoſcunque humores ſecum trahunt, & in cauſa ſunt, ut dolores in iis excitentur, non unius ſemper rationis pro diverſitate humorum, quos ſecum ſeroſa illa humiditas duxerit.

Adjiciebat his Vir doctiſſimus, non tantùm ab uſu Veneris imminere Viro Illuſtriſſimo articulares dolores crebriores, & moleſtiores, ſed, quod magis nos deterrere debet, imminet etiam repentinus humorum impetus ad Cerebri ventriculos, unde Apoplexia, & mors; ſit enim aliquando, ut Natura non ſemper ejus roboris ſit, ut valeat noxios humores,

humores ad partes infimas, & ignobiliores à ſuperiis, & nobilioribus deturbare; unde dùm conatur ad conſueta loca eos detrudere, in cauſa eſt, ut ipſas ſuperiores ac nobiliores partes adoriatur, & hinc Apoplexia, & alii pernicioſiſſimi affectus excitantur, ſatis autem ſuperque Natura à Veneris uſu debilitati norum eſt, & ſic facilè quod narravimus ſuccedere contigit, nempè non noxios humores ob naturæ debilitatem ad articulos demandari, & ſic agitatos, nobiliores partes ſummo cum periculo occupare.

Quamobrem tum ratione dolorum, qui ex Veneris uſu frequentiores & atrociores, & multò magis non contemnendis ſymptomatibus aſſociati excitari poſſunt; tum ratione imminentis periculi ex Appoplexia vel alio quocunque ſubitaneo, & exitiali morbo Illuſtriſſimus Vir iuſtam cauſam habet abſtinendi in totum à Veneris uſu, & excuſandus omninò iure merito eſt, ſi debito matrimoniali non ſatisfaciat, ad quod, licet teneatur ex iuſtitia, non obligatur tamen ad illud cum notabili, & evidenti damno ac propriæ ſalutis detrimento, ut ex Canoniſtarum decretis probavi alias *lib. 7. Quæſtion. Medico leg. 3. quæſt. 1. n. 3.*

His tamen non obſtantibus in eam opinionem veni, quòd Illuſtriſſimus Dominus poſſit abſque timore majoris mali, & multò magis abſque timore imminentis Appoplexiæ, & mortis, debito matrimoniali ſatisfacere, & ad hoc ex juſtitia teneri, ſi modus adhibeatur nam quæcunque de veneris uſu in medium à doctiſſimo Collega allata ſunt, in immodico, immoderato, & vires hominis excedente, non de mo-
9 derato, & hominis viribus proportionato verificantur: moderatio autem, & exceſſus reſpiciunt ætatem, temperamentum, & præ cæteris omnibus vires, & conditionem perſonæ Venere utentis; cùm immoderatus dici poſſit coitus etiam de ratò factus reſpectu ſenis, imbecillis, temperamenti frigidi, & valetudinarii cùm alia ex parte moderatus futurus ſit etiam frequentatus in juvene robuſto, temperamenti ſanguinei, & maximè ſano: nam, exempli gratia, immoderatus erit coitus uſus in prædicto ſene ſi ſemel in hebdomada eum exerceat, qui tamen moderatus erit in prædicto juvene, ſi alternis diebus exerceatur.

Itaque conſiderata ætate, temperamento, viribus, & valetudine Illuſtriſſimi Viri, dico, quòd abſque ullo ſanitatis, & vitæ diſpendio, poterit aliquando, ut exempli cauſa, ſingulis hebdomadis ſemel debito matrimoniali ſatisfacere: nam primò ætas eſt vegeta, cùm in virilitate degat, non enim pertranſiit annum quadrageſimum, in qua ætate homines non minus, quam in juventute poſſe ſtrenuè Veneri
10 operam dare, omnes Medici concedunt; ideireo enim leges, ut notavi alias *libro 1. harum quæſtionum, titulo 1. quæſt. 8. num. 1.* non diſtinguunt juventutem, & Virilitatem, & rectè, quia, ut Epiphan. Ferdin. *libro 1. Theorem 12.* teſtatur in hac ætate adhuc permanet vivacitas caloris, & perfectio operationum; licet prædictus Epiphanius nolit hanc ætatem extendi ulterius, quàm ad trigeſimum quintum annum, tamen Galeno adhærere magis ſecundum rationem
11 eſt, qui eam à trigeſimoquinto anno ad duos ſequentes ſeptenarios extendit, ut docet *libro 3. Aphoriſm. comm. 30.* Et in tantum verùm eſt, hanc ætatem præ cæteris Veneri eſſe idoneam, ut ipſa coëundi potentia ab ea Virilitas denominetur ex Plinio *lib. 6. Natur. Hiſtor. cap. 4.* qui de Areſcuſa in Areſcontem verſa locutus *Mox barbam*, inquit, *& Virilitatem, pervenisſe, uxoremque duxiſſe*, & ex Val. Martial. *lib. 9. Epigram. 7.*

Nonpuer avari ſectus arte Mangonis,
Virilitatis damna moret erepta.

Unde *Evirati* dicuntur coire non potentes, idem Martial. *lib. 5. Epig. 42.*

Spadone cùm ſis evirati r fluxo.

Quin etiam ex hoc, ipſa corporis firmitudo, ac robur Virilitas appellatur, Hipocrat. *in libro de Aër. Aq. & Loc. num. 45. Ab exercitio verò, & laboribus creſcit Virilitas*, & ibid. num. ſeq. *Virilitas autem, & tolerantia laborum non æquè ipſis à Natura ineſt.*

Vires deinceps in Illuſtriſſimo Viro ſunt firmæ & conſtantes; & quanquam à perpeſſo morbo poſt magna errata in victus ratione labefactatæ fuerint, non multo poſt tempore priſtinum vigorem adeò recuperavit, ut ne per ſomnium quidem ægrotaſſe videretur: unde factum eſt, ut irrideret pene Collegæ mei doctiſſimi timorem, cum ſe ob recuperatam virium firmitudinem, ad Venerem non ſecus ac ante, quam ægrotaret, conſueverat, tam vegetum experiretur, ut à Veneris ſtimulis indefinenter exagitatus, vix ſe continere poſſet, licet Collega hoc non à virium robore, & à turgentia ſeminis, ſed ab aſpectu, & indefinenti præſentia peramatæ uxoris id evenire contenderet.

Itaque cum vires etiam in majoribus ætatibus ejus momenti ſint, ut in ipſa poſtrema ſenectute homines ad coitum ſtimulent, ac potentem reddant, & omnem noxam, quæ ab ejus uſu emanare poſſet, ipſæ per ſe remorentur, & avertant, concludendum, Virum nobiliſſimum poſſe non ſolùm abſque periculo, ſed cum Naturæ ipſius ſublevamine moderato coitu uti, & matrimoniali debito aliqualiter, ac quantum ejus incolumitas permittit, ſatisfacere.

Adjiciendum his optimum hominis temperamentum, 12
quod inter cætera laudabile, & præ omnibus ad Venerem ſufficiens, nam plurimo ſanguine, & conſequenter plurima materia ſeminali abundat, hujuſmodi autem temperamentum, nempè calidum & humidum, maximè cùm tantiſper calor humiditatem exuperat, & temperamentum in calore parumper excedit, in humiditate autem ad moderationem vergit, tunc enim cùm affluentiæ materiæ ſeminalis calor vegetus, ac fortis aſſocietur, abſque ulla virium jactura, immò cum notabili ſanitatis incremento, tales Naturæ Venere pro libito uti poſſunt, Unde cum in caſu noſtro res clara ſit, nec ſolùm apud Medicos, ſed apud imperitiſſimum vulgus perſuaſiſſima, ulteriori probatione, & auctoritate non indiget.

Nec ſilentio prætereunda ipſius perſonæ conditio, ac vivendi ratio, ſiquidem cum nobilitate emineat, & divitiis affluat, pro ſuæ nobilitatis ratione: & divitiarum affluentia, vitam in delicijs agens, victu plurimo & electili perpetuò utitur, unde multam ſanguinis copiam in dies accumulari neceſſe eſt, maximè cum optime concoquat, & valetudine proſperrima utatur, ſi inſultus tantum podagricos excipiamus; unde tot, ac tantis conditionibus, quæ illum ad Venerem maximè habilem, ac potentem faciunt, concurrentibus, nequicquam contendimus, illum ab ejus uſu totum retrahere; imò tantundem erit id præſtare, ac illum in morbos expletoria, & quidem periculi plenos conijcere, ut palam eſt.

Quibus ſic ſe habent bus, facilè ſatisfieri poteſt oppoſitionibus quibuſcunque, ab eruditiſſimo Collega in medium allatis, ex quibus tantoperè timet Veneris uſum in Illuſtriſſimo hoc Viro etiam moderatum, imò inquam, etiam pluſquam moderatum.

Et ad primam oppoſitionem de naturali debilitate Articulorum, reſpondendum, nequaquam verum eſſe, articulares dolores eſſe illi connaturales, ſed excitari ex erratis in ratione victus, cum maximè non poſſit hic morbus eſſe illi hæreditarius, nullus enim in ejus progenie tali morbo laboraverit, imò quòd à natura ſortitus non ſit articulos debiles, ipſe morbi exitus commoniſtrat, cum hominem deferat abſque eo quod ullam in illis debilitatem, aut impotentiam ad motum, aut malam aliquam ſenſationem experiatur, ita ut materiæ ad articulos tranſmiſſio in hoc ſubjecto fiat ob fortitudinem virtutis expellentis ſuperflua ad partes ignobiliores, quòd ſtato tempore facit, nempè quo ibet Vere, quando maximè ſanguis luxuriat.

Neque arguì poteſt ab experientia articulorum debilitas ex eo, quia ob Veneris uſum, ducta uxore, majorem in modum ex articulis ægrotaverit, quia major ſanguinis accumulatio, & extrementorum ſuperabundantia ob commeſſationes; & alia errata in victu incauſa fuit, ut non modò dolores atrociores ſurgerint, ſed etiam ut febris valida, & acuta fuerit excitata, quod ſatis ſuperque denotare poteſt illud, quod à morbo non remanſerint articuli ullo modo debiles, ad motum impotentes, immo, morbo remittente, illicò etiam articuli priſtinum vigorem recuperarunt: quod nequaquam eo modo ſuccedere potuiſſet, ubi Articuli naturali debilitate dotarentur; ut in iis, qui ſimilibus morbis conflictantur, evenire obſervamus; in quibus poſt dolorum receſſum, Articuli remanent per multum tempus ad motum impotentes, & inepti, ac debiles, ac veluti ſenſu orbati, & torpore obſeſſi.

Nec quicquam prætereà contra noſtram opinionem 13
facit ſecunda objectio, quòd nimirum Veneris uſus nativum calorem diminuat; nam hoc tantum à vero abeſt, ut potiùs contrarium ſit verius, cùm nativum calorem excitet: Hippocrat. *lib. 2. de Diat. verſ. 22.* ſi de moderato verba fiant; nam ſi de immoderato loquamur, non ſolùm nativum calorem diminuere fatemur, ſed illum omnino extinguere dicimus; quia quemadmodum in coitu moderato excernitur quod naturæ ſuperfluit, & quod illam potius gravat, quàm ſecus; ita in moderato excernitur id, cujus maximè natura indiget, quod eſt ipſiſſimum ultimum membrorum alimentum: ſed quemadmodum ex coitu immoderato natura ſuccumbit, quia naturalis calor evaneſcit, ac diſſipatur, ita ex coitu moderato natura exhilaratur, & alacrior evadit & ipſe nativus calor magis excitatur, quia deoneratur natura

ab

ab eo, quod illam gravat, & quod ad ſui alimoniam ſuperfluit.

14 Quod autem Veneris uſus ſit in cauſa, ut plurimæ eruditates accumulentur, quæ dolores articulares excitant, non controvertitur, ſi (ut ſuprà dicebamus) de immodico uſu loquamur; at ſi de moderato uſu verba faciamus, tantum abeſt, ut eruditates generet, ut potiùs concoctiones juvare poſſit; cùm, ut dictum eſt, calorem excitet, & augeat; & idcircò corpus exhilaret: Celſ. *libro primo ſuæ Medicinæ, cap.* 1. moderatus autem, & immoderatus dici poteſt coitus reſpectu virium coëuntis, ut jam dictum eſt: unde cum Vir Illuſtriſſimus vires adeo conſtantes habeat, ut ad moderatum coitum maxime ſufficere poſſit, non eſt ab ejus uſu eliminandus in præjudicium debiti matrimonialis, ad quod reddendum ex juſtitia tenetur: quia neque ejus uſus eruditates generare poterit, & inde doloribus articularibus materiam præbere; neque ejus vitæ quicquam obeſſe, niſi excedat tolerantiam propriæ virtutis.

Ex quibus facile elici poteſt, quam præter rationem timeat doctiſſimus Collega, ne Vir Illuſtriſſimus ex uſu coitus in Apoplexiam, alioſque pernicioſiſſimos morbos labatur; hic enim timor tunc erit rationabilis, cum coitus fuerit excedens, & immoderatus, ex hoc enim Naturæ viribus labefactatis, non ſufficiet ad expellendos noxios humores à partibus nobilioribus, & præcipuè à Cerebro
15 ad partes conſuetas, & ignobiliores, nempè ad articulos, & ſic facile poterit excitare Apoplexiam; ſed irrationabilis omnino evadit hic timor, ubi de moderato coitu, & non excedente vires ipſius coëuntis loquamur, immo cum ſatis ſit ad ſatisfaciendum debito matrimoniali ut Vir illuſtriſſimus infra mediocritatem coitu utatur, tantum abeſt, ut inde aliquid mali ipſi evenire poſſit, ut potius non parvam utilitatem inde ſit conſecuturus. nam ex totali coitus demiſſione timere poteſt aliquid mali, cum ei ſit aſſuetus, & temperamento, ac habitu doteturi Veneris uſui maximè apto.

CONSILIUM LXXI.

At Titulum de Peſte, & Contagio, & Tit. de Error. Medicorum.

ARGUMENTUM.

Vigente peſte hic in Urbe anno præterito 1656. & copia infirmorum mirum in modum adaucta, neceſſe fuit quædam loca illis aſſignare, ut ab aliis non infectis perſonis ſequeſtrarentur. ac ſeorſim, ne alios inficerent, manerent; cumque ageretur de conſtituendo Medico, qui illis inſerviret, viſum eſt ſacræ Congregationi ſanitatis, idoneum aliquem eligere, pretio ultro oblato, qui id muneris exequeretur; res ſorti demandata eſt; unde coactus eſt, qui ſorte electus eſſet infirmis contagio detentis inſervire, etiam cohabitando in eodem loco. Hac occaſione quæſitum eſt, an, & quando Medicus cogi poſſit ad medendum, & quid in tempore peſtilenti? pro veritate igitur, ſequenti diſcurſu Illuſtriſſimi Viri petitioni ſatisfeci.

SUMMARIUM.

1 *Medendi officium eſt munus publicum, quod quilibet etiam invitus exercere tenetur.*
Dic num. 35.
2 *Medicus tenetur mederi agroto in periculo exiſtenti, alias ſi moriatur, tenetur de homicidio.*
3 *Medicus tenetur lege præcepti etiam invitus mederi.*
Dic ut num. 36.
4 *Peſte infectus dicitur poſitus in articulo mortis.*
5 *Poſitus in articulo mortis quando quis dicatur.*
6 *Interficere videtur Medicus, qui, cum poteſt agrum ſanare, renuit illi mederi.*
7 *Medicus tenetur mederi etiam nolentibus, & invitis.*
Amplia, etiam ingratis, num. ſeq.
Dic ut num. 39.
9 *Medicus gaudet multis privilegiis, ut publica ſalutis curam gerat.*
10 *Artis liberæ libera opera eſſe debent.*
11 *Medicus recipit mercedem pro honorario.*
12 *Medicus non poteſt compelli ad ea, ad quæ per propriam Artem non obligatur.*
13 *Peſtis eſt morbus incurabilis, & divinitus immiſſus.*
Dic ut num. 44.
14 *Medicus contra ſua Artis dogmata Medicinam exercens, graviter errat.*
15 *Medicus non tenetur deſperatis mederi.*
16 *Jureconſultus non poteſt cogi ad ſumendum patrocinium cauſæ deſperatæ, idemque dicendum de Medico quoad morbum deſperatum.*
17 *Medicus ſuſcipiens curam morbi deſperati, nemini facit injuriam. & num.* 44.
18 *Nullus tenetur in periculo propria, aliena ſaluti proſpicere.*
Dic ut num. 42. & 45.
19 *Primum Charitatis opus eſt propriæ ſalutis curam gerere.*
20 *Accedens ad locum peſte infectum dicitur tentare Deum.*
21 *Medicus à publico non conductus non poteſt quandocunque cogi ad medendum.*
Dic ut num. 46. & 47.
22 *Medicus à publico conductus non tenetur ad caſus inſolitos.*
23 *Non tenetur Medicus, exiſtentibus in loco aliis Medicis, infirmis mederi.*
24 *Medicus non tenetur mederi pauperi, ſi alii adſint Medici, qui idem facere poſſint.*
25 *Medicus cogi poteſt quandocunque ad medendum, ubi non ſit alius Medicus, qui opem ferat.*
26 *Peſtis tempore Medicus etiam non conductus, non exiſtentibus aliis, poteſt cogi ad medendum.*
Contrarium etiam in conducto.
Dic ut num. ſeq.
28 *Tempore peſtilenti, ubi plures Medici in loco exiſtunt, quorum nullus mederi velit, unus, aut plures cogi poſſunt ad medendum, prout ſors tulerit.*
29 *Pluribus vulnerantibus hominem, illoque decedente, nullius eorum condemnantur in pœnam homicidii, ſed in extraordinariam.*
Declara ut num. ſeq.
31 *In Peſte ſine contagio poteſt quilibet Medicus cogi ad medendum, non exiſtentibus aliis.*
32 *Medicus licet aliquando cogi poſſit ad medendum peſte infectis, non poteſt unquam cogi ad cohabitandum in loco infecto.*
33 *Medicus tempore Peſtis poteſt ſervire per ſubſtitutum.*
34 *Medicus non poteſt cogi ad medendum abſque ſalario, quod in peſte debet eſſe maius conſueto.*
35 *Munera publica ſunt in duplici differentia.*
37 *Salus publica privata ſaluti anteponenda.*
38 *Medicus quando ſit reus mortis agrotantis, ſi illi ſuccurrere neglexerit.*
39 *Medicus non tenetur mederi nolentibus, & invitis, niſi eſſent dementes.*
40 *Medicus quando, & quatenus teneatur mederi ob privilegia, quibus gaudet.*
41 *Nihil demit de libertate Artis coactio Artificis ad Artem exercendam, neceſſitate publica ſalutis urgente.*
42 *Publica ſalutis intereſſe præponderat cuicunque exceptioni contrarium.*
43 *Medicus quando poſſit licite curationem ſuſcipere morborum incurabilium.*
48 *Quæ habent locum in Medico Phyſico, habent etiam locum in aliis, qui veniunt nomine Medici, & in quibuſcunque eius miniſtris.*
49 *Medici non per violentiam, & per minas cogi debent ad medendum, ſed blande alliciendi, mercede ſufficiente oblata.*
50 *Ad Medicos exhortatio.*

QUamplurima ſunt, quæ adduci poſſunt ad demonſtrandum, Medicum teneri, ac cogi poſſe ad medendum; ſed & quamplurima ſunt, quæ contrarium perſuadere poſſunt; videndum ergo ſeparatim quæ pro negativa, quæ pro affirmativa ſententia facere videntur, ut dehinc ſingulis objectis ad trutinam revocatis, rei veritatem aſſequamur.

Pro parte igitur affirmativa dicitur primo, Medicum teneri, ac cogi poſſe ad medendum, quia medendi officium 1
eſt munus publicum, quod quilibet etiam invitus ſubire tenetur, ut in hoc ipſo propoſito dicit Ripa *in tract. de Peſte, p.* 2. *partic. ultim. n.* 90 Caroccius *de loc. & cond. part.* 3. *quæſt.* 8. *n.* 16. & *ſeq. ad interpr. l. Ne cui, C. loc.* Poteſt igitur Medicus compelli per Iudicem ad operas ſuas præſtandas. Ad quid enim inquam, munera publica certis perſonis demandantur, niſi ut ea publico intereſſe urgente exerceant? Incaſſum ergo

deſt na

deſtinarentur certæ perſonæ ad hoc peculiare habiles, & ad publica munera, niſi quandocunque ſaltem neceſſitas requirit ea exercere etiam inviti tenerentur: nam niſi cogi poſſint, non viderentur ſufficienter provisum publico intereſſe.

2 Secundò, Medicus tenetur mederi cuicunque perſonæ in periculo ex morbo aliquo exiſtenti, in tantum quod ſi negligat, ac nolit curare, & ille decedat, teneatur ac ſi ipſum occidiſſet: idem Ripa *ibid. num.* 78. nam ut Seneca dicebat, ex quo Joan. Bapt. Codronch. *de Chriſt. med. pat. lib.* 1. *cap.* 33. qui ſuccurrere perituro poteſt, cum non ſuccurrit, occidit.

3 Immo non ſolum tenetur Medicus mederi infirmo in periculo exiſtenti, ſed indifferenter, ac ſimpliciter lege præcepti tenetur etiam invitus mederi, alias mortaliter peccat. ita Ripa *loco citato num.* 88. Quod maximè procedit, ubi alius Medicus non ſit, cujus opera infirmis ſubveniri poſſit: tunc enim nulla Lex, nulla ingratitudo, aut quævis alia cauſa à peccato mortali excuſat, ſi ægrotantes deſeruerit, ut teſtatur ex Medicis Joan. Baptiſt. Silvatic. *in ſuo Med. cap penult.* unde ſtante hac rei veritate, poterit etiam Medicus per Epiſcopum compelli ad medendum, ut à peccando deſiſtat ut addit Ripa *ubi proximè*. Ergo ſi Medicus ita tenetur mederi ut cogi quàdocunque poſſit ad medendum, multo magis cogi poterit, quando infirmi in manifeſto vitæ periculo ſunt poſiti; ac

5 quando nam in majori vitæ periculo infirmi verſantur, quam cum peſte detinentur? certum namque eſt hoc periculum hujuſmodi eſſe, ut ſumma cum ratione peſte infectus dicatur poſitus in articulo mortis: Ripa *ubi infrà. num.* 46. Pariſ. *de Reſign. Benefic. lib.* 12. *quæſt.* 6. *num.* 13. & jure optimo, quia in articulo mortis poſitus dicitur, quis, quando in proximo ac manifeſto mortis periculo poſitus eſt. Ripa *in tract. de Peſt. part.* 2. *part.* 3. *n.* 47 Navarr. *in* 2. *part. Decretal. cap.* 26. *num.* 31. Barboſa *de offi. & poteſtat. Epiſcop. alleg.* 25. *n.* 12. *part.* 2. qui autem peſte detinetur, in tam manifeſto mortis periculo poſitus eſt, ut vix ſperare poſſit ab eo evadere quippe cum ex peſtis violentia vix unus inter decem, imo inter multo plures ſalvari ſoleat, quia peſtis nulli parcit, ut aliàs dixi. *lib.* 3. *Quæſt. Medico-Legal. tit.* 3. *quæſt.* 2 *num.* 15 *& ſeqq.* Rodericus à Caſtro *libro* 3. *Medic. Polit. cap.* 18. quod etiam ita eſſe teſtantur quotquot Jureconſulti, ac Medici aliique Profeſſores de Peſte, verba facientes, nam hic characteriſmus eſt ipſius Peſtis per quem à ſimplici Epidemia diſtinguitur, ut quamplurimos perimat: Galen. *lib.* 3 *in tertium Epid. cap.* 20.

6 Tertiò videtur data opera interficere, qui cum poteſt ſanare non vult, ut dicit ex authoritate 1. *Regum.* Rodericus à Caſtro, *loco citato, cap.* 15. Codronch. *de Chriſt med. pat. lib.* 1. *cap.* 34. Immo cum ex lege Charitatis omnis particularis perſona teneatur alium defendere, ſi in periculo eſt, ne ab aliquo occidatur, aliter mortaliter peccat; ita Alphonſ. Vivald. *in Candel. Aur. part.* 13. *tract. de irregul. § 6. de Homicid. n.* 5 multo magis tenebitur Medicus mederi infirmo maximè in manifeſto vitæ periculo exiſtenti, ut quando peſte detinetur. A fortiori etiam id probatur, quia etiam hoſtibus mederi, & auxilium porrigere Medici tenentur opem implorantibus, necnon & Barbaris, & quibuſcunque hominibus etiam ab humanitate, & Religione omni alieniſſimis, ut idem Roderic. à Caſtro *loco citato* addit; quanto magis tenebimur mederi conjugibus, ac fratribus noſtris in extremo periculo mortis poſitis, ne ex peſte mortem obeant? quod ſi id recuſamus, jure contra nos impietatis nota nos laceſſentes, quilibet inſurgere poterunt, ac non ſine ratione firmare, nos illos data opera interfeciſſe, unde homicidii rei efficiemur, ut ſuperius dicebatur.

Sed vide quorſum evadit lex charitatis, ut extendatur etiam ad ſubveniendum ipſis Brutis: nam *Deuteronomii cap.* 22. *verſ.* 4. præcipitur filiis Iſraël ſubvenire Aſino, aut Bovi, qui ceciderit, ibi, *Si videris Aſinum fratris tui, aut Bovem eccidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſublevabis cum eo:* quanto magis ergo Charitatis eadem lex nos obſtringet ad ſubveniendum proximo, qui non caſu, aut aliter perieliratur, ſed certa mortis inevitabilis ruina, niſi cito ſuccurratur, premitur?

7 Quartò Medicus tam arcto obligationis vinculo obſtringitur ad medendum, ut non ſolum volentibus, & auxilium expoſcentibus, ſed etiam invitis, ac recuſantibus, opem ferre ac mederi teneatur. Abb. *in cap. ad aures de atat. & qualit. num.* 7. Ripa *de Peſte part. ult. partic.* 2. *num.* 103. Navarr. *in Manual. cap.* 25. *n.* 64. & alii ex Canoniſtis apud Codronch. *ex Medicis loc. cit.*

8 Nec ſolum tenetur mederi iis, qui mercedem ſolvunt, ſed etiam ingratis, & ſolvere renuentibus, quod etiam ipſa Ars illis injungit. Hippocrat. *libr. de Præcept. num.* 4. *Nam multo melius*, inquit, *eſt à morbo convaleſcenti exprobrare, quam calumnioſè affectos deſerere.* Majore ergo obligatione adſtrictus cenſendus eſt ad medendum ægris contra inſtantem mortem ab ipſo opem implorantibus.

Ex quibus profecto nullo modo effugere poſſe videtur Medicus, quin ex ſumma juſtitia cogi debeat languentibus mederi, & maximè in evidenti periculo poſitis, ut peſte laborantibus, qui multo majore neceſſitate premuntur ac tanta, quod, niſi ſubito illis ſuccurratur, de illis acta res ſit.

Ac denique Medici Doctoratus lauream conſequendo, non 9
aliam ob cauſam multis privilegiis decorantur, niſi ut publicæ ſalutis curam gerant, *l.* 1. *§.* 1. *de variar. & extr. cognit.* Immo teſte Galen. *lib.* 1. *de Decret. Hippocr. & Plat. cap.* 5. *in princip.* hoc illud eſt, propter quod multi ad exercendam medicinam invitantur, nempè ob ſibi conceſſam à Legibus immunitatem ac Reipublicæ vacationem. Ad quod etiam habetur lex à Juliano Imperatore lata, quæ extat inter ejus opera poſt *Epiſt.* 25. *edit. Pariſ.* cujus verba hæc ſunt: *Artem Medicam Hominibus ſalutarem eſſe, uſus ipſe demonſtrat, quare eam à cœlo delapſam non immerito Philoſophi pradicant; etenim Natura noſtra infirmitas, & valetudinis offenſiones, quæ quotidie incidunt, per hanc corriguntur: quamobrem ſicut æquitatis ratio poſtulat; nos ſuper eorum Regum auctoritatem; & vocem ſecuti, pro noſtra humanitate jubemus, vos Senatoribus muneribus liberos in poſterum vivere.* Ergo etiam ob hanc ipſam cauſam teneri videntur Medici vel nolentes ægrotis mederi. Unde cum ex cauſa propriæ utilitatis ſeſe ad id obligaverint, nullo modo, ac nulla excuſatione ab ea obligatione ſeſe eximere poſſunt; ſed omnino cogendi, maxime in ſumma rerum neceſſitate, ut ſæviente peſte, ægrotis medendo opem ferant; præterquam quod medentes tempore peſtis, aliis privilegiis, & immunitatibus ditantur, & mercedes quoque illis augentur, & jure, quia propriam vitam manifeſto periculo exponunt, multo plus ergo meretur opera Medici medentis tempore peſtis iis, qui peſte infecti ſunt, quam ſi medeatur aliis infirmis: Corneus *conſil.* 347. *num.* 6. *in fin. vol.* 1. Videntur autem Medici uno, eodemque paſſu cum militibus procedere; nam & hi multis privilegiis gaudent, ſed tenentur ſemper etiam inviti militare, niſi dimiſſionem impetraverint: Similiter ergo dicendum de Medicis poſtquam Doctoratus lauream ſunt aſſecuti, & privilegiis ſibi conceſſis frui volunt.

Alia tamen ex parte non deſunt totidem rationes, nec minoris ponderis contrarium perſuadentes, nempè Medicum non poſſe cogi ad medendum. Et primo, Ars Medica eſt Ars 10
libera, & Artis liberæ opera, etiam libera eſſe debent: Hippoc. *in Epiſtol. ad Abderit.* & quamquam Medicus recipiendo mercedem, Artem ſervire cogit ut Hippocrat. *ibidem* addebat; tamen id tunc tantum modo habet locum, cum Medicus ratione mercedis id, quod ipſi offertur, recipit, illudque tanquam quid ſibi debetur, moroſe, ac per vim exigere 11
ſtudet; non vero quando aliquid recipit honorarii loco, & in grati animi ſignum; nam tunc ſi quid datur, recipit, & niſi detur, non poſtulat, ita enim ex Artis præceptis facere tenetur. Itaque cum Medicus nullo modo ſe obligaverit alicui 12
medendo inſervire, non poteſt ad hoc alia ex cauſa cogi, quod ſi ſimpliciter loquendo non tenetur mederi, multo minus tenebitur tempore peſtis.

Secundo, deveniendo ad particulare punctum circa peſtem Medicus non poteſt compelli ad ea, ad quæ ex ſua Arte 13
non tenetur; ſed ex ſua Arte non tenetur Medicus, nec debet curam morborum incurabilium ſuſcipere, ut ex Hippocratis præcepto omniumque Medicorum conſenſu refert Rodericus à Caſtro *in Medic. Polit. lib.* 3. *cap.* 18. Modo, peſtis eſt morbus incurabilis, ut probat idem Rodericus *ibid.* quia Peſtis morbus eſt divinitus immiſſus ut omnes de Peſte verba faciens fatentur, & ideireo dicitur, Bellum Dei cum Hominibus, cui nequeunt humanæ vires reſiſtere; Ripa *de Peſt. part.* 1. *num.* ... neque enim tales morbi humana Arte, vel naturalibus remediis curari poſſunt, ergo neque poteſt, neque debet Medicus compelli ab medendum peſte infectis; immo ipſe ex ſe abſtinere debet ab eorum curatione, ſi ſecundum ſuæ Artis dictamen operari velit, alias contra Artis præcepta faceret, quæ prohibet eorum, qui à morbo victi ſunt, curam ſuſcipere. Medicus autem contra ſuæ Artis dogmata Medicinam faciens graviter errat, ut probavi aliàs *lib* 6 *hac. quæſt. tit.* 1. *quæſt.* 7. *n.* 1. 14

Sed neque deſperatis tenetur Medicus auxilium ferre, ex 15
præcepto Hippocrat. *in lib. de Arte, num.* 4 & Celſ. *lib.* 5. *ſua Med. cap.* 26. ex ipſorum auctoritate Zacutus Luſitan. *in introit. ad praxim. Præcept.* 16. & ipſi Jureconſulti in hoc 16
conveniunt dicentes, quod quemadmodum Juriſta non poteſt compelli ad ſumendum patrocinium cauſæ deſperatæ, ſic neque Medicus poteſt compelli ad medendum deſperatis, ita Rip. *de Peſte, part.* 2. *partic. ult. num.* 92. & licet contrarium dicat verius *ibid.* & ratione ductus, quod Medicus ſuſcipiens 17

curationem morbi deſperati, nemini fiet injuriam, ut facit Advocatus ſuſcipiens patrocinium cauſæ deſperatæ; tamen certum eſt, inaniter Medicum eis, qui à morbo deſperati ſunt, opem ferre, cum non ſint remediorum capaces; ac ſatis ſuperque injuriam publico intereſſe facit Medicus medendo iis, qui iam deſperati ſunt, dum in cauſa eſt, ut Ars in poſterum in libris habeatur, & remedia infamentur in præjudicium aliorum ægrotantium, qui deſperati non ſunt, nam ii poſſent ab iiſdem remediis, incaſſum illis adhibitis, juvari, quæ tamen adnotantes fruſtratoria fuiſſe, abhorreant. Ergo cum ii, qui Peſte laborant, à morbi ferocitate, & ſumma malitia deſperati ſint, Medicus non debet cogi ad opem illis ſe tendam, ex prædictis.

3 Tertiò nullus tenetur cum proprio, & præſentaneo, ac certo vitæ periculo alterius ſaluti proſpicere quia unuſquiſque ex charitate proprii corporis magis eſt ſibi obligatus
19 ad tuendam propriam ſalutem, quam alienam; & licet etiam alienæ ſaluti proſpicere ſit opus charitatis, majus tamen opus videtur proſpicere ſaluti propriæ; at Medicus curando peſte infectos propriam ſalutem manifeſto, ac præſentaneo vitæ diſcrimini exponit; experientia enim quotidiana videmus, pleroſque Medicorum, qui lucro inhiantes peſtifero morbo affectos curandos ſuſcipiunt, facili negotio perire; ac ſatis ſuperque id experti ſumus in peſtilentia anni præteriti, in quo plures Medici infirmorum curæ deſtinati, vitam cum morte commutarunt. Itaque ſi accedens tantum ad locum peſtilentem quis dicitur tentare Deum, ut ex Ripa, Maſcardo &
20 aliis dixi *lib. 3. titul. 3. quæſtione 1. numero. 8.* ex eo quod facillime, imo certo, & abſque dubio ad talem locum accedens mortis periculo ſe exponit, quanto magis tentare Deum dicemus, & certo mortis periculo ſe exponere Medicum qui ad ægrotos peſte infectos curandos tangendos, obſervandos; eorumque expirationi recipiendæ ſe committit; non tenetur igitur Medicus ob propriæ ſalutis zelum peſte infectis mederi, unde neque poteſt ad hoc ab aliqua perſona cogi.

1 Denique ſi Medicus à publico non conductus nunquam poteſt cogi ad medendum. Cattar. *de Med. part. 1. numer. 91.* multo minus cogi poterit tempore Peſtis, cum id fieri non poſſit abſque manifeſto, & evidenti propriæ ſalutis periculo, ut dictum eſt; immo ſi Medicus etiam à publico conductus,
22 non tenetur ad caſus inſolitos, nec obligatur ad medendum tempore peſtilenti, ut ex Corneo dicit idem Cattar. *loco cit. part. 3. num. 60* quanto minus obſtringi debet Medicus non conductus eodem tempore Peſtis ad medendum?

Iam vero id habere veritatem facto ipſo, ac duplici exemplo, & utroque quidem inſigni demonſtrari poteſt: Primum eſt Galeni, viri de Medicina optime meriti, qui graſſante in Urbe ſæviſſima peſte, in patriam ſe recepit, ne peſte infectis mederetur, ut ipſe Narrat. *in lib. de libr. propr. cap 2.* Alterum, quod magis ad rem noſtram facit, eſt Hieronymi Fracaſtorii Medici nulli Medicorum poſtponendi, qui, referente Petro Sforcia Pallavicin. *lib 9. Hiſtor. Concil. cap 13. part. 1.* ob ſui nominis celebritatem à Concilii Patribus in Medicum electus, ac Tridenti, ubi Concilium coadunatum erat, peſte graſſari incipiente, diſcedendi veniam impetravit, aſſerens, ſe non teneri, licet eſſet conductus ad medendum, vigente Peſte.

Cæterum pro rei veritate eruenda, cujus amore non minus, quam favore Medicorum motus hanc provinciam ſuſcepi, eo fine, ut eam pro viribus tueri conet, nonnulla ſunt
23 mihi præmittenda. Et primo præmittendum, Medicum nunquam, & in nullo caſu, ſimpliciter loquendo, cogi poſſe ad medendum; Ratio eſt, quia aſſumendo Doctoratus inſignia, in jurejurando, quod præſtat, nulla obligatione ſe obſtringit ad medendum; nam obligatio emanans ad medendum pauperibus gratis, & ad hortandum ægrotos ad Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum, non obſtringit illum ad medendum; ſed ad gratis medendum pauperibus, quandocunque iis medebitur; ſicut & ad hortandum ægrotos ad Sacramentalem Confeſſionem ſe obligat, quandocunque ægrotis medebitur; itaque ſimpliciter loquendo, nulla obligatione ſe obſtringit ad medendum.

24 Secundo idem iuidere poteſt ratio deſumpta à ſimili, Medicus non tenetur ſimpliciter mederi pauperi, ſed tunc ſolum, cum alius Medicus non ſit, qui mederi poſſit, Navarr. *in Manual. cap. 25. num. 64.* ex Medicis Codronch. *de Chriſt. med. rat lib. 1. cap. 35* ſi ergo, exiſtentibus aliis Medicis, non tenetur Medicus ad medendum pauperi, qui in majori neceſſitate poſitus eſt, quam cæteri ejuſdem loci habitatores, multo minus tenebitur mederi, ubi alii exiſtant Medici; unde neque per Iudicem: & multo minus per Epiſcopum cogi poterit ad medendum. & ſic in practica obſervari cenſendum, neque enim ſcio, nec unquam audivi, Medicum coactum fuiſſe etiam invitum ab alterutro eorum ad medendum.

Tertio præmittendum; Medicum, ubi non ſupperat copia aliorum Medicorum, teneri, ac cogi poſſe ad medendum 25
Quod non ſolum verum eſſe judico, ſi de ægrotis gravi morbo laborantibus verba fiant, ſed etiamſi de ægrotis loquamur non graviter laborantibus: Et in primo caſu res plana eſt, per ea, quæ adducta ſunt ſuperius *num. 3. & ſeqq.* In ſecundo vero caſu diſtinguendum inam vel ægritudo, licet de præſenti levis ſit, poteſt ita augeri, ut hominem vitæ periculo exponat. idque rationabiliter timeri poteſt ex eo, quia tales morbi ex ſui natura ſolent ita protedere; & tunc dico, Medicum teneri, & cogendum eſſe ad medendum; cum tantundem ſit non ſuccurrere ei, qui in proximo mortis periculo poſitus eſt, & non ſuccurrere ei, qui licet non in proximo periculo, ſit tamen de proximo eidem periculo rationabiliter ſubiacere poteſt; immo cum facilius ſit ægrum à periculo præſervare, dum extra periculum eſt, quam eum à periculo eximere, cum in illo verſatur, Medicus magis fortè errabit negligendo primum, quam ſecundum: & multo prudentius facit qui periculum præcavet, antequam in illud incidat, quam ſi ſe à periculo vindicat, cum illud præcavere poſſet; nam qui amat periculum, peribit in illo. Ergo ſi, exempli gratia, levi ſquinantia detentum, facili, ac prompta ſanguinis miſſione curare potes, illum curare renuas, faucium apoſtema ita adaugeri poterit, ut nullo poſtmodum præſidio adjuvari poſſit, & ægrum ſuffocet, & ſi ſimplici Tertiana, maximè Autumnali, laboranteam curare neglexeris, poterit ex intermittenti duplex fieri, & ex duplici continua & maligna; & ubi in principio non difficulter illum ſanare poteras, mortis periculo expoſitum videbis, tandemque etiam morte crepitum. At ubi ægritudo tuta, ac levis eſt, Medicus non tenebitur, cum abſit omne ſalutis ipſius Ægrotantis periculum.

Præmittendum quarto in caſibus inſuetis, ut in Peſte. Medicum, non exiſtentibus aliis Medicis, qui infirmis opitulentur, etiamſi non ſit à publico conductus, poſſe cogi ad meden- 26
dum, quia cum ponatur in periculo publica ſalus, renuente Medico, qui ſubvenire poteſt, ægrotantes curare, fiet reus mortis eorum omnium, qui incurati pereunt, per ea quæ ſuperius adducta ſunt *n. 5 & ſeqq.*

Nec quicquam valet ex mea ſententia, id quod Cattar. *de Medic. art. 3. num. 60.* dicebat, non teneri nimirum Medi- 27
cum conductum, neque obſtringi poſſe ad medendum peſte laborantibus, quia non tenetur ad caſus inſolitos: quod aliis quoque perſuaſum video, quoniam Medicus cum conducitur, nec excipit (ut facere teneretur) caſus inſolitos, nec tacite excipere illum cenſendum; nec in litteris patentibus, quæ conſueverunt Medicis à publico conductis expediri; idipſum unquam exceptum reperitur; & tamen, ubi hæc exceptio ſuum effectum ſortiri debeat, debuiſſet aliqua ejus mentio alicubi fieri: quod cum nullo modo fiat, talis exceptio nihil Medico conducto ſuffragari debet; niſi huic difficultati conſuetudinem opponamus.

Difficultatem tamen augere poteſt, quod ubi locum habere deberet hæc exceptio de caſibus inſolitis, neceſſe eſſet exprimere quinam ſint, & qui intelligi debeant caſus inſoliti, non enim ſola Peſtis eſt caſus inſolitus, ſed dantur etiam alii morbi, qui non minus, quam ipſa Peſtis, inſoliti ſunt; ut exempli gratia eſſet Lepra, & maxime Elephantiaſis, Scorbutus, Cancri, Aneviſmata, & alii morbi ſimpliciter Epidemici, quorum nonnulli tam inſoliti ſunt, quam ipſa Peſtis. Sed quia hujuſmodi morbi populares non ſunt, nec multos, ſed perpaucos infeſtant, ceſſat in hoc omnis difficultas. Putaverim igitur Medicum conductum, niſi cum conducitur, excipiat caſus inſolitos, ac ſignanter Peſtem, teneri ad omnes caſus.

Illud tamen veritatem habere crediderim, & maximè æquitatem reſpicere, quod non teneatur pro conſueto ſalario, ut ex Iureconſultorum opinione dictum eſt, quod non ſolum in Medico etiam conducto, ſed in quibuſcunque aliis Miniſtris locum habere debet.

Præmittendum quoque, quod ubi plures Medici in loco 28
exiſtant, vigente Peſte, nec eorum ullus velit, quantavis mercede oblata, peſte infectos curare, debeat res ſorti demandari, & ille, in quem ſors ceciderit, compelli poſſit ad medendum; nam alias ægris abſque præſidio ſuccumbentibus, omnes Medici fierent rei mortis pereuntium. Contra quod tamen opponi hic poſſe videtur, dicendo, quod quemadmo- 29
dum ubi plures hominem vulneraverint atque occiderint, nullus eorum damnatur in pœnam ordinariam, ſed in extraordinariam, quia nullus eorum eſt Reus homicidii, ut in caſibus, de quibus Iulius Clarus §. *Homicid. numer. 3. libr. 5. ſentent.* ita dicendum quoque ſit de Medicis recuſantibus concorditer mederi peſte infectis, quod nullus eorum teneatur de morte ægrotantium; tamen dicendum eſt, diſparem eſſe rationem, quia non ſemper, & in omni caſu verificatur

illa

30 illa concluſio de pluribus vulnerantibus, & occidentibus aliquem, ſed in caſu tantum, ubi non conſtet, quis vulnerantium illum occiderit, unde quia non omnes ſunt in pari culpa, ne minus nocentes damnentur, omnes in pœnam extraordinariam damnantur; ſed in noſtro caſu omnes ſunt in parti culpa, & omnes pariter nocentes, unde omnes eadem pœna multandi, ac tanquam homicidæ puniendi; qui cum poſſent tenuerunt homines in extremo periculo vitæ poſitos ope medica redimere.

Neque ſuffragari illis debet, quod etiam curati per ipſos fuiſſent ægrotantes, tamen ob morbi ſummam violentiam, & malitiam periiſſent: quia non neceſſe eſt, neque ſemper accidit, ut omnes peſte affecti pereant, quantumvis ſæva, & maligna illa ſit, ſatiſque eſt ad Medicos tenuentes mederi culpâ irretiendos, ſi minima pars ægrotum, ubi curati fuiſſent, ſalvari potuiſſet.

31 Sextò præmittendum, quod ſi caſus detur, ut Peſtis vigeat ſine contagio (ut fieri poſſe jam probavi *libro tertio harum quæſt. tit.* 13. *quæſt. num.* 11. *& ſeqq.*) quemcunque Medicum poſſe cogi ad medendum, etiamſi non ſit à publico conductus, dummodo alii Medici in loco non ſint, qui medeantur, ut teneri dixi in aliis quibuſcunque morbis, nulla differentia obſervata inter unum, & alium caſum: ſi enim alicujus reiſpectu poſſet excuſari Medicus renuens mederi contagioſa peſte detentis, ea eſſet præſentaneum periculum contrahendi per contagium eandem peſtem, & de vita periclitandi, at hic reſpectus ceſſat in Peſte non contagioſa; itaque in iiſdem caſibus, in quibus poteſt Medicus cogi ad medendum in aliis morbis, poterit etiam cogi ad medendum in caſu peſtilentiæ non contagioſæ.

32 Præmittendum ſeptimò, quod licet poſſit Medicus cogi ad medendum in prædictis caſibus, etiam peſte infectis, nunquam cogi debet ad cohabitandum in loco, ubi tales ægrotantes detinentur: nam ſatis ſuperque gravari Medici videntur, ac plenisſime ſuo debito ſatisfacere, ſi ipſos ægrotantes bis, aut ſaltem ſemel in die viſitaverint, neque ulla lex, vel ulla ratio obligat illos ad excedendum in hoc caſu ſuum conſuetum viſitandi morem; unde perperam factum judicandum; nec ſolum cum ipſorum Medicorum exitio, ſed etiam cum damno manifeſto ipſius publicæ utilitatis, cogere Medicos ad cohabitandum in ipſo eodem loco, in quo Peſte infecti detinentur, promptiſſime enim & ipſi inficiuntur, ac pereunt, ita ut alii Medici omnino tenuerent inſervire; & qui præſunt, in dies cogerentur novos Medicos ſubſtituere, qui inſervirent: unde durante Peſte per longum tempus, facile futurum ſit, ut omnes ſuccumberent. Magis ergo ſecundum æquitatem, & humanitatem, immò & ſecundum juſtitiam eſt, permittere Medicis, ut poſt quotidianam ægrotantium viſitationem, ſibi proſpiciant, in domum, & locum minime infectum ſe conferentes, ſeorſim tamen habitando à ſanis, & non ſuſpectis perſonis ſejuncti, interimque omni ingenio ſe contra contagii violentiam muniant, ut tanto melius, ac libentius, abſque timore infectis inſervire valeant; alias, ut recens experientia commonſtravit, cohabitando in loco infecto, facillime inficiuntur, ac deficientes majorem provinciam exhibent iis, qui de Medicis providere debent, interimque ipſi Medici cohabitare ibidem coacti, innocentes morti deſtinantur.

33 Octavo præmittendum, Medicum tempore Peſtis poſſe ſervire per ſubſtitutum, quandocunque cogatur ſervire, abſque eo quod eſſet conductus, nam ubi eſſet conductus ad hoc ſpecialiter, nempe ad medendum Peſte infectis, teneretur ipſe per ſe ſervire, quia conducta cenſetur ipſiuſmet perſonæ induſtria, cui nunquam cenſetur æquiparari induſtria ſubſtituti. Sed quando Medicus non eſt ad hoc ſpecialiter conductus, non obſtringitur ſervire perſe, ſed admitti poteſt, ut ſerviat per ſubſtitutum; quia ſi Medicus non tenetur mederi etiam in caſu neceſſitatis, ubi alii Medici exiſtant, qui idem facere poſſint, multo magis videtur ſolutus ab obligatione ſerviendi ex propria perſona, dummodo ſerviat per ſubſtitutum, cui ipſe de mercede ſatisfaciat, & ſic obſervatum videmus de præſenti hic in Urbe, & alibi in hujuſmodi caſibus Peſtilentiæ.

34 Præmittendum nonò, Medicum nunquam poſſe cogi ad medendum ſine debito ſalario, & decenti mercede, niſi in caſu paupertatis, & ubi non ſit, qui pro paupere mercedem ſolvat, ut ex Navarra ſuperius dictum eſt. Quæ concluſio amplianda, ut nullus Medicus etiam conductus, cogi poſſit ad medendum tempore peſtis pro conſueto, & conventa ſalario, nam debet decenter augeri, ut ſuprà ex Corneo dicebam.

35 Atque ex his patere poteſt, quid reſpondendum ſit oppoſitionibus utrinque: & primo ad id, quod pro parte affirmante dicebatur, Medicum teneri, ac cogi poſſe ad medendum, quia medendi officium eſt munus publicum, quod quilibet etiam invitus ſubire tenetur, reſpondendum; Munera publica eſſe in duplici differentia, nam aliqua habent adnexam obligationem exercendi munera perſonæ commiſſa, ut exemplificare licet, in Epiſcopo, in Parocho, in Milite, & aliis, nec non in Medico à publico conducto: alia vero non habent eam obligationem annexam, ad ea acta exercenda, ſed conferunt tantum dignitatem, & habilitatem exercendi, cuicunque perſonæ libuerit aut quandocunque occaſio, aut neceſſitas ei ſe obtulerit. In priori ergo caſu, ut in Epiſcopo in Parocho, in milite, in Medico à publico conducto, dicendum, poſſe cogi hominem ad munus exercendum, etiam invitum in poſteriori non poſſe cogi, niſi neceſſitate urgente; quæ neceſſitas emergit ex parte perſonarum, quæ indigeant opera alicujus muneris publici, & ex inopia alterius, idem munus in hominum utilitatem exercere poſſit, ut in eodem Parocho exemplificare iterum licet, qui non tenetur extra ſuam Parochiam Sacramenta miniſtrare, & tamen in caſu neceſſitatis, & in defectu, ſeu abſentia proprii Parochi, poſſet cogi extra ſuam Parochiam Parochi officio fungi; nam in caſu neceſſitatis non ſolum Parochus alienæ Parochiæ poſſet cogi ad id agendum, ſed etiam Clericus poteſt Sacramenta miniſtrare, ut vigente Peſte, quo tempore ſi poteſt quilibet Sacerdos audire confeſſionem, & abſolvere excommunicatum, quanto magis æquum ac ſecundum decentiam erit cogere poſſe Parochum ad eam functionem, licet ſit extra ſuam Parochiam? quod in fortioti caſu docet Ripa *in tract. de Peſte part.* 2. *partic.* 3. *num.* 46. Sed quis dixerit, Doctorem Jureconſultum poſſe cogi quandocunque ad ſumendum patrocinium alicujus cauſæ, ubi nulla neceſſitas, nec defectus alterius Doctoris eſſet, qui hujuſmodi patrocinium ſumeret? pari pacto ergo dicendum de Medico, qui licet accipiens Lauream Doctoratus, habeat munus publicum; non habet tamen annexam obligationem illud exercendi, niſi urgente neceſſitate publici intereſſe, ut de Jureconſulto quoque licet affirmare.

Eodemque modo dicendum, non teneri Medicum mederi cuicunque ægroto in periculo exiſtenti, ubi adſit copia aliorum medicorum, ſed teneri tantum, non exiſtente alio Medico, qui curam aſſumat; nam tunc veritatem habebit, teneri illum mederi lege præcepti, aliter mortaliter peccare, & tunc poterit per Epiſcopum compelli ad medendum, ut à peccando deſiſtat, quemadmodum dicebat Ripa, & cogi etiam poterit per Judicem, ut ille addebat, & in ſumma Medicus, qui ſolus in aliquo loco commoratur, obligatur ex lege Charitatis, & ex præcepto ad medendum cuicunque perſonæ in vitæ periculo exiſtenti, etiamſi peſte eſſet infecta. 36

Nec obſtat, quod major ſit obligatio emergens ex charitate proprii corporis; ob quam tenetur primo ſaluti ſuæ proſpicere, quam obligatio emergens ex charitate ſalutis ſui proximi, quia intereſſe publicæ ſalutis eſt omnino præferendum intereſſe ſalutis particularis, & ſic tempore Peſtis etiam cum præſentaneo periculo propriæ ſalutis videtur Medicus obligatus ad medendum infirmis peſte detentis, ubi alius non adſit qui illis in ea neceſſitate ſubvenire poſſit. 37

Neque alia reſponſione ſatisfaciendum tertiæ inſtantiæ pro parte affirmativa in medium allatæ; ſiquidem abſque dubio elici poteſt, quòd Medicus hominem occidat, qui non poteſt ab alio Medico curari, nec aliunde ſalvari, quam ab ipſo, & ejus ope; ſed quando Medicus ideirco negligit, aut etiam renuit infirmo, de vita periclitanti mederi, quia poteſt is ab alio Medico curari, & à mortis periculo vindicari, nullo modo adſtringi poteſt ad opem ferendam tali ægroto, ut exemplificavi in paupere, & firmavi ex Navarræ, & aliorum auctoritate. 38

Ad quartum porro argumentum pro parte affirmativa reſpondetur, non eſſe undequaque acceptam, ac veram concluſionem illam, quod medicus teneantur mederi etiam invitis, allatamque fuiſſe à Canoniſtis, & à Medicis ex abundanti, cùm beneficium non conferatur in invitum *l. Invito, Digeſtis, de reg. jur.* & per ſacram Scripturam monerentur petere, ut accipiamus; unde bene ex mea ſententia monet Rodericus à Caſtr. *lib.* 3. *Med. Polit cap.* 14. non eſſe accedendum Medico ad ægrotos, niſi rogarint. 39

At quomodo curabit Medicus ægrotum invitum? An non pro recta cura requiritur ſumma ipſius ægrotantis obedientia? An non hoc in primis movet ſummus Præceptor Hippoc. *lib.* 1. *Aphor.* qui autem invitus curatur, quanam ratione præſtabit ſe Medico obedientem; immo omnia præpoſtere, & contra ipſius Medici mandata faciet, & quicquid Medicus pro ipſius ſalute molietur, ille inobedientia deſtruet, ac irritum faciet. Ac profecto miratus ſum, quomodo Canoniſtæ tam ultro in hoc proceſſerint, ut facile commonſtrave-

rint, ſe non ſufficienter in Artis difficultate inſtructas, & in iis, quæ in curandis ægrotis ſumme neceſſaria exiſtunt. Mirandum tamen multo magis de nonnullis Medicis qui tam rigoroſæ opinioni adhærent, quod niſi eo fine, & ſtudio præſtiterint, ut pie, ut ex Chriſtiana charitate in hoc negotio procedendum determinent, certe nimis affectati rigoris eſſent inſimulandi, niſi infirmi dementes eſſent, & ob id Medici opem recuſarent.

40 Ad ultimum, pro affirmativa ſententia dicendum Medicum ob privilegia ſibi conceſſa, & immunitates, quibus gaudet, teneri quidem mederi concurrentibus conditionibus, de quibus ſumus locuti, ac ſatis ſuperque eſt ſi neceſſitate urgente, publicæ ſaluti inſiſtat, ejuſque curam ſuſcipiat, quæ neceſſitas tunc temporis, & non alias videtur urgere, cum non adſunt alii Medici, qui huic neceſſitati opitulentur, ſed in manu tantum ipſius eſt opem ferre. Dummodo igitur Medicus paratum ſe præbeat, urgente prædicta neceſſitate, ab ſubveniendum iis, qui in ea neceſſitate ſunt poſiti ſufficienter ſuo muneri ſatisfacit, & poteſt jure privilegiis, & immunitatibus ſibi provenientibus ex gradu Doctoratus libere gaudere.

Cæterum ad argumenta pro parte negativa reſponderi poteſt forte una, eademque diſtinctione, qua uſi ſumus in ſatisfaciendo argumentis pro parte affirmativa propoſitis.

41 Ad primum ergo dicendum, conveniensquidem eſſe, ut Artis liberæ libera etiam ſint opera, ſed neceſſitatem non habere Legem *cap. ſicut non alii de conſecrat. diſtinct.* 1. & ideirco nihil demere de Artis libertate, quæ ex neceſſitate fiunt, qua urgente cogi poſſunt etiam liberi Artifices ad operas ſuas præſtandas, abſque eo quod quicquam præjudicetur eorum libertati, quia ſi neceſſitas non habet Legem, ad uſum conſuetum non reſtringitur: *l. 1. ff. de off. Conſul.* cum ſa-

42 lutis publicæ intereſſe præponderet cuicunque exceptioni in contrarium adducendæ immo non ſolum publicæ ſalutis intereſſe, ſed etiam intereſſe ſalutis alicujus particularis eadem neceſſitate urgente; quia licet concedatur, Medicum nulla obligatione eſſe adſtrictum ad medendum, ſimpliciter loquendo: tamen ubi ſalus proximi periclitatur, obligatur ſaltem ex lege Charitatis ſubvenire, quæ multo magis obligat, quam quævis alia obligatio; & exceptio ab illa procedens, omnem contrarietatem dirimit.

43 Ad ſecundum dicendum, eam propoſitionem, quod nimirum Medicus non teneatur ſuſcipere curam morborum incurabilium, non eſſe ſimpliciter veram, quia nunquam ſunt deſerendi infirmi, etiam in ultima deſperatione poſiti dummodo Medicus prædicat talem morbum non eſſe curabilem, hoc enim pacto ſuſcipiendo curam hujuſmodi, morbi nulli facit injuriam, ſatiſque ipſa prædictione Artis præceptis ſatisfacit.

44 Neque obeſt, quod dici poteſt contra prædicta, nempè fruſtratoriam omnino eſſe Medici operam curando morbos incurabiles, & ideirco melius eſſe eos non curandos ſuſcipere: quia non eſt omnino fruſtratoria Medici opera in curandis hujuſmodi morbis, ſtante quod poſſit conveniente Diæta, & præſcriptione aliquorum remediorum lenium, curaque palliativa, ut aiunt, & aſſidua ægrotantis ſolatione morbum lenire, & quandoque etiam ipſam mortem in longum protrahere. Ac præter hæc, verum non eſt, Peſtem eſſe morbum inſurabilem, ſed tantum eſſe difficillimum, pernicioſum & exitialem; cum ex eo multo plures infirmorum ſuccumbant, quam ſalventur, cum tamen alia ex parte ro nulli ſalventur.

Neque item verum eſt, Peſtem ſemper eſſe morbum divinitus immiſſum, nam licet conſtet aliquando Peſtem à Deo fuiſſe immiſſam, ut non ſolum ſacræ, ſed etiam profanæ hiſtoriæ teſtantur, idque ob inexpiabilia hominum ſcelera interdum evenire; tamen utplurimum procedit curſu naturali, & à naturali cauſa originem habet, & licet, ut dictum eſt. ſecundum plurimum homines ob ſui ſummam malitiam perimat, naturalibus tamen remediis aliquando ſuperatur. Idemque dicendum eſt ad inſtantiam. quod Medicus non debeat ſuſcipere curam eorum, qui à morbo victi jam deſperati ſunt, ultra quod verum non eſt, Peſte detentos eſſe deſperatos, cum experiamur eorum nonnullos remediis convenientibus ſalvari, & ab inſtante morte vindicari.

Ad tertium dicendum, quod licet Medicus medendo Peſte infectis propriam ſalutem in periculo ponat, id non excuſat illum à medendo, quia hoc facere tenetur intuitu publicæ

45 ſalutis, cui ſalus particularis eſt poſtponenda, præterquam quod multis ingeniis Medicus ſibi proſpicere poteſt inter medendum, ita ut nullam ſanitatis noxam incurrat, quæ ingenia ſatis norunt Practici omnes Medici, & ſi ea in uſum protrahat debitis cautelis adhibitis, ſe ſui diligentia tueri poterit, & ipſa experientia conſtat, Medicos illos, qui prudenter ſe gerunt, temperantiam in victu ſervantes opportuniſque antidotis, caute tamen ſe, ac moderatè munientes, non modo ſeipſos, ſed & ægrotorum ſuorum aliquos ab imminenti Peſtis & mortis exitio liberaſſe. Contra verò, illos periclitari, qui intemperanter vixerint, aut nullis, aut pluribus, quam par eſſet, & importunis antidotis uſi fuerint abſque modo, & menſura illa ingurgitantes, incaute nimium ad ægrotos viſitandos accedentes, hos enim ſua culpa periiſſe patet.

Itaque, etiamſi negari non poſſit, quod mederi peſte infectis, ſit ſeipſum manifeſto vitæ diſcrimini expoſcere, tamen cum non ſit unde tale diſcrimen declinare poſſit, idque ob intereſſe publicæ ſalutis fieri contingat, Medicus cogi poteſt ad medendum, non exiſtente alio Medico, qui in ea re operam ſuam præſtare poſſit.

46 Ad ultimum reſpondendum, quod licet verum ſit, Medicum liberum non poſſe cogi ad medendum, tamen neceſſitas imponit etiam non obligato medendi obligationem; quæ neceſſitas emergit, ut dictum eſt imminenti vitæ periculo ipſorum ægrotantium, & ex abſentia, & inopia alterius Medici, qui opem ferre poſſit, quæ maximè vigent tempore peſtis.

47 Et ad exempla adducta de Galeno & Fracaſtorio deſerentibus civitatem peſte infectam, dicendum jure utrumque potuiſſe ſibi fuga proſpicere, quia tam Romæ, quam Tridenti non deerat copia aliorum Medicorum, qui peſte infectis mederentur, Fracaſtorium autem licet eſſet à Concilio conductus, potuit tamen recedere, cum non teneretur ad caſus peſtilentes ex communi Jureconſultorum ſententia; licet contrarium ipſe ſenſerim *ſupra num.* 28.

Unde ex his, ut multa in unum recolligam, dicendum, Medicum liberum, ac non conductum, non poſſe cogi ad medendum, niſi quando in eodem loco aut Civitate, in qua commoratur, nullus alius reperiatur, qui Ægrotis in periculo mortis poſitis, & maxime peſte laborantibus mederi poſſit; nam tunc, & eo caſu adeo veritatem hoc habet ut etiam, Medicus qui nunquam Medicinam exercuerit, ſed tantum Doctoratus lauream conſecutus fuerit, immo etiam Medicinæ ſtudiis incumbens, ut ſuo tempore illam exerceat, poſſit ad idem cogi, ob inopiam aliorum Medicorum, & ob intereſſe publicæ neceſſitatis.

Illud tamen controverti non debet, quod non poſſit cogi, niſi debito, ac convenienti honorario. ac mercede conſuetâ majori conſtitutâ: quod procedit non ſolum in Medico libero, ſed etiam in conducto.

48 Pro corollario autem addendum, quod hæc eadem locum multo magis habent in perſonis, quæ ſub nomine Medici etiam largo modo comprehenduntur, ut Chirurgi ſunt, Barbitonſores, Aromatarii, Septaſiarii, Obſtetrices, & id genus alii, hi namque omnes, ac ſinguli non ſecus ac veri Medici cogi poſſunt ad ſua opera præſtanda, neceſſitate urgente. Sed quid inquam, de Medicis tantum hæc determinantur? certum eſt unamquamque perſonam urgente neceſſitate publici intereſſe, teneri pro ſuo munere ad opera ſua præſtanda in publicam utilitatem.

49 Illud tamen non prætereundum, non deberi Medicos per vim, ac omnino invitos cogi ad medendum, quia non minimum damni ex hoc ægrotis emanare poteſt, ut notavit Ambroſ. Paræus *lib* 21. *ſua Chirurg. cap* 11. potius ergo blande alliciendi, non contemnenda mercede oblata, & in Domino hortandi, ut tam piæ operæ libenter, ac Chriſtianæ charitatis amore invigilare ſe accingant, non à terreno Principe ſolum, ſed ab ipſo Deo omnium bonorum datore, dignam mercedem reportaturi; nam certe perperam factum exiſtimandum, ut Medici ad medendum peſte infectis deſtinati, tanquam Rei ſupplicio damnati, ſumma violentia per ſatellites ad loca, ubi peſte infecti detinentur, conjecti, inibi commorari, ac mederi inviti, animoque ob mortis timorem, & ob illatam vim, & injuriam perturbato, cogantur. Quod ſi lenioribus exhortationibus, ac blanditiis tentati, nollent obedire: tunc eorum culpa ſic requirente, quomodocunque ad medendum impellantur.

50 Ipſi autem Medici admonendi, quod etiamſi propriæ vitæ periculum ſubeant medendo peſte laborantibus, tamen non tantopere horreſcere debent in eo Charitatis opere ſe exercere, ſed ſe prompte in manus Dei remittere, in eoque ſperare; Ipſe enim, in cujus manibus vita, & mors eſt, & qui ſolus langores curat, illos ab imminenti periculo præſervabit, ut nonnullis ſucceſſiſſe novimus, qui ipſius Dei miſericordia fiſi, non abſtinuerunt à curando ægrotos peſte detentos, non tantum ipſis medendo, quantum ipſos contrectando, & quæcunque ad curam pertinebant, oculatis ac propriis ſenſibus obſervando. ut de ſeipſo Narrat Ludovic. Septal. *libro de Peſte* Vir, ut Medici notunt omni laude dignus, & de re

Medica

Medica optime meritus; hic enim Mediolani iam tertium ipso vivente Peste obsessi, curam ægrotantium ex peste semper suscepit, & ab ea se immunem semper, Deo adjuvante, servavit.

CONSILIUM LXXII.

Ad Titulum, de impotentia coëundi, & generandi.

ARGUMENTUM.

Parisiis in Ponte Nummulariorum Aurifaber quidam honestam Puellam in uxorem duxerat, cum qua, licet non semel congressus esset, tamen liberum congressum habere non poterat, cum illa non posset sine multa angustia & dolore illum admittere, itaque Maritus impeditus, quo minus debitum matrimoniale exigere posset, Matrimonij dissolutionem intentavit, non obstante, quod sponsa se utero gerere affirmaret. Accersiti ergo doctissimi quidam Chirurgi, qui loca scrutarentur, & de qualitate impedimenti referrent, membranam duram, atque callosam offenderunt, Matricis collum occludentem, parvis tamen, foraminibus perviam, incisâ igitur prædictâ membranâ, ac diligenti curâ adhibitâ, Maritus in posterum liberiorem aditum ad congressum habens, de dissolutione matrimonij ultro verbum non movit, illa post sex menses à membranæ incisione Puellum sanum, ac maturum edidit. Historia hæc habetur apud Guillelm. Fabrit. Chirurgum expertissimum *Observat. Chirurg. Cent. 3. Observat. 60. exempl. 2.* de qua etiam mentionem feci *in supplem. ad libr. 3. titul. 1. quæst. 1.* eiusque occasione nonnulla dubia notatu, digna, quæ fieri possent, in medium afferam, & pro viribus dissolvere tentabo.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonii dissolutio intentari non potest, nisi constito, quod impedimentum illud consummandi non sit amovibile. Declara ut num. seq. & n. 7.*
3 *Etiamsi, cognito impedimento, maritus copulam pluries continuet, tamen, non remoto impedimento, potest matrimonij dissolutionem petere.*
4 *Naturaliter unusquisque præsumitur sanus, nisi contrarium probetur, unde etiam ad coitum habilis.*
5 *Stante impedimento ex quo vir non possit loca penetrare, etiam semine eiaculato, matrimonium non dicitur consummatum. Dic ut num. seq.*
7 *Ad valorem matrimonii, ut consummatum dici possit, requiritur potentia penetrandi vas femineum.*
9 *Quandocunque coniuges assequi possunt matrimonij finem, matrimonium dicitur validum, & consummatum.*
10 *Finis Matrimonij est filiorum procreatio.*
11 *Penetratio vasis muliebris quatenus sit necessaria, ut matrimonium dicatur consummatum.*
12 *Matrimonium non dicitur consummatum per solam vasis penetrationem, sed per seminis effusionem intra uterum.*
13 *Valor Matrimonij non potest pendere à casu vario.*
14 *Absque intromissione, & sine ulla penetratione vasis muliebris, sed sola seminis effusione prope uteri ostium aliquando sequitur conceptio. Falsum, num. seq.*
15 *An permanente impedimento penetrandi vas femineum, secuta tamen conceptione per seminationem, maritus possit matrimonij dissolutionem.*
16 *An impedimento non amoto, & secuta conceptione, uxore parere non potente & se sectioni Cæsareæ tradente, atque inde evasa, maritus possit petere matrimonij dissolutionem.*

PLures dubitationes occurrere possunt ex prænarrata historia, nec minimi quidem momenti, quarum ego eas tantùm proponam, quarum solutionem tradere mihi ut Medico non disconveniat: cæteras, si quæ insuper inde consurgere possunt ad Canonistas pertinentes nòn attingam.

Dubitari igitur primò potest, an præfatus Aurifaber in congressu cum sponsa, animadvertens adesse in illius utero impedimentum prohibens illi penetrationem vasis fœminei, ab ulteriori coitu antequam seminasset, se retrahens, iure intentare posset iudicium de matrimonii invaliditate.

Secundò, an post cognitum impedimentum, non abstinens ab ulteriori coitu, semen emittens, absque eo quod in uterum muliebrem receptum fuerit, iusta fuisset eius instantia de matrimonij dissolutione.

Tertiò, an si ex huiusmodi congressu secuta esset conceptio, ut in casu nostro, posset tamen maritus idem iudicium intentare?

Quartò denique pro corollario, dubitari posset, an secuta conceptione, nec tamen amoto impedimento, si mulier instante partu, nec parere potens sectioni Cæsareæ se subiecisset, atque inde liberata esset fœtu extracto, maritus matrimonii irritatio nem tentare posset.

Quoad primam igitur dubitationem, clara res est: nam 1
non satis est ad matrimonii dissolutionem addu cere impedimentum prohibens eius consummationem, sed necesse est probare impedimentum esse tale, ut nullo modo sit amovibile: nullum enim impedimentum quantumcunque sit, potest dare justam causam dirimendi matrimonium, ubi aut sit amovibile, aut non sit perpetuum, sed temporale; ut canonizatum apud Canonistas est: Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 92. n. 2.* Rota *in Pampilonen. matrim. 16 2. coram Coccino.*

Circa quod tamen notandum quod impedimentum hu- 2
jusmodi vel potest esse de facili amovibile, vel nonnisi cum magna difficultate, & ab omni periculo abesse, vel contra li- 3
cet sit amovibile, non est tamen sine magno, & evidenti difficultate, nec sine magno periculo: nam in primo casu conclusio de non dirimendo matrimonio habet locum: in secundo verò, nequaquam, ut aliàs ex Ioan. Andrea *de sponsa. & matrim. n. 16.* dixi Rota *in Pampilonen. matrim. 13. Mai 1622, num. 18. coram Coccino supra cit.*

Quoad secundam dubitationem, videretur prima fronte, 4
non esse præter iustum, & æquum, quod maritus instaret pro dirimendo matrimonio, etiamsi impedimento cognito, à coitu se non re taxisset, ed copulam non semel atque iterum, sed per multas vices continuasset etiam cum seminis effusione; quia licèt cognosceret impedimentum, bona fide dicebatur, ut illud posset continuatione copulæ superare: neque 5
vana erat ejus credulitas, cum quemadmodum naturaliter unusquisque præsumitur sanus, nisi contrarium probetur, Rota apud Farinac. *decis 715. num. 2. part. 1. tom. 2.* ita unusquisque præsumitur habilis ad coëundum: Alciat. *de Præsumpt. reg 1. præsumpt. 41. numero primo.* Rota *in Bononien. fideicomm. de Buccaferris 24. Maij 1675. coram R. P. D. Zarate.* Quod multo magis præsumendum de mulieribus, quàm de viris, quia ratiùs, & ex pauctoribus causis mulieres sunt ad coitum impotentes, quàm viri: nam in mulieribus id accidit tantùm ex membrana quadam præternaturali, vel ex Hymene ipso duriori occludente loca muliebria, ut omnibus in confesso est (licet alia impedimenta ego adnotaverim suo loco.) Accidit ergo ut ob duritiem prædictæ membranæ, vel Hymenis, nec in primo neque in secundo, & ulteriori congressu illud impedimentum tolli possit, quod tamen continuatione coitus penitùs aliquando adimitur: unde idcircò non sufficit ad exclusionem validitatis matrimonij, quòd vir non potuerit unica vice cum sponsa coire: Rota *in Pisaurens. localium 22. Iunii 1648. coram Arguelles, vers. Nec se excusare potest.* Sed expectandum conveniens tempus, ut ibi. Quod verificatur tam si impedimentum sit ex parte viri, quam si 6
sit ex parte mulieris. Si ergo ut placet Thomæ Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 99. sub num. 17.* etiam semine per eiusmodi coitum emisso, & à Matrice attracto, matrimonium tamen non dicitur consummatum, sed irritum evadit, ut latiùs infrà, multò promptiùs affirmandum, quòd irritum sit, & non consummatum, semine tantum misso, sed à matrice nullo modo attracto. Si ergo hoc modo matrimonium non est consummatum, & adhuc urget impedimentum prohibens consummationem iure poterit Maritus instare pro eius irritatione.

Verùm non undequaque acceptum est, an viro absque pe- 7
netratione vasis muliebris seminante ob commemoratum impedimentum, matrimonium ita invalidum sit, ut dirimi debeat, & in nostro casu nihil certi determinari potest, quia huiusmodi determinatio dependet à possibilitate vel impossibilitate amotionis præfati impedimenti unde nequaquam potuit Aurifaber instare pro dissolutione matrimonij, antequam pateret, an impedimentum prohibens penetrationem esset amovibile, necne.

Maior multò difficultas est circa solutionem tertiæ dubita- 8
tionis & pro parte Aurifabri opponi potest, quòd non obstante cópula celebrata non solùm cum seminis emissione,

ſed cum receptione ejuſdem ſeminis ab utero moliebri facta, & ſecuta conceptione, tamen matrimonium non poſſit dici conſummatum quia ad ejus valorem, & ut conſummatum dici 8 poſſit, non ſufficit potentia ſeminandi, ſed requiritur ſimul potentia penetrandi vas fœmineum. Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 92. n. 9.* ergo ubi deficit hæc potentia penetrandi vas fœmineum, matrimonium non poteſt eſſe validum, quia non eſt conſummatum. Cum igitur Aurifaber impediatur penetrare vas fœmineum, jure potuit inſtare pro invaliditate matrimonii non obſtante mulieris conceptione.

9 Sed contra, quandocunque Conjuges aſſequi poſſunt præcipuum Matrimonii finem, videtur matrimonium eſſe validum, & conſummatum, ſed Aurifaber conſecutus eſt præcipuum matrimonii finem; qui eſt procreatio filiorum. ut notum eſt. Rota *in jam citata diſſaur. Jocalium coram Arguelles* 10 *verſ. & forte, & verſ. praterquam quod*, ergo ejus matrimonium eſt validum, & contra omnem juſtitiam eſt, inſtare pro ejus irritatione.

Oppoſitio autem, quod non ſit validum, quia vir vas fœmineum non penetravit, facilè diluitur ex eo, quod penetratio vaſis fœminei in tantum eſt neceſſaria, in quantum deſtinatur ad potiorem finem, & tendit ad apeam ſeminis emiſſionem in 11 uterum, ad hoc ut ipſe uterus facile illud attrahat, & recipiat, ut inde ſequatur conceptio, quæ eſt veritas primo intentus Matrimonii finis: ergo ſi haberi poteſt hic finis etiam abſque ea penetratione vaſis fœminei, quæ ratio eſt, quin debeat Matrimonium validum, & conſummatum dici. Certum autem eſt conjuges fieri unam carnem, quod eſt de eſſentia Matrimonii, non per penetrationem valorum, ſed per commixtionem ſeminum ex parte utriuſque effuſorum. Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp. 21. n. 9. & lib. 7. diſp. 92. n. 7.* quandocunque igitur reperitur, ſponſam habere impedimentum prohibens pene- 12 trationem membro virili, nempe membranam interſepientem vias ipſius uteri, quæ tamen ſit aliquo vel pluribus foraminibus pervia, per quæ uterus ſemen virile attrahere poſſit, ut cum proprio commiſceatur, unde ſuccedat conceptio (quod non ſemel factum ſcimus) videtur quod matrimonium ſit conſummatum, quia non per penetrationem vaſis fœminei, ſed per receptionem ſeminis virilis ab utero factam matrimonium conſummatur, & validatur.

13 Nec contra hoc facit id quod dicebat Sanchez *ead. lib. 7. diſp. 99. ſub n. 37.* nimirum quod valor matrimonii non poteſt pendere à caſu raro, & fortuito, & ſic non poteſt matrimonium validum dici, etiamſi ſemen per uterum ſit attractum; non amoto impedimento prohibente viro penetrationem vaſis fœminei: quia licet, fœminas habere tale impedimentum ſit quid rarum; non eſt rarum, ſed naturaliter evenit, ut exiſtente membrana impedimentum faciente, foraminibus pervia, per ea ſemen virile attrahatur: unde non tam liberè videtur pronunciandum in hoc caſu, quod etiam ex coitu & conceptu per receptionem ſeminis virilis intra uterum, matrimonium debeat pronunciari irritum, & invalidum, dum per eam ſeminis receptionem Conjuges facti ſint una caro & præcipuum matrimonii finem ex tali copula conſecuti ſint.

Sed neque obſtare quicquam poteſt oppoſitio, quæ ſequitur nempè, quod ſi matrimonium debeat dici conſummatum per ſolam ſeminis virilis receptionem intra uterum, ſequere- 14 tur, quod ex ſola effuſione ſeminis virilis propè ipſum uteri oſtium, dato quod ab utero attraheretur, ut fieri poſſe aliqui tradant, & ut factum aliquando affirmant abſque ulla intromiſſione, & penetratione membri virilis, non ſolum vir- 15 go defiorata diceretur, ſed matrimonium eſſe conſummatum: quod tamen non videtur dicendum: Reſponderur enim, attractionem ſeminis virilis ab utero fieri non poſſe, niſi virile membrum adeo penetraverit, ut in emiſſione propè ſe illud habeat etiam aliquo medio interpoſito, ut in caſu noſtro & non poſſit ullo modo ab aëre externo alterari, ob quod tenuiſſimi ipſius ſeminis ſpiritus momẽto, ac dicto citius evaneſcant, ac diſſipentur, unde eſt falſum; ac anicularum deliramentum eſt ſuppoſitum, quod ex ſimplici effuſione ſeminis propè os externum uteri, unquam conceptio fuerit ſecuta; ut latè probavi *lib. 3 tit. 1. q. 8. n. 10. & ſeqq.*

Sed in omnem caſum illud certum eſſe debet, ut aliàs ſupra dictum eſt, non potuiſſe Aurifabrum jure petere matri- 16 monii irritationem, niſi conſtito per debitum tempus ad hoc requiſitum, quod impedimentum eſſet perpetuum, & nullo modo amovibile. Quod dupliciter conſtare poterat, nempè vel per inſpectionem à Chirurgis faciendamiut in caſu præſenti factum eſt, qui cognita qualitate impedimenti, denunciarent, illud non eſſe amovibile, vel ſi amovibile eſſet, illud amoverent; ut præſtiterunt in hac muliere: vel id ipſum conſtare poterat expectato tempore parturiendi, nam ipſius partus occaſione, vel impedimentum ceſſaſſet diſrupta membrana uteri aditum occludente, vel ipſa mulier in partu periiſſet, ut aliàs evenire diximus. Hippocratis auctoritate, licèt ætate noſtra per ſectionem Cæſaream plures mulieres à morte ſervatæ ſint, fœtum per dictam ſectionem excludentes, quem parere ob impedimentum prænarratum non poterant, ut conſtat ex pluribus hiſtoriis apud Franciſc. Rouſſetum *in lib. de Part. Cæſar* & apud alios.

Denique circa ultimam dubitationem adhuc non videre- 17 tur poſſe Maritum prohiberi ab inſtantia diſſolutionis matrimonii; quia etiam poſtquam mulier ſectioni Cæſareæ ſe ſubiecit & reconvaluit, non habet maritus liberum aditum ad coitum, quia per illam ſectionem non removetur obſtaculum membranæ impedientis aditum membro virili, at in uſu matrimonii neceſſe eſt, ut vir habeat liberum aditum ad congreſſum, ita ut libere penetrare poſſit vas fœmineum, alias videtur defraudari altero Matrimonii fine, qui eſt remedium concupiſcentiæ: Sanchez *de Matrimon. lib. 2. diſput. 29. n. 14.* cum non poſſit liberè matrimonio uti; videtur ergo jure poſſe maritum eius diſſolutionem petere.

Sed neque in hoc caſu mariti inſtantia videtur iuſta, quia etiamſi non habeat liberum aditum omnino ad congrediendum, habet tamen ex parte, dum non ſolum ſeminat, ſed etiam per eius ſeminationem generat; quod videtur ſufficere ad hoc, ut poſſit conſummare matrimonium & in poſterum matrimonio uti, & fieri unam carnem, filioſque procreare. Et quod additur, huiuſmodi coitum, quo non liberè vir penetrare poteſt vas fœmineum, non poſſe eſſe remedium concupiſcentiæ falſitatis convincitur, quia remedium concupiſcentiæ, habetur ex ſeminis emiſſione per licitam coniunctionem carnalem; dum igitur vir non impeditur emittere ſemen quandocunque cum uxore congreditur, habet abſque dubio ſufficiens remedium concupiſcentiæ.

Cæterum pro ſatisfactione prædictorum dubiorum ego ea tantum adduxi, quæ ad me tanquam Medicum ſpectare videbantur, optime alia ex parte cognoſcens, nihil me ulterius ſtatuere, aut determinare poſſe, ſed quid dubio adhuc reſtat, ad Canoniſtas: recurrendum eſſe, quibus non ingratam rem me feciſſe autumo, dum caſus huiuſmodi non adeo eventu raros, quia apud ipſos ratiores non reperiantur examinandos propono.

CONSILIUM LXXIII.

Ad Titulum Quintum Libri Primi, Quæſt. ult.

ARGUMENTUM.

Cum Neapolis clam ac furtim vagari Peſtis inciperet, Tonnus ſive Antonius pulcherrimam virginem in uxorem duxerat nomine Jommam, ſive Hieronymam, ac poſtridie à conſummato matrimonio peſte perculſus obierat. Aniell. ejus propinquus, & in eadem domo cohabitans, qui mutuo amore Hieronymam diu proſecutus fuerat, cum ea (quæ Antonio ob id invita nupſerat) nulla mora interjecta ab Antonii exceſſu, ſe commiſcuerat, tandemque à Romano Pontifice diſpenſatione impetrata, illam in matrimonium duxerat: ducentis ergo, ac tribus ſuprà ſeptuaginta diebus tranſactis à primo concubitu cùm Antonio, ac ducentis ſexaginta octo à ſecundo concubitu cum Aniello, Hieronima filium enixa eſt, de quo dubitatum eſt, cujuſnam filius verè eſſet, Antonii, an Anielli, & ad petitionem amiciſſimi Jureconſulti, huic dubio ſequentibus ſatisfacere conatus ſum.

SUMMARIUM.

2 *Coitum; & generationem maximè impedit impropera valetudo.*

3 *Natus ſuſceptus præſumendum ex viro magis ſano, potius quam ex valetudinario.*

4 *Ætates non annorum numero, ſed viribus menſurantur.*

4 *Filius junioris potius, quam ſenioris viri exiſtimandus.*

5 *Frigida & humida natura ad generationem minus habiles, contra calida & humida.*

6 *Amor inter conjuges facit ad faciliorem conceptionem; contra odium generationem impedit.*

7 *Mares ex calidiori ſemine, fœmina verò ex frigidiori procreantur.*

8 *Amor*

8 *Amor inter conjuges debet eſſe mutuus, & reciprocus, ut facilius ſequatur.*

9 *Conceptionis ſignum ex ſanguinis apparentia poſt aliquot dies à concubitu, quanti faciendum.*

10 *Fœmina ſerius naſcuntur, quàm mares.*

11 *Fœtus fortiores ortum accelerare ſolent.*

12 *Septimeſtres ob eorum fortitudinem ortum in ſeptimo accelerant.*

13 *Mulieres eodem tempore, quo menſtruari ſolent, ſolent etiam parere.*

VT ſecundum veritatem hic punctus decidatur, nonnulla ex facto adnotanda ſunt tam reſpectu utriuſque ſponſi, quàm reſpectu ſponſæ, & prolis ex ea natæ: Nam ante omnia ſciendum, Antonium, priorem ſcilicet ſponſum, fuiſſe quadragenario majorem, Aniellum verò, poſteriorem nempè, non attigiſſe annum trigeſimum. Ulterius Antonium valetudinariam vitam traxiſſe; Aniellum verò proſperrima ſanitate frui, & pancraticè habere. Præterea Antonium fuiſſe habitu præpingui colore non laudabili, ac carnis mollioris; Aniellum contra, habitu eſſe mediocri, colore rubicundo, ac vivido, & carnis ſolidioris.

Item ſciendum utrumque amore Iommæ fuiſſe detentum, & Antonium duxiſſe in uxorem Hieronymam, ob amorem, quo illam proſequebatur, modica dote contentum, cùm multò melius dotatam aliam virginem ducere poſſet. Conſtat inſuper Hieronymam invitam Antonio nupſiſſe, & ab eo ſemper averſo animo fuiſſe, cùm ne poſt deſponſationem quidem ab amore, quo Aniellum proſequebatur, unquam recedere potuerit, ut ex ipſius præpropera cum Aniello commixtione argui poteſt.

Denique ſciendum, Puellum, quem illa enixa eſt, vividum, ac robuſtum, quantùm ætatis patitur teneritudo extitiſſe, ac optimè formatum, & licet ad neutrius ſponſi ſimilitudinem accederit, ſed genitrici magis aſſimiletur: tamen quoad habitudinem, & vivacitatem magis aſſimilari Aniello, quàm Antonio.

Præterea conſtat, Hieronymam ab Antonio cognitam fuiſſe prima vice, dum ipſamet nocte conſummationis matrimonii putavit menſtrua conſueta quatuor, aut quinque dies ante conſuetum tempus ſibi fluxiſſe, unde exiſtimatum eſt ſanguinem illum non fuiſſe menſtruum, ſed ob violentiam in devirginatione paſſam, apparuiſſe: nam non continuavit, ut ſui moris erat, per tres ſequentes dies, ſed tamen ob ipſius mœſtitiam, & animi angorem, menſtruum ſuppreſſum fuiſſe, ipſamet ſibi perſuadebat, ut interrogata aſſeruit. Poſtquam autem ſe Aniello abutendam præſtitit, denuò illi ſanguis in modica quantitate fluxit: interfuerunt autem inter primum concubitum cum Antonio, & ſecundum cum Aniello quinque, aut ſex dies. Affectante tandem tempore novæ menſtruationis nempè vigeſima ſeptima die à copula habita cum Aniello, ſanguinis quædam maculæ Hieronymæ apparuerunt, ex quibus in utero ſe habere cognovit.

His omnibus, ac ſingulis, quæ ex facto habentur, conſideratis, videtur prima fronte dicendum, ſuſceptam prolem fuiſſe Antonii, non Anielli: Primò, quia Antonius ob excedentem amorem ipſius Hieronymæ eam in uxorem duxerat; notum autem eſt, quantoperè conjugum amor faciat ad procreationem filiorum, ut infra ſubiungemus. Secundò, quia ab Antonii copula cum Hieronyma, menſtrua illicò ſunt ſuppreſſa, cùm tamen jam inſtaret tempus eorum fluxus, imò cùm jam fluere incœpiſſent, quo ſigno nullum fortè aliud evidentius habere licet; per hoc unum enim ipſæ mulieres utero gerere ſe cognoſcunt, neque facile credunt, ubi menſtrua aliquo modo appareant, ſe concepiſſe, imò illis etiam non in magna quantitate apparentibus, ſemper dubiæ de gravitate perſiſtunt.

Sed quantoperè adnotata in Antonio operantur contra ipſum, hoc eſt, quòd filius ex eo non ſit ſuſceptus, tantoperè adnotata in Aniello, in Hieronyma, & in Puero ex ea nato, pro Aniello faciunt: nimirum quod ſuſcepta proles ex Aniello ſit, non ex Antonio.

1 Certum namque primo eſt multùm impedire non modo generationem, ſed etiam coitum, improſperam viri valetudinem, quod perſuaſiſſimum Medicis eſt, ad quod faciunt quæ aliàs attuli *lib. 1. Quæſt. Medic. leg. tit. 5. q. ult. n. 2. & ſeqq. & lib. 3. tit. 1. quæſt. 4. n. 6* ubi pro Iureconſultis nonnullas auctoritates adduxi, quas illi facilè apud ſuos Auctores reperire poſſunt, inter quos propoſui Surd. *deciſ. 83. num. 3. & ſequentibus.* Cùm ergo Antonius non frueretur integra ſanitate, ſed potius valetudinarius eſſet, ita ut pluries illum amici dehortati fuiſſent à ſumenda uxore; contra verò, Aniellus optima frueretur, natus præſumendus potiùs Anielli magis ſani, quàm Antonii valetudinarii.

2 Sed etiam quoad ætatem eodem modo videtur determinandum, licèt enim Antonius quadrageſimum annum adhuc non compleviſſet, ita ut non potuerit dubitari, quod ille ob graviorem ætatem minùs habilis eſſet ad coitum & ad generationem, nonminùs fortè quàm ipſe Aniellus, ſi ad annorum numerum reſpiciamus; tamen cùm ætates non annorum numero, ſed viribus menſurentur, & homines pro virium robore, non pro annorum numero iuvenes, aut ſenes dici debeant, & conſequenter magis, aut minùs habiles ad generandum, & Antonius valetudinarius eſſet, & viribus imbecillibus; contra verò Aniellus ſanus, ac viribus firmis, & validis, tanto magis urget præſumptio pro parte Anielli ſupra Antonium, quanto magis urget præſumptio pro parte Iuvenis ſupra ſenem. 3

Neque obſtat, quod etiam ſenes, & valetudinarij coitum exerceant, & ſemen ejaculentur, & aliquando etiam generent: quia his non obſtantibus, in concurrentia ſenis, & iuvenis, ſemper filius potiùs iunioris, quam ſenioris eſt præſumendus, ut notum cuilibet eſt: Surdus *deciſione 84. numero decimo octavo.* Et ratio ex ipſa rei natura depromitur, quia ſenes, ut etiam de valetudinariis fieri ſolet, ſemen aquoſum, crudum, ſubtile, ac fluxibile generare, quod non facile utero adhærere poteſt, & ſic ad generationem filiorum eſt invalidum: quod contrario modo evenit de ſemine iuvenili, quod & multo ſpiritu turget, ac craſſum, ac concoctum eſt, & facile utero adhæret, unde facilis ſequitur conceptios quod ſi aliqui ſenes interdum generant, id certè nomiſi robuſtioribus ſuccedit, qui inter iuvenes potiùs ob vitium robur connumerandi, quod de Antonio nequaquam firmari poteſt. 4

Præterea conſiderato habitu ipſius Antonii, ex quo etiam corporis temperamentum internoſcere licet, patet, illum fuiſſe temperamenti frigidiuſculi & humidioris, quæ quidem naturæ ad generationem minus habiles ſunt, quia ſemen generant intemperatum in frigidate; unde tales naturæ infœcundæ ſunt: Galenus *in libro quinto aphoriſm. 63.* & maximè ubi, ut fit, teſtes eandem temperaturam ſortiantur: idem Galen: *Art. Medic. capit. quadrageſimo octavo.* Avic. 20. *Fen. libro tertio, capit ſeptimo, tractat. 1.* Sed tantundem eminet temperamentum Anielli, quòd calidum ſit, & in humiditate temperatum, in fœcunditate, quantùm ab ea recedit temperamentum Antonii. 5

Si proinde conſideremus quæ ex parte Hieronymæ conſideranda eſſe diximus, facile pronunciabimus, eam difficulter admodum ex Antonio potuiſſe concipere, cùm illi nupſerit invita, illumque odio haberet, licet coacta matrimonium cum illo conſummaverit; ſatis autem perſuaſum eſt, odium inter conjuges impedire generationem; & notavi aliàs *libro primo. Quæſtion. Medico-legal. titulo quinto, quæſtione ultim. numero decimo*, ac tantundem conſpirat ad faciendam conceptionem amor inter conjuges, quantopere illam prohibere ſolet odium: Ergo ſi Hieronyma ab Antonio alieno erat animo, illumque odio habebat, quod illi impedimento fuiſſet, ne cum Aniello, quem plurimùm amabat, matrimonium contraheret (quia Parentes illam potiùs Antonio tanquam ditiori tradere voluerunt) certum eſt non facile ex Antonio potuiſſe concipere, ex Aniello autem facillimè. 6

Denique ſi conſideremus conditionem, & qualitatem prolis, quam Hieronyma enixa eſt non facile aſſeverare licebit illam ex Antonio fuiſſe ſuſceptam, ſtante ejus imbecilliori natura, & frigidiori temperamento, quibus ex cauſis univerſale non videtur, illum potuiſſe generare prolem bene habitam, ac robuſtam, immo neque ſexus virilis, ad hoc enim requiritur ſemen optimum, calidum, ac ſpiritu multo turgens, quale in Antonio non poſſumus conjectare potuiſſe ulla via procreari: conſtat enim Mares ex calidiore, ac robuſtiori, ac magis ſpirituoſo ſemine gigni, fœminas vero ex frigidiori, debiliori, ac minus ſpirituoſo, hoc autem illud eſt, quod Hippocrat. *libr. de Genit. numero ſeptimo* dicebat, nempe tam virum, quam mulierem ſemen producere, utrumque ſæculeum nimirum, & fœmineum; & ex parte illa ſeminis tam virilis, quàm muliebris, quâ maſculeum eſt mares generari, ex ea quâ fœmineum eſt, fœminas: pro maſculeo accipiens calidius, ac robuſtius; pro fœmineo frigidius, ac imbecillius. Conſentaneum ergo eſt, Antonium habuiſſe ſemen minùs robuſtum, ac frigidius, minuſque ſpirituoſum & ob hæc magis habile ad gignendam fœmineam, quàm maſculeam prolem; contra verò, Aniellum robuſtiſſimo ſemine, ac maſculeo, & calidiori turgere, ex quo nonniſi mares procreari certum eſt. Quod ſi his addamus amoris feruorem, quo Aniellus Hieronyma potius eſt, quid ulterius pro certificando cujus fuerit ſuſcepta proles, quærere ſatagimus? 7

Nec contrà prædicta faciunt quæ viderentur opponi poſſe: & primo quod Antonius nonniſi ferventiſſimi amoris ſtimulis inductus Hieronymam in uxorem duxerit, unde non mi-

nùs immò multò magis ſuſpicari licet ſuſceptam prolem fuiſſe ejus ſobolem, non Aniellì, cùm Antonius primò cum ea matrimonium conſummaverit; maximo tempore inſtantis menſtrui: & ſi quid ad conceptionem amor juvare potuit, non minùs potuit juvare conceptionem ex Antonio, quàm ex Aniello, quia ob amorem multi ſpiritus ad genitales partes concurrunt, unde ſemen facilìùs fœcundatur, præterquam quod etiam in ejus ejaculatione major vis, & impulſus in uterum muliebrem intervenit, quæ omnia non modo ad facilem conceptionem faciunt, ſed etiam ſi quæ impedimenta ex parte Antonii vigebant, ea omninò removere poterant.

Reſpondetur enim, quòd amor, ob cujus fervorem dicitur facilìùs ſuccedere conceptionem, debet eſſe mutuus, & reciprocus inter conjuges, nec ſatis eſt, ut alter tantum amore exæſtuet: immò ubi unus tantùm amet, alter autem non modò non amet, ſed comparem ſuum conjugem odio habeat, nihil amor ad conceptionem operatur, tantundem enim, immò multò magis impedimento eſt conceptioni odium alterius, quantùm facit ad conceptionem amor alterius, quia habilior ſemper eſt cauſa ad deſtruendum, quàm ad ædificandum. Modo in caſu noſtro licet Antonius Hieronymæ amore arderet, ipſa Hieronyma è contra illum odio habebat, & coitus inviti, maximè ex parte mulieris, ſteriles ſunt. Aët. *libr. ultim. ſua Medic. cap.* 16. Roderic à Caſtr. *de Nat. mul. libro* 3. *cap.* 4.

8 Neque Antonii cauſam quicquam promovere poteſt, quod dicitur, illum cum Hieronyma concubuiſſe inſtantibus menſtruis quo tempore facilìùs ſuccedit conceptio, nam vel incipientibus, vel deſinentibus menſtruis, ut plurimùm mulieres concipiunt, Gal. *in libell. de diſſect. vulvæ.* Quia non indifferenter quandocunque, & in quibuſcunque hoc eo modo evenit, ſed in aliquibus; immo inquam, in pluribus deſinentibus menſtruis, ſit conceptio, ſic docente experientia, & ipſo Hippocrat. *in lib de Nat. Puer. ſub.* 7. & Ariſtot. *libr.* 7. *de Hiſtor. Anim. cap.* 2. & *libro* 4. *de Gener. Anim. cap.* 4. Mercat. *libro primo, de comm. mul. affect cap.* 3. & *lib.* 3. *de Steril. & Pragn aff. cap.* 6. Ioan Hucher. *de ſteril. rubr* 1. in aliis autem, nempè in iis, quæ ſicciores uteros habent, ſuccedit interdum conceptio aut incipientibus, aut adhuc non ſinentibus menſtruis, quia ab eorum humiditate temperatur naturalis aviditas, quod etiam ſuccedere poteſt ubi vir ſemen nimis fervidum habeat, & ſiccitate pollens, eodem enim modo ab uterorum humiditate ſiccitas, fervor virilis ſeminis emendatur. At verò in caſu noſtro nulla ratio ſuadere poteſt, quòd Antonius ſemine nimis fervido, ac ſicco turgeret, cum eſſet temperamenti potiùs frigidiuſculi, & valetudinariam vitam degeret, ut ſupponitur, quibus ex cauſis nonniſi humidius, ac frigidius ſemen ferre potuit: quod tantùm abeſt, ut ab humiditate uteri Hieronymæ ita temperaretur ut eſſet ad conceptionem habilius, ut contra illud omninò redderet ad conceptionem ineptius. Sed & quod dicebatur de amore, quòd poſſet faciliorem reddere conceptionem, verum quidem eſt, ſi loquamur de homine ſano, & robuſto, ſed quid operari potuit amor in viro valetudinario, & naturæ imbecillimæ?

Minus etiam contra jam determinata facere poteſt, quòd Hieronyma poſtquam primò ab Antonio cognita fuiſſet, menſtruari cœperat, ac poſt copulam, vel non multò poſt, menſtrua deſierant, quod manifeſtum conceptionis ſignum exiſtimatur, atque hoc ipſum ſignum multò evidentiùs confirmat, quòd inſtantibus poſtmodum menſtruis ſequentis menſis, non fluxerunt, ſed tantùm nonnullæ ſanguinis guttæ apparuerunt, quæ prægreſſæ conceptionis ſigna eſſe ſolent, ut notum eſt: Ioan Hucher. *de Sterilit. libr.* 3. *rubr. de concept.*
9 *legit. ſignis*, neque injuria quia natura aſſueta ſingulis menſibus purgationi menſtruæ, non obliza ejus evacuationis, eam aliquomodo tentare ſolet, ut conſueto munere ſatisfaciat, maximè cùm in primo menſe, (aliquando etiam ſecundo, & tertio) ſanguis in concepcus alimentum cedens illi ſuperfluat.

His tamen in contrarium objectis non difficulter ſatisfieri poteſt, ſi dicamus menſtruorum defectum (ſi verè menſtrua erant) poſt primò conſummatum matrimonium cum Antonio, nequaquam interveniſſe ob factam conceptionem, ſed aut ob ipſius Hieronymæ mœſtitiam, & animi angorem, ut ipſamet faſſa eſt, quod fieri in pleriſque mulieribus ſolet, dum menſtrua fluunt ſi vehementi aliqua animi paſſione perturbentur, ut quotidie ipſæmet experiuntur, ac nos Medici ab ipſis elicimus, dum cauſas defectus menſtruorum ab eis inquirimus. Non ergo ſuppreſſa ſunt à viri conſuetudine, nam viri conſuetudo eunibus menſtruis celebrata, potiùs menſtrua ipſa ciere ſolet, quam ſecùs: Galen. *lib.* 1. *de ſan. tuend. cap.* 9. aperiuntur enim frictione facile oſcula venarum, unde menſtrua fluunt.

Ac menſtrua potuerunt quidem ſupprimi ex ipſo concubitu cum Antonio, ſed non ob factam conceptionem, ſed ob aliquem motum in utero Hieronymæ excitatum, qui fortè ſe in receptione ſeminis retraxit, non tamen concipere potuit, cùm illa nullam ex eo congreſſu delectationem perceperit, & ideircò verìſimile eſt, illam ſemen non emiſiſſe, unde nequaquam ſuccedere potuit conceptio, ad quam (ut millies jam dixi & paſſim docent Medici harum omnes rerum multò magis quàm Peripatetici, aut quivis alii Philoſophi, experti) requiritur utriuſque conjugis ſemen ſimul, & eodem tempore effuſum, quod potiùs remoratam fuiſſe Hieronymam credendum quam illius concurſum acceleraſſe ob averſionem animi ab ipſo Antonio.

Sed neque quod in medium affertur de apparentia menſtruorum poſt menſem à concubitu cum Antonio magis facit pro Antonio, quàm pro Aniello, cùm tale ſignum conceptionis non habeat determinatum tempus ſuæ apparentiæ; nam etiam poſtridie à facta conceptione ſolet apparere, vel quandocunque in primo, aut ſecundo menſe: ſed nova ſanguinis effuſio poſt coitum cum Aniello videtur quodcunque in contrarium opponitur, diluere, quia apertiſſimè commonſtravit, Hieronymam à prægreſſis menſtruis non fuiſſe repurgatam, forte quia extra tempus prodierant. Unde occaſione novæ copulæ cum Aniello naturam tentaſſe, illam integrè repurgare, quod nullo modo contigiſſet, ubi Hieronyma ex Antonio jam gravida eſſet, præterquam quod non apparuiſſent denuò menſtrua gutturatim, ut fecerunt, ſed cum poſt nonnullos dies à copula cum Antonio occaſione novæ copulæ cum Aniello ſeſe proderent, non tam citò denuo apparuiſſent, ſed potiùs exitum ad diuturniorem terminum remota eſſent.

Cæterum præ cunctis, quæ in hoc caſu obſervari poſſunt, illud videtur obſervandum, quod pertinet ad numerum dierum geſtationis ipſius fœtus, qui ubi velimus computare à prima conjunctione Antonii cum Hieronyma, erit ducentorum ſeptuaginta, ac trium dierum, nempe menſes novem Solares, ac tres inſuper dies & ſi Lunares accipiamus, erunt ferè decem menſes completi, ubi verò computemus à primo concubitu cum Aniello, numerus erit ducentorum ſexaginta duorum dierum menſes nimirum Solares novem non completi, deficiunt enim per octo dies; quod ſi menſes Lunares accipiamus, erunt menſes novem completi, uno, vel altero die addito. Itaque verìſimiliùs videretur. Hieronymam uterum geſtaſſe novem menſes completos, non diminutos.

Et liçèt opponi poſſet, quòd non ſit verìſimile, hunc fœ- 10
tum tam vegetum ac vividum, exitum retardaſſe ultrà novem menſes per tres dies, hæc enim retardatio arguit potiùs imbecillitatem Naturæ, nam ideircò fœminæ ſerius naſcuntur quam mares, ut dixi alias *libro* 1. *quæſt. tit.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 8. ex Ariſtotelis auctoritate, tamen hoc non eſt perpetuum, quia etiam fortiſſimi fœtus aliquando ortum retardant, & decimo naſcuntur, ut de Hercule hominum robuſtiſſimo, & de Cæſare Auguſto, & de Salomone tradunt, veluti adnotavi alias *loco cit. quæſt. eod. num* 8. & *ſeqq.* non repugnat ergò, quòd hic fœtus ob retardationem ortus potuiſſet ex Antonio concipi.

Sed contrarium, nempe quod partus hic fuerit ex Aniello 11
ſuſceptus, verìſimilius videtur: primò quia fœtus, qui fortiores, ſunt, ortum accelerare ſolent; ut ex adverſo dicebatur, quod ſecundum plurimum, & ſecundum naturæ ordinem ſuccedit; Et hoc in tantùm verum eſt, ut Septimeſtres
non niſi ob eorum fortitudinem ſeptimo naſcantur, & ortum 1
per duos menſes accelerent, ob eam enim fortitudinem, quam in ſeptimo primùm experiuntur: validè ſe ſe agitantes, ligamentis, quibus utero adhærent, diſruptis, ante alios in lucem prodeunt: ita Hippocrat. *in lib. de ſept. part. num.* 1. Alex. *lib.* 2 *problem.* 48. Avic 21. 3 *tract.* 2. *cap.* 1. Quod videtur etiam ſecundum rationem factum, quia fortiores citiùs alimentum in matre ſubminiſtratum abſumunt, & ob vegetiorem calorem liberiori aëre multò maturiùs indigent: ob ſui ergo fortitudinem hunc fœtum natum fuiſſe ante nonum menſem completum, quàm per aliquot dies poſt, & ſic ex Aniello, quàm ex Antonio faiſſe conceptum, præſumendum eſt.

Secundò id ipſum verìſimilius ſit ex eo, quod tempus ortus ipſius pueri, ſi ex Aniello cum fuiſſe conceptum dicamus, rectè coincidit cum tempore, quo Hieronyma menſtruari conſueverat: ſecundum naturam enim ſit, ut mulie- 13
res eo tempore ſecundùm plurimum pariant, quo menſtruari ſolebant, quod in juvenculis ſolet eſſe in novilunio, vel paulò poſt, in provectioribus autem Luna decreſcente. Modo, Hieronyma peperit in novilunio, quo tempore purgari ſolebat, fuit igitur hoc novilunium principium menſis decimi

accepti,

acceptis lunaribus menſibus, & computando conceptum, ſeu gravidationem factam ab Aniello copula cum Hieronyma; nam copula cum Antonio præceſſerat per quinque, aut ſex dies, qui erant ultimi dies præcedentis menſis, Luna decreſcente, quod tempus nullo modo coincidebat cum tempore, quo Hieronima menſtruari ſolebat; nam juniores creſcente Luna, provectiores decreſcente menſtruantur, unde illud.

Luna vetus veteres, juvenes nova Luna repurgat.

Et ſic non videtur puerum potuiſſe concipi ex coitu cum Antonio, ſed bene ex ſecuta copula cum Aniello.

CONSILIUM LXXIV.

Ad Libri quinti Titulum ſecundum, De Vulneribus.

ARGUMENTUM.

Urgente Peſte in Urbe, Silvius Amotinus adorſus ex improviſo Anſovinum quendam urbinatem, à quo neſcio quam injuriam acceperat, illum in capite percuſſerat, vulnere quidem quoad quantitatem notabili, tamen neque oſſis ruptura, neque alia ulla conditione, ſi ejuſdem oſſis diſcoperturam excipias, grave judicatum. Tertia ab accepto vulnere die, Anſovinus magna febre correptus cum capitis acutiſſimo dolore, & biliоſarum materiarum vomitu, vertigine, & inſigni partis vulneratæ inflammatione, quæ die ſequenti in gangrænam abeunte, totus peticulis, lividiſque maculis reſperſus, ac de dolore inguinis conqueſtus; Sextâ è vivis diſceſſit, totuſque nigricans, maximè ſecundum caput, & ſpatulas, apparuit. Fiſcus in vulnus omnem interitus cauſam rejiciens, Silvium tanquam homicidii reum ultimo ſupplico damnandum contendebat; contra cujus injuſtam, & importunam inſtantiam ad Amici petitionem ſequentia exaravi.

SUMMARIUM.

1 *Capitis vulnera quam magni momenti ſint.*
2 *Magis tuto negliguntur vulnera magna aliarum partium, quam leviſſima ipſius capitis.*
3 *Cauſa primaria attendenda, quia per ſe movet.*
4 *Cauſa prima magis influit in cauſatum, quam ſecunda.*
5 *Cauſa primaria, ac proxima eadem cum immediata.*
6 *Cauſa immediata qua?*
7 *Cauſa immediata ſola attendenda.*
8 *Vulnere lethale exiſtente ſemper viget præſumptio, quod vulneratus ex vulnere obierit.*
9 *Vulnerans infirmum non lethaliter, tenetur de homicidio vulnerato decedente.*
Contrarium num. 10.
10 *Tantundem eſt de facto agritare, & habere proximam diſpoſitionem ad agrotandum.*
Vide num. 11.
11 *Cauſa cauſæ, & cauſa cauſati.*
12 *Effectus cauſæ ſecundæ reducitur in primam.*
13 *Eventus tribuitur cauſæ proximæ.*
14 *Morbus eſt proxima cauſa mortis, non accidentia morbi, niſi in quantum à morbo dependent.*
15 *Capitis vulnera ſimplicia nõ ſunt ex primo capite lethalia.*
16 *Peſtis eſt magis ſufficiens cauſa mortis, quam quadam capitis vulnera, etiam lethalia.*
17 *Cauſa primaria, vel ſecundaria non dicitur reſpectu temporis anterioris, vel poſterioris, ſed reſpectu tantum efficientiæ.*
18 *Ubi cauſa eſt magis evidens ad agendum, non eſt conveniens ab ea diſcedere, quærendo alias cauſas.*
19 *Ulcera in corpore excitata præſervant à Peſte.*
20 *Accidentia, ſi non ſint connaturalia morbo, non ſunt ad morbum referenda.*
23 *Celeritas mortis, facta comparatione inter peſtem & vulnus ſimpliciter lethale, commonſtrat mortem ex peſte, non ex vulnere ſucceſſiſſe.*

ANſovinum non ex vulneris malitia, ſed ex peſte obiiſſe certum eſt. Idcirco contra omnem juſtitiam eſt, mortis culpam omnem in vulnerantem rejicere, ipſumque tanquam homicidii reum ad ultimum ſupplicium condemnare, inania enim ſunt, & nulla ratione fulca, quæ Fiſcus, eique adhærentes in medium aſſerunt dum probare nituntur contrarium: nam facile apparet, eorum rationes nullius momenti eſſe, ut clare patebit ſi ad trutinam revocentur, quæ ſequentes ſunt.

Primo dicitur, quod Anſovini vulnus fuerit ex ſua natura lethale, non modo quia erat magnum, ſed ob partis vulneratæ præſtantiam, quæ tanta eſt, ut quodlibet vulnuſculum, quantumvis minimum, caput lædens, ex practicantium doctrina ſit magnifaciendum; unde ea de cauſa magis tuto negligi dicunt vulnera etiam magna aliarum partium, quam leviſſima ipſius capitis, ut ex Hippocratis auctoritate monent Doctores alias à me adducti, *lib. 5. Quæſt. Medico-Leg. tit. 2. quæſt. 9. num. 1.* Cùm ergo hoc vulnus fuerit ex ſui natura lethale, non eſt attendenda ſuperveniens cauſa tanquam inducens mortem, quia cauſa primaria ſemper eſt attendenda, cum per ſe moveat, non vero ſecundaria, quæ movet per accidens: Galen. *de ſymp. cauſſ. cap. 1. trans me.* at cauſa primaria mortis in dicto caſu vulnus fuit, ſecundaria vero ſuperveniens febris; nam vulnus ſatis aptum erat ad adciſcendam mortem, quia ut cauſa prima magis influebat in cauſatum quam ſecunda, Tiraq. *in tract. ceſſant. limitat. 20. num. 6.* fruſtra ergo aliam cauſam quærimus, quia cauſa primaria, ac proxima eadem eſt cum immediata: *l. ſieri quis in 10 ff. pro ſocio.* Immediata autem cauſa eſt, qua poſita ponitur effectus, & qua ceſſante ceſſat effectus: Tiraq. *loco citato limitat. 2. num. 1.* & idcirco ea ſola eſt attendenda: *l. ſed ſi plures, §. in arrogat. ff. de vulg. & pupill.* Ergò cum mors ſubſecuta ſit ad vulnus, quod erat ſufficiens mortis cauſa, illud fuiſſe immediatam mortis cauſam concludendum, quia ſicuti mors, non fuiſſet ſecuta non inflicto vulnere, ſic vulnere inflicto, eſt ſubſecuta.

Secundò, accidentia, quæ conſecuta ſunt ad ipſum vulnus, fuerunt ipſi vulneri proportionata, & cognata; nempe quia ſecundum Naturæ ordinem evenit, ut ad vulnera præſertim magna, & in parte nobili, ſuperveniat inflammatio, & ad inflammationem Gangræna, Neceroſis, & partium mortificatio, & alia ſymptomata, quæ in Anſovino ſunt adnotata; unde conſequens eſt, quod amoto vulnere, neque inflammatio neque illud quicquam mali ſuperveniſſet; immo dato, quod ſuperveniens morbus fuerit Peſtis (quod non facile admittendum) ipſum vulnus Peſtis cauſam fuiſſe aſſeverandum; ex eo enim humores omnes moti, & corruptionem deinceps ex vulneris corruptione contrahentes ſymptomata produxerunt, iis, quæ Peſti familiaria ſunt, quamſimillima. Ergo cum vulnus ex ſua natura lethale, in malignum, & magis lethale degenerarit, ob ſupervenientiam ſymptomatum, & quæ ab ipſius vulneris natura non erant aliena, ſemper vigere debet præſumptio, quod vulneratus ex vulnere deceſſerit, & non ex alia cauſa: *l. Art. Lex. §. quod ſi mortifere ff. ad leg. Aquiliam* quia ab ipſa prima vulneris lethalis acceptione vulneratus dicitur ſtatim interfectus: Alciat. *de præſumpt. part. 1. num. 1.*

Tertiò vulnerans infirmum non lethaliter, ſi tamen infirmus decedat, tenetur de homicidio, per ea, quæ refert Thom. Aëtius *de infirm. part. 2. verſ. vulnus, num. 1. & ſeqq.* Modò, certum eſt tempore peſtilenti unumquemque exiſtimandum eſſe pro infirmo, quia unuſquiſque habet proximam diſpoſitionem ab Aëre, quem inſpiramus, ad concipiendam Peſtem: ac tantundem eſt de facto morbo aliquo tentati, & habere proximam diſpoſitionem ad concipiendum talem morbum. Unde jure Horat. *lib. 1. epiſt. num. 7.* Mœcenatem ſic præcatur.

Quam mihi das agro, dabis agrotare timenti,
Mœcenas, veniam.

Cùm in utroque caſu reperiatur corporis impuritas, & coinquinatio, unde morbus pullulare ſolet: quapropter mirum non eſt, ſi vulnera tempore peſtilenti facile Gangræna concipiant, & cacoëthica, ac maligna evadant, ut factum eſt in caſu noſtro, in quo Anſovinus, etiamſi vulnus acceptum non fuiſſet lethale, tamen illius occaſione periit, ob diſpoſitionem proximam ad contrahendam Peſtem: ſi ergo cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, D. Thom *part. 1. ſumm. quæſt. 49. art. 2. ad 2.* quia, ut idem D. Thom addit, effectus cauſæ ſecundæ reducitur ad primam, benè hinc ſequitur, quod cum ex vulnere ſuſcitata ſit inflammatio, & ex ea febris maligna, & peſtilentialis, vulnus fuerit vera & immediata cauſa effectus ſecuti, nempè mortis, non autem febris peſtilentialis.

Quartò eventus tribuitur cauſæ proximæ, non remotæ: Bald. ex quo Tiraq. *in tract. Ceſſ. cauſ. limitat. 20. n. 20.* at morbus eſt cauſa proxima ſuccedentis mortis, accidentia vero morbi ſunt cauſa remota: ſed in hoc morbo, hoc eſt in hoc vulnere, Peſtis, (ſi Peſtis nomen febris illa meretur) fuit accidens, & ſymptomata conſequens ad ipſum vulnus; non enim

enim ſymptomata accidunt ſine morbo, immò ſequuntur morbum, ut umbra ſequitur corpus, omniumque ſymptematum morbi ſunt cauſa: Gal. *lib. de ſymp. diper. cap.* 4. & idcirco ſymptomati non debetur curatio, ſed affectui ipſum creanti: Gal. *in lib. 6. de morb. vulg. comm.* 2. *tex.* 9. ergò ad
14 evitandam mortem in Anſovino oportebat tollere ſymptomatum ſupervenientium cauſam, quæ fuit vulnus, ad quod tanquam ad morbum ſecuta ſunt prædicta ſympt mata; unde vulnus fuit proxima, ac vera cauſa mortis; non accidentia vulneris, niſi inquantum, à vulnere dependebant.

Cæterùm ſi veritatis indagandæ æquum deſiderium nos premere debet, apertiſſimè patebit, ſumma injuria, ac contra juſtitiam Fiſcum inſtare pro condemnatione Silvii tanquam homicidii rei, cùm Anſovinus verè ex peſte, non ex vulnere obierit; nam licet gratis concedamus, Anſovini vulnus fuiſſe utcumque lethale, negari nullo modo poteſt, non fuiſſe ex primo capite lethale, ut patet apertiſſimè ex ſufficienti enumeratione ſimilium vulnerum per noſtros Auctores recenſita *in tractatu proprio de vulneribus*, & quorum
15 enumerationem attuli ipſe etiam *lib.* 5. *Quæſt. Medico-Leg. Tit.* 2. *quæſt.* 2. ubi nulla habetur mentio de ſimplicibus capitis vulneribus, & non habentibus ullam conditionem gravantem, ut oſſis fractutam, aut fiſſuram, aut contuſionem, & id genus alias; licet ergò hoc ulnus eſſet lethale, ut vult Fiſcus, ad omne pejus erat indifferens ad ſalutem, vel mortem; & ſic, hac veritate ſtante, non erat, nec eſſe poterat
16 ſufficiens, certa, ac dubitata cauſa mortis: quamobrem mors ad magis ſufficientem, magis certam, ac magis indubitatam cauſam, eſt referenda nempe ad ipſam Peſtem, quam quis non affirmabit eſſe magis ſufficientem cauſam ad conſciſcendam mortem, quàm vulnus etiam lethale non ex primo capite?

Neque obeſſe quicquam poteſt id quod Fiſcus in medium affert, quòd tale vulnus eſſet maximè conſiderabile, & lethale ob partis præſtantiam, nempè Capitis. Quia Caput eſt membrum principale continens multas partes diverſæ naturæ, quarum nonnullæ etiam infigniter vulneratæ ob læſionis levitatem, non magni ſiunt ut pericranium, licet aliarum partium vulnera ſummoperè ſint æſtimanda, quòd plena periculi ſint: & quando additur, quòd etiam minima capitis vulnuſcula præ aliarum partium vulneribus ſint conſideratione, & animadverſione digna, id adſtruitur ex eo, quòd facilè Chirurgi in vulneribus capitis decipiuntur, ob id, quòd aliquando ex leviſſimo vulnere os rumpatur, aut findatur, idque Chirurgi non animadvertant, quos in curandi capitis vulneribus facilè errare eam ob cauſam monet *in lib. de vuln. capit. num.* 1. ipſe Hippocrates. Periculum ergo non eſt æquale in omnibus vulneribus capitis, nec omnia capitis vulnera ob partis præſtantiam ſunt lethalia, quia quædam capitis partes nullam habent præ cæteris præſtantiam. Fallit ergo omninò Fiſci ipſius diſcurſus, dum ex gravitate ſuppoſita hujuſmodi vulneris deducere conatur, illud fuiſſe cauſam
17 primariam mortis, ſecundariam autem fuiſſe febrem; quia primaria nempè vulnus, movit per ſe, ſecundaria autem nempe febris movit per accidens: Sed non animadvertit ad denominandam cauſam aliquam, quòd primaria ſit, vel ſecundaria, non attendi temporis prioritatem, aut poſterioritatem, ſed tantùm ipſarum cauſarum efficientiam; nam quæ eſt efficacior, ac magis ſufficiens ad agendum, ea primaria dicitur, ac per ſe, ut in caſu noſtro, in quo licet vulnus fuerit prius tempore, quàm Peſtis, tamen quia non habebat ſufficientem efficaciam ad cauſandam mortem: non meretur nomen
18 cauſæ primariæ ipſius mortis, ſuperveniente peſte, quæ multò magis ſufficiens cauſa erat ad interimendum; *ubi ergo cauſa eſt magis evidens ad agendum, non eſt conveniens diſcedere ab ea quærendo alias cauſas*: ut dicebat Galen. *lib. de mot. muſcul. cap.* 5.

Ex quibus ſequitur, mortis cauſam in caſu noſtro non ad vulnus, quia non erit evidens, ac ſufficiens cauſa, ſed ad peſtem cauſam nempe ſufficientiſſimam, eſſe referendam.

Immò ſi libere, & ſecundum rei veritatem diſſerendum eſt, vulnus in hoc caſu nullam ullius cauſæ rationem habuit: cùm effectus ſubſecutus eſſet omni ex parte ab eo diſparatus, violentia autem cauſæ ſupervenientis nempè peſtis, omnem vulneris efficientiam ademit, nec quicquam operari permiſit, cùm maximè vulnus eſſet benignæ naturæ, unde facilè omnem efficientiam violentiſſimæ cauſæ ſuperveniendi ceſſit.

Atque ex his infimul deduci poteſt, quàm falsò Fiſcus, & pro eo ſcribentes ſupponant, vulnus fuiſſe cauſam peſtis, quomodo enim vulnus non lethale, & omni malignitate orbatum ea terribilia accidentia producere potuit, quæ ex ſola peſtis violentia emanare ſolent? quinimmò tantùm abeſt, ut vulnus potuerit cauſare peſtem, ut potiùs potuerit eſſe remedium peſtis, quia per illud deonerari poterat natura, ac pravi humores ea occaſione expurgari; ſcimus enim ad prædictum effectum, nempe ad præſervandos homi- 19
nes, & curandos etiam à Peſtilentia Medicos ulcera in diverſis corporis partibus excitare, quin etiam conſtat, in ipſo tempore peſtilentiali eos ab ea facilè præſervari, qui ulcera quædam patiuntur, ex quibus corpus ab immunditie humorum expurgatur: Ambroi. Paræus *lib.* 21. qui eſt *de Peſt. cap.* 3.

Sed quantoperè, Deus bone, affectare videtur Fiſcus, & pro eo ſcribentes, ut Anſovini vulnus pro lethali, & pro vera cauſa mortis ipſius determinetur, ut poſtmodum Silvius tanquam homicidii reus ultimo ſupplicio damnetur? falſam enim primò, & à multis reprobatam concluſionem proponit, nimirum, quòd vulnerans infirmum non lethaliter, teneatur de homicidio, infirmo decedente; ut magis appareat ejus affectatio alteram propoſitionem producit, ex qua probate nititur, Anſovinum reputandum eſſe infirmum ex eo, quòd moraretur in loco peſte infecto, unde de proximo eſſet diſpoſitus ad infirmandam, & concipiendam peſtem.

Sed neque priorem, neque poſteriorem ſuppoſitionem ve- 20
ritatem habere patet; & de priori quidem conſtat apud citatum Aëtium *loco citato*, ubi contrariæ ſententiæ Autores, & ſecundùm meliorem rationem ſentientes adducit. De ſecunda verò falſitate facilè habebimus non modò Doctores omnes, ſed omnes homines ſaventes. Sed dato etiam quòd idem ſit 21
cum affectu ægrotare, & habere proximam diſpoſitionem ad ægrotandum, tamen id haberet locum, quando cauſa proximè agrotandi eſſet homini intrinſeca: at diſpoſitio proximè ægrotandi in iis, qui tempore peſtilenti commorantur in loco eo morbo infecto eſt ab extrinſeco, cùm dependeat ab Aëris infectione, vel à contagio, ut communiter volunt; vel ab utroque ut ego ſentio. Non poteſt ergo firmari Anſovinum fuiſſe exiſtimandum pro infirmo, quia habebat proximam diſpoſitionem ægrotandi concipiendo peſtem, quia hæc proxima diſpoſitio non erat illi intrinſeca, ſed extrinſeca; neque idem eſt habere diſpoſitionem illam intrinſecè, & habere extrinſecè; veluti non habet eandem diſpoſitionem lignum ardendi ſi propè ignem ſit, quam habet in igne poſitum.

Sed & alterum falſum ſuppoſitum in medium profert Fiſcus, nempè febrem (non enim vult eam fuiſſe veram peſtem) fuiſſe accidens ipſius vulneris, & ex hoc probare, 22
mortis cauſam ad morbum, hoc eſt ad vulnus, non ad ejus accidentia eſſe referendam. Sed hæc ſuppoſitio benè procederet, quando accidentia fuiſſent proportionata, & cognata morbo, ſeu vulneri, ut ſupetiùs annuimus, ut quando de natura ſua ad talem morbum conſequi ſolent, & quando cum ipſo morbo incipiunt tunc enim dicuntur propria ejus morbi: Galen. *lib.* 1. *de Criſ. cap* 6. ſed accidentia, quæ apparuerunt in hoc vulnere, non incœperunt cum ipſo vulnere, ergo non erant accidentia propria ipſius vulneris, ſed alterius morbi, cui erant magis proportionata: nam quam proportionem effingere nobis poſſunt pro Fiſco ſcribentes inter vulnus benignum, aut ad omne pejus non malignum, & accidentia, quæ ſunt ſubſecuta? quiſnam unquam vidit, aut quiſnam tam perfrictæ frontis homo eſt, qui contendat ad vulnus ſalutare conſequi de neceſſitate ſymptomata terribilia, & interimentia? ſummo profectò rigore videtur procedere Fiſcus in hoc diſcurſu, & præter omnem æquitatem, & rationem ex falſis ſuppoſitionibus velle deducere, Silvium tanquam homicidam eſſe puniendum, non obſtantibus tot, ac tantis rationibus, finiſtram de ea re opinionem deſtruentibus.

Cæterum ut Fiſco, & adhærentibus omnem tergiverſandi anſam adimamus ad hiſtoriæ veritatem tantùm, & in cute examinandam recurrendum cenſeo. Anſovinus ergo à Silvio in capite vulneratus, auxiliantibus duobus amicis, qui caſu adfuerunt, domum ſe contulit, ac die ſequenti ab Andreotio altero ex prædictis amicis viſitatus eſt, qui cum iterum tertia die de mane illum viſitaſſet, poſtquam à Fiſco ſuper caſu Anſovini fuiſſet examinatus domum reverſus peſte correptus eſt, & quarta interiit: ergo ex ea facta ſerie clariſſimè patet, Anſovinum ab Andreotio peſtis contagium contraxiſſe, & ex ejus violentia, non ex vulnere periiſſe.

Neque valent contrà hanc veritatem quæ Fiſcus opponit, volens Andreotium ab Anſovino peſte fuiſſe infectum, non verò Anſovinum ab Andreotio, ſupponens, quòd Anſovinus ea die, quæ fuit tertia ab accepto vulnere, peſte, vel febre peſtilenti, ut dicit, laborare cœperit, quia conſtat, Andreotium viſitaſſe Anſovinum tertia die de mane ab examine expeditus, ubi jam capite dolere cœperat, & jam fatebatur ſe malè habere, in tantum ut totus facie immutatus eſſet, ut deponunt teſtes pro parte Silvii examinati, qui liberè ad Anſovinum invitandum accedebant tanquam vulneratum ac nullo, modo de peſte ſuſpectum Anſovinus deinceps veſpere, magna febre affligi cœpit cum ingenti capitis dolore, ſubſequentibus aliis ſymptomatibus, quæ in eo morbo ad

finem

finem uſque illum exagitarunt, & ex quorum violentia tandem ſexta animam exhalavit. Cùm igitur pateat, Andreotium multo ante Anſovinum peſtem contraxiſſe, neque verum eſt, neque veriſimile, illum ab Anſovino fuiſſe inf.ctum ſed potius è contra. luce meridiana clarius apparet, Anſovinum ab Andreotio labem contraxiſſe, cuius violentia tantum, & non ex culpa vulneris vitam cum morte commutaverit.

Quomodocunque autem ſe res habeat, vel quod Anſovinus poſt vulnus die tertia peſte ex ſe facrit correptus, vel quod ab Andreotio illam contraxerit, exiſtente, aut non exiſtente vulnere lethali, nullam habet vulnus mortis culpam, ſtante ſuperveniente cauſæ multò efficaciorit, & habiliorit ad conficiſcendam mortem; ad quem eff.ctum inhabile omnino erat vulnus etiam lethale, maxime in tam brevi di.rim ſpatio: unde ipſa celeritas ſuccumbendi, cum aliena omni ex parte facrit à vulneris ipſius natura & qualitate; & è contra maxime conſueta & familiaris peſtilentiæ, ſatis clare oſtendit, & ſine ulla hæſitantia determinandum cogit, mortem Anſovini ex peſtilentia tanquam cauſa habili & efficaci, non ex vulnere cauſa inhabili, & minus efficaci ſucceſſiſſe, cum eff.ctus abſque dubio cauſæ habiliori ad agendum ſit ttibuendus, ut jam oſtenſum eſt. 23

CONSILIUM LXXV.

Ad Titulum primum Libri tertii, De impotentia coëundi & generandi.

ARGUMENTUM.

Angela Beverentia Veneta, cum Romæ ſui corporis quæſtum faceret, occaſione vicinitatis biennio, aut alio veriori, & diuturniori tempore familiaritatem, ac commercium habuerat cum D. Ioanne Baptiſta Verallo, tunc tempotis biennio ſeptuaginta annos exuperante; ſed uno eodemque tempore Veneris conſuetudinem habuerat cum Ioanne Iacobo Ferrario, juvene ætatis vigintiquatuor annorum benè habito, ac formoſo, & capillitij rubri, quem unice, & impenſe deperibat, ut in proceſſu apertiſſimè conſtat; bis autem in hoc biennij ſpatio illa conceperat, duoſque peperetat filios, Matthæum nempe effigie, & capillitio rubro, Ioannem Iacobum prænominatum referentem, & Eugeniam eodem capillitio dotatam. Defuncto Domino Ioanne Baptiſta anno ætatis quatuor ſupra ſeptuageſimum, illa in patriam ſe contulit, ac poſt quindecim annos Romam reverſa, agitavit contra Dominam Mariam Verallam Marchioniſſam Spatam uti filiam, & hæredem Domini Ioannis Baptiſtæ, pro conſequendis alimentis, & dote dictorum filiorum tanquam ex eodem Ioanne Baptiſta ſuſceptorum; ſed cum nullam haberet ſufficientem rationem ad hoc fundamentum probandum, à Sacra Rota, coram huic Tribunali lis pendebat, rejecta, eam tamen denuo adire conata eſt: ſed exiſtente inhabilitate D. Ioannis Baptiſtæ ad generandum nimis patente, viſum eſt pro eo, quod ad Mediam ſpeculationem pertinet, ſequenti diſcurſu demonſtrate, tem ad impoſſibile deducendo, prædictum D. Ioannem Baptiſtam non potuiſſe in via naturæ generare.

SUMMARIUM.

1 *Senes generare poſſunt quandocunque poſſunt coire.*
2 *Non eſt quid rarum & inſuetum, ſed naturale quod ſenes etiam in ætate decrepita generare poſſint.*
3 *Homo ut in naſcendo nullum habet determinatum tempus, ſic & in coëundo, & generando.*
4 *Vir generare poteſt, ut proverbio fertur, quouſque furfuris quartarium poteſt elevare.*
5 *Generandi habilitas à natura eſt.*
6 *Animalia ex ſeminis copia ſtimulantur ad coitum.*
7 *Coitum natura inſtituit ad generationem ob ſpecierum propagationem.*
8 *Ex potentia ad coitum elicitur potentia etiam ad generationem.*
9 *Senes multiplici ex cauſa ſunt inepti ad generationem.*
10 *Ex ipſa rei natura fit, ut ſenes tranſacto anno quinto ſupra ſexageſimum, non ſint amplius apti ad generandum.*
11 *Ex qualitate carnium ſenilium habetur qualita ſeminis ſenilis.*
12 *Semen eſt ſanguis exquiſite coctus.*
13 *Cauteria geſtantur ad curandos morbos, & ad præſervandos homines ab ipſis morbis.*
14 *In Valetudinarie neque generandi, neque coëundi potentia præſumitur.*
15 *Ex valetudine ipſa homines ſiunt infœcundi.*
16 *In decrepito valetudinario præſumi debet conclamata genitalium ignavia.*
17 *Cauteria diu geſta reddunt homines infœcundos.*
18 *Cauteria in Senibus improbantur, & cur?*
19 *Præſumptio potentia generandi in Sene, vel Decrepito, habet locum in Bene robuſto, non valetudinario.*
20 *Ætates non annorum numero, ſed viribus menſurantur.*
21 *Vires in Senibus non præſumuntur.*
22 *Habilitas generandi adeſt vigentibus viribus, ceſſantibus autem ceſſat.*

TAmetſi generandi impotentia in Do. Jo. Baptiſta Verallo adeo conſpicua eſſet, ut nullo modo niſi cavillis ac falſis ſuppoſitionibus, effectiſque miraculis oppugnati potuerit tamen non relinquebat Angela Beverétia inſtare pro favorabili ſententia, pluta in medium adducens ad ius ſuum ſuſtinendũ.

Nos permultis, quæ ad rem noſtram pertinent ſilentio tranſactis pluribuſque aliis, quæ jam ſatis ſuperque diſcuſſa, & eluſa ſunt, rem ad impoſſibile deducere facile poſſumus, ante omnia nonnulla adducentes, quæ præter earquæ in ejus favorem ſcribentes adduxerunt, de novo adduci poſſent, ut his quoque integre ſatisfiat.

Ac primo dici poterat, quoſlibet homines, non inquam ætatem ante ſenectutem degentes, ſed ipſiſſimos ſenes, immo vero etiam decrepitos, quandocunque ad Venerem apti ſunt, eſſe aptos etiam ad generationem, ut mille exemplis ac quotidianis experientiis probatur; ex quibus habemus ſenes non modo ſeptuagenarios, ſed jam decrepitos & octogenarios, ac nonagenarios, & ætate majores, filios genuiſſe; atque id non eſſe quid rarum, & in via naturæ inſuetum, ſed immo eſſe quid naturale, & pluribus hominum commune, non deſunt ex optimis Medicis qui aditruant, acriterque tueantur; & præter quamplurimos Avenz. *lib. 2. Theſ. tract. 3. cap. 1* Laurent. Joubert. *lib. 2. Error. Popul. cap. 11.* Felix Plater *Centur. poſth. Quæſt. Medic. Paradox. & Endox in Patholog. num. 21.* & id ipſum admiſit Rota *in Romana pratenſa filiationis coram Verospio num. 12* & alii, quos recenſere pro nunc ſupersedeo. 1 2

Nec videtur à conditione hominis id alienum, qui & in naſcendo nullum habet determinatum tempus, ut communis fert opinio; ſic & in coëundo: ut Hippocr *in epiſt. ad Damagetum* dicebat unde & in generando non habere illum determinatum tempus ex ſui natura veriſimile videtur. Nihil ergo obſtare poteſt ætas ſenilis Dom. Joan. Baptiſtæ Verallı, quin filios procreare poſſet, cum haberet coëundi potentiam, & cum ipſa Angela ad libitum congrederetur, nam ſi potuit coire, potuit etiam generare, ut inferius clarè oſtendendum. 3

Secundo, ſi, quæ proverbio jactantur, pro probatis verbis habentur, jam proverbium quoddam, de quo Laurent. Joubert. *loco. cit.* meminit, ejus rei veritatem apprimè comprobavit: eſt autem illud proverbium quod ſequitur, Hominem quemcunque filios procreare poſſe, quouſque furfuris quartarium poteſt elevare: at hoc nullo labore indiget, ita ut nunquam tam effœtæ vires in aliquo ſene reperiantur quin ad elevandum furfuris quartarium ſufficiant. Ex qua paræmia deduci abſque ulla hæſitantia debet, quod naturaliter homo etiam in ſenectute grandi aptus eſt ad generandum: quod ſi id omnibus Senibus eſt commune, abſque omni ratione ea aptitudo Dom. Joan. Baptiſtæ adimitur.

Tertiò, id ipſum roboratur ex Jureconſultorum aſſertione, qui volunt generandi habilitatem à natura eſſe, & ideirco ſemper præſumi: Alciat. *de Præſumpt. num. 1, præſumpt. 41. reg. 1.* Menoch. *cod. tractat. lib. 6, præſumpt. 9. n. 1.* quæ autem à natura ſunt, non removentur à ſubjecto, cujus ſunt; unde non poteſt firmari eam habilitatem in Sene ceſſare, non deficientibus præſertim iis annexis, quæ ad eam operationem requiruntur, ut maximè corporis vigore, & ſufficientia ad coitũ, nam certum eſt quod ſtante coëundi potentia, natura ſit valida: & ſeminis procreatrix, cum Animalia ad coitũ ſtimulentur, & ad illum ſufficiant ob ipſius ſeminis copiam in corpore manentem: quam cum expellere nitatur Natura, ne ejus expulſio ſit fruſtratoria, genitales partes ſpiritu à corde tranſmiſſo erigit, ut apte ipſum ſemen in fœmineum uterum ejaculentur. Itaque quotieſcunque videmus Naturã ad hoc ſufficere per genitalium erectionem, & ſeminis ejaculationem, de neceſſitate ſequitur talem coitum non eſſe fruſtratorium, ſed eſſe ex ſui 4 5 6

natura genitivum. Cum igitur prædictus D. Joan. Baptista per 14 annum plurimum annorum cum Angela carnale commercium habuerit, negari nullo pacto debet ex tali conjunctione potuisse Angelam concipere, ut verè concepit, & filios parere, ut cum effectu successit.

Quartò, multò fortius habet locum in D. Joan. Baptista præsumptio illa naturalis habilitatis ad generandum, quia ex sui natura fœcundus erat nam licet ex prima, ac tertia uxore filios non habuisset, fortè ob earum culpam, ex secunda plures filios susceperat, inter quos ipsam Dom. Marchionissam Mariam; cumque coitus ad procreationem filiorum Natura
7 instituerit. & ex ipso tantum sit generandi spes, pro certo existimandum, ipsum D. Joan. Baptistam alias potentem ad coëundum, & generandum, adhuc in ætate procedentem ad eandem potentiam fuisse habilem maximè cum habilis esset ad coitum, qui, ut dictum est, terminatur ad generationem.

Hæc & alia levioris momenti in favorem Angelæ afferri poterant, ex quibus sequebatur, D. Joan. Baptistam habuisse habilitatem generandi; stante maximè habilitate ad coëun-
8 dum, & cum constet ipsum coitum exercuisse cum ipsa Angela; de necessitate sequitur possibilitas procreationis illorum ex ipsius coitu.

Si rem tamen penitiùs expendamus, ac statum, & conditionem D. Jo. Baptistæ rectè examinemus, apertissimè patebit, ipsum non potuisse unquam eo tempore, quo Angela dictos filios concepit habilem esse ad coitum, & multò minus ad generationem, sed habuisse ad utrumque tantam inhabilitatem, ut impossibile fuerit, eum in via naturæ potuisse generare.

Quod ut omnimodè pateat, sciendum, ut ex processu constat, Dom. Joan. Baptistam septuagenarium, immò septuaginta duobus annis majorem cœpisse cum prædicta Angela familiaritatem habere: erat autem temperamenti biliosi, cum suddominio pituitæ, pectore non admodum lato, distillationibus perennibus obnoxius, vocis exilis ac penè muliebris; symptomatibus quamplurimis ita molestatus, ut valetudinariam vitam non adhuc declinante per annos ætate degeret; quamobrem quatuor cauteriis, uno scil. in singulis brachiis, & singulis cruribus, infestantibus morbis occurrere procuraverat. Uxores tres duxerat, neque ex priore, neque ex postrema filios susceperat, sed tantum ex secunda, cum qua tamen post annum suæ ætatis tertium suprà quinquagesimum generare desiit. Has ergo hujus subjecti conditiones si ponderemus,
9 luce meridiana clarius apparebit, non solum omnes simul acceptas, at earum singulas per se de necessitate reddidisse illum non modò ad generationem, sed ad coitum etiam omninò impotentem. Quibus si addas ætatem jam decrepitam, ac præcipitatam, facilè id quod dictum superius est, deduces generationem ex parte ipsius fuisse in via Naturæ impossibilem.

Et ut de ætate ante omnia aliquid dicamus, notissimum est, Senes licet viribus constantibus, prout senilis fert ætas, esse ex ætate ipsa ad generationem impotentes secundum plurimum,
9 ut esse solent, quæcunque secundum Naturæ ordinem proceduot, licet in particularibus aliquando, sed de rarò is ordo non servetur. Hæc autem generandi impotentia in Senibus non ex unica, sed ex multiplici causa dependet. Naturaliter
10 ergo ultra sexagesimum quintum annum ut plurimum non generant, calore naturali deficiente, ex cujus defectu illi excrementis pluribus, ac frigidioribus ipsummet calorem obruentibus scatent, sanguinem habent spiritibus orbatum, ex cujus materia semen aut non generatur, aut inepcum ad opus generationis procreatur, unde & quantitate paucum, & substantia liquidum, fluidum, & aquosum, consueto odore privatum, ac nulla cohærentia subsistens.

Hæc ita se habere Medici fatebuntur; sed neque ii qui Medici non sunt, negabunt, si ad ea quæ subjungam, animum advertant. Consideremus obsecro omnes, ac quascunque ipsorum Senum actiones quantoperè à prægressa illa alacritate deficiant, & firmabimus quantopere deficere simul debeat coëundi actio, & multò magis generandi.

Sed omittamus hæc, & alia permulta: consideremus tantum senilis corporis partes, quam ineptæ ad officia sua obeunda existant, ac pro certo determinabimus, quam inepta esse debeant genitalia ad ea officia ad quæ summus naturæ vigor requiritur.

Sed ne de hoc quidem verba fiant, carnes ipsas seniles contemplari non pigeat, ac ex earum conditione facilè elicies qualem sanguinem, ac quale semen Senes intra se generent.
11 Quod si facias, carnes eorum conspicies flaccidas, ac emortuas calore pallescentes, vel albicantes, tactu marmoreas, ac omni calore emunctas: at verò talis caro generatur, qualis sanguis est ex quo generatur, ac tale etiam semen ex sanguine producitur, qualis est sanguis, ex quo producitur, cum semen ipsum sanguis sit: Galen. *lib. 16. de usu Part. cap. 10.*
12 *& lib. 2. de sem. cap. 2. & alibi.*

Hanc veritatem sensus ipse exterior nobis persuadere potest, ac verè determinare. Senum semen non solum infœcundum, ac nullius valoris esse, sed seminis naturam non amplius servare. Quæ omnia secundum plurimum in omnibus Senibus verificantur: quòd si in quibusdam pertranseuntib. annos qui in aliis constituuot senectutem, non habent locum, hos non adhuc Senes esse asseverandum; sed tandem tamen hos ipsos ad idē. ad quod cōmuniter alii deveniunt, licet serius devenire, quis est qui negare audeat? naturaliter calor nativus eūdo decrescit, licet id decē, aut viginti annis serius, aut citius eveniat, ad senectutē tandem pervenitur. quæ nihil aliud est, quā ipsius caloris manifestum decrementum, ad quod ea omnia incommoda sequuntur, quæ senectutis propria esse dicebamus.

Cæterum, si hæc naturaliter verificantur in quibusvis senibus, quid dicendum de Sene decrepito valetudinario, ut erat D. Jo Baptista quando cum commemorata Angela commercium habuit? Quòd enim esset valetudinarius, immò inquā, omninò infirmus egemusne adhuc testibus? cū quatuor cauteria gestaret, quæ non nisi ad curandos morbos gravissimos, 13
eosque evitandos excitari solent, & si unum aut alterum cauterium indiciū certū facit adversæ valetudinis ejus qui illud gestat, quodnam indicium malæ valetudinis faciet quatuor cauteria uno, eodemque tempore gestata? Satis ergo superque constat ex his D. Jo. Baptistam fuisse valetudinarium. Quoniā pacto igitur possumus præsumere, illum fuisse habilem ad generandum: si in valetudinario non præsumitur potentia ad
coëundum? Mascard *de probat. concl.* 312. *n.* 10. *vol.* 1. sed dato, 14
quòd præsumi posset in illo habilitas ad coëundum, extra omnem veritatem est, præsumi consequenter posse habilitatem generandi, qua ex valetudine ipsa homines evadunt steriles. Ludov. Mere. *lib. 3. de fer. & pragm. off. c. 5. n.* 373. & idcircò 15
Senex valetudinarius inhabilis reputatur ad generandum: Rota *in Romana praten. filiationis*, 22. *Junii* 1657. *coram Verospio n. 6.* Hinc igitur facilè deduc tur facti impossibilitas, nempè, quod Angela, de qua agitur, ex ipso D. Joan. Bapt. filios susceperit, quia non modo is redditus erat per ætatem, & per valetudinem impotens ad coëundum, sed tantoperè in illo naturalem vigorem succubuisse dicendum, ut ne ullum quidem apetitum, neque ullum carnis stimulum in eo statu illum expertum fuisse sit firmandum, sed non secus ac aliis Decrepitis, illi evenisse dicendū, de quibus Juv. *sat* 10. *vers.* 104.

——— *Coitus jam longa oblivia, vel si*
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamvis tota palpetur nocte, jacebit.

Jure ergo in D. Joan Baptista jam decrepito, & valetudinario debet præsumi conclamata genitalium ignavia, cum in 16
illo & per ætatem, & per valetudinem, omnem nativi caloris vel minimam scintillam extinctam esse fateri cogamur: Unde ad impossibilitatem reducitur, quod potuerit generare.

Sed ad ulteriora properandum; nam præter gravem ætatem & vitam tam adversæ valetudini obnoxiam. D. Jo Baptista, ut diximus, quatuor cauteria à multo tempore aperta gestabat; quæ sola per se evidētissima causa infœcunditatis, ac consummatæ impotentiæ generandi esse poterant; nam cum per ea fiant perennes, ac quotidianæ humorum evacuationes, necesse est, corpus & sanguinem inde omninò refrigerari, omnemque vigorem amittere: nam notissimum apud Medicos est evacuationes omnes, si copiosæ fuerint, aut continuatæ, & perennes, etiamsi non sint copiosæ, spiritus absumere, & caloré naturalē extinguere, sed signanter de ea, quæ per cauteria fieri solet, id 17
verificatur eo maximè nomine, quia corpus insigniter debilitatur unde ea de causa in Senibus cauteria improbātur, Card. *de* 18
san. tuend. l. 4. c. 5. sed insuper ea homines infœcundos reddere, vel Hipp. *in l. de Aër. Aq. & loc. text.* 41. auctoritate constat: nam adducens exēplum Scytarum, hæc habet: *Scitha omnium hominum minimè sunt ad coitū valentes, eo quod humoris detractionem ex perustione cauteriorum semper habent*, &c. Sed & Lud. Merc. *l. 3. de fer. & pragm. affect. c. 5. n.* 375. *vers. cujus rei exemplū*, apertissimis verbis id ipsū testatur ponens, inter evidentes causas infœcunditatis in viris fontanellā, seu cauterium in occipitio, vel in brachiis diu apertum, & plurimū fundens. Quod confirmat etiam Fort. Fidel. *l. 2. de Rel. Medic. c. 2. n. 61. valdè obsoi, &c.* Itaque si cæteri hominum in ætate vegeta, & viribus valētibus, atq; ex sui natura fœcundi ex uno aut altero cauterio in brachiis gestato steriles efficiuntur, quid pronuntiandum in Sene decrepito, ac maximè valetudinario, quatuor cauteria adaperta, uno eodemq; tempore gestante; facilius ex mea sententia (medicus fidius) est ex marmorea statua Angelam susceipere potuisse prolem, quam ex ipso D. Joan Baptista.

Sed ne objecta in contrarium absque responsione relinquantur, dicendum ad primum, quòd admisso, hominem posse in quacunque ætate etiam in decrepita generare, idque non esse quid rarum. sed naturale & consuetum, de Senibus, ac 19
decrepitis hoc asseverandum firmis, ac benè valentibus; non

de debili

de debilibus & valetudinariis : Rota *in sup. cit. Rom. pratensa filiationis, num 6* nam quemadmodum illi, qui sani, ac robusti sunt, etiam octogesimum annum attingentes, Senes, aut Decrepiti verè non sunt, ita qui valetudinariam vitam degunt, & viribus sunt imbecillibus ante sexagesimum Senes, & Decrepiti iure appellandi ; nam ut passim apud Medicos tractatur, Ætates non annorum numero, sed viribus mensurantur, quæ
10 ex actionum virtute, & energia se manifestè produnt, unde Octogenarius, vel Nonagenarius, qui coire, & generare est aptus, quæ actiones viris robustis, iuvenibus sunt connaturales, non est verè Decrepitus ; cum contra Quinquagenarius ad eas operationes ob corporis imbecillitatem insufficiens, verè decrepitus est, & sic nunquam cum veritate dici potest, Decrepitum hominem posse generare, quia Decrepitus non vocandus, neque verè est, qui annos habet alios homines Decrepitos declarantes, si præ aliis hominibus viribus constent, sed qui in prædicto annorum termino vires iam amisit neque enim Senex potest esse, qui vires habet integras, ut ex Galeno *lib. 1. Method. med. cap. 9.* aliàs dixi, quia illicò atque quis sit Senex, omni robore privatur idem Galen. *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 9* & in summa naturaliter cum senecture virium robur stare non potest, ita ut quousque virium robur durat, etiamsi id fieret ultra centesimum annum, Senex homo neque est, neque dici debet. Absente ergo vigore naturali, & calore nativo deficiente, dicendum vere Senem esse, nempè qui ob ætatem corporis robur amisit, naturaliter generare non posse. Quinimmò verum non est suppositum in contrarium dictum, nempe quod homo generare possit, quandocunque posse coire, quia coitus Senum inanes sunt, neque enim ad generandum sufficit coëundi potentia, sed requiritur semen fœcundum substantia laudabili, ac spiritu multò turgens, quale in senibus non reperitur, qui licèt aliquando stimulentur ad coitum, id fit à copia flatuum, non à turgentia seminis, unde coitus ipsis est maximè noxius.

Non dissimili responsione satisfit secundæ instantiæ, quandocunque enim dicamus, Senem, si ad coitum potens sit, esse etiam potentem ad generationem, id non de verè Sene, nempe qui cum ætate vires corporis amisit, sed de Sene habente
21 quidem annos senectutis, sed vires iuveniles, & corpus firmum, ac robustum, ac integras vires, quæ in verè Senibus, ut diximus, non adsunt ; quòd si adsint, verè Senes non sunt.

22 Ad tertiam obiectionem dicendum, verum quidem esse generandi habilitatem à Natura esse, quæ à sufficienti corporis robore : & viribus dependet ; at iis cessantibus, eam insimul cessare, ut alia permulta faciunt ; an non ciborum concoctio à Natura est, ea ubi calor viget, optimè succedit, ac calore per ætatem diminuto, etiam concoctio diminuitur, & sic de cæteris, unde non sequitur ex hoc, quòd Dom. Ioann. Baptista aliàs fuerit habilis ad generandum, & hanc habilitatem à Natura habuerit, ut alij homines, idcircò semper sit præsumendus habilis ad idem.

Quæ responsio satisfacere etiam potest ultimæ instantiæ quia licèt ille fuerit fœcundus in ætatibus antecedentibus senectutem, vel ex ipsius senectutis vel ex adversæ valetudinis vitio, vel ex aliis evidentibus causis infœcundus factus est ; quæ ad hoc ita concurrunt, ut illum adeò sterilem reddiderint, adeoque ad generandum inhabilem, ut in via Naturæ ampliùs generare non poterit.

Ex quibus satis superque facti impossibilitas, neque conceptionis Angelæ ex Domino Ioanne Baptista facta, probata remanere videtur.

CONSILIUM LXXVI.

Ad titulum primum Libri tertij, De impotentia coëundi, & generandi.

ARGUMENTUM.

Cùm destinasset Excellentissimus Dominus Princeps N. N. ducere in uxorem Excellentissimam Virginem, boni profectò habitus, ac viribus integris : excitatus est à quodam, nescio quo, Medico scrupulus circa eius fœcunditatem, asserendo, quòd Gemellorum imparis sexus, fœmina, qualis erat destinata sponsa, inhabilis sit ad generandum. Hinc factum est, ut Princeps de ea dubitari de fœcunditate Excellentissimæ Virginis, ex eo quod nata cum gemello disparis sexus, quippe cùm acceptissimum omnibus sit primùm. Gemellos in humana specie contra Naturæ legem nasci : Aristot. *lib. 4. de Generatione Animal. cap. 6. & lib. 7. de Histor. Animal. cap 4.* Plin. *lib. 7. Natur. Histor. cap. 1.* Avic. *21. tertij tractat 1. cap. 17.* unde idcircò debiliores quàm ut ad vitam traducendam sufficiant, nascuntur ; ac semper evenit, ut alter geminorum multò magis altero debilis existat, ob rationem assignatam ab Hippocrate, *lib. de natura Puer. num. fi.* in hæc verba : *Et non semel & simul genitura procedit, sed & bis, & ter ebullit, & eiaculatur, & non est possibile omnem esse fortem tum quæ prius exivit, tum quæ posterius, &c.* Cùm autem fœmina ex minùs forti seminis portione compaginetur, evenit semper, ut vel citò succumbat, vel si supersit, vitam brevem ac valetudinariam, & ad opera Naturæ insufficientem traducat. Addendum his, quod non modo mas ex seminis fortiore portione formatur, sed tanquam robustior, ac calidior, dum simul cum fœmina in utero materno permanet, omnem alimenti, ac laudabiliorem, & uberiorem portionem ad se allicit. unde fœmina ex reliquis sanguinis materni malè, & insufficienter nutritur, & sic nascendo vel illicò decedit ; vel si aliquantisper vivat, vitam valetudinariam, ac morbo obnoxiam traducit.

Sed non modò Gemellos eiusdem sexus nasci, contra Naturam est, sed multò magis contra Naturam esse Gemellos nasci disparis sexus, ab iisdem Sapientibus non sine ratione firmatum est ; idem Aristot. *lib. 10. Problem. 29. & ibi* Conciliat. *in comm.* & Ludovic. Septal. cui omnes Doctores assentiuntur, indesinenti experientiæ innixi ; ac profectò multò plura inconvenientia intervenient, existentibus gemellis diversi sexus, quàm cùm sunt eiusdem sexus, nam circumscripta insufficientia matris ad subministrandum duobus alimentum, quòd uni tantùm sufficere debuit, ubi sexus diversi sint, intervenit varietas in tempore conformationis, cùm mas citiùs, fœmina serius conformetur, & idcircò non possunt eodem tempore matureſcere, Aristot. *loco citato, de generatione Animalium*, ad quod etiam facit id, quod suprà dicebamus, nempe vis maior, ac magis vegetus calor ipsius maris, (vel fortè etiam fœminæ quæ ex prima seminis eiaculatione orta est) ex quo fit ut attrahens calidiorem, ac pariorem sanguinem pro se, fœmina (vel fortè mas, qui ex debiliori portione seminis compaginatus est) parciori, ac deteriori nutrita, non facile ad debitam perfectionem perveniat, & si modò nascatur, omninò debilis, & ad naturæ opera inepta perpetuo existat.

Hinc etiam fit, ut in nascendo quoque non minimum intervenial inconveniens, quippe cùm mas multò citiùs ortum acceleret, quàm fœmina ; ergo vel fœmina cum mare ipso nascitur, & deficiens à sibi debita perfectione vitam obit ; vel si in utero remaneat, ob puerperiorum purgamenta occasione ortus ipsius maris prodeuntia, omni alimento defraudatur, ac marcescit, & in summa quocunque modo fœmina cum mare gemello concipiatur, semper ac de Naturæ quasi necessitate extremæ debilitatis est, & ad opera ipsius Naturæ, si vivat, in-

SUMMARIUM.

1 *Gemelli in humana specie contra Naturæ legem nascuntur.*
2 *Gemellos nasci disparis sexus, magis contra naturam est quàm eiusdem sexus.*
3 *Mas multò citius ortum accelerat, quàm fœmina.*
4 *Sicut res se habet ad esse, ita ad operandum, & num. 6.*
5 *Gemellorum partus sexu disparium magis contra naturam ; quàm partus octimestris.*
7 *Ad generandum unusquisque à Natura præsumitur habilis.*
8 *Partus geminatio in homine periculi plena.*
9 *Experientia unica rerum magistra.*
10 *Non est perpetuum, quòd quotiescunque sunt gemini mas & fœmina, moriatur fœmina.*
11 *Multum interest ex librisne, an experientia loquamur.*
12 *Septimestres, licet ut plurimum non vivant, non omnes reiiciuntur tanquam non vitales.*
13 *Ubi natura vigor eminet, societas gemelli diversi sexus, non reddit illos ad ulla Naturæ opera inhabiles.*

NOn sine omni fundamento prima fronte visum est, du- 1

cenda anceps existens, nullam in ea re eam ob causam resolutionem caperet. Consultus ergo sequentibus satisfeci.

ſufficiens ; quia ut dicitur, ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad
4 operandum ; cum autem inter opera Naturæ maxima, ac præcipua ſit, & quæ majus robur in fœmina requirit, ſimilis generatio ad ſpeciei conſervationem, certum eſt quòd quemadmodum in eſſe fœmina nata cum mare gemello, malè omninò, ac debiliter ſe habet, ita etiam, in ò multò magis ad hoc generationis opus malè omninò, ac debiliter ſe habebit; & ſic aut nullo modo generabit, aut cum ſumma difficultate, aut tandem fœtus emittet malè habitos, & minimè vitales, vel defectuoſos, vel etiam monſtruoſos, ut experientia ipſa compertum eſt.

His igitur ſic ſe habentibus, non videtur præter rationem Frederic. Bonaventura *lib. 3. de Octimeſtr. Part. cap 69.* firmaſſe Gemellorum partum qui ſexu diſpares ſint, magis contra Naturam eſſe, quam partum Octimeſtrem; licèt ſcire debuerit, quod Octimeſtris ſemper naſcitur præter Naturæ intentionem, & à cauſa violenta manumittitur, in partu verò Gemellorum, etiam ſexu diſparium, concurrere aliquando ipſam
5 Naturam, ob Genitorum robur, ob quod & ipſi Gemelli etiam ſexu differentes non modò vitales naſcuntur, ſed non ſecus ac alii quicunque homines robuſti ſunt, ac longam vitam, & ſanam degunt, ut clariùs ex afferendis experientiis patebit.

Res ergo non ita ſuperficialiter tranſigenda, ſed ſecundùm ſubjecti ; circa quod dubium verſatur, conditionem decidenda. Quod enim ita in rei veritate eveniat, ut naſcentibus Gemellis diſparis, ſexus, utplurimum minimè vitales, aut ſaltem ſummæ debilitatis, ac maximè fœmina exiſtat, non negandum: unde neque inficiari licet, quòd ubi res eo modo eveniet, nimirum, ut ſummam debilitatem & ineptitudinem ad vivendum præſeferant, fœmina & valetudinaria, & infœcunda futura ſit : ſed ubi convenienti robore dotentur, & nullam debilitatem, repugnantiam ad vivendum præſeferant, inferre quod fœmina ex hoc quod cum mare nata ſit, ad generationem ſit inhabilis, neque rationi conſentaneum eſt, neque auctoritate ulla munitum, neque ulla experientia confirmatum ; quinimò & rationi contrarium eſt, & auctoritati adverſatur, & experientiæ non reſpondet.

Et quoad rationem aſſumpto Adverſariorum dicterio il-
6 lo, de quo ſupra, quòd ſicut res ſe habet ad eſſe, ita etiam ad operandum, certum eſt, quòd quandocunque fœmina nata cum mare Gemello bene ſe habet ad eſſe, bene ſe habebit ad operandum; cùm igitur excellentiſſima Virgo non bene tantum, ſed optimè ſe habeat, ad eſſe, quia & optimè conformata eſt, & optimum obtinet temperamentum, & vires ſortitur integras, optimè quoque ſe habebit ad quamcumque Naturæ operationem, ac præcipuè ad generandum, ad quod unuſ-
7 quiſque ex ſui natura præſumitur habilis: Andr. Alciat. *de præſumpt. Reg. 1. præſumpt 41. n. 1.* Rota *in Bononien. de Bucca. ferrien 27. Maii 1657. coram Zarate*, & jure quia quæ à Natura ſunt, ſemper præſumunt adeſſe, ut eſt notiſſimum.

Præterea nulla aſſignatur, vel aſſignari poteſt ratio, cui fœmina, quæ cum mare gemello naſcatur, inhabilis exiſtimari, imò damnari debeat ad generandum, ubi neque debilis à nativitate, neque ullo vitio ſe labefactatam præſeferat; ſed è contra in ea vigeat firmum Naturæ robur, & emineat aptitudo ad omnes alias Naturæ operationes. Incaſſum ergo, & inaniter omninò dubium de ejus infœcunditate excitatur, huic tantùm fundamento innixum, quòd cum mare gemello nata ſit.

Adde his; quòd non major ratio eſt, cur, ubi mas & fœmina in utero materno concipiantur, fœmina tantùm ex matris ſocietate hanc generandi inhabilitatem contrahere debeat, non autem mas ex ſocietate fœminæ ? & tamen conſtat aliquando marem, aliàs etiam fœminam, aliaſque utrumque fœcundiſſimos fuiſſe, ut illuſtribus experientiis confirmatum inferiùs oſtendemus.

Sed neque ulli auctoritati hæc opinio, ut diximus, innititur ; nam etiamſi ſuſque deque, quotquot volumina Claſſicorum Auctorum lucem viderunt, revolvantur, nuſquam in ea re dubium aliquod excitatum comperiemus, non obſtante,
8 quod omnes optimè noverint, partus geminationem in homine periculi plenam eſſe, ac faſti ſint, id ipſum multò magis habere locum, ubi nati ſexus diſparis exiſtant. ac frequenti experientia firmarum eſſe aſſeveraverint, in hoc partu & matrem ſimul & pueros utplurimum periclitari; & ſi fortè fortuna nati ſuperſint, vitam valetudinariam, maximéque morbis obnoxiam traducere ; quin & corpore aliquando mutilos, ac malè formatos & monſtroſos eſſe, cum tamen de hac repugnantia, & inhabilitate ad generandum, nullus, quod ſciam (at ſcire me certò profitor) unquam, aut uſquam ne verbum quidem.

Sed ad experientiam accedamus unicam rerum magiſtram, 9
ac certiſſimam omnium rerum judicatricem, Galen. *lib. 1. de ſimpl. Medicam. facul cap. 31.* quæ apertiſſimè nobis oſtendet, Gemellos diſparis ſexus aliquando non tantùm adoleviſſe, ſed incolumi ſanitati vitam ad ſenium uſque produxiſſe, quin & ex illis matrem & fœminam fuiſſe fœcunditate inſignes.

Ac primò exſtat teſtimonium D. Auguſtini *lib 5. de Civit. Dei, cap. 5.* in quo plures ſimiles fœtus & vixiſſe, & robuſtos exti iſſe teſtatur; aliique ex Medicis id ipſum firmant, ac proprias obſervationes in medium afferunt, ut inter recentiores Frederic. Bonavent. *loco ſup. cit.* & Iul. Guaſtavin. *in comm. lib. 10. Problem. Ariſtot. n. 19.* Ego inquit, *novi geminos natos marem, & fœminam incolumi matre adoleviſſe, & juventuti proximos etiamnum vivere.* Præterea Ioan. Gallego della Serna Philippi Tertij. & Quarti Regum Hiſpaniarum Archiater 10
lib. 3. de Princip generat. tract. 3. cap. 34. ſuum teſtimonium adducit his verbis : *Et ideò nonpræpetuum, quod quotieſcunque ſunt gemini mas, & fœmina, moriatur fœmina ; cognovimus enim geminos marem & fœminam viventes adhuc ſatis robuſtos ; aguntque iam quinquageſimum annum.*

Sed ut ad immediata accedamus, nec ſolùm ad longum tempus vivere incolumes gemellos diſparis ſexus conſtat, ſed alterutrum aliquando, interdum etiam utrosque eſſe fœcundos. Audiamus primò D. Auguſtinum *loco cit. cap. 6. Novimus*, inquit, *geminos diverſi ſexus, ambo adhuc vivunt, ambo ætate vigent adhuc, quorum cùm ſint inter ſe ſimiles corporum ſpecies quantum in diverſo ſexu poteſt, inſtituto tamen & propoſito vita ita ſunt diſpares, ut præter alvum, quos neceſſe eſt à viribus diſtare fœmineos, &c. ille conjugatus, illa virgo ſacra eſt; ille numeroſam prolem genuit, illa nec unquam.* Demique, ne longa Auctorum recenſione tædio Lectori ſim, ſatis ſit Roderic. à Caſtr. *lib 3. de nat. Mul c. p. 13* exemplum retuliſſe. Cùm ergò Auctor hic omni fide dignus communis opinionis circa hoc dubium mentionem habuiſſet, hæc verba ſubdit: *Attamen amantiſſimus frater meus Franciſcus à Caſtra gemellus eſt cum charitſſima ſorore Leonora Paex, quorum uterque ſummo Dei beneficio quadrageſimum ſeptimum egit annum, atque ille non ſolùm viribus corporis, verum etiam (quod citra invidiam dictum velim) Animi ornamentis, virtute prudentia, & morum integritate conſpicuus; ſoror verò quamillum uno die tantùm præverit, numeroſam habet prolem, &c. quibus aliis ſimiles geminos D. Auguſtinus vidiſſe refert, ut etiam contra Ariſtotelem colligas, multùm intereſſe ex, libri, an experientia loqui.*

Non ergo ex eo, quod nonnulli, qui naſcuntur Gemelli, & 11
ſunt diſparis ſexus, non facilè vivant, & imbecilles ſint; & ad opera naturæ parum habiles, deducendum neceſſe eſſe, ut omnes, qui ſic naſcuntur, iisdem vitiis laborent : nam quemadmodum Septimeſtrium, licèt plurimi non vivant & imbecilles ſint, ut ex ipſiuſmet Hippocrat. *in lib. de Septim. & Octim. Part. & de Cornib.* & ex aliorum omnium auctoritate, & conſenſu probavi *lib. 1 Quæſt. Medico-leg. tit 2. quæſt. 3. & alibi*, aliqui tamen vitiis ſimilibus & vivunt, & adoleſ- 12
cunt, & non ſecùs ac cæteri quicunque homines ad opera Naturæ ſunt ſufficientiſſimi : ita etiam ex iis qui Gemelli ſunt, aut etiam diſparis ſexus, licèt plurimi intereant, & ſi vivant, imbecilles ſint, & valetudinariam vitam traducant, aliqui tamen ob Genitorum robur ipſis quoque communicatum & vivunt, & adoleſcunt, & ad opera Naturæ ſunt, ut cæteri quicunque homines, ſufficientes, etiam ad generandum, cùm ſocietas Gemelli diverſi ſexus non id poſſit, ubi vigor Naturæ emineat, ut illos ad opera Naturæ, & præcipue ad generandum inhabiles faciat.

CONSILIUM LXXVII.

Ad Titulum ſecundum Libri ſecundi, & ad Titulum tertium Libri tertij.

ARGUMENTUM.

Olympia, uxor Tiberij Pantoſchi, vigente Peſte, cùm febre correpta eſſet cum vomitu, capitis dolore, ſiti, ac ingenti inquietudine, & ſpatio quatridui deceſſiſſet, ac pridie quàm decederet, in

inguini

inguinibus paruмper doluiſſet,non apparente tamen inſigni tumore, nec rubore, à Peſte ipſam fuiſſe ſublatam dicebatur cùm alia ex parte defunctæ propinqui, eam non ex peſte, ſed ex veneno à marito porrecto deceſſiſſe firmarent. Itaque cadaver domi per aliquot horas detentum putreſcere incipiens (dum Fiſcus illud recognoſcere vellet per Medicos ad hoc deſtinatos) elatum eſt in locum, in quo cætera cadavera peſte ſublata reconduntur. Miritus, hoc non obſtante,in carcerem conjectus,cùm mirum in modum propinati veneni ſuſpicionem augeret ſimilis delicti aliàs intentatio,quo tandem uxorem è medio tollere ſatagebat. Hæc à Tiberio ſatis confidenter reſpuebantur.Unde relictis, quæ ad rem Medicam non faciunt,ſequenti diſcurſu, rei veritatem indagare rogatus, eam detegere breviter, ſed dilucidè procuravi.

SUMMARIUM.

1 *Non datur ſecundum aliquos certitudo, hominem expropinato veneno obiiſſe.*
2 *Certa cognitio haberi poteſt, hominem non fuiſſe veneno externo ſublatum, ſed interno.*
3 *Eadem omninò ſymptomata poſſunt apparere ex veneno aſſumpto, quæ ex veneno intus genito.*
4 *Venena intus genita poſſunt referre naturam venenorum externorum.*
5 *Venena externa non poſſunt omnia accidentia veneni interni excitare.*
6 *Tumores in inguinibus non niſi ab interno veneno excitantur, & cur.*
7 *Bubones ſunt ſigna Peſtis demonſtrativa.*
8 *Inguinum tumores leviter apparentes Naturam invalidam ad pugnam cum morbo denotant.*
9 *Victus ſanorum modo inſtitutus, & accidentia magna illicò ab aſſumpto cibo apparentia, propinati veneni ſuſpicionem faciunt.*
10 *Peſtis venenum,ut venena externa ſanos homines adoritur.*
11 *Peſtis venenum magis juvenes, & robuſtos inficit, quàm ſenes, ac debiles, & valetudinarios.*
12 *Peſtis venenum externum eſt quoad modum nocendi.*
13 *Vomitus materiarum corruptarum Peſti familiaris.*
14 *Differentia inter vomitum in Peſte excitatum, & vomitum excitatum à propinato veneno.*
15 *In veneno intus genito febris illico, ab initio apparet, non ſic autem in externo.*
16 *Veneno externo ſublato cadavera non facilè putreſcunt, & cur.*
17 *Venena omnia majori ex parte calida, & ſicca.*
18 *Peſtis venenum quanam ratione tam inter externa, quàm inter interna connumerari poſſit.*
19 *Peſtis venenum cur tam citò putrefactionem avertat.*
20 *Venena putrefacientia, cur non facilè adminiſtrari poſſint.*

1 Licèt nonnulli Medici in ea opinione perſtiterint,quod determinari non poſſit ex certis ſignis,an homo vita functus interno, vel externo veneno obierit, quam opinionem aliqui etiam Jureconſulti ſunt ſecuti, ego eam rem *lib. 2. Quæſt. Medico-leg. tit. 2 quæſt. 6 per totum*, examinans,in eam ſententiam veni, quod licèt univerſaliter loquendo hoc maximè operoſum ſit,tamen *num. ult.* eam concluſionem firmavi, nimirum, haberi poſſe certam cognitionem, atque infallibilem Hominem ex veneno propinato non obiiſſe, quia tametſi omnia pe-
3 nè accidentia, quæ pullulant ex veneni externi aſſumptione, apparere poſſint ex veneni interni violentia; quia venena in
4 noſtro corpore generata poſſunt ad amuſſim referre naturam, & malitiam venenorum externorum; tamen non è converſo
5 ſit, quod venena externa omnia accidentia excitare valeant, quæ excitare ſolent quædam venena interna; ut Peſtis venenum; hoc in caſu noſtro manifeſtiſſimum ſit: quia etiamſi vomitus materiarum corruptarum, ingens ille capitis dolor, ſitis ardens,anxietudo morbi acuties, ac mortis celeritas, & apparentes denique in cadaveribus peticulæ, & exanthemata peſſimi coloris, & livores potuerint ex veneno propinato pul-

lulare, Bubone tamen in inguinibus non niſi à veneno interno originem habere potuerunt, neque unquam in potionatis 6
tale quid obſervatum memini me legiſſe: & ratio evidens eſt, quia apparentia hujuſmodi tumorum ſit ob id, quod Natura ipſa per conſuetas vias, nempè emunctoria exonerare ſe procurat, ubi corruptos, ac noxios humores in corpore ſtabulantes perſentit; at verò ubi veneno externo eſt irritata, per proximiores ductus illud expellere conatur, hoc eſt per ventriculum vomitum excitando, aut per inteſtina (licèt minùs turbò) excitando ventris fluxum. Quibus adde, quòd venenum externum extra venas permanens non poteſt per ipſos ductus venales expelli, ut venenum internum, quod natura ad emunctoria per eoſdem ductus ubicunque exiſtant, ſæpiſſimè, ne ſemper dicam, demandare ſatagit. Ergo apparentia hujuſmodi tumorum vel potè Aures, vel ſub axillis, vel in inguinibus, ſemper facit certitudines, quod venenum, ex quo Æger ſublatus eſt, internum fuerit, non externum; unde ideircò dicitur, Bubones eſſe ſignum Peſtis demonſtrativum. Lud Septal. *lib. 3. de Peſt. cap. 5.* nempè ſignum,quod ſoli Peſti, non ulli morborum convenit: quod in caſu noſtro manifeſtiſſimum fuit, cùm Olympia,ut in proceſſu habetur, tertia ab infuſione morbi in inguinibus dolorem paſſa ſit, in illiſque levis tumor apparuerit. 7

Neque contra hoc quicquam facit quod adverſarii opponant,nempè dolorem illum, ac tumorem, qualeſcumque fuerint,non apparuiſſe ex violentia Peſtis, ſed tantùm ex humorum agitatione à veneno propinato facta, & ex nimia febris non peſtiferæ, ſed tamen malignæ,incaleſcentia, ut alias evenire,nec de raro obſervamus, at in Peſte & tumores,& dolores ubicunque fuerint, multò evidentiores ſunt, cùm Natura ob majorem morbi malitiam conetur noxios humores vi, ac validè ad eas partes expellere.

Reſpondetur enim, quod tantùm abeſt, ut hujuſmodi tumores,cum ſolùm leviter apparent, ex alio morbo, quàm ex Peſte eveniant, ut tunc maximè ex Peſte fieri certiùs commonſtrent, quia arguunt, Naturam ſtimulatam quidem à pe- 8
ſtilentium humorum malignitate ac pernicie ad ſe exonerandum,ſed præ debilitate ſuccubuiſſe,nec ad opus perficiendum ſufficiſſe;& ſic quantoperè poteſt, nos utcumque fidentiores reddere,ac ſpem aliquam ſalutis promittere, cùm tumores foràs proſiliunt,ac de ſe manifeſtam cognitionem præbent, ex eò quòd validam Naturæ virtutem expulſricem, ac ejus ſuperam materiam morbificam, ac peſtilentem dominium oſtendunt,tantoperè cum leviuſculam, aut nullam de ſe ſignificationem præbent, ipſam Naturam jam proſtratam & à morbi malignitate victam portendunt: nam tales peſtiferæ febres adeò exitiales ſunt, ut illico cordi vitæ fonti inſidientur, & ſpiritus omnes, ac nativum calorem obruant, & penitùs extinguant, ita ut ipſam Naturam ne inſurgere quidem momento permittant contra irruentem humorum perniciem; quæ ægrum in citiſſimam, ac quaſi repentinam mortem præcipitat.

Multò minùs contra faciunt, quæ de novo ab Adverſariis obiiciuntur,atque illud præſertim quod à Galen. *lib. 6. de loc. aff. cap. 5* & ab aliis tam Medicis, quàm Jureconſultis, quos adduxi *lib. 2. Quæſt. tit. 2 quæſt. 1. num. 6.* firmatum eſt nimirum quod ſi aliquis cum ſanus, ac robuſtus degeret, victus ratione ſanorum modo inſtituta, ab aſſumpto cibo in prava ſymptomata incidat; certitudinem propinati veneni faciat. 9
Cum ergo Olympia ſana omninò degeret; & repente ab aſſumpto cibo in cœna in tam pernecabilem morbum, tam horrendis ſymptomatibus aſſociatum incideret; eam certè non ex internorum humorum corruptione, ſed ex adminiſtrato veneno ægrotaſſe, ac ſuccubuiſſe firmandum.

Sed hoc nihil omninò afficit,quia Galeni, aliorumque Medicorum aſſertio, licèt alias in cæteris caſibus locum habeat, nequaquam habet locum in Peſte: quia ut notavi aliàs *lib. 2. Quæſt. tit. 2. quæſt. 7. num. 5.* Peſtis venenum non aliter quàm quæcunque potentiora venena externa homines ſanos, ac ro-
buſtos,ſuiſque negotiis graviter incumbentes adoritur, im- 10
miò multò facilius ſanos & robuſtos, quàm debiles & valetudinarios, & ideircò ſemper magis infeſtum eſt juvenibus, 11
quàm ſenibus,ut ex Plin. *lib. 7. Nat. hiſt. c. 50.* Raſi *lib. de Peſte, cap. 1* Fernel. *lib. 2. de abd. rer. cauſ. cap 12.* & aliis notavi *lib. 3. Quæſt. tit. 3. quæſt. 1. n. 53.* etiam Juriſperitorum auctoritate firmavi. Quamobrem humorum naturalis conſtitutio, hominiſque bona valetudo, ac vigor, certum indicium præbent propinati veneni, ſi,ab aſſumpto cibo ille terribilibus ſymptomatibus prehendatur, ſed hæc in Peſte non habent locum ob rationem jam enarratam: cui adde quod ipſiſſimum Peſtis venenum externum eſt, quoad modum nocendi, quia 12
ab extra hominem adoritur, & ab aëre putredo ægris communicatur, vel ab ipſiſmet ægris ſani inficiuntur per con-

tagium, unde non secùs ac alia venena externa homines sanos & robustos adoritur, & ad citam mortem perducit.

Neque item pro adversariis quicquam facit, quòd Olympia illicò atque cœnata esset, & dormitum se conferret, de stomachi dolore, & anxietudine conquesta sit, & plura per vomitum reiecerit sapore abominabili cum cibis assumptis commixta, quæ quidem nihil aliud fuisse firmari potest, quàm ipsius propinati veneni portiones.

15 Verùm hoc symptoma maximè familiare esse solet in primo Pestis insultu, ut Auctores omnes *in tractatu de Peste*, unanimiter testantur, & si quid potest differentiam facere inter vomitum, qui ex propinato veneno excitatur, & illum, qui fit ob violentiam veneni interni, illud est, quòd ubi fiat à
14 veneno assumpto, hominé potiùs sublevat, quàm secùs ita utplurimum illud à morte vindicet, unde est, quod nisi reputantur venena, non occidant, quod peculiare esse erodentium, & putrefacientium venenorum docet Galen. *lib. 3. de simpl. Med. facultat. cap. 25.* at vomitus, qui ex corruptione humorum fiat, nec facilè, nec citò sedatur, nec profluus est, sed interdum per totum morbi decursum durat, ita ut ægros vix ullo cibo, aut potu refici permittitur, quemadmodum in Olympia factum est, quam constat ita pertinaci vomendi voluntate fuisse detentam, ut non potuerit unquam sine molestissima nausea cibum ullum, vel potum capere; unde ex circumstantibus nonnulli, ac præsertim mulieres firmabant, illam præ debilitate succubuisse.

Sed præter hæc non leve judicium facit, quòd Olympia ex
15 veneno interno, non ex propinato obierit, febris ab initio morbi invadens, quæ sicuti cùm veneno externorum facilè, & maximè tam subitò associatur, ita nonnisi ab interno veneno originem in primo insultu morbi habet, & cum aliis formidabilibus symptomatibus se prodit; in veneno autem externo licet symptomata ejusdem gravitatis appareant, cum febre tamen non illico associantur, Daniel Sennert. *lib 6. Pract part. 5 cap. 3* Ergo cùm Olympia illicò à febre, & magnis symptomatibus simul conflictata fuerit, non ab externo veneno, sed ab interno morti adjudicata fuit. Sed ex his facilè unusquisque conjectari poterit, Pestem nonnisi ex summâ humorum putredine excitari, venenum autem propinari absque ulla putredinis præsentia.

Præterea, ut majorem in modum adversariorum sinistra opinio convincatur, adnotandum, quòd Olympiæ cadaver, fisco sic jubente, ut de delicto præsumpto certior fieret, & domi per nonnullas horas servatum, antequam efferretur, summæ putredinis indicia commonstravit, cùm tam brevi tempore fœtorem magnum emitteret, & manifestissimè corrumpi observaretur, quod de directo contrariatur effectibus veneni
16 externi, cujus proprium est cadavera, utplurimum, à putrefactione servare, ita ut difficillimè putrescant, nec verminationem patiantur, teste Seneca *lib. 2. Natur. quæstion. capit. tri. gesimoprimo*, cujus rei causam, quantum ego conjicio, veram, ac propriam eam attuli. *eod. lib. 3. quæstionum loco citato, n. 10.* quòd venena omnia siccitatem corporibus conciliant, quæ contraria putrefactioni est. Hinc etiam fortè evenit, quòd non tam promptè febris ad propinatum venenum consequi solet, nam febris esset indicium putredinis, & ab ea originem duceret, & tamen cum venena penè omnia calida & sicca sint,
17 perpaucis, quæ frigida sunt, exceptis, certum est frigida contrariari febri; cùm ergo calida venena, quæ majorem multò activitatem habent, plerumque non soleant febrem accendere, manifestum inde signum deducitur, ea à putredine corpora venenata potiùs præservare, quàm illa ad eam disponere. Non contemnendum ergo indicium habendum ex cita putrefactione cadaveris ipsius Olympiæ, eam non ex propinato veneno, sed ex interno, nempè ex Pestis veneno occubuisse,
18 quòd in quantum ab aëre ipso putrido, vel à contracto contagio dependentiam habet, externum certè est, ac externum dici meretur, licèt in quantum insignem illicò in corporibus excitat putredinem, absque eo, quod per os sit administratum, inter ingenita connumerandum.

19 Cur ergo inquies, Pestis venenum, si externum est, non eodem modo, ut alia venena externa corpora à putrefactione non præservat, imò non modò non præservat, sed illa quam citissimè corrumpit: an non & hoc ipsum venenum calidissimum est, ut omnia venena externa esse jam superiùs firmatum? Respondeo, quòd Pestis venenum nihil aliud est, quàm ipse aër corruptus, unde & corruptivum ex sua natura est, & in genere eorum venenorum recensendum, quæ putrefacientia dicuntur. Ergo de novo instabis, hoc veneni genere Olympia potuit potionari, & inde procedere tam cita corporis pu-
20 trefactio. Ad hoc tamen dico, quòd talia venena neque administrari facilè possunt, neque administrata celari, cùm facilè se manifestissimis signis prodant ob eorum horrorem, & abominationem præterquam quod si evomantur, ut plerumque fieri superiùs dictum est, non occidunt, itaque cùm Olympia illicò à cœna evomuerit, si vomitus ex administrato veneno excitatum esset, debuisset ei proficere, eamque à morte vindicare, quod cum non successerit, dicendum venenum, ex quo decessit, non fuisse externum.

Adde his, quod Pestis venenum immediatè ad cor, ad cerebrum, & ad majores venas per respirationem se insinuat, venenum autem propinatum à stomacho recipitur, ibique interdum remoratur absque eo, quòd febrem tam promptè excitare possit; quin & substantia ipsius veneni pestilentis, quia tenuis est, in causa esse potest, ut promptiùs, quam quodvis aliud externum venenum (quæ omnia densa, & crassitiei omnino absque dubio substantiæ sunt) ad cor, & propinquas venas, & ad cerebrum se conferat. Ex quibus luce clarius patere existimandum, Olympiam ex Peste obiisse, non ex propinato veneno, ac Tiberium ejus maritum tanquam innocentem esse absolvendum.

CONSILIUM LXXVIII.

Ad Titulum quartum libri quinti

De Aere, Aquis, & locis.

ARGUMENTUM.

Mutius Rabilius duxerat Terracinæ (quæ Anxur antiquitùs dicebatur) virginem uxorem, unicam que filiam, atque hæredem satis divitem, nomine Clementiam, ac se obligaverat in perpetuum cum ea inibi commorari, neque in alium locum illam unquam traducere. Transacto anno, cùm Mutius venationibus, ac commessationibus absq; modo vacaret, neque aliis gravioribus erratis in victu abstineret, in imi ventris rebelles obstructiones, ac deinceps in lentas, ac longas febres lapsus, in cachexiam lapsurus videbatur; unde ex Medicorum consilio, Tibur locum aëris laudabilioris, ac patrium se contulit, ibique in victu cautiùs se gerens, ejus beneficio ita profecit, ut adpristinam sanitatem reversus sit. Omnem igitur prægressæ infirmitatis culpam in pravitatem aëris Terracinensis reiiciens, animum à reditu ad uxorem omninò abalienavit, unde illam, ex qua jam puerum susceperat, & quæ iterum utero gerebat, ad se accersit: illa Marito obediens Tibur se contulit, ibique vix per mensem commorata in tussim, & sanguinis sputum lapsa, timore perculsa Terracinam reversa est, renuens cum marito diutiùs inibi commorari; quam rem ægrè ferens Maritus, instabat pro ejus reditu, contrà instante uxore, ut ille ad se rediret, juxta obligationem in Matrimonii contractu factam. In ea re sententiam meam pro eo, quod ad Medicum spectat, dicere ab Excell. Canonista rogatus, sequentibus satisfeci.

SUMMARIUM.

1 *Pactum de commorando perpetuò apud uxorem non tenet ex aliquorum DD. opinione.*

2 *Ubi adest justa causa prohibens cohabitationem cum uxore, etiamsi pactum de sua natura teneret, irritum evadit.*

3 *Sanguinis sputum semper malum.*

4 *Ex Matrimonii vinculo uxor tenetur sequi virum, & cum illo cohabitare.*

5 *Pactum*

5 *Pactum quòd Maritus teneatur cohabitare perpetuò in loco ab uxore destinato, est contra jus divinum. Contrarium num.* 12.

6 *Pactum præd ictum est omninò licitum ex communi DD. opinione: & num.* 15.

7 *Aër frigidus, ac tenuis is, qui ad Phthisim sunt propensi, est contrariissimus.*

8 *Vxor non tenetur sequi maritum, ubi illa se exponat vitæ periculo.*

9 *Ex sanguinis sputo homines in Phthisim labuntur.*

10 *Ex Phthisi Pulmonis ulcera insanabilia consequuntur.*

11 *Obstructiones partium naturalium, etiamsi rebelles & contumaces sint, minus vitæ periculum habent, quam habeat Phthisis.*

13 *Obligatio Mariti ad dotandam uxorem, quam indotatam duxit, valida est, licet sit contra rei naturam.*

14 *Pactum inter conjuges non petendi, nec reddendi debitum, est validum.*

DVo præcipuè puncta discutienda in hoc casu ex Canonistarum Decretis videntur: & primò, an Maritus cogatur stare obligationi per ipsum factæ de commorando Terracinæ, inibique cum Clementia uxore cohabitando, non obstante prævitate aëris ejus loci sibi maximè infesti. Secundò an ex parte, Clementia, non obstante ægritudine secuta ob mutationem aëris patrii in aërem Tiburtinum, teneatur sequi maritum, & cum eo Tibure cohabitare.

1 Et quoad primum, nulla hæsitatio videretur intervenire, si nonnullis Doctoribus adhærere licet, volentibus Maritum non teneri, neque hoc pacto obstringi ad commorandum perpetuò cum uxore; hoc enim pactum est invalidum: ita dicunt Doctores nonnulli, quos citat Rota *in Tridentina Matrimonii 27. Junii 1646. coram Celso, vers. Nam licet, & in eadem coram Alberget. 1650. num.* 6 quia de jure naturali, divino, & positivo uxor tenetur cohabitare cum marito, Rota

2 *in Pisaurens. localium 1648. coram Arguelles. num.* 51. Quinimo etiamsi tale pactum de sui natura esset validum, in casu nostro non teneret, præsente causa justa, & legitima, ob quam Marius in loco convento inhabitare non potest, ob vitiosi aëris malitiam, ob quam in tam longam, ac periculosam, ægritudinem lapsus est, irritatur ergo ex hac causa hujusmodi pactum, ita ut ei stare ulterius Maritus non teneatur: Eadem Rota *ibid. vers. certum est tamen, & in eadem coram Albergato 1650. num.* 7. *& in eadem coram Rojas 14. Martii 1651. vers. Et quamvis.* Licet enim Marius ab ea ægritudine ita esse optimè recollegerit, & ad pristinam sanitatem redierit; tamen justa causa illum movet, ad non redeundum Terracinam, ob timorem scilicet relabendi in eundem morbum, qui tandem terminari possit in mortem, cùm Aër illius loci de sua natura sit maximè insanus ac vitiosus, illique sumopere inimicus.

3 Quoad secundum punctum dicendum videbatur, Clementiam teneri maritum sequi, non obstante secuta infirmitate Hæmoptoica, hoc est sanguinis sputo, quia licet sanguinis sputum semper malum portendat, cùm hominem ostendat Phthisi obnoxium, & licèt sanguis quocunque modo sursum feratur, malum, ex Hippocrat. *lib. 4. Aphor.* 25 pessimũ autem sit, ubi sputo reiciatur, tamen quia Clementia ob uteri gestationem eo symptomate molestatur, non adeò ex eo periclitari potest, ut alias posset, quia ob menstrua retenta occasione prægnantiæ, Natura aliquam sanguinis ejusdem partem ad superiora demandando, eam per sputum eiicit exonerando se per eam viam cùm per consuetas, & internas non possit neque adeò infrequens hoc symptoma in mulieribus utero gerentibus, ut de ratò observandum se præbeat; & tamen experimur hujusmodi mulieres absque ulla ipsius pectoris noxa, & absq; eo quod in Phthisim labantur à partu fœliciter evadere, incolumesque omninò vivere, à sputo etiam sanguinis liberatas. Cùm ergo Clementia ex vitio Aëris Tiburtini, in quo cum Matito commorari debet non ægrotaverit, sed ex culpa tantùm graviditatis, non potest se eximere ab obligatione, qua teneatur sequi Maritum quocunque eam vocaverit; maximè cùm satis superque pateat, ipsam non incidisse in sputum sanguinis, ut sibi persuadet ob rigiditatem Aëris Tiburtini, quia etiam in patrio Aëre Terracinensi eadem graviditatis occasione in idem symptoma lapsa est, & innoxia evasit, cùm fœliciter peperierit; & à partu sputum sanguinis omninò cessaverit. Debet ergo omninò sequi maritum suum, & cum eo, ubi jusserit, cohabitare, ut ex matrimonii vinculo eam teneri palam est. Rota *in Sen. Matrim. 1696. coram Rata num* 1.

4 Neque absque summo jure dicebant Doctores, qui pactum hujusmodi, quo Maritus se obligat cohabitare cum uxore, non esse validum voluerunt, quod hoc esset contra jus divinum. Sannaz *de sponsal. & matrim. lib.* 1. *Interp. cap.* 4 *num.* 38 quia hoc pacto Maritus esset sub potestate uxoris contra 5
quam jubeat prædictum jus divinum præcipiens, uxorem esse sub potestate Viri: Sanchez *de Matrim. lib.* 1 *disput.* 41 *n.* 1. Igitur cùm Marius non teneatur stare pacto de cohabitando Terracinæ cum Clementia, & è contrà Clementia teneatur sequi Maritum, cogenda est, ut non obstante inani ejus timore, Maritum sequatur, & cum eo perpetuò cohabitet.

Sed contra prædicta omnia ad Clementiæ favorem dice- 6
batur primò, pactum de cohabitando Terracinæ cum uxore inter conjuges emanatum, esse validum, ipsumque Marium teneri ad ejus observantiam, ut ex communi DD opinione testatur Rota *citata decis. coram Rojas, vers. Iniustitia enim:* præsertim cum nulla justa causa offeratur quæ illum ab observantia hujusmodi obligationis eximere possit: nam licèt ille in Aëre Terracinensi ægrotaverit, nec sine vitæ periculo, tamen non potest, nec debet suæ ægritudinis causam in malitiam Aëris illiusmodi reiicere, sed potiùs in malam, imò pessimam victus rationem, qua usus est inibi commorando, cum qua victus ratione licèt deberet post modicum tempus peius multò ægrotare, quam ægrotaverit, tamen per multos menses in eodem Aëre sanus, ac paneratice vitam traduxit, sed quid mirum, illum tot comessationibus deditum, tam frequenti, ac intempestivo exercitio defatigatum, totque multiplicatis erroribus in victus ratione deviantem, postmodum tantopere ægrotasse? imò multò magis mirum videri debet, quomodo potuerit mortem effugere. Itaque stante pacto de cohabitando cum uxore in suo robore, redire tenetur ad illud adimplendum, cum excusatio, qua se tueri contendit, quòd Terracinensis Aër sit minimè noxius, ac sibi summoperè contrarius, nullius valoris existat, *ex prædictis.*

Quod multò fortiùs procedit, stante impedimento ipsius Uxoris propter supervenientia sanguinis sputum, quod illam prohibet cum Marito in Aëre sibi infestissimo cohabitare, nam experientia ipsa satis superque ostendit, Aërem Tiburtinum esse ipsi maximè inimicum, nec sine evidenti ratione, cum frigidior ac tenuior sit, quam hoc symptoma requirat, & naturalis ipsius uxoris propensio ad Phthisim, quia ut patet, habitus est tenuis, ac gracilis, colli oblongi, spatularumque elevatarum, angustique pectoris; qui habitus est eorum, qui ad Phthisimã Natura propensi sunt, ut Medici omnes *in propriis Practicis* testantur. Hujusmodi autem corporis consti- 7
tutioni Aër frigidus, ac tenuis est omni ex parte contrarius, ut idem omnes Practici unanimiter docent, cùm de electione Aëris ad hujus morbi curationem facientes verba faciunt: nam Aër istiusmodi pectus, & spirituales partes angustare solet, sputum restringere, & in ejus vicem sanguinis sputum excitare, & in summa Phthisim accersere, præterquam quod Cerebrum exprimendo distillationes irritat, quæ ad pectus præcipitare morbum accelerant.

Unde corruit Mariti assertio, ac instantia pro eo scribentiũ, quòd Clementia in sputum sanguinis inciderit ob culpam tantùm graviditatis, maximè quia ejusdem graviditatis culpa aliàs in patrio Terracinensi eodem sanguinis sputo fuerit molestata: nam contra probatur ex natura & propensione potius, quàm ex culpa graviditatis, id illi evenisse, quid aliàs, cũ nondum Marito iuncta esset, eadem Hæmoptoica passione, seu sanguinis sputo tentata fuit ex minima occasione data, exponendo se aëri Borealis ex quo errore primò in pectoris dolorem, ac post siccam tussiculam in sanguinis sputum lapsa est, unde opus habuit sanguinem sibi detrahere, & aliis remediis se munire, ad sanguinis sputitionem compescendam, ne in pejus laberetur, quod tunc facilè successisset quæ omnia satis probata remanent per Testes ad hoc adductos.

Quamobrem ex his clarissimè constat, Clementiam non ex culpa graviditatis, sed ex naturali dispositione sanguinis sputo esse subjectam; licèt autem negari non possit quòd quando hoc symptoma ex culpa tantùm graviditatis evenit, minus periculi afferat, & fortè ab omni periculo absit, tamen id locum habet in mulieribus sanis, & nulla pectoris labe infectis, contra verò in Muliere Phthisi obnoxia, ut Clementia est, etiamsi ad graviditatem culpam sanguinei sputi referendam esse contendamus, non solùm non est absque periculo, 1
sed ipsa graviditas accelerat morbum, qui alias ex sola naturali dispositione pullularet.

Ex quibus concludenter educitur, quod cùm Clementia non possit sequi Maritum proprium, nisi cum imminente, ac proximo vitæ periculo, nullo modo teneatur illum sequi: Ita Summa Sylvestr. *verb. uxor. num.* 8. Summa Angel. *verb. eod. num.* 9. Sanchez *de Matrimon. lib.* 1. *disput.* 4. *num.* 4. Nam palam est, quod homines ex sputo sanguinis in Phthisim in- 1
cidant, & mortem denique obeant, ut claré docet Hippocrat.

lib. Aphor. 5. ibi. *A ſanguinis ſputo. Puris ſputum. à Puris*
9 *ſputo Tabes, & mors.* Quod multò magis facit Clementiæ timorem rationabilem, quia Phthiſis morbus eſt incurabilis in iis maximè qui à natura ad eam diſponuntur, *ex ea enim*
10 *Pulmonis ulcera inſanabilia conſequuntur.* Galen. *lib. 7. Aphoriſm. 16.* Celſ. *ſua Medic. lib. 3 cap 22.* jure igitur optimo excuſatur Clementia recuſando cohabitare Tibure; ne ejus aëris rigiditate in Phthiſim laboret.

Neque in contrarium facit oppoſitio, quæ fit circa Mariti infirmitatem: opponitur enim, quòd quemadmodum Clementia ex contrarietate aëris Tiburtini poteſt incurrere infirmitatem mortalem, ſic Mutius ex malitia aëris Terracinenſis in idem periculum labi poſſit, ut de facto aliàs lapſos eſt, & ſic eodem modo excuſatur Mutius à cohabitando Terracinæ cum propria uxore, ut excuſatur Clementia à cohabitando Tibure cum proprio Marito, unde non poterit adſtringi Mutius ad cohabitandum Terracinæ quemadmodum non vult Clementia adſtringi ad cohabitandum Tibure.

Sed videtur omninò diſparem eſſe rationem, & quoad morbi alterutrius qualitatem, & quoad obligationem: quoad morbum enim, ſi comparentur obſtructiones viſcerum natu-
11 ralium, & inde conatæ febriculæ, etiam natura tendente ad malum habitum, cum Phthiſi, multò minùs periculi habere illas comperiemus, cùm non tam promptè vitæ inſidientur, neque adeò nobilem partem obſideant, ut Phthiſis imò neque tam difficulter ſanantur, ut ſputum ſanguinis, & inde orta Phthiſis quæ ſemper in mortem terminatur. & ſi aliquando Æger melius habere videatur, cùm nunquam integrè convaleſcat, promptiſſimè recidivam facit, contra quam eveniat de prædictis obſtructionibus, & morbis eas conſequentibus, quia aliquando, & ut plurimùm omnino ſuperantur, neque, ſi cautione ægri utantur, de facili revertantur.

Magis ergo dicemus excuſari Clementiam à cohabitando Tibure cum Mutio ejus marito, quàm Mutium à cohabitando Terracinæ cum Clementia ejus uxore reſpectu periculi, quod uterque ex cohabitatione hujuſmodi ſubire poteſt.

Quoad obligationem autem, videtur Mutius non habere juſtam cauſam ſe eximendi ab obligatione cohabitandi cum uxore, quam multò magis juſtam cauſam habere conſtat eximendi ſe ab obligatione cohabitandi cum marito, quæ cauſa id inſuper operari videtur, quòd Mutius magis teneatur ad reddendum uxori debitum cohabitando cum illa, quàm teneatur Clementia ad reddeadum debitum cohabitando cum marito, cum majori periculo illa ſe ſubiiciat, cohabitando cùm Marito, quàm Maritus cohabitando cum uxore, ut jam probatum eſt.

Non deſiſtendum autem, quin difficultati reſpondeamus adverſus Mariti obligationem de cohabitando cum uxore factæ, quæ irritari vult talem obligationem ex eo, quod ſit contra jus divinum, ex quo habetur, Mulierem eſſe debere
12 ſub poteſtate Viri, cùm per eam obligationem Vir potiùs fiat ſub poteſtate mulieris. Reſpondetur enim primò, hoc in tantùm habere poſſe veritatem, in quantùm Vir contra propriam voluntatem cogeretur cohabitare ubicunque uxori liberet, ſed non procedere, cum Vir ex propria voluntate remittit de jure ſuo, contentum ſe dicit in hoc uxori obſecundare; favori enim ſuo, unuſquiſque poteſt renuntiare, Rota *in Romana fideicom. de Ramundinis 15. Febr. 1636. coram Dunozetto num. 13.* cum maximè id nunquam facere ſoleat abſque proprio intereſſe & utilitate qua allectus ad matrimonium eſt, cum licitè poſſit quis ad matrimonium allici ſpe lucri. Rota *in Venuſina Legati Jun. 1623. coram Cecchino n. 2. 31. & 41.* in cæteris autem omnibus mulierem ſibi ſubjectam habere velit. An non alia permulta ex pacto inter conjuges fiunt, quæ aliàs contra rei naturam ſunt? ut cùm Vir exem-
13 pli gratia, uxorem indotatam ducit, & ipſe ſe adſtringit ad eam dotandam, cùm ſecundum jus, & æquitatem, uxor marito dotem tribuere debeat ad onera matrimonii ſuſtinenda. Ducere ergo uxorem indotatam adeò contra naturam eſt, ut reputetur ſumma dementia & miſeria: Fontan. *de paſt. nupt. claus. 5. Gloſſ. 1. part. 1. num 8. ad ſeqq.* quam ſequitur Hector Capyc. *conſil. 72. num. 31* unde ex generali conſuetudine matrimonium non præſumitur contractum ſine dote: Ludoviſ. *in Roman. Dotis, ſeu pecuniaria*, quæ eſt. *deciſ. 60. inter eius impreſſas num. 4.* quia etiam dicitur apud eundem Fontanell. *ibid. num. 15.* ex Luca de Penna peccare qui ſine dote matrimonium contrahit, quod Canoniſtæ viderint; Satis nobis ſit, quod prædictis non obſtantibus, ducere uxorem indotatam, & pactum de eam dotando non eſſe illicitum, unde neque eſt peccatum.

Quinetiam alia permulta pacta fieri inter conjuges illicitum non eſt, neque contra jus divinum, aut humanum, quæ tamen aliàs ipſum Matrimonium deſtruere viderentur, ut eſſet gratia exempli, obligatio non petendi, neque reddendi de- 14
bitum matrimoniale; tamen hujuſmodi pactum valdum eſſe adſtruunt Canoniſtæ: Sanchez *de Matrim. lib. 9 diſputatione trigeſima ſeptima, numero decimo octavo.* Et in ſumma, nihil violenti in pacto de cohabitando cum uxore intervenit, cùm obligatio illa à libera voluntate ipſius Mariti dependeat, à qua propter propriam utilitatem recedere, neque ab ulla Lege, neque ab ullo Canone prohibetur, quod nequaquam ita procederet, ſi tale pactum contra jus divinum eſſet, quia per illud deſtrueretur omninò Matrimonium contractus, qui ipſo facto evaderet illicitus.

Videtur ergo vero magis conſentaneum eſſe, pactum de 15
cohabitando cum uxore, nempè in loco, in quo uxor ipſa Maritum adſtringit, eſſe licitum, ac validum & maritum teneri ad ejus obſervantiam, ubi nullam juſtam, ac legitimam cauſam habeat recedendi à facta conventione.

CONSILIUM LXXIX.

Ad Titulum primum libri quarti,

De Miraculis.

ARGUMENTUM.

Inter nonnulla opera à devoto quodam Dei ſervo patrata, quæ miraculoſa exiſtimabantur, erat præſumpta Juvenis cujuſdam aqua ſubmerſi, ac ſuffocati, in vitam revocatio, quam multiplici teſtimonio tam evidenter probatam inculcabat Religioſus quidam, qui eam rem promovebat, ut nullum de ea dubium fieri poſſe firmaret. Ego plurium Teſtium depoſitiones circa hoc factum revolvens, in eam ſententiam veni, hujuſmodi reſurrectionem non eſſe ullo modo probatam, ex-iis, quæ ſequuntur.

SUMMARIUM.

1 *Qui vult probare mortuum reſurrexiſſe, tenetur antè probare illum mortem.*
2 *Mortis probatio eſt difficilis, imò impoſſibilis probatione, antequam ſigna putrefactionis cadaveris ſe prodant.*
3 *Finita vita certa nota non ſunt.*
4 *Ex violentia aliquorum morborum homines mortui apparent, etiamſi adhuc vivant.*
5 *Vivi pro mortuis aliquando elati.*
6 *Non diſtinguitur verè mortuus ab homine aliquo morbo ſuffocante detento, n. 20.*
7 *Qui morbo aliquo ſuffocante pereunt, non ante tertiam diem efferendi, & cur.*
8 *Signa mortis æquivoca ſunt, ita ut etiam in viventibus appareant.*
9 *Non probata morte, non poteſt probari reſurrectio.*
10 *Reſurrectio mortis tantùm hominibus competit.*
11 *Bruta mortua non ſunt capacia reſurrectionis.*
12 *Criſis quid.*
13 *Criſis in ſanatione morborum ſemper excludit miraculi efficientiam, quantùm eſt ex hoc.*
14 *Homo ne per momentum quidem poteſt ſine reſpiratione vivere.*
15 *Viventem non ſpirare eſt impoſſibile. Die ut num. 16.*
17 *Poteſt quis ſine apparente reſpiratione vivere, nunquam autem ſine tranſpiratione, quæ non apparet.*
18 *Reſpiratio quarum partium officio fiat.*
19 *Quomodo fiat, ut ſine apparente reſpiratione homo per aliquod tempus vivat.*
20 *Mortuum eſſe hominem nonniſi ex cadaveris putredine pro certo deprehendi poteſt.*

PRobationem Reſurrectionis prætenſæ Juvenis, de quo agitur, non eſſe ſufficientem, & ea ipſa teſtium depoſitio-

ne

ne invalidari ex hac una conditione manifeſtè elicitur, quòd
1 qui vult pro veritate teſtificari, mortuum aliquem reſurre-
xiſſe, teneatur ante certò ſcire, ac indubiè deponere, illum verè
2 fuiſſe mortuum quod non modò eſt difficile pro certo depo-
nere, antequam cadaver putreſcere incipiat, ſed eſt omninò
impoſſibile, quia ut dicebam *lib. 4. quæſt. tit. 1. quæſt. ult. num.* 54. ex Celſi auctoritate *lib. 2 ſua Medic. cap. 6.* Ne ſimiæ
3 quidem vitæ ſatis certæ notæ ſunt; unde non modò perſonæ
vulgares, & idiotæ, quales ſunt omnes adducti Teſtes, in hoc
poſſunt decipi, putando, aliquem mortuum eſſe, qui adhuc
vivat, ſed etiam ipſi Philoſophi, quin & ipſiſſimi Medici ex-
pertiſſimi, qui cum aliunde non poſſint ejus rei certitudinem
habere, ut certiores de veritate fiant in tam abſtruſa dubietate
ad nonnulla experimenta confugiunt à me *loco citato* recen-
ſita, quæ tamen lubrica ſunt, & fallacia eſſe plures Medico-
rum teſtantur.

4 Neque hoc mirum eſſe debet, quia ex violentia aliquorum
morborum homines ita extra omnem vitæ ſenſum rapiun-
tur, ut ne minimum quidem vitæ ſuperſtitis ſignum præſefe-
rant, ex quo pro vivis exiſtimari poſſint, quorum morborum
recenſionem habes *prad. lib 4. loco cod.* & alibi. Atque hinc
5 factum aliquando eſt, ut vivi pro mortuis elati ſint, ut patet
ex hiſtoriis relatis per Schenckium *lib. primo. Obſervat. titul. de Apoplexia, & alibi*, & ex aliis relatis per Domin. Terill. *de cauſ. rep. mort. ſection 6. cap. ſecundo*, quibus ego aliam an-
nectam nulli alteri minùs admirandam, quæ ſequens eſt.

Iuvenis quidam in Archihoſpitali S. Spiritus ægrotis in-
ſerviens anno præterito 1656. peſte correptus eſt, ex cujus
violentia in ſyncopem lapſus pro mortuo elatus eſt, ejuſque
corpus inter cadavera peſte ſublata ejectum, cum quibus dum
veſpillones parant illud navicula per Tiberim ad deſtinatum
locum aportare, ille vitæ aliquem ſenſum præbuit, unde ad
Hoſpitale relatus, & utcunque ab eo ſymptomate ſeſe recol-
ligens poſt duos dies in novam ſyncopem lapſus unde iterum
ejus corpus inter cadavera peſte ſublata conjectum eſt, cum
illis Terræ demandandum ſed denuò reviviſcens, aptiſque
medicamentis recreatus tandem à morbo in totum liberatus
adhuc in vivis degit. Sed in hac eadem peſte hic Romæ
alios non adhuc vita deſtitutos pro mortuis ſepulchro de-
mandatos eſſe ſcimus.

Quæ hiſtoriæ ſatis ſuperque oſtendunt nullo modo poſſe
6 hominem non adhuc vita fuoctum à verè mortuo cognoſci,
ubi aliquo morbo attonito, puta Apoplexia, ſyncope, aut ali-
qua ſuffocationis ſpecie detineatur. Quamobrem optimo
conſilio ſuadent Medici, ne hujuſmodi morbis oppreſſi, ac
mortui exiſtimati, ante tres dies efferantur: Avicenna 1.
7 *Tertii tract. quinto, cap. duodecimo*, & ex veteſtioribus alii ple-
rique Domin. Tertill. *loco citato*, Franciſcus Ranchinus *de morb. ſubitan. cap. primo*, quia per totum hoc ſpatium tridui
nempè, eos, ubi mortui vere non ſint, reviviſcere poſſe
dicant. Et ratio aſſignationis termini prædicti ex Me-
dicorum auctoritate aliàs à me aſſignata eſt *loco citato num.* 25.

Ex quibus facilè deduci poteſt, Teſtes examinatos
non potuiſſe de certa ſcientia deponere, quod juvenis
ille ex ſuffocatione in flumine fuiſſet verè mortuus; ſed
tantùm, quod apparebat mortuus, & talis ab ipſis exiſti-
mabatur; quia ut omnes unanimiter deponunt, nullo
modo movebatur, nec ullo modò reſpirabat, frigidus erat,
oculis obſcuris, facie ſubtumida, ac lethali pallore inſig-
ni.

Sed hæc ſigna omnia æquivoca ſunt, & communia ſunt
8 cum non verè mortuis, ſed ab aliquo ex communioribus
morbis detentis, nempè forte Apoplexia, ſyncope, vel ali-
qua ſuffocationis ſpecie, unde non probant, hominem eſſe
9 verè mortuum, & ſic, non probata morte per eorum præſen-
10 tiam, non poteſt probari reſurrectio, quæ tamen mortuis
11 hominibus competit, quia cætera animalia mortem obeun-
tia, non ſunt reſurrectionis capacia, eorum forma in morte
corrupta, nec capaci de non eſſe redire ad eſſe, ut explicavi
aliàs *loco citato*.

Non modò autem Teſtium depoſitiones, nihil omninò
faciunt ad probandum Iuvenis illius reſurrectionem ſed ipſa
facti ſeries plurimùm facit ad probandum contrarium nem-
pè illum, cùm nequaquam mortuus eſſet, ſed adhuc in vita
utcunque ſuperſtes eſſet, à morbo, hoc eſt à ſuffocatione op-
preſſus, morbò à Natura ſuperato, revixiſſe.

Narratur enim, Iuvenem illum in flumine ſubmerſum,
poſt horam ab Aquis exemptum, poſt quatuor ſubſequentes
horas ab ore mucoſitates multas emiſiſſe unà cum aliqua
Aquæ copia, & dehinc ad præces devoti illius Dei ſervi revi-
xiſſe, licet teſtes non concordent de tempore, quo materias
illas ab ore ejecit; nam alii deponunt antequam mortum ul-
lum ederet, id factum; alii, poſtquam de vita manifeſtum ſi-
gnum præbuiſſet. Quomodocunque tamen ſit, certum eſſe
debet, non modò hoc miraculoſum non eſſe, ſed neque inter
ea eventa connumerandum, quæ multam admirationem au-
dientibus excitare conſueverunt: quippè cùm pateat, alios
permultos non poſt aliquot horas tantum, ut iſte Juvenis, ſed
etiam poſt diem integrum, imò etiam poſt triduum, cum in
aquis vel alia ratione ſuffocati eſſent, revixiſſe, & hoc idcò,
quia intercepta in Aquis reſpiratio, ſpiritibuſque oppreſſis, &
Apoplectico affectu excitato, pro mortuis reputabantur, cùm
tamen adhuc viverent, ſervata vita per tranſpirationem quæ
ſenſim ſuccreſcens in liberam reſpirationem terminata, illos
adhuc in vivis eſſe manifeſtum fecit, quod in hoc Iuvene
eodem modo ſucceſſiſſe apertiſſimè commonſtravit egreſſio
mucoſitatum, & aquæ ab ore, poſt quarum exitum Natura
ſublevata, ac liberè reſpirare permiſſa ægrum ad vitam revo-
cavit. Quod profectò factum multò evidentiùs patefacit
opus hoc ipſi Naturæ tribuendum eſſe, quia non ſine criſi
ſucceſſit quæ nihil aliud eſt, quàm motus ab ipſa Natura ex-
citatus ad depellendas extra corpus morbificas materias, & 12
morbos ſuperandos, quando bona eſt, & ſubito fit,
Galen. *lib 3 de Criſib. cap.* 1. Iam autem aliàs *loco ci-
tato, quæſtione quarta, num.* 13 *& ſequentibus*, probavi,
motum hujuſmodi, cùm à Natura ſit pugnam inſtituente
cum morbo Galen. *ibid.* ſemper excludere Miraculi efficien-
tiam, quantum eſt ex hoc; unde conſtat tam in iis miracu- 13
lis, quæ in utraque hiſtoria ſacra recenſentur, nempè nova,
& veteri & in aliis ab Eccleſia ſancta canonizatis, nunquam
interveniſſe ſimiles Naturæ motus ad manifeſtè docendum,
effectus illos à ſola divina virtute abſque ulla dependentia
à Natura emanaſſe.

Neque contra hoc facit illud quod ad probandum Iuve-
nem illum fuiſſe verè mortuum, opponunt contrarium ſen-
tientes, dicendo, non poſſe hominem ne per momentum qui-
dem abſque reſpiratione vivere, quia ut Galenus *lib. de loc.* 15
affect. cap. 5. dicebant, viventem non ſpirare eſt impoſſibile;
unde cum Iuvenis, de quo ſermo, per tot horas non reſpi-
raverit, ut omnes Teſtes unanimiter deponunt, firmandum
omninò eſt, ipſum jam vita exceſſiſſe, quia vita à reſpiratio-
ne inſeparabilis: Galen. *ibidem*.

Cui tamen difficultati reſpondetur, veram quidem eſſe 16
propoſitionem illam, quod non poſſit quis ſine reſpiratione
vivere, ſi de quacunque reſpiratione intelligatur, eſt enim re-
ſpiratio duplex, una quæ nota nobis eſt, per motum apparen-
tem pectoris, aliarumque partium, quæ propriè *Reſpiratio* 17
dicitur; aliaque imperceptibilis à nobis eſt, quæ Arteriarum
Cordiſque officio conſervatur, & hæc *Tranſpiratio* dicitur.
Modo ſine illa nobis nota reſpiratione, quæ Pectoris & Pul-
monum evidens motus eſt, poteſt quis non ad horas tantum,
ſed ad dies etiam vivere nunquam autem ſine tranſpiratione: 18
ita Galen. *loco ſup. cit.* Avic. 1 *Tertii tract. 6. cap.* 11. Idque eam
ob cauſam ita contingit, quia calor nativus ad extremam de- 19
bilitatem deveniens ob alicujus morbi violentiam, non indi-
get tanta refrigeratione, ut ceſſare habeat Pectoris & Pulmo-
nis officio refrigerari: Avic. *ibid.* ergo quia tranſpiratio nul-
lo extremo ſigno nobis innoteſcit, cùm tamen ea durante ad-
huc homo in vivis degat, non poſſumus, neque potuerunt ad-
ducti Teſtes firmare, Iuvenem illum eſſe mortuum, ex eo,
quod obſervaſſent illum non reſpirare, quia hujus reſpiratio- 20
nis privatione, non poteſt diſtingui mortuus homo ab homi-
ne vivente.

Pro certo ergo concludendum, hominem verè mortuum
non niſi ex incipiente putredine cadaveris certò cognoſci 21
poſſe, hac enim præſente Lazaro, cujus cadaver fœtebat,
cùm quatriduanus eſſet, non potuit ullo modo dubitari, an
mortuus eſſet, necne, quod ad manifeſtandam tanti miraculi
evidentiam, ut aliàs dixi, factum eſt.

Hæc autem concluſio tam certa eſſe debet, ut neque ullis
experientiis ad cognoſcendum, an homo vivat, necne, ſtan-
dum ſit, cùm omnes fallaces ſint, & fidem non mereantur,
plures id genus ab Auctoribus in medium producuntur, qui-
bus fidem aliquam habent, cùm habere non debeant: nam &
lana carpta tenuiſſimè ori admota, & aquæ poculum pectori
impoſitum, & ſpeculum excipiendum ab ore ſpiritum ex
reſpiratione emiſſum, & inuſtiones, & ſternutatoria, & ſi quæ
alia ſunt, omnia ſuo fine fruſtranturinam poſt ea in uſum pro-
tracta, & determinato hominem eſſe mortuum, comperrum
eſt illum adhuc vivere. Fortun. Fidel. *lib. 4. de Relat. Medic. c. 1.*
ſternutatoriis plurimum tribuit, cùm tamen quotidie obſer-
vemus, ſternutatoria incaſſum adhiberi etiam homini ſuper-
ſtiti, & manifeſtè vivo.

Itaque cùm hoc putredinis ſignum, quod tantummo-
do mortis certitudinem facit, ut in hoc juvene non adfuerit,
aliaque ex parte neque ex diuturnitate temporis, quo tan-
quam mortuus jacuit, neque ex ullo alio certo, & evi-

denti signo pro mortuo secundum veritatem judicari potuerit, non potest consequenter firmari, illum resurrexisse.

CONSILIUM LXXX.

Ad Titulum primum libri quarti.

De Miraculis.

ARGUMENTUM.

Michaël N. N. à puerili ætate usque ad decimumquintum annum Epilepticis symptomatibus frequenter vexabatur, ac procedente à pueritia ætate morbus tantùm incrementi susceperat, ut singulis noviluniis, vel paulò maturiùs, aut seriùs illis prehenderetur. Medicus, cujus curæ commissus fuerat, multa per plures annos machinatus, nihil profecerat, unde prognostico facto quòd non esset ampliùs curabilis humana Arte, Parentes illum devoto cuidam Dei servo, de quo in responso præcenti, tunc in vivis degenti, commendarunt; qui cùm eum invisisset, pomum benedictum à seipso illi obtulit post recitationem Salutationis Angelicæ jejunio comedendum, quod ille executioni demandavit. Interim cum domestica famula se commiscuit, & in gravem luem Gallicam lapsus est, cujus occasione bubones in utroque inguine se prodidere, qui adaperti ad longum tempus copiosissimas materias, putridasque emiserunt, nec postmodùm jam à pluribus annis decursis Epileptico symptomate molestatus est. Hoc factum Religiosus, qui illius servi Dei Beatificationem promovebat, Miraculo adscribendum esse pertinaciter contendebat, producta Medici, qui ægrum curaverat, fide; Ego contra, illud merè naturaliter processisse, ex sequentibus demonstravi

SUMMARIUM.

1 *Morbus in habitu idem est ac connaturalis.*
2 *Morbi in habitu non sunt amovibiles, quia veluti naturales effectus sunt.*
3 *Naturales dispositiones ad aliquem morbum contrahendum, superari non possunt.*
4 *Epilepsia ubi diu duraverit, non est ampliùs curabilis.*
5 *Epilepsia in pubertate secundùm plurimum solet sanari.*
6 *Quæ locum habent in Epilepsia per essentiam, non habent locum in Epilepsia per consensum.*
7 *Unus morbus alterius est remedium, ut Quartana; ex qua Epilepsia quandoque sanatur.*
8 *Cessante causa cessat effectus, quemadmodum manente causa tolli non potest effectus.*
9 *Frequentia accessionum quando reddat morbum habitualem.*
10 *Morbus non potest dici habitualis durante consensu, nisi jam in parte fixatus sit.*
11 *Epilepsia mutatione ætatis removetur, nisi magnoperè in victûs ratione delinquatur.*
12 *Morbus in habitu solidas partes occupat.*
13 *Habitus, & Natura, una eademque res esse videntur.*
14 *Epilepsia dependens à causa extrinseca nunquam dici potest esse in habitu.*
15 *Ubi Natura ex se operatur, non possumus miraculum imaginari.*

ANtequam ad facti veritatem detegendam accedam, rationes adducere præstat, ex quibus Religiosus ille, & Medicus qui fidem fecit, moventur ad firmiter credendum, & determinandum opus hoc, seu prænarratæ Epilepsiæ sanationem miraculosam fuisse, non naturalem. Medicus ergo in fide, quæ producitur, testatur morbum illum ob accessionem frequentiam, & temporis diuturnitatem factum fuisse habitualem, ac si dixisset, morbum esse jam factum connaturalem, & idcircò nullo modo naturaliter fuisse sanabilem. 1

Nec omninò hæc gratis firmavit, protritum est, & experientia multa canonizatum, hujusmodi morbos qui habent insultus, & accessiones molestantes principes partes, & præcipuè Cor, & Caput, ex ipsa accessionum frequentia fixari in ipsis partibus, earumque dominium capessere, Natura omninò excluſa, in posterum nullo modo naturali via amovibiles; undè rectè hi morbi in habitu facti dicuntur. 2

De frequentia autem accessionum molestantium ipsum Adolescentem constat, cum per tam longum tempus à morbo fuerit affectus ac maximè cum esset pubertati proximus, hoc est anno duodecimo, & sequenti, in quibus singulis Noviluniis paroxysmum patiebatur, ut in facto constat, qui licet non esset ita gravis, ut morbus *magni* nomen mereretur, tamen non erat omninò levis, & frequentia recursus magis ferociebat, unde & stomachi anxietatem post se relinquebat, & tristitiam, & impotentiam quandam ab motum, & capitis dolorem, & visus offuscationem, quin & in ipso paroxysmo brachiorum, & crurum, cæterarumque partium convulsionibus torquebatur, & in fine accessionis materiam plurimam crudam, ac pituitosam vomebat non minori tempore, quam per horæ quadrantem durare utplurimum solebat.

Non dubium ergo est, quòd morbus hic à pueritia originem habens, ac procedente ætate violentia, & multitudine symptomatum auctus, manifestissimè commonstraret naturalem quoque dispositionem ad eum morbum, quam removere Arti non licet; immò ex minima occasione reddit illum promptum ad morbum incurrendum, ut ipse rei exitus commonstravit: unde Hippocr. *in lib. de morb. sacr. num.* 13. dicebat, hunc morbum, ubi diu duraverit, non esse amplùs sanabilem, & Aretæus *lib.* 1. *Chron. cap.* 4. jure firmavit, hunc eundem morbum, ubi altiùs radices egerit, neque Medicum remediis, neque Naturam ætatis mutatione submovere posse, sed eum ægrotante vivere, ac commori. 3 4

His addendum, quòd Adolescens hic, ante septennium morbo affligi cœpit, nec in ipso septennio, neque post ipsum, ullam mutationem in meliùs fecerat, ut facere debeat mutatione ætatis si curabilis à natura fuisset: imò non solùm morbus perseveravit, sed ut dictum est, majorem in modum est adauctus, ex communi ergo Medicorum consensu. Hippocratis auctoritate *lib.* 5. *Aphor.* 7. confirmato, hic morbus insanabilis erat, cùm ætatis mutatione quæ singulis septenniis accidit mutationem non receperit, nec sanatus fuerit; quod maximè in casu nostro videbatur ponderandum, in quo non solùm in septennio, aut post septennium morbus non cessavit, sed nec in ipsa pubertate, ut secundùm plurimum succedere solet Avicenna. *lib.* 3. *Fen.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. nempè decimoquarto anno, in quo ob seminis proventum, & evacuationem, & ob insignem corporis, & temperamenti mutationem morbi, qui sanabiles sunt, sanari solent, qui verò sunt insanabiles, in posterum nequaquam hominem relinquunt. Cum igitur hic Adolescens transacta pubertate & per aliquot menses decimumquintum annum transgressus Epilepticis symptomatibus adhuc vexaretur, ut in relatione habetur manifestissimum inde fit, Epilepsiam jam transisse in morbum habitualem, & non esse ampliùs vel remediis, vel ætatis mutatione, sed tantum divinæ virtute sanabilem. 5

Cæterùm nimis debili fundamento innititur Religiosi hujus opinio, dum illam ex fide Medici tueri conatur, quæ tamen duplici vitio, atque utroque quidem gravi laborat.

Et primò quod Epilepsiam per consensum à stomacho factam, pro facta per essentiam in capite accipiat, nullamque inter unam, & aliam differentiam posuerit: nam quæ locum habent in Epilepsia per proprium capitis affectum excitata, nequaquam locum habent in Epilepsia per consensum facta. Epilepsia verò hujus ægrotantis fiebat per consensù à stomacho, non per proprium capitis affectùm; imò quod multo magis urget, Epilepsiæ hujus insultus originariam causam trahebant semper, & utplurimum à causa externa, ut ex Testium aliquorum dicto constat, deponentium, adolescentem hunc fuisse maximè edacem, & in victus ratione mirum in modum, ac graviter delinquentem, unde cùm cibi multum indesinenter ingurgitaret, stomachus superfluis, ac pravis humoribus replebatur, & sic per tres, vel quatuor dies ante Epilepticũ insultum

tum de dolore ſtomachi conquerebatur, & nauſeam, ac inanem vomendi voluntatem patiebatur, quouſque ſymptomate ingruente, tandem vomeret copioſiſſimè eoque modo à ſymptomate levaretur. Unde verum non eſt, illum in quolibet Novilunio morbo prehendi, quia conſtat & multò antè aliquando incidam etiam multò poſt, eo fuiſſe vexatum pro majoribus aut minoribus erratis in victus ratione patratis, & pro majori, vel minori ſtomachi repletione.

Secundò nihili faciendâ Medici fides, ad probandum hunc adoleſcentem miraculosè fuiſſe ſanatum ob alterum vitium, quo laborat nempè negligentiam in conſiderando novi morbi adventum, cujus occaſione potuit corpus per tam copioſas putridorum humorum evacuationes, etiam à malignis humoribus Epilepſiam excitantibus emundari: conſtat autem quotidiana experientia, unum morbum alterius eſſe remedium: Avic. *Fen 2. lib 1. doctr 1. cap. 8.* ut de ipſa Epilepſia firmat Galen. *in lib. 1. Epidem ſect. 3. comm 4.* & idem Avic *ibid.* quæ interdum ex Quartana ſuperveniente ſanatur, non aliam ob cauſam, niſi quia humor excitans Epilepſiam, qui Atrabiliarius eſt, per quartenarios inſultus caput deſerit & per vomitum, aliaſque evacuationes expurgatur, quemadmodum in caſu noſtro factum eſt, in quo ex bubonibus in inguinibus obortis tanta puris copia per quadraginta dies, & ultrà emanavit, ut ipſe Chirurgus vir experiſſimus deſiſtere non poſſet, quin eam ſumma admiratione proſequeretur.

Ex hoc ergo Naturæ opere nullatenùs mirum eſt, Adoleſcentem hunc ab Epilepſia liberum evaſiſſe quam ab ipſo ſtomacho originem duxiſſe, & non fuiſſe propriam, & Idiopathicam Capitis oſtendit ſanatio, ceſſatio nempè omnimoda anguſtiæ & doloris ventriculi, quo ante Epilepſiæ ac-
8 ceſſionem moleſtabatur, ceſſante enim cauſa, ceſſat effectus, ut protritum eſt; quemadmodum enim manente cauſa non poteſt morbus ſanari, Galen. *lib 7. Method. med cap. 12.* ſic, cauſa ablata, ceſſat morbus: unde ſanatio naturaliter procedit, ut in caſu præſenti. Ergo ſi Epilepſia, ceſſante ſtomachi plenitudine, ceſſavit, Epilepſia erat effectus plenitudinis ſtomachi.

Quod tantò magis veritati conſonum exiſtimandum, quantò Adoleſcens hic, licet tantiſper, à ſe replendo contineret, non omninò tamen ab ingurgitandis cibis quibuſcunque clam, & cum à nemine obſervari ſe crederet, abſtinebat; ut ex familiarium relatione habetur: & tamen neque ſtomachi anxietudines, neque vomitu, neque Epilepſia in poſterum moleſtatus eſt, quia natura per adapertos tumores omnes ſuperfluitates expurgabat, unde & ſtomachus, & caput ab earum moleſtia evaſerunt.

Ex quibus pro veritate concludendum eſt, ſanationem hujus Adoleſcentis omninò ad Naturam referendam eſſe, nullamque in ea miraculi apparentiam imaginari non poſſe.

Et ad ea, quæ in contrarium dicuntur non eſt difficile reſpondere cum conſiderata, & optimè perpenſa facti ſerie ex ſe ipſa evaneſcat.

Et primò ad id, quòd in Medici fide habetur, quòd hic morbus eſſet factus habitualis, & idcircò non magis ſanabilis, quam ſi ab ipſa Natura ortum habuiſſet; Dicèdum, falſum
9 omninò eſſe, quia licèt frequentia acceſſionum reddere poſſit morbum habitualem, id verificatur quando morbus eſt proprius ipſius Capitis, ſed quamdiu eſt ſympathicus, & per conſenſum aliarum partium, nequaquam hoc locum habere poteſt. Et ratio evidens eſt, quia partes ex propria affectione patientes ab ipſo morbo, & à violentia acceſſionum, & à præſentia materiæ morbificæ abſque ulla intermiſſione, & indeſinenter oppreſſæ, nunquam ſublevare ſe poſſunt, ſed ex naturæ neceſſitate à morbo ipſo ſubigûntur. Natura ipſa omninò ſuccumbente; at verò quæ ex aliena affectione malè habent, nec tam violenter patiuntur, nec à morbo ut in primo caſu indeſinenter infeſtantur, ſed per vices quaſdam, ita ut Natura vires reſumens, dum quietem habet; contra cauſam morbificam inſurgens illam ſubigat, nec permittat ſe à morbo vinci? itaque nunquam quouſque morbus per conſenſum tantùm
10 fit, nec in parte per conſenſum patiente fixatur, poteſt dici, morbum factum fuiſſe habitualem. Et ſic cùm hæc Epilepſia, ut evidenter commonſtratum eſt, per conſenſum ſemper provocaretur à ſtomacho, non erat habitualis ſed naturalibus remediis, & naturali via ſanabilis.

Quòd autem hic morbus, ob id, quod à pueritia affligere incipiens, ſemper augeſcendo commonſtraret ejus pertinaciam, hæc repugnantia ſuæ remotionis non eveniebat niſi à cauſa extrinſeca, qua remota morbus ceſſaſſet; quod facilè ſuccedere poterat ſi ille præceptis Medicis paruiſſet: ſed quia, ut dictum eſt, hic ægrotus multùm, & aſſiduè ſe replebat, & omne ciborum genus indifferenter ingurgitabat, neceſſe erat, ut cauſa manente perſeveraret effectus, nempè ipſe morbus, ut ex Galeno ſuperiùs annuebam. Quòd imperata Dieta uſus eſſet repletionem ſtomachi facillimè evitando, evitaſſet etiam Epilepſiæ inſultus, qui ab ea repletione excitabatur, ut probatum eſt: removentur enim hujuſmodi morbi, ætatis certè mutatione, ſed competenti Diæta ſervata: illud enim docere nos voluit Galen. *in 6. de morb. vulg. comm. 1 part. 26.* 11
& Avic. *p. 1. tract. 5. cap. 8.* dum concedit uterque eos morbos ſanari, niſi magnoperè in victus ratione deliquatur.

Contra ergo ubi magnoperè in victus ratione delinquatur, ut in caſu noſtro indeſinenter fiebat ammovibilis nullo modo eſt, neque ullis remediis cedit, neque ætatis mutatione ullam in melius mutationem recipit, ſed & Naturam, & Medicum deludit, & in pejus quotidiè ruit. Quod huic adoleſcenti eo modo ſucceſſiſſet, niſi Natura à ſuperveniétia novi morbi ſtimulata, illum à majori illo, & vetuſtiori morbo liberaſſet demandando ad partes inferiores, & toties œconomiæ naturalis emunctoria ſuperfluitates, & excretitios humores, unde vapores à ſtomacho ad caput elevabantur, & Epileptica ſymptomata excitabant. Cùm ergo morbus non ex intrinſeca aliqua cauſa, & mala Cerebri & Capitis naturali diſpoſitione penderet, erat omninò amovibilis, contra quam evenîſſet, ſi idem intrinſecas, & naturales cauſas habuiſſet, tunc enim Medici depoſitio veritatem habuiſſet, quòd morbus 12
non eſſet humanæ Artis, aut Naturæ opera amovibilis, cùm jam eſſet in habitu, quia tunc ſolidas partes occupaſſet, ut morbus, quilibet in habitu facere ſolet: Galen. *in 1. Hippocrat. de morb. vulg. comm. 2 partic. 41.* Quod idem eſt ac ſi dicas, talem morbum ſolidarum partium ſubſtantiam, & formam ipſam devaſtaſſe: quia quemadmodum Natura, cùm animal benè valet, pro ſua voluntate corpus ejuſque partes gubernat, ita & morbus in habitu; habitus autem, & Natura idem in 13
corporibus operantur, & una eademque res eſſe videntur: Galen *finit. Medic* At verò cùm Epilepſia in hoc ipſo adoleſcente, ut dictum ſæpiùs eſt, deprehenderet à cauſa extrinſeca, nunquam potuit dici eſſe in habitu, cum morbus in habitu non ſolùm habeat de neceſſitate cauſam intrinſecam, ſed habeat 14
fixam, & in ſolidis partibus radicatam ut ex præmiſſa Galeni auctoritate patet; & idcircò morbus hic poterat præſidiis Medicis ac naturalibus, aut ab ipſa Natura ſuperari, nec exigebat ad ſui remotionem divinam potentiam, quæ ad hoc ſpecialiter concurreret; & ſic omnis miraculi ſuſpicio evaneſceret; ubi enim Natura ex ſe operatur effectus nunquam pro miraculoſo determinandus, ut patet: quia miraculum eſt 15
effectus vel ſimpliciter vel ſecundum quid à naturali cauſa independens.

CONSILIUM LXXXI.

Ad Titulum quartum libri quinti.

De Aëre, Aquis, & locis.

ARGUMENTUM.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Cluſinus viſûs debilitatem patiebatur, ejuſque affectionis culpam in craſſitiem Aëris illius civitatis (quæ *Camers* olim dicta eſt, ut teſtatur Abbas D. Ferdinand. Ughel. *in ſua Italia ſacra. tom. 3. tit. Cluſini Epiſcopi*) conjiciebat. Videbatur autem procedente tempore eam viſûs debilitatem non modò augmentum capeſſere, ſed viſum in dies offuſcari: unde timens, ne in ejus ſenſûs totalem deperditionem, ac conſummatam cæcitatem laberetur, Epiſcopatui renunciare determinavit: an autem id ex juſta cauſa faceret, in dubium vertebatur: quod tamen pleniſſimè dilui poſſe, ex ſequentibus commonſtravi.

SUMMARIUM.

1 *Si ex cauſa morbi renuntiare licèt Epiſcopatui, videndum primò an morbus ſit ſanabilis, necne.*

2 *Auſtri*

2 *Austri visum, omnesque sensus hebetant.*
3 *Renuntiatio est res gravis nec de facili admittenda.*
4 *Non ex omni infirmitate Episcopus potest Episcopatui renuntiare, sed ex illa, ex qua redditur inhabilis ad exercenda munera Episcopatus.*
5 *Aëris intemperies est iusta causa renunciandi Episcopatui: & num.* 14.
6 *Periculum incidendi in morbum idem operatur ac ipse morbus.*
7 *Si cæcitas est causa renunciandi Episcopatui, periculum cæcitatis erat eodem modo causa iusta.*
8 *Parte aliqua corporis debilis existente ab omnibus sanis partibus superfluitates recipit.*
9 *Visus sensum multo, ac puro, lucidoque spiritu indiget.*
10 *Ex senectutis culpa visus pra omnibus sensibus detrimentum recipit.*
11 *Austri visum reddunt caliginosum.*
12 *Visus obtusus sanibus familiaris.*
13 *Ex sola stomachi culpa aliquando visus hebetudinem contrahit.*

1 Licèt Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Episcopus admodum rationabili timore moveatur, ne ex commoratione in propria Clusij Ecclesia visionis sensum ita oblædi cõtingat, ut illum omnino amittat, non videbatur tamen extra rem dubitare, quod posset eius timor non sine remedio esse, ita ut renunciare in posterum eam ob causam non cogatur: nam hæc visus debilitas, qua de præsenti afficitur, adventitia est, & ut ipse fatetur, à crassitie, & nimia humiditate Aëris Clusini dependentes, unde antequam Episcopatus renuntiet, videtur teneri dare operam si fieri possit, ut Aëris illius crassities, & humiditas superfluens aliquo modo emendetur, quemadmodum si ex causa morbi liceat Episcopatui renuntiare, ante inquirendum ac determinandum an morbus sanabilis sit, necne; nam ubi sanabilis existat, non est justa causa renunciandi, ut in confesso est. Ergo si Clusinæ Civitatis Aër emendari quoquo pacto potest, & eius malitia evitari, vel visum per aliqua remedia ab eius læsione tueri, & in suo naturali esse conservare, nulla iusta ex causa moveretur Illustrissimus Dominus ad renunciandum.

Quòd autem Aëris istiusmodi insalubritas emendari aliqua ratione possit, palam est, quia vel quòd ex sua natura humidior sit, vel quod à pravorum ventorum incursibus illaudabilis efficiatur, impedimento eorum ventorum impetus, aditumque ventis melioribus aperiendo, potest & humiditas ex parte saltem exuperari & ventorum pravorum malitia evitari, ut si, exempli gratia, Austri, ut volunt, Clusinum Aërem inficiant, possunt impediri ne Episcopi habitationem perflent claudendo fenestras, aditusque alios Austrum respicientes, & aperiendo ventis Septentrionalibus, qui omnino Austrorum malitiam obtrundere possunt: unde quemadmo-
2 dum, hi sensus hebetant, & visum præcipuè caliginosum reddunt, Hippocrat. *lib.* 3. *Aphor.* 5. ob id quod Aërem crassiorem faciant; sic illi Aërem puriorem reddentes, visui maximè opitulari possunt, & hoc pacto non solùm visus debilitas in Illustrissimo Episcopo augmentum non recipiet, sed si quæ de præterito adesset, ea cautela cessabit, ac simul cessabit causa renunciandi Episcopatui, ut patet.

Sed dato etiam, quod huiusmodi Aëris emendatio sit impossibilis, non desunt naturalia remedia ad visus debilitatem confertentia, tumque sensum clariorem, ac putiorem reddentia, ad quem effectum multa, & quidem proficua à Practicis proponuntur, cùm de ea re verba faciunt, his enim consuevimus oculorum vigorem non modò conservare; sed etiam acuere, ut in senibus quotidie experiemur; quibus nonnulla ocularia medicamenta, ut stillatitias aquas, & liquores, collyria, & id genus alia non sine effectu præscribimus, ac præter quamplurimos Medicos, qui de morbis senum scribunt, multa ad visus debilitatem, quæ proprium senum symptoma est, proponit Franc. Rinchin. *de morb. partit. senum, class.* 1. *cap.* 5. quæ licèt omnia à nonnullis inania, sed malè existimentur, tamen videbatur, teneri Illustrissimum Episcopum antequam renunciationem meditaretur, omnia experiri, cùm renuncia-
3 tio Episcopatus sit res gravis, nec facilè admittenda. Patis. *de Renunt. Benef. qualt.* 3. *num.* 5. *lib.* 5. Cùm ergo hactenùs nihil ad removendam, ac superandam eam visus debilitatem Illustrissimus Dominus machinatus sit, non possumus certi esse, an amovibilis sit, necne; & sic non habet iustificatam causam renunciandi; nam si fortè remediis ea debilitas remo-
4 veri potest, cessat illicò legitima causa renunciationis, quia non ex quacunque infirmitate potest Episcopus renunciare, sed ex illa tantùm, ex qua redditur in posterum inhabilis ad sui Pastoralis officij executionem: Patis. *ubi sup. num.* 18. quæ talis item sit oportet, ut omni salutis, & sanationis spe destituatur. Modò, Episcopus non redditur inhabilis, nisi fortè ad tempus, ex infirmitate, quæ sanabilis sit, & sic cessat iustitia ipsius causæ, quæ debet renunciationem legitimare.

Neque obstat, quod simplex Aëris intemperies sit iusta 5
causa renunciandi, ut per eundem Patis. *loco citat. num.* 214. qui hanc esse opinionem Doctorum communem inibi testatur. Quia hoc verificatur, quando prædicta Aëris intemperies vitæ insidiatur, & est naturæ ipsius Episcopi contraria, ut *ibi* Patisius, at non videtur habere locum, ubi alios quosdam morbos excitare posset non lethales, neque hominem impedientes, quin suo munere possit satisfacere; ut exempli gratia, si capitis faceret gravitatem, aut dolorem, non quidem perpetuum, aut molestam distillationem, non tamen periculosam excitaret, aut quemadmodum in casu nostro, visum obtusiorem, ac debiliorem redderet, aut etiam Auditum incrassaret; nullus enim horum morborum, aut symptomatum hominem vitæ periculo exponit, aut impedimentum ad exercenda Episcopatus munera præbere potest, & sic nequaquam iustificatur causa renunciationis ab Episcopo facienda per solam, ac simplicem Aëris intemperiem.

Sed ut rei veritas detegatur, considerandæ sunt nonnullæ concurrentes conditiones tam ex parte ipsius Illustrissimi Episcopi, quàm ex parte ipsius civitatis Clusinæ. Nam *Primò*, Illustrissimus Dominus à nativitate parum acutè videt, ex quo arguendum, hunc sensum sortitum à nativitate esse satis debilem. *Secundò*, est iam in ætate declinante, cùm sit Sexagenarius. *Tertiò*, non est omninò sanus, quia stomachi eruditates aliquando absque extrinseca ulla causa patitur. *Quartò*, caput maximè distemperatum, ac nimis humidum habet, ex quo distillationum materiæ perenniter ad internas partes submittantur. His additur intemperies notabilis ipsius Clusinæ Civitatis, quæ non solùm Austrinis flatibus est maximè obnoxia, sed à Clani fluvio alluitur, unde redditur tamoperè in humiditate distemperata, ut nihil suprà.

His sic se habentibus, firmandum omninò pro veritate est, Illustrissimum Dominum habere illustrissimam causam renunciandi Episcopatui ob imminens cæcitatis periculum, quod urgentissimam causam habet à singulis prædictarum conditionum perse; unde tantò urgentiorem habebit ab omnibus simul iunctis. Satis ergo tuetur Illustrissimum Dominum Episcopum hoc rationabile, ac instans periculum, ut licitè possit renunciare: idem enim operatur periculum incidendi in morbum, ac ipse casus in morbum, & tam periculum illud, quàm præsens morbus hominem iure excusare debent à residentia: nam si cæcus impeditur ad exequenda munera Episcopatus; & ob id debet Episcopatui renunciare, quia per 7
cæcitatem evadit ut pater, irregularis: Rota *in Valentina Coadiutoria lanuar.* 1637. *coram Coccino, num.* 24. idem poterit rationabile periculum incidendi in cæcitatem: & sic, stante eius periculi evidentia, licitè Illustrissimus Dominus Episcopus renunciare potest Episcopatui.

Porrò periculi evidentia satis, superque probatur, primò ob naturalem debilitatem sensus Visus, ob quam, si quæ causa est ab extra, quæ illum lædere possit, promptissimè læsionem 8
experitur; naturaliter enim fit, ut si quæ pars debilis à Natura existat, facilè præ cæteris corporis partibus superfluitates recipiat, quæ semper ad ipsam potiùs quàm ad illam quamcunque confluere solent Galen. *lib.* 13. *Method. med. cap* 5. *& alibi sæpè*. Modò, nulla causa evidentior dari potest, quæ visui officiat, quàm Aër crassior, & humidior, cùm enim hic sensus multo, ac puro, lucidoque spiritui indigeat, ut benè fiat, idem Galen. *lib.* 16. *de usu part. c.* 3. *& lib.* 7 *de Plac. Hipp.* 9
& Plat. cap. 5. Aër eius naturæ illum offuscat, incrassat, & inturbidat, & ad visionem reddit omnino oculos inhabiles, etiamsi aliàs sani sint; quid ergo si à Natura sint debiles certè cùm eo casu spiritibus paucis, & impuris, ac crassioribus oculi sint referti, facilè ab evidenti quacunque causa, & indesinenter agenti, qualis Aër est, spiritus illi non solùm incrassantur magisque inturbidantur, sed prorsùs extinguitur, unde homo in consummatam cæcitatem de necessitate labitur.

Accedit huic causæ Ætas jam gravis, cùm Illustrissimus 10
Episcopus sit sexagenarius, cuius culpa visus præ omnibus sensibus detrimentum patitur, ea potissimum ratione, quia spiritus crassiores, & minus lucidi in dies evadunt, cùm tamen sensus visus, ut dictum est, spiritus requirat maximè tenues, puros, ac pellucidos; sed & nimia excrementitia humiditas, qua caput scatet abundat, reddit ipsum oculum visionis instrumentum, & præcipuè corneam, humidiorem, ex cuius exuperante humiditate visus non modò hebetior evadit; sed

quasi

quasi per caliginem, aut nebulam, aut fumum fieri solet, ac tandem omninò evanescit: Galen. *lib. 1. de sympt. caus. cap 2.* Ubi ergo Aëris malitia concurrat ad spiritus inturbandos, & increassandos certo certiùs visionis totalis deperditio, ac consummata cæcitas expectanda est.

Præterea Aër Austrinus, qualis est Aër Clusinæ civitatis, mirum in modum adversatur capiti humidum habentibus, ut habent Senes, ut multò humidius habet Illustrissimus Dominus Episcopus, Galen. *in Art. Med cap. 19.* Unde ob id, ipsi
11 Austri reddunt visum caliginosum: Hippoc. *lib. 3. Aphor 5.* & ibi Galen. *in primum de Morb. vulg. com 1. text 18* Cùm igitur
21 visus obtusus sit Senibus familiaris ob jam commemoratas causas, idem Galen. *comm 3 Aphorism. 31.* & Aër caliginosus, turbidus, crassus & Austrinus visum hebetet ut ex superioribus patet, & omnes Practici testantur; Mercurial. *de morb. oculor. cap. 1.* certum est quod commoratio in hujusmodi Aëre, potest non longo mensium decursu Illustrissimo Domino ita obesse, ut visum in totum amittat, & sic jure optimo ad evitandum hoc periculum jam instans, sibi cavete satagit Vir Illustrissimus Episcopatui renunciando.

Nec minorem occasionem huic periculo præbere potest ipsius Illustrissimi Domini Episcopi valetudo, cum maximè stomachi querimoniis subjaceat, ob cruditates ab imminuto calore procreatas: inde enim facilè, & vapores crassos, & ex-
13 crementitias materias Capiti indesinenter subministrari necesse est; cùm constet sola ipsius stomachi culpa aliquando visus obscuritatem, & hebetudinem excitari, Ioann. Bapt. Mon. tan *cons. 45.* ex quo Petr. Forest. *lib. 11. observat. 32.* Quod mirum non est, cùm in dies à stomacho multò majora mala Capiti communicentur: quantoperè igitur Aër civitatis Clusinæ visui officit, tantoperè valetudo ipsius Illustrissimi Domini Episcopi, & stomachi præcipuè imbecillitas ipsam Aëris causam fovet, ac vires perpetuo illi subministrat, ita ut hinc periculum amittendi omninò visionem jam imminere pateat, nisi ab eo recedendo sibi caveat.

Denique capitis frigida, & humida intemperies quam à Natura Illustrissimus Dominus sortitus est, & quam ipsa senecturis æras mirum in modum adauxit, tam indesinenter materias superfluas ac crassos turbidosque humores ad oculos dimittere apta nata est, ut mirum sit, quonam pacto, cum hoc vitio, ex prægressa commoratione in tam contrario Aëre evitare Vir Illustrissimus potuerit consummatam cæcitatem. Ecquis sanè non firmabit. Virum hujusmodi temperamento dotatum, oculosque à primordiis nativitatis maximè debiles sortitum, ætate jam declinante, ac stomacho multis eruditatibus perpetuò referto non nisi ex miraculo servari potuisse, quin jam à multo tempore Clusii commorando in omnimodam cæcitatem lapsus fuerit? Quòd si hactenus, qualiscunque causa illum ab hoc infortunio servaverit certè perseverante commoratione in eo Aëre, qui tantoperè Capiti, & oculis inimicus est, illud evitare nullo pacto poterit.

14 Cùm igitur ex sola Aëris intemperie liceat Episcopo renunciare Episcopatui, ut superiùs ex adductis per Patrisium dictum est, quantò justitiorem causam habet Illustrissimus Dominus renunciandi Episcopatui, ubi tot concurrunt conditiones periculum amittendi visionem tantoperè urgentes, ut nullo modo illud evitare possit, si perseveret commorari in Aere Clusino? imò crediderim teneri ipsum ex proptia conscientia sibi prospicere, tamque efficaces, ac imminentes infortunii causas evitare, ne visu amisso, à multis bonis operibus cessare cogatur.

CONSILIUM LXXXII.

Ad Titulum Primum libri tertii.

De Impotentia coëundi & generandi.

ARGUMENTUM.

Cogebatur Vir Illustrissimus N. N. à suis, ne ejus Nobilissima Familia extingueretur, ut uxorem duceret, ipso magnoperè tergiversante, ac timente, ne ob nonnullas non aspernandas quidem causas, impotens futurus esset ad consummandum matrimonium, aut inhabilis ad Liberorum procreationem: Inter eas causas præcipuam existimabat genitalis membri brevitatem. Cùm tamen suis satisfacere magnoperè desideraret, jubet de ea re consilium ineam cum altero Medico Collega meo doctissimo, ac cum alio Medico & Chirurgo experrissimo. Ante omnia ergo genitale membrum observavimus, ipsumque ob perpessa ulcera Gallica, tota fere glande detruncatum vidimus, cæterum verò optimè constitutum. Inter illum autem invisendum narravit, se ad coëundum segniorem factum, licèt tandem incœptum coitum optimè absolveret. Collegis ergo meis ancipitis sententiæ existentibus, ac inclinantibus potius ad dissuadendum, quàm ad suadendum, ut uxorem duceret; Ego illi, bono animo esse, imperavi, & uxorem duceret, ac sui, suorumque desiderii compotem futurum prædixi. Ille meis monitis obtemperans, matrimonium cum lectissima ac Nobilissima patiter Virgine contraxit, & plures liberos suscepit.

SUMMARIUM.

1 *Membri brevitas impedit generationem. Vide num. 8.*
2 *Ignavia Venereorum quando sit sine remedio.*
3 *Morbi seniles vires tempore acquirunt.*
4 *Ætates non annorum numero, sed viribus mensurantur.*
5 *Senectus retardatur, aut acceleratur pro maiori, aut minori virium robore.*
6 *Sterilitas à morbo Gallico facilè inducitur. Vide num. 10*
7 *Glandis, & Præputii privatio coitus delectationem ex parte Mulieris diminuit.*
9 *Ignavia in Venerem, aut segnities quadam non potest dici frigiditas.*

NOn absque evidentissimis rationibus, dubii in hoc negotio permanebant tam Medicus, quàm Chirurgus ad consulendum convocati: Et *Primò*, ob virgæ brevitatem; *Secundò*, ob enarratam ignaviam, & segnitiem ad Venerem exercendam; *Tertiò*, ob ætatem; *Quartò*, denique, ob Gallicum morbum.

Et quoad Membri brevitatem certum est, illam impedire 1
generationem: Avic. 20. *tertii tract. 2. cap. 44* Ludov. Mercat. *de steril. & pragn ff lib 3. c. 5* Ioan. Hucher. *de steril. lib. 1. cap. de col-parvit.* Fortun. Fidel. *lib 2. de Relat. Medic. cap. 2.* Nam ut dicebat idem Hucherius, neque idonea titillatione Venerem in Muliere accendere satis potest, ut simul cum Viro semen suum effundat, neque (addam ego) pervenire potest ad uteri intimiora: unde neque virtutem ad sponsam devirginandam habere potest, atque inde consequens est ob uteri occlusionem naturalem ab Hymene, vel quomodocunque factam, Mulierem Viri semen in suum uterum non recipere, maximè cùm longè ab ore interno effundatur, in quo casu cõsequi insimul videtur, quod virile semen refrigeretur priusquam ad destinatum locum pervenire possit; etiamsi admittatur uteri ipsius vehemens attractio, ob quam etiam à longè virile semen deglutire, & avidè ingurgitare solet; sed hæc attractio non tam facilè succedit, ut persuasum habemus; nam Medici tanti faciunt penis longitudinem, ad hoc, ut conceptio sequatur, ut eam æqualem esse voluerit Oribas. *collect. lib. 24. cap. ult.* ipsi cunno, aliàs non sufficere penem vult ad semen in os vulvæ ejaculandum.

Sed etiamsi tam facilè succedere supponatur hæc attractio, hoc haberet locum ubi consueto impetu semen in uterum ejacularetur, quod in hoc casu sperari non potest, ob membri brevitatem, & detruncationem, quam pro causa sterilitatis agnoscit etiam Fortun. *lib. 2. de Relat. Medic. c. 2.*

Sed neque sperari id potest ob partium genitalium ignaviam, de qua Vir Illustrissimus conqueritur & quæ erat secunda causa, dubios, & ancipites detinens Collegas meos in capienda hujus negotii resolutione: atque erat profectò hæc causa maximè considerabilis, & de qua ipse patiens magno, perè timebat, ob eam enim præcipuè magis, quàm ob prædictam membri brevitatem, ægrè se persuaderi permittebatur, ut uxorem duceret.

Augebatur hic timor tam in Patiente, quàm in Collegis

Collegis ex eo,quòd illam ignaviam judicarent à morbo Gallico relictam ; præterquam quod jam in ætate procederet, cùm quintum ſupra quadrageſimum annum agere ſe diceret, quinquam triennio minor eſſet.

2 Ex his Venereorum ignavia illa reſpectu utriuſque conditionis judicari poterat abſque remedio eſſe ; nam quoad morbum Gallicum certum erat, eam ab illo morbo tanquam ejus characterem relictam, & ideò mirum non erat ſi morbo jam in totum ſanato, & patiente ad priſtinas vires remeante, cum facici aſpectu laudabili, & vivido carnium colore, tamen illa ignavia non ceſſaverit, ſignum manifeſtiſſimum, morbi prægreſſi malitiam genitales maximè partes labefactaſſe.

Quoad ætatem autem,quæ erat tertia cauſa,ob quam Collegæ magis in negativam, quam in affirmativam partem inclinabant, videbatur eam poſſe magnoperè obſtare remotioni ejus ſymptomatis, quia cùm illud à refrigeratione dependentiam habeat, & calor nativus ætate procedente in dies diminuatur, quo præcipuè & in primis opus eſt in congreſſibus Veneteis,certum eſt,ignaviam illam in dies majorem fieri, ac vires eundo acquirere, ut omnes morbi ſeniles facere conſueverunt. Licet autè ætas quadraginta quinq; annorũ non videantur ex naturæ ordine diminuere notabiliter potentiam coëundi,calore adhuc vegeto exiſtente ; id locum habet in ſanis hominibus, ac integras adhuc vires conſervantibus, non in debilibus, & valetudinariis, & ideircò aliàs probatum eſt, Ætates non annorum numero, ſed viribus menſurari, eaque de cauſa Senex quis dici poteſt in ætate etiam conſiſtente,aut
4 etiam juvenili, non excedente annum trigeſimum : quemadmodum è contra, juvenis adhuc dici quis poterit etiamſi ſuperaret annum ſexageſimum ; & hoc quia ſenectus retardatur,& acceleratur pro caloris nativi majori,aut minori robore,& virtute : quamobrem ubi vel à Natura,vel ab accidente, veluti à prægreſſo aliquo morbo vehementi calor diminutus eſt,ſenectus maximoperè acceleratur,ita ut ubi aliàs quinquageſimoquinto, aut ſexageſimo aliquis ſeneſceret, per plures annos ſenectutem præveniat,ut in caſu noſtro, in quo Nobiliſſimus Vir poteſt dici jam ſenex, licet quadrageſimumquintum annum non exuperet, cùm ex prægreſſis morbis plurimum nativus calor ſit diminutus, quod evidenter commonſtrat illum non ſufficere ampliùs ad opera Naturæ celebranda, quæ quadragenario Viro convenire videntur.

Ac tandem ipſe Gallicus morbus, cùm notabilis ac vehemens eſt, qualem paſſum fuiſſe conſtat Illuſtriſſimum Virum, ignaviam illam genitalium, ut dictum eſt,accerſere potuit.ac dato quod hoc fuerit cauſa ad hoc ſufficiens,licèt contrarium de facto appareat, ſaltem hominem ſterilem facere potuit, quia refrigerato nativo calore, refrigeratur conſequenter genitale ſemen, & infœcundum evadit : quod ſatis ſuperque ita eveniſſe oſtendit ignavia ad coëundum ; nam ubi calore ſufficienti,ac ſpiritu viget,ut naturaliter fieri ſolet, hominem Veneris ſtimulis facilè irritare conſuevit, & fœcundum eſt, quamobrem etiamſi coëundi ignavia in Illuſtriſſimo Viro remedium admitteret,vigebit tamen, & ſine remedio erit inhabilitas generandi, quare cùm non ad alium finem Vir Nobiliſſimus ad ducendam uxorem ſibi perſuaderi permittat, niſi ad procreandos liberos, ne tam conſpicuæ nobilitatis Familia extinguatur,inceſſum ducet uxorem, ſtante impotentia generandi,quam à morbo Gallico maximè gravi,quo ipſe affectus eſt, facilè induti reſtantur Ludov. Mercat. *loco citato, cap.* 5. *verſic. Contingit præcidubio.* Fortun. Fidel. *lib.* 2 *de Relat. Medic. cap.* 2.
6

His oppoſitionibus nihil motus, in ea opinione fui, ut Vir Illuſtriſſimus poſſet, ac deberet uxorem ducere, cùm quantum eſt ex parte ſui, quod certam ſpem procreandi filios fruſtratoriam futuram minetur,obſervata genitalis membri conſtitutione,nihil viſum eſt, quod vel coitum,vel generationem remotari poſſit ; licèt enim detruncatum eſſet, ac tota ferè glande orbatum,quod reliquum ipſius erat,tanta longitudine donabatur, ac tam benè affabrefactum erat, ut ſufficeret abſque dubio ad delectandas ſatis Mulieres ſecum congredientes ; omnes enim dimenſiones optimè adimplebat, neque flaccidietate,neque frigiditate, neque coloris pravitate etiam extra erectionem culpari poterat ; unde in erectione,ut ipſemet Patiens ſeriò referebat, ſufficienter perdurabat, licèt ſeriùs quàm ante acto tempore exigeretur.

Præterea ad corporis conſtitutionem me convertens, Virum obſervabam temperaturæ ſanguineæ cùm Bilis ſubdominio,habitus inter pinguem & gracilem mediocris, carnibus naturalis coloris,ac decenti rubore perfuſis,non flaccidis, neque rugoſis, ſed requiſita ſoliditate laudabilibus ; principes omnes partes naturali vigore pollentes, ac nulla, in ſumma, præternaturali affectione labefactatas : ſtaturæ ultra mediocrem non excedentis,actionis vivacis. ac debitam alacritatem præſeferentisætatis,ut dictum eſt conſiſtentis, ac potius juvenilem aſpectum oſtendentis, & requiſito Totius robore dotatum. Teſtes inſuper obſervabam decenti magnitudine conſpicuos tacta calidos, pilos in partibus omnibus,ac ſingulis,locisque conſentis copioſos ; ſemen, ut interrogatus retulit,optimæ conditionis craſſum album, ac conſucti odoris,ac copiæ mediocris, quale optimum à Medicis judicatur, & ut uno verbo omnia reſtringam, corpore erat eucrato, ac benè compacto, quale ad liberos gignendos deſiderati debet.

Cum his omnibus prægreſſæ luis Venereæ qualitatem requirens,conſtabat, illam neque curationis difficultate, neque ſymptomatum multitudine, aut ſævitie fuiſſe notabilem, ſed tantùm ulcuſculis in glande ipſius membri moleſtam, quæ facili negotio curata fuiſſent, niſi ille præ rubore nonnullis diebus ea occultaſſet,& incurata relinquens, occaſionem non dediſſet,ut malignitate contracta, pars corrumpi inciperet; unde poſtmodum coactus Chirurgum ſerò in auxilium convocavit, qui corruptam partem, nempe totam ferè glandem, ne malùm ulterius ſerperet, reſecavit. Hinc verò ob contagii ſuſpicionem, exquiſitæ corporis expiationi ſe ſubiecit, ac debitis antidotis, & decoctis ſudorificis in uſum protractis, omnem Luis Gallicæ radicem extirpavit, eoque pacto ad naturalem,ac priſtinum ſtatum remeavit.tanquam ſi nunquam ex ea lue ægrotaſſet.

Neque veritatem ullam habet, ſegnitiem illam in Venerem ab ea lue fuiſſe relictam : quia poſt prædictam curationem, per plures menſes ſolitam in Venere alacritatem retinuit,cujus deperditionis culpam ille in triplleem cauſam, atque illam quidem evidentem reiiciebat, nempè in immodicum Veneris uſum per nonnullos dies factum cum pulcherrima juvencula quam amare occeperat, in gelidiſſimi potus abuſum, & in balneationem in Tyberina aqua, quam frigidam nimis experiebatur.ita ut ſuperveniès Venereorum ignavia, novus morbus videri poſſet ab inſignibus illis erroribus in victu patratis ſuam originem habens, aprs medicamentis removendus, ſi ejus remotioni animum addiviſſet. 7

His uterque Collega permotus, in meam ſententiam manibus, pedibuſque veerunt, maximè cum oppoſitionibus ex adverſo propoſitis plenilimè ſatisfeciſſem : nam quoad membri brevitatem,eam non eſſe talem ipſa autopſia convincebatur, ut coitus uſum, vel generationem remotari poſſet.

Neque obſtabat inſtantia, quæ fieri poterat ob glandis privationem firmando, quod ejus privatio coitus delectationem ex parte Mulieris inſigniter minueret, & hoc pacto impediret generationem, cum conſter ex ſola præputii abſciſſione eam delectationem notabiliter minui, ut Hæbreatum mulierum exemplo patet, & teſtatur Reald. Columb. *ſua Anatom. lib.* 11. *cap.* 16. & Joann. Riolan. Pil. *in Enchirid. Anatom. lib.* 2. *cap.* 31. Atque hinc evenire dicunt, ut illæ mulieres libentiùs congrediantur cum Chriſtianis, quàm cum propriis Hebræis,ut idem Riolan.*ibid.* addit, & cum eo alii Anatomici. Quia reſpondetur neque ex præputii, neque ex glandis abſciſſione tantoperè in mulieribus minui Veneream delectationem, ut illas minus generationi aptas efficiat, ut ipſæmet Mulieres Hebrææ facto ipſo convincunt; quæ non ſolùm ex ea cauſa ſteriles non evadunt, ſed fœcunditate alias Mulieres quandoque exuperant. quod majorem in modum firmare poteſt Hebræatum in Ægypto degentium exemplum, de quibus ſacra *Exodi* pagina *cap.* 1. mentionem habens, fœcunditate inſignes fuiſſe memorat.In caſu ergo noſtro dicendum, membri brevitatem,de qua Medici teſtantur, quòd diminuat coitus delectationem, & generationem, debere eſſe talem, ut ob eam brevitatem non poſſit pervenire ad ita miora loca muliebria, ubi ex frictione congredientis Viri maior viget delectatio, at in Viro Illuſtriſſimo etiamſi membrum ſit aliqualiter decurtatum, decentem tamen,ac ſufficientem adhuc longitudinem ſervat ita ut non minus, quam ſi integrum eſſet, poſſit compreſſam Mulierem ſatis ſuperque delectare. Immò etiam ſi brevius eſſet quàm ſit, non ideircò abſolutè illum ſterilem eſſe affirmare poſſemus,cùm pateat experientia, aliquos etiam ſic conſtitutos generaſſe, & hoc factu poſſibile teſtatur Fortun Fidel. *lib.* 2 *de Relat. Medic cap.* 2. 8

Quod ulteriùs circa ignaviam opponebatur, facto ipſo facilè diluitur,nam licèt Nobiliſſimus Vir poſt inſignes errores in victu jam commemoratos ſeriùs in Venerem accendatur,tandem tamen operam egregiè navare ſolet, ita ut omninò exiſtimandum ſit, ubi hæc coëundi ignavia Veneri, ac liberorum procreationi poſſet quicquam officere, eam eſſe de facili ſuperabilem, non enim ex naturali, aut forte habituali frigiditate partium genitalium origiuem habet ſed ex adſcititia frigiditate eorum errorum cauſa contracta ; unde non

abſcin

abſcindit in totum, ſed remoratur tantùm ſtimulos in Venerem; cujus rei evidens ſignum eſt, quòd ubi blanditiis, ac mutuis amplexibus, atque oſculis à mulieribus excipitur, tandem alacriter cum ipſis congreditur, ut ingenuè fatetur.

De ætate quod opponitur adeò frivolum eſt, ut ex ſe omninò evaneſcat; nam Nobiliſſimus Vir ætatem degit, ut dictum eſt, conſiſtentem robore ſuffienti, ac quale dictæ ætati convenit, dotatur, aſpectum habet juvenili propinquiorem, quàm ſenili, vitam traducit ab omni morbo liberam, nec valetudini ulli obnoxiam, ita ut inaniter, & abſque ullo fundamento dicatur, illum in ea ætate debere dici ſe-
9 nem ob ſolam illam Venereorum ſegnitiem, aut ignaviam, ſi modò ignavia vocari mereretur tarditas quædam, & non conſueta in aliis hominibus mora ad coëundum, quæ non ex frigiditate patium, ſed ex calore remiſſo earum procedit, & neque ignaviæ, neque frigiditatis nomen habere debet.

De Gallico tandem morbo jam diximus, non potuiſſe morbum ab Illuſtriſſimo Viro perpeſſum inter graves mor-
10 bos Gallicos connumerari, & ſteriliratem inducentes; immo verum non eſt, morbum Gallicum ſimpliciter, & ex ſui natura facere hominem ſterilem, ſed tantùm cum aliquibus ſymptomatibus aſſociatur, craſim principium membrorum deſtruentibus, & nativum genitalium partium calorem extinguentibus, quod ſymptoma non convenit morbo Gallico, ut Gallicus morbus eſt, ſed illi per accidens interdum adjungitur; quam veritatem ipſa experientia quotidiana confirmat, ex qua aſſiduè videmus homines utriuſque ſexus Gallica lue etiam gravi, vexatos fœcunditate eſſe inſignes; at talis non erat lues, quam paſſus eſt Vir Illuſtriſſimus, imò erat levis, & facilè ſanabilis, cùm illicò ſe per penis ulcuſcula prodidiſſet, quæ facilè ob id ſanari teſtantur Auctores, Leonard. Botallus, *de Lue Veneren. cap.* 2.

CONSILIUM LXXXIII.

Ad Titulum primum libri tertii.

ARGUMENTUM.

Deſiderabat Illuſtriſſimus Dominus N. N. ducere in uxorem Illuſtriſſimam pariter, ac pulchritudine inſignem Mulierem Dominam S. S. viduam ætatis annorum viginti biennio addito, multùm id diſſuadente Eminentiſſimo Domino ejus viri patruo, eo tantùm nomine, quòd præfata Domina eſſet inhabilis ad generationem, ita enim perſuadebat illi Medicus domeſticus, non magni pretii vir, qui eam in quodam Monaſterio degentem ad educationem curaverat, antequam marito priori nuberet. Inſtante ergo prænominato Eminentiſſimo Domino, Vir Illuſtriſſimus me cum tribus aliis ſelectiſſimis Medicis, ætate, doctrina, & experientia inſignibus, convocavit, ut cum Medico ejuſdem Eminentiſſimi Domini conſilium initemus, ac determinaremus, an dubium aliquod intervenire poſſet, quod præclariſſima Mulier ob cauſas à Medico illo illatas, futura non eſſet generationi apta, ac illo à nobis audito, acriter ſuam ſententiam defendente, concordes omnes fuimus nullam ex narratis ab ipſo cauſis, neque aliud quicquam, dubium in ea excitare poſſe, quin generationi maximè habilis futura eſſet. Ego igitur, ita juſſus ſcriptis meam ſententiam probavi, ut ſequitur.

SUMMARIUM.

1 *Viſcerum contumaces obſtructiones in fœminis conceptionem impediunt.*
2 *Mulieres admodum pingues non concipiunt.*
3 *Medicamentorum frequens uſus conceptionem impedire ſolet.*
4 *Cauteria diu geſtata tam Viros, quam Mulieres ſteriles faciunt.*
5 *Mulieres frigidos viros habentes non concipiunt.*
6 *Experientia eſt rerum magiſtra, unde magis illi fidendum quàm rationi.*
7 *Mulieres nimis craſſa, vel nimis tenues, non concipiunt.*
8 *Obſtructiones in virginibus Marito jungendis non ſemper impediunt conceptionem, immò aliquando per concubitum ſuperantur.*
9 *Virgines Viro matura, ac peſſimè habentes, quamprimum nubere debent, ex Hippocrate.*
10 *Mira Chalybis vis in adjuvanda conceptione.*
11 *Antimonium ſteriles facit Mulieres. Falſum, ibid.*
12 *Cauteria diu geſtata quando ſterilitatem inducant.*
13 *Experientia, ut ſi bona, quas conditione, habere debeat.*
14 *Virgines ſponſa cur non illicò, ſed aliquando, immò ut plurimum poſt aliquot menſes, concipiant.*
15 *Sponſi interdum ex nimis frequentato coitu non gignant.*
16 *Coitus nimis frequens conceptioni obeſt.*
17 *Sponſi aliquando non generant ob diſconvenientiam naturæ, & ſeminis.*

OPeræ pretium eſt, antequam ad patefaciendam Collegarum, ac meammet opinionem accedam, cauſas enarrare, ob quas Medicus ille inculcabat, Illuſtriſſimam Mulierem non eſſe habilem ad generationem: quarum potiſſimæ fuerunt ſubſequentes.

Pro prima ergo cauſa afferebat contumaces ac rebelles obſtructiones, quibus lectiſſima Mulier per plures annos fuit detenta, & de præſenti etiam detinebatur, quas generationem certo certius impedire omnes Medici uno ore fatentur, & videndi, ſi libet, Auctores Gynæciorum, ad quas re- 1
movendas, ut addebat, jam tertium chalybem aſſumpſerat, & præter ipſam plura alia medicamenta à ſe cum aliis doctiſſimis duobus Medicis præſentibus exhibita; quin etiam cùm jam nupſiſſet, Tectucianam aquam ad plures dies, ut ſubjungebat, ebiberat, quibus tamen & ante, & poſt nuptias repetitis, nihil omninò profecerat; licèt negare non poſſet illam, poſtquam priori Marito tradita in uxorem fuit, faciei colorem in multò laudabiliorem immutaſſe, & pinguiorem habitum acquiſiviſſe, quod tamen dicebat ille, ad ſanitatem quidem prodeſſe, ad generationem autem potiùs obeſſe; cùm, non obſtante quod habitior multò, quàm cum virgo permaneret, evaſerit, eadem menſtruorum diminutione laboraret, non aliam profecto ob cauſam niſi quia Natura deſueta jam à tranſmiſſione ſuperfluentis ſanguinis ad vias uterinas, ut menſtruo tempore expurgaretur, totum in corporis alimentum convertebat, ex quo futurum eſſet, ut Domina Illuſtriſſima majorem in modum in dies pinguefacta, ſterilis omninò redderetur, cùm pateat Auctoritate Hippocrat. *lib.* 5. *Aphor.* 46. Mulieres admodum pingues 2
non concipere.

Secundam cauſam inhabilitatis generandi in nobiliſſima hac Muliere contendebat eſſe contentioſus hic Medicus, frequentiam aſſumptorum medicamentorum, ex quorum tam ſæpè iterato uſu, maximè cum validiſſima ſunt, qua- 3
lia ipſam aſſumpſiſſe conſtabat, ſterilitatem induci vel ipſæ Mulieres norunt; certum namque erat, illam, cum nullo modo ferre poſſet pallidum illum propriæ faciei colorem inſignem ejus pulchritudinem deſœdare, conſilio cujuſdam Chimici, ſemel, atque iterum Stibium, hoc eſt Antimonium aſſumpſiſſe, ex cujus aſſumptione faciei priſtinum nitorem tantiſper recuperavit, licèt priori marito nupta adhuc pallorem illum integrè non depoſuiſſet. At verò Pharmaca, & medicamenta hujuſmodi violenta, inter quæ ſi præcipuè, locum obtinet Antimonium, uteri ipſius craſſim, ac virtutem dejiciunt, & ad quaſcunque naturales actiones obeundas, & maximè ad conceptionem illum ineptum reddunt, ut Medici omnes teſtantur, poteratque ſignanter adducere teſtimonium Ludov. Mercati *libro tertio, de ſteril. & pregn. aff. cap.* 3.

Pro tertia cauſa in medium afferebat idem Medicus forticulum ab ipſa nobiliſſima Muliere in coxa per biennium geſtatum, quê tantoperè exaggerebat potuiſſe uterũ refrigerare, il-

ſumque debilitaret, ut omninò conceptionem prohiberet, cùm in ipſis quoque viris hæc emiſſaria diu geſtata pro aliquorum morborum curatione, vel præſervatione, ſterilitatem inducant eodem Mercato teſte *loco citat. cap.* 5. Quòd ſi in Viris, qui multò calidiores ſunt, quàm mulieres ob inductam frigiditatem cauſare poſſunt ſterilitatem, quantò magis id ipſum cauſare poterunt in mulieribus; imò multò facilius in mulieribus morboſis, quàm in ſanis, quia ab ipſa morborum diuturnitate refrigeratis, & quaſi in Cachexiam lapſis, nativi caloris ſummam debilitatem præſeferunt, ut in caſu noſtro, in quo pallidus ille, imò potius albicans faciei, & totius corporis calor ſatis ſuperque in ea læſam fuiſſe ſanguificationem ob hepatis evidenter diminutum calorem teſtatur; unde ſi principale viſcus ad ſanguificationem deſtinatum tantoperè refrigeratum fuit, quantò magis refrigeratum fuiſſe dicemus ipſum uterum? non mirum ergo ſi ad ſua munia obeunda neque de præſenti ſufficiat, & maximè, ad concipiendum, cùm
5 ex auctoritate Hippocratis *lib.* 5. *Aphor.* 62. omniumque Medicorum conſenſu pateat, mulieres frigidos uteros habentes non concipere.

Denique certiſſimum ſignum inhabilitatis ad concipiendum hujus Illuſtriſſimæ Dominæ deſumi poſſe, dicebat, ab experientia: cùm enim per triennium cum priori Marito Viro fœcundiſſimo (nam ex priori uxore plures liberos ſuſceperat) concubuiſſet, nunquam tamen concepit; immò cùm plura medicamenta ad conceptionem juvandam in uſum protraxerit, nihil omninò profecit, etiamſi prudentiſſimorum Medicorum conſilio omnia imperata executioni demanda-
veritquod tanto magis conſiderabile eſt, quanto magis proſeciſſe in ſanitate videbatur, poſtquam nupſiſſet. Ergo quid, addebat ille, ulterius indagare reſtat, an hæc Domina apta, ineptave generationi futura ſit experientia facta, quæ eſt re-
6 rum magiſtra, rerumque evidenter apparentium judex, non ratio, quam ſibi unuſquiſque veriſimiliter commentus fuerit, Galenus *in lib. 6. de morb. vulg. comm. 3. partic. 19.* unde magis illi credendum, quàm Rationi, ejus inhabilitatis certum nobis ſubminiſtravit teſtimonium? incaſſum ergo laborabimus, ſi rationibus probare velimus contrarium.

Hæc & alia incautus ille Medicus procaciter deblaterabat, quæ ſenior ex Collegis, Vir prudentia, doctina, & experientia inſignis ulteriùs ſcire recuſans, propria auctoritate, & ætate fiſus, cùm & ipſe præclariſſimam Mulierem, de qua agebatur, cum præfato Medico, & aliis Collegis pluries curaſſet, & antequam Viro nuberet, & poſtquam nupſiſſet, acriter in illum invectus eſt, & iræ calore impulſus multa illum mentitum eſſe aſſeveravit, ac ſermonem protrahendo (licet ut ſenior ultimo loco verba facere debuiſſet) evidenter demonſtravit nihil eorum quæ ille opponebat obſtare Illuſtriſſimæ Dominæ, quin facilè poſſet ſi Marito jungeretur, liberos generare, ſuper quo propriam fidem obſtringebat, & de fœlici ſucceſſu certiſſimam promittebat.

Congreſſu diſſoluto poſtquam unuſquiſque noſtrum Collegæ ſenioris aſſenſus eſſet; ad propalandam propriam unuſquiſque opinionem ut imperatum erat, ſe accinxit, unde & ego meam ipſius, his, quæ ſequuntur, patefeci.

Ut autem non ſine fundamento hujuſmodi opinioni adhæſiſſe viderer nonnulla ad eam ſtabiliendam in præfata Domina, quam benè noveram, obſervanda cenſui. Et primò & ex prægreſſo mulieris ſtatu, & ex relatione ſenioris Collegæ
4 obſervabam, obſtructiones quas illa, cùm adhuc virgo eſſet, paſſa fuerat, non tam ultrò proceſſiſſe, ut illam in cachexiam lapſam eſſe ex veritate firmari poſſet, quia tantummodò colorem faciei in pallidiorem mutaverat ob diminutam menſtruorum purgationem. Cæterùm neque ullum viſcerum naturalium tumorem, neque inſignem ullam tenſionem, neque ullum earundem partium dolorem, ſed tantummodò Meſenterii, ac ſiniſtri Hipochondrii obſtructionem paſſa fuit, ut ipſe ſenior Collega affirmabat, qui cùm timeret, ne adauctis obſtructionibus in Chloroſim, hoc eſt, febrem albam, morbum quoque virgineum dictum laberetur, illi chalybem (non ampliùs in vino, ut bis ad modicum tamen tempus aſſumpſerat) potabilem in jeſculo aperitivo ad triginta dies exhibuit; unde nativum faciei calorem penè recuperavit. Tantùm ergo abſuit ut illa in cachexiam lapſa fuerit, ut nullum ejus affectionis ſignum apparuerit, nam neque malo corporis habitu, nec tumida facie, nec œdematoſo pedum crurumque tumore, nec motus difficultate in aſcendendo præcipuè, nec alio hujuſmodi accidenti moleſtata fuit, ut cæteris mulieribus, quæ ex contumacibus obſtructionibus & menſtruorum ceſſatione in morbum prædictum decidunt, evenire conſuevit.

Obſervabam ſecundò, Nobiliſſimam Mulierem viribus ſemper conſtantem, etiam ipſo morbo, ejuſque ſympromatibus vigentibus, ſemper actionum naturalem alacritatem, & promptitudinem conſervare, quin & ad oblata, ſeu illa alimenta fuerint, ſeu medicamenta, optimè ſe habuiſſet, ita ut, vix illis quàtùm morbus requirebat, aſſumptis, incontinenter melius ſe haberet, ſicc poſtmodum, niſi ob aliqua errata in victu, & præcipuè in Aquæ frigidæ potu, in eaſdem obſtructiones reincideret; unde iterum, iterumque opus habuit ad chalybis uſum redire, quamquam per duas priores vices, cùm illum in vino aſſumeret, per octo dies continuos illum evomuit, ita ut ab ulteriori aſſumptione deſiſtere coacta fuerit, & tamen in ſanitate aliquid profecerit: ſed cùm de novo illum potabilem Medici illi propinaſſent per triginta dies in ejus uſu perſeverans ita profecit, ut nuptui jam apta exiſtimata priori Marito in uxorem tradita fuerit; cum quo triennio abſque ulla valetudinis querela commorata eſt, ſtomachi tantùm dolorem ex conſuetis erratis in potu aquæ frigidæ, coacta fuit aquam Tectucianam per triduum ebibere, quod fœliciter ſucceſſit, ceſſante illicò dolore, neque amplius affligente, licèt nunquam concepiſſe potuerit.

In mentem porro redigebam quæ de Marito ſenior Collega retulerat, nempè illum fuiſſe virum quadragenarium eumque vix à conſummato matrimonio tranſacto menſe ob graviſſima errata in Veneris uſu in ſtomachi languorem, ac frigiditatem incidiſſe, ita ut nec cibum niſi in modica quantitate aſſumere, nec ſufficienter retinere, nec benè concoquere poſſet; cui affectioni ut ſuccurreret plurimis medicamentis uſum fuiſſe, ac poſt biennium tandem, vomitu repreſſo, in graviſſimum capitis dolorem, & majorem corporis extenuationem, quam jam ex frequentato vomitu contraxerat, lapſum fuiſſe unde Apoplexia poſt annum ferè repreſſo vomitu correptum deceſſiſſe.

In hac temporis intercapedine cum uxore, quam, morbo tam diuturno, ac gravi non obſtante, ardenti affectu proſequebatur, vix ſingulis menſibus ſemel congreſſus, à coitu mirum in modum, ut par erat, angebatur; ſemen autem, ut Medicis referebat, abſque ullo vel cum medico ſenſu emittebat, quod ſubſtantia erat liquidem, ac fluidum nullamque conſiſtentiam habens, quin & cum his ſtomachum frigidum perſentiebat, licet plura quàm opus haberet, appeteret, & aſſumeret, ſed non niſi longo tempore concoqueret, & in ſumma in frigidam totius diſcraſiam lapſus, ejus rei culpam omnem in immoderatum Veneris uſum rejiciebat; nam pulchritudine, ac morum ſuavitate novæ ſponſæ allectus continere ſe nullo modo potuit, quin multo frequentius, quàm ejus vires, & ætas ferrent illius concubitum exquireret. His acceſſerat frigidiſſimi potus abuſus, à quo ne urgente quidem morbo, neque ipſa Hyeme ſæviente in totum abſtinere voluit.

Cum his omnibus, conſiderato præclariſſimæ Mulieris habitu corporis, non facile aptiorem inveniri ad liberos procreandos conjiciebam, eſt enim qualis in fœminis fœcunditate inſignibus deſiderari ſolet à Mediris, & qualem docemus ab Hippocrate *libro* 1. *Prædictorum*, & alibi, mediocritatem quippe in quibuſvis conditionibus præferebat, cùm extrema improbentur: nimis enim craſſæ, ut jam 7
dicebatur, ac nimis tenues conceptioni non ſunt aptæ, idem Hippocrates *libro quinto Aphoriſm. quadrageſimo ſexto*, ſic in frigiditate, in caliditate in humiditate, in ſiccitate exuperantes ſteriles ſunt idem Hippocrates *ibidem Aphoriſm. ſexageſimo ſecundo*, & ſic de cæteris. Venas inſuper Medici requirunt apparentes, lumbos latos, non adſtrictos, ſtaturam mediocrem, licet parvam magis habilem affirment; quæ omnia in Muliere Illuſtriſſima conſpicua intuentibus erant, & à ſeniori Collega jam diligenter obſervata, ita ut ubi de ejus fœcunditate hæſitaretur, ne Momum quidem Judicem recuſaret.

Et his ergo, omni dubio remoto, pronunciandum pro veritate judicavi, Mulierem Nobiliſſimam connubio maximè habilem eſſe, nullumque præſeferre notabile impedimentum ad concipiendum; non obſtantibus iis, quæ contrà à malè affecto Medico procaciter nimis objiciebantur, quæque de novo objici poſſent.

Nam primo (ut etiam ea, quæ falſo opponuntur, tanquam ſi vera eſſent, diluantur) dicamus obſtructiones etiam rebelles, & contumaces non ſemper impedire in Virginibus Marito jungendis conceptionem; perpaucæ enim Virgines nubentes concipierent cùm perpaucæ quoque ſint, quæ hujuſmodi obſtructionibus non ſint obnoxiæ; & tamen quotidiana experientia conſtat, illas utplurimum concipere, nempè quia ipſe Veneris uſus eas ab illis obſtructionibus liberat.

Sed quid plura? ipſe omnium Medicorum Præceptor optimus Hippocrat. *in libello de Morb. Virgin. in fine.* Virgines

ipſas

ipſas ab iiſdem obſtructionibus peſſimè habentes, & terribilibus ſymptomatibus inde conflictatas, non alio conſilio ſuadere ac juvare ſe profitetur, niſi ut quamprimum nubant; ſubdens, *Si enim concipiant, ſana fiunt*; quod multò faciliùs ſuccedit in Virginibus, quæ non ob id, quod multis, ac pravis humoribus teatrant, ſanguinemque vitioſum habeant diminute purgantur, ſed quia Natura ipſa ſerius aſſueſcit ſanguinem per menſtrua expurgare, vel fortè ob viarum anguſtiam, quæ ubi viro junguntur dilatatæ menſtrua liberius procedunt & ſic concipientes ſanæ fiunt: ut evèniunt certò certius promittere licet in caſu noſtro, in quo jam maxima ex parte obſtructiones ablatæ ſunt, & ipſa mulier ſanguine optimo abundat, ut ex qualitate ejus qui per menſtrua expurgatur, licèt quantitate modici ſenior Collega obſervavit.

Non obſtat ergo menſtruorum diminutio in caſu noſtro conceptioni, licet, ſi veritati ſtudemus, nullæ jam illam obſtructiones exerceant; nam non idcirco diminutè purgatur, quia viæ ſint ut antè, maximè obſtructæ, ſed quia Natura jam prægreſſis affectionibus exuperatis, omne ſtudium in corporis reſtaurationem impendens, ſanguinem in eo opere abſumit, nec multum illius ſuperfluit, quod debeat menſtruis expurgari, & ita in veritate ſe rem habere oſtendit purgatio ritè, & ſuo tempore procedens, nullum dolorem in exitu ciens, & ſanguinis conditio laudabilis.

Sed neque frequens medicamentorum uſus anteactus, quem impedire poſſe conceptionem Medicus ille exaggerat, quicquam huic rei obeſſe poteſt, & ſignanter nihil omninò obfuit triplicata Chalybis exhibitio, immò neque ipſius Antimonii: nam quoad Chalybem, quem ille tam frequentatum vituperabat, non moderatè exhibitum, experientia ipſa quotidiana docet, illum ad conceptionem juvandam dari non ſemel, atque iterum, ſed multò frequentius, neque ideò unquam ſuo fine defraudari; ſed eſto, ut inaniter jactat, quod chalybis nimius uſus obſit generationi, falſum eſt in facto hanc nimietatem in caſu noſtro adfuiſſe, nam, ut ſupra dictum eſt, & ex atteſtatione ſenioris Collegæ habemus, per duas vices per octo, aut decem dies tantum fuit exhibitus, & tunc vomitu rejectus; reſtat igitur, ut per triginta ſolùm dies illum aſſumpſerit, unde ejus uſum non fuiſſe nimium, ne ipſe quidem Medicus negare poteſt, cum quotidie ad quadraginta, & ſexaginta dies Practici ad conceptionem juvandam exhibeant, & ubi unica vice quod intendunt non ſuccedat, iterum, atque iterum cum optato ſucceſſu propinent.

Et ut mirum quid de hujus medicamenti efficacia in promovenda conceptione enarrem, ſequens experimentum profetam: Virgo erat obſtructionibus valde conflictata, quæ ditiſſimo Viro nubens, per annum non concepit. Hinc optimè purgata, & chalybe ad quadraginta dies aſſumpto concipiens, debito tempore marem peperit, qui anniculus ex variolis deceſſit, ac mulier ulteriùs non concipiente, in prægreſſas obſtructiones culpa omnis conjiciebatur; itaque iterum purgata, iterumque per totidem dies Chalybe aſſumpto denuò concepit, & femellam peperit, per duos ſequentes annos non amplius concipiens, unde ad Chalybis potum rediens tertiò concepit, atque eo pacto etiam quarta, & quinta conceptione fœcunda fuit non niſi ante ſingulas Chalybe adjuta.

Sed quoad Antimonium, in cujus exhibitione maximè ſe fundat Medicus ille, ſeriò affirmans ſterilitatem inducere, inaniter omnino loqui videtur, atque ab illo libenter ſciſcitarer, quos Auctores ejus rei habeat? nam ego in contrarium multas experientias adducere poſſum: proprias ante alias in medium afferam:

Curabat Petrus Caſtellus Medicus inſignis, & in chymicis exerciſatiſſimus uxorem cujuſdam Dominici Vantagii peſſimè habentem, multis ſymptomatibus, ac terribilibus, necnon acerbiſſimis interdum doloribus, & Epilepticis inſultibus diverſatam; quæ nihil ſuſpicans de uteri geſtatione, Medicum de ea re admonere non potuit, unde ille multa, ac diverſa, & valida remedia exhibuit, ac denique Antimonium propinavit, cumque in quinto gravidationis menſe degeret, fœtum ad nonum uſque optimè geſtavit, ac femellam fœliciter enixa eſt; à cujus partu, vix anno tranſacto, marem peperit.

Medicos amicos doctrina, & experientia inſignes in teſtes convocare poſſum, inter quos eminet Franciſcus Santucius communi omnium calculo ſumma cum laude hic Romæ Medicinam exercens, qui omnes affirmant, ſe aliquando ad tollendas concumaciſſimas obſtructiones, quarum cauſa mulieres aliquæ non concipiebant, illis Antimonium exhibuiſſe, unde per illud ad admirationem uſque purgatæ, poſtmodum conceperunt.

Quin etiam idem præſtitiſſe alius Medicus amicus affirmabat in muliere, quæ jam quinto, ac trigeſimo anno major nunquam conceperat, & ad extirpandos ſtomachi dolores, quibus frequenteiſſimè moleſtabatur, Antimonio aſſumpto præter intentionem gravida effecta marem juſto tempore edidit.

Notum inſuper habemus, Marcho Cornachino id narrante *in præfatione ſui libelli, & ibid. cap 7.* Mulieres nonnullas gravidas tuto ſuo puluere, quem *Cerberum* nominavit, purgaſſe, qui ex Antimonii tribus partibus, ex duabus Scammonii & una Tartari conflatur; quod ſi Gravidis Antimonium ritè præparatum tutò exhibetur, cur non etiam abſque ulla noxa, & abſque eo quod ſteriles eas faciat, mulieribus extra prægnantiam exhiberi non poterit? ſine noxa igitur & ſine impedimento Conceptionis dicendum, potuiſſe Illuſtriſſimam Dominam Antimonium aſſumere, maximè ritè præparatum, ut in prædicto pulvere ab illa aſſumpto fieri ſolet.

De cauterio in coxa per biennium geſtato cùm referret Medicus, riſum movit omnium Collegarum, qui per ſeniorem certiores fuerant facti, nunquam Mulierem Illuſtriſſimam illud geſtaſſe, nec Medico illi in hoc unquam obtemperaſſe, ſed ut illius tædium effugeret, quotidie inculcantis non poſſe eam ſine hujuſmodi rem diu ſanari, immò niſi aſſentiretur, in multo peiorem ſanitatis ſtatum ruituram, ſimulavit ſe illi obtemperaſſe.

Sed demus illam cauterium in coxa ut ille ſupponit, per biennium geſtaſſe; certum tamen eſt neque temporis diuturnitate neque nimis excedenti evacuatione potuiſſe illud conceptioni obeſſe, præterquàm quòd verum non undequaque 12
eſt quòd cauteria ex ſe ſterilitatem inducant, niſi multò longiori tempore geſtentur, & multam materiam expurgent, & in corporibus valetudinariis, ac ſenilibus indantur. At quando ad ſupplendam naturalem aliquam evacuationem, aut aliàs conſuetam cauteria excitantur, ut in menſtruorum diminutis ac, maximè in ſubjecto juvenili, atque aliàs non morboſo, non modo corpus non refrigerant, aut minùs habile ob hoc ad conceptionem reddunt, ſed potiùs illud à ſuperfluentibus humoribus repurgando, natura in hoc deficiente, magis habile ad conceptionem efficiunt. Sed de hoc ſatis, nam ipſa ſageciſſima Domina Medici importunitatem ſatis ſuperque deluſit.

Experientiam denique, quam pro ſua fulcienda, ac ſtabilienda opinione, idem Medicus affectebat; inanem eſſe unuſquiſque ipſo excepto, cognoſcere poteſt: nam ſi ſciret, quid 13
ſit experientia, nequaquam ex ſola Mulieris nobiliſſimæ conjunctione cum uno Viro experientiam colligeret; nam experientia, eſt ejus, quod ſæpius ex eodem modo viſum eſt, obſervatio atque memoria, ut docet Galen. *in libro de optima ſecta. c.* 11. ſi ergo experientiam habere velis per viri conjunctionem, an mulier ſterilis ſit, necne, non ſatis eſt, quod cum uno tantùm ſe conjunxerit, quia poteſt ex diſſidemia ſeminis virilis cum muliebri impediti conceptio, unde deducere ex hoc non potes, mulierem eſſe ſterilem.

Præterea non eſt neceſſarium, neque utplurimum conſuetum, ut ſponſæ primis diebus nuptiarum, aut etiam primis 14
menſibus concipiant, unde peſſimè infert Antagoniſta ille, *Sponſa primo menſe non concepit, ergo experientia conſtat, illam non eſſe habilem ad concipiendum.* Sed non abſque evidenti cauſa evenire ſolet, ut ſponſæ maximè virgines, Marito junctæ, primis menſibus non concipiant, quia primi illi congreſſus non abſque omni dolore, & diſplicentia fiunt ipſarum nuptarum, ob violationem locorum in deviginatione factam. Et poſtmodum ex coitus frequentatione viæ magis dilatantur, ac ſemen liberius, & affluentius, ac cum majori delectatione prodit; nam in principio, multæ vix eam delectationem percipiunt quæ deinceps in ejus emiſſione ſit, nam ex tenuiori craſſiuſculum evadit, & majorem delectationem affert.

Accedit his quòd ſponſi, & peculiariter juniores, & qui 15
mutuo amore incalecſcunt, magis quam oporteat Veneri indulgent, & ex nimis frequentato coitu non generant, hoc enim impedimento eſſe generationi, Medici quotquot ſimili argumento verba faciunt, admonere non deſinunt. Mercurial *lib.* 2. *de Morbis mulierum, cap.* 2. Mercat. *de ſteril. & Prag. aff.* 62. *lib.* 3. Maſſaria *lib.* 4. *Pract.* 6. Plutarch. *l.* 1. *de Plac. Philoſophor. c.* 9.

Sed concedamus huic Medico Matitum præclariſſimæ fœminæ fuiſſe ex ſe fœcundum, non idcirco, ut ſuperius an- 16
nuebam, inferre licet, *Ergo uxor cum ex eo non conceperit, non eſt fœcunda*: Quia, hoc non obſtante, mulier ex ſe poteſt eſſe fœcunda, ſed non concipere ex hujuſmodi viro ob Naturæ diſcon-

diſconvenientiam : quod ſatis ſuperque propter Medicorum & Philoſophorum auctoritatem facilè teſtatur experientia, cùm pateat, eandem mulierem cum ſecundo mariro concipere, quæ cum priori concipere non potuit : eodemque pacto eundem virum cum priori uxore non generaſſe, cum poſteriore verò maximè.

Sed ut veritatem rei conſequamur circa hoc factum, determinandum Mulierem Illuſtriſſimam ob mariti inhabilitatem non concepiſſe, eamque ex ſui natura ad generationem eſſe aptiſſimam, ut ex iis, quæ in illa quoad corporis inſtitutionem obſervata diligentiſſimè ſunt, manifeſtiſſimè elicitur.

CONSILIUM LXXXIV.

ARGUMENTUM.

Reverendiſſimus Dominus N. N. Archidiaconus Eccleſiæ N. expoſuerat Sanctiſſimo ſe non eſſe habilem ad ſuæ dignitatis munia exercenda, eamque ob cauſam inſtabat, ut ſibi Coadiutor concederetur cum futura ſucceſſione, gratiamque ab eodem Sanctiſſimo obtinuerat, concedente illi pro Coadiutore Dom. A ejuſdem Domini Archidiaconi ex fratre nepotem, tunc vix per ætatem habilem ad eam dignitatem obtinendam: quod ægerrimè ferentes ejuſdem Eccleſiæ Canonici, obtentam ab eo gratiam tanquam ſubreptitiam impugnabant, opponendo, quòd cauſæ ab ipſo enarratæ ad gratiam obtinendam, non eſſent ſufficientes, nec talis gravitatis, qualis fuerant enarratæ. Pro ſufficientia igitur earum cauſarum firmanda, ad inſtantiam Procuratoris prædicti Reverendiſſimi D. Archidiaconi, quæ ſequuntur, ſcriptis mandavi.

SUMMARIUM.

1 *Homo quando ſeneſcat ante terminum naturalem.*
2 *Ætates retardantur, & acceleruntur, pro virium robore.*
3 *Ad impetrandam Coadiutoriam omnes enarratas in ſupplicatione cauſas juſtificare oportet.*
4 *Singulæ cauſæ per ſe debent eſſe ſufficientes ad Coadiutoriam obtinendam.*
5 *Qualibet expreſſio falſa vitiat gratiam.*
6 *In expreſſione cauſarum, ob quas petitur gratia requiritur, ut ejus qualitatis ſint, qualis fuerit narratum in ſupplicatione.*
7 *Gratia ſubreptitia evadit, ſi, narratis pluribus impedimentis pro obtinendo Coadiutore, omnia non probentur.*
8 *Impedimenta pro obtinenda gratia debent eſſe perpetua.*
9 *Valetudo pro obtinenda Coadiutoria debet eſſe talis, ut ſit abſque ulla ſpe futuræ proſperitatis.*
10 *Ceſſante cauſa, ob quam Coadiutoria fuit conceſſa, ceſſat Coadiutoria.*
11 *Obſtructiones, & longa febricula ab ipſis dependentes, quando judicanda pro cauſa ſufficienti obtinendi Coadiutorem.*
12 *Expertis, & peritis in Arte magis credendum, quàm rationibus in contrarium.*
13 *Experientia eſt judex rerum evidenter apparentium, non Ratio.*
14 *Nullus tenetur ob corporis ſalutem recuperandam, remedium admittere asperum, & ſummi cruciatus.*
15 *Ipſa ſanationis incertitudo excuſat ægrum ab admiſſione remediorum.*
16 *Calculo veſicæ extracto per inciſionem, non ceſſat cauſa juſtitia ad obtinendum Coadiutorem.*

TRiplici ex cauſa ſupplicaverat Sanctiſſimo, Dominus Archidiaconus, ut ſibi Coadiutor concederetur. *Prima* erat Ætas gravis, cùm vix perpaucos menſes ab anno ſexageſimo diſtaret. *Secunda*, erant obſtructiones viſcerum naturalium, ex quibus frequenter lentas quaſdam febriculas patiebatur, quæ illum in lecto ad plures dies decumbere cogebant. *Tertia cauſa* erat veſicæ calculus, cujus occaſione crebertimis, & atrociſſimis doloribus vexabatur. Unaquæque igitur prædictarum cauſarum ſufficiens viſa eſt ad obtinendum Coadiutorem.

Nam quoad ætatem ſatis gravis judicari poteſt in hoc ſubjecto, etiam ſi ſexageſimum annum non excedat, quia Dominus Archidiaconus à duplici morbo jam à multo tempore conflictatus, viribus conſuetis eſt deſtitutus, ita ut non pro ſene tantùm, ſed pro Decrepito, & annis confecto reputari debeat, nempe quibuſcunque ſanitatis incommodis obnoxius, quæ Decrepitas, & extremum ſenium in cæteris afferre ſolet, ut aliàs evenit ubi vitam morbis exagitatam quis degit ſeneſcens ante terminum naturalem, & in pluribus conſuetum. 1

Licèt ergo Decrepitas multò ſeriùs advenire determinetur, nempe ſexageſimo quinto, aut etiam ſeptuageſimo anno, tamen, ut paſſim apud tam Legumperitos, quàm Philoſophos, & Medicos habetur, & ut frequenter à meipſo obſervatum eſt, Ætates retardantur & acceleruntur pro virium robore, ita ut qui ſeneſceret, exempli gratia, ſexageſimo, virium robore ſive ex morbis, ſive quacunque ex cauſa deficiente, ſeneſcat quinquageſimo, aut etiam matutiùs & vix ſexageſimum attingens ſenio conficiatur, ut in caſu noſtro, in quo Dominus Archidiaconus longa corporis valetudine, & moleſtiſſimo urinæ ardore ob veſicæ calculum excruciatus, hoc ipſo ætatis anno ſexageſimo jure ſenio confectus dici debet, & illi ex juſtitia Coadiutor dandus eſt.

Sed ætati grayi additur ſecunda cauſa originem habens à diuturnis, & contumacibus obſtructionibus, & à frequentibus febriculis inde dependentibus, quibus Dominus Archidiaconus ſæpè moleſtatur, quippe cùm hujuſmodi affectiones tam malè, & tam frequenter hominem exerceant, ut illum in malum corporis habitum, cachexiam Græci vocant, ac tandem in Hydropem præcipitare valeant : qui affectus in quavis perſona, ſed maximè in ſene ſummoperè eſt timendus, cùm enim à diminuto calore originem trahat, & in ſene calor ob ætatis ipſius conditionem quotidie diminuatur, evitare nullo modo poteſt, quin idem calor quamprimùm ad extinctionem properet, & hominem de medio tollat. 2

Tertia denique cauſa videtur præ aliis juſta ad petendum, & obtinendum Coadjutorem ; non modò enim illum impedit, ne ſuis muniis fungi poſſit, ſed ejus vitam miſerabilem reddit : nam cùm evacuatio per urinam frequenter fieri debeat, & ob calculi præſentiam, quem Natura foras detrudere indeſinenter conatur, ſtimulus urinæ reddendæ majorem in modum adaugeatur, inſuperque ſummum ardorem, & anguſtiam in ea reddenda experiatur, vitam ducit perpetuis cruciatibus conflictatam, abſque ulla ſpe futuræ proſperitatis, immò ne diminutionis quidem tam carnificini ſymptomatis ; unde hæc ſola cauſa ſufficientiſſima reputanda ad juſtificandam gratiam per Dominum Archidiaconum à Pontifice obtentam, etiamſi aliæ non eſſent ſufficientes.

Sed contra prædicta, Domini Canonici inſurgentes, contendunt, gratiam eſſe ſubreptitiam, & idcircò revocandam; nam, inquiunt ; opportet ſupplicantem plures cauſas ſuæ petitionis exponentem, omnes, ac ſingulas juſtificare, ita ut unaquæque per ſe ſit ſufficiens ad gratiam obtinendam, nam ubi inſufficiens aliqua earum eſſet, ſupplicatio contineret falſitatem. & quælibet expreſſio falſa vitiat gratiam : per ea, quæ addutit Garzias *de Benef par. 6. cap. 2. num. 197.* quia in gratioſis omnia narrata ſunt verificanda : Idem *ibi num. 189.* immò in expreſſione cauſarum, propter quas gratia expetitur, requiritur, ut ejus qualitatis ſint, qualis narrata eſt in ſupplicatione. ut, exempli gratia, ſi narratum ſit, ſupplicantem pati ſtomachi imbecillitatem cum dolore perpetuo, & vomitu, & dolor non ſit perpetuus, aut vomitus non adſit, gratia dicitur ſubreptitia Rota *in Gienuen. Theſauraria 24. Novembris 1634. coram Veroſpio num. 1. & in Melevitana Antianitatis 1. Julii 1643 coram eodem num. 9* tantò magis ergo gratiam faciet ſubreptitiam, ſi narratis pluribus impeditis, ob quæ petitur gratia, non omnia probentur : Garzias *de Benef. ubi ſupra, num. 195.* Cum ergo Dominus Archidiaconus præter calculum in veſica, narraverit ſe eſſe Decrepitum, cùm vix ſexaginta annos natus ſit, & pati obſtructiones, & febriculas, ut exponit, neque ætas ſexaginta annorum ſit Decrepita, neque obſtructiones, & febriculæ narratæ, ſint ita graves, ut earum reſpectu concedi illi debeat Coadjutor, gratia evadit omninò ſubreptitia, ac abſque dubio revocanda. 3 4 5 6 7

Quod enim ætas ſexaginta annorum non poſſit dici Decrepita, probatione non eget ; & licèt, ut ex adverſo dicitur, evenire poſſit, ut præ caloris nativi imbecillitate, ac defectu naturali, vel adventitio, aliqui per nonnullos annos

ante

antequam alii seneſcant,& decrepiti evadant,& tamen id non in casu nostro habet locum, quia Dominus Archidiaconus nonobstante lapidis vesicæ morbo, quo tantoperè affligi se dicitat, vires adhuc habet integras, ut ex aspectu ipso, & ex motus promptitudine, & omnium actionum alacritate constici possit.

Sed & obstructiones, & febriculæ, quibus detinetur, non sunt tales, quales enarravit, cùm vix semel, aut iterum ex earum causa decumbere sit coactus ad decem, vel quindecim ad summum dies, easque facilè corporis purgatione, tam permedicamenta, quam per sanguinis detractionem non magno negotio superavit.

Sed quoad vesicæ calculum clara est falsitas enarrationis, cùm licèt Dominus Archidiaconus urinæ ardorem patiatur, adhuc tamen certam cognitionem non habet, an ille urinæ ardor à calculo procedat, necne, cùm possit procedere ex aliis causis, ut ex solis arenulis, aut ex pituita salsa urinam reddente acriorem. Et non habere in rei veritate illum in vesica calculum, satis testari potest molestia, quâ in reddenda urina experitur, quæ neque tam magna est, neque tam frequens, ut narravit, atque magna ac frequens esse solet in iis, qui calculo vesicæ laborant: quin nec multùm angitur, si curru vehatur, nec pondus ullum inibi persentit per gradus descendendo, quæ manifestè in hoc morbo se produnt.

Atque ex his clarè patet gratiam à Domino Archidiacono obtentam, esse subreptitiam, cùm in supplicatione falsa enarraverit, neque talia, qualia in veritate sunt.

Detur tamen Domino Archidiacono, ut undequaque vera enarraverit, adhuc gratia non debet habere locum, quoniam impedimenta, quæ narratur à supplicante ad obtinendam
8 gratiam, debent esse perpetua, ita ut amoveri nullo modo possint: & quoad corporis valetudinem specialiter patet debere esse talem, ut sit extra omnem spem futuræ prosperitatis. At causæ enarratæ à Domino Archidiacono pro obtinendo
9 Coadjutore, si ætatem excipiamus (quam non esse ita gravem, ut mereatur inter causas sufficientes connumerari, jam probatum est) sunt omninò amovibiles, & sic cessare debet
10 Coadjutoria, cessante causa, ob quam fuit concessa; Rota *in Elnen. Canonicatus 6. Junii 1631. coram Ghisilerio n. 6.* Nam quoad obstructiones, & febriculas enarratas: jam experientia ipsa docuit, esse sanabiles, cum in seipso expertus sit aliàs leni corporis purgatione amotas esse; sed & ipsum etiam vesicæ calculum, si modo adsit, eximi posse notum est, unde ipse ad integram sanitatem redire valet, ut quotidie in aliis fieri videmus per ipsius vesicæ incisionem.

Sed profectò nimis transportari se Domini Canonici permittunt, à mala, quam contra Dominum Archidiaconum exercent, voluntate; unde non modò causarum, ex quibus motus est ad petendum Coadjutorem, gravitatem verbis summoperè extenuant, ac diminuunt, sed, quod detestabile est, plura falsò supponunt, & quæ factibilia nullo modo sunt, facilia esse pronuntiant.

De ætate nos, quid verè sentiendum, ultimo loco manifestabimus, de morbis agamus Dominum Archidiaconum exercentibus: & primo non negamus, obstructiones, & febriculas, quas ille patitur, ex se & cùm solæ hominem detinent, non difficulter superari, cùm non admodum inveteratæ
11 sunt, & subjectum, quod occupant, juvenile est, aut saltem non dejectis viribus, sed si alteri morbo gravi associentur, si morbo huic contraria remedia ad illas tollendas sunt necessaria, si diuturnæ & contumaces fuerint, si in subjecto senili, & viribus dejectis, tantùm abest ut curari possint, ut incuratæ de necessitate sint relinquendæ, ne curatione major ille morbus iritetur, quia incuratæ non tam citò præcipitare poterunt hominem ad interitum.

Pro exemplo sint eædem obstructiones & febriculæ in homine Hæmoptoïsim, hoc est sanguinis sputum ex venæ ruptura in pectore patiente; certum enim erit; hunc pro curando sanguinis sputo egere medicamentis obstruentibus, incrassatis, & astringentibus, pro curandis autem obstructionibus & febriculis ab iis dependentibus, egere deobstruentibus; attenuantibus, & relaxantibus, si ergo obstructiones curare labores, ægrum quamprimum jugulabis, pectoris venis magis adaperies, & vitam cum sanguine fundentibus: at si incuratas illas reliqueris, in longius vita protraheretur, licèt tracta temporis ab ipsis aut habitualos febres, aut cachexiam, aut hydropem expectare certus fueris.

Simili modo ad amussim in casu nostro evenire necesse est, in quo obstructiones, & febriculæ, ut in superiori exemplo dictum est, aperientibus, & attenuantibus tolli deberent, ardor autem urinæ dolorem lenientibus, atque incrassantibus diminui aliqua ex parte poterit quòd si in incidentibus, aperientibus, & attenuantibus obstructiones curare velimus, uri-

næ ardorem majorem in modum augebimus, calorem febrilem ea ipsa occasione nocentiorem faciemus, vesicæ inflammationem præ dolore majori excitabimus, ægrumque tandem deficere videbimus.

Cùm ergo obstructiones, & febriculæ, de quibus verba facimus curari nec possint, nec debeant, & non solùm de præsenti sint molestæ, sed quotidie magis molestæ non curatæ futuræ sint, gratiam à Pontifice concessam habendi Coadjutorem quantum est ex hoc capite, justificatam esse, determinandum.

Quod tantò verius est, quantò magis falsum quod Domini Canonici supponunt, nempè Dominum Archidiaconum rarò ab his morbis molestari; nam per idoneos testes constat illum per anteactum quinquennium bis quolibet anno ex prædictis febriculis coactum fuisse in lecto decumbere: de præsenti autem tam malè à lapide vesicæ exerceri, ut neque obstructiones, neque febriculas ullo in censu habeat, præterquam quod ob ejusdem lapidis morbum coactus est à medicamentis deobstruentibus, & aperientibus in totum abstinere, quibus tamen longo tempore usum fuisse ad obstructiones illas tollendas præter examinatos testes, fidem faciunt Medicorum Receptæ apud Aromatarium, ut fieri solet, asservatæ.

Sed quod Canonici de essentia lapidis vesicæ controvertunt, clare ostendit illos, ne facti quidem veritati velle acquiescere, sed ipsam quocunque pejori modo se paratos esse impugnare. Constat enim Dominum Archidiaconum ante supplicationem Sanctissimo porrectam pro obtinendo Coadjutore, expertissimo Chirurgo advocato, curasse, ut omni majori diligentia scrutaretur, an in vesica lapis adesset, necne; qui experimento facto, ac singulis, quæ observari oportuit, observatis, denunciavit, illum lapidem in vesica habere considerabilis magnitudinis, quod etiam propria fide postmodum comprobavit.

Neque obstant oppositiones in contrarium à Dominis Canonicis factæ quoad gravitatem doloris, & ardoris in mingendo, quem multò majorem esse contendunt, ubi ex lapide exciteur, alia obiiciendo, ratiunculis quibusdam in medium allatis: Quia expertis, & peritis in Arte magis credendum, 12
quam rationibus in contrarium: Rota *in Elnen. Canonicatus supra citata, n. 22. & in Romana officii mandatariatus. 1. Julii 1657. coram Panziroło, num* 15 quia experientia est judex rerum evidenter apparentium, non Ratio: Galenus *in 6. de* 13
Morb. vulg. comm. 3 partic. 19. Quamobrem si Peritus in Arte facta experientia deposit, Dominum Archidiaconum habere calculum in vesica, Dominorum Canonicorum rationes omnes in contrarium evanescunt.

Qui, ut evidentius ostendant, quam malè affecti sint contra Dominum Archidiaconum, contendunt, quòd etiam existente lapide in vesica non habeatur causa sufficiens ad obtinendum Coadjutorem. *Primò*, quia non adeò molestum causat dolorem, nec tantam angustiam, ut ab ipso narratum est, *Secundò*, quia est per extractionem amovibilis.

At quod primo loco Canonici obiiciunt, falsum esse ipso facto convincitur, quia licèt dolores, & ardores in mingendo non sint perpetui, nec frequentissimi, afferunt tamen cruciatum intolerabilem: & licèt minùs frequenter illum molestent, quàm soleant; quia nonnulli centies in die urinam cum magno cruciatu reddere coguntur sunt tamen frequentes respectu naturalis consuetudinis, cum enim quater aut una, vel altera vice plus urinam reddere consueverat, nunc aliquando vigesies cum carnificino illo dolore mingere cogitur.

Quod autem secundo loco firmant, calculum esse amovibilem per vesicæ incisionem, negari non potest; sed nullo modo obligatur Dom. Archidiaconus tale remedium experiri, nemo enim teneretur etiam ob recuperandam corporis sanitatem remedium admittere, quod sit maximè asperum, & sum- 14
mos cruciatus inferens: Sotus *lib. 5. quæst. 2. art 2.* Lessius *de justitia & jure, lib. 2. cap. 9. dubitatione decimaquarta, num. 96.* Pater Theophil. Raynaud, *de Ortu infant. contra Naturam, cap. 6. num. 2.* cum aliis *ibi* cumulatis. Quod tantò magis habet locum, quantò minùs rarum remedium est; nam ipsa in- 15
certitudo sanationis excusat infirmum ab ejus remedii admissione: idem Pater Raynaudus, *ibid. num 4. & seq.* & dixi etiam *lib. 8. quæst. tit. 2. quæst. 1. num. 16.* ac profectò experientia patet, in ipsa hujusmodi remediorum executione (licèt aliquando per ea salventur) Ægros expirare; ut fit, exempli gratia, in puttidorum membrorum excisione, in Thoracis inustione ad pus extrahendum, in paracentesi ad educendam aquam Hydropicorum, & id genus aliis, & in ipsissima lapidis vesicæ extractione.

Verumenimverò, dato etiam quod hujusmodi lapidis extractio certam salutem promittat, & ab omni mortis periculo

abſit, tamen non idcirco ceſſaret ſufficientia huiuſmodi cauſæ ad poſtulandum, & obtinendum Coadiutorem, quia præterquam quod poſt inciſionem veſicæ ad lapidem extrahendum, homines ob vulneris gravitatem maximam virium iacturam faciunt, & ob fiſtulas interdum irremediabiliter aliquando relictas, vitam in poſterum valetudinariam degunt, nec poſſunt certò ſibi promittere, quin de novo alij lapides generentur, ob lapidificam illam facultatem à Natura inditam, quæ nullo humano ingenio inhiberi, aut impediri poteſt; iam verò non uno, aut altero eventu comprobatum eſt, nonnullos poſt lapidis extractionem tractu temporis alios lapides procreaſſe, unde de novo exciſioni ſe committere coacti ſunt. 16

Ex quibus patet apertiſſimè, cauſas omnes, & ſingulas à Domino Archidiacono in ſupplicatione ad Sanctiſſimum enarratas ad obtinendum Coadiutorem fuiſſe omninò ſufficientes; neque in earum enarratione ullam contineri falſitatem, quæ obtentam gratiam ſubreptitiam reddat.

Et quod denique de ætate non decrepita obiiciebatur, facillimè diluitur per exiſtentiam aliarum cauſarum, quæ ætati aſſociantur.

13 *Virum fortiorem eſſe Muliere controverti non poteſt.*
14 *Potiſſima cauſa, ex qua homines citius ſeneſcunt, quàm deberent, ſunt morbi magni, & diuturni.*
15 *Corpora ſtricta, & anguſtos meatus habentia, ſerius à veneno laduntur.*
16 *Præſtat, homines magis graciles eſſe, quàm craſſos.*
17 *Obeſi citius intereunt, quàm graciles.*
18 *Malus eſt ad craſſitudinem exceſſus.*
19 *Cordis fortitudo maior in gracilibus, quàm in obeſis.*
20 *Alimenta, medicamenta, & venena nonniſi à calore actuantur.*
21 *Ubi pars aliqua in corpore debilis eſt, cauſa violenta accedentes eam præ aliis infeſtant.*
22 *Si qua pars ante morbum laboraverit, ibi firmatur morbus.*
23 *Venenum quò in maiori quantitate aſſumitur, eo citius occidit.*
24 *Ubi vis maior eſt, celeritatem etiam operationis eſſe oportet.*
25 *Ubi plures, & evidentiores cauſæ concurrunt, effectum citius ſequi neceſſe eſt.*

CONSILIUM LXXXV.

ARGUMENTUM.

Occaſione Vindemiarum cùm vir, & uxor ruri commorarentur, in cœna fungis, aliiſque pravis eduliis ſeſe ingurgitaverant, famula, ac famulo, necnon villico eodem cibo ſe replentibus. Dormitum euntes, à ſomno non multò pòſt expergefacti, ſtomachi dolorem & anxietatem, cordis preſſuram, anhelitoſque difficultatem, aliaque prava ſymptomata paſſi, villicum ac famulum in proximiora rura petitum auxilium expediunt; quorum uterque inter eundum iiſdem accidentibus, ac vertigine prehenſi in terram cecidêre animam exhalaturi, niſi ex proximis ruribus homines accurrentes opem tuliſſent, vomitum provocando, & antidota quædam miniſtrando. Interim ex ſymptomatum ſævitie vir & uxor, cum famula, omni ope deſtituti vitam obierunt. Inierant coniuges à biennio citrà, pactum quoddam inter ſe, nimirum quòd altero eorum decedente, ſuperſtes coniux ſcutorum duo millia ultra Quantum dotale lucraretur. Dubitatum ergo eſt, quiſnam eorum ultimo loco vita functus eſſet, & inſtante doctiſſimo, ac perſpicaciſſimo Amico Iureconſulto, ut meam ſententiam in ea re propalare non gravaret, eius deſiderio ſatisfeci, ut ſequitur.

SUMMARIUM.

1 *Venena ſerius ladunt mulieres, quàm viros.*
Probatur, ſub num. 13.
2 *Calor nativum quò imbecillior, eo citius à veneno ſuperatur.*
3 *Senectus ætati conſiſtentiæ comparata, viribus illi omnino cedit.*
4 *Conſiſtentes iam declinare incipiunt.*
5 *Senes nullis robur habent.*
6 *Venena omnia vel mediatè, vel immediatè Cor petunt.*
7 *Pro maiori, aut minori Cordis fortitudine, magis, aut minùs veneno reſiſtitur.*
8 *Frigidum venenum citiùs extinguit debilem calorem, quàm fortem.*
9 *Homo natura frigidus aſſumens venenum frigidum, citiùs moritur, quàm qui natura calidus eſt.*
10 *Fungorum venenum eſt ſtrangulatorium, & reſpirationem abſcindens: & num.* 11.
11 *In reſpiratione magis laduntur viri, quàm mulieres.*
12 *Mulieres inſultus Aſthmaticos faciliùs ſuperant, quàm Viri.*

NOn contemnendæ prima facie videbantur præſumptiones, ex quibus haberi poſſet, Maritum ante uxorem obiiſſe, quæ deſumi poterant ab utriuſque ſexu, ab ætate, à viribus, à fortitudine, & imbecillitate cordis, à qualitate veneni, & ab eius effectu. 1

Nam quoad ſexum, fuit nonnullorum Doctorum opinio, de qua ſignanter Cardinal. Ponzett. *lib. 1. de Venen. c.* 13. quod venena tardius lædant mulieres, quàm viros; neque videtur huiuſmodi opinio ſine fundamento, quia venena ubi à perſona frigidiori temperatura dotata aſſumpta fuerint, vel à contraria qualitate obtunduntur, ſi calida ſint; vel non tam citò actuantur ſi ſint frigida; maximè cum à temperamento frigidiori vaſa anguſtiora, & exiliora procedant, & idcircò venenum non tam promptè admittunt, ut ſit exiſtentibus vaſis apertis; & ampliotibus. Cùm igitur Mulieres frigidioris temperamenti ſint, quàm viri, pro ratione factum videtur, ut ſerius uxor à veneno læſa fuerit quam Vir, & hoc pacto Vir ante uxorem fato ceſſerit.

Ab ætate etiam deſumi poteſt non invalida præſumptio; nam cùm vir provectiorem multo ætatem degeret, quam mulier, quia ille ſexageſimo anno proximus erat, uxore quadrageſimum non excedente, calor naturalis, cuius fortitudine veneno reſiſti oportet, quò imbecilliot eſt, eo citiùs à veneni violentia ſuperabitur, & extinguetur; eſſe autem calorem 2 prædictum imbecilliorem in ſenectute, quàm in antecacta ætate conſiſtentiæ, per quam Mulier à ſenectute ſui Viri per viginti annos diſtabat, tam clarum eſt, ut nulla probatione indigeat. Itaque deducendum hinc eſt, Maritum obitu præveniſſe uxorem.

Sed & vires utriuſque coniugis invicem comparatæ, non poſtponendam præſumptionem eiuſdem ſucceſſus nobis ſubminiſtrant; palam enim eſt ſenectutem ætati conſiſtenti comparatam, quoad vitium robur tantum illi cedere, ut inanis 4 undequaque ea comparatio evadit; licet namque conſiſtentes iam declinare incipiant, ut colligitur ex Galeno *in lib. 3. Aphoriſm.* 30. tamen ad labores non ita ut antè, ſed quoquo modo ſufficiunt, viribus adhuc ex parte ſaltem in ſuo eſſe conſervatis: At ſenes nulli robur habent, idem Galenus *libro de Curat. ration. per ſanguinis miſſionem, cap.* 9. minùs ergo reſiſtere eos neceſſe eſt cauſæ violentæ, ac veneno præſertim, 5 quod violentiſſima cauſa eſt, quàm qui in conſiſtenti ætate verſetur; unde ex veneni fungorum vi citiùs ſuccubuiſſe virum, quàm uxorem determinandum.

Eandem præſumptionem, eiuſdemque ponderis elicere poſſumus ex maiori, aut minori Cordis imbecillitate: cum enim venena omnia aut mediatè, aut immediatè Cor adoriantur, ut eſt communis Medicorum ſententia, de qua teſtatur Conciliat. *different.* 178. *& lib. de Venen. cap.* 1. certum eſt 7 pro fortitudine, & imbecillitate ipſius Cordis maiorem aut minorem reſiſtentiam contra venenum fieri poſſe: unde pro eadem fortitudine, & imbecillitate aſſumens venenum citius, aut ſeriùs ſuccumbet. Maiorem ergo Cordis imbecillitatem reperiri in ſene, quàm in eo, qui ætatem conſiſtentem degit, non eſt dubium; citiùs ergo vita functum dicendum virum tanquam ſeniorem, & corde imbecilliori dotatum, quam uxorem ætatem vegetiorem ducentem, & cor robuſtius obtinentem, quia tantò minor eſſe debuit reſiſtentia ex parte viri, quantò maior ex parte mulieris.

Neque validitate cedit præcedentibus præſumptio, quæ ſequitur deſumpta à veneni qualitate: veritati enim maximè

con

8 conſonum videtur, frigidum venenum, quale eſt venenum fungorum, citius ac facilius extinguere debilem, quàm fortiorem calorem, Modò. ſenes calorem debilem habent, & frigidioris temperamento ob hoc dotantur: *Cum haſitatur ergo* dicebat Cardin. Ponzett. *lib. 1. de Venen. cap. 6. an homo calida temperatura ſumens venenum frigidum citiùs moriatur, quam homo natura frigida?* 9 *videtur quod, cæteris paribus citius moriatur iſte, quia in eo minor eſt reſiſtentia.* Et in ſumma juvenes minùs læduntur à frigidis, eodem Ponzetto dicente; ob majorem caloris fortitudinem; & ſic quo magis diſtat homo à juventute, magis lædetur à frigidis venenis, conſequens ergo eſt, Maritum qui militum à juventute diſtabat, citiùs ac 10 promptius à frigiditate veneni ipſorum fungorum ſuperatum eſſe quàm uxorem quæ tantò fortiorem calorem viro obtinebat, quantò minùs quàm ille à juventute diſtabat.

Denique ab effectu ipſius veneni deſumi quoque poteſt non levis præſumptio, ſuadens virum ante uxorem obiiſſe: nam venenum fungorum eſt ſtrangulatorium, & prohibens reſpirationem: Avicen. *lib. 4. Fen 6 tract. 2. cap. 10* Cardinalis Ponzett. *lib. 2. de Venen. cap. 33.* & eſt communis Medicorum opinio, qui ergo minùs in reſpirationis actione pati eſt 11 conſuetus, ſerius à veneno hujuſmodi ſtrangulabitur, citiùs qui magis lædi ſoleat; at in reſpirationis actione multò minùs lædetur mulier, quàm Vir: cujus rei manifeſtiſſimum ſignum præbet quod mulieres ab Aſthmate multò minùs exercentur, & multò faciliùs ab ea liberantur, quàm viri: Meſues *de Medic. partic. ſumma ſecunda c. 1.* Savonar. *in Practic. magn. tractat. 6. cap. 10. rubr. tertia in Prognoſt. & in dubitat. n. 1.* Piſo 12 *lib. 2. Pract. c. 5.* Et ratio eſt, quia Natura efformavit mulieres pectore lato, & amplo, ad mammas continendas, in quibus lac generari ac conſervari, quo pueruli lactare debeant: neque aliam ob cauſam evenire exiſtimandum, quòd mulieres chordæ tormento expoſitæ faciliùs illud ſuſtineant, quam Viri, non enim à reſpiratione læſionae adeo moleſtantur, ut aliàs dixi ex Fortunato Fidel. *lib. de Relat. Medic cap. 3 rubr. cap. Qui thorace ſunt, &c.* Itaque aſſumpto hujuſmodi veneno ſtrangulatorio, vir citius ac gravius in reſpirando læſionem patitur, ac citius, creſcente ſymptomate deficit, reſpiratione vi ipſius veneni penitus obolita.

Verumenimverò multò urgentiores præſumptiones militare pro contraria ſententia patebit, ſi particularia quædam in hoc facto expendamus. Nam nonnulla ab ipſo villico, & famulo jam meliuſculè habentibus, & ritè interrogatis propalata ſunt, quorum cognitio omninò neceſſaria eſt ei, qui judicium in re dare voluerit.

Primò ergo ſciendum, virum, de quo agitur, fuiſſe ſexagenarium, ſed viribus adhuc conſtantibus, nullaque prægreſſa ægritudine labefactatis: corporis habitu fuiſſe mediocri ad tenuiorem potius, quàm ad pinguiorem tendente in victu liberaliter quidem ſe perpetuò geſſiſſe, exceſſus tamen magnos ſemper evitans, omni eduliorum genere uſus, ideirco neque à morbiferis illis fungis ſe abſtinuit, ſed parcius quam uxor in eorum commeſtione ſe geſſit, uxorem increpans, quæ abſque modo, ut erat, ejus ſibi aviditſima eos ingurgitabat, erat autem uxor quadragenaria, habitu præpingui, in victu notabiliter, & indefinenter delinquens, ut fœminarū mos eſt valetudine proſpera ſemper conflictata, ac inſultibus aſthmaticis ſæpè vexata, qui uterina ſuffocatione interdum excepti illam omni pulſu depauperatā relinquebant. In poſtrema cœna fungos indiſcretè in nimia copia comedit, deinde vino recenti, toſiſque caſtaneis, aliiſque peſſimæ conditionis eduliis replevit: quæ omnia famulæ etiam Dominæ exemplum ſecutæ exitio fuiſſe, tam villicus, quam famulus retulerunt.

13 Ex his facilè patet, urgentiores præſumptiones depromi pro contraria opinione determinante, Maritum uxori ſupervixiſſe. Ac primo poteſt urgentiſſima præſumptio deſumi à ſexu: quis enim controvertere audebit, an Vir ſit fortior Muliere? majorem ergo reſiſtentiam veneno facere poteſt Vir, quàm mulier, nam opinio illa, quod mulieres tardius à veneno interficiantur, quàm Viri, neque ulla inſigni auctoritate, neque communi calculo accepta, neque experientia eſt confirmata; immò in caſu noſtro, in quo venenum ſuæ naturæ frigidum, ſexus augere valde poteſt eam præſumptionem; nativa enim ſexus virilis caliditas majorem reſiſtentiam facere potuit veneno frigido, quàm nativa ſexus fœminei frigiditas.

Neque contra hoc valet oppoſitio, quæ fieri poſſet, dicendo, quod major caliditas in cauſa eſſe potuerit, ut venenum citius in venas penetraverit, citiuſque virum jugulaverit; hoc enim haberet locum in veneno calido. & ubi contrarium aſſumentis temperamentum non manifeſtè impediret veneni frigidi actionem, ut in caſu noſtro.

Idem commonſtrare poteſt præſumptio deſumpta à viribus, licet enim controverti non poſſit, majus robur habere degentem in ætate conſiſtenti, quàm ſenem ſexagenarium; tamen id locum habet exteris paribus, & ad ipſam tantùm annorum numerum reſpiciamus; ſed ſi ad ea quæ ætati accidunt, animam convertamus, certum eſt, neque eventu rarum apparet poſſe robuſtiorem eſſe ſenem ſexagenarium quam virum quadragenarium, ſi ſenex vitam traduxerit ſanam ac nulla ægritudine labefactatam, Quadragenarius verò vitam traduxerit valetudinariam, ac morbis gravibus. & ummæ malitiæ obnoxiam; potiſſima enim cauſa, ob quam citius 14 multò quam deberent, homines ſeneſcant, morbus eſt. Cum ergo virum habeamus in caſu noſtro, qui ſanus vixerit, & in ſexageſimo anno adhuc viribus conſtaret, aliaque ex parte mulier offeratur quadragenaria, aſthmate & uterinis ſuffocationibus moleſtata, ab eorumque morborum ſævitia ervata, nonne magis ſecundum rectam ratiocinationem eſt, ſenem viribus ſuperaſſe mulierem, quibus majorem reſiſtentiam contra veneni malitiam facere potuerit, quam mulier.

Accedit his alia præſumptio, tertia in ordine, deſumpta à corporis utriuſque conjugis conſtitutione: nam corpora 15 quæ ſtrictos, & anguſtos meatus habent, multò ſerius à veneno lædunturquàm eoſdem meatus latos, ac patentes habentia, hanc enim rationem reddebat Galenus *libro tertio, de ſimplic. med. fac. cap. decimooctavo*, ex quo Avicenna *libro quarto, Fen. 6. tract. primo, capite ſecundo*, cur Sturni à Cicuta non lædantur, homines verò maximè? Ergo cum ſenes ob introductam ab ætate ſiccitatem ſimul cum frigiditate meatus ſtrictos, & anguſtos habeant, his autem comparati conſiſtentes multò amplioribus dotentur, conſequens eſt ſenem noſtrum magis reſiſtere potuiſſe violentiæ aſſumpti veneni, quàm uxorem, unde ſerius multò, quàm uxorem obiiſſe illum oportuit.

Urgentiſſima porrò eſt præſumptio deſumenda ab utriuſque corporis habitu: ſiquidem notum eſt ex Galeno *Comm. ſecundo Aphoriſm 44* præſtare homines magis gracies eſſe, quàm pingues, non modo eam ob cauſam quam affert *in dict. Aphoriſm.* Hippocrates, quod citius intereant, hoc eſt, vitam breviorem traducant admodum pingues, quàm graciles: ſed etiam quia cauſis violentis ab extra occurrentibus 17 minus reſiſtere poſſunt, ut addebant etiam Joannes Heurnius *in comment.* & Hollerius *in ſibyllis ad pradict. Aphoriſm.* malus enim eſt ad craſſitudinem exceſſus, ut *ibi* Galenus: ceuſque rei potior ratio cenſenda, quia *angusta ſunt in his Arteria, & Vena, atque ob id paucum omnino ſanguinem ſpiritumve habent.* Minus ergo reſiſt re violentæ cauſæ potuit mulier 18 pinguedine turgens, quàm Vir mediocri, aut potius gracilliori habitu dotatus; unde oportuit illam multo ante maritum expiraſſe.

Licèt autem dixerimus, virum habuiſſe meatus anguſtos ob ætatis ſiccitatem & frigiditatem, tunc autem mulierem eodem vitio ob pinguedinem laboraſſe, non ideirco contradictionem dictum hoc involvere dicendum, quia quantum anguſtia meatuum ab ætate ſiccioni, & frigidiori introducta confert ad reſiſtendum veneno, tantundem eadem anguſtia ex pinguedine proveniens obſt reſiſtentiæ contra venenum faciendæ, ubi Natura illud ſuperare laboret.

Superiorem præſumptionem excipit quinta non minoris momenti, & ab eadem cauſa dependentiam habens & deſumitur à fortitudine Cordis, quam majorem eſſe in gracillibus, quàm in pinguibus patet ex *eodem comment.* Galeni, & aliorum Doctorum, neque enim aliam ob cauſam citius intereunt obæſi, niſi quia Cor imbecillum habent, & minimo calore munitum, ideirco & Arterias, & venas anguſtas habent, & ſpiritu modico calentes; quæ omnia cum in uxore objus præpinguem habitum locum habeant, abſque ulla hæſitatione pronunciandum, illam ne momento quidem potuiſſe veneni violentiæ reſiſtere, contra quam de Marito eveneritqui ob contrarias cauſas tam citò à veneni malitia ſubjici potuit: ſupervixerit ergo per multas horas præfunctæ uxori, ut dictum eſt.

Sed & ab ipſa veneni qualitate deſumpta ſexta quæ ſequitur præſumptio, clare oſtendit virum ultimo loco mortem obiiſſe: ut enim mox dictum eſt, oportuit mulierem maximè debili calore dotari, qui ab ingruente frigido veneno, vel ictu oculi extingui potuit, quantumvis enim imaginemur ipſum quoque virum fortiorem fuiſſe debilem calorem ratione ſenectutis, nunquam comparatione facta inter Viri calorem, & mulieris, potuit eſſe minor calor Viri, qui non reperiebatur à ruina, & pinguedine, an pravis humoribus obrutus, ut calor

mulieris, quam eam ob causam necessario ante Maritum succubuisse asseverandum.

Neque valet oppositio quæ ex adverso fieri posset dicendo, quòd imbecillitas caloris in muliere, non poterat tam cito actuare ipsum venenum; cum certum sit alimenta, medicamenta, & ipsa venena nisi à calore actuentur, otiosa permanent, neque ullam utilitatem, aut noxam corpori allatura: cum ergo in muliere non sufficeret calor adeo imbecillis, ad dandum veneno motum maximè celerem, ac subitaneum, videtur potius dicendum, illam serius à veneno sublatam, quàm virum, in quo calor sufficiens reperiebatur ad actuandum subito venenum. Non valet, inquam hæc oppositio; quia ubi calor verus, ac fortis est, insurgit contra venenum, ut illud superare possit, vel extra corpus protrudere, ac ubi imbecillis est, illico succumbit, & à veneni violentia extinguitur, ut in casu nostro factum est.

Sed pro omnibus narratis præsumptionibus, illa plurimi facienda, quæ ab effectu ipsius veneni emanat; ut enim jam superius dictum est, fungorum venenum strangulatorium est, & respirationem abscindens, unde cum mulier de qua agitatur, Asthmati, & respirationis difficultati esset maximè obnoxia consentaneum est, illam ab ingestis fungis, non alio magis pravo symptomate molestatam fuisse, quàm summa, & extrema respirationis difficultate, quæ illam celerrimè strangulaverit: quia quandocunque in corpore inveniatur aliqua pars ex sua Natura, vel ex accidenti debilis, unaquæque causa violenta supervenies illi parti præ aliis omnibus molesta est, unde fit ut ab Hippocrate *lib. 3. Aphorism. 33.* dictum est *quod si qua pars ante morbum laboraverit ibi firmetur morbus.* Itaque cum in hac muliere spirituales partes tam malè ex prægressis morbis haberent, consentaneum est ingruens venenum ad illa, & ad Cor ipsum quamprimum destruendum se contulisse, ac modico temporis spatio respiratione intercepta, ægram mori cegisse; unde maritum per aliquot saltem horas illi supervixisse concludendum est, in quo nulla labes spirituales partes vexaverat.

Non omittenda denique alia præsumptio desumpta ab ingesti veneni quantitate, quæ quidem urgentissima & ipsa est: nam venenum quo in majori quantitate assumitur, eo citius occidere non est controvertendum: *Persuasum enim omnibus est*, inquit Mercurialis *loco supra citato, in majori quantitate majorem vim positam esse; at ubi vis major est, necessariò quoque celeritatem adesse ipsius operationis, & propterea quispiam veneni sumunt, necessariò quoque citius interimuntur.* In casu igitur hoc ultra præsumptionem desumptam ex veneni qualitate, militat mirum in modum præsumptio desumpta ex veneni quantitate, quòd mulier multò citius perierit quàm maritus, nam illa tantam fungorum copiam 25 ingurgitavit, ut etiamsi venenosi non fuissent, à sola quantitate potuerit suffocari, unde mirum est, quomodo potuerit illa per illud modicum tempus vivere tanta copia venenosorum fungorum obruta, accedente ulterius nova repletione pravorum eduliorum, & potu vini novi: quamobrem ex his credere debemus illam non multo post villici, & famuli discessum ab ipsa villa, momento animam exhalasse, locumque Marito supervivendi per aliquot horas reliquisse.

His omnibus ratio annectenda, quæ prædictas omnes præsumptiones urgentiores faciet. Dico igitur, quod ubi plures, & evidentiores causæ concurrunt ad aliquem effectum 26 producendum, effectum citiùs sequi necesse fit, sed in muliere hac & plures & evidentiores causæ mortis à veneno inductæ concurrerunt, quàm in Viro, citius ergo illam decessisse, quàm Virum decernendum; quod enim ita sese res habeat, clarè patet examinando tam causas naturales, & ab ipsius mulieris statu procedentes quàm accidentales & ante mortem supervenientes, quas si æquiparabimus cū causis concurrentibus in viri interitu, & numero, & evidentia superiores illas esse palā fiet.

Et ad ea, quæ pro contraria opinione afferri posset, facilis est responsio, & facile omnia retorqueatur ad favorem ultimæ sententiæ. Unde & quæ ab ætate, & quæ à sexu, & quæ ab habitu, & quæ à fortitudine Cordis, & quæ à veneni qualitate, & ab ejus effectu præsumptiones deductæ sunt, ostendentes Virum ante uxorem obiisse, nullius valoris esse determinandum; sed pro contraria parte potius facere, maximè evidentioribus præsumptionibus commonstrantibus rei veritatem; nimirum Maritum uxori supervixisse.

Finis Consiliorum.

DECISIONES

DECISIONUM SACRÆ ROTÆ ROMANÆ, AD MATERIAS PRÆCEDENTIUM QUÆSTIONUM MEDICO-LEGALIUM PERTINENTIUM CENTURIA:

In quibus plurima ab Authore in prædictis Quæstionibus pertractata confirmantur.

DECISIONUM
SACRAE ROTAE
ROMANAE
AD MATERIAS
PRAECEDENTIUM
QUAESTIONUM
MEDICOLEGALIUM
PERTINENTIUM
CENTURIA.

In quibus plurimi ab Auctore in praelatis Quaestionibus
pertractati confirmantur.

DECISIONES SACRÆ ROTÆ ROMANÆ,

IN QVIBVS PLVRIMA AB AVTHORE IN HIS Quæstionibus Medico-Legalibus pertractata confirmantur.

Romana Prætenſæ Societatis 27. Iunij 1569.

Coram R. P. D. Oradino.

SUMMARIUM.

1 *Lucro Societatis officij non eſt locus in caſu excepto in inſtrumento.*
2 *Societas officij non eſt lucro, ſi mulier, cuius vita periculum fuit electum, moriatur ex partu ſtante pacto.*
3 *Mulier quando dicatur decedere ex partu.*
4 *Mulier in dubio præſumitur deceſſiſſe ex partu ad evitandum lucrum ſocietatis Officij.*

DECISIO I.

IVIT dubitatum an Societas per obitum Virginiæ cenſeretur extincta taliter, quod pecuniæ ſint deperditæ? Et fuit tentum non eſſe extinctam, quia evenit caſus exceptus in inſtrumento Societatis, qui erat, quod ſi Virginia moreretur ex cauſa partus, non perderentur, & mortua eſt ex cauſa partus, quia ante adventum febris, erat malè diſpoſita, & propter ventrem paſſa fuit multa incommoda, ut dicunt Obſtetrices. Tum quia Medici aſſerebant quod duo acciderunt ad cauſandam mortem, febris, & partus; unde cùm partus fuerit abortivus & ſecutus fuerit poſt febrem, & non poteſt dignoſci an ex febri deceſſerit, eſt attribuendus obitus abortui: per *l. huic ſcrip. 2 ff. ad l. aqu.* Quia occurrente duplici cauſa, illa prævalet, quæ, ex cuius parte eſt ille, qui vult evitare damnum, & præfertur illi, qui tractat de lucro potius quam de damno, cui in dubio favendum eſt.

Non obſtant adnotata *in d.l. ſi quis presbyterũ, de Homicid.* Quia procedunt ubi accidens provenit à prima cauſa, ut eramus in vulnere; ſed hic abortus proceſſit non à febri, ſed à ventre, &c.

Ulixbonenſis Profeſſionis Lunæ 22. Iunij 1579.

Coram R. P. D. Cantuccio.

SUMMARIUM.

1 *Furioſus, & mente captus in quibus differant, & quis uterque ſit, n. 59.*
2 *Mente captus quis dicatur ad differentiam furioſi.*
3 *Teſti deponenti de dementia, ſeu mentis captione, non creditur, niſi reddat rationem dicti ſui, etiamſi non fuerit interrogatus, cum num. ſeq.*
4 *Furor eſt difficilis probationis.*
5 *Furor, & dementia probantur ex factis: ex Communi.*
6 *Iudex adhibere debet Medicos, qui furorem, & dementiam cognoſcant.*
7 *Furor & mentis capti ſunt paſſiones cerebri, quas Phyſicus cognoſcit.*
8 *Religioſi magnam præſtant auctoritatem ad probandam dementiam.*
9 *Demens præſumitur qui proprium nomen ignorat.*
10 *Tempus probationis poteſt arbitrio iudicis reſtringi, & ampliori ex rationabili cauſa, cum n. 11.*
12 *Teſtes ſingulares admittuntur ad probandum quid in genere.*
13 *Profeſſio Religionis facta à demente nulla eſt.*
14 *Furioſus non poteſt contrahere matrimonium carnale, imò nec ſpirituale.*
Ampliatur etiam in mente capto, ibid.
15 *Argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale, validum eſt.*
17 *Furioſus & mente captus æquiparantur.*
18 *Mente captus non poteſt Religionem profiteri.*
19 *Argumentum de reputatione ad non reputationem, vel contrariam reputationem, validum eſt.*
20 *Confeſſionis actus, & communicationis excludunt dementiam.*
21 *Actus loquendi ad propoſitum non excludit dementiam, quando demens eſt in conſpectu umbrata quietis conſtitutus.*
22 *Dementes quandoque ex factis convincuntur, licet ex verbis prudentes appareant.*
23 *Furioſi & mente capti faciunt multoties ſigna, & loquuntur ut prudentes.*
24 *Profeſſio Religionis ut nulla dicatur ex capite demẽtiæ, debet probari eam tempore omiſſionis profeſſionis adfuiſſe.*
25 *Dementia medio tempore præſumitur probatis extremis.*
26 *Demens & furioſus poſt, præſumitur etiam fuiſſe furioſus & demens retro.*
27 *Coniectura aliqua vel præſumptio ſi concurrat ultra ſtatum præſentem inferens retro præſumitur ex præſenti in præteritum.*
28 *Diſpoſitum in mente capto, vel furioſo non procedit in fatuo ſimplici ſeu ſtupido, & bebetis ingenij.*
29 *Dementia impediens contractum matrimonij, debet eſſe talis ut auferat uſum rationis.*
30 *Teſtis volens probare privationem intellectus in aliquo, debet reddere rationem dicti ſui.*
31 *Animi qualitas ſi debeat probari, teſtes debent teſtificari per actus exteriores, quos viderint.*
32 *Exteriora indicant ſecreta animi.*
33 *Teſtes quando dicantur iudicare, non autem teſtificari.*
34 *Teſtis deponens de furore ob proiectionem lapidum, quomodo deponere debeat.*

DECISIO II.

DUbitavi in una Ulixbonenſi profeſſionis, an ex probationibus factis pro parte D. Ludov. Alvares ſit probata eius intentio circa nullitatem profeſſionis & dementiam D. Margaritæ in caſu, & ad effectum de quo agitur. Quod dubium Domini reſolverunt ad favorem D. Ludov. nempe eius intentionem ſatis probatam eſſe tam circa nullitatem profeſſionis quam circa dementiam D. Margaritæ.

Et pro maiori huius reſolutionis dilucidatione, quia informantes hinc inde copiosè ſcripſerunt, & multa inculearunt, poteſt deſtingui materia in quatuor difficultates, ut *Prima* ſit, quaks

qualis ſit dementia D. Margaritæ, furorne, vel mentis captio. *Secunda*, an ſufficienter probetur: *Tertia* an ſit talis, ut profeſſionem per eam in Monaſterio *de Odivella*, emiſſam annullaverit. *Quarta*, verſabitur circa reſpenſionem, & remotionem eorum, quæ pro parte D. Antonij Telles deducuntur.

Quoad primam difficultatem, Domini dixerunt D. Margaritam fuiſſe & eſſe mente captam, non autem furioſam, quia ſigna, verba, & actus particulares de quibus deponunt teſtes, quorum ſummarium pro parte D. Ludov. datur, non probat rabiem & impetum furoris, ſed carentiam mentis, intellectus & animi iudicij abſque alia extrinſeca furoris demonſtratione vel non probat furorem patentem, ſed latentem. In hoc enim differunt furioſus, & mente captus; quod furioſus eſt, qui rabie vel impetu furoris concitatur, vel qui furorem habet patentem. Mente captus vero is eſt, cui mens & animi judicium deeſt, & extrinſecus nullum furorem oſtendit, vel qui furorem habet latentem: ita Baldus *in leg. cum furioſum, n. 2. ante num. 1. Cod. de curat. fur. & in l. humanitatis, n. 15. Cod. de impuber. & aliis ſubſtitut.* ſequitur Alexand. *conſ. 54. n. 2. lib. 2.* Iaſon. *in leg. furioſum, num. 2.* & ibi Dec. *n. 1. & 2.* Rimin. *num. 1. Codic. qui teſtament. facer poſſ.* Gramm. *conſil. crimin. 16. num. 14.* Gulielm. de Benedict. *in cap. Raynutius, in verbo, adiecta impuberi num. 76. de teſtam.* idem Dec. *in leg. humanitatis, ſub n. 2. verſ. 2. accipitur*, ubi etiam ſubdit differentiam iſtam potius procedere ex communi uſu loquendi, quam de iure: & *ibi* ſequitur Coraſ. *ſub n. 1. ſed de impub. & aliis ſubſtit.*

Circa ſecundam difficultatem concluſum fuit dementiam ſive mentis captionem D. Margaritæ ex dictis teſtium, de quibus *in Summario D. Ludov.* ſufficienter probari. Nam licet furor ſive dementia ſit quid inviſibile, quod non ſenſu corporis, ſed iudicio intellectus percipitur, etiamſi in facto conſiſtat, & propterea in eius probatione perſpicax inquiſitio requiritur, quia teſtes facilè poſſunt errare, & ideò eis non creditur, niſi ſuum dictum manifeſtum faciant, ut inquit Baldus *in leg. ſalum, columna 1. verſ. & idem dicitur, Codic. de teſtib.* idem Bald. *in d. l. furioſum, circa medium, verſ. eſt autem difficile, Cod. qui teſtament. fac. poſſ.* dicens furorem eſſe difficilis probationis, nec teſtibus ſuper eo deponentibus credendum eſſe, niſi aſſignent rationem dicti ſui, etiamſi non fuerint interrogati: Et Baldum ſequuntur Doctores *in dict. leg. furioſum.* Fulgoſ. *ad fin. verſ. Quin immò.* Caſtr. *num. 3. verſ. ideo teſtis.* Iaſon. *num. 6.* Decius *n. 28. verſ. quod quidem non videtur:* Socin. *conſ. 42. num. 4. lib. 4. cum conſil. 21. num. 5. lib. 2. conſil. 216. num. 16. lib. 3. & conſilio vigeſimo ſecundo, num. 13. & 10. conſequentib. lib. 4.* benè Alexand. *conſil. 147. num. 76. lib. 7.* Decian *conſ. 448. num. 31. & 32.* Curt. iun. *conſ. 151. n. 1. 2. & 8* Bertrand. *conſ. 48. n. 29. verſ. tum quia, & num. 30. & 31. lib. 2 part. 1.* latè Pariſ. *conſil. 88 n. 54. 55. 56. & 57.* ubi de Communi, *lib. 3.* & inſuper Doctores communiter dicunt furorem & dementiam probari ex factis, *leg. quidam in ſuo, Digeſtis, de condition. num. 54 55. 56. & 57.* ubi de Commun. *in principio, Digeſtis, de ædilit edict. cap. legitimum 93. diſtinction.* & exemplificant ſigna, & actus particulares, quibus furor oſtenditur, in eo qui fatua, vel deridenda loquitur, qui lapides proiicit, qui habet memoriam inordinatam, ut quia unum dicit, mox contrarium, qui habet loquelam inordinatam neſciens exprimere quid velit, vel non velit, qui vel à Patre, vel ab aliis Coniunctis, vel communiter ab omnibus reputatur pro furioſo, vel demente, qui iubet corpus ſuum in mare proici, qui nomen ſuum ignorat, qui in compedibus, ſive cuſtodia retinetur, qui in infirmitate non vult curari. De quibus ſignis, & actibus per Alexand. *dict. conſil. 54. n. 2 conſil. 141. n. 2. circa medium lib. 1. & conſil. 86. n. 10. lib. 2.* bene Barbat. *in l. ſi cum dotem. §. ſi Maritus, n. 7. ff ſolut. Matrimon.* Corn. *conſil. 22. n. 6. & 7. lib. 4.* Socin. *conſil. 42. num. 2. & 6 lib 1.* Bertrand. *48. num. 10 21. 22. & 23. lib. 2 part. 1.* Gulielm. Benedict. *cap. Raynutius, in verbo, adiecta impuberi, n. 27. uſque ad 81.* Decius *conſil 86. num. 7.* & latius *conſil. 448. num. 1. 2. 3. & 4.* Iaſon. *in dict. leg. furioſum. num. 4.* & *ibi*, Decius *n. 28. & 29.* & Rimin. *propè finem*: Marant. *in repetit. leg. ſi poteſt. num. 118 Digeſtis de acquir. hæredit.* Baver. latè *in §. item furioſi, columna penult. verſ. extra gloſſ. Inſtitut. quibus non eſt permiſſ. facere teſtament.* plenè Pariſ. alios citans *conſil. 87. num. 4. 5. 6. & 7. & conſil. 88. num. 1. 2. 3. 4. & 5.* & benè Ferret. *conſil. 207. num. 12. lib. 1.*

Nihilominus teſtes in caſu noſtro non dicunt ſimpliciter D. Margaritam fuiſſe ſtultam, dementem, vel mente captam, nec aliis utuntur verbis ex quibus poſſet dici eos judicare, ſed aſſignant bonas rationes, & referunt quamplurima ſigna, & actus particulares, concludentes ad dementiam, & mentis captionem Margaritæ.

Quod autem res ita ſe habeat, multifariam oſtenditur. In primis ex verbis fatuis, & deridendis, quia D. Margarita dicebat ſe eſſe infirmam in uno capillo: tertius *ſuper 9. interrogatorio*, dicebat, ſibi apparere quamdam faciem in uno foramine, quæ ſibi videbatur Maurus incantator. Idem tertius *ſup. 3.* dicebat ſe neſcire an iret ad communicandum, vel ad abluendam faciem, aut ad recitandam Primam. Duodecimus *ſuper 2.* dicebat etiam alia inſulſa & ridicula, de quibus infra.

Secundò probatur ex pluribus factis, & geſtis elatè dementiam, & inſaniam oſtendentibus, quia ibat ad Chorum in camiſia. Septimus. Nonus, Duodecimus *ſuper 7.* implebat faciem luto, dicendo ſe ideò ita facere, quia nares ſibi multùm fulgebant. Septimus 8. 9. 10 11. 12. 13. *ſuper ſeptimo*, verrebat domum manica tunicæ. Quintus *ſuper 1.* ponebat excrementa natium in uno baculo; & poſtea illa comedebat. Idem Quintus *ſuper primo*, urinabat in una patina, & illam publicè omnibus oſtendebat, & illis dicebat, quod illis venebant Medullæ. Tertius *ſuper 7.* & Quartus *ſuper 9.* projiciebat cucullam & habitum. Vigeſimus octavus *ſuper 8.* utebatur pro ſpeculo uno pitali immundo Secundus *ſup. 9.* ridebat ſæpè ſæpiùs ſine propoſito. Tertius *ſuper 7.* Sextus *ſuper primo* Trigeſimus quartus *ſuper 10.* ponebat carnem crudam in ſinu & cibum in manica. Secundus *ſuper 9.* vociferabatur tempore ſilentii Nonus *ſuper 7. in fine*, trauſmittebat ova per filum, vel per lignum. Secundus *ſuper 9* non comedebat per duos vel tres dies. Idem Secundus *ſuper nono*, ſpuebat in una patina parva, dicendo quod ibi recipiebat medullam. Idem Secundus *ſuper 9.* poſt acceptum Viruptum volebat ire ad ſumendum Sacramentum Euchariſtiæ, Tertius *ſuper 7.* id quod dabat, illicò & eodem inſtanti repetebat. Idem Tertius *ſuper 7.* accipiebat lapides & baculos, & cum illis percutiebat, quos invenichat. Quintus *ſuper 1.* exiſtebat in porta unius Cameræ in camiſia ſine velo, & cum mitra in capite: Idem Quintus *ſuper primo.*

Tertiò probatur prædicta dementia, & inſania D. Margaritæ ex eo, quia in domo ab omnibus tenebatur, & reputabatur pro inſana & demente. Sextus *ſuper 1.* Decimus ſeptimus *ſuper 1.* & in Monaſterio *de Speranza* erat habita generaliter ab omnibus pro muliere ſtulta; Decimus, Undecimus, & Decimus tertius *ſuper 2. in fin.* & in Monaſterio *de Odivellas* publicè tenebatur & reputabatur inſana, Decimus octavus *ſuper 10.* Decimus nonus *ſuper 8. & ſuper 14.* Vigeſimus *ſup. 8. in fin.* & Vigeſimus ſecundus *ſuper 18. in fin.* Non eſt dubium de jure, furorem, ſive dementiam probari etiam ex communi reputatione, ut ſupra dictum fuit.

Quartò iſta dementia D. Margaritæ probatur judicio duorum Phyſicorum, qui ſunt teſtes 29. & 30. *ſup. 10.* qui facta congregatione, & communicato invicem colloquio, una cum aliis Phyſicis decreverunt, & judicaverunt D. Margaritam inſanam: quorum Phyſicorum judicio ſtandum eſt: quia, ut inquit Bald poſt Iacob. de Arct. *inl. obſervare ff. de cur. furioſ.* Judex debet adhibere Medicos, qui furorem, & dementiam cognoſcant: per *l. ſemel, C. de re milit. lib. 12.* ſequitur Alex. *conſ. 86. n. 5 in fin. lib. 2.* Marant. *in l. furioſi, n. 6. ff de reg. jur.* Pet à Plaz, alios citans *in Epitom. delict. lib. 1. cap. 29. n. 2.* furor enim & mentis captio ſunt paſſiones cerebri, quas Phiſicus cognoſcit, ut inquit Barbat. *in cap. fin. n. 8. in fin. de ſucceſſ. ab inteſtato.*

Et eodem modo ſtandum eſt judicio duorum Patrum Societatis Ieſu, qui ſunt teſtes 33. & 35. *ſuper 10.* qui ſeorſim particulariter, & per ſpatium temporis, Margaritam allocuti, judicarunt eam incapacem Confeſſionis, & aliorum Sacramentorum uſum rationis requirentium. Quod idem judicavit Fr. Anton. Ordinis S. Bernardi, qui eſt teſtis 36 *ſuper 6.* dicens audiviſſe D. Margaritam in Confeſſione, & inveniſſe illam non genuflexam, ſed ſtantem, & ſpuentem, & ridentem verſus Moniales, & propterea judicavit illam incapacem ſuſceptionis Sacramenti Euchariſtiæ, qui tres Religioſi cum ſint multùm timoratæ conſcientiæ magnam præſtant auctoritatem ad credendam dementiam Margaritæ: ut in terminis rectè conſiderat Rodericus Suarez *allegat. 1. ſub. n. 13.*

Quintò comprobatur etiam dementia prædictæ Dominæ Magaritæ, ex eo quod nomen proprium ignorabat: juxta *l. fin. C. de hæred. inſtituend.* prout atteſtantur duo Notarii, in interrogatoriis illis factis de mandato D. Vicarii Ulixbonenſ.

Sextò præmiſſa confirmantur ex eo, quod Moniales Monaſterii *de Speranza*, poſt annum Novitiatus D. Margaritæ, noluerunt eam ad profeſſionem admittere, rejicientes illam tanquam inhabillem, & incapacem profeſſionis propter ejus inſaniam & dementiam, non obſtante quod eam in Monaſterio recepiſſent ad inſtantiam, & interceſſionem Sereniſſimi Regis Portugalliæ, tunc temporis Cardi-

nalis

nalis Infantis, cuius voluntati obtemperare valde veriſimile eſt eas ſummopere deſiderasſe, quia erat Monaſterii Superior, id quod non feciſſe eas ob meram impoſſibilitatem, & dementiam Margaritæ proveniendam dicendum eſt.

10 Septimò, accedit nimia brevitas temporis trium dierum ad profitendum ipſi Margaritæ indulti. Licet enim tempus probationis quod regulatur ad annum, *cap. ad Apoſtolicam, & cap. ſtatuimus, de Regular.* poſſit reſtringi ut *in cap. ex publico, de converſion. conjug.* & hæc reſtrictio poſſit arbitrio Judicis fieri major, vel minor bimeſtri; ut per Gloſſ. *ibi in verbo, jura duorum*, & *ibi* Innoc. *verſ. dicet credamus*: Hoſt. *colum. 2. verſ. Hoc ergo fatemur*. Joan. Andr. *colum. 2. verſ. Innocent. verò dixit*: Hentrich. Boich. *num. 1. verſ. fatemur*

11 *ergo*. Barrius *num. 12.* & Abb. *num. 11.* Nihilominus hæc reſtrictio ſecundum Doctores prædictos non fit ſine rationabili cauſa, prout *in dict. cap. ex publico*: ubi ſponſæ volenti Religionem ingredi tempus bimeſtre ad profitendum conceditur, ne ſponſus, qui forte carnis ſtimulis reſiſtere non poterat, & propterea cupiebat matrimonium contrahere, cogeretur expectare lapſum anni: Et hinc eſt, quod prædicti Doctores dicunt; quod ſi ſponſus conſentiat ſponſæ, circa ingreſſum Religionis, dabitur regularis terminus anni, quia ceſſat cauſa illum reſtringendi: ut bene Abb. *in dict. cap. ex publico, num. 11. prop. fin.* Sed in caſu noſtro nulla ſuberat cauſa reſtringèdi annuũ tempus profeſſionis, immò maxima vigebat ratio illud integrum indulgendi, ut ſcilicet Monaſterium poſſet mores Margaritæ experiri, juxta text. *in dict. cap. Apoſtolicam*, & tanto Magis quod Prioriſſa illius temporis exclamavit ne Margarita in Monaſterio reciperetur, quia erat inſana, & tanquam talis fuerat rejecta à Monaſterio *de Speranza*, & inſania Margaritæ ab initio ante profeſſionem cœpit manifeſtari in Monaſterio *de Odivellas*, Decimus nonus *ſuper* 17. Duodecimus *ſuper* 8. Unde reſtrictio iſta præſertim tam magna, & extraordinaria non aliam ob cauſam fieri potuit, niſi ne magis deregeretur inſania & dementia Margaritæ, & ſic ne exluderetur à profeſſione, prout accidit in Monaſterio *de Speranza*.

Nec obſtant teſtes, de quibus *ſupra*, in dicti eſſe ſingulares; Quia ad probandum furorem, ſive dementiam, tanquam ad

12 probandum quid in genere teſtes ſingulares admittunt: ut in terminis tradit Alexand. *conſil. 141. num. 2. lib. 1. conſil. 91. num. 20. lib. 5. & conſil. 147. num. 20. lib. 7.* Decius *in d. l. furioſum, n. 30.* Bertrand. *conſil. 48. num. 22. lib. 2. part. 1.* Boërius *deciſ. 23. num 44.* Patiſ. *conſ. 87 num 8. lib. 3.* Ruin. *conſil. 67. num. 9. lib. 1.* Matanz. *in l. inpoteſt. num 130. ff. de acquir. hared.* bene Per. à Plaz *in cap. delict. lib. 1. cap. 29. n. 9.* Gabr. *lib. 5. de teſt. concl. 2. num. 44* Et hæc quoad ſecundam difficultatem.

Quantum autem ad tertiam, reſolutum fuit, profeſſionem

13 per D. Margaritam in Monaſterio *de Odivellas* emiſſam, nullam fuiſſe, tum per text. *in cap. ſicut teneor, de Regular.* qui licet loquatur in eo qui politus erat extra mentem, & extra ſeipſum propter graviſſimam infirmitatem, ut innuunt verba illa, *de præſenti vita deſperet*, & in his terminis intelligit Abb. *ibi*: Tamen ratio textus fundatur in privatione mentis: quæ ratio cùm ſit generalis ampliat deciſionem textus

14 etiam in eo, qui non ex morbo, ſed aliunde, mente caret: ad *l. cum Pater, §. dulciſſimus ff. de leg. 3.* Tum etiam quia quemadmodum furioſus non poteſt contrahere matrimonium carnale, *cap. dilectus, de Sponſ. cap. neque furioſus. 32. quæſt. 7. l. Patre furioſo. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni juris leg. furor,*

15 *ff. de ſponſ. l. oratione*, §. *fin. ff. de ritu nuptiarum.* Ita nec ſpirituale, cum valeat argumentum à Matrimonio carnali ad ſpirituale: *cap. quoniam frequenter*, §. *Porrò, lit. non conteſt.* Doctores, *in auth. niſi rogati, Cod. ad Trebell.* latè Everard.

16 *in loco*, *à Matr. Cardinali ad Spirituale.* Et in ſpecie, quod furioſus nequeat Matrimonium ſpirituale contrahere, ſicut nec carnale, tradit Præp. *in d. c. dilectus, n. 3.* Alex. *conſil. 54. in principio, lib. 1.* Everard. *ubi ſupra in 6. exemplo.*

Et quod dicitur de furioſo, procedit etiam in mente capto

17 cùm inter ſe æquiparentur: § *hoc diximus, in auth. ut hi qui oblig. ſe hab. l. 2.* ubi Bald. *C. de curat. furioſ. l. ſi furioſi & ib* Doct. *C. de nupt.* Scriben. *in l. ex facto, ff. de vulg. & pupill* Alex. *conſ. 54. in princ. lib. 2. & l. ſi cum dotem*, §. *ſimaritus, ad fin. num. 8. ff. ſol. matrim.* Corn. *conſ. 22. num. 7. lib. 4.* latè & egregiè Fulgoſ. *conſ. 79. n. 1. 2. & 3.* & benè Præpoſit. *in c. dilectus, n. 4. de ſponſ.* fusè Socin. *conſ. 47. n 8. lib. 3.* & plenè Iaſ. *in l. parte furioſo, num. 3. ff. de his qui ſunt ſui vel alieni juris*, Dec. *conſ. 112. poſt prin. & in d. l. furioſum, n. 7.* ubi alios citat Patiſ. *conſ. 87. n. 21. & conſ. 88. n. 6. & 7. lib. 3.* Curt. Jun. *conſ. 151. n. 9. poſt med. verſ. ita quia*: & *n. 10.* Gramm. *conſ. crim. 16. n. 13.* Et in terminis quod text. *d. cap. dilectus*, loquatur in furioſo procedat etiam in mente capto, firmat Præpoſit. *ibi n. 3. verſ. numquid ſequitur*, Socin. *conſ. 47. n. 8. lib. 3.* Alex. *conſ. 54. in prin.* Dec. *conſ. 112. in prin.* Curt. Jun. *dict. conſ. 151. n. 9. verſ. Hinc dicimus.* Covar. *in 4. Decret. p. 1. cap. 2. n. 9.* Et

18 in ſpecie, quod mente captus non poſſit Religionem profiteri, ponit Iaſ. *in d. l. patre furioſo, ante n. 3.* Dec. *conſ. 87. 3. verſ. Et iſta omnia*: per text. *in d. cap. ſicut teneor, cap. fin. de ſucceſſ. ab inteſt cap. Conſalv. 17. quæſt. 2.* & latiùs And. Sicul. *conſ. 59. lib. 2. n. 5. in fin. verſ. & ſi quiſquam. & n. 6.* ubi allegat prædicta tria jura, & paulò poſt. *in verſ. licet ergo*: inquit; mente captum exiſtentem in Monaſterio, licèt fecerit actus congruentes perſonæ ſanæ mentis: non propterea cenſeri faciſſe profeſſionem, quia mente captus reputatur mortuus: *d. l. furioſum & l. Divus, ff. de off. Præſid.* Ergo non poteſt in eum cadere profeſſio, quia Deus ad aliquem ubi obligandũ, animum & cor reſpicit: *c. ſi quid inveniſti, n. 14. q. 5.* & mente captus nec animum, nec cor habet: & poſtea *n. 7. poſt.* D. Th. Jo. And. ſubdit, ad obligandum aliquem ex voto tria requiri, videlicet deliberationem, propoſitum, & promiſſionem; eaq; non cadere in furioſum, vel mente captum; & per conſequẽs nec etiam votum intrandi Religionem; & ſic ſublatis principiis tolli principiata: prout latiùs per eum.

Circa quartam & ultimam difficultatem, quod non obſtent quæ pro parte D. Antonii allegantur, deducitur in primis quoad illud quod D. Ludovicus procuravit ut Domina Margarita ejus ſoror Monaſterium *de Speranza* ingrederetur, ibique profeſſionem faceret; deinde: ut Matrimonium contraheret ut deponunt Teſtes D. Ludovici; quod quidem facere non potuiſſet, ſi habuiſſet illam pro demente: unde oportuit ipſum credere illam non eſſe ſtultam: & quemadmodum reputatio Conſanguineorum, ut ſupra diximus, operatur probationem dementiæ, ita etiam contraria reputatio debet contrarium operari: & ita videtur argumentari Dec. 19
conſ. 448. & 34. dicens: quod ſi Pater in caſu ſuo filium mente captum reputaſſet, veriſimiliter aliam proviſionem ei feciſſet: ergo in contrarium, ut ipſe ſubdit, non facta alia proviſione, magna inſurgit præſumptio, quod non fuerit mente captus. Sed pro reſponſione dicitur negando, Dom. Ludovicum credidiſſe D. Margaritam non eſſe ſtultam, cùm ante ejus ingreſſum in Monaſterio *de Speranza*, in Domo Dom. Beatrix ſororis conſobrinæ ipſius Domini Ludovici tenebatur & reputabatur ab omnibus pro inſana & demente. Nec obſtat quod ſcribit Dec. *ubi ſupra*. Quia ut videri poteſt, loquitur in terminis longè diverſis à noſtris.

Secundo non obſtat, quod Margarita, quando exiſtebat in Monaſterio *de Speranza*, faciebat multos actus convenientes perſonæ ſanæ mentis, videlicet confitebatur, communicabat, cantabat in Choro, legebat, ſcribebat, ſuebat, acu pingebat, & ad propoſitum loquebatur? ut in terminis actus Confeſ- 20
ſionis ad excludendam dementiam, ponderat Dec. *d. conſ. 448. n. 20. in fin.* Non reſpondetur, quantum ad actum confitendi, & communicandi, Margaritam fuiſſe incapacem, prout plures Viri Religioſi judicarunt, & fuerunt etiam illi denegata Sacramenta. Vigeſimus ſecundus *ſuper 18. & 23. juxta interrogatoria.* Quò verò ad actum cantandi, & legendi, ſcribendi, ſuendi, acu pinguendi, Reſponderur iſtos actus non conſiſtere in intellectu, ſed in ſenſu, ut benè deducunt informantes Domini Ludovici. Demum circa actum loquendi ad 21
propoſitum, reſpondetur non mirum ſi Margarita interdum ad propoſitum loquebatur, quia erat conſtituta in conſpectu umbratæ quietis, ut inquit text. *in l. quod in eo: §. ſi furioſo, ff. de acquir. poſſeſſ.* Gloſſ. *in d. cap. dilectus, in verb. furore, verſ. ſæpè enim, & ibi* Card. *ante num. 2.* & dementes quandoque ex factis convincuntur, licèt ex verbis prudentes appareant: ut inquit Card. *conſ. 69. num. 12. verſ. maximè quia, lib. 1.* ubi dicit furioſos, & mente captos facere multoties 23
ſigna & loqui ut prudentes & tamen non propterea deſinere eſſe furioſos, & mente captos: quia etiam infantes ſæpè ac ſæpiùs verba prudentia loquuntur, & faciunt, actus convenientes prudentibus, & tamen non ſunt: Et idem Corn. *conſ. 73. num. 3. poſt med. verſ. tamen attentis, lib. 1.* inquit, furioſos & mente captos ſæpè numero reſpondere ad propoſitum, & immiſcere verba & facta convenientia homini ſanæ mentis, prout pupilli faciunt: & hoc expreſsè firmat Bertrand. *conſ. 48. num. 31. verſ. nec moveri debet, lib. 2. p. 1.* Gramm. *conſ. criminal. 16. n 9.* Patiſ. *conſ. 82. n. 44. lib. 3.* Immò ut inquit Roder. Suarez. *alleg. 1. num. 17. circa med.* nullus eſt ita ſtultus, qui aliqua verba non proferat, quæ judicentur hominis ſanæ mentis.

Tertiò non obſtat, quod dementia Margaritæ non probatur de tempore emiſſionis profeſſionis per eam factæ in Mo- 24
naſterio *de Odivellas*, prout de jure requiritur, *d. cap. ſicut teneor*, ibi, *ſi tamen eo tempore, de Regul.* Siquidem omiſſa illa difficultate, an & quando præteritus furor, vel dementia præſumatur? Reſpondetur in caſu noſtro conſtare de dementia Margaritæ, tam antè, quàm poſt dictam profeſſionem: cum teſtes

teſtes deponunt de eius inſania in pluribus, & diverſis temporibus : videlicet de tempore ante ingreſſum Monaſterij *de Speranza*. Item de tempore, quo ibi per annum in circa permanſit. Item de tempore multorum annorum poſt dictam
25 profeſſionem. Unde ex probatione utriuſque dementiæ tam præcedentis, quàm conſequentis dictam profeſſionem, præſumitur dementia medio tempore ipſius profeſſionis : quia probatis extremis, præſumitur media probata : ut in terminis furoris, argumentatur Anchar. *conſ.* 5. *num.* 5. ſequitur Ruin. *inter conſil. Curt. tom. conſ* 292. *n.* 26. *lib.* 3.

26 Accedit etiam quod furioſus, & demens poſt, præſumitur etiam fuiſſe furioſus, & demens retro ; & ſic etiam tempore actus : ut in terminis firmat Alexand. *conſ* 92. *num.* 23. *& 24. lib.* 5. Motus ea ratione, quod ex præſenti præſumitur in præteritum ; quando præſens ſtatus poteſt concurrere cum naturali veritate ipſius originarij ſtatus : quia potuit naſci demens. Meritò, &c.

Et licet de hac opinione Alexand. poſſit dubitari, ex eis quæ ſcribunt Caſtr. & Aretin. uterque *in princ in l. qui teſtamento, §. furioſus, ff. de teſtam.* prout animadvertit Roinus qui illam non ſirmat, *d. conſ.* 292. *n.* 22. *verſ. ſed plus : cum ſeqq. iuncto num.* 25. Nihilominus in caſu noſtro opinio Alex. optimè procedit ; quia quamvis in illa materia, an & quando ex præſenti præſumitur in præteritum, variæ à Do-
27 ctoribus Regulæ tradantur ut per Alciat. *reg.* 2 *præſumpt.* 26. quando tamen ultra ſtatum præſentem concurrit aliqua conjectura, vel præſumptio inferens retro, tunc abſque dubio ex præſenti præſumitur in præteritum : ita Salyc. *in l. ex perſona, prope fin. C. de probat.* Alex. *conſ.* 16. *num.* 3 *lib.* 5. Soc. *conſ.* 79. *num.* 19. *lib.* 1. Alciat. *ubi ſupra, n.* 5. idque tempore meo fuit tentum in Rota *in pluribus cauſis*. At in caſu noſtro ultra præſentem ſtatum in caſu dementiæ, recurrit recuſatio Monialium Monaſterij *de Speranza*, quæ recuſarunt admittere Margaritam ad profeſſionem. Item concurrit nimia & extraordinaria brevitas temporis trium dierum ad profitenduni in Monaſterio *de Odivellas*. Itemque concurrit plena probatio dementiæ ante ipſam profeſſionem : Meritò, &c.

28 Quartò non obſtat, quod Magarita erat puella ſimplex, parum prudens, non erat inſana, nec ſtulta in totum, ut deponunt Primus *ſuper ſeptimo*, Nonus *ſuper ſecundo*, Decimus *ſuper tertio*, & Duodecimus *ſuper primo* : Unde intrat communis concluſio, ut illud quod dicitur de mente capto, vel furioſo, non procedat in facto ſimplici, ſubſtupido, & hebetis ingenij, qui intellectu non caret, licet integrum animi vigorem non habeat : ut per Caſtr. *in l. ſi frater in princ. C. qui teſtam. fac. poſſ.* Faber *in §. præterea*, & ibi Aretin. *n.* 3. *Inſtit. quibus non eſt permiſſ. facere teſtament.* Vigl. *in § item furioſi, n.* 2. *Inſtit. eod. tit.* Dec. *conſ.* 111. *n.* 2. *conſ.* 438. *num.* 21. *&* 22. Iaſ. *in d. l. furioſum, num.* 2. *& in* 5. *limit.* & ibi Dec.
29 *n.* 8. latè Pariſ. *d. conſ* 88. *n.* 37. 38. 39. *&* 40 Et quod dementia quæ impedit contractum matrimonij, debeat eſſe talis, ut auferat uſum rationis, tradit Socin. *conſ.* 47. *n.* 9. *lib.* 3. per ea quæ ſcribit Hentic. Boich. *d. cap. Aſſeſſ. n.* 4. Galliaul. *lib.* 1. *in princ. n.* 69 *ff. de verb. oblig.* Pariſ. *d. conſ.* 88. *ſub n.* 40. Ergo talis quoque debet eſſe dementia impeditiva profeſſionis Religionis, arguendo à Matrimonio carnali ad ſpirituale, ut ſupra dictum eſt. Nam pro reſponſione dicitur, prædictis teſtibus credendum non eſſe, cùm non aſſignent rationem
30 aliquam dicti ſui, cur Margarita erat mulier ſimplex, nec in totum ſtulta ; teſtes enim volentes probare, debent reddere rationem dicti ſui, aliàs eis non creditur, ut inquit Bald. *in d. l. furioſum, circa med. verſ. eſt difficile*, quem *ibi* communiter Doctores ſequuntur.

31 Accedit, quod quando agitur de probanda aliqua qualitate animi, prout in caſu noſtro, tunc teſtes debent teſtificari per actus exteriores quos viderint ; nam exteriora indicant
32 ſecreta animi ; Gloſſ. *in l. in qui. Divus in verb. ſermonibus, & ibi* bene Bart. *in fine*. Bald. & Cuman *ff. de tut. & curat. dat. ab his* : Socin. *conſ.* 42 *ſub num.* 2 *lib.* 1. Alex. *d. conſ* 157. *n.* 16. *circa med. lib.* 7. Unde prædicti teſtes cùm nullam aſſignent
33 rationem, nec etiam referant aliqua ſigna vel actus extrinſecos ex quibus appareat Margaritam fuiſſe ſimplicem, & non ſtultam in totum, dicuntur judicare ; non autem teſtificari : ut in terminis poſt Bart tradit Socin. *conſ* 42 *ſub. n.* 5. *lib.* 1. Dec. *conſ* 448. *ante num.* 32. Pariſ. *d. conſ* 88. *n.* 59. Imò prædicti teſtes teſtificantur per quoſdam actus exteriores concludentes ad totalem inſaniam & ſtultitiam : nam Nonus *ſuper ſeptimo*, dicit Margaritam quadam die ingreſſam fuiſſe in Chorum in Camiſia, & ſemel vidiſſe illam vociferantem tempore ſilentij ; Decimus *ſuper ſeptimo*, inquit, ſæpè vidiſſe Margaritam exiſtentem cum facie immunda, & naribus plenis luto. Duodecimus, *ſuper ſecundo*, deponit Margaritam dixiſſe quod neſciebat ſi iter ad communicandum, aut abluendum faciem, aut ad recitandam Primam : *& ſuper ſeptimo*, quod Margarita haberet faciem immundam luto, quodque ideò ita faciebat, quia ſibi lucebant nares ; & quod ibat ad Chorum in camiſia.

Quiotò & ultimò non obſtat quod Margarita non ſit judicanda demens, niſi clarè conſtet ipſam feciſſe actus, de quibus ſuprà, tanquam dementem : Nam dicunt DD. quod non ſufficit teſtem deponentem aliquem eſſe furioſum, dicere 34
eò quia lapides, projiciebat, niſi diceret lapides projeciſſe *more inſanorum* : quia etiam prudentes aliquando projiciunt lapides pro tuitione corporis ſui vel alia rationabili ex cauſa : ita poſt Bald. *in d. §. item furioſi*, tradit Alex. *in l. ſi cum dotem, §. ſi maritus, n.* 7. Iaſ. *in d. l. furioſum, n.* 5. & *ibi* Dec. *n.* 29 *circa med.* Pariſ. *d. conſ* 88. *n.* 68. idem Dec. *d. conſ.* 448. *n.* 33. Gabr. *de teſtib. c.* 7. *n.* 97 & eſt text. *in l. ob quæ vitia*, ibi, *more inſanorum, ff. de adil. edict.* Siquidem reſpondetur objectum procedere in actibus æquivocis, qui poſſunt convenire tam perſonæ ſanæ mentis, quàm furioſo & dementi ; prout eſt dejectio lapidum, quæ ſi fiat cum cauſa, putà pro tuitione corporis, tunc deponat prudentiam & ſanam mentem ; ſi verò fiat ſine cauſa, tunc arguit inſaniam & dementiam. Sed in caſu noſtro actus probantes dementiam Margaritæ, ſunt tales ut nonniſi dementibus convenire valeant. Et propterea oportuit Margaritam illos feciſſe tanquam dementem.

Et ita, &c.

Romana cauſæ Obitus, Lunæ 6 Junii 1580.

Coram R. P. D. Aldobrandino.

SUMMARIUM.

1 *Mulier ex partu deceſſiſſe dicitur, ſi ante partum benè ſe haberet, & poſt partum incideret in infirmitatem.*
2 *Infirmitas quod ſit mortalis, benè probatur ab eventu.*
3 *Exitus acta probant.*
4 *Obitum provenisſe à cauſa diverſa ab ea, quæ apparet, probandi onus incumbit allegranti.*
5 *Infirmus quando dicatur convaluiſſe, ita ut ſi decedat, non ex primo morbo, ſed ob novam infirmitatem deceſſiſſe dicendum ſit, & n.* 11. [*cauſa.*
6 *Recidiva brevi tempore ſuperveniens præſumitur ex prima*
7 *Laborare in extremis ille dicitur, qui obiit ex illa infirmitate, nullis ſanis intervallis.*
8 *Symptomata primi morbi ſi concomitentur febrim ſuperveuientem : ipſa febris dicitur provenire primo morbo.*
9 *Infirmitatis prima cauſa ſi præponderet culpæ infimi morbi ſuperveniens tribuitur prima cauſa.*
10 *Allegans errorem infirmi prævalere prima cauſa infirmitatis, tenetur probare.*
11 *Morbi primâ, vel ſecundâ cauſâ, an quis obierit? Arbitrarium eſt Judici decernere.*
12 *Infirmitatis cauſa quando non poſſunt probari niſi per teſtes domeſticos & familiares, contra illos non ſunt admittenda leves exceptiones.*
13 *Mulieres nobiles, & honeſtæ, etiam infirma non admittunt niſi domeſticos, & conſanguineos.*
14 *Teſtes non ſunt eligendi, quando ex probatis clarè reſultat veritas facti.*
15 *Probatis probationem non excludit.*

DECISIO III.

DOmini tenuerunt, Paulum probaſſe incumbentia, nempe Victoriam ex cauſa partus obiiſſe : cùm enim ante tum benè ſe haberet, & poſt partum malè ſe habuerit, ut habetur in *prima*, *& tertia concluſione* ; cúmque manifeſtè liqueat de cauſa infirmitatis, quia ſcilicet in aliis puerperiis ſolita erat multò plus purgari, quàm in iſto purgata fuerit, ut habetur *in ſexta* ; quo factum fuit ut ſemper varios dolores totius corporis paſſa fuerit, quodque genua, manus, & crura tumefacta ei faiſſent, ut in *dicta tertia concluſione*, quæ in aliis puerperiis, in quibus plus, ut dictum eſt, ſolita erat purgari, pati ſolita non erat ; ut habetur *in quarta*. Et hinc exortæ fuerunt illæ pinguedines, de quibus, *in nona* ; coagulatio lactis, & alia de quibus *in decima & undecima concluſione* conſequenter manifeſtè apparet ex dicta infirmitate eam obiiſſe. Quia quòd fuerit mortalis, eventus docuit : exitus 2
enim acta probant. Ita dicit Socin. *conſ.* 178. *n.* 2. *lib.* 2. Qui 3
igitur vult dicere deceſſiſſe ex alia infirmitate, id probare 4
debet : quod ſentit Bald. *in cap.* 1. *n.* 9. *quib. mod. feud. amit.* Soc. *in cap. preſbyterum. de homicid. n.* 9 & clarè ac benè Sarnen. *de Infirm. quæſt.* 11. *n.* 405. ubi ait etiam id reſolutum fuiſſe in infirmitate regulariter non mortali, in morbo Gallico.

Non obſtat, quòd convaluerit : Quia id non probatur ; 5
licet enim aliquando ita, melius ſe habuerit, ut Medici viſitationem intermiſerint, ut habetur in *ſeptima concluſione* ; tamen apparet quod quando è domo exiit, ſana non erat, cum non poſſet ambulare ; nec cùm genuflexiſſet, ſurgere. Et certa vice quando exiit domo, fuerit febri correpta, ex qua obiit,

quo

quo caſu adhuc præſumitur obiiſſe ex prima cauſa; ut per Sarnen. *dicta quæſt.* 11. qui diſtinguit: Aut infirmus ita convaluit, ut ageret ea, quæ ſani agunt; & tunc præſumitur ex alia cauſa: Aut integraliter non erat redditus ſanus, ſed ambulavit cum baculo, & viſus eſt extra periculum, tunc præſumitur ex eadem cauſa: & dicenti ex alia cauſa obiiſſe, incumbit onus probandi: & ita vult etiam Io. Villamar. *in l. Divus num.* 122. *ad leg. Cornel. de ſicar.* ubi exemplificat quando febris receſſit, & ille in operationibus naturalibus non impediebatur.

6 Quod comprobatur ex illa communi concluſione, quòd recidiva brevi tempore ſuperveniens, ut in hoc caſu, præſumitur ex prima cauſa: Bart. Bal. Soc. & Fulgoſ. *in l. maritus, ff. locati*: Soc. *in cap. presbyterum, n.* 13. *& 14. de Homicid.* & *ibi* Io. de Anania *ſimiliter n.* 13. *& 14. in fine*, Fel. *n.* 40.

Quod etiam confirmatur ex traditis à Bald. *in cap. 1 n. 11.*
7 *de aſſt.* quem ſequitur Iaſ. *in l. 1. §. 1. num. 10. ff. ſi quis jus dicen. non obtemper.* Cremn. *ſing.* 12. Quod ille dicitur in
8 extremis laborare, qui obiit ex illa infirmitate, nullis ſanis intervallis. Idque tanto magis, quia quando ſupervenit febris, ſupervenerunt multa ex priſtinis ſymptomatibus, quæ oſtendunt identitatem cauſæ.

Et huc tendunt tradita ab Excellentiſſimo Mercuriali, qui in primis admittit, quòd illæ efflorescentiæ, & alia provenerunt à menſtruis retentis; ſed ipſe præſupponit, quòd ex quo domo exiit de licentia Medicorum, ſana reddita eſſet, & quod demo fuerit febri correpta: ſed cùm ex teſtibus apparear, eam nunquam convaluiſſe, ceſſant quæ ipſe dicit, & ſubintrant præfatæ concluſiones.

9 Nec facit, quòd niſi domo exiiſſet, reliquiæ morbi poſſent fortè curari; Quia fortè etiam non potuiſſent. Non enim apparet, quòd culpæ hæ, cauſæ primæ præponderaverint: alioqui ſi prima cauſa prædominatur culpæ, dicitur mortua ex prima cauſa: Bal. *in cap. 1. num. 9. quib. mod. feud.*
10 *amittat.* Cùm igitur onus probandi incumbat Lentulo, ut dixi, tenetur ipſe probare, quod hæc culpa præponderaret primæ cauſæ: quod etiam veriſimile non eſt: modica namq; fuit agitatio, cùm curru ſemper lemè gradiente vecta fuerit ut in *octava, & ultima concluſione.*

11 Non obſtat Glo. *in l. 1. de emend. ſerv.* Quia indiſtinctè non tenetur; & quamvis Marſil. *in l. in rixa, ff. ad leg. Cornel. num 61. & in pract. §. & quia, num. 56.* limitet illam, quando infirmus procedit de malo in pejus: per doctrinam Abb. *in cap. 2. de cleric. percuſſ.* Hoc non obſtat: quia *Abb.* illud dicit exempli cauſa: ſed vera diſtinctio eſt ea, quam tenet *Sarnen.* & ſequuta eſt *Rota*, quod aut infirmus convaluit, aut non.

Cùm itaque hæc materia ſit arbitraria ex circumſtantiis,
12 Abb. *in cap. 2 n. 1. de Cleric. percuſſ.* Socin. *in d. cap. presbyterum. 8. de homicid.* Marſi *conſ. 70. num. 27.* Florian. *in l. ait lex, n. 4. ad leg. Aquil.* Clar. *in praxi, in §. homicidium, verſ. ſcias autem, in fine.*

13 Inſpectis ſupradictis circumſtantiis, viſa fuit Dominis ſufficiens hujuſmodi probatio: ſicut etiam viſæ fuerunt contrarietates, & exceptiones contra teſtes debiles; attenta materia, de qua agitur; quæ non admittit probationem niſi per valde domeſticos, & familiares.

14 Nec facit, quod infirmitas mulieris poſſit probari per alios: Quia nobiles, & honeſtæ mulieres, etiam infirmæ, non admittunt niſi domeſticos, & conſanguineos.

Quibus ſic firmatis, Domini dixerunt non eſſe deveniendum ad electionem Peritorum; quia ex probatione formiter
15 facta, reſultat probatio obitus ex cauſa partus, per ſupradicta: & quia cum ſupradictis neceſſariò ſtandum non ſit, ut dicit Clar. *in d. §. Homicidium, verſ. ſcias autem*, & habemus hinc inde dicta plurimorum Medicorum, & eorum etiam, qui infirmitati illius intervenerunt, qui notam habuerunt infirmitatem, & complexionem ægrotæ, eorum opinio conveniens cum probatione formiter facta per teſtes videtur Dominis aliter adminiculata, ut alteri ſit præferenda. Et propterea dixerunt ſuperfluam videri Peritorum electionem.
16 Dixerunt tamen quòd cùm probatio probationem non excludat, ſi Lentulus, & litis conſortes volunt probare formiter aliquid in contrarium, datis articulis ad examinandum teſtes, Medicos, vel alios; id facere poterunt.

Et ita, &c.

Romana Hæreditatis de Picchis Mercurii 15. Iunii 1580.

Coram R. P. D. Vicecomite.

SUMMARIUM.

1 *Teſtes ut probent aliquem actum ſive diſpoſitionem, debent*

ad illam ſpecialiter vocari, & rogari.

2 *Scriptura teſtamenti facta per teſtatorem debet à Notario legi & publicari coram teſtibus.*

3 *Medico atteſtante de non ſana mente infirmi, ſtandum eſt tanquam Perito in arte.*

4 *Teſtamentũ corruit ob defectũ non ſanamentis teſtatoris.*

5 *Teſtamentum imperfectum non dicitur propriè teſtamentum, ſed præparatio ad illius confectionem.*

DECISIO IV.

IN dubium revocabatur, an ex depoſitionibus teſtium, & aliis in actis productis induceretur aliqua legitima diſpoſitio quondam Achillis, quæ haberet vim legitimi teſtamenti? Et fuit reſponſum per Dominos non induci; nam licet teſtes deponant de his quæ ſunt diſpoſita per teſtatorem, tamen cùm de tali voluntate nullibi per inſtrumentum teſtamenti 1
apparear, debuerant ad illum actum ſpecialiter vocari, & rogari, ut docet Bart. *in l. Divus, in fine, C. de milit teſtam & in l. hac conſultiſſima*, ubi Iaſ. *col. 1. C. eodem*, Alex. *conſ. 57. n. 4. vol. 2.* Iul. Clar. *lib. 3. ſent. quæſt. 58. verſ. ſcias tamen quod nullibi conſtat.* Imò de non rogatu omnes teſtes fatentur, cùm deponant, non audiviſſe, quòd Achilles teſtator rogaverit Notarium, aut teſtes, ut intereſſent teſtamento.

Præterea cùm teſtator elegerit ſolemnitatem ſcripturæ 2
faciendo ejus voluntatem in ſcriptis per Notarium, debuit talis ſcriptura coram teſtibus legi, & publicari; ut tradit Caſt. *in l. ſi is qui, n. 3 ff. de teſtam.* Ruin. *conſ. 1. num. 7. cum plurib. ſeq. vol. 3.* quæ ſolemnitas minimè ſervata fuit. Imò teſtes deponunt, ſe neſcire quid in ea ſcriptura contineretur.

Imperfecta quoque talis diſpoſitio animadvertitur, cùm non potuerit perfici, & abſolvi ob non ſanam mentem, quæ 3
in ipſo actu teſtandi ſupervenerat, ut aſſerit Aromatarius, & Franciſcus del Pino teſtes, & atteſtatur Medicus, cui tanquam Perito ſtandum eſt, juxta doctrinam Bart *in l. 2 n. 3 ff. de teſt.* Et Notarius prudens, & ſibi conſulens, talem non ſanam mentem animadvertens, teſtamentum rogare non eſt auſus: ideò ex defectu imperfectæ voluntatis corruit, ut in fortioribus terminis tradit Boër. *deciſ. 240. n. 5.* Iul. Clar. *lib. 3. ſent. 9. 7. verſ. aliquando.* Et cùm non fuerit perfectum, & abſolutum, quidquid actum eſt, tanquam teſtamentum conſiderari 4, 5
non poteſt, ſed tanquam præparatio ad futurum teſtamentũ: Oldrad. *conſ. 119 per tot.* Dec. *conſ. 159. col. 2.* Covarr. *in cap. relatum, n. 9 de teſtam.*

Et ex iſta conſideratione Dominorum, tollitur omne fundamentum ex adverſo adductum; quod ſcilicet ad interrogationem Notarii quos vellet inſtituere, reſponderit *Meneto, & Leve.* Et præter ſupradicta reſpondetur quoque, quod talis interrogatio Notarii fuit facta non ad effectum tunc conficiendi teſtamentum, ſed ut exploraret Notarius, an ſcriptura dictata per Hieronymum de Picchis eſſet juxta mentem ſuam, vel ne? ideò nihil operatur talis reſponſio: Caſtr. *conſ. 137. in fine, vol. 2.* & Dec. *conſ. 477. n. 14.*

Vlixbonenſis Profeſſionis, Mercurii 16. Novembris 1580.

Coram R. P. D. Cantuccio.

SUMMARIUM.

1 *Dementia impediens profeſſionem Religionis, debet eſſe talis, ut uſum rationis auferat.*

2 *Teſtes deponentes de ſana mente, debent concludenter deponere de actibus, & ſignis multiplicatis, & ſucceſſivis excludentibus dementiam.*

3 *Teſtis deponens de inſania vel dementia alicujus, debet de proprio auditu, & viſu deponere.*

4 *Negativa furoris, quomodo ſit probanda per teſtes: & n. ſeq.*

5 *Furor non probatus per aliquod tempus continuum, arguit dilucida fuiſſe intervalla.*

6 *Dementia præſumitur probatis extremis.*

DECISIO V.

LIcet in cauſa Vlixbonenſis profeſſionis; in qua die Mercurii 16. Novembris 1580. dubitavi an probentur dilucida intervalla Margaritæ? Aliqui ex Dominis tenuerint pro validitate profeſſionis ejuſdem Margaritæ, non quia probentur dilucida intervalla, ſed quia exiſtimabant, illam non fuiſſe taliter inſanam, ut eſſet incapax profeſſionis; Nam ejus dementia non erat talis, ut auferret ei uſum rationis, prout de jure requiritur ad impediendam profeſſionem, juxta tradita per Socin. *conſil. 57. n. 9. lib 3.* Galliaul. *in l. 1. in princ. n. 69 ff. de verb. oblig.* Pariſ. *conſil. 88. n. 50. lib. 3.* 1

Et iſtis Dominis placebant deducta per informantes in facto pro parte Dom. Antonii, & præcipuè actus Confeſſionis

Communionis, legendi Breviarium, & emittendi professionem: qui actus durant per multas horas; quia cantatur, charta votorum legitur, & multæ interveniunt ceremoniæ, quam cantationem, & cerimonias omnes Margarita cordate fecit prout reliquæ quæ eandem professionem simul emiserunt.

2 Nihilominus major pars Dominorum persistebat in resolutionibus jam factis, ex fundamentis & considerationibus in illis deductis; & fuit allegatus Aretæus *de caus. & not. diverf. affect. libro* 1. *cap.* 6. & stricte ad dubium resolutum fuit, dilucida intervalla Margaritæ minimè probari: quia testes Domini Antonii, non deponunt de actibus & signis sanæ mentis Margaritæ multiplicatis, successivis & continuatis per aliquod tempus considerabile, ita ut non possint
3 convenire dementibus: juxta text. *in leg. cum alias, Cod. de curat. furios.* prout latiùs deducitur *in decis. facta* 9. *Maii verf. nec testes Dom. Antonii.*

Nec obstant multi testes ponderati pro parte Domin. Antonii, ad probandam negativam furoris: Quia nullus testis dicit Margaritam non potuisse dicere, nec facere aliquid insaniæ, quin audivisset, vel vidisset: ut in terminis deducit Alex. *consil.* 141 *num.* 10 *lib.* 1 *& consil.* 140. *num.* 15. *in principio, & num.* 16 *prope finem, lib* 7.

4 Nec obstat replicatio, quæ exemplò fit, quod testes deponentes super negativa, si deponunt taliter, ut id quod dicunt, sit eis vetisimiliter cognitum, prout videntur deponere testes prædicti, tunc non est opus quod dicant non potuisse aliter fieri quin vidissent: ut per Aretinum *in cap.* 3. *loco, n.* 9. quem sequitur *ibi* Fel. *num.* 5. Decius *n.* 9. *verf. sed Aretin. ad hoc respondet, extra de probat.* Parisi. *consil.* 162. *n.* 14. *lib* 4.

Quia hæc replicatio potest dupliciter tolli: in primis quod *Aretin.* requirit quod testes deponentes super Negativa, dicant implicitè, vel explicitè se fuisse præsentes, vel vidisse fieri, per text. *in §. hinc notis, prope finem*, ibi *testium dicentium se adfuisse his, quæ gesta sunt, & vidisse quæ tunc agebantur: in auth de hared. & falcid.* prout idem Aretin. se declarat *in cap. cum nunc* 19. *de testibus*: Et tamen in casu nostro ex tot testibus, qui conantur probare negativam furoris, nullus dicit se fuisse præsentem omnibus dictis, & gestis Margaritæ per tempus considerabile necessarium ad inducenda dilucida intervalla. Unde possibile fuit quod Margarita ea hora, qua testis fuit præsens, non dixerit vel fecerit aliquid insaniæ, sed bene alia hora, qua testis non fuit præsès.

Præterea hæc replicatio potest & alio modo evitari, considerando, quod non sumus in Negativa valde coarctata, putà ad diem, vel ad horam, sed sumus in Negativa coarctata ad longum tempus, nempe ad tempus considerabile necessarium ad inducenda dilucida intervalla, quo casu aut testis debet deponere per medium Affirmativæ incompatibilis cum Negativa, ut post Baldum *in cap.* 1. §. *si quis per* 30. *nu.* 2. *circa med, verf. tu dicis: si de feud. fuer. controverf. inter dom. & agnat* bene declarat Aretinus *in dict. cap. cum causam num.* 20. *verf. aut negativa non est ita coarctata, de testibus.* Unde in proposito, aut oportebat testes prædictos dicere, Margaritam non potuisse dicere, vel facere aliquid insaniæ, quin audivissent, vel vidissent, aut debebant dicere quod Margarita per totum illud tempus, quo intendunt probare Negativam, vel per aliud tempus considerabile ad constituenda dilucida intervalla, semper locuta fuit ad propositum & fecit actus sanæ mentis, specificando illos, ne aliàs generaliter deponendo censeretur judicare: nam ista Affirmativa dictorum, & gestorum Margaritæ per totum illud tempus, fuisset incompatibilis cum Negativa furoris: sed nullus ex testibus prædictus, si eorum dicta inspiciantur, deponunt per medium Affirmativæ incompatibilis cum negativa.

5 Non obstat quod in casu nostro dilucida intervalla probantur ex eo, quod testes, qui conantur deponere de furore ante professionem, non probant de furore per aliquod tempus continuum: Bartol. *in l.* 2. *in fin. ff. de bon. poss. f. inf. fur. comper.* Doct. *in leg. furiosum, Cod. qui test. fac. poss.* Parisi. alios citans *consil.* 87. *num.* 12 *&* 13. *lib.* 3. *& consil.* 15. *sub num* 11 *lib.* 4. Alciatus *de præsumpt. reg.* 2 *præsumpt.* 18. *num.* 1. Covarr. *in Epitom parte* 2. *cap.* 3 *num.* 6. *verf. prætdit tamen.*

Quia ista conclusio non applicatur casui nostro, in quo
6 est probata dementia Margaritæ ante & post professionem, quo casu media dementia præsumitur: Anchoranus *consil.* 5 *num.* 5. Ruinus *consil.* 67. *num.* 11. *prope fin. lib.* 1 idem Ruin. *inter consil. Cort. tun. consil.* 292 *num.* 25 *lib.* 3. Alex. *consil.* 54. *num.* 2, *lib.* 1. Purpur. *consil.* 254 *num.* 12. Tunc autem intraret objectum, si dementia Margaritæ fuisset probata solùm ante professionem: nam eo casu ut præsumeretur duravisse usque ad professionem, opus fuisset probare dementiam per aliquod tempus continuum; at secus, quando dementia est probata ante, & post actum, nam tunc præsumitur duravisse tempore intermedio; quia probatis extremis præsumuntur media.

Atque ita, &c.

Calaguritana Divortii, Mercurii 13. Iunii 1584.

Coram R. P. D. Bubalo.

SUMMARIUM.

1 *Virginem esse mulierem probatur ex relatione septem matronarum expertarum, & ex publica voce, & fama, & n.* 4. *&* 7.

2 *Virginitas mulieris probatur ex confessione mariti asserentis se eam cognoscere non potuisse, & num* 5.

3 *Testis singularis licet non probet, inservit tamen pro adminiculo.*

6 *Impotentia coeundi probatur ex eo, quòd quis pro tali impotentia medicamenta quærit.*

8 *Relationes peritorum emanata, quando alia relationes sint perquirenda.*

9 *Virginitas quomodo à peritis matronis sit exploranda.*

10 *Testes singulares, & infames non probant.*

11 *Cohabitatio triennalis conjugum ad sumendam experientiam habilitatis coitus non sufficit, nisi etiam concurrat concubitus.*

12 *Cohabitatio triennalis conjugum ad effectum probandi potentiam, vel impotentiam coeundi, quando currere incipiat?*

19 *Solemnitas præscripta per Canones conjugibus circa triennalem cohabitationem, est servanda.*

DECISIO VI.

IN hac causa pronunciaverat Rever. D. Archiepiscopus Calaritanus in prima instantia ad favorem D. Eleonoræ Sirnensis, declarando divortium esse faciendum inter ipsam Dom. Eleonoram, & Dominum Ephesum Sattochum ejus Virum, ob illius impotentiam, & dictam mulierem esse liberam: à qua sententia cùm fuisset appellatum, & causa mihi commissa, dedi dubium generale, præsumpto summario jurium, & testium utriusque partis, an sententia Domini Archiepiscopi sit confirmanda, vel revocanda, vel iterum uxor viro restituenda ad effectum cohabitandi per triennium, ut constare possit de potentia, vel impotentia viri.

Pro cujus resolutione Domini distinxerunt hanc materiam in plures difficultates: *Prima* erat, an probetur quod Eleonora non fuerit cognita ab Ephesio suo viro toto illo novennio, quo duravit matrimonium ante motam litem. *Secunda*, an probetur impotentia generalis coëundi cum mulieribus. *Tertia*, an ex parte Eleonoræ probetur cohabitatio, & condormitio per triennium, & an hoc sufficiat ad effectum, ut in casu, de quo agitur matrimonium sit dirimendum.

Quoad primam difficultatem, Domini concluserunt 1
sufficienter probari Eleonoram non fuisse cognitam ab Ephesio, & consequenter probatum, esse ipsam adhuc Virginem. Et *Primò*, movebantur ex relatione septem Matronarum expertarum in opere nuptiali, quæ omnes contorditer retulerunt Eleonoram esse Virginem: hic est omnis modus probandi Virginitatem, *cap fin. de frig & malef.* ubi Butr. *n.* 3 & Card. *n.* 1. & *ibi* passim omnes Doctores.

Secundò ex confessione ipsiusmet Ephesi, de qua deponunt 2
Cosmus Tola, & Hieronymus Totella, qui sunt contestes, qui confessus fuerat, quod non poterat cognoscere D. Eleonoram, & ex alia confessione de qua deponunt Petrus, Honorius, & Isabella uxor D. Petri; quæ confessio comprobatur ex dicto Iacobi Vitalis, & aliis confessionibus, de quibus per Franciscum Tapparum, Bernardum Pico, & Petrum Portalem qui licèt sint singulares, tamen deserviunt pro adminiculo. 3

Adminiculatur etiam probatio prædicta ex fama virginitatis, & non defloratonis Eleonoræ, de qua benè deponunt 4
Antonius Meltes *super quarto*, & Bernardus Pico, *ibidem*, & probatio famæ coadjuratur ex dicto Gaspatis Bencasi *ibidem* qui dicit quod pueri Neniani canebant de ista impotentia Ephesi. & ex dicto Francisci Tappata *super tertio*, dum deponunt de fama præsenti.

Coadjuvatur etiam hæc probatio ex eo, quod ipse Ephe- 5
sus non articulavit cognovisse Eleonoram, sed quod semper ipsa tenuit; quod an sit verisimile, aliorum sit judicium.

Item ex eo, quia ipse quærebat medicamenta, ut deponunt 6
Cosmus Tola, *super sexto* Petr. Honophrius *ibid.* & Bernard. *ibidem*, & comprobatur ex dicto Ioan. Andr. de quibus *in summario Ephesi, num.* 8. ubi dicit, quod quærebat remedium ut posset rem habere cum uxore, quia sibi contingebat quædam defectio, & exinanitio.

Et hæ etiam adminiculantur ex his quæ habentur *in ſum. Epheſi num.* 6. 17. & 18. ex quibus apparet quod dicta Eleonora oſtendebatur fuiſſe crudelis & inquieta.

7 Non obſtat prima relatio, quia ultra quod prætenditur nulla, & tres tantùm mulieres retulerunt: In hac ſecunda fuerunt ſeptem matronæ peritæ, ut apparet ex *ſupradictis* & hæc ſecunda relatio eſt magis adminiculata.

8 Nec obſtat quod ſtante prima relatione non eſſet deveniendum ad ſecundam deputationem Matronarum, quæ inſpicerent an Eleonora eſſet virgo, quia in hac materia plurimum exuberat officium Judicis; immò Judices de N. admonentur, ut adhibeant peritiores, ut per Gloſſ. fin. & *ibi* Cardin. *num.* 3. benè Hoſtienſ. *in cap fraternitatis, §. licet autem, eodem tit.* ubi conſuluit, quod Judices quærant, quantùm potuerint, peritiores & diverſas, & de vicinia, & de civitate expertas, & non ſint nimis juvenes propter experientiam, &

9 nimis antiquæ propter defectum viſus, nam & cum manu, & cum oculo ſunt talia probanda à diverſis & à pluribus. Et licèt Hoſtienſ. *ibi* velit quod debeat priùs lavari cum aqua calida, & ibi diu retineri ad diſſolvendum medicamenta, quæ eſſent appoſita, ut *ibi* dicit Abb. *n.* 4. *in fin.* tamen videtur loqui in muliere arcta: & quidquid ſit, præſumendum eſt, iſtas mulieres uti expertas benè exerciuiſſe officium ſuum.

Quoad ſecundam difficultatem Domini inclinabant non eſſe probatam generalem impotentiam coëundi ipſius Epheſi: quamvis enim Iſabella, & Simona videantur deponere, quod dormierunt cum Epheſo, & quod non potuit eas cognoſcere;

10 & aliæ etiam deponant de auditu, tamen ſunt ſingulares & infames, & in contrarium habent plures alios, de quibus *in ſummario Epheſi*, contrarium deponentes; quorum dicta comprobantur ex eo quod Epheſius fuit curatus à morbo Gallico *ut ejus, ſum. n.* 13. & 24. & ex relatione Medicorum, qui referunt ipſum habere membra apta ad coëundum.

11 Super tertia difficultate non potuit capi aliqua reſolutio, & videndum eſſet particulariter: nam quamvis ultra triennium cohabitaverint, tamen quia non ſolum requiritur cohabitatio in domo per triennium, ſed etiam in lecto; ut inquit Hoſtienſ. *in d. cap finali poſt princip. de frigid. & malef.* & dicit *ibi* Joan. Andreas quod requiritur condormitio; hic non videtur probari condormitio per triennium, quia Anna *ſuper quarto*, & Hieronymus Sancius & Antonius Loangocei non videntur rectè concludere de integro triennio; & quamvis Antonius Xinta de quo *in ſumm. Epheſi. n.* 22. dicat quòd à quatuor annis citrà, ſimul non dormiebant; tamen non concludit à contrario ſenſu quod antea inſimul condormirent.

12 An autem in caſu de quo agitur, ſufficiat hæc condormitio per triennium, vel potius incipiat currere poſt peractam pœnitentiam, & poſtquam Judex illum terminum ſtatuit, Domini in hoc habebant difficultatem; & eſſet particulariter diſcutiendum. Nam Innoc. *in d. cap. fin. ibi*, Card. *in fine*, & Abb. *num.* 12. tenent ſufficere triennium ſive ante, ſive poſt motam litem Hoſtienſ. verò *in d. cap. fin.* quem ſequitur *ibi* Joannes Andreas Butr. *n.* 10. Anchar. *num.* 9. Henric. Boich. *in principio*, tenent quod triennium incipiat à tempore peractæ pœnitentiæ, & injunctionis factæ per Judicem: quæ ultima opinio videbatur aliquibus ex Dominis ſatis æqua, & verior; nam Eccleſia conſiderat aliquando propter peccata ſupervenire ſimilia impedimenta: imponit ergo pœnitentiam ut videatur an ex bonitate & miſericordia Dei omnipotentis placati, poſt peractam pœnitentiam ipſi conjuges reddantur habiles ad conſummandum matrimonium: & nondum peracta ergo pœnitentia, non poteſt dici, quod triennium præcedens ſuffragetur, cùm non probetur remotio obicis peccati & ſaltem placebat iſtis Dominis temperamentum Abb. *in d. cap. fin. n.* 12. quem ſequitur *ibi* Præp. *n.* 4. quod poſt pœnitentiam peractam injungatur cohabitatio per aliquod tempus, arbitrio Judicis præfigendum.

Ex quibus Dom. Archiepiſcopi Calatitani ſententia ſuſtineri non poteſt; tum quia non fuit indicta pœnitentia, juxta formam *d. cap. fin.* à qua non licet recedere, ut admonet *ibi* Hoſtien. tum etiam, quia non fuit adhibita ſeptima manus propinquorum. Et quamvis Gloſſ. fin. *in d. cap.* dicat, quod ſententia nihilominus teneat; tamen Hoſtienſ. *ibi in fin.*

13 Anchar. *n.* 10. tenent illam ſolemnitatem eſſe ſervandam.

Faventina Matrimonii, Veneris 1. Februarii 1585.

Coram R. P. D. Seraphino.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium ſi prætenditur nullum ob impotentiam viri ante illius diſſolutionem præcedere debet cohabitatio triennalis conjugum, injuncta priùs per Eccleſiam ſalutari pœnitentia.*

2 *Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam potentiam coëundi non eſt neceſſaria, quando conſtat per alias probationes de frigiditate viri.*

Declara ut num. 6.

3 *Frigiditas & impotentia viri probari poteſt per teſtes.*

4 *Frigiditas & impotentia viri quando non eſt viſibilis & per alterum ex conjugibus negetur, tunc cohabitatio triennalis eſt omninò neceſſaria ad probandam impotentiam.*

5 *Impedimentum coëundi viſibile non adeſſe in viro, probatur ex relatione Medicorum.*

7 *Impedimentum ſeu impotentia coëundi non benè probatur ex aſſertione conjugum.*

DECISIO VII.

FUit dubitatum an ſententia in partibus lata, ſit confirmanda? Et difficultatem faciebat contra ſententiam, quod 1
non fuit ſervata forma *c. laudabilem, & cap. fin. de frigid. & maleſic.* in quibus diſponitur, ut conjuges cohabitent per triennium, injuncta priùs per Eccleſiam ſalutari pœnitentia. 2

Ex adverſo tamen prætendebatur hoc non fuiſſe introductum de forma, quando per aliud genus probationis conſtat de frigiditate: ut videtur probari *in d. c. laudabilem* & *ibi* Gloſſ. & Innoc. *in princip.* Anchar. *n.* 2. Abb. *n.* 2. Collect. *in cap.* 1. *in prim. eod. tit.* & *ibi* Card. & Abbas: Specul. *eod. tit. §.* 1. *n.* 3. & *ibi* Joan. Andr. *in addit.* Angel. de Claus. *in verb. Matrimonium, impedim.* 16. *n.* 10. Sed per teſtes hujuſmodi 5
frigiditas probari dicebatur, non ſolum de tempore matrimonii, ſed etiam ante matrimonium: quæ probatio in hac materia admittitur, ut per Card. & alios *in d. cap.* 1. & ex eo tempus triennii neceſſarium non eſt, quod ſ lum datur ad cognoſcendum an frigiditas ſit perpetua, cùm ſatis ex eorumdem teſtium depoſitione colligi poſſit, & hæc probatio coadjuvatur ex Obſtetricum inſpectione deponentium Do. Victoriam non fuiſſe defloratam; cùm tamen vir affirmet ſe eam cognoviſſe, & in hoc reperiatur mendax: ad Anchar. *in d. c.* 1. *n.* 4. *ad fin.* & ideò benè fuiſſe ſententiatum ſuper ſeparatione per Ordinarium Faventinum.

His tamen non obſtantibus, Domini unanimiter cenſuerunt ſententiam eſſe revocandam. Et præcipuum fundamentum hujus opinionis fuit, quod quando vitium frigiditatis & impotentiæ non eſt viſibile, ita ut ſenſu oculorum percipi poſſit, & negatur per alterum ex conjugibus impotentia, tunc diſpoſitio *c. laudabilem*, & *c. final.* eſt de ſolemnitate probatoria, eamque obſervare eſt neceſſe, cùm fieri poſſit ut tale impedimentũ non ſit naturale, ſed temporale, proveniens ex aliquo maleficio; & ſperari poſſit, quod acta pœnitentia Deus miſertus conjugum tale impedimentum ſit ſublaturus.

Quod autem impedimentum non ſit viſibile, conſtat ex 5
relatione Medicorum: Unde hoc caſu ſtatuendus erat terminus ab Eccleſia prædefinitus, ut tradit D. Thom *in ſum par.* 3. *quæſt.* 58. *art.* 1. Sylveſt. *in verb. Matrimonium*, 8. *n.* 16. Aug. *in verb. Matrimonium* 3. *n.* 19. Piſanel *in verb. Matrimonium* 15. Roſell. *in verbo, Matrimonium* 15. *n.* 3. Summa Confeſſor. *lib.* 4. *tit.* 16. *a.* 16. Tabien. *in verbo, Impedimentum, num.* 12. Gottifred. *tit. de frigid. & maleſic. n.* 10. Jo. Andr. *tit. d. conſanguin. & affin. n.* 83. Turrecrem. 33. *q.* 1. *c.* 1. *n.* 7 & 9. Anch. *d. c. laudabilem. n.* 7. & *ibi* Abb. *num.* 5. & ferè omnes alii.

Non obſtant deducta in contrarium: & primò ad auctoritates allegatas, quod poſſit probari frigiditas per aliud genus probationis, id verum eſt, quoties vitium eſt tale, quod per viſionem detegi poſſit, & quoties conjuges fatentur impotentiam accedente ſeptima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ. *d. c. laudabilem*: habent enim Canones has probationes pro concludentibus: ſed ubi vitium non eſt viſibile, & maritus negat impedimentum, tunc ſervanda eſt forma *ſupra d. c. laudabilem. & cap. fin.* & ideò non 6
ſunt attendendi teſtes, cùm ex eorum dictis non probetur naturalis & perpetua frigiditas ſeu impotentia maximè cùm ex adverſo adſint aliæ probationes per teſtes quorum tamen in præſentia nulla fuit habita ratio.

Non obſtat quod Obſtetrices dicant eam non fuiſſe cognitam, quia & hujuſmodi probatio adhuc eſt in incerto, neque acceſſit ſeptima manus, ſed dato etiam quod probaretur concludenter, non ideò ob mendacium dirimendum eſt Matrimonium, licèt de fide conjugis multùm detrahatur ex hac cauſa: nam in hac materia aſſeveratio conjugum non 7
eſt vera probatio: ut tradit Abb. *in d. c. laudabilem, n.* 5.

Quare ex his concluſum, quod cùm agatur de periculo animæ, & Sacramenti diremptione, neque vitium directa probatione & concludenti probari poſſit ſervandam fuiſſe temporis ab Eccleſia ſtatuti prædefinitionem. Et hac ratione ſententiam Ordinarii eſſe revocandam.

Anconitana Incendii 30. Maii 1588.

Coram R. P. D. Comitulo.

SUMMARIUM.

1 *Incendii nocturni origo probatur per conjecturas, & præsumptiones.*
2 *Probatio plena resultat in ambiguis, ex conjecturis.*
3 *Fumus est subjectum ignis.*
4 *Opinio, & tumor communis facit præsumptionem, si cum ea concurrat verisimilitudo.*
5 *Peritis standum est.*
6 *Peritis standum est, licet rationes non afferant.*
7 *Nocturno tempore gesta expressè sciri non valent.*
8 *Probationes claræ ubi haberi non possunt, sufficit, quod Judex ex vehementi opinione habeat informationem.*
9 *Incendium plerumque præsumitur culpa inhabitantium. Declara ut num. 10.*
11 *Verisimile, & non possibile, venit attendendum.*
12 *Testis de auditu non probat.*
13 *Ignis quò semel accensus pervasit, fert casus ut iterum accensus non pervadat.*
14 *Testis prima depositio attenditur.*

DECISIO VIII.

JUxta communem parietem distinguentem Pavesii domum combustam, à domo Mascellæ habebat Pavesius in cella vinaria supra dolia tabulatum, & in eo sarmentorum fasciculos, & alia ligna: Ex alia parte, Mascella fabricaverat fornaculam cum caldario ad lixivium, & mustum coquendum, excavatam in eodem pariete & gula camini. Cùm autem constaret pridie illius noctis, qua primum sub auroram erupit ignis à cella vinaria Pavesii, accenso per famulas Mascellæ igne in fornacula, unum, & alterum caldarium lixivii ebulliviſſe usque ad occasum Solis. Proposui dubium stante summario juris, ac testium utrinque dato, an incendium domus Pavesii processerit à domo Mascellæ, negligentia, culpa, vel dolo ipsius, vel suorum familiarium, ita ut ipse teneatur ad emendationem damni? Et Domini ad primam partem dubii respondentes (circumscripto effectu) tenuerunt incendium è domo Mascellæ provenisse.

1 Nec enim dubitarunt principium causamque nocturni incendii, per conjecturas, indicia, & verisimilia in jure probarit Bal. *conſ.* 174. *n.* 2. *& 3. l.* 2. Alex. *conſ.* 50 *n.* 6. *l.* 1 Afflict. *deciſ.* 57. *n.* 6. Bero *conſ* 215. *n.* 1. *in* 3. Menoch. *de Arbitr. jud. caſ.* 390. *n.* 16. ex quibus in ambiguis casibus constantur plenæ
2 probationes, ut P. Aret. *in l. incid. C. de rei vend.* Alex. *conſ.* 53. *l.* 2. Jaſ. *in l. ſi quis ex argentariis, §. prætor, n.* 20 *ff. de edend.*

Inducebantur autem Domini in hanc sententiam per ea, quæ incendium antecesserunt, & ipso incendii tempore observata sunt, ac postea consecuta fuerunt: materia namque apta accendi in cella vinaria Pavesii præexistens, ignis propinquus, intermedio pariete à quatuor pedibus supra, debili, ac peritorum judicio, ut postea apparuit, parum turo; fumus
3 qui secundùm Aristot. *de part. anim. lib.* 1. *cap.* 2. est subjectum ignis, è fornacula in domum Pavesii lixivio ebulliente penetrans? Querela de eo cum uxore, & famulabus Mascellæ, probabilem ingerebant suspicionem ex hoc igne ortum fuisse incendium; *ad l. ſi ſervus ſervum, §. ſi fumum, ad leg. Aquil. l. quidam Hiberus, de ſervit. urban. prad.* Capoll. *cod. tit. cap.* 64.

Augebatur suspicio ex eo, quod tempore incendii opinio erat illud ortum sumpsisse ex fonacula: nec vana conjectura
4 quæ ipsum quoque Mascellam commovit ad inspiciendum, num in fornacula adesset ignis; unde talis opinio & tumor etiamsi è domo Pavesii originem habuisset, faceret præsumptionem propter verisimilitudinem, cui initit Bal. *conſ.* 78. *num.* 2. *lib.* 3.

Quæ verò post incendium subsecuta sunt, probationem compleverunt, Periti namque à Partibus nominati, Judicis auctoritate ad locum accesserunt, factisque diligentiis jurati retulerunt incendium à præfata fornacula provenire potuisse probabilibus valdè moti rationibus; maximè quia animadverterunt parietem communem, & supra fornaculam concussum, & perforatum; calcemque superinductam detrahentes observarunt in eo lapides fumosos, quorum attestationi
5 standum videtur, per ea quæ habentur & traduntur, *in cap. ſignificaſti, de homin. & in c. propoſuiſti, de probat.* etiamsi rationes non afferrent. Dec. *in d. c. propoſuiſti n.* 53. post Aret. & Butr. *in c. cum cauſam de teſtib.* cùm sint potius Judices & arbitratores, quàm testes, præsertim ubi à partibus fuerunt electi: Natt. *conſ.* 40. *num.* 3. *lib.* 1.

Comprobatur horum relatio ex quodam quasi præjudicio ipsiusmet Mascellæ, qui post incendium, antequam deventum esset ad loci inspectionem advocavit fabrum murarium, qui de nocte parietem illum communem in quo apparuerunt foramina, & rimulæ, aptaret, & calce obtegeret, accenso mox ibidem igne ex paleis, quò recens crusta fumo denigraretur, ne experimentum fieret, num adhuc fumus inde exiret; unde quædam saltem præsumpta confessio resultat, facilè apparere potuisse, quod inde incendium exortum esset.

Concurrunt aliqui testes de auditu; & fama aliqui de proprio judicio, aliqui de verisimili, & possibili; ex quibus verisimiliter redditur origo incendii: Alex. *conſ.* 67. *n.* 4. *lib.* 1. Dec. *conſ.* 82. *n.* 1. Cùm aliàs expressè sciri non possint quæ 7
contingant de nocte: Bald. *conſ.* 174. *n.* 3. *lib.* 2. Alex. *conſ.* 24. *n.* 6 *& ſeq. lib.* 2. ubi post Batt. *in l.* 1. *de verb. oblig.* dicit, quod 8
quando non possunt haberi liquidæ probationes, sufficit, quod Judex ex vehementi opinione habeat informationem, Jaſ. *in d. §. prator, num.* 21.

Non obstat, quod incendium plerumque præsumitur culpa 9
inhabitantium evenisse, *l.* 3. *de offic. Præf. Virgil.* Alex. *conſ.* 50. *num.* 1. *lib.* 1. Quia id verum, nisi ex conjecturis probetur 10
aliunde initium habuisse, Bald. *conſ.* 174. *lib.* 2. *& conſ.* 442. *lib.* 3. Afflict. *deciſ.* 57. *n.* 3.

Nec movet, quod possibile sit, ignem casu fortuito, vel aliter per inhabitantes accensum fuisse. Quia attenditur id 11
quod verisimile est, non quod possibile: Bal. *in ſcripturas, n.* 6. *C. de fide inſtr.* Soc. *conſ.* 28. *n.* 9 *lib.* 2. Dec. *conſ.* 176. *in prine.*

Non obstat quòd dicitur, fumum in cella vinaria Pavesii visum fuisse per rees, aut quatuor dies ante incendium, qui tamen fumus ex fornacula provenire non potuit, in qua tunc temporis ignis non fuerat accensus: unde arguitur incendium aliunde causari potuisse, & insuper negligentia Pavesii in 12
exquirenda causa fumi: Quia de tali fumo unicus testis deponit, & quidem de auditu, ideò non probat, *l. juriſjurandi, & l. teſtium, C. de teſtib. cap. dicet, & cap. veniens, eodem. tit.*

Non obstat experientia, quam Judex pro informatione animi sui fieri jussit, accenso igne in eadem fornacula, ex qua apparuit vix calorem, nedum ignem, qui succenderet stupam, penetrasse foramen studiosè relictum in pariete, unde incendium dicitur ortum habuisse. Quia præterquam quod tentata fuit citra præjudicium partium, probatur vana ex rationibus in conspectu ejusdem Judicis allegatis, stante præ-
sertim recenti crusta calcis, & innovatione facta in pariete, 13
& tuba camini; fert etiam casus, ut quo ignis pervasit semel sæpius iterata experientia non pervadat.

Non obstat quod aliqui ex testibus repetiti aliter depo- 14
nant quàm primò. Quia attenditur eorum prima depositio, Rota *de probat. in novis deciſ.* 19.

Alia, quæ adducuntur, licuisse Mascellæ fornaculam eo in loco fabricare, ignemque accendere, deque diligentia per eum adhibita, & ejus bona fama, respiciunt effectum dubii, quem Domini in hac resolutione circumscripserunt, &c.

Romana donationis annuli, Mercurii 10. Maii 1589.

Coram R. P. D. Mantica.

SUMMARIUM.

1 *Donatio facta à demente non valet.*
2 *Testibus peritis magis quàm aliis credendum est.*
3 *Phreneticus, qui est mente alienus, non potest de suis bonis disponere.*
4 *Demens ut possit disponere, habere debet dilucida intervalla perfectissima.*
5 *Sanæ mente quilibet præsumitur. Declara ut num. seq.*
6 *Demens qui semel fuit talis præsumitur fuisse de tempore dispositionis, nisi contrarium probetur.*
7 *Stulti quandoque ad propositum loquuntur.*
8 *Phreneticus præsumitur perseverare in alienatione mentis, licèt quandoque ad propositum loqui videatur.*
9 *Testis singularis non probat.*
10 *Institutio hæredis facta ad suggestionem alterius, ab eo qui est in articulo mortis, non valet.*
11 *Sanæ mentis non præsumitur is, qui est in articulo mortis constitutus.*
12 *Morbi acerbitate vexatus, interrogatus solet semper si si respondere.*

DECISIO IX.

COnclusum fuit bon. mem. Cardinalem Vastavillanum, tempore quo fecit donationem, non fuisse sanæ mentis & consequenter eam non posse subsistere.

Nam

Nam primus teſtis, qui eſt Medicus, *juxta* 13.14.& 15. *articul.*& Tertius qui eſt Chirurgus *juxta* 4.& 5.& Secundus qui erat aſſiſtens, & pro Dom. Æneas aſſerto donatario inductos eſt, *juxta* 18. & 26. apertè deponunt de alienatione mentis à nocte Sabbathi, quæ fuit 8. menſis Auguſti, & anteceſſit diem Dominicum, quo fuit facta donatio; & ſimiliter de continuo furore uſque ad extremum vitæ exitum
2 deponunt. Idemque teſtificatur Aromatarius *juxta* 26. Atque his teſtibus tanquam peritis magis quàm aliis credendum eſt Cyn. *in l. ſimium, C. ſi qui teſt. fac. poſſ.* Bart. *in l. 2. n. 3. ff. de teſt.*

3 Conſtat autem phreneticum, qui mente alienus eſt de bonis ſuis non poſſe diſponere: *c. cum dilectus, §. quia verò, de ſuc. eſſ. ab inteſt. & l. ob quæ vitia, in princip.* ibi, *qui propter febrem loquitur aliena: ff. de adil. edict.* Et ut demen-
4 tis diſpoſitio valeat, debet habere dilucida intervalla & quidem perfectiſſima: *l. furioſum, C. qui teſtam. facere poſſ. conjuncta leg. cum aliis, C. de curat. furioſ.*

5 Et quamvis quilibet in dubio præſumatur eſſe ſanæ mentis *l. ult. & ibi* Bald. not. *C. de hæred. inſtituend. l. nec codicillos,*
6 *C. eodem*, tamen quando conſtat aliquem in furorem incidiſſe, ei, qui dicit ipſum fuiſſe ſanæ mentis tempore, quo diſpoſuit, onus probandi incumbit: Gloſſ. *in d. cap. cùm dilectus, in verb. compotem, de ſucceſſ. ab inteſtat. & in cap. indicat in verb. oſtenderit 3. quæſt. 9* Anch. & Card. *in Clem. 1. de homicid.* Alex. *in conſ.* 141. *n. 3. & 6. lib. 1. & in conſ.* 45. *num. 6. & 14. & conſ.* 86. *num. 5. lib. 2.*

Non obſtant teſtes, qui dicunt Cardinalem die Dominico in propoſito loquutum fuiſſe. Quia ex hoc non ſequitur
7 tunc ſanæ mentis fuiſſe, nam ſtulti quandoque ad propoſitum
8 loquuntur, & qui ex morbo phreneſis alienationem mentis patitur, in eo ſtatu præſumitur perſeverare, licèt aliqua verba ſanæ mentis loqui videatur; neque enim phreneſis dicitur ceſſare, ſed aliquo modo latere, ut ex Medicorum ſententia ſcribit Suarez *allegat. 1. num. 19. cum ſeqq.*

Neque etiam obſtat, quod hujuſmodi donatio tanquam à ſapiente facta debet intelligi, propter ſervitia Cardinali longo tempore à Dom. Æneas præſtita; & quia Cardinalis habebat animum remunerandi; quemadmodum deponit ſecundus teſtis *juxta 6* quia eſt ſingularis, & ideo non probat: *leg.*
9 *juriſjurandi, C. de teſtibus.* Et ſi Cardinalis talem animum habuiſſet, ei teſtamento aliquid in ſpecie legaſſet, ſicuti quibuſdam aliis legavit, & tamen nihil ei ſpecialiter reliquit Quamobrem donatio tanquam facta ab eo, qui mente erat alienus, non poteſt valere.

Quod multo magis Dominis placuit; quia hæc donatio
10 non fuit facta motu proprio Cardinalis, ſed ad interrogationem & ſuggeſtionem aſſerti donatarii; nam ſimiliter inſtitutio hæredis facta ab eo, qui eſt in articulo mortis, ad
11 interrogationem alterius, non valet; quia intelligitur ſanæ
12 mentis non fuiſſe, & quia ad interrogationem alterius, quilibet morbi acerbitate vexatus, ſolitus eſt reſpondere *ſi ſi*, Ruin *conſ. 8. n. 9. & 14. ad fin. lib. 3.* qui dicit hanc eſſe receptiorem, æquiorem, & magis rationabilem opinionem; idemque conſuluit Lanfr. de Orian. *int. conſ. diverſ. ad ult. volun. conſ. 128. lib. 1.* & hanc ſententiam magis communem teſtatur & ſequitur etiam Socin. jun. *conſ. 183 num. 32. & 33. lib. 2.*

Et ita, &c

Hipporegien. prætenſi Matrimonii, Veneris 1. Decembris 1589.

Coram R. P. D. Comitulo.

SUMMARIUM.

1 *Minor decem annis non poteſt contrahere matrimonium tam ex defectu naturalis vigoris ad coëundum, & generandum, quàm ex defectu conſenſus.*
2 *Malitia ſupplet ætatem.*
3 *Malitia non eſt admittenda in iis, qui ſunt proximi pubertati.*
4 *Pubertati proximi illi dicuntur, qui ab ea ſolùm diſtant per ſex menſes.*
5 *Diſcretio præſumitur adeſſe in majore ſeptennio qua ſufficit ad validanda ſponſalia de futuro.*
6 *Diſcretio, qua præſumitur in majore ſeptennio ad validanda ſponſalia de futuro, non eſt talis, qua ſufficiat ad validitatem matrimonii.*
7 *Diſcretionis anni ad validitatem matrimonii pro annis pubertatis interpretantur.*
8 *Teſtes veriſimiliora deponentes præferuntur aliis in concurſu.*
9 *Teſtes veriſimiliora deponentes tunc maximè ſunt aliis præferendi quando ſunt numero plures.*
10 *Teſtes exceptionem non habentes, aliis præferendi veniunt, qui exceptiones patiuntur.*
11 *Teſtium affectantibus effectuationem actus, domeſticis, & dependentibus, fides minuitur.*
12 *Copula ſubſecuta præſumi facit habilitatem ad matrimonium.*
Intellige ut numeris ſeqq.
13 *Copula ſubſecuta tunc facit præſumi habilitatem ad matrimonium, quando intervenit cum iis qui à natura habiles ſunt ad generandum, vel concipiendum.*
14 *Matrimonium ut dicatur validum, non ſolum requiritur uſu rationis, ſed etiam, quod corpus ſit aptum generationi.*
15 *Aptitudo corporis ad generationem non dicitur adeſſe in imbecillo, & gracili.*
16 *Dolor, quem mulier ſentit in actu copulæ, inducit præſumptionem quod non ſit apta ad generandum, concurrente ætate tenera, & immatura.*
17 *Mulieris confeſſioni ſtatur magis, quàm viri quoad aptitudinem ad generationem.*
18 *Confeſſio emiſſa à puella minori duodecim annis, non attenditur ad validitatem matrimonii.*
19 *Matrimonium ut valeat, requiritur copulativè potentia ad carnalem copulam, & prudentia rationis diſcernentis vim contractus matrimonii.*
20 *Matrimonium eſſe validum in dubio pronuntiandum eſt. Declara, ut num. ſeq.*
21 *Matrimonium non debet celebrari tempore quadrageſimæ.*

DECISIO X.

DOmina Veronica Malgrata, cùm eſſet pupilla major novem, & minor annis decem, fuit ex agro, ubi propter peſtem cuſtodiæ agebantur, in oppidum Scarmagni ad domum D. Genevræ amitæ traducta, ibique ſponſalia per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus cum D. Emmanuele Venuſto annorum circiter quindecim contraxit, poſtque ſtatim inter eos ſubſecuta fuit cohabitatio per duodecim dies continuos, & in eodem lecto concubitus, donec Domini de Aladio uti Tutores adverſus hujuſmodi factum reclamantes, pupillam ſequeſtrari obtinuerunt.

Exinde cauſa ſuper diſſolutione ſponſaliorum introducta coram Reverendiſſimo Dom. Nuncio, per ſententiam declaratum fuit, aſſertam deſponſationem, & concubitum inter prædictos Emanuelem, & Veronicam, matrimonium minimè feciſſe.

A qua ſententia pro parte D. Emmanuelis extitit appellatum; & cauſa appellationis mihi commiſſa, dubitatum fuit, concordatis nonnullis præſuppoſitis, an conſtaret de copula: eumque in diſputatione excitatæ eſſent difficultates, propter quas non videbatur capienda reſolutio, circumſcripto effectu tendente ad firmandum matrimonium, & voluntas ipſius puellæ in dubium vocaretur, quippe quæ ſeducta prætendebatur detineri in loco ſuſpecto; proviſum fuit, ut puella, quæ pubertatis annos jam exceſſerat, adduceretur Mediolanum, ut ibi per Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum in Monaſterio neutri partium ſuſpecto collocata, juxta Rotæ ordinationem interrogaretur.

Quo facto, & per Reverendiſſimum Dom. Epiſcopum provida, & ſufficienti relatione ad Rotam tranſmiſſa. Rurſus dubitavi præſuppoſitis depoſitionibus teſtium hinc inde examinatorum, & depoſitione D. Veronicæ, an conſtaret de copula ad effectum validitatis matrimonii.

Et quamvis copula qualisqualis præſupponeretur, etiam ex confeſſione jurata Veronicæ deponentis credere ſe, quod Emmanuel aliquoties intus immiſerit, ipſa dolorem citra voluptatem ſentiente, nec intelligente quam rem ille ageret: Domini tamen concluſerunt ex ea non inferri validitatem matrimonii. Cùm enim ex proceſſu ſatis conſtet, quod 1
Veronica tempore ſponſaliorum, & aſſertæ copulæ non pervenerat ad annos decem, immò non excedebat annos novem & menſes duos completos, ſtat regula pro nullitate matrimonii, tam ex defectu præſumpto naturalis vigoris ad coëundum, & generandum, quam ex defectu conjugalis conſenſus: *c. tua de ſponſ. c. à nobis, c. de illis, il. 1. c. finali, de deſponſ. impub. & c. unic. §. idem quoque, eodem tit. lib. 6.*

Exceptio autem, quod malitia ſuppleat ætatem, *d. cap. à* 2
nobis, & c. finali, cum ſimilibus; præterquam quod vix admittenda videtur niſi in iis, qui proximi ſunt pubertati, quales intelliguntur, qui ab ea ſolùm diſtant per ſex menſes Gloſſ. 3
communiter recepta *in c. continebatur, verb proxima*, ubi 4
Innoc. & Abb. *in c. atteſtationes, verſ. circa finem de deſponſ. impuber.* Card. *conſ. 4.* Staphil. *de variar. mod. vacat. tit. beneficium contrahens, verſ. ſed tenendo*: Pur. *deciſ. 65 lib. 2.*

nequaquam concludenter probatur: Nam esto, ut post septennium Juris præsumptione adsit illa discretio, quæ sufficit ad validanda sponsalia de futuro, *l. si sponsalib. 2. de sponsal.* c. *litteras, de desponsat. impub.* Joan. And. & Abb. *in c. juvenum, de*
6 *sponsal.* Alia tamen & quidem major, quæ exigitur ad validandum matrimonium, in quo perpetua indissolubilitate corpus traditur, ut post D. Thomam concludit Turrecrem. *in c. non est 30. quæst. 2. ad 2.* Abb. *in c. de illis, num. 4. de desponsat. impub.* non præsumitur ante annos pubertatis advenire: *c. de illis à modis, & c. finali, cum similibus*: Et hoc respectu
7 anni discretionis interpretantur pro annis pubertatis: Joan. Andr. *in c. duo pueri, eodem tit.* post Gofred. *in summ. eod. num 3.*

Probationes autem, quæ pro sagacitate, & prudentia Veronicæ, ex parte Emanuelis factæ sunt, elidantur ex concordi dispositione triginta, & amplius testium, qui de simplicitate
8 ejusdem, & infirmitate intellectus, ad judicii ac cognoscendum vim matrimonialis vinculi plenè testantur; & cùm verisimiliora dicant, præferuntur in concursu: Innoc. & Abb. *in c. auditis, de rescript.* Socin. jun. *cons.* 183. *col.* 2. *lib.* 2.
9 Arm. *cons.* 6. *num.* 66. Rolan. *cons.* 24. *n.* 55. *lib.* 1. præsertim cum numero sint plures, *ad l. ob carmen, §. si testes de testib.*
10 Gabr. *de testib. conclus.* 4. *num.* 30. Nec patiantur exceptiones quibus subjacent testes ex adverso examinati, qui fetè vel
11 affectant matrimonii effectum, vel sunt eorum domestici, & dependentes, ut per informantes in facto pro Veronica, quorum depositionibus fides minuitur: Felin. *in cap. super eod. ad finem, de testib.* Paris. *cons.* 15. *num.* 30. *lib.* 1. Arm. 187. *num.* 4.

12 Nec obstat dicta copula subsecuta, ex qua præsumi solet habilitas ad matrimonium, *d. a nobis, & c. de illis, cum similib. de desponsat. impub.* Quoniam dicta jura non verificantur
13 in omni defloratione, sed in ea quæ intervenit cum iis, qui à natura habiles sunt ad generandum, vel concipiendum: *c. puberes, ad finem eod. tit.* Turrecremat. *ubi suprà art. 2. ad 2.*
14 qui ait tempore matrimonij requiri non solum usum rationis sed etiam ex parte corporis requiri, ut illud sit aptum generationi. Idem sentiunt Abb. *in c. continebatur, num.* 7. Præpos. *num.* 3. Ancharan. *num.* 2. & alii. Quæ aptitudo non
15 probatur concludenter pro parte D. Emanuelis; qui potius ex habitu corporis imbecilli, & gracili ipsius D. Veronicæ inhabilitatem ad talem copulam concludunt omnes testes
16 pro Veronica examinati: & patet ex dolore quem Domina Veronica sentiebat, nedum in primo actu copulæ, sed etiam in aliis subsecutis quem non sensisset, si naturalem jam adepta fuisset vigorem, & aptitudinem ad generandum. cùm dictus dolor non aliunde appareat successisse quàm à tenera,
17 & immatura ætate; & quoad hunc actum à puella solùm dignoscibilem, ejus confessioni magis credendum est, quàm Dom. Emanueli: ad Gloss. *in c. vidua, vers. licet, de Regul.* Joan. Lopez *in c. per vestras, §. 43. de donat.* maximè cùm habeat præsumptionem pro se, Præpos. *in c. tua nos, n. 2. de sponsal.*

Nec fiat vis in alia confessione Veronicæ prius in lecto post sequutam copulam, malitiosa, quatenus refertur hilariter mandasse, ut sibi solveretur singulum brachio alligatū, quasi jam expleviſſet opus matrimonii. Quia non colligitur
18 ex ultima depositione Veronicæ talia verba prolata fuisse in eam significationem, & nihilominus confessio emissa à puella minore duodecim annis parum attenditur ad probandum matrimonium: ex Part. *decis.* 65. *lib.* 2.

Sed & quatenus alterum prædictorum duorum, videlicet
19 potentia ad carnalem copulam, vel prudentia rationis sufficienter discernentis vim contractus matrimonii, continentis perpetuum & indissolubilem cum viro societatem, probaretur; adhuc non sufficeret ad validitatem matrimonii, cùm utrumque copulativè requiratur, ut malitia suppleat ætatem: ex Covarr. *lib.* 4. *Decret. part.* 2. *cap* 5. *n.* 3. In specie autem proposita, quia neutrum concludenter probatur, nec adsunt indicia, ex quibus contra communem definitionem locus sit arbitrandi, quod esset Veronica proxima pubertati ex Covarr. *ubi suprà, col. final.* quin potius conjecturæ & probationes urgent in contrarium, Domini judicarunt prædictā copulam vel magis defloration em ad text. *in l. si quis aliquod, §. si nondum viri potentem, de pœnis*, insufficientem ad
20 inducendum matrimonium.

Nec eos movit, quod in dubio pro validitate matrimonii pronunciandum est, juxta *c. ult. de ea judic.* Nam stantibus
21 prædictis sumas extra probabilem dubitationem: nec proclives esse debemus in favorem hujusmodi contractus alieno impulsu potius, quàm propria inductione tempore
22 Quadragesimali contra Canonum prohibitionem celebrati: *c. Capellanus, de feriis, c. ult. ſſſ 24. de reformat. matrimon.* Concil. Trident. *& c. 2. de desponsat. impub.* ut ex Purpurat. *cons.* 579. *num.* 16. *lib.* 2. fuit dictum etiam *in causa Toletana matrimonii, 27. Octobris hoc anno coram R. P. D. Seraphino.*

Romana Hæreditatis, Veneris 13. Novembris 1592.

Coram R. P. D. Pennia.

SUMMARIUM.

1 *Hæredi datur immissio bonorum hæreditatis, ex* l. fin. Cod. de edict. Divi Adriani, *& num* 9.

2 *Testes deponentes, quem non esse sanum mente ad faciendum testamentum, etiam non rogati reddere debent rationem ut probent.*

3 *Testes deponentes de insania testatoris per signa, & actus, non probant, nisi rationem explicent.*

4 *Testamentum facere non potest mente captus, vel furiosus qui sunt omnino mente privati, nam si omnino à mente non sunt privati, possunt illud facere.*

5 *Furiosi, fatui, & mente capti, qui omnino non sunt mente privati, possunt facere testamentum.*

6 *Matrem hæredem instituere filiam, non est à ratione alienum.*

7 *Exceptio quod quis non potest testari, non impedit immissionem in possessionem bonorum hæreditatis.*

8 *Actus celebratus secundum leges voluntarius, & licitus potius, quam illegitimus deberet præsumi.*

DECISIO XI.

LUcretia Milonia annos duodecim & menses novem nata, Lucidam matrem hæredem instituit; cui petenti immissionem in bona hæreditaria ex remedio *leg. fin. Cod. de Edict. Div. Adrian.* multa opponebantur, in quibus hæc erant præcipua: Primum, quod non esset talis mentis & judicii vigore prædita, ut testamentum condere potuerit. Alterum, quod metu, & suasionibus maternis inducta testamentum fecerit. Proposito ergo dubio an Lucidæ matri esset danda immissio? Domini censuerunt esse dandam.

Nam cùm Lucida ostenderet testamentum servatis debiris requisitis, conditum, & omni vitio visibili carens, ex 1
remedio *dict. leg. fin.* erat immittenda, non obstante quod testes contra eam examinati pro Europa Milonia, Lucretiæ sorore, hæreditatem prætendente, testificarentur Lucretiam non potuisse condere testamentum; ex quo judicio illorum videbatur simplex, & inepta, & in quamvis partem facilè 2
mutabilis: cùm in hac materia non sufficiat dicere quempiam esse insanæ mentis, vel furiosum, vel non idoneum ad condendum testamentum; nisi testes, etiam non rogati, sufficientem rationem reddant; alias enim pro sana mente præsumendum erit: Bald. *in l. furiosum, n.* 3. & Paul. de Castr. *num.* 3. *C. qui testamenta facere possunt*, more item furiosorum tales gestus fuisse dicere oportet, Bartol. *tractatu de Testimon. num* 94. *vers. opposita prudentia* Alexand. *cons.* 54. *num.* 2. *libro primo*, Herculanus *tractatu de probanda Negativa num.* 157. *vers. secundus modus est.* Licet enim testes 3
referant signa, vel actus exteriores, ex quibus possit colligi furor, vel insania, nisi rationem explicent, cùm potius tunc nitantur judicare quam deponere, nihil probant: Socin. *consil.* 42. *n.* 5. *lib.* 1. Paris. *cons.* 88. *n.* 59. *lib* 3. Dec. *cons.* 448. *num* 31. & fuit firmatum *in una Ulixbonen. progressionis* 22. *Junii anno* 1579. *coram bon. mem. D. Cantuccio sup. relata.*

Unde testes deponentes quod Lucretia *era di poco giuditio sciocarella, & che credeva ogni cosa, & senza malitia, & semplice*: non probant eam inhabilem ad condendum testamentum: quamvis enim mente captus vel furiosus testamentum condere non possit; §. *Præterea. Institut. quibus non est permiss. facere testamentum.* Simplices tamen & fatui, & 4
qui hebetiori sunt intellectu, dummodo omnino mente privati non sint testamentum facere possunt. Paul. de Castr. *in* 5
leg. si frater num. secundo, Codic. qui testam. facere possunt. Faber *in d. §. præterea, numero secundo, Institut. quibus non est permissum facere testament.* Dec. *resp.* 127. *incipien. Circa primum, num.* 49. *& sequentibus*, in casu proposito; tametsi Lucretia simplex esset, non probatur fuisse insanæ mentis; immò quidam ex testibus *juxta 20. interrogatorium*, dicebat, quod Lucretia non erat *matta, & era di giudicio*, id quod actus etiam testandi satis indicat, cum non sit à ratione alienum matrem hæredem facere. Guillielm. Benedict. *in cap. Raynutius in prima parte in verbo adjecta impuberi, num.* 67. *de testam.* Baldus *in l. qui furiosum, n.* 2. Socin. *dict. consil.* 42. *numero undecimo lib.* 1.

His

7 His accedit, quod iſta exceptio, quod quis teſtari non poſſit, non impedit immiſſionem: Angel. *conſil. 135. num. 2.* Decius *conſ. 84 numero primo, verſ. ad iſta:* Boerius *queſt. 23. in fine, num. 103.*

Alterum, quod Lucretia metu & ſuaſionibus maternis inducta teſtamentum condiderit, ex his quæ proponuntur,
8 non probatur pro parte Europæ, cui id jure incumbebat. Unde cum actus eſſet celebratus juxta legum præſcripta, voluntarius & licitus potius quàm illegitimus præſumendus eſt: *leg. merito, ff. pro ſocio:* Parif. *conſil. 5. num. 168. libro 4.* Licet enim conjecturis & præſumptionibus iſta probari ſoleant, & Dominis viderentur ſuſpectæ artes & diligentiæ quædam Lucidæ Matris, quibus & Lucretiam filiam à domo tutoris abduxerat, eamque ei reſtituere aliquandiu diſtulerat, & aliæ ſimiles: Ex his tamen quæ proponuntur, non apparent fuiſſe tales, ex quibus poſſit colligi, metum aut minas in teſtando interveniſſe. Unde cum nullum vitium viſibile
9 teſtamenti patenter probaretur, vitium inviſibile (ſi quod erat) non poterat impedire hæredem mitti in poſſeſſionem: *l. 2. Cod. de edict. Divi Adrian.*

Quapropter ut decerneretur in quorum bonorum hæreditariorum poſſeſſionem eſſet immittenda, fuit obiter dictum ut Lucidæ rationis adminiſtrationis redderentur, &c.

Mediolanenſis Bonorum de Vicecomitib. Veneris 31. Maii 1591.

Coram R. P. D. Comitulo.

SUMMARIUM.

1 *Cæcus codicillos faciens tenetur ſervare ſolemnitates* l. hac conſultiſſima, Cod qui teſtam. fac. poſſ. *& num 7.*
2 *Cæcitas in eo, qui habet oculos apertos, ſed demortuos, probatur per teſtes, & ex actibus, & ſignis, unde liqueat aliquem ea facere, quæ videns non faceret.*
3 *Cæcitas probatur per teſtes deponentes de actibus, qui nonniſi cæcis conveniunt.*
4 *Cæcitas probatur ex patientis quarimovia.*
5 *Cæcus licet quis non ſit à nativitate, ſed per accidens, adhuc continetur ſub diſpoſitione* leg. hac conſultiſſima, Cod qui teſtam fac poſſ.
6 *Cæcus per accidens, propriè cæcus dicitur, licet non fuerit talis à nativitate.*

DECISIO XII.

DOminus Joannes Paulus Vicecomes cum anno 1575. menſe Maii, condito teſtamento Dominum Joannem Franciſcum filium arrogatum po tertia parte, & pro aliis, duabus Tertiis Domin. Hieronymum Fratrem germanum hæredes inſtituiſſet: Anno ſequenti & menſe Octobri, Codicillos, fecit quibus Domino Joanni Franciſco multa prælegavit, eundemque pro dimidia declaravit hæredem.

De nullitate horum Codicillorum oppoſitum fuit per
1 Reverendum Dom. Octavium Domino Hieronymo hæreditatem repudianti ſubſtitutum, eo quod dicerentur conditi tempore quo Dominus Joannes Paulus luminibus & mente captus erat, non ſervata ſolemnitate *leg. hac conſultiſſima, C. qui teſtam. fac. poſſunt, & §. cæcus inſtit. eodem & concordat text. in leg. furioſum, C. eodem.*

Quare dubitavi an conſtaret de amentia, & cæcitate Domini Joannis, Pauli tempore dictorum Codicillorum, ita ut ſint nulli, nec derogent præcedenti diſpoſitioni teſtamentariæ.

Et Domini, quia caput amentiæ viſum fuit difficilioris eſſe probationis, & ea, quæ teſtes ſuper illa deponunt, non ommbus æquè concludebant; eo omiſſo convenerunt, ſufficienter ex teſtibus, quorum ſummarium datum fuit, conſtante, quod Dominus Joannes Paulus Codicillorum tempore lumen oculorum prorſus amiſiſſet.

2 Etenim cæcitas in eo qui habet oculos apertos & claros, ſed demortuos, quales aſſeritur habuiſſe Dominum Joannem Paulum, probatur per teſtes ex actibus, & ſignis, unde liqueat aliquem ea facere, quæ videns non faceret: Bartol. *in l. 2. num. 3. ff. de bon. poſſ. ſur. vel infan.* Jaſon. *in dict. leg. hac conſultiſſima n. 8. & ibidem* Decius *n. 45.* Angel. *in §. cæcus, n. 1. Inſtit. eodem tit. qui teſtam fac. poſſ.* Imol. *in l. 1. §. ultimo, de verb. obligat.* Natt. *conſil. 210. in princ.* Anguiſſol. *conſil. 269.*

3 Ex teſtibus autem datis, Primus, & Secundus *ſuper tertia poſitione.* Tertius *ſuper quarta, ſeptima & nona.* Quartus *ſuper tertia, quarta, quinta & ſeptima.* Item Sextus *ſuper tertia*, concorditer affirmant Dominum Joannem Paulum in Feſto S. Joannis Baptiſtæ anno 1576. uſque ad ejus obitum, intra quod ſpatium includitur tempus Codicillorum, proſus luce oculorum orbatum manſiſſe: eumque utplurimum ſint domeſtici qui ejus ſic infirmi, & obcœcati curam geſſerunt, probabiles & legitimas ſuæ aſſertionis rationes exponunt: præſertim *ſuper 4. 5. & 6. poſitionibus*, nempè quod manu ducerentur etiam per domum, quod non agnoſceret familiares præſentes, niſi interdum ex voce, quod res ab ipſo petitas & in conſpectu poſitas, ut acciperet admonitus, manibus attentans quæreret; & ea, quæ ante obverſabantur in Solis, aut candelæ clara luce non adverteret, ſed ſibi adferri expoſceret quod cibos neceſſe erat illi in os inſerere & potum oti admovere ſimulque ſignificare quidnam illud eſſet, quod ei offerebatur.

Accedit quod iidem teſtes ſpecialiter Primus, Tertius, & 4
Quintus *ſuper ſeptima*, deponunt quod Dominus Joannes Paulus dolenter quærebatur ſe penitus oculorum lucem perdidiſſe.

Quare concluſum fuit obſervationem *l. hac conſultiſſima*, 5
quæ locum habet non ſolum in eo, qui cæcus natus eſt, ſed & in eo, qui ex morbo, aut accidenti utriuſque oculi viſu careat; cùm is propriè cæcus dicatur: Ariſtot. *Metaph. c. 22. de privation. & l. 1. Cod. qui morb. ſe excuſ. lib. 10.* adhibendam de jure communi fuiſſe in Codicillis Domini Joannis Pauli, 6
ad text. *in dict. l. hac conſultiſſima, verſ. qua in eundem modum*, Specul. *in tit. de inſtr. edit. §. 12. n. 42.*

Unde concluſum fuit per dictos Codicillos, utpote nullos diſpoſitioni teſtamentariæ præcedenti nequaquam derogatum, niſi jure aliquo ſpeciali, vel ex vi clauſulæ ſalutaris adjectæ ſuſtinearitur, &c.

Mediolanenſis Hæreditatis Lunæ 18. Maii 1598.

Coram R. P. D. Seraphino.

SUMMARIUM.

1 *Filiatio probatur per actus proportionatos patri erga filios quando præſumptio juris non repugnat.*
2 *Legitimatio dicitur actus proportionatus patri erga filios.*
3 *Filiatio probatur ex nominatione parentum, & num. 5.*
4 *Sororitas, vel fraternitas probatur ex eo quod pater nominat talem, & talem, ſuos filios.*
6 *Filiatio probatur ex confeſſione patris, & num. 10.*
7 *Articulans non fatetur.*
8 *Articulans licèt non fateatur, poteſt inſervire pro adminiculo ad informandum animum Judicis.*
Amplia ut n. 9.
11 *Actus, quem quis impugnat, quando poſſit ſe juvare?*
12 *Filiatio ad effectum ſucceſſionis probatur leuioribus probationibus.*
13 *Inſucceſſibilis quis non dicitur, quia natus ex damnato coitu, quando non agitur de ſuccedendo patri, ſed fratri.*
14 *Proximior quis probatur, quando non comparet qui proximiorem ſe eſſe probet.*
15 *Natus ex coitu reprobato, ſed non punibili pœna temporali, non excluditur à ſucceſſione tranſverſalium de Jure Communi.*
16 *Cognationis incertitudo dari non poteſt in fratribus uterinis.*
17 *Partus editus quinto menſe non eſt vitalis.*
18 *Fratres uterini ſuccedunt inter ſe, licèt à diverſis patribus ortum duxerint.*

DECISIO XIII.

FUit dubitatum, an conſtet Suſannam, quæ poſt ingreſſum Monaſterii fuit nominata Soror Davia de Bellano fuiſſe ſororem quondam Joannis Jacobi de Bellano, ad effectum ut ipſa, & Moniales ſuccedere poſſint in bonis Dom. Jacobi; Et fuit per Dominos, nemine diſcrepante, concluſum conſtare ex pluribus,

Nam cùm non ſimus in materia, quæ habeat contra ſe 1
Juris præſumptionem, de qua *in leg. miles, §. defuncto, ad leg. Jul. de adulter.* & per Paleott. *de Noth. & ſpur. cap. 22. n. 3. & cap. 24. per tot.* filiatio probatur per actus proportionatos Patris erga filios, qualis eſt legitimatio, quæ hic adeſt Joannis Antonii Patris Jacobi, & Suſannæ vocantis eos filios 2
ſuos ex Maria ejus Ancilla, Gozzad. *conſil. 13. num. 44.* Parif. *conſil. 10. n. 67. lib. 7.* Roland *conſil. 96. n. 87. lib. 3.* Ex qua nominatione probatur etiam, Suſannam eſſe Sororem Joannis 3
Jacobi: Aymon. *conſil. 249. n. 2.* & hoc genus probationis 4
fuit pluries admiſſum per Rotam, ut *in Romana à Bordeſia & in Romana de Stoch.* in qua plures allegantur.

Probatur ſecundò, ex teſtimonio ejuſdem Joannis Antonii 5
Patris

Patris, in quo adeſt eadem nominatio, Anton. de Butr. *in cap. tranſmiſſa, col. 2. qui ſit. ſint legit.* Patiſ. *conſ.* 13. *n.* 29. *lib.* 2.

6 Tertiò ex confeſſione Dominorum de Tabernis, facta in articulis in actis productis.

7 Nec obſtat quod articulans non fateatur: quia inſervire
8 poteſt pro adminiculo ad informandum animum Judicis, etiam quod revocaretur, in caſu quo revocari poteſt; puta
9 quando articuli dati ſunt per procuratorem: Rota *deciſ.* 2. *de confeſſ. in nov.* Sed magis concludenter ex eorumdem con-
10 feſſione facta in tranſactione hoc idem probatur, quæ quam-
11 vis impugnetur per Moniales, tamen non impugnatur in hac parte, neque ratione falſitatis contentorum in ea, ſed ratione defectus ſolemnitatis: ideò locum habent deducta ex Butr. & aliis *in leg. ſi ita ſtipulatus*, §. *Chryſogonus, de verb. obligat.* Riminaldus *conſilio* 94. *num. decimoquinto, libro primo*, Puteus *deciſ.* 6. *de confeſſ.* Ruinus *conſil.* 68. *numero octavo, libro ſecundo*, & maximè cùm hæc confeſſio ex prædictis ſit geminata.

Accedunt teſtes Dominorum de Tabernis citati in facto, junctis depoſitionibus, Decius *conſil.* 534. *num.* 4. teſtes eaſ-
12 cùm non inſerviant niſi pro adminiculo: non eſt dubitandum hanc probationem ſufficere ad effectum ſucceſſionis, in qua leviores probationes admittuntur: ad *conſil.* Gemin. 27. ſæpius in Rota approbatum.

13 Neque ideo Soror Daria poteſt dici inſucceſſibilis, quia nata ex damnato coitu, cùm non agatur de ſuccedendo Patri, ſed fratri: ut per Graſſ. *de Succeſſ. quæſt.* 34. *in fin.* &
14 probatur proximior, ex quo non apparet alium adeſſe qui proximiorem ſe affirmet; Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 11. *gloſſ.* 1. *num.* 1.

15 Adeſt etiam legitimatio, quæ hanc exceptionem inhabilitatis excludit; maximè cùm de jure communi, illi qui ex coitu, licèt reprobato, ſed non punibili pœna temporali, naſcuntur, non excludantur à ſucceſſione tranſverſalium:
16 Socin. *conſil.* 148. *n.* 2. *lib.* 1. Paleottus *de Noth. & Spur. cap.* 42. *n.* 11. Royas *in Epitom. ſucceſſ. cap.* 10. *num.* 16. Quod maximè procedit reſpectu uterinorum, in quibus non poteſt dari incertitudo cognationis: *leg. ſi ſpurius, ff. unde cognat.*

17 Nec obſtat quod Maria fuerit nupui tradita ante nativitatem Joannis Jacobi, quia cum jam concepiſſet eum, qui poſtea quinto menſe editus eſt, non poteſt eſſe locus præſumptioni *dict.* § *defuncto*, nemo enim vitalis naſcitur menſe
18 quinto: ut notatur *in leg. ſeptimo menſe, de ſtat. homin.* Plin. *lib.* 7. *cap. quinto*, quamvis in uterinis non relevet quod ex diverſis Patribus ſint nati: ideò non obſtat quod Joannes Jacobus fuerit inſtitutus à Patre, ſive eſſet filius, ſive non; hoc enim fuit factum ad cautelam pro validitate inſtitutionis: *leg. teſtamentum, C. de teſtament.*

Et ita concluſum probari Sororem Dariam fuiſſe Sororem Joannis Jacobi, & ei ſuccedere potuiſſe in bonis de quibus agitur, &c.

Taurinenſis Diſſolutionis Matrimonii, Veneris 16. Martii 159c.

Coram R. P. D. Platto.

SUMMARIUM.

1 *Habitatio triennalis requiritur ad probandum in conjugibus impotentiam coeundi.*

2 *Impotentia coeundi in conjugibus, ſi eſt manifeſta, ſtatim diſſolvitur matrimonium: ſecus ſi non eſt manifeſta.*

3 *Viro aſſerenti uxorem cognoviſſe magis creditur, quam uxori neganti.*

4 *Impotentia ſignis dubiis exiſtentibus, non ſtatim devenitur ad diſſolutionem matrimonii.*

5 *Impotentia coeundi apparere poteſt ex ſignis externis apparentibus in membris virilibus.*

6 *Impotentia coeundi in viro non probatur ex eo, quod per horas jacuerit cum muliere, & illam cognoſcere non valuerit.*

7 *Impotentia coeundi in conjugibus, ut dirimatur matrimonium, debet eſſe naturalis, perpetua, & inſanabilis.*

8 *Frigidus & impotens, naturaliter non putatur qui ad copulam anhelans, eam non perficit, ſed virgam ſæpius arrigit, & emittit ſemen.*

9 *Sententia non eſt præcipitanter ferenda in his quæ concernunt periculum animæ.*

10 *Obſtetricum relatio, quod mulier ſit virgo, fallax eſt.*

11 *Cohabitatio triennalis præfigitur conjugibus ad experiendam potentiam coeundi, licet per aliquod jam annos antea cohabitaverint.*

12 *Cohabitationis terminus præfigitur conjugibus ad experiendam potentiam coeundi judicis arbitrio.*

13 *Cohabitationis ratio, & modus ſtatuenda ſunt à Judice, quando eſt faciendæ experientiæ potentiæ coeundi, ne alter ex conjugibus damnum aliquod patiatur.*

DECISIO XIV.

PEtente muliere diſſolutionem Matrimonij ob Viri impotentiam, niſi hujuſmodi impotentia per juſtum judi-
1 cium fuerit priùs probata, certum eſt deveniendum eſſe ad cohabitationem triennalem, & probationes impotentiæ, de quibus agitur *in cap. laudabilem, de frig. & maleſic.* ubi de hoc eſt textus clarus, & Gloſſ. aperte notat Innoc. *in cap.* 7. *dict. tit. & ibi* Anton. à Butr. *verſ. quod ſi velit probare ſe Virginem*: & in *dicto cap. laudabilem, num.* 9. *&* 17. *& ibidem* Abb. *circa fin. verſ. & ideò intellige quæ ſequuntur*, & alii communiter, concludentes, quod aut impotentia viri conſtat per
2 ſigna evidentia, potà quia caret genitalibus; aut habet membrum virile ſiccum aut aridum, aut quid ſimile, & ſuccreſcit ſtatim devenitur ad ſeparationem: aut non conſtat niſi per ſigna æquivoca, & tunc non eſt ſtatim deveniendum ad ſe-
3 parationem, maximè ſi vir, cui in hoc magis creditur, *cap.* 1. *eodem tit.* copulam aſſerat intervenſſe, ſed debet præfigi terminus, in quo conjuges operam copulæ conjugali dantes curent eam perficere.

Quapropter cum in caſu propoſito non adſunt aliqua evidentia ſigna impotentiæ Domini Horatio, cùm Medici
4 ad illum inſpiciendum per Judices in partibus de conſenſu partium electi, dicant ſe in eo reperiſſe partes genitales naturaliter bene diſpoſitas, cum etiam ipſa uxor confiteatur Dominum Horatium aliquantulum erigere virgam & ſemen emittere: ex his ſatis apparet nulla in eo eſſe evidentia ſigna frigiditatis, ſed potius dubia; & propterea non poſſe deveniri ad diſſolutionem, niſi clarior, & manifeſtior probatio impotentiæ afferatur.

Quod manifeſto colligitur ex relationibus eorumdem Medicorum ad id electorum, dum affirmant; difficilè imò impoſſibile eſſe ex ſola partium Veneri dicatarum inſpectione facere judicium de Domini Horatii potentia vel impo-
5 tentia. Si in enim virilibus membris Horatii eſſent ſigna apparentia impotentiæ, vel ob nimiam brevitatem, vel ob aliam quamvis cauſam utique non eſſet impoſſibile nec difficile ex eorum inſpectione de impotentia judicare.

Nec obſtat quod Domini Periti aſſerant pudendum Domini Horatii viſum fuiſſe paulò brevius & gracilius quàm conſueverit de hominibus juſtæ magnitudinis, & propterea neceſſarium eſſe dixerunt facto ipſo de potentia Domini Horatii periculum facere; & ea de cauſa ſolus cum ſola, nudus cum nuda in communi lecto jaceat.

Nec tamen movit Dominos, quod duarum circiter hora-
6 rum ſpatio cum uxore in lecto jacuit, & illam carnaliter cognoſcere non potuit: Quia animadvertebant multas potuiſſe intervenire cauſas, etiam naturales & accidentales, quæ citra naturalis potentiæ defectum illum impedire potuerunt, ne tam brevi tempore veneream opus perficeret, quas latè proſequuti ſunt illi Domini Medici, qui pro Domino Horatio ſcripſerunt: & propterea experientia hujuſmodi non fuit ſufficiens: ut apertè dicit Innoc. *in dict. cap.* 1. *de frigid. ſub. n.* 2 *verſ. item non deficit*: ubi ait non ſufficere, quod per totum diem manſit mulier cùm viro; ſed neceſſe eſſe ut ad minus per menſem manſerit in experientia copulæ cõjugalis.

Addo quod experientia hujuſmodi ficta de Domino Horatio, ubi poſſet aliquo modo aliquid inferre ad ejus frigiditatem, ſeu impotentiam; ſolùm poteſt facere aliquam probationem reſpectu illius temporis, quo factum eſt experimentum, non tamen ex eo concluditur quod talis impotentia ſit naturalis, perpetua, & inſanabilis; & tamen ad hoc
7 ut dirimatur matrimonium, debet conſtare, quod perpetua ſit, & inſanabilis humano remedio: *cap. fraternitatis, d. tit. de frigid. & maleſic.* ubi omnes Doctores, & Abb. *in d. cap. laudabilem ſub num.* 5 ubi dicit, quod cum dubitatur an frigiditas ſit naturalis & perpetua, an verò accidentalis, deveniendum eſt ad triennalem cohabitationem ut ex curſu temporis, cum aliter probari non poſſit, appareat qualis erit; temporalis, an perpetua: quod tamen in caſu iſto nullam videtur habere difficultatem, ex quo etiam ex confeſſione
8 uxoris conſtat, Dominum Horatium aliquantulum erigere pudendum, & ſemen emittere: quo caſu dici non poteſt conſtare de evidenti & naturali frigiditate, quia potius eum, qui ſimili modo ad copulam moveatur, ſemenque emittat, ſed non perficiat copulam, dicit Hoſt. *in ſum. dict. tit. ſub n.* 10. non eſſe naturaliter frigidum: & *numero decimotertio*, dicit hoc caſu, ſi uterque confiteatur, & poſt triennium uxor appareat virgo, poſſe forte matrimonium dirimi.

Ex

Ex his dicebant Domini superfluum etiam fore ad novam Horatii inspectionem, pro qua instabant informantes pro uxore, devenire. Quia tam ex relatione Peritorum, quàm ex confessione puellæ, constat inspectionem nihil conferre ad judicandam viri impotentiam, sed omnino ad experientiam rerum Magistram esse deveniendum: illam autem sufficientem aptamque experientiam fore aiebant, quam Romanus Pontifex in similibus casibus statuisset, ac Sacrorum
9 Canonum Interpretes docuissent; qui omnes uno ore exclamant in re tanta, in qua animæ periculum agitur, præcipitanter non esse agendum; ut dicit Hostien. *in summa dict. tit. num. 13. vers. sed si tudex*: Innocent. *in dict. cap. 1. n. 2.* Abb. *num. 5.*

Neque hujusmodi restitutionem ad cohabitandum ad dictum effectum experiendæ conjugalis copulæ potest impe-
10 dire, quòd puella inspecta ab Obstetricibus fuerit reperta Virgo: Tum quia judicium hujusmodi est fallax, oculusque sæpè fallitur, ut in proposito dicit Innocent. *dict. cap. 1. n. 5.* Tum quia non valet consequentia, *Vxor reperitur intacta, ergo Vir est impotens impotentia naturali, & perpetua, quæ sufficiat ad dirimendum matrimonium.* Nam ad hunc effectum solet dari triennium, ut videatur an interim possint effici una Caro, & matrimonium consummare, ac perficere quod antea non potuerunt: *dict. cap. laudabilem*, ubi Abb *n. 5.* Quod si post triennalem cohabitationem non potuerint matrimonium consummare, tunc breè intrat præsumptio, quod impedimentum sit perpetuum: idem Abb. *in cap. fraternitatis, numero decimoquinto, dict. tit.*

Unde etiam non obstat quod Dominus Horatius undecim
11 mensibus cum uxore cohabitavit, & non potuit illam cognoscere: quia, ut habetur *in cap. 15. dict. tit.* etiam post octo annos, quibus simul conjuges habitaverant, præfixi fuerunt novi, & plures termini ad faciendam experientiam copulæ conjugalis. Quapropter erit etiam in casu nostro præfigendus terminus Domino Horatio & uxori, quo dantes operam carnali copulæ, experiantur si Deo favente simul possint conveniri, & una caro, & unum corpus effici.

Reservarunt Domini videre qualis debeat, ac quantus esse hujusmodi terminus, cùm pluribus in casibus Doctores
12 illum Judicis arbitrio relinquant, & propterea discutiendum erit, an in aliquo ex illis casibus versemur, quo minor triennio sit statuenda cohabitatio: Præterea decernendas etiam
13 erit modus, & locus hujusmodi cohabitationis, ac ratio ineundæ copulæ, perquam sit puellæ cautum, ne à Viri sævitia detrimentum aliquod patiatur.

Senogallien sis fructuum Lunæ 29. Maii 1595.

Coram R. P. D. Seraphino.

SUMMARIUM.

1 *Fructus non residenti non debentur.*
2 *Distributiones quotidianæ non debentur non residenti.*
3 *Distributiones quotidianæ non dantur nisi interventientibus divinis officiis.*
4 *Infirmitas seu corporis necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas excusant à residentia.*
5 *Necessitas corporis ut excuset à residentia, debet esse rationabilis, & talis quòd per alias personas non possit tractari.*
6 *Absens à residentia ob negotium, quod geri potest per procuratorem, non excusatur, nec ei distributiones, vel fructus debentur.*
7 *Infirmitas non excusat appellantem non redeuntem pro apostolis, quia potest appellans illos petere per procuratorem.*
8 *Causa non residendi non sufficit pro excusande non residentem, nisi concurrat licentia Superioris.*
9 *Lis quando sit legitima causa absentiæ, & lucrandi fructus ea durante.*

DECISIO XV.

1 FVit resolutum, fructus non deberi Decano, cùm ei obstet exceptio non residentiæ; ut per Abbat. & Anan. *in cap. conquerente, num. 4. de Cleric. non residente*, cum aliis allegat. *in causa Caurien si coram R. P. D. Orano*, quibus accedit Conc. Trident. *sess. 24 cap. 12. §. præterea.*

2 Quod maximè procedit in distributionibus quotidianis, quæ non dantur nisi interessentibus divinis Officiis; *cap. 1.*
3 *de Cleric. non residentibus, lib. 6* Abbat. *in cap. licet, notab. 4 de præbend.* Gemin. *cons. 85. num. 18.*

Neque obstat excusatio, cum non allegetur infirmitas, 4
neque corporis necessitas, vel ejusdem Ecclesiæ utilitas, juxta
text. *in cap. unico, de Cleri non residen.* Ultra eam quod 5
corporis necessitas debet esse rationabilis, & talis ut dici
possit justum impedimentum, ut per Archidiacon. *in d. cap. 1.*
& Prob. *ibid. num. 25.* quod cessare videtur, ubi negotium est 6
tale, ut possit tractari per alias personas, putà per Procuratores: ut per Bart. *in leg. sed si, §. 1. quibus ex caus. major.* Bal. *in legleos, §. Apostoles, in principio, C. de appell.* Boërius *dec. 43. num. 9.* Aym *consil. 179. n. 9. in fine*, & fuit aliàs dictum *in una Forolivien. fideicommissa 21. Aprilis* 1581. in qua noluerunt Domini ob infirmitatis impedimentum excusare 7
appellantem, qui non redierat pro Apostolis, cum hoc
posset exequi per procuratorem: Requiritur etiam, ut concurrat licentia Superioris, ut fuit decisum *coram Illustrissimo Platto in una Burgensi residentia, 4. Iul. 1686.*

Non obstat quod *in Salamantina censuarum coram me* 8
Lis habita fuerit pro legitima causa absentiæ, & lucrandi
fructus, ea durante: Quia hoc procedit ex eo quod litigabatur contra idemmet Capitulum, quod denegabat dare
fructus Canonico seu Portionario; & ideò non debebat ex
propria contumacia sentire commodum.

Quod verò dicitur de causa criminali: posset forsan haberi pro justa causa; sed hæc non probatur, cum testes, qui
deducuntur, fuerint examinati tulliter in partibus lite in
Curia pendente; & non probant etiam talem criminalitatem
propter quam prohiberetur residere: Et ideò concluſum,
fructus de quibus agitur, non deberi.

Senensis Matrimonii Veneris 17. Maii 1596.

Coram R. P. D. Mantica.

SUMMARIUM.

1 *Uxor tenetur cohabitare cum viro, eique matrimonialia obsequia præstare.*
2 *Matrimonium contrahens dicitur alienare propriam personam, quia non habet amplius sui corporis potestatem.*
3 *Impotentia coeundi non resultat ex impedimento aperitionis mulieris.*
4 *Impotentia, vel frigiditas non inducitur ex impedimento aperitionis mulieris.*
5 *Impotentia coeundi non dissolvit illicò matrimonium, sed debent conjuges cohabitare per triennium, & experiri an impedimentum sit perpetuum.*
6 *Merito asserenti carnaliter cognovisse uxorem credendum est, quamvis uxor contradicat.*

DECISIO XVI.

DOmini, altera parte tantum informante, censuerunt
sententiam Vicarii Archiepiscopi Senensis esse confir- 2
mandam: nam cum sit contractum matrimonium inter
Adrianum de Iulianis & Flaviam de Guidarellis, jure optimo
declaravit eam esse cogendam ad cohabitandum cum Viro,
& obsequia matrimonialia ei præstanda: *cap cum litteras,*
& *ibi* Abb. *num. 7. de restitut. spoliat. cap. 1. de sponsalibus,*
Innocent *in cap ex parte, num 4.* Hostien. *n. 11.* Ant. de Butr.
n. 31. de restit. spol. Raph. Cum. *consil. 1. n. 1. & seq.* Covarr.
in Epitom lib. 4 Decret. 2. part. cap. 7. in principio, quicunque
enim Matrimonium contrahit, dicitur quodammodo pro- 2
priam personam alienare: quia non habet amplius sui
corporis potestatem: *cap. non debet de consanguinitate &*
affinitate, Abb. *in c. 2. n. 21. vers. & puto, de restit. in integrum.* 3
Non obstat impedimentum aperitionis, quod à Flavia
Uxore ei objicitur: quia etiamsi id verum sit, non tamen 4
inducit frigiditatem, vel impotentiam. Præterea quamvis
Marius non possit cognoscere mulierem, non propterea
statim dissolvitur matrimonium, sed debent conjuges coha- 5
bitare per triennium, & interim dare operam, & experiri an
impedimentum sit perpetuum: juxta *cap. laudabilem, de*
frigidis, & malef. & sæpiùs fuit resolutum in Rota; & maximè
coram R. P. D. meo Blanchetto in Bonon separationis.

Hoc amplius in casu proposito, ipse Adrianus asserit se
Dom. Flaviam uxorem suam carnaliter cognovisse, cujus 5
assertioni credendum est; quamvis ipsa contradicat: *cap.*
continebatur, de despons. impuber. cap. si quis acceperit, 33. q. 1.
Innoc. *in dict. cap. ex parte, num 4. in fine*, Ioannes Andreas
num. 9. Anton. Butr. *num. 35. vers. quandocunque probantur,*
de restit. spol. Abb. *in cap. 1. num. 3. de cland. despons.*

Ex his ergo concluſum fuit dictam sententiam esse confirmandam.

Salamantica

Salamantina Coadjutoriæ, Lunæ 20. Iunii 1594.

Coram R. P. D. Penia.

SUMMARIUM.

1 *Coadjutum, ægrotante vel impedito Coadjutore, lucratur distributiones quotidianas.*
2 *Coadjutor datus cum plena potestate, lucratur Coadjuto quidquid ipse lucraretur.*
3 *Coadjutor repræsentat in omnibus Coadjutum.*
4 *Coadjutor, vel Coadjutus lucratur distributiones tempore infirmitatis eius, qui actu ante infirmitatem residebat.*
5 *Distributiones lucratur infirmus, quia per fictionem residere dicitur.*
6 *Fictio non habet locum, ubi non est æquitas.*
7 *Coadiuto excommunicato non lucratur Coadiutor pro eo.*
8 *Excommunicatus, qui non potest lucrari & exercere per se, nec per alium facere potest.*
9 *Coadiutor inservit nomine proprio, quando est impeditus Coadiutus.*
Declara ut num. seq.

DECISIO XVII.

Die Veneris 15. Iunii anni 1593. quando ista causa de consensu partium extra Rotam fuerunt decisa duo dubia, ut apparet ex decisione tunc facta; deinde causa fuit commissa in Rota; & in hac positione obtuli Dominis declarandas duas alias difficultates.

Prior est, an Coadjutore ægrotante, carcerato, vel aliquo alio legitimo impedimento detento, haberi debeat pro præsente, & perinde sit computandus; & lucretur Ecclesiæ emolumenta, sicut computaretur, & lucraretur Antonius Canonicus proprietarius & verus.

Altera est, utrum existente Antonio Canonico proprietario & vero, excommunicato, posset tunc inservire & lucrari Ioannes Coadjutor. 1

Ad Primam Domini affirmativè respondentes pronunciarunt; Coadjutore ægrotante, vel aliàs legitimè impedito, lucrari Coadjutum distributiones quotidianas, aliosque sui beneficii fructus. Cum enim forma Coadjutoriæ sit consideranda, Innoc & Ioann. Andr. *in cap. fin. n 9. de Cleric. ægrotan.* ubi etiam Anchar. *n.* 13. & Imol. *n* 12. & Ioannes Baptista Polancus esset datus Coadjutor Antonio, tam in spiritualibus quàm in temporalibus cum plena, & libera, & omnimoda potestate, consequens erat, ut posset Coadjutor quæ poterat Coadjutus: *cap. in cui, de elect. lib. 6.* Oldrad *consil.* 44. *n.* 2. 2

Sed Coadjutus infirmus, vel corporaliter impeditus, potest lucrari distributiones quotidianas, quas sanus lucraretur si præsens esset, *cap. unico, de Cleric non residen. lib. 6.* ubi Gemnian. *in §. qui verò, notab.* 1. & Probus ad Ioannem Monachum, *n.* 13 & Abb. *in cap. 1. n.* 7. *de Cleric. ægrotan.* & Covarr. *lib.* 3. *var. resol. cap* 13. *n.* 8.

Igitur idem statuendum erat respectu Coadjutoris, qui ex forma Coadjutoriæ in omnibus, & per omnia Coadjutum repræsentabat, cùm in ejus locum esset subrogatus, *l. si cum §. qui injuriarum, ff si quis caution.* 3

Hoc tamen dicebant Domini intelligendum quando sanus divinis interesse solebat, ita ut infirmitas fuisset immediata causa non interessendi: Ioan. Andr. Zabarella & Abb. *in cap. ad audientiam, de Cleric. non residen.* Abb. *in d. cap. 1 n.* 6 *de Cleric. ægrot.* Covar. *practi. loco, vers. 6. hoc ipsum.* 4

Idemque constituendum esse in impeditis quolibet corporali impedimento, censuerunt *in d. cap. unico, de Cleric. non residen. l.* 6. Archidiac. & Ioan. Andr. & Anchar. *not.* 6 & Gem. *in d. §. qui verò, n* 5 & Franch. *n.* 4. & Prob. ad Monach. *n.* 10. & nominatim de injustè carcerato, tenuit Probus ad Monach. *in d. cap. n.* 22. Covarr. *practi. loco*, & Patis *consil* 102. *num.* 4 *l.* 4.

Neque supradictis refragatur, quod dum Antonius Coadjutus esset sanus corpore, & mente: tunc Coadjutore ægrotante, aut legitimo impedimento detento, Ecclesiæ foret deserviendum per Antonium; quoniam formula Coadjutoriæ tollebat difficultatem: nam Papa dederat Coadjutorem Antonio, sive non valenti sive inservire nolenti.

Quod dicebatur de fictione, quod ideò infirmus lucretur distributiones, quia fingitur residere: & propterea fictionem non habere locum ubi non est æquitas: Bartol. *in l. si quis pro empore, n. 6. ff. de usucapion.* Verall. *decis.* 198. *n.* 9 *p.* 2 Ab hac verò facti specie æquitatem abesse, quæ suadere non poterat ut Coadjutor infirmus vel carceratus reputaretur præsens, ad effectum ut Coadjutus sanus, si non inserviret Ecclesiæ, lucraretur. Respondebatur istam non esse juris fictionem, sed infirmitatis, aut alterius legitimi impedimenti excusationem: *cap. 1. de Cleric non residen. lib. 6.* ibi, *exceptis illis, quos infirmitas, seu corporalis necessitas excusaret: & cap. 1. de Cleric. ægrotant.* ibi, *ægritudo sua non debeat impedire.* 5 6

Textus autem *in cap. de catero, de Cleric. non residen.* qui ex adverso ponderabatur, non loquitur de infirmo, sed de sano, & in servitio Episcopi existente, qui propterea Ecclesiæ inservire censetur: quod à themate proposito longè distabat.

Ad aliam difficultatem negativè fuit responsum, Antonio scilicet Coadjuto excommunicato, non lucrari Coadjutorem pro eo: cùm enim in literis Coadjutoriæ diceretur, quod inservire deberet Coadjutor pro Coadiuto, & pro ipso Coadjuto lucrari, inte consequebatur, ut hoc privilegium intelligeretur competere Coadiuto, dummodo esset habilis & capax: excommunicatum autem non lucrari fructus aut emolumenta beneficiorum, explorati iuris est. *cap. pastoralis. §. verum, de appellation.* Rota *decis.* 8. *n.* 10 *de sentent. excommunicat. in antiquis*, Puteus *decis.* 280. *lib* 1. & qui non potest propter excommunicationem per se aliquid agere, neque poterit per alium ad suam utilitatem: ut notant omnes *in cap. finali*, ubi Ioannes de Imola *n* 19. *de Procuratoribus*, & satis esset indecorum, ut alieni propter demerita à communione fidelium & suffragiis Ecclesiæ, per hanc viam de patrimonio Ecclesiæ, cui nolient obedire, alerentur: *cap. commissa, de elect. lib. 6.* Baldus *in cap. 2. in secunda lectura, num.* 12. *de Iudic.* 7 8

Quibus non obstabat quod Coadiutor non ageret nec serviret nomine excommunicati, sed nomine proprio, aut nomine Ecclesiæ, ex traditis per Innocentium *in cap. fin. in fine, de Procurator.* Oldradus *consil.* 44 & Compostellan. *in cap. fin. n.* 17. *de Cleric. ægrotant.* Quoniam Innocentius hoc tantum affirmat, excommunicationem adjuti non nocere Coadjutori, quominus vel suo, vel Ecclesiæ nomine agere possit, & non censet eum quidquam posse lucrari ad commodum, & utilitatem Coadiuti excommunicati, quem sua demerita ab istius commodi participatione meritò excluserunt. 9 10

Romana successionis de Sabellis, seu Romana Restitutionis Dotis Lunæ 27. Maii 1596.

Coram R. P. D. Penia.

SUMMARIUM.

1 *Intentionis sua fundamentum quilibet probare tenetur.*
2 *Nativitas filii probatur per fidem Parochi testantis se illum baptizasse.*
3 *Mors alicujus benè probatur per testes de illa deponentes.*
4 *Superviventia probatur per testes deponentes de obitu alicujus certo tempore, & de vita alterius.*
5 *Filius ut parentibus succedat, satis est quod nascatur vivus, & perfectus, licet statim post parentes moriatur.*
6 *Vita signa quænam sint.*
7 *Vivere is dicitur, qui & motus, pulsus, & vita capacis spiritus est compos.*
8 *Testes non dicuntur singulares, si depositiones eorum tendant ad eundem finem, licet diversimodè deponant.*
9 *Vita alicujus benè acquitur ex signis vitalibus editis post horas viginti quatuor à nativitate.*
10 *Vita evidens signum filii nascentis est superviventia ipsius post matris obitum.*
11 *Cassan. consil. 19. declaratur.*
12 *Clericus dicitur testis integer & qualificatus.*
13 *Subjectus solùm ratione Iurisdictionis, est testis idoneus pro Domino.*
14 *Vassallus habens particulare interesse in causa, potest pro Domino, & contra ipsum testimonium ferre.*
15 *Testes etiam minus idonei admittuntur ad probationem facti, quod non potest per alios probari.*
16 *Partui mulieris homines interesse non solent.*
Declara ut num. 19.
17 *Testibus inverisimilia deponentibus non est credendum.*
18 *Inverisimile habet falsitatis imaginem.*
20 *Testis deponens de vita alicujus, rationem rationis sui dicti reddere tenetur, ut ejus depositio probet.*
21 *Vita infantis ut probetur, non est necessaria vocis emissio, aut ploratus, cum sine istis ex aliis actibus & motibus vita deprehendatur.*

22 *Bald. conſil. 69. lib. 5. declarantur.*

23 *Natus, exſecto matris ventre, ut probetur quod fuerit extractus vivus, quomodo teſtes deponere debeant.*

24 *Natus exſecto matris ventre ut probetur vivus ad effectum rumpendi teſtamentum, urgentes & concludentes probationes requiruntur.*

25 *Filius ſupervivens matri etiam per breve tempus liberat patrem à reſtitutione dotis.*

26 *Partus editus in ſexto, vel octavo menſe non eſt vitalis.*

27 *Allegánti partum non eſſe vitalem incumbit onus probandi.*

DECISIO XVIII.

DOminus Lucius Sabellus anno 1595. uxorem duxerat Dominam Antoniam Cinciam, Domini Franciſci Cincii filiam, cui Franciſcus pater dotem ſcutorum 10. m. numeravit, quam Lucius reſtituere promiſerat ſi Antonina ſine filiis moreretur: cùm verò Antonina die Sabbathi 19. menſis Septembris ejuſdem anni in Oppido Arigani filiam peperiſſet, & mox die ſequenti Antonina mater, & Franciſca filia mortem obiiſſent, & Franciſcus pater prætenderet ſibi dotem reſtituendam, vel quia filia eſſet matri prædefuncta, vel quia non eſſet ætatis legitimæ, ita ut quamvis matri ſuiſſet ſuperſtes, nihilominus tamen pro non nata habenda foret:

1 Contrà autem Lucius Antoninæ maritus probare conaretur, nempè filiam matri ſupervixiſſe, hoc enim erat ſuæ intentionis fundamentum, cujus propterea ad ipſum pertinebat probatio, Paulus de Caſtro *conſ. 101. n. 1. lib. 2.*

Dubio propoſito an conſtaret de ſupervenientia Franciſcæ filiæ, ita ut eſſet, vel non eſſet factos locus dotis reſtitutioni, utraque parte informante, ex his quæ nunc ponebantur, Rota cenſuit de ſuperviventia filiæ ad prædictum effectum dotis non reſtituendæ conſtitiſſe.

2 Primum enim, puellam fuiſſe natam vivam & Sacro Baptiſmatis fonte ablutam docebat fides Baptiſmi, de quo primus etiam teſtis aſſerebat dicens ſe vidiſſe baptizari puellam, & ſecundus teſtis, qui erat Parochus, fatebatur quoque ſe illam baptizaſſe, & *Franciſca* nomen impoſuiſſe: ad text. *in cap. nam. & ego de verbor. ſignificat.*

Antoniam Matrem mox die Dominico ſequenti 10. Decembris obiiſſe teſtificabantur primus & tertius teſtis, aſſerentes illam vita functam fuiſſe die Dominico eadem hora, qua, die antecedenti, filiam pepererat; & poſt obitum populo de more vocato cadaver fuiſſe delatum ad Eccleſiam Arignani, & traditum Sepulturæ, probabant conformiter omnes teſtes.

4 Quod autem Franciſca filia ſupervixiſſet matri, qui erat potiſſimus cauſæ articulus, hac ratione informantes pro Lucio probare nitebantur. Nam primus teſtis *juxta ſeptimum* dicebat ſe poſt obitum Antoninæ; ab aula in qua depoſitum fuerat illius cadaver, poſt duas, vel tres horas receſſiſſe, & ſe contuliſſe ad locum vocatum; *la Cucina picciola*, ubi Franciſca à mulieribus cuſtodiebatur, ibidémque illam vivam & ſe moventem vidiſſe, & tetigiſſe.

Idem deponebat Parochus ſecundus teſtis, qui dicebat ſe commendaſſe Deo Animam Antoninæ donec expiravit, & paulò poſt, cùm iturus eſſet ad Eccleſiam tranſiviſſe per eumdem locum, ubi erat puella, quam viderat moventem labia, caput, & viventem. Tertius quoque teſtis conſentiebat dicens ſe in prædicto loco vidiſſe puellam viventem, & caput moventem, & inſinuantem velle plangere, quia ediderit motum quendam inſtar plangere volentis.

Atque ex his pronunciavit Rota puellam per aliquod horas ſupervixiſſe matri, cùm tamen ad effectum ſucceſſionis ſatis ſit vivam & perfectam naſci, quamvis ſtatim poſt matrem moriatur: *l. uxori, l. quod certatim, Codic. de poſthum. hared. inſtituen.* Dec. *conſ. 623. num. 1.* Franciſcus Marcus *deciſ. 169. p. 2.* Batholom. Capola *conſilio civili 50. incipien. In cauſa qua vertitur: num 8.* Baldus *in l. 1. §. in noviſſimo, C. de caduc. tollend.* & dicit communem Urſillus apud Afflict. *deciſ. 236.*

6 Vitam autem illius puellæ colligebant Domini ex actibus & ſignis, quæ nonniſi per viventes exerceri ſolent: qualia ſunt motus capitis, & labiorum, & inſinuatio voluntatis ſtendi, de quibus deponebant teſtes: ex his enim motibus intelligebatur, puellam naturaliter habuiſſe veras vitæ functiones;

7 cùm eum viventem intelligere oporteat, qui & motus, & pulſus, & vitæ capacis ſpiritus eſt compos, atque etiam ſenſus, ut optimè explicat Joannes Brechæus *in leg. qui mortui, num 2. & ſequent. ff. de verbor. ſignificat.*

Quibus non videbantur obſtare deducta per informantes

8 pro Franciſco Cincio, & primùm, quod teſtes eſſent ſigulares, ex quo non omnes ſimul, ſed unus poſt alium viderat iſta vitæ ſigna, ut de illis teſtificabatur. Nam ex quo omnia iſta ſigna tendebant ad unum, & eundem vitæ finem probandum, non dicebantur ſingulares: Cæpol. *dict. conſil 30. n. 4. verſ. tam ex quo iſta omnia.* Bartol. *tractat. de teſtibus, n. 36.* Cravet. *conſil. 73. num. 33.* Gabriel. *tit. de teſtibus, concluſ. 2. num. 46.*

Et eo potiſſimùm nomine iſta ſigna vitam puellæ arguere videbantur, quia nedum dicebantur edita per aliquot horas poſt partum, ſed etiam poſt 24. horas & amplius, cùm mater probaretur defuncta uno die præcedente poſtquam pepererat. & puella per duas vel tres horas poſt mortem matris à teſtibus eſſet conſpecta edere ſupradictos vitæ actus & motus: atque ita etiam putabatur potuiſſe reſponderi ad

11 Caſſaneum *conſil. 19. incip. Nobilis Dominus, dub. 5. n. 16. & ſeq.* ubi licet requirere videatur evidentiora vitæ ſigna; non obſtat, quia videtur loqui in eo, qui non multo tempore poſt partum mortuus fuit.

Rurſus non obſtabat, quod iſti teſtes eſſent vaſſalli, & ideò non probarent pro Domino Lucio: quia præterquam quod

12 duo ex illis non ſubjacebant illius dominio, & ex ipſis alter eſſet Clericus, nempe Parochus. & ſic integer, & qualificatus;

13 tertius ſolum ratione iuriſdictionis erat ei ſub ectus, & ſic teſtis idoneus pro Domino: Afflict. *deciſ. 304.* Gabriel. *de teſtib. concl. 10. n. 11.* idonei etiam putabantur, ex quo non habebant in cauſa aliquod intereſſe, nec particulare, nec univerſale; quo caſu teſtis Vaſſallus idoneus eſſe cenſetur ad ferendum teſtimonium pro Domino, vel contra Dominum: Chiſanenſ. *deciſ 189 incip. Teſtes ſi ſunt ſubditi*: & fuit reſolutum coram me *in cauſa Farfen. Villa Caprola, die 12. Februarij 1593. & in una Spoletana bonorum, die 18. Maij 1590.*

Quibus accedebat, quia verſabamur in facto quod non facile proferat probari niſi per famulos, vel vaſſallos, quo caſu

15 admittuntur teſtes aliàs minus idonei: *cap. veniens, ci. 1.* ubi Felin. *n. 11 de teſtibus*: Marſil. *ſingulari 73. incip. plures ſunt.* Gabriel. *de teſtibus, concluſ. 7. & 10. n. 33.*

Ad illud quod teſtes loquerentur inverisimilia, dum dicebant ſe vidiſſe Antoninam parturientem, & illius etiam eru-

16 ra, quibus intereſſe homines non ſolent, & ideò iſtis teſtibus

17 non fuiſſe fidem dandam, cùm inverisimile imaginem ha-

18 beat falſitatis: Socin. junior *conſilio 86 numero 42. libro 2.*

Reſpondebatur conſiderata qualitate facti, & oppidi, iſta,

19 non videri inverisimilia in tanta præſertim rerum perturbatione, ubi Domina erat in graviſſimo vitæ periculo, quod primus teſtis ſatis explicuit dicens: *Che ſi haveva poca cura al reſto perche il Signor attendeva à ſalvar la vita della Signora.* Itaque non erat multum mirandum, ſi & magna populi multitudo conſluetet, & indiſtinctè in cubiculum, ubi Antonina laborabat, ingrederetur.

Præterea non obſtabat dicere, quod nullus ex teſtibus aſſerebat vidiſſe puellam vocem emittentem, nec reddebat ra-

20 tionem rationis, prout videtur requirere Baldus *conſil. 69 incip. Factum tale eſt, lib. 5.*

Quia dicebatur primò ad probandam vitam infantium

21 non eſſe neceſſariam vocis emiſſionem, aut ploratum; cùm ſine iſtis ex aliis actibus & motibus vera vita deprehendatur: ut explicat Joannes Brechæus *in d. leg. mortui, n. 2 & ſeq. ff. de verbor. ſignificat.* & tenet Bartol. *in leg. quod dicitur, n. 2. ff. de lib. & poſthumis.*

Secundò conſiderabatur, cauſam, ſuper quo conſuluit

22 *Bald.* longè differre ab hac facti ſpecie: nam Baldus loquitur in eo, qui fuerat extractus de ſecto matris ventre, & quatuor teſtes dicebant faiſſe extractum mortuum, & deponebant de viſu reddentes rationem, quia puer nullum actum viventis fecerat, duo verò teſtes dicebant puerum fuiſſe ex-

23 tractum vivum, & reddebant rationem per viſum; ſed non reddebant rationem rationis, verbi gratia, quod audiverint vocem pueri, ſed ſolùm dicebant quod viderant puerum moventem labia & brachia, & aſpirantem & reſpirantem: ideo *Bald.* prudenter conſuluit illos duos teſtes deponentes de vita illius pueri, non probaſſe niſi reddidiſſent etiam rationem rationis, cùm quatuor teſtes conformiter deponerent de non vita pueri.

Rurſus animadvertebatur, quod in his qui ſecto matris

24 ventre extrahuntur, ad effectum ut rumpant teſtamentum, vel aliquam diſpoſitionem inducant, ex eo quod aſſerantur vivi extracti, majores, & urgentiores probationes videntur requirere Doctores; ut Alciatus, Brechæus, & alij indicant *in prædicta leg. qui mortui, ff. de verbor. ſignificat.*

Sed in caſu propoſito iſtæ duæ qualitates, quæ intervenerant in caſu Baldi, abeſſent nam neque puella fuerat extracta de exſo matris utero, neque teſtes aliqui deponebant illam editam fuiſſe mortuam.

Atque ex ſupradictis fuit concluſum ex his quæ proponebantur, extitiſſe probatum, puellam ſupervixiſſe matri, & ei

25 poſtmodum decedenti Lucium Patrem ſuccedere debuiſſe; ita

ut non foret locus restitutioni dotis : iuxta opinionem Martini *in leg. dos à Patre, C. solut. matrim.* Thesaur. *dec.* 190.

26 Nam illa controversia quam excitaverint informantes pro Francisco Cincio, quod licèt puella nata esset visa, cum tamen non esset vitalis, non poterat impedire dotis restitutionem : ad quod probandum allegabatur Epistola Domini Lucij : quæ non erat huius speculationis ; cùm in hoc articulo solùm quæreretur de puellæ superviventia ; unde cùm esset nata viva, præsumitur illam natam tempore idoneo, & habili ; & propterea Francisco, qui allegabat defectum temporis, & asserebat natam in sexto, vel octavo menses, & sic vivere non potuisse, iuxta *decisionem* Afflict. 236. & tradita per Tiraquell. *in l. si unquam, in verbo, susceperit liberos, n.* 205. *C. de revocand. donat.* incumbere onus probandi : Decius *d. cons.* 623. Boërius *dec* 220. *in fine*, Bursat. *consilio* 63. *n.* 23 Aleiat. *cons.* 13. *n.* 5. *tom.* 3. *libro* 9. cum aliis allegatis per Menochium *dict. præsumpt. libro* 6. *præsumpt.* 52. Et de hoc articulo particulariter fuisset agendum.

Romana Societatis Mercur. 10. Decembris 1597.

Coram R. P. D. Lancellotto.

SUMMARIUM.

1 *Nominandi facultatem habens infra certum tempus, potest eo durante quandocunque nominare.*
2 *Injuriam nemini facit qui iure suo utitur.*
3 *Dolus considerari non potest in eo qui utitur iure suo.*
4 *Nominatio periculi vitæ facta à graviter ægroto, qui facultatem nominandi habebat, non dicitur dolosa & in fraudem.*
5 *Infirmitas an sit periculosa vel ne, Medici iudicio standum est.*
6 *Infirmitas verisimiliter non creditur periculosa quando ægrotans non est confessus sua peccata.*
7 *Translatio periculi vitæ si fiat ab eo, qui de morte non dubitat, fraudulenta dici non potest.*
8 *Translatio periculi vitæ facta ab eo qui mortis timorem non habebat, non dicitur fraudulenta, licet realiter lethali morbo laboraret.*
9 *Infirmitas periculosa per se non est sufficiens ad inducendam suspicionem fraudis in translatione periculi vitæ, nisi alia concurrat coniectura.*
10 *Mors imminens arguit potius desiderium salutis, quàm cognitionem fraudis.*
11 *Fraus nec dolus probatur ex eo quod fiat translatio periculi vitæ ne pecunia amittantur.*

DECISIO XVIII.

Die 14. Februarij præsentis anni 1598. mira fuit societas scutorum 2500. ad favorem bon. mem. Reverendi Patr. Domini Riccij super periculo vitæ personæ, seu personarum in ratificatione dictæ Societatis infra 15. dies nominan. & interim periculo vitæ eiusdem R. P. D. Riccij in forma.

Eadem die officialis mandavit dictas pecunias solvi Domino Equiti de Crescentiis, qui eas deinde recepit.

Die 21. eiusdem mensis, D. Riccius ratificando Societatem nominavit periculum vitæ Illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Aldobrandini, & demum die 26. ex hac vita migravit.

Verùm quia dubitatur an dictus Eques talem Societatem lucratus fuisset, ex quo D. Riccius tempore nominationis graviter ægrotabat, & post quatuor dies decessit, ita ut nominatio non sustineretur tanquam facta in fraudem Domin. Equitis : Ideo dubio huiusmodi per me in Rota proposito, Doctores censuerunt non esse locum lucro pecuniarum.

1 Quia cùm Dominus Riccius ex pacto haberet facultatem nominandi infra 15. dies poterat Durante illo tempore quandocunque nominare : *leg. quod iussi, Digestis, de act. &*
2 *oblig. leg. stipulatio ista, inter certam. ff. de verb. oblig.* & qui iure suo utitur nemini iniuriam facit : *leg iniuriam, ff. de iniurijs, c. cum Ecclesia, de elect.* Neque in eo dolus considerari
3 potest, *leg. nullus, ff. de iniur. c. cum Eccles. de elect.*

4 Nec obstat quod cum nominatio ab ipso graviter ægrotante facta fuerit, dicatur facta dolo, & in fraudem Domin. Equitis, per ea quæ tradunt Canonistæ *in capit. 2. de renunciat. in 6.* & Legistæ *in leg filiæ ff. de solut. matrimon.* Quoniam fuit responsum quod nullus ex testibus deponit, quod D. Riccius dubitasset de sua salute, vel sciret infirmitatem
5 esse periculosam ; imò Medicus, ad cuius iudicium recurrendum esse dicit Anton. *cons.* 388. *num.* 2. Secundus præterea contrarium deponit : & Tertius deponit se non credere quod unquam de tali periculo fuerit certioratus ; quod etiam est valde verisimile ; cùm ante nominationem peccata 6
sua non fuerit confessus, & tamen ad hunc effectum deberet probari ejus scientia : nam cùm nominatio ab ipso facta 7
fuerit, non potest considerari fraus, si ipse de morte non dubitabat ; & in hoc attenditur potius ejus opinio quam veritas : *l. si qui parat, ff. de acquir. hæreditat. leg. quo loco*, §. 1. ubi Imol. *ff. de hæredib. instituend.* Aymon. *consil* 88. *num.* 15. & hoc videtur fuisse de mente D. D *in causa Romana Societatis* 20. *Junii* 1583. *coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto.* 8
in contrarium allegatorum : ubi *in fine* fuit dictum quod licet de illa infirmitate dicta Clarix decesserit, tamen constitit, quod tempore factæ nominationis ipsa non habeat infirmitatem pro tali, ut ita de facili potuisset mori.

Secundò fuit dictum, quod sola infirmitas non est sufficiens ad inducendam suspicionem fraudis, nisi cum illa con- 9
curtant aliæ conjecturæ : Ægid. *decis.* 344 Rota *in antiquis, decis.* 2. *de præsumpt.* & ita loquuntur Doctores *in dict. cap.* 2. *de renunciat. in* 6. ut declarat *ibi*, C. min. *sub num.* 5 Joan. Andr. *in fine*, Ancharanus *dict. consilio* 388. *numero tertio*, Sarnens. *in reg. infirm. quæstione* 19. *numero* 2. Decius *in cap. præsent. numero* 209. *deprobat.* & hanc esse communem opinionem testatur Paris. *consilio* 13. *num.* 68. *& cons.* 14. *n.* 35. *& seq. vol.* 1. Gabriel. *de legitimat. con.* 1. 2. *numero* 59. 10
Bursattos *consilio* 40. *num.* 63. *&* 70. nam immixtio mortis arguit potius desiderium salutis quam illius fraudis cogitationem : not. Doctores *in leg. sed & quæsitum, ff. de liber. & posthum.*

Neque fraus probatur ex eo, quòd nominatio fuerit facta, ne pecuniæ amitterentur ; neque ex hoc potest allegari 11
dolus, cùm facultas semper reservàtur ad effectum ponendi pecunias in capite alterius, de cujus longa vita magis confidendum sit, alias sequeretur, quod neque ab infirmo levi infirmitate possit fieri nominatio, cùm & in illo casu fiat ad hunc effectum, & tamen hoc ab omnibus admittitur.

Non obstante decisiones coram Illustrissimo Domino Blanchetto de annis 1581. & 1583. in causa Romana Societatis : Quia de illo tempore nominatio poterat fieri quandocunque, hodie verò cùm sit restricta ad 15. dies, est diversa ratio, nam tunc poterat differri nominatio usque ad periculum mortis, & sic cessaret periculum mortis quod facit contractum licitum : quod hodie cessat, stante brevissimo tempore 15. dierum, quo elapso, non potest amplius fieri nominatio, &c.

Romana Redhibitionis Librorum, Mercurii 2. Junii 1599.

Coram R. P. D. Mellino.

SUMMARIUM.

1 *Redhibitoria utilis datur etiam in libris quando propter vitium latens expedit eos non habere, vel multum impeditur eorum usus.*
2 *Quando vitium latet, generalis protestatio, Talis qualis est, non relevat : sed necessaria est expressio in specie, Declara ut num.* 3.
4 *Ignorantia vitii rei venditæ non præsumitur in venditore, sed potius scientia.*
5 *Verba dubia contractus venditionis declarantur ex quantitate pretii.*
6 *Redhibitoria datur in totum, quando libri sunt venditi unico pretio, & unus sine alio manet imperfectus.*
7 *Redhibitoria non datur emptori scienti vitium.*
8 *Redhibitoria cessat quando vitium supervenit.*
9 *Tempus sex mensium præfinitum redhibitoriæ currit à die scientiæ.*
10 *Redhibitoria non habet locum quando vitium est medicum.*

DECISIO XX.

PLacuit Dominis Votum Reverendi Patris Domini mei Decani alias datum in hac causa tunc pendente coram Reverendo Patre Domino Ala : & ideo concorditer resolverunt quod sit locus Redhibitoriæ utili, quæ habet locum etiam in libris in quibus licèt non concurrat qualitas morbosi, vel vitiosi, propter quam datur emptori Redhibitoria directa ; tamen si propter vitium latens expediat eos non habere, vel multum impediatur eorum usus, competit Redhibitoria utilis : Gloss. *in l. 1. Digestis, de ædilit. edict.* Azo *in Summa, Codic. de ædilit. edict. num.* 6. Odofred. Alber. & Baldus *numero* 5. *in leg. ultima, Codic. eodem tit.* Aret. *in* §. *ultim. num.* 2. *Institut. de susp. tut.* Et ista opinio est communis,

munis, ut per Anton. Gomez. *var. reſol. libro 2. c. 2. tit. de empt. & vende num. 48.*

Et ideo cum iſte liber fuerit emptus pro pretio ſatis notabili ſcut. 2105. ad effectum ut typis excudi retur, pro uſu Eccleſiarum, & ex depoſitione peritorum & teſtium, & ex decreto Sacræ Congregationis Rituum conſtet eſſe ita referta erroribus & varietatibus, ut imprimi non poſſit, & ſic non poſſit ſervire ad uſum deſtinatum, bene intrat ſupradicta communis opinio, quod ſit locus utili Redhibitoriæ.

2 Non obſtat quod liber fuit venditus *talis, qualis eſt.* Quia vitium non erat tale, ut ab emptoribus poſſet facilè cognoſci, cùm pro eo detegendo, neceſſarium fuerit adhibere Peritos, qui præcedente diligenti diſcuſſione retulerunt librum continere errores & varietates. Et quando vitium non apparet, generalis proteſtatio non relevat, ſed neceſſaria eſt expreſſio in ſpecie: Baldus *num 4* & Salicet. *num. 2 in leg. 1.*
3 *Codic. de adilit. act.* Et licèt hoc procedat ſolùm in venditore ſciente vitium, & non in ignorante, in quo caſu ſufficit generalis proteſtatio, ut per Bald. *in d. l. 1. n. 4.* & Veronenſ.
4 *in l. 1. §. cauſa, ff. eod.* Tamen ignorantia non probatur, & ſcientia qualitatis rei præſumitur in venditore, ut benè deducunt informantes; Præſertim cùm etiam concurrant conjecturæ ſcientiæ.

Præterea dicebant Domini, quod illa generalis proteſtatio debet intelligi ultra expreſſa, & ſic quando venditur liber talis, qualis eſt compoſitus vel correctus & reformatus à Ioan. Petro Aloyſio de ordine S. Mo Greg. XIII. quod eſt falſum quantùm ad *Sanctuarium*, quod non fuit ab eo compoſitum, nec correctum, ut Periti teſtantur; & ideo generalis proteſtatio venditori non ſuffragatur. Et licet fuerit appoſitum verbum, *ut dicitur*; tamen fuit appoſitum ad effectum, ut venditor ſe non reſtringeret ſolùm ad compoſitionem factam à Ioanne Petro Aloyſio, ut etiamſi ab eo non eſſet liber ille compoſitum, ſufficeret quod eſſet correctus & reformatus, & non ad effectum reſtringendis, ut liber talis, qualis eſt, intelligatur venditus; & quod non ſit compoſitus, neque correctus, & reformatus; quia hoc repugnat intentioni contrahentium quæ fuit ut liber imprimeretur. Quod etiam colligitur ex quantitate pretij, ex qua declarantur verba dubia contractus venditionis.
5

Non obſtat, quod *Graduale de tempore*, eſt correctum: quia venditio eſt facta unico pretio, & emptores non emiſſent *Graduale* ſine *Sanctuario*, cùm unum ſine alio ſit opus imperfectum, & non afferens tantam utilitatem emptoribus,
6 quantam attuliſſet ſimul cum alio. Ideo datur Redhibitoria in totum: *leg. cum ejuſdem. & leg. adiles 2. §. ultimo, ff. de adil. edict.* Baldus & alij *in l. ſi prædium, C. de adilit. act.*

7 Non obſtat quod Redhibitoria non datur emptori ſcienti
8 vitium: *leg. 1 §. ſi intelligatur ff. de adilit. edict.* Quia iſta ſcientia non probatur, & eſt multum inverſimilis cùm fuerit emptus Liber, uti compoſitus, vel correctus: pro tanta ſumma, ad effectum ut imprimeretur.

Non obſtat alia limitatio, quod Redhibitoria ceſſat, quando vitium ſupervenit: quia eſt vera in jure, ſed non applicatur, cum Liber tempore venditionis eſſet in eodem ſtatu.

9 Non obſtat quod tempus ſex menſium præſtitutum Redhibitoriæ expiravit: quia curit à die ſcientiæ, *leg. cum ſex, ff. de adilit. edict.* Gloſſ. *in l. cùm proponas, in verſ. ſex menſium, C. de adilit. act.* & ut dictum eſt, iſta ſcientia non probatur, neque præſumitur.

Non obſtat demum, quod Redhibitoria non habet locum
10 quando vitium eſt modicum: Quia vitium eſt magnum, cùm Liber non ſit talis, ut imprimi poſſit, &c.

Bononienſis Bonorum de Muletis, Mercurii 17. Junii. 1602.

Coram R. P. D. Pamphilio.

SUMMARIUM.

2 *Proximior venit eligendus, ſi inter illos de parentela, ex quorum numero ſit facienda electio, plures concurrant habentes qualitates requiſitas à Teſtatore.*

1 *Proximitas gravati, vel gravantis an ſit attendenda, eſt quæſtio valdè controverſa inter Doctores, ita ut vix dignoſci poſſit quanam opinio ſit magis communis.*

3 *Proximitas gravati eſt attendenda ſecundùm opinionem magis communem.*

4 *Conjecturæ adminiſtrantur ad dignoſcendam an ſit attendenda proximitas gravati, vel gravantis.*

5 *Teſtator vocans ſimiliter proximiores de parentela, cen-*

ſetur intelleciſſe de proximiore gravati.

6 *Teſtator qui ſuam diſpoſitionem dirigit ad tempus remotiſſimum, non eſt veriſimile quod in ea voluerit comprehendere illos qui veriſimiliter non poterant adeſſe de tempore purificati fideicommiſſi.*

7 *Proximitas Teſtatoris attenditur in primo inſtituto tanquam proximiore; eo verò admiſſo gravati proximitas attendenda venit.*

8 *Teſtator inſtituens extraneos in defectum propria linea; vocaſſe cenſetur omnes de linea, natos etiam, & conceptos diu poſt mortem ſuam.*

9 *Et etiam illos, qui nullo modo poterant Teſtatori ab inteſtato ſuccedere.*

10 *Præferendus venit in electione is qui eſt de dilectis Teſtatoris.*

11 *Directio Teſtatoris elicita à teſtamento plurimum operatur ad effectum ut dilectus in electione præferatur.*

12 *Affectio major cadit in illis de parentela, quam in extraneis.*

13 *Voluntas Teſtatoris præſumitur talis qualis fuit per hæredem declarata.*

14 *Hæres poteſt dubiam Teſtatoris voluntatem declarare.*

15 *Proximior gravati qui ſit ejus hæres præfertur in ſucceſſione feudi.*

16 *Proximior ultimo defuncto præfertur in renovatione emphyteuſis, quia ſit ex æquitate, l. 1. ff. de aqu. quotid. & æſt.*

17 *Reus & poſſeſſor in dubio venit ab impetitis abſolvendus.*

18 *Vinula duo magis quàm unum ligant.*
Declara ut num. 19.

20 *Teſtator mandans eligi unum Doctorem de familia ad ſucceſſionem, poteſt eligi Doctor etiam minùs proximior, relicto proximiori.*
Declara ut num. 21.

22 *Doctor junior ſeniori regulariter eſt minùs excellens.*

23 *Juvenis in Civitate Bononia recipitur pro vire ſecundùm communem uſum loquendi.*

24 *Senex dici non poteſt is qui quinquageſimum annum non excedit.*

25 *Senex an quis dicendum ſit, Judicis arbitrio relinquitur.*

26 *Qualitas in una parte diſpoſitionis adjecta non cenſetur repetita in alia.*

27 *Qualitas uni nominato adjecta non cenſetur repetita in aliis poſtea nominatis.*

28 *Qualitatis receptio ceſſat ratione evitandi abſurdum.*

29 *Electionis indignum, ad ſuccedendum reputatur is qui conſenſit alienationi bonorum Teſtatoris.*
Declara, ut num. 30. & ſeqq.

31 *Caduciatem non incurrit is, qui conſenſit alienationi in caſu permiſſo à Teſtatore.*

32 *Conſentiens non ſibi præjudicat in juribus futuris.*
Amplia ut num. 33.

34 *Hæres gravati an & quando poſſit avocare bona fideicommiſſoria alienata ab ipſo gravato.*

DECISIO XXI.

IN cauſa Bonon. electionis de Muletis, in qua quatuor adſunt competitores omnes de parentela, & legum Doctores, videlicet Annibal Hercules ſenior, & Hercules junior de Mareſcottis, & Ioannes Venentus, poſt reſolutiones factas, quod teſtator ſenſerit de utraque parentela, tam ſua, quàm hæredis gravati; & quod electio facta de perſona Annibalis, non ſuſtineatur: Dubitavi quis eorum ſit præferendus: Et Domini ſupradicta die reſolverunt Ioannem eſſe præferendum.

Suſtituit enim Ambroſius teſtator, deficiente linea maſculina de Muletis ultimo decedenti unum probum, modeſtum ac motigeratum juvenem & legum Doctorem Bonon. à Rectoribus & Prioribus deputatis eligendum. Et deinde ſubjunxit, *& ſi aderis aliquis legum Doctor, qui ſit de parentela, is præferatur, & eligi debeat.* Cùm autem in hoc caſu adſint plures legum Doctores de parentela, utique debet eligi proximior. & conſequenter præferendus eſt Ioannes qui cæteris eſt proximior: *leg. cùm ita, §. in fideicommiſſo, ff. de leg. 2. leg. fin. C. de verb. ſignific.* Abb. *conſ. 51. n. 5.* 1

Neque obſtat quod iſta major proximitas non ſit reſpectu teſtatoris, vel gravati, ita ut vix dignoſci poſſit, quænam ſit magis communis opinio, ut patet ex allegatis per Illuſtriſſimum Mantic. *de conject. ultim. voluntat. lib. 8. t. 12. n. 30.* & Peregrin. *de fideicom. art. 20.* qui tamen *n. 3.* dicit magis communem eſſe quod attendatur proximitas gravati: quod etiam dixit Rota *coram Robuſterio in illa Bonon. de Brois, ſub die 5. Maii 1574.* ubi *ſub n. 3.* fuit dictum, hanc opinionem eſſe 2 iam veriorem.

In caſu de quo agitur, viſum fuit Dominis eandem opinio- 3

4 bem omninò eſſe attendendam ex pluribus conjecturis, quæ hic concurrunt, & ſolent attendi in hac materia: Socin. *conſ.* 249. *num.* 14. *lib.* 1. Hier. Gabr. *conſ.* 86. *n.* 17. & *conſ.* 107. *n.* 8. *lib.* 1. & tenuit Rota *in d. cauſa Bonon. n.* 4.

5 In primis enim quod teſtator in hoc perpetuo fideicommiſſo ſimpliciter vocavit Doctorem de parentela: abſque expreſſione de qua ſenſerit; & ſic conformando ſe cum diſpoſitione Juris communis cenſetur intellexiſſe de proximiore ipſius gravati, juxta ordinem, quo ab inteſtato de jure communi ſuccederet ſecundum terminos *dicti* §. *cùm in fidei commiſſo*, & *d. l. fin. Cod. de verb. ſignificat.* Socin. jun. *conſ.* 126. *n.* 12. *lib.* 1.

6 Præſertim quod, ut patet ex lectura teſtamenti: teſtator non cogitavit tam cito defecturam ſuam deſcendentiam; & cùm cogitationem direxerit ad longum tempus non eſt veriſimile quod voluerit præferre illos, quos incertum erat de illo tempore extitutos, & propterea Molin. *lib.* 3. *de primogen. Hiſpan. cap.* 9. *num.* 18 dixit, proximitatem teſtatoris 7 attendi in primo, qui tanquam proximior ſit vocatus: Eo admiſſo attendendam eſſe proximitatem gravati: quod etiam aſſerit Tiber. Dec. *conſ.* 64. *n.* 6. *lib.* 2. qui alios allegat.

8 Suadetur hoc etiam ex eo, quod teſtator deficiente linea de Muletis, inſtituit eligendos de Priore deputatos, prohibendo eis ſic electis omnem alienationem causâ conſervandi bona ſua in perpetuum inter electos, & eorum deſcendentes, & ſic dicitur vocaſſe eos etiam, qui diu poſt mortem ſuam concepti, & nati eſſent: *d.* §. *in fideicommiſſo*, ubi 9 Gloſſ. & Doctores: Et etiam illos, qui nullo modo poterant teſtatori ab inteſtato ſuccedere: *l. lege* 12. *Tabul. Cod. de leg. hared.* quo fit ut non poſſit cenſeri conſiderata prioritas in ſuccedendo ab inteſtato ipſi teſtatori, ſed potiùs ſucceſſio gravati, & non fuerit habita ratio perſonarum, ſed ſucceſſionis ſanguinis Muleti, ita ut fideicommiſſum tranſeat de uno in alium, ſecundùm ordinem ſucceſſionis ab inteſtato Socin. *d. conſ.* 249. *ſub num.* 21. *verſ.* 14. *lib.* 2. & *conſ.* 86. *n.* 11. *in fine cum ſeq. lib.* 3. & hoc fuit ponderatum à Rota *in dict. cauſa Bonon. n.* 5.

10 Concurrit etiam particularis affectio, quam habuit teſtator erga familiam de Venentibus, ex quo de illa deputavit ſuos executores, & illos nominavit in teſtamento, Abbas *in cap. Quoniam, il primo, num.* 8. *verſ. ad idem, de offic. deleg.* Marzar. *conſ.* 28. *num.* 44. & 45. ubi quod hæc dilectio teſta- 11 toris præſertim elicita ex teſtamento plurimum operatur ad effectum prælationis: *leg. cùm avus*, *ff. de condit.* & *demonſtrat.* Socin. *in leg. quæ conditio* §. 1. *ff. eodem tit.* Aym. *conſ.* 62. *num.* 8. Et licèt Venentes de tempore teſtamenti non eſſent de parentela ſuorum filiorum, tamen ex prædictis maxima oritur præſumptio: nam ſi teſtator particulari 12 affectione proſequebatur hanc familiam: quando non erat de parentela, multo majori ſine dubio eam fuiſſet proſequutus ſi fuiſſet de parentela, & ita veriſimiliter teſtator interrogatus reſpondiſſet: *leg. tale pactum*, *in fin.* ubi Gloſſ. *ff. de pact.* Socin. *in leg. ambiguarum, num.* 7. *in* 6. *conclu. ff. de reb. dub.* præſertim concurrentibus meritis Julii patris Joannis erga teſtatorem, & ejus filios.

Accedit etiam quod Joannes fuit hæres inſtitutus ab ultimo gravato: quod eſt valdè ponderandum, cùm talis præ- 13 ſumatur mens & voluntas teſtatoris, qualem declavit ejus 14 hæres; qui in dubio illam poteſt declarare: Imol. *in leg. inter ſtipulantem*, § 1. *num.* 4 *in fin. ff. de verbor. obligat.* Mant. *lib.* 3. *de conjectur. ult. voluntat.* 1. *num.* 17. Et in ſimili videmus quod in feudo præfertur proximior gravati, qui ſit ejus 15 hæres: Natt. *conſ.* 679. *n.* 12. & *conſ.* 681. *n.* 10. & in renova- 16 tione emphyteuſis, quæ ſit ex æquitate, *leg.* 1. §. *præmittitur*, *ff. de aqua quotid. & eſtiv.* præfertur magis proximus ultimo defuncto; maximè ſi ſit ejus hæres: Gozad. *conſ.* 86. *n.* 3. & fuit reſolutum *in una Lucana emphyteuſi* 6. *Junii* 1567. *coram bon. mem. Oradino.*

Conſiderabant autem Domini, quod aliàs etiam ponderatum fuit *in dict. cauſa Bonon.* quod Joannes eſt reus, & poſ- 17 ſeſſor: & pro eo in dubio pronunciandum eſt; maximè quod hoc modo præcluditur via litibus, quæ aliàs orirentur, & quidem graviſſimæ, occaſione teſtitutionis bonorum fideicommiſſo ſubjectorum: quod præcipuè præ oculis habendum eſt.

Non obſtant in contrarium deducta: nam quod Mate- 17 ſcotti ſint de utraque parentela, & videantur præferendi, ex regula quòd duo vincula magis ligant: *auth. Itaque Cod. commun. de ſucceſſ.* procedit data paritate gradus & affectio- 18 nis: Socin *dict. conſ.* 249 *ſub num.* 21. Et ideò non applicatur, 19 cùm Joannes ſit proximior & in potiori grada, qui magis attenditur, quàm duo, vel plures remotiores, ut notiſſimum eſt: & faciunt, quæ in ſimili circa hanc regulam tradit Dec. *in leg. cum quid*, *in prima lect. num.* 17. & *in ſecunda lectura, num.* 19. *ff. de cert. pet.* Maximè quòd Parentela gravari procedit in Dominis Mateſcottis, ex eo quod ſunt de parentela gravantis, & eorum proximitas eſt valdè remota ultra ſeptimum, vel etiam octavum gradum: & argui etiam poteſt parum benevola erga teſtatorem, & ejus filios, ex latè deductis per informan. pro Ioanne.

Non obſtat quod teſtator ſimpliciter vocaverit Doctorem 20 de parentela, abſque expreſſione proximiorum, & ideò poſſit eligi etiam is, qui ſit in remotiori gradu: *leg. unum ex familia*, §. 1. *cum ibi not. ff. de legat.* 2. quia hodie igitur de electione facienda, & eligendus eſt ille, qui eſt magis idoneus, 21 & plures habet qualitates: quidquid dicendum eſſet ad ſuſtinendam electionem factam de idoneo, omiſſo magis qualificato: *cap. licet ergo* 3. *quæſt.* 1. *cap. quoniam de Jur. Patron.* Dec. *in cap. conſtitutus*, *num.* 6. *de appellat.* & latè fuit deductum *coram bon. mem. Ioanne Card. Aldobrandino ſub die* 18. *Martii* 1504 *in cauſa Toletana Canonicatus*, ubi fuit dictum, quod eligens dignum, omiſſo digniore, multoties peccat, & nonnunquam tenetur etiam ad reſtitutionem.

Non obſtat quod qualitas Doctoratus exuberet in Annibale, qui videtur præ cæteris excellere, & ideò ſit præferendus: quia ſubjecta materia non requirit excellentiam in Doctoratu, cùm non verſemur in electione Cathedræ, vel Curæ, ut loquuntur allegata pro Annibale; ſed ſufficit, quod eligendus ſit Doctor: quod etiam veriſimiliter videtur voluiſſe teſtator, dum vocavit Doctorem juvenem, in quo, ratione minoris experientiæ, regulariter non cadit talis excellentia. Ultra quod exiſtente Doctore in parentela, videtur magis contemplata qualitas ipſius parentelæ, quàm Doctoratus, cùm Doctorem de parentela præferat extraneis. 22

Non obſtat, quod in Ioanne non concurrat qualitas juventutis: quia præter id, quod teſtator ſecundùm commu- 23 nem uſum loquendi Civitatis Bononienſis, non tam videatur reſpexiſſe ætatem, quàm ſexum, cùm promiſcuè dicantur *Iuvenes* pro *Viris*; fuit dictum Ioannem non poſſe dici 24 ſenem, cùm quinquageſimum annum non excedat, ſecundùm Gloſ. *in proœm. 6. in verſ. perfectum*: latè Menoch. *de arbitr. judic. caſu* 59. ubi quod hoc relinquitur arbitrio Iudi- 25 cis, ultra quod iſta qualitas juventutis expreſſa in præcedenti diſpoſitione, non fuit repetita in vocatione Doctoris de 26 parentela: Bald *in conſ.* 232. *col.* 2. *verſ. inſpecta verò forma. lib.* 5. Anan. *conſ.* 8. *num* 5. Pariſ. *conſ.* 38. *num.* 22. & 27. *lib.* 2. Maximè quod ſimus inter diverſas perſonas; & qualitas 27 primo nominato adjecta, non cenſetur repetita in aliis poſtea nominatis: Bart *in l. mulieri & Titio*, *in prima oppoſitione. ff. de condit. & demonſtrat.* Pariſ. *conſ.* 38. *n.* 26. *in fine*, & *num.* 28. *lib.* 2. Mantic. *lib.* 10. *de conjectur. ultimar. voluntat. tit.* 6 *num.* 1. aliàs ſequeretur abſurdum, quòd Doctor de parentela, qui non eſſet juvenis, excluderetur ab extraneo juvene; quod eſt contra mentem teſtatoris, qui in omni caſu voluit præferri Doctorem de parentela: & vulgare eſt, ratione abſurdi ceſſare repetitionem qualitatis: Abb. *in cap.* 28 *ſecundò requiris*, *num.* 11. ubi Decius *num.* 3. *de appellat.* Felin. *in cap. cauſam*, *qua. num.* 4. *in quinta limitatione*, *de reſcript.* Ruin. *conſ.* 87. *n.* 10. *lib.* 3.

Non obſtat quod Ioannes fidejubendo conſenſerit pluri- 29 bus alienationibus per gravatum factis de bonis fideicommiſſi: & ſic videatur indignus electione: *de leg. cum pater*, §. *libertis*, *ff. de legat.* 2. *cum alleg.* quia teſtator nullam prohibuit alienationem ſuis filiis, & deſcendentibus, quos tantùm ad invicem ſubſtituit, & conſequenter Ioannes pro eis fidejubens non dicitur contraveniſſe voluntati teſtatoris: & allegata in contrarium procedunt de alienatione facta de 30 re per teſtatorem prohibita alienari, ut notat Gloſ. *in dict.* §. *libertis*, *in verb. ne id alienarent.* Bart. *num.* 2. & Caſtr. *num.* 4. latè Bero *conſ.* 64. *num.* 22. *lib.* 1. Præſertim quòd aliquæ ex dictis alienationibus, fuerunt factæ pro ſolvendo ære alieno ipſius teſtatoris: Bart. *in l. peto.* §. *Pradium. ff. de leg.* 2. Doctores communiter *in leg. filius familias*, §. *divi*, *ff. de leg.* 1. aliquæ cum pacto francandi, & ſic ex ſui natura redimibiles: & aliæ cedunt in portionem legitimæ, ſeu aliam quam gravatus detrahere poteſt, juxta not. *in leg. Marcellus*, §. *reſqua*, *ff. ad Trebell.*

Neque obſtat quod ſit prohibita alienatio hæredibus eli- 31 gendis poſt lineam finitam: Quia ex hoc non ſequitur, quod Ioannes ceciderit à commodo electionis ex conſenſu præſtito alienationibus factis ante electionem per gravatum, qui non erat prohibitus alienare: quia de eo tempore in bonis alienatis nullum jus competebat Ioanni, qui non erat expreſsè vocatus, & cujus jus pendebat à futura electione, ut in ſimili caſu fuit reſolutum *in cauſa Romana de Theodolis ſub die* 19. *Ianuarii* 1597. *coram Domino meo Litta.*

Præter

32 Præterquam quod Ioannes dicitur habuiſſe ſcientiam fideicommiſſi, ſcribat etiam jus ſibi ſalvum fore in caſu electionis avocandi alienata ab emptoribus: quatenus alienationes fieri non potuiſſent, cùm per hujuſmodi conſenſum in hoc non dicatur ſibi præjudicaſſe: Bart. *in l. ſi fundum per fideicommiſſum*, n. 1. *verſ. 2. caſ.* & *ibi* Jaſ. *num.* 31. *ff. de leg.* 1. idem Bart. *in leg. quadotis, num.* 14 *ff. de ſolut. matrimon.* Alexand. *conſ.* 40. *n.* 19. *lib.* 4. Beto *d. conſ.* 64. *num.* 17. *lib.* 1.

33 & tenuit Rota *in dict. cauſa Romana, de Theodolis*, ubi quod per conſenſum non cenſetur renuntiatum juri de futuro etiam competenti ex cauſa de præterito, ſed quod requiritur expreſſa renunciatio: *leg.* 1. §. *ante*, ubi Bart. *ff. quorum leg.* præſertim ad effectum, ut ipſe, qui non alienavit, nec in aliquo voluntati teſtatoris contravenit, efficiatur indignus electione.

34 Non obſtat quod tanquam hæres gravati etiam facto inventario non poſſit revocare alienata per defunctum; quatenus patiantur vires hæreditariæ; Bald. *in leg. qui ſe patris, num.* 9. *Cod. unde libr.* Quia electus ad hoc non cogitur; ſubſtitutio enim hæredibus eligendis poſt finitam lineam facta eſt in iis tantùm bonis quæ ſuperextarent tempore electionis? & ad ipſos devenerint ex ſua hæreditate; unde patet in teſtamento, ibi, *ad quem ſic electum, & poſtquam ſic electus fuerit voluit ipſe teſtator omnia eius bona tunc ſuperextantia pervenire*: & paulo poſt in prohibitione alienationis, ibi, *quamcunque alienationem, & diſtractionem bonorum ad eos tunc perventurorum, &c.* & inferiùs in prohibitione detractionis ibi, *quoniam intentio & propoſitum teſtatoris eſt, quòd bona, quæ pervenerunt ad dictos eligendos, &c. ad leg. Mævio, & ſic ff. de leg.* 2. & ſic videtur quodammodò eligendum ſubſtituiſſe in bonis, quæ ſupereſſent tempore electionis, juxta textum *in authent. contra eum regatum, Cod. ad Trebell.*

Ultra quod in omnem eventum, ratione intereſſe, quod Ioannes poteſt habere ne excludatur à dicta hæreditate, & electione, poſſet alienata ab emptoribus avocare, etiam quòd eſſet hæres alienantis: ad notata per Alber. *in leg. fin. §. in computatione, ſub num.* 20. *verſ. ſi autem emptori. Cod. de jur. delib.* Hieron. Gabr. *conſ.* 125. *n.* 12. *lib.* 1.

Cætera in contrarium deducta tolluntur ab informantibus cum quibus Domini tranſierunt, &c.

Romana Invaliditatis Matrimonii, Veneris 28. Februarii 1603.

Coram R. P. D. Penia.

SUMMARIUM.

1 *Impotentia ex maleficio ſi patiatur vir, recurrendum eſt ad remedia divina & ſupernaturalia*

2 *Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam potentiam coeundi, à quo tempore debeat incipere, eſt anceps quæſtio, ob varias Doctorũ ſententias, de quibus n.* 3. & 4.

3 *Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam potentiam coëundi, quod debeat incipere à die judicialis præcepti, eſt ſententia magis tuta.*

4 *Diligentia ſumma eſt adhibenda in cauſa diſſolutionis matrimonii, ut omnis fraus & error excludatur.*

5 *Confeſſio ſacramentalis eſt facienda per conjuges, quando agitur de impotentia, antequam cauſa incipiatur.*

6 *Cohabitatio triennalis computanda eſt à die judicialis præcepti ſecundum opinionem veterum, & recentiorum Canoniſtarum.*

7 *Triennalis cohabitatio conjugum ad experiendum eorum potentiam, an poſſit per Judicem abbreviari necne, Rota noluit definire.*

8 *Marito atteſtanti ſe cognoviſſe uxorem potius ſtandum eſt, quàm uxori neganti, & agenti pro invaliditate matrimonii.*

9 *Uxor quæ per plures annos cohabitavit cum viro, ſi alleget illius impotentiam, præſumitur propter aliam cauſam agere pro diſſolutione matrimonii.*

10 *Triennalis cohabitatio conjugum non expectatur quando impotentia provenit ex frigiditate.*

11 *Triennalis cohabitatio conjugum expectatur ſemper quando impotentia provenit ex maleficio.*

12 *Pœnitentia ſalutaris non imponitur in diſſolutione matrimonii ob impotentiam, quando hæc provenit à naturali impedimento, ſed quando provenit ex maleficio.*

13 Cap. laudabilem, & cap fin. de frigid. & maleficiat. *declarantur.*

DECISIO XXII.

CUm Camilla Galla poſt ſex annos quibus cum Iacobo Brioſo marito ſuo cohabitaverat ſuper ſeparatione tori

& invaliditate Matrimonii ex cauſa impotentiæ coëundi mariti, contra ipſum, coram Vicario Sanctiſſimi litem intentaſſet: Judex conſultis Obſtetricibus, quæ ipſam Virginem eſſe retulerunt, & Peritis, qui maritum genitalia habuiſſe ad generationem benè proportionata affirmaverunt, decrevit, ut Camilla ad Cohabitandum cum marito per ſpatium triennii reverteretur, mandans, ut ambo conjuges peccata ſua confiterentur, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumerent; & deinde ſimul cohabitantes, obſequia matrimonialia ſibi invicem præſtarent.

Poſt appellationem interpoſitam ab hoc decreto dubitavi an eſſet confirmandum, vel infirmandum? Et Rota, utraque parte informante, juſtum eſſe cenſuit: quatenus enim continebat, quod conjuges ad divina Sacramenta recurrerent ad explorandum impedimentum impotentiæ, juſtiſſimum erat: nam quando dubitatur de amborum conjugum, vel alterius impotentia, an proveniat ab impedimento naturali, vel ab accidentali, videlicet à maleficio, opera dæmonum; vel magorum perpetrato, ubi non apparet de vitio, ut morbo vel defectu membrorum genitalium viſibili ſicut non apparebat in hoc caſu; ad remedia ſupernaturalia divina & Eccleſiaſtica poſſimum recurrendum eſt: *cap. ſi per ſortiariam*, 33. *quæſt.* 1. ubi communiter Canoniſtæ, & præſertim Turrecremata, *quæſt.* 1. & conveniunt Doctores Theologi, Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, Petrus Paulus de Palude, Scotus, Durandus, & cæteri communiter, *lib.* 4 *Sentent. diſtinct.* 34. Joannes Nider. *in formicario, lib.* 5. *cap.* 6. & Martinus Delrio *tom.* 3. *diſquiſitionum Magicarum, lib.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 3.

Præterea quatenus idem decretum præcipiebat, ut conjuges cohabitarent per triennium, non obſtante, quod à tempore contracti matrimonii per ſex annos, & ultra, cohabitaverant; juſtum etiam fuit viſum in hac facti ſpecie: quia licèt dubius ſit articulus, an triennium debeat computari à tempore confeſſionis factæ, & præcepti Judicis, vel potiùs ſufficiat computare triennium, qualitercunque ſimul conjuges per illud cohabitaſſe probentur; & tres circa hoc reperiantur Doctorum ſententiæ, quarum una dicit id eſſe arbitrarium: ut refert Hoſtienſ. *in cap. finali, num.* 10. *verſ. finaliter tamen de frigidis & maleficiat.* Ancharan. *in cap.* 1. *n.* 10. *verſ. dicit Hoſtienſ. eodem tit.* ubi Præpoſitus, *num.* 7. *verſ. & ad id, quod.*

Altera affirmat, quod quando cohabitatio præceſſit per aliquos annos ante motum judicium, & mulier probat ſe Virginem tunc ſufficiat præcedenti triennio cohabitationis addere modicum tempus, & pro hac ſententia allegantur Innocent. *in cap. finali, de frigid. & maleficiat. ſuper verbo, Triennium*, ubi Abb. antiquus *num.* 2. Præpoſit. *num.* 4. *verſ. placet per iſtum textum* Zabarella *quæſt.* 3. *n* 4. Alexand. de Nævo, *num.* 17. *verſ. & iſta opinio*, Abb. *numero* 12. *verſ. & hoc mihi plus placet*: Ioannes de Tiburgo, *in gloſſa ad ſumm. Sancti Raymundi, lib.* 4. *de impotentia coëundi*, §. 6. *in gloſſ. ſuper verbo, cohabitantes* Gregorius Lopez *in legibus ſeptipartitis Hiſpaniæ partit.* 4. *tit* 8. *l.* 5. *in gloſſa ſuper verbo, dar plazo*, Joannes Baptiſta Laderchius *conſ.* 81. *incipien. Quando mulier n.* 2. Menoch. *de arbitr. cent.* 6. *nuper edita. caſu* 519. *num.* 74. & pro eadem ſententia in Capella Toloſana *deciſ.* 380. *aliàs deciſ.* 381. *num.* 6. allegatur quidam Dominus Vaboen. pro quâ videtur facere textus *in cap. laudabilem*, §. *nec. verò*, ibi, *à tempore celebrati conjungii cohabitent per triennium*, & *in cap. finali, de frigid. & maleficiat.* ibi, *& conſiterit nobis virum & mulierem infra præfictos octo annos per continuum triennium ſimul cohabitaſſe*. Et in hanc opinionem videbantur inclinare Domini de ſignatura Juſtitiæ ſuper hac cauſa, antequam committeretur in Rota; & negari non poſſit quin magna ratione & auctoritate nitatur & ſi arbitraria ſingulorum Judicum non eſſent periculoſa, facilè eſſet hæc opinio tenenda.

Nihilominus tertia ſententia firmans hoc triennium non computandum à die contracti matrimonii, ſed à die quo Judex conjugibus indixit triennalem cohabitationem, tutior ſæpè viſa eſt, & gravibus rationibus munita.

Prima, quia cùm agatur de ſeparando Matrimonio, quod eſt magnum Sacramentum, omnis diligentia, & cautela adhibenda eſt, ut quantum poſſibile eſt, omnis fraus, & error excludantur: Hoſtienſ. *in d. cap. fin. num.* 19. *verſ. circa finem, & verſ. ſed benè caveat judex de frigid. & maleficiat.* & ibi Antonius de Buttio *num.* 5. *verſ. de cautela*, ideò enim Eccleſia induxit tam exquiſitas ſolemnitates, antequam ſimilia matrimonia dirimantur.

Secunda, quia à tempore præcepti judicialis, incipit adhiberi exacta diligentia, præmiſſis Confeſſione Sacramentali peccatorum, & Sacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptione, & aliis Eccleſiaſticis remediis *d. cap. ſi ſortiaria. 33. quæſt.* 1.

8 *Tertia*, quia hæc ſententia eſt tutior & ſecurior, & propter has rationes eam tenuerunt Veteres, & Recentiores Canoniſtæ. Hoſtien. *in d. cap. finali, de frigid. & maleficiat. n.10.*

9 Et licet ibi ambiguus videatur, ex quo recurrit ad arbitrium Judicis, nihilominus tamen *in Summa, eodem titulo, §. qualiter & quando, n.12. verſ. verum dici poteſt*, conſtanter affirmat ſemper tutius eſſe, quod à tempore præcepti Judicis debeat triennium computari. Eandem ſequitur ſententiam *in dict. cap. fin. de frigid. & maleficiat.* Joannes Andreas *n. 8. ſuper verb. termin. 1. & num.11. ſuper verbo triennium*: ubi addit non licere Judici abbreviare: & Aucharan. *num.9. verſ. ex quo colligo*: Antonius de Butrio *num.20. verſ. veritas eſt*: ubi dicit hanc eſſe veritatem: Henricus Boich. *in cap.1. num. 1. & 2. de frigid. & maleficiat.* Joannes Brunel. *tract. de ſponſal. concluſ 28.n.10. & 14. verſ. ſed pro opinione* Capella Toloſana *deciſ. 380. alias 381. num. 6. in fine*, ubi recitatis opinionibus concludit quod opinio Hoſtienſis videtur valde ſecura: eandem ſententiam videtur tenuiſſe Sanctus Raymundus *in tractatu de Matrimonio, in Summa lib.4. tit. de impotentia coeundi, §. 6.* & eam tanquam tutiorem ſecuta eſt Rota in pluribus cauſis, & ſignanter *in cauſa Tauri, diſſolutionis Matrimonii, die 10. Octobris 1596. coram bonæ memoriæ Orano, & in cauſa Neapolitana diſſolutionis Matrimonii, die 5. Martii 1599 coram Domino meo Seraphino Olivario tunc Rotæ Decano, nunc Patriarcha Alexandrino.*

Illud tamen verùm eſt quod cùm die 26. Novembris ejuſdem anni *in eadem cauſa Calaguritana*, fuiſſet dubitatum, an tempus trienni poſſet arbitrio Rotæ abbreviari, & reſolutum in eo caſu non poteſſe, voluerunt Domini generaliter definire hoc habere locum in omnibus cauſis: quia magnam perſenſerunt difficultatem.

In hac facti ſpecie hanc tertiam opinionem tanquam tutiorem amplexa fuit Rota: *Primò*, quia impotentia naturalis mariti, quam opponebat uxor, nedum non erat exploratà, ſed potiùs ex relationibus Peritorum aderat præſumptio in contrarium.

10 *Secundò*, quia aſſertioni mariti pro Matrimonio aſſerentis & ſe pluries, ac pluries Camillam cognoviſſe, potius ſtandum erat, quàm aſſertioni Camillæ tendenti ad Matrimonii invaliditatem: *cap. ſi quis accepit, 33. quæſt.1. cap. continebatur, & cap. duo pueri, de deſponſat. impuberum.*

11 *Tertiò*, quia cum non eſſet veriſimile quod Camilla tanto tempore tacuiſſet, nec conqueſta fuiſſet de impotentia mariti, *cap. ſi quis accepit. 33 quæſt.1.* Hoſtienſ. *in dict. cap. finali num.10. de frigid. & maleficiat.* præſumptio erat contra ipſam, quod non propter impotentiam, ſed propter aliam cauſam judicium ſeparationis Matrimonii movetit contra maritum, & ideò non erat pro diſſolutione pronunciandum.

Quartò, quia dato quod adeſſet impotentia coëundi, cùm nondum eſſet exploratum, an provenerit ex cauſa naturali

12 frigiditatis, vel ex accidentali, videlicet ex maleficio, licèt in frigido non ſæpè expectetur triennium: in maleficiato

13 tamen ſemper expectatur: Hoſtienſ. *in dict. cap. laudabilem de frigid. & malefic. num.1.* ubi Joannes Andreas *n. 8. Abb. num.2.* Alexander de Nævo, *num. 3. Præpoſ. num.4. verſ. ſecus in maleficiato.*

14 Et ſud. x in hac cauſa, quando indixit pœnitentiam iſtis conjugibus potius videbatur inſpexiſſe impedimentum proveniens à maleficio, quàm à Natura: quia ut dixit Hoſtienſis *in dict. cap. fin. num. 5. de frigid. & malefic.* non invenitur expreſſum, quod ad ſolvendum impedimentum naturale, pœnitentia indicatur.

15 Nec obſtat textus allegati pro ſecunda ſententia: nam ad textum *in cap. laudabilem*, illa poterat eſſe congrua interpretatio, ut conjuges cohabitare debeant per triennium, videlicet à præcepto Judicis, vel à die indictæ Confeſſionis computandum.

Ad *cap. final. de frigid. & malefic.* quo magis videtur urgere, reſpondit Capella Toloſana *in allegata deciſ 380. alias 381.n.6. verſ. Nec obſtat*, quod licèt videatur ibi petitio mulieris facta per octo annos, tamen poteſt intelligi quod antea cauſa fuit ventilata diutius, & ad mandatum Judicis conjuges pœnitentiam egerunt, & ſimul cohabitaverunt, ſicut expreſsè innitur in textu, cum dicit, *quod poſt plures terminos ſibi à Judicibus aſſignatos reverſi ad eorum præſentiam eorum voce dixerunt, quod non poterant commiſcere*: hæc ibi. Et eodem modo reſpondet ad illum textum Joannes Brunel. *tract. de ſponſalib. concl. 28. num.14. verſ. nec obſtat dictum cap. finale.*

Quibus omnibus conſideratis, placuit Dominis in hac facti ſpecie hæc tertia ſententia: & quod Maritus adhibitis aliis Peritis, denuò inſpiceretur, ut videtur an adeſſet aliquod impotentiæ ſignum, & ex qua cauſa proveniret, ut ſine ullo errore ſententia proferretur.

Et ita, &c.

Pampilonenſis Abbatiæ de Azagra, Veneris 20. Junii 1603.

Coram R. P. D. Ludoviſio.

SUMMARIUM.

1 *Subrogatio eſt danda collitiganti ne detur novus collitigas.*
2 *Subrogatio non debetur, calumnioſo litiganti.*
3 *Calumnia litigantis non reſultat ex deciſionibus contra ipſum emanatis, quæ non concernant merita cauſæ & quando lis eſt in principio, nec aliqua fuerunt facta probationes.*
4 *Calumnioſus litigator deci non poteſt, quandiu valet jus ſuum juſtificare.*
5 *Calumnia ut excludatur, ſufficit qualibet probatio & colorata cauſa litigandi.*
6 *Subrogatio ut obtineatur, non eſt neceſſ probare bonum jus.*
7 *Sententia tribuit aliqualem præſumptionem boni juris, etiamſi ab ea fuerit appellatum.*
8 *Morbum caducum allegans in perſona alicujus tenetur illum probare.*
9 *Vertigine laborantes magnam habent propenſionem ad morbum caducum.*
10 *Medici judicio in arte ſua ſtandum eſt.*
11 *Confeſſio erronea confitentis non præjudicat.*
12 *Morbus caducus ſi realiter non ſit, non evadit talis ex eo, quod patiens aſſerat eſſe talem.*
13 *Diſpenſatio obtenta pro cautela conſcientiæ, non probat inhabilitatem.*
14 *Inhabilitas orta ex cauſa morbi ceſſat morbo recedente.*
15 *A morbo caduco liberatio probatur per teſtes de tali liberatione deponentes.*
16 *Morbi præſumpta continuatio tollitur ex contraria probatione.*
17 *Litem introductam fuiſſe ſuper titulo beneficij probatur per commiſſionem continentem clauſulam, quam & quas.*
18 *Subrogatio non eſt neceſſe quod impetretur à collitigante infra menſem, cum menſis ſit adiectus ſolum ad invalidandam ſubrogationem à Tertio obtentam infra dictum tempus.*

DECISIO XXIII.

DOmini, utraque parte informante: concorditer reſolverunt dandam eſſe ſubrogationem Joanni Lopez; quia conſtat de lite, & obitu collitigantis juxta *Reg. 28.* ne detur novus collitigans, *cap. 2. ut lit. pendent in 6.* fuit dictum *coram Reverendiſſimo Alexandrino, in Collen. Parœcialis 11. Decembris 1595. & coram me in Gerunden. Canonicatus 14. Maii 1601.* 1

Nec obſtat quod ex deciſione contra ipſum facta videatur detegi calumnioſus litigator, qui non ſubrogatur: Biſig. *deciſ. 2. de rer. permut.* Caſſad. *deciſ. 7. de dole & contum.* quia ultra quòd deciſio facta fuit ipſo non informante, facta etiam fuit non ſuper meritis, ſed ſuper retardatione Brevis, ex clauſula, *Arbitrio*: & in principio cauſæ nullique factis probationibus: quo caſu non poteſt de calumnia convinci: Achill. *deciſ. 7 ſub n. 6. ut lit. pend.* nec dici improbus litigator, quamdiu poteſt jus ſuum juſtificare, ut fuit dictum *in illa Gerunden.* & ad effectum Regulæ pro vitanda ſuſpicione calumniæ ſufficit quælibet probabilis & colorata cauſa litigandi: Rebuffus *ſuper dict. reg. gloſſ. 7 num.3.* fuit dictum *in Conchen. Archipreſbyteratus 19. Januarii 1598. coram R. P. D. meo Litta. & in allegata Gerunden.* 2 3 4 5

Licèt autem pro impetranda ſubrogatione non ſit neceſſarium docere de bono jure ſuperſtitis eam petentis, tamen ex ſententia quam obtinuit Lopez ad ſui favorem oritur aliqualis præſumptio, quod foveat bonum jus; etiam quod ab ea fuerit appellatum, ut per Alciat. *de præſumptionibus, regul. 3. præſumpt. 9. n.11.* 6 7

Non obſtat prætenſa inhabilitas ex morbo caduco: quia non probatur concludenter. Imò contrarium apparet ex fide Domini Galliani Medici, qui ipſum curavit, & teſtatur ipſum non incidiſſe in morbum epilepticum, licet ad illum magnam propenſionem haberet propter vertiginem, cui erat obnoxius, & Medici judicio in arte ſua ſtandum: ut *l. ſeptimo menſe*, ubi Bald. *in ult. addit. ff. de ſtat. homin.* Socin. Jun. *conſ. 183. num.11. lib.2.* Boër. *deciſ. 223. n.21.* fuit dictum *in Romana Hæreditatis de Picchis 15. Junii 1580. coram Vicecomite*: & ob id confeſſio Lopez in ſua diſpenſatione tanquam erronea illi non præjudicat, *leg. non fatetur. ff. de confeſſis* Decius *conſ. 408. n.5.* Nec poteſt facere morbum caducum illum, qui verè non eſt talis: ad tradita per Aymon. *conſ. 262. n. 4. & 5.* & eo minus habe obſtare, quia fuit pro cautela ſuæ conſcientiæ petita Rota *deciſ. 11. de ſent. excom. in antiq.* 8 9 10 11 12

Ubi

14 Ubi etiam aliquando laboraſſet tali morbo, qui eum inhabilem reddidiſſet, conſtat de liberatione ex eadem met fide Domini Galliani, quæ coadjuvatur ex depoſitione plurium teſtium pro Ioanne Lopez examinatorum, qui dicunt à pluribus annis illum non fuiſſe aliquid tale paſſum, & benè con-
15 cludunt, cùm ſubjungant ſe continuò cum ipſo habitaſſe, & quòd non potuiſſet id accidere ipſis ignorantibus: Ang. *in §. Hinc nobis, circa fin. auth. de hared. & falcid.* Alexander. *conſ. 167. n. 10. lib. 2.* Decius *conſ. 101. n. 2. ante med. verſ. nec etiam in iſto caſu.* Patiſ. *conſ. 13. ſub num. 17. verſ. tamen ad vertendum, lib. 3.*

16 Hinc ceſſat quod dicitur de præſumpta morbi continuatione: quia hujuſmodi præſumptio tollitur ex probatione contraria: *leg. cum de indebito, ff. de probat.* Patiſ. *conſ. 29. num. 76. lib. 2.*

17 Non etiam obſtat quod dicitur; litem non fuiſſe introductam ſuper titulo beneficii: quia contrarium apparet in commiſſione Reverendiſſimo Domino Pacen. directa, quæ continet totum negotium principale cum clauſula, *Quam, & quas.*

18 Minus etiam relevat, quod objicitur, fuiſſe petitam poſt menſem ſubrogationem: quia ultra quod dicitur fuiſſe intra menſis ſpatium porrectam ſupplicationem, Regula non arctat ad petendam ſubrogationem infra dictum tempus, & mentio menſis fit ad invalidandam non ſubrogationem poſt illum petitam, ſed gratiam intra illum obtentam in præjudicium ſubrogandi: & propterea quando poſt menſem non fuit alteri conceſſa gratia, non prohibetur colli gans ſubrogationem quandocunque petere, ut fuit dictum *in illa Collen.*

Leodienſis Fructuum, Lunæ 31. Maii 1604.

Coram R. P. D. Litta.

SUMMARIUM.

1 *Vertigo capitis, & ſtomachi debilitas quando excuſant à reſidentia.*
2 *Medici atteſtatio infirmitatem probat.*
3 *Medici atteſtatio tunc maximè probat infirmitatem, quando alii teſtes de illa deponunt.*
4 *Octogenarius dicitur ſenio confectus.*
5 *Senectus ipſa eſt morbus.*
6 *Infirmis non reſidentibus debentur de jure diſtributiones.*
7 *Senio confecti ſi non reſideant non amittunt diſtributiones.*
8 *Teſtes deponentes de qualitate morbi, non probant niſi ſint periti.*
9 *Atteſtatio Medici in materia qualitatis morbi præfertur aliis teſtibus.*
10 *Infirmitas redditur veriſimilis concurrente maxima ſenectute, & obitu ſubſecuto.*
11 *Deambulare, exire domo, & actum ſimiles, non concludunt perfectam ſanitatem; cùm fieri poſſint etiam ab infirmo pro recuperanda ſalute.*
12 *Morbus vertiginis non eſt perpetuus.*
13 *Infirmi, ut lucrentur diſtributiones, non tenentur intimare Capitulo eorum infirmitatem.*
14 *Capitulum ſine conſenſu Epiſcopi ſtatuere non poteſt ſuper modo lucrandi diſtributiones.*
15 *Diſtributiones conſumptas, quando teneatur Capitulum reſtituere.*

DECISIO XXIV.

FUit reſolutum probari tale impedimentum propter quod debuit quondam D. Ioannes excuſari à reſidentia: nam licet in confeſſo ſit apud partes, quod Ioannes non reſederit ab anno 1596. citrà, conſtat tamen ex deductis per informantes pro legatariis de infirmitate illius, circa quam multi teſtes dantur; & in ſpecie Medicus, qui eſt Profeſſor ordinarius Vniverſitatis Lovanienſis, & benè percurit tempus anni 1596. & in ſpecie dicit, quod Ioannes laborabat ſumma de-
1 bilitate ſtomachi, & tali vertigine capitis, quod Eccleſiam ſine vitæ periculo frequentare non poterat: unde ſi ſola Medici atteſtatio infirmitatem probet, ſecundum Anchar.-*conſil. 388. n. 3.* à fortiori hoc in caſu eam probabit; cum ſimul
2 3 cum ea concurrat depoſitio aliorum teſtium; *Authent. multo magis, C. de ſacroſ. Eccleſ.* qui teſtes addunt pro corroboratione ſuæ depoſitionis, quod aliquando viderunt Ioannem cecidiſſe in terram, & particulariter quando una vice ad Eccleſiam acceſſit.

Accedit quod Ioannes erat Octogenarius, & ſic ſenio 4
confectus, ut probant teſtes, de quibus *in ſummario Legatariorum*, quæ ſenectus ex ſe morbus eſt, Vnde cùm de Iure 5
infirmis non reſidentibus, aliàs tamen ſolitis reſidere, debean- 6
tur diſtributiones, ut tenent Ioannes Andreas, Card. & Abbas *in c. ad audientiam, de Cleric. non reſidend.* Felin. *in c. Apoſtolica, numero duodecimo, de except.* Covar. *var. reſol. lib. 3. c. 13. verſ. 6.* Item & ſenio confectis, ut conſtat ex reſolutione 7
Congregationis Illuſtriſſimorum Interpretum ſacri Concilii Tridentini, cujus copia datur: ideò, &c.

Quibus non obſtant teſtes pro Capitulo examinati: Quia ultra quod ſunt partes formales, nihil probant; nam dum dicunt infirmitatem Ioannis Chriſtiani non fuiſſe talem, 8
propter quam non potuerit reſidere, deponunt de eorum judicio, & credulitate, & circa hoc prævalet atteſtatio Medici 9
maximè juncta depoſitione teſtium de infirmitate deponentium, quæ eo magis veriſimilis redditur, ſtante maxima ſene- 10
ctute ejuſdem Ioann. Chriſtiani, & obitu inde ſubſecuto.

Et dum dicunt, quod Chriſtianus exibat domo, deambu- 11
labat, & ibat ad viridarium. Fuit reſponſum, hæc, & ſimilia ab eo fieri potuiſſe, ac debuiſſe pro recuperanda ſanitate.

Et ad illud, quod morbus vertiginis non ſit perpetuus: 12
fuit reſponſum, quod ultra vertiginem laborabat ſenio, & aliis infirmitatibus, nec debebat ſe ſubmittere tam imminenti periculo vitæ ſuæ, ſed quantum in ſe erat, ſtudere recuperationi ſanitatis.

Et dum pro Capitulo dicebatur hujuſmodi infirmitatem non fuiſſe ſibi intimatam: fuit reſponſum, quod jure cau- 13
tum non reperitur, quod talis intimatio debeat fieri per infirmos & ſenio confectos, aliàs ſolitos reſidere, ad effectum conſequendi diſtributiones.

Et quoad præmiſſum ſtatutum, fuit dictum de eo legitimè non conſtare: illud in omnem caſum, eſſe nullum, & invalidum, uti factum per Capitulum ſine conſenſu Epiſcopi, ſine 14
quo Capitulum ſuper modo lucrandi diſtributiones ſtatuere non poteſt: ut fuit tentum *in Lucana Iuriſdictionis 9. Aprilis 1601. coram R. P. D. Pamphilio.*

Deducta etiam pro Capitulo circa conſumptionem dictarum diſtributionum bona fide factam, non placuerunt Do- 15
minis: cùm minimè probabiliter ignorare poterit Capitulum infirmitatem, & maximam ſenectutem dicti Ioannis Chriſtiani, quodque infirmo de Iure debentur diſtributiones.

Neque hic applicantur deducta ex Puteo *deciſ. 417. lib. 1.* & alia citata per informantes pro Capitulo: quia procedunt in terminis indulti conceſſi alicui de lucrandis diſtributionibus, quas alii non fuiſſent lucraturi de jure communi; cujus indulti conceſſio cùm potuerit probabiliter ignorari à Capitulo, non mirum ſi illius intimatio neceſſaria eſt ad effectum conſtituendi Capitulum in mala fide.

Ex quibus, & aliis hic latius deductis per informantes, fuit concluſum ut ſupra.

Virdunenſis fructuum, Lunæ 5. Iulii 1604.

Coram R. P. D. Penia.

SUMMARIUM.

1 *Impeditus ſenio, vel morbo, lucratur diſtributiones quotidianas.*
2 *Preces ad impetrandam gratiam probant contra exponentes.*
3 *Infirmitas probatur per atteſtationes Medicorum.*
4 *Infirmo etiam non intereſſenti debentur fructus & diſtributiones quotidianæ.*
5 *Reſidere, & intereſſe, differunt inter ſe.*
6 *Decretum directum ad reſidentiam non eſt trahendum ad intereſſentiam.*
7 *Decretum Capituli habet interpretationem paſſivam à Iure communi.*
8 *Decretum Capituli contra jus, eſt invalidum.*
9 *Capitula Eccleſiarum poſſunt facere ſtatuta concernentia ſua particularia negotia, ſine conſenſu Superioris.*
10 *Capitula Eccleſiarum non poſſunt condere ſtatuta ſuper reſidentia, vel ſtatu Eccleſiæ.*

DECISIO XXV.

HÆC cauſa fuit ſæpè propoſita & diſcuſſa, videlicet die trigeſimo primo Maii, & nono Iunii. Sed quia inter Dominos non convenichat, non fuit capta reſolutio;

quam denique utraque parte informante fecerunt in hac propoſitione ſub die quinta Iulij, cenſentes Domino Nicolao Mario Decano Eccleſiæ Virdunenſis ab anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, deberi fructus ac diſtributiones præbendarum, quæ dari ſolent intereſſentibus Matutinis, & aliis Horis, & divinis Officiis, & Anniverſariis, quas ex tabulis Capitularibus conſtabat non habuiſſe.

Ratio deciſionis fuit, quia ex deductis per informantes pro Decano, & præſertim ex teſtibus in Curia examinatis
1 conſtabat de ſenio & morbo Decani, unde oriebatur legitimum impedimentum excuſans illum, quominus potuiſſet prædictis Horis & divinis officiis intereſſe, *c. 1. verſ. quos infirmitas*, ubi Gloſ. *verbo, infirmitas, de Clericis non reſidentibus, libro 6.* ubi Archidiaconus *num. 2.* Ioannes Andreas *n. 1. & 4. in verbo infirmitas*, Ancharanus *n. 1. verſ. hac regula*: Gemin. *in dicto cap. 1. § quis verò, n. 1.* Prob. ad Monach. *n. 13. & 16.* Felin. *in c. Apoſtolica, n. 13. verſ. ſicut de infirmo, de except.* Cotſet *ſingul. 152. incip. Infirmus*: Covarruvias *lib. 3. var. reſol. c. 13. n. 8.* Natta *conſ. 41. n. 1. lib. 1.*

2 Teſtium probationem reddebat veriſimilem narrativæ Coadjutori impetratæ à Sanctiſſimo D. N. Clemente Papa VIII. ad ſupplicationem communiter Capituli, & Decani, anni 1598. quam ideò conceſſerat, quia expoſitum fuerat, Decanum in 72. ætatis ſuæ anno conſtitutum, & aſſiduis morbis & ægritudinibus affectum in ædibus detineri, ita ut de cætero non poſſet Eccleſiæ deſervire, & onera ſibi incumbentia per ſeipſum perferre commodè: hæc enim narrativa, aliis præſertim concurrentibus contra Capitulum, probabat: *leg. cum precium, Codice de liberali cauſa*: Gabriel. *titulo de confeſſ. claus. 4. n. 1.*

3 Concurrebant enim fides proborum virorum teſtantium de infirmitate Decani ante aliquot annos, item atteſtationes Medicorum affirmantium Decanum triplici hernia ſpecie laborare.

4 Ex iſtis igitur ſenij, & morbi impedimentis ſic probatis, Decano etiam non intereſſenti debeantur fructus & diſtributiones, ut patebat ex *practicatis*, & præſertim ex Probo ad Monach. *in dict. c. 1. n. 22. d. Cleric. non reſiden. & ex deciſ. in cauſa Leodienſi fructuum, die 31. Maij, anno 1601, coram Domino Litta.*

Non obſtabat, quod in reſolutione ſeu decreto Capituli, *anni 1425.* ſuper unione præbendæ Decanatui, diceretur Decanum non poſſe potiri fructibus niſi continuam in dicta Eccleſia faceret reſidentiam. Quia fuit reſponſum primò, decretum emanaſſe ex eo quod ante unionem præbendæ Canonicalis, Decanus propter fructuum exiguitatem non ita
5 aſſiduè reſidebat. Cæterùm cùm aliud ſit reſidere, aliud verò intereſſe, decretum conceptum de reſidentia, non erat trahendum ad intereſſentiam: Oldrad. *conſ. 150. incip. In Eccleſia, n. 2. in fine, &*
6 *n. 3. in fine*, & ſic caſum de intereſſentia (de quo non loquebatur decretum) remanſiſſe ſub diſpoſitione juris communis: *leg. commodiſſimè, ff. de liber. & poſthum.* Socin. Sen. *conſ. 90. n. 6. lib. 3.*

Secundò fuit reſponſum tale decretum recipere interpretationem paſſivam à Iure communi, ut infirmus excuſetur: Gabriel, *conſ. 1. n. 3. lib. 1.*

7 Minùs obſtabat alia Capituli proviſio, conſtituentis, aliquem etiam moribundum non excuſari à Matutinis, & in præbenda unita nullam admittendam excuſationem.

8 Quia fuit reſponſum has Capitulares proviſiones, præſertim contra jus conceptas, ſuper fructibus & diſtributionibus, eſſe invalidas: Oldrad. *conſ. 150. n. 1. in fine, verſ. præterea videtur*: Abas *in c. cum omnes, n. 4.* ubi Felinus *n. 9. verſ. cæterum, de conſtitut.* Et ita cenſuit Rota in terminis ſimilis ſtatuti, *in cauſa Illerden. ſtatuti die 3. Decembris anni 1593.*
9 *coram Domino Andrea de Cerduba, nunc Epiſcopo Placenſi, & in cauſa Leodienſi fructuum die 31. Maij anni 1601. coram Domino meo Litta.* Licèt enim Capitula & Canonici poſſint facere ſtatuta ſine auctoritate Superiotis concernentia ſua ſingularia negotia. Gloſ. *in conſtitutionem, in verb. ſtatutum de verborum ſignificatione, lib. 6.* non tamen poſſunt ſtatuere ſuper ſtatu Eccleſiæ ſine conſenſu Epiſcopi, Anchar. *in repe-*
10 *tit. c. 1. q. 6. n. 99. de Conſtitut.* Antonius de Butrio, *in c. conſtitutum, n. 15. de reſcript.* & fuit deciſum *in dicta cauſa Illerdenſi ſtatuti, coram Domino de Cerduba, & in cauſa Lucana Juriſdict. die 23. Februarij, & 9. Aprilis anni 1601. coram Domino Cardinali Pamphilo tunc Rota Auditore.*

Quæ opponebatur contra teſtes, levia viſa fuerunt: quibus idcò etiam Rota credendum cenſuit; quia eorum dicta corroborabantur ex prædictis adminiculis.

De Remiſſoria, quam Capitulum prætendebat, Rota maturius deliberandum cenſuit.

Romana Invaliditatis Matrimonij, Veneris 14. Ianvarij 1605.

Coram R. P. D. Penia.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium diſſolvitur ob impotentiam viri.*

2 *Cohabitatio triennalis conjugum, ad experiendam impotentiam coeundi, incipit a die præcepti de cohabitando.*

3 *Inſpectio mulieris non inducit ſufficientem probationem impotentiæ viri, ita ut ſtatim ſit diſſolvendum matrimonium.*

DECISIO XXVI.

UTraque parte informante, propoſui memoralia loco cauſæ, ſuper eo, an eſſet deveniendum ad legitimam inſpectionem Camillæ Gallæ, pro exploranda ejus virginitate, aut violatione, ad effectum, ut ſi reperiretur effecta mulier, compelleretur tanquam legitima uxor perpetuò cum Iacobo marito convivere; aut contra, ſi reperiretur virgo pronunciaretur à nexu matrimonij liberata, propter mariti impotentiam, qui clauſtra pudoris aperire, vel penetrare non potuit. 1

Et Dominis viſa fuit res exemplatis, & quodammodo in praxi difficilis, propter rationes *in deciſione in hac cauſa facta die 28. Februarij anni 1603.* contentas: quibus aſſeritur, ſen- 2
tentiam de triennali cohabitatione à die Iudicialis præcepti inchoandum: quamvis enim Iacobus, & Camilla conſentirent ut fieret legitima inſpectio, quia tamen Camilla non ali- 3
ter patiebatur ſe explorari, niſi cum hoc, quòd ſi fuiſſet reperta virgo, ſtatim deveniretur ad diſſolutionem matrimonij: quod tamen non pendebat ab ejus voluntate, ſed à præſcripto Sacrorum Canonum; quod ſi hoc ſibi non concedebatur, ſatis videbatur aſperum, ut ſi in hac inſpectione reperiretur virgo, deberet ejus pudor explorari; ideò Rota ut tutius proceederetur in diſſolutione tanti Sacramenti (quatenus ei locus foret) cenſuit ut conjuges ulteriùs cohabitent.

Quanto autem tempore hæc cohabitatio adhuc duratura foret? Particulariter erat videndum.

Romana Invaliditatis Matrimonij, Veneris 28. Aprilis. 1606.

Coram R. P. D. Penia.

SUMMARIUM.

1 *Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam Potentiam coeundi, incipere debet à die præcepti Iudicis de cohabitando.*

2 *Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam eorum potentiam, abbreviari poteſt per Judicem, conſideratis circumſtantiis, ſi ante decretum præceſſit cohabitatio per triennium.*

3 *Inhabilitas viri ad coëundum argui poteſt ex ipſius ætate, aſpectu, & corporis qualitate.*

4 *Teſtes plures deponentes per eadem verba redduntur ſuſpecti.*

5 *Probatio impotentiæ viri, quæ fit per inſpectionem mulieris, eſt fallax, & inefficax pro diſſolutione matrimonij.*

6 *Impotentia coeundi probanda venit per inſpectionem, quando unus ex conjugibus affirmat, alter verò negat impotentiam.*

DECISIO XXVII.

POſt deciſiones in hac cauſa factas, dubitavi an eſſet locus ulteriori cohabitationi, vel potius eſſet deveniendum ad 1
inſpectionem Camillæ, ad effectum, ut ſi reperiretur virgo, diſſolveretur matrimonium, vel è converſo, ſi reperiretur corrupta, compelleretur redire ad maritum, & cum eo perpetuò cohabitare: & cauſa, utraque parte informante, repropoſita, Rota conformiter cenſuit ad inſpectionem Camillæ fuiſſe deveniendum.

Quia licèt triennium cohabitationis debeat incipere à 2
Iudicis decreto, juxta deducta *in deciſione in hac cauſa facta ſub die 28. Februarij 1603.* nihilominus tamen non defuerunt Doctores affirmantes, quod quando ante decretum præceſſit triennalis cohabitatio, poſſit Iudex triennium futurum abbreviare, & arbitrio ſuo inſpectis circumſtantiis ad brevius tempus reducere, Anton. de Butrio, *in cap. laudabilem, n. 14. in fin. de frigid. & malefic.* ubi Præpoſitus, *n. 3. verſ. aut de impotentia apparet*, Anchar. *in c. 1. n. 10. eodem tit.*

Difficultas

Difficultas in hoc caſu reducebatur ad cauſas regulandi arbitrium, ut juſtum videretur devenire ad inſpectionem: quamvis poſt decretum Rotæ, ut Camilla, & Iacobus coniuges cohabitarent, & darent operam rei uxoriæ, nondum effluxiſſet triennium, & Rota legitimas cauſas interfuiſſe cenſuit.

Primo, quia exiguum tempus deſiderabatur ad triennium complendum, quod inceperat die 20. Iunij anni 1603. quo tamen tempore ſæpè fuit interrupta cohabitatio culpa Iacobi nolentis accedere ut debebat ad Camillam, quæ ſemper parata mandatis Rotalibus obediendo, maritum expectabat.

3 Secundò idem ſuadebat ætas Iacobi, qui ad 60. annos accedere videbatur, & cum ætate concurrebat aſpectus ejuſdem Iacobi, & qualitas corporis tenuis & debilis: unde facilè inhabilitas ad maritale opus perficiendum arguebatur.

Tertiò concurrebat relatio Medicorum, qui die 2. Maii anni 1603. poſtquam exploraſſent, retuleruntque quod licèt in eo non apparerent ſigna impotentiæ naturalis, ſed potiùs contraria, nec viderentur maleficiatus; apparebat tamen debilis complexionis.

Quartò accedebat relatio obſtetricum, quæ de mandato Vicarii Camillam inſpexerunt, & virginem reperiſſe retulerunt: & licèt ea tunc inſpectio non fuiſſet legitimè facta, nihilominus tamen aliquod adminiculum inſpectioni iterum legitimè faciendæ præbebat.

Denique quæ de modeſtia, honeſtate, & pietate Camillæ extrajudicialiter intellecta fuerant, multùm moverunt aliquem ex Dominis, ut pro inſpectione facienda faciliùs ſentirent.

Quibus non obſtabat prætenſa quædam Camillæ confeſ-
4 ſio dicentis ſe fuiſſe cognitam à Iacobo: quoniam non placuit Dominis probatio facta per teſtes, qui videbantur inſtructi: cùm per eadem verba teſtificarentur.

5 Denique non obſtabat, quod cùm probatio per inſpectionem ſit fallax, & lubrica, non poterat ex ea ſumi certum argumentum ad diſſolvendum Matrimonium.

6 Quia fuit reſponſum, quod cùm in hac materia non poſſit dari alia probatio, quando unus de conjugibus ſtat pro matrimonio, aliùs verò contra matrimonium, ideò controverſia per hoc genus probationis dirimenda eſt *c. fin. de frigid. & maleſic.* ubi Gl. *ſuper verb. ſeptima manu*, ubi communiter Canoniſtæ, & *c. propoſuiſti, de probat.* juxta quem textum inſpectio peragenda eſt; & legitimè facta quantum fieri poterit, omnem fraudem removebit.

Et ita, &c.

Bononienſis de Gargantibus, Mercurii 27. Iunii 1607.

Coram R. P. D. Marquemontio.

SUMMARIUM.

1 *Filium præſumitur mariti.*
2 *Filium præſumitur mariti, licèt probetur, mulierem tempore conceptionis concubuiſſe cum adultero.*
3 *Præſumptio, quòd filius ſit mariti eſt Iuris tantùm.*
4 *Præſumptio Juris, quod filius ſit mariti ceſſat probata abſentia ipſius mariti de tempore conceptionis.*
5 *Filius non præſumitur adulteri, ſed mariti, quotieſcunque ipſi marito patet acceſſus ad uxorem.*
6 *Mulieris aſſertio quod prolem ex adultero, non autem ex marito ſuſceperit, non attenditur: & n. 10.*
7 *Natus præſumitur conceptus nono, vel ſeptimo, menſe ante partum.*
8 *Dictio, In circa, denotat tempus incertum, ſaltem per ſex menſes.*
9 *Similitudo non eſt ſufficiens conjectura ad probandam filiationem.*
11 *Filiatio non probatur ex nominatione & tractatu alicujus ut filii in præjudicium Tertii.*
12 *Filiationis famam ut probent teſtes, quomodo debeant deponere.*
13 *Filiatio ubi agitur in judicio petitorio, concludentius probanda venit, quàm ubi agitur in judicio poſſeſſorio, & pro conſuetudine alimentorum.*
14 *Spurii de jure Civili nihil ex bonis paternis prætendere poſſunt: de jure autem Canonico ſola alimenta.*
15 *Spuriis non ſuffragatur pro ſucceſſione legitimatio obtenta abſque mandato patris poſt ipſius obitum.*

DECISIO XXVIII.

CUm hæreditatem Herculis, qui de anno 1595. condito teſtamento diem clauſit, adiviſſent germani ipſius fratres, eſſentque bonorum poſſeſſionem adepti, fuit illis excitata contra verſia per Lucretiam, eo colore quod ex amplexibus Herculis ipſa de anno 1594. effecta fuiſſet mater cujuſdam filiæ, cui *Gentilis* nomen fuit; quæ cùm legitimata fuerit à Comitibus Palatinis, extitiſſet dicto Herculi ſuo Patri hæres, & paulò poſt defuncta, tranſmiſiſſet dictam hæreditatem ad Lucretiam eandem ſuam matrem: cauſa in Rota commiſſa, & dato dubio an conſtet q. dictam Gentilem fuiſſe filiam q. Herculis, & Lucretiæ in caſu, & ad effectum de quo agitur, fuit utraque parte informante negativè reſponſum.

Certum eſt, quòd Lucretia annis 1593. & 1594. habebat Maritum Ioannem Baptiſtam, atque ideircò locus eſt præſumptioni, quod Gentilis fuit filia dicti Ioannis Baptiſtæ: *leg. nam civium, & leg. filium ff. qui ſunt ſui, vel alieni juris,* 1 *leg. quia ſemper, ff. de in jus vocan. leg. ſi vicinis, Codic. de nupt.* etiamſi eo tempore probetur copula, & adulterium Lu- 2
cretiæ cum Hercule: *leg. miles § functo. ff. ad legem Iuliam de adulter. leg. Titia, ff. de Carb. edict.* Cyn. *in dict. leg. ſi vicinus,* ibique Alberic. *n.* 3. Abb. *in c. per tuas, in tertio notab. de prob.* Alex. *conſ. octogeſimo octavo, n. 8. libro* 7. & innumeros refert Gabriël. *conſ.* 14. *de præſumpt.* Menochius *de arb. caſ.* 89. *n.* 20. *& præſumpt.* 53. *n.* 2. *lib.* 6.

Et licet iſta præſumptio ſit Iuris, tamen eſſe veriorem opi- 3
nionem dixit Rota coram Achill. *deciſ.* 1. *qui fil. ſint legit. &* deinde *in cauſa Firmana Iurispatronatus* 28. *Ianuarii* 1602. *coram Illuſtriſſimo Cardinali Pamphilio*, quamvis plurimi Doctores fuerint in alia ſententia; ut patet ex congeſtis per Petrum *de probib. feud. alienat. per Federic. quæſt.* 11. *num.* 314. 4
& 381. Et hoc caſu ceſſat omnis difficultas, ex quo de tempore, quo Gentilis fuit concepta, non allegatur abſentia mariti, quæ procul dubio admittitur adverſus iſtam Iuris præſumptionem. *leg. filium, ff. de iis qui ſunt ſui vel alieni juris,* Cutt. *in lege prima, §. idem Iulianus, ff. de agnoſcend. liber. lege tertia, §. ſi mater, ff. de Carb. edict.* Abb. *in d. cap. tuas, num.* 3. *& ibi.* Felin. & Dec. & Achil. *dict. deciſ. prima.* Mohed. *in deciſ. prima & ſecunda eodem titulo*, Alexand. *conſ.* 78. *num.* 7. *libro* 7. Pariſ. *conſ.* 29. *libro* 2. Covar. *de ſponſ. p.* 2. *c.* 8. *§. tertio, num.* 4. Gozzadin. *conſil.* 13. *num.* 45. Decian. *dict. tract. ſponſ.* 1. *num.* 92. *&* 99. *&* 127. & Rota *in dicta Firmana Iuris patronatus* 23. *Ianuarii coram Reverend. Patre Domino Coccino.*

Tamen cùm Lucretia non fuerit retenta in domo Hercu- 5
lis adulteri, ſed ut plurimum in ædibus in quibus etiam ipſe Ioannes Baptiſta morabatur, ibique illam cohibebat Hercules, & per conſequens nec illa in ſchemate concubinatus tenetet nec eſſet impeditus marito acceſſus ad illam, legis præſumptio eſt hoc caſu firmiſſima, prolem eſſe mariti, non verò amaſii adulteri; ut ex plurimorum ſententia refert Menoch. *dict. præſumpt.* 53. *num.* 4. *lib.* 6. & faciunt tradita per Surd. *conſ.* 1. *num.* 54. *&ſeq. lib. primo*, nec attendi debet Lu- 6
cretiæ prætenſio, cùm ipſa facile potuerit confingere ſe Gentilem de Hercule ſuſcepiſſe, contra præſumptionem juris; Bald. *conſ.* 129. *num.* 30. *libro* 1. *& conſ.* 157 *numero ſecundo, libro* 3. Alexand. *conſ.* 152. *numero* 7. *libro* 5. & propterea tanto magis abſentia mariti de tempore, quo Gentilis potuit concipi, plenè & concludenter eſt probanda: præſertim quod Lucretia ſit actrix, cujus intentionis fundamentum eſt ipſa mariti abſentia: Cravet. *conſ.* 158. *num.* 3. Alexand. *conſ.* 157. *num.* 2. *libro.* 5. Paleott *de noth. & ſpur. cap.* 24. *num.* 2. Covar. *dict. num.* 8. *an princip.* Petrus *ubi ſupra, n.* 357. Bero. *conſ.* 161. *num.* 10. *volum.* 2. Pariſ. qui teſtatur de communi, *conſilio* 64. *numero* 6. *lib.* 3 Ruin. *conſ.* 53. *num.* 5. & allegat *deciſ. in cauſa bonorum de Bruchis coram ſanct. mem Clemente VIII.* 23. *Iunii* 1578.

Hic autem non adeſt talis probatio: quia teſtes non con- 7
cordant præcisè circa abſentiam Ioannis Baptiſtæ de tempore, quo Gentilis potuit concipi; quæ ex regula Iuris debuit eſſe à tempore Februarii uſque ad menſem Maii, cùm ipſa Lucretia in principio Novembris partum edidit, *leg. ſeptimo menſe, ff. de ſtat. homin. leg.* 3 *§. ultimo ff. de ſuis & legit. leg. Gallus in princip. de liber. & poſthum.*

Primos enim, & Secundus loquuntur expreſsè de tempore nativitatis: Nonus & Undecimus nihil omninò firmant, & deponunt cum dictione *In circa*, quæ denotat tempus in- 8
certum, ſaltem per ſex menſes: Alexand. *conſ.* 19. *num.* 12. *& conſ.* 82. *in fin. vol.* 7 Guido Pap. *deciſ.* 290. *& ſingul.* 436. Rebuffus *in praxi, tit. de diſponſ. ætatis in verbo, ſeu circa, & in tract. de Nomin. quæſt.* 11. *in fin.* Ultimus non probat quia ejus depoſitio non eſt de actis: Quintus qui ſolus urgere videtur, deponit etiam ipſe per verbum *in circa*: nec omninò ſatisfacit circa cognomen Ioannis Baptiſtæ.

Nec verò à ſupradicta præſumptione hoc caſu recedendum eſt, ex conjecturis deductis à ſimilitudine, nominatione, 9
tractatu,

ctatu, & Baptiſmo; ut per Doctores citatos per Surd. *deciſ.* 83. *num.* 21. & tenuit Rota *in allegatis deciſionibus coram Achille, & Domino Cuccino.*

Nam quòd Gentilis effigiem Herculis exprimeret, ultra quod unus tantùm teſtis de illa deponit; hanc in ſpecie conjecturam reiiciunt, in his terminis, Curt. Iun. *conſ.* 31 *num.* 3. Alciat. *regul.* 3 *præſumpt.* 28 *num.* 7 Socin, *dict. conſ.* 14 *num.* 7.

10 Petrus *ubi ſupra*, n. 459 ibique teſtantur de communi. Sicut & aliam de aſſertione matris reiiciunt. Barbat. *conſ.* 58. *ſub. n.* 2. Curt. *dict. conſ.* 31 *ſub num* 3. Capt. *conſ.* 2. *ſub num.* 1. Paleott. *dict. cap.* 74 *num.* 6. Menochius *dicto caſu* 89. *num.* 27. & eſt text. *in lege penultima, aliàs fin. §. mulier, gravida, de probat.*

11 Idem dicitur de nominatione, & aliis, maximè in Tertii præjudicium ut hoc caſu Petrus *ubi ſupra, numero* 391. Gabriel. *conſ.* 140. *num.* 44. & *dict. conſ.* 158 *numero* 7. *lib.* 2. Iaſ. *conſ.* 106. *numero* 3. *volumine primo*, vet. Dueno. *reg.* 141. *in* 1 *ampliat.* Natt. *conſ.* 473. *n.* 14 & eſt text. *in leg. neque, Cod. de probat.* Et accedit hoc caſu, quod tractatus per modicum tempus duravit, cùm Hercules deceſſerit ſeptimo menſe poſt natam Gentilem: Dec. *conſ.* 64. *n.* 21. & 22.

Præterea iſtæ coniecturæ probantur per teſtes ſingulares, vel de auditu: & deſcriptio in libro Baptiſmali redditur multùm turbida, ex depoſitione Parochi, qui in ejus dicto parum conſtans fuiſſe videtur; & hæc omnia facile potuerunt procedere ex credulitate ipſius Herculis, ut dicitur *in prafata deciſione Achil.*

12 Non obſtat fama & communis reputatio filiationis: quia hæc ipſa aderat in aliis deciſionibus, & aliæ urgentiſſimæ coniecturæ, quæ hic deſiderantur; ſed nec talis fama probata eſt, & in dictis teſtibus non adſunt requiſita ad illam probandam, de quibus in terminis, Ruin. *conſ.* 52. *n.* 7. *lib.* 5. Gozzad. *conſ.* 13 *n.* 29 latè Peregrin. *ubi ſupra, n.* 476.

13 Atque eo magis, quia agitur de gravi præjudicio, nempe de avocanda hæreditate a conſanguineis poſſeſſoribus: quo caſu certum eſt, requiri concludentiores probationes, quam ſi de alimentis & filiatione in poſſeſſorio ageretur; Bald. *conſ.* 180 *n.* 30 *lib.* 9. Caſtr. *conſ.* 434. *in princip. lib.* 1. Alciat. *dict. præſumpt.* 83. *n.* 6. & 8. Covar. *dict.* § 30. *n.* 10. & facit *d. dec.* 1. Achill. *num.* 6.

Denique in omnem eventum non poteſt conſtare de filiatione ad effectum ſucceſſionis, cùm Gentilis fuerit ſpuria

14 quæ in bonis paternis nihil ex regulis Iuris civilis prætendere poteſt: *auth. ex complexu, Cod. de natural. liberis*: & de æquitate Canonica ſola alimenta; *cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.*

15 Nec juvat legitimatio, utpotè obtenta abſque Herculis mandato; & poſt illius mortem: Ancharanus *conſ.* 241. *n.* 2. Decius *conſ.* 338. *n.* 9.

Salamantina dimidiæ portionis, Veneris 23. Ianuarii 1609.

Coram R. P. D. Marcomontio.

SUMMARIUM.

1 *Morbum caducum, Comitialis à Iuriſconſultis appellatur: & quare num.* 17.
2 *Morbus caducus ſemper eſt pernicioſus, & curatu difficilis.*
3 *Morbus caducus in ætate provectit vix ulla arte eſt medicabilis.*
4 *Morbo caduco laborans, inhabilis eſt ad beneficia obtinenda.*
5 *Collatio beneficii facta laboranti morbo caduco, eſt nulla ipſo jure.*
6 *Morbo caduco laborans eſt irregularis: prohibetur enim promoveri ad Ordines, & promotus ſuſpenditur.*
7 *Irregularitas inhabilitat ad obtinenda beneficia.*
8 *Morbus caducus non inhabilitat de Iure ad obtinendum beneficium, in quo non requiritur aliquis Ordo ſacer.*
9 *Morbo caduco laborans non eſt ſuo facto irregularis, ſed ex accidenti.*
10 *Ordo debet eſſe annexus Canonicatibus ex diſpoſitione ſacri Concilii Tridentini.*
11 *Confeſſio nocet impetranti, etiam in his, quæ à voluntate ipſius non pendent.*
12 *Morbi caduci effectus.*
13 *Morbi caduci exiſtentia probata, ſi quis illius deficientiam alleget, probare tenetur.*
14 *Epilepſia, & aliarum infirmitatum non eſt par ratio.*
15 *Epilepſia eſt inter valitudinarios, & ſenſuum cum læſione convulſos.*
16 *Ordinum ſacrorum adminiſtratio interdicta eſt cuilibet patenti mentis alienationem.*
18 *Morbo caduco affectis Sacramentorum adminiſtratio non eſt committenda.*
19 *Dimidiæ portiones in Eccleſia Salamantina aſſequuntur per aſcenſum, & novum titulum.*
20 *Beneficium ubi debet conferri Sacerdotibus, id debet intelligi de Sacerdote, qui tempore proviſionis poſſit actu Miſſam celebrare.*
21 *Beneficio, quod requirit reſidentiam, non poteſt per Vicarium inſervire.*

DECISIO XXIV.

DOmini cenſuerunt non potuiſſe provideri quondam Bartholomæo de Eſcobar de dimidia portione in Eccleſia Salamantina. Ratio deciſionis fuit, quia ex teſtibus datis *in ſummario Franciſci Fryle*, & ex ipſa confeſſione Dominici, qui in jus & poſſeſſionem Bartholomæi ſubrogari obtinuit, conſtat quod dictus Bartholomæus de tempore factæ proviſionis, & pluribus annis antea, patiebatur morbum caducum, ſeu ut Iuriſconſulti appellant Comitialem: 1
l. qui Tertiana, de adil. edict. leg. 1 § 1 *ff. de auth. & conſen. tutor.* qui morbus ſemper pernicioſus, & curatu difficilis, 2
potiſſimùm tamen in ætate provectis vix ulla arte eſt medicabilis: Hippocrat. *lib.* 5. *aphoriſm. ſect* 2. *aphoriſm.* 7. ibique etiam Galenus, atque ex mente utriuſque Ioannes Marinell 3
apud Hiſpan. ſect. 2. *aphoriſm.* 45.

Quo ſuppoſito ſequitur, quod Bartholomæus fuit inhabilis ad obtinenda beneficia, quodque proviſio illi facta, fuit 4 5
ipſo jure nulla: Ægidius *in cap. cùm inter Canonic. num.* 13 *de elect.* Hoſtienſis, Ioannes Andreas & alii quos refert Verallus *deciſ.* 136. *in princ. p.* 2. Ubi etiam dicitur, caducum 6
eſſe irregularem, cùm impediatur promoveri ad Ordines, & promotus ſuſpendatur juxta textum cum Gloſſa *in cap. communiter*, 23. *diſtinct.* latè Maiol. *de irregular.* Irregularitas au- 7
tem inhabilitat ad beneficia acquirenda, *c.* 15 §. 1. *de ſentent. excommunic. in* 6. Abb. *in c. cum noſtris, n.* 22. *de capceſſ. prabend.* Rebuff. *de pacific. poſſ. ff. n.* 226. Silvan. *de benefic. p.* 3. *q.* 2. *n.* 11. facit *lex* 1. §. *caſum ff. de poſtul.*

Nec obſtat quod iſtud vitium, ſeu iſte morbus non inha- 8
bilitet de Iure ad obtinendum Canonicatum, aut beneficium, in quo aliquis Ordo ſacer non requiritur, ex ratione 9
quod patiens talem morbum, non eſt ſuo facto criminoſus, aut irregularis, ſed ex accidenti; Verall. *dict. deciſ.* 236. Chiſan. *deciſ.* 94. faciunt tradita per Navar. *conſ.* 14. *num.* 4. *de reſcript.* ex Innocent: *in cap. ſin. de exceſſib. Prael.* Unde infertur, quod in hoc caſu Bartholomæus non erat inhabilis, quia dimidia portio non requirit ſuſceptionem & annexionem Ordinis ſacri: fuit enim reſponſum, quidquid ſit in aliis Eccleſiis, attamen in Eccleſia Salamantina, in qua exiſtit dimidia portio, de qua agitur, Ordinem Sacerdotalem eſſe dimidiis portionibus annexum: ut dixit Rota *in cauſa Salamantina integra portionis* 24. *Aprilis* 1582. *coram fœlicis memoria Clemente VIII. tunc Rota Auditore*, & conſtat ex ſtatuto illius Eccleſiæ dato *in ſummario Franciſci num.* 3. Ubi etiam dicitur id obtinere ex immemorabili conſuetudine, atque iſta conſuetudo tanquam magis laudabilis, eſt ſervanda: ut ſentit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 14. ubi jubet, quod annectantur Canonicatus & portiones ordini- 10
bus ſacris, ita ut dimidia pars ſaltem fiat Presbyteri. Ubi verò conſuetudo laudabilior habet, quod plures vel omnes ſint presbyteri, omninò obſervetur.

Non obſtat quod dicitur, morbum quondam Bartholomæi non probari ex confeſſione Dominici, quæ minimè pendet à voluntate confitentis: maximè cùm Dominicus non reſtrinxerit, nec coarctaverit ſuam impetrationem ad illum modum vacandi: fuit enim reſponſum quod in valore, 11
& in aliis, quæ non pendent à confeſſione impetrantis, ſua tamen confeſſio nocet impetranti: Et quamvis ex clauſulis generalibus poſſit Dominicus capere aliam vacationem, non ideò ſequitur quod poſſit tollere illud quod præciſè in ſua gratia narravit.

Deinde cum Dominici confeſſione concurrunt teſtes, 12
etiam Medici, qui deponunt vidiſſe ſæpiùs Bartholomæum corruentem, & ex ore vomentem ſpumas, ita ut dubitari non poſſit quin detineretur comitialis morbi affectionibus, quas tradit Cornelius Celſus *lib.* 3. *c.* 24. 13

Nec facit quod alii Medici dixerunt, morbum Bartholomæi non fuiſſe perpetuum, & incurabilem, Nam ultra quod atteſtati ſunt contra ſententiam prædictam Hippocratis

&

& Galeni : adhuc sufficie ad effectum, de quo agitur, quod constet de existentia illius morbi : & dictum Bartholomæum fuisse illo liberatum debet probari ab allegante, ut dicit in terminis Abbas *in d.c. cum inter Canonicos, n. 7. in fine*, posit Ioannem Andream Butr. & alios.

Non obstat quod aliqui podagra vehementi, vel alio morbo perpetuo impediti, fuerint nihilominus à Capitulo provisi de similibus dimidiis portionibus Ecclesiæ Salamantinæ, quando prius erant Sacerdotes, prout erat Bartholomæus eo tempore, quo illi facta fuit provisio de ista dimidia portione : Nam quidquid sit, an illud assumptum probetur, & an relevet ; Respondetur non esse parem rationem Epilepsiæ, & aliarum infirmitatum : quia Epilepsia, teste Gal. *lib. 3. de* 14 *laborantium locis*, est intervallata mentis, & sensuum cum 15 læsione convulsio : quilibet autem, quamliber mentis alienationem patiens, interdicitur ex quotidie Ordinis ob periculum & scandalum circa Sacramenta ; Ifid. *libro tertio, quæst.* 16 *82. versic. fin.* Archid. & alii *in dict. capit. communiter*. Et quidem si olim ille morbus fuit dictus Comitialis, quia talis videbatur ipsa concidendi, seu corruendi deformitas, ut ubi cuicumque è populo supervenirent, statim Comitia dirimerentur ; magna cum ratione Sacræ Ecclesiæ Antistites censuerunt, ne huic vitio affectis Sacramentorum administratio committeretur.

Non obstat quòd Bartholomæus esset jam presbyter, cùm 17 enim stante illa positione esset ab Altari remotus, & ab Ordinario expressè prohibitus, ne amplius celebraret, non debuit illi provideri de beneficio, per cujus assecutionem de- 18 nuò adiceretur, & restitueretur Altari : quod autem ad istas dimidias portiones decernatur per ascensum & novum titulum, fuit dictum *in prædicta Salamantina coram Clemente octavo* : facit *decisio* Rotæ *6. numero primo, quinto & sexto, de consuet. in nov.* Bellam. *decis. 63 numero quinto*, & constat manifestè, ex quo per Capitulum fuit facta Bartholomæo nova provisio.

Nec subsistit, quod per alium deservire Bartholomæus 20 potuisset : Nam ultra quod dici potest statutum, disponens, quod dimidiæ portiones remaneant Sacerdotibus de Missa, requirere Portionarium, qui de tempore sibi acquisitæ portionis possit actu Missam celebrare, ad not. per Barbos. *consilio trigesimo tertio, numero octavo, lib. 2.* Abbas *in capit. cum in cunctis, § inferiora, numero decimo*, & Decius *numero duodecimo de electione*. Paris. *consilio quinquagesimo, numero decimo* 21 *septimo, libro quarto*, cùm ista dimidia portio requirat residentiam, & etiam ex prædicto statuto sacerdotium, magis est quod Bartholomæus non inservivisset sufficienter per Vicarium : Lap. *alleg. 35. numero quarto, & alleg. 117 numero secundo*, Decius *in c. p. cum omnes, num. quinto & sexto, de constitut.* Abb. *in capit. pen. de Cleric. non resid. num. 4.* Silv. *de benefic. part. 4. quæstione 1. colum. 1. circa med.* facit Consil. Tridentin. *sess 22. capit 3. de reformat. & sess. 24. capit. 12. §. Præterea*, ibi, *omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia*.

Denique ipsemet Dominicus dixit in sua impetratione, quod Bartholomæus non poterat adimplere ministerium, & servitium Altaris : sicque improbavit servitium, quod per Vicarium fieret. Atque ex his, utraque parte informante, fuit pro Francisco resolutum, &c.

Romana Bonorum Vener. 26. Iunii 1609.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Curator dandus est tam furioso, quàm mente capto.*
2 *Dispositio juris in furioso procedit in mente capto.*
3 *Furiosus quis dicatur ?*
4 *Mente captus quis dicatur ?*
5 *Furor probari debet ab allegante.*
6 *Mentis sanæ quilibet præsumitur.*
7 *Testibus deponentibus de sana mente magis credendum est, quàm iis qui de dementia testantur.*
8 *Testes deponentes de sana mente habent juris præsumptionem pro se.*
9 *Dubium facti decidi debet secundum naturalem æquitatem.*

DECISIO XXX.

1 ETsi curator nedum sit dandus furioso, verum etiam
2 mente capto : quod enim jus statuit in furioso, habet locum in demente, seu mente capto, & è contra : ut notat Fulgos. *in consilio 29. ante num primum, vers. super eo, quod quæritur* : Furiosus enim est mente captus cum sæva dementia & quadam veluti rabie : Mente captus verò est cum quie- 4
ta dementia, Baldus *in l. humanitatis, num. 15. vers. venio, ad quartum notabile : C. de impuber. & aliis substitut.* sequitur Fulgos. *dicto loco n. 1. vers. nam eleganter.* 3

Tamen in casu isto non est locus curatori, quia de furore nullo pacto constat qui debet probari ab allegante, cum qui- 5
libet præsumatur sanæ mentis : ex allegatis per Illustrissimum Mantic. *de conjectur. ult. volunt. lib. 2. tit. 5. n. 2.* 6

Circa dementiam verò, licèt probationes videantur contrariæ, tamen magis est standum testibus deponentibus contra dementiam, quia cum, ut dictum est supra, quilibet præ- 7
sumatur sanæ mentis, in concursu magis est standum testi- 8
bus, qui habent præsumptionem juris pro se ; Baldus *in authent. omnes Peregrini, n. 10. in principio, Cod. commun. de succes.* & latè prosequitur Francisc. Curtius *de Testibus, conclus. 3. num. 22.*

Et si dicatur, quod ex depositionibus testium resultat du- 9
bium facti, quod debet decidi secundum naturalem æquitatem, ut per Bald. *loc. prox. alleg.* tamen, nec ulla æquitas suadet, quod in concursu probationum magis credatur testibus deponentibus super dementia, quam deponentibus super sana mente.

Romana stupri, seu dotationis, Venetis 19. Martii 1610.

Coram R. P. D. Sacrato.

SUMMARIUM.

1 *Stuprata puella præsumitur Virgo tempore carnalis cognitionis, nisi contrarium probetur.*
2 *Et declaratur hoc procedere quando agitur civiliter ad effectum consequendi dotem, secus si criminaliter ad effectum pœnæ.*
3 *Virgo præsumitur mulier, quæ pro Virgine tenebatur & reputabatur.*
4 *Virgo præsumitur puella, quæ recusat ab aliis cognosci.*
5 Credo, *verbum importat explicitam confessionem in principali.*
6 *Zelotypia, & suspitio semper concomitantur impuros amores.*
7 *Virginitas præsumitur ex emissione sanguinis in cognitione carnali.*
8 *Testes mulieres, viles, & inhonestæ admittuntur, & probant cum tormentis, & fustibus adminiculis in probatione stupri.*
9 *Et 10. Stupri non causatur ex attentatione facta à pueris.*
11 *Testis depositioni in judicio facta magis standum est, quàm extra judicium.*

DECISIO XXXI.

IN casu stupri, quam Agatha civiliter, & ad effectum dotationis intentat contra Sixtum, Domini resolverunt constare debono jure Domin. Agathæ, hoc est de virginitate, quando primùm Sixtus illam carnaliter cognovit. 1

Primò, quia ista est qualitas, quæ inest à nativitate, & quæ per solum temporis cursum non mutatur : unde præsumitur durare, nisi contrarium probetur : Clarus qui de communi, *in sua praxi, §. Stuprum, vers. sed pone* : alios plures refert Mercoch. *de præsumpt lib. 6. præsumpt. 89. per totam.*

Quibus non obstant Matsil. *consilio 7.* Cæpoll. *consilio. 57. per totum* : Quia loquuntur ad effectum pœnæ, & in statuto exorbitanti, secus ad effectum civilem, & agente, ex dispositione juris communis ; & quidquid in istis terminis dicere possent : attendenda est vera & communis, de qua supra. Non etiam obstat Bursat. cum aliis ab ipso allegatis. *consilio vigesimo numero decimo.* Quia non loquuntur in qualitate, quæ insit à natura, & ideo non faciunt ad propositum casum. 2

Secundò, prædicta eo magis videbantur habere locum in hac muliere, quæ in domo civilium & honestorum parentum, publicè & palam tam in habitu, quàm in cæteris se gerebat pro virgine : unde talis præsumebatur ; arguendo à contrario sensu, *in l. apud Labeonem, §. si quis virginem, Digestis, de injuriis* : facit text. *in cap. si Judex, §. idemque esse censemus, de sent. excomm. in 6.* 3

Tertiò, fuit considerata confessio ipsiusmet Sixti in judicio criminali, in qua dicit se credidisse & habuisse istam mulierem pro virgine ; & addit optimam rationem, nempe quod ipse in domo contigua habitans, illam adamavit 4

pet

per tres annos, & ipſa cum: & cùm eam pluries ſollicitaſſet, illa ſemper negavit ſe poſſe illi complacere propter multos oculos, qui ſuper illam invigilabant in domo paterna. Vnde concludit, quod ſi hoc non potuit ſecum eſſe credibile, quod neque potuerit cum aliis.

5 Non obſtat, quod Sixtus loquens de Virginitate Agathæ utatur verbo, *Credo*, quia in principali illud verbum importat explicitam confeſſionem, Gloſſ. *in cap. ex litteris, verbo, occulta veritate, de jurejurand.* Specul. *titul. de poſit.* §. *Sexto tractandum, num* 11 Baldus *in l.* 1. *in fin. Cod. de falſ. cauſ. adjeƈt. leg.* Abbas *in capit. quoties, num.* 8. *de teſtibus*, Iaſon. *in rubr. de jurejurand. num.* 10. *verſ. ſecundo adverte*, Decius *conſil.* 47 *num.* 6. Max mè attenta ratione per illum expreſſa, quæ ampliat dictum: ad tradita per Baldum *in l. Conventicula, num.* 6 *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Abb. *in dict. cap. quoties, num.* 6. *de teſtibus.* Alexand. *conſil.* 24, *num.* 14. *lib.* 2. Iaſon *in l. fin. num.* 6 *ff. de offic. procur. Cæſ.*

Minùs faciunt alia, quæ in eod m examine ſubjungit Sixtus, ex quibus appareat ipſum dubitaſſe de honeſtate Agathæ: quia non tollunt confeſſionem expreſſam, maximè 6 boratam ratione, de qua ſupra: ſed concludunt quandam ſuſpicionem, ſive Zelotypiam, quæ paſſiones nunquam abſunt ab iſtis impudicis amoribus.

7 Quartò pro Agatha multum facere videbantur duæ fœminæ in cauſa criminali examinatæ, quæ explicitè dicunt *che Siſto ſuergine Agata*: & quod ipſa viderunt ſigna virginitatis, & quod fuerunt etiam oſtenſa Sixto, qui non negabat ſtuprum, & hoc idem fatetur Sixtus in ſuo examine, nempe quando primùm cognovit Agatham, ſibi oſtenſa fuiſſe dicta ſigna, licèt dicat potuiſſe eſſe procurata aliquo artificio muliebri: qua reſponſione creditur poſſe etiam evitari depoſitio prædictarum mulierum.

Verùm Domini, non obſtante hac poſſibilitate, habuerunt prædicta ſigna pro relevantibus, ex quo Doctores paſſim illa admittunt, nempe Gloſſ *in capit. ſatis*, 33. *quæſtion.* 5. Afflict. *deciſion.* 236 *num.* 3. Abb. Aretin. & alii *in cap. propoſuiſti, de probat.* imò ipſamet ſacra Pagina *in Deuteronom. capit.* 22 ibi, *& ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad Seniores Urbis.*

Et licèt dicatur, dictas fœminas eſſe viles, & forſan inho- 8 neſtas; attamen illorum dictum viſum fuit Dominis multum conſiderabile, cùm ſit adminiculatum ex confeſſione Sixti, *ad deciſ.* Cæſar de Graſſ. *num.* 4 *& 8 de ſponſal. & matrimon.* & una illarum ſuſtinuerit in tormentis; quod diluit maculam: Felin *conſil.* 36. *num.* 9. Clarus *in prax.* §. *fin. quæſt.* 25. *in princip.* Et quia in iſtis materiis, non ſolent adhiberi perſonæ honeſtæ; unde debent admitti teſtes, quales haberi poſſunt: Iaſon *in l.* 1. *in ſecunda lect. num.* 48. *& in fin. & num.* 50 *Cod. de Sum. Trinit. & fid. Cathol.* Decius *conſil.* 342. *num* 1. *&* 3 Grammat *conſil.* 50. *num.* 14. *in civilibus.*

9 Ad illud, quod Agatha conſtituta in Monaſterio pro exoneratione ſuæ conſcientiæ, confeſſa fuerit ſe antequam Sixtus illam cognoſceret, fuiſſe aliàs cognitam per quendam puerum, dum iret ad ſcholam: fuit reſponſum talem cognitionem non concludere pertreceſſe amiſſionem virginitatis, cùm potuerit eſſe ſimplex attentatum puerile, quod non cauſat ſtuprum: Baldus *in l. ſi quis non dicam, num.* 19. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Bené Majol. *de irregular. lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 34

10 Et quod fuerit delictum puerile, ſit veriſimile ex eo, quod regulariter non admittimur ad Scholas viri puberes cum puellis viripotentibus, & ex fide Baptiſmi Agatha erat ætatis teneriotis, unde virum admittere non poterat.

Secundò prædicta atteſtatio Agathæ viſa fuit multum ſuſpecta, tanquam extorta clam, & contra conſtitutiones Monaſterii, & ad inſtantiam Fratris Sixti, ut ſcilicet idem Sixtus liberaretur à pœnis criminalibus, quæ illi jam conſtitutæ in carceribus imminebant.

Tertiò fuit dictum, quod quatenus in confeſſione Agathæ, poſſet fieri fundamentum, magis eſſet attendenda alia confeſſio, quam fecit in judicio, & in qua contrarium dicit: tum quia judicialis: ad notata *in l. unica, Cod. de confeſſ.* Gloſſ *in l.* 2. *verb. apud Judices, ff. de interrogat. act.* Abb *in cap. ex parte, num.* 14 *de confeſſ.* Tindar. *tractat. de teſtament. cap.* 7. *num* 32 tum quia prior: Grammat. *conſil.* 59 *num.* 7. *in criminal.* Cæſar de Graſſ *deciſ.* 3. *num.* 3. *de ſponſ. & matrimon.* facit text. cum *ibi* notat per Bartol. *in l. generaliter, num* 16. *Cod. de non numerat. pecunia*, tum quia magis adminiculata: Abbas *in cap. litteras, num.* 2. *de præſumpt.* Roland. *conſil.* 40. *n.* 13. *lib.* 1. Gabr *conſil.* 173. *n.* 4. *lib.* 1.

Ad aliud, quod Sixtus non cognoverit Agatham in domo 11 Patris, ſed in domo Lucretiæ mulieris vilis & parum honeſtæ, unde retorquetur præſumptio de qua ſupra in ſecundo fundamento: fuit reſponſum ex amore præcedenti, iteratis ſollicitationibus contra honeſtatem Agathæ, de quibus ſupra, ex depoſitione prædictæ Lucretiæ, quæ in tormentis ſuſtinuit ſe ad inſtantiam Sixti ſollicitaſſe Agatham ad diſcedendum domo paterna; ex modicitate temporis: Nam Sixtus fatetur, *che in capo adunc, à doi giorni, che non la vidde per caſa del Padre, la trovò à caſa di Lucretia*, & ibi rem habuit cum illa: ex eo quod, ut idem fatetur, Agatham ex poſt aluit & veſtivit, ſatis colligitur, vel quod Agatha ad inſtantiam Sixti diſceſſerit à domo paterna, ut ipſamet deponit in ſuo examine; vel ſaltem quatenus diſceſſerit ſponte, & ex cauſa indignationis cum ſuis parentibus, ut profitentur informantes pro Sixto diluitur ſuſpicio, quod in illa domo facta fuerit ſtuprata antequam Sixtus ad illam accederet, &c.

Taurinenſis Matrimonii, Veneris 2. Decembris 1611. 1

Coram R. P. D. Penia.

SUMMARIUM.

1 *Mulier annorum octo, & menſium decem, matrimonium validè non contraxit, niſi probetur prudens & diſcreta.*

2 *Ætas legitima à Legibus determinata requiritur in contrahendis pro validitate matrimonii.*

3 *Ætas annorum duodecim requiritur in fœmina pro contrahendo matrimonio.*

4 *Ætas annorum quatuordecim requiritur in maſculo, ut valeat matrimonium contrahere.*

5 *Matrimonium ad ſui validitatem requirit numerum annorum, pubeſcentiam corporis, & potentiam coëundi.*

6 *Matrimonium quandoque contrahi poteſt ante pubeſcentiam per verba de præſenti, ſed contrahentes debent eſſe pubertati proximi.*

7 *Pubertati proxima dicitur mulier quæ in undecimo, vel circa duodecimum annum eſt conſtituta, ſecundum aliquos.*

8 *Pubertati proximus dicitur qui ab illa diſtat per ſex menſes vel minus ſecundum aliquos: & hæc opinio venit amplectenda, num.* 11.

Ejus tenetur communiter à Doctoribus, n. 12.

Et approbatur à Rota, n. 13.

9 *Ætati alicui proximus dicitur, qui ab illa diſtat per ſex menſes.*

10 *Pubertati proximus dicitur, qui eſt circa finem pupillaris ætatis, vel ipſam exceſſit per tres dies ſecundum Hoſt.*

14 *Pupillus dicitur qui eſt in ætate diſtante à pubertate per ſex menſes tantùm.*

15 *Impuberibus non eſt danda licentia contrahendi matrimonium, niſi ii ſint adeò proximi pubertati, ut malitia ſuppleat ætatem.*

16 *Pubertatis tempus anticipat potentiam coëundi.*

17 *Matrimonium contractum cum puella maiori ſeptimo, & viripotente ſuſtinetur, licet non poſſit dici pubertati proxima.*

Contrarium, num ſeq.

18 *Matrimonium contractum cum puella impubere ad hoc ut ſit validum, non ſufficit quod puella ſit viripotens, ſed inſuper intelligat vim conſenſus conjugalis.*

19 *Malitia tunc dicitur ætatem ſupplere, quando in impubere, qui matrimonium contrahit, concurrit potentia coëundi, & ſcientia ejus, quod eſt matrimonii vinculo ligari.*

20 *Diſcretio eſt neceſſaria ad contrahendum matrimonium.*

21 *Diſcretio ad contrahendum matrimonium neceſſaria non qualibet ſufficit, ſed magna requiritur.*

22 *Diſcretio ad matrimonium neceſſaria præſumitur adeſſe concurrente ætate pubertati proxima.*

23 *Matrimonium eſt invalidum, ſi contrahatur cum puella ætatis longè diſtantis à pubertate.*

24 *Diſcretio puellæ non benè probatur ex aliquo ejus dicto, cùm potuerit inſtrui ad ſic dicendum.*

25 *Puella quæ patitur ſe explorari, & tangi à viris, ad referendum eius virginitatem, non diſcreta, ſed innocens & imbecillis judicis ex tali permiſſione apparet.*

26 *Inſpectio mulieris ad cognoſcendam ejus virginitatem, indignum & indecorum eſt quod fiat à viris.*

27 *Matrimonium in dubio validum judicari debet.*

Declara, ut num. 28.

DECI

DECISIO XXXII.

DE menſe Iulio anno 1609. Præpoſitus Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Corgnati, ſeu ille qui curam animarum tegebat, & de licentia Archiepiſcopi Taurinenſ. matrimonialiter per verba de præſenti copulavit Franciſcum Mollum ætate & corpore habilem, & Catharinam Pomam in ætate octo annorum & decem menſium conſtitutam. prædictumque matrimonium per copulam carnalem ſubſequutam conſummarunt, ſicuti Periti Medici, & Chirurgi, qui puellam exploraverant, teſtabantur affirmantes ſe de conſenſu, & bona voluntate ejuſdem Catharinæ eam viſitaſſe, & vidiſſe apertas partes & obſtacula virginalia, quæ ibi in virginibus reperiri ſolent, & Chirurgos adhibito tactu exploraſſe virginis pudenda, quæ affirmaverunt non ſenſiſſe doloremimò retuliſſe ſe non ſenſiſſe amplius dolorem in actu copulæ, ſicut ſenſerat à principio. Unde prædicti Periti pariter retulerũt, ſe clarè cognoviſſe Catharinam fuiſſe defloratam, & carnaliter cognitam, nec propterea repertum ſignum aliquod lacerationis, aut violentæ violationis in pudendis illis partibus. Inſuper addiderunt in puella apparere initia pubertatis, videlicet teneram lanuginem. Obſtetrices etiam adhibitæ affirmabant ſe viſitaſſe Catharinam, eamque reperiſſe carnaliter fuiſſe cognitam, & adhibito tactu reperiiſſe aperta clauſtra virginalia.

Cæterùm, quia Catharinæ tutores in Curia Archiepiſcopali querelam porrexerunt contra Franciſcum Mollum tanquam raptorem, & ejuſdem Catharinæ violatorem, Archiepiſcopus eandem Catharinam ſub ſequeſtro poni mandavit à quo prætenſi conjuges, cum ad Nuncium Apoſtolicum appellaſſent, Nuntius ad eundem Archiepiſcopum cauſam remiſit, & cum ab hoc decreto iterum conjuges appellaſſent, cauſa introducta in Rota. Dominus Cardinalis Lancellotus, tunc Auditor die 8. Maii 1601. dubitavit an conſtaret de validitate Matrimonii, & tunc cauſa fuit dilata, quoniam valde tunc fuerat dubitatum an Catharina eſſet prudens & diſcreta: nam in tam tenera ætate, niſi accedat diſcretio, non
1 contrahit validum matrimonium: ideo ut veritas exploraretur, petita fuit Remiſſoria, & ſub die 27. Aprilis 1610. fuit in Rota conceſſa, qua reproducta, propoſito iterum dubio an conſtaret de valido matrimonio? coque propoſito ſub die 22. Iunii, cauſa fuit remiſſa ad Kalendas, & die 2. Decembris iterum propoſita, Rota contra Franciſcum Mollium, & Catharinam Pomam prætenſos conjuges ſolum informantes non conſtare de valido matrimonio reſpondit.

2 Primò quia cùm ad matrimonium validè contrahendum legitima ætas legibus, vel Canonibus determinata, requiratur, *cap. 1. de deſponſ. impub.* nempè in fœmina annus duo-
3 decimus, *cap. continebatur. de deſponſat. impub.* in maſculo
4 autem annus decimus quartus. *cap. atteſtationes, & cap. ex literis, eo tit.* quæ ætas ita à Sacris Canonibus conſtituitur, ut tunc conjuges habiles ad copulam, & ad conſenſum conjugalem mutuò præſtandùm præſumantur. *cap. puberes, de deſp. impuber.* ubi id notant communiter Gloſſ. & Doctores; in hoc caſu puella longo tempore à pubertate diſtabat, videlicet ad minus duobus annis & duobus menſibus.

Secundò, quia tria regulariter requiruntur ad effectum ut
5 matrimonium validè contrahatur, videlicet annorum numerus, pubeſcentia corporis, & effectus potentiæ coëundi: ita communiter Canoniſtæ *in d. cap. puberes*, ubi Antonius de Butr *num.* 2 Panormitanus *num.* 3. Alexander de Nævo, *n.* 3. Ancharanus *n.* 3. Præpoſitus *num.* 2. in hoc autem caſu ita omnia defeciſſe videbantur; nam annorum numerus à Sacris Canonibus & legibus civilibus deſideratus proculdubio deerat: pubeſcentia corporis erat imperfecta: nam ex aſſertione peritorum lanugo in partibus pudendis ſolum oriri incipiebat: & licet potentia coëundi ex eorundem aſſertione non defuiſſet, deerat tamen diſcretio, ut mox patebit.

6 Tertiò, quamvis ante completam pubertatem validè quandocunque poſſit contrahi matrimonium per verba de præſenti, contrahentes tamen pubertati proximi eſſe debent, *cap. continebatur* §. *ſi autem fuerint*, ibi, *ætati proxima*, & *cap. de illis*, ibi, *quod ſi ita fuerint ætati proximi, de deſponſ. impub.* ubi communiter Canoniſtæ.

7 Pubertati autem proximæ puellæ ad hunc effectum dicuntur, quæ vel in undecimo vel circa duodecimum annum ſunt conſtitutæ, ut eſt expreſſus textus *in dict. cap continebatur*, §. *ſi autem*, ibi, *ſi autem fuerit ætati proxima, ut in unde-*
8 *cimo, vel circa duodecimum annum*, ut notant *ibi* Canoniſtæ cum Gloſſ. *in verb. proxima*: affirmantes proximam pubertati dici, quæ diſtat à pubertate per ſex menſes, vel minus.
9 Sic Innocentius ibidem, *num.* 2. ubi eam puellam dicit eſſe proximam pubertati, quæ habet undecim annos completos cum dimidio: Et ratio eſt inquit, quia legitima ætas ad contrahendum matrimonium, ſunt undecim anni completi, & non incepti tantum: & quia circa hoc aliæ Gloſſæ variant, addit *ibidem* Innocentius, hoc eſſe tenendum, quidquid dicant aliæ Gloſſæ: non tamen negat quin poſſit contrahi matrimonium, ſi ante duodecimum, vel undecimum annum impuberes eſſent conjuncti, & aliqua præſumptio appareret pubertatis. Gloſſa *in dict. capitulo, continebatur, in verb. proxima*: ubi expreſsè affirmat, proximam pubertati dici, quæ diſtat à pubertate per ſex menſes, vel minus, per textum *in leg. non tantum, ff. excuſat. tutor.* Ancharanus *ibidem, q. 2. num. 4.* Franciſcus Cardinalis Zabar. *num. 6. in fine, quæſt. 1.* Panormitanus *num. 9. ſuper gloſſ. in verb. proxima*: ubi ex ſententia Gloſſæ ponit concluſionem, eum dixi proximum alicui ætati, cum ab illa diſtat per ſex menſes, vel minus, licet circa finem mutare videatur, Alexander de Nævo *n.* 22. Antonius de Buttio *num.* 10. ubi ſequitur Innocentium: Marianus Socin. *in cap. puberes, & num* 38. *de deſponſatione impuber.* ubi pro hac parte allegat antiquos Canoniſtas, Tancredum, Vincentium, Innocentium, Ioannem Andream & alios.

Et in materia matrimoniali tam circumſpectè locuti ſunt, & ſenſerunt antiqui Canoniſtæ, ne in tanto Sacramento contingeret error: ut Hoſtienſ. *in dict. cap. continebatur, num.* 1. dixerit pubertati proximum dici illum, qui eſt circa 10
finem pupillaris ætatis, vel ipſum excellit per tres dies.

Et licet hæc ſententia Hoſtienſis communiter non teneatur, ut notavit Panormitanus *in dict. cap. continebatur, num* 9. & jura per eum allegata, loquuntur in alio caſu, ut notavit *ibidem* Alexander de Nævo, *num.* 22. nihilominus tamen inde ſumitur argumentum, quod in iſta materia non 11
ſunt facilè amplectendæ aliæ Gloſſæ, & doctrinæ Doctorum juris Civilis, aliter definientes articulum de proximo pubertati, & præſertim *in l. pupillum, ff. de regulis jur.* & in §. *in Summa, Inſtit, de obligat. quæ ex delicto naſcuntur*: Sic dixit in terminis Rota apud Puteum *deciſ. 66. incip. 26. n. 3. lib. 4. verſ. & quidquid ſit in alia materia.*

Communem verò ſententiam Innocentii, & prædictæ 12
Gloſſæ *in dict. cap. continebatur*, amplexi ſunt in hac materia matrimoniali alii Viri graves, etiam ſanctitate inſignes, ut ſanctus Raymundus de Penna forti *in Summa, lib. 4. tit. 1. de ſponſalibus*, §. 5. *verſ. videtur autem*, & idem Cardinalis Zabarella *conſil. 4 incip. Dico quod ſponſalia, num. 2. verſ. quod autem puella.*

Et quod tollere videbatur omnem difficultatem, erat 13
auctoritas Rotæ apud Puteum *prædicta deciſ. 66. lib.* 2. ubi in cauſa contingenti de anno 1543 affirmavit, proximum pubertati dici in hac materia, qui ſex menſes diſtat à pubertate: quæ ſententia firmiſſimè probatur per text. *in leg non tantum Digeſtu, de excuſat. tutor.* quem allegat Gloſſ. *in dict. cap. continebatur, in verb. proxima*: ubi Iuriſconſultus eos pupillos dixit eſſe propè pubertatem, quorum ætas diſtat à pubertate 14
tantummodo per Semeſtre tempus, id eſt per ſex menſes, ut *ibidem* Gloſſ. interpretatur.

Et ideo Practici ſolent dare ſalubre conſilium, quod Epiſcopi non debent leviter concedere facilitatem impuberibus 15
contrahendi matrimonium, niſi ita fuerint ætati proximi, quod malitia ſuppleat ætatem: ut rectè notavit M. Antonius Genuenſis Epiſcopus Montis Marani *in praxi Archiepiſcopali Curiæ Neapolitanæ, cap.* 104. *in ſecunda impreſſione.*

Et quoniam informantes pro iſtis prætenſis conjugibus valde laborabant in perſuadendo matrimonio, quia inter eos copula carnalis fuit ſecuta, quam ad hunc effectum frequenter commemorant Canoniſtæ *in cap. puberes, & in cap continebatur, & in cap. à nobis, & in cap. de illis, de deſponſat. impub. & in cap finali, de eo qui cognov. conſanguin. uxor. ſuæ.* Super quo articulo valde obſcurè, & intricatè loquuntur.

Et quidam tantum huic copulæ aliqui DD. tribuerunt, ut Panormitanus *in dict. cap. à nobis, num.* 3. dixerit potentiam coëundi anticipare tempus pubertatis, & conſequenter 16
copulam habitam inter minores conſummare matrimonium: & Marian. Socin. *in dict. cap. puberes, num.* 23. *concluſ.* 2. dixerit, quod ſi clarum eſt, & appareat puellam majorem ſeptennio eſſe viripotentem, matrimonium cum 17
ea contractum tenere debeat: nec hoc caſu tractandum eſſe utrum ſit, vel non ſit proxima pubertati, cum ſatis ſit, quod appareat eſſe viripotens: *dict. cap à nobis de deſponſat. impuber.*

Ideo Rota ultra potentiam coëundi ad validum matri- 18
monium contrahendum cum impuberibus, diſcretionem & intelligentiam poſtulavit, ut mulier impubes ſic eſſet prudens

19 & diſcreta ; ut intelligeret vim conſenſus conjugalis , & quid eſſet matrimonii vinculis alligari : utrumque enim cenſuit Rota contineri ſub nomine *malitiæ* , ſeu prudentiæ ſupplentis ætatem , de qua ſæpè Canones in hac materia loquuntur : & ſignantes *in cap. de illis , il 2. & in cap. finali , de deſponſ. impuber.*

20 Nec dubium , quin diſcretio ad matrimonium contrahendum ſit neceſſaria : S. Thom. *in 4. ſentent diſtinct. 36. quæſt. unic. artic. 5* Panormitanus *in cap. de illis , il 2. num. 4. deſponſ. impuber.* ubi Alexander de Nxvo , *num. 6.* Baptiſta Trovamala *in Summa Roſella , in verb. Matrimonium 2. num. 2.* Angel. de Clavaſio *in Summa in verb. Matrimonium 3. impedim. 16. num. 8.* Sylveſter *in Summa in verb. Matrimonium 3 quæſt. 2.* Ioan. Tabienſis *in Summa in verb. Matrimonium 2. quæſt 6. num. 7.* Brunellus *de ſponſalibus concluſion. 4. numero ſexto.* Scotus *libro 4. ſentent. diſt. 35. quæſt. unica , art. 5. verſ. quod ſirurſus , & in ſolut. ad 2. argumentum* Covarruvias *in Epitome libro quarto , Decretal. p. 2. c. 5. n. 3* Vigerius *in Inſtitut. cap. 16. §. 7. verſ. ad finem* : Anton. Cuccus *lib. 5. inſtitut. maiorum tit. 12. num. 156.* Henric. Henriquez *lib. 11. de Matrim. cap. 13.*

21 Multi autem Doctores non fuerunt contenti affirmare, ad hunc effectum contrahendi validum matrimonium, requiri in impubere quamlibet prudentiam , & diſcretionem, ſed multam poſtulaverunt. Nam Panormitanus *in dict. cap. continebatur , numero ſexto , de deſponſation , impuber. verſ. ſed mihi ſatis placet :* de hac materia diſſerens , hanc poſuit concluſionem ; quod ſi puella eſt minor ſeptennio quantumcunque fuerit cognita , non dicatur cum illa matrimonium conſiſtere ; quia non videtur habere conſenſum aptum ad diſcernendum quid ſit Matrimonium , niſi ſit multùm doli capax.

Summa Roſellæ *practicato loco* , ad præſtandum conſenſum aptum ad Matrimonium contrahendum , cenſuit puellam debere eſſe multum diſcretam , & doli capacem : Sylveſter *loco practicato* , eandem multum diſcretam puellam poſtulavit ut poſſet diſcernere vires Matrimonii : Covarruvias *practicato loco , numero tertio , verſ. quibus etiam ſubinfertur* , maximam poſtulat diſcretionem , quia ex potentia coëundi non eſt judicandum Matrimonium.

Et quamvis prædicti Doctores de minore ſeptennio loqui videantur ; illorum ratio majoribus etiam ſeptennio appli-
22 catur , cum diſcretio ad matrimonium neceſſaria præſumatur ſolùm ex ætate pubertati proxima.

Unde cùm hæc puella longè diſtaret à pubertate , Rota
23 cenſuit non potuiſſe cum illa validum matrimonium contrahi : quod aliàs definierat in *cauſa Hipporegien. Matrim , die 11. Decembris 1589. coram R. P. D. Comitulo* , ubi in cauſa , quæ tunc agitabatur inter Philibertum Venuſtum , & Veronicam Malgradam , puellam majoris ætatis , quam eſſet hæc Poma, habebat enim annos novem , & menſem unum cum dimidio, pronunciavit copulam cum ea ſubſecutam , non fuiſſe ſufficientem ad inducendam validitatem matrimonii.

Non obſtabant in contrarium allegata , & in primis teſtes vigore præſertim Remiſſoriæ examinati probantes maximam hujus puellæ diſcretionē ad intelligendas Matrimonii vires , & ad cognoſcendum quid eſſet vinculis matrimonii obligari , etiam de tempore , quo primò fuerat prætenſum Matrimonium inter ipſam , & Franciſcum contractum : quia fuit reſponſum.

Primò , puellam ad ſuggeſtionem ſibi ſubminiſtratam
24 quædam dicere potuiſſe , quæ aliqualem ejus ſolertiam indicarent , quale erat illud quod nolebat alium maritum , cum nollet eſſe meretrix.

Secundò , fuit reſponſum , omnium teſtium dicta ad unum potiſſimum finem tendere , videlicet ad affectum Catharinæ erga Franciſcum indicandum ; & quod non licebat eo marito retento alium aſſumere ne diceretur meretrix : quæ tamen Rota non judicavit ſufficere ad arguendum diſcretionem requiſitam ad matrimonium contrahendum in tam puerili ætate Iſta enim à Franciſco Doctore cupiente habere divitem puellam in uxorem , ipſi facilè , nec nō teſtibus inculcari atque ſuggeri potuerunt. Diſcretio autem requiſita per diverſas alias interrogationes circa alias materias per prudentem Iudicem inveſtiganda fuerat.

25 *Tertiò* fuit reſponſum , contra dicta teſtium argui potius ejuſdem Catharinæ ineptiam , ex quò ipſa ſponte exhibuit ſe videndam , & palpandam , nedum Obſtetricibus , ſed etiam Medicis & Chirurgis , quietiam adhibito tactu circa pudenda , ejus virginitatem & violationem exploraverunt : nam ſi diſcreta prudens fuiſſet , non permiſiſſet ſe ita indignè tra-
26 ctari ; quemadmodum Rota indignum exceſſum judicavit in adhibitione virorum ad exploranda pudenda muliebria; quod Principes Seculares tanquam indignum & indecorum tam in maribus quàm in fœminis , etiam antiqui judicarunt & prohibuerunt : §. 1. *verſ pubertatem , inſtitution. quibus mod. tutel. finitur , leg. fin. Cod. quando tutor. vel Curat. eſſe deſin.*

Minus obſtabant decantatæ hiſtoriæ ex SS. Gregorio & Hieronymo , & aliis , quos refert Covarruvias *practicato loco.* Quia præterquam quòd fortaſſis ſunt incertæ, ut cenſet Franciſcus Connanus *libro 8. comment. Iuris Civilis cap. 4* & Covarruvias *practicato loco* : quamvis eſſent certæ , non inferunt ad validitatem matrimonii.

Poſtremò non obſtabat , quod cum ageretur de matrimo- 27
nio , in dubio pro matrimonio videbatur pronunciandum , & arbitrium judicantis ſtat potius ad favorem Matrimonii, præſertim cum multi Canoniſtæ pronunciaverint hunc caſum , Iudicis arbitrio relinquendum , an ſcilicet conſtaret de diſcretione impuberum : Ioannes de Anania *in cap. 1. de d. lictu puerorum* , Antonius de Buttio *in cap atteſtationes in fin. de deſponſat. impuber.* Panormitanus , & Prælpoſitus *in cap continebatur , eodem titulo :* Quia fuit reſponſum cum Co- 28
varruvias *practicato loco* hoc arbitrium Iudicis ante illam ætatem , ex communi opinione definitam non eſſe paſſim exhibendum : quinimò Iudicem , qui ante illam ætatem arbitrari debet puerum eſſe proximum pubertati , maximis adducendum eſſe conjecturis , & tandem raro id agere debere.

Secundò dictum fuit periculoſum eſſe in hac materia unius, vel alterius Iudicis arbitrium.

Tertiò fuit dictum , magnorum tribunalium arbitrium tutius eſſe, & magis ab omni periculo abeſſe.

Poſtremò fuit dictum , Rotam ex deductis nutò pronunciaſſe contra Matrimonium , quia revera hæc puella inſpecta eius ætate , & aliis circunſtantiis ſupra deductis , non apparebat ita diſcreta , qualem requirunt Doctores, ad effectum ut poſſet vires Matrimonii intelligere.

Et ita , &c.

Bononienſis Profeſſionis Veneris 9. Decembris 1611.

Coram R. P. D. Vbaldo.

SUMMARIUM.

1 *Profeſſio valida dicitur , ſi emanavit in ætate legitima poſt annum profeſſionis cum ſolemnitatibus requiſitis.*

2 *Profeſſio de lunæ Communi non vitiatur per morbum, quantumvis graviſſimum.*

3 *Profeſſio viriatur propter morbum caducum ſi ita diſponant conſtitutiones Religionis.*

4 *Proteſtatio tollit conſenſum ab actu.*

5 *Conſenſus Religionis requiritur in profeſſione Religioſi.*

6 *Profeſſionis actus eſt ultrò citroque obligatorius tam ex parte Religionis, quam Religioſi.*

7 *Morbus caducus ut invalidet profeſſionem probari debet de tempore ſequuta profeſſionis.*

8 *Morbus caducus non probatur per teſtes deponentes vidiſſe quem in terram cadere.*

9 *Vertigo tenebricoſa habet eadem ferè accidentia , quæ habet morbus caducus.*

10 *Vertigo tenebricoſa facit patientem cadere in terram.*

11 *Morbus caducus non probatur ex eo , quod quis ſoleat cadere in terram , ſed benè morbus ſimilis , vel propenſio ad illum.*

12 *Teſtes habentes affectionem ad cauſam , repelluntur vel ſaltem in concurſu aliorum ſunt minori fide digni.*

13 *Teſtes qui non ſunt periti in re medica , non poſſunt deponere de qualitate infirmitatis.*

14 *Medici ut probent qualitatem morbi , deponere debent per ſenſum corporis ; nempe quòd viderint infirmum , ita ut morbi qualitatem judicare potuerint.*

15 *Morbi qualitas ex accidentibus potiſſimum dignoſcitur.*

16 *Probatio plena requiritur ad effectum invalidandi profeſſionem.*

17 *Peritorum judicio ſtandum eſt.*

18 *Confeſſio extrajudicialis probata per tres teſtes , ſatis probat.*

19 *Morbum caducum patientes , impoſſibile eſt , quod frequentiſſimè non cadant.*

20 *Morbum caducum patientes exacto 22. ætatis anno vehementius angustur.*

21 *Morbus*

21 *Morbus caducus vix est aliqua arte medicabilis.*
22 *Morbus caducus ab antiquis appellabatur Herculeus propter eius vim.*
23 *Protestatio non probatur per testes habentes interesse in causa.*

DECISIO XXXII.

1 DOmini dixerunt professionem à Ioseph Maria emissam in Venerabili Religione Fratrum Minorum fuisse validam, cùm esset ab eo facta in ætate legitima, & post annum probationis, cum solemnitatibus requisitis : *cap. 1. de Regul. lib. 6. cap. ad Apostolicam eodem titulo, cap. cum Gonsaldus, 17. quæst. 2.* Speculat. *in tit. de Regular. num. 1. & sequentibus,* Rota *decis. 216. num. 3 part. 2. divers.* & habetur per sacrum Concil. Trid. *Sess 25 de Regul. cap. 15. & sequentibus.*

2 Neque de jure communi obstare videbatur allegatus morbus caducus in Iosepho, cùm quilibet morbus etiam gravissimus non vitiet professionem : ut dicit Gloss. *in cap. sicut tenor, in verbo ; extra mentem, de Regular.* & probatur *in cap. sicut nobis* ubi Butr. Abb. & alij communiter : *cap. porrectum eodem tit.*

3 Unde difficultas oriebatur ex constitutionibus dictæ Religionis, quatenus essent confirmatæ à Papa, per quas expressè cavetur ut Novitij professio laborantis tali morbo, sit prorsus irrita, juxta *consil.* Navarr. 25. *de Regular. num. 2 &*
4 *lib. 3. eiusdem consil. 30* & ex eo quod protestatio dicebatur emissa à Fratribus in ipso actu professionis, juxta formam dictarum Constitutionum, ex qua videbatur deficere consensus Fratrum, & Religionis, casu quo iste professus laboraret morbo caduco ; qui tamen consensus necessariò debet
5 6 intervenire, cùm actus professionis sit ultrò citróque obligatorius? Abbas *in cap. porrectum, sub n. 10. de Regular.* Navarr. *consil. 26. num. 16. eodem tit. & consil. 27. num. 2. de voto* Ruin. *consil. 128 num. 3 lib. 1.* Menochius *de præsumpt. lib 6. præsumpt. 83. num. 21. & seq.* cum aliis per Honded. *cons. 38. num. 5. lib. 2.*

7 Sed hæc non videbantur DD. obstare : quia non fuit probatum, Iosephum laborasse tali morbo tempore professionis, prout erat necessarium : Gloss. *in dict. cap. sicut tenor, in verbo, extra mentem,* & *ibi* Doctores *supra* allegati Bero. *consil. 29. n. 12 lib. 1* Rota *decis. 107. num. 24. parte 2.*
8 *divers.* Honded. *dict. consil. n. 72. lib. 2.*

Neque obstant testes examinati pro parte Iosephi ad probandum, quod ipse etiam ante professionem & de tempore pueritiæ laborabat dicto morbo, & quod viderunt eum in terram cadere, & alia signa recensent eiusdem morbi : quia fuit responsum, eos non necessariò concludere de morbo
9 Comitiali, vel caduco ; cum adsint alij morbi similes, &
10 causantes eadem ferè accidentia, ut est Vertigo, quam
11 appellant tenebricosam, quæ facit patientem in terram cadere. Unde ex hoc non infertur morbus caducus : ut fuit resolutum *in causa Leodien. fructuum 31. Maij 1604 coram hoc, mem. Litæ,* cuius copia data fuit sed solùm similitudo dicti morbi, vel ad eum propensio : ut fuit dictum *in Pampil. Abbatia 20. Iunij 1603. coram R. P. D. meo Ludovisio.*

12 Accedit quod dicti testes partim sunt fratres eiusdem Monasterij, & ideo aliquo modo interessati : Natt. *consil 672. num. 58 lib. 4.* Præsertim cum dicant se habere affectionem ad causam *in Summario Anton. num 3* quo casu testes repelluntur, Patis. *consil. 15. n. 30. lib. 2.* Rota *decis. 336. n. 4 part. 1.*
13 *divers.* vel saltem in concursu aliorum multum minuitur de eorum fide : Afflict. *decision. 400. num. 8.* præterquam quod cum non sint periti, non videntur posse deponere de tali infirmitate : Anchar. *consil. 330. num. 6.* Aretin. *consil. 142. num. 14. vers. sed tamen his non obstantibus :* Rota *in eadem Leodien. fructuum, 14. Aprilis 1606. coram Litæ*
14 partim verò, licèt sint Medici & periti, tamen non deponunt nisi per modum responsi super facto eis proposito, non autem per sensum corporis, per quem morbi qualitatem dijudicare potuerint, quæ ex accidentibus potissimum dignoscitur :
15 juxta tradita *in cap. communiter, 33. distinct.* & *ibi* Archidiacon. & alij *in d. Leodien. fructuum, 30. Maij 1604.* nec verificatur quod accidentia expressa in illo casu concurrant
16 in hoc fratre, & tamen ad effectum invalidandi professionem, requiritur plena probatio : Mohedan, *decisione 3. Regular.*

Tolli autem videbatur omnino fides dictorum testium ex aliis pro contraria parte inductis qui sunt numero plures contestes, & periti in Arte, nec constat eos habere aliquam affectionem ad causam : Nam in primis plures testes dicunt hunc Fratrem solitum præsentire morbum suum eique occurrere, vel alicui rei inhærendo, vel comedendo, vel sedendo, vel aliud simile faciendo, & solitum recordari accidentium, quæ sibi occasione dicti morbi evenerant. Et tamen Medici deponunt *in Summ. Antonij, num. 8* quod patiens talem morbum non recordatur de eius initio, sicut etiam Medici, qui dictum Fratrem visitarunt, deponunt illius accidentia non fuisse morbi caduci, sed vertiginis ; ut supra : quorum judicio, tanquam in arte peritorum standum videtur *l. septimo mense,* ubi Butr. *in l. 1 num. 4 ff. de*
17 *ventr. inspic.* Rota *decis. 107 num. 6. part. 2. divers.* & fuit in nostris terminis dictum *in dict. Pampilonen. Abbatia coram Domino meo Ludovisio.*

Accedit etiam confessio ipsius Iosephi Mariæ ante litem moram, quod ipse tali morbo non laborabat, sed finxit se laborare ut de Religione exiret : ut *in Summ. Antonij, n. 2.*
18 quæ confessio probata per tres testes, satis videtur probare secundum magis communem opinionem, de qua Hieronymus Gabriel *consil. 40. num. 57 lib. 2.* præsertim cum duo ex dictis testibus sint Religiosi, & ex iis unus ex eadem Religione Minorum, quibus magis creditur : Castrens. *consil 143 Visa processu, col. ult. vers. dictum ergo, lib. 2.* Aym. *cons. 169. n 3.* & ista confessio etiam redditur verisimilis ex eo, quia iste Frater alias aufugit ex septis Religionis, & fuit eo nomine condemnatus, ut *in dict. Summ. n. 13.*

Ultimò considerabant Domini, testes qui dicunt dictum Frattem per triennium & ultra ante professionem aliquid non fuisse passum : ex quo sequitur, vel quòd ille non esset morbus caducus, quem patientes impossibile est non cadere
19 frequentissimè ; & exacto vigesimo secundo ætatis anno
20 arguntur vehementius ; ut testes periti deponunt *in dicto Summario, num. 11* & talis morbus vix ulla arte est medi-
21 cabilis, ut ex mente Hippocratis, & Galeni fuit dictum *in causa Salamantina dimidia portionis, 13. Ianuarij 1609. coram Dom. meo Marcomontio,* & propter eius vim, & mag-
22 nitudinem, *Morbus Herculeus* à Veteribus appellabatur Teste Galeno *in lib. 6.* Hippocrat. *de morb. vulg. comm 6.* quem refert, pluribus aliis ad propositum congestis, Brisson. *lib. 3. de verbor. significat. in verb. Comitialem morbum :* vel quod tali morbo, quicumque ille esset, fuisse liberatus, ut fuit dictum *in dicta Pampilonen. Abbatia 20. Iunij 1603. coram Domino meo Ludovisio.*

Nec obstat prædicta protestatio : quia videbatur non sufficienter probati ; cum de ea deponant tantùm Fratres ipsi interessati, & affectantes victoriam causæ, ut supra dictum est cum tam in illo actu professionis adfuerint plures laici, quorum nullus hoc deposuit : ut *in dicto Summario num 12.*
Ultra quod non probato morbo caduco, ut supra dictum est 23
protestatio illa nihil operatur.

Ex quibus & aliis allegatis per informantes DD. concluserunt pro validitate professionis, quæ etiam videbatur turior opinio pro exoneratione conscientiæ dicti Fratris, & animæ salute.

Melitensis Testamenti Veneris 17. Februarij 1612.

Coram R. P. D. Manzanedo.

SUMMARIUM.

1 *Furiosus, & mente captus, activam testamenti factionem non habent.*
2 *Furiosus, & demens nemo præsumitur, sed sanamentis.*
3 *Dementia concludenter probanda est.*
4 *Mentis sanitatem in Testatore sufficit adesse tempore testamenti.*
5 *Mentis sanitas præsumitur in testatore, cui infirmitate administrata fuerunt Sacramenta.*
6 *Imbecillis, & mentis vigorem atati correspondentem non habens, non prohibetur contrahere, & testari.*
7 *Consanguinei in causa civili admittuntur ad testificandum maximè si habeant contestes.*
8 *Testes deponentes de dementia non probant, nisi eorum depositionis rationem afferant.*
9 *Dementia non probatur publica voce, & fama, ubi concurrat specialis probatio sanamentis.*
10 *Testibus deponentibus de sana mente magis creditur, quam deponentibus de dementia.*
11 *Dementia probanda est de tempore testamenti : ubi agitur de invaliditate ipsius ex capite dementia.*
12 *Testimonium vitæ & rectæ factum si appareat ex illius inspectione, tempore sacramenti factum præsumitur.*
13 *Maritus potest sermone maritali suadere uxori, ut ipsum haredem instituat.*

DECISIO XXXIV.

CUm contra teſtamentum Hieronymæ opponeretur de invaliditate ex capite, quod teſtatrix eſſet mente capta & demens; Dubitavi an dictum teſtamentum eſſet nullum? Et Domini pro illius validitate reſponderunt.

1 Licet enim certi juris ſit, furioſum, & mente captum, non habere teſtamenti factionem activam, *leg. 2. §. furioſus, Digeſtis, de jure codicill. leg. ne codicillos, Cod. de Codicill. leg. furioſum, Cod. qui teſtament. facere poſſ. a fin. de ſucceſſ. ab inteſtato*, & ubrobique Doctores.

2 Nihilominus etiam eſt indubitati Juris neminem dementem, ſed potius ſanæ mentis præſumi: text. *in d. l. ne codicillos. & ibi* Bald. Pariſ. *conſ. 87. in princip. lib. 3.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 18. num. 6* & qui contrarium aſſerit, ad illius probationem tenetur: juxta text. *in dict. leg. ne codicillos, & in dict. cap. fin.* Decius & alii *in dicta leg. ſi furioſum, n. 20.* & Pariſ. *ubi ſupra, num. 3.* & Menochius *n. 7.* Quin & concludenter probanda eſt dementia, Bartol. *in l. poteſt, num. 15 ff. de hared. inſtituend.*

4 Sed in caſu noſtro, ultra dictam præſumptionem, adſunt teſtes teſtamentarii deponentes de tempore conditi teſtamenti Hieronymam ſanæ mentis fuiſſe: quod ſufficit pro illius validitate, quamvis antea demens extitiſſet: cùm integritas mentis ſolum de tempore teſtamenti exigatur: text. *in l. 1. & in l. qui teſtamento, §. quatunque, verſ. ne furioſus, ff. de teſtamentis, l. 2. & dict. l. furioſum, Cod. qui teſtamenta facere poſſunt*, & text. *in dict. cap. fin.*

Ultra quod de eadem ſana mente ante teſtamentum, & in ipſa infirmitate, in qua deceſſit, deponunt & alii teſtes: quibus accedit aſſuetam eſſe Hieronymam ſua peccata confiteri & Sacram Euchariſtiam aſſumere, quæ etiam Sacramenta in ultima infirmitate illi adminiſtrata fuerunt; quæ plurimùm adjuvant ſanæ mentis præſumptionem: ad not. per Cornel. *conſil. 219. num. 5. in princip lib. 2.* Decianum *conſil. 127. num. 3. libro tertio*, Menochium *præſumpt. 45. num. 21. lib. 6.*

6 Et quamvis Hieronyma ex teſtibus in contrarium datis poſſet forſan dici imbecillis videri quaſi non habens illum vigorem mentis, quem ætas poſtulat; indéque indiſcreta appareret, vel debilis ingenii, non poteſt dici ex eo non habere judicium ad contrahendum: ut *in leg. ſi frater*, & *ibi* Caſt. *C. qui teſtam. facere poſſ.* Socin. *conſ. 47. n. 9. lib. 3.* cum aliis adductis per Rotam *deciſione 577. parte 1. diverſ.* Ex quibus colligitur, quantum diſtet dementia ab indiſcretione, ſeu imbecillitate.

7 Nec obſtat quod aliqui ex teſtibus deponentibus de ſana mente ſint conſanguinei: cum iſti in civilibus admittantur, ad teſtificandum abſque ulla fidei diminutione: maximè quando habent conteſtes, ut in noſtro caſu: Bald. *conſ. 20. n. 4. lib. 5.* cum aliis adductis *in una Sempronienſ. Parochialis 7. Maii 1573. coram Illuſtriſſimo Mantica.*

8 Minùs obſtant teſtes pro dementia inducti, cùm deficiant in ratione ſui dicti, & ex eo non probetur. Ratio enim magis quam dictum attenditur: Socin. *conſil. 42. num. 4. lib. 1.* Pariſ. *conſ. 88. n. 58. lib. 3.* præcipuè quando agitur de probanda dementia, quæ debet concludentiſſimè probari ex *ſupradictis.*

9 Nec publica vox, & fama, de qua iſti teſtes deponunt, quicquam facit; cum tollatur ex probatione in ſpecie ſuper ſanitate mentis ipſius Hieronymæ.

10 Et quamvis ex dictis teſtibus inſania Hieronymæ videretur probata: in concurrentia tamen probationum magis ſtandum eſt teſtibus de ſana mente deponentibus, cum illorum depoſitiones conveniant naturæ, & juri communi: ut reſpondit Corn. *in d. conſ. 219. n. 7. lib. 1.* Decius *in d. l. furioſum, n. 10* & Decian. *conſ. 127. n. 35. lib. 3.* Gabriël. *de teſtibus, concluſ. 4. num. 19.* Rota *d. deciſ. 577. num. 10.* Menoch. *præſumpt. 45. n. 21. lib. 6.* poſt Boër. *quæſt. 23. num 93.* dicentem quod plus creditur duobus teſtibus de ſana mente, quam mille de inſania deponentibus: Jaſon. *in dicto conſ. 2. n. 10. & ſeq. lib. 2.*

11 Ulteriùs, quia iſti teſtes ſuper dementia non deponunt de tempore conditi teſtamenti, prout eſt neceſſe ad illius invaliditatem: juxta text. *in dict. lib 2. & d. l. qui teſtamento, verſ ne furioſus*, cum aliis ſupra adductis.

Nec videtur admittendum, quod dementia præſumatur continuata etiam in actu teſtandi: cùm hoc excludatur ex teſtibus de ſana mente de tempore teſtamenti deponentibus:

12 Tum etiam quia ex inſpectione teſtamenti ritè, & ſolemniter facti contrarium apparet: Illuſtriſſimus Mantica *de Conjecturis ultim. volunt. lib. 2. tit. 5. n. 7.* Honded. *conſ. 78. num. 61. lib. 2.*

Minus facit juramentum appoſitum de non revocando teſtamento: cùm ex hoc potius videatur excludi fatuitas ipſius Hieronymæ quàm ſanitas mentis.

Tandem non obſtat depoſitio teſtium, quod Hieronyma fuerit aſtutiâ induſta ad teſtandum; cùm ex ipſius non apparcat de minis, nec de metu per maritum incuſſo: & de jure 13
maritis non ſit prohibitum judicium poſtremum uxoris in ſeipſos maritali ſermone provocare: ut ſunt verba text. *in l. fin. C. ſi quis aliq. teſtari prohib.*

Ex quibus pro validitate teſtamenti fuit concluſum, &c.

Romana Societatis Veneris 16. Novembris 1612.

Coram R. P. D. Cavalerio.

SUMMARIUM.

1 *Mulier in abortu decedens, mortua dicitur ex abortu, licet præceſſerit febris.*
2 *Cauſa proximior, & vehementior attendenda eſt.*
3 *Voluntas enixa reſultat ex expreſſione geminata.*
4 *Febris poteſt cauſare abortum.*
5 *Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.*
6 *Mors tribuitur vulneri etiam quod poſt vulnus ſupervenit paſſus, & num 9. ubi affertur ratio.*
7 *Febris non ſemper cauſat abortum.*
8 *Abortus tribuendus potius eſt doloſis rerum præcedentibus, quam febri ſubſequenti.*
10 *Mortem evenijſſe ex una cauſa minùs urgenti potius quam ex alia urgentiori, probandum eſt per allegantem.*
11 *Sanguinis effluxio in muliere quæ abortivit, & laboravit, non febri, ſed abortui tribui debet.*
12 *Medico deponenti mulierem ex abortu obiiſſe credendum eſt.*
13 *Peritis in arte ſtandum eſt.*
14 *Medicis qui infirmum curarunt ſtandum eſt potius quàm aliis.*
15 *Interpretatio in dubio fieri debet, qua faveat ei, qui agit de damno evitando.*

DECISIO XXXV.

FUit aliàs facta ſocietas officii ſcutor 600. in favorem D. Franciſci Contarelli ſuper officio militis Lælii Sforziæ Locatelli, in qua recognoverunt bonam fidem Boccardinus, & Bonetallus ſuper periculo vitæ Dom. Joannæ Contarellæ, excepta partus; & prægnantiæ cauſa: quæ Joanna poſt aliquot annos nupſit, & facta eſt prægnans: & in quinto menſe prægnantiæ paſſa eſt renum dolores, deinde correpta fuit febri & morbillis, & in die decimaquarta infirmitatis fecit abortum cum magna ſanguinis fluxione, & poſt ſeptem horas mortua eſt.

Cùm autem Domin. Contarellus diſſdicta ſocietate cœpiſſet agere pro reſtitutione ſortis, & ſolutione fructuum coram A. C. contra debitores Societatis, & inſtaret pro mandato executivo; & ipſi excepiſſent de lucro, tanquam D. Joanna non ex cauſa abortus, ſed febris & morbillorum deceſſiſſet: D. A. C. voluit conſulere Rotam, & propoſito per me dubio, an ſit locus petito mandato, vel lucro pecuniarum in caſu, & ad effectum de quo agitur? Domini ſub die 20. Junij præteriti non fuerunt concordes. Cauſa autem iterum per me propoſita die 16. Novembris, pro majori parte cenſuerunt eſſe locum mandato; non autem lucro pecuniarum.

Cùm enim tota difficultas reduceretur ad illud, an dicta mulier cenſeatur deceſſiſſe ex cauſa abortus, an verò ex febris & morbillis? Domini valde movebatur ex deciſione aliàs facta *in cauſa Romana Societatis 27. Junij 1579. coram bon. mem. Oradino.* Cujus deciſionis caſus videbatur valde ſimilis caſui propoſito: Nam ibi illa mulier paſſa erat multa incommoda occaſione prægnantiæ, & poſtea febris ſupervenerat, & demum abortus & mors: Et nihilominus Rota 8
tunc reſolvit mortem fuiſſe tribuendam abortui, & prægnantiæ, non autem febri: per textum *in leg. huic ſcripturæ, §. ſi ſervum, Digeſtis, ad leg. Aquil.* qui textus videbatur valdè in terminis. Nam ibi conſtabat ſervum lethaliter vulneratum, & tamen poſt vulnus ſupervenerat naufragium, ex quo obierat; & deciditur *ibi* non poſſe agi de occiſo contra vulnerantem: quia præſumitur mortuus ex ſecunda cauſa urgentiori, videlicet ruinæ, & naufragijs nihilominus ibi conſtabat ſervum ſuiſſe lethaliter vulneratum: unde applicando ad caſum noſtrum, licet præceſſiſſent febris & morbilli; Tamen ſupervenit abortus cum

maxima

maxima sanguinis effusione, qui sine dubio lethalis fuit, ut docuit eventus: & ideo hæc causa tanquam proximior, & vehementior attendenda est: ut *in d. §. si servus.*

Præsertim cùm appareat, partes enixè voluisse excipere hujusmodi causam partus, & prægnantiæ, quam geminatè expressèrunt; ut apparet ex verbis instrumenti: argumento *leg. balista, ff. ad Trebellian.* cum similibus.

Nec videbatur obstare, quod febris potuerit causare abortum: & ideo mortem post abortum secutam attribuendam esse febri tanquam primæ causæ: ex regula vulgari, quod quidquid est causa causæ, est causa causati: *leg. manumissiones ff. de iust. & jur.* Bald. *in cons. 237. vers. Nam quando, lib. 2.* ut in simili, si post vulnus supervenat spasmus & mors, tunc mors attribuitur vulneranti: Baldus *cons. 328. vers. item an propter vulnus, eodem lib. 2.*

Nam placebat responsio: causam febris & morbillorum in præsenti casu esse æquivocam, nempe potuisse gignere & potuisse non gignere hunc effectum abortus ut experientia docet: & cum ex depositionibus testium ultimo loco examinatorum appareat Dominam Ioannam, antequam supervenire ei febris, passim fuisse dolores renum cum periculo abortus, non poterat dici abortum fuisse secutum ex febri:

Neque faciebat obstaculum simile allegatum de spasmo: quia ibi certum erat spasmum non potuisse contingere nisi ex vulnere illato, & ideò mors attributa fuit vulneri: ad tradita per Menochium *de arbitr. cas. 275. num. 7.*

Accedebat præmissis in præsenti casu adesse duos morbos, febrim videlicet cum morbillis, & abortum cum accidentibus supra narratis: Unde qui dicit mulierem hanc esse mortuam ex febri, id probare debet: ut in similibus terminis fuit dictum *in Romana causa partus 6. Iunii 1580 coram fel. record Clemente VIII.* quæ est 701. *p. 2. divers* illa enim magna sanguinis effluxio non potest attribui febri, sed abortui, cujus est immediatus effectus: & ideo exitus acta probat, ut *in dict. decisione.*

Præterea fiebat vis in judicio Medicorum, qui mulierem hanc curarunt, & formiter examinati deponunt eam obiisse ex abortu, quorum dictis tanquam in Arte peritis standum est: *l. septimo mense, ff. de statu homin. l. 1. ff. de ventre inspic.* Boer. *dec. 323. n. 29.* Baldus *dict. consil. 237. & consil. 238. lib. 2.*

Et pro altera parte licet inducantur etiam alii Medici: Tamen videtur potius esse standum judicio illorum, qui infirmitati, & curæ interfuerunt; ut fuit consideratum *in d. decis. Romana partus, in fine*, & fuit dictum *in Bononien. professionis 9. Decembris proteriti coram R. P. D. meo Vbaldo.*

Tandem Domini valde movebantur ex eo, quia negari non potest quin res sit dubia propter concursum Medicorum, & testium variè deponentium, & propter difficultatem hujus probationis ex quo morbo mulier decesserit: quo casu Rota benigniorem interpretationem solet amplecti, ad favorem illius qui agit de damno evitando, contra illum qui agit de lucro captando: ut fuit in his terminis dictum *in dict. Romana Societatis coram Oradino.*

Et ita decisum fuit pro majori parte, &c.

Romana Societatis officii Ven 8. Martii 1613.

Coram R. P. D. Cavalerio.

SUMMARIUM.

1 *Mors tribuitur causæ ultimæ urgentiori, per quam saltem effusetur prima, de qua erat dubium.*
2 *Mors mulieris potius tribuenda abortui subsecuto, quàm febri præcedenti.*
3 *Abortus est causa habilis ad inducendam mortem.*
4 *Mors tribuitur causæ posteriori magis urgenti, per quam efficitur quod non possit cognosci, an prima causa esset sufficiens ad mortem.*
5 *Mors tribuenda causæ primæ, vel ultimæ, non autem mediæ.*

DECISIO XXXVI.

QUia Boccardinus, & litis consortes non acquiescebant decisioni factæ in hac causa die 15. Novembr. proximè præteriti; Iterum proposui dubium super iisdem, & Domini prout etiam aliàs pro majori parte steterunt in decisis.

Nec videbatur obstare responsio data decisioni in *causa Pauli Zacchia. Quæst. Med.* Tom. III. *Romanæ Societatis 27. Iunii 1569. coram bon. mem. Oradino*, cujus fundamenta aliàs Domini amplexi sunt in præterita resolutione: quod scilicet in casu *d. decisionis*, mulier illa passa erat multa incommoda ante febrim, & erat malè disposita: in præsenti verò casu initium morbi videtur esse à febri.

Quia torum contrarium probatur ex depositionibus testium novissimè examinatorum, qui deponunt D. Ioannam valde fuisse perturbatam doloribus renum, & stomachi, antequam supervenirent febris & morbilli.

Præterea placebat Dominis fundamentum, quia cum in hoc casu adessent duo morbi, videlicet febris & morbilli ex una parte, & abortus cum maxima sanguinis effusione ex altera parte; mors videtur adscribenda causæ, & morbo vehementiori, vel saltem confunditur, & obscuratur prima causa, de qua erat dubium, an posset inferre mortem, vel non; hæc est doctrina Buttii *in cap. audientiam, n. 3. de homicid.* quem refert & sequitur Cæpol. *cons. crimin. 40. num. 21.* qui videtur esse casus noster. Nam cum præcesserint febris & morbilli, de quibus erat dubium, an possent inferre mortem, cum aliqui testes deponant, quod non erant malæ conditionis; Supervenit postea abortus & maxima sanguinis effusio, quæ vel mortem attulit, vel accelleravit secundum Physicos: ut per eundem Cæpol. *n. 27.* Ideo hic abortus cum sanguine tanquam causa superveniens, habilis ex se ad mortem inducendam, confundit & obscurat vires primæ causæ febris & morbillorum, de qua erat dubium an ad inferendam mortem potens existeret, ut sunt verba Buttii.

Confirmabantur prædicta: quia *in l. huic scripturæ; §. si servus, ff. ad leg. Aquil.* qui text. *in decis. Oradini*, & in *alia decisione facta in hac causa*, allegatur; ea videtur esse ratio, cur mors tribuatur naufragio, vel ruinæ supervenienti, non autem vulneri præcedenti: quia causa superveniens non permisit discerni an vulnus, quamvis lethale, esset mortem illaturum. Unde simili ratione hic abortus superveniens non permisit discerni an febris & morbilli essent allaturi mortem, ideo mors est potius tribuenda abortui.

Et tanto magis, quia hic habemus prægnantiam ab initio malam cum doloribus renum & stomachi, quæ continuavit, ut testes deponunt. Habemus in medio tempore febrim, & morbillos; & demum abortum. Quare sive velimus attendere primam causam, erit mala prægnantia cum doloribus; sive ultimam, & erit abortus; media autem febris, & morbillorum, non erit attendenda: *leg. sed & si, §. solemus, Digestis, de hæred. instituen.* faciunt tradita per Tiraquell. *in tract. cessante causa limitat. 20. num. 19.*

Placuit etiam ratio in *prafatis decisionibus* considerata, quod scilicet in hac confusione, & dubietate probationum, ea sumeretur interpretatio, quæ faveret Domino Contarello agenti de damno evitando, contra Boccardinum & alios agentes lucro captando.

Et ita pro majori resolutum fuit, &c.

Romana Census scutorum 18000. Lunæ 11. Martii 1613.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Allegans nullitatem contractus gesti per minorem ob defectum interventus proximiorum probare tenetur nedum existentiam proximiorum, sed etiam habilitatem de eo tempore ad interveniendum contractui.*
Contrarium num. 4.
Sed reprobatur num. 5.
2 *Qualitas quando est fundamentum alicujus, probari concludenter, & non præsumptivè.*
3 *Instrumentum cum iudicis decreto habet pro se veritatis præsumptionem.*
6 *Assertioni Nobilis creditur.*
7 *Habilitas ad certum actum necesse est quod probetur de tempore quo ipse actus fuit celebratus.*
8 *Habilitas naturalis præsumitur.*
Intellige ut num. 12.
9 *Habilitas requisita ad certum actum debet probari, etiam de hora confecti actus.*
10 *Habilitas de tempore ad tempus, & in quibus personis præsumatur.*
11 *Infirmus esse potest de serò qui de mane erat sanus.*
12 *Habilitas ad actum, ut præsumatur, distinctio personarum facienda venit.*
13 *Podagra laborans licet non decumbat, & appareat sanus, ita tamen domi detinetur, ut non possit moveri, ne defluant humores.*

DECISIO VXXVII.

CUm Excellentiſſimus Dominus Princeps Urſinus, tunc miſſet, cum decreto Iudicis, & interventu proximiorum fideiuſſerit ad favorem DD. de Maretiis, pro DD. Virgilio & Fabio de Urſinis, Agentes cœperunt prætendere fideiuſſionem dict. excellentiſſ. Principis fuiſſe nullam, ob non ſervatam formam ſtatuti Urbis, *libro 1. cap. 213.* quia in ea facienda non intervenit bon. mem. Henricus Caietanus S. R. E. Cardinalis Camerarius, proximior Domin. Excellentiſſimi Principis, quem, in diſputatione huius dubij, præſupponebatur tunc fuiſſe præſentem in Urbe: unde dubitavi an ultra dictam præſentiam Eminentiſſ. Cardinalis, Excellentiſſ. Princeps teneretur probare aliquam habilitatem, & quatenus ſic, an ſit probata.

Et quantum attinet ad primam partem dubij, Domini affirmativè reſolverunt. Ad ſecundam verò, negativè. Ratio primi dicti fuit, quia impugnans contractum ex quo non 1
intervenerint proximiores, tenetur probare nedum præſentiam, ſed etiam habilitatem, prout tenuerunt Caſtrenſ. *conſilio 114. num. 2. verſ. ſecundo videndum, libro primo*, Alexand. ad Bartol. *in leg. ſi tertius, num. 6. Digeſtis, de aqua plu. arcend.* Corn. *conſilio 316. numero 8. lib. 1. & conſil. 141. num 7. libro 2. & conſilio 241. numero 2. libro quarto*, quorum ſententiam pluries ſequuta eſt Rot. ut per Guidob. *deciſion. 98.* Achil. *deciſione 4. de præſumpt.* & noviſſimè *in cauſa Firmana reſtitutionis dotis 23. iunij 1603. coram bon. mem. Penia*, & in aliis plurib. cauſis, ut in *deciſionibus*, quarum copia data fuit.

Et prædicta procedunt nedum in habilitate accidentali, Bartol. *in dict. leg. ſi tertius, numero quinto, verſ. ita hic propter ætatem, vel morbum*: Felin. *in cap. ſuper hu, num. 17. poſt med. verſ. ſic facit quod notat: & verſ. ſequenti, de accuſat.* ubi loquens de inhabilibus poſt alios exemplificat in mulieribus, pueris, infirmis, furioſis, & aliis.

Et prædicta procedunt optima ratione, quia ſimilia opponens eſt actor, & fundatur in iſta qualitate habilitatis, & 2
non impedimenti: unde illam concludenter, & non præſumptivè, tenetur probare: *leg. ab exparte, Digeſtis, de probat.* Alexander. *conſilio 27. numero ſeptimo, libro 7.* Caſtr. *ubi ſupra, num 2. verſ. 2.* Videndus eſt Put *deciſ. 375. num. 2. libro 2. in correct.* Achill. *deciſione prima, deprobat.* & in puncto fuit dictum *in allegata cauſa Firmana reſtitutionis dotis coram bon. mem. Penia, & in aliis.* Tum etiam quia alia pars habet intentionem fundatam in inſtrumento celebrato cum decreto 3
Iudicis; ex quibus oritur fortior præſumptio aliis præſumptionibus: Alciat. *de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 34. ante n. 1.* & dixit Rota *in cauſa Terdonenſis fructuum 26. Octobris 1575. coram bon. mem. Epiſcopo Lauretano, ſub n. 25.*

Quod procedit maximè in caſu iſto, in quo Excellentiſſimus Princeps in vigeſimo ætatis anno conſtitutus, cum juramento aſſeruit ſe non habere alios proximiores, qui commodè poſſent intervenire: & cum ſemper fuerit magni ingenii, non eſt veriſimile quod voluiſſet cum juramento aſſerere ſe non habere proximiores, qui commodè poſſent intervenire, ſi verè tunc bon. mem. Cardinalis potuiſſet intervenire: & ideò ejus agnatus, qui hodie iſta opponunt, gravantur ex perſona ejuſdem Excellentiſſimi Principis, dare concludentem, & non præſumptivam probationem. Abb. *in cap. per tuas, n. 5. verſ. Unde dicendum: de condit. appoſit.* Gemin. *conſ. 17. n. 3.* Creſcent. *dec. 4. n. 6. de except.*

Neque prædictis reſiſtit, quod ſufficiat probare adeſſe conſanguineos, quia habilitas præſumitur: Felin. *in cap. in præſentia, n. 11. & verſ. propterea dubito, de probat.* quem ſequitur Cutt. Iun. *in leg. 1. n. 23. C. unde vir. & uxor.* Lambert. *de contract. eorum qui ſunt certa ſolemnitate: gloſſ. 12. in verſ. Agnatum non habuerit q. 4. n. 4. & 5.* 4

Nam non eſt recedendum ab opinione ſuperius firmata, quam Rota pluries, immò ſæpiſſimè approbavit: quæ fulcitur optimis rationibus ſuperius adductis: & abſque alio ſcrupulo debet procedere in caſu iſto, ſtante nobilitate, & qualitate Excellentiſſimi Principis: qui aſſeruit cum juramento ſe non habere proximiores valentes commodè intervenire: quæ quidem Nobilitas multum facit, ad hoc ut ſtetur ejus dicto: prout conſiderat Aymon. *in conſ. 244 n. 6 in prin.* optimè Ceret. *in conſ. 332. n. 10. vol. 3.* licet ejus Agentes hodie conentur probare contrarium. 5

Ratio autem ſecundi dicti, quod non ſit probata habilitas bon. mem. Cardinalis fuit, quia decretum fuit interpoſitum die 18. Martii anno 1591. & Agentes nituntur infirmis probationibus; Primò quòd Dominus Cardinalis diebus vigeſima, & vigeſima prima eiuſdem menſis, acceſſit ad aream Sancti Angeli ad Conſiſtorium, & aliqua decreta & ſubſcriptiones fecerit: quæ probatio non relevat, cùm hæc omnia 6
non percutiant diem contractus, cujus tempore habilitas requiritur: Caſtr. *conſ. 455. ſun n. 1 verſ. Nam verb. ſequentia lib. 1.* Soc. *conſ 283. n. 4. verſ. ex quibus infertur lib. 2.* Bero. *conſ. 209. n. 2. lib. 1.*

Secundo nituntur alia probatione, ſcilicet quod eadem die 18. Cardinalis interpoſuit, & ſubſcripſit decreta, ex quibus dicitur reſultare habilitas de eadem die: cùm habilitas naturalis præſumatur: Menoch. *de præſumpt lib. ..... præſumpt 46. ſub num. 8. verſ. aut etiam ætatem.* Sed nec iſta probatio relevat: clarum eſt enim quod ad probandam habilitatem de certo tempore, requiritur etiam probatio habilitatis in hora, qua actus fuit factus: ut videntur concludere Doctores præcitati: & expreſsè dicit Anchar. *in conſ. 338. num. 8. verſ. nec obſtat: & numero 12 verſ. conſtat autem*, ubi quod requiritur probatio horæ: cujus dictum ſequuta fuit Rota *in cauſa Romana hæreditatis, 14. Iunii 1610. coram Reverendiſſimo Domino meo Pirovano*; & idem expreſsè dicit, non habita mentione de Anchar. Verall. *deciſ. 218 part. 1.* & benè etiam facit Anguiſſ. *conſ. 194. n. 2. verſ. porrò ii dicit vera ſint*: ubi ait non ſufficere quod teſtes probent actum fuiſſe factum de nocte, niſi qualificent tempus, juxta formam ſtatuti: & Alexand. *in dict. conſ. 97. n. 5. verſ. unde qui ſe fundat. lib. 7.* ubi quod tempus debet limitatè probari. 7 8 9

Ad probandam autem habilitatem perſonæ de certa hora, licet in quibuſdam perſonis poſſit admitti, quod ſi erat habilis de mane, poterat eſſe habilis de ſero: attamen ſecus eſt in aliis perſonis, quæ vacant honoribus & officiis, aut laborant infirmitatibus repentinis; prout erat bonæ memoriæ Cardinalis, cùm eſſet Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius, cujus negotia ſunt magna, & laborabat podagra, & potuit eſſe quod vocatus à Papa ad audientiam, aut impeditus alio negotio ratione officii Camerariatus non potuerit intervenire: aut quod ei ſupervenerit Podagra: ita eleganter in puncto Anchar. *in all-g. conſ. 388. n. 13. verſ. præterea iſte Titius*: ubi quod ex quo Titus erat ſcholaris, veriſimiliter potuit eſſe impeditus occaſione ſtudii, & lectionum ſuarum, quibus quilibet ſtudens inſiſtere debet: & *ſupra, num. 2. dict. verſ. nec obſtat*: ubi quod eſſe poteſt, ut quis de mane ſit ſanus, & de ſero infirmus: Et hæc diſtinctio eſt etiam de mente Menoch. *loco ſuperius allegato*, dum ad præſumendas habilitates naturales diſtinguit inter ætatem & ætatem: ſic ad præſumendas alias habilitates, diſtinguendum eſt inter perſonam & perſonam: atque ita manifeſtiſſimè apparet, quod in decidendis ſimilibus articulis multum polleat Religio judicantis: ideóque ſtante qualitate D. Cardin. qui propterea poterat eſſe impeditus, ex probatione, quod fecerat decreta, & ſubſcripſerat mandata, non reſultat probatio habilitatis de hora contractus; quia ſtantibus negotiis & infirmitatibus Domini Cardinalis, potuit non eſſe habilis de dicto tempore contractus: maximè cùm geſta per Dominum Cardinalem contineane brevis & facilis expeditionis; & Notarii expectant quamcunque horam diei, vel noctis & commoditatem Domini: Secus autem eſt in inſiſtendo prædicto contractui, cui plures perſonæ, & graviſſimæ debebant intervenire: & propterea non commodè qualibet hora diei hoc fieri poterat, & ſic reſultat, quod iſta habilitas probata non ſuffragetur; cum reſpiciat actum, in quo Dominus Cardinalis intereſſe debebat: Ruin. *conſ. 81. n. 6. lib 5.* Felin. *in cap. in præſentia, n. 14. de probat.* Verall. *d. dec. 218. par. 1.* 10 11 12

Tertiò pro parte Excellentiſſimi Principis fuerunt examinati plures teſtes, qui nec etiam relevant: omiſſo enim quod, contra aliquos opponitur defectus citationis, & juramenti, necnon & conſanguinitatis; eorum dicta non tollunt quòd Dominus Cardinalis potuerit eſſe impeditus ratione officii aut infirmitatis podagræ, qua laborabat: multoties enim, licèt homo non decumbat, & habeatur pro ſano, ita tamen domi detinetur, ut non poſſit moveri ne humores defluant; ut experientia docet, & colligitur ex *leg. Podagra*, ubi Lucas de Penna, & Pyrrhus Aglebermeus & cæteri, *Cod. qui morb. ſe excuſ. lib. 10. & ex cap. legimus*, ubi Gloſſ. 1. *de conſecrat. diſt. 5. &c.* 13

Cremonenſis Penſionum, Veneris 21. Februarii 1614.

Coram R. P. D. Pirovano.

SUMMARIUM.

1 *Penſionis ſolutio non poteſt retardari ſi adſint littera illius reſervationis, & conſenſus Titularis.*

2 *Penſionis reſervatio non indiget juſtificatione concurrente conſenſu Titularis, niſi gratia reſervationis ſit conditionalis.*

3 *Pensionis reservatio dicitur conditionalis stante clausula, super fructibus ad talem summam, ut asseris, ascend.*
4 *Verba, ut asseris, æquipollent clausulæ, si ita est.*
5 *Clausula, si ita est, habet implicitam conditionem.*
6 *Consensus Titularis præstitus reservationi pensionis, non liberat pensionarium in petitorio à justificatione narratorum, si reservatio est conditionalis.*
Declara ut num. 7.
8 *Conditio tacita in gratia non impedit, effectum puræ dispositionis.*
9 *Taciti, & expressi non est par virtus, ubi agitur ad nullitatem actus, propter medium impediens illius productionem adesse.*
10 *Bigamia non contrahitur ex solo matrimonio cum vidua, sed requiritur copula, & consummatio.*
11 *Copula carnalis directè probari non potest.*
12 *Copula carnalis præsumitur ex cohabitatione conjugum post contractum matrimonium.*
Declara ut num. seqq.
13 *Præsumptio adducta ad effectum incapacitatis & privationis, debet esse concludens, & necessaria.*
14 *Probationes imperfectæ non junguntur ad faciendam plenam probationem nisi sint in sua specie perfectæ.*
15 *Copula Carnalis non præsumitur ex cohabitatione conjugum post contractum matrimonium, stante impedimento infirmitatis.*
16 *Infirmitas cum copula carnali non se compatitur*
17 *Fides Parochi quando probet infirmitatem conjugum.*
18 *Matrimonium celebrari debet in Ecclesia ex dispositione sacri Concilii Tridentini.*
19 *Medicorum fides probat infirmitatem.*
20 *Copula carnalis excluditur ex impedimento infirmitatis respectu viri, non autem mulieris.*
21 *Hectica febris præbet justam causam conjugibus abstinendi à commixtione.*
22 *Febri laborans habet justam causam abstinendi à commixtione conjugis propter grave periculum imminens.*
23 *Præsumptio fundata in eo, quod potest esse, & non esse, non relevat.*

DECISIO XXXVIII.

1 MAndatum Domini Auditoris Cameræ visum est Dominis esse confirmandum, stantibus litteris Apostolicis rereservationis pensionum, & consensu per titularem præstito cum obligatione Camerali; ex quibus parata dicitur executio: Mohed. *dec.* 13. *ut lit. pend.* Gig. *de pens. c.* 39. *n.* 9. Cassad. *dec.* 10. *n.* 8. *de rescript.*

2 Nec ad effectum obtinendi mandatum erat necessarium, quod pensionarii justificarent narrativam, scilicet fructus ascendere ad Ducatos mille, stante consensu Titularis reservationi præstito per quem resultat virtualis confessio veritatis eorum narrativæ, æquipollens justificationi gratiæ, quando non est conditionalis: Felin. *in cap. olim. n.* 10. *in quarta. & quinta limitat. de rescript.* & bene distinguitur *in Salamantina Pensionis* 28. *Maii coram Gypsio*, & firmatum fuit *in Lunen. Sarzanensis pensionis*, 15. *Februarii eodem anno coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino, & coram Litta in Melevitana Pensionum* 28. *Novembris* 1598. *& in Giennen. Canonicatus* 28. *Novembris* 1605. *coram Penia.*

3 Non obstat quod imò gratia prædicta videatur conditionalis, stante clausula *super fructibus, & emolumentis ad*
4 *mille Ducatos ut asseris, ascenden.* dum verba *ut asseris*, videntur
5 æquipollere verbis, *si ita est*, quæ habent implicitam conditionem: Felin. *in cap. ad aures, num.* 10. *in fin. vers. & adde istud, de rescript.* & ideo quòd versamur in
6 casu distinctionis *Salamantinæ pensionis, & aliarum decisionum*, in quibus admittitur, quod consensus Titularis reservationi pensionum præstitus, non liberet pensionarios in petitorio à justificatione narratorum.

7 Quia Domini intellexerunt, quando gratia continet expressam conditionem: ut si dictum sit, *dummodo medietatem fructuum non excedat*, vel *dummodo remaneant* 100. *pro Rectore*: ex quo tunc intentio pensionarii fundatur in dispositione conditionali, & qualificata, quæ non relevatur ex con-
8 sensu Titularis posito sub eadem conditione: secus autem in conditione tacita, & virtuali, quæ inest in qualibet gratia, *si ita est*, vel *si preces veritate nitantur*, cùm per eam affectus
9 pure dispositionis non impediatur: *leg. si ita expressim*, cum Gl. *ff. de condit. & demonstrat.* & ubi agitur ad nullitatem actus propter medium impediens illius productionem adesse, non est par virtus taciti & expressi: ut dicit Bald. *in leg. eleganter, § si quis, ff. de condit. indebiti*, & sequitur Dec. *in reg. expressa nocent, num.* 2.

Defectum autem incapacitatis oppositum Vellano alteri ex Pensionariis, propter bigamiam ob Matrimonium per 10
eum cum Vidua contractum existimarunt Domini non obstare: quia bigamia non contrahitur ex solo Matrimonio cum Vidua, sed requiritur copula & consummatio, quæ non probatur: *cap. debitum, de bigam.* & veriorem dixerunt opinionem adversus Magistrum sententiarum, *lib.* 4. *dist.* 27. quam probarunt Io. Andr. ad Specul. *de dispens. §.* 4. *n.* 6. *littera F.* Covarruv. *in Clem. si furiosus de homicid. part.* 1. *§.* 2. *n.* 2. Capell. Tholos. *decis.* 254. & 255. Majol. *de irreg. lib.* 1. *cap.* 33. *lib.* 4. & alii relati per Sanchez *de Matrimonio lib.* 7. *disp.* 83. *n.* 4. & 5. Et ratio satis clara colligitur *ex dicto cap. indebitum*, quia ubi corporum commixtio deficit, solus consensus non sufficit ad significandum Matrimonium Christi cum Ecclesia per Incarnationis Mysterium contractum; nec vir ille dicitur carnem suam in plures divisisse.

Nec obstat quod etsi copula directè probari non possit, 12
cap. præterea, de testibus, cap. litteris, & cap. sequenti de præscript. ex cohabitatione tamen ipsorum conjugum per duos 12
menses post perfectum Matrimonium sufficiens probatio copulæ colligitur tanquam ex conjectura & præsumptione violenta: *cap. si quis accipiet.* 33. *quæst.* 1. *cap. laudabilem, cap. fin. de frigid. & malef.* Ferretus *concl.* 203 *num.... lib.* 1. Abb. *cons.* 195 *n.* 2. Cæpol. *con.* 53. & 4. *inter Civilia*: Rota *coram Cantucio, inter impress. decis.* 95. *per totam, parte* 2. *divers.*

Quia fuit responsum, quòd cùm hæc præsumptio conjec- 13
turalis deducatur ad effectum incapacitatis & privationis ex sequuta bigamia, debet in suo genere saltem esse concludens & necessaria: *cap. in præsentia, de probat.* Lap. *alleg.* 52. & 53. Quod etiam fuit dictum *in Tullen. Monasterii sancti Mansueti* 27. *Januarii* 1597. *coram Pecunia*, in qua aliæ decisiones allegantur.

Et idem dicitur, quando imperfectæ probationes sunt 14
conjungendæ ad constituendam plenam & perfectam probationem: Illæ tamen de per se in sua specie debent esse perfectæ; aliàs non relevant: latissimè Gabr. *de probat. conclus...* Ideò cùm ista cohabitatio non fuerit libera ad effectum maritalem prosequendum, sed à die & hora perfecti matrimonii impedita ex gravi infirmitate ipsius Mariæ uxoris continuata usque ad horam ejus mortis, prout testantur Parochus evocatus ad celebrationem matrimonii; & Medici, qui illam in infirmitate curarunt, & utraque fides adminiculatur ex testamento & Codicillis ejusdem Mariæ, in quibus semper fuit enunciata infirma; & concurrunt Confessiones Mariti cum juramento etiam firmatæ & coadjuvatur etiam ex Jurisprudentia præsumptione, ut non præsumatur cum prædicta infirmitate ad illam accessisse juxta ea quæ habentur latissimè *in decis.* 701. *per tot parte* 1. *divers.* sequitur dicendum præsumptionem cohabitationis non deservire ad pro- 15
bandam commixtionem viri & uxoris, stante impedimento infirmitatis, ut se non compatientis cum coitu: ut dicit Abb. 16
in cap. tenor, n. 3. *de sent. & re judic.* etiam Sarnen. *super reg. de infirmis, quæst.* 9. *in tertio privileg. n.* 7. qui propterea confirmant limitationem *l. filium eum definimus, ff. de iis qui sunt sui, vel alieni juris*: ut natus in domo viri, non dicatur ejus filius, si præcedat simile impedimentum.

Non obstat quod fides Parochi non faciat fidem de in- 17
firmitate, uti de non pertinentibus ad ejus officium, Bald. *in l.* 1. *n.* 19. *de confessis*: Angel. *in tract. de testam. gloss.* 3. *n.* 10. *in fine.* Quia expressio cautæ infirmitatis, est de pertinentibus ad ejus officium, cùm alias teneretur celebrare matrimonium in Ecclesia; ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.* 18
Præterea fides per Titularem simpliciter producta fuit; ideò probatio non potest dividi, ut quoad matrimonium fidem faciat, quod infirmitatem non credatur. Tollitur etiam quod similiter dicebatur de fide Medicorum: qua quidquid sit, quando non est adminiculata, junctis tamen adminiculis testamenti & codicillorum, ac confessionis juratæ mariti, 19
benè probat: Verall. *dec.* 234. *part.* 1. Rota *dec. ult. p.* 1. *divers.*

Postremò non obstat quod non probatur talis infirmitas, quæ repugnet potentiæ sustinendi commixtionem; quæ li- 20
cèt respectu viri benè posset considerari, secus tamen respectu mulieris: Tiraquell. *de leg. connub. glos.* 1. *part.* 15. *n.* 75. Sarnen. *in reg. de infirmis, quæst.* 9. *n.* 66.

Quia fuit primò responsum ex fide Medicorum constare 21
eam laborasse febri continua, & etiam tempore matrimonii Hecticam confirmatam esse, quod genus morbi præstat justam causam abstinendi à commixtione: ut de simili dicit Abbas, *in cap. secundo, n.* 5. *vers. secundo, de conjug. leprosor.* & de sola febri laborante, propter imminens grave periculum, tradit Sanch. *de Matrimonio, lib.* 9. *disput.* 24. *n.* 5.

Secundò fuit etiam dictum, quod cum dubitari non posset 22
ex deductis eam fuisse infirmam, sufficere ad impediendum effectum privationis, ad quem probationes contrariæ in suo

genere debent eſſe neceſſariæ & concludenter: ut dictum eſt: ideò ſi morbus potuit eſſe, vel non eſſe talis per quem copula & conſummatio matrimonii impedita remanſerit, non inde neceſſariò ſequitur, alio non apparente, quod talis non
23 fuerit, & ſic præſumptio remota et fundata in impoſſibili. quæ non relevat: *d. cap. in præſentia, de probat. leg. non hoc. C. unde legitimi.* Et ita fuit reſolutum.

Romana Donationis de Gualterucciis, Veneris 13. Novembris 1615.

Coram R. P. D. Cavalerio.

SUMMARIUM.

1 *Inſtrumentum publicum facit probationem probatam.*
2 *Donatio facta a furioſo etiam loco pio non valet.*
3 *Dementia debet concludenter probari, cùm non præſumatur, ſed potius contrarium.*
4 *Dementiam non probant teſtes niſi reddant rationem, etiam non interrogati.*
5 *Teſtis unicus non probat contra inducentem ex opinione Rotæ.*
6 *Inſania non probatur, niſi teſtes dicant ſigna, & geſta, ex quibus deprehenditur.*
7 *Teſtes examinati in judicio criminali, non probant in civili niſi reprobantur, ſi præſertim non fuerunt data interrogatoria.*
8 *Inſania ad invalidandam donationem eſt probanda de tempore factæ donationis.*
9 *Furoris præſumptio eſt datio Curatoris.*
10 *Inſania excluditur ab eo, cui non fuit datus Curator, & fecit actus, ut faciunt alii ſanæ mentis.*

DECISIO XXXIX.

ROta cenſuit donationem factam per Lælium Collegio Clementino, eſſe validam: eſt enim ſubſcripta ab ipſomet donante, & à teſtibus, & die ſequenti fuit inſinuata, & in
1 ea concurrunt omnia requiſita per ſtatutum Urbis, *lib. 1. c. 149. & ſequentibus.* De ea autem conſtat per publicum inſtrumentum, quod facit probationem probatam: Bart. *in leg. 2. prin. ff. de novi oper. nunt.* Bald. *in leg. 2. n. 6. C. quando fiſc. vel privat.*

Verùm quia pro parte Domini Caroli opponitur de de-
2 mentia Lælii, & quod propterea donatio tanquam à furioſo facta non ſubſiſtat, cùm furioſi nulla ſit voluntas *leg. furioſi*, ubi Doct. & Cagn. *ff. de regulis Juris* Alexand. *conſ. 86. num 11. verſ. hoc præſuppoſito: libro 2.* Pariſ. *conſ. 88. num. 2. libro 3.* Decian. *conſ. 448. num. 22.* Sebaſt. Medic. *de fort. caſ. quæſt. 5. num. 18. part. 2.* & in puncto donatione facta loco pio, Iaſ. 141. *n. 14. lib. 4.*

Domini non habuerunt allegatam dementiam Lælii pro
3 ſufficienter probata, prout probari oportet. Regula enim eſt, in dubio quemlibet præſumi ſanæ mentis: juxta text. & Gloſ. *in leg. ne codicillus, Cod. de codicill.* Doct. *in leg. furioſum.* ubi Dec. *numero 30. Cod. qui teſtament. facere poſſ.* Pariſ. *conſ. 83. num. 3. lib. 3.* cum aliis adductis per Menochium *de præſumpt. lib. 1 cap. 181. num. 7* fuit dictum *in Meliten. teſtamenti 17. Februarii 1612. coram Reverendo Patre Domino meo Manzanedo:*
4 & dementia eſt difficilis probationis ita ut teſtibus de ea deponentibus non ſit credendum, niſi aſſignent rationem ſui dicti, etiam non interrogati: Honded. *ubi ſupra num 70.* Bald. *in dict. leg. furioſum, n. 3* quem refert & aliàs ſecuta eſt Rota *in una Ulixbonenſi profeſſionis 22. Junii 1579.* quæ eſt 107. *num. 4. part. 2. diverſ.*

In propoſito autem caſu ad probandum furorem Lælii donantis plura deducebantur: Et primò quidam teſtis inductus ab ipſomet Collegio donatario, qui fuit in Rota examinatus verùm cùm eſſet unicus, non viſum fuit poſſe in eo fieri fundamentum: tum quia Rota non ſervat opinionem
5 illam, quod unicus teſtis ſufficienter probet contra inducentem. tum etiam quia non videtur ſufficienter deponere de in-
6 ſania, cum nihil dicat de ſignis & geſtis, prout requiritur: Rota *dict. dec. 107. n. 5. & dec. 129. n. 5 ead. part. 2.*

Secundò adducebantur complures teſtes examinati in
7 judicio criminali, qui licet realiter deponant de pluribus ſignis, & geſtis à Lælio tanquam furioſo: tamen Domini non cenſebant poſſe in iis fieri vim, tanquam non exiſtentibus in actis & examinatis ad inſtantiam fiſci: Unde niſi fuerint repetiti parte citata, nihil probaret, cum ſint examinati ſine interrogatoriis: *c. 2. de teſtibus. leg. ſi quando. C. eodem* Salic. *in leg. ultim. in fin. C. de quæſt.* Alex. *conſ. 180. n. 7. lib. 2.* Cornæus *conſ. 134. n. 3. lib 4.* fuit dictum *in Beneventana. Cenſuit 16. Decembris 1594. coram bon. mem. Penia.*

Tertio allegabantur depoſitiones duorum teſtium examinatorum coram Illuſtriſſimo Cardinali Protheſaurario, qui ultra quod patiuntur eaſdem exceptiones; Domini conſiderabant Primum tantum ex ipſis percurrere tempus celebrati inſtrumenti donationis, cùm dicat, quod de anno 1608. quo fuit facta donatio, Lælius habebatur pro furioſo, alter verò. licèt deponat de aliquibus ſignis furioſo convenientibus, ni- 8
hil dicit de tempore: & tamen neceſſaria erat temporis expreſſio: & quod furor ineſſet de tempore donationis ad illam invalidandam: Boër. *deciſ. 23. n. 78.* Honded. *ubi ſupra n. 71. & ſequentibus.*

Et tantò facilius Domini iverunt in hanc ſententiam: quia aderant aliquæ præſumptiones quod Lælius eſſet ſui compos, & ſanæ mentis, unde tanto magis probandum erat tempus *ibi* Hond. *n. 72.*

Præſumptiones autem erant, quia Pater Lælii nullum de- 9
dit ei curatorem in teſtamento. licet eum dederit Carolo nepoti ex filio; cùm aliàs datio Curatoris ſit non levis præſumptio furoris, ut per Hond. *n. 15.*

Altera erat præſumptio; quia donatio, de qua agitur, fuit 10
ſatis cauta, & digna viro prudenti, cùm donator ſibi caverit circa expenſas, & participationem dimidiæ partis ſui crediti recuperandi, quæ conveniunt potiùs viro ſanæ mentis, quàm mente capto: Alex. *conſ. 147. n. 5. lib 7.* Bero *conſ. 56. n. 20. lib. 2.* faciunt tradita in ſimili de prodigo *in Bonon. de Eleonoris 9. Decembris 1613. coram me.*

Et ex his concluſum fuit Donationem fuiſſe validam.

Ea autem, quæ dicebantur de revocatione huius donationis, non viſa ſunt cadere ſub præſenti inſpectione, &c.

Pampilonenſis Matrimonii, Veneris 11. Decembris 1615.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Coeundi impotentia naturalis quandoque eſt evidens, neceſſaria, & concludens: Quandoque eſt veriſimilis, & aliquando dubia, & præſumptiva.*
2 *Impotentia coeundi quando eſt evidens devenitur ad diſſolutionem matrimonij abſque alia triennali cohabitatione, & abſque juramento coniugum.*
3 *Impotentia coitus quando eſt veriſimilis, ſufficit pro diſſolvendo matrimonio juramentum coniugum, & ſeptima propinquorum manus non autem requiritur cohabitatio triennalis.*
4 *Impotentia coitus in coniugibus, ſi ſit dubia, requiritur cohabitatio triennalis.*
5 *Impotentia coeundi ex magnitudine, & arctitudine, dicitur concludens, & neceſſaria.*
Contrarium verius, num. 6.
7 *Oculus matronarum ſæpè fallitur.*
8 *Medicorum judicium ſæpè fallitur.*
9 *Judices in rebus gravibus, & ubi agitur de præjudicio animæ, nullam debent relinquere diligentiam, ut veritas eluceſcat.*
10 *Impotentia coeundi ob magnitudinem, & arctitudinem; an & quando ſufficiat ad diſſolutionem matrimonij abſque triennali coniugum cohabitatione.*
11 *Confeſſio ſacramentalis non eſt neceſſaria ante triennalem coniugum cohabitationem quando impedimentum coitus non procedit à maleficio.*
12 *Arctitudo mulieris quando ſit talis, ut penetrari non poſſit, cohabitatio triennalis non eſt demandanda, quia adeſt periculum peccati.*

DECISIO XL.

IN hac cauſa die decimo Decembris 1612. fuit reſolutum 1
deveniendum eſſe ad inſpectionem Franciſci: & poſtmodum in relationibus cauſarum fuit reſolutum deveniendum eſſe ad inſpectionem Mariæ: & cùm Medici inſpexerint Franciſcum, & retulerint ipſum non poſſe coire cum virgine valdè arcta. Obſtetrices verò inſpexerint Mariã, & retulerint quod eſſet virgo, & valdè arcta: ideò poſt dictas relationes, dubitavi an eſſet locus diſſolutioni Matrimonii? & Domini pro intelligentia præmiſerunt, quod cùm non agatur de impedimento ex maleficio & opera dæmonum, ſed de impedimento naturali, huiuſmodi impedimenta naturalia poſſunt cõſiderari triplici differentia, ut ſcilicet quædam neceſſariò & evidenter concludant impotentiam; alia veriſimiliter; alia dubiè & præſumptivè: Butr. *in c. laudabilẽ, n. 14. de frig. id. & malef.* Præpoſit. *n. ult.* Alex. de Nævo *n. 16. & 17.* quos refert & ſequitur Sanchez *de Matrimonio, lib. 7. diſputatione 207. n. 2.*

Et

2 Et prædicta signa operantur diversos effectus; nam si necessario, & evidenter concludunt, potest deveniri ad separationem absque alia cohabitatione triennali, & absque alio
3 iuramento. Si verò verisimiliter concludunt, requiritur iuramentum conjugum asserentium se non posse coire, & septima manus propinquorum jurantium se credere eos verum fateri: Non autem requiritur cohabitatio triennalis: ut latissimè probat Sanchez *de Matrimonio, loco supra allegato, n.* 3. & 4.
4 Si verò signa dubiè & præsumptivè concludunt, requiritur cohabitatio triennalis, & iuramentum prædictum, ut per Sanchez *dicto lib.* 7. *disputatione* 108. *per totam.*
5 Hoc stante, duæ oriuntur difficultates. Prima est, an in abstracto impedimentum magnitudinis & arctitudinis sit primæ speciei. Secunda: an in casu, de quo agitur, dictum impedimentum sit iudicandum tertiæ speciei, scilicet quod necessariò, & evidenter concludat impedimentum; ita ut non sit necessarium iuramentum, nec cohabitatio triennalis: ut voluerunt Innocent. *in cap. laudabilem, in verbo, iustum iudicium, de frigid. & malefic.* Ioannes Andreas *num.* 9. Batt. *n.* 13. & 14. Præpos. *n.* 6 *super verb. iustum iudicium, & numero ultimo*, cum aliis per Sanchez, *de Matrimonio, dict. disput.* 107. *n.* 7.
6 Contrarium verò, scilicet quòd istud impedimentum sit secundæ speciei; ita ut exigat iuramentum licet non cohabitationem triennalem, voluerunt Butrius *in cap. finali, n.* 8 *de frigid. & maleficiat.* Alexand. de Nævo. *in cap. laudabilem, num.* 16. & 17. *eodem titulo*, & in hac sententia residet Sanchez, *loco proximè allegato.* Et ista posterior opinio fundatur
7 optima ratione, quia oculus matronarum sæpè fallitur: *c. ne*
8 *aliqua, 22. quæstione prima*; & iudicium Medicorum similiter sæpè est fallax, ut experientia demonstrat, & notatur *in cap. proposuisti, de probat.* Quare ista posterior opinio videtur ma-
9 gis tuta: Nam cum tractetur de re gravissima, & in qua de maximo animæ periculo agatur, nulla Iudicis in veritate indaganda ac probationibus exquirendis superfluitas potest reprehendi. Ioannes Andreas *in c. fraternitatis, num.* 3. Butrius *num.* 18 Ancharanus *num* 3. *notab.* 3. Præpos. *n.* 1. *notab.* 1. *de frigid. & malefic.* Alexand. de Nævo *in cap. fin. num.* 15. *eodem titulo.*
10 Quantum attinet ad secundam difficultatem, an in casu, de quo agitur, versemur in secunda, vel tertia specie, ita ut ultra iuramentum sit necessaria cohabitatio triennalis? Rota censuit nos versari in tertia specie: quia Medici inspexerunt Franciscum: Obstetrices verò Mariam: unde cùm iudicia sint separata, ita ut non possint dici super certo; quia Medici, nec Obstetrices inspexerunt utrumque: & propterea licet dixerint, Franciscum non posse coire cum muliere valdè arcta, & Obstetrices, quòd mulier sit valdè arcta, non inde sequitur perneceſſe quod Maria sit valdè arcta quoad Franciscum; & ideò in casu isto probatio est iudicanda dubia & præsumptiva, unde perneceſſe requiritur cohabitatio triennalis, & postmodum iuramentum, de quo supra dictum est: ut per Sanchez latissimè *dicto lib.* 17. *disputatione* 108. *per totam.*
11 Non est tamen necessarium in hoc casu, quod præcedat Confessio Sacramentalis: quia non agitur de maleficiato verè aut dubitativè, Hostiensis *in cap. finali, n.* 5. *vers. ut agerent pœnitentiam*: Cardinalis *numero secundo, de frigid. & malef.* & fuit dictum *in hac causa* 10. *Decembris* 1612.
Unus tamen ex Dominis dicebat melius esse devenire ad novam inspectionem ab eisdem de utroque: quia aut con-
12 stabit de arctitudine respectivè ad Franciscum, aut non: utroque casu faciliùs, & breviùs causa poterit expediri: Et ultra quod triennalis fieri non posset absque evidentissimo periculo peccati: quæ sententia non displicuit aliis Dominis, sed dixerunt, quod si opus erit, de hoc poterit particulariter videri, &c.

Perusina Hæreditatis, 12. Iunij 1617.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1. *Mentis sanitas naturaliter & de iure præsumitur, & contrarium asserenti incumbit onus probandi concludenter & n.* 4.
2. *Mentis sanitas præsumitur etiam in Sene.*
3. *Notarij assertio testatorem esse sanæ mentis, facit vehementem sanitatis præsumptionem.*
5. *Dementia testatoris probanda est de tempore testamenti.*
6. *Testis depositio, quod vidit à quatuor vel quinque annis citra, in ultimo tantum anno verificari potest.*
7. *Testis de tempore alternativè, & per dictionem* in citra *deponens, illud non probat.*
8. *Testis dubitativè deponens nihil probat.*
9. *Testes de alicuius dementia deponentes nihil probant, nisi rationem etiam non interrogati assignent.*
10. *Dementia quæ supervenit post testamentum conditum, non infringit illud.*
11. *Testamenti factionem non tollunt actus rationis usum non excludentes, & intellectum, seu mentis exilium non inducentes.*
12. *Dementiam non arguit quilibet actus, licet omninò viro sanæ mentis non conveniens.*
13. *Imaginatio quod læsa sit, non autem rationis usus sive discursus, simul stare potest.*
14. *Testamentum, cuius series cuilibet sanæ mentis viro congruit præsumitur factum de tempore habili, & in dilucido intervallo.*
15. *Mentis sanitas probatur per communem reputationem, per famam, & per testes deponentes de rebus prudenter gestis.*
16. *Mentis sanitas arguitur ex frequentia Ecclesiarum, & Missæ auditione.*
17. *Mentem sanam arguit frequentia Sacramentorum, præsertim in ultima infirmitate.*
18. *Dementiam excludit eleemosynarum largitio, visitatio amicorum, & conversatio cum illis.*
19. *Testibus de sana mente deponentibus magis creditur quàm deponentibus de dementia.*
20. *Religiosorum attestationi de sana alicuius mente plurimum defertur.*
21. *Testamentum furiosi valet stante dispositione prudenti viro conveniente.*
22. *Mentis sanitatem arguitur prudens dispositio.*
23. *Dementia arguitur ex institutione cognatorum exclusis agnatis.*
24. *Cognatorum institutio, omissis agnatis, est levis coniecturâ ad firmandam dementiam, & tollitur aliis argentioribus coniecturis.*
25. *Præsumptio una cedit pluribus.*
26. *Coniecturis opus non est in claris.*
27. *Cognatorum institutio exclusis cognatis dementiam non arguit.*

DECISIO XLI.

COnera Ioannem Paulum hæredem scriptum inter cætera opponebatur dementia Margaritæ testatricis, eius Materteræ, quæ probata impedit immissionem: eam tamen pro Dominis de Amicis dictæ testatricis ex fratre Nepotibus, ac prætensis hæredibus ab intestato, non fuisse probatam, ac propterea standum esse in decisis 28. Novembris præteriti, Domini censuerunt.

Indubitata enim est Naturæ, ac Iuris præsumptio pro sa- 1
nitate mentis: & contrarium asserentibus probatio incumbit: *leg. nec codicillos, 5. C. de codicillis, leg. finali, C. de hared. instituend. cap. fin. de succeſſ. ab intestato*, ubique Scribentes Soc. *conſ.* 42. *n.* 1. *vol.* 1. Dec. *conſ.* 127. *n.* 29 *lib.* 3. & *conſ.* 51. *n.* 33. & *sequentibus lib.* 4. Caldas *conſ.* 24. *n.* 2. *vers. suffragatur, & num.* 24 cum cumulatis per Menochium *conſ.* 683. *n.* 1. *lib.* 7. & Farinac. qui de communi, *de pœn. temper. quæst* 94. *num.* 48. *ac in fragmen. criminal. in verbo. furor, n.* 230. & firmavit Rota *in Romana bonorum* 26. *Iunij* 1609. *coram Reverendiſſimo Domino Decano in Meliten. testamenti* 16. *Februarij* 1612. *coram Reverendiſſimo Patre Domino De Manzanedo in Romana donationis de Gualteruccijs* 13. *Novembris* 1615. *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Cavalerio*: & *in dicta deciſione in hac causa, vigesimo octavo Novembris prateriti.* Quæ
præsumptio militat etiam in quantumvis sene: ut notatur *in* 2
lege senium C. qui testam. facere possunt. Bald. & Salicet. *num. primo*, & Castr. *numero secundo, in fine*: idem Bald. *in lege senectus 16. n. 1. C. de donat.* Caputaq 200. *lib* 1. *in manuſc.* & Catd. Mant *de coniecturis, lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 5.

Et pro ea hic concurrit etiam assertio Notarij de testa- 3
mento rogati per hæc verba: *Dei gratia, sana sensu, visu, mente, corpore, & intellectu, & in bona & recta scientia constituta*: quæ vehementem facit præsumptionem, ut præter allatos *in dicta deciſione* Alexandri de Nævo *conſil.* 37. *n.* 2. & 3. Honded. *conſ.* 78 *n.* 58 *lib.* 2. Decian. *dict. conſ* 51. *num.* 41. *Volum.* 4. Magon. *deciſione Florentina* 97. *num.* 12 & 13. Probatio au- 4
tem dementiæ, prout alia quælibet, debet esse plena, & concludens: ut *in dicta deciſione Florent.* 97. *n.* 13. & Rota *in dict. Meliten. testamenti*: & de tempore testamenti *leg.* 2. & *leg. qui testamento, §. quacunque autem ff. de testament.* Salicet. *in leg. furioſus, num.* 2. *Cod. qui testament facere possunt.* Patif. *de*

resigna-

reſignatione Beneficiorum, lib. 3. quæſt. 8 n. 21. & dixit Rota *in Ravennaten. attentatorum 13. Martii 1589. coram bonæ memoriæ Orano in Parmen. ſtatus 24. Ianuarii 1607. coram Illuſtriſſimo Domino Cardinali Ludoviſio, in dict. Romana Donationis de Gualteruccijs, & in d. Meliten. teſtamenti.*

Non obſtant igitur teſtes DD. de Amicis, quia præſertim. Primus, Secundus & Quartus, non concludunt: prout requiritur ex prædictis; actus & verba dictæ Margaritæ, de quibus
6 deponunt, fieri de tempore teſtamenti, nec ante; imò nec poſt teſtamentum ante quemdam lapſum Margaritæ teſtatricis ex ſcalis de anno 16[illegible]3. ex quo dicunt illam fuiſſe læſam in capite & non ſine periculo vitæ, ut ex fide Medicorum *in ſummario Laurentii priore poſitionis n. 7.* Tertius verò nullo modo includit tempus teſtamenti, vel ante, quia eſt examinatus, prout alii de anno præſenti: & deponit quod cœpit, denuò converſari in domo dictæ Margaritæ ab annis decem, vel undecim citra, & quod eam cognovit ſanam quatuor aut quinque annis circiter, & poſt dictos quatuor vel quinque annos, cognovit eam inſanam; ſed non dicit quod ſtatim ab initio dictorum quatuor vel quinque annorum eam cognoverit talem, ſed poſt illud tempus: quod etiam in ultimo tantum anno poteſt verificari: juxta Bart. *in lege Celſus, n. 22. & 23. Digeſtis de uſucap. & in lege 1. §. quod autem, num. 1. Digeſtis, de acq. quotid. & aſtiv.* Felin. *in capite licet cauſam, n. 8. verſ. tertia cauſa. deprobat.* & ſequitur Rota in pluribus deciſionibus relatis per Gonzal. *ſuper regul. 8 gloſſ. 9 in annot. num. 86.* Et quia alternativè loquitur, videlicet, *Dalli dieci, e undeci anni in qua, h'io hò cominciato a reprattiare, & l'hò conoſciuta ſavia quatro o cinque anni in circa, e dopo li quatro o cin-*
7 *que anni l'hò conoſciuta ch'era matta, &c.* & ſic nullum tempus firmare videtur: ideò nihil probat: Alex. *in leg. & ſi poſt tres, n. 6. verſ. ſecundò dicit, Digeſtis, ſi quis caution* Rolandi. *conſ. 35. num. 23. libro 1.* cum aliis per Farinacium *de teſtibus, quæſtione 68. ampliat. 9 num. 18. & conſ. 116 ſub num. 3. lib. 2.* & fuit tentum *in Parmen. ſtatus tertio Decembris 1607. coram Illuſtriſſimo Domino Cardinali Ludoviſio, & in Romana nullitatis contractus 28. Februarii 1611. coram Reverendiſſimo*
8 *Attrebaten.* Quintus tandem, & ultimus, ultra quod eſt unicus, & ſingularis, nihil etiam probat, quia dubitativè pluries loquitur; videlicet, *Potria eſſe da cinque anni più in circa.* Butrius per illum textum *in cap. ſin de deſponſ. impub.* cum pluribus per Farinacium *de teſtibus, diſt. q. 68. n. 20. & 21.* & Rota *in dict. Parmen. ſtatus 24. Ianuarii coram Illuſtriſſimo Domino Cardinali Ludoviſio, & in eadem 11 Ianuarii 1616. coram Illuſtriſſimo Domino meo Damaſceno,*

Imò cùm ratio, potiùs quàm dicta teſtium, ſit conſideranda; præſertim in hac materia, nam ſine illa non creditur teſtibus de dementia deponentibus, etiamſi de ea non fuerint
9 interrogati; jut poſt Socin. *conſ. 42. num. 4. lib. 1.* & alios dixit Rota *in dict. Romana donationis de Gualteruccijs, & in dict. Meliten. teſtamenti,* & Caldas, *dict. conſ. 24. num. 25. verſ. Item furor.*

Ipſi verò principaliter deducunt inſaniam Margaritæ ex tribus actibus; videlicet, *d'infilzar un ſpillo con il ſi bianco dalla parte della teſta, d'infilzar un garofalo da ſpetiali nel panne, e di mettere l'acqua in un canefino per abbeverare li piccioni, &c.* quos etiam actus, teſtes dictorum de Amicis admittunt fuiſſe poſt teſtamentum; ut primus & ſecundus *in ſummario Ioannis Pauli num. 11.* ad quod tempus referti pro-
10 peterea debent illorum depoſitiones: & ſic quatenus etiam de hoc tempore ſupervenſſet dementia, illa tamen non infringeret teſtamentum: *d. l. furioſum,* & *ibi* omnes Scribentes: Idcò Dominis viſum fuit nihil concludere: prædicti enim actus tendunt potiùs ad quandam levitatem, ſeu imbecillitatem ingenii, vel memoriæ, quàm ad dementiam, cùm non
11 excludant uſum rationis, nec intellectus, nec mentis exilium inducant; & ſic non tollunt teſtamenti factionem: Iaſon. *in dict. leg. furioſum, num. 2.* Dec. *in leg. humanitatis 9. num 1. verſ. ſe. an eſſet in eo, Cod. de impub. & aliis ſubſtit.* Fertet. *conſil. 207. num. 3.* Pariſ. *conſil. 88. num. 40. 41. & 42. lib. 3 dict. deciſ. Florentina 97 num. 17.* Menoc. *dict. conſ. 683. n. 12 & 15.* cum pluribus per Farinac. *in dict. verb. furio, num. 137.* & Rota *deciſ. 107 num. 28 part. 2.* quæ etiam ita reſpondit teſtibus pro dementia examinatis *in dict. Meliten. teſtamenti.* Non enim quilibet actus, etiamſi non omninò viro ſanæ mentis
12 conveniat, dementiam arguit: ut latè per Decian. *dict. conſ. 51. num. 82. cum ſequentibus, lib. 4.* Et ſimul ſtare poteſt quod ſit læſa imaginatio, non tamen memoria, & uſus rationis ſeu
13 diſcurſus: ut ex Galeno conſideravit Menoc. *d. conſ. 683. n. 14. verſ. & ideò vere.*

Quinimò nec talem imbecillitatem, ſeu levitatem continuatam, ac permanentem probant; ſed interpolatam ac diſcontinuam, deponentes de ſermonibus & actibus diluſtela intervalla denotantibus, ut *in dict. ſummario Ioannis Pauli num. 21.* Et ideò teſtamentum, cujus ſeries cuicunque ſanæ mentis congruit, præſumitur factum de tempore habili & in 14
diſcucido intervallo, ut notatur *in dict. leg. furioſum:* Angel. *num. 1. verſ. ſed in dub.* Caſtr. *num 3.* Alexand. *num. 2. verſ. de hoc articul. & num. 3 verſ. tamen putarem,* & Dec. *num. 27.* Alexand de Nævo, *d. conſ. 35. num. 3 verſ. & debet, & num. 4.* Flam. Rub. *conſ. 47. num. 65.* Plot. *conſ. 17. num. 12. verſ. & hoc niſi:* Cæphal. *conſ. 753 num. 46.* Cardin. Mantic. *de coniect. lib 2. tit 5 num. 6. in fine, verſ. quarto & ult num. 7. & 8.* Ant. à Gam. *deciſ. Regni Luſitaniæ 302. num. 2.* Odd. *conſ. 53.* Menoch. *præſumpt. 45. num 66. lib. 6. & dict. conſ. 683. n. 6. dict. deciſ. Florent. 97. num. 22. verſ. Maximè:* cum pluribus de communi, magis communi, & rationabiliori, per Honded. *conſil. 78. num. 61. volum. 2.* & ſenſit Rota *in dict. Melitens. teſtamenti.*

Quæ tanto magis ſunt admittenda, cùm contra perſonas & dicta iſtorum teſtium deducantur plures exceptiones conſiderabiles: & ſic etiam ceſſare viſa fuit prætenſa datio curationis eidem Margaritæ ad inſtantiam dictorum de Amicis: quia fuit de anno 1615. & ſic longè poſt teſtamentum, & lapſum: Ultra quod allegatur, ad eam nullitèr deventum fuiſſe, non ſervatis ſervandis, & ſupponitur ab illa appellatum.

In contrarium verò de ſanitate mentis deponunt quatuor teſtes Ioannis Pauli, non ſolùm de communi reputatione, & 15
formiter de publica voce & fama per verba *fuit, & eſt* ut *in eius ſummario, num. 13* juxta *deciſ.* Rotæ *577 num. 3 par. 1. divers.* Sed de ſcientia optimas reddentes rationes; videlicet quod prudenter ſua bona & negotia adminiſtrabat, ut *in dict. ſumm. n. 14.* Menochius *dict. conſ. 683. n. 4* vendebat, & alios contractus inibat, *num. 15.* Quod conſiderant Zabarel. *conſ. 50. num. 11.* Bero. *conſ. 56 num. 11. vol 2* Farinac *in dict. verb. furor, n. 283* ſua bona ac reditus clavibus cuſtodiebat *num. 16.* Alexand. de Nævo *dict. conſ 37. num. 6 verſ. & etiam*
bene: ad Eccleſias quotidie accedebat, & Miſſas audiebat, 16
num. 17. Alexand. de Nævo *ibidem dict. n. 6 circa med.* Dec. *dict. conſil. 127. num. 34 verſ. inſuper* Menoch. *dict. conſil. 683. dict. num. 4* Sacramenta Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ac Pœnitentiæ frequentabat, illaque fuerunt ei exhibita uſque ad
8 obitum, *num. 18.* Alexander de Nævo & Decian. *ubi ſupra.* Menochius *dict. conſ. 683. dict. n. 4.* Honded. *dict. conſil. 78. num. 67.* Farinac. *occurrit 20, num. 282.* Rota *deciſ. 107. n. 20. part 2 divers.* & in terminis receptionis Sacramentorum in
ultima infirmitate admiſſum fuit *in dict. Melitens. teſtamentis* 17
eleemoſynas largiebatur, *num. 19.* Alexander de Nævo, *ibidem:* & demum viſitabat, & viſitabatur, *n. 20.* ut per eun-
dem *ibidem num 5. verſ. & habuit converſationem* & Decian. 18
conſil. 126. ubi ſupra Menochius *dict. conſil. 683. dict. num 4.* Et de his omnibus deponunt à decem, & ultra annis citra, uſque ad obitum; & ſunt præferendi teſtibus qui de dementia
9 deponerent: Decius *in dict. leg. furioſum, n. 20. & conſil. 448.* 19
num. 10. & 15. Corn. *conſil. 219. num. 7. lib. 2.* Iaſon. *conſ. 2. num 10 lib. 1.* Pariſ. *d. conſ. 88. num. 22. & ſequentibus,* Boër. *deciſ. 23 num. 93.* Gabriel *de teſtib. concl. 4 n. 19* Menoch. *præſumpt 45. num. 21. lib. 6.* Decian. *dict. conſil. 117. n. 35. lib. 3. & conſil. 51. num. 42. libro 4* Cæphal. *dict. conſil. 546. num. 32 lib. 4* Cardin. Mantic. *de coniect. lib. 2. tit. 5. num. 9* Honded *dict conſil. 78 n. 73 volum. 2.* cum aliis per Caldas, *d. conſil. 24 ſub num 24* Rota *dict. deciſ. 577. n. 10. in dict. Romana bonorum, coram Reverendiſſimo Decano, & in dict. Meliten. teſtamenti.* Accedentibus præſertim atteſtationibus 20
plurium Religioſorum, qui eidem Margaritæ Sacramenta adminiſtrarunt, dicentium illam ſemper reperiſſe in bona mente ac diſpoſitione: quibus plurimum creditur in hac materia: Dec. *dict conſil. 448. n. 20 in fine,* Decian. *dict. conſil. 117. n. 34. verſ. in ſpecie,* & Rota *dict. deciſ. 107. n. 20 part. 2. diverſ.* Quæ licet informes tamen verificantur ex ſupradictis teſtibus formiter pro Ioanne Paulo examinatis.

Et tandem viſum fuit clariorem reddi probationem ſanitatis ex ipſamet ſerie diſpoſitionis factæ in teſtamento, in qua non ſolum nihil legitur ſapienti inconveniens; & ideò etiamſi probaretur Margaritam antea fuiſſe dementem, nihilominus ſecundum aliquos, ut dicebat etiam unus ex Domi-
nis, teſtamentum validum dici poſſet: ut per Ioſeph. Ludovic. 21
Peruſ. deciſ. 1. num. 11. & 12. in fin. ubi de feriori & magis communi, Craſſ. *in §. teſtamentum, quæſtione 21. n. 4* qui dicit ab hac non eſſe recedendum: & latè comprobant Decian. *dict. conſil. 51. n. 43. & conſil. 74. n. 27. volum. 5.* Surd. *dict. conſil. 402. num. 32.* & alii per Cald. *dict. conſ. 24. num. 2. verſ. facit etiam.*

Imò omnia viderentur benè ac prudenter diſpoſita, & ordinata: nam ultra inſtitutionem, prohibitionem alienationis 22
& ſimilia; adſunt Commendario animæ Omnipotenti Deo, & omnibus Sanctis, legata pia, & dictis de Amicis ſigillatim nominati ex fratre Nepotibus, ac omnibus famulis & ancillis

relictis,

relicta ; electio ſepulturæ, proviſio circa modum ſepeliendi cum habitu Monachali Sancti Franciſci, locus ſepulturæ, & impenſa funeris : ac demum inſtitutio Iacobi Nepotis illegitimi ex filio prædefuncto, cum diſpoſitione quod quatenus liberè non poſſet ſuccedere, peteretur per Ioannem Paulum habilitatio infra biennium. Quæ omnia & ſimilia pro ſanitate mentis in teſtamento, coaſſiderant Pariſ. *d. conſ. 74. n. 30.* & Curt. Iun. *conſ. 304. n. 83. vol.* Dec. *d. conſ. 51. n. 46. uſque ad 54. & d. conſ. 74. n. 3.*

23 Nec obſtare Dominus viſum fuit, quod dici poſſit à demente confectum, quia fuerunt inſtituti hæredes non venientes ab inteſtato nempè cognati, agnatis excluſis : Nam
24 ultra quod hæc eſt tantum quædam conjectura, ut per Alex. *conſ. 141. n. 8. verſ. 2. eſt conjectura, lib. 1.* & admittunt informantes pro Amicis, & quidem levis, cum per eam coarctari videatur libera ſuarum rerum diſpoſitio hominibus, quos aliquando mentis alienatione teneri contingeret, & contigiſſet etiam ſi tunc ſani eſſent ; contra not. *in leg. ſtipulatio*
25 *hoc modo concepta, ff. de verb. oblig.* & ideò prout etiam aliæ pro Amicis ponderatæ tollitur ex plurib. aliis urgentioribus ex ipſo teſtamento deductis, de quibus ſupra : *leg ob carmen, §. ſi teſtes, ff de teſtibus, auth. itaque, Cod. commun. de ſucceſſ.* Surd. *conſ. 1. n. 60. & conſ. 313. n. 51.* & ex probatione ſanitatis pro Ioanne Paulo facta : in claris, enim conjecturis non
26 eſt locus : *vulg. leg continuus, ff. de verb. obligat.* Ceſſare viſa fuit difficultas ; quia Margarita, dictis de Amicis ejus ex fratre Nepotibus non præculit extraneum, ut loquuntur Doctores ex adverſo allegati ; prout *dictum conſil.* Alexandri declarat Cald. *dict. conſil. 24. ſub numero 6.* Sed inſtituit deſcendentem ab ipſo, videlicet Nepotem ex filio prædefuncto, quem etiam voluit habilitari, ut dictum eſt quatenus non potuiſſet ſuccedere : ac etiam inſtituit Ioannem Paulum ejus ex Sorore ſimiliter Nepotem, & ſic in pari gradu conjunctum ; & ita non penitus extraneum : nec dictos de Amicis præteriit, ſed particularibus honoravit relictis, ut dictum eſt.
27 Ultra quod etiam eſſe poteſt, quod potius inſtituerit Joannem Paulum ex juxta cauſa, ſcilicet vel ob ejus benemerita erga ipſam, vel ob majorem affectionem, vel propter majorem indigentiam ipſius Joannis Pauli : quam ad excludendam dementiam conſiderant in his terminis, Dec. *dict. conſ. 51. n. 7. verſ. ſecundum cum pluribus ſeqq.* & Menoch. *conſ. 683. n. 19. & pluribus ſeqq.*

Cætera benè fuerunt ſublata *in alia deciſione* per informantes pro Ioanne Paulo.

Et ideò ita deciſum, &c.

Luca Molendini, Lunæ 18. Decembris 1617.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Conductor exiſtens in culpa, non manutenendo rem conductam, tenetur de ruina rei conductæ.*
2 *Corroſio terræ aqua fit per aquas ſtantes non dicitur caſus fortuitus.*
3 *Aqua ſolent corrodere terras, & ædificia adjacentia.*
4 *Conductor obligatus ad manutentionem rei conductæ non tenetur illam de novo facere, ſed tantum conſervare.*
5 *Conſervare, & manutenere, non autem de novo facere dicitur is, qui Molendinum refundat, & aquam divertit.*
6 *Caſus, ob quem res locata periit, ſi dubium ſit, an fuerit fortuitus, vel ne conductor venit abſolvendus.*
7 *Ruinam ex culpa prevenisſe aſſerens tenetur probare.*
8 *Bald.* in conſ. 145. n. 3. lib. 3. *declaratur.*

DECISIO XLII.

FUit reſolutum, ſententiam Rotalem, in qua pronunciatur Brachios teneri ad ruinam anni 1602. eſſe confirmandam.

1 Ratio Dominorum fuit, quia in conceſſione Molendini fuit expreſsè conventum, quod ipſi tenerentur ad conſervationem, & manutentionem Molendini : Quare cùm prædicta non præſtiterint, eorum culpa evenit ruina Molendini & propterea pro ipſa tenentur : *leg. ſi creditor.* ubi Doctores, *Cod. de pignorat. act.* Pariſ. *conſ. 156. lib. 4.* & fuit latè deductum *deciſionibus in hac cauſa factis.*

Quod autem prædicta ruina proceſſerit culpa Brachiorum, ſatis patet : nam de anno 1595. pro parte ipſorum datæ fuerunt poſitiones : in quarum octava ponunt, *che il palmento fabricato ſu il reſto del vecchi fundamento e vota ſotta e minaccia ruina* : & idem probatur per teſtes.

Quod comprobatur, quia Domini de Rota Florentina acceſſerunt ad locum de anno 1599. & adhibuerunt Peritos, qui retulerunt flumen corroſiſſe magnam partem terreni, & dicunt, *che ſi voltava verſo detto molino con pericolo de laſuarlo in iſola.* Quare aut ruina anni 1601. eſt ſequuta ex iſta corroſione fluminis 1595. & 1599. prout eſt valdè veriſimile, cum ceciderit, ut dicitur *ad aqua chiara* : an verò eſt ſequuta ex quo corroſio proteſſit ulterius, & utroque caſu 2
ſententia remanet juſta : cum prædicta obvenerint culpa Brachiorum : nemo poteſt inficiari corroſionem non eſſe caſum fortuitum, & inſolitum, qui exceptuetur in locatione, cum aquæ ſoleant corrodere terras, vel ædificia ſibi adjacentia : ut eſt text. cum Gloſ. *in leg. fluminum, §. idem Servius, ff.* 5
de damn. infect. quem allegat Baldus *in conſ. 145. col. 1. lib. 3.* ibi, *Si controverſia aqua inſulam ſubverterint, deinde ſtipulatorii ædificia reciderint, nihil eum ex ſtipulatu conſecuturum*, videlicet de damno infecto : quia nec operis, nec loci vitio factum eſt. Si autem aqua virtet fundamenta, & ſic ædificium ruat, committi ſtipulationem ait multum enim intereſt, quod erat alioquin firmum, vi fluminis lapſum ſit protinus : An verò ante ſit vitiatum, hac inde vi ceciderit.

Quare cum probetur longè ante ruinam, ædificium molendini fuiſſe vitiatum, debebat reparari, præſertim ſtante dicta viſitatione Peritorum, & proteſtatione Præpoſiti.

Neque Dominis Brachiis poteſt opitulari quod procurarunt apponi catenas, ut occurrerent ruinæ ; ut fuerat ordinatum per Peritos : quia fuit reſponſum, quod illa appoſitio catenarum non reſpicit corroſionem : & ceſſat omnis difficultas ; quia fuit facta longè poſt ordinationem Peritorum & longè poſtquam fuerant interpellati.

Prout nec eiſdem poteſt opitulari, quod non tenebantur 4
de novo facere, ſed ſolum manutenere, & conſervare : quia 5
refundando molendinum, & aquam divertendo, non dicebantur de novo facere, ſed conſervare : *leg. Minutius, ff. de rei vindicat.*

Non obſtat, quod in dubio. An caſus ſit fortuitus, vel ex 6
culpa, reos abſolvitur : ex Bald. *in conſ. 115. num. 3 lib. 3.* ubi 7
latiſſimè de hac materia, & ideò qui dicit, ruinam proceſſiſſe ex culpa, tenetur hoc probare. Nam fuit reſponſum ex præ- 8
dictis ſatis conſtare de culpa Brachiorum : ultra quod Bald. loquitur in ruina, quæ repentè evenit, & ex improviſo propter magnum & inſolitum diluvium aquarum, ut legitur *in principio illius conſilij*, & clarius *in ſecundo & ſexto fundamento* : & infra *ſub n. 3. v ſed hic in iſto emptore, & per to. conſ.*

Ex quibus, & ex aliis deductis *in deciſionibus* factis tam coram, clar. mem. Franciſco Penia tunc Rotæ Decano, & R. P. D. meo Veroſpio, in quibus ſolvuntur omnes objectiones. Domini poſt naturalem diſcuſſionem cenſuerunt pro confirmatione ſententiæ Rotalis, &c.

Romana Societatis officij Veneris 11. Ianuarij 1619.

Coram R. P. D. Sacrato.

SUMMARIUM.

1 *Obitus alicuius an evenerit ex una, vel alia cauſa, remittitur Iudicis arbitrio.*
2 *Obitum ſecutum fuiſſe ex cauſa, qua per multum tempus præceſſit, non præſumitur.*
3 *Mulieres retinentes purgationes partus, non poſſunt vivere ultra dies 45.*
4 *Mors in dubio attribuitur ultimæ cauſæ, etiamſi prima fuerit mortalis*
5 *Obſervantia contrahentium plurimum deferendum venit.*
6 *Medicis atteſtantibus de re ad eorum peritiam ſpectante ſtandum eſt.*
7 *Peritis illis ſtandum eſt, qui ſunt plures in numero.*
8 *Teſtium major numerus in concurſu attenditur.*
9 *Puerperium vulgò* Capoparto *appellatur.*
10 *Mors attribuitur prima cauſæ, quando illa nunquam ceſſavit.*
11 *Mulieres infirma pragnantes reddi non ſolent.*
12 *Teſtibus veriſimiliora, & magis præcisè deponentibus, magis venit deferendum, quam aliis.*
13 *Teſtibus quorum dictum remanet adminiculatum, magis deferendum eſt, quàm aliis.*
14 *Juris diſpoſitio mutatur etiam ex modica facti diverſitate.*

DECISIO

DECISIO XLIII.

SOcietas, de qua agitur fuit contracta ſuper periculo vitæ Angelæ Catenæ, exceptuato tamen obitu ex cauſa partus, & præmaturæ. Die 19. Maii 1616. dicta Angela peperit filium maſculum, & die 10. Decembris inſequentis ex hac vita migravit. Fuit dubitatum, an debitores Societatis illam fuiſſent ſuperlucrati? Et reſolutio pendebat ex eo, an Angela ob eius ex cauſa dicti partus, vel non. Rota cenſuit Angelam non obiiſſe ex cauſa dicti partus, & conſequenter ex obitu dictæ Angelæ debitores ſuperlucratos fuiſſe ſocietatem.

Moti fuerunt Domini, quia hæc materia, an quis fuerit
2 mortuus potius ex una cauſa, quàm alia eſt præcipuè arbitraria Judici: ut ex text. *leg. quod ſi nolit § ſi mancipium. ff. de ædilit. edict.* Matſil. *conſil.* 7. *num.* 28. Gramm. *conſ.* 49. *n.* 3. Menochius *de arbitr. Judic. lib.* 2. *cent.* 3. *caſ.* 275. *num.* 1. & in iſtis terminis obitus ex cauſa partus eſt *deciſ.* 701. *n.* 7 *part.* 1. *diverſ.* Ex infrà ſcriptis autem facti circunſtantiis, Domini arbitrati fuerunt, quod Angela non obierit ex cauſa partus.

1 Primò, quia à die partus ad diem obitus interceſſerunt ſeptem menſes, ideò ex cauſa quæ per multum tempus præceſſit, quis non præſumitur obiiſſe: *cap. præterea, & ibi* notant Gloſſa & Scrib. *de Clerico percuſſ.* & in terminis puerperii, hoc eſt retentionis purgationis partus ex qua cauſa prætenditur Angela obiiſſe, adeſt doctrina Hippocrat. *lib.* 1. *de morb. mulierum, a num.* 43. *uſque ad* 60. ubi concludit mulieres retinentes hujuſmodi purgationes poſt partum, ad ſummum non excedere 45. dies. Quod repetit Ludov. Butr. *in coac. prænot. tract.* 3. *text.* 4.

4 Secundò, quia teſtes deponunt, Angelam per multos dies antè obitum febri acuta laboraſſe: in dubio autem mors attribuitur ultimæ cauſæ; etiamſi prima fuiſſet mortalis *leg. huic ſcriptura, & ſi ſervum. ff. ad l. Aquiliam,* & in iſtis terminis argumentata fuit Rota *in alia Romana Societat.* 15. *Novembris* 1612. *coram Reverendiſſimo Patre Domino Cavalerio*, licèt *ibi* contrarium fuerit tentum: quia inter alia febris præceſſerat partum; ideoque ex cauſa dictæ febris acutæ, quæ longè poſt partum ſupervenit in noſtro caſu præſumendum eſt obiiſſe Angelam.

Tertiò quia poſt partum, Angela per duo trimeſtria recepit fructus ſocietatis; ſignum evidens quod nec ipſa, nec maritus, aut alii intereſſe habentes tenebant partum illum periculoſum, quia alias non recepiſſent trimeſtria, ſed
5 dixiſſent ſocietatem, prout diſdixerunt, in ultima infirmitate licet non in tempore; cum non diſdixerint ante quindecim dies. Unde pro hoc intellectu poteſt dici, quod adſit obſervantia ipſorummet contrahentium, cui maximè deferendum eſt: *leg. ſi Julianus, §. perinde ff. ad Maced.* Cravet. *conſil.* 101. *n.* 4. Cephal. *conſ.* 272. *n.* 144. Menochius *conſ.* 49. *n.* 20. & 21. Surd. *conſ.* 274. *n.* 7.

6 Quartò, ſuper eo, quod Angela non deceſſerit ex cauſa partus, adeſt judicium duodecim Medicorum, quibus tanquam Peritis in arte videtur ſtandum: *leg. ſeptimo menſe. ff. de ſtat. homin. cum concord.*

Et licet pro contraria ſententia adſint etiam octo Medici,
7 attamen viſum fuit Dominis, quod in hoc ſit ſtandum ſententiæ plurium, ſicut dicimus de teſtibus, quorum major numerus in concurſu attenditur *cap. licet cauſam, § ex præmiſſis*
8 ubi Abb. *n.* 9. *ff. de probat.* Gloſſ. *in cap. in noſtra, in princip. de teſtibus*, Alexand. *conſ.* 64. *n.* 2. *vol.* Gabr. *concl.* 4. *n.* 50. *de teſtibus*, & dixit Rota *in Viterbien. curſus aquarum* 17. *Aprilis* 1606. *coram Illuſtriſſimo Cardinali Ludoviſio.*

Nec obſtant teſtes dati pro parte filiorum & hæredum dictæ Angelæ, ex quibus prætenditur probari, quod Angela poſt partum non abegit puerperium, vulgò *cacoparto*, appellatum nec ſimiliter menſtruas purgationes: & quod ſemper
9 malè ſe habuit, cum tumoribus ventris, remanentibus in corpore puſtulis, & aliis ſimilibus morbis; unde prætenditur quod ex quo ſemper malè ſe habuit, nec unquam benè convaluit quod mors ſit attribuenda partui, ut *in dict. deciſ.* 701.
10 *part.* 1. *diverſ. & in aliis Romana Societatis coram Ored. & D. meo Cavalerio ſupra allegatis.*

Quia in contrarium adſunt teſtes pro parte debitorum examinati deponentes Angelam habuiſſe bonas purgationes, & quod ipſa gerebat ſolita negotia domus, & in ſingulis diebus feſtis conferebat ſe ad Eccleſiam, & ſpatiebatur per Urbem, & quod nunquam fuit viſitata à Medicis, etiamſi ipſi accederent ad illius domum occaſione aliorum, infirmo-
11 rum, & ſignanter quod ipſa lactavit puerum: & quod multum movit Dominos, duo ex dictis teſtibus deponunt, quod ipſa Angela aſſerebat ſe prægnantem: ſignum evidens, quod ipſa habebat ſe pro perfectè ſana, cùm non ſoleant mulieres infirmæ fieri prægnantes; quibus teſtibus viſum fuit Dominis magis deferre: tum quia deponunt magis ſpecificè, & magis
12 verisimilia: juxta text. *in leg. ob carmen. § ſi teſtes ff. de teſtibus & in cap. in noſtra, eod. tit.* & Rota *in recentioribus, deciſ.* 237. *num.* 5. *tom.* 1 *part.* 1. *& deciſ.* 748. *n.* 6 *tom.* 2 *part.* 2. tum quia 13
remanent adminiculati ex his, quæ dicta fuerunt *ſuprà in princip.* Abb. *in cap. licet tam, n.* 9. *verſ.* 2. *de probat.* Gabr. *concl.* 4. *n.* 89 *de teſtibus.* & Rota *in recent. deciſ.* 123. *num.* 11. *tom.* 1. *p.* 2. *rec.* & in aliis *coram Oradino. & D. meo Cavalerio*, in quibus fuit concluſum obitum proceſſiſſe ex cauſa partus, nempè quia *ibi* factum multum diverſè ſe habebat: cum 14
tamen ex modica facti mutatione, totum Jus mutetur: juxta not. *in leg. ſi ex plagis, §. videtur, ff. ad legem Aquil. cum concord. &c.*

Eugubina Beneficii, Veneris 1. Maii 1619.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio datur Abbati exiſtenti in quaſi poſſeſſione deputandi Capellanos ad nutum amovibiles in aliqua Eccleſia Abbatiæ ſubjecta: probata generali quaſi poſſeſſione reſpectu aliarum Eccleſiarum eidem ſubjectarum.*

2 *Manutentio datur ubi cauſa eſt univerſalis, licet non probetur exercitium particulare.*

3 *Pertinentia loci ad aliquam Eccleſiam, ex quibus probetur.*

4 *Capellanus ad nutum amovibilis poteſt etiam ſine cauſa amoveri, ceſſante tamen odio & malitia in amovente. Et an hæc arguatur ex amotione Capellani ab Eccleſia, in qua commoratus fuerat per triginta annos, n.* 7.

5 *Inverisimilitudo deducitur ex diuturnitate temporis.*

6 *Inſalubritas aëris Monaſterii non poteſt allegari à Monacho ibi profeſſo, cum ei proprius obſtet conſenſus.*

DECISIO XLIV.

DOmini perſtiterunt in deciſis 4 *tunii prateriti*, videlicet 1
dandam eſſe Domino Abbati Sanctæ Mariæ de Sitria mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione deputandi Capellanos ad nutum amovibiles in Eccleſia, de qua agitur, ex generali quaſi poſſeſſione reſpectu omnium Eccleſiarum eidem Abbatiæ ſubiectarum, optimè in alia poſitione probata per teſtes ſcripturas, declarationes Sacri Concilij, & deciſiones Rotales: quæ ſufficit, quia (ut dictum eſt) ubi cauſa 2
eſt univerſalis, datur manutentio, licet non probetur exercitium particulare: Rota *deciſ.* 17. *n.* 2. *& ſeq. part.* 2. *diverſ.*

Hodie tamen etiam ad probationem particularis quaſi poſſeſſionis quoad iſtam Eccleſiam exhibita fuit pro Domino Abbate viſitatio de eius ordine, & mandato in illa facta anno 1592. tanquam in Eccleſia dependente à dicta Abbatia uti manuali membro; & cum aſſertione quòd Rector eſt Reverendus Dominus Gerardus Philanga Monachus prædicti Monaſterij, proviſus à bonæ memoriæ Cardinali Vaſtavillano tunc Abbate, ad prædicti Commendatarij, & ſucceſſorum ſuorum beneplacitum, prout per litteras patentes expeditas ſub anno 1584.

Ex qua viſitatione etiam corroboratur probatio pertinen- 3
tiæ huius Eccleſiæ ad dictam Abbatiam, firmatæ *in deciſione* ex teſtibus tunc datis *in ſumm. num.* 3. qui adminiculantur per duos ex infra ſcriptis teſtibus examinatis pro Gerardo, deponentibus de auditu ab ipſo, quod recognoſcebat dictum beneficium à dicto Cardinali tunc Abbate, ut *in novo ſumm. n.* 30 & contra hanc quaſi poſſeſſionem Abbatis nihil relevans deductum fuit per fratrem Gerardum hodie informantem.

Sed quia *in deciſione* fuit dictum poſſe amoveri etiam ſine 4
cauſa ceſſante, tamen odio, & malitia in amoventem, prout aliàs declaravit Rota *in illa Regin. ſpoli* 24. *Januarij* 1611. *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Manzanedo, inter impreſſ. noviſſimas diverſ. deciſiones* 315. *num.* 2 *part.* 2. Ideò ipſe addixit teſtes deponentes de quadam contradictione; & reſiſtentia per ipſum facta miniſtris Abbatis ne delerent quædam inſignis bonæ memoriæ dicti Illuſtriſſimi Cardinalis Vaſtavillani in pariete Eccleſiæ depicta: & inde deducebatur cauſa odij: tum de aſperitate loci & inſalubritate aëris dictæ Abbatiæ, ad quam revocari prætenditur, in vertice montium ſitæ, & expoſitæ prædonibus ibi continuò morantibus: adeò ut dictus frater Gerardus octogenarius ſubjiciatur certo mortis periculo, ut dicunt iidem teſtes *ſuper ſexto*, maximè cùm triginta ab hinc annis commoratus fuerit in Eccleſia S. Mariæ ſita (ut deponunt teſtes *ſuper quarto*,) in plano, ac commodiori loco, ibique per totum dictum tempus laudabiliter

biliter animarum curam exercendo inſervierit ; quæ in ſimili conſiderata fuerunt *in dict. Regien. ſpolii.*

Verùm hæc Dominis viſa fuerunt leviſſima : nam quoad prædictam contradictionem, illa (ultra quod non ſufficienter probatur per duos teſtes de auditu tantùm, & præſertim per ſecundum ab ipſomet Gerardo) eſt nimis frivola, & remota, ut enim apparet ex altero teſte, qui eſt tertius *ſuper undecimo*, dum deponit de auditu ab ejus patre, dictum impedimentum præſtitum fuerat longo tempore elapſo, & ioveri ſimile eſt, Abbatem ſi illud ægrè tuliſſet tamdiù diſtuliſſe indignati animi motum patefacere.

Quoad alia verò non videbatur Gerardus poſſe allegare pravitatem loci, & ætis Abbatiæ, ubi ipſe profeſſus eſt, & ſic proprium ei conſenſum obſtare : & ulteriùs conjecturam, ſi quæ hinc mala deſumi poſſet, purgari omnino per oblationem Abbatis, de illis providendo de alio conſimili loco. Servitium verò per eum præſtitum in dicta Eccleſia ab annis triginta, ex ſe ſolo non fuit receptum pro ſufficienti conjectura malitiæ in amovente : prout nec ſuper eo voluit ſe firmare Rota *in allegata Regien. ſpolii* ; ſed tranſivit ad aliam partem

Et ideò ex præmiſſis Domini ſteterunt in deciſis : &c.

Auximana Alimentorum ' Lunæ 1. Iunii 1620.

Coram R. P. D. Pirovano.

SUMMARIUM.

1 *Alimenta & ſumptus litis debentur, probatis paupertate, & boni juris præſumptione.*

2 *Paupertas ejus, qui inſtat pro alimentis, ſatis probata dicitur, ſi infans ſit à patre ejectus, & in infantili ætate conſtitutus.*

3 *Natus in domo mariti, ipſius mariti filius præſumitur.*

4 *Probatio contra præſumptionem* l. miles, §. deducto, ff. ad leg. Iul. de Adulter. *non negatur.*

5 *Conceptus ante tempus matrimonii non præſumitur filius mariti.*

6 *Paternitas quando excluditur ceſſat obligatio præſtandi alimenta.*

7 *Pariendi certum tempus non eſt homini præſtitutum.*

8 *Partus quinque menſium, & quinque dierum ſolarium, non eſt naturalis, neque vitalis.*

9 *Partus ſi ante ſeptimum menſem prodeat, non eſt vitalis.*
Contrarium num. 11.

10 *Partus quinque menſium eſt vitalis ſecundum aliquos.*

11 *Hippocratis opinio, quòd partus editus ante ſeptimum menſem non ſit vitalis, per Imperatores recepta eſt, & à Legiſtis comprobata.*

13 *Opinio illa eſt ſequenda, quæ à rationibus contraria opinionis non convincitur.*

14 *Partus editus ſeptimo menſe dicitur perfectus.*

15 *Hippocratis ſententia approbatur in Legibus non propter ejus authoritatem, ſed propter rationes adductas ab ipſo, & artis peritiam.*

16 *Temporis unius expreſſio aliud excludit.*

17 *Argumentum ab inclusione unius temporis, ad excluſionem alterius, validum eſt.*

18 *Menſes ſeptem requiſiti ad ſuſtinendum partum vitalem an eſſe debeant Lunares, vel Solares.*

19 *Dies Solares ſunt inæquales ſecundum diverſas regiones.*

20 *Dies Lunares ſemper ſunt certi.*

21 *Partus poteſt naſci, & vivere, ſi poſt dies centum ſexaginta ſex dies naſcatur, dummodo ſit conceptus in plenilunio, vel in interlunio.*

22 *Conceptionis tempus certum mulieres ignorant.*

23 *Alimenta præſtandi ceſſat obligatio, quando non probatur paternitas.*

24 *Obligatio præſtandi alimenta fundatur in paternitatis præſumptione.*

DECISIO XLV.

1 IN diſputatione præſentis dubii, An debeantur Petro alimenta, & ſumptus litis, duo ei neceſſaria eſſent probandæ paupertas nempè, & boni juris præſumptio : Cteſc. *deciſ.* 8. *de iudic.* Surdus *de aliment tit.* 1 *quæſt.* 120. *num.* 9. Covarr. *pract. quæſt. cap.* 6. *n.* 5. *in fin.* Seraphin *deciſ.* 1098. *n.* 1. & 2.

Primum non controvertebatur, quia conſtat hujuſmodi 2 filium eſſe infantem, & electum à Patre nolente illum

cognoſcere in filium, & pietatis cauſa fuiſſe receptum in domo Turriani, à quo hucuſque fuit alimentatus.

Secundum verò prætendebatur probari, quia natus erat 3 in domo Patris, in figura Matrimonii, ſimul marito & uxore cohabitantibus, nullo inter eos exiſtente impedimento, & nomine etiam patris baptizatus, quo caſu iterat præſumptio, *leg. miles, §. defuncto, Digeſtis, ad leg. Iuliam de adult.* Iàpè per Rotam approbata ad ſuſtinendam qualitatem filiationis ſaltem pro obtinendis alimentis, dum de proprietate ejuſdem diſputatur.

Cæterum, quia contra hujus legis præſumptionem non 4 eſt denegata probatio in contrarium : & pro Patre negabatur poſſibilitas hujus filiationis ; quia natus erat in quinto menſe poſt ſequutum Matrimonium, quod contigit die 23. Ianuarii 1611. partus verò editus die 28. Iunii, & per con- 5 ſequens puerum fuiſſe conceptum ante tempus Matrimonii, 6 in quo lex non præſumit paternitatem, & ea remota ceſſare obligationem præſtandi alimenta : Poſſibilitas verò probationis pro puero ſuſtinebatur lex eo quod homini non eſt præſtitutum certum tempus pariendi.

Domini examinando veritatem hujus opinionis, quæ 7 apud Philoſophos, Medicos, & legum Profeſſores admodum controverſa fuit, & à qua determinatio dubii propoſiti pendebat ?

Cenſuerunt alimenta, & ſumptus litis non deberi Petro : 8 cujus reſolutionis ſequela eſt, partum quinque menſium & quinque dierum Solarium, non eſſe naturalem, neque vitalem, paternitatemque omnem excludere.

Hujus opinionis Anteſignanus eſt Hippocrates, qui *in opuſculo de ſeptimeſtre partu in principio*, ſic loquutus eſt : *Septimeſtres autem naſcuntur* 181. *diebus cum dimidio, & inſuper accedente diei particula : ſi enim primi menſis diei quindecim ſupputaverìs, deinde quinque menſium dies* 147. *& dimidium, (in ſexaginta enim diebus quam proximè duo menſes perficiuntur) his igitur ſic ſe habentibus ad ſeptimum menſem ſuperſunt dies non plures quam viginti, & eſt tota ſumma dimidii anni, cum aliquantula diei parte.* Hanc Hippocratis ſententiam ſequuti ſunt ſummi Philoſophi, & Medicinæ Magiſtri : Ariſtot. *lib.* 7 *de hiſt. animal. c.* 4. Plinius *libro* 7. *nat. Hiſtor. cap* 5. Galenus *in lib. de Septimeſtri partu in verb. Septimeſtres* Alex. *lib* 2. *problem* omnes affirmantes 9 ſi maturiùs quàm ſeptimo menſe partus prodeat, illum nullo modo, nec ullibi vitalem eſſe, quibus accedunt Aul. Gell. *libro* 2 *Not. Act. cap.* 10. Amatus Luſitanus *cent. prima, cur.* 17. Feder. Bonaventura *de part. Octimeſtr. libro* 2. *cap.* 16. Marcel. Donat *de Medic. Hiſtor. mirab* 6 *cap.* 13.

Et quamvis non deſint, qui contrarium tueantur, ſcilicet 10 ut partus quinque menſium ſit vitalis, & exemplis conentur comprobare, eo fundamento præſuppoſito quod homini non ſit præſtitutum certum tempus pariendi, prout aliis animalibus quod non improbant ſupradicti Authores : & in ea opinione fuerunt Avicenna *libro tertio, ſua Medicin. tractatu ſecundo, quæſt.* 21 *cap.* 5. dum ait, ante ſeptimum menſem multoties natum mori, quoniam natus vehementer 11 tolerat ; ergo ſi maiorì ex parte, non ſemper ſed aliquando poteſt partus eſſe vitalis : Cardanus vir ſuæ ætatis doctrinæ eximiæ in re Medica, *contradict. Medic. lib.* 1. *tractatu* 3. *contradict.* afferens exempla de duobus filiis, quorum alter natus diebus 168. alter verò 170. Ferdinandus Mena, Profeſſor publicus & Regis Catholici Medicus, *in commentario ad cap* 4. *de Septimeſtr. part Hippocratis*, afferens exemplum de Princerna Regis Francorum : Franciſcus Vallef ejuſdem Catholici Regis Medicus *lib.* 6. *Epidemiorum* 2 *ſect.* 3. Hieronymus Montuus Regis Galliæ Medicus *in libro ſuo Anaſc. morb.* 40. & 41. Horatius Angerius *in libro inſcript. quod certum non ſit naſcendi tempus* ubi ponit exemplum de puero Avenalis Comitatus Auximan. Diœceſis, nato in quinto menſe : Ioannes Schenckius *obſervat med. tomo tertio, lib* 4. *n.* 152. & ex Noſtris multi relati per Roger. *conſilio primo, numero decimoquarto, & ſeqq.*

Tamen placuit Dominis adhærere opinioni Hippocratis 12 quæ per Imperatores recepta fuit, & à noſtris comprobata, ac etiam poteſt cum aliis conciliari : vel demum, quia nec 13 rationes contrariæ opinionis convincant, neque exempla conveniant caſui de quo agitur.

Primò enim ſententia hæc Hippocratis recepta fuit *in leg. inteſtato, Digeſtis, de ſuis, & legitim. hared. in fin.* ubi habetur, juſto tempore eum videri natum ex Hippocratis ſententia, cum mater ante centeſimum octogeſimum ſecundum diem eſſet manumiſſa, *& in leg. ſeptimo menſe, Digeſtis, de ſtatu hominum*, ubi dicitur, *ſeptimo menſe* 14 *naſci perfectum partum, tam receptum eſt propter auctoritatem doctiſſimi Viri Hippocratis.* Et ex Noſtris comprobarunt Gloſſa *in §. Secundum vero illud, verb perfecto, authent de reſtitut.*

reſtitur, & ea quæ parit, &c. in verſ. Item pluſquam ſex menſium, Iacobin. à Sancto Georgio, *in leg. quod certarum numero 4. Cod. de poſthum. hared.* Socinus *in leg. cum Avus, num. 111. Digeſtis, de condition. & demonſtrat.* Socin. Iun. *conſilio trigeſimo quinto numero quinto & ſexto, libro ſecundo.* Caſtr. *in leg. uxoris abortu. numero duodecimo. Cod. de poſthum. hared.* Pariſ. *conſilio. 56. numero quinto, libro ſecundo.* Fulgoſ. *conſil. 69. numero primo*, Alciat. *conſil. 23. num. 2. libro nono*, M. A. Eugen. *conſil. 28. numero 6.* Caſſan. *conſil. 19. num. 6.* Veſill. ad Affict. *deciſion. 236. ſub num. 1.* Burſatt. *conſil. 63. numero decimooctavo, libro primo.* Tiraquell. *in leg. ſi unquam, in ver. ſuſceperit liberos, num. 210. Cod. de revoc. donat.* Menochius *de arbitr. caſ. 89. num. 34. & 35. & præſumpt. 52. lib. 6. num. 7. & conſ. 284. num. 33 & 34.* Guillielmus de Benedictis *in repetit. cap. Raynutius, parte 2. in verb. & ſoboles quam geſtabat in utero, num. 24. & 25.* Camill. Borell *conſ. 28. n. 42.* Seraphin. *deciſ. 1282. num. 11.* & Cujac. *indict. leg. ſeptimo menſe, ſection. 1. lib. 19. ad reſponſa Pauli.*

Neque ex prædictis obſtare videtur, quod determinatio dierum centum, & octoginta duorum non contineat alterius minoris temporis excluſionem, & per conſequens poſſibilitas partus ſupervenientis non excludatur: quod dicebatur ſufficere ad hunc effectum præſtandi alimenta.

15 Quia ſententia Hippocratis cenſetur recepta *in dict. leg. inteſtato, & in leg ſeptimo menſe*: non ex eo quod ſimpliciter hoc dixerit Hippocrates; ſed quia cum ratione loquutus fuerit, rationes autem ejus ſententiæ *in opuſculo, ſupra allegato; de ſeptimeſtri partu*, expreſsè excludunt poſſibilitatem vivendi in partu quinquemeſtri, dum expreſsè ſecundum
16 ejus ſupputationem debet excedere mediam anni partem: ergo per expreſſionem unius temporis, alterum cenſeri debet excluſum tanquam rationi deductæ contrarium: & ita va-
17 lere argumentationem ab incluſione unius temporis, in his terminis declarant Fulgoſ. *dict. conſ 69. num. 1.* Caſtr. *in leg. uxoris abortu, n. 1. Cod de poſthum. hared inſtit.* Pariſ. *conſ. 56. n. 5. lib 2.* Caſſan *conſil. 19. n. 6.* Feder. Bonaventura *de Octimeſt. part. lib. 7. cap. 26.*

18 Secundò viſum fuit poſſe conciliari opiniones, quia Medici, & Philoſophi diſſentiunt inter ſe, an ſeptem menſes ſecundum Hippocratis ſententiam ad ſuſtinendum partum vitalem, debeant eſſe Lunares, vel Solares: & quod ſufficiant
19 Lunares ſecundum veriorem, quam tradit Galenus poſt alios *in lib. de dieb. decret & lib. de ſeptimeſtr. part* ea ratione, quia Solares ſint inæquales ſecundum Regiones diverſas: Lunares
20 verò ſemper ſint certi. Contrarium verò alii tenuerint ob id quod ſex Lunares non conſtituant numerum 182. dierum requiſitum ſecundum Hippocratis ſententiam; ut Feder. Bonavent. *de Octimeſt part. lib. 2 cap. 1. verſ. ha ſunt, & eodem lib. 2. c. 16. in fin.* Marcel. Donat. *de Medic. Hiſtor. mirab. cap. 13. ante med.* Matth. Curt. *de menſibus Lunaribus.*

In hoc tamen non diſſentiunt, quod non omnes menſes debeant eſſe continui, ſed ſufficiant quinque inter medios eſſe continuos, primum verò, & ſeptimum conciſos & deficientes admittendos eſſe: ut Galenus declaravit de ſeptimeſtri partu, dum expoſuit Hippocratis ſententiam de 182. diebus: & idem tenuit Marcell. Donat. *de Medic. Hiſtor. mirab. cap. 13. poſt medium*, & Franciſcus Valleſius *controverſ. Medic. lib 2. cap. 11.*

Modò, primi menſis dies ſaltem quindecim numerentur, ultimi verò totidem, vel plures: Cardanus verò *de contradict.*
21 *Med. lib. 1. contradict. 8. tractatu 3.* & qui illum ſequuntur, volunt partum poſſe naſci, & vivere poſt dies 163. modo in Plenilunio, vel interlunio conceptus ſit: quod tempus poteſt ſe habere de diebus quindecim primi menſis, & de aliquibus ſeptimi menſis, & teſiduorum deficientia tribui poteſt ad validiores parentum vires: ſed nihilominus ſecundum ditumerationem dierum præſentis caſus, qui ſunt 157. primi menſis dies quindecim reſpectivè ad plenilunium à die conceptionis ingredi non poſſunt.

Tertiò & ultimò rationes non convincunt, nec exempla allata conveniunt. Nam ſi in ſola ratione firmetur opinio, quod homini non ſit ſtatutum certum tempus patiendi, de indeterminato tempore à die conceptionis intelligi non poteſt: quia abſurda erat ratio. Si verò de tempore, in quo partus poſſit eſſe vitalis, illud quidem potuit eſſe incertum ratione editionis, ſed non ratione habilitatis ad ſuperveniendum: pro quo magis ſtringunt rationes Hippocratis, quam poſſibilitas allegata.

Similiter exempla non conveniunt, quia illa fundantur in narrativa mulierum, quæ vel potuerunt alios decipere, vel
22 ipſæ decipi in tempore conceptionis, quod illis eſſet incertum: ut tenuerunt ſupradicti Hippocrat. Ariſtotel. & Plinius; & ex Noſtris comprobat Tiraquellus *in dict. leg. ſi unquam in ver. ſuſceperit liberos, num. 210. & ſequentibus, Cod. de revocand. donat.* In præſenti autem caſu talis ignorantia cadere non poteſt, quia certus eſt dies contracti matrimonii, nempè 23. Ianuarii 1611. puer verò natus eſt die 28. Iunii: Unde à poſſibile non poteſt variari tempus conceptionis ad augendum numerum dierum, & tempus nativitatis eundem numerum determinat.

Atque ita cum neque verè, neque per poſſibile concluda- 23
tur paternitas; viſa fuit ceſſare omnis obligatio præſtandi
alimenta, quæ tota fundatur in paternitatis præſumptione: 24
Alciat. *reg. 3. præſumpt. 38. num. 9.* Covarruvias *de ſponſ. p. 2. cap. 8. num. 6. verſ. idem dicendum erit.* Surd. *de alim. tit. 1. quæſt. 12. n. 2. & 3.*

Et ita, &c.

Romana Bonorum 17. Maii 1621.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium probatur per duos teſtes, etiam mulieres.*
2 *Teſtimonium Religioſi præfertur teſtimonio laici.*
3 *Teſtis fides augetur per illius mortem.*
4 *Teſtis unico, accedente veriſimilitudine, eſt valdè deferendum.*
5 *Matrimonium contractum præſumitur ex traductione ſponſæ ad domum ſponſi.*
6 *Fama probatur per teſtes dicentes quod publicè dicebatur.*
7 *Fama plurimum facit ad probandum Matrimonium, & illud ſemiplenè probat.*
8 *Matrimonium probatur ex copula ſubſequuta poſt ſponſalia.*
9 *Copula probatur ex ſola fama tanquam difficilis probationis.*
10 *Matrimonium præſumitur ex cohabitatione.*
Imò ad effectum legitimitatis, ſola cohabitatio ſufficit ad probandum Matrimonium, niſi conſtet de malo initio, nempè de concubinatu præcedente, n. 26 & 27. in addit. Ferentill.
11 *Teſtis unicus deponens de confeſſione alicujus, quod Matrimonium contraxerit facit adminiculum.*
12 *Matrimonium non clandeſtinum, ſed in facie Eccleſiæ coram Parocho & teſtibus contractum probatur per ordinarias probationes.*
13 *Matrimonium primum quando non agitur de dirimendo ſecundo ſed ad effectum ſucceſſionis, probatur per ordinarias probationes & etiam per leviores.*
Etiamſi conſtet de concubinatu præcedenti ut n. 28. in add. Ferentill.
14 *Concilium Tridentinum, tempore quo publicatum non erat, non afficiebat illos de Parochia.*
15 *Denunciationes non ſunt de ſubſtantia matrimonii, ſed ad bene eſſe, & illarum omiſſio non vitiat.*
16 *Denunciationum omiſſio probari debet ab allegante matrimonii clandeſtinitatem ob illarum defectum.*
17 *Matrimonium legitimè celebratur coram Parocho alterius ex conjugibus.*
18 *Matrimonium non probatur ex inſtrumento dotali, niſi præſumptivè, etiamſi de eo fiat mentio.*
Maximè in præjudicium alterius Matrimonii, n. 19.
20 *Filiatio legitima ad effectum ſucceſſionis probatur per teſtes de fama, & communi reputatione.*
21 *Filiatio probatur ex nominatione utriuſque parentis, tanquam filii legitimi & naturalis: maximè ſi nominationes ſint plures.*
22 *Filiatio probatur ex communi reputatione & tractatu tam parentum quam aliorum, cum pluribus demonſtrationibus amoris erga ipſum filium.*
23 *Filiatio reſpectu matris probatur ex effigie valde ſimili.*
24 *Effigies valde ſimilis eſt fortiſſimum naturæ argumentum.*
25 *Filiatio legitima plenè probatur ex pluribus conjecturis ſimul junctis.*

DECISIO XLVI.

CApta fuit reſolutio pro Tiberio informante, conſtare de ejus legitima filiatione ex q. Franciſco & Octavia, &c. Probatur enim Matrimonium inter Dominum Franciſcum & Octaviam contractum de anno 1565 in Eccleſia Sancti Iacobi de Murattis per duas Moniales dicti Monaſterii, in quo dicta Octavia educabatur, deponentes de viſu, intereſſentia, & mutuo conſenſu ad interrogationem

Parothi

Parochi Domini Franciſci, & de ſubharratione per immiſſionem annuli per eundem facta; & de interventu etiam Cappellani Monaſterii in præſencia Abbatiſſæ, & aliarum Monialium: *ut in Summario, n. 11. 18. &* 20 Certum eſt autem, Matrimonium probari per duos teſtes, licet mulieres: *cap. ſuper eo il* 2. ubi Joannes Andreas *n.* 4. Butr. *num.* 7. Abbas *in* 3. *Notab.* & Aretin. *num.* 3. *de teſtib.* Socin. jun. *conſil.* 31. *n.* 13. ubi de communi, *lib.* 2. Covarruvias *de ſponſ. part.* 2. *cap.* 8 § 12. *n.* 8 *poſt med verſ. receptum tamen eſt*: qui etiam de communi Verall. *deciſ.* 205. *part.* 2. & de recepta in praxi, Triviſan. *de ſponſ. privileg.* 9. *num.* 54 cum plurib. de communi, & magis communi atteſtantibus relatis per Farinac. *de teſtibus, quæſt.* 59. *n.* 33. à qua dicit in judicando & conſulendo non eſſe receden. Rota *deciſ.* 772. *ſub num.* 1. *part.* 2. *in recent. &* 273. *& parte* 4. & quod duæ mulieres plenè probent Matrimonium, Dec. *conſil.* 342. *n.* 1. Tiraquellus *de leg. connub. leg.* 9. *num.* 74. Farinactius *ubi ſuprà n.* 35. *&* 36. & de teſtibus Monialibus, Angel. *conſil.* 233. *n.* 1. Præſertim cum ſint notabiles & Religioſæ quarum teſtimonium depoſitioni lati eorum præfertur: Gloſſ. *in cap. Monachus, verbo quorum diſtinct.* 77. Alexander. *conſil.* 23. *num.* 5. *lib.* 7. Decius *dict. conſil.* 342. *num.* 2. Roland. *conſil.* 24. *num.* 54 *libro* 1. cum aliis per Menochium *conſil.* 92. *num.* 9. & fides valdè augetur per illarum mortem. Nevizan. *conſil.* 26. *num* 34. Rota *deciſ.* 594. *num.* 1. *parte* 1. *diverſ.* Farinac. *dict. tractat. q.* 67. *num.* 190. Maximè cum earum depoſitionem morti proximè confirmaverint, ut deponit Confeſſarius *in Summario, num.* 30. cui tanquam qualificato accedente verifimilitudine ex aliis reſultante, eſt valde deferendum, Verall. *deciſ.* 27. *parte* 3. Cæſar de Graſſis *deciſ.* 3. *n.* 6. *de prob.* Rota *deciſ.* 119. *n.* 4. *part.* 2. *in recent.*

Quæ Matrimonii probatio confirmatur. Primò ex ſtatim ſequuta traductione Octaviæ ad domum viri cum rheda; permiſſu Abbatiſſæ; præſentibus & videntibus aliis Monialibus de qua teſtes *in Summario, n.* 12. Abbas *in cap. ex parte, n.* 26. *de reſtitut. ſpol.* Covarruvias *de ſponſ. part.* 1. *cap* 4. § 2. *num.* 1. *verſ.* 2 *poteſt.* latè Menochius *præſumption.* 1. *num.* 55. & 58. *lib.* 2. Gutier. *de Matrimon. cap.* 40. *num.* 48. quam traductionem puellæ, fuiſſe per Abbatiſſam præſentibus Monialibus extraneo factam ſine matrimonio, impium eſt cogitare.

Secundò ex publica voce, & fama de hoc matrimonio contracto inter prædictos, de qua benè deponunt teſtes *in Summario, num.* 15. ubi 1. 2. & 3. *ſuper* 1. & 5. *Che il matrimonio ſi publico per tutta Roma e ſi teneva e reputava Octavia per moglie di Franceſco*, & de publica voce & fama in Vicinia & Monaſterio. Alii verò deponunt, *che ſi diceva publicamente*: & ſic pariter probant formam: Caſſiodor. *deciſ.* 3. *n.* 7. *de probat.* Verall. *deciſ.* 7 *part.* 2. quæ plurimum facit ad probandum Matrimonium *cap. illud*, ubi Abbas *num* 4. *de præſump.* Decius *conſil* 63. *num.* 3. Grat. *conſil.* 58. *numero* 8. *libro* 2. Simon de Prætis *conſil.* 134. *numero* 5. Menochius *conſil.* 18. *num.* 12. *verſ. tertio confert.* Rota *deciſion.* 273. *n.* 11. *parte* 4. *diverſ.* ubi conſideratur fama in ſolo Monaſterio & in terminis probationis primi Matrimonii poſt contractum ſecundum: Nicol. Superan. *conſil.* 63. *num.* 4. Petr. Albigan. *conſil.* 67. *n.* 9. *tom.* 1. *conſ. matrimon.* Et ex ſola fama in ſemiplenè probati contractum Matrimonii fuit dictum *in una Romana Matrimonii* 22. *Junii* 1611. *coram Reverendo Patre Domino Pirovano*, impreſſa *poſt ſecundum vol. conſ.* Farin. 337. *num.* 4.

Tertiò facit copula ſubſecuta, de qua per teſtes *in Summario* 16. *capit. ii qui fidem, cap. veniens* 2. ubi doctores *de ſponſal.* Decius *dict. conſil.* 163. *num.* 2. *in fin.* Covarruvias *ubi ſuprà*, § 1. *num.* 1. Menochius *dict. conſil.* 15. *num* 12 Modern. *de probation. concluſ* 1029. *numero primo, & ſequentibus*, quæ tanquam difficilis probationis ex ſola fama probatur: Socin. Jun. *conſ* 31. *n.* 20. & 23. *lib.* 2. Cephal. *conſ.* 82. *n.* 30. Honded. *conſ.* 15. *n.* 39. *lib.* 1.

Quartò ex cohabitatione Octaviæ in domo Franciſci, de qua per teſtes *in Summario, n.* 13. & 17. Abbas *in cap. later, num.* 6. *qui fil. ſint legitimi*; Alciatus *reg.* 2. *præſump.* 5. *n.* 1. & 2. Paleottus *de Noth. & ſpur. cap.* 19. *n.* 11. cum plurib. per Modern. *de probat.* 798. *n.* 1.

Quintò accedit confeſſio Franciſci de matrimonio contracto in dicta Eccleſia, de qua licet deponat unicus teſtis *in Summario, num.* 20. facit tamen adminiculum; Martin de Garatt. *conſ* 61. *n.* 24. Jacob. Leon. *conſ.* 51. *n.* 5. *inter dict. conſ. Matrim. lib.* 1.

Non obſtat quod videatur agi de præjudicio alterius matrimonii per Domin. Franciſcum poſtea contracti, & ſic requirantur concludentes & majores probationes: Tum quia cùm ſimus in primo Matrimonio non clandeſtino, ſed in facie Eccleſiæ contracto coram teſtibus Monialibus, Parœco, & Cappellano; ſufficiunt ordinariæ probationes: Decius *dict. conſ.* 163. *n.* 10. *& ſeq.* Rota *deciſ.* 273. *n.* 12. *& ſeq. part.* 4. *diverſ. & in Toletan. Matrimonii* 26. *Junii* 1619. *coram Illuſtriſſimo Cardinali Sacrato*: Tum quia non agitur de dirimendo ſecundo jam per mortem diſſoluto, ſed ad effectum ſucceſſionis, licet in conſequentiam tendat præjudicium ſecundi: Socin. Jun. *conſil.* 31. *n.* 16. & 17. *lib.* 2. & fuit reſolutum *in d. Toletana Matrimonii coram Illuſtriſſimo Sacrato*, & ad dictum effectum ſufficiunt etiam leviores: juxta *conſ.* Gemin 27. *numero* 8 quod perpetuò Rota ſequitur; Cæſar de Graſſis *deciſ* 6. *qui fil. ſint leg.* Seraph. *deciſ.* 1282. *n.* 6. & *deciſ.* 2099. *num.* 1. Rota *deciſ.* 337. *n.* 1. & 10. *part.* 1. & *deciſ.* 34. *num.* 19. *parte.* 2. *diverſ. & deciſion.* 198. 310. *n.* 1. & 406. *num* 8. *parte* 1. *in recent.* in quibus plures aliæ ſunt relatæ.

Neque videbatur controverti poſſe validitas matrimonii ob non ſervatas ſolemnitates Sacri Concilii Tridentini: nam (omiſſo quod de tempore Matrimonii Concilium non eſſet in dicta Parœcia publicatum, prout ex ejus diſpoſitione requiritur: ut per Rotam *deciſ.* 429. *num.* 3 *parte* 2. *diverſ.* Seraph. *deciſ.* 189. *n.* 3. & *fuit dictum in Pragen. Matrimon. ultim. Februarii* 1618. *coram R. P. D. Pirovano*, (reſpectu denuntiationum, illæ non ſunt de ſubſtantia, ſed ad bene eſſe & illarum omiſſio non vitiat: ſæpè Sacra Concilii Congregatio declaravit: Sanchez *de Matrimon. lib.* 3. *diſputat.* 5. *n.* 3. Seraphin. *dict. deciſ.* 1099. *num.* 4. Rota *in Leodien. Matrim.* 27. *Junii* 1605. *coram bon. mem. Juſto.* & in aliis paſſim: nec probatur, illas fuiſſe omiſſas, ut opus eſſet: Rota *in Brachinanenſ. Matrimon.* 15. *Martii* 1604. *coram bon. mem. Penia*, quæ eſt *deciſ* 71. *n.* 11. *parte* 1. *recent. & in Valentina illegitimitatis* 16. *Martii* 1612. *coram. R. P. D. Pamphilio*; quæ eſt 354. *n.* 6. *poſt. d. volumen. conſ. Farinac.*

Reſpectu verò Parœci, ſufficit quod interveniat Parœcus unius ex conjugibus: ut ſæpè eadem Sacra Congregatio Concilii declaravit: Seraphin. *deciſ.* 519. *n.* 3. Rota *deciſ.* 390. *num.* 6. *parte* 2. *in recent.* In hoc autem caſu quidquid ſit, an Capellanus Monaſterii, qui intervenit, diceretur Parœcus puellæ in eo degentis, ad hunc effectum de quo per informantes, Matrimonium fuit contractum in præſentia Parœci veri, ut per dictas Moniales, *d. num.* 18. deponentes ipſum ſe publicaſſe pro tali, & pro tali fuiſſe ab omnibus tentum & reputatum, ac fuiſſe ſervatas omnes ſolemnitates. Quod confirmant alii teſtes, licet de auditu: *dict. num.* 18. & ulterius, quod intervenit etiam licentia Vicarii; & in actu celebrationis Matrimonii fuiſſe publicè dictum, deponunt eædem Moniales, & hoc habuerunt pro certo, quia Abbatiſſa non permiſiſſet aliter Matrimonium in dicta Eccleſia celebrari: ut *in dict. Summario, num* 19.

Objectioni autem, quæ ex adverſo fieri poſſe dubitatur, quod cum ipſe Tiberius ſit natus anno 1565. & matrimonii inter Octaviam, & Franciſcum contractum anno 1565. dicta Octavia non poterat tunc eſſe pubes & habilis ad contrahendum matrimonium, cum ex alio inſtrumento dicatur conſtare, quod Matrimonium inter patentes dictæ Octaviæ fuit contractum anno 1554. de menſe Novembris; plures dabantur reſponſiones, & præſertim dicti inſtrumenti verba, (cujus tamen ſummarium non fuit datum) debere eſſe præciſa & neceſſaria quod dictum Matrimonium de dicto anno 1554. & non ante fuerit contractum: quæ tamen ſupponuntur, & ponderantur fuiſſe prætetiti temporis, nempè. *Promiſerunt in facie S. Matris Eccleſiæ Matrimonium contrahere, prout contraxerunt cum dote infraſcripta videlicet, &c. qua bona habuiſſe confeſſus fuit, &c. necnon ſiut. &c. de quibus habuiſſe confeſſus fuit* 700. *videlicet* 400. *in una manu, jam eſt annus elapſus, alia verò de menſe Martii prateriti* 18. Et Nihil etiamſi eſſent præſentis, & de deſponſatione eſſet habita mentio, potuiſſe fieri *juxta formularium Placen. cap.* 22. *verſ. item nota*: ſecundum quod in inſtrumento dotali renovabantur ſponſalia & Matrimonium in forma ad facilliorem illius probationem, & inſtrumentum dotale non probare matrimonium, etiam ſi de eo fiat mentio, niſi præſumptivè, poſt Joannem Andr. & alios *in capite illud, de præſumption.* ubi Felin. *num.* 3. Roman. *ſingul.* 452. *& ibi* Apoſtilla ad eum. Sed neque quoad Tertium, prout eſt Tiberius, & ſic quod non in præjudicium alterius Mattimonii: Felinus *dict. capite illud, numero* 4. *verſ. ſecundo intellige, & num.* 5. Multo minus probare poſſe tempus matrimonii contracti, nec in omnem eventum excludi nativitatem Octaviæ ante Matrimonium, nec quin ipſa tempore matrimonii contracti cum Franciſco, potuerit eſſe viripotens, licet minor duodecimo: nec probari quod non eſſet pubertati proxima: ut plenius per informantes: quæ reſponſiones Dominis placuerunt, &c.

Probatio igitur ex prædictis Matrimonio, filiatio Tiberii ex dictis conjugibus facilius deducitur primò ex teſtibus de publica voce & fama ac communi reputatione deponentibus *in ſummario*, *n.* 16. 17. & 23. quæ probat legitimitatem ad effectum ſucceſſionis, Alberic. *in leg. filium*, *n.* 6. *v. idem probatur, Digeſtis*, *de in jus qui ſunt ſui, vel alieni juris* Alexander de Nævo, *in cap. pervenit*, *n.* 9. *qui fil. ſint legitimi* Ruin. *conſil.* 51. *num.* 18. *lib.* 1. Pacian. *de probat. lib.* 2. *cap.* 16. *verſ. in contrarium*: latè Menochius *de arbitr. dict. caſ.* 89. *n.* 86. *lib.* 2. Paleot. *de Noth. & ſpur. cap* 23. *n.* 3. & 4. ubi de communi: Cæſar de Graſſis *deciſ.* 6. *num.* 2. *qui fil ſint legit.* Rota *deciſ.* 357. *n.* 2. *part.* 1. *diverſ.* 10

Secundò ex nominatione utriuſque parentis tanquam legitimi filii & naturalis, ut *in dict. Summario*, *n.* 16. & 23. Doct. *in cap. per tuas*, *de prob.* Rolandus *conſil.* 22. *n.* 26. *lib.* 3. latè Surdus *conſil.* 1. *num.* 47. Seraphin. *deciſ.* 128. *n.* 2. cóque magis cum nominationes ſint plures, Rolandus *dict. conſ.* 32. *n.* 27. Patiſ. *conſil.* 10. *num.* 56. *lib.* 2. Menoch. *dict. caſ.* 89. *n.* 81. 21

Tertiò ex communi reputatione & tractatu tam dicti Franciſci & Octaviæ, quam aliorum, cum plurimis demonſtrationibus amoris erga ipſum: quia fuit ab ipſo Franciſco ſoluta merces Nutrici: ut *in Summario Jurium*, *n.* 20. & penes eandem fuit pluries viſitatus, & retinebatur domi, alebatur à Patre; & tractabatur ſicut alii filii, ut deponunt teſtes *in Summario*, *n.* 24. & 25. Alexander latè *conſ.* 88. *n.* 9. *lib.* 7. Gozad. *conſil.* 13. *num.* 13 Patiſ. *conſil.* 29. *num.* 9. *lib.* 2. Menochius *dict. caſ.* 89. *num.* 69. cum relatis per Surd. *dict. conſil.* 1. *num.* 46. & reſpectu matris accedit etiam effigies Tiberii valde ſimilis, de qua teſtes, *in Summario*, *n.* 16. ponderata per Alciat. *reg.* 3 *præſump* 37. *in fin.* Patiſ. *dict. conſil.* 10. *num.* 59. *lib.* 2. Pacian. *de probat. dict. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 34. & eſſe fortiſſimum naturæ argumentum, dicit Mohed. *deciſ.* 2. *ſub n.* 1. *qui fil. ſint legitim.* 22 23 24

Quæ & alia per informantes deducta, ſi ex ſe paterentur difficultatem, ſimul juncta ſatis viſa ſunt probare legitimam filiationem dicti Tiberii: Burſat. *conſ* 88. *n.* 7. *in fine*, Menoch. *d. caſu* 89. *num.* 66. Surd. *conſil.* 1. *num.* 52. *verſ. & quamvis* cum allegatis per Modern. *de prob. concl.* 796. *n.* 1. & 6. 25

Et ita deciſum, ſolo Tiberio informante, parte adverſa pluries monita, ac diu expectata.

Giennenſis Theſauratiæ Lunæ 21. Junii 1621.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1 *Liber Chori, & Punctatorii probat deficientiam, & perſeverantiam in ſervitio.*

2 *Infirmitas narrata in Coadjutoria, probanda eſt talis, qua per ſe corpus aggraveret ſine probabili ſpe futura proſperitatis, & valetudinis, & quæ præſtaret impedimentum perpetuum, licet cum aliquo intervallo quietis.*

3 *Infirmitas in Coadjutoria expreſſa, debet plenè & concludenter probari.*

4 *Coadjutoria cum futura ſucceſſione tanquam exorbitans à jure communi, concedi non debet abſque urgenti neceſſitate, & cauſa non priùs diligenter cognita.*

DECISIO XLVII.

EX narratis in gratia Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione de qua agitur conceſſa ad favorem Vitalis, per fel. rec. Paulum V. non fuit verificatum quòd Chriſtophorus coadjutus ira aſſiduè continuis capitis doloribus gravaretur, quod non poſſet ulterius per ſe ipſum deſervire, & onera Theſaurariæ incumbenti perferre. Teſtes enim dati *in Summario* Vitalis *num.* 8. & Promotoris fiſcalis *num.* 9. ultra quod multi ex eis attendendi non ſunt; cum aliqui deponant de auditu ab eodem Chriſtophoro, ut primus, quartus, octavus, nonus & decimus, aliqui de auditu ab ejus Patre, ut quintus, & aliqui de auditu ab aliis ut ſecundus: omnes deponunt eundem Chriſtophorum ſolum per aliquot vices, non autem continuò, & frequenter dictis doloribus laboraſſe: videlicet ſecundus per unam, vel duas vices, tertius & quartus per unicam, poſtquam fuit Theſaurarius: ſextus per aliquas vices: ſeptimus qui eſt illius Medicus, per tres vices in uno anno, ſubdens, quod ab una ad alteram tranſierunt duo, aut tres menſes: octavus per duas vices ſimiliter in uno anno: nonus per duas, vel tres, duodecimus per plures. Primus autem expreſſè dicit ſe illum vidiſſe laborantem levi infirmitate, quæ duravit ſi bene memini ſpatio trium hebdomadarum: ſed quod iſti non fuerunt dolores capitis continui, qui illum impedirent venire ad Eccleſiam per plures hebdomadas, quàm illas, per quas dimiſit venire: & quod multis vicibus non audet deſervire ſuam hebdomadam, quamvis hoc non ſit ordinariè: & quod de hoc aliquoties ſe excuſat propter dictos dolores. 1

Et tolli viſa fuit difficultas ex libris Chori, ſeu Punctatoris Eccleſiæ, in quibus adnotantur deficientes in ſervitio, & quibus in hac materia ſtandum eſt: ut ex allegatis per Rotam *deciſ* 629. *num.* 1. *parte* 2. *in recent.* cùm in eis appareat Chriſtophorum defeciſſe de anno 1617. ſolum, pro una die, & *de.* 1618. pro tribus tantum, & demum *de* 1619. ſolum pro quatuor, ut in partitis dictorum librorum datis *in dicto Summario*, *Promotoris fiſcalis*, *num.* 4. Sicque patet ſupradictam narrativam non poſſe dici verificatam, cum juxta illam, ac etiam ſecundum naturam hujuſmodi gratiarum, eſſet probanda talis infirmitas, quæ per ſe corpus aggravaret ſine probabili ſpe futuræ proſperitatis, & valetudinis. ſecundum Felinum *in cap quoniam frequenter*, *num.* 6. *ad fin. verſ. & quando innotent. ut lit. non conteſt.* quem in iſtis præciſis terminis ſimilis Coadjutoriæ ſequuta eſt, Rota apud Caput. *deciſ.* 240. *num.* 1. *parte* 1. & Gonzal. *ad reg.* 8. *gl.* 5. § 9. *n.* 88. & quæ præſtaret impedimentum perpetuum, licet cum aliquo intervallo quietis, ut in eiſdem terminis notat poſt alios Imola *in cap. ſin ſub n.* 9. *de Cleric. agrot.* & Caputaq. *dict. deciſ.* 240. *n.* 2. & Gonzal. *loco citato*, *n.* 89. 2

Quæ etiam infirmitas eſſet juxta omnes Juris regulas plenè, & concludenter probanda, præſertim cum eſſe ſoleat potiſſima cauſa, & fundamentum hujuſmodi Coadjutoriarum cum futura ſucceſſione, quæ ſunt exorbitantes à jure communi, & quæ ſine urgenti neceſſitate, & cauſa non priùs diligenter cognita, prohibentur à Sacroſancto Concilio Tridentino *ſeſſ* 25. *cap.* 7. & à motu proprio fel. record. Pauli IV. 3 4

Et ideo ex hoc aliis omiſſis Domini reſponderunt gratiam prædictam non eſſe juſtificatam.

Pampilonenſis Matrimonii Veneris 13. Maii 1622.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonii diſſolutio ſi prætendatur ob impotentiam coeundi, Judex primo loco mandare debet quod uxor à mulieribus, & maritus à viris peritis inſpiciatur.*

2 *Coeundi impotentia ſigna quando ſunt dubia, ante declarationem nullitatis matrimonii requiritur triennalis conjugum cohabitatio.*

3 *Matrimonium utpoſſit diſſolvi quando impotentia coeundi ſigna ſunt dubia, neceſſe eſt quod conſtet conjuges ſimul cohabitaſſe, & incubuiſſe operi maritali.*

4 *Conjuges operi maritali incubuiſſe probatur ſi conſtet in eodem lecto cubuiſſe.*

5 *Mulier inſpicienda an ſit potens ad coeundum, debet per duas Obſtetrices expertas, & non ſuſpectas inſpici.*

6 *Obſtetrices tres deputanda veniunt, ſimulier qua inſpici debet, an ſit apta ad coitum, in magna Civitate degat.*

7 *Obſtetrices quod ſint neceſſaria ad cognoſcendum an mulier ſit apta ad coitum, remittitur Judicantis religioni.*

8 *Obſtetrices deputanda ad cognoſcendum an mulier ſit apta ad coitum, debent eſſe experta in opere nuptiali.*

9 *Matrona deputanda ad cognoſcendum an mulier ſit apta ad coitum, debent eſſe ex peritioribus, & non ſenes, nec juvenes.*

Declara, ut nam 11.

10 *Experientiam in rebus ſi quis non habeat, faciliter eluditur.*

11 *Obſtetrices deputata ad inſpiciendum mulierem an ſit apta ad coitum, referentes medio juramento, de veritate dicenda, rite roferre dicuntur.*

13 *Peritidum referunt, ſatis eſt quod jurent de eorum credulitate.*

14 *Mulier inſpicienda, an ſit apta ad coitum, poni debet per tres quadrantes unius horæ in balneo immediatè ante inſpectionem.*

15 *Matrimonium non eſt diſſolvendum ob impedimentum conjugum medicabile.*

16 *Arctitudinis impedimentum ad coitum in muliere ſi eſt medicabile per ſcipſionem, matrimonium non diſſolvitur.*

17 *Arctitudo*

17 *Arctitudo mulieris tunc est tollenda per scissionem quando id potest fieri absque periculo vitæ.*

18 *Mulierum peritia si non sit habilis ad judicandum; an mulieris impotentia ad coitum sit medicabilis, tunc adhibendi sunt Viri Periti.*

19 *Viri Periti pro judicanda impotentia mulieris ad coitum an possit medelis tolli si non admittantur ad inspectionem mulieris, debent saltem audire Obstetrices & super illarum relationibus suam proferre sententiam.*

20 *Iudex in materia gravi considerate procedere debet in iis maximè qua eius arbitrio sunt remissa.*

DECISIO XLVIII.

1 AGitur de dissolutione matrimonij ob impotentiam coëundi, unde fuit primo loco ordinatum ut à mulieribus inspiceretur uxor; à viris autem maritus, juxta not. *in cap. fin. de frigid. & maleficiat.* & ita fuit servatum *in causa Taurinens. Matrim. 2. Decembris 1591. coram bon. mem. Card. Blanchetto*: & meis temporibus *in causa Romana invaliditatis matrimonij 28. Februarij 1603. coram bon. mem. Penia.* Et cum mulieres retulissent, uxorem esse valde arctam, & periti virum non posse coire cum muliere valde arcta, sub *die*
2 *11. Decembris 1605.* coram me fuit dictum, quod signa huius impotentiæ coëundi erant dubia & præsumptiva; & ideo quod pro declaratione nullitatis matrimonij requirebatur cohabitatio triennalis, & nova inspectio mulieris, & juramentum coniugum cum septima manu propinquorum, firmantium juramento se commiscere carnaliter nequire. Unde cum hoc quæratur, an sit locus dissolutioni Matrimonij, videndum est an prædicta fuerint adimpleta.

Et quantum attinet ad cohabitationem triennalem, & juramentum coniugum & propinquorum, animadvertebatur quod licet *die 9. Octobris 1617.* mulier fuerit configurata viro, quam accepit libentissimè; tamen non constat quod
3 insimul habitaverint per triennium, & incubuerint operi nuptiali, & quod non potuerint insimul commiscere, quod coniuges tenentur juramento firmare: ut *in cap. fin. de frigid. & malefic.* Nec appareret septimam manum propinquorum affirmare, quod interea coniuges incubuerint operi nuptiali prout requiritur, ex text. *in dict. cap. fin.* & per Gloss. *ibidem in fin.* ubi dicit satis hoc probari, si constat coniuges habi-
4 tasse in eodem lecto: Hostiens. *in cap. fraternitatis, ante n. 1. de frigid. & malefic.*

Quantum attinet ad inspectionem, Iudex subdelegatus in partibus *die 2. Aprilis 1611.* decrevit uxorem inspiciendam per Angelam Fydalgam, Philippam D... & Mariam Braz obstetrices: Unde circa istam inspectionem de pluribus est videndum.

5 Et primò, an sufficiens numerus mulierum fuerit deputatus, & affirmativè Domini resolverunt; quia sufficit deputatio duarum mulierum expertarum, & partibus non suspectarum, hic autem fuerunt deputatæ Obstetrices, secundum senten-
6 tiam Baldi *in cap. proposuisti num. 4. vers. & licet: de probat.* & cessat omnis difficultas cum fuerint deputatæ tres mulieres quæ videntur necessariæ in civitate magna, cum plures, quæ habeant peritiam, in ea possint inveniri: ut videtur vo-
7 luisse Barbat. *in d. cap. proposuisti, num. 7.* qui postea etiam hoc videtur reliquere judicantis religioni.

8 Secundò est videndum, an dictæ Obstetrices essent aptæ ad referendum? cum text. *in dict. cap. fin.* requirat quod mulieres deputandæ sint experiæ in opere nuptiali; Et fuit dictum quod sic cum istæ essent Obstetrices. Sed cum Hostiens.
9 *in cap fraternitatis, ante num. 1. de frigid. & malef.* requiratur deputentur Matronæ peritiores, quæ nec senio confectæ, nec
10 juvenes sint, ne vetulæ beneficio visus fruſtratæ, juniores verò carentes experientia faciliter eludantur: In hoc casu una istarum Obstetricum erat ætatis 50. annorum: aliæ verò
11 duæ ætatis 70. annorum: quæ ætas licet videretur magna ita ut dictum *Hostiensis* videretur facere aliquam difficultatem, nihilominus ex qualitate relationis, & ex diligentiis factis, visum fuit relationibus ipsarum esse adhibendam fidem.

12 Tertiò est videndum, an titè fuerit facta relatio? & affir-
13 mativè pariter fuit resolutum: cum dictæ mulieres retulerint medio iuramento de veritate dicenda, cum tamen sufficeret juramentum de credulitate, prout periti jurant: Abbas *in cap. proposuisti, num. undecimo, vers. Venio nunc ad secundum, de probat.* Et istæ mulieres fuerunt deputatæ *die 2. Aprilis 1611.* & eadem die fecerunt inspectionem, & duæ etiam relationem: tertia autem fecit relationem *die 3. Aprilis*, in quibus relationibus referunt se fecisse inspectionem eadem *die 2. Aprilis.*

Quartò est videndum, an dicta inspectio fuerit rectè facta
14 & visum fuit quod sic: quia eadem die immediatè ante inspectionem fuit mulier posita in balneo, in quo permansit per tres quadrantes horæ juxta cautelam Hostiens. *in cap. causam Matrimonii, numero quarto, de probat. & in cap. fraternitati, ante numerum primum, vers. & propter medicinas mulierum de frigid. & malefic.* quem sequitur Abbas *in dict. cap. fraternitatis, numero quarto not. 3. vers. & consuluit*: & Gregor. Lopez *parte quarta, titulo octavo, libro secundo, super verbo, mulieres*, & postmodum deventum fuit ad inspectionem, & tactum; & relatum quòd mulier fuerit reperta Virgo. Unde non potest negari, quin ista inspectio non fuerit bene facta: super qua inspectione cum tantum informaretur, super ea Domini responsum dederunt, omissis aliis supradictis circumstantiis, de quibus poterit videri. 15

Aliqui tamen ex Dominis circa istam inspectionem con- 16
siderabant, quod etsi omnia concurrerent, nihilominus non sufficerent pro separatione tori, cum ex dicta inspectione 17
non constet an impedimentum arctitudinis sit medicabile, saltem per scissionem absque periculo vitæ: quo casu utendum est isto remedio, non autem deveniendum ad dissolutionem matrimonii: ut post alios, quos allegat, dicit Sanchez *de Matrimonio, libro 7 disput. 93. n. 15.*

Et quando peritia mulierum non esset sufficiens ad reso- 18
lvendum, an impedimentum possit tolli, esset admittenda inspectio virorum peritorum, ut voluit Franciscus Aretinus *in consilio 142. numero decimoseptimo, vers. ne igitur facultas,* 19
qui loquitur in terminis, & respondet omnibus contrariis: vel saltem periti deberent audire relationes mulierum, & super illis suam profetre sententiam.

Et cum ista materia sit gravis, omnis modus est quæren- 20
dus eruendæ veritatis; quia Iudex nimis est oneratus cum talia ejus arbitrio sint commissa: ut dixit Hostiens. *in dict. cap. fraternitatis, ante n. 1.*

Et ita, &c.

Romana altius non tollendi, Lunæ 30. Maii 1612.

Coram R.P.D. Bmratto.

SUMMARIUM.

1 *Interdictum. Ne quid in loco publico, habet locum etiamsi quid fiat in private, quod noceat publico.*

2 *Faber malleans propè scholas expelli potest.*

3 *Ædificium altius tolli non potest, si venti excludantur in damnum publica utilitatis.*

4 *Arbiter & moderator quilibet est rei sua.*

5 *Ædificiis nobilibus & insignibus Civitatem ornari publicè interest.*

6 *Ædificium altius tolli potest cùm non fit ad æmulationem.*

7 *Ædificium tam captum habendum est in consideratione, ac si esset perfectum.*

8 *Ædificare ne liceat prope domum alterius ut ventus non impediatur, probandum est ab Actore quod ventus prorsus, & undique remaneat exclusus, ita ut locus penitus inutilis evadat.*

9 *Venti reuniti habent eandem vim eosdemque effectus prout ante refractionem, & impedimentum.*

10 *Venti Aquilonares refracti salubriores sunt quàm si impetuosi liberè ingrediantur.*

11 *Aëris insalubritas necessariò non resultat ab omnimoda venturum Aquilonarium exclusione.*

12 *Experientia semper attendi debet tanquam rerum magistra.*

13 *Venti Orientales salubres sunt.*

14 *Ethesia sunt venti Aquilonares. Contrarium num. seq.*

16 *Probatio dubia interpretanda venit contra ipsum producentem.*

17 *Conditio indefinita in teste non æquipollet universali.*

18 *Peritis insignibus in sua professione fides adhibenda venit.*

19 *Testibus deponentibus pro reo magis credendum est quam deponentibus pro actore in concursu parium probationum.*

20 *Testes contra ipsorum inductores plenè probant.*

21 *Reo sufficit testium probationes invicem conquassari.*

22 *Iuri alterius non derogatur quotiescumque potest aliter provideri publica utilitati.*

23 *Elatio ædificii impediri non debet cessante alterius detrimento, & stante ædificantis utilitate.*

24 *Fenestras aperire, ex quibus inspici possit intra Monasterium Monialium, minimè licet.*

25 *Feneſtras aperire non licet, ſi per eas inſpici poſſit intra Collegium, ubi adoleſcentes Seminarij educantur.*

26 *Ædificare non impeditur vicinus cum feneſtris reſpicientibus in domum vicini.*

27 L. altius Cod. de ſerv. & aqua: *non procedit in præiudicium loci publici.*

DECISIO XLIX.

PRoposito sub die 3. Decembris 1618. *coram F. P. D. meo Pirovano* præsenti dubio, an liceret Ferrino altius tollere eius palatium juxta ædes Seminarij ædificatum; fuit tunc firmatum, Seminarium gaudere privilegio loci publici, & prosequendo disputationem coram me, Seminarium prætendebat elationem dicti Palatij impedire ratione damni dictis ædibus imminentis.

1 Primò propter exclusionem Ventorum Aquilonarium, ob quam asserebat dictas ædes reddi insalubres, & sic obstare interdictum, *Ne quid in loco publico*, quod habet locum etiam si quid fiat in privato, quod noceat publico *l. 2. §. idem Labeo & §. idem ait*, ubi Bartol. & §. *si quis domum*, & §. *si quis in*
2 *suo*, ubi idem Bart. *ff. ne quid in loco public.* Et adducebantur exempla de expellendo fabro malleante penes scholas, & de non officiendo illarum luminibus, & alia, de quibus per Doctores *in l. 1. Digestis, sol. matr.* & latè per informantes pro Seminario; Et obstare etiam dispositionem *leg. fin. Cod. de*
3 *serv. & aq.* inducentis ipso iure servitutem altiùs non tollendi, ne venti excludantur in damnum publicæ utilitatis juxta intellectum Ugolinum quem post Gloss. sequitur *ibi* Cyn. *in fine*, Alberic. attestans secundum eos pluries obtinuisse de facto: Buttrigar. Bartol. Bald. Salicet. qui de communi: Angel. & Castr. idem Angel. *in l. Imperatores, ff. de servit. urban. prad.* cum aliis allegatis.

Secundò deducebatur damnum ex prospectu intus dictas ædes per feneſtras dicti palatij ex infra allegandis: Sed Domini (pro maiore tamen parte) hac in tertia propositione resolverunt eidem Ferrino licere dictum Palatium altius tollere, cum moderamine tamen quoad feneſtras, & lumina, de quo infra.

Moti sunt autem, quia Ferrinus, qui est reus ultra vulgatissimas regulas. Quod Actore non probante, &c. Et quod
4 quisque in re propria est moderator & arbiter, de qua in specie Gloss. *in l. per provinciam, in verb. sui domini, Cod. de ædific. priv.* habet pro se in hac *materia regulariter altius, C. de servitut. & aqu.* & *ibi* not per Gloss. & Doct. Czpol. *de servit. urban. prad. c. 27. n. 4.* latè Hond. *cons. 81. lib. 1.* & fuit dictum *in Tyburtina Calcarearum 14. Martij 1614. coram me.*

Præsertim cùm dictum Palatium sit valde nobile & insig-
5 ne publicéque interfit Civilitatem similibus ædificiis ornari: *leg. prator ait 20. §. hoc interdictum prohibitorium, ff. de nov. oper. nunc. l. 2. Cod. de ædific. privat.* & *ibi* Gloss. *in verb. aspectus*, Salic. *in sum.* & *1. not.* Surd. *decis. 168. num. 9.* Simon de Præt. *consil. 73. n. 22.* qua ratione per Summos Pontifices & præsertim per fel. rec. Gregor. XIII. multa fuerunt indulta
6 privilegia de quibus in Bulla *Congrui*, quotidiè practicata: Cúmque dicta elatio non fiat ad æmulationem, quod non prætenditur, nec præsumitur, Gloss. *in leg. fluminum, §. fin. vers. non teneri. ff. de damn. infect.* quam *ibi* omnes sequi, & esse communem opinionem, latè Padill. *in dict. l. altius, n. 22. vers. sed in dubio.*

Nec obstare visum fuit damnum ex dicta elatione præsensum: Nam primò quoad impedimentum Ventorum Aquilonarium, & aëris insalubritatem, quamvis admissæ fuerint conclusiones juris super hoc firmatæ, & per informantes pro Seminario latè comprobatæ, Domini censuerunt factum in præsenti non verificari.

In primis enim circa exclusionem dictorum Ventorum, quamvis considerato præsertim statu, postquam erit perfecta fabrica Seminarii juxta plantam ex ordine Rotæ inter partes firmatam, qui status attendi debet, quia cum Seminarium
7 præveneris in constructione sui ædificii, habendum est, ac si ædificium perfectum esset: *leg. 2. §. idem Labeo, vers. deinde ait Prator, ff. ne quid in loc. publ.* Bart. *in l. quominus, n. 10. ff. de flumin.* & *ibi* Ias. *num. 54.* Bald. *in l. item lapilli, num. 10. de rerum divis.*

Admissa etiam exclusione ventorum in ædes Seminarij per libeam rectam, quæ satis clarè apparere videbatur, ultra ocularem loci inspectionem ex dicta planta, relationibus Peritorum, & depositionibus Testium tam Seminarij, videlicet secundi *juxta 16. additionale*, & *super 18.* & 19. Quinti Testis *super 2. 3.* & 17. & Sexti *super 17.* & Quarti *juxta 19.* atque etiam ex aliis infra dicendis, qui dum deponunt de ingressu dictorum Ventorum per reunionem, videntur necessariò supponere eorundem præcedentem refractionem ad obstaculum Palatij Ferrini. Nihilominus dicebatur id non 8
sufficere Seminario actori, sed probandum esse, quod non adsint alij modi, nec aliæ viæ ingressus venti Aquilonaris, ad hoc ut probatio per necesse concludat, juxta vulgatam regulam & juxta terminos *dict. l. finalis*, quæ requirit, quod ventus prorsus, & undique excludatur; ita ut locus penitus inutilis efficiatur: ut in textu, ibi, *si inutilem aream faciat*, & tradunt *ibidem* Abb. *in fin.* & Cyn Bart. Bald. Angel. Castr. & Padill. *in summ.* Imol. *in leg. si priusquam, n. 9. vers. 2.* ubi Alex. *n. 34. vers. 2. ff. de nov. oper. nunc.* Veron. *de servit. d. c. 47. nun. 4. vers. 1.* Iason. *in l. ex hoc jure num. 24. ff. de inst.* & *jur.* Paseth. *cons. 130. num. 13. sub vers. ad 4.* ibi, *tertia solutio:* Honded, *d. cons 81 n. 29. 30.* & 31.

Quod non solùm pro eodem Seminario probatum non fuit, sed pro parte Ferrini probatur ingressus Ventorum per alios tres modos; scilicet primò per Reunionem; *Secundo*, per descensum; *Tertiò* à lateribus, ut *in eius Summ. n. 1* & 2.

De ingressu enim per reunionem deponunt ex testibus ipsius, primus *juxta 1* & 22. & *super 9.* & 10. & *super 19.* & *super 3.* ubi quod sufficit minor distantia, quam duplicata, & Tertius *juxta 11. 19.* & 22. *s. per. 1* & 10. qui melius concludere visi sunt, quam testes Seminarij, quorum Quartus *juxta 18.* se remittit ad Mathematicos, Quintus & Octavus, *juxta idem* dicunt non posse dari certam regulam, nec quid certum determinari circa quantitatem distantiæ ad effectum hujusmodi reunionis.

Per descensum verò deponunt ex prædictis testibus Ferrini idem Primus *juxta 11.* ubi dat exemplum de cortili Palatij Farnesiani, & Cancellariæ Apostolicæ: & reddit rationem quia motus Ventorum est diametralis, non autem horizõtalis, ita ut ab eius principio propè mediam aëris regionem paulatim obliquè descendat: & quod hoc præcipuè procedit in ventis Septentrionalibus, qui ideo à Peripateticis *Apogæi* vocantur; & Tertius *juxta 16* & *super 1.* & Septimus *juxta 8.* & Octavus *juxta 21.* & concordant etiam duo testes nuper pro parte Seminarij examinati, nempè Primus *juxta 11. in fine* dicens, *& il corso del vento tengo che sia diametrale, e non Orizontale*, & *juxta 16* & Secundus *juxta idem*, ibi *Che il corso del vento sia diametrale, overo Orizontale, la mia opinione che sia misto.*

De ingressu autem Ventorum à lateribus nempè per viculos venientes à Monte Citorio, & per vicum Orphanorum deponunt ex eisdem testibus Ferrini Secundus *juxta 17.* & *super 1.* Tertius *super 1.* Sextus *juxta 17* & *super 2.* & Septimus *super 8.* & Nonus *juxta 17.*

Secundum verò caput probationis Seminarij actoris, nempè insalubritatis aëris, deficere pariter videbatur: tum ex præmissis, quia remanente ingressu Ventis Aquilonaribus per supradictos tres modos, aër non redditur insalubris per hujus ædificii elationem, ut patet ex eisdem testibus *juxta 12.* & *super 5. d. 1. Summarii Ferri n. 3.* ubi dicunt; Ventos 9
hujusmodi unitos habere eandem vim, eosdemque effectus prout ante refractionem, & impedimentum. Quin etiam 10
Primus, secundus, tertius, sextus & octavus, *d. Summario, n. 4.* addunt, Ventos Aquilonares refractos salubriores esse, quam si imperuosi liberè ingrediantur. Quod, & idem ipsum constanter affirmant testes Seminarii ut in depositionibus eorum 11
datis *in Summ. ejusdem Ferrini d. die 3. Decemb. 1618. num. 4.* Tum quia data etiam omnino Aquilonarium exclusione, non tamen inde necessariò infertur insalubritas aëris prout expressè fatetur secundus testis Seminarii *juxta 31. d. Summarioli, n. 9.* dicens: *Quando non spira la Tramontana, il Seminario Romano non sarà necessariamente morboso*, prout id etiam *juxta 37* una cum tertio teste *juxta idem*, affirmat posse contingere aliquibus aliis locis Urbis à Ventis Aquilonaribus retrusis, & latiùs deponunt testes Fertini *in eius Summ. n. 12.* & 13. ubi Primus, Tertius, Septimus & Octavus, indecunt simile de carceribus Curiæ Sabellorum, Hospitali S. Spiritus, Monasterio puellarum dicti Hospitalis, ac aliis Monasteriis in Urbe, intra quæ ventus Tramontanæ ingredi non potest, nisi perpendiculariter, & per descensum, & tamen in illis salubriter vivitur; licet cohabitatio sit angustior, ut victus incultior ferveturque & fœtor, calor & humiditas maior ibi vigeat, ut docet experientia, quæ semper attendi debet tanquam rerum magistra, *vulg. c. quam sit, de elect. in 6.*

Eóque magis, quia per elationem dicti ædificii non impe- 12
dientur Seminario flatus ventorum collatitium Aquilonaris, scilicet Magistri, & Græci, ut deponunt ex testibus Ferrini Primus, Secundus Quintus & Sextus Testes Seminarii *dict. Summariolo dato 3. Novembris, n. 5* Qui venti uti participantes naturam ipsius Aquilonaris sunt æquè salubres, ut dicunt iidem testes Fertini, *dict. Summario, n. 7* & Seminarii *d. Summariolo, num 6.* Prout etiam non excluderetur lib. 2 ingressus Ventorum Orientalium, & Occidentalium, quemadmodum

deponunt

13 deponunt omnes testes ejusdem Ferrini demptis Septimo, & Octavo, ut *in dict. ejus Summario*, *num.* 8. qui patitur venti sunt valde salubres, ut plenè referunt Primus, Tertius, Septimus, Octavus & Nonus, ex testibus ejusdem Ferrini. *d. Summario*, *num.* 9. & præsertim illi, qui *Etesia* nuncupatur flantes tempore Æstatis, & ab Occidente æstivo. qui ideo nullum impedimentum recipere possunt ab obstaculo ædificii Ferrini etiam ad suum fastigium perducti, ut deponunt ex dictis testibus Ferrini Primus & Sextus *sup.* 13. Tertius *iuxta* 12. & Quartus *super* 14. *dict. Summario*, *num.* 5. De quorum similiter Ventorum salubritate ac virtute humores exsiccandi, & purgandi plenè deponunt etiam duo testes ejusdem Seminarii ultimò examinati, nimirum Primus *iuxta* 35. & 37. & Secundus *iuxta* 29. & 35.

14 Nec obstat, quod duo prædicti testes, & præcipuè Secundus *iuxta* 32. affirment Etheſias hujusmodi esse ventos Aquilonares, & flare à Septentrione; ac proinde eorum ingressum per elationem, ædificii Ferrini impeditum remansurum esse, quemadmodum suprà de ventis Aquilonaribus dictum est.

Nam ultra quod aditus illis patere posset per alios modos suprà positos, in hos major fides adhibita fuit supradictis Testibus Ferrini deponentibus dictos Ventos non esse Septentrionales, sed Collaterales, & flare à parte circa Occidentem æstivum: Tanto magis, quia concordant cum Quartò, Quintò, & Octavò ex primis testibus ipsius Seminarii, *iuxta* 17. attestantibus, Ventos istos non esse proptiè Aquilonares sed laterales: Imò secundus ex dictis duobus pro Seminario ultimo loco examinatis, *iuxta* 30. clarè deponit dictos Ventos flare à parte Occidentali: subdens, *il luogo poi preciſo*

16 *credo che ſia il cantone del Seminario verſo l'Occidente, è Rotonda*: Unde ex ista Testium Seminarii contrarietate probatio illius redditur dubia. & consequenter contra ipsum producentem interpretanda: Butr. *in cap. cum tu. num.* 4. *verſ. dicti teſtes*, *de teſtibus*, & Not. *in cap. in præſentia*, *de probat.* Farin. *de teſtib. quæſt.* 68. §. 1. *n.* 60. Cum itaque Seminarii incolumitati prospectum sit per ingressum tot aliorum Ventorum ejusdem benignitatis ac salubritatis, cessat dispositio *d. l. fin. Cod. de ſervit. & aqu.* ex superius *allegatis*.

Nec obstant prædicti testes qui pro parte Seminarii dantur *in Summ. n.* 6. ad probandum, habitationem ipsius ex perfectione ædificii Ferrini reddi insalubrem, & morbosam; quia loquuntur cum expresso supposito, *Quando la Tramontana non ſpiri, & non habbia adito nel Seminario*, Primus, Tertius & Quintus, *Quando non ſpirì l'eſtate la Tramontana*

17 *e l'Etheſie*: quæ conditio non verificatur, ex prædictis: & illi non concludunt, quod ædificium perfectum tollat venetum, cum primus solum dicat *che darrà impedimento*. Quæ indefinita in teste non æquipollet universali: ut post alios Surdus *conſultio* 263. *numero decimo*, *in fine*, & 11. Seraphinus *deciſ.* 893. *numero vigeſimo ſecundo*, cum allegatis *in Peruſina Bonorum* 29. *Octobris præteriti coram me*. Alii verò de parte tantum: & Dominis placuit magis stare testibus Ferrini tanquam verosimiliá deponentibus, propter supra relata exempla data in Urbe Hospitalis Sancti Spiritus, Palatii Farnesiani, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Sabellorum, alia Gabr. *de Teſtibus concl.* 4. *n.* 23. cum relat. per Farinacium *de Teſtibus*, *quæſt.* 65. *à num.* 127. *cum pluribus ſequentibus*, maximè quia ipsi sunt insignes, ac primatii Urbis Physici, & Mathematici; prout etiam plenè referunt alii testes super eorum legalitate pro eodem Ferrino examinati, ut *in ejus Summario*

18 *num.* 14 quibus propterea fides adhibenda venit: Ancharan. *in cap. propoſuiſti num.* 3. *in not. de probat.* post Burrium *n.* 5. Abbas. *num.* 4. Aretinum *num.* 6. & Dec. *num.* 34 Grot *conſil.* 153 *num.* 8. & *num* 17. & 18. Et præsertim tanquam pro eo

19 deponentibus; quibus data paritate magis standum est, quam deponentibus pro actore: Gloss. *in cap. noſtra*, *verb. adverſa*, & *verb. præferenda*, *de Teſtibus*, Gabr. *dict. concluſ.* 4. *n.* 44. latè Farinac. *d. quæſt.* 65. *n.* 130.

Et tanto magis quia ex prædictis patet, in multis etiam cum eis concordate testes ejusdem Seminarii, qui fortius contra ipsum probant, Socin. Jun. *conſil.* 69. *n.* 11. *lib.* 1. Gabr.

20 *de Teſtib. concluſ.* 1. *n.* 9. Cæsar de Grassis *deciſ* 7. *n.* 2. *de prob.* Rota *deciſ.* 109. *num.* 5. *parte* 2. *recent.* cum relatis per Farin. *dict. quæſt.* 72. *num.* 11. *cum pluribus ſequentibus*, Ferrino autem tanquam reo sufficit probationes invicem conquassari Rota *deciſ.* 238. *part.* 1. *diverſ.*

21 Nec subsistit, quod quando ædificium erit perfectum, omninò impedietur ingressus Tramontanæ: cum multæ viæ ingressus remaneant, ut supra comprobatum est, & unus ex Dominis addebat, quod Seminarium abundantius etiam providere poterit in parte construenda, relinquendo vacua, & lodias, per quas commodius venti hujusmodi ingredi

22 possunt & quoties publicæ utilitati potest aliter provideri, jus alterius non derogatur: Honded. *dict. conſ.* 81. *n.* 31.

Quæ autem pro parte ejusdem Seminarii dicebantur de allisione Ventorum Australium ad dictum ædificium Ferrini ac eorum reflexione, & restexione in ædibus Seminarii, unde notabile ætis detrimentum timebatur, visa fuerunt plenè tolli per testes ejusdem Ferrini *in dict. Summario*, *n.* 10. qui optimè per Mathematicas, & naturales rationes ostendunt talem reflexionem, & restagnationem in ædibus Seminarii contingere non posse, & maximè propter, obliquitatem facici dicti ædificii. Cessante itaque damno Seminarii, & 23
stante utilitate Ferrini fabricam inceptam perficere volentis firma pro ipso remanet regula *d. l. altius*, cum aliis *supra in principio* allegatis.

Quo verò ad prospectum, non placuit Dominis ex hac causa impedire elationem dicti ædificii, sed omnes convenerunt quod Ferrinus faciat, & aperet fenestras versus Seminarium ad recipiendum tantùm lumen, non autem ad prospectum: quia sicuti non licet elevare ædificium, seu aperire 24
fenestras respicientes in Monasterii Monialium, etiam citra æmulationem, late Bero. *conſil.* 135. *n.* 9. 10 & *communibus*, *volum.* 3. Padil. *in dict. l. altius*, *num.* 9. qui dicit esse communem, cum relatis per Mar. Mut. *deciſ. Sicil.* 8. *num.* 6. ubi quod est verissimum, & satis clarum & *in conſequend. Panormitan. cap.* 29. *num* 31. & 32. Ita nec etiam 25
respiciant in Collegium Seminarii, ex præscripto Sacr. Concil. Trident. erecti, & ordinati pro communi bono Reipublicæ Christianæ ad instituendum & dirigendum vitam, & mores Adolescentum, & præsertim in Ecclesiasticis disciplinis ut de similibus Clericis disposuit IV. Concil. Toletan. relatum *in cap. omnis atas*, 12. *quæſt.* 1. à quo desumptum est Concil. Trident.

Nec applicatur, quod Vicinus possit ædificare, seu ædificium extollere cum fenestris respicientibus in domum, seu 26
curiam Vicini, juxta *dict. leg. altius*, cum sua materia. Tum ex prædictis, Tum etiam quia *dicta l. altius*, & similes non procedunt in præjudicium loci publici, quale est Semina-
rium, ut fuit jam firmatum *d. die* 3. *Decembris* 1618. & facit 27
lex opus, *de oper. public.* & notatur *in c. p. Piſanis*, *de reſt. ſpoliat.*

Et ita fuit resolutum utraque parte informante.

Romana Donationis de Gualteruccijs Lunæ 12. Decembris 1622.

Coram R. P. D. Cavalerio.

SUMMARIUM.

1 *Dementia non præſumitur.*
2 *Dementia excluditur, ſi actus eſt factus prout fieri ſolet ab homine ſanæ mentis.*
3 *Actus præſumitur factus à Viro ſanæ mentis, eſt talis qui à prudenti viro fieri conſueverit.*
4 *Dementia probanda de certo tempore, non ſufficit, ſi teſtes deponunt de tempore vicino.*
5 *Dementia ad annullandum actum, requiritur talis, quæ excludat rationem.*

DECISIO L.

DOmini censuerunt donationem factam à Lælio, Collegio Clementino, esse validam; & sic standum in decisis *die* 13. *Novembris* 1615. non obstante quod contra eam allegaretur Dementia Lælii donatoris; cum pro dicta donatione militent omnes regulæ, quod nimirum sit instrumento publico 1
instrumento, & quod dementia non præsumatur, præsertim quando concurrunt contrariæ præsumptiones pro sanitate mentis, ut latè *in d. deciſ.* fuit probatum.

Inter alias verò præsumpsiones ad exclusionem dementiæ 2
illa maximè urgere videbatur, quia donatio facta fuit cum omnibus cautelis & clausulis, quas apponere solent homines sanæ mentis, ut ponderat Card. Mant. *de conject. ult. volunt. lib.* 2. *tit.* 5 *num.* 7. Honded. *conſil.* 78. *num.* 61. *lib.* 2. Paril. *conſil.* 88. *n.* 45. *lib.* 2. & dictum fuit *in Molitem. teſtamenti* 17. *Februarii* 1612. *coram Reverendiſſimo Domino meo Patriarcha*, & *in Romana hæreditatis*, *de Grecchis* 5. *Decembr.* 1618. *coram R. P. D. meo Remboldo*. Cum etiam ex qualitate actus 3
qui geri potuit à Viro sanæ mentis, ita gestum esse præsumendum sit: Decius 448. *num.* 14. *verſ.* 4. *hac idem*, & *n.* 15 & pluribus comprobatum fuit *in Romana donationis* 11. *Januar.* 1619. *coram Reverendiſſimo Domino meo Seleucien.*

Neque contrarium visi sunt probare testes examinati super dementia Lælii: Nam responsum fuit, illos non probare 4
dementiam de tempore factæ donationis, neque concludere de tempore proximè præcedenti, aut subsequenti aut quod donãs non habeat dilucida inter valla, & sic cessare videbatur

præſumptio dementiæ in actu, qui potuit fieri tempore medio, quo contrahens habebat dilucida intervalla: Cornel. *conſ.219. ante numerum primum, lib.1. & in dict. Romana hæreditas de Gracchis, & in dict. Romana donationis.*

5 Ultra quod potiùs dicti teſtes deponebant de debilitate mentis, quam de furore, & ſic non videbatur adeſſe talis defectus mentis, qui omninò removeret rationem, qualis requiritur pro annullando contractu: Decius *conſilio* 127. *n.33. & ſeqq.* cum adductis *in dict. Meliten. teſtamenti, & in l. Romanus donationis.*

Ex quibus & aliis deductis *in prima deciſione.* Domini cenſuerunt donationem eſſe validam, & ſtandum eſſe in deciſis.

Pampilonenſis Matrimonii Lunæ 36. Januarii 1623.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium ut poſſit diſſolvi ob impotentiam coëundi, quid conjuges jurare debeant?*
2 *Et quid ſuper hoc jurare debeant eorum propinqui.*
3 *Impedimentum coëundi inter conjuges quando eſt medicabile, matrimonium non diſſolvitur.*
4 *Juramentum præſtandum à victimis in diſſolutione matrimonii ob impotentiam conjugum, quomodo ſupplendum ſit in defectum propinquorum.*
5 *Impedimentum certum quod uterque conjugum fatetur, probatur pro diſſolutione matrimonii ex eorundem juramento cum ſeptima manu.*
6 *Impedimentum coëundi inter conjuges quando non eſt medicabile, locus eſt diſſolutioni matrimonii.*

DECISIO LI.

IN reſolutione hujus cauſæ facta 13. Maii ſuperioris anni, 1 ſublatis aliis, difficultates tres tantum remanſerunt. Prima quod conjuges non jurarunt, quod per triennium inſimul habitaverunt, & incubuerint operi nuptiali, & quod non potuerint inſimul commiſceri, *cap. fin. de frigid. & maleſc.*

Secunda, quod non conſtabat, quod ſeptima manus propinquorum juraſſet, quod interea conjuges incubuerint 2 operi nuptiali, & quod ipſi verum dixerint, ut habetur *in d. cap. finali, & cap. laudabilem, eod. tit.*

Tertia, quia licet inſpectio fuerit rectè facta, non tamen conſtabat an impedimentum eſſet medicabile: ſi enim eſt 3 medicabile, diſſolutioni minimè locus eſt: Sanchez *d. matrimon. libro 7. diſputatione 93. num. 15.* Comitol. *Reſponſ. moral. 118. lib. 7.*

Ad tollendas iſtas difficultates fuit conceſſa ſubdelegatio in partibus: & reproducto proceſſu, ex eo conſtabat, quod 4 mulier rectè juravit cum ſeptima manu vitorum, qui etiam legitimè juraverunt: Et quamvis dicti viri non ſint propinqui Mariæ, tamen cum ipſa in loco habitationis propinquos non haberet, ſufficiunt, ut habetur *in dicto cap. Laudabilem:* Sanch. *de matrimonio, lib. 7. diſput. 108. n. 12.* & ſufficit juramentum 5 ſolius Mariæ, & vitorum pro ejus parte, cum ipſa neget ſe fuiſſe cognitam: Franciſcus verò etiam id affirmet; tunc enim juramentum utriuſque cum ſeptima manu utriuſque partis probat, quando uterque impedimentum affirmat; ut habetur *in dicto cap. laudabilem:* latè Sanchez *de matrimonio lib. 7. diſput. 109. num. 23.* & ſic prima, & ſecunda difficultas ſublatæ fuerunt.

Quantum attinet ad tertiam difficultatem, licet conſideratione digna ſit, tamen animadvertebant Domini, quod cum mulieres, quæ inſpectionem fecerant deponant Mariam eſſe valdè arctam, & Medici deponant Franciſcum non eſſe aptum ad cognoſcendam mulierem valdè arctam, ſatis conſtare impedimentum non eſſe medicabile; quia impedimentum ex parte mulieris erat ob anguſtiam naturalem vaſis, non autem propter aliquod accidens, quod arte Medica aut Chirurgica tolli poſſit. Quare cum ſatis conſtaret utrumque impedimentum non eſſe medicabile, utique ceſ- 6 ſabat tertium objectum.

Et ita concluſum.

Neapolitana Separationis Tori, Veneris 26. Maii 1623.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1 *Separatio tori eſt cauſa gravis & ardua, & ideò ſui cauſa concludenter probanda ſunt.*
2 *Separationem tori pretendens ob morbum alterius conjugis debet illum concludenter probare per Medicos, & Peritos.*
3 *Lepra non ſufficit ad inducendam tori ſeparationem.*

DECISIO LII.

ALoyſia eſt actrix in hoc judicio ſeparationis à viro, per 1
eam intentato in Tribunali Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi, & proſecuto in Rota in gradu appellationis per eam interpoſitæ à definitivo decreto denegationis ſeparationis: & ideò tenetur cauſas dictæ ſeparationis per eam deductas, & præſertim ſævitiæ concludenter probare: cum cauſa ſit gravis & ardua: Pariſ *conſil. 54. n. 14 & 15. lib. 4.* Natt. *conſil. 616. n. 1.* Rolan. *conſ. 27. n. 2. lib. 3.* Bertazz. *conſ. crimin. 228. n. 5. lib. 1.* Barboſ. *in rubr. ff. ſolut. matrim. p. 2. n. 27.* latè Farin. *in prax. quæſt. 143. num. 64* Rota *deciſ. 441. n. 2. parte 2. recent. & deciſ. 294 num. 12.* coram Sanctiſſimo *& deciſ. 39. n. 3 & 371. num. 1. poſt ſecundum volumen* Farin. Nec ipſi mulieri creditur: Rota *deciſ. 278 num. 9. parte 4. diverſ. & dict. deciſ. 39. num. 3.* Et tanto magis, quia ipſa ſponte & propria auctoritate divertit à viro, & illius cohabitatione: contra textum *in cap. porrò, de divort.*

Et eadem ratione debet concludenter probare præten- 2
ſum morbum viri per Medicos, & Peritos: *leg. ſemel, C. de re milit. lib. 12.* Bertrand. *conſil. 164. num 4 lib. 3.* Rebuff. *in praxi, tit. de infirm. benef. reſignan. g. ff. 2. num. 4.* Sebaſt. Medices, *de caſ. fortuitis, quæſt 6. num. 6* & debet eſſe talis 3 propter quem ſit locus ſeparationi, cum alias nec lepra ſufficiat: *cap. 2. de conjug. leprof.* Barboſ. *ubi ſuprà, n. 28.*

Nihil autem penitùs præſtitit Aloyſia, nec in partibus ubi cauſa per aliquot annos pependit; nec in Rota licet ſibi fuerint conceſſæ litteræ remiſſoriales ſuper ejus articulis de menſe Decembris præteriti; quas tamen numquam expedivit & nihilominus Rota reſolvit illius perſonam non eſſe ſequeſtrandam, ut melius ſuis probationibus incumberet: ut *in deciſione ſub die 10. Februarii prateriti.*

Et ideò Domini unanimi voto reſponderunt pro Domino Conſiliario informante, ipſam teneri redire ad matrimonialem cohabitationem, & vitum à peritis eſſe abſolvendum procurator dictæ Aloyſiæ pluries monito, & citato.

Vennſina Legati, Mercurii 28. Junii 1623.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Ad Matrimonium contrahendum quis induci non debet metu pœnæ, & num. 32.*
2 *Ad matrimonium quis allici poteſt ſpe lucri numero 6. & 33.*
3 *Teſtator poteſt auferre legatum, vel hæreditatem ei, qui non contraxerit matrimonium cum certo genere perſonarũ vel contraxerit contra præceptũ ipſius teſtatorũ.*
4 *Pœna verò irrogatur quando aliquid, quod præcipuum eſt, abſit, vel abſturum ſit, & n. 13 & 15.*
5 *Lex certa, & conditio poteſt dari in ea re, in qua eſt permiſſum id facere.*
7 *Pater non poteſt donare filio in poteſtate exiſtenti.*
8 *Pater donare poteſt filio in poteſtate exiſtenti contemplatione matrimonii.*
9 *Donatio inter vivos facta contemplatione matrimonii per patrem filio, ſi exiſtat in contractu matrimoniii, eſt pars ipſius contractus, & cum eo confunditur, & n. 10. Amplius ut num. 11.*
12 *Juramentum tollit inſinuationis defectum.*
14 *Bona ſub conditione relicta remanent libera penes hæredem.*
16 *Hæreditas quando non eſt ſolvendo, an legatarius quantitatis concurrat cum legatario ſpeciei ad effectum diminutionis.*
17 *Hypotheca legalis conſtituta cenſetur uſque ab initio pro legato conditionali.*
18 *Actio in conditionalibus non oritur niſi poſt purificatam conditionem.*
19 *Conditio legato appoſita non retrotrahitur ad diem mortis teſtatoris, ſed attenditur tempus purificationis conditionũ.*

20 *Legatarii*

20 *Legatarius pure ſtatim acquiritur ius.*
21 *Conditio legati purificata non retrotrahitur ad effectum, ut legata pura minuantur.*
Amplia, ut num 22.
Declara, ut num. 23.
24 *Legatarius præfertur creditori chirographario quando hæreditas eſt ſolvendo ſecùs ſi non ſit ſolvendo.*
25 *Creditores habentes hypothecam præferuntur legatariis.*
26 *Hæres non conficiens inventarium non tenetur ſolvere legatum pium de proprio.*
27 *Hæres non conficiens inventarium non tenetur in foro conſcientiæ ultra vires hæreditarias.*
28 *Eccleſia, & loca pia, debent vivere ſecundum conſcientiam.*
29 *Eccleſia, & loca pia, non debent exigere legata ultra vires hæreditarias.*
30 *Pœna æquiparatur amiſſio magni lucri, & n. 35.*
31 *Metum juſtum infert amiſſio magni lucri, & n. 34.*
36 *Arrharum datio ſuſtinetur, ita ut, ſi matrimonium non ſequatur arrha lucrentur.*
Declara, ut num. 37.
38 *Iaſ.* in leg. Titia, n. 10. ff de verb. obligat, *declaratur.*
39 *Libertas, & cauſa pia, in Iure æquiparantur.*
40 *Pia cauſa præfertur libertati.*
Declara, ut num. 41.
42 *Matrimonia liberè contrahi debent.*
43 *Conditio quæ honeſtè adimpleri non poteſt habetur, pro impoſſibili, & de jure non obligat.*
44 *Textus* in l. cum ita, § videamus, ff. de condit. & demonſtr. *declaratur.*
45 *Matrimonium quando dicatur contrahi cum indigno.*
46 *Matrimonium contrahere non valet is, qui Ordinibus ſacris eſt inſignitus.*
47 *Ordines ſacros habens ſi contrahat matrimonium, eſt excommunicatus ipſo jure.*
48 *Ordines ſacros habens, ſi contrahat matrimonium, etiam dimiſſa uxore, adminiſtrare non valet Ordines ſuſceptos.*
49 *Ordines ſacros habens, ſi contrahat matrimonium, majores Ordines ſuſcipere prohibetur.*
50 *Conditio nubendi cum certa perſona, cum qua ob gradum affinitatis matrimonium contrahere prohibetur, reiicitur.*
51 *Ius æſtimari debet ſecundum tempus præſens.*
52 *Papa non ſolet diſpenſare matrimonium cum eo, qui repe-ritur ſacris Ordinibus inſignitus.*
53 *Matrimonium contrahere cum Clerico non videtur honeſtum, nec conveniens Nobili puellæ, & n. 55.*
54 *Ordo non ſacer ſuperveniens ſponſalibus, ea non diſſolvit.*
56 *Clericus an ſuccedat in feudo.*
57 *Tapia* in Auth. ingreſſi, verbo, ſua, Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. *declaratur.*
58 *Scientia quando abſque interpellatione ſufficiat ad effectum de quo hic.*
59 *Matrimonium non benè contrahitur inter illos, qui ſunt ætate valdè diſpares.*
60 *Mulier quando nubit debet eſſe ætatis annorum 18 ſecundum Ariſtotelem.*
61 *Vir quando matrimonium contrahit debet eſſe annorum 36 juxta eundem Philoſophum.*
62 *Adoleſcentia eſt ætas aptior ad nubendum.*
63 *Matrimonium honeſtè non contrahitur ſtante inæqualitate ætatis contrahentium.*
64 *Matrimonium honeſtè non contrahitur cum gibboſo, & ſtrumis infecto.*
65 *Fructus de facili corrupti naſcuntur ex arbore corrupta.*
66 *Fructus bonus exire non poteſt ex radice infecta.*
67 *Sponſalia etiam juramento firmata diſſolvuntur propter fœditatem notabilem, vel oculorum, aut naſi amiſſionem, aliamve gravem turpitudinem ſupervenientem.*
68 *Sponſalia diſſolvuntur propter paralyſim, vel lepram ſupervenientem.*
69 *Regula non coarctatur ſi afferantur aliqui caſus exempli gratia.*
70 *Morbus gallicus minus gravis eſt, quam lepra.*
71 *Sponſalia diſſolvuntur propter epilepſiam.*
72 *Sponſalia diſſolvuntur ſi os malè oleat, nec arte Medica curari poſſit.*
73 *Minor cenſetur ignorare teſtamentum patris.*
74 *Lucri amiſſionem, ut quis incurrat propter contravenientem, debet ei notificari prohibitio.*
75 *Teſtatoris diſpoſitio non currit contra ignorantem.*
76 *Teſtatoris diſpoſitio non currit contra debitorem qui eum liberavit a toto debito, ſi centum intra menſem ſolverit, ubi debitori non fuit intimatum teſtamentum.*
77 *Debitor poteſt purgare moram qui omiſit adimplere quod debebat infra certum tempus.*
78 *Minori, qui omittit adimplere ordinata à teſtatore competit reſtitutio in integrum.*
79 *Minor non reſtituitur in integrum ſi tranſgrediatur voluntatem teſtatoris in committendo.*
Contrarium, numero 70.
Declara, ut num. 81.
82 *Textus* in leg. Iulianus, §. fin. ff. ex quibus cauſ. maior. *quando procedat.*
83 *Minori, qui omiſit implere præceptum Teſtatoris, ſuccurritur abſque reſtitutione.*
84 *Reſtituitur quis ex cauſa, ut conditio habeatur pro impleta.*
85 *Textus* in leg. Iulianus, § fin. ff. ex quibus cauſ. maior. *declaratur.*
86 *Reſtitutio in integrum qua conceditur minoribus, eſt favorabilior illa, quæ conceditur abſentibus.*
87 *Minor in his quæ gerit occaſione matrimonii, habetur pro majore.*
88 *Minor quando non dicatur dolosè agere.*
89 *Principis voluntas ſive auctoritas quando adeſt, excludit omnem doli præſumptionem.*
90 *Princeps ubi eſt, ibi non poteſt committi dolus.*
91 *Infans non præſumitur aliquid feciſſe dolosè contra præceptum teſtatoris.*
92 *Mulier reſtituitur adverſus ſolutionem, non autem adverſus matrimonium.*
93 *Errans in jure valdè dubio, non præſumitur in dolo.*
94 *Minori cuilibet competit reſtitutio in integrum, etiamſi agatur de commiſſione, non autem de omiſſione.*

DECISIO LIII.

CLaræ memoriæ Fabritius Geſualdus Princeps Venuſinus, in ultimo, quod condidit, teſtamento inter alia diſpoſuit per hæc verba: *Dichiaro, e voglio che caſo che D. Carolo moriſſe ſenza figli maſchi legitimi, e naturali; ſimilmente e ſuoi figli moriſſero ſenza figli maſchi legitimi, e naturali, laſciando ſolamente femine legitime, e naturales, in tal caſo le femine, o femina ſi debbano caſare con la famiglia de Geſualdo de più proſſimi a me, & alli ſopraditti miei Deſcendenti, ſalvo ſempre però il beneplacito della Sede Apoſtolica e caſo che ſi mariteſſero con altri, ſiano obligati alli Padri della Compagnia di Gieſù ducati ducento milla in beneficio dè queſto Regno di Napoli, ſi come nel caſo predetto damò per allhora li laſcio, & li dono, &c.* Evenit caſus, quod dictus Dominus Carolus obiit, relicto Domino Emanuele filio maſculo, qui obiit relictis tantùm fœminis, inter quas Excellentiſſima Domina Iſabella primogenita quæ de conſenſu Catholicæ Majeſtatis & Tutorum nupſit fuit tradita Excellentiſſimo Domino Principi Nicolao Ludovicio, Sanctiſſimi Domini noſtri Gregorii XV. Nepoti: Unde cùm nupſerit extra familiam Geſualdam, quæritum fuit an hujuſmodi legatum deberetur.

Et pro declaratione hujus materiæ præmittendum venit, quòd licèt quis non poſſit invitari ad matrimonium metu pœnæ, *cap Gemma, de ſponſal. leg. Titia, ff de verbor. obligat. leg. Titio centum. § 1. de condit. & demonſtrat.* tamen ſpe lucri allicti poteſt: ut *in dict. leg. Titio centum, §. 1. & legatum ita legatum, §. videant. ff. de condit & demonſtrat. leg. 1 ff de inſti. & ſubſtit. cap de illo, de ſponſal. & can. quidquid. 1. q. 1.* latè Mantica *de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 18. n. 1.* Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſput. 33. n. 6.* qui alios referunt. 1 2

Unde infertur, quod teſtator poteſt auferre legatum & hæreditatem, ſi quis cum certo genere perſonarum non contraxerit matrimonium; quia licet ademptio videatur facta pœnæ, *leg. unica, C. de his quæ pœn. nom. & leg. 2 ff. eod.* tamen verè non irrogatur pœna, per quam aliquid, quod ſit proprium, abſit, vel abfuturum ſit & ideò propriè pœna dici non poteſt: *leg damnum, ff. de damn. infect.* Sed eſt certa lex & conditio rei, quæ datur, in qua eſt permiſſum: *leg. ob res. §. 1. ff. de pact. dot. leg. 1. ff. de ſolut.* Quare in hoc etiam caſu dicitur quis invitari ad honeſtas nuptias ſpe lucri, quod fieri poteſt: ut in puncto conſuluit Oldrad *cons. 16. n. 1.* & ſequitur Anch. *in reg. nemo poteſt, col. 2. verſ. Tertiò ad idem, de reg. jur. in 6.* & Arétin. *in leg ſiita, ſtipulatum fuero, §. ſi tibi nupſero, col. 1. n 3 & ſequen. verſ. quorum dictis adde: ff. de verb. obliga.* latè Cardin. Mantica, & Sanchez *locis citatis*, & Covar. *de matrim. part. 2. cap 3 §. 3 n. 6. & 7* Caſtill. *de conject. ultim. volunt. cap. 25. n. 19. & ſequent.* qui de communi teſtatur. 3 4 5 6

Hoc

Hoc præmiſſo, ex pluribus fundamentis, una tantùm parte in foro matutè, causâ tamen per omnes Dominos viſa, & matu è diſcuſſa unanimiter fuit reſolutum, legatum non deberi.

Primò, quia in hac facti ſpecie agitur de pœna, cum agatur de auferendo proprium à D. Iſabella: hoc enim clarè patet, ſi attendamus bona feudalia quia dictus bonæ memoriæ Fabritius ante dictum teſtamentum ultimum, de anno 1586. in capitulis Matrimonialibus inter Dominam Mariam de Avalos & Dominum Carolum Cæſarem ejus filium contemplatione futuri inter ipſos matrimonii omnia ejus Caſtra, Civitates, Terras, & jura feudalia una cum integro ſtatu ſuppoſuit pacto de ſuccedendo ad favorem Domini Caroli & filiorum primogenitorum, & promiſit non imminuere
7 dictum ſtatum, ſed conſervare: Unde dubitari non poteſt, quin dicta donatio fuerit valida: Quia licet regulariter loquendo, pater non poſſit donare filio in poteſtate exiſtenti
8 *leg. 2. C. de inoff. donat cum aliis*, hæc tamen regula, inter alia fallit, quando pater donat contemplatione matrimonii: quia licet non ſit ſponſalitia largitas, nec donatio propter nuptias quæ de jure ſubſiſtunt, ut per Gloſſ. communiter approbatam
9 *in leg. 2 in verb. poteſtate C. de inoff. don.* & latè deducit Greg. Acatius *de privil. parent. & liber. privil.* 5. *n.* 18. tamen eſt donatio inter vivos facta contemplatione matrimonii per patrem in filium collata, & quæ facta extitit in contractu matrimonii, fuitque & eſt pars ipſius contractus, & confunditur cum toto ipſius contractu dotali, & fingitur eſſe unus contractus: juxta notata per Bald. *in l. petent, n* 31. *C. de pact.*
10 Unde cùm contractus ipſe dotalis valeat, acquiſitionis difficultate de parte in filium familias ſublata, ob matrimonii favorem, idem cenſeri debet de donatione facta per Patrem filio in cohærentiis contractus matrimonialis, favore conſimili in utroque caſu locum habente, cujus etiam contractus retinet naturam, ut elegantiſſimè probat Guid. Pap. *deciſ.* 45. *col.* 2. *num* 2 *verſ ſed hu non obſtantibus*, Dec. *conſ.* 414. *n.* 14. Nat. *conſ.* 609. *n* 3. *& ſequent.* Vincent. de Franchis *deciſ.* 205. *num.* 1. *uſque ad finem*, *& deciſ.* 436. *num* 4. *& ſequent.* Ioan. Franc. de Pont *conſ.* 25. *n.* 1. *& ſeq.* latè Bece. qui alios refert,
11 *conſ.* 20 *n.* 3. ubi firmat: *& num.* 4. cò magis procedere ait concluſionem, ſi adſit juramentum prout adeſt in caſu iſto,
12 licet donatio hæc etiam ſine juramento valeat, quod quidem juramentum tollit etiam defectum inſinuationis; ut ex communi ſententia in caſu noſtro reſpondet Dec. *d. conſ.* 414. *n.* 14. *in fi.* ubi de communi teſtatur, & *n.* 15. defendit, quod nec in hoc caſu eſt neceſſaria inſinuatio.

Quare cum iſta donatio fuerit valida, Excellentiſſima Domina Iſabella non ſucceſſit Avo, ſed Patri: & ſic quatenus legatum comprehenderet iſta bona, utique eſſet pœnale, quia agitur de bonis propriis dictæ Dominæ Iſabellæ auferendis,
13 ut *ſupra* dictum eſt Gloſſ. *in cap. de puellis, verb. nullatenus. 36. quæſt. 1. & in cap. fin. in verb. & vi*, & *ibi* Abb. *num. 7. in fin. de iure patron* Roman *conſ* 263 *in princ.* Pariſ *conſ.* 5. *n.* 193. *vol.* 4. Surd. *deciſ.* 7. *n* 15. *&* 232. *n.* 9. *ad finem.*

Neque in hac facti ſpecie eſt agendum, an non conficiendo Inventarium Dominus Carolus ſibi præjudicaverit, & ſic Excellentiſſima Domina Iſabella non poſſit impugnare factum patris: Quia utcumque ſit, ſatis eſt, quod ſemper agatur de proprio auferendo: & ceſſat omnis difficultas, quia Dominus Carolus non potuit adeundo approbare hanc diſpoſitionem teſtatoris, quia ſibi in hoc caſu non cenſetur injuncta, cum non nupſerit poſt obitum patris; ſed in hoc caſu cenſeretur injuncta Dominæ Iſabellæ cum nupſerit poſt obitum patris; quæ non tenet, cum iſta ſit pœna.

Et idem, quod ſupradictum eſt de bonis feudalibus, dicendum eſt de domo magna in Civitate Neapolitana, de vaſis aureis, argenteis, & cryſtallinis, gemmis, & aliis jocalibus: quia pariter agitur de pœna: cum Dominus Fabricius de eis in dicto ſuo teſtamento diſpoſuerit ad favorem primogeni-
14 torum tantum: unde cum defuncto Domino Carolo defecerint primogeniti, iſta bona remanſerunt libera penes dictum Dominum Carolum: Cephal. *conſ.* 432. *n* 20. Decius *conſ.* 182. *In cauſa occurrenti, in princ.* Iaſon. *conſ.* 3. *num.* 9. *lil.* 1. *& conſ.* 164 *n.* 11. *lib.* 4. Caſtrenſ. *conſ.* 454 *De eo quod primo loco verſ. quantum ad ſecundum*, *lib.* 1. Cui Domino Carolo ſucceſſit Excellentiſſima Domina Iſabella, & etiam reſpectu
15 iſtorum bonorum, ut dictum eſt agitur de pœna; quia agitur de bonis propriis auferendis.

Neque dici poteſt, quod ſi hæreditas non eſt ſolvendo, debeant concurrere legatarii, ita ut utrumque legatum minuatur pro rata: nam hic concurrunt legatarius ſpeciei, &
16 legatarius quantitatis: & omiſſo quod eſt magna quæſtio, quando hæreditas non eſt ſolvendo, an legatarius quantitatis concurrat cum legatario ſpeciei ad effectum diminutionis?
17 ut per Franch. *deciſ.* 236. *per totam*: In hoc caſu legatarius quantitatis eſt conditionalis, & propterea licet pro legato conditionali cenſeatur conſtituta hypotheca legalis uſque ab initio, Neguſ. *de pignor. 1 membr 5. part. n.* 19. actio tamen non oritur ante purificatam conditionem: quæ quidem 18
conditio non retrotrahitur ad diem mortis quo inducta 19
fuit, ſed attenditur tempus exiſtentiæ dictæ conditionis: & hoc eſt ſpeciale in legatis; licèt ſecus ſit in aliis contractibus, quando conditio eſt caſualis, vel mixta; quæ non pendet à voluntate de bitoris: ut per Neguſ. *loco cit. num.* 20. ubi allegat textum *in leg. mater § eandem*, *ff. de except. rei judic. & in leg.* 1. *§ ſervi appellatione*, *ff ad Syllam* & Gloſſ. & Bart. *in leg. ſi filius*, *in princ ff. de verb. oblig.* & Florian. de S. Petr. 20
in leg ſi is cui, *§ hæres*, *n.* 1 *ff quemad. ſervit. amit.* dicit regulate eſſe, quod in legatis conditio non trahatur retro quoad effectum de præterito: & allegat text. *in d. l.* 1.

Ex quibus ſequitur, quod cùm ante purificatam condi- 21
tionem hujus legati fuerit acquiſitum jus legatario puto, non poteſt conditio alterius legati retrotrahi ad effectum ut legatum purum de beat diminui, ut patet ex ſupradictis.

Quæ concluſio procedit etiam, quod teſtator uſus fuerit 22
verbis: *Damò per alibora laſcio, & dono, &c.* Quæ verba important, *ex nunc*, *prout ex tunc*, quia nihilominus conditio non retrotrahitur in præjudicium puri legatarii, cui medio tempore fuit jus quæſitum: Put. *deciſ* 186. *lib in nov.* Tiraq. *de retract. lignag. § 1. gloſſ* 10 *n.* 68. *in fin.* Burſ. *conſ* 145 *n.* 17. *vol.* 1. Silv. *conſ.* 97. *n.* 8. *in fin. & ſequent. vol.* 2 & in termi- 23
nis legati Cavale. *deciſ.* 5. *n* 110. *part* 3. ubi ita concludit, ſi medio tempore non eſſet alteri jus quæſitum, & iſta procederet etiam quod non conſtet fuiſſe factum Inventarium, ut ſtatim dicetur.

Et quamvis adeſſent bona Burgenſatica, in quibus poteſt ſuſtineri legatum; tamen reſpectu iſtorum bonorum duo fuerunt conſiderata: Alterum quod ex iſtis bo is eſt ſolvendum æs alienum, & dotes Dominæ Hieronymæ Borromeæ ſcutorum triginta millia, de qua & meminit Paul Stra ban. *in conſ.* 57. Dominæ Matiæ de Avalos ſcutorum octogiuta millia, & etiam ejuſdem Antiſ. tum ſcutorum triginta millia: 24
licet enim legatarius præferatur in re legata creditori Chirographario, quando hæreditas eſt ſolvendo: Gloſſ. *in l. is cui*, *§ poſt quam*, *in verb. non habiliter ff. ut in poſſ leg.* t. Bart. 25
in leg. creditoribus, *n.* 3. *ff. de ſeparat.* & in omni caſu creditores habentes hypothecam præferuntur legatariis: *leg. creditoris. ff. de diſtract pign.* juncta *leg. qui generaliter*, *ff qui pot. in pignor. hab.* Surd. *deciſ.* 44. *n* 6. Bald. *in leg* 2. *num.* 4 *Col. ſi adverſ. vend. pignor.* & fuit reſolutum coram me, *in cauſa Aſtulana domus* 3. *Iunii* 1602.

Et quamvis in hoc caſu non fuerit confectum inventa- 26
rium; nihilominus neque hæres, neque habens cauſam ab eo tenetur de propſio, ex quo agitur de legato pio. Et ratio 27
eſt, quia hæres non conficiens inventarium in foro conſcientiæ non tenetur ultra vires hæreditarias, Bart. *in rubr. ff. de acquir. hared. n.* 3. & eſt communis opinio ut per Covar. 28
in cap. 1. *n.* 16. *de teſtam.* Unde cum Eccleſia & pia loca debeant vivere ſecundum conſcientiam, non debent exigere 29
legatum ultra vires hæreditarias: Bart. *in repet. leg.* 1. *n.* 44. *verſ. Tertiò quæro & n.* 45. *C. de ſacroſ. Eccleſ* Rom. *in rub. ff. de acq. hared. n.* 9. *verſic. ultimò addo*, Corn. *conſ* 39 *n* 8. *lib.* 4. Roland *de invent. §. an hæres qui non confecit invent. rium*, Vincent. de Franchis *deciſ.* 539. *n.* 29 *&* 30. qui latè.

Alterum, quod nihilominus agitur etiam reſpectu iſto- 30
rum bonorum de pœna; cum agatur de amiſſione magni lucri, videlicet ducatorum ducentorum millium, quæ in hoc caſu æquiparatur pœnæ: ut in puncto dicit Iaſon. *in leg. Titia in princ. num.* 10. *verſ. ſecundò notabiliter limita ff. de verb. oblig.* ubi ſic limitat concluſionem, quod quis ſpe lucri poteſt invitari ad matrimonium: & movetur ex ſententia Cyni *in leg. interpoſita*, *n.* 1 ibi *quandoque per Iudicis officium C. de tranſact.* quem ſequitur Anthar. *in cap. Abb. n.* 2. *verſ. & idem ſi timeretur de his quæ vi*, *met. cauſ. fiunt*, *& in cap. fin. eod tit. in* 6. quibus in locis dicunt, quod amiſſio magni 31
lucri infert juſtum metum: quod etiam tenent alii, quos refert, & ſequitur Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſput* 5 *n.* 27. & hanc concluſionem admiſit Rora apud S. D. N. *deciſ.* 326. 32
num. 1. Unde Iaſon infert ad propoſitum, quod quis non 33
poteſt cogi ad contrahendum metu pœnæ, licet poſſit invi- 34
tari ſpe lucri: niſi tamen agatur de magno lucro amittendo, 35
cùm hoc inferat juſtum metum; & ideò pœnæ æquiparatur: quod dictum Iaſonis ſequitur Menoc. *conſil.* 415. *n.* 19 *lib.* 11 quibus addo Gam. *deciſ.* 314 *n.* 2. *verſ. reſpondebam etiam*, & Covarr. *variar. reſolut. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 256. qui ſolum reprobat diſtinctionem, quando lucrum eſſet nullius conſiderationis.

Quæ quidem ſententia eò magis videtur comprobari ex eo 36
quia licet dotio artharum ſuſtineatur, ita ut ſi matrimonium

non

37 non ſequatur, arthæ lucrentur, ſecus tamen eſt, ſi attenta qualitate perſonarum agatur de magnis arthis, quia tunc arthæ non lucrantur: Joannes Andreas *in cap. Gemm. n. 9. verſ. ſed. jam vidi: de ſponſal.* quem ſequitur Abb. *ibidem n. 8.* Socin. *conſ. 3. n. 3. verſ. & maximè, lib. 1.*

38 Hinc è converſo, ſi pœna quæ apponitur, eſt modica, non habetur in conſideratione, Petr. de Bellapert. *in leg. Titia, n. 4. col. 3. verſ. ſi verò contrahat ff. de verb. oblig.* Joan. Andr. & Abb. *loco citato.* & cæteri antiquiores quos allegat Bart. *in leg. Titia, n. 4. ff. de verborum obligationib.* licèt ipſe contrarium ſentiat.

Neque huic opinioni Jaſonis videtur reſiſtere, quod legatum ſit factum piæ Cauſæ, quo caſu debetur, etiam quod 39 conditio aliàs de jure propter libertatem matrimonii rejiceretur 40 ratione, quia in Jure libertas, & pia cauſa æquiparantur: quæ quidem pia Cauſa præfertur libertati: ut dicit in noſtris terminis Bart. *in leg. Titia, §. uſusfructus ff. de condit. & demonſtr.* poſt Guilielm. de Cuneo, quem allegat Aretin. *conſil 65. num 2. in fin. verſ. & ſtat. doctrin.* Tiraq. *de privileg. pia Cauſa, privil. 28.* Gabriel *conſ. 131. num. 12. vol. 1.* ubi de communi Mantica *de conject. ultim. volunt. loco citato, n. 9.* Paulus Duran. *de condit. & mod. impoſſib. parte 2. cap. 3. n. 30.* Sanchez *de matrim. loco ſupra citato, num. 25. verſ. Tertiò, favore Cauſa pia.*

41 Nam fuit reſponſum, quod prædicti Doctores loquuntur, quando in Jure conditio rejicitur, quia adverſatur libertati matrimonii ut ſi teſtator dixerit, *ſi arbitratu Titii nupſerit: ſi non nupſerit: vel nupſerit tali* & ſimilibus in quibus impeditur libertas; ut advertit etiam Cioſius *conſil. 30. n. 8. & ſeq. vol. 2.* & iſto caſu debetur lucrum, quo quis invitatur ad contrahendum cum prædictis conditionibus piæ cauſæ ſubſtituræ, quia præfertur favor piæ cauſæ libertati: ſed idem non eſt dicendum, quando agitur de lucro, in quo duo conſiderantur, conditio & lucrum. Quare etſi conditio reprobetur, non operatur quod piæ Cauſæ non debeatur lucrum, cũ pia cauſa præferatur libertati: & ideò lucrum dictæ piæ Cauſæ debetur quia lucrum non eſt in Jure reprobatum: ſed ſecus eſt in pœna, quæ eſt à Jure improbata, favore publico, ut matrimonia liberè contrahantur, & propterea nullo pacto 42 pœna debetur, etiam quod prævaleat pia Cauſa libertati matrimonii, cùm ſemper militet ratio prohibitiva Juris: ut benè per Jaſon *in l. Titia, num. 17. ff. de verb. oblig.* Did. de Median. *de conſen. conjug. cap. 15. n. 3.*

Secundo principaliter fuit dictum, quod admiſſo etiam ſine veri præjudicio, quod hic agatur de lucro & non de pœna; & quod propterea regulariter loquendo, Excellentiſſima Domina Iſabella teneretur nubere in familia, alias eſſet obligata ad legatum ſolvendum: nihilominus hæc regula intelligi & moderari debet, modo conditionem honeſtè adim- 43 pere valeret, aliàs debet reputari impoſſibilis de ſe, & non obligat, & pèr conſequens legatum non debetur: *leg. cum ita legatum. §. videamus, 93. ff. de condit. & demonſtr.* Molin. *de primogen. Hiſpan. lib. 2. cap. 13. n. 5.* Mantic. *de conject. ult. volunt. lib. 1. tit. 18. n. 2.* & Melchior Pelaez à Mieres *de majorit. p. 1. quæſt. 50. num. 18.* Tellus Fernandez *in leg. 30. Tauri, n. 9.* Molin. *de juſtit. & jur. tom. 1. diſp. 207.* Sanchez *de matrim. diſput. 33. n. 11.*

44 Et quamvis text. *in dict. leg. legatum,* loquatur de indigno tamen exemplificat, non autem reſtringit materiam, & propterea ſufficit; quòd Domina Iſabella honeſtè, & ſecundùm qualitatem perſonæ, cum illis de familia Geſualda cõtrahere minimè potuerit; ut conſiderant communiter Doctores *in dict. l. cum ita legatum,* & præſertim Bart. *num. 1.* qui regu- 45 lam ad id tradit, dicens, illum dici indignum cui non poteſt quis ſine dedecore nubere ſecundum mores Civitatis, conſiderata qualitate natalium: ad quod allegat text. *in leg. 3. §. ſi emancipatus filius, ff. de contra tab.* Oldrad. *conſ. 16. incipiente, Thema tale eſt num. 2.* Bertrand. *conſil. 148. n. 11. lib. 1.* qui dicunt, quod ſi nuptiæ dedecori ſunt ipſi mulieri, & ejus conditioni, ſive ſtatui non conveniant, dicendum eſt præceptum illud inhoneſtum, & per hoc impoſſibile; & ideò rejiciendum: & noviſſimè ponderat Caſtill. *de conject. ultim. volunt. cap. 251. n. 48. & ſequent.* ubi latiſſimè & Fontanell. *de pact. nupt. tom. 1. claus. 6. gloſſ. 3. n. 25. & ſequent.*

46 In propoſito autem, non eſt agendum de D. Aſcanio Patriarcha Conſtantinopolitano Archiepiſcopo Barenum, qui 47 incapax eſt matrimonii ratione Ordinis: *cap. ſiquis, & cap.* 48 *erubeſcant 32. diſtinct.* & contrahens eſt ipſo jure excom- 49 municatus, *Clem. unic. de conſang. & affinit.* & etiam dimiſſa uxore non poteſt adminiſtrare in ſuſceptis: neque ſi eſt Ordinis ſacri poteſt admitti ad alios majores ſuſcipiendos: *cap. 1.* & *ibi* Abb. *n. 3. & cap. 2. qui Cleric. vel vovent.* Gloſſ. *in cap. ſuper eo, in verb. bigamis, de Bigamis.* Covar. *in epit. de ſponſ. part. 2. cap. 6. §. 3. num. 1.* Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 195.* laté Sayrus *in Theſaur. caſ. conſcient. lib. 6. cap. 4. num. 12.*

Nec eſt agendum de diſpenſatione: quia cum Teſtator dixerit: *ſi debbano caſare con la famiglia de Gieſualdi delli più proſſimi, &c. ſalvo ſempre il beneplacito della Sede Apoſtolica:* intellexit de diſpenſatione obtinenda reſpectu gradus, non autem reſpectu alterius legitimi impedimenti: quia alias ſi non protuliſſet illa verba; *Salvo ſempre il beneplacito, &c.* conditio propter impedimentum gradus rejiceretur: ex alle- 50 gatis per Sanchez *de matrim. lib. 5 diſput. 5 num. 19. & 20. junctis num. 26.* & propterea cum circa hoc impedimentum teſtator nihil expreſſerit circa diſpenſationem, in hoc caſu 51 conditio deficit, cum ſecundum præſentis temporis jus debeat æſtimari: ſecundum quod Dominus Aſcanius eſt incapax: *leg. continuus, 137. §. cum quid, ff. de verb. oblig. leg. ſi ſtipuler. 35. in fin. principii ff. de verb. oblig.* & benè ad propoſitum Sanchez, *ubi ſupra, n. 26.*

Et ceſſat omnis difficultas, quia hoc eſt impedimentum, 52 in quo Papa in iſtis terminis non eſt ſolitus diſpenſare: & propterea etiam, quod in hoc caſu fuiſſet expreſſum de diſpenſatione obtinenda, deficeret conditio: Acoſt. *lib. 1. ſelect. cap. 8. num. 14.* Molin. *lib. 1. primogen. cap. 13. num. 8. cum pluribus ſequentibus* Pelaez à Mieres *de majoritate, parte 1. quæſt. 50. num. 2.* Guttier. *conſ. 18. num. 9.* Sanch. *loco allegato, numero 19.* Obſtat quoque defectus ætatis, ut ſtatim dicetur.

Adſunt inſuper Dominus Cæſar, & Dominus Franciſcus, necnon & Dominus Aloyſius, Dominus Hieronimus, & Dominus Antonius. Quantum attinet ad Dominum Cæſarem, & Dominum Franciſcum, cum ipſi ſint uxorati, de eis non eſt agendum.

Quantum attinet ad Dominum Aloyſium, ipſe eſt Cle- 53 ricus Beneficiatus incedens in habitu & tonſura: Unde videtur dicendum, quod Excellentiſſima Domina Iſabella honeſtè, & ſecundùm decentiam perſonæ, non ex deficientia nobilitatis & morum cum ipſo minimè potuiſſe contrahere: quia aut ipſe volebat continuare in habitu Clericali, ut eſſet Clericus conjugatus, & ſaltem ſecundùm leges, quod ſufficit non videbatur quod honeſtè cum ipſo Domina Iſabella poſſet matrimonium contrahere: Paludan. *ſup. 4. diſtin. 27.* 54 *q. 1. art. 3. caſ. 5.* ubi inquit, quod Ordo non facer ſuperveniens ſponſalibus, non diſſolvit ea, nec ipſo jure, cum non habeat oppoſitionem, &c. nec ſponſa hoc petente, ut ſi diceret, *Eligi nobilem, ut eſſet miles ſtrenuus, nolo habere Clericatum nec tonſuratum:* Subdit tamen idem Palud. quamvis ſecundum leges videretur ſufficiens. Unde in hoc caſu cum non agatur de ſponſalibus jam factis, ſed ſoiùm de eo; an honeſtè poterit contrahere cum Clerico, qui habitum, & 55 tonſuram dimittere minimè vellet, utique dicendum eſt quod ſaltem de honeſtate Civili hujuſmodi conjugia inter Primarios, & generoſæ Nobilitatis Viros fieri minimè conſueverunt, & hoc ſufficit, ut ſupra dictum eſt ex Bart. & aliis.

Aut verò intendebat habitum dimittere, & militiam ſuſcipere: & in hoc articulo dicendum eſt, quod cum hoc non declaraverit, nihil facit; ut benè ad propoſitum Joan. Felix Scalaleo, quem refert Camill. Salernitan. *in addit. ad Neapodan. in proem. conſuetud. Neapol. n. 33.* Ubi in ea quæ- 56 ſtione, *quatenus ſit verum, quod Clericus non ſuccedat in feudo;* ponit tres diverſos caſus; ſcilicet quod aut tempore mortis feudatarii ſupereſt filius laïcus, & habilis ad ſuccedendum qui poſt ejus mortem Clericatum aſſumpſit vel Religionem eſt ingreſſus, & tunc feudum amittit. Aut verò quis erat Clericus in vita Patris, & antequam ſit delatum feudum, per mortem ipſius patris laïcatur, & tunc in feudo ſuccedit. Aut mortuo feudatario ſucceſſor proximus reperitur Clericus, & vult ſuccedere, & iſto caſu iterũ diſtinguit, aut ante ſibi notam litem de feudo dimittit habitum, re integra, & tunc poteſt in feudo ſuccedere: aut verò poſt motam quæſtionem de feudo, ab eo qui erat ſucceſſarus, & ſic re non integra, & tunc excluditur à ſucceſſione feudi: & iſte tertius caſus applicatur ad noſtrum, quia de tempore, quo fuit nupta Excellentiſſima Domina Iſabella, Dominus Aloyſius erat in habitu & tonſura, & beneficiatus, prout etiam eſt hodie; & propterea non eſt agendum quod ſuſcipiendo Militiam, poterat honeſtè contrahere: quia ex prædictis ſufficit quod militiam non ſuſceperit, ſed Clericus permanſerit.

Et quamvis Tapia *in repet. aut ingreſſi, in verbo, ſua,* 57 *cap. 14. num. 28.* quem ſequitur Carolus de Graſſis *de effect. Cleric. 4. effectu, num. 87.* dicat quod in caſu prædicto tempus non incipit currere Clerico, qui aliàs ſuccedere deberet, niſi laïcus, qui in ejus locum ſuccedere vult, obtineat illi præfigi terminum, ſeu interpellet ad declarandum ejus intentionem, licet teneat contrarium D. Scalaleo; attamen quicquid ſit de hac opinione, non applicatur ad caſum noſtrum; quia

cum

cùm Dominus Aloyſius eſſet in habitu & tonſura & beneficiatus, ſufficit quod ſciret Dominam Iſabellam velle contrahere extra familiam, nec erat opus alia interpellatione; cùm ipſa non teneretur contrahere cum eo, qui actu eſſet Clericus & incederet in habitu & tonſura; ut patet ex ſupra deductis: Et ideò ſatis erat ſcientia abſque interpellatione ipſius Domini Aloyſii: ut benè per Bart. *in leg. denunciaſſe 17. n. 2. verſ. quandoque denuntiatio, ff. ad leg. Juliam de adult.* latè Tiraq. *de retract. lignag. §. 96. num. 24. cum pluribus ſequentibus*, & è converſo, non ſufficiebat, ſi probaretur quod Domina Iſabella ſciret Dominum Aloyſium velle cum illa contrahere, ſed dictus Dominus Aloyſius tenebatur illi intimare, quod cum alio non contraheret, & quod ipſe volebat deſerere vitam Clericalem: ut in ſimili ex Text. *in leg. denuntiaſſe, §. quid. ergo*, ubi Bart. *n. 2. verſ. quandoque requiritur ad hoc*, ubi maritus debet denunciare uxori ne nubat, & quod abſtineat à nubendo; qui intendit eam accuſare, ſic in propoſito Dom. Aloyſius tenebatur denunciare quod volebat deſerere Clericatum, & contrahere; quia ex ſola ſcientia quod vellet contrahere, non reſultabat quod vellet deſerere Clericatum; ut benè Bart. *loco citato*, ubi quod ex ſcientia mulieris, quod vir volebat eam accuſare, non inducitur denunciatio ne nubat, ſic in caſu noſtro, ex ſcientia quod vellet contrahere, non inducebatur denunciatio; quod vellet deſerere Clericatum; qui aliàs cum ipſo cæteris ceſſantibus, non tenebatur nubere, ut ſupra probatum eſt. 58

Ulterius fuit conſideratum quod cùm de tempore contracti matrimonii Dominus Aloyſius eſſet ætatis circiter annorum quadraginta & Domina Iſabella ætatis undecim annorum, ætas erat nimis diſpar, cum vir excederet eam annis viginti novem, ut ex multis conſiderat Tiraquell. *d. leg. connubial. libro 6. num. 41. cum pluribus ſequentibus*, & Torq. Taſſ. *in dialog.* quem *Paterfamil.* inſcribit: Ariſtot. *lib. 7. Polit. cap. 16. fol. 28. in parva impreſſ.* ubi dicit mulierem debere eſſe annorum octodecim, virum autem annorum triginta ſex, & *ibi* S. Thom. *ſect. 12. §. propter, littera O, verſ. concludit.* elegantiſſimè reddit rationem: idem dicit Ægid. *de regim. Princ. p lib. 2. part. 2. cap. 12.* ubi concludit tempus poſſe anticipari; & quod adoleſcentia ſit ætas glorioſior ad nubendum: Silv. nuptial. *in verb. qualitas conjug. lib. 2. n. 108.* & propterea ſtante iſta in æqualitate ætatis, non poterat Excellentiſſima Domina Iſabella honeſtè contrahere cum Domino Aloyſio, quia etiam reſpectu inæqualis ætatis minus honeſtè contrahi poterat: Pariſ. *conſ. 29. num. 23. lib. 3.* & in puncto conſiderat, ex mente Doctorum Menoch. *conſ. 426. n. 9. verſ. conſiderat etiam, lib. 5. & conſ. 1084. num. 19. verſ. Tertius*, advertit in fortioribus, quod mulier erat ætatis 23 annorum vir verò ætatis 47. 59 60 61 62 63

Quantum verò attinet ad Dominum Antonium, & Dominum Cæſarem, licet neque in iſtis adſit aliquis defectus Nobilitatis egregiæ, & morum, tamen Dominus Hieronymus eſt Gibboſus, & Dominus Antonius ſtrumis infectus: unde honeſtè cum iſtis ipſa Domina Iſabella contrahere minimè poterat: Pariſ. *conſ. 29. n. 23. lib. 3.* & ex mente Doctorum conſiderat in puncto Menoch. *conſ. 426. n. 9. verſ. conſiderant*, & merito quidem, quia ex arbore corrupta de facili fructus corrupti naſcuntur, & ex radice infecta bonus fructus exire non poteſt: *cap. fertur 1. quæſt. 1.* & benè in his terminis conſiderat Hoſtien. *in ſumm. de pœnit. & remiſſ. in §. de quib.* Sylv. Nuptial. *lib. 2. n. 98. verſ. reſpondendo igitur.* 64 65 66

Hinc etiam inſimilibus videmus, quod ſponſalia etiam juramento firmata diſſolvuntur: fœditate notabili, vel oculorum aut naſi amiſſione, vel turpiori alia ſupervenientе, vel paralaſi, vel lepra, ut habetur *in cap. quemadmodum, de jure jur. in princip.* quæ deformitates *in dicto Textu* proponuntur exempli gratia, & ideò regulam non arctant: ut conſiderat Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſput. 57. n. 5.* 67 68 69

Hinc Doctores extendunt illum textum ad morbum gallicum, qui certè minus gravis eſt, quàm lepra, ut advertit Sanch. *loco allegato*, ſic Navarr. *in ſum. cap. 22. n. 25. & 27. caſ. 8.* M. Ant. Cucchus *inſtit. moral. tit. 10. n. 63.* Hentig. *in ſumm. lib. 11. de matrim. cap. 14. lib. 6.* Petr. à Ledeſma *de matrim. q. 43. n. 3. cap. 5.* Philiarc. *de offic. ſacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 1.* 70

Idem dicitur de gravi infirmitate ſuperveniente incurabili, de Epilepſia, S. Thom. *ſuper 4. diſtinct. 27. quæſt. 2. artic. 3. ad 3.* Paludan. *ibidem, quæſt. 1. art. 7. caſ. 7.* M. Anton. Cucchus *d. n. 63.* ubi dicit etiam idem eſſe, ſi os malè oleat, nec arte Medica curari poſſit, ſubdens multos Iuriſperitos conſultos in eandem ſententiam deſcendiſſe, Sanchez *loco citato, num. 2.* 71 72

Tertiò principaliter fuit conſideratum, quod quatenus omnia contenta iſto fundamento ceſſarent: nihilominus legatum non deberetur, ea ratione, quia cum Excellentiſſima Domina Iſabella eſſet minor, præſumitur ignorare nedum teſtamentum Avi de quo modò agitur, ſed etiam teſtamentum Patris: Bald. *conſil. 440. columna 3. ſub num. 2. verſ. ſed ex cauſa, lib. 3.* Aym. *conſil. 193. num. 6.* qui de communi: Crot. *conſ. 99.* & in his terminis dicunt Ioan. Baptiſt. Plot. *conſ. 15. num. 4.* Menoch. *conſil. 426. num. 14. & ſequentib.* Morot. *conſil. 97. in fin.* Odd. *conſil. 79. num. 16.* Fontanell. *de pact. nuptial. tom. 2. gloſſ. 3. numero 41.* Unde ad effectum quod Domina Iſabella inciderit in amiſſionem lucri debuiſſet illi notificari diſpoſitio Avi; quod cum non fuerit factum, non tenetur ad ſolutionem legati; diſpoſitio enim Teſtatoris non venit contra ignorantem: *leg. ſtatuliberos, §. ſi quis hæredi, ff. de ſtatuliber. & leg. ſi hæreditas, in princ. Cod. de ſtatuliber.* & *leg. ſi in diem, Digeſtis, de condit. & demonſtrat.* & *ubique* notat. Bart. Bald. *in leg. unic. num. 19. Cod. de his quæ pœn. nom.* Bart. *in l. ſin. in princ.* poſt Gloſſ. *ibidem, in verb. delatam, C. de jur. deliber.* Fontanell. latè *de pact. nupt. tom. 1. claus. 4. gloſſ. 17. num. 9.* & in puncto ita per iſtas rationes reſpondent Menoch. *dict. conſil. 425. num. 14. & ſequentibus*, Morot. *conſil. 97. in fine.* Ioan. Baptiſt. Plot. pariter *in præcit. conſ. 15. num. 4. & ſequentibus*, ubi elegantiſſimè ornat concluſionem, Odd. *conſ. 79. num. 26* ubi etiam quod non ſufficit interpellatio; niſi oſtendatur ſcriptura: Fontanell. *de pact. nupt. tom. 2. gloſſ. 3. n. 41.* ubi quod Senatus ita judicavit. 74 75 76

Neque dicatur, quod prædicta poſſent habere locum ſi ageretur de pœna: ſecus tamen ſi agitur de lucro amittendo: qui ut *ſupra* probatum eſt, agitur de pœna, & etiam Doctores prædicti indiſtinctè loquuntur: & in puncto Plot. Menoc. Morot. Fontanell. & Odd. Sed concluſio de plano procedit etiam in lucri amiſſione: ut in ſimili, quod contra debitorem non currat diſpoſitio teſtatoris, qua eum liberavit ab omnibus ſi centum intra menſem ſolverit, ubi debitori non fuit intimatum teſtamentum: Anchar. *in cap. nos quidem de teſt. c.* Barbat. *conſ. 50. Ex propoſitis, col. 1, n. 2. v. ſi quiſpiam dixerit, volum. 2.* Tiraq. *de retract. lignag. §. 35. in gloſſ. 4. verſ. ignorantes, n. 2.* latè Plot. *d. conſ. 16. n. 4. verſ. & id. ò.* Neque poteſt conſtitui differentia inter hunc caſum debitoris, & caſum noſtrum, ex eo quod debitor moram poteſt purgare, cum peccaverit in omittendo: hic autem agitur de peccato in committendo, ut in ſequenti fundamento dicetur. 77

Quartò fuit conſideratum, quod in omnem eventum Excellentiſſimæ Dominæ Iſabellæ competit reſtitutio adverſus ſolutionem iſtius legati. Et pro faciliori intelligentia huius propoſitionis fuit conſideratum, quod aut tranſgreſſio minoris conſiſtit in omittendo, aut in committendo: ſi in omittendo, ſecundùm communem veram ſententiam, in iſto caſu minori competit reſtitutio in integrum, ex multis quos allegat Odd. *de reſtit. in integr. parte 2 quæſt. 82. art. 6 n. 62. verſ. ſed breviter.* Aut verò tranſgreſſio minoris conſiſtit in committendo, prout eſt caſus noſter, & una opinio eſt, quod minori non competat reſtitutio in integrum, Matth. Felician. de Peruſ. *in conſ. incipiente, Omnis difficultas, inter conſ. Caſt. conſ. 259. num. 8. lib. 1.* Fulgoſ *conſ. 61. n. 6. in fin. verſ. quod autem, & n. 7.* Aym. *conſil. 193. n. 5. & ult.* Cephal. *conſ. 356. n. 13. & ſeq.* Sim. de Præt. *de interpret. ult. volunt. lib 4. fol. 44. n. 3.* Odd. *de reſtit. in integr. quæſt 82. art. 6 n. 37.* Molin. *de rit. nupt. lib. 3. quæſt. 29. n. 80. & ſeq.* Altera opinio eſt, quod competat reſtitutio, quam veriorem, & æquiorem dicit Odd. *de reſt. in integr. loc. alleg. n. 59* pro qua in noſtris terminis allegat Aret. *conſ. 67. n. 8. & 9. verſ. ſed tamen his non obſtantib.* Dec. *conſ. 349. col. 1 & 2.* Ruin. *conſ. 199. n. 4. lib. 1.* quibus addi poteſt idem Ruin. *conſ. 35. n. 8. lib 3.* Corn. *conſ. 184. col. ult. n. 8. verſ. quinimò, lib. 3.* Menoch. *conſ. 426. n. 18.* Ludov. Morot. *conſil. 97. num. 23.* 78 79 80

Sed ut benè & doctè conſiderat idem Morot. *loco proximè allegato*, utraque opinio eſt vera: communis namque opinio procedit quando minor eſt in dolo: contraria verò, ceſſante dolo; ut optimè diſtinguit Aret. *in d. conſi. 67. num. 8. & 9.* ubi *in verſ. quinto & ultimo*, ibi, *unde fatetur*: poſtquam firmavit concluſionem quod minor reſtituitur, dicit quod ſi adeſſet dolus, non competeret reſtitutio; aliàs ſecus: & idem verbis expreſſis dicunt omnes Doct. qui in contrarium allegantur: nam Fulgoſ. *d. conſ 61. num. 6. in fin. & num. 7.* præſupponit culpam, & dolum minoris, ut benè advertit Morot *loc. citat. num. 23.* reſpondendo contrariis admittit opinionem Aretini ſcilicet ut procedat ceſſante dolo: nec etiam ſtgit pedes, ut patet *d. num. 7. verſ. quoniam tamen*: ſed dicit quod propter varias Majorum ſententias, & rationum conflictus res ſcrupoſitate non caret: Aym. verò, *in conſil. 193. num. 5. verſ. ſed, in terminis*: loquitur quando adeſt dolus, & in ſpecie allegat Aret. *d. verſ. 5. & ult.* & ita etiam loquitur Sim de Præt. verbis claris, & allegat Aymon. *d. loco citato* Cephal. denique *in conſ 356.* facit in contrarium: nam *n. 38. & infra & num. 51. verſ. neque ultimum*, licet ſuſtineat opinionem Fulgoſii in caſu ſuo: tamen ceſſante dolo, tenet opinionem Aret. ut 81

patet

patet in reſponſione ad contraria : qui etſi loquatur de negligentia abſque dolo, & malitia, in qua procedit Text. *in l.* 3. §. *etſi hæres, ff. de minor.* & ſic de dolo in omittendo ; Tamen iſta concluſio non procedit de plano, quia ut *ſupra* dictum eſt quando agitur de omiſſione, minor ex communi ſententia reſtituitur ; ut benè Aymon *conſ.* 193 *n.* 5. *in fine*, imò Caſt. *conſ.* 47 *lib.* 2. voluit abſque reſtitutione ſuccurri minori, qui omiſit implere præceptum teſtatoris, Morot. *dict. conſ.* 97. *n.* 4. Molin. verò poſtremò *de rit. nupt.* loquitur de commiſſione doloſa.

Neque poteſt dici quod hæc concordantia opinionum procederet quando mora poſſet purgari, etiam quòd eſſet in committendo ; aliàs ſecus : quod enim factum eſt, retractari non poteſt : quia idem eſt ſive actus poſſit retractari, ſive non : *l. Julianus, §. fin. ff. ex quibus cauſ. major.* ubi reſtituitur quis ex juſta cauſa, ut conditio habeatur pro impleta : ut notat *ibi* Gloſſ. *in verb. militi* & Bart. *n.* 1 *verſ. nam ſi debebat*, & in noſtris terminis exornat Aretin. *conſ.* 67. *n.* 9 *verſ. ſed ego habeo* : & benè etiam Ruin. *in d. conſ.* 33. *n.* 8. *verſ. Et quamvis*, & *verſic. quia ego* : *lib.* 3. qui *in verſ. Et quamvis*, dicit quod etſi ille Text. loquatur in abſente, multò magis habet locum in minore, quia reſtitutio, quæ illi conceditur, eſt favorabilior, Menochius *dict. conſ.* 426. *n.* 18. *verſ.* & *adducit* : Unde cùm Excellentiſſima Domina Iſabella non fuerit in dolo, etiam quod agatur de commiſſione, venit reſtituenda, ut patet ex prædictis : & etiam quod agatur de his, quæ geſſit occaſione matrimonii, in quo pro Majore habita fuit ; Gloſſ. *in l. unica, in verb. reformatione, C. ſi de monem. poſſeſſ.* & ex recepta ſententia, ut per Iaſon. *in l. ſciendum, n.* 33. *ff. de verb. oblig.* ubi Alex. *numero vigeſimo*, Abb. *in c. fin. n.* 108 *de confeſſ.* latè Calderin. *in l. ſi curatorem, C. de in integr. reſtit. in verb. implorare in integrum reſtitutionem* ; *n.* 38.

Quod autem Excellentiſſima Domina Iſabella non fuerit in dolo, ſatis patet : quia contraxit de conſenſu Catholicæ Majeſtatis, necnon de conſenſu matris, & alterius Tutoris : unde videtur dolus excluſus, cum matri, & alteri tutori credere potuerit : *leg. tutorem*, cum *ibi* not. *Digeſtis, de his quibus ut indign.* benè facit Textus *in leg. qui cum major. §. fin. Digeſtis, de bon. libert.* & quod notat Gloſſ. *in princip. in leg. Titio fundum, in verb. Titio, Digeſtis, de cond. & demonſt.* & in puncto ita reſponder Aretin. *in dicto conſ.* 67. *num.* 9. *verſ. primo quia* : Morot. *conſ.* 97. *n.* 35. & authoritas, & voluntas Catholicæ Majeſtatis excludit omnem doli præſumptionem, quia ut ait Bald. *in leg. reſcripta, columna ſecunda, num.* 7. *verſ. nota ergo*; *C. de prec. Imper. offer.* ubi eſt Princeps, ibi non poteſt committi dolus : Iaſon. *conſ.* 227. *n.* 58 *libro* 2. Quare conjungendo authoritatem & voluntatem Majeſtatis Catholicæ, Matris & Tutoris, concludendum eſt cum Baldo *in conſ.* 358. *columna prima, libr.* 1 Excellentiſſimam Dominam Iſabellam Infantem undecim annorum, magis propter cultum reverentiæ prædictorum nuptiis conſenſiſſe, quàm maritum elegiſſe ; & ideò non nupſiſſe contra præceptum Teſtatoris doloſè, ſicuti *ibidem* Bald. concludit : & benè in puncto conſiderat Morot. *dict. conſ.* 97. *num.* 27. Rim. Sen. *conſil.* 427. *n.* 40 *& ſequentib.* ubi mulier reſtituitur adverſus ſolutionem, non adverſus matrimonium, quod eſt impoſſibile. Ulterius excluditur dolus, quia ut patet ex deductis in principio ; vel agitur de pœna, & hic ceſſat omnis difficultas : vel eſt juris valdè dubii, an in hoc caſu agatur de amiſſione lucri, vel de pœna. Unde cum Excellentiſſima Domina Iſabella erravit in jure valdè dubio, non præſumitur dolus : *leg. ſed ſi lege, §. ſcire autem, Digeſtis, de petit. hæreditatis, leg. ſiquis gravi, §. ſiquis ignorans, Digeſtis, ad Syllan.* cum aliis qui poſſunt allegari.

Sed ceſſat omnis difficultas in hac facti ſpecie : quia cum, ut dictum eſt in tertio fundamento, Excellentiſſima Domina Iſabella ignoraret diſpoſitionem Avi ; communis eſt ſententia, quod etiam quod agatur de commiſſione, non autem de omiſſione, minori cuilibet competit reſtitutio in integrum ex capite juſtæ ignorantiæ, ut latiſſimè per Oddum *de reſtit. in integrum, p.* 1. *q.* 8. *articul.* 9. *per totum*, ubi multos congerit de communi teſtantes, & in noſtris terminis Rom. *conſ.* 459. *in princ.* Caſtr. *conſ.* 47. *Ultra ea, columna prima ſub numero primo, verſ. non obſtat, libro primo.* Idem Odd. *de reſtitut. in integrum, parte ſecunda, q.* 82. *articulo ſexto, n.* 60 & magis in terminis, imò in individuo dicunt Menochius *d. conſ.* 426. *in fine*, Morot. *conſ.* 97 & 98. & ſentit Molin. *de ritu nuptiarum, lib.* 3. *q.* 19. *n.* 84.

Et ita concluſum.

Camerinenſis Matrimonii, Veneris 9. Februarii 1624.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1 *Mulier immundis ſpiritibus obſeſſa matrimonium contrahere non poteſt.*
2 *Furioſa, vel mente capta, ſeu aliàs ſenſu carens, matrimonium contrahere non poteſt.*
3 *Obſeſſio ſpirituum ſuperveniens poſt contractum matrimonium, illud non dirimit.*
4 *Mentis ſanæ quilibet præſumitur.*
5 *Obſeſſio ab immundis ſpiritibus probari debet per actus per aliquod tempus continuatos.*
6 *Obſeſſio à dæmonibus probata de tempore præſenti non inducit præſumptionem de præterito.*
7 *Probationes concludentiſſimæ requiruntur, ubi agitur de dirimendo matrimonio.*
8 *Præſumptiones & conjecturæ attendi non debent, ubi requiritur plena probatio.*
9 *Maleficium nunquam dirimit Matrimonium ſubſequens, niſi maleficium ſit perpetuum, & tale quod non niſi Dei miraculo tolli poſſit.*
10 *Maleficium non præſumitur perpetuum, niſi poſt triennalem conjugum cohabitationem, & n.* 12.
11 *Dæmonis aſſertioni loquentis ex ore alicujus obſeſſi nullo modo eſt credendum.*
13 *Diſpoſitio cap. Laudabilem. de frigid. & maleficiat. indulta eſt ut peragatur pœnitentia, & ea mediante impetretur à Dei miſericordia, liberatio à maleficio.*

DECISIO LIV.

SEntentia Ordinarii in partibus lata (prætermiſſis pro nunc prætenſis illius nullitatibus) viſa fuit Dominis injuſta ; & ideò revocanda.

Injuſtitia autem eſt patens : Primò, quia per eam diſſolvitur matrimonium, inter partes legitimè contractum prætextu quod mulier de tempore dicti matrimonii eſſet immùdis ſpiritibus obſeſſa, nèc poſſet matrimonium contrahere, ſicuti ſi fuiſſet furioſa, vel mente capta, aut aliàs ſenſu carens : *cap. dilectus. & ibi* Gloſſ. & Doctores *de ſponſalibus, & can. neque, 21. q.* 7 Sanchez *de matrim. lib.* 1 *diſput.* 8. *n.* 15 *& ſeq.* 1 2

Quæ obſeſſio non juſtificatur ex actis : quidquid ſit poſt matrimonium, de tempore de quo fuit contractum, vel ante, prout neceſſe eſt ad illud dirimendum : juxta diſpoſitionem *d. c. neque, & c. dilectus. & ubique* poſt Gloſſ. & Doctores. 3

Imò in contrarium urget præſumptio à natura deſcendens, quæ homines ſanæ mentis producit : ut ad propoſitum dicit Covarruv. *ſuper Decreto* 2 *p. n.* 5. Sanchez *ubi ſupra, n.* 7. *verſ. dubitabis* : & latè de hac præſumptione fuit dictum coram me *in Peruſina hæreditatis*, licet ad aliud propoſitum ſuſtinendi teſtamentum. *ſub die* 12 *Junii* 1617. & in alia *coram Reverendiſſimo Seleucien. ſub die Veneris* 11. *Januarii* 1699. 4

Talis autem probatio non affertur ante matrimonium, nec aliquorum actuum per ſimiles obſeſſos fieri ſolitorum, qui deberent eſſe per aliquod tempus ſucceſſivum & continuum, Sanchez *ubi ſupra* : Imò ex probationibus ejuſdem mulieris conſtat de contrario ; videlicet tam ex atteſtationibus Sacerdorum, & Confeſſariorum dictæ mulieris, quod ante Matrimonium ipſa quietè fuit conſueta peccata confiteri, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere, & ſine aliqua moleſtia : ſecus verò poſt Matrimonium contractum : quia in exhibitione Sacramentorum facit magnos ſtrepitus, & actus per Confeſſarium relatos. Ac etiam probatur per Matronas, ſuper recognitione illius virginitatis judicialiter electas, & cum juramento dicentes de dictæ mulieris moribus, & vita ſpirituali, devota, & de Sacramentorum frequentia, & maximo erga Deum ſpiritus fervore : *ut in ſumm. Joſephi, n.* 5. Et quod dicti motus fuerint detecti poſt ingreſſum Monaſterii, & longè poſt tempus contracti Matrimonii : & ante dictum ingreſſum, quod ipſa conqueſta eſt ſe invitam contraxiſſe Matrimonium, & profitebatur, ſe voviſſe virginitatem Deo, volebarque Monachari, abſque eo quod ullum unquam verbum factum reperiatur de dictis maleficiis ante primam ſententiam, & ingreſſum in monaſterio, ut *in d. ſumm. n.* 5. 5

Ex actibus autem poſt matrimonium geſtis, ex quibus Sacerdotes Exorciſtæ, & alii judicant ipſam ab eiſdem ſpiritibus immundis vexatam, non infertur quod eſſet talis de tempore contracti matrimonii, vel antea ; cùm ex præſenti 6

non præsumitur in præteritum : Bald. *in leg. ex persona, colum. 1. vers. aut non potest concurrere, Cod. de procur.* Everard. *in loco, a tempore ad tempus, num. 2. vers. statu præsenti :*
7 Menoch. *lib. de præsumpt. 1 quæst. 24. num 10.* Tanto minus cum agatur de dirimendo matrimonio, ut ideò probationes debeant esse concludentissimæ : Caputaq. *decis. 149. num. 9. lib. 2* Rota coram Gregorio XV. *decis. 351. num. 2 & seq.*
8 nec Rota attendit præsumptiones & conjecturas, quando requiritur plena probatio, Achill. *decis. 1. de probat.* Rota *dec. 102. num. 6. part. 1. divers.* Seraphin. *decis. 1171. num. 2 & decis. 1249. numero 3.* & fuit dictum *in Comen. Decimarum 8. Junii 1612. coram Cardinali Sacrato,* & coram Gregorio XV.
9 *decis 178. n. 6.* Unde si maleficium, vel aliud impedimentum post matrimonium supervenit, illud dirimi non potest : *d. c. dilectus, & d. c. neque* : & *ubique* Gloss. & Doctores, & latè Sanchez *ubi supra.*

Secundò, quia ob maleficium nunquam dirimitur matri-
10 monium subsequens, nisi maleficium sit perpetuum, & tale quod ex solo Omnipotentis Dei miraculo tolli possit : ut ex *cap 130. quæst. 1. & cap fin. de frigid. & maleficiat.* notant *enumerat.* per Martin. del Rio *Disquisit. Magicar. lib. 3. sect. 8. fol. 425. littera B, vers. Dixi secundò.* & Sanchez *de matrim. libro septimo, disputation. 94 numero 7 & 8* & non præsumitur perpetuum nisi per triennalem cohabitationem, de qua *infrà.*

In proposito autem non constat de hujusmodi perpetuitate, & impossibilitate tollendi maleficium, nec hoc deducitur nisi ex depositione unius Exorcistæ, qui mulierem apud S. Domum Lauretanam exorcizavit ; & alius deputatus ab Ordinario nihil concludit : & dicunt, Dæmonem ex ore ob-
11 sessæ asseruisse maleficium esse perpetuum : cui nullo modo est deferendum, cum sit assertio patris mendacii, qui ineptissimè etiam dixit se à Deo fuisse deputatum custodem virginitatis dictæ mulieris ; ac si Divina Majestas indigeret ope Dæmonis pro custodia virginitatis, & dæmon esset egregius virginitatis custos, dum ita sæpè miseram illam pullam opprimere nititur. Quinimò quando Dominus vult Electarum suarum virginitatem custodire, solet deputare Angelos suos uti fecit Divæ Cæciliæ Virgini & Martyri, & aliis.

Tertiò, quia non præcessit cohabitatio triennalis juxta
12 dispositionem *cap. Laudabilem. de frigid & malefic.* de quo latè per Sanchez *disput. 99. lib. 8. n. 7. & 8.* & Rota semper servavit, & servat dictam cohabitationem triennalem, quando agitur de maleficio : & est *dec. 192* impressa *post 2. Vol Farin.* In proposito autem fuit tantummodò assignatus terminus quatuor mensium *sub die 6 Decembr. 1622.*

Nec putarunt Domini illud requisitum assignationis triennii suppleri ex præcedenti cohabitatione ; cum ex testibus ipsiusmet viri deprehendatur, ipsum nec ferè per annum in totam cohabitasse cum muliere, quæ semper habitavit in domo
13 fratris : inducta enim est dispositio *d. cap. Laudabilem,* ut peragatur pœnitentia, & mediantibus orationibus, frequentia Sacramentorum, jejuniis, & lacrymis, ac peregrinationibus, impetretur à Dei Misericordia liberatio : Seraphin. *decis. 628. num 4* Rota *decis. 111. & 192. num. 3 post dict. secundum vol. cons. Farinac.* & in istis terminis maleficii intelligitur text. *in cap. finali, de frigid. & maleficiat.* ut ostendit Sanchez *d. lib. 7. disput 94 n. 8*

Et ita utraque parte informante fuit resolutum.

Giennensis Thesaurariæ, Veneris 22. Martii 1624.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1 *Testes de auditu proprio probant quando agitur de probatione alicujus rei ; qua non nisi per dictum alterius probari potest.*
2 *Medici judicio in Arte sua standum est.*
3 *Dolores assidui, & continui censentur, qui aliquem vexari solent.*
4 *Infirmus dicitur qui sæpè solet infirmari.*
5 *Testi in facto proprio deponenti standum est.*
6 *Infirmitas perpetua esse debet, ut quis propter eam ab onere deserviendi in Choro eximatur.*
7 *Infirmitas perpetua censetur, quamvis per aliquod temporis intervallum non sit continua.*
8 *Narrativa facti ut verificetur, sufficit, quod de facto justificetur.*
9 *Gratia ut sustineatur, Rota de stylo solet æquitatem amplecti.*

DECISIO LV.

RECessum fuit à decisis sub die vigesimoprimo Junii, & tentum narrativam Coadjutoriæ cum futura successione esse justificatam strictè quoad infirmitatem Christophori Coadjuti. Narrativa autem in specie continet ; *primo,* dolores capitis, quibus gravatur Christophorus : *secundò,* illos esse continuos, eumque assiduè gravare : *Tertiò,* quod ad Ecclesiam in hebdomada sibi contingente accedere & inservire, & Thesaurariæ incumbentia perferre non valeat.

Quoad primum, de dictis capitis doloribus deponunt omnes testes per Vitalem coadjutorem examinati, qui sunt numero undecim *in summario, num. 3* dicentes *super teste* se vidisse Thesaurarium conquerentem de capitis doloribus, & de audita ejus querimoniarum ab ipsomet Christophoro : & in specie deponit octavus, Medicus dicti Christophori, de facto proprio, quia illum curavit ab hac infirmitate, qui testes, excepto Medico, licet de auditu, tamen cum deponant de 1
tempore non suspecto, & aliter quam ex dicto patientis dicta infirmitas difficilè probari possit, satis concludere videbantur, ex not. *in leg. testium, C. de testibus,* ubi Cyn. *n. 7. vers. aut vult probare* : Bart. *n. 6 vers. quod intelligo* : Alber *n. 4. vers. aut aliquod,* & Salicet. *n. 3. & 9.* cum aliis relatis per Farinacium *de testibus, q. 69. n. 156*

Quod autem tales infirmitates, prout dolores pectoris, stomachi, & similes, probari non possint aliter quàm ex dicto patientis constare videbatur ex discursu peritissimi Medici 2
dato, cui est standum : *leg. sept. mensis ff de statu hominum:* Bart. *in l. 2. n. 3 ff de testam.* Soc. jun. *cons. 183. n. 11. lib. 2.* Boër. *dec. 23. num. 74* Mandos. *ad reg. 19. de infirm. &c. n. 4* Rota *dec. 620. n. 3. p. 1. div. & dec. 92. n. 3 p. 2. recent.* quamvis in hoc casu plura etiam signa extrinseca concurrant, ut infrà ex quibus videbatur cessare difficultas.

Secunda verò pars, quod dolores sint continui & assidui, probatur ex eisdem testibus. Primus enim qui de visu deponit, quod propter dictos dolores fuit impeditus deservire Ecclesiæ per plures hebdomadas quas dimisit : & reddit rationem scientiæ, quia habet magnum tractatum cum dicto Christophoro. Tertius, quod ex causa Christophorus non incumbit Ecclesiæ, prout tenetur, nec vidit illum inservire Choro, & Capitulo suis hebdomadis, prout de visu deponunt nonus, decimus, & undecimus : & adminiculatur à quarto, & sexto, de auditu à Christophoro ; & quod propterea utitur servitio alterius ; ut per primum, secundum, sextum, septimum, & undecimum, qui etiam in celebratione Missæ sibi contingente idem firmat.

Et probantur etiam signa extrinseca, Nam secundus dicit ; illum pluries exivisse de Choro ante finem Horarum ; & sextus, quod dum celebraret Missam, incidit in dolorem capitis taliter quod nisi fuisset adjutus ab astantibus, cecidisset in terram, & quod pariter vidit illum ex dicta causa aliquoties vicibus exire de Choro, & se conferre domum cum querimonia doloris capitis.

Et comprobatur ex testibus, qui illum in domo hujusmodi doloribus gravatum ut asserebat, visitarunt, videlicet secundus, & nonus, qui dicunt eum jacuisse in lecto.

Unde apparet quod dicti dolores sunt continui, & assidui, 3
cum tam frequenter ab eis veretur : Gemin. & Franch. *in c. 1. in prin. de restit spoliat.* Gloss. Pragm Sanct. *tit. de caus § 1. in princ. verb. jugiter, tom. 2* latè Mandos. *super gloss. facult. §. volentes, verbo, assiduè.* Sard *cons 315. num 14* cum relatis per Cened. *singul. num. 1.* Et propterea infirmus dicitur, qui sæpè 4
solet infirmari, Archidiac. *in cap Pastoralis, circa med. verb. Valetudine* : Joan. Andr. *n. 1 vers. dicit Hugo.* Anchar. *n. 3. vers. quinto nota* : & *ibi* Gemin. *in §. verum, n. 6. vers. quis dicatur, de Cleric. agrot. in 6.* Bonifac. Vitalin. *in prim. Clement. §. hæc sanè, num. 15.* & Menoc. *de arbitr. lib. 2. c. 60. n. 5. vers. hic ergo Judex.*

Impossibilitas autem deserviendi probatur per dictum septimum testem Medicum deponentem quod dum afficiunt dicto dolore capitis, impossibile est quod possit deservire Ecclesiæ & Thesaurariæ, & facere (ut dicunt) suas Hebdomadas ; cui uti Perito, & in facto propprio deponenti deferendum est, ex *supra* allegatis, & in terminis, ut quis liberetur ab onere Horarum, Azor *instit. moral. lib. 10. c. 13. littera A, verbo. quæres igitur, vol. 1.*

Nec obstare visum fuit, quod ex libro Punctatoris appareat dictum Christophorum parum deservisse in servitio, quia 5
suas Hebdomadas alteri Canonico dimandabat ; ut ex supradictis testibus, *in summario, numero 3.* & potuit etiam aliquando per seipsum deservire, & simul dolore capitis vexari, quamvis suo maximo detrimento, & periculo, ut factum, ex depositione dictorum secundi, & sexti testium, comprobatur.

Prout

6 Prout non videbatur obſtare quod probare deberet infirmitatem eſſe perpetuam, juxta *deciſionem* Veralli 240. *part.* 1. Quia ultra quod illa loquitur in Coadjutoria conceſſa propter debilitatem valdè diverſam ab iſta, ex allegatis per informantes, cùm infirmus perpetuus dicatur, qui ſæpè ſolet infirmari, ut ſuprà; ſatis dicitur juſtificata prædicta narrativa etiam ſecundùm *alleg. deciſion.* Veralli, quæ admittit infir-
7 mitatem eſſe perpetuam, quamvis cum aliquo temporis intervallo: & præſertim cum non fuerit ſimpliciter narratem,
8 Chriſtophorum dolore capitis vexati, ſed continuò & aſſiduè & ideò ſuffiecre videbatur, prædicta juſtificari eo modo, quo narrata fuerunt: Ægid *deciſ.* 116. *in fine, deciſ.* 9. *num.* 20. *part.* 2. *diverſ. & deciſ.* 410. *num.* 4. *in fine, part.* 1. *recent.*
9 Maximè juxta æquitatem; quam Rota de ſtylo ſolet amplecti pro ſuſtinenda gratia: ut *in dict. deciſ.* 9. *num.* 9. *p.* 2. *diverſ.* ex Sarnen. *ad reg. de valore, quæſt.* 11. *in fine.* Quæ tanto magis in hoc caſu amplectenda videbatur, cum non adſit alius proviſus, nec agatur de præjudicio Tertii.

Et ita deciſum utraque parte informante.

Neapolitana ſeparationis Tori, Veneris 28. Junii 1624.

Coram R. P. D. Buratto.

SUMMARIUM.

1 *Uxoris ſævitiam viri allegantis onus probandi incumbit.*
2 *Sævitia viri ad effectum ſeparationis Tori, quæ eſt gravis & ardua, & plenè, & concludenter probari debet.*
3 *Sævitia viri ad inducendam ſeparationem, magna eſſe debet.*
4 *Maritus poteſt uxorem leviter, & moderatè verberare, præſertim cum cauſa.*
5 *Uxor verberata à marito ſolis pugnis, & alapis, non autem cum baculo, vel alio inſtrumento ad offendendum non dicitur immoderatè verberata.*
6 *Verbera illata uxori à marito an fuerint ad correptionem vel animo doloſo, & odio dignoſcitur inſtrumento, cum quo illata ſunt, niſi aliter conſtet.*
7 *Uxorem à marito doloſè percuſſam fuiſſe non præſumitur, licet cum baculo & ſanguinis effuſione, niſi probetur.*
8 *Percuſſio facta cum pugno in naſo, unde multum ſanguinis exivit, non eſt conſiderabilis.*
9 *Sævitia viri in uxorem non inducitur ex unico actu, ſed inſpicitur an adſit conſuetudo & frequentia.*
10 *Impetus primi animi non ſunt in poteſtate noſtra.*
11 *Uxor ſemper debet eſſe ſub timore, & reverentia viri.*
12 *Reconciliatio impedit Tori ſeparationem.*
13 *Chirurgus & Obſtetrix deponentes de iis, quæ ad eorum officium ſpectant, plenè probant.*
14 *Teſtem inducens nihil poteſt contra eum objicere.*
15 *Morbus contagioſus non ſufficit ad Tori ſeparationem, ſed ſolùm ad debiti negationem; & quando.*
16 *Clauſula,* quam, *&* quas, *operatur, ut procedi poſſit prout in prima inſtantia.*

DECISIO LVI.

INtroducta de anno 1618 in foro Archiepiſcopali Neapolitano cauſa ſeparationis ad inſtantiam Nobilis mulieris contra virum; & nulla per eam probata cauſa, latâque ſententia viro favorabili; cauſa in gradu appellationis in Rota commiſſa, fuit de menſe Novembris 1622. & eidem actrici conceſſa remiſſoria, tam ad civitatem Neapolis, quàm ad oppidum Madrid per eam petita, & lapſis ſolitis terminis etiam prorogatis, ac reportato proceſſu Neapolim, cum teſtibus examinatis, fuit repropoſitum dubium reſolutum 26. Maii anni 1623. & dictum, dictam Matronam teneri ad revertendum & habitandum cum Vito, prout prima vice concluſum fuerat.

1 Fundamentum fuit defectus probationum utriuſque cauſæ ſeparationis propoſitæ, videlicet prætenſæ ſævitiæ; nec morbi contagioſi. Indubitata enim eſt concluſio uxori allegant ſævitiam viri, onus probandi incumbere: Pariſ. *conſ.* 54. *num.* 14. *lib.* 1. Natt. *conſil.* 616. *in principio*: probationem
2 requiri plenam & concludentem, cùm cauſa ſit gravis, & ardua: Pariſ. & Natt *proximè* relati, & cumulati per Farinac. *de delict. carn. quæſt.* 143. §. *probatio ſævitiæ*: Rota *deciſ.* 441. *n.* 2. *par.* 1. *recent.* & coram fel. record. Gregor. XV. *deciſ.* 294. *numero duodecimo, & in Romana ſeparationis Tori, coram bon. mem. Cardinal. Sacrato* 23. *Januarii* 1613. *& in principio* impreſſ. *poſt conſil. dict. Farinac.* 157. *& in ſecundo volumine,* & fuit etiam dictum in hac cauſa *dict. die* 16. *Maii.*

Prout etiam indubitatum eſt, ſævitiam viri debere, ad in- 3
ducendam ſeparationem, eſſe magnam: Abbas, *in cap. ex tranſmiſſa*, per illum textum, *in principio & num.* 4 *de reſt. ſpol.* Levis enim verberatio eſt permiſſa, & præſertim cum cauſa; ut poſt Gloſſ. fin. *in capite quemadmodum de jurejurando*, notant *ibi* omnes: Alexand. *conſil.* 115. *numero ſecundo & tertio, volumin.* 4. idem notant Doctores *in cap. cum contingat, de foro compet.* ubi pòſt alios Felin. *numero ſeptimo*, cum cumulatis per Farinacium *dict. quæſt.* 142. *n.* 195 *& ſequentibus.* & præſertim *n.* 198. *& dict. conſil.* 157. *n.* 4. *& libro ſecundo*, & Rota poſt *dict. vol. conſil. deciſ.* 371. *num.* 4. Triviſ. *deciſ. civil.* 45. *n.* 14. *&* 15. 4

In propoſito autem non viſa fuit Dominis facta probatio alicujus verberationis, vel offenſionis conſiderabilis, & ſine cauſa: Nam teſtes examinati nihil deponunt de aliqua injuria vel offenſione illata, exceptis 2. & 12. qui de viſu de pugnis in faciem illatis cum effuſione ſanguinis ex naſo; de quibus etiam deponunt 9. & 13. de confeſſione tamen extrajudiciali ejuſdem viri; & quidquid ſit de perſonis dictorum teſtium, præſuppoſito etiam citra veri præjudicium, quod probent in dicto: tamen non exindè reſultat verberatio, vel offenſa immoderata, ſufficiens ad tori ſeparationem.

Primò, quia non fuit cum baculo, flagellis, vel alio inſtrumento ad offendendum apto, ſed ſolis pugnis, & alapis; & 5
ſic non poteſt dici immoderatè verberata: ut in ſpecie conſoluit Bertazol. *conſil.* 228. *num* 13. *&* 16. *libro primo, Crimin.* Farinac. *d. quæſt.* 142. *numero* 104 & ex inſtrumento dignoſcitur an fuerit ad correctionem, vel animo doloſo, & 6
odio: Signorol. *conſil.* 63. *num.* 8. Rimin. jun. *conſil.* 174. *num.* 40 *in fin.* Farinac. *dict conſil.* 157. *num* 9. niſi conſtet cum doloſè percuſſa fuerit: quod non præſumitur, etiamſi 7
cum baculo, & ſanguinis effuſione, Guidop. *de præſ. num.* 91. Surdus *de alim. lib* 7. *quæſt.* 19 *num.* 9. Roland. *conſil.* 27. *n.* 17. *& ſequentibus, lib* 3. Ludovic. Morot. *conſil* 41. *num.* 9. *&* 10. Et quod non ſit conſiderabilis percuſſio cum pugno, ex qua 8
exivit ſanguis è naſo; quia ex illo de facili exit multum ſanguinis; Gloſſ. Marginalis *in cap. cum illorum*, 52 *littera E, de ſentent. excommun.* ubi Hoſtienſ. *in fin. n.* 10. Abbas *in fin. n.* 10. & alii; Victor *in Summar. Sacrament. tit. de Euchariſt. quæſt.* 99.

Secundò, quia non probatur aliqua alia injuria durante matrimonio illata: & ex unico actu non inducitur ſævitia, 9
ſed inſpicitur an adſit conſuetudo & frequentia: Cardinal. *conſil.* 9. *in princ. & num* 9. *&* 12. *&* 18 Baldus *conſil.* 136. *colum.* 2 *lib.* 1. Aldobrand *dict. conſil.* 71. *numero octavo, nono, decimo, & ſeqq.* Roland. *conſil.* 27 *numero* 12. *libro tertio,* Sanchez *de Matrimonio, lib.* 10. *diſputat.* 19. *num.* 16 *verſ. ſecundo exiſtimo*: Farinac. *dict. quæſt.* 142. *num.* 103. *&* 304. Rota *dict. deciſ.* 371. *n.* 5. *verſ. tanto minus: poſt ſecundum conſ. Farinac.*

Tanto minus, quia rixa inter dictos conjuges orta fuit inter prandium in familiaribus ſermonibus, & ex levibus cauſis; quia uxor prætendebat virum deficere in obſervantia pactorum, & præſertim de retinendo ejus nepotem in domo: & è converſo maritus conquerebatur de nimia expenſa in victu facta; & deinde venerunt ad jurgia, ut deponunt 1. 11. & 12. & 14. & teſtes; & ita res habuit originem ex levibus cauſis, ſine fundamento: & potuit maritus ex primo impetu, 10
qui non eſt in poteſtate noſtra, moveri: ut conſtderat Baldus *d. conſ.* 136. *lib* 1. & Bertazol. *d. conſil.* 228. *num.* 24. referens verba Baldi, ex Ariſtot. quod uxor ſemper, debeat eſſe cum 11
timore, & reverentia viri.

Immò etiam probatur ex confeſſione mulieris in quodam ejus memoriali, quod maritus exiſtimavit ſibi per eam datam fuiſſe mentitam; & quod uxor prædicta non revocaverit ad animum, ſed rediſſet ad cohabitandum cum viro, ſi ipſe recepiſſet nepotem in domo, ut prætendebat cum teneri juxta conventionem; deponunt 13. & 14. teſtes: & inde etiam arguitur reconciliatio, ſi quæ injuria vel offenſio illata fuiſſet: quæ reconciliatio, impedit tori ſeparationem. Bertaz. *d.* 12
conſ. 228. *num.* 12. *verſ reſpectu verò*, Rimin. jun. *dict. conſil.* 174. *num.* 18.

Minus etiam fuit probatus prætenſus mobus contagioſus nec quoad ipſum virum, nec quoad mulierem: & omiſſis teſtibus, qui nihil penitus deponunt, qui ſunt 3. 11. 14. 15. & 16. vel de auditu à prima uxore dicti viri, qui ſunt 3 11 14. 15. & 16. vel de auditu, vel ex relatione & aſſertione ipſius ſecundæ mulieris, & aliorum, qui ſunt 8. 9 & 10. & alii, qui ignorant qualitatem morbi, qui ſunt 12. & 6.

Ceſſat difficultas, quia ex depoſitionibus aliorum teſtium, inter quos ſunt Chirurgus, & Obſtetrix, conſtat etiam per ocularem inſpectionem corporis, eum fuiſſe ſanum, & ab omni morbo mundatum; ut deponunt inde teſtes *in Summario Viri, num.* 13. qui plenè probant, eiſque ſtandum eſt 13

tanquam de visu, & Petitis in Arte : *leg.1. Digestis, de ventr. inspiciendo, l. septimo mense*, ubi Baldus, *in ult. addi. ff. de stat. homin.* maximè cum pars nihil possit contra illos, tanquam à se inductos objicere, *leg. si quis testibus*, ubi Doctores *Cod. de testibus*, Mantic. *decis.274 sub n.1.* & fuit sæpissimè dictum. 14

Quo verò ad mulierem nihil penitus probatur, quod ex carna commixtione, & commercio cum viro inciderit ipsa in morbum contagiosum ; & testes aliqui nihil deponunt videlicet dicti Tertius, Undecimus, Decimusquartus, Decimusquintus, & Decimussextus ; necnon, Primus, Quintus, & Decimus : aliqui verò ex mulieris assertione, videlicet Secundus, Sextus, & Septimus, Octavus, Nonus, Duodecimus, Decimustertius & Decimusseptimus, & de auditu ab aliis, videlicet dicti Septimus, Nonus, Duodecimus, & Decimustertius. Nec de hujusmodi prætenso morbo cooquesta, fuit dum amicabiliter tractabatur de revertsione ad matrimonialem cohabitationem.

Insuper dicebant Domini, hujusmodi morbum non suffi- 15
cere ad separationem, sed solum ad debiti denegationem, quatenus tamen periculum mortis suæ personæ immineret, quod hic non probatur. Navar. *in man. cap.22 sub num.23. vers. Quartò contingem.* Joannes Bosch. *de injust. nupt. lib 2. num.14.* Barbos *de rubr. ff sol. matrim. parte 2. num.21 vers. quod etiam recipiendum* : Claud. *ad consil. Bertaz. consil. 228 sub litera D. circa medium, vers. hu utrimque.*

Neque visa fuit Dominis relevans oppositio ex adverso facta, pendentiæ termini Remissorialium : cum constet de lapsu terminorum : & ultima prorogatio fuit facta cum clausula *sine retardatione* : ut *in Summario mulieris, n. . .*

Non obstat nullitas sententiæ de partibus ex defectu ci- 16
tationis : quia in omnem casum, dum in commissione adest clausula *Quam & quas*, pronunciari poterit prout in prima instantia, Achill. *decisione 17 de rescript.* Seraph. *dec 1141. num.2.* cum aliis *in Bonon. de capacellis, 27 Novembris 1615. coram bon. mem. Andrea, & in Imolen. bonorum 21 Junii 1619. coram me.*

Et ita resolutum, &c.

Romana Hæreditatis de Arigoniis, Mercurii 13. Novembris 1624.

Coram R. P. D. Manzanedo.

SUMMARIUM.

1 *Sententia validitas colligitur ex revolutione actorum.*
2 *Sententia præcipitanter lata, est nulla & invalida.*
3 *Probationes tempore præfixo non factæ, non potest de Judice conqueri.*
4 *Institutio hæredis est caput, & fundamentum testamenti.*
5 *Testamentum, in quo testator non scripserit, nec ore proprio nominaverit hæredis nomen, est nullum, & invalidum.*
6 *Testamentum nuncupativum non requirit solemnitates,* leg hac consultissima, & leg. Jubemus, Codice de Testament.
7 *Testamentum nuncupativum implicitum facere dicitur qui testatur per schedulam.*
8 *Testamentum per relationem ad schedulam, valet ac si Testator ore proprio hæredem nominasset, licet testes ignorent disposita in schedula.*
9 *Testator disponens per relationem ad schedulam aliena manu scriptam præsumitur bene vidisse omnia contenta in ipsa schedula.*
10 *Testamentum nuncupativum non redditur nullum, ex eo, quod unus ex testibus pro alio, qui scribere ignoret, subscribat.*
11 *Demens nemo præsumitur.*
12 *Dementia plenè & concludenter probanda venit.*
13 *Actus impatientiæ ex morbi sævitia causati non excludunt usum rationis ac judicii.*
14 *Testandi facultas non dicitur adempta per actus, qui usum rationis & judicii non excludunt.*
15 *Dementia probari debet de tempore testamenti, ut testamentum nullum dici possit ratione dementiæ.*
16 *Testator habens dilucida intervalla præsumitur condidisse testamentum tempore dilucidi intervalli.*
17 *Testibus deponentibus de sanitate mentis magis credendum, quam aliis deponentibus de dementia.*
18 *Testium domesticorum, & familiarium fides minuitur.*
19 *Testem inducens non potest contra eum excipere.*
20 *Testatoris de mentis sanitate præsumitur, & testamentum sit factum sicut fecisset prudens validum reputari debet.*

DECISIO LVII.

Illustrissimus quondam Cardin. Arigonius de anno 1615. sub die 15. Junii, condito testamento, in quo instituit hæredes universales Reverendos Patres Domin. Cyriacum, & Antonium, Fratres de Rocciis, necnon Reverendos Patres Dominum Diomedem & Joannem Petrum, Fratres de Varesiis suos ex Sororibus Nepotes, post diuturnam infirmitatem sub die 4. Aprilis sequentis anni ex hac vita migravit ; ob cujus mortem prætendentes tunc Domina Lucretia Macchiavella altera sororum, & alii filii, ac Nepotes respectivè Dominæ Cassandræ jam defunctæ pariter sororis dicti Domini Cardinalis, de quibus in testamento nulla fuerat facta mentio succedere in hæreditate illius ab intestato, cœperunt agere coram A. C. via monitorii ; pro relaxatione bonorum contra dictos hæredes : pro quorum parte exhibito in testamento, & causa discussa, fuit per A.C. pro illius validitate ad favorem hæredum pronunciatum.

A qua sententia cùm Pars Dominæ Lucretiæ, & consortium appellasset, & causa fuisset in Rota mihi commissa, dedi tunc dubium ; An sententia prædicta esset confirmanda, vel infirmanda ? & illo hodie proposito, & utraque parte acriter informante, ac cauta per omnes Dominos meos de Ordine Sanctissimi examinata, fuit ab ipsis, nemine discrepante, unanimiter resolutum, dictam sententiam esse confirmandam ; cùm quoad validitatem non fuerit de ea dubitatum, ex quo 1
constat ex revolutione processus fuisse servata omnia requisita, juxta *decis.* Caputaq. 260. *part. 2. & decis. 178. & 602. n.1. part. 2. recent.*

Neque dicatur, illam fuisse nullam & invalidam ex eo, 2
quod fuerit præcipitanter lata non factis prius probationibus, nec examinatis omnibus testibus juratis. Qui cum ex eodem processu apparent fuisse concessum tempus sufficiens ad hæc peragenda, sibi debet imputare Pars, si non curavit 3
examen testium perficere ; maximè quia potuit etiam in hac secunda instantia, hanc & alias probationes facere, juxta regul. text. *in leg. per hanc, Cod. de temp. appel.*

Quòd verò ad justitiam, licet acriter illam impugnarent Informantes pro Domina Lucretia ; tamen Domini dixerunt sententiam prædictam fuisse quoque justam ; dum in ea fuit declaratum validum, & non subjacere alicui vitio nullitatis testamentum dicti Domini Cardinalis, quod in se continebat tam hæredis institutionem, quæ est caput, & fundamentum 4
testamenti, *ante hæredis institut. de legat. leg.1. ff. de hared. instituend. l. fin. Digestis, de jure Codicil.* quam etiam omnia alia requisita ad illius validitatem necessaria. de quibus *in leg. hac consultissima, Cod. de testam.* Craff. *in §. testamentum, quæst.10.*

Neque visum fuit obstare quod primo loco dicebatur, 5
testamentum fuisse nullum & invalidum, ex eo quod testator non scripserit nomen hæredis, nec ore proprio illum nominaverit, juxta text. *in leg hac consultissima, & l. Jubemus, C.* 6
de testam. Quia respondebatur, solemnitates prædictas requiri in testamento in scriptis, non autem in testamento nuncupativo prout erat istud, quod fuit scriptum à Notario, & deinde subscriptum à Cardinali, his præcisis verbis : *Ego* 7
Pompeius Gardin. Arigonius dispono ut supra manu propria : quod genus testandi ad relationem schedulæ scriptæ per 8
Notarium habet vim testamenti nuncupativi impliciti, & valet perinde ac si ipsemet testator ore proprio hæredem nominasset, absque eo quod testes legerint, viderint, aut certiores facti fuerint de dispositis in dicta schedula, Batt. *in leg. si ita scripsero, ff. de condit. & demonstrat.* Jas. *in leg. ubi §. illud, num.2 ff. de verb. obligat.* Clar. *in §. testamentum, quæst. 36. num....* Cardinalis Mantica *de Conjecturis, libro 12. titul. 7. num.7.* Gutierrez *pract. quæst. lib.2. quæstione quadragesima prima, numero quarto, & sequentib.* Magdalen. *de num. testium, part.1. cap 27. n 9.* & fuit resolutum *in illa Romana testamenti, 9. Decembris 1620 coram Reverendissimo Domino* 9
meo Decano, ubi inter cætera ponderatur quod testator hoc casu præsumitur bene vidisse prius institutionem hæredis, ac omnia alia contenta in dicto testamento manu aliena scripto Jason. *in leg. si ita stipulatus, §. Chrysogonus, num.14 ff. de verb. oblig.* Alexand. *consil.147. num.3 lib.2.* Paris. *consil.77. num.26. & consil.88. num.14 lib.3.* quod sine dubio censerut fecisse Cardinalis jurisperitus consummatissimus, & qui non erat de tempore testamenti adeò infirmitate gravatus, ut contenta in eo videre non valeret ; præcipuè cùm testamentum esset nimis breve, & ictu oculi potuisset substantiam illius inspicere, prout fuit consideratum *in dict. Romana testamenti, nuper allegata.*

Nec

Nec refert quod in ſubſcriptione teſtium in dicto teſtamento, unus teſtis ſe ſubſcripſerit pro alio neſciente ſcribere quia hoc non operatur, quo minus teſtamentum non ſuſtineatur, maximè cum ſit nuncupativum, prout ex ſupradictis fuit oſtenſum.

Minus obſtant, quæ ſecundo loco contra dictum teſtamentum opponebantur de invaliditate; ratione alienationis mentis, qua dicitur Cardinalem de tempore teſtamenti laboraſſe: fuit enim per Dominos reſponſum, iſtum defectum pro parte Dominæ Lucretiæ deductum nullo modo probari.

11 Regula enim eſt, neminem demententem, ſed potius ſanæ mentis præſumi; juxta text. *in leg. nec Codicilli & ibi* Bald. *Cod. de Codicil. leg. final. C. de hared inſtit. cap. fin de ſucceſſ. ab inteſt.* Pariſ. *conſil. 87. in princip. libro 3.* Menoch. *de præſumpt. libro primo, quæſt. 18. numero ſexto, & ſequent.* Unde debuit

12 defectus ex adverſo plenè & concludenter probari: Bart. *in leg. ii poteſt, num. 15. ff. de acquir. hared.* Salicet. *in leg. final. numero ſecundo, C. de inſtit.* Fettet. *conſil. 207. num. 15.* Rota *in una Meliten. teſtamenti coram me*, quæ eſt 384. *num 3. part. 1. recent.* quæ præſumptio vehementius intrat pro Dom. Cardinali, qui ob illius ſingularem doctrinam & prudentiam à fel. rec. Greg. XIV. fuit electus in Auditorem Sacræ Rotæ, & exinde ad apicem Cardinalatus à fel. rec. Clement. VIII. aſſumptus, & qui totius populi ore, maxima prudentia in

13 rebus agendis pollebat, ut omnibus eſt notum.

Teſtes autem inducti pro parte Dominæ Lucretiæ nullatenus prædictam dementiam probant, ſed tantum aliquot actus impatientiæ ex morbi ſævitia, & dolorum acerbitate

14 potius cauſatos, qui cum non excludant uſum rationis ac judicii, non tollunt facultatem diſponendi: juxta notata per Iaſon. *in leg. furioſum, num. 4. Cod. qui teſtament. facere poſſunt*, Dec. *in leg. humanitatis, C. de impuber.* Corn. *conſ. 261. num. 21. lib. 4* Decian. *conſil. 51. n. 82. lib. 4.* Menoch. *conſ. 683. num. 14.* Magdalen. *de numero teſtium, parte 2. cap. 4. n. 97.* cum aliis *in Romana donationis 11. Ianuar. 1619. coram Reverendiſſimo Domino meo Seleucien.*

15 Sec ndò, quia nec de dementia, nec de prædictis actibus à gravitate infirmitatis procedentibus deponunt de tempore teſtamenti, prout eſt neceſſarium ad illius invaliditatem: *l. 1 & l. qui teſtamento, §. quatunque, verſ. nec furioſus, ff. de teſtam.* Cornel. *dict. conſilio vigeſimo ſexto, numero vigeſimo ſecundo, lib. 4.*

Tertiò, quia dicti teſtes non concludunt quod Cardinalis habere non poturit dilucida intervalla, quatenus ex dictis

16 actibus reſultaret dementia: quod multum facit ad excludendam invaliditatem teſtamenti, quod præſumitur factum de tempore dilucidi intervalli; prout fuerunt hæc omnia benè, ac latè ponderata *in Perugina hæreditatis 12. Iunii 1617 coram Domino meo Buratto, Romana donationis 15. Maii 1619. coram Reverendiſſimo Domino meo Seleucien. Romana hæreditatis de Graccb. 1. Decembr. 1618. coram Domino meo Remboldo, & in d. Meliten. teſtamenti, coram me.*

Ultra quod pro parte ejuſdem D. Lucretiæ fuerunt examinati alii plures teſtes, qui dicunt, quod tempore teſtamenti,

17 D. Cardinalis erat compos mentis, & prudenter, ac congruenter loquebatur: quibus teſtibus de ſanitate mentis deponentibus debet magis credi, quam prædictis deponentibus de dementia: Decius *in leg. furioſum', n. 20. Cod. qui teſtam. facere poſſunt*, Cornel. *conſil. 219. n. 7. lib. 1.* Decian. *conſ. 127. num. 35 lib. 3.* Gabr. *de teſtibus, concl. 4. num. 19.* Menoch. *de præſumpt lib 6. præſumpt. 45. n. 21.* Rota. *deciſ. 577. num. 10. part. 1. diverſ.* etiam quod eſſent numero pauciores, Boër. *deciſ. 23. n. 93.*

18 Nec refert quod iſtis teſtibus, cùm ſint domeſtici & familiares ejuſdem Domini Cardinalis, nempè Præfectus domus Præpoſitus Cubiculo, Medicus, Secretarius, & alii, videatur de

19 fide diminui: nam cum fuerint inducti pro parte Dominæ Lucretiæ, non videneur ab ea contra illos poſſe dari exceptiones: ad text. *in leg ſi quis teſtibus, C. de teſtibus*, Menoc. *conſ. 60. num. 17. & 18.* Grat. *deciſ. 34. num. 12 & ſequentib.* Mantica *deciſ. 274. ſub numero primo*, & fuit dictum *in Paten. puritatis. 6. Aprilis 1616. coram me.*

20 Quibus accedit, & hoc movit etiam maximè Dominos ad reſpondendum pro validitate dicti teſtamenti? quod Domin. Cardinalis rectè, ac prudenter diſpoſuit in dicto teſtamento, reliquit enim hæredes, inter alios, duos Nepotes Prælatos in Curia cognitos, quos ipſe maximè diligebat, & ad Prælaturã promoveri fecerat; omittendo alios forſan illi parum obſequentes: multa legata pia pro ſalute animæ ſuæ fecit, & familiæ diſtinctim ſecundum gradus, & pro uniuſcujuſque ſervitio, ac dignitate aliquid reliquit: ex quibus reſultat, quod quatenus etiam poſſit dici probata dementia, nihilominus dictum teſtamentum ita factum, ſicut quilibet alius prudens ac ſanæ mentis feciſſet, validum reputari debet juxta ſententiã Ioan. Andreæ *in cap. fin de ſucceſſ. ab inteſt.* Bald. *in cap. 1 ante num. 2 titul per quos fiat inveſt.* Alexand. *in leg. furioſum, n. 3. Cod. qui teſtam. facer. poſſ.* Mantic. *de conject. ultim. volunt. lib. 2. tit. 5. ſub num. 7. & 8.* Magdalen. *de num. teſtium p. 2. cap. 4. num. 89. & ſequent.* Honded. *conſil. 78. num. 61. lib. 3.* Rota *diverſ. deciſ. 129. num. 15. parte 2.* & fuit dictum *in prænallegata Romana teſtamenti, coram Domino meo Decano, & in Meliten. teſtam. coram me.*

Ex quibus ita fuit reſolutum.

Venetiarum Matrimonii, Lunæ 19. Novembris 1604.

Coram R. P. D. Peñia.

SUMMARIUM.

1 *Auditor Cameræ non cognoſcit de cauſis matrimonialibus*
2 *Metus conditionalis, & non abſolutus non impedit, neque dirimit matrimonium.*
3 *Metus juſtus & cadens in conſtantem virum, impedit & dirimit matrimonium.*
4 *Metus juſtus & cadens in conſtantem virum dicitur qui continet periculum mortis, vel cruciatum corporis.*
5 *Metus ut dirimat Matrimonium quinque conditiones copulativè requirit, de quibus num. ſeqq.*
6 *Metus juſtus non dicitur, ſi malum, quod timetur, non ſit grave.*
7 *Metus juſtus non dicitur, niſi timor mali eventus ſit probabilis & rationabilis.*
8 *Metus juſtus non dicitur ſi incutiens metum minas exequi non valeat.*
9 *Metus juſtus non dicitur quando incutiens metum minas exequi non ſoleat.*
10 *Parentes iram contra filios conceptam facilè deponere ſolent.*
11 *Metus juſtus non dicitur quando is, cui minatur, facilè poteſt malis occurrere.*
12 *Sponſi per verba de future poſſunt recedere à contractu, quando devenit ad notitiam alterum eorum laborare aliquo gravi morbo, qualis diceretur Lepra, morbus gallicus, morbus caducus, gravis ariſtatur deformitas & ſimilia.*
13 *Morbi matrimonium jam contractum non dirimunt, ſive ſuperveniant, ſive ante contractum matrimonium adeſſent.*
14 *Matrimonii vinculum jure divino, & naturali eſt indiſſolubile.*
15 *Matrimonium nonniſi propter impedimenta ſanctionibus Eccleſia expreſſa dirimi debet.*
16 *Impedimenta quæ impediunt, & dirimunt matrimonium, ſunt duodecim.*
17 *Morbus caducus non impedit, neque dirimit matrimonium.*
18 *Maritus non poteſt propria auctoritate ſe ab uxore ſeparare*
19 *Matrimonia dirimi poſſe juſta de cauſa pro libitu voluntatis, erronea eſt Græcorum opinio.*
20 *Morbo caduco laborantes juxta ritum Græcorum ſunt inhabiles ad contrahendum matrimonium.*
21 *Morbum caducum dirimere matrimonium jam contractum eſt erronea ſententia.*
22 *Eccleſia Romana, ritus, & conſuetudines Græcorum inter Latinos habitantium non reſpuit.*
23 *Eccleſia Romana non tolerat indiſtinctè Græcorum ritus in celebrandis divinis, ſed eos tantum, quos Sedes Apoſtolica approbavit.*
24 *Leges, vel mores contra jus divinum non valent.*

DECISIO LVIII.

PRæſupponebatur in facto, Michaelem Syrum Græcum cum Diana Brandamina Græca, ritu Græco, Venetiis anno 1588. contraxiſſe matrimonium, ex eoque carnali copula conſummato ſuſceptam fuiſſe filiam, quæ paulò poſt mortua fuit. Eundem vero Syrum anno 1602. ſive alterius mulieris amore captum, ſive alia cauſa ductum ab eo matrimonio recedere voluiſſe, & ſuper illius nullitate coram Archiepiſcopo Philadelphiæ Græcorum Venetiis habitãrium Prælato ſuper illius nullitate judicium introduxiſſe, coram quo duas potiſſimum ad dirimendum matrimonium cauſas propoſuit; Primam deductam ex metu reverentiali paterno; quia pater comminatus fuerat. Alteram, quia fuerat deceptus, ex

quo Diana laborabat morbo caduco, quem ipse tempore contracti matrimonii ignorabat.

In Iudicio Venetiis agitato, cum Prælatus ille Græcus ad favorem Dianæ contra Syrum pronuntiasset, & Syrus ad Auditorem Cameræ appellasset, idem Auditor primam sententiam confirmavit: Causa introducta in Rota coram Reverendissimo Patre Domino Alexandro Iusto, Rota sententiam illius Prælati Græci suspectam habuit, quia sibi plenè non constabat, an haberet auctoritatem à Romano Pontifice, vel à Patriarcha Græcorum Constantinopolis habitante; qui nunc eum non recognoscat Romanum Pontificem, habetur Schismaticus. Sententiam verò Auditoris Cameræ, nullam & invalidam pronunciavit ex defectu Iurisdictionis:
1 quia A. C. non cognoscit de causis matrimonialibus.

Cum verò idem Syrus coram Reverendissimo Patre Domino Lancellotto peteret remissoriam ad probandum metum à Patre sibi illatum: & morbum caducum, quo laborabat Diana, & ritum Græcorum, juxta quem Syrus præcendebat probare quod morbus caducus impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit jam contractum: Rota Syro remissoriam negavit, quia articuli nedum visi fuerant irrelevantes; verum suspecti etiam, & sapientes Græcorum Schismaticorum errorem: nam primus, secundus, & tertius, continentes metum paternum reverentialem, ex multis censebantur irrelevantes.

2 Primò, quia non continebant coactionem absolutam, sed conditionalem; quæ non impedit Matrimonii contractum, sicut nec Characteris impressionem: *cap. maiores, § item quæritur, de Baptism.* Rota *in una Valentina nullitatis susceptionis Ordinis*, coram Cæsar de Grassis *decis. 19. tit. de his quæ vi metusve causa fiunt, num. 1. & seq.*

3 Secundò, quia in Matrimonio regula est, ut non alius metus quàm justus, & qui in virum constantem cadat, matrimonium contrahendum impediat, & contractum dirimat: *cap.* 2. ubi communiter Canonistæ, *de his, quæ vi, metusve causa fiunt, cap. cum locum, de sponsal. leg. metum, ff. de eo quod metus causa*: communiter Doctores Scholastici *libro* 4. *sententiarum distinct.* 29. ubi Sanctus Thomas *quæstion. unica, art.* 3. *quæstiuncula prima*, Bonaventura *quæstion.* 1. *num.* 5. Scotus *quæstion unica, § hic dicitur*: Durand. *quæst.* 1. *num.* 7. Petrus de Palude *quæstion. unica, artic.* 3. *conclusion.* 1. *n.* 17. Dominicus Sotus *quæst.* 1 *art.* 3. *vers. refutatur tamen*: Sanctus Antonin. *parte* 3. *tom.* 1. *cap.* 7. Henriquez *in summa, lib.* 11. *de Matrimonio, cap.* 9. *num.* 1. Petrus de Aragon. apud Sanctum Thomam 2 2. *q.* 88. *artic.* 3. *hoc constituto, sit prima conclusio*: Sylvester *in Summa, in verb. Matrimonium*, 8. *quæst.* 11. Thomas Sanchez *de Matrimonio, lib* 4 *disputat.* 12. *num.* 18. ubi plures refert. Andr. Gail. *lib.* 2. *practicarum observationum, observ.* 93. *num* 7. Martinus Navarrus *in manual. confession. cap.*
4 12. *num.* 51 ubi metum justum sive cadentem in virum constantem esse dixit illum, quo minus malum majoris evitandi causa eligitur. Alii magis in specie dicunt metum justum, sive cadentem in virum constantem eum esse, qui continet periculum mortis, vel cruciatum corporis; alias nihil operaretur: *leg. metum, ff. de eo quod metus causa*: *leg. interpositâ, C. de transact.* ubi Gloss. *in verb. cruciatum, cap. cum dilectus, de his quæ vi metusve causa fiunt*, ubi Gloss. *in verbo metum*, & ibid. Abbas *num.* 2. & Canonistæ *in cap. veniens, ii* 2. *de sponsal.* Alexand. *consil.* 156. *incip. visopræcessu. num.* 6. & 10. *lib.* 5. Idem *consil.* 69 *incip. in casu prædicto, num* 2. *lib.* 3. Andreas Gail. *lib.* 2 *practicarum, observ.* 93 *n.* 7.

5 Quibus accedebat, quia ad hunc effectum, scilicet ad probandum matrimonium nullum, ob metum incussum, quinque conditiones copulativè requiruntur efficientes metum justum id est cadentem in virum constantem.

6 Prima ut malum, quod timetur, grave sit, *l.* 1 *ff. de eo quod metus causa.*

7 Secunda, ut æstimatio mali quod timetur, sit fortis, id est, ut timens non vanè aut leviter credat malum illud sibi imminere, sed probabiliter & rationabiliter: *l. metum, l.* 2 *ff. de eo quod metus caus.* Bursat *cons.* 72. *incip. Omissa facti seriosa, n.* 30. *lib.* 1.

8 Tertia, ut metum incutiens, potens sit minas executioni mandare, non est enim vir constantis, ac fortis, quibuscunque minis terreri: Gloss. *in leg. Metum, in verb. jactationibus, Cod. de his quæ vi*: ubi Salicetus *n.* 2. Roland. *cons.* 83. *num.* 28. *libro* 2.

9 Quarta conditio est, ut metum incutiens solitus sit minas exequi; secus si sit homo minas jactans, facileque iram deponens,
10 quales solent esse parentes erga filios: *leg. famosi, ff. ad legem Iuliam Maiestatis, leg. metum, Cod. de his quæ vi*: ubi Bartol. *num.* 1. Paul. de Castr. *num.* 1. Alexander *n* 2. Bald. *n.* 1. Salicet *n.* 2. Decian. *consil.* 18. *num.* 127. *lib.* 1. Bursat. *cons.* 72. *n* 42. *lib.* 1.

Quinta conditio est, ut timens non possit facilè occurrere malis, quæ sibi timet immittere: si enim posset alia ratione malis mederi, non esset justus metus: Angel. de Clavasio *in Summa, verb. metus. num.* 5. Sylvester *eodem verb. quæst.* 1. & prosequitur latè Thomas Sanchez *tract. de matrimon. lib. de consensu coacto, disp.* 1. *n.* 19. & *multis sequentibus.* Cum ergo in casu proposito non esset articulatus talis metus, merito articuli tanquam irrelevantes fuerunt rejecti. 11

Articulus quartus, quintus, & sextus, continentes morbum caducum, quo dicebatur laborare Diana, antequam cum Syro contraheret matrimonium, qui patiter fuerunt rejecti tanquam irrelevantes: quia licet quis post sponsalia de futuro possit à contractu sponsalitorum recedere; si intelligat sponsam, aut viceversa, si sponsa intelligat sponsum gravem morbum pati, quales sunt lepra, morbus gallicus, morbus caduceus, gravis oris fœtor, aut deformitas, & similes; isti tamen sive antecedant, sive subsequantur matrimonium perfectum & consummatum, non dirimunt illud quoad vinculum: *cap. quoniam, & capit literæ, de conjugio leprosorum*, Sanctus Thomas *lib.* 4. *sententiarum, distinct.* 32. *quæst. unica, art.* 1. & 2. & *ibidem* Sotus *quæstion.* 1. *artic.* 1. *vers. id autem quod de leprosis*: idem Sanctus Thomas *in supplemento ad tertiam partem, quæstion.* 64. *art.* 1. *ad quartum argumentum*: idem rursus Sotus *libro* 4 *sententiarum, distinct.* 34 *quæst.* 1. *artic.* 2. *post medium, vers. hic addere operæ pretium est*: ubi expressè concludit, quod si quis duxerit uxorem vel leprosam, vel fœtorem ore spirantem, cujus causa molestissimum sit cum ea convivere, & concubare, licet morbis illis ante matrimonium laborasset, quos vir ignoravit, & si præscivisset, nunquam eam duxisset, nihilominus matrimonium est legitimum, neque ullo modo ejus vinculum dirimi potest. Idem tenet Cajetanus *in Sum. in verb. Matrimonium*: & Henric. Henriquez *in Summa moral, lib.* 11. *cap.* 14 *num.* 6 *circa finem, & vers. multo justius.* 12

Hoc etiam tenet reliquus cœtus Theologorum, cum vinculum Matrimonii jure divino & naturæ, sit indissolubile; non est fas illud nisi propter sola impedimenta Sanctionibus Ecclesiæ expressa dirimere: sic verè asserunt Dominicus Sotus *lib.* 4 *sententiarum, distinct.* 34 *quæst.* 1. *art.* 2. *paulò ante fin. vers. hæc addere operæ pretium est.* 14 15

Inter duodecim verò impedimenta, quæ impediunt Matrimonium contrahendum, & dirimunt etiam contractum, non ponitur morbus caducus, sive comitialis: & consequenter irrelevantes prorsus erant articuli continentes, Dianam morbo caduco laborasse, vel ante, vel post contractum matrimonium. 16

Quod verò iste morbus, & similes non sint de impedimentis impedientibus & dirimentibus matrimonium, patet ex versibus relatis communiter à Doctoribus Canonistis & Theologis: & signanter à Sancto Thoma *in supplemento ad tertiam partem, quæst.* 50. *artic. unico*, & à Sancto Raymundo *in Summa, libro* 1. *de Matrimonio*, § 16. qui sic habent: 17

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc sociandi vetant connubia, facta retractant:

Septimus, & Octavus articuli continentes, quod Syrus habita notitia morbi caduci, à Diana se separavit: meritò etiam fuerunt rejecti tanquam irrelevantes, & suspecti: quia si Syrus, ut profitebatur more Latino vivebat, nec potuit, nec debuit propria auctoritate se ab uxore separare: *capit. perrò, de divortiis, cap.* 1. & 2. *de conjugio leprosorum.* Ubi communiter Canonistæ: & propter hoc delictum, & turpitudinem suam non debuit consequi remissoriam ad probandum id unde sperabat reportare commodum. Quod si id fecit more Græco vivendo, suspecti reddebantur articuli de errore Græcorum: cùm Græci inter cæteros errores, teneant divortia matrimoniorum fieri posse justa de causa pro libito voluntatis: Guido Carmelita *in summa adversus hæreses, tit. de hæresibus Græc. cap.* 10. *in decimo errore Græcorum*, & Gabriel Praetolus *lib.* 7 *de Vitiis, & Sectis hæreticorum, cap.* 15. *in vers. Græci, hæres.* 12. 18

Nonum articulum continentem, quod juxta ritum Græcum, patientes morbum caducum inhabiles sunt ad matrimonium contrahendum: quodque talis morbus matrimonium similiter dirimit jam contractum; meritâ censurâ, tanquam de Græcorum errore manantem, & contra substantiam Matrimonii pugnantem, Rota rejecit. Ecclesia enim Græca à Latina divisa, non potuit tale inducere impedimentum, & maximè non admisit Rota hanc prætentionem, quia Syrus profitebatur se vivere Ecclesiæ Latinæ ritu, quæ ut ex prædictis patet, non constituit hunc morbum caducum, aut alios similes inter impedimenta matrimonium contractum dirimentia. 19 20 21

Et

22 Et quamvis Ecclesia Romana ritus & consuetudines Græ-
23 corum inter Latinos habitantium non respuat; non tamen tolerat indistinctè in Divinis celebrandis, aliisve ritibus exercendis, nisi quos Sedes Apostolica approbavit: *cap. licet Græci, de Baptismo, & ejus effectu*, ubi Gloss. & Host. *n.* 2 & Abbas *n.* 2. Idem Host. *in c. quoniam in plerisque de officio Ordinarii*, & extat Constitutio Pii edita Romæ, *anno* 1564. incip. *Romanus Pontifex*.

Valdè quoque displicuit Dominis assertio Informantium pro Syro, affirmantium quod per Concilia Græca fuerat eadem consuetudo approbata; videlicet quod morbus caducus inhabilitat ad contrahendum matrimonium, & est sufficiens ad dirimendum contractum: Quia licet talia Concilia Græca adessent, de quibus tamen non fuit doctum, ea non erant tenenda antequam essent per Sedem Apostolicam approbata & maximè in hoc casu, in quo cùm lex divina clamet, *Quos*
24 *Deus conjunxit, homo non separet*; non possunt introduci aliqui mores, vel consuetudines, nec sanciri leges in contrarium: Host. *in c. p 1. de sponsal. super verb. superinduxit, & in verb. Evangelica*.

Denique decimus, & undecimus articuli continentes, Syrum ante, & post matrimonium ritu Latino vixisse; irrelevantes erant, quia probare faciebant contra ipsum, & more Latino vivendo tenebatur servare Canones Ecclesiæ Romanæ: quibus cavetur ne propter hujusmodi morbos matrimonium contractum dirimatur.

Denique cùm præsupponeretur, Syrum ritu Græco verè contraxisse matrimonium per verba de præsenti, & illud consummaverit cum Diana per copulam carnalem, indissolubile remanebat; nec sibi fuerat concedenda Remissoria, quia articuli erant irrelevantes, &c.

Romana Donationis de Incasatis, Venetis 26. Junii 1626.

Coram R. P. D. Merlino.

SUMMARIUM.

1 *Donatio ob causam, quæ non fuit secuta, irritatur, & bona donata restitui debent.*
Declara ut num. seq.
2 *Donatio ob causam, quæ non fuit secuta, irritatur, si causa fuit finalis; secus si impulsiva donationis.*
3 *Causa impulsiva donationis adiecta non efficit quod donatio non dicatur simplex, & pura.*
4 *Donatio subsistit etiamsi causa impulsiva non verificetur.*
5 *Donatio facta occasione matrimonii in dubio matrimonium non censetur causa finalis, sed impulsiva.*
6 *Donatio facta occasione matrimonii, non censetur matrimonium causa finalis sed impulsiva, si verbis conditionalibus concepta reperitur.*
7 *Donans consanguineo occasione matrimonii, dicitur motus ad donandum potius à consanguinitate, quàm à matrimonio.*
8 *Donatio si nuncupetur libera & pura, non potest dici quod sit conditionalis.*
9 *Causa in donatione expressa, quæ commodum donatarii & non donantis respiciunt, non dicuntur finales, sed impulsiva.*
10 *Causa impulsiva donationis si deficiant, adhuc donatum debetur.*
11 *Donatio si sit facta ob matrimonium indeterminatum, non dicitur ipsum matrimonium fuisse causam finalem donationis.*
12 *Causa finalis donationis dicitur illa quæ fuit expressa in proœmio.*
13 *Donatio dicitur pura, licet in ea fuerit habita ratio conservandæ agnationis.*
14 *Causa plures ubi concurrunt, una cessante non cessat dispositio.*
15 *Roland.* cons. 44. lib. 4 *declaratur.*
16 *Pater dotans filiam, propriæ obligationi satisfacit, nec præsumitur in eo liberalitas.*
17 *Nat.* cons. 609. *declaratur.*
18 *Decis.* in Bonon. de Luparis coram Remboldo, *declaratur.*
19 *Sexagenarius matrimonium contrahere non impeditur.*
20 *Sexagenarius suscipiendæ prolis spe destitutus non dicitur.*
21 *Sexagenarii à contrahendo matrimonio arcebantur ex vigore Legis Papiæ Poppææ.*
22 *Lex Papia Poppæa prohibens matrimonium Sexagenarii, fuit sublata per Claudium mediante Senatusconsulto.*
23 *Lex Papiæ Poppææ* Vanissima *fuit à Severo nuncupata, & tanquam talem abolevit.*
24 *Lex Papia Poppæa tanquam crudelissima fuit à Justiniano damnata, & abrogata.*
25 *Senes etiam decrepiti de Jure Canonico possunt matrimonium contrahere, nisi alio impedimento laborent.*
26 *Sexagenarius non caret facultate generandi.*
27 *Donationis resolutio peti non potest, quando potest donatarius causa donationis satisfacere.*

DECISIO LIX.

COsmus usque de anno 1582. donavit inter vivos Marco Antonio fratri germano omnia sua bona reservatis sibi scutis 500. ad testandum, & facta obligatione per eundem Marcum Antonium de solvendo scuta 22. singulis mensibus ipsi donanti. Verum quia in Proœmio instrumenti dictæ donationis hujusmodi verba habebantur: *Qui* (nempe Marcus Antonius) *cum pro conservatione Domus & Familiæ eorumdem sit animi, & intentionis ducendi uxorem, & dictus Dominus Cosmus ad finem & effectum, ut præfatus Dominus Marcus Antonius posset optimam conditionem invenire, & honorificè nubere, suamque uxorem, & familiam condecentius & commodius sustentare, ac ex iis, & aliis, &c. donavit, &c.* Et quoniam hucusque dictus Dominus Marcus Antonius, qui jam Sexagesimum agit annum, matrimonium non contraxit, Cosmus prætendebat donationem ob dictum matrimonium non contractum fuisse resolutam. Super quo, dubium proposui; & Domini responderunt donationem non fuisse resolutam.

Et moti sunt, quia licet vera sit conclusio, quod si quid 1
donatum est intuitu certæ causæ, & causa illa non sequatur, donatio irritetur, & restituendum sit donatum: juxta not. *in l. 1. & in leg. cum ancillam, Cod. de condict. ob caus. & in l. 1. Cod. de donat. quæ sub mod.* attamen id jure obtinet, quoties 2
causa ea est, quæ principaliter, & primario movet donantem, & sic si fuerit causa finalis, secus autem si fuisset impulsiva, ut quia tantum occasionem præstitisset ad donandum, nec intrinseca ratio motiva donantis illa extitisset; ut quia alioquin etiam faisset donaturus: est text. *in l. 2. § fin. ff. de donat.* & ibi Gloss. Bart. & alii. & Gloss. *in dict. leg. cum ancillam, in verbo, non sequuta*, Albert. *in leg. si nunquam. colum. 2. vers. in contrarium. Cod. de revocand. donat.* Tiraquell. *in tractat. cess. caus. limit. 1. num. 1.* Cephal. *consil. 81 num. 8.* Rota *decis. 587. num. 6. part. 1. recent.* hujusmodi enim causa im- 3
pulsiva donationi adjecta non efficit, quin adhuc donatio ipsa dicatur pura & simplex, Oldrad. *consil. 5. numero primo*, Socin. senior, *consil. 53. num 1. ad finem, libro primo*, Dec. *consil 20. num. 9 lib. 1.* Bero. *consil. 65. num. 15. lib. 1.* Monter. *decis. Aragon. 10. num. 15 & 17. & seq lib. 1.* Fontanell. *de pact. nupt. claus. 4. glos. 1 num. 50 53. & seqq.* & quod donatum 4
debeatur etiam si talis causa impulsiva non verificetur: ut per DD. allegatos.

Quod autem dictum matrimonium contrahendum non 5
fuerit causa finalis, sed tantum impulsiva, deprehendebant DD. quia talis in dubio censetur: præsertim cum verbis conditionalibus non fuerit concepta, nec colligi possit quod aliter non fuisset Cosmus donaturus: Barthol. *in dict. l. 2. § fin. ff. de donat.* Cephal. *dict. consil. 81. num. 9.* Et in terminis 6
quod matrimonium contemplatum in donatione, referendum sit potius ad causam impulsivam quàm ad finalem, dixit originaliter Oldrad. *dict. consil. 5. n. 1.* Dec. *consil. 139. num 2.* Socin senior *consil. 53. num. 2. vers. Nec obstat, lib. 1.* Craver. *consil. 86. num. 2. & 114. num. 17.* Monter *de decis 10. num. 6.* Neguſ. lua. *quæst. 501. n 14.* qui dicit veriorem & communiorem: Surd. *decis 312. n. 84.* Card. Mant. *de tacit. lib. 13. tit 4. num. 11.* & in eisdem terminis, Rota *in Romana donationis de Cupis, 5. Junii 1601. coram bon. mem. Cardin Pamphilio*, quæ est post Pic. *ad statut Urbis, decis 22. n. 8. & in Interamnen. donationis 21. Maii 1625. coram R. P. D. meo Buratto.*

Et quoniam hic concurrebat conjunctio sanguinis, nempe 7
fraternitas inter donantem & donatarium; qua sanguinis necessitudine, tanquam naturali motivo, censetur primariò motus ad donandum, non autem ex motivo matrimonii, quia hoc est accidentale: Dec. *consil. 120. num. 4.* Cephal. *d. consil. 81. num 12* Mont. *dict. decis 10. num. 7. & 14. & 22.* Surd. *cons 361. num. 15 & 16.* Neguſ. lua. *quæst. 501. numero secundo, & seqq.*

Et in Instrumento dicitur fieri dictam donationem 8
sponte, & ob amorem & benevolentiam, quæ inter eos intercedebat, & ob puram, & meram liberalitatem: quæ verba excludunt donationem fuisse aliquo onere & conditione vinculatam, præter eam obligationem injunctam Marco Antonio donatario, ut scilicet quolibet mense præstationes

ſuppeteret Coſmo: & etiam excludunt ipſum donantem alia ratione motum ad donandum, quàm ob ſuam liberalitatem: ut per Surd. *d. conſil. 361. n. 17.* loquitur de illo verbo, *ſponte*, & de verbis, *ob amorem & benevolentiam*: Negus. *d. q 501. num 13.*

9 Quæ eò certiora videbantur, tum quia in proœmio multæ rationes donationis recenſentur, quæ beneficium duntaxat donatarii, non autem donantis reſpiciunt, nempè ut commodius ſe Marcus Antonius ſuſtentare, condecentiorem dotem recipere valeat, & proinde hujuſmodi cauſæ omninò pro impulſivis, & non finalibus ſunt habendæ: Cravet. *dict. conſil. 85. num 2.* Corn. *conſil. 101. num. 2. verſ tamen finali, libro 1.* Dec. *conſil. 238. numero 6.* Surd. *conſil. 361. num. 19.* Cephal. *teties relat. conſil. 81. num. 9.* Gabr. *conſil. 57 num. 11. lib. 2.* Ioan. Franciſc. à Ponte *conſil. 25. num. 12.* Mont. *dict. deciſ. 10. num. 7.* Mantica *de tacit. libro tertio, tit. 12. num. 39.*

10 Quæ propterea etiamſi deficiant, adhuc tamen donatum ſeu relictum deberur: Corotel. *conſil. 101. col. ult. lib. 1. & conſil 45. colum. 3. libro 3.* Angel. *conſilio 124.* Decius *dict. conſ. 238. num. 6.* Caſtill. *de uſufruct. cap 30 num. 15.* & Surd. *dict. conſil. 361. n. 19* & in his terminis Gabr. *d. conſ. 57. n. 8. lib. 2.* & ſequitur Barz. *deciſ. Bononien. 15. n. 82.*

11 Tum etiam, quia non fuit conremplatum particulare, & determinatum matrimonium cum certa aliqua muliere, ſed in genere matrimonium per ipſum Marcum Antonium contrahendum, quod propterea impulſivæ cauſæ, non autem finali adſcribendum monent in hoc articulo, Monter. *dict. deciſ. 10. num. 11. & ſeqq.* Fontanell. *de pact. nupt. claus 4 gl 1. num. 16 17 18.* Molin. *de rit. nupt. lib. 3. cap. 12. num. 22. & ſeqq.*

12 Nec obſtare viſum fuit, donationem proceſſiſſe ex favore, & deſiderio agnationis conſervandæ mediante dicto Matrimonio in proœmio inſtrumenti, & ſic dici ob illam cauſam. Iuxta tradita per Modern. Roman. *diſcept. forenſ. cap. 914. num. 31.* qui alios allegat. Quoniam hujuſmodi cauſa non viſa fuit æquipollens, & proportionata, ut Coſmus Frater donaret omnia bona, & ita magis agnationi quam ſibi proſpexerit: ſed urgentius, & congruentius videbatur motivum quod ex fraterno amore & correſpectiva præſtatione faciendæ ſingulis menſibus eidem Coſmo donanti deſumitur: mentioque illa conſervandæ familiæ appoſita fuit potius ad colorandam donationem, & ne videretur Coſmus ſuper matrimonio mercaturam cum fratre exercere, quam quod revera plus conſulere voluerit nepotibus ex fratre, quam

13 ſibi: & ita in puncto reſpondent & affirmant, non obſtante hac ratione conſervandæ agnationis expreſſa, adhuc donationem eſſe puram, & non ob cauſam; Monter. *præallegat. deciſ. 10 n. 10.* & melius Rota *dict. Romana donationis de Cupis, coram bon. mem. Cardin. Pamphilio.*

Quod eò magis videtur dicendum in præſenti facti ſpecie ubi apparet non ſolùm conſervationem agnationis, ſed & alias cauſas, & motiva fuiſſe conſiderata à donatore: unde

14 licet ceſſaret hujuſmodi cauſa conſervationis agnationis, mediante matrimonio; non propterea reſolveretur donatio cum aliæ cauſæ verificentur: juxta tradita in propoſito, per Surd. *conſ. 361. n. 20.* & Birz. *d. deciſ. 26. n. 86.* & dixit Rota *in dict. Interamnen. donationis coram R. P. D. meo Buratto.*

15 Nec obſtant auctoritates in contrarium allegatæ: Quia Roland. *conſil. 44. lib 4* conſuluit in donatione, in qua erant verba, *ex cauſa matrimonii futuri: & ob cauſam dicti Matrimonii*, ut ibi *num. 9.* conſtabat in illo caſu, quod ſemoto Matrimonio donator non doniſſet: quod ſecus eſt in præſenti; quia dicitur ob merum amorem, & ob liberalitatem: & quia reciproca adeſt obligatio.

16 Molin. *de rit. nupt. lib. 3. cap. 12.* loquitur in patre, qui cum teneatur dotare, non poteſt præſumi liberalitas: quod ſecus eſt in fratre; ut poſt Iaſon. *conſil. 161. num. 12* diſtinguebat Rota *in dict. Romana de Cupis coram Cardinal. Pamphilio*, & idem Molina admittit diſtinctionem de qua ſupra, inter Matrimonium in genere; & matrimonium particulare.

17 Natta *conſil. 609.* conſuluit in caſu in quo Pater donaverat ut filius cum quadam Bartholomæa matrimonium contraheret, & ſic certum, & particulare Matrimonium conſideratum fuerat: & in iiſdem terminis, & cauſa loquitur Bece *conſil. 20.*

18 Nec deciſ. Bononienſ. *de Luparis 10. Junii 1612. coram R. P. D. meo Rembaldo*, applicatur. Quia *ibi* nimis efficacia erant verba, quod donatio fiebat ob cauſam omninò matrimonii, & non ob aliam cauſam: & ſunt verba præciſa illius inſtrumenti: & pactum erat expreſſum etiam, quod ſi matrimonium non ſequeretur, donatio eſſet reſoluta.

Verumtamen dato etiam ſine veri præjudicio quod dictum Matrimonium fuerit cauſa finalis, & ſic quod donatio eo non ſequuto reſolvatur, attamen nimis properè, & intempeſtivè viſum fuit agi hodie ad illius reſolutionem: quia licet 19
M. Antonius ſexageſimum agat annum, non inde propterea 20
impeditur Matrimonium contrahere, nec ſpe ſuſcipiendæ ex 21
eo prolis omninò deſtitutus eſt. Quamvis enim ex rigore antiquæ legis Papiæ Popeæ ſub Tiberio ampliatæ, ſexagenarii à connubiis contrahendis arcerentur, de qua meminit poſt Senec. Lactant. Firm. *de falſ. Relig. libro 1. cap. 16.* Hujuſmodi tamen legem ſuſtulit primò Claudius, non quidem 22
Edicto, ut refert Suetonius Tranquill. *in eius vita, cap. 23.* ſed Senatuſconſulto, prout verbis diſertis, teſtatur Ulpian. *in fragm. tit. 16. de ſolid. capacit. inter vir. & uxor.* & animadvertunt Lipſ. *ad librum ſecundum Ann. Corn. Tacit.* & Caſaub. *ad Sueton. dict cap 23* & deinde Severus teſte Tertulliano *in Apologetico, capite quarto, verſ. Nonne & nos*: qui *Vaniſſimam* 23
appellavit: & illam demum Iuſtinianus, crudeliſſimæ Sanc- 24
tionis notâ reprehendit, & abrogavit, *in leg. ſancimus, la 2. & in leg. ſi libertas, C. de nupt.* ut obſervant Alciat. *diſpunct. libro tertio, cap. 3.* Petr. Gregor. *Syntagmat. Iur. lib. 9. cap 6.* Menochius *de Arbitr. Iudicum, caſ 89 n 57.* Et jure Canonico 25
ſancitum eſt, ſenes etiam decrepitos capaces eſſe matrimonii ſi nullo alio impedimento præter ſenectutem laboreot, ut plenè poſt Theologos, & Canoniſtas explicat Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſputat. 92. num. 19 & 20.* & Sexagenarium 26
non carere facultate generandi teſtatur Ariſtoteles *libro 5. de animal. hiſtor. cap 14 & libro 7. polit. cap 6.* & alii relati per Turaqu. *de Legib. connub. in lib 6 num 47.* & Menoch. *loco præallegato.*

Quod maximè dicendum videtur in M. Antonio, qui vividæ adhuc eſt valetudinis, & vir conſtantiæ; & propterea, 27
cum adhuc ſpes vigeat, & ipſe poſſit ſatisfacere cauſæ, ob quam præſenditur donatum fuiſſe. non rectè agitur ad donationis reſolutionem, ut in ſimili dixit Rota *in Romana legati 4. Maii 1607. coram Iuſto.*

Et ita, utraque parte informante, reſolutum.

Colonienſis Canonicatus S. Urſulæ, Mercurii 27. Januarii 1627.

Coram R. P. D. Ubaldo.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium ſi appareat eſſe reſervatum, datur immiſſio vigore ſubrogationis gratioſæ, &, & ad hoc qua requirantur.*
2 *Beneficium reſignatum in Curia, dicitur vacare in Curia, & cadit ſub reſervatione clauſa in corpore Iuris.*
3 *Clericatus probatur per litteras patentes Ordinarii.*
4 *Probatio melior dari non poteſt, quam propria confeſſio.*
5 *Poſſeſſio probatur per publicum inſtrumentum adepta poſſeſſionis, & probat ad omnes iuris effectus, alio non exiſtente in poſſeſſione.*
6 *Ebrietas non probatur per teſtes dicentes quod aliquis bibebat.*
7 *Sana mentis quilibet præſumitur.*
Pro inſtrumento & illius validitate ſtat præſumptio, ibidem.
8 *Poſſeſſio beneficii dicitur tradita capitulariter, ſi totum Capitulum fuit intimatum ad interveniendum, licet non omnes vocati interverierint; Nam totum ius Capituli remanet in illis qui interveniunt.*
9 *Ordinariè & non executivè per viam immiſſionis eſt procedendum inter habentes parem titulum.*
10 *Contradictor legitimus ad impedendam immiſſionem beneficii quis dicatur.*
11 *Beneficii immiſſio vigore ſubrogationis gratioſa, non poteſt impediri per exceptiones, qua reſpiciunt petitorium.*

DECISIO LX.

DOminus Guilielmus Steunuvech. uſque de anno 1617. reſignavit in manibus Papæ Canonicatum Sanctæ Urſulæ de quo agitur, ad favorem Domini Gaſparis Pauli, qui ejuſdem Canonicatus capta poſſeſſione, illum poſtea reſignavit, & ceſſit ad favorem Domini Georgii Pauli Stravii; ſed cùm poſtmodum obierit prædictus Gulielmus, fuit de eodem Canonicatu tanquam per obitum vacante provi-ſus à Capitulo vigore precum Imperialium Alexander Simonis, qui cum prætendat ſe eſſe in poſſeſſione, & cauſa fuerit in Rota introducta, dubitatum fuit, an Domin. Georgio eſſet danda immiſſio vigore ſubrogationis gratioſæ, quam ad partes expedivit, & per quam ſubrogatur in jus & poſſeſſionem

tam

tam Gulielmi primi resignantis, quam Gaſpatis ſecundi: Et Domini utraque parte informante affirmative reſponderunt.

1 Quia quotieſcunque apparet beneficium eſſe reſervatum datur immiſſio vigore ſubrogationis gratioſæ, juſtificato ſolummodò Clericatu, & poſſeſſione ejus, in cujus locum fuit facta ſubrogatio: Seraphin. *deciſ.* 1416. *num.* 10. Rota *deciſ.* 154 *p.* 1. & *deciſ.* 197 *parte* 2. *in recent* tenuit Rota *in Caſaraugustana Parochialis de Coſſuenda* 13. *Novembr.* 1620 *coram R. P. D. meo Pirovano*, & in aliis.

In caſu autem noſtro, omnia ſupradicta requiſita fuerunt ſufficienter juſtificata: Nam de reſervatione conſtat ex reſignatione facta in Curia in manibus Papæ, tam per Gulielmū

2 quam per Gaſparem, quo caſu beneficium dicitur vacare in Curia; & ideò cadit ſub reſervatione clauſa in corpore juris vigore *cap.* 2. *de prabend in* 6. Rota *deciſ.* 1. *numero quarto, de rerum permutat. in nov.* Puteus *deciſ.* 38. *in fin. numero ſecundo, libro ſecundo, in nov.* Pariſ. *de reſignat. lib.* 9 *quaſt.* 14. *num* 1. & dixit Rota *in dict. Caſaraugustana Parochialis*, & antea *in Montis Faliſci Coppellania* 30. *Ianuarii* 1606. *coram bon. mem. Cardin. Lancellotto.*

3 De Clericatu verò non dubitatur, & de eo conſtat per litteras patentes Ordinarii: Gloſſ. *in capit. inter quatuor, de Cler. peregrin.* Rota *deciſ. vigeſima ſexta, de probat. in antiq.* Rebuffus *in prax* 1. *parte, inform. liter. cenſur. n.* 22.

De poſſeſſione pariter dubitari non poteſt, tam reſpectu primi, quàm ſecundi reſignantis: Nam poſſeſſio dicti Gulielmi probatur ex confeſſione alterius partis in commiſſione Rotali, ubi explicitè fatetur pacificam poſſeſſionem Gulielmi

4 de tempore reſignationis, ut *in Summario, numero ſexto*, quâ confeſſione nulla melior poteſt dari probatio: *cap. per tuas, de probationib.* Aymon. *conſil.* 61. *n.* 3. Rota *deciſ.* 98. *n.* 2. *p.* 2. *diverſ.*

Poſſeſſio verò Domini Gaſparis probatur per publicum

5 inſtrumentum adeptæ poſſeſſionis, quod datur *in dict. Summario, num.* 7. & probat poſſeſſionem ad omnes juris effectus alio in poſſeſſione non exiſtente *leg. Pradia*, ubi Bart. *ff. de acquir poſſeſſ. leg. non idcirco*, ubi Baldus *Cod de fid. inſtrum.* Rota *diverſ. deciſ.* 202. *numero tertio, parte prima*, & *dec.* 62. *numero primo, parte* 2. Caſſad. *deciſ.* 20. *in fin. de prabend.* Puteus *deciſ.* 380. *num.* 4. *lib.* 1. *ſecundum. nov. impreſſionem*, & fuit dictum *in Auguſtana Hoſpitalis* 21. *Febr.* 1611. *coram bon. mem. D. meo Vbaldo*, & ſæpè in aliis.

Neque viſa fuerunt obſtare ea, quæ fuerunt oppoſita contra ſupradictam reſervationem: & in primis, quod reſignatio Gulielmi eſſet invalida ex defectu conſenſus ejuſdem Gu-

6 lielmi, ſub prætextu quod fecerit ſupradictam reſignationem dum exiſtebat in ebrietate. Quia Domini reſponderunt, hanc ebrietatem non eſſe aliquo modo probatam, cum teſtes deponant quidem, quod Gulielmus reſignans & Gaſpar reſignatarius biberent, non autem aliquid dicunt circa ebrietatem, & teſtes inſtrumentarii qui pro hac parte dantur *in Summ. additionali n.* 1. deponunt de contrario, quod dictus Gulielmus tempore reſignationis non erat ebrius; quod fuit facta iſta reſignatio liberè ſine dolo, & fraude, & quod ipſe

7 erat ſanæ mentis, prout in dubio præſumitur. Mantic. *de conject. ultim. volunt. lib.* 2 *tit.* 5 *n.* 2. prout pariter præſumptio ſtat pro inſtrumento, & illius validitate: Bald. *in leg. quoties, in fin. Cod. de judic.* Rota *deciſ.* 127. *num.* 2. *poſt.* 2. *volum. conſil. Farinac.*

Non obſtat quod poſſeſſio Gaſparis ultimi reſignantis non fuerit capitulariter capta: Tum quia prædictus Georgius fuit, ut dixi, ſubrogatus tam ad poſſeſſionem Gulielmi, quam Gaſparis. & ſic ſufficeret conſtare de poſſeſſione dicti Gulielmi

8 primi reſignantis; Tum quia licet in tradenda poſſeſſione dicto Gaſpari non interfuerint niſi Abbatiſſa, & unus Canonicus; tamen cum fuerint factæ monitiones de ordine Abbatiſſæ ad congregandum capitulum, & fuerint vocati omnes Canonici tunc exiſtentes; hoc videtur ſufficere: Nam ſi vocati noluerunt venire totum jus Capituli remanſit in Abbatiſſa, & Canonico, qui intervenit; & ſic poſſeſſio per eos data Gaſpari, fuit capitulariter capta: Abbas *in cap. cum omnes, col. fin. numero decimotertio, verſ. Tamen unam diverſitatem. de conſtit.* Puteus *deciſ.* 283. *lib.* 3. *in nov.*

9 Non obſtat quod Alexander haberet parem titulum vigore precum Imperialium, & ſit in poſſeſſione: unde inter Re-

10 gula, quod inter habentes parem titulum, procedendum ſit ordinariè, & non exequativè per viam, immiſſionis: Quia cum dictus Alexander non veniat ex eadem vacatione per reſignationem, ſed diverſa per obitum; nec ex eodem fonte, ſcilicet à Sede Apoſtolica, nec habeat ſimilem ſubrogationē non habetur pro legitimo contradictore ad impediendam immiſſionem, ut fuit ſæpiſſimè tentum in Rota: Caputaq. *deciſ.* 329. *parte* 1. & fuit reſolutum *in Pampilonenſ. Parochialis de Arroz.* 4. *Maii* 1613. *coram bon. mem. Domino meo Ubaldo in Barbaſtren. Privatus* 11. *Ianuarii* 1616. *coram Reverendiſſimo Patre Domino Veroſpio*, & *in Ratiſbonenſis Canonicatus* 17. *Novembris* 1617. *coram R. P. D. meo Pirovano*, & in aliis.

Non obſtat defectus publicationis reſignationis juxta formam Conſtitutionis Gregorii XIII. quia iſtud objectum hodie ceſſat ex facto, cum *in Summario Georgii, num.* 5. detur inſtrumentum publicationis; ubi Notarius coram teſtibus aſſerit fuiſſe adimpleta omnia ſervanda juxta formam dictæ Conſtitutionis, ultra quod Gratia Georgii capit etiam vacationem ob non publicationem.

Non obſtat exceptio de aſſequutione alterius Canonica- 11
tus incompatibilis: Quia incompatibilitas non probatur, & in omnem caſum, cum tam iſta exceptio quàm alia proximè adducta reſpiciant petitorium, tanquam requirentes altiorem indaginem, non poſſunt impedire immiſſionem vigore ſupradictæ ſubrogationis gratioſæ: ut dixit Rota *in Facen. Parochialis* 23. *Junii* 1603. *coram bon. mem. Cardinal. Pamphilio*, & *in Veronenſ. Canonicatus* 8. *Decembris* 1604. *coram Illuſtriſſimo Cardin. Millino*, relatis per Modern. Bonon. *de acquir poſſeſſ. quaſt.* 18. *art.* 1. *ſub num.* 29.

Et ita deciſum, &c.

Cordubenſis dimidiæ portionis, Veneris 11. Februarii 1618.

Coram R. P. D. Duran.

SUMMARIUM.

1 *Purus ſanguine quis præſumitur, dum non probatur contrarium: & n.* 7.

2 *Remiſſoria non conceditur ſine fumo, quando materia eſt obiective.*

3 *Teſtes ſi fuerunt alias examinati, præſumitur facta jam probatio, qua melius fieri potuit, ita ut nova facultas probandi præſumatur calumniosè petita.*

4 *Numerus teſtium ſupra* 40. *de jure non admittitur.*

5 *Teſtibus alias examinatis ſi fuerit metus incuſſus abiadverſario præſumitur in eo potentia in futurum.*
Item ſi penes ſe ſcripturas originales retineat.

6 *Remiſſoria non datur ſi illa tendat ad detegendam falſitatem, cujus fumus non datur.*

8 *Examen novum non admittitur ſuper articulis, ſuper quibus fuerunt jam teſtes examinati.*

9 *Remiſſoria non conceditur ſi inſurgat præſumptio, quod articuli ſint potius imaginarii quam veri, & quando dicta præſumptio oriatur.*

10 *Et præſertim denegatur poſt teſtium publicationem, & diſcita teſtificata.*

11 *Teſtibus examinatis ad perpetuam rei memoriam licet parte non citata multum Rota deſert, ſi fuerunt recepti in tempore non ſuſpecto.*

12 *Mulierem quinquagenariam gignere mirabile eſt, & de rarò contingit.*

13 *Remiſſoria non datur ad probandam rem inveriſimilem, & quaſi impoſſibilem.*

14 *Probationibus per ſcripturas magis ſtandum eſt; quam futuris teſtium depoſitionibus.*

15 *Puritatis, vel impuritatis ſanguinis probatio deſumi non poteſt ex cohabitatione in uno, vel in alio loco ejuſdem Civitatis.*

16 *Impuritas ſanguinis probatur ex ſola fama & æſtimatione.*

17 *Articulus eſt irrelevans ſi tendat ad probandam famam impuritatis, & fuerit jam probata fama in contrarium.*

18 *Fama an præſumatur orta ex materia articulorum, & an hoc caſu ſit ſuſpecta uti originata ex cauſis non probabilibus.*

DECISIO LXI.

CUm contra Dominum Ioannem Rubeum de Herreta 1
proviſum Apoſtolicum de dimidia portione in Eccleſia Corduben. fuiſſet in partibus declaratum ei obſtare ſtatutum dictæ Eccleſiæ ſuper puritate ſanguinis, Rota in gradu appellationis revocando ſententiam de partibus, pronunciavit dictum ſtatutum ei non obſtare; non ſolum, quia habet pro ſe regulam, quod quiſque purus præſumatur dum non probatur contrarium, *ad leg. ab ea parte, ff. de probat.* & in his terminis Mantica *deciſ.* 274. *numero primo*. & Rota *deciſione* 182. *numero primo, parte* 1. *recent.* ſed etiam quia ex probationibus per Iudices deputatos à Capitulo Corduben.

in

in prima inſtantia & aliis deinde in gradu appellationis in Curia factis, benè prout de jure requiritur conſtitit eum eſſe ſanguine purum, nullaque labe Iudæorum, aut Mauroru[m] infectum; fuit latè firmatum *in deciſionibus 27. Iunii, & 15. Decembris 1615. coram bonæ memoriæ Hieroſolymitano*: Sed cùm hodie commiſſa mihi appellationis cauſa à dicta ſententia Rotali, Capitulum Corduben. inſtaret pro Remiſſoria ad faciendas deſuper novas probationes, dubitavi an illi ſit concedenda? & fuit negativè reſolutum.

Et moti fuerunt Domini ex pluribus quæ Rota paſſim ad
2 denegandam Remiſſoriam attendere conſuevit: & *Primò*, quia materia eſt objectiva, in qua fine fumo Remiſſoria concedi non ſolet: Verall *deciſ.* 60. 61. *& 63. p.* 3. Put. *deciſ.* 18. *de dilat.* Rota *deciſ.* 212. *n* 5. *& 6. part.* 1. *recent.* quæ loquitur in terminis.

3 Secundò, quia in partibus per Iudices fuerunt examinati nonaginta teſtes, & ultra; unde præſumitur facta ea probatio, quæ melius fieri poterat, & conſequenter hæc nova facultas probandi præſumitur calumnioſè petita: Cravett. *conſil.* 134. *num.* 5. Ægid. *deciſ.* 38. *poſt princip.* Verall. *diciſ.* 63 *part.* 3. Greg XV. *deciſ.* 414. *n.* 1.

4 Tertiò, quia numerus teſtium examinatorum fuit effrænatus, cùm de jure non admittatur examen teſtium ſupra 40. *cap. cum cauſam, & ibi* Gloſſ. *verb. effranatum, de teſtibus: & cap. latores, de Cleric. excomm. miniſtr.*

5 Quartò, quia datur fumus, quod in aliis examinibus in Civitate Corduben. fuit inculſus metus nonnullis teſtibus, qui pro puritate deponebant, & quod ſcripturæ originales non apud Notarium, ſed penes Capitulum cuſtodiebantur, unde detegitur potentia Capituli in futurum: Caputaq. *deciſ.* 30. *n.* 6. *part.* 3.

6 Quintò & ultimò, quia cum Remiſſoria neceſſariò tendat ad detegendam falſitatem & perjurium teſtium, qui ſuper puritate depoſuerunt, etiam ex hoc capite Remiſſoria dene-
7 gatur: tum quia non datur fumus falſitatis, tum etiam quia ſtat præſumptio pro puritate, de qua teſtes deponunt: prout in ſimili fuit reſolutum *in Ianuen. pecuniaria, 5. Iunii 1613. coram bon. mem. Ubaldo.*

Sed illud magis ad denegandam Remiſſoriam apud Dominos urgebat, quod articuli in actis dati, ſuper quibus Remiſſoria petitur, aut ſunt irrelevantes, aut improbabiles, aut demum evidenter calumnioſi, ut ex eorum ſingulari diſcuſſione apparet.

In primo enim articulo ponitur, Ioannem eſſe filium Sebaſtiani, & Beatricis: in ſecundo, quod dictus Sebaſtianus
8 fuit filius Didaci & Thereſiæ: & in tertio, quod dicta Beatrix fuit filia Alphonſi, & Iſabellæ: qui articuli in hoc negantur, & fuerunt jam in partibus dati, & ſuper illis examinati per prædictos Iudices Capituli teſtes, circiter octoginta, & conſequenter fruſtra ſuper eiſdem petitur novum examen: Caputaq. *deciſ.* 66. *part.* 3.

In eo verò quod dicti articuli ulterius continent, dictam Thereſiam Aviam Ioannis paternam fuiſſe cognominatam de Palma, & Iſabellam Aviam ejuſdem materoam fuiſſe cognominatam de Corduba, non curent ſuſpicione calumniæ: cum enim in articulis de partibus fuerit poſitum & probatũ, Thereſiam fuiſſe cognominatam de Soria, & Navarrette, Iſabellam verò de Morales, & ſic aliter circa idem quam in no-
9 vis articulis, inde inſurgit præſumptio, articulos novos eſſe potius imaginarios quam veros; ita ut propterea Remiſſoria non ſit danda: prout in ſimili Gregor. XV. *deciſ.* 211. *n* 4.
10 *&* 5. ubi Additio. Et tantò magis poſt teſtium publicationem & diſcuſſa teſtificata: *cap. fraternitatis, & cap. intimavit, de teſtibus. Auth. & qui ſemel, C. de probat.* Farinac. *de teſtibus, quæſt.* 73. *numero* 68. Gregorius XV. *deciſione* 497. *&* 583. *num.* 1.

Quartus articulus, qui continet, dictam Iſabellam fuiſſe filiam Ioannis Gonzalez, ultra quod detegitur ſuſpectus ex depoſitione teſtium examinatorum de anno 1604. qui deponunt eam fuiſſe Michaelis de Morales: quibus teſtibus quamvis examinatis ad perpetuam rei memoriam, & parte
11 non citata, multum detulit Rota, *in deciſionibus coram bonæ memoriæ Patriarchis*: ex quo fuerunt recepti in tempore non ſuſpecto adhuc dictis teſtibus circumſcriptis, hic articulus non ſolum inverisimilis eſt, ſed etiam improbabilis videtur: quandoquidem prædictus Ioannes Gonzalez erat jam defunctus, quando de anno 1486. fuit de hæreſi condemnatus ut legitur in inſcriptione *habitelli* à Capitulo compulſati. Unde ſi dicta Iſabella fuiſſet ejus filia, haberet hodie ſi viveret circiter 150 annos, & Beatrix filia Iſabellæ, & mater Ioannis quæ adhuc vivit, & non excedit annos octoginta, ut dicunt teſtes, qui illam in infantili ætate cognoverunt, haberet ad minus centum annos, & eſſe genita in quinquageſimo anno ætatis prædictæ Iſabellæ ejus matris &
tamen, mulierem quinquagenariam gignere, pro re mirabili 12
& de rarò contingentibus tradit textus *in leg. ſi major, C. de legitim. hared.* Tiraq. *de leg. connub. lib.* 2. *n.* 22. Ad probandum autem rem inveriſimilem, & quaſi impoſſibilem, Remiſſoria 13
non datur: Imol. *in cap. quia veriſimile, ſub n.* 2. *verſ. quandoque eſt tanta, &c.* ubi etiam Abb. *num.* 2 *verſ. quandoque eſt veriſimilitudo maxima, &c. Extr de præſumpt.* Greg. XV. *deciſ.* 414. *n.* 3. *cum ſeqq.*

Quintus articulus, in quo habetur, quod Didacus Fernandez avus Ioannis paternus, fuit filius Gundiſalvi de Rubeo; ſimiliter viſus fuit Dominis ſuſpectus & inveriſimilis, quia ex teſtibus & fide Inquiſitorum Corduben. necnon ex quodam inſtrumento publico antiquo, de quibus *in ſummariis Ioannis, num.* 10. clarè apparet dictum Didacum fuiſſe filium Matthæi Rubei; prout etiam fuit firmatum *in utraque deciſione bonæ memoriæ Manzanedi.* Quibus probationibus 14
ut per ſcripturas, ſine dubio magis ſtandum eſt, quam futuris teſtium Capituli depoſitionibus: Gloſſ. *in cap.* 1. *verb. in ſcriptis de cenſ. in* 6. Rota *deciſ.* 582. *n.* 6 *part.* 1. *recent.* & fuit millies deciſum.

Et hinc etiam emanat irrelevantia ſexti articuli continentis, quòd prædictus Gundiſalvus erat Iudæus: quia eſto quòd fuerit talis, non relevaret: cum Ioannes ab eo non deſcendat. Prout etiam, ex eadem ratione, eſt irrelevans ſeptimus articulus, in quo ponitur quod Ioannes Conzalez fuit hæreticus; quia ut ſupra dictum eſt, Iſabella avia Ioannis materna, non fuit ejus filia, ſed Michaelis.

Octavus articulus, qui continet hæreſes Alphonſi de Herrera, Ferdinandi Lopez, Thereſiæ Diaz, & Catharinæ Sanchez, & quod eorum habitelli, vulgò *Benedictini*, qui hodie pro Roſtris habentur in Clauſtris Eccleſiæ Corduben. ſimiliter non relevant: quia dato, quod prædicti fuerint tales, & ut prætenditur ideò condemnati, dum non ponitur ex quo capite, & in quo gradu Ioannem attingant, eum non afficiunt.

Neque obſtat prætenſio quod dictus Alphonſus fuerit Avus maternus Ioannis, quia quamvis ejus Avus maternus nuncuparetur etiam Alphonſus de Herrera, tamen conſtat quod non eſt idem; ſed alius ab eo de quo cantat articulus. Ille enim fuit condemnatus & combuſtus de anno 1486. & ſic ab annis 241. & præterea erat penitus oculis orbatus; ut legitur in inſcriptione habitelli à Capitulo compulſati: Alphonſus verò avus Maternus Ioannis vivebat 40 ab hinc annis quem cognoverunt teſtes, qui ulterius deponunt, eum fuiſſe ſani viſus.

Nonus articulus cantat habitationem familiæ Ioannis fuiſſe in via aurificum Civitatis Corduben. qui ideò detegitur ſuſpectus, ex quo teſtes Capituli deponunt parentes Ioannis habitaſſe in via *del Batanero*: & in omnem caſum non relevat, quia ex habitatione in uno, vel alio loco ejuſdem Civitatis, deſumi non poteſt nec minima probatio puritatis, vel 15
impuritatis, ſanguinis: ut ſæpius fuit reſolutum. Mantica *deciſ.* 274. *n.* 9.

Decimus & ultimus articulus, qui tendit ad probandam famam impuritatis, quæ (ut contenditur) probatur ex ſola 16
fama & æſtimatione; juxta Gloſſ. *in leg.* 1. *ff. de probat.* Marſ. *in leg. de minore, §. plurimum, num.* 88. *ff. de quæſt.* Avendan. *in ſuo Dictionario, verbo Iudices*, & Ioannes Gutierrez *practic. quæſtion. civil. libro tertio, quæſtione decimaquarta, numero decimoſeptimo*, redditur irrelevans, ex quo fuit probata fama in contrarium; ut in his terminis dixit Rota 17
deciſ. 494 *numero duodecimo, & ſequentibus, parte prima, recent*, & alibi ſæpius.

Et tanto magis, qui fama, de qua in dicto articulo, 18
quando probaretur, præſumeretur orta ex materia prædictorum articulorum, quæ ideò eſſet etiam ſuſpecta, uti originata ex cauſis non probabilibus: Bald. *in leg. diffamari, n.* 2. *&* 3. *Cod. de ingen. manumiſſ.* Alexand. *conſ.* 72. *num.* 13 *in fin. lib.* 1. & in puncto famæ ſuper impuritate, Mantic. *d. deciſ.* 274. *num.* 9.

Neque obſtat quod dicebatur, teſtes de partibus non fuiſſe examinatos ad inſtantiam Capituli, ſed Ioannis: quia imò fuerunt examinati ex officio à Iudicibus deputatis à Capitulo qui ut videre eſt in depoſitionibus fuerunt diligentiſſimi inquiſitores. Ex quibus Domini unanimi conſenſu denegarunt Remiſſoriam.

Et ita utraque parte informante, &c.

Romana Succeſſionis, Veneris 19. Ianuarii 1619.

Coram R. P. D. Durano.

SUMMA

SUMMARIUM.

1 *Iudicis recusatio fieri non potest à procuratore non habente ad id speciale mandatum.*
2 *Iudicis recusatio fieri non potest post litem contestatam, nisi probetur nova causa recusationis.*
3 *Testamentum primum tollitur ipso iure per secundum.*
4 *Immissio debetur hæredi scripto vigore* leg. fin. C. de edict. Div. Adr. tollen. *exhibenti testamentum in forma probanti non vitiatum.*
5 *Immissio ut concedatur vigore* leg. fin. Cod de edict. Div. Adr. tollen. *sufficit quod hæres exhibeat testamenti exemplum in forma publica à Notario traditum.*
6 *Recognitio manus Testatoris non est necessaria quando agitur de testamento nuncupativo consignato & clauso per Testatorem coram Notario & Testibus qui se subscripserunt.*
7 *Testamentum primum, à quo Testator nolle recedere dixit, nisi in secundo certa verba apposuerit, non dicitur sublatum per secundum in quo talia verba non legantur.*
Declara ut n. 8.
9 *Sana mentis esse naturale est.*
10 *Insanum esse, est accidentale.*
11 *Demens nemo præsumitur.*
12 *Dementia Testatoris est probanda de tempore testamenti, ut illud reddatur nullum, & n. 20.*
13 *Sana mentis Testatorem fuisse ostendit ipsum testamentum ritè & rectè conditum.*
14 *Sana mens arguitur ex ordinata scriptura compositione; prout è contra ex inordinata præsumitur dementia.*
15 *Sana mens Testatoris arguitur ex institutione hæredum ab intestato venientium.*
16 *Mens sana arguitur ex Sacramentorum susceptione.*
17 *Sacramentorum susceptio non nisi hominibus sana mentis convenit, & permittitur.*
18 *Sana mentis præsumptio in Testatore deducitur ex eo, quod ipse testamentum subscripserit, & testes interverint.*
19 *Testibus habentibus interesse in primo testamento fides minuitur, si deponant de supervenienti dementia Testatoris, ad effectum annullandi secundum testamentum revocatorium primi.*
21 *Testes deponentes de dementia, etiam non interrogati, debent adducere rationem eorum dispositionis.*
22 *Memoria imbecillitas non infert defectum intellectus.*
Præsertim in infirmo, n. 23.
24 *Dementia Testatoris non probatur ex rumoribus de illo factis, si post illos ritè, & rectè fuit testatus, & antea erat sanæ mentis.*
25 *Viri sanæ mentis, licet aliqua faciant de tempore testamenti sanæ menti non convenientia, non tamen insani reputantur; dum suspicio furoris ex aliis causata amoveatur, & plura exempla referuntur numeris sequentibus.*
26 *Pater exhæredans filios suos sine causa, rem quasi furiosi facere dicitur.*
27 *Testamentum in quo filius sine causa exhæredatur, mero jure tenet, cum opus sit, illud rescindi per querelam inofficiosi.*
28 *Testamentum furiosi est nullum ipso jure.*
29 *Testamenta plura referuntur quæ valida fuerunt reputata, licet in eis dispositæ viris sanæ mentis non conveniret.*
30 *Demens omninò, & in furore confirmatus, licet ordinatè testetur, adhuc ejus testamentum est nullum.*
31 *Demens licèt faciat aliquos actus sapienti convenientes, non desinit esse demens.*
32 *Infirmus non reputatur sanus ex eo quod faciat aliquos actus sanis convenientes.*
33 *Dementia arguitur ex datione curatoris.*
Declara ut num 34.
35 *Contradictor legitimus dicitur qui venit ex primo testamento, ad impediendam immissionem hæredis in secundo instituti, agendo ex remedio,* leg. fin. C de edict. div. Adr. tollen.
Declara ut num. 36.

DECISIO LXII.

IOannes Maria Vertema duo condidit testamenta: in primo Venerabilem Archiconfraternitatem Sanctissimi Crucifixi de Urbe: in secundo, Franciscum, Catharinam, & Cæciliam de Vertimis hæredes instituit. Cùm autem Archiconfraternitas mortuo testatore vigore primi testamenti bonorum hæreditariorum possessionem occupasset; orta lite inter eam & dictas fœminas, (Franciscus enim nunquam fuit in causa) Iudex causarum dictæ Archiconfraternitatis pronunciavit dictas Catharinam & Cæciliam esse immittendas pro duabus ex tribus partibus ex secundo testamento.

Sed cum habitus fuerit recursus ad Illustrissimum Cardinalem Protectorem, qui me in Iudicem deputavit; Dubitavi hodie in Rota de vitiis dictæ sententiæ: Et Domini esse confirmandam resolverunt

Quia de validitate non est dubitandum: Nam ultra quod Illustrissimus Cardinalis in suis facultatibus potest procedere nullis etiam servatis terminis substantialibus, fuerunt nihilominus servata omnia requisita, de quibus per Caputaq. *dec.* 260. *p.* 2 & recusatio Iudicis fuit facta per procuratorem non habentem ad id speciale mandatum, ad recusandum, de Iure requisitum: ad *l. non solum, §. fin. ff. de procurat.* Rebuff. *de recusat. art.* 1. *glos.* 1. *n.* 2. Patri. *cons.* 31. *n.* 102 *lib.* 1. Caputaq. *dec.* 168 *p.* 1 Rota apud Gregorium XV. *dec.* 368. *n.* 1. & non fuit proposita in tempore, sed post litem contestatam, quæ propterea non afficit, cum non probetur novam causam supervenisse: *l. apertissimè in principio, C. de jud. c. inter Monasterium, de sent. & re jud.* Covarr. *pract. q. c.* 26. *n.* 1 *in fin.* & Rota *dec.* 2. *n.* 2. *p.* 2. *divers.* 1

De justitia similiter visum fuit constare: quia cùm per dictum secundum testamentum, primum ipso jure sublatum fuerit, *§ posteriorem, Instit. quibus mod. testam. infirm. cum vulgatis.* Et illud productum fuerit in forma probanti, non vitiatum, & citatis hæredibus in eo institutis, debetur immissio ex *l. fin. C. de edict. Div. Adrian tollen.* Menoch *de adipisc. remed.* 4 *n.* 368 latè Pereg. *de fideic. art.* 48 *per tot.* & Rota apud Gregorium XV. *dec.* 206 *n.* 1 & alibi sæpius. 3 4

Nec relevat, quod in actis non fuerit productum originale seu matrix dicti secundi testamenti, juxta requisita *d. l. finalis*: quia sufficit quod productum fuerit exemplum, in publicam formam redactum, & traditum à Notario rogato; Iason. *in d. l. finalis: sub n.* 4. ubi Zuccard. *n.* 92. *vers. sed nihilominus*, Menoch. *de remedio* 4. *n.* 654. & ita observat Rota, ut testatur Verall. *dec.* 35. *n.* 1. *p.* 2 & *in Perusina hæreditatis* 28. *Novembris* 1616 *coram bonæ memoriæ Buratto*, & novissimè *in Romana hæreditatis de Arigoniis* 23. *Ianuarii* 1627. *coram Domino meo Virili.* 5

Minus relevat quod non fuerit recognita subscriptio testatoris; quia versamur in testamento nuncupativo, quod redditur certum eo ipso quod fuit per testatorem consignatum & à Notario clausum, & Notarius à tergo illius, rogitum consignationis coram septem testibus adnotavit, & ibidem testatur, ac testes prædicti etiam se subscripserunt. Unde non est opus alia recognitione: Bart. *in leg.* 2. *num.* 5. *vers. tunc si Tabellio, ff. quemadmod. test. aper.* Paul. de Castr. *cons.* 93. *lib.* 1. Rota *dec.* 751. *n.* 6. & 7. *p.* 1. *divers.* & *in d. Romana hæreditatis coram Domino meo Virili*, & *in eadem.* 28. *Iunii* 1627. *coram eodem.* 6

Non obstat etiam, quòd in primo testamento, in quo Archiconfraternitas fuit hæres instituta, adfit clausula derogatoria posteriotis voluntatis, nisi in ea describerentur hæc formalia verba: *Ave Maria gratia plena*, &c. quæ in dicto secundo testamento non inveniuntur descripta, quo casu non censetur primum per posterius revocatum: ad *leg. si quis in principio testamenti*, & *ibi* communiter Doctores *ff. de leg.* 3. Iason. *in leg. si mihi & tibi*, § *in legatis*, *num.* 11. *ff. de legat.* 1. Corn. *cons.* 86. *num.* 7. *volum.* 3. Alexand. *cons.* 134. *num* 1. *lib.* 2. Cæsar de Grassis *decisione* 1. *numero primo & secundo, testamen.* 7

Quia fuit benè responsum, quod in dicto secundo testamento adest sufficiens derogatio. & ex quo testator in eo dixit, quod valere debeat non obstante quovis alio testamento habente clausulam derogatoriam, subdens, *Sotto qual sivoglia parole derogatorie da quali non me ricordo; ma se mi ricordassi adesso de verbo ad verbum lo dire:* ut tradunt Bart. *in dict. leg. si quis in principio testamenti*, *n.* 8. Clar. *in §. testamentum*, *quæst.* 99. *vers. sed quæro*: Natt. *cons.* 639. *num.* 9. *lib.* 3. Modern. Roman. *discept.* 48 *num.* 22. *& sequentibus.* Hieronym. à Laurentiis *decis. Avenionen.* 81. *num.* 3. Et in puncto quod per verba illa: *Sotto qual si voglia parole derogatorie*, sit sufficienter derogatum cuicunque clausulæ derogatoriæ, etiam continenti dicta verba, *Ave Maria*: dixit Rota *dec.* 721. *n.* 3. *p.* 2. *recent. & in Romana legati* 9. *Iunii* 1578. *coram Rubeo.* 8

Non etiam obstare visa fuit prætensa testatoris dementia de tempore secundi testamenti, in qua fiebat principale fundamentum pro parte Archiconfraternitatis. Quia cum naturale sit quemlibet esse mentis compotem, furiosum verò, & insanum, accidentale; ut dixit Bald. *in leg. nec Codi illici,* 9 10

11 *Codicillos, C. de Codicil.* ubi etiam Gloss. Bart. & alii ; præsumptio stat contra dementiam, *cap. fin. de success. ab intest.* Propterea ad probandam dementiam, præsertim in Ioanne Maria testatore, qui non solùm pro se habet sanæ mentis præsumptionem, sed in præcedenti tempore vitæ suæ talis
12 probatur, efficacioribus, & urgentioribus probationibus de tempore conditi testamenti opus est, ita ut non sufficiat quod aliqua alia die probetur furiosus : ut latè Bart. *in leg. 2. n. 3. vers. sed quid ff. debon. poss. fur.* Alex. *cons. 85. num. 7. vers. & illud rectè. lib. 2.* Roder. Suar. *alleg. 1. per totam.* Magon. *decis. Florentin. 97. n. 13.*

13 Et tanto magis, quia cum his concurrit quod omnia in dicto secundo testamento descripta, titè, & ordinatè composita reperiuntur : debiti autem ordinis observantia, & recta
14 scripturæ compositio, mentis integritatem adnotant ; sicut inordinata descriptum : *c. 1. § si verò, de Cler. ægrot. in 6 cap. filii, de hæretic. eod. libr. c. legitimum, 93. distinct.* Ioannes Andr. *in cap. cum dilectum, de success. ab intest.* Alex. *in dict. leg. furiosum, Cod. qui testam. facere poss.* Hond. *cons. 78. n. 60. lib. 2.* Tiraquell. *de leg. connub. gloss. 1. part. 11. num. 7.* Mant. *de conject. ult. vol. lucubr. libro 2. tit. 5. num. 13.* & Anton. Gram. *dec. 262. num. 2.*

15 Et præterea, nulla major est sanæ mentis conjectura, quàm illa, quæ desumitur ex qualitate testamentariæ dispositionis Ioannis Mariæ, qui instituit hæredes dictas fœminas sibi sanguine proximiores, & quibus circumscripto testamento à lege deferebatur ejus hæreditas ; & legata pia fecit, qualia ipsius testatoris qualitati, & cuilibet prudenti viro conveniebatur : Suarez *dict. allegat. 1. num. 2. & 10.* Honded. *dict. cons. 78. numero 61. lib. 2.* Mantic. *ubi suprà, num. 7.* Afflict. *decis. 143. num. 5.* Ioseph. Ludov. *decis. Perus. 1. num. 9.* Gram. *decis. 73. circa fin.* & Rota *decis. 119. n. 15 par. 2. divers. rum.*

16 His accedunt fides Parochorum, quibus in hoc multum deferri debet, attestantium quod Ioannes Maria in ultima infirmitate, in qua fecit testamentum, & ex qua dementiam ortam fuisse præsenditur, bis peccata sua cum sana memoria, sensu perfecto, & animi dolore confessus fuit, & sa-
17 cram Eucharistiam suscepit. Horum enim Sacramentorum susceptio non nisi hominibus sanæ mentis convenit, & permittitur : ut latè Surd. *consil. 89 per tot.* Quæ ideò plurimum confert ad mentis integritatem præsumendam : Menochius *præsumpt. 45 num. 21. lib. 6.* Rota *decis. 384. num. 4 part. 1 recent. & in Romana hæreditatis de Gracchis 5. Decembris 1618. coram bonæ memoriæ Rembolde.* Adminiculantur etiam attestationes Reverendissimi Episcopi Vices gerentis Illustrissimi Cardinalis Vicarii, & aliorum quatuor Sacerdotum, qui circa tempus condi di secundi testamenti Ioannem Mariam personaliter visitarunt, & eum sani judicii, ut dicunt reperie-
18 runt. Et tandem subscriptiones ipsiusmet testatoris, & septem testium, non parum faciunt, quia testator mentis expers non facilè subscripsisset, & testes subscribere recusassent.

19 Unde non obstant testes de dementia deponentes. Quia ultra quod quidam sunt aliqualiter interessati, quia aut sunt legatarii ex primo testamento, aut aliàs eorum interest, ut illud sustineatur, quorum fides propterea saltem diminuitur,
20 *ad l. unicum, C. de test.* In primis non concludunt de dementia de tempore conditi secundi testamenti, de quo tempore, maximè supradictis attentis, illam determinatè concludere debent : juxta text. *in l. 2. & l. qui testamento, § quæcunque, vers. nec furiosus, ff. de test.* & tradunt Doctores *in d. l. furiosum.* Corn. *cons. 161. n. 22. lib. 4.* Ant. Gram. *d. dec. 262. n. 2* & Rota *d. dec. 384. n. 10. p. 1. recent.*

21 Præterea non reddunt convenientem rationem sui dicti, quam tamen in hoc casu, etiam non interrogati exprimere debent. Cùm enim dementia cognoscatur per inquisitionem quandam, quæ se animo non offert nisi per multa & diversa media, circa quæ testes de facili possunt errare : ideò eis non creditur nisi causam sui dicti etiam non interrogati faciant manifestam : Bald. *in leg. solum, Cod. de testibus.* Innocent. *in cap. cum causam, de testibus.* Fulgos. & Castr. *in dict. leg. furiosum,* ubi Ias. *n. 6.* Soc. *cons. 41. n. 4. lib. 1.* Surd. *dict. cons. 89 n. 4.* Boër. *dec. 23. num. 41.* Magon. *d. dec. 97. n. 5.* Rota *in d. dec. 384. num. 7.*

22 Non obstat quod aliqui testes reddant rationem dementiæ : quia viderunt Ioannem Mariam memoria destitutum, & faciem strepita, & alia more dementium. Quia memoriæ
23 imbecillitas non infert intellectus defectum : Menoch. *dict. præsumpt. 45. n. 31.* & Rota *dict. decis. 384. num. 5.* præsertim in Ioanne Maria corporis infirmitate oppresso, juxta textum optimum *in l. hac consultissima, § at cùm humana fragilitas, C. qui testam. facere poss.*

24 Quod verò fecerit strepita, & alia hujusmodi, similiter non concludit dementiam continuatam, & confirmatam, & sic eum non fuisse in potestate mentis de tempore conditi testamenti, stante ut dictum est, quod antea communi existimatione sani consilii reputabatur, & testamentum condidit rectè, & ordinatè compositum, & ejus dispositionis qualitas convenit homini perfectæ mentis, & quod post prædicta strepita, ex testium depositione, sanus mente repertus fuit à Parochis, quibus fuit peccata confessus, necnon à Reverendissimo Domino Vices gerente, & aliis Sacerdotibus supradictis : Quandoque enim sani intellectus Viri aliqua ex acci- 25
dente faciant à sana mente aliena, etiam tempore conditi testamenti, & sic in sortioribus terminis : & tamen non ideò semper de iure furorem supervenisse præsumitur, nec insani reputantur, quoad testamenti activam factionem, modo ex aliis suspicio furoris inde causata amoveatur.

Prout Pater qui filios suos sine causa exhæredat, meritò 26
rem quasi fatuos facere dicitur : *l. 1 & 2. ff. de inoff. testam.* & 27
tamen ejus testamentum mero jure tenet, cùm opus sit illud 28
rescindi per querelam inofficiosi : *l. si non mortis, §. si quis, & toto tit. ff. eodem.* Cùm tamen testamentum furiosi sit ipso jure nullum : *d. l. 2. & leg. filium familias ; ff. de testam. & d. l. furiosum, C. qui testam. fac. poss.*

Ille etiam testator, qui apud Iurisconsultum *in leg. quidam* 29
in fine, ff. de condit. inst. jussit ossa sua proiici in Tyberim, tem furiosi jussit, ut *ibi* textus dicit ; & tamen ejus testamentum valuit.

Sicut valuit testamentum illius mulieris, quæ *in l. fin. ff. de aur. & argent. leg.* jussit se sepeliri cum quibusdam ornamentis, quæ ipsa ad se sepeliendam fecerat ex Smaragdis & Margaritis.

Et facit bonus textus *in leg. servo alieno § si ff. de legat. primo.* Et quod refert Patis. *cons. 88. n. 65. vol. 1.* de testamento illius, qui peccata sua non confitebatur : Et Corn. *cons. 219. in fin. vol. 1* de testamento alterius qui in illam non audiebat, & cum dives esset, legata pro anima sua non reliquit. Et sic intelligit Roder. Suar. *ubi supra.*

Et quod refert Valerius Maximus de testamento dotis bene ordinato, quod Senatus Romanus validum declaravit, quod scilicet furiosus ille non erat in continuo & confirmato furore, sed habens lucida intervalla, ita ut ex benè ordinata dispositione judicatus fuerit in sanitatis intervallo esse de tempore facti testamenti.

Prout etiam sic intelligenda est decisio *in dict. Romana* 30
hæreditatis de Gracch. vers. tum etiam ; Quandoquidem qui prorsus demens est, & in furore confirmatissimi de facto testetur, quamvis ordinatè, semper ejus testamentum nullum est : Roder. Suar. & Mantic. *ubi suprà* Menoch. *d. præsumpt. 45. num. 88* Siquidem tunc optima compositio non à persona, sed casu magis facta creditur : argumento optimi textus *in* 31
l. fin. ff. de admin. tutor. Non enim propterea desinit esse furiosus, quamvis faciat aliquos actus Sapientis, ut dicit Rom. post Gloss. *in leg. si unus ex plurimum, n. 3. ff. de acquirend. hæred.* Zabarell. *cons. 57. vol. 2.* Corn. *cons. 69. vol. 1.* & Menoch. *cons. 82. n. 284.*

Ut in simili infirmus, etsi aliquos faciat actus, qui sanita 32
tem arguunt, tamen non est sanus : Præposit. *in c. Dilectus, extra de sponsal.* Corset. *sing. 368 verb. testamentum* : ubi meminit illius egregiæ sententiæ, quam dixisse quemdam fatuum Parisiensem, multi alii etiam referunt.

Non etiam obstare dixerunt Domini, quod Ioanni Ma- 33
riæ uti insano fuerit datus Curator ante dictum testamentum, de quo agitur, quæ Curatoris datio dementiam arguit : Alex. *d. cons. 85. n. 9. lib. 2.* Bertrand. *cons. 48. num. 22. vol. 1. p. 2.* Surd. *d. cons. 86. n. 19* & Mantic. *ubi supra, n. 15.* Quia quidquid sit an dicti Curatoris datio fuerit facta causâ cognitâ, & an fuerit ad hoc procurata, ut videtur ab habentibus pinguius 34
interesse ex primo testamento, illa similiter non concludit dementiam ad effectum de quo agitur, ut in puncto Ioan. Faber *in § præterea, & ibi* Arctin. *Instit. quibus non est permiss. facere testam.* Ias. *in d. leg. furiosum, sub. n. 2. vers. tertio singulariter limita* : Boër. *dict. decis. 23. n. 79.* & Rota *in dict. Romana hæreditatis de Gracchis* ; & in omnem casum in conflictu probationum, Dominis ex supradictis visum fuit probationem sanæ mentis de tempore conditi secundi testamenti præponderare.

Tandem non obstat, quod Archiconfraternitas, quæ ve- 35
nit ex alio testamento, & sic ex pari titulo, & possidet, sit legitima contradictrix ad impediendam immissionem *ex dict. leg. fi.* Bar. *ibi sub n 21. vers. aut compara.* & Zuccard. *n. 374.* Menoc. *de adipisc. dict. remed. 40. n. 565.* Pereg. *de fideicomm. art. 43. n. 40.* Mohed. *dec. 13 ut lit. pend.* & Caputaq. *dec. 392. part. 1.* & Rota *in Romana hæreditatis 4. Iunii 1599. coram Iusto.*

Quia est verum, ad effectum, ut non sit procedendum ex dicto remedio executivè, & summariè, ut loquuntur Doctores,

Doctores, & decisiones *suprà* allegatæ. Domini autem quamvis dixerint sententiam esse confirmandam, dixerunt tamen procedendum esse via ordinaria.

Et ita decisum utraque, &c.

Florentina Oratorii, Lunæ 18. Martii 1630.

Coram R. P. D. Cucipo.

SUMMARIUM.

1 *Ultimum de familia, potest bona & jura fideicommisso subjecta, extraneo hæredi relinquere.*
2 *Filiationis probatio quando sit insufficiens.*
3 *Filius natus ex uxore etiam adultera censetur mariti.*
4 *Et ista est præsumptio juris tantùm.*
5 *Infirmitas, vel senectus, vel absentia, aut alia similis impossibilitas accessûs ad uxorem, faciunt cessare præsumptionem, quod filius sit marti.*
6 *Hæres licet possit impugnare factum defuncti, tamen rectius agit si filium voluntati obtemperet.*
7 *Causæ plures quando assignantur, sufficit unam esse veram ut ex illa dispositio sustineatur.*
8 *Defuncti factum non potest hæres impugnare.*
9 *Hæres hæredis dicitur etiam hæres primi testatoris.*
10 *Defuncti factum potest impugnare ex actu, cui ipse dumtaxat consensit, non autem ad ejus observationem se obligavit.*
11 *Defuncti factum potest impugnari respectu juris supervenientis post dictum factum.*
12 *Hæres succedens jure proprio, & non hæreditario, potest factum defuncti impugnare: & num.* 13.

DECISIO LXIII.

ANtonius senior de Puccis anno 1664. in Ecclesia Sanctissimæ Annunciatæ Civitatis Florentiæ ex fundatione & dotatione Juspatronatus sibi, & suis descendentibus masculis per lineam masculinam acquisivit in Capella, seu Oratorio Sancti Sebastiani inibi existenti, ex quo Antonius ultimus descendens, & dicti Iurispatronatus possessor extitit Robertus junior maritus Dominæ Octaviæ Capponiæ quam etiam in hoc Iurepatronatus legatariam reliquit, eo quod ex dicto Antonio fundatore nullus masculus per lineam masculinam descendens supereſſet. Atque ita esset locus Regulæ textus *in l. in solidum* 88. §. *Prædium, leg. cum Pater, §. liberis, ff. de legatis* 2. ubi Gloss. Bart. & Doctores tradunt ultimum de familia posse bona & jura fideicommisso perpetuo subjecta, extraneo hæredi relinquere, ut tradit etiam Molin. *de primogenit. lib.* 1. *cap.* 4. *num* 23. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 52. *num.* 2. Rota *decis.* 203. *num.* 1. *p.* 2. *recent.* & in terminis Iurispatronatus post Anchar. *cons.* 81. *num.* 2. pluries tenuit Rota, ut per Cassad. *decis.* 2. *num.* 3. *de Jurepatronat.* Seraph. *decis.* 364. *num.* 2. *in fin. cum sequentibus*, Rota *decis.* 375. *num.* 4. *& num.* 14. *part.* 1. *divers.* & apud Vivian. *de Jurepatronat. decis.* 12. *sub num.* 1. *& decis.* 13 *sub num.* 4. *& decis.* 41. *sub num.* 18.

Sed cùm Laurentius de Puccis à prædicto Antonio descenderet, nec de hoc sit inter partes controversia, & is reliquerit Horatium, quem uti filium ex muliere conjugata susceptum multis modis agnovit, nempe instituendo eum in summa scutorum 400. annuorum, & legitimando uti filium, & insuper educavit, tractavit, & nominavit uti talem & dispensationem super Clericatu obtinuit, ac alios actus similes fecit, de quibus *in summario Dominorum de Puccis.*

Et cùm dictus Horatius post mortem Roberti junioris, relictis hæredibus Dominis de Puccis decessisset, qui uti hæredes dicti Horatii Iurispatronatus in dicto Oratorio Sancti Sebastiani ad se pertinere contendere cœperunt, & mota lite causaque mihi commissa, proposui dubium super pertinentia dicta Iurispatronatus; & Domini responderunt ad Dominam Octaviam Capponiam pertinere.

Nam difficultas præcipua circa filiationem prædicti Horatii vertebatur, & cum in confesso apud partes sit ex muliere uxorata natum fuisse, probatio filiationis ex Laurentio insufficiens apparuit, propter Iuris præsumptionem deductam ex textu *in leg. milet. §. defuncto, ff. ad leg. Juliam de adult.* ex qua communiter deducitur, ex uxore etiam adultera natum filium, mariti censeri; quamvis uterque id negaverit, ut docent Bald. & Abb. *in cap. per tuas, de probat.* Boër. *decis.* 299. Hippolit. *in leg.* 1. *§. ad quæst. num* 34. *de quæstione* Alciat. *de præsumpt. regul.* 3. *præsumpt.* 37. Castrens. *cons.* 434. *num.* 2. Covar. *de spon.* 2. *part. cap.* 8 *§.* 3. *num.* 8. Mascard. *de probat. concl.* 788. *ex num.* 2. *lib.* 2. Menoch. *de arbitr.* 3. 89. *ex num.* 20.

Quamvis enim prædicta præsumptio juris tantum sit, ut tenent Emanuel. Cort. *in §. & quid si tantum*, 4. *part. n.* 45. Paris. *cons.* 19. *ex num.* 98. Covar. *ubi suprà*, Menoch. *in dict. quæst.* 89. *num.* 104. Achill. *decis.* 1. *num.* 4. *sub tit. qui filii sint legitimi*, tamen eas dumtaxat probationes in contrarium admittit, ex quibus probetur ex marito susceptum non fuisse vel propter infirmitatem, vel senectutem, vel absentiam, aut aliam similem impossibilitatem accessûs ad uxorem, ut refertur *in leg. cùm dissimus, ff. de his qui sunt sui vel alieni juris*, & post Doctores suprà relatos firmavit Rota apud Achill. *dict. decis.* 1. *num.* 3. *qui filii sint legitimi*, & apud Reverendissimum Dominum meum Decanum *dict. decis.* 7. *n.* 2. *& in Romana de Bonellis* 29. *Novembris* 1613. *& de* 18. *Novembris* 1614. *coram bonæ memoriæ Ubaldo.* Ideò communis reputatio ac recognitiones Laurentii supradictæ, cum ipsæ impotentiam coëundi mariti, aut ejus accessûs ad uxorem non tangant, ad hujusmodi filiationis probationem non sufficere Dominis visum fuit.

Et quamvis Laurentius Horatio in singulos annos scuta 400. uti filio naturali legitimato legaverit, & Robertus Laurentii hæres voluntatem ejus agnoscens persolverit, non exinde sequitur agnovisse Horatium esse filium Laurentii: tum quia licet potuisset legatum ex defectu filiationis impugnare, rectiùs faciſſe voluntati defuncti obtemperando dicendum est, secundùm textum *in leg. mulier* 12. *in princip. ff. ad Trebellian. leg. Patrem* 19 *ibi, plenum fidem, ac debitam pietatem sequutus, ff. quæ in fraud. creditor. l.* 1. *C. de fideicom.* tum quia etiam sublata causa filiationis, potuit legatum ex aliis sustineri, quæ fuerunt à testatore expressæ; nempe ut libentius posset Horatius divino obsequio inservire, & pro anima testatoris preces effundere: & quando plures causæ assignantur, sufficit unam esse veram; ut ex illa dispositio sustineatur: juxta textum *in §. affinitatis, Instit. de nupt. leg. si nor ex Ælia Sentia, ff. de hæred. instit.* 12. *in authent. non licet, n.* 11. *C. liber. prater.* Valasch. *consult* 60. *num.* 5. Tiraq. *in reg. cessante causa, limit.* 22. Ludov. Gomez. *decis.* 91.

Neque obstat non licere defuncti factum impugnare: *leg. Seia* 73. *ff. de evict.* & quod hæc regula æquè militet in hærede hæredis, cùm etiam primi testatoris hæres esse dicatur, ex *leg. fin. C. de hæred. instit.* Nam respondetur primò prædictam regulam non procedere in eo actu, cui defunctus duntaxat consensit, non autem ad ejus observationem se obligavit: ut docet Fulgos. *cons.* 61. *& in leg. quoties ab omnibus, C. de fideicomm.* ubi Iason. *num.* 2. notat esse dictum quotidianum & digito ligandum, Tiraquell. *de retract. conjug. §.* 1. *g. off.* 9 *num.* 54. *in fin.* quos sequitur Surd. *cons.* 15. *num.* 30. & hæc doctrina æquè verificatur in Laurentio testatore, & Roberto ejus hærede.

Secundò respondetur prædictæ Regulæ locum non esse respectu juris supervenientis post factum defuncti: secundum textum *in leg.* 3. *& in leg. Lucius, ff. de evict. leg.* 1. *Cod. de peric. & comm. rei vend.* ubi notant Bart. Bald. Castr. & Salic. Surd. *dict. cons.* 15. *num.* 17. Anton. Gomez. 2. *tom. var. c.* 1. *num.* 40. *in fin.* Felician. de Sol. *de censibus*, 2. *par. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 15. Roderic. *de ann. redit. lib.* 2. *quæst.* 9 *n.* 19. Ius autem disponendi de hoc Iurepatronatus ad favorem extranei non cœpit competere nisi à tempore mortis Roberti; quia tunc duntaxat cœpit esse certum: non superesse masculum descendentem per lineam masculinam ab Antonio de Puccis fundatore, & prædicta causa eo tempore dumtaxat extitit, quapropter Domina Octavia Caponia eo jure utens, factum defuncti antecedens impugnare prohibetur.

Tertiò respondetur, quòd cùm Robertus in hoc Iurepatronatus, & non hæreditario à Laurentio successerit, juxta reg. text. *in leg. unum ex familia, ff. de leg.* 2. Molin. *in primog. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 20. *& 21. & lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 12. respectu hujus Iurispatronatus factum defuncti potuit impugnare, secundùm textum *in leg. Lucius Titius* 38. *ff. solut. matrimon. & ibi* Bart. *in fin. num.* 7. Barbos. *num.* 24. Phanuc. *de inven.* 7. *parte ex num.* 196. Alciat. *in leg. filius familias, §. Divi, in fin. de leg.* 1. Crot. *in leg. si is qui, num.* 11. *ff. de usucap.* Nart. *cons.* 170. *num.* 13. *lib.* 1. Tiraquell. *lib.* 1. *de retract. §.* 1. *glos.* 9. *num.* 13. & conducit textus pro eorum sententia, *in leg. Seia* 73. *ff. de evict. leg. ult. Cod. eodem tit.* Grammat. *decis.* 913. *ex num.* 8. *cum segq.*

Et ita resolutum utraque parte informante, &c.

Florentina Canonicatus, Lunæ 3. Junii 1630.

Coram R. P. D. Verospio.

SUMMARIUM.

1 *Instituendi necessitas cessit in transversalibus.*
2 *Patronus filius esse non potest unà cum patre in Jure-patronatus hæreditario.*
3 *Impatronatus gentilitium probatur ex eo quod filius fuerit admissus ad præsentandum unà cum patre.*
4 *Testator quando præsumatur prius fecisse aliud testamentum.*
5 *Actuum pluralitas præsumitur ubicumque sub diversa forma apparent celebrati.*
6 *Divisio bonorum facta in præjudicium vocatorum, an sustineatur?*
7 *Alienatio ex causa divisionis permissa est inter coharedes fideicommisso gravatos.*
8 *Alienatio facta in extraneos ab hæredibus gravatis sustinetur eis viventibus; cùm eorum vita durante nullum possit considerari præjudicium vocatorum.*
9 *Apoplexia morbus impedit, quod patiens possit ad sacros Ordines promoveri.*
10 *Resignatio beneficiorum intra tres menses publicari debet.*
11 *Præsentatio probat observantiam licèt non fuerit effectum sortita.*

DECISIO LXIV.

DUabus decisionibus firmarunt Domini coram me, qualitatem hujus patronatus esse hæreditarium, cùm causa inter patronos agitaretur, revocata decisione R. P. D. bon. mem. Buratti, in qua cùm super eodem patronatu dubitaretur inter præsentatos, probationes tunc datæ visæ fuerant concludere potiùs contrariam qualitatem gentilitiam.

Fundamentum posteriorum resolutionum illud fuit, quod observantia, quæ pro qualitate gentilitia deducebatur, verè concludere non poterat, cùm præter contrariam Juris præsumptionem, iidem qui tanquam ex familia de Puccis dicebantur præsentasse, essent etiam hæredes Cardinalis Laurentii de Puccis, apud quem primùm in eadem familia probatur fuisse hunc patronatum: Imò non nisi tanquam ipsius Cardinalis hæredes præsentassent.

Hoc ultimum decisionis fundamentum cœperunt controvertere Domini de Venturis, qui contrariam qualitatem gentilitiam defendebant, & cùm tertiò auditi obtinuissent super qualitate hujus patronatus, proposui dubium: An esset recedendum à decisis? quod Domini negativè resolverunt.

Novæ huic disputationi occasionem dedit testamentum, quod novissimè, & post resolutiones factas exhibitum fuit à Venturis, in quo cùm Cardinalis vocasset eos, qui alias sibi ab intestato successissent, putabant tolli responsiones datas in utraque decisione, quod filii, & nepotes, licèt in gradu posteriores vocati simul censerentur ex testamento Cardinalis, in quo tanquam transversali non cadebat necessitas instituendi, cùm secundùm formam successionis intestatæ, patruis & patre superstitibus, jus aliquod habere filii, aut nepotes non potuissent, §. 1. *Authent. de hared. ab intestat. veniens. Auth. de success. Cod. de suis & legitim.* Atque ita præsentationes, in quibus simul concurrerunt, sustineri non possent nisi tanquam factæ in capita, atque uti de patronatu gentilitio; cùm in patronatu hæreditario vivente patre Patronus simul filius esse non poterat, Calderin. *cons. 9. de Jure patron.* Federic. de Sen. *cons. 111. n. 9 vers. præterea si filius*, Veral. *decis. 284. num. 2. p. part. 2. & 131. num. 3. parte 1.* Sicut hoc argumento ad probationem qualitatis gentilitiæ usa fuit Rota *in Florentina de Ricasolis 10. Maii 1603. coram Cardinali Lancelloto*, eamque sequuta fuit decisio facta *in hac causa coram bonæ memoriæ Buratto 25. Maii 1616.*

Verum hoc argumentum ex testamento Cardinalis id solùm concludebat, ut in successione ex forma ejusdem testamenti ipsius Cardinalis hæreditas proximioribus & anterioribus in gradu deferretur ejus verò divisionis, quæ apud ejusdem Cardinalis hæredes semper servata fuit, non solùm mentio aliqua non fiebat in eodem testamento, sed ex forma succedendi in eo data? eadem divisio subsistere non poterat cùm ex stipite Alexandri cum Antonio Cardinali Pistoriensi & Raphële admitteretur Joannes Paulus nepos, & unà cum Roberto patre Janottus & Pandolphus, ex stipite ejusdem Roberti; unde horum alterum ex his necessariò, & omninò sequebatur: Vel quod aliud testamentum supponendum esset, & quidem diversum à primo, dum præter temporis diuturnitatem, quæ inter hoc testamentum, & mortem Cardinalis intercesserat alio modo, & forma, quàm in eodem testamento disponeretur, probabatur possessam fuisse Cardinalis hæreditatem, Gloss. *in i. omnium, Cod. de testam.* Decianus *cons. 55. num. 35.* Menochius *præsumpt. 16. lib. 6. num. 21.* Mascardus *de probat. conclusione 1174. numero 38.* Rota *in Regien. Juris patronatus 11. Maii 1623. coram Domino meo Pirovano*, sicut generatim, & universè hæc actuum pluralitas præsumitur ubicumque sub diversa forma appareant celebrati. Bald. *in cap. cùm Joannes Eremita 10. num. 4.* Felin. *num. 8. de fide instrum.* Menochius *dicta præsumpt. 15. libro 6. numero 15.* Rota *in Nepesina Tutela 11. Maii 1619. coram Cardinali Verospio.* Vel cùm iidem, qui fuerunt Cardinalis hæredes, ejusdem Cardinalis hæreditatem inter se partiti fuerint, & secum participes esse voluerint, quos aliàs excludissent secundùm formam successionis intestatæ; neque opus sit eodem testamento ad probationem. An simul cum suis majoribus filii, & nepotes succedere debuissent, si eo non obstante fuerunt iidem nepotes admissi ad eam hæreditatem ab iis, qui ex forma ejusdem testamenti erant hæredes Cardinalis, ita ut ex utroque capite declaretur præsentatio tanquam de patronatu hæreditario.

Neque hæc facta ideò dici poterant, ut solum eorumdem filiorum, & nepotum consensus adhiberetur in divisione, quæ facta fuit inter eosdem Cardinalis hæredes, ut cesseret inde dubitatio, an ex eadem divisione ipsis præjudicari potuerit tanquam vocatis ex rationibus, quas ponit Peregrinus *de fideicommissis, articulo 52. num. 87. & articulo 53. num. 61.* Hæc enim prodesse possent, si solùm eorum consensum appareret fuisse requisitum, non autem tanquam in effectu participes, & cohæredes admissi fuissent: præterquam neque verum est, ut non potuerit fieri eadem divisio inter ipsos cohæredes sine consensu nepotum, aut filiorum, qui succedere sive in patronorum, sive in patris sui portione debuissent, *leg. cùm pater 79. § hæreditatem, & ibi* Castren. *num. 2. ff. de legat. 2.* Peregrin. *de fideicommiss. articulo 40. num. 36.* Decian. *cons. 511. num. 6.* Cùm immò sustineatur alienatio, etiam quæ facta sit in extraneum, adeò ut viventibus iis, qui alienarunt, considerati non possit præjudicium aliquod vocatorum; cum & præcedere possint, & quandocumque consentire, *leg. servum filii 46. §. si quis ei, leg. servo legato 12. §. si testator, ff. de legat.* Peregrin. *cod. articulo 40. num. 6. & 7. articulo 52. num. 6.* Castren. *in leg. filius familias, §. 11. num. 7.* Ripa *num. 47 ff. de legat. 1.* Zanch. *in leg. hæredes mei, §. cùm ita, num. 40. ff. ad Trebell.* Gabriel. *cons. 118 lib. 1.* Surd. *cons. 73. num. 72. & cons. 138. n. 9.*

Quod verò eadem divisio non autem testamentum effectum habuerit, cum probaretur ferè ex omnibus actis, qui fieri inter eosdem hæredes contigerunt, in quibus vel retenta & servata semper fuit eadem forma, atque in laudo apparebat fuisse inter ipsos hæredes divisam Cardinalis hæreditatem, vel facta fuit mentio eorumdem stipitum, & portionum hæreditariorum, vel admissi fuerunt qui aliàs non successissent secundùm formam datam in testamento. Dixerunt tamen Domini, tolli prorsùs omnes difficultates ex ultima præsentatione, quæ successit anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto, in qua præcisè & ad unguem servata fuit eadem divisio stipitum, & vocum, sicut in laudo divisa fuerat Cardinalis hæreditas, cùm sicut fuit in aliis omnibus decisionibus consideratum, posset hæc præsentatio inter cæteras ostendere hanc qualitatem hæreditariam, tam ratione ultimi status, quàm quia in ea ex stipite Alexandri intervenerat Robertus Joannis Pauli, à quo immediatè causam habent Lucretia, & Sibilla auctrices Dominorum de Venturis. Neque eadem præsentatio dici poterat successu caruisse, cùm Petrus de Natis, qui ex ea Canonicatum obtinuerat propter morbum apoplexiæ, ex quo ad sacros Ordines promoveri non potuit, resignare coactus fuerit hunc Canonicatum & obtinuerit hac etiam de causa absolvi à fructibus, quos indebitè perceperat; imò idem Canonicatus fuerit alteri collatus tanquam vacans à principio propter non publicatam resignationem (ex cujus resignationis causa idem Petrus provisionem suam obtinuerat) intra tres menses juxta constitutionem Gregorii Decimitertii, *de publicandis resignationibus.* Ea enim nova provisione, vel sublatum fuit solum impedimentum inhabilitatis ipsius provisi, & præsentationem Patronorum Papa potiùs confirmavit per provisionem, quæ non erat præsentationi contraria, vel adhuc non opus est videre, an ea præsentatio fuerit effectum sortita, cum illa non deducatur ad effectum quasi possessionis quo casu, ut jus ex ea præsentatione quæsitum dici posset, opus esset probare, ut eadem præsentatio executionem habuerit, sed tantum ut ex ea appareat quid in hoc patronatu fuerit per

Patronos

patronos observatum, ut benè, & in proposito distinxit, Rota *in Florentina Iuris patronatus de Ricasolis 30. Martii. 1603. & 11. Februarii 1604 coram Cardinali Lancellotto.*
Et ita utraque, &c.

Elnen. Canonicatus, Venetis 6. Iunii 1631.

Coram R. P. D. Ghisterio.

SUMMARIUM.

1 *Subrogato gratiosè danda est immissio, probato Clericatu, obitu defuncti in possessione beneficii, & ejusdem beneficii affectione.*
2 *Clericatus probatur ex litteris Ordinarii.*
3 *Obitus beneficiati in possessione beneficii, probatur ex confessione adversarii.*
4 *Possessio semel probata præsumitur usque ad obitum continuata, & suffragatur successori ad effectum obtinendi immissionem vigore gratiosæ subrogationis.*
5 *Beneficii affectio in coadjutoriis pendet à validitate, & justificatione causæ, per quam fuit motus Papa ad concedendam coadjutoriam.*
6 *Coadjutoria tessat cessante causa ob quam fuit concessa.*
7 *Papa quando ex causa narratorum manus apponit super aliquo beneficio, si narrata non sunt vera, Papa non intendit præjudicare collateribus.*
8 *Ætas decrepita propriè est supra annos septuaginta.*
9 *Ætas est difficilis probationis.*
10 *Ætas probari potest per conjecturas, & indicia.*
11 *Ætas probatur per testes deponentes de proprio judicio, vel per aspectum.*
13 *Confessio annorum ejus, de cujus ætate quæritur, multùm concludit.*
14 *Fides Baptismi non probat ætatem nisi fuerit extracta à Parocho.*
Amplia ut num. 15.
16 *Fides Baptismi à Parocho non extracta, probat, si fuerit extracta vigore compulsoriæ parte citata.*
17 *Libri baptismi custodia præscripta fuit à Sacro Concilio Tridentino.*
18 *Presbyteratus Ordine non potest quis decorari ante annum 25. ex dispositione Sacri Concilii Tridentini.*
19 *Testes dubitativè deponentes non probant.*
20 *Testes melius informati debent aliis præferri.*
21 *Ebrietas ut tollat fidem testibus, probari debet tempore examinis.*
22 *Infirmitas alicujus bene probatur per testes.*
23 *Testibus peritis magis creditur quam aliis in iis, quæ eorum peritiam concernunt.*
24 *Infirmitas alicujus bene probatur ex facto, scilicet si ille ex ipsa infirmitate decesserit.*
25 *Beneficium ex appositione manus Papæ ita remanet affectum, ut nullus inferior possit amplius se circa illud intromittere.*

DECISIO LXV.

CUm dubitaretur, An Cosmo Romeu à Sanctissimo deputato Coadjutori cum futura successione Francisco patruo Canonicatus Ecclesiæ Elnen. vigore subrogationis gratiosæ esset danda immissio, fuit affirmativè resolutum; cum Clericatus Cosmi, obitus Francisci in possessione Canonicatus, & affectio Canonicatus benè probentur ut requisita necessaria in hoc judicio immissionis, Seraph. *decis.* 1426. *num.* 1. Rota *decis.* 154. *num.* 1. *part* 2. *recent. & in Cusent. Abbatia* 20. *Decembris* 1617. *coram Eminentissimo Cardinali Virili.* De Clericatu constat ex pluribus testibus, & ex litteris Ordinarii, quæ solæ sufficerent, Grammat. *decis* 81. Seraph, *decis.* 313. *num.* 1. felicis memoriæ Greg. XV. *decis.* 49. *num.* 6. & 78. *num.* 5. obitus autem Francisci in possessione Canonicatus probatur ex confessione partis quæ superat alias probationes, *leg. cum te*, ubi not. *C. de transact.* Siquidem de tali confessione patet in titulo obtento à Capitulo, Rota *decis.* 4 *part.* 2. *divers.* & datur instrumentum adeptionis possessionis, quæ præsumitur continuata usque ad obitum, & suffragatur successori ad effectum consequendi immissionem gratiosæ subrogationis ex notatis *in allegat. Cusentina Abbatia coram Eminentissimo Cardinali Virili*, bonæ memoriæ Cardin. Cavaler. *decis.* 559. *num.* 3. & *decis* 608. *num.* 3. felicis record. Gregor. XV. *decis.* 166. *n.* 5. & 394. *num.* 4.

Affectio Canonicatus, de quo agitur, pendet à validitate gratiæ Coadjutoriæ, & à justificatione causæ, quâ motus fuit Papa ad Coadjutorem admittendum, Rota *decis.* 14. *num.* 2. *ut lit. pend. in nov. decis.* 419. *num.* 2. *parte* 2. *divers. in Barchinonen. præcedentia* 27. *Ianuarii* 1603. *coram bonæ memoriæ Cardinali Sacrato in Coneten. Parochialis* 4. *Decembris* 1606. *coram bonæ memoriæ Cardinali Marquemontio, & in Oxomen. Archidiaconatus* 19. *Novembris* 1614 *coram bonæ memoriæ Buratto*, quam sequuta est Rota *in Leodien. Canonicatus Sancti Dionysii* 25. *Maii* 1616. *coram R. P. D meo Pirovano confirmata* 9. *Iunii* 1618. quia cessante causa cessat etiam gratia, & ideò cùm per Coadjutoriam Papa limitatam manum apposuerit ex causa narratorum, si narrata non sunt vera, Papa non intendit præjudicare Collatoribus ordinariis, & per consequens cessante gratia cessat & affectio ex suprà deductis: sed hanc validam, & justificatam censuerunt Domini ex quo benè probantur narrata in gratia, ætas ultra 70. annos, & infirmitas.

Quoad ætatem, illa probatur ex testibus octogenariis & nonagenariis deponentibus se cognovisse, coadjutum usque de ann. 1552. quorum dicta adminiculantur ex aliis testibus concludentibus ætatem narratam ex aspectu & de judicio, atque etiam alio deponente Franciscum obiisse in ætate decrepita, quæ propriè est suprà 70. annos, ut firmat Odd *de restit. in integr. p.* 1. *q.* 21. Modern. Rom. *de Iudicibus, lib* 2 *cap.* 8. *n.* 154. & cùm ætas sit ex sui natura res difficilis probationis, Bald. *in l. si minorem, C. de integr. restit.* per conjecturas & indicia probari potest, *leg. cum ætate*, ubi Glossa *ff. de probation. l. cum te, eodem.* Menoch. *in tract. de præsumpt. reg.* 2. *præsumpt* 14. *num.* 8. & *seqq.* Socin. *cons.* 3. *n.* 2. *vol.* 2. præcipuè quando agitur de ætate longæva, Mascard. *de probat. conclus.* 675. *num.* 2. Rota *decis.* 160. *num.* 1. *part.* 2. *divers.* & coram Mantic. *dec.* 124. *num.* 2. & potest probari per testes singulares, ut tradit Fatio. *fragm. crim. lit. A. num.* 187. & optimè comprobatur ex depositionibus testium deponentium de judicio suo, vel per aspectum, juxta theoticam, Bart. *in leg. de ætate, num.* 7. & 10. *ff. de minor.* quam passim sequuntur Doctores, & tenuit Rota *decis.* 131. *num.* 2. & 3. *parr.* 1. *coram Caputaq.* Testes autem adducti pro Cosmo ferè omnes reddunt optimam rationem, vel de cognitione à pueritia, vel à juventi ætate, vel ex confessione ipsius Canonici Coadjuti, quæ multum concludit, *l. publica, in fin ff. depos.* Abb. *in rubr. extra, de probat.* Parisi. *cons.* 115. *n.* 12. *vol.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 673. *n.* 1.

Probationes in contrarium adductæ per Antonium non relevant. Nam fides Baptismi, in qua refertur, Franciscum coadjutum fuisse natum anno 1562. à quo usque ad ejus obitum elapsi sunt tantummodo 65. anni, non est extracta à Parocho, ut requiritur ad hoc, ut ex illa probatio ætatis concludatur, cùm agatur de his quæ spectant ad ejus officium: Bart. *in l.* 2. *C. de ponder. lib.* 10 Gabr. *de testib. concl.* 2. *num.* 19. Ruin. *cons.* 56. *num.* 5. *lib.* 1. Imò neque extracta fuit à Notario, neque ab aliquo, cui ex officio demandata esset custodia libri hujusmodi, sed fuit extracta à tertio, cui non probatur fuisse concessam hanc facultatem extrahendi, & licet dicatur, eum, qui extraxit, fuisse Presbyterum, & Vicarium loci, attamen nihil facit, quia non constat quod Presbyter & Vicarius custodirent librum, nec ex ejus persona potest accipere robur hoc prætensum instrumentum, Rota *decis* 603. *num.* 3. *p.* 2. *recent.* & saltem debebat extrahi cum compulsoria parte citata. *Auth si quis in aliquo*, ubi Dec. *n* 9 & 10 *C. de eden.* Rota *decis.* 1. *de fid. Instr. in nov.* Mohed. *decis* 8. *eod. tit.* Sacr. mem. Greg. XV. *decis* 469. *n.* 4. Quinimò hæc fides Dominis admodum inverisimilis visa fuit, quoniam ex fide Parochorum patet quod eo tempore non extabat hic liber cùm agatur de tempore ante Concilium Tridentinum, à quo tradita fuit, & præscripta custodia librorum in quibus Baptizatorum nomina describuntur, & cùm de tempore quo in partibus fuit producta dicta fides, faceret protestatum, quod formiter extraheretur, & non fuerit extracta specialis compulsoria petita fuit denegata 17. Februar. 1631. *coram D. meo Vivaldo Ponente.* Plurimi tamen fecerunt Domini attestationem authenticam susceptionis Ordinis Presbyteratus à Francisco Coadjuto de mense Decemb 1585 ad quem promoveri non potuisset ante 25. ætatis annum ex dispositione Sacri Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.* à quo tempore ad annum 1627. quo fuit concessa gratia Coadjutoriæ, etiam quod Franciscus fuisset solùm annorum 24. concludit, ut ipse haberet plusquam annos 67. quæ benè coadjuvare potest dicta testium Cosmi deponentium eundem Franciscum de tempore concessæ gratiæ excessisse annum septuagesimum.

19
20 Teſtes in contrarium adducti non obſtant, quia deponunt dubitative, nec concludunt ætatem inferiorem, ſed teſtes Coſmi melius informati debent aliis præferri, Alexand. *conſil.* 141. *num.* 11. *lib.* 11. *lib.* 1. Felin. *in c. in veſtra*, *n.* 11. *de teſtibus*, Aymon. *conſ.* 400. *num.* 35. Mantica *deciſ.* 61. *n.* 8. & eorum depoſitio redditur maximè veriſimilis per ſupra-
21 dictam fidem ſuſceptionis Ordinis Presbyteratus. Neque relevat exceptio prætenſæ ebrietatis aliquorum teſtium, quia non probatur de tempore examinis, ut neceſſariò requiritur ad effectum, ut ebrietas adimat fidem teſtibus, Cravet. *conſ.* 169. *num.* 5. Maſcard. *de probat. concl.* 379. *num.* 6. Rota *in Heſpal. Primitiarum* 31. *Maii* 1617. *coram Eminentiſſimo Cardinali Pamphilio.*

22 Quo verò ad infirmam valetudinem Franciſci Coadjuti, illa eſt concludenter probata ex teſtibus, quorum duo erant Medici, unus Phyſicus, alter Chirurgus, qui illum curarunt ante conceſſionem gratiæ, & ſucceſſivè uſque ad ejus obitum deponentibus de lapſu in tertam, poſt quem Franciſcus
23 non amplius exiit è lecto, quibus uti peritis magis quàm aliis deferitur, *leg. ſeptimo menſe*, ubi Bald. *in princip. ff. de ſtat. hominum*, Socin. jun. *conſ.* 183. *num.* 11. *lib.* 2. Rota *deciſ.* 620. *n.* 3. *part.* 1. *diverſ. in Giennen. Theſaurariæ ſeu Coadjuteriæ*, 22. *Maii* 1624. *coram bonæ memoriæ Buratto.*
24 Et hæc adverſa valetudo comprobatur ex aliis ſex teſtibus de ea deponentibus, & ex facto ipſo, cum paulo poſt ſignatam ſupplicationem ex prædicto morbo deceſſerit.

Quare cùm copulativè ætas, & infirma valetudo narrata in gratia Coadjutoriæ fuerint juſtificata, eſt danda immiſſio
25 Coſmo in vim ſubrogationis gratioſæ, ſtante affectione ex appoſitione manus Papæ, ex qua Canonicatus ita remanſit affectus, ut nullus inferior ſe circa illum poſſet amplius intromittere: ad text. *in cap.* 1. *extr. de confirm. util. vel inutil. & in cap. ut noſtrum, de appellat.* juxt. not. per Doctores *in cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælat.* Æneas de Falcon. *de reſervat. benefic. prælud.* 4. *num.* 4. Pariſ. *conſil.* 47. *n.* 30. *& ſequentibus*, *lib.* 4. Rebuffus *in prax. benef. part.* 1. *de reſerv. num.* 34 Gonzal. *ſup. regul.* 8 *glo.* 52. *num.* 4. Rota *deciſ.* 570. *n.* 2. *part.* 1. *& 190. num.* 6. *part.* 2. *recent.*

Et hæc utraque parte informante fuerunt reſoluta coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Vbaldo, in cujus locum propter ejus abſentiam fuit ſubrogatus.

Romana Quarti Dotalis, Die Sabbati 26. Novembris 1633. In Rota Martiniana.

Coram R. P. D. Dunozetto.

SUMMARIUM.

1 *Uxor mortuo marito poteſt prætendere lucrum dotale ex diſpoſitione Statuti Urbis* lib. 1. cap. 131.

2 *Statutum Urbis* lib. 1. cap. 131. *ut habeat locum requiritur matrimonii conſummatio.*

3 *Mulier prætendens lucrum dotale vigore Statuti Urbis*, lib. 1. cap. 131. *tenetur concludenter probare matrimonium fuiſſe conſummatum.*

4 *Confeſſio partis bene probat contra ſeipſam.*

5 *Matrimonium habetur pro conſummato ad effectum conſequendi lucrum dotale ſuper conjugem ſuperſtitem non ſteterit, quominus matrimonium conſummaretur.*

6 *Matrimonium eſt à principio nullum propter impotentiam perpetuam.*

7 *Matrimonium ubi non adeſt, ibi nec dos, nec lucrum, ſeu donatio propter nuptias eſſe poteſt.*

8 *Matrimonium quando eſt nullum propter impotentiam viri, non debetur lucrum dotale.*

DECISIO LXVI.

1 DOminus Alexander Cavetarus contraxit matrimonium ſolemniter cum Domina Diana Grotta, cum qua cohabitavit per duos menſes circiter: deinde obiit. Poſt cius obitum Domina Diana ultra reſtitutionem dotis cœpit prætendere lucrum dotale à Domino Camillo Cavetano patre, & fidejuſſore ex diſpoſitione ſtatuti Urbis *cap.* 131. *lib.* 1. Unde propoſito à me dubio, an ei deberetur, Domini
2 negativè reſponderunt.

Nam fuit conſideratum dictum ſtatutum in quo Domina Diana ſe fundat, requirere matrimonii conſummationem, & ad effectum lucrandi Quartum dotale, ut ex eius lectura
3 evidenter apparet. Unde Domina Diana, quæ eſt actrix, & petit dictum Quartum vigore dicti Statuti, deberet concludenter probare iſtam qualitatem à Statuto requiſitam, & ſic matrimonium verè conſummatum fuiſſe: ut in terminis Statuti de lucro dotis, Pariſ. *conſ.* 34 *num.* 10. *& ſeqq. lib.* 3. *& conſ.* 62. *num.* 42. *lib.* 4. Rolan. à Valle, *conſ.* 46. *num.* 8. *lib.* 4. Bero *conſ.* 40. *num.* 23. *poſt med. lib.* 1. Sanch. *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 19. *num.* 3. *&* 4. Rota *deciſ.* 101. *num.* 1. *part.* 2. *diverſ.*

Ex his autem, quæ pro parte dictæ Dianæ deducuntur, tantùm abeſt, ut probetur dicta qualitas, quinimò de contrario conſtat tam ex propria ejus confeſſione, de qua in *ſummario*, *num.* 9. aſſerentis ſe nunquam ab Alexandro carnaliter fuiſſe cognitam: quæ confeſſio in his terminis 4
contra ipſam benè probat: Rota *diverſ. dicta deciſ.* 101. *num.* 11. *parte* 2. Greg. *deciſ.* 357. *num.* 3. quam ex relationibus matronarum, quæ facta corporis inſpectione poſt contractum matrimonium, eam Virginem & incorruptam eſſe retulerunt.

Non obſtat quod per Dianam non ſteterit quominus 5
Matrimonium conſummaretur, ſed per Alexandrum, ideoque in hoc caſu illud haberi debeat pro conſummato: quod ſufficit ad effectum conſequendi lucrum dotale. Bald. *in leg. Deo nobis*, ſub *num.* 7. *verſ. ſed juxta hoc, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Napodan. *in conſuetud. Neap. in tit. de jur. Quart. folio* 256. *ſub num.* 32. *& folio* 258. *num.* 43. Surd. *de alimentis*, *tit.* 1 *quæſt.* 32. *num.* 18. Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 6. *diſput.* 18. Molfeſ. *ad conſuetud. Neap. part.* 7. *tit. de jur. Quart. quæſt.* 7. *per totum*, *& in addit. à num.* 15. *uſque ad num.* 21. Gramm. *deciſ.* 103 *ſub num.* 87. *verſ. & licèt, cum ſequentibus*, Gail *obſervat.* 80. *num.* 11. *verſ.* 2. *limitatur*, *libro* 2. & in terminis Statuti Urbis, Rota *deciſ.* 92. *&* 103. *parte* 2. *diverſ.* Quia de contrario apparet ex depoſitionibus teſtium pro parte Alexandri examinatorum, aſſerentium dictam Dianam ut plurimum repulſiſſe virum ad eam accedere volentem, & perſæpè ex lecto maritali ad matrem confugiſſe, ac demum maximis cum diſſentionibus illum domo ejeciſſe. Ex quibus potius conſtat de renitentia Dianæ, quàm de ejus patientia.

Non obſtant deducta ad probandam impotentiam perpetuam Domini Alexandri: nam omiſſo, an ex illis probetur, prout illam probari Domini non credebant; attamen dato, quod illa eſſet probata, adhuc tamen non deberetur dictum 6
lucrum, cùm propter dictam impotentiam Matrimonium fuerit à principio nullum: *cap.* 2. *& ibi* Doctores *de frigid. & maleficiat.* Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 7 *diſp.* 92. *num.* 2. cum aliis adductis per Bonacinam, *de matrimonio*, *quæſt.* 3. *puncto* 13. *num.* 9 quo caſu ceſſat ſtatutum de lucro dotali; quia ubi matrimonium non adeſt, nec dos, nec lucrum, ſeu 7
donatio propter nuptias eſſe poteſt: ut in terminis, quod lucrum non debeatur, quia matrimonium eſt nullum pro- 8
pter impotentiam viri: Bald. *in cap. juravit. num.* 1. *deprobat.* Phanuc. *de lucro dotali glo.* 3. *num.* 6. Gomeſ. *ad leg.* 50. *Tauri, num.* 7 Barboſ. *in leg.* 2. *ff ſoluto matrimonio, parte* 1. *num.* 158. Molpheſ. *ad conſuetud. Neapolit. tomo* 1. *parte* 7. *num.* 7. *& ſeq.*

Et ita utraque, &c.

Romana Quarti Dotalis, Die Lunæ 20. Novembris 1634.

Coram R. P. D. Dunozetto.

SUMMARIUM.

1 *Statutum Urbis* lib. 1. cap. 131. *defert lucrum dotis poſt conſummatum matrimonium, & num.* 3.

2 *Dotis lucrum, quando debetur ex ſtatuto, vel pacto, an debeatur non conſummato matrimonio; Quæſtio iſta inter Doctores eſt valdè controverſa; Et pro utroque caſu adſunt Doctores, qui de communi teſtantur.*

4 *Dictio*, juxta *ſtat ſimilitudinariè, ut dictiones*, ſicut, tanquam, ad inſtar, *& ſimiles.*

5 *Dictio*, juxta, *potius cenſetur ſtare demonſtrativè quàm reſtrictivè.*

6 *Dictio*, juxta, *tunc multò magis dicitur ſtare demonſtrativè quando eſt adjecta diſpoſitioni, & prolata in materia, cujus natura ſit di ponere.*

7 *Dictio*, juxta, *tunc ſtat cauſativè, non autem relativè, & reſtrictivè, quando non conſtat de relato.*

8 *Dictio*, juxta, *quando conſtat de relato, tunc ſtat ſimilitudinariè, & reſtrictivè ad relatum.*

9 *Lucrum dotale debetur uxori vigore ſtatuti Urbis* lib. 1. cap. 131. *ſiper ipſum non ſteterit quominus matrimonium conſummaretur.*

10 *Statuti vigore ſi aliquis prætendat aliquid ad ſe ſpectare, debet probare quod interveniant omnes qualitates à ſtatuto requiſita.*

11 *Teſtibus deponentibus ſuper Affirmativa magis credendum eſt.*

12 *Teſtes ſi fuerint examinati in alio judicio, & eorum depoſitiones non producantur, non merentur attendi.*

13 *Uxor debet præſtare patientiam ſucceſſivam, ad hoc ut dicatur quod per ipſam non ſteterit, quo minus matrimonium conſummaretur.*

DECISIO LXVII.

1 PRætendente Diana Grotta per obitum Alexandri ejus viri ſine liberis, ultra reſtitutionem dotis ſibi deberi Quartum dotale, juxta diſpoſitionem ſtatuti Urbis, *cap.* 151. *lib.* 1. Illud ei non deberi Domini ſub die 26. Novembris 1635. reſponderunt: ea moti ratione, quia Statutum defert lucrum dotis poſt conſummatum matrimonium, quæ conſummatio non probabatur; prout nec etiam hodie viſa fuit Dominis probari: & propterea perſtiterunt in deciſis.

2 Nam licet quæritio ſit multùm controverſa apud Dominos, etiam quando lucrum dotis debetur ex ſtatuto, vel pacto an debeatur non conſummato matrimonio? Ut latè per Cevall. *quæſt.* 110 Bernard. Grev. ad Gayll. *concluſ.* 80. *per tot. lib.* 2. & pro utraque opinione adſint Domini atteſtantes de communi opinione; attamen in præſenti caſu viſum fuit Dominis non verſari extra iſtam difficultatem, quia lucrum dotis fuit promiſſum juxta diſpoſitionem ſtatuti Urbis,

3 quòd ut ſuprà dixi, defert lucrum dotis poſt conſummatum matrimonium.

Et quod in iſto contractu partes ſe conformaverint cum ſtatuto Urbis, ſatis dignoſcitur ex ipſo inſtrumento dotali, in quo fuit dictum (*juxta formam ſtatuti*) illa ſiquidem

4 dictio, *juxta*, ſtat ſimilitudinariè, ut dictiones *ſicut tanquam, ad inſtar*, & ſimiles, *l. ſi quis, C. de ſepulchro violato, l. 1. C. de his, qui parent. vel liber. occid. leg. leges ut generales*, Cod. *de legibus*, Bero. *conſ.* 38. *n.* 3. *vol.* 1.

5 Neque obſtat quod iſta dictio, *juxta*, potius cenſeatur ſtare demonſtrativè, quàm reſtrictivè, Bart. *in leg. Centurio*,

6 *n.* 39. & *ibi* Jaſ. *num* 51. Rip. *num.* 173 *ff. vulg. & pupill.* Rota *deciſ.* 27. *num.* 7. *part.* 2. *diverſ.* Maximè cum illa ſit adjecta diſpoſitioni, & prolata in materia, cujus natura ſit diſponere, & ſic tanto magis ſtat cauſativè: Romana *deciſ.* 40. *n.* 3. *part.* 2. *diverſ.*

7 Quia hoc eſt verum, & benè procedit, quando non con-

8 ſtat de relato: quia tunc dictio, *juxta*, ſtat cauſativè: non autem relativè & reſtrictivè: ſecus verò quando conſtat de relato, prout hic quia conſtat de ſtatuto, quo caſu prædicta dictio ſtat ſimilitudinariè & reſtrictivè ad dictum ſtatutum: Bart. *in extravag. Ad reprimendum, verſ. prout, ſub num.* 2. Alexand. *conſ.* 106. *num.* 21. *lib.* 3. Decius *conſ.* 63. *num.* 6. *& in leg. edita, num.* 84. *in fine, & numero ſequenti*, Cod. *de eden.* Curt. jun. *conſ.* 92 *num.* 10. Ruin. *conſil.* 15. *num.* 11. *lib.* 1. Socin. jun. *conſ.* 122. *num.* 33. *lib.* 3. Grat. *conſ.* 105. *numero* 2. *vol.* 2. Rota *dict. deciſ.* 40. *num.* 4. & 5. *part.* 2. *diverſ.*

9 Non obſtat, quod non ſteterit per Dianam quominus Matrimonium conſumaretur, & propterea ei lucrum dotale denegari non poſſit: ex allegatis *in deciſione*: quæ revidetur, & in his terminis Statuti Urbis adſunt *deciſiones* 92. & 101.

10 *parte* 2. *diverſ.* Quia, ut ſuprà dictum eſt, cùm iſtud lucrum fuerit promiſſum juxta litteram ſtatuti, Diana debet probare, quod intervenerint requiſita à ſtatuto: & ſi ipſa prætendit per ſe non ſtetiſſe, quominus matrimonium conſummaretur, hoc debet concludenter probare: ut ultra allegata *in deciſione* tenent Surdus *conſil.* 130. *num.* 1. *poſt med.* Gratian. *diſcept.* 745. *num.* 57. & fuit dictum *in Romana Cenſus coram Reverendiſſimo Domino Decano* impreſſ. apud Pic. *ad ſtat. Urbis deciſ.* 30. *num.* 4.

Non obſtant teſtes examinati pro parte Dianæ deponen-

11 tes, quod unanimi conſenſu per quadraginta dies iſti conjuges inſimul decubuerunt, & quod de meridie in thalamo claudebantur, quibus teſtibus uti deponentibus ſuper affirmativa, plurimùm eſt deferendum ad probandam patientiam ipſius mulieris: Farinacius *de teſtibus, quæſt.* 65. *num.* 200. *& ſequentibus*, Rota *deciſ.* 355. *num.* 2. *part.* 1. *& deciſ.* 619. *num.* 9. *part.* 3. *diverſ.*

12 Quia ultra quod dicti teſtes fuerunt examinati in alio judicio, nec eorum depoſitiones fuerunt adhuc in Rota reproductæ, & ſic non merentur attendi, non deponunt de patientia ſucceſſiva præſtita ab ipſa Diana: quinimò conſtat de contraria per alios teſtes pro parte Camilli exami-

natos, qui deponunt, quod ipſa egrediebatur è lecto, & ibat dormitum cum Matre, & interrogata de hoc reſpondebat; *che coſi li piaceva di fare*: prout deponunt tertius, & quartus teſtis; & idem deponunt ſecundus, & tertius, dum dicunt, quod vir fuit ejectus domo: unde clarè patet quod Diana non probat intentionem ſuam: & quod dicti teſtes repugnant probationibus ipſius: & ex illis apparet ipſam non præſtitiſſe, ut dixi ſuprà, patientiam ſucceſſivam quam præſtare tenebatur, ad effectum ut potuerit dici per

13 eam non ſtetiſſe, quin matrimonium conſummaretur: & traditur per Calder. *conſil.* 5. *verſ. reſpondebat*: Berett. *conſ.* 45. *ſub num.* 19. Socin. *conſ.* 156, *num.* 10 *lib.* 2. *verſ. Primò enim.*

Non obſtat quod Diana faſſa fuerit ſe eſſe virginem, & quod Camillus in ſuis poſitionibus dixerit Alexandrum ejus filium iviſſe ad uxorem, & per quadraginta dies cum ipſa cohabitaſſe: quia non extinde propterea probatur continua cohabitatio Dianæ cum Alexandro, toto tempore quo duravit matrimonium; nec quod per ipſum ſteterit quominus fuit conſummatum matrimonium.

Et ita ex iis cum aliis deductis *in alia deciſione*, utraque parte informante; fuit reſolutum, lucrum dotis non deberi.

Giennenſis Theſaurariæ, Lunæ 24. Novembris 1634.

Coram R. P. D. Veroſpio.

SUMMARIUM.

1 *Probatio unius ex duabus qualitatibus copulativè narratis non ſufficit ad validitatem gratiæ, quamvis qualitas probata potuiſſet ſatis eſſe ad obtinendam gratiam.*

2 *Coadjutoria gratiæ obtenta ſub prætextu dolorum, valere non poteſt, niſi quatenus dolores ſint continui.*

3 *Capitis dolores, ex communi Medicorum ſchola connumerantur inter magnos, imò peſtiferos, & acutos morbos.*

4 *Dolores qui non ſint continui, dicuntur chronici.*

5 *Teſtis deponens ſuper magnitudine morbi, debet illius ſigna referre.*

6 *Morbi gravis ſigna perſpicua eſſe debent.*

7 *Morbi magni, quales ſunt acuti, magna ſolent producere ſymptomata.*

8 *Capitis dolores ſecum trahunt in conſenſum totum corpus.*

9 *Peritia in teſte periti inſervit probationi, & num.* 12. *intelligi ut num.* 13.

10 *Teſtis de auditu majorem fidem non meretur, quàm ille à quo audivit.*

11 *Teſtis deponens de iis, qui non cadunt ſub ſenſum, ſed ſignis externis deprehenduntur, debet referre ſigna ex quibus juſtificetur ejus depoſitio.*

14 *Teſtis licet poſſit uti ſua peritia in cognoſcendo rem ſuper qua deponit, ejus tamen peritia non ſuffragatur, ſi deponat ut teſtis, non autem uti peritus electus à Judice.*

15 *Dolores licèt propriè non ſint morbus, ſed morbi ſymptomata, poſſunt tamen illius vim, & qualitatem oſtendere.*

16 *Derivans ab aliquo tanquam à cauſa, id quoque illius ſignum eſt.*

17 *Dolores ſeu ſymptomata morbi, quæ nuncupantur læſa actionis, vix poſſunt ab ipſo morbo diſtingui.*

18 *Coadjutoria gratiæ valere non poteſt, niſi coadjutus exprimat nominatim talem morbum, qui ſit aptus impedire humanas actiones, cum non ſufficiat quæcunque inhabilitas, aut prava habitudo aſſerentis indigere auxilio Coadjutoris.*

19 *Morbus niſi ſit gravis, at ſonticus, non impedit humanas actiones, & num.* 27.

20 *Partita extracta ex libris Capituli impugnari non poſſunt ab iis, qui ſunt de gremio ipſius Capituli.*

21 *Infirmitas excuſat Canonicum non ſolum ab onere reſidendi, ſed etiam ei conſervat omnia privilegia præſentium pro lucrandis diſtributionibus quotidianis.*

22 *Conſuetudo, ſecundum quam abſentia Canonici non poſſit per alium ſupplere reſpectu præſentiæ perſonalis in Choro, attendenda eſt.*

23 *Debilitas adducta pro cauſa obtinendi Coadjutoriam debet eſſe talis, ut aggravet corpus ſine ſpe futuræ proſperitatis.*

24 *Infirmitas adducta pro ob tenenda Coadjutoria non eſt neceſſe quod ſit continua, ſed poteſt eſſe cum aliquo intervallo quietis.*
Declarant num. 26.
27 *Debilitas corporis quomodo diſtinguatur à morbo.*
28 *Morbus non ſolùm eſt habitus contra naturam, ſed habitus qui corporis uſum deteriorem reddit.*

DECISIO LXVIII.

CUm ageretur de juſtificatione gratiæ in qua Chriſtophorus Gomez obtinuit ſibi dari in Coadjutorem Viralem in adminiſtratione, & cura Theſaurariæ, quam idem obtinebat in Eccleſia Gienenſi; viſum fuit Dominis reſtringere difficultatem ad juſtificationem Narrativæ ejuſdem gratiæ in ea parte, in qua expoſitum fuit, quod cùm ille à ſeptem annis eidem Eccleſiæ inſerviſſet, non poterat ampliùs inſervire perſonaliter, ut dicebat, ob varias corporis infirmitates, quas antea paſſus fuerat, & tunc patiebatur; & præcipuè propter continuos capitis dolores, quibus ita aſſiduè gravabatur, ut non poſſet ad Eccleſiam accedere in Hebdomada ſibi contingente, & obire alia onera ejuſdem Theſaurariæ.

Cum verò propoſita cauſa *ſub die* 21 *Junii ann.* 1621. non viſa fuiſſent probari, quæ in ea Narrativa continebantur: Et iterum propoſita cauſa *ſub die* 22. *Martii anni* 1624. contrarium firmatum fuiſſet, quod nimirum gratia Chriſtophori erat in ea parte juſtificata: Placuit Dominis iterum partes audire; & propoſito hodie coram me dubio, confirmarunt deciſionem primo loco factam: quia probationes quæ datæ fuerunt tam pro parte Chriſtophori: cui fuit conceſſus Coadjutor, quàm pro parte Vitalis, qui in ea gratia deputabatur in Coadjutorem, non viſæ fuerunt concludere vel ipſam malam valetudinem, & ægritudinem Chriſtophori ex capitis doloribus, vel qualitatem eorundem dolorum, ut nimirum eſſent magni, & ita continui, ut non paterentur quod poſſet intereſſe ſervitio Eccleſiæ & exercere alia munera & onera dictæ Theſaurariæ.

Et quidem viſa fuit neceſſaria probatio ejus qualitatis:
1 quæ fuit primo loco narrata reſpectu magnitudinis dolorum; non ſolùm, quia fuit illa narrata copulativè ac ſimul cum altera qualitate, ut iidem dolores eſſent continui: quo caſu ſuccedit Regula, ut non ſatis ſit probatio alterius qualitatis; quamvis illa per ſe ſatis eſſe poteriſſet ad ipſam gratiam obtinendam: juxta notata per Ægidium *in deciſ.* 116. & per Doct. *in cap. exhibita, de judic. & in cap.* 2. *de reſcript.* & in terminis hujus gratiæ pluries deciſum fuit coram Verall. *ut in illimo deciſ.* 128. 129. & 130. *part.* 1. & coram Pur. *deciſ.* 63. *lib.* 2. Sed quia neque potuiſſet ſine ea qualitate
2 deſerere ſervitium Eccleſiæ, ſive valere hæc gratia Coadjutoriæ, quam idem obtinuit, ut fuit dictum coram Verallo *in adducta deciſ.* 130 *part.* 1. & *deciſ.* 240. *num.* 2. *eadem part.* & notant Doct. *in cap.* 2. *de Cleric. agrot. & in cap* 1. *eodem tit. lib.* 6.

Hæc autem gravitas & magnitudo morbi non viſa fuit
3 probari ex depoſitione Teſtium, qui examinati fuerunt ad inſtantiam Chriſtophori, & aſſerebant tales eſſe dolores quos ille patiebatur: licet enim dolores capitis in magnis morbis connumerari poſſint, ut docet Galenus *de Sanitate tuenda, libro* 6. *cap.* 12 *in claſ.* 1. & cum eo omnis ſchola Medicorum, ex quibus Celſus hunc morbum connumerat
4 inter peſtiferos & acutos, propter vehementes exacerbationes quæ eum comitari ſolent; cùm alioquin potius Chronicus dicendus ſit ex ſententia ejuſdem Galeni, ut explicat Hierem. Triverus dictum Celſi *lib* 2 *cap.* 2. *ejuſdem, in tract. de re medic.* Non tamen poterat ex eiſdem teſtibus deprehendi ea magnitudo morbi, cùm nulla referrent ſigna hu-
5 jus ægritudinis, ſive vehementiæ ipſorum dolorum; quæ
6 tamen ſigna debuiſſent eſſe perſpicua, tum ſuppoſita magni-
7 tudine morbi, ex quo magna ſymptomata prodire debuiſſent, ut docet idem Galenus *lib.* 2. *de Symptomat. cauſ. cap.* 2. *cloſſ.* 3. & *lib* 1. *de diebus decretoriis, cap.* 6. *claſſ.* 4. Exemplo morborum acutorum, qui cum magni ſint, magna
8 etiam indicia præſeferunt; tum habita ratione partis affectæ; quæ tanquam pars principalis, trahere debebat ſecum conſenſum totius corpois: Unde impoſſibile erat ut aliæ partes eo dolore non afficerentur, & non darent aliqua ſigna.

Neque hæc ſigna referebantur ab eiſdem teſtibus, quatenus vel enumerabant paroxyſmos in acceſſu ipſius morbi, ut dicebatur facere Sextus Teſtis *ſuper tertio articulo*: vel quatenus in genere deponebant de vehementia eorundem dolorum, dum Septimus teſtis, qui id aſſerebat *ſuper eodem articulo*, erat Medicus, qui ipſum Chriſtophorum curaverat, cui propterea ſatis eſſe videbatur pro ratione ſuæ peritiæ: ut 9
notatis *in leg. ſeptimo menſe. ff. de ſtatu homin.* & poſt Bart. *in l* 2. *num.* 3 *ff. de teſtam.* & fuit animadverſum *in* 2. *deciſ. hujus cauſæ, ſub die* 22. *Martii anni* 1624. Nam duo dicebat Sextus teſtis.

Et primò quod illum viderat aliquando exire à Choro, antequam divina Officia explerentur; ſed quod cauſa ejus diſceſſus fuerint dolores, qui tunc temporis moleſti eſſent, 10
hoc teſtis referebat ex auditu ab eodem Chriſtophoro, cui propterea non poterat dici debita major fides, quàm illi danda eſſet: ut repetitur eatenus *in cap. licet ex quadam, de teſtibus*, & notant poſt Gloſſ. *ibi*, Doctores *in authent. ſi quis in aliquo, Cod. de edend.* Aymon. *conſil.* 6. *n.* 67. Verall. *deciſ.* 264. *n.* 8 *part.* 3.

Secundò dicebat idem teſtis, quod ex vehementia eorum dolorum coactus fuerit ipſe Chriſtophorus interrumpere ſacrificium Miſſæ: quod præterquam quod ipſe non viderat, ſed ab aliis audiverat, præterea non viſum fuit ſatis eſſe ad oſtendendam gravitatem eorundem dolorum, cum ſemel tantum probaretur hoc illi accidiſſe.

Quod verò attinet ad poſteriorem teſtem: primò ejus depoſitio reddebatur ſatis incerta, ex ea ſola atteſtatione, quam faciebat, ut impoſſibile eſſet, quod Chriſtophorus ad Eccleſiam accederet, dum vexabatur iis doloribus; quia 11
cum non poſſent cadere ſub illius ſenſum, ſed tantum ſignis externis deprehendi, tenebatur referre eadem ſigna, ex quibus tanquam ex rebus ſuis cognitis juſtificaretur illius depoſitio: ex notatis per Doctores *in cap. cum cauſam, de teſtibus*, Innocent. *num.* 3 Bald. *num.* 19. & *in leg. ſolam, Cod. eod. tit.* ubi Bald. *num.* 1 Salicet. *num.* 3. Bartol. *in tractat. de teſtib. num.* 5.

Neque poterat eidem teſti ſuffragari peritia, qua dicebatur po- 12
tuiſſe illum cognoſcere vim, & magnitudinem hujus morbi, ut propterea illa videretur eſſe inſtar rationis. Quia 13
opus fuiſſet ut idem teſtis fuiſſet ad hoc electus à Judice, & ſuper iis deponeret tanquam Peritus: neque ſatis erat ut de- 14
poneret tanquam teſtis; quamvis uti potuiſſet ſua peritia in cognoſcenda magnitudine ejuſdem morbi: prout concluſionem ſuperiùs firmatam notabiliter limitat Felinus *in cap. propoſuiſti, num.* 6. *deprobat. & in cap ſignificaſti, num.* 3. *de homicid.* ubi etiam Joannes de Anan. *num.* 11. Bartol. *in leg. Semel, Cod. de re milit. lib.* 12. Ruin. *conſil.* 58. *num.* 11. *lib.* 5.

Secundò viſus fuit hic teſtis ſibi ipſi adverſari, quatenus in ſua depoſitione aſſerebat; quod per uno anno curaverat Chriſtophorum, & quod tempore ejus depoſitionis erant elapſi tres menſes, quibus ille nullos dolores paſſus fuerat; licet enim tam hæc, quàm ea, quæ ſupradicta ſunt de moleſtia, quam Chriſtophorus paſſus fuit ex iis doloribus in ſacrificio Miſſæ, videretur pertinere ad alteram qualitatem, quæ fuit narrata, ut hi dolores eſſent continui, tamen non 15
poterat conſiderari qualitas morbi cum intermiſſione, & vacuitate dictorum dolorum: quia licet illi propriè non eſſent morbus, ſed ſymptomata morbi, poterant tamen 16
oſtendere illius vim & qualitatem; ea ratione, quia quidquid ab aliquo tanquam à cauſa derivat, id etiam ejus ſignum eſt: ut docet Galenus 5. *de locis affect.* 7. & 6 *Aphoriſmorum* 16. Imò tanquam ex eo genere ſymptomatum, quæ 17
dicuntur læſæ actionis, vix poterant ab eodem morbo diſtingui: ut ex eodem Galeno & Averroë declarat Fernel. *lib.* 2. *de Symptomat. cauſ. cap.* 6 & *de ſignis, & illorum differentiis, cap.* 6 & 8.

Et hinc illud obſervatum eſt, non ſatis eſſe quamcunque 18
inhabilitatem, aut pravam habitudinem illius, qui aſſerat ſe indigere opera, & auxilio Coadjutoris, ut ſimiles gratiæ valere poſſint; ſed nominatim requiri morbum, qui ſit aptus impedire humanas actiones: ut ſtatutum eſt *in capite primo*, §. *ſi verò Epiſcopus, de Cler. agrotant. lib.* 6. & fuit deciſum coram Verall. *in deciſionibus ſuperiùs adductis* 130. 131. & 140. *part.* 1.

Et generaliter receptum eſt in quocunque alio impedi- 19
mento, quod dicatur provenire occaſione alicujus morbi, ut non cenſeatur tale impedimentum præſtare, niſi is morbus, qui ſit gravis, ac ſonticus, hoc eſt, qui vim nocendi habeat; ut traditur *in leg. quæſitum, ff. de re judicat. & in cap. ultim. ff. de Ædil. edict.* & notant Cujac. *lib.* 12. *obſervat. cap.* 18. Alciat. *regul.* 1. *præſumption. ultim. & in leg. morbus* 113. *de verb. ſignific.* Menoch. *de arbitr. Judic. libro ſecundo, centur.* 1. *caſ.* 60. Satnen. *ad regul. de infirm. reſign. quæſt.* 70.

Ex his excludebatur probatio alterius qualitatis, quæ etiam fuit narrata in gratia, quam obtinuit Chriſtophorus,

ut

ut essent continui dolores capitis, quibus ille afficiebatur: ad cujus qualitatis exclusionem datæ fuerunt pro parte
20 Ecclesiæ, plures aliæ probationes; sed præ cæteris plurimùm moverunt Dominos duæ attestationes desumptæ ex libris Capituli, quarum prima erat fidei, quam faciebat unus ex eodem Capitulo, cujus munus erat notare absentes à servitio Ecclesiæ; & in hac apparebat quod spatio duorum annorum ante obtentam gratiam, quatuor, solis diebus defecerat Christophorus à servitio Ecclesiæ, hoc est semel anno 1618. & tribus diebus anno sequenti, ab anno verò 1619 quo fuit concessa eadem gratia, apparebat ex alia attestatione Secretarii Capituli, quod idem desideratus fuerat solis diebus viginti septem, nempè quatuor diebus eodem anno 1619. & tribus ac viginti diebus spatio quindecim annorum, qui elapsi fuerunt ab anno 1634. quo fuit subscripta posterior hæc fides.

Ex autem attestationes visæ sunt plenè probare bonam valetudinem Christophori. & quod ii dolores illum non potuerint impedire, quo minus ad Ecclesiam accederet, cùm non posset Christophorus impugnare fidem librorum, ex quibus ex attestationes desumptæ fuerunt, dum ipse erat è gremio ipsius Capituli: ex notatis per Doctores *in leg. admonendi ff. de jurejurand.* & Bart. *ibi, num.* 54. Felin. *in cap. ad audientiam, num.* 16. *de præscript.* Aymon. *de antiq. temp. parte prima, § quid in libro Officialis: num.* 6. Verall. *decis.* 156. *parte* 2. *num.* 1. & in terminis probationis hujus absentiæ, tenuit Rota *decis.* 629. *num* 1 *p.* 2 *recent.*

Neque dicatur quod utraque ea attestatio reddi videbatur æquivoca, dum potuit illius nomen omitti in libris Capituli propter hanc ipsam valetudinem, qua laborabat; vel quia haberi debuisset pro præsente, quamvis verè abesset dum
21 eadem valetudo non solùm poterat illum excusare ab onere residendi, verum etiam ei concedebat omnia privilegia præsentium pro lucrandis distributionibus, quarum causa notabantur absentes in eisdem libris Capituli: ut statutum est *in cap* 1. *de Cler. non residen. libro sexto*, & consideratum fuit *in decis. sub die* 22. *Martii ann.* 1614. vel etiam quia potuisset suas vices aliis committere.

Prior enim dubitatio removebatur ex declaratione facta in priori fide super consuetudine Ecclesiæ notandi absentes ex causa infirmitatis: addito nomini ejusdem absentis verbo, *patitur*; quo verbo dicitur in *eadem fide*, solitum fuisse designari causam absentiæ ex infirmitate.

Quod verò secundo loco dicebatur; ut omissum fuisset nomen Christophori, eo, quia alter potuisset ejus loco in-
22 servire Ecclesiæ; tollebatur ex ejusdem Ecclesiæ consuetudine, quæ colligebatur ex eisdem attestationibus: quia ex eis constabat, quod non poterat præstari ab aliis hoc servitium respectu præsentiæ personalis in Choro, sed solum respectu celebrationis Missarum; & hanc consuetudinem potissimum attendi in hac materia notant Doctor *in d. cap.* 1. *de Clerc. non residen. lib.* 6. & tenuit Rota coram Card. *decis. unic. eod. tit.* Covar. *var. resol. lib.* 3. *cap.* 13.

Demum non visa fuit obstare differentia, quam faciebant ultimo loco informantes pro Christophoro inter infirmita-
23 tem, & debilitatem; ut si prima adducatur pro causa obtinendi Coadjutoriam, necesse sit quod illa aggravet corpus sine spe futuræ prosperitatis. Infirmitas verò possit esse cum
24 aliquo intervallo quietis, ut dicebatur tenuisse Rotam coram Verallo *decis.* 240. *part.* 1. cujus auctoritatem sequutus
25 fuit Gonzal. *super regul.* 8. *glos.* 5. § 9. *num* 85. Quia licet
26 debilitas in hoc distinguatur à morbo, quod illa perpetua
27 sit, morbus verò cum accessu, discessuque; tamen debet esse perpetuum impedimentum quod ex eo morbo procedit; ita ut aptum sit impedire cæteras functiones corporis, etiam pro tempore, quo ipse morbus non est infestus: quod solum contingere potest in ægrotatione gravi, qualem constat non fuisse eam, qua laborabat Christophorus; ut colligitur ex *eadem decisione*, & patet ex definitione morbi relata per Jurisconsultum *in l. prima, § sed sciendum, ff. de Ædilit. edict.* cùm in ea dicatur, morbum non solum esse habitum corpo-
28 ris contra naturam, sed qui usum illius faciat deteriorem: quod etiam alibi dixit Jurisconsultus *in leg. qui tertiana* 53. *& in leg. ultima ff. eodem tit.* & explicando verba ejus edicti declaravit Aul. Gell. *lib.* 4. *noct. Attic. cap.* 2 quem sequuti fuerunt Alciat. *in leg. inter fluvium, § si verum. ff. de verb. signific.* Menoch. *de arbitr. Judic. lib.* 2. *cent.* 1. *caſ* 89. *num.* 17.

Et ita utraque, &c.

Romana Dotis seu Filiationis, Lunæ 11. Decembris 1634.

Coram R. P. D. Merlino.

SUMMARIUM.

1 *Filiatio ad effectum consequendi alimenta satis probatur ex tractatu, assertione parentis, & communi reputatione.*
2 *Filiatio naturalis levioribus probationibus justificatur.*
3 *Filiationis vehemens præsumptio oritur ex communi reputatione.*
4 *Filiationis vehemens præsumptio oritur ex assertione pretensi Patris facta in ultimo vitæ spiritu.*
5 *Testi unico omni exceptione majori Judex arbitrio suo plurimum deferre potest.*
6 *Filiationis præsumptio est nomen Majorum impositum nato.*
7 *Alimenta præstita nutricipro educatione infantis, filiationis argumentum præstant.*
8 *Filiationis probatio resultat ex eo quod quis nato necessaria ad victum subministraverit.*
9 *Fama dicitur testimonium populi.*
10 *Fama publica ad probandam filiationem plurimi fit à Doctoribus.*
11 *Similitudo nati indicat filiationem ejus, cujus faciem repræsentat.*
12 *Garamantes, & superioris Lybiæ populi, ex similitudine formæ proprios liberos agnoscunt.*
13 *Similitudo natorum non est levis, sed urgentissima conjectura ad probandam filiationem.*
14 *Similitudo natorum non a simplici imaginatione, sed magis ab insiti temperamenti convenientia regulariter proficiscitur.*
15 *Natus ex concubina ad quam alteri non patebat accessus, præsumitur filius concubinarii.*
16 *Testes singulares admittuntur quando agitur de probando illos actus ex quibus generalitas resultat.*
17 *Filiatio probari debet per urgentiores probationes, quando agitur de consequutione dotis, vel alimentorum ex bonis fideicommissi.*
18 *Fideicommissi bona alienari possunt pro constituenda dote descendenti etiam illegitimæ, quæ velit nubere, vel Monachari.*
19 *Dotem filia spuria assignare tenetur hæres Avi in subsidium.*
20 *Filiatio quando non dicatur sufficienter probata per conjecturas resultantes ex tractatu, nominatione patris, & similitudine.*
21 *Exceptio quod testis deponens de filiatione alicujus, sit creditor ejusdem, non minuit fidem ipsius testis.*

DECISIO LXIX.

MArgarita ex Flavia matre orta pulsavit Dominum Marcum Antonium Victorium Fratrem, & possessorem bonorum bonæ memoriæ Joannis Baptistæ Victorii, quem progenitorem suum ipsa asserebat, ut alimenta præstaret, & subinde etiam dotem. Decreto Auditoris Cameræ fuit Dominus Marcus Antonius ad hujusmodi alimentorum præstationem condemnatus. A quo cùm post interpositam appellationem, & causam mihi commissam, negaretur, Margaritam esse filiam Joannis Baptistæ; dedi dubium, an constet de illius filiatione? Quod per Dominos fuit hodiè affirmativè resolutum.

Probatio enim filiationis desumpta fuit ex constanti denominatione, & ex frequentibus assertionibus ejusdem Joannis Baptistæ, quibus dum viveret, imò & in ipso mortis articulo testatus est, puellam hanc esse suam filiam; ex tractatu quo se gessit erga eandem ad instar Patris; & ex communi omnium reputatione, quod Joannes Baptista ex Flavia hanc filiam susceperit: ex quibus saltem simul junctis probari filiationem non ambigebatur, cum ad hunc effectum admittantur, atque sufficiant conjecturæ & præsumptiones: Gloss. *in leg. Lucius ff. de cond. & demonst. & in cap. Michaël, vers. constituerit, de filiis Presbyt.* Anchar. *cons.* 225. *num.* 6. Surd. *cons.* 1. *n.* 38. & 40. & dixit Rota *in Civitatis Castelli bonorum* 8. *Februarii* 1602. *coram bonæ memoriæ Cardinali Lancellotto*, impressa apud Modernos Forolivien. *de legibus, decis.* 51. *n.* 4. cum aliis relatis *in Romana de Catalanis* 27. *Novembris* 1630. *coram me*; præsertim ubi agitur de probanda filiatione simpliciter naturali, ut advertit Natt. *cons.* 473. *n.* 29. Rota *in dict. decis.* 51. *n.* 4 *vers. conjectura verò.* 2

Quod Ioannes Baptista sæpenumerò coram diversis personis professus fuerit Margaritam esse suam filiam, atque illam uti filiam passim nuncupaverit pàlam, deponunt quinque testes *in Summariis ejusdem Margaritæ, num.* 2. quam
3 publicam denominationem, magnum esse veræ sobolis seu filiationis argumentum, tradunt Closs. *in l. etiam Mævii, vers. pass. C. de probat.* Bart. *in leg. neque professio, num.* 1. Bald. *num.* 1. Castrens. *num.* 3. *Cod. de testament.* Surdus *cons.* 1. *numero quadragesimo septimo*, Palcott. *de Noth. & spur. cap.* 23. *n.* 2. Giovagn. *consil.* 21. *n.* 5. *lib.* 1.

4 Et eo magis, quia idem Joannes Baptista ferè in extremo vitæ spiritu dum memor salutis æternæ, suprematque Dei judicium timens; veritatem omninò asseruisse præsumi debet, Viro Religioso; cujus probata fide & consilio in gravioribus utebatur negotiis, testatus est hanc esse suam filiam; & exoravit, ut illam commendaret ejus fratribus, & protectioni bonæ memoriæ Domini Cardinalis Burghesii, quæ protestatio eo tempore emanata pro filiationis justificatione magni facienda videtur, *argum. capite litteras, de præsumpt.* Ferret. *cons.* 150. *num.* 15. Curt. sen. *cons.* 69. *num.* 2. Cravet. *consil.* 6. *num.* 61. Menochius *præsumpt.* 3. *num.* 1. *lib.* 5. & ponderavit Rota *in Romana de Bonellis* 13. *Februarii* 1617. *coram bonæ memoriæ Ubaldo; atque in dicta Romana de*
5 *Catalanis coram me.* Et hujus viri depositioni ob ejus integritatem, & quia videtur omni exceptione major, quamvis testis uniti, plurimùm deferendum est arbitrio Iudicis; juxta tradita per Decianum *cons.* 92. *num.* 34. & 91. Farinac. *de testibus, quæst.* 63. *num.* 33. Cardin. Seraphin. *decis.* 676. *num.* 2. & 2.

Tractatus quo Ioannes Baptista prosequutus est Margaritam tanquam filiam, & se uti patrem gessit erga illam,
6 comprobatur ex eo, quod dum hæc puella Sacro Baptismatis lavacro fuit ablata, nomen *Margaritæ*, quo nuncupabatur ipsius Ioannis Baptistæ mater, imponi voluit; nutrici alendum tradidit, atque idem pro alumnæ præstitit alimenta; & salarium, vestes, medicinas, atque omnia congrua pro decenti puellæ sustentatione suppeditavit: ut de his deponunt testes dati *in Summ. num.* 2.

Quæ omnia paternæ erga liberos pietati, & officio conveniunt; & quem parentem esse ostendunt; prout de nomine Avito & gentilitio indito puellæ, quod filiationem indicet, tradunt Surdus *cons.* 1. *num.* 45. Giovagn. *cons.* 21. *num.* 2. *lib.* 1. Rota *decis.* 332. *num.* 4. *parte* 5. *divers. & in Romana de Javellis* 13 *Novembris* 1613. *coram bonæ mem. Ubaldo.*

7 De alimentis præstitis nutrici, atque educatione infantis, quod arguant eum, qui præstat esse progenitorem: advertit Baldus *in capit. per tuas, num.* 1. *de probat.* Paris. *cons.* 10. *num.* 6. & 62. *lib.* 2. Surdus *dict. consil.* 1. *num.* 46. Giovagn. *dict. cons.* 21. *num.* 1. Rota *dict. decis.* 332. *num.* 5. & 11. & *in prælegatis Romana de Javellis.*

8 Et demum ex vestibus, medicinis, aliisque pro vitæ sustentatione necessariis exhibitis, inferri tractatum & probationem filiationis ejus, cui prædicta præstantur, scripsit Bald. *in dict. cap. per tuas, num.* 5. Felin. *num.* 15. & 17. *de probat.* Paris. *consil.* 10. *num.* 60 & 70. *lib.* 2. Riminald. jun. *cons.* 611. *num.* 30. & 31. Rota *decis.* 238. *num.* 9. *part.* 1. *divers. & decis.* 126. *num.* 13. & *decis.* 347. *num.* 2 *parte* 1. *recent. & in Romana de Catalanis* 25. *Novembris* 1630. *coram me.*

Prædictis adstipulatur etiam publica vox & fama, atque communis omnium reputatio, quod Margarita sit filia Ioannis Baptistæ, de qua deponunt testes *in Summariis, num.* 2.
9 quæ fama atque opinio cùm sit quoddam totius populi testi-
10 monium, quemadmodum in omnibus probationibus admittitur, ita pro justificanda filiatione à Dominis plurimis fit: *arg. capit. per tuas, de probation.* Glossa *in capite Michael, vers. constiterit, de filiis Presbyter.* Castr. *consil.* 151. *numero* 1. *libro* 1. Surd. *consil.* 1. *num.* 56. Giovagn. *cons.* 21. *num.* 5. Rota *decis.* 147. *n.* 2. *parte* 1. *recent.* & post Modern. Forolivien. *de legit. decis.* 51 *num.* 4. juncto etiam præcipuo, & planè pa-
11 terno affectu, quo Ioannes Baptista puellam prosequebatur, de quo in genere deponunt iidem testes: necnon effigie, & expressa ferè vultus Ioannis Baptistæ imagine, quam præfert hæc filia; ex cujus similitudinis typo posse dignosci filium esse illius, cujus faciem formamque refert, voluit Bald. *consil.* 490. *lib.* 1. Decian. *cons.* 1. *num.* 117. *lib.* 3. Tiraquellus *ad leg.* 7. *Connubial. num.* 51. & *sequentibus*, & ante illos docuerunt Aristoteles *lib.* 2 *politic. cap.* 2. & Sobœus *Serm.* 42.
12 qui referunt Garamantas, & superiores Libiæ populos, qui privatim matrimonia nesciunt, & ob rejectam ex incesti lasciviendis luxuria castitatis disciplinam proprios liberos ignorant, ex similitudine & forma dumtaxat illos agnoscere. Graian. *discept. forens. capit.* 567. *num* 29. Mohed. *decis.* 1. & 2. *qui filii sint leg.* & eruditè & luculenter docet Dominus Paulus Zacchias *Quæstionum Medico legalium, lib.* 1. *tit.* 5. *quæst.* 4. *per totam*: ubi monet, similitudinem natorum non
13 esse levem, ut aliqui ex Iurisconsultis autumant, sed imò urgentissimam conjecturam: quia hujusmodi similitudo non à
14 simplici imaginatione, sed magis ab initii temperamenti convenientia regulariter proficiscitur: quod Philosophicis rationibus ostendit.

Et eò urgentior visa est hæc conjectura, quando non
15 constat Flaviam cum aliis consuetudinem habuisse; sed continuò solùm cum illa conversatum fuisse Ioannem Baptistam de tempore susceptæ sobolis & ante, ut deponunt testes: ex cujus conversationis assiduitate insurgit etiam præsumptio, quòd Margarita sit verè filia Ioannis Baptistæ: Paris. *consil.* 10 *num.* 33. *libro* 2. Surdus *consil.* 2. *num.* 43. Menoch. *de arbitr. Iud. cas.* 89. *num.* 26. & fuit dictum *in Romana filiationis* 23. *Januarii* 1613. *coram bon. mem. Cardinal. Marquemont.* Atque coadjuvatur procedens conjectura ex similitudine formæ: quia stante hac continua conversatione Ioannis Baptistæ, Flavia verisimiliter aliam imaginationem non concipiebat, cui susceptæ proles posset assimilari: quæ omnia quatenus singula patererentur aliquam difficultatem, simul juncta perfectam, atque concludentem constituunt probationem, ut monuerunt Ancharanus *cons.* 225 *num.* 6. Ruminald. jun. *consil.* 611. *num* 41. Surd. *cons.* 1. *num.* 53.

Non obstat quod aliqui ex deductis testibus sint singula-
16 res: quoniam quando non agitur de probando certo actu speciali, sed in genere probandum est id; quod resultat ex actibus specialibus, prout est filiatio, & filiationis tractatus ad concludendam hanc generalitatem admittuntur etiam testes singulares deponentes de illis actibus, ex quibus generalitas resultat, & simul junguntur ad plenam probationem constituendam: Doctores *in capite qualiter, & quando, de accusat.* Cravet. *consil.* 73. *num.* 5. plenè Riminald. jun. *cons.* 7. *num.* 27 & *sequentibus*, & fuit dictum *in Romana filiationis* 22. *Januarii* 1613. *coram bonæ memoriæ Cardinal Marquemontio.*

Minùs obstat quod conjecturæ & præsumptiones solùm
17 admittantur, ubi agitur de probanda filiatione contra patrem: secus verò ubi agitur de consequendo dotem & alimenta ex bonis fideicommisso subjectis, contra tertium possessorem, prout est Dominus Marcus Antonius; tunc enim requiruntur urgentiores probationes, obstante etiam fideicommisso: Rota *in recent. decis.* 289. *num.* 1. & 8 *parte* 2. & *in Romana de Bonellis* 29. *Novembris* 1613. & 28. *Novembris* 1614. *coram bonæ memoriæ Ubaldo.*

Quoniam quoad qualitatem probationum, responsum fuit ex conjecturis in proposita facti specie propositis infimul coacervatis in materia filiationis, quæ directò probati non potest resultare plenam atque concludentem probationem contra quoscunque, & ex jutibus, authoritatibus, & decisionibus *supra* adductis. Decisiones autem emanatas *in causa de Bonellis coram bon. memoriæ Ubaldo*, & alias, loqui ad effectum succedendi in universo fideicommisso, & excludendi vocatos, aut venientes ab intestato, qui non est casus præsens; nec ibi tot insimul concurrebant conjecturæ & ita efficaces prout hic adsunt.

Quo verò ad fideicommissum, placuit responsio quod
18 cùm bona fideicommisso subjecta per Avum, prout erat fideicommittens in casu proposito, in subsidium alienari possint pro constituenda dot. nepti, etiam illegitimæ, qualis asseritur Margarita: Angel. *in auth. res quæ, num.* 3. Iason. *num.* 7. *Cod. comm. de legat.* Peregrinus *de fideicommiss. art* 42. *num.* 57. Fusar. *dicta quæst.* 531. *num.* 28. consequeretur eadem bona fideicommisso subjecta, penes collateralem, vel extraneum existentia, sunt eidem oneri obnoxia pro dote alienari possunt, non obstante fideicommisso, ut plenè discusso articulo resolvit Rota *in Spoletana fideicommissi, sub die* 4 *præsentis mensis coram me*, & hæredem Avi in subsidium teneri dotem assignare nepti sputiæ, consuluit Abb. *consil.* 115. *in princip. lib.* 2 Matescot. *var. resol. cap.* 83. *num.* 38. *libro* 2 Rota apud Cardinalem Seraphinum *decis.* 58 *num.* 6.

Demum non adversatur, quod tractatum Patris & nomi-
19 nationem filiæ, similitudinem cum Patre, atque alias ex allegatis conjecturis non admiserit Rota *in Bononien. de Garganibus, impressa inter Recent. decis.* 164. *num.* 7. & 8.

part. 3.

20 *part. 3. & in dicta deciſione de Benellis.* Quoniam verum eſt, ſingulas ex dictis conjecturis non ſufficere, neque plenum facere gradum probationis, & ſingulæ aliquando per Rotam fuerunt rejectæ, & ſimul junctæ ſuffragantur: & doctrinæ, ac deciſiones quæ in contrarium allegari poſſunt, vel procedunt, ubi agitur ad effectum excludendi venientes ab inteſtato à tota ſucceſſione; vel ad excludendam præſumptionem, *leg. miles, §. defuncto, ff. de adulter.* de qua *in illa Romana de Catalanis coram me*; & ubi non appatet, quod nemo alius acceſſum haberet ad mulierem, quam prætenſus genitor, & ubi mulier erat ſolura.

21 Exceptiones contra teſtes, quòd ſint creditores Domini Marci Antonii, & ſimiles, in hac materia non minuunt fidem eorum depoſitionis, ut reſpondit Rota *in Romana filiationis 22. Januarii 1613. coram Cardinal. Marquemontio, & in Romana filiationis 10. Junii 1611. coram R.D. meo Pirovano.* Et quod dum deponunt de converſatione Joannis Baptiſtæ cum Flavia, non percutiant tempus conceptionis, non ſubſiſtit in facto: quia imò deponunt de anno 1620. & 1621. quo anno orta eſt Margarita.

Et ita utraque parte informante reſolutum fuit.

Leodenſis Caſtri de Mombech, Veneris 15. Decembris 1634.

Coram R. P. D. Pirovano.

SUMMARIUM.

1 *Contractum mulierum celebrati cum ſolemnitatibus requiſitis per ſtatuta locorum, & juſta concurrente cauſa, ſunt validi.*

2 *Contractus dementium, & fatuorum, ſunt nulli & invalidi.*

3 *Dementia plenè & concludenter probanda venit, ſi agatur de annullatione contractus.*

4 *Dementia de tempore contractus probari debet, ad hoc ut annulletur contractus.*

5 *Simplicitas, innocentia, fatuitas, & ſtupiditas differunt à furore.*

6 *Simplices, innocentes, & fatui, in prima ſpecie non carent intellectu, licèt integrum animi vigorem non habeant, in ſecunda verò ſpecie uſum rationis non habent.*

7 *Simplicitas, innocentia, & fatuitas, non ſunt ſufficientes pro inducenda nullitate cujuſcunque contractus.*

8 *Teſtamentum conditum ab eo in quo concurrunt diverſa ſigna dementiæ, ſed non defectus totalis uſus rationis & intellectus, validum reputatur.*

9 *Animi qualitas non poteſt aliter probari, quàm per actus exteriores.*

10 *Demens matrimonium contrahere nequit.*

11 *Sana mentis præſumptio viget ad ſuſtinendum actum geſtum.*

12 *Dementia præſumptio ceſſat in eo qui facit actus viro prudenti convenientes.*

13 *Dementia an probatur ex eo quod quis ſe percuſſerit, & capillos evulſerit.*

14 *Dementia non probatur ex actibus qui provenire poſſunt ex atra bile, & melancholia.*

15 *Dementia probatur ex eo, quod alicui fuerit datus curator. Declara ut num. 16.*

DECISIO LXX.

VIſum fuit Dominis eſſe recedendum à deciſis in hac cauſa 21. *Aprilis* 1632. quia renunciatio facta per Adrianam de uſufructu Caſtri controverſi de anno 1570 ad favorem Vualteri & Cæciliæ ejus conjugis, & prolis ſuſcipiendæ, valida eſt, tanquam facta cum cauſa, ſcilicet matrimonii contemplatione; & Mamburno loco Curatoris aſſiſtente, & interveniente Judicis decreto; quibus concurrentibus ſimiles contractus ſemper ſuſtinentur: Tiraquel. *de leg. connub. gloſſ. 8. num. 91.* Lambertenq. *de contractib. mulier. gloſſ. 3. num. 23. & 87.* Quod etiam fuit firmatum noviſſimè *in Romana pecuniaria 11. Decembris coram me, & in prima deciſione* admittitur.

1 Neque obſtat principale fundamentum ejuſdem deciſionis, Adrianam de tempore tranſlationis, uſusfructus, ſeu renunciationis, fuiſſe dementem & fatuam; atque ita ob carentiam ſenſus & rationis contractum nullum, & invalidum

2 remanſiſſe, *§. mutum, verſ. furioſus, Inſtitut. de inutil. ſtipul.* Mantica *de contract. lib. 1. tit. 12. num. 5. & lib. 3. tit. 50. num. 6.* Surdus *conſil. 89. num. 26. & 30.*

Quia etſi ad eandem dementiam probandam detur inſtrumentum diviſionis celebratæ inter Gulielmum & Vualterum, & Agoſtem filios alterius Gulielmi de anno 1565. in quo Adriana ceſſit uſumfructum Caſtri controverſi ſibi quæſitum per obitum Gulielmi ſui mariti, ad favorem filiorum ſuorum, & in eo prætendatur contineri particulam datam ſcilicet (*quò verò ad noſtram matrem Adrianam impotem mentis, obligamus nos illam manutenere, communibus expenſis*) ac etiam formiter ſint examinati plures teſtes ſuper eadem dementia deponentes, ac demum paulò poſt inſtrumentum renunciationis de anno 1570. Non tamen viſum fuit prædicta in ſua ſpecie taliter eſſe probata, ut ſufficiant ad annullandum actum renunciationis favore prolis Cæciliæ & Vualteri ſuſpiciendæ ſequutum.

Non enim in ipſa confeſſione Gulielmi & Vualteri Fratrum dividentium poteſt conſtitui fundamentum: quia datur Inſtrumentum diviſionis per extenſum, in quo talis obligatio fratrum de alimentanda Matre impotente mentis non legitur; & quatenus adeſſet, de tali defectu eſſet intelligendum qui non impediret Adrianam ad ſe obligandum, ex quo in tali diviſione non fuerunt adhibitæ ſolemnitates pro ſtultis requiſitæ.

Neque teſtes dati in eorum ratione concludunt talem 3
mentis alienationem in Adriana, quæ ſufficiat pro annullatione actus renunciationis; quæ tamen probatio ad eundem effectum deberet eſſe plena, & concludens: Honded. *conſil. 78. num. 70. lib. 2.* Menoch. *de præſumpt. 18. num. 7. lib. 1.* Rota *deciſ. 577. num. 7. parte 1 diverſorum, & 384. num. 2. part. 1. recent.* Non ſufficit probatio de aliquo tempore, ſed de 4
continuo, & de tempore contractus debent teſtes concludere, *l. 2. & 1. qui teſtamento, §. quæcunque, ff. de teſtament.* Boër. *deciſ. 23 num. 78.* Honded. *conſ. 78. num. 71. volum. 2. & deciſ. 364. num. 3 part. 1 recent.*

Deponunt enim teſtes, qui ſunt ſex, non de dementia & ſtultitia Adrianæ, ſed quod erat ſimplex, innocens, & debilis ſuorum ſenſuum, & vocabatur fatua domicella, abſque 5
expreſſione ſignorum ſtultitiæ, & dementiæ; & quod nunquam habuit dilucida intervalla: quæ ſimplicitas, innocentia, fatuitas, & ſtupiditas cùm differant à furore & dementia, quandoquidem in prima ſpecie, qui tales patiuntur de- 6
fectus, non careant intellectu, licet integrum animi vigorem non habeant; in ſecunda verò ſpecie uſum rationis non habeat. Caſtr. *in l. ſi frater, in princ. Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* Dec. *conſil. 112. num. 2.* Patil. *conſ. 88. num. 37. & ſeq.* Menoch *præſ. 45. num. 66. & 68. lib. 6.* Rota *deciſ. 107. num. 29.* 7
& 129. num. 15 p. 2. diverſ. ideò ſufficiens non eſt ad annullandum renunciationem, prout nec alium quemcunque actum, etiam Matrimonii, aut Profeſſionis, aut Donationis, aut Teſtamenti: Rota *deciſ. 107. num. 26.* ſequendo Socin. ſen. *conſil. 47. num. 9. lib. 3.* Galiaulam. *in l. 1. num. 62. ff. de verb. obligat. & deciſ. 166. num. 4. coram bonæ memoriæ Cardin. Cavalerio*, & in fortiori caſu de teſtamento Rutilii Gracchi, non obſtante quod in eo concurrerent diverſa ſigna dementiæ, ſed non careret totali uſu rationis, & intellectu; 8
pro valido fuit reſponſum, 15. *Decembris* 1618. *coram bon. mem. Remboldo.*

Præterea iidem teſtes eorum dicti rationem non afferunt, quare Adriana ſit demens, & ſtulta, aut ita ſtupida, ut careat in totum uſu rationis, prout neceſſarium eſt quando agitur, 9
ut in præſenti, de probanda qualitate animi, quæ aliter, quàm per actus exteriores, probari non poteſt, ex quibus interiora judicantur: ſecundum Gl. *in l. bis qui, §. devi: in verb. ſermonib.* quam *ibid.* ſequuntur Bartol. & Bald. *de tutor. & curatorib. datis ab his*, Socin. ſen. *conſ. 42. num. 6. lib. 1.* Alexander *conſil. 147. num. 16. lib. 7.* ſed tantummodo dicant fatuam, ſimplicem, ſeu ſtupidam fuiſſe; quæ qualitas, ut dicebatur, non auferet totalem uſum intellectus, & rationis; ideò probatio remanet imperfecta, æquivoca, & irrelevans pro annullatione renunciationis; maximè quia ad concludendam veram dementiam, furorem, & inſaniam, ac carentiam intellectus, ſolent ponderari multa ſigna, & præſumptiones per Doctores, quæ cumulantur per Menochium *præſumpt. 45. n. 21. & ſeq. lib. 6.* & de illis per teſtes nulla mentio habetur.

Quinimò pro eadem Adriana multa concurrunt, ad probandum, quod non careret intellectu, nam teſtes deponunt de fatuitate & ſimplicitate Adrianæ, etiam dum eſſet puella; 10
& tamen matrimonium contraxit, & cum viro ſuo habitavit abſque alia dementiæ querela; quod aliàs contrahere non potuiſſet: *cap. dilectus, de ſponſ.* Dec. *conſil. 112. in princip.*

Præterea filiis ſuis dividentibus bona paterna poſt obitum Patris, intervenit cum ſuo Mamburno ſeu Tutore de anno 1565. renunciando proprio juri uſusfructus, & à Magiſtratu fuit admiſſa: & idem contigit in renunciatione,

quam

31 quam fecit de anno 1570. in qua fuit à Magiſtratu pariter admiſſa ; quo caſu præſumitur fuiſſe ſanæ mentis ad eundem actum ſuſtinendum : Decius *conſil.* 448. *n.* 14. Pariſ. *conſil.* 88. *n.* 14. *lib.* 3. Boërius *quæſt.* 23. *n.* 80. Menoch. *eadem præſumpt.* 46. *n.* 21. *Verſata etiam quando à Magiſtratu* : & faciliùs id

32 admittetur quando actus ille perſonæ prudenti convenit, ſequendo Dec. *diſt. conſil.* 448. *n.* 15. & Rotam *deciſ.* 377. *num.* 4. *parte* 1. & idem admittitur *in allegat. deciſ.* 366. *num.* 8. *coram bon. mem. Gardin. Cavalerio*, & de hujuſmodi actu renunciationis facto per Adrianam contemplatione Mattimonii Vvalteri ejus filii cum Cæcilia, ac prolis ab eis ſuſcipiendæ, dubitari non poteſt, quin conveniat perſonæ ſanæ mentis, cùm tendat ad propagationem ſuæ deſcendentiæ, & conſervationem, ac etiam fuerit factum in executionem præcedentis diviſionis de anno 1565. ratificata, in quibus omnia prudenter & cautè geſta per Adrianam leguntur.

33 Non obſtat quod Sextus teſtis deponat Adrianam Capillos aliquando ſuos dilaceraſſe, & alapis, & pugnis ſeipſam percuſſiſſe ; quia ultrà quod ſingularis eſt, non videtur probabile dementiæ ſignum ; cùm potuerit ab atra bili, & melancholica proveniſſe, quæ non infert ad ſignum dementiæ indubitatum, ut latè diſſerit, & probat idem Menoch. *diſt. præſumpt.* 45. *n.* 58. *lib.* 6.

Demum non relevat quod eidem Adrianæ poſt duos menſes à die renunciationis factæ, deputati fuerint ei Curatores

35 uti dementi ; quod inter ſigna ad probandam dementiam, & carentiam intellectus, ſolet ponderari per Angel. & Salicet. *in leg.* 1. *cum te, Cod. de probat.* & alios per eundem Menoch. allegatos, *in d. præſumpt.* 45. *n.* 44.

36 Quia ex lectura ejuſdem deputationis tollitur objectum, in qua non declaratur Adriana inſana & ſtulta ; ſed ad aſſertionem parentum exponitur, propter impotentiam mentis non eſſe idoneam ad ſe, ſuaſque res gerendas ? quæ mentis impotentia poteſt intelligi de tali etiam, quæ non inferat ad carentiam totalis intellectus ; ut ſuprà fuit diſtinctum.

Et ita fuit reſolutum utraque parte informante, &c.

Remana Quarti Dotalis, Ven. 15. Junii 1635.

Coram R. P. D. Dunozetto.

SUMMARIUM.

9 *Lucrum dotale juxta Statuta urbis* lib. 1. cap. 132. *ut debeatur matrimonium debet eſſe conſummatum.*

1 *Matrimonium non ſubſiſtit, ſi in altero ex conjugibus adſit impotentia perpetua coeundi.*

3 *Lucro dotis locus eſſe non poteſt, ubi non adeſt matrimonium.*

4 *Impotentia viri quando eſt temporalis, vel dubia, uxor tenetur præſtare ſucceſſivam patientiam per triennium, ut poſſit fieri experientia copulæ conjugalis.*

5 *Mulier ſi infra bimeſtre reclamaverit de impotentia viri, non tenetur ulteriorem patientiam præſtare.*

Declara ut num ſeq.

6 Cap. 1 de frigid. & maleſic. *declaratur.*

7 *Confeſſio propria prævalet teſtibus aliiſque probationibus.*

8 *Probatio contra propriam confeſſionem non admittitur.*

9 *Remiſſoria, ad probandum contrarium ejus, quod quis fuit confeſſus, non conceditur.*

DECISIO LXXI.

1 POſtquam bis in hac cauſa fuit reſolutum coram me *ſub diebus* 26 *Novembris* 1633. & 20. *Decembris* 1634. Dianam Grottam poſt obitum Alexandri viri non lucratam fuiſſe Quartum dotale, ex eo quod cum ejus viro matrimonium non conſummavit, prout requiritur ex Statuto Urbis ; juxta cujus diſpoſitionem conjuges matrimonium contraxerunt : eadem Diana cœpit prætendere dictum lucrum nihilominus ſibi deberi, ex quo per eam non ſtetit, quin matrimonium fuerit conſummatum, cùm per 40. dies cum ejus viro cubuerit, ac debitam patientiam præſtiterit. Unde aſſumpto onere hoc probandi, dedit articulos, ſuper quorum relevantia dato particulari dubio, eoque hodie à me propoſito, DD. eos non relevare reſponderunt.

Non enim viſa fuit relevare articulata mala valetudo, ſeu

2 impotentia Alexandri : quia ſi illa probaretur perpetua, & nulla arte ſanabilis, etiam non relevaret, quia Matrimonium

3 propter impotentiam perpetuam ſubſiſtere non poſſet, & conſequenter non poteſt eſſe locus lucro dotali ; ut in terminis tenent DD. *in cap.* 2. *de frigid. & maleſic.* cum aliis cumulatis *in prima deciſione.*

Si verò probaretur impedimentum, vel impotentiam fuiſſe 4
temporalem, vel dubiam ; pariter quoque non relevaret : quia Diana tenebatur præſtare ſucceſſivam patientiam per triennium, ut poſſet fieri experientia copulæ conjugalis : juxta text. *in cap. laudabilem*, & *ibi* DD. communiter, *de frigid. & maleſic.* Maſcard. *de prob. concluſ.* 311. *n.* 3 Sanch. *de Matrimon. lib.* 2. *diſput.* 112. *n.* 12.

Nec relevat, quod Diana infra bimeſtre reclamaverit ; qua 5
ſtante reclamatione, non tenebatur ulteriorem patientiam
præſtare : *capit.* 1. *de frigid. & maleſic.* Quia licèt text. *in d.* 6
cap. 1. diſponat, quod mulier quæ vult agere ad nullitatem Mattimonii, teneatur infra bimeſtre reclamare : non tamen dicit, nec inde inferri poteſt quod non teneatur præſtare patientiam, ut poſſit fieri experientia copulæ juxta diſpoſitionem *in d. cap. laudabilem*, quæ quidem diſpoſitio ad nihilum deſerviret, ſi ſola mulieris reclamatio ſufficeret.

Prout nec ſubſiſtit quod Alexander ſponte receſſerit domo Dianæ : quia contrarium conſtat tum ex teſtibus *in alia deciſione* ponderatis, explicitè deponentibus, Alexandrum fuiſſe ejectum domo ; tum etiam ex Monitorio ſuper nullitate matrimonii, ad inſtantiam Dianæ contra eundem Alexandrum exequutum ; in quo Diana expreſsè declaravit ſe nolle ampliùs cum eo cohabitare : unde ſatis conſtat ipſam non præſtitiſſe ſucceſſivam patientiam, quam præſtare tenebatur, ut potuerit dici per ipſam non ſterile, quin matrimonium fuerit conſummatum, vel experimentum adhibitum juxta Canonicas ſanctiones : ex prædicto enim Monitorio clara reſultat 7
confeſſio ejuſdem Dianæ, quæ prævalet depoſitionibus teſtium, & omnibus aliis probationibus in contrarium per ipſam faciendis : ad tradita per Surd. *conſ.* 6. *num.* 1. Greg. XV. *deciſ.* 357. *num.* 3. & *ibi* Addit. *num.* 7. & *deciſ.* 434. *num.* 14. 8
adeò quòd contra propriam confeſſionem, præſertim quando (prout hic) eſt adminiculata teſtibus ; non admittitur probatio : & denegari ſolet Remiſſoria tanquam calumniosè petita : prout alias fuit ſumatum *in Toletana Penſionis* 29. *Maii* 1598. *coram Litta*, Greg. XV. *deciſ.* 524. *num.* 4.

Et ita utraque, &c.

Bononienſis fideicommiſſi de Ramundinis Veneris 15. Februarii 1636.

Coram R. P. D. Dunozetto.

SUMMARIUM.

1 *Fideicommiſſum purificatum dicitur ad favorem ejus, qui docet ſe eſſe in caſu vocationis.*

2 *Filiatio probatur per teſtes deponentes de nominatione, tractatu, & publica voce, & fama.*

3 *Filiatio legitima probatur ex partitis librorum Baptiſmatum, & Matrimoniorum, concurrentibus adminiculis.*

4 *Filiatio probatur ex eo, quod quis uti filium fuerit ab aliquo inſtitutus.*

5 *Servitus Teſtatoris aliquam eſſe probatur ex eo, quod teſtator illam pro tali in teſtamento nominaverit.*

6 *Proximior dicitur qui probat ſe eſſe in certo gradu, dum alius non comparet qui ſe proximiorem eſſe doceat.*

7 *Juvenis ſi ſit eligendus ad effectum ſuſceptionis prolis, ille dicitur talis, qui eſt in ætate habili ad generandum.*

8 *Ubi qualitas ad certum effectum requiritur, non eſt curandum de modo illam adimplendi, dummodo habeatur.*

9 *Juvenis, vel ſenex an quis dicendus ſit, relinquitur arbitrio Judicis ſecundum ſubjectam materiam.*

10 *Juvenes vocantur in Civitate Bononia potius reſpectu ſexus, ad differentiam fœminarum, quam reſpectu ætatis.*

11 *Electio digni, omiſſo digniore in concurſu Parochialium, non ſuſtinetur de jure ſpeciali.*

12 *Electio digni omiſſo digniore, valet, quoties non agitur de concurſu Parochialium.*

13 *Favori ſuo quilibet poteſt renunciare.*

14 *Renunciari non poteſt juri habenti aliquam mixturam cum honore, & voluntate Teſtatoris.*

15 *Citari debent in electione illi de quorum intereſſe agitur.*

16 *Executor ad aliquem eligendum ſi poteſt ſe extrajudicialiter informare, poteſt etiam eligere, nemine citato.*

17 *Exceptio de Jure Tertii non ſuffragatur ad impediendam immiſſionem.*

DECISIO LXXII.

QUondam Ioannes Baptiſta Ramundinus teſtamentum condidit, in quo inſtituta hærede uſufructuaria omnium ſuorum

ſuorum bonorum Ludovica ejus uxore, gravavit eam reſtituere dicta bona filiis maſculis legitimis & naturalibus Melchioris, ejuſdem Teſtatoris ex Franciſco fratre nepotibus; quibus decedentibus abſque ſimili prole legitima & naturali, volvit, quod exequatores teſtamentarii, quatenus de tempore purificatæ conditionis ſupervivirent, ſin minus Priores Quatuor Ordinum Mendicantium Civitatis Bononiæ, pro conſervatione agnationis, & familiæ de Ramundinis, eligerent juvenem ex legitimo matrimonio conceptum, & natum de proximioribus cognatis ipſius teſtatoris, qui teneretur aſſumere nomen, & inſignia familiæ de Ramundinis; quem ſic eligendum ex tunc inſti uit, & ſubſtituit vulgariter, pupillariter, & per fideicommiſſum ; ſut latiùs in dicto teſtamento dato *in Summario num.* 1.

Deceſſit Ludovica hæres ac ſucceſſivè Aloyſius Franciſcus filius dicti Melchioris ultimus hæres gravatus, abſque filiis, Unde dicti Priores, prædefunctis aliis Exequutoribus in teſtamento deputatis, elegerunt Antonium Mariam Belioſſum dicti teſtatoris ex Cornelia Sorore pronepotem, qui nomen & inſignia ejuſdem teſtatoris aſſumpſit, & cœpit agere coram Auditore Generali Bononiæ pro recuperatione quorundam bonorum dicto fideicommiſſo ſubjectorum, contra Lucatellos illorum poſſeſſores, à quo ſententiam contrariam reportavit: Cauſa ad Rotam delata, & mihi commiſſa, dubitavi an conſtet de fideicommiſſo ad favorem dicti Antonii Mariæ Belioſſi, ſeu Ioannis Baptiſtæ de Ramundinis? & Domini reſponderunt affirmativè.

Exiſtentia ſiquidem dicti fideicommiſſi non controvertebatur, & de illo ſatis apparet ex tenore ejuſdem teſtamenti.

1 Quod autem illud ſit purificatum ad favorem ipſius Antonii Mariæ, ſeu Ioannis Baptiſtæ, clarè deſumitur ex præfata ſerie facti, in qua partes non diſcrepabant. Cum enim per obitum Aloyſii Franciſci ultimi hæredis gravati ex linea Melchioris, nulla relicta prole, factus fuerit locus electioni Iuvenis proximioris de cognatione teſtatoris, dictique Priores ob defectum Exequatorum in teſtamento nominatorum, elegerint ipſum Antonium Mariam habentem omnes qualitates ab eodem teſtatore fideicommittente requiſitas, utique dictum fideicommiſſum fuit purificatum ad favorem ipſius Antonii Matiæ electi, qui docet ſe eſſe in caſu vocationis: Gloſſ. *in leg. qui duos, verbo, ſuperſtes fuit, ff. de rebus dub.* Ctav. *conſil.* 208. *num.* 3. *verſ. verſum allegantì*, Peregr. *de fideicommiſſ. artic.* 43. *num.* 17. Rota *deciſ.* 467. *num.* 1. *parte* 2. *recent.*

Quod verò dictus Antonius Maria habeat qualitates à fideicommittente requiſitas, dubitari non poteſt. Nam quod ipſe ſit ex legitimo Matrimonio conceptus, & natus, probatur ex teſtibus formiter examinatis, qui apertè deponunt dictum Antonium Mariam eſſe filium ex Carolo Belioſſo, & Valeria Scarpia conjugibus, conſtante matrimonio ſuſceptum; 2 qui teſtes cùm deponant de nominatione, tractatu, ac publica reputatione, & fama, dictam legitimam filiationem ſufficienter probant: juxta doctrinam Bartol. *in leg. filium, num.* 1. *ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni juris:* Surdus *conſilio* 1. *num.* 46 *& ſeqq.* Rota *deciſion.* 766. *num.* 1. *parte* 2. *recent.*

3 Concurrentibus præſertim partitis formiter extractis à Parocho ex libris Matrimoniorum & Baptiſmatum; ex quibus apparet Matrimonium inter prædictos Carolum & Valeriam contractum, præceſſiſſe per undecim menſes nativitatem dicti Antonii Mariæ eorum filii, quæ partitæ junctis depoſitionibus dictorum teſtium, legitimam filiationem Antonii Mariæ bene probant: Rota *in recent. deciſione* 132 *numero ſecundo, parte* 2. & inter impreſſ. per Fatinac. *poſt lib.* 2. *conſil.* 185. *num.* 1. *in fin.*

Quod autem idem Antonius Maria ſit pronepos Corneliæ ſororis Ioannis Baptiſtæ fideicommittentis; & ſic quod ſit proximior de cognatione ejuſdem fideicommittentis, probatur ex eo, quod Carolus pater dicti Antonii 4 Mariæ, fuit filius dictæ Corneliæ, ut elicitur ex teſtamento ejuſdem Corneliæ, quæ dictum Carolum uti ejus filium hæredem univerſalem inſtituit; Pariſ. *conſil.* 29. *num.* 10. *libro* 2. Cephal. *conſil.* 48. *numero* 18. *libro* 1. Peregrinus *de fideicommiſſis, artic.* 43. *numero* 77. Reverendiſſimus Dominus meus Decanus *deciſ.* 105. *num.* 3. Sanctæ memor. Gregor XV. *deciſ.* 349. *num.* 5. Rota *in recent. deciſ.* 472. *num.* 8. *part.* 1.

Quod verò Domina Cornelia eſſet ſoror Ioannis Baptiſtæ fideicommittentis, deſumitur ex eo, quod idem Ioannes Baptiſta illam in dicto teſtamento ſororem nominavit, & uti tali legatum reliquit: Rota coram Gregor. XV. *deciſ.* 422. *num.* 1.

Non obſtat quod Antonius Maria non probaverit ſe 6 proximiorem de cognatione dicti teſtatoris: quia cum ipſe ſit in gradu certo & ſucceſſibili, neque alius concurrat, qui prætendat ſe eſſe proximiorem, habet intentionem fundatam, quod ſit proximior: Surd. *conſil.* 241. *num.* 25. *circa fin. & ſeq.* Rota *deciſ.* 575. *num.* 7. & fuit dictum *in Ferrarienſ. bonorum de Taſſonis*, 6. *Aprilis* 1615. *coram Eminentiſſ. D. Card. Pamphilio.*

Non obſtat quod teſtator voluerit eligi aliquem Iuvenem, qualis non videtur Dominus Antonius Maria excedens ætatem annorum 50. Nam Domini, omiſſa quæſtione, quiſnam in Iure dicatur Iuvenis, vel Senex? Conſide- 7 rabant quod qualitas Iuventutis in caſu de quo agitur, fuit contemplata à teſtatore ad certum effectum, nempe pro conſervatione agnationis & familiæ de Ramundinis, & ſic habilitatis ad ſuſcipiendam prolem: Unde cùm Dominus Antonius Maria de tempore electionis eſſet uxoratus, ac plures haberet filios, & in dies alios etiam ſuſcipiat, viſum fuit ſatis conſtare de illius juventute, ad hoc ut dicatur conſultum voluntati teſtatoris: nam ubi requiritur qualitas ad certum effectum, non eſt curandum de modo illam adimplendi, dummodo habeatur effectus: Covarruvias *prael. quæſt. cap.* 39. *num.* 7. Mantic. *de conj. eſt. libr.* 11. *tit.* 16. *num.* 4. Peregr. *conſil.* 51. *num.* 17. *lib.* 5. Fuſar. *conſil.* 50. *num.* 11. Puteus *deciſ.* 488. *num.* 7. *libr.* 2. *in correct.* Seraphin. *deciſ.* 589. *num.* 9. & 11. Rota *in Romana domus* 5. *Novembris* 1582. *coram Robuſterio.*

Præſertim cùm ad hoc, ut quis dicatur Iuvenis, vel Senex, 9 relinquatur arbitrio Iudicis, ſecundum ſubjectam materiam, juxta veriorem opinionem, de qua Menoch. *de arbitrar. caſ.* 59. *num.* 3. *& ſeqq.* Gail. *obſervat.* 92. *num.* 7. *lib.* 1. Scacc. *de Iudic. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 149. *& ſeqq.* Ioſeph Ludovic. *deciſ. Lucen.* 13. *num.* 55. Peguer. *deciſ.* 57. *num* 21. Rota *in Bononienſ. bonorum de Muletiis* 26. *Iunii* 1601. *coram bon. mem. Cardin. Pamphilio.*

Quibus accedit communis uſus loquendi Civitatis Bo- 10 noniæ, in qua Iuvenes vocantur potius reſpectu ſexus, ad differentiam fœminarum, quàm reſpectu ætatis; ut fuit ponderatum *in eadem deciſione Bononienſ. de Muletiis.*

Non obſtat quod Dominus Antonius Maria de tempore electionis haberet duos fratres Iuniores, & ſic habiliores ad ſuſcipiendam prolem, unde infertur, electionem factam de Domino Antonio Maria juvene, omiſſis aliis fratribus junioribus, fuiſſe invalidam; prout in ſimili dicitur de pluribus admiſſis, & approbatis in concurſu Parochialium; quod electio digni, omiſſo digniore, non ſuſtineatur: Garz. *de benef. part.* 7. *cap.* 16. *num.* 2. *& ſequentibus*, Rota *deciſ.* 63. *num.* 6. *parte* 1. *recent.* Gregor. XV. *deciſ.* 11. 11 *numero* 8.

Nam fuit reſponſum, id procedere in concurſu Parochialium, ex diſpoſitione Concilii Tridentini, *in ſeſſ.* 24 *cap.* 18. 12 & particulari conſtitutione ſanctæ mem. Pii V. ſuper proviſione Parochialium, non autem in aliis electionibus, in quibus ſufficit Electores elegiſſe dignum, etiam omiſſo digniore; ut declarat Addit. ad Gregor. *diſt. deciſ.* 11. *num.* 8. idem Garz *de benef. part.* 7. *cap.* 16. *num.* 16. Patiſ. *de reſignat. lib.* 4. *quæſt.* 16. *num.* 4. & in terminis facultatis eligendi datæ in teſtamento, Bart. *in leg cum quidam, num.* 6. *ff. de leg.* 2. Molin. *de primogen lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 46. *verſ. valebit tamen*: Molin. jun. *de juſtitia & jure, tom.* 3. *parte* 1. *tit. de maior diſputat.* 595. *ſub num.* 2. Sanch. *conſil. moral. libr.* 4. *cap.* 1. *dub.* 60. *num* 11. ubi alios cumulat.

Et viſa fuit ceſſare difficultas, quia dicti fratres dictum fideicommiſſum non agnoverunt, nec voluerunt concurrere in dicta electione; quinimò illi expreſsè renunciarunt, atque electionem factam ad favorem D. Antonii Mariæ eorum fratris approbarunt; unde perinde haberi debent in hac conſideratione, ac ſi non extarent: cùm quilibet poſſit ſuo favori renunciare: *leg. ſi quis in ſcribendo, Cod. de pact. cap. ſi de terra, in fin. de privileg.* Surd. *conſil.* 328. *num.* 3. 13

Non obſtat, quod quando jus renunciantis habet aliquam mixturam cum honore & voluntate Teſtatoris tunc dicto 14 juri renunciari non poteſt: juxta *conſ. Caſtren.* 159 *ſub n.* 5. *circa med. verſ. dedit enim ipſe teſtator lib.* ... Caldet. *conſil.* 2. *propeſin. verſ. ſi vero eſſet introductum.*

Nam prædicti Doctores loquuntur in hærede, vel fideicommiſſario, qui teſtatoris hæreditatem acceptarunt, ac per conſequens ejus factum ſeu voluntatem impugnare non poſſunt; ideoque non applicantur præſenti caſui, in quo cùm fratres Dom. Antonii Mariæ non ſunt teſtatoris hæredes, dicto juri renunciare potuerunt, *ex allegatis.*

Demum non obſtat quod dicti fratres debuerint ſaltem vocari ſeu citari in dicta electione, ex quo de illorum in- 15 tereſſe agebatur, juxta *conſ.* Zarabell 139. *num.* 2. Cumpan. *conſil.*

16 *conſil. 7. num. 2.* Quia cùm dicta electio non eſſet actus judicialis, DD. Priores deputati ad eligendum in teſtamento potuerunt ſe extrajudicialiter informare, ac Dom. Antonium Mariam conſanguineum teſtatoris eligere, etiam non citatis dictis fratribus; ut in terminis tenuerunt Gutierrez, *Canon. qq. lib. 2. quæſt 97. num. 13.* Sanchez *conſil. moral. lib. 4. cap. 1. dub. 62. num. 1. in fin.*

17 Et in omnem eventum dicta exceptio tanquam de jure Tertii non ſuffragatur Lucatellis, ad impediendam immiſſionem D Antonii Mariæ, Socin. ſen. *conſil. 78. lib. 1.* Ruin. *conſil. 35. num. 31.* Rota coram Martin. Andr. *deciſ. 87. n. 14.* cum aliis *ibi* relatis.

Et ita utraque, &c.

Romana ſeu Tudertina Educationis, die Lunæ 14. Aprilis 1636.

Coram R. P. D. Pirovano.

SUMMARIUM.

1 *Pupilli melius & ſecurius penes Matrem educantur.*

2 *Utilitas magna ex omnibus partibus movere debet animum judicantis in arbitrando loco, ubi pupillus ſit educandus.*

3 *Romana Civitas omnibus præcellit litteris, & bonis moribus; in qua Gymnaſia & Academia, Seminaria, & Ludimagiſtri florent; qui pueris ſumma cum diligentia, & amore aſſiſtunt, & invigilant, ut virtutibus illos imbuant & exornent.*

Ludimagiſtri dum ſunt mercenarii, in eis minor ſollicitudo de puerorum cura ſolet eſſe.

4 *Pupillis æqualiter providere ſemper fuit præcipuum Legislatoribus, nedum ut alantur, ſed ut liberalibus artibus inſtruantur.*

5 *Adoleſcentes ſunt transferendi ad Civitates, ubi melius & moribus & litteris ornari poſſunt.*

6 *Romanum Cœlum, cui dubium eſt quod aliis præferendum ſit, circa aeris temperiem, & ſitus præſtantiam, & rerum affluentiam pro ſalute corporis tuenda.*

7 *Iuvenum vivida ingenia in Urbe, qua ratione proveniat.*

8 *Pupillus educandus eſt ibi, ubi jura validius defendi poſſunt, abſque impenſa, ac etiam patrimonii diſſolutione.*

9 *Teſtatoris præceptum ſi contineat aliquam ſervitutis ſpeciem, à lege, & inſtitutione reiici ſolet.*

10 *Referens nihil aliud operari poteſt, quàm relatum.*

11 *Domicilium non dicitur quis mutare, dum ſe transfert alio ſtudiorum cauſa, aut mercatura, aut dignitatis, aut litis, aut melioris educationis.*

12 *Domicilio originis nunquam cenſetur renunciatum niſi per expreſſam animi declarationem, aut longi temporis curſum, qui debet annos decem excedere.*

13 *Iudex arbitrando poteſt modificare, ſeu declarare indiſcretam teſtatoris voluntatem.*

DECISIO LXXIII.

CEnſuerunt Domini licere Dominæ Catharinæ educare pupillos filios in Vrbe: quoniam ſi, juſta cauſa ſuadente, Iudicis arbitrio permiſſum eſt in hac cauſa determinare perſonam Matris, penes quam pupilli melius & ſecurius ſint educandi, per *leg. 1. & penultim., ff. ubi pupill. educ. deb. d. l. Cod. eod. titul.* Baldus *conſil. 472. alias 487. incip. Pupilla morari debet: vol. 5.* cum aliis allegatis per Franc. *deciſ. 350.* Maſtrill. *deciſ. 230. ac in deciſ. hujus cauſa 13 Jan. 1634.* cò liberiùs Iudex potuit arbitrari, & aſſignare locum in Vrbe, ubi pupilli ſint educandi, in quo cadere non poteſt maligna ſuſpicio, nec tanta circumſpectio periculi pupillorum, ſed utilitas magna ex omnibus partibus ponderata, quæ movere debet animum, iudicantis in arbitrando loco educationis, *leg. utilitatem, ff. de confir. tut. d. l. in princ. ff. de contr. tut. d. l. & ultima, ff. ubi pupill. educ. deb.* Cravet. *conſil. 18. n. 3.* Surd. *de alim., tit 4. quæſt. 13. n. 4.* Valenz. alios referens *conſil. 36. num. 22. & ſeqq.*

3 Et quod pertinet ad animorum dotes, ut litteris, & bonis moribus pueri imbuantur, abſque hæſitatione fatendum erit, Vrbem præcellere, in qua Gymnaſia, & Academiæ, Seminaria, & Ludimagiſtri florent, qui pueris ſumma cum diligentia & amore aſſiſtunt & invigilant, ut virtutibus repleantur: quod de Civitate Tuderti dubitari poteſt, in qua Ludi Magiſtri non affluunt, prout in Vrbe, ſed deſiderantur, & mercede vel de publico conducuntur, vel ipſi mercenarii ſunt, in quibus minor ſollicitudo de puerorum cura ſolet eſſe: & hoc eſt quod Legiſlatoribus ſemper præcipuum fuit

4 æqualiter providere pupillis, nedum ut alantur, ſed ut liberalibus artibus inſtruantur: *leg. qui filium, ff. ubi pupill. educ. deb. leg. cumpluret, §. cum tutor, ff. de admin. & per tut. leg. de bonis, §. non ſolum. ff. de Carb. edict.* & propterea non mirum ſi adoleſcentes ſunt transferendi ad Civitates, ubi melius & facilius & moribus, & litteris ornari poſſint, maximè quando ut in præſenti, æquali impenſa proprii domicilii & loci, ad quem, ut tranſmigraturi ſunt, ſuſtineari valeant, atque ita pro tranſlatione pupilli ad Civitatem Senatum, deciſum fuiſſe refert Chriſtophorus Medices *deciſ. 62. n. 5.* & de Puerto Vrbevetano, qui ex diſpoſitione Avi materni expreſſa juſſus erat educari penes Avum maternum, idem reſponſum fuit *in Urbevetana educationis 10 Martii 1628. coram Dom. Card. Vbaldo*, ut in Seminario Romano invitus detineretur.

Si verò attendantur quæ ad corporis ſalutem pupillorum reſpicere poſſunt, nempè aëris temperies, & ſitus præſtantia, & rerum affluentia pro ſalute corporis tuenda; cui dubium, 6 quòd Cœlum Romanum præferendum ſit? Quandoquidem ex Vrbis latitudine, & amplitudine, ac magni fluminis, ac rerum concurſu, æquè cuique corporis temperaturæ convenire poſſit; ita ut ex hac univerſali conveniencia, dixerit Mandoſ. *ad Reg. Cancell. 16 quæſt. 39. num. 7.* inde provenire 7 vivida Iuvenum ingenia, ea ratione, quia ad invicem comcidunt aëris optima temperies, & ingenii incolarum præſtantia; ſitaut de una ad alteram poſſit argumentari, ex Ariſt. ſententia *in probl. ſect. 14 quæſt. 1. & 15.*

Demum inſpecta etiam utilitate rerum, & patrimonii ipſorum pupillorum, educatio in Vrbe eſt admittenda; dum ſub Avunculorum patrocinio, bona, & jura pupillorum validius defendi poterunt abſque impenſa, ac etiam patrimonii diminutione, attenta oblatione per Dominam Catharinam matrem de filiis alendis in Vrbe, pro ſumma jam in Civitate Tuderti decreta: & hæc ipſa patrimonii pupillorum ſperata defenſio adeò prævaluit, ut Conſilium Neapolitanum omiſſo tutore mandaverit pupillam penes Matrem educari, quæ ad ſecundas tranſierat nuptias contemplatione Vitrici magni nominis Advocati, referente tunc, & deciſum atteſtante Carolo Tapia *deciſ. 51. num. 18.* quæ etiam comprobantur ex rationibus *deciſ ſupradicta 62. num. 5. & ſeqq* Chriſtophor. Medic.

Non obſtat præceptum Alexandri Patris pupillorum, de quo in ejus teſtamento: *Che l'infraſcritto ſuo herede non poſſi per neſſun tempo mai levarſi dall'habitatione, & domicilio di Todi, & andar ad habitare in altri luoghi.*

Quoniam omiſſo quod tale præceptum tanquam contiens quandam ſervitutis ſpeciem, à legato & inſtitutione 9 ſolet reiici: *leg. Titio centum, §. Titio centum, ſ. 2 ff. de cond. & demonſt.* attamen cùm ſe referat ad ſimilem Martii Patris diſpoſitionem; ibi, *è conforme all' ordine particolare fatto dalla b. m. del ſignor Martio ſuo Padre, confirmando, in queſto in tutto, & per tutto il detto teſtamento, con la medeſima pena:* nihil plus referens operari poteſt, quàm relata diſpoſitio continet: *leg. eſſe toto, ff. de hared. inſtitut.* Dec. *conſil. 47. n. 1.* 10 Ruin. *conſ. 127. num. 4. lib. 2.* Cravet. *conſil. 45 n. 4* Menoch. *præſumpt. 62. num. 14. lib. 4.* Beretr. *conſil. 130. n. 5.* loquens de diſpoſitione relata ad teſtamentum paternum illiuſque approbatione, ſed Martii Patris diſpoſitio duo determinat. Primum, quod nemo ex filiis ſuis deſcendentibus poſſit *innovare, è laſciar in alcun modo il domicilio di detta Città di Todi è ſuo Territorio:* Secundum, *che non ſi intenda prohibirli l'andare à qualche loro honeſto ſpaſſo per qualche meſe, & anno in altri luoghi, come in Roma, & altrove,* ſubdens *& anco per molte altre occaſioni, purchè non mutino il domicilio come ſopra:* ergo cum neque à primo, neque à ſecundo recedatur per filiorum in Vrbe educationem, nihil opponi poteſt de contraria Patris diſpoſitione.

Nam ſive Alexandri verba attendantur, ſive Martii diſpoſitio ſequatur, nulla poteſt eorundem voluntati contraventio colligi, cum de domicilii deſertione loquantur, ut aliò 11 ad habitandum ſe transferant: quod quidem domicilium, ſi per accidens deſeratur, dum quia aliò ſe transfert ſtudiorum cauſa, aut mercaturæ, aut dignitatis, aut litis, aut melioris educationis, non dicitur mutari: text. eſt *in leg. aſſumptio, Digeſtis, ad municip. leg. origine, Codic. de municip. & origin. libro decimo, leg. pen. in fin. ff. de Senat. leg. provinciales, ff. de verb. ſignif.* Menoch. *conſ. 329. n. 37* Cephal. *conſil. 451. num. 125.* Surdus alios referens, *conſil. 346. num. 12. &* 12 *conſil. 313. num. 71.* affirmans nunquam domicilio originis cenſeri renunciarum, niſi per expreſſam animi declarationem, aut longi temporis curſum, qui debet annos decem excedere: & iſta concluſio per Maritum fuit admiſſa, dum filiorum abſentiam per menſes, & annos permiſit ex aliquo accidenti: & quoad locum, nominando Vrbem; ita ut educatio horum filiorum in Vrbe non contra, ſed ſecundum voluntatem parentum dici poſſit. Quibus omnibus accedit Iudicis arbitrium, modificans ſeu declarans indiſcretam, 13

quatenus

quatenus opus ſit, parentum voluntatem: per *l. Quintus Mutius, ff. de ann. legat.* & alios pro hac parte ad ſupradicta adductos.

Et ita, &c.

Gerundenſis altius non tollendi, Lunæ 24. Novembris 1636.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Ædificare uſque ad cœlum quiſque poteſt in ſolo proprio.*
2 *Ædificium ſuum quis amplius extollere non poteſt ſi ſit conſtituta ſervitus altius non extollendi.*
3 *Ædificium ſuum quis amplius extollere non poteſt, ſi id vellet facere ad æmulationem.*
4 *Servitutem altius non tollendi, qui habet, dicitur habere jus prohibendi ne altius tollatur ædificium, in quo adeſt talis ſervitus.*
5 *Intellige tamen hoc, ſi dicta ſervitus ſit probata.*
6 *Verba intelligenda ſunt ſecundùm qualitatem eis adjectam, & num 7.*
8 *Significatio etiam propria unius verbi reſtringitur ex adjectione aliorum verborum.*
9 *Qualitas adjecta uni verbo, illud qualificat, & actum in diverſa ſpecie reponit.*
10 *Verba intelligenda ſunt ſecundùm ſubjectam materiam.*
11 *Verba non poſſunt trahi ultra limites ſubjectæ materiæ.*
12 *Libris Mercatorum ſi ex ſtatuto credatur, intelligi debet quoad res, quæ ad Mercaturam ſpectant, non quoad alia.*
13 *Statutum permittens quod filiifamilias poſſint ſe obligare, intelligitur quando ſe obligant ratione Artis.*
14 *Ædificium altius tollere ad æmulationem non licet.*
15 *Æmulatio non præſumitur, cùm in dubio quilibet præſumatur ædificare ad ſui principaliter utilitatem, non ut alteri noceat.*
16 *Ædificium fieri ad æmulationem ſi quis aſſerat, incumbit onus probandi.*
17 *Æmulatio in ædificando non præſumitur, etiamſi magnum damnum vicino inferatur, & parva utilitas proveniat ædificanti; niſi aliunde probetur, & num. 31.*
18 *Æmulationis præſumptio ne excludatur, non ſufficit modica utilitas ædificare volenti, & num. 19.*
20 *Ædificium unum quando alteri non impediat Solem.*
21 *Muta deciſ. 18. loquitur de Monaſterio Monialium.*
22 *Ædificare ad æmulationem quis non cenſetur, licèt aliquod damnum inferat vicino.*
23 *In agro ſuo fodiens, ſi vicini fontem avertat, non tenetur de dolo, ſi non animo nocendi vicino, ſed agrum ſuum meliorem faciendi cauſa, id faciat.*
24 *Aquæ venas qui in fundo ſuo incidit, ita ut aqua deſinat pervenire in alium fundum, ubi erumpebat, non dicitur vim facere, dummodo in hoc nulla ſervitus conſtituta ſit.*
25 *In ædificando tunc æmulatio intrat, quando conſtructio fit cum injuria alterius, & animo nocendi, non neceſſitatis, aut utilitatis propriæ cauſa.*
26 *Et quando conſtructio non prodeſt ædificanti, & alteri nocet.*
27 *In ædificando quando concurrit utilitas ædificantis, licèt vicino damnificetur, excluditur æmulatio, & præſumptio oritur quòd ratione propriæ utilitatis quis ædificare velit.*
28 *Utilitas modica ſufficit, ad hoc ut dicatur ædificans non ædificare ad æmulationem.*
29 *Parum, & nihil æquiparantur.*
30 *Alciat. in reg. 3. præſumpt. 3. qualiter protedat.*
31 *Ædificantis modica utilitas ſi adſit, & magnum damnum inferatur vicino, tunc non excluditur cumulatio.*
32 *Sed hoc intellige, dum cum modica utilitate concurrit etiam inimicitia.*
33 *Patres Jeſuitæ obſequentiſſimi ſunt erga omnes alios Regulares, & hoc expreſsè profitentur.*
34 *Veriſimile quod non eſt, venit attendendum.*
35 *Patres Jeſuitæ ſunt Viri Religioſiſſimi.*
36 *Ædificium privatum altiùs tolli prohibetur, quando ex eo diſcooperirentur Religioſæ intra proprium Monaſterium.*
37 *Sed hoc intellige, quotieſcunque ex novo ædificio graviſſimum immineret Monaſterio præjudicium, etiamſi non fiat ad æmulationem.*
38 *Ædificium quando nocet Eccleſiæ, vel Monaſterio, compelli poteſt Dominum ædificii vendere ſervitutem altius non tollendi.*

Pauli Zacchiæ, Quæſt. Med. *Tom. III.*

DECISIO LXXIV.

FUit reſolutum, ſententiam Rotalem, in qua extitit pronunciatum, Patribus Dominicanis non competere jus prohibendi Patribus Jeſuitis, ne altiùs tollant eorum æſificium, eſſe confirmandam, cùm de ejus juſtitia conſtet ex quo quiſque in ſolo proprio poteſt ædificare uſque ad cœlum: *leg. cum eo, leg. Imperatores, Digeſtis, de ſervitut. urban. prædior. leg. altiùs, leg. in ædibus, Codice, de ſervit. leg. Proculus, Digeſtis, de damno infecto.* Borous *conſil.* 134. *numero* 1. *lib.* 3. Vincentius de Franchis *deciſ.* 223. Antonius Gomez. *in leg.* 46. *Tauri, num.* 6. Menochius *de arbitr. caſu* 156. *numero* 3. & *conſilio* 298. *numero* 24. Gaylus *obſervat.* 69. *num.* 1. *lib.* 2 & *ibid.* Græveus pariter *num.* 1. qui alios referunt. 1

Neque obſtat quod Patres Dominicani prætendant habere ſervitutem, & ſic jus prohibendi: quo caſu non intrat Regula prædicta, ſcilicet, quod quiſque in ſuo ſolo ædificare ad libitum poſſit: prout dicta Regula non intrat ex alio capite, nempe quando fabrica fit ad æmulationem. Nam reſponderetur quoad primum, quod licèt verum ſit, eum qui habet ſervitutem, habere jus prohibendi, *dict. leg. cum eo, ff. de ſervitut. urban. prædiorum, leg. ſi in meo fundo, ff. de aqua pluvia arcend. leg. ſi quid, Cod. de ſervitut. & aqua: dict. leg. altiùs, & dict. leg. ſi in ædibus, Codice, de ſervitut.* Attamen Patres Dominicani non probant hanc ſervitutem reſpectu ſui Monaſterii: nam, etſi de anno 1260. quidam Macellarius convenerit cum Patribus Dominicanis prædictis per infraſcripta verba: *promittens, quod nullo unquam tempore, nec ipſe, nec ſui, plantabunt in ſuo tenedone, hoc eſt tenuta, arbores; nec facient aliquid aliud, unde poſſit haberi proſpectus per aliquem modum ad locum veſtrum;* (ſcilicet Dominicanorum) *vel unde poſſit haberi acceſſus ſive aditus, vel poſſit vobis aliquo modo, vel loco veſtro unquam damnum ſive præjudicium aliquod generari*: Nihilominus fuit reſponſum, quod iſta verba intelliguntur reſpectu dicti Tenedonis Patrum Prædicatorum vicini, & prope Tenedonem Macellarii, non autem reſpectu Monaſterii; quia etſi verba ſint ſatis generalia, videlicet *loco veſtro*, & apta comprehendere etiam Monaſteria; attamen illa verba declarantur ex qualitate adjecta ibi, vel *unde poſſit haberi acceſſus ſive aditus*, quæ verba non poſſunt verificari in Monaſterio, cùm adſit via intermedia: & propterea hujuſmodi verba, & qualitates adjunctæ expreſsè oſtendunt, quod non fuit intellectum de Monaſterio, ſed de alio Tenedone vicino, ad quem poterat dari acceſſus, & aditus; cùm propter dictam viam intermediam, non poſſit dari aditus neque acceſſus ad Monaſterium: Bart. *in l. liberorum, n.* 13 *ff. de verb. ſignif.* Bald. *in leg. precibus, n.* 43. *Cod. de impuber.* Gabr. *conſ.* 132. *n.* 38. *volum.* 1. qui alios congerit, & probat ſignificationem etiam propriam unius verbi, reſtringi ex adjectione aliorum verborum. Et ratio eſt, quia qualitas adjecta reſtringit, & actum in diverſa ſpecie reponit: Bart. *in leg. ſi quis poſthumo, §. ſi filium*, ubi Jaſ. *num.* 51. *ff. de liber. & poſthum.* Surd. *conſ.* 179. *n.* 40. *lib.* 1. & *conſ.* 315. *n.* 26. & *conſ.* 441. *n.* 24 & 25. *lib.* 3. 2 3 4 5 6 8 9

Nec officiunt illa verba ſequentia, videlicet, *vel poſſit aliquo modo loco veſtro unquam damnum ſive præjudicium aliquod generari* Quia hæc verba ſunt intelligenda reſpectu ipſius tenedonis Patrum Prædicatorum, de quo in dicto inſtrumento ſolùm agebatur; non autem quod ſimpliciter non fieret præjudicium Patribus Prædicatoribus: & proprius ſenſus illorum verborum, attenta tota ſerie, eſt, quòd in tenedone ſuo Macellarius non plantabit arbores, vel faciet aliquid aliud unde poſſit haberi proſpectus aliquo modo *ad locum veſtrum*, ſcilicet tenedonem Fratrum Prædicatorum, vel unde poſſit haberi acceſſus, ſive aditus ad illum; neque faciet aliquid, quod *vobis, vel loco veſtro*, ſcilicet dicto tenedoni veſtro damnum ſive præjudicium generari poſſit, & propterea illa verba, *vel poſſit vobis aliquo modo præjudicium generare*, ſunt intelligenda in ordine ad ipſum ſolum tenedonem Fratrum, non autem ſimpliciter; cùm de ipſo ſolo tenedone ageretur; & verba ſunt intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam; 10

10 *leg. Proculus ff de uſufruct. leg. Inſulam ff de præſcript. in verbis* Nevizan. *cons.* 92. *n.* 15. & 17. ita ut non poſſint trahi ultra limites ſubjectæ materiæ : Gloſ. *in cap. cum ordines de reſcript.*
11 ibi *ſuper aliâ re* : Ias. *in leg. ſepè. n.* 4. *Cod. de tranſaction.* Ubi ſi ex ſtatuto credatur libris Mercatorum, intelligi debet
12 quoad res, quæ ad Mercaturam ſpectant, non quoad alias : Bald. *in leg. fin. Cod. ad Macedonian.* ubi quod ſtatutum permittens quod filifamiliæ poſſint ſe obligare, intelligitur
13 quando ſe obligant ratione artis : & plura deducit Felin. *in cap. cum ordine, n.* 4. *de reſcrip.* Bec. *conſil.* 5. *n.* 14. Surd. *conſ.* 453. *n.* 53. *uſque ad fin. lib.* 3.

14 Quantum verò attinet ad æmulationem, reſpondetur, quod etſi verum etiam ſit, non licere ad æmulationem altius tollere fabricam *leg. opus novum, ff. de operibus public. cap. Piſanis, de reſtit. ſpol.* Roman. *conſ.* 52. *num.* 4. Gail. *ubi ſuprà, n.* 17. Theſaur. *deciſ.* 16. *num.* 10. Sichard *conſ. feud.* 9. *num.* 15. Menoch. *de arbitr. Judic. caſ.* 156. *n.* 3. & *præſumpt.* 29. *n.* 28. *lib.* 6. Vivius *deciſ.* 306. *verſ. contrarium verò* : & *deciſ.* 403. ubi *n.* 6. quod ita judicatum fuit ; prout etiam dicit Clarus *in* § *fundum, quæſt.* 30 *verſ.* & *ſuperioritas annis cum quidam* : Honded. *conſ* 80. *n.* 7. & 35. *lib.* 1. ubi etiam de communi : tamen æmulatio præſumitur : quia quilibet in dubio præſumitur ædificare ad ſui utilitatem principaliter, & non ad æmulationem alterius : Gloſ. *in leg. fluminum,* § *fin.* ubi Bart. & alii, *ff. de damno infect.* Ias. *in repetit. leg. quo minus, n.* 23 *ff. de fluminibus, & in leg. ex hoc jure. num.* 11. *ff. de juſtitia &*
15 *jure* : Bald. *in leg. item Lapilli, num.* 4. *circa med. ff. de rerum diviſione,* Gail. *allegata obſervatione* 69. *num.* 30. & *ibi* Graevæus *num.* 5. Honded. *dict. conſ* 80. *num.* 34 *volum.* 1 Myſing. *decad.* 11. *conſ.* 2. *n.* 7. Vivius *dict. deciſ.* 306 *num.* 5 Unde
16 Patribus Dominicanis incumbit onus probandi, quod Patres Jeſuitæ altiùs tollant ad æmulationem, Gail. *ubi ſuprà, n.* 31. cùm ædificans in ſuo habeat regulam pro ſe : *leg. generaliter,* § *ſi petitur, in fine, ff. de fideicomm. libertat. leg. ſive poſſidetis, Cod. de probat.* Dec. *conſ.* 400. *n.* 8. & *conſ.* 173. *n* 5. Cæpol. *conſ.* 138. *n.* 16 *cum ſequentibus, vol* 1. Maximè quod in hoc caſu excluditur etiam æmulatio ex teſtibus datis *in ſummario Patrum Jeſuitarum, n.* 15.

17 Neque facit quod æmulatio ſatis probetur, ex quo magnum damnum provenit Patribus Dominicanis, parva autem utilitas Patribus Jeſuitis ; Cephal. *conſ.* 130. *n.* 15. qui etiam
18 ſubdit, nec modicam utilitatem ædificare volentis ſufficere ad excludendam hanc præſumptionem æmulationis, quod voluit etiam Antonius Padilla *in dict. leg. altius, num.* 22. *verſ. quod quidem* : ubi poſt Craver. teſtatur de communi : *leg* 3 *ff de operibus publicis,* ubi Alberic. Gomeſ. *ad leg. Tauri* 46. *num* 8. Doctores *in dict. leg. altius* : Marſil. *ſingul.* 154. Dec *in leg. nullus, & in leg. Domum. ff. de regulis Juris.* Iaſon. *conſ* 32. *lib.* 1. & *in leg. quo minus, quæſt.* 1. *ff. de fluminibus,* Roman. *conſ.* 52 *dub.* Muta *in Capitulis Regni, dec.* 115. *num.* 110 & *deciſ* 8. *num* 5.

19 Quia huic fundamento fuit reſponſum, non probari quod parva utilitas reſultet Patribus Jeſuitis, magnum autem damnum Patribus Dominicanis, immò eis nullum afferatur damnum circa aëris benignitatem ; ædificium enim iſtud non
20 impedit Solem, quia Monaſterium Patrum Dominicanorum eſt in parte Orientali, & ptiùs habet Solem, quàm Collegium Patrum Jeſuitarum, nec etiam impedit ventum Occidentalem, quia Patres Jeſuitæ ſunt in depreſſiori loco, in eminentiori verò Dominicani, ita ut ipſis non impediatur Favonius, neque ventus Auſtralis, qui eſt pernicioſus, impeditur à dicto ædificio, quia Murus tendit ab ipſo Meridie ad Septentrionem, minus impediet ventus Aquilonaris, qui liberè perflat
21 Cœnobium Patrum Prædicatorum, ut benè diguoſcitur ex planta : & ſic ceſſat quod dicit Muta *in d. deciſ.* 8. *num.* 2. qui etiam loquitur de Monaſterio Monialium.

Ultra quod, ſi aliquod damnum inferretur Patribus Dominicanis, quod verè non infertur ex prædictis, adhuc non
22 intraret æmulatio : *d. l. Proculus, leg. fluminum,* §. *fin. ff. de damno infect. leg. ſi in ædibus, & leg. cum eo. ff. de ſervitut. urb. prædiorum,* quia qui utitur jure ſuo, nemini facit injuriam, *leg. nullus videtur,* ubi Dec. *n.* 1. Cagnol. *n.* 4. *ff. de reg. Jur. d. leg. fluminum,* § *fin ff de aqu. pluv. arcend.* ubi qui in agro ſuo
23 fodiens, vicino fontem avertit, de dolo non tenetur, ſi non animo nocendi vicino, ſed agrum ſuum meliorem faciendi id facit : *leg ſi in meo fundo ff rod. tit.* ubi dicitur quod is vim
24 non facit, qui venas aquæ in ſuo fundo incidit, ita ut ob id aqua deſinat pervenire in alium fundum, ubi erumpebat, dummodo ſervitus eo nomine ei, in cujus fundo aqua erumpebat, nulla conſtituta ſit : Gail. *d. obſervat.* 69. *n.* 11. & *n.* 28.
25 dicit quod æmulatio inttat, quando conſtructio ſit injuria alterius. & animo nocendi ; non neceſſitatis, aut utilitatis pro-
26 priæ cauſâ ; & quando conſtructio non prodeſt ædificanti, & alteri nocet : & ita loquuntur Doctores, qui in contrarium poſſent allegari : ut conſiderat Honded. *in dict. conſ* 80. *n.* 35. *volum.* 1. At quando concurrit etiam utilitas ædificantis, li- 28
cèt vicinus damnificetur, excluditur æmulatio, & præſumptio exoritur quod ratione propriæ utilitatis quis ædificare velit : Caſtr. *in dict. leg. cum eo, ff. de ſervitut. urban. prædior.* Marſil. *dict. ſingul.* 154. *in fin.* Alciat. *in reg.* 3. *præſumptione* 23. aſſerens, etiam modicam utilitatem volentis ædificare, ſufficere.

Nec officit quod Padilla *in dict. leg. altius, num.* 22. aſſerat modicam utilitatem non excludere præſumptionem æmula- 28
tionis ; & parum & nihil æquiparari : Quia hic non ſumus 29
in iſtis terminis ; nam utilitas eſt conſiderabilis, non parva, reſpectu volentium ædificare, licèt ſit modica inſpecto damno vicini ; & in hoc caſu benè procedit opinio Alciati, ut dicit Honded. *dict. conſ* 8. *num.* 35. *volum.* 1. Et eadem ratione 30
reſpondetur *conſilio* Cephali 130. cùm ipſe poſt Cæpolam, quem allegat, aſſerat modicam utilitatem ædificantis, ſi adſit magnum damnum vicini, non excludere æmulationem : quia, ut dictum eſt, iſta modica utilitas non concurrit in caſu 31
noſtro : & in omnem caſum, Cephalus loquitur quando cum modica utilitate concurrit inimicitia, in qua principaliter ſe fundat : hic autem nulla adeſt inimicitia ; imò Patres Jeſuitæ obſervantiſſimi ſunt erga omnes alios Regulares, & hoc 32
expreſsè profitentur : & negæ ſunt dicere ; quod quidam 33
Nobilis inſtituit hoc ædificium in odium Patrum Prædicatorum, cum quibus habuit litem occaſione cujuſdam Patris : 34
quia nec hoc eſt veriſimile, nec Patres Jeſuitæ Viri Religioſiſſimi hoc paterentur.

Non obſtat quod privatum ædificium altius tolli prohibeatur, quando ex eo diſcooperiretur Religioſi, vel Religioſæ intra proprium Monaſterium : Cynus *in d. l. altius,* Covar. *lib.* 3 *var. c.* 4. *n.* 8 Marſil. *d. ſingul.* 154. ubi admittit opinio- 36
nem Cynî quotieſcunque ex novo ædificio graviſſimum immineret Monaſterio præjudicium, etiamſi non fiat ad æmulationem, & hoc propter publicam utilitatem quæ à Religioſis domibus provenit : Anto. Gomez. *ad leg.* 46. *Tauri, n.* 6. ubi 37
n. 9. ait : quod ubi ædificium nocet Eccleſiæ aut Monaſterio, compelli poteſt Dominus ædificii vendere ſervitutem altiùs non tollendi : Cabeduſ. *deciſ* 152. *n* 1. & 2. quod etiam poſt alios dicit Muta *d. deciſ* 8. *n.* 6. & 7.

Nam huic fundamento fuit reſponſum per Dominos, quod Covarruvias & alii prædicti loquuntur, quando privatus vult altiùs tollere in præjudicium Eccleſiæ, & Religioſorum ; vel 38
etiam in caſu quo Religioſi vellent altiùs tollere ædificium in præjudicium Eccleſiæ Monialium : ſed quando agitur prout in caſu noſtro inter Monaſteria Virotum, quia tunc illi qui volunt altiùs tollere, habent privilegium à jure id faciendi, dummodò non faciant ad æmulationem, vel alia Pars non debeat ſervitutem ; idò non poſſunt impediri quominus jure proprio utantur, ex Covarruvia *in cap... de Jur. in* 6. *n.* 4 *per totum, verſ. quod verò diximus.*

Et ita concluſum utraque parte informante.

Valentina Coadjutoriæ, die Lunæ 12. Januarii 1637.

Coram R. P. D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Coadjutoria datur in favorem Eccleſiæ, ut cultus divinus debitis non fraudetur ſervitiis.*
2 *Coadjutoria datur ut ea ſervitia, quæ à Coadjuto præſtari non poſſunt à Coadjutore præſtentur.*
3 *Coadjutoris expirat officium, ſi efficiatur inhabilis.*
4 *Coadjutoris officium expirat poſt mortem Coadjuti, vel tranſlationem, niſi Coadjutor habeat futuram ſucceſſionem.*
5 *Coadjutor ſi efficiatur impotens, non eſt qui coadjuvet : ſicuti ſi Coadjutus moriatur, vel tranſferatur, non eſt qui coadjuvetur.*
6 *A tutela, vel cura, licitum eſt arguere ad Coadjutoriam.*
7 *Tutela, vel cura expirat, ſi tutor vel curator efficiatur inhabilis ; putà mutus, ſurdus, vel cæcus.*
8 *Coadjutor ſi non deſerviat Eccleſiæ, & ei debita ſervitia non præſtet, Coadjutus poteſt petere novum Coadjutorem.*
9 *Papa de jure poteſt Coadjutorem dare cum futura ſucceſſione.*

10 *Sanctum Augustinum successit in Ecclesia Hipponensi de consensu possessoris.*
11 *Coadjutoria solum tribuit Coadjutori exercitium, & non jus, cùm illud remaneat penes Coadjutum.*
12 *Res quando devenit ad statum, à quo incipere non potest, non attenditur.*
13 *Dictio* enim, *juncta verbo futuri temporis, importat conditionem.*
14 *Irregularitas incurritur propter cacitatem.*
15 *Cæcus efficitur inhabilis ad beneficia obtinenda.*
16 *Cæcus nec beneficia optare potest.*
17 *Legatarius solum post obitum testantis plenum jus acquirit in legato.*
18 *Allegatis ad beneficium licitum est arguere.*
19 *Improviso sub conditione habilitas requiritur de tempore purificatæ conditionis.*
20 *Coadjutor si de tempore vacationis sit effectus cæcus, cùm sit irregularis, & sic inhabilis, non potest pretendere successionem.*
21 *Defectus superveniens post purificatam conditionem, non vitiat actum.*
22 *Clausula*, ex nunc prout ex tunc, *denotat inchoationem temporis.*
23 *In actu conditionali primum locum obtinet voluntas disponentis.*
24 *Clausula*, ex nunc prout ex tunc, *adjecta actui conditionali, sumit robur à die eventus conditionis.*
25 *Retroactio non habet locum, quando res devenit ad statum à quo incipere non potest.*
26 *Retroactio in actu conditionali retrotrahi non potest in præjudicium ejus, cui medio tempore fuit jus quæsitum.*
27 *Actus conditionalis, ut eveniente conditione à principio incipere possit, debet esse in tali statu de tempore purificationis conditionis, ut tunc possit inchoari.*
28 *Abb.* in cons. 47. num. 2. & sequentibus, volum. 1. *declaratur.*
29 *Actus legitimi non recipiunt neque diem, neque conditionem.*
30 *Cæcus succedere potest Patri Baroni, vel habenti jurisdictionem, sicèt de novo talis dignitas caco conferri non possit.*
31 *Quasi satis sit quod fuerit habilis tempore, quo spem habuit succedendi, & superveniens cæcitas non privat illum tali successione.*
32 *Bart.* in leg. cæcus, ff. de judic. *declaratur.*
33 *Lex*, cæcus, ff. de judic. *procedit in cæcitate superveniente illi qui est Judex.*
34 *Lex*, cum Prætor, ff. de judic. *procedit in cæcitate, quæ venit antequam quis sit factus Judex.*
35 *Doctores loquentes in rebus prophanis non sunt trahendi nec applicandi in rebus sacris.*
36 *Beneficii acquisitio impeditur propter cæcitatem.*
37 *Papa si dispenat quod moriente, vel cedente Coadjuto; Canonicatus non possit impetrari, quia vult ut pertineat ad Coadjutorem; qualiter ista dispositio intelligatur.*
38 *Gratia conditionalis non obstante decreto irritanti non purificata conditione decretum non operatur.*
39 *Coadjuto mortuo, Coadjutori habenti successionem non requiritur alia collatio.*
40 *Clausula*, ex nunc prout ex tunc, *quando non operetur.*

DECISIO LXXV.

Heletonymus de Torres Canonicus Valentinus, obtinuit sibi dari Coadjutorem cum futura successione Franciscum Vincentium, & eo, prout supponitur, ad cæcitatem redacto, dubitavit de ordine Datariæ; An sit concedenda gratia novæ Coadjutoriæ? & Domini responderunt esse concedendam etiam cum futura successione.

1 Quantum enim attinet ad Coadjutoriam, res visa fuit clara: quia Coadjutoria datur in favorem Ecclesiæ, ut cultus divinus debitis non fraudetur servitiis; & ut ea servitia quæ
2 à Coadjuto ob senectutem, & infirmitatem præstari non possunt; à Coadjutore præstentur: *cap. ex parte, de Cleric. ægrot. cap. 1. eodem tit. in 6.* Put. *decis. 225. num. 17. lib. 3. in correct.* & disponitur à Sacrosancto Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 7. de reformatione.*

Neque obstat, quod jam semel fuit datus Coadjutor: quia
3 cùm sit effectus inhabilis ad serviendum, expiravit illius officium; prout cessat per mortem Coadjuti, vel renuntiationem 4
illius, nisi Coadjutor idoneus habeat futuram successionem. Et ratio utriusque casus eadem est, quia si Coadjutor efficitur impotens, non est qui coadjuvet, similiter si Coadjutus 5
moritur, vel transfertur, non est qui coadjuvetur: unde cessat Coadjutoria: ex Add. per Ioannem Andream *in cap. fin. n. 10. vers. probat hoc derivatio nominis, & ibi* Card. *n. 19. vers. Per hoc facit derivatio nominis de Cleric. ægrot.* & tam Ioannes Andreas, quàm etiam Cardin. concludunt, licitum esse at- 6
guere à tutela, & cura, ad Coadjutoriam; sed tutela & cura 7
expirant, Tutore, vel Curatore inhabili effecto, puta si efficiatur mutus, surdus, vel cæcus; Bart. *in leg. 1. §. mutus. n. 3. ff. de tut.* & in nostris terminis Rota resolvit *in causa Tirasonen. Coadjutoria 14. Januarii 1611. coram bonæ memoriæ Dionysio Cardinali Macromontio*, ita patiter si Coadjutor non deservit 8
Ecclesiæ, nec ei debita servitia præstare possit, Coadjutus potest petere ut detur sibi novus Coadjutor.

Quantum verò attinet ad futuram successionem, videlicet quod possit dari, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, res etiam visa fuit clara: quia summus Pontifex de Iure potest 9
Coadjutorem cum futura successione deputare: *cap. sicut vir, § ecce his auctoritatibus, 7. quæst. 1. & in cap. non autem, eadem quæst. 1.* ubi S. Augustinus successit in Ecclesia Hipponensi de consensu possessoris: Put. *dict. decis. 225. num. 20.* 10
lib. 3. an correct.

Nec in hoc casu obstat jus Francisci ex Coadjutoria prius illi concessa cum futura successione: non quidem Ius quod oritur ex Coadjutoria, cum illa tribuat Coadjutori solum exercitium, ius autem remaneat penes Coadjutum: Hos- 11
tiens. *in cap. de Rectorib. in verb. animarum, de Cleric. ægrot.* ubi etiam Ioannes Andreas *num. 1. in vers. causam habeant:* Card. *n. 1.* Anania *n. 2.* Anchar. *n. 3.* Abb. *in fin.* Boich. *in cap. consultationibus, n. 8. eodem tit.* Anchar. *in cap. grandi. num. 5. vers. Nam jus de supplen. neg. Prælat. in 6.* Gloss. *in dict. cap. grandi:* Garcias *de benef. part. 4. cap. 5. n. 75.* & fuit dictum *in causa Hispalensi Præeminentiarum 20. Februarii 1617. coram bonæ memoriæ Martino Andrea.*

Non etiam obstat jus ex futura successione: quia cùm 12
propter cæcitatem res venerit ad casum, à quo incipere non potuit; vitiatur: *leg. si à me, & leg. si alteri*, aliàs incipit, *Julianus, ff. de judic.* Oldrad. *con. 53. n. 3.*

Et pro majori etiam dilucidatione hujus articuli præmittendum est, *Primò*, quod gratia futuræ successionis in casu isto non est pura ex verbis illis: *Supplicatur Sanctitati vestræ, &c. Cùm primum per cessum, vel decessum vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, & è contra; etiamsi tempore vacationis officium Coadjutoris exercere non inceperit, aut per illum steterit quominus exercuerit; conferre, &c.* Dictio enim 13
cùm, juncta verbo futuri temporis, videlicet *cùm primum per cessum vel decessum vacare contigerit*; importat conditionem: *leg. hujusmodi, & leg. quodcunque § fin. ff. de verbor. obligat.* Cuman. *cons. 61. Petrus habet: num. 3. vers. ad secundum:* Bartol. *in leg. 1. vers. secundo quæro. ff. de condit. & demonstrat.* Bald. *in leg. ex his, Cod. quando dies legat. cedat num. 1.* & talia conditio dicitur expressa, secundum Bald. *in rubr. de institt. & substit. n. 4. vers. quidam autem dicunt:* Dec. *consil. 401. n. 1. num. 2.* Grat. *cons. 1. num. 94. & cons. 138. num. 11. lib. 1.* Paris. *cons. 17. num. 15. lib. 1.*

Secundò præmittendum est, quod cùm propter dictam cæ- 14
citatem sit incursa irregularitas, Franciscus Coadjutor effectus fuit inhabilis ad beneficia obtinenda, ut probant Doctores per textum *in cap. hinc etenim; 49. distinct.* Adden. ad Simonet. *de reservat. quæst. 45. littera A.* ubi, quod nec optare 15
potest: Gonz. *glos. 34. num. 60. & 73.* Paris. *de resignat. lib. 5. quæst. 6. n. 36.* Barbos. *de offic. & potestate Episcop. allegat. 42.* 16
n. 17. lib. 2. & in tract. Jur. Eccles. univers. lib. 1. cap. 31. n. 140. & latè post alios, Menoch. *de arbitr. cas. 216.* & fuit dictum *in causa Salamantina portionis, 24. Aprilis 1582. coram sanctæ memoriæ Clemente VIII.*

Tertiò præmittendum est, quod tunc Franciscus dicebatur consequi Canonicatum, quando Canonicatus vacaret per obitum, vel cessionem Coadjuti; cùm sub dicta conditione 17
fuerit concessa futura successio, ad instar legatarii, qui in suo legato post obitum solum testantis plenum jus acquirit: *leg. in tempus. ff. de hared. instit.* Gosfred *in leg. pater filium. § fundum, n. 1.* & *ibi* Alciat *n. 1. ff. de legat. 3.* Bart. *cons. 76. incipiente, Pater filio: col. 2. vers. metamen non movet: lib. 1.* Alexand. *cons. 14. n. 4. lib. 1.* Brunett. *de statut. tit. quod standum masculi. art. 6. num. 225. vers. quod autem:* Ferne. *de moment. temp. cap. 5. num. 16.* Peregrin. *de fideicomm. art 40. num. 61.* Fusar. *de substitut. quæst. 549. num. 10.* Thesaur. *decis. 209. n. 2.* Randen. *de analog. c. 27. n. 30.*

Neque dicatur præfatos Dominos loqui in legatis, & non

38 in beneficiis ; quia eadem eſt ratio in beneficiis , cùm liceat aliquere à legatis ad beneficium : quia in utroque dicitur eſſ. donatio : *leg. legatum , ff. de legat. 1. cap. quia diverſitatem , de conceſſ. prabenda , c. j. Ilum , ne ſede vacant.* Oldrad. *conſil. 68. num. 2.*

Ex quibus cùm proviſio Franciſci eſſet conditionalis, ſicut
19 quando Canonicatus vacaverit per obitum , vel ceſſum Hieronymi , & de illo tempore gratia eſſet purificanda , ſequitur quod habilitas Franciſci requirebatur , & erat neceſſaria de tempore vacationis , & ſic de tempore purificatæ conditionis : *cap. ei cui , de praben. in 6. leg. intervenit, ff. de legat. præſtan.* Oldrad. *dict. conſ. 58. n. 2. verſ. contrarium videtur & num. 5.* Anchar. *in Clement. unica, col. 8. verſ. quid dicendum, de cen. eſſ. trahen.* Caſſad *deciſ. 3. ſub num. 6. verſ. non obſtat, & n. 15. verſ. taliter quod terminus conditionis, de prabend.* Creſcent. *deciſ. 10. n. 9. de privil.* Navarr. *in cap. ſi quando, except.*
20 *10. n. 7. & ſequentibus, de reſcript.* Unde cum dicto tempore vacationis, Franciſcus ſit effectus cæcus, & ſic irregularis,& incapax beneficiorum , res eſt redacta ad eum caſum à quo
21 incipere non poteſt , & futura ſucceſſio corruit ; licèt ſecus eſſet ſi cæcitas ſupervenisſet poſt purificatam conditionem, & ſic poſt actum conſummatum ; ut diſtinguendo dicit Oldrad. *in dict. conſ. 58. n. 4.*

22 Non obſtat clauſula , *ex nunc prout ex tunc , & è contra* ; quæ denotat inchoationem temporis ; quaſi videatur fieri, ſeu factam fuiſſe gratiam tempore datæ , & ex ea arguatur
23 mens Papæ , quæ etiam in actu conditionali primum locum obtinere debet , ut aliàs dicebant inſignes Advocati Curiæ : uttefert Caſſad. *dict. deciſ. 3. n. 15. in princip. de prabend.*

24 Huic enim fundamento fuit per Dominos' reſponſum, qu od hæc clauſula, *ex nunc prout ex tunc* adjecta actui conditionali, ſumit robur à die datæ, ad quam non retrotrahitur, quando alteri medio tempore fuit jus quæſitum : Caſſad. *dict. deciſ. 3. num. 15. de prabend.* Mohed. *deciſ. 21 num. 4. eodem tit.* Puteus *deciſ. 186. lib. 2. in correct.* Achill. *deciſ. 14 n. 7. de appel.* Cott. *deciſ. 19.* Gloſ. *in Clement. unica, verſ. ex tunc*, ubi Cardin. *n. 9.* Ancharan. *n. 6.* Imol. *n. 10.* Vitalin *num. 17. & ſequentibus, de conceſſ. prabend.* Additio ad Rotam *deciſ. 2. de conceſſ. prabend. in nov.* Pet. *conſ. 82. num. 17. lib. 4.* Gabriel. *conſ. 185 num. 6. & con. 186. num. 19. lib. 1.* & alios congerit Tiraquell. *de retract. convent. c. 2 gloſ. 1. num. 87.* & fuit dictum *in cauſa Mediolanen. præceptoria 16. Martii 1590. coram Bubalo : in cauſa Vallisoletana Decanatus 11. Decembris 1600. coram bonæ memoriæ Cardinali Mellino.* Neque etiam poteſt
25 retrotrahi, quando ante purificatam conditionem res devenit ad caſum à quo incipere non poteſt : paria enim ſunt,
26 quòd retractio in actu conditionali non poſſit fieri in præjudicium juris medio tempore. Tertio aquiſiti, & quod
27 ante purificatam conditionem ſuperveniat incapacitas , & inhabilitas proviſi ; quia hoc caſu , etiam extremum, à quo, non eſt habile de tempore purificatæ conditionis, ut latè per Coſt. *de retract. cap. 27. n. 1.* qui dicit quod res debet eſſe in tali ſtatu de tempore purificatæ conditionis ut tunc poſſet inchoari ; & allegat Bartol. Caſtr & alios.

28 Neque prædictis obſtat Abb. *in conſ. 47. num. 2 & ſeqq. volum. 1.* Quia loquitur de cæcitate , quæ ſupervenit poſt electionem , & ſic poſt actum conſummatum : & propterea
29 dicta electio non vitiabatur , quia actus legitimi non recipiunt neque diem neque conditionem , *cap. actus legitimi, de reg. jur. leg. in ambigua* , §. 1. *ff. eod. tit.* Oldrad. *dict. conſ. 58 num. 4.*

30 Et quamvis Abbas alleget inter alia, Bart. *in leg. cæcus, ff. de Jud.* qui *n. 1.* tenet cæcum poſſe ſuccedere Patri Baroni , vel habenti juriſdictionem , licèt de novo talis dignitas cæco
31 conferri non poſſit , quia ſatis ſit quod fuerit habilis tempore quo habuit ſpem ſuccedendi , & ſupervenions cæcitas non privet illum tali ſpe.

32 Huic tamen fundamento reſpondetur , quod Bart. potiùs favet caſui noſtro: nam explicando *d. leg. cæcus* : opponit de
33 text. *in leg. cùm Prator, verſ. non autem. ff. eod. tit. de judiciis* : & poſtea ſolvit objectum, ſcilicet ut *d. leg. cæcus*, procedat in
34 cæcitate ſuperveniente, poſtquam eſt Judex ; textus autem *in d. leg. Prator*, procedat in cæcitate, quæ venit antequam eſſet factus Judex.

35 Et ultra quod Bart. loquitur in profanis , & non ſumus in caſu in quo agitur de Canonicatu habente annexum Ordinem ſacrum, ad quem cæcus, tanquam irregularis eſt inhabilis : loquitur in filio Baronis qui habebat fundatam ſpem ſuper jure certo de præſenti : ſed in caſu noſtro cæcitas ſupervenit ante purificatam gratiam Coadjutoriæ, & ſic antequam
36 fuerit acquiſitum plenum jus. Quare non agitur de retentione Canonicatus , ſed de illius acquiſitione , quæ impeditur propter cæcitatem ex *ſuprà adducta.*

37 Non obſtat quod Papa diſponat , quod moriente , vel cedente Coadjuto , Canonicatus non poſſit impetrari : Quia hoc eſt intelligendum ſi conditio purificetur, & non ſuperveniat impedimentum canonicum, prout intervenit in caſu iſto 38
impedimentum cæcitatis : Mohed. *dict. deciſ. 21. n. 4. de prabend.* ubi quod non obſtante decreto irritanti , ſi gratia eſt conditionalis , prout in caſu iſto ex ſuperiùs deductis , non purificata conditione decretum non operatur.

Et pari modo reſpondetur ad id quod deducebatur, videlicet quod mortuo Coadjuto non requiritur alia collatio, ut 39
in Cauſa Tiraſonen. Coadjutoria 8. Aprilis 1599. coram bonæ memoriæ Penia, quæ habetur apud Matchef. *de commiſſ. part. 1. fol. 466* & apud Gatz. *de benefic. part. 4. cap. 5. num. 138.* Gonz. *ad reg. 8. gloſ. 5. §. 9. n. 79* Lottet. *de re benef. lib. 2. quæſt. 25.* Quia hoc provenit ex clauſula, *ex nunc prout ex tunc, & è contrà* : quæ non operatur in caſu iſto ; ex quo tempore purificatæ conditionis Coadjutor, cui fuerat conceſſa futura ſucceſſio , erat inhabilis ad Canonicatum propter cæcitatem, 40
ut ſuprà deductum fuit.

Et ita concluſum utraque parte informante , &c.

Gerunden. Canonicatus & Sacriſtiæ, Lunæ 18. Maii 1637.

Coram R. P. D. Verospio.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium remanet affectum per appoſitionem manus Papæ.*
2 *Beneficium affectum per appoſitionem manus Papæ Ordinarius conferre non poteſt.*
3 *Qualitas narrata Papæ in impetratione gratiæ eſt plenè juſtificanda.*
4 *Liber Baptiſmatis ex communi conſuetudine probat ætatem.*
5 *Teſtis probat ætatem ſi deponat de judicio ſuo , & per aſpectum.*
6 *Ætas probatur per teſtem qui deponit aliquem habere certam ætatem , quia ita ab ipſo audivit.*
7 *Ætas benè probatur ſi frater de alterius fratris ætate deponat.*
8 *Infirmitas probatur per teſtes de ea informatos ratione diuturnæ conſuetudinis.*
9 *Infirmitas probatur per teſtes peritos.*
10 *Infirmitas levè probatur ex ſucceſſivo obitu brevi tempore poſt narratam infirmitatem.*
11 *Poſſeſſio beneficii ſemel probata præſumitur uſque ad obitum continuata.*
12 *Servitium præſtitum fuiſſe Eccleſiæ per eum qui poſſedit beneficium habens ſervitium annexum præſumitur.*
13 *Coadjutoria gratia concedi ſolet etiam in beneficiis non habentibus curam animarum.*
14 *Qualitas narrata Papæ non eſt juſtificanda, ſi ſoleat Papa abſque dicta qualitate gratiam concedere.*
15 *Inſtrumentis antiquiſſimis adhibenda eſt fides.*
16 *Libris continentibus ea quæ ad officium ſcribentis ſpectant, credendum eſt.*
17 *Teſtium defectus tolluntur ex eorum numero.*
18 *Teſtium dicta magnum robur accipiunt ex approbatione adverſarii qui illa non impugnat.*
19 *Poſſeſſori ſufficit excludere Adverſarium ex illius non jure.*
20 *Papa concedendo Coadjuturiam providet præſenti neceſſitati Eccleſiæ, & futuræ beneficii vacationi.*
21 *Coadjutor ut poſſit ſuccedere beneficio , tenetur omnia narrata juſtificare.*
22 *Papa concedendo Coadjutoriam , cenſetur motus à neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ.*
23 *Coadjutoria gratia non eſt nulla reſpectu Eccleſiæ , licèt nulla ſit reſpectu Coadjutoris propter aliquem defectum.*
24 *Coadjutoria littera non expedita tempore obitus Coadjuti, non poſſunt amplius expediri.*
25 *Coadjuti conſenſus requiritur ad validitatem Coadjutoriæ.*
26 *Coadjutoria duas continet gratias, quarum una deficiente ceſſat altera.*
27 *Coadjutoria gratia reſpectu futuræ ſucceſſionis , quando non dicatur dependere à gratia , per quam providetur neceſſitati Eccleſiæ, & Coadjuti.*

28 *Regula*

28 *Regula Cancellariæ de non tollendo, juxta formam ſupplicationis, quando ceſſet.*
Et qualiter ſe intelligenda, num. 30.
29 *Supplicationem ſola ſignatura juſſit quando non agitur ſuper canonizatione gratiæ, ſed ſuper abſolutoria, quam quæ petit tanquam poſſeſſor.*

DECISIO LXXVI.

CUm in dubio propoſito ageretur de confirmatione deciſionis factæ in hac cauſa ſub die 16. Junii præteriti, in qua declarata fuerat validitas collationis factæ ab Ordinario ad favorem Ioſephi: non impugnabantur à Ioanne Auguſtino ea, quæ fuerunt fundamentum ejuſdem deciſionis, nempe pertinentia ejus collationis ad Ordinarium, & habilitas Ioſephi; ſed cùm præbendam, & officium hujus ſecundæ Sacriſtiæ illi annexum, quam Ioſephus obtinuerat, ſibi conferri per mortem Petri ultimi illius poſſeſſoris obtinuiſſet Ioannes Auguſtinus ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, vivente eodem Petro, cui deputatus fuit Coadjutor, cum ſpe futuræ ſucceſſionis; dicebat ſuam gratiam obſtare proviſioni Ioſephi, cùm propter appoſitionem manus Papæ inducta fuiſſet affectio, & ex ea impedita Ordinario facultas
1 conferendi, juxta notata *in cap.* 1. *& in c.* 2. *de confirmat. util.*
2 *vel inutil. & in c. ut noſtrum, de appel.* ubi notat Innocent. & Abb. *num* 1. Mandoſ. *in præx. Regul. Cancellar.* §. 5. *num.* 1. Unde in nova diſputatione hujus dubii, ſolum actum fuit de juſtificatione gratiæ Coadjutoriæ conceſſæ Ioanni Auguſtino, & an probata eſſent ea, quæ ab illo narrata fuerunt in impetratione ejuſdem gratiæ, cùm non aliter potuiſſet induci ea affectio, dum ex iis cenſebatur Papa motus ut dictam gratiam illi concederet, ut fuit reſolutum *in Oxomen. Canonicatus* 19. *Novembris* 1614. *coram bonæ mem. Buratto, & in Laodicen. Canonicatus S. Dionyſii* 25. *Maii* 1636. *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Virovano, & in Elnen. Canonicatus* 16. *Junii* 1631. *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Ghiſlerio.*

Et reſponderunt Domini juſtificatam eſſe gratiam Ioannis Auguſtini, & proinde illam obſtare proviſioni Ioſephi.

Et primò viſa fuit probari ætas annorum 54. quæ fuit in illa narrata de Perſona Petri, ea enim probabatur ex libro Baptiſmatis, & ex partita extracta ex eodem libro, in quo notatur, illum natum fuiſſe die octava Martii 1577. qui liber ex communi conſuetudine, ſolet ætatem probare, ut tradit
4 Mandoſ. *ſuper Regul.* 8. *quæſt.* 10. *num.* 3. *in fine*, & tenuit Rota coram Verallo, *deciſ.* 314. *parte* 1. & coram Cardinali Seraphino *deciſ.* 1158. *n.* 7.

Præterea ſuper eadem ætate Petri deponebant plures teſtes, ex quibus Tertius *ſuper duodecimo*, illam concludebat ex judicio ſuo, & per aſpectum juxta theoricam, Bart. *in leg.*
5 *de ætate, de minor.* quam Rota ſequuta fuit coram eodem Verallo *deciſ.* 131. *n.* 1. *part.* 1. *& in Macteraten. legitima*, 14. *Martii* 1627. *coram Eminentiſſimo Cardinali Ubaldo.* Quin-
6 tus verò viderat partitam ejuſdem hbri baptiſmatis. & idem audiverat ab ipſo Petro; quam atteſtationem admiſit Rota *in dicta Elnen. Canonicatus, coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Ghiſlerio*, & erat hic teſtis frater Petri, quod plurimum etiam conferre poterat ad effectum ut illius dicto eſſet
7 in hoc plena adhibenda fides, ut tradit Bart. *in dicta leg. de ætate ſub n.* 7. *ff. de minor.*

Secundò viſa fuit probari infirmitas Petri; cùm fuerit narratum in gratia, quod ille pluribus infirmitatibus vexaretur, & præcipuè diſtillatio quæ à cerebro in ſtomachum defluebat: hanc illius infirmitatem probant quatuor teſtes è pluribus quæ fuerunt examinati, è quibus unus erat Medicus, alter Chirurgus, quorum opera Petrus uſus fuerat in ſua valetudine: Tertius Aromatarius, qui medicamenta compo-
8 ſuerat occaſione ejuſdem valetudinis: Quartus demum intimus illius amicus: unde omnes poterant de ea fidem facere tanquam plenè informati, vel ratione diuturnæ conſuetudinis, ex notatis *in cap. venienti, de teſtibus, & in leg. conſenſu, Cod. de repud.* & tradit Bartol. *in leg. ſi quando, n.* 4 *Cod. unde vi*: Felin. *in cap. in litteris, n.* 16. *de teſtibus*, vel ratione eorum peritiæ ad notata *in leg. ſeptimo menſe, ff. de ſtat. homin. & in leg.* 1. *ff. de ventre inſpic.* & in terminis ſimilis gratiæ Coadjutoriæ tenuit Rota *in dicta Elnen. Canonicatus* 6. *Junii* 1631. *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Ghiſlerio, & in Giennen. Theſaurariæ* 22. *Maii* 1614. *coram bonæ*
9 *memoriæ Burato.* Et hanc illius valetudinem comprobavit præterea eventus, cùm Petrus obiiſſet elapſis duobus menſibus à die conceſſionis gratiæ; quod etiam Rota conſideravit *in dicta deciſione Elnen.*

Narratum fuit tertio loco, ſervitium, quod Petrus Eccleſiæ præſticerat ſpatio decem & novem annorum, & illud viſum fuit probari ex inſtrumento poſſeſſionis, quo oſtendebatur, eum cœpiſſe officium hujus Sacriſtiæ, quia cùm præſumi deberet ea poſſeſſio continuata uſque ad obitum, juxta præſumptionem, Gloſſ. *in lege ſive poſſidet, Cod. de probat.* ex
12 iſta probatum erat etiam ſervitium Eccleſiæ pro toto tempore; cùm præſumi deberet Petrum non ſolùm retinuiſſe poſſeſſionem hujus præbendæ, & officii Sacriſtiæ; quin etiam Eccleſiæ debitum obſequium impenderit: argumento text. *in cap.* 1. *de ſervit. in ord. faciend.* ubi Gloſſa id notat *in verbo, æſtimare, & in cap. ſum in juventute*, §. *quis præterea, de præſumpt. & in leg. cum pater*, §. *rogo, ff. de legat.* 2.

Quartò demum narratum fuit, quod huic Sacriſtiæ annexa eſſet cura animarum: Verum licèt hæc qualitas non in-
13 digeret juſtificatione, cùm etiam in aliis beneficiis quæ non habent hanc curam, ſoleant concedi ſimiles gratiæ Coadju-
14 toriæ, ut propterea dici non poſſet, quod ea qualitas reſtaviſſet Papam à conceſſione ejuſdem gratiæ: juxta notata per Ægidium *de* [illegible] *ſ.* 4. *de reſcript.* Felin *in cap. ſuper litteris, num.* 5. *eod. tit.* Caſſador. *deciſ.* 12. *n.* 15. *de probat.* Tamen illa remanebat etiam in hac parte juſtificata, quia oſtenſum fuit in duobus inſtrumentis quod Epiſcopus Gerundæ primum exercerat officium Vicarii perpetui, cui commiſit curam animarum, quæ antea annexa erat ſecundæ Sacriſtiæ: Secundò, quod idem officium Vicarii perpetui extinctum fuerat, & reſtituta eidem Sacriſtiæ cura animarum: è quibus inſtrumentis primum apparebat factum anno 1329. alterum anno
15 1330. & utrumque eorum plurimam fidem merebatur, propter antiquitatem: juxta notata per Gloſſ. *in c. cùm cauſam, de probat. & ibi* Abbas *n.* 3. Butr. *n.* 2. Speculat. *eod. tit.* §. *videndum, n.* 12. Aymon. *de Antiquitate temporis lib.* 1. §. 2. *n.* 8.

Præterea probata fuit qualitas hujus curæ ex libris viſitationum; quæ factæ fuerunt in hac Eccleſia ab Ordinariis anno 1404 & 1417 in quibus libris plurimum etiam momenti viſum fuit eſſe, cum præter eorum antiquitatem continerent ea quæ pertinebant ad officium Viſitatoris; ex nota-
16 tis per Gloſſam *in Clementina* 2. *de offic. Ordinarii*, & per Bartolum *in leg. quadam*, §. *nummularios, n.* 3. *ff. de edendo*: quem alii *ibi* ſequuntur: & in his terminis tenuit Rota coram Verallo *deciſ.* 158. *part.* 2. *& in una Lucana Juriſpatronatus* 11. *Januarii* 1616. *coram bonæ memoriæ Cardinali Ubaldo*, & coram Card. Seraphino *deciſ.* 78. *n.* 2.

Ex iis verò libris apparebat plura ſolita fuiſſe exerceri per Sacriſtam, quæ ſpectare ſolent ad habentem curam animarum, nempe excipere confeſſiones, populo Sacramenta adminiſtrare, eique publicas ferias & jejunia indicere, defunctorum cadavera tumulare; juxta notata *in Clement. dudum, de ſepultur.* & tradit Barboſa *de officio & poteſtate Parochi, lib.* 1. *cap.* 16. *& lib.* 2. *c.* 12. *n.* 10.

Et demum ſuper hac qualitate deponebant quinque teſtes examinati pro parte Ioannis Auguſtini; ac tres alii examinati ad inſtantiam Ioſephi: ex quibus illa etiam probari viſa fuit, non obſtantibus exceptionibus quæ contra eoſdem teſtes opponebantur, cùm illæ tollerentur vel ex numero 17
ipſorum teſtium, juxta notata per Gloſſam *in l.* 3. *in verbo ubi numerum. ff. de teſtib.* & per Doct. *in leg. ſiquis ex argentariis*, §. *cogentur ff. de edend. & ibi* Alexand. *n.* 2. Ias. *n.* 6. Dec. *in cap. licet cauſam, n.* 80. *de probat.* Vel ex eorum qualitate propter 18
auctoritatem quam recipiebant ex approbatione ipſiuſmet Ioſephi qui hodie illos impugnat: juxta notata *in leg. ſi quis teſtium, Cod. de teſtib.* & per Abbatem *in cap. prateritum, num.* 6. *eodem tit. & ibi* etiam Felin. *num.* 7. Ias. *in rubr. ff. de jurejurando.*

Et hæc Domini dixerunt eſſe neceſſaria pro juſtificatione hujus gratiæ, quæ fuit conceſſa Ioanni Auguſtino: quia reliqua, quæ fuerunt narrata in litteris, nempe valor præbendæ, & Sacriſtiæ Secundæ illi annexæ, & valor beneficiorum, quæ ille obtinebat, licèt alias neceſſaria, tamen non viſa fuerunt pertinere poſſe ad deciſionem hujus dubii, cùm in ea
19 non ageretur de probando aliquo jure ipſius Ioannis Auguſtini: ex quo ille jam obtinuiſſet immiſſionem, & hodie reperiretur in poſſeſſione ejuſdem præbendæ. & Sacriſtiæ, ſatis illi erat nullitas collationis factæ ab Ordinario in perſona Ioſephi, quem ſatis erat eidem Ioanni Auguſtino excludere ex illius non jure: ex notatis per Doctores *in leg. qui accuſare, Cod. de edend. & ibi* Dec. *n.* 14. Felin. *in cap. olim, num.* 10. *de reſcript.* Caſſador. *deciſ.* 3. *eod. tit. & deciſ.* 2. *de except.*

Ea verò duo cenſentur facere Papa in conceſſione ſimilium 20
gratiarum: *Primò*, proſpicere Eccleſiæ occurrendo cum præſenti illius neceſſitati propter infirmitatem Coadjutoris. cum futuræ ejuſdem vacationi. *Secundò*, videtur voluiſſe providere Coadjutori de beneficio, præveniendo tempus vacationis, quæ eſt ſucceſſura per obitum ejuſdem Coadjutoris.

Inter utramque verò proviſionem, ea videtur eſſe differen-
21 tia; quia ut poſterior locum haberi poſſit tenetur Coadjutor juſtificare omnia narrata, dum ex iis omnibus Papa cenſetur motus ad eam gratiam illi concedendam: ut notant DD. *in cap. ultimo, de præſumpt. & in cap. de lit. conteſtat. lib. 6.* & *ibi* Ioannes Andreas *num. 2.* Gemin. *num. 5.* Felin. *in cap. conſtitutus, num. 1. de reſcriptis*, Innocent. *in cap. ſuper litteris, n. 19. eod. tit.* Sed non poterat idem dici de prima proviſione, quia ut cenſeatur inducta affectio, ob quam adempta ſit Ordinario poteſtas conferendi, ſatis eſt, ut vera ſint ea, quæ
22 fuerunt cauſa appoſitionis manus Papæ, nempè neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, ex quibus ſolùm Papa cenſetur motus, ut ipſi Eccleſiæ provideret de Coadjutore, ut reſolutum fuit in *Oximen. Archidiaconatus 19. Novembris 1614. coram bonæ memoriæ Buratto*, in qua declarata fuit deciſio facta *in eadem cauſa ſub die decima Martii ejuſdem anni*, & *in Elnen.*
23 *Canonicatus 6. Junii 1631. coram R. P. Domino meo Ghiſlerio*, in qua Rota ſecuta fuit ultimam deciſionem *in dicta cauſa Oxomen.* Et ita gratia, etiamſi nulla propter exceptionem, quæ contingebat in perſona Coadjutoris, tamen ipſa debet ſortiri effectum ſuum reſpectu Eccleſiæ, cùm non poſſit propter eam exceptionem dici, quod Papa eidem Eccleſiæ non providiſſet, ut conſideratum fuit in *dicta Oxomen. Archidiaconatus*, & *in Toletana Capellania prima Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, coram Cardin. Sacrato inter recent. deciſ. 587. parte 2.* & notavit Gonzal. *ad Regul. 8. gloſſ. 32. num. 48.*

24 Ex hac ratione tollebatur etiam altera exceptio, quæ opponebatur contra gratiam conceſſam Ioanni Auguſtino, quod cum tempore vacationis non fuiſſent expeditæ litteræ
25 ſuper Coadjutoria, non potuiſſent illæ expediri poſt mortem Coadjuti, quaſi defeciſſe videretur illius conſenſus, qui erat neceſſarius ad validitatem ejuſdem gratiæ: juxta notata *in cap. 1. de Cleric. agrotant. lib. 6.* & per Rot. *in Tullen. ſeu nullius Monaſterii 29. Martii 1610 coram Cardin. Sacrato*, & *in Argentina Coadjutoria 21. Februarii* & *2. Maii 1631. coram R. P. D. meo Ghiſlerio.*

26 Nam contrarium verius eſſe probatur ex diſtinctione earum duarum gratiarum, quæ continentur in gratia Coadjutoriæ, ex quibus fiebat, ut licet una videretur defeciſſe, non tamen dici poterat expiraſſe altera, ut tenuit Rota coram Puteo *deciſ. 92. lib. 2.* quem refert Gonzal. *ad reg. 8. gloſſ. 5 § 9. num. 53.*

27 Et hoc præcipuè ſuaderi videbatur ex pluribus clauſulis, quæ erant in gratia Ioannis Auguſtini, cum in iis diceretur, ut eſſe deberet locus futuræ ſucceſſioni ad illius favorem, etiamſi beneficium vacaſſet de tempore datæ, aut ſi ipſe de tempore vacationis, Coadjutoris officium exercere non cœpiſſet cum clauſula *ex nunc prout ex tunc*, & è contra; quæ omnia oſtendere poterant, quod gratia futuræ ſucceſſionis non dependebat à gratia, in qua providebatur neceſſitati Eccleſiæ, aut Coadjuti: ut ea conſideravit Gonzal. *ſuper eadem gloſſ. § 9. num. 55.*

28 Neque viſa fuit obſtare Regula de non judicando juxta
29 formam ſupplicationis: Quia cùm non ageretur, ut adjudicaretur beneficium Ioanni Auguſtino, ſive ſuper canonizatione gratiæ, ſed ſuper ſola abſolutoria, quam idem petebat tanquam poſſeſſor, ſatis erat ſola Signatura ſupplicationis, ut tenuit Rota coram Mohedan. *deciſ. 34. aliàs 2. de privileg.* & coram Caſſador. *deciſione octava, de reſtitut. ſpoliat.* & *deciſione ſecunda, de ſentent.* & *re judic.* & tradit Sarnenſ. *ad reg. de non judic. juxta form. ſupplicat. cap. 1. num. 7.* ubi ita declarat intelligendam eſſe eam regulam; Gabr. *conſil. 190. num. 13 lib. 1.*

Et ita utraque, &c.

Tiburtina hæreditatis, Lunæ 22. Junii 1637.

Coram R. P. D. Carillo.

SUMMARIUM.

1 *Appellans ſi intra triginta dies non redeat pro apoſtolis, vel cauſam committi faciat, ſententia tranſit in judicatum.*

2 *Sententia tranſit in judicatum ſi appellans infra annum vel ex cauſa infra biennium, non fuerit appellationem proſecutus.*

3 *Fatalia omnia quin ſint lapſa, & cauſa deſerta, quando non poſſit dubitari?*

4 *Reſtitutio in integrum peti, & terminari debet infra quadriennium a tempore, quo lapſum fuit annum, vel biennium.*

5 *Res judicata reſultans ex non proſecutione appellationis, exequenda venit, non ſecus ac ſi appellatio non fuiſſet interpoſita.*

6 *Validitas ſententiæ colligitur ex revolutione actorum.*

7 *Procurator mandatum acceptare dicitur per comparitionem quam facit in actis nomine mandantis.*

8 *Procuratoris revocatio non attenditur niſi ipſi procuratori, & parti collitiganti fuerit intima.*

9 *Citatio contra procuratorem revocatum ſuſtinetur, quando revocatio non fuit parti intimata.*

10 *Citatio ad primam diem cadit pro prima die juridica.*

11 *Citatio* ad hodie, per totam, *valet ſi fuerit perſonaliter executa.*

12 *Sententia lata eadem die qua fuit inhibitio præſentata, præſumitur lata ante executionem inhibitionis.*

13 *Termini non debent confundi, ſed ſingula ſingulis referri.*

14 *Citatio non requiritur in deputatione Judicis, cujus perſona fuit in commiſſione expreſsè nominata ei, cui commiſſio erat directa.*

15 *Clauſula*, Quam & quas, *operatur quod ſententia Judicis appellationis ſuſtineri poſſit prout in primi inſtantia.*

16 *Meritæ cauſæ non ſunt amplius diſcutiendæ ſtante re judicata.*

17 *Mentis ſanæ quilibet præſumitur de Jure.*

18 *Mentis ſanæ quem eſſe naturale eſt.*

19 *Teſtator præſumitur ſanæ mentis, niſi contrarium probetur.*

20 *Furorem Teſtatoris allegans de tempore conditi teſtamenti tenetur concludentiſſimè probare.*

21 *Probatio exactiſſima requiritur contra præſumptionem Juris naturalis.*

22 *Teſtes examinati in judicio criminali non probant in civili.*

23 *Teſtes examinati in judicio criminali, ut probent in civili, debent repeti cum interrogatoriis.*

24 *Demens non poteſt eſſe is, qui actus faciat non omninò convenientes homini ſanæ mentis propter ingenium imbecille, vel imaginationem laſam.*

25 *Rationis uſum non excludunt imaginatio laſa ſeu ingenii imbecillitas, vel operationes inconvenientes homini ſanæ mentis.*

26 *Dementes reputari non debent propter actus leves, ii, qui alioquin ſunt ſanæ mentis.*

27 *Teſtes deponentes de furore teſtatoris, interrogari debent de ſignis, motibus, & actibus ipſius, ut ex illis percipi poſſit an verè Teſtator eſſet in ſtatu furoris.*

28 *Teſtator an fuerit furioſus percipi non poteſt ex momento temporis, ſed ex quodam diſcurſu, & multitudine actuum.*

29 *Teſtibus deponentibus de alicujus dementia, abſque eo quod rationem aſſignent, non eſt danda fides.*

30 *Teſtator, qui prudenter & benè diſpoſuit, præſumitur fuiſſe ſanæ mentis.*

31 *Sana mentis nulla major datur conjectura, quàm illa quæ deſumitur ex teſtamentaria diſpoſitionis qualitate.*

32 *Notario aſſerenti Teſtatorem ſanæ mentis fuiſſe ſtandum eſt.*

DECISIO LXXVII.

POſtquam Ioannes Baptiſta Laconius ſub die quinta Aprilis 1610. ſuum ultimum condidiſſet teſtamentum, in quo hæredem univerſalem inſtituerat Petrum Paulum de Angelis: Franciſcus Crucius, & alii venientes ab inteſtato prævia petitione querelæ coram A. C. obtinuerunt condemnari Notarium, tanquam culpabilem, & de Iure punibilem, teſtamentumque ab eo ſtipulatum, eſſe falſum, ac uti tale nullam fidem in Iudicio, nec extra eſſe adhibendam. Sed interpoſita appellatione ab iſta ſententia per dictum Dominum Paulum hæredem inſtitutum, fuit cauſa commiſſa Domino Cardinali Vicario, & Vices gerens ab eo deputatus Notarium abſolvit à crimine falſi, ac teſtamentum validum declaravit, ut in ſententia ab eo prolata: *ſumm. num. 4.* A qua licèt fuerit pro parte Cruci-

& aliorum appellatum, & per Iudicem fuerit terminus Iuris aſſignatus, tamen nihil fuit poſtea in cauſa actum, niſi de anno 1634. de quo tempore fuit cauſa commiſſa in Rota, ſuper intereſſe Civili dumtaxat: Quare cùm pro parte Petri Pauli fuerit obtenta alia commiſſio mihi directa ſuper præfixione termini ad docendum de appellatione, ejuſque legitima proſequutione, propoſui dubium, an conſtaret de re judicata, quæ veniret exequenda? & Domini affirmativè reſponderunt.

1 Ratio reſolutionis fuit tum quia fuit appellatum à ſententia lata ſuper validitate teſtamenti, & appellantes intra terminum aſſignatum ſcilicet triginta dierum, non redierunt pro Apoſtolis, nec cauſam appellationis commiſiti curarunt, *cap. ab eo, in princip.* ubi Gloſſ. *de appellat. in 6. Clem. quamvis, §. ſimiliter, eodem tit.* Rota *deciſ.* 57. *num.* 4. *de appel. in nov. verſ. moveor.* Mantic. *deciſ.* 82. *num.* 1. Creſcent. *deciſ.* 2. *num.* 1. *de appellat.*

2 Tum etiam quia cauſam appellationis non fuerunt proſequuti intra legitima tempora, hoc eſt intra annum, & ex cauſa intra biennium: Nam 10. Iulii 1611. appellarunt, & de anno 1634. commiſerunt cauſam in Rota quoad intereſſe Civile, ita ut per viginti circiter annos ſilucrint. Unde non poteſt dubitari quin ſint lapſa omnia fatalia, & cauſa deſerta remanſerit: *auth. ei qui, C. de temporib. & reparationib. appel. cap. perſonas, cap cùm ſit Romana, de appellat. Clem. ſicut, eod. tit.* Alexand. *conſ.* 164. *num.* 2. *lib.* 2. Surd. *conſ.* 139. Veſtr. *de ſtyl. Cur. lib.* 7. *cap. fin. num.* 8. Mantic. *deciſ.* 276. *num.* 2. Imò nec dubitari poteſt quin fuerit lapſum omne tempus reſtitutionis in integrum adverſus lapſum terminum ad proſequendam appellationem, quia reſtitutio petit, & terminari debet intra quadriennium à tempore quo lapſus fuit annus; vel biennium: *leg. fin. C. de temp. in integr reſtit. Clem.* 1. *de reſtit. in integrum*, Gloſſ. *in cap.* 1. *in verbo, quadriennii, eodem tit. in* 6. Morl. *de in integr. reſtit. in prælud. n.* 15. 16. *cum ſequentibus* Oſaſch. *conſil.* 30. *num.* 62. Rota *deciſ.* 13. *num.* 2. *part.* 2. *recent.*

3 Ex quibus res judicata venit omnino exequenda, non ſecus ac ſi ab initio provocatum non fuiſſet: *ex dict. cap. cùm ſit Romana, leg.* 1. *leg. poſt rem judicatam, ff. de re judic. leg.* 2. *C. de execut. rei judic.* Parlador. *lib.* 2. *rer. quotidian. cap. fin. p.* 1. §. 1. *num.* 6. Mauſon. *de execut. lib. ampliat.* 35. *per tot.* Boër. *deciſ.* 295. *num.* 8. *in fin.* maximè cum proveniat ex ſententia valida & juſta.

6 Validitas detegitur ex revolutione actorum, in quibus apparet concurrere omnia, quæ ad hunc effectum requirit Rota apud Caputaquenſ. *vulg. deciſ.* 260. *p.* 1. *& deciſ.* 204. *part.* 1. *recent.* non obſtantibus nullitatibus ex adverſo oppoſitis.

Non obſtat prima nullitas, deducta ex eo, quod fuerit 7 citatus Barattanus, qui prætendebatur numquam acceptaſſe mandatum procuræ, immò quod fuiſſet revocatum: Quia acceptatio mandati procuræ clarè apparet in comparatione facta in actis cauſæ per ipſum Barattanum procuratorem conſtitutum, ut ex fide publica Notarii data in reſponſionibus pro Petro Paulo: cui non officit revocatio, cum non fuerit 8 ſibi, nec Procuratori conſtituto intimata, prout requirebatur *cap. inſinuatione, C. mandat* 13. *de procur.* Gonzal. *in reg.* 8. *gloſſ.* 63. *num.* 51. Grat. *diſcept. forenſ. cap.* 18. *num.* 37. Ximen. Toletan. *in concord. utriuſque jur. par. part.* 1. *& 2. & in tit. de procur.* Vant. *de nullit. tit.* 1. *ex defect. mandat.* & citatio in 9 præjudicium conſtituentium ſuſtinetur: Felin. *in cap. ex parte Decani, num.* 24. *de reſcript.*

Nec obſtat Secunda principalis nullitas deſumpta ex citatione ad ſententiam, executa ad hodie per totam ſub prima Iulii: quia ex lectura ipſius citationis data in *ſumm. Crucis, num.* 3. tollitur objectum. Etenim Curſor in pede 10 ejuſdem citationis retulit illam fuiſſe executam contra Fiſcū ſub die 2. Iunii ad P. D. & ſic ad oculum paret, quod illa cadebat ſub die prima Iulii, quæ fuit prima dies Iuridica ob feſta Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Commemorationis Sancti Pauli prædecentia. Unde contra eum, uti in cauſa principalem, non poteſt dubitari, quin ſententia fuerit 11 ritè & rectè prolata, reſpectu verò Fiſco adhærentium, Curſor retulit citationem fuiſſe executam ſub eadem die prima Iulii per totam, ſicut fieri potuit ſtante executione perſonali: Seraph. *deciſ.* 1115. in qua deciſione licèt dubitaretur de validitate ſententiæ ex alio capite, ſcilicet, quia fuerat lata eadem die qua Iudici erat præſentata inhibitio, & Rota reſolvit pro ſuſtinendo actu, & præſumendum eſſe, inhibitionem fuiſſe poſt ſententiam ſubſecutam; tamen neque 12 negari poteſt, quin in caſu *dictæ deciſionis*, ſententia fuiſſet lata vigore citationis executæ ad hodie per totam, & Rota pro ejus validitate reſpondit, ut *ibi, ſub num.* 2. *verſ. maximè cùm citatio*: ideò prædicti termini citationum non debent confundi, ſed ſingulis ſingula referri: Gloſſ. *in leg. ſi negotium, verb. geſtorum, C. de negot. geſtis*, Surd. *conſil.* 376. 13 *num.* 10. Rota *deciſ.* 750. *num.* 1. *part.* 1. *diverſ.*

Minus relevat tertia nullitas ex defectu citationis pro deputatione Vicegerentis ex quo inferri prætenditur non adfuiſſe Iuriſdictionem: Quia cùm Commiſſio fuiſſet directa Domino Cardinali Vicario cum præciſo reſcripto ut Vicem- 14 gerentem deputaret, nulla alia requirebatur citatio: Vicarius enim fuit in hoc meras executor: Rota *deciſ.* 191. *num.* 7. *parte* 2. *recent.* & in omnem eventum prædicti defectus tollerentur per obſervationem terminorum ſubſtantialium poſtea factam citatis aliis procuratoribus à Cruciis & Iuris conſortibus conſtitutis, de quorum acceptatione non dubitatur: traditis per Rotam *in Toletana penſionis* 10. *Novembris* 1628. *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Dunozetto*, maximè cùm non fuerint adducta Iura de novo: Rota coram Reverendiſſimo Domino meo Decano *dec.* 319. *num.* 8. *& in Bracharen. de Garſeis* 27. *Novembris* 1600. *coram Sacrato.*

Prout etiam potuit Vicemgerens pronunciare ſuper validitate teſtamenti, ejuſque executione: tum quia cauſa in eo conſiſtebat, tum etiam quia in Commiſſione aderat clauſula, *quam, & quas*, quo caſu optimè ſuſtinetur pronunciatio, prout in prima inſtantia: Rota *deciſ.* 23. *de reſcr. in novis*, Mart. *de clauſ. part.* 1. *clauſ.* 120 *num.* 2 Marchef. 15 *de commiſſ. part.* 1. *& part.* 1. *pag.* 200. *num.* 59. *pagina* 62. ubi deciſiones Rotales refert, Seraphin *deciſ.* 1241. *num.* 2. *& 2.* Achill. *deciſ.* 14 *numero primo, & ſequentibus, de reſcript.* Et ex his dixerunt Domini nullitates prædictas non obſtare.

Iuſtitia verò conſtat ex teſtamento nuncupativo facto à publico Notario, rogato coram Vicario & ſeptem teſtibus, & aliis ſolemnitatibus juris adhibitis, cujus validitas non 16 poteſt amplius controverti ſtante dicta ſententia, & re judicata, non obſtante prætenſa dementia teſtatoris; quia de eo non conſtat, & regula ſtat in contrarium, ut quilibet præſumatur ſanæ mentis ex præſumptione Iuris, ſi quidem naturale eſt unumquemque ceuſeri mentis comporem: *leg. nec codicillos, C. de codicillis*, Dec. *in leg. furioſum, num.* 30. *C. qui* 18 *teſtament. facere poſſ.* Honded. *conſ.* 78. *n.* 53 *lib.* 2. Menoch. *præſumpt.* 181. *num.* 7. *lib.* 1. Caval. *deciſ.* 166 *num.* 3. & fuit dictum *in Meliten. teſtamenti*, 17. *Februarii* 1612. *coram bona memoria Manzanedo*: ubi Rota firmat pro indubitato, teſtatorem ſanæ mentis præſumi, niſi contrarium probetur, & allegauti furorem de tempore teſtamenti, vel alterius 19 actus, incumbit onus probandi & quidem concludentiſſimè: Nam contra præſumpptionem Iuris naturalis requiritur exactiſſima probatio: *leg. fin. Cod. de teſtam. dict. l. g. nec* 20 *Codicilles, Cod. de Codicill.* Gloſſ. *in cap. cum dilectus. de ſucceſſ. ab inteſtat.* Bald. *in leg. furioſum, Cod. qui teſtamenta facere poſſ.* Spino, *de teſtament. gloſſ.* 10. *in Rubrica, num.* 9 10. 11 Anton. Gomez. *in leg.* 3. *Tauri, num* 7. *&* 8. 21 Rota *deciſ.* 525. *num.* 1 *parte* 4. *recent* & coram Reverendiſſimo Domino meo Decano *deciſ.* 178. *num.* 8. *in fine, & num.* 9.

Nec relevant teſtes in Iudicio criminali examinati: Quia ultra quod tanquam examinati in judicio criminali, non probant in Civili, Bald. *in l. num.* 23. Alexand. *num.* 26. 22 *Cod. de edend.* Felin. *in cap. cauſam quæ, il* 1. *num.* 4. *de teſtibus*: non ſubſiſtit in facto quod fuerint ritè, & rectè examinati, ſed potius ſalvis exceptionibus contra eorum dicta, & perſonas adducendis, animo eos repetendi cum interrogatoriis, prout de jure debebat: Caval. *in puncto dict. deciſ.* 366. *num.* 5. Evacuatur eorum fides ex quo bene poſſunt 23 ſtare ſimul, ut quis habeat ingenium imbecille, vel imaginationem læſam, aut actus faciat non omninò convenientes homini ſanæ mentis, & nihilominus, quod non ſit in ſtatu 24 dementiæ; ut ex auctoritate Galeni *libro tertio, de locis affect.* firmat Menochius *conſilio* 693. *numero decimoquarto ad finem.*

Et ratio eſt, quia prædicta omnia non excludunt uſum rationis, ſeu intellectum, nec mentis alienationem inducunt; quandoque enim viri ſanæ mentis, etiamſi ex accidenti 25 faciant aliqua levia, non reputantur dementes: Rota *dict. deciſ.* 525 *n.* 5. *parte* 4. *recent. & deciſione.* 178. *num.* 18. 19. *& 21. coram Reverendiſſimo Domino meo Decano.*

Et ulteriùs probatio dementiæ non relevat, niſi probetur concludenter de tempore teſtamenti. ut ſuperiùs dixi: nec 26 ſuffragatur aliqua probatio percutiens tempus antea, vel poſt teſtamentum: quoniam teſtis deponens ſuper furore, 27 debet interrogari quid viderit, quæ ſigna quos motus, vel actus fecerit teſtator, ut ex illis percipi poſſit furor, &

28 dementia teſtantis: nam hæc accidentia non poſſunt percipi ex momento temporis, ſed ex quodam diſcurſu & multitudine actuum: Baldus *in cap. cauſam quæ, de teſtibus*, Arctin. *in l. ſi certo, pet. col.* 3. Immò teſtibus de dementia deponentibus non creditur, niſi aſſignent rationem eorum dicti, licèt non fuerint interrogati: Rota *dec.* 107. *num.* 4. *part.* 2 *diverſ.* ubi plures DD. refert. *& dict. decis.* 525. *num.* 3. *part.* 4. *recent. & coram Reverendiſſimo Domino meo Decano, dict. deciſ.* 178. *num.* 10.

Unde cum ex qualitate teſtamenti reſultent ſigna, & actus ſanæ mentis, ex quo teſtator reliquit plura legata locis, & cauſis piis, omnes nepotes venientes ab inteſtato inſtitutionibus particularibus, & legatis honoraverit; dictumque Dominum Petrum Paulum hæredem inſtitutum de ſua familia de Zacchombus vocari mandaverit abſque dubio præſumendum eſt teſtatorem fuiſſe ſanæ mentis, cùm fecerit teſtamentum prudenter, & rectè ordinatum, ut patet ex ejus lectura *in Summario Petri Pauli numero primo*, quod ſufficit ad ejus validitatem, etiam ſi fuiſſet factum ab eo, qui aliquando habuiſſet dilucida intervalla, quia nulla major ſanæ mentis conjectura datur quàm illa, quæ deſumitur ex qualitate teſtamentariæ diſpoſitionis. *leg. Patronus, §. ſin ali, ff. de legat. tertio*, Bartol. *in l. 2. de bonorum poſſeſſ. furioſi. & infant. delat.* Baldus *in leg furioſum. Cod. qui teſtament. facere poſſunt.* Anton. Gomez. *in dict. l. 3. Tauri, n.* 8. argument. text. *in leg. Titia in fine, ff. de legat.* 3. Rota coram Caval. *dict. deciſ.* 366. *n.* 7. *& dict. deciſ.* 525. *num* 7. *parte* 4. *recent.* & in terminis *in Romana hæreditatis de Gracchis* 5. *Decembris* 1618. *coram bonæ memoriæ Rembolde.*

32 Maximè quia Tabellioni aſſerenti teſtatorem fuiſſe ſanæ mentis, prout hic ſtandum eſt; cùm prædicta ſigna & actus ſani judicii præceſſerint: Spin. *de teſtam. in dict. gloſſ.* 10. *in rubr. num.* 11.

Ex quibus, utraque parte informante, reſponderunt DD. pro re judicata quoad partem ſententiæ, quæ fuit in Rota commiſſa ſuper negotio Civili; quia teſtamentum eſt validum, cum omnibus ſolemnitatibus juris conditum, & conſequenter hæredem in eo inſtitutum, fuiſſe ritè & rectè inſtitutum.

Aliæ deciſiones in eadem cauſa habentur in ſequenti parte. id eſt ſub diebus 25. Martii 1639. & 16. Maii ejuſdem, coram eodem R. P. D. Carillo.

Gerundenſis Coadjutoriæ Ven. 26. Iunii 1637.

Coram R. P. D. Motmanno.

SUMMARIUM.

1 *In ſubrogatione gratioſa habente vim collationis, tertium requiſitum probandum ad effectum obtinendi immiſſionem, eſt affectio ex appoſitione manus Papæ.*

2 *Affectio ſuper beneficio ex appoſitione manus Papæ pendet à validitate gratiæ, & à juſtificatione cauſæ, qua Papa motus fuit ad concedendum, quatenus conſtet de veritate narratorum.*

3 *Papa non eſt præſumendus, quòd voluerit præjudicare collatoribus ordinariis, nec illos prævenire circa collationem beneficiorum, nec afficere proviſionem ex futura vacatione.*

4 *Beneficium non afficit decretum latum ex falſa cauſa.*

5 *Gratia cauſa ceſſante, ceſſat etiam ipſa gratia.*

6 *Coadjutoriam ſi quis impetraverit ſub narrativa, quòd aliquis Canonicus non poteſt amplius in choro propter adverſam valetudinem inſervire, id concludenter debet probare.*

7 *Teſtes reddentes optimam cauſam ſui dicti, benè probant eorum teſtificationes.*

8 *Infirmitas ad effectum Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione, debet præſtare perpetuum impedimentum.*

9 *Narrata in gratia ad effectum, ut gratia non ſuſtineatur, ſufficit quod per adverſarium probetur, quod res ita non ſese habet.*

10 *Teſtes conciliantur, ſi alii deponant quod aliquid eſt factum, alii verò dicunt quod id debuit fieri.*

DECISIO LXXVIII.

VAcantibus de menſe Iunii anni 1623. Canonicatu, & Præbenda, ac Beneficio S. Anaſtaſiæ cum Præpoſitura Eleemoſynæ panis Eccleſiæ Gerundenſis per obitum quond. Franciſci Baliæ Epiſcopus & Capitulum ac Sacriſta Majoris dictæ Eccleſiæ, eorundem Canonicatus & Præbendæ, ac beneficii & Præpoſituræ ordinarii Collatores reſpectivè, Ioanni Canonicatum & Præbendam, Hieronymo verò Beneficium cum dicta Præpoſitura ſimiliter contulerunt.

Verùm quia Ioſephus Balla de menſe Martii præcedentis obtinuerat ſe in dicti Franciſci Coadjutorem cum futura ſucceſſione quoad Canonicatum & Præbendam, ac Præpoſituram auctoritate Apoſtolica deputari, ac ad jus & poſſeſſionem Coadjuti gratioſè ſubrogari; cujus ſubrogationis vigore petebat ſe in illorum poſſeſſionem immiti: Dubitavi, an dicto Ioſepho eſſet danda immiſſio? & Domini eam denegandam eſſe cenſuerunt.

Nam licet de Clericata ſubrogati, ac de obitu Coadjuti in 1
poſſeſſione nulla ſit inter partes controverſia; non tamen probata eſt affectio ex appoſitione manus Papæ, dum Coadjutoriam conceſſit; quod in ſubrogatione habente vim collationis, ut hic, eſt tertium requiſitum, immò fundamentum gratiæ, ad effectum obtinendi immiſſionem; & idcircò concludenter probari debuit dicit Rota *in Burgen. de Pamorvo.* 28. *Novembris* 1587. *coram Gypſio.*

Cùm enim à validitate gratiæ, & à juſtificatione cauſæ, 2
qua Pontifex motus fuit ad concedendum, pendeat affectio, eatenus cenſetur Papa appoſuiſſe manum, quatenus conſtat de veritate narratorum, ſine qua ipſe non prætendit Collatoribus ordinariis præjudicare, nec illos prævenire: Gonzales *ad regul.* 8. *gloſſ.* 12. *n.* 45. *tum ſeqq.* neque afficere proviſionem ex alia futura vacatione, ut de decreto lato ex falſa cauſæ 3
quod non afficiat beneficium, reſpondit Roman, *conſil.* 335. *num.* 11. *not.* Prob. ad Monach. *in cap. . num.* 20. *de reſcript.* 4
& dixit Rota *deciſ.* 12. *de conceſſ. prab. in antiquis, & in Elnen. Canonicatus* 16. *Iunii* 1631. *coram R. P. D. meo Ghiſlerio,* 5
ubi exornatur concluſio, quod ceſſante cauſa gratiæ, ceſſat & gratia: ut per Tiraquell. *in tract. ceſſante cauſa, n.* 116.

In hoc autem caſu narratum fuit, quod Franciſc. adverſa 6
valetudine teneretur, quodque ſubinde, & præſertim poſt quamcunque corporis exercitationem, ſanguinem exſpueret ac inſuper Choro officiiſque diurnis, & nocturnis intereſſe, atque eleemoſynas, quæ ex officio Præpoſito incumbunt, adminiſtrare non poſſet.

Et nihilominus ex teſtibus conſtat, prædictum Franciſcum, de menſibus Ianuarii, Februarii, Martii, & Aprilis; ac etiam ante, & poſt, uſque ad Feſtum Sancti Barnabæ dicti anni, & ſic de tempore datæ gratiæ comparuiſſe in Choro, & horis Canonicis, diuturnis pariter ac nocturnis interfuiſſe, Miſſaſque in eadem Eccleſia celebraſſe; qui teſtes optimam ſcientiæ cauſam reddunt; quia ipſimet viderunt, & de dicto tempore 7
ſuam ibidem reſidentiam fecerunt: immò is qui fuit deputatus Officialis ad notandum nomina celebrantium, refert ipſum Franciſcum de dicto menſe Ianuarii, ter & vigeſies celebraſſe: de menſe verò Februarii quotidie; de menſe Martii ſemel & vigeſies; ac de menſe Aprilis vigeſies octies, adeò ut controverti nequeat, quin excludant veritatem cauſæ ut ſuprà narratæ, quod ſcilicet Franciſcus adeò infirmæ eſſet valetudinis, ut Choro, & divinis Officiis intereſſe non poſſet; talis enim infirmitas ad effectum Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione perpetuum debet præſtare impedimentum: 8
Caputaq. *deciſ.* 140. *num.* 2. *parte* 1. Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſſ.* 5. §. 9. *n.* 29. Rota *in Gienn. Theſaurar.* 24 *Novembris* 1634. *coram R. P. D. meo Veroſſio.*

Et quamvis replicetur, Franciſcum ſuprædicta ſaltem 9
feciſſe non ſine detrimento valetudinis; attamen ſufficit ad excluſionem cauſæ, quod ſimpliciter fuerit expreſſum, non poſſe officiis diurnis intereſſe, & non fuerit additum ſine periculo ſanitatis, de quo peritus deponunt Medici uti teſtes examinati pro parte dicti Coadjutoris; ſed non concludunt, quod propterea Franciſcus omitteret reſidere, & alia non poſſet facere, ut Papæ fuit narratum.

Verumtamen teſtes prædicti optimè conciliantur, dum 10
alii deponunt de eo quod eſt factum; alii verò de eo quod Franciſcus juxta Medicorum conſilium facere non debuiſſet.

Et ita utraque, &c.

11

Romana

Romana Officii, Mandatariatus, Mercurii 1. Junii 1637.

Coram R. P. D. Panzirolo.

SUMMARIUM.

1 *Notarii fides non facit fidem, maximè ſi careat teſtibus.*
2 *Officium vacat per obitum illius, ſuper cujus vita periculo manebat.*
3 *Officii reſignatio coram Notario & teſtibus valet, quando in ejus erectione id fuit cautum.*
4 *Superioris licentia requiritur pro validitate reſignationis officiorum, quæ abſque illa non ſunt in commercio.*
5 *Officia quando ſunt de Regalibus Principis, nunquam eorum poſſeſſio alicui acquiritur in præjudicium Superioris.*
6 *Officia quando ſunt de Regalibus Principis, requiritur in tranſlatione poſſeſſionis illorum in reſignatarium juramentum, & litterarum patentium expeditio.*
7 *Notarius ſi recipiat reſignationem officii nomine Superioris, tunc officium deſinit eſſe ſuper periculo vitæ reſignantis.*
Declarant num 8.
9 *Actus dicitur imperfectus ſi, dependeat à futuris probationibus.*
10 *Aëris mutatio æſtivis temporibus ponit in dubio vitam illius qui aërem mutat.*
11 *Officii reſignationem poteſt Superior non admittere, quando poteſt dubitari quod illa fiat in fraudem imminentis.*
12 *Obitus attribuendus eſt cauſa indubitabili, non autem incertæ.*
13 *Acceſſus ad Urbem à Civitate Neapolis de menſe Auguſti, & Septembris, eſt adeò periculoſus, ut ferè nullus venientium mortem evadat.*
14 *Accedens ad Urbem à Civitate Neapolis, ſi per viginti dies ſanus permanſerit, & deinde infirmetur, adhuc infirmitas ab aëris mutatione cauſam habet.*
15 *Peritis in Arte plena fides præſtari debet.*
16 *Poſſeſſio anterior eſt manutenibilis.*
17 *Poſſeſſio proveniens à cauſa infecta non eſt conſiderabilis.*
18 *Manutentionis in judicio inſpicitur ſola facti detentatio.*
19 *Petitorium quando reſpicit ipſam poſſeſſionem, poteſt de eo agi in judicio manutentionis.*

DECISIO LXXIX.

CUm fuerit reſolutum ſub die 23. Martii Præteriti, Benedicto Ruggerio dandum eſſe mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione officii Mandatariatus Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii: iterum hodie articulo diſcuſſo, Domini perſtiterunt in deciſis.

1 Quia præterea reſignatio Cicognolæ, in qua ex adverſo ſit potiſſimum fundamentum, non probatur niſi per quandam Notarii fidem, quæ fidem non facere teſtatur Cæſar de Graſſis *deciſ.* 2. *num.* 13 *de ſponſal.* Gregor. *deciſ.* 214. *num.* 2.
2 maximè cùm careat teſtibus: Rota *deciſ.* 624. *num.* 10. *part.* 1. *recent.* Ac proinde, quod dum pro parte D. Equitis Ioſephi concludenter non probatur, quod à bonæ memoriæ Cardin. Mellino fuerat admiſſa reſignatio dicti Officii, quod erat ſub
3 periculo vitæ ipſius Cicognolæ, remanet indubitatum, quod ſecuta interim ipſius morte Officium vacaverit: per ea quæ tradit Seraph. *deciſione.* 1294. *num.* 5. Gratian. *diſcept.* 276. *n.* 63. cum non verſemur in Officio, in cujus erectione fuerit
4 cautum valere ipſius reſignationem coram ſolo Notario & teſtibus, de quo loquitur idem Seraphin. *deciſione* 389. *num.* 3, ſed in iis, quæ reſpectu tituli non ſunt in commercio ſine Superioris auctoritate, & ſic neceſſariò requirebatur ipſius Cardinalis conſenſus in reſignatione, ne officium diceretur vacare per mortem: Roland. *conſil.* 11. *in princip.*
5 *num.* 3. *lib.* 2. Sarnen. *de infirm. reſignant. quæſt.* 22. Rota *deciſ.* 495. *num.* 2. & 3. *part.* 2. *recent.* Cùm enim iſta officia dicantur de Regalibus Principis, nunquam alicui dicitur acquiri ipſorum poſſeſſio in præjudicium Superioris: Luc. de Penn. *num.* 2. *Cod. de fundo limitroph. lib.* 11. Molin. *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 11. Quinimò etiam pro tranſlatione poſſeſſionis Officii in reſignatarium pro forma requiritur expeditio litterarum patentium: *leg. in his, officiis, & leg. ad probatarias, C. de deverſ. offic. lib.* 12. Boër. *deciſ.* 150. *num.* 9. *in fin.* ac juramenti præſtatio, Boërius *deciſ.* 249. *num.* 9. Quæ omnia benè concurrunt in Benedicto Ruggerio proviſo à Cardinali. 6 7

Non obſtat, quod Notarius receperit reſignationem nomine Superioris, & quod propterea tunc Officium deſineret eſſe ſub periculo vitæ Cicognolæ; per ea, quæ tradunt Boërius *deciſ.* 348. Pariſ. *de reſignat. quæſt.* 9. *num* 119. Quia hoc procedit in ſimplici reſignatione, ac in abdicatione à ſe proprii juris: ſecus autem quando ſit reſignatio ad favorem Tertii, ut illi officium acquiratur: tali enim caſu fiunt plures diligentiæ, ne admiſſio ſequatur in fraudem Domini directi: ut benè per Seraphin. *dicta deciſ.* 1294. *num.* 2. Boërius *deciſ.* 149. 8

Non relevat dicere quod Dominus Cardinalis dederit ordinem Odoardo Tibaldeſco Secretario, ut conſtito de ſuperviventia Cicognolæ per fidem authenticam, reſignationem admitteret: Quia duplex tempus venit conſiderandum: Primum dum Cicognola degebat Neapoli, & poteſt dici, quod tunc adeſſet conſenſus quidam imperfectus, tanquam dependens à probationibus faciendis circa vitam 9 10 Cicognolæ; quæ probationes poſtea imperfectæ fuerunt declaratæ: Alterum verò tempus, poſtquam Cicognola venit ad Vrbem, nam tunc ob intempeſtivam aëris commutationem æſtivis temporibus, Cardinalis juſtè, & 11 probabiliter de ipſius morte dubitans, potuit caſus evenire, tanquam in fraudem imminentis vacationis prout admiſſionem reſignationis denegare: Caſtrac. *de Societ. cap.* 40. *num.* 43. *& ſeqq.* Seraphin. *dict. deciſ.* 1249. *num.* 2. & fuit reſolutum *in Conchen. Notariatus* 26. *Novembris coram bon. mem. Litta.*

Nec relevat, ſi dicatur Cicognolam obiiſſe ex nova cauſa 12 venationis: quia non probatur; & ſic obitus eſt attribuendus indubitabili cauſæ ætis: Farinac. *de homicid. quæſt.* 127. *num.* 72. Et per hoc optimè facit deciſ. 436. *per tot. part.* 2. *recent.* Accedente præſertim judicio duorum principalium Medicorum Vrbis, atteſtantium acceſſum è Civitate Neapolis ad Vrbem de menſe Auguſti, & Septembris, eſſe adeò 13 periculoſum, ut ferè nullus venientium mortem evadat, in 14 tantùm ut quamvis iſte, qui ad Vrbem acceſſit, ſteterit ſanus per 20. dies, & ultra, ſi poſtea infirmetur, infirmitas tribuenda omnino ſit mutationi aëris, & non alteri cauſæ: Peritis autem in Arte præſtanda eſt plena fides: Pariſ. *de* 15 *reſignat. lib.* 12. *quæſt.* 6 *num.* 18 Farinac. *ſup. citat. à num.* 101. Rota *diverſ. deciſ.* 620. *num.* 3. *part.* 1.

Nec dicatur, conſtare quidem quod Dom. Eques Ioſephus exegerit fructus Officii tam à Cicognola, quàm à Margano; non tamen conſtare quod ab ipſo Margano Domini Cardinalis exegerit; vel ſaltem controverti non poſſe, quin poſſeſſio Domini Equitis ſit anterior, & ſic in concurſu manu- 16 tenibilis. Quia fuit reſponſum, quod data vacatione Officii per mortem Cicognolæ, ſub cujus periculo vitæ reſidebat Officium, ſtatim expiravit locatio facta ab Equite ipſi Margano, ut ſupra oſtenſum eſt; & propterea ceſſante 17 in Domino Equite dominio Officii, dato etiam quod poſt vacationem exegerit à Margano, iſta exactio tanquam proveniens à radice pateret infecta, non viſa fuit conſiderabilis.

Idque tanto magis, dum Dominus Eques poſt obitum Cicognolæ ſciens Officium fuiſſe à Domino Cardinali locatum eidem Margano, & poſtea venditum Benedicto Ruggierio, agnoſcens bonam fidem tacuit per quadriennium: *l.* 3. *§. in admittenda, leg. ſi id quod, §. finali, ff. de acquir. poſſ.* Bart. *in l.* 1. *§. huius autem interdicti, num.* 3. *verſ. ſecundo modo, ff. utipoſſidetis*: Menoch. *de retinend. remed.* 3. *n.* 34. 18 *verſ. ſed declaratur*: Mantic. *deciſ.* 95. *num.* 5. Cavaler. *deciſ.* 615. *num.* 11.

Demum non obſtat, quod fundamenta ſuperiùs deducta reſpiciant petitorium; & ideò cùm verſemur in Summariſſimo manutentionis, in quo ſola detentatio facti inſpicitur, non eſt locus diſcuſſioni, an reſignatio Officii fuerit benè, vel malè facta, & per conſequens an per mortem Cicognolæ 19 vacaverit, cùm iſta ſuis loco & tempore veniant diſcutienda: Fuit enim reſponſum, quod quando petitorium permixtum ipſam poſſeſſionem, poteſt de eo agi etiam in judicio manutentionis, ut eſt celebre conſilium Baldi 141. *num.* 3 *lib.* 1. quem ſecuta eſt Rota *diverſ deciſ.* 34. *num.* 21. *in fine & num.* 22. *part.* 2. & coram Reverendiſſimo Domino meo Coccino Decano inter ejus impreſſas *deciſ.* 488. *num.* 11. *in fine, num.* 12.

Et

Et sic utraque parte informante fuit resolutum esse standum in decisis.

Toletana nullitatis Matrimonii, Veneris 18. Februarii 1639.

Coram R.P.D. Coccino.

SUMMARIUM.

1 *Ætas probatur ex partita libri Baptismatis.*
2 *Puberta in muliere requirit ætatem duodecim annorum.*
3 *Matrimonium contractum cum muliere non pubere validum est, si malitia suppleat ætatem.*
4 *Impotentiam coeundi an maritus naturaliter patiatur, cognosci debet per Peritos Medicos mediante inspectione.*
5 *Cohabitatio triennalis conjugum ad effectum probandi potentiam coeundi, incipit currere à die prima cohabitationis quando adest impedimentum naturale.*
6 *Confessio peccatorum non est necesse quod præcedat cohabitationem ad effectum probandi potentiam coeundi, concurrente naturali impedimento.*
7 *Impedimentum coeundi si non sit naturale proveniens ex morbo, vel defectu visibili membrorum, in personis conjugum, ad remedia naturalia, divina, & Ecclesiastica recurrendum est.*
8 *Impotentia coeundi in conjugibus si dubitetur an proveniat ex maleficio, opera Dæmonum, vel Magorum perpetrato, deveniendum est ad exorcismos.*
9 *Exorcismos faciendi praxis relativè.*
10 *Experimenta, ut cognoscatur an impotentia coeundi in conjugibus sit naturalis, accidentalis, vel artificialis, facienda sunt de mandato Iudicis.*
11 *Cohabitatio triennalis conjugum incipere debet à die decreti Iudicis, si dubitetur an impotentia coeundi proveniat ex impedimento naturali perpetuo, vel accidentali.*
12 *Iudici arbitrarium est decernere cohabitationem conjugum ad cognoscendum an impotentia coeundi sit perpetua vel temporalis.*
Declara ut num. 16.
13 *Cohabitatio triennalis requiritur semper in maleficiato.*
14 *Cohabitatio triennalis non semper expectatur in frigido.*
15 *Impotentia mariti coeundi cum uxore, dicenda est accidentalis, dum ipse cum aliis mulieribus coire valet.*

DECISIO LXXX.

1 DOmina Antonia cum esset annorum decem, mensium quatuor, & dierum viginti octo, ut constat ex partita libri Baptismi qui probat ætatem; Rota *decis. 643. n. 4. p. 1. in posthum. Farinac.* ultima die Octobris 1629. non adhuc
2 pubes, quia pubertas in muliere requirit ætatem annorum duodecim, *cap. continebatur, de desponsat. impuber.* Sanchez
3 *de Matrimon. lib 7. disput. 104. n. 1.* contraxit Matrimonium cum Domino Didaco prævia dispensatione, ut deponunt testes malitia supplebat ætatem, hoc est, aderat potentia generandi, & sufficiens discretio ad se obligandum, quo casu validum est Matrimonium: *cap. de illis, il 2. capite impuberes, & cap. fin. de desponsat. impub.* Sanchez *loco citato, num.* 5. Et die 30. Septembris 1632. quæ est dies festivitatis S. Hieronymi, quo tempore dicta Domina Antonia erat ætatis annorum 13. mensium quatuor, & dierum 25. vir, & uxor cœperunt simul cohabitare dormientes in separato lecto, sed cum facili, & libero transitu de uno ad alterum, quia Cameræ erant contiguæ, illarum fores apertæ, ut probatur ex confessione dictæ Antoniæ facta coram Vicario, & etiam ex testibus examinatis.

His ita se habentibus, Domina Antonia 4. Maii 1633. introduxit Iudicium coram Domino Vicario Matriti super dissolutione Matrimonii ob impotentiam perpetuam Domini Didaci in coëundo. & Vicarius adhibitis quatuor Medicis, ac duobus Chirurgis inspici fecit Dominum Didacum, & Medici prædicti prævio juramento retulerunt die 19. Augusti 1633. quod ille non patiebatur defectum potentiæ
4 naturalis quæ posset videri aut cognosci ex dicta inspectione quæ fieri debet de jure, argumento text. *in cap. fin. vers. postmodum. de frigid. & malefic.* & ita fuit servatum *in causa Taurinen. Nullitatis Matrimonii coram bonæ memoriæ Francisco Penia, tunc Rotæ Decano*, quæ est *decis. 226. post. 2. vol. consil. Farinac.* Unde Vicarius præfatus 6. Novembris 1634. decretum fecit, quod præfati conjuges continuarent suam cohabitationem cœptam dicta die Sancti Hieronymi anni 1632. usque ad diem Sancti Hieronymi 1635. & commisit eorum conscientiis quod procurarent quantum in ipsis esset, consummare Matrimonium, & interim frequentarent Sacramenta, & offerrent sacrificia, elargirentur eleemosynas, & 5
operarentur opera pia loco pœnitentiæ.

Hoc decretum in aliqua parte visum fuit Dominis juridicum & justum; sed non in ea parte in qua decernit cohabitationem triennalem incepisse, & esse computandum à die primæ cohabitationis ante decretum; quia licèt in hac materia quando fuit habita relatio Medicorum, & apparet
6 impedimentum esse naturale, non sit necesse quod conjuges confiteantur peccata sua antequam deveniantur ad cohabitationem triennalem, Hostien. *in cap. fin. num. 5. de frigid. &*
7 *malefic.* Attamen si dubiteretur an impedimentum sit naturale, vel accidentale, vel à maleficio opera Dæmonum vel Magorum perpetrato, ubi non apparet de vitio aut morbo, vel defectu membrorum genitalium visibili, ad remedia naturalia
8 divina, & Ecclesiastica recurrendum est: *cap si per sortiarias, 33. quæst. 1.* ubi Doctores & concordant Theologi *super 4. sentent.* Sanctus Thomas, & Sanctus Bonaventura. Petrus de Palude, Scotus, Durandus, & alii: Ioannes Hider, *in fornicario lib. 5. cap. 6. vers. prosolut.* Martinus del Rio *tom. 3. disquisitionum Magicarum, lib.... cap. 11. sect.* 3. debet etiam deveniri ad Exorcismos, qui quomodo fiant faciendi, praxim ponit frater Hieronymus Menguas. *in suo fuste Dæmonum, sive flagello Dæmonum, exorcismo 6.* sed doctius, & melius
9 Theoricam ponit Sylvester *de strigibus, lib. 1. cap. 12.* & omnia
10 fieri debent jussu Iudicis: & sic in isto casu cùm dubitaretur
11 an impedimentum esset perpetuum naturale, vel accidentale, benè fecit Vicarius decernendo cohabitationem triennalem cum requisitis *dict. cap. laudabilem*, & *ibi* Præpositus *num. 4. in oppos. de frigid. & malefic.* Card. *in cap. 1. eodem tit. & ibi* etiam Præpositus *num 7.* Brunel. *de sponsal. concl. 28. limit. 1.* & fuit resolutum *in dicta causa Taurinen. Matrimonii 27. Aprilis 1592. coram bonæ memoriæ Blanchetto*, sed dictum cohabitationem triennalem incipere, & computari debere à die decreti Iudicis, non obstante quod multi Doctores teneant contrarium, ex allegatis per Sanchez *de Matrimon. lib. 7. disp. 110. n. 4. & 5.* tutius esse dicunt Host. *in d. cap. fin. de frigid. & malefic. n. 10. & in summa eodem tit. §. qualiter, & quando, num. 12. vers. verum dicipotest*: Ioannes Andreas *in d. cap. final. num. 8. & 11.* Ancharan. *num. 9.* Butrius *num. 10.* ubi dicit hanc opinionem esse veriorem Henrich. Boi ch. *num 1. & 2.* Brunel *de sponsal. dict. concl. 28. num. 10. & 14.* Capell. Tholos. *decis 381. n. 6. in fin.* Et hanc sententiam perpetuò Rota servavit ut in *decis. 192. n. 4. & 5. & decis. 226. num. 1. post. 2. volum. consil. Farinac. & decis. 277. n. 13 part. 4. coram bonæ memoriæ Buratto decis. 763. numero 12. & 14.* & propterea cùm à die Decreti non adfit cohabitatio triennalis Domini responderunt non constare de triennali cohabitatione, quæ suffragaretur.

Non obstat quod videatur arbitrarium esse Judici posse uti habitatione præcedenti, decretum; ut in *dict. decis. 226. num. 1. vers. nihilominus, post 2. cons. Farinac.* Quia est advertendum quod in maleficiato semper expectatur lapsus triennii; in frigido non semper: Hostien. *in dict. cap. laudabilem, de frigid. & malefic. num. 1.* Joannes Andreas *n. 8.* Abb. *n. 2.* Alexander de Nævo, *n. 3.* Præpos. *num. 2. vers. secus est in malefic.* Butrius *num 13. vers. quod autem in maleficio* Rota *decis. 192. num 2. vers. propterea post. 2. volum. cons. Farinac.* Et in casu nostro cùm Didacus potens sit cum aliis mulieribus coire, ut ex multis constat, ejus impotentia cum uxore potiùs est judicanda accidentalis, quam naturalis ex frigiditate: Capell. Tholos. *decis. 361. vers. ad primum:* & fuit resolutum *in causa Bononien. rescissionis Matrimonii 12. Januarii 1596. coram bonæ memoriæ Cardinalis Blanchetto.* Et propterea cessat dictum arbitrium abbreviandi triennium, Petro Ledesma *de matrimonio, quæst. 18. art. 2.* & dicitur *in dict. Bonon.* Removeturque omnis difficultas ex eo, quod in casu decisionis *bonæ memoriæ Penia*, constabat ex relationibus, maritum esse frigidum & debilem, non maleficiatum, ut patet ex lectura decisionis.

Et ita conclusum utraque parte informante, &c.

Romana

Romana Filiationis, Veneris 1. Julii 1639.

Coram R. P. D. Carillo.

SUMMARIUM.

1 *Filiatio probanda ad effectum consecutionis alimentorum lite pendente, admittit leves probationes.*
2 *Filiatio concludenter probanda venit quando de ea agitur principaliter ad effectum decidendi litem.*
3 *Filiatio probatur præsumptionibus & conjecturis.*
4 *Filiationis probatio certa non datur.*
5 *Filiationem non probant testes deponentes de fama inter vicinos, nisi specificent quo tempore, & à quibus talis fama ortum traxerit.*
6 *Filiatio non probatur per testes deponentes de commercio carnali inter pretensos parentes, nisi percutiant tempus conceptionis.*
7 *Testes nulliter examinati non probant.*
8 *Testis deponens de facto proprio, & contrà inducentem plene probat.*
9 *Filiatio non probatur ex eo quod quis fuerit ab aliquo filius nuncupatus.*
10 *Filii sæpè appellantur illi, qui diliguntur, licèt non sint tales.*
11 *Filiationis conjectura non resultat ex nominatione probata enunciativè, & in actu, qui potest convenire etiam extraneo.*
12 *Testis unicus nihil probat.*
13 *Confessio extrajudicialis ut præjudicet probari debet per testes contestes de loco, & tempore.*
14 *Similitudo de per se non præbet conjecturam relevantem filiationis.*
15 *Singula quæ non possunt, simul unita juvant. Declara ut num. seqq.*
16 *Conjecturæ quæ sunt imperfectæ, non conjunguntur.*
17 *Filiationi probatio æquivoca remanet quando quis ortum traxit à muliere, ad quam pluribus patebat accessus.*
18 *Falsitatis suspicio oritur ex tarditate judicii, quando obierunt ii, qui poterant esse informati de veritate facti.*
19 *Pietas paterna abscondi non potest.*
20 *Pater dicitur major amicus qui haberi possit in mundo.*
21 *Signa quæ consueverunt per parentes erga filios exerceri, quænam sint?*
22 *Filiationis præsumptio excluditur quando assertus pater pretensum filium penitus negligit.*
23 *Fama filiationis destruitur ex eo quod assertus pater prohibuerit natum describi pro suo filio in libro Baptizatorum, ita ut ex illa resultare non possit quasi possessio filiationis.*
24 *Pater tenetur filios naturales alere pro exoneratione suæ conscientiæ.*

DECISIO LXXXI.

IN hac causa sub die 11. Januarii 1631. fuit dictum constare, quod Martia esset filia bonæ memoriæ Octavii de Clementinis, ad effectum consequendi alimenta: ut in *decis. emanata coram R. D. meo Pamphilonens.* in cujus locum postea suffectus, Dubium præfatum reproposui ad effectum ei assignandi dotem, & terminandi litem in petitorio: Et Domini in hac septima positione illud negativè resolverunt.

Ea moti ratione, quia quando agitur de probanda filia-
1 tione incidenter ad effectum consequendi alimenta per modum provisionis, lite pendente super negotio principali, sufficit quælibet levis probatio, ex congestis per Surdum *in consil. 1. num. 9. & in tractatu de aliment. tit. 1. quæst. 111. n. 11.* & dixit Rota *in divers. 189. n. 1. part. 1. recent.*

Quando verò agitur de ea principaliter in petitorio ad
2 effectum decidendi litem, prout in proposito, tunc est illa magis exactè probanda uti fundamentum intentionis agentis: *leg. non ignoret*, ubi Bart. *Cod. qui accusare non possunt*: & notat. Angel. *in leg. liberorum, in principio, ff. de his, qui notantur infamia*: Abbas *in cap. pervenit*, ubi Decius *n. 4. qui fil. sint legitim.* Alciatus *reg. 3. præsumpt. 38. num. 6. & 7.* Covarruvias *de sponsal. part. 2. col. 2. §. 3. numero 6.* & sic distinguendo tenuit Rota *in dict. decis. 289. num. 1. part. 1. & in decis. 164. num. 4. part 3. recent.*

Et quamvis in hac materia sit standum præsumptionibus, 3
& conjecturis, cum in ea alia certa probatio dari nequeat Gloss. *in leg. Lucius, ff. de condit. & demonstrationibus*, Gloss. 4
in leg. prima, ff. de probat. Ancharan. *consil. 225. numero 6. num. 39. & 40.* Attamen existimarunt Domini ex testibus validè examinatis, qui dantur *in Summario illorum de Clementinis*, non resultare tales præsumptiones, & conjecturas ita ut ex illis dicta filiatio probata dici possit.

Nam prima desumpta ex fama inter vicinos, non relevat, 5
cùm testes deponentes non dicant à quo tempore, & à quibus hæc fama originem habuerit: possibile enim est, quod orta fuerit post motam litem, & quod ipsasmet Julia mater Martiæ eam procuraverit; quando autem tempus est de substantia, debent testes super fama deponere specificè, & cum omnibus requisitis, aliàs non suffragantur, Ruin. *cons. 52. n. 6. & 7. lib. 5.* Gozadin. *consil. 13. n. 19.* Petr. *de fideicomm. q. 11. num. 376.* Rota *dict. decis. 164. numero octavo, parte tertia, recent.*

Secunda deprompta ex consuetudine dicti Octavii cum 6
dicta Julia matre Martiæ, nullius est momenti: quia testes de ea deponentes, non percutiunt tempus conceptionis, prout requiritur: Salicetus *in leg. ultima, in fine, Digestis. de probat.* Castr. *consil. 115. num. 1. & tertio, lib. 5.* Petra *de fideicommiss. dict. quæst. 11. numero 40.* Menoch. *de præsumpt. 53. num. 19. in 6. declarat.*

Tertia elicita ex educatione dictæ Martiæ sumptibus ejus- 7
dem Octavii, non subsistit: quia resultat ex dictis testium nulliter examinatorum, & sic nihil nocet: *l. si quando, C. de testibus*: Paris. *cons. 531. num. 23. lib. 4.* Caputaq. *decis. 209. num. 7. part. 2.* Rota coram Bottar. *decis. 45. num. 2.* Ultra quod contrarium convincitur ex depositione Nutricis ejusdem Martiæ sotniter examinatæ, quæ asserit alimenta & salarium semper recepisse à dicta Julia, cui propterea uti inductæ à 8
dicta Martia, & deponente de facto proprio plena est fides adhibenda: Surdus *in cons. 550. n. 3. lib. 4.*

Quarta deducta ex eo, quod dictus Octavius, dum loque- 9
batur cum dicta Martia in infantili ætate, appellaret illam *filiam*; nec etiam concludit: Quia illa nominatio videtur ficta incidenter causa blandiendi, ut fieri solet; & non ad effectum approbandi veritatem: *leg. nemo, §. 1. ff. de hared. instituend.* Dec. *in cap. per tuas num. 3. de probat.* Paris. *cons. 10. num. 15. 49. & 86. lib. 2.* Solemus enim sæpè *filii* vocabulo vocare eos; quos diligimus; ut ait Surdus *de aliment. tit. 7.* 10
dict. quæst. 112. num. 9. ubi refert Cravet. *in cons. 129. num. 10.* & alios concordantes: Quando autem nominatio facta fuit per verba enunciativè prolata & in actu, qui æquè convenire potest etiam extraneo, non præbet legitimam conjecturam 11
ad effectum probandi filiationem: Gloss. *in dict. cap. per tuas de probat.* Dec. *cons. 462. num. 10.* Petra *de fideicommiss. dict. quæst. 11. num. 261.* Menoch. *de præsumpt. præsumpt. 53. n. 38. & 39. lib. 3.* Surd. *ubi supra, dict. num. 8.* Gratian. *discept. for. cap. 561. num. 5. 6. & 7.* & censuit Rota coram apud Burat. *in decis. 715. num. 6.*

Quinta fundata in confessione dicti Octavii super de- 12
floratione dictæ Martiæ, minùs afficit: Quia de ea deponit tantum unicus testis, qui de jure nihil probat: *cap. licet il primo, cap. veniens, il primo de testam.* Gabr. *eodem titul. concl. 1. num 1.* Et ad hoc ut confessio extrajudicialis præjudicet: debet probari per testes contestes de loco, & tempore, ut notat Dominic. *in cap. licet ex quadam, extra de testibus*: Paris. 13
consil. 60. numero quadragesimo quinto, Castr. *cons. 196. n. 3. volum. 1.* Afflict. *decis. 364. num 4. vers. ista tamen confessio*: Rota *decis. 700. n. 33. part. 2. recent.*

Sexta denique conjectura resultans ex similitudine dictæ 14
Martiæ cum dicto Octavio, & Hieronymo ejus filio legitimo & naturali, super qua deponit testis ultimo loco examinatus, non etiam advertatur: Quoniam argumentum proveniens ex hac similitudine, est multum fallax: & propterea uti de per se nullius reputatur momenti; Guillelm. Benedict. *in cap. Raynutius in 3. parte, verb. quæ filium ex eo suscipiens. n. sexto, de testibus*, Curt. jun. *cons. 31. column. 7.* Gabr. *consilio decimoquarto, num 7. de probat.* Menochius *de arbitr. libro secundo, cas. 80. num. 79. & de præsumpt. libro sexto dict. præsumpt. 3. num. 47.* Mohed. *decis. 1. num. 2. tit. qui fil. sint legitimi.*

Neque visum fuit Dominis istas conjecturas posse con- 15
jungi, adeò, ut intrare debeat Regula, quod quæ non possunt singula, simul juncta juvent: *cap. cum causam*, ubi Gloss. & DD. *probat.* Surdus *d. consil. 1. ante numero 53. vers. & quamvis.*

Quia

16 Quia cùm quælibet ex conjecturis ſupra relatis ſit in ſe imperfecta, earum conjunctio nequit fieri : Bald. *in leg ſi qui ex argentariis, §. 1. num. 2. & ſeqq. ff. de eden.* Alex. *conſil. 11. num. 3 & 3. lib. 4* Gabriel. *deprobat. concl. 1. num. 33.* Mantica *deciſ. 307. num. 11.* Rota *deciſ. 519. n. 7 parte 2. recent.* Maximè cùm plures in contrarium urgeant potentiores pro excluſione filiationis, quæ præfatas deſtruunt : *leg. Divus de in integr. reſtitutione minor.* Abbas *in cap. tranſmiſſa, qui fil. ſint legitimi, in fine* : & in terminis filiationis, Gabr. *conſil. 25. num. 6. lib. 2.*

17 Et quidem prima provenit ex eo, quod ultra acceſſum cujuſdam Medici Martinus famulus dicti Octavii continuò verſabatur in domo dictæ Iuliæ, de die & de nocte, tam in publico, quàm in ſecreto, ut deponunt teſtes *in dict. Summ. num. 4.* unde fit quod probatio Patris æquivoca remaneat : per textum *in leg. vulgo concepti*, ubi Gloſſ. Bald. & alii, *ff. de ſtat. homin. §. ſi adverſus, Inſtitut.* Rota *dict. deciſ. 279. num. 2. p. 1. recent.*

18 Secunda reſultat ex taciturnitate dictæ Iuliæ & Martiæ, viginti annorum ſpatio, quo auſæ, non fuerunt hujuſmodi litem excitare ; ſed expectarunt obitum doctorum Octavii. & Martini famuli, qui de hoc erant benè informati : quando autem ad agendum expectatur mors informatorum, ex hac tarditate oritur vehemens ſuſpicio falſitatis : argum. *cap. 3. tertio loco deprobat leg. conſenſu, §. ſuperplagis, C. de divort.* Aymon. *conſil. 28 num. 5 & 7.* Rota *deciſ. 566 num. 7. & poſt 2. Vol. conſ. Ferrar.*

Tertia deducitur ex quo dictus Octavius poſt matrimonium dictæ Iuliæ penitus deſeruit ipſam, & Martiam, abſque eo quod tanto temporis ſpatio aliquod filiationis ſignum erga dictam Martiam oſtenderit ; quod eſſet contra pietatem
19 paternam, quæ abſcondi non poteſt : juxta notata per Bald. *in cap. per tuas, num. 4. verſ. licet Gloſſ. de probat.* Major enim
20 amicus mundi eſt Pater ; *leg. quidam cum filium, ff. de hared. inſtitut.* & ſigna per quæ quis dicitur tractari uti filius, ſunt
21 illa quæ conſueverunt circa filium exerceri ; utpotè ipſum in domo alere ; eum ad ſcholas mittere, in teſtamento illum inſtituere, facere ſibi veſtimenta neceſſaria, eumque ſcribere in natalibus filiorum, & ſimilia, prout cenſet Abbas *in dict. cap. per tuas, num. 5. de probat.* quorum nullum in propoſito concurrit.

22 Quarta colligitur ex eo, quod dictus Octavius alios filios naturales agnovit, & illos uti tales tractavit ; & educavit, eoſque filiis legitimis etiam commendavit ; ut dicunt teſtes *in d. Summ. n. 15* quod cùm non fecerit ſimiliter cum dicta Martia, præſumendum eſt illam filiam ſuam non eſſe. Gloſſ. *in d. cap. tranſmiſſa, verb. nota, qui fil ſint legit.* Felin. *in d. cap. per tuas, n. 17. deprobat.* Alex. *conſ. 88. num. 9. lib. 10.* Rota *d. deciſ. 189. n. 6. par. 1. recent.*

23 Quinta depromitur ex præcepto dicti Octavii, ne dicta Martia deſcriberetur in libro Baptizatorum uti ipſius filia, *d. ſumm. num.* ex qua prohibitione deſtruitur fama, ita ut ex illa reſultare non poſſit quaſi poſſeſſio filiationis : Petra *de fideicomm. in dict. quæſt. 11. num 453.* Maſcard. *deprobat. concl. 79. num. 13.* cum aliis relatis per Menochium *dict. præſumpt. 59. num 44. lib. 6.*

Sexta & ultima conjectura oritur ex eo, quod dictus Octavius non ſolum toto tempore ejus vitæ non præſtitit dictæ Martiæ alimenta, ſed illam etiam præterivit in teſtamento, &
24 tamen certum eſt, quod Pater filios naturales tenetur ſaltem alere, pro exoneratione ſuæ conſcientiæ : *cap. cum haberet, in fin.* cum *ibi* not. per DD. *de eo, qui duxit in matrimonium*, & ſequuntur infiniti relati per Surd. *de aliment. tit. 2. q. 9 per tot.* & ſignanter *ſub n. 6.*

Ex quibus cùm conſtet non adeſſe ſufficientem probationem pro dicta Martia reſultantem ex diſpoſitionibus teſtium rivè ac rectè examinatorum, reſponderunt DD. non conſtare de filiatione, & alii teſtes dati *in Summ. dicta Martia*, præter præfatos datos *in Summ. illorum de Clementinis*, tanquam nulliter examinati, non fuerunt habiti in conſideratione.

Et ita utraque, &c.

Romana fideicommiſſi de Arroniis, Lunæ 23. Junii 1642.

Coram R. P. D. Bichio.

SUMMARIUM.

1 *Filiationis cauſa differt à cauſa legitimitatis.*
2 *Legitimitatis probatio non reſultat ex probatione filiationis.*
3 *Filius natus ex legitima uxore in domo mariti, præſumitur filius ipſius mariti.*
4 *Filius natus in domo mariti, non præſumitur ipſius mariti ſi de tempore conceptionis matrimonium non fuerat contractum.*
5 *Partus quadrimeſtris non eſt vitalis.*
6 *Filius natus ex concubina domi retenta, præſumitur ipſius concubinarii.*
7 *Natus ex concubina tunc maximè præſumitur concubinarii filius, quando concurrit nominatio parentum, & communis reputatio.*
8 *Filiatio non probatur ex tractatu, & nominatione in præjudicium eorum, qui nullum jus habent à nominantibus, & tractantibus.*
9 *Filiatio tunc concludentiùs venit probanda quando agitur de ea ad effectum ſuccedendi in bonis fideicommiſſi, & alios ſubſtitutos excludendi, quàm ſi agatur de ea ad effectum conſequendi alimenta.*
10 *Filiationem tanquam neceſſarium antecedens probare debet, qui ſe legitimum, aut legitimatum affirmat.*
11 *Natus conſtante matrimonio eſt legitimus, etiamſi fuerit antea conceptus.*
12 *Legitimitas requiſita à Teſtatore de tempore conceptionis non verificatur in eo qui fuit conceptus ante ſecutum matrimonium, ita ut ad ſucceſſionem admitti non debeat.*
13 *Tempus illud attenditur, ad quod verba referuntur.*
14 *Qualitas requiſita a teſtatore certo tempore, debet in eo verificari.*
15 *Subſtitutus non excluditur per eum, qui non habet qualitatem eo modo, quo Teſtator requiſivit.*
16 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium admittitur ad ſucceſſionem, ad quam fuerunt vocati concepti ex legitimo matrimonio.*
Contrarium, n. 17.
18 *Generationis principium conſiſtit in conceptione.*
19 *Verbum*, Generandos, *ſi ſit directum ad patrem, non poteſt referri ad tempus poſt conceptionem.*
20 *Verbum*, Generandos, *denotat conceptionem futuram, & in fieri.*
21 *Larrea* deciſ. Granatenſ. 43. num. 25. *declaratur.*
22 *Legitimitatis qualitas expreſſa per Teſtatorem in certo gradu ſubſtitutionis ordinata in caſu exiſtentia filiorum non cenſetur repetita in alio, nec trahenda eſt ad caſum non exiſtentia filiorum.*
Declaratur n. 23. & 24.
25 *Dictio* ut ſuprà, *repetit qualitates ſuprà requiſitas.*

DECISIO LXXXII.

FAbius ſenior in ultimis tabulis inſtituit ſibi hæredem Fabium juniorem pronepotem ſuum ; eique ſubſtituit per hæc verba : *Cui Fabio hæredi quandocunque decedente ſubſtituit : &c. filios & liberos eſuſdem Fabii maſculos legitimos & naturales ; ex vero & legitimo matrimonio verè, & non fictè procreandos, & non per ſubſequens matrimonium, vel ex indulto aut alio modo legitimos effectos ; ſed verè à principio ex corpore dicti Fabii generandos, &c. Dicto enim Fabio hærede quandocunque decedente ſine liberis maſculis, vel eis relictis, ſed eis quoque, & eorum linea naturali extincta ; ſubſtituit & ſuccedere voluit vulgariter, & per fideicommiſſum, & omni meliori modo in dicta univerſa hæreditate Lucillum, &c. Quo Lucillo quandocumque decedente, ſubſtituit eiuſdem Lucilli filios maſculos legitimos & naturales ex legitimo matrimonio natos, ut ſuprà dictum eſt, procreandos, &c.*

Obiit Fabius junior, relicto Marco, quem Lælia Rampinella pepererat quarto menſe poſtquam cum eodem Fabio matrimonium contraxerat : & cùm ipſe Marcus tanquam filius legitimus & naturalis Fabii junioris prætenderet ſe vocatum ad fideicommiſſum Fabii ſenioris, illudque propterea non fuiſſe purificatum ad favorem Lucilli, contra eundem Lucillum bonorum fideicommiſſi poſſeſſorem introduxit judicium coram A. C. de voto Rotæ terminandum : & propoſito dubio in Rota ſub die 16. Januarii 1637. coram bon. mem. Coccin. An Marco eſſet danda immiſſio ? Domini dixerunt quod coadjuvarentur probationes circa prætenſam filiationem, in cujus reſcripti executionem tribus teſtibus ad inſtantiam Marci examinatis ; Ergo in locum bon. mem. Coccini ſubrogatus, repropoſui idem dubium, quod hodie fuit negativè reſolutum, nempè Marco non eſſe dandam immiſſionem.

Cùm enim ex verbis teſtamenti ſuprà citatis vocentur ad fideicomiſſum filii Fabii junioris verè ex legitimo matrimonio

monio progrediendi, & à principio generàdi ex corpore Fabii duo Marcus, ut obtineret, probare debuiſſet, videlicet ſe eſſe
1 filium Fabii junioris, & præterea legitimitatem à teſtatore requiſitam: quæ cauſa filiationis differet à cauſa legitimitatis,
2 & probata illiatione non ſequitur quod ſit probata legitimitas, maximè quando in legitimitate conſiſtit fundamentum: Butr. *in cap. pervenit, colum. 2. in fine, verſ. aut filium agit, qui fil. ſint legit.* Pinſol. *ibid ſub numero tertio, eodem verſ.* Abb. *ſub num. 4 verſ. & ut habes Gloſſam*: Cæſ. Manent. *conſilio 138. n. 4. & ſeqq.* Rovit *conſil. 3 num. 11. lib. 1.* Roman. *conſil. 11 n. 14. & ſeqq.* Pacian. *deprobat. lib. 2 cap. 12. n. 57 & ſeqq.* Seſſe *deciſ. Aragon 390. n. 3.*
3 Neutrum tamen probavit: nam Matrimonium, ex quo regulariter reſultat præſumptio juris, quod filius natus ex legitima uxore in domo mariti, cum qui ipſe cohabitabat, ſit filius ipſius, *d filium cum definimus, ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni juris, l. ſi vicinis, C. de nupt.* Matſil. *ſingul. 530. n. 2.* Gomez. *in 9 Tauri, n. 2.* Valaſcus *conſult. 134. n. 3.* Gamma *deciſ. 152. ſub num. 1. & ſequentibus*, aliique relati ab Aria de Meſa *var. reſolut. libro tertio, cap. 39. num. 1* non erat contractum tempore conceptionis Marci, ut ad hunc effectum requiritur: Salicet. *in leg. ultim. § mulier, n. 2. Digeſtis de prob.* Caſtr. *conſ. 115. num. 3. libro primo.* Ioſeph. Ramon. *conſil. 22. num. 17* Petra, *de fideicomm. quæſt. 11. num. 400.* Menochius *de præſumpt. lib. 6. præſ. 53. num. 19. in 6.* declarat Rota *in Romana filiationis, 1. Iulii 1639. coram R. P. D meo Carillo*,
4 contractum ſiquidem fuit per quatuor ſolum menſes ante quàm Marcus naſceretur, nec Marcus hodie viveret, ſi conſtante matrimonio conceptus fuiſſet, quia partus quadrimeſtris non eſt vitalis; juxta receptam ſententiam Hippocratis, quàm ſequitur Iuriſconſult. *in leg. ſeptima menſe, ff. de ſtat. hominum, leg. inteſtato, in fine, ff. ſuis & legit. hared.* Pariſ. *conſ. 56. n. 5. libro 2.* Matt. *vor. 153 num 2.* Seraph. *deciſ. 1282. n. 11.* Et in puncto ad excludendam probationem filiationis amplexa eſt Rota *in Auximana Alimentorum 1. Iulii 1620. coram bon. mem. Pirovano.*
6 Et licet eandem præſumptionem in filio nato ex concubina, domi concubinarii detenta, admittat Gloſſ. *in cap. Michael. verb. conſtiterit, de filiis Preſbyt.* Abb. *in cap. tranſmiſſa, ſub num. 9. in fin. qui ſi. ſint legit.* Paleottus *de noth. & ſpur. cap. 26. num. 3.* Covarruvias *de ſponſal. 2 parte, cap. 8. §. 3. n. 8.* Menoch. *de arbitr. caſ. 89. num. 26. & dict præſumption 53.*
7 *num. 4.* Petra *de fideicomm. quæſt. 11. numero 2.* Eaque fortius pro cedat quando ultra hoc concurrit tractatus fieri ſolitus filiis, nominatio parentum, & communis exiſtimatio ut probat text. *in cap. per tuas, de probat.* & latè expendit Arias de Meſa *variar. reſolut. libro tertio, cap. 39. numero 4. & ſequentibus.*
Caſui noſtro non applicatur, quia teſtes pro Marco examinati, non videntur concludenter deponere de concubinatu Lætiæ cum Fabio, immò aliqui ex teſtibus non excludant, quod alii homines potuerint rem habere cum Lætia; cum fateantur in domo Fabii convenire conſueviſſe milites, ipſumque Fabium pro munere officii militaris, quod gerebat,
8 ſæpius extra domum permanſiſſe. Seeluſo autem concubinatu, ſeu admiſſi facilitate acceſſus aliorum hominum ad mulierem, ſolus tractatus & nominatio non probat filiationem in præjudicium Lucilli, qui cauſam non habet à nominantibus, & ſuccedit ex fideicommiſſo majorum: Iaſon. *conſil. 81. n. 2. & ſequentib & conſ. 106 n. 2. & ſeq. lib. 1.* Cæſar. Maneot. *conſil. 136. num 9.* Surdus *conſil. 552. num 21. & ſeqq.* Capic. Latro *deciſ. 18. n 15.* Rota *deciſ. 645. ſub num 4. verſ. 1. quòd parte. 4. recent. deciſ. 409. ſub num. 30. verſ. quidquid ſit, & n. 33. p. 5.*
9 Præſertim quia non agitur ad effectum conſequendi alimenta, ſed ſuccedendi in univerſo fideicommiſſo, & excludendi ſubſtitutos, quo caſu requiruntur fortiores probationes, ut diſtinguendo dixit Rota *in Romana de Bonellis 29. Novembri, 1613. & 28. Novembris 1614 coram bon. mem. Ubaldo ſeniori, & in Romana dotis ſeu filiationis 11. De-*
10 *cembris 1639. coram Reverendiſſimo Domino meo Merlino Decano*, quæ eſt *deciſ. 314. n. 19 & 2. p. 6. recent.*
Et ex his ſuperflua videtur indagatio legitimitatis: quia ſupponit filiationem, quam ideo probare debet tanquam neceſſarium antecedens, qui ſe legitimum, aut legitimatum affirmat: ut poſt alios reſpondit. Rom. *conſilio 89 numero 39. libro 1.* Alciatus *reſponſ. 5. num. 54. & 57. tom. 1. lib. 4.* qui in ſpecie ait non ſufficere ſolam patris nominationem, vel tractatum: Menoch. *conſilio. 722. numero 25. & conſil. 1109. numero decimoquinto.*
Sed eſto quod probata eſſet filiatio, adhuc deficeret legitimitas à teſtatore requiſita, non quia Marcus non ſit legitimus, cum ad hunc effectum ſufficiat natum fuiſſe conſtante
11 matrimonio quamvis ante matrimonium conceptus fuiſſet, ſi tunc temporis poterat conſiſtere legitimum matrimonium *l. unic. Cod. naturel. liber. §. ſi quis igitur decalia, auth. quibus modis nat. effic. ſui*: Baldus *in leg. Paulus, n. 1. in prima lect. Digeſtis, de ſtat. homin.* Socin. Iun. *conſil. 11. num. 17. verſ. & opinio iſta: libro quarto*, Alexand. *conſil. 5. num. 3 in fin. lib. 7.* Ruinus *conſil. 91. num. 3. verſ. & quamvis, lib. 3* Peregrin. *de fideicomm. artic 24. n. 39* Mantic. *de conject. lib. 11. tit. 12. n. 16.* Fuſar. *de ſubſtitut. quæſt. 458. n. 49.*
Sed quia fideicommittens voluit ſucceſſores in fideicommiſſo fuiſſe legitimos de tempore conceptionis, quo caſu oportet Matrimonium de eo tempore conſtitiſſe; nec prodeſt ſi ſubſequatur ante nativitatem: Marzar. *in opit. de fid. icomm. quæſtione trigeſima*, Menochius *conſil. 125. num. 2.* Fuſar. *de ſubſtitut. quæſt. 408. numero 50.* ubi allegat concordantes Seraph. *deciſ. 1300 circa fin.* nam illud tempus attenditur ad quod verba referuntur: Gabriel. *conſil. 53 num. 14. lib. 2.* & qualitas requiſita à teſtatore de certo tempore, debet in eo
14 verificari: Giovagn. *conſ. 77. num. 29 lib. 1.* Matt. *conſil. 55. num. 55.* ex text. *in leg. inter ſocerum, Digeſtis de pact. dotal.* Paſeth *conſil. 151 n 5 & 6* Bellon. Iun. *conſil. 34. num. 14.* nec
15 excludere poſſunt ſubſtitutum, niſi filii habeant qualitatem eo modo, quo fideicommittens requiſivit: *leg. ex facto §. ſi quis rogatus, ff. ad Trebell. an.* Mantica *de conject. lib. 11. t. 12 ſub num. 24.*
Nec obſtat contraria opinio Menoc. *d conſ. 225 num. 24. & præſumpt. 81. num. 21. circa finem, lib. 4.* Intrigliol. *de*
16 *ſubſtit cente 3. quæſt. 66. num. 62.* aſſerentium ſufficere, quod ſubſequatur Matrimonium, quamvis teſtator vocaverit conceptos ex legitimo matrimonio: qui ea ratione moventur, quòd cùm lex præſumat affectum maritalem, ſicque matrimonium tempore primi concubitus, ſatis filii dicuntur concepti ex legitimo matrimonio.
Nam quidquid ſit de hac opinione, receptum eſt apud
17 omnes, quod matrimonium contractum poſt tempus à teſtatore deſignatum, non ſuffragatur, quando (ut in caſu noſtro) teſtator abhorruit nominatim ſubſequens matrimonium: Iſern. *in cap. 1. § naturales, numero 9. & ibidem* Baldus *verſ. quæro ſi de feud. fuerit controverſ.* Cephal. *conſ. 82. num. 74.* Menochius *conſ. 227. ſub. num. 18* Odd. *de ſubſtitut. part. 6. artic. 6. verbo, an legitimati, num. 7.* Gratb. *ad conſuetud. Meſſan. cap. 1. gloſſ 4 part. 1. ſub num. 111* Mateſcot. *var. reſol. lib. 3 cap 18. num. 51.* Roſental. *de feud. cap. 7. concl. 19. num. 32.* aliique, quos refert Diaz de Ribadeneira *allegat. jur. tom. 1. allegat. 23. n. 51.*
Voluiſſe autem teſtatorem, quod filii eſſent legitimi nedum de tempore nativitatis, ſed etiam conceptionis, patet ex verbis teſtimenti, ibi, *ex vero & legitimo matrimonio Verè, & non ſiſtè procreandos*: & infra, ibi, *ſed verè à principio ex corpore dicti Fabii generandos*: principium enim generationis
18 eſt in conceptione, Hippoc. *lib. de genitur. num. 7.* Andr. Laur. *Anatom. libro. 8. quæſtione 12. in fin. & cap. 4 in med.* Senaeter. *in praxi Medicinali, lib. 4 part. 2. ſect. 4. cap. 4.* Acharaul. *de partu cap. 1. ſub num 4. & ſect 2. cap. 1. num. 43 in fine*, &
19 verbum, *generandos*, directum ad patrem, referri non poteſt ad tempus poſt conceptionem: animadvertendo præſertim quod teſtator uſus fuit verbo, *generandos*, quod denotat
20 conceptionem futuram, & in fieri: quidquid dicendum eſſet ſi vocaſſet per verba denotantia conceptionem in eſſe productam: in quibus terminis loquitur Larrea *deciſione Gran. 43. numero vigeſimoquinto*, ubi ponderat, quod in eo caſu
21 verba non denotabant conceptionem in fieri, ſed in eſſe, productam, quæ prædicari poteſt de toto tempore intermedio uſque ad nativitatem.
Non obſtat quod dicta verba requirentia legitimitatem de tempore conceptionis, appoſita ſint in primo gradu ſubſtitutionis ad favorem filiorum Fabii: ſed in ſecundo gradu, de quo hodie agitur, nulla fiat mentio legitimæ conceptionis: ibi, *Sine liberis maſculis legitimis, & naturalibus*, &c. nec
22 regulariter qualitas legitimitatis expreſſa in uno gradu ſubſtitutionis concepiæ in caſum exiſtentiæ filiorum, cenſeatur repetita in alio, ſeu trahenda ſit ad caſum non exiſtentiæ: ut in terminis Socin. ſen. *conſilio 63. num. 19 & 20 libro 3.* quem ſequitur Socin. Iun. *conſilio. 67. ſub numero 12. verſ. ſed. non eundo: lib. 3. conſ. 189. n. 39. & 41.* Peregrin. *de fideicommiſſ. art. 16. ſub. num. 90.*
Quia in puncto reſpondet Cæſ. Manent *conſilio 135. numero vigeſimo ſeptimo*, quod doctrina Socini recipit duas limitationes: Alteram, quando ſunt poſiti in conditione illimet filii, qui ſupra cum qualitate legitimitatis fuerant diſpo-
23 ſitivè vocati: Et ratio eſt, quia circa eaſdem perſonas ſicuti præſumitur eadem affectio teſtatoris, ita & repetitio qualitatis ſuprà expreſſæ: quidquid ſit inter diverſas perſonas: Ruin. *conſil. 134. num 19. conſil. 140. num. 6. lib. 2.* Vegg. *conſil. 65. num. 93.* Rub. *conſilio 71. n. 6.* ubi hoc modo concordat

contrarias opiniones: Ioan. de Anan. & Abb. Surd. *conſ.* 464. *ſub n.* 7. *&* 8 *&* *deciſ.* 206. *n.* 7. *part.* 3. *recent.*

24 Alteram, quando teſtator in aliis etiam ſubſtitutionibus eandem qualitatem appoſuiſſet; inde enim colligitur voluntas teſtatoris reſtricta ad filios ita qualificatos dumtaxat; & una pars teſtamenti aliam declaratur in terminis, Menoch. *conſil.* 117. *ſub num* 71. *verſ.* 10. *&* *ultim.* Ruinus *conſil.* 92. *numero* 14 *lib.* 3. Rander. *de Analog. cap. trigeſimoſexto, ſub n.* 55. Molin. *de primog. lib.* 3. *cap.* 5. *ſub n.* 34 Fuſar. *de ſubſtit. quæſt.* 408. *n.* 43.

Utraque applicatur caſui noſtro: *Prima*: quia filii poſiti in conditione ſequentis ſubſtitutionis ad favorem Lucilli, ſunt illimet ſuprà diſpoſitivè vocati, dictaque ſubſtitutio facta eſt ſub duplici cõditione; ſive dicti filii non extent, ſive extent & deinde deficiant; atque ideo concurrit nedum identitas perſonarum, ſed etiam identitas caſus exiſtentiæ filiorum, quæ ſanè intelligenda eſt de filiis ſuprà vocatis, quos teſtator voluit præferri Lucillo.

Secunda, quia in poſteriori ſubſtitutione facta ipſi Lucillo decedenti, vocati fuerunt ejus filii legitimi & naturales ex
25 legitimo matrimonio, ut ſupra dictum eſt, à principio generandi, & ſic legitimi de tempore conceptionis, quod denotat dictio illa, *ut ſupra dictum eſt*: in puncto Cæſ. Manent. *deciſ.* 135 *ſub n.* 27. *verſ. ſed quando*: Ruin. *conſ.* 183. *ſub n.* 1. *lib.* 2. Ceph. *conſ.* 752. *n.* 6 Borguin. *dec.* 31. *n.* 12. *part.* 4 Surd. *deciſ.* 319. *n.* 8.

Et ita deciſum utraque parte informante.

Melevitana Antianitatis, Mercurii 1. Iulii 1643.

Coram R. P. D. Veroſpio.

SUMMARIUM.

1 *Diſpenſatio Apoſtolica tollit inhabilitatem à particulari conſtitutione inductam.*
2 *Iuri poſitivo poteſt per Papam derogari, etiam in præjudicium Tertii, cui fuerit ius quæſitum.*
3 *Impeditus aliquid adimplere excuſatur ab impedimento, ſi factis diligentiis non valuit impedimentum removere.*
4 *Actus faciendus habetur pro facto in præjudicium illius à quo proceſſit impedimentum.*
5 *Equites Hieroſolymitani per particularem conſtitutionem excluduntur ab exercitio Caravanæ poſt annum quinquageſimum.*
6 *Impedimentum affectatum & procuratum non excuſat.*
7 *Impedito legitimè tempus non currit.*
8 *Impedimentum tunc maximè excuſat quando provenit ab Adverſario.*
9 *Infirmitas narrata in impetratione Gratiæ, ſi non fuit vera, vel non talis qualis fuit narrata, gratia dicitur ſubreptitia.*
10 *Infirmitatis qualitas probatur per teſtes deponentes, de viſu, & publico auditu.*
11 *Infirmitas probatur per teſtes de ſenſu viſus deponentes.*
12 *Medicis de infirmitate atteſtantibus tanquam peritis in Arte plena fides adhiberi debet.*
13 *Infirmitas probatur iuramento patientis.*
14 *Infirmitas probatur ex aſpectu corporis.*
15 *Gratia Pontificis remanet ſubreptitia, & nulla ſi fuerit impetrata non facta mentione alicujus particularis conſtitutionis, quæ poterat reddere difficiliorem Papam ad concedendam gratiam.*

Declara, ut num ſeq.

16 *Obreptio ceſſat, ob non factam mentionem eorum, quibus Pontifex in conceſſione gratia derogavit.*
17 *Derogatio generalis conſtitutionum certa Religionis operatur, ut dicatur derogatum in ſpecie ſingulis conſtitutionibus, quamvis non fuerit facta mentio ſpecialis.*

DECISIO LXXXIII.

EX dupliti fundamento reſponderunt Domini, non obſtare Equiti Ioanni de Aniorant defectum quartæ Caravanæ, ne reputari debeat inhabilis ad aſſecutionem Commendæ, à qua, ex diſpoſitione particularis ſtatuti Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ, propter hujuſmodi defectũ excludebatur.

1 Quia ſcilicet ea inhabilitas à Conſtitutione inducta ceſſabat ex vi diſpenſationis Apoſtolicæ, quam ſuper ea obtinuerat: ut notat. Ioan. Andr. *in cap generali* 82. *n.* 3. *in* 47. *caſu, de reſ jur* Dec. *in cap. at ſi Clerici, §. de adulteriis, num.* 168. *de iudic* Oldrad. *conſil.* 215. *num.* 5. Milis *in report. in verb.*
2 *diſpenſatus non eſt idem*, dum maximè ea conſtitutio proveniebat ex jure poſitivo: cui poſſe à Summo Pontifice derogari non ambigitur, etiam ſi ex ea fuiſſet alteri jus quæſitum *cap. propoſuit, de conceſſ. prabend.* ubi poſt Gloſſ. *in verb. diſpenſare*, tradit Hoſtienſ. *n.* 10. *in fin.* Butr & Imol. *num.* 7. Alex. *conſil.* 2. *n.* 10. *lib.* 1. Bal. *conſil* 477. *n.* 1. *vol.* 1. Rota *dec.* 36. *part.* 5 *recent.*

Et quia ne eam Caravanam adimpleret prohibitus fuerat 3
à Venerabili Lingua Franciæ, dum licet Paralyſis morbo affectus, non obſtante Medicorum conſilio, ſe ad iſtam accinxerat; quæ prohibitio dum fuit cauſa immediata ne Caravanam expleret poterit, propter litem illi motam ſuper Nobilitate, quamvis ut eam prohibitionem removeret omnem diligentiam Eques Ioannes adhibuerit, poteſt eidem legitimam excuſationem præbere ſuper ejuſdem Caravanæ defectu: ut probat text. *in leg. ſed & ſi, §. ſi ſervia, ff. ex quibus cauſ. maior.* Innocent. *in cap. ex tranſmiſſa, n.* 1 *de præſcript.* Aym. *conſil.* 270 *num.* 3. Surd. *conſil.* 11 *n.* 21. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 2 *caſ* 118. *n.* 7. Afflict. *deciſ.* 29. *num.* 1, *&* 2. *ibi* etiam Vrſul. ad eum *num.* 4. Rota coram Verall. *deciſione* 72. *n.* 5. *part* 2 & coram Put. *deciſ.* 436. *num.* 4 *lib.* 2. & coram 4
Seraph. *deciſ.* 1026. *num.* 3. adeo ut eadem Caravana haberi debeat pro perfecta, in præjudicium Venerabilis Linguæ, à qua proceſſerat impedimentum; ut in terminis Antianitatis quæ currere debeat Equiti ab eo tempore, quo fuit impeditus ſuæ Nobilitatis documenta exhibere, in præjudicium illius, qui impedimento cauſam præbuit: firmavit Rota *in Civitat. habitum* 19. *Decembris* 1602. *coram Manzanedo*, & coram Greg. *deciſ.* 341. *n* 1.

Et licet impedimento cauſam præbuiſſe videatur Ioannes, 5
dum ad eam Caravanam acceſſit Quinquagenarius, poſt tempus à Conſtitutione particulari Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ edita de anno 1631. excluduntur Equites ab illarum exercitio; quod propterea impedimentum tanquam 6
affectatum ab eoque procuratum ſuffragari non poſſit, ut habetur *in l. non exigimus, §. ſi mihi, ff. ſi quis caution. in iud.* Gloſſ. notat. *in verb. affectavit, l. ſi quis in gravi, §. ſi cum omnes, ff. ad Syllan.* cum aliis per Tiraqoell. *de retract. lign.* §. 35 *gloſſ.* 4. *n.* 27.

Hæc tamen objectio ceſſat ex lite decennali, quam eadem Lingua ſuper Nobilitate Ioannis intentavit in hoc Tribunali, qua etiam illa ſuccubuit: quæ ſicut excludit cauſam affectati impedimenti in perſona Equitis, ita operatur ut eidem tan- 7
quam legitimè impedito ex lite injuſta, curſus ille decẽnalis obeſſe non poſſit: ut probat text. *in leg. ſi vehemda, §. idem juris ff. ad leg. Rhodiam de lact. & leg. ut perfectius. Cod. de annal except.* tot. Gloſſ. *in cap. ſi Capitulo, in verb. factam de conceſſ. prab. lib.* 6. Decius *conſil.* 356. *num.* 4. *vol.* 2. Menoch. *conſil.* 39 *num.* 35. *Volum.* 1. Tiraq. *de retract. lign. §.* 3. *gloſſ.* 4. *num.* 5. Præſertim cum impedimentum præſtitum fuerit à 8
Venerabili Lingua, quæ Adverſarii partes ſuſtinebat: *l. ſi eum ipſe*, ubi Bart *ff. de exuſat. Tutor. leg. ſantra utile*, ubi Bart *ff. de minor.* Perpurat. *conſil.* 90. *n.* Surd *conſil.* 374 *num.* 4.

Non obſtat quod gratia diſpenſationis à Ioanne impetrata dici debeat ſubreptitia, dum in ea narravit ſe redactum inhabilem ad confectionem Caravanæ propter debilitatem in dimidia ſui corporis parte contractam ante trigeſimum circiter annum, dum erat addictus ſervitio Hoſpitalis Sancti Ioannis in Inſula Meliten. Et tamen conſtat hoc medio corpore tres alias Caravanas ab eo fuiſſe peractas, videlicet de anno 1614 1616. & 1618. Unde vel ea infirmitas narrata 9
in Gratia, vera non fuit, vel ſaltem talis qualitatis, ut reddidiſſet inhabilem ad quartam adimplendam, & ita gratiam reddidit ſubreptitiam. ex defectu intẽtionis Summi Pontificis illam concedentis: *cap ſuper litteris*, & notat. *ibi* Felin. *n.* 8. *de reſcript.* Cardin Zabat. *conſil.* 69. *n.* 2. Surdus *conſil.* 337. *n.* 41. Rota *deciſ.* 418. *n.* 1. *part.* 1. *recent.*

Eadem enim qualitas infirmitatis probatur ex depoſitione 10
plurium teſtium de viſu, & publico auditu, Equitem uſque ab anno 1606 paralyſis morbo laboraſſe, quæ tractu temporis talis evaſit contumaciæ, ut de eo tempore quo Gratiam obtinuit, quartam Caravanam adimplere non potuerit; cùm factus eſſet inhabilis ad inceſſum, & ad Arma Terra Marique pertractanda: quorum teſtimonio de ſenſu viſus atteſtantium 11
probatur infirmitas Equitis: ut notat Bart. *in l. prima. Cod. de Mendicant. valid. num* 5 *lib.* 11. *&* *in leg. quæſitum, num.* 6. *ff. de re judi.* Cardio. Alexand. *in cap. placuit.* 18. *diſtinct. num.* 4 Gabr. *de teſtib. concl.* 10 *n.* 36. Rota *deciſ.* 45. *num.* 18. *part.* 6 *recent.*

Maximè dum illud coadiuvatur ex fide jurata plurium Medicorum, qui eidem Equiti conſilium præbuerunt, ut propter morbi contumaciam à Nautica profeſſione abſtine- 12
ret quibus etiam tanquam in Arte peritis debet plena fides adhiberi: ut notat Bartol. *in leg.* 2. *numero* 3. *de teſtament.* Baldus *in leg. ſeptimo menſe, in addit. Digeſtis de ſtat. homin.*

Aſſi-

Affli&. *ad Constitut. Regni Neapolitan. lib. 1. Rubr. 96. num. 17.* Socin Iun. *consil. 18. numero undecimo, lib. 2* Rota *decis. 92. numero tertio. part. 2. & decis. 45. numero trigesimonono. p. 6. recent.* & proprio ejusdem Equitis juramento, quo illa etiam probari solet: ex not. *in leg. scire potest, Digestis, de excusat. tut. in §. consequens autem vers. si quis dictam agritudinem,* Specul. *in §. nunc breviter transeurren. numero sexto, de appel.* Roman. *in l. 2. § quod diximus, numero quinto, vers. secundum modum: ff. si quis cauti n.* Hippol. de Marsil. *in rubr. Cod. de probat. num. 144.* Accedente præsertim aspectu corporis, quo etiam illa justificatur: ut notat Bartol. *in d. l. 1. C. de Mendic. n. 4. lib. 11. & in dict. leg. quæsitum, num. 6. Digestis, de re jud.* quem sequitur Abb. *in cap. tenor, num. 2. eod. tit.*

Neque etiam hæc redargui potest tanquam obreptitia, propter taciturnitatem Ordinationis octavæ *de infirmis*, in qua sancitum est, Equitem redactum inhabilem ad Caravanam, posse à magno Magistro dispensationem obtinere, facta in sui locum alterius substitutione; cujus statuti notitia sicut reddere poterat difficiliorem Pontificem ad gratiæ concessionem, ita ejusdem taciturnitas efficit gratiam subreptitiam ac nullam: ex notat. per DD. communiter, *in cap. super litteris, de rescript.* Rota coram Greg. *decis. 150. num. 1.* & coram Buratto *decis. 510. n. 7.*

Quia dum fuit in Brevi derogatum omnibus constitutionibus Sacræ Religionis, quamvis Apostolica auctoritate roboratis, necnon ejus consuetudinibus, statibilimentis, usibus, & Ordinationibus capitularibus, quomodolibet huic gratiæ obstantibus, cessat obreptio propter taciturnitatem prædictæ Ordinationis; cui sufficienter censetur à Summo Pontifice derogatum, in ea stabilimentorum generali derogatione, quamvis illius facta non fuerit mentio specialis: ut notant Doct. *in leg. ultim. Cod si contr. jus, vel utilit. publ.* ubi Cyn. *num. 2.* Bartol. *numero quarto, in fin.* Baldus *in auth. omnes Peregrini, Cod. commun. de success. num. 6.* Alexander qui plures refert *consil. 122. num. 8. libro quarto,* Garz. *de benef. parte 4. cap. 5. n. 37.*

Et ita utraque, &c.

Melevitana Antianitatis, Lunæ 14. Decembris 1643.

Coram R. P. D. Verospio.

SUMMARIUM.

1 *Infirmitas narrata cum certa qualitate reddit gratiam subreptitiam, si non probetur talis qualis fuit narrata.*
2 *Testes plures numero præferuntur paucioribus.*
3 *Infirmitatis qualitas quæ non fuit narrata, non est justificanda sed pro validitate gratia sufficit justificare infirmitatem narratam.*
4 *Infirmitas bene probatur per testes de certa scientia deponentes.*
5 *Gratia Apostolica interpretationem recipit à dispositione Iuris communis.*
6 *Debilitas corporis excusat à munere quod corpore impleri debet.*
7 *Debilitas corporis causata à morbo paralysis, sufficit quod probetur pro justificanda impotentia longi itineris narrata in impetratione gratiæ.*
8 *Paralysis, morbus increscens appellatur, quia cum patientis ætate augescit.*
9 *Paralysis morbus quò magis ætas patientis augetur, altius imprimitur, & vires imbecilliores reddit & n. 12.*
10 *Medicis attestantibus de qualitate morbi plena fides adhiberi debet.*
11 *Gratia Pontificis subreptitia dicitur, si in ejus impetratione non fuerit aliquid narratum, quod potuisset reddere difficiliorem Pontificem ad concessionem Gratiæ.*
13 *Subreptio excluditur ex eo quòd Princeps potuerit saltem in genere habere notitiam de eo quod tacitum fuit.*
14 *Dispensatio non tollit illud impedimentum, quod non fuit expressum.*
15 *Ordinatio Religionis Hierosolimitanæ. 9. de offic. fratr. prohibens admitti quinquagenarios ad Caravanas peragendas, non est in usu.*
16 *Derogatio cum clausula, Quorum tenores, &c. tollit omnia obstacula quæ possent adversari ei qui gratiam impetravit.*

DECISIO LXXXIV.

REpropositio per me dubio super capacitate Equitis Ioannis de Aniorrant. pro consecutione Commendæ, cujus

in præterita fuit declaratus habilis ex vi dispensationis Apostolicæ, quam à Sanctissimo Domino nostro obtinuerat, cum illa de subreptione argueretur; eam non obstare Domini censuerunt, & sic confirmandam esse decisionem factam coram me sub die prima Iulii præteriti.

Deducitur enim ea subreptio ex eo, quod non justificatur infirmitas Equitis narrata in Brevi, & quid. in continuata, ac talis qualitatis, quæ præstaret impedimentum perpetuum juxta doctr. Felin *in cap. quoniam, num. 6. ad fin. ut lit. non contest.* Rota coram Verall *decis. 140. num. 2. part. 1.* & coram Buratto *decis. 228. num. 2.* Quinimò contrarium probatur ex testibus deponentibus de pedestri incessu ipsius Equitis, & Equitatu in Galliam, qui tanquam numero plures præferri debent aliis adductis pro probanda infirmitate Equitis: juxta textum *in leg. ob carmen, §. ult. ff. de testibus, & in cap. in nostra, eodem tit.* 1 2

Sed ea subreptio tòlli visa fuit ex narrativa ipsius Brevis: ibi: *Tu ob debilitatem dimidiæ partis tui corporis ab humeris deorsum ex paralysi, qua triginta circiter ab hinc annis in Conventu Hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani correptus fuisti contractam ad dictum Conventum pro facienda Quarta Caravana, quæ tibi defecit, & petenda ac obtinenda antianitate accedere non possis.* Quæ narrativa non indiget aliqua justificatione infirmitatis continuæ, sive considerato contextu verborum, in quibus ea non legitur narrata, ac propterea justificari non debet, sed eo tantummodo verificari, quo enunciata fuit, *a triginta nempe annis à prædicta infirmitate fuisse correptum:* ut tradit Garz. *de benef. part. 6 cap. 2. n 205. & 206* & pluries censuit Rota, ut coram Ægid. *decis. 116. in fin. decis. 9. n. 10 part. 2. divers. & 410. n. 4. in fin. part 2 recent.* & coram Buratto *decis. 778. n. 8.* prout plenè probant testes 4 de certa scientia deponentes, ponderati in *præterita decis.* sive inspecta dispositione Iuris, à qua Gratia Apostolica recipere debet interpretationem: juxta text. *in cap. Ecclesia nostra 57. de elect.* & advertit Roman. *in consil. 218. n. 10. vers. nec etiam præsumendum est,* & ponderavit Rota *in Landen. Pensionis 30. Aprilis 1635. coram Reverendissimo Domino meo Decano.* quod scilicet infirmitas prædicta debilitavit corpus 6 Equitis; quæ debilitas excusat à munere Caravanæ, dum corpore impleri debet: juxta textū *in leg. 1. § corporis debilitas ff. de vacat. & excusat. mun.* Fel. *in c. quoniam, n. 6. vers. dum dicitur, ut list non contest.* ubi etiam Innoc. *n. 2. in* Butr. *n. 7.* 5

Ex his etiam resultat justificatio alterius partis narrativæ, 7
quòd scilicet ad Conventum pro facienda quarta Caravana 8
accedere non possit, cum satis sit probare corporis debilitatē
ratione morbi qui inter increscentes, hoc est, inter eos qui 9
cum ætate augescunt, appellatur ab Hippocr. *in Epidemicis*:
& partes corporis quanto magis ob auctam ætatem imbecilliores evadunt, & altius imprimitur morbus: ut advertit Lud. Mercat. *de intern. morb. curat. lib. 1. cap. 14. tit. de paral. §. Periculosissimus:* Petr. Forest *observ. Medicin. lib. 10 observ. 81. num. 11.* Io. Heurnius *de morb. cap. 24. col. 3. vers. certè omnes nervorum affectus:* & attestantur Medici Parisienses per viginti dies ante obtentam dispensationem de qualitate ejus morbi, qui de die in diem, propter ingravescentem Equitis ætatem, tale cepit incrementum, ut illum reddat inhabilem ad maritimā expeditionem pro cōficienda quarta Caravana: cui attestationi plena fides in hac materia adhiberi debet: 10 juxta textum *in leg. septimo mense, ff. de stat. hominum & in leg. semel, C. de re milit. lib. 12.* notat Bart. *in leg. 2. n. 3. ff. de testam.* Rota *decis. 620. n. 3. part. 1. divers. & decis. 45. n. 19 p. 6. recent.* & coram Buratto *decis. 778. n. 2.* Quæ nec adversatur alteri attestationi Medicorum Messanensium: quia isti deponunt de morbi periculo, illi verò de morbo jam aucto, & incurso; & sic de tempore diverso, & ambæ attestationes concludunt corporis debilitatem in persona ipsius Equitis.

Neque ea corporis debilitas tollitur ex factis tribus præ- 11
cedentibus Caravanis ab eodem Equite, quarum etiam notitia, si cui potuisset reddere difficiliorem Pontificem ad concessionem gratiæ, ita earum omissio reddit gratiam subreptitiam ac nullam, ut voluit Felin. *in cap. super litteris, n. 8. de rescript.* Cassad *decis. 12. num. 4. & 14. de præbend.* cum aliis per Menoch. *de arbitr. cas. 201. n. 24.*

Quia cessat objectio, considerata natura ipsius morbi qui 12
ingravescente ætate corpus debilius reddit, ac viribus destituit, ut attestantur Galen. *5. de locis, affectis, cap. ult. circa medium,* Rondeletius *in methodo curandorum morbor. lib 2. cap. 32. in fin.* Capivac. *lib. 1. cap. 24. circa med. § licet Paralysis.* Gordon. *de morb curat. cap. 27. 2. colum. §. si in puero.* Quæ debilitas pro causa concessionis hujus Gratiæ, ponderata fuit à Sanctissimo, prout constat ex præcitato tenore ipsius Brevis qui dum concessit dispensationem super quarta Caravana, quæ deficiebat Equiti notitiam dabuit saltem in genere de tribus aliis jam peractis ex qua notitia generica excluditur 13

ſubreptio: ut probat textus *in leg. qui iure militari, ff. de teſtament. milit.* Felin *in cap. nonnulli, n. 18. de reſcript. poſt med. verſ. quia ſufficit.* Rota coram Caſſad. *deciſ. 12. num. 6. de prabend. & deciſ. 38. numero tertio, & deciſ. 210. num. 5. part. 1. recent.*

14 Non etiam argui poteſt obreptio ex taciturnitate ætatis quinquagenariæ, quam compleverat Eques, cujus cauſa admitti non poterat ad confectionem quartæ Caravanæ, vigore Ordinationis 9. *de offic. Fratr.* quaſi ea Ordinatio dici non poſſit ab ipſa diſpenſatione ſublata, dum in Gratia expreſſa non fuit: ut in his terminis firmavit Rota coram Gregorio *deciſ. 109. n. 8. & 739 n. 5. parte 1. recent.*

Quia tollitur ex pluribus ſententiis exhibitis pro parte
15 Equitis, ex quibus apparet de non uſu ejus Ordinationis: ſicut etiam ex admiſſione facta à Venerabili Lingua de perſona Equitis, licet quinquagenarii, ad quartam Caravanam: & removetur ex ampliſſima derogatione Statutorum, Conſuetudinum, Stabilimentorum, Uſuum, ac Ordinationum
16 capitularium quomodolibet huic gratiæ obſtantium, appoſite in eodem Brevi cum clauſula, *quorum tenores, &c.* ex qua ſublata fuerunt omnia obſtacula, quæ nocere poſſent Equiti: juxta *conſ.* Boer. 49 ſæpius approbatum in hoc Tribunali, ut teſtatur Caſſad. *deciſ. 10. n. 2. & deciſ. 38. n. 3 ſuper Reg.* Rota coram Put. *deciſ. 415. n. 5. & 6 lib. 1. & 191. n. 6. p. 1. recent.* & in ſimilibus terminis *in Melevitana Indulti-rum 26. Junii 1618. coram bonæ memoriæ Cardinali Virili.*

Et ita, utraque, &c.

Senogallienſis Bonorum Lunæ 30. Maii 1644.

Coram R. P. D. Cerro.

SUMMARIUM.

1 *Appellans à ſententia contra alium lata, facit omnia acta ſua perinde ac ſi ipſo citato facta fuiſſent.*

2 *Tertius veniens ad cauſam, non colitigantium, ſed proprio juri adhærens, non facit acta ſua, ſi veniat prout in prima committendo cauſam, nec ſententia lata eum afficit: ſecus autem ſi veniat per viam appellationis.*

3 *Clauſula, Quam & quas, in commiſſione appoſita, operatur quod Index appellationis procedere poſſit prout in prima.*

4 *Appellans à ſententia contra alios lata, ſi in appellatione dicat à dicta ſententia ſe valdè læſum, proculdubio facit omnia acta ſua.*

5 *Clauſula, Quam & quas, operatur, ut non conſtito de appellatione, ſeu etiam deſerta, pronunciari poſſit prout in prima, non tamen poteſt tollere appellationem, & actus precedentes.*

6 *Hæreditas ab inteſtato defertur proximiori.*

7 *Hæredi ab inteſtato competit immiſſio ex interdicto* Quorum bonorum.

8 *Ægrotus interrogatus, an velit relinquere certum legatum ſi interroganti reſpondeat,* Fate voi: *legatum non ſuſtinetur.*

9 *Verba,* Fate voi, *non important diſpoſitionem perfectam.*

10 *Verba,* ſit, fate voi: *prolata à teſtatore interrogato an velit certam diſpoſitionem, facere requirunt ſubſequentem diſpoſitionem, aliàs non dicitur diſpoſitum, & numero 12.*

Secus ſi Teſtator interrogatus reſpondiſſet ſimpliciter, ſi: *ut num. 11.*

13 *Diſpoſitio imperfecta ratione defectus voluntatis ſuſtinetur.*

14 *Ægroti in articulo mortis conſtituti abſque animi deliberatione ſolent interrogantibus reſpondere affirmativè.*

15 *Ægroti in articulo mortis conſtituti liberum diſcurſum, ac diſtinctam cognitionem habere non ſolent.*

16 *Legatum factum ad interrogationem alterius, ſuſtinetur favore pia Cauſa.*

Declara, ut num. 19.

17 *Legatum ſolo nutu factum ſuſtinetur favore pia Cauſa.*

Declara, ut num 19.

18 *Legatum collatum in alterius voluntatem ſuſtinetur favore pia Cauſa.*

Declara, ut num. 19.

DECISIO LXXXV.

DEfuncto anno 1642. Petro de Albis de Corinaldo, Deputati & Syndicus Communitatis prætendentes jure legati fuiſſe ſibi relictum unum prædium ſitum in Territorio dicti loci, *in contrata dicta, il Rovero, ſeu Monte della Penna*; pro exigenda Collegiata in dicto loco; inſtiterunt pro immiſſione in poſſeſſionem dicti prædii: & nemine citato obtinuerunt.

Interim verò Lavinia Cina ſoror uterina defuncti alibi degens, habita notitia de prædicto obitu fratris, ſtatim ſe contulit ad locum Corinaldi, & adito Iudice ſervatis ſervandis obtinuit ſibi tanquam proximiori ab inteſtato hæredi tradi claves domus, conſignari pecunias in domo defuncti repertas, & ſucceſſivè uti talis adepta fuit poſſeſſionem bonorum hæreditariorum, ad quam pacificè conſervandam obtinuit prius ab A. C. Monitorium cum inhibitione uti Vidua, in vim *leg. unicæ, C. quand. Imper. inter pupi. & vid. &c.* quod præſentati fecit non ſolum Deputatis, & Syndico Communitatis, ſed etiam Hieronymo Mannello Rectori Eccleſiæ Parœcialis Sancti Petri dicti loci, cum quo nunc cauſa agitur.

Poſtmodum verò per aliud Monitorium ſpeciale contra ſolos Deputatos & Syndicum, non vocato Hieronymo, movit judicium coram eodem A. C. à quo petiit & obtinuit immiſſionem dicti prædii.

Appellarunt ab hoc decreto Deputati & Syndicus; & commiſſa cauſa, an eſſet locus Ægidianæ? fuit per Iudicem appellationis affirmativè reſpontum; & proinde exequendam eſſe ſententiam, & mandatum de immittendo relaxatum.

Inſurrexit in his terminis Hieronymus; & prætextu quod non fuiſſet in cauſa citatus, obtinuit denuò committi cauſam appellationis in Rota cum clauſula, *ſine prajudicio legitima executionis*: Unde dubitavi an eſſet locus executioni dictæ ſententiæ, & mandati, etiam in præjudicium dicti Hieronymi & Domini affirmativè reſponderunt.

Defectus enim citationis Hieronymi, qui pro nullitate 1
ſententiæ allegabatur, tollitur, quia cum ipſe appellaverit à ſententia lata contra Deputatos, & cauſam appellationis, & nullitatis committi fecerit, fecit omnia acta ſua, quæ perinde illum afficiunt; ac ſi eo citato facta fuiſſent: ut monuit Innoc. *in cap. cum ſuper n. 6. verſ. ſi attamen hæc tertia perſona, de judicat.* Rota penes Put. *deciſ. 71. lib. 3.* Achill. *deciſ. 13. de appel. ac deciſ. 98. ſub n. 5. part. 5. recent.* & in aliis relatis per Add. ad ſanct. mem. Greg. & V. *deciſ. 259. n. 8.*

Licet enim Tertius veniens ad cauſam, non adhærendo 2
juri colitigantium, ſed ex proprio & ſeparato jure, poſſit venire prout in prima, committendo novam cauſam, & hoc caſu non faciat acta ſua, nec ſententia lata eum afficiat: ubi tamen prout hic, venit per viam appellationis, licet alleget nullitatem ſententiæ, ſemper facit omnia acta ſua, quia aliter jus appellandi & dicendi de nullitate ſibi non competeret: ut diſtinguendo, dicit Rota *in recent. deciſ. 98 n. 5. in fin. & 6. part. 1.* Add. ad Greg. *diſt. deciſ. 259. num. 3.* & fuit dictum *in Montis Regalis Iuriſdictionis 20. Junii 1602. coram Cardinali Millino*, impreſſ. per Marchet. *parte 2. fol. 265. num. 4 cum ſequentibus.*

Et in hoc caſu non attenditur clauſula, *quam & quas,* 3
appoſita in Commiſſione, cujus vigore procedi poteſt prout in prima, etiam ſi de hac non fuerit habita expreſſa declaratione: ut advertit Rota coram Cardinali Seraphino *dec. 1241. num. 2.* Quia præter quod dicta deciſio loquitur in caſu, in quo tevera nulla fuerat interpoſita appellatio; in caſu tamen noſtro Rector in Commiſſione expoſuit ſe valdè læſum à 4
dicta ſententia, ibi ſentiens à dicta ſententia, & aliis gravaminibus totoque proceſſu ſe valdè læſum; quòd cùm eſſe non poſſit niſi cum ſuppoſito, quod ſententia eum afficiat, utique appellans cum hac expreſſione, proculdubio fecit acta 5
ſua: ut notavit Rota *deciſ. 98. n. 6. in fin.* & admittit *d. deciſio* Seraphio. 1241. *ſub n. 3. verſ. non obſtat: & in dict. Montis-Regalis Iuriſdictionis*, penes Marcheſan *n. 6.* Ubi quod dicta clauſula, *quam & quas*, operatur ſolum ut non conſtito de appellatione, ſeu etiam ea deſerta poſſit pronunciare prout in prima: ſed ex hoc non ſequitur, quod non fuerit appellatum, & commiſſa cauſa appellationis; ex quibus actibus oritur approbatio ſententiarum.

Juſtitia verò eſt patens: quia dum Petrus teſtator deceſſit nullo condito teſtamento, & Lavinia ſoror uterina eſt proximior, ad eam ſpectat hæreditas ab inteſtato, & competit 6
immiſſio ex interdicto, *Quorum bonorum: leg. 1. ff. & Cod.* 7
quorum bonorum: Menoch. *de adipiſ. remed. 2. num. 49. & ſequentibus*, Rota *deciſ. 115. n. 1. part. 1. & deciſ. 415. n. 2. p. 5. recent.* etiam ſi agatur de re particulari, ut habetur *in leg. 2. C. quorum bonorum*; bonæ memoriæ Buratto. *deciſione 386. numero ſecundo.*

Nec obſtat prætenſio quod prædium, de quo agitur, fuerit legatum pro Collegiata exigenda: quia præter quod teſtes

inducti pro Rectore ad probandum hujuſmodi legatum pati videntur plures exceptiones, ut latè deducitur ab Informantibus pro Lavinia, Dominis viſum fuit de eo non conſtare: quia ex atteſtatione Patris Joſephi de Paronis Confeſſarii habetur, ad ſuggeſtionem quorundam amicorum, & conſanguineorum ibidem aſſtantium, ſe interrogaſſe ægrorum morti proximum an vellet relinquere legatum ſcutorum
8 1000. pro erigenda Collegiata in dicto loco? Ægrotumque reſpondiſſe per hæc verba; *Padre ſi*: quo reſponſo habito, agnoſcentes iidem ſcuta mille non ſufficere pro perficiendo opere curaſſe, ut ipſe iterum interrogaret ægrotum, an vellet pro erectione Collegiatæ relinquere prædium ſitum in Ter-
9 ritorio dicti loci? cumque reſpondiſſe; *Padre ſi fate voi*: hæc attamen verba nullatenus importare legatum, quia non con-
10 tinent diſpoſitionem perfectam, ut opus eſſet, ſed ſimplicem declarationem quod erat contentus relinquere, quæ cum expectet poſt ſe complementum diſpoſitionis, & actus remanet ſemper præparatio ſimplex ſine effectu perfectæ diſpoſitionis, ut poſt Oldrad. *conſil.* 119. dixit Rota coram Cardinali Seraphino *de iſ.* 623. *num.* 3. & *deciſ.* 1317. *num.* 71. & *in Romana ſeu Tudertina educationis* 1. *Martii* 1638. *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Carillo* erat enim neceſſarium,
11 teſtatorem actualiter & deliberatè voluiſſe, & diſpoſuiſſe, abſque eo quod legatum diſtuliſſet in futuram voluntatem interrogatis, ibi: *fate voi*: Bald. *conſil.* 12. *num.* 3. *lib.* 2 Mantic.
12 *de conj. ult. volun. lib.* 12 *tit.* 16. *n.* 11 Rota apud Seraph. *ubi ſupra, n.* 8. & *in dicta Romana ſeu Tudertina*. Aliàs nihil prodeſt teſtatorem ita voluiſſe, niſi doceatur volúntatem tranſiviſſe in diſpoſitionem: Bald. *in leg. quidam cum filium in* 3. *Notab ff de hæred inſtit.* Dec. *conſ.* 287. *num* 7. & *conſil.* 513. *num* 11. Gabriel *conſ.* 111. *n.* 16. *lib.* 1. Rota coram Seraphino *deciſion* 1. 468. *n.* 15

Eoque magis; quia agnoſcens idem Confeſſarius imperfectionem hujuſmodi voluntatis, ſubdidit: *Signor Padre, non tocca à me il diſponere della noſtra robba*: quibus verbis nullum aliud reſponſum dedit, quam *Sapere e Zappare*: quibus ſæpiùs repetitis illine ad modicum reddidit animam Deo.

Hinc attamen dupliciter excluditur perfectio voluntatis *Primò*, quia non ſolum teſtator non habuit legatum pro facto, ſed interrogatus, nec minus illud perficere voluit; dum reſponſum dedit omninò alienũ & extraneum: *Secundò*: quia morti proximus morbo valdè gravatus, & fortè etiam mente non ſanus, non ex aliqua præordinata ejus voluetate, aut determinatione relinquendi hujuſmodi prædium pro erectione Collegiatæ, ſed ſolum ad ſuggeſtionem Patris Confeſſarii
13 ſic impulſi à circumſtantibus, reſpondit *Padre ſi* abſque alia verborum expreſſione, ſeu clariori ſuæ voluntatis declaratione. Unde diſpoſitio tanquam imperfecta ratione voluntatis, non ſuſtinetur; quippe quæ non cenſetur facta ex animi deliberatione, ſed ex quodam morientium uſu, qui omnibus
14 interrogantibus facillimè applaudentes affirmativè reſpondent, ad evitandas importunas interrogantium vexationes
15 eo tempore, quo mortis cogitatione turbati, ac ſummis morbi cruciatibus affecti, liberum prorſus diſcurſum, ac diſtinctã cognitionem non habent: ut ad propoſitum ratiocinatur Clar. *in §. teſtamentum, quæſt.* 37. *ſub num.* 7. *verſ.* 3. *ſiant* dicens, quoniam concurrunt hæc duo, quod ſcilicet teſtator ſit valdè gravatus infirmitate & quod non conſtet ipſum habuiſſe prius animum ita teſtandi; hanc opinionem eſſe magis communem, magis æquam, & magis tutam, & ſecundum eam fuiſſe judicatum: & latè comprobat Dec. *conſil.* 86. *n.* 22. & *ſequentibus*, & plures alii relati per Modern. Mantu. *contr.* 549. *n.* 65. *cum ſequentib.* 72 73. & 80. Surd *conſil.* 373. *n.* 11. quod præſumitur ſic reſpondiſſe, ut ſe libetaret à moleſtiis & ſuggeſtionibus.

16 Nec relevat favore piæ Cauſæ ſuſtineri legatum, nedum
17 ab interrogatione alterius, & ſolo nutu factum, ſed etiam in
18 alterius voluntatem collatum, ut notant communiter Doctores *in cap. cum tibi*, ubi Gloſſ. *in fin. extra de teſtament.* & *ibi* Covarruvias *in relect.* dicens magis communem *ſub n.* 11. & *ſequentibus*, *verſ. Tertius Capituli intelleſtus*: & dixit Rota *diverſ. deciſ.* 74. *num.* 19. & *ſeq. part.* 2. Id enim recipi-
19 tur quando ceſſat omnis ſuſpicio inſanæ mentis, ac importunæ ſuggeſtionis, & conſtat teſtatorem ita voluiſſe determinatè diſponere, ut explicat Covar. *ubi ſupra, num.* 4 *verſ.* & *tamen intelligenda*: & Clar *dict. quæſt.* 37. *ſub n.* 6. *verſ. ſitne ergo ſecus*: ubi prout hic de præordinata, vel determinata voluntate non conſtat; & dubitari poteſt, Teſtatorem non fuiſſe ſanæ mentis, & interrogans nedum non redegit in ſcriptis, ſed intellexit interrogatum nolle diſponere, ſubdens illi propterea verba ſuperius relata quod ad eum non ſpectabat diſponere de illius bonis: hoc enim caſu ex defectu perfectæ voluntatis diſpoſitio non ſuſtinetur; nec minus favore piæ cauſæ: ut notat pro indubitato Covarr. *in cap.*

relatum, il 1. *ſub num.* 9. & *ſequentibus*, *de teſtam.* Clar. §. *teſtamentum, quæſt.* 7. *ſub num.* 3. & 4. Grat. *diſcept. forenſ. cap.* 895 *ſub n.* 21. & 23. Surd. *deciſ.* 292. *ſub n.* 15. & ſimiliter Rota *in recent. deciſ.* 576 *ſub n.* 4 *parte* 3.

Et ita conſtito de validitate & juſtitia ſententiæ, dixerunt Domini mandatum A. C. eſſe exequendum, utraque, &c.

Senogallienſis Bonorum, 15. Maii 1645.

Coram R. P. D. Cerro.

SUMMARIUM.

1 *Appellans à ſententia contra alium lata, facit omnia acta ſua perinde ac ſi ipſo citato facta fuiſſent.*
2 *Tertius veniens ad cauſam, non collitigantium, ſed proprio jure adhærens, non facit acta ſua, ſi veniat prout in prima committendo cauſam; nec ſententia lata cum aſſicit: ſecus autem ſi veniat per viam appellationis.*
3 *Tertius veniens ad cauſam, ex proprio jure independente ab illo collitigantium, poteſt venire prout in prima inſtantia etiam poſt latam ſententiam in cauſa; ſecus ſi venit ad defenſionem unius ex collitigantibus.*
4 *Citare poſſeſſorem ſufficit in judicio immiſſionis, abſque eo quod citentur intereſſe habentes.*
5 *Intereſſe habens in rem qua quis immiſſionem petit, non poteſt illam impedire contra poſſeſſorem.*
6 *Scriptura privata uti de antidata ſuſpecta in concurſu publici inſtrumenti non venit attendenda.*
7 *Atteſtationes extrajudiciales nullam merentur fidem.*
8 *Poſſeſſio abſque ſcientia & patientia ejus qui poſſidet, alteri acquiri non valet.*
9 *Ægrotus reſpondens interroganti an velit certam diſpoſitionem facere, ſi fate voi, non dicitur perfecte diſponere.*
10 *Declaratio animi quod quis ſit contentus legatum facere non importat legatum.*
11 *Legatum ut ſit validum opus eſt quod Teſtator illud deliberate faciat, nec ſufficit quod illud relinquat in ſuſpenſo ſub futura interroganti voluntate.*
12 *Ægroti in articulo mortis conſtituti ad evitandas moleſtas aſſtantium interrogationes, ſolent affirmativè interrogatis reſpondere.*
13 *Alienatio ſanæ mentis arguitur in ægroto, qui interrogatus de re gravi ad propoſitum non reſpondet.*
14 *Diſpoſitio facta ab eo qui non erat ſanæ mentis, non valet, licet ſit facta ad pias cauſas.*
15 *Illatio fieri non poteſt de una diſpoſitione ad aliam diverſam.*
16 *Diſpoſitio facta ad aliorum ſuggeſtionem quando conſtat de præordinata Teſtatoris voluntate, valida eſt.*
17 *Declara, ut n.* 17.
18 *Retentis non competit, quando creditum non eſt omninò certum clarum, & liquidum.*

DECISIO LXXXVI.

AD impugnandam ſententiam ſuper immiſſione latam ad favorem Lavinæ Cinæ, iterum opponebatur defectus citationis ex eo quod lata fuerit non citato Hieronymo Mancolio Rectore Eccleſiæ Parochialis Sancti Petri de Corinaldo.

Sed hic defectus fuit abundè ſublatus in *alia deciſione*, ex illa ſolida reſponſione, quæ etiam hodie placuit Dominis, 1
quod Hieronymus appellavit à ſententia lata contra Deputatos, cauſamque appellationis, & nullitatis eõmitti curavit, eo ipſo fecit omnia acta ſua, adeò ut citationis defectum amplius opponere non poſſit: juxta magiſtralem Theoricam Innocentii paſſim ab omnibus receptam *in cap. cum ſuper, n.* 6. *verſ. ſi attamen*, *de re judic.* cum aliis *in deciſione* cumulatis.

Ubi ulterius fuit reſponſum non refragari, quod fuerit de 2
nullitate oppoſitum, dum Hieronymus non venit prout in prima, ſed per viam appellationis, adhærendo juri collitigantium; hoc enim caſu, quamvis appellando nullitatem deducat, adhuc facit omnia acta ſua.

Contraria verò procedunt, quando nullitatem allegans venit ut in prima, non adhærendo juri collitigantium, ſed ex proprio & ſeparato jure: ut optimè diſtinguendo docuit Add. ad ſanctæ mem. Gregor. *deciſ.* 259. *numero quarto*, & *deciſione* 303. *numero tertio*. Ubi quod electionem veniendi prout in prima non habet, niſi ille Tertius, qui venit ex pro- 3
prio jure independente à jure collitigantium: ſi enim veniat ad deferendum alterum ex litigantibus, vel illi adhæreat, nõ poteſt venire niſi in ſtatu, & terminis: quod idem firmavit

Rota coram Put. *deciſ.* 71. *n.* 1. & 2. *lib.* 3. *in correct.* & coram bonæ memoriæ Butatto *deciſione* 883. *numero ſecundo, in fine, & tertio.*

Sed ulterius pro everſione hujus objecti advertebant Domini Rectorem de tempore petitæ, & obtentæ immiſſionis per Laviniam, non luiſſe in poſſeſſione prædii converſi ideoque non poſſe opponi amplius hujuſmodi citationis defectum: cum in judicio immiſſionis ſatis ſit citari poſſeſſorem abſque eo quod citentur alii intereſſe habentes: ut probat 4 Gloſſ. *in leg. de utroque, verbo quos cauſa, ff. de re judic.* Molin. *de primog. Hiſpan. lib. 4. cap. 8. num. 3.* Cancer. *var. reſol. lib. 2. cap. 16. num. 100. cum ſequentibus,* Rota *in Æſina Salviani 18. Junii 1617. coram Reverendiſſimo Domino meo Decano, & in Bonon. fideicommiſſi de Eleonoris, 3. Decembris* 5 *1631. coram Domino Reippo.* Dum enim alter prætendens intereſſe non poſſidet, & poſſeſſio eſt plena, jus illius non lædit per immiſſionem, ſed venire poteſt ex jure proprio, ſi quid habet; ideoque immiſſionem non impedit contra poſſidentem: Cæſar de Graſſis *deciſ. ult. n. 4. de verb. ſignif.* Rota *deciſ. 538. in fin. parte 4. recent.*

Poſſeſſio verò Rectoris non probatur ex deputatione Oeconomi ab eo facta, minuſque ex ejus, & Laboratorum 6 atteſtatione; Quia deputatio probatur tantummodo per ſcripturam privatam, quæ tanquam ſuſpecta de antidata, non poteſt concurrere cum inſtrumento publico immiſſionis, & poſſeſſionis adeptæ per deputatos Communitatis: *leg. ſcripturas,* ibique communiter Scribentes *Cod. qui potior in pign.* 7 *habeant* Atteſtationes autem tanquam extrajudiciales nullam merentur fidem; Rota *in recent. deciſ. 471. num 5. & deciſ. 462. in fin. par. 2.*

Tanto magis quia iidem Laboratores atteſtantur ſe recognoviſſe in Dominos, Deputatos Communitatis, qui poſſeſſionem non acceperunt ſciente, & conſentiente Rectore, ut declaravit per publicum inſtrumentum Confeſſarius *in ſumm. Laviniæ, n. 2.* Unde ſine eorundem Deputatorum 8 poſſidentium ſcientia, & conſenſu, nulla potuit Rectori acquiri poſſeſſio: *leg. 3. §. in amittenda, & §. ſi quis nuntiet, ff. de acquir. poſſeſſ.* Pontan. *de ſpolio libro primo, capit. 14. num. 114*

Licet etiam dici non poſſet, in facto non juſtificari hujus citationis defectum, cùm ad omnes actus cauſæ fuerit citatus Jacobus Amatus ut Procurator aſſeritæ Collegiatæ erigendæ in Terra Corinaldi, & Communitatis dictæ Terræ *d. ſummario Laxinia, num. 3.* qui tamen Jacobus fuerat conſtituturus Procurator non ſolum à Deputatis & Communitate, ſed etiam à dicto Rectore in ſpecie ad Cauſam, quæ agitabatur, & agitanda erat contra dictam Laviniam: *eod. ſumm. num. 4.* Unde cum Rector non haberet ſpeciale, & ſeparatum intereſſe à jure Deputatorum, ſeu Collegiatæ erigendæ, ſed unum & idem ut ipſemet expreſſit in omnibus actibus, qui dantur *in eod. ſumm. p. 5. & 6.* Conſequens eſt ut non eſſet ſeparatim, & nominatim citandus ſed ſufficiat citatio facta contra Jacobum uti Procuratorem Collegiatæ erigendæ; cui etiam ipſe mandatum dederat.

Juſtitia verò eſt evidens: quia legatum prædii de quo agitur, non probatur: ut enim dicebatur in *alia deciſione,* ex teſtibus & atteſtatione Patris Joſephi Confeſſarii probatur tantummodo ægrum morti proximum Confeſſario interroganti an vellet relinquere legatum ſcutorum 1000. pro erigenda Collegiata? reſpondiſſe, *Padre ſi,* & Confeſſario 9 replicante, an vellet pro dicta erectione relinquere prædium ſitum in Territorio dicti loci? iterum reſpondiſſe, *Padre ſi, fate voi:* quæ procul dubio non important diſpoſitionem perfectam, ſed ſimplicem declarationem, quòd erat contentus 10 relinquere, quæ non importat relictum cum præſertim verba ſonent, quod negotium committebatur ipſi. Confeſſario interroganti, ibi, *fate voi;* Unde ægrotus non fecit legatum, ſed declaravit ſe contentum quòd confeſſarius ipſe ad ſui libitum diſponeret, quod valdè diſtat à legato: poſt cuius perfectionem opus eſt, quod ipſe teſtator actualiter, & deli- 11 beratè diſponat; nec ſufficit quod illud relinquat in ſuſpenſo ſub ſatura interrogantis voluntate: ut probant Bald. Mantica & alij *in deciſione* adducti, *verſ. nec obſtat.*

Ubi ulterius, ad detegendam imperfectionem huius voluntatis ponderatur, quod Confeſſarius illam agnoſcens ſubdidit, *Signor Piedro, non tocca à me il diſponere della Robba Veſtra:* Ægrotus autem reſponſum dedit, *Sapere Zappare,* quibus articularis, illinc ad modicum expiravit: Si enim ægrotus non ſolum ipſe legatum perficere noluit, ſed nec nunus Confeſſario interroganti voluit aptè reſpondere, 12 alterum ex duobus elicitur. Vel quod ipſe non habebat perfectam voluntatem diſponendi, ſed ſic reſpondebat ad evitandas moleſtas interrogationes adſtantium, ut probant omnes *in deciſione* adducti, quibus addi poſſunt idem tenentes Bec. *conſil. 86. n. 11. 22. & 23.* Silvan. *conſil. 87. num. 29.* Rota *deciſ. 37. n. 6. poſt ſecundum vol. conſil. Farin.* Ubi quod ægroti morti proximi, vel gravitate morbi detenti, ſolent ut plurimum reſpondere interrogantibus, *ſi ſi*: abſque tamen ulla deliberatione; Vel quod ipſe non erat amplius ſanæ mentis 13 dum interroganti ſuper una re graviſſima, reſpondit de alia, ad propoſitum non faciente, & nihil prorſus ſignificante, quod ſufficit ad hoc ut prætenſa diſpoſitio non valeat, quantumvis facta ſit ad pias Cauſas: ut probat Covar. *cap. relatum, ii primo, ſub. n. 9. & ſeq. de teſtam.* Rota *deciſ. 376. ſub n. 3. parte 3. recent.* cum aliis *in prima deciſione* allegatis. 14

Nec quidquam facit, quod ex tribus teſtibus datis *in ſumm. Reſtori, num. 12.* habeatur Petrum defunctum ante infirmitatem confeciſſe propria manu minutam teſtamenti, in quo relinquebat hæredes univerſales Fratres Minoris Obſervantiæ Sancti Franciſci, ex quo inferebat altera pars, quod dum antecedenter apparet de voluntate relinquendi ad pias Cauſas, nedũ per viam ſimplicis legati, ſed per viam univerſalis inſtitutionis, legatum prædii dici debeat emanaſſe ex deliberata animi voluntate, non autem ad evitandas importunas adſtantium ſuggeſtiones.

Objectum enim procederet, ſi ante morbum & ſuggeſtiones amicorum defunctus declaraſſet animum relinquendi pro erectione Collegiatæ, de qua agitur; ac dum volebat relinquere Fratribus Minoris Obſervantiæ, & poſtea voluntas non fuit ad actum producta, eo quia, ut iidem teſtes deponunt, Fratres noluerunt eam acceptare propter exceſſiva 15 onera legatorum, non poteſt ex ea inferri ad relictum pro erigenda Collegiata, totaliter diverſum & ſeparatum: *leg. Papinianus exulé, Digeſto, de minor.* ex unica enim diſpoſitione non poteſt inferri ad aliam diverſam: & Doctores 16 tenentes ſuſtineri diſpoſitionem factam ad ſuggeſtionem aliorum quando conſtat de præordinata voluntate Teſtatoris, loquuntur de præordinatione illiuſmet diſpoſitionis, quæ ad ſuggeſtionem facta fuit, non de alia: ut in ſpecie 17 declarat Clarus *in deciſione* relatus *quæſt. 37. n. 7*

Quod autem ſaltem competat retentio pro legato pecuniario ſcutorum mille, quod perfectum videtur per primam reſponſionem factam Confeſſario, cum verbis deliberatis: *Padre ſi:* nullam habet ſubſiſtentiam; id enim probatur tantummodo per teſtes intereſſatos, qui dederunt cauſam interrogationi; & Confeſſarius dicit ſe non recordari, cum tamen veriſimiliter de hoc etiam recordaretur, ſicut de aliis recordatus fuit.

Et ulterius non conſtat etiam de illius perfectione; licet enim prima vice reſponderit, *padre ſi;* diſpoſitio adhuc manſit in ſuſpenſo dum Confeſſarius ad commutandum legatum ſubdidit, an vellet relinquere prædium, ex quo ſcuta mille non ſufficiebant pro erectione Collegiatæ. Dum itaque huic ſecundæ interrogationi non fuit data congrua reſponſio, quæ deliberatam voluntatem continere valeat, ex ſuperius adductis, conſequens eſt ut non ſolum remaneat imperfecta ſecunda diſpoſitio prædii, ſed etiam prima ſcutorum millæ, quæ numquam ab hac ſecunda fuit ſeparata, ſed uſque ad 18 finem tractata, & non concluſa: Retentio autem non competit, quando creditum non eſt omninò certum clarum, & liquidum: Gabr. *comm. concl. lib 5. de teſtib. ſpoliat. concl. 1. n. 117* Grat. *diſcept. forenſ. cap. 734. n. 13.* Surd. *deciſ. 46 in fin. verſ. Senatus tenebat:* & aliis adductis: Rota *in Romana retentionis domorum 23. Maii 1642. coram R. P. D. meo Ghiſilerio;* & prius *in Romana Salviani de Caſalibus vigeſimo primo Junii 1641. coram me.*

Romana Nullitatis Matrimonii, 19. Januarii 1646.

Coram R. P. D. Arguelles.

SUMMARIUM.

1 *Teſtes examinati in judicio criminali non probant in civili.*

2 *Teſtes examinati abſque partis citatione non probant niſi repetantur.*

3 *Teſtes examinati abſque partis citatione non probant niſi repetantur, licet vens illos habeat pro repetitis.*

4 *Membrorum ſuorum nemo eſt dominus.*

5 *Minori dandus eſt curator.*

6 *Confeſſio minori non præjudicat.*

7 *Teſtes examinati ad perpetuam rei memoriam non probant.*

8 *Teſtes in cauſa matrimoniali debent eſſe omni exceptione majores.*

9 *Teſtes*

9 *Teſtes ſingulares non probant.*
10 *Mulierum teſtimonium in judicio criminali rejicitur.*
11 *Teſtis qui propriam detegit turpitudinem, non eſt audiendus.*
12 *Teſtis minus idoneus fidem non acquirit per obitum ſupervenientem, ſed inſervit pro levi conjecturæ.*
13 *Affinitas contrahitur ſolùm per copulam conſummatam.*
14 *Affinitas probatur per teſtes deponentes de copula, licet non conſummata.*
15 *Affinitas, ut dicatur contracta, quomodo teſtes deponere debeant de copula.*
16 *Religioſis major fides adhibenda venit, quàm laicis.*
17 *Teſtes de auditu non magis probant, quàm ii, à quibus audiviſſe aſſerunt.*
18 *Teſtes intereſſe habentes in cauſa, non probant.*
19 *Teſtes de auditu nunquam probant, niſi id quod dicunt, audiverint a pluribus.*
20 *Mater quando agitur de dirimendo matrimonio, non admittitur in teſtem, quia reputatur ſuſpecta.*
21 *Teſtes deponentes aliquem tractaſſe alium uti filium, non probant, niſi ſpecificent tractatum.*
22 *Copula eſt difficilis probationis.*
23 *Meretrices in actu copulæ latebras quærunt.*
24 *Lucrum odit qui malè agit.*
25 *Copula probatur per teſtes etiam minus habiles.*
26 *Teſtes ſingulares admittuntur quando probandum eſt aliquid in genere.*
27 *Teſtes ſingulares probant concurrentibus conjecturis.*
28 *Numerum teſtium poteſt eorum defectum ſupplere.*
29 *Teſtes examinati ad perpetuam rei memoriam, inſerviunt pro adminiculo probationis imperfectæ.*
30 *Teſtes examinati in judicio criminali, pro informatione Curiæ, faciunt adminiculum in judicio civili.*
31 *Examen nullum teſtis, qui è vivis deceſſit, ex quadam æquitate ſuſtinetur.*
32 *Examen teſtis mortui valet, licèt non fuerit receptum cum citatione partis, non ſecus ac ſi citatio interveniſſet.*
33 *Falſum deponere in præjudicium propriæ vitæ nemo præſumitur.*
34 *Confeſſiones extrajudiciales emanatæ tempore non ſuſpecto, & pluries iteratæ, probant.*
35 *Copula præſumptio oritur ex eo, quod mulier ſecretum cubiculum cum viro ingrediatur, ibique per aliquod temporis ſpatium permaneat.*
36 *Copulæ præſumptio oritur ex confeſſione viri, præſente & tacente muliere.*
37 *Copulæ præſumptio oritur ex frequenti acceſſu viri ad domum mulieris impudicæ.*
38 *Copulæ præſumptio oritur ex juventute viri, & mulieris, qui ſæpè inſimul conveniunt.*
39 *Juventus vicina eſt lapſibus.*
40 *Copulæ præſumptiones deducuntur ex pluribus factis circumſtantiis quæ referuntur.*
41 *Turpitudinem propriam detegens auditur, quando agitur de ſalute animæ.*
42 *Teſtis propriam detegens turpitudinem probat quando agitur de iis quæ concernunt animæ periculum.*
43 *Copula benè probatur per conjecturas, & præſumptiones violentas propter difficultatem probationis.*
44 *Singula, quæ parum proſunt, unita juvant.*
45 *Copulæ ſufficiens probatio an ſit, remittitur Judicis arbitrio.*
46 *Probatio perfecta illa dicitur per quam Judex inclinat ad aliquid credendum.*
47 *Matrimonia duo ſi fuerint contracta, & adſit dubium circa primum, ſtandum eſt pro ſecundo.*
48 *Conſanguinitas quomodo probetur.*
49 *Matrimonium contractum cum affine, nullum, & invalidum eſt, ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini.*

DECISIO LXXXVII.

LUcretia Mariotta accuſavit Franciſcum apud Judicem criminalem Urbis de inceſtu cum ipſa, & etiam Felice ejus ſorore commiſſo, & injuſto matrimonio ſecum contracto; & dictus Judex pœna Capitis prædictum Franciſcum damnavit, & inſuper matrimonium nullum declaravit: ſucceſſivè Franciſcus venia criminis impetrata, matrimonium contraxit cum Galla, quæ inſtitit, citata dicta Lucretia, primum matrimonium nullum, & ſecundum validum declarari, & à Sanctiſſimo commiſſa cauſa Eminentiſſimo Vicario, cum Voto Rotæ fuit datum dubium, An matrimonium inter Franciſcum & Lucretiam ſit nullum?

Et multa quidem videbantur facere pro validitate dicti matrimonii, & probationes in contrarium adductæ, partim nullæ ſunt, partim leviſſimæ: nam producuntur depoſitiones teſtium examinatorum in judicio Criminali, qui nullam fidem faciunt in Civili, cum cauſa, & perſonæ ſint diverſæ: nam ibi ad pœnam actum eſt, accuſante Lucretia Franciſcum, hic agitur de nullitate matrimonii ad petitionem Annæ, citata Lucretia pro ſuo intereſſe: Alexand. *in l. 2. ff. ſ. ad. ſol.* Maſcard. *de prob. concl. 348. n. 69. v. ſed iſtis non diſſimulanter.* Bart. Socin. *conſil. 4. n. 6. vol.* & facit text. *in leg. ult. §. Sancimus, C. de teſtibus.* Rota *deciſ. 128. num. 5. poſt conſ.* Farinac. cum aliis cumulatis *in Bonnonien. pecuniaria 26. Maii 1645. § Aſſertum vero, circa finem*, confirmata 16. *Junii menſis coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Bichio.* 1

Unde in Curia Archiepiſcopali Neapolitana admittitur Fiſcalis, quando agitur de matrimonio quoad vinculum, ſi velit defendere: Genuenſ. *in praxi Archiepiſcop. cap. 21. n. 15.* & quod non ſint eædem perſonæ, ſatis apparet, quia in his cauſis nihil petitur à parte, ſed à Judice, ut ait Genuen. *in praxi Archiepiſcopali, cap. 21. num. fin.* Abb. *in cap. ex parte, de reſtitut. ſpol. num. 5.* Præcipuè cum teſtes fuerint ex adverſo, ſine partis citatione examinati, & non repetiti, *cap. 2. de teſtam.* Caputaquenſ. *deciſ. 4. parte 3.* Clar. *§. finali, q. 45. verſ. caterum ſi in examine, num. 10. & quæſt. 401. verſ. item quæro:* Burat. *deciſ. 776. num. 1. & deciſ 114. num. 14.* ubi latè Addentes, *num. 15. & deciſ. 634. num. 2.* Coccin. *deciſ. 119. num. 1. & deciſ. 131 num. 2.* Rota *deciſ. 159. num. 6. parte 4. recent. & deciſ. 58. num. 6. parte 4. & diverſ.* Farin. *de teſtib. quæſt. 72. & num. 32. & 89. & poſt ejus conſ. deciſ. 250. num. 1.* Valez. *conſil. 90. n. 115.* & eſt textus *in l. penultima, de his, qui ſunt ſui, à Divo Pio 15. § ſi verum 4. verſ. ſed eſt ſciendum: Digeſtis, de re judic.* Pariſ. *in praxi, tom. 1. parte 1. cap. 359. cum aliis ibid.* 2

Nec aliquid facit quod Franciſcus habuerit teſtes pro repetitis: quia Farinac. *dicta quæſt. 72. num. 130.* teſtatur, quod licèt in multis Italiæ locis hoc ita obſervetur, in Tribunalibus Urbis nunquam fuiſſe admiſſum, pro quo eſt ſingularis Gloſſa, *in leg. pactum inter hæredem 46. verb. cum iiſdem, verſus fin. verſ. item pactum, Digeſtis, de pact.* Quia nemo membrorum ſuorum Dominus eſt: *leg. liber homo, la prima, 17. in ordine, Digeſtis, ad leg. Aquil. l. lege Cornelia, 4. §. finali, verſ. nemo enim: Digeſtis, ad leg. Corneliam, de ſicar.* & facit textus *in leg. amplius 3. § cum verò, in fin.* ibi, *& invito ei ſuccurratur: Digeſtis, de liber. cauſ.* melior textus *in leg. non tantum 6. verſ. fin.* ibi, *quid ergo ſi reſiſtat, qui damnatus eſt, adverſus provocationem, ne velit admitti ejus appellationem, perire feſtinans? adhuc putem differendum ſupplicium: Digeſtis, de appellat.* tradit in propriis terminis Avend. *reſp. 11. num. 5.* Radin. *de Majeſt. Princip. in par. ſed per legitimos, num. 14.* Gomeſ. *tom. 3. var. cap. ... num. 33.* Royas *ſingul. 193. in med.* Rebuff. *in proœmio ordin. Gall. gloſſ. 5. n. 100.* Pariſ. *ubi ſupra, n. 3. 4. & 5.* 3

Deinde quia Franciſcus erat minor, & propterea debuit ei curator dari: *leg. clarum 4. C. de author. præſt.* ubi Barboſa ſuo more multos congeſſit. *leg propter vitalitatem, Cod. ad leg. Juliam de Adult.* facit textus *in leg. fin. in princip. verſ. neceſſitate, C. de bonis quæ liber.* Bart. *in l. finali, §. pupillus, n. 2. in fin. ff. de verb. oblig.* Pariſ. *d. p. 5. cap. 3 § 4. n. 5. in fine.* 5

Ex quo capite naſcitur etiam, quod confeſſio Franciſci nihil ei potuit obeſſe, & multò minus cauſæ. de qua hodie: ad text. *in leg. cum & minores 4. C. ſi adverſus rem judicat.* Bald. *in d. l. Clarum. n. 1. §. nunc videndum, n. 31.* Gomeſ. *lib 3 var. cap. 7. n. 64.* Clar. cum multis, *lib. 5. § finali, quæſt. 50. n. 2. & quæſt. 5 n. 52.* Pichard *ad proxim, part. 3. §. ... num. 1. & 14.* & apud Hiſpan. eſt text. 11. *tit. 2. part. 3.* ubi Greg. 6

Alii adducebantur teſtes examinati ad perpetuam rei memoriam pro copula cum Felice probanda, qui non magis probant: *cap. quoniam frequenter ... ut lit. non conteſtat.* & ibi Barboſ. *num. 2.* Menoch. *de præſumpt. præſ. 41. lib. 2.* Farinac. *de teſtibus, quæſt. 76. num. 129.* Mantic. *deciſ. 142. num. ...* Gabr. *tit. Depoſitio: concl. 2. num. 121.* Rota *deciſ. 439. in fin. part 4. recent.* 7

Producebantur alii examinati in hoc Iudicio, ſed nec hi videntur attendi: quia in cauſa matrimoniali requiritur, ut teſtes ſint omni exceptione majores. *cap. 2. §. inquiſita, de conſanguinitate & affinitate, cap. licet ex quadam 17. de teſtib.* Covar. *tom. 2. cap. 4. § 12. num. 7. & 8.* Rota *deciſ. 147. num 2. part 1. recent.* Gregor. XV. *deciſ. 351. num. 2.* Gutierrez *de matrim. cap. 44. num. 9.* Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 45 n. 3.* Noguerol. *allegat. 24. n. 127. & allegat. 13 n. 31.* Ricc. *deciſ. 9. num. 6. part. 2. in Cur. Archiepiſcop Genuen. in praxi, cap. 21. num. 4. & 5. & ſequenti.* Maſcard. *de probat. concl. 1360. num. 1.* Farinac. *de teſtib. diſt. 9. 61. n. 106.* 8

Et hæc qualitas articulanda, & probanda eſt: Barboſa cum multis, *cap. 1. de conſanguinitate, & affinitate, num. 11. & 12.*

Noguer. *ubi proximè, num.* 22. Alexgrad. *conſ.* 55. *n.* 55. *vers. unde ſi contingeret*: Et in puncto quando agitur de probando non matrimonio contra aliud: Genuen. *in praxi Eccl. c.* 22. *n.* 24. Rota *deciſ.* 209. *part.* 2. *diverſ.* ibi *quia ad dirimendum*, faciunt tradita per Molin. *lib.* 2. *de primogen. Hiſpan. cap.* 6. *num.* 5 *cum multis ſeqq.* & reſpondent Alciat. & Bart. ubi Addentes Carleval. *de Judiciis, tom.* 2. *lib.* 1. *titul.* 2. *diſput.* 8. *num* 57. Noguerol. *allg.* 32. *n.* 56. Paz *ad leg.* 64. *ſtyl. num.* 43. *par.* 360.

9 Inſuper quia teſtes omnes ſunt ſingulares, contra text. *in cap.* 23. & *contra leg. de elect. cap. in omni negotio* 4. *de teſtibus, cap. cauſam* 14 *de probat. cap. cum dilectus* 10. *de arceſ.* Farin. *de teſtibus, quæſt.* 64 *num.* 33. Noguerol. *d. allegat.* 23. *num.* 58. Nam de quolibet actu duo ſaltem debent eſſe conteſtes, Ioannes de Amicis, *conſil.* 127. *num.* 6. & *num.* 25. Maſcard. *concl.* 65. *num.* 2. Farinac. *de delict. carn. quæſt.* 136. *num.* 30. Gutierrez *de matrim. cap.* 44. *num.* 56. Sanchez *lib.* 11. *diſp.* 12. *n.* 11. Giurb. *conſ* 37 *n.* 25.

10 Præterea teſtimonium Felicis, quæ dicit de copula in judicio criminali eſt reprobatum, ex textu *in l.* 3. §. *ideoque Divus Hadrianus. verſ. ſin.* ibi *quæ vepalam quæſtum faciat, fecerive* ff. *de teſtibus. n.* 56 *per tot.* Antoc. Gomez. *var. lib.* 3. *reſolu.* 10. *num.* 15. Clarus *in* §. *fin. quæſt.* 24. *n.* 14. quæ ex eo

11 etiam repellenda venit, quia propriam turpitudinem confitetur: ad tradita *in cap. primo, de eo qui duxit in matrimonium cap. inter dilectos, extr. de donationib.* & *ibi* Gloſſa *in verbo, turpitudinem, ſi creditoribus, C. de ſerv. pign. lat. manumiſſ. leg. tranſactione finita, C. de tranſact.* & in terminis confitentis copulam dixit Gloſſa *in cap. extraordinaria* 15. 35. *quæſtione tertia, verb. dub. in fin.* & *in cap. cum M. Ferrarienſis, de Conſtitut.*

Alius teſtis in eodem Iudicio examinatus, fatetur ſe eſſe ſervum Felicis: ex quo ſatis apparet de ejus infamia, nec

12 etiam fuit repetitus; & quamvis deceſſerit, non propterea reputatur idoneus, ſed levem præſumptionem facere dixit Farin. *de teſtibus, quæſt.* 75. *num.* 133. Rota *deciſ* 195. *num.* 1. *part.* 5 *diverſ.*

Et licet admittamus opinionem dicentium non eſſe neceſſarium probare copulam conſummatam, per quam ſolam

13 vir & fœmina una caro efficiuntur, & qua ſola contrahitur affinitas *d. cap extraordinaria*, 11. 35. 9. 3. ubi Gloſſa prima & *ibi* Barboſa, Noguerol. *de allegat.* 13. *num.* 90. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſput.* 21. *num.* 5. & *lib.* 7 *diſput* 15. *num.* 11. *diſp.* 64. *num.* 8. Pont. *de matrim. lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 2. & *lib.* 9. *cap.* 10. *in princip.* de quo jam dubitari non poteſt, propter Sacræ Congregationis declarationem ad Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24 *cap.* 4 *de reform. matrimon.* relatam *ibi* ab Eminentiſſimo Cardinali Bellarmino, ibi, *intelligo autem fornicationem non tum impedire matrimonium, cum interveniet copula perfecta*, Navar. poſt alios *in ſumm. cap.* 22. *n.* 43. non obſtante *cap. juvenis*, 3. *de ſponſal.* Quia *ibi* non dicitur impedimentum publicæ honeſtatis oriri ex attentata copula, ſed ex ſponſalibus contractis cum proxima ſeptennio, malitia ætatem ſupplente, & *ibi* Gloſſa, *verb. ergo dubia, circa fin.* & *in d. cap. extraordinaria, verbo matrimonialem*, Abb. *d. cap.* 3. *num.* 5. ubi etiam Barboſa cum multis citatis, *n* 9 *extr. de ſponſal.* & *in tract. de offic. & poteſt. Epiſcopi*, 3 *parte, allegat.* 1. *num.* 179.

14 Anchar. *num.* 1. Socin *num.* 9. Ioan. Andreas *num.* 1. Hoſtienſ. *in principio*, Licet (inquam) non ſit neceſſarium hanc con-

15 ſummationem probare, quæ eſt impoſſibilis probatu, debent tamen dicere teſtes ſaltem ſe audiviſſe illos carnaliter ſe cognoſcentes: Farinac. *de teſtibus, quæſt.* 69. *cap.* 7. *num.* 197. Maſcard. *de prob. concl.* 61. *n.* 1. & 2. Barboſ. *in cap. præterea* 27. *n.* 4. *de teſtib.* Abb. *notab. primo*, Ricc. ad Maſcard. *concl.* 451. *num.* 1. Rota *deciſ.* 91. *num* 6 *part.* 2. *diverſ.* Noguerol. *dict. allegat.* 23. *num.* 91. Seraph. *deciſ* 895. *num.* 17. & hoc ſolum dicit unus teſtis in informatione ad perpetuam rei memoriam.

Nec aliquid juvare videtur, quod quidam R. Magiſter Religioſus graviſſimus, & alter etiam Religioſus deponant; ille, ſe audiviſſe à Franciſco; iſte, à Matre Lucretiæ conſu-

16 lentibus eos, quid poſſent in eo caſu facere propter copulam conſummatam: nam licet eis major ſit adhibenda fides quam laïcis, *cap.* 14 *quæſt.* 1. Gloſſ. *in cap. Monachus*, 9. *verſ. compendio*, 77. *diſtinct.* & *ibi* Barboſa Maſcard. *concluſ.* 306. *num.* 1. Farinac. *de teſtibus, quæſt* 61 *num.* 40. & *quæſt* 61. *num.* 177. tamen cùm fiat de auditu alterò non poſſunt majorem fidem

17 facere quàm illi, à quibus audiverunt, qui nullam faciunt

18 profectò, cùm ſint ſuſpecti & intereſſati: latè Farin. *de teſtib. quæſt.* 69. *num.* 85. *cum multis*, & teſtes de auditu nunquam

19 probant, niſi id quod dicunt, à pluribus audiverint: text. vulg. *d. cap. ſi et ex quadam* 47. *de teſtib.* ibi, *non utique ab uno, cum non ſufficeret ille ſi viveret, ſed duobus ad minus*: Farinac. *l. quæſt.* 69. *num.* 79. *cum multis*, Cyriac. *controv.* 150. *num.* 62. Valenz. *conſ* 90. *num.* 77. Dec. *conſ.* 321. *num.* 8. *verſ. præterea*: Cravet. *de antiq. temp. parte primo, 9. cito de familia, num.* 6. Alexand. Rodienſ. *conſil* 25. *num.* 85. *lib.* 2. Et hic, unuſquiſque audivit ab uno ſolo, & hoc ſuſpecto, ut eſt Mater, 20 quando agitur de Matrimonio dirimendo: *cap. ſuper eo* 23. *de teſtibus*, Molin. *de ritu nuptiar. lib.* 1. *cap.* 8. cum aliis *ibid.* Et magis ſuſpectus Franciſcus, utpotè ſuam proferens turpitudinem de quo ſatis *ſupra*: Præcipuè cùm deſideret Matrimonii invaliditatem Molin. *de ritu nupt. lib.* 1. *cap* 14. *num.* 54. Maſcard. *concluſ.* 1033 *num.* 5. & 29. Abb. *in d. cap. ſuper eo* 5. *num.* 5 *de eo qui cognovit, &c.* Menoch. *de arbitr caſ.* 103. *n.* 6. Et quia nullus ex teſtibus ultra dictas exceptiones reddit ſui dicti rationem: Farinac. *de teſtibus, quæſt.* 70. *num.* 1. & 3. Rota *deciſ.* 17. *num.* 14 *part.* 5. *recent.* & Buratt. *deciſione* 534. *num.* 56.

Nec conſanguinitas rectè probatur ex duobus teſtibus di- 21
centibus vidiſſe Camillum & Virginiam, Mariotam, Felicem & Lucretiam uti filias tractaſſe, quia debent deponere ſpecificè de hujuſmodi tractatibus; Rain. *conſ.* 52. *n.* 5. *lib.* 3. Abb. *in cap. aliud, de præſumpt.*

His tamen minimè refragantibus, primum matrimonium 22
fuiſſe invalidum dixerunt Domini; moti, quia cùm copula ſit difficilis probationis, ut plurimis relatis, Farin. *de delict. carn. quæſt* 136. *num.* 4. & *poſt eum conſ. deciſ.* 32. *n* 2. *deciſ.* 69. *ſub num.* 2. ubi Add. *littera E.* Maſcard. *concl.* 57. ubi de veriori & communi, Menoch. *de præſumpt. lib.* 5 *præſ.* 41. & *de arbitr.* 2. *caſ.* 116 *num.* 11. Fontanell. *de pact. nupt. claus.* 5. *gloſſ.* 5 *part.* 2. *num.* 8. cum allegatis. *ibid.* Rip. *de noct. temp. cap.* 36 *num.* 2. cum vel ipſæ Meretrices ad hæc patranda delicta, latebras & 23
obſcuritatem affectant: Archidiac. *in dict. cap. extraordinaria*, 11. 35. *quæſt.* 2. *ſub n.* 3. *verſ. ſed cum*: Rota *deciſ.* 95. *n.* 15. *p.* 2. *diverſ.* & dixit Satyricus Poëta,

——— *Glande feneſtras.*

Et alius:

Vela tegant rimas, junge oſtia, tollite lumen:

Et alibi:

At Meretrix abigit teſtes, valoque, ſeraque
Rara eſt quæ ſummo in foramine rima patet.

Et eſt vulgaris regula, Qui malè agit, odit lumen: *cap.* 24
conſuluit 24 *verſ. nec verò* ff. *de offic. & poteſt. jud. deleg.* ubi Gloſſ. *in verbo, qui malè agit.*

Ex quo naſcitur, ad illam probandam teſtes inhabiles ad- 25
mitti poſſe: Gram. *conſ. crimin.* 17. *num.* 6. Ripa *de noct. temp. cap.* 56. 5. Maſcard. *de probat. concluſ.* 1109. *num.* 12. Farinac. *de teſtib. quæſt.* 62. 133. ubi *de communi*, Rolan. à Vall. *conſ.* 3. *n.* 5. *volum.* 3. adò ut ſi non adfuerint alii, neque ex natura loci, vel actu, adeſſe potuerint inhabiles plenè probate dixerit idem Ripa *ubi ſupra, num.* 15. Pur. *ad leg. ſi quando, n.* 150. *in fin. verſ. quod non eſt eda, Cod. unde vi*: Paz. *ad leg. ſtyl.* 62. *n.* 42. *fol. mihi* 335. text. *in l. omnes* 8. §. *ſervium etiam, 6. C. de repud.* & *ibi* Barboſ. *in fin. num probatis 7. ff. de probation. cap. veniens, il 2. in ordine* 38. ubi Gloſſ. fin. in puncto. *de teſtib. cap final. de teſtib. cogen.* ubi Felin. *num. fin. ſi quando* 9. ubi Gloſſ. *verb. manifeſtè, C. unde vi. cap. cum dilectus* 32. *verſic. etſi.* & *ibi* Gloſſ. *de elect. cap. tertio loco* 5. *de probat.* & *ibi* Gloſſ. *verbo, juratis, verſ. & merito. & cap. teſtes*, 3. §. *ſervi*, 4. *quæſt.* 3. Gabr. 6. *part. de teſtib. concl.* 7. *n.* 1. Farinac. *de teſtib. quæſt.* 62. *num.* 78 & 79. *cum ſeqq.* Gutierrez *de matrim. d cap. num.* 10. *verſ. quando*, Zaſ. *conſil.* 2. *num.* 60. *verſ. primo*: Molin. *de ritu nupt. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 36. Et quando concurrunt cum aliquo habili; ſecurè docet Gutierrez *ubi ſupra, num.* 24. Bald. *in l. ſi quis ex argentario*, §. 2 ff. *de eden.* Imò ex unius teſtimonio propter inopiam probationis, aliquando ſtare dixit: *cap parvuli*, 110 *cap cum itaque* 11 *de conſecrat. diſtinct.* 4. *leg. Theopompus* 14. ff. *de donat. præleg. d. l. ſi quando, C. unde vi*: Paz. *d. l.* 62 *ſtyl. num.* 14. *fol. mihi* 334. & cum fama, & aliis adminiculis in delictis, quæ occultè fiunt, admitti tenent Abb. *in d. cap. præterea, in fin. de teſtib.* Ripa *de noct. temp.* 59. *n.* 3. Farin. *de delict. carn. quæſt.* 136. *n.* 8. Præcipuè quando adjuvatur depoſitionibus aliorum, Rota *deciſ* 454. *n.* 5. *part.* 4.

Et per teſtes ſingulares probari poſſe quando aliquid in 26
genere probandum eſt: Gutierrez *d. cap.* 44. *n.* 53. & 55 & de magis communi, Cravet. *conſ.* 73. *n.* 34. & *conſ* 267. *n.* 4. ubi veriorem & magis communem, *n* 5 Dec. *conſil.* 650. *num.* 11. Jaſon. *in l. admonendi, n.* 212. ibi, *videtur ergo*, ff. *de jurejur.* Ferret. *conſ.* 389. *n.* 24. Surd. *conſ.* 94. *n.* 14 Greg. XV. *deciſ.* 374. *num.* 21. Pont. *de matrimon. lib.* 9 *cap.* 23. *num.* 6. Et quod regula de teſtibus ſingularibus non procedat, quando cum 27
eis concurrunt conjecturæ: Cravett. *de antiquo tempore, parte* 4. *num.* 57. Caſtr. *conſil.* 281. *num.* 10. *in fine, verſ. item obſtat, quod teſtes ſingulares, libro* 1. Roland *conſil.* 42. *num.* 47. *volum.* 2.

Sed in præſenti non ſolùm conjecturæ, & vehementiſſimæ præſumptiones concurrunt, ſed multi teſtes eas probant

quorum

28 quorum numerus potest supplere defectus : Rota *decis.* 503. *n.* 3. 612. *n.* 1. 631. *n.* 2. & 259. *in fin. p. rt* 4 *recent.* Ant. Gomez. *var. resolut. cap.* 10 *n.* 19.

29 Non obstat fuisse examinatos nonnullos in Iudicio criminali ad perpetuam rei memoriam, quia faciunt sufficiens adminiculum ad complendam probationem factam coram Eminentissimo Vicario, etiamsi alioquin imperfecta fuisset ; Rota *decis.* 512. *n.* 5. & 151. *n.* 4 *part.* 4. *recent.* Caputaquens. *decis.* 206. *n.* 2 *part.* 2.

30 Et quod testes examinati in Criminali pro informatione Curiæ, faciant adminiculum in Civili : Rota *decis.* 360. *post med. part. prima recent.* prout de examinatis ad perpetuam rei memoriam, Rota *decis.* 494. *n.* 3 *part.* 1. *recent.* ubi aliæ referuntur : faciunt tradita per Bart. *in l. admonendi, num.* 41. *ff. de iureiurand.* Ruin. *cons.* 48 *num.* 10. *lib.* 4. Cravat. *cons.* 192. *n.* 31. Dec. *cons.* 64. *n.* 2. *vers. Postremo.*

31 Nec obstat quod unus fuerit mortuus : quia eius examen etiamsi diceretur nulliter factum ; ex quadam æquitate sustineri dixit Rota coram sanctæ memoriæ Greg. XV. *decis.* 439. *num.* 18 & est text. *in l. fin. vers. sin autem, Cod. de testibus,* &

32 imò valere ac si parte citata deposuissent, tenent Anton. Costa *cons.* 10 *num.* 12. *vers. quoniam non fuit* : Lambert. *de contract. gloss.* 11 *num.* 10. ubi *in fin.* dicit, in Senatu Mediolani resolutum.

Accedit Francisci confessio coram Iudice criminali, quæ licet forsan nulliter facta videri posset, ex superius deductis Tamen multum movebat Dominos, quod non videbatur

33 verisimile voluisse falsum in perniciem propriæ vitæ confiteri, ex text. *in l. finali, in princip. vers. sin autem, C. arbitr. tut. ibi, neque enim sic homo simplex (imò magis stultus) inveniatur ut in publico inventario scribi contra se aliquid patiatur* : Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 45. *n.* 34 *in fin.* facit text. *in cap. continebatur* 6 *§ consultissimi, de despons. impub. cap. si quis acceperit,* 3. *quæst.* 1. maximè accedente etiam confessione Felicis, *dict. cap. tertio loco* 13. *de præsumpt. cap. si duo* 435. *quæst.* 6. licet textus ille loquatur de confessione facta ab eo qui stabat pro matrimonio, ut distinguit Sanch. *l. ib.* 2. *disp.* 45. *n.* 34. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 103. *n.* 10.

Tandem has confessiones non solùm in Iudicio criminali, sed etiam multo ante contractum matrimonium cum Lucretia & quando nulla poterat adesse suspicio collusionis, factæ fuerunt à Francisco : quæ licet extrajudiciales, cum fuerint

34 toties geminatæ, multum probant : Farinac. *de reo confesso, quæst.* 32. *num.* 13. Bart. *in l. cum semus, num.* 7. *C. de agricol. & censit. lib.* 11. Roman. *in l. nuda ratio* 26. *n.* 3. *ver. secundo. ff. de donat. l. unica, Cod. de plus petit. l. mulier.* 22. *ff. ad Trib.* Francisc. Marc. *decis.* 866. *n.* 10.

Adminiculamibus præsertim fama & testium depositionibus, qui licet non dicant de visu & auditu proprio copulæ, præter unum : dicunt tamen post inhonestas allocutiones in cubiculum se recepisse, in eoque sufficienter demoratos :

35 quod adminiculum ex dictis confessionibus, & aliis testibus, præsumptionibus, & conjecturis multum facit : ex text. *in d. cap. tertio loco,* & *ibi* Abbas *in princip.* Vestr. *in praxi, decis.* 39. *num.* 1. & 2. Seraphin. *decis.* 8. *num.* 7. unde adsturtur illud Poëtæ :

Speluncam Dido Dux & Troianus eandem
Deveniunt.

Ubi cum vellet Didonis & Æneæ congressum significare, nihil aliud dixit quam solos se in speluncam recepisse, ut in simili Comicus :

Quid tunc fatue ?

36 Accedit, Franciscum exeuntem præsente & tacente muliere, dixisse ; strenuè operam navasse : *d. cap. continebatur* 6. *§ consultissimi, d. c. p. tertio loco, de præsumpt.* Dec. *cons.* 577. *n.* 4. Rota *decis.* 93. *n.* 3. *part.* 2. *diversorum.*

37 Jungitur frequens ad domum mulieris impudicæ accessus : ex quo maxima etiam oritur præsumptio : Farinac. *de delict. Carn. dict. quæst.* 136. *num.* 118. & 190. Rota *decis.* 95. *num.* 7. *divers.*

38 Quæ maximè confirmatur ex juventute utriusque vicina

39 lapsibus ; ut ait Divus Ambr. *de Vid.* Gloss. *in cap. si quis acceperit,* 33 *quæst. prima, verbo, tempore, vers. Item quia* : ubi adducit illum Ovidii versum :

A juvene & cupido credatur reddita Virgo ?

Leg. si verò non remunerandi 12. *§. si adolescens. ff. man.* Gloss. *in verbo, si adolescens*, ubi adducit eumdem Ovidii versum : Farinac. *de delict. carn. d. quæst.* 136. *n.* 10. cum multis *ibid.*

40 Faciunt etiam aliquid illæ matris lamentationes factæ antequam de querela, nec Matrimonii dissolutione cogitaretur, consultatio & confessio Francisci coram Magistro

41 gravissimo pro obtinenda absolutione, vel dispensatione, quia quoties de animæ periculo tractatur, auditur proferens suam propriam turpitudinem : Gloss. *in cap. inter dilectas, verb. turpitudinem, extr. de donat.* Abb. *in d. cap. tertio loco* 13. *de præsumpt. in princip. verb. Nota* : ubi quod in iis, quæ concernunt periculum animæ, probat testis, etiamsi in dicto detegat suam turpitudinem propriam : Sanch. *de matrim. d. lib.* 2. *disp.* 45. *n.* 34 *in fine.* 42

Et in hac materia propter difficultatem probationis, ut 43
dixi, adm tuntur probationes per conjecturas, & præsumptiones, si tamen violentæ sint, ex *d. cap. tertio loco, cap. ex his* 12. *de præsumpt. d. cap. præterea* 27. *de testibus, cap. nec aliqua* 4. 27. *quæst.* 1. *cap. dixit.* 2. 32. *quæst.* 1. *l. non omnes. § de barbaris, ff. de re militari* : Gloss. *in d. cap.* 2. *vers. suspicio, in med.* Ferret. *consil.* 390. *n.* 2. Gutticrrez *de matrimonio, cap* 44. *n.* 59. Farinac. *d. quæst.* 136. *n.* 2. 8 & 58. *de delict. carn.* Paz *ad d. l.* 62. *ff. n.* 19. Menoch. *cons.* 31 *num.* 18. & 25. Rota *post* 2. *volum. cons. Farinac. dec.* 32. *n.* 2. & *decisione* 35. *n.* 7. Seraph. *decis.* 493. *n.* 7.

Ex quibus omnibus simul junctis, Domini arbitrati sunt 44
satis constare de copula : nam in hac materia admittitur Regula vulg. Singula, quæ parum prosunt, &c. ut ait Gloss. *in d. cap.* 13. *de præsumpt. verb. dicta sunt* : Rota *decis.* 169. *num.* 14. *part.* 6. *recent.* & *in Florentina seu Bononien. de Barbadoris,* 28. *Junii* 1640. *coram bon mem. Coccino.*

Et cum hæc omnia Iudicis arbitrio relinquantur, *dict. cap.* 45
præterea 27. *de testibus, in fin.* ibi, *Etenim circumspectus Judex, atque discretus, motum animi sui ex argumentis & testimoniis quæ rei aptiora esse comperierit, confirmabit* : & *ibi* Barbos. *cap. si testes, in princip.* 4. *quæst.* 1. *leg. ob carmen* 21. *§. testes, leg.* 3. *§. tunc magis, de test.* Anton. Gabriel. *dict. concl. n* 60. & 62. cum multis *ibid.* Guttierrez *dict. cap* 44. & 60. Bald. *in cap. cum Joannes, de fid. instrum. num.* 13. *vers. concordat* : Felin. *ibid. num.* 4. *vers.* & *in hoc.* Farinac. *de delict. carn. d. q.* 136. *n.* 6. & 113. cum illa dicatur perfecta probatio, per quam Ju- 46
dex inclinat ad aliquid firmiter credendum : Imol. *in dict. cap* 27. *n.* 2. *vers. ex prædictis.*

Et unus ex Dominis dicebat, quod quando adsunt duo 47
Matrimonia, si adsit dubium circa primum, standum est pro secundo. Sanch. *lib.* 1 *de matrim. disp.* 18. *num.* 68. *fin.* Guttierrez *cap.* 3. *num.* 18.

De consanguinitate non videbatur dubitandum, tum ex 48
constanti assertione Camilli & Virginiæ, & dictarum sororum, & testium, licet super hoc non fuerint rectè interrogati dum quia adsunt duo testes examinati formiter, qui deponunt vidisse eas educari, & tractari tanquam filias à Camillo & Virginia : Surd. *consil.* 1. *n.* 46. Pitch. *dep. script. p. qu.* 1. *cap.* 2. *n.* 14 & 15. Intrigliol. *decis.* 35. *num.* 44. & 45. Scipio Nand. *in prompt. jur. tom.* 1. *tit* 63. *n.* 1. Castill. *quotid. controv. cap.* 104. *n.* 3. *lib.* 5. Rota *decis* 76. *num.* 1. & *decis.* 199 *part.* 3. *recent.* & *decis.* 176. *n.* 13. & 14. Gatz. *de N. bilit. gloss* 20. *n.* 6. *gloss. in cap. Michael,* 13. *verbo constituit, de fil. presbyt.* qui omnes, licet loquantur de probatione filiationis, id quoque procedit in probatione fraternitatis : Batt. *in l. nonnullæ* 14. *in fin. ff. de probat. conc.* 411. *n.* 9. & 790. *num.* 16. Rota *post cons. crimin. Farinac. decis.* 72. *n.* 1. *in fine.* Sicut è converso ex ratione fratrum probatur filiatio : Nogueroll. *alleg.* 25. *n.* 79. Mascard. *d. consil.* 190. *n.* 15. Rota *decis* 76. *tom.* 2 *part.* 3 *recent.* Gratian. *discept. cap.* 653. *n.* 70. *vers. quibus accedi,* & *n.* 71. Hodiern. *de enunciat lib.* 2. *q.* 33. *n.* 19. 20. & 21.

Quo stante non potest dubitari Matrimonium primum 49
fuisse nullum, ex Sacro Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reformat. matrimonii, cap.* 4. ubi plurimos refert Barbosa, *de offic. & potest. Episcopi, part.* 3. *allegat* 55. *n.* 165.

Et ita, &c. Anna tantum informante, & Lucretia sæpius citata, & informare reculante.

Tridentina Matrimonii, Mercurii 27. Junii 1646.

Coram R. P. D. Celso.

SUMMARIUM.

1 *Pactum de non recedendo à certo loco initum inter conjuges, an sustineatur, est quæstio valdè controversa.*
2 *Pactum prædictum sustinetur secundum aliquos.*
3 *Pactum præfatum non sustineri defendunt multi Doctores.*
4 *Uxor tenetur sequi virum, non obstante pacto de non discedendo à certo loco, si justa supervenial causa discessus. Amplia ut num.* 5.
6 *Infirmitas est justa causa ob quam Maritus possit discedere loco, à quo non se discessurum convenit cum uxore, & num.* 8.
7 *Medicis deponentibus de infirmitate standum est, tanquam peritis in Arte.*

6 *Aëris intemperies, propter quam imminet periculum contrahendi infirmitatem, eſt juſta cauſa, ut maritus non teneatur obſervare promiſſionem factam uxori de non diſcedendo à certo loco.*

10 *Inimicitia eſt juſta cauſa, ob quam Maritus non tenetur ſervare promiſſionem de non diſcedendo à certo loco.*

11 *Bonorum defectum excuſat à pacto inito per maritum de non diſcedendo à certo loco.*

12 *Cauſa legitima quanam dicatur, ut maritus poſſit recedere à certo loco, non obſtante promiſſione facta uxori de non diſcedendo, remittitur arbitrio Judicis.*

13 *Arbitrium regulatur à Jure.*

14 *Incontinentia occaſio non eſt danda.*

DECISIO LXXXVIII.

IN Capitulis Matrimonialibus inter Jacobum Ferrum, & Evam Schaiteriam initis conventum fuit, quod idem Ferrus teneretur habitare in Germania, præcipuè Auguſtæ, ſive Bulſani. Verum quia ob aëris intemperiem ſibi penitus adverſi, & inimicitias capitales contractas, non poterat ibi morari niſi cum maximo vitæ diſcrimine; ideo ad Civitatem Bononiæ, ejus Patriam, una cum dicta uxore ſe conferre decrevit, ſed recuſante ipſa è Germania diſcedere, & lite in partibus introductâ, pluries emanarunt hinc inde ſententiæ. Prima nempe ad favorem Jacobi; Secunda verò, & tertia illius moderatoriæ; à quarum ultima cùm appellatio fuerit mihi commiſſa, propoſui dubium: An Ferrus teneretur ſervare pactum de non traducendo uxorem extra loca conventa? & Domini ipſo tantum informante fuerunt negativam amplexi.

1 Nam licet ſatis controverſa ſit quæſtio, an pacta hujuſmodi inter Conjuges de non recedendo à certo loco, veniant
2 de Iure ſervanda? cujus affirmativam tenet Villalob. *comm. opin. verb. Uxor, n. 74.* Emanuel Suarez *receptar. ſent. eodem verb. 110.* Pont *de matrim. lib. 12. cap. 20 n. 8.*

3 Negativam verò latè tuetur Covar. *tit. de Matrim. part. 2. cap. 7. n. 5* Gomeſ. *var reſolut. tb. 2. cap. 10. de individ. num. 24.* Sanchez. *de ſponſal. & matrim. cap. 4. n. 37. & ſeqq.*

4 Certum eſt tamen, quod quando juſta & legitima ſupervenit cauſa ob quam Maritus in loco conventu inhabitare non valet, nunc Uxor Mariti tenetur ſequi, etiam non obſtante pacto; Abb. *in cap. 1. num. 5. verſ. & hoc verum, qui matrim. accuſar. poſſ.* ibique Præpoſit. *eodem numero, verſ. niſi novum caſum.* Hoſtienſ. & Ioannes Andreas *in prin.* Butr. *n. 9. verſ. quæro*, Anchar. *num. 5.* Tiraquell. *de legibus connub. lib. 1 gloſſ. 1. num. 37. in fin. verſ. atque etiam*: Palac. Ruvios *in rubr. de not. inter virum & uxorem, § 2. n. 3. verſic. quod non intelligunt* Rebuff. *de privil. Schol. privil. 76. num. 6. verſ. eodem tenore.* Simon de Præt. *de interpret. ult. volunt. lib 4. d. b. r. 8 n. 55. v. rſ. intellige, & declara*: Gurb. *ad conſuetud. Meſſan. part. 1. cap. 1. gloſſa 1. num. 49. verſ. & ſi Matrimonii tempore*: Azorel. *lib. 6. cap. tit. 3. leg. 29. circa finem*: Cancer. *variar. lib. 3. cap. 7 num. 9. verſ. niſi aliqua*: Burſat. *conſil. 207. num 13 verſ. Maritus tamen*: *lib. 2.* Bimius *conſil. 253. n. 47. lit. 3.* Capyc. Tholoſ. *deciſ 87. num. 1. verſ. niſi aliud*: Capyc. *deciſ ne 135. num. 2.* Urſill. de Affli. *ct. deciſ. 307. num. 7. verſ. & melius*: Franciſc. Marc. *deciſ. Parlam. Delphin. 740. num. 2. verſ. & hoc verum, part. 2.* & fuit deciſum *in Faventina Dotium 11. Martii 1624. coram bon. mem. Cocino.*

5 Quæ opinio procedit, etiamſi hujuſmodi pactum fuerit juramento firmatum; ut probat Abbas *in dict. cap. 1. n. 5. verſ. num ſi daretur*: ibique Alexander de Nævo *num. 6. qui Maritus non accuſare poſſ.* optimè Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 40. num. 3 & 4.* quem refert & ſequitur Pont. *eodem tractatu, cap. 10. n. 8 in fine, verſ. limitanda tamen libro 11.*

6 In propoſito autem caſu ſatis docet Ferrus de ſuperveniente juſtæ cauſæ, dum probat neceſſitatem recedendi à locis conventis, & revertendi ad patriam, ad effectum ſe liberandi ab infirmitatibus jam incurſis; ut conſtat ex depoſitionibus teſtium, & præcipuè Medicorum, quibus tanquam in
7 Arte peritis ſtandum eſt: *leg. ſeptimo menſe. ff. de ſtatu hominum. leg ſemel, Cod. de re milit. lib 12.* Batt. *in l. 2. num 3. verſ. quæro: de teſtam.* Bald. *conſil. 137. num. 1. verſ. de quo ſtandum eſt lib 2.* Rota *diverſ. deciſ. 610. n. 3. part 1.* & coram ſanctæ mem Gregor. *deciſ. 125. n. 9.* Cavaler. *deciſ. 210 num. 6 & deciſ. 778. num. 2.* coram Buratto.

8 Quæ quidem cauſa infirmitatis ad effectum, de quo agitur, juſta, & ſufficiens reputatur; per Sylveſtr. *in Summa, verb. uxor, quæſt 8 verſ. quis ſic*: Angel. de Clavaſ. pariter *in Summa eodem verbo, n. 9. verſ. niſi poſt pactum.* Et in ſpecie de in-
9 firmitate contracta, vel periculo illam contrahendi ob cœli intemperiem, & aëris inſalubritatem, firmat Hoſtienſ. *in ſumma. tit. de conjug ſervorum, num. 5 in fin.* Henric. Bohic. *in cap. deſidn, num. 2. verſ. & dico: de ſponſal.* Capiblanc. *de jur. Baron. pragmat. 9. ſub num. 51. verſ. limita*: Palaëz *de matorat. part. 1. quæſt. 57. num. 53. & ſeqq.* Sanchez *de matrim. diſp. 40 n. 3.* Farinac. *de delict. carn. quæſt. 142. n. 281.* Cappell. Tholoſ. *dict. deciſ. 87. num. 1. verſ. niſi aliud.*

Concurrit etiam cauſa inimicitiæ contractæ in dictis locis, 01
de qua deponunt idem teſtes *in Summa Jacobi num. 4* quam patiter eſſe legitimam, & ſufficientem, ultra Doctores proximè allegatos probat Navar. *in Manual. cap. 14. ſub num. 10. verſ. niſi vero*: Bernard Diaz *reg. 800. verſ. qui ponit exemplum*: Ricc. *in collect. deciſ. collect. 1789. verſ. ubi limitat.* Et 11
quod Iacobus omnia ſua bona habet Bononiæ, & nihil penitus poſſidet in locis prædictis, neque in tota Germania; ita ut malè, & cum maxima jactura ſuæ ſubſtantiæ ibi domicilium perpetuum retinere poſſit.

Et hanc ſententiam eò libentius Domini fuerunt amplexi, 12
quia cauſa recedendi ab hujuſmodi pacto, remittitur ut plurimum arbitrio Iudicis, qui perpenſis omnibus circumſtantiis, poteſt ex facti contingentia omnia ejus arbitrio moderari: ad tradita per Matſtrill. ad Capyc. *deciſ. 135. num. 8.* Menoch. *de arbitr. caſ. 469. per tot.* & facit text. *in leg. Mavia, §. uxore ff de annu. legat.* Et in dubio cum arbitrium regulet- 13
tur à jure eam Iudex debet capere reſolutionem, quod uxor virum ſequi teneatur: ut eſt text. *in cap. unaquæque, 13. q. 2.* Gloſſ. *in c. p. ſi quis neceſſitate, in verb. eum ſequi, in fin. verſ. vel dic: 34. quæſt. 2.* Batt. *in d. l. Mavia, §. uxore, num. 4 ff. de annu. legat.* cum aliis adductis per Tiraquell. *de legib. connub. l. 1. n. 8. & 12.* & tradit Menoch. *de arbitr. cap 364 n. 8. & ſeqq.* Præcertim quia alias daretur occaſio incontinentiæ, ut pon- 14
derat Abb. *in dicto c. p. 1. num. 5. in fin.* Henric. Bohic. *in cap. de ibi, num. 2. verſ. tunc enim, de ſponſal.*

Et ita, &c.

Calaguritana Beneficii della caſa della Reina, Merc. 4. Jul. 1646.

Coram R. P. D. Verospio.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia diæceſis Calaguritanæ ut quis poſſit obtinere, plura debent concurrere requiſita, juxta Conſtitutionem Clementis VIII.*

2 *Beneficia diœceſis Calaguritana in concurſu adjudicari debent ei qui majores habet qualitates, & n 8.*

3 *Beneficia diœceſis Calaguritana in concurſu adjudicari debent ei, qui alia doctrina præeminet.*

5 *Sacerdos præferri debet in concurſu beneficii.*

6 *In concurſu beneficii præferendus venit is, qui aliàs curam animarum exercuit.*

6 *Ætas ſenior probatur ex aſpectu.*

7 *Ætas ſenior attendenda venit in adjudicatione beneficii, quæ fit per concurſum.*

DECISIO LXXXIX.

VAcante autem beneficii medietatem in Patrociali Eccleſia oppidi della Caſa della Reina, per aſcenſum Petri Ruich ad aliud integrum ejuſdem Eccleſiæ beneficium, Didaco Diaz de Medina adjudicandam eſſe, Domini reſponderunt.

Quia dum ex proceſſu coram Ordinario in partibus fabri- 1
cato ſe probat filium naturalem, & patrimonialem ipſius Eccleſiæ, & de tempore vacationis ſe oppoſuiſſe juxta motum proprium Clementis VIII. & approbatum in examine ad curam animarum coram Examinatoribus Synodalibus peracto, ac demum majoribus ſe præditum qualitatibus, quàm in Franciſco Adverſario concurrant; merito illi debet benefi- 2
cium adjudicari: Conzal. *ad regul. 8 gloſſ. 9. n. 81. cum ſeqq.* Lotther. *de re benef lib 2. quæſt. 31. n. 133.* Lara *de Coppe. lib. 2. cap. 2. n. 1. cum ſeqq.* & pluries cenſuit Rota ut coram Gregor. *deciſ. 11. n. 4. & in Calagurit ana Beneficii de Cornago 6. Junii 1641. coram Reverendiſſimo Præſide Vallis Letano in §. quia ex proceſſu: & in Calaguritana beneficii de La Brata, coram R. P. D meo Pentingerio, in principio.*

Has verò majores qualitates probat Didacus ex pluribus Magiſtratibus ac ſcholaſticis actibus in Complutenſi Univerſitate practis; ubi docet etiam Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ curſu expleto, in eadem Philoſophia fuiſſe Licentiatum, & in Theologia Baccalaureatus Lauream obtinuiſſe; ob quam ſcientiæ præeminentiam debet in hujuſmodi bene- 3
ficii aſſecutione præferri, juxta diſpoſitionem text. *in cap. de multa, de præbend. in fine, & in cap. cum in cunctis, de elect.* Rota coram Gregor. *dict. deciſione 11. num. 4. & in Calaguritana Beneficii de Cornago 10. Maii 1639. in §. quia cum, coram R. P. D. meo Ghiſterio.*

Oſtendit

4 Oſtendit præterea ex patentibus litteris ordinarii ſe inſignitum Charactere Sacerdotali, qui in prælatione beneficii alteri concedenda in concurſu, ſolet admodum à Dominis ponderari, teſte Guttierrez *in conſilio ſecundo, num. 22. Lata de Cappellan. dict. cap 3 num. 17.* Rota *in Calaguritana Beneficii de Cornago 20. Maii 1639. coram Reverend. Patre Domino meo Ghiſterio, & 6. Junii 1641. coram Reverend. Præſide Vallisoletano, & in Calaguritana Beneficii de Longon. 27. Aprilis*
5 *proxime preteriti, coram P. D. meo Roxas, in §. nec obſtat:* & quod aliàs Animarum curam exercuit, & ab Ordinario ad audiendas fidelium Confeſſiones fuit approbatus: quas qualitates ad hunc effectum ponderat Lotther. *de re benef. dict. libro 2. quæſt. 31. num. 138.* Rota *in Ripana Pa. ecialis 23. Junii 1608. coram Sanctiſſ. D. N.*

6 Et denique ex ipſo aſpectu ſe in longè majori conſtitu-
7 tum ætate conſtat; quam potiſſimè attendendam eſſe in adjudicatione beneficii, argument. text. *in leg. ultim. Digeſtis, de fid. inſtrument.* notant Bald. *in conſil. 167. in fine, libro 4.* Gutt. *conſil. 1. num. 18.* Lambertin. *de jurepatron. parte 2. lib. 2. quæſt. 5. artic. 13. num 1.* Roch. *cod. tract. verbo honorificum, num. 41.* Rota *in Calaguritana beneficii de Beinas 1. Martii 1619. coram Reverendiſſ. Patre Domino meo Decano.*

Et ex his eliditur approbatio Franciſci ad Curam Animarum per Examinatores à Nuntio deputatos; cum data etiam ſcientiæ paritate, & idoneitate doctrinæ, Didaco debeat beneficium adjudicari qui majoribus ſe præditum qualitatibus oſtendit, ex auctoritatibus ſuprà deductis.

Neque urget defectus præſentationis Capituli quæ præcedere debuiſſet antequam Ordinarius inſtituiſſet Didacum; quia præterquam hæc eadem exceptio obſtat Franciſco, dum agitur de adjudicando alterutri beneficio, ſatis eſt pro victoria oſtendere quòd majores in altero qualitates concurrant ex ſuperiùs deductis.

Et ita utraque, &c.

Farfen. Bonorum, Merc. 13. Januarii 1647.

Coram R. P. D. Corrado.

SUMMARIUM.

1 *Filiatio reſpectu patris directè, atque præciſè probari non valet.*
2 *Filiatio juſtificatur præſumptionibus, & conjecturis.*
3 *Filiatio juſtificatur conjecturis ſive quæſtio ſit cum parentibus, ſive cum aliis.*
4 *Conjecturæ ad juſtificandam filiationem efficaciores requiruntur in deciſoriis judicii, quàm in præparatoriis, & proviſionalibus.*
5 *Natus ex muliere domi retenta ut dicatur ejus qui illam retinet, requiritur quod ad ipſam mulierem nulli alteri pateret acceſſus.*
6 *Patris certitudo excluditur ſi mulier cum pluribus viris habuit commercium.*
7 *Similitudo ex imaginatione mulieris concipientis cauſari ſolet, juxta Juriſtarum ſententiam.*
8 *Imaginatio mulieris prægnantis, pluribus interdum objectis intenta, diverſas ſolet concepto fœtui ingignere qualitates.*
9 *Filiationis argumentum deſumptum ex ſimilitudine nati fallax reputatur à Juriſtis.*
10 *Fama filiationis deſtruitur in contrariis probationibus.*
Filiationis conjecturæ deducta ex tractatu pretenſi patris concludunt contra ipſum tractantem, non autem contra Tertium.
11 *Bona Abbatia Farfenſ. emphyteutica, ſunt tranſitoria ad quoſcunque extraneos.*
Declara ut num. 13.
12 *Hæres gravatus non poteſt diſponere de bonis fideicommiſſi, in præjudicium vocatorum.*

DECISIO XC.

IN alia propoſitione hujus cauſæ fuit reſolutum, Catharinam eſſe immittendam in poſſeſſionem bonorum de quibus agitur: Quia non ſatis conſtabat Octavianum Camillum eſſe filium Tiberii de Soldatis, ita ut per ſubſequens matrimonium inter eum, & Annam contractum, legitimatus cenſeri poſſet; ac proinde capax ſuccedendi eiſdem bonis, quæ ſunt directi dominii Abbatiæ Farfen. ut habetur *in dec. ſub die 9. Dec. 1644.*

Verùm quia poſtea ad coadjuvandam filiationis probationem plures teſtes inducti fuerunt, ideò re denuò diſcuſſa adhuc Domini ſteterunt in deciſis.

Quia licet verum ſit quod filiatio, quæ regulariter reſpectu 1
patris directè, atque præciſè probari non poteſt ex con- 2
jecturis, ac præſumptionibus juſtificatur: *ad leg. Lucius Titius*, ibique Gloſſ. *fin. in leg. quia ſemper, verſ. item quod dicit, Digeſtis, de in jus vocan. & in l. 1. in verb. quoties, verſ. ſed non eſt impoſſibile, Digeſtis, de probat. & in cap. Michael, in verb. confiteris, extr. de fil. Presbyter. & in cap. tranſmiſſa, in verb. indiciis, qui fil. ſint legitimi.* Baldus *in cap. per tuas, ſub num. 4. verſ. oppono, quia difficilis eſt probatio*, ibique Decius *n. 12. verſ. Tertio nota, & ſequentibus, de probat.* Butr. *in dict. cap. tranſmiſſa, ſub n. 10. verſ. concurrit, & verſ. quandoque eſt*, ibique Abbas *ſub num. 10. verſ. quia cum hac res, & Præpoſit. ſub num. 2. in Tertio notab. extr. qui fil ſint legit.* Ang. *in dict. leg prima, ſub num. 4. verſ. Tertio nota*: ibique Salic. *num. 2. verſ. ſed filiationis probatio: Digeſtis, de probation.* Ancharan. *conſil. 225. Videtur prima facie dicendum, numero ſexto, verſ. Cum enim*, Patiſ. *conſilio decimo, num. 39. verſ. & iſtud, ac ſequenti, libro 2.* Burſat. *conſil. 384. ſub num. 18. verſ. tertio & ultimo.* Sard. *conſil. 1 ſub n. 37. verſ. removetur quoque: ac ſeq.* Paleott. *de Noth. & ſpur. cap. 22.* & alii adducti per Lup. *de illegit. comm. 2. §. 3. num. 4. & verſ. præſumitur autem:* Rota *deciſ. 238. ſub num. 2. verſ. nam cum certa. part. 1. & verſ. & in recent, deciſ. 409. num. 1. & deciſ 430. num. 11. verſ. quia cum hac res, & ſeq parte 5. & deciſ 314. num. 1. verſ. ad hunc effectum, parte 6. & in Romana hæreditatis, de Gratian. 7. Februarii 1649. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Roxas, in §. ſed quia*, & ſæpè in aliis: ſive quæſtio ſit cum 3
parentibus, ſive cum aliis, ut probatur *in dicto cap. per tuas, extr. de probationibus, leg ſi vicinis, Cod. de nupt.* Præpoſ. *in d. cap. tranſmiſſa, ante fin. verſ. hoc eſt dubium*, ibi; *ſed poteſt reſponderi: extr. qui fil. ſint legitimi*, Alexand. *conſil. 88. omiſſis tribus primis, ſub n. 9. verſ. tamen iſtis non obſtantibus, lib. 7.* Natt. *conſil. 255. ſub num. 1. verſ. Et hæc aſſertio: ac ſeq.* Rota *dec. 472. num. 8. verſ. ex pradicto Jacobo, parte 1. & dec. 430. n. 14. verſ. quia cum dictum ut eſt, & n. 66. verſ. & regulariter, parte 5. & dict. dec. 314. num. 18. verſ. minus obſtat, ac ſeq. parte 6. recent.*

Hæ tamen in deciſoriis judiciis, in quibus agitur de magno, & perpetuo præjudicio, veluti de ſucceſſione, hæreditate, 4
vel fideicommiſſo, requiruntur efficaciores, quam in præparatoriis & proviſionalibus; ut probat text. *in leg. ſi quis à liberis, §. ſi vel parens, & leg. ſi veget, Digeſtis, de liber. agnoſc.* Baldus *in leg. eam quam, ſub num. 3. verſ. Dic pro ſolutione: Cod. de fideicommiſſ. & conſil. 180. mortuo filio: ſub num. 3. verſ. præterea, lib 3* Aretin. *in dict. cap. per tuas, ſub num. 17. verſ. ex his etiam dicitur, extr. de probat.* Rolandus *conſil. 22. num. 30. verſ. Tertio reſpondetur, libro 3.* Burſat. *dicto conſilio 384. ſub num. 18. verſ. ſecundo dicitur*: Gabriel *conſil. 22. ſub num. 44. verſ. tamen, & num. 45. verſ. credo igitur: libro 1.* Alciat. *in Rubrica, ff. de liber. & poſthum. ſub num. 46. verſic. idque in proprietatis judicio: & de prſ. reg. præſ. 38. ſub. num. 8. verſ. ſecundum eſt*: & diſtinguendo firmavit Rota *in recent. dec. 289. ſub num. 1. verſ. & licet ad effectum, parte 1. & dec. 164. ſub num. 9. verſ. Atque hac eo magis procedunt: p. 3. & dict. dec 314 ſub num. 19. verſ. tunc enim, parte 6. & in Romana de Bencilis 19. Novembris 1613. & 28 Novembris 1614. coram bona memoria Ubaldo, ac in Romana filiationis, 1. Julii 1639. §. 1. coram Reverendiſſimo Domino Carillo, & in Roman. fideicommiſſ. de Aeron 13. Julii 1641. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Bichio, in §. caſui noſtro, verſ. præſertim quia non agitur*: quales viſæ non fuerunt hactenus deductæ pro eodem Octaviano Camillo.

Nam teſtes pro ejus parte examinati deponunt quidem quod illa mulier concepit, ſeu prægnans apparuit eo tempo- 5
re, quo degebat, & famulabatur in domo præfati Tiberii, ſed non benè concludunt quod nullus alius tunc aditum ad eam haberet, vel ejus ſolius contemplatione retineretur, ut neceſſarium eſſet ad inferendam hanc legitimam præſumptionem quod ex eo conceperit: *Auth. quibus modis natur. effic. ſui: cap. 12. ad fin. verſ. ſi quis autem defunctus fuerit*, ibi, *talibus enim ſolummodo hoc ſancimus, ubi omninò indubitatus eſt, & concubina in domo affectus, & filiorum ibidem proles, &c.* Bald. *in leg. filium, ſub numero 17. verſ. ſed pone, quidam puer natus eſt ff. de his qui ſunt ſui vel alieni juris: & conſil. 129. num. 3. verſ. circa ſecundum, lib. 2.* Alexander *conſil. 137. circa primum dubium: ſub num. 2. verſ. niſi illa fuiſſet, lib. 5.* Ruin. *conſilio 109 ſub num. 12. verſ. Item ad hoc: lib. 3.* Roland. *conſilio 67. num. 12. verſ. præmitto unum, &c. lib. 3.* Alciatus *in dicta rubrica, de liber. & poſthum. ſub dict. num. 46. verſ. ſed etiam quod ſit filius*: Paleott. *de Noth. & ſpur. cap. 16. ſub num. 6. verſ. ſicut nec ii, & verſ. ſi tamen*: & fuit dictum

in

in dict. Romana hæreditatis de Gratianis 7. Februarii 1642. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Roya, in §. quinta elicita fuit: ac in dicta Romana fideicommiſſis de Arron. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Bichio, in §. caſui noſtro non applicatur.

6 Eoque magis cum adverſentur alii teſtes Catharinæ affirmantes eandem mulierem de anno 1638. & 1639. quo viſa fuit gravida, cum aliis quoque nonnullis vitiis quos ipſi nominant convellati ſolitam fuiſſe, unde patris ceſſitudo magis excluditur, ad text. *in leg. vulgo concepto*, cum *ibi* not. per Gloſ. *in verb. vulgo*: & DD. *ff. de ſtatu homin.* Socin. jun. *conſil. 86. ſub num. 36. verſ. nec ratio. lib. 2.* Natt. *conſil. 205. ſub n. 2. verſ. & maximè*: ac jeq. Paleottus *de noth. & ſpur. dict. cap. 26. ſub num. 5. verſ. 5. quod ſi nihil*: & *ſeq.* & in terminis reſpondit Rota *in d. dec. 289. ſub num. 2. verſ. conſtat enim: p. 1. recent. & in dict. Romana filiationis, coram Reverendiſſimo Domino Carillo, in §. & quidem prima provenit ex eo*, & alios refert Modern. Roman. *diſcept. 562. ſub n. 13. verſ. nec facit alia conjectura, & ſeq. verſ. quibus additur.*

Nec movit Dominos formæ hujus pueri, ac Tiberii ſimi-
7 litudo, de qua teſtes deponunt: Quoniam ex (ut Noſtri plerique ſentiunt) ex ipſius mulieris imaginatione maximè cauſa-
8 ri ſolet, quæ pluribus interdum objectis intenta, diverſas ſolet conceptio ſortiri ingignere qualitates: Ideòque argumentum in ſe deſumptum quaſi ipſius naturæ teſtimonio munitum, fallax omnium eſt; niſi alia certiora concurrant, ut con-
9 curebant in illis caſibus, in quibus à Rota id fuit aliàs approbatum, juxta Gloſſ. fin. *in leg. quæret aliquis, verſ. ſed accidet ſortè, Digeſtis, de verb. ſignificat.* & ex Noſtris probant Bart. *in leg. Gallus, in princip. n. 14. verſ. ſed hoc quod dicit de aſſimilatione*; ſeique latè proſequitur Fortun. Garz. *n. 118. verſ. Alia fuit opinio*: & *ſequent.* Caſtr. *conſil. 115. ſuper primo ſub n. 3. verſ. nec in hoc iuvat.* Pa iſ. *dict. conſil. 10. num. 19 verſ. ſimilitudo etiam, ac ſeq. lib. 2.* Decian. *conſil. 1. num. 117. verſ. decimoquinto, lib. 3.* Menoch. *præſumpt. 53. à num. 45. verſ. quinta eſt conjectura*, & *ſeq. lib. 6.* & *de arbitrio tudic. caſ. 89. num. 97 verſ. quinta conjectura*, & *ſeq.* Lup. *de illegit. com. 2. §. 3. num. 47. verſ. traditur inſuper.* Tiraquellus *ad leg. connubial. leg. 7. ſub num. 52. verſ. illud autem*: Guliel. Benedict. *in repetit. cap. Raynutius, part. 3. in gloſſa, quamvis ex eo juſ ipſius, ſub num. 18. verſ. addunt nonnulli*, & *ſeq. de teſtam.* Rota *in dict. Romana filiationis, coram Reverendiſſimo Domino Carillo, in §. ſexta denique conjectura.* & *dec. 164. num. 7. verſ. nec verò, parte 3. recent.* & alii cumulati per Modern. Roman. *diſcept. 567. à n. 32. verſ. quibus addendum*, & *ſeq.* Alphonſus Carranz. Hiſpan. *de part. natural. & legit. cap. 20. à n. 42. verſ. quinto quæritur*, & *ſeq.*

Fama verò ac reputatio communis legitimè non probatur
10 per teſtes Octaviani Camilli, ut neceſſarium eſſet; immò contrariis evertitur: juxta theoric. Bartol. *in leg. de minore, §. plurimum, ſub num. 4. verſ. veniamus ergo*, & *ſeq. ff. de quæſt.* Ruin. *conſil. 57. num. 7. verſ. poteſt etiam dici, ib. 5.* Rota *in d. Romana fideicommiſſi de Bonellis, 28. Novembris 1614. coram bon. mem. Albaldo, in §. nec quidquam faciunt teſtes*, & *dict. dec. 164. num. 9. verſ. non obſtat fama, parte 3. rec.* & *in dict. Romana filiationis, 2. Julii 1639. in §. nam prima deſumpta ex fama, coram præfato D. meo Carillo.*

Cæteræ autem conjecturæ, quæ deducuntur ex magna prædicti Tiberii ſollicitudine de muliere, ac partu, quem in domo propriæ ſororis emiſit ac ſuſcipi curavit: Ex pueri tanquam proprii ſibi educatione, tractatu, reputatione, confeſſione, ac demum inſtitutione hæredis univerſalis; ſuadent quidem ab illo agnitum fuiſſe ſuum, ſed non probant, aliis non concurrentibus eam eſſe talem, in præjudicium Tertii agentis ex fideicommiſſo, inveſtitura, vel alio titulo independenti ab ipſo Tibero: Nam aliàs facilè unicuique eſſet ejuſmodi attibus filios ſibi progignere, ad excluſionem legitimorum ſucceſſionum: ut advertit laſo. *conſil. 81. In hac cauſa, n. 2. verſ. Dico quod iſta aſſertio & enunciatio*: & *conſil. 106. Spectabilis & Clariſſime Domine: n. 2. verſ. ſecundo*, & *ſeqq. libro 1.* Alciat. *in dict. rubr. de lib. & poſthum. ſub dict. num. 46. verſ. tum enim non ſubſit ratio*: Gratian. *conſil. 240. num. 44. verſ. nec obſtat & ſequentibus, lib. 1.* Natt. *conſil. 473. ſub n. 24. verſ. ad contraria*: Surdus *conſil. 552. num. 21. verſ. tamen hoc procedit*: Rota *in recent. dict. deciſione 164. num. 8. verſ. Item alias part. 3.* & *deciſion. 645. ſub num. 4. verſ. primo quod, parte 5.* & *dict. deciſione 409. num. 33. verſ. Deciſione vero*: ac *deciſione 397. ſub num. 11. verſ. quoniam aſſertio*: & *ſequentib. ubi num. 6. verſ. quo vero ad concluſuram*, & *ſeqq.* benè declarantur dicta *in antecedenti deciſione 409.* procedere reſpectu ſucceſſionis illius, à quo actus prædictus emanatur, non autem reſpectu Tertii: *p. 5.* & *in d. Romana de filiis de Arron. coram R. P. D. meo Bichio, in §. caſui noſtro.* & alii relati per Modern. Roman. *dict. diſcept. 562. n. 77. verſ. Ex ratione*: & *ſeqq.*

Nec vitium fuit relevare, quod hæc bona ex Statuto & 11
conſuetudine Abbatiæ eſſent ad quoſcunque etiam extraneos tranſmiſſa, ut fuit dictum *in Farſen. bonorum 19. Decembris 1614. coram bon. mem. Buratto. deciſion. 87. recent. deciſor. 642.* Ideò juſtè potuerit Tiberius inſtituere in illis hæredem dictum Octavianum Camillum.

Nam quoad eam partem, quæ ſubjacet fideicommiſſo per 12
Octavianum ejus Patrem ad favorem ejuſdem Catharinæ ordinato, in caſu, in quo ille deceſſiſſet ſine filiis legitimis & naturalibus, ut conſtat ex teſtamento condito die. . menſis M. . ii, anno 1627. non poterat ſanè de illa in extraneos diſponere præjudicium ſubſtituti, *l. qui filium, in fin. princip. ff. ad S. C. Trebell. leg. fin. §. ſed quia noſtra*, & *ſeq. Cod. comm. de leg.* Gloſſ. *in l. conſequimur, §. 1. in verbo, teſtatur, in fin. ff. de jur. Codicill.* Socin. jun. *conſil. 72. num. 46. verſ. nec aliter: libro primo.*

De reſiduo autem, ratione detractionum, vel alia parte ad 13
ipſum proprio jure ſpectante, minus potuit in favorem illius diſponere: nam eſto quod hæc bona ejuſmodi ſint naturæ, ut extraneis relinqui valeant; id tamen intelligi debet de his qui alias capaces exiſtunt, non verò de incapacibus, qualis eſt Octavianus Camillus, ceſſante prætenſa legitimatione, ut fuit *in anteced. deciſione* probatum *leg. ut gradatim. §. & lege, ff. de muner. & honor.* Bald. *conſil. 207. Quæſtio eſt, ſpurius. n. 3. verſ. quid ergo eſt, ſic* 2. Roin. *conſil. 105. n. 11. verſ. Predicta etiam: lib. 3.* Gabr. *conſil. 83. à num. 3. verſ. Verum puto*: & *ſeq. per tot. & conſil. 84. num. 36 verſ. primo quia*: & *ſeq. uſque ad finem, lib. 2.* Bim. *conſil. 2. ſub num. 66. verſ. nam licet*, & *ſequent. lib. 1.* Franc. Caſd. *de jur. Emphyt. lib. 2. quæſt. 7. ſub num. 39. verſ. quod tamen juris repugnat*: & latius *quæſt. 19. à num. 28. verſ. ex eo igitur*, & alii relati per Modern. Roman. *diſcept. 118. n. 35. verſ. quinta concluſio*, & *ſequenti*, & *diſcept. 758. à n. 12. verſ. quo vero ad nominationem*, & *ſeq.*

Et ita fuit deciſum utraque parte informante.

Piſaurenſis Jocalium, 22. Junii 1648.

Coram R. P. D. Arguelles.

SUMMARIUM.

1 *Jocalia tranſmiſſa per ſponſum ſponſæ animo donandi repeti non poſſunt, etiamſi ſint pretioſa.*

2 *Donatio irrevocabilis tenet etiam in pretioſis.*

3 *Jocalia quæ ſponſa maritum miſit non animo donandi, reſtituenda ſunt marito, vel ejus hæredi ſi matrimonium diſſolvatur.*

4 *Jocalia pretioſa in dubio non cenſentur uxori donata, ſed conceſſa ad uſum.*

5 *Jocalia pretioſa quæ donata non præſumuntur, reſtituenda ſunt, diſſoluto matrimonio.*

6 *Donatio nunquam præſumitur.*

7 *Veſtes & ornamenta pretioſa nunniſi ad uſum uxori conceſſa cenſentur.*

8 *Jocalia pretioſa nunquam cenſentur uxori donata, ſive ante, ſive poſt conſummatum matrimonium fuerint ei tradita.*

9 *Jocalia tranſmiſſa ſponſæ ut ornatior compareat, non dicuntur donata.*

10 *Animus alicujus probatur per teſtes deponentes ex certa ſcientia, ac de publica voce, & fama.*

11 *Animus & voluntas Teſtatoris probatur per duos teſtes.*

12 *Teſtes ſingulares admittuntur ad declarandum animum alicujus.*

13 *Animus alicujus probatur per duos teſtes conteſtes licet minus idoneos.*

14 *Teſtis unicus & ſingularis non probat.*

15 *Jocalia non præſumuntur donata per maritum uxori, per verba blanda, & jocoſa.*

16 *Jocalia non præſumuntur donata, licet maritus dicat donare, illoque eſſe uxoris; quia intelligitur de donatione ad uſum.*

17 *Jocalia pretioſa donata non præſumuntur, neque inter Magnates.*

18 *Jocalia pretioſa à ſponſo non divite, ejus qualitate attenta non præſumuntur donata.*

19 *Jocalia pretioſa non præſumuntur donata, neque inter Nobiliſſimos, ſi attento eorum gradu ſponſum divites dici non poteſt.*

20 *Nobilitas & divitiæ non ſufficiunt pro præſumptione donationis, niſi eſtimatio à Nobili geſtum conveniat donationi, & agatur de rebus non magni valoris.*

21 *Donationis*

21 *Donationis Iocalium præsumptio non intrat ex eo quod sponsus sit senex, & sponsa juvenis, quando juventus ex aliis compensata remanet.*
22 *Solutio plures in partes divisa, incommodissima est creditori.*
23 *Dotis exiguitas detrahit juventutis merito:*
24 *Compensatio nulla considerari potest ubi non adest commodum bursale.*
25 *Dos quando est parva, cessat omnis præsumptio quod maritus voluerit uxori donare.*
26 *Conjecturæ cessant ubi constat de voluntate certa.*
27 *Iocalia non pretiosa, & ad quotidianum usum destinata, spectant ad uxorem irrevocabiliter, ideoque non veniunt restituenda.*
Intelligitur n. seqq.
28 *Iocalia non pretiosa restituenda veniunt, quando apparet sponsum non habuisse animum donandi.*
29 *Iocalia etiam non pretiosa in dubio non præsumuntur donata à sponso, sed ad usum concessa sponsæ.*
30 *Iocalia donata per sponsum sponsæ, restituenda veniunt, si matrimonium non fuerit consummatum.*
31 *Sponsalitia largitas facta dicitur ob causam matrimonii.*
32 *Matrimonii conditio, quæ adjecta intelligitur in sponsalitia largitate, non dicitur perfectè adimpleta, nisi sequatur matrimonii consummatio.*
33 *Consummatio matrimonii præsumitur ex eo, quod sponsi simul cubuerint.*
34 *Mulieris testimonium non attenditur, præsertim si sit unica, & ancilla illius pro quo deponit.*
35 *Copula probari debet per præsumptiones violentas.*
36 *Sponsalitiam largitatem ut lucretur uxor, non sufficit præsumptio consummationis matrimonii, deducta ex eo quod sponsus domum sponsam adduxerit suam.*
37 *Ubi in aliquod inducitur ex præsumptione certa, seu ex aliquo facto, non est satisfactum nisi illud factum sit perfectum.*
38 *Intentionis suæ fundamentum quilibet probare tenetur.*
39 *Rem in suis exceptionibus fungi debet partibus actoris.*
40 *Publica vox, & fama multum facit ad probandam copulam.*
41 *Publica vox, & fama multum facit ad probandum quod inter sponsos copula carnalis non fuerit secuta.*
42 *Copulam carnalem sequutam non fuisse præsumptio oritur ex instantia sponsi, ut sponsa cum ipso cohabitaret, vel ingrederetur Monasterium.*
43 *Monasterium ingredi non potest uxor post consummatum, matrimonium.*
44 *Matrimonii non consummati præsumptio oritur ex eo, quod pater sponsæ exegerit creditum, quod fuerat pro dote sponsæ assignatum, ipso sponso vivente.*
45 *Exactio credita delegati bona fide fieri non potest nisi delegationis causa sublata.*
46 *Matrimonii non consummati præsumptio oritur ex præpropera sponsæ migratione è cubiculo.*
47 *Matrimonii non consummati præsumptio oritur ex eo quod sponsa allegat sponsi senectutem.*
48 *Senem amplexum puella fugit.*
49 *Impotentia viri ad coitum ut possit allegari per sponsam, non sufficit quod una nocte sui copiam fecerit, sed tempus convenions expectandum venit.*
50 *Matrimonii consummationem tunc sponsa tenetur probationibus urgentioribus justificare, quando militant præsumptiones in contrarium.*
51 *Sponsa tenetur ad domum viri accedere, & cum eo habitare de jure Naturali, Divino, & positivo.*
52 *Vxor tenetur marito debitum reddere ad filiorum procreationem.*
53 *Procreatio liberorum est finis matrimonii.*
54 *Vxor tenetur sequi maritum ad suum domicilium.*
55 *Vxor recusans adire domicilium mariti, peccat mortaliter.*
56 *Matrimonium contrahens habet pro fine non solum liberorum procreationem, sed omnia quæ veniunt ex natura matrimonii.*
57 *Vita conjugum consuetudo venit ex natura matrimonii.*
58 *Donationis sponsa facta, causâ non secutâ ob culpam ipsius sponsæ, non potest quidquam ex donatione proveniens per sponsam retineri.*
59 *Causa impleta non videtur, nisi plenè sequatur illius effectus.*
60 *Vestes quotidianæ ideo censentur donatæ per sponsum sponsæ, quia computantur in alimentis.*
61 *Vir non tenetur alere uxorem quæ sine justa causa ab eo recedit.*
62 *Mulier debet esse in obsequio viri.*
63 *Vir alit uxorem principaliter propter obsequia quæ ipsi ab uxore præstantur.*
64 *Virum cogere ad præstandum alimenta uxori, quando ipsa uxore, & dote fuit spoliatus, dirum est.*
65 *Vir uxorem indotatam alere non tenetur.*
66 *Partis implementum non sufficit, sed totum venit adimplendum.*
67 *Obligatio ita venit adimplenda, ut implementum non avocetur ab eo, cui fuit adimpletum.*
68 *Possessionem adeptus non videtur is, qui ita pactum est, ut eam retinere non possit.*
69 *Præmium quis referre non debet ex actu pœna digno.*
70 *Donata parentibus sponsæ ob causam matrimonii repeti possunt ab ipsis parentibus, si non sequatur consummatio matrimonii, vel ab ipsa sponsa, ut n. 72.*
71 *Donatio ob causam intercidit etiam quod causa non fuerit secuta ob casum fortuitum.*
73 *Interesse præstare tenetur in donatione ob causam ille, qui non adimplet.*
74 *Sumptus in donatione ob causam factos refacere tenetur is qui non adimplet.*
75 *Pecunia non computantur inter res ad usum quotidianum sponsæ comparatas.*
76 *Quantitas pecuniarum probatur juramento partis, quando constat in genere de traditione pecuniarum.*
77 *Dictum unius, reputatur nullius.*
78 *Donata sponsa à consanguineis viri dissoluto matrimonio restituenda veniunt per sponsam, sive pretiosa sint, sive non: ut n. 80.*
79 *Donata sponsa à consanguineis viri, censentur donata contemplatione ipsius viri.*
81 *Donata sponsæ à consanguineis viri, contemplatione ipsius viri donata præsumuntur, etiamsi sint muliebria.*
82 *Vestes laceratas restituendo non satisfacit mulier cujus culpa matrimonium non fuit secutum, quia tali casu non valuit illis bona fide uti.*

DECISIO XCI.

Dissoluto matrimonio anno 1644. inter Dominam Ce-micissam Mariam Lauram Santinellam & bonæ memoriæ Dominum Camillum Pamphilium; istius hæres coram Auditoribus Eminentissimi Legati Urbinatens. petiit jocalia aliásque res per sponsum sponsæ traditas, ac transmissas; & per sententiam obtinuit condemnari ad restituenda jocalia & vestes pretiosas ac festivas dumtaxat.

Causa appellationis mihi commissa, dubitavi, an, & quæ res veniant per Comitissam restituendæ? Et Domini pro enucleatione dubii, animadvertebant res, de quibus agitur, esse triplicis speciei: *Primò* siquidem, Iocalia auro composita & margaritis gemmisque ornata considerabant. *Secundò*, vestes festivas, & pretiosas. *Tertiò*, vestes quotidianas, aliásque res parvi momenti, & etumenam nummorum.

Posita autem hac distinctione facti, intrat modò distinctio Iuris per Rotam & Doctores communiter amplexata, quoad illas res in primo & secundo loco descriptas, nempè quod aut sponsus tales res sponsæ animo donandi tradidit per se, vel per Nuncium habentem Commissionem ad do- 1
nandum; & tunc intelliguntur donatæ irrevocabiliter, & reperi non possunt per textum *in l. Mater, C. de donat. ante nupt. leg. cum hic status*, §. 1 *ff. de donat. inter vir. & uxor.* juxta intellectum Bart. *in l. penult. §. servus, ff. solut. matrim.* Bald. *in authent. ex testamento, num. 3. C. de collat.* & tunc nihil re- 2
fert quod sint pretiosæ; cum etiam in pretiosis teneat donatio irrevocabiliter: *l. quod adipiscendæ, & l. nuper, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Roman *cons.* 146. Incipit, *Ista quæstio: per tot.* Palacios *in Rubrica de donation. inter vir. & uxor. §. 5.* Fontanell. *de pact. nupt. claus. 7. gloss. 3. parte 6. n. 76.* Rota *dec. 113. n. 1 p. 1. recent.* Surd. *dec. 166. n. 12. & seq.* sanct. mem. Greg. XV. *dec. 474. n. 1.*

Aut verò constat quòd sponsus noluit donare, sed dun- 3
taxat ad usum concedere; & tunc soluto matrimonio restituendæ sunt marito, vel ejus hæredi: *l. mortis suæ causa, in fine. Digestis de donat. inter vir & uxor. & l. commodato §. sicut. Digestis, commodati:* Fontanell. *ubi supra, d. n. 74. circa med. vers. aut verò constat sponsum, &c.* Rota *dec. 113. n. 2 p. 1. recent.*

Aut sumus in dubio, quia non constat de animo sponsi 4
donandi; & isto casu Doct. in varias opiniones devenerunt, ut ex traditis à Barbo *in l. si mulier, §. servus, num. 2. Digestis, solut. matrimon.* ab Angel. *ibi, n. 3.* Imol. *n. 10.* & Castr. *num. 4.* Fontanell. *ubi supra, numero 67.* Rota *decis. 113. n. 2. parte 2. recent.*

Sed communiter in hoc conveniunt, quod quando Iocalia

unt pretiosa. & vestes etiam festivæ, pretiosæ, & magni valoris, non censentur donata, sed transmissa ad usum sponsæ, & sut gratia ipsius sponsi, & ejus honoris, honestius, ac honorificentius incedere valeat; & ideo hæredibus viri veniunt restituenda: per text. *in leg. ut certo, §. interdum, vers. 1. ff. commodati: l sed si vir. bona 31. Digestu, de donat. inter vir. & uxor. l. id vestimentum 21. ff de pecul. & l. Quintus Mutius 27. §. cui legatum 4. vers. si factum*, ibi *sive alterius visionis causa, &c. ff. de auro & argent. leg. l. hoc legatum 45. l. si quid earum 47. Digestis, de leg. 3.* cum aliis per Palac. Rubios *d. § 3 & d. § 4.* Bartol. *in d. l. penult. §. 1. n. 3. vers. tertia opinio. ff. sol. matrimon.* Corn. *cons. 81. n. 10. & seq. lib. 1.* Roland. *cons. 10. n. 15. libro eodem.* Hond. *cons. 30 n. 14. lib. 2.* Surd. *d. dec. 166. num 4. & seq.* Fontanell. *dict. claus. 7. glos. 3. part. 6. num. 74. sub med. vers. aut summa in dubio*: sanct. mem. Greg. XV. *dict. dec. 474. num. 1.* Rota *d. decis. 113. num. 3. p. 1. recent.* & multi alii statim citandi.

5 Quibus sic præmissis in facto, & in Iure, facilis visa fuit resolutio præsentis dubii, quoad res in primo & secundo loco descriptas, quod scilicet cum non probetur per Comitissam, donatas fuisse à spōso; nec à Nuncio donandi facultatem habente, tanquam pretiosas, festivas, magni valoris, & deferendas dumtaxat dum in publicum prodiret sponsa, censentur accommodatæ ad usum; & causâ ac gratiâ mariti, ejusque honoris, ut ornatior sponsa incederet: & ideo cum non versemur in primo casu, hoc sufficit ad effectum, ut dissoluto matrimonio veniant restituendæ: *leg. sicut certo. §. interdum, ff. commodati*: & communiter Doct. *in leg penult §. servis uxoris, ff. soluto matrim.* Bald. *in auth ex testamento, num. 30. C. de collat.* Angel. *cons. 319 num. 2. vers. contrarium*: Anchar. *consil. 181. num. 3.* Castr. *cons. 438. num. 1. lib. 2.* Boërius *in consuetud. Biturican. cap. 8. cellat. 4. post med.* qui dicit ita fuisse pluries judicatum contra Viduas: Afflict. *dec. 315. numero primo & secundo*, qui testatur ita judicasse consilium Neapolitanum tribus vicibus contra Nobiles fœminas: Surd. *d. dec. 166. num. 4. & seq.* Cardin. Mantica *de tacitis. lib. 21. tit. 6. num. 5. & 6. qui de receptissima testatur sententia*: Palat. Rub. *in Rubric. de donat. §. 6 numero quinto & undecimo. à num. 1.* Cancer. *var. resolut. libro primo, cap 9. num. 192.* Ripol. *vers. 10. num 72.* Gomez. *ad leg. 50. Tauri, num. 3.* & alii congesti à Merend. *controvers. lib. 6. cap. 7. num. 2.* latissimè Sanchez *de Matrim. lib. 6. disputat. 25. num 10. & seq.* Cyriac. *contr. 120. num. 50. & 67.* & Rota pluries hanc opinionem sequuta est, ut coram Bisignetto *decis. unica, sub n. 4. vers. quoad vasa, & localia, & num. seq. de donat. inter virum, & uxor. in Vibevetana localium 22. Junii 1589. coram Oranio, in Ferrarien. lucri dotis 13. Martii 1606. coram Manzanedo*, quæ est *supra allegat. dec. 113. p. 1. recent.* & coram sanct. mem. Greg. XV. *dict. decis. 474. & in Romana localium 11. Decembris 1641. coram bon. mem. Merlino in § posito autem &c.* ubi subdit rationem, posse credi maritum tradidisse hæc localia ad pompam, & dignitatem suæ Familiæ ut satisfaceret consuetudini Patriæ; dedecus enim fuisset, si ejus sponsa inculta prodiisset: Ideo
6 reiicienda est præsumptio donationis, quæ nunquam admitti solet dum alia recipi potest: *leg. cum de indebito, Digestis, de probat.* Sanchez, Cyriac. Fontanell. & alii superius allegati, & perpendit Rota *in d. dec. unica, n. 6. coram Bisignetto, de donat. inter vir. & uxor. & d. dec. 113. num. 4. p. 1. recent.* & quod vestes, & ornamenta pretiosa censeantur dumtaxat data ad
7 usum, latè multis citatis, Antonell. jun. *cent. 2. cons. 24. num. 1. & seq.*

Nec ulla distinctio est facienda, an localia tradita fuerint
8 ante, vel post consummatum matrimonium: Quia quocunque tempore inspecto, nunquam censentur donata quando sunt pretiosa; semper enim militat eadem ratio non præsumendæ donationis, dum alia capi potest præsumptio: ut optimè probat text. *in dict. l. sicut certo, §. interdum*, ibi *sponsa forte suæ vel uxori, Digestis, commodat.* Imol. *in leg. penult §. Servus sub num. 12. vers. item attende, Digestis, solut. matrim.* Roland. *consil. 10. num. 13. volum. 1.* Clar. *in § donatio, q. 10 num. 3* Rota *in dict. dec 474. num. 2.* coram sanct. mem. Gregor XV *& dict. dec. 113 part. 1. recent. n. 7. & 9.* ubi prudenter dubitavit de opinione Anton. Gomezii contrarium tenentis; quem postea, & insuper Montalu. & Matienz malè distinguentes apertè reprobavit Guttierrez *pract. quæst. civil. lib. 2. quæstion. 19 per totam*, & reprobat etiam Sanchez *de Matrim. dict. lib. 6. disputat. 25. num. 28.* Rota *in d. Romana localium coram Merlino, in §. nec vero ulla facienda*, & alii per Merend. *ubi supra, n. 4.* & Leo *decis. Valentin. 36. n. 8. & d. dec. 113 n. 9. p. 1. recent.*

Prædictaque certiora sunt in casu nostro, quia nedum pro parte Comitissæ non probatum fuit nos versari in primo casu, prout debuit ad effectum defendendi donationem, quam prætendebat; & sat esset nos versari in tertio casu, nempè in dubio, quod scilicet non constet de animo donandi, ad effectum, ut donatio excludatur: Sed insuper ex depositionibus Testium datis *in Summario hæredis n. 10.* probatur, sponsum 9
prædictas res sponsæ transmississe ut incederet ornatior, *e conforme alle sue pari*, (ut sunt verba testium,) ideo certum remanet, nos versari in secundo casu excludente penitus donationem: ut probant supra allegati, & signanter Fontanell. *de pact. nupt. d. claus. 6. glos. 3. p. 6. n. 74. circa med.* & Rota *d. dec. 113. n. 2. p. 1. recent.*

Et prædictis testibus animum sponsi non donandi depo- 10
nentibus omnino est inhærendum, cum unus sit Avunculus comitissæ, omnes sint formiter examinati, & deponant de certa scientia, & publica voce & fama, ex notatis per Bartol. *in leg admonendi, sub num. 48 ff. de jurejur.* Alexand. *cons. 180. sub num. 6. vers. licet enim, lib. 2.* Gabr. *de probat. concl. 1. n. 8.* & in fortioribus terminis quod ad declarandum animum, & 11
voluntatem testatoris, sufficiant duo testes, tradunt Mantica *de conj. lib. tit. 1. num. 2.* Afflict. *decis. 44. n. 27. vers. testatorem, & n. 29 vers. ex quo probatur*: Rota *dec. 761. num. 13. p. 1. recent.* Imò quod sufficiant testes singulares, Cast *consil.* 12
395. n. 1. vers. isti quidem testes, post med. lib. 2. Aym. *cons. 73. num. 33. & cons. 714 n. 16.* Socin jun *consil. 178. num. 6. & seq. lib 2* Rota *dec. 765. n. 7 p. 2 recent & dec. 1302. num. 1.* Coram Seraphin.

Quodque ad hunc effectum sufficiant duo testes contestes & minus idonei; tradit Signorol. *cons. 188. num. 15.* Man- 13
dell. *consil. 529. num. 2.* ubi de communi: Surd. *consil. 129. n. 28. in fine & consil. 356. n. 12* Mantic. *de conject. ult. volun. lib. 12. tit. 16 sub num 2. & seq.* & Rota *dec. 381. num. 6. & seq.* coram Cavaler. *& in Avenionen. fideicomm. 9. Decembris 1637 §. nec Dominis, coram Eminentiss. & Reverendiss. D. meo Card. Panzirole.*

Absque eo quod quidquam obstet unicus testis à Comitissa datus, *num. 2.* deponens sponsum de his jocalibus & vestibus, dum sponsa exornabatur, dixisse; *Metteteglielo acciò se le goda, perche son sue.* Tum quia ista verba non probantur 14
per testem unicum & singularem, *cap. licet, & cap. veniens, de testibus.* Farinac. *de testibus q. 63. capit. 1. & seq.* Rota *in Florentina seu Bon. de Barbadoris 25 Jul. 1640.* coram Coccino: Tum etiam quia prolata non sufficerent ad inducendam do- 15
nationem, tanquam blanda & jocosa, ad hoc à sponso prolata ut puellæ sponsæ animum, & gemmis, & vestibus, & verbis recrearet; non autem ut inde desumi posset argumentum donationis: quemadmodum dicitur de verbis captatoriis, & blandis *in cap. cum venissent, & ibi* Canonist. *de instit. & in l. ita stipulatum*, ubi Iason *n. 5. ff. de verb. oblig.* latè multis congestis, Gomez *in dict. leg. Tauri 50. num. 3.* & in his terminis Sanch. *de Matrim. de lib. 6. disputat. 25. sub n. 14. vers. at licet. & vers. 3. tui: & num. 15* etsi vir fateatur res esse uxoris, 16
contra Barbos. *& in dict. Romana localium 13. Decemb. 1641. coram Merlino, in §. deducta autem &c. & in dict. decis. 113. num 10. part. 1. recent.* sed juxta subjectam materiam intelligi deberent ad omne pejus de donatione ad usum: ut docet Bartol *in leg. 1. §. nec Castrense n. 10. vers. & ideo puto: ff. de cellat. bon.* Palatios *ad Rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 7. num. 1 & seq. & § 11. à num. 1.* ubi latè multis adductis juribus: optima & singularis Glos. *in l. eum qui in verb. pro cauto ff. si cert. pet.* multi apud Merend. *ubi supra, ad num. 4. vers. quo in casu, &c.* Tusch. *concl. 698 n. 27. in verb. donatio*, cum aliis per Roland. *consil. 10. num. 15. & 16. lib. 1.* & Borgnin. .. 27. *in verb. donatis*, cum aliis per Rotam *decis 64. num. 19. & seq.* Fontanell. *ubi supra, num. 76.* Vrsill. ad Afflict. *decis. 315. num. 1.* Moder. Maceraten. *d. cons. 14. n. 3.* ex Alex. Roland. & aliis.

Nec placuerunt Dominis conjecturæ per informantes pro Comitissa ponderatæ: Nam prima deducta ex Nobilitate utriusque conjugis, non urget: Imò verior est Contraria, quod nempè localia pretiosa, neque inter Magnates, censentur donata; quemadmodum de pretiosis ornamentis traditis 17
à Roberto Malatesta sponso filiæ Ducis Vrbini sponsæ, consuluit Corn. *consil. 81. volum. 1.* & comprobant Ladetch. *consi. 118. n. 3. & 4.* Honded. *cons. 30. vol. 2.* & de Magnatibus Regni Vitis primariis, & opulentissimis loquitur Gutierrez *pract. quæst. lib. 2. quæst. 19. num. 4. & 9.* & de familia Iustiniana Clarissima & splendidissima loquitur dict. decis. Romana *localium coram Merlino*: & de familia Sentivolia Nobilissima loquitur dicta decisio 113. *parte prima recent.* quæ *num. 14.* subdit, quod contraria opinio aliquam probabilitatem haberet, si conjuges essent disparis conditionis, quæ disparitas hic cessat. Grat. *discept forens. c. 189. n. 19. & 20.* Surd. *d. dec. 166. num. 21.*

Quæ doctrina caret difficultate, quando Maritus attenta 18
ejus qualitate, non potest dici dives: Cancer. *dict. c. 9. n. 192.* plurimi apud Merend. *ubi supra, num. 30* probantes istam
distinctionem 19

diſtinctionem etiam inter conjuges Illuſtriſſimos: quia non ſolum qualitas, ſed etiam facultates ſunt conſideranda: *leg. ſi filia 43 Digeſtis de legiùm. leg. unico, 60 leg. ſive generalis 61. & leg. cum poſt 69. §. gener a Socero 4. ff. de jur. dot.* Menochius *de arbitr. lib 2. cent. 1. caſ. 88. num. 49 & 50. & cent. 3. caſ. 118. num. 15.* ubi hoc tantum procedere in opulentiſſimis, & Principibus: Barboſ. *in leg. quæ dotis 34. num. 80. verſ. 2. limita ff. ſol. matrim.* Fontanell. *de pactis nupt. d. clauſ. 7. gloſſ. 3. part. 6. num. 77.* Leo *dect. dec. Valentin. 36. num 5* optimè Rota
20 *d. deciſ. 113. num. 3. part. 1. recent.* Imò & Nobilitatem & divitias ſimul non ſufficere niſi actus à Nobili geſtus conveniret donationi, & in rebus non magnis: ex Bar. & aliis contra Barboſ. defendit Sanchez *de Matrim. d. diſp. 25. n. 19. verſ. caterum*: ubi fusè.

21 Secunda verò conjectura deprompta ex ſenectute ſponſi, & juventute ſponſæ, eò minùs viſa fuit relevans: Nam præterquam quod ſenectus iſta non probatur, non infert præſumptio donationis, quando ex aliis manet recompenſata juventus Hond. *d. conſ. 30 n. 26. lib. 2.* Bald. Novell. *in tract. de dot. p. 10. n. 10.*

Et ſatis recompenſata videtur juventus ſponſæ ex eo, quod nupta fuerit cum tam modica dote; quæ licet fuerit ſcutorum trium milium, attamen duo millia erant accipienda in bonis ſtabilibus æſtimatis, & reliqua mille in ſex terminis, &
22 ſex annis, minutatim ſolvenda; quæ ſolutio incommodiſſima eſt creditori: *l. 3 ff. de aliment. & cibar. legat. leg. planè. 3. ff. famil. erciſc.* cum aliis per Gloſſ. *ibi, verb. non minimam*: & per Anton. Fabr *in Rational.* Gait. *de Credito, cap. 4. quæſt. 8.*
23 *num. 1045. & 1046.* ubi in puncto de dote; nam exiguitas dotis detrahit juventutis merito: ut iſtis verbis, Sutd. *deciſione 164. n. 36. in fin.* & concludit Palat. Rub. *ubi ſup. §. 11.* in his pretioſis, non cenſeri donationem nec à Sene factam: quia cum *in §. 10.* loquutus fuiſſet de Sene; poſtmodum *in d. §.* diſtinguit inter pretioſas & quotidianas: quo argumento utitur Sanch. *dict. diſp. 25. n. 19. verſ. Caterum*: Leo, *ubi ſupra, num. 17.*

24 Et nullam poſſe conſiderari recompenſationem ubi non adeſt commodum burſale, dixit Bald. Novell. *d. tract. de dot. p. 10. n. 8.* in puncto de donatione facta Iuveni à Sene: quæ magis ſtringunt in propoſito, ex eo quod Fratres Camilli ſponſi, habuerunt dotes ſex milium ſcutorum, licet fuiſſent
25 minus divites: Et quando dos eſt parva, non præſumitur donatio, etiamſi alias præſumeretur: Palac. Rub. *d. §. 1. n. 14. in fine* Fontanell *ubi ſup. n. 72.*

26 Et tandem iſta conjectura nihil omnino poteſt operari, quando conſtat de voluntate (prout in caſu noſtro) Sponſi non donandi; ut probant omnes ſupra allegati: quibus addi poſſunt Honded. *d. conſi. 30 num. 25. lib. 2.* Gail. *obſerv. 144. num 6. lib. 2.* Cardin. Seraphin. *dec. 712. num. 4.* Reverendiſſ. Vrgellen *deciſ. 405. num. 10.* Rota *dec. 478. n. 10 p. 4. tom. 2. recent.*

Et hæc concordes Domini dixerunt quoad res in primo & ſecundo loco deſcriptas, & in ſententia de partibus enumeratas, nempè filum Margaritarum, jocale aureum adamantibus ornatum, duos annulos aureos cum rubino, & adamante in eis aptatis, inautes aureos cum Margaritis ex eis pendentibus, & veſtes ſericas ut vulgò dicitur, *L'habito di Broccato Roſino, e la veſte di Broccato bianco.*

27 Quo verò ad alia in tertio loco deſcripta Domini non fuerunt concordes: quia licet pro majori parte cenſuerint quod ea tanquam non pretioſa, & ad quotidianum uſum deſtinata, irrevocabiliter ſpectent ad viduam ſuperſtitem; & ideo non veniant reſtituenda; Afflict. *deciſ. 315. num. 3.* & *ibi* Add. *verſ. veſtes miſſæ uxori*: & Vrſill. *num. 1.* Menoch. qui admittit Iudicis partes eſſe hoc arbitrari *caſ 215. n. 15. de arbitrar. Iudic.* Gutierrez *pract. quæſt. lib. 2. quæſt. 19. num. 9.* Cyriac. *contr. v. 120. num. 54. & 72.* Sutd. *deciſ. 166. num. 8.* Sanchez *de Matrimon. libr. 6. diſputat. 25. num. 10. 11 13 22. 23. 24 25. & ſeq.* Fontanell. *de pact. nupt. d. clauſ. 7. gloſſ. 3 p. 6. num. 54. 55. 56 & 58* ubi de veſtibus arbitrandis à Iudice: *& d. clauſ. 7. gloſſ. 3 p. 7. num. 89.* Bartol *in l. in hâc §. 1. ff. ſolut. matrim.* Bald *in leg. cum ate, col. fin. Cod. de donat. ant. nupt.* Peregrin. *deciſ. 140 num 3.* Caſtill. *deciſ. 93. num. 9* Rota *in d. Romana ſocialium coram Merlino, §. finali*, Com. *ubi ſup. n. 4. ad fin.* Menoch. *de arbitr caſ. 88. n. 51. & caſ. 218. n. 8.* ub. plures Sanch. *de Matrim. d. diſput. 25. n. 20.* & alii per Merend. *d. c. 47. n. 5.*

28 Unus tamen ex Dominis ajebat in præſenti caſu non ſolum veſtes pretioſas, ſed etiam quotidianas, & omnia alia parvi etiam valoris eſſe reſtituenda: Quia quando apparet de animo non donandi, nihil, nec modicum quidem apud ſponſam remanere debet, ut probant omnes allegati *in principio deciſionis*: Ex quibus multi etiam in dubio dixerunt, non
29 præſumi donata, ex allegatis à Fontanell. *ſupra n. 67.* Vrſil. ad Afflict. *dec. 315. n. 1.* Sanchez *d. diſp. 15. n.* .... At in præſenti, teſtes *in Summ. hared. n. 10.* deponunt Dominum Camillum voluiſſe dumtaxat ad uſum commodare, non autem donare: 30
ſed ſi intelligeretur donatio adhuc omnia eſſent reſtituenda, quia omnes præcitati Doctores loquuntur, non ſolum quando Matrimonium eſt ratum, ſed etiam quando eſt conſummatum; aliàs nihil ſponſam lucrari: Gregor. Lopez *in lib. 3. tit. 21. p. 4* Gomez *in l. 50 Tauri n. 3* melius Palat. *d. Rubr. § 4. in pr. & in l. 52. Tauri n. 16.* Sanchez *d. lib 6. de Matr. diſp. 19. n. 2. & 3.* optima omnes ratione; quia cum iſta ſponſalitia 31
largitas facta ſit ob cauſam Matrimonii *l. cum veterum 15. C. de donat ante nupt.* ubi DD. non accedente conſummatione, non eſt perfectè adimpleta conditio. 32

Nec dicatur, conſummationem præſumi ex eo, quod ſimul ſponſi cubuerint: Nam ultra quod hoc non probatur, ſolum enim producitur cujuſdam Ancillæ teſtimonium, quæ nihil aliud dicit, quam quod ſponſi remanſerant ſoli in cubiculo; quæ cum ſit mulier Ancilla, & unica, eam nihil probare 34
clarius eſt, quam ut probatione indigeat: Farin. *de teſt. q. 59. n. 4. & 37. & quæſt. 55 n. 57. & n. 113. & quæſt. 63. c. 1. num. 1.* Et etiam admiſſa hac depoſitione, nihil relevat, quia ad probandam copulam, præſumptiones debent eſſe violentæ: *cap. præterea. 27. de teſtib. c. exiſterit 12. c. 3. loco 13. de præſ.* Rota 35
multis citatis *in Romana nullitatis Matrimonii 19. Ian. 1646. § & in hac materia, coram me*: Et quod ad lucrandam largi- 36
tatem ſponſalitiam non ſufficiat præſumptio conſummationis Matrimonii, reſultans ex eo, quod Sponſus traduxerit Sponſam ad domum ſuam; docet Abb. *in c. fin in fi de ſponſal.* & aliis citatis Sanchez *d. lib. 6. diſp. 19 n 4* reprobato Gregorio Lopez.

Nec intereſt, quod opponitur in facto: Quia ut benè notat Abb. *in d. c. fin. de ſponſal. n. 2.* ubi jus aliquod inducitur ex 37
præſumptione certa, ſeu ex aliquo facto; non eſt ſatisfactum, niſi illud factum ſit perfectum: quæ ſunt ipſius Abbatis verba, & optimus ille textus ad propoſitum.

Et cum hoc ſit ſuæ intentionis fundamentum, id tenetur 38
probare: quia in exceptionibus reum partibus actoris fungi oportere, ipſumque exceptionem velut intentionem implere, 39
his verbis Ulpian. ait. *in leg. in exceptionibus 19. ff. de probat.* & ad idem eſt textus *in l. ab ea 5. l. ſi pactum 9. l. quoties 18. eodem tit. lib. 1. ff. de excep* cum aliis per Gl. & Gotofred. *ubique.*

Imò è contrario pro non conſummatione Matrimonii, multa videntur urgere. Primò teſtes, qui deponunt ſe id audiviſſe ſæpius à Domino Camillo, & de publica voce & fama, 40
quæ cum multum attendatur, etiam ad probandam copulam *c. præterea 27. de teſtib. c. 2. de conſanguin & affinit.* à fortiori 41
pro non copula facit.

Secundò, confeſſio Iudicialis ejuſdem ſponſi, dum petiit 42
ut ſponſa cohabitaret, vel Religionem intraret: quod ultimum fieri non poterat Matrimonio conſummato *c. ex publico, de conſanguinit. & affinit.* Sanchez cum multis *de Matrim. lib. 2. diſp. 22 & 24. per tot.* 43

Tertiò, non leve argumentum eſt Matrimonii non conſummati, quod Pater ſponſæ dotem promiſſam Camillo, à 44
debitore eidem delegato exegit, vivente eodem Camillo; 45
quod contra bonam fidem factum fuiſſet, ſi Matrimonium non habuiſſet pro deſperato.

Nec levis præſumptio eſt, ipſa propera, & anteluciana 46
ſponſæ è cubiculo, ſive è cubili migratio, ut colligitur ex cujuſdam Poëtæ verſu.

Nec mora priſſinit tunicâ velata rerinctâ, &c.

Et unus ex teſtibus Avunculus ſponſæ pro argumento non conſummationis adducit, noluiſſe ſequi Maritum.

Accedit, quod ipſa allegat ſenectutem ſponſi, & licet non 47
ſatis probetur, ſufficit tamen ad præſumendum, quod eum tanquam Senem aſpexerit, imò deſpexerit, ut ex alio Poëta. 48

Et Senùm amplexum culta puella fugit.

Nec ſe excuſare poteſt à culpa, ut prætenditur ab informã- 49
tibus pro ea: quia non ſufficit copiam ſui nocte una Marito feciſſe: nam debuit tempus conveniens expectare: ad tradita per Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 108. n. 21.* Narbon. *de stat. ann. 50. q. 6. n. 1.* quia ut ait Salyticus.

Quod non eſt hodie, cras erit!

Et magis in puncto Plaut. *Summa tamen excuſationis mea hæc eſt: Placebo tibi, ſi me culpam emendare permiſeris.*

Ex quibus præſumptionibus oritur ſaltem quod ſponſa 50
majoris probationis onere prægravetur: Gloſſ. & DD. *in leg. tranſactione, C. de tranſact.*

Sed & forte ſufficeret, etiam conſummato matrimonio, 51
noluiſſe ſponſam ad Viri domum accedere & cohabitare, ad quod de jure naturali, divino, & poſitivo teneri docet Sanch. *ſupra, l. 9. diſp. 4. n. 2.* ſicut & debitum reddere ad liberorum procreationem, quæ finis eſt Matrimonii: idem Sanchez *lib. 2. diſp. 19. n. 8. & 14* & ſequitur Maritum ad ſuum domicilium. *c.* 52

*un.aquaque.*13.*q.*5 & *ibi* Gloſſ.& Barboſ.Tiraquell.*leg.*1.*conub.glo.*1 *p.*1.*num.*39 Sanchez *ſupra,lib.*1.*diſput.*40.*n.*6.&
53 54 *diſp.*41 *a num.* 1. ſub pœna peccati mortalis,*n.*2.Navarr. *in*
55 *ſumm c.*14.*n.*20.cum aliis per eos adductis.

Præterquam quod contrahens Matrimonium, non ſolum
56 liberorum procreationem intendit, ſed omnia quæ veniunt ex natura Matrimonii,ut eſt illa individua vitæ conſuetudo; de
57 qua in ejus definitione:*c.illud, in fine, de præſ. leg.* 1.*ff. de nuptiis*,cum aliis per Sanch. *diſt.lib.*2.*diſp.*1.*n.*1. & Ariſtot.*lib.*8. *Ethic.cap* 12 *Homines*,ait, *conjugium ſubeunt,non ſolum procreationis,ſed eorum etiam gratia,quæ ad ipſum conferunt vitam*:& ex Divo Thom & aliis Sanchez *d.lib.*9. *diſp.*4.*n.*4.

Et ſic cum cauſa, propter quam fuit facta donatio, non
58 fuerit ſequuta, & hoc ſponſæ culpa, quæ turis præceptis & Judicis decreto inſuper habitis,*Summ.n.* 4.noluit cohabitare, nullo iure poterit nec modicum ex dicta donatione retinere:*l.*1.§ *finali ff.de donat.l.*1 § *dictam* 8.*C. de condict.ob cauſ. l.ſi ego* 9.*ff. de jur. dot.* quia cauſa non videtur impleta niſi
59 plenè ſequatur effectus:text. *in l. fi. ff. de condict. cauſ. dat.*

Accedit, veſtes quotidianas ideo cenſeri donatas, quia
60 comput antur in alimentis: ut latè probat Sanchez *de Matrim.d.diſp.* 25 *n.*10. 26.& 28. Sed Virum non teneri alere
61 uxorem, quæ ſine juſta cauſa ab eo recedit, multis probat Surdus *de alim tit.*7.*q.*16.*n.*1.& *tit* 6.*q.*10.*n.*5. quia mulier
62 debet eſſe in obſequio Viri, & eam principaliter Maritus alit
63 propter obſequia quæ præſtantur ab ipſa:Surd. *d.q.* 16. *n.*12. & benè *tit.*3.*q.*32. *n.*8. & durum quidem fuiſſet ad alimenta
64 Virum cogere, uxore ipſa & dote ſpoliatum; cum aliis nec
65 indotatam alere teneatur, ex *vulgatis*.

Nec ſufficit partem implere,niſi totum perfectè impletum
66 ſit: *leg ſi quis aliam* 46.*ff. de ſolut.* & ita impleatur ut non
67 avocetur ab accipiente: *l. ſi rem meam* 20 *ff. de ſolut.* cum
68 aliis per Gloſſ. *ibi*, *verb. rem meam.* Non enim videtur poſſeſſionem adeptus, qui ita nactus eſt, ut eam retinere non poſſit,per hæc verba ait Iavolenus *in l. non videtur* 20.*ff de acq.poſſ.* Non ergo ſufficere poteſt una nocte cum viro cohabitaſſe, ſi amplius non licuit Marito illam individuam vitæ
69 conſuetudinem retinere ex ſponſæ culpa. Unde ex actu pœna digno non debet ullam legale præmium reportare: *l. ſive hæreditaria* 22.*in fi.ff. de negot.geſt.*Sanch.*d.lib.*6.*diſp.*18.*n.*6.

Iiſdem rationibus teneri poſſe videbatur, etiam donata
70 Matri,ſoroti,& fratribus ſponſæ,eſſe reſtituenda,vel ab ipſis accipientibus, cum fuerint ob eandem cauſam donata: quia
71 rediit ad non cauſam effectu matrimonii plenè non ſequuto, *l. nihil refert* 4.*in ff. de condict ſine cauſ.* Nec intereſt quod
72 per eos non ſteterit: quia etiam caſu fortuito non ſequuta
73 cauſa, donatio intercidit:*d. l.* 2. §. *fin ff. donat.* Vel ab ipſa
74 ſponſa,quia in datione ob cauſam,qui non adimplet, tenetur ad intereſſe.*l naturalis* 5.§. 1. & 2 *ff. de præſcript.verb.* & ad ſumptus propter illam cauſam factos: *l. qui pecuniam* 5.§.1. *ff de condict.cauſ.d.t.*& *ibi* Faber. *in.A col.* 6. *fol.mihi* 266.&
75 *col.*2 *ſtatim poſt prin.*

Crumenam verò cum pecuniis omnino reddendam; ſecu-
76 rius affirmabant:cum non ſit computanda inter res ad uſum quotidianum comparatas,nec dubitetur de traditione, nec intereſſe quod non conſtet de quantitate, quia id partis tradentis juramento deferendum eſt, cum conſtat de traditione, dixit Dec.*conſ.*146.*ſub n.*14.*poſt prin. verſ. ex hoc.*Hippolyt. de Marſil.*ſingul.*689. qui dicit menti tenendum: Gait *de cre-*
77 *dit.c.*2 *tit.*3.*n.*754. Nec obeſſe teſtimonium de reſtitutione:
78 quia ut eſt in Brocardicis,dictum unius,dictum nullius: prolixè Farin. *de teſtib. d. c.* 63.*n.* 1.

Deinde, quia fuit miſſa ab Illuſtriſſ. Domino Chriſtopho-
79 ro Camilli Fratre, & ſic in quocunque eventu, ſive ſequuto,
80 ſive non ſequuto matrimonio,eo diſſoluto debet reſtitui:quia donata à conſanguineis Viri, ejus contemplatione cenſentur donata nulla habita diſtinctione inter pretioſa,& quotidiana ut ex Bart Iaſ.& aliis Rol.*conſ.* 10.*n.*11.*lib.*1.Borgnin.*dec.*64. *n.*22.Caſt.*dec.*93.*n.*15.*lib.*1.Clar. *recept. ſent. l.* 4. §.*Donatio*, *q.*10 *num* 2. Theſ.*lib.*3.*q.*5.*n* 4.Grat. *diſcept.*139.*n.*3.Font. *de pact.nupt.clauſ.*7.*glo.*3.*p.*6.*n.*92 Sanch.*d.lib.*6.*diſp.*16.*n.*11. cum multis aliis & Sacr Theologæ, & Iuris Doctoribus, in id expenden.*l.* & *ſi plures* 11. §. *in arrogato*, *ff. de vulgar.*& *per alia jura*:Cancer *var.lib.*1.*c.* 9.*n.* 194.Ripold.*diſt cap* 10.
81 *n* 309.Rota *in d. Rom localium*, §. *idemque dicendum. coram Merlino*, etiamſi conveniant tantum uxori, ut contra Angel. Imol.*in l. ſed ſi plures*, §.*in arrogato*,*n.*11.*verſ. ſed.* certè. Alex. *n* 13.*ff de vulg.*Theſaurus *ſupra,n.*5.Unde miſſa à Sororibus
82 Camilli,corollæ, flores, & alia videbantur reſtituenda.

Addebant, quod non ſatisfacit ſponſa reddendo veſtes tritas,& conſumptas: quia cum ejus culpa cauſa non fuerit ſequuta, non potuit eis bona fide uti, & quia tenetur ad intereſſe, ut ſupra dictum eſt.

Fuit tamen ſecundum communem DD. ſententiam & diſtinctionem,capta reſolutio, eſſe reſtituendas res dumtaxat deſcriptas ſupra in §. *& hæc concordes Domini*,*&c.*

Veraque parte informante, &c.

Peruſina Penſionis, Vener. 28. Maii 1649.

Coram R.P.D. Peutingerio.

SUMMARIUM.

1 *Sententia injuſta executionem non meretur.*
2 *Penſionem nutu transferre non poteſt is, qui loqui nũ valet.*
3 *Penſio quatenus poſſet nutu transferri, ita certi,& indubitati nutus requirerentur, ut ex illis clara intentio transferentis deſumeretur.*
4 *Actus æquivoci non poſſunt ſuffragari ad effectum ut penſio dicatur valide per nutum tranſlata.*
5 *Penſio transferri per nutus non poteſt ab eo, qui habet indultum transferendi cum clauſula*, Per te etiam in articulo mortis nominan.
6 *Clauſula*, Per te etiam in articulo mortis nominan. *præciſam formam importat, adeo ut per aliam nullatenus poſſit adimpleri.*
7 *Decretum irritans taliter inducit formam, ut ea non ſervata actus corruat.*
8 *Nominare videtur is, qui ad interrogationem alterius annuendo conſenſum præſtat.*
Declara ut n. 9. & 10.
11 *Apoplexia, quæ gravabat infirmum paulo ante obitum, non levis, ſed fortis reputanda venit.*
12 *Apoplexia fortis ſenſuum omnium ruinam affert.*
13 *Teſtes ſingulares non probant.*
14 *Verba*,forſe mi reſolverò, *nihil determinant.*
15 *Sarmen.Mandoſ. & Pagiſ. in locis hic allegatis,declarãtur.*
16 *Voluntas transferentis penſionem, debet eſſe certa, & indubitata.*

DECISIO XCII.

IVdex ab A. C. deputatus contra Ludovicum Benedictinum Priorem Eccleſiæ Marciani in judicio Immiſſionis in quaſi poſſeſſione exigendi annuam penſionem ſcut.250. à bonæ mem. Card. Ubaldo. ad favorem ejus Nepotis Rodulphi Monaldi ſuper dicto Prioratu translatam, per ſententiam pronunciaverat: à qua appellationis cauſa mihi commiſſa; Dubium propoſui, an ſententia A. C. ſit exequenda? Et reſ- 1
ponſum fuit non eſſe exequendam: quia nimirum detecta fuit injuſta: ſententia enim injuſta executionem non meretur.Rota *deciſ.* 44.*p* 4 *diverſ.* Card.Cavaler.*dec.*165.*n*4 & *ſeq.* Addit.ad Buratt.*dec.*231.*n.*8. *& ſeq in recent & dec.* 323. *num.* 6.*p.* 5.

Ipſius autem injuſtitia deducitur ex eo, quod bonæ memoriæ Cardinalis dum apoplexiæ Morbo gravatus taliter 2
oppreſſus fuiſſet,ut nullo modo loqui poſſet, nutu penſionem tranſtulerat:contra text. *in leg.nutu* 21. ibi,*dummodo is nutu reliquat,qui & loqui poteſt*:*Digeſtis,de leg.*3 *leg.diſcretis* 10. *Codice teſtam. facere poſſunt*, & *leg. jubemus* 29. *Digeſtis,de teſtamentor.*bonæ memoriæ Coccin. *deciſ.*455.*num.* 3. & *ſeqq.* & latè comprobatur à Franciſc. Caldas, *de jur. Emphyteut, lib.*2.*q.*1.*n.*21. *cum ſequent.* Quidquid enim ſit de quæſtione, an poſſit nutu transferri penſio ſine veri præjudicio, etſi nutu transferri penſio poſſet nutus ita certi, & indubitati eſſe deberent, ut ex illis clara transferentis intentio colligi, & neceſſariò inferri poſſet:ad textum,*in l.quoties*, 9. § *ſi quis nomen Digeſtis,de hæred.inſtitut.l*,*nominatim* 24.*ff. de manum. teſtam.*Alberic. & Florian de Sancto Petro *in dicta leg. nutu, Digeſtis, de leg.* 3 Theſaur. *Quæſt. Forenſ libro ſecundo,q.*99. *num.*27.*verſ.* & *talis ſit nutus*:Craſſ. *de Succeſſ.* §. *Inſtitutio, q.* 57.*ſub n.*4 §. *caterum, in fin.* ibi, *dummodo ille nutus eſſet* 3
ſatis certus & dilucidus:quales non fuerunt nutus Cardinalis Vbaldi,ex quibus ejus voluntas infertur: Nam oculorum motus,qui adducitur,affirmativam reſponſionem, vel negativam non inducit.

Neque motus capitis ejuſdem Cardinalis conſenſum in- 4
ducere poteſt: Nam duo teſtes Cardinalem nil aliud feciſſe deponunt,niſi,*Un atto con la bocca e con la teſta, coè alzando gli occhi al cielo con mover anco la barba, & aprir la bocca,e poi tornò ſubito al ſuo luogo di prima*: qui actus tanquam æquivoci ſuffragari nequeunt: Rim. jun. *in rubr. Inſtit. de teſt. n.* 449. Aretin. *conſ.*71.*n.* 2.

Deinde hic modus transferendi penſionem, eſt directè 5
contrarius verbis indulti à ſanct. mem. Vrbano VIII. eidem Cardinali ad penſiones transferendum conceſſi, ibi, *Per te etiam*

6 *etiam in articulo mortis nominando* : quæ verba præcisam adeò formam præseferunt, ut per aliam adimpleri nullo modo possint : ut probat text. *in leg. jubemus, per hanc* 16. ibi, *solatium publicum erogatur manu sine ullo dolo & fraude signis militibus enumeret. C. de erog. milit. annon lib.* 12. ubi Bart. *n.* 1. *vers. in text.* & Alexand. *in addit.*

7 Quod fortius in hoc casu procedit ; quia hujusmodi indultum erat decreto irritanti munitum quod taliter formam inducit, ut ea non servata, actus corruat : Barbos. *claus.* 40 *numero trigesimo secundo*, Rota *decis.* 215. *num.* 7. *& 8 parte 1. diversor.* & post Modern. Roman. *de Sacrist. offic. decis.* 61. *num.* 2 *&* 3.

8 Itaque non obstat quod Cardinalis alteri interroganti annuendo consensum præstans, censeatur ipse nominasse, quia est actus valde periculosus, & fallaciis suppositus, ac procedere posset quando ipse tunc temporis loqui potuisset : juxta Glos. *in dict. leg. jubemus, in verbo, quemadmodum, vers. sed quid si alius exprimat.* Alex. *n.* 9. & Iason. *num.* 12. *circa fin. vers. limita istam conclusionem, & seq. Cod. de*

9 *testam.* Caldas *supra allegat. numero secundo, & sequent.*

Vel saltem hic modus defendi posset, si de voluntate deliberata Cardinalis, & de ejus manifesto consensu data fuisset

10 pro parte Rodulphi aliqua probatio, quæ in dubium revocari non posset ; non vero in præsenti casu, dum de oppressione mentis Cardinalis, & adstantium suggestione meritò dubitari potest : juxta *leg. quoniam indignum* 15. *& dict. leg. jubemus, C. de testam.* & pluribus aliis relatis probat Iason. *ibidem, n.* 12. *vers. secundo limita* : Clar. *in §. testamentum, quæst.* 37. *num.* 6. *&* 7. & fuit dictum *in Senogal. bonorum* 30.

11 *Maii* 1644. *in fin. coram R. P. D. meo Cerro* ; Quia ipse Cardinalis non levi, sed forti apoplexia laborabat, prout indicat vitæ discrimen, in quo ipse existebatur convincitur ex Epistola biduò ante translationem ab ejus fratre exarata, *in Summario Ludovici, num.* 21. & demonstravit effectus mortis ipsius intra duos dies post eandem translationem subsecutæ, Modern. Roman. *in quæst. Medico-legalium, libro secundo, quæst.* 14. *num.* 9. & in similibus terminis ponderavit Menoch. *consil.* 351. *num.* 34. *vers. & præsertim*, ac dixit Rota

12 *decis.* 45. *num.* 3. *part* 6 Apoplexia enim fortis sensuum omnium ruinam secum affert : ad tradita per dictum Modern. Roman. *d. quæst.* 14. *num.* 16. *& segg.* & actus, qui pro translatario afferuntur, ac de quibus testes pro ipso examinati deponunt, sunt nimis æquivoci, & dubii, potius de proprio eorum judicio, quam veritatem deponentes.

Neque translatarius ad consequendam pensionem juvari potest ex antecedenti declaratione voluntatis Cardinalis, eandem pensionem in ipsum suum nepotem transferre volentis ; de qua aliqui Testes super hoc examinati deponunt ;

13 quia sunt singulares, & alterius ex eis verba relata sunt indeterminata, dum dicit Cadinalem semel dixisse, *forse mi risolverò*, &c. quod nihil certè determinat, ut fuit dictum *in*

14 *Romana pecuniaria* 3. *Martii* 1595. *coram Penia*, inter ejus impressas *decis.* 332. *n.* 5.

Cui dicto tanto minus creditur, quia per biennium ante translationem pensionis à Cardinale emanavit, quo tempore utique si verè pensionem in Rodulphum transferre voluisset id longè commodius, dum tunc meliori sanitate fruebatur, efficere potuisset.

15 Minus eidem suffragantur allegata per Scribentes pro eo, ex Sarnen. *ad Reg. de infirm. quæstione decimasexta, col.* 1. *v. prædictis tamen non obstantibus* : quem sequitur Mendos. *ibidem, quæst.* 11. Paris. *de resignatione, lib.* 6. *quæst.* 4. *num.* 35. quia loquuntur in terminis Regulæ Cancellariæ *de infirmis*, disponentis de resignationibus factis per infirmos intra viginti dies antecedentes eorum obitum, quem dicti Authores asserunt non comprehendere translationes pensionum, etiam factas in articulo mortis : & in casu Parisii, cum nunc aderat loquela : neque ibi tractatur de defectu consensus transferentis, vel formæ in facienda translatione præscriptæ, prout hic ex supradictis de forma in Indulto Cardinalis præscripta quam non fuisse servatam constat ; de consensus autem & de

16 voluntatis transferentis defectu valdè dubitatur ; quæ cum debeat esse certa, & indubitata ex supra allegatis, & *ad leg. quoties* 9. *§. si quis nomen, ff. de hæred. instit.* & talis hic non ostendatur, ex his, & aliis ab informantibus deductis meritò Domini resolverunt sententiam A. C. non esse exequendã.

Et ita utraque, &c.

Bononien. Pecuniaria, Lunæ 10. Ianuarii 1650.

Coram R. P. D. Otthobono.

Pauli Zacchiæ, Quæst. Med. Tom. III.

SUMMARIUM.

1 *Administratio probatur ex instrumentis locationum factarum per Administratorem.*
2 *Locare bona, & cum conductore pacisci, sunt casus indubitatæ administrationis.*
3 *Testes plures numero si deponant de certa scientia, concludentissimè probant.*
4 *Testium defectus supplentur ex numero, & ex adminiculis.*
5 *Statutum Bononiæ vetat debitum ultra summam centum librarum probari per testes.*
6 *Debitum ratione administrationis probari potest per testes etiamsi excedat summam centum librarum, non obstante Statuto Bononiæ sub* rubr. de Probation.
7 *Statutum Bononiæ vetans debitum librar. centum excedens probari per testes, non procedit in casu probationis mixtæ resultantis partim ex testibus, & partim ex instrumentis.*
8 *Administratio probatur ex instrumento, in quo quis promittit reddere rationem & reliquum solvere.*
9 *Administratione probata, præsumitur illius continuatio, concurrente aliqua conjectura.*
10 *Ætas probatur ex assertione contenta in aliquo instrumento certi temporis, ducendo calculos in posterum.*
11 *Administrationis mandatum quando expirat per superveientiam majoris ætatis administrati ?*
12 *Causæ occasionales, & inductivæ cessante non cessat affectus.*
13 *Administratio continuata præsumitur dum non docetur de finali redditione rationis.*
14 *Debita quo tempore fuerint contracta, probatur per testes.*
15 *Infirmitatis, & Podagræ initium probatur ex testibus.*
16 *Mandati revocatio non præsumitur ex causis existentibus ante ipsum mandatum, sed nova requiritur causa.*
17 *Podagra non impedit administrationem.*
18 *Podagra impedit quidem munera corporalia, non autem patrimonialia.*
19 *Testes examinati in criminalibus, non probant in civilibus.*
20 *Testes pauciores numero cedere debent numero majoribus.*
21 *Testes, quorum dicta per Scripturas adminiculantur, aliis præferendi veniunt.*
22 *Viri solent administrare bona uxoris extradotalia.*
23 *Instrumentis standum est potius quam testibus.*
24 *Eventus sequens formatur a primordio tituli,*
25 *Maritus administrans bona extradotalia, tenetur omnes fructus perceptos restituere.*
26 *Hæres tenetur rationem reddere fructuum bonorum, quos defunctus administravit.*
27 *Statutum Bononiæ mandat hæredem teneri reddere rationem administrationis defuncti.*
28 *Fructuum quantitas probatur conjecturis quando debitum est certum in genere.*
29 *Fructuum quantitas unius anni percepta, sequentibus etiam annis percepta præsumitur.*
30 *Fructuum quantitas probatur à consuetis percipi annis præcedentibus.*

DECISIO XCIII.

SOlutis à Carolo Beccadello hærede Laurentii Bonsignorii libris 32400 in causam administrationis bonorum extradotalium Geſiæ Baldæ ab eo perceptis ab anno millesimo sexcentesimo secundo, usque ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum primum, juxta formam instrumenti à Laurentio tunc vivente confecti, ut patet ex sententia confirmatoria mandati A. C. & decreto super executione rei judicatæ Reverendissimorum Patrum Dominorum meorum Royas & Bichii, prævis decisionibus coram iisdem emanatis scilicet coram Domino Royas *sub die vigesimoseptimo Aprilis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti*, & coram Domino meo Bicchio, *sub diebus vigesimi sexto Maii anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quinti, & decimonono Ianuarii anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti*. Sub inde quia Laurentius continuavit administrare eadem bona extradotalia Geſiæ uxoris, non solum usque ad annum millesimum sexcentesimum vigesimum primum, ut apparebat ex dicto instrumento ab ipso confecto : sed etiam usque ad annum millesimum sexcentesimum trigesimum septimum, quo ipse decessit, & ideò fuit hodie disputatum, An & quæ summa sit restituenda per Beccadellum Laurentii hæredem ? & Domini dixerunt esse restituendas libras trigima mille.

Siquidem administratio bonorum extradotalium Geſiæ. facta à Laurentio Bonsignotio marito, & continuata usque 1

ad annum milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum ſeptimum ad diem vigeſimum tertium Decembris quo ipſe obiit, probatur ex duobus inſtrumentis, quorum alterum celebratum de anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, continet locationem ad rovennium bonorum extradotalium Geſiæ factam à Bonſignorio Viro. Alterum verò eminavit de anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, ſuper eadem locatione, quo mediante fuit conductori permiſſum, quod penſio, quæ vigore dicti inſtrumenti ſolvi debebat, unica vice anticipatè ſolveretur in futurum in duobus terminis: ut *in*
2 *ſummario Geſiæ num.* 3. Verum locare bona, & cum conductore pariſci, eſt actus indubitatæ adminiſtrationis: *leg. codicillis* 91. *§ inſtitutes filio, & ibi* Doctores, *Digeſtis, de leg.* 2. & probant plures relati à Modern. Tudert. *de locat. & conduct. tit. quibus locar. lic. vel non: quæſt.* 6. *num.* 1. *folio* 68. Rota *in Romana domus, die decimo ſeptimo Martii præteriti, coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Bichio.*

Eadem verò adminiſtratio probatur per ſex teſtes pro Geſia examinatos, diſertiſſimè deponentes de adminiſtratione Bonſignorii uſque ad obitum, qui etiam coarctant negativam excluſivam adminiſtrationis Geſiæ, excepto tantum quodam Hotto nuncupato, *de Calameſio*, & cum prædicti teſtes ſint numero plures, & deponant de certa ſcientia, proinde ex eis
3 reſultat evidentiſſima probatio: Rota *deciſ.* 143. *num.* 12. *part.* 6. *& deciſione* 170 *numero* 1. *& 2. & deciſione* 283. *num.* 2. *parte* 7. *recent.* præſertim quia teſtium dicta corroborantur, & ſi opus eſſet, ſupplerentur etiam defectus, qui
4 tamen non adſunt ex eorum numero, & ex adminiculis inſtrumentorum: Alexand. *conſil.* 149. *num.* 6. *lib* 5. Rota coram Cæſare de Graſſis *deciſ.* 5. *num.* 8. *& 9. de ſponſal. in recent. deciſ.* 147. *num.* 83 *parte* 1. & coram ſanctæ memoriæ Greg. *deciſ.* 340. *n.* 6.

5 Nec corundem teſtium dicta debilitat ſtatutum Bononiæ *ſub rubr. de probat.* dum vetat debitum ultra ſummam centum librarum probari per teſtes. Quia hujuſmodi Statutum
6 *in corpore*, excipit debitum ratione adminiſtrationis; ut ibi, *Poſſit etiam probari per teſtes, ubi petatur reddi ratio adminiſtrationis alicujus, ſuper quibuſcunque etiam adminiſtrationem tangentibus ab utraque parte, vel ab altera tantum.*

Et certè Statuti diſpoſitio non extenditur ad caſum probationis mixtè reſultantis partim ex teſtibus, & partim ex
7 inſtrumentis, ut in eodem Statuto diſponitur, *in verſ. poſſint tamen teſtes ultra dictas ſummas*: ut tradit Iaſon. *in leg. certi conditio* 9. *§ quoniam igitur, numero* 9. *Digeſtis, ſi certum petatur*, Surdus *deciſ.* 174. *num.* 14. Rota coram Reverendiſſimo Vrgellen. *deciſ.* 36. *n.* 36.

8 Inſuper adminiſtratio Laurentii probatur ex ipſiusmet confeſſione emiſſa in publico inſtrumento de anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, optimè vindicato à ſimulatione, à Beccadello objecta, *in deciſione Reverendiſſimi Patri Domini mei Rojas*, quo fatetur ſtatim mortuo Socero, ſuſcepiſſe bonorum adminiſtrationem, cum pacto reddendi
9 rationem, & fructus reſtituendi Geſiæ uxori: ab adminiſtratione enim geſta in præteritum, ducitur validum argumentum continuationis in futurum; quando (prout in præſenti caſu) ejuſdem continuationis aliqua conjectura concurrit: *ad leg. eum qui* 12. *Digeſtis, de probat.* Honded. *conſilio* 20. *num.* 12. *libro* 1. Rota *deciſ.* 237. *n.* 2. *& deciſ.* 321. *numero quarto, parte* 1. *recent.*

Neque dici poteſt mandatum ad adminiſtrationem in præfato inſtrumento anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi primi à Bonſignorio confeſſatum expiraſſe, vel quia ceſſavarat tenera ætas Geſiæ, ob quam ſuſpectum videbatur, vel ex ejuſdem tacita voluntate elicita ex eo quod in dicto Inſtrumento narratur velle illam ſtatum ſuum recognoſcere, & in poſterum de eo deliberare, vel tandem quia ab anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo Bonſignorius magno ære alieno, ac podagra cæpit gravari.

Nam quoad ætatem, animadvertebant Domini quod Geſia longè ante annum milleſimum ſexcenteſimum vigeſimum primum, erat maturæ ætatis: ſiquidem in dicto inſtrumento
10 aſſeritur, quod tempore mortis illius Patris ſequutæ de anno milleſimo ſexcenteſimo tertio, illa agebat decimum quartum annum, adeo quod de anno milleſimo ſexcenteſimo
11 vigeſimo, agebat annum trigeſimum ſecundum, cum itaque etiam lapſa tenera ætate uxoris, Bonſignorius bona adminiſtraverit; patet quod tenera ætas Geſiæ non fuit cauſa finalis aut conſervativa adminiſtrationis, ſed occaſionalis, & inductiva, & proinde ea ceſſante non expiravit mandatum: Bald.
12 *in leg. 1. § in fine, Digeſtis, de offic. ejus*: Ripa *in leg. ex facto* 43. *num.* 17. *Digeſtis, de vulgar. & pupillar.* Decius *conſil.* 24. *num.* 1. *& per tot.* Tiraquellus *in tractatu, ceſſante cauſa, limitatione* 35. Rota *deciſ* 733. *num.* 8 *parte* 2. *recent.*

Nec tacita voluntas Geſiæ revocandi mandatum adminiſtrationis reſultat per neceſſe ex eo, quod in Inſtrumento enuncietur ſe velle de ſtatu ſuo liberare: imò verba Inſtrumenti, ibi, *ſi non ad reddendam rationem totalem, ſaltem ad declarandam ſummam*: potius innuunt continuationem
13 quia ex non redditione rationum totali: & perfectæ adminiſtrationis, præſumitur ea continuata potius quam finita: Corn. *conſil.* 61. *lib.* 1 Pariſ *conſ.* 81. *n.* 37. *ante finem, lib.* 1. Socin. ſen. *conſ.* 87. *n.* 13. *lib.* 1.

Æs alienum Bonſignorius contraxerat ante annum mille-
14 ſimum ſexcenteſimum vigeſimum primum, ut deponunt teſtes Beccadelli *in ſumm. num.* 3. prout etiam ante dictum
15 annum cœpiſſe illius infirmitatem, & podagram, deponunt
16 tres teſtes dati *in eodem ſummario num.* 4. ideò ſicuti neutra ex his cauſis induxit revocationem mandati adminiſtrationis uſque ad annum milleſimum ſexcenteſimum vigeſimum primum, ita nec poſtea; cum ad hujuſmodi effectum requiratur quod cauſa de novo ſuperveniat: Gabriel. *conſil.* 51. *num.* 30. *verſ. tamen idipſum obſtat*: *lib.* 1. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 7. *tit.* 22. *n.* 46. *& ſequentibus*, Rota coram Put. *deciſ.* 287. *num.* 4. *lib* 3. *& deciſ.* 200. *num.* 22. *& ſequentibus, parte* 1. *diverſ.* & quod Podagra non impediat adminiſtrationem, probatur ex text. *in leg. Podagra* 3. *Cod. qui mord. ſe excuſar.*
17 *lib.* 10. hic enim morbus impedit munia corporalia, non
18 autem patrimonialia; ut dicunt relati per Pariſ. *de reſignat. lib.* 5. *quæſt.* 3. *n.* 42.

Neque obſtant teſtes pro Beccadello inducti: Nam illos
19 octo examinatos in judicio Criminali jam nihil relevare reſolvit Rota *coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Bichio* 19. *Ianuarii.* 1646. *ſub §. minus urgent*: quæ deciſio
20 de ſtylo Tribunalis eſt ſupponenda. Alii verò teſtes cedere debent probationi Geſiæ, cum ſint numero pauciores: *cap. in noſtra* 32. *de teſtibus*: præſertim, quia non ſolum teſtes actricis
21 ſunt adminiculati Inſtrumentis ſupra ponderatis, Aymon. *conſ.* 73 *num* 41. Ruin. *conſ.* 55. *num.* 16. *lib* 4. Rota *deciſ.* 145. *num.* 3. *& deciſ.* 315. *n.* 8. *parte* 1. *recent.* ac à ſolito, quod Vi-
22 ti adminiſtrant bona extradotalia, Cravet. *conſ.* 91. *num.* 7. Rota *deciſ.* 343. *num.* 3. *parte* 4. *recent.* & ponderavit deciſio *Reverendiſſimi Patris Domini mei Bichii* 26. *Maii* 1645. *ſub §. ſed uxori.* Sed etiam quia teſtibus Beccadelli repugnat confeſſio Bonſignorii, de adminiſtratione ab ipſo geſta uſq; ad annum 1621. cum illi contrarium deponant, nempe quod Geſia cœpit adminiſtrare ante annum 1620. ut *in ſummario*
23 *Beccadelli, n.* 5. magiſque ſtandum eſt inſtrumentis quam teſtibus: *leg. cenſus* 10. *Digeſtis, de probat.* Gloſſ. *in cap tertio loco, § vera teſtium, eodem titulo*, Rota *deciſ.* 91. *num.* 9. *deciſ.* 582. *n.* 6. *p.* 1. *recent. & in Romana ſucceſſionis* 9. *Maii* 1644. *in §. ſecundo teſtes, coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Bichio, & in Placentina Beneficii* 29. *Maii* 1648. *in §. Major enim, coram R. P. D. meo Celſo.*

Prædicta autem nedum probant continuatam adminiſtrationem Bonſignorii viri uſque ad ejus obitum, ſed etiam pactum reddendi rationem uxori de omnibus fructibus perceptis, quod uſque ab initio ſuſceptæ adminiſtrationis ſtipulatum fuiſſe faſſus fuit maritus in ſæpè memorato inſtrumento anno 1621. & cum non appareat reſtrictum ad certum tempus, complectitur omnem adminiſtrationem, formando
24 ſequentem eventum à primordio tituli, ut debet; *leg. unica, & ibi* Gloſſ. *in verb. Primord. Cod de impon. lucrativa deſcript. lib.* 10. Anchar. *conſ.* 4 *n.* 3. Socin. ſen. *conſ.* 87. *n.* 14. *lib.* 1. Rota *deciſ.* 376. *n.* 3. *parte* 1. *recent.*

Atque ideò probata adminiſtratione uſque ad obitum Bonſignorii; is tenetur omnes fructus perceptos reſtituere;
25 cum uxore diſſentiente pereceperit: *leg. de in.* 17. *C. de donat. inter virum & uxorem, leg. fin. Cod. de pact. convent.* Bart. *in l. filio, & filia* 93. *§ maritus, n.* 3. *ff. ad leg. falcidiam*: Decius *conſ.* 521. *num.* 4 Socin. ſen. *conſ.* 82. *n* 9. *verſ. aliquando, lib.* 4. Cravett. *conſil.* 193 *n.* 15. Surdus *conſil.* 190. *num* 1. *& ſequent. & n.* 42. Honded *conſil.* 91. *n.* 61. *lib.* 1. Et ſicuti maritus tene-
26 batur de eis rationem reddere, ita tenetur Beccadellus ejus hæres: Bero. *conſil.* 44 *n.* 17. *lib* 1. & firmat *dicta deciſio Domini mei Bichi.* Ubi etiam oſtenditur, Statutum Bononiæ allegatum idem approbare.
27

Admiſſa verò ex prædicta adminiſtratione Bonſignorii,
28 ac perceptione fructuum in genere reſpectu quantitatis ſufficiunt conjecturæ: ut *in ſecunda deciſione Reverendiſſimi Patris Domini mei Bichii, in §. Tandem.*

Quantitas igitur benè deſumitur ex prænarrato Inſtrumento anni milleſimi ſexcenteſimi primi, quo inter cætera idem Laurentius faſſus fuit fructus perceptos ſpatio plurium annorum, quibus bona coluerat, aſcendere ad libras bis mille annuas; unde fructus poſtea percepti præſumantur aſcendere ad ſolitam quantitatem duorum millium librarum. Rota
29 *coram Reverendiſſimo Vrgellen. deciſione* 307. *num.* 5. *in Bononien. liquidationis fructuum* 30. *Maii* 1642. *coram bonæ memoriæ*

memoria Merlini, extenſa per *Reverendiſſimum Patrem Dominum meum Cerrum in Bononien. pecuniaria, ſeu datii, die 18. Junii præteriti, coram Reverendiſſ. D. meo Decano, & in Romana Domorum in Burgo, die 12. Novembris præteriti, in §. ex quibus coram me.* Quantitas enim fructuum probatur à conſuetis percipi in præcedentibus annis: Achill. *dec. 22. de reſtit. ſpol.* Seraph. *dec. 1397. n. 3.* Barat. *dec. 175. n. 6. & dec. 722. n. 4.*

Fuit itaque reſolutum eſſe reſtituenda triginta millia librarum: utraque parte informante.

Tridentini Matrimonii, Veneris 11. Martii 1650.

Coram R. P. D. Albergato.

SUMMARIUM.

1 *Aggravatoria non conceditur niſi præcedat declaratoria.*
2 *Aggravatoria concedi non poteſt per Judicem de partibus vigore litterarum executorialium ipſi directarum.*
3 *Executoriales de ſtylo intimantur reo per Judicem de partibus, & ſic intimatæ remittuntur ad Urbem, ubi relaxatur Declaratoria, etiamſi in ipſis executorialibus legatur tributa facultas Judici de partibus relaxandi Declaratoriam.*
4 *Declaratoria relaxatur ſervatis quatuor terminis ad deducendum de paritione, ſi de ea non doceatur.*
5 *Executio dicitur cœpta per relaxationem litterarum executorialium.*
6 *Uxor tenetur ſequi virum, non obſtante pacto de non diſcedendo à certo loco, quando juſta ſupervenit cauſa diſceſſus.*
7 *Infirmitas eſt juſta cauſa propter quam maritus non tenetur ſervare pactum de non diſcedendo à certo loco.*
8 *Probationes concludentes requiruntur in cauſis ſeparationis tori, quæ dicuntur ardua & graves.*
9 *Teſtes deponentes in cauſa ſeparationis tori, debent eſſe omni exceptione majores.*
10 *Sævitia ad effectum ſeparationis tori, probari debet talis, ut ſit apta inutere metum gravem & cadentem in virum conſtantem.*
Adeò ut non poſſit mulieri trepidanti conſuli per cautionem, & num. 11.
12 *Sævitia unicus actus licèt atrox, non eſt ſufficiens pro ſeparatione tori.*
13 *Maritus poteſt uxorem percutere ad emendationem.*
14 *Separatio tori peti non poteſt ob cauſam deletam per reconciliationem ſequutam inter Conjuges poſt eventum dictæ cauſæ.*

DECISIO XCIV.

1 AGgravatoriam contra Evam Schaiteriam à Iacobo Ferro ejus viro peticam denegarunt Domini ex eo, quod Declaratoria hic in Curia lata præcedere debuiſſet: Rota *in Colonien. præcedentia 14. Maii 1646. in fin. coram R. P. D. meo Peutingerio*: conceſſa enim à Vicario Tridentino in vim executorialium Rotalium, nullatenus ſuffragari valuit: Lancelloc. *de attent. part. 1. cap. 1. n. 34.* Rota *in Vicen. Prioratus 19. Martii 1610. coram Sanctiſſimo Domino Noſtro tunc Rota Auditore*, quæ eſt *poſt ſecundum Volumen conſiliorum Farinacii. deciſ. 383. n. 1. & 2. & in Avenionen. decimarum 2. Maii 1644. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Peutingerio.*

3 Nam licet ei data eſſet facultas declarandi & denunciandi, nihilominus de ſtylo executores in partibus, executoriales condemnato dumtaxat intimant, & illis reproductis coram Rota, hæc tantum procedit ulteriorem executionem: Veſtr. *in praxi. lib. 8. cap. ult. n. 16. verſu & quamvis*, Felin. *in cap. ad probandum, n. 6. de re judicata*, Seraphin. *deciſ. 116. num. 2.* cum aliis *in dicta Vicen. Prioratus, coram Sanctiſſimo Domino Noſtro, & in dict. Avenionen. decimarum, coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Peutingerio.*

4 Verùm cùm modo ſoliti quatuor termini fuerint ſervati, juxta praxim relatam per Veſtr. *in dict. cap. ult. num. 19.* approbatum per Rotam *in Leodien. Scholaſtrie 2. Julii 1647. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Veroſpio, in Ampurien. ſeu Civitaten. electionis Vicarii 26. Junii 1648. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Meltio, in Colonien. Vicaria 4. Maii. & 3. Decembris 1649. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Otthobono, & alibi ſæpius*, cenſuerunt Domini eſſe procedendum ad ulteriora in Declaratoria ob proterviam, & contumaciam dictæ Evæ, mandatis Rotalibus parere recuſantis: *cap. Venerabilibus, §. porro, de ſentent. excommun. in 6.* Rota coram Seraph. *deciſ. 552. n. 4. in recent. deciſ. 407. n. 12. part. 1. tomo 2. in Burgen. attentatorium 14. Martii 1646. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Otthobono, & in Tolentan. Canonicatus 28. Junii eo anno 1646. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Otthobono.* Cùm enim per relaxationem executorialium jamdiu fuerit cœpta executio, Rota *in Burgen. decimarum de Scalante 28 Octobris 1586. coram Rubeo, in Cornetana pecuniaria 4. Julii 1601. coram præclaræ memoriæ Cardinali Hieronymo Pamphilio*, quæ eſt *deciſ. 826. parte 4. diverſ.* cum cæteris adductis per Add. ad ſanctæ memoriæ Gregorium *deciſ. 458. n. 10. verſ. apta*, utique debet ad ulteriora procedi, ut finis tandem litibus imponatur, & mandata hujus ſacri Tribunalis debitæ executionis demandentur; juxta *leg. quidem exiſtimaverunt, in fine, Digeſtis, ſi certum petatur*, Rota *in Montis Feliſci, ſupplementi legitima die decimo octavo Junii, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, in principio, coram R. P. D. meo Bichio, & in Anconitana datis die vigeſimo quarto Aprilis anno 1643. coram R. P. D. meo Cerro.*

5

Nec ſubſiſtere viſa fuit prætenſa ſententia Rotalis injuſtitia; quatenus deducitur ex eo, quod Eva condemnata fuerit ad cohabitandum cum viro etiam extra Germaniam; contra formam in Capitulis matrimonialibus præſcriptam.

6 Quia cùm juſta & legitima ſuperveneſit cauſa, ob quam Maritus in loco convento habitare non valuit; Eva cum ſequi tenebatur, pacto non obſtante: Cancer. *variarum reſolutionum libro 3. cap. 7. numero 9. verſ. niſi aliqua*: Capyc. *deciſione 133. num. 2.* De ſuperveneſitia autem juſtæ cauſæ, ſatis docuiſſe Ferrum, Dominis viſum eſt; tunc ex inimicitiis in illis partibus contractis, tum ex infirmitatibus ibi cum 7 peſſimè habentibus, cui propterea ad valetudinem recuperandam neceſſe fuit in patriam remeare, alioquin maximo vitæ diſcrimini ſubjiciebatur ob nimiam æris Germanici inclementiam, ut deponunt teſtes *in ſummario, num. 12.* & latè probatur *in deciſione in hac cauſa emanata die 17. Junii, anno 1646. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Celſo.*

Quæ verò de ſævitia viri ad infirmandam dictam ſententiam adducebantur, habita non fuerunt in conſideratione; ex quo teſtes ſunt ſingulares, & omnes ferè de auditu, & alios patientes defectus, de quibus per informantes: & tamen ubi de ſeparatione tori agitur, quia eſt cauſa gravis & 8 ardua, requiruntur neceſſariæ & concludentes probationes: Pariſ. *conſ. 57. n. 15. lib. 4.* Roland. *conſil. 17. n. 10. lib. 3.* Rota coram ſanctæ memoriæ Gregor. XV. *deciſ. 294. n. 11.* coram Buratto *deciſ. 711 num. 1. deciſ. 815 num. 1. & 2. & coram Reverendiſſimo Ugellen. deciſ. 72. n. 1.* Quodque teſtes de ea deponentes, ſint omni exceptione majores: Gloſſ. *in cap. 1.* & 9 *ibi* Abb. *in 3. not. de conſanguinitate & affinitate.* Natt. *conſil. 616. num. 1.* Socin jun. *conſil. 86. num. 6. & ſeqq. lib. 2.* Barboſ. *in rubrica ſoluto matrimonio, parte 2. num. 27.* Rota *deciſ. 441. num. 2. parte 1. deciſ. 324. num. 3. part. 6. recent.* & talis ſævitia probanda eſt, quæ apta ſit gravem, & in conſtantem 10 virum cadentem metum incutere: Sanchez *de matrimonio, lib. 10. diſput. 10. num. 16.* Pont. *eodem tractatu, lib. 9. cap. 23. num. 5.* Rota *in Neapolitana ſeparationis tori, die 12. Martii anni 1646. coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Peutingerio*, adeò ut mulieri trepidanti cautidne mediante ſufficienter conſuli nequeat; juxta notata *in capit. ex tranſmiſſa, in capit. litteras, in fine, de reſtitut. ſpoliator. cap. 1.* & 11 *ibi* Gloſſa *in verbo ſuſpectum, ut lite non conteſt.* Aldobrandinus *conſ. 71 num. 3 lib. 1.* Farinacius *conſil. 157 num. 4 lib. 2.* Guttierrez *Canonicarum quæſtionum, lib. 2. quæſt. 14. num. 2.* cum aliis cumulatis *in deciſione 115. num. 1. deciſ. 324. n. 11. p. 6. recent.*

In propoſito autem probatum fuit de tribus, vel quatuor, & quidem levibus colaphis una vice tantum impactis, qui licèt graviores fuiſſent, ad prætenſum effectum non ſuffragarentur, cum actus unicus quantumvis atrox, ad ſeparationem tori non ſufficiat: Baldus *conſilio 176. numero 3. libro primo.* Bertazol. *conſil. crimin. 228. numero 14. libro 1.* Sanchez *de* 12 *Matrimonio, lib. 4 diſput. 1. num. 22. & libro 10 dict. diſputatione 18. ſub num. 16.* Rota *deciſione 371. num. 5. poſt ſecundum volumen conſil. Farinac. in recent. dicta deciſione 115. num. 2. parte 6. in Romana Separationis tori, die quarta Julii anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni, §. quæ verbera: coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Veroſpio, & in Bononien. Separationis tori die vigeſima prima Februarii proximè præteriti, coram Reverendiſſimo Patre Domino meo Bichio*: maximè quando proceſſit, ut in hoc caſu, ad emendationem uxoris, viro ex cauſa permiſſam: Abbas *in capite, nutum ad modum, §. illud autem, numero decimonono, de jurejurando*, 13 Tiraquel. *de legibus connub. leg. 1. gl. 5. num. 22.* Rolandus *conſilio 27. num. 15. & 16. volumine tertio.* Farinacius *dicto*

conſil. 157. *num.* 15. *volum.* 2. & *ibi* poſt eum Rota *deciſ.* 39. *deciſione* 371. ubique *num.* 4. *in recent. deciſione* 153. *n.* 4. *deciſione* 524. *num.* 8 *parte* 6. *in Romana Separationis tori die prima Februarii anni milleſimi ſexenteſimi decimi ſexti coram Sanctiſſ. D. N. in præcitata coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Veroſpio.*

41 Et ceſſat quælibet difficultas: quia poſt hujuſmodi altercationes, & jurgia in obſequiis maritalibus perſtitit Eva, & etiam in cohabitatione perſeveravit ac thalamo; ex quo etiam fœtum concepit, & puellam enixa eſt: ut *in ſummario num.* 11. Quare illius cauſæ prætextu non poteſt nunc petere tori ſeparationem, cum omnem amaritudinem præcedentem ſubſecuta reconciliatio deleverit, & ſeparationis cauſam ſi quæ exiſtiſſet, prorſus abluerit: Gloſſa *in cap. plerumque, verbo, nec reconciliata, de donationibus, inter virum & uxorem* Bertazol. *dicto conſilio* 228. *num.* 12. *lib.* 1. Rimin. junior. *conſil.* 174. *num.* 28. Rota coram Seraphino *deciſ.* 1315. *num.* 3. *& in Hiſpalen. Separationis tori, die* 27. *Februarii anni* 1627. *coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Machiavello.*

Et ita Iacobo tantùm informante fuit reſolutum.

Peruſina Penſionis, Veneris 9. Decembris 1650.

Coram R. P. D. Feutingerio.

SUMMARIUM.

1 *Penſionis tranſlatio facienda eſt ſervata forma præſcripta in indulto tranſferendi.*

2 *Penſionis tranſlatio nutibus fieri non poteſt, quando indultum tranſferendi vult quod tranſferens nominet tranſlatarium.*

3 *Penſionis tranſlatio per nutus facta, tunc minus ſuſtinetur quando nutus emanarunt ab infirmo in ultimo vitæ ſpiritu conſtituto, & maximè morbo gravato, & ab importunis aſſtantium inſtantiis.*

4 *Penſio quatenus poſſet nutu tranſferri, requirerent nutus ita certi & indubitati, ut claram tranſferentis intentionem convincerent.*

5 *Tranſlatio penſionis per nutus tunc minus cenſetur valida ſi deficiat inconcuſſa eorum certitudo, & perfecta ſanitas mentis, ac deliberata voluntas tranſferentis.*

6 *Nutus, ut ſuppleant expreſſionem vocis, neceſſe eſt quod proveniant ab eo, quod perfecta memoriæ, ac ratiocinationis ſanitate fruatur, ita ut ex illis arguere liberum conſenſum, & determinatam voluntatem Iudex poſſit.*

7 *Iudicis arbitrio deferri ſolet in cognitione ſanæ mentis eorum, qui actum gerit.*

8 *Dementia infirmi arguitur ex eo quod Sacramenta Euchariſtiæ, ac pœnitentiæ non fuerint miniſtrata.*

9 *Sacramenti pœnitentiæ capax quilibet eſt per ſigna, & nutus dummodo ſana mente fruatur.*

10 *Sarnen. & Pariſ. in locis hic relatis declarantur.*

DECISIO XCV.

OBtenta per Abbatem Rodulphum Monaldum Tranſlatarium bonæ memoriæ Cardinalis Ubaldi nova audientia adverſus deciſionem ſub die vigeſimo octavo Maii, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, coram me emanatam, in qua dictum fuerat, ſententiam Iudicis ab A. C. deputati concedentem ei immiſſionem in quaſi poſſeſſione exigendi annuam penſionem ſcutorum 250. ſuper Prioratu Eccleſiæ Marciani, Peruſinæ Diœceſis, tanquam injuſtam non eſſe exequendam: Hodie cauſam repropoſui, qua denuò accuratè diſcuſſa, pro confirmatione ejuſdem deciſionis Domini reſponderunt, ex hoc potiſſimo & inevitabili motivo, ſemper ſubſiſtente, quia forma præſcripta in Brevi à ſanctæ memoriæ Urbano VIII. eidem Domino Cardinali ad penſiones transferendas conceſſo, neutiquam ab ipſo ſervata fuit.

Non enim coram Executore nominavit perſonam, ad cujus favorem penſionem reſervari volebat, minuſve eam coram Notario & teſtibus tranſtulit, ut in dicto Brevi *in ſummario Rudolphi num.* 2. expreſsè legitur, ibi, *per te, etiam in mortis articulo, non inando*: & ibi *ſeu ſi tibi magis placuerit penſiones hujuſmodi in unam, vel plures perſonas per te quandocunque etiam coram ſolis Notario, & teſtibus transferre poſſit, concedimus & indulgemus.* Quæ quidem forma omninò à Domino Cardinali ſervanda erat ut præter allegatos *in* 1 *deciſione* quæ revidetur, §. *deinde, hic modum*, & §. *ſequenti coram me*, tradit Cald *de ſu. Emphyt. lib.* 2. *quæſt.* 6. *ſub n.* 20. *verſ. & primo obſtat*, Rimin. junior *conſil.* 467. *num.* 13. *& ſeq. lib.* 4 Surdus *deciſ.* 168. *num.* 9. Rota *coram* Reverediſſ. Urgellen. *deciſ.* 215. *n.* 3. & 4. Eò magis quia decreto irritanti munita fuit: ad tradita per Manticam *deciſ.* 286. *numero ſecundo & ſequentibus.*

Non obſtat quod idem Dominus Cardinalis nutu & 2
ſignis, oculiſque, & capite ad importunitatem cujuſdam Fratris Ordinis Minorum ſciſcitantis ab eo, an penſionem hanc in præfatum Rodulphum ejus nepotem transferre vellet, annuerit, ac ſucceſſivè eodem Religioſo inſtante, per Canonicum quemdam ibi præſentem, vigore dicti Brevis, ceſſatio & renovatio dictæ penſionis ad favorem ejuſdem Rodulphi nepotis effectivè fuerit: Quia cum in ventre Brevis Pontificii certus datus eſſet modus transferendi, ac ſpecialis præſcripta forma nominationis perſonæ tranſlatarii ab ipſomet Cardinali transferente fiendæ, non potuit aliter nutu vel ſimilibus ſignis adimpleri; præſertim in re gravi, & maturam deliberationem requirente: ad textum *in leg. in quibuſcunque negotiis*, 47. *ff. de act. & oblig. at leg. ubi non voce* 167. *ff. de reg. jur.* & optimè confirmavit Rota *deciſ.* 38. *n.* 24. 34. & 62 *p.* 6. *recent.*

Quæ quidem concluſio in propoſito caſu magis viſa fuit 3
Dominis admittenda: quia conſtat quod nutus, & ſigna prædicta à Domino Cardinali emanarunt, eo tempore, quo ille lethalis apoplectici morbi gravitate maximè oppreſſus, & in extremis vitæ conſtitutus erat, non quidem ſuper approbatione Scripturæ ac diſpoſitionis, prius eo deliberatè mandante, conſcriptæ, dum perfectæ mentis ac intellectus ſanitate fruebatur; ſed in ipſo inſtanti ſuggerente, ac ſollicitè & importunè nimium reiteratis vicibus magna voce clamante & concutiente quodam Fratre Regulari.

Nec fuerunt adeò certa illa ſigna ut claram & deliberatam 4
demonſtraverint ejus voluntatem, ita quod nullum reliquerint hæſitationi locum; prout in omnem caſum neceſſarium fuiſſet; ſed an conſenſus, vel afflictionis & vexationis, ſeu alterius paſſionis argumenta fuerint, non adeò dignoſci potuit, ut contors fuerit circumſtantium ſententia; pluribus nempè conſenſum negantibus, & admirantibus; quibus fama, communiſque opinio adhæſit, ut teſtes deponunt.

Ideóque meritò nullum ſuper eis conſtitui poteſt pro va- 5
liditate dicti actus fundamentum; cùm deficiat inconcuſſa eorum certitudo, & perfecta omninò ſanitas mentis, & intellectus, ac libera prorſus Cardinalis deliberatio, & declaratio Bart. *in leg. nutu, in fin. verſ. prædicta intelligo ff. de leg.* 3. Clar. *in §. teſtamentum, quæſt.* 37. *num.* 6. & 7. Gaut. *comm. conſuſ. lib.* 4. *de teſtibus, concluſion.* 2. *num.* 10. *verſ. Tertio limita: cum ſeq.* Menoch. *conſil.* 45 *ſub num.* 44. *verſ. eſt ratio*: Mantica *de conject. ult. volunt. lib.* 2. *tit.* 6 *ſub num.* 9. & *deciſ.* 60. *num.* 6 ac aliis relatis reſpondit Rota *in Senogallien. bonorum* 30. *Maii* 1644. *in §. eo magis*, & 15. *Maii* 1645. *in §. Juſtitia verò, coram R. P. D. Verr.*

Nec obſtat Medicorum Urbis diſcordia circa qualitatem morbi; aliis Apoplexiæ, aliis verò Aphoniæ judicantibus.

Nam quidquid de hoc ſit id unum planè conſtat: quòd 6
Cardinalis ejuſmodi repetitis ſymptomatibus ſemel ac bis terque percuſſus, ut teſtes deponunt, haud perfectæ memoriæ ac ratiocinationis ſanitate fruebatur: ita ut vehementibus illis vocibus ſubitò excitatum perfectum; ac liberum per hujuſmodi nutus, ac ſigna præbuiſſe conſenſum, oris propriæ expreſſioni æquipollentem, ut opus eſſet, Iudex decernere 7
non valeat; cujus prudenti arbitrio in hac cognitione plurimum deferri ſolet: ut poſt Abbatem probat Pariſ. *conſ.* 63 *ſub num.* 8. *verſ. & Abb. lib.* 4.

Præſertim quia ex atteſtatione Parochi relata *in ſum-* 8
mario præcedentis poſitionis dicta Eccleſia Marciani num. 22. apparet Sanctiſſimum Euchariſtiæ, imò nec Pœnitentiæ Sacramentum illi miniſtrati potuiſſe; cujus tamen mediantibus nutibus, ac ſignis, capax omninò erat; nec ullo pacto deſtitutus fuiſſet, ſi mente, ac intellectu verè ſanus 9
exiſtiſſet.

Nec quicquam faciunt tradita per Sarnen. *ad Reg. de infirm. quæſt.* 16. *verſ. prædictis tamen non deſtantibus*: quem refert Pariſ. *de reſignat. lib.* 6. *quæſt.* 4 *ſub num.* 35. *verſ. ubi per hoc.*

Quia non tractatur quæſtionem propoſitam, ſed ſolum an 10
ſub illa Regula de beneficiorum reſignatione diſponente comprehendantur tranſlationes penſionum. Et quatenus referunt tranſlationem factam nutu magis quàm verbis per bonæ memoriæ Ioannem de Uria, quæ valida fuit judicata; loquuntur de certis & indubitatis ſignis ab eo præſtitis, qui perfecta mentis ac intellectus ſanitate fruebatur, ita ut de voluntate deliberata, & conſenſu illius dubitari non poſſet; prout dubitari contigit in caſu noſtro.

Et

Et ita utraque parte diligentiſſimè informante reſolutum fuit, &c.

Bononien. Hæreditatis, Veneris 14. Martii 1651.

Coram R. P. D. Bichio.

SUMMARIUM.

1 *Teſtamentum primum revocatur per poſterius.*
2 *Teſtamentum primum non revocatur per poſterius minus validum.*
3 *Teſtamentum factum ad interrogationem alterius ſuſtinetur, quando interrogans eſt perſona non ſuſpecta, & teſtator ſanæ mentis.*
Amplia ut n. ſeq. & n. 8.
4 *Teſtamentum ad interrogationem alterius ſuſtinetur, etiamſi agatur de revocatione alterius præcedentis facti ad pias cauſas.*
5 *Laborans in extremis non præſumitur velle revocare teſtamentum factum dum benè valebat.*
Declara, ut num. ſeq.
6 *Præſumptio cedere debet veritati.*
7 *Teſtatoris mens ſervanda eſt etiamſi fuerit expreſſa ab emittente ſpiritum, dummodo teſtator ſit ſani judicii.*
8 *Teſtamentum ad interrogationem tunc maximè ſuſtinetur, quando teſtator interrogatis reſpondet non per ſolam dictionem, ſic, ſed per verba diſpoſitiva.*
9 *Teſtamentum ad interrogationem conditum ab oppreſſo gravi morbo tunc non ſuſtinetur, quando concurrit aliqua fraudis ſuſpicio, ſenus ſi iſta abſit.*
10 *Mortis proximitas pro validitate teſtamenti non eſt attendenda, ſed mentis ſanitas, & voluntas teſtandi.*
11 *Voluntas teſtandi benè probatur per tres teſtes de illa deponentes, quam ſolemnis diſpoſitio fuit ſubſecuta.*
12 *Teſtamentum præſumitur ſcriptum de mandato teſtatoris.*
13 *Teſtatorem ſanæ mentis fuiſſe lex præſumit, niſi contrarium probetur, licet ejus obitus paulò poſt teſtamentum fuerit ſequutus.*
14 *Diſpoſitio facta ad favorem ejus qui erat ab inteſtato ſucceſſurus, indicat teſtatoris ſanam mentem.*
15 *Teſtes deponentes de dementia teſtatoris abſque expreſſione actuum qui illam probent non merentur fidem.*
16 *Teſtibus deponentibus de ſana mente teſtatoris major adhibetur, quam aliis deponentibus de dementia.*
17 *Teſtium rogitus in teſtamento adhibitorum probatur per depoſitiones duorum teſtium.*
18 *Sufficit quod teſtes fuerint rogati à quacunque præſente, & patiente teſtatore.*
19 *Statutum Bononiæ* lib. 4. de teſtam. §. ſi verò, & §. ſi aliqua, *inducens certam formam teſtandi, reſpicit certum effectum, ſcilicet obviandi fraudibus.*
20 *Forma inducta à Statuto ad effectum obviandi fraudibus, adimplere poteſt per aquipollens, ſi effectus ſequatur.*
21 *Statutum Bononiæ* Rubr. de probat. §. præterea, lib. 2. *declaratur.*
22 *Caſus mixtus non comprehenditur ſub diſpoſitione Statuti.*
23 *Statutum excludens certas probationes intelligitur niſi illa adminiculata ſint alio probationum genere.*
24 *Solemnitas requiſita à Statuto relaxatur tempore neceſſitatis.*
25 *Teſtamentum ad pias cauſas non cenſetur revocatum per ſequens abſque ſpeciali derogatione.*
Declara, ut num. 26.

DECISIO XCVI.

MOnaſteriis Sanctorum Dominici, & Martini de Bononia parentibus immiſſionem ex primo teſtamento condito de anno 1637. à Paulo Burgugnono, annuendum non
1 eſſe Rota cenſuit. Quia illud per aliud teſtamentum poſterius ad favorem matris, & uxoris Teſtatoris conditum de anno 1647. revocatum fuit: §. *poſteriore, Inſtit. quib. mod teſt. infirm.* Bart. *in l. ſi jure, num. 3. ff. leg. 3.* Mareſcot. *var. reſolut. lib. 1. cap. 48. n. 1.*

2 Neque urgent objecta adverſus poſterioris teſtamenti validitatem ad hunc effectum neceſſarium, *dict. leg. ſi jure, ff. de leg. 3.* Aretin. *in dict. §. poſteriore, num. 1.* Mantica *de conjectur. libro 12. titulo primo, num. 39.* Quòd enim hæredes in eo inſtituti fuerint prævia interrogatione Fratris Franciſci Mariæ Iacomelli Viri Religioſi, Teſtatorem tunc morti proximum ad æternam ſalutem coadjuvantis, qui fertur interrogaſſe Teſtatorem, an vellet mediam hæreditatem Matri, & mediam Uxori relinquere? non eſt momenti, quando teſtator mentis compos erat, & articulatè ac diſtinctè loquebatur, quia tunc ejus voluntas eſt clara, & à teſtibus audita; nec præſumitur ab interrogante ſeducta vel extorta, cum teſtator ſcitet, & poſſet negativè reſpondere: & de cætero permiſſum ſit etiam in extremis laboranti condere teſtamentum, ad alterius, maximè non ſuſpecti, interrogationem; ut poſt Alex. Socin. Cravet. Corn. Silvant. & plures alios tradit Surd, *conſ. 414. n. 58.* ubi ait, his duobus concurrentibus, neminem inveniri, qui contrarium ſentiat: Salon. de Pace *conſ. 7. ſub numero 15.* ubi quòd in his terminis opinio Gloſſ. ſingularis *in leg. jubemus, verbo, quemadmodum, C. de teſtament.* Teſtamentum validum eſſe affirmantis, communiter approbata eſt in Iudiciis, & in Scholis: Farinac. *conſil. 97. num. 16. libro primo,* Menoch. *conſil. 45. numero 35. & præſumpt. 8. numero 14. libro 4.* Perez *conſil. 9. numero 5.* Matthierez *recollect. lib. 5. titulo 4. libro 1. gloſſ. 16. ſub n. 12. verſ. ſed quoties*: Gratian. *diſcept. 659. numero 11.* Fuſar. *de ſubſtitution. quæſt. 288. numero 1. & 2.* Clar. *in §. teſtamentum, quæſt. 37. numero 3.* Cyriac. *controverſ. 407. numero 99. & 144.* Argentr. *in conſuetudin. Britann. capite 581. numero 2.* Gamm. *deciſione 46 numero 5.* Peregrin. *deciſ. Patavin. 80. numero 5.* Rota *deciſione 638. numero 1. & 8. parte 1. deverſ. & deciſ. 581. num. 31. & 32.* ubi advertit, quòd ferè omnes Doctores loquuntur 4
etiam quando agitur de præcedentis teſtamenti revocatione; & etiamſi præcedens eſſet factum ad favorem piæ cauſæ: *part. 4. tom. 3. recent.* alioſque in terminis revocationis prioris teſtamenti allegat Modern. Carpen. *controv. foren. ſ. cap. 3. numero 32. & ſequentibus.* Nam præſumptio quod laborans in 5
extremis voluerit revocare primum teſtamentum in bona valetudine conditum, Cancer. *var. reſolut. tom. 1. cap. 4. n. 150.* Seſſ. *deciſion. Aragon. 56. ſub numero 30. verſ. tertia limitatio,* 6
Menoch. *præſumpt. 7. numero 40. verſ. 4. lib. 4.* cedit veritati per ſecundum teſtamentum ritè compoſitum patefactæ: 7
Caſtr. *in leg. ſancimus, numero 5. Cod. de teſtament.* ſemperque mens teſtatoris etiam emittentis ſpiritum, ſi alioquin ſani judicii fuerit, ſervanda eſt: Caſtill. *de conjectur. ult. voluntat. cap. 27. num. 5.* Cyriac. *controv. 407. num. 115.* Rota *inter conſil. Farinac. conſil. 97. n. 30.*

Quod facilius procedit, ubi teſtator interroganti non reſ- 8
pondet ſimpliciter per verbum, *ſic*, quod plerumque in mortis agone poſiti facere ſolent, ne importunis aſtantium interrogationibus turbentur; ſed ipſa nomina hæredum protulit, & per verba diſpoſitiva eos ſe hæredes facere declaravit. Surd. *dict. conſ. 414. ſub n. 5. verſ. ubi dicit: & n. 62.* poſt Alciat. *conſ. 534. n. 12.* aliàs *conſ. 78. tom. 3. lib 9. n. 12. verſ. qua limitatione*: Socin. jun. *conſ. 144. n. 54. lib. 1.*

Eoque magis, ſi conſtat de præcedenti deliberata volun- 9
tate teſtandi: nam utrumque ſeriam liberamque fuiſſe teſtatoris diſpoſitionem demonſtrat, ac excludit omnem fraudis ſuſpicionem, ob quam in aliis caſibus, de quibus Doctores pro contraria parte allegati loquuntur, Teſtamentum ab oppreſſo gravi morbo conditum ad interrogationem alterius, executionem non meretur: Surd. *conſ. 414. num. 53. in fine.* Menoc. *d. conſil. 45. num. 36.* ubi quod in his terminis nulla eſt conſtituenda differentia, quod agatur de revocatione teſtamenti jam conditi, vel non: Ludov. Bell. *conſ. 54. numero 3. verſ. ſi non conſtet*: Gabriel. *de teſtament. concluſ. 2. num. 17. & 19.* Theſaur junior *quæſtione 99. numero 6. verſ. tertia quod præcedat: & verſ. niſi clarè conſtaret, & verſ. quamvis, & n. 7. circa finem*: ubi quod mortis proximitas non eſt ita attenden- 10
da, quin magis conſideretur mentis ſanitas, & præambula voluntas teſtandi: *& n. 15. & 16. verſ. quando conſtaret, lib. 2.* Mantica *de conject. lib. 2. tit. 6 ſub n. 9. & 10.* Seſſ. *dec. Aragon. 56. ſub n. 30.*

In caſu verò noſtro, deliberata voluntas teſtandi proba- 11
tur ex tribus teſtibus, nempe primo, quinto, & octavo (quia ſufficiunt ad probandam præambulam voluntatem teſtatoris, quam ſolemnis diſpoſitio ſubſecuta fuit; juxta notata per Doctores *in leg. hæredes palam, §. ſi quis poſtea, ff. de teſtament.* Bart. *in leg. 2. numero 39. ff. de vulgar. & pupillar.* Surd *conſ. 129. num. 19. & conſ. 414. num. 67.* Joannes Franciſcus à Ponte *conſil. 63. num. 9. lib. 1.* Cancer. *variar reſolut. tom. 3. c ap. 10. num 410.* Burat. *deciſ. 616. num. 16.* Rota *inter recent. deciſ. 765. num. 6. & 2. ſequentibus, parte 2.* & in puncto plures concordantes refert Altogrid. *conſ. 73. numero 1.*) deponentibus quod ante interrogationem Fratris Franciſci Mariæ, teſtator declaraverat ſe velle teſtari, faciendo ad hunc effectum perequiri Notarium: quod in puncto ponderat Surd. *d. conſ. 414. ſub n. 54. infra med.* ibi *at quia Notarium, &c.* Negus. *q. 18. ſub num. 6. verſ. nec apparet.* Menoch. *d præſumpt. 8. n. 34. lib. 4.* Papon *conſ. 36. n. 50.* Aym. *conſ. 17. n. 1.* Theſaur. *dict.*

dict. quæst. 99. num. 6. in fine, ubi quod sufficit aliquo modo
12 constare de præcedenti voluntate, *libro 2.* & mandando eidem Francisco Mariæ ut testamentum scriberet, prout scripsit, & de mandato testatoris scripsisse præsumitur; Decian. *consil. 7. numero 4. libro 4.* Gabriel. *de testament. conclusione 1. numero 15.* Cyriac. *controvers. 407. numero 98.* & in puncto testamenti cooditi ad interrogationem, Riminald. jun. *cons. 261 num. 7.*

13 Insuper omnes testes deponunt, testatorem articulatè respondisse, *Che lasciava mezza la sua robba à sua Madre, e mezza à sua Moglie*, & secundus testis, tertius, quartus, sextus & nonus affirmant, quod erat sanæ mentis; licet paulo postea decesserit: prout etiam lex præsumit, nisi contrarium probetur: *c. fin. de succeff. ab intestat.* cum aliis allegatis *in*
14 *de. 34. n. 7 parte 5. decis. 298. n. 17. p. 7. recent.* in puncto Anton. Perez. *cons. 9. n. 6.* Gomez. *in leg. Tauri, n. 103.* & ipsa dispositio facta ad favorem Matris aliàs ab intestato succeffuræ demonstrat: Hond. *cons. 78. n. 61. lib. 2.* Mantica *de conject. lib. 2. tit. 5. n. 7.* Cyriac. *controv. 407 n. 115.* Rota *dec. 570 n. 20. & dec. 561. n. 45. p. 4. tom. 3. recent.*

15 Unde curandum non est de tribus testibus contrarium asserentibus; nullam enim reddunt sui dicti rationem, explicando actus non sanæ mentis, ut debuissent: Burat. *dec. 256. n. 9.* Duran. *dec. 168 n. 17.* Rota *in recent. dec. 233. n. 26. &* 28.
16 *p. 7.* Et præter quod iidem testes aliter prius judicialiter, ac extrajudicialiter deposuerant, eliduntur à pluribus de sana mente testantibus: Cyriac. *d. controv. 407. n. 161.* Rota *d. dec. 570. n. 17. p. 4. tom. 3. recent.* Concurrente maximè præsumptione educta ab institutione Matris: ut in his terminis respondit Menoch. *cons. 45. n. 41. & præsumptione 8. ub num. 34. vers. tertium est signum, libro tertio*, Rota *dict. decis. 570. in fine.*

17 Defectuum rogitus testium ex adverso allegatum, tollunt quartus, sextus & nonus testes, qui asserunt testes in testamento adhibitos fuisse à testatore rogatos: id quod etiam duobus testibus probari tradit Mantica *de conjecturis, lib. 12. tit. 16. n. 16.* Surd. *n. cons. 41. n. 24.* & alii relati *in Romana testamenti seu hæreditatis* 17. *Junii* 1611. *coram Sacrato*, impress.
18 apud Gratian. *discept. 550. num. 46.* & satis esse à quocunque testes rogati fuerint præsente testatore, & patiente, voluit Alex. *cons. 47. n. 4. lib. 1.* Mantica *de conject. lib. 2. tit. 11 num. 4.* Grat. *discept. 550. num. 7. discept 843. n. 23.* Magon. *decis. Lucen. 31. num. 6.*

19 Nihilque refert, quod neque duo ex testibus rogatis, neque unus ex illis, & Sacerdos qui testamentum scripsit, se cognoscere testatorem dixerint, ut requirit Statutum Bononiæ *lib 4 titulo de testament. §. si verò in Guardia. & §. si aliqua*: ubi disponitur, quod aliàs ultima voluntas pro non legitima habeatur: Cùm enim forma hæc statutaria sit substantialis, & respiciat certum effectum, obviandi scilicet fraudibus, ut in
20 puncto advertit Bero *cons. 1 n. 13. lib. 2.* qui effectus æquè benè sequitur, si aliunde certum sit testibus vel Sacerdoti fuisse cognitum testatorem prout in casu nostro, quo Sacerdos erat Confessarius Testatoris, & testes erant de eodem loco, & Parochia, satis dicitur eadem forma adimpleta per æquipollens: quod admitti dixit in his terminis, Rota *dec. 149. n. 13. & seq. p. 6. recent.* ubi allegantur concordantes: & benè ad propositum Anchatius *quæstione 11. sub num. 16. vers. & etiam, lib. 2.*

21 Aliud pariter Statutum Bononiæ *libro 2. deprobat. solut. §. præterea, juncto §. salvo*: rejiciens probationem testamenti per testes, nisi de eo facta fuerit publica scriptura, ad cujus corroborationem testes producantur, non applicatur casui nostro: Tum quia schedula testamenti scripta à Fratre Francisco Maria in continenti, & statim ac Notarius haberi potuit, redacta fuit à Notario Tertæ Plebis Centi in formam publici Instrumenti, & proinde vel publicum Instrumentum censeri debeat, vel casus iste uti mixtus, hoc est participans de scri-
22 ptura privata, & publico Instrumento, sub statuto non comprehendatur: tal. *in l. certi condictio, §. 1. n. 9. ff. si certum petatur*, Menoch. *cons. 11. n. 5.* Surdus *dec. 347. sub n. 14.* Duran. *dec. 36. n. 36.* & in proximis terminis Cyriac. *controv. 146. n. 3. &*
23 5. Surdus *dec. 43. n. 8. & dec. 188. n. 21.* tum quia Statutum excludens probationes per testes, vel etiam per privatam scripturam, & uno verbo certas probationes, intelligitur nisi illæ administulatæ sint alio probationum genere: Bald. *in l. certi condictio 9. §. quemsm, n. 2.* ubi etiam Fulgos. Castr. & Alex. *num. 3 ff. si certum petatur*, idem Bald. *cons. 279. sub num. 1. lib. 4* Cyriac. *controv. 152. num. 13.* Rota Bononien. diverf. *dec. 15. n. 8* qui est casus noster: Nam Scriptura privata Religiosi administulatur supradicto publico Instrumento Notarii, ac testibus, quorum dicta cùm tenorem Instrumenti referant, & fuerint scriptis judicialiter redacta, eo magis cessat dispositio Statuti, quia habere videtur vim publici Instrumenti: Bellon. *cons. 22. n. 1.* Paris. *cons. 77. num. 20. lib. 2.* Sot. *cons. 169. colum. fin n. 13. vers. Ex quibus etiam*: *libro 3.* Monterius *dec. Aragon. 30. n. 7. & seq.* Maximè quia ipsa Scriptura privata Religiosi de per se aliquam fidem facit: Statutum verò censetur rejicere solùm scripturam, nullam de se facientem probationem: ut notat Mantetent. *ad dict. statutum, §. ex adverso, verb. poss.* saltem quando ut hic factæ fuerunt diligentiæ pro habendo Notario sed ne celitas imminentis mortis illum expectare non permisit: nam necessitatis tempore solemnitas requisita à Statuto relaxatur: ut in terminis similis Statuti, Roland. *cons. 30. n. 13.* facit Surdus *dec. 277. sub. n. 18. vers. ac-* 24
cedat, & ferè in puncto Sess. *decis. Aragon. 430. num. 11. &* 13.

Quæ omnia simul juncta suffragantur hæredibus excipientibus de secùdo testamento advertus agentes ex primo per ea quæ tradit Menochius *de adipisc. poss. remed. 4. n. 781. in fine.* Cyriac. *controv. 246. n. 4.* Surd. *dicta dec. 277. n. 12. &* 13.

Tandem non obstat, quod primum testamentum uti conditum ad pias Causas, ac propterea habens implicitam clausulam derogatoriam ad sequens testamentum, non censetur re- 25
vocatum per posterius sine speciali derogatione; Decius *in l. fin. n 54. C. de edict. Div. Adr. toll.* Socin. jun. *cons. 183. num. 35. libro 2.* Mantica *de conject. lib. 6. tit 3. sub n. 62. vers. secundo* 26
considero: Cancer. *variar. resolut. p. 1. c. 4 sub n. 9.* Nam stante lapsu decennii inter unum, & alterum testamentum; quia tanto tempore præsumitur oblivio clausulæ derogatoriæ primo adjectæ, illud per secundum revocatur, etiam absque aliqua speciali derogatione, ut originaliter voluit Bald. *in leg. sancimus. sub n. 10 vers. idem forte. Cod. de testament.* quem sequitur *ibidem* Fulgos. *sub n. 2. vers. quarta exceptio*: Castr. *sub n. 5. vers. Item si post primum*: Cozn. *n. 3. in fine*, Socin. *in leg. si mihi & tibi, §. in legatis, num. 15. vers. ex qua conclusione*: *ff. de leg. primo*, Alexand. *consil. 105. n. 7. lib. 4.* Capi. *consil. 31. n 18. in fine*: & rejecta contraria opinione Aretini, tanquam communem sequitur Paris. *cons. 10. num. 17. lib. 3.* Ludovic. Bellus, *cons. 109. num. 36.* Clar. *in §. testamentum, quæst. 99. colum. 7. vers. scias etiam*: Card. Mantic. *de conject. lib. 12. tit. 8. n. 16* Rota *in Perusina bonorum de Herculanis 11. Maii* 1582. *§ circa secundam partem coram Buratto*: ubi quod oblivio per lapsum decennii præsumpta, facit præsumere clausulæ derogatoriæ mentionem fuisse omissam potius ex infirmitate memoriæ, quàm defecto intentionis: quod libentius recipiendum est, ubi fuerunt in secundo testamento instituti venientes ab intestato.

Et ita decisum, utraque parte informante.

Romana nullitatis Matrimonii, Mercur. 19. Junii 1651.

Coram R. P. D. Otthobono.

SUMMARIUM.

1 *Affinitas contrahitur in primo gradu cum sorore mulieris, quam quis carnaliter cognoscit.*
2 *Affinitas in primo gradu dirimit matrimonium.*
3 *Copula carnalis est difficilis probationis.*
4 *Copula carnalis probari potest ex conjecturis, & præsumptionibus violentis, etiam ad effectum dirimendi matrimonium.*
5 *Oscula conjuncta cum aliis actibus vehementem copulæ præsumptionem inducunt.*
6 *Connubium mulieris cum viro inducit vehementem copulæ præsumptionem.*
7 *Impuberes admittuntur ad testificandum de iis, qui occultè fiunt.*
8 *Affinitas contracta ex copula illicita, probatur etiam per testes non omni exceptione majores.*
9 *Testis unici depositio adminiculatur ex testibus deponentibus de publica voce & fama.*
10 *Copula præsumptio oritur ex frequenti accessu viri ad domum mulieris, nisi alia causa accessus assignetur.*
11 *Juventus viri & mulieris, ac frequens accessus ad domum mulieris in hac re facta copulæ præsumptionem inducunt.*
12 *Confessio extrajudicialis viri, copulæ præsumptionem induxit.*
13 *Copula præsumptio oritur ex sententia condemnatoria ob delictum ex ipsa copula resultans.*
14 *Copula carnalis probatur ex pluribus conjecturis, quæ ad hunc effectum jungi debent.*
15 *Mulieres quod sint sorores germanæ, probatur ex fide Baptismi, in qua filia earumdem parentum enunciantur.*
16 *Sorores esse probantur mulieres ex eo quod uti tales se tractaverint.*

17 *Sorores*

17 *Sorores esse probantur mulieres ex testium deponentium quod uti tales ab eorum parentibus fuerunt tractatæ.*
18 *Sorores esse probantur mulieres ex communi reputatione & tractatu.*

DECISIO XCVII.

1 FUit per Dominos resolutum constare de nullitate matrimonii contracti inter Flaminium & Annam Mariam. quia cum Flaminius ante hoc matrimonium ex illicita copula habita cum Isabella ejusdem Annæ Mariæ sorore germana affi-
2 nitatem in primo gradu contraxerit, hæc absque dubio dirimit Matrimonium, tam ex dispositione textus *in c. sua fraternitatis, de eo, qui cognov. consanguin. uxor sua*, quàm ex dispositione sacri Concilii Tridentini *sess. 24. de reformat. matrim. cap* 4. ubi Barbos. *in collect. num.* 1. allegat. concord. Rota *in Pacen. Matrimonii* 10. *Maii* 1610. *coram B. D. N. & in Romana nullitatis Matrimonii* 19 *Januarii* 1646. *coram bonæ mem. Arguelles.*

3 Copula Flaminii cum Isabella, sicuti est difficilis probationis, ita justificari potest etiam ad effectum dirimendi ma-
4 trimonium ex præsumptionibus & conjecturis, quando sunt efficaces & violentæ: *cap. litteris, de præsumpt.* Gigas *cons.* 29. *n.* 21. Rota *decis.* 95. *n.* 12 *& sequentibus, p.* 2. *divers.* cum aliis relatis *in d. Romana nullitatis Matrimonii, coram bonæ memoriæ Arguelles.*

Et visa fuit hodie Dominis sufficienter probata ex depositionibus plurium testium datis *in summario Annæ Mariæ à num.* 3. *usque ad* 9 quatuor enim testes deponunt de ardenti
5 amore Flaminii erga Isabellam, ac de osculis, aliisque actibus lascivis: ut *in dicto summario n* 4. *&* 5. qui actus plurimum conferunt ad inducendam vehementem præsumptionem copulæ, dum ut in præsenti, alia adminicula concurrunt: Burs. *cons.* 218. *n.* 3. Mascard. *de probat. concl.* 64. *n.* 1. cum aliis relatis per Sanchez *de matrim. lib.* 10. *disp.* 12. *n.* 47.

6 Accedit depositio octavi testis deponentis de visu de concubitu Flaminii & Isabellæ in eodem lecto, & de lascivis amplexibus per multum tempotis spatium, *dict. summ. sub n* 4. Inde verò oritur vehemens copulæ præsumptio; ut probat textus *in dict. cap. litteræ, de præsumption.* Gigas *cons.* 29. *n.* 13. Fatio *de delict. carn. q.* 136. *n.* 18. Modern. Carpens. *contr.* 174. *n.* 23. Sanchez *dicta disput.* 11. *n.* 43.

7 Et licèt is sit testis unicus & impubes, adhuc tamen attendi debet, quia etiam impuberes admittuntur in his, quæ occultè
8 fiunt: Faria *cons.* 31. *sub num.* 7. & cùm agatur de probando impedimento affinitatis ex illicita copula contracto, non requiruntur testes omni exceptione majores, ut conciliando textus *in c.* 1. *de consanguin. & affinit. & in cap discretionem, de eo qui cognov. consanguin. uxor sua*: benè distinguit Gigas *d. cons.* 29 *n.* 10.

9 Dictum verò testis, licèt unici adminiculatur, imò illius fides suppletur ex aliis testibus deponentibus de publica voce & fama; ut *in eod. summar. n.* 8. dum alia hic adsunt adminicula. Soc. jun. *cons.* 32. *n.* 10. *& seq. lib.* 2. Rota coram Caputaq. *decis.* 188. *n.* 1. *& decis.* 296. *part.* 3. siquidem dantur alii testes
10 deponentes, quòd sæpè Flaminius & Isabella soli remanebant in cubiculo, prohibito accessu cuicunque alii, nec ulla causa assignatur frequentis accessus, nisi inhonesti amoris; ex ipso vehementem præsumptionem copulæ deduci tradunt post alios, quos referunt Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præs.* 41. *n.* 11. Moder. Carp. *d. contr.* 174 *n.* 18. Rota *dec.* 95. *n.* 7. *&* 8 *p.* 2. *div.*

Insuper concurrit utriusque juventus, & frequens accessus
11 Flaminii ad domum mulieris inhonestæ, ac confessio extraju-
12 dicialis ejusdem Flaminii, probata per testes *in d. summ. n.* 6. quam in proposito, junctis præsertim aliis multum expendunt Soc. jun. *d. cons.* 32. *n.* 17. *lib.* 2. Cyriac. *controv.* 171. *n.* 14. Modern. Carp. *d. contr* 174. *n.* 22. Rota *d. dec* 95. *n.* 3. *p.* 2. *divers.* & prædicta omnia fuerunt ponderata *in d. Romana nullitatis matrimonii, coram bonæ memoriæ Arguelles.*

13 Et ulterius adest sententia Criminalis contra Flaminium lata, ac absolutio à Sanctissimo petita & obtenta nomine Flaminii, qui in judicio criminali ea usus fuit; ut *in summario Annæ Mariæ, n.* 2. *&* 11.

14 Ex quibus omnibus simul junctis, prout ad hunc effectum jungi debent, negari non potest quin copula sufficienter justificetur: Gloss. *in cap. tertio loco, verb. dicta sunt, de præsumpt.* Valenz. *cons.* 28. *num.* 11. *lib.* 1. Ramon. *cons.* 11. *n.* 21. Modern. Carpens. *d. contr.* 174. *n.* 9. Rota *d. dec.* 95. *n.* 17. *p.* 2. *divers. & in d. Romana nullitatis matrimonii, in §. ex quibus: coram bonæ memoriæ Arguelles.*

Quòd verò Isabella & Anna Maria sint sorores germanæ:
15 Domini nullam habuerunt difficultatem: quia id non controvertitur, & probatur ex fide Baptismatis, in qua filiæ ejusdem Patris, & Matris enunciantur, ac etiam testibus deponentibus
16 de tractatu ac nominatione eorundem parentum; & quòd 17
mulieres uti tales se tractarunt, ac ab aliis communiter pro 18
sororibus habitæ sunt, ac de præsenti habentur & reputantur: Castr. *cons.* 151. *num.* 1. *lib.* 1. Gratian. *discept.* 491. *n.* 21. *& seq.* Rota coram Penia, *d. decis.* 223. *n.* 3. *& in Britannorien. fideicommissi* 24. *Martii* 1642. *coram R. P. D. meo Bichio.*

Fuit itaque resolutum constare de nullitate matrimonii, informante tantum Anna Maria, Flaminio verò pluries citato, & informare recusante.

Bononiens. fideicommissi de Buccaferris, Lunæ 24. Maii 1655.

Coram R. P. D. Zarate.

SUMMARIUM.

1 *Agens ex fideicommisso docere debet de purificatione omnium conditionum sub quibus fuit ipsius vocatio concepta.*
2 *Ad Generationem habilis unusquisque præsumitur, nisi inhabilitas probetur.*
3 *Fideicommissum ordinatum sub conditione, si sine filiis, non potest dici purificatum quousque durat spes, quòd illi, cui fuit facta substitutio, possit filios procreare.*
4 *Generandi inhabilitas non oritur ex morbo caruncula.*
5 *Caruncula morbus artis medicæ præsidio facilè tolli potest.*
6 *Sterilitas, quæ potest remediis tolli, non impedit generationem.*
7 *Successioni locus non est, donec omnis spes, suscipiendæ prolis non fuerit extincta, quando quis fuit vocatus sub conditione negativa, si sine filiis.*
8 *Ablativus absolutus conditionem importat.*
9 *Fideicommissum ordinatum in casu obitus sine filiis, non purificatur ex eo, quod deficiat spes suscipiendæ prolis, sed expectandus venit obitus illius, cui fuit facta substitutio.*
10 *Fideicommissum ordinatū sub conditione, si filios habuerit, purificatur statim ac constat de impotentia generandi.*
11 *Ætas in substituto requisita facit dispositionē conditionalē. Declara ut num. 9 q.*
12 Lex, Seius Saturninus. ff. ad Trebellian. & lex, ex his, Cod. quando dies legat. ced. *declarantur.*
13 *Dictio*, postquam, *adjecta institutioni conditionē importat.*
14 *Substituti in defectum filiorum citandi veniunt in judicio, in quo agitur de probanda filiatione.*

DECISIO XCVIII.

FRanciscus Maria Buccaferrus in ejus supremo testamento hæredem universalem scripsit, primum filium masculum legitimum & naturalem, & ex legitimo matrimonio procreandum Domini Hyacinthi fratris germani, cum onere fideicommissi, & ordine primogenituræ. Deficiente verò prædicto Hyacintho absque filiis legitimis & naturalibus, & ex legitimo matrimonio procreatis, substituit cum eodem onere fideicommissi, & ordine primogenituræ primum natu majorem prænominati Hyacinthi naturalem tantum, ex quocunque illegitimo, seu quovis prohibito coitu. sub illa tamen adjectione, postquam scilicet dicti instituti aut substituti vigesimum annum complevisset, & medio tempore idem testator sibi hæredem fiduciarium instituit Dominum Antonium de Argelc.

Post obitum testatoris, Hyacinthus tanquam spe legitimæ prolis destitutus, petiit declarari bona fideicommissa ad Philippum filium naturalem quinquennem spectare: causâque in gradu appellationis introducta coram me, proposui dubium, an constaret de fideicommisso ad favorem Philippi? Et Domini non constare pro nunc responderunt.

Ea moti ratione, quia ut fideicommisso locus sit, desideraretur ut is decessisset de existentia omnium conditionum, 1
sub quibus filius illegitimus est vocatus; juxta textum *in l. si hæredi plures, ff. de condit. institut. leg. cedere, ff. de verborum significatione, leg. qui hæredi, ff. de condit. & demonstrat. l. cùm quærebatur, ff. judic. solv. leg. si quis ita, ff. de verbor. obligat.* Hond. *cons.* 78. *num.* 24. *lib.* 2. Casanat. *cons.* 1. *num.* 1. Capreol. *cons.* 12. *num* 12. Modern. Lucen. *cons.* 83. *n.* 1. *lib.* 2. Modern. Neap. *de fideicomm. q.* 1. *c.* 6. *num.* 281. Hier. Leo *dec.* 44. *num.* 7.

Existentia enim primæ conditionis, nempe obitus Hyacinthi absque filiis, non fuit justificata, cum ipse adhuc in humanis sit, & habilis præsumatur ad generandum, nisi inhabilitas probetur: Alciat *præsumpt.* 41. *n.* 1. *reg.* 1. & nostri ævi alter Hippocrat. Paulus Zacchias *Quæstion. medico legalium. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 9. *num.* 10. Et ideò fidecommissum dici nequit ad 2
ejus favorem purificatum ante dictæ conditionis eventum: 3
leg. unica, § sin autem sub conditione, Cod. de cadue. tollend.

Surdus

Surdus *cons.*403.*n.*10.*&* 12. Peregrin.*de fideicommiss.art.*43. *num.*9 Tiraquellus *de retract.lignag.* *gloss.*2.*num.*25. Rota *dec.*593.*n.*1 *p.*1.*recent.* & coram Buratto *dec.*705.*num.*1 *iam primo.*

Nec inhabilitas generandi, quæ sola vivente Hyacintho est apta ad producendam purificationem conditionis, absque filiis, desumi potest ex caruncularum morbo, quo Hyacinthus affirmatur, ut deponunt pro parte Philippi inducti. Quoniam hujusmodi morbus ex prædictorum testium depositionibus non aperitur: & quando etiam probaretur, nihil relevaret: 4 quia non exinde dicitur perpetua impotentia generandi, cùm 5 morbus hic Artis Medicæ præsidio facilè tolli possit: ut plurimi auctores tradunt, inter quos Paræus *in sua Chirurgia, lib.*18. *c.*12 *&* *seq.*& Alphonsus Ferrus *in libello de Caruncula*, ubi non solùm docet hujus morbi curationem, sed *in fine*, ponit, quomodo sanati sint conservandi. Quin Amat. Lusitan. *curat.Medic.cent.*4. *curat.*19. casum proponit cujusdam viri, tali morbo spatio unius mensis curati: ibique alius se curasse testatur: & apud Petr.Foreſt. *libr. Observat.*15. *observat.* 20. Est casus Prætoris, qui cum ob caruncularum minus habilis fuisset effectus ad generationem, aliaque munia naturalia non ad ò liberè exerceret, non modò morbo, & impedimento curatus fuit, verum & ab uxore filios postea suscepit, ut ille 6 asserit *in fine dictæ observationis*. Et homini non est impedimento sterilitas, quæ potest remediis adhibitis auferri, ut aliàs dixit Jurisconsultus Paulus *in leg.si quis postbumos* 9. *ff.de liberis*, *&* *postbumis*; ibi, *Natura magis in homine generandi,& consuetudo spectanda est,quàm temporale vitium, aut Valetudo, propter quam abducatur homo à generandi facultate.cap.ex litteris* 3.*c.fraternitatis* 6.*de frigid. & maleficiis*, 7 ubi Doctores. Nunquam enim ad successionem admittitur is, qui vocatus est sub negativa conditione, *si absque filiis*: *capit.generaliter*, *de procurat. in* 6. cum aliis per Barbos. *d.*2. n.2 nisi omnis spes suscipiendæ prolis prorsus fuerit extincta, *leg.Lucius*, *ff. de hæredibus instituendis*, *leg.quidquid adstringendo*, *ff.de verborum obligationibus.* Modern. Hilpan. *disquisition.legal.*24.*n.*35.

Quinimò ut animadverterunt Domini, testator non solùm consideravit deficientiam filiorum Hyacinthi, verum 8 etiam ejusdem Hyacinthi obitum, & quidem per ablativum absolutum, ibi. *deficiente Domino Hyacintho absque filiis*, qui conditionem importat: *leg. si quis arbitratu*, *ff. de verborum obligationibus*, *leg.à testatore*, ubi Gloss. *in verbo,conditio.ff.de conditionib.& demonstrationib.* Rota *decis.* 161.*num.*8. *parte* 4. *tom.*2. *recent.* Quapropter licèt Hyacintho nulla su- 9 peresset spes legitimæ prolis, non adhuc factus esset locus vocationi Philippi, eodem Hyacintho patre vivente, ut in his præcisè terminis Peregrin.*consil.*28.*n.*5.*lib.*4. Fusar.*de substitution.*q.415. *n.*2. distinguens inter conditionem, *si filios habuerit*, vel, *si sine filiis decesserit*; Nam primo casu, admittitur 10 purificatio sta im ac constat de impotentia generandi, cùm tamen in secundo casu requiratur implementum conditionis mortis, & defectus filiorum.

Neque probata est existentia alterius conditionis, nimirum ætatis viginti annorum in Philippo nondum quintum annum excedente: & quidem ista vera conditio est cùm diem 11 incertam continet, juxta text. *in leg.si cui*, §. *ergo tunclo*, § *hoc autem*, *ff. de leg.*1. *leg.si Titio*, *ff.quando dies*, *leg.sed. leg.sista scriptum fuerit. ff. de manum. testament. leg.si servus liber ff. de statu lib.* Bartol. Bald. & cæteri antiquiores *in leg.ex his*, *Cod.quando die leg.sed.* Peregrin. *de fideicommiss. art.*31 *num.*26. Donell. *lib.*8.*comment.cap.*31. Lattea *select. jur.c.*8 *num.*4. allegati per Noal. *de transmiss.cas.*3. *num.*8. Cujac. *lib* 36. *Digestor. ad Julian. in dict.leg.si ita*, *ff.de manum.testament.*

Et his non adversatur text *in leg. Seius Saturninus*, *Digestis ad Trebell & dict.leg ex his*, *Cod.quando dies leg.sed.* Ex 12 quibus probatur in dicta adjectione ætatis conditionem non adesse. Quia respondetur *in istis Juribus* prædictam adjectionem non fuisse appositam substantiæ legati, aut fideicommissi, sed tantum solutioni; & ideò conditionem non inducere, secus verò in Juribus contrariis. & in nostro casu, ut rectè explicant Castr. *in d.leg. Seius Saturninus*, Donellus *d.cap.*31. Noal. *dict.cas.*3. *num.*13. *cum sequentibus*. Lattea *ubi supra*, *num.* *prope finem*, & in specie Rota *decis.*782. *num.*8. *cum sequentibus*, *p.*1. *divers.* Et in præsenti conditionem inesse 13 deprehenditur ex illa dictione, *Postquam*, ibi, *postquam ipse filius annum vigesimum suæ ætatis compleverit*, &c. quæ adjecta institutioni conditionem præfecit, ut per Bartol. *in leg. quibus diebus*, §. *Termilius*, *ff. de condition. & demonstration. leg.sista*, §. *finali*, & *ibi* Gloss. *ff. de leg.* 2. Barbosa *d.* 272. *n.m.*2 Gratian. *discept.*168. *num.*1. Rota *dec.*46. *num.*2 *par* 2. *recent.*

An verò probata facie concludenter Philippi filiatio ex Hyacintho, Domini pro nunc noluerunt discutere, præsertim quod citati non fuerant in hoc judicio alii per testatorem vocati in casum decessus Hyacinthi, sine filiis, etiam naturalibus; ad text. *in leg. de unoquoque*, *ff. de re jud.* Modern. Censenaten. *de Citat.tom.*3. *c.*14.*n.*128.

Et ita, &c.

Romana Primogenituræ, Lunæ 7. Maii 1657.

Coram R. P. D. Dunozetto.

SUMMARIUM.

1 *Primogenitus ad sacros Ordines promotus, excluditur à successione Primogenituræ habentis annexum onus ducendi uxorem, non secus ac si nunquam fuisset in rerum natura.*

2 *Primogenitura habens onus ducendi uxorem, spectat ad secundogenitum, quando primogenitus fuit promotus ad Ordines sacros.*

3 *Conditio constitutione adjecta non censetur repetita in substitutione.*
Declara ut num. seq.

4 *Conditio repetita censetur in substitutionibus, quando versamur in primogenituris ordinatis pro conservatione agnationis.*

5 *Qualitas uni adjecta, in aliis censetur repetita, quando versamur in primogenituris.*

6 *Verba*, Con li medesimi obblighi sudetti, *in ultima substitutione per testatorem apposita, inducunt repetitionem præcedentium obligationum in omnibus substitutis.*

7 *Qualitas primo adjecta regulariter in omnibus repetita censetur.*

8 *Qualitas primo adjecta tunc maximè in omnibus repetita censetur, quando concurrit ratio.*

9 *Dictio*, & hic, *est* petitiva onerum præcedentium.

10 *Conditiones duæ si fuerint per testatorem in institutione appositæ, & in substitutionibus dicat*, Con le dette Conditioni, *non sufficit unius, sed ambarum conditionum requiritur implementum.*

11 *Relatio fit ad proxima, non autem ad remota.*

12 *Qualitas in primogenituris attenditur de tempore delatæ successionis.*

13 *Sufficit quod conditio semel fuerit adimpleta, licet postea adimplementum non duret.*

14 *Institutus cum obligatione aliquid implendi, non potest admitti ad successionem, nisi præstita cautione adimplendi voluntatem testatoris.*

15 *Institutus sub conditione quam adimplere recusat, excluſus remanet ab omni jure successionis.*

16 *Donatum sub una conditione, sub contraria censetur ademptum.*

17 *Legatum factum mulieri, si nubat Titio, non debetur, si mulier Titio nubere recusset.*

18 *Promissio facta, si matrimonium sequatur, corruit non sequutis nuptiis.*

19 *Substitutus in casu alienationis bonorum, secuta alienatione admittendus venit, non expectata morte alienantis.*

20 *Natus ex uxore præsumitur filius mariti maximè si uti talis fuerit baptizatus, & ab ipso marito instructus.*

21 *Generatio filiorum in sene robusto non est impossibilis.*

22 *Filius natus ex uxore dicitur mariti, licet senis, quando nil probatur quod uxoris famam denigret.*

DECISIO XCIX.

ALexander Sarazanus in suo ultimo testamento, hæredem universalem scripsit Martium Melesium ex sorore nepotem, sub conditione ducendi uxorem, & assumendi nomen, & arma domus Sarazanæ, absque alia mixtura, cui in omnibus bonis succedere voluit ejusdem Martii primogenitum & successionem ipsi deferri mandavit: & si iis dicti Martii non existentibus aut quandocunque deficientibus, vocavit primogenitum secundi fratris dicti Martii: & eo, aut ejus descendentibus non existentibus, primogenitum, aut descendentes à tertio fratre: & casu quo tota descendentia masculina dictorum trium fratrum deficeret, voluit succedere masculos ex fœminis: & ultimo loco ejusdem Testatoris proximiorem cum perpetua primogenitura, & cum eisdem obligationibus, & repetito onere sumendi nomen Testatoris; & insuper prohibuit bonorum alienationem, & obligationem, etiam de licentia, aut cum derogatione Principis; sub ea lege, quod in casu contraventionis, bona devoluta censeantur per duos menses ante ad favorem successuri in casu mortis.

Post

1 Poſt obitum Teſtatoris, defunctis Martio, & ſecundo ſeatre ſine filiis & ultimo loco Alexandro tertio fratre poſt ſe relicto Iacobo Antonio Primogenito Sacerdote, & Ioſepho, Ignatio infante per Patrem hærede inſtituto, fuit ſub die 22. Maii 1656. dubitatum, cui eſſet dandum mandatum de manutenendo ſuper bonis ſuppoſitis primogenituræ? Sed quia talis dubii reſolutio pendere videbatur à diſcuſſione negotii principalis; Domini mandarunt, quòd videretur de bono jure ad effectum manutentionis: quo hodie propoſito, fuit reſolutum, conſtare de bono jure Ioſephi Ignatii.

Ratio reſolutionis fuit, quia Iacobus Antonius per Sacerdotii aſſecutionem amplius adimplere nequeat onus ducendi uxorem expreſsè à teſtatore Primogenitis injunctum, & propterea licet ipſe ſit primò natus à dicta Primogenitura remanet exclusus, ac ſi naturaliter obiiſſet, nec unquam in rerum natura extitiſſet: Bart. *in leg. Deo nobis, n. 1. & ſeq. C. de Epiſc. & Cleric. & Authent. niſi rogati, ſub n. 3. C. ad Senat. Conſult. Trebell.* Matzat. *de fideicom. quæſt.* 31. Melch. Pelaëz *de major. part. 2. cap 3. per tot.* & præſertim, *n. 13. & 27. & ſeq.* Sanchez *ad præcept. Decalog. lib. 5. c. 15. n. 19. & cap. 16. n. 22.* Rota *in Mediolanenſ. Bonorum 31 Maii 1669. coram Eminentiſſimo*

2 *Domino Cardinali Corrado*: illâque fuit aperta ad favorem Ioſephi Ignatii licet ſecundò nati, uti habilis ad complendam illam conditionem, juxta notata per Pelaëz *de major. p. 2. c. 3. n.* 23. Duran. *de condit. oppoſ. ſecunda parte, c. 3. n. 34.* Fontanell. *de pact. nupt tom. 1. fol. 76. n.* 34

3 Non obſtat quod dicta conditio nubendi legatur tantum apposita in prima inſtitutione, ideóque repetita non cenſeatur in ſubſtitutione: *leg. ſub conditione, Digeſtis, de hæred inſt.* Anton. Gen. *var. tom. 1. c. 12. n.* 37. & præſertim cum illa ſit perſonalis, & nominatim appoſita Martio primo inſtituto. Quia

4 regula quòd appoſita in inſtitutione, non cenſeantur repetita in ſubſtitutione; fallit in primogenituris, quæ prout hîc inſtituuntur pro decore familiæ & ad conſervandam agnationem: Surd. *conſ.* 141 *n.* 14. Cyriac. *contr.* 312. *n.* 3. Rot. coram Seraph. *dec.* 49 *n.* 2. *& diverſ. dec.* 191. *n.* 2 *p.* 2. In iſtis autem,

5 ex conjecturata mente Teſtatoris, qualitas uni adiecta, in aliis cenſetur repetita: Molin. *de Hiſpan. primogen. lib. 1. c. 16. n.* 24 Caſtill. *contr. jur. tom. 2. c.* 4. *n.* 139 *& ſeq. & tom. 6. c. 177. per tot.* & ſignanter *n.* 19. Decian. *conſ. 6. n.* 3. *vol.* 5 Peregrin. *conſ. 25. n.* 14. *& 15 lib.* 3 Fuſar. *de Subſtit. q.* 430 *n.* 9 Pelaëz, *ubi ſuprà, p. 2. c.* 3 *per tot. & c.* 4. *illat.* 8 *n.* 10. *verſ. & non ſolum, & n.* 15. *& c.* 26. *n.* 31. *& 75.*

6 Præter quod prædicta oneris repetitio in præſenti caſu videtur indubitata, tam ponderando, quòd in ultima inſtitutione Teſtator uſus fuit verbis, *Con ſi medeſmi obighi ſudetti, e con la detta perpetua ſucceſſione di primogenito in primogenito*: ex quibus proculdubio idem infertur, ac ſi annexe lectes obligationes de verbo ad verbum per Teſtatorem fuiſſent in ſequentibus ſubſtitutionibus repetitæ: *l. ſi Teſtamentum, §. ſin autem, C. de Inſtit.* Bart. *in l. talis ſcriptura, §. finali, n.* 4. *de l.* 1. *& in l.* 1. *§. hoc edicto, n.* 2. *Digeſtis de poſtul.* Dec. *conſ.* 423. *n.* 5. Pariſ. *conſ.* 1 *n.* 134. *lib.* 3 Rota *dec.* 715. *n.* 2. *& ſeq p.* 1. *& deciſ.* 506. *n.* 4. *p.* 4 *recent.*

7 Eóque fortius, cum regulariter qualitas primo adiecta, in omnibus repetita cenſeantur: Peregrin. *de fidei comm. art.* 16. *n.* 58. *& art.* 25. *n.* 34 *&* 48. Fuſar. *de Subſtit. q.* 450 *n.* 1. Rota *dec.* 452. *n.* 8 *p.* 2. *& dec.* 222. *n.* 4 *p.* 4. *recent.* cum aliis congeſtis

8 per Grat. *diſceptat.* 774 *n.* 28 *& ſeq.*

Et id abſque difficultate, quando concurrit eadem ratio, ex qua alias voluntas Teſtatoris ſervari non poſſet: Ruſtic. *in l. cum avum, lib.* 3. *c.* 7 *n.* 146. Molin. *de Primogen. lib.* 1. *cap* 7. *n.* 25. Fuſar. *conſ.* 75 *n.* 9 *& ſeq. & tract. de Subſtit quæſt.* 450.

9 *n.* 9 Tum attenta dictione, *& ſic*, immediatè à Teſtatore poſt onus injunctum Martio, & delatam ſucceſſionem ejus filio appoſita, ibi *e coſi debbia decadere detta ſua hereditá di primogenito in primogenito* quæ dictio, *Et ſic*, pariter eſt præcedentium onerum repetitiva, Covarr. *var. q. lib* 2. *q.* 22. *n.* 17. Hond. *conſ.* 64 *n.* 7 *&* 40. *ib.* 2. Rota *dec.* 118 *n.* 4. *p.* 2. *diverſ. & in Placentina Bonorum* 16. *Martii* 1654. *coram R. P. D. meo Zarate.*

10 Tum denique animadvertendo, quòd duæ tantum conditiones fuerunt per Alexandrum Sarazanum expreſſæ, altera de uxore ducenda; Altera de aſſumendo nomen, & arma; & ſic cum verba, *con li medeſmi obighi ſudetti*, ſint in numero plurali concepta, non ſufficit ad implementum unius ex dictis conditionibus, ſed debent ambæ ad unguem adimpleri, ut in ſpecie tradit Caſtr. *conſ.* 189. *n.* 1. *in fine.*

Nec quidquam facit, ſi dicatur dicta verba poſſe referri ad legata; quia cum hæc eſſent momentanea, non eſt veriſimile quod de iſtis Teſtator fuerit locutus: immò cum illa facta legantur in principio teſtamenti, deinde verò fuerit appoſitum

11 dictum onus nubendi, utique relatio potius facta cenſetur ad proxima, quàm ad remota: Gloſſ. *in l.* 1. *Digeſtis, de legat.* 2.

Cravett. *conſ.* 147. *n.* 8. Rota *in recent. deciſ.* 277. *num.* 7 *p.* 2. *& dec.* 62. *n.* 10 *& d.* 232. *n.* 17. *p.* 6.

Prout minus relevat, quod Iacobus Antonius de tempore delatæ ſucceſſionis eſſet capax, & ſic per aſſumptionem ſacerdotii hæreditatem jam quæſitam non amiſerit, cum in primogenitura attendatur qualitas de tempore delatæ ſucceſſionis, 12
ſufficiatque eo tempore eam conditionem adimpleviſſe, licet 13
poſtea non perſeveraverit, juxta doctrinam Baldi *in l. pretium tuis, n.* 2. *C. de impuber & aliis ſubſtitut.* Molin. *de Primogen. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 7. Gamm. *deciſ.* 2. *c. n.* 4 Quia cum ipſe non 14
præſtiterit cautionem Mutianam de adimplenda voluntate Teſtatoris, ut tentabatur, ad hoc ut poſſet admitti ad dictam ſucceſſionem, ut expreſſe diſponitur in *l. Mutiana*; ubi Gloſſ. & Doct. *Digeſtis, de condit. & demonſtrat.* Immò per aſſecu- 16
tionem Sacerdotii declaravent de facto ſe nolle nubere, & conditionem amplius adimplere nequeat, fuit ab omni jure exclusus, ac ſi nunquam fuiſſet admiſſus: *dicta l. Mutiana*, ubi Doctores. *Digeſtis, de condit. & demonſtr. Auth. cui relictum, Cod. de ſacroſ. eccleſ. tollend.* Molin. *de primogen. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 16. Rot. *deciſ.* 354 *n.* 1. *part* 4 *div. & dec.* 141. *n.* 36 *part* 5. *recent.* Datum enim ſub una conditione, ſub contraria cenſetur ademptum: *l. quid ponet Digeſtis, quando dies leg. ced. leg. ſi legatur pure, Digeſtis, de adimend. leg.* Peregin. *de fideicommiſſ. art.* 11. *n.* 117. Ruinus *conſ.* 170. *n.* 11. *& 12. lib.* 3. Rot. coram Seraph. *dec.* 1354. *n.* Surd. *dec.* 66. *n.* 15.

Et ſimilia de muliere, cui ſit factum legatum ſi Titio nup- 17
ſerit, ſi illi nubere recuſet, legato privatur: Surd. *conſ.* 137. *n.* 19.
Et de promiſſione facta ſi matrimonium ſequatur, non ſecu- 18
tis nuptiis, ipſo facto promiſſio corruit: *l. item quia, §. hujus rei ff. de pact.* ubi Gloſſ. *in verſ. non ſervatis*, explicat, nec ſpe-

Præterea eidem Iac. Antonio obſtat caducitas per ipſum 19
incurſa ex cauſa alienationis nonnullorum bonorum, contra expreſſum præceptum Teſtatoris, quia cum eo caſu per duos menſes ante alienationem vocatet ſucceſſuros in caſu mortis, ſequitur, quòd ex hoc etiam capite ſit factus locus ſucceſſioni favore Ioſephi Ignatii, abſque eo quod iſte teneatur expectare obitum alienantis: *leg. cujus pater, §. in liberis, Digeſtis, de l.* 2. Molin. *de Primogen lib.* 1. *c.* 16. *n.* 32. cum aliis plu-
ribus congeſtis *in Mediolanenſi Bonorum* 31. *Maii* 1649. *coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Cerrado.*

Ea verò, quæ fuerunt deducta contra filiationem Ioſephi 20
Ignatii, Domini non habuerunt in conſideratione; cum hujuſmodi filiatio plenè juſtificata remaneat, dum uti filius à patre inſtitutus, baptizatus, & eſt ex ejus uxore natus: *l. ſi vicinis ſcientibus, C. de nupt. l. non epiſtolis, C. de probat.* Sperell. *dec.* 174. *n.* 4. *p.* 3 in nihilo relevante, quod de tempore ejus 21
conceptionis pater eſſet ſenex annorum 78. cum generatio filiorum in ſene robuſto non ſit impoſſibilis: Natbon. *de ætat. annor.* 65. *q.* 1 *n.* 9. Zacch. *quæſt. Medico leg. lib.* 1. *tit.* 1 *quæſt.* 9. *n.* 14 *& ſeqq.* Simbald. *in Genuatrop. oper. lib.* 2. *tract.* 3. *cap* 3. *col.* 3 *&* 4. Rot. *de iſſ.* 20. *n.* 25 *& ſeqq. p.* 5. *recent.* Giovagnon. *conſ.* 6 *n.* 38. ubi dicit, ex ſola nativitate filium probari mari- 22
ti, licet ſenis, quando nihil probatur, quod uxoris famam denigret.

Et ex his cenſuerunt Domini conſtare de bono jure dicti Ioſephi Ignatii, etiam ad effectum manutentionis; utraque, &c.

Romana prætenſæ filiationis, Ven. 22. Iunii 1657.

Coram R. P. D. Veroſſio.

SUMMARIUM

1 *Filii nati ex publica meretrice dicuntur vulgo concepti.*
2 *Filii publicæ meretricis certum patrem oſtendere nequeunt.*
3 *Sexagenarium non eſſe habilem ad generationem, de jure præſumitur.*
4 *Filium potius præſumitur ſuſceptus ex juvene, quàm ex ſene: & n.* 15.
5 *Filiationis quaſi poſſeſſio inducitur per actus geſtos erga aliquem uti filium, contra ipſum agentè ejuſq. hæredes. Declarat ut n. ſeq. & n.* 8.
6 *Senex mala valetudine affectus inhabilis reputatur ad generandum.*
7 *Ad Filiationis probationem multùm confert jurata aſſertio illius, ex quo filium ortũ duxiſſe militat præſumptio.*
8 *Filiationis quaſi poſſeſſio non ſuffragatur in Indicio deciſorio præſtationis alimentorum, maximè ſi contraria urgeant conjectura. Declarant n.* 9.

10 *Filiationis leviores probationes ſufficiunt, ad effectum obtinendi alimenta, lite pendente ſuper negotio principali.*

11 *Filiationis conjectura non induitur ex eo, quod quis fuerit in libro baptiſmatum deſcriptus uti filius alicujus, ex cujus ordine talem deſcriptionem factam fuiſſe non apparet.*

12 *Septuagenario prolem aliquando ſuſceperunt.*

13 *Generandi poſſibilitas in eo, quem inhabilem jus reputat, non attenditur, niſi evidentibus probationibus concludatur.*

14 *In judiciis attendantur ea, quæ accidunt ſecundum naturæ curſum, non autem, quæ rarò eveniunt.*

15 *Filiatio convinci debet per probationes urgentes, quando potentia generandi in eo, qui prætenditur pater, excluſa remanet ex naturali ratione, & juris præſumptione.*

16 *Alimenta non debentur deficiente probatione filiationis, & paupertatis.*

DECISIO C.

LIcet in hoc Sacro Auditorio inſtituta, atque vertente cauſa inter Matthæum, & Eugeniam agentes pro alimentorum præſtatione in bonis quondam Ioannis Baptiſtæ Veralli Marchionis Caſtri Viſcardi prætenſi totum Patris naturalis, adverſus Dominam Marchioniſſam Mariam ejuſdem Ioannis Baptiſtæ filiam legitimam & naturalem, necnon beneficiariam ab inteſtato hæredem; poſt habitas plures hinc inde probationes, Dubitavi an filiatio Matthæi & Eugeniæ ſufficienti probationum genere concludatur? Et in negativam, poſt cauſam bis propoſitam, hodie Domini vere ſententiam.

Siquidem conſtat ex teſtibus pro parte Marchioniſſæ productis, Angelam Matthæi & Eugeniæ matrem, Ioanni Iacobo Ferrario, florida tunc favente ætate, ac publico quæſtu expoſitam extitiſſe. Hinc enim filii ex Angela progeniti *vulgò concepti* cenſentur; neque ratione incertitudinis, Marchionem Ioannem Baptiſtam poterunt proinde in Patrem aſſumere; juxta text. *in l. vulgo concepti Digeſtis de ſtat. homin. § ſi adverſus, Inſtit. de nup. §. vulgo quæſitos, Inſtit. de ſucceſſ. cognat.* notant Doctores *in l. filium, Digeſtis, de his qui ſunt ſui vel alieni juris*, ubi Bald. *n.* 11. Alber. *n.* 13. Alex. *conſ.* 157. *n.* 1. & 2. *lib.* 2. Natta *conſ.* 205. *n.* 2. & 3. Rota coram Mantica *dec.* 149. *n.* 10. & 11. & *dec.* 289. *n.* 2. *cum ſeq. p.* 2 *recent.* & *in Romana filiationis* 1. *Iulii* 1639. §. *& quadam prima*; *coram Reverendiſſimo Salamantino*, & *in Parſen. honor.* 23. *Ianuarii* 1647. *in* §. *eo magis*, *coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Conrado*: licet idem commercium carnale cum Angela exercuiſſe probetur: Dum enim procreationis præſumptio in ſene ſexagenario ex diſpoſitione Iuris excluditur, de qua *in l. ſi pater familias*, § *ult. Digeſtis de adopt.* Menoc. *de arbitrariis*, *caſ.* 89. *n.* 58. *cum ſequent.* Maſcard. *de probat. concl.* 78. *n.* 43 & 45. habita prolis ſuſceptio non quidem Marchioni ſeptuageſimum annum agenti, ſed potius Ioanni Iacobo Ferrario valdè famoſo, & in ætate juvenili tunc conſtituto, necnon Angelæ, cum qua ſimul vivebat, prædilecto, adſcribitur: ut in terminis notat Fulgoſ. *conſ.* 112. *n.* 4. Soc. ſen. *conſ.* 65. *n.* 2 *lib.* 3. Giovagn. *conſ.* 6. *n.* 42. *cum ſeq. lib.* 1. Surd. *dec.* 85. *n.* 17. *verſ. Denum.*

Hinc urgere non poterit quod Marchio Matthæum & Eugeniam in filios, ut prætenditur, agnoverit; necnon eos in plurib. epiſtolis *filiorum* nomine appellaverit, ac ipſis alimenta præſtiterit. Præterquam enim Epiſtolæ negantur exadverſo recognitæ, hic actus licet quaſi poſſeſſionem filiationis adverſus agnoſcentem in filios ejuſque hæredes regulariter inducere conſueverit, Menoch. *de præſumpt. lib.* 6. *præſ.* 53 *n.* 13. Grat. *diſcept. forenſ.* 653. *n.* 72. & aliis relatis Iuribus; & Reſponſum fuit *in Viterbien. fideicom.* 2. *Maii* 1653. *coram me*: In propoſito tamen caſu, huiuſmodi epiſtolæ inefficaces exinde cenſentur, quod Marchio blanditiis ſagacis mulieris cum aliis pariter ſe carnaliter commiſcentis deceptus convincitur; poſtquam in ſenili ætate conſtitutus, necnon mala valetudine correptus, pro ſuſcipienda prole inhabilis extitiſſe præſumitur: Fulgoſ. *conſ.* 112. *n.* 1. Pariſ. *conſ.* 29. *n.* 96. *cum ſeq. lib.* 2. Menoc. *conſ.* 80. *n.* 2. Giovagn. *conſ.* 6. *n.* 50. *lib.* 1. Surd. *dec.* 83 *n.* 21. Accedente præſertim iterata confeſſione Ferrarii, quod iidemmet filii fuerint ex ipſo progeniti: ut ponderat Alex. *in conſ.* 157. *n.* 1. *lib.* 5 Surd. *in d. dec.* 85. *n.* 6. *verſ. Pro adverſa autem parte.*

Præterea filiationis quaſi poſſeſſio, ex tractatu ſeu denominatione elicita, in hoc deciſorio filiationis iudicio nullatenus poſſet ſuffragari; ut notat Covarr. *de ſponſal. p.* 2. *c.* 8. *in* §. 3. *n.* 6. Rota coram Mantica *dec.* 149 *n.* 8 & *in dec.* 289 *n.* 2. *cum ſeq. p.* 1. *recent.* & *in Romana filiationis*, 1. *Iulii* 1639. §. *ex motis ratione*: *verſ. quando verò*, *coram Reverendiſſ. Compoſtellano*, & *in Parſen. honor.* 23. *Ianuarii* 1547. *in* §. *hac tamen coram Eminentiſſ. Dom. meo Cardinali Conrado*: urgentibus potiſſimè conjecturis in contrarium in propoſito caſu; ut advertit Surdus *d. dec.* 85. *n.* 21. Quidquid dicendum foret in alimentis, lite ſuper principali negotio pendente petitis; tunc enim probationes leviores admitti ſolent: ut dixit Rota *in diſt. dec.* 289. *n.* 1. *p.* 1 *recent.* & *in Romana filiationis*, 1. *Iulii* 1639. *coram Reverendiſſ. Salamantino.*

Hinc pariter altera filiationis præſumptio ex deſcriptione in libro Baptiſmi, ſub cognomento Veralli, deſumpta penitus arcetur. Quinimò nec ipſa deſcriptio, dum juſſu prætenſi patris non probatur expedita, pro conjectura filiationis poterit deſervire, ut advertit Lancellot. Gallia *conſ.* 15. *n.* 105 *verſ. præterea*. Capyc. Latro. *dec.* 166. *n.* 52. Rota *in Romana de Bonellis* 29. *Novemb.* 1614. *coram Vbaldo.*

Non etiam videtur urgere, quod Senes ſeptuageſimum licet annum explentes, prolem aliquàndo ſuſceperint, ut teſtatur Menoch. *de arbitr. caſ.* 89. *n.* 57. *cum ſeq.* Rota *dec.* 210. & 216. *p.* 5 *recent.* Poſtquam enim inter caſus rarò contingentes ſolet hic recenſeri poſſibilitas generandi, per prædicta, diſpoſitione juris contrarium præſumente, inefficax propemodum reputatur, niſi claris ac evidentibus probationibus eadem concludatur: in Iudiciis quippe accidentia ſecundum naturæ curſum inſpici ſolent, non autem quæ rarò ex poſſibilitate contingunt: ut dixit Menoch. in contrarium ex adverſo adductus *d. caſ.* 89. *n.* 58. Socin ſen. *conſ.* 65. *n.* 2. *lib.* 3 Pariſ. *conſ.* 29. *n.* 50. *vol.* 2. Grat. *conſ.* 6. *n.* 55. *lib.* 1. Surd. *dec.* 83. *n.* 21. *in fin.* & *n.* 22.

Quinimò ex libero omnium ac præſertim Ioannis Iacobi Ferrarii ad Angelam acceſſu penitus removetur objectio: ex ipſo namque in ætate florenti tunc conſtituto filii concepti præſumuntur, ut in ſpecie ponderat Giovagn. *in d. conſ.* 6. cæterique *ſupra relati*: quidquid dicendum foret, ſi Angela ſub ſchemate concubinatus, excluſo cæterorum acceſſu, à Marchione retenta fuiſſet.

In hanc præterea ſententiam Domini facilius inclinarunt ex maximo inveriſimilitudinis concurſu, quod Marchio ſenio penè confectus tribus continuis annis prolem ſuſceperit, cum tamen Angela ab ipſo Marchione ſub ſchemate concubinatus per diverſa tempora in Caſtro retenta nunquam *ibidem* concepiſſe probetur: cum itaque gignendi potentia, tum ex naturali ratione, tum ex præſumptione Iuris in Sene ut plurimum excludatur; urgentibus proinde probationibus filiatio hæc debet omninò probari: ut notat Menoc. *de arb. caſ.* 89. *n.* 64 Surd. *dec.* 83 *n.* 23.

Et ita pro excluſione filiationis, nec non pro alimentorum denegatione fuit hodie reſponſum; cum maximè paupertas ex adverſo nequaquam probetur; ut notat Grat. *diſcept. forenſ. c.* 552. *n.* 10. & reſpondit Rota *coram Andrea*, *dec.* 84. *n.* 1. & 6. & in aliis relatis *in Toletana Matrimonii* 1. *Februarii* 1649. *in primo* §. *coram Eminentiſſimo Cardinali Conrado.*

Concedimus licentiam imprimendi præſentes Deciſiones contentas in hoc Volumine, advertendo quod impreſſio concordet cum originalibus, & corrigantur errores: hac die 11. *Decembris* 1658.

ANGELUS CELSUS, Sacræ Rotæ Auditor.

INDEX

INDEX COPIOSISSIMUS
RERUM OMNIUM NOTABILIUM,
Quæ in Conſiliis, Reſponſis & S. Rotæ Romanæ Deciſionibus hoc Tertio Volumine Quæſtionum Medico-Legalium contentis, pertractantur.

Prior numerus ſedem materiæ, poſterior paginam indicant.

A

Ablativus.

ABLATIVUS abſolutus conditionem importat, n. 8 p. 252.

Abortus.

Abortus nomen meretur partus deficiens in conditionibus ad partum naturalem requiſitis, n. 4 p. 52.

Abortivus partus lato modo dictus, n 2. ibid.

Vide *Partus.*

Abortus quando faciat exceptioni locum, & quando non in inſtrumento ſocietatis n. 3. p 66

Abortus ex ſe non eſt aptus natus cauſare febrem, n. 5 ibid.

Abortus ex percuſſione ſuper renes in gravida muliere facilè evenit, & cur, n. 1. p 67.

Abortus quando faciat locum exceptioni, n. 2 p. 84.

Abortus per ſe non cauſat febrem, n 4 ibid.

Abortus poteſt ex febri cauſari, n. 4. p 173.

Abortus non ſemper cauſatur per febrim, n. 7. ibid.

Abortus tribuendus potius eſt doloribus renum præcedentibus, quam febri ſubſequenti, n. 9. ibid.

Abortus eſt cauſa habilis ad inducendam mortem, n. 3. ibid.

Abſceſſus.

Abſceſſus per decubitum fiunt in parte omnium debiliſſima n. 4. p. 9

Vide *Tumor.* *Accidens.*

Accidentia Veneni ingeniti ita ſimilia ſunt accidentibus veneni propinati, ut diſtingui non poſſint, n 7. p. 17.

Vide *Venenum.*

Accidentia morbi debent eſſe proportionata ipſi parti affectæ n. 3. ibid.

Vide *Morbus.*

Accidentia cæca in vulnere lethali capitis primis diebus ſe manifeſtant, n. 7. p. 93

Vide *Vulnus.*

Accidentia ſi non ſint connaturalia morbo, non ſunt ad morbum referenda, n. 22. p. 118

Actio.

Actio in conditionalibus non oritur niſi poſt purificatam conditionem, n. 18. p. 190

Actus.

Actus celebratus ſecundum leges voluntarius & licitus, potius quam illegitimus debet præſumi, n. 8 p. 153

Actu, quem quis impugnat, quando poſſit ſe iuvare, n. 11. p 154

Actus ſi eſt factus prout fieri ſolet ab homine ſanæ mentis dementia excluditur, n. 2. p. 187.

Actus præſumitur factus à Viro ſanæ mentis, ſi eſt talis, quid prudenti Viro fieri conſueverit, n. 3. ibid.

Actuum pluralitas præſumitur ubicunque ſub diverſa forma appareant celebrari, n. 5. p. 206

Actus dicitur imperfectus ſi dependeat à futuris probationibus, n. 9 p. 225

Actum non vitiat defectus ſuperveniens poſt purificatam conditionem, n. 21. p. 220.

In Actu conditionali primum locum obtinet voluntas diſponentis, n. 23. ibid.

Actus conditionalis, ut eveniente conditione à principio incipere poſſit, debet eſſe in tali ſtatu de tempore purificationis conditionis, ut tunc poſſit inchoari, n. 27. ibid.

Actus legitimi non recipiunt neque diem, neque conditionem, n. 29. ibid.

Actus æquivoci non poſſunt ſuffragari ad effectum ut penſio dicatur validè per nutus tranſlata n. 4. p. 244

Adminiſtratio.

Adminiſtratio probatur ex inſtrumentis locationum factarum per adminiſtratorem, n. 1. p. 245. & 246

Locare bona, & cum conductore paciſci, ſunt caſus indubitatæ adminiſtrationis, n. 2 ibid.

Adminiſtratio probatur ex inſtrumento, in quo quis promittit reddere rationem, & reliquum ſolvere, n. 8. ibid.

Adminiſtratione probata præſumitur illius continuatio concurrente aliqua conjectura, n. 9 ibid.

Adminiſtrationis mandatum quando expiret per ſupervenientiam majoris ætatis adminiſtrati, n. 11 ibid.

Adminiſtratio continuata præſumitur dum non docetur de finali redditione rationis, n. 13 ibid.

Adminiſtrationem impedit Podagra, n. 17. ibid.

Adoleſcens.

Adoleſcentes ſunt tranſferendi ad Civitates, ubi melius & moribus & litteris ornari poſſint, n. 5. p. 216

Adoleſcentia.

Adoleſcentia eſt ætas aptior ad nubendum, n. 62. p. 192

Ædificare, Ædificium.

Ædificare altius non licet ſi venti excludantur in damnum publicum, n 2 p 28

Quanto minor eſt diſtantia inter unum ædificium & aliud tanto majus incommodum emanat tam quoad Solis illuſtrationem, quam quoad ventorum perflatum, n. 5. p. 28

Ædificia Aquæ adjacentia corrodi ſolent, n. 3. p. 180

Ædificium altius tolli non poteſt, ſi venti excludantur in damnum publicæ utilitatis, n. 3. p. 186

Ædificiis nobilibus & inſignibus Civitatem ornari publicè intereſt, n. 5. ibid.

Ædificium altius tolli poteſt cum non ſit ad æmulationem n. 6. ibid.

Ædificium jam cœptum habendum eſt in conſideratione, ac ſi eſſet perfectum, n. 7. ibid.

Ædificare ne liceat propè domum alterius ut ventus non impediatur, probandum eſt ab actore quod ventus prorſus & undique remaneat excluſus, ita ut locus penitus inutilis evadat, n. 8. ibid.

Ædificij elatio impediri non debet ceſſante alterius detrimento, & ſtante ædificantis utilitate, n. 13. p. 187.

Ædificare non impeditur vicinus cum feneſtris reſpicientibus in domum vicini, n. 26.

Ædificare uſque ad ſolum quiſque poteſt in proprio ſolo, n 1. p. 217

Ædificium ſuum quis amplius extollere non poteſt, ſi ſit conſtituta ſervitus altius non tollendi, n. 2. ibid.

Ædificium ſuum quis amplius extollere non poteſt, ſi id vellet facere ad æmulationem, n. 3. ibid.

Ædificium ne altius tollatur dicitur is habere jus prohibendi qui habet ſervitutem altius non tollendi, ſi in eo ædificio adeſt talis ſervitus, n. 4. ibid.

Intellige tamen hoc, ſi dicta ſervitus ſit probata, n. 5 ibid.

Ædificium altius tollere ad æmulationē non licet, n. 14. p. 218

Ædificium fieri ad æmulationem ſi quis aſſerat, incumbit ei onus probandi, n. 16 ibid.

Ædificium unum quando alteri non impediat Solem, n 20. ib.

Ædificare ad æmulationem quis non cenſetur, licet aliquod damnum inferat vicino, n. 22. ibid.

Vide *Æmulatio.*

Index

Ædificium privatum altius tolli prohibetur, quando, ex eo discooperiretur Religiosi, vel Religiosæ intra proprium Monasterium, n.36.ibid.
Sed hoc intelligo, quo tiescunque ex novo ædificio gravissimum imminetet monasterio præjudicium, etiamsi non fiat ad æmulationem, n.37.ibid.
Ædificium quando nocet Ecclesiæ, vel Monasterio, compelli potest Dominus ædificij vendere servitutem altius non tollendi, n.38.ibid.

Æger, Ægrotus.

Æger sic habendus, morbo recedente, ac si numquam ægrotasset, n.1 p.54
Æger excusatur ab admissione remediorum ob ipsam sanationis incertitudinem, n.15 p.137
Ægrotus in articulo mortis constitutus absque animi deliberatione solet interrogantibus respondere affirmativè, n.14 p.233 & n.12 p.234
Ægroti in articulo mortis constituti liberum discursum ac distinctam cognitionem habere non solent, n.15.ibid.
Ægrotus respondens interroganti an velit certam dispositionem facere, *si fate vos*, non dicit perfectè disponere, n.9 ibid.
Æger interrogatus de re gravi, ad propositum non respondens præsumitur à mente alienatus, n.13 p.233

Æmulatio.

Æmulatio non præsumitur, cum in dubio quilibet præsumatur ædificare ad sui principaliter utilitatem, non ut altero noceat, n.15 p.218
Æmulatio in ædificando noc præsumitur, etiamsi magnum damnum vicino inferatur, & parva utilitas proveniat ædificanti, nisi aliunde probetur, n.17 & n.31.ibid.
Æmulationis præsumptio, ut excludatur, non sufficit modica utilitas ædificare volentis, n.18 & 19 ibid.
Ædificare ad æmulationem quis non censetur, licet aliquod damnum inferat vicino, n.22
Æmulatio tunc intrat in ædificando, quando constructio fit cum injuria alterius, & animo nocendi, non necessitatis, aut utilitatis propriæ causæ, n.25.ibid.
Et quando constructio non prodest ædificanti, & alteri nocet, n.26 ibid.
Æmulatio excluditur in ædificando quando concurrit utilitas ædificantis, licet vicino damnificetur, & præsumptio oritur quod ratione propriæ utilitatis quis ædificare velit n.27.ibid.
Utilitas modica sufficit, ad hoc ut dicatur ædificans non ædificare ad æmulationem, n.28 ibid.
Æmulatio tunc non excluditur, si ædificantis utilitas sit modica, & magnum damnum inferatur vicino, n.31.ibid.
Sed hoc intelligo, dum cum modica utilitate concurrit etiam inimicitia, n.32 ibid
In agro suo fodiens, si vicini fontem avertat, non tenetur de dolo, si non animo nocendi vicino, sed agrum suum meliore m faciendi causa, id faciat, n 23.ibid

Æquitas.

Dubium facti decidi debet secundum naturalem æquitatem, n 9 p 167

Aër.

Aëris bonitas ab Orientis Solis illustratione maximè dependet, n.1.p.27
Aër, cum in quiete est, non minus quam aqua motu privata, putrescit, n 2 p 28
Aër colatus quis dicatur, n.6 ibid
Aëris salubritas quantum conferat in curatione vulnerum capitis, n.5. p 92
Aëris mutatio efficacissimum remedium in diuturnis morbis n.3 p.95
Aëris mutatione corpora sensibiliter & evidenter mutationes recipiunt, n 2. ibid
Aër patrius magis naturæ nostræ amicus est, quam alienus n 10.p 70
Aëris mutatio quibus corporibus proficua, & quibus damnosa sit, n.1 ibid
Aëris mutatione sola sæpè curantur morbi alias incurabiles n.7 p.69
Aër frigidus ac tenuis iis, qui ad Phthisim sunt propensi, est contrarissimus, n.7 p.125
Aëris intemperies est justa causa renunciandi Episcopatui, n.1.p.130.& n 14.p.131
Aëris insignes mutationes effigiem immutant, n.6.p 89
Aëris evidentes, ac insignes mutationes Mores immutant, n.12 p 91
Vide, *Mores.*
Aëris insalubritas Monasterij non potest allegari à Monacho ibi professo, cum ei propius obstet consensus, n.6.p.121
Aëris insalubritas necessario non resultat ab omnimoda Ventorum Aquilonarium exclusione, n.11. p.186.
Aëris mutatio æstivis temporibus, ponit in dubio vitam illius qui aërem mutat, n.10. p.215
Aëris intemperies propter quam imminet periculum contrahendi infirmitatem, est justa causa, ut Maritus non teneatur observare promissionem factam uxori, de non discedendo à certo loco, n.9 p.238

Ætas.

Ætatis tenerioris beneficio non solum vulnera & ulcera facilè, sed ipsa ossa consolidantur verè, quod secus est in aliis ætatibus, n.2. p.14
Ætates non annorum, numero, sed viribus detetminantur, num 8 pag.103.& num.3 pag.318.& num.10. p.326.n.4. p.132
Ætatis mutatio quantum possit in superandis morbis longis & contumacibus, n.3 p.69
Ætatis mutatione Epilepsia removetur, nisi magnoperè in victus ratione delinquatur, n.11. p.129
Vide *Epilepsia.*
Ætates retardantur, & acceleratur, pro virium robore, n.2. p.136
Ætatis ratione in subito insultu causæ interimentis, unus potest diutius vivere, quam alius etiam si ambo ab eadem causa æqualiter patiantur, n.10. p.77
Ætas declinans est humorum frigidorum & humidorum fœcundissima, n.6 p 85
Ab ætate quantopere effigies immutetur, n.2 p.89
Adolescentia est ætas aptior ad rubendum, n 61 p.192
Ætas decrepita propriè est supra annos septuaginta, num.8. p.107
Ætas est difficilis probationis, n.4 ibid
Ætas probari potest per conjecturas & indicia, n.10.ibid.
Ætas probari potest per Testes singulares, n.11.ibid
Ætas probatur per testes deponentes de proprio judicio, vel per aspectum, 12 ibid
Ætas à legibus determinata requiritur in conjugibus pro validitate matrimonii, n 2. p 169
Ætas annorum 12 requiritur in fœmina ut valeat matrimonium contrahere, n.3. ibid
Ætas annorum 14. requiritur in masculo pro matrimonio contrahendo, n 4. ibid
Ætati alicui proximus dicitur qui ab illa distat solum per sex menses, n.9.ibid
Ætas probatur per testem qui deponat de judicio suo, & per aspectum, n 5.p.121
Aut qui deponat aliquem habere certam ætatem, quia ita ab ipso audivit, n.6.ibid.
Ætas benè probatur si frater de alterius fratris ætate deponat, n.17 ibid
Ætas probatur ex partita libri Baptismi, n.1.p.226
Vide *Baptismus.*
Ætas senior probatur ex aspectu, n.6. p.239
Ætas senior attendenda venit in adjudicatione Beneficii quæ fit concursum, n.7. ibid
Ætas probatur ex assertione contenta in aliquo instrumento certis temporis, ducendo calculos in posterum, num.10. p.246
Ætas in substituto requisita facit dispositionem conditionalem, n.11.p.252
Declaratur, n. seq. ibid

Affinitas.

Affinitas contrahitur solum per copulam consummatam, n.13.p.236
Affinitas probatur per testes deponentes de copula, licet non consummata, n.14 ibid.
Affinitas, ut dicatur contracta, quomodo Testes deponere debeant de copula, n.15. ibid
Affinitas contrahitur in primo gradu cum sorore mulieris, quam quis carnaliter cognoscit, n.1 p.251
Affinitas in primo gradu dirimit matrimonium, numero 2. ibid
Affinitas contracta ex copula illicita probatur etiam per testes non omni exceptione majores, n.8. ibid

Agens.

Agentes primarii pattu sunt vires matris & fœtus, num 3. pag.15
Vide *Partus.*

Aggravatoria.

Aggravatoria non conceditur nisi præcedat declaratoria. n 2. pag.247
Aggravatoria concedi non potest per judicem de partibus vigore litterarum executorialium ipsi decretarum, num.2. ibid.

Alciatus

Rerum Notabilium.

Alciatus.

Alciatus *in reg. 3. præsumpt.* 3. qualiter procedat, num. 30. p. 218

Alienatio.

Allenatio ex causa divisionis permissa est inter cohæredes fideicommisso gravatos, n. 7. p. 206

Alienatio facta in extraneos ab Hæredibus gravatis sustinetur, eis viventibus; cum eorum vita durante nullum possit considerari præjudicium vocatorum, numero 8. p. 206

Alienatione sequuta, substitutus in casu alienationis admittendus est, non expectata morte alienantis, numero 19. p. 253

Alienatio Mentis.

Alienatio sanæ mentis arguitur in ægroto, qui interrogatus de re gravi, ad propositum non respondet, numero 13. p. 234

Alimentum.

Alimenta nonnisi à calore actuantur, n. 10. p. 140.

Alimenta & sumptus litis debentur, probatis paupertate, & boni juris præsumptione, n. 1. p. 181

Paupertas ejus qui instat pro alimentis, satis probata dicitur, si instans sit à Patre ejectus, & in infantili ætate constitutus, n. 2. ibid.

Alimenta præstandi cessat obligatio, quando non probatur Paternitas, n. 6. ibid. & n. 13. p. 182

Alimenta præstandi obligatio fundatur in Paternitatis præsumptione, n. 14. ibid.

Alimenta præstita nutrici pro educatione infantis filiationis argumentum præstant, n. 7. p. 212

Alimenta non debentur deficiente probatione filiationis, & paupertatis, n. 17. p. 254

Anima.

Anima ipsa est principium motus, n. 4. p. 100

Vide *Principium.*

Animal.

Animalia ex seminis copia stimulantur ad coitum, num. 6. p. 119

Animalia ipsa corporis valetudine excitantur ad coitum, n. 8. p. 71

Animal nullum moritur absque syncope, n. 9. p. 77

Vide *Syncope.*

Animus.

Animi passiones vehementes in gravidis etiam multo post tempore ob earum repetitam memoriam periculum afferunt, n. 4. p. 67

Declara ut, n. 10. p. 68

Animi possessiones subitaneæ, ac præsertim Ira, & Timor, multorum periculorum causa existunt, n. 3. p. 67.

Animi qualitas si debeat probari, testes debent testificari per actus exteriores quos viderint, n. 31. p. 146

Exteriora indicant secreta animi, n. 32. ibid.

Animi passiones quantam vim habeant in immutanda naturali effigie, n. 8. p. 90

Animi passiones mores quomodo immutent, numero 14. p. 91

Vide *Mores.*

Animi impetus primi non sunt in potestate nostra, num. 10. p. 195

Animus alicujus probatur per testes deponentes ex certa scientia, ac de publica voce & fama, numero 10. pag. 141

Animus alicujus probatur per duos testes contestes licet minus idoneos, n. 13. ibid.

Vide *Voluntas.*

Antimonium.

Antimonium venenositate caret, num 2. pag. 18. & num. 1. pag. 20

Antimonium respectu manifestarum qualitatum, venenum non est, n. 2. ibid.

Antimonium non est venenum ab occulta qualitate, vel à tota substantia, n. 3. ibid.

Antimonium vomitum validè provocat, n. 5. p. 120

Antimonium non esse venenum ab effectu probatur, num. 6. p. 121

Antimonium steriles facit mulieres. Falsum, ibid. num. 11. p. 135

Apoplexia, Apoplectici.

Apoplexiam concitant quidam vapores. n. 3. p. 36

Apoplexiam concitant soporifera medicamenta valide, ut declaratur, n. 2. & 14. p. 36. & 37

Apoplexia non semper terminantur in paralysim, n. 7. 15. & 16. p. 36. 37. 38

Apoplexia ex immodico vini usu, n. 13. p. 37

Apoplexia aliquando terminatur in fatuitatem absque paralysi membrorum exteriorum, n. 17. p. 38

Apoplexiæ finitimi sunt affectus sopotosi, n. 4. p. 45

Apoplexia est sensuum omnium tam exteriorum quam interiorum ruina, n. 5. ibid.

Apoplexia est morbus senilis, & desinit in paralysim, num 2. p. 46

Apoplexia quid? n. 1. p. 47

In Apoplexia omnis discursus & ratiocinatio perit n. 2. ibid.

Apoplexiæ fortitudo unde cognoscatur, n. 4 ibid.

De Apoplexia se se recolligentes ad pristinum mentis vigorem non facilè redeunt, n. 6. ibid.

Apoplexia quando timenda in Arthriticis & cur, n. 8. p. 106. & n. 15. p. 108

Vide *Arthritici.*

Apoplexia unde dicta, n. 3. p. 71

Apoplexiæ morbus impedit, quod patiens possit ad sacros Ordines promoveri, n. 9. p. 206

Apoplexia, quæ gravabat infirmum paulò ante obitum, non levis, sed fortis reputanda venit, n. 11. p. 245

Apoplexia fortis sensuum omnium ruinam affert, num. 12. ibid.

Apoplectici cur moriantur, n. 5. p. 47

Appellatio.

Appellans si intra 30. dies non redeat pro petendis apostolis, vel causam committi faciat, sententia transit in judicatum

Vide *Sententia.*

Appellans à sententia contra alium lata, facit omnia acta sua, perinde ac si ipso citato facta fuissent, n. 1. p. 232. & n. 1. p. 213

Appellans à sententia contra alios lata, si in appellatione dicat à dicta sententia se valde læsum, proculdubio facit omnia acta sua, n. 4 ibid.

Appellatione omissa, vel deserta, clausula *quam & quas* operatur ut pronunciari possit prout in prima, non tamen potest tollere appellationem & actus præcedentes, num. 5. p. 232

Aqua.

Corrosio Terræ quæ fit per aquas fluentes non dicitur casus fortuitus, n. 8. p. 179

Aquæ solent corrodere Terras, & ædificia adjacentia, num. 3. ibid.

Aquæ venas qui in fundo suo incidit, ita ut aqua desinat pervenire in alium fundum; ubi erumpebat, non dicitur vim facere, dummodo in hoc nulla servitus constituta sit, n. 24. p. 218

Arbiter, Arbitrium.

Arbiter & moderator quilibet est rei suæ, numero 4. pag. 185

Arbitrium regulatur à jure, n. 13. p. 238

Arctitudo.

Arctitudo Mulieris quando sit talis ut penetrari non possit, cohabitatio triennalis non est demandanda, quia adest periculum peccati, n. 12. p. 177

Arctitudinis impedimentum ad coitum in Muliere si est medicabile per scissionem, Matrimonium non dissolvitur, n. 16. p. 185

Vide *Impedimentum.*

Vide *Matrimonium.*

Arctitudo Mulieris tunc est tollenda per scissionem quando id potest fieri absque periculo vitæ, n. 17 ibid.

Impotentia coeundi ob magnitudinem, & arctitudinem, an & quando sufficiat ad dissolutionem Matrimonii absque triennali conjugum cohabitatione, n. 10. p. 177

Argumentum.

Argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, validum est, n. 15. p. 145

Argumentum de reputatione ad non reputationem, vel contrariam reputationem, validum est, n. 19 ibid.

Argumentum, ab inclusione unius temporis, ad exclusionem alterius, validum est, n. 17 p. 182

Argumentum naturæ fortissimum est effigies valde similis, n. 24. p. 184

Argumentum filiationis præstant alimenta præstita Nutrici pro educatione infantis, n. 7. p. 212

Ars.

Ars est naturæ ministra, n. 13. p. 14

Vide *Natura.*

Artis minister Medicus, n. 5. p. 10

Ars & natura excludantur à sanationibus miraculosis, n. 1. p. 12

Vide *Sanatio miraculosa.*

Index

Artis liberæ libera opera esse debent.n.10 p.109
Nihil demit de libertate artis coactio artifcis ad artem exercendam, necessitate publicæ salutis urgente, num.41. p.112
Expertis, & peritis in arte magis credendum, quam rationibus in contrarium, n.12.p.137
Vide *Periti*.

Arthritis.

Arthritis confirmata, & quæ Tophos contraxerit, est incurabilis in via naturæ,n.1.& seqq.p.5
Arthritis quando non sit legitima causa postulandi Coadjutorem, n 9 p 94
Arthritis venere excitatur,n.2.p.106
Vide *Venus*.
Arthriti laborans licet non decumbat, & appareat sanus, ita tamen domi detinetur, ut non possit moveri, ne defluant humores, n.13.p.174
Arthritis non impedit administrationem, numero 17. pag. 145
Arthritis impedit quidem munera corporalia, non autem Patrimonialia,n.18 ibid.

Arthritici.

Arthritici ad Venerem sunt proclives.n.1 p 33
Arthritici plurimi fœcundissimi sunt.n.5 ibid.
In arthriticis quando timenda apoplexia,& cur,n.8.p 106 & n. 15.p.108

Articulus

Articulus est irrelevans si tendat ad probandam famam impuritatis, & fuerit jam probata fama in contrarium, n.17. p.102
Examen novum non admittitur super articulis,super quibus fuerunt jam Testes examinati,n.8.ibid.

Assimilatio.

Assimilatio est opus facultatis formatricis, numero 11. pag. 88

Athleta.

Athletarum habitus periculosus tunc est, cum ad summum bonitatis pervenerit,n.12 p 37

Atrophia.

Atrophiæ, & corporis consumptiones extremæ naturalem causam ut plurimum habent.n.9.p.71

Attestatio.

Attestationes extrajudiciales nullam merentur fidem, n 71 p.134

Attractio.

Attractio fit à calore excedente,n.10 p 63
Attractio seminis ab utero absque penis intromissione an sufficiat ad conceptionem,n.1.& seqq.p.60
Vide, *Semen*.
Vide, *Uterus*.

Auditor.

Auditor Cameræ non cognoscit de causis matrimonialibus, n.1.p.198

Auris.

Auris membrum est ad nobilissimam operationem & ad decorem fabricatum,n.2.& 5 p.50
Sed vide, n.11. & 13 ibid.
Auris ad auditionem facta,n 4.ibid.
Auris mutilatio facit hominem irregularem, n.6.ibid.
Vide *Irregularitas*.
Vide *Mutilatio*.
Auriculæ totalis abscissio auditionem reddit deteriorem, n.9.ibid.
Auditio est operatio Auris internæ, non externæ, num 12. ibid.

B

Baptismus.

Baptismi fides non probat ætatem nisi furrit extracta à Parocho,n.14 & 15.p.207
Baptismi fides à Parocho non extracta, probat, si fuerit extracta vigore compulsoriæ parte citata, numero 16. ibid.
Baptismi libri custodia præscripta fuit à sacro Concilio Tridentino,n.18.ibid.
Baptismi liber ex communi consuetudine probat ætatem, n.4 p.211 & n 1 p 216
Vide, *Liber*. Vide, *Ætas*.

Barba.

Barba non semper decus, & ornamentum affert, numero 4. pag. 89

Beneficium.

Beneficium si appareat esse reservatum, datur immissio vigore subrogationis gratiosæ,& ad hoc,quæ requirantur, n.1 p.101
Beneficium resignatum in Curia, dicitur vacare in Curia. & cadit sub reservatione clausa in corpore Iuris, num. 2. ibid.
Beneficij possessio dicitur tradita capitulariter si totum Capitulum fuit intimatum ad interveniendum, licet non omnes vocati interverierint, nam totum jus Capituli remanet in illis, qui intervenium, n 8 ibid.
Beneficij possessio vigore subrogationis gratiosæ non potest impediri per exceptiones, quæ respiciunt petitorium, n.11 ibid.
Litem introductam fuisse semper titulo Beneficij probatur per commissionem continentem clausulam, *Quam & Quas*, n.17.p 163
Beneficij collatio facta laboranti morbo caduco nulla est ipso iure,n.5.p.166
Beneficium in quo non requiritur Ordo sacer,conferri potest morbo caduco laboranti.n.8 ibid.
Beneficium ubi debet conferri Sacerdotibus, id debet intelligi de Sacerdote qui tempore provisionis possit actu Missam celebrare, n.10.p 167
Beneficio, quod residentiam requirit, non potest per Vicarium inserviri, n.21.ibid.
Beneficij affectio in Coadjutoriis pendet à validitate, & justificatione causæ, per quam fuit motus Papa ad concedendam coadiutoriam,n.5.p.207
Beneficium ex appositione manus Papæ ita remanet affectum ut nullus inferior possit amplius se circa illud intromittere n.25 n 208
In concursu Beneficij, præferendus venit is, qui alias curam animarum exercuit,n 5 p.239
Beneficium remanet affectum per appositionem manus Papæ n.1.p.221
Beneficium affectum per appositionem manus Papæ Ordinarius conferre non potest,n.1.ibid.
Beneficij possessio semel probata præsumitur usque ad obitum continuata,n.11 ibid.
Affectio super beneficio ex appositione manus Papæ pendet à validitate Gratiæ,n 2.p.224
Vide *Gratia*.
Papa non præsumitur voluisse præjudicare collatoribus ordinariis, nec illos prævenire circa collationem beneficiorum; nec afficere provisionem ex futura vacatione, n.3.ibid.
Decretum latum ex falsa causa non afficit beneficium, n.4 ibid.
Beneficij acquisitio impeditur propter excitatem, num. 36. p.220
Beneficia Diœcesis Calaguritanæ ut quis possit obtinere plura debent concurrere requisita, juxta Constitutionem Clementis VIII. n 1 p 238
Beneficia Diœcesis Calaguritanæ in concursu adjudicari debent ei qui majores habet qualitates, n 2 ibid.
Beneficia Diœcesis Calaguritanæ in concursu adjudicari debent ei, qui aliis doctrina præminet,n.3 ibid.
Sacerdos præferri debet in concursu Beneficij,numero 5. p 239

Bigamus.

Bigamia non contrahitur ex solo matrimonio cum vidua,sed requiritur Copula & Consummatio,n 10 p.175
Vide *Matrimonium*.
Vide *Copula*.

Bonum.

Bona sub conditione relicta remanent libera penes hæredem n.14 p.190
Bona donata ob causam, quæ non fuit sequuta, restitui debent,n.1 p.199
Bonorum divisio facta in præjudicium vocatorum, an sustineatur? n.6 p 206
Bona, & jura fideicommisso perpetuo subjecta, extraneo Hæredi relinquere potest ultimus de familia, numero 1. pag 205
Bona fideicommissi alienari possunt pro constituenda dote descendenti etiam illegitimæ, quæ velit nubere,vel monachari,n.18 p.212
Bonorum defectus excusat à pacto inito per maritum de non discedendo à certo loco,n 11 p 238
Bona Abbatiæ Farfens. emphyteutica, sunt transitoria ad quoscunque etiam extraneos.n.11.p.240
Bona locare, & cum conductore pacisci, sunt casus indubitatæ administrationis, n.2 p 246

Bruta.

Bruta mortua non sunt capacia Resurrectionis, numero 18. p. 127
Vide *Resurrectio*.

Rerum Notabilium.

Bruta non tam proficiunt per totam vitam ex auditu in quavis disciplina, quam muti & surdi à nativitate nutibus faciunt, n.2. p.75

Bruta assequi non possunt ea, quæ muti & surdi à nativitate assequuntur, num.3. ibid.

Bruta non minorem intelligentiam habent, quam habere videantur muti & surdi, n.9. p.74

Vide *Mutus & surdus.*

Bruta ab Homine distinguuntur per loquelam & scientiam, num.10. ibid.

Bruta ex electione, & ex virtute non operantur, & in eis virtus & vitium non habet locum, n.12. ibid.

Bruta nonnulla parentibus non miscentur, & conjugalem fidem assequuntur, num.13. ibidem. Vide num. sequenti, pag.75

Bubones.

Bubonis sunt signa Pestis demonstrativa, n.7. p.123

C.

Callus.

CAllus semper oritur ex fistula, num.8 pag.55

Partes Callum contrahentes potius disrumpuntur quam distenduntur, n.6. ibid.

Calor.

Calor nativus quo imbecillior, eo citius à veneno superatur, n.2 p.138

Calor debilis citius extinguitur veneno frigido quam fortis n.8. p.139

Vide *Venenum.*

Calor nativus excitatur coitu moderato, numero 14. pag. 108

Vide *Lectio.*

Calumnia, Calumniosus.

Calumnia litigantis non resultat ex decisionibus contra ipsum emanatis quæ non concernant merita causæ, & quando lis est in principio, nec aliquæ fuerunt factæ probationes, n 3 p.162

Calumnia ut excludatur, sufficit quælibet probata & colorata causa litigandi, n 5 ibid.

Calumniosus litigator dici non potest quandiu valet jus suum justificare, n.4 ibid.

Calumnioso litiganti non est danda subrogatio, numero 2. ibid.

Vide *Subrogatio.*

Cancer.

Cancer ejus naturæ morbus est ut nunquam sanetur, n 3. p.11

Cancrosi tumoris signa, n.2 p.11

Capellanus.

Capellanus ad nutum amovibilis potest etiam sine causa amoveri, cessante tamen odio & malitia in amovente, n.4. p.180. & 181

Et an hæc arguatur ex amotione Capellani ab Ecclesia, in qua commoratus fuerat per triginta annos, numero 7. p.181

Capitulum.

Capitulum sine consensu Episcopi statuere non potest super modo lucrandi distributiones, n.14. p.163

Capituli decretum habet interpretationem passivam à jure communi. n.7. p.164

Capituli decretum contra jus, est invalidum, numero 8. ibid.

Capitula Ecclesiarum non possunt facere statuta concernentia sua particularia negotia sine consensu Superioris, n.9. ibid.

Capitula Ecclesiarum non possunt condere statuta super residentia, vel statu Ecclesiæ, n 10. ibid.

Capitulum quando teneatur restituere distributiones consumptas, n.15. p.163

Caro.

Caro nihil est aliud, quàm sanguis concretus, numero 2. pag.55

Caro Testudinis coctu difficilis est, & melancholica, num.8. pag.70

Caruncula.

Carunculæ quomodo impediant, ne viri semen liberè ad mulieris uterum permeare possit, n.2. p.97

Carunculæ subsequuntur ad Gomorrhæam, & maximè Gallicam, n.3. p.97

Carunculæ sterilitatem insanabilem excitant, num.5. ibid. Conc. num. seq.

Carunculæ quando impediant generationem, numero 7. ibid.

Carunculæ licet utplurimum difficulter curentur, aliquando tamen fœlicitet sunt curatæ, n.8. ibid.

Caruncularum morbus artis medicæ præsidio facilè tolli potest n 5. p.252

Caruncularum morbus non impedit generationem, numero 4. ibid.

Causa.

Causam ubi certam habemus & evidentem frustra incertam quærimus. n.9. p.17

Causa accelerans mortem in prægnantia, & partu, non sufficiens causa exceptionis, n.3. p.48

Causa, ex qua emanat effectus, est multò magis efficax, quàm causa accelerans. n 4 ibid.

Causa impulsiva, & coadjuvans non attenditur, numero 7. pag 49

Causæ, ob quas Coadjutor dari debet, n.1, p.88

Causæ materiales morborum omnium articularium sunt cruditates, n.7 p.106

Vide *Cruditas.*

Causa primaria & immediata morti semper attendi debet in casibus exceptis in instrumento societatis numero 4. pag.66

Causa fovens, mediata, & impulsiva mortis nullo censu habenda est, n.6. ibid.

Causa evidens in agendo (nisi sit immanens) semper in principio est fortior quam procedente tempore, num.5. pag.67.

Effectus debet esse proportionatus suæ causæ, num.6. ibid.

Causa proxima & evidens alicujus effectus præsente, frustra remotam ac minus evidentem quærimus, n.7. ibid.

Causa primaria est attendenda, quia per se movet, num 3. p 117

Causa prima magis influit in causatum quam secunda, n.4. ibid.

Causa primaria, ac proxima eadem cum immediata, num.5. ibid.

Causa immediata quæ? n.6 ibid.

Causa immediata sola attendenda, n.7. ibid.

Causa causæ est causa causati, num.12. ibidem & num.5. p.172

Causæ secundæ effectus reducitur ad primam, numero 12. ibid.

Causæ primæ tribuitur eventus, n.13. ibid.

Causa proxima mortis est morbus, non accidentia morbi, nisi in quantum à morbo dependent, n.14. ibid.

Vide *Morbus.*

Causa primaria, vel secundaria non dicitur respectu temporis anterioris, vel posterioris sed respectu tantum efficientiæ, n 8 p 118

Ubi Causa est magis evidens ad agendum, non est conveniens ab ea discedere, quærendo alias causas, num 18. ibid.

Causa cessante cessat effectus, quemadmodum manente causa tolli non potest effectus, num.8. pag.129 & num.9. pag.88

Causa cessante, ob quam Coadjutoria fuit concessa, cessat Coadjutoria. n.10. p.137

Vide *Coadjutoria.*

Ubi plures & evidentiores Causæ concurrunt, effectum citius sequi necesse est, n.16. p.140

Causæ primæ, an secundæ mors superveniens tribuenda sit, remittitur Judicis arbitrio, n.12. p.147

Vide *Mors.*

Causa potissima cur Homines citius senescunt quam deberent sunt magni & diuturni morbi, n.14. p.139

Vide *Morbus.*

Causæ duæ ad agendum potiores, & efficatiores sunt quam una tantum. n.6. p.76

In paritate Causarum præsumi debet semper occubuisse prius imbecilliorem, n.8. ibid.

Causæ violentioris efficacia non permittit debiliorem causam quicquam efficere, n.19. p.77

Prægressæ, ac jam cessanti in totum Causæ nullus effectus tribui potest, n.1. p.79

Causa morbi, & mortis in prægnante, aut parturiente, debet esse primaria & immediata, si locus exceptioni esse debeat n 11. p.80

Causæ secundæ effectus reducitur ad primam, numero 14. pag 82

Quidquid est causa causæ, est causa causati, num. 13. ibid.

Causa prima, & immediata semper attendi debet, si sufficiens sit ad effectum producendum, n.7. p 83 & n 3. p.84

Causa mediata, fovens, seu impulsiva, non est in censu habenda, n 5 p.84

Causæ naturales semper eodem modo procedunt, & sunt certæ, & determinatæ: contra accidentales, numero 7. pag. 87
Omnis effectus ad causas naturales referendus, num. 8. ibid.
Causa in actu simul est cum effectu, n. 9. ibid.
Causæ causatorum consimilium debent esse consimiles, n. 11. p. 88
Causa proximior, & vehementior attendenda est, num. 2. p. 173
Causæ plures ubi concurrunt, una cessante non corruit dispositio, n. 4 p. 200
Causæ plures quando assignantur, sufficit unam esse veram, ut ex illa dispositio sustineatur, n. 7 p. 205
Causa legitima quænam dicatur, ut maritus possit recedere à certo loco, non obstante promissione facta uxori de non discedendo, remittitur Judicis arbitrio num. 12. p. 238
Causa impleta non videtur nisi plenè sequatur illius effectus, n. 59 p. 244
Causa occasionali, & inductiva cessante, non cessat effectus, n. 14 p. 246

Cauteria.

Cauteria in brachiis debent servare Reos à chordæ tormento immunes, n. 4. p. 54
Cauteria gestantur ad curandos morbos, & ad præservandos homines ab ipsis morbis, n. 13. p. 120
Cauteria diu gestata reddunt Homines infœcundos, n. 17. ibid.
Cauteria in Senibus improbantur, & cur? n. 18 ibid.
Cauteria diu gestata tam viros quam mulieres steriles faciunt, n. 4. p. 133 & seq.
Cauteria diu gestata quando sterilitatem inducant, num 12. p. 135

Chalybs.

Chalybis mira vis in adjuvanda conceptione, numero 10. p. 135

Chirurgi.

Chirurgi, & alii, in casibus difficilioribus debent Physicum convocare, aliàs puniendi sunt, n. 3. p. 34
Chirurgi deponentes de iis, quæ ad eorum officium spectant, plenè probant, n. 13. p. 195

Cibus.

Ciborum vitia, quibus in jejuniorum diebus utimur, num. 11 pag. 16

Cicatrix.

Cicatrices oculorum visioni maximè officiunt, numero 1. pag. 64
Pars cicatrizata in via naturæ nunquam potest ad pristinum statum redire; n. 11. p. 65
Visus omnino deperit ex cicatrice & corrugatione corneæ membranæ, n. 3. ibid.

Citatio.

Citatio contra procuratorem revocatum sustinetur quando revocatio non fuit parti intimata, n. 9. p. 223
Citatio ad primam diem cadit pro prima die judicia, n. 10. ibid.
Citatio *ad hodie, per totam?* valet si facta personaliter executa, n. 11 ibid.
Citatio non requiritur in deputatione Judicis cujus persona fuit in commissione expressè nominata ei, cui commissio erat directa, n. 14. ibid.
Citatio possessoris sufficit in Judicio immissionis absque eò quod citentur interesse habentes, n. 4. p. 234
Vide *Immissio.*

Clausula.

Clausula, *si ita est, ut asseris*, habet implicitam conditionem, n. 4 & 5. p. 175
Clausula *quam & quas*, operatur ut procedi possit prout in prima instantia, n. 16 p. 169. & n. 3 p. 232
Clausula *quam & quas*, probat litem introductam fuisse super titulo beneficii, n. 17. p. 222
Clausula, *quam & quas*, operatur quod sententia Judicis appellationis sustineri possit prout in prima instantia, n. 15. p. 223
Clausula, *ex nunc, prout ex tunc*, adjecta actui conditionali, sumit robur à die eventus conditionis, num. 24. ibid.
Clausula, *ex nunc, prout ex tunc*, quando non operetur, n 40 ibid.
Clausula *quam & quas*, operatur, ut non constituto de appellatione; seu etiam desertæ, pronunciari possit prout in prima, non tamen potest tollere appellationem & actus præcedentes. n. 5. p. 232
Clausula, *per te etiam in articulo mortis nominam*, præcisam formam importat adeò ut per aliam nullatenus possit adimpleri, n. 6. p. 244.

Clericatus.

Clericatus probatur per litteras patentes Ordinarii, n. 3 p. 201. n 2. p. 207

Clericus.

Clericus an succedat in feudo, num. 56. pag. 491.
Cum Clerico matrimonium contrahere non videtur honestum, num 53. & 55. ibid.
Clericus est integer testis & qualificatus, n 12. p. 157

Coadjutor.

Coadjutor quibus personis dari debeat, n. 3. p. 29
Coadjutor non datur propter levem morbum, numero 1. ibid.
Ad obtinendum Coadjutorem non sufficit unum impedimentum, si plura adesse exponitur fit in supplicatione, n. 13. ibid.
Coadjutor dari non debet nisi propter justas causas, num. 1. pag. 93
Coadjutor dari potest propter senium, n. 2. ibid.
Vide *Senium.*
Coadjutor quibus Decrepitis concedatur, n 4 p. 94.
Ad Coadjutorem obtinendum requiritur impedimentum perpetuum ex Constitutionibus Pontificiis, num. 5. ibid.
Vide *Impedimentum.*
Coadjutorem in rito potest petere vesicæ calculo laborans, num. 7. ibid.
Coadjutor jure peti non potest, cum causæ morborum sunt amovibiles, n 8. p 94
Coadjutorem postulandi quando Podagra non sit legitima causa, n 9 ibid.
Vide *Arthritis.*
Coadjutor non datur nisi morbo præsente, n. 10. ibid.
Ad Coadjutorem obtinendum, calculo vesicæ extracto per incisionem, non cessat causæ justitia, numero 16. p. 118
Coadjutore ægrotante, vel impedito, coadjutus lucratur distributiones quotidianas, n. 1. & 2. p. 156
Coadjutor repræsentat in omnibus Coadjutum, numero 3. ibid.
Coadjutor non lucratur distributiones seu fructus pro Coadjutore excommunicato, n. 7. ibid.
Coadjutor inservit nomine proprio, quando est impeditus Coadjutus, n 9. ibid.
Declara n. 10. ibid.
Coadjutor ut possit succedere in beneficio, tenetur omnia narrata justificare, n. 21. p. 222
Coadjutoris officium, expirat si efficiatur inhabilis, num 3. p. 219
Coadjutoris officium expirat per mortem Coadjuti, vel translationem, nisi Coadjutor habeat futuram successionem, n. 4. ibid.
Coadjutor si efficiatur impotens, non est qui coadjuvet: secus si Coadjutus moriatur, vel transferatur, non est qui coadjuvetur, n. 5. ibid.
Coadjutor si non deserviat Ecclesiæ, & ei debita servitia non præster, Coadjutus potest petere novum Coadjutorem, n 8. ibid.
Coadjutor dari potest à Summo Pontifice de jure cum futura successione, n. 9. ibid.
Sanctus Augustinus successit in Ecclesia Hipponensi de consensu possessoris, n. 10. ibid.
Coadjutori habenti successionem non requiritur alia collatio Coadjuto mortuo, n. 39. p. 220
Coadjutor si de tempore vacationis sit effectus cæcus, cum sit irregularis, & sic inhabilis, non potest prætendere successionem, n 20 ibid.

Coadjutoria.

Ad impetrandam Coadjutoriam, omnes enarratas in supplicatione causas justificare oportet, n. 3 p. 136
Ad Coadjutoriam obtinendam singulæ causæ per se debent esse sufficientes, n 4. ibid.
Cessante causa, ob quam Coadjutoria fuit concessa, cessat Coadjutoria, n. 10. p. 137
Valetudo pro obtinenda Coadjutoria debet esse talis, ut absque ulla spe futuræ prosperitatis, n 9 p. 137
Infirmitas in Coadjutoria expressa, debet plenè, & concludenter probari, n 3 p. 184
Vide *Infirmitas.*
Coadjutoria cum futura successione tanquam exorbitatis à Jure communi, concedi non debet absque urgenti necessitate, & causa prius diligenter cognita, n 4. ibid.

Rerum Notabilium.

Coadjutoria cessat cessante causa ob quam fuit concessa, num.6. p.207

Coadjutoriæ gratia obtenta sub prætextu dolorum, valere non potest, nisi quatenus dolores sint continui, num.1. pag.210

Coadjutoriæ gratia valere non potest, nisi Coadjutus exprimat nominatim talem morbum qui sit aptus impedire humanas actiones, cum non sufficiat quæcunque inhabilitas aut prava habitudo asserentis indigere auxilio Coadjutoris, n.18 ibid

Coadjutoriæ gratia concedi solet etiam in Beneficiis non habentibus curam animarum, n.13.p.221

Papa concedendo Coadjutoriam providet præsenti necessitati Ecclesiæ & futuræ beneficii vacationi, num.10. & 11. ibid. & seq.

Coadjutoriæ gratia non est nulla respectu Ecclesiæ, licet nulla sit respectu Coadjutoris propter aliquem ejus defectum, n.13 p.222

Coadjutoriæ literæ non expeditæ tempore obitus Coadjuti, non possunt amplius expediri, n.14. ibid

Ad validitatem Coadjutoriæ requiritur consensus Coadjuti, n.15. ibid

Coadjutoria duas continet gratias quarum una deficiente, non cessat altera, n.16. ibid

Coadjutoriæ gratia respectu futuræ successionis quando non dicatur dependere à gratia, per quam providetur necessitati Ecclesiæ & Coadjuti, num 17. ibid

Coadjutoriam si quis impetravit sub narrativa quod aliquis Canonicus non potest amplius in choro propter adversam valetudinem inservire, id concludenter debet probare, n.6. p.224

Infirmitas ad effectum Coadjutoriæ cum futura successione, debet præstare perpetuum impedimentum. num.8. ibid

Coadjutoria datur in favorem Ecclesiæ, ut cultus divinus debitis non fraudetur servitiis, n.1. p.119.

Coadjutoria datur ut ea servitia, quæ à Coadjuto præstari non possunt, à Coadjutore præstentur, num.2.ibid

A Tutela vel Cura. licitum est arguere ad Coadjutoriam n.6. ibid

Coadjutoria solum tribuit Coadjutori exercitium, & non jus; cum illud remaneat penes Coadjutum, numero 11. ibid

Infirmitas adducta pro obtinenda Coadjutoria, non est necesse quod sit continua, sed potest esse cum aliquo intervallo Quietis, n.24. & 26. p.211

Cæcitas.

Cæcitas si est causa renunciandi Episcopatui, periculum Cæcitatis erit eodem modo causa justa, n.7. p.130

Cæcitas in eo qui habet oculos apertos, sed demortuos, probatur per testes, & ex actibus & signis, unde liqueat aliquem ea facere quæ videns non faceret, n.2. p.153

Cæcitas probatur per testes deponentes de actibus qui non nisi cæcis conveniunt, num.3. ibid

Cæcitas probatur ex patientis querimonia, numero 4. ibid.

Cæcus.

Cæcus codicillos faciens tenetur servare solemnitates *leg. hac consultissima, Cod. qui testament. fac. poss.* n.1. & 7. p.152. & 153

Cæcus licet quis non sit à nativitate, sed per accidens, adhuc continetur sub dispositione *leg. hac consultissima, C. qui testam. fac. p ff.* n 5. p.153

Cæcus per accidens, propriè cæcus dicitur, licet non fuerit talis à nativitate, n.6. ibid

Cæcus efficitur inhabilis ad beneficia obtinenda, num.15. pag 219

Cæcus nec beneficia optare potest, n.16. ibid

Cæcus potest succedere Patri Baroni, vel habenti jurisdictionem licet de novo talis dignitas cæco conferri non possit, n.30. p.200

Quasi satis sit quod fuerit habilis tempore quo spem habuit succedendi; & superveniens cæcitas non privat illum tali successione, n.31. ibid

Cohabitatio.

Cohabitatio triennalis conjugum ad sumendam experientiam habilitatis coitus non sufficit nisi etiam concurrat concubitus, n.11. p.149

Cohabitatio triennalis conjugum ad effectum probandi potentiam vel impotentiam coëundi, quando currere incipiat, n.12. ibid.

Solemnitas præscripta per Canones conjugibus circa triennalem cohabitationem, est servanda, numero 13. ibid.

Cohabitatio triennalis conjugum injuncta per sacros Canones præcedere debet antequam procedatur ad declarationem nullitatis matrimonii ob impotentiam, num. 1. ibid

Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam potentiam coëundi non est necessaria, quando constat per alias probationes de frigiditate viri, n.2. ibid

Quod Declaratur, num.6. ibid.

Cohabitatio triennalis non requiritur, sed sufficit pro dissolvendo Matrimonio juramentum conjugum, & septima propinquorum manus, quando impotentia coitus est verisimilis, n.3. p.177

Cohabitatio triennalis requiritur, si impotentia coitus in conjugibus sit dubia, n.4. ibid

Vide *Impedimentum.*

Vide *Impotentia.*

Cohabitatio triennalis non est demandanda, quia adest periculum peccati, quando artitudo Mulieris est talis ut penetrari minimè possit, n.12. p.177

Ex cohabitatione Matrimonium præsumitur, num. 10. p.183

Cohabitatio sola sufficit ad probandum matrimonium, etiam ad effectum legitimitatis, nisi constet de malo initio, nempe de concubinatu præcedente, num.16. & 17. pag.184

Cohabitatio triennalis conjugum requiritur, ante declarationem nullitatis Matrimonii, quando signa impotentiæ coëundi sunt dubia, n.2. p.185

Cohabitatio triennalis requiritur ad probandam in conjugibus impotentiam coëundi, n.1. p.154

Cohabitatio triennalis præfigitur conjugibus ad experiendam potentiam coëundi, licet per aliquot annos ante cohabitaverint, n.1 p.155.

Cohabitationis terminus quæ præfigitur conjugibus ad experiendam potentiam coëundi, remittitur Judicis arbitrio, n 12.ibid.

Cohabitationis ratio & modus statui debent à Judice, quando facienda est experientia potentiæ coëundi, ne alter ex conjugibus damnum aliquod patiatur, n.13.ibid.

Cohabitatione conjugum triennali habita, tunc maleficium præsumitur perpetuum, n.10 & 12.p.194

Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam potentiam coëundi, à quo tempore debeat incipere? anceps quæstio, n.2. 3 & 4. p.161.

Cohabitatio triennalis conjugum debet incipere à die judicialis præcepti secundum sententiam magis tutam, n. 5. p 161. & n. 1. p.165

Eamque debet præcedere Confessio sacramentalis, n.7. ibid.

Et imponitur pœnitentia salutaris, n.14.p.162

Cohabitatio triennalis computanda est à die judicialis præcepti, juxta opinionem veterum & recentiorum Canonistarum, n 8 p.162

Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam eorum impotentiam, an possit per Judicem abbreviari, necne, Rota noluit definire, n.9.p.162.

Cohabitatio triennalis non expectatur quando impotentia provenit ex frigiditate, n.12. ibid

Cohabitatio triennalis expectatur semper quando impotentia provenit ex maleficio, n.13. ibid

Cohabitatio triennalis conjugum ad experiendam impotentiam, abbreviari potest per Judicem, consideratis circumstantiis, si ante decretum jam præcessit alia cohabitatio triennalis, n.2.p.164.

Cohabitatio triennalis conjugum incipit currere à die prima cohabitationis quando impedimentum naturale est, n.5. p.503

Cohabitatio triennalis incipere debet à die decreti Judicis, si, dubitetur an impotentia coëundi proveniat ex impedimento naturali perpetuo, accidentali, num. 10. & 11. p.226

Judici arbitrarium est decernere cohabitationem conjugum ad cognoscendum an impotentia coëundi sit perpetua, vel temporalis, n.12. ibidem

Declaratur, num.16. ibidem

Cohabitatio triennalis requiritur semper in maleficiato, n.13 ibid.

Non semper expectatur in frigido. n.14.ibid

Coitus, Coire.

Contagium in nullo actu promptius communicatur quam in coitu, n.5. pag.52.

Coire possunt sexagenarii & ætate majores, n 2. p.103. & n.7.ibid

Vide *Sexagenarius.*

Coitus ipſa voluptas per ſe vitales vires diſſolvit, num. 5. p.106
Coitus quando, & ex quibus dicatur moderatus, num. 9. pag. 107
Coëundi ipſa potentia Virilitas, dicitur; n.11. ibid.
Coitus moderatus calorem nativum excitat, numero 14. pag. 180
Coitum impedit maximè improſpera valetudo, numero 1. pag 115
Coitus frequentatio non requiritur ad generationem ſeu conceptionem, ſed ſufficit unicus congreſſus, numero 3. pag. 54
Vide *Generatio*.
Coitum Natura inſtituit ad generationem ob ſpecierum propagationem, num. 7. p. 120
Vide *Natura*.
Ex potentia ad coitum elicitur etiam potentia ad generationem, n.8. ibid
Coitus nimis frequens conceptioni obeſt, n. 16. p. 135
Ad coitum ſtimulantur animalia ex ſeminis copia, n. 6. pag. 119
Ad coitum excitantur animalia ipſa corporis valetudine, num. 8. p. 71
Vide *Animal*.
Conceptio, Concipere.
Conceptio utplurimum fit menſtruis deſinentibus, num. 8. pag. 53
Conceptionis dies ipſaſmet Matres latere ſolet, num. 22. p. 181
Conceptio aliquando ſequitur abſque intromiſſione, ſeu ſine ulla penetratione vaſis muliebris, ſed ſola ſeminis effuſione prope uteri oſtium, n. 14. p. 114
Falſum, num. ſeq. ibid
Conceptionis ſignum ex ſanguinis apparentia poſt aliquot dies à concubitu, quanti faciendum, n 9. p. 116
Amor inter conjuges facit ad facilioremconceptionem, contra odium generationem impedit, n. 6. p. 115
Amor inter conjuges debet eſſe mutuus & reciprocus; ut facilius ſequatur conceptio, num. 8. p. 116
Vide *Fœmina*.
Conceptio impeditur in fœminis ex viſcerum contumacibus obſtructionibus, n. 1. p 135
Vide *Obſtructio*.
Conceptio impediti ſolet Medicamentorum uſu frequenti, num. 3. p. 135
Conceptus.
Ad conceptum ſufficit unicus congreſſus, numero 3. pag. 53
Concepti ſimul, ſimul naſcuntur, num. 8. pag. 99. & n. 12. ibid
Concepti ſimul non ſemper eodem die naſcuntur, num 15. ibid
Concepti ſimul fœtus quando dicantur, n 13. ibid
Concepti ſimul, una eademque ſecundina includuntur, niſi ſexu ſint diſtincti: concepti autem diverſo tempore, unuſquiſque propria includitur, n. 14. ibid
Conceptus ante tempus matrimonii non præſumitur filius mariti, n. 5. p. 181
Conditio.
Conditio indefinita in Teſte non æquipollet univerſali, num. 17. p. 187
Conditio legato appoſita non retrotrahitur ad diem mortis Teſtatoris, ſed attenditur tempus purificationis conditionis, n. 19. p. 190
Conditio quæ honeſtè adimpleri non poteſt, habetur pro impoſſibili, & de jure non obligat, n. 43. p. 191
Conditio legati purificata non retrotrahitur ad effectum, ut legata pura mancipentur, n. 21. p. 190
Ampliat ut num. 22
Declara ut num. 23. ſeq
Conditio nubendi cum certa perſona, cum qua ob gradum affinitatis Matrimonium contrahi prohibetur, rejicitur, n. 50. p. 191
Conditio tacita in gratia non impedit effectum puræ diſpoſitionis, n 8. p. 175
Conditio ut habeatur pro impleta reſtituitur quis ex cauſa, n 84 p 193
Conditio inſtitutioni adjecta non cenſetur repetita in ſubſtitutione, n 3. p. 253
Declaratur, num. ſeq. ibid
Conditio repetita cenſetur in ſubſtitutionibus quando verſamur in primogenituris ordinatis pro conſervatione agnationis, n. 4. ibid
Conditionem ablativus abſolutus importat, n. 4. p. 252
Inſtitutus ſub conditione quam adimplere recuſat, excluditur ab omni jure ſucceſſionis, n. 15. p. 253
Donatum ſub una conditione, ſub contraria cenſetur ademptum, n. 16. ibid
Legatum ſub conditione, ſi Bertha nubat Titio, non debetur, ſi Titio nubere recuſat, n. 17. ibid
Conditiones; duæ ſi fuerint per Teſtatorem in inſtitutione appoſitæ, & in ſubſtitutionibus dicat. *con le dette conditioni*, non ſufficit unius, ſed ambarum requiritur implementum, n. 10. ibid
Conditionem ſemel fuiſſe impletam ſufficit, licet poſtea implementum non duret, n. 13. ibid
Promiſſio facta ſub conditione ſi matrimonium ſequatur, corruit non ſequutis nuptiis, n. 18. ibid
Conductor.
Conductor exiſtens in culpa, non manutenendo rem conductam, tenetur de ruina rei conductæ, n. 1. p. 179
Conductor obligatus ad manutentionem rei conductæ, non tenetur illam de novo facere, ſed tantum conſervare, n. 4. ibid
Conſervare, & manutenere, non autem de novo facere dicitur is qui Molendinum refundat, & aquam divertit, n. 5. ibid
Conductor venit abſolvendus, ſi dubium ſit an fuerit fortuitus caſus ob quem res locata periit, n. 6. ibid
Confeſſio, Confiteri.
Confeſſio partis adverſæ probat filiationem conteſtatam, n. 6. & 10. p. 154.
Articulans in judicio non fatetur, n. 7. ibid
Articulans licet non fateatur, poteſt inſervire pro adminiculo ad informandum animum judicis, num. 8. & 9. ibid
Confeſſio extrajudicialis probata per tres teſtes ſatis probat n. 18 p. 171
Confeſſio erronea non nocet confitenti. n. 11. p. 165.
Confeſſio nocet impetranti etiam in his quæ à voluntate ipſius non pendent, n. 11. p 166.
Confeſſio annorum ejus, de cujus ætate quæritur, multum concludit, n. 15. p. 207.
Confeſſio partis bene probat contra ipſam. n. 4. p. 208.
Confeſſionem explicitam importat in principali verbum, *Credo*, n 5. p 168.
Confeſſio propria prævaler teſtibus, aliiſque probationibus, n. 7. p. 214
Confeſſio extrajudicialis ut præjudicet, probari debet per teſtes conteſtes de loco & tempore, n. 13. p. 217
Confeſſio minori non præjudicat, n. 6. p 235
Confeſſiones extrajudiciales emanatæ tempore non ſuſpecto, & pluries iteratæ probant, n. 34. p 237
Confeſſio extrajudicialis viri de copula habita facit illius præſumptionem. n. 11. pag. 251.
Confeſſio Sacramentalis.
Confeſſio Sacramentalis eſt facienda per conjuges quando agitur de impotentia ad diſſolvendum matrimonium, antequam cauſa incipiatur, n. 7. p. 161
Vide *Cohabitatio, Pœnitentia.*
Confeſſio peccatorum Sacramentalis neceſſaria non eſt ad cohabitationem conjugum quando impotentia eſt naturalis, n. 6. p. 126.
Sacramenti Pœnitentiæ capax quilibet eſt per ſigna, & nutus, dummodo ſana mente fruatur, n. 9. p. 248
Conjux.
Conjux ſanus non poteſt cogi ad reddendum debitum, ſi adſit periculum magni morbi ex quo vita periclitetur, n. 3. 4. pag. 51
Vide *Debitum Conjugale.*
Conjuges operi maritali incubuiſſe probatur, ſi conſtet in eodem lecto incubuiſſe. n 4. p. 185
Conſanguinitas.
Conſanguinitas quomodo probetur, n. 48. p 237
Conſuetudo.
Conſuetudo, ſecundum quam abſentia Canonici non poſſit per alium ſuppleri reſpectu præſentiæ perſonalis in choro attendenda eſt, n 22 p. 211
Conſuetudo vitæ conjugum venit ex natura matrimonii, num. 57. p. 244
Contractus.
Contractus mulierum celebrati cum ſolemnitatibus requiſitis per ſtatuta locorum, & juſta concurrente cauſa, ſunt validi, n. 1. p. 213
Contractus dementium, & fatuorum, ſunt nulli, & invalidi, n. 2. ibid
Contractus ut annulletur, dementia de tempore ipſius contractus probari debet, n. 4. ibid.

Rerum Notabilium.

Contradictor.

Contradictor legitimus ad impediendam immissionem in possessionem beneficii quis dicatur, n. 10. p. 101

Contradictor legitimus dicitur qui venit ex primo testamento, ad impediendam immissionem hæredis in secundo instituti agentis ex remedio *l. fin. C. de Edict. Div. Hadr. tollen.* num. 35. pag. 104

Declaratur, n. 36. ibid.

Convulsio.

Convulsio insanabilis atque mortifera est, cujus exolutio cita non est, n. 14. p. 7

Convulsio quibus modis naturaliter sanetur, n. 13. ibid.

Convulsioni febris superveniens remedio est, num. 14. & 15. ibid.

Convulsio in febre contingens perniciosa, n. 16 ibid.

Copula.

Copula subsequuta facit præsumi habilitatem ad matrimonium, n. 12. p. 152

Intellige ut n. seqq. ibid.

Copula subsequuta tunc facit præsumi habilitatem ad matrimonium, quando intervenit cum iis qui à natura habiles sunt ad generandum, n. 13 ibid.

Dolor quem mulier sentit in actu copulæ inducit præsumptionem quod non sit apta ad generandum, num. 16. ibid.

Copula requiritur & consummatio Matrimonii cum vidua, ut sit Bigamia. n. 10. p. 175

Copula carnalis directè probari, non potest, n. 11. ibid.

Copula carnalis præsumitur ex cohabitatione conjugum post contractum matrimonium, num. 12. ibid.

Declara ut num. seqq. ibid.

Copula carnalis non præsumitur ex cohabitatione conjugum post contractum Matrimonium, stante impedimento infirmitatis, n. 15. ibid.

Infirmitas cum Copula non se compatitur, numero 16. ibid

Copula carnalis excluditur ex impedimento infirmitatis respectu viri, non autem mulieris, n. 10. ibid.

Ex Copula subsecuta post sponsalia probatur Matrimonium, n. 8. p. 184

Copula probatur ex sola fama tanquam difficilis probationis, n. 9. ibid.

Copula est difficilis probationis, n. 22. p. 236

Copula probatur per testes etiam minus habiles, num. 25. ibid.

Copulæ præsumptio oritur ex eo, quod Mulier secretum cubiculum cum viro ingrediatur, ibique per aliquod temporis spatium permaneat, n. 35. p. 237

Copulæ præsumptio oritur ex confessione viri, præsente & tacente muliere, n. 36. ibid.

Copulæ præsumptio oritur ex frequenti accessu viri ad domum mulieris impudicæ, n. 37. ibid.

Copulæ præsumptio oritur ex juventute viri, & mulieris, qui sæpè insimul conveniunt, n. 38. ibid.

Copulæ præsumptiones deducuntur ex pluribus factis circumstantiis quæ referuntur, n. 40. ibid.

Copula benè probatur per conjecturas, & præsumptiones violentas propter difficultatem probationis, num. 43. ibid.

Copulæ sufficiens probatio an sit, remittitur judicis arbitrio, n. 45. ibid.

Copula probari debet per præsumptiones violentas, num 35. ibid.

Copulam carnalem sequutam non fuisse præsumptio oritur ex instantia sponsi, ut sponsa cum ipso cohabitaret, vel ingrederetur Monasterium, n. 42 p. 241

Copula carnalis est difficilis probationis, numero 3. pag. 251

Copula carnalis probari potest ex conjecturis & præsumptionibus violentis, etiam ad effectum dirimendi matrimonium, n. 4. ibid.

Oscula & tactus vehementem Copulæ præsumptionem inducunt, n. 5 ibid.

Concubitus mulieris cum viro vehementem facit copulæ præsumptionem, n 6. ibid.

Copulæ præsumptio oritur ex frequenti accessu viri ad domum mulieris, nisi alia causa assignetur, n. 10. ibid.

Juventus viri & mulieris, ac frequens ad domum mulieris inhonestæ, copulæ præsumptionem inducunt, num. 11. ibid.

Confessio extrajudicialis viri copulæ facit præsumptionem, n. 12. ibid.

Copulæ præsumptio oritur ex sententia condemnatoria ob delictum ex ipsa copula resultans, n. 13. ibid.

Copula carnalis probatur ex variis conjecturis quæ ad hunc effectum jungi debent, n. 14 ibid.

Cor.

Cor petunt mediatè, vel immediatè omnia venena, num. 6. p. 138

Vide *Venenum.*

Cor prout magis aut minus forte est eo fortius vel debilius veneno resistit, n. 7. ibid.

Cordis fortitudo major in gracilibus, quam in obesis, n. 19. p. 139

Corpus.

Corpus jejunio affligere non licet in sanitatis notabile detrimentum. n. 4. p. 416

Vide *Jejunium.*

Ex statu corporis in muliere conjectura desumpta, quando significet illam de recenti peperisse, numero 7. pag. 105

Corpora strictos, & angustos meatus habentia serius à veneno lædunter, n. 15. p. 139

Corpus ignavia hebetat, labor firmat, n. 4 & 5. p. 69

Crapula.

Crapula post tres dies ad summum dissolvi solet, num. 4. p. 36

Crisis.

Crisis est subitus motus in morbis, & mutatio ad salutem vel ad mortem, n. 2. p. 7

Crisis si interveneris in sanatione, etiam instantanea efficit ut ipsa sanatio à natura fieri censeatur, n. 5. p. 8

Crisis est naturæ motus, n. 6 ibid.

Crises fiunt ubi calor est vegetus, n. 11. ibid

Crisis est naturæ certamen cum morbo. n. 12 ibid.

Infirmi pereunt in instanti sine crisi, sed non salvantur in instanti absque crisi. n. 4 p. 7.

Crisis est naturæ opus, commoratisque ipsius naturæ virtutem supra morbum, n. 14 p. 14.

In sacra historia nullus morbus apparet sanatus per aliquam crisim, n. 15. ibid.

Crisis quid, n. 12. p. 127

Crises in sanatione morborum semper excludit Miraculi efficientiam, quantum est ex hoc, n. 13. ibid

Crisis in via naturæ absque signis concoctionis nunquam fiunt, n. 18. p. 76

Vide *Natura.*

Cruditas.

Cruditates sunt causæ materiales morborum omnium Articularium, n. 7 p. 106

Culpa

Culpam latam habet ignorantia affectata unde puniri debet n. 9. p. 58

Magna negligentia culpa est, & dolo æquiparatur, n. 11. ibid.

Curator.

Curatoris datio facit præsumptionem, furoris, num. 9 pag. 176

Curator dandus est tam furioso quam mente capto, num. 1. pag 167

Curator dandus est Minori, n. 5. p. 518

D.

Dæmon.

Dæmonis assertioni loquentis ex ore alicujus obsessi nullo modo est credendum, n. 11. p. 194

Debilitas.

Debilitas potest stare cum statu naturali, n. 4. p. 103

Debilitatis duo genera, n. 6. p. 63

Quando conveniat in debilitate evacuare, & quando non, n. 7. ibid.

Debilitas adducta pro causa obtinendi Coadjutoriam, debet esse talis, ut aggravet corpus sine spe futuræ prosperitatis, n. 23 p. 211

Debilitas corporis quomodo distinguatur à morbo num. 25. ibid.

Debilitas corporis excusat à munere quod corpore impleri debet, n. 6. p. 231

Debilitas corporis causata à paralysi probata justificat impotentiam longi itineris narratam in impetratione Gratiæ, n. 7. ibid.

Debitor.

Debitor potest purgare moram qui omisit adimplere quod debebat infra certum tempus, n. 77. p. 192

Debitum Conjugale.

Debitum conjugale tenetur reddere uxor marito quantumvis leproso n. 1. p. 51

Non sufficit solus timor contagii ad denegandum debitum maximè si morbus sit absque periculo, n. 2. ibid.

Non

Non potest cogi sanus conjux ad debitum conjugale si adiit periculum magni morbi ex quo vita periclitetur, n. 3. & 4 ibid.
Vide *Coitus.*

Debitum.

Debitum ratione administrationis probari potest per testes, etiamsi excedat summam centum librarum, non obstante statuto Bononiæ sub *rubr. de probation.* numero 6. pag. 246
Debita quo tempore fuerint contracta, probatur per testes, n. 14. ibid.

Decisio.

Decisio *in Bonon. de Luparis coram Remboldo* declaratur, n. 18. p. 200

Declaratoria.

Declaratoria præcedente conceditur Aggravatoria, num. 8. p. 147
Declaratoria relaxatur servatis quatuor terminis ad docendum de partitione, si de ea non doceatur, n. 4. ibid.

Decrepitas.

Decrepitas quæ dicatur n. 3. p. 4
Decrepitis stupor membrorum familiaris, n. 7. p. 4.
Vitia quæ à senectute in decrepitatem perveniunt, non sanantur. n. 4 p. 4

Decrepitus.

Decrepitis stupor membrorum familiaris, n. 7. p. 4
Decrepitus quis potest dici aliquando serius, aliquando verò citius, n. 3 p. 93
Quibus decrepitis concedatur Coadjutor, n. 4. p. 94
Vide *Coadjutor.*
Decrepitus non præsumitur potens ad coëundum, num. 9. p. 103

Decretum.

Decretum irritans taliter inducit formam, ut ea non servata actus corruat, n. 7. p. 245

Defunctus.

Defuncti factum non potest Hæres impugnare, num 8. p. 105
Defuncti factum potest impugnari ex actu cui ipse dumtaxat consensit, non autem ad ejus observationem se obligavit, n 10. ibid.
Defuncti factum potest impugnati respectu juris superveniens post dictum factum, n. 11. ibid.
Defuncti factum potest impugnare Hæres succedens jure proprio, & non hæreditario, n. 12. & 13. ibid.
Vide *Hæres.*

Demens.

Demens, & alii mentis defectu laborantes, licet aliqua secundum rationem agere, aut dicere videantur, non tamen cognoscunt dictorum, factorumve qualitatem, numero 8. p. 45.
Demens præsumitur qui proprium nomen ignorat, num. 9. p. 144
Demens non potest Religionem profiteri, num. 13 & 18. p. 145
Dementes quandoque ex factis convincuntur, licet ex verbis prudentes appareant. n. 12. ibid.
Demens & furiosus post. præsumitur etiam fuisse retro, n. 16. p. 146
Demens dici non potest qui circa difficiliora malè ratiocinatur, si circa faciliora benè ratiocinetur, n. 5. p. 78
Dementes licet aliquando prudenter loquatur, ex factis tamen convincuntur, n 8 ibid.
Demens donare non potest, n 1. p 150
Demens ut possit disponere de bonis suis debet habere dilucida intervalla perfectissima, n. 4 p 151
Demens qui semel fuit, talis præsumitur fuisse de tempore dispositionis, nisi contrarium probetur, numero 6. ibid.
Dementes quandoque ad propositum loquuntur, num. 7. ibid.
Demens nemo præsumitur, sed sanæ mentis, n. 2. p. 171. n. 11. p. 197. n. 12 p 204
Demens esse est accidentale, n 10. ibid.
Demens omnino, & in furore confirmatus, licèt ordinatè testetur, adhuc ejus testamentum est nullum, num 30. p 204
Demens licet faciat aliquos actus sapienti convenientes, non desinit esse Demens. n. 11. ibid.
Demens Matrimonium contrahere nequit, num. 10 pag. 213
Demens potest non esse is qui actus faciat non omnino convenientes homini sanæ mentis propter imaginationem læsam, n. 14 & 16. pag.

Dementia.

Dementia probatur ex factis, n. 5 p. 144
Religiosi magnam præstant authoritatem ad probandam dementiam, n. 8 ibid.
Dementia est passio crebri de qua Physicus cognoscit, n. 7. ibid
Dementiam excludunt Confessionis & Communicationis Sacramentalis actus, n 10. p 145
Dementia medio tempore præsumitur probatis extremis, n. 25 p. 146 & n 6 p 148
Dementia impediens contractum matrimonii, debet esse talis ut auferat usum rationis, n 29. p. 146
Actus loquendi ad propositum non excludit dementiam quando demens est in conspectu umbratæ quietis constitutus, n. 21 p 145
Dementia impediens professionem Religionis debet esse talis ut usum rationis auferat, n 1. p. 147
Dementia, seu stultitia, est intelligentiæ amissio, num. 6. p. 78
Dementia concludenter probanda est, n. 3 p. 172
Dementia non probatur ex publica voce, & fama, ubi concurrat specialis probatio sanæ mentis, numero 9. ibid.
Dementia probanda est de tempore testamenti ubi agitur de invaliditate ipsius ex capite Dementiæ, num. 11. ibid.
Dementia debet concludenter probari, cum non præsumatur, sed potius contrarium. n 3 p. 176
Dementiam non probant Testes nisi reddant rationem, etiam non interrogati, n 4. ibid.
Dementia Testatoris probanda est de tempore testamenti, n 5. p. 178
Dementia quæ supervenit post testamentum conditum, non infringit illud, n. 10 ibid
Dementiam non arguit quilibet actus licet omnino viro sanæ mentis non conveniens, n. 12. ibid.
Dementiam excludit Eleemosynarum largitio, visitatio amicorum, & conversatio cum illis, n. 18. ibid.
Dementia arguitur ex institutione cognatorum exclusis agnatis, n. 13 p. 179
Dementiam non arguit cognatorum institutio exclusis cognatis. n 17 ibid.
Cognatorum institutio, omissis agnatis, est levis conjectura ad firmandam dementiam, & tollitur urgentioribus conjecturis, n. 24. ibid.
Dementia non præsumitur, n. 1. p 187
Dementia excluditur, si actus est factus prout fieri solet ab homine sanæ mentis, n. 2. ibid.
Dementia probanda de certo tempore, non sufficit, si testes deponunt de tempore vicino, n 4 ibid.
Dementia ad annullandum actum requiritur talis, quæ excludat rationem, n 5. p 188
Dementia plenè, & concludenter probanda venit, num. 12. p 197
Dementia probari debet de tempore Testamenti, ut Testamentum nullum dici possit ratione dementiæ, num. 15. ibid.
Dementia testatoris si probetur, & Testamentum sit factum sicut fecisset prudens, validum reputari debet, num. 20. ibid.
Dementia Testatoris est probanda de tempore Testamenti, ut illud reddatur nullum, num. 12. pag. 204 & num 20 ibid.
Dementia Testatoris non probatur ex rumoribus de illo factis, si post illos ritè, & rectè fuit testatus, & antea erat sanæ mentis, n. 24 ibid
Dementia arguitur ex datione curatoris, n. 33 ibid.
Declara ut n. 34. ibid
Dementia plenè concludenter probanda venit si agatur de annullatione contractus, n. 3. p. 213
Dementia de tempore contractus probari debet, ad hoc ut annulletur contractus, n. 4. ibid.
Dementiæ præsumptio cessat in eo qui facit actus viro prudenti convenientes. n. 12 p 214
Dementia an probetur ex eo quod quis se percusserit, & capillos evulserit, n. 13. ibid.
Dementia non probatur ex actibus qui provenire possunt ex atrabili, & Melancholia, n 14 ibid.
Dementia probatur ex eo, quod alicui fuerit datus curator n. 15. ibid.
Declara, ut n. 16. ibid.
Dementia infirmi arguitur ex eo quod Sacramenta Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ non fuerint ei ministrata, num. 8. pag 248

Rerum Notabilium.

Denunciatio.

Denunciationes non sunt de substantia matrimonii, sed ad bene esse, & illarum omissio non vitiat, numero 15. p.183

Denunciationum omissio probari debet ab allegante matrimonii Clandestinitatem ob illarum defectum, num.16. ibid.

Derogare, Derogatio.

Derogari potest juri positivo per Papam etiam in præjudicium Tertii, cui fuerit jus quæsitum n.2.p.230

Derogatio sanat obreptionem, n 16.p.231

Derogatio generalis constitutionem certæ Religionis operatur, ut dicatur derogatum in specie singulis constitutionibus, quamvis non fuerit de illis facta specialis mentio, n.17.ibid.

Derogatio cum clausula, *Quorum tenores, &c.* tollit omnia obstacula quæ possent adversari ei qui gratiam impetravit, n.16.p 232

Deus.

Deus tentari dicitur, cùm accedit quis ad locum peste infectum.n.10.p.110

Vide *Pestis.*

Dictio

Dictio, *ex causa patuit*, in instrumento Societatis apposita, quid importet, n.5.p 82

Dictio *ut asseris*, æquipollet Clausulæ, *si ita est*, num.4. p.175

Dictio, *in circa*, denotat tempus incertum saltem per sex menses, n 8.p.165

Dictio, *Credo*, importat explicitam confessionem in principali, n.5.p.168

Dictio, *juxta*, stat similitudinariè, ut dictiones, *sunt tanquam ad instar*, & similes.n.4.p.209

Dictio, *juxta*, potius censetur stare demonstrativè quam restrictivè.n 5.ibid.

Dictio, *juxta*, tunc multò magis dicitur stare demonstrativè quando est adjecta dispositioni, & prolata in materia, cujus natura sit disponere, n.6.ibid.

Dictio, *juxta*, tunc stat causativè, non autem relativè, & restrictivè quando non constat de relato, n.7.ibid.

Dictio, *juxta*, quando constat de relato, tunc stat similitudinariè, & restrictivè ad relatum, n.8.ibid.

Dictio, *enim* juncta verbo futuri temporis, importat conditionem, n.13.p.219

Dictio, *ut supra*, repetit qualitates antea requisitas, num.25. p.230

Dictio *generandos*, si sit directa ad patrem, non potest referri ad tempus post conceptionem.n.19.p.229

Dictio, *generandos*, denotat conceptionem futuram, & in fieri, n.20.ibid.

Dictio, *postquam*, adjecta, institutioni conditionem importat, n.13 p.252

Dictio, *& sic*, est repetitiva onerum præcedentium, num 9. p.253

Dies Solaris & Lunaris.

Dies Solares sunt inæquales secundum diversas Regiones, n.19 p.282

Dies Lunares semper sunt certi, n.20.ibid.

Discretio.

Discretio præsumitur adesse in majore septennio quæ sufficit ad validanda sponsalia de futuro, n.5.p.152

Discretio quæ præsumitur in majore septennio ad validanda sponsalia de futuro non est talis quæ sufficiat ad validitatem matrimonii, n.6.ibid.

Discretionis anni ad validitatem matrimonii pro annis pubertatis accipiuntur, n 7.ibid.

Discretio est necessaria ad contrahendum matrimonium, n. 10.p 170

Discretio ad contrahendum matrimonium necessaria, non quælibet sufficit.sed magna requiritur, n.11.ibid.

Discretio ad matrimonium necessaria præsumitur adesse concurrente ætate pubertati proxima, n.12.ibid.

Discretio puellæ non benè probatur ex aliquo ejus dicto, cum potuerit instrui ad sic dicendum, n.14.ibid.

Dispensatio.

Dispensatio Apostolica obtenta ad cautelam conscientiæ, non probat inhabilitatem, n.13.p.162

Dispensatio Apostolica tollit inhabilitatem à particulari constitutione inductam.n.1.p 130

Dispensatio non tollit impedimentum quod non fuit expressum in supplicatione, n 14.p.132

Dispositio.

Dispositio facta ab eo qui non erat sanæ mentis, non valet, licet facta sit ad pias causas.n.14.p 254

Ab una dispositione ad aliam diversam non fit illatio, n. 15.ibid.

Dispositio facta ad aliorum suggestionem quando constat de præordinata Testatoris voluntate, valida est, num.16. ibid.

Declara ut.n.18 ibid.

Dispositio imperfecta ex defectu voluntatis, non sustineretur n.13 p.283

Dispositio facta ad favorem ejus qui erat ab intestato successurus, indicat sanam mentem testatoris, n.14.p.250

Distributiones quotidianæ.

Distributiones quotidianæ non debentur non residenti, n.2. & 6.p.155

Distributiones quotidianæ non dantur nisi intervenientibus divinis officiis.n.3.ibid.

Distributiones lucratur infirmus, quia per fictionem residere dicitur.n 5.p.156

Declara, modo ante infirmitatem residere soleret, n.4.& 6. ibid.

Distributiones debentur infirmis non residentibus, de jure, n.6.p 163

Et senio confectis, n.7.ibid.

Infirmi non tenentur intimare Capitulo infirmitatem ut lucrentur Distributiones.n.13.ibid.

Capitulum sine consensu Episcopi statuere non potest super modo lucrandi Distributiones, n.14.ibid.

Distributiones consumptas quando teneatur Capitulum restituere, n.15.ibid.

Distributiones quotidianæ debentur Infirmo etiam non interessenti.n.4.p.164

Dolor.

Dolores capitis graviores, magnis morbis adnumerantur, n. 4.p.29

Dolorem abesse censendum est, ubi ex nullis signis apparet causa doloris, n.9.ibid.

Doloris cognitionem assequi potest Medicus per conjecturas & signa, n.11.ibid.

Doloris simulati optima conjectura, n.12.ibid.

Dolores capitis gravativi & magis de nocte affligentes, an sint signum efficax morbi Gallici, n.1.& 10. p 42.& 43

Vide *Morbus Gallicus.*

Doloribus articularibus Venus est inimica, n.1 p.106

Vide *Venus.*

Dolor renum Gravidis est familiarissima, n.9 p 68

Dolor quem mulier sentit in copula denotat inexperitudinem ad matrimonium concurrente tenuiori ætate, num.16. p.151

Dolores assidui & continui censentur, qui aliquem vexare solent, n 3.p.194

Dolores capitis, ex communi Medicorum schola connumerantur inter magnos, immò pestiferos & acutos morbos, n.3.p.210

Dolores qui non sunt continui dicuntur Chronici, n.4.ibid.

Dolores capitis secum trahunt in consensum totum corpus, n.8.ibid.

Dolores licet propriè non sint morbus, sed morbi symptomata, possunt tamen illius vim & qualitatem ostendere, n.15.ibid.

Dolores, seu symptomata morbi, quæ nuncupantur læsæ actionis, vix possunt ab ipso morbo distingui, num.17. ibid.

Dolus.

Dolus considerati non potest in eo qui jure suo utitur, n. 3. p.158

Dolus nec fraus probatur ex eo quod fiat translatio periculi vitæ, nec pecuniæ asseruntur, n.11 ibid.

Dolus committi non potest, ubi est Princeps, num. 90. p.193

Domicilium.

Domicilium non dicitur quis mutare, dum se transfert aliò studiorum causa, aut mercaturæ, aut dignitatis, aut litis, aut melioris educationis, n.11.p.216

Domicilio originis nunquam censetur renunciatum nisi per expressam animi declarationem, aut longi temporis cursum, qui debet annos decem excedere, n.12.ibid.

Donatio.

Donatio facta à demente, non valet, n.1 p.150

Donatio facta à furioso, etiam loco pio, non valet, num. 2. p.176

Donatio inter vivos facta contemplatione Matrimonii per Patrem filio si existat in contractu matrimonii, est pars ipsius contractus, & cum eo confunditur, n. 9. & 10. p 190

Ampliat ut 11.ibid.

Index

Donatio ob cauſam quæ non fuit ſecuta, irritatur, & bona donata reſtitui debent,n.1.p.199
Declara,ur eum ſeq.
Donatio ob cauſam, quæ non fuit ſecuta,irritatur,ſi cauſa fuit finalis;ſecus ſi impulſiva donationis,n.2.ibid.
Cauſa impulſiva donationi adjecta non efficit quod donatio non dicatur ſimplex & pura,n.3.ibid.
Donatio ſubſiſtit etiamſi cauſa impulſiva non verificetur,n.4.ibid.
Donatio facta occaſione Matrimonii in dubio Matrimonium non cenſetur cauſa finalis, ſed impulſiva,n.5.ibid.
Donatio facta occaſione Matrimonii, non cenſetur Matrimonium cauſa finalis, ſed impulſiva ſi verbis conditionalibus concepta non repetitur,n.6.ibid.
Donans conſanguineo occaſione Matrimonii dicitur motus ad donandum potius à conſanguinitate quam à Matrimonio, n.7.ibid.
Donatio ſi nuncupetur libera & pura, non poteſt dici quod ſit conditionalis,n.8.ibid.
Cauſæ in Donatione expreſſæ quæ commodum Donatarii &, non donantis reſpiciunt, non dicuntur finales, ſed impulſivæ,n.9.p.200
Donationis cauſæ impulſivæ ſi deficiant,adhuc donatum debetur,n.10.ibid.
Donatio ſi ſit facta ob Matrimonium indeterminatum, non dicitur ipſum Matrimonium fuiſſe cauſam finalem donationis,n.11.ibid.
Donationis cauſa finalis dicitur illa quæ fuit expreſſa in proœmio,n.12.ibid.
Donatio dicitur pura, licet in ea fuerit habita ratio conſervandæ agnationis,n.13.ibid.
Donationis reſolutio peti non poteſt, quando poteſt donatarius cauſæ Donationis ſatisfacere, n.17.ibid.
Donatio irrevocabilis tenet etiam in pretioſis, n.2.p.241
Donatio nunquam præſumitur,n.6.p.242
Donationis jocalium præſumptio non intrat ex eo quòd ſponſus ſit ſenex,& ſponſa juvenis, quando juventus ex aliis compenſata remanet.n.21.p.243
Donationis ſponſæ factæ cauſa non ſecuta, ob culpam ipſius ſponſæ, non poteſt quidquam ex donatione proveniens per ſponſam retineri, n.58.p.244
Donatio ob cauſam intercidit etiam quod cauſa non ſuerit ſequuta ob caſum fortuitum,n.71.ibid.
Intereſſe præſtare tenetur in Donatione ob cauſam, ille qui non adimplet.n.73.ibid.
Sumptus in Donatione ob cauſam factos reficere tenetur is qui non adimplet,n.74.ibid.

Donatum.

Donata parentibus ſponſæ ob cauſam matrimonii repeti poſſunt ab ipſis parentibus,ſi non ſequatur conſummatio matrimonii, vel ab ipſa ſponſa,n.70.& 72.ibid.
Donata ſponſæ à conſanguineis viri diſſoluto matrimonio, reſtituenda veniunt per ſponſam, ſive pretioſa ſint, ſive non, n.78. & 80.ibid.
Donata ſponſæ à conſanguineis viti, cenſentur donata contemplatione ipſius viri, n.79.ibid.
Donata ſponſæ à conſanguineis viri contemplatione ipſius viri donata præſumuntur,etiamſi ſint muliebria, n.81.ibid.
Donatum ſub una conditione,ſub contraria cenſetur ademptum,n.16.p.253

Dos.

Dotis exiguitas detrahit Juventutis merito, n.23.p.243
Dos quando eſt parva, ceſſat omnis præſumptio quod maritus voluerit uxori donare,n.25.ibid.

E.

Ebrietas.

Ebrietas non probatur per teſtes dicentes, quod aliquis bibebat.n.6.p.201
Ebrietas ut tollat fidem teſtibus probati debet tempore examinis,n.12.p.208

Ebrioſi.

Ebrioſi incurrunt morbos frigidos, n.5.p.36.
Ebrioſi ſunt qui frequenter inebriantur, n.9.ibid.

Eccleſia.

Eccleſia in impoſitione jejuniorum non intendit corporex ſaluti præjudicare,n.1.p.85
Eccleſia, & loca pia non debent exigere legata ultra vires hæreditarias,n.19.p.190
Eccleſia, & loca pia, debent vivere ſecundùm conſcientiam, n.28.ibid.
Eccleſia Romana, ritus, & conſuetudines Græcorum inter Latinos habitantium non reſpuit, n.12.p.199
Eccleſia Romana non tolerat indiſtinctè Græcorum ritus in celebrandis divinis, ſed eos tantùm quod ſedes Apoſtolica approbavit, n.13.ibid.

Electio Eligere.

In electione præfertur is qui eſt de dilectis Teſtatoris, n.10. & 11.p.16
Teſtator mandans eligi Doctorem de familia ad ſucceſſionem, poteſt eligi minus proximior, relicto proximiori, n.20.ibid.
Quod declaratur, n.21.ibid.
Vide *Proximior.*
Electionis indignus ad ſuccedendum reputatur is, qui conſenſit alienationi bonorum Teſtatoris,n.29.ibid.
Quod declaratur,n.30.& ſeq.p.160.& 161
Electio, digni, omiſſo digniore in concurſu Parochialium, non ſuſtineretur de jure ſpeciali,n.11.p.215
Electio digni omiſſo digniore,valet, quoties non agitur de concurſu Parochialium,n.12.ibid.
Citari debent in Electione illi de quorum intereſſe agitur,n.15.ibid.
Executor ad aliquem eligendum, ſi poteſt ſe extrajudicialiter informare, poteſt etiam eligere, nemine citato, n.16. p.216

Epilepſia.

Epilepſia eſt morbus pueris familiaris,num.1.p.1.& num.14. p.3
Epilepſia quid ſit, num.2. pag 1. & num.1. pag.24.& num.3. p.46
Epilepſia à ſtatibus generatur,n 6.p.1
Epilepſia quam gravis morbus,n.12.p.2
Epilepſia in pueris ſanatur mutatione ætatis,n.16.p.3
Epilepſia levis,vel gravis,quæ dicatur,n.3.p.24.
Epilepſia magna quæ ſit,n.4 ibid.
Epilepſia interdum à vapore excitatur,n.11.p.96
Epilepſia ubi diu duraverit, non eſt amplius curabilis, n 4. p.128
Epilepſia in pubertate ſecundum plurimum ſanari ſolet. n.5. ibid.
Quæ locum habent in Epilepſia per eſſentiam, non habent locum in Epilepſia per conſenſum, n.6.ibid.
Epilepſia mutatione ætatis removetur,niſi magnoperè in victus ratione delinquatur, n 11.p.119
Epilepſia dependens à cauſa extrinſeca nunquam dici poteſt eſſe in habitu, n.24.ibid.
Epilepſia eſt morbus turpis, & excitat peſſima ſymptomata, n.2.p.86
Epilepſiæ duplex genus, n.4.ibid.
Epilepſia levis quando dicatur, n.6.ibid.
Epilepſia frequens quando dici debeat, n.7.ibid.

Epilepticus.

Epileptici omnes an interdicantur celebratione quorumcunque actuum civilium,n.2.p.24
Epilepticus in acceſſione morbi, non eſt ſui juris, num.5. ibid.
Epileptici in levioribus Epileptiis, neque ante, neque poſt acceſſionem,ſunt à mente alienati, contra,in gravioribus, n.6.ibid.
Epileptici gravi morbo affecti,poſt acceſſionem per aliquot dies non ſunt ſanæ mentis,n.7.ibid.
Epileptici gravi morbo tentati etiam ante acceſſionem per aliquod tempus extra mentem ſunt,n.8.ibid.
Epilepticus non poteſt promoveri ad Ordines, num.1.pag. 86
Epilepticus etiam ſanatus non debet incautè promoveri, & cur,n.3.ibid.
Epilepticus ſi ſit perfectè ſanatus poteſt promoveri, num.5. pag.87
Quomodo experiri liceat, an Epilepticus ſanatus ſit, necne,n.10.ibid.

Epiſcopus.

Epiſcopus non ex omni infirmitate poteſt Epiſcopatui renunciare,ſed ex illa,ex qua redditur inhabilis ad exercenda munera Epiſcopatus,n.4.p.130

Equites Hieroſolymitani.

Equites Hieroſolymitani per particularem conſtitutionem eximuntur ab exercitio Caravanæ poſt annum quinquageſimum,n.5.p.230
Conſtitutio Religionis Hieroſolymitanæ eximens Equites quinquagenarios ab exercitio Caravanæ non eſt in uſu, n.15.p.232

Error in victu.

Errores in victu etiam minimi corpora debilia plurimum lædunt,n.3.p.16

Rerum Notabilium.

Error in victu non contingit ex plurium rerum adhibitione, si rectè adhibeantur, quæ alias nocere solent si non rectè adhibeantur, n. 2. p. 62
Si prima infirmitatis causa præponderet erroti in victu, mors tribuitur primæ causæ, n 9 p. 147
Errorem infirmi prævalere primæ causæ infirmitatis allegans, tenetur probare, n. 10. ibid.

Evacuare. Evacuatio.

Evacuatio eorum quæ superfluunt, est opus Medicinæ, n. 10. pag. 65
Facilius est replera evacuare, quam evacuata replere, n. 9. ibid.

Eucharistia.

Eucharistiæ susceptio nonnisi hominibus sanæ mentis convenit. & permittitur, n. 17. p. 204

Exceptio.

Exceptio quod Testis deponens de filiatione alicujus sit creditor ejusdem, non minuit fidem ipsius Testis, num. 21. p. 213
Exceptio de jure Tertii non suffragatur ad impediendam immissionem, n. 17 p. 216
Reus in suis exceptionibus fungi debet partibus actoris n. 39 p. 143

Excommunicatus.

Excommunicatus qui non potest lucrari & exercere per se, nec per alium facere potest, n. 8 p. 156
Excommunicato Coadjuto, non lucratur Coadjutor pro eo, n. 6. ibid.
Vide *Coadjutor.*
Excommunicatus est ille ipso jure qui Ordinibus sactis insgnitus, Matrimonium contrahit, n. 47. p. 191
Vide *Matrimonium.*
Vide *Ordo Sacer.*

Executoriales.

Executoriales de stylo intimantur Reo per Judicem de partibus. & sic intimatæ remittuntur ad Urbem ubi relaxatur Declaratoria, etiamsi in ipsis executorialibus legatur tributa facultas Judici de relaxando Partibus declaratoriam n. 3. p. 247
Executio dicitur cœpta per relaxationem litterarum executorialium, n. 5 ibid.

Experientia.

Experientia rerum Magistra est, num. 9. p. 122. & n. 6. p. 134. & n 4 p 85
Experientia, ut sit bona, quas conditiones habere debeat, n. 15. p 135
Experientia est judex rerum evidenter apparentium, non Ratio, n 13 p. 137
Experientiam in rebus si quis non habeat faciliter eluditur, n. 10 p. 185
Experientia semper attendi debet tanquam rerum Magistra, n. 12. p. 186
Expetientia potentiæ coëundi inter conjuges.
Vide *Cohabitatio.*

F.

Faber.

FAber malleans propè scholas expelli potest, num. 2. p. 186

Facultas.

Facultates omnes ac singulæ in animali sunt ad certam operationem destinatæ, & non ad aliam, n. 4. p. 31
Facultates omnes indigent propriis instrumentis, numero 9. p. 32
Facultas formatrix ex quo incipit formare, nunquam quiescit, n. 11. ibid.

Falsitas.

Falsitatis suspicio oritur ex tarditate judicii quando obierunt ii qui poterant esse informati de veritate facti, n. 18. p. 505.
Falsitas imaginem habet quod inverisimile est, n. 18. p. 157
Falsum deponere in præjudicium propriæ vitæ nemo præsumitur, n 35. p. 237

Fama.

Fama probatur per Testes dicentes quod publicè dicebatur, n. 6. p. 183
Fama plurimum facit ad probandum matrimonium, & illud semiplenè probat, n. 7. ibid.
Ex sola fama probatur copula tanquam difficilis probationis, n. 9. ibid.
Impuritas sanguinis probatur ex sola fama & æstimatione, n. 16. p. 202
Fama an præsumatur orta ex materia articulorum, & an hoc casu sit suspecta uti originata ex causis non probabilibus, n. 18. ibid.
Fama dicitur testimonium populi, n. 9 p. 212
Fama publica ad probandam filiationem plurimi fit à Doctoribus, n. 10. ibid.
Fama & publica vox multum facit ad probandam copulam, n. 40. p. 243
Fama & publica vox multum facit ad probandum quod inter sponsos Copula carnalis non fuerit sequuta, n. 41. ibid.

Fatalia.

Fatalia omnia quin sint lapsa, & causa deserta quando non possit dubitari, n. 3. p. 223
Vide *Sententia.*
Vide *Appellatio.*

Fatuitas, Fatuus.

Fatuitas ex morbo Regio mala, n. 11. p. 22
Fatui hominis est, quod clarum ac evidens est pro vero non recipere, n. 8. p. 68
Fatui & mente capti, qui omninò non sunt mente privati, possunt facere testamentum, n. 5. p. 152
Vide *Testamentum.*
Fatuitas non est quod filia matrem instituat hæredem, imò rationi consonat, n. 6. ibid.
Fatuitas, simplicitas, innocentia, & stupiditas differunt à furore, n. 5 p. 213
Fatui simplices, & innocentes in prima specie non carent intellectu, licet integrum animi vigorem non habeant; in secunda vero specie usum rationis non habent, num. 6. ibid.
Fatuitas, simplicitas, & innocentia non sunt sufficientes pro inducenda nullitate cujuscunque contractus, num. 7. ibid.

Febris, Febricula.

Febris illico ab initio apparet in veneno intus gemito, non sic in externo, n 15. p. 124
Febriculæ longæ & obstructiones quando judicandæ sunt pro causa sufficienti obtinendi Coadjutorem, num. 11. p. 137
Febris dicitur provenire à primo morbo quando symptomata primi morbi concomitantur febrim supervenientem, n. 8. p. 147
Febris abortu per se non causatur, n. 4. p. 84
Febris potest causare abortum, n. 4. p. 173
Febris non semper causat abortum, n. 7. ibid.
Febris Hectica præbet justam causam conjugibus abstinendi à commixtione, n. 21. p. 175
Febri laborans habet justam causam abstinendi commixtione conjugis propter grave periculum immineps, n. 22. ibid.

Fenestra.

Fenestras aperire, ex quibus inspici posset intra Monasterium Monialium minimè licet. n. 24. p. 187
Fenestras aperire non licet, si per eas inspici possit intra Collegium, ubi Adolescentes Seminarii educantur, n. 25. ibid.
Ædificare non impeditur vicinus cum fenestris respicientibus in domum vicini, n. 26. ibid.

Fideicommissum.

Fideicommissum purificatum dicitur ad favorem ejus, qui docet se esse in casu vacationis, n. 1. p. 215
Agens ex fideicommisso docere debet de purificatione concepta, n. 1. p. 251
Fideicommissum ordinatum sub conditione, *si sine filiis*, non potest dici purificatum quousque durat spes procreandi filios ex parte gravati, n. 3. p. 252
Fideicommissum ordinatum in casu obitus sine filiis, non purificatur ex eo quod spes suscipiendæ prolis deficiat sed expectandus est obitus illius cui fuit facta substitutio, n. 9. ibid.
Fideicommissum ordinatum sub conditione, *si liros habuerit* purificatione statim ac constat de impotentia generandi, n. 10. ibid.

Filiatio.

Filiatio legitima ad effectum successionis probatur per Testes de fama, & communi reputatione, numero 20. pag. 184
Filiatio probatur ex communi reputatione & tractatu, tam Parentum quam aliorum, cum pluribus demonstrationibus amoris erga ipsum filium, num. 22. ibid.
Filiatio respectu matris probatur ex effigie valdè simili, n. 23. ibid.
Filiatio legitima plenè probatur ex pluribus conjecturis simul junctis, n. 25. ibid.

Index

Filiatio probatur per actus proportionatos patri erga filios, quando præſumptio juris non repugnat, n.1.p.155
Filiatio probatur ex nominatione parentum, num.3. & 5. ibid.
Filiatio probatur ex confeſſione patris, numero 6. & 10. p 184.
Filiatio ad effectum ſucceſſionis probatur levioribus probationibus,n.11 ibid.
Filiationis probatio quando ſit inſufficiens,n.2.p.205
Filiatio non probatur ex nominatione & tractatu alicujus uti filii in præjudicium Tertii,n.11.p.166
Filiatio non probatur ſufficienter ex ſimilitudine, n.9.p.165. & ſeq.
Filiationis famam ut probent teſtes, quomodo debeant deponere,n.12.p.166
Filiatio, ubi agitur in judicio petitorio, concludentius probanda venit, quam ubi agitur in judicio poſſeſſorio, & ſolum pro conſequutione alimentorum,n.13.ibid.
Filiatio ad effectum conſequendi alimenta ſatis probatur ex tractatu, aſſertione Parentis & communi reputatione,n.1. p.211
Filiatio naturalis levioribus probationibus juſtificatur, n 2. ibid.
Filiationis vehemens præſumptio oritur ex reputatione communi,n.3.p.212
Filiationis vehemens præſumptio oritur ex aſſertione præſumpti Patris facta in ultimo vitæ ſpiritu,n.4.ibid.
Filiationis præſumptio eſt nomen Majorum impoſitum nato,n.6.ibid.
Filiatio probari debet per urgentiores probationes quando agitur de conſequutione dotis, vel alimentorum ex bonis fideicommiſſi, n 17.ibid.
Filiatio quando non dicatur ſufficienter probata per conjecturas reſultantes ex tractatu, nominatione Patris,& ſimilitudine,n.30.p 223
Filiationis argumentum præſtant alimenta præſtita nutrici pro educatione infantis,n.7 p.212
Filiatio probatur per teſtes deponentes de nominatione, tractatu & publica voce,& fama,n.2.p.215
Filiatio legitima probatur ex partitis librorum Baptiſmatum, & Matrimoniorum, concurrentibus adminiculis, num.3. ibid.
Filiatio probatur ex eo quod quis uti filius fuerit ab aliquo inſtitutus,n.4 ibid
Filiatio probanda ad effectum conſecutionis alimentorum lite pendente admittit leves probationes, numero 1.pag. 227
Filiatio concludenter probanda eſt quando ſuper ea lis decidenda,n 4.ibid.
Filiatio probatur præſumptionibus & conjecturis, num.3. ibid.
Filiationis probatio certa non datur,n.4.ibid.
Filiationem non probant teſtes deponentes de fama inter vicinos, niſi ſpecificè deponant de tempore & à quibus talis fama ortum traxerit,n.5.ibid.
Filiatio non probatur per teſtes deponentes de commercio carnali inter prætenſos parentes, niſi percutiant tempus conceptionis,n.6.ibid.
Filiatio non probatur ex eo quod quis fuerit ab aliquo filius nuncupatus,n.9.ibid.
Filiationis conjectura non reſultat ex nominatione probata enunciativè & in actu qui poteſt convenire etiam extraneo,n.11.ibid.
Filiationis probatio æquivoca remanet quando, quis ortum trahit à muliere,ad quam pluribus patebat acceſſus, n.17. p.228
Filiationis præſumptio excluditur quando aſſertus pater prætenſum filium penitus negligit, n.22.ibid.
Filiationis fama deſtruitur ex eo quod aſſertus pater prohibuerit natum deſcribi pro ſuo filio in libro Baptizatorum, ita ut ex illa reſultare non poſſit quaſi poſſeſſio filiationis, n.23 ibid.
Filiationis cauſa differt à cauſa legitimitatis,n.1.p.229
Filiatio non probatur ex tractatu & nominatione in præjudicium eorum qui nullum jus habent à nominantibus & tractantibus, n.8.ibid.
Filiatio tunc concludentius venit probanda, quando agitur de ea ad effectum ſuccedendi in bonis fideicommiſſi, & alios ſubſtitutos excludendi quam ſi agatur de ea ad effectum conſequendi alimenta,n.9.ibid.
Filiationem tanquam neceſſarium antecedens probare debet qui ſe legitimum aut legitimatum affirmat,n.10.ibid
Filiatio reſpectu Patris directè, atque præcisè probari non valet,n.1.p.239
Filiatio juſtificatur præſumptionibus, & conjecturis,num.2. ibid.
Filiatio juſtificatur conjecturis, ſive quæſtio ſit cum parentibus,ſive cum aliis n.3 ibid.
Conjecturæ ad juſtificandam filiationem efficaciores requiruntur in deciſoriis, quam in præparatoriis & proviſionalibus n.4.ibid.
Filiationis argumentum deſumptum ex ſimilitudine nati, fallax reputatur à Juriſtis,n.9.p.240
Filiationis fama deſtruitur ex contrariis probationibus,n.10. ibid.
Filationis conjecturæ deductæ ex tractatu prætenſi Patris concludunt contra ipſum tractantem, non autem contra Tertium,ibid.
Filiationis quaſi poſſeſſio inducitur per actus geſtos erga aliquem uti filium,contra ipſum agentem, ejuſque hæredes, n.5.p.251
Declaratur,n.7.& 8.ibid.
Ad filiationis probationem multum confert jurata aſſertio illius,ex quo filium ortum duxiſſe militat præſumptio, n.7.ibid.
Filiationis quaſi poſſeſſio non ſuffragatur in judicio deciſorio præſtationis alimentorum, maximè ſi contrariæ urgeant conjecturæ.n.8.p.254
Declaratur,n.9.ibid.
Filiationis leviores probationes ſufficiunt ad effectum obtinendi alimenta lite pendente ſuper negotio principali, n. num.10.ibid.
Filiationis conjectura non inducitur ex eo,quod quis fuerit in libro Baptiſmi deſcriptus uti filius alicujus,ex cujus ordine talem deſcriptionem factam fuiſſe non apparet,n.11. ibid.
Filiatio convinci debet per probationes urgentes quando potentia generandi in eo quod præteritum patet excluditur juris præſumptione, & ratione naturali, num.16. ibid.

Filius.

Filius natus ex uxore etiam adultera cenſetur Mariti, n.3. p.205
Filius patronus eſſe non poteſt una cum patre in jurepatronatus hæreditario, n 2.p.206
Vide *Juspatronatus.*
Filius præſumitur eſſe mariti,n.1.p.165
Filius præſumitur mariti, licet probetur, mulierem tempore conceptionis concubuiſſe cum adultero, n.2.ibid.
Filius non præſumitur adulteri, ſed mariti, quando ipſi marito patebat acceſſus ad uxorem, num.5.p.165.& num.3. p.229
Filius junioris potius, quam ſenioris eſt exiſtimandus, n.4. p.115
Filius natus ex legitima uxore in domo mariti, non præſumitur ipſius mariti, ſi de tempore conceptionis matrimonium non fuerat contractum, n.4.p.229
Filius natus ex concubina domi retenta, præſumitur ipſius concubinarii, n.6.ibid.
Maximè quando concurrit nominatio parentum, & communis reputatio, n.7.ibid.
Filius natus conſtante matrimonio, eſt legitimus, etiam ſi fuerit antea conceptus,n.11.ibid.
Filius natus ex uxore præſumitur Mariti, maximè,ſi uti talis fuerit baptizatus, & ab ipſo marito inſtitutus, num.10. p.253
Filius natus ex uxore dicitur mariti, licet ſenis, quando nihil probatur quòd uxoris famam denigret, num.22. p.254
Filii nati ex publica Meretrice dicuntur vulgò concepti, n 1. ibid.
Filii publicæ Meretricis certum patrem oſtendere nequeunt, n.2.ibid.
Filius potius præſumitur ex juvene,quam ex ſene, n.4.& 15. ibid.

Fiſtula.

Fiſtula quid ſit,n.8.p.55
Non datur ſine calio,ibid.

Femina.

Fœmina habet in ſe utrumque ſemen, maſculeum & fœmineum,n.13.p.57
Fœminæ ex frigidiori ſemine procreantur,n.7.p.115
Fœminæ ſerius naſcuntur, quam mares, n.10.p.116
Fœmina non ſemper moritur, quotieſcunque Gemini ſunt mas, & fœmina,n.10.p.122

Fœtus.

In curandis Gravidis non licet eas negligere ut fœtus ſalvetur, n.8.p.39

Rerum Notabilium.

Fœtus masculi signa,n.2 p.38
Fœtus eandem distantiam servant in nascendo, quæ intervenit inter primam conceptionem, & superfœtationem, n 10 p.99
Fœtus quando dicantur concepti simul,n.13.ibid.
Fœtus octimestris non est vitalis,n.16.p 100
Fœtus septimestris ex communi est vitalis,n.1.ibid.
Fœtus imperfecti non sunt vitales,n.2.ibid.
Fœtibus affert initium perfectionis septimus Mensis, num.3. ibid.
Fœtus vivit vita Matris,n 7.ibid.
Fœtus vitalis signa absentia non vitalem denotant, num 8. p.101
Fœtus ad respirationem Matris respirat per vasa umbilicalia n 15.& 18 p 102
Fœtus fortiores ortum accelerare solent, n.11.p.116

Forma.

Forma inducta à statuto ad effectum obviandi fraudibus, adimpleri potest per æquipollens, si effectus sequatur, n10.p.150

Frater. Fraternitas.

Fratres uterini succedunt inter se licet à diversis patribus ortum duxerint,n.18 p.154
Cognationis incertitudo dari non potest in fratribus uterinis,n.16.ibid.
Fraternitas & sororitas probantur ex nominatione parentum qui nominant talem & talem suos filios,n.4 p.153
Vide *Soror.*

Frigiditas.

Ignavia in venerem, aut segnities quædam non potest dici frigiditas,n.9.p.133
Frigiditas & impotentia viri probari potest per testes, n.3. p.149
Vide *Impotentia.*

Frigidus.

Frigidus & impotens naturaliter non putatur qui ad copulam anhelans eam non perficit, sed virgam saltem arrigit & semen emittit,n 8 p.154

Fructus.

Fructus de facili corrupti nascuntur ex arbore corrupta, n.65.p.192
Fructus bonus exire non potest ex radice infecta, num.66. ibid.
Fructus non debentur non residenti.
Vide *Residentia.*
Fructuum quantitas probatur conjecturis quando debitum est certum in genere,n.28.p 26
Fructuum quantitas uno anno percepta, sequentibus etiam annis percepta præsumitur, n.29 ibid.
Fructuum quantitas probatur à consuetis percipi annis præcedentibus,n.30 p.247

Fumus.

Fumus est subjectum ignis,n.3.p 159

Furiosus, Amens.

Furiosus, & mente captus, in quibus differant, & quis uterque sit,n.1.& 2.p 144
Furiosus non potest contrahere matrimonium carnale, imò nec spirituale, n.14 p.145
Furiosus & mente captus æquiparantur,n.17 ibid.
Furiosi & mente capti faciunt multoties signa,& loquuntur ut prudentes.n.23 ibid.
Furiosus post, præsumitur etiam talis retrò, num 26. p.146
Disposita in furioso non procedunt in fatuo simplici seu stupido,n 27
Furiosi, & Amentes aliquando prudenter loquuntur, & ad interrogata optimè respondent,n.7 p 78
Furiosus, & mente captus, activam testamenti factionem non habent,n 1 p.172
Furiosus nemo præsumitur,sed sanæ mentis,n.2.ibid.
Furiosus quis dicatur n 3 p 67
Dispositio Juris in furioso procedit in mente capto, n 2. ibid.

Furor.

Furor est difficilis probationis,n 4 p 144
Furor & dementia probantur ex factis,n.5 ibid.
Furor & dementia sunt passiones cerebri, quas Medicus cognoscit,n.7.ibid.
Negativa furoris quomodo sit probanda per testes, n.4. & 5.p.148
Furor non probatus per aliquod tempus continuum, arguit dilucida fuisse intervalla,n.5.ibid.
Furoris præsumptio est datio Curatoris, numero 9. pag. 176.

G.

Garamantes.

Garamantes, & superiotis Lybiæ populi ex similitudine formæ proprios liberos agnoscunt, n.12.p.212
Vide *Similitudo.*

Gemellus.

Gemelli ex unico coitu procreantur,n.14 p.61
Gemelli in humana specie contra Naturæ legem nascuntur, n.1 p.121
Gemellos nasci disparis sexus magis contra naturam est, quam ejusdem sexus,n.2.ibid.
Gemellorum partus sexu disparium magis est contra naturam quam partus Octimestris.n.5.ibid.

Generare.

Generandi sibi simile à Natura inest, & est proprietas inseparabilis.n 9.p.98
Generare possunt Sexagenarii Viri vegetæ virtutis, num.1. pag 32
Vide *Sexagenarius.*
Generare possunt Sexagenarii & ætate majores, numero 2. pag 103
Declaratur, ut n.7.ibid.
Generare possunt Senes quandocunque possunt coire, n.1. p.119
Generare possunt etiam Senes in ætate decrepita, n.2. ibid.
Vide *Senex.*
Generare potest Vir, ut Proverbio fertur,quousque furfuris quartarium potest elevare,n 4.ibid.
Generandi habilitas à Natura est. n 5.ibid.
Ad Generandum non sunt amplius apti Senes transacto anno quinto supra sexagesimum, ex ipsa rei natura,n.10. p.120
Neque Generandi neque coëundi potentia præsumitur in Valetudinario, n.14. ibid.
Præsumptio potentiæ generandi in Sene, vel Decrepito, habet locum in Sene robusto, non valetudinario, n.19. p.121
Generandi habilitas adest vigentibus viribus, cessantibus autem cessat,n 22.ibid.
Ad Generandum unusquisque à Natura præsumitur habilis,n 7.p.122
Dolor quem mulier sentit in actu copulæ inducit præsumptionem quod non sit apta ad generandum, concurrente ætate tenera,n.16 p.152
Generandos, verbum denotat conceptionem futuram & in fieri,n.20 p.230
Generandi possibilitas in eo quem jus inhabilem reputat, non attenditur nisi evidentissimis probationibus concludatur,n.13 p.254

Generatio.

Ad Generationem requiritur, ut viri semen habeat liberum transitum per virgæ meatum,n.1.p.97
Generatio quomodo impediatur Caruncutis,n.7.ibid.
Vide *Caruncula.*
Generationem maximè impedit improspera valetudo, n.1. p.115
Generatio impeditur membri brevitate, num.1. p 344. Vide n.8.p.132
Vide *Membrum.*
Aptitudo corporis ad generationem non dicitur adesse in imbecillo & gracili,n.15 p.152
Mulieris confessioni standum magis quam viri quoad aptitudinem ad generationem,n.17.ibid.
Ad Generationem unusquisque præsumitur habilis, nisi inhabilitas probetur,n.2 p 252
Generatio filiorum in Sene robusto non est impossibilis, n.21.p.253
Generatio aliqua an sequi possit ex commixtione seminis humani cum brutino,n.1.& 2. p 30
Generationis capaces sunt sexagenarii vegetæ virtutis, n.1. pag.32
Ad generationem seu conceptionem sufficit unicus congressus,nec requiritur frequentatio coitus,n.3 p 33
Generationis principium consistit in conceptione, num.18. p.219

Genitalia.

Genitalium non recta conformatio connumeranda inter causas impotentiæ coëundi,n.11.p.103 & 104
Genitalium conclamata ignavia in decrepito valetudinario præsumi debet,n.19.p 120.& 121
Vide *Valetudinarius.*

Glans.

Glandis,& Præputii privatio coitus delectationem ex parte Mulieris diminuit,n.7.p 132

Index

Gonorrhæa.

Gonorrhæa reddit Hominem infœcundum multis ex cauſis, n.4.p.97

Gratia.

Gratiam vitiat quælibet expreſſio falſa, n.5.p.136

In expreſſione cauſarum, ob quas petitur gratia requiritur, ut eius qualitatis ſint quales fuerit narratum in ſupplicatione, n.6 ibid

Gratia ſubreptitia cadit, ſi narratis pluribus impedimentis pro obtinendo Coadjutore, omnia non probentur, num.7. ibid.

Conditio tacita in Gratia non impedit effectum puræ diſpoſitionis, n.8.p.175

Gratia ut ſuſtineatur, Rota de ſtylo ſolet æquitatem amplecti, n.9 p.195

Preces ad impetrandam Gratiam probant contra exponentes, n.2.p.164

Vide *Signatura.*

Gratia cauſa ceſſante, ceſſat etiam ipſa Gratia, numero 5. p.224

Narrata in Gratia, ad effectum ut Gratia non ſuſtineatur, ſufficit quod per adverſarium probetur rem non ita ſe habere, n.9 ibid.

Affectio ſuper beneficio ex appoſitione manus Papæ pendet à validitate Gratiæ, & à juſtificatione cauſæ, qua Papa motus fuit ad concedendum, quatenus conſtet de veritate narratorum, n 2.ibid.

Gratia conditionalis non obſtante Decreto irritanti, non purificata conditione decretum non operatur, num.38. p.220

Gratia dicitur ſubreptitia ſi infirmitas in impetratione narrata, non ſit vera, vel non talis qualis fuit narrata, n. 9. p.130

Gratia Pontificis remanet ſubreptitia & nulla, ſi fuerit impetrata non facta mentione alicujus particularis conſtitutionis quæ poterat reddere difficiliorem Papam ad concedendum, n.15.p.231

Vide *Derogatio.*

Gratia Apoſtolica interpretationem recipit à juris communis diſpoſitione, n.5.ibid.

Gratia Pontificis ſubreptitia dicitur, ſi in ejus impetratione non fuerit aliquid narratum quod potuiſſet reddere Pontificem difficiliorem ad conceſſionem Gratiæ, num.11. ibid

Vide *Infirmitas.*

H.

Habilitas.

HAbilitas ad certum actum neceſſe eſt quod probetur de tempore quo ipſe actus fuit celebratus, numero 7. pag.174

Habilitas naturalis præſumitur, n.8.ibid.

Intellige ut n.12.ibid.

Habilitas requiſita ad certum actum, debet probari etiam hora confecti actus, n 9.ibid.

Habilitas de tempore ad tempus, an & in quibus præſumatur ibid.

Habilitas ad actum, ut præſumatur diſtinctio perſonarum facienda venit, n.12.ibid

Habilitas requiritur in proviſo ſub conditione de tempore purificatæ conditionis, n.19.p.220.

Habilitas generandi à natura eſt, n 5 p.220.

Habilitas generandi adeſt vigentibus viribus, ceſſantibus autem ceſſat, n.22.p.221

Hæreditas.

Hæreditas quando non eſt ſolvendo an legatarius quantitatis concurrat cum legatario ſpecici ad effectum diminutionis, n.16 p.190

Hæreditas ab inteſtato defertur proximiori, n.6.p.232

Hæres.

Hæres non conficiens inventarium non tenetur ſolvere legatum pium de proprio, n. 26.p.190

Hæres non conficiens inventarium non tenetur in foro conſcientiæ ultra vires hæreditarias, n.27.ibid,

Hæredi datur immiſſio in poſſeſſionem bonorum, ibid.

Vide *Immiſſio.*

Hæredis inſtitutio, eſt caput & fundamentum Teſtamenti, n.4 p.195

Hæres poteſt dubiam Teſtatoris voluntatem declarare, n.13 & 14.p.160

Hæres gravati an & quando poſſint avocare bona fideicommiſſaria alienata ab ipſo gravato, n 34.p.161

Hæres licet poſſit impugnare factum defuncti, tamen rectius agit ſi illius voluntati obtemperet, n.6.p.205.

Hæres non poteſt impugnare defuncti factum, n.8.ibid.

Hæres Hæredis dicitur etiam Hæres primi Teſtatoris, n.9. ibid.

Hæres ſuccedens jure proprio, & non hæreditario poteſt factum defuncti impugnare, n.12 & 13.ibid.

Hæredis inſtitutio neceſſaria non eſt inter tranſverſales, n.1 p.206

Hæres Avi tenetur filiæ ſpuriæ dotem in ſubſidium aſſignare n.19 p.212

Hæres gravatus non poteſt diſponere de bonis fideicommiſſi, in præjudicium vocatorum, n.12.p.240

Hæredi ab inteſtato competit immiſſio ex interdicto *Quorum bonorum*, n.7.p.233

Hæres tenetur rationem reddere de fructibus bonorum, quos defunctus adminiſtravit, n.26.p.246.

Hæres inſtitutus ſub conditione, quam adimplere recuſat, excluſus remanet ab omni jure ſucceſſionis n.15 p.253

Hæres inſtitutus cum obligatione aliquid implendi non poteſt admitti ad ſucceſſionem, niſi præſtita cautione adimplendi voluntatem Teſtatoris, n.14 p.253

Homo.

Homo redditur infœcundus multis ex cauſis per Gonorrhæam, n.4.p.97

Homo ut in naſcendo nullum habet determinatum tempus, ſic & in coëundo & generando, n 3.p.119

Homo generare poteſt, ut Proverbio fertur, quouſque furfuris quartarium poteſt elevare, n 4.ibid.

Homines fiunt infœcundi ex ipſa valetudine, num.15. pag 120

Homines redduntur infœcundi Cauteriis diu geſtatis, n.17 ibid

Vide *Cauteria.*

Homo ne per momentum quidem poteſt ſine reſpiratione vivere, n.14.p.117

Homo quando ſeneſcat ante terminum naturalem, num.1. p.136

Homo natura frigidus aſſumens vere num frigidum, citius moritur, quam qui natura calidus eſt, n.9 p.139

Homines magis læduntur in Reſpiratione, quam mulieres, n.11.ibid.

Vide *Reſpiratio.*

Hominem fortiorem eſſe Mulicre controverti non poteſt, n.13 ibid

Potiſſima cauſa, ex qua Homines citius ſeneſcunt quam deberent ſunt morbi magni & diuturni, n.14.ibid.

Homines præſtat magis graciles eſſe, quam craſſos, num 16. ibid.

Homo per loquelam & ſcientiam à Brutis diſtinguitur, n.10. p 74

Homines aliquando ob vitium robur in morbis diutius vivunt, quam deberent & è contra, n 4.p 76

Hominis effigies quas potiſſimum ob cauſas inſignicet immutetur, n.1.p.89

Homo quando Matrimonium contrahi debet eſſe annorum 36. juxta Ariſtotelem n.61.p.142

Humor.

Humores ad extremam corruptionem devenientes excitant eadem ſymptomata quæ ſolet excitare peſtis, num. 17. p 41

Humoris aquei deperditio, licet aliquando reparari poſſit tamen naturaliter nonniſi longiſſimo temporis ſpatio id ſuccedere poteſt, n 6 p.65

Viſio fieri non poteſt ſine ope humoris aquei, n.2.ibid.

Hydrocephalus.

Hydrocephalus quid ſit, n.3.p.1.

Hydrocephali duo præcipua genera, n.4 ibid.

Hydrocephali aquoſi quatuor ſpecies, n.7.p 2

Hydrocephali interni non curantur, quod de tertia ſpecie verificatur, n.8 ibid.

Hydrops.

Hydrops fieri non poteſt niſi vitiato hepate, n 2.p.10

Hydrops nullam habet cum Prægnantia aut partu cognationem, n.2.p.83

Hydropem quandoque menſtrua retenta excitare ſolent, n.4.ibid.

Vide *Menſtrua purgatio.*

Hypotheca.

Hypotheca legalis conſtituta cenſetur uſque ab initio pro legato conditionali, n.17 p.190

Creditores Hypothecam habentes præferuntur legatariis n.15.ibid.

I.

Jaſon.

JAſon *in leg. Titia, n.10. ff. de verb. obligat.* Declaratur, n.38. p.191

Jejunium.

Rerum Notabilium.

Jejunium.

Jejunis corpus affligere non licet in sanitatis notabile detrimentum,n 3.p.16

Ciborum vitia quibus in jejuniorum diebus utimur, n.1. pag.16

Ecclesia in impositione jejuniorum non intendit corporeæ saluti præjudicare, n.1.p 85

Jejunii observantia si communem Hominum tolerantiam excedit,illaudabilis existimatur,n.22.ibid

Jejunans si ex jejunio notabile corporis detrimentum incurrit tenetur à jejunio abstinere,n.3.ibid.

Ignis.

Ignis quo semel accensus pervasit, fert casus ut iterum accensus pervadat,n 13.p.159.

Fumus est subjectum ignis,n.3.ibid.

Vide *Incendium.*

Imaginatio.

Imaginatio lædi potest ratione illæsa permanente, num.5. pag 25

Imaginatio cum sit facultas animalis non potest formatrici(quæ naturalis est)operibus insistere,n.5.p 31

Imaginatio in prægnante dirigit potentiam formatricem ad aliqua suo modo efformanda, ut communis fert opinio n.6.ibid.

Imaginationis effectus circa fœtus formatricem videntur potius imaginarii,quàm reales & veri,n.19 p.32

Ab imaginatione Matris dependet natorum similitudo secundum communem,n.1,p.87

Vide *Similitudo.*

Imaginatio, dato quod sit causa similitudinis natorum est solum accidentalis causa,n.10.p 88

Imaginatio quod læsa sit, non autem rationis usus, sive discursus,simul potest,n.15 p.178

Imaginatio læsa, seu ingenii imbecillitas, vel operationes incongruæ non excludunt rationis usum, numero 25. p.223

Immissio.

Immissio in possessionem bonorum hæreditatis ex remedio, *leg. fin.Cod.de edict.Div.Hadr.toll.* datur hæredi, num.1. p.152

Nec impeditur per exceptionem quod quis non poterat testari,n.7.p.153

Immissio datur vigore subrogationis gratiosæ, & ad hoc, quæ requirantur, si beneficium appareat esse reservatum, n.1.p.201

Immissio in possessionem Beneficii vigore subrogationis gratiosæ, non potest impediri per exceptiones quæ respiciunt petitorium,n.11.ibid.

Ordinariè & non executivè per viam immissionis est procedendum inter habentes pacem titulum,n 9.ibid.

Contradictor legitimus ad impediendam immissionem in possessionem beneficii quis dicatur,n.10.ibid.

Vide *Beneficium.*

Immissio debetur Hæredi scripto,vigore *leg.fin.Cod.de edict. Div.Adr. toll.* exhibenti Testamentum in forma probanti non vitiatum, n 4 p.203

Immissio ut concedatur vigore *leg. fin. Cod. de edict. Div. Adrian. tollen.* sufficit quod hæres exhibeat Testamenti exemplum in forma publica à Notario traditum, tum 5. ibid.

Immissio danda est gratiosè subrogato, probato Clericatu, obitu defuncti in possessione Beneficii, & ejusdem Beneficii affectione,n.1.p.207

Interesse habens in re,in qua quis immissionem petit, non potest illam impedire contra possessorem,n.5 p.234

Impedimentum, Impeditus.

Impedimentum affectatum & procuratum non excusat, n.6. p.230

Impedimentum tunc maximè excusat quando provenit ab adversario,n 8.ibid.

Impeditus aliquid adimplere excusatur ab implemento, si factis diligentiis non valuit impedimentum removere, n 3 ibid.

Impedito legitimè tempus non currit,n.7.ibid.

Actus faciendus habetur pro facto in præjudicium illius à quo processit impedimentum,n.4.ibid.

Impedimentum.

Impedimentum perpetuum requiritur ex Constitutionibus Pontificiis ad obtinendum Coadjutorem.n.5.p 94

Impedimento stante ex quo vir non possit loca penetrare, etiam semine ejaculato Matrimonium non dicitur consummatum, n.5 p.113

Die ut n.seqq.ibid.

Impedimento non amoto, & secuta conceptione, uxore patere non potente,& se sectioni Cæsareæ tradeare,atque inde evasa,an maritus possit petere matrimonii dissolutionem,n.16.p.114

Impedimenta pro obtinenda gratia debent esse perpetua, n.8 p.137

Impedimentum coëundi visibile non adesse in viro, probatur ex relatione Medicorum,n.5 p.149

Impedimentum naturale coëundi quandoque est evidens, necessarium, & concludens: quandoque est verisimile,& aliquando dubium, & præsumptivum, n.1.p.176

Impedimentum coëundi quando est evidens devenitur ad dissolutionem matrimonii absque alia triennali cohabitatione,& absque juramento conjugum, n 2 p.177

Impedimentum coitus quando est verisimile, sufficit pro dissolvendo matrimonio juramentum conjugum, & septima propinquorum manus non autem requiritur cohabitatio triennalis, n 3.ibid.

Impedimentum coitus in conjugibus si sit dubium,requiritur cohabitatio triennalis,n.4 ibid.

Impedimentum coëundi ex magnitudine, & arctitudine, dicitur concludens, & necessarium,n.5.ibid.

Impedimentum coëundi ob magnitudinem, arctitudinem, an & quando sufficiant ad dissolutionem Matrimonii absque triennali conjugum cohabitatione, numero 10, ibid.

Vide *Impotentia.*

Impedimentum coitus quando non procedit à Maleficio, Confessio Sacramentalis non est necessaria ante triennalem conjugum cohabitationem,n.11.ibid.

Impedimentum coëundi inter conjuges quando est medicabile,Matrimonium non dissolvitur,n.3.p.187

Impedimentum coitus quod uterque conjugum fatetur,probatur pro dissolutione Matrimonii, ex eorundem juramento cum septima manu,n.5 p.188

Impedimentum coëundi inter Conjuges quando non est medicabile, locus est dissolutioni Matrimonii, num. 6. ibid.

Impedimenta quæ impediunt, & dirimunt Matrimonium, sunt duodecim, n.16.p.198

Impotentia.

Impotentiam coëundi adauget fistula in Perinæo, num.11. p.104

Impotentia coëundi probatur ex quo quis pro tali impotentia medicamenta quærit,n.6.p 148

Impotentia viri probari potest. n.3.ibid.

Impotentia & frigiditas quando non est visibilis, & per alterum conjugem negatur,tunc cohabitatio triennalis est omnino necessaria ad probandam impotentiam, n 4. p.149

Vide *Cohabitatio.*

Impotentia coëundi non bene probatur ex assertione conjugum,n.7.ibd.

Impotentia coëundi visibilis in viro, probatur ex relatione Medicorum,n.5.p.149

Impotentia naturalis coëundi quandoque est evidens, necessaria, & concludens quandoque est verisimilis, & aliquando dubia, & præsumptiva, n.1.p 177

Impotentia coëundi quando est evidens, devenitur ad dissolutionem Matrimonii absque alia triennali cohabitatione & absque juramento Conjugum, numero 2. ibid.

Impotentia coitus quando est verisimilis, sufficit pro dissolvendo Matrimonio juramentum conjugum, & septima propinquorum manus, non autem requiritur, cohabitatio triennalis,n 3.ibid

Impotentia coitus in conjugibus si sit dubia,requiritur cohabitatio triennalis,n.4.ibid.

Impotentia coëundi ex magnitudine & arctitudine, dicitur concludens,& necessaria,n.5.ibid.

Impotentia coëundi ob magnitudinem & arctitudinem, an & quando sufficiat ac dissolutionem Matrimonii absque triennali conjugum cohabitatione,n.10 ibid.

Impotentiæ coëundi signa quando sunt dubia, ante declarationem nullitatis Matrimonii requiritur triennalis conjugum cohabitatio,n.2 p.185

Impotentia coitus inter conjuges quando est medicabilis Matrimonium non dissolvit,n.3 p.189

Impotentia coitus inter conjuges quando non est medicabilis,dissolvit Matrimonium, n.6.p.187

Vide *Impedimentum.*

Impotentia coëundi in conjugibus, si est manifesta, statim dissolvitur matrimonium; secus si non sit manifesta, n.2. p.154

Index

Impotentiæ ſignis dubiis exiſtentibus, non ſtatim devenitur ad diſſolutionem matrimonii, n. 4. ibid.
Impotentia coëundi apparere poteſt ex ſignis externis appatentibus in membris virilibus. n. 5. ibid.
Impotentia coëundi in viro non probatur ex eo quod per horas jacuerit cum muliere, & illam cognoſcere non potuerit, n. 6. ibid.
Impotentia coëundi in conjugibus, ut dirimat matrimonium, debet eſſe naturalis, perpetua, & inſanabilis, num. 7. ibid.
Impotentia coëundi non reſultat ex impedimento aperitionis mulieris, n. 3. & 4. ibid.
Impotentia coëundi non diſſolvit illicò matrimonium, ſed debent conjuges cohabitare per triennium, & experiri an impedimentum ſit perpetuum, n 5. ibid.
Impotentiam ex maleficio ſi patiatur vir recurrendum eſt ad remedia divina & ſupernaturalia, num. 1. p. 161. & num. 7. p. 226.
Vide *Cohabitatio*. Vide *Pœnitentia*.
Impotentia viri non ſufficienter probatur ex inſpectione mulieris ad diſſolvendum matrimonium, n. 3. p. 164. & n. 5. p. 165.
Impotentia viri ad coëundum argui poteſt ex ipſius ætate, aſpectu, & corporis qualitate, n. 3. p. 165.
Impotentia coëundi probanda venit per inſpectionem, quando unus ex conjugibus affirmat, alter verò negat impotentiam, n. 6. ibid.
Impotentia viri quando eſt temporalis, vel dubia, uxor tenetur præſtare ſucceſſivam patientiam per triennium, ut poſſit fieri experientia Copulæ conjugalis, numero 4. p. 214
Impotentiam coëundi an maritus naturaliter patiatur cognoſci debet per peritos Medicos mediante inſpectione, n. 4. p. 226
Impotentia coëundi ſi dubitetur an proveniat ex maleficio, deveniendum eſt ad Exorciſmos, n. 8. ibid.
Vide *Maleficium*.
Impotentia mariti coëundi cum uxore, dicenda eſt accidentalis, dum ipſe cum aliis mulieribus coire valet, num. 15. ibid.
Impotentia viri ad coitum ut poſſit allegari per ſponſam, non ſufficit, quod una nocte ſui copiam fecerit, ſed tempus conveniens expectandum venit, n. 49. p. 245
Incendium.
Incendii nocturni origo probatur per conjecturas & præſumptiones, n. 1. p. 150
Incendium plerumque præſumitur culpâ inhabitantium contigiſſe. n. 9. ibid.
Declaratur, n. 10. ibid.
Infirmitas.
Infirmitas cum Copula carnali non ſe compatitur, num. 16. p. 175
Infirmitatem Conjugum quando probet Parochi fides, n. 17. ibid.
Infirmitatem probat Medicorum fides. n. 19 ibid.
Infirmitas narrata in Coadjutoria, probanda eſt talis, quæ per ſe corpus aggravaret ſine probabili ſpe futuræ proſperitatis, & valetudinis, & quæ præſtaret impedimentum perpetuum licet cum aliquo intervallo quietis, n. 2. p. 184
Infirmitas in Coadjutoria expreſſa, debet plenè, & concludenter probari, n. 3. ibid.
Infirmitas excuſat à reſidentia, n. 4. p. 155
Infirmitas non excuſat appellantem non redeuntem pro Apoſtolis, quia poteſt illos petere per procuratorem, n. 7. ibid.
Infirmitas perpetua eſſe debet, ut quis propter eam ab onere deſerviendi in Choro eximatur. n. 6 p. 195
Infirmitas perpetua cenſetur, quamvis per aliquod temporis intervallum non ſit continua, n. 7 ibid.
Infirmitas an ſit periculoſa, necne, Medici judicio ſtandum eſt. n. 5. p. 158
Infirmitas periculoſa per ſe non eſt ſufficiens ad inducendam ſuſpicionem fraudis in tranſlatione periculi vitæ, niſi aliæ concurrant conjecturæ, n. 9 p. 158
Infirmitas vel abſentia, aut alia ſimilis impoſſibilitas acceſſus ad uxorem, faciunt ceſſare præſumptionem, quod filius ſit Mariti, n. 5. p. 206
Infirmitas redditur veriſimilis concurrente maxima ſenectute, & obitu ſubſequuto, n. 10. p. 163
Infirmitatem probat atteſtatio Medici, num. 2. & 3. ibid & n. 5. p. 184
Infirmitas alicujus bene probatur per Teſtes, n. 22. p. 208
Infirmitas alicujus bene probatur ex facto, ſcilicet ſi ille ex illa infirmitate deceſſerit, n. 24. ibid.
Infirmitas excuſat Canonicum non ſolùm ab onere reſidendi, ſed etiam ei conſervat omnia privilegia præſentium pro lucrandis Diſtributionibus quotidianis, num. 21. pag. 211
Infirmitas adducta pro obtinenda Coadjutoria non eſt neceſſe quod ſit continua, ſed poteſt eſſe cum aliquo intervallo quietis. n. 24. & 26. ibid.
Infirmitas probatur per teſtes de ea informatos ratione diuturnæ conſuetudinis, n. 8. p. 221
Infirmitas probatur per teſtes peritos, n 9. ibid.
Infirmitas bene probatur ex ſucceſſivo obitu brevi tempore poſt narratam infirmitatem ſupervento. n. 10. ibid.
Infirmitas eſt juſta cauſa, ob quam maritus poſſit diſcedere à loco, à quo non ſe diſceſſurum convenit cum uxore, n. 6. p. 238. n. 8. ibid.
Infirmitas narrata in impetratione Gratiæ, ſi non fuit vera, facit gratiam ſubreptitiam, n. 9. p. 230
Vide *Gratia*.
Infirmitatis qualitas probatur per teſtes deponentes de viſu & publico audito, n. 10. ibid.
Infirmitas probatur per teſtes de ſenſu viſus deponentes, n. 11. ibid.
Infirmitas probatur juramento patientis. n. 13. p. 231
Infirmitas probatur ex aſpectu corporis, n. 14. ibid.
Medicis atteſtantibus de qualitate morbi plena fides adhibenda eſt. n. 10. ibid.
Infirmitatis qualitas quæ non fuit narrata, non eſt juſtificanda in impetratione Gratiæ, n. 3. ibid.
Infirmitas narrata cum certa qualitate reddit gratiam ſubrepritiam ſi non probetur talis qualis fuit narrata, num 1. ibid.
Infirmitas bene probatur per teſtes de certa ſcientia deponentes, n. 4 ibid.
Infirmitatis, & Podagræ initium probatur ex teſtibus, n. 15. p. 246
Vide *Arthritis*. Vide *Morbus*.
Infirmus.
Infirmus quando dicatur convaluiſſe, ita ut ſi decedat, non ex prima, ſed ob novam infirmitatem deceſſiſſe dicendum ſit, n. 5. p. 146. n. 11. p. 147
Infirmus eſſe poteſt de ſero, qui de manè erat ſanus, num. 11. p. 174
Infirmus dicitur qui ſæpe ſolet infirmari. n. 4. p. 194
Infirmus non reputatur ſanus ex eo quod faciat aliquos actus ſanis convenientes, n. 32. p. 204
Infirmis non reſidentibus debentur de jure diſtributiones, n. 6. p. 163
Vide *Diſtributiones*.
Vide *Reſidentia*.
Infirmi ut lucrentur diſtributiones non tenentur intimare Capitulo eorum infirmitatem. n. 13. p. 163
Inflammatio.
Inflammationes internæ non ſunt ſolventibus medicamentis tractandæ, niſi aliquid urgeat, n. 9. p. 58
Inhabilitas.
Inhabilitas oriens ex cauſa morbi, ceſſat morbo recedente n. 14. p. 165
Inhabilitas non probatur ex diſpenſatione obtenta pro cautela conſcientiæ, n. 13. ibid.
Inhabilitas à particulari conſtitutione inducta tollitur per diſpenſationem Apoſtolicam. n. 1. p. 230
Injuria.
Injuriam nemini facit qui ſuo jure utitur, n. 2. p. 158
Inſania.
Inſania non probatur, niſi Teſtes dicant ſigna, & geſta, ex quibus deprehendatur. n. 6. p. 176
Inſania ad invalidandam donationem eſt probanda de tempore factæ donationis, n. 8. ibid.
Inſania excluditur ab eo cui non fuit datus Curator, & fecit actus, ut faciunt alii ſanæ mentis. n. 10. ibid.
Vide *Dementia*
Inſtrumentum.
Inſtrumentum cum Judicis decreto habet pro ſe veritatis præſumptionem. n. 3. p. 174
Inſtrumentum publicum facit probationem probatam, n. 1. p. 176
Poſſeſſio probatur per publicum Inſtrumentum adeptæ poſſeſſionis, & probat ad omnes juris effectus, alio non exiſtente in poſſeſſione, n. 5. p. 201
Pro inſtrumento & illius validitate ſtat præſumptio, n. 7. ibid.
Inſtrumentis antiquiſſimis adhibenda eſt fides. n. 15. p. 211
Scriptura privata non attenditur adverſus publicum inſtrumentum, n. 6. p. 234

Rerum Notabilium.

Inſtrumentis ſtandum eſt potius quam teſtibus, numero 13. p.246

Intellectus.

Intellectus proprium eſt definire, n.12 p.26

Intemperies.

Intemperies omnes præſertim inſignes virtutem dejiciunt, n.3 p 10

Intemperies non poteſt introduci in inſtanti, numero 15. p.72

Interdictum.

Interdictum, *Ne quid in loco publico*, habet locum etiamſi quid fiat in privato, quod noceat publico, n.1.p.186

Inveriſimile.

Inveriſimile habet falſitatis imaginem, n.18.p 157

Inveriſimilia deponentibus non eſt credendum, num. 17. ibid.

Vide *Teſtis.*

Inveriſimilitudo deducitur ex diuturnitate temporis, n. 3. p.181

Jocalia.

Jocalia tranſmiſſa per ſponſum ſponſæ animo donandi repeti non poſſunt, etiam ſi ſint pretioſa, n.1.p 241

Jocalia quæ ſponſæ Maritus miſit non animo donandi, reſtituenda ſunt Marito, vel ejus Hæredi, ſi Matrimonium diſſolvatur, n 3.ibid.

Jocalia pretioſa in dubio non cenſentur uxori donata, ſed conceſſa ad uſum, n 4.ibid.

Jocalia pretioſa quæ donata non præſumuntur, reſtituenda ſunt, diſſoluto Matrimonio, n 5 p.242

Jocalia pretioſa nunquam cenſentur uxori donata, ſive ante, ſive poſt conſummatum matrimonium fuerint ei tradita, n 8.ibid.

Jocalia tranſmiſſa ſponſæ, ut ornatior compareat, non dicuntur donata, n.9.ibid.

Jocalia non præſumuntur donata per Maritum uxori per verba blanda, & jocoſa, n.15.ibid.

Jocalia non præſumuntur donata, licet Maritus dicat donare, illaque eſſe uxoris, quia intelligitur de donatione ad uſum, n.16.ibid.

Jocalia pretioſa donata non præſumuntur, neque inter Margaritas, n.17.ibid

Jocalia pretioſa à ſponſo non divite, ejus qualitate attenta non præſumuntur donata, n.18.ibid.

Jocalia pretioſa non præſumuntur donata neque inter Nobiliſſimos, ſi atento eorum gradu ſponſus dives dici non poteſt, n,19.ibid.

Jocalia non pretioſa, & ad quotidianum uſum deſtinata, ſpectant ad uxorem irrevocabiliter, ideoque non veniunt reſtituenda, n.17 p.243

Intellige ut num. ſeq. ibid.

Jocalia non pretioſa reſtituenda veniunt, quando apparet ſponſum non habuiſſe animum donandi, n.18.ibid.

Jocalia non pretioſa in dubio præſumuntur donata à ſponſo, ſed ad uſum conceſſa ſponſæ, n.19.ibid.

Jocalia donata per ſponſum ſponſæ, reſtituenda veniunt, ſi Matrimonium non fuerit conſummatum, n.30.ibid.

Irregularis.

Mutilatio membri totalis facit Irregularem, n.10.p.50

Auris mutilatio facit Irregularem, n.6.p.50

Morbo caduco laborans eſt Irregularis, n.6.p.166

Irregularitas.

Irregularitas inducitur ex membrorum mutilatione, num.1. p.50

Irregularitas non contrahitur propter auriculæ abſciſſionem, n 14.p 51

Irregularitas inhabilitat ad obtinenda beneficia, numero 7. p.166

Irregularitas incurritur propter ætatem, n.14.p 219

Judex.

Judex debet adhibere Medicos qui furorem & dementiam cognoſcant, n.6 p 144

Sufficit quod Judex ex vehementi opinione habeat informationem, ubi probationes claræ haberi non poſſunt; n 8.p.150

Judices in rebus gravibus, & ubi agitur de præjudicio Animæ nullam debent relinquere diligentiam, ut veritas eluceſcat. n 9.p.177

Judex primo loco mandare debet quod uxor à Mulieribus & Maritus à Viris ſperitis inſpiciatur, ſi prætendatur Matrimonii diſſolutio ob impotentiam coëundi, num.1. p.185

Vide *Matrimonium.*

Judex in materia gravi conſideratè procedere debet, in iis maxime quæ ejus arbitrio ſunt remiſſa, n.20.ibid

Judicis recuſatio fieri non poteſt à Procuratore non habente ad ſpeciale mandatum, n.1.p.203

Judicis recuſatio fieri non poteſt poſt litem conteſtatam, niſi probetur nova cauſa recuſationis. n.2.ibid.

Judex ex arbitrio ſuo plurimum deferre poteſt Teſti unico omni exceptione majori, n.5.p.212

Judex arbitrando poteſt moderare, ſeu declarare indiſcretam Teſtatoris voluntatem, n 13.p.216.& ſeq.

Judicis arbitrio deferri ſolet in cognitione ſanæ mentis ejus, qui actum gerit, n 7.p.248

Judicium.

In Judiciis attenduntur ea quæ accidunt ſecundùm Naturæ curſum, non autem ea quæ ratò eveniunt, n.14.p.254

Filiationis quaſi poſſeſſio non ſuffragatur in Judicio deciſorio præſtationis alimentorum, maximè ſi contrariæ urgeant conjecturæ, n 8.ibid.

Declaratur, n.9.ibid.

Juramentum.

Juramentum Conjugum ſufficit pro diſſolvendo Matrimonio, quando impedimentum coitus ſeu impotentia ſunt veriſimilia, n.3.p.177

Juramentum præſtandum à vicinis diſſolutione Matrimonii ob impotentiam Conjugum quomodo ſupplendum ſit in defectum propinquorum, n.4.p.188

Juramentum tollit inſinuationis defectum, n.12.p.190

Jureconſultus.

Jureconſultus non poteſt cogi ad ſumendum patrocinium cauſæ deſperatæ: idemque dicendum in Medico quoad Morbum deſperatum, n 16.p.109

Vide de Medico, n.17.p.110.& n.44.p.112

Jus.

Juri alterius non derogatur quotieſcunque poteſt aliter provideri publicæ utilitatis, n.22.p.187

Jus acquiritur ſtatim Legatario puro, n.20.p.190

In Jure æquiparantur Libertas, & cauſa pia, n.39.p.191

Jus æſtimari debet ſecundùm tempus præſens, n.51.ibid.

Errans in Jure valde dubio, non præſumitur in dolo, n. 95. p.193

Juris diſpoſitio mutatur etiam ex modica facti diverſitate, n.14.p.180

Qui Jure ſuo utitur, nemini facit injuriam.

Vide *Injuria.*

Jus ubi aliquod inducitur ex præſumptione certa, ſeu ex aliquo facto, non eſt ſatisfactum niſi illud factum ſit perfectum, n.37.p.243

Juſpatronatus.

Juſpatronatus Gentilitium probatur ex eo quod filius fuerit admiſſus ad præſentandum una cum Patre, num.3. pag. 206

Juvenis.

Juvenis majoribus viribus dotatur, quam Senex. n 13.p.77

Juvenes ſanos ne vehemens quidem cauſa afficit, num.15. ibid.

Juvenis dictio, in Civitate Bononiæ, accipitur pro viro, ſecundùm communem uſum loquendi, n 15.p.160

Juvenis ſi ſit eligendus ad effectum ſuſceptionis prolis, ille dicitur talis qui eſt in ætate habili ad generandum, n.7. p.215

Juvenis an quis dicendus ſit, relinquitur arbitrio Judicis ſecundùm ſubjectam materiam, n.9.ibid.

Juvenes vocantur in Civitate Bononiæ potius reſpectu ſexus, ad differentiam fœminarum quam reſpectu ætatis, n.10.ibid.

Juvenum vivida ingenia in Urbe, qua ratione proveniant, n.7.p.216

Juvenes vicini ſunt lapſibus, n.39.p.237

Juventus.

Juventus vicina eſt lapſibus, n.39.ibid.

Vide *Juvenis.*

L.

Lac.

Lactis abſentia excludit omnem ſuſpicionem recentis partus, n.9.p.105

Larrea.

Larrea *deciſion. Granatenſ.* 43.n.25 declaratur, n.21.p.229

Lectio.

Lectio continua & iterata plurimos abſumit ſpiritus, & hominem debiliorem reddit, n.1.p 62

Contrarium, n.5.ibid.

Attentio in legendo ſpiritus diſſipat, n.3.ibid

Lectio exercet caput & pectus, eorumque partium calorem excitat, n.4.ibid.

Index.

Lectio clara, sive exercitium per lectionem factum, morbis frigidis convenit, n.9.p.63
Lectionis exercitium ut utile sit, fieri debet cum aliqua attentione, n.9

Legatarius.

Legatarius quantitatis concurritne cum Legatario speciei ad effectum diminutionis, quando Hæreditas non est solvendo, n.16.p.190
Legatario puro statim acquiritur jus, n.10.ibid.
Legatarius præfertur creditori chirographario quando Hæreditas est solvendo, secus si non sit solvendo, n. 24. ibid.
Legatariis præferuntur creditores Hypothecam habentes, n.25.ibid.
Legatarius solum post obitum Testantis plenum jus acquirit in legato, n.17.p.219
Vide *Legatum.*

Legatum.

Legatum factum mulier *si nubat Titio*, non debetur, si mulier Titio nubere recuset, n.17.p.253
Declaratio quod quis sit contentus Legatum facere, non importat legatum, n.10.p.234
A legato ad Beneficium licitum est arguere, num. 18. p.220
Legatum relictum ab Ægroto ad interrogationem alicuius, per verba, *fate vei*, non sustinetur, n.8.p.233
Legatum factum ad interrogationem alterius sustinetur favore piæ Causæ, n.16.ibid.
Quod declaratur, n.19.ibid.
Legatum solo nutu factum sustinetur favore piæ Causæ, n.17.ibid.
Declaratur n.19.ibid.
Legatum collatum in alterius voluntatem sustinetur favore piæ Causæ, n.18.ibid.
Declara ut n.19.ibid.
Legatum ut sit validum opus est quod Testator illud deliberatè faciat, nec sufficit quod illud relinquat in suspenso sub futura interrogantis voluntate, n.11.p.234

Legislator.

Legislatoribus semper fuit præcipuum Pupillis æqualiter providere, sedum ut alantur, sed ut liberalibus Artibus instituantur, n.4.p.216

Legitimatio, Legitimatus.

Legitimatio dicitur actus proportionatus patri erga filios, n.2.p.153
Legitimatus per subsequens matrimonium admittitur ad successionem, ad quam vocati fuerunt concepti ex legitimo matrimonio, n.16.p.229

Legitimitas.

Legitimitatis causa differt à causa filiationis, n.1.p.229
Legitimitatis probatio non resultat ex probatione filiationis n.2.ibid.
Legitimitas requisita à Testatore de tempore conceptionis, non verificatur in eo qui fuit conceptus ante sequutum matrimonium, ita ut ad successionem admitti non debeat, n.12.ibid.
Legitimitatis qualitas expressa per testatorem in certo gradu substitutionis ordinatæ in casu existentiæ filiorum, non censetur reperita in alio, nec trahenda est ad casum non existentiæ filiorum, n.22.ibid.
Declaratur n.23.& 24.p.229. & seq.

Legumen.

Legumina flatuosa sunt, melancholica, & articulis noxia, n.9.p.85
Vide *Articulus.*

Lepra.

Marito lepra detento tenetur uxor reddere conjugale debitum, n.1.p.51
Vide *Conjux.*
Lepra non sufficit ad inducendam Tori separationem, n.3. p.188

Lex.

Leges de Ætatibus locutæ non distinxerunt Iuventutem à Virilitate, n.10.p.107
Lex præsumit semper Filium Puberum Patri supervixisse, ob præsumptionem maioris roboris, n.2.p.76
Leges semper in his rationem habent roboris, vel imbecillitatis morientium, n.5.ibid.
Lex *altius, C. de serv. & Aqua* non procedit in præjudicium loci publici, n.17.p.187
Lex certa, & conditio potest dari in ea re, in qua est permissum id facere, n.5.p.189
Leges contra jus divinum non valent, n.24.p.199
Lex Papia prohibens Matrimonium Sexagenariis, fuit sublata per Claudium mediante Senatusconsulto, num.12. p.209
Lex Papia Popea, *vanissima* fuit à Severo nuncupata, & tanquam talem abolevit, n.23.ibid.
Lex Papia Popea tanquam crudelissima fuit à Iustiniano damnata, & abrogata, n.24.ibid.
Lex *Cæsus, ff. de judic.* procedit in cæcitate superveniente illi qui est Iudex, n.33.p.210
Lex *cum Prætor. ff. de judic.* procedit in cæcitate, quæ venit antequam quis sit factus Iudex, n.34.ibid.
Lex *Seius Saturninus, ff. ad Trebell.* declaratur, num.12. p.252
Lex *Ex hâc, Cod. Quand. dies legat. ced.* explicatur, & 12. ibid.
Lex *cum ita §. videamus, ff. de conditionibus & demonstrationibus*, declaratur, n.44.p.191
Lex *Iulianus. §. finali. ff. ex quibus causis majores, &c.* quando procedit, n.82.p.193
Eadem lex declaratur, n.85.ibid.

Liber.

Liber Chori, & Punctatoris probat deficientiam, & perseverantiam in servitio, n.1.p.184
Libri Baptismi custodia præscripta fuit à Sacro Concilio Tridentino, n.17.p.207
Liber Baptismatis ex communi consuetudine probat ætatem n.4.p.121
Libris continentibus ea quæ ad officium scribentis spectant, credendum est, n.16.ibid.
Libris Mercatorum si ex statuto credatur, intelligi debet quo ad res, quæ ad mercaturam spectant, non quoad alias, n.12.p.218
Partitæ extractæ ex libris Capituli impugnari non possunt ab iis, qui sunt de gremio ipsius Capituli, numero 20. p.211

Libertas.

Libertas, & Causa pia in Iure æquiparantur, n.39.p.191
Libertati præfertur Causa pia, n.40.ibid.
Declara ut n.41.ibid.

Lucrum.

Lucri magni amissio pœnæ æquiparatur, num. 30. & 33. pag. 190
Lucri magni amissio metum justum infert, n.31.& 34. ibid.
Lucri spe ad Matrimonium qui allici potest, num. 2. & 6. p.189.& n.33.p.190
Lucri amissionem ut quis incurrat propter contraventionem debet ei notificari prohibitio, n.74.p.192
Lucrum dotis, quando debetur ex statuto, vel pacto, an debeatur non consummato Matrimonio, n.2.p.209
Lucrum dotale debetur uxori vigore statuti Urbis *lib.* 1. *cap.* 131. si per ipsam non steterit quin Matrimonium consummaretur, n.9.ibid.
Lucrum dotale juxta statutum Urbis *libro* 1. *cap.* 232. ut debeatur, Matrimonium debet esse consummatum, n.1. p.214
Vide *Statutum.*
Lucro dotis locus esse non potest, ubi non adest Matrimonium, n.2.ibid.
Vide *Dos.*

Ludi-Magister.

Ludi-Magistri dum sunt Mercenarij, in eis minor sollicitudo de puerorum cura solet esse, n.3.p.216

M

Maleficium.

Maleficium nunquam dirimit Matrimonium subsequens, nisi Maleficium sit perpetuum, & tale, quod nonnisi Dei miraculo tolli possit, n.9.p.194
Maleficium non præsumitur perpetuum, nisi post triennalem conjugum cohabitationem, n.10.& 12.ibid.
Dispositio *cap. laudabilem, de frigid. & maleficiat.* inducta est ut peragatur pœnitentia, & ea mediante impetretur à Dei misericordia Liberatio à maleficio, num. 13. ibid.
Maleficiati conjuges debent recurrere ad remedia supernaturalia, divina, & Ecclesiastica, n.7.p.216
Si dubitetur an impotentia coëundi in conjugibus proveniat ex Maleficio operâ Dæmonum vel Magorum perpetrato, deveniendum est ad Exorcismos, n.8.ibid.
Exorcismos faciendi praxis remissivè, n.9.ibid.
Maleficium si patiatur Vir, ratione cuius non possit cohabitare cum uxore, debet recurrere ad remedia divina, n.1.p.161
Vide *Cohabitatio.*
Ad quod explicatur *cap. laudabilem, & cap. fin. de frigid. & maleficiat.*

Rerum Notabilium.

Malitia.

Malitia ſupplet ætatem, n.2.p.151

Malitia ſupplens ætatem non eſt admittenda niſi in iis, qui ſunt proximi pubertati, n.3.& 4.ibid.

Malitia tunc dicitur ætatem ſupplere quando in impubere, qui Matrimonium contrahit, concurrit potentia coëundi, & ſcientia ejus quod eſt matrimonii vinculo ligari, n.19. p.170

Impuberibus non danda licentia matrimonium contrahendi, niſi malitia ſuppleat ætatem, numero 15. pagina 169

Malitia ætatem ſupplente, matrimonium cum impubere contractum validum eſt, n 3.p.226

Mandatum.

Mandati revocatio non præſumitur ex cauſis exiſtentibus ante ipſum mandatum, ſed nova requiritur cauſa, num.16. p.146

Mandoſus.

Mandoſus, *in loco hic allegato*, declaratur, numero 15.pag. 245

Manutentio.

Manutentio datur Abbati exiſtenti in quaſi poſſeſſione deputandi Capellanos ad nutum amovibiles in aliqua Eccleſia Abbatiæ ſubjecta, probata generali quaſi poſſeſſione reſpectu aliarum Eccleſiarum eidem ſubjectarum, n.1. p.180

Manutentio datur ubi cauſa eſt univerſalis, licet non probetur exercitium particulare, n.2.ibid.

Manutentionis in judicio inſpicitur ſola facti detentatio, n. 18.p.22

Petitorium quando reſpicit ipſam poſſeſſionem poteſt de eo agi in judicio manutentionis, n.19.

Vide *Poſſeſſio.*

Maritus.

Mariti obligatio ad dotandam uxorem, quam indotatam duxit, valida eſt, licet ſit contra rei naturam, num.13. p.126

Maritus poteſt ſermone maritali ſuadere uxori, ut ipſum hæredem inſtituat, n.13 p.172

Marito aſſerenti carnaliter cognoviſſe uxorem, credendum eſt, quamvis uxor contradicat, n.6.p.155. & n.3. p.154. & n.10.p.162

Maritus poteſt uxorem leviter, & moderatè verberare, præſertim cum cauſa, n.4.p.195

Maritus non poteſt propria authoritate ſe ab uxore ſeparare, n.18.p.198

Maritus poteſt diſcedere à loco, à quo non diſceſſurum ſe convenit cum uxore propter infirmitatem, n.6.p.238.n.7. p.147

Maritus non tenetur propter æris intemperiem obſervare promiſſionem factam uxori de non diſcedendo à certo loco.n.9.p.238

Maritus non tenetur propter inimicitias ſervare promiſſionem de non diſcedendo à certo loco.n.10.ibid.

Maritum excuſat bonorum defectus à pacto de non diſcedendo à certo loco,n.11.ibid.

Maritus propter quas cauſas poteſt recedere à certo loco: non ſtante promiſſione facta uxori de non diſcedendo; remittitur arbitrio judicis,n.12.ibid.

Maritus adminiſtrans bona extradotalia, tenetur omnes fructus percepros reſtituere,n.15.p.146

Maritus poteſt uxorem percutere ad emendationem, n.13. p.247

Mas.

Maris & fœminæ conjunctio per membrorum approximationem, & membri virilis in vas fœmineum intromiſſionem, cur à natura intenta, num.7. & 11. pag.61. & ſeq.

Vide *Semen.*

Vide *Uterus.*

Mares ex calidioti ſemine procreantur,n.7.p 115

Mares citius naſcuntur quàm fœminæ,n.10.p.116

Mas multo citius ortum accelerat quam fœmina, num 3. p.221

Mater.

Mater ut valet, ita & Puer in utero manens,n.6.p.100

Matris vita vivit fœtus, n.7.ibid.

Vide *Fœtus.*

Mater gravida lethali morbo laborans, fœtus, quos geſtat, mortuos parit, aut non vitales,n.9.p.101

Matres ipſaſmet latere ſolet dies conceptionis, numero 12. ibid.

Matris aſſertio quod prolem ex adultero, non autem ex marito ſuſceperit, non attenditur,n.6.& 10.p.165.& 166

Mater quando agitur de dirimendo Matrimonio filiæ, non admittitur in teſtem, quia reputatur ſuſpecta, numero 25. p.236

Materia.

Materia de pariter defunctis tantundem difficilis, quantum nobilis.n.1.p.76

Matrimonium.

Pro diſſolutione Matrimonii ſtante evidentia impedimenti, non eſt neceſſaria Triennii expectatio,n.1.p.103

Matrimonii diſſolutio intentari non poteſt, niſi conſtito, quod impedimentum illud conſummandi non ſit amovibile,n.1.p.113

Declaratur, n. ſeq.& 7. ibid.

Ad valorem Matrimonii, ut conſummatum dici poſſit, requiritur potentia penetrandi vas fœmineum, num.8. p.114

Quandocunque Conjuges aſſequi poſſunt Matrimonii finem, Matrimonium dicitur validum & conſummatum, n.9.ibid.

Penetratio vaſis muliebris quatenus ſit neceſſaria, ut Matrimonium dicatur conſummatum.n.11.ibid.

Matrimonium non dicitur conſummatum per ſolam vaſis penetrationem, ſed per ſeminis effuſionem intra uterum, n.12.ibid.

Matrimonii valor non poteſt pendere à caſu raro, num. 13. ibid.

Matrimonium an diſſolvi poſſit permanente impedimento penetrandi vas fœmineum, ſecuta tamen conceptione per ſeminationem n.16.ibid.

Matrimonii diſſolutio peti poteſt à marito, non remoto impedimento, licet eo cognito, Copulam pluries continuaverit, n.3.p.113

Matrimonii finis eſt filiorum procreatio, numero 10. pag. 114

Ex Matrimonii vinculo uxor tenetur ſequi virum, & cum illo cohabitare,n.4.p.115

Vide *Uxor.*

A Matrimonio non arcentur Muti & ſurdi à nativitate, n.5.p.73

Matrimonii ipſius vim & finem Muti & ſurdi poſſunt tanquam impuberes apprehendere,n.6.ibid.& ſeq.

Vide *Mutus & Surdus.*

Matrimonium ut dicatur validum, non ſolùm requiritur uſus rationis, ſed etiam quod corpus ſit aptum generationi, n.14.p.152

Matrimonium ut valeat, requiritur copulativè potentia ad carnalem copulam, & prudentia rationis diſcernentis vim contractus matrimonii.n.19 p.152

Matrimonium eſſe validum in dubio pronunciandum eſt, n. 20.ibid.

Declaratur,n.21.ibid.

Matrimonium non debet celebrari tempore Quadrageſimæ ſacræ,n.22.ibid.

Minor decem annis Matrimonium contrahere non poteſt,n.1.p.151

Vide *Malitia.*

Vide *Diſcretio.*

Bigamia non contrahitur ex ſolo matrimonio cum Vidua ſed requiritur Copula & conſummatio, n.10.p.175

Matrimonio contracto præſumitur Copula carnalis ex cohabitatione Conjugum.n.12.ibid.

Matrimonio contracto ſtante impedimento infirmitatis, non præſumitur ex cohabitatione Conjugum Copula carnalis, n.15.ibid.

Vide *Copula.*

Matrimonium celebrari debet in Eccleſia ex diſpoſitione ſacri Concilii Tridentini,n.18.ibid.

Matrimonium probatur per duos Teſtes, etiam Mulieres,n.1. p.182

Matrimonium contractum præſumitur ex traductione ſponſæ ad domum ſponſi,n.5.ibid.

Matrimonium probatur ex Copula ſubſequuta poſt ſponſalia,n.8.ibid.

Matrimonium præſumitur ex cohabitatione,n.10.ibid.

Matrimonium non clandeſtinum, ſed in facie Eccleſiæ coram Parocho & Teſtibus contractum probatur per ordinarias probationes,n.12.

Ad probandum Matrimonium, ſola cohabitatio ſufficit ad effectum legitimitatis, niſi conſtet de malo initio; nempe de Concubinatu præcedente, n.26. & vide in addit. Ferentill.n.13.p 183.

Matrimonium primum quando non agitur de dirimendo ſecundo, ſed ad effectum ſucceſſionis, probatur per ordinarias probationes,& etiam per leviores,n.13.ibid.

Index

Matrimonium legitimè celebratur coram Parocho alterius ex conjugibus, n. 17. ibid.

Matrimonium non probatur instrumento dotali, nisi præsumptivè, etiamsi de eo fiat mentio, n. 18. ibid.

Maximè in præjudicium alterius Matrimonii, num. 19. ibid.

Matrimonii dissolutio si prætendatur ob impotentiam coëundi judex primo loco mandare debet quod uxor à mulieribus & maritus à viris petitis inspiciatur, num. 1. p. 185

Matrimonium ut possit dissolvi, quando impotentiæ coëundi signa sunt dubia, necesse est quod constet conjuges simul cohabitasse, & incubuisse operi maritali, num. 3. ibid.

Matrimonium non est dissolvendum ob impedimentum Conjugum medicabile, n. 15. ibid. n. 3. p. 187

Matrimonium non dissolvitur si arctitudinis impedimentum in muliere est medicabile per sciffionem, ibid.

Vide *Arctitudo.*

Matrimonium ut possit dissolvi ob impotentiam coëundi, quid Conjuges jurare debeant? n. 1. p. 1. p. 188

Et quid super hoc jurare debeant eorum propinqui? num. 2. ibid.

Matrimonium dissolvitur, quando impedimentum coëundi inter Conjuges est medicabile, n. 6. ibid.

Vide *Impedimentum.*

Ad Matrimonium contrahendum qui induci non debet metu pœnæ, n. 1. p. 189. & n. 32 p. 190

Vide *Lucrum.*

Matrimonium contrahens dicitur alienare propriam personam, quia non habet amplius sui corporis potestatem, n. 2 p. 155

Arrharum datio sustineatur, ita ut si Matrimonium non sequatur Arræ lucrentur, n. 6. p. 10. & seq.

Declara, ut n 3. p. 191

Matrimonia liberè contrahi debent, n. 42. ibid.

Matrimonium quando dicatur contrahi cum indigno, n. 45. ibid.

Matrimonium contrahere non valet is qui Ordinibus sacris est insignitus, n. 46 ibid.

Matrimonium si contrahat Ordines sacros habens, est excommunicatus ipso jure, n. 47 ibid.

Matrimonium si contrahat Ordines habens, etiam dimissa uxore, administrare non valet Ordines susceptos, n. 48. ibid.

Matrimonium si contrahat Ordines sacros habens, majores Ordines suscipere prohibetur, n. 49. ibid.

Vide *Ordo sacer.*

Ad Matrimonium non solet dispensare S. Pontifex cum eo qui reperitur Sacris Ordinibus insignitus, num. 5. ibid.

Matrimonium contrahere cum Clerico non videtur honestum, nec convenions nobili puellæ, numero 53. & 55. ibid.

Vide *Clericus.*

Matrimonium non benè contrahitur inter illos, qui sunt ætate valdè dispares. n. 59 p. 192

Matrimonium vir quando contrahit debet esse annorum 36. juxta Aristotelem n. 61. ibid.

Matrimonium honestè non contrahitur stante inæqualitate ætatis contrahentium, n 63. ibid.

Matrimonium honestè non contrahitur cum Giboso, & strumis infecto, n. 64. ibid.

Matrimonium contrahi non potest muliere spiritibus immundis obsessa. n. 1. p. 193

Vide *Obsessio.*

Matrimonium contrahere non potest furiosa, vel mente capta, seu alias sensu carens, n. 2. ibid.

Matrimonium contractum, obsessione spirituum supervenicente non dirimitur, n. 3. ibid.

Matrimonium subsequens nunquam dirimitur propter maleficium nisi illud sit perpetuum, & tale, quod non nisi Dei miraculo tolli possit, n. 9. p. 194

Matrimonium non impedit, nec dirimit metus conditionalis. & non absolutus, n. 2 p. 198

Matrimonium impeditur & dirimitur, metu justo & cadente in constantem virum, n 3. ibid.

Matrimonium ut metu dirimatur quinque conditiones copulativè requiruntur, n 5 ibid. & n. seqq.

Matrimonium jam contractum morbi non dirimunt, sive superveniant, sive ante matrimonium contractum adessent, n. 13 ibid.

Matrimonii vinculum jure divino, & naturali est indissolubile, n. 14. ibid.

Matrimonium nonnisi propter impedimenta sanctionibus Ecclesiæ expressa dirimi debet. n. 15. ibid.

Matrimonium dirimi posse justa de causa pro libitu voluntatis, erronea est Græcorum opinio. n. 19. ibid.

Matrimonium non impedit nec dirimit morbus caducus, n. 3. 17 ibid.

Matrimonium jam contractum dirimi propter morbum caducum, est erronea sententia, n. 21. ibid.

Matrimonium dirimitur impedimentis duodecim, num. 16. ibid.

Matrimonium contrahere potest sexagenarius, numero 19. ibid.

Matrimonium etiam possunt contrahere de jure Canonico senes decrepiti, nisi alio impedimento laborent, num. 25. p. 199

In causa dissolutionis Matrimonii summa diligentia adhibenda est, ut omnis fraus & error excludatur, num. 6. p. 161

Matrimonium dissolvitur ob impotentiam viri, numero 1. p. 163

Matrimonium habetur pro consummato ad effectum consequendi lucrum dotale, si per conjugem superstitem non steterit, quominus matrimonium consummaretur, n. 5. p. 208

Matrimonium est à principio nullum propter impotentiam perpetuam, n. 6. ibid.

Matrimonium ubi non adest, ibi nec dos, nec lucrum seu donatio propter nuptias esse possunt. n. 7 ibid.

Matrimonium quando est nullum propter impotentiam viri non debetur lucrum dotale, n. 8. ibid.

Matrimonium ad sui validitatem requirit numerum annorum, pubescentiam corporis, & potentiam coëundi, n. 5. p. 169

Matrimonium quandoque contrahi potest ante pubescentiam per verba de præsenti sed contrahentes debent esse pubertati proximi, n. 6. ibid.

Mulier annorum octo & mensium decem matrimonium validè non contrahit nisi probetur prudens & discreta, n. 1. ibid.

Matrimonium contractum cum puella majore septennio, & viri potente an sustineatur. n. 17. & seq. p. 169. & seq.

Matrimonium contractum cum puella impubere ad hoc ut sit validum, non sufficit quod puella sit viripotens, sed insuper intelligat vim consensus conjugalis, num. 18. ibid.

Vide *Discretio. Malitia.*

Matrimonium est invalidum si contrahatur cum puella ætatis longè distantis à pubertate, n. 32. p. 170

Matrimonium in dubio validum judicari debet, num. 27. ibid.

Declara ut num. 28. ibid.

Matrimonium non subsistit si in altero ex conjugibus adsit, impotentia perpetua. n. 2. p. 214.

Matrimonia duo si fuerint contracta, & adsit dubium circa primum, standum est pro secundo. n. 47. p. 237

Matrimonium contractum cum affine, nullum, & invalidum est, ex dispositione sacri Concilii Tridentini, n 49. ibid.

Matrimonii consummatio præsumitur ex eo quod sponsi simul cubuerint, n. 31. p. 243

Matrimonii non consummati præsumptio oritur ex eo quod pater sponsæ exegerit creditum quod fuerat pro dote sponso assignatum, ipso sponso vivente, n. 44. ibid.

Matrimonii non consummati præsumptio oritur ex præpropera sponsæ migratione è cubiculo, n. 46. ibid.

Matrimonii non consummati præsumptio oritur ex eo quod sponsa alleget sponsi senecturem, n. 47. ibid.

Matrimonii consummationem tunc sponsa tenetur probationibus urgentioribus justificare quando militant præsumptiones in contrarium, n. 50. ibid.

Matrimonii finis est liberorum procreatio, n. 53. ibid.

Matrimonium contrahens habet pro fine non solùm liberorum procreationem, sed omnia quæ veniunt ex natura matrimonii, n. 56. ibid.

Mederi.

Medendi satis est omnia cum ratione facere, n. 6 p. 35

In medendo suam capacitatem prætergredi, culpa non vacat. n. 1. p. 14

Medendi officium est munus publicum, quod quilibet etiam invitus exercere tenetur, n. 1. p. 108

Die ut n 15. p. 109.

Mederi pauperi non tenentur Medicus, si alii adsint Medici qui idem facere possint, n. 24. p. 110

Vide *Medicus.*

Rerum Notabilium.

Medicamentum.

Medicamenta nonnisi à calore actuantur, n 10. p. 140
Medicamenta salubria etiam Veneni nomine donantur, n. 1. pag. 18
Medicamenta sterilitatem inducentia licet aliquando propinare, n. 11. p. 19
Medicamenta interdum suo fine frustrantur. n. 1. p. 13
Medicamenta soporifera, cum valida sunt, hominem infatuant, aut in apoplexiam præcipitant, ut declaratur, n 2. & 14. p. 36. & 37
Medicamenta contra Morbum Gallicum ultra qualitatem occultam, habent suas manifestas qualitates quibus aliis morbis contrariantur, n. 15. p 44
Medicamentorum frequens usus conceptionem impedire solet, n. 3. p. 134.

Medicus.

Medicorum quidam errores, à divina & humana lege sunt punibiles, n 2. p. 58
Eventus mortalitatis Medico non imputandus, ibid.
Medicus tenetur in medendo sequi sententias certas & securas. n 13. ibid.
Medicus recedens à communissima Peritorum opinione absque firmissimis rationibus, errat turpiter, & punibilis est n. 4. ibid.
Medicus ex dolo in medendo delinquens, ægro moriente, videtur homicidii reus, n. 10. ibid.
Medicus artis minister, est. n. 5. p. 10
Medici qui à sanguine detrahendo, ubi opus est, abhorrent, à Medicina faciendâ prohibendi sunt, n 6. & 7. p. 58
Medicus tenetur, mederi ægroto in periculo existenti, aliàs, si moriatur, tenetur de homicidio, n. 2. p. 109
Medicus tenetur lege præcepti etiam invitus mederi, num. 5. ibid.
Die ut n. 36. p. 111
Medicus interficere videtur, qui cum potest ægrum sanare, renuit illi mederi, n. 6 p. 109
Medicus tenetur mederi etiam nolentibus. & invitis, num. 7. ibid.
Amplia etiam ingratis, n. seq. ibid.
Die ut n. 39. p. 111
Medicus gaudet multis privilegiis, ut publicæ salutis curam gerat, n. 9. p. 109
Medicus recipit mercedem pro honorario, n. 11. ibid.
Medicus non potest compelli ad ea, ad quæ per proprium artem non obligatur, n. 12 ibid.
Medicus contra suæ Artis dogmata Medicinam exercens, graviter errat, n. 14. ibid.
Medicus non tenetur desperatis mederi, n. 15. ibid.
Medicus suscipiens curam morbi desperati nemini facit injuriam, n. 17. ibid. & n 44. p. 112
Medicum convocare tenentur in casibus difficilioribus obstetrices, aliàs puniendæ sunt, n 3. p 34
Medicus à publico non conductus, non potest quandocunque cogi ad medendum, n. 21. p. 110
Die ut n 46. & 47. p. 112
Medicus à publico conductus non tenetur ad casus insolitos n. 22. p. 110
Medicus non tenetur existentibus in loco aliis Medicis, infirmi mederi, n 23. ibid.
Medicus non tenetur mederi pauperi, si alii adsint Medici, qui idem facere possint, n. 24. ibid.
Medicus cogi potest quandocunque ad medendum, ubi non sit alius Medicus qui opem ferat, n. 25. ibid.
Medicus pestis tempore etiam non conductus, non existentibus aliis, potest cogi ad medendum, n. 26. ibid.
Contrarium etiam in conducto.
Die ut seq ibid.
Medicus quilibet in Peste sine contagio potest cogi ad medendum, non existentibus aliis, n 31. p. 111
Medicus licet aliquando cogi possit ad medendum Peste infectis. non potest unquam cogi ad cohabitandum in loco infecto, n. 32. ibid.
Medicus tempore Pestis potest servire per substitutum, n. 33. p. 111
Medicus non potest cogi ad medendum absque salario, quod in peste debet esse majus consueto, n 34. ibid.
Medicus quando sit reus mortis ægrotantis, si illi succurrere neglexerit, n 38. ibid.
Medicus non tenetur mederi nolentibus, & invitis, nisi essent dementes. n. 39. ibid.
Medicus quando, & quatenus teneatur mederi ob privilegia, quibus gaudet, n. 40. p. 112
Medicus quando possit licitè curationem suscipere Morborum incurabilium, n. 43. ibid.
Quæ habent locum in Medico Physico, habent etiam locum in aliis, qui veniunt nomine Medici, & in quibuscunque ejus ministris, n. 48. ibid.
Medici non per violentiam & per minas cogi debent ad medendum, sed blandè alliciendi mercede sufficiente oblata, n. 49. ibid.
Ad Medicos exhortatio, n. 50. ibid.
Medicos Iudex adhibere debet qui furorem seu dementiam cognoscant, n. 6. p. 144.
Medici ut probent qualitatem morbi, deponere debent per sensum Corporis, nempè quod viderint infirmum, ita ut morbi qualitatem judicare potuerint, num. 14. p. 171.
Medico deponenti Mulierem ex abortu obiisse credendum est, n. 12. p. 173
Medicis, qui infirmum curarunt, standum est potius quam aliis, n, 14 ibid.
Medicorum fides probat infirmitatem, num. 19. p. 175. & n. 3. p. 164
Medicorum judicium sæpè fallitur, n. 8. p. 177
Medicis attestantibus de re ad eorum peritiam spectante standum est, n. 6. p. 180
Medicis in Arte suâ standum est, n. 2. p. 194
Medici attestatio infirmitatem probat. n. 2. p. 163
Maximè quando alii testes de illa deponunt, n. 3 ibid.
Medici attestatio in materia qualitatis morbi præfertur aliis testibus, n. 9. ibid.
Medicis deponentibus de infirmitate standum est, tanquam peritis in Arte, n. 7. p. 238. & n. 12 p. 230
Medicis attestantibus de qualitate morbi, plena fides adhiberi debet, n. 10. p. 231

Membrana.

Membranæ cum sint partes spermaticæ, non aliunde quàm ex spermate generari possunt, n. 7. & 14 p. 56. & seq.
Membranæ in fœtu ex semine muliebri generantur, n. 16. pag 57

Membrum.

Membri brevitas impedit, quò minùs Vir possit penetrare ad violationem virginitatis, n. 1. p. 49
Signa violationis virginitatis æquivoca sunt, & communia tam violationi factæ per membrum virile, quam factæ alio quocunque modo, n. 2. ibid.
Membri longitudo non potest impedire erectionem, licet impedire possit generationem, n. 6. p. 103
Membrum auris est ad nobilissimam operationem & ad decorem fabricatum, n. 2. & 5. p. 50
Vide *Auris.*
Membrum in coitu quàm penitissimè debet intrudi, aliàs difficilius sequitur conceptio, n. 9. p. 61
Vide *Penis.*
Membri brevitas impedit generationem, n. 1 p. 131
Vide, n. 8. p. 132
Membrorum suorum nemo est dominus, n. 4 p. 135

Memoria.

Memoria lapsa, læditur etiam Ratio: quod declaratur ibid. n. 1. p. 25
Memoria quot modis lædituv, n. 2. ibid.
Memoria lædi potest. non læsa ratione n. 3 ibid.
Memoria & Ratio habent distinctas sedes, n. 6. ibid.
Memoria & Ratio requirunt instrumenta diversimodè temperata, n. 7. ibid.
Absque memoria possumus intelligere, n. 11. p 26
Memoria amissa, etiam amittitur Ratio, si frigida intemperies inundatur, n. 13 ibid.
Actus absurdi ab iis facti qui memoriam amiserunt, non sunt ex Rationis læsione, n. 14 ibid.
Memoria etiam in totum deperdita. Ratio de necessitate non læditur, n. 8 p. 25
Memoriæ imbecillitas non infert defectum intellectus, præsertim in infirmo, n. 22 & 23 p 204

Mens.

Mentis sanitatem in Testatore sufficit adesse tempore testamenti, n. 5. p. 172
Mentis sanitas præsumitur in Testatore cui in infirmitate administrata fuerunt Sacramenta, n. 5. ibid.
Mentis sanitas naturaliter & de jure præsumitur, & contrarium asserenti incumbit onus probandi concludenter, n. 1. & 4. p. 177 & 178
Mentis sanitas præsumitur etiam in sene, n 2. ibid.
Notarii assertio. Testatorem esse sanæ mentis, facit vehementem sanitatis præsumptionem, n 3. ibid.
Mentis sanitas probatur per communem reputationem, per famam, & per testes deponentes de rebus prudenter gestis, n. 15. p. 178

Index

Mentis sanitas arguitur ex frequentia Ecclesiarum, & Missæ auditione, n. 16. ibid.
Mentem sanam arguit frequentia Sacramentorum præsertim in ultima infirmitate, n. 17
Mentis sanitatem arguit prudens dispositio, n. 22. p. 179
Religiosorum attestationi de sana alicuius mente plurimum defertur, n. 20. p. 178
Mens sanus quilibet præsumitur, n. 5. p. 151. n. 4. p. 195. & n. 7. p. 201
Mentis sanæ esse, naturale est. n. 9. p. 203
Mentis sanæ Testatorem fuisse ostendit ipsum Testamentum rite & rectè conditum, n. 13. p. 204
Mens sana arguitur ex ordinata scripturæ compositione; prout è contrà ex inordinata, præsumitur Dementia, n. 14. ibid.
Mens sana Testatoris arguitur ex institutione hæredum ab intestato venientium, n. 15. ibid.
Mens sana arguitur ex Sacramentorum susceptione, num. 16. ibid.
Mentis sanæ præsumptio in Testatore deducitur ex eo, quod ipse Testamentum subscripserit, & Testes interveneriut, n. 18. ibid.
Mentis sanæ viri, licet aliqua faciant de Tempore Testamenti, sanæ menti non convenientia, non tamen insani reputantur, dum suspicio furoris ex aliis causata amoveatur; & plura exempla referuntur, numeris seqq. post n. 25. ibid.
Mente captus quis dicatur, n. 4. p. 167
Mentis sanæ qui ibet esse præsumitur, n. 6. ibid. & num. 17. p. 223
Mentis sanæ præsumptio viget ad sustinendum actum gestum, n. 11. p. 214
Mentis sanæ quemlibet esse, naturale est, n. 18. p. 223
Mentis sanæ nulla datur maior coniectura quam quæ desumitur ex testamentariæ dispositionis qualitate, num. 31. p. 224
Mens transferentis debet esse sana, si possit pensio nutu transferri, n. 7 & 9 p. 45

Menstrua Purgatio.

Menstruæ purgationes, quomodo distinguantur à purgationibus puerperij, n. 1. p. 105
Menstrua, ac puerperia si fluant, ex mœrore & tristitia, vel diminuuntur, vel in totum retinentur, n. 5. p. 179
Menstruæ purgationis diminutio in puerperio morbum excitans, ex quo puerpera decedat, casum pro exceptione facit, n. 6 p. 81
Menstrua retenta quandonam Hydropem excitare consuescant, n. 4 p. 83

Meretrix.

Meretrices in actu Coplæ latebras quærunt, num. 23. p. 237
Ex publica Meretrice nati, dicuntur vulgo concepti, n. 1. p. 254
Meretricis publicæ filij certum Patrem ostendere nequeunt, n. 2 ibid.

Metus.

Metus conditionalis, & non absolutus non impedit, neque dirimit Matrimonium, n. 2 p. 193
Metus justus & cadens in constantem virum dicitur qui continet periculum mortis, vel cruciatum corporis, num. 4. ibid.
Metus ut dirimat Matrimonium quinque conditiones copulativè requirit, n. 5. ibid.
De quibus Conditionibus, n. seqq.
Metus justus & cadens in constantem virum, impedit & dirimit Matrimonium, n. 2. ibid.
Metus justus non dicitur, si malum, quod timetur, non sit grave, n. 6. ibid.
Metus justus non dicitur, nisi timor mali eventûs sit probabilis & rationabilis, n. 7. ibid.
Metus justus non dicitur si incutiens metum minas exequi non valeat, n. 8. ibid.
Metus justus non dicitur quando incutiens metum minas exequi non solent, n. 9. ibid.
Metus justus non dicitur quando is, cui quis minatur, facilè potest malis occurrere, n. 11. ibid.
Metus si fuerit incussus ab adversario testibus aliàs examinaris, præsumitur in eo potentia in futurum, num. 5. p. 102

Minor.

Minor censetur ignorare Testamentum Patris, num. 73. p. 192
Minori, qui omittit adimplere ordinata à Testatore, competit restitutio in integrum, n. 78. ibid.
Minor restituitur in integrum si transgrediatur voluntatem Testatoris in committendo, n. 79 ibid.
Contrarium, n. 80. ibid.
Declaratur, n. 81. ibid.
Minori, qui omisit implere præceptum Testatoris, succurritur absque restitutione, n. 83. p. 193
Minori cuilibet competit restitutio in integrum, etiamsi agatur de commissione, non autem de omissione, num. 94. ibid.
Vide *Restitutio in integrum.*
Minor in his, quæ gerit occasione Matrimonij, habetur pro majore, n. 87. ibid.
Minor quando non dicatur dolosè agere, n. 88. ibid.
Minori dandus est Curator, n. 5 p. 518
Allegans nullitatem contractus gesti per Minorem, ob defectum interventus proximiorum, probare tenetur nedum existentiam proximiorum, sed etiam habilitatem de eo tempore ad intervenicndum contractui, n. 1. p. 174
Contrarium, n. 4. ibid.
Sed reprobatur, n. 5. ibid.

Miraculum.

Miracula omnia transcendunt simpliciter Naturæ potentiam n. 1. p. 6
Miraculorum triplex gradus, n. 2 ibid.
Miracula omnia habent aliquid quod admirationem excitat, n. 3. ibid
Miracula quomodo aliquando etiam ex Naturæ virtute contingere videantur, n. 4 ibid.
Miraculum est opus arduum, n. 7 ibid.
Vide *Sanatio Miraculosa.*
Deus servos suos in peculiari alieuo Miraculorum genere magis quam in alio interdum illustrat, n. 1. p. 9
Satis est ad miraculi evidentiam, ut sanatio urgentioris morbi sit instantanea, licet remaneat alia morbi accidentia, n. 8 p. 10
Miracula aut sunt præter naturam, aut contra naturam, aut supra naturam. n. 6. p. 12
Miraculum non dicitur id quod naturæ vires non excedit n. 2 ibid.
Miracula quædam videntur aliquando ex naturæ vi contingere, & quomodo. n. 1. p. 14
Miraculum clarius elucescit ex consequentibus ipsam sanationem, n. 6. p. 48
Miraculum non possumus imaginari, ubi Natum ex se operatur, n. 15 p 119
Vide *Natura.*

Mola.

Mola, quid. n. 1 p. 55
Mola est falsa quædam conceptio, n. 3. ibid.
Mola quomodo generetur. n. 4. ibid.
Mola an generari possit absque semine virili, n. 5. 10. & 17. p. 56 & 57
Mola conceptus est præter naturam, & ideo non habet statutum tempus gestationis, n. 8. p. 56
Molæ nutriuntur & augescunt per umbilicum, num. 9 ibid.

Monialis.

Indulgentia Pontificum in dimissione Monialium à clausura, non respicit salutem particularem, n. 1. p 95
Contrarium. n. seq. ibid.
Quæ conditiones requirantur in morbo cujus causa Monialis dimitti debeat à Clausura, n 4. p. 95. & 96
Monialis non debet dimitti à Clausura, si morbus non sit contagiosus, n. 7. p. 96

Monstrum.

Monstro nascente membra humana ac belluina habente, datur sufficiens iudicium inquirendi contra reum, num. 3. pag. 31
Mulier non est ab omni suspicione libera quæ tale monstrum edit, unde ad ulteriora procedendum ut veritas habeatur, n. 13. p 32

Morbus.

Morbi prima, vel secunda causa an mortem attulerit, arbitrabitur judex n 11 p 47
Morbi causæ quæ non possunt probari nisi per testes domesticos & familiares, contra illos non sunt admittendæ leves exceptiones, n. 13. ibid.
Morbi causa si præponderet culpæ infirmi, mors superveniens tribuitur primæ causæ, n. 9 ibid.
Morbus quòd sit mortalis, bene probatur ab eventu, n. 2. & 3. pag 46
Morbus nullus potest succedere ex naturali partu, num. 3. p. 238
Vide *Partus.*

Rerum Notabilium.

Morbus ex nulla re naturaliter se habente dependere potest, quia res est præter naturam, n. 4. ibid

Morbi magni ex magnis causis fiunt, n. 6 ibid.

Morbi acuti fiunt ab humoribus calidis, Chronici ab humoribus frigidis, n. 10. p. 39

Morbus interimens ubi sit primò, & per se culpa graviditatis, alia causa non est quærenda, n. 2. p. 98

Morbus extra graviditatem si non sit aptus occidere, & cum graviditate occidat, graviditas sola est culpanda, num. 4. ibid.

Morbus succedens partu existente naturali, ex partu dici non potest n. 1 p. 81

Morborum duo genera in prægnante, vel parturiente consideranda, n. . p. 84

Morbi qui, quantum, ac quomodo naturalem effigiem immutare consueverint, n. 9. p. 9

Morbi à fluxu excitati citò dissolvuntur, n. 5. p. 1

Morbi sanari non possunt nisi eorum causæ tollantur, n. 15. pag. 3

Morbi curati possunt vel coctione, vel resolutione, vel discussione, num. 2 p. 4

Morbi à calidis humoribus procreati, breves; à frigidis verò longi, n. 5. ibid.

Morbum magis incurabilem reddit natura partis affectæ, si cum morbo conveniat, & debilis sit, n. 8. ibid.

Morbi increscentes in senibus, quia n. 10 ibid.

Morbum fieri per decubitum quando dicatur, n. 3 p. 9

Morbi longi non possunt naturaliter nisi paulatim & longo temporis intervallo superari, n. 6. p. 11

Vide *Sanatio*.

Morbos natura superat concoquendo, n. 4. ibid.

Morbo existente crudo nullæ indicationes bonæ naturaliter esse possunt, n. 9 p. 13

Morbi augmentum quando dicatur, n. 11 ibid.

Morbus in augmento dicitur crudus, n. 12. ibid.

Morbus non dicitur sanari qui alterum morbum facit, n. 5. pag. 15

Morbi accidentia debent esse parti affectæ proportionata, n. 5 p. 17

Morbi ex ætris vitio excitati, sunt omnium perniciosissimi, n. 3. p. 28

Morbus levis non est dignus nomine morbi, n. 2. p. 29

Morborum magnorum signa conspicua apparent, num. 5. ibid.

Morbi magni supponunt magnas causas, n. 6. & 8. p. 29

Morbus magnus magnum recessum à naturali statu significat n. 7 ibid.

Morbus magnus æstimatur capitis dolor si fuerit gravior, n. 4. ibid.

Morbos prænuntiant spontaneæ lassitudines, numero 13. pag. 44

Morbi cordis statim atque inceperint, hominem perimunt, n. 5. p. 46

Morbo magno prehensi post alium morbum necessariò pereunt, n. 6. ibid.

Morbi longi sanantur per concoctiones, n. 7 ibid.

Si quis subitò naturaliter à morbo liberetur, aliquam insignem evacuationem habeat necesse est, n. 9. ibid.

Morbo lethali in prægnantia, vel partu succedente dummodo ex prægnantia, vel partu immediatè non dependeat, non fit locus exceptioni. n. 5. p. 83

Morbus ibi firmatur, si quæ pars ante morbum laboraverit, n. 3. p. 47

Morbi status quando dicantur, n. 2. p. 48

Morbi acuti per Lunæ motum, Chronici per motum Solis judicantur, n. 7. p. 53

Quæ conditiones requirantur in morbo cuius causa Monialis dimitti debeat à clausura, num. 4. pag. 95. & num 9 pag. 96

Qui ægris in morbis longis assistunt, non evitant, ob incommoda, quæ patiuntur, advertæ valetudinis insultus, n. 7 p. 95

Morbus si non sit contagiosus non est justa causa dimittendi Monialem à clausura n. 8 p. 96

Morbus ob cuius causam Monialis dimittitur à Clausura, debet probabiliter esse curabilis, n 11. ibid.

Morbus acutus tantumdem damni infert brevi tempore, si occidat, quantum morbus Chronicus, sed lethalis, tempore diuturno, n. 5. p. 100

Morbi incurabiles aliquando sola aëris mutatione curantur, n. 7. p. 69

Morbus est proxima causa mortis, non accidentia morbi, nisi in quantum à morbo dependent, numero 14. pag. 117

Qui morbo aliquo suffocante pereunt, non ante tertiam diem efferendi & curandum 7. p. 127

Morbus in habitu idem est ac connaturalis, n. 1. p. 128

Morbi in habitu non sunt amovibiles, quia veluti naturales affectus sunt, n. 2. ibid.

Naturales dispositiones ad aliquem morbum contrahendum, superari non possunt, n. 3. ibid.

Morbus unus alterius est remedium ut quartana, ex qua Epilepsia quandoque sanatur, n. 7 p. 129

Morbus quandonam redditur habitualis frequentia accessionum, n. 9 ibid.

Morbus non potest dici habitualis durante consensu, nisi jam in parte fixatus sit, n. 10. ibid.

Morbus in habitu solidas partes occupat, n. 12. ibid.

Si ex causa morbi renunciare licet Episcoparui, videndum primò an morbus sit sanabilis, néne, n. 1 p. 130

Periculum incidendi in morbum idem operatur ac ipse morbus, n. 5. ibid.

Morbi seniles vires tempore acquirunt, n 3. p. 132

Morbi magni & diuturni causa sunt cur Homines citius senescunt quam deberent, n. 14 p. 139

Morbus ibi firmatur, ubi pars ante morbum laboraverit, n. 23 p. 140

Morbi dantur, & alia sanitatis incommoda beneficio Diabolicis excitata. n 1. p. 71

Morbi quidam magni habent aliquando fortes, ac repentinos insultus à Natura, n. 2 ibid.

Morbi uteri aliarum principum partium morbis associati, tam admirabilibus symptomatibus comitantur, ut supernaturales existimentur, n 4. ibid.

Morbis uteri plures Mulierum conflictatæ à Dæmone obsessæ existimantur, n. 5. ibid.

Morbos prænuntiant spontaneæ lassitudines, & qua ex causa, n. 6. & ibid seqq.

Morbi qualitas ex accidentibus potissimum dignoscitur, n. 15. p. 171

Morbus contagiosus non sufficit ad Toti separationem, sed solum ad debiti negationem, & quando, numero 15. p. 196

Morbi Matrimonium jam contractum non dirimunt, sive superveniant, sive ante contractum adessent, numero 13. p. 198

Morbi præsumpta continuatio tollitur ex contraria probatione, n. 16. p. 163

Morbi qualitas quomodo & à quibus probetur, num. 8. & 9 ibid.

Morbi gravis signa perspicua esse debent, n. 6 p. 210

Morbi magni, quales sunt acuti, magna solent producere symptomata, n 7. ibid.

Morbus nisi sit gravis, ac sonticus, non impedit humanas actiones, n. 9. ibid. & n. 27 p. 211

Morbus non solum est habitus contra naturam, sed habitus qui corporis usum deteriorem reddit, n. 28. ibid.

Morbi qualitas doloribus maximè ostenditur, n. 15. p. 210

Morbus Caducus.

Morbo caduco vitatur Professio si ita disponant Constitutiones Religionis. n. 3. p. 171

Morbus caducus ut invalidet Professionem, probari debet de tempore sequutæ Professionis n. 7. ibid

Morbus caducus non probatur per testes deponentes vidisse aliquem in terram cadere, n. 8. ibid.

Morbus caducus non probatur ex eo, quod quis soleat cadere in terram, sed bene morbus similis, vel propensio ad illum, n. 11. ibid.

Morbum caducum patientes impossibile est quod frequentissimè, non cadant, n. 19. ibid.

Morbum caducum patientes exacto 21. ætatis anno vehementius angustur n. 20 ibid.

Morbus caducus vix est aliqua arte medicabilis, num. 21. ibid.

Morbus caducus ab antiquis appellabatur Herculeus propter ejus vim, n. 22. ibid.

Morbus caducus non impedit, nec dirimit Matrimonium, n. 17. p. 198

Morbo caduco laborantes juxta ritum Græcorum sunt inhabiles ad contrahendum Matrimonium, n. 20. ibid.

Morbum caducum dirimere Matrimonium jam contractum est erronea sententia, n. 21. ibid.

Morbum caducum allegans in persona alicujus eruetur illum probare. n. 2. p. 161

Morbus caducus si realiter non sit non evadit talis ex eo quod patiens asserat esse talem, n. 12 ibid.

A morbo caduco liberatio probatur per testes de tali liberatione deponentes, num. 15 p. 163

Index

Morbus caducus, Comitialis à Juriſconſultis appellatur. & quare, n.1. & 17. p.166
Morbus caducus ſemper eſt perniciosus, & curatu difficilis, n.2.ibid.
Morbus caducus in ætate provectis vix ulla arte eſt medicabilis.n.3.ibid.
Morbo caduco laborans, inhabilis eſt ad beneficia obtinenda, n.4.ibid.
Vide *Beneficium.*
Morbo caduco laborans eſt irregularis, prohibetur enim promoveri ad Ordines, & promotus ſuſpenditur, num.6. ibid.
Morbus caducus non inhabilitat de jure ad obtinendum beneficium, in quo non requiritur Ordo ſacer, num.8. ibid.
Morbo caduco laborans non eſt ſuo facto irregularis, ſed ex accidenti,n.9.ibid.
Morbi caduci effectus, n.12.ibid.
Morbi caduci exiſtentia probata, ſi quis illius deficientiam alleget, probare tenetur, n.13.p.166.& 167
Morbo caduco affectis Sacramentorum adminiſtratio non eſt committenda. n.18 p.167
Morbus Dæmoniacus.
Morbus tam naturalis, quam Dæmoniacus ab iiſdem cauſis naturalibus dependet, n.11 p.72
Morbi Dæmoniaci licet difficulter cognoſcantur, à multis tamen ſimul junctis ſignis cognoſci poſſunt, num. 12. ibid.
Morborum Dæmoniacorum ſigna communia ſunt morbis quoque naturalibus,n.13.ibid.
In morbis naturalibus adſunt ſigna dependentia à cauſis, quæ inter ſe ſunt compatibiles: in Dæmoniacis contra, n.14 ibid.
Nihil nos magis perducit ad cognitionem morbi Dæmoniaci,quam ipſius morbi mos, n.16.ibid.
Morbus Gallicus.
Morbus Gallicus levis an debeat dare cauſam divortio, n.10.ibid.
Morbus gallicus non dependet à manifeſtis qualitatibus, ſed occultis,n.11. ibid.
Morbus gallicus quandonam gravis dicendus, num. 12. ibid.
Morbus gallicus habet quoſdam gradus majoris, & minoris malignitatis. n.13.ibid.
Morbi gallici ſignum peritum ex dolore capitis abſque febre magis noctu quam diu affligente, fallax eſt, num.1.&.10. p.24.& 43
Morbi gallici varia ſigna conſiderantur,n.2.3 & 4.ibid.
Et rejiciuntur,n.11.& ſeqq.p.44
Morbus gallicus habet quandam peculiarem veneno ſitatem quæ communibus remediis vinci non poteſt, ſed requirit antidota propria,n.8.p.43
Morbi gallici ſymptomata omnia apparent aliquando in perſonis quæ eo morbo non laborant, n.14.p.44
Morbus gallicus latet aliquando ad plures menſes, num.17. ibid.
Morbus gallicus à principio neglectus altas mittit radices, n.19.ibid.
Morbus gallicus facilè inducit ſterilitatem, n.6.p.132
Vide *Sterilitas.*
Morbus gallicus minus gravis eſt, quam lepra, num. 70. p.192
Mores.
Mores ab ætate immutantur, n.10.p.91
Mores pro mutatione temperaturæ ipſius corporis immutari ſolent,n.11.ibid
Mores immutantur ob ætis evidentes, ac inſignes mutationes,n 11.ibid.
Mores mutat vitæ genus maximè à naturali & conſueto alienum,n.13.ibid.
Mores quomodo ab Animi paſſionibus immutentur,num.14. ibid.
Mores contra jus divinum non valent,n.24 p.199
Mors.
Mortis acceleratio ob cauſam prægnantiæ & partus non ſufficit ad excipiendum lucrum pecuniarum, n.1.p.48
Mortis nullus caſus datur in prægnantia, & partus in quo ipſe partus, & prægnantia culpati non poſſint, num 1. ibid.
Vide *Prægnantia Partus.*
Mors eſt privatio reſpirationis, n.16.p.102
Vide *Reſpiratio.*
Poſitus in articulo mortis quando quis dicatur, num.5. p.109
Mortis duo genera in prægnantia & partu evenientia, n.1. p.66
Mortis cauſa primaria & immediata ſemper attendi debet in caſibus exceptis in inſtrumento ſocietatis,n.4.ibid.
Non verò cauſa fovens & mediata mortis,n.6.p.66
Mortis celeritas, facta comparatione inter Peſtem.& vulnus ſimpliciter lethale, commonſtrat mortem ex peſte non ex vulnere ſuccetſiſſe.n.15.p.119
Mors prius probari debet, quam mortui reſurrectio, num.1. p.127
Mortis probatio eſt difficilis, immò impoſſibilis probationis antequam ſigna putrefactionis cadaveris ſe prodant, n.1. ibid.
Mortis ſigna æquivoca ſunt, ita ut etiam viventibus appareant,n.8 ibid.
Morte non probata, probari non poteſt Reſurrectio num. 9. ibid.
Mortem proveniſſe à cauſa diverſa ab ea quæ apparet, probandi onus incumbit allegenti,n.4.p.146
Laborare in extremis dicitur ille qui deinde moritur ex illa infirmitate, nullis ſanis intervallis,n.7 p.147
Mors ſupervenions tribuitur primæ cauſæ, ſi prima infirmitatis cauſa præponderet culpæ infirmi commiſſæ in victu, n 9 ibid.
Mors ſuccedens, Partu exiſtente naturali, ex partu dici non poteſt, n.1. p.81
Quinam mortis caſus in partu excipiantur in inſtrumento ſocietatis,n 1.p.83
Mortis caſus ex morbo evenientes, ad prægnantiam & partum non pertinentes, locum exceptioni non faciunt, n.6 ibid.
Mors illi morbo tribuenda eſt, cui accidentia ſupervenientia ſunt magis cognata,n.8 ibid.
Mors tribuitur vulneri etiam quod poſt vulnus ſuperveniat ſpaſmus, num.6. pag.173. & num. 9. ubi affertur ratio, ibid.
Mortem eveniſſe ex una cauſa minus urgenti, potius quam ex alia urgentiori probandum eſt per allegantem, n. 10. ibid.
Mors tribuitur cauſæ ultimæ urgentiori, per quam ſaltem offuſcatur prima.de qua erat dubium, n 1.p.172
Mors Mulieris potius tribuenda abortui ſubſecuto quam febri ſubſequenti, n.2.p.172 & ſeq.
Mors tribuitur cauſæ poſteriori magis urgenti, per quam efficitur quod non poſſit cognoſci an prima cauſa eſſet ſufficiens ad mortem,n.4.p 173
Mors tribuenda eſt cauſæ primæ,vel ultimæ,non autem mediæ,n.5.ibid.
Mors in dubio attribuitur ultimæ cauſæ,etiamſi prima fuerit mortalis n.4 p 180
Mors attribuitur primæ cauſæ quâdo illa nunquam ceſſavit num 10.ibid.
Mors alicujus bene probatur per teſtes de illa deponentes, n.3.p.157
Mors imminens arguit potius deſiderium ſalutis quam cogitationem fraudis,n.10 p.138
Mors nihil aliud eſt quam ſyncope confirmata, num. 5. pag 34
Mortui.
Mortui apparent Homines, licet adhuc vivant, ex violentia aliquorum morborum, n.4 p.127
Mortuus verè non diſtinguitur ab Homine aliquo morbo ſuffocante detento,n 6.ibid.& n.20.ibid.
Mortuum eſſe hominem nonniſi ex cadaveris putredine pro certo deprehendi poteſt.n.21.ibid.
Mortuus an quis ſit ex prima vel ſecunda morbi cauſa, arbitrarium eſt judici decernere,n 12 p.147
Motus.
Motus ab interioribus ad exteriora,bonus:contra verò, malus, n.9.p.2
Quod declaratur,n 11 ibid.
Motus embrionis quomodo differat à motu ab alia cauſa excitato,n.10.ibid.
Motus in utero eſt magnum conceptionis ſignum, num 9. ibid.
Motus principium eſt ipſa Anima,n.4.p.100
Motus aliqui obſervantur in Cadaveribus, n.14.p.102
Mulier.
Mulieres ex ſimplici retentione menſtrua aliquandò ſe gravidas exiſtimant, cum non ſint,n.6 p.105
Mulieres velatæ abſque violatione panniculi uterum claudentis concipiunt,n.3.p.60
Mulieres velatæ quomodo concipiunt.n.12.p.61
Vide *Uterus.*

Mulieres eodem tempore, quo menstruati solent, solent etiam parere, n.13 p.116
Mulieres admodum pingues non concipiunt, numero 2. p.133
Mulieres frigidos viros habentes non concipiunt, num. 5. p.134
Mulieres nimis crassæ, vel nimis tenues, non concipiunt, n 7. ibid.
Mulieres Antimonio steriles fiunt.
Falsum ibid. n.11. p.135
Vide *Antimonium*.
Mulieres insultus Asthmaticos facilius superant quam viri, n.12. p.139
Mulier quando dicatur decedere ex partu ad evitandum sucrum societatis officii, n 3. & 4. p.433
Mulieres morbis uteri conflictatæ, à Dæmone obsessæ interdum existimantur, n.5. p.71
Vide *Morbus, Uterus*.
Mulieres dæmoniacæ existimatæ naturalibus remediis aliquando perfectè sanatæ sunt, n.10 ibid.
Mulier ex partu decessisse dicitur, si ante partum bene se haberet, & post partum inciderit in infirmitatem, num. 1. p.146
Vide *Partus*.
Mulieres nobiles, & honestæ, etiam infirmæ non admittunt nisi domesticos & consanguineos, n.14. ibid.
Mulieres lactantes utplurimum non menstruantur, num. 7. p.80
Mulier ex partu, aut causa partus obiisse infra quemnam dictum terminum dici possit, n.12. ibid.
Vide *Terminus*.
Mulieres fluxu albo detentæ si concipiant, in partu pereunt, n.3. ibid.
Mulier ex utero laborans & concipiens, si ex abortu, vel in partu decedat, casus exceptioni fit, n.5. p.81
Mulieres magis sanas reddunt partus, n.12. p.82
Mulieres ob menstruorum, & puerperii retentionem, ut plurimum in calidos morbos labuntur, n.3 p.83.
Mulier in abortu decedens, mortua dicitur ex abortu, licet præcesserit febris. n.1. p.172
Mulieris arctitudo quando sit talis ut penetrari non possit, cohabitatio triennalis non est demandanda, quia adest periculum peccati, n.12 p.177
Vide *Cohabitatio*.
Mulieres infirmæ, prægnantes reddi non solent, num. 11. p.180
Mulier inspicienda an sit potens ad coëundum, debebit per duas Obstetrices expertas & non suspectas inspici, num. 5. p.185
Mulier inspicienda an sit apta ad coitum poni debet per tres quadrantes unius horæ in Balneo immediatè ante inspectionem, n.14. ibid.
Mulier quando nubit debet esse ætatis annorum 18. secundum Aristotelem. n.60. p.194
Mulier restituitur adversus solutionem, non autem adversus Matrimonium, n.92. p.193
Mulier immundis spiritibus obsessa Matrimonium contrahere non potest, n.1. p.193
Mulier furiosa vel mente capta, seu aliàs sensu carens, Matrimonium contrahere non potest, n 2. ibid.
Mulierem quinquagenariam gignere mirabile, & de raro contingit. n.12. p 202
Mulier prætendens lucrum dotale vigore statuti Urbis *lib. 1. cap.* 131. tenetur concludenter probare Matrimonium fuisse consummatum, n.3. p.208
Mulier si infrà bimestre reclamaverit de impotentia Viri, non tenetur ulteriorem patientiam præstare, n.5. p.214. Declara ut n. seq. ibid.
Mulieris testimonium in Judicio criminali rejicitur, num. 10. p.136
Mulier annorum octo & mensium decem Matrimonium valide non contrahit nisi probetur prudens & discreta, n.1. p.169
Mulier debet esse in obsequio Viri, n.62. p.244.

Muta.

Muta *decis.* 18. loquitur de Monasterio Monialium, num. 21. p 218

Mutilatio.

Mutilatio membrorum inducit irregularitatem, numero 1. pag. 50
Mutilato membro ad certam operationem destinato, necesse est eam operationem quoque deficere, n.7. ibid.
Mutilatio totalis auriculæ auditionem reddit deteriorem, n.9. ibid.
Mutilatio cujuscunque partis decori officit, n.8. ibid.
Mutilatio totalis membri facit irregularem, non autem mutilatio particulæ ipsius, n.10. ibid.

Muti & Surdi.

Muti & Surdi à nativitate apti utplurimum sunt ad apprehendenda plura, quæ cæteri hominum apprehendunt, licet imperfectius, ac tardius, n.1. p.73
Muti & Surdi à nativitate magis perficiunt in quavis disciplina nutibus per diem unum, quàm Bruta ex auditu per totam vitam, n.2. ibid.
Muti & Surdi à nativitate assequuntur multa, quæ Bruta assequi non possunt, n 3 ibid.
Muti & Surdi à nativitate an puniri in dilectis debeant, necne, n.4. ibid.
Muti & Surdi à nativitate à matrimonio non arcentur, n.5. ibid.
Muti & Surdi possunt tanquam impuberes apprehendere vim, & finem Sacramenti ipsius Matrimonii, n.6. ibid.
Muti & Surdi non magis excusari debent in delictis quam excusari deberent Advenæ, ubi in extera Regione commorantes, neque sermonem intelligentes, delinquerent, n.7. p.74
Muti & Surdi omnes cum Pueris & amentibus pari passu apud Leg. incedunt, n.8. ibid.
Muti & Surdi non majorem intelligentiam habere videntur quam habeant ipsa Bruta, n.9. ibid.
Muti & Surdi à nativitate sunt in pejori conditione, quam cæci à nativitate, n 11. ibid.
Muti & Surdi, ex electione, & ex virtute non operantur, & in eis virtus, & vitium non habent locum, n.12 ibid.
Muti & Surdi differunt inter se majori, aut minori intellectus perfectione, num. 16. & 17. pag. 75. & num. 18. 19. & 20. ibid.
Muti & Surdi quinam puniri possint in delictis & in quibusnam delictis, dummodo omninò levia non sint, n.21. ibid.

N.

Nasci.

NAscuntur contra naturæ legem Gemelli in humana specie, n.1. p.121.
Nasci Gemellos disparis sexus magis contra naturam est, quam ejusdem sexus, n.2. ibid.
Vide *Gemellus*.
Nascuntur per aliquot dies, vel etiam hebdomadas post primum conceptum superfœtati partus, n.1. p 98
Vide *Partus*.
Simul nascuntur simul concepti, num 8. p 99. & num 12. ibid.
Vide *Conceptus*.
Non semper eodem die nascuntur simul concepti, num. 15. ibid.
Nascendi proprietas in septimo est aliquorum fœtuum, non omnium, n.10. p.101
Nasci potest partus, si post dies centum & sexaginta sex nascatur dummodo sit conceptus in plenilunio, vel in interlunio, n.21. p.182

Nativitas.

Nativitas filii probatur per fidem Parochi attestantis se illum baptizasse, n.2. p.156

Natura.

A Natura inest, & est proprietas inseparabilis, facultas generandi sibi simile, n.9. p.98
Vide *Generare*.
Natura imbecillis non potest dici Valetudinarius, num. 3. p.103
Natura coitum instituit ad Generationem ob specierum propagationem, n.7. p.120
Natura & Habitus, una eademque res esse videntur, n.13. p.119
Ubi Natura ex se operatur, non possumus miraculum imaginari, n.15. ibid.
In via Naturæ non fit transitus subitaneus de uno extremo ad aliud, n.17. p.72
Repentinæ, & inseparatæ mutationes, & crises numquam in via Naturæ absque signis concoctionis fiunt, num. 18. ibid.
Ex Naturæ ordine fit, ut Juvenis majoribus viribus doceatur, quam senex, n 13. p.77
A Natura est effigiem cum ætate mutare, numero 5. p.89
Natura repugnante, omnia irrita. n 4. p.10
Naturæ repugnat sanatio instantanea in morbis longis, n.7. p 9
Vide *Sanatio*.

Index

Ars Naturæ miniſtra, n.5.p.10
Natura morbos ſuperat concoquendo,n.4.p.11
Natura operatur per alterationem, & ſic in tempore,num.16. pag.14
Naturæ vires ſuperare aliquem effectum ſecundum quid, quot modis dicatur, n.3.p.12
Natura utitur calore & ſpiritu tanquam inſtrumentis ad ſuas actiones exercendas,n.4.p.13
Naturæ frigidæ & humidæ ad generationem minus habiles; contra calidæ,& humidæ, n.5.p.115

Natta.

Natta *conſ.*609.declaratur,n.17.p.200

Natus.

Natus in domo Mariti, ipſius Mariti filius,præſumitur, n.3. p.181
Natus ſuſceptus præſumendus ex Viro magis ſano, potius quam ex valetudinario,n.2.p.115
Natus, exacto matris utero, ut probetur quod fuerit extractus vivus, quomodo teſtes deponere debeant, num.23. p.158
Natus, exacto matris ventre, ut probetur vivus ad effectum rumpendi teſtamentum, urgentes & concludentes probationes requiruntur,n.24.ibid.
Natus præſumitur conceptus nono vel ſeptimo menſe ante partum, n.7.p.165
Natus ex concubina ad quem alteri non patebat acceſſus, præſumitur filius concubinarij,n.15.p.212
Natus ex muliere domi retenta, ut dicatur eius qui illam retinet, requiritur quod ad ipſam mulierem nulli alteri pateret acceſſus,n.5 p 234

Vide *Filius.*

Neapolis.

Acceſſus ad Urbem è Civitate Neapolis de menſe Auguſti & Septembris eſt adeò periculoſus,ut ferè nullus venientium mortem evadat.n 13. p.225
Accedens ad Urbem è Civitate Neapolis, ſi per viginti dies ſanus permanſerit, & deinde infirmetur, adhuc infirmitas ab ægris mutatione cauſam habet, num.14. ibid.

Nobilitas.

Nobilitas & divitiæ non ſufficiunt pro præſumptione Donationis, niſi actus à Nobili geſtus conveniat Donationi, & agatur de rebus non magni valoris, num.20. p.143

Vide *Donatio.* Vide *Iocalia.*

Nocturnum.

Nocturno tempore geſta expreſsè ſciri non valent, num.7. p.150
Nocturni incendij origo probatur per conjecturas & præſumptiones, n.1.ibid.

Nominare, Nominatio.

Nominandi facultatem habens infra certum tempus poteſt eo durante quandocunque nominare,n.1 p.158
Nominatio periculi vitæ factæ à graviter ægroto, qui facultatem nominandi habebat, non dicitur doloſa & in fraudem.n.4.p.159
Nominare videtur is, qui ad interrogationem alterius annuendo conſenſum præſtat, n.8.p.245
Declara ut n.9. & 10. ibid.

Nonimeſtris, & Decimeſtris.

Decimeſtres integris decem menſibus naſcentes rariſſimi, n.3 p.98

Notarius.

Notarij aſſertio, Teſtatorem eſſe ſanæ mentis, facit vehementem ſanitatis præſumptionem, num.3. pag.177
Notario aſſerenti Teſtatorem ſanæ mentis fuiſſe ſtandum eſt. n.32.p.224
Notarii fides non facit fidem, maximè ſi careat teſtibus, n.1.p.125
Notarius ſi recipiat reſignationem officij nomine Superioris tunc officium definit eſſe ſuper periculo vitæ reſignantis, n.7.ibid.
Declaratur n.8.ibid.

Nutus.

Nutus requirarentur ita certi & indubitati,quatenus Penſio poſſet nutu transferri, ut transferentis intentionem ipſi convincerent, n.4.p.248
Nutus, ut ſuppleant expreſſionem vocis, neceſſe eſt quod proveniant ab eo, qui perfectæ memoriæ,ac ratiocinationis ſanitate fruatur, ita ut ex illis arguere liberum conſenſum, & determinatam voluntatem Iudex poſſit, num.6. ibid.

Vide *Penſio.*

O

Obitus.

OFficus alicujus an evenerit ex una vel alia cauſa, remittitur Iudicis arbitrio,n.1.p.179
Obitum ſecutum fuiſſe ex cauſa, quæ per multum tempus præceſſit, non præſumitur.n.2.p.180
Obitus Beneficiati in poſſeſſione Beneficij, probatur ex confeſſione adverſarij,n.3.p.207
Obitus attribuendus eſt cauſæ indubitabili, non autem incertæ,n.12.p.225

Obligatio.

Obligatio præſtandi alimenta ceſſat, quando non probatur Paternitas,n.6.p.181.& n.13.p.182
Obligatio præſtandi alimenta fundatur in Paternitatis præſumptione,n.24.ibid.
Obligatio ita venit adimplenda, ut implementum non arocetur ab eo cui fuit,adimpletum,n.67.p.244

Obſeſſio.

Obſeſſio ſpirituum ſuperveniens poſt contractum matrimonium,illud non dirimit.n 3.p.193
Obſeſſio ab immundis ſpiritibus probari debet per actus per aliquod tempus continuatos.n.5 ibid.
Obſeſſio à Dæmonibus probata de tempore præſenti non inducit præſumptionem de præterito,n.6.ibid.

Obſtetrix.

Obſtetrices non poſſunt quicquam parturientibus aut prægnantibus per os præbere.n.2.p 54
Obſtetrices in caſibus difficilioribus Medicum convocare tenentur, alias puniendæ,n.3.ibid.
Obſtetrices tres deputandæ veniunt, ſi mulier quæ inſpici debet an ſit apta ad coitum, in magna civitate degat, n.6.p.185
Obſtetrices quot ſint neceſſariæ ad cognoſcendum an mulier ſit apta ad coitum,remittitur judicantis Religioni,num.7. ibid.
Obſtetrices deputandæ ad cognoſcendum an mulier ſit apta, ad coitum, debent eſſe expertæ in opere nuptiali, num.8. ibid.
Obſtetrices deputandæ ad cognoſcendum an mulier ſit apta ad coitum,debent eſſe ex peritioribus, & non ſenes, nec juvenes,n.9 ibid.
Declara ut n.11.ibid.
Obſtetrices deputatæ ad inſpiciendam mulierem an ſit apta ad coitum, referentes medio juramento,de veritate dicenda, risè referre dicuntur,n.12 ibid.
Obſtetrices ſi non ſint habiles ad judicandum an mulieris impotentia ad coitum ſit medicabilis, tunc adhibendi ſunt viri periti,n.18.ibid.
Obſtetrices quando inſpiciunt an impotentia mulieris ad coitum poſſit medelis tolli ſi viri periti non admittantur ad inſpectionem mulieris, debent ſaltem audiri obſtetrices & Iudex ſuper illarum relationibus ſuam proferre ſententiam,n.19 ibid.
Obſtetricum relatio quod mulier ſit virgo, fallax eſt, n.10 p 155
Obſtetrix deponens de iis, quæ ad ſuum officium ſpectant, plenè probat,n.13.p 196
Obſtetricum oculus ſæpè falliur,n.7.p.177

Obſtructio.

Obſtructiones contumaces viſcerum in fœminis conceptionem impediunt,n.1.p.133
Obſtructiones in virginibus marito jungendis non ſemper impediunt conceptionem, immò aliquando per concubitum ſuperantur,n.8.p.134
Obſtructiones partium naturalium, etiamſi rebelles, contumaces ſint, minus vitæ periculum habent, quam Phthiſis, n.11 p.126

Octimeſtris.

Octimeſtris fœtus non eſt vitalis.n.16.p.100
Octimeſtris partus non eſt tam contra naturam, quam partus Gemellorum ſexu diſparium, n.5.p.122

Vide *Fœtus.*
Vide *Partus.*

Oculus.

Oculorum cicatrices viſioni ſummoperè nocent, num.7. pag 64
Oculorum affectus ſunt diuturni,& cur. n.5.p.65
Oculus Matronarum ſæpè fallitur,n.7.p.177

Officium.

Officium vacat per obitum illius ſuper cuius vitæ periculo manebat,n.2.p.225
Officij reſignatio coram Notario, & teſtibus valet quandò in eius erectione id fuit cautum, n.3.ibid.

Superioris

Rerum Notabilium.

Superioris licentia requiritur pro validitate resignationis officiorum, quæ absque illa non sunt in commercio, n.4. ibid.

Officia quando sunt de Regalibus Principis numquam eorum possessio acquiritur in præjudicium Superioris, numero 5. ibid.

Officia quando sunt de Regalibus Principis requiritur in translatione possessionis illorum in resignatarium, juramentum, & litterarum patentium expeditio, numero 6. ibid.

Officii resignationem potest Superior non admittere quando potest dubitari quod illa fiat in fraudem imminentis vacationis, n.11. ibid.

Si Notarius recipiat resignationem Officii nomine Superioris, tunc Officium desinit esse super periculo vitæ resignantis, n.7 ibid.

Vide *Vita. Societat.*

Quod declaratur, n.8. ibid.

Oleum.

Oleum morbilis & variolis est adversum, n.5.p.48

Olus.

Olera omnia pravi sunt nutrimenti, n.8.p.85

Opinio.

Opinio & rumor communis facit præsumptionem, si cum ea concurrat verisimilitudo, n.4.p.150.

Ubi probationes claræ haberi non possunt, sufficit quod Judex ex vehementi opinione, habeat informationem, n.8. ibid.

Opinio illa est sequenda, quæ à Rationibus contrariæ opinionis non convincitur, n.13.p.181.

Ordo sacer.

Ordinibus sacris insignitus Matrimonium contrahere non valet, n.46.p.191

Ordines sacros habens, si contrahat matrimonium, est excommunicatus ipso jure, n.47. ibid.

Ordines sacros habens, si contrahat matrimonium, etiam dimissa uxore, administrare non valet Ordines susceptos, n.48. ibid.

Ordines sacros habens, si contrahat matrimonium, majores Ordines suscipere prohibetur, n.49. ibid.

Ordinibus sacris initiatus non solet dispensari à Papa ut matrimonium contrahat, n.52. ibid.

Vide *Matrimonium.*

Ordo non sacer superveniens sponsalibus, ea non dissolvit, n.54. ibid.

Ordines sacros suscipere non potest is qui apoplexia est detentus, n.9.p.106

Ordo debet esse annexus Canonicatibus ex dispositione Sacri Concilii Tridentini, n.10.p.166

Ordinum Sacrorum administratio interdicta est, cuilibet patienti mentis alienationem, n.16.p.167

Morbo caduco laborans prohibetur promoveri ad Ordines n.6.p.166

Ordine Presbiteratus non potest quis decorari ante annum 25. ex dispositione Sacri Concilii Tridentini, num.18. pag.207

Ordine Presbiteratus insignitus præferri debet in concursu beneficii, n.5. ibid.

Vide *Beneficium.*

Ova.

Ova in pravos humores se convertunt si stomachum jam pravis humoribus refertum offendant, n.2.p.16

P.

Pactum.

PActum de commorando perpetuo apud uxorem non tenet ex aliquorum DD. opinione, n.1.p.115

Ubi adest justa causa prohibens cohabitationem cum uxore, etiamsi Pactum de sua natura teneret, irritum evadit, n.2. ibid.

Pactum quod maritus teneatur cohabitare perpetuo in loco ab uxore destinato, est contra jus divinum, numero 5. ibid.

Pactum prædictum est omninò licitum ex communi Doctorum opinione, n.6. ibid. & n.15.p.126

Pactum inter Conjuges non petendi, nec reddendi debitum est validum, n.14. ibid.

Pactum de non recedendo à certo loco initum inter Conjuges an sustineatur, est quæstio valdè controversa, n.1. pag.238

Pactum prædictum sustineatur secundum aliquos, num.2. ibid.

Pactum præfatum non sustineri defendunt multi Doctores, n.3. ibid.

Pacto non obstante de non discedendo à certo loco, si justa causa superveniat discessus, uxor tenetur sequi virum, n.4. & 5. ibid.

Papa.

Papa non solet dispensare matrimonium cum eo, qui reperitur Sacris Ordinibus insignitus, n.52.p.191

Papa quando ex causa narratorum manus apponit super aliquo beneficio, si narrata non sunt vera, Papa non intendit præjudicare collatoribus, n.7.p.207

Papa de jure potest Coadjutorem dare cum futura successione, n.9.p.219

Vide *Beneficium. Coadjutoria.*

Papa si disponat quod moriente, vel cedente Coadjuto, Canonicatus non possit impetrari, quia vult ut pertineat ad Coadjutorem, qualiter ista dispositio intelligatur, num.37. p.220

Papa derogare potest Juri positivo etiam in præjudicium Tertii, cui fuerit jus quæsitum, n.2.p.230

Papa derogando in concessione gratiæ omnibus & singulis in contrarium facientibus, dicitur sufficienter derogare ad excludendam obreptionem, numero 16. & 17. pag. 231

Vide *Gratia.*

Papa concedendo Coadjutoriam censetur motus à necessitate & utilitate Ecclesiæ, n.22.p.222

Papa non præsumitur voluisse præjudicare collatoribus ordinariis, nec illos prævenire circa collationem beneficii, nec afficere provisionem ex futura vocatione, num.3. p.224

Paralysis.

Paralysis appellatur Morbus increscens, quia cum patientis ætate augescit, n.8.p.511

Paralysis morbus quo magis ætas patientis augetur, altiùs imprimitur, & vires imbecilliores reddit, num.9. & 12. p.331

Paralysis morbus excusat à longo itinere & justificat impotentiam illud faciendi narratam in gratia, numero 7. ibid.

Parisius.

Parisius, in loco hic relato, declaratur, n.15.p.245. & n.10. p.248.

Partus.

Ad Partus actionem requiritur tam matris quam fœtus vegetus calor, n.5.p.13

Partus figuræ aliæ naturales & difficiles, n.10. ibid.

Partus difficiles, in quos morbos mulieres compellant, n.19. pag.14

In Partu difficili sternutare cur bonum, n.18. ibid.

Partus impossibilis est quando fœtus brachium primò emittit foras, nisi intrò reduxerit illud, n.2. ibid.

In Partus actione primarii agentes sunt vires matris & fœtus, n.3.p.15.

Partus & prægnantia non sunt causæ mortis per se, num.5. pag.49

In Partu, & prægnantia, in quo ipse partus & prægnantia culpari non possunt, nullus datur mortis casus, num.2. pag.48.

Partus Sextimestris est abortivus, n.1.p.52.

Partus abortivus lato modo quando dicatur, numero 2. ibid.

Quanto pluribus conditionibus destituitur partus ad partum naturalem requisitis, tanto magis meretur nomen ortus, n.4 ibid.

Partus abortivus stricto modo, n.3. ibid.

Vide *Fœmina, Mas.*

Partus superfœtati nascuntur per aliquot dies vel etiam Hebdomadas post primum conceptum, n.1.p.98.

Partus Undecimestres sunt de raro contingentibus, quæ non adaptantur in jure, n.2. ibid.

Partus superfœtati non adolescunt ex Aristotele, num.11. pag.99

Partus Gemellorum sexu disparium magis contra Naturam est, quam partus Octimestris, n.5.p.112

Partus geminatio in homine periculi plena, n.8. ibid.

Partus ex quibusnam cognoscatur, n.2.p.79

Ex naturali Partu nullus morbus succedere potest, num.3. ibid.

Partu existente naturali succedens morbus, aut mors ex partu dici non potest, n.1.p.81

Partus naturalis quando dicatur, n.1. ibid.

Partus naturalis quinque conditiones, n.3. ibid.

Verba, *Ex Partu*, in instrumento Societatis apposita quid importent, n.4 ibid.

Verba, *Ex causa Partus*, in instrumento Societatis apposita quid importent, n.5.p.182

Index

Partus etiam retentis Puerperiis, quando debeat dici naturalis, n. 7. ibid.
Partus in casibus exceptis, debet esse primaria, immediata, & finalis causa mortis, n. 8. ibid.
Partus reddit ipsas mulieres magis sanas, n. 12. ibid.
Pariendi certum tempus non est homini præstitutum, n. 7. pag. 181
Partus quinque mensium & quinque dierum Solarium, non est naturalis, neque vitalis, n. 8 ibid.
Partus si ante septimum mensem prodeat, non est vitalis, n. 9. ibid.
Contrarium. n. 11. ibid.
Partus quinque mensium est vitalis secundùm aliquos, n. 10. ibid.
Hippocratis opinio, quod partus editus ante septimum mensem non sit vitalis, per Imperatores recepta est, & à Legistis comprobata, n. 12 ibid.
Partus editus septimo mense dicitur perfectus, numero 14. ibid.
Menses septem requisiti ad sustinendum Partum vitalem, an esse debeant Lunares vel Solares, n. 18. p. 182
Partus potest nasci, & vivere, si post dies centum & sexaginta sex nascatur; dummodò sit conceptus in Plenilunio, vel in Interlunio, n. 11. ibid.
Partus editus quinto mense non est vitalis, n. 17 p. 154
Partui mulieri homines interesse non solent, numero 16. p. 157
Declara ut n. 19. ibid.
Partus editus in sexto vel octavo mense non est vitalis, n. 26. p. 158
Alleganti Partum non esse vitalem incumbit onus probandi, n. 27. ibid.
Partus quadrimestris non est vitalis, n. 5. p. 229

Pater.

Pater non potest donare filio in potestate existenti, num. 7. pag. 190
Pater donare potest filio in potestate existenti contemplatione matrimonii, n. 8. p. 190
Parentes iram contra filios conceptam facilè deponere solent, n. 10 ibid.
Pater dotans filiam propriæ obligationi satisfacit, nec præsumitur in eo liberalitas, n. 16. p. 198
Pater dicitur major amicus qui haberi possit in mundo, n. 10. pag. 228
Paterna pietas abscondi non potest, n. 19 ibid.
Pater tenetur filios naturales alere pro exoneratione suæ conscientiæ, n. 24. ibid.
Signa quæ consueverunt Parentes erga filios exercere, quænam sint, n. 11. ibid.
Patris certitudo excluditur si mulier cum pluribus viris habuit commercium, n. 6. p. 140

Pectus.

Pectoris partes & musculi maximè in chordæ tormento anguntur, & distenduntur, n. 3. p. 54.
Vide *Quæstionis Tormentum.*
Pectus & Mammæ in puerperio quomodo se habeant, n. 3. pag. 105

Pecunia.

Pecuniæ non computantur inter res ad usum quotidianum sponsæ comparatas, n. 75 p. 144
Pecuniarum quantitas probatur juramento patris quando constat in genere de traditione pecuniarum, n. 76. ibid.

Penis.

Penis brevitas & longitudo cur conceptionem impediant, n. 10. p. 61

Pensio

Pensio si nutu transferri possit, mens transferentis debet esse sana, n. 7. & 9. p. 45
In transferendo pensiones, non sufficit transferentem habere modicam cognitionem, sed requiritur discursus omninò sanus. n. 7. p. 47
Pensionis translatio difficilius conceditur, quam impositio novæ, n 9. ibid.
Pensionis solutio non potest retardari si adsint litteræ illius reservationis, & consensus Titularis, n. 1. p. 175
Pensionis reservatio non indiget justificatione concurrente consensu Titularis, nisi gratia reservationis sit conditionalis, n. 2. ibid.
Pensionis reservatio dicitur conditionalis stante clausula, *super fructibus ad talem summam, ut asserit, ascen.* num. 3. ibid.
Consensus Titularis præstitus reservationi pensionis, non liberat pensionarium in petitorio à justificatione narratorum, si reservatio est conditionalis, n. 6. ibid.
Declara ut n. 7. ibid.
Pensionem nutu transferre non potest is, qui loqui non valet, n. 2. p. 244
Pensio quatenus posset nutu transferri, ita certi, & indubitati nutus requirerentur, ut ex illis clara intentio transferentis desumeretur. n. 3. ibid.
Pensio transferri per nutus non potest ab eo, qui habet indultum transferendi cum clausula, *per te etiam in articulo mortis nomina.* n. 5. ibid.
Voluntas transferentis pensionem, debet esse certa, & indubitata, n. 16. p. 245
Pensionis translatio facienda est, servata forma præscripta in indulto transferendi, n. 1. p. 248
Pensionis translatio nutibus fieri non potest quando indultum transferendi vult quod transferens nominet translatarium, n. 2. ibid.
Pensionis translatio per nutus facta, tunc minus sustinetur, quando nutus emanarunt ab infirmo in ultimo vitæ spiritu constituto, & maximè morbo gravato, & ab importunis adstantium instantiis, n. 3. ibid.
Pensio quatenus posset nutu transferri, requirerentur nutus ita certi & indubitati, ut claram transferentis intentionem convincerent, n. 4. ibid.
Pensionis translatio per nutus tunc minus censetur valida, si deficiat inconcussa eorum certitudo & perfecta sanitas mentis, ac deliberata voluntas transferentis, numero 5. ibid.

Periti.

Peritis in arte magis credendum, quàm rationibus in contrarium, n. 12. p. 137
Periti non sunt eligendi quando ex probatis clarè resultat veritas facti, n. 15. p. 147
Medico attestanti de non sana mente testatoris infirmi standum est tanquam perito in arte. n. 3. ibid.
Peritorum relatione emanata, quando aliæ relationes sint perquirendæ, n. 6. p. 148
Peritis standum est, n. 5. p. 150. n. 13. p. 175
Peritis standum est, licèt rationes non afferant, numero 6. ibid.
Peritorum judicio standum est, n. 17 p. 171
Peritis illis standum est qui sunt plures in numero, num. 7. pag. 180
Periti dum referunt, satis est quod jurent de eorum credulitate, n. 15. p. 185
Periti viri tunc adhibendi sunt, cùm Mulieris peritia non est habilis ad judicandum an mulieris impotentia ad coitum sit medicabilis, n. 18. ibid.
Periti viri pro judicanda impotentia mulieris ad coitum an possit medelis tolli, si non admittantur ad inspectionem mulieris, debent saltem audire obstetrices, & super illarum relationibus suam proferre sententiam, num. 19. ibid.
Vide *Obstetrix.*
Peritis insignibus in sua professione fides adhibenda venit, n. 18. p. 187
Peritis in arte plena fides præstari debet, n. 15. p. 225

Peritia.

Peritia in Teste perito inservit pro ratione, num. 9. & 11 p. 210
Intellige ut n. 13

Pestis

Pestis per hyemem solet remitti per æstatem verò & autumnum magis sævire, n. 1. p. 40
Pestis signa, n. 2. & 3. ibid.
Pestis signa in cadaveribus ex ea extinctis observata, num. 4. ibid.
Pestis & morbus pestilens differunt, num. 5. & 18. pag. 41. & 42
Et quæ sit illa differentia, n. 9. p. 41
Pestis particularis non differt ab universali, circa quædam n. 16. ibid.
Mors ex peste cur excipiatur in instrumento societatis officii, n. 7 ibid.
Morbus pestilens cur etiam non excipiatur, ut excipitur pestis in eodem societatis instrumento, numero 11. & 12. ibid.
Pestis debet esse contagiosa, ut gaudeat suis privilegiis quoad prædictam exceptionem. n. 14. ibid.
Contagium in peste multum facit periculi certitudinem, n. 15 ibid.
Pestilens febris datur sine peste, n. 10. ibid.
Pestis infectus dicitur positus in articulo mortis. n. 4. p. 109
Pestis est morbus incurabilis & divinitus immissus, num. 15. ibid.

Declara

Rerum Notabilium.

Declara n.44. p.118
Accedens ad locum peste infectum dicitur tentare Deum, n.10.p.110
Pestis tempore Medicus non conductus, non existentibus aliis, potest cogi ad medendum, n.16.ibid.
Pestis tempore, ubi plures Medici in loco existunt, quorum nullus mederi velit unus, aut plures cogi possunt ad medendum prout sors tulerit, n.18 ibid.
Pestis tempore sine contagio potest cogi Medicus quilibet ad medendum non existentibus aliis, n.13.p.111
Pestis tempore Medicus post servite per substitutum, n. 33. ibid.
Vide *Medicus.*
Pestis est magis sufficiens causa mortis, quam quædam Capitis vulnera lethalia, n.17.p.117
Pestis venenum, ut venena externa, sanos Homines adoritur n 10 p.113
Pestis venenum magis juvenes & robustos inficit, quam senes, ac debiles, & valetudinarios, n.11.ibid.
Pestis venenum qua ratione tam inter externa, quam inter interna connumerari possit, n.18 p.114
Pestis venenum cur tam citò putrefactionem avertat, n.19. ibid.

Phreneticus.

Phreneticus à mente alienatus non potest de bonis suis disponere. n.3.p.151
Phreneticus præsumitur perseverare in alienatione mentis, licèt quandoque ad propositum loqui videatur, num.8. ibid.

Phtisis.

In Phthisim labuntur Homines ex sanguinis sputo, num.9. p.116
Ex Phthisi pulmonis ulcera insanabilia consequuntur, n. 10 ibid.
Qui ad Phthisim sunt propensi aër frigidus ac tenuis est contrariissimus. n.7 p.115
Obstructiones partium naturalium, etiamsi rebelles, & contumaces sint, minus vitæ periculum habent, quam habeat Phthisis, n.11.p.116

Pinguedo, Pinguis.

Pingues citius intereunt quam graciles, num.17 p.39 & n.17. p.77

Pisces.

Pisces ratione ætatis senilis sunt maximè noxii, numero 5. p.85
Piscium usus ratione morbi articularis est noxius, & idcirco fugiendus. n.7 ibid.
Pisces malè concoquuntur, & facilè putrescunt, num.10. ibid.

Podagra.

Podagram Venus excitat, n.2.p.106
Podagra laborans, licet non decumbat & appareat sanus, ita tamen domi detinetur, ut non possit moveri; ne defluant humores, n.13.p.174
Vide *Arthritis.*

Pœna.

Pœna verè irrogatur quando aliquid, quod proprium est, absit, vel absuturum sit, num 4. pag.189. & n.13. & 15. p.190
Pœnæ æquiparatur amissio magni lucri; num. 30. & 35. ibid.
Pœnæ metu ad Matrimonium contrahendum nemo inducì debet, n.1 p.189. & n 31.p.190
Præmium quis referre non debet ex actu pœna digno, n. n.69.p.532

Pœnitentia.

Pœnitentia salutaris non imponitur in dissolutione Matrimonii ob impotentiam quæ provenit à naturali impedimento, secus si ex maleficio, n.14. & 15.p.162

Possessio.

Possessio probatur per publicum instrumentum adeptæ possessionis & probat ad omnes juris effectus, alio non existente in possessione, n 5.p.101
Possessio beneficii dicitur tradita capitulariter, si totum Capitulum fuit intimatum ad interveniendum, licet non omnes vocati intervenerint, nam totum jus Capituli remanet in illis, qui interveniunt, n 8.ibid.
Possessio semel probata præsumitur usque ad obitum continuata, & suffragatur successori ad effectum obtinendi immissionem vigore gratiosæ subrogationis, numero 4. p.107
Possessio beneficii semel probata præsumitur usque ad obitum continuata, n.11.p.111
Possessio anterior est manutenibilis, n.16.p.115
Possessio proveniens à causa infecta non est considerabilis n.17.ibid.
Vide *Manutentio.*
Possessio absque scientia & patientia ejus qui possidet alteri, acquiri non potest, n.8.p 134
Possessionem adeptus non videtur is, qui ita nactus est, ut eam retinere possit, n.68.p.144

Possessor.

Possessori sufficit excludere adversarium ex illius non jure, n.19.p.495

Pregnantia, Prægnantes.

Prægnantiæ signa potiora, n.1.p.38
Prægnantia certò cognosci non potest, n.3.ibid.
Prægnantiæ signa etiam ex simplici menstruorum defectu apparere solent, n.5.p.39
Prægnantiæ signum maximum est motus in utero, num.9. ibid.
Prægnantia infallibiliter cognosci non potest in omnibus, n. 11.ibid.
Prægnantes quædam, etiam primis mensibus purgantur, n.6.ibid.
Prægnantes interdum pro non prægnantibus, & è contra, existimantur, n 12.p 40
Prægnantia quamvis sit causa mediata mortis, vel impediat adhiberi remedia, non facit ut pecuniæ in societatem datæ non amittantur, n.13 & 14.ibid.
Prægnantiam in qua signa excludant, n 4.p.39
Mors ex partu & prægnantia & cur excipiatur in instrumento societatis, n.8.p.41
Nullus casus datur mortis in prægnantia & partu, in quo ipse partus & prægnantia culpari non possint, numero 2. p 48
Prægnantia & partus non sunt causæ Mortis per se, num.5. p.49
Necesse est dari in prægnantia, & partu aliquos casus pro lucro, ut contractus societatis sustineatur, num.8. ibid.
Prægnantia nullo tempore certò cognosci potest, universaliter loquendo, n.9.p.53
In instrumento societatis non possunt comprehendi omnes casus mortis in partu aut prægnantia evenientes, n.1.p.64
Prægnantes omnes sanguinem habent deteriorem & non purum, n.11.p.

Præsentatio.

Præsentatio probat observantiam licet non fuerit effectum sortita, n.11.p.206

Præsumptio.

Præsumptio quod filius sit mariti est juris tantum, n.3.p.165 & n.4 p.205
Præsumptio juris, quod filius sit mariti, cessat probata absentia ipsius mariti de tempore conceptionis, num.4. ibid.
Vide *Infirmitas, Senectus.*
Natus præsumitur conceptus nono, vel septimo mense ante partum, n.7.ibid.
Præsumptio sanæ mentis in Testatore dicitur ex eo quod ipse Testamentum subscripserit, & testes intervenerint, n.18.p.204
Præsumptiones & conjecturæ attendi non debent requiritur plena probatio, n.8.p.194
Contra præsumptionem juris naturalis probatio exactissima requiritur, n.21.p.123
Vide *Filius.*
Vide *Natus.*
Præsumptio cedere debet veritati, n.6.p.542
Præsumptionibus & conjecturis Copula carnalis probari potest etiam ad effectum dirimendi matrimonium, n. 4. p.151
Vide *Copula.*
Præsumptio adducta ad effectum incapacitatis, & privationis debet esse concludens, & necessaria, num. 23. p.175
Præsumptio fundata in eo, quod non potest esse, & non esse, non relevat, n.23.p 176
Præsumptio una cedit pluribus, n 25 p.179

Primogenitus, Primogenitura.

Primogenitus ad Sacros Ordines promotus excluditur à successione Primogenituræ habentis annexum onus ducendi uxorem, non secus ac si nunquam fuisset in rerum natura, n.1.p.153
Primogenitura habens onus ducendi uxorem spectat ad secundo genitum, quando primo natus fuit promotus ad Ordines Sacros, n.1.ibid.

Qualitas

Qualitas uni adjecta in aliis censetur repetita quando versamur in Primogenituris, n.5.p.253
Qualitas in Primogenituris attenditur de tempore delatæ successionis, n.12 ibid.

Princeps.

Principis voluntas sivè Authoritas quando adest, excludit omnem doli præsumptionem, n.89.p.193
Princeps ubi est, non potest committi dolus, n.90.ibid.

Principium.

Principium motus est ipsa Anima.n 4 p.100

Probatio, Probare.

Probationis tempus potest arbitrio judicis restringi & ampliari ex rationabili causa,n 10.& 11.p.145
Plura de probatione furoris & dementiæ ad annullandam professionem, n.24. & seqq. p. ibid. & seq.
Probatio probationem non excludit.n.16.p.147
Probatio plena resultat in ambiguis, ex conjecturis, num.1. p.150
Probationes, claræ ubi haberi non possunt, sufficit quod Judex vehementi opinione habeat informationem, n. 8. ibid.
Probatio plena requiritur ad effectum invalidandi professionem, n.16.p.171
Protestatio non probatur per Testes habentes interesse in causa n.23.ibid.
Probationes imperfectæ non junguntur ad faciendam plenam probationem nisi sint in sua specie perfectæ, num.14. p.175
Probationem probatam facit publicum instrumentum, n. 1. p 176
Probatio contra præsumptionem *l. miles, §. defuncto, ff. ad Leg. de Adulter.* negatur,n 4.p.181
Probatio dubia interpretanda venit contra ipsum producentem,n.16.p 187
Probationes Testium invicem conquassari Reo sufficit,n.11. ibid.
Probationes concludentissimæ requiruntur ubi agitur de dirimendo Matrimonio,n.7.p.194
Præsumptiones & conjecturæ attendi non debent, ubi requiritur plena probatio n.8.ibid.
Probationes tempore præfixo non facientes, non potest de judice conqueri,n3.p.196
Probatio melior dari non potest quam propria confessio, n.4.p.201
Probationibus per scripturas magis standum est, quam futuris Testium depositionibus,n.14.p 102
Probatio paritatis, vel imparitatis sanguinis desumi non potest ex cohabitatione in uno, vel in alio loco ejusdem Civitatis, n.15 ibid.
Probatio præsumitur jam facta, si Testes fuerunt alias examinati, quæ melius fieri potuit, ita ut nova facultas probandi præsumatur calumniosè petita, numero 3. ibid.
Probatio filiationis quando non sit sufficiens, numero 2. p.205
Probatio impotentiæ viri quæ sit per inspectionem mulieris, est fallax, nec sufficit ad dissolvendum matrimonium, n 4.p.164.& n.15.p 165
Probatio unius ex duabus Qualitatibus copulativè narratis, non sufficit ad validitatem Gratiæ, quamvis qualitas probata potuisset satis esse ad obtinendam gratiam, n.1. p.210
Probatio contra propriam Confessionem non admittitur, n.8 p.214
Ad probationem alicujus rei interdum singula quæ non possunt,simul unita juvant,n.15.p.227
Declaratur, n.16.p.228
Conjecturæ imperfectæ non conjunguntur, numero 17. ibid.
Probatio perfecta illa dicitur per quam Judex inclinat ad aliquid credendum,n.46.p.237
Probare tenetur quilibet intentionis suæ fundamentum, n 38.p.243
Probationes concludentes requiruntur in causis separationis toti, quæ dicuntur arduæ & graves,n.8 p.247

Procurator.

Procurator mandatum acceptare dicitur per comparationem quam facit in actis nomine mandantis, num. 7. pag.223
Procuratoris revocatio non attenditur, nisi ipsi procuratori & patti collitiganti fuerit intimata,n.8.ibid.
Citatio contra procuratorem revocatum sustinetur, quando revocatio non fuit parti intimata, n.9.ibid.
Vide *Citatio.*

Professio Religiosa.

Ad Professionem emittendam non requiritur perfectus rationis usus.n.1.p 78.& 79
Ad impediendum Professionem intellectus imperfectio debet esse talis ut auferat integrum rationis usum sicut & in contractu Matrimonii,n.2.p.78
In Professione emittenda non magnus, nec omninò perfectus necessarius est discursus,n 3.ibid.
Professio valida dicitur si emanavit in ætate legitima post annum professionis cum solemnitatibus requisitis, num.1. p.171
Professio de jure communi non vitiatur per morbum quantumvis gravissimum,n.2.ibid.
Professio vitiatur propter morbum caducum si ita disponant constitutiones Religionis,n.3. ibid.
Consensus Religionis requiritur in Professione Religiosi, n.5.ibid.
Professionis actus est ultrò citróque obligatorius tam ex parte Religionis,quam Religiosi,n.6.ibid.
Professio ut invalidetur Morbo caduco, probari debet de tempore sequutæ professionis,n.7.ibid.

Proximior.

Proximior quis probatur, quando non comparet qui proximiorem se esse probet.n.14.p.154
Proximior venit eligendus, si inter illos de parentela, ex quorum numero sit facienda electio, plures concurrant habentes qualitates requisitas à testatore, num.1. p.159
Testator vocans simpliciter proximiores de parentela censetur intellexisse de proximiore gravati, numero 5. p 160
Proximior gravati qui sit ejus hæres præfertur in successione feudi,n.15 ibid.
Proximior ultimo defuncto præfertur in renovatione emphyteusis, quæ fit ex æquitate, *l.1 ff de aqu.quotid.& est.* ibid.
Testator mandans eligi unum Doctorem de familia ad successionem,potest eligi Doctor etiam minus proximior relicto proximiori,n.10.ibid
Declaratur, n.11.ibid.
Proximior dicitur qui probat se esse in certo gradu dum alius non comparet qui se proximiorem esse doceat, n.6. p.215

Proximitas.

Proximitas gravati, vel gravantis, an sit attendenda, est quæstio valde controversa inter Doctores nec facilè dignosci potest quænam opinio sit magis communis, n.2. p.159
Proximitas gravati est attendenda secundum opinionem magis communem,n.3.ibid.
Conjecturæ admittuntur ad dignoscendum an sit attendenda proximitas gravati vel gravantis, n 4.p.160
Proximitas Testatoris attenditur in primo instituto tanquam proximiore; eo verò admisso, gravati proximitas attendenda venit, n 7 ibid.

Pubes, Pubertas.

Pubertati proximi illi dicuntur qui ab ea solum distant per sex menses.n.4.p.151
Pubertati proxima dicitur mulier quæ in undecimo, vel circa duodecimum annum.est constituta, secundum aliquos, n.7.p.169
Pubertati proximus dicitur qui ab illa distat solum per sex menses.vel minus,secundum aliquos: & hæc opinio venit amplectenda.n.8. & 11.ibid.
Et tenetur communiter à Doctoribus,n.12
Et approbatur à Rota Rom.n.13.ibid.
Pubertati proximus dicitur qui est circa finem pupillaris ætatis vel ipsam excessit per tres dies secundum Hostien. n.10.ibid.
Pubertatis tempus anticipare potest coëundi potentia, n.16. ibid.
Pubertas in muliere requirit ætatem duodecim annorum, n.2.p.226

Puer, Puella.

Pueri ob nimiam frigiditatem & humiditatem cerebri Epilepsiæ obnoxii sunt, n.1.p.1
Puer valet manens in utero,ut Mater valet,n.6.p.100
Puer non præsumitur aliquid fecisse dolosè contra Præceptum Testatoris,n.91 p.193
Puer natus ex uxore etiam adultera censetur mariti, num.3. p.205
Puella quæ patitur se explorari & tangi à viris ad referendum jus virginitatem,non discreta,sed innocens & imbecillis, ex tali permissione apparet,n.25.p.170

Rerum Notabilium.

Puella impubes non potest contrahere matrimonium, nisi sit viripotens, & discretio suppleat ætatem, num. 1. 17. & seqq. p. 169. & & seqq.

Puella fugit senis amplexum, n 48. p 143

Puerpera.

Puerperæ nisi in partu ritè expurgentur, multis malis conflictantur, n. 1. p. 16

Puerperium.

Puerperii tempus secundum Hippocratem ad quem diem extendatur, n. 6. p. 82

Puerperium vulgò *Capoparto* appellatur, n. 9. p. 180

Pulchritudo.

Pulchritudo non consideratur nisi in magno corpore, n. 3. p. 89

Pupillus.

Pupilli melius & secutius penes matrem educantur, num. 1. p. 216

Utilitas magna ex omnibus partibus movere debet animum judicantis in arbitrando loco, ubi pupillus sit educandus, n. 2 ibid.

Pupillis æqualiter providere semper fuit præcipuum Legislatoribus, nedum ut alantur, sed ut liberalibus artibus instituantur, n. 4 ibid.

Pupillus educandus est ibi, ubi ejus jura validiùs defendi possunt, absque impensa, ac etiam patrimonij diminutione, n. 8. ibid.

Q.

Quadrimestris.

QUadrimestris partus non est vitalis, n. 5. p. 229

Quæstionis tormentum.

Quæstionis tormento exponi non debent, qui thoracc sunt angusto, n. 5. p. 54

Pectoris partes & musculi maximè in chordæ tormento anguntur & distenduntur, n. 3. ibid.

A chordæ tormento immunes esse debent qui cauteria gestant in brachiis, n. 4. ibid.

Qualitas.

Qualitas quando est fundamentum alicujus probari concludenter, & non præsumptivè, n. 2. p. 174

Qualitas in una parte dispositionis adjecta non censetur repetita in alia. n. 16. p. 160

Qualitas uni nominato adjecta non censetur repetita in aliis postea nominatis, n. 17. ibid.

Qualitatis repetitio cessat, ratione evitandi absurdum, n. 18. ibid.

Qualitas morbi non probatur nisi à Peritis, n. 8. & 9. p. 163

Qualitas morbi ex accidentibus potissimum dignoscitur, n. 15. p. 471

Qualitas morbi doloribus maximè ostenditur, num. 15. p. 210

Qualitas narrata Papæ in impetratione gratiæ est plenè justificanda, n 3. p. 121

Qualitas narrata Papæ non est justificanda, si soleat Papa absque dicta qualitate gratiam concedere, numero 14. ibid.

Qualitas animi non potest aliter probari, quam per actus exteriores, n. 9. p. 213

Qualitas ubi ad certum effectum requiritur, non est curandum de modo illam adimplendi, dummodo habeatur, n. 8. p. 215

Qualitas adjecta uni verbo, illud qualificat, & actum in diversa specie reponit, n. 9 p. 217

Qualitas requisita à Testatore certo tempore, debet in eo verificari, n. 4 p. 229

Qualitas legitimitatis expressa in certo gradu substitutionis, an censeatur repetita in aliis, num. 22. 23. & 24. p. 229. & seq.

Dictio, *ut suprà*, repetit qualitates antea requisitas, n. 25. p. 230

Qualitatem non habens eo modo quo testator requisivit, non excludit substitutum, n. 15. p. 229

Infirmitatis qualitas probatur per testes deponentes de visu & publico auditu, n. 10. ibid.

Vide *Infirmitas.*

Qualitas infirmitatis narrata in impetratione gratiæ est justificanda, n. 1. 3. & seqq. p. 231

Qualitas uni adjecta in aliis censetur repetita quando versamur in Primogenituris, n. 5. p. 155

Qualitas primo adjecta regulariter in omnibus repetita censetur. n. 7. ibid.

Qualitas primò adjecta tunc maximè in omnibus repetita censetur quando eadem concurrit ratio, n 8. ibid.

Qualitas in Primogenitatis attenditur de tempore delatæ successionis, n. 12. ibid.

Quinquemestris.

Quinquemestris partus non vitalis. n. 17. p. 154

Quinquemestris partus, secundum aliquos est vitalis, n. 10. p. 181

Quinquemestris partus & quinque dierum solarium, non est naturalis nec vitalis, n. 8. ibid.

Vide *Partus.*

R.

Ratio.

RAtio & Memoria habent distinctas sedes, numero 6. p. 25

Ratio & memoria requirunt instrumenta diversimodè temperata, n. 7. ibid.

Ratio de necessitate non læditur, etiamsi memoria in totum deperdita sit, n. 8. ibid.

Ratio cum memoria amittitur, si frigida intemperies nimium intendatur, n. 13. p. 26

Ratione illæsa permanente, imaginatio lædi potest, n. 5.

Vide *Imaginatio.*

Ratio plus læditur in soporosis affectibus, quàm in phrenitide, n. 6. p. 45

Rationis usus perfectus non requiritur ad professionem emittendam. n. 1 p. 78. & n 9. p. 79

Vide *Professio Religiosa.*

Rationis usum actus non excludentes, & intellectus seu mentis exilium non inducentes testamenti factionem non tollunt, n 11. p 178

Rationis usus ac judicii non excluditur actu impatientiæ ex morbi sævitia causati, n. 13. p. 197

Recidiva.

Recidiva brevi tempore superveniens, præsumitur ex prima causa, n. 6. p. 147

Redhibitoria actio.

Redhibitoria utilis datur etiam in libris, quando propter vitium latens expedit eos non habere, vel multum impeditur eorum usus, n. 1. p. 158

Vide *Vitium.*

Redhibitoria datur in totum quando libri sunt venditi unico pretio, & unus sine alio maner imperfectus, num. 6. pag. 159

Redhibitoria non datur emptori scienti vitium, num. 7. ibid.

Redhibitoria cessat quando vitium supervenit, n. 8. ibid.

Tempus sex mensium Redhibitoriæ præfinitum, currit à die scientiæ. n. 9. ibid.

Redhibitoria non habet locum quando vitium est modicum, n. 10. ibid.

Regula.

Regula non coarctatur si afferantur aliqui casus exempli gratia, n. 69. p. 192

Regula Camillatiæ de non judicando juxta formam supplicationes, quando cessat, n 28. p. 222

Et qualiter sit intelligenda, n 30. ibid.

Relatio.

Relatio fit ad proxima, non autem ad remota, num. 11. p. 153

Reminisci.

Reminisci & Recordari quid sint, n. 10. p. 26

Reminisci & Recordari non est simpliciter idem, num. 9. ibid.

Remissoria.

Remissoria non conceditur sine fumo, quando materia est objectiva, n. 2. p. 102

Remissoria non datur si illa tendat ad detegendam falsitatem cujus fumus non datur, n. 6. ibid.

Remissoria non conceditur, si insurgat præsumptio, quod articuli sint potius imaginarii quam veri, & quando dicta præsumtio oriatur, n 9 ibid.

Remissoria non datur ad probandam rem inverisimilem, & quasi impossibilem, n. 13 ibid.

Remissoria ad probandum contrarium ejus quod quis fuit confessus, non conceditur, n. 9. p. 214

Renunciare, Renunciatio.

Renunciatio est res gravis, nec de facili admittenda, num. 3. p. 130

Si ex causa morbi renunciare licet Episcopatui, videndum primò an morbus sit sanabilis, necne, numero 1. ibid.

Renunciare Episcopus non potest Episcopatui ex omni infirmitate, sed ex illa, ex qua redditur inhabilis ad exercenda munera Episcopatus. n. 4. ibid.

Renunciari potest Episcopatui ob aëris intemperiem, n. 5. ibid. & 14. p. 131

Vide *Aer.*

Index

Renunciatio Episcopatus si fieri potest ob cæcitatem, poterit etiam fieri propter periculum ejusdem cæcitatis, n.7. p.230

V de *Cæcitas.*

Renunciare potest quilibet favori suo, n.13.p.215

Renunciari non potest juri habenti aliquam mixturam cum jure & voluntate Testatoris. n.14.ibid.

Res judicata.

Res judicata resultans ex non prosequutione appellationis, exequenda venit non secus ac si appellatio non fuisset interposita, n.5.p.223

Stante re judicata, merita causæ non sunt amplius discutienda, n.16.ibid.

Residentia, Residere.

Necessitas corporis ut excuset à Residentia, debet esse rationabilis, & talis quòd per alias personas non possit tractari n.5.p.155

Causa justa non excusat à Residentia nisi etiam concurrat licentia Superioris, n.8.ibid.

Fructus non Residenti non debentur, n.1.ibid.

A Residentia non excusatur absens ob negotium quod per procuratorem gerere poterat, n.6.ibid.

Lis quando sit legitima causa absentiæ, seu non residentiæ in beneficio, n.9.ibid.

Vide *Distributiones quotidianæ.*

A Residentia excusant infirmitas, seu corporis necessitas vel evidens Ecclesiæ utilitas, n.4.ibid.

Vertigo, & stomachi debilitas quando excusent à Residentia, n.1.p.163

Residere, & interesse, differunt, n.5.p.164

Decretum directum ad Residentiam, non est trahendum ad interessentiam, n.6.ibid.

Capitula Ecclesiarum non possunt condere statuta super Residentia n.10.ibid.

Senio confecti, etsi non resideant, non admittunt distributiones, n.7.ibid.

Resignare, Resignatio.

Resignatio Officii coram Notario & Testibus valet quando in ejus erectione id fuit cautum, n.3.p.225

Resignatio Officiorum potest non admitti à Superiore, quando potest dubitari, quod illa fiat in fraudem imminentis vacationis, n.11.ibid.

Vide *Officium.*

Respiratio.

Respirationis privatio est ipsa mors, n.16.p.102

Respirationis & pulsus, est una eademque necessitas, num.17. ibid.

Sine respiratione Homo vivere non potest ne per momentum quidem, n.14.p.127

Potest quis sine apparente respiratione, vivere, nunquam autem sine transpiratione, quæ non apparet, num.17. ibid.

Respiratio quarum partium officio fiat, n.18.ibid.

Quomodo fiat, ut sine apparente respiratione homo per aliquod tempus vivat, n.19.ibid.

In Respiratione magis læduntur Viri, quàm mulieres, n.11. p.139

Restituere in integrum.

Restituitur quis ex causa, ut Conditio habeatur pro impleta, n.84.p.193

Non restituitur Minor in integrum si transgrediatur voluntatem Testatoris in committendo, n.79.p.192

Restituitur mulier adversus solutionem, non autem adversus Matrimonium, n.92.p.193

Restitutio in integrum.

Restitutio in integrum competit minori, qui omittit adimplere ordinata à Testatore, n.78.p.192

Absque Restitutione in integrum succurritur minori, qui omisit implere præceptum Testatoris, n.83.p.193

Restitutio in integrum quæ conceditur Minoribus, est favorabilior illa, quæ conceditur absentibus, num.86. ibid.

Restitutio in integrum Minori cuilibet competit, etiamsi agatur de commissione, non autem est de omissione. n.94. ibid.

Restitutio in integrum peti & terminari debet in quadriennium à tempore quo lapsus fuit annus, vel biennium, n.4, p.223

Resurrectio, Resurgere.

Resurrexisse mortuum qui vult probare, tenetur ante probare illius mortem. n.1.p.127

Resurrectio probari non potest, morte non probata, n.9.ibid.

Resurrectio mortuis tantum hominibus competit, num.10. ibid.

Resurrectionis non sunt capacia Bruta mortua, num.11. ibid.

Retentio.

Retentio non competit quando creditum non est omnino certum, clarum, & liquidum, n.18.p.234

Retrotractio.

Retrotractio non habet locum quando res devenit ad statum à quo non potest, n.25 p.220.

Retrotractio in actu conditionali retrotrahi non potest in præjudicium ejus qui medio tempore fuit jus quæsitum, n.26.ibid.

Reus.

Reus in suis exceptionibus fungi debet partibus actoris, n. 39.p.143

Reo sufficit testium probationes invicem conquassari, n.11. p.187

Reo sufficit excludere adversarium per non jus ipsius, n.19. p.495

Robur.

Robur senectuti adjungi non potest, n.12.p.77

Ob vitium robur aliquando Homines in morbis diutius vivunt, quàm deberent & è contra, n.4.p.76

Ratione majoris, vel minoris vigoris unus eidem causæ magis, aut minus resistere potest, quam alius, num.11. p.77

Robur nullum habent senes, n.5.p.138

Vis ubi major est, celeritatem etiam operationis esse oportet. n.25.p.140

Robur virium necessarium est ad vitam traducendam, n.13. p.101

Vires in Senibus non præsumuntur, n.21.p.118

Rolandus.

Rolandus *cons.44.lib.4.* declaratur, n.15 p.200

Roma.

Romana Civitas omnibus præcellit litteris, & bonis moribus; in qua Gymnasia & Academiæ, Seminaria, & Ludi-Magistri florent, qui Pueris summa cum diligentia, & amore assistunt, & invigilant, ut Virtutibus illos imbuant & exornent, n.3.p.216

Romanum cœlum, cui debitum est quod aliis præferendum sit circa aëris temperiem, & situs præstantiam, & rerum affluentiam pro salute corporis tuenda, numero 6. ibid.

S

Sævitia.

Sævitiam Viri, uxori alleganti onus probandi incumbit, n.1.p.195

Sævitia Viri ad effectum separationis Tori, quæ causa est gravis & ardua, plenè & concludenter probari debet, n.2. ibid.

Sævitia Viri ad inducendam separationem Tori, magna esse debet. n.3.ibid.

Sævitia in uxorem non inducitur ex unico actu, sed inspicitur an adsit consuetudo & frequentia, n.9.ibid.

Sævitia ad effectum separationis Tori probari debet talis, ut sit apta incutere metum gravem & cadentem in Virum constantem, n.10.p.247

Adeò ut non possit mulieri trepidanti consuli per cautionem. & n.11.ibid.

Sævitiæ unicus actus licet atrox, non est sufficiens pro separatione Tori, n.12.ibid.

Salus.

Saluti alienæ prospicere nullus tenetur periculo propriæ n.18.p.100

Die ut num.41 & 45.p.111

Primum charitatis opus est propriæ salutis curam gerere n.19.p.508

Salus publica privatæ saluti anteponenda, n.37 p.111

Salutis publicæ interesse præponderat cuicunque exceptioni in contrarium, n.42.p.112

Nullus tenetur ob corporis salutem recuperandam remedium admittere asperum & summi cruciatus, num.14. p.137

Sanatio.

Sanationes instantaneæ in morbis longis non fiunt naturaliter; quamvis fiant in acutis, n.1.p.7.

Sanatio instantanea in morbis diuturnis naturæ repugnat, n.7.p.9.

Ad celeres sanationes quæ conditiones requirantur ex parte naturæ, num.6.ibid.

Sanatio miraculosa.

Sanationes quæ ob aliquam crisim præcedentem referri possunt ad opus Naturæ, non judicantur miraculosæ regulariter, n.10.p.2

Rerum Notabilium.

Sanationes miraculosæ debent fieri in instanti & esse perfectæ, n.6.p.6

Sanatio miraculosa sit in instanti, & absque ulla naturæ operatione n 5.ibid.

Sanationes miracalosæ circa morbos difficiles contingunt, n.6.ibid.

Sanationes instantaneæ, ut miraculosæ dicantur, quas conditiones requirant,n 3.p.7

Sanationes instantaneæ in morbis longis, sunt miraculosæ, n.1.ibid.

In Sanationibus miraculosis duo de necessitate concurrere debent,n.1.p.10

Ars & Natura excludi debent in probandis Sanationibus miraculosis,n.12.p 12

Sanatio miraculosa debet esse undequaque perfecta, num.17. pag.14

Sanationes multæ miraculosæ existimantur de quibus jure dubitari potest,n 6 p.13

Quæ conditiones observandæ sint in Sanationibus miraculosis,n.7.ibid.

Sanguis.

Caro nihil aliud est quàm Sanguis concretus,n.2.p.55

Sanguis coagulatur ob fibras,n.15.p.57

Sanguinis missio sic interdum necessaria est.ut ea omissa,aut retardata,ægri aliquando pereant,n.5 p.58

Historia Galeni ad propositum,n.1.p.57

Vide *Medicus.*

Sanguinis fluxus in Puerpera qualis, ac qualis menstruata, n.8.p.105

Sanguis extravenatus in jugulo repertus, non solùm ex strangulatione per vim externam facta, sed etiam ex ea quæ per vim internam fit, adnotari solet,n 5.p.64

Sanguinis promptuarium sunt vena & arteria magna, num.2. pag.67

Sanguinis sputum semper malum, n 3.p 125

Ex sanguinis sputo Homines in Phthisim labuntur, n.10. p.126

Sanguinis effluxio in Muliere quæ abortivit, & febri laborat, non febri, sed abortui tribui debet, numero 11. p.173

Sanguine purus quis præsumitur, dum non probatur contrarium,n.1. & 7.p.201. & 202

Sanguinis impuritas probatur ex sola fama & æstimatione, n.16.p.202

Sanitas.

Sanitatem perfectam non probant, deambulare, exire domo, & actus similes, cum fieri possint etiam ab infirmis pro recuperanda valetudine,n.11.p.163

Sanitas senis non est absoluta sanitas, n.4.p.77

Sanus, Sanitas.

Sanatus quis dicatur, n. 8. p. 87

Sanus quandonam quis dici debeat, n. 9. ibid.

Sarnensis.

Sarnensis, *in loco hic allegato*, declaratur, n.15.p.248 & n.10. p. 248

Sciatica.

Sciatica inter articulares omnes dolores, molestior & contumacior est.n.7.p.8.& n 2.p.9

Ex Sciatica ægrotantes sæpissimè claudi fiunt, num. 8. ibid.

Sciatica Vere exacerbatur, aut de novo prehendit, num. 10. pag. 6

Vide *Podagra.*

Scriptura privata.

Scriptura privata uti de antidata suspecta in concursu publici instrumenti,non est attendenda, n. 6. p. 134

Semen.

Semen humanum cum brutino commixtum, an aliqui generare possit, n.1. & 2.p.40.& seq.

Nihil in principio conceptionis formatur quod ex semine non sit, n. 12. p. 32

Semen maris est principium formationis fœtus, num 6. pag. 56

Declaratur,n.11.ibid.

Semen prope uterum emissum absque penis intromissione, an sufficiat ad conceptionem, n. 1. p. 60

Vide *Uterus.*

Seminis tenuissimi spiritus ne per momentum quidem possunt in aëre externo conservari, n. 6. p. 61

Seminis à mare effusio, & attractio ab utero, non sufficiunt ad hoc ut conceptio sequatur, n. 8. p. 61

Si Seminis effusio prope uterum sufficeret ad conceptionem, supervacanea esset maris & fœminæ conjunctio penis intromissionem in uterum,n.7.& 11.ibid.

Ex parte tantum seminis fieri potest conceptio, num. 13. ibid.

Seminis attractio fit ab ipso utero appetitu sensitivo moto ad ipsum attrahendum,n.15 p 62

Ex qualitate carnium senilium habetur qualitas seminis senilis,n.11.p.61

Semen est sanguis exquisitè coactus,n.12. ibid.

Senex.

Senes ex confirmatis & diuturnis morbis secundùm naturæ ordinem non convalescunt,n.1.p.4

Senes frigidis morbis corripiuntur,n.6.ibid.

Senes conflictantur morbis nervosarum partium, numero 9. ibid.

Morbi increscentes in senibus.qui? n.10.ibid.

Senes ex articulorum morbis non convalescunt, n.3.p.5

In senibus dolores coxendici fiunt maximè diuturni, n. 5. pag.9

Senes sani dicuntur,licèt debiles sint,n.5.p.103

Senes generare possunt quandocunque possunt coire, num.1. p.119

Non est quid rarum & insuetum, sed naturale quod senes etiam in ætate decrepita generare possint, numero 2. ibid.

Vide *Generare.*

Senes multiplici ex causa sunt inepti ad Generationem,num.9. p.120

Ex ipsa rei natura fit,ut senes transacto anno quinto supra sexagesimum, non sint amplius apti ad generandum,n.10. ibid.

Vires in senibus non præsumuntur, n.11.p.121

Senibus est familiaris visus obtusus, n.12.p.131

Vide *Visus.*

Senes nulli robur habent,n.5 p 138

Senis sanitas non est absoluta sanitas,n.14.p 77

Senes minima causa malè accipit,n.15.ibid.

Senibus parum cibi offerri debet,sed optimi succi,ob caloris imbecillitatem.n.12.p 87

Senes etiam decrepiti de Iure Canonico possunt Matrimonium contrahere, nisi alio impedimento laborent, n. 25. p.200

Senex dici non potest qui quinquagesimum annum non excedit,n 24.p.160

Senex an quis dicendus sit,judicis arbitrio relinquitur, n.25. ibid.n.9.p.215

Senex mala valetudine affectus inhabilis reputatur ad generandum,n.6.p.254

Senium, Senectus.

Senium & decrepitas, quæ ætas dicatur,n.3.p.4

In senio dolores coxendici fiunt diuturni,n.5.p.9

Senium cur sit legitima causa obtinendi coadjutorem, n.2. pag.93

Vide *Venus.*

Ex senectutis culpa visus præ omnibus sensibus detrimentum recipit n.10.p.130

Vide *Visus, Visio.*

Senectus retardatur, aut accelleratur pro majori, aut minori virium robore, n. 5. p. 132

Senectus ætati consistentiæ comparata, viribus illi omninò cedit, n. 3. p. 138

Senectuti robur adjungi non potest, n. 12. p. 77

Senectus ipsa est morbus. n. 5. p.163

Senio confectus dicitur Octogenarius,n.4. ibid.

Senio confecti, etsi non resideant, non amittunt distributiones, n.7.ibid.

Senio, vel morbo impeditus lucratur distributiones quotidianas,n.1.ibid.

Vide *Distributiones, Residentia.*

Senectus,vel absentia, aut alia similis impossibilitas accessus ad uxorem, faciunt cessare præsumptionem, quod filius sit mariti, n. 5.p. 205

Sententia.

Sententia non est præcipitanter ferenda in his quæ concernunt periculum animæ, n. 7. p. 155

Sententiæ validitas colligitur ex revolutione actorum, n. 1. p. 196

Sententia præcipitanter lata, est nulla, & invalida, num. 2. ibid.

Sententia tribuit aliqualem præsumptionem boni juris, etiamsi ab ea fuerit appellatum,n.7.p.162

Sententia transit in judicatum si appellans intra triginta dies non redeat pro apostolis,vel causam committi non faciat, n.1.p.213

Vel si infra annum, & ex causa biennium non fuerit appellationem prosequutus, n. 2. ibid.

Index

Sententiæ validitas colligitur ex revolutione actorum, n. 6. ibid.
Sententia lata eadem die qua fuit inhibitio præsentata, præsumitur lata ante executionem inhibitionis, numero 11. ibid.
Sententia injusta executionem non meretur, n. 1. p. 144

Septimestris.

Septimestris pro ratione nascitur, n. 5. p. 52
Quisnam septimestris ab Hippocrate dicatur pro ratione natus, n. 6. ibid.
Septimestres ut plurimum intereunt, & ex multis pauci servantur, n. 10. p. 53
Septimestres omnes in absoluti nascuntur, & nullam firmitudinem habent, n. 11. p. 54
Septimestris fœtus ex communi est vitalis, n. 1. p. 100
Septimestres fiunt à fortitudine virtutis, n. 11. p. 101
Septimestres ob eorum fortitudinem ortum in septimo accelerant. n. 11. p. 121
Septimestres licet utplurimum non vivant, non omnes rejiciuntur tanquam non vitales, n. 11 p. 121

Septuagenarius.

Septuagenarii prolem aliquando suscepere, num. 11. pag. 154

Servitium.

Servitium præstitum fuisse Ecclesiæ à possessessore beneficii habentis servitium annexum præsumitur, numero 11. pag. 121
Vide *Beneficium.*

Sexagenarius.

Sexagenarii viti vegetæ virtutis generare possunt, num. 1. p. 31
Sexagenarii & ætate majores coire, & generare possunt, n. 2. p. 103
Declara, ut n. 7. ibid.
Sexagenarius Matrimonium contrahere non impeditur, n. 19. p. 200
Sexagenarius suscipiendæ prolis spe destitutus non dicitur, n. 10. ibid.
Sexagenarii à contrahendo Matrimonio arcebantur ex rigore Legis Papiæ Popeæ, n. 21. ibid.
Sexagenarius non caret facultate generandi, n. 26. ibid.
Sexagenarium non esse habilem ad generandum de jure præsumitur, n. 3. p. 254

Sextimestris.

Sextimestris dicitur abortivus, n. 1. p. 52
Vide *Partus.*

Signatura.

Supplicationis sola signatura sufficit quando non agitur super canonizatione gratiæ, sed super absolutoria, quam quis petit tanquam possessor, n. 29. p. 222
Vide *Gratia.*

Similitudo.

Similitudo natorum secundum communem opinionem dependet ab imaginatione matris, n. 1. p. 87
Similitudo nati ad præsumptum parentem nihil relevat, & cur, n. 2. ibid.
Experientiæ plures comprobantes similitudinem Natorum esse ab imaginatione: remissivè, n. 3. ibid.
Similitudo duplex est naturalis & accidentalis, n. 4. ibid.
Nunquam determinari potest an similitudo de qua agere contingit sit naturalis, vel accidentalis, n. 5. ibid.
Similitudo est effectus patens, ad suas naturales causas referendus, n. 6. ibid.
Imaginatio, dato quod sit causa similitudinis Natorum, solum accidentalis causa, n. 10. p. 88
Vide *Imaginatio.*
Similitudo non consideratur solum inter Parentes, & filios, sed etiam inter fratres, & inter alias personas, num. 12. ibid.
Causatorum consimilium, causæ debent esse consimiles, n. 13. ibid.
Vide *Causa.*
Similitudo semper probare debet filiationem, num. 15. ibid.
Similitudo ad nullam aliam causam referri potest, quam ad facultatem formatricem residentem in semine progenitorum, n. 16. ibid.
Similitudo non est sufficiens conjectura ad probandam filiationem, n. 9. p. 165. & 166
Similitudo nati indicat filiationem ejus cujus faciem repræsentat, n. 12. p. 212
Vide *Filiatio.*
Garamantes, & superioris Lybiæ populi ex similitudine formæ proprios liberos agnoscunt, n. 12. ibid.
Similitudo natarum non est levis sed urgentissima conjectura ad probandam filiationem, n. 13. ibid.
Similitudo natorum non à simplici imaginatione, sed magis ab insiti temperamenti convenientia regulariter proficiscitur, n. 14. ibid.
Similitudo per se non præbet conjecturam relevantem filiationis, n. 14. p. 227
Similitudo ex imaginatione Mulieris concipientis, causari solet, juxta Juristarum sententiam, n. 7. p. 240
Vide *Assimilatio.*

Societas.

In Societatis instrumento non possunt comprehendi omnes casus mortis in partu aut prægnantia evenientes, n. 1. p. 56
Vide *Pragnantia.*
Vide *Mors.*
Vide *Abortus.*
Societatis Officii lucro locus non est in casu excepto in instrumento, n. 1. p. 433
Contractus societatis officii unde reddatur licitus, num. 9. p. 82
In instrumento societatis quinam mortis casus in partu excipiantur, n. 1. p. 83

Solutio.

Solutio plures in partes divisa, incommodissima est Creditori, n. 22. p. 143

Somnus.

Somni innaturales sunt conjuncti cum febre ut plurimum, n. 8. p. 36
Sumno naturali oppressus non habet rationis usum, & comparatur dementi, aut mortuo, n. 3. p. 45
Vide *Sopor.*

Sopor.

Soporosi affectus omnes conveniunt in sensuum internorum læsione. n. 1. p. 45
Soporosi affectus spoliant hominem rationis & memoriæ usu, n. 2. ibid.
Soporosi affectus apoplexiæ finitimi sunt, & tunc interficiunt cum in apoplexiam terminantur, n. 4. ibid.
In soporosis affectibus Ratio magis læditur quam in phrenitide, n. 6. ibid.

Soror.

Sorores germanas esse quasdam mulieres probatur ex fide Baptismi, in qua filiæ eorundem parentum enunciantur, n. 15. p. 251
Sorores esse probantur mulieres ex eo quod uti tales sese tractaunt, n. 16. ibid.
Sorores esse probantur mulieres ex testibus deponentibus quod ti tales ab earum parentibus fuerunt tractatæ, n. 17. ibid.
Sorores se probantur mulieres ex communi reputatione & tractu, n. 18. ibid.
Sorores Testatoris aliquam esse probatur ex eo quod Testor illam pro tali in Testamento nominaverit, n. 5. pag. 15

Spiritus.

Lectionis exercitium plurimos absumere potest spiritus, n. 1. 62
Vide *Lectio.*

Sponsalia.

Sponsilia dissolvi possunt etiam juramento firmata ob timorei infectionis, n. 6. p. 43
Sponsium dissolutio quid, n. 4. ibid.
Sponsalia non dissolvuntur Ordine non sacro superveniente, n. 4. p. 191
Sponsalia etiam juramento firmata dissolvuntur propter fœditatem notabilem, vel oculorum, aut nasi amissionem aamve gravem turpitudinem supervenientem, num. 67. 191
Sponsalia dissolvuntur propter Paralysim, vel Lepram superenientem. n. 68. ibid.
Sponsalia dissolvuntur propter Epilepsiam, n. 71. ibid.
Sponsalia dissolvuntur si os male oleat, nec arte Medica curari possit, n. 72. ibid.

Sponsalitia largitas.

Sponsalitia largitas facta dicitur ob causam Matrimonii, n. 31 p. 243
Sponsalitiam largitatem ut lucretur uxor, non sufficit præsumptio Consummationis Matrimonii, deducta ex eo quod sponsus domum sponsam adduxerit suam, num. 36. ibid.
Matrimonii conditio, quæ adjecta intelligitur in sponsalitia largitate non dicitur perfectè adimpleta, nisi sequatur Matrimonii consummatio, n. 32. ibid.

Rerum Notabilium.

Sponſus, Sponſa.

Sponſi interdum ex nimis frequentato coitu non generant, n.15 p.135

Sponſi aliquando non generant ob diſconvenientiam naturæ, & ſeminis, n.17.ibid.

Sponſi per verba de futuro poſſunt recedere à Contractu, quando devenit ad notitiam, alterum eorum laborare aliquo gravi morbo, qualis diceretur v.g. Lepra morbus Gallicus, morbus caducus, gravis oris fœtor, deformitas, & ſimilia, n.12 p.198

Sponſa tenetur probationibus urgentioribus Matrimonij conſummationem juſtificare, quando militant præſumptiones in contrarium, n.50.p.143

Vide *Matrimonium.*

Sponſa tenetur ad domum viri accedere, & cum eo habitare de jure naturali, divino, & poſitivo, n.51.ibid.

Spurius, Spuria.

Sputii de jure Civili nihil ex bonis paternis prætendere poſſunt: de jure autem Canonico ſola alimenta, num. 14. p.166

Spuriis non ſuffragatur legitimatio obtenta abſque mandato patris poſt ipſius obitum, pro ſucceſſione, n.15. ibid.

Vide *Succeſſio.*

Spuriæ dotem aſſignare tenetur hæres avi in ſubſidium, n.19. p.212

Sputum.

Sputum ſanguinis ſemper malum, n.3.p.125

Vide *Sanguis.*

Statutum.

Statutum Urbis *lib.* 1. *cap.* 131. ut habeat locum requiritur Matrimonij conſummatio, n.2 pag.208

Statuti Urbis vigore *lib.* 1. *cap.* 131. Mulier prætendens lucrum dotale, tenetur concludenter probare Matrimonium fuiſſe conſummatum, n.3.ibid.

Uxor mortuo marito poteſt prætendere lucrum dotale ex diſpoſitione Statuti Urbis *lib.* 1. *cap.* 131.n.1.ibid.

Statutum Urbis vigore *lib.* 1. c.131. defert lucrum dotis poſt conſummatum Matrimonium, & n.1. & 3.pag.209

Statuti Urbis vigore *lib.*1.c.131.lucrum dotale debetur uxori, ſi per ipſam non ſteterit quominus Matrimonium conſummaretur, n.9 ibid.

Statuti vigore ſi aliquis prætendat aliquid ad ſe ſpectare, debet probare quod intercveniant omnes qualitates à Statuto requiſitæ. n.10 ibid.

Statutum permittens quod filij familias poſſint ſe obligare, intelligitur quando ſe obligant ratione Artis, num. 13. p.218

Statutum Bononiæ vetat debitum ultra ſummam centum librarum probari per Teſtes, n.5.p.246

Statuto Bononiæ non obſtante *ſub rubr. de Probation.* Debitum ratione adminiſtrationis probari poteſt per teſtes, etiamſi excedat ſummam centum librarum, n.6

Statutum Bononiæ vetans debitum libras centum excedens probari per teſtes, non procedit in caſu probationis mixtæ reſultantis partim ex teſtibus, & partim ex inſtrumentis, n.7.ibid.

Statutum Bononiæ mandat Hæredem teneri reddere rationem adminiſtrationis defuncti, n.17.ibid.

Statutum Bononiæ *lib.* 4. *de teſtam.* §. *ſi vero*, & §. *ſi aliqua*, inducens certam formam teſtandi reſpicit certum effectum, ſcilicet obviandi fraudibus, n.19, p.250

Forma inducta à Statuto ad effectum obviandi fraudibus adimpleri poteſt per æquipollens, ſi effectus ſequatur, n.20.ibid.

Statutum Bononiæ *rubr. de probat.* §. *præterea, libro* 2. declaratur, n.20.ibid.

Caſus mixtus non comprehenditur ſub diſpoſitione Statuti, n.22.ibid.

Statutum excludens certas probationes, intelligitur niſi illæ adminiculatæ ſint alio probationum genere; numero 23. ibid.

Solemnitas requiſita à Statuto relaxatur tempore neceſſitatis, n.24.ibid.

Sterilitas.

Sterilitas inſanabilis per caruncularn excitatur, num.5.p 97. Contrar.n.ſeq.

Vide *Caruncula.*

Sterilitatem Medicamenta inducentia licet aliquando propinare, n.11.p.19

Vide *Medicamentum.*

Sterilitas à morbo Gallico facile inducitur, n.6.p.132

Vide n.10.p.133

Sterilitas, quæ poteſt remediis tolli, non impedit generationem, n.6.p.252

Sternutatio.

Sternutatio ſuperveniens in partu difficili cur bona, num.18. p.14

Stomachicus.

Stomachici qui à remiſſivè apud Galenum, n.6.p.94

Stomachici qui dicantur, n.10.p.103

Strangulatio.

Ex Strangulatione etiam per vim internam facta ſanguis extravenatus interdum deprehenditur, numero 5. p.64

Signa animadverſa in cadavere hominis per vim externam ſtrangulati, n.6.ibid.

Strangulatio per vim externam procurata præcludit vias ſpiritui vitali unde animal ſuffocatur, n.7.ibid.

Stuprum.

Stuprum non cenſetur ex attentatione facta à pueris, n. 9. & 10.p.168

Ad probationem ſtupri admittuntur mulieres viles & inhoneſtæ, & probant cum tormentis, & junctis adminiculis, n.8.ibid.

Vide *Virgo.*

Subreptio.

Subreptio excluditur eo quod Princeps potuerit ſaltem in genere habere notitiam de eo quod tacitum eſt, num.13. p.232

Vide *Derogatio.*

Vide *Gratia.*

Subrogatio.

Subrogatio eſt danda collitiganti, ne detur novus collitigans, n.1.p.162

Subrogatio non debet dari calumnioſo litiganti, num. 2. ibid.

Subrogatio ut obtineatur non eſt neceſſe probare bonum jus, n.6.ibid.

Non eſt neceſſe quod ſubrogatio impetretur à collitigante infra menſem, cum menſis ſit adjectus ſolum ad invalidandam ſubrogationem à Tertio obtentam infra dictum tempus, n.18.p.163

Immiſſio in poſſeſſionem beneficii vigore ſubrogationis gratioſæ non poteſt impediri per exceptiones quæ reſpiciunt petitorium, n.11.p.201

In ſubrogatione gratioſa habente vim collationis, tertium requiſitum probandum ad effectum obtinendi immiſſionem, eſt affectio ex appoſitione manus Papæ, n.1 p.214

Subſtitutio, Subſtitutus.

Subſtituti in defectum filiorum citandi ſunt in judicio, in quo agitur de probanda filiatione, n 14.p.252

Ætas in ſubſtituto requiſita facit diſpoſitionem conditionalem, n.11.p.547

Subſtitutus ſub conditione negativa *ſi ſine filiis*, non poteſt prætendere ſucceſſionem, donec fuerit extincta omnis ſpes prolis ſuſcipiendæ. n.7.ibid.

Subſtitutio facta in caſu obitus ſine filiis, non purificatur ex eo quod deficiat ſpes ſuſcipiendæ prolis; ſed expectandus eſt obitus illius, cui fuit facta ſubſtitutio, n.9. ibid.

Subſtitutus in caſu alienationis bonorum, ſequuta alienatione admitendus eſt, non expectata morte alienantis, n.19. p.253

Conditio inſtitutioni adjecta an & quando cenſeatur repetita in ſubſtitutionibus, n.3. & 4. ibid.

Verba, *con li medeſimi obblighi ſuderti*, in ultima ſoſtitutione per teſtatorem appoſita, inducunt repetitionem Præcedentium obligationum in omnibus ſubſtitutis, num.6. ibid.

Vide *Fideicommiſſum.*

Succeſſio.

Succeſſio non denegatur natis ex damnato coitu, quando non agitur de ſuccedendo patri, ſed fratri, n.13.p.154

Vide *Spurius.*

Succeſſio tranſverſalis conceditur natis ex damnato coitu ſed non punibili pœna temporali, n.15.ibid.

Filius ut parentibus ſuccedat ſatis eſt quod naſcatur vivus & perfectus, licet ſtatim poſt parentes moriatur, n.5. p.157

Succeſſio ab inteſtato defertur proximiori, n.6.p.252

Succeſſioni locus non eſt, donec omnis ſpes ſuſcipiendæ prolis non fuerit extincta, quando quis fuit vocatus ſub conditione negativa, *ſi ſine filiis*, n.7.p.252

Vide *Fideicommiſſum.*

Suffocatio.

Suffocatio non fit ſolum à cauſa extrinſeca, ſed etiam ab intrinſeca, n.1 p.16

Suffocatio mortem affert ex reſpirationis prohibitione, & ſpirituum interceptione, n. 1. ibid.
Suffocationis tam ab extrinſeca, quam ab intrinſeca cauſa, eadem penè ſigna apparent, n. 3. 4. & 5. p. 27
Tria ſigna magis certa mortis ex ſuffocatione per vim externam procuratæ, n. 7. ibid.

Suggeſtio.

Diſpoſitio facta ad ſuggeſtionem alterius, quando conſtat de præordinata Teſtatoris voluntate, valida eſt, num. 16. p. 234
Declaratur, n. 17. ibid.
Vide *Diſpoſitio.*
Vide *Teſtamentum.*

Superviventia.

Superviventia probatur per teſtes deponentes de obitu alicujus certo tempore, & de vita alterius, n. 4. p. 156.
Filius ſuper vivens matri etiam per breve tempus, liberat patrem à reſtitutione doris, n. 25 p. 157
Superviventia filii poſt matris obitum eſt evidens ſignum vitæ ejuſdem naſcentis, n. 10. ibid.

Symptomata.

Symptomata nullam requirunt per ſe curationem, num. 13. pag. 3
Symptomata quædam ſunt præter ſyncopem, quæ hominem omni ſenſu & motu privare ſolent, n. 1. p. 46.
Symptoma formidabile eſt ſyncope, n. 4. p. 34
Ex ſymptomatum ſævitie arguitur vulnerum lethalitas, n. 6. p. 87.
Vide *Vulnus.*
Symptomata eadem omninò apparere poſſunt ex veneno aſſumpto, quæ ex veneno intus genito, n. 3. p. 123
Symptomata primi morbi ſi concomitentur febrim ſupervenientem, ipſa febris dicitur provenire à primo morbo, n. 8. p. 147

Syncope.

Syncope eſt formidabile ſymptoma, n. 4. p. 34.
Mors nihil aliud eſt quam Syncope confirmata, num. 5 ibid.
Syncope eſt præceps vitium lapſus, n. 4. p. 46
Qui ſyncope ſæpius prehenduntur, repentè moriuntur, n. 9. ibid.
Animal nullum moritur abſque ſyncope, n. 9. p. 77

T

Tapia.

TApia *in authent. ingreſſi, verbo, ſua, Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis*, n. 57. p. 191

Temperamentum.

Temperamentum quale Veneri magis idoneum, num. 12. pag. 107
Temperamenti ratione quando unus præſumatur ſupervivere alteri, n. 18 p. 77

Terminus.

Infrà quem dierum terminum dici poſſit Mulier ex partu, aut cauſa partus obiiſſe, n. 12. p. 80
Termini non debent confundi, ſed ſingula ſingulis referri, n. 13. p. 223

Tertius.

Tertius veniens ad cauſam, non collitigantium, ſed proprio juri adhærens, non facit acta ſua, ſi veniat prout in prima, committendo cauſam, nec ſententia lata eum afficit: ſecus, ſi veniat per viam appellationis, num. 2. p. 232. num. 2. p. 233
Tertius veniens ad cauſam ex proprio jure independente à jure collitigantium, poteſt venire prout in prima, etiam poſt latam ſententiam in cauſa, ſecus ſi venit ad defenſionem unius ex collitigantibus, n. 3. p. 233.

Teſtamentum.

Teſtamentum ritè & rectè factum ſi appareat ex illius inſpectione, tempore ſanæ mentis factum præſumitur, n. 12. p. 172
In conficiendo Teſtamento modica cognitio ſufficiens eſt, n. 8 p. 47
Teſtamentum corruit ob defectum ſanæ mentis teſtatoris, n. 4. p. 147
Teſtamentum imperfectum non dicitur propriè Teſtamentum, ſed præparatio ad illius confectionem, num. 5. ibid.
Scriptura Teſtamenti facta per teſtatorem debet à Notario legi & publicari coram teſtibus, n. 1. ibid.
Teſtamentum factum ad ſuggeſtionem alterius, ab eo, qui eſt in articulo mortis conſtitutus, non valet, num. 10. & n. 12. p. 151
Teſtamentum facere non poſſunt furioſi & mente capti, n. 1. p. 172
Conſanguinei in cauſa civili admittuntur ad teſtificandū, maximè ſi habeant conteſtes, n. 7. ibid.
Teſtamentum, cujus ſeries cuilibet ſanæ mentis viro congruit, præſumitur factum de tempore habili, & in dilucido intervallo, n. 14 p. 178
Teſtamenti factionem non tollunt actus rationis uſum non excludentes, & intellectus ſeu mentis exilium non inducentes, n. 11. ibid.
Teſtamentum furioſi valet ſtante diſpoſitione prudenti viro conveniente, n. 21. ibid.
Teſtamento rectè condito, dementia, quæ ſupervenit, non infringit illud, n. 10. ibid.
Teſtamentum facere non poſſunt furioſi, & ſimiles qui ſunt omninò mente privati, n. 4. p. 152
Secus de fatuis qui omnino non ſunt mente privati, n. 5. ibid.
Teſtamenti caput & fundamentum, eſt Hæredis inſtitutio, n. 4. p. 195
Vide *Hæres.*
Teſtamentum, in quo Teſtator non ſcripſerit, nec ore proprio nominaverit Hæredis nomen, eſt nullum, & invalidum, n. 5. ibid.
Teſtamentum nuncupativum non requirit ſolemnitates *leg. hac conſultiſſima, & l. jubemus, Cod. de teſtament.* num. 6. ibid.
Teſtamentum nuncupativum implicitum facere dicitur is qui teſtatur per ſchedulam. n. 7. ibid.
Teſtamentum per relationem ad ſchedulam, valet ac ſi Teſtator ore proprio hæredem nominaſſet, licet Teſtes ignorent diſpoſita in ſchedula, n. 8. ibid.
Teſtamentum nuncupativum non redditur nullum, ex eo, quod unus ex Teſtibus pro alio, qui ſcribere ignoret, ſubſcribat, n. 10. p. 197
Teſtamentum, ſi factum ſit, ſicut Prudens feciſſet, à Teſtatore, cujus dementia probatur, validum illud reputari debet, n. 20. ibid.
Teſtamentum primum tollitur ipſo jure per ſecundum, n. 3. pag. 203
Teſtamentum primum à quo Teſtator nolle recedere dixit, niſi in ſecundo certa verba apposuerit, non dicitur ſublatum per ſecundum in quo talia verba non legantur, n. 7. ibid.
Declaratur n. 8 ibid.
Teſtamentum ritè & rectè confectum denotat Teſtatorem fuiſſe ſanæ mentis, n. 13. p. 204
Vide *Mens.*
Teſtamentum in quo filius ſine cauſa exhæredatur, mero jure tenet, cum opus ſit illud reſcindi per querelam inofficioſi, n. 17. ibid.
Teſtamentum furioſi eſt nullum ipſo jure, n. 28. ibid.
Teſtamenta plura referuntur, quæ valida fuerunt reputata, licet in eis quædam diſpoſita viris ſanæ mentis non convenirent, n 29. ibid.
Teſtamentum conditum ab eo in quo concurrunt diverſa ſigna dementiæ, ſed non defectus totalis uſus rationis, validum reputatur, n. 8. p. 213
Teſtamentum imperfectum ex defectu voluntatis non ſuſtinetur, n. 13. p. 231.
Teſtamentum factum ad interrogationem.
Vide *Æger.* & infrà.
Teſtamentum primum revocatur per poſterius, num. 1. pag. 149.
Teſtamentum primum non revocatur per poſterius minus validum, n. 2. ibid.
Teſtamentum factum ad interrogationem alterius, ſuſtinetur quando interrogans eſt perſona non ſuſpecta, & Teſtator ſanæ mentis, n. 3. ibid.
Teſtamentum ad interrogationem alterius, ſuſtinetur, etiamſi agatur de revocatione alterius præcedentis facti ad pias Cauſas, n. 4. ibid.
Laborans in extremis non præſumitur velle revocare teſtamentum factum dum bene valebat, n. 5. ibid.
Declaratur, n. 6. ibid.
Teſtamentum ad interrogationem tunc maximè ſuſtinetur quando Teſtator interrogatis reſpondet non per ſolam dictionem, *Sic*, ſed per verba diſpoſitiva, num. 8. ibid.
Teſtamentum ad interrogationem conditum ab oppreſſo gravi morbo tunc non ſuſtinetur quando concurrit aliqua fraudis ſuſpicio, ſecus ſi illa abſit, numero 9. ibid.
Pro validitate Teſtamenti non attenditur mortis proximitas, ſed ſanitas mentis & voluntas teſtandi, num. 12. ibid.

Rerum Notabilium.

Teſtamentum præſumitur ſcriptum de mandato teſtatoris, n.12.p.150

Voluntas teſtandi bene probatur per tres teſtes de illa deponentes, quam ſolemnis teſtamenti factio ſecuta ſit, n.11.p.149

Teſtamentum ad pias Cauſas non cenſetur revocatum per ſequens abſque ſpeciali derogatione, n.25 p.150

Declaratur, n.26.ibid.

Teſtari.

Teſtari & contrahere non prohibetur imbecillis, & mentis vigorem ætati correſpondentem non habens, num. 6. p.172

Teſtandi facultas non dicitur adempta, per actus qui uſum Rationis, & judicii non excludunt, n.14.p.197

Teſtator.

Teſtator poteſt auferre legatum vel hæreditatem ei, qui non contraxerit matrimonium cum certo genere perſonarum, vel contraxerit contra præceptum ipſius Teſtatoris, n.3. p.189

Teſtatoris diſpoſitio non currit contra ignorantem, n. 75. p.192

Teſtatoris diſpoſitio non currit contra debitorem qui eum liberavit à toto debito, ſi centum intra menſem ſolverit, ubi debitori non fuit intimatum teſtamentum, num.76. ibid.

Teſtator quando Teſtamentum facit, ſi non ſcripſerit, nec ore proprio nominaverit hæredis nomen, nullum eſt, & invalidum, n 5.p.196 t

Vide *Teſtamentum.*

Teſtator diſponens per relationem ad ſchedulam, aliena manu ſcriptam, præſumitur bene vidiſſe omnia contenta in ipſa ſchedula, n.9.ibid.

Teſtator habens dilucida intervalla præſumitur condidiſſe Teſtamentum tempore dilucidi intervalli, num.16. pag. 197

Teſtatoris dementia ſi probetur, & Teſtamentum ſit factum ſicuti feciſſet prudens, validum reputari debet, num.10. ibid.

Teſtator vocans ſimpliciter proximiores de parentela, cenſetur intellexiſſe de proximiore gravati, numero 5. pag. 160

Vide *Proximior.*

Teſtator qui ſuam diſpoſitionem dirigit ad tempus remotiſſimum, non eſt veriſimile quod in ea voluerit comprehendere illos, qui veriſimiliter non poterant adeſſe de tempore putificati fideicommiſſi, n.6.ibid.

Teſtatoris voluntas præſumitur talis qualis fuit per hæredem declarata, n.13.ibid.

Teſtator inſtituens extraneos in defectum propriæ lineæ, vocaſſe cenſetur omnes de linea, natos etiam & concepros poſt mortem ſuam, n 8.ibid.

Etiam illos qui ipſi Teſtatori ab inteſtato ſucedere non poterant, n 9.ibid.

Teſtatoris dilectio plurimum operatur ad effectum ut dilectus in electione præferatur, n.10.& 11.ibid.

Teſtatoris manus recognitio non eſt neceſſaria quando agitur de teſtamento nuncupativo conſignato, & clauſo per Teſtatorem coram Notario & Teſtibus qui ſe ſubſcripſerunt, n.6.p.203

Teſtator quando præſumatur prius feciſſe aliud Teſtamentum, n.4.p.206

Teſtator præſumitur ſanæ mentis, niſi contrarium probetur, n.19.p.123

Teſtatoris furorem allegans de tempore conditi teſtamenti tenetur concludentiſſimè probare, n.10.ibid.

Teſtator an fuerit furioſus, percipi non poteſt ex momento temporis, ſed ex quodam diſcurſu & multitudine actuum, n.18.p.214

Teſtator qui prudenter diſpoſuit, præſumitur ſanæ mentis fuiſſe. n.30.ibid.

Teſtatoris præceptum ſi contineat aliquam ſervitutis ſpeciem, à Legato, & inſtitutione rejici ſolet, numero 9. p.216

Teſtator ægrotus interrogatus an velit relinquere certum legatum, ſi reſpondeat, *ſate voi*: legatum non ſuſtinetur, n.8.9. & 10. p.133

Secus ſi reſpondiſſet ſimpliciter, *Si*: n.11.ibid.

Vide *Æger.*

Teſtatoris mens ſervanda eſt, etiamſi fuerit expreſſa ab emittente ſpiritum, dummodo Teſtator ſit ſani judcii, n.7. p.149

Teſtatorem ſanæ mentis fuiſſe lex præſumit niſi contrarium probetur, licet paulò poſt obierit, numero 13. p.150

Teſtimonium.

Teſtimonium Religioſi præfertur Teſtimonio laici, num.1. p.183.n.16.p.136

Teſtimonium Mulieris in judicio Criminali rejicitur, n 10. ibid.

Teſtimonium Mulieris non attenditur præſertim ſi ſit unica & ancilla illius pro quo deponit, n.34.p.143

Teſtis.

Teſti deponenti de dementia non creditur, niſi reddat rationem dicti ſui etiamſi non fuerit interrogatus, num. 3. p.144

Teſtes ſingulares admittuntur ad probandum quid in genere n.12.p.145

Teſtis volens probare privationem intellectus in aliquo, debet reddere rationem dicti ſui. n 30.p 146

Teſtes quando dicantur judicare non autem teſtificari, n.33. ibid.

Teſtis deponens de furore ob projectionem lapidum, quomodo deponere debeat. n.34.ibid.

Teſtes ut probent aliquem actum, ſive diſpoſitionem, debent ad illam ſpecialiter vocati & rogari, n.1.p.147

Teſtes deponentes de ſana mente, debent concludenter deponere de actibus & ſignis multiplicatis & ſucceſſivis excludentibus dementiam, n.2.p.148

Teſtis deponens de inſania, vel dementia alicujus, debet de proprio auditu & viſu deponere. n 3.ibid.

Teſtis ſingularis licet non probet, inſervit tamen pro adminiculo, n.3.ibid.

Teſtes ſingulares, & infames non probant, n.10.p.149

Teſtis de auditu non probat. ſn 12.p.150

Teſtis prima depoſitio attenditur, n.14.ibid.

Teſtibus peritis magis quàm aliis credendum eſt, num.2. p 151

Teſtis ſingularis non probat, n.9.ibid.

Teſtes habentes affectionem, ad cauſam repellantur, vel ſaltem in concurſu aliorum ſunt minori fide digni, num.12. p.171

Teſtes qui non ſint periti in re Medica, non poſſunt deponere de qualitate infirmitatis, n 13.ibid.

Teſtes veriſimiliora deponentes præferuntur aliis in concurſu, n 8 p.152

Teſtes veriſimiliora deponentes tunc maximè ſunt aliis præferendi quando ſunt numero plures. n 9.ibid

Teſtes exceptionem non habentes aliis præferendi ſunt qui exceptiones patiuntur. n.10.ibid.

Teſtibus affectantibus effectuationem actus; domeſticis, & ſubditis, fides minuitur, n.11.ibid.

Teſtibus deponentibus de ſana mente magis creditur, quam deponentibus de dementia, n.10 p.172

Teſtes dementiam non probant, niſi reddant rationem etiam non interrogati, n.14 p.176

Teſtis unicus non probat contra inducentem ex opinione Rotæ, n.5.ibid.

Teſtes examinati in judicio criminali, non probant in Civili niſi repetantur, ſi præſertim non fuerunt, data interrogatoria, n.7.ibid.

Teſtis depoſitio, quod vidit à quatuor vel quinque annis citra, in ultimo tantum anno verificari poteſt, num. 6. p.178

Teſtis de tempore alternativè. & per dictionem *in circa*, deponens, illud non probat, n.7.ibid.

Teſtis dubitativè deponens nihil probat, n.8.ibid.

Teſtes de alicujus dementia deponentes nihil probant, niſi rationem etiam interrogati aſſignent, n.9.ibid.

Teſtibus de ſana mente deponentibus magis creditur, quam deponentibus de dementia, numero 19. ibid. num. 17. p.197

Teſtium major numerus in concurſu attenditur, num. 8 p.180

Teſtibus veriſimiliora. & magis præcisè deponentibus, magis venit deferendum, quàm aliis, n.12.ibid.

Teſtibus, quorum dictum remanet adminicularum magis deferendum eſt, quam aliis, n.13.ibid.

Teſtis fides angetur per illius mortem, n.3.p.183

Teſti umeo, accedente veriſimilitudine, eſt valde deferendum, n.4.ibid.

Teſtis unicus deponens de confeſſione alicujus quod matrimonium contraxerit, facit adminiculum, numero 11. ibid.

Teſtes deponentes quem non eſſe ſanum mente ad faciendum teſtamentum, etiam non rogati reddere debent rationem ut probent, n.2.p.152

Teſtes deponentes de inſania Teſtatoris per ſigna & actus, non probant, niſi rationem explicent, n 3.ibid.

Index

Conditio indefinita in Teſte non æquipollet univerſali, n.17.p.187

Teſtibus deponentibus pro Reo magis credendum eſt, quam deponentibus pro Actore in concurſu plurium probationum,n.19.ibid.

Teſtes contra ipſorum inductores plenè probant, num. 20. ibid.

Teſtes non dicuntur ſingulares ſi depoſitiones eorum tendant ad eundem finem, licet diverſimodè diſponant, n.8. p.157

Subjectus ſolum ratione juriſdictionis eſt Teſtis idoneus pro Domino,n.13.ibid.

Vaſallus non habens particulare intereſſe in cauſa poteſt pro Domino & contra ipſum eſſe Teſtis, n.14.ibid.

Clericus dicitur Teſtis integer & qualificatus, n.12.ibid.

Teſtes etiam minus idonei admittuntur ad probationem facti quod non poteſt per alios probari,n.15.ibid.

Teſtibus inveriſimilia deponentibus non eſt credendum, n.17.ibid.

Teſtis deponens de vita alicujus, rationem dicti ſui reddere tenetur, ut probet, n.20.ibid.

Teſtes de auditu proprio probant quando agitur de probatione alicujus rei,quæ nonniſi per dictum alterius probari poteſt,n.1.p.194

Teſti in facto proprio deponenti ſtandum eſt,n.5.ibid.

Teſtem inducens nihil poteſt contra eum objicere, num.14. p.196

Teſtium domeſticorum, & familiarium fides minuitur, n.18. p.197

Teſtem inducens non poteſt contra eum excipere, num.19. ibid.

Teſtes ſi fuerint alias examinati, præſumitur facta jam probatio,quæ melius fieri potuit,ita ut nova facultas probandi præſumatur calumniosè petita,n.3.p.202

Teſtium numerus ſupra 40. de jure non admittitur, num.4. ibid.

Teſtibus alias examinatis ſi fuerit metus incuſſus ab adverſario, præſumitur in eo potentia in futurum,n.5.ibid.

Item ſi penes ſe ſcripturas Originales teneat, ibid.

Teſtibus examinandis ad perpetuam rei memoriam,licet parte non citata, multum Rota defert ſi fuerunt recepti in tempore non ſuſpecto,n.11.ibid.

Teſtibus habentibus intereſſe in primo Teſtamento fides minuitur, ſi deponant de ſupervenienti dementia Teſtatoris, ad effectum annullandi ſecundum Teſtamentum revocatorium primi, n.19.p.204

Teſtes deponentes de demencia, etiam non interrogati debent adducere rationem depoſitionis, n.21.ibid.

Teſtes deponentes de qualitate morbi, non probant niſi ſint periti, n.8.p.165

Teſtes plures deponentes per eadem verba redduntur ſuſpecti,n.4.p.165

Teſtibus deponentibus de ſana mente magis credendum eſt quam iis qui de dementia teſtantur, n.7.p.167

Teſtes deponentes de ſana mente habent juris præſumptionem pro ſe, n.8.ibid.

Teſtes viles admittuntur in probatione ſtupri,ut declaratur, n.8.p.168

Teſtis depoſitioni in judicio factæ magis ſtandum eſt quam extra judicium, n.11.ibid.

Teſtes dubitativè deponentes non probant, numero 19. p.208

Teſtes melius informati debent aliis præferri,n.20.ibid.

Teſtibus peritis magis creditur quam aliis in iis, quæ eorum peritiam concernunt,n.23.ibid.

Teſtibus deponentibus ſuper affirmativa magis credendum eſt,n.11.ibid.

Teſtes ſi fuerint examinati in alio judicio, & eorum depoſitiones non producantur, non merentur attendi,num.12. ibid.

Teſtis deponens ſuper magnitudine morbi,debet illius ſigna referre, n.5.p.210

Teſtis de auditu majorem fidem non meretur, quam ille, à quo audivit,n.10.ibid.

Teſtis deponens de iis quæ non cadunt ſub ſenſum, ſed ſignis externis deprehenduntur, debet referre ſigna ex quibus juſtificetur ejus depoſitio, numero 11. ibidem.

Teſtis licet poſſit uti ſua peritia in cognoſcendo rem, ſuper qua deponit, ejus tamen peritia non ſuffragatur,ſi deponat Teſtis, non autem uti Peritus electus à Judice, n.14. ibid.

Teſti unico omni exceptione majori Judex arbitrio ſuo plurimum deferre poteſt, n.5.p.212

Teſtes ſingulares admittuntur quando agitur probando illos actus ex quibus generalitas reſultat, numero 16. ibidem.

Teſtis probat ætatem ſi deponat de judicio ſuo & per aſpectum, n.5.p.221

Vide *Ætas*.

Teſtium defectus tolluntur ex eorum numero,n.17.ibid.

Teſtium dicta magnum robur accipiunt ex approbatione adverſarii qui illa non impugnat,n.18.ibid.

Teſtes examinati in judicio criminali, non probant in Civili, n.22.p.223

Teſtes examinati in judicio criminali ut probent in civili, debent repeti cum interrogatoriis, n.23.ibid.

Teſtes deponentes de furore Teſtatoris, interrogari debent de ſignis & actibus ipſius, ut ex illis percipi poſſit, an verè Teſtator eſſet in ſtatu furoris, numero 17. ibid.

Teſtibus deponentibus de alicujus dementia, ſi rationem non aſſignent,non eſt danda fides,n.19.p.224

Teſtes reddentes optimam rationem ſui dicti benè probant, n.7.ibid.

Teſtes conciliantur,ſi alii deponant quod aliquid eſt factum, alii verò dicunt quod fieri debuit,n.10.ibid.

Teſtes nulliter examinati non probant, n.7.p.227

Teſtis deponens de facto proprio, & contra inducentem plenè probat, n.8.ibid.

Teſtis unicus nihil probat, n.12.ibid.

Teſtes examinati in Judicio criminali,non probant in Civili, n.1.p.235

Teſtes examinati abſque partis citatione, non probant niſi reperantur,n.2.ibid.

Teſtes examinati abſque partis citatione non probant niſi reperantur, licet Reus illos habeat pro repetitis, num.3. ibid.

Teſtes examinati ad perpetuam rei memoriam non probant n.7.ibid.

Teſtes in cauſa matrimoniali debent eſſe omni exceptione majores.n.8.ibid.

Teſtes ſingulares non probant, n.9.p.236

Teſtis qui propriam detegit turpitudinem,non eſt audiendus n.11.ibid.

Teſtis minus idoneus fidem non acquirit per obitum ſupervenientem, ſed inſervit pro levi conjectura, num.12. ibid.

Teſtes de auditu non magis probant,quam ii à quibus audiviſſe aſſerunt,n.17.ibid.

Teſtes intereſſe habentes in cauſa non probant, num.18. ibid.

Teſtes de auditu nunquam probant, niſi id quod dicunt, audiverint à plutibus,n.19.ibid.

Teſtes deponentes aliquem tractaſſe alium uti filium, non probant niſi ſpecificent tractatus,n.21.ibid.

Teſtes ſingulares admittuntur quando probandum eſt aliquid in genere, n.26.ibid.

Teſtes ſingulares probant concurrentibus conjectutis, n.27. ibid.

Teſtium numerus poteſt eorum defectus ſupplere, n.28.ibid. & ſeqq.

Teſtes examinati ad perpetuam rei memoriam, inſerviunt pro adminiculo probationis imperfectæ, num. 29. p.237

Teſtes examinati Judicio criminali, pro informatione Curiæ, faciunt adminiculum in judicio Civili, num.30. ibid.

Teſtis examen nullum, qui è vivis deceſſit, ex quadam æquitate ſuſtinetur,n.31.ibid.

Teſtis mortui examen valet, licet non fuerit receptum cum citatione partis, non ſecus ac ſi citatio interveniſſet,n.32 ibid.

Teſtis propriam turpitudinem detegens auditur, quando agitur de ſalute Animæ,n.41.ibid.

Teſtis propriam turpitudinem detegens, quando agitur de iis, quæ concernunt animæ periculum, numero 42. ibid.

Teſtes plures numero præferuntur paucioribus, num.1. p.231

Teſtes ſingulares admittuntur ad declarandum animum alicujus n.12.p.242

Teſtes deponentes in cauſis ſeparationis Tori, debent eſſe omni exceptione majores, numero 9. pagina 247

Teſtes deponentes de dementia Teſtatoris abſque expreſſione actuum qui illam probent, non merentur fidem, n.15. p.250

Rerum Notabilium.

Teſtibus deponentibus de ſana mente Teſtatoris major fides adhibetur, quam deponentibus de dementia, num. 16. ibid.

Teſtium rogitus in teſtamento adhibitorum probatur per depoſitiones duorum teſtium, n. 17. ibid.

Sufficit quod Teſtes fuerint rogati à quocunque præſente & patiente teſtatore, n 18. ibid.

Teſtes plures numero ſi deponant de certa ſcientia concludentiſſimè probant, n 3. p 246

Teſtium defectus ſupplentur ex numero, & ex adminiculis n 4. ibid.

Teſtes examinati in criminalibus, non probant in civilibus, n. 19. ibid.

Teſtes pauciores numero cedere debent numero majoribus n. 20. ibid.

Teſtes quorum dicta per ſcripturas adminiculantur, aliis præferendi veniunt, n 21. ibid.

Teſtes deponentes in cauſis ſeparationis tori, debent eſſe omni exceptione majores, n 9. p. 247

Teſtis unici depoſitio adminiculatur ex teſtibus deponentibus de publica voce & Fama. n 9. p. 251

Teſtes impuberes admittuntur ad teſtificandum de iis quæ occultè fiunt, n. 7. ibid.

Teſtudo.

Teſtudinis caro coctu difficilis & melancholica, numero 8. p. 70

Tetanus.

Tetanus eſt convulſionis ſpecies, n. 8. p. 6

Vide *Convulſio.*

Tetanus morbus eſt gravis & exitialis, n 9. ibid.

Tetanus tertia die, aut quinta, aut ſeptima, aut decima quarta occidit, n. 11. p 7

Tetanus à cauſis frigidis generatur, n. 10. p. 6

Torus.

Tori ſeparatio eſt cauſa gravis & ardua. & ideo ejus cauſæ concludenter probandæ ſunt, n. 1. p. 188

Tori ſeparationem prætendens ob morbum alterius conjugis debet illum concludenter probare per Medicos, & Peritos n. 2. ibid.

Vide *Divortium.*

Tori ſeparationem impedit Reconciliatio, n. 12. p. 195

Tori ſeparatio peti non poteſt ob cauſam delictam per reconciliationem ſequutam inter conjuges poſt eventum dictæ cauſæ, n. 14. p. 248

Vide *Morbus Gallicus.*

Tumor.

Tumor Oedematoſus qui vocetur, n. 1. p. 10.

Tumoris cancroſi ſigna, n 2. p. 11.

Tumor labiorum uteri qualis eſſe debeat in recenter enixa. n. 1. p. 104

Tumores in inguinibus non niſi ab interno veneno excitantur, & cur, n. 6. p. 23

Tumores inguinum leviter apparentes Naturam invalidam ad pugnam cum morbo denotant, n 8. ibid.

Tutela.

A Tutela, vel cura licitum eſt arguere ad Coadjutoriam, n. 6. p. 219

Tutela, vel Cura, expirat ſi Tutor, vel Curator efficiater inhabilis; puta Mutus, Surdus, vel Cæcus, num. 7. ibid.

V.

Valetudinarius.

VAletudinarius dici non poteſt natura imbecillis, num. 3. p. 103

In Valetudinario neque generandi, neque coëundi potentia præſumitur, n. 14. p. 120

In Decrepito Valetudinario præſumi debet conclamata Genitalium ignavia, n 16. ibid.

Valetudo.

Valetudo pro obtinenda Coadjutoria debet eſſe talis, ut ſit abſque ulla ſpe futuræ proſperitatis. n. 9. p. 137

Vide *Coadjutoria.*

Variola.

Variolæ quando ſalutares, & quando exitiales, numero 1. p. 48

Variolis detenti quomodo moriantur, n. 3. ibid.

Variolæ non ſolum externas, ſed etiam internas partes obſident, n. 4. ibid.

Variolis & morbillis eſt adverſum, n. 5. ibid.

Vide *Oleum.*

Vena.

Venæ Sectio, Vide *Sectio venæ.*

Vide *Sanguis.*

Vena, & arteria magna ſunt ſanguinis promptuarii, n. 2. p. 67

Venditio.

Venditionis contractus verba dubia declarantur ex qualitate pretii, n. 5. p. 159

Proſtetatio in venditione rei, *talis qualis eſt*, non relevat venditorem quando vitium latet, n. 2. ibid.

Vide *Vitium.*

Vide *Redhibitoria actio.*

Venenum.

Veneni propinati ſigna communia, n. 2. p. 17

Veneni ſumptionem quæ accidentia frequentius ſequantur, n. 3. ibid.

Venena omnia ſive mediatè, ſive immediatè cor lædunt, n. 4 ibid. & n. 6. p. 13

Venenum in corpore generari poteſt ex ejuſdem impuritate, omnia ſymptomata veneni aſſumpti afferens, num. 6. ibid.

Veneni ingeniti accidentia diſtingui non poſſunt ab accidentibus veneni propinati. n. 7. ibid.

Non ad Venenum aſſumptum, ſed potius ad corporis impuritatem accidentia venenoſa ſunt referenda, num. 8. p. 17

Venenum denominatur non ſolum quod noxium eſt, ſed etiam ſalubre medicamentum, n. 1. p. 18

Venenum noxium & malum dicitur illud quod ſemper tale eſt, n. 8. p. 19

Antimonium Sabina, Oleandri folia, ſtercus columbarum Borax, non ſunt ſimpliciter venena, numero 2. & ſeqq. p. 18

Venena temporanea nullo manifeſto ſigno ſe produnt, n. 12. pag. 19

Venena temporanea ex Tabeſcentium genere omnia ſunt, n. 13. ibid.

Veneni propinati ſigna antecedentia nulla certa dantur ad Medicos pertinentia, n. 14. bid.

Veneni ingeniti plura dantur ſigna antecedentia, num. 15. ibid.

Veneni ingeniti & propinati eadem ſigna ſunt, numero 16. p. 20

Venena propinata, maximè ſi reiterentur, mortem afferunt, n. 17. ibid.

Veneni aſſumpti ſignum familiariſſimum, in iis qui evadunt ſanati eſt depilatio, n. 18. ibid

Venena ſi non occidant, relinquunt ſemper aliquam noxam inſignem & morbos diuturnos, n. 19. ibid.

Venena à tota ſubſtantia noxia, non poſſunt ullo modo ad benignam naturam reduci, n. 4. ibid.

Veneni propinati præſumptio ex antecedenti ſtatu ægrotantis deſumpta magni momenti eſt. n. 1. p. 21

Veneni propinati ſigna concomitantia, n. 2. ibid.

In veneno propinato accidentia ſupervenientia nullum ordinem ſervant, n. 3. ibid.

In veneno propinato non ſolet adeſſe febris, ut in ingenito, n. 4. ibid.

Venenum aut eſt corrodens, aut putrefaciens, aut inflammans, aut congelans, aut etiam tabefaciens, numero 5. ibid.

Venena externa vel ſunt præſentanea, vel temporanea, n. 6. ibid.

Venenum temporaneum, lentum eſt, & ex genere tabefacientium, n. 7. p 22

Veneni aſſumpti ſigna in ipſa ſumptione apparentia, ſunt magni momenti, n. 9. ibid.

Accidentia ex propinato veneno provenientia, cum impetu apparent; ſecus ex veneno ingenito, num. 10. ibid.

Venena etiam adminiſtrata interdum ſuo fine fruſtrantur, n. 1. p. 23.

Venena quæ ab excedenti qualitate occidunt, niſi illico in actum producantur, nullius effectus evadunt, num. 2. ibid.

Venena niſi repetantur, vix ex decem unus petire ſolet, n. 3. ibid.

Venena temporanea facilè nullius effectus ſunt, numero 4. ibid.

Cadavera eorum qui externo veneno intereunt difficilimè putreſcunt, n. 8. ibid.

Veneni aſſumpti ſingulare ſignum eſt læſio in ventriculo & lenta febricula. n. 9. ibid.

Sitis carentia eſt argumentum excluſivum veneni aſſumpti, quod declaratur, n 7. ibid.

Venenum aſſumptum lætitiam interdum parit, num. 5. ibid.

Veneni propinati præſumptionem præbet bona valetudo antecedens abſque erratis in victu, n. 1. p. 35. & n. 1 p. 63

Venena omnia ſunt ſapore & odore horribili & abominabili, n.11.p.37
Venenum peſtis.
Vide *Peſtis.*
Venenum mixtum eſt Naturæ ſummè contrarium, num. 2. p.64
Cujuſlibet veneni dantur ſigna propria, præter communia, n.3.ibid.
Venenorum maximè exitialium ſigna nimis patentia ſunt, n.4.ibid.
Non datur ſecundum aliquos certitudo, Hominem ex propinato veneno obiiſſe, n.1.p.123
Certa cognitio haberi poteſt Hominem non fuiſſe veneno externo ſublatum, ſed interno, n.2.ibid.
Venena intus genita poſſunt referre naturam venenorum externorum, n.4.ibid.
Venena externa non poſſunt omnia accidentia veneni interni excitare, n.5.ibid.
Venenum Peſtis, ut venena externa ſanos Homines adoritur, n.10.ibid.
Venenum Peſtis magis Juvenes & Robuſtos inficit, quam Senes, & Debiles, & Valetudinarios. n.11.ibid.
Venenum Peſtis externum eſt quoad modum nocendi, n.12. ibid.
In veneno intus genito Febris illico ab initio apparet, non ſic autem in externo. n.15.p.124
Veneno externo ſublata Cadavera non facilè putreſcunt, & cur? n.16.ibid.
Venena omnia majori ex parte calida & ſicca ſunt, num.17. ibid.
Venenum Peſtis quanam ratione tam inter externa, quam inter interna connumerari poſſit, n.18.ibid.
Venenum Peſtis cur tam citò putrefactionem avertat, n.19. ibid.
Venena putrefacientia, cur non facilè adminiſtrari poſſint, n.20.ibid.
Venena ſerius lædunt Mulieres, quam Viros, n.1.p.138
Reprobatur ſub n.13.p.139
Venena omnia vel mediatè, vel immediatè cor petunt, n.6. p.138
Venenum frigidum citius extinguit debilem calorem, quam fortem, n.8.p.139
Venenum fungorum eſt ſtrangulatorium, & reſpirationem abſcindens, n.10.ibid. & 21.p.140
Venena nonniſi à calore actuantur. n.20.ibid.
Venenum quod in majori quantitate aſſumitur, eo citius occidit, n.24.ibid.
Venti.
Venti Orientales minus ſalubres ſunt, n.4.p.28
Venti Auſtrini exteris omibus minus ſalubres, ibid.
Venti Auſtrini viſum, omneſque ſenſus hebetant, num. 2. p.130
Venti Auſtrini viſum reddunt caliginoſum, n.11.p.131
Venti reuniti habene eandem vim eoſdemque effectus prout ante refractionem, & impedimentum, n.9.p.186
Venti Aquilonares refracti ſalubriores ſunt quam ſi impetuoſi liberè ingredianetur, n.10.ibid.
Venti Orientales, & Occidentales ſalubres ſunt, num. 13. p.187
Etheſiæ ſunt venti Aquilonares, n.14.ibid.
Contrarium, n.ſeq.ibid.
Venus.
Venus articularibus dolotibus inimica, n.1.p.106
Venus Arthritim & Podagram excitat; n.2.ibid.
Venus ſummoperè calorem naturalem debilitat, num. 3. ibid.
Dic ut n.13.p.107
In Veneris uſu robuſtiſſimum quid exeritur, ex Hippocrate, n.4.p.106
Poſt Veneris uſum, triſtitia ac mœror unde? numero 6. ibid.
Verbum.
Verbi ſignificatio intelligenda eſt ſecundum qualitatem ei adjectam, n.6.& 7.p.217
Unius verbi propria ſignificatio reſtringitur ex adjectione aliorum verborum. n.8 ibid.
Verborum ſignificatio intelligenda eſt ſecundum ſubjectam materiam, n.10.& 11.p.218
Verba, *fate voi*, non important diſpoſitionem perfectam, n.9. p.253
Verba, *ſi fate voi*, prolata à teſtatore interrogato an velit certam diſpoſitionem facere, requirunt ſubſequentem diſpoſitionem, aliàs non dicitur diſpoſitum, num.10.& 11. ibid.
Verba, *forſe mi reſolverò*, nihil determinant, num. 14. p.245
Verba, *con li medeſimi obblighi ſudetti*, in ultima ſubſtitutione per Teſtatorem appoſita, inducunt repetitionem præcedentium obligationum in omnibus ſubſtitutis, num. 6. p.253
Verba, *ex parte* in inſtrumento Societatis appoſita, quid importent, n.4.p.81
Verba, *ex cauſa partus*, in inſtrumento Societatis appoſita, quid importent, n.5.p.82
Vertigo.
Vertigo tenebricoſa habet eadem ferè accidentia, quæ habet morbus caducus, n.9.p.171
Vertigo tenebricoſa facit patientem cadere in terram, n.10. ibid.
Vertigine laborantes magnam habent propenſionem ad morbum caducum. n.9.p.162
Vertigo capitis, & ſtomachi debilitas quando excuſent à reſidentia, n.1.p.396
Vertiginis morbus non eſt perpetuus, n.12.p.163
Veſtis.
Veſtes & Ornamenta pretioſa nonniſi ad uſum uxori conceſſa cenſentur, n.7.p.242
Veſtes laceratas reſtituendo non ſatisfacit Mulier, cujus culpa Matrimonium non fuit ſecutum, quia tali caſu non valuit illis bona fide uti n.82 p.244
Veſtes quotidianæ ideo cenſetur donatæ per ſponſum ſponſæ, quia computantur in alimentis, n.60 ibid.
Vide *Jocalia.*
Victus ratio.
Victus ratio ſanorum modo inſtituta, & accidentia magna illicò ab aſſumpto cibo apparentia propinati veneni ſuſpicionem faciunt, n.9.p.123
Vide *Venenum.*
Victus ratio multum à conſueta diverſa, effigiem mirum in modum immutat, n.7.p.90
Vide *Error in victu.*
Vinum.
Vinum per ſe calefacit, n.6.p.36
Vinum diverſos producit effectus in Temulentis, num. 10. ibid.
Ex immodico vini potu Apoplexia interdum excitatur, aut alius ſimilis nervorum affectus, n.13.p.37
Vide *Apoplexia.*
Vir.
Vir non tenetur alere uxorem quæ ſine juſta cauſa ab eo recedit, n.16.p.244
Vir alit uxorem principaliter propter obſequia quæ ipſi ab uxore præſtantur, n.63.ibid.
Virum cogere ad præſtanda alimenta uxori, quando ipſa uxore, & dote fuit ſpoliatus, durum eſt, num. 64. ibid.
Vir uxorem indotatam alere non tenetur, n.65.ibid.
Viri ſolent adminiſtrare bona uxoris extradotalia, num. 22. p.146
Virgo, Virginitas.
Virgines ſtuprantur abſque ulla ampliatione locorum, cum loca habent humecta, ut immediatè poſt menſtruam purgationem n.3 p.49
Rubor obſervatus in virgine ſtuprata ceſſat per quindecim ad ſummum dies, & cur, n.4.ibid.
Virgo corrumpi poteſt abſque Hymenis dilaceratione, ſi virga virilis exilis eſt, & vulva muliebris ampla & humida. n.5.ibid.
Rugarum obliteratio in virgine conſtuprata quando, & quomodo fiat, n.6.p.49.& 50
Nulla pellicula naturaliter in Virginibus reperitur quæ virginitatem atteſtetur, n.1.p.59
In muliere compreſſa poſſunt aliquando ex virginitatis notæ adnotari quæ ex hymenis integritate habentur, n.2. ibid.
Virginem eſſe violatam ex viarum latitudine, aut inviolatam ex earum anguſtia, inferri non poteſt, numero 3. ibid.
Quando Virgo comprimitur immediatè poſt menſtruas purgationes, nulla ſigna violationis apparere poſſunt: quod declaratur, n.5.ibid.
Vox craſſior in virginibus defloratis non ſit ex unico ac leni coitu, ſed ex violento & ſæpius iterato, num. 6. ibid.
Sicut & livor papillarum, n.7.ibid.
Colli venæ defloratæ virgine craſſiores fiunt aliquando, & quando id ſuccedat, n.8.p.60

Rerum Notabilium.

Viginitas eſt qualitas quæſam à Natura permanens, & ideo præſumitur adeſſe, n.9.ibid.
Vide *Membrum.*
Vide *Mulier.*
Virgines, viro maturæ, ac peſſimè habentes, quamprimum nubere debent, ex Hippocrate, n.9 p.135
Virgines ſponſæ cur non illicò, ſed aliquando, immò utplurimum poſt aliquot menſes concipiant, numero 14. ibid.
Virginem eſſe mulierem probatur ex relatione ſeptem Matronarum expertarum, & ex publica fama, num.1.4.& 7. p.148.& 149
Virginitas mulieris probatur ex confeſſione mariti aſſerentis ſe eam cognoſcere non potuiſſe, numero 2. & 5. pag. 148
Virginitas quomodo à peritis Matronis ſit exploranda, n.9. p 149
Virginitas præſumitur ex emiſſione ſanguinis in cognitione carnali, n.7 p 168
Virgo præſumitur fuiſſe puella ante ſtuprum & tempore carnalis cognitionis, niſi contrarium probetur, num. 1. p.167
Quod declaratur, n.2.ibid.
Virgo præſumitur mulier quæ pro virgine tenebatur & reputabatur, n.3.ibid.
Virgo præſumitur puella quæ recuſat ab aliis cognoſci, n.4. ibid.
Inſpectio mulieris ad cognoſcendam ſeu explorandam ejus virginitatem, indignum eſt & indecorum quod fiat à viris, n.16.p.170

Viſio, Viſus.

Viſioni plurimum nocent cicatrices oculorum, num.1. pag. 64
Viſio fieri non poteſt ſine ope humoris aquei ſeu albuginei dicti, n.2.p.65
Viſus omnino deperit ex cicatrice & corrugatione Corneæ membranæ, n.3.p.65
Viſus hebetatur in ſenibus ob Corneæ corrugationem, n.4. ibid.
Viſus hebetatur Auſtro, n.2.p.130
Vide *Ventus.*
Viſus ſenſus multo, ac puro lucidóque ſpiritu, indiget, n.9. ibid.
Viſus ex Senectutis culpa præ omnibus ſenſibus detrimentum recipit, n.10.ibid.
Viſus ab Auſtro redditur caliginoſus, n.11.p 131
Viſus obtuſus ſenibus familiaris, n.12.ibid.
Vide *Senium.*
Viſus aliquando hebetudinem contrahit ex ſola ſtomachi culpa, n.13.ibid.

Vitium.

Vitium ab ætate proveniens, ea durante tolli non poteſt, n.9.p.8
Vitia à juventute in ſenectutem provenientia non ſanantur, & multo minus quæ à ſenectute in decrepitatem, num.4. p.4
Vitia ciborum quibus in diebus jejuniorum utimur, num.1. p.16
Vitia naturalia emendari non poſſunt, n.21. p.96.& num 1. p.68
Vitia facilius removentur ex acidenti evenientia, quam quæ à natura ſunt, n.6.p 69
Quando vitium rei venditæ latet, generalis proteſtatio, *Talis qualis eſt*, non relevat; ſed neceſſaria eſt expreſſio in ſpecie, n.2.p.159
Declaratur, n.3.ibid.
Vitii rei venditæ ignorantia non præſumitur in venditore, ſed potius ſcientia, n.4.ibid.
Vide *Redhibitoria actio.*
Vitam ſuam unicuique licet tueri, n.5.p.95
Unuſquiſque tenetur evitare ea, quæ vitam propriam in periculo ponunt, n.5.ibid.
Ad vitam traducendam neceſſarium eſt virium robur, n.13.p.102
Vitæ finitæ certæ notæ ſunt, n.3.p.127
Vitæ genus maximè à naturali & conſueto alienum, mores, mutat, n.13.p.91
Vitæ ſigna quænam ſint, n.6.p.157
Vita alicujus benè arguitur ex ſignis vitalibus editis poſt horas viginti quatuor à nativitate, n.9.ibid.
Vitæ evidens ſignum filii naſcentis, eſt ſuperviventia ipſius poſt matris obitum, n.10.ibid.
Vita infantis ut probetur non eſt neceſſaria vocis emiſſio aut ploratus, cum ſine ipſis ex aliis actibus & motibus vita deprehendatur, n.11.ibid.
Tranſlatio periculi vitæ facta ab eo qui mortis timorem non habebat non dicitur fraudulenta, licet realiter lethali morbo laboret, n.7. & 8. p.147
Vide *Nominatio.*

Vivens, Vivus.

Viventem non ſpirare eſt impoſſibile, n.15.p.127
Dic ut num.16.ibid.
Vivi pro mortuis aliquando elati, n.5.ibid.

Vivere.

Vivere is dicitur qui & motus, & pulſus, & vitæ capacis ſpiritus eſt compos, n.7.p.157
Vivere poteſt partus, ſi poſt dies centum ſexaginta ſex naſcatur, dummodo ſit conceptus in plenilunio, vel in interlunio, n.21.p.182

Vix.

Particula *Vix*, difficultatem ac raritatem rei demonſtrat, n.7. pag.65
Quod Vix ſit, factibile tamen eſt, licet cum difficultate, n.8. ibid.

Ulcus.

Ulcera facilè conſolidantur ætatis teneriotis beneficio, quod ſecus eſt in aliis ætatibus, n.2.p.54
Ulcera in corpore excitata præſervant à peſte, num.19.pag. 118
Vide *Peſtis.*

Undecimeſtris.

Undecimeſtres rejecti per text. *in §. unum ſi quidem, auth. de reſtit.* n.4.98
Undecimeſtres ab Aſtrologis rejecti, n.5.ibid.
Undecimeſtres quales admiſerit Hippocrates, n.6.ibid.
Tam' Decimeſtres, quam Undecimeſtres Hippocrati eodem dictum numero naſci, quomodo fiat, n.7.p.99
Undecimeſtres qui non vitales, n.9.ibid.
Undecimeſtres partus ſunt de raro contingentibus quæ non adaptantur in jure, n.2.p.98
Vide *Partus.*

Voluntas.

Voluntas enixa reſultat ex expreſſione geminata, num. 3. p.173
Voluntas Principis, ſive authoritas quando adeſt, excludit omnem doli præſumptionem, n.89.p.193
Voluntas alicujus probatur per teſtes deponentes ex certa ſcientia, ac de publica voce, & fama, n.10.p.242
Voluntas & Animus Teſtatoris probatur per duos Teſtes n.11.ibid.
Voluntas alicujus probatur per duos Teſtes conteſtes licet minus idoneos, n.13.ibid.
Conjecturæ ceſſant ubi conſtat de voluntate certa, n.26. p.243
Voluntas transferentis penſionem, debet eſſe certa & indubitata, n.16.p.245

Vomitus.

Vomitus materiarum corruptarum peſti familiaris, num.13. p.124
Differentia inter vomitum in Peſte excitatum, & vomitum excitatum à propinato veneno, n.14.ibid.

Votum.

Voti eſſentia per quænam compleatur, n.4.p.78
Vide *Profeſſio Religioſa.*
Vide *Demens.*

Uterus.

Ventris detumeſcentia in Puerperis qualiter eveniat, n.4. p.105
Uterus in prægnantia, quantò magis tumeſit, tantò craſſior evadit, n.5.ibid.
Uterus habet ex natura quandam virtutem ſeminis attractivam, qualem habet magnes ferri, n.2.p.60
Ex ſemine prope uterum emiſſo abſque penis intromiſſione an mulieres concipere poſſint, n.1.ibid.
Uterus non minori attractione ſuo collo utitur ad deglutiendum ſemen maris, quam ventriculus gula ad deglutiendos cibos, n.4.ibid.
Uterus, quando fœmina libidine exardeſcit os etiam externum ad deglutiendum prope ſe effuſum ſemen aperit, n.5.p.61
Vide *Semen.*
Uteri morbi aliarum principum partium morbis aſſociati, tam admirabilibus ſymptomatibus concomitantur ut ſupernaturales exiſtimentur, n.4.p.71
Vide *Morbus.*
Uteri morbis plures mulierum conflictatæ, à Dæmone obſeſſæ exiſtimantur, n.5.ibid.

Index

Vulnus, Vulnerans.

In Vulneribus Capitis sæpè Ægri ex Chirurgi ignorantia periclitantur, n.1.p.92

Vulnus aliquando est periculosum etiamsi non sit lethale, n.2. & 4.ibid.

Vulnera capitis cor præ cæteris facilem errandi occasionem Chirurgis præbeant n.5.ibid.

Vulnerum lethalitas arguitur ex symptomatum sævitia, n.6. p.193

In Vulnere Capitis lethali accidentia sæva primis diebus se manifestant, n.7.ibid.

Vulnera Capitis etiam cum ossis fractura non sunt ex primo capite lethalia.n 9.ibid.

Vulnera ex primo capite lethalia quæ sint,n.8.ibid.

Vulnerato ob Chirurgi ignorantiam decedente, vulnerans de occiso non tenetur, n.10.ibid.

Vulnera non solum facilè, sed ipsa ossa consolidantur ætatis teneriores beneficio, quod secus est in aliis ætatibus,n.2. p.54

Vide *Ætas.*

Vulnera facilè sanantur in teneriori ætate, n.2.ibid.

Vulnerantibus pluribus hominem, illóque decedente, nullus eorum condemnatur in pœnam homicidii, sed in extraordinariam, n.19.p.110

Declara ut n.seq.p.111

Vulnera capitis quam magni momenti sint, n.1.p.117

Vulnera magna aliarum partium magis tuto negliguntur, quàm levissima ipsius capitis,n.2.ibid.

Vulnere lethali existente semper viget præsumptio, quod vulneratus ex vulnere obierit,n.8.ibid.

Vulnerans infirmum non lethaliter, tenetur de homicidio, vulnerato decedente, n.9.ibid.

Contrarium, num.20.p.118

Vulnera Capitis simplicia non sunt ex primo capite lethalia n.15.ibid.

Vulneris gravitate cessante, cessant de necessitate omnia accidentia ad vulnus grave consequentia, n.20.p.77

Vulnus aliàs salubre,in corpore morboso potest fieri lethale n.10.p.82

Uxor.

Uxor tenetur ex Matrimonii vinculo sequi virum, & cum illo cohabitare, num.4.p.125

Vide *Matrimonium.*

Vide *Maritus.*

Uxor non tenetur sequi Maritum ubi illa se exponeret vitæ periculo, n.8.p.125

Uxor redditæ tenetur debitum conjugale marito Lepra detento, n.1.p.51

Vide *Debitum conjugale.*

Uxor tenetur cohabitare cum viro, eique matrimonialia obsequia præstare, n.1.p.155

Uxori sævitiam viri alleganti onus probandi incumbit, n.1. p.195

Uxor verberata à Marito solis pugnis, & alapis, non autem cum baculo, vel alio instrumento ad offerendum apto,non dicitur immoderatè verberata,n.5.ibid

Uxori verbera illata à Marito an fuerint ad correptionem, vel animo doloso, & odio, dignoscitur ex instrumento, cum quo illata sunt; nisi aliter constet,num.6.ibid.

Uxorem à Marito dolosè percussam fuisse non præsumitur, licet cum baculo, & sanguinis effusione,nisi probetur, n.7. ibid.

Uxor semper debet esse sub timore, & reverentia viri,n.11 ibid.

Uxor quæ plures annos cohabitavit cum marito, si alleget illius impotentiam,præsumitur propter aliam causam agere pro dissolutione Matrimonii, n.11.p.162

Uxor mortuo Marito potest prætendere lucrum dotale ex dispositione Statuti Urbis *lib.1.c.131.n.1.p.208*

Uxor debet præstare patientiam successivam,ad hoc ut dicatur quod per ipsam non steterit, quominus Matrimonium consummaretur,n.13.p.209

Uxor tenetur sequi virum, non obstante pacto de non discedendo à certo loco, si justa super veniat causa discessus n.4.p.238.n.6.p.247

Amplia ut n.5.ibid.n.6.ibid.

Uxor Monasterium ingredi non potest post consummatum Matrimonium. n.43.p.243

Uxor tenetur Marito debitum reddere ad filiorum procreationem, n.52.ibid.

Uxor tenetur sequi Maritum ad suum domicilium,num.54. ibid.

Uxor recusans adire domicilium Mariti, peccat mortaliter n.55.ibid.

FINIS.

